CONCILIA
)ECRETALIA
PROVINCIALIA

Digitized by Google

Digitized by Google

TO. IV

13
13 - F
2 6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

13 B . 26
I

Digitized by Google

CONCILIA
GENERALIA,
ET
PROVINCIALIA, QVÆ-
CVNQVE REPERIRI
POTVERVNT;
ITEM EPISTOLÆ DECRETALES,
Et Romanor. Pontific. Vitæ.

OMNIA STVDIO ET INDVSTRIA

REVER. D. SEVERINI BINII, SS. THEO-
logiæ Licentiati, & B. Mariæ Virginis ad Gradus
Coloniæ Canonici,

Ex Manuſcriptis, aliiſq; emendatioribus Codicibus aucta, eorundemq; collatione recognita, Notis vtiliſsimis illuſtrata, hiſtorica methodo diſpo-ſita, & in Tomos quatuor di-ſtributa.

TOMVS QVARTVS.

QVO QVID CONTINEATVR, VIDE
Lector Pagina ſequenti.

ADDITI SVNT INDICES DVO; VNVS RERVM ET VERBORVM;
ALTER LOCORVM S. SCRIPTVRÆ FVSE
explicatorum.

PERMISSV SVPERIORVM.

Domus Romanæ Cler.



Reg. Ministran. Infirmis

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Ioannem Gymnicum, & Antonium Hierat,
Anno M.DC.VI.
Cum Gratia & Priuilegio Sacr. Ceſar. Maieſtat.

Digitized by Google

13.13.F.26

Digitized by

SERIES ET ORDO EORVM, QVÆ IN HOC QVARTO CONCILIORVM TOMO CONTINENTVR, NON QVIDEM OMNIVM, SED PRÆCIPVORVM, ET QVÆ COMMODE HVC referri potuerunt. Cætera in totius Operis Alphabetico Indice reperientur.

Concilium Baſileenſe Vniuerſale ſiue Oecumenicũ ex parte reprobatum; quoad ea nimirum, quæ ibidem de auctoritate Concilij, & depoſitione Eugenij Pap. decreta & ſancita fuerũt, inchoatum an. Dom. 1431. Pontificatus Eugenij I. finitũ & abſolutum an. Chr. 1442. Eug. Pap. 12. pag. 13. &c.

Adiecta ſunt multa alia idem Concilium concernentia, Item

Fragmenta quædam ad hoc Concilium Baſileenſe, quæ hactenus Conciliorum Tomis non fuerunt inſerta, nimirum:

Oratio, quá Ioan. de Raguſio Ordinis Prædicatorum Generalis, reſpondit per octo dies in Concilio Baſileenſi ad articulum 1 Bohemorum, De communione ſub vtraque ſpecie, *propoſitum à M. Ioanne Rokyzana. 16. Ianuarij.* pag. 243

Ægidij Carlerij, Decani Eccleſiæ Cameracenſis, oratio, quá per dies quatuor, in Concilio Baſileenſi, reſpondit ad articulum 2 Bohemorum; De corrigendis peccatis publicis, *quem propoſuit per biduum Nicolaus Taborita,* pag. 301

Henrici Kalteiſen Dominicani, profeſſoris SS. Theologiæ in celeberrima Colonienſi Academia, & hæreticæ prauitatis Inquiſitoris, quá in Concilio Baſileenſi, An. 1433. per dies tres refutauit tertium articulum Bohemorum; De libera prædicatione verbi Dei: *Quem propoſuit per biduum Vdalricus presbyter orphanorum,* p. 337

Ioan. de Polemar, Archidiaconi Barcinonenſis, Apoſtolici palatij cauſarum Auditoris, oratio, quá in Concilio Baſileenſi an. 1433. per dies tres refutauit 4. articulum Bohemorum. De Ciuili dominio clericorum: *Quem propoſuit per triduum Petrus Rayne Anglus,* p. 383

Nota in Concilium Baſileenſe Oecumen. p. 403

Concilium Bituricenſe pro Approbatione Pragmaticæ ſanctionis in Gallia, celebratum anno Chr. 1438. tempore Eugen. Pap. IV. p. 410

Concilium Florentinum, Oecumen. ſiue Vniuerſale XVI. approbatum. 141. Epiſcoporũ contra errores Græcorum, an. Chr. 1438. Ferrariæ inchoatũ: anno autem 1439. Florent. finitum, tẽpore Eugen. Papæ 4. & Alberti Imperatoris, p. 411

Beſſarionis Archiepiſcop. Nicæni, & Patriarchæ Conſtantinopol. oratio in Synodo Florentina habita pro vnione, p. 480. &c.

Eugenij Papæ IV. Decretum, p. 492. &c.

Epiſtola Hieroſolymitani Epiſcopi ad Eugen. IV. Pap. pag. 495

Nota in Concilium Florentinum XVI. Oecumen. vel vniuerſale, p. 495

Reformationes Cleri Diœceſis Leodien. an. Dom. 1446. tempore Eugenij Papæ IV. per Reueren. Ioan. Epiſc. Leodienſ. facta, &c. Et per Capitulum Maius Leodienſe ſigillata, & per Nicol. V. Pap. approbata, pag. 506

Nicolai V. Pap. Vita, p. 510

Concilium Turonenſe pro reformandis morib. Eccleſiæ, celebratum an. Dom. 1448. tempore Nicol. Pap. V. p. 510

Concilium Lugdunenſe pro ſchiſmate inter Nicolaum Papam, & Felicem Antipapam tollendo, habitum an. Chr. 1449. tempore Nicol. Papæ V. p. 511

Calixti III. Pontif. Vita, ibid.

Pij II. Pontif. Vita, ibid.

Pij Papæ II. Bulla retractationum omnium, dudum per eum in minoribus adhuc agentem, pro Concilio Baſileenſi, & contra Eugenium Pontificem ſcriptorum, pag. 512

Conuentus Mantuanus de bello contra Turcas ſuſcipiendo, p. 515

Pauli II. Pontif. Vita, p. 515

Sixti IV. Pontif. Vita, ibid.

Sixti IV. Decretum de feſto Conceptionis B. Virginis Mariæ, p. 516

Concilium Toletanum, in oppido quodam Hiſpaniæ de Aranda, ad reformandos Cleri populique mores celebratum an. Dom. 1473. tempore Sixti Pap. IV. p. 517

Innocentij VII. Pontif. Vita, p. 524

Alexandri VI. Pontif. Vita, ibid.

Pij III. Pontif. Vita, ibid.

Iulij II. Pontif. Vita, ibid.

Conciliabulum Turonenſe contra Iulium Pontificem in Gallia celebratum, An Chr. 1510. pag. 525

Conciliabulum Piſanum Oecumen. & Reprobatum, contra Iulium Pap. indictũ & congregatum An. Chr. 1511. tempore ipſius Iulij Papæ & Maximil. Imperat. p. 525

2

13.13.F26

Digitized by Google

SERIES ET ORDO EORVM, QVÆ IN HOC QVARTO CONCILIORVM TOMO CONTINENTVR, NON QVIDEM OMNIVM, SED PRÆCIPVORVM, ET QVÆ COMMODE HVC referri potuerunt. Cætera in totius Operis Alphabetico Indice reperientur.

COncilium Baſileenſe Vniuerſale ſiue Oecumenicũ ex parte reprobatum; quoad ea nimirum, quæ ibidem de auctoritate Concilij, & depoſitione Eugenij Pap. decreta & ſancita fuerũt, inchoatum an. Dom. 1431. Pontificatus Eugenij I. finitũ & abſolutum an. Chr. 1442. Eug. Pap. 12. pag. 13. &c.

Adiecta ſunt multa alia idem Concilium concernentia, *Item*

Fragmenta quadam ad hoc Concilium Baſileenſe, qua hactenus Conciliorum Tomis non fuerunt inſerta, nimirum:

Oratio, quâ Ioan. de Raguſio Ordinis Prædicatorum Generalis, reſpondit per octo dies in Concilio Baſileenſi ad articulum 1 Bohemorum, De communione ſub vtraque ſpecie, *propoſitum à M. Ioanne Rokyzana. 16. Ianuarij.* pag. 243

AEgidij Carlerij, Decani Eccleſiæ Cameracenſis, oratio, qua per dies quatuor, in Concilio Baſileenſi, reſpondit ad articulum 2 Bohemorum; De corrigendis peccatis publicis, *quem propoſuit per biduum Nicolaus Taborita,* pag. 301

Henrici Kalteiſen Dominicani, profeſſoris SS. Theologiæ in celeberrima Colonienſi Academia, & hæreticæ prauitatis Inquiſitoris, quâ in Concilio Baſileenſi, An. 1433. per dies tres refutauit tertium articulum Bohemorum; De libera prædicatione verbi Dei: *Quem propoſuit per biduum Vdalricus presbyter orphanorum,* p. 337

Ioan. de Polemar, Archidiaconi Barcinonenſis, Apoſtolici palatij cauſarum Auditoris, oratio, qua in Concilio Baſileenſi an. 1433. per dies tres refutauit 4. articulum Bohemorum. De Ciuili dominio clericorum: *Quem propoſuit per triduum Petrus Rayne Anglus,* p. 383

Nota in Concilium Baſileenſe Oecumen. p. 405

Concilium Bituricenſe pro Approbatione Pragmaticæ ſanctionis in Gallia, celebratum anno Chr. 1438. tempore Eugen. Pap. IV. p. 410

Concilium Florentinum, Oecumen. ſiue Vniuerſale XVI. approbatum. 141. Epiſcoporũ contra errores Græcorum, an. Chr. 1438. Ferrariæ inchoatũ: anno autem 1439. Florent. finitum, tẽpore Eugen. Papæ 4. & Alberti Imperatoris, p. 411

Beſſarionis Archiepiſcop. Nicæni, & Patriarchæ Conſtantinopol. oratio in Synodo Florentina habita pro vnione, p. 480. &c.

Eugenij Papæ IV. Decretum, p. 492. &c.

Epiſtola Hieroſolymitani Epiſcopi ad Eugen. IV. Pap. pag. 495

Nota in Concilium Florentinum XVI. Oecumen. vel vniuerſale, p. 495

Reformationes Cleri Diœceſis Leodien. an. Dom. 1446. tempore Eugenij Papæ IV. per Reueren. Ioan. Epiſc. Leodienſ. facta, &c. Et per Capitulum Maius Leodienſe ſigillata, & per Nicol. V. Pap. approbata, pag. 506

Nicolai V. Pap. Vita, p. 510

Concilium Turonenſe pro reformandis morib. Eccleſiæ, celebratum an. Dom. 1448. tempore Nicol. Pap. V. p. 510

Concilium Lugdunenſe pro ſchiſmate inter Nicolaum Papam, & Felicem Antipapam tollendo, habitum an. Chr. 1449. tempore Nicol. Papæ V. p. 511

Calixti III. Pontif. Vita. ibid.

Pij II. Pontif. Vita, ibid.

Pij Papæ II. Bulla retractationum omnium, dudum per eum in minoribus adhuc agentem, pro Concilio Baſileenſi, & contra Eugenium Pontificem ſcriptorum, pag. 512

Conuentus Mantuanus de bello contra Turcas ſuſcipiendo, p. 515

Pauli II. Pontif. Vita, p. 515

Sixti IV. Pontif. Vita, ibid.

Sixti IV. Decretum de feſto Conceptionis B. Virginis Mariæ, p. 516

Concilium Toletanum, in oppido quodam Hiſpaniæ de Aranda, ad reformandos Cleri populique mores celebratum an. Dom. 1473. tempore Sixti Pap. IV. p. 517

Innocentij VII. Pontif. Vita, p. 524

Alexandri VI. Pontif. Vita, ibid.

Pij III. Pontif. Vita, ibid.

Iulij II. Pontif. Vita. ibid.

Conciliabulum Turonenſe contra Iulium Pontificem in Gallia celebratum, An. Chr. 1510. pag. 525

Conciliabulum Piſanum Oecumen. & Reprobatum, contra Iulium Pap. indictũ & congregatum An. Chr. 1511. tempore ipſius Iulij Papæ & Maximil. Imperat. p. 525

Concilium Lateranenſe generale V. Oecumenicum autem ſiue Vniuerſale approbatum XVII. Epiſcoporum 114. contra Piſanum I. Conciliabulum & Turcas, pro reformatione Eccleſiæ ſub Iulio Pap. 2. anno Dom. 1512. inchoatū, tempore autem Leonis Pap. X. an. 1517. abſolutum, pag. 526. &c.

Nota in Concilium præcedens Lateranenſe Oecumen. pag. 651

Leonis IX. vulgò X Pontif Vita, p. 652

Bulla Leonis Papæ X. contra errores Martini Lutheri & ſequacium, ibid.

Adriani VI. Pontif. Vita, p. 656

Breue Adriani Pap. VI. ad Inquiſitorem Comenſem, quo datur hæretica prauitatis Inquiſitoribus, facultas procedendi contra Incantatores, Sortilegos, Diabolo obedientiam præſtantes, fidem abnegantes, &c. p. 657

Breue Adriani Pap. VI. ad Fredericum Saxoniæ Ducem aduerſus Lutherum, ibid.

Clementis Pap VII Vita, p. 660

Conſtitutio ad remouendos abuſus & ordinatio ad Cleri vitam reformandam, per Cardinalem Campegiū ad German Sed Apoſt. de Latere Legatum Ratiſponæ an Chr. 1524. edita, p 661

Concilium Senonenſe pro reformatione Eccleſiæ celebratum, tempore Clemen. Pap. VII. ſub reuerendiſſ. Antonio à Prato, S.R. Eccleſ. Tit. S. Anaſtaſiæ presbyt. Card. & Archiepiſcop. Senon. &c. p. 666

Pauli III. Pontif. Vita, p. 687

Concil. Prouinciale Colonienſe, ſub Hermanno Archiepiſcopo celebratum, an Chr. 1536. tempore Pauli Pap. III. & Carol. V. Imper. in cauſa Reformationis Clericorum. & reformationis Eccleſiæ, p. 687

Concilium Auguſtan. ad reformationem Cleri, authoritate Otthonis Cardinalis & Epiſcopi Auguſtani, celebratum an. Dom. 1548. tempore Pauli Pap. III. p. 728. &c.

Concilium Treuerenſe pro reformanda diſciplina fidei & morum, celebratum authoritat. Ioan. Treuirenſ. Archiepiſc. an. Chr. 1548. tempore Pauli Pap III. p. 744. &c.

Concil. Colonienſe II. prouinc. ſub Paul. Pap. III. habitum authoritate Adolphi archiepiſc. Colon. an. Dom. 1549. pro reformatione Eccleſiaſt. diſciplinæ, p. 752

Concilium Mogūtinum, tempore Pauli Pap. III. an. Chr. 1549. auctore Sebaſt. Archiepiſc. congregatum in cauſa fidei & morum, p. 768

Concilium Treuerenſe II authoritate Ioan. Archiepiſc. indictum in cauſa fidei & morū, an. Dom. 1549. tempore Pauli Pap. III. p. 787

Concilium Tridentinum, Oecumen. ſiue Vniuerſale XVIII. Approbatum, contra hæreſes & corruptos huius ſæculi mores; ſub Paulo III. an. Dom. 1545. inchoatum, ſub Iulio 3. Marcello 2. & Paulo 4. continuatū; denique ſub Pio 4. abſolutum fuit. an. Chr. 1563. p. 794. &c.

Bulla Pij IV. pro confirmatione Oecumen. Concilij Tridentini, &c. p 876

Iulij Pap. III. Vita, p. 877

Marcelli II. Pap. Vita, ibid.

Pauli IV. Pontif. vita, p 878

Pij IV. Pontif. Vita, p. 879

Concilium Prouinciale Mediolanenſe I. tempore Pij 4 Pontif. habitum à Carolo Borrhomęo S.R.E. Presb. Card. Tit. S. Praxedis, Archiepiſcopo Mediolanenſ. & ad vniuerſam Ital. Legato Apoſtolico, an. 1565. p. 879. &c.

Pij V. Pontif. vita, p. 918

Concilium Mediolanen. II. ab eodem Cardinale Borrhomæo &c. habitum an Chr. 1569. tempore Pij V. Pont. p. 9.8

Gregorij XIII. Pap. Vita, p 930

Concil. prouinc. Mediolan. III. ab eodem Card. Borrhomæo habitum anno. Chr. 1573. tempore Greg. XIII. Pap. p. 931

Concil. Mediolan. prouinc. IV. ſub eodem Card. Borrhomæo habitum, an. Chr. 1573. tempore eiuſdem Greg Pap. XIII. p. 948

Concilium Mediolanen. prouinc. V. ſub eodem Card. Borrhomæo celebratum, an. Dom. 1579. p. 1007

Concilium Mediolan. prouinc. VI. tempore Gregor. Pap. XIII. anno 1582. ab eodem Card. Borrhomæo habitum, p. 1067

Sixti V. Pontif. Vita, p. 1084

Vrbani VII. Pontif. Vita, ibid.

Gregorij XIV. Pontif. vita, ibid.

Innocentij IX. Pontif. vita, p. 1085

Clementis VIII. Pontif. vita, ibid.

Concilium Prouincial. Aquileienſe celebratum An. Dom. 1596 tempore Clementis Pap. VIII. ſub Franciſco Barbaro Patriarcha Aquileiæ, p. 1086 &c.

Leonis X vulgò XI Pont. vita, p. 1110

Pauli V. Pontif. Opt. Max. vita, ibid.

EVGE-

EVGENII IIII. PONTIF. VITA.

EVGENIVS Quartus natione Venetus, GABRIEL CONDVLMERIVS antea vocatus, ex Canonico in Alga à Gregorio duodecimo in Cubiculariũ aſſumpt⁹, & poſtea ab eodem epiſcopus Senenſis, & tandem Cardinalis factus, Quinto nonas Martij anno 1431. ad Pontificatum euectus fuit. Stephanus Columna huius potentiam & indignationem veritus, cum quibuſdam fœdus percutiens, armatus contra Pontificem arma ſumpſit, verum à Pontificijs militib⁹ fuga ſibi cõſulere coactus fuit. Acciderunt etiã ijſdẽ pene temporibus tumultus & variæ Tragœdiæ excitatæ, his temporibus exortæ, quæ pontificis ægritudine ſunt ſopitę. Angelotum vna cum Franciſco Camerario nepote ſuo Cardinalem creauit. Paulò pòſt Sigiſmundum Imperiali corona Romæ cõdecorauit. Per Nicolaum Fortibrachium bellis infeſtatus populique ſeditione turbatus, mutato habitu ſeſe clam Florentiam ſurripuit. Vbi cùm moleſtijs & tædio pleniſſimus commoraretur, iuxta Martini quinti præſcriptum Concilium Baſilienſe inchoatum eſt. Patriarcham Viteleſcum Romam legauit, & dignitate Cardinalitia donauit, quod eius induſtria & vigilantia, non parui momenti machinationes extinctę fuiſſent. Inde verò Bononiam pertranſiens arcem exædificauit, ac palatium reparauit. Cumque inchoatum Baſileenſe Concilium inconceſſa tentaret, ſediſque Apoſtolicæ iudicium ſibi illicitè vſurparet, idem Concilium Baſilea Ferrariam tranſtulit. Qua de cauſa non tantum graues ſeditiones, verum etiã perniciosũ ſchiſma exortum fuit. Nam depoſito Eugenio legitimo Pontifice Amadæum Sabaudiæ Ducem Antipapam ſchiſmaticum crearunt, eique Felicis V. nomen impoſuerunt. Ob graſſantem peſtem Ferraria itum eſt Florentiam, habitiſque vtrobiq; de purgatorio & proceſſione Spirituſſancti grauiſſimis diſputationibus Græca & Romana Eccleſiæ vnitæ fuerunt: illudque de Spiritu ſancto, purgatorio, Romani pontificis primatu, alijſque nonnullis fidei articulis crediderunt, quod Romana eccleſia docet & profitetur. Tandem poſt multas bellorum perturbationumque viciſſitudines, Romam reuerſus, atque Nicolao Tolentinate Ordinis ſancti Auguſtini religioſo in Sanctorum numerum relato obijt, ſeptimo calendas Martij anni 1446. cum ſediſſet annos prope 16. Poſt mortem eius Sedes duodecim diebus vacauit.

COMPENDIOSA ENARRATIO, QVOMODO BOHEMI VOCATI, PRODVCTIQVE SINT AD BASILEENSEM SYNODVM OECVMENICAM: & quid illic egerint, ex rerum expetendarum faſciculo quem M. Ortvvinus Gratius non ſatis fideliter & prudenter congeſſit, deſumpta.

QVVM Bohœmi in erroribus ſuis perſiſterent, & primitiuam ac Apoſtolicam eccleſiam iactantes à Romana ſede pertinacius euariarent: exulceratis nimirum illorum animis ob Ioãnis Huſſi & Hieronymi Pragenſis exuſtionem; miſſus eſt in Germaniam legatus Iulianus, Cardinalis titulo ſancti Angeli, vt expeditionem appararet in rebelles Bohœmos, quam Romana conſuetudo Cruciatam appellat. Putabat enim Romanus Pontifex hanc gentem à Germanis facile poſſe ſuperari. Verum res aliter euenit. Nam noſtris ſæpius in fugam verſis tantum vicinis omnibus terrorem incuſſerunt, vt nihil aliud quam pacem optaret Germania. Rebus itaque non ſuccedentibus, cum ſemper Bohœmi ſuperiores eſſent, quanquam à nouo iam Pontifice Eugenio ſententia anathematis damnati, optimũ factu viſum eſt, ſi Baſileam, vbi nuper indictum erat Concilium, vocarentur. Quare Cardinalis Iulianus eo loci præmiſit Ioannem Polomarium Pontificij iuris doctorem, ſacrique palatij auditorem: & Ioannem de Raguſio, Theologiæ profeſſorem, ordinis Prædicatorum tum procuratorẽ generalem, qui poſtea Argenſis epiſcopus factus, etiam in Cardinalium numerum meruit recipi, titulum ſancti Xyſti indeptus. Qui cum Baſileam veniſſent, Anno M.CCCC. XXXI. Menſe Auguſto, vocarunt literis ad Concilium Ioannem Mulbrunæ Abbatem, & Ioannem Gelhuſium eiuſdem cœnobij monachum. Nam hoc homine propter dexteritatem ingenij, & regionum ac rerum experientiam, in primis opus erat ad obeundas legationes. Abbas alijs negotijs diſtentus non venit: Ioannem tamen morbo paulo ante vexatum, & adhuc valetudine non ſatis confirmata, Baſileam miſit. Quo non multis poſt diebus Iulianus quoque peruenit, vt promiſerat. Is ſtatim Ioannem Gelhuſium, & Hammanum Offenburgium, conſulem Baſilienſem, primum ad Sigiſmundum Cæſarem, Feldkirchi tum agentem, deinde ad Fridericum Ducem Auſtriæ mittit, pro componendo bello, quod huic erat, cum Philippo Duce Burgundiæ. Fiebat hoc, vt reddita pace, tuto liceret Baſileam venire, non ſolum proceribus Eccleſiaſticis, ſed & mercatoribus, atque adeo omnia quæ ad victum pertinent importare. Hanc legationem obeuntes, literas acceperunt à ſancta Synodo, Sigiſmundo Cæſari reddendas, quibus Bohœmi & Moraui ad Concilium vocabantur: has ille mox in Bohœmiam perferendas curauit. At cum in Italiam proficiſceretur, Imperialem à Pontifice coronam ſuſcepturus, protectorem interim velut vicarium ſacro Concilio dedit VVilhelmum Bauariæ ducem. Porrò cum Synodus monita fuiſſet, noſtros cõditiones pacis à Bohœmis accipere velle poſt fœdam illam fugam; arbitrans hoc ignominioſum eſſe, miſit Ioannem Niderium ordinis Prędicatorum Theologum, & Ioannem Gelhuſium, qui commodum redierat, vt vicinum Bohœmis populum conſolarentur, & Morauos Bohœmoſque ad Concilium ante vocatos, ad veniendum ſedulo vrgerent. Hi tertio Calendas Nouembres Baſilea diſcedentes, Monacum verſus (oppidum id eſt Bauariæ) iter inſtituerunt. Vbi cum primum VVilhelmum ducem, & huius fratrem Erneſtum, atque Erneſti filium Albertum ſalutaſſent, & mandata legationis ſuæ expoſuiſſent, ipſumque VVilhelmum monuiſſent, vt quam primum Baſileam veniret, quod ei tutela Concilij commiſſa eſſet à Cæſare, mox Fridericum Marchionem Brandeburgij, Ioannem ducem Bauariæ, & ſenatum Nurenbergenſem, ac alios principes & dominos partim literis ſynodalibus, partim etiam ore ſuo ſunt adhortati, vt nullo pacto fœdus cum Bohœmis inirẽt, quod eccleſię nocere poſſet: adfuturum mox auxilium. Rogabantque nomine Concilij, vt ſi Bohœmi legatos ſuos Baſileam mittere vellent, deducerent eos per ſuam quique regionem ſaluos. Omnes ſe hoc facturos receperunt. De vocatis Bohœmis dici nõ poteſt, quam gauiſi fuerint omnes, præſertim laici, cum etiam lachrymas emitterent, affectus vehementiſſimi teſtes. Deinde cum ſenatum Nurenbergenſem conſuluiſſent, de mittendis in Bohœmiam literis ſynodalibus, viſum eſt melius eſſe, ſi prius ſciſcitarentur ab Egrẽſibus, num aliquid ad ſuperiores Concilij literas Bohœmi reſpondiſſent, quas ipſi perferendas curaſſent. Egrenſes per literas moniti, tabellarium illum Nurenbergam miſerunt, qui literas Concilij in Bohœmiam ante pertulerat. Is retulit, quanta cum reuerentia literas accepiſſet Conſul maioris ciuitatis Pragenſis, & quibus ipſe præmijs fuiſſet donatus. Vnde ſpem legati conceperunt rem bene proceſſuram. Itaque conſilio ſenatus Nurenbergenſis vſi, & aliorum, præſertim Abbatis S. AEgidij, Albertique paſtoris apud S. Sebaldum, & Conradi Cuonhoferij, remiſerunt ad Egrenſes tabellarium illum, & ſuis priuatim, & Concilij literis oneratum. Neque enim commodior erat ratio, literas in Bohœmiam mittendi. Multum porrò laboratum eſt in hac re, cũ ab Egrenſibus ipſis, tum à Friderico Marchione Brandeburgenſi, & Ioanne duce Bauariæ, & à ſenatu Nurenbergenſi: tantopere cupiebant hi inter Chriſtianos pacem inſtaurari. Exempla literarum, quibus ſacra Synodus Bohœmos denuo inuitat, & alias item exhortatorias, ac literas Oratorum ad eoſdem, & ad hos Pragenſium reſpondentes*, cauſa breuitatis omiſimus. Porrò Bohœmi non per omnia no-

Iulianus Cardin. S. Angeli.

Ioan. Polomair.

Ioan. de Rahuſio.

Ioan. Gelhuſius.

Hãmanus Offeburg.

VVilhel. dux Bauariæ, protector cõcilij.

Frid. Marchio Brãdeburg.

Ioan. dux Bauariæ.

Nurenbergẽſes.

Egrenſes.

Conrad⁹ Cuonhofer.

* Extant in actis. tom. 4. concil.

ſtris fidentes, in literis petebant, vt oratores Concilij cum principibus vicinis ad Egram venirent, ſuos illic quoq; adfuturos; vt de commeatu, ſeu publica fide danda, quem *ſaluum conductum* appellant, alijs rebus tractetur. Decretus fuit ei conuentui dies Dominicus, qui Paſcha proxime ſequebatur. Erat is menſis Aprilis dies xxvij.

Conuentus Egren.

Itaque venerunt Egram oratores ſacri Concilij, Henricus Abbas ſancti Aegidij Nurenbergenſis, Iohannes Nider, Theologiæ profeſſor, ac Prior domus Prædicatorum apud Baſileam: Fridericus de Parſpergo, decanus Ratiſponenſis, iuris pontificij peritus: Magiſter Henricus Tocgius, Canonicus Mageburgenſis, Theologus: Albertus paſtor apud ſanctum Sebaldum Nurenbergæ: & Iohannes Gelhuſius, cœnobita Mulbrunnenſis: cum illuſtribus principibus Friderico Marchione Brandeburgij, & Ioanne Bauariæ Duce, ac alijs proceribus, fere cum ducentis & quinquaginta equis. Verum de Bohœmis nullus aderat, quod Pilſenēſes, & dominus Suanbergius ſaluumconductum nō miſiſſent. Id cū ex literis intellexiſſent, effecerunt vt ab Egrenſibus & Elenbogenſibus nuntij Bohœmorū Nicolaus Humpoltzius, ſecretarius maioris ciuitatis Pragenſis, & Matthias Clumpezanus, præfectus Pieſtenſis producerentur: veneruntque Egram cum decem & nouem equis, octauo die menſis Maij. Poſtridie apud Marchionem Henricus Tocgius elegāti oratione Bohœmorum nuncios ſalutauit, euangelicum illud vſurpans, declaranſque *Pax vobis*. Mox ipſi propoſuerunt, quam atrocibus iniurijs à nobis fuiſſent hactenus affecti, eamque rem extitiſſe cauſam tot vtrinque cladium. Gaudere ſe quod tandem ſpes affulſit, vt audirentur aliquando. Deinde de commeatu præſtando diſputatum eſt. Obſides poſtulabant Bohœmi, non quoſuis, ſed principes & nobiles. Id cum noſtris non placeret, & res ita differretur, cœpit vulgus apud Egrā clamare, quo minus cum Bohœmis procederet concordia, per eccleſiaſticos ſtare & principes. Proinde pientiſſimi principes, Fridericus Marchio Brandeburgenſis, & Iohannes Bauariæ Dux ſuapte ſponte ſe obligarunt.

Diplomatæ ſalui cōductus.

Hoc idem paulo poſt rogante Synodo fecit protector Concilij VVilhelmus dux Bauariæ, item ipſa Synodus, & Sigiſmundus Cæſar. Præterea promiſſio facta eſt, hoc idem omnes principes & ciuitates præſtaturos, per quorum ditionem eſſent profecturi Bohœmi, atque adeo ciuitatem ipſam Baſileenſem. Quæ de commeatu diplomata paulopoſt ſunt Pragam miſſa. Poſtulatum & hoc eſt à Bohœmis, vt ipſe Cæſar præſens adeſſet in Synodo, quam fieri poſſet plenè congregata.

Petr. Volkamer. Conrad' Cuonhoſer.

Conuentus Egrenſis durauit dies vigintivnum. In quo fuerunt etiam ornatiſſimi viri Petrus Volkamer, conſul Nurēbergēſis, & Conradus Cuonhoſer, iuſſu ſumptuque ciuitatis ſuæ. Verum Bohœmi, quanquam audiſſent noſtros miranda pollicentes, adhuc non plane fidebant. Quare elegerunt duos nuntios Nicolaum Humpoltzium, & Iohannem Zaczenſem, qui Baſileam irent, & cuncta diligenter explorarent. Hos Conradus Epiſcopus Ratiſponenſis, & Cōradus Seglavver, decanus Eiſtetenſis, Carelſpurgum vſque (vbi Marchio Badenſis degebat) deduxērunt, in hoc à Synodo pauloante emiſſi, vt expiſcarentur, an eſſent venturi Bohemorum legati.

Abbas Eberacen.

In comitatu verò erant è noſtris, Abbas Eberacenſis & cæteri nuntij ſacri Concilij. Cum Biberacum veniſſent, quidam infeliciter curioſus ex altero Bohœmorum nuncio quæſiuit, vnde nam eſſet. Reſpondit is ſe Zaczenſem eſſe, *Illic* (inquit ille) *ſunt execrabiles hæretici, & peſſimi homines &c.* Qui propter huiuſmodi conuitium, veluti violator publicæ fidei ſtatim in carcerem raptus eſt pius pœnæ dependurus, niſi ipſi nuntij Bohœmorum, & Abbas Eberacenſis precibus hominem liberaſſent. Cum veniſſent Baſileam, vino & piſcibus fuerunt à Senatu donati. Manſeruntque illic dies quinque & dimidiatum. Decimo Octob. die venerunt ad Synodum, quæ conuenerat apud Prædicatores. Hi nuntij cum domum fuiſſent reuerſi cum diplomatibus Concilij, indicaſſentque quæ viderant, rem videlicet agi ſerio, nec ſubeſſe dolum:

Oratores Bohœmorum ad Conciliū.

delecti ſunt oratores ad Concilium mittendi de regno Bohœmiæ & Marchionatu Morauiæ, Ioannes de Krainitz, Iacobus de Vurzieſlonitz, Beneſius de Makrovvitz, Ioannes Velvvar de Praga, Matthias de Clumpezan, Laurinus de Hradiſſe, Gregorius de Curia, Nicolaus ſcriba Pragenſis, Magiſter Ioannes de Roccizano, Magiſter Petrus Payne de Anglia, Procopius ductor exercitus Taboritarum, Nicolaus de Peletznnau, Marcoldus de Zbraſlauitz, Martinus de Chrudim, & Petrus Zaczenſis. Qui cum in Tuſca cōueniſſent, illinc per noſtros in Chambiam ſunt producti cum triginta duo equis per nobiles viros, Hinskouerum, Pflugium, Pauelſtorferum, Fridericum præpoſitum Ratiſponenſem, & alios: vbi Conradus Ratiſponenſis Epiſcopus ſubſtiterat. Ex Chambia Suenckendorphium itum eſt. Atque cum iam Nurenbergæ vicini eſſent, Matthias Clumpezanus præfectus Pieſtenſis vexillum protulit: cuius vna pars crucifixi imaginem habebat depictam, altera calicem Euchariſtiæ figura ſuperpoſita, ſicque Nurenbergam ingreſſi ſunt. Verum cum noſtris moniti eſſent, id poſtea nuſquam fecerunt. Nurenbergenſes, præter vinarium atque piſcarium munus, etiam viginti duo equites conceſſerunt, qui illos Vlmam comitarentur. Ex Nurenberga Albertus Marchionis filius in Guntzenhuſium produxit, Oringenſis comitis miniſtri Nordlingam, & poſtero die Vlmam: Vlmenſis porrò Biberacum & Sulgouiam vſque, inde exceptos Iacobus Truchſes de VValpurgo eques auratus Stockacum produxit: Satellites ducis Bauariæ VVilhelmi Scaffhuſium poſt deduxerunt: Illic naues ingreſſi, quarta die Ianuarij Baſileam venerunt.

Veniunt Baſileam.

Porrò nono die eiuſdem mēſis, cum ſynodum acceſſiſſent, habuit orationem Iulianus Cardinalis, de eo, *quod quicquid vſpiam dubiorum eſt, id authoritate Concilij definiri debeat: quandoquidem omnes mortales iudicio ſanctæ matris Eccleſiæ, quam generale Concilium repræſentat, ſe ſubmittere tenentur.* Quæ quidem oratio non omnibus Bohœmis probabatur. Habuit & Roccizanus orationem nomine Bohœmorum, diem poſtulans quo audirentur. Is fuit deſtinatus xvj. eius menſis. Quo die Iohannes Roccizanus pauca præfatus, primum articulum *de communione ſub vtraque ſpecie*, proponere cœpit, vſque in tertiū diem, ſemper ante Meridiem.

Diſputā.

Deinde VVēceſlaus Taborita, ſecundum articulum *de corrigendis, & eliminandis peccatis publicis*, in medium protulit, per bidui ſpacium. Poſt quem Vdalricus presbyter orphanorum, tertium articulum, *de libera prædicatione verbi Dei*, duobus item diebus propoſuit. Poſtremò Petrus Payne Anglus, de quarto articulo, qui erat *de ciuili dominio clericorum*, per tres dies diſſeruit. Fecerunt autem copiam ſuarum diſputationum ſacro Concilio inſcriptis, & gratias egerunt quod auditi fuiſſent. Poſterioreſque tres ſatis inciuiliter in noſtros inuexerunt, Ioannem VViclephum, & Ioannem Huſſum à doctrina laudantes: nihil veriti *Doctores Euangelicos* vocare, quos pridem Eccleſia damnarat. Exigebat res vt Bohœmis aliquid reſponderetur.

Ioan. de Raguſio reſpondet ad articu.

Itaque ſurgens Iohannes de Raguſio, Theologiæ profeſſor, ordinis prædicatorum, procurator generalis, petijt clara voce in medio ſacræ congregationis, poteſtatem ſibi dari, vt reſponderet priuato nomine ad primum Bohœmorum articulum. Aſſenſit ſynodus. Octoque diebus reſpondit horis antemeridianis. Antequam autem inciperet reſpondere, Iohannes Abbas Ciſterctienſis orationem ad Bohœmos habuit, *vt ſe ſubmitterent determinationi ſanctæ matris Eccleſiæ, quam id ſacrum Concilium repræſentaret*: ea res Bohœmos non parum offendit. Inter reſpondendum, Ioannes Raguſinus, Theologorum illorum more, quos Scholaſticos hodie vocant crebro Hæreſeos & Hæreticorum vocabulum habebat in ore.

Offenſio Bohœmorum.

Non poterat hoc tandem ferre Procopius Bohœmus, quin ſurgens cum ſtomacho, de hac iniuria apud ſanctam ſynodum publicè cōqueſtus eſt: *Conterraneus* (inquit) *iſte noſter iniuria nos afficit, hæreticos nos ſubinde vocans*. Ad hoc Raguſinus: *Quia* (inquit) *conterraneus veſter ſum lingua ac natione, propterea tam auide cupio vos ad matrem Eccleſiam redire*. Erat is gente Dalmata. Conſtat autem Dalmatas in Bohœmiam tranſgreſſos, ab occupata regione nomen accepiſſe. Parumque abfuit, quin ob eam offenſionem Baſilea abirent: vixque placari poterant. Quidam etiam ex Bohœmis nolebant Raguſinum ad finem vſque diſputantem audire. Deinde reſpondit ad ſecundum articulum, inſignis Theologus Aegidius Carlerius, Decanus Eccleſiæ Cameracenſis, per quatuor dies.

Henricus Kaltyſen.

Ad tertium articulum Henricus, cognomento Frigidum ferrum, Theologus, ordinis Prædicatorum, dies tres.

Ad quartum poſtremo reſpondit Ioannes Polomarius, auditor cauſarũ ſacri Palatij, tribus item diebus: afficiebatq; Bohemos tædio noſtrorum (vt illis videbatur) prolixitas. Quanquam verò noſtri tam accuratè reſpondiſſent, nihilominus illi ſuos articulos adhuc pertinaciter defendebãt: pręſertim primum, adeo vt Ioannes Koccizanus reſponſiones Raguſini ſex diebus fortiter impugnaret. Porrò cum diſputatio pareret diſputationem, & nõ videretur hoc pacto pax & cõcordia facile coitura, tentatum eſt aliud remedium ab illuſtr. Bauariæ principe VVilhelmo protectore ſacri Concilij, videlicet vt omiſſis diſputationibus, res amicè componeretur. Vtrinque deputati ſunt aliquot de concordia tractaturi: qui cum 11. Martij die conueniſſent, iuſſi eſſent dicere ſententiam ſuam, qui à parte Concilij erant, *Optimum* (inquiunt) *ſibi videri, ſi illi nobiſcum vnirentur, & vnum corpus efficerentur: quod corpus tum omnes diuerſitates opinionum ſiue ſectarũ, concordare & declarare poſſet atq; definire, quid in ſingulis agendũ foret ſiue credendum.* Bohœmi cum aliquandiu deliberaſſent, aiebant hanc viam non videri ſatis aptam, niſi prius quatuor illi articuli exactius eſſent declarati, ita vt aut nos cum ipſis, aut ipſi nobiſcum ſentirent. Alioqui rem ridiculam futurã, ſi iam vniti, in articulorum rurſus deciſione diſcreparent. Reſponſum eſt hic à noſtris, *Si rite vnirentur, inuocato Spiritu ſancto, nequaquam eos in huiuſmodi deciſione erraturos, quãdo quilibet Chriſtianus tali definitioni credere debeat. Quod ſi hoc facere vellent, adamantinam plane coalituram vtrinq; concordiam.* Verũ ſurdis (quod aiunt) fabula canebatur. Sed & alij tres aduerſum reſponſiones datas, pertinaciter diſputabãt. Id temporis Iulianus Cardinalis, Concilij præſidens, talem ad oratores Bohœmorum habuit orationem: *Audiuit* (inquit) *hæc ſancta ſynodus per decem dies cum magna patientia quatuor veſtrorum articulorum propoſitiones.* Et in fine ſubiunxit: *Propoſuiſtis* (inquit) *proximis diebus quatuor articulos: ſed audiuimus præter hos quatuor, multa vos alia habere dogmata peregrina, in quibus à nobis diſſentitis. Neceſſarium eſt, ſi veſtra vnitas & perfecta fraternitas inter nos ſequi debet, vt omnia in hoc ſacro Cõcilio propalẽtur, quatenus per gratiam Spiritus ſancti, qui pacis & veritatis eſt author, debita ac ſalubris prouiſio fieri poſſit. Nec ex leuibus coniecturis iſta accepimus. Partim enim à fide dignis perſonis audiuimus: partim quidam qui hic ſunt, proprijs oculis in Bohœmia viderunt: partim etiam ex veſtra relatione perpendimus. Magiſter enim Nicolaus ſecundo loco proponens allegauit inter alia, Ioannem VViclephum Euangelicum doctorem. Si illum creditis eſſe Euangelicum conſequens eſt, vt dicta eius authentica reputetis: ſi verò non ita putatis, æquum eſſet vt hoc nobis innoteſcat. De ijs igitur, & quibuſdam alijs vos rogamus, vt nos certificare velitis quid credatis, & quam ſuper his fidem adhibeatis. Nec ſic requirimus, vt motiua & rationes veſtras nũc explicetis: ſed ſatis nobis nunc eſt, vt ad ſingulos articulos nobis reſpõdeatis per verbum, Credimus, aut, Non credimus. Quod ſi feceritis (vt ſperamus) tunc apertè cognoſcemus vos cupere, vt bonam de vobis æſtimationẽ capiamus. Si quid autem eſt, de quo velitis per nos certificari, interrogate audacter, & confeſtim vobis reſpondebimus. Parati enim ſumus (iuxta B. Petri doctrinam) vnicuiq; poſcenti reddere rationem de ea quæ in nobis eſt fide.* Ad hoc paucis reſponderũt oratores Bohœmorum, *veniſſe ſe tantum, vt quatuor illos articulos proponerent, non tam ſuo, quã publico totius regni Bohœmici nomine.* Nec aliud dixerunt. Quare rurſum illuſtris Concilij protector VVilhelmus, quatuor viris vtrinq; aſcitis, de re pacificè trãſigenda tractauit. Ex quorum cõſilio decreuit ſacra ſynodus inſignem legationem cum oratoribus Bohœmorum Pragã mittere, vbi ad diem ſacratiſſimæ Trinitatis populus eſſet conuenturus. Neque enim conditiones concordiæ, quas offerebant noſtri volebant accipere: ſed abire feſtinabãt. Itaque XIV. Aprilis die, Philibertus Conſtantienſis in Normania antiſtes, Petrus Auguſtenſis epiſc. Iohannes Polomarius Archidiaconus Barcinonen. iuris pontificij profeſſor: Fridericus Parſperger, præpoſitus Ratiſponen. Ægidius Carlerius decanus Cameracen. Alexander Sparur, iuriſconſ. Anglus. Thomas Haſelbachius, Theol. Viennen. Henricus Tocgius canonicus Magdeburgen. Theologus: Martinus Bernerius, decanus Turonen. & Ioannes Gelhuſius, Mulbrunnen monachus, iuſſu Concilij cum oratoribus Bohœmorum Pragã ſunt profecti. Longum eſſet narrare, quantum honoris fuerit impẽſum noſtris, cum paſſim in itinere, tum ab ipſis Bohœmis, præſertim à Pragenſibus. Cæterum cum Pragæ conueniſſet ad præfixum diem ingens multitudo Bohœmorũ ex clericis, magnatibus, & plebeis, adhortati ſunt eos noſtri quod etiam ante ſæpe fecerant, vt primum eccleſiaſticam vnitatem amplecterentur. Deinde, ſi qua dubia eſſent, melius ea ſic diſcuti poſſe. Non placebat hoc Bohœmis: quin volebant quatuor illorum articulorum in primis habere declarationem. Quam ſi poſſent obtinere, promittebant ſe pacẽ & concordiam amplexuros. Cum noſtri viderẽt rem aliter agi nõ poſſe, petierunt articulos illos in certa ſibi forma dari, quos ad Synodum miſerunt per tres Bohœmorum oratores. Declarationem verò poſtea ſacra Synodus in Bohœmiam miſit in publico regni conuentu populo promulgandam, legatis Philiberto Conſtantienſi, epiſc. Ioanne Polomario, Hẽrico Tocgio, & Martino Bernerio. Qui iuſſi ſunt hoc Bohœmis referre nomine Concilij: *quod ſi trium illorum articulorum declarationem, & pacem eccleſiaſticã ſuſcipere vellent, inuenire poſſe rationem, qua de quarto articulo, hoc eſt, de communione ſub vtraq; ſpecie, res per concordiam tranſigeretur.* Propoſuerunt autem apud Pragam in publico nobiliũ & plebeiorum conuentu, declarationes trium articulorum in forma ſequenti.

Oratio Iuliani Cardinalis ad oratores Bohœmorum.

Legati cõcilij ad Bohœmos.

Declarat. III. artic. per concilium.

Quoniam circa doctrinam veritatis ſic ſobriè & cautè incedendum eſt, maximè à ſacro generali Concilio, vt veritas declaretur, verbis ſic ordinatè conceptis, vt nulli ſit in futurum offendiculum vbi poſſit impingere, & habere occaſionem erroris, & (vt verbis vtamur B. Iſidori) *ne aliquid per obſcuritatem in captione contineat.* Circa materiam de cohibitione, & correptione peccatorum, in qua poſuiſtis articulũ ſub ijs verbis: *Omnia peccata mortalia, & præſertim publica, per eos quorum intereſt, rationabiliter, & ſecundum legem Dei cohibeantur, corrigantur & eliminentur.* Ecce verbum, *per eos quorum intereſt*, nimis eſt generale, & poſſet eſſe offendiculum. Et iuxta ſcripturæ ſententiam, non debemus ponere offendiculũ ante cæcum: & claudendæ ſunt foſſæ, ne bos vicini ibi lædatur: omnis talis occaſio tollenda eſt. Dicimus ergo quod ſecundum ſcripturæ ſacræ ſententiam, ſanctorumque documenta Doctorum ſic Catholicæ eſt tenendum: *Quod omnia peccata mortalia, præſertim publica, quantum rationabiliter fieri poteſt, ſecundum legem Dei & ſanctorum Patrum inſtituta ſunt cohibenda corripienda, & eliminanda.* Poteſtas autem puniendi criminoſos, non ad priuatas perſonas, ſed ad eos tãtummodo pertinet, qui iuriſdictionem habent in eos fori, diſtinctione iuris, & iuſtitiæ ordine obſeruatis.

Circa materiam de prædicatione verbi Dei, in qua poſuiſtis articulum hoc tenore, *Quod verbum Dei à ſacerdotibus Domini & Leuitis idoneis liberè ac fideliter prædicetur.* Ne ex verbo *liberè* ſumeretur occaſio vagæ & diſpendioſæ libertatis, quam nec vos (vt ſæpe dixiſtis) intenditis, circunſtantionandum eſt. Dicimuſque quod ſecundum ſcripturæ ſacræ ſententiam, ſanctorumque documenta doctorum ſic Catholicæ eſt tenendum: *Quod verbum Dei à ſacerdotibus Domini & Leuitis ad hoc idoneis, & per ſuperiores, ad quos pertinet, approbatis & miſſis, liberè, non tamen paſſim, ſed ordinatè & fideliter prædicetur; ſalua authoritate Pontificis, qui eſt præordinator in cunctis, iuxta ſanctorum patrum inſtituta.*

Circa materiam articuli vltimi ſub his verbis expreſſi, *Non licet clero Chriſti, tempore legis gratiæ, ſuper bonis temporalibus ſæculariter dominari:* Meminimus, quod dum in ſacro Cõcilio ſuper hoc diſputatio ageretur publica & ſolennis, ille qui ad diſputandum per ſacrum Concilium extitit deputatus, duas concluſiones poſuit ſub his verbis. Prima, *quod clerici non religioſi, ſeu qui voto ſe ad hoc non obligarunt, licitè poſſunt habere & poſſidere quæcunq; bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorum ſi eis relinquantur, & alia bona iuſtè acquiſita ex cauſa donationis vel alterius licitè contractus, vel arte licita.* Secunda, *quod Eccleſia poteſt licitè habere, & poſſidere bona temporalia mobilia & immobilia, domos, prædia, villas, oppida, caſtra, & ciuitates, & in eis habere priuatum & ciuile dominium.* Ille ſiquidem ex veſtris Ambaſiatoribus qui diſputabat, conceſſit eaſdẽ, dicẽs illas ſenſui ſui articuli bene intellecto non contradicere. Cum ipſe articulum ſuum intellexerit, de dominio ciuili formaliter intellecto. Ex quo & alijs, poſſet intelligi quod verba *ſæculariter dominari*, in præinſerto articulo, expoſita, ad aliquem ſpecialem dominandi modum vel vſum videantur referri.

ed quoniã doctrinæ eccleſiæ non eſt verbis ambiguis per-
ractanda , ſed plene : propterea id quod ſecundum legem
ei,& ſanctorum documenta doctorum Catholicè tenen
um eſt , duximus exprimendum : Videlicet *præmiſſas duas*
nclusiones eſſe veras,quodq́ Eccleſiaſtici viri bona eccleſia , quori
nt adminiſtratores,debent fideliter adminiſtrare , iuxta ſanctori
trum ſalubria inſtituta. Ipſaq́ bona eccleſia ab alijs , quam ab hu
ibus adminiſtratio canonicè eſt commiſſa , vſurpari ſine ſacrilegij
atu non poſſunt.

Sacrum Concilium,circa materias doctorum trium arti-
lorum curauit,ſemota omni ambiguitate, ſecundum ve-
tatem Euangelicæ doctrinæ veros ſenſus exponere. Verũ
circa ipſas materias aliquid dubietatis adhuc reſtat , iuxta
formationes quas in ſacro Concilio accepimus, parati ſu-
us,ſuper illis,prima veritate(quæ Deus eſt) largiente, vo-
s declarare veritatem Si declarationem dictorum trium
rticulorum, quæ veritati ſacræ ſcripturæ innititur, ſuſcipi
s & amplectimini,(prout tenemini)ac vnitatem purã.ſim-
icem,& perfectam realiter & cum effectu vultis habere
per libertate communionis ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſub
plici ſpecie, quam poſtulatis & deſideratis , quanque ſine
tentia ſanctæ matris eccleſiæ licite nó poteſtis habere,nos
bemus poteſtatem à ſacro generali concilio, certo modo
obiſcum tractãdi & concludendi,ſperamus taliter, vt mã
ri ſitis merito conſolati.

His explicatis, quia domini Bohœmi habita ſua delibe-
tione dixerunt ſe nolle ſuper prædictis dare reſponſum,
iſi prius ſuper materia communionis,quid eſſet eis offeré-
m, audirent , opus fuit explicationem rei ita facere : quæ
cta fuit,& in ſcriptis tradita ſub forma ſequenti.

In nomine domini, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti , de
ius ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſacramento tracturi ſumus,
ipſe qui hoc ſacratiſſimum ſacramentum inſtituit , quod
vnitatis & pacis,illud in nobis effici faciat,ꝙ deſignat, vt
delicet ſimus vnum in ipſo domino Ieſu capite noſtro: &
ipſe conterat verſutias diaboli, qui ſua maligna aſtutia ex
traméto pacis & vnitatis occaſionem bellorum ingeſſit:
dum de modo communicandi Chriſtiani contendunt,
mmunionis fructu priuentur . Vnde B. Auguſtinus in
rmone de infantib. in Decretis de conſ.diſt.2.Quia paſſus:
s Dominus noſter Ieſus Chriſtus nos ſignificauit, nos ad ſe pertine-
voluit , myſterium pacis & vnitatis noſtræ in menſa conſecrauit.
i accipit myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis,non my-
rium accipit pro ſe,ſed teſtimonium contra ſe. Hoc ante omnia
ximus præmittendum,quod conſuetudo generalis eccle-
(quem etiam patres veſtri, & voſipſi olim ſeruaſtis) per
ngiſſima tempora hoc habuit & habet , quod non confi-
entes,ſub ſpecie panis tantum communicant. Quam con-
etudinem ab eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter in-
oductam,& diutiſſimè obſeruatam, non licet reprobare,
t ſine eccleſiæ authoritate pro libito immutare. Igitur di-
m conſuetudinem Eccleſiæ immutando, aſſumere vſum
nmunicandi populum ſub vtraque ſpecie,abſque autho-
ate ſanctæ matris eccleſiæ licitum non eſt , ſed illicitum.
ncta verò mater eccleſia,ſuadẽtibus cauſis rationabilibus,
cultatem communicandi populum ſub vtraq; ſpecie po
t concedere & elargiri. Et talis communio , quæ ſine au-
oritate eccleſiæ attentata,eſſet illicita ; cum de authoritate
licentia ſanctæ matris eccleſiæ fiet, erit licita. ſi alia nõn
pediant. *Si alia non impediant*, propterea diximus , quoniã
ait Apoſtolus) qui manducat & bibit indigne, iudicium
i manducat & bibit. Vnde B. Iſidorus, & habetur de con-
cratione Diſtinctione 2. *Qui ſcelerate viuunt, & in eccleſia cõ-*
...re non deſinunt, putantes ſe tali communione mundari , di-
nt nihil ad emundationem proficere ſibi. Et Auguſtinus eadem
l. *Et ſancta malis nocere poſſunt , bonis ſunt ad ſalutem, malis ad*
licium. Sunt ad hoc plures authoritates . Etenim inter pri-
os communicãtes Apoſtolus Iudas fuit , ſed quia indignè
cepit , proditionis peccatum habens in corde , ſibi nihil
fuit. Quinimo ex tunc diabolus in eum maiorem exer-
it poteſtatem. Ratio hoc magna demonſtrat. Quis veſtrũ
ominum ſuum in hoſpitium ſuſcepturus , non cum omni
ra domum ſuam ſtuderet mundare pariter & ornare , vt
um dominum poſſet honeſtè ſuſcipere? Suſcepturus igi-
r dominum, & Saluatorem noſtrum in hoſpitio animæ,
debet ipſam animam diligenter mundare & ornare . Mundare per ſacramentum pœnitentiæ, cum amaritudine & cõtritione cordis,peccata ſua humiliter, pure & integre veraciter confitendo ; & ſuſcipiendo ſatisfactionem debitam, & pœnitentiam ſalutarem . Ornare verò purpura ſanctæ deuotionis,vt ſic corde purgato , & feruore deuotionis ornato,accedat ad diuiniſſimum ſacramentum,in quo Deus eſt, mundum reconcilians ſibi. Admonet igitur, exhortatur, & præcipit ſancta Synodus, vt omnes ſacerdotes exhortentur diligenter & moneant populum,& omne ſtudium & ſolicitudinem adhibeant , vt nullus ad tam ſacratiſſimum ſacramentum,niſi debitè præparatus accedat cum magna reuerẽtia & deuotione,ne quod pro animæ ſalute ſuſcipitur,in iudicium condemnationis redundet dum ſuſcipitur indigne.

Præterea dicunt Doctores,quod dicta conſuetudo communicandi populum ſub ſpecie panis tantum , ab eccleſia & ſanctis patribus fuit rationabiliter introducta propter rationabiles cauſas,ſpecialiter propter duo pericula . ſcilicet erroris & irreuerentiæ . Erroris: fuit enim error Neſtorij, credẽtium quod ſub ſpecie panis ſit ſola caro Chriſti,& ſub ſpecie vini ſolus ſanguis Chriſti,quod eſt error. Nam veritas eſt,quod ſub qualibet ſpecie eſt totus Chriſtus , viuus & integer,caro,ſanguis,anima & diuinitas. Et ſub ſpecie panis eſt totus Chriſtus, viuus & integer. Et ſub ſpecie vini,non eſt tantũ ſanguis,ſed totus Chriſtus,viuus & integer. Quoniam(vt ait Apoſtolus) *Chriſtus reſurgens ex mortuis,iam non moritur.* Semel ergo tantum mortuus eſt , iam non moritur, nec ſanguis à corpore ſeparatur . Vt igitur huic errori obuiaretur , & magis imprimeretur fidelium mentibus,quod ſub qualibet ſpecie eſt totus Chriſtus : dum non ſolum verbo,ſed etiam ipſo ſigno indicaretur, viſum fuit vtile eſſe ſub vna ſpecie tantum miniſtrari. Efficacius enim imprimitur, quando cum doctrina verbali ſenſuale aliud ſignum cõcurrit;ideo ſacramenta & ſacrificia inſtituta ſunt,ideo & dominus noſter Ieſus Chriſtus in parabolis loquebatur, & ſapiẽtes in parabulis loquuntur, vt dum cum doctrina ſua ſimilitudo repræſentatiua concurrit, efficacius mentibus imprimatur. Secundum periculum eſt irreuerentiæ . Etenim quamuis omnia ſacramenta cum magna reuerentia ſint tractanda,iſtud tamen diuiniſſimum ſacramentum ſuper omnia alia cum maxima,& ſumma reuerentia tractandum eſt. Alia ſiquidem ſacramenta ſunt vaſa gratiæ diuinæ , non tamen per ea realem domini noſtri Ieſu Chriſti præſentiam obtinemus : in hoc verò ſacratiſſimo ſacramento dominus Ieſus Chriſtus,ſub alia quidem forma, in propria verò ſubſtantia eſt nobiſcum : ideo tractandum eſt cum omni ſtudio,& cautela,ne aliquid contingat, quod cedat in irreuerẽtiam ipſius ſacramenti. Et cum in calice ſit ſub ſpecie liquida,multa poſſunt contingere,quæ cederent in irreuerentiã ipſius ſacratiſſimi ſacramenti , tam ex parte miniſtrantis, quam ex parte ſuſcipientis, quam etiam ex parte ſpeciei vini , quæ eſt magis ad alterationem ſuſcipiendam diſpoſita, quam ſpecies panis . Vos qui practicaſtis, per experientiam noſtis . Nam doctores de hoc multa dicunt , & nobis à fide dignis multa relata ſunt : quæ cum audiuimus, exhorruerũt pili corporum noſtrorum , & animi noſtri nimio terrore concuſſi ſunt. Dictum eſt nobis accidiſſe , quod cum ſacerdos ad infirmum ſacramentum ſub duplici ſpecie detuliſſet, quando infirmo voluit de calice miniſtrare , nihil ibi reperit,totum,dum per viam agitando veniret,diſtillauerat. Et alibi,cum mane diei dominicæ miniſtraretur,quod ex præcedenti die fuerat reſeruatum , talis alteratio facta erat, vt qui ſuſcipiebat ferre non valens,emiſerit. Heu caſus horrẽdi,& non ſine magna cordis amaritudine referendi. Et multa alia huiuſmodi nobis relata ſunt. Et quiſque volens prudenter aduertere,poterit ,quanta poſſint accidere, cogitare. At verò quam ſint hæc grauia,ex Decreti ſententia poteritis intelligere,de conſe.diſt. 11. *Si per negligentiam aliquid de ſanguine ſtillauerit in terram,lingua lambatur, tabula radatur : ſi non fuerit tabula,vt non conculcetur ſanguis, locus radatur & igne conſumatur, & cinis in altari recondatur, & ſacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat : ſi vſq; ad tertium, octo diebus pœniteat : ſi vſq; ad quartum,viginti diebus pœniteat . Et linteamina quæ tetigerit ſtilla,tribus vicibus miniſter abluat calice ſubterpoſito : &*

Cauſę calicis adempti laicis.

aqua

aqua ablutionis ſumatur, & iuxta altare recondatur. Præterea audiuimus ſæpè contingere, quod ſacramentum in calice non ſufficit multitudini communicantium, & tunc fit nouiter conſecratio calicis tantum, & à presbytero non communicante: quod eſt à ſanctorum patrum doctrina plurimum alienum. Et etiam dicitur, quod aliqui interdum vinum non conſecratum pro conſecrato miniſtrant: quod maximum periculum eſt.

Fiet igitur iſto modo, quod vobis ſuſcipientibus Eccleſiaſticam vnitatem & pacem, realiter & cum effectu, & in omnibus alijs, quam in vſu communionis vtriuſque ſpeciei, fidei, & ritui vniuerſalis Eccleſiæ vos conformantibus: vos qui talem vſum habetis, communicabitis ſub duplici ſpecie cum authoritate Eccleſiæ. Et articulus ille in ſacro Concilio diſcutietur ad plenum, & videbitis quid circa illum articulum pro veritate catholica ſit tenendum: & agendum pro vtilitate & ſalute populi Chriſtiani. Et omnibus mature & digeſte pertractatis, nihilominus ſi perſeuerátes in deſiderio veſtro, hoc veſtri ambaſiatores poſtulauerint: ſacrum Concilium ſacerdotibus veſtris communicandi ſub vtraque ſpecie populum veſtrum, eos videlicet qui in annis diſcretionis conſtituti, reuerenter & deuotè poſtulauerint, authoritatem & facultatem in Domino largietur: hoc ſemper obſeruato, quod ſacerdotes ſic communicantibus ſemper dicant, *quod ipſi debent firmiter credere, quod non ſub ſpecie panis caro tãtum, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantum: ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer totus Chriſtus.*

Hactenus decretum ſacri Concilij retulimus. Ad dubia autem, & quæſtiones Bohemorum, quas magiſtri & ſacerdotes poſtea mouebant, ſic reſponderunt oratores ſacri Concilij.

Primo dixerunt, quod non eſt intentio ſacri Concilij permittere communionẽ ſub duplici ſpecie permiſſione tolerantiæ, vel ſicut Iudæis fuit permiſſus libellus repudij: quia cùm ſacrum Concilium viſcera maternæ charitatis exhibere dictis Bohemis & Morauis intendat, non eſt intẽtionis Concilij permittere tali permiſſione, quæ peccatum non excludat: ſed taliter elargiri, vt authoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Eccleſiæ veræ ſponſæ ſit licita, & dignè ſumentibus vtilis & ſalutaris.

De punitione peccatorum.

Item, cùm circa materiam de punitione peccatorum, fuiſſet per dictos Bohemorum magiſtros & ſacerdotes dictum, quod ex ſcripturis ſacris habetur, quod interdum Deus excitat corda priuatarum perſonarum ad correptionem & punitionem peccatorum: & ſic videretur licere inferioribus corrigere ſuos ſuperiores, & punire.

Reſponderunt, & oſtendentes textũ S. Auguſtini in Decretis. 33. *Qui percutit malos in eo quod mali ſunt, & habet cauſam interfectionis, miniſter Dei eſt: qui verò ſine aliqua publica adminiſtratione maleficum, furem, ſacrilegum, adulterum, periurum vel quemlibet criminoſum interfecit aut trucidauerit, vel membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur: & tanto acrius, quanto non ſibi à Deo conceſſam poteſtatem abuſiue vſurpare non timuit.* Et certè moleſtius ſuſciperet iſta ciuitas, ſi aliquis priuatus attentaret punire vnum criminoſum, & erigerat furcam in platea, & ibi eum ſuſpenderet, quam ſi vnus homo interficeret vnum hominem in rixa, vel per inſidias: Et alios textus beati Ambroſij & Hieronymi eidem concordes etiam allegarunt.

Dixerunt quòd nemo dubitat, quod lex Dei ſancte & debite poſita eſt: & in ea legitur ſimpliciter, *Non furtum facies.* Et tamen mandato Dei filij Iſraël aſportarũt bona Ægyptiorum, quæ receperant commodata. Item in eadem lege ſcribitur ſimpliciter, *Non occides.* Ex quo B. Auguſtinus lib. 1. de ciuitate Dei probat, quod nemini licet occidere ſeipſum, Et cùm facit inſtantiam de Sampſone, reſpondet, & dicit hæc verba: *Cùm autem Deus iubet, ſeſeq́; iubere ſine vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet, quis obſequium pietatis accuſet?*

Hic in propoſito verba B. Auguſtini habeatis pro reſponſo. Sed videat quiſque ſi Deus iubet, & ſe iubere ſine ambagibus intimat, & probet ſpiritus ſi ex Deo ſint. Sed de talibus non eſt lex danda, nec eſt multum agitandum. Nam per hoc facilè inſurget occaſio faciendi ſeditiones, & inferioribus inſurgendi contra ſuperiores. Et quando aliquis furatus eſſet vel interfeciſſet, diceret quod ſpiritu Dei motus eſt: ſed certè niſi de hoc benè conſtaret, puniretur.

Dixerunt denuo, quod aliqui ſunt caſus, in quibus laici habent poteſtatem in clericos.

Fuit reſponſum, quod certi ſunt caſus in iure, in quibus laici habent poteſtatem ſuper clericos, & etiam aliquando ſuper Cardinales. Nam ſi mortuo Papa, Cardinales non vellẽt intrare conclaue ad electionem Papæ faciendam: Rex, Princeps, vel alius dominus, ſeu poteſtas ſecularis poteſt eos compellere. Sed in illis caſibus iam ille non eſt priuata perſona, ſed authoritate iuris vtitur iuriſdictione. Similiter eſt intelligendum de alijs caſibus in iure expreſſis.

Dixerunt vlterius, quod nullum ius fori habet iuſtitiam, niſi ius poli illud approbauerit.

Fuit reſponſum, quod nullum ius fori habet iuſtitiam, ſi ſit contra legem Dei: quia lex Dei eſt regula omnium legum, ſed exigitur magna peritia, in applicando regulam ad regulatum. Nam interdum alicui videtur, quod ſit tortuoſitas in regulato, & non eſt, ſed eſt defectus in applicando, quia non applicatur debito modo regula ad regulatum.

De prædicatione verbi.

Circa articulum de prædicatione verbi Dei fuit motum, quod interdum aliquis prælatus ex ſua inuidia vel malitia, ſine cauſa rationabili bonum & idoneum prædicatorem, benè & catholicè prædicantem inhibet prædicare.

Fuit reſponſum, quod ſatis intellexerunt, quòd abuſio Prælatorum inordinatè agentium, magnam occaſionem præſtitit his turbationibus, & quòd in eorum partibus nunquam audiuerunt tales querelas. Sed prælati fauent bonis prædicatoribus, & eos ad prædicandum excitant precibus, fauoribus & honoribus. In talibus autem caſibus iam ſunt à iure prædicta remedia. Quando aliquis prohibetur vti iure ſuo, habet remedium appellandi: & ſi benè confidit quod ſit appellatio iuſta, vtatur iure ſuo, omni violentia brachij vtriuſque ſpiritualis videlicet, & ſecularis, ſemota. Nam exitus cauſæ declarabit, ſi ipſe habebat iuſtam cauſam appellandi. Tunc declarabitur ſuperiorem malè prohibuiſſe, & appellantem iuſte feciſſe. Et ſuperior iniuſte prohibens debet corripi. Si autem iuſte fuerit prohibitus, & ipſe ſua temeritate, ſuperioris iuſtum mãdatum ſpreuit, dignum eſt quod ipſe digna animaduerſione puniatur.

De dominio ſeculari apud clericos.

Circa quartum articulum fuit motum, an liceat Prælatis Eccleſiaſticis, actus ſecularis dominij in propria perſona exercere.

Fuit reſponſum, quod ſi per verbum *actus ſecularis dominij*, intelligantur actus quos vnus ſecularis dominus poſſet agere ſeu exercere: tunc dicendum, quod aliquos tales actus poteſt licite Prælatus in propria perſona exercere: ſicut ſunt vendere, impignorare, infeudare, modis & formis iure ordinatis. Aliqui ſunt, quos non licet in propria perſona exercere, ſed debent habere œconomum, vicedominum vel procuratorem, qui hæc exerceat, de quibus actibus in iure cauetur, in rubrica *ne cl. vel mon. ſecul. negot. ſe immiſ.* & alijs in rebus.

Fuit motum, an illa poteſtas coactiua, quæ debet exerceri per œconomum, &c. ſit apud prælatum Eccleſiæ.

Dictus Iohannes Polomair reſpondit, quod hæc quæſtio præſupponit aliam: de qua ſunt diuerſæ opiniones inter doctores, apud quem ſit dominium Eccleſiæ. Et vlterius, an actiones ſint in perſona tutoris vel procuratoris, vel licet non ſint in earum perſona, tamen per conſtitutionem actoris vel procuratoris, cuius exercitium ipſarum deman-

daret ipſi actori vel procuratori, & alias intricationes, de quibus non eſt opus ad præſens agere. Sed cùm multum inſtaretur, dicere opinionem ſuam, dixit: Quod ſi etiam otium haberent, & liberet ſolatiari in diſputando, daret optionem argumenti. Sed magis eſſet opinio ſua, quod dominium rerum Eccleſiæ eſt apud Chriſtum, & prælati & alij Eccleſiaſtici, ſunt canonici adminiſtratores ad inſtar tutorum. Sed ampliorem habeant poteſtatem, ſeu adminiſtrationem quam tutores. Et conſtituendo œconomum ſeu vicedominum, &c. eorum conſtitutione debita facta, œconomus ſeu vicedominus habet illam poteſtatẽ coactiuam, ſeu exercitium iuriſdictionis.

Item circa quartum articulum, pro declaratione primæ concluſionis, eſt concordatum, quod verba, *iuſte acquiſita*, in ipſa poſita, omnia in eadem contenta determinant.

Item circa ſecundam concluſionem, cùm ſacri canones & doctores ſancti ſic loquantur: *Bona Eccleſiæ, res Eccleſiæ, facultates Eccleſiæ*, & inter doctores variæ ſint opiniones, apud quem ſit ipſarum rerum dominium, prout not. glo. in c. Expedit. 12. quæſt. 1. Ad nullam illarum opinionum intendunt aliquem coartare, nec aliquam illarum opinionum excludere, ſed ſit vnicuique facultas illam, quæ ſibi melior videbitur, probabiliter ſuſtinere.

Dixerunt præterea dicti Bohemi, quod ipſi tenent, quod clerici, aut viri Eccleſiaſtici rerum temporalium Eccleſiæ ſunt adminiſtratores, & non domini, ad modum loquendi ſcripturæ, doctorum ſanctorum & canonum.

Item Bohemi dicunt, quod in omnibus emergentijs ſtare volunt dictamini iudicis ex vnanimi conſenſu in Egre compactati. Hunc in modum noſtri Bohemis reſponderunt.

Tandem poſt multos tractatus, vltro citroque habitos, inita eſt concordia, & manuum ſtipulatione firmata: promiſeruntque ſe Bohemi declarationem trium articulorum, ac pacem & Eccleſiaſticam vnitatem accipere. Factum eſt id anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimooctauo, circa feſtum Martini. Conuentum eſt poſtea, cùm à legatis ſacri Concilij, tum ab oratoribus Bohemorum, vt quæ reliqua erant componerentur: primum Ratiſponę, deinde apud Brunnam diœceſis Olmutzenſis, item apud Albam regalem in Vngaria, coram Sigiſmundo Cæſare. Verùm nullibi res tota confici potuit: nunc enim erat conſulenda ſynodus, nunc alia ſunt exorta impedimenta. Poſtremo apud Iglauiam oppidum Morauiæ, concordia inſtrumentis ac ſigillis roborata eſt, *Compactata* vocant, quinto die menſis Iulij, Cæſare præſente.

F I N I S.

PETITIONES BOHEMORVM

POSTREMO PROPOSITAE IN Sacroſancta Synodo Baſileenſi, Anno 1438. menſe Nouembri.

REVERENDISSIMIS in Chriſto patribus & dominis nobis gratioſis. Nos oratores regni Bohemiæ humiliter, & quanta poſſumus affectione ſupplicamus, quatenus propter pacis & concordiæ initæ perpetuam conſeruationem & omnium quæ in Compactatis ſunt, felicem ac firmam conſeruationem, dignemini nobis dare, concedere, & de veſtra clementia elargiri, cum effectuali executione omnes & ſingulas poſtulationes infraſcriptas.

Primo & ante omnia petimus & ſupplicamus, quatenus pro tollendis vniuerſis litibus, iurgijs & diſſenſionibus in populo noſtro ex diuerſitate communionis indubitanter & infallibiliter ſequentibus: & infinitis malis, quæ nec dicere ſufficimus, ſicut ea concepimus, prorſus auferendis & abolendis, dignemini clementer pro veſtra bonitate & liberalitate regno noſtro Bohemiæ, & Marchionatui Morauiæ, dare, concedere, & demandare vniformem & vnanimem omnibus & ſingulis ſub vtraq; ſpecie ſacræ Euchariſtiæ communionem, videlicet Archiepiſcopo Pragenſi, necnon Epiſcopis Linthomiſlenſi, Olmutzenſi, & alijs prælatis ſingulis regni & Marchionatus curam animarum habentibus, & eorum vicarijs, necnon & plebibus eorum ſingulis & ſubiectis: Et hoc ſecundum ea, quæ in mandato bullæ legatorum, & in Compactatis, nomine ſacri Concilij ſunt inſerta in cap. Pro firmitate. vbi ſic dicitur: *Et omnia alia fient, quæ pro obſeruatione dictæ pacis & vnitatis neceſſaria fuerint, & opportuna.* Nam hoc facto, ex veſtro beneficio regnum totum, ſupra quam dici poteſt, conſolabitur, & in dilectione fraterna firmabitur, ex quibus vniformis ſubiectio & obedientia ſacroſanctæ Eccleſiæ perpetuò tribuetur.

Item ſupplicamus, vt ſupra, quatenus pro amputanda falſa ſuſpicione & vacillatione multorum putantium, quod ſacrum Concilium præfatam communionem ſub vtraque ſpecie nobis conceſſam, ad tempus duntaxat concederet non vtilem & ſalutarem, ſed vt libellum repudij, dignemini iuxta illud capitulum in Compactatis poſitum, *Primo dixerunt, quod non eſt intentionis ſacri Concilij*, &c. nobis & veſtræ conceſſioni ſalubriter & mature prouidere, & illud capitulum vna cum alijs ipſum munus legatorum veſtrorum concernentibus, bullis literarum veſtrarum firmare & perpetuare.

Item ſupplicamus, vt ſupra, quatenus pro conſolatione obedientiæ, & totius ordinis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & pro finali Compactatorum defenſione & obſeruatione, & bono & optimo in ſpiritualibus regimine, dignemini nobis prouidere cum effectu, de bono & legitimo paſtore, Archiepiſcopis & alijs Epiſcopis, qui nobis pro regno noſtro magis idonei, & magis grati & accepti viderentur ad illa officia ſalubriter exequenda.

Item ſupplicamus, vt ſupra, quatenus veſtræ paternitates pro tuenda in poſterum inclyta fama regni & Marchionatus pro oſtendenda & manifeſtanda noſtra innocentia, pro eo quod communicauerunt & communicant, & communicabunt ſub vtraque ſpecie, dignentur dare, & ordinare, & deſtinare literas ſacri Concilij in modo & forma magis oſtenſionis accommoda & congrua, ad omnes principes tam ſeculares quàm ſpirituales, ciuitates & communitates iuxta Com-

pactata.

pactata. Et hc é idem domini legati nobis facere obligantur.

Item ſupplicamus, vt in diſcuſſione in materia communionis Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie, de eius præcepto à domino ad omnes fideles, non procedatur aliter niſi ſecundum iudicem in Egra compactatum, hoc eſt ſecundùm legem diuinam, praxim Chriſti & Apoſtolorum eius, Concilia generalia, & ſecundùm ſententias ſanctorum Doctorum veraciter ſe in lege Dei fundantium.

Item ſupplicamus, quatenus paternitates veſtræ, conſiderata magna affectione populi noſtri, velint dare nobis deſideratam libertatem communicandi paruulos ſacra Euchariſtia. Nam ſi iſte vſus communicandi, quem regnum noſtrũ, pie motum, magnorum ſanctorum doctorum ſcripturis & exemplis inductum; vt Catholicum ſuſcepit, & à multis annis effectualiter exercuit, aboletur; certè magnum & intolerabile ſcandalum in populo oriretur, immo animus eorum plurimum ex hoc implacabiliter perturbaretur.

Item ſupplicamus, vt ſupra, quatenus ex eiſdem cauſis, veſtræ paternitates dignentur permittere ad minus Euangelia, Epiſtolas, & Symbolum in vulgari in miſſis & Eccleſijs coram populo ad excitandam deuotionem libertari, legi, & decantari. Nam in noſtro linguagio Slauico, ex indulto Eccleſiæ olim ab antiquo in vulgari ſuo exercetur, etiam in noſtro regno.

Item ſupplicamus nomine eiuſdem regni, & almæ vniuerſitatis Pragenſis, quatenus erga ipſius vniuerſitatis deſideratam reformationem, veſtræ paternitates dignentur curam adhibere, & operam dare ſolicitam, vt iuxta modum & formam aliarum vniuerſitatum, taliter per Eccleſiam reformatarum, præbendæ, & collationes beneficiorum aliquorum Eccleſiarum cathedralium, & parochialium eidem vniuerſitati adnectantur, conferantur & incorporentur, vt per hoc vniuerſitas augeatur & promoueatur.

Item ſupplicamus, vt ſupra, quãtum ſufficimus (ſalua ſemper paterna reuerentia) ex compactatis veſtras paternitates requirimus, & inſtanter monemus, quatenus ad illam cunctis pijs mentibus deſideratam, & Chriſtianæ religioni ſumme neceſſariam, & opportunam totius Eccleſiæ reformationem, dignetur veſtra paternitas toto ſtudio inuigilare, & effectualiter inſudare pro extirpatione omnium malorum publicorum, in capite & in membris: prout regno noſtro frequenter promittitis in compactatis: & prout articulus noſter quartus, *de eliminatione omnium peccatorum publicorum*, hoc manifeſtè exigit & requirit.

RESPONSIONES HÆ SEQVENTES, ſunt ordinatæ, ſed non fuerunt datæ.

Prima petitio videtur inniti obligationi, tamquam ex compactatis ſacrum Concilium hoc facere teneatur, ex illo capitulo quod incipit: *Pro firmitate & obſeruantia pacis*, & ſequitur: *Per dictos legatos ſacri Concilij dabitur omnis firma, & procurabitur Bulla Concilij, & mandata ipſius ſacri Concilij ad omnes principes, & communitates circumſtantes, & alia quæ neceſſaria fuerint & opportuna. Pro parte verò dictorum regni, & Marchionatus, dabuntur literæ cum ſigillis firmis, ac monumentis opportunis: proclamabitur pax, & ſeruari mandabitur: & omnia alia fient, quæ pro obſeruatione dictæ pacis & vnitatis neceſſaria fuerint, & opportuna.* Sed certè ex illo capitulo, neque competit ius ſacro Concilio faciendi Bohœmis, quod pro bono pacis, & vnitatis teneantur dimittere vſum communionis ſub duplici ſpecie: cùm promiſerint omnia facere, quæ pro obſeruatione pacis & vnitatis fuerint opportuna. Hoc eſſet valdè opportunum obſeruationi pacis, vt ipſi in hoc, ſicut & in cæteris, ſe conformarent vſui omnium aliorum vicinorum, & totius Eccleſiæ Latinæ. Nec econtra ipſis Bohœmis competit ius ad petendum, quod ſacrum Concilium compellat omnes de regno ad communicandum ſub vtraq; ſpecie, tamquam hoc eſſet opportunum obſeruantiæ pacis. Quia cùm ſuper hac materia iam ſit in dictis compactatis ſpecialis & certa diſpoſitio; generalis, clara quæ ſubſequitur, non ſe refert ad illa: maximè quia hoc contrariatur ei, de quo in ipſis compactatis ſpecialiter agitur, ſcilicet de libertatione, cui contrariatur coactio. Nam & in libertatione concedenda, dicitur de illis perſonis, quæ in annis diſcretionis conſtitutæ reuerenter & deuotè poſtulauerint. Et ſi deuotioni & poſtulationi cuiuslibet eſt relinquendum, non eſt ad hoc aliquis compellendus, ſecundùm ipſorum compactatorum ſeriem & tenorem. Et alias hoc de ſe manifeſtum eſt, quod illa verba non dant ius talia poſtulandi: quo verò ad libertationem concedendam, de qua continetur in compactatis, ſacrum Concilium intendit omninò ſeruare ipſa compactata, & ab ipſis in nullo deficere. Ex quorum tenore manifeſtè apparet, quod declaratio iſtius articuli, *an ſit de præcepto*, præcedere debet ipſam libertationem. Sicut ergò ſacrum Concilium in omnibus ſe offert compactata adimplere, ita & ipſi domini Bohœmi facere tenentur.

Ad ſecundam petitionem reſpondetur, quod omnia quę ſacrum Concilium tenebatur ratificare, iam ratificauit, & ſuper hoc literas ſuas dedit. Illa non tenetur ratificare: quoniam pacta & conuentiones à legatis ſacri Concilij nomine ipſius facta, habent ratificationis cauſam: non autem reſponſa: quorum aliqua per omnes aliqua per vnum tantum ex ipſis facta fuerunt ad interrogationes quorundam magiſtrorum. Vnde tam res ipſa, quam modus agendi manifeſte oſtendunt, quod ad ratificandum ſacrum Concilium non tenetur. Verùm, quantum ad illum punctum, qui in illa petitione ſpecialiter exprimitur, non quia tenetur ratificare, ſed pro conſolatione populi Bohemici, & tollenda occaſione alijs detrahendi, dicit ſacrum Concilium. *Quod ſicut conſuetudinem laudabilem ab Eccleſia vniuerſaliter obſeruatam, de communicando populum ſub ſpecie panis, abſq; authoritate Eccleſiæ nemo debet immutare: ita poſtquam ab Eccleſia vſus communionis ſub vtraque ſpecie aliquibus permittitur, talis permiſſio non eſt ſicut de libello repudij, vel quæ peccatum non excludat, cùm tales qui ex licentia & authoritate Eccleſiæ ſic communicant, tranſgreſſores Eccleſiaſticæ inſtitutionis, vel conſuetudinis dici non poſſint: dum tamen conceſſionis terminos non excedant.* Erit igitur talis communio authoritate Eccleſiæ conceſſa illis, quibus conceſſa fuerit licita, & dignè ſumentibus vtilis & ſalutaris.

Ad tertiam petitionem reſpondetur, quod iuſtum & rationabile eſt, vt Eccleſiæ Pragenſi de legitimo, idoneo & vtili prouideatur paſtore. Sed quoniam verba expreſſerunt magiſtrum Iohannem de Rocozano, de quo non eſt rationabile, vt ad illam dignitatem promoueatur, cùm ad impediendum, perturbandum, & diſrumpendum pacem & vnitatem, poſt firmata compactata, fuerit multipliciter machinatus. Et non diu eſt, quod à ciuitate Pragenſi sereniſſimo domino Imperatore inſalutato, clam & furtiuè receſſit: & iam prodire & apparere incipiant, quæ poſt talem receſſum & antè in perturbationem pacis fuerit machinatus; cùm ad Pontificem maximè pertineat, vnitatem & pacem amare; & ad eas alios prouocare verbo pariter & exemplo. Ideò melius videtur hoc pro præſenti ſuſpendere, vt habita meliori deliberatione & diligentia, cum ſereniſſimo domino Imperatore, poſſit eidem Eccleſiæ vtiliter prouideri.

Ad quartam petitionem reſpondetur, quod ex tota ſerie compactatorum, ſacrum Concilium non tenetur aliquas literas ad Principes, & communitates circumſtantes dirigere: niſi iuxta præinſertum capitulum, quod incipit, *In firmitate*. Illas promptum eſt facere & dirigere, iuxta ſeriem ipſius in forma rationabili & honeſta.

Ad quintam petitionem reſpondetur, quod illa eſt intentio & voluntas ſacri Concilij, quod in diſcuſſione & deciſione Spiritu ſancto authore facienda in materia communionis Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie, & de eius præcepto à Domino ad omnes fideles, vt verbis eiſdem vtamur, quæ in ipſa petitione continentur, non procedetur aliter, niſi ſecundùm legem diuinam, praxim CHRISTI, & Apoſtolo-

rum eius, Concilia generalia, & ſecundùm ſententias ſanctorum doctorum veraciter ſe in lege Dei fundantium. Et ita debent ſperare & credere omnes fideles, quod illi qui Eccleſiæ ſuæ promiſit ſui aſſiſtentiam infallibilem, & Spiritum S. cum Eccleſia in æternum manſurum, Saluator noſter Ieſus Chriſtus; nullo modo permittit, quod ab ipſa Eccleſia, aliqua deciſio fiat circa materiam talem, quæ eſſet contraria ſuperius memoratis. Sed debent firmiter credere omnes Chriſticolæ, quod Spiritus ſanctus per os Eccleſiæ docet fideles omnem veritatem neceſſariam ad ſalutem, & ita debent firmiter credere, & nullatenus dubitare.

Ad ſextam petitionem de communione paruulorum, reſpondetur quod communio paruulorum per cõpactata expreſſe excluditur: cùm ſolùm ibi de illis loquuntur, prout ex tunc qui talem vſum hactenus habuerunt, & ad vltimum de illis, qui in annis diſcretionis conſtituti hoc reuerenter poſtulauerint & deuotè.

Ad ſeptimam petitionem, quod illa eſt de directo contra compactata, & ipſorum Bohemorum promiſſionem, per quam tenentur ſe conformare ritibus Eccleſiæ. Certum autem eſt, quod ritus Eccleſiæ hoc non habet, neque in ipſa Pragenſi Eccleſia antè iſta diſturbia hoc fiebat. Vnde iuſtum & rationabile foret, quod conformarent ſe ritibus Eccleſiæ, & in hoc & in omnibus alijs compactata efficaciter adimplerent, & tunc poſſent honeſtius à ſacro Concilio petere, & rationabilius ſperare.

Ad octauam, gratiſſimum eſt ſacro Concilio, quod vniuerſitas ſtudij Pragenſis reformetur & reparetur: & ideò ſuper hoc faciet commiſſionem legato ſuo, vt circa reformationem & reparationem Vniuerſitatis, operam & ſtudium præbeat: ordinando de aliquo certo numero præbendarum in aliquibus Eccleſijs ciuitatis Pragenſis, quod ad eas aſſumi habeant dictæ vniuerſitatis doctores & magiſtri, ſecundùm ordinationem rationabiliter faciendam.

Ad nonam & vltimam petitionem reſpondetur, quod hoc ſacrum Concilium à ſuo exordio, ſtudium & operam circa deſideratam reformationem Eccleſiæ præbuit, & præbere (Deo authore) intendit, multaque ſuper hoc decreta edidit. Sed inimico humani generis procurante multa impedimenta circa hoc habuit: nihilominus in ſpe non deficit, nec per Dei gratiam in ſtudio deficiet & labore. Multa ſiquidem ſuper hoc auiſata ſunt & concepta, quæ vbi (Deo largiente) opportunitas fiet, ad executionem ponẽda erunt ad Dei gloriam, & Eccleſiæ reformationem, honeſtatem & decorem accommoda. Sed quoniam (vt Sapiens ait) *omni negotio tempus & opportunitas eſt*, omnia ſunt cum ſapientia ſuauiter & opportunè diſponenda: ne ea quæ ſi opportunè fierent, poſſent eſſe multum accommoda, importunitas minus vtilia reddat.

CON-

[a] CONCILIVM [b] BASILEENSE [c] VNIVERSALE SIVE OECVMENICVM, EX [d] PARTE REPROBATVM; QVOAD EA NIMIRVM, QVAE IBIDEM [e] DE AVCTORITATE CONCILII, ET DEPOSITIONE EVgenij Papæ decreta & ſancita fuerunt: [f] Inchoatum fuit anno Domini 1431. Pontificatus Eugenij 1. finitum & abſolutum anno Chriſti 1442. Eugenij 12.

MODVS OBSERVANDVS IN PVBLICA SESSIONE Conciliorum Generalium,

Practicatus & obſeruatus in Concilio Generali Conſtantienſi.

PRIMO *in loco vbi tenetur Seſsio, celebrabitur Miſſa ſolennis de Spiritu ſancto quocunque tempore per Cardinales, vel alium Prælatum ad hoc deputatum. Qua Miſſa durante, omnes Prælati ſuis habitibus conſuetis ſunt induti, & ſedent in loco dictæ Seſsionis, ſecundum ſuas Dignitates & Prærogatiuas. Prædicta autem Miſſa finita, omnes Prælati in eadem Seſsione exiſtentes, induunt ſe * plunialibus, & habent mitras albas, ſolo Præſidente vel celebrante in Concilio, excepto, qui habet mitram * aut phrygiatam & gemmatam ac notabiliter ornatam. Qui quidem Præſidens vel celebrans, aſſociatis Diacono & Subdiacono, ac alijs multis in habitibus Eccleſiaſticis, ſedet in cathedra in medio chori, habens dorſum ad altare, & vultum ad alios Prælatos. Prælatis igitur ſic indutis & ornatis, Cantores cantãt Antiphonam: Exaudi nos Domine, quoniam benigna eſt Miſericordia tua, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine. Verſus: Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animã meam. Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto. Qua Antiphona cantata, Diaconus clamat alta voce:* ORATE: *Quo dicto, omnes Prælati flectunt genua. & per aliquod internallum orant ſub ſilentio ſecundùm deuotiones ſuas. Et poſtquàm in illa oratione per aliquod competens interuallum ſteterunt, idem Diaconus iterum clamat alta voce: Erigite vos. Et tunc omnibus Prælatis ſurgentibus, & ſtantibus, ipſe Præſidens vel celebrans etiam erectus, etiã hanc dicit orationem alta voce: Oremus.* ORATIO: *Adſumus Domine ſancte Spiritus, adſumus, peccati quidem * immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati. Veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris, & doce nos quid agamus, quò gradiamur, & oſtende quid efficere debeamus, vt te auxiliante, tibi in omnibus complacere valeamus. Eſto ſalus, ſuggeſtor & effector iudiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre & eius Filio nomẽ poſſides glorioſum. Non nos patiaris perturbatores eſſe iuſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem. non in ſiniſtram nos ignorantia trahat, nõ fauor inflectat, non acceptio muneris vel perſonæ corrumpat: ſed iunge nos efficaciter ſolius tuæ gratiæ dono, vt ſimus in te vnum, & in nullo deuiemus à vero, quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iuſtitiam tuam, vt hic à te non diſſentiat noſtra, & in futuro pro benè geſtis conſequamur præmia ſempiterna. Amen. Prædicta verò oratione finita, Cantores Concilij incipiunt Antiphonam, Exaudi nos Domine, quoniam benigna eſt Miſericordia tua, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, &c. vt ſuprà. Qua Antiphona cantata, omnes (vt præmiſſum eſt) flexis genibus orãt. Et facto paruo interuallo, Diaconus iterum dicit alta voce: Erigite vos. Tunc omnibus erectis, Præſidens vel Celebrans dicit iterum hanc orationem: Oremus.* ORATIO. *Mentibus noſtris, quæſumus Domine, Spiritum ſanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iuſtitiam, vt hic à te in nullo diſſentiat volũtas noſtra, ſed ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, exequamur in factis. Per Dominum, &c. Quibus ſic peractis, omnes flectãt genua. & Diaconus & Subdiaconus, vel alij duo ad hoc deputati, ante altare ſtantes, incipiunt Litaniam, Cantoribus & alijs reſpondentibus, Et quando venitur ad illum locũ, vt Dominum Apoſtolicum, Præſidens vel Celebrãs, qui cum alijs ſtabat flexis genibus, ſurgit: & vertens ſe ad congregationem, & dando benedictionem, cantando ter dicit: Vt hanc ſanctã Synodum & omnes gradus Eccleſiaſticos benedicere, regere, & conſeruare digneris, Cantoribus reſpondentibus qualibet vice prædicta, Te rog. audi nos. Completa verò Litania, Præſidens vel Celebrans dicit: Oremus. Quo dicto, Diaconus dicit: Flectamus genua. & Subdiaconus dicit, Leuate. Deinde celebrans dicit hanc orationem: Da, quæſumus, Eccleſiæ tuæ miſericors Deus, vt Spiritu ſancto cõgregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur. Per Dominum, &c. His verò completis, Diaconus habens librum ſuprà pulpitum, inter altare & celebrantem diſpoſitum, accenſis duobus cereis circa ipſum pulpitum, incipit Euangelium, Vos eſtis ſal terræ, vel quod ad legendum ſibi eſt ordinatum.* Matt.5. *Quo Euangelio perlecto, Celebrans primò facit collationẽ, exhortãdo omnes & ſingulos ad ſolicitam meditationem & curam* DEI *& ſuper omnibus cauſis, propter quas ſacroſancta Synodus eſt congregata. Deinde flexis genibus, incipit alta voce, hymnum, Veni Creator ſpiritus, quem hymnũ cantant alternatim exiſtentes in Seſſione cum Cantoribus. Quo hymno ſolenniter & deuotè: decantato, duo clerici induti ſuperpellicijs & adſtantes Præſidenti, dicunt verſiculum. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. Et cantores reſpondent, Et renouabis faciem terræ.* Pſalm.103. *Poſteà Celebrans dicit hanc orationem: Oremus: Deus qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratiõe docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filiũ tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritusſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Poſtmodùm duo prædicti clerici, vel Diaconus, vel Subdiaconus dicunt: Benedicamus Domino. Et adſtantes reſpondent, Deo gratias. His autem omnibus completis, idem Præſidens vel Celebrans & omnes alij Prælati ſedent, & ponunt mitras in capitibus ſuis. Et tunc vnus Prælatorum ad hoc deputatus, legit Decreta in illa Seſsione expedienda. Et in eodem ambone cum dicto Prælato legente ipſa Decreta, erant Præſidentes Nationum tempore Concilij Conſtantienſis, & reſpondebat quilibet Præſidens, Placet, pro natione ſua. Præſidens verò generalis in dicta Seſsione, reſpondebat etiã, Placet, etiam pro ſacro Concilio & collegio generali. Decretis verò perlectis, & reſponſo Placet, & dicto, Te Deum laudamus, cum oratione de Spiritu ſancto, omnes depoſitis * plunialibus & mitris, reſumunt habitus ſuos conſuetos, & recedunt.*

Nos igitur præinſerta geſta ac decreta, ne cuiuſuis impugnationis iaculis ſubiaceãt tempore procedente, authoritate vniuerſalis Eccleſiæ volumus, ſtatuimus, ac decernimus & mãdamus, quatenus præfatis Decretis & geſtis ſuperius inſertis, in iudicijs & extra vbicunque producta exhibitaq; fuerint vel oſtenſa, in manibus & per omnia ſtetur, ac fides plenaria adhibeatur, perinde ac ſi Bulla eiuſdem Conſtantienſis Synodi bullata forent, nec ad illorum probationem aliud adminiculum quomodolibet requiratur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, ſtatuti, decreti & mãdati infringere, vel ei auſu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & vniuerſalis Eccleſiæ ſe nouerit incurſurum. Datum Baſileæ, pridie Nonas Februarij, Anno à Natiuitate Domini M. CCCC. XLII.

*Subſcripta Geſta & decreta ſacri Concilij Conſtantienſis, * concordatis cum volumine & tenore ſub Bulla ſacri Concilij Baſileenſis plumbea bullatis, & manibus proprijs dictorum Dominorum deputatorum ſubſcriptis, facta collatione per me Michaëlem Galteri, notarium ipſius ſacri Concilij Baſileenſis, redacta in nonaginta octo chartis ſeu folijs, præſenti in numero huiuſmodi computata.*

*Ego Ioannes Huober ex Nederdorff, quam aliàs Villam baſſam vocant, * Bixnenſis diœceſis, Artium liberalium Magiſter, & ſacræ Theologiæ Baccalaureus, Seſsiones & Decreta ſacroſancti magni & generalis Concilij Conſtantienſis præſcripta, ab exemplari authentico collationato, & Bulla plumbea pendente in chordula ſerici roborato, in vno miſsionis Spiritusſancti in ſpecie Columbæ, in altero verò lateribus horum verborum, Sacroſancta generalis Synodus Baſileenſis, ſculpturas ſuprà in principio depictas continente, & præfata chordula Sericea per omnes chartas inferioris marginis tranſeunte, manu propria deſcripſi atq; conſummaui, decimo Kalendas Iulij, Anno à Natiuitate Domini* M. CCCC. * XC.

*aurifera-tam.

*aurifera &

*immenſitate.

*concordant.

*Brixien.

CONCILIVM BASILEENSE SVB EVGENIO IIII. CELEBRATVM.

INCHOATIO CONCILII Baſileenſis.

DIE Iouis decimanona Iulij, de Anno Domini M. CCCC. XXXI. applicuerunt Baſileæ Domini, ſcilicet Ioannes Polmar Capellanus Summi Pontificis & auditor ſacri palatij, & magiſter Ioannes de Raguſio Doctor in Theologia Pariſienſis, procurator generalis ordinis Prædicatorũ, delegati ad pręſidendum Concilio à D. Iuliano Cardinali ſancti Angeli legato Apoſtolico, literas ſaluorum conductuum domini Imperatoris deſcriptas habentes. Remanſitque dominus Dionyſius expectans Ambaſiatam præfati domini Imperatoris. Qui quidem præſidentes, vigeſimatertia Iulij conuocatis omnibus eccleſiaſticis perſonis tam extraneis quàm intraneis, in Capitulo maioris Eccleſiæ Baſileenſis inchoauerunt Concilium, legitima poteſtate eidem Cardinali à felicis recordationis domino Martino & domino Eugenio præſenti, & deinde eorum ſubſcriptione facta à prædicto legato, quorum prædictus   fecit collationem ſolennem ſuper themate, Venit Angelus teſtamenti quem
Malach. 3. vos vultis, Malachiæ tertio. In quo oſtendit poteſtatem domini legati, & eorum legationem & omnimodam voluntatem ad Concilium, quod tunc inchoauerunt & ſtabilierunt, prout etiam reſcripſerunt Ambaſiatores vniuerſitatis Pariſienſis, & decreuerunt Miſſam ſolennem ſextis ferijs poſt petitionem celebrari.

DECRETA ET ACTA CONCILII BASILEENSIS,

Deſumpta ex authenticis exemplaribus, plumbo eiuſdem ſacroſancti Concilij firmatis.

SESSIO PRIMA.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis feliciter, Amen. Cenſetur vtique dignum & congruum, prout id ſingulariter expoſcit nimium labilis hominum memoria, vt ea quæ per ſacrorum generalium Conciliorum ſanctiones ad Dei laudem, & communem Reipublicæ vtilitatem fore noſcuntur inſtituta, illa debitè ſcripturæ commendentur, vt per hanc iugis eorum etiam ad poſteros tranſeat recordatio. Hinc eſt igitur, quod in ſubſcriptis continentur, & ſunt de verbo ad verbum inſerta decreta, conſtitutiones, acta & ordinationes, cæteraque geſta in hoc ſacro generali Baſileenſi Concilio, præſidente in eodem authoritate Apoſtolica reuerendiſsimo in Chriſto patre domino Iuliano miſeratione diuina ſacroſanctæ Romanæ eccleſię ſancti Angeli diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato, collecta, viſa, ordinata per nos protonotarios, notarios & ſcribas infraſcriptos, ad id per dictum dominum præſidentem, ſacro eodem approbante Concilio, deputatos, ſub annis, indictionibus, diebus, horis, menſibus & pontificatu inferius annotatis pariter & deſcriptis

Anno ſiquidem à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoprimo, indictione nona, die autem Veneris ſeptima menſis Decembris, pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Eugenij diuina prouidentia Papæ quarti anno primo, præfato reuerendiſsimo patre domino Cardinali præſidente & legato, iam per menſes aliquot in ciuitate Baſileenſi nationis Germanicæ, prouinciæ Biſuntinæ, prædicti generalis Concilij adiuuante domino congregatione & celebratione inibi iuxta mandatum Apoſtolicum aliàs ſibi ſuper hoc directum, & infrà pleniùs definitum legitimè faciendum, perſonaliter exiſtente. Conuocatis itaq; iam per eum dicta authoritate huius rei cauſa ad dictam ciuitatem Baſileenſem de diuerſis mundi partibus, pluribus dominis, prælatis, necnon perſonis alijs & viris eccleſiaſticis, quæ de iure vel conſuetudine ad Concilium generale venire tenentur, ac etiam quàm pluribus alijs ad dictum Concilium conuocatis, eiſq; vnà cum dicto domino præſidente legato in certa aula domus eccleſiæ ſancti Leonardi Baſileenſi, in qua ſoliti ſunt pro Concilijs tenendis in vnum conuenire, ad hæc ſpecialiter cõgregatis, vnanimi inter eos inito conſenſu, extitit ordinatum & decretum, primam dicti generalis Cõcilij Baſileenſis ſeſsionem, tenendam fore authore domino atque celebrandam die Veneris ex tunc proximè ſecutura, quartadecima dicti menſis Decembris in eccleſia cathedrali Baſileenſi, prout in ſchedula cuius tenor inferius primo loco deſcribitur, pleniùs continetur: quam ſchedulam in multis duplicatam & tranſſumptam, iuſsit idem dominus pręſidens ob dictæ primæ ſeſsionis publicationem faciendam, in pluribus dictæ ciuitatis eccleſiarum valuis affigi pariter & apponi, cuius tenor ſequitur, & eſt talis:

Ad laudem omnipotentis Dei, exaltationemque fidei Catholicæ, necnon tranquillitatem & pacem totius Chriſtianitatis, reformationem quoq; vniuerſalis eccleſiæ & populi Chriſtiani, ex parte reuerendiſsimi in Chriſto patris & domini, domini Iuliani miſeratione diuina ſacroſanctę Romanæ eccleſiæ ſancti Angeli diaconi Cardinalis, in pręſenti ſacro generali Concilio Baſileenſi authoritate Apoſtolica præſidentis ſpecialiter deputati, approbatione dicti ſacri generalis Concilij intimatur per præſentes omnibus & ſingulis in hoc ipſo generali Concilio Baſileenſi intereſſentib9, & intereſſe debẽtibus, quòd auctore Deo die Veneris proxima poſt inſtans feſtum ſanctę Lucię, quę erit quartadecima mẽſis huius Decembris, prima eiuſdem ſacri generalis Concilij ſeſsio celebrabitur in eccleſia cathedrali ciuitatis huius Baſileẽſis, hora nona eiuſdẽ diei à media nocte in antea computanda. Ideoque præcipitur & mandatur omnibus & ſingulis in prædicta ciuitate Baſileenſi ad cauſam dicti ſacri Concilij iam exiſtentibus, cæteriſque ad quorum notitiam præſentes deuenerint, in dicto Concilio intereſſe debentibus, qui tunc commodè perſonaliter intereſſe poterunt in eodem, quatenus dictis die & hora in eccleſia prædicta perſonaliter & debitè compareant ſub pœnis iuris, niſi legitimo præpediti fuerint impedimento. Datum Baſileæ die ſeptimo dicti menſis Decembr. Anno à Natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoprimo, pontificatus ſanctiſsimi domini noſtri Papæ Eugenij quarti anno primo, ſub ſigillo conſueto dicti domini præſidentis in teſtimoniũ præmiſſorum.

Dicta die Veneris quartadecima prędicti menſis Decembris, anno, indictione, hora & pontificatu quibus proximè ſuprà, ſacroſancta generali ſynodo Baſileenſi prædicta, dicto domino Cardinali legato authoritate qua ſuprà præſidente, legitimè vbi ſuprà congregata, celebrataque ibidem ſolenni Miſſa de Spiritu ſancto per reuerendum in Chriſto patrem dominum Philibertum Dei & Apoſtolicę ſedis gratis Epiſcopum Conſtantienſem prouinciæ Rothomagenſis, inſuper cantatis & perlectis litanijs, Antiphonis, alijſque deuotis orationibus in talibus ordinatis, Deoque ſuppliciter & deuotè exhibitis, idem dominus Cardinalis præſidens in pontificalibus ſedens ſuper cathedram ad hoc ſibi præparatam, alijſque ſingulis prælatis tunc ad præmiſſa adſtantibus in pontificali habitu, ſimul cum mitris planis capitibus eorum impoſitis exiſtentibus, gratum ſermonem ad ſynodũ prædictam ſacroſanctam habuit, ſumens pro themate ſuo, Mundamini qui fertis vaſa domini, Eſaiæ 52. in quo plerunque ſalubri exhortatione ac ſecundùm quod tali conueniebat eximiæ cõgregationi, & in primordio talis actus decuit, Eſaiæ 52.
omnes de puritate, munditia & vitæ integritate ſolerter in charitate non ficta admonuit, præcipueque exhortatus eſt, vt in celebratione Deo grata præſentis ſacri Concilij, eccle-

ſiæ vniuerſali tam neceſſario & vtili, vt verè decet viros eccleſiaſticos, conſtanti & bono animo iugiter adeſſent, vigilarentque, ac diligentius intenderent ad profectum & vtilitatem Reipubl. Chriſtianę religionis feliciter peragendum. Quo quidem ſermone per eum finito, tandem memoratus dominus Philibertus Epiſcopus Conſtantienſis eminentem thalamum aſcendit, ibiq; de mandato dictæ ſacri ſynodi perlegit alta & intelligibili voce, vt ab omnibus aſtantibus audiretur, hæcq; infra de verbo ad verbum inſeruntur, aſtantibus ibidem nonnullis venerabilibus & egregijs viris, dominis ambaſiatoribus ſereniſsimi & illuſtriſsimi principum dominorum Regis Romanorum ſemper Auguſti, & Amedei ducis Sabaudiæ, necnon viris illuſtribus dominis alijs quamplurimis.

DECRETA ET CAETERA LECTA IN PRIMA *ſeſsione ſacri generalis Concilij Baſileenſis.*

Ephef. 2. AD omnipotentis Dei gloriam, fidei Catholicæ exaltionem, Chriſtianæque religionis profectum, iaciens fundamentum in ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in domino, ſacroſancta ſynodus Baſileenſis vniuerſalem eccleſiam repræſentans, in Spiritu ſancto legitimè congregata, pręſidente reuerendiſsimo in Chriſto patre domino Iuliano, ſanctę Romanæ eccleſiæ ſancti Angeli diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato, attendens quòd ſacra generalis ſynodus Conſtantienſis in Spiritu ſancto celebrata, ſalubre exiſtimans & multimodè fructuoſum, in ſancta Dei eccleſia generalia Concilia frequentari, hoc ſuo decreto conſtituit huiuſmodi ſub tenore.

Decretum Conſtantienſe de celebratione Conciliorum.

In Cōſtantienſis Cōcilij ſeſſ. 39. Frequens generalium Conciliorum celebratio, agri dominici præcipua cultura eſt, quæ vepres, ſpinas & tribulos hæreſum, errorum & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducit: illorum verò neglectus, præmiſſa diſſeminat atq; fouet: hæc præteritorum temporum recordatio, & præſentium conſideratio, ante oculos noſtros ponunt. Quapropter hoc edicto perpetuo ſancimus, decernimus, atque ordinamus, vt amodò Concilia generalia celebrentur, ita quòd primùm à fine huius Concilij in quinquēnium immediatè ſequens, ſecundum verò à fine illius immediatè ſequentis Concilij in ſeptennium, & deinceps de decēnio in decennium perpetuò celebrentur, in locis quæ Summus pontifex per menſem ante finem cuiuſlibet Concilij, approbante vel conſentiente Concilio, vel in eius defectū, ipſum Concilium deputare & aſsignare teneatur, vt ſic per quandam continuationem ſemper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur, quem terminum liceat ſummo pontifici de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium Concilio, ob emergentes fortè caſus abbreuiare, ſed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro Concilio celebrando deputatum, abſq; euidenti neceſsitate non mutet. Sed ſi fortè caſus * aliquis occurrerit, quo neceſſarium videretur, ipſum locum mutari, putà obſidionis, guerrarum, peſtis aut ſimilis, tunc liceat ſummo pontifici de prædictorum fratrum ſuorum, aut duarum partium ipſorum conſenſu atque ſubſcriptione, alium locum priùs deputato loco viciniorem & aptum, ſub eadem tamen natione ſubrogare: niſi idem vel ſimile impedimentum per totam illam nationem vigeret, tunc ad aliquem alium viciniorem alterius nationis locum aptum, huiuſmodi Concilium poterit conuocari, ad quem prælati, & alij qui ad Concilium ſolent conuocari, accedere teneantur, ac ſi à principio locus ille fuiſſet electus & deputatus. Quam tamen loci mutationem, vel termini abbreuiationem per annum ante præfixum terminum teneatur ſummus pontifex legitimè & ſolenniter publicare & intimare, vt ad ipſum Concilium celebrandum prædicti poſsint ſtatuto termino conuenire.

* alius

Atque pro ipſius executione decreti, ciuitas Papiæ apud Italiam fuit electa pro generali Concilio in fine tunc proximè ſequentis quinquennij celebrando. Quod quidem Concilium ſuo decreto tempore in dicta ciuitate Papienſi celebrari extitit inchoatum, & inde certis ex cauſis ad ciuitatem Senenſem tranſlatum. In quo quidem generali Concilio Papiæ inchoato, & in Senenſi ciuitate celebrato, hæc Baſileēſis ciuitas pro celebratione tunc futuri generalis Concilij poſt ſeptennium à fine ipſius Senenſis Concilij celebrandi, fuit electa & debitè aſsignata, vt conſtat in inſtrumento publico inde confecto huiuſmodi ſeriei.

Inſtrumentum electionis ciuitatis Baſileenſis, pro generali Concilio celebrando.

In nomine domini, Amen. Tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quod anno à Natiuitate eiuſdem domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimoquarto, indictione ſecunda, die verò ſabbati 19. menſis Februarij, hora tertiarum vel quaſi, pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Martini diuina prouidentia Papæ quinti anno ſeptimo, vigente & durante ſacroſancto generali Concilio Senenſi in ciuitate Senarum, ac præſidentibus eidem Concilio vice & nomine præfati domini noſtri Papæ & pro eo, reuerendiſsimis in Chriſto patribus & dominis, dominis Dei & Apoſtolicę ſedis gratia Petro Archiepiſcopo Cretenſi, Iacobo epiſcopo Spoletano, Petro abbate de Roſatio Aquileienſis diœceſis, ac Leonardo de Florentia magiſtro & generali ordinis Prædicatorum, per eundem dominum noſtrum Papam ad infrà ſcripta ſpecialiter deputatis & ordinatis, ijdem domini præſidentes quandam conuocationem deputatorum omnium inclytarum nationum præſentis Concilij Senenſis, ſuper electione loci futuri Concilij fecerunt. In qua affuerunt prædicti domini præſidentes Concilij vnà cum reuerendis patribus ac venerabilibus & circumſpectis viris omnium quinque nationum, videlicet pro Italica pro parte prælatorum & aliorum de extra territorium Senen. domini Petrus ſanctus epiſcopus Craſtenſis, & Dominicus de ſancto Geminiano decretorum Doctor, Cameræ Apoſtolicæ Auditor. Pro parte prælatorum & aliorum habentium titulos in territorio Senenſi, dominus Nicolaus abbas ſancti Donati, ordinis vallis vmbroſæ, ſe non habere mandatum ad actum infrà ſcriptum faciendum dicens, ſed ad audiendum & referendum, quorum quilibet ſe dictam Italicam nationem repræſentare aſſerebat. Pro natione Gallicana reuerendi patres & domini, domini Guillermus epiſcopus Caualicenſis, Ludouicus de Palude regalis Trenorchienſis, ordinis ſancti Benedicti, Cabilonenſis diœceſis, & Ioannes Vrſicampi ordinis Ciſtercienſis, Nouiomenſis diœceſis abbates. Pro natione Germanica reuerendus pater dominus Hartungus de Cappel decretorum Doctor, ſacri palatij Apoſtolici cauſarum auditor, ac venerabilis & religioſus vir frater Theodoricus de Andel, monachus ordinis Præmonſtratenſis, in decretis Licentiatus, ac eiuſdem ordinis procurator. Pro natione Hiſpanica, Petrus Alfonſi abbas ſancti Vincentij, & canonicus eccleſiæ Toletanæ, qui tamen dixit, ſe non habere * aliquod mandatum à natione ſua ad hunc actum faciendum, niſi ſolùm ad audiendum & referendum, de quo etiam ſolenniter fuit proteſtatus. Pro natione Angliæ reuerendus pater & dominus, dominus Franciſcus Epiſcopus Aquenſis, & venerabilis vir magiſter Thomas de Merdona canonicus * Aſcolanenſis, in ſacra pagina baccalaureus. Qui deputati ſupradicti, ſingulariter ſinguli, ad infrà ſcripta mandata ſua in publicam formam, illis de territorio Senenſi, & natione Hiſpaniæ exceptis, Senis in Capella domus operarij maioris eccleſiæ Senenſis prope eandem Eccleſia ſita produxerunt, & quilibet eorum produxit. Quibus ſic congregatis, ac Miſſarum ſolennijs alijsque cæremonijs debitis & conſuetis ibidem completis, ſuprà dicti domini deputati ſingularum nationum, ad infrà ſcripta ſingularia mandata, de quibus per inſtrumenta publica ſignis & ſubſcriptionibus Notariorum publicorum tunc ibidem præſentium ſignata & ſubſcripta, legitimam fecerunt fidem, ad huiuſmodi electionem loci per ordinem proceſſerunt. Et inter cætera quàm plurimis allegationibus, propoſitionibus, altercationibus & diſſenſionibus diuerſorum locorum & prouinciarum hinc inde inter ipſos deputatos habitis atque factis, demùm pro loco futuri, & tunc celebrandi Concilij proximè ſecuturi, iuxta formam & tenorem decreti ſiue conſtitutio-

* aliud

* Aſtolēſis

nis Concilij Conſtantienſis deſuper facti, ciuitatem Baſileenſem in natione Germanica conſiſtentem, & in prouincia Biſuntina, tanquam habilem, ſufficientem, & idoneam, ex ipſorum certa ſcientia vnanimiter & concorditer nominauerunt & elegerunt, dictis tamen Nicolao ſancti Donati, & Petro Alfonſi Abbatibus, pro tunc expreſsè conſentientibus. Quo loco ſic per ipſos dominos deputatos electo, ſupradicti domini quatuor præſidentes Concilij ex parte domini noſtri Papæ dictum decretum ſiue conſtitutionem Concilij Conſtantienſis, in quo continetur de modo eligendi loca Conciliorum, nec non literas Apoſtolicas domini noſtri Papæ prædicti, eius vera bulla plumbea (vt prima facie apparebat) more Romanæ curiæ munitas, ſuper poteſtate dictis dominis præſidentibus ad præſentem actum à domino noſtro Papa prædicto conceſſa, per venerabilem virum dominum Michaëlem de Piſis decretorum doctorem, & præfati domini noſtri Papæ ſecretarium, ibidem præſentem, publicè alta & intelligibili voce coram dominis præſidentibus ac deputatis nationum, alijſque ſupradictis, infrà ſcriptorum tenorum legi & publicari fecerunt. Tenor verò decreti ſequitur, & eſt talis:

Conſtantienſis Cõcilij ſeſſ. 39. Frequens generalium Conciliorum celebratio, agri dominici, &c. ſicut ſuprà in hac eadẽ ſeſsione habetur, & aliàs integrius in Concilij Conſtantienſis ſeſſ. 39.

Tenor Bulla talis eſt:

Martinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Petro Archiepiſcopo Cretenſi, & Iacobo Epiſcopo Spoletano, ac dilectis filijs Petro Abbati de Roſatio ſancti Petri Aquileienſis diœceſis, nec non Leonardo de Florentia, ordinis fratrum Prædicatorum, & ſacræ paginæ profeſſori, ac eiuſdem ordinis Generali magiſtro, noſtris & Apoſtolicæ ſedis Nuncijs, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper ſiquidem cupientes generale Concilium iuxta deliberationem & ordinationem ſanctæ ſynodi Conſtantienſis, ad deputationem loci olim eadem approbante ſynodo per nos factam, in ciuitate Papienſi authore domino celebrari, vt illa in eo ſtatuerentur & fierent, quæ cederent ad laudem Dei & bonum publicum eccleſiæ ſuæ ſanctæ, vos ad ciuitatem prædictam pro futuro ibidem tenendo & celebrando Concilio generali, noſtros & Apoſtolicæ ſedis nuncios, de fratrum noſtrorum conſilio prouidimus deſtinandos, vobis inter cætera nomine & authoritate noſtris ipſi Concilio præſidendi, & inhibi pro veſtra ſapientia illa prouidendi, deliberandi, ſtatuendi, decernendi & concludendi, quæ ad conſeruationem & augmentum religionis & fidei Chriſtianæ, & reformationem Cleri, & ſtatus Eccleſiaſtici pertinent, poteſtatem plenariam concedentes, prout in alijs noſtris literis pleniùs continetur. Nos igitur attendentes, vt in benè gerendis rebus dicti Concilij eo vtiliùs & perfectiùs proficere valeatis, quo ampliori fueritis per nos authoritate muniti, & ne propter aliq uem caſum qui ſolet quandoque contingere, celebratio & continuatio eiuſdem Concilij retradetur: opportunè prouidere volentes, diſcretioni veſtræ vbi legitima cauſa ſubſiſtat, ipſum Concilium de ciuitate prædicta ad quamcunque ciuitatem aliam eiuſdem nationis ad hoc liberam, habilem, & ſufficientem, de qua vobis videbitur, authoritate noſtra transferendi, illudque prorogandi, mutandi & diſſoluendi: ipſumque Concilium in huiuſmodi alia ciuitate, ad quam id forſan transferri, & mutari contigerit, continuandi, tenendi & celebrandi, & illud prælatos, & alios euocandi, eique nomine & authoritate prædictis præſidendi, & quæcunque in eo decreta, eodem approbante Concilio, ordinandi, ſtatuendi & decernendi, illaque in publicis ſeſsionibus iuxta morem ſolenniter publicandi, & approbandi, vt nihilominùs ante diſſolutionem præſentis Concilij, locum pro alio futuro Concilio inde ad ſeptennium celebrando, iuxta deliberationem, declarationem & ordinationem prædictas etiam ante menſem, vbi rationabilis cauſa eſſet, ne aliquo modo huiuſmodi loci deputatio differatur, nominandi, deputandi, & aſsignandi, & alia in præmiſsis omnibus agendi, diſponendi, ſtatuendi, & exequendi ac concludendi, quæ pro ſtatu honoreque noſtris & Romanæ eccleſiæ, ac tranquillitate & pace Reipublicæ Chriſtianæ noueritis profutura; plenam & liberam de dictorum fratrum conſilio, authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem, ratum & gratum habituri, quicquid per vos ſuper præmiſsis in eodem Concilio propoſitum, deliberatum, ſtatutum, & decretum fuerit ac concluſum. Idque faciemus, authore domino, vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum octauo Kalendas Martij, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Quibus quidem decretis & literis Apoſtolicis ſic lectis & publicatis, prædicti domini quatuor Præſidentes ibidem præſentes, per organum dicti Reuerendiſsimi Patris domini Petri Archiepiſcopi Cretenſis, vnius ex ipſis præſidentibus, in ipſum locum, videlicet ciuitatem Baſileenſem, ſic (vt præmittitur) per ipſos dominos deputos electam, conſenſerunt, ac eandem ciuitatem Baſileenſem, in prouincia Biſuntina conſiſtentem, vnà cum dictis dominis deputatis nationum, & ipſi deputati nationum, videlicet Italicæ de extra territorium Senenſe, Gallicanæ, Germanicæ & Anglicanæ, iuxta dicti decreti Conſtantienſis Concicilij vim, formam & tenorem, ac poteſtatis à domino noſtro Papa prædicto eis traditæ (vt præmittitur) & conceſſæ, elegerunt & nominauerunt, ac ciuitatem ipſam habilem & idoneam pro loco futuri proximè celebrandi Concilij deputârunt, aſsignârunt, & pronunciârunt. Proteſtantes tamen, quòd propter hoc ipſum Concilium Senenſe non cenſeatur diſſolutum eſſe, ſed quòd ipſi præſidentes cum inclytis nationibus ad omnem reformationem hîc poſsibilem concurrere vellent. Et hoc idem præfati deputati per ordinem ſimiliter fuerunt proteſtati, quilibet pro natione ſua, quòd ad reformationem hîc poſsibilem attendere vellent. Quo loco taliter electo & pronunciato, ac aſſignato & deputato, vocati fuerunt in locum dictæ congregationis reuerendiſsimi patres & domini, domini Ioannes Archiepiſcopus Toletanus nationis Hiſpanicæ præſidens, Ioannes Archiepiſcopus Rothomagenſis nationis Gallicanæ præſidens, Riccardus electus Eboracenſis Anglicanæ nationis præſidens, & Andreas Epiſcopus * Pocznanienſis, nationis Germanicæ præſidens. * Poznaniẽſis In quorum præſentia dicti loci electio fuit ſolenniter publicata, & per ipſos dominos Archiepiſcopos & epiſcopos approbata & confirmata. Excepto, quòd dictus Reuerendiſsimus pater dominus Ioannes Archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniarum primas, regnique Caſtellæ maior Cancellarius, & ſupradictæ nationis Hiſpanicæ præſidens, ad dictam electionem reſpondit ſe habere duas voces: vnam, vt præſidens nationis ſuæ Hiſpanicæ: aliam verò, vt Archiepiſcopus & primas Hiſpaniarum. Quãtum ad primam vocem, non poſſet conſentire, niſi requiſita & conſentiente natione ſua prædicta. Quantum verò ad ſecundam vocem, videlicet vt Archiepiſcopus & primas, dixit ſe conſentire, & expreſsè conſenſit. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis præmiſsis ſic actis, factis & geſtis, præfati domini præſidentes domini noſtri Papæ, nec non deputati ſupradicti per ordinẽ, ac honorabilis vir magiſter Martinus Vuelle clericus Sãbienſis diœceſis in decretis baccalaureus, ac domini noſtri Papæ præfati procurator fiſcalis, & huiuſmodi ſacri Senenſis Concilij procurator, ſibi à me Notario publico infrà ſcripto, & aliarum nationum Notarijs ibidem tunc præſentibus, fieri petierunt, & quilibet eorum fieri petijt, atque tradi vnum vel plura, publicum ſeu publica, inſtrumentum aut inſtrumenta. Acta fuerunt hæc Senis ſub anno, indictione, menſe, die, hora, loco & pontificatu quibus ſuprà, præſentibus ibidem venerabilibus ac honorabilibus & diſcretis viris, dominis Dominico de * Crapanica, Apoſtolicæ Cameræ clerico, Michaële de Piſis ſupradicto, decretorum Doctoribus, nec non magiſtris Antonio * olim Michaele de ſancto Geminiano curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ & Italicæ de extra territorium Senenſe, Hermanno Vueynen de Bocken, clerico Monaſterienſis diœceſis, Apoſtolica & Imperiali authoritatibus ac inclytæ nationis Germanicæ in prædicto Concilio Senenſi Notario, necnon Laurentio Stafforde Anglicanæ nationum prædictarum Notarijs, Florentinenſis, Monaſterienſis, ac Lincolnienſis diœceſum, ac Franciſco de Bononia, ſeruiente armorum

* Crapalica

Locus obſcurus.

morum domini noſtri Papæ, prædictis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

Subſcriptiones Notariorum.

Et ego Petrus clerici, clericus Amblanenſis diœceſis, magiſter in artibus, publicus authoritate Apoſtolica & inclytæ nationis Gallicanæ in prædicto ſacro Concilio Senenſi Notarius, quia huiuſmodi electioni, pronunciationi, aſsignationi & deputationi loci futuri Concilij (vt præmittitur) proximè celebrandi præſens fui, eaque ſic fieri vidi & audiui, ideoq́ue hoc præſens publicum inſtrumentum manu mea propria ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, & publicaui, ſignoq́ue & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignaui, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum pręmiſſorum requiſitus & rogatus.

Subſcriptio alterius Notarij.

Et ego Laurentius Stafforde clericus Lincolnienſis diœceſis, publicus authoritate Apoſtolica & inclytæ nationis Anglicanæ in prædicto ſacro Senenſi Concilio Notarius, præmiſsis omnibus & ſingulis vnà cum prænominatis teſtibus & notario præſens fui, eaq́ue ſic fieri vidi, & audiui, & exinde hoc inſtrumentum per alium fideliter ſcriptum, ſigno meo ſolito cum dicto notario requiſitus ſignaui in teſtimonium omnium præmiſſorum.

Initium & approbatio Concilij Baſileenſis.

Cùm verò finis inſtaret ſeptennij, quod eſt tempus ex præinſerto Concilij Conſtantienſis decreto celebrationi huius Concilij præfinitum, felicis recordationis dominus Martinus Papa Quintus, ſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ tunc præſidens pontifex, volens celebrationem generalis Concilij fieri iuxta præmemoratum decretum, cui tamen propter ætatem decrepitam, & multiplices ſui corporis morbos in perſona propria non poterat reſidere, dictum dominum Iulianum ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſancti Angeli diaconum Cardinalem, de fratrum ſuorum conſilio, ad celebrandum ipſum Concilium, ac eidem vice & loco ipſius ſummi pontificis præſidendi, ſuum ac ſedis Apoſtolicæ deſtinauit legatum per ſuas Apoſtolicas literas, prout eccè:

Martinvs Episcopvs Servvs Servorum Dei, dilecto filio Iuliano ſancti Angeli diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dum onus vniuerſalis gregis dominici ſuperna diſpoſitione nobis iniunctum diligenter attendimus, & quòd ſingulis Chriſtianæ Reipublicæ occurrentibus per nos ipſos debitum Apoſtolicæ ſeruitutis, exequi non poſſumus, animo noſtro reuoluimus: nonnunquam viros fide feruentes, dignitate ac ſcientia præditos, & rerum agendarum experientia conſpicuos, in partem noſtrorum & Eccleſiæ Romanæ negotiorum aſſumimus, vt dum tempus poſtulat, eorum operationibus vices noſtras ſupplentes, miniſterium nobis commiſſum, diuina aſsiſtente gratia, iuxta vires nobis ex alto conceſſas, exequi valeamus. Dudum ſiquidem ſacrum generale Conſtantienſe Concilium ex certis cauſis tunc expreſsis, ſtatuit & decreuit, primum generale Concilium in quinquennium ex tunc proximè futurum, ſecundum verò à fine illum immediatè ſequentis Concilij in ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuò fore celebrandum, in locis per Romanum pontificem per menſem ante finem cuiuſlibet Concilij, approbante & conſentiente Concilio, vel in defectum ipſius per ipſum Concilium deputandis ac aſsignandis, vt illa quæ circa ſtatum & bonum publicum Eccleſiæ ſanctæ Dei agenda & expedienda reſtabant, matura poſſent deliberatione compleri, prout quantum in nobis fuit, in Concilio Senis vltimò celebrato factum extitit, in quo per noſtros & ſedis Apoſtolicæ nuncios tunc in dicto Concilio Senenſi præſidentes, eodem approbante Concilio ciuitas Baſileenſis pro loco proximè futuri tunc in ſeptennium celebrandi Concilij deputata extitit, prout in decreto præfati Senenſis Concilij & alijs noſtris literis deſuper confectis pleniùs continetur. Cùm autem finis huiuſmodi ſeptennij, quo, Concilium ipſum in eadem ciuitate Baſileenſi tenendum & celebrandum fore, ſtatutum fuit, inſtare noſcatur, cumq́ue propter notoriam ægritudinem noſtram in ipſo futuro Baſileenſi Concilio, Deo authore celebrando, iuxta deſiderium cordis noſtri intereſſe non poſsimus, te vitæ integritate, & ſapientia præclarum, & magnitudine conſilij conſpicuum, ac in maximis noſtris & præfatæ eccleſiæ negotijs diuturna experientia comprobatum, legatum cum plena & omnimoda poteſtate legati de latere, de fratrum noſtrorum conſilio authoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, conſtituimus, & etiam ordinamus, teq́ue ad ciuitatem Baſileenſem prædictam, pro futuro ibidem, authore domino, tenendo & celebrando Concilio generali, iuxta deliberationem & ordinationem præfatas, tanquam Angelum pacis deſtinandum prouidimus. Et cùm ſuper omnia in ipſo futuro Concilio ad reformandum ſtatum eccleſiaſticum, qui hoc tempore indigere videtur, abundante nequitia, & frigeſcente charitate hominum, ſuſcitatis inter fideles bellis & diſcordijs, ac inualeſcente in pluribus mundi partibus hæretica prauitate, ad huiuſmodi hæreſes extirpandas, & pacem inter Catholicos principes, & cæteros Chriſtianos componendam, animum efficaciter intendamus: ſuper qua re, quantum in nobis fuit, dedimus operam efficacem, tibi nomine & authoritate noſtris ipſi Concilio præſidendi, ac in illo pro tua ſapientia illa proponendi, deliberandi, ordinandi, ſtatuendi, & decernendi, quæ ad laudem & honorem Dei, & conſeruationem & augmentum religionis fidei Chriſtianæ, ſtatum eccleſiæ, reformationem quoque totius cleri & eccleſiaſtici ſtatus in moribus & vita, nec non reductionem Orientalis Eccleſiæ, & quorumlibet aliorum oberrantium ad gremium eccleſiæ militantis, ac conſeruationem eccleſiaſticæ libertatis, ſalutem quoque, quietem & pacem regnorum, Regum, Ducum, principum & quorumlibet fidelium populorum noueris pertinere, ac etiam ibidem cum debita maturitate & deliberatione, prout in tanta re conuenit, ea omnia proponendi, decernendi, concludendi & exequendi, per quæ hæreſes & errores tam de Bohemia, quàm de alijs quibuſcunque regnis, prouincijs, terris & locis, in quibus ſunt, penitùs extirpentur. Et nihilominùs de præmiſsis hæreſum & quibuſcunque alijs cauſis, fidem Catholicam concernentibus, quomodolibet cum conſilio dicti Concilij cognoſcendi, aliaq́ue per te, vel per alium, ſeu alios à te deputandos, audiendi, decidendi, & fine debito cum præfato Concilio terminandi. Et contradictores quoſlibet & rebelles, cuiuſcunque ſtatus, gradus, præeminentiæ, vel conditionis exiſtant, & quauis eccleſiaſtica vel mundana, etiam ſi regali, vel pontificali præfulgeant dignitati, authoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, & alia iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, & ſuper his, quoties opus fuerit, auxilium brachij ſecularis inuocandi, omniaq́ue alia & ſingula in eodem Baſileenſi Concilio agendi, tractandi, diſponendi, ſtatuendi, declarandi, decernendi & concludendi, quæ in præmiſsis & circa ea pro ſtatu noſtro & eiuſdem eccleſiæ, ac ſalute animarum fidelium, extirpatione hęreſum & errorum de agro dominico, reductione quoque oberrantium populorum, & conſeruatione eccleſiaſticæ libertatis, ac pro quieto ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, nec non reformatione in omnibus membris ſuis, noueris profutura, plenam & liberam authoritate prædicta tenore pręſentium concedimus poteſtatem, ratum & gratum habituri, quicquid ſuper præmiſsis per te vnà cum eodem Baſileenſi Concilio ordinatum, ſtatutum, deliberatum & decretũ fuerit, & concluſum: idq́; faciemus authore Domino, vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari. Quocirca circumſpectioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tibi iniunctum miniſterium laboris huiuſmodi pro diuina, & dictæ ſedis ac noſtra reuerentia, ſic in eodem futuro Concilio dicto nomine pro tempore præſidens, ad honorem Dei, eccleſiæ atque noſtram, ſalutem quoque & pacem populorum fidelium, iuxta datam tibi à domino prudentiam, laudabiliter exequaris, quòd ex tuis fructuoſis operibus fructus optati proueniant, quos ſperamus:

Matth. 24

mus: tuque deinde illam, quæ pias cauſas agentibus ſuperna retributione impenditur, gloriam conſequi merearis felicitatis æternæ.

Datum Romæ apud ſanctos Apoſtolos, Kalen. Februar. pontificatus noſtri anno 14.

LITERAE DOMINI EVGENII PAPAE QVARti, directa domino Iuliano legato, qua quidem bulla non eſt decretata.

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS SERVOrum Dei, dilecto filio Iuliano ſancti Angeli diacono Cardinali, Apoſtolicæ Sedis legato ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Certificati tam per literas tuas, quàm alias de ſolicitudine & circumſpecta diligentia, quam habes in proſequendo cauſam fidei contra Bohemos hæreticos, tuam prudentiam commendamus, & te ad perſeuerandum hortamur, quantùm cum decentia fieri poteſt. Præatereà cùm felicis recordationis Martinus Papa quintus prędeceſſor noſter inter cætera tibi iniunxerit, præſidere debere authoritate Apoſtolica in Concilio generali in Baſileenſi ciuitate celebrando, ſi talis eſſet concurſus & congregatio prælatorum, quòd meritò & rationabiliter celebrari debuiſſet & deberet, & (ſicuti accepimus) vſque nunc pauci aut nulli conuenerunt, & propterea non ſit opus alium deſtinare, ſed ſit potiùs expectandum, placet nobis, & volumus, tibique mandamus, quatenus expedito negotio Bohemorum, cuius finis expectatur in breui, tuos greſſus dirigas ad prædictam ciuitatem Baſileenſem, & ibi (prout opus videris eſſe) iuxta tibi iniuncta & ordinata in Concilio Cóſtantienſi, optimè prouideas, prout in tua prudentia & circumſpectione plenè cófidimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ 1431. * ſecundo Kalend. Iunij, pontificatus noſtri anno primo.

for. * pridie.

Stabilimentum ſacri Concilij Baſileenſis.

Ipſe autem reuerendiſsimus dominus legatus mandatum Apoſtolicum exequi cupiens, cùm tempore quo iam inſtabat celebrationem Concilij inchoari, circa expeditionem aduerſus peſtiferam hęreſim Huſsitarum eſſet pro cauſa fidei admodum occupatus ſuos ad hanc ciuitatem vices gerentes deſtinare curauit, ac poſtmodum, quàm citiùs fuit poſsibile, ad præſentem ciuitatem acceſsit, vt iniunctum legationis officium poſsit in celebratione huius generalis Cócilij, præſtante diuini numinis gratia, adimplere, prout etiam ſanctiſsimus dominus noſter, dominus Eugenius diuina prouidentia Papa Quartus, repetitis ſuæ, ſanctitatis literis, ſibi mandauit. In qua ciuitate iam per tres menſes & vltrà cum prælatis & cæteris, qui ad ipſam ciuitatem cauſa celebrationis dicti generalis Concilij aduenerunt, quamplurimas congregationes fecit, habuitque tractatus ſuper ipſius ſtabilimento & celebratione Concilij. Tandem decretum eſt, præſentem ſolennem fieri ſeſsionem, in qua primùm cùm ex præmiſsis conſtet apertè, quòd hæc ciuitas ſit locus celebratione generalis Concilij deputatus, & adſit à iamdiu citra tempus ipſius Concilij celebrandi, ſacroſanctæque ſedis Apoſtolicæ non deſit authoritas, decernit, diffinit & declarat, in hac ciuitate & loco eſſe generale Concilium ſtabilitum canonicè & fundatum, & quòd ad eius celebrationem tenentur accedere omnes tam prælati, quàm cæteri qui de iure vel conſuetudine ad generalia Concilia accedere ſút adſtricti.

Intentio Concilij Baſileenſis.

Cæterùm cùm vnumquodque eo directiùs atque intenſiùs ſuas dirigat actiones, quo ipſarum deſtinatum finem agnoſcit: idcircò hæc ſancta ſynodus neceſsitates Chriſtianæ religionis ſedula meditatione recogitans, matura & digeſta deliberatione decernit, ad hæc tria, eo, à quo cuncta bona procedunt, authore Deo, toto ſolicitudinis ſtudio operam dare. Primò, vt omnium hæreſum à Chriſtiani populi finibus tenebris profulgatis, lumen Catholicæ veritatis Chriſto vera luce largiente, refulgeat. Secundò, vt bellorum rabie, qua, ſatore zizaniæ ſeminante, in diuerſis partibus mundi affligitur & diſsipatur populus Chriſtianus, congrua meditatione ſedata, pacis authore præſtante, in ſtatum reducatur pacificum & tranquillum. Tertiò, vt cùm multiplicibus vitiorum tribulis & ſpinis CHRISTI vinea iam quaſi ſylueſcat præ nimia denſitate, vt illis debitæ culturæ ſtudio reſecatis, Euangelico agricola cœlitùs operante, refloreat, honeſtatiſque fructus & honoris felicis vbertate producat. Et quoniam abſque cœleſtis influxu gratiæ, hæc tam grandia bona ſperari non poſſunt, omnes Chriſti fideles in domino propenſiùs exhortatur, vt ad obtinendam præmiſſorum conſummationem felicem, deuotis orationibus, ieiunijs & eleemoſynis apud maieſtatem diuinam diligenter inſiſtant, vt pius & miſericors Deus humilibus placatus obſequijs, optatam rerum conſummationem huic ſacro Concilio ſua pietate ſolita præſtare dignetur, eis in remiſsionem ſuorum peccaminum hoc iniungens.

Iacob. 1. Ioan. 15.

Exhortatio ſuppoſitorum Concilij.

Præatereà cùm præmiſſa, ad quæ huius ſacri Concilij tendit tentatio, ſint plurimùm ardua, & accuratum ſtudium exigant, multaque ſint ſolicitudine & cura peruigili pertractanda, exhortatur omnes in hoc ſacro Concilio * perſiſtentes, & ad ipſum venientes, vt diligenter ſecum illa cogitent, atque cum alijs excogitata pertractent, quæ eis videbuntur ad eadem vtilia, vel etiam opportuna, vt inde communi debitoque ſuper eis tractatu habito & matura deliberatione digeſto, meliùs & vtiliùs per ſacrum Concilium in præmiſsis queat, aſsiſtentes Spiritus ſancti gratia, prouideri. In hac namque ſacra ſynodo congregatis, plena & libera ſit omnibus & ſingulis loquendi & conſulendi facultas, eorum quæ ad agenda eſſe videbuntur accommoda, iuxta materias in ipſius Concilij deliberatione propoſitas.

* præſētes

De modo ſeu geſtu in Concilio & Seſſione.

Vt autem qua morum & geſtus venuſtatem vnuſquiſque in ſeſsionibus & congregationibus huius ſacri Concilij debeat ſe habere, ex antiquorum patrum iam diu inſtitutis regulis innoteſcat, decretum Toletani Concilij præſentibus duximus inſerendum.

Tolet. 11. cap. 1.

Decretum Concilij Toletani.

In loco benedictionis conſidentes Domini ſacerdotes, nullus debet aut indiſcretis vocibus perſtrepere, aut quibuſlibet tumultibus perturbare, nullus enim * vanis fabulis vel riſibus, vel (quod eſt deterius) obſtinatis diſceptationibus tumultuoſas voces effundere. Si quis enim (vt ait Apoſtolus) putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio. Cultum enim ſuum iuſtitia perdit, quum ſilentia iudicij, obſtrepentium turba confundit, dicente Propheta: Erit enim cultus iuſtitiæ ſilentium. Debet ergo quicquid aut conſidentium conſultationibus agitur, aut ab accuſantium parte proponitur, ſic mitiſsima verborum relatione proferri, vt nec contentioſis vocibus ſenſus audientium turbet, nec iudicij vigorem * in tumultu eneruet. Quicunque ergo in conuentu Concilij hæc quæ præmiſſa ſunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta aut tumultu, aut contumelijs, vel riſibus ipſum Concilium perturbauerit, iuxta diuinæ legis edictum, quo præcipitur, * Eijce deriſorem, & exibit cum eo iurgium, cum omni dedecore à confeſsione abſtractus, à communi cœtu recedat, & trium dierum ſententiam excómunicationis ferat.

5. q. 4. In loco benedictionis. * varijs. Iacob. 1. * quãdo ſilentium perit & iudicium. Eſai. 32. * pres Prou. 22.

De honoribus.

Ad obuiandum controuerſijs, quæ ſolent ex huiuſmodi in Concilijs & publicis congregationibus ſuboriri, & nonnunquam ipſorum progreſſum per longa tempora impedire,

pedire, hæc ſacra ſynodus ordinat, ſtatuit & decernit, quòd per quoſcunque actus, nominationes, intitulationes, honoris exhibitiones tam in ſede, quàm in alijs quibuſcunque dictis aut dicẽdis, factis aut faciendis in hoc Cõcilio, per quoſcunque prælatos, principes, vel eorum aut vniuerſitatum & communitatum quarumcunque nuncios, vel legatos, ſeu ipſis vel de ipſis, vel eorum altero in eodem Concilio nullum ius de nouo acquiratur, nulliq́ue præiudicium generetur, nulliusq́ue ius in proprietate vel poſſeſſione lædatur. Et per præmiſſa, vel huiuſmodi legatorũ admiſſionem, ius vel titulus alicuius approbari nullatenus cẽſeatur, vel etiam reprobari, aut ius vel poſſeſſio generali Concilio intereſſendi, vel taliter vocem dandi cuiquam acquiri, ſed in omnibus & per omnia vnumquenque in eodem ſtatu poſt hoc Concilium remanere, in quo ante ipſius Concilij celebrationem permanebat.

De impedimento venientium ad Concilium.

Sanè quoniam opus aliquod intendenti non ſatis eſt ædificationi operam dare, ſi ex aduerſo impedientibus non reſiſtat, idcirco decretum in ſacro Coſtantienſi Concilio editum aduerſus eos, qui venientes ad Concilium, ſtantes, vel redeuntes impediunt, iniuriantur vel moleſtant: ex ſuperabundanti cautela contra eos, qui venientes, ſtantes aut recedentes ab hac ſancta ſynodo, in perſona vel bonis impedire, iniuriari, vel moleſtare præſumpſerint, locum habere declarat ac dececernit, iuxta ipſius (qui talis eſt) ſeriem & tenorem.

Proceſſus contra inuaſores, ſeu ſpoliatores accedentium ad Concilium, vel recedentium de illo.

Conſtantien. Cõc. ſeſſ. 15. Sacroſancta generalis ſynodus Conſtantienſis, vniuerſalem eccleſiam repræſentans, in Spiritu ſancto ad extirpationem ſchiſmatis, hæreſumq́ue & errorum, nec non ipſius eccleſiæ in capite & in membris debitam reformationem legitimè congregata, ad futuram rei memoriam.

Iuſtitiam & æquitatem exerceri non dubitatur, ſi quos noxiæ voluntatis adeò captiuat peruerſa intentio, quòd proceſſibus Apoſtolicis impudenter obuiare, authoritatem ſanctiones canonicæ contemnentes, in aliorum prolabuntur iniurias, & offenſas, eccleſiaſtica cenſura percellat, & pro demerito culpæ, rigorem adiciat iudiciariæ poteſtatis. Nam ſi quilibet per campum licentiæ, freno depoſito modeſtiæ, vagaretur impunè, facilè quiſque ſæuiret in proximum, & neruus diſciplinantis iuſtitiæ rumperetur. Sanè licet nonnulli Romani Pontifices, antiquos Romanæ Eccleſiæ morem & conſuetudinem obſeruantes, prout ad eos ex debito apoſtolatus ſibi iniuncti officij pertinebat, per certos ſuos proceſſus in die cœnæ Domini annis ſingulis ſolenniter publicantes, inter alios omnes & ſingulos, qui ad ſedem Apoſtolicam venientes, vel recedentes ab ea, nec non in illos omnes & ſingulos, qui per ſe vel per alium ſeu alios, quaſcunque perſonas eccleſiaſticas vel ſeculares, ad Romanam curiam ſuper eorum cauſis & negotijs accedentes, illaq́ue in eadem curia proſequentes, aut procuratores, geſtores, aduocatos & promotores ipſorum, ac etiam auditores ſeu iudices, qui ſuper dictis cauſis, ſeu negotijs deputantur, occaſione cauſarum emergentium huiuſmodi verberant, mutilant, vel occidunt, cuiuſcunque dignitatis, ordinis, conditionis aut ſtatus forent, prædicta vel eorum aliqua committentes, excommunicationis & anathematizationis ſententias, à quibus nullus per alium quàm Romanum pontificem poſſet, prætequàm in mortis articulo conſtitutus, abſolui, nec etiam tunc niſi de ſtando mandatis eccleſiæ ac ſatisfactione præſtanda, ſufficienti cautione præmiſſa, candelis accenſis, & ad terram proiectis, promulgauerant, & eos qui taliter excommunicatis & anathematizatis, vel eorum alicui præſumerent abſolutionis beneficium impendere, ſimilibus ſententijs innodauerunt, eiſque prædicationis, lectionis, adminiſtrationis ſacramentorum eccleſiaſticorum & confeſſionem audiendi interdixerunt officium, nec non quicunque iniuriatores quorumlibet ad ſacra generalia Concilia venientium, ſeu ſtantium in ipſis, aut recedentium ab eiſdem, diuerſas cenſuras eccleſiaſticas & pœnas tam ex canonis, quàm diuini iuris diſpoſitione incurrant: Tamen, ſicut ad noſtram fide dignorum * multitudine valida inſinuatione peruenit notitiam, nonnulli iniquitatis filij, perditionis alumni, huiuſmodi cenſuras vilipendentes, ac huiuſmodi ſacri Concilij, extirpationis ſchiſmatis, hæreſum ac errorum, ipſiusq́ue eccleſiæ reformationis perturbatores, diabolico ſpiritu inſtigante, nec dignitati nec ordini deferentes, Dei timore poſtpoſito, nefarijs ac ſacrilegis auſibus nonnullas perſonas eccleſiaſticas & ſeculares, etiam pontificali dignitate præditas, ad ſedem Apoſtolicam vel Romanam curiam ſeu præſens generale Concilium in ciuitate Conſtantienſi prouinciæ Maguntinenſis, vbi nunc Romana curia exiſtit, in Spiritu ſancto legitimè congregata, venientes aut recedentes ab eiſdem, inuadere, capere, arreſtare, detinere, incarcerare, mutilare, occidere ac ſpoliare bonis ſuis, vel iniurijs affligere quamplurimis, & aliàs malè tractare, temeritate propria præſumpſerunt, & dietim præſumunt, in Apoſtolicæ Sedis & ſacri Concilij vilipendium & contemptum, ac ſedationis ſchiſmatis, reformationis eccleſiæ & correctionis morum, nec non hæreſum & errorum prædictorum extirpationis diſturbium, ſuarumq́ue animarum periculum, & ſcandalum plurimorum. Nos igitur volentes in præmiſſis, nec non aduerſus quoſcunque ad ipſum Concilium & quælibet alia futura generalia Concilia accedentes, aut ſtantes in ipſis, ſeu recedentes ab eiſdem, ne ab alijs Deum non timentibus, temerarijs iniurijs infeſtentur & opprimantur violentijs, & ne quibuſuis delinquendi, aut exceſſus committendi pateat audacia, de opportuno & ſalubri remedio prouidere huiuſmodi, nec non omnes alios & ſingulos alios proceſſus, ſententias & cenſuras aduerſus quarumlibet, perſonarum eccleſiaſticarum, vel ſecularium, ad ſacra generalia Concilia venientium, vel ſtantium in ipſis, ſeu recedentium ab eiſdem, moleſtatores, perturbatores vel iniuriatores, authoritate Dei omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus ſancti extendentes, omnes & ſingulos, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus vel conditionis fuerint, etiam ſi pontificali, imperiali, regali, vel alia quacunque eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate, qui quaſcunque perſonas eccleſiaſticas vel ſeculares, quæ ad huiuſmodi Sedem Apoſtolicam Romanam curiam hoc præſenti ſacro durante Concilio, vel ad ipſum & quæcunque alia generalia Concilia venientes, aut ſtantes in ipſis, aut ab eis recedentes, temeritate propria per ſe vel alium ſeu alios arreſtare, inuadere, capere, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, aut bonis ſuis ſpoliare, vel iniurijs affligere, ſeu ipſos ſic delinquentes receptare, aut aliàs quomodo libet impedire, ſeu ea perpetrantium facta & commiſſa, rata & grata habere, vel eis dare auxilium, conſilium vel fauorem, publicè vel occultè, directè vel indirectè præſumpſerint, vel præſument in futurum, ſimilibus excommunicationis & anathematizationis ſententijs innodamus eo ipſo. Terras quoque ipſorum & cuiuſlibet, qui in præmiſſis vel eorum aliquo tranſgreſſor vel contemptor fuerit, dum tamen vniuſcuiuſque ſic tranſgreſſorum vel contemptorum vltra vnam diœceſim non contineat, nec non omnia, ciuitates, villas, caſtra, oppida, & quælibet alia loca, in quibus huiuſmodi exceſſuum patratores ſeu eorum receptatores, vel ipſis conſentientes, fauentes, aut dantes auxilium, conſilium vel fauorem, publicè morabuntur, nec non illa in quibus huiuſmodi perſonæ, quæ ſic temeritate propria detentæ fuerint, quandiu extiterint in eiſdem, memorata authoritate eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Quod ſi terra eiuſdem duas diœceſes vel ampliùs contineat, dominio domicilij principalis ipſius, & illam etiam in qua fuerit delictum commiſſum, ſi ſua ſit, & duas alias quæ ſub ipſo ſunt, eidem loco magis vicinas, interdicto ſubiacere volumus ſupradicto, & etiam omnes & ſingulos huiuſmodi excommunicationis & anathematizationis ſententijs ligatos, in quibuſlibet eccleſijs, loco vbi tale delictum fuerit perpetratum, vel terris & locis propter hoc interdictis magis conuicinis vbilibet exiſtentibus, omnibus diebus dominicalibus & feſtiuis, pulſatis campanis, candelis accenſis, publicè nunciari, ac terras, ciuitates, villas, caſtra, oppida, &

* multorum

*eccleſiaſtica

loca *Eccleſiaſtico interdicto prædicto ſuppoſita, donec ſic excommunicati, meruerint ab huiuſmodi ſententijs beneficium abſolutionis obtinere, dictumque interdictum debuerit relaxari: ita tamen, quòd nullus ex tranſgreſſoribus ac cōtemptoribus huiuſmodi per alium, quàm per Romanum pontificem vel ſacri Concilij authoritate poſsit, (niſi duntaxat in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando mandatis Eccleſiæ, ſatisfactione vel ſufficienti cautione (ſi hoc commodè facere poſsint) primitus pręſtita, abſolui, vel interdictum huiuſmodi relaxari. Eos verò, cuiuſcunque dignitatis, ordinis, ſtatus vel conditionis fuerint, etiamſi pontificali dignitate præfulgeant, qui contra tenorem præſentium proceſſuum, talibus vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere præſumpſerint, volumus, ſtatuimus & decernimus, ſimilibus excommunicationis & anathematizationis ſententijs fore innodatos eo ipſo, ipſiſque prædicationis, lectionis, adminiſtrationis ſacramentorum & confeſſiones audiendi officium, authoritate interdicimus ſupradicta, inſinuantes trāſgreſſoribus & contemptoribus in prędictis, quòd ſpiritualiter & temporaliter (prout eorum requirent exceſſus & demerita) grauiùs procedetur, non obſtantibus quibuſcunque cōſtitutionibus & quibuſlibet priuilegijs, indulgentijs & literis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, eiſdem trangreſſoribus aut contemptoribus vel quibuſuis alijs, communiter vel diuiſim à dicta ſede conceſſis, etiam quòd ſuſpendi vel excommunicari, aut eorum terræ, dominia, ciuitates, villæ, caſtra, oppida, & alia loca interdici non poſſint, etiam ſi de ipſis & eorum tenoribus eſſet in ipſis proceſſibus mentio facienda ſpecialis, quæ ne contra huiuſmodi ſententias & proceſſus, quo minùs includantur in in eis, per ea valeāt ſe, terras, dominia, ciuitates, villas, caſtra, oppida & loca huiuſmodi tueri, & quæ quo ad hoc, tollimus & penitùs reuocamus. Et inſuper mandamus, vt huiuſmodi præſens proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſiue membranas proceſſus continentes eoſdem, in maiori & ſancti Stephani Conſtantienſis eccleſiarum valuis affigi, qui proceſſus ipſo ſuo quaſi ſonoro pręconio & patulo iudicio publicabunt, vt prædicti quos proceſſus concernent, nullam poſsint excuſationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quòd ad eos proceſſus huiuſmodi non peruenerint, vel ignorauerint eoſdem, cùm non ſit veriſimile, remanere incognitum, quo ad ipſos, quod tam patenter fuit publicatum. Cæterùm omnibus & ſingulis dominis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum ordinarijs præcipimus & mandamus, vt ipſi & eorum quilibet per ſe vel per alium ſeu alios, ſub pœna excommunicationis, quàm ipſorum quemlibet, qui mandatorum noſtrorum huiuſmodi tranſgreſſor & contemptor fuerit, incurrere volumus ipſo facto, præſentes noſtros proceſſus per eorum aut chortarum vel membranarum ſeu tranſumptorum continentiam, eoſdem quibus ſicuti noſtris proceſſibus tantam volumus fidem adhiberi, in eccleſiarum valuis ſeu alijs locis afflictione publicent, & præfatos tranſgreſſores & contemptores huiuſmodi, excommunicationis & anathematizationis ſententijs ligatos, ac terras, ciuitates, caſtra, villas, oppida, & loca præfata huiuſmodi eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita, quàm primùm ipſis vel eorum alicui de hoc legitimè conſtiterit, tam diù in eccleſijs, dominicis, & alijs *feſtis diebus dum inibi fuerit maior populi multitudo, campanis pulſatis, & candelis accenſis & extinctis denuncient, & interdictum huiuſmodi inuiolabiliter obſeruari faciant per cenſuras eccleſiaſticas, & alia iuris remedia, inuocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſecularis, donec ipſi tranſgreſſores & contemptores meruerint ab huiuſmodi excommunicationis & anathematizationis ſententijs abſolutionis beneficium obtinere, dictumque interdictum meritò debuerit relaxari, non obſtantibus omnibus ſupradictis, ſeu ſi aliquibus coniunctim vel diuiſim à ſede prædicta indultum exiſtat, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentonem.

*feſtiuis

Datum Conſtantiæ *ſecundo nonas Iulij, anno à natiuitate Domini milleſimo quadringēteſimo decimoquinto, ſede Apoſtolica vacante, regnorum ſereniſsimi principis domini SIGISMVNDI Romanorum & Hungarię &c. Regis, videlicet electionis quinto, coronationis primo, Hungariæ verò vigeſimonono.

*al. pridie.

De impedientibus Concilium.

Porrò, quia nonnunquàm lingua ſubdola plurimùm impedit & perturbat, falſa vel detractoria ſeminādo, quodque cùm nimis graue ſit, tam grandem Chriſtianitatis impedire profectum, omni animaduerſione ſit dignum, idcirco malignorum conatibus cupiens obuiare dicta ſancta ſynodus, omnes & ſingulos ſub obteſtatione diuini iudicij admonet, ne impedimentum, perturbationem, prorogationem vel diſſolutionem huius ſacri Concilij moliantur. Si quis autem ſcienter animo impediendi vel perturbandi hoc ſacrum generale Concilium verbo, facto, vel literis, palàm vel occultè impedimenta, perturbationem, prorogationem vel diſſolutioné fieri procurauerit, experietur vltione pœnali perpetrati facinoris grauitatem. Et contra eum tanquàm communis pacis perturbatorem, rigidè procedetur, cùm ex hoc hæreſum extirpationem, pacis procurationem, & morum reformationem impedire videatur.

DE FRVCTIBVS BENEFICIORVM PERCIpiendis per ſuppoſita Concilij.

CVm hi qui interſunt in hoc ſacro generali Concilio, pro communi bono totius Eccleſiæ congregato, non debeant minori prærogatiua gaudere, quàm quicunque alij quarumuis eccleſiarum negotijs quibuſlibet vel vtilitatibus intendentes, ideoque tanquàm cauſa Reipublicæ abſentes, debent pro præſentibus meritò reputari ad inſtar ſacri Conſtantienſis Concilij, in quo, modo conſimili extitit ordinatum: præſens Concilium ſtatuit, ordinat, & decernit, quòd omnes & ſinguli qui in eodem Concilio tanquàm ipſius ſuppoſita ſunt recepti, vel recipientur in poſterum, ab eo die quo iter arripuerint ad dictum Concilium veniendi, & quàm diù permanſerint in eodem, & etiam recedentes per tantum tempus, quo ad ſuum poſſint domicilium reuerti, fructus omnium beneficiorum ſuorum cum ea integritate percipiant, cum qua eos perciperent, ſi in ipſis beneficijs reſiderent, non obſtantibus in contrarium quibuſcunque.

De officialibus Concilij.

Quia verò ad proſecutionem huius ſacri Concilij requiruntur Officiales & miniſtri, ideo deputat & ordinat notarios ad ſcribendum acta ipſius Concilij, Lucam de *Vuiſſo ſecretarium dicti domini legati, & Rodulphum Sapientis diœceſis Gebennenſis. Et vt omnia eo decentiùs ordinentur, quo maiori fuerint directa conſilio, deputat & ordinat venerabiles Henricum Nithart decretorum doctorem, & Ludouicum Pariſij Licentiatum in decretis, decanum Eccleſiæ beatæ Mariæ lætæ de Aneſſiaco dictæ Geſiennenſis diœceſis, qui acta Concilij vniuerſa per dictos notarius ſcripta adſpiciant, debiteque (ſi opus ſit) corrigant & emendent. Promotores quoque ipſius Concilij deputat Magiſtrum Nicolaum Amici, magiſtrum in artibus & Licentiatum in Theologia, & Henricum Aneſter Licentiatum in decretis, præpoſitum Turicenſem Conſtantienſis diœceſis, ſediumque ordinatores, qui exiſtentes in Concilio, in locis & ſedibus debitis collocent, quorum ordinationi omnes obedire teneantur, Henricum Stater artium & medicinæ *doctorem, decanum Traiectenſem, & Sanderum de *Marthuſen in legibus baccalaureum, & canonicum Eccleſiæ ſancti Petri Maguntinenſis. Lectis ſiquidem (vt præfertur) decretis, bulla & inſtrumento præinſertis, memoratus dominus Epiſcopus Conſtantienſis conſimili voce, alta videlicet & intelligibili interrogans, ſciſcitatus eſt, an omnia & ſingula per eum ſic (vt præfertur) lecta, ipſi ſacræ ſynodo placerent. Ad cuius interrogationem pręlibatus reuerēdiſſimus pater dominus Cardinalis præſidēs, primò, & deinde cæteri omnes & ſinguli domini prælati, in eadem ſeſſione ac ſacra ſynodo tunc præſentes, concor-

Notarij.

*Viſſo

Notariorum perfecti.

Promotores.

Ordinatores ſediū.

*Medicinæ magiſtrum.

*Martiſhuſen.

diter

diter nullo diſcrepante reſpõderunt viua voce, Placet. Quibus præmiſſis ſic peractis præfati dictæ ſacroſanctæ ſynodi promotores, ſiue procuratores ſuprà deputati, petierunt, & quilibet ipſorum petijt, per nos protonotarios, notarios, & ſcribas, ad hoc ſuprà deputatos, fieri & confici de præmiſſis omnibus & ſingulis vnum vel plura publica inſtrumenta, in teſtimonium veritatis præmiſſorum & ad perpetuam rei memoriam. Datum Baſileæ decimonono Calendas Ianuarij, anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo.

SESSIO SECVNDA.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, eccleſiam militantem repręſentans, ad perpetuam rei memoriam. Ad laudem Dei omnipotentis, ac benedictæ indiuiduæque Trinitatis gloriam & honorem, pro hæreſum atque errorum extirpatione, morum in capite & in membris Eccleſiæ Dei reformatione, ac regum & regnorum cæterorumque Chriſticolarum adinuicem, authore diſcordiarum procurante, diſſidentium pacificatione, in Spiritu ſancto legitimè congregata, decernit, ſtatuit, diffinit, declarat, & ordinat, vt ſequitur:

Decretum, quòd Concilium Baſileenſe eſt legitimè inchoatum.

Et primò, quòd eadem ſacra Baſileenſis ſynodus, ſacris Conſtantienſi & Senenſi Concilijs generalibus decernentibus atque ordinantibus, & authoritate Apoſtolica interueniente, fuit & eſt in hoc loco Baſileenſi debitè legitimeque ac ritè initiata & congregata. Et ne de eiuſdem ſacræ Baſileenſis ſynodi poteſtate à quoquam dubitetur; ipſa eadem ſynodus duas declarationes ex decretis ſynodi Cõſtantienſis in præſenti ſeſſione, alijs ſuis decretis editis ſeu edendis inſerendas, ordinat & decernit, quarum quidem declarationum tenor primæ ſequitur, & eſt talis:

Decretum, quòd Concilium Generale eſt ſuper Papam in his, quæ fidei, & ſchiſmatis ſunt, &c.

Quomodo, cur, & quando hoc verificetur vide præſertim D. Turrecrematam in ſua ſumma de Eccleſia lib. 2. & ob id incipit à Conciliorũ natura deuiare, & in errores prolabi, & meriti à Leone X. Cõuenticulus nuncupatur. Erronea declaratio.

Et primò declarat, quòd ipſa ſynodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, & Eccleſiam militanté repræſentans, poteſtatem immediatè à Chriſto habet, cui quilibet cuiuſcunq; ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & ad generalem reformationem eccleſiæ Dei in capite & in membris. Alterius verò tenor ſequitur in hæc verba.

Quòd inobedientes Concilio, puniantur.

Item, declarat, quòd quicunque cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus aut præceptis huius ſacræ ſynodi & cuiuſcunque alterius Concilij generalis legitimè congregati, ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentię ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia (ſi opus fuerit) recurrendo. Præmiſsis igitur & nonnullis alijs Conſtantienſis Concilij, præſertim capituli quod incipit, Frequens, in priori huius ſacræ ſynodi Baſileenſis ſeſſione recitati, decretis attentis, prælibata ſynodus Baſileenſis decernit & declarat, quòd ipſa pro hæreſum extirpatione ac morum generali reformatione eccleſiæ in capite & in membris, necnon pace inter Chriſtianos procuranda (vt præmittitur) in Spiritu ſancto legitimè congregata, per nullum quauis autoritate, etiam ſi papali dignitate præfulgeat, diſſolui, aut ad alium locum transferri, ſed ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debet aut poteſt, debebit aut poterit in futurum, abſque eiuſdem ſynodi Baſileenſis deliberatione & conſenſu.

Obſtinata erroris proſequutio.

Quòd perſonæ Concilij non debeant extra Concilium trahi, vel impediri.

Item diffinit, ordinat & decernit hæc ſancta ſynodus, quòd nulla perſona, cuiuſcunque ſtatus dignitatis ſeu conditionis fuerit, in eadem ſynodo actu exiſtens aut futura, eidem incorporata vel incorporanda, à tempore arrepti itineris ad ipſam ſanctam ſynodum ſine fraude continuati, ad recedendum ab eadem, à quoquã quauis authoritate, etiam ſi papali dignitate pręfulgeat, directè vel indirectè in læſionem ſeu perturbationem dictæ ſanctæ ſynodi, inuita ſine deliberatione & conſenſu ipſius ſanctæ ſynodi requiri, moneri, compelli, citari, euocari ad alium locum, etiam curiam Romanam valeat, ſeu ne ad eandem ſanctam ſynodum veniat, poſſit aut debeat quomodolibet impediri. Si autem quoquam quauis authoritate, etiam ſi papali dignitate præfulgeat (vt præmittitur) in contrarium attentatum fuerit, ſeu attentaretur in futurum, aut proceſſus pœnales vel mandata, etiam cenſuras eccleſiaſticas ſeu tranſlationes prælatorum inuitorum, vel priuationes aut inhabilitationes eorundem ſeu aliorum beneficiatorum quorumcunque, aliasve quaſcunque pœnas continentes, vt ab eadem ſancta ſynodo recedant, vel non accedant ad eandem, aut eidem non adhæreant, fulminati fuerint, fulminentur, aut fulminarentur in futurum, totum ſit irritum & inane, nec eiſdem pro ceſſibus, cenſuris ac pœnis, tanquàm irritis & inanibus quomodolibet obediendum fore, prædictoſque proceſſus & cenſuras, cum omnibus inde ſecutis & ſecuturis, quatenùs de facto proceſſiſſent, aut procederent in futurum, caſſat, & irritat, & annullat, & pro caſſis, irritis atque nullis habendos decernit, diffinit, ordinat & declarat.

Irritum, & inane eſt quod hic decernitur rationibus ſupradictis, ſtructura quaelibet nãq; ſuper arenam labitur poſita.

Quòd hi qui tenentur intereſſe Concilio, non recedant ſine licentia.

Item, decretis ſacri Concilij Conſtantienſis inhęrendo, ſtatuit, ordinat & decernit, quòd prælati & alij qui tenentur huic ſacro Concilio intereſſe, ab hoc loco ante finitum Concilium, niſi ex cauſa rationabili per deputatos ſeu ab hoc ſacro Concilio deputandos examinanda, non recedant. Qua quidem cauſa examinata & legitimè approbata, poſſint recedere de licentia illius vel illorum, qui pro tempore habẽt vel habebũt authoritatem, Et tunc taliter recedens, teneatur dimittere alijs in loco remanentibus ſuam poteſtatem, ſub pœnis iuris per hoc ſacrum Concilium indicendis, & in facientes contrarium exequendis.

Item quia plures promotores in eadem ſancta ſynodo, & etiam notarij ad conſcribendum acta eiuſdem ſunt neceſſarij, citra aliorum per ipſam ſanctam ſynodum in ipſius prima ſeſſione deputatorum reuocationem, magiſtros * Ademarium de Roſſilione Licentiatum in decretis, Archipresbyterum Viuarienſem & Canonicum Lugdunenſem, Henricum de Behenheym Licentiatum in decretis, officialem Baſileenſem promotores, & Petrum Bruneti baccalaureum in decretis, Canonicum Atrebatenſem, notarium eiuſdem ordinat & deputat.

Promotores alij.

* Ademarum

Datum in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi in Eccleſia maiore Baſileenſi ſolenniter celebrata, decimoquinto Calendas Martij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo ſecundo.

SESSIO TERTIA.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Olim ſacrum Conſtantienſe Concilium volens futuris Eccleſiæ neceſſitatibus prouidere, matura deliberatione ſtatuit & decreuit, vt poſt finé ipſius Concilij in quinquennium, deinde in ſeptennium, & poſteà perpetuò futuris temporibus de decennio in decẽnium, generale Concilium celebretur, cuius decreti vigore felicis recordationis Martinus Papa Quintus, ipſo Conſtantienſi approbante Concilio, ſtatuit in ciuitate Papiẽſi proximum tunc Concilium celebrari, quod ibidem cœptum fuit, & de conſenſu & approbatione ipſius Concilij, ad ciuitatem Senenſem tranſlatum. In quo Senenſi Concilio fuit electa hæc Baſileenſis ciuitas, pro futuro tunc Concilio in ſeptennium celebrando. Appropinquante autem fine ipſius ſeptẽnij, præfatus Papa Martinus volens decreto Cõſtantienſis & ordinationi Senenſis Conciliorũ ſatisfacere, vt debe-

bat, reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, dominum Iulianum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſancti Angeli diaconum Cardinalem, ſedis Apoſtolicæ deſtinauit legatũ, cum plena poteſtate idem Concilio vice & authoritate ſedis Apoſtolicæ præſidendi. Quod etiam ſanctiſſimus dominus Papa Eugenius Quartus ratum habuit & approbauit. Proinde hoc ſacrum generale Concilium in Spiritu ſancto legitimè congregatum, prouida & matura deliberatione

Hæreſis Huſſitica.

conſiderans, hæreticam peſtem in partibus Bohemiæ nimis ſęuire crudeliter, quæ Dei occulto iudicio, bello pluries attentato non potuit ſuperari, atque quòd in diuerſis mundi partibus, clàm hæretica peſtis pullulat atque ſerpit, quodq́; proh dolor multas Chriſtianas prouincias bellorum

Bella. Mores deprauati.

deſecat rabies & deuaſtat, morumq́; nimia deformatio diuinam maieſtatem offendit tantis & tam peſtiferis malis, omnipotentis Dei gratia largiente, ad extirpationem hæreſum, pacemq́ue in Chriſtiano populo componendam, & reformationem generalem Eccleſię Dei in capite & in membris ſtudiosè occurrere, & ſalutaribus remedijs prouidere, diſpoſuit, & vt hæc ad optatos fines cómodiùs duci poſſent, conſiderans hæc ſancta ſynodus præſentiam ſummi Pontificis, reuerendiſſimorumq́ue Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalium in ipſo Concilio eſſe accommodam & multimodè fructuoſam, venerabilem virum magiſtrum Ioannem Pulchripatris, ſacræ Theologiæ profeſſorem, ad ſanctiſſimum dominum Eugenium ſummum Pontificem deſtinauit, atque ad præfatos reuerendiſſimos dominos Cardinales, præfatum ſanctiſſimum dominum Papam exorando & ſupplicando, vt huc (ſi commodè poſſet) perſonaliter accederet, ipſiq́; ſacro Concilio fauoribus & auxilijs aſſiſteret opportunis. Denuoq́ue venerabiles viros Iacobum Sirik ſcholaſticum Treuirenſem, & Thomam * Fieno decretorum doctorem, ſuos pro eadem cauſa Oratores ad eundem dominum Papam & dominos Cardinales tranſmiſit.

* Fiene
Oratores ad Papam deſtinati.

Cùm autem ad notitiam ipſius Concilij perueniſſet, pręfatum dominum Papam ex ſiniſtra informatione motum, diſſolutionem ipſius Concilij attentaſſe, quę quidem diſſolutio in periculum euerſionis fidei cederet euidenter, necnon Eccleſiæ Dei graue ſcandalum, ad eundem dominum Papam atque reuerendiſſimos dominos Cardinales, ſuos deſtinauit protinùs oratorés, reuerendum patrem dominum Ludouicum de

Oratores alij.

Palude Epiſcopum Lauſanenſem, & magiſtrum Henricum Stater decanum Traiectenſem, ad ſupplicandum, inſtãdum & requirendum præfatum dominum Papam, vt ipſam diſſolutionem reuocare dignaretur, huicq́; ſacro Concilio in tam laudabilibus operibus ſuffragaretur auxilijs & conſilijs opportunis.

Decernitur, diſſolutionem Concilij nullatenùs fieri poſſe.

Conſideranſque hæc ſancta ſynodus, præfatam diſſolutionem Concilij contra decreta Conſtantienſis Concilij eſſe factam, tendereque in euerſionis fidei graue periculum, & ſtatus eccleſiaſtici turbationem & detrimentum, atque ſcandalum totius populi Chriſtiani, eandem diſſolutionem decreuit nullatenùs fieri potuiſſe: quinimò, ipſa minimè obſiſtente, ad proſequutionem eorum quæ pro fidei ſtabilitate & ſalute Chriſtiani populi laudabiliter ſunt incepta, eſſe cum Spirituſſancti gratia procedendum. Verùm cùm redeuntibus præfatis Epiſcopo Lauſanenſi & decano Traiectenſi, optata reſponſio à ſanctiſſimo Domino Papa non fuerit reportata, licet non ſolùm à prædictis Concilij oratoribus ipſius Concilij nomine, ſed etiam à ſereniſſimo domino Sigiſmundo rege Romanorum fideli Eccleſiæ aduocato, præfatus ſanctiſſimus dominus Papa ſupplicatus, interpellatus, requiſitus, rogatus fuerit, & totis niſibus, multiplicatis vicibus obſecratus, idcirco hæc ſancta ſynodus innitens decretis ſacri Conſtantienſis Concilij, quorum verba hæc ſunt: Quòd ſancta ſynod⁹ in Spiritu ſancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.

Monitio contra Papam.

Item declarat, quòd quicunque, cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus aut præceptis huius ſanctæ ſynodi aut cuiuſcunque alterius Concilij generalis legitimè congregati ſuper præmiſsis, ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia, (ſi opus fuerit) recurrendo. In hac ſolenni ſeſſione ipſum ſanctiſsimum dominum Papam, nec nó reuerédiſsimos dominos Cardinales modo & forma infrà ſcriptis interpellare decreuit. Hæc igitur ſancta ſynodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, prædictum beatiſsimũ dominum Papam Eugenium cum omni reuerentia & inſtantia ſupplicat, & per viſcera miſericordię Ieſu Chriſti exorat, requirit, & obteſtatur, ac monet, quatenùs prætenſam diſſolutionem, ſicut de facto proceſsit, de facto reuocet, & ipſam reuocationem, quemadmodum & diſſolutionem fecit, per diuerſas mundi partes tranſmittat & publicet, ab omniq́ue impedimento dicti Concilij penitùs deſiſtat. Quinimò eidem (vt debet) faueat & aſſiſtat, omniaque præbeat ſubſidia & auxilia opportuna, necnon infra triũm menſium ſpatiũ, quod ad hoc pro termino peremptorio præfigit & aſſignat, ſi corporalis ipſius diſpoſitio patiatur, perſonaliter veniat. Sin autem, perſonam vel perſonas loco & vice ſui deſtinet & tranſmittat cum plenaria poteſtate, ad omnia & ſingula in hoc Concilio peragenda vſque ad totalem ipſius concluſionem, per omnes & ſingulos actus gradatim & ſucceſsiuè: Alioqui ſi hæc ſanctitas ſua facere neglexerit, quod de Chriſti vicario non eſt aliqualiter ſperandum, ſancta ſynodus (prout iuſtum fuerit, & Spiritus ſanctus dictauerit) neceſsitatibus Eccleſiæ prouidere curabit, & procedet, ſecundum quòd iuris fuerit diuini pariter & humani. Similiter præfatos reuerendiſsimos dominos Cardinales, qui tanquàm principales Eccleſiæ Dei cardines ad hæc feruentiùs intendere debent, exorat, requirit, obteſtatur & admonet, quatenus cum præfato domino Papa ſuper prædictis ſolicita inſtantiam faciant, huicq́ue ſacro Concilio faueant, aſsiſtant, & auxilientur modis omnibus opportunis. Et cùm præſentia ipſorum, pro eorum authoritate magnaq́ue prudentia & experientia rerum, ſit huic ſacro Concilio plurimùm opportuna, ipſos dominos Cardinales & quemlibet eorum requirit, monet, & citat, quatenùs infra ſpatium trium menſium ab intimatione præſentium (quem terminum pro trina ac canonica monitione præciſè & peremptoriè præfigit & aſsignat) ad dictum ſacrum Concilium Generale veniãt, canonico impedimento ceſſante: alioquin, cùm eorum negligentia ad ipſum ſacrum Generale Concilium veniendi, vt tantis neceſsitatibus Eccleſiæ ſuccurratur, in periculum grauis iacturæ fidei Catholicæ, totiusq́; Eccleſiæ detrimentum cenſeatur proculdubiò redundare: hæc ſancta ſynodus, lapſo termino ſupradicto, contra eos qui venire neglexerint, eorum exigente contumacia, procedet, prout diuini pariter & humani dictauerit & permiſerit ordo iuris, & neceſſitatibus Eccleſiæ altiſſimo largiente prouidere curabit. In præmiſſis autem dicta ſynodus reuerendiſsimum dominum Cardinalem ſanctę Crucis quandiù tractatibus pacis regnorum Franciæ & Angliæ inſiſtet, includere non intendit, atque quo ad reuerendiſsimos dominos Cardinales, Placentinum & de Fuxo vulgariter nominatos, & Cardinalem Sancti Euſtachij, cùm in propinquioribus locis exiſtãt, ad duorum ſpatium menſium reſtringit terminum ſupradictum. Mandat inſuper hęc ſancta ſynodus vniuerſis & ſingulis dominis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs eccleſiarũ prælatis, clericiſq́;, notarijs & perſonis eccleſiaſticis, necnon alijs Chriſti fidelibus, cuiuſcunq; ſtatus dignitatis, gradus & conditionis exiſtant, omneſq́; & ſingulos principes & dominos, etiamſi imperiali, regali, ducali, ſeu quauis alia præfulgeant poteſtate, requirit & rogat, qui pro præmiſſis fuerint requiſiti, ſeu requiſitus, in virtute ſanctæ obedientię ac obteſtatione diuini iudicij, & ſub pœna excómunicationis, quatenùs prædicta omnia & ſingula dicto ſanctiſſi-

mo do-

mo domino Papæ, atque reuerendiſſimis dominis Cardinalibus inſinuent, intiment, & notificent, ac intimari & inſinuari, ſeu notificari faciant perſonaliter eiſdem, ſi ad eos totus & accommodus pateat acceſſus. Sin autem, ei vel illis ad quos perſonaliter accedendi facultas non ſit, in eorum habitationibus, nec non in porta palatij Apoſtolici & in Eccleſijs Sancti Ioannis Lateranenſis, Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ Maioris de vrbe, copias per publicum notarium confectas affigendo, ſi hoc tutè fieri poſſit. Sin autem, in principalibus eccleſijs ciuitatum Sutrinæ, Viterbij & Senenſis, vel aliarum trium ciuitatum vicinarum, de quibus fuerit benè viſum. Quæ quidē loca hæc ſancta ſynodus decernit, eſſe idonea pro executione omnium præmiſſorum. Et nihilominus hæc ſancta ſynodus futuris cupiens obuiare caſibus, vt omnis euitetur diſpendioſus circuitus, cùm rebus de quibus agitur, ſupra modum periculoſa ſit mora, ordinat & decernit, huiuſmodi admonitionis & citationis decretum, poſtquàm in hac ſolēni ſeſſione lectum fuerit & publicatū, eccleſiæ cathedralis Baſileenſis valuis affigi, vt ſi fortè cōtingat ipſius intimationem exequi nō poſſe modo aliquo præmiſſorum, eo caſu ex nunc tanquàm publico edicto, ad quatuor menſium ſpatium ab hac die in anteà computandum, cenſeatur quo ad omnes eius effectus, facta inſinuatio, monitio & citatio, ſicque ſuos omnes effectus ſortiri & arctare eos quibus dirigitur, decernit, ac ſi perſonaliter inſinuatum & præſentatū fuiſſet, viribus peremptorijs & cōminationibus ſupraſcriptis hîc habitis pro inſertis. Inſuper hæc ſancta ſynodus declarat & proteſtatur, quod nihilominùs prędictis dilationibus pendentibus, cùm iam præceſſerit à iure vocatio ex decreto Concilij Conſtantiēſis rerumq; neceſſitas id ſuadeat, & qualitas agendorū in vlteriore proſecutione Concilij & agendis in eo, procedere intendit ordinatè, debitè ac maturè, nec propterea ſuperſedere aliqualiter in proceſſu. Tandem hæc ſancta ſynodus decernit citationes cōtra omnes prælatos & alios, qui ad Generale Concilium venire tenentur, omneſq; & ſingulos Generales ordinuꝫ quorumcunque, ac etiam inquiſitores hæreticæ prauitatis; ſub dilatione termini, ſeu terminorum, de quibus deputatis fuerit benè viſum, cum pœnis & cenſuris & clauſulis opportunis. Datum Baſileæ in ſeſſione publica ſanctæ ſynodi Baſileenſis, celebrata in Eccleſia maiori huius ciuitatis, ſub ſigillo eiuſdem ſanctæ ſynodi, ſub anno à natiuitate Domini milleſimo quadringēteſimo trigeſimoſecundo, indictione decima, die verò Martis 29. Menſis Aprilis, præſentibus notarijs & ſcribis huius ſanctæ ſynodi ſupraſcriptis.

Notarij alij noui.

Item quia plures notarij & ſcribæ ad conſcribendum acta huius ſacri Concilij ſunt neceſſarij, hæc ſancta ſynodus, citra tamen aliorum notariorum per ipſam aliàs conſtitutorum reuocationem, venerabiles viros magiſtros Bartholomæum de * Lucgniano ciuem Senenſem, & Thomam Cheſneloti baccalaureum in decretis Rhemenſis diœceſis, notarios eiuſdem deputat & ordinat. Datum Baſileæ in &c. vt ſtatim ſuprà.

*Lutignia

SESSIO QVARTA.

Saluus conductus Bohemorum.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Tenore præſentium ſignificamus vniuerſis, quòd omnibus & ſingulis ſacerdotibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus, & alijs quibuſcunque viris, cuiuſcunque ſtatus, conditionis aut qualitatis exiſtant, de regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ, de Praga & ciuitatibus, ac alijs locis eorundem, & omnibus alijs eccleſiaſticis & ſecularibus perſonis, qui aut quæ vnà cum ipſis ad generale Baſileenſe Concilium mittentur, ac profecturi exiſtunt, omnibus eorum perſonis, quocunque nomine cenſeantur, aut valeant nuncupari, infra tamen numerum ducentarum perſonarum, tenore pręſentium, noſtrum pleniſſimum ac perfectum ſaluum conductum concedimus atque damus, veriſſimamq́ue ſecuritatem veniendi ad hanc ciuitatem Baſileenſem: ibidemq; manendi, ſtandi, morādi, nobiſcumq; de quibuſuis negotijs opportunis ipſis commiſſis tractandi, placitandi, diſponendi, concludendi, & terminandi impartimur: ac in loco vel in locis hoſpitiorum ſuorum diuina officia ſine impedimento noſtrorum peragere permittimus, ſic etiam, vt propter illorum præſentiam neque in itinere, neque in alio loco itineris in cundo, manendo aut redeundo, neque in ipſa ciuitate Baſileenſi à diuinis officijs ceſſetur, quouis modo per modum interdicti. Cæterùm in Generali Concilio ſeu ſynodo Baſileenſi articulos quatuor, pro quorum claritate inſtāt, oretenus aut in ſcriptis liberè poterunt offerre, aut propalare, ſcripturis ſacris beatorumq́ue doctorum verbis, ſententijs & rationibus eos declarare, adſtruere, & perſuadere, & ſi opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij Generalis reſpondere, aut cum aliquo vel aliquibus de Concilio ſuper eiſdem diſputare, aut charitatiuè abſque omni impedimento conferre, opprobrio, conuicio aut contumelia procul motis, ſeruatis forma & modis inter noſtros legatos & nuncios prædictorū regni & Marchionatus in Egrenſi ciuitate ſpecificatis & vniformiter concluſis: & ſignanter, quòd in cauſa quatuor articulorum per eos attentorum, lex diuina, praxis Chriſti Apoſtolica & Eccleſiæ primitiuæ vnà cum Concilijs Doctoribuſque fundantibus ſe veraciter in eadem, pro veriſſimo & indifferente iudice in hoc Baſileenſi Concilio admittentur. Et illis peractis vel non peractis, quandocunque de mandato aut conſenſu ſuorum maiorum ad propria reuerti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox abſque vlla renitentia, occaſione & mora, ſaluis rebus illorum & ſuorum pariter honore & perſonis, vice verſa poterunt vel poterit iuxta beneplacitum liberè & ſecurè redire, de ſcitu tamen deputandorum per Concilium, vt pro tunc opportunè ſecuritati eorum prouideatur ſine dolo & fraude. Nihilominùs in hoc eorum ſaluo conductu omnes quaſcunque clauſulas includi ac contineri volumus, ac pro incluſis haberi, quæ pro plena & efficaci & ſufficienti ſecuritate in eundo, ſtando, ac redeundo neceſſariæ ſunt & opportunæ, hæc notanter propter bonum pacis procurandum & obſeruandum luculenter expreſſantes. Quod ſi quiſpiam aut aliqui ex illis, ſiue in itinere ad nos in Baſileam veniendo, ſiue ibidem demorando aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerit aut egerint, per quod poſſet aſſecurationis eorum beneficium eis aut eorum alicui conceſſum, annullari aut caſſari: volumus etiam, ac admittimus, & concedimus, vt talis vel tales in facinore huiuſmodi deprehenſi vel deprehenſus ab ipſis duntaxat, & non ab alijs, condigna animaduerſione cum emenda ſufficienti, per partem noſtram meritò approbanda & laudanda, mox puniatur aut puniantur, illorum aſſecurationis forma, conditionibus & modis omninò manentibus illibatis. Et pariformiter, ſi quiſpiam vel aliqui ex noſtris, ſiue in itinere ad nos in Baſileam veniendo, ſiue ibidem demorando, aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerit aut egerint, per quod poſſet aſſecurationis ipſorum beneficium eis aut alicui eorum conceſſum, annullari aut caſſari: volumus, vt talis vel tales in facinore huiuſmodi deprehenſi, à nobis aut à noſtris duntaxat, & non ab alijs, condigna animaduerſione, cum emenda ſufficienti, per partem dominorum ambaſiatorum & nunciorum meritò approbanda & laudanda, mox puniatur aut puniantur, præſenti aſſecurationis forma, conditionibus & modis omninò manentibus illibatis. Volumus etiam, quòd liceat ipſis ambaſiatoribus omnibus & ſingulis, toties quotieſcunque opportunum fuerit ſeu neceſſarium, ad auram capiendam exire de ciuitate Baſileenſi, & reuerti ad eandem, necnon nuncium vel nuncios ſuos ad quæcunque loca pro ſuis neceſſarijs negotijs ordinandis liberè mittere ſeu deſtinare, ac ipſo miſſos ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere toties quoties eis videbitur expedire, ita quòd aliqui vel aliquis per deputandos Concilij ſocientur, qui eorum ſecuritati prouideant, vel prouideat. Inſuper nec in ſermonibus, ſeu prædicationibus publicis aut alijs collationibus, in præiudicium, derogationem ſeu deteriorationem cauſæ ipſorum quatuor articulorum, pars noſtra terminis quibuſlibet, in confuſionem vergentibus, poterit aut debebit vti & potiri in loco ciuitas Baſileenſis. Qui quidem ſaluus conductus & ſecu-

ritates

:itates ſtare ac durare debent & à tempore, & per tempus, quo in noſtræ & noſtroruum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & vſque ad Baſileam perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem, & rurſum poſt ſufficientem audientiam habitam, ſpatio viginti dierum præmiſſo, cùm ipſi petierint, aut Concilium habita huiuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, à Baſilea vſque in Tuſtan, * Tatoniam, aut Engliſpurg, in quem ex locis iſtis maluerint, Deo fauente reſtituemus, dolo & fraude prorſus excluſis. Etiam pro vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, & ſpecialiter pro ſanctiſsimo domino Romano Pontifice, pro sereniſſimo Principe domino Sigiſmundo Romanorum &c. Rege, ac venerabilibus dominis Cardinalibus, Achiepiſcopis & Epiſcopis, ac dominis Abbatibus, prælatis & clericis, necnon illuſtriſſimis Principibus, Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & nobilibus militibus, vniuerſitatibus & communitatibus ciuitatum, caſtrorum, & villarum, earumq́ue conſulibus, ſcabinis, officialibus, & alijs cuiuſcunque conditionis & ſtatus, eccleſiaſtici, vel ſecularis exiſtant, quocunque nomine cenſeantur, & pro ſubditis omnium præmiſſorum, & pro tota parte eorundem promittimus bona fide & ſpondemus, quòd nos omnes & ſinguli prædicti præſcriptam aſſecurationem & ſaluiconductus eorum formam, in omnibus ſuis conditionibus, punctis & clauſulis ſuperiùs expreſſatis, inuiolabiliter & inconcuſsè bona fide & puro corde obſeruabimus & cuſtodiemus, obſeruabunt & cuſtodient. Inſuper promittentes ſine fraude & quolibet dolo, quod nolumus, neque debemus occultè vel manifeſtè, quacunque occaſione prætenſa, vti aliqua authoritate vel potentia, iure, ſtatuto vel priuilegio legum vel canonum, & quorumcunque Conciliorum, ſpecialiter Conſtantienſis & Senenſis quacunque forma verborum expreſſa, in aliquod præiudicium ſaluoconductui, ſeu aſſecurationi ac publicæ audientiæ, ipſis per nos conceſſæ vel conceſſo. Quòd ſi nos aut aliquis ex nobis, vel noſtris, cuiuſcunque conditionis vel ſtatus aut præeminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & ſaluiconductus formam & modum, in quocunque puncto vel clauſula violauerit, (quòd tamen auertere dignetur omnipotens) & ſufficiens emenda non fuerit mox ſubſecuta, & ipſorum arbitrio meritò approbanda & laudanda, habeant nos & habere poterunt incidiſſe in omnes pœnas, quas iure diuino & humano, aut conſuetudine, huiuſmodi ſaluorum conductuum violatores incurrere poſſunt, abſque omni excuſatione, aut quauis in hac parte cõtradictione. Datum in ſeſsione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi celebrata, duodecimo Calendas Iulij, anno à natiuitate domini milleſimo quadrigenteſimo trigeſimoſecundo.

EPISTOLA BOHEMIS MISSA SVPER CONcluſione in Egra facta, in quarta publica ſeſſione lecta.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalē Eccleſiam repręſentãs, vniuerſis viris eccleſiaſticis, nobilibus & toti populo regni Bohemiæ, vnitatem & pacem in Chriſto Ieſu noſtro domino. Pridiè oratores noſtri ex oppido Egra ad nos reuerſi, & ibidem cum nuncijs veſtris concluſa ſeriosè referentes, magno gaudio hanc ſanctam ſynodum repleuerunt. Aſſerunt enim, cum tanta charitate & manſuetudine, hoc ſacrum vnionis negotium fuiſſe tractatum, vt non aliud exiſtimemus, quàm Spiritum ſanctum pacis & vnitatis authorem in medio interueniſſe. Concepimus ex his, quæ referunt, magnam ſpem futuræ vnionis & indiſſolubilis inter nos charitatis. Pro qua re (ſicut dignum eſt) ipſi Spirituiſancto, cuius munere hoc factum eſſe non dubitamus, gratias ex toto corde retulimus, eleemoſynas, ieiuniaq́ue & orationes ſolennes indiximus, & vbique vſque ad rem optatò fine concluſam, indici faciemus. Laudamus & benedicimus dominum, qui tam lætam nobis præbuit diem, qua nullam adhuc ſenſimus lætiorem, poſtquàm hunc locum attigimus. Parari enim ſemitam videmus ad magnam Dei gloriam & grandem populi Chriſtiani profectum. Nemo noſtrũ fuit, dum ipſi oratores ſingula vobiſcum acta recenſebant, qui vel oculis vel corde nõ fleret. Commouebantur inuſitato gaudio viſcera audientium, rem tam concorditer fuiſſe concluſam, ſperantiumq́; poſt hanc aliam multò lætiorem diem adhuc ſucceſſuram Exultemus igitur, & iubilemus inuicē Deo ſalutari noſtro, qui recordatus miſericordiæ ſuæ, incipit plebem ſuam tanta cum lætitia viſitare. Leuemus manus noſtras ad cœlum, glorificãtes dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quia pacem, quam quotidiè diebus noſtris eccleſiæ dari petimus, iam appropinquare videmus. Magnificemus Spiritum paracletum qui animos paulò antè diſſidentes, in hanc ſpem pacis repentè conuertit. Sed ſi pro hac ſpe tantum gaudij ſuſcepimus, quàm magna & inenarrabilis erit illa lætitia tã noſtra quàm veſtra, quando optatum pacis & vnitatis finem re ipſa intuebimur? Vt autem recognoſcatis, quantum hæc res nobis eſt cordi, ipſis noſtris nuncijs in communi congregatione auditis, formam ſaluiconductus & ea, quæ cum veſtris ambaſiatoribus cõcluſerunt, nihil addito vel retracto, hæc ſancta ſynodus vnanimi omnium conſenſu approbauit. Et ecce ipſum ſaluum conductum in publica ſeſſione decretum, de verbo ad verbum, quemadmodum in Egra * conditus fuerat, ad vos deſtinamus. Miſimus etiam, vt nil ex parte noſtra deſit, fratrem Ioannem de Mulbruno, vnum ex nuncijs noſtris, qui in Egra fuerãt, ad sereniſſimum Principem dominum Regem Romanorum, vt ab eo ſaluum conductum in ea qua optatis, forma obtineat. Quē vt primũ habuerimus, ad vos ſine mora trãſmittemus, parati ſemper agere omnia, quę pro veſtra tutela & libera audientia neceſſaria videbuntur. Vtinam ſicut fas eſt nobis verba exprimere, ita mentes noſtras in publicum exhibere poſſemus. Vtinam ſicut hanc epiſtolam lecturi eſtis, ita corda noſtra palàm inſpicere poſſetis. Profectò non dubitamus, quin cognita noſtra in vos ſumma charitate, mox ſine vlteriori tractatu in vnitate ſpiritus connecteremur. Et quoniam ſaluatoris noſtri ſententia eſt, non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit: vos omnes per Spiritum ſanctum huius ſacri negotij directorem hortamur & obſecramus, vt quemadmodum rem ipſam feruenter inchoaſtis, ita firmiter conſtanterq́ue vſque ad veræ vnionis complementum perſeueretis. Speramus in Chriſto Ieſu videre diem, & iam propè eſt fortè, quo alter alterum fraterna charitate nos inuicem complectemur, & vnanimes in eadem Sanctæ Matris Eccleſiæ domo cum iocunditate perpetuò habitabimus. Confidimus in Domino tantam adhuc inuicem futuram dilectionem, vt nullum inter nos fuiſſe olim diſpendium videatur. Et quanquàm nondum hæc ſancta vnio, pro qua laboramus, completa ſit, tamen ipſe Spiritus ſanctus tantam huius rei ſpem & affectũ cordibus noſtris impreſſit, vt quod futurum eſt, iam quodammodò in foribus adeſſe credamus. Vos corpore abſentes eſtis, ſed ob hanc ſpem in viſceribus charitatis, & vinculo veræ dilectionis, quaſi præſentes amplectimur, & præ gaudio noſipſi flentes, tanquàm mater filium ex longinqua patria redeuntem, vos tenerrimè oſculamur. Iam igitur quaſi arram proximæ mutuæ vnitatis pepigiſſe videmur, & vos dudum futuros, noſtros dilectiſſimos fratres iam eſſe exiſtimamus. Talia enim ipſe Spirituſſanctus initia dedit, vt non aliud quàm pacem, charitatem & vnitatem hinc * attingere ſperemus. Læto ergo animo vtrique ſimus, & iocunda mente inuicem viuamus, cùm propè in ianuis gaudium, quod nemo tollet à nobis, per Spiritum ſanctum accepturi ſimus. Sed vt citiùs faciliusque conſequamur, vigilemus ſupplices in orationibus, & continuis precibus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum deuotis mentibus exoremus, vt quod operari incepit, confirmet atque perficiat. Hora iam eſt, vt ſancta mater Eccleſia, quæ pro tam duro filiorum ſuorum diſſidio diù * conſternata eſt, pro pace & vnitate lętari & exultare incipiat, luctumq́ue præteriti temporis conuertat in gaudium. Tempus iam aduenit, vt qui eodem Chriſti charactere inſigniti ſunt, & eodem baptiſmatis fonte renati, depoſita omni diſſenſione, eundem charitatis, & vnitatis Spiritum induant, & ad augmentum gloriamq́ue nominis Chriſtiani totis viribus intendant, fidemque orthodoxam protegere curent, quam infideles pagani multis in locis ignominiosè peſſundant, &

extin-

Pſal. 94.

*conditū

Matth. 10. & 24.

*contingere

*contriſtata

extinguere moliuntur. Eia igitur cùm noſtræ dilectionis & ſyncerę voluntatis iam certi ſitis, amodò veſtros legatos pręparate, quales in primis literis poſtulauimus, vt cũ regius ſaluus conductus aduenerit, cum pleno mandato ad hoc ſacrum Concilium proficiſcantur. Quos ita gratè benigneq́ue ſuſcipiemus, vt à parentibus filij ſuſcipi conſueuerunt. Spiritus ſanctus paracletus; in cuius nomine hæc ſancta ſynodus eſt congregata, nobis & vobis & toti populo Chriſtiano hîc veram dilectionem & pacem, ac in futuro ſeculo vitam æternam donare dignetur, qui cum patre & filio regnat benedictus in ſecula, Amen.

Datum in ſeſſione publica ſolenniter celebrata in eccleſia maiore Baſileenſi, die Veneris, vigeſima menſis Iunij, Anno à natiuitate domini milleſimo quadringẽteſimo trigeſimo ſecundo.

IN EADEM SESSIONE QVARTA, decreta Concilij Baſileenſis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, attendens quod ad prouidẽtiæ ſpectat officium, perſpicaci conſideratione futura proſpicere, & aduerſus ea quæ reipublicæ poſſent inferre diſpendia, ſalubriter prouidere. Cùm itaque eadem ſancta ſynodus ad extirpationem hæreſum, pacem in Chriſti populo & morum reformationem cum Spiritus ſancti gratia, prout ſtatu rerum & temporum conſiderato, eſt admodum neceſſarium, ſit intenta, & propterea venerabiles in CHRISTO patres Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ad ipſum ſacrum Concilium euocauerit, exiſtimans eorum in ſacro Concilio præſentiam pro eorum authoritate, ſapientia, rerumq́ue notitia, multimodè fructuoſam: eiſq́ue tanquàm veris obedientiæ filijs ad ſacrum Concilium venientibus, ſi alibi contingeret Apoſtolicæ Sedis vacatio, in iacturam eorum qui obedientes vacationi ſacri Concilij deſeruirent, vtilitati Eccleſiæ poſſet redundare, cùm tamen vt obedientia non iacturam afferat, ſed potiùs vtilitatis & honoris augmentum, ratio cunctis nota ſuadeat. Et ne aliquibus forſitan venire negligentibus prodeſſe inobedientia videatur, hæc & alia quæ animum cuiuſcunque prudentis ad hoc mouerę poſſent & deberent, prouida attentione proſpiciens hæc ſancta ſynodus, ſtatuit, decernit, atque diffinit, quod in euentum vacationis Sedis Apoſtolicæ, hoc ſacro generali durante Concilio, electio ſummi Pontificis in loco iſtius Sacri Concilij fiat, & interdicit, ne alibi celebretur. In contrarium attentata quauis authoritate, etiam ſi Papali, non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus editis vel edendis, aut a[illegible]js in contrarium facientibus, ac ſi de ipſis eſſet de verbo ad verbum facienda mentio ſpecialis, aut iuramento firmata exiſtant, quibus ex certa ſcientia derogat & decernit, nulla & irrita eſſe, nulliusq́ue roboris vel momenti ipſo iure: contrarium verò attentantes, ſint tam actiuè quàm paſſiuè, quo ad electionem Romani pontificis, & ad quaſcunque alias dignitates inhabiles, & omnibus habitis dignitatibus perpetuò priuati, & infamiæ notam ac etiám excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. Quòd ſi forſan aliquá de facto prætenſa electio præſumeretur, tam electus prætenſus, quàm illi adhærentes, & eum pro tali gerentes, ſupradictas pœnas incurrãt pari modo. Abſolutionem verò omnium & ſingulorum, qui præmiſſas ſententias aut earum aliquam incurrerint quoquo modo, dicta ſynodus tantummodò, præterquàm in mortis articulo, ſibi reſeruat. Decernens præſens decretum ligare, afficere, vim & effectum habere atque ſortiri, poſt quadraginta dies continuos proximè ſecuturos à die publicationis eiuſdem.

Locus obſcurus.

Ne vi iuramenti aut promiſſionis alicui facta, aliqui aſtrictos ſe putent, vt ad Concilium venire non poſſint.

Item ordinat, ſtatuit, decernit & declarat, quòd quicunque & ſinguli Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Prælati, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, vicarij Eccleſiæ Romanæ, vaſalli, communitates, Romanæ curiæ officiales, ſummi Pontificis familiares, ſiue alij cuiuſcunque conditionis exiſtant, ſiue quibuſcunque nominibus cenſeantur, propter iuramenta, promiſſiones vel quaſlibet alias obligationes, præfato ſummo Pontifici ſeu alteri ad hoc eius mandato deputato aut deputando, ſeu quibuſuis alijs quomodolibet ſuper quacunque re vel cauſa, & ſub quacunq; verborum forma præſtita ſeu præſtanda, nullatenùs obligantur & aſtringuntur, aut ſe impeditos à veniendo ad hoc ſacroſanctum Concilium occaſione dictorum iuramentorum, promiſſionum vel aliarum obligationum prætendere poſſunt, aut poterunt in futurum, quo minùs abſque periurij ſeu infamiæ nota ad ipſam ſynodum teneantur accedere, qui de iure aut conſuetudine ſunt aſtricti. Cæteri verò, qui vocati & requiſiti fuerint, & omnium prædictorum procuratores, obedire & adhærere ipſi Concilio, & libere accedere poſſint, & teneantur, & eidem licitè intereſſe. Proceſſus verò quoſcunque ſuſpenſionis & excommunicationis, interdicti, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum ſeu officiorum quorumcunque & commendarum reuocationes, ac inhabilitatis ſententias ſeu periurij aliasve pœnas, mulctas & cenſuras in ſe continentes, in ipſos occaſione præmiſſorum per quemcunque quauis, etiam Romani pontificis, authoritate fulminatos ſeu fulminandos, cum omnibus inde ſecutis aut ſecuturis, eadem ſacra ſynodus nullos, caſſos & irritos, ac nullius roboris ſeu momenti exiſtere pronunciat, declarat, & diffinit: & quatenùs de facto proceſſerunt ſeu proceſſerint, reuocat, caſſat, irritat, & annullat, & pro caſſis, irritis & nullis habendos ſtatuit & decernit.

De bulla plumbea.

Item vt geſta in ipſa ſynodo durabiliori teſtimonio roborentur, ſtatuit & ordinat ipſa ſynodus, quòd de cætero in literis ſuis authenticis vtatur bulla plumbea pendente cum chordula canabis aut ſerici, prout varietas cauſarum & rerum, ſuper quibus literæ eædem conficientur, poſtulabit, in vno miſſione Spiritus ſancti in ſpecie columbæ, in alio verò lateribus, horum verborum, Sacroſancta generalis ſynodus, Baſileenſis, ſculpturas continente, decernens eiſdem plenam & omnimodam fidem adhibendam fore.

Quòd Papa, durante Concilio, non poſſit creare Cardinales, nec creatos publicare.

Item cùm multiplicatio Cardinalium ſit Eccleſiæ diſpendioſa & oneroſa, propterea & ex alijs rationabilibus & legitimis cauſis eandem ſanctam ſynodum mouentibus, ſtatuit, ordinat, atque ex certa ſcientia hoc irrefragabili decreto decernit ipſa ſancta ſynodus, quòd durante hoc ſacro Concilio, Romanus pontifex à loco iſtius ſacri Concilij abſens perſonaliter, non debeat nec poſſit aliquem, vel aliquos cuiuſcunque dignitatis, conditionis, gradus ſeu ſtatus exiſtant, in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, vel Cardinales, quouis modo aut quocunque quæſito colore vel cauſa aſſumere, pronunciare ſecretè aut publicè, aut pronunciatos ſeu aſſumptos ſecretò publicare. Et ſi ſecùs attentatum fuerit, ex nunc in anteà irritum ſit & inane, nulliusq́ue roboris vel momenti. Quòd ſi forſan taliter de facto aſſumpti aut pronunciati, ſe pro Cardinalibus gerere aut nominare præſumpſerint, quibuſcunque dignitatibus priuati, & ad omnes & ſingulas futuras inhabiles, ac quicunque eos pro Cardinalibus gerentes & reputantes, ex nunc prout ex tunc ſententia excommunicationis innodati ſint ipſo facto, à qua præterquàm in mortis articulo, niſi à præfata ſynodo abſolutionis ſiue habilitationis beneficium obtinere non poſſint.

Datum in ſeſſione publica * eiuſdem ſynodi in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, duodecimo Calendas Iulij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

*celebr
ta in ec
ſia mai
Baſilee
die Ve
ris 20.n
ſi Iunij
Anno à
natiuita
te &c.

COMMISSIO FACTA PER CONCILIVM IN *eadem ſeſſione domino Cardinali ſancti Euſtachij, ſuper regimine ciuitatis Auinionenſis & comitatus Venayſini.*

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, dilecto filio Alphonſo, ſancti Euſtachij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato, ciuitatis Auinionenſis & comitatus * Venaycini in ſpiritualibus & temporalibus pro nobis & ſancta matre Eccleſia vicario generali, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionē. In pacis authore hæc ſancta ſynodus congregata, cùm vniuerſi populi Chriſtiani pacem & tranquillitatem exoptās, per diuerſas mundi partes ad procurandum ea quæ pacis ſunt, & ſcandalis obuiandum, ſuæ ſolicitudinis opus impendat, Eccleſiæ proprium patrimonium ab hoc procurandæ pacis & tranquillitatis ſtudio expers eſſe nullatenùs decuit, quinimò ipſam debet ſpecialis intuitus cura fouere. Cùm itaque ad ipſius ſacræ ſynodi notitiam fide dignorum ſit relatione deductum, quòd ciuitas Auinionenſis, quæ ſanctæ DEI Eccleſiæ ſemper fideliſſima & obſequentiſſima fuit, certis vrgentibus rationibus & cauſis neceſſarijs, vicarium per ſummum Pontificem ad ipſius regimen deſtinatum, ſe admittere non debere prætendat, atque ad eundem ſummum Pontificem plures ambaſiatas deſtinauerit, pro vtili & ſalubri gubernatione ciuitatis eiuſdem ac comitatus * Venaycini eidem adiacentis, ſuppliciter poſtulans, vt de alio vtili eis prouideretur vicario, quod hucuſque obtinere nequiit, nec ſperat: poſſe obtinere, quinimò is qui pro vicario deſtinatus eſt, intendit & nititur ſuſcipere gubernationis officium inuita ciuitate, congregare ſatagens multitudinem gentium armatarum. Vnde ſuper præmiſſis informatione recepta ex his & alijs, quæ honeſtas cenſet calamo non promenda, de turbatione & periculo graui ſtatus ciuitatis illius & patriæ eſt ex veriſimilibus & vrgentibus rationibus dubitandum, eſſetque nimis graue diſpendium, ſi fortè (quòd auertere dignetur Altiſſimus) Eccleſia perderet illud tam nobile patrimonij ſui membrum, aut guerrarum inquietudine turbaretur. Idcircò hæc ſancta ſynodus huiuſmodi periculis cupiens obuiare, ciuitatemque illam & comitatum in pace & quiete fouere, regimen & gubernationem ciuitatis ipſius & comitatus vſquequò cum ſummo Pontifice per ipſam ſanctam ſynodum, vel aliquo eius nomine habito pleniori tractatu, fuerit aliter ordinatum, maximè attento, quòd propter locorum diſtantiam & viarum diſcrimina non poteſt facilè haberi recurſus ad dictum ſummum Pontificem, & periculum ſit in mora: tibi cuius futuræ vtili & fideli gubernationi fidem facit aliarum terrarum Eccleſiæ regimen, per te hactenùs fideliſſimè plurimumque vtiliter geſtum, duxit ad honorem Dei, ſanctæ matris Eccleſiæ, ac huius ſacræ ſynodi, tenore præſentium plenariè committendum, cum plenaria poteſtate regendi & gubernandi dictam ciuitatem Auinionenſem & comitatum * Venaycini, omnemque in eiſdem iuriſdictionem, merum & mixtum imperium, per te vel alium ſeu alios exercendi, officiales amouendi, etiam ſi pontificali præfulgeant dignitate, & alios vel eoſdem inſtituendi, iuramenta ſeu promiſſiones recipiendi, ac illa relaxandi cum quibuſcunque ſemel vel pluries, quoties viſum tibi fuerit opportunum. Quaſcunque pecunias, fructus, prouentus & emolumenta in illis ciuitate & comitatu, ratione iuris Papalis vel ſanctæ Romanæ Eccleſiæ aut quocunque iure vel titulo, pro tempore præterito, præſenti & futuro cameræ Apoſtolicæ debitas & debita, recipiendi & exigendi, ac recipi & exigi faciendi, contradictores quoſlibet vel inobedientes cenſuris eccleſiaſticis & alijs compeſcendi remedijs opportunis. Et generaliter cum * omnibus illis poteſtatibus & facultatibus, quas bonæ memoriæ Franciſcus Archiepiſcopus Narbonenſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ camerarius, à felicis recordationis domino Martino Papa quinto & aliàs habuit, dum ageret in humanis, licèt etiam hic ſpecificè non exprimantur. Mandans tibi in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœnis iuris, quatenùs curam & regimen prædictum humeris tuis impoſitum reuerenter ſuſcipias, ac diligenter & fideliter exequaris, vtilitatem publicam, tranquillumque & pacificum ſtatum ciuitatis illius & comitatus ſic procurare ſolicitè ſtudeas, ipſumque regimen & gubernationem pro modo tuæ ſapientiæ ſic vtiliter gerere, vt apud Deum æternæ vitæ merita, & apud mandatum fama tua laudis & gloriæ ſuſcipiat incrementa. Mandat inſuper omnibus officialibus, ciuibus, incolis & habitatoribus dictæ ciuitatis & comitatus capitaneis, necnon caſtrorum caſtellanis, * balliuis, & alijs officialibus quibuſcunque quouis nomine cenſeantur, & alijs vniuerſis, quatenùs tibi & per te deputandis officialibus ad regimen eorundem, & nulli alteri pareant, obediant, & intendant, in omnibus & per omnia, quemadmodum præfato Archiepiſcopo Narbonenſi dum viueret, & pro Eccleſia Romana dictæ ciuitatis & comitatus regimen & gubernationem gereret, faciebant, & facere tenebantur, quibuſcunque promiſſionibus, iuramentis, obligationibus & alijs quibuſcunque diſpoſitionibus in contrariū facientibus, non obſtantibus vllo modo. Hæc nanque ſancta ſynodus, omnium quorumcunq; prædictis obuiantium vim & effectum, præſentium authoritate ſuſpēdit. Et quicquid per te ritè, ſpiritualiter & temporaliter geſtum & ordinatum, actum vel ſententiatum fuerit vel prouiſum, hæc ſancta ſynodus ratum & gratum habebit, ac faciet authore domino inuiolabiliter obſeruari.

* Bailliuis

Datum in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi in Eccleſia maiori Baſileenſi die Veneris * vigeſima menſis Iunij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

*12. menſis Iulij.

SESSIO QVINTA.

Hęc ſeſſio habita eſt in vigilia S. Laurētij

De cauſis fidei.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè cōgregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, conſiderans quòd ipſa inter alia fructuoſa opera ad hæreſes extirpandum, & à fide deuios ad eiuſdem fidei orthodoxę vnionē reducendos, in Spiritu ſancto principaliter congregata dinoſcitur, & propterea conſtituit accommodum fore, imò neceſſarium pro cauſis fidem cōcernentibus, in hoc ſacro Concilio tractādis & examinādis, de perſonis idoneis prouidere: ea propter conſtituit & deputat iudices, ad audiendum omnes & ſingulas cauſas fidem quomodolibet concernentes, venerabiles Franciſcū Papienſem, Conradum Ratiſponenſem epiſcopos, & dilectum filium Eccleſię Ioannem Abbatem Ciſtertienſem, quibus in cauſis huiuſmodi per deputatos ad hoc, priùs examinatis, ipſiſque deſignatis & remiſſis, dat poteſtatem in prædictis cauſis in hoc loco Concilij & extra, citandi ac audiendi, cognoſcendi, decidendi & alia faciendi, quæ ad dictas cauſas pertinent, & pertinebunt, vſque ad ſententiam diffinitiuam excluſiuè. Et vt eò faciliùs cauſæ prædictæ ſuum finem debitum conſequātur, eadem ſancta ſynodus, vt ipſi iudices prædicti aut duo ex eis, tertio ſtatutis horis non veniente, terminos in cauſis huiuſmodi tunc occurrentes, tenere & obſeruari facere, & aliàs ſummariè, ſimpliciter & de plano ac ſine ſtrepitu & figura iudicij procedere valeant, ſtatuit & decernit.

Cauſarū fidei iudices.

De procuratore fidei.

Item ſancta ſynodus prædicta deputat & conſtituit dilectum Eccleſię filium Nicolaū Amici, Licentiatum in Theologia, in cauſis fidei pręmiſſis procuratorem generalem hoc durante concilio, cum poteſtate ſubſtituendi de conſenſu & authoritate iudicum prædictorum, qui nullam cauſam promoueat, niſi primum per deputationem fidei fuerit examinata & admiſſa.

Procurator.

Deputantur iudices ad examinandum cauſas generaliter.

Item dicta ſancta ſynodus, ne inter cæteros vberes fructus pro quibus procurandis ſummoperè deſudat, Iuſtitia in debitè grauatis, pro qua ad eandem confluunt, miniſtrando deficiat, aut ipſius executio plus debito negligatur, volens

lens in præmiſſis opportunis remedijs prouidere, cóſtituit, ordinat, & deputat iudices ſeu commiſſarios ad audiendum
Iudices alij. omnes cauſas, ad dictam ſanctam ſynodum deuolutas ſeu deuoluendas, deductas ſeu deducendas, cauſis concernentibus fidem exceptis, venerabiles Berengarium Petragoricenſem, Petrum Auguſtenſem prouinciæ Maguntinæ, & Delphinum Parmenſem epiſcopos, quibus in cauſis præmiſſis per deputatos ad hoc priùs examinatis, ipſiſque remiſſis & deſignatis dat poteſtatem, non obſtantibus ferijs, in loco Concilij & extrà citandi, audiendi, cognoſcendi, referendi & diffiniendi, & alia faciendi quæ ad dictas cauſas pertinent & pertinebunt. Et vt eò faciliùs cauſæ ſeu negotia ad debitum finem perueniant, eadem ſacra ſynodus, vt tres aut duo ex ipſis, tertio ſtatutis horis non veniente, terminos in cauſis huiuſmodi tunc occurrentes, tenere & obſeruari facere, & aliâs ſecundùm qualitatem cauſarum procedere valeant, ſtatuit & decernit, cauſis tamen Eccleſiarum cathedralium, maioribus earundem, dictę ſacræ ſynodo reſeruatis, de quibus ſe non impediant, niſi de generalis congregationis patrum & ſuppoſitorum eiuſdem, etiam citra ceſſionem publicam commiſſione ſpeciali. Ratificatque nihilominùs hæc ſancta ſynodus, & approbat omnes commiſſiones quarumcunque cauſarum, etiam cathedralium & maiorum, ſub quacunque poteſtate in generali congregatione dictis iudicibus ſeu alijs commiſſarijs hactenùs factas, necnon proceſſus exinde ſecutos, ac etiam in anteà per eoſdem continuandos.

Ordinatio Præcognitorum.

Item ne iudices prædicti quaſlibet cauſas ad hoc ſacrum concilium delatas ſeu deferendas, paſſim & indiſtinctè importunitate petentium deuicti, audiendas recipiant, ſed potiùs de qualitate ipſarum ratio habeatur: hæc ſancta ſynodus conſtituit & deputat dilectos Eccleſiæ filios, Iulianum
Præcognitores cauſarum. Apoſtolicę ſedis legatum ſancti Angeli, & Dominicum ſanctæ Mariæ in via lata, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconos Cardinales, & quemuis præſidétem nunc & in futurum pro tempore exiſtentem, & venerabilem Franciſcum Gebennenſem Epiſcopum, ad dilectum Eccleſiæ filium Henricum Fleckel, palatij Apoſtolici cauſarum auditorem, dictarum cauſarum præcognitores, dans & concedens quinq; prædictis vel maiori parti, alijs ſe abſentantibus vel nó conſentientibus, poteſtatem cauſas huiuſmodi primùm diligenter examinandi & diſcernendi, quæ aut qualis illarum in hoc ſacro concilio tractari, audiri, cognoſci decenter poſſint, ſeu diffiniri debeant, & quas tractandas ſeu in generali
* for. referendas congregatione * reſerandas, aut abſque relatione, præmiſſa cognitione decidendas iudicauerint, ad ipſos iudices remittere habeant deſignatos, ſub modificatione procedendi prædicta. Et niſi ad eos ſic (vt præmittitur) remiſſæ fuerint, de illis ſe non impediat quouis modo.

Quòd vltra tres menſes poteſtas iudicum non duret.

Item decernit hæc ſancta ſynodus, quòd poſt tres menſes continuos à die præ[illegible]tis publicationis computandos, tam iudicú pro fide, quàm pro alijs cauſis prædictis audiendis, deputatorum pariter & præcognitorum poteſtas finiatur. Sit tamen in poteſtate dictæ generalis congregationis, in locum quorumlibet prædictorum, etiam citra ſeſſionem publicam, quos decreuerit, deputare.

Ne incorporati trahantur ad iudicium extra locum huius concilij.

Item ſtatuit & diffinit, quòd nullus huic ſacro concilio per ſe vel ſuum procuratorem legitimè admiſſum incorporatus, etiam procurator ipſe aut incorporandus, in futurum à tempore arrepti itineris ſine fraude continuati, animo ad hanc Baſileenſem ſynodum veniendi, pro quacunque cauſa ſeu lite, mota ſeu mouenda, aut quauis alia occaſione, ad Romanam curiam ſeu coram quocunque iudice ordinario vel delegàto, extra locum Concilij, illo durante, inuitus trahi ſeu euocari, aut contra ipſos inuitos aut aliquem eorundem procedi poſſit. Si quid verò in contrarium attenta-
* quemcunque tum fuerit, quouis modo per * quæcunque, quauis, etiam ſummi Pontificis, authoritate, decernit irritum & inane, nullusque roboris exiſtere ſeu momenti. Nihilominùs hæc ſancta ſynodus offert ſe paratam de omnibus ſuppoſitis eiuſdem aut aliquo eorum, querulantibus ſeu actionem mouere volentibus, miniſtrare iuſtitiæ complementum.

Ordinatur auditor ordinarius cameræ.

Item hæc ſancta ſynodus deputat & conſtituit dilectum Eccleſiæ filium Henricum Fleckel Apoſtolici palatij cauſarum auditorem, huius ſacri concilij iudicem & auditorem ordinarium, dans & concedens eidem omnem poteſtatem ſeu iuriſdictionem, quam in Romana curia de iure ſeu conſuetudine exercet, ſeu exercere habet Apoſtolicæ cameræ auditor.

Soldanus conſtituitur.

Item conſtituit & deputat dilectum Eccleſiæ filium Titianum de Laude ſoldanum, cum poteſtate quam habet ſoldanus curiæ Romanæ.

De alijs officiarijs.

Item de cæteris officiarijs in hac ſacra ſynodo neceſſarijs, ordinetur & diſponatur in congregatione generali, & quæcunque ibidem ſuper deputatione eorundem officialium acta, ſeu ordinata fuerint, eiuſdem firmitatis & authoritatis exiſtant, ac ſi facta fuiſſent in publica ſeſſione.

Deputantur notarij.

Item quia plures notarij & ſcribæ in eadem ſancta ſynodo ad conſcribendum acta eiuſdem ſunt neceſſarij, citra aliorum per ipſam ſanctam ſynodum in alijs ſeſſionibus deputatorum reuocationem, magiſtros Enſelinum de Guiſcardis de Blenſaco iuris canonici profeſſorem, Gerhardum Rouſelli, Georgium Frey de Vilshouen, Conradum Kneulin de Dyeppurgh, Petrum de Noxeto clericos Vercellenſis, Nouiomenſis, Pataulenſis, Maguntinenſis & Placentinenſis diœceſis, notarios & ſcribas eiuſdem ordinat & ſcribas eiuſdem ordinat & deputat. Notar[ij] ſeu ſcr[ibæ] alij.

Datum Baſileæ in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, quinto idus Auguſti, Anno à natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

SESSIO SEXTA, celebrata die ſexta menſis Septembris.

ANNO Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſecundo, die ſabbati ſexta menſis Septembris in eccleſia maiori Baſileenſi, in qua ſeſſiones celebrari ſolent, ſexta huius ſacræ ſynodi Baſileenſis ſeſſio celebrata hoc modo: Primò videlicet Miſſa ſolennis de beata virgine Maria, per dominum Philibertum epiſcopum Conſtantienſem præſidentem celebrata, & demùm ſuffragijs, antiphona Exaudi, ac litanijs cum Euangelio ſecundùm Lucam, Dixit Luc. 10 Ieſus diſcipulis ſuis: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: ac hymno, Veni creator ſpiritus &c. cum verſiculo & collecta decantatis, aſſiſtentibus dominis legatis Placentino & Firmano Cardinalibus, cum triginta duobus alijs prelatis in eorum mitris planis & * pluuialibus exi- * Plu[uia]libus ſtentibus, & domino duce Vuilhelmo Bauariæ protectore huius ſacri concilij, venerabiles viri magiſtri Nicolaus Amici, & Hugo * Berardi, promotores huius ſacri Concilij, * Baran[...] per organum magiſtri Hugonis ſuam petitionem fecerunt in ſcriptis, vt ſequitur.

Promotores concilij dant petitionem.

Reuerendiſſimi patres & vos alij domini mei præſtantiſſimi, ſacroſanctum generale concilium in Spiritu ſancto legitimè congregatum celebrantes, ac vniuerſalem Eccleſiam repræſentantes, cùm ex decreto tertiæ ſeſſionis huius ſacri concilij ſanctiſſimus dominus noſter Papa Eugenius cum omni reuerentia & inſtantia fuerit per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti exhortatus, requiſitus ac monitus, quatenùs prætenſam diſſolutionem huius ſacri concilij de facto reuocaret, ſicut de facto proceſſerat, quæ notoriè vniuerſalem ſcandalizat Eccleſiam & populum Chriſtianum, & ipſam reuocationem, quemadmodum & diſſolutionem fecerat, per diuerſas mundi partes tranſmitteret & pub-

caret, ab omniq́ue impedimento dicti concilij penitùs deſiſteret, quinimò eidem (vt debebat) faueret & aſsiſteret, omniaq́ue præberet ſubſidia & auxilia opportuna, necnon infra trium menſium ſpatium peremptoriè præfixum & aſſignatum (ſi corporalis ipſius diſpoſitio pateretur) perſonaliter veniret: ſin autem, perſonam vel perſonas loco & vice ſui deſtinaret & trāſmitteret cum plenaria poteſtate ad omnia & ſingula in hoc concilio peragenda, vſque ad totalem concluſionem ipſius, per omnes & ſingulos actus gradatim & ſucceſsiuè. Et dictus dominus Eugenius Papa quartus, ea ſuper quibus monitus fuit, facere non curauerit, ſed in ſua prætenſa diſſolutione perſeuerauerit, & etiam perſeueret, ac omnem perturbationem & euerſionem huius ſacri concilij multipliciter moliatur, nec infra terminum præfixum venerit aut miſerit, idcirco nos promotores huius ſacri concilij producentes memoratum decretum monitionis & citationis, ac executionem legitimè & debitè factam, petimus, ſupplicamus inſtantiſsimè & requirimus, dictum dominum Eugenium Papam quartum, per hanc ſacram ſynodum decerni & declarari contumacem in prædictis, atque ad vlteriora debitè, procedi, prout neceſsitates Eccleſiæ Dei exigunt & requirunt, ac prout eſt diuini iuris pariter & humani. Deinde productis per eos monitione & citatione contra dominum noſtrum Papam Eugenium modernū & dominos cardinales cum duobus inſtrumentis executionis eiuſdem, etiam petito & inſtanter requiſito, per ſacroſanctum concilium præfatum dominum noſtrum Papam contumacem reputari, & ad vlteriora procedi, prædictus dominus epiſcopus Conſtantienſis præſidens, de mādato concilij iniunxit reuerendis in Chriſto patribus & dominis, dominis Petragoricenſi & Ratiſponenſi epiſcopis, vt interrogarent, ſi dominus noſter Papa aliquis pro eo poteſtatem vel mādatum ſufficiens habens, eſſet in dicta ſeſſione, ſe repræſentaret. Qui quidem domini ambo epiſcopi, videlicet Petragoricenſis & Ratiſponenſis, primò ſuper gradus ante altare dictæ ſeſsionis ter eundem dominum noſtrum Papam vocauerunt alta & intelligibili voce ſub his verbis: Eſt ne aliquis hic pro domino Eugenio Papa quarto cum legitima poteſtate, cuius contumacia nunc accuſata eſt? Compareat in hac ſeſſione publica. Similiter hoc idem fecerunt ter ante maius portale dictæ eccleſiæ. Deinde facta relatione per eoſdem dominos epiſcopos domino epiſcopo præſidenti, quòd neminem pro præfato domino noſtro Papa repererant, acceſſerunt ad dictam ſeſſionem nuncij & oratores ipſius domini noſtri Papæ, videlicet domini Tarentinus & Coloſſenſis Archiepiſcopi, epiſcopus Magolenſis, & dominus Antonius de S. Vito, ſacri palatij cauſarum auditor. Et ipſis ſedentibus in eadem iuxta dominum ducem protectorē, dictus magiſter Hugo alter promotorū, alio ſibi aſsiſtente, trina vice cum inſtantia petijt ab eiſdem dominis nuncijs & oratoribus, an haberent aliquod mandatum vel poteſtatem à domino noſtro Eugenio Papa quarto. Qui reſponderunt, quòd erant ſimplices nuncij & oratores domini noſtri Papæ. Et tunc ipſe promotor, attento quòd dicti oratores nullam faciebant fidem de mandato, nomine concilij proteſtatus eſt de nullitate actorum & agendorum per eoſdem. His itaque peractis, dominus Magdalonenſis epiſcopus, alter dictorum nunciorum, narrauit ſe aliâs in principio ſui aduentus literas credentiales dominis hic in Baſilea congregatis, exhibuiſſe & præſentaſſe. Et quod illa quæ dicere intendebant, in eorum credentia continebātur. Deinde dominus archiepiſcopus Tarentinus ibidem quandam fecit ſupplicationem exhortatoriam, ſumens pro the-
Ephеſ. 4. mate. Obſecro vos in Domino, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis &c. ſupplicādo iterum, quod pro bono & vtilitate Eccleſiæ ſanctæ Dei, & ad euitandum ſcandala, domini dignarētur ſuperſedere in negotio proceſſus contra dominum noſtrum Papam & cardinales. Qua ſupplicatione & requiſitione facta, & habita inter dominos aliquali deliberatione, dominus præſidens eiſdem dominis oratoribus reſpondit, quòd ſuper propoſitis per promotorem concilij, & per eoſdem dominos petitis, domini de ſacro concilio deliberarent, & tantum facerēt, quòd totus mundus meritò de concilio prædicto deberet contentari. Et tunc dominus Coloſſenſis archiepiſcopus, de huiuſmodi gratioſa reſponſione regratiatus eſt. Et his ſic peractis, domini nuncij & oratores prædicti à loco publicæ ſeſſionis receſſerunt, & ſe abſentârunt. Demùm promotores concilij prædicti per organum magiſtri Hugonis (prout ſuprà) accuſarūt contumaciam dominorum Cardinalium, vt in ſchedula quam in ſuis tenebat manibus, continetur, videlicet: Item conſimili modo accuſamus contumaciam reuerendiſsimorum dominorum cardinalium, qui vigore dicti decreti moniti & citati fuerunt, procedi petentes ad vlteriora, vt ſuprà, Iordani epiſcopi Sabienſis, de Vrſinis vulgariter nominati, Antonij epiſcopi Oſtienſis, Bononienſis vulgariter nuncupati, Hugonis epiſcopi Præneſtini, de Cypro vulgariter nominati, Petri tituli ſancti Laurentij in Cœlio monte presbyteri cardinalis, de Fuxo vulgariter nominati, Ioannis tituli ſancti Laurentij in Lucina presbyteri cardinalis Rhotomagenſis, Ludouici tituli ſanctæ Cæciliæ presbyteri cardinalis Arelatenſis, Henrici ſancti Euſebij presbyteri cardinalis de Anglia, Antonij tituli ſancti Marcelli presbyteri cardinalis, Dominici tituli ſanctorum Ioannis & Pauli presbyteri cardinalis Ilerdenſis, Ioānis tituli ſancti Petri ad Vincula presbyteri cardinalis, Ioannis tituli ſancti Sixti presbyteri cardinalis, Vilhelmi ſanctæ Anaſtaſiæ presbyteri cardinalis de Monte forti, Angeloti tituli ſancti Marci presbyteri cardinalis, Franciſci tituli ſancti Clementis presbyteri cardinalis Venetiarum, Alphonſi ſancti Euſtachij diaconi cardinalis, Lucidi ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconi cardinalis de Comite, Ardecini ſanctorum Coſmæ & Damiani cardinalis Nouarienſis, Proſperi ſancti Geordij ad velum aureum diaconi cardinalis de Columna. Tunc verò dicti domini Petragoricenſis & Ratiſponenſis epiſcopi, de mandato ſacri concilij, vt ſuprà, ante altare ter, & ante valuas eccleſiæ etiam ter, eoſdem dominos cardinales aut aliquos pro ipſis vocauerunt. Et facta eorum relatione de præmiſſis, quòd neminem inuenerunt, dominus auditor * domini legati * Cardinalis ſurrexit in medium, & dixit, quòd paratum ſe offerebat, exhibere mandatum ſufficiens coram dominis à concilio deputandis, pro quinque dominis cardinalibus vocatis, videlicet dominis de Cypro, Arelatenſi, ſancti Sixti, Rothomagenſi, & de Monte forti: ſimiliter allegare cauſas rationabiles, propter quas domini, Ilerdenſis qui iam habitus eſt, in congregatione generali excuſatus, nec non ſancti Petri ad vincula, ſancti Euſtachij, de Fuxo, & de Anglia cardinales, meritò pro excuſatis habebuntur. Prætereà magiſtri Simon de Valle, & Ioannes de Raguſio ordinis Prædicatorum, pro & nomine domini cardinalis Bononienſis, dixerunt ſe habere mandatum ſufficiens, & obtulerunt, ſe coram eiſdem dominis deputatis producere velle. Similiter magiſter Laurentius de Rotella, obtulit ſe rationabilibus de cauſis excuſaturum dominum cardinalem de Columna. Et tandem his peractis, concilium per organum domini præſidentis deputauit dominos Friſingenſem & Bellicenſem epiſcopos, qui viderent & examinarent producta per promotores & petita, nec non mandata dominorum cardinalium, ac huiuſmodi excuſationes audirēt, & omnia concilio referrent. De quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, præfati promotores nomine concilij petierunt, & quilibet eorum petijt, ad perpetuam rei memoriam, ſibi fieri à nobis notarijs & alijs vnum vel plura, inſtrumentum & inſtrumenta. Datum in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ &c. vt ſuprà.

SESSIO SEPTIMA.

Quòd ſedente concilio, vacante ſede Apoſtolica, extra concilium non procedatur ad electionem.

Seſſio iſta habita eſt die 6. Nouembris, tunc feria 4. anno 1432.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Dudùm hæc ſancta ſynodus ſuper electione Romani pontificis, in caſu vacationis ſedis Apoſtolicæ hoc ſacro durante cōcilio, quoddam edidit decretum huiuſmodi ſub tenore: Ad prouidentiæ ſpectat officium, perſpicaci conſideratione futura proſpicere &c. vt habetur in quarta ſeſſione, ideo non eſt neceſſe hic inſerere.

Preregatio temporis Cardinalium veniendi ad concilium tempore vacationis Papatus.

Cùm autem ex eodem decreto apud aliquos exorta ſit dubitationis occaſio, ne tempus decem dierum ad intrandum conclaue præfinitum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, per conſtitutionem editam in generali concilio Lugdunenſi, ſaltem à tempore notæ vacationis in loco huius concilij curreret & arctaret, quòd nimis rigidum videretur, & terminus nimis breuis propter multos ex eiſdem Cardinalibus, qui à loco ipſius concilij eſſe poſſent in remotis locis abſentes: hæc ſancta ſynodus cupiens omnem dubitationis materiam amputare, & ea quæ ad pacem & vnitatem eccleſiæ Dei ſanctæ accommoda ſunt, vigilanti ſtudio prouidere, & tam in his quàm in omnibus quæ fidei catholicæ exaltationem, generalemque reformationem & pacem populi Chriſtiani concernere dinoſcuntur, pro quibus eſt in Spiritu ſancto legitimè congregata, cum omni modeſtia debitaque maturitate procedere, præſentis decreti tenore decernit, quòd in caſu vacationis ſedis Apoſtolicæ præſente durante concilio, ante ſexaginta dies à die vacationis continuè computandos, ad electionem Romani Pontificis procedatur.

Quòd Papa non diſponat de beneficijs Cardinalium.

Statuit quoque hæc ſancta ſynodus, quòd de beneficijs cardinalium, qui contra præinſertum decretum aliquid preſumpſerint attentare, ſtatim poſſit per eos ad quos de iure cõmuni ſpectat liberè diſponi per viam collationis, præſentationis, electionis, ſeu cuiuſlibet alterius prouiſionis, etiam ſi eſſent eccleſiæ Metropolitanæ, cathedrales, aut alia quæcunque beneficia quocunque nomine cenſeantur, quæ in titulum vel cõmendam à prædictis cardinalibus tenentur, reſeruationib⁹ Apoſtolicis ſpecialibus, aut generalibus, & alijs in contrarium facientibus, minimè obſiſtentibus.

Datum in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, * octauo idus Nouembris, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

* Die Iouis 6. menſis Nouẽbris.

SESSIO OCTAVA.

Habita 18. Decẽbris, 1432.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitmè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans.

Baſileenſis cõcilij ſeſſio.3.

Cùm iamdudum de menſe Aprilis in huius ſacri concilij ſeſsione ſolenni editum & publicatum fuerit decretum huiuſmodi ſeriei, Sacroſancta &c. Olim &c. quod quidem vocationis decretũ debitè extitit executum, & in termino conſtituto ſolenni ſeſsione celebrata ſexta die menſis Septembris. per promotores huius ſacri concilij fuerit ipſius domini Papæ & Cardinalium abſentium cõtumacia debitè accuſata, ambaſiatoribus ipſius ſummi Pontificis tunc in hac ciuitate perſonaliter conſtitutis, qui quidem ambaſiatores ad locum ipſius ſeſsionis venientes, magnis precibus à dicto ſacro concilio petierunt, in procedendo cõtra dictum dominum Eugeniũ Papam & cardinales ſuperſederi: & licèt ſecundùm iuris ordinem, attẽta magna dicti domini Eugenij & dictorum cardinalium cõtumacia, & multis ſupplicationibus & inſtantijs in dicto decreto memoratis, procedendũ fuiſſet ad declarandum ipſos eſſe cõtumaces, & alia iuris remedia opportuna: volens tamen agere cum omni manſuetudine & lenitate, & ſi fortò reſipiſcerẽt expectare, maximè attendẽs quòd chariſſimus Eccleſiæ filius Romanorum rex illuſtris & fidelis Eccleſiæ aduocatus, iugiter apud eundem dominum Eugenium & cardinales inſtabat ambaſiatis, literis & tractatibus, vſque in præſens ſuperſedit ab vlteriùs procedendo. Cùm autem à die dictæ accuſationis contumaciæ ſint lapſi tres menſes & vltrà, & etiam à die ſuæ prætenſæ diſſolutionis annus effluxit, ipſeq; Dominus Eugenius monitionibus ſupradictis ſanctæ matris Eccleſiæ renuat obedire, ſed in ſua prætenſa diſſolutione huius ſacri cõcilij perſeueret, ipſum euertere, & diſperdere varijs modis ſatagens, & aliam congregationem ſub nomine generalis concilij indicere, in graue ſcandalum & damnum totius Eccleſiæ boniq; publici perturbationem, & decretorum ſacri Conſtantẽſis concilij cõtemptum & eneruationem, ac etiam fidei catholicæ detrimentum, cùm hoc ſacrum cõcilium ad extirpationem hæreſim per Dei gratiam ſolicitudinem & operã præbuerit & prębeat, ex qua fructus optimus in proxima diſpoſitione videtur idcircò ad omnem ſuperabundantem cautelam, ſuiq; omnem manſuetudinem & grauitatem oſtendendum, & ipſum dominum Eugenium Papã in magis manifeſta cõtumacia conſtituendum, eundẽ per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, & ſub obteſtatione diuini iudicij admonet, exhortatur, & eidẽ ex parte omnipotentis Dei præcipit, atq; mandat, quatenus infra ſexaginta dies ab hac die, pręſentiſq; decreti in valuis eccleſiæ Baſileenſis affictione, cõtinuè ſubſequentes, dictas prætenſas diſſolutionẽ & conuocationem congregationis ſub nomine concilij generalis publicè reuocet, & huic ſacro cõcilio etiam purè & ſimpliciter adhæreat realiter & cum effectu, & deinde cætera in pręinſerto decreto contenta adimpleat cum effectu. Alioquin ſi infra prædictum terminum pręd ictas pręten ſas diſſolutionem & cõuocationem nõ reuocauerit publicè, & ipſi ſacro cõcilio purè & ſimpliciter (vt præmittitur) nõ adhæſerit, dicta ſancta ſynodus abſq; vlteriori monitione, requiſitione, vocatione, ſeu citatione contra ipſum ſuper præmiſſis & omnibus alijs in cõcilio peragendis vſq; ad finem debitum incluſiuè procedet, prout Spiritus ſanctus dictauerit, & tã de iure diuino quàm humano fuerit procedẽdum: adijciens, quòd ſi dictus dominus Eugenius Papa præmiſſis parere contempſerit, & dicto termino ſexaginta dierũ pendente, aliquas promotiones fecerit ad cathedrales eccleſias vel eccleſiaſticas dignitates, vel alia quæcunq; beneficia vel officia in fomẽtum dictę ſuæ prætenſæ diſſolutionis, & eneruationẽ, diminutionem ſeu impedimentũ huius ſacri concilij, de quo ipſius ſacri concilij arbitrio iudicabitur, an factæ fuerint in fomẽtum, tales promotiones hæc ſancta ſynodus caſſat, irritat, & annullat. Mandat præthereà in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna priuationis, quam ipſo facto incurrant, omnium ſuorũ beneficiorum & officiorum, cõmendarum, penſionum & gratiarum quarumcunque, etiam expectatiuarum, omnibus & ſingulis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, ac alijs eccleſiarum prælatis, officiarijs curię & clericis quibuſcunq; in Romana curia exiſtentibus, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtant, quatenus in caſu prædicto poſt lapſum dicti termini infra viginti dies proximè & immediatè ſequẽtes, à curia Romana recedant, & deinde cardinales omninò ſub pœna prædicta ad hoc ſacrum cõcilium, omni mora poſtpoſita, veniant. Patriarchæ verò, archiepiſcopi, epiſcopi ac alij eccleſiaſtici, prout de iure vel cõſuetudine qui ad generale conciliũ ire tenentur, ſub pœnis iuris iter ſuũ ſine fraude continuando, ad hoc ſacrum cõcilium veniãt: reliqui verò qui ad generale concilium nõ tenentur venire, ad reſidendum & Deo ſeruiendũ maneant in proprijs beneficijs: vel ad hoc ſacrum generale concilium ſine morę diſpendio & omni fraude ceſſante, ſe transferant, & accedant. Decernit tandem hęc ſancta ſynodus, huius decreti publicationẽ in pręſenti ſeſſione factam, eiuſq; affixionem in valuis maioris Eccleſiæ Baſileenſis habere vim monitionis, citationis & executionis, & ita vniuerſos arctare, ac ſi perſonaliter apprehenſi & eis intimatum fuiſſe. Inſuper, prout in prioris monitionis edicto cõtinetur, hęc ſancta ſynodus declarat & proteſtatur, quòd nihilominùs huiuſmodi dilatione ſexaginta dierum pendente, cùm id rerum neceſſitas ſuadeat & qualitas agendorum, in vlteriori proſecutione cõcilij & agendorum in eo, procedere intendit ordinatè, debitè & maturè, nec propterea ſuperſedere aliqualiter in proceſſu. Datum in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, * decimoquinto Calendas Ianuarij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

* Die Iouis 18. Decembris.

DECRETVM QVOD VNICVM debet eſſe conſilium.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam

repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Sicut vnica eſt Eccleſia S. catholica, Chriſto ipſius ſponſo dicente, Vna eſt Cant.6. columba mea, dilecta mea, & fidei articulo hoc profitente, cùm vnitas diuiſionem non capiat: ſic eſſe non poteſt, niſi vnicum generale concilium, ipſam ſanctam Eccleſiam catholicam repræſentans. Cùm ergo in hac ciuitate Baſileenſi decretis ſacrorum generalium conciliorum Conſtantienſis & Senenſis, & duorum Romanorum approbatione Pontificum, ſcilicet felicis recordationis Martini quinti, & Eugenij quarti, generale cõcilium inſtitutum & ſtabilitum ſit, & in Spiritu ſancto legitimè congregatum, iſto durante concilio, conſtat aliud generale concilium alibi eſſe non poſſe. Quicunque igitur hoc ſacro durante concilio, aliam congregationem ſub nomine generalis concilij erigere, aut facere præſumpſerit, non catholicæ Eccleſiæ concilium, ſed ſchiſmaticorum conuenticulum erigere, aut facere conuincitur. Idcircò hæc ſancta ſynodus omnes Chriſti fideles, cuiuſcunque ſtatus, aut dignitatis, etiã ſi Papalis, imperialis vel regalis exiſtãt, ſub obteſtatione diuini iudicij, quod in Chore, Dathan & Abiron Nu.16. Pſal.105. authoribus ſchiſmatis ſcriptura ſacra cõmemorat, admonet & hortatur, & in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœnis contra ſchiſmaticos à iure indictis, diſtrictè præcipit atque mandat, ne hoc ſacro durante concilio, aliam congregationẽ ſub nomine generalis concilij, quæ reuerà non eſſet concilium facere, aut congregare, ne ad ipſam tanquàm ad generale concilium, etiam prætextu cuiuſcunque promiſſionis, aut iuramenti, accedere vel intereſſe, aut recurrere quoquo modo, neque pro concilio generali habere, reputare, aut etiam nominare præſumant, etiam ſi iam indictum prætendatur, ſiue in futurum indici attentetur: Si qua verò perſona eccleſiaſtica, etiam ſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, aut alia quæcunque cuiuſuis ſtatus, gradus, aut conditionis exiſtat, Bononiam vel ad aliquem locum ſub nomine generalis concilij, iſto durante, præſumat accedere, vel ibi manere, ſententiam excommunicationis & priuationis omnium beneficiorum, dignitatum & officiorũ & inhabilitationis ad ipſa, incurrat ipſo facto: Et de dignitatibus, officijs & beneficijs talium, per eos ad quos de iure ſpectat, etiam ſi cathedrales, aut metropolitanæ eccleſiæ fuerint, liberè diſponatur.

Decretum pro incorporatis, quòd eorum beneficia conferri non poſſunt per Papam vel alium.

Ambitioſorum accenſa cupiditas, non contenta de acceptis beneficijs gratias non agere, & humanitatis in ſe iura violare, interdum adeò exardeſcit, vt eos qui credita ſibi officia diligenter obſeruant, & ita cuncta agunt, vt omni laude ſint digni, ſubuertere moliatur, & à ſuis deijcere beneficijs, cùm tamen pro eorum bonis actionibus, vt extollerentur, ampliùs dignum eſſe. Ideo opus eſt iuris prouidere remedijs, vt tuta ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur audacia, & nocendi facultas. Quiſquis igitur tantæ ambitionis fuerit, vt eccleſiam cathedralem, dignitatem, officium aut beneficium, penſionem, vel commendam alicuius ex incorporatis, ſeu incorporandis, poſtquàm fuerint incorporati, ſeu adhærentibus huic ſacro concilio, attentauerint à Romano pontifice vel quouis alio impetrare, aut etiam acceptare, ſi motu proprio conferatur, non ſolùm iure, quod in tali eccleſiæ, dignitate, officio ſeu beneficio habere prætendit, ſed etiam omnibus beneficijs ſit ipſo iure priuatus, & ad obtinẽdum in futurum inhabilis. Si qui verò ante huiuſmodi editionem decreti tales impetrationes aut atentationes habuerint, careant gratijs etiam proprio motu conceſſis.

Quòd Papa non poteſt imponere nouas gabellas in terras Romanæ Eccleſiæ, & de non alienandis terris Eccleſiæ.

Cæterùm cùm ad notitiam huius ſacræ ſynodi fide dignorum ſit relatione deductum, quòd dictus dominus Eugenius Papa ſuper alienandis nonnullis ciuitatibus, caſtris & terris Eccleſiæ Romanæ & aliarum eccleſiarum, habuit & habet diuerſos variosque tractatus, quæ quidem alienationes in fomentum dictæ prætenſæ huius ſacri concilij diſſolutionis, & ipſius concilij eneruationem fieri molluntur, & in damnum & iacturam patrimonij beati Petri aliarumque eccleſiarum cederent manifeſtè: idcirco his & aliàs ex bonis & iuſtis cauſis, quæ ad hoc cuiuſlibet rectè ſentientis animum inducere debent, hæc ſancta ſynodus eidem domino Eugenio omne alienationis, in feudationis & impignorationis genus bonorum immobilium, ac etiam mobilium precioſorum & iurium Eccleſiæ Romanæ, & aliarum eccleſiarum quarumcunque, nec non authorizationem alienationum bonorum immobilium & iurium aliarum eccleſiarum, omnemq; indictionem ſeu impoſitionem nouarum gabellarum, & aliorum onerum in alma vrbe Romana & alijs terris Eccleſiæ Romanæ, necnon impoſitionem cuiuſcunque grauaminis ſeu ſubſidij ſub nomine decimæ vel quocunque alio nomine cenſeantur, penitùs interdicit, omneſque alienationes, infeudationes & impignorationes de eiſdem bonis immobilibus, & iuribus Eccleſiæ Romanæ & aliarum eccleſiarum, & authorizationẽ huiuſmodi per dictum dominum Eugenium factas & fiendas, ac gabellas & alia onera per eundem dominũ Eugenium impoſitas ſeu impoſita caſſat, reuocat, irritat, & annullat adeò, vt nec ius aliquod tribuant, nec præſcribẽdi etiam cauſam pariant. Datum in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, decimoquinto Calendas Ianuarij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

SESSIO NONA.

In qua concilium recipit Sigiſmundum Imperatorem.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem eccleſiam Ianuarij, Die 22. anno 14 repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Inter iuſtitiæ opera nil iuſtius, nilque dignius eſſe conſtat, quàm eos, qui pro vniuerſalis Eccleſiæ vtilitate ſolicitudinis ſtudia, vtileſque labores impendunt, ac puro mentis affectu ſolertibuſque vigilijs eccleſiaſtica iura tuentur, ipſius Eccleſiæ munire præſidijs, aduerſus ea præſertim incommoda, quæ in eos pro impenſis Eccleſiæ Dei obſequijs moliuntur. Cùm itaque chariſſimus Eccleſiæ filius & eiuſdem fideliſſimus aduocatus Sigiſmundus, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex, pro vniuerſalis Eccleſiæ vtilitate, huius ſacri concilij generalis ipſam repræſentantis protectionem in ſe ſuſcipiens, ipſiq; conſtanter adhærens, ſuæ laudabilis ſolicitudinis ſtudijs virtuoſiſque laboribus, tam cum domino Eugenio Papa quarto, vt attentatam diſſolutionem ipſius concilij reuocando, ipſi concilio adhæreret, quàm etiam cum Chriſtianitatis principibus & prælatis, dominiſque & communitatibus, ipſius ſacri Concilij fauorem & augmẽtum ſtuduerit & ſtudeat multifariè promouere: idcircò dignæ gratitudinis vicem rependens hæc ſancta ſynodus, eundem ſub ſpecialis protectionis ſuæ munimine ſuſcipit, necnon quoſcunque proceſſus, etiam priuationem regnorum, prouinciarum, dominiorum, honorum & quarumlibet dignitatum forſan continentes, contra præfatum Romanorum regem factos, aut etiam ſub cenſuris & pœnis eccleſiaſticis, aut alijs quibuſcunque, per ipſum dominum Eugenium Papam, aut alium eius nomine prolatos, vel in poſterum quouis modo faciẽdos, aut etiam proferendos, authoritate omnipotentis Dei caſſat, irritat, & annullat, ac, ſi decæterò attententur, fieri nunc pro tunc caſſos & nullos eſſe decernit, ac nullius exiſtere roboris vel momenti. Vniuerſis autem Chriſti fidelibus etiam ſub pœnis latæ ſententiæ excommunicationis & priuationis dignitatis cuiuſlibet eccleſiaſticæ vel mundanæ interdicit, ne quiſpiam ipſi domino Eugenio Papæ aut alteri eius nomine, circa proceſſus huiuſmodi factos vel fiendos, aut eorum executioni quouis modo obedire vel parère præſumat. Quinimò præfato Regi quilibet obediat, & parère tenetatur, ſicut prius de iure tenebatur, ac ſi dicti proceſſus nunquàm emanaſſent, vel etiam emanarent.

In eadem ſeſsione caſſat ſynodus proceſſus contra ducem VVilhelmum protectorem Concilij, & alios adhærentes Concilio.

Et inſuper pari modo quoſlibet proceſſus per præfatum dominum Eugenium Papam, aut alium eius nomine, contra quaſlibet alias perſonas cuiuſuis gradus, ſtatus, præeminentiæ & honoris extiterint, etiamſi regali, reginali, ducali, aut alia quauis præfulgeant dignitate, & præſertim contra dilectum Eccleſiæ filium nobilem virum Vuilhelmum ducem Bauariæ, huius ſacri Concilij nomine præfati Regis Romanorum protectorem, nec non ciuitates, vniuerſitates quarumcunque ciuitatum & terrarum, & maximè Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubiectas, vicarios quoque, rectores gentium, armigerorum & capitaneos officiales & ſingulares perſonas earundem, huic ſanctæ ſynodo adhærentes factos & prolatos, vel in poſterum faciendos, aut proferendos, etiam contra ſimiles perſonas, ciuitates & vniuerſitates, quæ in futurum adhærebunt, poſtquam adhęſerint, hæc ſancta ſynodus caſſat, irritat & annullat: & ſi in futurum fieri attententur, nunc pro tunc caſſos & nullos eſſe decernit, ac nullius exiſtere roboris vel momenti. Vniuerſis quoque Chriſti fidelibus, etiam ſub ſimili pœna latæ ſententiæ excommunicationis, & priuationis dignitatis cuiuſlibet eccleſiaſticæ vel mundanæ interdicit, ne quiſpiam ipſi domino Eugenio Papæ, aut alteri eius nomine, circa proceſſus huiuſmodi factos vel fiendos, aut eorum executioni quouis modo obedire vel parere præſumat. Celebrata fuit hæc ſeſsio die vigeſima ſecunda Ianuarij, Anno domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio. Lecta & publicata per reuerendum patrem & dominum, dominum Franciſcum Epiſcopum Cumanum, celebrante reuerendo domino Patriarcha Antiocheno.

SESSIO X.

Die 19. Februa. 1432.

ANNO Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimotertio, indictione vndecima, die verò Iouis decimanona menſis Februarij, celebrata fuit ſeſsio decima in naui eccleſiæ Baſileenſis. In qua poſt Miſſam de Spiritu ſancto per reuerendum in Chriſto patrem dominũ Matthæum Albinganienſem ſolenniter decantatam, orationibusq;, litanijs, Euangelio ſecũdùm Matthæum: Dixit Simon Petrus ad Ieſum, Ecce nos reliquimus omnia, &c. alijſque ſuffragijs cum hymno, Veni creator ſpiritus decantato, aſsiſtentibus & præſentibus in eadem quadraginta ſex prælatis in mitris eorum planis, de quorum numero tres presbyteri, & duo diaconi Cardinales in vtriſque lateribus collocati extiterunt. Necnon illuſtriſsimo principe domino Vuilhelmo duce Bauariæ, &c. huius ſacri Concilij protectore, vnà cum alijs quampluribus honorabilibus vtriuſque tam ſpiritualis quàm ſecularis ſtatus perſonis, ex iniuncto ſibi mandato pro parte ipſius ſacræ ſynodi, reuerendus in Chriſto pater dominus ſcilicet * Crimanus Epiſcopus ambonem ad hoc ordinatum aſcendens, decreta infra ſcripta de verbo ad verbum alta & intelligibili voce legit, & ſolenniter publicauit.

Math. 19.

* Germanus
* Cumanus.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Pridem in octaua ſeſsione huius ſacri Concilij in decreto citationis domini Eugenij Papæ Quarti, clauſula quædam infra ſcripti tenoris adiecta fuit, videlicet adijciens, quòd ſi dictus dominus Eugenius Papa præmiſsis parère contempſerit, & dicto tempore ſexaginta dierum pendente, aliquas promotiones fecerit ad cathedrales eccleſias vel eccleſiaſticas dignitates, vel alia quæcunque beneficia vel officia, in fomentum dictæ ſuæ prætenſæ diſſolutionis, & eneruationem, diminutionem ſeu impedimentum huius ſacri Concilij, de quo ipſius ſacri Concilij arbitrio iudicabitur, an factæ fuerint in fomentum tales promotiones, hæc ſancta ſynodus caſſat, irritat, & annullat. Hanc autem clauſulam pro tuitione huius ſacri Concilij & perſonarum eidem adhærentium, hæc ſancta ſynodus extendit, & vires habere vult, vſquequò per ipſam ſanctam ſynodum ſuper hoc aliter fuerit ordinatum.

Extenſio decreti quod incipit, Ambitioſorum.

Ex eadem etiam cauſa decretum illud, quod incipit, Ambitioſorum, &c. in eadem ſeſsione promulgatum, hæc ſancta ſynodus extendit ad perſonas collegiorum, capitulorũ, monaſteriorum, & conuentuum, ſeu alias quaſcunque, quæ aliquem admittere ſeu recipere præſumpſerint in poſſeſsionem dignitatum, officiorum vel beneficiorum perſonarũ, quæ in dicto decreto exprimuntur.

Accuſatio contumaciæ Papæ.

Deinde dictis decretis pronunciatis, promotores præfatæ ſanctæ ſynodi, per oraculum magiſtri Henrici de Behenheym officialis curiæ Baſileenſis, &c. contumaciam domini noſtri Papæ Eugenij Quarti accuſarunt, prout in ſchedula continetur, cuius tenor ſequitur, & eſt talis: Reuerendiſsimi reuerendiq; patres & domini, cùm iamdudũ de menſe Aprilis proximè præterito, in publica ſeſsione hæc ſancta ſynodus exoraſſet, monuiſſet, ac debitè omni cum inſtantia humiliter requiſiuiſſet dominum Eugenium Papam quartum, vt illam ſuam prætenſam diſſolutionem huius ſacri Concilij aliàs per ipſum factam, ſicut de facto proceſſerat, de facto etiam reuocare deberet, ac ipſam etiam reuocationem, quemadmodum & diſſolutionem huiuſmodi prætenſam, per diuerſas mundi partes tranſmitteret & publicaret, ac ipſi ſacro Concilio Baſileenſi (ſicut tenebatur) aſsiſteret fauoribus opportunis, fuerit quoque ſtatutus exinde ſibi terminus quatuor menſium ad veniendum perſonaliter, vel alias perſonas idoneas mittendum ad hoc ſacrum Concilium cum plena poteſtate ad omnia & ſingula peragenda in hoc ſacro Cõcilio, prout hæc latiùs in decretis ipſius ſanctæ ſynodi continentur, & dicto termino quatuor menſium adueniente, fuerit per nos ſæpedictæ ſacræ ſynodi promotores & procuratores, ac nomine eiuſdem coram veſtris reuerendiſsimis paternitatibus ipſius domini Eugenij, nullatenus in præmiſsis parentis, contumacia debitè accuſata, petitumq; ipſum contumacem declarari. Et licèt tunc ſancta ſynodus ſolita vtens manſuetudine, huiuſmodi petitionem noſtram non ſpreuerit, neq; contumaciam petitam declarauerit, producta tamẽ noſtra aſſumens, interloquendo ſe deliberare velle decreuit. Quæ quidem deliberatio per tres menſes exinde ſubſequentes perdurauit, per quos hæc ſancta ſynodus ad omnẽ eius grauitatem & manſuetudinem in procedendo clarè oſtendendum, ipſi domino Eugenio expectato, ſi fortè reſipiſceret in præmiſsis, nec tamen adhuc parente, die decimo octauo menſis Decembris proximè pręteriti in publica ſeſſione cùm adhuc viderent præfatum dominum Eugenium in priori ſua contumacia perdurare, ac etiã quod longè deteriùs erat, hoc ſacrum Concilium ſubuertere varijs modis ſatagere, nec non quandam congregationẽ ſub nomine generalis Concilii in pręiudicium & euerſionẽ huius ſacrę ſynodi indicere, ipſum per ſuum decretum ſolenne iterato ad ſuperabundantem cautelam, & vt in magis manifeſta cõſtitueretur contumacia, omni cũ reuerentia admonuit, exhortata eſt, ac eidem ex parte omnipotentis Dei præcepit atque mandauit, quatenus infra 60. dies à dicta die decimaoctaua menſis Decemb. ſubſequentes prædictas prætenſas diſſolutionẽ & conuocationem congregationis ſub nomine generalis Concilij publicè reuocaret, huicq; ſacro Concilio publicè purè & ſimpliciter adhæreret, realiter & cũ effectu: alioquin hæc ſancta ſynodus abſq; vlteriori monitione ſeu citatione contra ipſum ſuper præmiſsis & omnibus alijs in ipſo ſacro Concilio peragendis vſq; ad finem debitum incluſiuè procederet, prout Spiritus ſanctus dictaret, & tam de iure diuino quàm humano foret procedendum. Verùm reuerendiſsimi reuerendiq; patres & domini, cũ præfatus dominus Eugenius, dictis 60. diebus iã elapſis pro vltimo & peremptorio termino ſibi quò ad pręmiſſa aſsignatis, circa omnia & ſingula ſibi per hanc ſacrã ſynodum (vt eſt præmiſſum) pręcepta & mandata negligentem ſe reddiderit, & minimè paruerit, imò in eius priori cõtumacia (quod dolẽter referim⁹) adhuc perſeueret & perduret, nos duo, magiſter Hugo & ego, promotores & procuratores prædicti, ad probationẽ & iuſtificationẽ omnium & ſingulorũ præmiſſorum pridiè in generali cõgregatione in domo Pręndicatorum 17. huius mẽſis habita producentes & repetentes omnia & ſingula inſtru-

* a- ,&c.

menta & decreta, acta * actitata, & munimenta in præmiſsis facientia, & maximè primę monitionis & requiſitionis cum executione earundem debitè facta, nec non eiuſdem domini Eugenij contumaciam aliàs accuſatam, ac decretum huius ſecundæ citationis cum eius debita publicatione & executione, prout hæc omnia latiùs apud acta huius ſanctæ ſynodi ſunt conſcripta, præfati domini Papæ contumaciam accuſauerimus, debita cùm inſtantia requirentes, vt eundem veſtræ reuerendiſsimę paternitates pro contumace haberi vellent & reputari: contraque eundem ſuper præmiſsis & omnibus in hoc ſacro Concilio peragendis vſque ad finem debitum incluſiuè, ſine vlteriori citatione, prout Spiritus ſanctus dictaret, procedere: nec non certam diem profeſsione publica habenda ad huiuſmodi contumaciam ſolenniter accuſandam deputare, & locum congregationis generalis fore habilem pro huiuſmodi actu contumaciæ accuſatæ, declarare dignarentur: veſtræque reuerendiſsimæ paternitates poſt nonnullas deliberationes dictum locum congregationis ad hoc habilem & idoneum ad præmiſſa decernentes, & declarantes, pro præmiſſa contumacia per nos accuſanda, hanc diem, nec non & ſeſsionem publicam præſentem nobis miſericorditer ſtatuere & aſsignare decreuiſtis, prout hæc omnia in ſupradictis actis huius ſacri Concilij pleniùs continentur, ad quæ, quò ad hoc, nos referimus. Vnde reuerendiſsimi reuerendique patres & domini, iuxta prædictam ſeſsionis publicæ aſsignationem, nobis (vt præfertur) gratioſiùs conceſſam, nos prædicti promotores iteratò cum ea qua poſſumus & debemus inſtantia, apud reuerendiſsimas dominationes veſtras & coram hoc ſacro Concilio, præfati domini Eugenij Papæ ſuper omnibus & ſingulis in dictis citationum decretis contentis, contumaciam accuſamus, petentes & eadem cum inſtantia requirentes, vt reuerendiſsimæ paternitates veſtræ (prout iuſtitia ſuadet, & ordo iuris poſtulat & rationis) declarent ipſum dominum Eugenium in præmiſsis contumacem, ac pro tali eum habeant & reputent. & inſuper contra ipſum ſuper præmiſsis & omnibus alijs in hoc ſacro Concilio peragendis vſque ad finem debibitum incluſiuè, ſine vlteriori citatione (prout Spiritus ſanctus dictauerit) & de iure diuino pariter & humano fuerit procedendum, procedi, ac prout in huius ſacræ ſynodi decretis pleniùs continetur. Qua ſiquidem contumacia (ſicut præfertur, in ſcriptis accuſata, reuerendiſsimus pater dominus Cardinalis legatus * pro & nomine ſacri Concilij iniunxit reuerendis patribus dominis Vticenſi & Nouarienſi epiſcopis, quatenus ad valuas eiuſdem eccleſiæ irent, ad inquirendum vtrùm ſanctiſsimus dominus noſter Eugenius Papa Quartus, cuius contumacia nunc per promotores fuit accuſata, aut aliquis alius eius nomine eſſet ibidem, qui vellet comparere coram ſacroſancta ſynodo ibidem exiſtente. facturus & adimpleturus illa ad quæ per duas citationes ſeu monitiones citatus ſeu monitus fuit. Qui quidem duo domini epiſcopi de mandato quo ſuprà, aſſumptis etiam nobis notarijs infraſcriptis, ad eaſdem valuas iuerunt, altaq; & intelligibili voce per organum præfati domini epiſcopi Nouarienſis trina vice proclamauerunt, inquirentes prout eiſdem per dictum dominum legatum nomine dicti ſacri Cõcilij fuerat iniunctum, petentes à nobis notarijs publicum inſtrumentum ad perpetuam rei memoriam, &c. Qua ſic facta trina proclamatione, nemineque pro dicto domino Eugenio comparente, ad præſentiam eiuſdem ſacri Concilij in eadem eccleſia cõſtituti, redeuntes, retulerunt, prout ſuprà, proclamaſſe, nec aliquem nomine prædicti domini Eugenij coram eis comparuiſſe. Poſt quam quidem relationem promotores ſacri Concilij per organum domini officialis Baſileenſis proponentes, dixeruut in effectu ſimilia verba: Reuerendiſsimi reuerendique patres & domini, audiuerunt veſtræ reuerendiſsime paternitates relationem per dominos Vticenſem & Nouarienſem epiſcopos factam, & quia præfatus dominus Eugenius, licèt debitè vocatus & expectatus, per ſe vel alium non comparuit, prout neque comparet, eius contumaciam iterum & ex ſuperabundanti accuſarunt, trina vice petentes ipſum per ſacrum Concilium pro contumace reputari, & declarari, reproducentes & repetentes acta & decreta huius ſacri Cõcilij Baſileenſis, nec nõ duas citationes & earum executiones vnà cum omnibus actis & actitatis in huiuſmodi cauſa, petentesque diem certam pro ſeſsione publica ſuper huiuſmodi declaratione fienda, eiſdem aſſignari. Quibus petitis dominus Cardinalis legatus & præſidens generalis dicti ſacri Concilij & nomine eiuſdem, verba ſua dirigens ad ipſos promotores, dixit: Venerabiles promotores audiuit hæc ſancta ſynodus relationem factam per præfatos dominos epiſcopos, & petitionem veſtram, idcircò hæc ſancta ſynodus iudices huius ſacri Concilij deputat & ordinat ad videndum & ad examinandum proceſſum factum contra eundem dominum Eugenium, & referant in congregatione generali. Qua facta relatione, ſacrum Concilium deliberabit ſuper declaratione contumaciæ & alijs in huiuſmodi cauſa peragendis, ac in ſeſsione ſuper hoc decernenda vobis reſpondebit. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis ſupradicti promotores & eorum quilibet, ad perpetuam rei memoriam, pecierunt & petijt à nobis notarijs fieri vnum vel plura, publicum * & publica inſtrumenta. Datum in ſeſsione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, die Iouis decimanona menſis Februarij, Anno à Natiuitate Domini 1433.

or.* pro ,&

for.* vel publica, in ſtrumentum vel

SESSIO XL.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Quoniam frequens generalium Conciliorum celebratio tanquam agri dominici præcipua cultura, vniuerſalem eccleſiæ ſtatum concernit, ideò ſumma cum diligentia intendendum eſt, vt cunctis obſtaculis quæ tam ſalubrem inſtitutionem impedire poſſent, accuratè obuietur. Inhærens igitur hæc ſancta ſynodus ordinationi decreti Concilij Conſtantienſis, quod incipit, FREQVENS, cupienſque, ne ſcandala, quæ (proh dolor) diebus noſtris contigerunt, futuris temporibus in perniciem eccleſiæ repullulent, ſtatuit & decernit, vt Romanus pontifex, qui primus in vinea domini laborare, & alios ſuo exemplo ad laborandum trahere tenetur, per ſe vel legatum de latere aut legatos, eligendum vel eligendos, de conſilio & aſſenſu non auriculari duarum partium Cardinalium, in Concilijs generalibus debeat intereſſe: necnon omnes & ſingulæ perſonæ eccleſiaſticæ, quæ de iure vel conſuetudine generalibus Concilijs adeſſe debent, deinceps ad ipſa generalia Concilia tam vigore ipſius conſtitutionis, FREQVENS, indicta, quàm huius ſacri Concilij Baſileenſis, vel alterius futuri legitimè congregati authoritate indicenda, ſine alia vocatione venire perſonaliter aſtringantur, niſi legitimo detineantur impedimento: quo caſu', perſonas idoneas cum ſufficienti mandato deſtinare teneantur.

Conſtantienſis Cõcilij ſeſſ. 39.

Quòd ſi ipſe Romanus pontifex, & aliæ prædictæ perſonæ hoc facere neglexerint, aut ipſum Concilium quoquo modo de facto impedire, mutare, prorogare, diſſoluere, operá dederint, & infrà quatuor menſes cum reali ſatisfactione non reſipuerint, ex tunc Romanus pontifex à Papali, & prędictæ perſonæ à ſuarum dignitatum adminiſtratione ſint ipſo facto ſuſpenſi. Quæ quidem Papalis adminiſtratio ad ſacrum Concilium ipſo iure deuoluatur. Quòd ſi pœnas prædictas per duos menſes poſt dictos quatuor animo ſuſtinuerint indurato, contra tam Romanum pontificem, quàm prædictas perſonas, vſque ad priuationẽ incluſiuè, per Concilium generale procedatur.

Quòd liberum ſit cuilibet venire ad Concilium.

Statuit quoque hæc ſancta ſynodus, vt non obſtante quacunque, etiam Romani pontificis prohibitione, omnibus quibuſcunque cuiuſcunque ſtatus & conditionis exiſtant, etiam ſi ſint ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, liberum ſit ad generalia proficiſci. Quodque ipſe Romanus pontifex ad ipſa Concilia generalia accedere volentibus, & præſertim prædictis Cardinalibus, licentiam (ſi petierint) impartiri teneatur.

Decla-

Declarat Concilium, verbum de prorogatione Concilij: & caſſat attentata in contrarium, vel attentanda in futurum.

Declarat quoque hæc ſancta ſynodus verba illa, videlicet, Nullatenus prorogetur, in dicto decreto poſita, ita prohibitiuè intelligi, vt etiam per Papam prorogari non poſſit. Quodque Concilium actu congregatum, diſſolui aut de loco ad locum mutari ſine ipſius Concilij expreſſo conſenſu, per Romanum pontificem nullatenus poſsit, caſſatque, irritat, & annullat, ſi quid forſitan contra hæc vel etiam in derogationem aut impedimentum ipſius Concilij generalis, perſonarumque & prælatorum ac ſuppoſitorum eiuſdem, per priuationem, tranſlationem, cenſuraſque eccleſiaſticas, vel aliter quomodolibet in futurum contigerit attentari.

Quòd non diſſoluatur, aut mutetur Concilium, niſi de conſenſu duarum partium cuiuslibet, &c.

Statuitque ex certis rationabilibus cauſis, vt præſens Baſileenſe Concilium per neminem, etiam ſi Papalis fuerit dignitatis, diſſolui aut de loco ad locum mutari poſsit, niſi de expreſſo conſenſu duarum partium cuiuſlibet deputationis, votis ſingulorum ſcrutatis, ſubſequentique approbatione duarum partium congregationis generalis, ſimiliter ſcrutatis votis ſingulorum, ac demùm in ſeſsione publica facta declaratione. Obſecratque per viſcera miſericordiæ IESV Chriſti, & per aſperſionem ſui ſanguinis pretioſi omnia ſuppoſita huius ſacri Concilij tam præſentia quàm futura obteſtatur, vt ante completam reformationem in capite, & in membris, quantùm rationabilius fieri poterit, nullatenus diſſolutioni conſenſum præſtent, nec loci mutationem fieri permittant, niſi ex cauſis iuſtis & manifeſtis.

Quòd locus Concilij eligatur per menſem ante diſſolutionem, & declaratur verbum illud, In decennium.

Iuxta ipſius Conſtantienſis Concilij ordinationem, vult omninò ſaltem per menſem ante tempus diſſolutionis eligi locum pro futuro celebrando Concilio, declaratque ad abundantem cautelam, verbum illud, IN DECENNIVM, in prædicta poſitum conſtitutione, ſic intelligi debere, vt decennium totaliter compleatur, & eo integrè completo, ex tunc facultatem Concilij generalis celebrandi incipere. Quòd ſi caſu aliquo contingat, eos qui Concilijs generalibus intereſſe tenentur, in principio temporis non aduenire, declarat, non propterea dictam Concilij celebrandi facultatem expirare, ſed vt * quantocitius commodè fieri poterit, celebretur. Ne autem diu differri poſsit, ſtatuit, vt per 20. dies ante prædictum decennij tempus completum, vel aliud, ſi forſan ex cauſa per Concilium prefigi contingat, Romanus pontifex per ſe vel legatum aut legatos ſuos, necnon Archiepiſcopus, in cuius prouincia vel diœceſi fuerit Concilium celebrandum, & omnes prælati vicini loco celebrationis Concilij per quatuor diætas vulgares, ceſſante impedimento canonico, in proprijs perſonis: vel eo obſiſtente, per viros idoneos ad hoc vicarios conſtitutos, adeſſe teneãtur, vt de loci diſpoſitione, & alijs preparatorijs Concilij valeant habere tractatum, Die autem inchoationis Concilij generalis præfinita, hi qui ibidem fuerint, Miſſam de Spiritu ſancto ſolenniter celebrent, & Concilium ex eo die ſtabilitum & inchoatum eſſe efficaciter cenſeatur. Verùm propter multas neceſsitates quæ contingere poſſunt venientibus ad Concilium, exhortatur hæc ſancta ſynodus eos qui tũc præſentes fuerint, vt ad ardua negotia concludenda, niſi decenti expectatione abſentium moderata, congruo interuallo temporis non procedant, ſed ſic diuino timore præuio procedatur in cunctis cum debita grauitate, ſicut tanta magnitudo negotiorum vniuerſalis eccleſiæ exigit & requirit. In his autem caſibus, in quibus ſecundùm decretum ſtatuti Conſtantienſis, Papæ licet locum futuri Concilij de conſenſu ſanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalium mutare, ſtatuit, vt ſi Papa id facere negligat, collegium Cardinalium hoc ſuppleat, ita tamen, vt duæ partes ipſorum Cardinalium conſentiant, ſeruando nihilominùs modum qui in dicto capitulo, FREQVENS, continetur. Ipſam autem loci mutationem, ſi fieri contingat, iurabunt dicti Cardinales, ſecundùm Deum & cõſcientiam ſuam illam facere, & ex cauſis manifeſtis in capitulo, FREQVENS, contentis.

* quantocius

Conſtantiẽſis Concilij ſeſſ. 39. vbi ſuprà.

Quòd electores Papæ, ante ingreſſum conclauis iurent, quòd ſi quis eorum eligatur, ſeruabit dicta decreta.

Vt præmiſſa faciliùs executioni demandentur, ſtatuit ipſa ſancta ſynodus, quòd electores Romani pontificis ante ingreſſum conclauis iurare, Deoque & Eccleſiæ promittere teneantur, quòd ſi contingat aliquem ex eis in Papam aſſumi, premiſſa ſupradicta decreta, ſtatuta & ordinata ſeruabit, & poſſe adimplere realiter & cum effectu curabit, adijciens quòd quicunque in Romanum pontificem futuris deinceps temporibus aſſumetur, inter alia quæ profiteri debet, iuxta decretum Concilij Conſtantienſis, quod incipit, Quantò Romanus pontifex, &c. iuret etiam præſens decretum efficaciter obſeruare. Quam quidem profeſsionem teneatur poſteà in primo publico conſiſtorio de nouo facere, profiteaturque, ſi eorum, quæ in hoc decreto continentur, fuerit violator, nec non ratione cuiuſlibet notorij criminis Eccleſiam ſcandalizantis, iudicio generalis Concilij ſe eſſe ſubiectum. Hancque profeſsionem tam ipſe quàm collegiũ Cardinalium inſerant literis, quas de noua aſſumptione Papæ per orbem de more tranſmittent.

In ſeſſione Conſtan. 39.

Quòd publicetur hoc decretum in ſynodis.

Vt tam ſalutaris ac neceſſarij decreti nullus poſsit ignorantiam prætendere, mandat hæc ſancta ſynodus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus metropolitanis epiſcopis, vt in prouincialibus & ſynodalibus Concilijs prælatis religionũ in ſuis capitulis generalibus huiuſmodi decretum legi faciant & publicari.

Concilium caſſat iuriſdictionem factam curialibus Romanæ curiæ, ne veniant ad ipſum Concilium.

Cùm liberum eſſe debeat omnibus, ad hoc ſacrum Concilium generale, quod vniuerſalem repræſentat Eccleſiam, proficiſci, & conſequenter quicquid in contrarium quacunque authoritate etiam ſi Papali, ſtatuatur, irritum ſit cenſendum: ideò hæc ſancta ſynodus caſſat, irritat, & annullat quæcunque mandata, etiam ſub cenſuris, priuationibus beneficiorum & officiorum, inhabilitationibus ad eadem, & alijs quibuſcunque pœnis facta & fienda, tam per dominum Eugenium Papam quartum, quàm eius camerarium, vel alium eorum authoritate, curialibus & officialibus Romanæ curiæ, vel alijs quibuſcunque perſonis cuiuſcunque ſtatus & dignitatis exiſtant, ne de curia Romana recedant, per quæ facultas ad hoc ſacrum Concilium veniendi, tolli, impediri, vel reſtringi quomodolibet poſſet. Datum Baſileæ in ſeſsione publica celebrata in Eccleſia maiori Baſileenſi, quinto Kalendas Maij, Anno à natiuitate Domini 1433.

SESSIO XII.

Die 14. Iulij, tunc ſeſſio tertia, 1433.

Decretum citationis contra Papam.

SACROSANCTA Baſileenſis generalis ſynodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans ad perpetuam rei memoriam. Sancta Catholica Eccleſia in ſacro Conſtantienſi Concilio conueniẽs, cùm animaduerteret neglectum ſacrorum Conciliorum, præteritis temporibus occaſionem fuiſſe hæreſium, errorum, ſchiſmatum ac plurimarum deformitatum in populo Chriſtiano, ipſorumq; Conciliorum frequentationẽ, optimum

In Cõſtantienſis Concilij ſeſſ. 39.

mum fore dictarum peſtium ac malorum antidotum, diuina inſpiratione inſtituit, deinceps certo modo & tempore generalia Concilia celebrari. Priùs autem ne quiſquam de ipſorum Conciliorum poteſtate hæſitaret, declarauit Concilium generale Catholicam Eccleſiam repræſentans, poteſtatem è Chriſto immediatè habere, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, atque ad generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris. Quodq́ue eius mandatis, ſtatutis, ordinationibus & præceptis ſuper præmiſsis ſeu ad ea pertinentibus, quicunque etiam ſi Papalis fuerit dignitatis, obedire contumaciter contemnens, niſi reſipuerit, condignę pœnitentiæ ſubijciendus eſt, & debitè puniendus, etiam ad alia iuris ſubſidia (ſi opus fuerit) recurrendo. Authoritate igitur memorati Conſtantienſis Concilij, ac deinde ex inſtituto ſacri Concilij Senenſis, approbationeque felicis recordationis Martini Papæ quinti, & moderni domini Eugenij Papæ quarti, hæc ſancta ſynodus Baſileenſis legitimè congregata, ad opus generalis reformationis Eccleſiæ in capite & in membris, nec non ad extirpationem hæreſum, omni cum diligentia in ſuo primordio procedere decreuit. Sed quoniam abſque pace Chriſtianorum principum hæc duo ſanctiſsima opera non facilem executionem habere poterant, profeſſa eſt etiam ad pacem concordiamq́ue Chriſtiani populi velle totis viribus laborare, quemadmodùm hactenus fecit, feciſſetq́ue vberiùs ac fortè feliciùs, niſi grauibus fuiſſet per præfatum dominum Eugenium obſtaculis impedita. Et quoniam inter Chriſtianos nemo eſt, cuius pro ſua dignitate magis interſit quàm ſummi pontificis, huiuſmodi ſacris operibus intendere, hæc ſancta ſynodus à ſuę congregationis initio dominum Eugenium per binas ambaſiatas cum magna inſtantia deprecata eſt, vt ſuas operas conſiliaque & auxilia ad ipſam ſynodum fouendam & promouendam vellet impendere. Cùm verò ab ipſo domino Eugenio Papa pro ſuo paſtorali officio omne genus ſubſidij & ſuffragij ſperaremus, lugubri nuncio ad nos perlatum eſt, hoc ſacrum Concilium tam ſolenniter inſtitutum, & pro tam neceſſarijs negotijs congregatum, in publico conſiſtorio de facto, cùm de iure non poſſet, tentaſſe diſſoluere.

Conſtantienſis Cõcilij ſeſſ. 4. & 5.

Conſtantiēſis Concilij ſeſſ. 5.

Quod nos audientes, triſtitia conſternati, magnoq́ue mœrore confecti ſumus. Nec modò nos ſacrum Concilium celebrantes huiuſmodi prætenſa diſſolutio ſuprà modum ſcandalizauit, ſed & omnem populum Chriſtianum, qui tam ſanctorum operum felicem exitum magno cum deſiderio expectabat. Exiſtimans tunc hæc ſancta ſynodus, ſiniſtris informationibus ipſum dominum Eugenium fuiſſe circumuentum, mox ad eum venerabilem epiſcopum Lauſanen. & decanum Traiecten. oratores deſtinauit, eidem oſtenſuros cauſas prætenſæ diſſolutionis à veritate procul eſſe, ſupplicaturosq́ue vt cùm huiuſmodi res grauiter ac notoriè eccleſiam perturbaret, plurimæque in Chriſtiano populo exindè calamitates ſecuturæ eſſent, ipſam diſſolutionem tam ſcandaloſè factam, omninò reuocaret, & huic ſanctæ ſynodo, ſicut dignitatem ſuam decebat, cum effectu adhæreret. Sed ipſorum oratorum rationibus ac precibus nequaquam motus, eos ad nos vacuos remiſit. Quod tam graue ac notorium ſcandalum hæc ſancta ſynodus ferre non valens, ipſum dominum Eugenium in publica ſeſsione monuit, vt infrà quatuor menſes prętenſam diſſolutionem tot ſcandalorum cauſam, penitùs aboleret. Interim autem & poſt chariſsimus eccleſiæ filius Sigiſmundus Romanorum Imperator illuſtris tanquam Eccleſiæ fidelis aduocatus, pluribus notabilibus ambaſiatis ac crebris literis ipſum dominum Eugenium humilimè deprecatus eſt, vt ab huiuſmodi eccleſiæ perturbatione omninò deſiſteret. Id ipſum etiam, zelo fidei & eccleſiæ ſuccenſi, quamplures reges & principes, Cardinales ac prælati, tam in curia Romana quàm extra, rogando, obſecrando, monendo, ſedula cum inſtantia fecerũt. Et quidem tot preces & requiſitiones vndique ſibi porrectæ ſunt tam piè, humiliter & deuotè, (vt quod dolenter referimus) ſi pax & tranquillitas eccleſiæ ſibi fuiſſet cordi, nullatenus diſſentire potuiſſet. Circa autem ipſorum quatuor menſium exitum ad nos quator oratores tranſmiſit, non vt emendarent, ſed errata defenderent, noſq́ue increparent, quòd mox ſuæ prætenſæ non paruiſſemus diſſolutioni. Quibus per reſponſiones huius ſacri Concilij, veritas tam iuris diuini & humani, quod ſine cõſenſu Concilij diſſoluere nequiuerat, quam facti, quòd cauſæ prætenſæ diſſolutionis veræ non fuerant, extitit luce clariùs patefacta. Tranſactis his quatuor menſibus, cùm in publica ſeſsione promotores ſacri Concilij ipſius domini Eugenij contumaciam accuſantes, eum contumacē declarari peterent, ſancta ſynodus à dictis oratoribus exorata, vt ſuperſedere dignaretur pro tunc, & vſq; ad tres mēſes poſteà diſtulit. Et cùm interim nulla ſuę emendationis indicia apparerent, imò quotidie in ſuo propoſito duriùs perſeuerans, innumeris modis, quos honeſtatis cauſa reticemus, ipſam ſanctã ſynodum diſsipare & euertere conaretur: nos, licèt ſuadente iuſtitia, acrioribus remedijs vti potuiſſemus, nihilominùs manſuetudinis noſtræ nõ immemores, iterum ipſum monuimus, & ex parte omnipotentis Dei præcepimus, vt infra ſexaginta dies diſſolutionem prætenſam prorſus reuocaret, & ſacro Concilio purè, ſimpliciter, & cum effectu adhæreret. Quibus exactis, iterum per promotores Concilij ipſius domini Eugenij contumaciam fortiùs accuſantes, inſtantiùs interpellati ſumus, vt ad declarationem contumaciæ, & ad pœnas, quas tanta contumacia exigebat, procederemus. Et nihilominùs aliquandiu differre decreuimus, ſi fortè tãtam ſacri Concilij pietatem videns, ipſe quoque ad pietatem flecteretur. Intereà quatuor alij ſui oratores ad nos ſuperuenerunt, varias ſecum facultates, imò veriùs difficultates & inuolutiones afferentes, per quas monitioni noſtræ nullatenus parebatur, nec prætenſa irritabatur, ſed potiùs firmabatur diſſolutio. Multa etiam alia in his continebantur non mediocriter abſurda, & ſacro præiudicialia Concilio, quibus, ſine Dei offenſa & graui iactura eccleſiæ, nullatenus aſſentire poteramus, prout hæc in reſponſione dictis ambaſiatoribus ſextadecima die Iunij tradita, diffusè deſcribuntur. Poſt itaque duos menſes, qui decimanona Februarij expirârunt, vſque ad præſentem diem patienter diſtulimus, ſperantes ipſum dominum Eugenium plenam tandem adhærentiam præbiturum, ſed (vt rei euidentia iam demõſtrat) quo magis pulſatur, eò amplius ſuas obturat aures. Et quantò ſecum benignius ac modeſtius agitur, eò tenacius in ſuæ diſſolutionis propoſito perſeuerat: & quãtum ex eius verbis factiſq́ue colligi poteſt, nil aliud prætendere videtur, niſi vt eccleſiam peſſundet, iuſq́ue ſibi & ſucceſſoribus faciat, non ſolùm abrogandi ritum ſacrorum Conciliorum & ea pro libito diſſoluēdi, ſed & ipſorum ſacratiſsima decreta ſpiritu Dei promulgata, à quibus ſtatus pendet vniuerſalis eccleſiæ, irritandi & abolendi, & præſertim declarationem illam, quòd in his quæ ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & generalem eccleſiæ reformationem in capite & in membris pertinent, quilibet, etiam Papalis dignitatis, decretis generalis Concilij ſubijcitur. Ex quibus quot quantaque mala ac ſcandala ex nunc & in futurum ſuccedere poſsint, ſatis omnibus liquet, & in præfata reſponſione latè exprimitur. Cùm ergo iam vltra annum & dimidium, incaſſum apud eum laborauerimus, nec noſtris aut aliorum precibus & monitionibus flecti velit, nec eum quantacunque manſuetudine ac patientia ad ea quæ pacis & rationis ſunt, mouere queant, quid amplius fruſtrà immorãdum eſt? Forſan noſtram patientiam putat aſſenſum, & ex longa dilatione fiduciam perſeuerandi aſſumit, quaſi arbitretur ſe rectè feciſſe, nec eccleſiam in eum quicquam poſſe, cui nullam irrogare pœnã auſa eſt. Veremur, ne facilitas veniæ, incentiuum ſibi tribuat delinquendi. Timemus, ne ſi delicta notoria intacta dimittamus, fouere ipſa iudicemur. Chriſtus Deus noſter cùm in Hieruſalem pergeret, opus noſtræ redemptionis impleturus, & Petrus eum prohibere vellet, compeſcuit eum, dicens: Vade poſt me ſatana, ſcandalum mihi es, quia non ſapis quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum. Beatus Paulus cùm vidiſſet Petrum Apoſtolorum principem circa obſeruationem legalium reprehenſibilem fore, & non ambulare ad veritatem Euangelij, reſtitit ei coram omnibus in faciem, & eum à ſimulatione, in quam alios deducebat, veritatis zelo repreſſit. Eccleſia Catholica ſæpenumerò ſummos pontifices, ſiue à fide delirantes, ſiue prauis moribus notoriè Eccleſiam ſcandalizantes, correxit & iudicauit, neq; vbi de fidei periculo aut ſcãdalo religionis Chriſtianæ agebatur, Romanis põ-

Hęc, ſicut & alia plaque, nimis acerbè in Pontificem dicuntur.

Matth. 16. & Marc. 8.

Galat. 2.

tificibus

tificibus pepercit. His exemplis ac rationibus hæc ſancta ſynodus excitata, habens à Deo authoritatem animaduertendi in eos qui ipſam non audierint, conſideransque expedire iam ſaluti animæ ipſius Eugenij, quàm ſtatui vniuerſalis Eccleſiæ modernis futuriſque temporibus, amodò in dictum dominum Eugenium acrioribus remedijs, quoniam quidem leniora non proſunt, procedere decreuit. Et quamquam in tam notoriè & incorrigibiliter ſcandalizantem eccleſiam, ſtatim poſſet finalem ferre ſententiam, neſciens tamen maternæ pietatis obliuiſci, intuitu etiam præfati sereniſsimi Imperatoris, qui per ſuas literas ſuper hoc nos exactè rogauit, adhuc ipſum dominum Eugenium tertiò monere, ac etiam tertiam ei indulgere dilationem proponit, vt in ſua poteſtate ſit, ſi velit pœnam euitare: idcircò hæc ſancta ſynodus præfatum dominum Eugenium, cum quanta poteſt inſtantia & affectu per viſcera miſericordiæ IESV Chriſti rogat, orat, obſecrat, monet, citat & requirit, & ex parte omnipotentis Dei vltimò & peremptoriè mandat & præcipit, vt prædictam prętenſam notoriè ſcandaloſam diſſolutionem penitùs reuocet, & hoc ſacrum Baſileenſe Concilium, per Generalium Conſtantienſ. & Senenſ. Conciliorum ſtatuta, approbationemque felicis recordationis Martini Papæ quinti, & ipſius domini Eugenij legitimè inchoatum, declaret à tempore huiuſmodi inchoationis continuatum fuiſſe & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuarique ac proſecutionem habere debere, & ipſi purè & ſimpliciter adhæreat, & cum effectu, & huiuſmodi reuocationem declarationemque & puram adhæſionem, per ſuas literas more Romanæ curiæ bullatas huic ſacro Concilio notificet infrà ſexaginta dies, à die præſentis publicæ ſeſsionis immediatè ſequentes. Quòd ſi dicta omnia & ſingula infra præfatos dies adimpleuerit cum effectu, hæc ſancta ſynodus ex ſua ſolita benignitate & clementia ipſum dominum Eugenium, quantùm cum Deo poterit, honorare & honorari facere intendit. Si verò (quod abſit) in pertinacia perdurant, omnia & ſingula prædicta infra prælatos ſexaginta dies realiter & cum effectu non adimpleuerit, elapſis dictis ſexaginta diebus, ex nunc prout extunc, & extunc prout ex nunc, hæc ſancta ſynodus in virtute omnipotentis Dei, à quo ſuper omnes Chriſti fideles immediatè poteſtatem vendicat, prædictum dominum Eugenium manifeſtè contumacem, notoriè incorrigibiliterque ſcandalizantem Eccleſiam, ab omni adminiſtratione Papatus in ſpiritualibus & temporalibus ipſo facto ſuſpendit, & ſuſpenſum eſſe declarat, proceſſura tandem ad vlteriora, vſque ad ſententiam finalem incluſiuè, ſi opus fuerit, ipſo domino Eugenio amplius non citato, prout Spirituſſanctus dictauerit: omnem autem ipſius Papatus adminiſtrationem in his omnibus, quæ in ſpiritualibus & temporalibus ad ſolum Papam, vel ad ſolam ſedem Apoſtolicam de iure pertinere noſcuntur, eadem ſancta ſynodus poſt dictũ terminum ad ſeipſam decernit & declarat ipſo facto eſſe deuolutam. Quicquid autem in caſu prædicto per ipſum dominum Eugenium, lapſo dicto termino, ratione Papatus factum fuerit & attentatum, decernit irritum & inane. Quo caſu omnes reges, principes, communitates, & alios quoſcunque cuiuſuis ſtatus & dignitatis exiſtant, hæc ſancta ſynodus monet & requirit, & eiſdem in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub diuini obteſtatione iudicij mandat, eccleſiaſticis verò perſonis, quacunq; dignitate, etiamſi Cardinalatus, patriarchali aut põtificali prę-fulgeant, ſub pœnis quas ipſo facto incurrant excommunicationis & ſuſpenſionis ab omnibus dignitatibus, beneficijs & officijs, quocunque nomine nuncupentur, etiamſi forent Metropolitanæ aut cathedrales eccleſiæ, ſiue in titulum, ſiue in commendam obtineant. Vicarijs autem gubernatoribus, vaſallis feudatarijs & ſubditis Romanæ Eccleſiæ, ſub pœna priuationis ipſo facto omnium feudorum & aliorum quorumcunque iurium & priuilegiorum, quæ ab ipſa Romana Eccleſia obtinent, diſtrictè præcipit, vt pręfato domino Eugenio, durante prædicta ſuſpenſione, prætextu cuiuſuis iuramenti, ſubiectionis aut promiſſæ fidelitatis, nullatenus ratione Papatus obediant. Adijcit quoque hæc ſancta ſynodus, quod ſi præfatus dominus Eugenius, dicto termino 60. dierum pendente, aliquas promotiones fecerit ad cathedrales eccleſias vel eccleſiaſticas dignitates, & alia quæcunq; beneficia vel officia in fomentum dictæ ſuæ prætenſæ diſſolutionis, & eneruationem, diminutionem ſeu impedimẽtum huius ſacri Concilij, de quo ipſius ſacri Concilij arbitrio iudicabitur, an factæ fuerint in fomẽtum, eodem ſancta ſynodus huiuſmodi ſic factas promotiones caſſat, irritat, & annullat. Mandat prætereà in virtute ſanctæ obediẽtiæ, & ſub pœna priuationis, quam ipſo facto incurrant, omnium ſuorum beneficiorum & officiorum, commendarum, penſionum & gratiarum quarumcunque etiam expectatiuarum, omnibus & ſingulis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, epiſcopis & alijs eccleſiarum prælatis, officiarijs curię & clericis quibuſcunq; in Romana curia exiſtentibus, cuiuſuis ſtatus aut conditionis exiſtant, quatenus in caſu prędicto poſt lapſum dicti termini infra 30. dies proximè & immediatè ſequentes, à curia Romana recedant, & deinde Cardinales omninò ſub pœna prædicta ad hoc ſacrũ Concilium, omni mora poſtpoſita, veniant: patriarchæ verò, archiepiſcopi, epiſcopi & alij eccleſiaſtici, prout de iure vel conſuetudine ad generale Conciliũ ire tenentur, ſub pęnis iuris iter ſuum ſine fraude continuando, ad ſacrum Concilium arripiãt. Reliqui verò qui ad generale Conciliũ non tenentur venire, ad reſidendum & Deo ſeruiendum in proprijs beneficijs, vel ad hoc ſacrum Concilium ſine moræ diſpendio & omni fraude ceſſante, ſe transferant, & accedant. Omnes autem cauſas tam eccleſiaſticas quàm profanas, ciuiles & criminales, inter quaſcunq; perſonas, cuiuſcunq; ſtatus, conditionis aut dignitatis exiſtant, in curia Romana pẽdentes, lapſo dicto termino 60. dierũ, in caſu prædicto ab ipſa curia Romana eadẽ ſancta ſynodus ad ſe aduocat, & aduocatas eſſe vult, expreſsè inhibens ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ omnibus iudicibus, auditoribus & cõmiſſarijs quibuſcunq; prædictæ curiæ, ne poſt dictos dies in præfatis cauſis procedere, aut quicquam agere quoquo modo præſumant. Quicquid autem contra hanc aduocationem & inhibitionem attentari contigerit, ipſo iure decernit irritum & inane. Decernit tãdem hæc ſancta ſynodus, huius decreti publicationem in præſenti ſeſsione factam, eiuſq; affixionẽ in valuis maioris eccleſiæ Baſileenſis, vim habere monitionis, citationis & executionis, & ita vniuerſos arctare, ac ſi perſonaliter apprehenſi & eis intimatum fuiſſet. Inſuper hæc ſancta ſynodus declarat & proteſtatur, quòd nihilominùs huiuſmodi dilatione 60. dierum pendẽte, cùm id rerum neceſſitas ſuadeat, aut qualitas agẽdorũ, in vlteriori proſecutione Cõcilij & agendorũ in eo procedere intẽdit ordinatè, debitè & maturè, nec propterea ſuperſedere aliqualiter in proceſſu. Datũ in ſeſsione publica eiuſdẽ S. ſynodi in eccleſia maiori Baſileen. 3. Id. Iul. anno à natiuitate domini 1433.

DECRETVM DE ELECTIONIBVS ET CONfirmationibus Epiſcoporum & prælatorum ſub eadem duodecima ſeſsione expeditum.

QVEMADMODVM in conſtruenda domo præcipua eſt architectoris cura, vt tale iaceat fundamentum, ſuper quo firmum perduret ędificium: ita in generali Eccleſiæ reformatione potiſsimùm eſt huius ſanctę ſynodi ſtudium, vt tales eccleſijs præficiantur paſtores, qui tanquam columnæ & baſes ipſam eccleſiam doctrinæ & meritorum viribus firmiter ſuſtentent. Quanta autem in eligendis prælatis diligentia adhibẽda ſit, officium eis iniunctum euidenter oſtendit. Ad regimen enim aſſumuntur animarũ, pro quibus dominus noſter Ieſus Chriſtus mortuus eſt, & ſanguis eius pretioſus effuſus. Proptereà ſacri canones ſpiritu Dei promulgati, prouidè ſtatuerunt, vt vnaquęq; eccleſia ac collegium ſeu conuentus ſibi prælatum eligant. Quibus hæc ſancta ſynodus eodem ſpiritu congregata inhærens, ſtatuit & diffinit, generalem reſeruationem omnium eccleſiarum metropolitanarum, cathedralium, collegiatarũ & monaſteriorum ac dignitatum electiuarum, per Romanũ pontificem de cæterò fieri, aut facta vti nõ debere, reſeruationibus in corpore iuris clauſis, & his quas in terris Romanę eccleſiæ ratione directi ſeu vtilis dominij mediatè vel immediatè ſubiectis fieri cõtigerit, ſemper exceptis: ſed quod per electiones & confirmationes canonicas, ſecundùm iuris cõmunis diſpoſitionẽ, prædictis metropolitanis, cathedralib9, monaſterijs & collegiatis eccleſijs ac dignitatib9 electiuis vacantibus,

* Ad perpetuã rei memoriã, &c. Sicut in

cantibus, debitè prouideatur, non derogando propterea ſtatutis, priuilegijs & conſuetudinibus rationabilibus, quibuſcunq; poſtulationibus in diſpoſitione iuris communis remanentibus. Decernitque hæc ſancta Synodus rationi fore conſentaneum & Reipublicæ accommodum, vt contra hoc ſalutare decretum Romanus pontifex nihil attentet, niſi ex magna rationabili ac euidenti cauſa, in literis Apoſtolicis nominatim exprimēda. Et vt eo firmius hoc ſalubre decretū cuſtodiatur, vult eadem ſancta ſynodus, vt inter alia quę Romanus pontifex in ſua aſſumptione profitebitur, iuret decretum hoc inuiolabiliter obſeruare. Et quoniam tales (vt prædictum eſt) oportet eſſe prælatos, hi ad quos ius pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, vt dignam coram Deo & hominibus electionem faciant, exactamque proinde apponant ſolicitudinem, vt tales eligant, qui tanto officio valeant ſatisfacere. Scientes quòd ſi vel doloſè vel negligenter ac timore domini poſtpoſito, in re tam graui ſe geſſerint, ſicut authores erunt & cauſa malorum paſtorum, ita participes fient pœnarum, quas ipſi mali paſtores in diſtricto Dei iudicio patientur. Et cùm humanæ fragilitatis conatus nihil ſine omnipotentis Dei ſuffragio queat efficere, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit, adueniēte die, hi ad quos pontificis vel abbatis ſpectat electio, in eccleſia conueniant, magna cum deuotione Miſſam de Spiritu ſancto audituri, quem humiliter exorabunt, vt eos ad dignum eligendum paſtorem inſpirare dignetur. Et vt eò faciliùs hanc gratiam obtinere mereantur, quò deuotiùs ad actum electionis accedant, contriti & confeſsi ſacramentum euchariſtiæ reuerenter ſuſcipient. Ad locum verò electionis ingreſsi pro quocunque prælato, qui per electionem aſſumitur, iurabunt in manibus eius, qui capitulo præſidebit, & ipſe præſidens in manibus eum immediatè ſequentis, ſub hac forma: Ego N. iuro, & promitto omnipotenti Deo & tali ſancto vel ſanctæ, ſub cuius vocabulo dedicata eſt eccleſia, eum eligere, quem credam futurum eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus vtiliorem, nec illi vocem dare, quem veriſimiliter ſciuero promiſsione aut datione alicuius rei temporalis, ſeu prece per ſe aut alium interpoſita, aut aliàs qualitercunq; directè vel indirectè, pro ſe electionem procurare. Idem iuramentum præſtet, confiteaturque & communicet, qui conſtituit procuratorem ad eligendum certam perſonam. Necnon & procurator generaliter ad eligendum conſtitutus in caſibus, in quibus ſecundùm iuris communis diſpoſitionem in huiuſmodi electionis negotio procurator conſtitui poteſt. * Quod etiam iuramentum præſtetur, ab his, in quos continget ſuper electione futuri prælati fieri compromiſſum, qui etiam confiteri & communicare teneantur. Quòd ſi prædicta non fecerint, pro illa vice eligendi ſint ipſo iure poteſtate priuati. Deinde eligant in præfatum prælatum virum ætatis legitimæ, moribus grauem, literarum ſcientia præditum, in ſacris ordinibus conſtitutum, & aliàs idoneum, ſecundùm canonicas ſanctiones. Quò ſi aliter & de alia perſona, quam vt prædictum eſt, aut per Simoniacam prauitatem electionem fieri contigerit, electio ſit ipſo iure irrita & inanis. Et ſic Simoniacā eligētes, præter alias pœnas, perpetuò ſint ipſo facto iure eligendi priuati. Alij verò canonicis pœnis ſubiaceant. Simoniacè autem electi, & qui huiuſmodi Simoniacæ electionis participes fuerint, taliterque eligentes & confirmati, in horrorem tanti criminis pœnam ipſo facto excommunicationis incurrant, nec à tali reatu & excommunicatione electi & confirmati abſolui poſsint, niſi eccleſias & dignitates, ad quas turpiter aſſumpti ſunt, liberè reſignauerint, & ad eas obtinēdas quas nefario ingreſſu adepti ſunt, perpetuò reddantur inhabiles. Ad tollendam autem omnē ambitionis radicem, obſecrat per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti hæc ſancta ſynodus, ac inſtantiſsimè exhortatur reges & principes, communitates & alios cuiuſcunque gradus & dignitatis exiſtant, eccleſiaſticæ vel mundanæ, ne electoribus literas ſcribant, aut preces porrigant pro eo, qui per ſe vel per alium tales preces, ſeu literas procurabit, multoque minus comminationes, impreſsiones, aut aliud faciant, quo minùs liberè ad electionem procedatur. Similiter in virtute ſanctæ obedientiæ ipſis electoribus præcipitur, ne ad huiuſmodi literas vel preces, comminationes vel impreſsiones (vt præmittitur) quenquam eligere præſumant. * Facta autem electione, & ei ad quem ius pertinet confirmandi, præſentata, ſi appareat coelectus, vel ſe opponens electioni, nominatim vocetur, ad videndum diſcuti electionis negotium. Et nihilominùs generaliter edictum publicum in eccleſia, in qua facta eſt electio, proponatur, iuxta conſtitutionem felicis recordationis Bonifacij octaui. * Comparentibus autem aliquibus vel non, nihilominus ipſe confirmator ex officio tanquam in negotio inquiſitionis procedat, omnem adhibiturus diligentiam, vt tam forma electionis, quàm merita electi & omnes circumſtantiæ debitè examinentur & diſcutiantur. Et ſi electio confirmanda ſit vel infirmanda, iudicialiter confirmetur vel infirmetur. Et vt omnia mundè & ſine labe ac labis ſuſpicione procedant, non ſolùm exigere aliquid quantumcunque paruum, ſed etiam gratis oblata, cōfirmator ratione cōfirmationis ſub nomine ſubiectionis, ſubſidij, gratitudinis aut alio colore, prætextu cuiuſuis conſuetudinis aut priuilegij, per ſe vel aliū nullatenus recipere præſumat. Notarijs aūt, & his qui ſcripſerunt in huiuſmodi cauſis, emolumentum aliquod moderatè taxetur, habendo reſpectum ad laborem & operam ſcripturæ, non ad fructuum prælaturæ valorem. Si verò confirmatores prædicti, electiones non ſeruatis ſuperiùs ordinatis, & de perſonis non idoneis (vt præmittitur) factas, vel aliàs per Simoniacam prauitatem confirmauerint, eo ipſo confirmationes huiuſmodi ſint nullæ. Confirmantes * autem alias perſonas, quàm vt ſupra dictum eſt, pro ea vice: per Simoniacam autem * labem, ſi eam commiſerint, etiam ſentētiam excommunicationis incurrāt eo ipſo, à qua niſi per Romanum pontificem, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium obtinere non poſsint. Summum verò pontificem hæc ſancta ſynodus exhortatur, vt cùm ſpeculum & norma omnis ſanctitatis & munditiæ eſſe debeat, pro confirmatione earum electionum, quas ad eum deferri cōtigerit, nihil penitùs exigat aut recipiat: alioquin, ſi ſecùs faciendo notoriè & incorrigibiliter ex hoc Eccleſiam ſcandalizet, futuro Concilio deferatur. Pro oneribus autem quę ipſum pro regimine vniuerſalis eccleſię ſubire oportet, proque ſuſtentatione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium & aliorum neceſſariorum officialium, hoc ſacrum Concilium ante ſui diſſolutionem omninò debitè & congruenter prouideat. Quòd ſi contingat aliquam circa hæc prouiſionem non facere, tunc illæ eccleſiæ & beneficia, quæ vſque nunc ex noui prælati aſſumptione certam taxam ſoluerint, deinceps medietatem huiuſmodi capere per annum poſt adeptam pacificam poſſeſsionem ſoluere in partibus teneantur, duratura huiuſmodi prouiſione, donec prædictis Papæ & ſuſtentationi Cardinalium fuerit aliter prouiſum. Per hæc eadem ſancta ſynodus non intendit in aliquo præiudicare ſanctæ Romanæ & vniuerſali Eccleſiæ, nec alteri cuicunq;. Datum in ſeſsione publica eiuſdem ſanctæ Synodi in eccleſia maiori Baſileenſis ſolenniter celebrata die lunæ 13. Iulij, anno domini 1433.

* vel acceptent.

* quæ incipit, Et

* autē, iure confirmādi ſint perpetuò priuati: & nihilominus propter iſtam Simoniacā labem, ſi

* labem, perpetuo (ipſo facto) iure confirmandi ſint priuati, & nihilominus propter iſtam Simoniacam labem, ſi

3. Idus Septembris.

SESSIO XIII.

Accuſatio contumaciæ Papæ, facta per promotores ſacri Concilij in decimatertia dicti Concilij ſeſsione celebrata.

DIE Veneris 11. menſis Septembris, Anno domini 1433. in Eccleſia maiori Baſileenſi fuit celebrata decimatertia huius ſacræ ſynodi Baſileenſis ſeſsio hoc modo, ſcilicet Miſſa de Spiritu ſancto per reuerendum patrem dominum Matthæum Epiſcopum Albinganenſem Italicæ nationis celebrata, Antiphonis, Litanijs & ſuffragijs vt in alijs ſeſsionibus dictis, lectoque Euangelio ſecundùm Matthæum, In illo tempore: Reſpiciens Ieſus in diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c. ac hymno, Veni creator ſpiritus, &c. decantato cum verſiculo & collecta, ſeptē dominis Cardinalibus & alijs dominis prælatis & patrib9

Matth. 18. Luc. 17.

in eo-

*plumalibus.

in eorum mitris planis & * pluuialibus exiſtentibus in multitudine copioſa, aſſiſtente domino Guilhelmo duce Bauariæ, ſacri Concilij nomine ſereniſſimi principis domini Imperatoris protectore, promotores ſacri Concilij per organum venerabilis viri domini Stephani de Nouaria legum Doctoris, alterius promotorum huius ſacri Concilij, accuſarunt contumaciam ſanctiſſimi domini noſtri Eugenij Papæ quarti, prout in quadam ſchedula, quam ipſe magiſter Stephanus promotor in ſuis tenebat manibus, quamque de verbo ad verbum alta & intelligibili voce legit, latiùs continetur, cuius tenor ſequitur & eſt talis: Reuerendiſſimi reuerendique patres & cęteri domini metuendiſſimi, quia nuper de menſe Iulij proximè præterito & die 13. eiuſdem, hæc ſancta Baſileenſis ſynodus in publica ſeſſione in præſenti eccleſia Baſileenſi celebrata, attentè conſiderans, ſanctiſſ. dominum Eugenium Papam IV. exhortationes, obſecrationes, requiſitiones, citationes & monitiones per eandem ſacram ſynodum ſibi repetitis vicibus factas, vt huic ſacroſancto Concilio adhæret, & eidem fauores (prout tenetur) impenderet, aure ſurda pertranſire, nec ipſum aliquatenus ad vota (prout tamen ipſum ſacra ſynodus ſperabat, inclinari, & quanquam ex tunc ipſa ſacra ſynodus propter ipſius domini Eugenij manifeſtam contumaciam, ad huiuſmodi contumaciæ declarationem contra ipſum procedere non immeritò potuiſſet, quemadmodum etiam pro tunc per promotores & procuratores dicti ſacroſancti Concilij Baſileenſis, licet immeritò debita fuit cum inſtantia poſtulatum, volens ſolita ſua manſuetudine aduerſus eundem dominum Eugenium vti, & iteratò ipſum ex ſuperabundāti charitatiuè requirere & monere, certum decretum monitorium edidit & decreuit, quo idem dominus Eugenius exoratus, requiſitus, monitus, & interpellatus, ac in virtute omnipotentis Dei, ſub certis pœnis, modis & qualitatibus eidem mādatum extitit, vt infra ſexaginta dies à dicta ſeſſione habita computandos, purè, ſimpliciter & liberè huic ſacroſancto Baſileenſi Concilio adhæreret, necnon prætenſam diſſolutionem eiuſdem ſacri Concilij per ipſum aliàs attentatam, reuocaret, & alia in huiuſmodi decreto contenta cum effectu adimpleret, alioquin pœnas in huiuſmodi decreto contentas, ipſo facto incurreret, prout hæc in dicto decreto latiùs continentur, ad quod nos promotores prædicti nos referimus in hac parte, & hîc pro repetito cum alijs omnibus actis ſacri Concilij ad cauſam facientibus, haberi volumus & repetimus. Cùm autem finis præfatorum ſexaginta dierum inſtet de præſenti, & nec ipſe dominus Eugenius per ſe, neque per alium hanc ſacram Synodum de huiuſmodi ſua adhæſione pura, ſimplici & libera, ac reuocatione dictæ prætenſæ diſſolutionis, aliorumque in dicto decreto contentorum adimpletione, aliquatenus certificauerit, nec de præſenti certificet, ſed eidem decreto & contentis in eo contumaciter ſatisfacere cōtemnat, in non modicum vniuerſalis Eccleſiæ damnum, Chriſti fidelium ſcandalum, atque huius ſacri Concilij Baſileenſis vniuerſalem Eccleſiam repræſentantis contemptum: idcirco nos promotores & procuratores antedicti, ex officio nobis incumbenti, coram hac ſacroſancta ſynodo debita cum inſtantia humiliter requirimus, quatenus eundem dominum Eugenium contumacem (prout eſt) declarare, ipſumque pœnas in decreto contentas incidiſſe, decernere, ac ipſius cōtumacia exigente, ad vlteriora (prout Spiritusſanctus dabit, & ordo iuris & rationis exigit) procedere dignetur, ſuper huiuſmodi requiſitione & contumacię accuſatione & alijs, requirentes per vos dominos notarios publica fieri inſtrumenta. Prædictis autem vt præmittitur factis, & contumacia accuſata, illuſtris princeps dominus dux Guilhelmus per organum venerabilis fratris Petri ordinis canonicorum regularium, nomine & ex parte ſereniſſimi domini Imperatoris & ſuorum, & dominus Ioannes Offenburg nuncius præfati domini Imperatoris, repetierunt illa quæ aliâs, videlicet die Lunæ proximè præterita dixerant, & promiſerant in congregatione generali, pro dilatione & prorogatione triginta dierum conſequenda, eadem iterum dicentes, repetentes & promittentes. Similiter magiſter ciuium & nonnulli alij, nomine Concilij & ciuitatis Baſileenſis, pro huiuſmodi dilatione inſtiterunt, & quòd ampliùs pro vlteriori dilatione nunquam facerent inſtantiam, ſunt proteſtati, de quibus ſimiliter petita ſunt per promotores inſtrumenta publica.

Poſt hæc contumacia dicti domini noſtri Papæ in ſcriptis (vt præfertur) accuſata, & deducta ad notitiam dominorum prætenſorum Archiepiſcopi Spalatenſis & epiſcopi Ceruienſis, ambaſiatorum eiuſdem domini noſtri Papæ, mox ipſi ad dictam congregationem acceſſerunt, & lecturam decretorum, quam reuerendus pater dominus Martinus epiſcopus Lectorenſis Gallicanæ nationis de mandato ſacri concilij iam inceperat, interruperunt, quique quædam verba intermiſcentes, duas bullas clauſas ſub bulla dicti domini noſtri Papæ Eugenij credentiam in effectu continentes exhibuerunt & obtulerunt: quibus apertis & deinde lectis, vt moris eſt, præfati dominus noſter Archiepiſcopus Spalatenſis, & epiſcopatus Ceruienſis, propoſuerunt in effectu, quòd ipſi ad illud ſacrum Concilium turbationis cauſa nullo modo accedebant, ſed ſolùm ex eo, quia ipſis relatum erat per aliquem ex ſuis commenſalibus, quod in dicta generali ſeſſione ipſius domini noſtri Papæ contumacia fuerat accuſata, ac ſi contra præfatum dominum noſtrū Papā procederetur, vel procedi peteretur. Et quoniā (vt aſſerebant ipſi ambaſiatores) terminus citationis decreti Concilij quē lx. dierū dicebant, hac die hodierna non cadebat, nec iuxta illum terminum præfixum citationis dominus noſter Papa præfatus eadem die per ſe vel alium comparêre tenebatur: ideo ſolùm pro ſui informatione, & ne contra præfatum dominum noſtrum Papam quoquo modo ſaltem * debitè procederetur, illuc acceſſerant, prout accedebant, proteſtantes de huiuſmodi termino & nullitate proceſſus antè dicti, petentes de his à nobis notarijs inſtrumenta. Quibus auditis, reuerendiſſimus in Chriſto pater dominus Cardinalis ſancti Angeli legatus, & huius ſacri Concilij generalis præſidens, verba ſuprà dictorum archiepiſcopi Spalatenſis, & Ceruienſis epiſcopi in effectu reſumens, eiſdem nomine ſacri Concilij effectualiter reſpondit, qualiter ſacrum Concilium propoſita per præfatum Archiepiſcopum Spalatenſem, & epiſcopum Ceruienſem, benignè & cum manſuetudine audiuit: ſed quia aſſerebant ſe audiuiſſe, ſacrum Concilium contra præfatum dominum noſtrum Papam procedere, ideo dixit ſe malè informatos fuiſſe. Sed benè verum erat, quòd hodiè terminus lx. dierum aliâs per decretum ſacri Concilij præfato domino noſtro Papæ præfixus, de adhærendo præfato Concilio purè & ſimpliciter, prætenſamque diſſolutionem dicti Concilij reuocando, hodiè inſtabat, idcirco promotores ſacri Concilij volentes termino prædicto ſatisfacere, ipſius domini noſtri Papæ contumaciam accuſauerunt, petendo, & requirendo, cùm nullus pro domino Papa adeſſet, volens decreto monitorio prædicto ipſius domini noſtri Papæ nomine ſatisfacere, quatenus eum contumacem & in pœnas in decreto contentas incidiſſe declararent, procederentque ad vlteriora, prout daret Spiritusſanctus, & dictaret ordo rationis. Quapropter petijt ipſe dominus Cardinalis legatus & præſidens nomine ſacri Concilij, quatenus ſi dictam adhæſionem ipſius domini Papæ haberent, ipſeque dominus Papa præfato Concilij decreto ſatisfeciſſet, aut ipſi eius nomine debitè ſatisfacere vellēt, de præmiſſis adhæſione & ſatisfactione fidē facerent cum effectu. Nam ſic faciendo, dñi & patres de Concilio illam adhæſionē cum magno gaudio, decantantes, TE DEVM LAVDAMVS, ſuſciperent. Alioquin venerabiles patres ipſius ſacri Concilij citiùs mortem eligerent, quàm eccleſiam Dei prætextu talis diſſolutionis periclitari permitterent, adijciens quod benè verum erat, quòd ad ſereniſſimi Principis domini Imperatoris ſupplicationem & inſtantiam, ſacrum Concilium, præfatum lx. dierum terminum domino Papæ præfixum, vſque ad xxx. dies ab hac die computandos, prorogandum duxerat, & prorogare intendebat ſub * modis & formis in decreto primo contentis. Et nihilominùs, quia dictæ bullæ ſimplicem credentiam continebant, dixit idem dominus legatus, quòd ſi aliquid exponere volebant, quòd libenter à patribus Cōcilij audirentur. De quibus ipſe reuerendiſſimus pater dominus Cardinalis legatus & præſidens, nomine ſacri Concilij petijt à nobis notarijs inſtrumentum: hoc idem nomine

*indebitè

*modo & forma

ſacri Concilij petierunt promotores. Poſtque præfatus magiſter Stephanus alter ex promotoribus, reſpondens his quę prius dixerant dicti oratores Papæ, dixit, quòd quantum ad ipſum & alios promotores, ſatis erat, quòd tunc contumaciam Papæ accuſarent, & alia facerent & peterent, vt in ſua ſchedula ſuprâſcripta continetur, & quòd prædicta facere poterāt de iure, quia tunc expirabat terminus, cùm tempus deberet de momento in momentum computari, & ſi vlterius expectarent, nō haberent dominos congregatos, coram quibus facerent ea quæ eſſent neceſſaria facienda pro præmiſſis: & quantum ad ipſos promotores pertinebat, officium eorum erat ita facere, deliberatio vero ad ipſam ſynodum pertinebat, petens de his omnibus publica inſtrumenta. Tandem cum non conſtaret de adhæſione prædicta vel alias ſatisfactione efficaci ipſius domini Eugenij, ipſisque Archiepiſcopo Spalatenſi, & Ceruienſi epiſcopo per illuſtriſſimum dominum VVilhelmum ducem Bauariæ, ſacri Concilij nomine dicti Imperatoris protectorem & * vices gerentem, per organum diſcreti viri fratris Petri ordinis canonicorum regularium S. Auguſtini, gratioſe requiſitis, vt ſi adhæſionem huiuſmodi haberent, illam ſacro Concilio offerent, & ob hoc totus mundus lætaretur: alioquin ſacrum Concilium in ſuis agendis nullo modo perturbarent, & ad vlteriorem dictorum decretorum prouinciationem & publicationem procedere permitterent, & tandem neq; ad requiſitionē præfati dñi legati, neq; ad requiſitionē ipſius ducis præfati, ambaſiatores Papæ aliquā adhæſionē offerrēt, ſiue aliquā credentiā exponere vellent, placuit dictis dominis ambaſiatoribus ipſius dñi noſtri Papę, dicti decreti prorogatio. Quibus quidē ſic peractis, & dictis ambaſiatoribus à loco ſeſſionis recedentibus, & ſe abſentantibꝰ, præfatus reuerendiſſimus pater dominus epiſcopus Lectoren. de mandato ſacri Concilij, publice alta & intelligibili voce, loco ad hoc deputato, huiuſmodi decreta de verbo ad verbum legit, & pronunciauit ſub his verbis:

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spirituſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Dudum ſiquidem hæc ſancta ſynodus volens periculis & grauiſſimis ſcandalis, quæ ex prætenſa huius ſacri Concilij diſſolutione per dominum Eugenium Papam quartum facta, vniuerſali Eccleſiæ notoriè imminebant ſalubriter prouidere, poſtquàm reiteratæ exhortationes ac requiſitiones ſynodi præfatæ & multorum principum ac dominorū, ſpecialiter chariſſimi Eccleſię filij Sigiſmundi Rom. Imperatoris illuſtris, & eiuſdē Eccleſiæ aduocati, vt dictā diſſolutionē reuocaret, & purā ac ſimplicē adhæſionē præfatæ ſynodo faceret, minimè profuerunt: tandē iuſtitię zelo cōpulſa, & ne morbus huiuſmodi in exitiū & ſcandalū intolerabile militantis eccleſiæ perduraret, die xiij. mēſis Iul. proxime præteriti, in ſolēni ſeſſione decretū monitoriū ſub certis pœnis & alijs in eo contentis, aduerſus dictū dominū Eugeniū Papam decreuit, cuius tenor de verbo ad verbum ſubijcitur, & eſt talis Sacroſancta Catholica Eccleſia in ſacro Conſtantienſi Concilio &c. vt ſuprà eſt totaliter ſcriptum. Cùm autem die termini adueniente, ſolenniter in maiori eccleſia Baſileenſi publicam tenentes ſeſſionem ſederemus, ſeruatis ſeruandis, vt ſi ipſe dominus Eugenius aut alius pro parte eiuſdem comparere, & ſacrum cōcilium de paritione contentorum in decreto prædicto certificare vellet, facultatem haberet, dilecti Eccleſiæ filij * Hugo † Barardi de Vercellis, & Stephanus de Nouaria legum doctor, huius ſacri concilij promotores, præfati domini Eugenij Papæ contumaciam, nec per ſe nec per alium, de adhæſione ſua pura & ſimplici, necnon de paritione omnium & ſingulorum contentorum in dicto decreto, quæ facere tenebatur accuſarunt, & cum inſtantia poſtularunt, vt ad vlteriora aduerſum eum (prout exigeret iuſtitia) procederemus. Cùm autem circa proceſſum huiuſmodi intenderemus, dilecti Eccleſiæ filij VVilhelmus Bauariæ Dux, huius ſacri concilij protector, & Ioannes Offenburg miles & ciuis Baſileenſis, literas credentiales in eorum perſonis pro parte dicti chariſſimi Eccleſiæ filij Sigiſmundi Romanorum Imperatoris, huic ſacræ ſynodo directas, alias in ſacra generali congregatione exhibitas, & in vim * earum explicata repetierunt. Quorum expoſitorū tenor in effectu talis extitit: Reuerendiſſimi in Chriſto patres & domini, mandat nobis illuſtriſſimus, & inuictiſſimus Romanorum Imperator, vt ſolitas recommendationes & oblationes ſacratiſſimo huic cœtui exhibeamus ſui parte, necnon perſeuerantiam animi ſui circa adhæſionem continuò eidem Concilio faciendam nunciemus. Quodque licet notiſſimum ſit, ſuam ſerenitatem varijs nuncijs & oratoribus ac literis continuò dictum dominum Eugenium Papam ſuper adhæſione plenaria ſacri Concilij ſolicitaſſe, & excitaſſe, etiam ſe ad ipſum perſonaliter transferendo, non ſine maximis periculis, incommodis & expenſis: tamen poſt habitam notitiam per literas ſibi præſentatas ſacri Concilij, de decreto monitorio cum ſuſpenſionis pœna contra ipſum, eum ſummam feciſſe diligentiam Romæ, dum ibi fuit, vt ad parendum iniunctis per ſacrum Concilium inclinaret, ſignificaremus: & cum ſperaret, in ea re ſe poſſe proficere, cumque (vt aſſerit) immemores exiſtere non debetis de his, quæ in ſacro Conſtantienſi Concilio fecit pro vnione Eccleſiæ & de periculis & incommodis quæ ſubiuit, & quæ etiam paſſus extitit patiturque pro iſto, ſpem non mediocrem eum in veſtra beneficentia recipere, debetis meritò exiſtimare. nam exploratiſſimi ſunt commeatus per eum facti ad Cathaloniam & Gallias Angliamque, pro dicta ſanctiſſima Eccleſiæ vnione, & nouiſſimæ ad Italiam pro iſtius ſacratiſſimæ ſynodi felici progreſſu, vnde hac fiducia fretus, nobis iniunxit, vt cum maxima inſtantia pro eiuſdem parte, eaſdem veſtras reuerendiſſimas dominationes rogaremus & deprecaremur, vt terminum alias lx. dierum domino Eugenio Papa præfixum, in proxima præcedenti ſeſſione, per xxx. dies in eiſdem modis & qualitatibus, prout eſt, prorogare ob ſuam contemplationem & ſingularem complacentiam dignaremini: quodque ſacrum Concilium certificaremus, quòd de cætero nullam aliam circa proceſſum Papæ ipſius peteret dilationem, ſed liberè permitteret per ſacrum Concilium procedi, prout dictauerit & ordinauerit faciendum, & cunctis per ſacrum Concilium ordinatis & ordinandis acquieſcet & obtemperabit, & quantum poterit, inuiolabiliter facit obſeruari. Et vt in maiori robore hæc ſancta ſynodus perſeueret, indicamus ſuam exiſtere intentionem, infra iſtos xxx. dies quos petimus, vbi huiuſmodi prorogatio concedatur, dictam ſuam ſerenitatem huc profecturam. Statimque habita notitia prorogationis eiuſdem, omnes Alemaniæ principes conuocaturum ad hunc locum, & cum eis efficaciter inſiſtere, vt eidem Concilio debeant adhærere. Et inſuper, ne huiuſmodi dilatio ſacro Concilio vel eius ſuppoſitis aut ipſorum familiaribus poſſit eſſe damnoſa, contentatur idem Imperator, quod durante huiuſmodi xxx. dierum prorogatione, ſi quid Papa attentauerit contra aliquem prædictorum, ex nunc illud & alia quæ antea attentauerit, per ſacrum Concilium irritentur & annullentur. Cùm autem inter noſtra pectora reuolueremus eiuſdem Sigiſmundi Romanorum Imperatoris grandia obſequia vniuerſali Eccleſiæ impenſa, & quæ in futurum impendi non dubitamus, quanquam huiuſmodi dilatio nonnullis ex multis cauſis vniuerſali Eccleſiæ onerosa videatur, tamen dictorum obſequiorum intuitu, ac etiam à certo tenentes, quæ per dictos VVilhelmum ducem illuſtrem, & Ioannem Offenburg millitem, pro dicti Imperatoris parte expoſita & oblata fuere, ſyncerè obſeruabuntur, petitioni huiuſmodi annuendum decernimus. Spirituſſancti ergo nomine inuocato, cuius nutu dirigitur in agendis hæc ſacra ſynodus, & per eius gratiam ſperat omnia feliciter producere ad optatum dictum terminum lx. dierum, aliâs dicto domino Eugenio Papæ quarto in proxima (vt præmittitur) ſolenni ſeſſione præcedenti aſſignatum, ad certificandum ſacrum Concilium de ſua pura, ſimplici & libera adhæſione, & dictæ prætenſæ diſſolutionis Concilij reuocatione, & alijs quæ in dicto decreto continentur, cum omnibus qualitatibus, pœnis ac modis, & quibuſcunque alijs de pendentibus ab eiſdem, in eo inſertis, ad xxx. dies proximè futuros hæc ſancta ſynodus prorogat, & hunc terminum prorogatum, eandem vim, executionem & modum, quem habebat terminus lx. dierum, recipere decernit, ordinat & declarat, ac ex nunc ſtatuens & decernens, quòd ſi infra hoc ſpatium xxx. dierum plenariè idem

Baſileēſis Concilij Seſſio. xi.

* Stephanus de Nouaria legū doctor, & Hugo Berardi de Forcellis.
† Berardi

* eorum explicato

dominus Eugenius non adimpleuerit omnia & ſingula, in præfato decreto monitorio contenta (vt præmittitur) abſque alia declaratione facienda ſuper dicta non paritione & alia quacunque ſolennitate requiſita, ad vlteriora procedet, vt in dicto monitorio decreto continetur. Et proinde omnibus ſuper præfata ſuſpenſione, quam durare vult, quovſque aliter per Concilium fuerit ordinatum, & alijs in huiuſmodi proceſſibus contentis, literas opportunas ſub bulla ſacri Concilij poſtulantibus, per dilectos Eccleſiæ filios Iulianum ſancti Angeli ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconum cardinalem, Apoſtolicæ ſedis legatum, & huius ſacri Concilij, necnon & alios ſacrarum deputationum præſidentes, vel duos ex eis, eſſe tradendas, decernentes quòd de cęterò nulla alia dilatio ad cuiuſcunque inſtantiam concedatur. Datum Baſileæ in publica ſeſſione ipſius ſacræ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata tertio idus Septemb. anno à natiuitate domini 1433.

Aliud decretum pro ſuppoſitorum tuitione.

Sacroſancta Baſileenſis generalis ſynodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam præſentans, ad perpetuam rei memoriam. Vt ſacri concilij & ſuppoſitorum eiuſdem indemnitati congruè prouideatur, ſtatuit & decernit hæc ſancta ſynodus, quòd quęcunque per dominum Eugenium papam quartum vel alium ſua authoritate in præiudicium, læſionem, derogationem ſeu iniuriam ſacri Concilij vel incorporatorum ſeu incorporandorum eidem, per ſe vel per procuratorem, & familiarium ipſorum, ſeu in eorum ſeruitijs vbicunque exiſtentium, facta ſeu diſpoſita fuerint, à die inchoationis concilij prælibati, fientque & diſponentur forſitan in futurum, titulum vel poſſeſſionem quomodocunque tangentia, ſiue in Cardinalatus & Patriarchatus dignitatibus, aut in prælaturis etiam cathedralium & metropolitanarum eccleſiarum & etiam monaſteriorum, vel alijs eccleſiaſticis beneficijs, præſtimonijs, commendis, vnionibus, penſionibus, officijs & rebus eccleſiaſticis vel temporalibus, & circa ipſa aut alias quomodocunque & qualitercunque, etiam ſi motu proprio directè vel indirectè, per ſe vel alium, ſint ipſo iure irrita & inania, & pro infectis penitus habeantur. Et ex nunc hæc ſancta ſynodus partes læſas in priſtinum ſtatum integrè reponit, & mandat per quemlibet iudicem competentem, audita querela partis læſe, & probata, incorporatione & nouitate prædictis ipſo facto omni exceptione remota, ſtrepitu & figura iudicij ceſſantibus, omnia reponi in eum ſtatum, in quo fuerāt ante dictam factam nouitatem. Quòd ſi dictus iudex in tali repoſitione doloſè vel aliàs perperam ſe habuerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, à qua niſi per ſacrum concilium, eo durante, non valeat abſolutionis beneficium, niſi in mortis articulo, obtinere. Et vt pœnæ formidine arceantur, qui ambitioſè ſeu temerè aliorum prælaturas, dignitates & beneficia eccleſiaſtica & vniones, commendas, præſtimonia vel penſiones ſeu officia, necnon bona & iura qualiacunque fuerint, occupare procurarunt & attentarunt, ſeu in futurum procurabunt & attentabunt: ſtatuit & decernit dicta ſancta ſynodus, quòd quicunque clericus ſiue laicus, quacunque dignitate eccleſiaſtica vel mundana, etiam ſi Cardinalatus præfulgeat, ſiue ſit collegium aut vniuerſitas vel monaſterium, ab eodem domino Eugenio ſiue alio ſua authoritate impetrauerit ſeu obtinuerit, ſeu impetrabit & obtinebit, etiamſi motu proprio aliquid quod in præiudicium, læſionem, derogationem ſeu iniuriam alicuius ex prædictis incorporatis, vel incorporandis, aut ſuorum familiarium & in eorum ſeruitijs vbicunque exiſtentium, vel adhærentium huic ſacro Concilio per ſe vel procuratorem, valeat redundare, ſi virtute huiuſmodi conceſſionis ad aliquam occupationem deuentum ut, niſi infra decem dies, elapſis ſexaginta diebus à die publicationis decreti huiuſmodi, vel poſtquam ipſius veram & indubitatam notitiam habuerit, & per partem fuerit requiſitus, à tali occupatione & turbatione realiter & purè non deſtiterit, & ſiue occupatio ſecuta fuerit, ſiue non, præfatæ conceſſioni & omnibus ſecutis ex ea coram notario & teſtibus renunciauerit, & rem dimiſerit cum effectu, & parti læſæ de perceptis poſt conceſſionem huiuſmodi ſatisfecerit: omni iure, quod in dictis prælaturis, dignitatibus, beneficijs, eccleſiaſticis officijs, penſionibus, præſtimonijs & commendis, bonis temporalibus & iuribus ſeu eorum altero habere prætenderit, ſit priuatus, ac etiam alijs officijs & beneficijs quibuſcunque, quæ tempore huiuſmodi impetrationis obtinebit, & eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat, à qua niſi per dictum ſacrum Concilium, eo durante, vel eius authoritate, niſi in mortis articulo, abſolui nequeat quoquo modo: & nihilominus ad obtinenda prædicta & quæcunque alia beneficia ſeu officia, perpetuò ſit inhabilis. Talium etiam conceſſionum executores prædictis pœnis volumus ſubiacere. Vt autem fraudibus quæ excogitari poſſent, obuietur, quia cum datarum anticipationibus in præiudicium aliorum literæ Papales, vel aliorum ipſius Papæ authoritate, ſub data ante diſſolutionem huius ſacri Concilij in præiudicium alicuius prædictorum tendentes, produci poſſent, niſi ante dictam Concilij diſſolutionem fuerint publicatæ, eis nulla fides debeat adhiberi, & pro nullis penitus habeantur. Datum in ſeſſione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi, in Eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata tertio idus Septembris, anno à Natiuitate Domini 1433. Quibus ſic lectis & pronunciatis, petitoque per eundem dominum Epiſcopum, an huiuſmodi decreta pręfatis dominis de Concilio placerent, generaliter reſponſum extitit, per verbum, Placet, nemine ſe ad hoc opponente vel reclamante: tunc præfati magiſter Stephanus & alij promotores ſacri Concilij, de præmiſſis omnibus & ſingulis modo quo ſuprà acta & facta ſunt, à reuerendis patribus dominis ſanctæ ſedis Apoſtolicæ pronotarijs & nobis notarijs & alijs in ſeſſione præſentibus, ad perpetuam rei memoriam petierunt inſtrumentum, aſſiſtentes in teſtimonium præmiſſorum inuocando.

Poſtremò verò præfatus dominus dux, protector nomine dicti domini Imperatoris atque ſuo, de præfata termini prorogatione modo quo per decretum factum eſt, dominis de ſacro Concilio regratiatus eſt, & ſimiliter magiſter ciuium & nonnulli alij nomine Concilij & ciuitatis Baſileenſis, aſſerens & affirmans idem dominus dux, quòd de omnibus quæ in ipſis decretis modò lectis continentur, contentiſſimus erat. Et quòd ex huiuſmodi dilatione nouiter data, fecerat ſacrum Concilium maximam complacentiam domino noſtro Imperatori. De quibus etiam præfati magiſter Stephanus & alij promotores ſimiliter petierunt à nobis notarijs publica inſtrumenta. Subſequenter verò his peractis, inſtante ſupradicto magiſtro Stephano de Nouaria promotore, Alexander præfati domini Cardinalis legati & præſidentis ac ſacri Concilij curſor, huiuſmodi decreta tam pro prorogatione termini, quàm etiam pro tuitione ſuppoſitorum eiuſdem ſacri Concilij, ſub bulla dicti ſacri Concilij confecta, in valuis eccleſiæ maioris Baſileenſis cunctis intuentibus more ſolito affixit, & per ſpatium vnius horæ vel circa, affixam dimiſit. De quibus ipſe magiſter Stephanus nomine promotorio à nobis notarijs petijt inſtrumentum.

SESSIO XIIII.

Decreta eiuſdem ſeßionis celebrata in Eccleſia Baſileenſi, aßiſtente domino Imperatore in habitu imperiali. Alia prorogatio monitionis Papæ ad nonaginta dies.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Terminum ſexaginta dierum datum ſanctiſſimo domino Eugenio Papæ quarto, iuxta formam monitorij, citationis & ſuſpēſionis in ſeſſione duodecima promulgati, ac deinde ad triginta dies, & poſtea pluribus vicibus vſque in præſentem diem prorogatum, hæc ſancta ſynodus volens ergo ipſum dominum Eugenium omni manſuetudine & benignitate vti, tenore præſentium ad nonaginta dies ab hac die immediatè ſequenter, cum omnibus clauſulis, qualitatibus & conditionibus in decretis tam monitorij

ſexaginta dierum, quàm prorogationis ad triginta dies inſertis, prorogat, & prorogatum eſſe ſtatuit, ita tamen, quòd ſi infra prædictos nonaginta dies omnia & ſingula contenta in quadam ſchedula, cuius tenor inferiùs deſcribitur, realiter & cum effectu præfatus dominus Eugenius non adimpleuerit, pœnæ in dictis decretis monitorij ac prorogationis contentæ, eo ipſo inflictæ ſint, & eſſe intelligantur. Tenor autem prædictæ ſchedulæ ſequitur, & eſt talis:

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam: Vt mentis noſtræ integritas ac deuotio, quam ad vniuerſalem Eccleſiam & ad ſacrum generale Concilium Baſileenſe gerimus, omnibus conſtet euidenter, ideo tres literas noſtras, quarum tenor de verbo ad verbum inferiùs deſcribitur, & alias quaſcunque & quicquid per nos aut noſtro nomine in præiudicium aut derogationem prædicti ſacri Baſileenſis Concilij, ſeu contra eius authoritatem factum & attentatum ſeu aſſertum eſt, caſſamus, reuocamus, irritamus & annullamus, caſſas, nullas & irritas fuiſſe & eſſe declaramus. Vel ſic. pridem tres noſtras literas in palatio Apoſtolico promulgari fecimus, quarum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. Verùm cùm ex * prædictis literis nõnulla ſcandala orta ſint, & oriri poſſint, ideo ipſas & alias quaſcunque ac quicquid per nos aut noſtro nomine in præiudicium aut derogationem prædicti ſacri Baſileenſis Concilij ſeu contra eius authoritatem factum & attentatum ſeu aſſertum eſt, caſſamus, reuocamus, irritamus & annullamus, caſſas, nullas & irritas fuiſſe & eſſe declaramus. Vel ſic, in fine literæ adhæſionis: Qua propter tres literas noſtras pridem in palatio Apoſtolico promulgatas, quarum tenor de verbo ad verbum inferius deſcribitur, & alias quaſcunque, aut quicquid per nos aut noſtro nomine in præiudicium aut derogationem prædicti ſacri Baſileenſis Concilij ſeu contra eius authoritatem factum & attentatum ſeu aſſertum eſt, caſſamus, reuocamus, irritamus & annullamus, caſſas, nullas, & irritas fuiſſe & eſſe declaramus. Poterit præfatus dominus Eugenius eligere vnam de prædictis, formis, quæ ſibi magis placuerit.

Forma adhæſionis.

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dudum ſacrum generale Concilium Baſileenſe, per generalium Conſtantienſis & Senenſis Conciliorum ſtatuta, approbationemque felicis recordationis Martini Papæ quinti ac noſtram, pro extirpatione hæreſum ac generali reformatione eccleſiæ in capite & in membris, & pertinentibus ad ea legitimè inchoatum, ex certis cauſis in alijs noſtris literis expreſſis, de fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio diſſoluimus. Verùm cùm ex dicta diſſolutione ortæ ſint graues diſſenſiones, & grauiores oriri poſſent, nihilque magis optemus, quàm quòd prædicta ſancta opera ſuum debitum ſortiantur effectum, decernimus & declaramus præfatum generale Concilium Baſileenſe à tempore prædictæ inchoationis ſuæ legitimè continuatum fuiſſe & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuari ac proſecutioñe habere debere ad prædicta & pertinentia ad ea, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet. Quinimò prefatam diſſolutionem irritam & inanem declarantes, ipſum ſacrum Baſileen. Concilium purè ſimpliciter & cum effectu ac omni deuotione & fauore proſequimur, & proſequi intendimus.

Item præfatus dominus Eugenius reuocabit quoſcunque proceſſus quarumcunque cenſurarum, priuationum & ſuſpenſionum factos contra ſuppoſita huius ſacri Concilij Baſileenſis & adhærentes eidem, necnon omnia geſta & facta in præiudicum læſionem & derogationem eorundem, eis legitimè nõ citatis, nec legitimè defenſis, de quibuſcunq; dignitatibus beneficijs cõmendis & officijs, etiã ſi Cardinalatus, patriarchatus, archiepiſcopatus, epiſcopat⁹ Abbatiæ &c. exiſtant iuribus & bonis quibuſcunque, & ſpecialiter contra reuerendiſſimos dominos Cardinales de Cypro, ſancti Sixti, & Firmanum, ac omnia in priſtinum ſtatum per ſuas literas reducet, ac ſi non emanaſſent cum clauſulis opportunis mãdando ſub pœnis formidabilibus omnibus, qui ſe de dictis dignitatibus, beneficijs, commendis & officijs, iuribus & bonis intromiſiſſent, vel ratione dictarum priuationum ſeu ſuarum ordinationum quarumcunque ſe vellent intromittere, vt ab ipſa intromiſsione & omni moleſtia penitus deſiſtant. Vtrùm autem fuerit legitima citatio & defenſio, ſtabitur iudicio ipſius ſacri Concilij. Quodque deinceps à nouitatibus & grauaminibus, ſeu præiudicijs inferendis ipſi ſacro Concilio, vel ſuppoſitis eius & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu deſiſtet, vt ſit vera charitas inter ſacrum Concilium & ſuam ſanctitatem ad Dei honorem & vtilitatem vniuerſalis Eccleſiæ, ac ſine aliquo rancore aut ſuſpicione conſiſtere valeat: & vt ipſe dominus Eugenius poſsit agnoſcere puram ac rectam ſacri Concili intentionem, ac veram charitatem, quam erga ipſum habet, & habere in futurum intendit, oblationem aliâs factam in reſponſione data primis ambaſiatoribus ipſius domini Eugenij, quæ incipit, Cogitanti &c. Iterum hæc ſancta ſynodus, etiam alia addendo, repetit in hunc modum: Ecce ſi quid culpæ commiſſum eſt attentando diſſolutionem, aut in confectione & publicatione trium bullarum in reuocatione per ipſum dominum Eugenium fienda contentarum, ſacrum Concilium penitus abolet, dummodò ipſe dominus Eugenius omnia & ſingula ſuperius contenta, realiter & cum effectu adimpleuerit, & infra terminum in præſenti decreto noſtræ prorogationis ſtatutum, huic ſacro Cõcilio per ſuas authenticas literas ſignificauerit. Quod ſi fecerit, nemo erit noſtrum, qui pedes eius vt beati Petri non oſculetur, qui vt vicarium Chriſti non honoret: Erit Concilij caput, omnes ad eum reſpicient, omnes ei complacere, obſequi, & quantum cum Deo poterunt, deſeruire curabunt. Offerimus etiam, quicquid dici, aut cogitari poteſt, nos fideliſsimè facturos, quãtum cum Deo fieri poterit pro omni honore & ſtatu tam ſuæ ſanctitatis, quàm omnium ſuorum. Datum in ſeſsione publica eiuſdem ſanctæ ſynodi in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, ſeptimo idus Nouembris, anno à Natiuitate Domini 1433.

Papa, caput cõcilij.

SESSIO XV.

De Concilijs Prouincialibus & Synodalibus.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam. Pridem hæc ſancta ſynodus quoddam ſaluberrimum promulgauit decretum, pro ſtabilitate & robore generalium Conciliorum, quorum frequens celebratio pręcipua eſt agri dominici cultura. Verùm cùm ad eandem culturam non dubium ſit pertinere, epiſcopales ſynodos & Concilia prouincialia, prout veteres canones decreuerunt, frequentari: ideo eadem ſancta Synodus, antiquos & laudabiles mores noſtris cupiens temporibus obſeruari, ſtatuit atque præcipit, ſynodum epiſcopalem in qualibet diœceſi poſt octauas dominicæ reſurrectionis vel alia die ſecundum conſuetudinem diœceſum, ad minus ſemel in anno, vbi non eſt conſuetudo bis, annuatim celebrari per diœceſanum propria in perſona, niſi canonico impedimento fuerit præpeditus, & tunc per vicarium ad hoc idoneum. Quæ ſynodus ſaltem biduo vel triduo duret, vel prout neceſſarium epiſcopis viſum fuerit.

Huic ſeſſioni interfuit Imperator cum inſignijs.

Prima autem die conuenientibus diœceſano & omnibus alijs, qui huiuſmodi ſynodo intereſſe tenentur, infra Miſſarum ſolennia vel poſt, diœceſanus vel alius eius nomine verbum Dei proponat, exhortando omnes ad bonos mores ſectandum, abſtinendum à vitijs, & ad ea quæ pertinent ad eccleſiaſticam diſciplinam & officia ſingulorum & præſertim vt hi quibus animarum cura commiſſa eſt, diebus dominicis & alijs ſolennitatibus plebem ſubiectam doctrinis & monitis ſalutaribus inſtruant. Poſtea legantur ſtatuta prouincialia & ſynodalia, & inter alia aliquis compendioſus tractatus, docens quomodo ſacramenta miniſtrari debeant, & alia vtilia pro inſtructione ſacerdotum. Deinde ipſe diœceſanus de vita & moribus ſubditorum ſolerter inquirat, labem Simoniacæ prauitatis, contractus vſurarios, concubinatum, fornicationem & alia quæuis crimina & exceſſus debita correctione cohibeat. Alienationes rerum ec-

cleſiaſticarum à iure prohibitas reuocet, clericorum abuſus & aliorum ſubiectorum, qui circa diuinum officium & delationem debiti habitus defecerint, in melius reformet & emendet. Et quoniã multa ſcandala ſæpè cõtingunt, eo quod Libro 6. conſtitutio Bonifacij Papæ octaui, quæ incipit, Periculoſa, edita ſuper clauſura monialium, non ſeruatur: ſtudeat ipſe diœceſanus, vt omnino iuxta ipſius conſtitutionis tenorem executioni demandetur: necnon vt quicunq; religioſi diœ- De regularibus. ceſano ſubiecti, regulas & conſtitutiones ſuarum religionũ, præſertim vt ab eis omnis proprietas abdicetur, inuiolabiliter obſeruent. Ne etiam in receptione ipſorum ad religio- De hæreſibus. nem, quicquam per Simoniam exigatur. Præcipua autem in ipſa ſynodo epiſcopi cura ſit, inquirere ac debitis remedijs occurrere, ne aliquod dogma hæreticum, erroneum, aut ſcandaloſum, ſeu piarum aurium offenſiuum, ſortilegia, diuinationes, incantationes, ſuperſtitiones & quæuis diabolica figmenta diœceſim ſuam inficiant. Inſtituanturque præterea teſtes ſynodales, viri graues, prouidi, & honeſti, legis Dei zelum habentes, iuxta diœceſum latitudinem in numero competenti, aut alij eorum poteſtatem habentes, vbi alij non ſunt ad hoc inſtituti, qui ſi diœceſano minùs idonei videantur, eos amouendo, alios (prout ei videbitur expedire), inſtituat. Hi autem in manibus ipſius diœceſani vel ſui vicarij iurare teneantur, vt tradit canon, Epiſcopus in ſynodo, qui per anni circulum luſtrantes ipſam diœceſim, quæ corrigenda vel reformanda viderint, his adquos talia corrigere vel reformare pertinet, referant. Quæ niſi correcta vel reformata iam fuerint, ad ſynodum ſubſequentem perferant, in qua debitis remedijs occurratur. Sed & præter illa, quæ à teſtibus ſynodalibus vel alijs eorum officia exercentibus, diœceſanus audierit, inquirat & ipſe diligenter de cunctis ſubditorum ſuorum exceſſibus, & taliter in delinquẽtes inſurgat correctionis debitæ diſciplina, vt alijs malignari volentibus tranſeat in exemplum.

Celebretur quoque in ſingulis prouincijs ſaltem infra biennium à fine Concilij generalis, & deinde ad minus ſemel de triennio in triennium, prouinciale Concilium in loco tuto. In quo tam Archiepiſcopus quàm ſuffraganei omnes & alij, qui in huiuſmodi Concilijs prouincialibus intereſſe tenentur, debitè vocati interſint. Quòd ſi epiſcopus canonico fuerit impedimento detentus, procuratorem ſuum deſtinet, non ſolùm ad excuſandum & probandum abſentiæ cauſas, ſed etiam ipſius nomine in Concilio intereſſendum, ſuſcipiendumque quicquid Concilium duxerit ſtatuẽdum. Alioquin ipſe epiſcopus à perceptione medietatis fructuum vnius anni ſuæ eccleſiæ, qui perſonam in ipſo Concilio deputandam, in ipſius eccleſiæ ſuæ fabricam effectualiter conuertantur, eo ipſo ſit ſuſpenſus. Alij verò venire negligentes, Concilij arbitrio puniantur, alijs iuris pœnis in ſuo robore duraturis. Concilio autem generali durante, & per ſex menſes antè, huiuſmodi prouincialia Concilia non celebrentur. Porrò in huius inchoatione Concilij ipſe metropolitanus vel alius eius nomine, infra Miſſarum ſolennia vel poſt, exhortatorium ſermonem faciat, ea quæ ad ſtatũ eccleſiaſticum, & pręcipuè ad pontificale officium pertinẽt, ſerioſè memorando, cõminandoque ſingulis, quòd iuxta Ezech. 3. Prophetæ ſententiam, ſi eorum culpa cuiuſuis anima perierit, illius ſanguis de manibus eorũ à Domino exigetur. Præcipuè autem fiat tũc monitio exacta, vt dignis & benè meritis, quorum vita ſufficienti teſtimonio nota ſit, ordines & beneficia ſine vlla Simoniaca labe conferantur. Et ſuper omnia, vt in animarum cura committenda, ſumma diligentia & matura inquiſitio adhibeatur. Et vt bona eccleſiaſtica nullatenus ad vſus illicitos, quinimò ad honorem Dei, eccleſiarum conſeruationem (habendo ſecundum ſacros canones præcipuam curam pauperum & indigentium) laudabiliter cõuertantur, ſcientes quòd de his omnibus apud tri- Matth. 5. bunal æterni iudicis vſque ad minimum quadrantem rationem reddituri ſunt. In quibus quidem cõcilijs de corrigendis exceſſibus, moribuſq; ſubditorum reformandis, & præcipuè qualiter Epiſcopi in conferendis beneficijs & confirmandis electionibus, miniſtrandis ordinibus, deputandis confeſſoribus, prædicando ad populum, & puniendo exceſſus ſubditorum, obſeruanioneq; epiſcopalium ſynodorũ, cæteriſque ad officium epiſcopale ac iuriſdictionem & adminiſtrationẽ eorum in ſpiritualibus & temporalibus quomodolibet ſpectãtibus, ſe geſſerint, & præſertim an à Simoniaca labe manus innoxias ſeruẽt, diligens inquiſitio ſecundum iuris diſpoſitionem fiat, vt omnes qui in præmiſſis deliquiſſẽ comperti fuerint, per ipſum Concilium corrigãtur & puniantur. Simili modo de ipſo metropolitano circa omnia ſupradicta diligenter inquiratur, cuius exceſſus & defectus ipſum Concilium eidem ſpecialiter exprimat, ipſum admonendo & obſecrando, vt cùm aliorum pater vocetur, & eſſe debeat, à talibus omnino deſiſtat. Et nihilominus inquiſitionem de ipſo habitam, in ſcriptis redactam, ad Romanum pontificem vel alium eius ſuperiorem, ſi quem habeat, ſine mora tranſmittat, vt ab eo punitionem & reformationem ſuſcipiat condecentem. Inter cætera, ſi quæ diſcordiæ, contentiones & inimicitiæ inter quoſcunque viguerint, quæ quietem & tranquillitatem prouinciæ poſſent perturbare, curet omni ſtudio ſacrum Concilium illa ſedare, & more piorum patrum ad pacem concordiamque filiorum vigilanter intendat. Et ſi inter regna, prouincias & principatus, huiuſmodi diſcordias ſuſcitari contingat, mox ſancti Dei antiſtites Concilia prouinciarum ſuarum ſimul congregari procurent, & ſibi inuicem Concilium & auxilium impendentes, cuncta diſcordiarum fomenta amputare ſtudeant: neque hoc alicuius amore vel odio prætermittant, ſed ad Deum ſolum & ſalutem populi mentis oculos erigentes, ad ſanctum pacis opus, omni tepiditate ſemota, inuigilent.

Cogitentur inſuper in prouinciali ſynodo, quæ immediatè generale Concilium ſubſequens antecedit, omnia quę in eodem generali Concilio viſa fuerint proſequenda, ad Dei gloriam & prouinciæ commodum, ſalutemque Chriſtiani populi. Ibidemque eligantur in numero competenti, qui ad proximum generale Concilium vice totius prouinciæ debeant proficiſci, quibus per ſubſidium vel aliàs prouideatur, prout de iure & Concilio prouinciali fuerit viſum expedire, ita tamen, quòd illi qui vltra perſonas (vt prædictum eſt) deputatas ad ipſum Concilium generale accedere voluerint, aut eorum clerus nullatenus propterea grauentur. Relegantur quoque in vnoquoque prouinciali Concilio, quæ ſecundum canonicas ſanctiones in eiſdem legi pręcipiuntur, vt ea & inuiolabiliter obſeruentur, & tranſgreſſoribus pœnæ debitæ inferantur. Quod ſi metropolitani vel diœceſani prædictis terminis in celebrandis prouincialibus & epiſcopalibus ſynodis, ceſſante legitimo impedimento, fuerint negligentes, medietatem omnium fructuũ & obuentionum ratione ſuarum eccleſiarum ad eos pertinentium, fabricæ ipſarum eccleſiarum applicandam eo ipſo amittant. Qui ſi in eadem negligentia per tres proximos menſes perſeuerauerint, ab officijs & beneficijs ſint ipſo facto ſuſpenſi. Quibus tranſactis temporibus ſub anteſcriptis pœnis, antiquior in prouincia ordine epiſcopus ipſius metropolitani epiſcopi, aut maior in dignitate poſt pontificalem in ſacris conſtitutus, niſi ad alios forſan de conſuetudine vel priuilegio pertineat, negligentiam in celebrandis prædictis prouincialibus & epiſcopalibus ſynodis ſupplere teneatur. Iubet inſuper hæc ſancta ſynodus omnibus prælatis religionum & ordinum quorumcunque, ad quos celebrare capitula pertinet, quòd illa ſtatutis temporibus ſub prædictis pœnis ſeruent, & ſeruari faciant, in quibus ſecundum canonicas ſanctiones & religionum conſtitutiones, cum omni ſtudio & diligẽtia ad veram ſingularem religionum & ordinum reformationem intendant, ita vt deinceps in ſingulis monaſterijs iuxta proprias regulas & conſtitutiones, debitè regularis vigeat obſeruantia: & præcipuè, vt tria ſubſtantialia profeſſionis vota omnino obſeruentur. Per præmiſſa autem hæc ſancta ſynodus non intendit iuribus quorumcunque quomodolibet derogare. Datum Baſileæ in ſeſſione publica, celebrata in eccleſia maiori Baſileenſi ſexto Kalendas Decembris, Anno à Natiuitate Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimotertio.

SESSIO XVI.

Per quam declarat Papam Eugenium Concilio adhærere, celebratis cæremonijs conſuetis & in ea incorporantur bulla Eugenij.

Huic ſeſſioni interfuiſſe aſſeritur etiã Imperator in habitu imperiali, & prælati & omnes ſedentes cũ mitris albis, planis capitibus eorum ſuperpoſitis

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, viuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Literis ſanctiſsimi domini Eugenij Papæ quarti more curiæ Romanæ bullatis, ac per nonnullos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſubſcriptis, quarum tenor de verbo ad verbum inferiùs deſcribitur, huic ſacro Concilio in generali congregatione per venerabiles Ioannem Archiepiſcopum Tarentinum & Chriſtophorum Ceruienſem Epiſcopum oratores ſuos præſentatis, lectis, examinatis & diligenter inſpectis, eadem ſancta ſynodus decernit & declarat, præfatum dominum Eugenium per prædictas literas ſatis feciſſe plenariè monitioni, citationi & requiſitioni huius ſacri cõcilij, prout in decreto in xiiij. ſeſsione promulgato, & in ſchedula in eodem decreto inſerta, continetur. Ipſaſque literas approbat, acceptat, & admittit, rataſque habet & gratas, & ſic ab omnibus haberi vult, mandans dictarum literarum tranſumpta ſub bulla ſacri concilij dari debere omnibus habere volentibus, quibus tranſſumptis eandem fidem dari decernit, quæ ipſis literis originalibus daretur. Tenor verò dictarum literarum ſequitur, & eſt talis:

Literæ Eugenij Põtificis.

Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dudum ſacrum generale Baſileenſe Concilium, per generalium Conſtantienſis & Senenſis Conciliorum ſtatuta, ordinationeſq; felicis recordationis Martini Papæ quinti ac noſtras, pro extirpatione hæreſum, pace populi Chriſtiani ac generali reformatione Eccleſiæ in capite & in membris & pertinentibus ad ea, legitimè inchoatum, ex certis cauſis in alijs noſtris literis expreſſis, de fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu diſſoluimus. Verùm cùm ex dicta diſſolutione ortæ ſint graues diſſenſiones, & grauiores oriri poſſent, nihilque magis optemus, quàm quòd prædicta ſancta opera debitum ſortiantur effectum, de conſilio & aſſenſu venerabilis fratris Iordani Epiſcopi Sabinenſis, & dilectorum filiorum noſtrorum Antonij ſancti Marcelli. Franciſci ſancti Clementis, Angeloti tituli ſancti Marci presbyterorum, ac Lucidi ſanctæ Mariæ in Coſmedin, & Ardecini ſanctorum Coſmæ & Damiani diaconorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, decernimus & declaramus, præfatum generale Concilium Baſileenſe à tempore prædictæ inchoationis ſuæ legitimè continuatum fuiſſe & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuari, ac proſecutionem habere debere ad prædicta & pertinentia ad ea, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet. Quinimò præfatam diſſolutionem irritam & inanem de conſilio & aſſenſu ſimili declarantes, ipſum ſacrum generale concilium Baſileenſe purè, ſimpliciter & cùm effectu ac omni deuotione & fauore proſequimur, & proſequi intendimus. Præterea, vt mentis noſtræ integritas ac deuotio, quam ad vniuerſalem Eccleſiam & ſacrum generale Concilium Baſileenſe gerimus, omnibus conſtet euidenter, duas noſtras literas pridem in palatio Apoſtolico promulgatas, nam tertias, quarum tenor de verbo ad verbum inferiùs deſcribitur, quæ dicuntur incipere, DEVS nouit, cùm à nobis aut de ſcitu noſtro nunquam emanàrint, licet ſuperfluum videatur, quod non extat, reuocare, tamen quia petitum eſt, & ad cautelam, ſi vllo vnquam tempore apparerent. & alias quaſcunque, & quicquid per nos aut noſtro nomine in præiudicium aut derogationem prædicti ſacri concilij Baſileenſis, ſeu contra eius authoritatẽ factum & attentatum ſeu aſſertum eſt, caſſamus, reuocamus, irritamus & annullamus, nullas & irritas fuiſſe & eſſe declaramus. Item reuocamus quoſcunque proceſſus quarumcunque cenſurarum, priuationum & ſuſpenſionum factos contra ſuppoſita huius ſacri Concilij Baſileenſis, & adhærentes eidẽ, necnon oĩa geſta & facta in præiudiciũ, læſionẽ & derogationẽ eorundẽ, eis nõ legitimè citatis nec legitimè defenſis, de quibuſcunq; dignitatibus, beneficijs, cõmendis & officijs, etiam ſi cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ &c. exiſtant, iuribus & bonis quibuſcunque, & ſpecialiter contra Cardinales de Cypro, ſancti Sixti & Firmanum, ac omnia in priſtinum ſtatum perinde ac ſi non emanaſſent, cum clauſulis opportunis. Mandantes ſub pœnis formidabilibus omnibus, qui ſe de dictis dignitatibus, beneficijs, commendis, officijs, iuribus & bonis intromiſiſſent, vel ratione dictarum priuationum ſeu noſtrarum ordinationum quarumcunque ſe vellent intromittere, vt ab ipſa intromiſsione & omni moleſtia penitus deſiſtant. Vtrùm autem fuerit legitima citatio & defenſio, ſtabitur iudicio ipſius ſacri Concilij. Nos autem deinceps à nouitatibus & grauaminibus ſeu præiudicijs inferendis ipſi ſacro Concilio vel ſuppoſitis eius & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu deſiſtemus. Tenor verò præfatarum literarum ſequitur, & eſt talis.

Prima bulla reuocata.

Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Inſcrutabilis diuinæ prouidentiæ altitudo ad hoc nos, maximæ poteſtatis deſuper plenitudine nobis tradita, ſuper vniuerſum gregem dominicum in præſulem conſtituit, vt ad remouẽdum atque extirpandum de agro dominico vepres, ex quibus poſſent Eccleſiæ ſuæ ſanctæ & Chriſtianæ reipublicæ diſſenſiones & ſcandala prouenire, cura aſsidua & peruigili intendamus. Sane cum dudum ex certis & rationabilibus cauſis Concilium, quod nonnulli Baſileæ congregatum eſſe dicebant, diſſoluentes, illud ad ciuitatem noſtram Bononienſem duxerimus commutandum, poſtmodum ceſſantibus dictis cauſis, præfatum Concilium in ipſa ciuitate Baſileenſi decreuimus per noſtros legatos, qui ibidem noſtro nomine præſiderent, continuari debere, prout in diuerſis deſuper confectis noſtris literis pleniùs continetur. Cùm autem qui Baſileæ congregati erant, prout ſunt, etiam poſt diſſolutionem & decretum huiuſmodi, ac etiam ante aduentum dictorum legatorum, non ad communem vtilitatem, ſed ad priuatas paſsiones intenti, nullaque authoritate ſedis Apoſtolicæ ſuffulti, multa & grauia, etiam præter illa tria, propter quæ fuerat ibi principaliter Concilium à principio conſtitutum, tanquam haberent generalis ſynodi, nobis etiam contradicentibus, poteſtatem, diſponere, ordinare, ſtatuere, ſancire, declarare, & mandare præſumpſerint, in noſtrum & ſedis Apoſtolicæ ac venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium, & aliorum nobis adhærentium graue præiudicium, præter & contra ſanctorum patrum decreta & canonicas ſanctiones: Nos attendentes, quòd ea, quæ per eos ſic perperam ſtatuta, facta & ordinata exiſtunt, ſi ſub diſsimulatione & ſilentio præterirent, in magnum atque euidens præiudicium Eccleſiæ atque Apoſtolicæ ſedis, & graue ſcãdalum plurimorum veriſimiliter redundare poſſent, cùm non ad reformationem, ſed deformationem, non ad vnitatem, ſed ſciſſuram Eccleſiæ, non ad hæreſes tollendas, ſed nutriendas, nõ ad pacem fidelium, ſed diſcordiam ſeminandam ſpectare videantur: ac propterea volentes, prout ex debito paſtoralis officij tenemur, quãtum altiſsimus permiſerit, futuris ſcandalis celeri remedio prouidere, omnia & ſingula geſta, facta & ordinata, ſancita, decreta & declarata per præfatos Baſileæ congregatos & exiſtentes, videlicet citationes, proceſſus & ſententias, ſtatuta & decreta, quę de nobis ſeu contra nos iura & libertatem noſtram & ſedis Apoſtolicæ vel venerabiles fratres noſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſeu ipſorum aliquem, aut prælatos quoſcunque, ſiue curiales aut Romanam curiam ſequentes, vſque ad præſentem diem facere, ſtatuere, attentare, & ordinare nimium præſumpſerunt, & quæ vſque ad acceſſum ipſorum legatorum ad ſupraſcriptam ciuitatem Baſileenſem, & in ipſo concilio præſidentium, quomodolibet per eos in futurum fient, agentur, ordinabuntur, ſancientur, ſtatuentur, attentabuntur, & mandabuntur, exceptis his, in quibus eis per noſtras literas facultatem conceſsimus, irrita eſſe & inania, nullumque effectum debuiſſe aut debere ſortiri, authoritate Apoſtolica de conſilio & aſſenſu præfatorum fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium,

tenore præſentium declaramus, decernimus, & pro infectis haberi volumus & mandamus. Ipſaque & maximè legationes in terris Eccleſiæ, creationes & ordinationes officialiũ, beneficiorum collationes, ac omnia & ſingula indè ſecuta, vel quæ in poſterum ſequi poſſent, ex nunc præfata authoritate, cùm de facto proceſſerint, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine caſſamus, irritamus, & annullam*, ac nullius eſſe decernimus roboris vel momenti, diſtrictiùs inhibẽtes vniuerſis Chriſti fidelibus, ne decretis, ordinationibus, mandatis, factis & geſtis huiuſmodi aliquo modo pareant vel intendent, aut pro talibus reputent, declarantes omnes & ſingulos, cuiuſcunque ſtatus, gradus & præeminentiæ exiſtant, etiam ſi imperiali, regali, Cardinalatus, ſiue quacunque alia eccleſiaſtica ſiue ſeculari præfulgeant dignitate, nullo vinculo iuramenti, promiſsionis, facti, aut conuentionis prædictis factæ, quomodolibet ſe teneri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, conſtitutionis, voluntatis, mandati, caſſationis, irritationis, annullationis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prçſumpſerit, indignationem, omnipotẽtis Dei & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimotertio, quarto Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno tertio.

Secunda bulla reuocata.

Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. In arcano noſtræ mentis ſæpiſsimè cogitantes, quòd niſi ſuperinualeſcenti hominum malitiæ, qui Eccleſiam Dei varijs quæſitis coloribus perturbare conati ſunt, authoritas Romanorum pontificum reſtitiſſet, diuerſa in Eccleſia Dei ſcandala emerſiſſent: non ſolùm debitum, ſed etiam neceſſarium reputamus, vt nos quoque ea quæ in Eccleſiæ ſcandalum, noſtrumque & ſedis Apoſtolicæ contemptum & dedecus fieri conſpicimus, debitis remedijs cõprimamus. Sanè cùm ad noſtram notitiam nuper perueniſſet, quoddam prætenſum decretum, datum tertio idus Iulij anno domini 1433. emanaſſe, in quo inter cætera contineri videtur, nos infra lx. dierum ſpatium dictis congregatis purè & ſimpliciter adhærere debere: venerabilibus autem fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, necnon quibuſcunque in Romana curia exiſtentibus mandari dicebatur, vt poſt ipſum terminũ lapſum, infra viginti dies proximè ſequentes, ſub pœna priuationis, omnium beneficiorum ſuorum, commendarum, penſionum, officiorum, & gratiarum quarumcunque, quam incurrerent ipſo facto Romanam curiam relinquerent: omnes inſuper cauſas in ipſa cura pendentes, ad ſe eo caſu aduocabant, prout hæc & nonnulla alia in ipſo prætenſo decreto dicuntur pleniùs cõtineri: nos ex incumbenti nobis cura officij paſtoralis aſtricti ad tuendam noſtram ſediſq; Apoſtolicæ authoritatem, Cardinalium quoque patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Prælatorum, Officiariorum & aliorum curialium prædictorum, aſſerentium ipſius decreti * ex defectu poteſtatis condentium, ac in hac parte ſupplicantium, vt ſuper prçmiſsis prouidere vellemus, graui querela commoti, authoritate domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos ſuum in terris vicarium conſtituit, ac de poteſtatis noſtræ plenitudine pronunciamus, decernimus, ac etiam declaramus, præmiſſum aſſertum decretum, omnia & ſingula in eo contenta, nullum & inane penitus extitiſſe, & exiſtere, nulliusq; authoritatis, valoris vel momenti: ipſumque & quæcunq; in ea comprehenſa eadem authoritate reuocamus, caſſamus, irritamus, & pro infectis haberi volumus, & mandamus, decernentes inſuper & etiam ſtatuentes, proceſſus omniũ beneficiorum, officiorum, dignitatum, penſionum, commendarum ſeu titulorum quorumcunque collationes & diſpoſitiones quaſcunque, in vim eiuſdẽ decreti quomodocunq; & qualitercunq; factas & fiendas, & omnia indè ſecuta notoriè, nullius extitiſſe vel exiſtere firmitatis. Mandamus inſuper omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, eccleſiaſticis & ſecularibus, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus ſeu conditionis exiſtãt, etiam ſi imperiali, regali, reginali, cardinalatus, patriarchali vel quauis alia præfulgeant dignitate, ſub anathematis pœna & priuationis, quam contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, dignitatum, officiorum & beneficiorum ſuorum quorumcunque, & inhabilitationis ad illa, ſeu alia in poſterum obtinenda, ne cardinales, patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, prælatos, officiarios, clericos ſeu alios Romanam curiam ſequẽtes, in eorum perſonis ſeu rebus eccleſiaſticis, beneficialibus, ſpiritualibus vel profanis, occaſione præfati decreti turbent quomodolibet vel moleſtẽt, nec ea facientibus præſtent auxilium, conſilium vel fauorem. Pari quoque pœna illos, qui authoritate ſeu occaſione quacunq; ea aut eorum aliqua auſi fuerint attentare, volumus ſubiacere, inhabilitantes eos ad quaſcunque dignitates, honores, officia & beneficia in poſterum obtinenda, ſupplentes ex eadẽ poteſtatis plenitudine omnes defectus, ſi qui forſan interuenerint in præmiſsis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ pronunciationis, conſtitutionis, declarationis, reuocationis, caſſationis, irritationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, inhabilitationis & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurũ. Datum Romæ apud ſanctum Laurẽtium in Damaſo, anno incarnationis dominicæ milleſimo, quadringenteſimo, triceſimotertio, idibus Septembris, pontificatus noſtri anno 3.

Forſè deeſt,* defectum ſeu * nullitatem.

Tertia bulla reuocata.

Hanc bullã Eugenius pontifex negat ſe ſciẽte confectam.

Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Deus nouit ſecretorum omnium optimus perſcrutator, quòd vſqueadeò ſummoperè atque diligenti ſtudio procurauimus, ne ſacrilegum ſchiſma in Dei Eccleſia naſceretur, quòd pauci etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales Baſileæ conuenientes, ipſum poſſent veriſimiliter (ſi ab inceptis non deſiſterent) inducere, nos etiam ad illa humiliando, vt ſcandala vitarentur, ac ipſis plurima permittendo, ad quæ de iure minimè tenebamur, credentes vt exinde pacari, pax & tranquillitas inter nos & ipſos, imò veriùs in Chriſtiana religione oriretur. Sed non profuerunt, ſiue prodeſſe poſſunt, per nos piè, manſuetè ac modeſtè cum ipſis dicta & geſta, vt poteſt notoriè animaduertere Chriſticola quilibet orthodoxus, quin ipſi velint ſe à ſancta ſede Apoſtolica ſcindere, & diuinum corpus dominicum, id eſt, ſanctam matrem Eccleſiam, Chriſti tunicam inconſutilem, lacerare, ac ſciſſuram peſtiferam in ipſa conficere, noſque Petri ſucceſſorem legitimum, licet immeritum, pro poſſe confundere, quas res hactenus Chriſtianæ religionis principibus patefacere non curauimus, ſperantes noſtra cum manſuetudine & patientia omnia ad debitæ iuſtitiæ ſemitas poſſe deducere, ac ipſos ab eorum conatibus & erroribus reuocare. Sed proh dolor nimium iſte morbus eorum canceroſus inualuit, & quotidiè conualeſcit, quia noſtra clementia & nimia benignitas ipſos contra nos quotidiè reddit magis elatos. Et quamuis eorum deſiderijs condeſcendentes, mandauerimus iterum debere Baſileæ Concilium celebrari, ipſi tamen quoniam nobis oppidò ſunt infeſti, & quos toleraſſe, & ipſis ſuarum contra ſedem Apoſtolicam rebellionum indulgentiam obtuliſſe, non profuit: eorum tamen intentionem executioni gaudent & cupiunt præcipuè demandare, nos falſo de varijs criminibus impetentes, vt valeant inhumaniter omni pontificali poteſtate nos perturbare, quorum callidè dicta & geſta opus eſt refellere, ne falſis detractionibus de nobis confictis, valeant Chriſtianam circumueniri religionem, ac omnibus Chriſti fidelibus eorum geſta, dicta & facta horrenda ſapere poſſe in futurum ſchiſma & peſtiferam hæreſim oſtendamus, noſtris his literis ſingulariter eorum obiectis reſpondentes. Obijciunt igitur primùm de nobis obloquentes, quòd ſcandali & perturbationis cauſa in Eccleſia DEI introducendi, perperam conati ſumus ſacrum Baſileenſe diſſoluere Concilium, quodque ex hoc vniuerſalem Eccleſiam conturbauimus, nec ſine conſenſu Concilij diſſolutionem illam facere valuimus: quæ cuncta veritati iuris & facti penitus ſunt aduerſa. Quoniam primùm noſtra nunquam

fuit aut erit intentio, ſacrum diſſoluendo exianire Concilium, ac nolle ſecundum Conſtantienſis & Senenſis ſtatuta Conciliorum ipſam ſacram ſynodum celebrari, in qua perfidæ hæreſes euellerentur, & Deo militantium in Eccleſia reformarentur mores improbi, ac alta pax & dulcis tranquillitas Chriſtiano populo traderetur: quin potius hoc tam ſalubre negocium ſemper inſedit, & reſidet cordi noſtro. Et his de rebus cupientes vt ipſum per Apoſtolicæ noſtræ ſolertiæ ſtudium finem debitum conſequeretur, in noſtræ aſſumptionis principio ad ſummi Apoſtolatus apicem mandauimus, per dilectum filium Iulianum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſancti Angeli diaconum Cardinalem, ibidem Baſileæ ſanctam ſynodum celebrari. Verùm quoniam poſtmodum, vt alijs noſtris literis curauimus Chriſticolis palàm facere, iuſtis de cauſis ex parte ipſius Iuliani, & nonnullorum tunc Baſileæ conuenientium, per dilectum filium Ioannem Pulchri patris ipſorum oratorem, ad nos ſpecialiter deputatum, nos informati veridica relatione percepimus, quòd Baſileæ pro tunc ſine magno temporis interuallo ipſius ſanctæ ſynodi celebratio non eſſet poſsibilis, Concilium ipſum penitus non diſſoluimus, vt ipſi non benè interpretati ſunt, ſed ad noſtram Bononienſem ciuitatem commutauimus, ſic quòd ipſum in ſua eſſentia conſiſtere voluimus, ac à Baſileenſi ciuitate ſolùm exoluimus. Quare nos indebitè criminantur, quòd ſcandala in Eccleſia Dei introducendi cauſa Concilium diſsipauimus, cùm ipſum à Baſilea commutare, neceſſitatibus vrgentibus, coacti fuerimus. Et quamuis nunc nobis ipſas cauſas per præfatum oratorem intimatas, inficiari non vereantur, orbi tamen toti notiſsimum eſt, illas cauſas celebrandi Concilii impeditiuas, extitiſſe veras. Nam ferè octo menſes effluxerant, poſtquàm ipſa initiari debuit ſancta ſynodus, nec adhuc Baſileæ conuenerant tres Epiſcopi, aut alij in toto numero decem prælati, regumque & principum procuratores, ſiue nuncij pauci, ſiue nulli aderant, cum quibus de Chriſtianorum pacatione, ſiue concordia poſſent aliqua pertractari, vt in Concilijs primùm eſt decens inquirere. Doctorum & magiſtrorum ferè nulli intererant, qui hæreticorum verſutijs reſiſtere poſſent, ac argumenta eorum ſophiſtica ſcirent refellere & confutare. Locus etiam ipſe Baſileenſis ciuitatis minime tutus videbatur, tum propter armatam finitimam hæreſim Bohemorum, tum propter ſubortam guerram inter dilectos filios viros illuſtres Burgundiæ & Auſtriæ Duces. His igitur & alijs iuſtis & legitimis de cauſis, non ſcandalizandi clerum, ſiue errores ſtudio conficiendi, de ipſorum Cardinalium plurimorum conſilio & aſſenſu, qui nunc Baſileæ conueniunt, & hanc commutationem damnant, illam fecimus, præſertim his etiam de cauſis moti, quia ſperabamus, quod in Italia conſiſtente chariſſimo in Chriſto filio noſtro Sigiſmundo Romanorũ tunc rege, nos faciliùs ambo potuiſſemus Bononiam cõuenire, adeſſentque ibidẽ Bononiæ tunc celeriùs prælati & principes in numero copioſo, ſiue ipſorum procuratores & nuncij, cum quibus melius & grauiori maturitate ſingula in Concilijs agenda expedirentur, & maiori cum reuerentia ab omnibus Chriſti fidelibus reciperentur, quàm illa quæ per paucos Baſileæ conuenientes fieri forſitan contigiſſent. Neſcimus ergo, quomodo ipſam audent commutationem reprobare, cuius ipſi plurimi fuerunt authores præcipui, damnant namque eorum geſta, non noſtra, quia tunc eramus grauiſsima corporali infirmitate grauati, cùm ipſi diſſolutionem & tranſlationem ipſam promouebant, ſuadebant, & efficere ſtuduerant, nobis præcipuè ad memoriam reducentes, & his rationibus compellentes. quòd dum eramus in minoribus conſtituti, vnà cùm ipſis & alijs fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, voto & iuramento nos aſtrinximus, quòd illo in loco Concilium teneremus, in quo maiori parti Cardinalium magis expediens videretur, cùm Baſileæ non ſperaretur poſſe Concilium celebrari temporibus à iure decretis, iam fine temporis inſtante, & impedimentis ſubſiſtentibus anteà enarratis, ſicque ipſi mutationem ſiue tranſlationem neceſſariam eſſe dicentes, & vt alio in loco transferremus, ſedulò requirentes. Tandem fuit cauſa finalis, vt ipſam tranſlationem ſiue commutationem faceremus, quam tamen & iuſtam fuiſſe, & nobis ſoli cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus facere licuiſſe (prout egimus) etiam abſque alterius conſenſu Concilij, nemo ſanæ mentis ambigere debet. Nam etſi canon Conſtantienſis Concilij, qui incipit, Frequens, ab ipſo Concilio editus, & à felicis recordationis Martino prædeceſſore noſtro non improbatus, locum mutare, vel tempus inceptionis Concilij prorogare nobis ſine Concilij conſenſu prohibere videatur, non tamen debet ſic abuſiuè interpretari, vt, cauſa imminente nobis etiam ſoli adempta fuerit circa loci mutationem, temporis prorogationem diſpẽſandi facultas, cum etiam ſi à Martino editus extitiſſet, illa non fuiſſet, ſiue eſſe debuiſſet prohibentis intentio, quæ ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pari poſt ipſum, quinimò eadem poteſtate functuris, & infertur (prout eſt ſecundũ omnia iura) in hac parte Conciliũ inferius ſummo pontifice, papamque ipſis priorem nequeunt ſoluere vel ligare, ſed nos in his Concilio ſuperiores, ipſum poſſemus pro libitu regulare. Nam hoc de iure notiſsimum eſt, quòd poſſumus quæcunque ſtatuta, decreta, declarata ſiue ſancita per quoſcunque prædeceſſores noſtros, vel per quæcunque Concilia, dummodò in ipſis fidei fundamenta non exiſtant, ſiue ex hoc vniuerſalis Eccleſiæ bonum principaliter non turbetur, vt Vicarius Chriſti & irreprehenſibiliter pro noſtro amouere & corripere pro libitu voluntatis: & contra ſentire non eſſet longæuum ab hæreſi, velle ligare manus Vicarij IESV CHRISTI, & in terris Dei legati, ſiue ipſius geſta iudicare vel improbare, quod ſacrilegij crimen habet. Sed quæſumus, nobis dicant, qui nobis detrahunt, quæ hæreſis, quæ vniuerſalis Eccleſiæ turbatio ex hac tranſlatione loci ſurgere poterat, ſi nos ſanctam ſynodum Bononiæ commutauimus, vt eius bonum non fruſtaretur vlteriùs, quod iam menſibus octo ſine fructu aliquo extiterat prorogatum, & ipſius initiandi poſtmodum Baſileæ veſtigia commoda nulla videbantur? Profectò nullus per iuris tramites ambulans & non paſsione ſeductus aſſereret, quòd eccleſię fecerimus perturbationem, ſed ſalutem: nec celebrationem Concilij fruſtrauimus, ſed id accelerare concupiuimus. Taceant ergo hi, qui ſic nobis inhumaniter detrahunt: quoniam non ad Chriſtianorum & Eccleſiæ noxam, commutationem fecimus, ſed pro ſalute tutiſsima, vt citiùs quæ in Concilio forent agenda, finem debitum ſortirentur. Fuit igitur à Baſileenſi ciuitate legitima pro tunc noſtra Concilij diſſolutio, ac ipſius ad Bononiam iuſtiſſima tranſlatio, & aſſerentes contrà ſunt penitus ab omni veritate ac fide Catholica alieni. Nos inſuper criminantur & diffamant, quòd ſacro Concilio purè & ſimpliciter non adhæremus, ſed quotidiè magis & magis contemnimus & deſpicimus, quodque nos modeſtè & manſuetè monere curauerint, vt ſcandaloſam diſſolutionem & Eccleſiæ Chriſti perturbationem amouere deberemus, quas res inquiunt nos pertinaciter recuſare, & has ob cauſas nos citare & monere non ſunt veriti, & tandem (quod eſt deterius) ſi eorum vota infra ſexaginta dies non adimpleuerimus, nos ab omni pontificali dignitate ſuſpendiſſe profitentur: quæ quantum contra omnia ſint diuina iura pariter & humana, ac hæreſim manifeſtè nutrientia, breuiter oſtendemus: nam diſſolutionem, quam ſcandaloſam & Eccleſiam perturbantem eſſe dicunt, legitimis de cauſis & neceſſarijs iure fecimus, vt antè retulimus. Quod igitur ſcandalum, quod iuſtè, honeſtè & vrgente neceſſitate factum extitit, potuit generare? Profectò nullum, cùm omnia quæ ad ſalutem Chriſtianæ religionis debuiſſent in Baſileenſi Concilio expediri, & quæ pro tunc cùm ipſam ſanctam ſynodum commutauimus, ibidem Baſileæ fieri non poterant: meliùs, celeriùs & commodiùs in ipſa Bononienſi ſynodo perfici valuiſſent. Quam etiam Eccleſiæ turbationem fecimus, cùm (vt paulò antè narrauimus) illo in tempore, quo Concilium commutauimus, ferè nulli prẹlati conuenerant? Non poterant igitur perturbari, qui non aderant: quia quod Concilium Baſileæ fieret, non curabant. Nam ſi affectaſſent, ibidem in tempore conueniſſent. Nec quo ad illos qui conuenerant, quia ita pauci numero erant, quòd ſine noſtra authoritate Eccleſiam vniuerſalem repræſentare non poterant, quamuis ipſi eam re-

Conſtantien. Cõcilij ſeſ. 39.

preſen-

præſentare ſe dixerint. Concilio igitur ad ipſam Bononienſem ciuitatem legitimè tranſlato, ibidem poſtmodum Baſileæ conuenientes velut locuſtæ acephali, canonicum ſine noſtris præſidentibus non fecere Concilium, cùm authoritate carerent Apoſtolicæ ſedis. Nec veræ ſunt, quas faciunt excuſationes, quòd Conſtaatienſis, Senenſiſque atque felicis recordationis Martini ac noſtra authoritate, ipſorum Concilium vires habuerit, & habeat. Nam nos prędictis veris cauſis ſubſiſtentibus, & noſtram & piæ memoriæ Martini, & ipſorum Conciliorum authoritates, vt iure fecimus, reuocare potuimus, vt patulè ſuprà inſinuauimus. quare poſt ipſam canonicam diſſolutionem & authoritatũ prædictarum reuocationem, abſque vlla Apoſtolica authoritate conueniebant, ſiue conueniunt. Vnde verum non eſt dicere, eorum canonicum poſt noſtram diſſolutionem & ſine noſtris præſidentibus fuiſſe vel eſſe Concilium, quoniã nulla rata eſt vel vnquam erit ſynodus generalis, quæ ſummi pontificis non fuerit authoritate ſuffulta. Nec etiam eorum Spiritusſanctus eſt caput, cùm miſericors IESVS Chriſtus ſuper omnia ſummum pontificem † eccleſiæ poſt tranſitum verbi ad patrem, caput & principem ab ipſo CHRISTO & Eccleſia conſtitutum Eccleſiæ inſtituerit, nos videlicet, qui locum retinemus ipſius vicarij IESV Chriſti, quãuis immeriti. Sacrilegum igitur à nobis poſtulant & hæreticum, vt declarare velimus, retroactis temporibus Baſileæ continuè fuiſſe Concilium, cùm poſt noſtram diſſolutionẽ ſine noſtris præſidentibus regulare non fecere Concilium: quia eorum dicta, geſta & facta omnia cõtra diuina iura pariter & humana perperam ſunt confecta, & quę per nos nullatenus ſunt debita comprobari. Et in hoc eſt quòd Chriſtianam religionem circumuenire cupiunt, vt ſub colore, quòd continuè Baſileæ Concilium fuiſſe declaremus, omnia eorum geſta & facta comprobemus, quæ adeò ſunt minùs benè compoſita, vt etiam ſi ab habẽtibus poteſtatem promulgata fuiſſent, eſſent irritatione, annullatione, & reuocatione dignisſima. Nam quod nunquam eſt lectum, ipſi in ciuitate noſtra Auinionenſi, & contra noſtram voluntatem conſtituere legatum auſi ſunt, illam tyrannidi vnius Cardinalis, nuper cum eis conuenientis ſubijciendo, ſpreto verò legato de latere, per nos & ſedem Apoſtolicam conſtituto: vndè tot guerrarum ſtrages, tot rapinæ, tot homicidia, tot incendia ſuborta ſunt. Sed tandem clementiſsimus DEVS ſua miſericordia fauit parti iuſtiorem cauſam habenti, quia noſtro vero dominio, & ſub noſtro legato ipſa ciuitas eſt ſubiecta. Ipſi inſuper de ſingulis Romanæ curiæ officijs inter ſeipſos diſponere non ſunt veriti, præſidentes, ad præſidendum in eorum generali Concilio, deputando, noſtris penitus præſidentibus ſpretis, cum quibus potuiſſent ac debuiſſent canonicam ſynodum facere & firmare: Cauſarum etiam auditores à ſeipſis conſtituerunt, quod nuſquam viſum eſt, pontifice ſummo Romanam curiam tenente, dum ad ipſam extirpationem hæreſum, reformationem morum, pacemque Chriſticolarum vniuerſam intenti eſſe deberẽt, ſingulorum cauſas particulares ſtudent potiùs ventilare. Exercitium etiam vicecancellariatus officij, vni ex ipſis cõtra noſtram voluntatem tribuere præſumpſerunt, ac etiam generalia ſiue publica conſiſtoria celebrare, omniaque attentare non formidant, quæ tantum ſunt nobis & ſedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruata, perinde ac ſi vniuerſæ carnis viam eſſemus ingreſsi, vel ſi omnis pontificialis ſummæ dignitatis poteſtas eſſet nobis adhuc viuentibus & in Petri ſede legitimè conſtitutis, apud ipſos deuoluta: quod aſſeuerare eſt hæreticum & prophanum, cùm poteſtas apud nos & ipſos, & ſic duos, in ſolidum eſſe non poſsit: quia imaginari non poſſumus, qua authoritate, quo iure nobis in ſede Apoſtolica conſiſtentibus, beneficia conferant, niſi quòd vſurpant contra iuſtitiam iura noſtra. Et quod deteſtabilius eſt, illa quæ in noſtris prædeceſſoribus malefacta damnant, monaſteriorum religioſorum ſecularibus clericis adminiſtrationes conceſſas, ipſi ad inſtantiam cuiuſdam principis ſecularis fecerunt. Nam officium Generalis Humiliatorum, & illius ordinis principale monaſterium, cuidam ſeculari clerico in commendam ſiue adminiſtrationem conceſſerunt: quam rem, exemplo veluti pernicioſam, nos per antea facere recuſauimus. Ipſi verò vt Epiſcopos habeant,

Denotat Cardinalē S. Euſtachij qui obijt poſtmodum in eodem Concilio.

Denotat Cardinalē Rothomagensē, qui fuit vicecancellarius tempore Concilij.

continuò cognita contraria voluntate facere tentauerunt & ſub tali eorum colorato titulo clericus antedictus in dictã adminiſtratione intruſus eſt, ita vt dici poſsit, quòd ferè cẽtum monaſteria regularia, quæ ſub officio Generalis dicti ordinis regulari debuiſſent, ſub vnius clerici ſecularis ſunt adminiſtratione ſuppoſita: quæ quantum iuri, quantum honeſtati, quantùm bonis moribus conueniant, quiſque prudens animaduertere poteſt. Poſtremo tandem vltra aliud, quòd nos & plurimos fratres noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales citare conati ſunt, etiam poſtquam decreuimus iterum ibidem Baſileæ debere Concilium agitari, nos etiam ab adminiſtratione ſummi pontificatus ſuſpendere freti ſunt, vt ad ipſos poſſent ſaltem de facto, ipſam noſtram ſummi pontificis poteſtatem aduocare, & eius adminiſtrationem exercere, conferendo beneficia vel officia, & alia faciendo quæ nobis tantùm ſunt à iure conceſſa ſiue permiſſa. Iſtæ ſunt ergo cauſæ, quare continuè Baſileæ fuiſſe Concilium per nos declarari cupiunt. Iſti ſunt, qui, quoniam eorum vota pati non volumus, de nobis tot mendacia confingunt. Iſtæ ſunt hæreſes quas extirpare cupiunt. Iſtæ ſunt reformationes debitæ, quas in Eccleſia Dei introducunt, & pax & tranquillitas, quas vniuerſis Chriſti fidelibus diſponunt, quia inter ſeipſos potaſtatem noſtram diuidunt, & ſibijpſis aſſcribere cupiunt, vt quæ beneficia vel officia ſiue honores, quos à nobis conſequi non valuerunt, ſcindendo Dei Eccleſiam conſequantur. Abſit igitur à nobis, abſit, vt talem declarationem faciamus, & quòd talia geſta comprobemus. Prius eſt enim, vt non ſolùm pontificatum vel partem eius, ſed animam tollant, quàm fidem Catholicam nobis auferant. De hoc autem verò ad oſtendendã noſtrã ſynceram & puriſsimã intentionem, quam habemus, vt Concilium fiat, & quòd omnia ad finem debitum perducantur, contenti ſumus, & volumus purè & ſimpliciter continuè fuiſſe Concilium, ita tamen, quòd omnia geſta & attentata cõtra nos, ſiue ſedis Apoſtolicæ libertatem vel priuilegia, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinales ac nobis adhærentes, prout de facto fecerunt, ſic de facto ante omnia reuocent, noſtroſque legatos iuxta iuris regulas præſidentes admittant. Obijciunt etiam nobis, & admirari videntur, quòd Baſileæ iuſsimus ſacram ſynodum celebrari, ac mandauimus cum Concilij conſilio, agenda per præſidentes perfici. Dicimus, quòd Concilium duntaxat potens eſt, ipſos autem pręſidentes ſequi neceſſe eſt: & ideo ſi Concilium dictaret, ſiue conſuleret aliquid Eccleſiæ expedire, præſidentibus verò non placeret, hoc ipſum minimè fieri poſſet, ſic quòd de iudice Concilium conſiliarius formaretur. Sed hi ſic dicentes, ſi nulla iura vidiſſent, ſatis eſſet. Nam ſi* ipſi omnia mundi iura percontẽtur, omnia volunt, quòd quæ Concilio ſtatuuntur, declarantur, ſeu ſanciuntur, à Papa vel eius legato conſtituantur atque promulgentur, ſacro Concilio conſulente, ſiue etiam approbante. Nam ſi Papa vel legatus eiuſdem, nollet diſponere aliqua, contrà Concilium affectaret. Papæ ſententia, vel eius legati, perſonam ſummi pontificis repræſentantis, non Concilij voluntas, ſequenda foret, cùm ſuper omnia Concilia habeat poteſtatem Papa, niſi fortè quæ ſtatuenda forent, Catholicam fidem reſpicerent, vel ſi nõ fierent, ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilij ſententia eſſet potiùs attendenda. Verba igitur noſtrarum literarum ſecũdum iuris formam interpretanda ſunt, vt quæ ad ſolum Cõcilium ſpectarent, quæ ſunt numero plurima, cum Concilio expediantur & fiant, alij verò iuris tramitem imitentur. Et hoc eſt, in quo potiſsimè falluntur, qui Baſileæ conueniunt. Nam credunt in ſingulis agendis eſſe iudices ſupra pontificem, quod eorum actiones demonſtrant. Nam in ſingulis ſe nobis ſuperiores reputant, quod tamen aſſeuerare eſt hæreticum & prophanum. Obmuteſcant igitur, & noſcant quod etiam ſic cum Concilio fieri mandauit ſerre. Martinus noſter proximus prædeceſſor, nec velint noſtram puram intentionem in ſingulis lacerare, quam etiam cum alijs laceſſere conantur, aſſeuerantes noſtram ad ſummi Apoſtolatus apicem non fuiſſe canonicam electionem. Sed ô miſericors Deus, cur oculos tuæ piæ iuſtitiæ contra præfatos non conuertis? Nam plurimi ex his qui talia proferunt, ſunt, qui nos in Petri Cathedram dirigentes inthroni-

Locus obſcurus.

* ipſa

zauerunt,

rauerunt, iſti nos conſecrauerunt, iſti nos coronauerunt, & aliqui ex eis, vt à vero CHRISTI vicario pontificatus inſignia ſuſceperunt, alij verò ex eis ferè omnes gratias, ſiue beneficia plurima ſunt adepti, & nos annis plurimis pro ſummo vero pontifice venerati ſunt. Igitur imaginari non poſſumus, qua fronte, qua audacia, quo colore poſſint noſtram Catholicam electionem in dubium reuocare, præſertim cùm ipſorum allegent maximam turpitudinem. Quare principes Chriſtiani religioſiſſimi, voſque alij Chriſticolæ orthodoxi, per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti præfatos Baſileæ conuenientes adhortemini, vt deſiſtentes ab inceptis, velint noſtros præſidentes admittere, vt canonicam ſynodum facientes, poſſint bona illa propter quæ ſacrum Concilium eſt inſtitutum, debitæ executioni demandare. Quòd ſi ſecus (quod abſit) fecerint, & Dei Eccleſiam ſcindere (vt hactenus ſunt conati) concupiuerint, nec cum præſidentibus intendere reformationi Eccleſiæ ſtuduerint, tunc vos Chriſticolas Principes iterum per eiuſdem miſericordiam obſecramus, qui pro nobis mortem ſubijt temporalem, vt velitis eorum improbis conatibus pro poſſe reſiſtere, præſertim ne ſchiſma nefandiſsimum in Dei Eccleſia oriatur. Nam hoc ad principes pertinet ſeculi Chriſtianos, vt eorum temporibus pacatam velint eſſe matrem Eccleſiam, vndè ſunt ſpiritualiter nati. Quod Pſalmographi verbum oſtendit, cùm inquit: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore &c. Sed quomodo ſeruiunt principes in timore, niſi ea quæ contra ſanctam matrem Eccleſiam & iuſſa domini ſunt, religioſa ſeueritate prohibẽdo atque plectendo? Agite igitur, viriliter agite, aduerſus Chriſti vineam & agrum dominicum deuaſtare cupientes, nec permittere velitis, quòd ſine authoritate pontificis conciliabula, non Concilia, fiant: quomodo in futurum poſſet eſſe exemplũ pernicioſiſsimum, vt decem ſiue plures ad libitum ſine ſedis Apoſtolicæ authoritate aliquo in loco prælati conuenirent, ſcandalizarentque populum Chriſtianum orthodoxum, ac contra Chriſti vicarium pro libitu reſilirent, vt reſiſtentes malis actionibus, æternam gloriam mercamini. Datum Romæ apud Sanctum Laurentium in Damaſo, anno incarnationis dominicæ 1433. Idibus Septembris, pontificatus noſtri anno tertio. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, proſecutionis, intentionis, caſſationis, reuocationis, irritationis, annullationis, voluntatis, reductionis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotẽtis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ 1433. xviij. Kalendas Ianuarij, pontificatus noſtri anno tertio. Ego Iordanus Epiſcopus Sabinenſis manu propria ſubſcripſi. Ego Antonius tituli ſancti Marcelli, manu propria ſubſcripſi. Ego Lucidus Cardinalis de * Comite, manu propria ſubſcripſi. Ioannes de Nurſia. Poggius. Datum in ſeſſione publica in Eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, Nonis Februarij, Anno à Natiuitate Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquarto.

Die Sabbati xxiiij. Aprilis, 1434. in congregatione generali domini legati ſanctiſsimi domini noſtri incorporati ſunt ſacro Concilio nominibus priuatis, vt ſequitur, videlicet reuerendiſsimi reuerendique patres domini Cardinalis ſanctæ Crucis, Archiepiſcopus Tarentinus, Epiſcopu Paduanus, & Abbas S. Iuſtinæ, &c.

Oratores ſanctiſsimi domini Eugenij Papę quarti in eorum incorporatione iurabunt nominibus proprijs, fideliter laborare pro ſtatu & honore huius ſacri Concilij & eius decreta defendere, & manu tenere, & ſpecialiter decretum ſacri Concilij Conſtantienſis, cuius tenor ſequitur, & eſt talis: Primò, quòd generalis ſynodus in Spirituſancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris. Item declarat, quòd quicunque cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis etiam ſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſiue ordinationibus aut præceptis huius ſanctæ ſynodi & cuiuſcunque alterius Concilij generalis legitimè congregati, ſuper præmiſsis ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia (ſi opus fuerit) recurrendo. Item iurabunt dare ſanum & ſalubre conſilium ſecundum Deum & conſcientias ſuas, & non reuelare vota ſingulorum, inquantum ex huiuſmodi reuelatione veriſimiliter poſſet oriri aliquod odium vel ſcandalum, &c. Et non recedere à loco huius ſacri Concilij, ſine licentia obtenta à deputatis eiuſdem.

SESSIO XVII.

Super admiſsione præſidentium in Concilio nomine domini Eugenij Papæ quarti.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spirituſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, dilectos Eccleſiæ filios Nicolaum tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbyterum, Iulianum S. Angeli Diaconum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & venerabiles Ioannem Archiepiſcopum Tarentinum, & Petrum Epiſcopum Paduanum, ac dilectum Eccleſiæ filium Ludouicum Abbatem ſanctæ Iuſtinæ Paduanæ, tantùm admittit in præſidentes in hoc ſacro Concilio, nomine, vice & loco ſanctiſsimi domini Eugenij Papæ quarti cum infrà ſcriptis conditionibus & clauſulis, pleniſsimum robur & effectum per omnia habituris, videlicet, ſine * omni iuriſdictione coactiua, ſaluo etiam modo procedendi in hoc ſacro Concilio hactenus obſeruato, præſertim qui continetur in ordinationibus huius ſacri Concilij, quæ incipiunt: Primò ſint quatuor deputationes, ſicut ſunt, inter quas omnes de Concilio diſtribuantur æqualiter, quantùm fieri poterit, &c. Ordinat etiam, quòd præter feriam ſextam, in qua ordinaria eſt congregatio generalis, non poſsit fieri alia, niſi fuerit concluſum priùs per tres deputationes ad minùs. Et tunc intimetur ipſis præſidentibus vel alteri ex eis, quòd ponant ſchedulas. Et ſi non fecerint, vnus ex promotoribus Concilij, vel vnus ex deputationibus quicunque ſint, ponat ſchedulas. Et omnes de Concilio veniant ad congregationem. Aliâs ſi non fuerit concluſum per tres deputationes, nullus ad ipſam congregationem accedat. Et quicquid ibi factum fuerit, nullius ſit roboris. Et idem de ſeſſione. Item, quòd lectis in congregatione generali his quæ concluſa ſunt per deputationes, primus inter præſidentes ibidem præſentes, etiam alijs vel alio ex eis abſentibus, concludat iuxta ordinationes ſacri Concilij. Quòd ſi noluit ipſe aut alius de præſidentibus ibidem præſentibus facere, tunc proximior prælatus ſubſequens in ordine conſidendi, concludat. Et ipſo nolente, alius ſucceſsiuè faciat. Et ſi fortè nullus de præſidentibus veniat ad congregationem, vel ad ſeſſionem generalis Concilij, tunc * primus prælatus (vt præmittitur) pro illo die faciat officium præſidentis. Item, quòd omnia acta huius ſacri Concilij (ſicut hactenus eſt obſeruatum) fiant, & expediantur ſub nomine & bulla ipſius Concilij. Datum in ſeſsione publica ipſius ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, ſexto Kalendas Maij, Anno à natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquarto.

* vlla

* proxim'

* proximios

In hac 17. ſeſsione tam ſolenniter celebrata, interfuit Sigiſmundus Romanorum Imperator ſedens coronatus cum alijs Nobilibus ſibi aſtantibus. Vnus Dux à dextro, tenens enſem euaginatum in manu, iuxta quem Dux VVilhelmus Bauariæ, habens & tenens pomum rotundum deauratum cum cruce inſignum mundi, & à ſiniſtro dominus Marchio Brandenburgenſis, vnus Electorum Imperij, habens ſeu tenens ſceptrum regale deauratum, &c. Et benè centum prælati, ſedentes cum mitris albis, vt moris eſt, &c.

SESSIO XVIII.

Super innouatione decreti Concilij Conſtantienſis de authoritate & poteſtate Conciliorum Generalium, abſentibus dominis legatis Papæ.

Huic ſeſſioni 18. nõ interfuit Imperator, iam ante Baſilea digreſſus.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritusſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Ad magnam Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem pertinere dinoſcitur, vt ipſius authoritas (cui omnes ſubeſſe tenentur) in ſacro olim Conſtantienſi Concilio declarata, ſæpiùs manifeſtetur, & ad omnium notitiam perducatur. Et quemadmodum nonnulla concilia præcedentium ſynodorum ſalubres inſtitutiones & declarationes renouare conſueuêrunt, ita & hæc ſancta ſynodus neceſſariam illam declarationem de Generalium Conciliorum authoritate, in dicto Conſtantienſi Concilio promulgatam, ſub eodem qui ſequitur tenore innouat: Primò, quòd generalis ſynodus in Spiritusſancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris. Item declarat, quòd quicunque cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis ſiue ordinationibus aut præceptis huius ſanctæ ſynodi aut cuiuſcunque alterius Concilij Generalis legitimè congregati, ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia (ſi opus fuerit) recurrendo. Datum in ſeſſione publica ipſius ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, ſexto Calendas Iulij, Anno domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto.

Conſtantienſis Cõcilij ſeſ. 4. Et ſup. in hoc Baſileenſi, ſeſſio. 16.

Conſtantien. Concilij ſeſ. 5.

SESSIO XIX.

In qua fuerunt pronunciata decreta in materia Græcorum, necnon Iudæorum & Neophytorum.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritusſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Sicut pia mater pro filiorum ſalute ſemper anxia eſt, nec vnquam quieſcit, donec ſi qua inter ipſos diſſenſio ſit, ſopita fuerit: ſic & multo ampliùs ſancta mater Eccleſia, quæ filios ad perpetuam vitam regenerat, omni conatu laborare conſueuit, vt omnes qui Chriſtiano nomine cenſentur, ſublato omni diſſidio, eandem fidei vnitatem, ſine qua ſalus eſſe non poteſt, fraterna charitate cuſtodiant. Quamobrem huius ſanctæ ſynodi ab initio ſuæ congregationis, præcipua cura fuit, illud recens Bohemorum, antiquumque Græcorum diſſidium prorſus extinguere, & eos nobiſcum in eodem fidei & charitatis vinculo perpetuo copulare. Bohemos igitur viciniores primò, deinde Græcos per noſtras literas & oratores pro ſancta vnione facienda, cum omni charitate ad hoc ſacrum Concilium vocauimus. Et quanquam Bohemorum negocium multi ab initio non ſolùm difficile, ſed penè impoſſibile æſtimarent, noſtroſque tanquam ſuperuacuos & inutiles indicarent labores, attamen dominus noſter IESVS CHRISTVS, cui nihil impoſſibile eſt, ſic ſalubriter rem ipſam vſque ad hanc diem direxit, vt multò amplius hæc ipſa Bohemorum vocatio Eccleſiæ ſanctæ profuerit, quàm multi potentiſſimi exercitus, qui ſæpè Bohemiam armata manu ingreſſi ſunt. Quæ res eo ampliorem ſpem nobis præbet, vt hanc Græcoram vnionem cum omni fiducia & conſtantia proſequamur. Quod quidem eo libentiùs aggredimur, quo ipſos ad hanc vnionem plurimùm affectos conſpicimus. Vt primùm enim sereniſſimus Græcorum Imperator & Patriarcha Conſtantinopolitanus per noſtros requiſiti ſunt oratores, mox tres inſignes viros de his qui apud eos magnæ videntur authoritatis, (quorum primus ipſum imperatorem cõſanguinitate attinet) ad hanc ſanctam ſynodum deſtinârunt, ſufficienti ipſius Imperatoris mandato cum bulla aurea & eius manu propria ſubſcripta, ac Patriarchæ literis munitos, qui tam in generali congregatione, quàm coram commiſſarijs noſtris feruentiſſimum Imperatoris & Patriarchæ, totiuſque eccleſiæ Orientalis ad hanc vnionem deſiderium exponentes, nos mirum in modum ad tam ſancti operis proſecutionem pulſant, ac quotidiè excitant, duo inter alia firmiter conſtanterque aſſerentes, vnionem ipſam niſi in ſynodo vniuerſali, in qua tam Eccleſia Occidentalis quam Orientalis conueniat, fieri nullatenus poſſe, & in ea ſynodo ſi fiat, (vt infra conuentum eſt) omnino ipſam vnionem ſecuturam. His auditis, ſumma nobis lætitia ac iocunditas nimirum acceſſit. Quid enim Catholicæ Eccleſiæ felicius glorioſiuſque contingere vnquam poſſet, quàm quòd tot Orientales populi, qui numero hominum ab his qui noſtræ fidei ſunt, non multùm diſtare videntur, in eadem nobiſcum fidei vnitate coniungantur? Quid vtilius aut fructuoſius ab exordio naſcentis Eccleſiæ populus Chriſtianus vidit vel audiuit, quàm quòd tam diuturnum pernicioſumque ſchiſma penitus extirpetur? Vnde & aliam reipublicę Chriſtianę Deo propicio, vtilitatem accreſcere confidimus, quoniam ex hac vnione, cùm facta fuerit, plurimos ex nefanda Mahumeti ſecta ad fidem Catholicam conuerti, ſperandum eſt. Quid igitur pro tam pijs ac ſalutaribus rebus, per Chriſti fideles tentandum faciendumque non eſſet? Quis Catholicus pro tanto nominis Chriſtiani & orthodoxæ fidei incremento, non modo caducam huius mundi ſubſtantiam, ſed & corpus & animam exponere non deberet? Quocirca omnem cogitatum noſtrum iactantes in Deum, qui facit mirabilia magna ſolus, venerabiles Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, præſidentes ſedis Apoſtolicæ, Patriarcham Antiochenum, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, magiſtroſque & Doctores in numero competenti deputauimus, vt vnà cum ipſis Græcorum ambaſiatoribus rem iſtam tractare, & quo ordine ad executionem deducenda eſſet, proſpicere deberent. Qui tam inter ſe, quàm cum ipſis oratoribus ſæpenumero cõuenientes, habito inter ſe digeſto conſilio, ad infraſcripta cum ipſis deuenerunt capitula, quæ poſteà ſecundum morem huius ſacri Concilij per ſacras deputationes maturè deliberata, ac deinde per generalem congregationem concluſa firmataque ſolenniter extiterunt. Quorum tenor vnà cum mandato ipſius domini Imperatoris ſub bulla aurea ſequitur, & eſt talis.

Ambaſiatores ſereniſſimi domini Imperatoris Græcorum, & domini Patriarchæ Conſtantinopolitani, videlicet dominus Demetrius * protonoſtiarius Palæologus Mæotides, venerabilis Iſidorus Abbas monaſterij Sancti Demetrij, & dominus Ioannes Diſſipatus, eiuſdem Imperatoris familiaris, conuenientes cum dominis deputatis ſacri Concilij, primò expoſuerunt, quod ſi Eccleſiæ Occidentali placeret, vt hæc ſynodus Conſtantinopoli celebraretur, Eccleſia Orientalis proprijs expenſis ibidem conueniret, nec oportet, vt Eccleſia Occidentalis prælatis Orientalibus aliquas expenſas faceret. Quinimò ipſe dominus Imperator, in quibus poſſet, prælatis Latinis Conſtantinopolim venturis ſubueniret. Sin autem placeret, vt prælati Eccleſiæ Orientalis ad terras Latinorum pro prædicta ſynodo accederent, neceſſarium fore propter legitimas cauſas, vt expenſis Eccleſię Occidentalis ſubuenirent. Et cùm dictis dominis deputatis videretur multis de cauſis, hanc vnionem commodiùs fieri poſſe in hac ciuitate Baſileenſi, vbi actu Concilium cõgregatum eſt, ſæpè ac multùm apud ipſos dominos Oratores inſtiterunt, vt hic locus pro hac ſancta vnione eligeretur, offerentes impenſas ad hoc neceſſarias. Sed ipſis oratoribus reſpondentibus, quod cùm eorum inſtructiones limitatæ de certis locis per ipſos Imperatorem & Patriarcham eis datæ ſint, non hunc locum eligere qui in ipſis inſtructionibus nominatus non eſſet, Domini deputati ſacri Concilij, cognoſcentes ſanctam ac perfectam ipſius Concilij intentionem, quæ eſt, vt pro honore Dei & profectu fidei Catholicæ nullis parcatur laboribus & impenſis, iudicârunt non expedire, vt propter locum duntaxat tantũ bonũ negligeretur. Acceptârunt igitur, ſi placeat ſacro Concilio

cilio

cilio, vnum de locis inferiùs nominãdis, cùm hoc, quod (ſicut inferiùs eſt conuentum) mittantur aliqui vel aliquis ad ipſum dominum Imperatorem. Patriarcham & alios, quibus perſuadeant per efficaces rationes, vt in hanc ciuitatem Baſileenſem velint aſſentire. Loca nominata ſunt, Calabria. Anchona, vel alia terra maritima, Bononia, Mediolanum, vel alia ciuitas in Italia. Extra Italiam Buda in Hungaria, Vienna in Auſtria, & ad vltimam Sabaudia. Conuenerunt tamen dicti domini deputati cum ipſis dominis ambaſiatoribus, in his quæ ſequuntur, ſi ſacro Concilio placeant. Primo dicti ambaſiatores promiſerunt, quòd ad huiuſmodi ſynodum conuenient Imperator Græcorum & Patriarcha Conſtantinopolitanus, & cæteri tres Patriarchæ & Archiepiſcopi & Epiſcopi & alij Eccleſiaſtici, qui commodè venire poterunt. Similiter quòd venient ab omnibus regnis & dominijs, quæ ſubijciuntur eccleſijs Græcorum, cum plena poteſtate & mandato vallato iuramento & alijs clauſulis oppprtunis, tam ex parte ſecularium dominorum quàm prælatorum. Item, quòd mittatur vnus vel plures ambaſſiatores, ex parte ſacri Concilij cum octo millibus ducatorum, pro facienda congregatione prælatorum Eccleſiæ Orientalis ad Conſtantinopolim, quæ octo millia expedientur ab ipſis ambaſiatoribus ſacri Concilij, prout ipſi domino Imperatori & ipſis ambaſiatoribus ſacri Concilij videbitur. Ita tamen, quòd ſi dicti prælati nollent Conſtantinopolim venire, vel poſtquam Conſtantinopolim venerint, nollent ad ſynodum prædictam accedere, tunc teneatur dictus Imperator reddere dictis ambaſiatoribus Sacri Concilij, quicquid pro ea re expenderint. Item, quòd Eccleſia Occidentalis ſoluat expenſas quatuor galearum groſſarum, quarum duæ ſint de Conſtantinopoli, & duæ aliundè, pro conducendo dum tempus erit ad portum noſtrum, & reducendo Conſtantinopolim dominum Imperatorem & Patriarchas & prælatos Eccleſiæ Orientalis cum ſuis, vſque ad numerum ſeptingẽtarum perſonarum. Quibus ipſa Occidentalis Eccleſia impenſas faciet hoc modo: Quia pro expenſis ipſius Imperatoris & ipſarum ſeptingentarum perſonarum, à Conſtantinopoli vſque ad portum noſtrum vltimum, dabit ipſi Imperatori quindecim millia ducatorũ A dicto autem vltimo portu vſque ad locum dictæ ſynodi. & deinde, quandiu manebunt in ſynodo, & vſque ad reuerſionem ipſorum ad Conſtantinopolim, faciet dicto Imperatori cum dictis ſeptingentis perſonis impenſas honeſtas. Item, quòd infrà decem menſes incipiendos à menſe Nouembris proximè ſequenti, teneatur ſacrum Cõcilium mittere duas galeas groſſas, & duas ſubtiles verſus Conſtantinopolim cum trecẽtis baliſtarijs. Super quibus galeis erunt ambaſiatores ſacri Concilij, & dominus Demetrius * protonoſtiarius Palæologus, primus de ipſis ambaſiatoribus domini Imperatoris. Qui quidem ambaſiatores ſacri Concilij, habebunt ſecum quindecim millia ducatorum, dando domino Imperatori pro expenſis ſuis & Patriarcharum & prælatorum, ac aliorum venientium vſque ad numerum ſeptingentarum perſonarum, faciendis à Conſtantinopoli vſque ad portum vltimum, ad quem debebunt applicare, vt ſuprà. Item prædicti ambiſiatores ſacri Concilij, ituri cũ prędictis galeis, ordinabunt, quòd decem millia ducatorum erunt parata ad exponendum, ſi neceſſarium fuerit, pro cuſtodia ciuitatis Conſtantinopolitanæ, propter periculum quod poſſet interuenire à Turcis ciuitate tempore abſentia dicti domini Imperatoris, quæ pecuniæ exponentur per aliquem à dictis ambaſiatoribus ſacri Concilij * deputandis prout neceſſitas fuerit. Item, ordinabunt prædicti ambaſiatores ſacri Concilij, de expenſis duarum galearum ſubtiliũ & trecentorum baliſtariorum, pro cuſtodia ciuitatis Conſtantinopolitanæ tempore abſentiæ domini Imperatoris, & quòd gentes dictarum galearum & ipſi baliſtarij iurabũt in manibus Imperatoris, fideliter ſe habere. Et capitanei eorum ſint, quos Imperator inſtituerit. Item, quòd prædicti ambaſiatoribus habeant expenſas duarum galearum groſſarum, tot quot expendi conſueuerunt in armando tales galeas. Item, quòd huiuſmodi ambaſiatores ſacri Concilij ituri cum prædictis galeis Conſtantinopolim, nominabunt domino Imperatori portum, ad quem vltimò debebit applicare, & locum vnum de prænominatis, in quo eſſe debeat dicta vniuerſalis ſynodus. Laborabunt tamen cum omni inſtantia, vt ciuitas iſta Baſileenſis eligatur, prout ſperandum eſt. Item, quòd hoc ſacrum Baſileenſe Concilium interim ſtabit firmiter in Baſilea, nec diſſoluetur legitimo impedimento ceſſante, quo interueniente (quod Deus auertat) pro continuatione ſui iuxta diſpoſitionem capituli. Frequens, ad aliam ciuitatem ſe transferet. Et in caſu quo dominus Imperator non contentaretur de iſto loco, tunc infra menſem, poſtquàm præfatus dominus Imperator applicuerit ad dictum portum vltimum, ſacrum Concilium ſe transferet ad vnum de prædictis locis nominatis, per ipſum ſacrum Concilium (vt ſuprà dictum eſt) eligendum. Item, quòd in omnem euentum prædicta omnia vtrinque adimpleantur. Item, quòd prædicta omnia fient firmiori modo, & cum maiori robore & ſecuritate, quo fieri poſſunt per ſacrum Concilium, videlicet per decretum & ſub bulla. Item, quòd prædictis omnibus concluſis & concordatis, ac (vt præmittitur) firmiter roboratis, ſummus pontifex expreſſum præbeat aſſenſum per ſuas patentas bullas. Et quòd prædicta omnia & ſingula intelligi debeant bona fide, ſine dolo & fraude, & abſque impedimento legitimo & manifeſto. His omnibus adimpletis, dicunt ſupradicti ambaſiatores Græcorum, & promittunt, quòd omnino venient, etiam ſi bellum foret, & inſtaret ciuitati. Et ob earum omniũ rerum confirmationem tradent mandatum præfati Imperatoris ſub bulla aurea ſacro Concilio, & pro prædicto Imperatore ipſi & alij iurabunt, ſcribendo & ſubſcribendo propter firmam & veram fidem, quòd fierei debeat cum Deo vniuerſalis ſancta ſynodus, ſi mors Imperatoris non interuenerit, aut impedimentum aliquod manifeſtum & verum, quod fugi vitarique non poſſet.

* protonoſtiarius for. * protonotarij aut * protoſpatarius.

for. * deputandũ.

In Conſtitutione Concil. ſeſſ. 39. in proœmio Baſileenſis.

Poſtremò petitum eſt ab ipſis ambaſiatoribus Græcorum, vt exponerent quædam nomina, in eorum inſtructionibus contenta. Et primò, quid intelligunt per vrbem, ſynodus vniuerſalis. Reſponderunt, quòd Papa & Patriarchæ ſint in dicta ſynodo per ſe vel procuratores ſuos, ſimiliter & alij prælati ſint ibidem verè vel repræſantatiuè, promittentes (vt ſuprà) quòd dominus Imperator Græcorum & patriarcha Conſtantinopolitanus interérunt perſonaliter * liberi & inuiolenti, hoc eſt, quòd vnicuique liceat liberè dicere iudicium ſuum ſine cuiuſquam impedimento vel violentia, ſine contentione, hoc eſt, ſine contentione rixoſa & contumelioſa. Non tamen excluduntur diſputationes & collationes neceſſariæ, pacificæ, honeſtæ, & charitatiuæ. Apoſtolica & Canonica hæc omnia quomodo intelligi debeant, & de modo procedendi in ſynodo, remittunt ſe ad ea, quæ ipſa vniuerſalis ſynodus declarabit & ordinabit. Item quòd Imperator Græcorum & eorum Eccleſia habeat honores ſuos, hoc eſt, quos habebat tempore exortij præſentis ſchiſmatis, ſaluis ſemper iuribus, honoribus, priuilegijs & dignitatibus ſummi pontificis, & Romanæ eccleſiæ & Imperatoris Romanorum. Et quòd ſi qua dubitatio oriatur, detur declarationi vniuerſalis concilij præfati.

* libera inuiolẽ

Sequitur tenor mandati dicti Imperatoris ſub Bulla aurea, de Græco in Latinum tranſlati.

Quoniam miſſi fuerunt ad ſacroſanctum Concilium generale Baſileenſe noſtri & Imperij noſtri ambaſiatores, familiaris noſter * protonoſtiarius Demetrius Palæologus Mæotides, & honorandiſſimus in ſacris monachis Abbas ſacri monaſterij ſancti Demetrij, & familiaris noſter Ioannes diſſipatus, ad conſtitutionem à nobis ſolicitati generalis & œcumenici Concilij, pro vnione præmediata eccleſiarum Chriſti, & dedimus eis ambaſſiatoribus perfectam & plenam poteſtatem & * bayliam ſuper & in prædictis, mandat, diffinit, & ordinat Imperium noſtrum per præſens chryſobulum ſuum, quod omnia & ſingula illa, quæ ordinauerint, promiſerint, iurauerint, fecerint, & conſtituerint per ſcripturam ſiue ſcripturas ſuper prædictis præfati noſtri ambaſiatores. reputentur à noſtro Imperio, & affirmata ſint, tanquam ſi à perſona noſtra præſentialiter facta, ordinata. promiſſa & iurata forent. Et ſi contingeret impedimentum aliquod, vel mors in aliquo dictorum ambaſſiatorum, tunc quod factum eſt, & promiſſum erit per duos ex

* protonoſtiariu

eis, fir-

eis, firmum & validum ſit, tanquam ſi per omnes tres factū foret. Et in robur & firmitatē prędictorum, iurat Imperium noſtrum per iuramentum debitum & condecens nobis, tanquam Chriſtiano fideli Imperatori, & per orationem & benedictionem ſancti mei Imperatoris domini & patris noſtri felicis memoriæ, & per animam meam. Factumque eſt præſens chryſobulum Imperij noſtri à mundi creatione ſexies milleſimo nongenteſimo quadrageſimo ſecundo, & à Domini noſtri Iesv Christi natiuitate milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, die vndecimo Nouembr. Conſtantinopoli in palatio noſtro Imperiali. Et ſubſcriptū literis rubeis manu noſtra propria more Imperiali, cum pēdenti aurea bulla.

Litera domini Patriarchæ Conſtantinopolitani de Græco in Latinum tranſlata ſub bulla plumbea, & eſt talis:

Ioſeph Dei gratia Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, nouæ Romæ vniuerſalis Patriarcha, reuerendiſsimis Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ & reuerendis Epiſcopis & omnibus alijs deuotis congregatis in ſynodo Baſileenſi, condignam & condecentem mitto vobis omnibus ea, qua teneor, charitate & amicitia ſpirituali ſalutem. Literas Reuerentiæ veſtræ recepimus per reuerendum Antonium epiſcopum Sudenſem, & fratrem Albertum de Criſpis, ſacræ Theologię magiſtrum, oratores veſtros, ex quibus, & etiam relationibus præfatorum benè notauimus optimam diſpoſitionem atq; intētionem Deo amabilem, quam veſtra Reuerentia pro tota Chriſtianitate gerit, & ſpecialiter pro nobis, id eſt, pro vnitate Eccleſiæ ſanctæ Christi. Et ſuper hoc lætati fuimus maximè, quoniam hortamini nos pro illis, pro quibus & nos iam diu hortati fuimus inſtanter Eccleſiam Romanam. Multoties enim ſcripſimus, & miſimus illuc pro vnitate prædicta, vt omnibus patet. Tantis autem legationibus ex parte noſtra factis, & tanta ſolicitudine oſtenſa, non permiſerunt tamen circumſtantiæ rerum, vt finem acciperet noſtra voluntas & tractatus. Ad præſens igitur de iſtis & eiſdem & conſimili & eadem diſpoſitione, veſtræ Reuerentiæ ſcribimus, quærentes fieri Concilium Oecumenicum, ſub præſentia omnium perſonarum debentium neceſſariò adeſſe, ſecundùm antiquum ordinem & cōſuetudinem, & tale Concilium fieri canonicum, liberum, inuiolatum, & ſimpliciter ſecundùm formas antiquorum Oecumenicorum Conciliorum: & illud omne, quod Deo dante in tali Concilio vnanimiter & concorditer concluſum fuerit, hoc firmum haberi indubitanter & ſine contradictione & lite quacunque. Quæ omnia dicta fuerunt & cōceſſa, & confirmata à ſancta Romana Eccleſia, per plures legationes ad eam noſtri parte factas. Impedita verò fuit iſtorum concluſio & effectus, propter temporales circumſtantias, vt ſuprà dictum eſt. Sed quoniam veſtra Reuerentia in præſenti tempore tantam promptitudinem ſuper iſtis oſtendit, per legationem ſpecialem quam fecit pro iſtis, & hortata fuit nos literis & relationibus ſuorum oratorum, propter hoc & nos mittimus ambaſiatores noſtros familiarem Imperij * protonoſtiarium Demetrium Palæologum Mæotidem, & honorandiſsimum in ſacris monachis Abbatem ſacri monaſterij ſancti Demetrij Iſidorum, & Ioannem Diſſipatum, per quos petimus & rogamus veſtram Reuerentiam, quòd ad hoc Deo amabile opus vnionis conferatis omnem curam & ſolicitudinem, vt fiat & concludatur dictum laudabile opus, veſtris ſtudio & diligētia, noſtris correſpondentibus. Cùm verò ſint aliqua neceſſaria ad hoc & eius operis executiuis, commiſimus de iſtis prædictis noſtris ambaſiatoribus, qui V. R. latius & clarius omnia referent, & manifeſtabunt, placeatque V. R. eiſdem plenam fidem adhibere. Datum in vrbe Conſtantinopoli, milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, die decimoquinto menſis Octobris.

* protonotiarium

Sequitur confirmatio ſupradictorum capitulorum.

Supraſcripta igitur capitula & conuentiones hæc ſancta ſynodus authoritate vniuerſalis Eccleſiæ præſenti decreto approbat, ratificat & confirmat, ſtatuitque ac decernit, & pollicetur ea & eorum quodlibet ſeruare, & inconcuſſa tenere, vt præmittitur. Quæ cùm ad incrementum fidei orthodoxæ, vtilitatemque Eccleſiæ Catholicæ, & totius populi Chriſtiani pertinent, omnibus fidem Chriſti diligentibus, grata plurimùm & accepta eſſe debent. Et quoniam (vt præſcriptum eſt) ipſi Græci propter nonnullas cauſas poſtulant, vt ſanctiſsimus dominus Eugenius Papa Quartus, dictis capitulis & conuentionibus expreſsè conſentiat, ne propter hoc tantùm bonum negligatur, ipſum Eugenium hæc ſancta ſynodus cum omni charitate obſecrat & deprecatur, ac per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, cum quanta poteſt inſtantia, exorat ac requirit, vt in fauorem fidei & eccleſiaſticæ vnitatis, prędictis capitulis & conuentionibus ſynodali decreto approbatis & ratificatis, per ſuas literas more Romanæ curiæ bullatas, expreſſum aſſenſum præbeat. Datum in ſeſsione publica, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, ſeptimo idus Septembris, anno à natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquarto.

Aliud decretum de Iudæis & neophytis, in eadem ſeſsione promulgatum.

Sacrosancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuā rei memoriā. Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſequens veſtigia hæc ſancta Synodus, illud gerit potiſsimè in viſceribus charitatis, vt oēs Euangelicā veritatem agnoſcant, & in ea poſtquam agnouerint, fideliter perſeuerent. Proinde, vt Iudæi alijque infideles ad orthodoxam cōuertantur fidem, quique ad ipſam conuerſi fuerint, in illa conſtanter permaneant, his ſalubribus inſtitutis prouidere decernens, in primis ſtatuit, vt omnes diœceſani quoſdam in literis diuinis benè eruditos, aliquot vicibus annuatim deputent in locis, vbi Iudæi, aut alij infideles degunt, ad prędicandum & explanandum taliter Catholicæ fidei veritatem, vt ipſi infideles qui audiunt, ſuos valeant errores recognoſcere. Ad quam prædicationem ſub pœnis tam commercij per fideles illis interdicendi, quàm alijs ad hoc opportunis ipſos infideles cuiuſcunque ſexus in annis diſcretionis conſtitutos, accedere compellant. Ipſi autem diœceſani ac prædicantes, ita ſe erga illos propitios ac charitate plenos exhibeant, vt non ſolùm propalatione veritatis, ſed & alijs humanis officijs ipſos Chriſto lucrifaciant. Chriſtianos autem cuiuſcunque dignitatis aut ſtatus, quomodolibet impedientes, ne Iudæi ad huiuſmodi prędicationem conueniant, aut arceantur, notam fautoriæ infidelitatis incurrere ipſo facto decernit. Vt autem hæc prædicatio eo ſit fructuoſior,* quo prædicantes linguarum habuerint peritiam, omnibus modis ſeruari præcipimus conſtitutionem editam in Concilio Vienneſi, de duobus docere debentibus in ſtudijs ibidem expreſsis, linguas Hebraicam, Arabicam, Græcam, & Chaldæam: quæ vt efficaciùs obſeruetur, rectores ipſorum ſtudiorum inter alia quæ in aſſumptione Rectoratus iurant, hoc etiam addi volumus, operam ſe pro ipſius conſtitutionis obſeruatione daturos. In Concilijs etiam illarum prouinciarum, in quibus huiuſmodi ſtudia conſtituta ſunt, omninò diſponatur, vt hi qui prædictas linguas docturi ſunt, ſtipendia debita percipere valeant. Sacros inſuper canones renouantes, præcipimus tam diœceſanis, quàm poteſtatibus ſecularibus, vt modis omnibus prohibeant, ne Iudæi aut alij infideles, aut Chriſtianos, aut Chriſtianas in familiares, ſeu ſeruientes, aut filiorum ſuorum nutrices habeant, ac ne Chriſtiani cum ipſis in eorum feſtiuitatibus, nuptijs, & conuiuijs, aut balneis, ſeu nimia conuerſatione communicent, aut medicos, vel matrimoniorum proxenetas, ſeu aliorum contractuum mediatores de publico conſtitutos aſſumant, nec alijs publicis præponant officijs, aut ad gradus quoſcunque ſcholaſticos admittant, nec eis locentur prædia vel alij redditus eccleſiaſtici. Prohibeantur etiam, libros eccleſiaſticos, calices, cruces, & alia eccleſiarum ornamenta, ſub pœna perditionis rei emere, aut pignori ſub pœna amiſsionis pecuniæ mutuatæ accipere. Sub grauibus quoque pœnis cogantur aliquem deferre habitum, per quem à Chriſtianis euidenter diſcerni poſsint. Quorum vt euite-

* ſe n

euitetur nimia conuerſatio, in aliquibus ciuitatum & oppidorum locis, à Chriſtianorum cohabitatione ſeparatis, habitare compellantur, & ab eccleſijs longiùs quantùm fieri poteſt. Nec diebus dominicis & alijs ſolennibus feſtiuitatibus apothecas apertas tenere, vel in publico laborare prę ſumant.

De his qui volunt ad fidem conuerti.

Si quis eorum ad fidem Catholicam conuerti voluerit, bona ſua quæcunque habet mobilia & immobilia, ei intacta illæſaque permaneant. Quòd ſi huiuſmodi bona ex vſura, aut illicito quæſtu fuerint acquiſita, ac notæ ſint perſonæ, quibus foret de iure reſtitutio facienda, (quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum) illis reſtitui omninò oportet. His verò perſonis non extantibus, quia talia per manus Eccleſiæ in pios eſſent vſus conuertenda, hęc ſancta ſynodus vicem gerens vniuerſalis Eccleſiæ, in fauorem concedit ſuſcepti baptiſmatis, tanquam in pium vſum apud ipſos remanere debere, ſub pœna diuini anathematis tam eccleſiaſticis quàm ſecularibus interdicens, vt nullam ſuper his, quouis quæſito colore, moleſtiam inferant, aut inferri patiantur, ſed magnum ſe feciſſe lucrum exiſtiment, dum tales Chriſto lucrati fuerint. Et quoniam (vt ſcriptum eſt) qui habuerit ſubſtantiam mundi huius, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò charitas Dei manet in ipſo? ſi ipſi conuerſionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri omnes tam eccleſiaſticos, quàm ſeculares hæc ſancta ſynodus exhortatur, vt ipſis conuerſis manus porrigant adiutrices. Ipſi quoque diœceſani non ſolùm Chriſtianos ad ſubueniendum illis exhortentur, ſed tam de redditibus eccleſiarum, prout poterunt, quàm de his quæ ad pauperum vſus per ipſos conuertenda deuoluuntur, huiuſmodi neophytos ſuſtentare non negligant, ipſoſque à detractionibus, contumelijs, paterna affectione defendant. Et quoniam per gratiam baptiſmi ciues ſanctorum & domeſtici Dei efficiũtur, longeque dignius ſit regenerari ſpiritu, quàm naſci carne, hac * edictali lege ſtatuimus, vt ciuitatum & locorum, in quibus ſacro baptiſmate regenerantur, priuilegijs, libertatibus & immunitatibus gaudeant, quæ ratione duntaxat natiuitatis & originis alij conſequuntur. Curent inſuper ſacerdotes baptizantes, & hi qui de ſacro fonte ſuſcipiunt, tam ante baptiſmum quàm poſt, illos in articulis fidei ac legis nouę præceptis, Catholicæque eccleſiæ ritibus diligenter inſtruere. Et tam ipſi quàm diœceſani operam dent, ne cum Iudæis ſeu infidelibus, ſaltem per longum tempus, penitùs conuerſentur, ne ſicut nouiter contingit ab infirmitate curatis, modica occaſio ad priſtinam perditionem recidiuos efficiat. & quoniam (experientia teſte) mutuam inter ſe neophytorum conuerſationem ipſos in fide noſtra fragiliores reddere, ac ſaluti ipſorum plurimùm officere compertum eſt, exhortatur hæc ſancta ſynodus locorum ordinarios, vt quantùm pro incremento fidei viderint expedire, curent & ſtudeant, neophytos ipſos cum originarijs Chriſtianis matrimonio copulare. Prohibeatur & his neophytis ſub grauibus pœnis, ne mortuos more Iudæorum ſepeliant, aut ſabbata aliaſque ſolennitates & antiquæ ſectæ ritus quoquo modo obſeruent. Sed & eccleſias & prædicationes noſtras, prout alij Catholici frequentent, & in omnibus ſe Chriſtianorum moribus conformes reddant. Contemptores autem prædictorum, per ſacerdotes in quorum parochijs ſiti ſunt, aut alios ad quos de iure vel antiqua conſuetudine de talibus inquirere ſpectat, ac etiam per alios quoſcunque, diœceſanis, ſeu inquiſitoribus hæreticæ prauitatis deferantur: & inuocato, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, per eos taliter puniantur, quòd & alijs tranſeat in exemplum. De his omnibus in Concilijs prouincialibus & ſynodalibus diligens fiat inquiſitio. & tam circa Epiſcopos & Sacerdotes in præmiſsis negligentes, quàm ipſos neophytos & infideles prædictorum contemptores, opportunum adhibeatur remedium. Si quis autem, cuiuſcunque gradus vel præeminentiæ, huiuſmodi neophytos, ne ad obſeruationem ritus Chriſtiani, ſeu alicuius præmiſſorum compellantur, foueat atque defendat, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas incurrat. Neophyti verò ſi ſe corrigere poſt canonicam monitionem neglexerint, quin ad vomitum Iudaizantes redire comperti ſint, contra eos tanquam perfidos hæreticos, ſecundùm ſacrorum canonum inſtituta procedatur. Si qua verò ipſis Iudæis vel infidelibus indulta ſeu priuilegia per quoſcunque eccleſiaſticos ſeu ſeculares cuiuſcunque ſtatus ſeu dignitatis, etiam ſi Papalis vel Imperialis exiſtant, conceſſa iam ſint, vel in futurum concedi contingat, vergentia quoquo modo in detrimentum Catholicæ fidei, aut nominis Chriſtiani, ſeu quorumcunque præmiſſorum, hæc ſancta ſynodus caſſa, & irrita eſſe decernit, decretis & conſtitutionibus Apoſtolicis ac ſynodalibus, quæ ſuper præmiſſis condita ſunt, in ſuo robore duraturis. Et vt huiuſmodi ſanctæ conſtitutionis iugis memoria habeatur, & ne quiſquam ipſius ignorantiam prætendere poſsit, iubet hæc ſancta ſynodus, vt per ſingulas cathedrales & collegiatas Eccleſias, aliaque pia loca, in quibus vberior eſt fidelium concurſus, ſemel in anno ad minùs infra diuina promulgetur. Datum in ſeſsione ipſius ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, ſeptimo idus Septembris, Anno à Natiuitate domini Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquarto.

SESSIO XX.

Decretum de concubinarijs in ſeſsione vigeſima promulgatum.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Tanto ſumus ad concedendum petentibus laudabili per nos ordinatione ſtatuta & decreta ſub forma authentica proniores, quanto ex hoc ſtatutis & decretis huiuſmodi circa eorum obſeruationem valeat fides certior adhiberi. Hinc eſt, quòd nos tenores conſtitutionum inferiùs deſcriptarũ, per nos dudum editarum, & in ſeſsione publica per nos in maiori eccleſia Baſileenſi vndecimo Kalendas Februarij, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquinto celebrata publicatarum, & apud acta noſtra de mandato noſtro deſcriptarum, ad dilectorum eccleſiæ filiorum, &c. N. & N. qui tenores huiuſmodi ſe in iudicio & extra aſſerunt indigere, ſupplicationis inſtrumentum de actis ipſis extrahi & præſentibus annotari fecimus, quæ ſequuntur in hæc verba: Quicunque clericus, cuiuſcunque ſtatus, conditionis, religionis, dignitatis, etiam ſi pontificalis vel alterius præeminentiæ exiſtat, qui poſt huius conſtitutionis notitiam, quam habere præſumatur, per duos menſes poſt publicationem eiuſdem in eccleſijs cathedralibus, quam ipſi diœceſani omninò facere teneantur, poſtquam eadem conſtitutio ad eorum notitiam peruenerit, fuerit publicus concubinarius, à perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum, trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus ſuperior in fabricam vel aliam euidentem eccleſiarum vtilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, conuertat: nec non & huiuſmodi publicum concubinarium, vt primùm talem eſſe innotuerit, mox ſuus ſuperior monere teneatur, vt infra breuiſsimum terminum concubinam dimittat. Quam ſi non dimiſerit, vel dimiſſam aut aliam publicè reſumpſerit, iubet hæc ſancta ſynodus, vt ipſum ſuis omnibus beneficijs omninò priuet. Et nihilominùs hi publici concubinarij, vſquequò cum eis per ſuos ſuperiores, poſt ipſarum concubinarum dimiſsionem, manifeſtamque vitæ emendationem fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunque bonorum, dignitatum, beneficiorum vel officiorum ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem recidiuo vomitu ad huiuſmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicuius diſpenſationis ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant. Quòd ſi hi, ad quos talium correctio pertinet, eos (vt prædictum eſt) punire neglexerint, eorum ſuperiores tam in ipſo de neglectu, quàm in illos pro concubinatu, modis omnibus digna punitione animaduertant. In Concilijs etiam prouincialibus & ſynodalibus aduerſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiã

per

per ſuſpenſionem à collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna ſeueriter procedatur. Et ſi hi, quorum deſtitutio ad ſummum pontificem ſpectat, per Concilia prouincialia aut ſuos ſuperiores, propter publicum concubinatum reperiantur priuatione digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ipſi ſummo pontifici deferantur. Eadem diligentia & inquiſitio in quibuſcunque capitulis generalibus & prouincialibus, quò ad ſuos ſeruetur, pœnis alijs contra prædictos & alios non publicos concubinarios ſtatutis, in ſuo robore permanſuris. Publici autem intelligendi ſunt non ſolùm hi, quorum concubinatus per ſententiam aut confeſſionem in iure factam, ſeu per rei euidentiam, quę nulla poſsit tergiuerſatione celari, notorius eſt, ſed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam & infamatam tenet, & per ſuum ſuperiorem admonitus, ipſam cum effectu non dimittit. Quia verò in quibuſdam regionibus nonnulli iuriſdictionem eccleſiaſticam habentes, pecuniarios quæſtus à concubinarijs percipere non erubeſcunt, patiendo eos in tali fœditate ſordeſcere: ſub pœna maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps ſub pacto, compoſitione aut ſpe alicuius quæſtus, talia quouis modo tolerent aut diſsimulent: alioquin vltra præmiſſam negligentiæ pœnam, duplum eius quod propterea acceperint, reſtituere ad pios vſus omninò teneantur & compellantur. Ipſas autem concubinas ſeu mulieres ſuſpectas, prælati modis omnibus curent à ſuis ſubditis, etiam per brachij ſecularis auxilium, (ſi opus fuerit) penitùs arcere: qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios, apud patres ſuos cohabitare non permittant. Iubet inſuper hæc ſancta ſynodus, vt etiam in prędictis ſynodis & capitulis hæc conſtitutio publicetur, & quilibet ſuos ſubditos ad ipſarũ concubinarum dimiſsionem moneat diligenter. Iniungit prætereà omnibus ſecularibus viris, etiam ſi regali pręfulgeant dignitate, ne vllum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quæſito colore, prælatis qui ratione ſui officij aduerſus ſuos ſubditos pro huiuſmodi concubinatu procedunt. Et cùm omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum ſit, & ſub peccati mortalis pœna neceſſariò euitandum, monet omnes laicos tam vxoratos, quàm ſolutos, vt ſimiliter à concubinatu abſtineant. Nimis enim reprehenſibilis eſt, qui vxorem habet, & ad alienam mulierem accedit: qui verò ſolutus eſt, ſi continere nolit, iuxta Apoſtoli conſilium vxorem ducat. Pro huius autem diuini obſeruatione præcepti, hi ad quos pertinet, tam ſalutaribus monitis, quàm alijs canonicis remedijs omni ſtudio laborent.

Publici cõcubinarij qui.

1. Cor. 7.

De excommunicatis non vitandis, certo modo non vocatis.

Ad vitandum ſcandala & multa pericula, ſubueniẽdumque conſcientijs timoratis, ſtatuit etiam, quòd nemo deinceps à communione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut alijs quibuſcunque diuinis vel extra, prætextu cuiuſcunque ſententiæ aut cenſuræ eccleſiaſticæ ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis, ab homine vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquẽ vitare, aut interdictum eccleſiaſticum obſeruare, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio vel cenſura huiuſmodi fuerit in vel contra perſonam, collegium, vniuerſitatem, eccleſiam aut locum certum aut certam, à iudice publicata vel denunciata ſpecialiter aut expreſſè: aut ſi aliquem ita notoriè excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quòd nulla poſsit tergiuerſatione celari, aut aliquò modo iuris ſuffragio excuſari. Nam à communione illius abſtineri vult iuxta canonicas ſanctiones. Per hoc tamen huiuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos, non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet ſuffragari.

De interdictis non leuiter ponendis.

Quoniam ex indiſcreta interdictorum promulgatione multa conſueuerunt ſcandala euenire, ſtatuit hæc ſancta ſynodus, quòd nulla ciuitas, oppidum, caſtrum, villa aut locus, eccleſiaſtico ſupponi poſsint interdicto, niſi ex ex cauſa, ſeu culpa ipſorum locorum aut dominij ſeu rectorum vel officialium. Propter culpam autem, ſeu cauſam alterius cuiuſcunque priuatæ perſonæ, huiuſmodi loca interdici nequaquam poſsint authoritate quacunque ordinaria vel delegata, niſi talis perſona prius fuerit excommunicata ac denunciata, ſeu in eccleſia publicata, ac domini ſeu rectores vel officiales ipſorum locorum, authoritate iudicis requiſiti, huiuſmodi perſonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non eiecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint: qua etiam poſt biduum eiecta, recedente, vel ſatisfaciente, mox diuina reſumi poſsint. Quod etiam in pẽdentibus locum habeat.

Contrà friuolè appellantes.

Vt lites citiùs terminentur, ſuper eodem grauamine, aut ſuper eadem interlocutoria vim diffinitiuæ non habente, nullatenus liceat ſecundò appellare. Quodq́ue ante diffinitiuam friuolè vel iniuſtè appellans, vltra condemnationem expenſarum, damnorum & intereſſe, in quindecim florenis auri de camera parti appellatæ per appellationis iudicem condemnetur.

Datum in ſeſsione publica ipſius ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, vndecimo Calendas Februarij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquinto.

Requiſitio.

Lectis & pronunciatis ſupraſcriptis decretis, de mandatis ſacri Concilij per reuerendum patrem dominum Epiſcopum Lectorenſem, inclytæ nationis Gallicanæ, ipſe reuerendus pater dominus Lectorenſis Epiſcopus requiſiuit omnes dominos Archiepiſcopos & Epiſcopos in Concilio & ſeſsione prædicta præſentes, vt prædicta decreta, præſertim de concubinarijs, mittant ad eccleſias ſuas, & faciant ſolenniter publicari. Item quòd Archiepiſcopi hic exiſtentes, mittant ſuffraganeis ſuis abſentibus, quòd ſpecialiter publicent. Item prælati qui ſunt ex parte alicuius regni, intiment prælati abſentibus. Item quòd procuratores Archiepiſcoporum & Epiſcoporum intiment iſta ſuis dominis.

SESSIO XXI.

De Annatis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

In nomine Spiritus ſancti paracleti ſtatuit hæc ſancta ſynodus, quòd tam in curia Romana quàm alibi, pro ſeu in confirmatione electionum, admiſsionum, poſtulationum, præſentationum prouiſione, collatione, diſpoſitione, electione, poſtulatione, præſentatione etiam à laicis facienda, inſtitutione, inſtallatione & inueſtitura, de eccleſijs etiam Cathedralibus & Metropolitanis, monaſterijs, dignitatibus, beneficijs, officijsq́ue eccleſiaſticis quibuſcunque, nec non ordinibus ſacris & benedictione ac pallio, de cæterò nihil penitùs ante vel poſt exigatur ratione literarum bullæ ſigilli, annatarum communium, & minutorum ſeruitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut ſub quocunque alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cuiuſuis conſuetudinis, priuilegij vel ſtatuti, aut alia quauis cauſa vel occaſione, directè vel indirectè, ſolùm ſcriptoribus, abbreuiatoribusq́ue & regiſtratoribus literarum ſeu minutarum, pro ipſorum labore competenti ſalario ſoluendo. Huic autem ſacro canoni, ſi quis exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, pœnam incurrat aduerſus Simoniacos inflictam, & in ipſis dignitatibus ac beneficijs taliter obtentis, nullum ius ac titulum acquirat. Obligationes quoque, promiſsiones & cenſuræ ac mandata, & quicquid in præiudicium decreti huius ſaluberrimi fieri continget, nullas obtinere vires, atque irrita cenſeantur. Et ſi (quod abſit) Romanus pontifex, qui præ cæteris vniuerſalium Conciliorum exequi & cuſtodire canones debet, aduerſus hanc ſanctionem aliquid faciendo Eccleſiam ſcandalizet, generali Concilio deferatur.

Cęteri verò pro modo culpę iuxta canonicas ſanctiones per ſuos ſuperiores digna vltione puniantur.

De pacificis poſſeſſoribus.

Quicunque non violentus, ſed habens coloratum titulum, pacificè & ſine lite prælaturam, dignitatem, beneficium vel officium triennio proximo hactenus poſſedit, vel in futurum poſsidebit, non poſsit poſteà in petitorio vel poſſeſſorio à quoquam etiam ratione iuris nouiter impetrati, moleſtari, excepto hoſtilitatis caſu vel alterius legitimi impedimenti, de quo proteſtari, & iuxta Concilium Vienneſe, illud intimare teneatur Lis autem hoc caſu quò ad futuras controuerſias intelligatur, ſi ad executionem citationis, iuriſque ſui in iudicio exhibitionem, ac terminorum omnium obſeruationem, proceſſum fuerit. Ordinarij autem diligenter inquirant, ne quis ſine titulo beneficium poſsideat. Quòd ſi talem quandocunque repererint, declarēt ius illi non competere, vel huic (ſi ſibi videatur) niſi ſit intruſus ſeu violentus aut aliàs indignus, vel alteri idoneo prouideant.

Vienneſe Concil. ü.

Quomodo diuinum officium in Eccleſia celebrandum ſit.

Si quis principem ſeculi rogaturus, habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione non præcipiti, ſed diſtincta, attenta quoque mente, ſeipſum verba ſtudet componere, quantò diligentiùs in ſacro loco omnipotentem oraturus Deum, hæc omninò facere * curare debet? Statuit igitur ſancta ſynodus, vt in cunctis cathedralibus ac collegiatis eccleſijs, horis debitis, ſignis congrua pulſatione præmiſsis, laudes diuinæ per ſingulas horas non curſim ac feſtinãter, ſed * aſiatim ac tractim, & cum pauſa decenti, præſertim in medio cuiuſlibet verſiculi Pſalmorum, debitam faciendo inter ſolenne ac feriale officium differentiam, reuerēter ab omnibus perſoluantur. Horas Canonicas dicturi, cum tunica talari ac ſuperpellicijs mundis vltra medias tibias longis vel cappis, iuxta temporum ac regionum diuerſitatem, eccleſias ingrediantur, non capucia, ſed almucias vel byrreta tenentes in capite. Qui cùm in choro fuerint, grauitatem ſeruent, quam & locus & officium exigunt, non inſimul aut cum alijs confabulantes ſeu colloquentes, aut literas ſeu ſcripturas alias legentes. Et cùm pſallendi gratia ibidem conueniant, iuncta ac clauſa labia tenere non debent, ſed omnes, præſertim qui maiori funguntur honore, in Pſalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur. Cùm dicitur, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, omnes conſurgant. Cùm nominatur glorioſum illud nomen IESVS, in quo omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum Horæ in communi publicè cantantur, legat vel dicat priuatim officium. Nam non ſolùm obſequium, quo obnoxius eſt choro, ſubtrahit, ſed alios pſallentes perturbat. Super his debitè obſeruandis, alijſque ad diuini officij proſecutionem ac chori diſciplinam ſpectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit, diligeuter inuigilet, hincindè ne quid inordinatè fiat, circũmſpiciens. Horum autem tranſgreſſores, illius horę in qua circa prędicta exceſſerint, vel alia maiori, prout tranſgreſsionis grauitas exigit, plectentur pœna.

* curabit

* adeatim

Philip. 2.

Quo tempore quiſque debet eſſe in choro.

Qui in matutinis ante finem Pſalmi, Venite exultemus, in alijs Horis ante finem primi Pſalmi, in Miſſa ante vltimũ Kyrieeleiſon, vſque in finem diuino officio non interfuerit, niſi fortè neceſsitate cogente, ac petita & obtenta à præſide chori licentia, diſcedere oporteat, pro illa hora abſens cenſeatur, ſaluis eccleſiarum conſuetudinibus, ſi quæ fortè circa hoc arctiores exiſtant. Idem in his obſeruetur, qui à principio vſque in finem in proceſsionibus non permanſerint. Pro cuius executione deputetur aliquis, onus habēs notãdi perſonas ſingulas ſtatuto tēpore non cõuenientes, iuramento adſtrictus agere fideliter, & nulli parcere. Iubet etiam hæc ſancta ſynodus, quòd in illis eccleſijs, in quibus ſingulis horis certæ diſtributiones ſtatutæ non ſunt, omninò etiam de groſsis fructibus, (ſi opus ſit,) deputentur, vt iuxta menſuram laboris plus minuſve quiſque capiat emolumenti, tollens prorſus abuſum illũ, quo in vna dũtaxat hora præſens, totius diei diſtributiones vſurpat: & illum, quo Præpoſiti, vel Decani, aut alij officiales, ex hoc ſolùm quòd officiales ſunt, licèt actualiter pro vtilitate eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt.

Qualiter horæ canonicæ extra chorum dicendæ ſint.

Quoſcunque etiam alibi beneficiatos ſeu in ſacris conſtitutos, cùm ad horas canonicas teneantur, admonet hæc ſancta ſynodus, ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, vt non in gutture, vel inter dentes ſeu deglutiendo aut ſyncopando dictiones, nec colloquia vel riſus intermiſcendo, ſed ſiue ſoli, ſiue aſſociati, diurnum nocturnumq; officium reuerenter verbiſque diſtinctis peragant: ac tali in loco, vnde à deuotione non retrahantur, ad quam ſe diſponere & præparare debent, iuxta id quod ſcriptum eſt: Ante orationem præpara animam tuam, ne ſis quaſi qui tentat Deum. Eccl. 18.

De his qui tempore diuinorum vagantur per Eccleſiam.

Quicunque in eccleſia beneficiatus, præſertim de maioribus, diuinorum tempore per eccleſiam vel foris circa ipſam deambulando, aut cum alijs colloquendo, vagari viſus fuerit, non ſolùm illius horæ, ſed totius diei præſentiam ipſo facto amittat. Qui ſi ſemel correctus, non deſtiterit, per menſem diſtributionibus careat, vel grauiori (ſi pertinacia exegerit) pœnæ ſubiaceat, ita vt tandem deſiſtere cogatur. Prohibeatur etiam, ne diuina officia tumultuoſi quorumcunque per eccleſiam diſcurſus impediant aut perturbent. Regulares qui in conuentualibus eccleſijs circa prædicta exceſſerint, graui ſuperioris arbitrio caſtigentur. De Regularibus.

De tabula pendente in choro.

Vt cuncta in domo Dei ordinatè procedant, & quilibet ſciat quid ſibi agendum imminet, ſtatuatur tabella aliqua, continuè pendens in choro, in qua quid per vnumquenque ex canonicis vel alijs beneficiatis in ſingulis horis per hebdomadam aut maius tempus, legendum cantandumve ſit, ſcribatur. Qui autem, ſecundùm quod ibi deſcriptus fuerit, facere per ſe, vel alium neglexerit, pro qualibet hora diſtributiones vnius diei amittat.

De his qui in Miſſa non complent, Credo, vel cantant cantilenas, vel nimis baſſè Miſſam legunt, aut ſine miniſtro.

Abuſum aliquarum eccleſiarum, In quibus, Credo in vnum Deum, quod eſt ſymbolum & confeſsio fidei noſtræ, non completè vſque ad finem cantatur, aut Præfatio ſeu Oratio dominica obmittitur, vel in eccleſijs cantilenæ ſeculares voce admiſcentur, ſeu Miſſa etiam priuata ſine miniſtro aut per ſecretas orationes ita ſubmiſſa voce dicitur, quòd à circumſtantibus audiri non poteſt, abolentes, ſtatuimus, vt qui in his tranſgreſſor inuentus fuerit, à ſuo ſuperiore debitè caſtigetur.

De pignorantibus cultum diuinum.

Abuſum etiam illum, cultui diuino manifeſtè derogantem, quo nonnulli eccleſiarum Canonici contrahentes debita, ſic ſe creditoribus obligant, vt niſi ſtatuto tempore ſatisfaciant, à diuinis ceſſetur officijs, abolentes, & obligationem huiuſmodi, etiam ſi iureiurando firmata ſit, irritam decernentes, ſtatuimus, vt qui talem illicitum contractum fecerint, trium menſium fructus ipſi eccleſiæ applicãdos, ipſo facto amittant. Et quamdiu diuina non reſumpſerint, nullus ex ipſa eccleſia prouentus percipiant.

De tenentibus capitula tempore Miſſæ maioris.

Prohibet hæc ſancta ſynodus, vt tempore Miſſæ maioris, præſertim ſolennibus diebus, capitula ſeu actus capitulares, aut alij tractatus per Canonicos non celebrentur, niſi fortè vrgens & euidens ingrueret neceſsitas. Qui verò ad talem horam capitulum indixerit, à diſtributionibus quotidianis per hebdomadam ſit ſuſpenſus, neque ipſi Canonici pro hora illa diſtributiones ipſas lucrentur.

De ſpectaculis in eccleſia non faciendis.

Turpem etiam illum abuſum in quibuſdam frequentatum eccleſijs, quo certis anni celebritatibus nonnulli cum mitra, baculo, ac veſtibus pontificalibus, more Epiſcoporũ benedicunt, alij vt Reges ac Duces induti, quod feſtum fatuorum vel innocentum, ſeu puerorum in quibuſdam regionibus nuncupatur, alij laruales & theatrales iocos, alij choreas & tripudia marium ac mulierum facientes, homines ad ſpectacula & cachinnationes mouent, alij comeſſationes & conuiuia ibidem præparant: hæc ſancta ſynodus deteſtans, ſtatuit & iubet tam ordinarijs, quàm eccleſiarum Decanis & rectoribus, ſub pœna ſuſpenſionis omnium prouentuum eccleſiaſticorum trium menſium ſpatio, ne hæc aut ſimilia ludibria, neque etiam mercantias ſeu negotiationes nundinarum in eccleſia, quæ domus orationis eſſe debet, ac etiam cœmiterio exerceri amplius permittant, tranſgreſſoreſque per cenſuram eccleſiaſticam, aliaque iuris remedia punire non negligant. Omnes autem conſuetudines, ſtatuta ac priuilegia, quæ his non concordant circa hæc decretis, niſi fortè maiores adijcerent pœnas, irritas eſſe hæc ſancta ſynodus decernit. Datum in ſeſsione publica in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata * die Iouis nona menſis Iunij, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto.

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19.

* quinto Idus

SESSIO XXII.

De condemnatione libelli fratris Auguſtini de Roma, Archiepiſcopi Nazareni.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Cùm inter cætera pietatis opera, ad conſeruandam fidei Catholicæ veritatem, extirpandoſque errores & hæreſes hæc ſancta ſynodus potiſsimè conuenerit, noſtræ ſolicitudinis præcipuum ſtudium eſt, ilicò vt pullulare aliquid nouerimus, quod fidei Chriſtianæ puritatem offendere, & ſplendorem luminis in mentibus fidelium quomodolibet obnubilare poſsit, penitus reſcindere, agrumque dominicum à noxijs zizanijs & vepribus cum omni diligentia expurgare. Proinde libellum quendam editum à magiſtro Auguſtino, vulgariter dicto de Roma, Archiepiſcopo Nazareno, cuius primus tractatus de Sacramento vnitatis Ieſu Chriſti & Eccleſiæ, ſiue de Chriſto integro intitulatur, ſecundus de Chriſto capite & eius inclyto principatu, alius de charitate Chriſti circa electos, & eius infinito amore, tanquam non ſanam & erroneam in fide doctrinam continentem, cum ſuis defenſorijs damnat & reprobat. Et potiſsimè ſcandaloſam illam, erroneam in fide, in ipſo libello contentam, quam piæ fidelium aures ſine horrore audire non poſſunt, videlicet, Chriſtus quotidie peccat, & ex quo fuit Chriſtus, quotidie peccauit, quamuis * de capite Eccleſiæ Chriſto IESV Saluatore noſtro dicat ſe non intelligere, ſed ad membra ſua quæ cum Chriſto capite vnum eſſe Chriſtum aſſeruit, intelligentiam eius eſſe referendam dicat. Nec non & propoſitiones iſtas, & eis in ſententia ſimiles, quas in articulos damnatos in ſacro Conſtantienſi Concilio incidere declarat, videlicet: Non omnes fideles iuſtificati, ſunt membra Chriſti, ſed ſoli electi, finaliter in perpetuum regnaturi cum Chriſto. Secundùm ineffabilem præſcientiam Dei ſumuntur membra Chriſti, ex quibus conſtat Eccleſia, quæ tamen non conſtat niſi ex eis, qui ſecundùm propoſitum electionis vocati ſunt. Non ſufficit, Chriſto vniri vinculo charitatis, vt aliqui efficiantur membra Chriſti, ſed requiritur alia vnio. Has etiam quæ ſequuntur: Humana natura in Chriſto, verè eſt Chriſtus: Humana natura in Chriſto, eſt perſona Chriſti: Ratio ſuppoſitalis determinans humanam naturam in Chriſto, non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata: Natura humana in Chriſto, proculdubiò eſt perſona verbi: & verbum in Chriſto natura aſſumpta, eſt realiter perſona aſſumens: Natura humana aſſumpta à verbo ex vnione perſonali, eſt veraciter Deus naturalis & proprius: Chriſtus ſecundùm voluntatem creatam, tantùm diligit naturam humanam vnitam perſonæ verbi, quantùm diligit naturam diuinam: Sicut duæ perſonæ in diuinis ſunt æqualiter diligibiles, ita duæ naturæ in Chriſto, humana & & diuina, ſunt æqualiter diligibiles propter perſonam communem: Anima Chriſti videt Deum tam clarè & intensè, quantùm clarè & intensè Deus videt ſeipſum. Quas quidem propoſitiones & alias ex eadem radice procedentes, in prædicto libello contentas, tanquam erroneas in fide, damnat & reprobat hæc ſancta ſynodus. Ne igitur per huiuſmodi doctrinam in errorem quempiam fidelium prolabi contingat, diſtrictè præcipit, ne quiſquam præfati libelli doctrinam, & præſertim ſupraſcriptas propoſitiones (vt præmittitur) damnatas & reprobatas, ac etiam eius tractatus defenſorios, docere, prædicare, defendere, aut approbare præſumat. Eos autem qui ſecùs egerint, tanquam hæreticos, & aliàs animaduerſione canonica puniendos decernit. In nullo autem per hæc derogare intendit dictis, aut ſcriptis ſanctorum Doctorum, in prænominatis materijs loquentium, quinimò ea recipit, & amplectitur iuxta eorum veram intelligentiam, per eos aut alios Catholicos doctores in Theologica ſchola communiter expoſitam & declaratam. Nec per hanc ſententiam perſonæ præfati Authoris præiudicare intendit hæc eadem ſancta ſynodus, quia etſi debitè vocatus fuerit, cauſas tamen abſentiæ allegauit, & in aliquibus ſuis ſcriptis & aliàs doctrinam ſuam determinationi Eccleſiæ ſubmiſit. Cæterùm hæc ſancta ſynodus mandat & præcipit omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Cancellarijs vniuerſitatum, & inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, ad quorum ſpectat officium, quatenus diligentiam ſolertem adhibeant, & prouideant, ne aliquis dictos librum & libellos defenſorios habeat, aut præſumat penes ſe conſeruare, aut tenere, imò ipſos prædictis aſsignare habeat, vt de illis faciant, prout iura diſponunt: aliàs contra tales canonica animaduerſione procedatur. Datum in ſeſsione publica, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata Idibus Octobris, Anno à Natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto.

* pro

SESSIO XXIII.

De electione ſummi pontificis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam ſalus populi paſtor bonus, meritò hanc ſanctam ſynodum, quantùm * pro humanę legis fieri poteſt induſtria, niti decet, vt Romanus pontifex, qui gregis dominici primus & ſummus eſt paſtor, talis fiat, taliſque perſeueret, qui cunctarum animarum ſaluti ac totius Chriſtiani orbis vtilitati prouideat, & tanto officio dignè ſatisfaciat: proinde conſtitutiones tam ſacrorum Conciliorum, quàm ſummorum Pontificum, ſuper Romani electione Pontificis editas, innouans hæc ſancta ſynodus & eis quædam ſalubria adijciens, ſtatuit, vt quotieſcunque ſedem Apoſtolicam vacare contigerit, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales præſentes in loco, quo ſummi Pontificis electio celebranda eſt, decima die poſtquam ſedes vacauerit, omnes in Capellam aliquam vel locum prope conclaue conueniant. Indè præcedente Cruce, bini cum deuotione cantando, Veni creator Spiritus, incedentes, locum conclauis ingrediantur: quò non niſi duos familiares neceſſarios quilibet introducat. Cæremoniarum autem gratia, duo clerici, quorum ſaltem vnus ſit Notarius, etiam admitti poſsint. Camera-

* per, &c. induſtriã

rius verò, cùm his quibus conclauis cuſtodia commiſſa fuerit, curet, ne quis præter prædictos conclaue ingrediatur. Ipſe autem poſt ingreſſum Cardinalium, clauſis foribus, cũ deputatis intret, & ſingulorum Cardinalium cellas diligenter perquirat. Exceptiſque infirmorum aut debilium medicinalibus, ſi qua ibidem victualia vel confectiones reperiantur, amoueat. Exiens inde, claudenſque conclauis oſtium, cuſtodiam ſolicitè obſeruet, ac ſingulis diebus cibaria quæ Cardinalibus deferuntur, accuratè perquirat, nec introferri permittat, niſi quod pro moderata refectione neceſſarium videatur, decretis huius ſacri Concilij, * quæ promulgantur in quarta & ſeptima ſeſsionibus, in ſuo robore firmiter permanſuris. Sequenti die Cardinales omnes coram his qui in conclaui fuerint, audita Miſſa de Sancto ſpiritu, ſacram ſumant Euchariſtiam. Et antequam ſcrutinium inchoent, antepoſitis ſanctis euangelijs, iurent ſuper hac forma: Ego N. talis Cardinalis iuro & promitto omnipotenti Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ac beato Petro Apoſtolorum Principi, eum eligere in Pontificem, quem credam Eccleſiæ vniuerſali in ſpiritualibus & temporalibus vtilem, & tantæ dignitati idoneum: nec illi vocem dare, quem veriſimiliter ſciuero, promiſsione aut datione alicuius rei temporalis, ſeu prece per ſe vel alium interpoſita, aut aliàs qualitercunque directè, vel indirectè, pro ſe electionem procurare, electoque in pontificem non priùs obedientiam facere, quàm iuret iuxta formam decreti ſacri Baſileenſis Concilij, ita me Deus adiuuet, cui in die tremendi iudicij redditurus ſum de hoc & cunctis operibus meis rationem.

Poſt hæc quilibet eorum ſchedulam dabit, in qua vltrà tres non nominet, inter quos ſi vltrà vnum nominauerit aliquis, ſit extra Cardinalium collegium. Neque vna die niſi vnum fiat ſcrutinium, & immediatè poſt Miſſam. Lectis ſchedulis, niſi duarum partium in vnum vota concurrant, mox comburantur. Ante autem ſex completa ſcrutinia, acceſſus ad quenquam fieri non poſſit, Recogitent eo tempore Cardinales, & attenta mente conſiderent, quantum ſibi ipſis meritum vel demeritum, quantumq; populo Chriſtiano fructum vel præiudicium, bonum vel malum eligendo pontificem, facturi ſunt. In nulla profectò re magis domini noſtri Ieſu Chriſti gratiam vel iram aſſequi poſſunt, quàm cum de Vicario eius, ſuis præficiendo ouibus, agitur, quas ita dilexit, vt pro ipſis & mori, & crucis tormentum pati dignatus fuerit.

DE PROFESSIONE EIVSDEM SVMmi Pontificis.

DECERNIT * ſancta ſynodus, vt electus in Papam, electioni de ſe factæ per infrà ſcripti modi expreſsionem conſentire teneatur. Quam expreſsionem ſi præſens in curia per Cardinales, vel extrà per eorum aliquem, vel alium ab ipſis ad hoc habentem mandatum, in præſentia Notarij, & decem ſaltem perſonarum fieri cõuenit, qui præſentata ſibi electione, requiſitus infra diem naturalem ab hora requiſitionis, ſi non fecerit, electio ſua pro infecta habeatur, & ad aliam in nomine domini Cardinales procedere teneantur. Expreſſo autem (vt prædicitur) huiuſmodi conſenſu, Cardinales eidem vt ſummo pontifici mox obedientiam debitam exhibeant. Poſtquam verò per Cardinales obediẽtia præſtita fuerit, nulli de eius pontificatu ambigere fas ſit.

FORMA CONSENSVS.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus ſancti. Ego N electus in Papam, omnipotenti Deo, cuius Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & beato Apoſtolorum principi corde & ore confiteor & profiteor, quòd quamdiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me firmiter credere & tenere fidem Catholicam, ſecundùm traditionem Apoſtolorum, generalium Conciliorum & aliorum ſanctorum patrum, maximè autem ſanctorum octo Conciliorum vniuerſalium, videlicet primi Nicæni, ſecundi Conſtantinopolitani, tertij Epheſini, primi & quarti Chalcedonenſis, quinti & ſexti item Conſtantinopolitani, ſeptimi Nicæni, octaui quoque Conſtantinopolitani, nec non Lateranenſis, Lugdunenſis, Viennenſis, Conſtantienſis & Baſileenſis generalium etiam Conciliorum, & illam fidem vſque ad vnum apicem immutilatam ſeruare, & vſque ad animam & ſanguinem defendere & prædicare, ritumque pariter ſacramẽtorum eccleſiaſticorum Eccleſiæ traditum, omnimodè proſequi & obſeruare. Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione fidei Catholicæ, & extirpatione hæreſum & errorum, reformatione morum, ac pace in populo Chriſtiano. Iuro etiam proſequi celebrationem Conciliorum generalium, & confirmationem electionum, iuxta decreta ſacri Baſileenſis Concilij. Hanc autem profeſsionem mea manu ſubſcripſi, & tibi omnipotenti Deo, cui in die tremendi iudicij redditurus ſum de hoc & cunctis operibus meis rationem, pura mente ſuper Altare offero, quam in primo publico conſiſtorio ſolenniter repetam.

Ne lapſu temporis hæc tam ſalubris inſtitutio de memoria ſummi Pontificis elabatur, ſingulis annis die quo anniuerſarium celebratur electionis vel coronationis ſuæ, intra Miſſarum ſolennia primus Cardinalis qui ibidem aſſuerit, publicè & alta voce coram ſummo pontifice legat ſic: Sanctiſsime pater, attendat ſanctitas tua, & diligenter conſideret promiſsionem hanc, quam die electionis tuę Deo feciſti. Poſteà eam legens, in fine dicat: Curet igitur ſanctitas tua, pro honore Dei, & ſalute animæ tuæ, & vtilitate vniuerſalis Eccleſiæ, prędicta omnia pro viribus obſeruare bona fide ſine dolo & fraude. Recogites etiam, cuius vicem geras in terris, illius videlicet, qui animam ſuam pro ouibus ſuis poſuit, Ioan.10.
qui ter antequàm oues ſuas beato Petro committeret, petijt, Ioan.vlt.
an ipſum diligeret: quique ſicut iuſtus iudex, & quem nullum latet ſecretum, rationem exiget à te de omnibus vſque ad minimum quadrantem. Memineris quid beatus Petrus, Matth.5.
alijque ſibi ſuccedentes Pontifices fecerunt, qui nil aliud cogitabant, niſi honorem Dei, propagationem fidei, publicum Eccleſiæ bonum, ſalutemque & vtilitatem filiorum ſuorum: & tandem imitantes magiſtrum & dominum, animas ſuas pro ſibi commendatis ouibus exponere non dubitârũt. Noli tibi, aut tuis theſaurizare in terris, vbi tinea & ærugo Matth.6.
demolitur, vbi fures & latrones effodiunt, ſed theſauriza tibi in cœlis. Non ſis acceptor perſonarum, nec ſanguinis, nec patriæ, aut nationis. Omnes filij Dei ſunt, & tuæ curæ ac cuſtodia pariter commiſsi. Dicas exemplo Chriſti: Qui fecerit voluntatem patris mei, qui eſt in cœlis, ille meus frater, mater & ſoror eſt. Matth.12. Marc.3.
In diſtribuendis dignitatibus & beneficijs, non carnem, non munera, non quid aliud temporale, ſed ſolum Deum & virtutes atque hominum merita tibi proponas. In corrigendis exceſsibus, eccleſiaſticam exerce diſciplinam, memor quam gratiam Phinees, Pſal.105.
quamve pœnam Heli, alter iniurias Dei vlciſcendo, alter diſsimulando meruerunt. Pauperes autẽ, ac miſerabiles perſonas defende, iuua & ſuſtenta. Ad omnes autem paternam habe charitatem.

Poſt expleta enim coronationis ſolennia, ac ſingulis annis poſt electionis anniuerſariũ, cum fratribus ſuis octo ſaltẽ continuis diebus ſummus pontifex vigili cura pertractet exequi, quod tam ſolenniter Deo pollicitus eſt. In primis igitur perſcrutetur, in qua orbis parte Chriſtiana religio vexetur à Turcis, Sarracenis, Tartaris & alijs infidelibus: in qua regione viget hæreſis, ſchiſma vel quælibet ſuperſtitionis ſpecies: in quibus prouincijs mores & diuinorum obſeruãtia mandatorũ, rectaq; viuẽdi norma tam in ſtatu eccleſiaſtico, quàm ſeculari dilabuntur: vbi etiam libertas eccleſiaſtica cõculcatur: inter quos reges principeſque & populos vigeant odia, vel bella, vel bellorum metus, & vbique ſicut pius pater cum fratribus ſuis remedijs opportunis diligenter prouidere ſtudeat. His vniuerſalibus expeditis negotijs, ad ea quæ proximiora ſunt, manum apponẽs, mox domum, familiam & curiam Romanam, vbi & prout neceſſarium fuerit, exemplariter componere, veraciterq; informare incipiat, vt ab eoculata reformatione, quæ cæterarum eſt eccleſiarum caput, inferiores eccleſiæ morum hauriant puritatem: nec aliquibus calumniandi ac maledicentiæ præſtetur occaſio: & tam circa magnos quàm paruos inquirens vigilantiſsimè, & inquiri faciens, quicquid emendatione dignum repererit, corrigere nullatenus differat, aut diſsimulet, ſciens duplex eſſe peccatum, vnum quod ibi perpetratur, aliud longè grauius quod inde ſequitur. Quicquid enim ibidem agitur,

facilè trahitur in exemplum. Vnde fit, vt langueſcente capite, reliquum poſteà corpus morbus inuadat. Pontificalis domus ac curia tãquàm ſpeculum mundum eſſe debet, in quo omnes proſpicientes, ad eius exemplum ſe componant, & viuant. Proinde ab ea penitùs diſsipet & euellat, quicquid Simoniacæ labis, quicquid concubinariæ ſordis, quicquid denique vel Deum offendere, vel homines ſcandalizare poteſt. Curet, ne Officiales perperàm officia ſua adminiſtrent, ne quenquam grauent, nec per concuſsionem aut illicitè quicquam extorqueant, & vt hi qui officialibus præpoſiti ſunt, ipſorum exceſsibus inultos non patiantur. Neminem permittant veſtibus & coloribus per ſacros canones prohibitis vti, Clerum Romanum qui ſibi principaliter & immediatè ſubiectus eſt, principaliter in omni eccleſiaſtica honeſtate inſtruat, monens, non in veſtimentorum pompis & nitore conſiſtere beneplacitum Dei, ſed in humilitate, decentia, mentis puritate, ſimplicitate cordis, in morum caſtimonia & reliquarum virtutum ornatu, quæ habentem Deo & hominibus commendant: ſed reformet, & præſertim, vt cultus diuinus in Eccleſijs Vrbis cum ea qua decet veneratione & diſciplina obſeruetur. Populum quoque Vrbis, quæ peculiaris eius eſt parochia, doceat, inſtruat, & in via ſalutis dirigat. Imperet Cardinalibus, vt titulos ac parochias ſuas, prout eorum incumbit officio, viſitent & reforment. Prælatum aliquem magnæ ſcientiæ, probatæque & exemplaris vitæ in Vrbe vicarium conſtituat, qui vice ſua cleri & populi Epiſcopalem curam gerat, de quo an oneri ſuo diligenter incumbat, ſæpè perquirat.

Poſt hæc cum eiſdem fratribus de temporalitate Eccleſiæ Romanæ benè ſalubriterque regenda, accuratè cogitans, prouideat, vt prouinciæ, ciuitates, oppida, caſtra, terræ ipſi Eccleſiæ ſubiectæ, iuſtè ac pacificè gubernentur, tali quidem moderamine, vt inter regimen eccleſiaſticorum ac ſecularium principum ſic diſtet, ſicut inter patrem & dominum. Non quæſtui, ſed protectioni ac tutelæ intendat, & paterna charitate cunctos fouens, non tam ſubditos quàm filios exiſtimet. Et quoniam ſpiritualem, temporalemque ipſorum curam habet, inuigilet omnes partialitates ac ſeditiones inde amouere, præſertim Guelſorum & Gibellinorum, & quæcunque his ſimilia pernicioſa nomina, animas corporaque pariter perimentia, omnem det operam, pœnis ſpiritualibus & temporalibus, & quibuſcunque poteſt modis, ſublatis inde cunctis diſſenſionum fomentis, eos vnanimes ad deuotionem Eccleſiæ conſeruare. Ad regendum prouincias ac ciuitates, principales deſtinet Cardinales, vel prælatos integræ & incorruptæ famæ, quos non inhiare pecunijs, ſed iuſtitiæ ac paci ſubditorum intendere, veriſimile ſit: quorum legatio biennio, aut ad plus triennio
...tæ 16. elapſo, expiret. Et quia dignum eſt, vt quilibet ſuæ villicationis rationem reddat, deputetur expleta legatione aliquis vel aliqui inſignes viri, qui ſua adminiſtrationis rationem, necnon querelas ac petitiones prouincialium audiant, & iuſtitiam exhibeant, & quod ipſi facere commodè nequeunt, Papæ deferant, qui omninò geſta eorum ſcire ſtudeat: & ſi quid illicitè perpetraſſe ipſos conſtiterit, nullatenùs inultum dimittat, vt & ſucceſſores ſui, quæ non licent, ſuo exemplo facere formident. Et ne officiales manus forſitan ad illicita apponant, competens ſalarium, vnde viuere honeſtè poſsint, eis conſtituatur. Sæpè etiam ſummus Pontifex inquirat, quomodo tàm legati gubernatores & commiſſarij, quàm Romanæ Eccleſiæ vicarij ac feudatarij ſubditos regant, & an nouis gabellis & exactionibus grauent. Quicquid autem auſteritatis ſeu iniuſti oneris ſuper ceruices ſubditorum fieri cognouerit, nequaquàm toleret. Pati enim impium eſt, vt hi quos Papa per ſe paternè regeret, per alios tyrãnicè tractentur. Statuta & cõſtitutiones antiquas, quibus prouinciæ ac terræ ſalubriter regi conſueuerunt, inuiolata ſeruari faciat. Quod ſi qua poſteà irrationabiliter vel ad æmulationem ſeu partialiter edita ſint, cauſa cognita, retractentur & reformentur. Infra annum ab electionis die Romanus Pontifex ad ſe oratores ſeu procuratores prouinciarum ac principalium ciuitatum Eccleſiæ Romanæ accerſat, & oſtendẽs erga eos paternæ charitatis affectum, ab ipſis de ſtatu & conditione patriarum, & quemadmodum prædeceſſoris ſui tempore recti ſint, num etiam aliquo iniuſto grauentur onere, & quid pro ſalubri ipſorum regimine faciendum ſit, perſcrutetur: & tandem in omnibus vtilitati & indemnitati ipſorum ac bono publico, prouiſionis remedia tanquàm filijs adhibeat. Hoc idem ſaltem de biennio in biennium repetere non pigeat. Inter cætera quæ feudatarij, capitanei, gubernatores, ſenator, caſtellani; alijque præcipui officiales vrbis & terrarum Eccleſiæ iurare ſolent, hoc etiam adijciatur, vt in eorum inſtitutione iurent, quòd ſede vacante, ad mandatum Cardinalium ciuitates, terras, loca, arces & caſtra, ac gentes nomine Romanæ Eccleſiæ tenebunt, ac tradent liberè & ſine contradictione. Ne ſummus Pontifex carnalitatis trahi videatur affectu magis quàm iudicio rationis, atque vt ſcandalis obuietur, quæ (experientia teſte) ſæpè ſecuta ſunt, nullum decæterò conſanguineum Con-
vel affinem vſque ad tertium gradum incluſiuè, Ducem, guin-
Marchionem, Comitem, feudatarium, emphyteotam, vi- quot
carium, gubernatorem, officialem, caſtellanũ alicuius pro- do E...
uinciæ, ciuitatis, oppidi, caſtri, fortalicij, aut loci Roma- ſu ibi
di.
næ Eccleſiæ, nec ſuper his iuriſdictionem, ſeu poteſtatem aliquam habere, nec capitaneum, ſeu conductorem gentium * armorum faciat, aut eſſe permittat. Ipſi quoque Cardinales ſummo Pontifici ſecùs agere volenti, nequaquã aſſentiant: Quodque ſuccedens Pontifex, aliter facta prorſus retractet ac reuocet. Iuxta Nicolai Papæ quarti conſtitutionem ſtatuit ſancta ſynodus, vt ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales omnium fructuum, reddituum, prouentuum, mulctarum, condemnationũ ac cenſuum, de quibuſcunque terris & locis Romanæ Eccleſiæ ſubiectis prouenientium, medietas pertineat, inſtitutioque & deſtitutio omnium rectorum, gubernatorumque & cuſtodum, quocunque nomine cenſeantur, qui præerunt dictis terris & locis, ac etiam dictorum fructuum collectorum, de cõſilio & conſenſu ipſorum Cardinalium fieri debeat. ipſos igitur Cardinales admonet ſancta ſynodus, vt terras & ſubditos Romanæ Eccleſiæ ab iniurijs & oppreſsionibus protegant, de paceque ac lautè & bono ipſorum regimine cogitantes, apud ſummum Pontificem & vbi opus fuerit, ipſos omni fauore promoueant. Et ſi de omnibus Romanæ Eccleſiæ terris magna cura ſummo Pontifici ac Cardinalibus eſſe debeat, ad vrbem tamen Romanam mentis intuitum ſedulò conuertere, & ad ipſam tanquàm peculiarem filiam & principalem eorum parochiam, in qua beatorum Petri & Pauli ac innumerabilium Chriſti martyrum & ſanctorum ſacra corpora requieſcunt, vbi ſedes eſt Romani Pontificis, vnde & ipſe ac Romanum denominatur imperium, & ad quam omnes Chriſticolæ deuotionis cauſa confluere ſolent, ſingularem quandam charitatem & præcipuum affectum gerere tenentur, vt in pace, tranquillitate ac iuſtitia gubernetur, in ſuiſque Eccleſijs, mœnibus, vijs & ſecuritate ſtratarum detrimentum non patiatur. Quocircà ſtatuit hęc ſancta ſynodus, vt de quibuſcunque ipſius vrbis redditibus & prouentibus, aliqua competens portio ad conſeruationem eccleſiarum. mœnium, viarum, pontium, ſecuritatiſq; itinerum ipſius vrbis & diſtrictus, per aliquos viros probatæ famæ de conſilio Cardinalium eligendos, re ipſa exponatur. Sicut ſeruum ſeruorum Dei ſummus Põtifex ſe profitetur, ita opere comprobet. Et cùm ad ipſum tanquàm communem patrem, vndique homines confugiant, adiri ſe ab omnibus facilè permittat. Vnam ergo ſaltem in hebdomada diem pro publica ſtatuat audientia, in qua omnes, præſertim pauperes & oppreſſos, patienter & benignè audiat, & quantum cum Deo poteſt, exaudiat, cunctiſque ſicut pater filijs, prout cuique opus fuerit, iuxta vires conſilio & auxilio prouideat benignè. Et ſi corporali neceſsitate impeditus fuerit, alicui vel Cardinali vel alteri inſigni viro omnia ſibi relaturo, committat, omnibuſque curiæ officialibus iubeat, præſertim vicecancellario, pœnitentiario, & camerario, vt ipſos pauperes citò gratiſq; expediant, memor Apoſtolicæ charitatis, qua Petrus & Paulus inuicem Gal. 2.
dexteras dederunt, vt pauperum memores eſſent. Diebus verò dominicis & feſtiuis ad Miſſam exeat publicam, poſtquam aliquanto temporis ſpatio indigentibus audientiam præbeat. Singulis hebdomadis, vel ſaltem in menſebis, cõſiſtoria publica teneat, in quibus negotia eccleſiarum cathedralium ac monaſteriorum ſeu principũ ac vniuerſitatum,

for.* mata

aliaque magni ponderis audiat. Lites autem & cauſas minores remittat ad vicecancellarium. Ipſe autem quantò amplius poteſt, litigijs ac minoribus negotijs ſe eximat, vt maioribus intendat liberiùs. Quoniam ſanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinales, pars corporis Romani pontificis eſſe cenſentur, Reipublicæ admodum expediens eſt, vt iuxta vetuſtum morem grauia & ardua negotia, de ipſorum conſilio, directione, cauſa quoque maturè cognita, deinceps fiant, præſertim cauſarum fidei deciſiones, ſanctorum canonizationes, erectiones, ſeu ſuppreſſiones, diuiſiones, vniones Eccleſiarum cathedralium & monaſteriorum, promotiones Cardinalium confirmationes ac prouiſiones de eccleſijs cathedralibus & monaſterijs priuationesq́ue & tranſlationes Abbatum, Epiſcoporum, & ſuperiorum leges, ſeu conſtitutiones, legationes de latere, ſeu vicariorum ac nunciorum authoritate legatorum de latere fungentium commiſſiones, nouæ religionis inſtitutio, exemptiones nouę eccleſijs, monaſterijs ſeu capellis, aut ipſarum iam factarum reuocationes, ſaluo decreto ſacri Conſtantienſis Concilij, de prælatis non transferendis inuitis.

Conſtantienſis Concilij, ſeſſ. 39.

De numero & qualitate Cardinalium.

Cùm ſummo Pontifici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, in dirigenda Chriſtiana Republica collaterales aſſiſtant, neceſſe eſt vt tales inſtituantur, qui ſicut nomine, ita re ipſa cardines ſint, ſuper quos oſtia vniuerſalis verſentur & ſuſtententur Eccleſiæ. Statuit igitur ſancta ſynodus, vt deinceps eorum numerus adeò ſit moderatus, quòd nec ſit grauis Eccleſiæ, (quæ nunc ob temporum malitiam pleriſque grauibus affligitur incommodis) nec ſuperflua numeroſitate vileſcat. Qui de omnibus Chriſtianitatis regionibus, quantum commodè fieri poterit, aſſumantur, vt notitia rerum in Eccleſia emergentium faciliùs haberi, & ſuper his maturiùs deliberari poſſit, ſic tamen, quod numerum viginti quatuor inter hos qui nunc ſunt & aſſumendos, non excedant, ita quod de vna natione vltra tertiam partem reſpectu Cardinalium pro tempore exiſtentium, ac de vna ciuitate & diœceſi vltrà vnum inde oriundum, & de ea natione quæ nunc vltrà tertiam partem habet, vſque ad ipſius tertiæ partis reductionem, eſſe nequeant. Sint viri in ſcientia moribusq́ue ac rerum experientia excellente, non minores triginta annis, magiſtri, doctores, ſeu licentiati, cum rigore examinis in iure diuino vel humano. Sit ſaltem tertia, vel quarta pars de magiſtris aut Licentiatis in ſacra ſcriptura. Inter hos autem viginti quatuor, eſſe aliqui poterunt admodū pauci, filij, fratres aut nepotes Regum ſeu magnorum Principum, in quibus cum circumſpectione & maturitate morum competens literatura ſufficiat.

Non fiant Cardinales nepotes ex fratre vel ſorore Romani pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis, non illegitime nati, non corpore vitiati, nec alicuius criminis, aut infamiæ nota reſperſi. Prædicto autem numero viginti quatuor, pro magna eccleſiæ neceſſitate vel vtilitate, duo alij in quibus vitæ ſanctitas vel eximiæ virtutes refulgeant, quanquàm memoratos gradus non habeant, ac de Græcis (cùm Romanæ Eccleſiæ vniti fuerint) inſignes aliqui viri adijci poterunt.

Non fiat Cardinalium electio ſolùm per auricularia vota, ſed illi ſolùm aſſumi poſſint, in quos, facto vero ſcrutinio ac publicato, maiorem partem Cardinalium per ſubſcriptionem manus propriæ conſtiterit collegialiter conſenſiſſe. Deſuper etiam Apoſtolicæ literæ cum ſubſcriptione Cardinalium conficiantur, decreto huius ſacri Concilij in quarta ſeſsione ſolenniter publicato, quod incipit, Item cùm multiplicatio Cardinalium &c. in ſuo robore inuiolabiliter permanſuro, Cum recipient Cardinales ſuæ dignitatis inſignia, quorum ſignificatio eſt, vt pro bono vniuerſalis Eccleſiæ ſanguinem proprium (ſi opus ſit) non vereātur effundere, iurabunt in publico conſiſtorio (ſi ſint in curia: ſi verò abſentes, in manibus alicuius Epiſcopi & publicè, cui per literas apoſtolicas, in quibus forma iuramenti inſerta ſit, commiſſum fuerit) in hunc modum: Ego N. nuper aſſumptus in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, ab hac hora in anteà ero fidelis beato Petro, vniuerſalique & Romanæ Eccleſiæ ac ſummo Pontifici, eiusq́ue ſucceſſoribus canonicè intrantibus, laborabo fideliter pro defenſione fidei catholicæ, extirpationeq́ue hæreſum & errorum ac ſchiſmatum, reformatione morum, ac pace in populo Chriſtiano. In alienationibus rerum & bonorum Eccleſiæ Romanæ, aut aliarum eccleſiarum & beneficiorum quorumcunque, non conſentiam, niſi in caſibus à iure permiſsis, & pro alienatis ab eccleſia Romana recuperādis, pro poſſe operam dabo. Non conſulam quicquam ſummo Pontifici, nec ſubſcribam me, niſi ſecundùm Deum & conſcientiam meam. Quæ mihi per ſedem Apoſtolicam commiſſa fuerint, fideliter exequar. Cultum diuinum in eccleſia tituli mei, & eius bona conſeruabo, ſic me Deus adiuuet.

Seſſione 4. huius Concilij.

Iuramentum Cardinalis recens electi.

Pro conſeruandis Cardinalium titulis, quorum aliqui tam in diuino cultu quàm ædificijs nimium proh dolor in opprobrium ſedis Apoſtolicę & ipſorum Cardinalium collapſi ſunt, ſtatuit hæc ſancta ſynodus, vt de redditibus ſeu prouentibus terrarum Romanę eccleſiæ, quorum medietas iuxta conſtitutionem Nicolai Papæ ad Cardinales (vt prædictum eſt) pertineat, decima pars eius, quod ſpectat ad quemlibet Cardinalium, proprio titulo ſingulis annis applicetur. Et nihilominùs vel in vita vel in mortè quilibet Cardinalis tantùm proprio titulo relinquat, vnde communiter vna perſona ſuſtentari poſſit. Quòd ſi non fecerit, tam pro hoc quàm pro dicta decima parte, bona omnia ipſius Cardinalis obligata ſint, vſque ad debitam ſatisfactionem, Et ad executionem huius, oneramus primum Cardinalem illius ordinis, de quo ille defunctus erat. Viſitet per ſe quilibet Cardinalis præſens in curia, abſens verò per vicarium idoneum ſingulis annis titulum ſuum, clericosq́ue & populum eccleſiarum ſubiectarum, & cum diligentia inquirat, & ſalubriter prouideat, ſuper cultu diuino bonisq́ue ipſarum eccleſiarum, ac vita & moribus clericorum & parochianorum, de quibus, cùm ſuæ ſint oues, in diſtricto Dei iudicio rationem redditurus eſt. Et tam quo ad tempus viſitandi, quàm quo ad alia, ſeruet quæ inſtituta ſunt in decreto noſtro de Concilijs ſynodalibus. Etſi quemlibet Cardinalium tam ipſa dignitas quàm propria perurgeat pollicitatio, pro memoratis ſanctis laborare operibus, nihilominùs vt eò efficaciùs res fiant, quo ſingulis quaſi peculiariter diſtribuuntur, epiſcopi Cardinales indagare curent, quæ regiones hæretibus, erroribus, ſuperſtitionibus nouis aut veteribus infectæ ſint: presbyteri, vbi mores & diuinorum mandatorum obſeruantia ac eccleſiaſtica diſciplina deficiant: diaconi, qui Reges & Principes ſeu populi bellis agitentur, vel agitari timeantur: & tanquàm apes argumentoſæ tàm apud ſummum Pontificem, quàm inter ſeipſos diligenter ac accuratè negotia hæc ſancta promoueant, operam dantes, vt vbi neceſſariū fuerit, ſalubri remedio prouideatur. Ipſe autem ſummus Pontifex, tanquàm communis omnium pater & paſtor, non ſolùm rogatus ac ſolicitatus, ſed proprio motu vbique inueſtiget, inueſtigariq́ue faciat & quàm poteſt, omnibus filiorum morbis ſalutarem conferat medicinam. Si quando Papam (quod abſit) negligentem aut remiſſum, ſeu agentem quæ ſtatum illius non decent, ipſi Cardinales inſpexerint, filiali reuerentia & charitate tanquàm patrem obſecrent, vt officio paſtorali honoriq́; ac debito ſuo ſatisfaciat. Et primò quidem aliquis vel aliqui de per ſe, deinde ſi ſe non corrigat, omnes collegialiter accerſitis quibuſdam notabilibus prælatis, prædicentes quòd ſi non abſtinuerit, proximo generali concilio deferent: nec pro ſalute ipſius ſummi Pontificis & bono publico, eius odium vel quicquam aliud timeant, dum tamen reuerenter & charitatiuè id agant. Multò magis, ſi quem ex Cardinalibus aliquid perperàm ſeu reprehenſione dignum facientem Papa cognouerit, paterna ſemper charitate, & iuxta doctrinam euangelicam corrigat, vt ſic alter in alterum, pater in filios, & filij in patrem charitatis opera exercentes, eccleſiam Dei exemplari ac ſalubri moderamine gubernent. Prælatos & quoſcunque alios, inſignes præſertim viros, ad curiam Romanam proficiſcentes, Cardinales benignè & honorificè tam publicè quàm * priuatè pertractent, & apud ſummum Pontificem eorum negotia gratis ac liberaliter recommiſſa faciant. Et cùm ei qui communis eſt omnium pater, Cardinales aſsiſtāt, perſonarum acceptores fieri vel aduocatos,

Cardinalibus quid maximè curandum.

* priuatim

valdè

valdè indecens eſt. Propterea interdicit hæc ſancta ſynodus, vt tāquàm iudicis collaterales, partialitatem nullam accipiant, etiam ſi de terra partiali originem ducant. Nec ſint principum aut communitatum, ſeu aliorum contra quenquam, cum precio vel ſine, partiales protectores, aut defenſores: ſed exuti omnem paſsionem, in ſedandis concordia vel iuſtitia litibus, Papæ aſsiſtant. Principum autem & quorumcunque præſertim pauperum ac religioſorum, gratis & ſine vllo quæſtu promouere iuſta negotia, tanquàm charitatis opus, perſuadt ſancta ſynodus, & commendat. Cum affabilitate & benignitate ſeruent Cardinales grauitatem ac modeſtiam, quæ huic congruunt dignitati: pietatem autem, quæ (ſecundùm Apoſtolum) ad omnia vtilis eſt, ſeruent ad omnes. Affines ſuos, præſertim benè meritos ac pauperes, quāquàm negligere non debeant, nō tamen ita ipſos opum aut beneficiorum multitudine accumulent, vt alij inde ſcandalum patiantur. Caueant ne bona ab eccleſijs profecta, vltrà quàm neceſsitatis ratio poſtulat, in carnem & ſanguinē effundant. Cùm tales ſic ambulare in magnis Pontifex inſpexerit, arguat atque obuiet, vt decet, neque enim culpæ erit expers, ſi iuxta officium ſuum corrigenda non corrigat. Familia, menſa, ſupellex rerum & equorum tam Papæ quàm Cardinalium, nec numeroſitate, nec faſtu, aut pompis, neque aliquo exceſſu reprehenſibilis ſit. Ita domum & quæ in domo ſunt, moderatè componat, vt alij non ſcandalum, ſed frugalitatis capere exemplum poſſint. Tam ſummus Pontifex & Cardinales, quàm cæteri Epiſcopi conſtitutionem beati Gregorij in generali ſynodo editam ſeruare ſtudeant, cuius tenor hic eſt, quam hæc ſancta ſynodus innouat.

Cùm paſtoris vita * exemplo debeat eſſe diſcipulis, plerunq; clerici, qualis in ſecreto ſit vita ſui Pontificis neſciunt, quam tamen ſeculares pueri ſciunt: de qua re præſenti decreto ſtatuimus, vt quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi, in miniſterio cubiculo pontificali obſequantur, vt is qui in loco regiminis eſt, tales habeat teſtes, qui veram eius in ſecreto conuerſationē videant, & ex ſedula viſione exemplum profectus ſumant.

Paſchalis etiam Papæ verbo aduertant, dicentis: Epiſcopi lectioni & orationi vacent, & ſemper presbyteros & diaconos, aut alios boni teſtimonij clericos habeant, vt ſecundùm Apoſtolum & ſanctorum Patrum inſtituta, poſſint irreprehenſibiles inueniri. Non expedit reipublicæ, vt Cardinalibus, quos rebus arduis vniuerſalis Eccleſiæ intētos fore oportet, alię cauſę, quàm electionum eccleſiarum cathedralium, aut monaſteriorum, vel principum, aut vniuerſitatū, ſeu ſimiles, per Papam, aut * cancellariam delegentur. Minores igitur litigioſæ cauſę in auditorio Rotæ, quod ad hoc inſtitutum eſt, committantur. Neque Papa, neque Cardinales familiares ſuos, quaſi munera accepturos, ad confirmatos vel prouiſos prælatos decæterò mittant, ne, quod per ſe facere non decet, per alios fieri patiantur. Quod aliquando factum eſt, vt pro anulo in aſſignatione tituli Cardinalibus tradito, poſt mortem eius aliqua pecuniæ ſumma, vel res alia de bonis ſuis arripiatur, decæterò non fiat, cùm labores eorum pro Republica impenſi, exequias, ſi pauperes forent, potiùs de publico mereantur.

[Margin notes: ...Tim. 4. / ...exemplū / ...habetur ...ſta, cui ...num eſt, ...rgnāte ...in ſan...ta hac. / ...Tim. 3. / ...cācella... ...tum.]

De electionibus.

Licèt dudum hæc ſancta ſynodus, abolita per eam generali omnium eccleſiarum & dignitatum electiuarum reſeruatione, prouidè decreuerit, vt prædictis eccleſijs & dignitatibus per canonicas electiones, & confirmationes prouideri deberet, volens etiam ſpeciales ſeu particulares ipſarum eccleſiarum & dignitatum electiuarum prohibere reſeruationes, per quas libera in eiſem eligendi & confirmandi facultas impediri poſſet, quodq́ue aduerſus hoc decretum Romanus pontifex nihil attentaret, niſi ex magna, rationabili & euidenti cauſa, in literis Apoſtolicis nominatim exprimenda: quia tamen contra ipſius decreti mentem nō pauca ſine huiuſmodi cauſa geſta ſunt, vnde grauia hactenùs ſucceſſerunt, & grauiora indies timentur ſcandala, cupiens hæc ſacroſancta ſynodus his obuiare, nolensq́ue vt ipſius decreti mēs, quæ fuit, omne obſtaculum à canonicis electionibus & cōfirmationibus tollere, ſuo fruſtretur effectu: ſtatuit, vt electiones in dictis eccleſijs ſine impedimento, aut obſtaculo omninò fiant, quæ cauſa cognita, iuxta iuris communis & dicti noſtri decreti diſpoſitionem confirmentur, vel infirmentur. Veruntamen ſi fortè aliquando contingat, electionem aliquam etiam aliàs canonicam fieri, quæ in perturbationem eccleſiæ, aut patriæ vel boni publibi vergere timentur, ſummus Pontifex, cùm ad ipſum cōfirmatio delata fuerit, ſi talem vrgentiſſimam cauſam adeſſe manifeſtè cognouerit, ea prius maturè diſcuſſa, ac parte plenè defenſa, accedente poſteà Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, aut maioris partis ſubſcriptione, huiuſmodi cauſam veram ſufficientemq; fore atteſtantium, reiecta tali ectione, ad capitulum, vel conuentum remittat, vt vel infra tempus iuris vel aliud [illegible]a loci diſtantiam, ad aliam, ex qua euenire talia non formidentur, electionem procedant.

De reſeruationibus.

Et quia multiplices eccleſiarum & beneficiorum hactenùs factæ per ſummos Pontifices reſeruationes, non parùm eccleſijs oneroſæ extiterunt, ipſas omnes tam generales quàm ſpeciales, ſiue particulares, de quibuſcunque eccleſijs & beneficijs, quib⁹ tam per electionem, quam collationem, aut aliam diſpoſitionem prouideri ſolet, ſiue per extrauagantes, Ad regimen, & Execrabilis, ſiue per regulas cancellariæ, aut alias Apoſtolicas conſtitutiones introductas, hæc ſancta ſynodus abolet, ſtatuens vt decæterò nequaquàm fiant, reſeruationibus in corpore iuris expreſsè clauſis, & his quas in terris Romanæ Eccleſiæ, ratione directi, ſeu vtilis dominij mediatè vel immediatè ſubiectis fieri contigerit, duntaxat exceptis.

De Clementina literis.

Licet in Apoſtolicis vel alijs literis quibuſcunque aliquem dignitati, beneficio, aut iuri cuicunque renunciaſſe, aut priuatum eſſe, ſeu aliquid aliud egiſſe, per quod ius proprium auferatur, narratum ſit, huiuſmodi literæ in his non præiudicent, etiam ſi ſuper ipſis gratia vel intentio narrantis fundetur, niſi per teſtes, aut alia legitima conſtiterit documenta. Datum in ſeſſione publica huius ſacræ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, octauo Calendas Aprilis, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto.

SESSIO XXIV.

De Actis quibuſdam cum Græcis, & de Indulgentijs, &c.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitmè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Quia ambaſiatores noſtri ad Conſtantinopolim tranſmiſſi, vice & nomine eiuſdem ſanctæ ſynodi ſereniſſimo Imperatori Romeorum, & reuerendiſſimo domino Patriarchæ Conſtantinopolitano, propter nonnullas cauſas promiſerunt, capitula aliàs in hac ſancta ſynodo ſuper modo vniuerſalis & œcumenici & vtriuſque eccleſiæ Concilij celebrādi, hinc & inde concluſa & firmata dare, & cum effectu exhibere, ſub conſueta huius ſanctæ ſynodi bulla plumbea data præſenti, & ſub tenore de verbo ad verbum ſubſequenti, nolens hæc ſancta ſynodus omittere aliquid eorum, quæ pro vnione eccleſiarū Chriſti fieri poſſunt, dictam ſuorum ambaſiatorum promiſſionem præſenti decreto acceptat, approbat, ratificat, & confirmat, & præfata capitula de verbo ad verbum, prout per præfatos ambaſiatores promiſſum eſt, præſentibus inſerit, ſub tenore qui ſequitur: Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Cùm inter cætera toti populo Chriſtiano neceſſaria opera, propter quæ hoc præſens ſanctum Concilium extitit congregatum, vnio Occidentalis & Orientalis eccleſiarum Chriſti præcipuum & maximū ſit, meritò pro hac perficienda ab initio ſuæ congregationis omni conatu laborauit. Etenim quamprimùm potuit, ad ſereniſſimum Imperatorem Grȩcorū & reuerendiſsi-

diſſimum Patriarcham Conſtantinopolitanum cum literis ſuos tranſmiſit ambaſiatores, ad ipſos cum omni charitate & inſtantia exhortandum, quatenus & ipſi cum plena poteſtate mitterent aliquos, qui nobiſcum tractarent de modo dictam ſanctam vnionem conſequendi: qui mox vt requiſiti fuerunt, tres inſignes viros de his, qui apud eos magnæ ... authoritatis, quorum primus ipſum Imperatorem conſanguinitate attinet, ad hãc ſanctam ſynodum deſtinãrunt, ſufficienti ipſius Imperatoris mandato, cum bulla aurea & eius propria manu ſubſcripto, ac Patriarchæ literis munitos, qui tam in generali congregatione, quàm coram commiſſarijs noſtris feruentiſsimum ipſius Imperatoris & Patriarchæ, totiusque accleſiæ Orientalis ad hanc vnionem deſiderium exponentes, nos mirum in modũ ad tam ſancti operis proſecutionem pulſant, ac quotidiè excitant, du... ter alia firmiter conſtanterq; aſſerentes, vnionẽ ipſam niſi in ſynodo vniuerſali, in qua tam Eccleſia Occidẽtalis quàm Orientalis cõueniat, fieri nullatenùs poſſe, & in ea ſynodo (ſi fiat, vt infrà conuentum eſt) ipſam vnionem ſecuturam ſperari. His auditis, ſumma nobis lætitia & iocunditas nimirùm acceſſit. Quamobrem omnem cogitatum noſtrum iactantes in Deum, qui facit mirabilia magna ſolus, venerabiles ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales præſidentes ſedis Apoſtolicæ, Patriarcham Antiochenum, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, magiſtosque & doctores in numero competenti deputauimus, vt vnà cum ipſis Græcorum ambaſiatoribus rem illam tractare, & quo ordine ad executionem deducenda eſſet, proſpicere deberent: qui tam inter ſe, quàm cum ipſis * ambaſiatoribus ſæpenumerò conuenientes, habito inter ſe maturo & digeſto cõſilio, ad infrà ſcripta cum ipſis deuenerunt capitula, quæ poſteà ſecundùm morẽ huius ſacri Concilij per ſacras deputationes maturè deliberata, ac deinde per generalem congregationem concluſa firmataque ſolenniter extiterunt: quorũ tenor vnà cum mandato ipſius domini Imperatoris ſub bulla aurea, ſequitur, & eſt talis: Ambaſiatores ſereniſsimi domini Imperatoris &c. vt decreto Concilij ſuperiùs inſerto latiùs cõtinetur. Et quia tempus ſuperiùs expreſſum, infra quod prædicta debebant adimpleri, eſfluxit, nõ propter defectum alicuius partium, ſed quia ita contigit varijs interuenientibus tractatibus: hæc ſancta ſynodus tempus per præfatos ſereniſsimum Imperatorem Græcorum & reuerendiſsimum Patriarchã Conſtantinopolitanum parte ex vna, & ambaſiatores huius ſacræ ſynodi parte ex alteræ ſtatutum & firmatum, quod eſt à menſe Maio immediatè ſequenti ad annum, ita quod per totum mẽſem Maij ad annum ſequentem vtraque partium ſit parata ad exequendum ſupradicta, quantum ad quamlibet partiũ attinet, acceptat & promittit ſe impleturã, quantum ad ipſam pertinet, infra dictum tempus quicquid in ſupradictis capitulis continetur. Datum Baſileæ in ſeſsione publica huius ſanctæ ſynodi, ſolenniter celebrata decimooctauo Calendas Maij, anno à natiuitate milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto.

* oratoribus

Seſſio.19.

Saluus conductus Græcorum, datus domino Imperatori Græcorum & Patriarchæ Conſtantinopolitano à ſacro Concilio Baſileenſi.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Quia authore Deo in regione noſtra Occidentali & obedientia Eccleſiæ Romanæ, eſt vniuerſalis & œcumenica ſynodus celebrãda, in qua iuxta concordata in hac ſancta ſynodo, & in Conſtantinopoli denuò ratificata, tàm Occidentalis quàm Orientalis Eccleſia conueniet, vt cunctis erga eandem Eccleſiam Orientalem, noſtræ intentionis ſyncereas pateat, & omnis ſuſpicio, quæ circa ſecuritatẽ ac libertatem venientium oriri poſſet, de medio auferatur, tenore præſentis decreti hęc ſancta ſynodus Baſileenſis, nomine & vice totius Eccleſiæ Occidẽtalis, & omnium de eadem Eccleſia cuiuſcunque ſtatus, etiam ſi papali, imperiali, regali, pontificali vel quacunque alia inferiori ſpirituali vel ſeculari præfulgeant dignitate, poteſtate vel officio, decernit, dat & concedit ſereniſſimo Imperatori Græcorum, reuerendiſsimis Patriarchis Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hieroſolymitano, cæteriſque vſque ad numerum ſeptingentarum perſonarum, etiam ſi Imperiali, regali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, & cuiuſcunque alterius ſtatus, dignitatis aut conditionis fuerint, ad prædictũ vniuerſale & œcumenicum Cõcilium in regione Occidentali (vt præmittitur) celebrandum, venientibus aut venturis, plenum & liberum ſaluum conductum, omneſque prædictos & quemlibet ipſorum, tàm in perſonis quàm in honoribus & rebus quibuſcũque, ipſorum nominibus, regnis, prouincijs, dominijs, territorijs, cõmunitatibus, ciuitatibus, caſtris, oppidis, villis, & omnibus locis obedientiæ noſtræ Eccleſiæ Occidentalis, per quæ ſiue eundo, ſiue ſtando, ſiue etiã redeundo tranſituri ſunt, aut eos tranſire contigerit: in ſuam tutam ſecuramq; ſaluiguardiam recepit, & recipit per præſentes, promittens & concedens omnibus & ſingulis ex ipſis hoc præſenti edicto ſynodali, tutam & liberam facultatem accedendi & veniendi in & ad ciuitatem ſeu locum, in qua vel in quo erit dictum ſacroſanctum vniuerſale Cõcilium celebrandum: ibique ſtandi, morandi, reſidendi, habitandi, cum omnibus immunitatibus, libertatibus & ſecuritatibus, quibus illi qui erunt de obedientia Eccleſiæ Romanæ, habitabunt: diſputandi etiam & ratiocinandi, iura & authoritates allegandi, & omnia alia liberè & ſine cuiuſcunque impedimento dicendi, faciendi, & tractandi, quæ pro vnione Eccleſiarum Chriſti eis expedire videbitur & opportunum. Inde etiam ſemel & pluries, & toties quoties eis & cuilibet eorum videbitur, & placebit, ſimul & ſeparatim, & cum eorum bonis, rebus & pecunijs & ſine, pro libitu recedendi & redeundi tutè, liberè & impunè, omni impedimento reali & perſonali ceſſante, penituſque remoto, etiam ſi talis vnio (quod abſit) nõ ſequeretur, nec effectum haberet: quo caſu & in omnem alium euentum, præfati ſereniſsimus Imperator, domini Patriarchæ & alij ſuprà nominati, noſtris duntaxat expenſis & galeis, abſque aliqua dilatione temporis, omnique remoto impedimento, cum eiſdem honoribus, beneuolentia & amicitia, quibus ad præfatum vniuerſale celebrãdum Concilium deducentur, etiam in & ad Conſtantinopolim reducentur, ſiue vnio ſequatur in dicta celebranda ſynodo œcumenica, ſiue non. Non obſtantibus in prædictis vel aliquo prædictorum quibuſcunque differentijs, diſcordijs & diſſenſionibus ad præſens vigentibus, & quæ in futurum oriri & vigere poſſent inter dictas Eccleſias Occidentalem & Orientalem, ſeu inter ipſam Eccleſiam Romanam & ei ſubiectos & aggregatos, & præfatum ſereniſsimum Imperatorem, & alios Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ aggregatos, & non obſtãtibus aliquibus ſententijs, decretis, cõdemnationibus, iuribus & decretalibus, quomodocunque & qualitercunq; factis & prolatis ſeu fiendis: Et etiam non obſtantibus aliquibus repręſalijs & debitis publicis vel priuatis: Et non obſtantibus aliquibus criminibus, exceſſibus, culpis & delictis, ſi qua per pręd ictos vel alterum eorum quomodocunque & qualitercunq; commiſſa & perpetrata forent: Et generaliter non obſtantibus quibuſcunque alijs, etiam ſi talia forent, de quibus neceſſarium eſſet, ſpecialem in præſentibus facere mentionem. Et ſi contingat aliquem vel aliquos ex noſtris, eis vel alicui ipſorum iniuriari (quod abſit) vel aliqua... moleſtiam inferre in perſona, honore, rebus & alijs quibuſcunque, taliter excedens, iudicabitur per nos aut noſtros, vſque ad condignam & rationabilem ſatisfactionem parti læſæ. Et econuerſò, ſi aliquis ipſorum alicui ex noſtris aliquam (vt præmittitur) iniuriam inferat, iudicabitur per eos vſque ad condignã & rationalem ſatisfactionem ei, qui iniuriam paſſus eſt, ſecundùm morem & conſuetudinem vtriuſq; partis. De alijs autem criminibus, exceſſibus & culpis quibuſcũque, quælibet partium cognoſcet & iudicabit de ſuis.

Hortatur autem hæc ſacroſancta ſynodus vniuerſos Chriſti fideles, & nihilominùs authoritate vniuerſalis Eccleſiæ in virtute Spiritus ſancti & ſanctæ obedientiæ mãdat, & præcipit omnibus & ſingulis prælatis, regibus, ducibus, principibus, officialibus, communitatibus & alijs ſingularibus perſonis, * cuiuſuis ſtatus, conditionis & dignitatis exiſtant, noſtræ Occidentali Eccleſiæ aggregatis, quatenùs prędicta omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruẽt, & quantũ in eis eſt, obſeruari faciant: dictoſque ſereniſſimum Imperatorem,

* cuiuſcunque

rem, Patriarchas, & alios omnes & ſingulos antedictos, ad dictum ſacrum celebrandum Concilium accedentes, & inde recedentes, ſimul & diuiſim fauorabiliter & reuerenter honorent & tractent, ac honorari ac tractari faciant. Si qua verò dubitatio circa dictum ſaluum conductum & contenta in eo oriri contigerit, ſtabitur declarationi præfatæ vniuerſalis ſynodi celebrandæ. Vult autem hæc ſancta ſynodus præſentem ſaluum conductum valere, & in ſuo robore permanere, quouſque ad vltimum, dicti sereniſsimus Imperator, Patriarchæ, & alij ſupradicti, cum ſuis nobilibus & famulis, vſque ad numerum (vt præmittitur) ſeptingétarum perſonarum, alijsque rebus & bonis, ſint reuerſi in & ad ciuitatem Conſtantinopolitanam. Si quis autem contra prædicta aut aliquod ipſorum aliquid facere quoquo modo tentauerit, indignationem omnipotentis Dei & dictæ ſanctæ ſynodi ſe nouerit incurſurum. Datum Baſileæ in ſeſſione publica huius ſanctæ ſynodi ſolenniter celearata 18. Calendas Maij, Anno à natiuitate Domini 1436.

Aurea bulla domini Imperatoris Græcorum, lecta in ſeſſione publica & congregatione generali.

*meo

Quoniam deſtinatæ fuerunt ab imperio * noſtro & ſanctiſſimo domino œcumenico Patriarcha ambaſiatæ ad ſacroſanctã Eccleſiam Romanam, videlicet ad beatiſſimum Papam dominum Martinum Quintum, & ad modernum ſimiliter ſanctiſſimum* Papam dominum Eugenium quartum, ſimiliter & ab ipſis trãſmiſſæ fuerunt multoties ad nos pro vnione eccleſiarũ Chriſti, & multis laboribus cum multa diligentia vtrinque factis, tamen propter aliquas circumſtantias temporaneas non peruenit ad finem tale bonum & ſanctum opus vnionis. Poſt hæc autem deſtinauit ad nos de hac ipſa re ambaſiatores ſuos ſacra ſynodus in Baſilea congregata, ſacroſanctam Eccleſiam Romanam repræſentans, propter quod & nos noſtros ad eam deſtinauimus, videlicet familiarem imperij noſtri Demetrium Palęologum Mętotidem, & honorandiſſimum in ſacris monachis Abbatem ſacri monaſterij ſancti Demetrij Iſidorum, & familiarem imperij * noſtri Ioannem Laſcari Diſſipatum, qui illuc accedentes oſtenderunt, in ipſam quædam neceſſariò ab eo tractari in præparationem & conſtitutionem vniuerſalis & œcumenici Concilij, in quo neceſſe eſt tractari & celebrari & perfici (Deo duce) prædictã ſanctam vnionem, quæ quidem hæc ipſa ſynodus Baſileenſis acceptauit, & promiſit illa adimplere. Vnde & ambaſiatores ſuos ad nos deſtinauit, fratrem Ioannem de Raguſio, ordinis Prædicatorum profeſſorem, & in ſacra pagina magiſtrum, Henricum Menger decretorum doctorem, canonicum Conſtantienſem, & Simonem * Freron ſacræ Theologiæ baccalaureum, Canonicũ Aurelianenſem, cum decreto ipſius generali, in quo de his continebatur particulariter in capitulis. Perlecto itaque tali decreto apud nos, quædam ex his quæ continebantur in eo, non placuerunt nobis, vt in ipſo iacebant, prooemium videlicet talis decreti, & capitulum in quo ſcribebatur de modo reuerſionis noſtræ à loco celebrandi Concilij ad Conſtantinopolim, ſi permittente Deo (quod abſit) non fieret vnio eccleſiarum Chriſti in tali ſynodo, quia non exprimebatur in eo de hoc determinatè & manifeſtè, prædicti autem ambaſiatores videntes diſplicentiam & reſiſtentiam noſtrã, nec aliter rem ipſam poſſe habere progreſſum, conceſſerunt, & promiſerũt curare in prædictis, videlicet quòd dicta ſancta ſynodus dabit, & exhibebit nobis capitula in dicto decreto contenta, cum prooemio, modo & forma, quibus in literis ipſorum promiſſorijs continetur. Et circa reuerſionem noſtram de ſynodo in Conſtantinopolim, in caſu quo non ſequeretur dicta vnio, (quod abſit) facere & adimplere, prout habetur in forma ſalui conductus prædicti. His itaque ſic progreſſis, & inter nos concordatis, petierunt & ipſi ambaſiatores, vt promittamus & nos abſque contradictione, ire & accedere ad locum, in quo celebrabitur (Deo concedente) vtrinq; Catholica & œcumenica ſynodus. Qui quidem locus eſſe debet vnus ex nominatis in * decretis, quicunque ordinabitur per dictum ſacrum Concilium Baſileẽſe, ſicut in ſupradicto decreto ipſius ſacri Concilij * continentur. Et iã quòd exire debeamus hinc à Conſtantinopoli, in accedendo verſum locum celebrandi œcumenici Concilij, à principio ſequentis Iunij, indictionis decimæquintæ, ſicut conuentum eſt inter nos & ipſos ambaſiatores ſacri Concilij. Et quia etiam ad maiorem cautelam & firmitatem horum omnium, petierũt fieri literam chryſobuli imperij * noſtri, Imperium * noſtrum grato animo rationabili petitioni eorum annuens, præſens chryſobullum largitur & concedit: per quod acceptat, determinat & promittit, quòd ſi dicta ſacra ſynodus Baſileẽſis remedium appoſuerit in prædictis, videlicet ſi prædicta capitula in ſupradicto decreto contenta, cum prooemio in forma, ſicut hic per ambaſiatores ipſius ſynodi concordatum eſt, nobis direxerit, & compleuerit omnia in eiſdem capitulis ſcripta opportunè, ſimiliter & fecerit ſaluum conductum cum capitulis de modo reuerſionis noſtræ ad Conſtantinopolim, vt prædicitur: reliqua etiam, vt ambaſiatores ipſius nobis promiſerunt, & nobiſcum conuenerunt: exibit & * imperium noſtrum cum Deo ſine contradictione à Conſtantinopoli ſecundum prædictum tempus, cum præſtantiſſimo domino œcumenico Patriarcha Conſtantinopolitano, & cæteris debentibus intereſſe, ad accedédum ad locum vbi celebrabitur Sanctum catholicum & œcumenicũ Concilium, abſque impedimento rationabili, vero & manifeſto, etiam ſi bellum (quod abſit) ab infidelibus foret, & inſtaret ciuitati noſtræ Conſtantinopolitanæ. Et in robur & confirmationem & conſeruationem inuiolabilem ſupraſcriptorum, iurat Imperium * noſtrum, per debitum * nobis iuramentum tanquàm Chriſtiano & fideli Imperatori, & per orationem ſancti mei domini & Imperatoris patris imperij mei famoſiſsimi & felicis memoriæ & per animam meam: factumque eſt ſuper iſtis præſens chryſobulum imperij * noſtri, in anno ſexmilleſimo nongenteſimo quadrageſimo quarto, in menſe Nouembris, indictione decimaquarta, à natiuitate verò Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquinto, die vigeſimoſexto menſis Nouembris.

*mei

*Fieron

*decreto

*contine- t

Bulla plumbea domini Patriarchæ Conſtantinopolitani, miſſa ſacro Concilio Baſileenſi,

Quoniam deſtinatæ fuerunt ab humilitate noſtra, & potentiſsimo & ſancto meo Imperatore ambaſiatæ ad ſacroſanctã Eccleſiam Romanam, videlicet ad beatiſſimum Papam dominum Martinum quintum, & ad modernum ſimiliter ſanctiſsimum Papam dominum Eugenium quartum, ſimiliter & ab ipſis tranſmiſſæ fuerunt multoties ad nos pro vnione eccleſiarũ Chriſti, & multis laboribus cum multa diligentia vtrinque factis, tamen propter aliquas circunſtãtias temporaneas non peruenit ad finem tale bonum & ſanctum opus vnionis. Poſt hæc autem deſtinauit ad nos de hac ipſa re ambaſiatores ſuos ſacra ſynodus in Baſilea congregata, ſacroſanctam Eccleſiam Romanam repræſentans, propter quod & nos noſtros ad eam deſtinauimus, videlicet familiares potentiſsimi & ſancti mei Imperatoris, in Spiritu ſancto dilectos filios noſtræ humilitatis, videlicet Demetrium Palęologum Mæotidem, & honorandiſſimum in ſacris monachis Abbatem ſacri monaſterij ſancti Demetrij Iſidorum, & Ioannem Laſcari Diſsipatum, qui illuc accedentes, oſtenderunt in ipſam quædam neceſſariò ab ea tractari in præparationem & conſtitutionem vniuerſalis & œcumenici Concilij, in quo neceſſe eſt tractari & celebrari & perfici (Deo * duce) prædictam ſanctam vnionem. Quæ quidem hæc ipſa ſynodus Baſileenſis acceptauit, & illa promiſit adimplere. Vnde & ambaſiatores ſuos ad nos deſtinauit, fratrem Ioannem de Raguſio, ordinis Prædicatorum profeſſorem, in ſacra pagina magiſtrum, Henricum Menger decretorum doctorem canonicum Conſtantienſem, & Simonem Freron ſacrę Theologię baccalaureum canonicum Aurelianenſem, cum decreto ipſius generali, in quo de his continebãtur particulariter in capitulis. Perlecto itaq; tali decreto apud nos, quædã ex his quæ continebantur in eo, non placuerunt nobis, vt in ipſo iacebant, prooemium videlicet talis decreti, & capitulũ in quo ſcribebatur de modo reuerſionis noſtræ à loco celebrandi Concilij ad Conſtanti-

diſſimum Patriarcham Conſtantinopolitanum cum literis ſuos tranſmiſit ambaſiatores, ad ipſos cum omni charitate & inſtantia exhortandum, quatenus & ipſi cum plena poteſtate mitterent aliquos', qui nobiſcum tractarent de modo dictam ſanctam vnionem conſequendi: qui mox vt requiſiti fuerunt, tres inſignes viros de his, qui apud eos magnæ ...uetur authoritatis, quorum primus ipſum Imperatorem conſanguinitate attinet, ad hãc ſanctam ſynodum deſtinârunt, ſufficienti ipſius Imperatoris mandato, cum bulla aurea & eius propria manu ſubſcripto, ac Patriarchæ literis munitos, qui tam in generali congregatione, quàm coram commiſſarijs noſtris feruentiſsimum ipſius Imperatoris & Patriarchæ, totiusque eccleſiæ Orientalis ad hanc vnionem deſiderium exponentes, nos mirum in modũ ad tam ſancti operis proſecutionem pulſant, ac quotidiè excitant, du... ter alia firmiter conſtanterq; aſſerentes, vnioné ipſam niſi in ſynodo vniuerſali, in qua tam Eccleſia Occidẽtalis quàm Orientalis cõueniat, fieri nullatenùs poſſe, & in ea ſynodo (ſi fiat, vt infrà conuentum eſt) ipſam vnionem ſecuturam ſperari. His auditis, ſumma nobis lætitia & iocunditas nimirùm acceſſit. Quamobrem omnem cogitatum noſtrum iactantes in Deum, qui facit mirabilia magna ſolus, venerabiles ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales præſidentes ſedis Apoſtolicæ, Patriarcham Antiochenum, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, magiſtosque & doctores in numero competenti deputauimus, vt vnà cum ipſis Græcorum ambaſiatoribus rem illam tractare, & quo ordine ad executionem deducenda eſſet, proſpicere deberent: qui tam inter ſe, quàm cum ipſis * ambaſiatoribus ſæpenumerò conuenientes, habito inter ſe maturo & digeſto cõſilio, ad infrà ſcripta cum ipſis deuenerunt capitula, quæ poſteà ſecundùm morẽ huius ſacri Concilij per ſacras deputationes maturè deliberata, ac deinde per generalem congregationem concluſa firmataque ſolenniter extiterunt: quorũ tenor vnà cum mandato ipſius domini Imperatoris ſub bulla aurea, ſequitur, & eſt talis: Ambaſiatores ſereniſsimi domini Imperatoris &c. vt decreto Concilij ſuperiùs inſerto latiùs cõtinetur. Et quia tempus ſuperiùs expreſſum, infra quod prædicta debebant adimpleri, eſſfluxit, nõ propter defectum alicuius partium, ſed quia ita contigit varijs interuenientibus tractatibus: hæc ſancta ſynodus tempus per præfatos ſereniſsimum Imperatorem Græcorum & reuerendiſsimum Patriarchã Conſtantinopolitanum parte ex vna, & ambaſiatores huius ſacræ ſynodi parte ex alteræ ſtatutum & firmatum, quod eſt à menſe Maio immediatè ſequenti ad annum, ita quod per totum mẽſem Maij ad annum ſequentem vtraque partium ſit parata ad exequendum ſupradicta, quantum ad quamlibet partiũ attinet, acceptat & promittit ſe impleturã, quantum ad ipſam pertinet, infra dictum tempus quicquid in ſupradictis capitulis continetur. Datum Baſileæ in ſeſsione publica huius ſanctæ ſynodi, ſolenniter celebrata decimooctauo Calendas Maij, anno à natiuitate milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto.

* oratoribus

Seſſio.19.

Saluus conductus Græcorum, datus domino Imperatori Græcorum & Patriarchæ Conſtantinopolitano à ſacro Concilio Baſileenſi.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Quia authore Deo in regione noſtra Occidentali & obedientia Eccleſiæ Romanæ, eſt vniuerſalis & œcumenica ſynodus celebrãda, in qua iuxta concordata in hac ſancta ſynodo, & in Conſtantinopoli denuò ratificata, tàm Occidentalis quàm Orientalis Eccleſia conueniet, vt cunctis erga eandem Eccleſiam Orientalem, noſtræ intentionis ſynceritas pateat, & omnis ſuſpicio, quæ circa ſecuritatẽ ac libertatem venientium oriri poſſet, de medio auferatur, tenore præſentis decreti hęc ſancta ſynodus Baſileenſis, nomine & vice totius Eccleſiæ Occidẽtalis, & omnium de eadem Eccleſia cuiuſcunque ſtatus, etiam ſi papali, imperiali, regali, pontificali vel quacunque alia inferiori ſpirituali vel ſeculari præfulgeant dignitate, poteſtate vel officio, decernit, dat & concedit ſereniſſimo Imperatori Græcorum, reuerendiſsimis Patriarchis Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hieroſolymitano, cæteriſque vſque ad numerum ſeptingentarum perſonarum', etiam ſi Imperiali, regali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, & cuiuſcunque alterius ſtatus, dignitatis aut conditionis fuerint, ad prædictũ vniuerſale & œcumenicum Cõcilium in regione Occidentali (vt præmittitur) celebrandum, venientibus aut venturis, plenum & liberum ſaluum conductum, omneſque prædictos & quemlibet ipſorum, tàm in perſonis quàm in honoribus & rebus quibuſcũque, ipſorum nominibus, regnis, prouincijs, dominijs, territorijs, cõmunitatibus, ciuitatibus, caſtris, oppidis, villis, & omnibus locis obedientiæ noſtræ Eccleſiæ Occidentalis, per quæ ſiue eundo, ſiue ſtando, ſiue etiá redeundo tranſituri ſunt, aut eos tranſire contigerit: in ſuam tutam ſecuramq; ſaluiguardiam recepit, & recipit per præſentes, promittens & concedens omnibus & ſingulis ex ipſis hoc præſenti edicto ſynodali, tutam & liberam facultatem accedendi & veniendi in & ad ciuitatem ſeu locum, in qua vel in quo erit dictum ſacroſanctum vniuerſale Cõcilium celebrandum: ibique ſtandi, morandi, reſidendi, habitandi, cum omnibus immunitatibus, libertatibus & ſecuritatibus, quibus illi qui erunt de obedientia Eccleſiæ Romanæ, habitabunt: diſputandi etiam & ratiocinandi, iura & authoritates allegandi, & omnia alia liberè & ſine cuiuſcunque impedimento dicendi, faciendi, & tractandi, quæ pro vnione Eccleſiarum Chriſti eis expedire videbitur & opportunum. Inde etiam ſemel & pluries, & toties quoties eis & cuilibet eorum videbitur, & placebit, ſimul & ſeparatim, & cum eorum bonis, rebus & pecunijs & ſine, pro libitu recedendi & redeundi tutè, liberè & impunè, omni impedimento reali & perſonali ceſſante, penituſque remoto, etiam ſi talis vnio (quod abſit) nõ ſequeretur, nec effectum haberet: quo caſu & in omnem alium euentum, præfati ſereniſsimus Imperator, domini Patriarchæ & alij ſuprà nominati, noſtris duntaxat expenſis & galeis, abſque aliqua dilatione temporis, omnique remoto impedimento, cum eiſdem honoribus, beneuolentia & amicitia, quibus ad præfatum vniuerſale celebrãdum Concilium deducentur, etiam in & ad Conſtantinopolim reducentur, ſiue vnio ſequatur in dicta celebranda ſynodo œcumenica, ſiue non. Non obſtantibus in prædictis vel aliquo prædictorum quibuſcunque differentijs, diſcordijs & diſſenſionibus ad præſens vigentibus, & quæ in futurum oriri & vigere poſſent inter dictas Eccleſias Occidentalem & Orientalem, ſeu inter ipſam Eccleſiam Romanam & ei ſubiectos & aggregatos, & præfatum ſereniſsimum Imperatorem, & alios Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ aggregatos, & non obſtãtibus aliquibus ſententijs, decretis, cõdemnationibus, iuribus & decretalibus, quomodocunque & qualitercunq; factis & prolatis ſeu fiendis: Et etiam non obſtantibus aliquibus repręſalijs & debitis publicis vel priuatis: Et non obſtantibus aliquibus criminibus, exceſſibus, culpis & delictis, ſi qua per pręd ictos vel alterum eorum quomodocunque & qualitercunq; commiſſa & perpetrata forent: Et generaliter non obſtantibus quibuſcunque alijs, etiam ſi talia forent, de quibus neceſſarium eſſet, ſpecialem in præſentibus facere mentionem. Et ſi contingat aliquem vel aliquos ex noſtris, eis vel alicui ipſorum iniuriari (quod abſit) vel aliqua... moleſtiam inferre in perſona, honore, rebus & alijs quibuſcunque, taliter excedens, iudicabitur per nos aut noſtros, vſque ad condignam & rationabilem ſatisfactionem parti læſæ. Et econuerſò, ſi aliquis ipſorum alicui ex noſtris aliquam (vt præmittitur) iniuriam inferat, iudicabitur per eos vſque ad condignã & rationalem ſatisfactionem ei, qui iniuriam paſſus eſt, ſecundùm morem & conſuetudinem vtriuſq; partis. De alijs autem criminibus, exceſſibus & culpis quibuſcũque, quælibet partium cognoſcet & iudicabit de ſuis.

Hortatur autem hæc ſacroſancta ſynodus vniuerſos Chriſti fideles, & nihilominùs authoritate vniuerſalis Eccleſiæ in virtute Spiritus ſancti & ſanctæ obedientiæ mãdat, & præcipit omnibus & ſingulis prælatis, regibus, ducibus, principibus, officialibus, communitatibus & alijs ſingularibus perſonis, * cuiuſuis ſtatus, conditionis & dignitatis exiſtant, noſtræ Occidentali Eccleſiæ aggregatis, quatenùs pręd icta omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruẽt, & quantũ in eis eſt, obſeruari faciant: dictoſque ſereniſſimum Imperato-

*cuiuſcunque

rem,

rem, Patriarchas, & alios omnes & ſingulos antedictos, ad dictum ſacrum celebrandum Concilium accedentes, & inde recedentes, ſimul & diuiſim fauorabiliter & reuerenter honorent & tractent, ac honorari ac tractari faciant. Si qua verò dubitatio circa dictum ſaluum conductum & contenta in eo oriri contigerit, ſtabitur declarationi præfatæ vniuerſalis ſynodi celebrandæ. Vult autem hæc ſancta ſynodus præſentem ſaluum conductum valere, & in ſuo robore permanere, quouſque ad vltimum, dicti sereniſsimus Imperator, Patriarchæ, & alij ſupradicti, cum ſuis nobilibus & famulis, vſque ad numerum (vt præmittitur) ſeptingētarum perſonarum, alijsque rebus & bonis, ſint reuerſi in & ad ciuitatem Conſtantinopolitanam. Si quis autem contra prædicta aut aliquod ipſorum aliquid facere quoquo modo tentauerit, indignationem omnipotentis Dei & dictæ ſanctæ ſynodi ſe nouerit incurſurum. Datum Baſileæ in ſeſſione publica huius ſanctæ ſynodi ſolenniter celcarata 18. Calendas Maij, Anno à natiuitate Domini 1436.

Aurea bulla domini Imperatoris Græcorum, lecta in ſeſſione publica & congregatione generali.

*meo

Quoniam deſtinatæ fuerunt ab imperio * noſtro & ſanctiſſimo domino œcumenico Patriarcha ambaſiatæ ad ſacroſanctā Eccleſiam Romanam, videlicet ad beatiſſimum Papam dominum Martinum Quintum, & ad modernum ſimiliter ſanctiſſimum Papam dominum Eugenium quartum, ſimiliter & ab ipſis trāſmiſſæ fuerunt multoties ad nos pro vnione eccleſiarū Chriſti, & multis laboribus cum multa diligentia vtrinque factis, tamen propter aliquas circumſtantias temporaneas non peruenit ad finem tale bonum & ſanctum opus vnionis. Poſt hæc autem deſtinauit ad nos de hac ipſa re ambaſiatores ſuos ſacra ſynodus in Baſilea congregata, ſacroſanctam Eccleſiam Romanam repræſentans, propter quod & nos noſtros ad eam deſtinauimus, videlicet familiarem imperij noſtri Demetrium Paleologum Meotidem, & honorandiſſimum in ſacris monachis Abbatem ſacri monaſterij ſancti Demetrij Iſidorum, & familiarem imperij * noſtri Ioannem Laſcari Diſſipatum, qui illuc accedentes oſtenderunt, in ipſam quædam neceſſariò ab eo tractari in præparationem & conſtitutionem vniuerſalis & œcumenici Concilij, in quo neceſſe eſt tractari & celebrari & perfici (Deo duce) prædictā ſanctam vnionem, quæ quidem hæc ipſa ſynodus Baſileenſis acceptauit, & promiſit illa adimplere. Vnde & ambaſiatores ſuos ad nos deſtinauit, fratrem Ioannem de Raguſio, ordinis Prædicatorum profeſſorem, & in ſacra pagina magiſtrum, Henricum Menger decretorum doctorem, canonicum Conſtantienſem, & Simonem * Freron ſacræ Theologiæ baccalaureum, Canonicū Aurelianenſem, cum decreto ipſius generali, in quo de his continebatur particulariter in capitulis. Perlecto itaque tali decreto apud nos, quædam ex his quæ continebantur in eo, non placuerunt nobis, vt in ipſo iacebant, procemium videlicet talis decreti, & capitulum in quo ſcribebatur de modo reuerſionis noſtræ à loco celebrandi Concilij ad Conſtantinopolim, ſi permittente Deo (quod abſit) non fieret vnio eccleſiarum Chriſti in tali ſynodo, quia non exprimebatur in eo de hoc determinatè & manifeſtè, prædicti autem ambaſiatores videntes diſplicentiam & reſiſtentiam noſtrā, nec aliter rem ipſam poſſe habere progreſſum, conceſſerunt, & promiſerūt curare in prædictis, videlicet quòd dicta ſancta ſynodus dabit, & exhibebit nobis capitula in dicto decreto contenta, cum procemio, modo & forma, quibus in literis ipſorum promiſſorijs continetur. Et circa reuerſionem noſtram de ſynodo in Conſtantinopolim, in caſu quo non ſequeretur dicta vnio, (quod abſit) facere & adimplere, prout habetur in forma ſalui conductus prædicti. His itaque ſic progreſſis, & inter nos concordatis, petierunt & ipſi ambaſiatores, vt promittamus & nos abſque contradictione, ire & accedere ad locum, in quo celebrabitur (Deo concedente) vtrinq; Catholica & œcumenica ſynodus. Qui quidem locus eſſe debet vnus ex nominatis in * decretis, quicunque ordinabitur per dictum ſacrum Concilium Baſileēſe, ſicut in ſupradicto decreto ipſius ſacri Concilij * continentur. Et iā quòd exire debeamus hinc à Conſtantinopoli, in accedendo verſum locum celebrandi œcumenici Concilij, à principio ſequentis Iunij, indictionis decimæquintæ, ſicut conuentum eſt inter nos & ipſos ambaſiatores ſacri Concilij. Et quia etiam ad maiorem cautelam & firmitatem horum omnium, petierūt fieri literam chryſobuli imperij * noſtri, Imperium * noſtrum grato animo rationabili petitioni eorum annuens, præſens chryſobulum largitur & concedit: per quod acceptat, determinat & promittit, quòd ſi dicta ſacra ſynodus Baſileēſis remedium appoſuerit in prædictis, videlicet ſi prædicta capitula in ſupradicto decreto contenta, cum procemio in forma, ſicut hic per ambaſiatores ipſius ſynodi concordatum eſt, nobis direxerit, & compleuerit omnia in eiſdem capitulis ſcripta opportunè, ſimiliter & fecerit ſaluum conductum cum capitulis de modo reuerſionis noſtræ ad Conſtantinopolim, vt prædicitur: reliqua etiam, vt ambaſiatores ipſius nobis promiſerunt, & nobiſcum conuenerunt: exibit & * imperium noſtrum cum Deo ſine contradictione à Conſtantinopoli ſecundum prædictum tempus, cum præſtantiſſimo domino œcumenico Patriarcha Conſtantinopolitano, & cæteris debentibus intereſſe, ad accedēdum ad locum vbi celebrabitur Sanctum catholicum & œcumenicū Concilium, abſque impedimento rationabili, vero & manifeſto, etiam ſi bellum (quod abſit) ab infidelibus foret, & inſtaret ciuitati noſtræ Conſtantinopolitanæ. Et in robur & confirmationem & conſeruationem inuiolabilem ſupraſcriptorum, iurat Imperium * noſtrum, per debitum * nobis iuramentum tanquàm Chriſtiano & fideli Imperatori, & per orationem ſancti mei domini & Imperatoris patris imperij mei famoſiſsimi & felicis memoriæ & per animam meam: factumque eſt ſuper illis præſens chryſobulum imperij * noſtri, in anno ſexmilleſimo nongenteſimo quadrageſimo quarto, in menſe Nouembris, indictione decimaquarta, à natiuitate verò Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquinto, die vigeſimoſexto menſis Nouembris.

*mei *decreto *contineatur *mei *meum *ad imperiū meum *meum *mihi *mei

Bulla plumbea domini Patriarchæ Conſtantinopolitani, miſſa ſacro Concilio Baſileenſi.

Quoniam deſtinatæ fuerunt ab humilitate noſtra, & potentiſsimo & ſancto meo Imperatore ambaſiatæ ad ſacroſanctā Eccleſiam Romanam, videlicet ad beatiſſimum Papam dominum Martinum quintum, & ad modernum ſimiliter ſanctiſsimum Papam dominum Eugenium quartum, ſimiliter & ab ipſis tranſmiſſæ fuerunt multoties ad nos pro vnione eccleſiarū Chriſti, & multis laboribus cum multa diligentia vtrinque factis, tamen propter aliquas circunſtātias temporaneas non peruenit ad finem tale bonum & ſanctum opus vnionis. Poſt hæc autem deſtinauit ad nos de hac ipſa re ambaſiatores ſuos ſacra ſynodus in Baſilea congregata, ſacroſanctam Eccleſiam Romanam repræſentans, propter quod & nos noſtros ad eam deſtinauimus, videlicet familiares potentiſsimi & ſancti mei Imperatoris, in Spiritu ſancto dilectos filios noſtræ humilitatis, videlicet Demetrium Palęologum Mæotidem, & honorandiſſimum in ſacris monachis Abbatem ſacri monaſterij ſancti Demetrij Iſidorum, & Ioannem Laſcari Diſsipatum, qui illuc accedentes, oſtenderunt in ipſam quædam neceſſariò ab ea tractari in præparationem & conſtitutionem vniuerſalis & œcumenici Concilij, in quo neceſſe eſt tractari & celebrari & perfici (Deo * duce) prædictam ſanctam vnionem. Quæ quidem hæc ipſa ſynodus Baſileenſis acceptauit, & illa promiſit adimplere. Vnde & ambaſiatores ſuos ad nos deſtinauit, fratrem Ioannem de Raguſio, ordinis Prædicatorum profeſſorem, in ſacra pagina magiſtrum, Henricum Menger decretorum doctorem canonicum Conſtantienſem, & Simonem Freron ſacrę Theologię baccalaureum canonicum Aurelianenſem, cum decreto ipſius generali, in quo de his continebātur particulariter in capitulis. Perlecto itaq; tali decreto apud nos, quædā ex his quæ continebantur in eo, non placuerunt nobis, vt in ipſo iacebant, procemium videlicet talis decreti, & capitulū in quo ſcribebatur de modo reuerſionis noſtræ à loco celebrandi Concilij ad Con-

*Fieron *dante

ſtanti-

ſtantinopolim, ſi permittente Deo (quod abſit) non fieret vnio eccleſiarum Chriſti in tali ſynodo, quia nó exprimebatur in eo de hoc determinatè & manifeſtè. Prædicti autem ambaſiatores videntes diſplicentiam & reſiſtentiam noſtrá, nec aliter rem ipſam poſſe habere progreſſum, conceſſerunt, & promiſerút curare in prædictis, videlicet quòd dicta ſynodus dabit, & exhibebit nobis capitula in dicto decreto contenta, cum procœmio, modo & forma, quibus in literis ipſorum promiſſorijs continetur. Et circa reuerſionem noſtram de ſynodo in Conſtantinopolim, in caſu quo non ſequeretur dicta vnio (quod abſit) facere & adimplere, prout habetur in forma ſalui conductus prædicti. His itaque ſic progreſſis, & inter nos concordatis, petierunt & ipſi ambaſiatores, vt & promittamus & nos abſque contradictione, ire & accedere ad locum, in quo celebrabitur (Deo concedente) vtrinque Catholica & œcumenica ſynodus. Qui quidem locus eſſe debet vnus ex nominatis in decreto, quicunque nominabitur per dictum ſacrum Concilium Baſileenſe, ſicut in ſupradicto decreto ipſius ſacri Concilij continetur. Etiam quòd exire debeamus hinc à Conſtantinopoli, in accedendo verſus locum celebrandi œcumenici Concilij, à principio ſequentis Iunij, indictionis decimæquintæ, ſicut conuentum eſt inter nos & ipſos ambaſiatores ſacri Concilij. Et quit etiam ad maiorem cautelam & firmitatem horum omnium petierunt fieri ſigillum noſtræ humilitatis, humilitas noſtra grato animo rationabili petitioni eorum annuens, præſens ſigillum largitur & concedit, per quod in Spiritu ſancto diſponit, quòd ſi dicta ſacra ſynodus Baſileenſis remedium appoſuerit in prædictis, videlicet, ſi capitula in prædicto decreto contenta cum procœmio, in forma ſicut hic per ambaſiatores ipſius ſynodi concordatum eſt, nobis direxerit, & compleuerit omnia in eiſdem capitulis ſcripta opportunè, ſimiliter & ſecerit ſaluum cóductum cum capitulo de modo reuerſionis noſtræ ad Conſtantinopolim, vt prædicitur: reliqua etiam, vt ambaſiatores ipſius nobis promiſerút. & nobiſcum conuenerunt: exibit humilitas noſtra cum potentiſsimo & ſancto meo Imperatore cum Deo ſine contradictione à Conſtantinopoli ſecundum prædictum tempus, & cum cæteris debentibus intereſſe, ad accedendum ac locum vbi celebrabitur ſanctum Catholicum & œcumenicum Concilium, abſque impedimento rationabili, vero & manifeſto, etiam ſi bellum (quod abſit) ab infidelibus foret, & inſtaret ciuitati noſtræ Conſtantinopolitanæ. Et in robur & confirmationem ſupradictorum, factum eſt præſens ſigillum noſtræ humilitatis in menſe Nouembris, indictionis decimæquartæ, anno ab Adam ſeu mundi conſtitutione * ſexmilleſimo nongenteſimo quadrageſimoquarto, à natiuitate verò Domini milleſimo quadringéteſimo trigeſimo quinto.

Bulla indulgentiarum remiſſionis omnium peccatorum ſemel in vita, & ſemel in morte, in fauorem ſubſidij pro reductione Græcorum procurandi.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Vox illa iocunditatis & lætitiæ ad populum Iſraeliticum olim de cœlo lapſa, eadem nunc per os huius ſanctæ ſynodi in auribus populi Chriſtiani inſonans, clamat: Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit dominus Deus veſter. Loquimini ad cor Hieruſalem, & aduocate eam, quoniam completa eſt malitia eius, & dimiſſa eſt iniquitas illius. Meritò lætari & conſolari te debes plebs Chriſtiana, cùm his nouiſsimis diebus tanta lætitiæ cauſa offertur, quantam vix vnquàm experta es. Vno enim eodemque tempore plenariam omnium peccatorum veniam cóſequeris, & fratres tuos, quorum innumerabilis eſt multitudo, quingentis fermè annis à tuo conſortio ſegregatos, tibi proximè reuniri ſperas. O quanta erit iſta iubilatio? O quàm ſuaue cordibus Chriſtianorum orietur gaudium, cùm primùm homines Deo, & ipſi inter ſe fraterna charitate cóciliabuntur? Quas igitur Chriſto noſtro pro hac duplici lætitia, qua nulla maior deſiderari poteſt, gratias agemus? Quis Domini miſericordias ad plenum enarrabit, qui popu- Pſal.85.
lum Chriſtianum varijs vndique calamitatibus hoc tempore afflictum, tanta gaudij nouitate conſolatur? Ecce popule Dei, adeſt tibi annus iubileus, annus remiſſionis omnium peccatorum, annus generalis vnionis Eccleſiæ. Proinde loquimini omnibus Chriſti fidelibus, qui in ſancta habitant Hieruſalem peregrinante in terris, ad cor eos conſolando, & aduocate eos ad hanc duplicem lætitiam, quoniam malitia tam diuturni ſchiſmatis, quod innumerabilia Eccleſiæ ſanctæ Dei mala intulit, auxiliante Domino (vt cófidimus) citò complebitur, & finem accipiet. Iniquitas quoque peccatorum, quæ huius ſchiſmatis & iræ Dei cauſa fuit, diuina clementia remittitur. Conſurge igitur, cóſurge, induere for- Eſa.51. &
titudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalé 52.
ciuitas ſancta. Quàm fortis & glorioſa eris túc mater Eccleſia, cùm omnes qui Chriſtú colunt, ab Occidente in Orientem eodem fidei & charitatis vinculo vnitos conſpicies? Ingemuiſti hactenùs nimio dolore afflicta, cùm à ſæuiſſimis Turcis & Sarracenis, alijsque Chriſtiani nominis inimicis, innumeras patereris iniurias, iacturas, perſecutiones & opprobria, & nemo te conſolari poterat. Cùm paſſim videres filios tuos omnis ſexus, ætatis & dignitatis in ſeruitutem trahi, & (quod ſeruitute deterius eſt) plurimos ab vberibus tuis abſtractos, ad impium Mahumeti cultum perduci. Harum autem calamitatum quid aliud, quàm hoc diuturnum ac peſtiferum ſchiſma, cauſa extitit? Sed diuino munere appropinquat iam tempus, vt omni penitùs extincto diſſidio, vnitas ſancta fiat. Quæ cùm impleta fuerit, atque hi magni populi Occidentales & Orientales fraternum fœdus ſimul inierint, nemo tunc fortitudini tuæ reſiſtere poterit. Tunc
abiectis lugubribus, conſurges regina Eccleſia in veſtitu Pſal.44.
deaurato, circundata varietate: & qui te olim perſequentes
conculcabant, procident coram te: & venient ad te qui de- Eſa.60.
trahebant tibi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum. O vos omnes qui Chriſtiano nomine cenſemini, expergiſcimini iam talia audientes, plaudite manibus, & iubilate Chriſto
ſalutari noſtro. Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce 2.Cor.6.
nunc dies ſalutis: Eccè iam pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, viſitat nos in abundantia gratiæ & felicitatis. Aſſurgite, & occurrite illi in humilitate ſpiritus, in orationibus atq; eleemoſynarum largitate, vt qui pro peccatis veſtris iuſtè iratus, tamdiù hoc ſchiſma durare paſſus eſt, & multis perſecutionum flagellis ab his qui intus, & ab his qui foris ſunt, vos cædi permiſit, nunc purgatis & emendatis indulgens, ſanctam inter vos vnionem inſpiret, vnitisq; non ſolùm perdita reſtauret, ſed & vobis veſtros ſubijcieat inimicos. Audiſtis pridem ſolennes ambaſiatores ſereniſsimi Imperatoris Græcorum ac Patriarchæ Conſtantinopolitani, ab hac ſancta ſynodo accerſitos Baſileam adueniſſe, & tandem Deo propitio, cócluſiſſe nobiſcum modum huius ſanctæ vnionis perficiendæ, aſſenſu ſanctiſſimi domini Eugenij Papæ accedente, vt videlicet ad locum ſynodi vnierſalis tam noſtri, quàm ſui Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ipſeque Imperator & Patriarcha Conſtantinopolitanus, alijsq; Orientalis Eccleſiæ Patriarchæ accedant. Vt autem tantum opus certiùs firmaretur, tres noſtros oratores poſteà Conſtantinopolim deſtinauimus, vt ab ipſis Imperatore & Patriarcha ratificationem eorum, quæ hic ſui concluſerant ambaſiatores, obtinerent. Quæ omnia ipſi Imperator & Patriarcha iuxta noſtri decreti capitula, ratificârunt & approbârunt, ac literas Latino Græcoque ſermone ſcriptas, & eorum manibus ſubſcriptas, bulliſq; aurea & plumbea munitas, per vnum ex tribus noſtris oratoribus ad nos nuper reuerſum tranſmiſerunt. Et cùm ad ipſam ſynodum proprijs expenſis tam procul de partibus Oriētalibus Græci proficiſci nequeant, opus fuit vt expenſas in veniendo ſtandoq; & redeundo neceſſarias, & quaſdam alias pro tuitione ciuitatis Conſtantinopolitanæ, ne Imperatore abſente, à Turcis forſitá expugnari poſſet, polliceremur. Et quanquàm huiuſmodi impenſæ nónullis graues viderentur, nos tamen animaduertentes, quantus Dei honor & profectus Eccleſiæ, quanta exaltatio fidei orthodoxæ, quantum incrementum nominis Chriſtiani, quot millium animarum ſalus, quantaque vtilitas, & innumerabilia bona populo Chriſtia-

Chriſtiano hinc forent prouentura, non ſolùm ipſas impenſas, ſed & perſonas proprias fore exponendas, dignum eſſe iudicauimus, ſpem ponentes in Domino, cuius negotium agitur, & in charitate ac deuotione fidelium, qui dum talia intellexerint, ſubſidijs & auxilijs opportunis non deerunt. Si Chriſtus Deus noſter ſanguinem ſuum toto precioſiorem mundo, pro noſtra redemptione effudit: ſi eius veſtigia ſecuti Apoſtoli, atque alij ſancti viri, pro ſalute proximorum & incremento fidei corpora ſua libenter morti obiecerunt: quid nos facere oportet, à quibus non niſi caduca huius mundi ſubſtantia efflagitatur? Si reges & principes pro recuperandis expugnandiſque ciuitatibus & oppidis multò ampliorem ſummam exponere ſoliti ſunt, ſi denique pro augendis facultatibus & vanitatibus ſeculi, ſe & ſua multis periculis homines ſubijciunt, & vt exemplo vtamur ſaluatoris,

Math. 13. quęrens aliquis pretioſam margaritam, cùm inuenerit ipſam, vēdit omnia bona ſua, & emit illam: nónne Eccleſia Dei & vniuerſus populus Chriſtianus facere hanc impenſam poterit, & debebit, ex qua nihil terrenum, nihil caducum, ſed omnia quæ ſuprà memorauimus bona, ſuccedent? Si vna duntaxat anima Chriſto charior eſt, quàm totum mundi aurum: nos vbi millia millium ſaluanda ſunt, auari aut negligentes videbimur? Conſueuit aliquando Eccleſia ad liberandum de manibus infidelium terram ſanctam, ſeu pro debellandis hæreticis indicere generale paſſagium, conuocareq; reges & principes, & alios bellatores, vt armis iſta peragerent, necnon & pro alijs iuſtis cauſis ab omnibus Chriſtianis ſubſidium poſtulare, ad quæ vt promptiores efficeret, donis ſpiritualibus plenariæ remiſſionis peccatorum inuitauit. Profectò ſi veterum reuoluantur hiſtoriæ, nulla vnquàm affuit cauſa iuſtior, quàm iſta eſt, nec pro qua Chriſticolæ omnes ſe & ſua libētiùs exponere deberent. Hic enim non ſolùm ad recuperandam terram intēditur, ſed etiam millia millium animarum, pro quibus mediocre ſubſidium petitur, vnde impenſæ Græcis promiſſæ, ſine quibus tam ſanctum opus perfici nequit, inueniri poſſint. Quis igitur pro tanto vniuerſæ Eccleſiæ bono, proque tanto animæ ſuæ merito portiunculam rerum ſuarum, quas dono Dei obtinet, denegare audebit? O felicem & pretioſam eleemoſynam, quæ regnum cœlorū promerebitur, & quæ tantam fidei catholicæ vtilitatem dabit. O beatū illum hominē, quem dominus ad tam ſanctū opus

Pſal. 40. inſpirauerit. Hunc quidem (ſicut ſcriptum eſt) in die mala liberabit dominus. Licet autem ex debito Chriſtianæ profeſſionis quiſque ad hoc ſanctum negotium pro viribus contribuere, ac ſubuenire obnoxius ſit, nihilominꝰ, vt eo libentiùs omnes faciant, quo ſe hic & in futuro ſeculo peramplius remunerandos fore intellexerint, decreuit hæc ſancta ſynodus vniuerſam Eccleſiam repræſentans, ſpōſam Chriſti, affluēter aperire ſpirituales theſauros, quos ipſe ſaluator aſcendens in cœlum, ſibi reliquit. Omnibus igitur Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, qui ad hoc ſanctum opus tantum contribuerint, quantum quiſque vna integra hebdomada pro ſuæ perſonæ ac familiæ, ſi eam habuerit, refectione exponit, vel ſi de proprijs viueret, exponeret, religioſis quoque pro quibus ſuus conuentus aut ſuperior vel alius iuxta prędictam rationem erogauerit, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, authoritate omnipotentis Dei & de eius miſericordia confiſa, illam plenariam remiſſionem impartitur ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo, quam Eccleſia concedere ſolet omnibus euntibus Romam tempore Iubilei, vel cruce ſignatis ad recuperationem terræ ſanctæ tempore paſſagij generalis, & in retributione iuſtorū ſalutis æternæ pollicetur augmentum. Ita tamen, quòd per annum integrum (ſi vixerint) ſingulis ſextis ferijs, impedimento ceſſante, aut ſi dictis ſextis ferijs ex præcepto Eccleſiæ, regulari obſeruantia, iniuncta pœnitentia, voto vel aliàs ieiunare teneātur, vna alia die ſingularem ſeptimanarum eiuſdem anni, qua ad ieiunandum non ſint aſtricti, ieiunent, aut ad iudicium ſui confeſſoris in alia pietatis opera commutent. Ac etiam eadem die qua ieiunabunt, vel (vt præmittitur) ieiunare deberent, ſi ſint clerici, ſeptem Pſalmos vel Miſſam: ſi laici, ſeptē Pater noſter, & ſepties Aue Maria, dicere ſint aſtricti, vel alia pietatis opera iudicio ſui cōfeſſoris agant. Quòd ſi conuentus tales ſint, qui nihil in communi poſſideant, vel aliæ perſonæ victum vera mendicitate quærentes, ſeu aliâs contribuere non valentes, ne huius ſpiritualis muneris ſint expertes, ſi vltra ieiunium (vt prædicitur) obſeruandum ſingulis diebus vnius anni, prædictos Pſalmos & Miſſas, ſi clerici: ſi laici, prædictas orationes, ceſſante legitimo impedimento, eo modo quo ſuprà exprimitur, ſupplendo dixerint, vel alia pietatis opera ſui confeſſoris iudicio (vt præmittitur) exercuerint, ac pro felici huius negotij conſummatione Deum ſuppliciter exorauerint, eandem plenariam remiſſionē conſequantur. Erogantibus autem ad idem opus, quātum vna die pro ſe ſuæque familiæ expenſis expenderent, vel ſi de proprijs viuerent, exponerent, ſeptem annos & totidem quadragenas de iniunctis ſibi pœnitentijs elargitur. Et vt hi omnes ad huiuſmodi indulgentiæ gratiam aptiores exiſtant, omnibus ſacerdotibus ſecularibus & regularibus aliàs diſcretis, quos in confeſſores pro huiuſmodi conſequenda indulgentia elegerint, indulget, vt cōfeſſionibus eorum auditis, ipſas à quacunque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententia, à iure vel conſtitutione, ſeu etiam non nominatim, ſed generaliter ab homine lata, & à quibuſcunque alijs propter quæ etiam ſedes Apoſtolica meritò eſſet conſulenda, impoſita ſatisfactione & reſtitutione his quorum intereſt facienda, ſalutarem iniungant pœnitentiam, & debitæ abſolutionis in foro pœnitentiali duntaxat in forma Eccleſiæ beneficium impendant. Quam ſatisfactionem ac reſtitutionem, ſi infra terminum à confeſſore ſtatutum facere neglexerint, huiuſmodi indulgentia in nullo ſuffragetur. At cum clericis ſuper irregularitate occulta, aliâs, quàm ex bigamiæ vel homicidij voluntaria cauſa, contracta, diſpenſent. Super votis verò peregrinationis, ſeu abſtinentiæ, aut alijs ſimilibus, quæ ipſi fideles emiſerint, etiam ſi vltra marina, aut alia loca, ſeu limina ſanctorum Petri & Pauli, ac Iacobi Apoſtolorum viſitare voluerint, ſeu aliâs non impletis, diſpenſandi eiſdem confeſſoribus etiam facultatem concedit: ita tamen, quòd ipſi cum quibus taliter diſpenſari continget, expēſas quas ad loca huiuſmodi vel pro alijs votis implendis, iuxta ipſorum confeſſorum taxationem feciſſent, ad hanc cauſam contribuant. Et vt nulla cuiquam peccati rubigo remaneat, vult & indulget hæc ſancta ſynodus, vt quicunque ex vſurario vel non debito quæſtu, ſeu qualitercunque illicitè aut indebitè aliquid percepiſſet, ſeu bona ablata aut quæuis incerta poſſideat, ſi non extent, vel ignorentur perſonæ, quibus facienda eſſet reſtitutio, aut res quaſcunque tenentes, cuiuſcunque ſtatus aut religionis exiſtant, in quorum detentione conſcientiæ eorum grauantur, vel quæ de iure ad pias cauſas per eccleſiam deberent exponi, huiuſmodi res & bona ſeu valorem, necnon & qui arma vel alia prohibita infidelibus ſeu hæreticis portauerint, lucrum quod inde perceperunt, ad hoc opus iuxta ſuam & ſui confeſſoris conſcientiam & æſtimationem tradere teneantur. Iubet inſuper eadem ſancta ſynodus, vt habita huius decreta notitia, omnes diœceſani in cathedralibus, collegiatis & parochialibus, in quibus eis viſum fuerit, ac etiam generales ordinum mendicantium in conuentualibus eccleſijs eis ſubiectis, mox diſponant, quatenus verbum Dei per prædicatores idoneos ad populum annuncietur, prædictas indulgentias publicando, & fideliter exhortando ad ſubſidium in tam pijſſima cauſa impendendum, quibus prędicatoribus & prædicationem audientibus, ac etiam omnibus alijs, qui circa prædictam æſtimationem ſubſidium aliquod vel auxilium in hac re dederint, centum dies de iniunctis pœnitentijs ſingulis vicibus in forma Eccleſiæ relaxat. Ne autem in colligendis ac conſeruandis pecunijs fraus aliqua committatur, ordinat ſancta ſynodus, quòd in qualibet cathedrali in ciuitatibus, in oppidis verò & alijs locis in principali eccleſia vnus cippus, truncus vel capſa ponatur, vbi tanquàm in gazophylacio domini, quilibet pecunias erogandas ac incerta & ablata ſeu illicitè quæſita, reponere poſſit & debeat. Cuius ſint tres claues, quarum vnam teneat Epiſcopus, vel cui voluerit ipſe cōmittere, pro quolibet trunco in omnibus locis ciuitatis & * diœceſibus, capitulum aliam in cathedrali, prælatus ſeu rector in principali, tertiam timoratus aliquis vir, quem ciuitas, oppidum, ſeu locus deputare voluerit, qui diebus per eos ſtatuendis,

* diœceſis

Digitized by Google

talem cippum, truncum vel capſam coram notario vel duobus fide dignis aperiant perſonis, & pecunias ad fidas manus deponant, eas ſine fraude, diminutione vel contradictione illi vel illis aſſignaturi, quas hæc ſancta ſynodus ad hoc deputauerit. Quòd ſi in campeſtribus locis vel alibi periculum ſeu detrimentum in in cóſeruatione pecuniarum, per modum ſuperius expreſſum veriſimiliter timeretur, diœceſani vel ad colligendum huiuſmodi pecunias ab hoc Concilio deputandi, (prout magis expediens viſum fuerit) vtiliter prouideant. Quicunque autem, etiam ſi pontificali aut regali præfulgeat dignitate, fraudem, furtum, ſiue rapinam circa prędictas pecunias ſeu impedimentum ex propoſito & malitioſè in hoc ſanctiſsimo opere fecerit, vltra indignationem omnipotentis Dei & reatum ſupremi ſacrilegij, ſentétiam excommunicationis incurrat, à qua niſi priùs plenaria facta reſtitutione & impedimento ſublato, abſolui non poſsit. Vult autem hæc ſancta ſynodus, quòd elapſo biennio à die præſentis decreti, prædictæ indulgentiæ ac facultates nemini concedi valeant, præterquàm in mortis articulo, quo ad illos qui infra biennium (vt ſuprà dictum eſt) contribuerint. Quodq́ue perſonis illis quæ ſub ſpe huius gratiæ & indulgentiæ aliquid commiſerint, in nullo huiuſmodi gratia ac ſpecialis conceſsio ſuffragetur. Et quia difficile foret, præſentes literas ſingulis exhibere, decernit hæc ſancta ſynodus, vt earum tranſſumpto manu publica authoritate Archiepiſcopi in tota prouincia, & ordinarij in ſua diœceſi proprio ſigillò munito, tanquàm literis originalibus plena fides in omnibus adhibeatur.

Datum in ſeſsione publica huius ſanctæ ſynodi ſolenniter celebrata in maiori eccleſia Baſileẽſi, decimooctauo Calendas Maij, anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto.

SESSIO XXV.

De locis futuri & œcumenici Concilij pro Græcis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitmè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Nuper hæc ſacroſancta ſynodus inter varias ſolicitudines, quibus inſcrutabilis diuinæ altitudinis prouidétia cum inuocatione ſui ſpiritus paracleti, ad excolendum dominici gregis agrum adunari, operarique dignata eſt, internæ mentis oculos more agricolæ peruigilis reuoluens, & attentè proſpiciens, quàm deflendè diutina Occidentalis & Orientalis Eccleſiarum in eiuſdem fidei profeſsione diuiſio in Dei perſtitit & durauit Eccleſia, de clementiſsima eius bonitate, apud quem nihil eſt impoſsibile, quique dignè poſtulantibus affluenter dat & largè, ſpem ſuſcipiens & fiduciam, ad procurandam inter ipſas Eccleſias Catholicæ fidei vnitatem, ſuæ diligentiæ curas tanto accuratiùs, non parcendo laboribus vel impenſæ, adhibere decreuit, quanto ex hoc ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, vberiorem animarum ſalutem, maiusq; ipſius fidei incrementum prouenire cognouit. Cupiensq́ue propterea, ſuffragante Spiritus ſancti gratia, tam ſaluberrimum vnionis negotium aggredi & amplecti, ad illud ſereniſsimum Romanorum Imperatorem & venerabilem Patriarcham Conſtantinopolitanum, cæterosq́ue prælatos & alium Græcorum populum per diuerſos oratores & literas duxit inuitandos pariter & exhortandos. Qui quidem Imperator & Patriarcha & alij Græci, volente & eorum corda Altiſsimo inflammante, exhortationes huiuſmodi alacribus animis ſuſcipiétes, ipſumq́ue vnionis negotium aggredi ſynceris affectibus perhibentes, ſuos ſolennes oratores & nuncios ſufficienti mandato bulla aurea & propriæ manus ſubſcriptione Imperatoris, bullaq; plumbea Patriarchę prędictorum munito ſuffultos, feruentiſsimum eorundem ad hãc fidei vnitatem zelum deuotiſsimè explicantes, ad eandem ſacroſanctam ſynodum duxerunt deſtinandos, cum quibus ipſa ſancta ſynodus diuerſis tractatibus & deliberationib⁹ pręuijs, pro executione & conſummatione felici tam ſalutaris operis, nonnulla decreta & capitula ad hoc ſummoperè neceſſaria & vtilia, ſuperiùs inſerta, & dudum in certa ſeſsione ipſius ſanctæ ſynodi in maiori eccleſia Baſileenſi celebrata, publicata, animo concordi concluſit. Volensq́ue deinde hæc ſancta ſynodus, decreta & capitula huiuſmodi vijs & modis omnibus neceſſarijs & opportunis proſequi, ac iuxta illa ad electionem loci pro futuro œcumenico Concilio, in quo Imperator & Patriarcha prædicti, alijq; Græci, conuenire poſſent & deberent, celebrando, maturè procedere, habitisq́ue ſuper his & alijs hanc piam rem concernentibus, in diuerſis ipſius ſanctæ ſynodi deputationibus multiplicibus propoſitionibus & tractatibus, illisq́ue cum votorum ſuppoſitorum eorundem ſcrutinio diligenti recenſitis, demùm in generali congregatione ad hoc in maiori eccleſia prædicta (vt moris eſt) indicta, & iterum votis ſingulorũ in eadem ſcrutatis, repertoq́ue duplo maiorem partem & multò plus vota ſua direxiſſe in Baſileam, Auinionem vel Sabaudiam, inuocata Spiritus ſancti gratia, poſt Miſſarum ſolennia concluſum fuit & conuentũ, quòd apud Imperatorem, Patriarcham & alios Græcos prædictos, diligens & debita fieret inſtantia, cum allegationibus & expoſitionibus plurimorum rationibus, quæ ad id allegari & adduci poſſens, vt ex diuerſis bonis reſpectibus ciuitatem Baſileenſem acceptarent pro dicto œcumenico Concilio ibidem celebrando: quam ſi eos omninò recuſare contingeret, extunc ciuitas Auinionenſis locus eſſet ipſius œcumenici Concilij ibidem celebrandi. Si tamen illud in eadem celebrari non poſſet, extunc in Sabaudia Concilium celebraretur antedictum. Vt igitur præmiſſa omnia & ſingula debitum & votiuum ſortiantur effectum, cum omni ſolennitate aliàs in hoc ſacro Baſileenſi Concilio in rebus arduis expediẽdis adhiberi ſolita, patribus in maiori eccleſia Baſileenſi poſt Miſſarum ſolennia confidentibus, hæc ſancta ſyndus decernit, vult, ſtatuit, ordinat & declarat, futurum œcumenicum Concilium in Baſileenſi, aut illa recuſata, in Auinionenſi ciuitatibus, alioquin in Sabaudia iuxta concluſionem ſupradictam, debitis & conuentis temporibus debere celebrari. Quodq́ue Imperator & Patriarcha & alij Græci prædicti, iuxta capitulata & decretata huiuſmodi, necnon omnes & ſinguli alij, cuiuſcunque gradus, ſtatus, dignitatis vel præeminentię exiſtant, qui generalibus Concilijs de iure vel conſuetudine intereſſe debent, etiam ſi pontificali dignitate præfulgeant, ad illud debeant & teneantur, maximè pro conſummatione tam ſalutaris operis, accedere & etiam couenire. Et hanc præmiſſam nominationem & electionem vult, ſtatuit & decernit hæc ſancta ſynodus, vt ſit firma, inconcuſſa & inuiolabilis, quacunque alia modificatione, ordinatione, diſpoſitione, nominatione ſeu electione per ipſum ſacrum Concilium ſeu alium vel alios, quacunq; authoritate, etiam papali fungentes, in contrarium facta ſeu factis, minimè valitura ſeu valituris, quam ſeu quas hæc ſancta ſynodus ex certa ſcientia exnunc irritat, caſſat, reuocat, & annullat, ſeu caſſa, nulla & irrita nunciat, & pro infectis illam, ſeu illas habere vult, & præſentibus habet, quatenus in totum vel in partem præmiſſæ electioni obuiant vel repugnant. Supplet etiam hæc ſancta ſynodus ex certa ſcientia omnem defectum, ſi quis in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum forſitan interuenerit. Et inſuper cùm res tam ardua plurimũ in Dei Eccleſia fructum allatura, ſine grauibus expéſarum ſarcinis conſummari, & Græci prædicti adduci, adductique ſuſtentari non valeant, dignumq́ue & debitum exiſtat, vt pro conſummatione tam felicis operis Chriſti fideles vniuerſi, maximè eccleſiaſticę perſonæ, de commiſſi ſibi patrimonij domini noſtri Ieſu Chriſti ſubſtantijs liberali diſpenſatione miniſtrent, hæc ſancta ſynodus vniuerſis & ſingulis eccleſiaſticis perſonis, exemptis & non exemptis, ſub quacunque verborum forma, etiam ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, cuiuſcunq; ſtatus, dignitatis, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, etiam ſi cardinalatus vel pótificali prę-ſulgeant dignitate, generalem omnium & ſingulorum ſuorum eccleſiaſticorum fructuum & prouentuum, quotidianis diſtributionibus duntaxat exceptis, decimam de ſuis eccleſijs, monaſterijs, dignitatibus & officijs, cæterisq́ue eccleſiaſticis beneficijs in ſua generali congregatione iam impoſitam & concluſam, perſoluendam & exigendam, decernit, ſtatuit & declarat imponendam, eamq́ue imponit per præſentes.

ſentes. Præterea dicta ſancta ſynodus decernit, vult, ordinat, & declarat, quòd venerabiles Ioannes Lubecenſis, Ludouicus Viſenſis, Delphinus Parmenſis, Ludouicus Lauſanenſis epiſcopi, ipſius ſacroſanctæ ſynodi oratores, ad conducendum Græcos ad locum œcumenici Conciliij, eorumque maior pars tunc præſens, portum Latinum locis ſuprà electis & nominatis aptiorem & propinquiorem, ad quem dicti Græci vltimò debeant applicare, eligendi & nominandi plenam habeant poteſtatem, illamque eiſdẽ concedit per præſentes, iuxta formam aliarum literarum eis ſuperinde datarum. Poſtremò eadem ſancta ſynodus vult, ordinat & decernit, quòd pro præmiſſorum & ex eis dependentium debita & votiua executione, dictorumque ſyndicorum & Concilij ſecuritate pleniori, ad omnem eorum, aut ſuorum procuratorum vel nunciorum petitionem & inſtantiam, eis quæuis aliæ literæ opportunæ, vtiles & neceſſariæ, ſub bulla eiuſdem ſanctæ ſynodi per ipſius cancellariam in forma debita & honeſta concedantur, conficiantur, & etiam expediantur. Datum Baſileæ in ſeſſione publica huius ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, nonis Maij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo.

ALIVD DECRETVM LECTVM IN EADEM *ſeſſione pro cautione Auinionenſi.*

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam. Cùm nuper dilecti Eccleſiæ filij ſyndici & Concilium ciuitatis Auinionenſis, ſummam ſeptuaginta millium florenorũ auri de camera, pro conductione ſereniſſimi* Græcorum Imperatoris & venerabilis Patriarchæ Conſtantinopolitani, aliorumq; Græcorum ad œcumenicum Concilium, dante domino, venturorum iuxta concordata & concluſa cum eorũ ambaſiatoribus, neceſſariam huic ſacroſanctæ ſynodo & vniuerſali Eccleſiæ liberaliter mutuare obtulerint, iamq; eius partem exoluerint, ac teſtãtem, expeditis nonnullis pro eorum cautione ab ipſa ſancta ſynodo petitis, in pecunia numerata exoluere paratos ſe offerant: eadem ſancta ſynodus cupiens (prout decẽs eſt & debitum) dictorum ſyndicorum & Concilij, ne ex ſua liberalitate damnum patiẽtur, indemnitati legaliter prouidere, omnes & ſingulas pecuniarum quantitas, quæ ex indulgentijs per ipſam ſanctam ſynodum vniuerſis Chriſti fidelibus de bonis ſibi à Deo collatis, pro proſecutione vnionis Occidentalis & Orientalis eccleſiarum, ad eaſdem Chriſtianæ fidei profeſſionẽ in dicto Concilio, domino largiente, procurandæ & perficiendę largientibus, per eius literas ad diuerſas mũdi partes directas, & iam in pleriſque locis ſolenniter publicatas, conceſſas, necnon ex decima generali per eandem ſanctam ſynodum cauſam ob præmiſſam impoſita & concluſa, hactenus prouenerunt ac prouenient in futurum, ſyndicis & Concilio præfatis vſque ad ſummam ſupradictam exnunc obligando, hypothecãdo, & aſſignando, vult, ſtatuit, & decernit, quòd ijdem ſyndici & Concilium in omnibus & ſingulis, quibus maluerint, & quę eligenda duxerint, & prę ſertim Francię, Aragonię, Delphinatus, Britanniæ, Sabaudiæ & Burgundiæ regnis, ducatibus, terris, prouincijs, ciuitatibus & diœceſibus, authoritate eiuſdem ſanctæ ſynodi & vniuerſalis Eccleſiæ ad leuãdum, exigendum & recipiendum de pecunijs ex indulgentijs & decima prædictis (vt præmittitur) prouenientibus vſque ad ſummam prædictam, & quouſque illa eiſdem integraliter fuerit perſoluta, quaſcunque perſonas idoneas ad hoc eis vtiles & accommodas, in ſuos collectores nominare, eligere, deputare & ordinare, quodque perſonæ ipſæ ſic per eos nominatæ, electæ & deputatæ, de pecunijs huiuſmodi vſque ad ſummam prædictam nomine ſyndicorum & Concilij prædictorum, petere, exigere & leuare poſſint & debeãt perinde ac ſi per ipſam ſanctam ſynodum ad hoc deputatæ & nominatæ fuiſſent, necnon illos ſoluentes quoſcunque debita aſſignata quitantia, à ſolutis ſint liberi penitùs & immunes. Promittit inſuper & pollicetur hæc ſancta ſynodus, quòd ipſa collectores ipſos ſic per dictos ſyndicos & Concilium deputatos, quibuſuis colore vel occaſione captatis, directè vel indirectè ſine expreſſa ſyndicorum & Concilij prædictorum voluntate atque conſenſu nullatenus reuocabit, nec pecunias huiuſmodi per alios in eligendis per dictos ſyndicos & Concilium regnis, ducatibus, terris, prouincijs, ciuitatibus & diœceſibus prædictis ſine conſenſu ſimili exigi, colligi, vel leuari faciet, aut eorum collectoribus huiuſmodi, quo minùs illas vſq; ad ſummam prædictam pro ſyndicis & Concilio prædictis liberè colligere & leuare valeant, impedimentum aliquod præſtabit, ſeu præſtari patietur quoquo modo: quinimò Regum, Principum & aliorum dominorum, in quorum regnis, territorijs & dominijs eoſdem ſyndicos & Concilium electionem antedictam facere contigerit, ſuper libera exactione & collectione pecuniarum ex indulgentijs & decima huiuſmodi (vt præfertur) prouenientium, fauorem & conſenſum, coercitionem quoque (ſi opus fuerit) & brachij ſecularis auxilium procurabit & ordinabit, aliaſque eoſdem ſyndicos & Concilium ſuper integra & reali reſtitutione & ſatisfactione dictæ ſummæ omninò reddet indemnes. Prętereà eadem ſancta ſynodus vult, ſtatuit & decernit, quòd ſuper exactione pecuniarum huiuſmodi ſyndicis & Cõcilio prædictis, quæcunque literæ & proceſſus compulſoriales & pœnales, cum omnibus & ſingulis clauſulis neceſſarijs & opportunis concedantur, conficiantur, & etiam per ipſius cancellariam expediantur, alijs literis in præmiſſis & circa præmiſſa iam conceſſis, in ſuo robore duraturis. Datum Baſileæ in ſeſſione noſtra publica huius ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſoleniter celebrata, nonis Maij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſeptimo.

*Romeorum

SESSIO XXVI.

Et eſt monitorium & citatur contra dominum Eugenium Papam & Cardinales.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Cùm Chriſti Eccleſia varijs & acerrimis languoribus ſubiaceret, hominumque peccata & præuaricationes diuinæ legis magis ac magis indies pernicioſo creſcerent augmento, dignatus eſt omnipotens Deus fidelium inſpirare cordibus, vt in Baſileam ciuitatem, profectò vndique integerrimam, ſacroſancta generalis ſynodus conueniret, quæ præſertim in reformandis moribus tam in capite quàm in membris, & excitandis cordibus in obſeruatione legis Dei, vigilantem impenderet operam, vt & diuinus honor refloreret in terris, & repreſſis enormitatibus peccatorum, ad procurandam animarum ſalutem efficaciùs conuerteretur hominum ſolicitudo. Iam verò pluribus annis in ea re per ipſam ſynodum exhibiti ſunt indefeſſi labores: commemorata frequentiùs extitit regnantium ſcelerum multitudo, quæ vniuerſam Chriſtianitatem in multas clades, multaque diſcrimina adducere conſpicitur. Eccleſia in Chriſti nomine congregata, cunctis palàm curauit ingerere monita ſalutis, die ac nocte clamitans, vt redirent præuaricatores ad cor, & obſeruarent legem Domini Dei ſui. Denique ſalubria decreta & ſacros canones inſtituit, quibus peſtis auaritiæ, Simoniæ, ambitionis & aliorum vitiorum (quæ multorum corda nimium incendebant) arcerentur à grege domini, & iuxta præcepta Chriſti atque ſanctorum patrum inſtituta, dignitates eccleſiaſticæ atque beneficia dignis & idoneis paſtoribus ac miniſtris gratuita collatione, iuſtiſque & canonicis electionibus ac inſtitutionibus diſtribuerentur, quorum medio vniuerſus clerus & populus ſalubriter regeretur, ac perduceretur in ſalutem. Sed, quod heu dolentiſſimè referimus) ille qui primus hæc exequi debuerat, quemque & Chriſti præcepta & canones ſacrorum Conciliorum præ cæteris ſeruare oportuerat: imò & cæteros ad horum obſeruantiam efficaciter inducere, nulla vnquàm monitione, nulla exhortatione induci iam longo tempore potuit, vt aliquam morum emendationem Chriſto placentem, aut notiſſimorum abuſuum, correctionem in Eccleſia ſancta Dei efficere ſatageret. Quin potiùs conſpicit vniuerſus orbis, ſub eius regimine maiora ſemper ſcandala grauioraque

exoriri, (ſanctiſsimum dominum Eugenium Papam quartum loquimur) quem frequētibus monitis hęc ſancta ſynodus cū plurima charitate & benignitate, tum per ipſius ſynodi oratores, tum per literas, tum etiam per eiuſdem domini Eugenij nuncios inducere curauit, atque etiam per aliquorum regum & principū ambaſiatores hortata eſt, vt pro Chriſti reuerentia & animarum ſalute, ſalutari animarum gubernationi operam daret, electiones proborum paſtorū fieri aſſentiret, beneficia à Chriſto gratis accepta, gratis diſtribueret, cæteraque in ædificationem Eccleſiæ ageret, quæ iuxta canones ſanctorum patrum eadem ſynodus pro animarum ſalute & vniuerſalis Eccleſiæ ordinauerat, & quemadmodum ſacroſanctum generale Conſtantienſe Conciliū irrefragabili Catholicæ veritatis declaratione diffiniuit in his rebus, quæ ad reformationem vniuerſalis Eccleſiæ in capite & in mēbris pertinent, obediret. Pariterquoq; notum ſit, quòd ſacra generalia Concilia iuriſdictione ſuper Papā vti poſſint, cùm clamoroſa inſinuatione: vel aliàs ipſe, vt ſcandalizator Eccleſiæ, ſacro Concilio defertur. Monuit quoq; hæc ſancta ſynodus ipſum dominū Eugenium, quatenùs dignaretur ambulare vnanimiter cum conſenſu eiuſdem in domo Dei, & adhæſionem, quam literarum ſuarum teſtimonio ſolenniter huic eidem ſynodo exhibuit, factis & operibus adimpleret, vt pax & trāquillitas ſalutaris per vniuerſam vigeret Eccleſiam. Sed in aduerſum proh dolor electiones Pontificum & paſtorum ſedulò perturbare viſus eſt, tranſlationes prælatorum, eis inuitis, contra ſanctorum patrum & ſacrorum canonum atque ſacri Concilij Conſtantienſis ſtatutorum formam & tenorem facere, diuiſiones, ſcandala & ſchiſmata per ſingulas ferè vacantes eccleſias ingerere. vt plurimùm enim vnus eligitur, alteri verò per ipſum, ſuis reſeruationibus iam ſublatis, innitentē prouidetur, ipſa electione reiecta: imò & aduerſus filios obedientiæ, qui decretis huius ſanctæ ſynodi obedire voluerunt, graues cōpertus eſt fulminare ſententias, ipſos pro libito voluntatis à beneficijs & dignitatibus mandando priuari, inhabilitari, & excommunicari. In collatione prætereà ſeu expeditione dignitatum & beneficiorum, & aliarum rerum diſpenſatione, etiam more inconſueto graues ſummas pecuniarum exigere, abuſus peſtiferos deteſtabili & horrenda ſpecie Simoniacæ labis reſperſos, aduerſus iura diuina & humana in animarum perniciem & eccleſiarum orbis non mediocre præiudicium, ac prouinciarum, regnorū & ſingularum patriarum depauperationem & exinanitionem, cum pluribus fouere incrementis, dignitatibus etiam ſeu vacātibus beneficijs prouidendo carnalitatis affectu, non iudicio rationis, nec eos erigendo qui in eccleſijs proficere poſſunt, ſed quorum vel precibus delinitus extitit, vel pro quibus quiſpiam maiorum rogaſſe compertus eſt, aut (quod deterius eſt) qui vt beneficiati fierent, muneribus impetrārunt, non aduertens, nihil eſſe quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quàm quòd indigni aſſumantur prælati ad regimen animarum. Sententijs inſuper ſynodalibus ſpretis, quas olim ſummi Pontifices maxima cum veneratione proſequebantur, prætenſas appellationes ab eiſdem interpoſitas admittit, ſententias huiuſmodi expreſse reuocando. Ipſe inſuper illos, quos hæc ſancta ſynodus pro cauſis iuſtiſſimis alligauit, ſoluere de facto conatus eſt, nulla ſatisfactione peracta. Cæterùm cùm deceat Romanum pontificem iuxta ſacrorum canonum & ſummorum Pontificum inſtituta per fratres ſuos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui ſibi in executione ſui officij coadiutores exiſtunt, ſua exercere conſilia, vt ipſorum ſalubribus & prudentibus conſultis ſtatus Eccleſiæ tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus rationabiliter dirigatur, ipſe dominus Eugenius etiam in rebus grauiſſimis minimè eorundem conſilia requirere fertur, qui ſunt pars corporis ſui, ſed aliorum extraneorum conſultationem ſectatur, quod non ex rationis iudicio, ſed ex carnali affectu nonnunquàm prouenire videtur. Diſpenſatione quoque ſibi credita abutitur, eam in diſſipationem conuertendo, & poteſtatem ſibi datam in ædificationem, vertendo in deſtructionem. Plura verò grauia nobis obmittentibus, nouiſſima occurrunt conſideratione miſeranda. Audiuimus quidem nuper, ciuitatem Præneſtinam, cuius epiſcopali titulo vnus ex Romanæ Eccleſię Cardinalibus conſueuit inſigniri, per tolerantiam eius & ſuorum domeſticorum ac ſtipendijs Romanæ Eccleſiæ militantium opera, in ruinā mirabiliter decidiſſe. Oppida inſuper plurima, in eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ patrimonio conſiſtentia, aliquando prædæ expoſita, vt oppidum Butrij Bononiæ proximum, aliquando ſolo æquata. Et qui augmentum efficere debuerat, operatus eſt diminutionem, cùm tamen ex dignitate ſummi pontificatus non peccādi licentiam, ſed benè viuendi neceſſitatem aſſecutus eſſe noſcatur. In operibus prætereà fidem concernentibus, cùm hoc tempore pro œcumenico Concilio cum Græcis celebrando Eccleſia indigeret, prout & de pręſenti indiget ſubuentionibus fidelium populorum, ipſe ſubſtātiam eorum aliorſum diuertere ſatagens, & ſubſidia fidei Catholicæ multipliciter impediens, indulgentias plenarias per loca diuerſa multiplicaſſe dicitur, abſque cauſis vrgentibus eas diſſeminādo, in grauem perturbationem ſanctiſſimi operis pro ipſa fide orthodoxa per hanc ſynodum inchoati, aliaque plurima hucuſque peregiſſe atq; procuraſſe dicitur, quę proſecutioni rerum ad bonum fidei orthodoxæ & eius promotionem pertinentium, magnum impedimentum & multam retardationem attulerunt. Illud quoque multa reprehenſione in tanto paſtore dignum eſt, quòd iuramentum in aſſumptione ſui ad Apoſtolatus apicem, ſuper certis ordinationibus præſtitum, ac deinde poſt ipſius aſſumptionem ſub bulla ſua ſolenniter confirmatum, minimè ſeruaſſe dicitur, ſed quod dolenter referimus, (vt à plurimis aſſeritur, & fama publica laborat) ipſum notoriè tranſgreſſus eſt. Denique cum ita agere conſpicit vniuerſus orbis, (nam hæc quæ notoria eſſe dicuntur, Eccleſiā vniuerſalem ſcandalizantia, recenſemus) vt occaſione ſui vniuerſa Eccleſia grauiſſimis turbationibus ſubiaceat, quibus niſi diuina miſeratio prouideat, ruina prioribus inaudita ſeculis Chriſtiano populo proſpiciatur imminere. Non autem ſolùm in rerum ſpiritualium regimine hanc ipſam ruinam conſideramus, ſed & in gubernatione temporalium dominiorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ notorios defectus attendimus, quorum alienatores honorem perdere felicis recordationis Symmachus Papa decreuit. Quantas enim terras ipſe dominus Eugenius alienauerit, quantæque eius incuria & inſolerti regimine deperditæ & occupatæ ſint, quantas ſtrages ſubditorum Romanæ Eccleſiæ, quos etiam, vt Bononienſis ciuitas in ſuis ſuppoſitis atteſtari poteſt, peremptos audiuimus, ſine pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramentis, quàm etiam miſeranda vaſtatio ſuo tempore ſubſecuta fuerit, notoria facta teſtari videntur. Expectauit autem iam plurimis annis hæc ſancta ſynodus cum multa patientia, vt hæc omnia ipſe dominus Eugenius corrigeret, atque in melius emendaret, ac veluti vices gerentem CHRISTI & Petri ſucceſſorem decet, totum orbem exemplo bonarum actionum in viam ſalutis dirigere ſtuderet. Dum verò videmus cuncta iugiter in peius ruere, & omnia magis conturbari, plurimis anxiamur doloribus, ac vehementer gregi dominico compatimur, quem in totalem ferè deſolationem per incrementa ſcandalorum, diuiſionum ac vitioſarum deformitatū decidere formidamus, niſi debito regimini Eccleſię Dei cōueniens prouenienſ apponatur, & conſulatur publicæ ſaluti. Videns itaque hæc ſancta ſynodus, quæ per ſummariam informationem ex abundanti factam, ipſum dominum Eugenium in prędictis publicè & notoriè diffamatum comperit, neceſſitatem prouidendi debito regimini Eccleſiæ imminere, vt ſi Concilium congregatum non eſſet, ſumme neceſſarium foret pro his rebus ipſum congregari: attendens prætereà in iudicio Dei oportere reddere rationem ſuper tantorum diſſimulatione malorum & ſcādalorum, quibus corrigendis pro ſalute totius Chriſtianæ plebis ex officio ſuo totis viribus incumbere tenetur, & ex poteſtate quam ſuper cunctos fideles cuiuſcunque authoritatis, etiam ſi papalis exiſtant, à Chriſto accepit, iuxta ſupradictam declarationem * in Concilio Conſtantienſi habitam, & in hoc præſenti dudum renouatam, cùm etiam coram Deo & hominibus grauiſſimè reprehendenda veniret, ſi in hac vrgentiſſima Eccleſiæ neceſſitate ſuum officium (prout tenetur) etiam nemine poſtulante exequi negligeret: decernit, vt intra ſexaginta dies à die præſentis ſeſſionis & affixionis numerandos, quē terminum

Conſtantien. Côc. ſeſſ. 39.

Conſtantienſis Concilij ſeſſ. 39.

In ſynodo ſ. cui initium, Bene quidem fraternitas.

* Conſtantienſis Concilij. Conſtantienſis Concilij ſeſſ. 4. & 5.

minum præfato domino Eugenio peremptoriè præfigit, vt ſi qua interim coram hac ſancta ſynodo ſuper præmiſſis & alijs proponendis, pro ſui defenſione, aut excuſatione allegãda vel proponenda duxerit, per ſe vel alium ad hoc legitimè deputatum, coram eadem ſynodo Baſileæ compareat. Dicto autem elapſo termino, ſiue dictus dominus Eugenius per ſe vel alium comparuerit, ſiue non, hæc ſancta ſynodus ad vlteriora procedet, cognoſcendo & terminando prout Eccleſiæ ſanctæ Dei, Spiritu ſancto dictante, conſpexerit expedire. Vniuerſis inſuper ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna aliâs præſtiti huic ſacro Concilio per ſe vel alium nomine ſuo iuramenti, & quo ad eos qui iuramentum non præſtiterunt, ſub pœna priuationis fructuum ſuorum beneficiorum mandat & præcipit, vt infra eundem terminum in hac ciuitate Baſileenſi compareant, ſaluti ſanctæ matris Eccleſiæ cum cæteris in ſynodo congregatis conſulturi & opportunè prouiſuri, prout Spiritus ſanctus dictauerit. Hoc ipſum quoque vniuerſis principibus & populis Chriſtianis innoteſcere volumus, vt videntes ſanctæ matris Eccleſiæ & vniuerſæ Chriſtianitatis anguſtias, in vnam ſententiam pro honore Dei creatoris noſtri, & animarum ſalute pariter conueniant, & quòd toti orbi ſalutare fuerit, communi conſenſu amplexentur. Decernit tandem hæc ſancta ſynodus, huius decreti publicationem in præſenti ſeſſione factam, eiuſque affixionem in valuis maioris eccleſiæ Baſileẽſis, vim habere monitionis & citationis, quoad omnes & ſingulos actus in hac re fieri neceſſarios, vſque ad finalem terminationem, etiam ad ſententiam diffinitiuam audiendum, & eius executionem faciendum incluſiuè, & ita vniuerſos arctare, ac ſi perſonaliter apprehenſi, & eis intimatum fuiſſet. Datum Baſileę in noſtra ſeſſione publica, ſolenniter in eccleſia maiori Baſileenſi celebrata, pridie Calendas Auguſti, anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo.

SESSIO XXVII.

In qua caſſatur nominatio & creatio Cardinalium, per dominum Eugenium Papam quartum facta.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitmè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Tantam reuerentiam ſacris canonibus generalium Conciliorum ſancti Patres cenſuerunt adhibendam, vt violatores eorũ voluntarios grauiſſimè vindicarent, & vnumquenque in ſuijpſius deſtructione agere arbitrarẽtur, ea deſtruere conantem, quæ vniuerſali conſenſu fuerunt inſtituta. Grauis quoque exinde iactura toti eccleſiaſtico immineret ordini, ſi decreta ſynodalia Conciliorum generalium, quibus neruus regulæ eccleſiaſticæ ac diſciplinæ ſalutaris innititur, per cuiuſpiam voluntatem, & maximè ſedente adhuc ipſa vniuerſali ſynodo, abrumpi ſinerentur. Dudum autem hæc ſancta ſynodus ſuper Cardinalibus ſanctę Romanę Eccleſiæ aſſumendis, inter cætera duo ſalubria edidit decreta, quorum tenores ad lucidiorem vniuerſorum informationem, de verbo ad verbum hic inſerere, & innouare decreuimus.

Baſileẽſis Concilij ſeſſio. 4.

Tenor primi decreti.

Baſileẽſis Concilij ſeſſiio. 4.

Item, Cùm multiplicatio Cardinalium ſit Eccleſiæ diſpendioſa & oneroſa, propterea & ex alijs rationabilibus & legitimis cauſis eandem ſanctam ſynodum mouẽtibus, ſtatuit, ordinat, atque ex certa ſcientia hoc irrefragabili decreto decernit ipſa ſancta ſynodus, quòd durante hoc ſacro Concilio, Romanus Pontifex à loco iſtius ſacri Concilij abſens perſonaliter, nõn debeat neque poſſit aliquem vel aliquos, cuiuſcunque dignitatis, conditionis, gradus ſeu ſtatus exiſtant, in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem vel Cardinales, quouis modo, aut quocunque quæſito colore vel cauſa aſſumere, pronunciare ſecretè aut publicè, aut pronunciatos ſeu aſſumptos ſecretè, publicare. Et ſi ſecùs attentatum fuerit, exnunc in anteà irritum ſit & inane, nulliuſque roboris vel momenti. Quòd ſi forſan taliter de facto aſſumpti, aut pronunciati, ſe pro Cardinalibus gerere aut nominare præſumpſerint, quibuſcunque dignitatibus priuati, & ad omnes & ſingulas futuras inhabiles. Et quicunque eos pro Cardinalibus gerentes & reputãtes, exnunc prout extunc ſententia excommunicationis innodati ſint ipſo facto, à qua præterquàm mortis articulo, niſi à præfato ſynodo abſolutionis ſiue habilitationis beneficium obtinere non poſſint.

Tenor ſecundi decreti.

Cùm ſummo Pontifici ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in dirigenda Chriſtiana republica collaterales aſſiſtant, neceſſe eſt vt tales inſtituantur, qui ſicut nomine, ita re ipſa cardines ſint, ſuper quos oſtia vniuerſalis verſentur & ſuſtententur Eccleſiæ. Statuit igitur ſancta ſynodus, vt deinceps eorum numerus adeò ſit moderatus, quòd nec ſit grauis Eccleſiæ, nec ſuperflua numeroſitate vileſcat. Qui de omnibus Chriſtianitatis regionibus, quantum fieri poterit commodè, aſſumantur, vt notitia rerum in Eccleſia emergentium faciliùs haberi, & ſuper his maturiùs deliberari poſſit: ſic tamen, quòd numerum viginti quatuor inter hos qui nunc ſunt, & aſſumendos, non excedat: ita quòd de vna natione vltra tertiã partem reſpectu Cardinalium pro tempore exiſtentium, ac de vna ciuitate & diœceſi vltrà vnum inde oriundum, & de ea natione quæ nunc vltrà tertiã partem habet, vſque ad ipſius tertiæ partis reductionem eſſe nequeant. Sint viri in ſcientia moribuſque ac rerum experientia excellentes, nõ minores triginta annis, magiſtri, doctores ſeu licentiati, cum rigore examinis in iure diuino vel humano. Sit ſaltem tertia vel quarta pars de magiſtris, aut licentiatis in ſacra ſcriptura. Inter hos autem viginti quatuor eſſe aliqui poterũt admodum pauci, filij, fratres aut nepotes Regum ſeu magnorum Principum, in quib⁹ cum circumſpectione & maturitate morum competens literatura ſufficiat. Non fiant Cardinales nepotes ex fratre vel ſorore Romani Pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis, non illegitimè nati, non corpore vitiati, nec alicuius criminis, aut infamiæ nota reſperſi. Prædicto autem numero viginti quatuor, pro magna Eccleſiæ neceſſitate vel vtilitate duo alij, in quibus vitæ ſanctitas vel eximiæ virtutes refulgeant, quanquàm memoratos gradus non habeant, ac de Græcis cùm Romanæ Eccleſiæ vniti fuerint, inſignes aliqui viri adijci poterunt. Non fiat Cardinalium electio ſolùm per auricularia vota, ſed illi ſoli aſſumi poſſint, in quos facto vero ſcrutinio ac publicato, maiorem partem Cardinalium per ſubſcriptionẽ manus propriæ conſtiterit collegialiter conſenſiſſe. Deſuper etiam Apoſtolicæ literæ cum ſubſcriptione Cardinalium conficiantur, decreto huius ſacri Concilij in quarta ſeſsione ſolenniter publicato quod incipit: Item, cùm multiplicatio Cardinalium, &c. in ſuo robore inuiolabiliter permanſuro.

Baſileẽſis Concilij ſeſſio. 23.

Baſileẽſis Concilij ſeſſio. 4.

Aduerſus autem præmiſſorum decretorum mentem & tenorem, nũper non ſine graui dolore comperimus, venerabilem Ioannem Patriarcham Alexandrinum in ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem (licet de facto & nulliter) per dominum Eugenium Papam fuiſſe aſſumptum, cùm nec ſummus Pontifex abſens à loco huius ſacri Concilij, ipſum in Cardinalem creare debuerat, contra primum decretum in ſua adhæſione ſolenniter approbatum, neque proportionem ſingulis nationibus conuenientem, & qualitates in ſecundo decreto deſcriptas omittere, ſicut in promotione dicti Patriarchæ factum eſſe comperitur. Et cùm fruſtrà hæc ſancta ſynodus iura cõderet, niſi ſua authoritate quam ex Chriſti dono immediatè ſuſcepit, eadem tueretur: vtque Gelaſius Papa profitetur, & nullum iam veraciter Chriſtianum ignorare credit, vniuſcuiuſcunq; ſynodi conſtitutum quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem, ac præ cæteris oportere, quàm primam: neceſſitaſque vrgeat illis tranſgreſſoribus iurium occurrere, ex quibus complures illaqueationes animarum & grauia in futurum ſchiſmata prouenire valerent, (nam & qui talem Cardinalem reputant, iuxta ſupradicti decreti tenorem, vinculo excommunicationis eo ipſo innodantur) & in futuris electionibus Romanorum Pontificum varia ſchiſmata poterunt

In epiſtola ad epiſcopos Dardaniæ, cuius initium eſt: Valde mirati ſum⁹.

terunt exoriri, ij prætenſi Cardinales, quorum irrita & inanis promotio decreta extiterit, huiuſmodi electionibus ſe voluerit immiſcere, ad obuiandum itaque tantis diſcriminibus, admonet & exhortatur hæc ſancta ſynodus præfatum dominum Eugenium, ſub obteſtatione diuini iudicij, & per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & eidem ex parte Dei omnipotentis præcipit atq; mandat, vt pro futurorum ſchiſmatum & ſcandalorum euitatione, prædictam & alias quaſcunq; vocationes per eum factas ad cardinalatus honorem, contra prędictorum decretorum formam & tenorem, ſicut de facto proceſſerũt, eas reuocet, caſſet publicè & annullet, nullaſqué fuiſſe & eſſe decernat, prout hæc ſancta ſynodus hoc ſynodali decreto, ſicut de facto proceſſerunt, eas caſſat, irritat & annullat, nullaſque, caſſas & irritas decernit atque declarat, vlteriusq; à talibus vocationibus abſtineat, aliâs prouidebit hæc ſancta ſynodus, prout Spiritu ſancto dictante, vtilitati Eccleſiæ viderit expedire. Declarat inſuper hæc ſancta ſynodus, vniuerſos qui præfatum Ioannem Patriarcham aut alios taliter de facto promotos, pro Cardinalibus geſſerint, & reputauerint, pœnas in præfatis decretis annotatas, eo ipſo incurrere.

Datum in ſeſsione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, 6. Calendas Octobris, anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo ſeptimo.

DECRETVM CASSATIONIS LITERARVM falſo bullatarum, in eadem ſeſsione lectum.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitmè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Cùm dudum ex ordinatione noſtra concorditer concluſa, literæ ſub bulla huius ſacri Concilij ſuper nominatione locorum Baſileæ, Auinionis & Sabaudiæ pro celebrando œcumenico Cõcilio in aduentu Græcorum fuerint expeditæ, & deinde ad notitiam noſtram peruenerit, quaſdã alias literas nominationem Florentiæ & Vtini continentes, clandeſtinè & cõtra ordinationem huius ſacri Concilij fuiſſe bullatas, cupiens hæc ſancta ſynodus vnumquenque de his rebus veraciter informari, ne quempiam falſa pro veris recipiẽdo decipi contingat: decernit & declarat, omnes literas continentes nominationem quorumcunq; aliorum locorũ pro antedicto Concilio celebrãdo, propter iam dicta loca Baſileæ, Auinioni & Sabaudiæ, quibus bulla ſacri Concilij inueniretur appenſa, fuiſſe falſo bullatas, & cõtra huius ſanctæ ſynodi ordinationẽ, nec literis talibus vllam fidem eſſe adhibendam, aut ipſis ſeu earum tranſſumptis, quacunque authoritate, etiam ſi papali tranſſumptæ fuerint, eſſe vtendum: huiuſmodiq; literas ſic falſo bullata caſſat, irritat & damnat, ac caſſas & irritas eſſe decernit, inhibens omnibus & ſingulis, quauis dignitate præfulgeát, etiam ſi legatione papali de latere, diſpoſitione, mandato vel quauis alia ſeu alio fungerentur, ſub pœnis excommunicationis, quàm ipſo facto incurrant, ac inhabilitationis actiuæ & paſsiuæ ad quaſcunque pontificales, aut alias dignitates eccleſiaſticas vel ſeculares, & ad beneficia obtenta & obtinenda, ne præfatis literis aut eorum tranſſumptis vtantur, aut vtentibus auxilium, conſilium vel fauorem in his præſtare præſumant.

Datum in ſeſsione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, 6. Calendas Octobris, anno à natiuitate Domini 1437.

Aliud decretum in eadem ſeſsione lectum, quòd ciuitas Auinionenſis non poſsit alienari, & recipitur in ſalueguardiam Concilij.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam. Cùm noſtra ſolicitudo ad hæc inter alia iugiter aſpiret, vt ſancta præſertim Romana Eccleſia feliciter in ſpiritualibus gubernetur, ſimul quoque cum virtututum ornatu, temporalium rerum obtineat vbertatem, ſine quibus ſpiritualium adminiſtratio diù ſubſiſtere non valeret: priſci quoque patres hac conſideratione permoti, largam prædiorum, dominiorum & poſſeſsionum amplitudinem ipſi Eccleſiæ acquirere curauerunt, quorum alienationem ſub grauibus pœnis cẽſuerunt, prohibendam, adeò vt Symmachus Papa ſpiritu Dei repletus, in ſuo canone decreuerit, etiam Papæ non licere prædia Eccleſiæ alienare aliquo modo pro aliqua neceſsitate, nec in vſumfructum rura tradere, niſi tantummodò domus, quæ in quibuſdam vrbibus non modica impenſa ſuſtentantur, qua lege omnes cuſtodes & prælatos aſtringi voluit, vt donator, alienator, venditor honorem perderét, & qui ſubſcriberet cu eo, qui reciperet, niſi reſtitueret, anathema foret, licere etiã voluit, quibuſlibet eccleſiaſticis perſonis contradicere, & cum fructibus alienata repoſcere, quod nõ tantùm in Apoſtolica eccleſia ſeruandũ eſſe dixit, verumetiam vniuerſis eccleſijs per prouincias arbitratus eſt conuenire, nos eorum veſtigia imitando vigilanter curare conuenit, ne quicquam terrarũ & poſſeſsionum (quæ iam Deo & ipſi Romanæ Eccleſiæ in ſuſtentationẽ ſummi Pontificis & miniſtrorum ſuorum dedicatæ ſunt) diſtrahi à quoquam vel alienari patiamur, illa præſertim loca inſignia, in quibus neceſsitatis tempore liberè valeat Romanus pontifex cum ſua curia commorari, vbi nullus ſecularius poteſtatis metus exterreat, nullus temporalis fauor abſorbeat, nullus terror immineat, nihil ſuam ſanctitatẽ & venerabiles ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales à vero & veri conſilij ſoliditate remoueat, cùm nõ abſq; prouiſione diuina ipſa loca Apoſtolicæ ſedi proueniſſe credantur. Ex his autem cauſis & alijs nos iuſtè & meritò mouentibus, prouiſione congrua occurrere duximus, nec inclyta ciuitas Auinionis, quæ ſe ſemper deuotiſsimam & fideliſsimam Eccleſiæ exhibuit, & nouiſſimè in fidei Catholicæ obſequium, de ſuis facultatibus copioſiſsimam ſubuentionem pro vnione Græcorum cum Latinis proſequenda, miniſtrauit, quoquo pacto ab ipſius Romanæ Eccleſiæ dominio alienetur, aut ad manus alienas transferatur, cùm ex his & alijs Eccleſiæ vniuerſali per ipſam inclytam ciuitatem impenſis obſequijs, non impeti, non damnificari, non in alios vſus aliẽnari, ſed beneficijs attolli meritò debeat. Eccleſiaſticis enim vtilitatibus inſudantes, eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere.

In 5. Synodo Romana, cuius initiũ eſt, Flauio, &c.

Benè quidem fraternitas.

Decernit igitur hæc ſancta ſynodus, vt nullus cuiuſcunque dignitatis vel præeminentiæ fuerit, etiam ſi papalis, ciuitatem prædictam & etiam comitatum Venayſini cum terris & dominijs ſibi adiacentibus, audeat vel præſumat quouis modo ſeu iuris colore quæſito, vendere ſeu pignori obligare, aut in feudum vel cenſum dare, aut quouis modo alienare. Quòd ſi ſecùs per Romanum põtificem vel alium quemuis actum ſit de præſenti, vel in futurum agi contingat, hæc ſancta ſynodus totum id & quicquid inde ſequatur, exnunc prout extunc caſſat, irritat & annullat, & omni carere decernit robore firmitatis. Atque etiam ſtatuit, quòd ipſe Romanus pontifex vel alius quiuis, ſi quicquam contra huiuſmodi decretum attentauerit, ſacro generali Concilio deferatur. Recipientes quoque, etiam ſi cardinalatus, patriarchali, pontificali, imperiali, regali, ducali vel alia quauis eccleſiaſtica vel ſeculari pręfulgeant dignitate, vel etiam ſic communitas fuerit, decernit hæc ſancta ſynodus pœnis excommunicationis, priuationis cuiuſcunque dignitatis eccleſiaſticæ vel ſecularis, etiam omnium feudorum ſpecialiter quæ à Romana vel alia tenent eccleſia, ſubiacere, necnon perpetuæ inhabilitationis ad quaſcunque dignitates eccleſiaſticas vel ſeculares, & quæcunque beneficia & officia in poſterum obtinenda. Communitas verò eccleſiaſtico interdicto, vltra pœnas ſuprà expreſſas ſibi cõuenientes, eo ipſo ſubiaceat, quas pœnas ſingulariter ſinguli, qui aliquid prædictorum attentauerint, ipſo facto incurrant. Inſuper ciuitatem prædictam Auinionenſem, quæ magnam mercedem ab vniuerſali promeretur Eccleſia, cuique indigniſsimum eſſet pro eius optimis mẽritis, mala quæuis per aliquẽ irrogari, præſertim cùm multa contra ipſius ciuitatis ſtatum in eneruationẽ, diſturbium & diſſolutionem huius ſanctæ ſynodi & ſuorum ſanctorum operum, attentari & machinari poſſent, quibus hæc ſancta ſynodus non valeret ex poſt facto ſaltem commodè & ſine graui damno prouidere, cumque iam ipſi ciuitati & ciuibus grauia comminata ſint, veluti ex informatione ſummaria cõperimus, ea-

dem

dem ſancta ſynodus ciuitatem ipſam & ſuppoſita eiuſdem in ſuam & Eccleſiæ vniuerſalis quam repręſentat, ſpecialem protectionem & ſaluaguardiam ſuſcipit ac reponit, prohibens ſub pœnis prædictis omnibus & ſingulis, quacunque dignitate vel præeminentia eccleſiaſticas vel ſeculari, etiam ſi Cardinalatus, Patriarchali, Pontificali, Imperiali, Regali, Ducali vel alia qualibet præfulgeant dignitate, vel etiam ſi communitas fuerit, ne ipſi, aut ipſorum aliquis directè vel indirectè ciuitatem prædictam diffidare, perturbare, inuadere, vel inquietare temporaliter vel ſpiritualiter, aut eius habitatores violenter capere, aut in perſonis vel bonis eorũ damnificare atq; moleſtare præſumãt. Quod ſi quis fecerit, pœnas ſuperius expreſſas ipſo facto incurrat. Romanus verò pontifex ſi aliquid prędictorum attentauerit, ſacro Concilio deferatur, & ipſa attentata nullitati ipſo facto ſubiaceant. Et quoniam id quoq; pariter indignum eſſet, vt venerabilis Petrus epiſcopus Albanenſis, ſacroſanctæ Romanæ eccleſię Cardinalis, de Fuxo vulgariter nuncupatus, & Apoſtolicæ ſedis legatus, qui ad ipſius ciuitatis Auinionenſis & Comitatus Venayſini prædicti gubernationem deputatus eſt, quique pro expeditione ſubſidiorum ſanctæ matri Eccleſiæ præſtitorum, in eadem ciuitate Auinionenſi, ad proſequendam vnionem Græcorum fideliter & efficaciter laborauit, huic ſanctæ ſynodo ſe obſequentiſsimum exhibendo, per quempiam vexaretur, inquietaretur, aut moleſtaretur, cuius etiam perturbatio & moleſtatio in magnum diſpendium & in grauem calamitatem ipſius ciuitatis Auinionenſis veriſimiliter proueniret, idcircò ſub eadem protectione ex præmiſsis cauſis recipit hæc ſancta ſynodus eundem venerabilem Petrum epiſcopum Albanenſem, & ſuos familiares domeſticos & continuos cõmenſales, decretoq; pariter prohibet eadem ſancta ſynodus ſub pœnis antedictis, ne quiſquã cuiuſcunq; dignitatis (etiam ſi Cardinalatus, Patriarchalis, Pontificalis, Imperialis, Regalis, Ducalis aut alterius, vel etiã cõmunitas) ipſum & ſuos prædictos inuadere, diffidare, moleſtare, aut de facto in ſuis beneficijs, bonis & rebus quibuſcunque perturbare præſumat, vel ſpiritualiter, vel temporaliter quoquo modo cõtra eundem & eoſdem procedere. Si verò Romanus pontifex aliquid prędictorum attentauerit, ſacro Concilio deferatur, ſimiliq; nullitatis vitio in contrariũ attentata eo ipſo ſubiaceant. Quodq; abſolutio & relaxatio à prædictarum excommunicationum (præterquam in mortis articulo) ac interdicti, & inhabilitationis, & cæterarum pœnarum ſententijs, ſacro generali Concilio reſeruata intelligatur. Datum in ſeſsione noſtra publica, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata vj. Kalen. Octobris, Anno à Natiuitate domini 1437.

SESSIO XXVIII.

In qua cauſatur contumacia Papæ, & declaratur contumax.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Die Martis prima menſis Octobris, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſeptimo, in eccleſia maiori Baſileenſi, in qua ſeſsiones pręſentis ſacroſanctæ generalis ſynodi Baſileenſis celebrari ſolent, vigeſimaoctaua ipſius ſanctę ſynodi ſeſsio hoc modo extitit celebrata, videlicet Miſſa ſolenni de Spiritu ſancto per reuerendum patrem dominum Georgium epiſcopum Viſenſem nationis inclytæ Hiſpanicæ celebrata, & demum ſuffragijs, An-
Math. 18. tiphona Exaudi, &c. Litanijs, Euangelio ſecundùm Matthæum, Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in regno cœlorum? Et aduocans Ieſus paruulum, &c. ac hymno, VENI CREATOR SPIRITVS, cum verſiculo & Collecta, & oratione, DEVS QVI CORDA, decantatis, præſidente in eadẽ ſeſsione præfata reuerendo patre domino epiſcopo Viſenſi ante maius Altare, vbi dicta Miſſa celebrata extitit, in pontificalibus cum mitra aurifabrata & pluuiali, in cathedra & ſede eminentiori, pluribusque alijs dñis prælatis cum mitris planis & pluuialibus, vt in talibus in eadẽ ſynodo fieri ſolitum eſt, ſuperioribus & eminentioribus ſedibus ſuis locis tam à dextris, quàm à ſiniſtris conſidentibus in multitudine copioſa: compluribusque dominis eccleſiaſticis, diuini & humani iuris magiſtris, doctoribus & ſcientificis viris principum ſpiritualium & temporalium, ac almarum vniuerſitatum ſtudiorum generalium nuncijs, & Ambaſiatoribus, ac alijs de diuerſis mundi partibus ibidẽ aſtantibus in magno numero & multitudine copioſa, eandem ſanctam ſynodum vniuerſalem Eccleſiam repræſentãtem celebrantibus, conſtituti in iure coram eadem ſynodo pro tribunali ſedente, venerabiles viri domini promotores & procurator fiſcalis eiuſdem ſanctæ ſynodi, per organum dicti promotoris fiſcalis ſua verba eidem ſynodo in perſonam dicti domini epiſcopi Viſenſis præſidentis dirigentes, audientiam publicã ibidem tunc ſibi dari & concedi ad hãc horam, humilimè & inſtanter petierunt, ſupplicârunt & poſtulârunt, cui ſupplicationi eadem ſancta ſynodus per organum ipſius domini præſidentis annuit. Tunc eidem domini promotores & procurator fiſcalis, decretum originale monitorij ſiue citatorij ab eadem ſancta ſynodo emanatum contra ſanctiſsimum dominum noſtrũ Eugenium Papam Quartum, eius ſynodi vera bulla plumbea impendenti bullatum, de quo in ſchedula infra ſcripta fit mentio, nec nõ inſtrumẽtum publicum executionis eiuſdem per affixionem in valuis prędictæ eccleſiæ Baſileenſis die datę ipſius decreti facti, vnà cum ſchedula accuſationis cõtumacię ipſius domini noſtri Papæ, quam accuſarunt, atq; petierunt, vt in eadem per ipſum procuratorem alta & intelligibili voce lecta continetur, cuius ſchedulæ tenor ſequitur in hæc verba:

Reuerendiſsimi reuerendique in Chriſto patres ac metuendi domini, ac cæteri vniuerſi domini noſtri præſtantiſſimi, hanc ſacroſanctam generalem ſynodum Baſileenſem, vniuerſalem Eccleſiam repræſentantem, conſtituentes & celebrantes, cùm iamdudum, videlicet pridie Calendas Auguſti anni præſentis milleſimi quadringenteſimi trigeſimi ſeptimi, hæc ſancta ſynodus conſiderans mala, deformitates, & ſcandala ac pericula, quæ in Eccleſia Dei hactenus viguerunt, prout adhuc vigent, (quibus corrigendis pro ſalute totius Chriſtianæ plebis ex officio ſuo totis viribus ſuis incumbere tenetur, etiam ex poteſtate quam ſuper cunctos fideles cuiuſcunq; authoritatis, etiã ſi Papalis exiſtant, à Chriſto accepit, contra ſanctiſsimum dominum noſtrum Eugenium Papam quartum) quoddam citatorium per edictum, quatenus per ſe vel alium ad hoc legitimè deputatum, corã eadem ſancta ſynodo de & ſuper contentis in dicto citatorij decreto & alijs proponendis, infra ſexaginta dierum ſpatium pro ſui defenſione, aut excuſatione alleganda, vel proponenda compareret, terminum peremptorium eidem ſtatuendo (vt in eo latiùs continetur) decreuerit, quod quidem citatorium in præſenti ciuitate & in valuis huius maioris eccleſiæ Baſileenſis, iuxta illius formam & tenorem, per edictum executum fuerit, & debitæ executioni demandatum: nos Bartholomęus de Fraxino, & Ioãnes * Slitznerode promotores, & ego Ioannes * Spaſſerij procurator fiſcalis, ac officiarij huius ſacroſanctæ ſynodi, bullam citatorij dictæ ſanctæ ſynodi vera bulla plumbea bullatã, vnà cũ inſtrumento executiõis eiuſdẽ citatorij (vt præmittitur) factæ realiter, facto & in ſcriptis offerimus, repræſentamus, & producimus, ac præfati ſanctiſsimi domini Eugenij per ſe aut alium cum ſufficienti mandato infra dictos ſexaginta dies in ipſo citatorio ſibi præfixos, per ſe aut alium non comparentis, neque comparere curantis (licèt ſæpiſsimè ipſa ſancta ſynodus quamplures celebrauerit congregationes, in quibus aut ipſarum aliqua ipſe dominus Eugenius comparere infra dictum terminum potuiſſet) contumaciam accuſamus, ipſumque contumacem reputari, ac in contumacia & defectu poni & declarari per hanc ſynodum, petimus cum inſtantia atque poſtulamus. Necnon eundem dominum Eugenium alta voce ad valuas huius maioris Eccleſiæ Baſileenſis per duos reuerendos in Chriſto patres dominos epiſcopos, vnà cum notarijs huius ſacri Concilij, iuxta mores antiquos vocari, & relationem vocationis fieri inſtanter requirimus. de quibus omnibus per nos promotores & procuratorem fiſcalem, antedictos, dictis, propoſitis & requiſitis, nomine quo ſuprà, à vobis reuerendis patribus dominis protonotarijs ac etiam huius ſacri Concilij Notarijs & ſcribis, petimus

ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, publicum vel publica confici inſtrumenta. Ad quorum petitionem & mandatum ipſius ſanctæ ſynodi, lecto prius prædicto executionis inſtrumento, & dicto monitorij ſeu citatorij decreto, cùm in eodem loco dum edictum fuit emanatum, aliàs lectum fuiſſet, habito pro lecto, reuerendi in Chriſto patres & domini, domini Matthæus Albinganenſis, & Aymo Gratianopolitanus epiſcopi, de mandato dictæ ſanctæ ſynodi, per organum dicti domini præſidentis eis facto, prædictum dominum noſtrum Papam primò ſuper gradus ante dictum maius Altare alta & intelligibili voce per organum ipſius domini Epiſcopi Albinganenſis vocarunt, & proclamârunt clamoroſa inſinuatione ſub his verbis: Ex parte ſacroſanctæ ſynodi publicè & ſolenniter requiritur ſanctiſſimus dominus Eugenius Papa Quartus, quatenus ſe vigore citationis contra eum nouiſſimè per eandem ſanctam ſynodum decretæ, duxerit ſe conſpectui huius ſanctæ ſynodi præſentandum, ad ſe defendendum & excuſandum ſuper his, de quibus huic ſanctæ ſynodo delatus eſt, compareat coram hac ſancta ſynodo, ad hunc actum pro tribunali ſedente, quæ eidem pollicetur gratam & debitam audientiam. Similiter ex parte eiuſdem ſanctæ ſynodi omnibus intimatur, quatenus ſi quis ſit, qui mandatum habeat ſufficiens ad comparendum pro eodem domino Eugenio, compareat coram eadem ſedente, vt ſuprà. Hæc autem ſancta ſynodus pollicetur cuilibet, exigente iuſtitia, audientiã gratam, &c. Qui dominus noſter Papa ſic vocatus & proclamatus, nec aliquis pro eo comparuit, nec reſpondit. Vnde ipſi duo domini epiſcopi ante valuas ſeu portas ipſius eccleſiæ acceſſerunt, & iterum & cum pauſata intermedia inſtantia, trina vice alta & intelligibili voce, & clamoroſa inſinuatione præfatum dominum noſtrum Papam vocârunt & proclamârunt per organum cuius ſuprà, ſub eiſdem verbis ſupraſcriptis, prout etiam prouidi viri Arnoldus Amici, Ioannes Kempener, & Gotfridus Dorſten, ipſius ſanctæ ſynodi curſores, vocibus eleuatis, reiteratis vicibus, vocârũt & proclamârunt. Qui dominus noſter Papa Eugenius nec aliquis pro eodem ibidem comparuit, neque reſpondit. Quibus ſic factis, ipſi duo domini epiſcopi ante conſpectum ipſius ſanctæ ſynodi & in medium reuerſi, ſe prædictum dominum noſtrum Papã (vt ſuprà ſcriptum eſt) vocaſſe & proclamaſſe, & per dictos curſores vocatum & proclamatum fuiſſe, quodq; ipſe nec aliquis pro eo comparuerat, neque reſponderat, eidem ſanctæ ſynodo retulerunt. Prætereà præfati promotores & procurator fiſcalis, per organum ipſius procuratoris, contumaciã prænominati domini noſtri Papę iteratò accuſarũt, ipſumq; ſuper omnibꝰ & ſingulis in dicto citatorij decreto contentis, contumacem reputari, & ad vlteriora procedi, & aliàs decerni & fieri, vt in quadam alia ſchedula per ipſum procuratorem etiã alta & intelligibili voce ibidem lecta, continetur, cuius tenor talis eſt: Nos promotores & procurator fiſcalis antedicti, quo ſuprà nomine iſtam vocationem & relationem (vt præmittitur) factas, inter acta huius cauſæ & ſacri Concilij petimus regiſtrari: dictamque citatorij bullam & inſtrumẽtum executionis (prout ſuperiùs producta ſunt) iteratò repetimus, & reproducimus, & apud Acta ſacri Concilij, & cauſæ huiuſmodi inſeri & regiſtrari petimus. Et quia pręfatus dominus Eugenius de & ſuper contentis in dicto citatorij decreto legitimè citatus, ſufficienterque expectatus, nec per ſe nec per alium infrà dictos ſexaginta dies curauit, atque curat comparére, ipſius contumaciam accuſamus. Ipſumque ſuper omnibus & ſingulis in * dicti citatorij decreto contentis, prout iuſtitia ſuadet, & iuris ordo poſtulat atque rationis, contumacem reputari, in cauſaque huiuſmodi in eius contumaciam, eius abſentia diuina repleta præſentia, vt ipſi ſanctæ ſynodo videbitur expedire, & vniuerſali Eccleſiæ ſanctæ Dei neceſſarium fuerit & vtile, ad vlteriora procedi, ac proceſſum per audientiam contradictarum aut aliàs (prout videbitur) decerni per ipſam ſanctam ſynodum inſtantiſſimè poſtulamus: requirentes dominos protonotarios & notarios huius ſanctæ ſynodi, vt omnia in cauſa huiuſmodi acta & producta ac ordinata, apud Acta ſacri Concilij & cauſæ huiuſmodi regiſtretis: nec non quo ſuprà nomine, à vobis dominis protonotarijs & notarijs petimus, ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, publicum vel publica confici inſtrumenta. Huiuſmodique ſchedula ſic lecta, & per eandem ſanctam ſynodum audita, ipſa ſancta ſynodus per organum prædicti domini præſidentis præcepit & iniunxit præfato domino epiſcopo Albinganenſis, vt ambonem (in quo decreta ipſius ſanctæ ſynodi, per eandem ſanctam Synodum pronunciari & legi ſolent, dum eduntur) aſcenderet, declarationemque contumaciæ prænominati domini noſtri Papæ alta & intelligibili voce, nomine ipſius ſacroſanctæ ſynodi legeret & pronunciaret, prout infrà. Qui quidem dominus Epiſcopus Albinganenſis, mandatis ipſius ſynodi obediens, dictum ambonem aſcendit, dictamque ipſius domini noſtræ Papæ contumacia & proceſſus ad vlteriora declarationem, in ſcriptis alta & intelligibili voce nomine ipſius ſacroſanctæ ſynodi legit, & pronunciauit, vt in eadem ſchedula per eum lecta continetur. Cuius tenor ſequitur ſub his verbis: Hæc ſancta ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiã repręſentans, & ad huiuſmodi actũ legitimè congregata, & pro tribunali ſedẽs, audita petitione promotorũ & procuratoris fiſcalis eiuſdẽ ſanctæ ſynodi, * vt ex eorum relatione & productione inſtrumentorum viſa eiuſdẽ domini Eugenij Papæ cõtumacia in non parendo citatorio eiuſdẽ ſacri Concilij, recepta etiã ſuper hoc ad maiorem cautelam per deputatos eiuſdẽ ſynodi informatione tam de prædictis, quàm de notitia eiuſdem citatorij in Romana curia, decernit, declarat, & reputat dictum dominum Eugenium legitimè citatum, ſufficienterque expectatum, fuiſſe & eſſe contumacem, & eius abſentia non obſtante, diuina * eadem repleta præſentia, contra eundem dominum Eugenium Papam ad vlteriora fore procedendum, prout ſacro Concilio videbitur, conſideratis neceſſitatibus & vtilitatibus vniuerſalis Eccleſiæ. Qua ſiquidem contumaciæ declaratione & proceſſus decreto ſic lecto, præfatus dominus epiſcopus Albinganenſis petijt eidem ſacroſanctæ ſynodo, an huiuſmodi declarationis & decreti pronunciatio, per eum de mandato ſanctæ ſynodi (vt præfertur, facta & lecta, ipſi ſanctæ ſynodo placeat. Quæ ſacroſancta ſynodus alta voce reſpondit per verbum, Placet. De quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, præfati domini promotores, nomine promotorio eiuſdem, petierunt à dominis ſanctæ ſedis Apoſtolicæ protonotarijs & nobis notarijs & ſcribis ipſius ſynodi, ad perpetuam rei memoriam fieri vnum vel plura, publicum vel publica, inſtrumentum vel inſtrumenta. * Celebrata ſiquidem ſolenniter extitit prædicta ſeſſio, & acta fuerunt hæc omnia ſupradicta, vbi & prout ſuprà ſcripta ſunt. Et interfuerunt teſtes præſentes, venerabiles & circumſpecti viri domini & magiſtri, Aegidius Camineti in Medicina Pariſienſis, & Ioannes de Segobia in Theologia magiſtri Salamantinenſis almarum Vniuerſitatum ſtudiorum generalium, in dicta ſancta ſynodo Ambaſiatores, Guilhelmus Kircher dictus de Conſtantia, & Ioannes de Comitibus archipresbyter Papienſis decretorum, & Stephanus de Nouaria legum doctores, & Robertus Auelon Licentiatus in decretis Canonicus Cameracenſis, cum pluribus alijs rogatis & requiſitis.

* dicto

* ſoc.& ex

* eiuſdem replente pręſentiã

* loco illorum. Acta ſunt hæc Baſileæ in eccleſia maiori Baſileenſi, in ſeſſione publica eiuſdem ſynodi ſolẽniter celebrata, Kal. Octobris, anno à natiuitate Domini 1437.

SESSIO XXIX.

De reuocatione prætenſæ bullæ Papæ ſuper translatione Concilij facta.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Compatiens hæc ſancta ſynodus miſerabilibus Eccleſiæ ruinis, & languoribus capitis atque membrorum ex intimis condolens viſceribus, poſt editionem ſaluberrimorum decretorum in obſeruationem legis domini, & antiquorum canonum, poſt benignas & charitatiuas admonitiones, ſummo pontifici per oratores plurimos directas, poſt annorum plurium expectationem cum multa patientia deductam, cùm & decreta contemni, & admonitiones paruipendi, & inde ſcandala, diuiſiones & ſchiſmata creſcere videret, vitiaque & peccata maioribꝰ adoleſcere incrementis, cõpulſa eſt tandẽ ſynodus ipſa, regimini eccleſiaſtico prouiſionẽ quærere

rere ſalutarem, & ſummum pontificem ad hoc vehementiùs excitare, vt ea quæ ad ipſius & vniuerſæ Eccleſiæ ſalutem erant, efficaciter agere curaret, cuius exemplum ſubditi facilè imitantur. Et quoniam (vt Sapiens loquitur) melior eſt manifeſta correctio, quàm amor abſconditus: meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta blandientis oſcula, defectus aliquos debiti regiminis (qui Eccleſiæ dicti fuerunt) flebili querela commemorauit, vt in melius emendarentur, nec ipſius ſummi pontificis aut aliorum valerent diutius obeſſe ſaluti. Et vt omnis patientia exhiberetur, nulla poſita eſt pœnarum adiectio, ſed tantùm terminus conueniens præfixus extitit, vt infra illum aut per ſe, aut per alium ipſe in hac ſancta ſynodo compareret, atque ſic debito regimini Eccleſiæ (prout publica neceſsitas maximè impellebat) opportunè prouideretur, veluti forma citationis editæ apertiùs indicauit, quod & maximè hæc ſancta ſynodus agere vrgebatur, dum poteſtatem habet immediatè à Chriſto ſuper vniuerſos Chriſti fideles cuiuſcunque ſtatus etiam ſi Papalis exiſtant, in his præſertim, quæ ad reformationem pertinent. Dumque ob ipſam cauſam reformationis congregata eſt, quæ nullatenus perfici poteſt, niſi ſummus pontifex ad eam reformationem cum effectu capeſſendam, ſuum inclinauerit animum, cùm etiam experientia docuerit, ex editione decretorum, * ex qua ſalus effici debuerat, in locis pluribus turbationem fuiſſe ſubſecutam, dum ea per ſummum pontificem infringuntur, cuius authoritate ſe tuentur, qui huiuſmodi decretis aduerſari volunt. Difficilè quoque cæteri corriguntur, ſi regimen ipſius ac curiæ ſuæ non viderint emendatum, quod ab ipſis trahitur in exemplum. Verùm ſummus ipſe pontifex præfatam citationem pro tanta neceſsitate publicæ ſalutis emanatam, quæ etſi non placentia, tamen ſalubria continebat, aliquantulum moleſtius primò aſpectu ferens, quandam ſuæ ordinationis paginam in aduerſum promulgaſſe dicitur. In qua primùm de proſecutione * reductionis Græcorum varia recitans, ad impugnationem electionis loci pro Oecumenico Concilio per hanc ſanctam ſynodum factæ, ſe conuertit, ſolam Auinionenſem ciuitatem commemorans, quæ rebus vtique gerendis commodiſsima eſſe dinoſcitur, omnique pace & ſecuritate gaudere, tacita veritate de Baſilea & Sabaudia in eadem electione coniunctis. Verùm cùm noſtram illam electionem & decreto * cum Græcis edito plenè ſatisfacere conſtet, atq; loca rebus agendis commodiſsima, omni quoque nationi opportuna manifeſtè continere, non neceſſe eſt, vt de hac re longiorem ſermonem protrahamus: nec ſummus ipſe pontifex laborem declinandi in alterum locorum illorum recuſare debet, ſi bonum rei huius tanto affectu deſiderat, ſicut in ſuis literis prædicauit. Refert prætereà diuiſionem, in huius electionis locorum negotio, proh dolor, ſuſcitatã, quam & ſe confirmaſſe oſtendit, quam vtinam potius extinguere curaſſet. Nam & poſtquam galeæ & pecuniæ in Auinione pro locis per hanc ſanctam ſynodum electis expeditæ fuerant, ipſe alias galeas in Conſtantinopolim mittere curauit, diuiſionem Latinæ Eccleſiæ coram Græcis ex duplici legationis miſsione demonſtraturus: quæ quantùm honori Eccleſiæ Latinæ, quantùm vnioni Græcorum proſequendę diſconueniant, nemo eſt qui non videat. Inſuper iuſtificare nititur, quòd per venerabilem Ioannem Archiepiſcopum Tarentinum oratorem ſuum, in miſsione certarum literarum ſuper huiuſmodi diuiſione electionis tranſmiſſarum factum eſt, quod ſubticere honeſtiùs fuiſſet, ne nos pro tuenda noſtra iuſtitia, rem illam magis aperire cogeremur. Nam & literas illas clandeſtinè & falsò bullatas fuiſſe, iam notorium eſt. Et ſi ſummus pontifex de confeſsione ipſius Archiepiſcopi & alijs circunſtantijs veram informationem acceperit, non impinget in huius ſacri Concilij libertatẽ, quòd ipſe Archiepiſcopus in cauſam propter eam rem tractus ſit, aut in domo propria arreſtatus. Sed ad impugnandum eandem libertatem, cuiuſdam procuratoris ipſius Archiepiſcopi captionem nobis obijcit, quam iuſſu noſtro conſtat nullatenus fuiſſe peractam, imò procuratorem ipſum iuſſu cuiuſdam prælati, ſcandaloſæ turbationi obuiare volentis, quam procurator ipſe per appellationem emittendam ab hoc ſacro Cõcilio, veriſimiliter videbatur eſſe facturus, per publicum officialem captum hæc ſancta ſynodus pro ſua manſuetudine ilicò iuſsit expediri, qui & procurator adhuc nobiſcum in plena libertate verſatur. Nec prætereà verum eſt, per hoc ſacrum Concilium aut iuſsionem ipſius, aliquod ſpolium priori Furnenſi (velut memoratæ literæ prætendunt) fuiſſe irrogatum, licèt literę aliquæ, plurima ſcandaloſa aduerſus hanc ſanctam ſynodum, & ſuppoſita eiuſdem continentes, abſque tamen noſtro ſcitu, longè ab hac ciuitate eidem dicantur ereptæ. Nec tam leues colores ad impugnationem libertatis huius ſacri Cõcilij quærere potuit, cùm & iam toti mundo conſtare poſsit, tantæ libertatis & ſecuritatis plenitudinem hic adeſſe, vt nullum locum vberiorem aut ſecuriorem, quàm ipſam ciuitatem Baſileenſem ſub Imperiali protectione conſtitutam, & optima politia gubernatam, credamus inueniri. Cæterùm aduerſus citationem emanatam plurima proferre conatur, quæ omnia ex ſuperioribus rationibus euidentiſsimè confutantur. Et ſperandũ eſt, vbi re ipſa plenius digeſta, ſummus pontifex effectum citationis huiuſmodi animaduerterit, in quærenda ipſius & aliorum ſalute verſari, vt languor acerrimus à corpore myſtico Eccleſiæ depellatur, non adeò aduerſus citationem ipſam ſuccenſebit. Quæ etſi aliquid amaritudinis, more ſalubris medicinæ, in primo guſtu ferre videatur, eam tamen in nouiſsimis iucundam & ſalutiferam eſſe (Deo aſpirante) perſentiet, nec eam bono publico aut charitati aduerſam, imò potiùs ſuæ ſaluti ac Eccleſiæ neceſsitati accommodam fuiſſe cognoſcet. Quòd verò tale aliquid priora ignoraſſe ſecula commemorat, ſi rerum geſtarum percurrat hiſtorias, non tantùm ſummos pontifices de corrigendis defectibus fuiſſe admonitos cõſpiciet, ſed etiam depoſitos à papatu, ac etiam nonnullis obedientiam ex multis cauſis fuiſſe ſubtractã. Sed ſi abuſuum incrementa nunc vigentia, ſi longam & fortem aduerſus ſanctam ſynodum & reformationem Eccleſiæ reſiſtentiam perſeuerantem, quæ priora ſecula ignorârunt, animaduertat, nihil admirabitur huius citationis nunc repertum fuiſſe antidotum. Omittimus verba, quæ aduerſum nos grauia proferuntur, recenſere, omnia manſuetis, & mitibus animis ſuſtinentes, dum ſalutem Eccleſiæ proſequamur. Sed denique ſummus pontifex talibus qualibus ſupradictis coloribus ſuffultus, dum huic ſanctæ ſynodo in his præſertim, quæ ad reformationem pertinent, obedire tenetur, & ad eandem euocatus, aut ſuper rebus propoſitis in eum, excuſationem afferre, aut cunctis in melius emendatis, regimini Eccleſiaſtico donare ſalutem, ipſe hanc ſanctam ſynodum diſſoluere, ac in ciuitatem Ferrarienſem transferre conatur, cum plurium adiectione cenſurarum, ſi virtute præfati citatorij in aliquo proceſſum fuerit aut aduerſus eum, ſeu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, aut præſidentes oratores ſuos, qui in hoc Concilio fuerunt, vel aliquẽ ipſorum, aliqua nouitas illata fuerit, vel etiam quicquam à die citatorij factum, cõtinuatum vel ſeruatum extiterit. Eſtne hæc obedientia, quàm Concilijs generalibus per ſummos pontifices, & alios quoſcunque ſacra Conſtantienſis ſynodus, in his præſertim quæ ad reformationem pertinent, declarauit exhibendam? memor verborum Chriſti, qui poſtquam Simoni Petro dixerat, ſi te non audierit, dic Eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus, continuò ſubiecit: Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: quam & Eccleſiæ authoritatem à Chriſto donatam, eſſe etiam ſuprà Papam, ſi quis prius ambigeret, iam hoc ipſius magnæ ſynodi Conſtantienſis authoritas apertè declarauit, cuius hæc verba ſunt: Ipſa ſynodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem prædicti ſchiſmatis, ad generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris. Item declarat, quòd quicunque cuiuſcunq; ſtatus, etiam ſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis ſeu ordinationibus huius ſanctæ ſynodi, & cuiuſlibet alterius legitimè congregatæ, ſeu pertinentibus ad ea, factis & faciendis, contumaciter obedire contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia recurrendo. quorum virtute decretorũ ſubſecuta fuit felicis recordationis Papæ Martini electio, cui

Prou. 27.

* quæ ſaluẽ afferre.

* vnionis

* de

ipſe

ipſe dominus Eugenius ſuccedit, qui etiam ipſi Conſtan-
tienſi Concilio, cùm eſſet in minoribus præſens interfuit.
Iam verò ipſe non ſolùm non obedit ſynodo generali, ſed
& ſuper illam in reformationis proprio negotio, ſe iudicem
conſtituere molitur, eam propria voluntate diſſoluere vo-
lens, atque in alium locum ſuæ origini propinquum, euoca-
re, vbi (ſicut veriſimiliter creditur) ita dominari ſperat, vt
reſiſti ſuæ non poſsit voluntati. Sed nec eum decuit obliui-
ſci, quòd iam altera vice diſſolutionem ſynodi facere atten-
tauerit, quam deinceps reuocare & inanem atque irritam fa
teri oportuit. Scire inſuper debuit, iamdudum in hac ſancta
ſynodo fuiſſe ſolenniter decretatum, aſſentientibus pluri-
mis ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, quorum aliqui
adhuc de præſenti cum eo ſunt, vt hoc Cócilium per Papam
ſine expreſſo conſenſu duarum partium eiuſdem Concilij,
votis ſingulorum per deputationes & in generali congrega-
tione ſcrutatis, poſteà ſolenni ſeſsione ſubſecuta, diſſolui nó
poſsit, aut de loco ad locum trãſmutari, pœnis omnibus atq;
cenſuris ferendis in aduerſum, extunc caſſatis & irritatis.
formidare prætereà debuit, aliud Concilium in Ferraria eri-
gere, cùm alio decreto per antea edito declaratum ſit, omne
Concilium quod iſto durante alibi contigerit eligi, non
fore Concilium, ſed ſchiſmaticorum conuenticulum. Intel-
ligitur autem durare hoc Concilium iuxta præmiſsi decreti
ſeriem, donec ex conſenſu duarum partium eius fuerit diſ-
ſolutum, quę decreta ipſius domini Eugenij ſubſequenti ad-
hæſione corroborata ſunt, ac per ſuos oratores præſidentes,
ſaltem nominibus proprijs iurata. Sed & anteà in decreto
Concilij Conſtantienſis quod incipit, Frequens, fuerat ordi-
natum, vt locus futuri Concilij cum conſenſu ipſius Conci-
lij congregati eligi deberet, & ſi Concilio diſſoluto locum
illum mutari oporteret ex cauſis legitimis, tunc alius locus
eiuſdem nationis eligi deberet. Si verò cauſæ illæ totam na-
tionem concernerent, locus vicinior aſſumeretur. Quòd ſi
locum futuri Concilij alio tempore celebrandi, ſine conſen-
ſu Concilij actu congregati aſsignare, & niſi ad loca ibidem
declarata, mutare non poteſt, multò minus Concilium con-
gregatum incontinenti ſine ipſius conſenſu ad locum alium
ſua voluntate transferre. Denique non debuit obliuiſci
decreti ſuper conuentione Græcorum per ipſum approba-
ti, quo cauetur, Concilium in Baſilea firmiter eſſe perman-
ſurum, donec Græci ad portum per hanc ſanctam ſyno-
dum eis nominandum, peruenerint. Quo pacto igitur, quo-
ve conſilio nunc huius Concilij diſſolutionem aut tranſla-
tionem efficere fruſtrà conatur? Sed quis ille vſus eſt pleni
tudinis ſuæ poteſtatis, dum ſi contra aliquem oratorum
ſuorum, vtpote Archiepiſcopum Tarentinum, (de quo
mentionem fecerat) quicquam agatur pro debito iuſtitiæ,
ob eam cauſam vult etiam Concilium diſſolui? Denique v-
nionem Bohemorum, quam tantis laboribus hæc ſancta ſy-
nodus perquiſiuit, dum pro vltimato eius complemento in
ſtamus, conturbare nititur huius prætenſæ ordinationis ſe-
ries, quæ vltra triginta dies hanc ſanctam ſynodum huic ne-
gotia prohibet intendere. O admiranda conſilia, quæ ad e-
neruationem authoritatis Eccleſiæ & ſuiipſius deſtructio-
nem ſummo pontifici ſuggeruntur, quæ ſi conniuentibus o-
culis pertranſiret hæc ſancta ſynodus, tota confundi time-
retur Eccleſiæ authoritas: & qui in Papatum aſſumptus,
poſſet vniuerſam Chriſtianitatem pro ſua voluntate deco-
lorare, nec vlla eſſet reſiſtentia. Quinimò & accuſatus de
hæreſi aut quouis crimine, confeſtim ſynodum accuſantem
& corripientem diſſoluere tentaret, ne ſubiret iudicium.
Nunc quoque dolentiſsime ferendum eſt, tale exemplum à
domino Eugenio donari poſteris, vt iudicium ſubterfugien
do, ad deteſtabile refugium prætenſæ diſſolutionis Conci-
lij ſe conuertat. Qui & non rectè de authoritate Eccleſiæ ſen
tire videtur, dum ipſius Eccleſiæ congregatæ, cui (vti decla-
ratum eſt) obedire tenetur, ipſe ſe iudicem conſtituit, & ad-
uerſus tot decreta, tot ſanctiones Conciliorum, eam cona-
tur diſſoluere, qui tamen dudum in adhæſione ſua, cùm de
reuocatione literarum incipientium, Deus nouit, mentio ha
beretur, ipſe quicquid per eum aut ſuo nomine in præiudi-
cium aut derogationem huius Baſileenſis Concilij ſeu con-
tra eius authoritatem factum, attentatum ſeu aſſertum erat,
caſſauit, irritauit, & annullauit, nullaque & irrita fuiſſe & eſ-
ſe declarauit, & ſe deinceps à nouitatibus & grauaminibus,
ſeu præiudicijs inferendis huic ſacro Concilio, aut ſuppoſi-
tis eius & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu deſi-
ſtere pollicitus eſt. Cùm igitur talia in aduerſum perpetra-
ta, quæ vniuerſis fidelibus deteſtanda, & abhorrenda ſunt,
nullatenus ſub diſsimulatione pertranſire valeamus, volens
hæc ſancta ſynodus (ſicut tenetur) de opportunis remedijs
prouidere, declarat huiuſmodi prætenſam diſſolutionem
huius Concilij, ac tranſlationem in ciuitatem Ferrarienſem,
per dominum Eugenium Papam Quartum factas, cum om-
nibus cenſuris, pœnis & alijs inde ſecutis, nullas eſſe, peni-
tuſque irritas & inanes, mandans, obſecrans & præcipiens
eidem, vt hæc (ſicut de facto proceſſerunt) reuocare habe-
at, & aduertat ipſe pœnas, quæ dudum in decreto huius ſan-
ctæ ſynodi, quod incipit, Quoniam frequens, etiam ante i-
pſius adhæſionem in vndecima ſeſsione promulgato, con-
tra Romanum Pontificem ad Concilium generale quoquo
modo diſſoluendum, mutandum, prorogandum operam
dantem, prolatæ fuerunt: vbi expreſsè cauetur, quòd ſi
Romanus Pontifex talia agens, infra quatuor menſes cum
reali ſatisfactione non reſipuerit, extunc à Papali admini-
ſtratione ſit ipſo facto ſuſpenſus, quæ quidem Papalis ad-
miniſtratio ad ſacrum generale Concilium ipſo iure deuol-
uatur. Quòd ſi pœnam ipſam per duos menſes poſt prædi-
ctos quatuor menſes ſuſtinuerit animo indurato, contra i-
pſum vſque ad priuationem incluſiuè per Concilium gene-
rale procedatur: quas quidem pœnas hæc ſancta ſynodus ip-
ſum dominum Eugenium, niſi reſipuerit, decernit & decla-
rat incurſurum, iuxta terminos in prædicto decreto vnde-
cimæ ſeſsionis præfixos, ad quarum pœnarum executio-
nem, niſi reſipuerit, (vt prælibatum eſt) meritò procede-
mus.

Inſuper hæc ſancta ſynodus omnem nominationem,
electionem, aſſumptionem loci Ferrarienſis factam, tan-
quam decretis ipſius ſynodi repugnãtem, ſicut de facto pro-
ceſsit, caſſat & irritat, imò veriùs caſſam & irritam eſſe decla-
rat. Et caſu quo in eadem ciuitate aut alibi aduerſus præfa-
torum decretorum noſtrorum tenorem ſummus ipſe pon-
tifex Concilium erigere inceperit, vel incipiet in futurum,
mandat & pręcipit hæc ſancta ſynodus vniuerſis ſanctę Ro-
manæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, E-
piſcopis, & alijs quibuſcunq; in curia dicti domini Eugenij
exiſtentibus, qui ſynodis generalibus de iure vel conſuetu-
dine intereſſe tenentur, vt ad hoc ſacrum Concilium Baſi-
leenſe, cæteri verò ad loca ſuorum beneficiorum vel alibi
extra curiam ſe transferant, ſub pœnis excommunicationis,
priuationis omnium beneficiorum, dignitatum & officio-
rum, & inhabilitationis perpetuæ, quas, ſi contrà fecerint, i-
pſo facto incurrant.

Inhibet prætereà ſub eiſdem pœnis hæc ſancta ſyno-
dus, ne quiſquam, cuiuſuis ſtatus & dignitatis, etiam ſi
Cardinalis, Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſco-
pus fuerit, ab hac ſancta ſynodo vigore ſeu prætextu diſ-
ſolutionis aut tranſlationis per ipſum dominum Eugenium
factæ recedere audeat, vel ab actibus Conciliaribus vllo pa-
cto deſiſtere, ſeu huiuſmodi tranſlationi vel diſſolutioni
quomodolibet obedire. Decernit quoque hæc ſancta ſyno-
dus, vt omnes & ſinguli ad hoc Concilium liberè accedere
poſsint, ac ſi præfatæ diſſolutio & tranſlatio nullatenus ema
naſſent, nec quiſquam venientes ad hoc ſacrum Concilium
quouis modo habeat impedire. Vniuerſis quoque Chriſti
fidelibus ſub pœnis excommunicationis inhibet, quacun-
que dignitate eccleſiaſtica vel ſeculari, etiam ſi Cardinala-
tus, Patriarchali, Archiepiſcopali, Pontificali, Imperiali, Re-
gali vel alia quacunque præfulgeant, ne ad tale prætenſum
Concilium per ipſum dominum Eugenium (vt præmitti-
tur) erectum vel erigendum, accedere vel mittere præſu-
mant, neque etiam Vniuerſitates, Collegia, Capitula,
Communitates ad tale prætenſum Concilium mittant.
Quod ſi fecerint, ipſo facto eccleſiaſtico ſubiaceant inter-
dicto.

Denique ne ipſe dominus Eugenius iugiter grauiora gra
uioribus addere præſumat, noua ſchiſmata & ſcandala ſu-
ſcitando, authoritatemque vniuerſalis Eccleſiæ vehemen-
tiùs impugnando, inhibet eidem hæc ſancta ſynodus, ne

Baſileēſis Concilij ſeſſ. 11.

Baſileēſis Concilij ſeſſ. 11.

Conſtantienſis Cõcilij ſeſſ. 4. 5. & 39.

Baſileēſis Concilij ſeſſ. 19.

Baſileēſis Concilij ſeſſ. 16.

Baſileēſis Concilij ſeſſ. 11.

deinceps aduerſus ipſam quicquam innouet, eandem vel eius ſuppoſita & eidem adhærentes perturbando vel moleſtando, ſeu iam attentata continuet, ac etiam vniuerſos qui beneficia, dignitates, perſonatus & officia ſuppoſitorum huius ſacri Concilij, ſeu eidem Concilio adhærentium impetrauerint, ſeu obtinuerint, ſeu impetrare tẽtauerint vel obtinere, etiam ſi motu proprio conceſſa fuerint, & omnes qui huiuſmodi impetrationi vel prouiſioni beneficiorum, dignitatum, perſonatuum & officiorum quorumcunque, aſſenſum, fauorem, vel * auxilium dederint, quacunque præfulgeant dignitate (vt præmittitur) eccleſiaſtica vel ſeculari, etiam ſi vniuerſitates, communitates, collegia vel capitula fuerint aliquod ſeu aliqua ſuppoſitorum huius Concilij & eidem adhærentium, vigore ſeu prætextu prætenſæ ordinationis per ipſum dominum Eugenium factæ, in ſuis beneficijs ac alijs rebus moleſtauerint vel perturbauerint, quacunq; authoritate ordinaria vel delegata. Decernit eadẽ ſancta ſynodus, pœnis excõmunicationis, priuationis ab omnibus beneficijs, officijs & dignitatibus, ac inhabilitationis ad eadem, quantum ad ſingulares perſonas, & ſi vniuerſitates, communitates, vel collegia aut capitula fuerint, interdicto eccleſiaſtico ipſo facto ſubiacere, decretis huius ſanctæ ſynodi, quæ incipiunt, Ambitioſorum: &, Vt ſacri: &, Cùm Chriſti eccleſia, & alijs quibuſcunque ipſius decretis & ordinationibus in ſuo robore duraturis. Inſuper vniuerſis prælatis, etiam pontificali dignitate præfulgentibus, capitulis, vniuerſitatibus, communitatibus & collegijs, ac alijs quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis, ſub pœnis prædictis quò ad ſingulares perſonas, & quò ad communitates, vniuerſitates, collegia, capitula, ſub pœnis ceſſationis à diuinis & interdicti, quas (ſi contrafecerint) incurrant ipſo facto, prohibet hæc ſancta ſynodus, ne aliquem qui præfata beneficia, dignitates, perſonatus, & officia ſuppoſitorum huius ſacri Concilij & eidem adhærentium (ſicut præmittitur) obtinuerint, recipere ſeu admittere ad poſſeſsionem, vel inueſtire quouis modo audeant: literis quoque * prouiſionibus & mandatis Papalibus vel alijs quibuſcunque, quacunque authoritate ordinaria vel delegata, ſub quibuſcunq; cenſuris, vel pœnis emanatis, ſuper huiuſmodi priuationibus ac præfatorum beneficiorum, dignitatum, perſonatuum & officiorum collationibus, hæc ſancta ſynodus decernit nullatenus fore obediendum, quodq́ue aduerſus pœnas ſuperiùs præmiſſas nullus reſtitui, etiam ad diuinorum celebrationem rehabilitari, reintegrari, ſed nec à ſententia excommunicationis (excepto duntaxat in mortis articulo) abſolui, vel etiam quò ad communitates & capitula ac vniuerſitates & collegia interdicta, relaxari, niſi per hanc ſanctam ſynodum, poſsint. Vt autem nullus huius noſtræ ordinationis & decreti poſsit quouis modo prætendere ignorantiã, volumus, mandamus, hanc præſentem paginam valuis huius eccleſiæ cathedralis Baſileenſis ſub noſtra bulla affigi atque publicari, & per affixionem ipſam eidem domino Eugenio, ac vniuerſis & ſingulis intimari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, decreti, mandati, caſſationis, irritationis, inhibitionis, inhabilitationis, priuationis, excommunicationis, interdicti, à diuinis ceſſationis declarationis, affixionis & intimationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & vniuerſalis Eccleſiæ ſe nouerit incurſurum. Datum in ſeſsione noſtra publica, in eccleſia maiori Baſileenſi quarto idus Octobris celebrata, anno à natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſeptimo.

* conſiliũ

Baſileẽſis Concilij ſeſſio. 8. & ſeſſ. 13. & ſeſſ. 26.

* prouiſionum

SESSIO XXX.

Super modo communionis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Vt lucidiùs videatur pro declaratione Catholicæ veritatis, quid circa perceptionem ſacræ Euchariſtiæ tenendum ſit, & agendum pro vtilitate & ſalute populi Chriſtiani, poſt diligentem perſcrutationem diuinarum ſcripturarum, ſacrorumq́ue canonum & doctrinarum à ſanctis patribus & doctoribus traditarum, in hac ſancta ſynodo longis temporibus habitam, conſideratiſq́ue omnibus quæ pro declaratione huius rei conſideranda fuerunt, decernit & declarat eadem ſancta ſynodus, quòd fideles laici ſiue clerici communicantes, & non conficientes, non aſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub vtraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum. Sed Eccleſia quæ regitur Spiritu veritatis ſecum manente in æternum, & cum qua CHRISTVS manet vſque ad conſummationem ſeculi, (ſicut ait diuina ſcriptura) ordinare habet, quomodò ipſis non conficientibus miniſtretur, prout pro reuerentia ipſius ſacramenti & ſalute fidelium viderit expedire. ſiue autem ſub vna ſpecie, ſiue ſub duplici quis communicet, ſecundùm ordinationem ſeu obſeruantiam Eccleſiæ proficit dignè communicantibus ad ſalutem. Nec vllatenus ambigendum eſt, quòd non ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer totus Chriſtus. Laudabilis quoque conſuetudo communicandi laicum populum ſub vna ſpecie, ab Eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſsimè obſeruata, & à doctoribus diuinæ legis ſacrarum ſcripturarum atque canonum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eſt eam reprobare, aut ſine authoritate Eccleſiæ ipſam immutare. Datum Baſileæ in noſtra ſolenni & publica ſeſsione, decimo Kalendas Ianuarij, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo.

De ſumptione corporis Chriſti ſub vna tantùm ſpecie.
Matth. 28.

SESSIO XXXI.

De cauſis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Eccleſiaſticæ ſolicitudinis ſtudium iugiter inuigilare conuenit, vt fraterna charitas in Clero ac populo Chriſtiano vigeat, nec quiſquam per vexationes & afflictiones indebitas proximum ſuum opprimere permittatur: ſicq́ue iuſtitia ordine debito cuilibet miniſtretur, vt & viris doloſis auferatur nocendi licentia, & quies ac tranquillitas rectorum non facilè perturbetur. Inoleuerunt autem hactenus intolerabilium vexationum abuſus permulti, dum nimiùm frequenter à remotiſsimis etiam partibus ad Romanam curiam, & interdum pro paruis & minutis rebus ac negotijs quamplurimi citari & euocari conſueuerunt, atque ita expẽſis & laboribus fatigari, vt nonnunquam commodius arbitrentur iuri ſuo cedere, aut vexationem ſuam graui damno redimere, quàm in tam longinqua regione litium ſubire diſpendia. Sic facilè extitit calumnioſis opprimere pauperes, ſic beneficia eccleſiaſtica plerunque minus iuſtè per litium anfractus obtenta ſunt, dum iuſtis poſſeſſoribus eorum, ſeu quibus illa de iure competebant, neque opes, neque facultates ad illos ſumptus ſufficere poterant, quos longinqua profectio ad Romanam curiam & litis agitatio in eadem depoſcebãt. Confunditur etiam exinde ordo eccleſiaſticus, dum ordinariis iudicibus ſua iuriſdictio minimè ſeruatur, pecuniæ & facultates regnorum ac prouinciarum hoc pacto non parùm diminutæ ſunt. Et quod vniuerſo eccleſiaſtico ordini admodum nocere compertum eſt, hi quos ad ſumma negotia Chriſtianæ religionis ſublimitas dignitatis euocabat, minùs illis reddebãtur intenti, dum ipſorũ mentes nimiùm occupabat aſsidua cauſarum multitudo. Quæ attendens hæc ſancta ſynodus, & pro reformatione eccleſiæ Dei in capite, & in membris, iuxta poteſtatem ſibi à Domino conceſſam euigilans, vt omnia deinceps ordine congruo peragantur, ad ſalutem animarum, & pacem ac quietem cunctorum, ſtatuit & decernit, quod in partibus vltra quatuor diætas à Romana curia diſtantibus, omnes quæcunque cauſæ, exceptis maioribus in iure expreſsè enumeratis, & electionum eccleſiarum Cathedralium, & monaſteriorum, quas immediata ſubiecto ad Sedem Apoſtolicam de-

uoluit, apud illos iudices in partibus, qui de iure aut conſuetudine præſcripta, vel priuilegio cognitionem habent, terminentur & finiantur. Et ne ſub vmbra appellationum, quæ nimiùm leuiter, & nonnunquam friuolè hactenus interponi viſæ ſunt, atque etiam in eadem inſtantia ad prorogationem litium ſæpè multiplicari, materia fouendis iniuſtis vexationibus relinquatur, ſtatuit eadẽ ſancta ſynodus, quòd ſi quis offenſus corã ſuo iudice, habere nõ poſsit iuſtitiæ cõplementum, ad immediatum ſuperiorem per appellationem recurſum habeat: nec ad quemcunque, etiam ad Papam, obmiſſo medio, neque à grauamine in quacunque inſtantia ante diffinitiuam ſententiam quomodolibet appelletur, niſi forſitan tale grauamen extiterit, quòd in diffinitiua ſententia reparari nequiret: quo caſu, non aliàs, ad immediatum ſuperiorem liceat appellare. Si verò quiſpiam à Sedis Apoſtolicæ immediatè ſubiecto ad ipſam ſedem duxerit appellandum, cauſa per reſcriptum vſque ad finem litis incluſiuè in partibus committatur, niſi fortè propter defectum iuſtitiæ, aut iuſtum metum, etiam in partibus conuicinis, de quibus in commiſsione exprimendis, legitimo prius documento, aliàs quàm per iuramentum ſummariè conſtiterit, apud ipſam ſedem foret meritò retinenda. Et quicquid in contrarium huius ſaluberrimi decreti attentatum, factum vel obtentum fuerit, ſit nullum ipſo facto. Litigantes, qui contra fecerint, in expenſas condemnentur: Romanæ verò Eccleſiæ Cardinales, Vicecancellarium, camerarium, magnum pœnitentiarium, protonotarios, & alios ſedis Apoſtolicę officiales, actu in Romana curia ſuis officijs inſiſtentes, hoc decreto non intendimus comprehendi. Ne tamen in diſſolutionem vel tranſlationem præſentis Concilij, aut erectionẽ conuenticuli apud Ferrariam, vel alibi ſub nomine Concilij generalis, quas dominus Eugenius Papa Quartus efficere conatus eſt, vel conaretur in futurum, cauſas illas, & maximè incorporatorum aut incorporandorum in hoc ſacro Concilio, quas hæc ſancta ſynodus remitteret, aut nõ reciperet, in curiam ipſius domini Eugenij, aut præfatum conuenticulum Ferrarienſe vel aliud de facto trahi contingeret in fomentum diſſolutionis, tranſlationis & erectionis prædictarum, voluit eadem ſancta ſynodus, cauſas quaſcunq; pendẽtes & commiſſas, aut etiam quaſcunq; cauſas incorporatorũ atq; incorporandorum, atq; aliàs per appellationem deuolutas aut deuoluendas, nec non illas quæ obſeruationem decretorum ipſius ſanctæ ſynodi concernunt, apud eandem ſanctam ſynodum, ipſa durante, ſeu donec aliter fuerit ordinatum, tractari, ſaluis etiam aduocationibus cauſarum pẽdentium in Romana curia, per quæcunque noſtra decreta factis aut faciendis, decretis etiam alijs & ordinationibus eiuſdem ſanctæ ſynodi in ſuo robore remanentibus. Datum in ſeſsione noſtra publica in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, nono Kalendas Februarij, Anno à Natiuitate Domini 1438.

ALIVD DECRETVM DE COLLATIONIBVS beneficiorum, in eadem ſeßione publicatum.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Placuit diuinæ pietati, hoc tempore animos hominum, qui varijs abuſibus irretiri cœperant, vehementiùs excitare, vt ſalus quæreretur cunctorum, & per ſynodum vniuerſalem mores Eccleſiæ in melius reformarentur, cum ſalutari directione capitis & membrorum in viam iuſtitiæ & ſanctitatis. Quod vt faciliùs atque ordinatius fieret, & ne ſub prætextu variarum opinionum, aut Romani pontifices, aut alij quicunque non ſatis vniuerſalibus Concilijs obedirẽt, prædiſpoſuit eadem diuina pietas, in ſacro Conſtantienſi Concilio ſynodorum vniuerſalium iuriſdictionem ita declarari, vt nulli relinqueretur ambigendi occaſio, cum decreto ſolenni diffinitum extitit, vniuerſale Concilium habere authoritatem immediatè à Chriſto, cui quilibet cuiuſcunq; ſtatus & dignitatis, etiamſi Papalis fuerit, obedire tenetur in his, quæ pertinẽt ad fidem, ad extirpationem ſchiſmatis, & reformationẽ Eccleſiæ Dei in capite & in membris ac pertinentibus ad ea. Dum autem hæc cura reformandæ Eccleſiæ huic ſanctæ vniuerſali ſynodo Baſileenſi incumbit, hoc vnum ſingulari ſolicitudine proſequendum arbitratur, vt per ſingulas eccleſias miniſtri inſtituantur idonei, qui ſcientijs & virtutibus effulgeant, ad Chriſti gloriam & vniuerſi populi Chriſtiani ædificationem ſalutarem, cui rei graue impedimentum hactenus afferre viſa eſt gratiarum expectatiuarum multitudo, quæ grauem ordini & ſtatui eccleſiaſtico perturbationẽ, variasq; inordinationes ac plurima diſcrimina comperitur iniecisſe. Ex his enim frequentiùs dati ſunt eccleſijs miniſtri non probati, nec cogniti, vacaturorumque beneficiorum expectatio, quæ ſicut antiqua iura teſtantur, occaſionem deſiderãdæ mortis alienæ præſtare ſolet, quod plurimùm præiudicat animarum ſaluti; ſed & inſuper lites innumeræ & contentiones inter ſeruos Dei excitantur, rancores & iurgia nutriuntur, pluralitatis beneficiorum fouetur ambitio, facultates ac pecuniæ regnorum & prouinciarum mirum in modum exhauriuntur, pauperes diſcurrendo ad Romanam curiam, innumerabiles vexationes ſubeunt, & inter viarum diſcrimina nonnunquam ſpoliantur, occiduntur, ac varijs affliguntur peſtibus: atque etiam ſuis patrimonijs ac parentum opibus exhauſtis, graui egeſtati ſubiacere coguntur.
Plurimi abſque iuſto titulo beneficia ſibi vendicant, & non quibus de iure debentur, illa obtinent, ſed nonnunquam hi quibus aut circumueniendi proximum maior aſtutia, aut ad litigandum facultas ſuppetit vberior: ſub inuolutionibus quoque prærogatiuarum, antelationum, aliorumque huiuſmodi gratias concomitantium, fraudes plurimas & deceptiones contingit inueniri. Iuuenibus etiam, qui ſtudio literarum & virtuoſis operibus intendere deberent, datur materia euagandi, qui ſæpiùs per litium anfractus & varios diſcurſus, ratione gratiarum ipſarum turbantur, & inquietantur. Ordinarijs collatoribus ſuum miniſterium ſubtrahitur, & confunditur ordo eccleſiaſticus, dum vnicuique ſua iuriſdictio non ſeruatur. Romanique pontifices, dum officia inferiorum nimiùm ſibi vendicant, à maioribus & magis fructuoſis operibus vniuerſale bonum concernentibus retrahuntur, nec inferiorum directioni atque correctioni inuigilant, ſicuti publica vtilitas expoſcit. Quæ omnia grauem confuſionem ſtatui clericali & ſacerdotali, in diſpendium diuini cultus & præiudicium publicæ ſalutis afferunt, poſſentque grauiorem in futurum afferre ruinam, rebus his in deteriora iugiter prolabentibus, niſi prouideretur in aduerſum. Volens itaque hæc ſancta ſynodus ſuper his opportunum remedium adhibere, ſtatuit & decernit, vt Romanus pontifex qui pro tempore fuerit, eas deinceps gratias expectatiuas aut nominationes, nullo modo nullave ex cauſa concedat, cùm ipſe præ cæteris, ne ſit tantorum occaſio malorum, abſtinere debeat. Fruſtrà enim inferioribus inhiberetur, ſi ipſe, qui alijs debet eſſe omnium bonorum & virtutum exemplar, non abſtineret. Vt enim ille ſanctiſsimus & doctiſsimus Leo Papa inquit, Totius familiæ domini ſtatus & ordo mutabitur, ſi quod inquiritur in corpore, non inuenitur in capite. Integritas etiam præſidentium, ſalus dinoſcitur eſſe inferiorum. Ceſſentque de cæterò iam factæ, & tam ipſæ quàm etiam fiendæ, ſi quæ fiant, nullę ſint ipſo facto, exceptis illis gratijs & nominationib⁹, ſuper quibus proceſſus iam ſint expediti, quas ex certis rationabilibus cauſis in octo menſibus, quibus hactenus curſum conſueuerunt habere, tolerandas duximus, donec aliter fuerit ordinatum. Reſeruationes etiam particulares, quæcunque fuerint, beneficiorum vacaturorum, tam per Romanos põtifices, quàm per legatos ſedis Apoſtolicæ, de cæterò nullæ ſint ipſo facto. Non tamen intendit prohibere hæc ſancta ſynodus hoc præſenti decreto, quo minùs futuri Romani pontifices tempore pontificatus ſui modo honeſto & conuenienti, de vno beneficio ad collationem, in qua fuerint decem beneficia, & de duobus vbi fuerint quinquaginta, & vltrà, diſponant, ita tamen vt in eadem eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, duas præbendas ſuo tempore non conferant, vt qualificationes graduatorum inferiùs deſignatæ, in ipſis præbendis ſuum valeant ſortiri effectum. Neque etiam collationes per præuentionem fiendas, intepdit impedire, decreto noſtro de reſeruationibus, quò ad cætera, & alijs decretis huius ſanctæ ſynodi in ſuo robore duraturis.

Vt verò

Vt verò cæteri, ad quos beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, officiorum, & adminiſtrationum collatio, ſeu quæuis diſpoſitio ſpectat, ad prouidendum literatis viris & ſcientia peromatis ſpecialiùs aſtringantur, voluit eadem ſancta ſynodus certas qualitates virorum literatorum & graduatorum deſignari, quibus certo ordine debeat prouideri, prout inferiùs annotatur, adijciens quòd ſi per prælatos & doctores alicuius nationis in hoc concilio conſiſtentes, pro bono ſuæ nationis aliter circa huiuſmodi qualificationes diſponendum videatur in futurum, quicquid per illos fuerit ordinatum & in generali congregatione præſentis Concilij concluſum, exnunc prout extunc ratum & firmum habeatur, & vim decreti habeat, ac ſi in præſenti decreto de verbo ad verbum expreſſum foret. Quòd ſi quis cuiuſcunque ſtatus, etiamſi Cardinalatus, Patriarchalis, Pontificalis aut alterius cuiuſlibet dignitatis, contra prædictum ordinem & qualificationes (vt præmittitur) deſignatas vel deſignandas, de ipſis beneficijs dignitatibus, perſonatibus, officijs & adminiſtrationibus quouis modo diſpoſuerit, eo ipſo ſit irritum & inane. Collatioque huiuſmodi ac prouiſio, ſeu quæuis diſpoſitio ad ſuperiorem proximum deuoluatur, qui ſimiliter habeat prouidere: quod ſi non fecerit, ad alium ſuperiorem proximum deuoluatur, gradatim vſque ad ſummum pontificem accedendo. Non volumus tamen ordinarios collatores, & eos ad quos præſentatio ſeu alia quæuis diſpoſitio beneficiorum ſpectat, in quatuor menſibus, quibus præfatæ gratiæ expectatiuæ vel nominationes curſum non habent, donec ipſæ gratiæ & nominationes ad eorum collationem, prouiſionem, præſentationem ſeu diſpoſitionem cóceſſæ ceſſauerint, ad qualificationes infraſcriptas obſeruandas aſtringi.

Sequuntur qualificationes & ordo in conferendis beneficijs per ordinarios, de quibus ſuprà tactum eſt.

Primò, cum per generalis Concilij ſtatuta ſanctè ordinatum exiſtat, quod quælibet eccleſia metropolitica teneatur & debeat vnum habere Theologum, qui ſua doctrina & prædicationibus fructum ſalutis afferat, ordinat hæc ſancta ſynodus, quòd extendatur etiam huiuſmodi ordinatio ad Eccleſias Cathedrales, taliter videlicet, quòd quilibet collator ipſarum præbendarum teneatur, & debeat canonicatum & præbendam, quamprimùm facultas ſe obtulerit, & inueniri poterit, vni magiſtro, Licentiato vel in Theologia baccalaureo formato conferre, qui per decennium in vniuerſitate priuilegiata ſtuduerit, & onus reſidentiæ ac lecturæ & prædicationis ſubire voluerit, quique bis aut ſemel ad minùs per ſingulas hebdomadas ceſſante legitimo impedimento, legere habeat: & quoties ipſum in huiuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli in ſubtractione diſtributionum totius hebdomadæ puniri poſſit. Et ſi reſidentiam deſeruerit, de alio prouideatur. Veruntamen vt liberiùs ſtudio vacare poſſit, nihil perdat, cùm abſens fuerit à diuinis. Inſuper quòd in quælibet eccleſia Cathedrali vel collegiata, vltra prædictam præbendam Theologo (vt præmittitur) aſſignandam, tertia pars præbendarum conferatur graduatis aliàs idoneis modo & forma inſraſcriptis, ſic quòd prima vacatura huiuſmodi graduato, & deinde poſt alias duas ſequens eo modo conferatur, & ſic deinceps, videlicet magiſtris aut licentiatis ſeu baccalaureis formatis in Theologia, qui per decennium in aliqua vniuerſitate priuilegiata doctoribus ſeu licentiatis in altero iurium vel medicina, qui per ſeptem annos in ſua facultate ſtuduerint in vniuerſitate, vt ſuprà, magiſtris ſeu licentiatis in artibus, cum rigore examinis, qui per quinquennium in aliqua vniuerſitate à logicalibus incluſiuè & ſuprà in artibus, vel in alia ſuperiori facultate ſtuduerint, necnon in Theologia, qui per ſex annos vel in vtroque aut in altero iurium, baccalaureis qui per triennium, ſi nobiles ex vtroque parente, & ex antiquo genere, aliàs autem per quinquennium conſimiliter in aliqua vniuerſitate priuilegiata ad minùs ſuum, ſtudium fecerint, qui de prædictis gradibus, tempore & nobilitate ſupradictis fidem facere teneantur collatori per legitima documenta. Exhortamur tamen ordinarios collatores, quòd in conferendis beneficijs huiuſmodi, præſertim quo ad dignitates, reſpectum habeant ſingulariter ad magiſtros, necnon licentiatos & baccalaureos formatos in Theologia. In dignitatibus verò non electiuis, perſonatibus, adminiſtrationibus & officijs dictarum Eccleſiarum, idem ordo, modus & forma in omnibus obſeruentur. Quòd ſi quis ex dictis qualificatis, tempore vacationis præbendæ ſeu dignitatis huiuſmodi, alias duas obtineat præbendas, ſeu dignitates & præbendas, vel aliud ſeu alia beneficium aut beneficia, quod vel quæ reſidendo in altero ipſorum, & horis diuinis intereſſendo, valeret ſeu valerent vſque ad ſummam ſeu æſtimationem ducentorum florenorum cameræ, ſimiliter quicunque duas præbendas cathedrales obtinuerit, nullatenus in ipſa tertia parte includi ſeu comprehendi cenſeatur. In Eccleſijs autem parochialibus, quæ in ciuitatibus aut villis muratis exiſtunt, inſtituantur perſonæ ſic, vt ſuprà, qualificatæ, aut ad minus qui per tres annos in Theologia, vel in altero Iurium, ſeu magiſtri in artibus, qui in aliqua vniuerſitate priuilegiata ſtudentes fuerint, & huiuſmodi gradum adepti fuerint, ſi tales potuerint inueniri, qui voluerint huiuſmodi beneficijs deſeruire. Et vt faciliùs inueniri poſſint, ſtatuit hæc ſancta ſynodus, quòd quolibet anno, durante tempore quadrageſimæ, omnes & ſinguli hoc modo qualificati, de ipſa diœceſi & alij qui voluerint, habeant per ſe vel per procuratorem ſua nomina exhibere illis, ad quos beneficiorum curatorum collatio vel præſentatio ſpectat, ſeu eorum vicarijs. Quod ſi non fecerint, collatio ſeu præſentatio vel diſpoſitio aliter quàm (vt præmittitur) facta, non propter hoc irrita cenſeatur. Et ſimiliter in collatione tertiæ partis præbendarum ſuperiùs memorata, intelligatur, ſi tot graduati ſeu qualificati modo præmiſſo potuerint inueniri, teneanturque (vt præmittitur) ipſi graduati & qualificati ſua nomina tempore prædicto ipſis, ad quos beneficiorum diſpoſitio ſpectat, ſeu eorum vicarijs exhibere per ſe vel per procuratorem. Quod ſi non fecerint, collatio ſeu præſentatio vel diſpoſitio aliter quàm (vt præmittitur) facta, non propter hoc irrita cenſeatur. Si autem illi ad quos beneficiorum quæuis diſpoſitio ſpectat, contra ſupradictarum qualificationum deſignationem & ordinem aliquod beneficium contulerint, ſeu ad ipſum præſentauerint, vel quomodolibet diſpoſuerint, ſit ipſo facto irritum & inane, velut ſuperiùs præmiſſum eſt. Et nihilominus per concilia prouincialia cùm in his defecerint, aut etiam perſonis non idoneis quoquo modo prouiderint, iuxta tenorem conſtitutionis Concilij Generalis, quæ incipit, Graue de præbendis, corrigantur & debitè puniantur. Illi verò, ad quos beneficiorum regularium ſpectat collatio ſeu diſpoſitio, prætermiſſis indignis, eadem religioſis idoneis conferant & aſſignent. Quod ſi aliter fecerint, per eorum ſuperiores & capitula prouincialia corrigantur, & debitè puniantur. Datum in ſeſſione noſtra publica in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, nono Calendas Februarij, anno à Natiuitate Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo.

Theologũ in cathedralib. collegijs cur ad minus vnũ eſſe oporteat.

DECRETVM TERTIVM PROMVLGATVM IN *eadem ſeſſione, de ſuſpenſione domini Eugenij Papæ Quarti.*

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Audiuit omnis Eccleſia iam à plurimo tempore, quo pacto hæc ſancta ſynodus inter cætera ob reformationem ipſius Eccleſiæ Dei in capite & in membris ſpecialiter congregata, cùm ſua decreta ſalubria paſſim contemni proſpiceret, abuſumque deformitatem continuari, atque etiam plus ſolito inualeſcere in diuinæ maieſtatis offenſam, & vniuerſi ſacerdotij atque totius Chriſtianę religionis ruinam miſerabilem, videretque periculoſiſſimum ſchiſma per erectionem alterius prætenſi Concilij iſto durante, & alia plurima ſcandala imminere populo Dei, & vniuerſo orbi perturbationem non modicam ex reſiſtentia, quam aduerſus debitam reformationem Eccleſiæ & ſalubria huius ſanctæ ſynodi opera, dominus Eugenius Papa Quartus diui-

ſionem aſſiduam fouendo, & libitum propriæ voluntatis decretis & ordinationibus ſynodalibus pręferendo, præſtare videbatur: impulſa eſt poſt longam plurium annorum expectationem, ſuper regimine eccleſiaſtico ſalubrem prouiſionem quærere, & ipſum dominum Eugenium inducere, vt ea quæ ſaluti ſuiipſius & vniuerſæ Eccleſiæ congruebant, in tantis tamque vrgentibus neceſſitatibus agere curaret, cùm hoc ipſum eidem ſanctæ ſynodo maximè liceret, atque incumberet ex ea authoritate, quam à Chriſto immediatè accepit, cui vniuerſi fideles cuiuſcunque ſtatus, etiam ſi papalis exiſtant, obedire tenentur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis & reformationem Eccleſiæ in capite & in membris, veluti determinatio vniuerſalis Eccleſiæ in ſacris ſcripturis fundata, & in celeberrimo Concilio Conſtantienſi promulgata, diffiniuit, adijciens quòd quicunque contumaciter ipſi vniuerſali Concilio obedire contempſerit in prædictis & pertinentibus ad ea, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, ad alia iuris remedia, ſi opus fuerit, recurrendo. Et tandem pridiè Kalendas menſis Auguſti nouiſſimè præteriti, decreuit hæc ſancta ſynodus, terminum ſexaginta dierum peremptoriè præfigere, infra quem præfatus dominus Eugenius coram eadem ſynodo per ſe vel per alium compareret, ſi qua ſuper prædictis ac alijs in dicto monitorio expreſſis, cæteriſque in futurum proponendis, quæ tunc non ſine rationabili cauſa tacebantur, pro ſui excuſatione vel defenſione duceret proponenda. Quo termino elapſo, ſiue ductus dominus Eugenius compareret, ſiue non, hæc ſancta ſynodus ad vlteriora procedere decreuit, cognoſcendo & terminando, prout Eccleſiæ ſanctæ Dei, Spirituſancto dictante, videretur expedire. Sed (quod cum dolore referimus) ipſe dominus Eugenius infra aſſignatum terminum neque per ſe, neque per alium comparere voluit, aut minimam excuſationem ſi quam haberet, tranſmittere: imo correctionem effugere volens, diſſolutionem tranſlationem Concilij, quam de iure non poterat, de facto, pendente termino, attentauit: cùm tamen iam altera vice diſſolutionem huius Concilij per eum attentatam, reuocaſſet, declarans eam irritam & inanem, dicenſque ipſum Concilium pro reformatione Eccleſiæ in capite & in membris legitimè inchoatum, continuatum fuiſſe, & proſecutionem habere debere, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet. Quibus attentis, elapſo dictæ citationis termino, ſuam contumaciam in publica ſeſſione promotores & procurator fiſcalis huius ſacri Concilij accuſarunt. Exigenteque iuſtitia, hæc ſancta ſynodus in eadem ſeſſione contumaciam ipſam domini Eugenij ſufficienter accuſatam declarauit, ipſumque contumacem reputauit, decernens, eius abſentia non obſtante, ad vlteriora procedendum fore, prout ipſi ſanctæ ſynodo videretur, conſideratis neceſſitatibus & vtilitatibus vniuerſalis Eccleſiæ. Et quanquam attenta contumaciæ magnitudine, eadem ſancta ſynodus abſque vlteriori expectatione in ea re procedere potuiſſet, volens tamen nihilominus cum omni manſuetudine & benignitate procedere, ad inſtantiam inclytæ memoriæ Sigiſmundi Romanorum Imperatoris, & venerabilium Archiepiſcoporum cæterorumque Illuſtrium principum electorum ſacri Imperij, per ſexaginta dies adhuc cenſuit differendum, vt per huius ſanctæ ſynodi patientiam probaretur, ſi ipſius domini Eugenij animus ad ſalutem ſui ipſius & vniuerſalis Eccleſiæ inclinari valeret. Confeſtim autem plenius innotuerunt ea, quæ aduerſus hanc ſanctam ſynodum & eius ſuppoſita, in prætenſa diſſolutione iam attentata, ipſe dominus Eugenius perpetrauerat, transferendo hoc ſacrum Concilium in ciuitatem Ferrarienſem, ſi contra ipſum aut aliquem Oratorum ſuorum vlteriùs procederetur. Et præcipiendo ſub pœnis & cenſuris grauiſsimis, quas tamen inferre non poterat, ſuppoſitis huius ſacri Concilij, vt ab eo diſcederent: qua in re decreta ſacræ ſynodi Conſtantienſis & iſtius manifeſtè violabat, transferendo Concilium pro libito voluntatis, præter conſenſum ipſius, ac etiam vſurpando ſibi authoritatem ſupra ſanctam ſynodum, de reformatione Eccleſiæ in capite agentem, non rectè ſentiens (vt videbatur) de authoritate ſacrorum Conciliorum & determinationibus vniuerſalis eccleſiæ fidem concernentibus, tam in ipſo Conſtantienſi Concilio, quàm in iſto promulgatis ſuper obedientia, quam ſummi Pontificis ſynodis vniuerſalibus exhibere tenentur, ac etiam ſchiſma introducens, & aliud Concilium iſto durante erigens, quod nō fore Concilium, ſed cōuenticulum ſchiſmaticorum, iam præcedentibus decretis fuerat declaratum, ad diſſolutionem Concilij iam ſemel per ipſum reuocatum, iterum redeundo, & ex modo diſſolutionis ac pœnarum adiectionis, ſupra Concilium iuriſdictionem in facto reformationis aſſumendo, ſe non Concilio, ſed Concilium ſibi obedire teneri, factis ſuis proteſtando. Merebaturque tantarum tamque grauium offenſarum in Eccleſiam Dei & ſcandalum ipſius iam pluries attentatum ac præiudicium fidei multitudo, vt ilico in ipſum dominum Eugenium iuſti iudicij ſequeretur vltio pro ipſius & vniuerſalis Eccleſiæ ſalute. Sed non immemor hæc ſancta ſynodus maternæ pietatis, adhuc expectare voluit, ſi fortè ipſe dominus Eugenius à tanta inobedientia reſipiſcens, conuerteretur ad cor, euidentiſſimiſque iuribus & rationibus declarauit, hanc diſſolutionem & tranſlationem nullas penitus eſſe, nulliuſque roboris & momenti cum omnibus inde ſecutis. Intermiſſa quoque celeriori condignarum inflictione pœnarum, hæc ſancta ſynodus eas duntaxat pœnas aduerſus pręfatum dominum Eugenium eo tunc promulgare duxit, quæ aduerſus Romanos Pontifices ſacra Generalia Concilia diſſoluere, & perturbare tentantes, ordinatæ fuerant, vt videlicet niſi infra quatuor menſes à die diſſolutionis & tranſlationis per eum attentatarum, reſipiſceret cum ſatisfactione reali, ab omni adminiſtratione papali eſſet ipſo facto ſuſpenſus. Quæ quidem papalis adminiſtratio ad generale Concilium deuolueretur. Et ſi hanc pœnam per duos menſes ſuſtineret animo indurato, poſt quatuor prædictos menſes contra ipſum vſque ad priuationem incluſiuè per Concilium generale procederetur, quas pœnas hæc ſancta ſynodus ipſum Dominum Eugenium, ſi non reſipiſceret cum ſatisfactione reali (vt præmittitur) declarauit, & non ſolùm declarauit, ſed etiam expreſsè decreuit incurſurum. Cùm verò iam & prior terminus ſexaginta dierum indultorum poſt contumaciam accuſatam, & alius quatuor menſium poſt diem prætenſæ diſſolutionis & tranſlationis huius Concilij per ipſum Dominum Eugenium attentatarum, elapſi ſint, & pendentibus ipſis dilationibus, nulla correctio aut emendatio conſpiciatur proueniſſe, imo potius continuatio abuſuum & deformitatum in offenſam diuinæ maieſtatis & interitum animarum, rebellioque & inobedientia Domini Eugenij aduerſus ſanctam ſynodum vniuerſalem & decreta ipſius, procuratio inſuper aſſidua erectionis illius prætenſi Concilij Ferrarienſis per tranſmiſſionem literarum ad diuerſas regiones, & conuocationem plurimorum ad idem Concilium, quod fore conuenticulum ſchiſmaticorum, iam declaratum commemorauimus. Ex quibus & authoritatis ſanctorum Conciliorum peſſundatio, & reformationis Eccleſiæ Dei extinctio, & inductio ſchiſmatis inauditi per erectionem alterius prætenſi Concilij, iſto durante Concilio, ac denique determinationum Eccleſiæ vniuerſalis paruipenſio, in læſionem irreparabilem Catholicæ fidei ſequeretur, niſi diuina pietas ſuæ Eccleſiæ in tantis languoribus ſubueniret. Vrgetur tandem hæc ſancta ſynodus, ne tanta mala diſſimulando, aſſenſum illis præſtare videatur, & ne facilitas veniæ, incentiuum tribuat delinquendi ſeu malè agendi, cùm leuiora remedia non proficiunt, vtiliorem & ſalubriorem adhibere medicinam, atque poſt varias expectationes tandem ſaluti vniuerſalis Eccleſiæ prouidere, & ad ſuſpenſionem ipſius Domini Eugenij ab adminiſtratione papali, quam pœnam ſacra Conſtantienſis ſynodus Romanis pontificibus in varijs caſibus cenſuit inferendam, procedere, alias pœnas duriores adhuc pro ſua manſuetudine differendo, vt ſaltem per compulſionem iuſtitiæ cum temperamento miſericordiæ, ipſius Romani Pontificis animus ad ea quæ ſunt ſalutis & pacis, in reformationem debitam Eccleſiæ vniuerſalis & animæ ſuæ & totius populi Chriſtiani ſalutiferam ædificationem, ipſiuſque Eccleſiæ futuris temporibus pacificationem gratiſſimam, & authoritatis ſacrorum Conciliorum conſeruationem valeat inclinari. In virtute igitur omnipotentis Dei, in cuius nomine hæc ſancta ſy-

Conſtantiē. Conc. ſeſ. 4 & 5.

Baſileen. Concilij ſeſ. 26.

Suprà ſeſſione 16.

Hæc & id genus alia huius ſynodi cautè legenda ſunt ob multa, grauiſſimas ratiōs, quib. authoritas Papæ adſtruit, quę his eleuatur.

ęta ſynodus congregata exiſtit, & à quo immediatè poteſtatem ſuper vniuerſos fideles cuiuſcunque dignitatis, etiam ſi papalis exiſtant, (vt præmiſſum eſt) accepit, eadem ſancta ſynodus prædictum dominum Eugenium Papam quartum, manifeſtum contumacem, & in aperta rebellione perſiſtentem, ac notoriè incorrigibiliterque Eccleſiam Dei ſcandalizantem, omnibus præmiſſis tam coniunctim quàm diuiſim attentatis, ab omni adminiſtratione papatus in ſpiritualibus & temporalibus ſuſpendit, ac ſuſpenſum eſſe declarat, proceſſura tandem ad vlteriora vſque ad ſententiam finalem incluſiuè, ſi opus fuerit, ipſo domino Eugenio amplius non vocato, prout vtilitati & neceſſitati Eccleſiæ, ſpiritufancto dictante, conſpexerit expedire.

Suſpenditur Eugenius 4. à Papatu.

Omnem autem ipſius papatus adminiſtrationem in his omnibus, quæ in ſpiritualibus & temporalibus ad ſolum Papam & ſedem Apoſtolicam de iure pertinere noſcuntur, eadem ſancta ſynodus ad ſe ipſam decernit ac declarat eſſe deuolutam, ne propter gubernationis defectum, Eccleſia interim varia diſcrimina pati poſſit, decernens, irritum & inane, quicquid durante hac ſuſpenſione, per ipſum dominum Eugenium ratione papatus factum fuerit vel attentatum. Omnes quoque reges, principes, communitates & alios quoſcunque, cuiuſuis ſtatus & dignitatis exiſtant, hæc ſancta ſynodus monet & requirit, & eiſdem in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub diuini obteſtatione iudicij mandat, eccleſiaſticis verò perſonis quacunque dignitate, etiam, ſi Cardinalatus, patriarchali aut Pontificali præfulgeant, ſub pœnis quas ipſo facto incurrant excommunicationis & ſuſpenſionis ab omnibus dignitatibus, & beneficijs & officijs, quocunque nomine nuncupentur, etiam ſi forent metropolitanæ aut Cathedrales Eccleſiæ, ſiue in titulum, ſiue in commendam obtineant. Vicarijs autem, gubernatoribus, vaſallis, feudatarijs & ſubditis Romanæ Eccleſiæ ſub pœna priuationis ipſo facto omnium feudorum & aliorum quorumcunque iurium & priuilegiorum, quæ ab ipſa Romana Eccleſia obtinent, diſtrictè præcipit, vt durante hac ſuſpenſione, prætextu cuiuſuis iuramenti, ſubiectionis aut promiſſæ fidelitatis, eidem domino Eugenio nullatenus obediant. Ipſos quoque ad huiuſmodi iuramenta & promiſſiones, durante ipſa ſuſpenſione, nullatenus aſtringi declaramus, ſed ad hoc ſacrum Concilium in omnibus recurrant, pro quibus ad Romanum Pontificem recurrere ſoliti ſunt. Intendit enim hæc ſancta ſynodus mundè, iuſtè ac ſanctè neceſſitatibus quorumcunque prouidere. Mandat prætereà in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna priuationis, quam ipſo facto incurrant, omnium ſuorum beneficiorum, dignitatum, officiorum, commendatorum, penſionum, & gratiarum quarumcunque etiam expectatiuarum, omnibus & ſingulis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, Officiarijs curiæ, & clericis quibuſcunque in Romana curia exiſtentibus, cuiuſuis ſtatus & conditionis exiſtant, quatenus infra quadraginta dies proximè ſequentes poſt diem præſentis ſeſſionis, à Romana curia recedant, Et deinde Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi & alij Eccleſiaſtici (prout de iure vel conſuetudine ad generale Concilium ire tenentur) ſub pœnis iuris iter ſuum ſine fraude continuando, ad hoc ſacrum Concilium arripiant: reliqui verò qui ad generale Concilium non tenentur venire, ad reſidendum & Deo ſeruiendum in proprijs beneficijs, vel ad hoc ſacrum generale Concilium ſine moræ diſpendio & omni fraude ceſſante, ſe transferant, & accedant, decreto noſtro quod incipit, Compatiens, & alijs quibuſcunque huius ſanctæ ſynodi, in ſuo robore duraturis.

Baſileenſis Concilij ſeſſ. 29.

Omnes autem cauſas tam eccleſiaſticas ſpirituales, quàm etiam profanas ciuiles & criminales atque mixtas, inter quaſcunque perſonas, cuiuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtant, in Romana curia pendentes, ab ipſa Romana curia hæc ſancta ſynodus in eo ſtatu in quo ſunt, ad ſe aduocat, & aduocatas eſſe vult, & declarat expreſſe, inhibens omnibus iudicibus, auditoribus & commiſſarijs quibuſcunque prædictæ curiæ, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Pontificali aut alia quauis dignitate perfulgeant, ne in pręfatis cauſis procedere aut quicquam agere quouis modo præſumant. Quòd ſi poſt notitiam huius decreti noſtri quicquam fecerint, pœnas excommunicationis ipſo facto incurrant, ab ipſius excommunicationis ſententia huic ſanctæ ſynodo duntaxat, ipſa durante, abſolutione reſeruata, aut cognitione iuſti impedimenti (ſi quod allegaretur) quare à Romana curia ad hanc ſanctam ſynodum accedere debentes, non acceſſerunt: aut recedere debentes, non receſſerunt. Cuius quidem impedimenti allegatas cauſas intendit hæc ſancta ſynodus diligenter cum benignitate ſcrutari. Quicquid autem contra hanc aduocationem & inhibitionem attentari contigerit, ipſo iure decernit irritum & inane. Et vt fraudibus quæ excogitari poſſent, obuietur, quia cum datarum anticipationibus in præſentis * ſuſpenſionis ac huius decreti noſtri eluſionem, literæ papales vel aliorum ipſius authoritate ſublata, ante ipſam ſuſpenſionem produci poſſent, niſi ante huius decreti noſtri promulgationem fuerint intimatæ & publicatæ, eis nulla fides adhibeatur, & pro nullis habeantur.

* ſeſſionis

Decernit tandem hæc ſancta ſynodus, huius decreti publicationem in præſenti ſeſſione factam, eiuſque affixionem in valuis maioris eccleſiæ Baſileenſis, vim habere monitionis, citationis & executionis, & ita vniuerſos arctare, ac ſi perſonaliter apprehenſi & eis intimatum fuiſſet. Datum in ſeſſione publica in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, nono Kalendas Februarij, Anno à Natiuitate Domini 1439.

SESSIO XXXII.

De caſſatione prætenſi electionis laici à minori parte facti.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritufancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Pridem in decreto vigeſimænonæ ſeſſionis huius ſanctæ ſynodi, quod incipit, Compatiens, lucidè extitit declaratum, diſſolutionem huius ſanctæ ſynodi & tranſlationem eius in ciuitatem Ferrarienſem per Dominum Eugenium Papam Quartum de facto attentatas, tam in eo caſu quo cõtra ipſum virtute citatorij in noſtra vigeſimaſexta ſeſſione promulgati, aut contra quempiam præſidentium in Concilio oratorum ſuorum in aliquo procederetur, quam in eo caſu quo Græcos contingeret aduenire, nullas eſſe, prorſuſque irritas & inanes, huiuſmodique diſſolutionem ac tranſlationem repugnare veritati declaratæ per ſacram ſynodũ Conſtantienſem dicenti, quod generale Concilium vniuerſalem Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatẽ à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus & dignitatis fuerit, etiam ſi papalis, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris: quodque ſi in his & pertinentibus ad ea obedire contumaciter contempſerit, condignę pœnitentiæ ſubijciatur.

Conſtantien. Cõcil. ſeſ. 4. & 5.

Quæ veritas in verbis Chriſti fundata eſt, dicentis Simoni Petro: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Quęcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.

Matt. 18.

Et poſt pauca ſubdit: Vbi ſunt duo vel tres congretati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

Ibidem.

Eademque ſacrorum Conciliorum authoritas ſuper Romanum Pontificem & quemlibet alterum, in Actibus Apoſtolorum, declarationibus vniuerſalium Conciliorũ, & doctrinis ſanctorum multipliciter inuenitur patefacta. Repugnabat quoque talis diſſolutio & tranſlatio veritati, in hac ſancta ſynodo dudum multipliciter declaratæ, quod Papa Concilium vniuerſale ſine conſenſu ipſius diſſoluere non poteſt, aut de loco ad locum transferrre.

Vide epiſtolam retractatoriã Pij II.

Cui dominus Eugenius poſt longam reſiſtentiam, quam eidem veritati in prima prętenſa diſſolutione huius Concilij, & tranſlatione in Bononiam olim factis, & per vniuerſum orbem publicatis, ſub colore reductionis Græcorum, quam etiam veluti cauſam neceſſariam protunc allegebat, tandem aſſenſit, reuocans huiuſmodi diſſolutionem & tranſlationem, & dicens, ea non obſtante, Conciliũ à tempore ſuæ inchoationis legitimè continuatum fuiſſe, & decernens ac declarans irritam & inanem, ac etiam reuocans, quicquid per eum aut ſuo nomine factum, attentatum ſeu aſſertum erat contra ipſum Baſileenſe Conciliũ ſeu eius autho-

Baſileen. Conc. ſeſſio. 11.

authoritatem: & deinceps à grauaminibus eidem inferendis abſtinere pollicitus eſt, prout per quartamdecimam ſeſſionem huius ſanctæ ſynodi, præſente ſedis Apoſtolicæ legato & pluribus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus aſſentientibus, etiam inclitæ memoriæ Sigiſmundo Romanorum Imperatore, ſibi fuerat indictum. In qua ſeſſione forma præfatæ reuocationis & confeſſionis veritatis per ipſum dominum Eugenium faciendæ, decreta fuerat. In hac quoque veritate conquieuit vniuerſa Catholica Eccleſia, reputans ipſam diſſolutionem per eum, ſine conſenſu Concilij minimè fieri potuiſſe. Nec vllatenus aduerſus veritatem repugnandi, & ad errorem ſemel dimiſſum redeundi, cauſam aſſumere potuit ipſe dominus Eugenius ex prædicto citatorio. In quo poſt plurimas admonitiones ſibi factas, vt aliquam emendationem poneret efficacem in eccleſiaſtico regimine miſerabiliter defluente, & decreta ſalubria per hanc ſanctam ſynodum edita ſuſciperet, alijſque exempla bonorum operum præſtaret, ſeipſum & cæteros dirigendo in viam ſalutis, cùm ipſe ex aduerſo in contemptum huius ſanctæ ſynodi & totius Eccleſiæ deſolationem, plurimarumque diuiſionum ſuſcitationem, ſaluberrimæ reformationi ipſius corporis Eccleſiæ longo tempore reſiſteret: vniuerſalis Eccleſia congregata ipſum dominum Eugenium, ſicut mater filium delinquentem, in viam ſalutis dirigere ſatagens: & ſicut Paulus reprehendit Petrum coram omnibus, cùm non ambularet ad veritatem Euangelij: eundem dominum Eugeniū arguens, atque ex authoritate à Chriſto eidem Eccleſiæ data corripiens, defectus notorios, in quibus animam ſuam & vniuerſam rempublicam nimium grauabat, commemorauit, vocans ipſum & alios conuocans, vt in regimine Eccleſiæ ſalutaris apponeretur prouiſio. Quòd poſt longam tolerantiam tandem id agere* impulſa fuit hæc ſancta ſynodus, dum poſt contemptum reformationis ſalutaris, ad ſuſcitationem grauiſſimi ſchiſmatis & læſionem veritatis, ipſius matris Eccleſiæ vulnerationem grauiſſimam idem dominus Eugenius realiter procedebat, cui per prædictum citatorium ſummè neceſſarium erat obuiare, dum ſub coloribus exquiſitis eandem ſanctam ſynodum & eius opera diſſipare, atque quoddam conuenticulum in loco ſuæ voluntati dedito, nulliter ac de facto erigere, in ſciſſuram Eccleſiæ diſpoſuerat, cuius rei perficiendæ gratia iam triremes & oratores in Græciam tranſmittebat, ad impediendum aduentum Græcorum in locum per hanc ſanctam ſynodum nominatum, & perturbandum effectum noſtræ legationis in Conſtantinopolim tranſmiſſæ, atque rumpendum ea quæ inter ipſam ſynodum & Græcos concordata erant, in quibus etiam ipſe dominus Eugenius expreſsè conſenſerat. Sed nec vllum colorem diſſoluendi hoc ſacrum Baſileenſe Concilium, & ipſum in Ferrariam transferendi, in caſu aduentus Græcorum præfatus dominus Eugenius potuit aſſumere ex ſchedula per quandam prætenſam ſeſſionem conuenticuli Ferrarienſis (vt dicitur) commemorata, quam ſchedulam illi conuentionalem dixerunt ſuper termino Auinionenſibus præfixo in expeditione pecuniarum facienda, quam ſi non facerent, alium locum nominare ſeu eligere poſſemus, & teneremur, atque aliundè vniuerſali Eccleſiæ prouidere. Vel ex quadam alia ſchedula, quam temerariè decretum appellant, incipiente, Hæc ſacroſancta ſynodus inter ſuæ congregationis exordia, quod in vigeſimaquinta ſeſſione huius ſanctæ ſynodi promulgatum allegârunt, cùm ex rationabilibus & neceſſarijs cauſis in ipſa noſtra ſeſſione vigeſima quinta nominationem trium locorum Baſileæ, Auinionis & Sabaudiæ pro Oecumenico Concilio celebrando, ſolenni decreto noſtro incipiente, Nuper hæc ſacroſancta ſynodus, publicauerimus, volentes eam inconcuſſam & inuiolatam permanere, omnemque aliam nominationem ſeu electionem cuiuſcunque alterius loci decernentes irritam & inanem: vniuerſique facilè conſpiciunt, dominum Eugenium ex his rebus nullum fundamentum erectionis præfati conuenticuli aſſumere potuiſſe, qui veritatem geſtorum conſiderant. Quanquam enim inter deputatos quoſdam noſtræ congregationis actum fuerit, vt niſi per Auinionenſes infra præfixum terminum fieret pecuniæ expeditio, ad aliam nominationem procedendum foret, atque in noſtra generali congregatione concluſum, non tamen dici poteſt, hanc ſynodum per viam contractus cum aliquo conueniſſe: nullus enim tunc aderat, cum quo contractum huiuſmodi celebraret. Nec venit in dubium, quenquam cum ſeipſo non poſſe contrahere, cùm inter ſpondentem recipientemque ſponſionem, debeat eſſe diſtinctio perſonarum. Ipſius autem noſtræ concluſionis interpretatio, declaratio, moderatio, mutatio iuxta cauſas occurrentes, atque omnimoda diſpoſitio ad ipſum Concilium pertinebat, maximè cùm non ageretur de facto priuato cuiuſcunque perſonæ, ſed de rebus ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ concernentibus, quarum diſpoſitio ab vniuerſali Concilio ſub directione ſpiritus paracleti conſtituto, per cuiuſcunque aut quarumcunque perſonarum arbitrium non tollitur. Superuenit autem proteſtatio legatorum ſedis Apoſtolicæ aduerſus decretationem loci Auinionenſis, qui pariter cum Baſilea & Sabaudia in ipſa concluſione concorditer capta, iunctus erat. Quæ proteſtatio non modicam occaſionem retrahendi animos Auinionenſium à prædicta expeditione pecuniarum præſtabat: fueruntque ex alia parte per dominum Eugenium & ſuos, aduerſus hanc expeditionem, pendente termino aſſignato, grauia impedimenta in Auinione præſtita. Idque accidit, vt oratoribus noſtris in Auinionem venientibus, præcipui gubernatores ciuitatis tunc abſentes eſſent, ſine quibus res non poterant tractari. Quibus deinceps aduenientibus, ita actum eſt, vt Auinionenſes ipſi circa terminum præfixum capitaneum triremium noſtrarum de triginta millibus & octingentis florenis auri de camera contentarent, & oratores noſtros de reſiduo totius pecuniæ expetitæ, cautos ac ſecuros facerent, prout ipſi oratores noſtri hoc idem ſuis literis nobis intimauerunt. Requirebant autem ipſi Auinionenſes, vt decretationem electionis ſeu nominationis loci per nos factæ, expediremus. Quæ nos attentiùs conſiderantes, & intentioni huius ſanctæ ſynodi ſatisfactum eſſe iudicantes, per talem expeditionem pecuniarum, attentis maximè impedimentis interea appoſitis, (quoniam legitima impedimenta in omni concluſione rerum agendarum intelliguntur excepta) cùm & per hunc modum longè meliùs prouidebatur vniuerſali Eccleſiæ, quàm dimittendo omnia quæ parata erant pro legatione mittenda in Græciam, & intrando magnas difficultates electionis alterius loci in turbationem rerum agendarum, maximè quoniam vrgebamur conuentiones noſtras cum capitaneo claſſis triremium Eccleſiæ initas ſeruare, (cui dilectus Eccleſiæ filius Iulianus tituli ſanctæ Sabinæ presbyter Cardinalis, Legatus ſedis Apoſtolicæ, vexillum Eccleſiæ & baculum peregrinationis in noſtra congregatione generali nomine noſtro tradiderat, cuique iam grandis ſumma pecuniæ per Auinionenſes aſſignata erat) concluſimus ad ipſam decretationem locorum priùs electorum, videlicet Baſileæ Auinionis & Sabaudiæ, procedendum fore, & duæ partes huius ſacri Concilij & ampliùs in eandem ſententiam conuenerunt, licet pauci de hoc non contenti, alium locum pro celebratione Oecumenici Concilij nominare, & deputare præſumpſerunt, abſque hoc quod talis poteſtas eis competere declarata fuiſſet. Quibus nec competebat de ſtatu totius Concilij & vniuerſalis Eccleſiæ, factiſque fidei ſeu pertinentibus ad ea, contra conſenſum duarum partium Concilij, & morem per maximè in generalibus Concilijs à principio naſcentis Eccleſiæ obſeruatum diſponere: qui tamen adhuc in nominando loca non concordes extiterunt, pauciſſimique fuerunt, qui tandem in hoc reſediſſe dicuntur, quòd nominationem facerent Vtini & Florentiæ, aut alterius loci, qui tutus eſſet, ac Papæ & Græcis accommodus, quique galeas & pecunias primò expediret. In aliqua quoque noſtrarum quatuor deputationum, in qua octoginta perſonæ erant, vnus ſolus formam talis nominationis, veluti decretandam, propria voluntate produxiſſe, ſolus deliberaſſe, & concluſiſſe dicitur. In alijſque deputationibus valdè pauci hoc idem egiſſe dicuntur aduerſus ordinationes huius ſanctæ ſynodi. Et demum, cùm ſeſſionem noſtram ſuper decretatione locorum Baſileæ, Auinionis & Sabaudiæ celebraremus, legereturque noſtrum decretum in ambone maioris Eccleſiæ Baſileenſis iuxta morem conſuetum,

Gal. 2.

* cōpulſa

vnus ex illis pauciſſimis in loco inferiori & inſolito, quandam ſchedulam legere præſumpſit, à paucis vel nullis intellectam, quæ nominationem locorum Vtini & Florentiæ aut alteri loci (vt promittitur) per pauciſſimos factam continere dicebatur, qui etiam in ea ſynodum generalem contra conſenſum duarum partium Concilij & ampliùs ſe (vt dicitur) appellare preſumebant, licet nulliter & de facto. Sed non propterea dimiſimus decreti noſtri præfati publicationem ſuper nominatione Baſileæ, Auinionis & Sabaudiæ continuare, quod aliam nominationem locorum irritam declarauit. Nam & ſi ita permitteretur, vt longè minor pars in Concilijs generalibus aduerſus partem multo maiorem aliqua decretaret, ſibi authoritatem totius Concilij aſſumeret, ingreſſus periculoſiſſimus ad multas diuiſiones excitandas in futurum, & deſtructionem ipſorum Conciliorum præberetur. Neque literas ſuper illo prætenſo decreto, ſic per nos irrito declarato, bulla huius ſanctæ ſynodi bullari tolerauimus, licet quidam falſo & clandeſtinè aliquas bullauerint, ſicut eas falsò bullatas fuiſſe declarauimus, per ſolenne decretum in vigeſima ſeptima ſeſſione huius ſanctæ ſynodi promulgatum. Sed nec ipſius prætenſi decreti tenorem obſeruauit dominus Eugenius, imo effectum eiuſdem (ſi quis fuiſſet) euacuauit, dum Florentiam, quæ in illo (vt dicitur) nominata erat, & pecunias atque galeas diſponebat, per eum acceptatam reiecit, & deinde Bononiam, ſicut fertur, poſtremò Ferrariam pro libito ſuæ voluntatis elegit, ac etiam priuſquam Græci ad portum aliquem citramarinum applicuiſſent, conciliabulum in ipſa ciuitate Ferrarienſi erexit.

Conciliū Ferrar. & Latina & Græca eccleſia reuerenter agnoſcit.

Neque ad ipſum arbitrari ſpectabat, quis locus tutus erat pro Concilio celebrando, cùm ipſe talem locum tutum iudicare poterat, quem ſancta ſynodus minimè tutum reputaſſet. Nec aſſerere poteſt, ſibi facultatem per præfatum prætenſum decretum attributam, vt nunc in vno loco, nunc in altero (prout vellet) Concilium fieri ordinaret, ac de eius ſecuritate iudicaret, quod nec illi pauci fecerunt, nec ſub nomine generalis ſynodi aduerſus ſynodum ipſam, & eius libertatem atque authoritatem tale aliquid faciendi, ipſamque voluntati Papæ ſubijciendi, colorem aliquem habuerunt. Neque etiam in Concilio vnquam conuenerunt ad iudicandum, vel declarationem faciendum ſuper ſecuritate loci Ferrarienſis, aut adimpletione primò facta ex parte loci illius in expeditione galearum & pecuniarum, de quibus in ipſo prætenſo decreto agi dicebatur. Denique nec per eos qui illud condidiſſe dicuntur, hoc obſeruatum eſt, vt firmiter in Baſilea ſteterint, donec Græci ad portum applicuiſſent. Quodque deinde infra menſem receſſerint ad locum ipſis Græcis per oratores Concilij nominatum, neque in hoc conuentiones cum Græcis concordatas obſeruárunt, ſicque tametſi prætenſum illud decretum aliquam apparentiam priùs habuiſſet, quam tamen veraciter non habuit, fuit ex conſequentibus effectibus euacuatum: ipſumque caſſum, nullum & irritum penitus eſſe & fuiſſe, nulliuſque roboris & momenti, decernit & declarat hæc ſancta ſynodus, inhibens ne quis quacunque dignitate, etiam ſi papali præfulgeat, dictum prætenſum decretum ſub nomine legitimi & ſynodalis decreti audeat nominare, nec illius executioni fauores quomodolibet impendere, ſub pœnis & cenſuris contra violatores & turbatores vnitatis ac pacis eccleſiaſticæ à iure impoſitis, in quas decernit hæc ſancta ſynodus eos incidere ipſo facto, notum faciens vniuerſis, ſuum verum decretum legitimè concluſum, ex aſſenſu duarum partium & amplius iuxta decreta & ordinationes ipſius, & ex communi omnium ſuppoſitorum Concilij concordia, nemine diſcrepante, vera eius bulla plumbea bullatum, veraciter per eam fuiſſe obſeruatum, & in executionem deductum, conuentioneſque initas cum Græcis ex parte ſua, quantum in ſe fuit, adimpletas extitiſſe. Quæ quidem ſancta ſynodus oratores ſuos venerabiles epiſcopos Viſenſem & Lauſanenſem ac Nicolaum de Mentone militem, cum galeis & pecunijs in Græciam miſit, qui coram Imperatore Romeorum, & Patriarcha Conſtantinopolitano omnia ex integro adimplere obtulerunt, quæ ipſis promiſſa fuerant, ſicuti ſua relatio cum atteſtatione publicorum notariorum nobis facta indicauit, locumque OEcumenici Concilij celebrandi nominauerunt, qui anteà per ipſos Græcos in ſuis conuentionibus expreſsè acceptatus fuerat & concordatus. Portum etiam tali loco aptiorem aſſignauerunt, requirentes eoſdem Imperatorem & Patriarcham, vt pariter ſua promiſſa adimplerent. Qui ſe excuſauerunt ſuper non aduentu eorum, allegantes tempus adimplendarum promiſſionum elapſum fuiſſe, prout per literas ſuas nobis reſcripſerunt, quanquam tamen huic reſponſioni fuerit plenè ſatisfactum per oratores noſtros, quoniam ipſi conuenienti tempore, menſe ſcilicet Februarij, anno præterito ab hoc ſacro Concilio receſſerant pro veniendo illuc ante terminum aſſignatum, ſi non fuiſſent multiplicia impedimenta ſibi deinceps obiecta, quæ notoria ſunt: quoniam in conuentionibus cum Græcis per nos initis expreſsè cautum erat, omnia intelligi debere bona fide, ſine fraude & dolo & abſque impedimento legitimo & manifeſto. Sed vltra hæc etiam præfatus Imperator alteri oratorum noſtrorum Ioanni de Raguſio in ſacra Theologia magiſtro, ordinis Prædicatorum apud eum exiſtenti, dixerat ſe eſſe contentum, vt oratores ipſi & galeæ ante menſem Octobris In Conſtantinopolim non venirent. Plurimas verò practicas in Græcia factas accepimus per eos, qui ex parte domini Eugenij tranſmiſſi fuerunt, vt aduentum ipſorum Græcorum ad alterum locorum per nos nominatorum, impedirent, atque ipſos in locum, quem vellet dominus Eugenius, atraherent. Et in vna triremi, in qua principalis oratorum ſuorum præſens erat, nuncius quidam, quem noſtri oratores præmiſerant cum literis huius ſacri Concilij & plurium principum Chriſtianorum, captus eſt, veluti per debitam informationem cognouimus, nec deinceps de vita eius quicquam nobis aut noſtris oratoribus compertum extitit. Domus quoque præfati Ioannis de Raguſio Oratoris noſtri in Conſtantinopoli, inuaſione baliſtariorum fuit impetita: aliquaque ibidem facta ſunt, quæ non eſt neceſſarium recitare per ſingula, vt ſic ad fines ſuos pertingere poſſent. quos miſerat Dominus Eugenius, ita vt noſtri oratores ſine Græcis ipſis, proteſtatione tamen ſolenni contra eoſdem priùs facta, redire oportuerit. Quæ omnia præualere non potuerunt aduerſus veritatem. Sic hæc ſancta ſynodus cuncta cum Græcis concordata ex parte ſua adimpleuit, nec per ipſam remanſit, quo minùs Concilij OEcumenici celebratio cum Græcis in loco etiam per eos nominato habita fuerit, iuxta ea quę cũ ipſis conuenta erant, ſi illi ꝓmiſſa ſua ſeruaſſent, aut per alios nõ fuiſſent impediti ſeu retracti. Intenditq; & proponit eadem ſancta ſynodus, Deo adſpirante, authoritatẽ & veritatem Catholicæ & vniuerſalis Eccleſiæ, quam ipſa repræſentat, ac integritatem fidei orthodoxæ iugiter illæſas conſeruare, pro honore ipſius omnipotentis Dei & ſalute animarum: nec bono ipſius vniuerſalis Eccleſiæ conueniens exiſtimat, per quaſcunque practicas aut exquiſitos colores, etiam ſub ſpe dubia proſequendi, modis aliundè excogitatis, alia negocia quorum euentus incerti ſunt, authoritatem Conciliorum vniuerſalium conculcari, veritates declaratas per Eccleſiam, & fidem orthodoxam concernentes, proſterni, viam aperiri Romanis pontificibus ad diſſoluenda Concilia generalia per varios modos ſine ipſorum conſenſu, ex quo facilè poteſtatem datam ad ædificationem, in deſtructionem verti contingeret, reformationemque Eccleſiaſtici ſtatus, pro qua iam tot ſunt adhibiti labores, fruſtrari, atque ipſius eccleſiæ ſtabilitatem & decorem hoc modo deperire. in perditionem animarum & totius populi Chriſtiani lamentabile detrimentum. Sic enim poſſemus & illa bona maxima ex nunc perdere, & illa alia non acquirere, atque ſic totam eccleſiam in confuſione relinquere. Primùm quidem nobis incumbit, Eccleſiæ fidem, veritatem & authoritatem conſeruare, & deinceps cunctos ad eius vnitatem redire volentes, ſyncera charitate amplecti, prout & nos ſemper parati ſumus & erimus. Cùm itaque ea nulla eſſe & penitus inualida, quæ dominus Eugenius aduerſus hanc ſanctam ſynodum, in ipſius prætenſa diſſolutione & tranſlatione in Ferrariam, notoriè conſtet, ipſumque conuenticulum Ferrarienſe non fore Concilium, ſed ſchiſmaticorum conuẽticulum, dudum præfato decreto vigeſimænonæ ſeſſionis huius ſanctæ ſynodi declarauimus, meritoque pœnam ſu-

Ferrarien. concil. & Lat. & Gręci inter Oecumenica numerant & venerãtur

ſpenſionis ab adminiſtratione papali in ſpiritualib⁹ & temporalibus iamdudum contrà Romanum Pontificem, Concilium vniuerſale ſine ipſius conſenſu diſſoluere aut transferre attentantem, ordinatam, in ipſum dominum Eugenium tulerit, & latam eſſe declarauerit hæc ſancta ſynodus, ac etiam quaſcunque ſententias, pœnas & cenſuras excommunicationis, priuationis, inhabilitationis, interdicti, & alias contra huius ſanctæ ſynodi ſuppoſita, & eidem adhærentes, per ipſum dominum Eugenium latas & ferendas, caſſas & nullas fuiſſe & eſſe declarauerimus: non neceſſe arbitramur, vt denuò ad ea caſſandum & irritandum procedamus, quæcunque per ipſum dominum Eugenium aut præfatum Ferrarienſe conuenticulum facta ſunt aduerſus eandem ſynodum, quæcunque eius ſuppoſita, & quoſcunque ipſis adhærentes, etiam ante ipſius domini Eugenij ſuſpenſionem ab adminiſtratione papali, & quæ durãte ipſius ſuſpenſione aut præfato conuenticulo, facta ſunt, fiunt, aut fient in futurum, in quibuſcunque per ipſum videlicet dominum Eugenium ratione papatus, aut ipſum conuenticulum ſub generalis aut OEcumenici Concilij nomine, qui etiam victualia ſuppoſitis huius ſanctæ ſynodi auferri, & portantes ea ſpoliari, eorumq́ue ſpolia primò capientium occupanti cedere * mandauit: quæ quàm grauia ſint aduerſus vniuerſalem Eccleſiam, & quanta reprehenſione digni ſint qui talia agunt, cuncti conſpicere poſſunt. Nos quoque omnibus & ſingulis manifeſtantes veritatem, declaramus omnia prędicta per ipſum dominum Eugenium, aut ipſum conuenticulum facta & facienda, etiam contra dictos Eccleſiæ filios ciues Baſileenſes & eorum ciuitatem, nulla penitus, caſſa & irrita fuiſſe & eſſe, nec aliquem ipſius domini Eugenij, præfatique conuenticuli præceptis, mandatis aut prohibitionibus, etiam prætextu cuiuſcunque iuramenti aut obligationis, in quibuſlibet prædictis teneri obedire, imo potiùs ad nõ obediendũ illis omnes & ſingulos catholicos ex præcepto nomini & Eccleſiæ ſponſæ eius quam ab omnibus audiri iubet, eſſe adſtrictos. Requirimuſq́ue & monemus vniuerſos Chriſti fideles, vt Eccleſiæ Catholicæ (quæ à directore dirigitur ſapientiſſimo & infallibili) per hanc ſanctam ſynodum repræſentatæ firmiter adhæreant vſque in finem, nec vllis tentationibus per voluntatem cuiuſcunque ſuſcitatis aut ſuſcitandis, ab ipſius Eccleſiæ firmitate & veritate ſuos animos dimoueant confidentes in ſuperno ſaluatoris noſtri auxilio, qui ad Eccleſiam ſuam dixit, Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad cõſummationem ſeculi: manenteſq́ue perſeueranter in ipſa Eccleſia domo, quæ vt ait B. Hieronymus, declarans ſacræ ſcripturę veritatem dicitur ædificari ſupra firmam petram, quæ vnica columba appellatur, quæ ſponſa pulchra ſine ruga & macula, quæ domus etiam claues accepit & poteſtatem ligandi & ſoluendi: Hanc domum ſi quis corrigentem corripientemq́ue contempſerit, ſit tibi (inquit) ſicut Ethnicus & Publicanus) ſoliditatemq́ue fidei ſemper teneant, memorantes etiam dictum illud beati Cypriani: Alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt, habere non poteſt Deum patrem, qui vniuerſalis Eccleſiæ non tenet vnitatem.

Mandarũt

Matt. vlt.

Matt. 7.
Cant. 6.
Matt. 18.

Inſuper quoniam in ſupradicto decreto vigeſimænonæ noſtræ ſeſſionis, pœnas & cenſuras iuſtiſſimas promulgauit hæc ſancta ſynodus aduerſus omnes, qui ad præfatum conuenticulum Ferrarienſe accederent, aut mitterent, præcepitque ſub eiſdem pœnis & cenſuris omnibus & ſingulis in curia, quã dominus Eugenius quondam tenebat, aut etiã actu de facto tenet exiſtẽtibus, vt ſi conuenticulũ Ferrariẽſe per eũ erigi cõtingeret, ab eius curia recederẽt, & deinceps declarata ſuſpenſione ipſius ab adminiſtratione papali, etiam ſub pœnis & cenſuris in decreto noſtræ vigeſimænonæ ſeſſionis contentis, mandauimus, vt infra quadraginta dierum ſpacium ab eadem curia recederent: ideo omnes & ſingulos in conuenticulo Ferrarienſi aut prætenſa ipſius domini Eugenij curia exiſtentes, & in prædictis noſtris decretis comprehenſos, qui eorundem decretorum monitionib⁹ non paruerunt, citat hæc ſancta ſynodus, vt trigeſimo die à data præſentis decreti computando, in noſtra generali congregatione (ſi tunc eam celebrari contingat) alioquin in proxima ſubſequente, compareant coram eadem ſancta ſynodo, viſuri ſe declarari in pœnas prædictas incidiſſe, aut iuſtas cauſas (ſi quas habeant) allegaturi: quem terminum ipſis peremptoriè & vna vice pro omnibus hæc ſancta ſynodus duxit aſſignandum, & aſſignat, decernens vlteriùs contra eos procedendum fore, & declarandum, prout iuris & rationis fuerit, quorum omnium nomina & cognomina haberi vult pro ſufficienter expreſſis. Inſuper cum in prima ſeſſione huius ſanctæ ſynodi pœnæ excommunicationis, anathematizationis & interdicti decretæ fuerint aduerſus omnes & ſingulos, qui quaſcunque perſonas eccleſiaſticas vel ſeculares, ad hoc ſacrum Concilium venientes, ſeu in eo ſtantes, aut ab eodem recedentes, temeritatẽ propria per ſe vel alium ſeu alios arreſtare, inuadere, capere, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, vel bonis ſuis ſpoliare, vel iniurijs affligere, ſeu ipſos ſic delinquentes receptare, aut aliàs quomodolibet impedire, ſeu ea perpetrantiũ facta & commiſſa, rata & grata habere, vel eis dare conſilium, auxilium vel fauorem, publicè vel occultè, directè vel indirectè præſumpſerint, vel præſument in futurum, quæ pœnæ ſolenni decreto Concilij Conſtantienſis aduerſus prædictos fuerunt ordinatæ, vltra eaſdem pœnas & cenſuras, quas omnes & ſingulos qui mandato præfati domini Eugenij, vel præfati conuenticuli Ferrarienſis, quicquam prædictorum fecerint, aut facient in futurum, expreſsè incurriſſe, & incurſuros eſſe decernimus ac declaramus. Etiam contra eoſdem, tanquam contra fautores ſchiſmatis, ad grauiora procedendum fore decernit hæc ſancta ſynodus, omnibus alijs decretis & ordinationibus eiuſdem ſanctæ ſynodi in ſuo robore duraturis. Decernit tandem hæc ſancta ſynodus omnes & ſingulos ſupradictos per publicationem præſentis decreti in valuis maioris Eccleſiæ Baſileenſis affigendi, perinde arctari ac arctatos intelligi, ac ſi dictæ citationis, ordinationis & declarationis executio ad eorum proprias perſonas facta fuiſſet. Datum in ſeſſione noſtra publica in maiori Eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, 9. Cal. Aprilis, Anno à Natiuitate domini 1438.

SESSIO XXXIII.

De veritate fidei Catholicæ per tres veritates.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Sicut vna eſt Chriſti Eccleſia, quæ (vt ait Apoſtolus) eſt columna & firmamentum veritatis, ſic omnia Eccleſiæ mẽbra vnitatem ſemper obſeruare neceſſe eſt in profeſſione Catholicæ veritatis, atque fideliter & firmiter credere, quicquid per ipſam Eccleſiam de veritate fidei fuerit declaratũ, vt non ſicut paruuli fluctantes circumferantur omni vento doctrinæ, aut per repugnantium dogmatum varietatem in diuiſiones & ſchiſmata prolabantur. Dudum autem in ſacra generali Conſtantienſi ſynodo conueniens Catholica Eccleſia, veritatem de generalium Conciliorum authoritate ſolenniter declarauit. Deinde in hac ſacra generali Baſileenſi ſynodo, eandem neceſſariam declarationem ſub eodem qui ſequitur tenore, innouauit. Primò, quod generalis ſynodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, generale Cõcilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent fidem, ad extirpationẽ ſchiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris. Item declarat, quod quicunque cuiuſcũque dignitatis, etiã ſi papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis ſiue ordinationibus aut præceptis huius ſanctæ ſynodi & cuiuſcunque alterius Concilij generalis legitimè congregati, ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus, factis vel fiendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia (ſi opus fuerit) recurrendo. Cumq́ue (ſicut præfertur) quilibet cuiuſcunque dignitatis etiam ſi papalis exiſtat, Concilio generali in * præmiſſis obedire teneatur, declaratum etiam fuit frequenter ac dilucidè, quòd ipſum generale Concilium pro præmiſſis eaq́ue concernentibus, aut aliquo præmiſſorum actu congregatum, ſine ipſius con-

1. Tim. 3

Eph. 4.

*prędictis

ſenſu

ſenſu per nullum quauis authoritate, etiam ſi papali dignitate præfulgeat, diſſolui, transferri, aut ad aliud tempus prorogari poteſt. Et licet has eſſe veritates fidei Catholicæ, ſatis conſtet ex pluribus declarationibus præcedentibus, tam in præfato Conſtantienſi Concilio, quam in hoc Baſileenſi factis, ad maiorem tamen ſoliditatem & firmitatem omnium Catholicorum in vnanimi profeſſione veritatum ipſarum, hæc ſancta ſynodus definit, declarat, prout ſequitur:

Quemadmodũ has veritates damnarit Eugenius 4. vide infra ſeſ. 38.

Veritas de poteſtate Concilij generalis vniuerſalem Eccleſiam repræſentantis, ſuprà Papam & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe & hoc Baſileenſe generalia cõcilia, eſt veritas fidei Catholicæ.

Veritas hæc, quòd Papa Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, actu legitimè congregatum ſuper declaratis in præfata veritate aut aliquo eorum, ſine eius cõſenſu nullatenus authoritatiuè poteſt diſſoluere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum trãsferre, eſt veritas fidei Catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, eſt cenſendus hæreticus. Datum in ſeſſione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, xvij. Cal. Iunij, Anno à Natiuitate Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono.

Nota, qđ eſt conciliabulum ac illegitimum & ob id omnia ſancita nullius eſſe valoris. Vide Schol. fol. 720. in calce.

SESSIO XXXIIII.

De depoſitione Eugenij Papæ Quarti.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritusancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Pſal. 101.

Proſpexit dominus de excelſo ſancto ſuo, de cælo in terram adſpexit, vt audiret gemitus plorantis Eccleſiæ ſuper perditionibus animarum precioſo Ieſu Chriſti ſanguine redemptarum, & malis innumeris, quæ in religionem Chriſtianam irruerunt. Et quoniam iuſtus eſt ipſe dominus, & iuſtitias dilexit, in vnum hominem, per quem ſcandalum venit vniuerſo orbi, & quo grauiter peccante, atque correctionem ſpernente, ira ſuper omnem populum venire videtur, iudicium facere diſpoſuit, per miniſterium Eccleſiæ ſuæ congregatę in nomine ipſius Chriſti Saluatoris omniũ, qui ait: Vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum, & qui de peccatore nolente Eccleſiam audire, dixit: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Eiuſdem quoque diuina prouidentia præuidens reſiſtentias & oppugnationes, quas aduerſus reformationem Eccleſiæ Dei & authoritatem ſacrorum generalium Conciliorum ipſam Eccleſiam repræſentantium, ac bonum publicum totius religionis Chriſtianæ, ſuſciturus erat in tempore ſuo Eugenius Papa quartus, quantaque ſcandala, diuiſiones & ſchiſmata facturus in orbe, ſacram ſynodum Conſtantienſem excitauit per Spiritũ ſanctum, vt declarationem veritatis fidei Catholicę toti orbi explicaret dicentem, quòd Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam reprę́ſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunque dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidẽ, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ in capite & in membris. Item quòd ſi quis cuiuſcũque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſiue, ordinationibus, aut præceptis ipſius Concilij generalis in prædictis & pertinentibus ad ea contumaciter obedire contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia (ſi opus fuerit) recurrendo. Qua ſiquidem declaratione vitam parauit miſerator dominus, per quam Eccleſia Dei in præfatum Eugenium multiplices exceſſus, qui adeo notorij ſunt, quòd nulla tergiuerſatione celari poſſunt, perpetrantem & contumaciter Eccleſiam audire, ac præceptis, ſtatutis & ordinationibus ſynodalibus obedire contemnẽtem, iuſtum iudicium ferre haberet, iuxta cuius veritatis declaratæ diſpoſitionẽ, hæc ſancta ſynod⁹ Baſileen. in Spirituſancto legitimè cõgregata, vniuerſalẽ Eccleſiam repræſentans, neceſſarium eſſe iudicans, vt cui pia non prodeſt correctio, debita non parcat abſciſio: poſtquàm in multa longanimitate, patientia & manſuetudine poſt plures admonitiones expectauit eundem Eugenium, vt ſalutarem emẽdationem & exceſſuum prędictorum correctionem efficeret, tandem cùm ampliùs differri non poſſit, quo minus Catholicæ fidei & ſaluti vniuerſæ Chriſtianæ religionis ſub auxilio ſpiritus paracleti ꝓuideatur, ne ex vlteriori protelatione iuſtitiæ ſanguis pereuntium animarum de noſtris manibus requiratur, ſed cũ diligentia ſalubre regimen gregi dominico præbeatur, vt poſtquàm veritas de terra militantis Eccleſiæ orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit, Deus ipſe donet benignitatẽ, & terra noſtra proferat fructum ſalutarẽ, oriaturq; ſimul noſtris diebus iuſtitia & abundantia pacis: eadem ſancta ſynodus pro tribunali ſedens, per hanc ſuam ſententiam diſſinitiuam, quam fert in his ſcriptis, pronunciat, decernit & declarat, Gabrielem prius hominatum Eugenium Papam IV. fuiſſe & eſſe notorium & manifeſtũ cõtumacem, mandatis ſeu præceptis Eccleſiæ vniuerſalis inobedientem, & in aperta rebellione perſiſtentem, violatorẽ aſſiduum atq; contemptorem ſacrorum canonum ſynodalium, pacis & vnitatis Eccleſię Dei perturbatorem notoriũ, vniuerſalis eccleſiæ ſcandalizatorem notorium, Simoniacũ, periurum incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide deuiũ, pertinacem hæreticum, dilapidatorem iurium & bonorum Eccleſiæ, inutilem ac damnoſum ad adminiſtrationem Rom. Pontificij, omni titulo, gradu, honore & dignitate ſe reddidiſſe indignum. Quem propterea eadem ſancta ſynodus à papatu & Romano pontificio ipſo iure priuatum eſſe declarat & pronunciat, ac ipſum ab eiſdem amouet, deponit, priuat & abijcit, decernendo nihilominùs contra eundem ad executionem etiam aliarum iuris pœnarum, ad quas hæc eadem ſancta ſynodus, ac eadem ſua ſententia ipſum condemnat, vlteriùs fore procedendum. Ac eidem inhibet, ne deinceps pro Papa vel Romano Pontifice ſe quouis mòdo nominet ſeu gerat. Omneſque Chriſticolas ab ipſius obedientia, fidelitate ac iuramentis & obligationibus, eidem quomodolibet præſtitis, abſoluit & abſolutos eſſe declarat, ac omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus inhibet, ſub pęnis fautoriæ ſchiſmatis & hæreſis ac priuationis omnium beneficiorum, dignitatum, & honorum eccleſiaſticorum & mundanorum, & alijs pœnis iuris, etiam ſi Imperialis, regalis, Cardinalatus, patriarchalis, archiepiſcopalis, aut epiſcopalis dignitatis, aut etiam ſi cõmunitates, vniuerſitates, & collegia exiſtant, qui ſi contra hanc inhibitionem fecerint, ſint authoritate huius decreti ac ſententiæ ipſo facto priuati, & alias iuris incurrant pœnas, eidem Gabrielis notorio ſchiſmatico, periuro, hæretico, ſcandalizatori, incorrigibili, pertinaci, priuato, depoſito, amoto, & taliter declarato, tanquã ſummo Pontifici obediant, pareant, vel intendant, aut eum quouis modo ſuſtineant vel receptent, aut ſi ſibi auxilium, conſilium vel fauorem præſtent. Necnon pronunciat, decernit, & declarat eadem ſancta ſynodus, omnes & ſingulos proceſſus, inhibitiones, ſententias, cenſuras, cõſtitutiones, ordinatinationes, & alia quæcunq; per eum, aut alios quoſcunque factos & facta, quæ poſſent præmiſſis obuiare, irritos & inanes, ac irrita & inania, nulliuſque fuiſſe, aut fore roboris vel momenti. Datum in ſeſſione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, 7. Cal. Iulij, Anno à Natiuitate Domini 1439.

Pſal. 19.

Math. 18.

Ibidem.

Pſal. 84.

Pſal. 71.

Pius II. Pon. Max. Eugeniũ hùc vocat virũ bonũ & ſanctũ, & cum de multis falſo accuſatum dicit. Vide eius bullã retractatoriam.

SESSIO XXXV.

De ſtabilitate Concilij Baſileenſis.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spirituſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Diligentibus Deum nihil in hoc ſeculo tam graue videri debet, quod ab operibus charitatis, in eius gloriam & animarum ſalutem explendis, animos eorum retrahat, cùm & B. Paulus Apoſtolus dixerit, neque mors, neque vita poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Idcirco hæc ſancta ſynodus in nomine ipſius Chriſti ſaluatoris congregata, non obſtantibus quibuſcunque impedimentis, opera ſancta reformationis Eccleſiæ ſanctæ Dei & ſalutis vniuerſorum, quantum conceſſerit di-

Rom. 8.

uina

uina pietas, & conſtanter & perſeueranter proſequi deſiderans, atque iam ſe moto per iuſtitiæ rectitudinem præcipuo obſtaculo, quod perinutilem & damnoſam adminiſtrationem Romani Pontificis maximè oberat vnitati, paci & debitæ gubernationi ipſius Eccleſiæ, pacem cunctorum quantum fieri poteſt, perquirere cupiens, cùm in decreto vndecimæ ſeſſionis eiuſdem ſanctę ſynodi ſtatutum fuerit, quòd hoc præſens Baſileenſe Concilium non poſſit diſſolui, niſi conſentientibus duabus partibus eiuſdem Concilij, ſcrutatis votis ſingulorum, primò in ſingulis deputationibus, & deinde in congregatione generali, ac demum in ſeſſione publica decretatione ſubſequuta, & deinceps ſuper modo ponendi materiam diſſolutionis Concilij, in deliberatione per deputatos duodecim fuerit certa concluſio recepta, pridiè idus Decembris, anno à Natiuitate Domini 1438. ſtatuit, decernit & declarat, quòd per receſſum cuiuſcunque, aut quorumcunque, cuiuſcunque ſtatus, aut dignitatis, ab hac ciuitate Baſileenſi, etiam ſi Cardinalatus, patriarchalis, aut pontificalis exiſtant, non ſit, neque cenſeatur Concilium diſſolutum, niſi iuxta formam & modum prædictorum decreti & concluſionis proceſſum fuerit. Et quoniam hac ſodalitate ſtabilis permanentiæ Concilij debitè obſeruata, res arduæ quæ in manibus ſunt, poterant maturiùs & ordinatiùs tractari, & præcipuè circa electionem futuri ſummi Pontificis, quæ maiorem attentionem requirit, non intendit hæc ſancta ſynodus ante terminum ſexaginta dierum in decreto ſeptimę ſeſſionis eiuſdem ſuper ipſa electione in hoc Concilio fienda præfixum, computandorum à die depoſitionis Gabrielis, olim dicti Eugenij Papæ quarti, quæ fuit ſeptimo Calendas Iulij, ad huiuſmodi electionem procedere. Effluxo autem huiuſmodi termino, decernit, ad eandem electionem in ſacro Concilio fore procedendum, modis & formis per ipſum Concilium declarandis. Vt autem ſub virtuoſo & idoneo paſtore, quem à Domino dari ſperamus, fiat omnium Chriſtianorum vnio & abundantia pacis, volens hæc ſancta ſynodus cum reali affectu cunctos, quantum in ſe eſt, inuitare ad pacem, omnes & ſingulos ſequentes curiam prætenſam præfati Gabrielis olim dicti Eugenij Papæ, ac in eadem exiſtentes, cuiuſcunque ſtatus, gradus, aut conditionis, etiam ſi Cardinalatus, Patriarchalis, Epiſcopalis fuerint, qui ipſius Gabrielis olim Eugenij obedientiam & adhærentiam in totum dimiſerint, huic ſacro Concilio realiter & cum effectu, infrà terminum huiuſmodi ſexaginta dierum, à tempore prædictæ depoſitionis computandorum, adhæſerint, atque de his coram eodem Concilio per ſe vel per alios legitimè docuerint, infrà terminum prædictum, intendit benignè amplecti & recipeac eorum ſtatui & indemnitati conuenienter prouidere. Datum Baſileæ in ſeſſione noſtra publica, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, ſexto idus Iulij, Anno à Natiuitate Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono, Apoſtolica ſede vacante.

SESSIO XXXVI.

De Conceptione glorioſiſſimæ Virginis MARIAE.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritusſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Elucidantibus diuinæ gratiæ myſteria, mercedem glorioſam repromiſit æterna Dei patris ſapientia, dum ait: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, quod etiam de glorioſa Virgine, quæ ipſam patris ſapientiam Dei filium æternum in vtero pertulit, ac mundo peperit, ſacroſancta legit Eccleſia. Nam quicquid de dignitate & ſublimitate Virginis matris educitur in lucem, hoc non dubium eſt, ad laudem & honorem filij ſui pertinere. Et qui honorificant gratiam & ſanctitatem matris, honorificant & elucidant glorioſum nomen filij eius, qui ipſam ſanctificauit repleuit gratia. Vndè ſi in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ à Domino Deo eſt, præclara merita parturit, in ea re ſpecialiter fructus vberrimos afferre ſperãda eſt, quæ ſanctificationem & dedicationem templi illius concernit, in quo antè ſecula, antè quàm terra fieret, & ab æterno ſibi manſionem ordinauit prima & æterna veritas. Id quoque maximè congruit, vt pax habeatur in quæſtionibus concernentibus ſanctitatem illius, per quam pax diffuſa eſt in terris. Hactenus verò difficilis quæſtio in diuerſis partibus & coram hac ſancta ſynodo ſuper conceptione ipſius glorioſę Virginis Mariæ matris & exordio ſanctificationis eius facta eſt, quibuſdam dicẽtibus ipſam Virginem & eius animam per aliquod tempus, aut inſtans temporis ſubiacuiſſe actualiter originali culpæ aliis autem econuerſo dicentibus, à principio creationis ſuæ Deum ipſam diligendo, gratiam eidem contuliſſe, per quam à macula originali illam beatiſſimam perſonam liberans & præſeruans, ſublimiori ſanctificationis genere redemit, cùm fundaret, eam Altiſſimus ipſe, & ipſam fabricaret filius Dei patris, vt eſſet mater eius in terris. Nos verò diligenter inſpectis auctoritatibus & rationibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte vtriuſque doctrinæ coram hac ſancta ſynodo allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis, & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam diſſerentem glorioſam Virginẽ Dei genetricem MARIAM, præueniente & operante diuini numinis gratia ſingulari nunquam actualiter ſubiacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam, tanquam piam & conſonam cultui eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & ſacræ ſcripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam, diffinimus & declaramus, nulliique de cęterò licitum eſſe in contrarium prædicare & docere. Renouantes præterea inſtitutionem de celebranda ſancta eius Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Eccleſias ſexto idus Decembris antiqua & laudabili conſuetudine celebratur, ſtatuimus & ordinamus, eandem celebritatem præfata die in omnibus eccleſijs, monaſterijs, & conuentibus Chriſtianæ Religionis, ſub nomine Conceptionis feſtiuis laudibus colendam eſſe, cunctiſque fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ea die Miſſarum ſolennijs centum, primis autem vel ſecundis Veſperis totidem ſermoni verò verbi diuini de ea feſtiuitate intereſſentibus centum quinquaginta dies, conceſſione perpetuis temporibus duratura, de iniunctis ſibi pœnitentijs hæc ſancta ſynodus elargitur.

Non celebratur feſtum conceptionis B. Mariæ ob hãc renouationẽ, cũ eſſet conciliabulum, ſed quia antea celebrabatur cõſeruãtur cõſuetudo illa.

Datum Baſileæ in ſeſſione noſtra publica, in maiori Eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, decimoquinto Kalendas Octobris, anno à Natiuitate Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono.

SESSIO XXXVII.

Et eſt reuocatio proteſtationum, conuentionum, iuramentorum obuiantium electioni Papæ fiendæ.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritusſancto legitimè congregata, viuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Quoniam in opere neceſſario, quod fauente ſuperna gratia aggreſſuri ſumus, in eligendo ſummum Pontificem, & prouidendo ſaluti Eccleſiæ in gloriam omnipotẽtis Dei, non ſolùm quærere oportet, quæ ad ipſius operis conſummationem promouent, verumetiam impedimenta tollere, quæ fœlici progreſſui rerum agendarum aduerſari, aut officere poſſunt, vel quomodolibet contraire: vt puriùs, ſynceriùs & liberiùs ipſa electio ſummi Pontificis fiat, omnes & ſingulas proteſtationes, quæ poſſunt puritati, ſynceritati & libertati & efficaciæ eiuſdem electionis & eligendi per ſacrũ Concilium ſummi Pontifici obedientiæ plenariæ obuiare, necnõ cõuentiones, pactiones, promiſſiones, obligationes, iuramenta, condicta, intelligẽtias, & intendimẽta, vbicunq; qualitercunq; & per quoſcunque, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, conditionis & præeminentiæ, etiamſi Imperiali, regali, cardinalatus, archiepiſcopali, ducali, aut alia quacunq; eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeãt dignitate, in aduerſum huius electionis factas & facta, fiendas & fienda, ex abundãti damnat, reprobat, & annullat, prout etiam de ſe ipſis nulla nulliuſque roboris vel momenti exiſtunt, mandans ſub obteſtatione diuini iudicij, & ſub excõmunicationis pęna, quã in contrarium facientes ipſo facto incurrant, & præcipiens, ne

quis

quis talia facere, vel iam factis vti, aut eadem obſeruare quouis modo præſumat. Omneſque & ſingulos ab huiuſmodi promiſſionibus & obligationibus quibuſcunque, etiam iuramento vallatis, eadem ſancta ſynodus ad cautelam & ex abundanti abſoluit & relaxat, & prout hæc de facto proceſſerunt, & abſolutos & relaxatos eſſe declarat. Datum Baſileæ in ſeſſione noſtra publica, in maiori Eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, nono Kalendas * Decembris, anno à Natiuitate Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono.

*Nouem.

ALIVD DECRETVM EIVSDEM SESSIONIS de modo eligendi ſummum pontificem, & numero.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritusancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Conſolabitur dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius, ait Eſaias Propheta, & ponet deſertum eius quaſi delicias, ſolitudinem eius quaſi hortum Domini. gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis. quod iam aſpirante ſingulari gratia ſpiritus paracleti, in eccleſia conſpicere ſperamus, & videre paſtorem bonum conſtituendum à Domino ſuper familiam ſuam, qui ſapienti & fideli regimine releuet ipſam Eccleſiam à languoribus ſuis, quos ex inutili & damnoſa adminiſtratione hactenus perpeſſa eſt. Et licet diuerſis temporibus diuerſi modi ſuper electione Romanorum Pontificum obſeruati ſint, prout neceſſitas & vtilitas Eccleſiæ expoſcebat, nunc tamen cura rei huius ſub directioni omnipotentis Dei incumbit huic ſanctæ ſynodo congregatæ pro reformatione Eccleſiæ & ſalute omnium fidelium in nomine CHRISTI Saluatoris, qui ait: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. Et iam poſt editionem ſalubrium decretorum & ſacrorum canonum, atque iuſtam depoſitionem illius, qui ipſos canones & decreta ſpernebat ac paruipendebat, ſanctæ reformationi & reſtaurationi legis diuinæ ac publicæ ſaluti vehementer obſiſtens, supereſt. virum talem quęrere à domino, & cum beneplacito ſuæ benignitatis eligere, per quem deſiderata cunctis gentibus ipſa reformatio atque ſalutaris gubernatio Eccleſiæ Dei in ſalutarem reducantur effectum. Nam & ſingulariter futuro paſtori incumbet benè regẽdi neceſſitas, dum recens exemplum ſui prædeceſſoris ob eius damnoſum regimen eiecti ante oculos poſitum habebit. Dudum quoque in quarta ſeſſione huius ſanctæ ſynodi. celebrata duodecimo Kalendas Iulij, anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſecundo, ſtatutum fuit, de electione Romani Pontificis, ſi ſedem Apoſtolicam hoc ſedente Concilio, vacare contingeret, in hunc modum: Hæc ſancta ſynodus decernit, ſtatuit, atque diffinit, quòd in euentum vacationis ſedis Apoſtolicæ, hoc ſacro generali Concilio durante, electio ſummi pontificis in loco iſtius ſacri Concilij fiat, & interdicit, ne alibi celebretur. In contrarium attentata quauis authoritate, etiam ſi papali, non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus editis vel edendis, aut alijs in contrarium facientibus, ac ſi de ipſis de verbo ad verbum, eſſet facienda mentio ſpecialis, aut iuramento firmata exiſtant, quibus ex certa ſcientia derogat, & decernit nulla & irrita eſſe & nullius roboris vel momẽti ipſo iure. Contrariũ verò attentantes ſint tam actiuè quã paſſiuè, quo ad electionem Romani pontificis, & ad quaſcunque alias dignitates inhabiles, & omnibus habitis dignitatibus perpetuo priuari, & infamiæ notam & etiam excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. Quòd ſi forſitan aliqua de facto prætenſa electio præſumeretur, tam electus prætenſus, quàm illi adhærentes & eum pro tali gerentes, ſupradictas pœnas incurrant, Abſolutionem verò omnium & ſingulorum, qui præmiſſas ſententias aut aliquam earum incurrerint quoquo modo, dicta ſancta ſynodus tantùm modò præter quàm in mortis articulo ſibi reſeruat, decernens præſens decretum ligare, afficere, vim & effectum habere & ſortiri, poſt quadraginta dies continuò proximè ſecutuos à die publicationis eiuſdem.

Eſaiæ 1.

Match. 18.

Baſ. conc. ſeſſ. 4. cui° eſt initiũ Attendẽs quod ad.

Deinceps autem in noſtro decreto ſeptimæ ſeſſionis ordinatum fuit, quòd in euentum prædictum vacationis ſedis Apoſtolicæ, hoc ſedente generali Concilio, ante ſexaginta dies à tempore ipſius vacationis continuè computandos, ad electionem Romani pontificis minimè procederetur, quę terminum ſexaginta dierum, poſtquam vacauit ipſa ſedes per diſpoſitionem Gabrielis, olim Eugenij Papæ quarti, hæc ſancta ſynodus duxit expectandum. Decreuitque, effluxo illo termino, electionem Romani Pontificis in hoc ſacro Concilio eſſe fiendam, modis & formis per ipſum Concilium declarandis, prout in decreto noſtro trigeſimæquintæ ſeſſionis plenius continetur. Cùm autem iam per eiuſdem termini lapſum, adhuc per plures dies ad electionem præfatam procedere diſtulerimus, Eccleſiaque acerrimos dolores patiatur, dum protelatur ſedis Apoſtolicæ diuturna vocatio, & differtur noui paſtoris electio ipſe quoque qui iuſtiſſimè depoſitus eſt, varijs artibus eccleſiam conturbare conatur, & Apoſtolicæ ſedis primatum nefanda præſumptione tenere & occupare, in graue ſcandalum Eccleſiæ & magnum periculum fidei & religionis Chriſtianæ, (qui pertinaciam ſuam indies magis ac magis hominibus manifeſtando, menſe Septembris proximè præterito horrendam inuectiuam aduerſus veritates fidei in hanc ſanctam ſynodum, eiuſque fautores & defenſores promulgauit, non correctionem ſeu emendationem proferens, ſed omnem incorrigibilitatem & pertinaciam oſtendens, atque proprijs factis toti mundo manifeſtans) neceſſe eſt Eccleſiæ Catholicæ de prudenti & fideli paſtore prouidęre, qui eam à perſecutionibus tam reprobi hominis defendat, fidemque conſeruet, ac iuſtitiam & veritatem tueatur, animaſque precioſo CHRISTI ſanguine redempras, quas præfatus Gabriel ſeducere nititur, dirigat in viam ſalutis. Nam ſicut res ipſa indicat, plura & maiora ſcandala indies euenirent, niſi per auxilium gratiæ Dei de remedio prouideretur opportuno. Ad quod quærendum, & de idoneo paſtore prouidendum neceſſitas fidei maximè nos impellit. Volens itaque tandem hæc ſancta ſynodus poſt maturam & longam expectationem exoluere debitum domino Deo ſuo, & ſaluti atque neceſſitati ipſius Eccleſiæ (vt tenetur) prouidere, ad laudem & gloriam beatiſſimæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſtatuit, decernit & declarat, electionem Romani Pontificis fiendam & celebrandam eſſe pro hac vice per hoc ſacrum Concilium Baſileenſe ſeu eius authoritate, modis & formis infrà ſcriptis.

Et primò, quòd vnà cum dilectiſſimo Eccleſiæ filio Ludouico tituli ſanctæ Cæciliæ ſanctæ Romanæ Eccleſię presbytero Cardinali, Arelatenſi vulgariter nuncupato præſente & præſidente in ſacro Concilio, & alijs ipſius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſi qui ante conſummatam electionem futuri ſummi Pontificis aduenerint, & adhærentes huic ſacro Concilio, eidem electioni intereſſe voluerint, alij tam de prælatis, quàm cæteris honorabilibus Eccleſiaſticis viris, in ſacerdotio aut ſaltem diaconatus ordine conſtituti, vſque ad numerum triginta & duorum, per eandem ſynodum ad prædictam electionem faciendam, in noſtra generali congregatione ac in ſeſſione publica nominandi & deputandi, poteſtatem habeant prout ſecundum Deum & conſcientias ſuas eiſdem videbitur, hac vice liberè eligendi ſummum Pontificem authoritate huius ſanctæ ſynodi, ita vt illi abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia ſummus Pontifex habeatur, qui ab omnibus prædictis ſic debentibus pro hac vice eligere, aut ſaltem à duabus partibus ipſorum fuerit electus, & conſenſum (vt infrà dicitur) præſtiterit. Nec valeat electio, niſi duæ partes prædictorum in ipſum electum conſenſerint, & conuenerint. Qui omnes pro hac vice eligere debentes, tanto attentiùs ſynceris mentibus & expurgatis conſcientijs idoneum & perutilem paſtorem eligere curent, quanto Eccleſiam in maioribus neceſſitatibus poſitam conſpiciunt, ad ſolùm Deum oculos dirigentes, qui in diſtrictiſſimo examine de tanto & tam arduo negocio (ex quo pendet ſalus vniuerſalis Eccleſiæ) reddituri ſunt rationem. Ordinat inſuper, ſtatuit & decernit hæc ſancta ſynodus, quòd ſupradicti eligere debentes, die ſequente poſt nominationem eorum in congregatione generali, conueniant oẽs in maiori eccle-

Bal ... ſeſſ ... duo ... tan

Iſte Cardinalis ... Eugen... mus ... iſtæ ... tes, v... detur.

ſia Baſileenſi, in qua Miſſa & ſermo ſolennes celebrentur & fiant (prout eſt de more fieri) in die quando intratur conclaue, tenebiturque eodem die publica ſeſſio, & ibi omnes ſuſcipiant Euchariſtiæ ſacramentum, ac iuramentum præſtent, quod in vigeſimatertia ſeſſione huius ſanctæ ſynodi extitit ordinatum. Quibus peractis, ſine redeundo in domos ſuas, intrent conclaue ad hoc ordinatum in domo huius ciuitatis Baſileenſis, in qua ſacra deputatio pro communibus teneri conſueuit, ad electionem huiuſmodi celebrandam, & conſequenter præſentandum ac intimandum, cæteraque faciendum, obſeruandum & proſequendum, quæ in præſenti decreto expreſſa ſunt, & quæ in cæteris hic non expreſſis, alia decreta huius ſanctæ ſynodi, necnon aliæ conſtitutiones & ordinationes, videlicet tam in corpore iuris clauſæ, quàm extrauagantes (quæ hactenus obſeruari cóſueuerunt) de Cardinalibus & alijs electoribus Romani pontificis ſtatuunt & decernunt, quæ omnia, ſaluis expreſſis in prædicto decreto, volumus in ſuo robore permanere, & etiam in prædictis ad eligendum pro hac vice deputatis & deputandis, locum habere, quemadmodum de Cardinalibus in prædictis decretis conſtiſtutionibus & ordinationibus ſtatutum & ordinatum reperitur, ſed nullum eiſdem expreſſis quouis modo præiudicium generare.

Electus autem in papam, præſentata ſibi electione, ſi præſens in hac ciuitate fuerit, per aliquos ex ipſis electoribus, etiamſi Cardinales non fuerint, vel extra ciuitatem per aliquos ex ipſis, vel alios ad hoc habentes mandatum ab eis, in præſentia notarij & ſaltem decem perſonarum requiſitus, teneatur infra, diem naturalem ab hora requiſitionis, conſentire ac iurare modo & forma inferiùs deſcriptis alioquin eius electio pro infecta habeatur. Volumus autem, quòd ſi contingeret ipſum electum huiuſmodi electionem non acceptare, ſeu ei non conſentire modo & forma & in tempore ordinatis, quòd præfati ad eligendum ordinati, ad alterius electionem procedant, priuſquàm exeant conclaue, ſi præfatus electus in hac ciuitate fuerit. Si verò fuerit, extra ciuitatem, eo caſu infra triduum poſt notitiam habitam in Concilio, & per ipſum Concilium in congregatione generali declaratam, de recuſatione per electum facta, iterum intrent conclaue pro electione alterius facienda omnibus modis & formis, ſicut ſuperius dictum eſt. Et ſi quis ipſorum electorum à tempore primi ingreſſus conclauis, in anteà recederet à Concilio, vel decederet, aut impedimentum haberet per quod non poſſet electioni intereſſe, vel etiam conclaue intrare nollet, alius loco eius ſubrogetur de eadem natione per ipſos ad eligendum deputatos, aut per maiorem partem ipſorum, qui habebit communicare & iurare, prout præfati deputati, aut maior pars ipſorum ordinauerit. Duretque poteſtas; omnium & ſingulorum prædictorum abſque alia noua deputatione electorum, donec electio per eos facienda, realiter per conſenſum electi ſortita fuerit effectum. Hanc autem formam & modum electionis approbat, ſtatuit, ordinat, & decernit hæc ſancta ſynodus pro hac vice. Et ad omnem ſcrupulum ſubmouendum, omnes & ſingulos in eadem ſynodo præſentes & venturos, & qui ei adhærebunt, quantum ad huiuſmodi electionis opus & totalem effectum, ab omnibus ſententijs excommunicationis (ſi quas forſitan incurrerint) & quibuſcunque cenſuris à iure vel ab homine generaliter vel ſpecialiter, etiam à Concilijs generalibus vel ſummis pontificibus promulgatis, abſoluit, ipſoſque ad omnes actus in eadem ſynodo agendos, actiuè & paſſiuè, quatenus opus eſt, habilitat, & habiles eſſe declarat, volens etiam, vt ſpecialiter in omnibus ad eligendum deputatis aut deputandis (vt præmittitur) locum habeat conſtitutio Clementis quinti, quæ ordinat, vt nullus ex Cardinalibus cuiuſlibet excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti prætextu, à dicta electione repelli valeat, cæteris eiuſdem Concilij decretis in his quæ ſuperius expreſſa, non ſunt, ſemper ſaluis, ſupplens ex certa ſcientia & ex plenitudine poteſtatis omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſitan interuenerint in præmiſſis, ac etiam ſuſpendens omnia iura poſitiua in Concilijs generalibus & à ſummis pontificibus edita & ſtatuta, & ordinationes, conſuetudines & priuilegia quibuſcunque conceſſa, & pœnas contra quoſcunque ordinatas, & eis derogans, inquantum effectum præſentis decreti impedire poſſent, quoquo modo in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Præterea cùm neceſſitas rerum & circunſtantiæ temporis id expoſcant, vt hæc ſacra ſynodus & ipſe ſummus Pontifex per Dei gratiam in proximo aſſumendus, quàm maximè vnum ſint eadem charitate & vnanimi conſenſu, quàmpluribus ad hæc vrgentibus rationibus ordinat & decernit, vt electus in ſummum pontificem, priuſquàm aliquid graue in his quæ pertinent ad adminiſtrationem papatus, exerceat, inſignia coronationis ſuæ aſſumere debeat in loco huius ſacri Concilij, ad quem, ſi abſens fuerit, infra terminum ſibi aſſignandum per deputatos ad eligendum, vel maiorem partem eorundem, venire teneatur.

Sequitur forma conſenſus, profeſſionis & iuramenti præſtandi per ipſum electum in ſummum pontificem.

In nomine Domini Amen. In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritusſancti, ego N. electus in Papam omnipotenti Deo, cuius Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & beato Petro Apoſtolorum principi corde & ore profiteor, quandiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me firmiter credere & tenere fidem Catholicam, ſecundum traditionem Apoſtolorum, generalium Conciliorum & aliorum ſanctorum Patrum, maximè autem ſanctorum octo Conciliorum vniuerſalium, videlicet primi Nicæni, ſecundi Conſtantinopolitani, tertij Epheſini, quarti Chalcedonenſis, quinti & ſexti item Conſtantinopolitani, ſeptimi item Nicæni, octaui quoque Cóſtantinopolitani, necnon Lateranenſis, Lugdunenſis, Viennenſis, Conſtantienſis & Baſileenſis generalium etiam Cóciliorum, & illam fidem vſque ad vnum apicem immutilatam ſeruare, & vſque ad animam & ſanguinem confirmare, defenſare & prædicare, ritumque pariter ſacramentorum eccleſiaſticorum Eccleſiæ traditum, omnimodè proſequi & obſeruare. Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione fidei Catholicæ & extirpatione hæreſum & errorum, reformatione morum, executione & obſeruatione decretorum Conſtantienſis & Baſileenſis Conciliorum, ac pace in populo Chriſtiano. Iuro etiam proſequi celebrationem Conciliorum generalium ac confirmationem electionum, iuxta decreta ſacri Baſileenſis Concilij. Hanc autem profeſſionem mea manu ſubſcripſi, & tibi omnipotenti Deo cui in die tremendi iudicij redditurus ſum de hoc & alijs meis operibus rationem, pura mente ſuper altare offero, quam in primo publico conſiſtorio ſolenniter repetam. Datum vt ſuprà.

Decretum inhibitionis, ne bona electi & eligentium rapiantur.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, ad perpetuam rei memoriam. Cùm ea quæ laudabiliter pro reprimendo conatus malignantium ordinata ſunt, nullatenus negligi deceat, ſed potius diligenti ſeruari ſtudio, ſacrum canonem dudum in Concilio Conſtantienſi editum aduerſus illos, qui bona electorum ſeu etiam eorum qui famabantur de nouo electi in ſummos pontifices, rapere vellent, innouat hæc ſancta ſynodus ſub huiuſmodi tenore: Omnis ætas ab adoleſcentia ſua prona eſt ad malum, ad id præſertim, ad quod cupiditatis & auaritiæ * ſti mulis incitatur. Fiunt autem & factæ ſunt leges, vt earum metu humana refrenetur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & refrenetur nocendi facultas. Cum itaque nonnunquam eueniſſe comperimus, quòd electo Romano pontifice, nonnulli ſub prætextu prætenſæ cuiuſdam abuſiuæ licentiæ, res & bona ſic electi, quaſi culmine diuitiarum adepto, falſo prætendentes occupanti concedi, nedum illius ſic electi, imo aliquando nonnullorum quos electos eſſe mendaciter confingunt, domos, res & bona Cardinalium, aut electorum Romani Pontificis, & aliorum in loco conclauis exiſtentium, etiam violenter inuadunt, recipiunt, occupant, & tranſportant, lucri facta exiſtimantes, ex quibus (ſi permitterentur) plura pericula, ſcandala, rapinæ, furta &

Conſtantien. Concilii ſeſ. 41

* ſtimulo

nonnun

nonnunquam homicidia ſequerentur. Nos igitur tam ſceleratæ temeritatis & audaciæ viam præcludere, & huiuſmodi periculis & ſcandalis obuiare volentes, præfatum damnantes ſceleratum abuſum, talia fieri hoc edicto prohibemus, ſtatuentes quòd quicunque, cuiuſcunque ſtatus, aut conditionis exiſtant, contra hoc præſumpſerint attentare, aut ad hoc auxilium, conſilium vel fauorem præbere, pœnas quas in violentos raptores & occupatores huiuſmodi, iura atque Apoſtolicę & Imperiales conſtitutiones ſtatuũt, & eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, à qua niſi per hanc ſanctam ſynodum, aut futurum Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, & facta ſatisfactione, abſolui nequeant, & omni officio, beneficio, priuilegijs ac dignitate Eccleſiaſtica & mundana, feudiſque & rebus alijs, ſi quæ aut quas in Romana vel alijs eccleſijs obtinebunt, ſint priuati, & inteſtabiles actiuè & paſſiuè exiſtant: ciuitas verò quæ in præmiſſis culpabilis fuerit, eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto, huic adijcientes ſanctioni, vt Domini temporales, rectoreſque & officiales ciuitatis vel loci, vbi electionem Romani Pontificis contigerit celebrari, illa imminente, præmiſſa fieri ſub grauibus pœnis publicè & realiter prohibeant, & prohibitionem diligenter faciant obſeruari, cæteris conſtitutionibus circa talia editis, in ſuo robore duraturis. Et quia nunc imminet electio Romani Pontificis, per hanc ſanctam ſynodum ſeu eius authoritate celebranda, vbi obſeruatione & executione præfatæ conſtitutionis opus eſt, nos omnia & ſingula prædicta agendi & exequendi, illis perſonis tam eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, quæ poſtmodum in noſtra cancellaria nominabuntur, plenam & liberam committimus & concedimus facultatem & poteſtatem, decernentes literas ſuper hoc fieri cum cenſuris & alijs remedijs iuris, etiam cum inuocatione brachij ſecularis & clauſulis opportunis. Datum vt ſuprà.

Ne tempore electionis fiat audientia.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, ad futuram rei memoriam. Ne variarum rerum occupatio actum ſalubrem electionis futuri Pontificis impediat, aut perturbet, decernit hæc ſancta Synodus, vt ad tam neceſſarium & tam ſalubre electionis negocium attentius procedatur, audientiam & omne cauſarum & litium exercitium, in hoc ſacro Concilio præter audientiam cameræ, à die quo deputati ad eligendum ſummum Pontificem intrabunt conclaue, & deinceps vſque ad publicationem electionis ipſius ſummi Pontificis incluſiuè, ſuſpendenda eſſe, eademque hoc præſenti decreto ſuſpendit & prohibet, irritum decernens & inane, quicquid in contrarium fuerit attentatum. Datum vt ſuprà.

SESSIO XXXVIII.

Contra inuectiuam.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

3. Eſd. 4.

In Eſdra ſcriptum eſt, Veritas magna & fortior præ omnibus. Omnis terra veritatem inuocat. Cælum etiam ipſam benedicit, Veritas manet, & inualeſcit in æternum & viuit & obtinet in ſecula ſeculorum. Non eſt apud eam accipere perſonas neque differentias, ſed quæ iuſta ſunt, facit omnibus iniuſtis. Cuius quidem veritatis fortitudinem dum impugnare conatur Gabriel, quondam dictus Eugenius Papa quartus, iuſto iudicio à papatu depoſitus, ſeipſum magis deijcit & proſternit. Qui nuper apud Florentiam (prout per ſummariam informationem accepimus) libellum quendam, qui incipit, Moſes ſeruus Dei, promulgauit, in quo prætenſam tranſlationem præfatam huius ſacri Concilij in Ferrariam, quam erroneam in fide pluribus decretis & epiſtolis noſtris lucidiſſimè declarauimus, necnon erectionem ſchiſmaticam conuenticuli Ferrarienſis ſub nomine generalis Concilij, hoc ſacro durante Concilio, in vim præfatæ tranſlationis attentatam, maiori ſemper cum pertinacia defendere & approbare conatur, adijciens quòd à recta linea per anfractus erroris exorbitauimus, quodque Concilium Conſtantienſe in malignum ſenſum, & à ſana doctrina penitus alienum pertraximus, in hoc, quòd declarauimus per ſeſſionem noſtram, decimoſeptimo Kalendas Iunij proximè præteriti celebratam, tres veritates, quarum tenor ſequitur.

Baſileen. Conc. ſeſſ. 33. quæ incipit, ſicut vna eſt Conſtantien. Côc. ſeſſ. 4. & 5. Baſileen. ſeſſ. 2.

Veritas de poteſtate Concilij generalis, vniuerſalem Eccleſiam repræſentantis, ſuper Papam & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe & hoc Baſileenſe generalia Côcilia, eſt veritas fidei Catholicæ.

Veritas hæc, quòd Papa Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, actu legitimè congregatum, ſuper declaratis in præfata veritate aut aliquo eorum, ſine eius conſenſu nullatenus authoritatiuè poteſt diſſoluere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, eſt veritas fidei catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans, eſt cenſendus hæreticus.

Conatur quoque ipſe Gabriel poſt prædicta per eum ſic aſſerta, ſub obſcuritatibus verborum mundum inuoluere, dicens ſe damnare & reprobare veritates prædictas ad ſenſum Baſileenſem, quem inquit, facto demonſtrauit: neque illum ſenſum explicans, nec in quo ſenſu eas approbare velit, manifeſtans: quæ fortaſſis ideo ſubticet, quoniam manifeſtè videt, verba dictatarum veritatum ita clara eſſe & aperta, ſicut ſunt, quod de nulla obſcuritate notari meritò poſſunt, nec ad multiplices pertrahunt ſenſus: & per conſequens, quòd ille primus ſenſus, iuxta quem ſe dicit reprobare dictas veritates, nullatenus allegare poteſt. Hoc autem notũ facimus vniuerſis Catholicis, quòd nullum ſenſum in his habet hæc ſancta ſynodus, nec habere vult, niſi quem ſacra ſynodus Conſtantienſis habuit in declarationibus ſuis, ſenſum verum & Catholicum, quemque ſemper habuimus in declarationibus per nos factis, in ſecunda, vndecima, duodecima, vigeſimanona & alijs ſeſſionibus noſtris ac epiſtolis ſynodalibus, pariter cum Cardinalibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Oratoribus Principum, Abbatibus, Doctoribus, qui in noſtro cœtu affuerunt, fideliter & vnanimiter credentibus, quòd Concilium habet poteſtatem immediatè à CHRISTO, cui Papa obedire tenetur, prout veritas præfata in Concilio Conſtantienſi declarata, diffiniuit, quodque hæc veritas eſt iuris diuini, quòd Papa ipſe Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, legitimè congregatum, eo modo quo frequenter declaratum eſt, ſine eius conſenſu diſſoluere, aut de loco ad locum transferre non poteſt: neque aduerſus has veritates præualere potuit Gabriel ipſe, qui prætenſam diſſolutionem huius ſacri Concilij, ſine eius conſenſu prima vice per eundem Gabrielem attentatam, hoc ſacro Concilio eidem ex parte Dei omnipotentis præcipiente atque mandante, iudicialiter reuocare compulſus eſt, ac in ſua adhæſione eam declarauit nullam, irritam & inanem, ipſaque non obſtante, Concilium legitimè continuatum fuiſſe, & proſecutionem habuiſſe, & habere debere, reuocando etiam expreſsè literas incipientes, Deus nouit, quæ ſuo nomine factæ dicebantur, & aduerſus huius ſacri Concilij & aliorum Conciliorum authoritatem, varios errores continebant: item duas literas ſuas incipientes, Inſcrutabilis, & in arcano, alias etiam quaſcunque, ac quicquid per ipſum, aut ſuo nomine in præiudicium, aut derogationem huius ſacri Concilij Baſileenſis ſeu contra eius authoritatem, factum & attentatum ſeu aſſertum erat. Eccleſia Catholica tunc in pace conquieuit, tenens firmiter eſſe verum & Catholicum, quòd Papa abſque conſenſu Concilij ipſum diſſoluere, aut transferre non poteſt, cognoueruntq; cuncti fideles, quòd acquieſcere oportet iudicio generalis Concilij ſummum Pontificem, cùm poſt tam diuturnam reſiſtentiam duorum annorum, quibus ipſam diſſolutionem idem Gabriel iuſtificare conabatur, acquieuit iudicio ſacri generalis Concilij, præſentans iudicialiter coram eodem formam ſuæ confeſſionis, quemadmodum ſacrum Concilium ordinauit, reuocando expreſsè (vt dictum eſt) quæcunque aſſerta per eum, aut nomine ſuo in côtrarium. Poſſuntque omnes Catholici nunc videre, quanta plaga inferretur Eccleſiæ Dei, ſi reuocaretur in dubium illa declaratio facta in Concilio Conſtantienſi, vigore cuius

Sed plerique Cardinales ad Eugeniũ venia petita redierunt, ſolo Arelatenſi Baſileæ manente.

& inceſſa-

Conſtantien. Concilij ſeſ. 12. & ineffabili ac inexpugnabili authoritate, depoſitio Ioannis vigeſimi tertij, & priuatio Benedicti à iure papatus (ſi quod habebant) ſic in ſuis obedientijs nuncupatorum, ac etiam electio Martini, cui ſucceſſit olim Eugenius, factæ ſunt, & à quibus conſequenter omnes creationes Cardinalium, promotiones prælatorum & aliorum ordinũ & graduum Eccleſiaſticorum factæ ſunt, quantumque declarationis eiuſdem & authoritatis datæ à CHRISTO Concilijs generalibus vigor deperiret, ſi ſummi Pontifices poſſent concilia, dum congregata eſſent, transferre de regione in regionem ſine conſenſu ipſorum, & eiſdem Concilijs præcipere, vt diſſoluerentur aut diſcederent, etiam ſi nollent, quoties liberet ipſis Pontificibus. Verùm in hac reprobatione dictarum veritatum, quam idem Gabriel facit in præfato libello, intelligere poſſunt omnes fideles, quomodò iam id verificatur, quod à ſeptem annis in ſua duodecima ſeſſione ipſius de ipſo Gabriele prædixit hæc ſancta ſynodus, cùm ait: Et quantum ex eius verbis factiſque colligi poteſt, nil aliud prætendere videtur, niſi vt Eccleſiam peſſundet, iuſque ſibi & ſucceſſoribus faciat, non ſolùm abrogandi ritum ſacrorum Conciliorum, & ea pro libito diſſoluendi, ſed & ipſorum ſacratiſſima decreta ſpiritu Dei promulgata, à quibus ſtatus pendet vniuerſalis Eccleſiæ, irritandi & abolendi, & præſertim declarationem illam, quòd in his quæ ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris pertinent, quilibet etiam papalis dignitatis, decretis generalis Concilij ſubijcitur. Hæc in præfata duodecima ſeſſione habentur, quæ nunc idem Gabriel apertè manifeſtat. Vnde omnes intelligere poſſunt, quàm iuſtè hæc ſancta ſynodus hucuſque eidem reſtitit. Conſpiciunt animum obduratum, quo authoritati generalium Conciliorum factis & verbis reſiſtebat, contemnendo etiam & violando voluntariè ſacros canones pro ſalute animarum editos. De quibus ait Damaſus Papa:
25. q. 1. Violatores. Violatores canonum voluntariè, à ſanctis patribus grauiter iudicantur, & à Spiritu ſancto, inſtinctu cuius ac dono dictati ſunt, damnantur: quoniam blaſphemare in Spiritum ſanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter (vt præmiſſum eſt) aliquid aut proterue agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſpontè conſentiunt. Talis enim præſumptio manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium Spiritum ſanctum. Reprobat inſuper præfatus Gabriel, & damnat ſuam diſpoſitionem, ad quam hæc ſancta ſynodus iuxta diſpoſitionem prælatæ veritatis in Concilio Conſtantienſi declaratæ, poſt longam expectationem & maturam examinationem iudicialiter proceſſit, propter hæreſim, ſchiſma, Simoniacam notoriam prauitatem, periurium, & contemptum ac violationem aſſiduam ſynodalium decretorum concernentium reformationem Eccleſiæ generalem in capite & in membris, quibus incorrigibiler ſcandalizabat Eccleſiam Dei, à quibus quidem nequaquam ſe in præfato libello expurgat, ſed conuicia & maledicta in hoc ſacrum Concilium & ſuppoſita eius referre conatur, & ſententiam in iudicem ferre, à quo legitimè condemnatus extitit. Et poſtquàm per Eccleſiam hæreticus iudicatus eſt, veros Catholicos doctrinam ipſius Eccleſiæ inuariabiliter tenentes, hæreticos appellare præſumit, ſicut mos eſt condemnatorum de hæreſi, vt ſuis iudicibus maledicere, & hæreſim obijcere ſoleant, cùm veritate fuerint manifeſtiſſima ſuperati: ad quę omnia pleniorem reſponſionem fecimus in reſponſione ſynodali, data in noſtra generali congregatione Nonis huius menſis Octobris. Renouat etiam pœnas, quas aduerſus ſuppoſita huius ſanctæ ſynodi, eo quòd ſuæ prætenſæ & erroneæ tranſlationi non parcebant, iamdudum anno præterito in conuenticulo Ferrarienſi promulgauit. Cùm itaque ex dicto libello omnibus conſtare poſſit, quomodo præfatus Gabriel in crimine hæreſis ac ſchiſmate, de quibus condemnatus eſt, ſe pertinacius obduratum reddebat, & magis ac magis ſe hæreticum comprobet, vniuerſis & ſingulis CHRISTI fidelibus hæc ſancta ſynodus præcipit atque mandat, vt iuxta verbum Moſis ſerui Dei dicentis.
Num. 16. Pſal. 105. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, à tabernaculo & conſortio ac omni adhærentia ipſius Gabrielis, tanquam à Chore, Dathan & Abiron authoribus ſchiſmatis recedant cum effectu, illumque omnino deuitent, iuxta præceptum Apoſtoli in epiſtola ad Titum, qua dicit: Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionẽ deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. Tit. 3. Nam etiam iuxta doctrinam Ioannis in ſecunda Canonica ſua, Non habenti doctrinam Eccleſiæ nec eſt dicendum, Aue. Omneſque huic diuinæ ſententiæ non acquieſcentes, meritò pertimeſcere habent, quoniam in diſtricto examine diuini iudicij reddituri ſunt rationem, ſi participationem, adhærentiam & fauorem dicto Gabriel, per Generale Concilium condemnato tanquam hæretico, præſtent. Et quoniam (vt ait beatus Gregorius) illa capitula recipi non debent, quorum damnantur authores, ne ex doctrina præfati libelli, quem in confirmationem ſuæ hæreſis & ſchiſmatis, dictus Gabriel poſt ſuam commendationem effeciſſe dicitur, quempiam fidelium in hac re ſeduci contingat, hæc ſancta ſynodus diſtrictius inhibet, præcipit atque mandat omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, cuiuſcunque dignitatis, etiam ſi Cardinalatus, Patriarchalis, pontificalis, aut alterius cuiuſcunque eccleſiaſticæ vel ſecularis, etiam ſi vniuerſitates, communitates vel collegia fuerint, ne priuatum libellum publicare, prædicare, approbare, ſeu defendere præſumant, ſeu eidem quouis modo aſſentire, credere, aut fauere, vel eo vti, ſeu vtentibus eo conſilium, auxilium vel fauorem præſtare, neque etiam prætenſis cenſuris, ſeu ſententijs innouationis, declarationis, damnationis, reprobationis, nunciationis, confirmationis & diſpoſitionis in eodem libello quomodolibet contentis, quas nullas ac nullius penitus roboris vel momenti eſſe decernimus & declaramus, obedire, attendere, ſeu eas obſeruare, aut vigore earundem ſeu aliorum quorumque mandatorum vel confeſſionum aut indultorum quaſcunque dignitates, etiam ſi Cardinalatus, Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales fuerint, vel beneficia, aut alia quæcunque bona ſuppoſitorum huius ſanctæ ſynodi & eidem adhærentium, quouis modo impetrare, occupare aut detinere, etiam ſi motu proprio eis conceſſa dicantur, vel ipſos ſic impetrantes, occupantes, vel detinentes, an poſſeſſionem eorundem recipere vel admittere, ſeu eos in eiſdem ſuſtinere quouis modo præſumant, ſub pœnis fautoriæ ſchiſmatis & hæreſis, necnon alijs pœnis excommunicationis, priuationis, ab omnibus dignitatibus, etiam ſi (vt præmittitur) Cardinalatus, Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales aut Pontificales fuerint, beneficijs & officijs, & inhabilitationibus ad eaſdem, & interdicti, dudum in octaua tertia decima, & vigeſima nona, ac alijs ſeſſionibus huius ſanctæ ſynodi, in talia * facientibus, promulgatis, quas *facitus hæc ſancta ſynodus innouat, & quas omnes & ſinguli prædicti ipſo facto incurrant, nec ab alio quam ab hanc ſancta ſynodo, præterquam in mortis articulo valeant de prædictis abſolui. Et ſi qui huic ſacro Concilio incorporati, aut ei adhærente, vigore mandatorum præfati Gabrielis, olim Eugenij poſt eius ſuſpenſionem ab adminiſtratione papali emanatorum, ſuis dignitatibus aut beneficijs quibuſcunque ſpoliati eſſent, aut ſpoliarentur in futurum, poſſint nihilominus ſine * aliæ cauſæ cognitione aut requiſitione alterius authoritatis, poſſeſſiones huiuſmodi dignitatum & beneficiorum per ſe vel per alios reintrare & recuperare, alijs pœnis contentis in decretis noſtris ſemper in ſuo robore duraturis. Datum in ſeſſione noſtra publica in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, tertio Kalendas Nouembris, Anno à Natiuitate Domini 1439. Apoſtolica ſede vacante.

Aliud decretum de Electionibus.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Magna nobis eſt ſolicitudo, vt electionis paſtorum, quibus incumbit regere gregem dominicum, ritè celebrentur, & quantum poſſibile eſt, cuncta reuoueantur quæ ipſarum puritati obuiare poſſunt. Quia verò ſæpiùs contingit hactenus, monaſteriorum & eccleſiarum prælatis decedentibus, & eorum corporibus tumulatis, propter expectationem ab-

ſentium vocandorum ex locis longinquis, Eccleſias ipſas & monaſteria vacantia interim diſpendia plurima ſuſcepiſſe, & propter diuturni interim expectati temporis ſpatium, varia rogamina & precum ſubornationes factas fuiſſe, vnde eccleſijs ſæpiùs magnæ iacturæ proueniſſe noſcuntur: ſtatuit & ordinat hæc ſancta ſynodus, quòd de cæterò ad electiones de perſonis ad Eccleſiarum & monaſteriorum regimina faciendas, vbi abſentes hactenus vocari conſueuerunt, non teneantur illi de Capitulo vel conuentu, in quo electio facienda fuerit, aliquos vocare abſentes in locis vltra duas diætas ab ipſa Eccleſia vel monaſterio diſtantibus exiſtentes, canonibus aliter diſponentibus nō obſtantibus quibuſcunque, Et idem in electionibus ad quaſcunque dignitates faciendas intelligatur. Per hoc tamen priuilegijs, ſtatutis & conſuetudinibus illarum eccleſiarum & monaſteriorum, in quibus ad ipſas electiones faciendas prælati religioſi aut de alijs eccleſijs, aut monaſterijs vocandi ſunt, non intendimus in aliquo derogare. Prædicta quoque in caſu electionū duntaxat volumus intelligi, alijs caſibus, in quibus abſentes vocandi ſunt, in diſpoſitione iuris communis remanentibus. Inſuper, quoniā in modo & forma eligendi eccleſijs & monaſterijs prælatos, maximè cùm in eorum electionibus per viam ſcrutinij proceditur, multa requiruntur à iure obſeruanda, quorum omiſsio huiuſmodi electiones nullas reddit vel ſaltem annullandas, vnde diſpēdia & quamplurima diſcrimina eiſdem eccleſijs & monaſterijs hactenus ſæpenumerò euenerunt, & continuò in poſterum euenire poſſent, ad obuiandum eiſdem diſcriminibus & diſpendijs, ſtatuit hæc ſancta ſynodus, quòd ſuperiores ad quos earundem electionum ſpectat confirmatio, electiones quaſlibet, huiuſmodi, dummodò illas alias à maiori parte capitulorum ſeu conuētuum, eccleſiarum & monaſteriorum huiuſmodi, priùs tamen vocatis vocandis, & communione ſuſcepta, & iuramētis præſtitis primitus, iuxta formam decreti noſtri deſuper editi de perſonis idoneis celebratas cognouerint, ſuper reliquis formam concernentibus, iuxta traditionem canonum, abſque tamen malitia & fraude omiſsis, ad confirmationes huiuſmodi electionum procedere, & cū taliter electis, cùm ipſarum qualitas & eccleſiarum vtilitas perſuaſerit, vt ijdem in eccleſijs & monaſterijs eiſdem pręeſſe, ipſaſq; in ſpiritualibus & temporalibus regere & gubernare ac diſpēſare poſſint & valeant. In poſtulationibus tamen quorumcunq; nullatenus iuramenta & communio, ſicut nec in electionibus obmittantur, conſtitutionibus eiſdem in contrarium faciētibus, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Baſileæ in ſeſſione publica ipſius ſanctæ ſynodi, in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, tertio Kalendas Nouembris. Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono, Apoſtolica ſede vacante.

Aliud decretum confirmationis nominatorum ad eligendum Papam, & deputatorum in conclaui.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriā. Nuper in decreto noſtræ 37. ſeſsionis ſuper electione Romani pontificis promulgato, inter cætera ſtatuimus, quòd vnà cum dilecto Eccleſiæ filio Ludouico tituli S. Cæciliæ Cardinali Arelatēſi vulgariter nuncupato. & alijs Cardinalib⁹ ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſi qui ante cōſummatam electionem aduenirēt, & ipſi electioni intereſſe vellent, alij triginta duo, tam de prælatis, quàm de cæteris honorabilibus eccleſiaſticis viris aſſumerētur, qui pro hac vice authoritate huius ſanctæ ſynodi ipſum Romanum pontificem eligere haberent, ita vt ille ab vniuerſali Eccleſia ſummus pontifex habeatur, qui à duabus partibus omnium prædictorum fuerit electus, prout hæc omnia in prædicto decreto latiùs continentur. inter quos trigintaduos nominauimus & elegimus dilectos eccleſiæ filios Thomam Abbatem de Dondraina ordinis Ciſtertienſis, diœceſis Candidæ caſæ, Ioannem de Segobia archidiaconū de Villauiſoza in eccleſia * Ouetenſi, Thomam de Courcellis canonicum Ambianenſem, in ſacra Theologia magiſtros, committentes eiſdem plenariam facultatem eligendi, ſi vellent, ac aſſumendi ſecum vnum, duos aut tres alios) prout eis videretur) qui aſſumpti & electi ſimilem & eandem ſecum poteſtatem haberent & facultatem, mādato, vice & authoritate huius ſacri Baſileenſis Concilij, nominādi & eligendi reſtantes electores ipſius futuri Romani pontificis, & etiam alios officiarios pro conclaui necaſſarios, ita quòd nullus per eos eligendus aut nominandus, cenſeretur eſſe electus & nominatus, niſi à maiori parte prędictorum eligentium nominatus eſſet & electus. Quibus iniunximus, vt reciperent & nominarent ipſos reſtantes electores ex toto corpore Concilij, habendo reſpectum ad nationes & deputationes in hoc ſacro Concilio exiſtentes, quantùm fieri poſſet. Recepimuſque ab ipſis tribus pranominatis iuramētum, quòd eligerent viros timoratos & idoneos, quodq; nō reuelarent electos per ipſos, vſq; ad publicationem eorundem in generali cōgregatione aut ſeſsione, ſed ipſam electionem ſic per eos factam, clauſam ſub eorum ſigillis reponerent in aliquo loco tuto ſub fida cuſtodia, vſque ad illā diem publicationis. Volentes autem tres prædicti deputati noſtri commiſsionem ſibi per nos factam exequi, coaſſumpto ſibi dilecto Eccleſiæ filio Chriſtiano de Gretzregine in Theologia magiſtro, præpoſito Eccleſiæ ſancti Petri in Bruna Olumicenſis diœceſis, die quinto Calendas Nouembris in domo fratrū Minorum Baſileenſium conuenientes, elegerunt & nominârunt tam de prælatis, quàm de cæteris vſq; ad cōplementum numeri trigintaduorum, ipſis in eodem numero ex noſtra ordinatione comprehenſis, quos in certa ſchedula deſcripſerunt, & eandem clauſam ſub ſigillis eorum, in loco tuto ſub fida cuſtodia repoſuerunt, vſque ad diem publicationis fiendæ. Subſequenter verò die quarto Calendas eiuſdem menſis Nouembris in noſtra generali congregatione in hoc ſpecialiter indicta, præfatam ſchedulam aperiētes, nominationem & electionem ſic per eos factam publicauerunt, in qua perſonæ infraſcriptæ, nominatæ & deputatę ſunt ab eiſdem pro electoribus futuri Romani pontificis: Ioannes Archiepiſcopus Tarentaſienſis, Otho Derthuſienſis, Georgius Vicenſis, Franciſcus Gebennenſis, Ludouicus Vicenſis, Bernardus Aquenſis, Guilhelmus Vercellenſis, Georgius Auguſtenſis, Ioannes Eporedienſis, Fredericus Baſileenſis, Ludouicus Taurianenſis Eccleſiarum Epiſcopi, * Alerannus S. Benigni Fructuarienſis ordinis ſancti Benedicti Eporedienſis diœceſis, Iacobus de * Seguſio ordinis ſancti Benedicti Taurinenſis diœceſis, Conradus de Lucella Ciſtertienſis ordinis Baſileēſis diœceſis, Raymundus Cōchenſis ordinis ſancti Benedicti Ruthenenſis diœceſis, Petrus ſancti Cucufatis eiuſdem ordinis Barchinonenſis diœceſis, Thomas de Dondraiua ordinis Ciſtertienſis Candidę caſæ diœceſis, Antonius Arularum ordinis ſancti Benedicti Elnenſis diœceſis monaſteriorum Abbates, Ioannes de Segobia Archidiaconus de Villauiſoza in eccleſia Onetenſi, Chriſtianus de Gretzregine præpoſitus ſancti Petri in Bruna Olomucenſis diœceſis, Nicolaus Thibout pœnitētiarius Conſtātienſis Rothomagenſis prouincię, Thomas de Courcellis canonicus Ambianenſis, Ioannes de Valle rector parochialis eccleſiæ de Pleneor Leonenſis diœceſis in Theologia magiſtri Guilhelmus Hugonis archidiaconus Metenſis legum doctor, frater Ioannes de Monte Canuto præceptor domus ſancti Antonij de Rennerſo Taurinenſis diœceſis, Derzelaus archidiaconus Cracouiēſis, Bernardus de Boſco canonicus Ilerdenſis, frater Bartholomæus de Prouanis præceptor domus ſancti Antonij de Clauaſio Eporedienſis diœceſis, Ioannes Vuiler Decanus eccleſiæ Baſileenſis, Raymundus Albioli canonicus Turiaſſonenſis decretorū, Henricus de Iudæis legum doctores, Iacobus de Saltzburga Licentiatus in iure canonico, canonicus Ratiſponenſis, omnes ſupraſcripti ſunt in ſacerdotio conſtituti.

* Onetēſi

* Aleram*

* Peguzia

Nomina verò perſonarum, quas in alijs officijs neceſſarijs pro conclaui deputauerunt, ſunt hæc: Ludouicus Epiſcopus Lauſanenſis, pro locum tenente Camerarij durante ipſo conclaui.

Pro cuſtodibus conclauis, Perceuallus Bellicenſis, Nicolaus Groſſetanus epiſcopi, Ioannis ſancti Michaëlis de Cluſa, ordinis ſancti Benedicti Taurinenſis diœceſis, Franciſcus Abundantiæ ordinis ſancti Auguſtini Gebennenſis diœceſis monaſteriorum Abbates, Franciſcus de Fuſce ordinis Minorum magiſter in Theologia, Vuilhelmus de Conſtan-

tia legum doctor canonicus Spirenſis, Ioannes de Turicella decanus Segobritenſis, Theodoricus Nagel Canonicus Rigenſis.

Aeneas i ſic poſte. ſi. Pius II & dam hæc acta contra Eugenium.

Pro clericis cæremoniarum gratia, Aeneas de Senis Tridentinenſis, Michaël Brumenſis Beluacenſis Eccleſiarum canonici Notarij Apoſtolici. Pro promotoribus, Hugo Berardi, Ioannes Sletzenrode. Pro procuratore fiſcali, Robertus Maynani. Pro ſoldano, Petrus de Atrio. Deinceps autem loco Bernardi Epiſcopi Aquenſis, qui allegatis per eum pluribus cauſis, ab ingreſſu conclauis & officio electionis ad deputatus erat, ſe excuſauit, habitis deliberationib⁹ in ſacris deputationibus, loco eius in noſtra generali congregatione nominauimus & deputauimus Ludouicum epiſcopū Maſſilienſem. Hanc itaque nominationem, electionem & deputationem tam debentium eligere ſummum pontificem, dequàm officiariorum neceſſariorum pro conclaui, præſenti creto eadem ſancta ſynodus approbat & confirmat, eamque validam eſſe, atque in omnibus vim, robur, & effectum habere decernit & declarat, ſupplens ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis, omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in præmiſsis.

Datum in ſeſsione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata tertio Kalend. Nouembris, Anno à Natiuitate domini 1439.

SESSIO XXXIX.

Confirmatio electionis Papæ electi.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Deus patrum noſtrorum & dominus miſericordiæ, qui fecit omnia verbo ſuo, etſi de omnibus à ſe creatis prouidētiam gerat, cuncta certo gubernas ordine, ſpeciali tamen cura dilectam ſuam Eccleſiam ſemper dirigit, pro qua vnigenitum ſuum dedit, conſolans eam iugiter per Spiritum paracletum, qui ipſam in afflictionibus adiuuat, in perſecutionibus confortat, in tribulationibus lætificat, nec eam quibuſlibet tentationibus ſeculi huius vinci, aut ſuperari permittit. In cuius glorioſo nomine cōgregata hęc ſancta ſynodus, authoritate duorum præcedentium Conciliorum & duorū Romanorum pontificum, dum reſtaurationem legis * diuinæ, & ſacrorum canonum, reformationemq; morum ſolicito perquiſiuit ſtudio, ſimul etiam extirpationē hæreſum, pacificationemq; Chriſtianorum principum multis proſequens laboribus, varias aduerſitates pertulit, & propter veritatem & iuſtitiam plurimas perſecutiones perpeſſa eſt. Adiuuante tamen virtute Dei, ſedulò perſeuerauit in proſecutione ſanctæ reformationis Eccleſiæ pro honore Dei & ſalute omnium animarum. Cùm autem hoc opus felices progreſſus habere non poſſet, propter aduerſitates & reſiſtentias plurimas, quas Gabriel, olim dictus Eugenius Papa IV. in contrarium opponebat, decreta ſalubria & ſacros canones contemnens & paruipendens, authoritatemq; ſacrorū Conciliorum verbis & factis conculcans, determinationes fidei Catholicæ per Eccleſiam factas pertinaciter impugnādo, & abuſibus varijs atq; criminibus Eccleſiam Dei notoriè & incorrigibiliter ſcandalizando, prout in proceſsibus ſuper hoc deductis, latiùs continetur: vbi tandem apud eum nulla proficiebat admonitio, oportuit ad alia iuris remedia recurrere, & à ſummo pontificio, quod nimium damnosè & inutiliter adminiſtrabat, eundem deponere. Poſt quā depoſitionem cùm quatuor menſes & ampliùs eſſent effluxi, conſiderantes quàm grauibus ſit * circundata diſpendijs, quot & quantis ſit plena periculis Eccleſiæ Romanæ prolixa vacatio, ſicut exacti conſideratio temporis edocet, ad electionem noui pontificis procedere duximus, repetitis priùs in noſtra publica ſeſsione 37. illis, quæ dudum de electione ſummi pontificis in hoc Concilio fienda, in euentum vacationis ſedis Apoſtolicæ ipſo Concilio durante, in quarta & ſeptima ſeſsionibus eiuſdem ſanctæ ſynodi ſtatuta & ordinata fuerant. Et facta ſolenni declaratione, quòd pro hac vice electio Romani pontificis fienda & celebranda erat per hoc ſacrum Baſileenſe Concilium, ſeu eius authoritate, atq; etiā ordinatione per decretū pręfatę trigeſimæſeptimæ ſeſſionis, quod vnà cū dilectiſsimo Eccleſiæ filio Ludouico tituli S. Cæciliæ Romanæ Eccleſiæ presbytero Cardinali, Arelatenſi vulgariter nuncupato, præſente & præſidente in hoc ſacro Concilio, & alijs ipſius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſi qui ante conſummatam electionem futuri Romani pontificis aduenirent, & huic ſacro Concilio adhęrentes, eidem electioni intereſſe vellent, alij tam de pręlatis, quàm de cæteris honorabilibus eccleſiaſticis viris in ſacerdotio, aut ſaltem in diaconatus ordine conſtituti vſq; ad numerum trigintaduorum, per eandem ſanctam ſynodum ad prædictam electionem faciendam, in generali ſua congregatione ac in ſeſsione publica nominandi & deputandi, poteſtatem haberent, prout ſecundùm Deum & ſuas conſcientias eiſdem videretur, hac vice liberè eligendi ſummum pōtificem authoritate huius ſanctæ ſynodi: ita vt ille abſq; vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia ſummus pontifex haberetur, qui ab omnibus prædictis ſic debentibus pro hac vice eligere, aut ſaltem à duabus partibus ipſorum eſſet electus, & conſenſum ſuum iuxta formam in eodem decreto ordinatam præſtaret, ſecūdùm cuius decreti diſpoſitionem triginta duo Archiepiſcopali, epiſcopali, Abbatiali dignitatibus, & graduum ac ſcientiarum titulis inſigniti, nominati & deputati in noſtra generali congregatione ac demùm in ſeſsione publica, quorum nomina, dignitates, gradus & ordines hîc haberi volumus pro ſufficienter expreſsis, die tertio Calendas huius menſis Nouembris, celebrata Miſſa ſolenni per præfatum Cardinalem Arelatenſem, ac per ſingulos ipſorum ſuſcepto diuinæ Euchariſtię ſacramento de manu eiuſdem Cardinalis, in præſentia totius Cleri & populi & iuramentis ſolennibus præſtitis, ipſi pariter cum eodem Cardinali conclaue intrauerunt, in ea domo ciuitatis Baſileenſis, in qua deputatio pro communibus teneri conſueuit. Vbi cū magna deuotione ſeptem diebus inſiſtentes, quinque ſcrutinia ſucceſsiuè de mane diuerſis diebus celebrata Miſſa, & inuocata Spirituſſancti gratia peregerunt. Et tandem facto quinto ſcrutinio ea hora, qua proceſsio huius ſacri Concilij domum præfatam circuibat, cantando hymnum, Veni creator, &c. compertum eſt, religioſum & nobilem virum Amedeum ducem Sabaudiæ in ſolitudine Ripaliæ Gebennenſis diœceſis, iam à pluribus annis in virtute continentiæ honeſtè conuerſantem, & virtutum Domino in ſpiritu humilitatis ac ſimplici & humili habitu deſeruientem, in ſummum pontificem vniuerſalis & Romanæ Eccleſiæ eſſe electum, iuxta præfati decreti noſtri 37. ſeſsionis diſpoſitionem. Quæ quidem electio poſtmodùm, aperta feneſtra conclauis, fuit per pędictum dominum Cardinalem Arelatenſem publicè nunciata, decantatoque, Te Deum laudamus, per omnes ſuprà dictos ad eligendum deputatos, concorditer ſuper electione ipſa Deum glorificantes, & orationibus conuenientibus ſubiunctis, ipſi à conclaui exierunt in pluuialibus & mitris, alijsque habitibus condecentibus, prout ſtatui vniuſcuiuſque competebat, concomitantibuſque prælatis & alijs ſuppoſitis huius ſacri Concilij, ac proceſsionibus omnium collegiorum & conuentuum huius ciuitatis Baſileenſis, cum reliquijs & decentibus ornamentis, populiq; multitudine copioſa, Eccleſiam maiorem Baſileenſem adierunt, vbi ipſi prælati, & alij de ſacro Concilio vnanimiter Deo gratias retulerunt. Iteratoque ſępedictus dominus Cardinalis Arelatenſis in ambone, præſentibus omnibus electoribus deputatis, & in hoc conſentientibus, atque idipſum approbantibus, retulit, quomodo ipſa electio ritè & canonicè fuerat celebrata, Notarijs Apoſtolicis qui in conclaui fuerāt, etiam idem atteſtantibus. Quæ omnia conſiderans hæc ſancta ſynodus, & ſpem magnam gerens in domino, quòd pręfatus Amedeus pro ſapientia, experientia, iuſtitia, clementia & cæteris virtutibus ſuis plurimos fructus ſalutis efficiet in populo Dei, fidem conſeruando, mores reformando, pacemque componendo inter principes Chriſtianos atq; populos, velut ſanctitatis amator & pacis cultor, qui cum omnibus pacem, & cum nullo differentiam aut diſcordiam habere famatur, domui ſuæ benè & laudabiliter præpoſitus, grandiumque populorum prudentiſsimus gubernator, & in rebus eccleſiaſticis & ſpiritualibus non mediocriter exercitatus, habita ſuper hoc in quatuor deputationibus omnium

Hic ſolus Cardinalis Arelatenſis Baſileenſium adiutor fuit cōtra Eugenium.

Hic Amedeus poſteà ſponte ſe abdicauit pontificatu, rogatus ab Imperatore Friderico III.

* domini

* onuſta

ſuppo-

ſuppoſitorum huius ſacri Concilij concordi & vnanimi deliberatione, & demùm in generali congregatione cõcluſione ſubſecuta, ipſam electionem laudat, recipit & approbat, & ex abundanti & ex certa ſcientia hoc præſenti decreto ratificat & confirmat, declarans eundem Amedeum abſq; vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia teneri, haberi & reputari debere, electum in verum & legitimum ſummum & Romanum pontificem. Et hoc ipſum per præſentis decreti publicationem ad notitiam volumus deduci cunctorum.

Datum in ſeſsione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata xv. Kalend. Decembris, Anno à Natiuitate domini 1439.

SESSIO XL.

De conſenſu Felicis Quinti electi in Papam, tunc Ducis Sabaudiæ.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Geneſ. 7.

Cùm (ſicut ait Beatus Hilarius) proprium Eccleſiæ eſſe ſoleat, vt tunc vincat, cùm læditur: tunc intelligat, cùm arguitur: tunc ſecura ſit, cùm ſuperata videtur: arca enim per quam Eccleſia deſignatur, eleuata eſt in ſublime: cõfidit hæc ſancta ſynodus, quòd ille qui poſt nubilum dat ſerenum, inclytam ſponſam ſuam ſuccedentibus turbationum fluctibus agitatam, oculo clementiori ex alto reſpiciet, non ferẽs eam in ſui nominis iniuriam diutiùs conculcari. Ipſa etenim ſynodus poſuit in domino ſpem ſuam, & factus eſt protector eius, nec miſericordiam abſtulit, qui varijs aduerſitatũ generibus congrua appoſuit remedia, prementibus quidem grauibus calamitatibus, & irruentibus perſecutionibus aduerſus Eccleſiam ipſam & authoritatem eius, excitauit eandem ſanctam ſynodum ſpiritus paracletus, vt ad electionẽ noui paſtoris & Romani procederet pontificis, qui ſe opponeret murum pro domo Iſraël. Quæ quidem electiõ tãdem cum ſolennitate congrua in eadem ſynodo ritè & canonicè celebrata extitit, de perſona ſanctiſsimi Felicis Quinti, tunc Amedei Ducis Sabaudiæ, ac Decani militum in ſolitudine Ripaliæ Gebennenſis diœceſis, in humilitatis ſpiritu domino famulantium, prout decreto 39. ſeſsionis dictæ ſynodi ſuper hoc confecto pleniùs continetur. Cuius tenor talis eſt:

Sacroſancta, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Deus patrum noſtrorum, &c. Poſt cuius quidem decreti publicationem præfata ſynodus dilectiſsimum Eccleſiæ filium Ludouicum tituli S. Cæciliæ presbyterum Cardinalem, Arelatenſem vulgariter nuncupatum, & de latere & alios legatos & oratores ſuos, videlicet pleroſq; Epiſcopos, Abbates, magiſtros & doctores iuris diuini & humani, nobilem virum Ioannem, comitem in Tyerſteyn, protectoris dictæ ſynodi Imperiali authoritate deputati vicegerentem, & certos milites ad eundem electum tranſmittendos duxit, vt ipſi, electionem præfatam præſentarent & conſenſum eius expoſcerent & requirerent, iuxta formam in decreto 37. ſeſſionis præfatæ ſynodi ſtatutam & ordinatam. Quibus quidẽ legatis & oratoribus in præfati electi præſentia conſtitutis, ipſumque præſentato ſibi die, videlicet Iouis, decimoſeptimo menſis Decembris, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringẽteſimo trigeſimonono, decreto electiõis prędictę ex parte eiuſdem ſynodi ſupplici precum inſtantia repetitis vicibus requirentibus, quatenus pro conſolatione eccleſiæ Dei, in maximis his temporibus aduerſitatibus & tribulationibus conſtitutæ, electioni huiuſmodi acquieſcere, & conſenſum præſtare, aliaque ad quæ iuxta decretum trigeſimæſeptimæ ſeſsionis huiuſmodi tenebatur, facere & adimplere dignaretur, idem electus tunc in magna (vt cernebatur) ſpiritus anxietate conſtitutus, mœrore compreſſus, cùm hinc deſiderium quietis, cui ſub ſuaui contemplatione, depoſita temporalium negotiorum cura, vacare delegerat in ſolitudine prædicta, retraheret, & humanæ cõditionis infirmitas oneris & laboris magnitudinem refugeret, hincq; vniuerſalis Eccleſiæ authoritas & Reipub. neceſsitas impelleret: & licèt diutiùs trepidauerit, ignorans, quid conſultiùs ageret in præmiſsis, poſt multiplices ſeorſum cum grauibu perſonis habitas conſultationes, metuens etiam (vt dicebat ne ipſius ſic ad vniuerſalis Eccleſiæ & Reipublicæ miniſterium neceſsitate cogente vocati, contradictionis reluctatio diuinam contra ſe indignationem prouocaret, & grauiori forſan diſpendij in Eccleſia Dei occaſionem induceret, non honoris aut temporalium rerum cupidine ductus, ſed obſequendi neceſsitate impulſus, & affectu publicæ ſalutis procurandæ, in humilitatis ſpiritum tanti oneris ſarcinæ humeros ſuppoſuit, & ſe Apoſtolicæ ſolicitudinis iugo ſubmiſit, electionique de eo factæ, genibus flexis, exortiſque lachrymis, etiam infra ſtatutum ad hoc in decreto 37. ſeſsionis huiuſmodi terminũ, ad laudem Dei omnipotentis deuotè conſenſit, & humiliter acquieuit, ac per dictum Cardinalem, quo vocari vellet nomine, interrogatus, (prout moris eſt in Romanum pro tempore pontificem electo) Felix nomen duxit ſibi eligendum, chlamyde & caputio, quibus tũc vtebatur, depoſitis, etiam genibus flexis, profeſsionem, iuxta præfatæ 37. ſeſsionis continentiam atque formam, emiſit, & propria manu ſuſcripſit, die & anno ſuperiùs expreſsis, cuius quidem profeſsionis tenor talis eſt:

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus ſancti, ego Felix electus in Papam, omnipotenti Deo, cuius Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & B. Petro Apoſtolorum principi, corde & ore profiteor, quandiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me firmiter credere & tenere fidem Catholicam ſecundùm traditionem Apoſtolorũm, & generalium Conciliorum, & aliorum ſanctorum patrum, maximè autem ſanctorum octo Conciliorum vniuerſalium, videlicet primi Nicæni, ſecundi Conſtantinopolitani, tertij Epheſini, quarti Chalcedonenſis, quinti & ſexti item Conſtantinopolitani, ſeptimi item Nicæni, octaui quoque Conſtantinopolitani, necnon Lateranenſis, Lugdunenſis, Viennenſis, Conſtantienſis & Baſileenſis generalium etiã Conciliorũ, & illam fidem vſq; ad vnũ apicem inuiolatam ſeruare, & vſq; animam & ſanguinem cõfirmare, defenſare & prædicare, ritumq; pariter ſacramentorum eccleſiaſticorum Eccleſiæ traditum, omnimodè proſequi & obſeruare. Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione fidei Catholicæ, & extirpatione hæreſum & errorũ, reformatione morum, executione & obſeruatione decretorum Cõſtantienſis & Baſileenſis Conciliorũ, ac pace in populo Chriſtiano. Iuro etiam proſequi celebrationẽ Conciliorum Generalium & confirmationẽ electionum, iuxta decreta ſacri Baſileẽſis Concilij. Hanc aũt profeſsionem mea manu ſubſcripſi, & tibi omnipotenti Deo, cui in die tremendi iudicij redditurus ſum de hoc & alijs meis operibus rationem, pura mente ſuper altare offero, quam in primo publico conſiſtorio ſolenniter repetam.

Quibus peractis, Cardinalis alijq; legati & oratores prædicti iuxta commiſsionem & poteſtatẽ eis traditam, ipſum electum, depoſitis ſibi indumentis conſuetis, per traditionẽ veſtis albi coloris & annuli de Papatu inueſtierunt, & alba pluuiali cæteriſq; ornamentis Papalibus congruentibus induerunt, & in cathedra poſuerunt. Ipſe Cardinalis alijq; Epiſcopi, Prælati, Principes, Comites, Barones, & nobiles reuerentiam & obedientiam Romanis pontificibus exhiberi ſolitas ſibi exhibentes, in proceſsione ſolenni cruce præcedente, more Papali (vt decuit) ad eccleſiam monaſterij ſancti Mauricij ordinis S. Auguſtini in dicta ſolitudine conſtitutã, proceſſerunt. Et dum ipſe electus fuit ante altare proſtratus diu orauit, & hymni, Te Deum laudamus, decantatione finita, & Pater noſter, & alijs ſuffragijs & Collecta conſuetis per dictũ Cardinalẽ dictis, eundẽ electum inthronizauerunt, ipſum ſuper altare maius dictæ eccleſiæ eleuantes. Demũ ipſe electus adſtãtibus ibidem ſolennẽ benedictionẽ dedit, & indulgentias cõceſsit, in his omnibus decentibus & cõgruis ſolennitatibus obſeruatis. Quæ quidem præmiſſa omnia ſex notarijs publicis, & decem ad hoc ſpecialiter requiſitis teſtibus, plerisque prælatis, principibus, comitibus, baronibus, nobilibus, magiſtris, doctoribus & alijs inſignibus & notabilibus viris ibidem præſentibus, & iſta atteſtantibus, geſta fuere, prout in inſtrumentis publicis, quorum tenores ipſa ſynodus præſenti decreto habet, & haberi vult pro ſufficiẽti expreſsis, pleniùs continetur.

Declaratio quod domino Felici ſit obediendum.

Præfata igitur ſacra ſynodus, quæ electionem Felicis, tūc Amedei, huiuſmodi eius ſolenni decreto cunctis Chriſti fidelibus publicari curauit, conſenſum per eundem electum dictæ electioni præſtitum, ac ſummi Apoſtolatus acceptationem hoc præſenti decreto publicat, & ad notitiam deducit, & deduci vult ſingulorum, ipſasq; electionem, acceptationem, conſenſus præſtationem, profeſsionem, inueſtituram, & inthronizationem gratas & ratas habens, authoritate vniuerſalis Eccleſiæ ex certa ſcientia approbat, roborat, & confirmat, decernens & declarans eidem electo tanquam vnico, vero & indubitato Eccleſiæ Romanę paſtori, ab omnibus Chriſti fidelibus de neceſsitate ſalutis obediendum fore & debere obediri, ac eiſdem Chriſti fidelibus, quacunque etiam ſi Imperiali, Cardinalatus, Patriarchali, Regali, Pontificali, Abbatiali, ſeu alia quauis eccleſiaſtica vel mundana pręfulgeant dignitate, aut Principatus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus ſeu cuiuſuis alterius dominij titulo potiantur, necnon ciuitatum communitatibus, oppidorum, villarum & locorum ac ſtudiorum quorumcunque vniuerſitatibus, & eccleſiarum tam metropolitanarum aliarum cathedralium, quàm collegiatarum capitulis & monaſteriorum conuentibus, necnon ordinum mendicantium generalibus miniſtris & prouincialibus, ac quibuſcunque alijs cuiuſcunque dignitatis, præeminentiæ, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, ſub obteſtatione diuini iudicij, necnon excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, ac priuationis omnium dignitatum, bonorum & officiorū eccleſiaſticorum & temporalium, iuriumque, feudorum & beneficiorum eccleſiaſticorum quorumcunque pœnis, quas & alias iuris pœnas, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Generales miniſtri & prouinciales magiſtri ac doctores, capitula, conuentus, cæterique ſupranominati & alij eccleſiaſtici quicunq; mandatis huiuſmodi inobedientes, ſeu in aliquo contrauenientes, ipſo facto incurrant. Ad ipſas verò pœnas contra Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, milites & alios dominos temporales & ſeculares perſonas quaſcunque, quę ſimiliter inobedientes & rebelles fuerunt, ipſa ſancta ſynodus vniuerſalis Eccleſiæ, ſeu ipſe Felix ſua Apoſtolica authoritate procedere curabit, iuſtitia mediante, authoritate Dei omnipotentis & eiuſdem vniuerſalis Eccleſiæ diſtrictè præcipit atque mandat, quatenus eidem electo, vero & indubitato dictæ Romanæ Eccleſiæ paſtori reuerenter (vt tenentur) obediant & intendant. Et inſuper omnia & ſingula indulta, literas, proceſſus, ſentētias, cenſuras & mandata prætenſa per Gabrielem, olim Eugenium Papam Quartum, qui tanquam ſchiſmaticus, hæreticus & alijs diuerſis criminibus, quibus Eccleſiam Dei incorrigibiliter ſcandalizabat, irretitus, ab omni gradu, honore & dignitate Papali per præfatam ſynodum iuſto iudicio depoſitus & amotus extitit, ſeu eius authoritate quomodolibet conceſſa, promulgata de facto, quæ præmiſsis obuiare poſsint, prout ſunt, caſſa, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti fore decernens pariter & declarans, vniuerſis Chriſti fidelibus ſupradictis ſub prænominatis & alijs in decreto depoſitionis & admonitionis dicti Gabrielis, quod incipit: Proſpexit dominus de excelſo ſancto ſuo, contentis, vtpote fautoriæ ſchiſmatis & hæreſis, & alijs etiam iuris pœnis, quas contrafacientes & rebelles ipſo facto incurrant, inhibet ne præfato Gabrieli ſic depoſito & amoto, eiuſque mandatis, nuncijs & literis, aut exinde ſecutis proceſsibus, ſententijs & cenſuris prætenſis quomodolibet obediant, pareant, ſeu ea exequantur, aut exequi faciant ſeu procurēt eidem Gabrieli ſeu nuncijs, mandatis, literis, & prætenſis proceſsibus, ſententijs & cenſuris ſuis huiuſmodi vtentibus, vel ea exequentibus aſsiſtentiam, auxilium, conſilium vel fauorem præſtare præſumant, decretis alijs eiuſdem ſynodi in ſuo robore nihilominùs duraturis.

Baſileen. ſis Concilij ſeſſ. 34.

Datum Baſileæ in ſeſsione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata quarto Kalend. Martij, Anno à Natiuitate domini 1440.

SESSIO XLI.

In qua condemnantur quidam libelli ſcandaloſi, &c. per Gabrielem olim Eugenium Papam Quartum editi.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Licèt (vt ſacrorum canonum apertè teſtatur authoritas) condemnatis de hæreſi & ab Eccleſia Dei * ſeiunctis, nulla ſuper Catholicos iudicandi ſit attributa vel permiſſa poteſtas, ac fidelibus Chriſticolis quæuis illorum cōmunio ſub grauiſsimis iuris diuini pariter & humani pœnis ſit penitùs interdicta: quia tamen inualeſcente hominum malitia ac humani generis inimico, omnium hæreſum ſatore procurāte, plerunq; nonnulli taliter damnati, ſic ſuos obdurāt animos, in ſua pertinacia gloriantes, & vniuerſalem Eccleſiam ac ſibi deuotos ſub prætenſo colore iudicialis ſententiæ libellis ſcandalis & cōtemptibus plenis, in vniuerſo afficere & perturbare non verentur: non ſolùm debitum, ſed & neceſſarium reputamus, vt cōtra damnabiles huiuſmodi auſus debita ordinemus antidota, dignaque animaduerſione cōtra talium fautores arctiùs exurgamus. Nuper ſiquidem dum Gabriel, olim Eugenius Papa IV. nuncupatus, multiplicia & enormia crimina vniuerſalem eccleſiam Dei ſcandalizantia, quæ adeò notoria erāt, quòd nulla tergiuerſatione celari poterant, perpetrauerat, & Eccleſiam audire, ac præceptis, ſtatutis & ordinationibus ſynodalibus obedire contemneret, hæc ſancta ſynodus neceſſarium eſſe iudicans, vt cui pia nō proderat correctio, debita non parceret abciſio, poſtquam in multa longanimitate, patientia & manſuetudine poſt plures admonitiones expectauerat eundem, vt ſalutarem emendationem & criminum prædictorum correctionem efficeret, tandem cùm amplius differre non poſſet, quo minùs fidei Catholicæ & ſaluti vniuerſæ Chriſtianæ religionis ſub auxilio ſpiritus paracleti prouideretur, eadem ſancta ſynodus in ſeſsione publica Baſileæ vij. Calend. Iulij, Anno à natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono ſolenniter celebrata, per ſuam ſententiam inter alia dictū Gabrielē fuiſſe & eſſe notorium & manifeſtū ſchiſmaticum & hæreticum, ac diuerſis alijs criminibus vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizantibus, irretitum, eumq; propterea à Papatu & Romano pontificio ipſo iure priuatum eſſe declarauit, pronunciauit, ac ipſum ab eiſdem amouit & depoſuit, inhibendo ſingulis fidelibus ſub grauibus pœnis tunc expreſsis, ne eidem Gabrieli ſic priuato & depoſito, tanquam ſummo pontifici obedirent, parerent, vel intenderent, aut eū quouis modo ſuſtinerent, aut receptarent, aut auxilium, conſilium vel fauorem præſtarēt, prout in ſententia & decreto noſtris deſuper confectis, pleniùs continetur. Cùm autem (ſicut accepimus) nuper quædam famoſa ſcripta, ſcandaloſa, iniurioſa, ſchiſmatica, à fide deuia, & hæretica, quam ipſe ſentētiam diffinitiuam appellat, quæ incipit: Quoniam ſanctorum patrum ſententia, &c. per quam dictus Gabriel inter alia ſanctiſsimo domino noſtro Felici Quinto in Romanum pontificem electo, vero, vnico & indubitato Chriſti vicario, & eius Felicis Quinti electoribus, per hoc ſacrum Concilium cum debita maturitate & prouidentia circumſpecta ad hoc tunc ordinatis, ac alijs qui conclaue pro electione Romani pontificis in hac ſancta ſynodo ingreſsi fuerunt, & in ea interuenerunt, eiſq; credentibus & adhærētibus conuicia plurima & turbationes in ſuis perſonis, dignitatibus, beneficijs & rebus temere & calumnioſe inferre molitus eſt, decernendo & declarando eos fuiſſe & eſſe dignitatibus & beneficijs ac officijs ſuis priuatos, & inhabiles ad eadem, licèt de facto nomine ipſius Gabrielis emanauerit, & publicata fuerit in vniuerſalis Eccleſiæ & dicti Felicis Quinti ludibrium, dedecus & contemptum: nos attendentes quòd illorum ſcripta recipi non debent, quorum damnantur authores, & ne ex dicta ſcriptura prætenſa, per quam idem Gabriel ſe pertinaciùs obduratum, & magis ac magis hæreticum, & omni crudelitate repletum comprobat, quempiam fidelium in hac re ſeduci ac turbari contingat, hæc ſacroſancta ſynodus volens (vt tenetur) ſuper hoc ſalubriter prouidere, prætenſam

* præcis

Sententia Eugenij contra Felicem & eius ſtudioſos, &c.

ſcri-

Digitized by Google

ſcripturam,ac quicquid ex ea ſecutum eſt, declarat fuiſſe & eſſe omninò irrita & inania, nullumque debuiſſe ac debere ſortiri effectum, ſeu nocumẽtum vel * damnum afferre cuiquam, vel quomodolibet attuliſſe, ipſaque quatenus proceſſerunt de facto, & quę in poſterum ſequi poſſent, in irritum reuocat, caſſat & annullat. Inhibet quoque, mandat, atque vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, vel conditionis fuerint, etiam ſi Imperiali, Regali, Ducali, Cardinalatus, Patriarchali, Pontificali ſeu alia quauis eccleſiaſtica vel mundana dignitate pręfulgeant, ac ciuitatibus, vniuerſitatibus, communitatibus, villis, oppidis, caſtris & collegijs quibuſcunque ſub fautorię ſchiſmatis & hæreſis ac excommunicationis, quò ad ſingulares, interdicti verò quò ad ciuitates, vniuerſitates, communitates, villas, oppida, caſtra & collegia prædicta, nec nõ priuationis omnium & ſingulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum, priuilegiorum & bonorum eccleſiaſticorum & mundanorum, ac inhabilitationis ad eadem, alijſque in dicto & cæteris noſtris decretis contentis pœnis, quas cõtra facientes & rebelles ipſo facto incurrere volumus, ne ſcripturam & in ea contenta huiuſmodi acceptare, publicare, prædicare, approbare ſeu defendere, aut eiſdem quouis modo conſentire, vel fauere, nec eis obedire, ſeu ea attendere, vel obſeruare, ſeu aliarum quarumcunque prætenſarum (priuationum ac proceſſuum inde ſecutorum, etiam quaſcunque cenſuras continentium, per ipſum Gabrielem damnatum factorum, aut forſan in poſterum faciendorum) prætextu, dignitates, beneficia, perſonas, res & bona Felicis Quinti, electorum & aliorum in eadem prætenſa ſcriptura quoquo modo comprehenſorum, quouis modo impetrare, occupare, inuadere, perturbare, vel detinere, aut ipſos impetrantes, inuadentes, perturbantes, capientes, vel detinentes ad poſſeſsionem eorundem, ſeu alias recipere, admittere, ſeu eos in illis ſuſtinere, aliaſque ipſis ac dictæ ſcripturæ ac in eis contentis, alijſque præmiſsis aſſentientibus & illis vtentibꝰ, ſeu ea publicantibus & defendentibus, auxilium, conſilium vel fauorem præſtare quoquo modo audeant, vel præſumant, nec præmiſſa (quantum in eis eſt) executioni demandari permittant.

* notam.

Datum Baſileæ in ſeſsione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata x. Kalendas Auguſti, Anno à Natiuitate domini 1440.

SESSIO XLII.

De prouiſione Felicis Papæ Quinti.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Inſcrutabili diuinæ altitudinis prouidentia ad * extollẽdum & conſeruandum dominici gregis agrum, in inuocatione Spiritusſancti adunatos, inter multiplices nobis incũbentes ſolicitudines, illa nos cura propenſius angit & vrget, vt quæ pro Chriſtianæ religionis incremento & Reipubl. vtilitate per nos ſummo ſtudio edita ſunt & decreta, votiuè dirigi & firmiter valeant adimpleri, & vt Romanus pontifex decretorum huiuſmodi executor & conſeruator præcipuus, illa tanto ampliùs, tantoque liberiùs exequi poſsit & manutenere, ac aliàs felici regimini eccleſiæ Dei ardentiùs intendere, quo congruæ prouiſionis auxilio iuxta ſui ſtatus exigentiam ab vniuerſali Eccleſia ſuffultus, incumbentia ſibi & ſuis onera expenſarum grauiſsima, commodiùs & faciliùs conſpexerit poſſe ſupportare. Cùm itaque ſanctiſsimus dominus Felix Papa V. ad ſummi Apoſtolatus apicẽ aſſumptus, non mundanarum rerum cupidine ductus, cùm patrimonium B. Petri & terras Romanæ eccleſiæ proh dolor per alias tyrannides cerneret occupatas, allectus, ſed diuinæ voluntati reſiſtere non volens, & eccleſię Dei in tam graui fluctuatione conſtitutæ, piè compatiens, iugum tanti oneris pro Dei reuerentia, fidei conſeruationis, & vniuerſalis Eccleſiæ conſolatione ſuis humeris ſuſcipiens, proprijs derelictis, decreta huiuſmodi cum omni humilitate ſuſceperit, eaque & fidem Catholicam obſeruare, & manutenere purè & ſimpliciter iuxta mentem & tenorem eorundem profeſſus fuerit, & ad proſecutionem totius boni reipub. & religionis Chriſtianæ, nec non ad defenſionem authoritatis generaliũ Conciliorum & decretorum prædictorum affectibus ſynceris anhelans, grauiaq; & importabilia expenſarum onera in diuerſis & magnis eccleſiæ Dei ingruẽtibus negotijs, prępertim pro executione illorum ſanctorum operum, propter quæ eadem ſancta ſynodus congregata eſt, cùm de patrimonio B. Petri aut aliundè nullam adhuc ſubuentionem habuerit, hactenꝰ ſubierit & pertulerit, ac grauiora neceſſariò dietim ſubire & perferre habeat, per quæ (vt confidimus & ſperamus) idem Felix Papa patrimonium huiuſmodi & terras eccleſiæ recuperare, pacemq; eccleſiæ dare poterit, dño concedente: attendens itaq; ſancta ſynodus, quòd ſpiritualia ſine temporalibus diu ſubſiſtere nequeunt, præmiſsis & alijs diuerſis rationabilibus & euidentibus cauſis permoti, volẽs etiam quod in decreto ſuæ ſeſsionis 12. 3. Idus Iulij anno à natiuitate domini 1433. celebratę, quod incipit, Sicut in conſtruenda domo, ordinatum eſt, laudabiliter adimplere, hoc irrefragabili decreto vſq; ad quinquennium à die datæ præſentium computandum, quintum: & deinde ad aliud quinquennium extunc proximè ſubſecuturum, decimum denarium veri valoris annui ſecundùm communẽ æſtimationẽ quorumcunq; fructuum, redditum & prouentuum primi anni omnium & ſingulorum canonicatuum & prębendarũ, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, præſtimoniorum, præſtimonialium portionum, & aliorum beneficiorũ eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſecularium & regulariũ, cuiuſcunq; conditionis, ordinis aut religionis fuerint, & quocunq; nomine cenſeantur, etiamſi dignitates ipſæ Patriarchales, Archiepiſcopales, epiſcopales, Abbatiales, prioratus, conuentuales, ac in metropolitanis ſeu alijs Cathedralibus maiores poſt põtificales, aut in Collegiatis eccleſijs principales & electiuæ fuerint, à dicta die in anteà, ſiue per obitũ aut liberam ſeu ex cauſa permutationis reſignationem, vel aliàs quouis modo & qualitercunque, præterquam per priuationem cauſa reformationis, aut reſignationem ſimplicẽ in foro conſcientiæ, ſeu per optionem præbendarum in eccleſijs, vbi illarum optiones fieri conſueuerunt, vbicunq; in Romana curia vel extra, vacantium oneribus neceſſarijs illis pro tempore incumbentibus deductis. & quotidianis diſtributionibus, necnon & xenodochijs pauperum, hoſpitalibus in quibus hoſpitalitas actu tenetur, leproſarijs quoque, & alijs in titulum beneficij concedi non ſolitis, duntaxat exceptis, à quibuſuis capitulis, collegijs, cõuentibus & perſonis eccleſiaſticis & ſecularibus, exemptis & nõ exemptis, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis ſeu conditionis exiſtant, illa pro tempore poſsidentibus, aut fructus, redditus & prouentus huiuſmodi ex ſtatutis vel conſuetudinibus, cõmendis ſeu aliàs quouis modo percipientibus, pro vna infra ſex, & alia medietatibus infra alios ſex menſes eiuſdem primi anni, ſanctiſsimo domino Felici Papæ V. ſuiſq; collectoribus & ſubcollectoribus per eum deputandis, realiter & cũ effectu perſoluendum, & per eos exigendum, leuandum, colligendum & recipiendum, eidem domino Felici Papæ pro ſua ac Cardinalium & officialium prædictorum prouiſione authoritate vniuerſalis eccleſię tenore pręſentium reſeruat, conſtituit, deputat & aſsignat, ſtatuens & decernens, capitula, conuentus, collegia & perſonas ipſas ad ſolutionem quinti & decimi denarij huiuſmodi dicto domino Felici papæ, eiuſq; collectoribus & ſubcollectoribus modo præmiſſo faciendam, fore efficaciter obligatos. Quodque ſi infra vnum menſem à die quo collectores vel ſubcollectores huiuſmodi in eccleſia Cathedrali ſe quintum vel decimum denariũ huiuſmodi ab illius debitoribus recipere paratos obtulerint & publicauerint, quemlibet terminorum prædictorum ſequentium in ſolutione huiuſmodi, defecerint, negligentes ſeu remiſsi fuerint: ſingulares perſonæ, excommunicationis: Capitula verò, Conuentus & Collegia, huiuſmodi ſuſpẽſionis à diuinis ſententias eo ipſo incurrant, à qua quidem excommunicationis ſententia ab alio, quàm à nobis aut dicto domino Felice Papa, ſeu cui ille id duxerit committendum, præterquam in mortis articulo conſtituti, (niſi priùs de tunc debito (vt præmittitur, denario eidem domino Felici Papæ V. eiusve collectoribus & ſubcollectoribus ſatisfecerint, aut deſuper cum eis concordauerint) abſolutionis

* excolendam

Spiritualia ſine tẽporalibus ſubſiſtere diu nequire.

beneficium nequeant obtinere: & ſi Capitula, Conuentus, Collegia & perſonæ prædictę excommunicationis & ſuſpéſionis ſententias huiuſmodi per tres menſes, dictum menſem immediatè ſequentes, animo (quod abſit) ſuſtinuerint indurato, extunc eorum eccleſiæ, monaſteria & loca eccleſiaſtico ſint ſuppoſita interdicto, tamdiu & quouſque à ſententijs (vt prçfertur) abſolui, & interdictum huiuſmodi meruerint relaxari, non obſtantibus quibuſcunq; conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac ſtatutis, vſibus & cóſuetudinibus Eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, locorum & ordinum quorumcunque iuraméto, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque alia firmitate vallatis, literis quoque, gratijs, priuilegijs, libertatibus, exemptionibus, indultis & conceſsionibus, capitulis, conuentibus & collegijs prædictis, eorumq́; eccleſijs, monaſterijs, prioratibus, dignitatibus, locis & perſonis, in genere vel ſpecie, ſub quacunq; verborum forma, vniuerſalis Eccleſiæ Apoſtolica vel alia quauis authoritate factis & conceſsis, etiam ſi de eis & corũ totis tenoribus in præſentibus ſpecialis & expreſſa mentio fienda foret, & quæ, quò ad hæc, eis nullatenus ſuffragari volumus, cæteriſq́; contrarijs quibuſcunq;, aut ſi capitulis, conuentibus, collegijs & perſonis prædictis communiter vel diuiſim, quomodolibet indultum exiſtat, aut interim indulgeri contingat, quòd ad ſolutionem ſeu præſtationem denarij huiuſmodi, aut cuiuſcunq; alterius oneris vel ſubſidij nó teneantur, & ad id compelli, aut quòd interdici, ſuſpédi vel excommunicari, ſeu ipſi vel eorum loca interdici non poſſint, per literas nó facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi eorumq́; eccleſijs, monaſterijs, dignitatibus, beneficijs, locis, perſonis & ordinibus proprijs mentionem. Vult tamen & aſſentit hæc ſancta ſynodus, quòd ſi aliqua natio, regnum vel prouincia modum prouiſionis huiuſmodi ſibi non conuenire ſenſerit, aut allegauerit oneroſum, præfatus dominus Felix Papa, auditis illius rationibus, & conſiderandis debitè ponderatis, cum eadem natione aut eius perſonis (prout rationabiliter expedire videbitur) conuenire, & cum eis cócordare poſsit: & quicquid cum eo in hoc ſit conuentum, aut concordatum fuerit, id ipſa ſancta ſynodus gratum & ratum perinde haberi decernit, & declarat, ac ſi de hoc in præſenti decreto plena & expreſſa mentio haberetur. Quodq́; denarius prædictus, vacatione prædicta quotieſcunq; infra primum annum huiuſmodi in quacunq; natione occurrente, & eo durante, vltrà ſemel nullatenus exigatur, nec quiſquam ad illum ſoluendũ ampliùs teneatur. Inſuper vult & decernit hæc ſancta ſynodus, quòd ſi qua capitula, collegia & conuentus, ac eccleſiaſticæ ſeculares ve perſonæ cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus, ordinis ſeu conditionis exiſtant, fructus, redditus & prouentus primi anni huiuſmodi, aut aliquam illorum quotam ſiue partẽ ex ſtatutis, conſuetudinibus ſeu priuilegijs aut aliàs quouis modo leuare & percipere conſueuerunt, per hoc præfato domino Felici Papæ in exactione huiuſmodi denarij nullatenus præiudicetur, diſtrictiùs inhibendo capitulis, collegijs, conuentibus, & perſonis ipſis ſub ſententijs & pœnis ſupra dictis, ne illos vel illam in præiudicium dicti denarij pro eo anno quoquo modo petere vel exigere audeant ſeu præſumant. Per hoc tamen hęc ſancta ſynodus capitulis, collegijs, conuentibus & perſonis prædictis, quo minus annis dictum primum vacationis annum ſequentibus illos & illam pro ea parte, quæ ob impoſitionem denarij huiuſmodi eis defecerit, petere & exigere valeant, non vult nec intendit præiudicium generari. Prætereà cùm nonnulli nationis Germanicæ, apud nos conſtituti, nationem ipſam præ cæteris plùs fore grauatam, coram nobis allegauerint, ſi in ea denarius huiuſmodi abſque alia moderatione exigi deberet & leuari: hęc ſancta ſynodus his & alijs rationabilibus cauſis mota, beneficia quæcunque & qualiacunque infra dictam nationem conſiſtentia, valorem quinq; marcarum argenti ſecundùm communem extimationem eorum neceſſarijs oneribus deductis non excedentia, hoc decreto nullatenus includi, nec de illorum fructibus, redditibus & prouentibus denarium huiuſmodi ſolui, leuarique ſeu exigi debere, decernit & declarat, volens & ſtatuens, quòd ſi de vero valore in præmiſſis quandoq; hæſitari contigerit aut contendi, collectores & ſubcollectores huiuſmodi vnam, & is cui ſolutio denarij huiuſmodi pro tempore incumbit, alias perſonas pro diſcuſsione dubij & contentionis huiuſmodi eligere: & ſi illas diſcordare contingeret, loci ordinarius aut eiuſdem in ſpiritualibus vicarius, ſeu officialis generalis: ſi verò occaſione metropolitanæ vel cathedralis eccleſiæ dubium aut contentio exorta fuerit, caſu diſcordiæ huiuſmodi capitulum cum altera perſonarum ſic electarum, dubium huiuſmodi habeãt terminare. Quarum quidem perſonarum ac in caſu diſcordiæ huiuſmodi ordinarij ſeu eius vicarij & capituli prædictorum, ſententiæ & determinationi partes hincinde ſtare, & parere ſine omni contradictione debeant & teneantur. Cæterùm hæc ſancta ſynodus collectoribus & ſubcollectoribus denarij prætacti pro tempore deputatis, ſub obteſtatione diuini iudicij & excommunicationis pœna, quam contrafacientes incurrere vult ipſo facto, diſtrictius inhibet, ne quicquam vltra denarium huiuſmodi à perſonis pro tempore ſoluentibus & debentibus, prætextu ſchedulæ, quitantiæ ſeu liberationis per ipſum de eo quod ſibi ſolutum fuerit, factæ, petere vel exigere audeant ſeu præſumant: ſed quod de competenti ſalario eis per cameram dicti domini Felicis Papæ aſsignando, contenti remanere debeant, decernit, vult & ordinat: quodq́ue collectores & ſubcollectores ipſi ſic in exigendo denarium huiuſmodi, modum obſeruent, quòd perſonæ de indebito grauamine non immeritò querulari cogantur, ac proptereà calices, libri, iocalia & alia ornamenta eccleſiaſtica nullatenus impignorentur, diſtrahantur, vel alienentur. Vult tamen & decernit eadem ſancta ſynodus, ne perſonas ſententijs prædictis pro tempore illaqueatas, vltra modum in abſolutione obtinéda, ad curiam veniendo, grauari contingat, quòd præfatus dominus Felix Papa Quintus collectoribus & ſubcollectoribus ipſis vel alijs (prout opus & expediens videbitur) perſonas ſic ligatas, à cenſuris huiuſmodi abſoluendi, & interdicta relaxandi & tollendi, plenã & liberam concedat facultatem. Teneanturque ipſi collectores & ſubcollectores, ſolutione dicti denarij facta, capitula, conuentus & collegia, ac perſonas prędictas à ſententijs & cenſuris prędictis gratis & ſine aliqua difficultate abſoluere, interdictumq́; forſan poſitum ſimiliter tollere & relaxare. Pro cuius quidem abſolutionis, ſublationis & relaxationis literis etiam ſigillatis, ſi prædicti eas habere voluerint, etiam ſi per notarium fuerint ſubſcriptæ, ad ſoluendum vltra ſextam partem vnius floreni de camera, nullatenus conſtringi valeant vel compelli. Eos autem qui contrafecerint, excommunicationis ſentétiam incurrere voluit ipſo facto. Quodque poſt decennium à dicta die computandum, aſsignatio prouiſionis huiuſmodi ceſſet penitùs & expiret, capitulaq́;, conuentus, collegia & perſonæ prædictæ ad ſolutionem denarij huiuſmodi ratione dignitatum & aliorum beneficiorũ prædictorum, extunc in anteà vacaturorum, de cætero nullatenus teneantur. Decernit quoque, omnes & ſingulos proceſſus, pœnas, ſententias & cenſuras, quos & quas contra capitula, conuentus, collegia & perſonas huiuſmodi ob nó ſolutionem ratione beneficiorum poſt decennium vacaturorum huiuſmodi, per quemcunque, etiam ſi Papali dignitate præfulgeat, quauis authoritate fieri, ferri, & promulgari contigerit, irritos & irritas, ac irritum & inane, quicquid in contrarium ſcienter vel ignoranter fuerit attentatum.

Datum Baſileæ in ſeſsione noſtra publica, in maiori eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata pridie Nonas Auguſti, Anno à Natiuitate domini 1440.

SESSIO XLIII.

De viſitatione B. Mariæ Virginis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam.

Inter aſsiduas militantis Eccleſiæ turbationes & procellas, quibus ipſa dietim affligitur, illa ſingularis iucunditas & egregia exultatio communitati fidelium relicta eſt, vt dominum creatorem noſtrum intimis præcordijs diligentes, eundem in ſanctis ſuis deuotè glorificent. Per hoc enim & ipſe dominus, qui gratiam illis præſtitit, dignè collaudatur, & ipſorum ſanctorum promptiora erga nos reddimus

patrocinia. Quod quidem ſingulariter eſt agendum, cùm calamitates irruunt, quæ abſque demeritis hominum non cõtingunt, vt per ipſorum ſanctorum preces & merita, miſericordia domini ſuper peccatis hominum imploretur, & humanum genus ab imminentibus malis & innumeris periculis præſeruetur. Inter autem omnes qui cœleſtem regẽ pro nobis interpellent, præcipuè ad glorioſiſſimam illam & omni laude digniſſimam Dei genitricem Mariam eſt recurrendum, quæ quãtò altior exiſtit, tantò humiliùs ad nos reſpicit, omnes ad ſe trahere cupiens, pro quibꝰ in vtero geſtauit ſaluatorem. Hæc apud Deum quem ipſa peperit, ſedula pro nobis aduocata, nos iuuat, nos tuetur, nos protegit, nos exaltat: hęc omnibus qui ad eam recurrunt, promptiſſimum exhibet patrociniũ. Huic igitur ſanctiſſimæ Virgini, etſi plures feſtiuitates veneranda ſanctorum Patrum antiquitas cõſecrauit, irruentibus tamen dietim maioribus mundi calamitatibus & anguſtijs, quæ ad expetenda eiuſdẽ Virginis auxilia vehementiùs vrgent, iucunditatem illam ſibi cœlitùs datam, non immeritò cõuenit celebrari, dum virgo eadẽ beatiſſima cœleſti edocta nuncio & Spiritu ſancto duce, aſcendens cum feſtinatione in mõtana, humilem Zachariæ domum intrauit. Ieſus enim qui in vtero illius erat, feſtinabat adhuc in ventre matris Ioannem poſitum ſanctificare.

Lucæ 1.

Et ipſa virgo glorioſiſſima cognatam Elizabeth viſitans, non minùs illam ſuaui quàm fructuoſo ſalutauit alloquio. Maximam nanque lætitiam fidelium mentibus debet ingerere excellens illud myſterium, quo matres illę glorioſæ, totius ſalutis noſtræ ferentes primordia, tam familiariter inter ſe exultárunt, cùm Virgo excellentiſſima de ſtirpe Dauid Maria, & veneranda inter filias Aaron Elizabeth inuicem colloquuntur: quarum altera Creatorem omnium & Saluatorem noſtrum, altera præcurſorem Ioãnem geſtat in vtero: & ſanctæ illæ miraculo matres effectæ, diuina inter ſe beneficia commemorant. Felix quidem illa cõuentio, & magnis diuinæ gratiæ ſplendoribus illuſtrata, qua tales & tantæ in vnum matres pariter affuerunt, quarum altera Virgo ex Spiritu ſancto, altera ſterilis & in ſenectute conceperat, & vtriuſque partum cœleſtis Angelus prænunciauit: Qua Ioannes adhuc maternis recluſus clauſtris, venientem ad ſe dominum in Mariæ vtero veneratur. Qua repleta Spiritu ſancto Elizabeth, conceptui filij Dei & ſaluatoris hominum gratulatur: qua & ipſa Prophetans, beatiſſimam dixit Mariam quæ credidit, & reuelata ſibi myſteria pandit: Qua denique repleta ineffabili gaudio mater Domini Maria, omnia in corde ſuo conferens, quæ vel priùs ab Angelo, vel tunc ab Elizabeth perceperat, in canticum & laudem domini prorumpit. Nunc admirabilem Dei potentiam, qui reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ, collaudat: nunc magnitudinem operũ eius glorificat, nunc refert miſericordiam, quæ à progenie in progenies ſuper ſe timentes diffunditur: nunc iuſtitiam, qua ſuperbi deijciuntur, & humiles exaltantur, magnificat: nunc promiſſionem Abrahæ & ſemini eius factam, & iam tunc completam commemorat, ac quòd ſe Beatam omnes generationes vſque ad conſummationem ſeculi dicerent, diuina inſpiratione prophetauit. Eandemq; prophetiam ſic manifeſtè videmus iugiter adimpleri, vt ſuperuenientes generationes ipſam Virginem Beatam & Beatiſſimam magis ac magis meritò dicere conentur. Quis igitur tantam lætitiam ſatis poterit explicare? Quis tanta myſteria condignis laudibus proſequatur? Quis hæc gaudia ſufficienter exponat, dum Ioannes nondum natus exultat, Elizabeth aduentu Virginis collætatur, Maria in myſterijs gaudet, clauſus in vtero Saluator, à ſuo recognoſcitur præcurſore, lætantur Angeli, Cœlum & terra iucundantur, & tota Trinitas nouis laudibus glorificatur? Hæc igitur gaudiorum magnitudo, ſpecialibus eſt extollenda præconijs. Hæc ſingularibus ſolennitatibus celebranda, in qua & dominum qui geſtatur in vtero, & Virginem quæ portat, & ſterilem quæ concepit, & præcurſorem qui viſitatur, condecentibus proſequi debemus honoribus. In cuius cõmemoratione, qui tribulati ſunt, Mariam implorant, quæ gaudiorum huiuſmodi memor (vt ſperandum eſt) non ſolùm ſupplicantes exaudiet, ſed ſicuti ex ſua clementia conſueuit, etiam ſupplicare volentium preces præueniet. Quæ conſiderans hæc ſancta ſynodus, cum in hoc tempore tota proh dolor Chriſtianitas in laboribus & anguſtijs conſtituta cernatur, cumque ferè vbique diuiſiones & bella per humani generis hoſtem introducta vigeant, & ipſa etiam Eccleſia militans non mediocribus agitetur procellis, dignum eſſe iudicauit, ſolẽnitatem hanc quæ congruè viſitatio Beatiſſimæ Virginis appellatur, in ſingulis Chriſtianorum eccleſijs celebrari, vt honorata in hac celebritate per pias & deuotas fidelium mentes mater gratiæ & omnis conſolationis ſacerrima Virgo Maria, Benedictum Filium ſuum iam multis hominum peccatis offenſum, ſua interceſſione concilians, pacem & vnitatem fidelibus largiatur. Ideoque ſtatuit & decernit eadem ſancta ſynodus, ad honorem ipſius Virginis Dei genitricis, vt poſt expleta reſurrectionis dominicæ, pẽtecoſtes, glorioſæ Trinitatis, ſacri corporis Chriſti, beatorum Ioannis Baptiſtæ, ac Apoſtolorum Petri & Pauli ſolennia, in quibus Eccleſia poſt ſolẽnitatem Annunciationis Dominicæ, quã præfata viſitatio temporis ordine cõfeſtim ſequebatur, eſt occupata, per ſingulas Chriſtianorum eccleſias quolibet anno ſexto nonas Iulij feſtum huiuſmodi viſitationis glorioſæ Virginis celebretur. Hoc igitur ſolenne feſtum amplectantur Chriſti fideles, & omnes qui Beatam Virginem ſingulari deuotione proſequûtur, ſecum in hac ſolennitate ſuæ exultationis congaudeant. Quam vt eo libentiùs in diuinis honorẽt officijs, quo magis ſpiritualibus fuerint excitati muneribus, ipſa ſancta ſynodus omnibus Chriſti fidelibus, qui matutinis, proceſſioni, ſermoni, Miſſarum ſolennijs, vel primis aut ſecundis veſperis huius Glorioſæ Virginis feſtiuitatis interfuerint, pro vnoquoque officiorum prædictorum centum dies de iniunctis pœnitentijs miſericorditer elargitur.

Datum in ſeſſione noſtra publica in eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, Calendis Iulij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo.

SESSIO XLIV.

De tuitione ſuppoſitorum huius ſacri Concilij.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileẽſis, in Spiritu ſancto legitimè cõgregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Catholicæ Eccleſiæ ſanctis operibus continuè intenti, ſi cunctis fidelibus in miniſtranda iuſtitia nos decerat eſſe fauorabiles & benignos, illos non immeritò, qui pro fidei orthodoxæ atque generalium Cõciliorum authoritatis defenſione fideles labores impenderunt & impendunt, iuſtitiæ fauoribus attollere debemus & munire præſidijs, quibus per nos maturè facta decreta inſequendo, à *peruerſis ambitioſorum illatis ſubleuari, & inferendis moleſtationibus præſeruari valeant, & ſic eorundem decretorum trãſgreſſorum, illorum præſertim, qui nobis incorporati & huius ſanctę ſynodi decreta manutenere & defendere iurauerunt, contemptum puniri facere, ſicque erga ſingulos iuſtitiam ordine debito exercere, vt alter in alterius iniuriam non facilè proſiliat: & formidata in reprobis vltione impiorum, nocendi temeritas compeſcatur, & inter eos tuta ſit innocẽtium tranquillitas. Poſtquàm dudùm omnipotens dominus nimiùm afflictam Eccleſiam ſuam ſponſam pietatis oculo reſpicere, & fidelium cordibus inſpirare dignatus fuerat, vt ſynodus vniuerſalis duorum etiam generalium Conciliorum authoritate, & duorum ſummorum Põtificum ſucceſſiuè approbatione pro errorum hæreſumque extirpatione, ac generali Eccleſiæ in capite & in membris reformatione, atque regum & principum, aliorumque catholicorum adinuicem diſſidentium pacificatione, in hanc ciuitatem Baſileenſem conueniret: nos tunc occurrentia, quæ nonnulli aduerſus opera prædicta inferre conabantur, ac etiam futura, quæ veriſimiliter inferre poſſent, impedimenta circũſpicientes, & vt illa pro quibus conueneramus, communem Chriſtianorum ſalutẽ concernentia, ad fines optatos perduci, ac eis per quæ directè & indirectè impediri, ipſique incorporati ab eis retrahi poſſent, obuiare cupientes, per nõnulla ſalubria decreta ſtatuendo diffiniuimus: Primò, quòd nullus eidẽ ſynodo per ſe vel procuratorem incorporatus aut incorporãdus

*prætenſis

etiam procurator ipſe, à tempore arrepti itineris animo veniendi ad ipſam ſynodum ſine fraude continuati, pro quacunque cauſa tunc mota vel in anteà mouenda, aut alia quauis occaſione, ad Romanam curiam ſeu coram quocunque iudice ordinario vel delegato, extra locum dictæ ſynodi ea durante inuitus trahi ſeu euocari, aut contra eum inuitum procedi poſſet, decernentes extunc irritum & inane, nulliuſque roboris exiſtere vel momenti, quicquid in contrarium per quemcunque etiam Romani Pontificis authoritate, attentari contigerit in futurum. Deinde verò, vt ſi quis Eccleſiam cathedralem, dignitatem, beneficium, officium, penſionem, vel commēdam alicuius ex incorporatis vel incorporandis, ſeu adhærentibus eidem ſynodo, à Romano Pontifice vel quouis alio impetrare, aut etiam motu proprio conceſſum acceptare attentaret, non ſolùm iure. quod in tali Eccleſia, dignitate, beneficio ſeu officio habere prætenderet, ſed etiam omnibus beneficijs eſſet ipſo iure priuatus, & ad obtinendum beneficia in futurum inhabilis. Et ſucceſſiuè, videlicet tertio Idus Septembris, anno à natiuitate Domini milleſimò quadringenteſimo trigeſimo tertio decreuimus, quòd quicunq; etiam per Romanum Pontificem, vel eius authoritate, in præiudicium, læſionem vel derogationem, ſeu iniuriam dictæ ſynodi, vel incorporatorum ſeu incorporandorum eidem per ſe vel procuratorem aut familiarium ſuorum, ſeu in eorum ſeruitijs vbicunque exiſtentium, facta ſeu diſpoſita erant, fierentque & diſponerentur forſitan in futurū, titulum vel poſſeſſionem quomodocunque tangentia, ſiue in Cardinalatus & Patriarchatus dignitatibus, aut in prælaturis cathedralium etiā metropolitanarum eccleſiarum, monaſterijs vel alijs beneficijs eccleſiaſticis, pręſtimonijs, commendis, vnionibus, penſionibus, officijs & rebus eccleſiaſticis vel temporalibus, & circa ipſa aut aliàs quomodocunq; & qualitercunque, etiam ſi motu proprio, directè vel indirectè, eſſent ipſo iure irrita & inania & pro infectis penitùs haberentur, partes læſas extunc in priſtinum ſtatum reponendo, & per quemlibet iudicem competentem reponi mandando: adijcientes, quòd ſi prætextu talis conceſſionis ad aliquam occupationem deueniretur, niſi occupans infra decem dies, elapſis ſexaginta diebus à dicto die tertio idus Septembris, ſi per partem læſam foret requiſitus, & à tali occupatione & turbatione realiter & purè deſiſteret, ac parti læſæ de perceptis poſt conceſſionem huiuſmodi ſatisfaceret, vltra pœnas prædictas excommunicationis ſententiam incurrat eo ipſo, taliū etiam conceſſionum executores eiſdem pœnis ſubiacere decernentes, prout in ipſis decretis, quorum tenores & effectus haberi volumus pro expreſſis, pleniùs continetur. Verùm quia, ſicut clamoroſa dictorum ſuppoſitorum querela didicimus, pleriq; ambitioſi, quorum effrenata cupiditas modum habere neſcit, ad dignitates, beneficia & honores modis improbis adſpirantes, ac per exquiſitas vexationes dictorum incorporatorum, illos ab huiuſmodi ſanctis operibꝰ retrahere ſatagentes, nonnullorum ex eiſdem incorporatis & ſuppoſitis Eccleſias parochiales, metropolitanas, epiſcopales atque monaſteria, aliaſque dignitates, commendas, penſiones, canonicatus & præbendas, officia & beneficia eccleſiaſtica, necnon iuriſdictiones eiſdem incorporatis & ſuppoſitis ratione eccleſiarum, dignitatum & beneficiorum huiuſmodi competentes, ac alias res & bona contra definitiones & prædicta, ac alia decreta noſtra, quorum tenores & effectus ſimiliter haberi volumus pro expreſſis, in authoritatis Eccleſiæ & Conciliorum prædictorum vilipendium, dictorumque ſuppoſitorum graue præiudicium, non ſine manifeſta diuinæ maieſtatis offenſa impetrare, extorquere, inuadere, acceptare, aut occupare ſeu in illis propria temeritate ſe intrudere, dictaque ſuppoſita illorum poſſeſſionibus & rebus ſpoliare & priuare, ac proceſſus etiam pœnales contra eos facere, & fieri procurare, penſiones etiam nonnullas ex dictis incorporatis ſuper eccleſijs cathedralibus, alijſque dignitatibus & beneficijs eccleſiaſticis aſſignatas, alioſque fructus beneficiorum quæ ipſi incorporati obtinebunt & obtinent, retinere, ſubtrahere, vſurpare, & de illis ſatisfacere recuſare & denegare, alijſque diuerſis iniurijs in perſonis, bonis ac rebus prędictis illos affligere, atq; conceſſiones, impetrationes & acceptationes huiuſmodi in ſuarū perditionem animarum exequi non erubuerunt, prout adhuc non erubeſcunt: nos, quorum intereſt in præmiſſis opportunæ prouiſionis remedia adhibere, volētes ſtatui vniuerſalis Eccleſiæ & ſuppoſitorum prædictorum indemnitati & quieti ſalubriter prouidere, decretis & diffinitionibus prædictis inhærentes, illaque innouantes, ac eis adijcientes, hoc perpetuo ſynodali decreto authoritate vniuerſalis Eccleſiæ decernimus & declaramus, impetrationes, electiones, collationes, & * diſpoſitiones quaſlibet de dictis eccleſijs cathedralibus, monaſterijs, dignitatibus, commendis, * penſionibus, officijs & beneficijs, iuriſdictionibus cæteriſque rebus & bonis prædictis, necnon proceſſus prætenſos omnes & ſingulos, quaſcunq; etiam ſuſpenſionum, excommunicationum, interdicti, priuationum, inhabilitationum, inhibitionum, aliasve ſententias, cenſuras, & pœnas ſeu proceſſus alios cuiuſcunque qualitatis exiſtant, in ſe continentes, aduerſus ipſa ſuppoſita ac in eorum præiudicium, læſionem vel derogationem aut odium, ac contra prædicta & alia decreta noſtra quomodocunque & qualitercunque promulgatos & factos, ac omnia inde ſecuta, tanquàm de facto attentata, (prout ſunt) irrita, nulla & inania, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe & exiſtere; ac pro infectis haberi debere: nullum quoque ex eiſdem ſuppoſitis, vel quemcunque alium illis innodatum fuiſſe, aut in anteà innodari poſſe: impetrantes verò ſeu detentores & occupatores prætextu collationum, diſpoſitionum, etiam motu proprio factarum, aut detentionum vel occupationum de huiuſmodi eccleſijs, dignitatibus, beneficijs, officijs, iuriſdictionibus, & bonis, in illis etiam in quibus ſeu ad quæ ipſa ſuppoſita ex noſtris vel Apoſtolicis alijs canonicis collationibus & prouiſionibus, aut aliâs quomodolibet ius habuerunt, prout habent, quæ obſtantibus obedientiæ diuerſitatibus, vel alijs legitimis impedimentis, contra ſuos aduerſarios cauſas inchoare, ſeu proſequi commodè non potuerunt, etiam ſi Eccleſiæ, dignitates, beneficia & officia, vel res & bona huiuſmodi trium annorum, vel alterius cuiuſuis longioris temporis ſpatio occupata fuerunt, aut coloratus prætendatur titulus prætextu etiam decreti noſtri de pacificis poſſeſſoribus, quod incipit: Quicunq; non violentus, quod contra ipſa ſuppoſita in caſibus præmiſſis locum habere non volumus, nullum titulum vel ius quodcunque acquiſiuiſſe, ſeu acquirere: ipſos etiam incorporatos nullum ius, titulum vel poſſeſſionem perdidiſſe, aut aliquod in iure eis competenti pręiudicium generari potuiſſe, quo minùs ipſi, quotieſcunque opportunitas ad id ſe obtulerit, poſſeſſionum eccleſiarum cathedralium, dignitatum, beneficiorum vel aliorum prædictorum, quibus ſpoliati extiterunt, per ſe vel alium ſeu alios abſque alia cauſæ cognitione, ſeu alterius authoritatis requiſitione continuare, eorū quoque ſuper quibus ſentētiam vel ſententias, quæ partibus per ſe vel procuratorem præſentibus, & vſque ad finem ſe defendentibus, in rem tranſiuerint iudicatam, apud nos cōtra ſuos aduerſarios obtinuerint, illorum & præſentis decreti vigore poſſeſſionem adipiſci & intrare, & ſuper illis de quibus poſſeſſionem nondum habuerunt, actionem intentare, & ius ſuum proſequi valeant. Spoliatos inſuper, aliorum & præſentis decretorum noſtrorum authoritate in illum ſtatum priſtinum, in quo ante ſpolium, occupationem ſeu nouitatem huiuſmodi erant, perinde ac ſi factæ non fuiſſent, repoſitos & reſtitutos eſſe. Impetrationes autem & conceſſiones etiā motu proprio de eccleſijs cathedralibus, monaſterijs, dignitatibus, commendis, penſionibus ſeu cuiuſuis qualitatis beneficijs, aut alijs rebus vel bonis (vt præfertur) factas, viribus vacuas: necnon illos qui eas acceptare præſumpſerunt, cuiuſcunq; ſtatus, etiamſi cardinalatus, patriarchali, archiepiſcopali, epiſcopali, aliave eccleſiaſtica vel mūdana præfulgeant dignitate, iure quod in eis habere prætendebant, & alijs beneficijs omnibus priuatos, ac ad alia in pōſterum obtinenda inhabiles fore. Illos verò ex eis, qui prætextu talium conceſſionum & impetrationum ad aliquam occupationem proceſſerunt, & vt ab huiuſmodi occupationibus & perturbationibus deſiſterent, iuxta tenorem decreti noſtri quod incipit, Vt ſacri: requiſiti, talibus requiſitionibus non paruerint, vltra prædictas, excommunicationis: necnon earundem impetrationum & conceſſionū receptores

*diſpēſationes

* prouiſionibus

Baſileēſis Concilij ſeſſ. 21.

Baſileēſis Concilij ſeſſ. 19.

ptores & executores, quo ad ſingulares perſonas, eaſdẽ ſen-
tentias & pœnas: quo verò ad nobis incorporatos, qui (vt
præfertur) huius ſanctæ ſynodo iurauerunt, & in præmiſ-
ſis auxilium, conſilium vel fauorem præbuerunt, periuri-
reatum incurriſſe, & de beneficijs quibus ratione præmiſſo-
rum (vt præfertur) priuati exiſtunt, per eos ad quos ſpectat,
huius decreti authoritate liberè diſponi poſſe, ſimiliter de-
cernimus, & etiam declaramus. Et vt metus pœnæ, meta
ſit præſumptionis, omnibus & ſingulis cuiuſcunque digni-
tatis (vt prædictum eſt) exiſtant, qui aliquam Eccleſiam ca-
thedralem, etiam metropolitanã, aliamve prælaturam, di-
gnitatem, commendam, penſionem, officium aut benefi-
cium eccleſiaſticũ, ſeu etiam vt ſupra deſignata iuriſdictio-
nem, res & bona prædicta quæcunque, cuiuſcunque qualita
tis exiſtant, eorundem incorporatorum & ſuppoſitorum,
omnibus & ſingulis cuiuſcunque dignitatis (vt prædictum
eſt) exiſtant, qui occupant & detinent, ſeu etiam occupa-
bunt & detinebunt forſitan in futurum, vltra prædictas &
alias tam per noſtra, quàm aliorum generalium Concilio-
rum decreta, ſanctioneſque canonicas, inflictas (quas occa-
ſione præmiſſorum incurriſſe noſcuntur) pœnas, ſub Ex-
communicationis, necnon perpetuæ infamiæ pœnis, quas
quemlibet contrafacientem incurrere volumus ipſo facto,
præcipimus atque mandamus, vt infra duorum menſium à
data præſentis decreti, vel etiam interim infra duodecim
dierum ſpatium, à tempore quo illius notitiam habuerint,
computando, ab omnibus & ſingulis occupationibus &
perturbationibus per eos ſic factis, penitùs deſiſtant, ac ec-
cleſias, dignitates, commendas, penſiones, officia & benefi-
cia atque res & bona prædicta, quibus dicti incorporati ſpo-
liati fuerint, aut ſuper quibus ſententiam vel ſententias, quæ
partibus per ſe vel per procuratorem præſentibus, & vſque
ad finem ſe defendentibus, in rem tranſiuerunt iudicatam,
obtinuerint, illorum poſſeſſionnm liberam & vacuam di-
mittant: necnon de perceptis, & qui durante occupatione
huiuſmodi percipi potuiſſent, fructibus, expenſis & inter-
eſſe propterea paſſis, partibus læſis ac etiam penſionibus (vt
præfertur) aſſignatis, necnon beneficiorm eorundm in-
corporatorum fructibus, ac alijs rebus & bonis prædictis
integrè & realiter ſatisfaciant, aut cum eis amicabiliter con-
cordent. Quod ſi facere contempſerint, ac pœnas prædictas
damnabiliter incurrere, illiſque per alium menſem duobus
menſibus lapſis, aut duodecim diebus prædictis inſordeſce-
re non formidauerint, extunc vltimo menſe huiuſmodi la-
pſo (cùm creſcente contemptu, creſcere debeat & pœna, &
Eccleſia non habeat, quid vlteriùs faciat) ſingularis perſo-
na, decem: ſi verò vniuerſitas aut capitulum, aut aliud colle-
gium ſeu communitas fuerit, triginta marcarum auri pro
vna cameræ Apoſtolicæ, ac pro alia parti læſæ, & pro tertia
æqualibus partibus mediato vel immediato domino ciui-
tatis vel loci, in qua ſeu quo Eccleſia, dignitas, beneficium,
commenda officium vel res huiuſmodi ẽxtiterit, ſi vices
ſuas impendere voluerit, alioquin cuicunque alteri, operam
efficacem ad id pręſtanti pro labore applicandarum, pœnas
incurrat eo ipſo. Interim verò non minùs Patriarchæ, Ar-
chiepiſcopi, Epiſcopi, cæterique ordinarij ſeu collatores, e-
tiam ſi capitula, vniuerſitates vel collegia fuerint, aliæque
perſonæ ad quas eccleſiarum cathedralium electio, necnon
dignitatum, beneficiorum, officiorum & aliorum prædi-
ctorum collatio, præſentatio, prouiſio ſeu quæuis alia di-
ſpoſitio cõmuniter vel diuiſim pertinet, infra ſimile duo-
rum menſium vel duodecim dierum & vnius alterius men-
ſis à fine duorum menſium vel duodecim prędictorum die-
rum computandum ſpatium, poſtquàm pro parte illorum
quorum intereſt, fuerint requiſiti, ſub omnibus & ſingulis
ſuperiùs deſignatis & pecuniarijs pœnis, quas contrafacien-
tes & rebelles etiam ipſo facto incurrere volumus, omnibus
etiam maioris excommunicationis vel defectus tituli, alijſ-
que exceptionibus, oppoſitionibus, appellationibus, & ſub-
terfugijs ceſſantibus & reiectis, & abſque quarumcunq; cau-
ſarum cognitione, quam eis & alijs quibuſcunque iudicibus
eccleſiaſticis & ſecularibus ſub eiſdem pœnis & caſibus præ-
miſſis penitùs interdicimus, electiones, collationes, * præ-
ſentationes & quaſuis alias diſpoſitiones modis præmiſſis
præſumptas, præſentis decreti authoritate, ſicuti de facto

proceſſerunt, de facto retractent, & annullent, impedimen-
ta præſtita ſubmoueant, occupatores ab occupatis expellãt,
& de perceptis fructibus, & qui percipi potuiſſent, necnon
expenſis & intereſſe prædictis, etiam per incarcerationem
perſonarum occupantium, ſi opus fuerit, ſatisfieri ac partes
læſas in eum ſtatum, in quo ante occupationem ſeu factam
nouitatem huiuſmodi fuerãt, reponere & reintegrare pro-
curent, vaſalli inſuper & quicunque debitores & ſubditi ec-
cleſiarum cathedralium, dignitatum, beneficiorum, com-
mendarum, & aliorum prædictorum, nullatenùs occupato-
ribus prædictis, ſed eiſdem incorporatis & ſuppoſitis ſpo
liatis, vt priùs, obediant & pariant in omnibus, ipſiſq; debi-
tores de fructibus, redditibus, prouẽtibus, iuribus & obuen-
tionibus eccleſiarum, dignitatum, beneficiorum ac aliorum
huiuſmodi ſub excommunicationis pœna, quam contrafa-
cientes incurrere volumus ipſo facto, reſpondeant, & inte-
grè ſatisfaciant, vel cum eis amicabiliter concordent. Quòd
ſi facere neglexerint, & intruſis de fructibus & iuribus hu
iuſmodi reſpondere pręſumpſerint, tales à debito nullo mo
do liberatos fore, ſed incorporatis (vt præfertur) ſpoliatis
realiter teneri decernim⁹. Prętereà ſi Archiepiſcopi cęteriq;
prænominati præmiſſa non adimpleuerint, eiſque non pa-
ruerint cum effectu, extunc lapſis duobus mẽſibus vel duo
decim diebus, & adhuc alio menſe prædictis, eccleſiæ, ciui-
tates & alia loca, in quibus talia, Eccleſiæ, dignitates, benefi-
cia, aliaque prædicta fuerint (vt præmittitur) occupata, tan-
diù eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto, quouſque rebelles
prædicti per eccleſiaſticam vel ſæcularem fuerint potentiã
à ciuitate vel loco expulſi, aut mandatis noſtris huiuſmodi
fuerit ſatisfactum, quibus expulſis, vel vt præfertur ſatisfa-
cto, diuina poſſint officia reſumi & continuari. Quæ omnia
& ſingula etiam in pendentibus per appellationem, vel aliàs
locum habere volumus & decernimus. Porrò in caſu nõ pa-
ritionis, liceat interim dictis incorporatis & ſuppoſitis poſt
lapſum duorum menſium aut duodecim dierum prædicto-
rum, brachij ſecularis, necnon rectorum & officiariorum
ciuitatis vel loci huiuſmodi auxilium inuocare, quos etiam
in ſubſidium iuſtitiæ, præſentis decreti tenore inuocamus,
requirimus & monemus, vt ipſi poſt ſimile duodecim die-
rum ſpatium, à tempore requiſitionis ſuper hoc eis factæ
computandorum, auxilium, conſilium, potentiam & fauo-
res poſſibiles, ſub excommunicationis & priuationis priui-
legiorum, quæ ab eccleſijs obtient, pœnis, quas eos, niſi fece-
rint quæ mandamus, incurrere volumus ipſo facto, præ-
ſtare non poſtponant, quorum potentia & auxilio prætatis
ſpoliatis eccleſiarum, dignitatum, beneficiorum & officio
rum, rerum & bonorum prædictorum poſſeſſionem, tam
eiuſdem decreti quàm propria authoritate, ac etiam per po-
tentiam intrandi & continuandi, ac intruſos ſuos expellen
di, plenariam concedimus poteſtatem & facultatem. Om-
nes autem Chriſti fideles quacunque, etiam ſi cardinalatus,
patriarchali, archiepiſcopali, epiſcopali vel alia eccleſiaſtica
ſeu mundana præfulgeant dignitate, qui præſens decretum
temerè violare, aut illius executionem denegare, ſeu dire-
ctè vel indirectè impedire, ac partibus aduerſis adhærere
vel fauere, ſeu eorum aliquem receptare, defendere, aut tue-
ri præſumpſerint: quo ad ſingulares perſonas, excommuni-
cationis, necnon trium: quo autem ad capitula, vniuerſita-
tes & collegia, eccleſiaſtici interdicti & decem marcarum
auri (vt ſuprà dictum eſt) applicandarum, pœnas incurrere
decernimus eo ipſo. Cæterum, quia præterita nos commo-
nent, futuris cautiùs obuiare periculis, præſentis decreti te-
nore ſub interminatione diuini iudicij, & ſub excommuni
cationis, priuationis, inhabilitationis, pecuniarijs & alijs ſu-
periùs expreſſatis pœnis, quas ipſo facto quemlibet contra
facientem incurrere volumus, diſtrictiùs inhibemus, ne ali-
quis cuiuſcunque conditionis & excellentiæ fuerit, eccle-
ſiaſticæ vel mundanæ, etiam ſi cardinalatus, patriarchali,
archiepiſcopali, epiſcopali, vel alia quacunque præfulgeat
dignitate, quaſuis Eccleſias, patriarchales, metropolitanas,
vel alias cathedrales, monaſteria, prælaturas, dignitates, of-
ficia, commendas, penſiones, iuriſdictiones, vel alia cuiuſ-
cunque qualitatis beneficia, ſiue res & bona quibuſcunque
nominibus cenſeantur, ad ipſos pro tempore incorporatos
& incorporãdos huic ſacro Baſileẽſi, aut alteri vniuerſali le-

gitimè

gitimè congregando Concilio, vel ipſorum familiares pertinentia, eodem Concilio durante, & in eo * præſentialiter exiſtêres, in præiudiciũ, læſionem, derogationẽ ſeu odiũ Cõcilij, ſeu incorporatorũ vel incorporandorũ huiuſmodi, à quocunque etiam Romano pontifice impetrare, vel motu proprio collata acceptare, aut in illis ſe intrudere, ſeu in eorundem incorporatorum odium ſiue præiudicium ſuos conſanguineos, procuratores aut fautores in perſonis vel bonis affligere ſeu moleſtare, vel eoſdem incorporatos pro tempore inuitos alibi quam in eodem Concilio ſuper re quacunque trahere, aut ad reſpondendum ſeu iudicium ſubeundum compellere præſumat: quoſcunque proceſſus, etiam quaſcunque pœnas in ſe continentes, & quicquid in contrarium forſitan attentari contigerit, irritum & inane, nulliuſq́ue roboris vel momenti exiſtere, exnunc prout extunc nunciantes & decernentes. Non intendimus tamen, aliquos ex incorporandis in futurum, qui ante eorum incorporationem ſuper aliquib⁹ criminibus apud ſuos ſuperiores delati forent & legitimè præuenti, hoc decreto tueri, quin poſſit contra eos ſuper criminibus etiam vſq; ad diffinitiuam ſententiam incluſiuè procedi: abſolutionem verò omnium & ſingulorum, qui præfatas ſententias, cenſuras & pœnas, vel earum aliquam incurrerint quoquo modo, ſynodo pro tempore ſedenti, & illa diſſoluta, Romano pontifici tantummodò, præterquàm in mortis articulo reſeruamus. Poſtremò, vt nullus ipſius decreti ignorantiam prætendere valeat, decernimus illud per publicationem in præſenti ſeſſione factam, vim habere, & ita vniuerſos & ſingulos lapſis duobus menſib⁹ aut duodecim diebus prędictis, adſtringere & arctare, ac ſi eis perſonaliter apprehenſis intimatum foret. Quocircà vobis venerabilibus patriarchis, primatibus, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, prioribus, prępoſitis, decanis, cantoribus, archidiaconis, cæteriſque in dignitatibus quibuſcunque conſtitutis, ac cathedralium eccleſiarum canonicis, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs vos aut vnus veſtrûm per vos vel aliũ ſeu alios, præmiſſa omnia & ſingula, vbi & quando expedire videritis, ſolenniter publicantes, ſi & poſtquàm ſuper prędmiſſis vel aliquo eorum pro parte alicuius ex incorporatis ſuppoſitis prædictis vel alterius promotorum negotiorum noſtrorum, aut noſtri vel Romani pontificis procuratoris fiſcalis, quibus ſuper his omnimodam atque plenariam concedimus poteſtatem, requiſiti fueritis, vel fueris requiſitus, & vobis quòd aliquis vel aliqui ex perturbatoribus prædictis aliquam vel aliquas ex ſententijs & pœnis ſuperiùs expreſſatis incurrerit, fuerit facta fides, ad earundem pœnarum declarationem contra eos procedentes, illos tandiù in eccleſijs veſtris ac alijs locis, dominicis alijsq́ue feſtiuis diebus eaſdẽ pœnas incurriſſe publicetis, & publicari faciatis, ac vt tales euitetis, & ab alijs euitari faciatis, ac aliàs ad plenariam pœnarum prędictarum executionem procedere curetis, donec ſuper his ſatisfactione præuia debitè meruerint abſolutionis beneficium obtinere. Et nihilomin⁹ legitimis ſuper his per vos habendis, ſeruatis proceſſibus, eos quoties opus fuerit, aggrauare curetis, contradictores authoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Nos enim vobis & veſtrum ſingulis, omnes & ſingulos, qui ſententias & pœnas huiuſmodi, vel earum aliquam incurrerint quoquo modo, in loco noſtræ ſacræ congregationis, ea durante, ipſa verò diſſoluta, in loco Romanæ curiæ & extra etiam ad partes: illos verò ex eis, ad quos tutus non patebit acceſſus, ſeu in locis in quibus libera mandatorum noſtrorum executio fieri non poterit, ſuper quo partis læſæ vel promotorum aut procuratoris prædictorum iuramento ſtari volumus, in audientia literarum contradictarum, & in valuis maioris eccleſiæ ciuitatis vel loci, in qua vel quo hanc aliam generalem ſynodum pro tempore ſedere, vel ea diſſoluta aut non ſedente Romanum pontificem cum ſua curia reſidere contigerit, ſi in ea vel apud nos: ſi verò extra ſuper his procedi contigerit, in loco eccleſiæ, dignitatis vel rei, ſuper qua vel quo agetur, aut alio viciniori, in quo partis læſæ commõditas ſe obtulerit, in valuis maioris eccleſiæ ciuitatis vel loci huiuſmodi, ad inſtar edictorum publicorum monendi, requirendi & citandi, plenam & liberam authoritatẽ vniuerſalis Eccleſiæ concedimus tenore præſentium facultatem, volentes & eadem authoritate decernentes, monitiones, requiſitiones & citationes ſic factas, vim habere, ac eoſdem ſic monitos, requiſitos & citatos arctare perinde, ac ſi eis perſonaliter apprehenſis factæ forent. Non obſtantibus noſtris atque Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, quibus quo ad præmiſſa derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque.

*perſonaliter

Datum Baſileæ in ſeſſione noſtra publica, in maiori Eccleſia Baſileenſi ſolenniter celebrata, quinto idus Auguſti, Anno à natiuitate Domini 1442.

SESSIO XIV.
ſeu vltima.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileẽſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Deſiderauit Ezechias rex, vt fieret pax & veritas in diebus ſuis: & nos deſiderio deſiderauimus, vt pax & vnio Eccleſiæ in diebus noſtris, hoc ſacro durante Baſileẽſi Concilio, daretur. Verùm cùm ex plurimis impedimentis quæ dietim ingeruntur, & in futurum ſuccreſcere poſſent, formidetur, ne pax & vnio huiuſmodi deſideratæ in hac ciuitate Baſileenſi fieri, aut actus conciliares liberè exerceri valeant, volentes proptereà caſibus futuris prouidere, ac vt fides & authoritas generalium Cõciliorum vniuerſalem Eccleſiam repræſentantium, illibatę permaneant, quodq́ue vnio & pax vera Eccleſiæ dentur, necnon vt continuetur celebratio generalium Conciliorum, attento quòd iam ſanctiſſimus dominus Felix Papa Quintus præuidens neceſſitatis caſum, pro futuro Concilio nominauit inclytam ciuitatem Lugdunenſem in partibus Galliarum, in hocq́ue ſatisfaciendo decretis ſacrorum Conſtantienſis & Baſileenſis huius generalium Conciliorum, dictam ciuitatem Lugdunenſem, quam experientia docente generalium ſynodorum hactenùs in ea celebratarum, accommodam & idoneam reputamus, tenore præſentium in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, pro futuro proximo celebrando Concilio nominauimus, deputamus & aſſignamus. Cumq; immineant vrgentiſſimæ, cauſæ, vt breuis fiat alterius generalis Cõcilij celebratio, proptereà ſtatuimus & ordinamus, vt infra triennium à datis præſentium computandum, generale Concilium in præfata ciuitate Lugdunenſi celebretur, decernentes quòd Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, prælati ſeu quicunque alij, qui ad generalia concilia de iure vel conſuetudine conuenire debent, in termino præmiſſo ad dictum locum accedere tenẽatur, dummodò poſt diſſolutionem huius Cõcilij hoc vel alio in loco continuati, reſtet vnus annus ante huiuſmodi triennij finem. Volumus etiam, & ſpecialiter concedimus, quòd prædictum terminũ futuri celebrandi Concilij abbreuiare valeat præfatus Papa Felix. Per præmiſſa autem etſi rectè inſpicientibus aliud videri nõ debeat, ad maiorem tamen veritatis manifeſtationẽ declaramus, quòd nõ intendimus, neq; volumus, hoc ſacrũ generale Conciliũ Baſileenſe diſſoluere, aut diſſolutum quomodolibet cenſendũ eſſe, quinimò in hoc loco continuandum fore, & cõtinuari debere, dum tamen integra & plena libertas atq; ſecuritas, necnon ſaluuſconductus, per inclytam ciuitatem Baſileenſem nobis & eidem ſynodo conceſſi, ſeruentur illæſi. Adijcientes, quòd ſi aliquod fieret impedimentum, quo minùs in hac ciuitate Baſileenſi iuxta ritum conſuetum actus conciliares liberè exerceri, aut libertas ſeu ſecuritas & ſaluuſconductus huiuſmodi non ſeruarentur: quibus caſibus ſeu eorum aliquo (quod Deus auertat) aduenientibus, ſuper quo ſtari volumus arbitrio ſeu atteſtationi dilectiſſimorum Cardinalium & venerabilium Epiſcoporum, aliorumq́ue dilectorum Eccleſiæ filiorum, per nos hodiè deputatorum, aut maioris partis eorum pro tempore præſentiũ, cum ſubſcriptione eorum, inde ſuper conficiendo publico inſtrumento & ſingulis eorundem imminendo, extunc prout exnunc, exnunc prout extunc, hanc ſanctam ſynodũ pro ipſius continuatione, ab hac ciuitate Baſileenſi ad ciuitatem Lauſanenſem, vtique prouinciæ Biſuntinæ locum habilem, tutum & idoneũ ad generalis Concilij celebrationem,

4. Reg.

nem, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti tenore præſentium transferimus, ac tranſlatum eſſe decernimus, cum eiſdem modis, formis, qualitatibus & ordinationibus, & cum quibus in hoc loco Baſileenſi continuata fuit, & ſtat de præſenti.

Datum Baſileæ in noſtra publica ſeſſione, in Eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, 17. Calendas Iunij, anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo.

Indulgentia incorporatis conceſſa.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitmè congregata, &c. Dilecto Eccleſiæ filio, &c. Grata per te nobis & vniuerſali, quam in Spiritu ſancto legitimè congregatam repræſentamus, Eccleſiæ hactenùs impenſa, & quæ adhuc impendere non deſiſtis, cõdignè periſtringentes obſequia, illis reddimur intenti nõ immeritò, per quæ obſequia fructuoſa tibi ſint, & ad maius cedere valeant animæ ſalutis incrementum. Dudum ſiquidem omnibus & ſingulis, qui tantùm noſtrę congregationi incorporati fuerunt, & etiam vſque ad feſtum aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis tunc futurum incorporarentur, ac nobiſcum in vinea Domini per ſex menſes laborârunt, & in anteà laborarent, huiuſmodi eorũ labores & obſequia condignis ſalutarium retributionum præmijs compenſare cupientes, literas noſtras conceſſimus in hæc verba;

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam. Benigna vniuerſalis Eccleſiæ prouidentia, theſauros ſpiritualium gratiarum à Chriſto ſibi cõceſſos, laborantibus in vinea domini meritò diſpenſare curat, quo magis labores ac ſolicita ſtudia in proſecutione ſalutis animarum & publici boni Chriſtianæ religionis & exaltationis fidei catholicæ conferant, vt ſic fructuoſis eorum operibus digna rependantur præmia, & ad vberiora meritorum incrementa feruentiùs excitemur. Virtuoſum igitur atque laudabilem zelum ſuppoſitorum huius ſanctæ ſynodi, fidelia obſequia Chriſti Eccleſiæ in ſuis neceſſitatibus & aduerſitatibus exhibentium, & pro inchoatis ſanctis operibus communem Chriſtianorum vtilitatem concernentibus aſſiduè laborantium, attenta conſideratione penſantes, & laboribus eorum digna ſalutarium retributionum munera elargiri cupientes, vt omnes & ſinguli qui huic ſanctæ ſynodo incorporati, reſident perſonaliter in eadem, & anteà per ſex menſes reſederunt, ac etiam qui hucuſque ad feſtum aſſumptionis Mariæ Virginis eidem ſanctæ ſynodo incorporati fuerunt, poſtquàm per totidem menſes in eadem reſederunt, necnõ & illi qui in noſtris & ipſius Eccleſiæ negotijs extra locum huius ſacri Concilij per nos miſſi ſunt, ac (vt præfertur) nobiſcum per totidem menſes laborârunt, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, etiam cardinalatus, partriarchali, archiepiſcopali, epiſcopali, abbatiali præemineant dignitate, ſingulos confeſſores idoneos, ſeculares & regulares presbyteros eligere, qui toties quoties opportunum fuerit, ipſorum ſingulorum confeſſionibus diligẽter auditis, ipſis ſingulis in ſynceritate fidei, vnitate, obedientia & deuotione ſanctæ vniuerſalis & Romanæ Eccleſiæ atque noſtram & ſummi Pontificis pro tempore legitimam adminiſtrationem papatus habentis perſiſtentibus, pro pœnis & cenſuris à iuris conſtitutione vniuerſalis Concilij vel Apoſtolica aut alia quauis, vel ab homine generaliter promulgatis omnibus debitam abſolutionem impendere, atque iniungere valeant pœnitentiam ſalutarem, niſi forſitan talia fuerint propter quæ ſedes, Apoſtolica fuerit meritò conſulenda, necnon etiam vota peregrinationis, abſtinentiæ & ſimilia per eos emiſſa, exceptis tamen votis peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & S. Iacobi in Compoſtella, in alia pietatis opera commutare. Quodque prætereà prædicti vel alij ſimiles confeſſores per ſimiles eorum incorporatorum & incorporandorum eligendi ſingulos ſemel in vita & ſemel in mortis articulo ipſorum ſingulorum ſimilibus confeſſionibus auditis, eis ſingulis præterquàm in homicidij voluntarij caſu, alijs pro peccatis omnibus, etiã ſi talia fuerint, propter quæ ſedes ipſa meritò conſulenda exiſteret, authoritate vniuerſalis eccleſiæ & noſtra debitæ abſolutionis beneficium impendere, ac pœnitentiã ſalutarem iniungere, plenariam remiſſionem omnium peccatorum ſuorum cõcedentes, ipſosq; & ipſorum quemlibet à quibuſuis excommunicationum, ſuſpenſionum & interdictis ſingulis, alijsque eccleſiaſticis cenſuris & pœnis à iure vel ab homine generaliter, etiam per legatorum vel delegatorum ſedis prædictæ, aut vniuerſalium Conciliorum vel Apoſtolicæ ſedis, aut prouincialis, vel quaſlibet ſynodales conſtitutiones, ſiue iuxta regularia quorumlibet ordinum inſtituta incurriſſe quomodolibet cenſebuntur, etiamſi proptereà ad ſedem ipſam vel alium quemcunque ſpecialis habendus foret recurſus, ſi id humiliter petierint, iniuncta eis inde pro modo culpæ ſimili pœnitentia, necnon alijs quæ fuerint iniungenda, authoritate prædicta etiam abſque cuiuſuis alterius ſuper hoc requiſita licentia, abſoluere, atque etiam ſemel (vt præmittitur) in vita quæcunque vota peregrinationis, abſtinentiæ, & ſimilia in alia pietatis opera commutare, etiam ſi talia ſint, propter quæ ſedes Apoſtolica meritò foret conſulenda. Et cum eis & eorum quolibet ſuper irregularitate, ſi quam huiuſmodi ſententijs aut earum aliqua ligati, Miſſas & alia diuina officia, non tamen in contemptum clauium celebrando, vel ſe illis immiſcendo, vel aliâs qualitercunque, præterquàm in bigamia vel homicidio voluntario contraxerint abolendo. Etiam omnem inhabilitationis, irregularitatis & infamiæ maculam ſiue notam, per ipſorum quemlibet præmiſſorum occaſione contractam, eadem authoritate diſpenſare, ipſosque & eorum quemlibet, ad quaſcunque dignitates, etiam ſi cardinalatus, patriarchalis, archiepiſcopalis, epiſcopalis, & alias quaſcunque necnon perſonatus, adminiſtrationes, officia & beneficia quæcunque eccleſiaſtica & curam animarum habentia, quæ indebitè ac minùs canonicè, aliâs tamen colorato titulo, etiam ſi per Simoniæ labem, non tamen per violentiam aut prætextu literarum & inſtrumentorum falſo fabricatorũ adepti ſunt & poſſident, ipſis tamen dignitatibus, beneficijs, officijs, in quorum adeptione labes Simoniæ interuenerit, in ſuis manibus prædictorum confeſſorum liberè reſignatis, rehabilitare, aliaque eis poſt rehabilitationem huiuſmodi denuò abſque alicuius iuris præiudicio conferre, & de illis prouidere, & aliàs deſuper ipſorum ſtatui & indemnitatibus conſulere, etiam ad alias quaſcunq; dignitates (vt præmittitur) & beneficia illis canonicè conferendas aut conferenda rehabilitando, ac in omnibus & per omnia liberè & licitè poſſint & valeant, prout Romanus Pontifex pro tempore in legitima adminiſtratione papatus cõſtitutus, quomodolibet facere poſſet. Ita tamen, quod ipſorum ſinguli de fructibus per eos ex dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, officijs & beneficijs huiuſmodi indebitè perceptis, aliqualẽ portionem pro fabricis & ornamentis eccleſiarum, ſeu pro alijs vſibus iuxta voluntatem & diſcretionem confeſſorum prædictorum exponere debeant, ac etiam teneantur. Et quibus quidem abſolutionibus, abolitionibus, diſpenſationibus & prouiſionibus, etiam in iudicio & extra (vbi opus fuerit) ſtari volumus perſonis incorporatis & incorporandis prædictis, authoritate ipſius vniuerſalis Concilij tenore præſentium indulgemus. Volumus autem, quòd cõfeſſores ipſi de his, quibus ratione præmiſſorum fuerit impendenda ſatiſfactio, etiam ſimilis incorporatis prædictis pro tempore confitentibus, per ſe, ſi ſuperuixerint, vel per hæredes ſuos, aut * alios, ſi tunc fortè tranſierint, faciendam iniungant, quam ipſi abſoluti vel hæredes aut alij præmiſſa facere, & adimplere teneantur, vt præfertur. Et ne (quod abſit) aliqui propter huiuſmodi gratiam reddantur procliuiores ad illicita in poſterum committenda, volumus quòd ſi ex confidentia remiſſionis huiuſmodi, aliquis vel aliqui incorporatorum prædictorum aliqua fortè committerent, quo ad illa, remiſſio eis nullatenùs ſuffragetur: * quoniam etiam ad eos qui à nobis receſſerunt, & ad diſſolutionem ſeu derogationem authoritatis præſentis ſacri Concilij improbis auſibus machinati ſunt, * volumus aliquatenùs extendi. Nulli ergo hominum omninò liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indi-

* alias

for. * nolumus

gnatio-

gnationem omnipotentis Dei & vniuerſalis Eccleſiæ ſe nouerit incurſurum. Datum Baſileæ quinto Calēdas Iulij, anno à natiuitate Domini 1439. Apoſtolica ſede vacante. Nos igitur (vt tu qui ante datam literarum prædictarum noſtræ congregationi incorporatus fuiſti, & nobiſcum ipſius Eccleſiæ cauſis & negotijs proſequendis per ſex menſes & ampliùs ſolicitis ſtudijs laboraſti, literarum prædictarum pleno gaudeas effectu, & ne eundem effectum ſuper eo quòd incorporatus fueris, & per huiuſmodi menſes nobiſcum laboraueris, vt pręfertur, cuiuſuis hæſitationis ſuperſit ſcrupulus, tempore præcedente (vt præfertur) incorporatum fuiſſe, ac per huiuſmodi menſes nobiſcum realiter & veraciter laboraſſe) harum ſerie literarum atteſtamur, & cunctis notum relinquimus, volentes & authoritate vniuerſalis Eccleſiæ decernentes, quòd præſentes literæ ad probandum plenè huius rei ſeu facti exiſtentiam ſine certitudinem vbique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ atteſtationis, voluntatis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario cōtraire. S quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & vniuerſalis Eccleſiæ ſe nouerit incurſurum.

Datum Baſileæ quinto Calendas Iulij, anno à natiuitate Domini 1439. Apoſtolica ſede vacante.

DECRETVM QVINQVE CONcluſionum.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileēſis, ad perpetuam rei memoriam. Solicitudinem generalium conciliorum, quorum frequens celebratio, agri dominici præcipua cultura eſt, maximè fieri decet, vt euellant & deſtruant vepres & tribulos errorum, ædificentq́; & plantent ſuam doctrinam veritatis, per quam animæ hominum nutriantur in ſalutem. Quòd attendens hæc ſancta ſynodus, volensq́ue errores varios aduerſus euangelicam veritatem & determinationes Eccleſiæ pullulantes extinguere, tres catholicæ fidei veritates cordibus omnium Chriſtianorum per ſolenne decretum ſuæ ſeſſionis firmiùs inſerere curauit, cuius decreti tenor talis eſt, Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, &c. ad perpetuam rei memoriam: Sicut vna eſt Chriſti Eccleſia, ita &c. vt habetur in triceſima tertia ſeſſione. His autem ſic præmiſsis, prouidendum inſuper fuit, vt ea reſcinderentur ſarculo eccleſiaſticæ ſollicitudinis, quæ in aduerſum errata ſunt. Et potiſsimè dum error in illo deprehenditur, qui animabus Chriſtianorum grauius poſſet afferre nocumentum, aliosq́ue ad errandum faciliùs inducere. Tanta enim nobis cura eſſe debet conſeruandæ Chriſtianæ fidei, vt nec in minimo permittatur violari, quam pertinaciter offendentes in aliquo, totam offendere cenſentur, dum doctrinam eccleſiæ catholicæ in his quæ fidei ſunt, non ſequuntur velut infallibilem regulam, ſed iudicium proprium in aduerſum obduratis animis ſequi volunt. Verùm præcipuè cauendum eſt, ne is qui aliorum doctor in via veritatis eſſe debet, alios in foueam & præcipitium erroris abducat, & potiſsimè talis erroris, qui vniuerſalium Conciliorum authoritatem eneruet, quorum iudicium * ſummum eſt in terris in extirpatione errorum & conſeruatione rectæ fidei. Nec vnquàm aliquis peritorum dubitauit, ſummum Pontificem in his quæ fidem concernunt, iudicio eorundem Conciliorum vniuerſalium eſſe ſubiectum. Conquieſcat autem Chriſtiana religio in præmiſſa declaratione catholicæ fidei circa ipſorum Conciliorum authoritatem, explicata in ſacra Conſtantienſi ſynodo. Et deinceps cùm olim Eugenius Papa Quartus, hanc ſynodum Baſileenſem ſine ipſius conſenſu attentaſſet prima vice diſſoluere, declaratum ſibi fuit, hoc ipſum præmiſſæ declarationi repugnare, quodq́ue non poterat diſſoluere, aut in aliū locū transferre, vel in aliud tempus prorogare generale Concilium vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ſine conſenſu ipſius: ac etiam quòd hæc erat veritas iuris diuini, & articulus fidem concernens, quæ ſine interitu ſalutis negligi non poteſt. Tandem poſt longam reſiſtentiam, quam aduerſus veritatem fecerat, & multiplices admonitiones atque informationes ſibi per hanc ſanctam ſynodum factas, diſſolutionem ipſam reuocauit, illamq́ue declarauit fuiſſe irritam & inanem, reuocans etiam quicquid contra huius ſacri Concilij Baſileenſis authoritatem per ipſum aut ſuo nomine aſſertum erat. Sicque rurſum vniuerſa Eccleſia & Chriſtiana religio in hac fidei veritate conquieuit, firmiter credens non poſſe fieri diſſolutionem Concilii ſine conſenſu eius. Spes autem omnium erat, ipſum dominum Eugenium, attenta maxima adhæſione huic ſanctæ ſynodo per eum ſolenniter præſtita deinceps in vnitate fidei cum tota Eccleſia permanere, à qua iterum proh dolor ſe grauiùs per attentatam ſecundam diſſolutionem huius ſacri Concilij ſine conſenſu ipſius, ſeparauit. Et cùm fuiſſet iterum admonitus, vt hoc ipſum reuocaret, expectatoq́ue diuturno tempore, vt rurſum errorem dimitteret, pertinaciùs in eo permanſit, authoritatem Conciliorum generalium & veritates fidei circa eam declaratas, aſsiduè conculcans. Quod conſiderans hæc ſancta ſynodus & videns ſe nihil apud eum per admonitiones & expectationem proficere, omnibus Chriſtianis rei huius veritatem manifeſtare debuit, ne aliquos deinceps in ſuos errores attrahere poſsit, qui per ignorantiam laqueos perditionis incurrant, ſed potiùs lumen doctrinæ Eccleſiæ catholicæ iugiter ſequentes faciant rectos greſſus ſuos in acquiſitione æternæ ſalutis, ſitq́ue omnium vna fides, vna ſocietas ſpiritus in vinculo pacis. Et vt clariùs rei ſeries ipſius innoteſcat, poſſintq́; cuncti pleniùs veritatem ab errore, lumen à tenebris diſcernere, quinq; concluſiones in ſua congregatione generali concluſit hæc ſancta ſynodus nono Calendas Iulij proximè præteriti, declaratiuas eorum quæ aduerſus duas veritates in decreto ſuprà memorato poſitas, præfatus Gabriel, dictus tunc Eugenius Papa Quartus, attentauit. Quarum quidem concluſionum tenor talis eſt:

Veritatibus duabus prædictis repugnat prima huius ſacri Baſileenſis Concilij prætenſa diſſolutio ſeu trāſlatio, per Eugenium Papam Modernum de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ (vt aſſerit) attentata.

Veritatibus duabus prædictis repugnantes errores Eugenius Papa modernus poſt primam prætenſam diſſolutionem ſiue tranſlationem ſynodali monitus ac iuſſus ſententia, & in forma ſibi oblata, iudicialiter reuocauit.

Veritatibus duabus prædictis repugnans ſacri huius Baſileenſis Concilij prętenſa diſſolutio ſiue tranſlatio, per Eugenium modernum citatum ſuper facto reformationis, attentata de plenitudino poteſtatis, vt aſſerit, caſu quo contra ipſum aut aliquem de ſuis præſidentibus procederetur, inexcuſabilem in fide continet errorem.

Veritatibus duabus prædictis repugnās huius ſacri Concilij Baſileenſis iterata diſſolutio ſeu tranſlatio prætenſa, ipſum modernum Eugenium diſſoluentē ſeu transferentem, in reuocatum errorem probat iterum eſſe prolapſum.

Veritatibus duabus prædictis repugnans iterata diſſolutio ſeu tranſlatio, necnon ipſius Eugenij poſt eius monitionem ſynodalem, vt ipſam diſſolutionem ſeu tranſlationem prętenſam (vt pręmittitur) factā reuocaret, declarataq́; contumacia, ac in eadem longa permanentia, apertaq́; ſua rebellio, & alterius congregationis in vim prætenſæ diſſolutionis ſub nomine Concilij generalis erectio, hoc ſacro durante Baſileenſi Concilio, ſunt de eiuſdem Eugenij pertinacia euidentia teſtimonia, quæ clamore accuſatoris non indigent.

Quæ quidem omnia deduci voluit hæc ſancta ſynodus in notitiam cunctorum per præſentes, vt euulſis erroribus de agro domini, vnitas fidei refloreat, & omnibus amplexantibus veritatem, Eccleſia Dei conſequatur ſalutem & pacem, quæ per huiuſmodi diſſolutiones & impugnationes per præfatum Gabrielem, tunc dictum Eugenium Papam Quartum, aduerſus ſanctam ſynodum ſuſcitatas, quàm plurima pericula & detrimenta hucuſque ſuſtinuiſſe dinoſcitur. Et ſicuti in errore ſuſcitata ſcandala & ſchiſmata fuccreuerunt, ſic ex agnitione veritatis pax & trāquillitas oriatur, ipſaque Chriſti Eccleſia, deſtructis aduerſitatibus vniuerſis, ſecuritate gaudeat & ſalute. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis & notificationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipo-

Baſileēſis Concilij ſeſſ. 33.

*ſupremū

Conſtantiēſis Concilij ſeſſ. 4. & 5.

Pius ... ſcribit ... ſine ... ne Eu... nium ... fuiſſe i... Italia ... cilium ... beri.

Baſileēſ... Concili... ſeſſ. 33. cuius ic... tiam eſt In Eſdr... ſcriptum

omnipotẽtis Dei & vniuerſalis Eccleſiæ, ſe nouerit incurſurum. Datum Baſileæ in ſeſſione noſtra publica, ſexto nonas Iulij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono, Apoſtolica ſede vacante.

BVLLA NICOLAI PAPAE QVINTI,

Super approbatione actorum & geſtorum in Concilio Baſileenſi.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Vt pacis, qua nihil deſiderabilius, in vniuerſali Eccleſia ampliſsimè diffundatur & perduret ſerenitas, & omnium corda quæ exagitauit & defatigauit diuiſio, vnitas integra ad cuiuſlibet ſtatus & honoris proſperitatem conſolidet, libenter ſecundùm noſtræ & Apoſtolicæ authoritatis plenitudinem magnitudinemq́ue voluntatis, omnia amplectimur, per quæ non ſolùm ſuper præſentibus & futuris, ſed & ſuper præteritis, vt illibata permaneant, debitæ prouiſionis adhibetur remedium. Cùm itaque poſt crebras variaſq́ue conturbationes, quibus multis ab annis ſancta Dei ſubiacuit Eccleſia, cauſantibus diuiſionibus, quæ inter felicis recordationis Eugenium Papam Quartum prædeceſſorem noſtrum, & tunc Baſileenſe Concilium viguerunt, hoc in noſtro tempore, & ex Altiſsimi Dei prouidentia ineffabili interpoſitas, tractatuq́ue oratorum chariſsimorum in Chriſto filiorum, Francorum, Angliæ & Renati Siciliæ Regum, necnon Delphini Viennenſis primogeniti Francorum Regis illuſtris, pacem Eccleſiæ redditam videbamus, dum percepimus venerabilem & chariſsimum fratrem noſtrum Amedeum primum Cardinalem epiſcopum Sabinenſem, in nõnullis prouincijs Apoſtolicæ ſedis legatum, vicariumq́ue perpetuum, Felicem Papam Quintum tunc in ſua obedientia nominatum, iuri quod in papatu aſſerebat ſe habere, ad huiuſmodi pacem eccleſiæ obtinendam, ceſsiſſe: eos verò qui Baſileæ, poſtmodum Lauſanæ ſub nomine generalis Concilij hactenùs congregati permanſerunt, ordinaſſe & publicaſſe nobis tanquàm vnico ac indubitato ſummo Pontifici obediendum eſſe à cunctis fidelibus, & præfatam Lauſanenſem diſſoluiſſe congregationem: Deſiderantes igitur toto affectu ea perficere, quibus Chriſti fideles ſuppreſſis & extinctis diſſenſionum & differentiarum ſeminarijs, communi fruantur concordia, cuiuſlibet eorum ſtatus, honoris, reputationis & quietis ſtabilitate firmata, quaſcunque promotiones, electiones, cõfirmationes, poſtulationes, admiſſiones, trãſlationes, cõmendas, adminiſtrationes & prouiſiones ad quaſcunque patriarchales, metropolitanas & cathedrales eccleſias, necnon abbatiales dignitates ac monaſteriorum regimina quorumcunque, exemptorum & non exemptorum: necnon quaſcunque collationes, prouiſiones & diſpoſitiones quorumcunque beneficiorum Eccleſiaſticorum, regularium & ſecularium, de iure patronatus etiam laicorum, cum cura vel ſine cura, etiã ſi eccleſiæ parochiales fuerint, aut canonicatus & præbendæ, dignitates maiores poſt pontificales in cathedralibus, vel principales in collegiatis exiſtant, perſonatusque perpetuæ adminiſtrationes vel officia, etiam curata vel electiua, in quibuſcunque Eccleſijs prioratus conuentuales, aut cuiuſcunque conditionis, qualitatis vel naturæ fuerint, etiam alterius generis, quàm expreſſa, paris vel maioris, etiam ſi ex quauis cauſa tunc diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter vel generaliter reſeruata, fuerint litigioſa, aut aliàs affecta, vel ad ſedem Apoſtolicã quomodolibet deuoluta, in vim quorum ſeu prætextu collationum, prouiſionum, reſeruationum, aut aliarum diſpoſitionum huiuſmodi, ſeu alicuius præmiſſorum, aliàs quàm ex titulo priuationis factarum, præmiſſarum occaſionum, diuiſionum ipſarum eccleſiarum, beneficiorum, dignitatum, officiorum, perſonatuum, adminiſtrationum, canonicatuum & præbendarum habita ſeu adepta ſit poſſeſſio, & poſſidentur de præſenti: admiſsiones etiam reſignationum quorumcunq; beneficiorum, dignitatum, Eccleſiarum, ſimpliciter vel ex cauſa permutationis factarum authorizationum & inſtitutionum, penſionum item quarumcunque ſuper quorumcunque beneficiorum eccleſiaſticorum fructibus, reſeruationibus & aſſignationibus, cum proceſſibus & fulminationibus inde ſecutis, necnon vniones, annexiones, incorporationes quarumcunque dignitatum & beneficiorum eccleſiaſticorum, ſecularium & regularium, quibuſcunque Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, Abbatibus, vel capitularibus menſis, aut monaſterijs, conuentibus, dignitatibus, canonicatibus & præbendis vel beneficijs, ſeu ad inuicem ſub quibuſuis verborum formis, dimembrationes etiam * eccleſiaſticarum & beneficiorum quorumcunque, eccleſiarum quoque, monaſteriorum ſtudiorumq́ue generalium fundationes, erectiones, ſuppreſſiones & ſubiectiones, & quorumcunque beneficiorum creationes, exemptiones, item reuocationes, pallij dationes, conſecrationes, benedictiones, perſonarum de ordine ad ordinem tranſlationes, infeudationes, inſtitutiones, cõtractuum confirmationes, facultatis teſtandi conceſſiones, abſolutiones, liberationes, quitantias ſuper quibuſcunque debitis ratione decimarum, ſemidecimarum, indulgentiarum, annatarum, communium & minutorum ſeruitiorum, vel aliàs quomodolibet, diſpenſationes tam ſuper ætatis quàm natalium & aliarum inhabilitatum defectibus, ſuper incompatibilibus in quocunque numero, etiam ſi ad curas parochiales, matrimonijs, iuramento, ordinibus & voto etiam tranſmarino & rebus alijs quibuſcunque, necnon abſolutiones à quibuſcunque excommunicationum, anathematizationum, & alijs cenſuris eccleſiaſticis, interdictorum tam generaliũ, quàm ſpecialium relaxationes, ac etiam illarum fulminationes & appoſitiones iuramentorum, etiam fidelitatum relaxationes, rehabilitationes ab omni macula irregularitatis, aut alia inhabilitate vndecunque proceſſerit, reſtitutiones etiam ad famam & honores gratiarum, indultorum, indulgentiarum & priuilegiorum, & quaſcunque alias conceſſiones, ac omnia & ſingula, tam iuſtitiam quàm gratiam concernentia, ſiue in foro conſcientiæ, aut contentioſo, in perſonis aut locis, quæ tempore conceſſionum & aliorum præmiſſorum obediuerunt præfato venerabili ac chariſſimo fratri noſtro Amedeo Cardinali Epiſcopo, legato & vicario ſupradicto, tunc Felici Papæ Quinto nominato, ac congregatis antedictis ſeu eorum alteri, tam per ipſum tunc Baſileenſe Concilium & Amedeum in ſua obedientia Felicem Quintum nuncupatum, quàm illos qui in Baſileenſi & Lauſanenſi ciuitatibus ſub nomine generalis Concilij congregati remanſerunt, aut alium ſeu alios, ſua aut alterius eorum authoritate etiam de latere legatos, delegatos, ſiue alios quoſcunque ab eis vel eorum altero poteſtatem habentes coniunctim vel diuiſim, qualitercunque facta, geſta, conceſſa, data, indulta, diſpoſita & ordinata, etiam ſi maiora & grauiora, aut alterius cuiuſcunque naturæ à præmiſſis exiſtant, & ſpecialem requirant expreſſionem, quæ volumus & decernimus pro expreſſis ſpecificè haberi, cum omnibus & ſingulis inde ſecutis. Ac etiam omnia & ſingula per ordinarios in dictis locis facta, pro bono pacis & vnionis Eccleſiæ, motu proprio ex certa ſcientia & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, de conſilio & aſſenſu venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, præſentium ſerie approbamus, ratificamus, & etiam confirmamus, rataq́ue & firma haberi volumus. Necnon potiori pro cautela de perſonis Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum, quibuſcunque Eccleſijs & monaſterijs, quarum & quorum aſſecuti ſunt poſſeſſiones, & poſſident de præſenti, necnon de dignitatibus, prioratibus, perſonatibus, adminiſtrationib⁹, officijs, canonicatibus, & præbendis, commendis & beneficijs quibuſcunque etiam ſedi Apoſtolicæ ſpecialiter vel generaliter reſeruatis, deuolutis, vel quomodolibet affectis, eorum poſſeſſoribus quibuſlibet de nouo prouidemus, ac ipſorum omnium fructus, redditus & prouentus, necnon emolumenta ſingula in quibuſcunque & vbicunque, etiam extra diœceſim, in quibus Eccleſia, monaſterium, prioratus, dignitas, ſeu beneficium huiuſmodi fuerit, conſiſtentia, ad eorum poſſeſſores ſpectare & pertinere. Et quòd ipſi in ſuarum eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, dignitatum & beneficiorum, (prout ſingulos concernit) poſſeſſionibus, pro huiuſ-

Amedeus non Papa, ſed Cardinalis.

Obſeruã Baſileẽſes tãdem ad Nicolaum acceſſiſſe.

* eccleſiarum

modi bono pacis & vnionis, pacifici remaneant & quieti, decernimus & declaramus, gratis & abſque ſolutione communium vel minutorum ſeruitiorum, annatarum, aut vacantiæ tam noſtræ cameræ, quàm venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium collegio facienda, nomina & cognomina, valoreſque ipſorum beneficiorum & dignitatum, ac non obſtantias ipſorum poſſeſſorum pro expreſſis habentes, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis non obſtantibus quibuſcunque. Inſuper quaſcunque obligationes ſeu debita de & ſuper annatis ſeu communibus & minutis ſeruitijs iuxta curiæ noſtræ conſuetudinem, cæteriſq; iuribus nobis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium collegio, cæteriſque officialibus debitis, ſi quæ deberi dicerentur, occaſione quarumcunque metropolitanarum & cathedralium eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, prioratuum, etiam cõuentualium beneficiorum & officiorum huiuſmodi, vſque ad præſentem diem poſſeſſoribus antedictis ex ſimili ſcientia remittimus & relaxamus, pariter & donamus: eoſque qui huiuſmodi debitis obligati eſſent, ab omni eorum ſolutione abſoluimus & liberamus, & ſuper illis dari quitantias petentibus aut volentibus demandamus in forma plena, debita & opportuna, fructus etiam illos, quos durante huiuſmodi diuiſione, ex dictis eccleſijs, dignitatibus, beneficijs & officijs perceperunt, etiam ſi nobis & cameræ Apoſtolicæ debiti eſſent, penitùs ipſis & cuilibet ipſorum remittimus de dictæ ſedis munificentia liberali, camerario, theſaurario, clericis cameræ, colectoribus & ſubcollectoribus noſtris quibuſcunque inhibentes ſub excommunicationis ſententia & alijs cenſuris eccleſiaſticis atque pœnis, quas remiſſioni & inhibitioni noſtris huiuſmodi contrauenientes incurrere volumus ipſo facto, ne fructus prædictos occaſione præmiſſa, dicta diuiſione durante perceptos, & per nos remiſſos, vt præfertur, à quoquam quomodolibet exigere ſeu extorquere præſumant. Dictorum rurſus poſſeſſorum ſingulis aduerſarijs ſuper præfatis eccleſijs, monaſterijs, prioratibus, dignitatibus, officijs & beneficijs perpetuum ſilentium imponentes, quaſcunque promotiones, impetrationes, conceſſiones, prouiſiones, declarationes & literas deſuper pro ipſis aduerſarijs & alijs quibſcunque, in præiudicium ipſorum poſſeſſorum vel derogationẽ huiuſmodi per nos confirmatorum, qumodolibet etiam ſi motu proprio, ex certa ſcientia aut plenitudine poteſtatis, & de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, tam per dictum noſtrum prædeceſſorem, quàm nos ſiue alium quemcunque, illius aut noſtra authoritate, ſiue alia quacunque factas, datas, conceſſas & habitas, etiam ſi in vim earum ipſis aut alicui eorum in re vel ad rem ius quæſitum foret: necnon diffinitiuas & alias etiam, quæ in rem tranſierunt iudicatam, ſuper eccleſijs & alijs præmiſſis in Romana curia, vel aliàs vbicunque contra dictos poſſeſſores promulgatas ſententias, & quæcunque inde ſecuta, prædictis motu & ſcientia ac plenitudine pro bono pacis & vnionis prædictarum caſſamus, irritamus & annullamus, ac caſſa, irrita, infecta, nullaque & inania ac viribus vacua declaramus & denunciamus. Illas verò ex ſententijs, quæ pro prædictis poſſeſſionibus ſuper præmiſſis, ac etiam quaſcunque alias ſententias & ſubrogationes, quæ pro quibuſuis perſonis, partibus ſe defendentibus, illarum omnium nominibus & cognominibus pro expreſſis habentes, & quæ in rem tranſiuerunt iudicatam, in Baſileenſi ſeu Lauſanenſi ciuitatibus, ſeu in curia præfati venerabilis ac chariſſimi fratris noſtri Amedei primi Cardinalis, (vt præmittitur) legati vicarijque perpetui, Felicis Quinti in ſua obedientia nominati, vſque in hodiernum diem prolatę ac ſubrogationes pro altero ex collitigantibus mutuò ſe defendentibus factæ ſunt, validas & ratas decernentes, necnon quaſcunque lites & cauſas deſuper in noſtra curia vel alibi contra ipſos poſſeſſores ſuper prædictis eccleſijs, dignitatibus, beneficijs, officijs quomodolibet pendentibus, quorum omnium, etiamſi vna vel duæ ſeu plures diffinitiuæ vel aliæ ſententiæ prolatæ ſint, ſtatus præſentibus pro expreſſis habentes, ad nos aduocamus, & totaliter extinguimus. Et pro maiori omnium & ſingulorum ſecuritate & roboris validitate, quibuſcunque perſonis tam eccleſiaſticis quàm ſecularibus, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, cõditionis vel præeminentiæ exiſtant, etiam ſi cardinalatus, patriarchatus, archiepiſcopali, epiſcopali aut alia quacunque præfulgeant dignitate, necnon quarumcunque tam cathedralium quàm collegiatarum & aliarum eccleſiarum & monaſteriorum capitulis, collegijs & conuentibus, ac ſingularibus perſonis earundem, illique vel illis, ad quem ſeu ad quos dictarum eccleſiarum, beneficiorum eccleſiaſticorum & officiorum electio, collatio, prouiſio, præſentatio ſeu quæuis alia diſpoſitio communiter vel diuiſim pertinet, ac huiuſmodi poſſeſſorum aduerſarijs, quibus per nos ac noſtrum prædeceſſorem ſeu alium quemcunq; factæ ſunt conceſſiones & prouiſiones de huiuſmodi eccleſijs, beneficijs & officijs poſſeſſis, omnibus & ſingulis alijs, quorum intereſt vel intererit quomodolibet in futurum, mandamus expreſſè inhibentes, videlicet Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis ſub ſuſpenſionis ab ingreſſu eccleſię, minoribus verò perſonis ſingularibus ſub excommunicationis, necnõ dictorum poſſeſſorum aduerſarijs ſub ſimili excommunicationis ac priuationis omnium & ſingulorum beneficiorum ſuorum quæ obtinent, & inhabilitationis ad illa, & ad alia in poſterum obtinenda, perpetuæque infamiæ: collegijs verò, capitulis & conuentibus ſub ſuſpenſionis à diuinis, pœnis, ſententijs & cenſuris, quas contrafacientes & rebelles (prout quemlibet ipſorum concernit) exnunc prout extunc, & extunc prout exnunc, incurrere volumus ipſo facto, ne ipſi ſeu eorum alter publicè vel occultè, directè vel indirectè, quouis quæſito colore vel ingenio, contra declarationes, conceſſiones, approbationes, ratificationes, confirmationes, & alia prædicta vel eorum aliquod in præiudicium, damnum & grauamen dictorum poſſeſſorum & derogationem præmiſſorum per nos confirmatorum, aut alicuius eorum facere, dicere & attentare, ſeu ipſi prænominati, ad quos ſpectat huiuſmodi electio, collatio, prouiſio, præſentatio ſeu quæuis alia diſpoſitio, quenquam alium ad eccleſias, dignitates, beneficia & officia, ſeu alia præmiſſa, hactenùs ſic poſſeſſa recipere & admittere, neque poſſeſſores huiuſmodi ſuper præmiſſis in aliquo vexare, perturbare, moleſtare, ſeu inquietare quomodolibet præſumant, aut præſumat, ſed ea omnia & ſingula inuiolabiliter & ſine contradictione quacunque, quantum in eis eſt, manu teneant & obſeruent, dictoſque poſſeſſores in poſſeſſione ſua huiuſmodi teneant & defendant. Si quæ etiam (quod abſit) per quempiam quacunque etiam authoritate noſtra, contra præmiſſa ſeu eorum aliqua, aut in præiudicium dictorum poſſeſſorum ſeu alicuius eorum, nouitates factæ fuerint ſeu fierent, illas ac quæcunque inde ſecuta exnunc prout extũc habemus & haberi volumus pro infectis. Et nihilominùs cõtrauenientes & rebelles huiuſmodi, ſiue Patriarchæ, Archiepiſcopi, aut Epiſcopi fuerint, ab ingreſſu Eccleſiæ: minores verò perſonas ſingulares, excommunicatos: necnon dictos aduerſarios & eis auxilium dantes, vltra communicationis pœnam beneficijs & officijs ſuis priuatos, inhabiles & infames: capitula verò, collegia & conuẽtus, à diuinis ſuſpenſos per quemlibet ordinarium loci, aut alterum in dignitate conſtitutum, ſiue canonicum alicuius Eccleſiæ cathedralis, per quemcunque ex huiuſmodi poſſeſſoribus eligendum & requirendum, ſeu executionem dandum ſuper huiuſmodi noſtra voluntate in Romana curia ſiue extra, declarari & denunciari volumus & mandamus. Super quibus omnibus & ſingulis, ipſis & eorum cuilibet authoritate Apoſtolica damus atque concedmus facultatem, reiectis in præmiſſis omnibus & ſingulis cautelis & appellationibus quibuſcunque, in præiudicium præmiſſorum interpoſitis ſeu interponendis, quas tanquàm friuolas & inanes cum inde ſecutis & ſecuturis, extunc prout exnunc, & exnunc prout extunc caſſamus, irritamus, annullamus, & pro infectis haberi volumus: vicecancellario & quibuſuis alijs officialibus noſtris expreſſè inhibentes, ne ad cuiuſuis inſtantiam ſuper cauſis prætẽſarum appellationum huiuſmodi, aut aliàs via ſimplicis querelæ ſeu reſtitutionis in integrum aliquam commiſſionẽ ſignare, ſiue reſcriptum etiam extra Romanam curiam concedere, nec auditores cauſarum palatij noſtri, ſiuè ordinarij loci, aut quicunque alij commiſſiones ſiue reſcripta huiuſmodi

reci-

recipere, ſeu cauſas deſuper motas & mouendas audire præſumant, ſeu attentẽt. Adijcientes, quòd ſi vllo vnquã tempore appareret, de aliqua conceſſione ſeu declaratione per nos aut noſtros ſeu dicti prædeceſſoris literas, quaſcunque clauſulas, etiam derogatorias, generales vel ſpeciales ſub quacunque verborum forma in ſe continentes, licèt in illis dicatur, non obſtantibus clauſulis dicentibus quòd illis non derogetur, niſi de eis ſpecialis mentio fiat, aut quòd de verbo ad verbum, & cum toto tenore illarum inſeri debeat, facta ſeu fienda, per quam dictos poſſeſſores ſeu eorum aliquem in huiuſmodi ſuorum beneficiorum poſſeſſione ſeu aliàs turbari, vexari, moleſtari, ſeu inquietari, aut contra huiuſmodi noſtras conceſſiones, prouiſiones, & alia per nos approbata fieri, atque cõtraueniri poſſit, etiam ſi motu proprio, ex certa ſcientia, ſiue de plenitudine poteſtatis & de ipſorum venerabilium fratrum noſtrorũ Cardinalium conſilio & aſſenſu emanarent, ſeu emanaſſent, tales declarationes aut conceſſiones pro bono pacis & vnionis Eccleſiæ, nullatenùs effectum ſortiri, ſed pro infectis exnũc prout extunc haberi volumus. Verùm ſi in obedientia prædictorum tunc nuncupati Felicis, & illorum qui Baſileæ & Lauſanæ ſub nomine generalis Concilij tunc permanſerunt, duo vel plures ſuper vno vel pluribus beneficijs litigarent, poſſeſſio non poſſidenti non afferat præiudicium, ſed cuilibet ius ſuum ſemper ſaluum conſeruentur, ac etiam vnicuique maneat ius, quod ante huiuſmodi diuiſionem ſibi quæſitum erat. Et ſi fuerint aliquæ Eccleſiæ ſeu beneficia, quarum ſeu quorum caput in vna obedientia, & membra in altera exiſtant, membra reducantur ad caput. Saluo tamen, quòd membrum obtinens in illius remaneat poſſeſſione, ſi ius eidem competebat ante huiuſmodi diuiſionem. Cæterùm, quia difficile foret præſentes literas ad ſingula, in quibus eis forſan fides facienda fuerit, loca deferre, dicta authoritate Apoſtolica decernimus, quòd illarũ trãſumpto manu publica & ſigillo alicuius Epiſcopi aut illius vicarij, ſeu curiæ aut ſuperioris eccleſiaſtici ſignato & munito, perinde ac ſi originales literæ huiuſmodi exhiberentur, fides plenaria adhibeatur, & ſtetur. Mandantes nihilominùs literas in ſimili forma pro quibuſcunque particularibus perſonis eas petentibus & habere volentibus, illorum nominibus & cognominibus ſpecificè expreſſis, cum deſignatione eccleſiæ, dignitatis, beneficij ſiue beneficiorum, aliarumque conceſſionum ſuperiùs deſignatarum, in cancellaria noſtra & alibi gratis & ſine ſolutione alicuius taxæ, ſaluo moderato ſalario ſcriptorum, expediri; & irritum decernimus & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, ratificationis, confirmationis, prouiſionis, decreti, voluntatis, impoſitionis, caſſationis, remiſſionis, relaxationis, donationis, abſolutionis, liberationis, inhibitionis, impoſitionis, irritationis, annullationis, declarationis, denunciationis, aduocationis, extinctionis, voluntatis, mandationis, conceſſionis, adiectionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Spoleti anno incarnationis domini cc, 1449. decimoquarto Calendas Iulij, Pontificatus noſtri anno tertio.

P. de Noxeto, Marcellus de curia regiſtrata in camera Apoſtolici Concilij.

EPISTOLAE ET RESPONSIONES SYNODALES SACRI GENERALIS Concilij Baſileenſis.

EPISTOLA SYNODALIS DE CONVOCATIONE Bohemorum ad Concilium.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileẽſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, vniuerſis viris eccleſiaſticis, nobilibus, & toti populo regni Bohemiæ, vnitatem & pacem in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Compulit nos charitas Chriſti egredi de terra noſtra & cognatione noſtra, & venire ad locum quem oſtẽdit nobis dominus pro pace Eccleſiæ & ſalute populi Chriſtiani. Et quid mirum quòd pro Chriſto in terra aliena peregrinari decreuimus, cùm ipſe dominus noſter pro nobis duriſſimã vſq; ad mortem Crucis peregrinationem pati dignatus ſit?
Si Deus ita dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum Ioan.4.
daret: & nos meritò ita ipſum diligere debemus, vt pro ouibus ſuis, ſi oporteat animas noſtras libenter exponamus. Quod quidem, quantum diuina gratia nos inſpirauit, erga omnes prompto animo facere parati ſumus, & ob hoc ex omni natione ad ſacrum generale Concilium huc conuenimus, vt expulſis de populo Chriſtiano erroribus, ſedatis bellis, & extinctis vitiorum illecebris, fidei vnitas, animorum concordia, & ſanctorum morum diſciplina vbiq; ſeruentur: & ipſa mater Eccleſia, toto orbe terrarũ diffuſa, in pace ſanctorum & vnitate refloreat. Et quãquàm plurima in hoc ſacro Concilio immineant, quibus neceſſariò prouidendum eſt, nihil tamen ante oculos noſtros tam ſedulò verſatur, quàm vt vos in eadem vnitate nobiſcũ coniungamini. Si ſciretis quanto affectu ſalutem & pacem veſtram optamus, ſi corda noſtra charitate erga vos ardentia intueremini, obmiſſis omnibus, ſine mora hinc properaretis vos in vlnas noſtras, confidentes quòd à nobis qui vos propter Chriſtũ vt noſmetipſos amamus, requiem animabus veſtris inuenire poſſetis. Et forſan diſſidium noſtrum aliquandiù in Eccleſia Deus permiſit, vt per experientiam cognoſcentes quanta mala ex diuiſione fraterna oriuntur, poſteà alter alterum perfectiùs diligamus: & vnitas, qua nihil inter homines reperitur meliùs, cautiùs deinceps cuſto-
diatur. Ieſus Chriſtus orauit, vt nõ ſolùm Apoſtoli, ſed om- Ioan.17.
nes qui per verbum eorum credituri erant, vnum eſſent, ſicut ipſi ſunt vnum Pater & Filius: & in hoc dixit cognoſci
diſcipulos ſuos, ſi dilectionem inuicem haberẽt. Si cupimus Ioan.13.
Chriſto placere, ſi eius diſcipuli eſſe & videri volumus, laboremus pro viribus, vt vnum ſimus, dilectionemq; & concordiam, ſicut Chriſti fideles decet, inuicem habeamus. Oſtendamus ſecũdùm primitias Eccleſiæ multitudinis cre-
dentium, vt ſit cor vnum & anima vna: ſicut vnus eſt nobis Acto.4.
Deus, vna Fides, & vnus Baptiſmus: ita nos eiuſdem Patris Ephes.4.
filij ſimus vnanimes, & habitare vnius moris nos dignos faciat in domo ſua. Quàm bonum & quàm iocundum tunc e-
rit, cùm in eadem ſanctæ matris Eccleſiæ domo cõcorditer Pſal.132.
habitabunt fratres in vnum? Quanta lætitia erit in cœlis, ſi vos qui aliquandiù à nobis diuiſi fuiſtis, iterum in charitate & vnitate nobiſcum recõciliemini? Eccè Spiritus ſanctus ex omni natione congregat fratres, vt ſicut ipſe charitas eſt, ita in charitate viuat, & iuxta promiſſionem Chriſti, omnẽ doceat veritatem, quę ad ſalutem eſt neceſſaria. Scimus quia noſter cœleſtis paterfamiliâs bonum fidei ſemẽ in terra veſtra ſeminauerat, ſed venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizaniam. Putamus multum boni ſeminis adhuc ſupereſſe, nec radicem omninò aruiſſe. Speramus adhuc terram eſſe idoneam ad fructificãdum in domo Domini, dummodò patiamini infundi rorem Spiritus ſancti, qui illam fœcundet, & herbas noxias exurat. Credimus admodum vobis moleſtum fore, tot ſtrages, incendia, depopulationes & infinita mala conſpicere, quæ ex huiuſmodi diſſidio quotidiè contingunt, voſque optare pacem patriæ ac quietem, vt tandem fides catholica vbique terrarum debitè colatur. Ijs nuſquàm meliùs prouideri poteſt, quã in hoc ſacro Concilio, vbi vniuerſalis conuenit Eccleſia: hic quicquid pertinet ad fidei veritatem, quicquid ad pacem & concordiam, quicquid ad vitę puritatem & diuinorum mandatorum obſeruantiam, omni cum diligentia & libertate tractabitur. Licebit liberè omnibus exponere, quicquid Chriſtianæ religioni expedire iudicauerit: licebit conſulere & procurare remedia. Aderit planè Spiritus ſanctus, in cuius nomine congregata eſt hæc ſancta ſynodus. Ipſe erit dux & rector Concilij, perfectè illuminaturus corda hominum, vt viam ambulent veritatis & pacis, fiduciam in Chriſto habemus, quòd ſi huc puro corde & bona intentione acceſſeritis, proculdubiò læti & conſulati in patriam redibitis, genti veſtræ pacem, quietem gratiamq; Dei & hominum, vobiſcum deferentes. Audiuimus quòd ſæpè conqueſti eſtis, non eſſe

eſſe vobis traditam, qualem voluiſſetis, liberam audiētiam. Iam ceſſabit omnis querelę occaſio. Eccè iam locus & facultas plenæ audientiæ præbetur: Iam inuitamini non coram paucis, ſed vniuerſaliter audiemini, quātumlibet audiri volueritis. Ipſe Spiritus ſanctus adſtabit medius iudex & arbiter, quid in Eccleſia tenendum & agēdum ſit. Erimus ſimul in oratione perſeuerantes, & tam diù & tam feruenter ſuam pietatem gemitibus, ieiunijs, precibus, obſecrationibus, ac ſanctis operibus interpellabimus, vſquequò ipſe charitatis author & veritatis doctor, corda vniuerſi populi illuſtrabit ad cognoſcendam amplectendamque veritatis & vnitatis ſemitam. Ob hoc potiſſimè in Eccleſia Spiritus ſanctus introduxit concilia, vt ſi qua circa fidem inter Chriſtianos diſſenſio orta fuerit, omnibus in vnum conuenientibus, per inuocationem nominis ſui veritatis euidenter appareat. Sæpenumerò in Chriſtiana religione pullulârunt errores, opiniones & ſchiſmata: ſed interuentu ipſorum Conciliorum Spiritus ſanctus illa procul effugauit & penitùs extinxit. Si veritatem fidei diligitis, ſi pacem optatis, ſi honor Chriſti penitùs vobis curæ eſt, iam re ipſa oſtendite. nullo vnquàm loco vel tempore efficaciùs & accommodotiùs, quàm hîc eſt modò, iſta omnia fieri poſſunt. Proinde vos ex toto corde & tota anima per ipſum Spiritum ſanctū hortamur, rogamus & obſecramus, vt poſtquàm oſtium ad tale ac tantum bonum apertum videtis, non differatis introire, & ad hoc ſacroſanctum Concilium in nomine Ieſu Chriſti confidenter accedere, vt vnanimiter audiamus verbum hoc, quòd Spiritus ſanctus in Eccleſia Dei facturus eſt. Et licèt hunc locum ſecurum & liberum omnibus venientibus ſtatuerimus, ne tamen aliqua forſitan occaſione retrahi poſſitis, nos paratos offerimus plenum ac ſufficientem ſaluum conductum veniendi, ſtandi & redeundi ijs, quos deſtinare volueritis, nomine vniuerſalis Eccleſiæ concedere, ac omnia facere quę pro tutela & ſecuritate ipſorum expedire videbuntur. Rogamus autem vos, vt viros tales mittatis, ſuper quos Spiritus domini requieſcere ſperetur. mites videlicet, timoratos, humiles corde pacem optantes, & non quæ ſua ſunt quærentes, ſed quæ Ieſu Chriſti, qui nobis & vobis & toti populo Chriſtiano hîc pacem, & in futuro ſeculo vitam æternam donare dignetur, qui viuit benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Datum Baſileæ die decimaquinta menſis Octobris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, indictione decima, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, domini Eugenij, diuina prouidentia Papæ Quarti anno primo.

QVOD PATRES INTENDVNT MANERE IN Baſilea, & quòd non credatur literis aut mandatis in contrarium.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileēſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Zelus domus Dei quæ eſt Eccleſia, extra quam non eſt ſalus, nos inuita atque charitatiuè compellit, aduerſus hæreſes vaſtatrices tunicæ inconſutilis Chriſti, quæ fides eſt orthodoxa, viriliter inſurgere, & non minùs peruerſis moribus, quibus proh dolor infectus eſt populus Chriſtianus, & indies in omni ſtatu ampliùs inficitur, ſalubriter obuiare, necnon bellicis cladibus penè vbique terrarum fidelem populum deſtruentibus, & quaſi ad nullitatem miſerabiliter producentibus, quantum vires noſtræ gratia diuina adiutæ valuerint, finem ac remedia opportuna adhibere: pro quibus cauſis euidenter neceſſarijs, & maximè arduis hîc in Spiritu ſancto conuenimus, tam generalium Conciliorum Conſtantienſis & Senenſis quàm expreſſis mandatis felicis recordationis domini Martini Papæ Quinti, necnon & ſanctiſſimi domini noſtri moderni Eugenij quarti authoritatibus expreſſis, & ſpecialibus repetitis mandatis reuerendiſſimo in Chriſto patri domino Iuliano ſancti Angeli diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato, atque huius ſacri Concilij præſidenti. Verùm antiquus humani generis hoſtis, inſidias more ſuo parare volens tot tantiſque bonis, quæ ex hoc ſacro Concilio prouenire ſperantur, famam (vt audimus) per diuerſa loca diffundere conatur, quòd hæc ſacroſancta ſynodus Chriſtianæ religioni tam vtilis & neceſſaria, diſſolui aut prorogari, vel in aliquē alium locū transferri debeat, ex quo cùm veriſimiliter timeamus, nonnullos huiuſmodi rumoribus à ſancto eorum propoſito huc forſan veniendi retrahendos, ideo tenore præſentium ſignificamus, nos omninò decreuiſſe in hoc ſancto Concilio firmiter permanere: & accedente gratia Spiritus ſancti, diligentiſſimè laborare ad prædicta ſancta opera, quæ inchoamus, perficienda: nec vlla ex cauſa vel occaſione hinc recedere, antequàm aliquod efficax remedium circa prædicta adhibitum fuerit, cùm euidenter conſtare poſſit ex diſſolutione huius ſacri Concilij ſecutura fidei catholicæ, ſtatus eccleſiaſtici, & totius Chrianæ religionis ruina. Speramus, & pro certo tenemus, attenta integritatis & vitæ & ſanctitatis vitæ fama, qua hucuſque nunc vixit ſanctiſſimus dominus noſter Eugenius Papa Quartus, ipſum omnē fauorem & auxiliū daturum ad conſeruandum hoc ſacrum Concilium, quod authoritate præcedentium Conciliorum, & ſui anteceſſoris, & ipſius, inchoatum ac ſtabilitum extitit: nec quiſquam aliquo modo credat quibuſcunque perſonis aut literis aliud aſſerentibus. Et ob hanc rem mentem noſtram pleniùs explicandam, iam noſtros ſolennes deputauimus ad ſuam ſanctitatem ambaſiatores. Etſi quid in contrarium aliquo modo fuiſſet vobis inſinuatū, aut inſinuari cōtingeret, id omni veritate carere credatis. Nec veriſimile eſt, quòd benè informatus dominus Apoſtolicus vicarius Ieſu Chriſti, ad quem principaliter pertinet extirpare hæreſes, reformare mores corruptos, & procurare pacē in populo Chriſtiano, aliquo modo cogitaret diſſoluere hoc ſacrum Concilium, præſertim contra decreta Concilij Coſtantienſis, per prædeceſſorem ſuum & eundem approbata, & à tantis ſolennibus viris maturè digeſta, quo efficaciùs remedium ad hæc facienda reperiri non poteſt, ex cuius diſſolutione certitudinaliter ſequerentur hæreſum, deformitatum ac guerrarum & odiorum induratio ac etiam multiplicatio. Noſtræ quippè profeſſionis eſt, nos exponere morti pro domo Dei, Eccleſiam eius defenſare aduerſus tam eminentia pericula, potiſſimè tunc temporis, quo ad dictam noſtram ſanctam ſynodum ſperamus Bohemos aduenire, & in ſacra fidei catholicæ vnione nobiſcum reduci. Nam noſtras literas, quibus ad idem eoſdem monebamus ſalubriter & charitatiuè, honeſtè ac reuerenter ſuſceptas intelleximus. Cæterùm pax & cōcordia regum principum & communitatum, quibus ſuper ijs literas noſtras direximus, per hoc præſens ſacrum Concilium efficienda ſperatur, præcipuè pax regni Franciæ, pro qua reuerendiſſimo in Chriſto patri domino Cardinali ſanctæ Crucis, Apoſtolicæ ſedis legato in Francia, die noctuque ad hoc tendenti & laboranti, noſtras literas & nuncios ſpeciales tranſmiſimus. Qui quidem dominus Cardinalis locum conuentionis aſſignandæ partibus, nobis notificandum reſcripſit, quatenus vnà cum eodem ad tam ſanctum opus concurrere efficaciter valeamus, propter quę ſaluberrima opera Spiritus ſancti, qui huius ſacri Concilij cuſtos eſt & protector, adiutrice gratia perficienda, hîc de omni regione conuenimus, atq; in publica ſeſſione noſtra, decimaquarta Decembris in maiori huius ciuitatis Eccleſia celebrata, per noſtra decreta hîc tam diù permanere congregati ſtatuimus, quouſque præfati neceſſarij vtique ac plurimi fructuoſi effectus votiuos fines ſortiantur: quod fixè & inflexibiliter perficere, vt præmiſimus, intendimus. Eapropter deuoti viri, in Chriſto ſyncerè dilecti, vos in domino obſecramus, pro huius ſacrę noſtræ ſynodi ſalubri directione deuotiùs exorare, proq; huiuſmodi felici ſucceſſu diuinā clementiam humiliùs implorare: necnon & ſi quæ literæ, ſchedulę, ſcripta, mandata, quocunque nomine cenſeantur, à quibuſuis perſonis inueneritis, aut receperitis, noſtræ huic ſanctæ intentioni obuiantia, aut ſaluberrimus effectus præfatos quoquo modo impedientia, nobis indilatè tranſmittere curetis: nec eiſdem adhærere, aut à ſinceritate, quam noſtræ congregationi geritis, vllatenùs recedere velitis, quocunque colore per quoſcunque prætenſo. Reuerendos autem patres dominos prælatos & cæteros qui de iure vel conſuetudine ad ſacrā generalem ſynodum venire tenētur,

Hic Iulianus poſtea relictis Baſileenſibus, Eugenio adhæſit, cū multis alijs.

Digitized by Google

admonemus & mandamus ſub pœnis iuris ac ſub debito iuramenti, quatenùs celerrimè ad noſtram congregationem accedant in propria perſona: aut ſi fuerint corporali impedimento detenti, honorabiles & doctos viros de ſuis eccleſijs benè inſtructos, deſtinare non omittant. Sic autē facientes, Chriſto cuius cauſam gerimus, maximè placebitis: Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, imò & toti Chriſtianitati dignum famulatum præbebitis: vos verè fideles, Dei honorem, Eccleſiæ ſuæ meliorationem volentes & affectantes monſtrabitis, atque gratiam in præſenti, & gloriam in futuro poſſidebitis, quam vobis conferre dignetur præſenti ſynodo præſentialiter aſſiſtens Spiritus ſanctus.

Datum Baſileæ vigeſima prima Ianuarij, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo, pontificatus dicti domini Eugenij Papæ Quarti anno primo, ſub ſigillo reuerendi in Chriſto patris domini Philiberti epiſcopi Conſtantienſis prouinciæ Rothomagenſis. De mandato dictæ ſanctæ ſynodi, v. Sapientiæ.

RESPONSIO SYNODALIS DE AVTHORITATE cuilibet Concilij generalis ſupra Papā & quoslibet fideles, quodq́; ſine eius conſenſu non potuit diſſoluere Concilium Baſileenſe dominus Eugenius Papa Quartus.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileēſis, in Spiritu ſancto legitimè cōgregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Cogitanti huic ſacræ ſynodo, in Spirituſancto legitimè congregatæ, quid vobis venerabilibus Ioanni & Andreæ, Tarentinēſi & Coloſſenſi Archiepiſcopis, ac Bertrando epiſcopo Magalonenſi, necnon dilecto Eccleſiæ filio Antonio de ſancto Vito, palatij Apoſtolici cauſarum auditori, oratoribus ſanctiſſimi domini Eugenij Papæ Quarti, pro ijs quę ſuo nomine bis expoſuiſtis, reſponſura ſit, duo ipſe Spi-
1.Cor.2. ritus ſanctus perſuadet, primum, vt (ſecundùm Apoſtolum) non in ſublimitate ſermonis & doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus loquatur: deinde, vt ſummū Pontificem & vos & quoſcunq; huic ſacro Concilio aduerſantes, ſub ijs verbis Apoſtolicis admoneat, quibus beatus
Ephes.4. Paulus ad Epheſios vſus eſt: Nolite, inquit, contriſtare Spiritum ſanctum. Vtinam non à triſti[illegible] dicendi exordium aſſumere poſſemus, & ab ea præſertim, quæ in Spiritum ſanctum committi dicitur. Duobus modis ſacri doctores exponunt Spiritum ſanctum contriſtari, vel cùm boni dono Spiritus ſancti, & propter charitatem contriſtant ur de his, quæ non rectè faciunt: vel cùm Spiritus ſanctus ab homine non rectè facienti, repellitur more humano. Sicut enim homo de domo pulſus, triſtis recedit, ita Spiritus ſanctus propter non rectè facta hominum deſerit eos, & ab his recedit, non ipſe triſtis, ſed triſtes dimittens quos deſerit. Connectendo inuicem vtranque expoſitionem, obſecrat hæc ſancta ſynodus cum omni manſuetudine, lenitate & modeſtia ſummum Pontificem & vos eius oratores, ne Spiritum ſanctum contriſtare velitis: Tum propter noſipſos Concilium celebrantes, ne triſtitiam, mœroremq́ue patiamur, intuentes ipſum non rectè agere, dum diſſipare & euertere conatur hanc ſanctam vniuerſalem ſynodum, pro ſalute populi Chriſtiani congregatam: Tum etiam propter ipſum dominum Eugenium, voſq; & alios Concilium impugnantes, ne ſic agendo, Spiritum ſanctum à vobis repellatis. Ipſe enim habitare non conſueuit cum his, qui operibus aduerſantur charitatis. Inter noſtram autem & veſtram triſtitiam hoc refert, ſicut inter præſentem & futuram, meritoriamq́ue & pœna digna. Nos enim vehementer illa ſentimus zelo domus Dei incenſi. Grauiſſimè quidem contriſtata eſt hæc ſancta ſynodus, tacta dolore cordis intrinſecùs, cum amari-
Matth. 23. tudine & fletu volens congregare filios ſuos, ſicut gallina pullos ſub alis ſuis, & non permittitur: volens fidei & Eccleſiæ periclitanti ſuccurrere, & prohibetur. Et quod cauſa maioris doloris eſt, ab eo prohibetur, qui omnem animi conatum & ſtudium ad tam ſanctorum & neceſſarium opus, more prædeceſſorum ſuorum conuertere deberet. Ipſe autem ſummus Pontifex, voſq́ue & alij Concilio contradicentes, triſtitiam nunc non ſentitis, nec animaduertitis quantum ſcandali ac perturbationis in Eccleſia ſic agendo ſeminatis: ſed eo periculoſior ac maiori compaſſione dignus hic morbus eſt, quo non ſentitur, ſentietis autem poſteà, dum ſcandala nata eſſe videritis, & cùm apud illud terribile Chriſti tribunal ſtabitis, de ſingulis vſque ad minimū quadrantem rationem reddituri. Sed hoc nos in anguſtijs 2.Cor.5.
& tribulationibus conſolatur, quòd huiuſmodi triſtitia in Matth.5.
gaudium atque præmium Domini nobis conuertetur: ad- Ioan.16.
uerſantibus autem, ad iudicium: quòd vtinam per condi- 2.Cor.7.
gnam pœnitentiam in miſericordiam commutetur, quemadmodum optamus ac oramus pro vobis, & pro omnibus nos perſequentibus & calumniātibus. Si Dauid videns præ- Pſal.118.
uaricantes, & nō cuſtodientes teſtimonia Domini, tabeſcebat: ſi Chriſtus dominus ſuper vnam ciuitatem ruituram lachrymatus eſt, quanto dolore affici debet mater Eccleſia, Luc.19.
videns per aduerſantes Concilio toto populum ſalutem impediri? Quis eas animas numerare poſſet, quas Satanas errorum atque hæreſum laqueis in plerisque mundi partibus alligatas tenet, quaſq́ue alligaturus eſt contagione peſtifera, niſi celeriter per hoc ſacrum Concilium prouideatur? Quæ autem Chriſtianitatis portiuncula eſt, quæ domeſtico, ciuili, crudeliq́ue bello & exitiali odio non agitetur, adeò quidem, vt atrociùs Chriſtianus quàm Saracenus †? quid attinet vltrà ad dicendum, cùm omnis & eccleſiaſticæ & Chriſtianæ vitæ diſciplina, vbique penè extincta videatur? Hæc omnia, ſpes erat & expectatio gentium, per hoc ſacrum Concilium poſſe reparari: & iacta fundamenta iam erant, ita vt populus Chriſtianus hac ſpe reſpirare videretur. Tam ſancta igitur & neceſſaria opera ſi perturbari videamus, nónne maximo dolore contriſtari nos oportet, præſertim cùm ab eo perturbatio hæc veniat, qui primus pro ſuo officio ad ſuccurrendum eſſe deberet? Quis catholicus hæc audiens, ſe à lachrymis temperet? Quis ille eſt, cuius viſcera ad compaſſionem moueri non debeant? Meritò ergo ſummum Pontificem exoramus, ne Spiritum ſanctum contriſtare velit. Quàm formidabile ſit, in Spiritum ſanctum delinquere, hinc cognoſcite, quòd cùm cætera peccata vel in patrem vel in filium commiſſa, remittantur, ſolum peccatum in Spiritū ſanctum veritas atteſtatur nec in hoc, Matth. 12.
nec in alio ſeculo remittendum. Quid magis in Spiritum ſanctum cōmittitur, quàm perturbare ſacra Concilia, quæ Spiritu ſancto diriguntur, cuius exiſtentia extirpantur hæreſes, eliminantur ſchiſmata, damnantur errores, diſcordia in pacē vertitur, vitia ad mores ſanctos commutantur? Quid boni ac ſancti eſt in Eccleſia Dei, ſiue ad fidem, ſiue ad mores, ſiue ad generalem Eccleſiæ ſtatum ſpectet, quòd ex ipſorum Conciliorum ſaluberrima doctrina non fluxerit? Meritò igitur tam graue peccatum, tam grauem meretur pœnam, præſertim cùm non in vnam perſonam aut gentem, ſed in omnes homines ac populos pręſentes & futuros, & in totum Chriſti myſticum corpus perpetretur. Si ſcan- Matth. 18.
dalizanti vnum de puſillis minimis Eccleſiæ, tam terribile iudiciū minatur Deus, quid putatis illi fiet, qui vniuerſalem ſcandalizat Eccleſiam? Quo maiori loco quis poſitus eſt, & maior cura ſibi commiſſa, eo tranſgreſſio damnabilior. Sanguis omnium pereuntium propter hæreſes, bella & morum deformitatem, ab eius manib⁹ exigetur, qui impedimento eſt, ne illa tollantur. Sed & hoc auget triſtitiam noſtram, quòd is qui percutit, aut ſe percutere non recognoſcit, aut diſſimulat. Quis non turbetur, ſi percuſſor percuſſo dicat: Cur me cędis? cùm potiùs ad percuſſum, id dicere, pertineret? Venitis ad nos, & ſub ſpecie virtutis exhortādo pro-
1.Cor.12. ponitis, Non ſit ſchiſma in corpore. Sanctum eſt hoc verbum, & omni acceptione dignum: ſed rectiùs factum eſſet, ſi ad eum qui vos mittit, huiuſmodi ſermonem ſeriatim expoſuiſſetis. Saltem, quòd ab eo recedentes non feciſtis, facite ad eum redeuntes. Ei enim permaximè opus * ſit vt dicatis, for. *eſt vt
Non ſit ſchiſma in corpore. Nos enim nihil aliud quæſiuimus, nec quærim⁹, hoc cupimus, hoc oramus. Et ne ſit ſchiſma in corpore, quàm pie, quàm ſuppliciter per diuerſos oratores ſuam ſanctitatem exorauimus, vt ſicut Catholicum Pontificem decet, velit Eccleſiæ Catholicæ ſe coniungere, quàm hoc ſacrum Cōcilium repræſentat. Quoties deprecati ſumus, ne ſanctam ſynodum perturbet ac perſequatur? quoties ſupplicauimus, ne intolerabilium ſcandalorum, quæ ſuus diſſolutionis prætenſæ conatus parturire po-

teſt, velit eſſe occaſio? Dicite nobis: Si duo ad certum tempus, vel aliquod complendum opus ſocietatem inijſſent, & alter eorum ante tempus vel operis finem velit ſocietatem dimittere, alter aiſt vſq; ad finē temporis vel operis perdurare, quis horum cenſendus eſt ſocietatis ſciſſor ac diuiſor? Si duobus ſeruis mandat Dominus, vt laboratum in agrum vadant vſque ad fructuum tempus, & alter in via retrocedit, alius autem in agro laborans, vſque ad meſſem perſeueret: quis eorum alter alterum deſerere, & quis Domini mandatis obtemperare dicendus eſt? Et ſi recedens, perſeueranti dicat, recede & tu, ne ſit diuiſio inter nos, an debet ille recedere, & potiùs conſeruo, quàm Domino, parére? Nemo eſt tam hebetis ſenſus, qui iſta non dijudicet. Videamus ergo, ſi placet, quis ſcindit ſocietatem aut fraternitatem Eccleſiæ, quis ab alio ſe diuidit, quis ſanctæ matris Eccleſiæ mandata contemnit. Conuenit vniuerſalis Eccleſiæ myſticum CHRISTI corpus in celeberrimo Conſtantienſi Concilio, vbi Spiritu ſancto dictante, vnanimi conſenſu pro generali ſtatu Eccleſiæ conſeruando diffinitum eſt, vt deinceps Concilia certo tempore celebrentur & modo, ad colendum agrum Dominicum, & inde euellendum vepres, ſpinas & tribulos hæreſum, errorum & ſchiſmatum, & exceſſus corrigendū & deformata reformandum. Huius ſtatuti vigore felicis recordationis dominus Martinus Papa Quintus, per literas Apoſtolicas locum proximi Concilij ordinauit ſub his verbis: Ad perpetuam rei memoriam: Cupientes & volentes decreto, huiuſmodi generalis Concilij Conſtantienſis ſatisfacere inter alia diſponenti quòd omninò generalia Concilia celebrentur in loco, quem ſummus Pontifex per menſem ante finem huius Concilj, approbante & conſentiente Concilio, deputare & aſſignare teneatur, pro loco dicti proximi celebrandi Concilij, eodem conſentiente & approbante Concilio, ciuitatem Papienſem tenore præſentium deputamus. Poſteà cœptum eſt celebrari Cōcilum Papienſe, quod de conſenſu Concilij tranſlatum eſt ad ciuitatem Senenſem, & ibi conſentiente & approbante Concilio, per nuncios Apoſtolicos electa eſt hæc ciuitas Baſileenſis pro loco proximi tunc ſequentis Concilij in ſeptennium celebrandi. Aduenit ſeptennij tempus, congregatur hîc Concilium, non ſolùm iuxta decreta duorum generalium Conciliorum, ſed accedente expreſſo conſenſu ipſius Martini, & moderni domini Eugenij, deſtinantium ad hoc legatum ſuum. Eccè iuſſu Spiritus ſancti vniuerſale Concilium legitimè congregatum eſt ad colendum agrum dominicum.

Adeſt à principio ſummus Pontifex per legatum ſuum, poſteà ante finitum tempus, & opere non completo, recedit, deſeritque laborantes in agro Domini. Nunc igitur qui habet oculos, videat quis diuiſionem, ſciſſuram, rixam, cōtentionem, nouitatem ac ſcandalum faciat, quę omnia ex ſchiſmate, prouenire commemoraſtis. Nunquid nos propria authoritate huc venimus? Si Eccleſia bis congregata in duobus Concilijs, ſi duo Romani Pontifices ita ſtatuerunt, ſi id agimus quòd ipſe Spiritus ſanctus per organū Eccleſiæ decreuit, cur nobis dicitur, Nō ſit ſchiſma in corpore? Cùm Chriſtus dixiſſet, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nō habebitis vitam in vobis: multi ex diſcipulis audientes, dixerunt: Durus eſt hic ſermo & murmurantes, ſcandalizati ſunt, & retrò abierunt. Et cùm Ieſus diceret duodecim diſcipulis: Nūquid & vos vultis abire? Reſpondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Quis horum ſe diuiſit? an recedentes, an remanentes cum eo à quo vocati fuerant? Sed ad viciniora veniamus éxempla. Olim Papa Ioannes vigeſimus tertius, cōgregato Conſtantiæ Concilio, indè receſſit, dans ſuo receſſu quantū in eo erat, occaſionem diſſolutionis prætenſæ. Nunquid qui Conſtantię remanſerunt vſq; in finem, dicendi ſunt temerarij & præſumptuoſi? Nunquid vt ſequerentur Ioannem, dicendum eis fuiſſet, Recedite hinc, ne ſit ſchiſma in corpore? An potiùs finaliter pronunciatum fuit, receſſum ſuum fuiſſe illicitum & ſcandaloſum? Et quis non videat plus eſſe, expreſſè conari diſſoluere, quàm ſolùm corporaliter ex Concilio diſcedere? Igitur ſi hîc pronunciatum ſit, huiuſmodi diſſolutionem non valuiſſe, nihil noui factū eſt. Qui vſque ad finem Conſtantiæ perſeuerauerunt, ab omnibus commendati & laudati ſunt. Sic ſperamus in domino contingere his, qui hic conſtanter perſeuerârunt. Deſinite igitur propter ſanctam perſeuerantiam noſtram calumniari nos, & dicere, Non ſit ſchiſma in corpore, quaſi, niſi hinc receſſerimus, ſchiſma fiet in corpore. Nos potiùs ſperamus, quòd quemadmodum per alia Concilia ſalubriter prouiſum eſt Eccleſiæ varijs calamitatibus afflictæ, ita & per hoc, Deo cōcedente, prouidebitur. Sed dicitis: Si manſeritis hîc, venient ſcandala: dolemus & cōtriſtamur, & proptereà ipſum obſecramus, ne Spiritum ſanctum contriſtet, nec ſit cauſa ſcandalorum: quia etſi neceſſe ſit, vt ait veritas, venire ſcandala, væ tamen illi per quem ſcandalum venit. Matth. 18. Is qui huius eſt author ſcandali, cùm vnico verbo id tollere poſſit, cur differt? in manu ſua eſt, ſine vlla difficultate poteſt. Non opus eſt congregare pecunias, exercitus aut naues, quemadmodum ſi Hieruſalem (vt aſſeritis) recuperare velit. Reuocet prætenſam diſſolutionem, & ſublatum eſt omne ſcandalum. Reddet vnà & ſibi & Eccleſiæ pacem.

Nec pudore aut quouis humano reſpectu ab hoc retrahatur, quoniam Romanus Pontifex cùm videt ſibi aliquid falſo ſuggeſtū, aut quòd tendat ad noxam, ſe feciſſe cognoſcit, ſtatim reuocare cōſueuit, quinimò plurimum gloriæ & honoris hinc ſibi accedet. Omnes enim intelligent, plus ſibi eſſe curæ eccleſiaſticam pacem, quàm propriam volūtatem. Narratis plurimas hæreſes à principio naſcentis Eccleſiæ vſque in hodiernum diem exortas, & per ſanctos Patres & Concilia fuiſſe ſublatas. Verum id eſſe fatemur. Et cùm peculiare ſit & proprium Conciliorum priuilegium extirpandi hæreſes, & à Spiritu ſancto indultum, nullatenùs ea impediri, ſed foueri oportet. Si Eccleſiaſticos annales relegamus, vix vllam hæreſim, niſi per Concilia, ſublatam inuenimus. Meritò igitur, cauendum eſt, ne tam leuiter diſſoluatur, quod tantùm Chriſtianitati profectum facere conſueuit. Dicitis duo genera eſſe hominum, qui fidei Catholicæ maximè aduerſantur, Græcos & Huſſitas, de quibus prouideri oportet. Fatemur his duabus gentibus reconciliandis intendendum fore, & hæc ſunt ſtudia noſtra. Nec putetis Græcorum nos eſſe oblitos, ſed cogitātes per literas & nuncios huc eos aduocare. Poſteà in hanc ſententiam venimus, ſummo Pontifici deferre, ipſumque rogare, vt ſolennes oratores ad eos mitteret, quatenùs huc reconciliationis cauſa accederent, daretq; omnem operam ad hoc ſanctum negotium. Iſta per nuncios noſtros dilectos Eccleſiæ filios, primò magiſtrum Ioānem Pulchripatris, deinde Iacobum de Sirck Scholaſticum Treuirenſem, & Thomam * Fiene Officialem Pariſienſem, ſuæ ſanctitati nunciamus. * Firne Detulimus etiam ſuæ ſanctitati pro honore ſanctæ ſedis Apoſtolicæ in pleriſque alijs, arbitrati vt (ſicut ad officium eius ſpectabat) hæc & alia neceſſaria exequeretur. Sed vſque nunc ſpe noſtra fruſtrati ſumus. Nam dum in modeſtia & ſimplicitate procedimus, & calumnias & iniurias patimur: & dum ſacrum Concilium ſuæ ſanctitati, honorem exhibet, ipſam hanc ſanctam ſynodum perimere laborat. Græcos autem maximè nobis cordi eſt, ſicut & alios, Eccleſiæ reconciliare: pro qua re ſancta & neceſſaria, omnibus viribus laborare intendimus: & quicquid pro eorum reductione faciendum eſt, prompto animo offerimus. Et vt omnibus noſtra ſyncera innoteſcat intentio, te venerabilem Archiepiſcopum Coloſſenſem, qui aliâs hoc negotium pertractaſti, deprecamur, vt nomine noſtro hanc legationem vnà cum collegis tibi per hanc ſacram generalem ſynodum adiungēdis, ad illos velis ſuſcipere, oblaturus eis pro parte noſtra quicquid pro ipſis cōuertendis offerendum videtur. Tibi autem pro viagio tuo condignas expenſas dare offerimus. * Sed cùm Locus obſcurus. quis hoc facilè futurum, ſi ſchiſma non fiet in corpore, iam paulò antè reſpondimus, nos non futuros ſchiſmatis cauſam, cognoſcere & ipſi & omnes potuerunt, nos non cōtemptum ire ſummū Pōtificem, vt dicitis: imò illam reuerentiā, quæ beati Petri ſucceſſori debetur, ſibi exhibere volumus, dummodò in corpore Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus, ſe nolit ſegregare. Quòd ſi fecerit, quod tamen nō credimus, nunquid & nos tanquàm canes muti, non valentes latrare, tacebimus, & periclitantem Eccleſiam clauſo ore adſpiciemus? Eſa. 56. Nunquid nō & Paulus reſtitit in faciem Cephæ in eo, Galat. 2. in quo reprehenſibilis erat? Non proptereà Græci ad vni-

tatem Eccleſiæ accedere, & propriam ſalutem, quę ſine veritatis Catholicæ confeſsione haberi non poteſt, cognoſcere negligent. Sed quomodo credendum eſt, Bononiam Græcos eſſe venturos, ſi tam facilè Concilia diſſolui videant? Quam igitur ſpem Græci Concilio Bononienſi vel alibi celebrando habebunt, ſi tam ſolenne Concilium per ſeptennium expectatum, & per duos pontifices Romanos confirmatum, re infecta, in limine ipſo euaneſcat? Græci maiorum ſuorũ in hoc veſtigia imitantes, ſine celebratione Concilij reductionem ipſorum fieri non poſſe arbitrantur. Nam ipſorum patres, quicquid ad fidei veritatem pertinebat, per Concilia ſoliti ſunt diffinire. Neceſſarium ergo eſt, ne ſpem Conciliorum perdant, vt firmũ & ſtabile hîc Baſileenſe Cõcilium perſeueret: ad quod ſi venire decreuerint, & Romanæ Eccleſiæ reconciliari intendant, quicquid eis pro ipſorũ aduentu neceſſariũ fuerit, libenter offerimus: & omnia quęcunq; habemus, parati ſumus vſq; ad nuditatem, imò vſque ad animam, pro eorum reductione exponere. De loco autẽ non eſt quod cauſari poſsint. Nam ſi Bononiam vſq; perueniant, paululùm plus laboris accipient huc proficiſcendo. Et cùm olim ad ciuitatem Lugdunenſem, remotiorem quàm iſta ſit, ac deinde ad ciuitatem Conſtantienſem oratores miſerint, non minùs commodè ad hanc venire poterunt. Accipiat igitur tua deuotio hanc ſanctam legationem pro nomine Ieſu Chriſti & ſalute Græcorum, quorum certè maiores ab Eccleſia omnia meritos eſſe recognoſcimus. Poſteà de crudelitatibus Huſsitarum, & quàm periculoſa ſit eorũ hæreſis, ſubieciſtis. Non poteſtis in hoc tãtum dicere, quin plura referenda eſſent. propterea maximè admiramur, cùm illi nihil tantum odio habeant, quàm nomen & authoritatem ſummi pontificis, quòd totis viribus huic Concilio aduerſetur, quòd tam diligenter pro eorum conuerſione laborat. Quòd autem hoc deſit, culpa erit illius, qui per diuerſam ſententiam ab eo quod Eccleſia in Conſtantia ſtatuit, ſe diuiſit, & hanc nouitatem & diſsidium induxit. Sed quæ ſpes reductionis eſſe poterit, ſi decreta Concilij Conſtãtienſis, in quo illa hæreſis damnata eſt, infringantur? Quòd autem priùs ſtudendum ſit, vt priùs nouella zizania euellatur, videtis ferè per annum nos ad hoc laborare cum omni patientia, modeſtia, & longanimitate, vt ſacro Concilio ſummus põtifex prout tenetur, adhæreat. Sed ſperamus in domino, quòd vel ipſe dominus Papa Eugenius tandem veritati & rationi acquieſcet, vel mundus huius ſacri Cõcilij iuſtitiam recognoſcens, eidem adhęrebit. Fatemini mores eccleſiaſticorũ corruptos, indigere reformatione, pacemq; poſtremò eſſe neceſſariam in populo Chriſtiano, & hoc eſſe pręcipuum ſacerdotis officium, pacis negotijs intendere. Sed hoc fieri non poſſe, ſi ſchiſma ſit in corpore. Superuacuum eſt iterum de eadem re rationẽ reddere. Credimus Deo & hominibus cõſtare, nec voluntatem nec opera noſtra ad ſchiſma tendere. Multiplicatis precibus oramus ipſum dominum Eugenium, ne ſeipſum à corpore ſcindat, nec offendiculum tam ſanctis operibus, ob quę Concilium congregatum eſt, & vos neceſſaria eſſe dicitis, velit gratis apponere. Olim ſummi pontifices ſummo ſtudio ac cura fouebãt ſacra Concilia, & ea ſummo cum honore proſequebantur: & quæ in illis fiebant, nõ vt ab hominibus, ſed à Spiritu ſancto dictata, venerabantur. Si veteres relegantur hiſtorię, nullo tempore fuit tam neceſſarium celebrare Concilium, quã modò & in hoc loco: nullumq; vnquam fuiſſe Concilium legitur tot authoritatibus ſtabilitum, & nihilominùs à ſummo pontifice tam grauiter & multipliciter impugnatum. Dicitis, impoſsibile videri, ſimul de principatu Eccleſiæ & moribus diſputare. Diſputatio iſta cur neceſſaria ſit, non intelligimus. Nos ſemper debitum ſuæ ſanctitati reddimus. ſemper reddat & ipſe quod debet vniuerſali Eccleſiæ, recognoſcendo authoritatem Concilij generalis iuxta decreta ſacræ Conſtantienſis ſynodi. Et quoniam ſe offert, vt reformatio ab ipſo incipiat, ſi huic actioni debitus ordo ſeruetur, vtinam facta verbis compenſet. Sed hoc primùm ab eo munus reformationis optamus, vt tollat ante omnia diſſolutionem prætẽſam, quæ iuxta decreta Concilij Conſtantienſis fieri non potuit, nec tolerari poteſt ſine fidei & ſtatus eccleſiaſtici pernicie. de cæteriſque per Dei gratiam facilè concordabimus, ſi hoc duntaxat fecerit. Quantum ad debitum ordinem, quem ſeruandum dicitis, hoc eſt quod optamus. nullum autem magis debitum ordinem eſſe credimus, quàm vt ille ſeruetur, quem patres noſtri in Concilio Conſtantienſi, in quo & ipſe affuit, inſtituerunt. Multa etiam de virtutibus eius diſſeruiſtis. in hoc laudandus eſt Deus, à quo omne bonum. Rogandus etiam, vt quod illi deeſt, pro ſua clementia largiatur. Hoc illud eſt, vt ab vniuerſali Eccleſia ſe nõ ſcindat, extra quam nulla eſt vera virtus. hoc faciat, vt ipſum condignis laudibus proſequemur. Et hæc ad ea, quæ primo loco per venerabilẽ Archiepiſcopum Coloſſenſem relata ſunt, dixiſſe ſatis eſt. Nunc autem ad propoſita per venerabilem Archiepiſcopum Tarentinum, dicendum reſtat.

In primis latè explicat iuriſdictionem & Poteſtatẽ ſummi põtificis, quòd caput ſit & primas eccleſię, vicarius Chriſti, & à Chriſto, non ab hominibus vel ſynodis alijs prelatus & paſtor Chriſtianorum: & ei datæ ſunt à domino claues, & vni dictum eſt: Tu es Petrus. & ſolus in plenitudinem poteſtatis vocatus ſit, alij in partem ſolicitudinis. & multa huiuſmodi, quæ cùm vulgatiſsima ſint, minimè neceſſarium erat recenſere. Iſta planè fatemur & credimus, operamq; in hoc ſacro Concilio dare intendimus, vt omnes eandem ſententiam credant. Et nihilominùs ipſum Romanum põtificem dicimus obedire tenere mandatis, ſtatutis, ordinationibus ac præceptis huius ſanctæ ſynodi Baſileenſis, & cuiuſcunq; alterius Concilij generalis legitimè congregati, in his quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem ſchiſmatis, & ad generalem reformationem eccleſiæ Dei in capite & in membris, quemadmodum declaratum extitit per generale Cõcilium Conſtantienſe, Catholicam repræſentans Eccleſiam, cuius Catholicę Eccleſię, quemadmodùm & ſummi põtificis, æquum fuiſſet ſaltem paucisſimis explicare poteſtatẽ. Quod cùm nõ feceritis, dignum eſt vt nos qui Concilium celebramus, aliquid ſaltem perfunctoriè referamus. In primis hoc nos meminiſſe decet, Catholicam eccleſiam illam eſſe, cuius confeſsio in ſymbolo continetur, ſanctam eccleſiam Catholicam. huius eccleſiæ Catholicæ tanta authoritas eſt, vt ſola Chriſti euangelia illa dicantur quę Eccleſia recipit. plures enim de Apoſtolis etiam ſcripſiſſe dicuntur Euangelia. Sed quia tantùm quatuor approbauit Eccleſia, illa ſola, & non alia, venerantur. Ideò B. Auguſtinus in pleriſq; locis aſſerit: Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ authoritas commoueret. Illa enim ſacra ſcriptura dicitur, quam ſacrã declarat Eccleſia. Huius Eccleſiæ determinationi Catholici omnes ſuas meritò ſententias ſubmittunt: & niſi ab ipſa approbentur Eccleſia, Catholici eſſe non poſſunt. Hæc ſancta Eccleſia tanto priuilegio à Chriſto Saluatore noſtro, qui eam ſanguine ſuo fundauit, dotata eſt, vt eam errare non poſſe firmiter credamus. hoc ſolùm competit Deo natura, eccleſiæ verò priuilegio. Præter autem Eccleſiam, nemini vnquam tale munus communi lege datum eſſe legimus: non Angelis, hi enim à principio errare potuerunt, & multi ex eis errãrũt: non primis parentibus, nam à diabolo decepti ſunt: non hominibus, nam omnis homo mendax: non ſummis pontificibus, quorum nonnulli in hæreſes & errores lapſi eſſe dicuntur & leguntur. Eccleſia ſola ſine ruga & ſine macula illa eſt, quæ errare non poteſt in his quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Vtiq; Spirituſſanctus qui mentiri non poteſt, ſe cum ea permanſurum vſq; ad finẽ ſeculi, & eam per Spiritum ſanctum in omni veritate docendam eſſe pollicitus eſt. In iſta regeneramur, roboramur, nutrimur & viuificamur. extra iſtam nec ſalui eſſe, nec Deo placere poſſumus. Ianua cœli eſt, per quam ſolum ad cœlum iter eſt.

Sponſa enim Chriſti dicitur, & vnica, & pulchra, & ſine macula, & ſine ruga: ſoror, amica, columba, formoſa, ſpecioſa, perfecta, hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquarum viuentium, ſuauis, mitis & decora, & quæ meritò beatiſsima prædicatur: pro eiusque fortitudine & firmitate terribilis dicitur vt caſtrorum acies ordinata. Hæc enim mater & magiſtra omnium fidelium, ac etiam corpus Chriſti myſticum nuncupatur, cuius caput ipſe dominus Ieſus Chriſtus. Nec mirum, ſi errare non poteſt, quę caput habet Chriſtum, doctorem ſpiritum ſanctum. huius tanta eſt authoritas, vt qui contumaciter eius doctrinæ contradicere præſumpſerit, hæreticus eſſe conuincatur. Quæ domus etiam claues ſoluendi & ligandi accepit à domino. hanc domum ſi quis

Matth. 16.

En quantũ tribuant ſummo pontifici, cui tamen mox ſeſe anteponunt.

Sed huius Eccleſiæ, vt paulò ante faſſi ſunt, caput & paſtor eſt Romanus põtifex: ergo obedire illi debet ecclesia.

Gen. 3.

Pſalm. 115.

Matth. 28.
Ioan. 16.

Cant. 2. 3. 4. &c.

Matth. 18. corripientem corrigentemque contempſerit, ſit tibi, inquit dominus, vt ethnicus & publicanus. Decuit quidem tantam eccleſiæ conferri poteſtatem, vt cùm omnis homo obliquabilis ſit, & peccabilis, ipſa eſſet in terris, cuius iudicio, quòd errare non poteſt, quilibet ſubijceretur. nec ſolùm Eccleſiæ decreta & ſententiæ authenticæ ſunt, quibus & irrefragabiliter ſtari oportet, ſed etiam eius facta & conſuetudines inſtar babent ſanctarum ſcripturarum. Sacræ enim ſcripturæ, & conſuetudini Eccleſiæ par ritus, & idem vtriſque pietatis debetur affectus. Præteriſtis etiam ſilentio ſacrorum generalium Conciliorum authoritatem, quorum notitia cùm omnibus fidelibus neceſſaria ſit, ideò de poteſtate eorum pauca perſtringere nõ erit inutile. Iſtorum Conciliorum & eccleſiæ Catholicæ eadem videtur eſſe poteſtas. Diffinitum enim eſt in Concilio Conſtantienſi, quòd ſynodus generalis in ſpiritu ſancto legitimè congregata, Catholicam repręſentat eccleſiam, & poteſtatẽ à Chriſto immediatè habet. idem etiam Martinus Papa in ſuis literis Apoſtolicis, ſententias quaſdã Concilij Conſtantienſis interſerens, exprimit. Quęcunq; igitur proximè dicta ſunt de autoritate Eccleſię, trahi ad generale Concilium, quod illam repræſentat, neceſſe eſt. Alioquin non recta eſſet repręſentatio, ſi eadem in repræſentante & repræſentato authoritas non ineſſet. Et hoc ſolũ ſatis foret ad probandum omnẽ Concilij poteſtatem, nec alia probatione vti neceſſarium videretur: vtiq; cùm maior probatio eſſe non poſſit, quàm ipſius eccleſiæ quæ errare nõ poteſt. Nihilominùs propter ipſorum reuerentiam aliquid amplius referamus. Audite quantę autoritatis ſint ipſa Concilia, quantamq; reuerentiam non ſolùm priuatæ perſonæ, ſed & ſancti ſummi pontifices ipſis Concilijs habuerunt. Inquit B. Cæleſtinus in epiſt. ad ſynodum Epheſinam tranſmiſſa, vt refert Iſid. in lib. Conciliorum: Spiritusſancti teſtatur præſentiam congregatio ſacerdotum. Certum eſt enim quod legimus, quia nec poteſt veritas ipſa mentiri, cuius in Matth. 18. Euangelio iſta eſt ſententia: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum. Quod cùm ita ſit, nã nec huic breui numero Spiritusſanctus deeſt, quanto magis nunc intereſſe credamus in vnum conuẽtum turbæ ſanctorum? Sanctum namq; Concilium eſt pro debita Act. 15. veneratione collectum, in quo nunc Apoſtolorum frequentiſsimæ illius (quam legimus) congregationis, aſpicienda reuerentia eſt. Et idem Iſidorus in eodem libro in geſtis tertię ſynodi Toletanæ inquit: Vnde valdè neceſſarium proſpexi, veſtram in vnum conuenire multitudinem, habens ſentẽtię Matth. 18. diuinæ fidem, quæ dicit: Vbi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. Credo enim beatam ſanctæ Trinitatis diuinitatem huic ſacro intereſſe Concilio, & ita tanquam ante conſpectum Dei, in medio veſtri fidem meam protuli. Ecce B. Papa Cæleſtinus eam reuerentiam habendam eſſe dicit congregationi Concilij, quæ debetur collegio Apoſtolorũ, vtpote in cuius medio ipſe Chriſtus aſsiſtit, Spiritusſanctus, & ipſa Trinitas. Quodq; Spiritusſanctus in Concilijs iudicet, & propterea Concilia errare nequeant, teſtis eſt ſcriptura Actuum Apoſtolorũ quę dicit: Act. 15. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. Etiam B. Hieronymus comparat Concilij authoritatem ſoli, vt ſicut ſol ſuo ardore humores riuulorum deſiccat, ita Concilium ſua authoritate omnem cõtrariam ſuperat argumentationem. Inquit enim in fine diſputationis contra Luciferianum: Poteram omnes diſputationum tuarũ riuulos hoc vno Eccleſiæ ſole ſiccare, de autoritate Concilij generalis loquens. Itẽ Concilij autoritas authoritati ſacræ ſcripturæ comparatur: quia vt ait B. Auguſtinus de ſide Chriſtiana: Catholica eccleſia per orbẽ diffuſa, tribus modis probatur exiſtere: quicquid in ea tenetur, aut eſt authoritas ſcripturarum, aut traditio vniuerſalis, aut certè propria & particularis inſtructio. ſed authoritate tota conſtringitur, vniuerſali traditione maiorum nihilominùs tota. Ecce par authoritas & ſcripturarum, & vniuerſalis traditionis. Sed Concilia generalia vniuerſali traditione & cõſenſu fiunt & recipiuntur. Videntur etiam generalia Concilia, vt Euangelia, fore veneranda. Ratio enim, propter quam beatus Gregorius quatuor prima Concilia, vt Euangelia, ſuſcipit & veneratur, iſta eſt, quia dum ſunt vniuerſali conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumpſerit abſoluere quos ligant, aut ligare quos abſoluunt. Sed hæc ratio eadem eſt in cæteris generalibus Concilijs. vniuerſali enim conſenſu conſtituta ſunt. Beatus etiam Auguſtinus ad Ianuarium, aſſerit generalium Conciliorum ſaluberrimam in Eccleſia authoritatem eſſe: quæ ſi ſaluberrima eſt, ſalutem continet: ergo qui authoritati Concilij contradicit, contra ſalutem agit. Quantam deuotionem reuerentiamque Chriſti fideles Concilijs habere debeant, hinc patet, quòd antequam eſſet facultas in vnum congregandi & celebrandi Concilia, Chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſt: poſtquam autem cœpta ſunt Concilia celebrari, omnis hęreſum atque errorum caligo, tanquam ſole illuſtrante depulſa eſt. Quòd etiam Concilia ſtatuendo non errant, hinc liquidè conſtat, quia omni manent ſtabilita vigore, vtique cùm Spiritus ſanctus illa dirigat & inſpiret. Vnde inquit B. Iſidorus quòd ſi qua ſint alia Concilia, quæ ſancti patres ſpiritu Dei pleni ſanxerunt poſt iſtorum quatuor authoritatem, omni manent ſtabilita vigore. Hinc etiam euidenter patet, quòd Concilia errare non poſſunt: quomodo quilibet ſummus pontifex, qui eſt caput & paſtor Eccleſiæ, tenetur, prout in Concilio Conſtantienſi ſtatutum fuit, quàm primũ in ſummum pontificem electus eſt, profiteri coram ſuis electoribus fidem Catholicam tenere ſecundùm traditiones Apoſtolorum, generalium Conciliorum, & poſt nominationẽ aliquorum Conciliorum, ſubijcitur etiam,* generaliũ Conciliorum, & illam fidem vſque ad vnum apicem immutilatã ſeruare, & vſque ad animam & ſanguinem confirmare, defenſare & prædicare. Et ita profeſſus fuit felicis recordationis Martinus Papa V. ita etiam creditur, dominum Eugenium modernum profeſſum eſſe. Quilibet ergo Chriſtianus eandem fidem tenere obligatur, quam Eccleſia Catholica & Apoſtolica tenet & approbat. Quòd ſi errare poſſent Concilia generalia in his, quæ ad ſalutẽ ſunt neceſſaria, profectò nimis vanum ac pernicioſum eſſet, ad talem fidem populum Chriſtianum aſtringi. Quantæ etiam ſint authoritatis Concilia generalia, hinc luculenter aduerti poteſt, quòd ab eorum poteſtate nemo eximitur, etiam ſummus pontifex, vt extat Concilij Conſtantienſis decretum in hæc verba: Hæc ſancta ſynodus Conſtantienſis, generale Conciliũ faciens, &c. ordinat, ſtatuit, diffinit, decernit & declarat, vt ſequitur:

Et primò, quòd ipſa in ſpiritu ſancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Catholicam militantẽ eccleſiam repræſentans, poteſtatẽ à Chriſto immediatè habet: cui quilibet, cuiuſcunq; ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris. Item declarat, quòd quicunque cuiuſcunq; ſtatus vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis ſiue ordinationibus aut præceptis huius ſanctæ ſynodi cuiuſcunq; alterius Concilij generalis legitimè congregati, ſuper præmiſsis ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo. Nec quiſquam illud dicere præſumat, quòd aliquod generale Concilium legitimè congregatum, inualidum ſit aut errare poſsit: quia ſi hic pernicioſus error admitteretur, tota fides Catholica vacillaret, nec aliquid certi in Eccleſia haberemus: quia qua ratione errare poteſt vnum, poſſent errare & reliqua: quoniã, vt inquit B. Auguſtinus, Si ad ſcripturas ſanctas admiſſa fuerint officioſa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis? quæ tandem de ſcripturis illis ſententia proferetur, cuius pondere contentioſæ falſitatis* obtractetur improbitas? Quis iam de poteſtate Conciliorum ſuper omnes alias poteſtates ambigere poterit, tot irrefragabilibus teſtimonis comprobata? Ex his manifeſtè conſtat, authoritates quas de ſummi poteſtate pontificis allegaſtis, non probare quò minus ipſe pontifex mandatis vniuerſalis Eccleſiæ & Concilij generalis obedire teneatur. Sed id duntaxat probant, quòd omnes ſingulares homines particulareſque Eccleſiæ, ipſi pontifici obedire debent, niſi in his quæ huic ſacræ ſynodo, & cuilibet alteri legitimè congregatæ, præiudicium generarent. Nam etſi ſit caput miniſteriale Eccleſiæ, non tamen eſt maior tota Eccleſia. Alioquin errante pontifice, ſicut ſæpè contingit, & contingere poteſt, tota erra-

ret Ec-

Sed huic Concilio Celeſtin⁹ per ſuos præſidebat.

Et tamen Synodus Chalcedonēſis ampliſſima, petijt ſua decreta à Leone Papa confirmari: qui cęteris ꝓbatis, decretum de epiſcopo Conſtantinopolitano reſcindit.

ret Eccleſia, quod eſſe non poteſt. Etſi caput ſit & principalis prælatus huius corporis myſtici, eſt nihilominùs intra corpus. Nam ſi extra corpus eſſet, tunc nō pertineret ad corpus, nec tunc caput eſſet. corpus igitur hoc, totum continet, & ipſum quod dicitur caput, & ſingula membra.

Nec quis dicat, quòd ipſa pars principalis potentior eſt, ac dignior reliquo toto corpore & cæteris membris, & per conſequens illi potiùs obediendum: quia ratio, experientia & authoritas, dictant contrarium. Ratio, quia reliquum totum corpus, etiam non computato Papa, ſecundùm legem communem errare non poteſt in his quæ ſunt fidei. Alioquin ſi errare poſſet, cùm certum ſit Papam errare poſſe, tunc & Papa & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret Eccleſia: quod eſſe non poteſt. Experientia etiam demonſtrat, quia ſæpè experti ſumus & legimus Papam, licèt caput & principalem partem, erraſſe. reliquum aūt corpus, Papa etiā errāte, erraſſe nunq̄ legimus. propterea reliquum ſæpè totum corpus condemnauit atq; depoſuit Papam, tam ratione fidei quàm morum. Sed nunquam Papa condemnauit aut excommunicauit aut depoſuit reliquum totum Eccleſiæ corpus. licèt ergo tam Papa quàm Eccleſia claues habeant ligandi atq; ſoluendi, Papa tamen nunquam in totam Eccleſiam claues ligandi atque ſoluendi exercuit, Eccleſia autem ſæpenumerò in Papam. Authoritas etiam ſcripturæ Euangelicæ idem probat. Nam hoc quod dixit Chriſtus: Si peccauerit in te frater tuus, dic Eccleſiæ: & ſi Eccleſiam non audierit: ſit tibi vt ethnicus & publicanus, omnes homines comprehendit. & quod Petrus & ſucceſſores illa authoritate comprehendantur, oſtendit Paulus, qui in faciem reſtitit Cephæ & coram omnibus. Eccleſiæ enim dixiſſe videtur, qui coram omnibus dixit, quò ad ſucceſſores Petri. Iam ſuprà dictum eſt, qualiter ſæpè peccata eorū dicta fuerint Eccleſiæ, & ab Eccleſia punita: & qui non audierunt eccleſiam, fuerunt habiti vt ethnici & publicani, vt legitur de Anaſtaſio & Liberio. Probat hoc etiam authoritas vniuerſalis Eccleſiæ, quæ non poteſt errare, ita diffinientis in Concilio Conſtantienſi, quòd peccata pontificū circa fidem vel ſchiſma vel mores, poſſunt dici Eccleſiæ, cuius præceptis & ordinationibus tenentur obedire: & ſi obedire contempſerint, condignæ pœnitentiæ poſſunt ſubijci, & ad alia iuris remedia recurri, & per conſequens poſſunt excommunicari. quo facto, vt ethnici & publicani habebuntur. Hoc, etiam ſi pluribus alijs rationibus & authoritatibus poſſet comprobari, ſatis eſt, authoritatem vniuerſalis Eccleſiæ adducere. Ipſa enim errare non poteſt: & quicquid determinet ſcripto, aut conſuetudine vniuerſaliter faciat, eiuſdem reuerentiæ & authoritatis eſt cuius ſacra ſcriptura. Vnde ſi in Euangelio reperiremus ſcriptum decretum illud Conſtantienſis Concilij, quòd Papa tenetur obedire Concilio, &c. hæreticum eſſet, hoc reuocare in dubium. ſic & hæreticum eſt, ſi quis illi decreto contumaciter contradicat. Et quia ad alia noſtra feſtinat oratio, omnes argumentationes quæ fieri poſſent in contrarium, hac vnica authoritate Eccleſiæ veraciſsimè cōfutamus. Ita B. Hieronymus poſt longam diſputationem confundit atque conuincit Luciferianum, dicens: Poteram omnes tuarum propoſitionum riuulos hoc vno Eccleſię ſole ſiccare, de authoritate Concilij loquens. Qualecunque ergo nomen dignitatis aut poteſtatis de Papa ſcriptum inuenitur, ad particulares quoſcunq; homines & ſingulares eccleſiaſticos referendum eſt, non ſuprà vniuerſalem Eccleſiam, ita vt potiùs Papa Eccleſiæ, quàm Eccleſia tota Papæ obedire cogatur. Nam etſi Papa maior ſit in Eccleſia, non tamen maior eſt tota Eccleſia. Vni autem quare dictum eſt, Tibi dabo claues regni cœlorum? Sancti doctores exponunt, vt vnitatem deſignaret Eccleſiæ: & ideò ab vnitate exordium proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna eſſe demōſtraretur. Et Petrus quando claues accepit, vt dicit Auguſtinus, eccleſiam ſignificauit. Nec putetis, * quin eccleſia claues habeat & imperium ſuper omnes, quòd ideò ſunt multi principes, contra philoſophicum dictum, Entia nolunt malè diſponi, pluralitas principantium mala: vnus ergo princeps. Ipſa enim eſt vnus princeps. & vnitati fideliū, non ſingulis, hæc iuriſdictio à dn̄o conceditur. & ideò ab vno incipere voluit, vt perfectā vnitatem atque vnanimitatem deſignaret: quia vnitas eccleſiæ multò maior eſt atque perfectior, quàm vnitas vnius Regis aut Imperatoris terreni. Hic enim & errat, & in varias ſententias atque contrarias ſæpè ſcinditur. Eccleſia autem nec errat, nec ſibi ipſi contradicit. Nec comparandum eſt corpus Eccleſiæ alijs politicis corporibus ciuitatum & vniuerſitatum: quia in medio huius corporis eſt Chriſtus, qui ipſum regit ne erret. Alia autem politica corpora humanis & varijs voluntatibus gubernantur. neque in hac materia congruit allegare errorem illorum, ſecundùm beatum Thomam, qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia Petri, ſucceſſorem eius Romanum pontificem vniuerſalis eccleſiæ paſtorem non recognoſcentes: quoniam de ſingularibus eccleſijs & perſonis id intelligendum eſt, non de vniuerſali eccleſia, quæ ſæpè obedientiam iuſtis ex cauſis Romanis pontificibus ſubtraxit, vt Marcellino, Anaſtaſio, Liberio, Ioanni XII. Benedicto IX. Benedicto XIII. Ioanni XXIII. Progrediētes deinde ad materiam Concilij, dicitis quòd ſanctiſs. dominus Eugenius ratus hæreſibus, bellis ac deformitatibus ſine ſanctorū patrum & principum aſsiſtentia opportunè obuiari non poſſe, Concilium Baſileenſe ex domini Martini Papæ felicis recordationis authoritate per Senenſe Concilium promulgatum, atque eiuſdem Martini iuſsione ſtabilitū, poſt ipſius obitum & ſuę ſanctitatis aſſumptionem, robur habere voluit & proſecutionem, ratū & gratum per ſuas Apoſtolicas bullas gerens, quicquid poteſtatis in ea re dilecto eccleſiæ filio Iuliano ſancti Angeli Diacono Cardinali ſanctæ ſedis Apoſtolicæ legato, per prædeceſſorē ſuum collatum fuiſſet. Fatemini ergo & benè, Conciliū hoc legitimè congregatum, quia ſtabilitum fuiſſe dicitis authoritate Apoſtolica, & per Concilium Senenſe, & roboratum per dominum Eugenium. Et quia facultas data præfato legato circa proſecutionē Concilij, ratificata extitit per ipſum dominum Eugenium modernum, optimè veritatem narraſtis. Ita enim fuit, vt dicitis. Quo igitur pluribus authoritatibus ſtabilitum fuit, & quo plures neceſsitates illud celebrari ſuadebant, eo minùs decuit illud perturbare & conari diſſoluere: & quidem pro tot neceſsitatibus non ſolùm Concilium aliàs indictum perſeuerare debebat, ſed ſi indictū non fuiſſet, de nouo debuiſſet indici. propterea nemo eſt qui nō vehementer admiretur, tam ex abrupto & ſine cauſa huiuſmodi diſſolutionem eſſe attentatam. Sed excuſatis hoc factū eſſe, quia non videbat amplificationem illius vt optabat: & per oratorem noſtrum requiſitus, vt ea faceret, quæ nouam conuocationem prætendere videbantur, illud abinde diſſoluit. Quænam iſta excuſatio eſt? quinimò ſi amplificari non videbat, ad amplificandum operam dare pro ſuo officio debuiſſet. & id ipſum petebat noſter orator, obſecrans vt omnem fauorem Concilio præberet, & ad ipſius proſecutionē intendere dignaretur. Nunquid ſi infirmus medico ſupplicet, vt eū ſanet, medicus ipſum interficere debet ne in ſanando laboret? Orator noſter ad nos reuerſus, quicquid Romæ expoſuerat, vt aſſeruit, hic publicè retulit ex eius dictis. Quicunq; eum audiuit, nihil aliud indicat, niſi quòd cum omni inſtantia fauorem per dominum Eugenium Concilio præſtandum, & eius perſeuerantiam poſtulabat. Si nolebat ſummus pontifex exhortari prælatos, vt huc citiùs properarent, ſaltem ad actum diſſolutionis prorumpere non debebat. ſua enim ſponte veniſſent prælati. Vt igitur neceſsitatibus eccleſiæ, quæ moram non patiebantur, citiùs fuiſſet prouiſum, ſupplicabatur, vt per ſuas literas exhortari vellet præſertim Italiæ prælatos, quos nos pro reuerentia ſummi pontificis, cui propinqui ſunt, citare pro tunc diſtulimus: imò etiam requirebatur, vt ſi cōmodè poſſet, ſua ſanctitas huc venire dignaretur. Sed & ſi prælatos Bononiam ad annum cū dimidio conuocauit, quomodò non poterat eis ſcribere, præſertim prælatis Italiæ, quòd ſtatim huc venirent, vt neceſsitatibus præſentibus prouideretur? Sed volebat ipſe perſonaliter intereſſe. Ideò quia infirmus ad annū cum dimidio diſtulit, q.d ipſe ſciebat, ſi interim moreretur, an & anno cum dimidio perfectè ſanatus eſſet? Sed præſentia ſua multùm prodeſſe poſſet. fatemur. Sed ſi adeſſe propter infirmitatem non poſſit, an propter infirmitatem Papæ, infirmitas Eccleſiæ tam periculoſa negligetur? Magnæ fuerunt hęreſes Arianorum, Neſtorianorum, Manichæorum, Donatiſtarum: & multa alia grauiſsima pericula tunc tēporis in eccleſia imminebant. Et nihilominùs iuſsit ſummus pontifex per ſuos legatos Cōcilia

Matth. 18.

Galat. 2.

Matth. 16.

for. * quia aut * quū

Certè Marcellinū, vt alios omittamus, nemo eorū in Cōcilio auſus fuit cōdemnare, niſi ille ſe prior cōdemnaſſet.

cilia celebrari. Dicitis, cum magna & matura deliberatione diſſolutionem factam eſſe. Si longa & matura deliberatione fuiſſet facta, debuiſſet mittere huc ad ſacrum Concilium, & ſcire certiùs, an ſic facere expediret. Quis meliùs in rebus agendis deliberat? an præſens, an abſens? Facta Concilij & harum partium magis innoteſcebant nobis quàm alijs. Et propter reuerentiam ſacri Concilij, Catholicam repræſentantis eccleſiam, ad maturā deliberationem habendam, Cōcilium conſuli oportebat, nō alienos. Sed audiuimus aliquos ex venerabilibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus contradixiſſe, alios autem nunc dicere, ſe malè tunc fuiſſe circunuētos, & iam meliùs de veritate informatos, apertè cōtradicere. Audiuimus fuiſſe tunc & nunc multò maiorem murmurationem in curia de hac diſſolutione. quamplurimi, & ferè omnes qui in curia nomen habent virorum bonorū, huiuſmodi factam diſſolutionem damnant omnes qui extra ſunt Cardinales, omnes quaſi principes & populi, & qui bonum eccleſiæ cupiunt, Concilium laudant, & diſſolutionē reprobant. Cauſæ etiam in bulla diſſolutionis expreſſæ, cum pace dictum ſit, non ſic ſe habent, prout per noſtros ambaſiatores ſuæ ſanctitati nunciauimus: qui etiam tot & tanta ex ipſa diſſolutione, ſi effectū haberet, ſcandala ſequi dixerūt, quòd habentes etiam cor lapideum, molliri debuiſſent. Sed ex quo nunc conſtat, ipſas cauſas veras non eſſe, cur modò non mutat propoſitum? Cur pax perturbatur Eccleſiæ? Dicitis hunc locum vicinum Bohemis. Diſtat iſte locus à Praga per quindecim diætas. ſunt ciuitates & principes intermedij potētiſſimi. Ciuitas iſta fortiſsima flumine Rheno & mœnibus & viris Catholicis munita, vicina ad tria miliaria linguæ Gallicanæ. In iſtis partibus ille metus eſt de exercitu Pragenſiū, qui Romæ. Putat ſua ſanctitas nos eſſe ita improuidos, quòd ſi hic locus tam vicinus eſſet Bohemis, quod meritò timendum eſſet, hic manſiſſemus, aut maneremus? Sed mira res. habuit ſanctitas ſua exercitum hoſtium in portis Romæ, nec timuit, nec receſsit: & hîc timet inimicos per quindecim diætas longinquos? Inter alias diſſolutionis cauſas hanc eſſe dicitis, quòd Bohemos vocauimus eo modo, quòd ſanctitas ſua ſuſtinere ſine offenſa non potuiſſet aut detractione damnationis in Concilio Conſtantienſi factæ. Vocatio iſta non poteſt ſuſtineri ſine offenſa aut detractione Concilij Conſtantienſis, ſed diſſolutio Concilij benè poteſt ſuſtineri. Concilium Conſtantienſe mandat fieri Concilium, (fieri autem cum effectu intelligitur) non prorogari tempus, non mutari locum. contra omnia iſta fit, & nihil de hoc dicitur. Sed calumniamur quia vocauimus Bohemos. Nunquid in decretis Concilij Conſtantienſis ſcriptum inuenitis, quòd Eccleſia nō debeat eos ad inſtruendum & infirmādum conuocare? Non miramur, ſi ex dictis oratoris noſtri occaſio ſumpta eſt ad diſsipandum Concilium. quandoquidem ex pijſsimis noſtris literis in factū eſſe videamus. Vtinā propter honorē ſummi pontificis hanc cauſam in literis ſuis non inſeruiſſet, videlicet quòd huiuſmodi vocatio fuerit in iniuriam ſedis Apoſtolicæ ſacrorumq́; Conciliorum, & cōtra decreta ſanctorum patrū ac ſtatuta legum imperialium. Sed valdè mirandum eſt, quod in eiſdem literis damnatur & approbatur. Si audientia conceſſa Bohemis, reprobatur: cur Græcis conceditur, cùm & hi & illi ab vnitate Eccleſiæ ſeparentur? Si Concilium Bononiæ propter illos indicitur, cur Concilium Baſileenſe propter Bohemos & multa alia neceſſaria iam indictum, diſſolui procuratur? cùm Bohemica hæreſis periculoſior ſit, ad illam accuratiùs foret intendēdum. Mirandum eſt, ſi verum ſit: dicitur, venerabili Archiepiſcopo Gneznenſi conceſſam eſſe facultatem per ſummū pontificem audiendi Bohemos. ſingulari perſonæ conceditur quod vniuerſali Eccleſiæ nō permittitur? Si epiſtola noſtra diligenter & non ex liuore vel odio conſideretur, planè conſtabit, non ad iniuriam authoritatis Apoſtolicę, nec Cōciliorum Conſtantienſis & Senenſis, imò ad reuerentiam & honorem eorum factā fuiſſe vocationem. vocauimus enim, vt nobiſcum in eadem vnitate coniungantur: & vt, qui à nobis aliquandiu diuiſi fuerunt, iterum in charitate & vnitate nobiſcum recōcilientur. Si hoc fieri poterit, ad quod nos laboramus, cedet proculdubiò ad honorem ſedis Apoſtolicę. Ipſam enim reuerebuntur, quā vſq; nunc cōtempſerunt: cedet ad gloriam Conciliorum Conſtantienſis & Senenſis, qa illam fidem & ritum, qui in his Cōcilijs declaratus eſt, quem vſq; nunc non tenuerunt, amodò tenebūt. Cur ergo retorquetur ad iniuriam, quod quæritur ad honorem? nec contra decreta ſanctorum patrum, nec contra leges canonicas aut ciuiles huiuſmodi vocatio facta eſt, ſiue aſſerere velim eos vocatos ad inſtruendum, ſicut veritas eſt, ſiue ad diſputandum. Si ad inſtruendum, nemini dubium eſt, quin opus ſit pium & meritorium, & prælatorum officio neceſſarium. Si ad diſputandum, & ad hunc finem, vt errans inſtruatur & reducatur, cùm eadem ratio ſit, ſimiliter erit opus pium & laudabile, vt inquit B. Paulus ad Titum: Oportet Epiſcopū, &c. Et ſubdit, Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui cōtradicunt, arguere: imò pernimium periculoſum fuiſſet, denegare audientiam Bohemis, quam vbique locorum diuulgabant ſe poſtulare, & eis non concedi, ob hāc cauſam, quia eorum articuli erant ita manifeſtè veri, quòd noſtri Epiſcopi & ſacerdotes non poterant eis reſpondere, nec cum ipſis conferre audebant: propter quod ſcrupulus non paruus in animis hominum, præſertim ſimplicium iſta audientium, erat exortus. Omnis aūt ſchola Theologorū, canoniſtarum & legiſtarum affirmat eam diſputationē de fide, quæ nō ſit cauſa perfidiæ ſeu tumultus, vel vt in dubium reuocet: ſed ad inſtruendum, vel clariùs patefaciendum veritatem, vel conuincendum vel confundendū hęreticos ſeu infideles, vel confirmandum Catholicos, fore licitam: imò B. Thomas ſecunda ſecundæ dicit in caſu ſimili, ſicut eſt noſter, quòd qn̄ ſimplices viri ſolicitati ſūt aut pulſati ab infidelibus vel hæreticis, corripere nitentibus in eis fidem, tūc neceſſarium eſt publicè diſputare de fide. per hoc enim ſimplices firmantur in fide, & infidelibus aufertur decipiendi facultas. Alioquin ipſa taciturnitas eorum qui reſiſtere deberent, peruertentibus fidei veritatē eſſet erroris confirmatio. Allegat B. Gregorium, quòd ſicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiſcretum ſilentium eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Conſtat aūt Alemanos per libellos & epiſtolas Bohemorum ſolicitari, vt eorum errores ſequantur, allegando ad eorum peruerſum ſenſum multas authoritates. Ergo, ſecundùm B. Thomam & B. Gregorium, viſi fuiſſemus confirmare errores Bohemorum, niſi hoc caſu dediſſemus illis audientiam. Quid ad hoc reſpōdebunt noſtri calumniatores? hoc etiam ſæpenumerò actum fuiſſe per ſacra Concilia, & ſanctos patres legimus, cū hæreticis vel infidelibus, etiam priùs damnatis. Sylueſter in Concilio Romano publicè diſputauit cum duodecim ſcribis Iudæorum, quib⁹ & per Chriſtum & Apoſtolos per tot annos antè, veritas Chriſtianę fidei prædicata fuerat, & in ea diſputatione dati fuerunt iudices duo gentiles Cirithon & Zenophilus. Beatus Athanaſius publicè diſputauit cum Ario, cuius error priùs in celeberrimo Concilio Nicæno damnatus fuerat. In qua diſputatione ſedit arbiter quidam, nomine Probus, gentilis homo. In ſynodo Chalcedonenſi orthodoxi diſputarunt cum Neſtorianis, dudum in Concilio Epheſino damnatis. Et poſt multa inter eos fuit conuentum, vt noſtri orarent ſecundùm fidem noſtram, & illi ſecundùm fidem ſuam. Et charta quædam in qua & noſtra fides & errores illorum deſcriberentur, ſuper corpus beatæ Euphemiæ poneretur, vt Deus veram fidem manifeſtaret. quod & factum eſt. Item licèt error ille, qui aſſerit Chriſtum vnius duntaxat fuiſſe naturæ, priùs fuiſſet damnatus, tamen in ſynodo Conſtantinopolitana, in qua pręſedit ſanctus Epiſcopus Flauianus, Eutyches qui hunc tenebat errorem, fuit ad ſynodum vocatus, & plenè auditus, & ſecum diſputatum. fuitque per acta præcedentium Conciliorum cōuictus. Item licèt error quem tenebat Luciferianus, fuiſſet ante damnatus, nihilominùs beatus Hieronymus diſputauit cum ipſo, & eum per acta præcedentis Concilij conuicit. Quamuis errores Donatiſtarum ſequentium Arianos, olim in Concilio Nicæno damnati fuiſſent, nihilominùs fuit congregata ſynodus Carthaginenſis, & ad eam Donatiſtæ per nuncios Concilij vocati ſunt. Et inter alia, conuocationis verba iſta ſunt: Hanc ergo pacificam & ex charitate venientem vocationem contemnere non debetis. Et ſi quid veritatis vos habere arbitremini, nō dubiteris aſſerere, id eſt, vt congregato noſtro Concilio, deligatis ex vobis quibus cauſam veſtræ aſſertionis committatis: vt & nos poſsimus hæc

facere,

facere, etiam de Concilio noſtro deligantur, qui cũ eis quos delegeritis, conſtituto loco & tempore quicquid eſt quod noſtram à vobis ſeparat communionem, cum pace diſcutiatur, vt tandem adiuuante Domino Deo noſtro Ieſu Chriſto, finem veternoſus error accipiat. Beatus etiam Dominicus & duodecim Abbates in partibus Toloſanis cum Albingenſibus, quorum errores fuerant damnati, publicè diſputauit apud fanum Iouis ſub iudicibus deputatis. Sed ideò calumniari videmini epiſtolam, quia non ad recognoſcendũ errorem, ſed ad ſubmittendum ſe pariter cum Eccleſia veritatis inueſtigationi ſint vocati, quod Huſsitis fauorẽ & autoritatem, fidelibus verò ambiguitatem & perplexitatẽ pręſtare videtur. Cur ſicut partem epiſtolæ, ita non recitaſtis & totam? Cur etiam addidiſtis, vbi addendum non erat? aut ſicut poſt verbum, Audietis & nos: addidiſtis, reſpondentes, cur non addidiſtis, inſtruentes & informantes? Circa principium epiſtolæ dicitur: Nihil tam ante oculos noſtros verſatur, quàm vt vos in eadem vnitate nobiſcum coniungamini. Hinc ſatis innuitur, ex quo damus operam, vt nobiſcum coniungantur in eadem vnitate, quòd vnitatem dimiſerint, & eam opus ſit vt recuperent. Item & verbum illud, Et forſan diſsidium noſtrum aliquandiu Deus in Eccleſia permiſit. Ac verbum illud, Quanta lætitia erit in cœlis, ſi vos qui aliquandiu diuiſi fuiſtis, iterum in vnitate & charitate nobiſcum reconciliamini? Hoc apertè indicauit, eis neceſſariũ eſſe reconciliari nobiſcum, ex quo neceſſariò oportebat re-

Matth.13. cognoſcere errorem. Verbum etiam illud, Scimus quia noſter cœleſtis paterfamiliàs bonum fidei ſemen ſeminauerat, ſed venit inimicus homo & ſuperſeminauit zizaniam: hoc manifeſtè demonſtrauit eos à veritate erraſſe, ac neceſſariũ fore vt ſuperinſundatur ros gratię Spiritusſancti. Fortè moleſtum eſt vobis verbum illud, Ipſe Spiritus ſanctus aſtabit medius iudex & arbiter quid in eccleſia Dei tenendum & agendum ſit. Vel fortè verbum illud, Aderit planè Spiritus ſanctus, in cuius nomine congregata eſt hæc ſancta ſynodus. Ipſe erit dux & rector Concilij, perfectè illuminaturus corda hominum, vt viam ambulent charitatis & pacis. Nobis autem eſt gratiſsimum & ſuauiſsimum, illum nobis iudicem & ducem conſtitui, quem nobis Chriſtus dedit, dicens:

Io.15.&14. Cùm autem venerit Spiritus paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ipſe vos docebit, & ſuggeret omnia quæ dixero vobis. An Spiritum ſanctum vos habere iudicem indignamini? An potiùs hominem, quàm Deum, velletis eligiſſemus iudicem? Meritò in principio ſermonis noſtri dicere perſuaſimus, ne Spiritum ſanctũ contriſtaretis. Blaſphemia eſſet, ſi quis negaret ſpiritum ſanctum dictare ſententias, canones & decreta Conciliorum. In Actibus Apoſtolorum hoc expreſſum auditis, cũ dixerint Apoſtoli, iudicantes non

Act.15. eſſe ſeruanda legalia: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. Leo Papa inquit, ſacrorum patrum canones ſpiritu Dei cõditos, & totius mũdi reuerentia cõprobatos. Et Iſidorus: Et ſi qua ſunt alia Concilia, quæ ſancti patres ſpiritu Dei plenè ſanxerunt. Si ſpiritualis homo iudicat omnia, ſecundùm Apoſto-

1.Cor.12. lum, quantò magis ipſe Spiritus ſanctus, per quẽ homo accipit vt ſit ſpiritualis? Quid eſt dicere, aſſabit medius iudex & arbiter, niſi quòd ipſamet ſynodus erit illa, quæ iudicabit & arbitrabitur? Non enim aliud iudicare & arbitrari poterit, quàm Spiritus ſanctus ſuggeret. Quid iterum aliud eſt dicere, aſſabit iudex, niſi quòd iudicabitur in hoc Concilio, prout iudicatum eſt in Conſtantia? Nam cùm ſententia illa cõdemnationis Huſsitarum, à Spiritu ſancto dictata fuerit, & ipſe neſciat variare ſententiam veritatis, vtiq; cùm idem ſit in omnibus Concilijs, id ipſum hic veraciter iudicabit quod in illo. Si quis autem obijcit, quomodo iam iudicatum, iterũ iudicabitur? Dicendum eſt, quòd, cùm fiat ad ſalutem proximorum, nõ eſt incongruum idem repetere. Profeſsio enim fidei Catholicæ facta in Concilio Nicæno, in pluralibus ſequentibus Concilijs repetebatur. Quoties neceſſe eſt, toties mater Eccleſia aperire debet os ad docẽdum & inſtruendũ.

Ioan.3. Non omnes Spiritus ſanctus eodem tempore illuminat, ſed vbi vult, & quando vult, ſpirat. Qui in vno Concilio illuminationem non acceperunt, dono Spiritus ſancti, fortè accipient in alio. Ideò neceſſe eſt ſæpè frequentari Concilia, vt hęreſis quę in vno tolli nõ poteſt, tollatur in alio. Nec enim hæreſis Ariana vel aliæ eodẽ tempore extinctæ ſunt. Illuminabit ergo, vt ſperamus, ſpiritus ſanctus corda Bohemorum in hoc Concilio, & oſtendet ipſis quid tenere & agere debeant in eccleſia. Propter eos hoc verbum dictũ eſt, & propter alios errantes, orabimus, vt Spiritus ſanctus illuſtret corda vniuerſi populi ad cognoſcendum amplectendumq; veritatis & vnitatis ſemitam. Non enim de populo Chriſtiano, ſicut ſunt & ipſi Bohemi, & alij errantes, cognouerunt adhuc & amplexi ſunt veritatẽ & vnitatẽ. Cur nobis moleſti eſtis, quòd in ducem elegerimus ſpiritum ſanctum? Si B. Sylueſter diſputauit cum Iudæis ſub duobus iudicibus gentilibus: ſi Athanaſius cum Ario ſub vno iudice pagano, ſi orthodoxi cum Neſtorianis ſub iudicio corporis mortui S. Euphemiæ: ſi Concilium Carthaginenſe requiſiuit Donatiſtas, vt illa controuerſia terminaretur per aliquos vtrinque eligendos: ſi B. Dominicus cum Albingenſibus ſub certis iudicib9, cur nobis nõ licuit eligere in iudicem ſpiritum paracletum? Quod autem putatis non in Germania huiuſmodi audientiam dandam, ſi danda eſſet, hoc (ſecundùm B. Thomam) nullo modo rationi congruit. Nam ſicut in loco vbi non eſt nota hæreſis, diſputare periculoſum eſt: ita vbi nota eſt, & homines ab hæreticis infeſtantur, diſputare ad declarationem neceſſarium videtur. Quòd verò dicitis, ex iſta vocatione præſtari fidelibus ambiguitatem, vel perplexitatem: miramur vnde hæc adinuentiones proueniant, cùm ex hoc non ambigui vel perplexi, ſed certiores ac firmiores populi Alemaniæ facti ſunt, videntes noſtram confidentiam & fidei firmitatem in vocandis illis: maximeq; exhilarati ſunt, ſperantes ex hoc illos Eccleſiæ reconciliandos. Duo autem ſceleſtiſsima capita huius hęreſis, quæ commemoratis, nonne tandem vltimo ſupplicio tradita ſunt? Si omnes hæretici talem fauorem haberent, pauci fierent hæretici. Quæ autem ſint illæ plures & grauiores cauſæ, quæ præbuerunt occaſionem diſſolutioni neſcimus. ſi perſonam ſummi pontificis tantum reſpiciunt, propter hoc non debet periclitari ſtatus Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam, æquius fuiſſet intimare Cõcilio, quòd repræſentat Eccleſiam, vt prouideret. Hoc autem ſcimus, quod hic eſt plena & omnimoda ſecuritas. Dolenter refertis, quòd diſſolutioni prætenſæ non paruimus, & mandata Apoſtolica per nos ſpreta ſunt. Hoc ideò facimus, quia Deo plus quàm hominibus parere oportet. Sancta mater Eccleſia, cui quilibet parere debet, nos legitimè congregauit, Act.5.
vt tollendis deformitatibus hæreſum, bellorum ac vitiorũ, quæ plurimæ ſunt in populo Chriſtiano, efficaciter intenderemus. Ne Eccleſiam & Chriſtum Eccleſiæ principale caput contemneremus, perſeuerãdum cenſuimus in opere nobis iniuncto. expoſuiſſemus fidem orthodoxam, Chriſtianam religionem, omnem denique eccleſiaſticum ſtatum periculo ruinæ & euerſionis, ſi ſic diſſolutioni prætenſæ paritum fuiſſet, quemadmodum oratores noſtri nouiſsimè ſanctitati ſuæ latiſsimè expoſuerunt. Scriptum eſt in ſexta ſynodo Conſtantinopolitana: Cùm læditur fides, parentum reuerentia velut inutilis & periculoſa deſpicitur, & amor erga filios fratreſque vitatur. Ad poſtremum, etiam ſuper ipſam vitam mors potiùs à pijs patribus eligitur, vt meliorem reſurrectionem conſequantur: potiùs autem nobis dolendũ foret, ſicut & mundus dolet, quòd talia tentata ſunt aduerſus hoc generale Concilium, & contra vniuerſalis Concilij Conſtantienſis ordinationẽ, cui cum ſummus pontifex obtemperare tenetur, his pœnis ſubijcitur, quas contra inobedientes ſtatutas eſſe dicitis. Sed nec prætenſæ diſſolutioni paruimus, quia fieri non potuiſſe conſtabat. Nam etſi magna ſit Papæ poteſtas, id tamen ſibi facere non licet iuxta cõmunem omnium ſententiam, vnde vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus turbetur, periclitetur aut decoloretur. Sed cùm in iudicio omnium ac noſtro Eccleſia nũc vniuerſali reformatione neceſſariò indigeat, meritò iſtud Concilium, quod ad hoc inſtitutum eſt, diſſoluere non licuit. Impediretur enim hæreſum extirpatio, pacificatio populi Chriſtiani, & deformitatum correctio. Vnde in prima ſeſsione huius Concilij, facta ante dictam prætenſam diſſolutionem, diſſinitum eſt, quod procurans hoc Conciliũ impedire, diſſoluere, prorogare vel mutare, ſeueriter puniatur, & procedatur contra eum tanquam communis pacis perturbatorem, cùm ex hoc prædicta bona impediri videantur. Nec Papæ fas eſt, decretũ illud Conſtãtienſe ꝙ incipit, Frequens, abolere: vel taliter agere,

quòd

quòd diſpoſitio ſua reddatur inutilis vel fruſtratoria. eſſet enim contra mentem Eccleſiæ, quæ illud decretum edidit pro vniuerſali Eccleſiæ ſtatu conſeruando, circa quod Papa non diſpenſat. Statim autem tollere Concilium iam inceptum, nihil aliud videtur, quàm non celebrare: imò multò deterius, propter graue ſcandalum quod in Eccleſia naſcitur ex tali ludibrio. Quòd autem pro vniuerſali Eccleſię ſtatu conſeruando, ipſum decretum editum ſit, ex præfatione ipſius liquet. Dicit enim: Frequens generalium Conciliorum celebratio, agri dominici præcipua cultura eſt, quæ vepres, ſpinas & tribulos hęreſum, errorum & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducit: horum verò neglectus, præmiſſa diſſeminat atque fouet. Propterea nullo pacto Eccleſia tolerare debet, imò ſe vſq; ad animam & ſanguinem opponere, ne tale oſtium aperiatur, & tam vtile toti Chriſtianitati ſtatutum euaneſcat. Ex mente etiam dicti decreti videtur, diſſolutionem prædictam non valuiſſe. Vult enim quòd in fine cuiuſlibet Concilij locus futuri Concilij eligatur per menſem antè, approbante & conſentiente Concilio: & ſic non debere diſſolui, niſi priùs conſentiente Concilio, locus per mēſem ante pro futuro Concilio electus ſit. Item cùm prohibeatur in dicto decreto prorogatio, multò magis videtur prohibita diſſolutio. plus enim eſt auferre, quàm differre. Prorogatio dilationem inducit, diſſolutio peremptionem: Et licèt mutatio certo modo concedatur, diſſolutio non. Hoc autem fecit Papa. diſſolutio expreſſa fuit, non loci mutatio. Item mutatio loci ex cauſa conceditur, quò ad Concilium futurum. Dicit enim textus decreti: Locum autem pro futuro Concilio abſq; euidenti cauſa nō mutet. Non autem concedit mutari poſſe ſine cōſenſu Concilij, locum Concilij actu cōgregati: quia de ſeipſo diſponere, ad ipſum Concilium pertinet. Nam ſi ad Concilium ſpectat, facere reformationem ſupra caput & mēbra: ad ipſum etiam videtur ſpectare, de his ſine quibus reformatio fieri non poteſt, & an locus reformationis continuandus ſit vel mutandus. Item ſi actu congregato Concilio, locus pro futuro Concilio eligi debet cōſentiente Concilio, quanto magis pro ipſo Concilio actu iam congregato, cōtinuando vel transferendo ad alium locum? cùm enim certa forma per hoc decretum indicatur, Papa ipſam ſeruare tenetur. Alioquin fruſtrà ipſi lex indiceretur. Probatur ex alia ratione, diſſolutionem non valere, quia, vt prædictum eſt, cùm Papa teneatur obedire ſtatutis, ordinationibus & pręceptis cuiuſcunque Concilij in his quæ pertinent ad fidem, ſchiſma & reformationem Eccleſiæ in capite & in membris: & ſi non obedierit, puniri poteſt: conſtat, ipſum in his caſibus fore inferiorem Concilio, & Concilium maius eo, cùm poſsit reformare, ſtatuere, mandare & punire. Inferior autem legem ſuperioris tollere non poteſt, nec ipſum ſuum ſuperiorem extinguere vel annihilare. Alioquin implicaret euidentem contradictionem, Tenetur obedire, & non tenetur, quia poteſt diſſoluere. Cùm ergo Concilium congregatum ſit propter prędictas cauſas, & inter alia ſtatuerit ſub magna pœna, ne quis procuraret diſſolui aut mutari ipſum: Papa, cùm illi obedire teneatur, nullatenus diſſoluere poteſt. Alioquin ſi poteſt diſſoluere, non tenetur obedire. Ex quo neceſſariò infertur, quòd aut decretum prædictum non valet, aut diſſolutio: quia ſibi inuicem contradicunt. Pręterea ante tempus Concilij Conſtantienſis nullum dubium erat, quòd congregato Concilio ſuper facto fidei contra Papam, Papa illud diſſoluere non poterat: quia ſi potuiſſet diſſoluere, potuiſſet non iudicari: quod tamē ſibi non licebat: quia in fide deuius, poteſt per Concilium iudicari. Ergo ſicut in iſto caſu, ita dicendum eſt nunc congregato Concilio ſuper reformatione generali in capite & in mēbris: quia iſti tres caſus, fidei, ſchiſmatis & reformationis, ſub eadē declaratione Concilij Conſtantienſis continentur, quod non ſolùm ſcripto declarauit Concilium Conſtantienſe, ſed etiam facto: quia Benedictū propter ſchiſma, Ioannem XXIII. propter deformitatem vitę depoſuit. Et ſi dicatur, Sicut Papa poteſt congregare Cōcilium propria authoritate, ita eadem poteſt diſſoluere: reſpondendum quòd longè differt. Ante enim Concilij cōgregationem Concilium non eſt: ſed vt primùm congregatum eſt, ſtatim poteſtas vniuerſalis Eccleſiæ, quæ eſt immediatè à Chriſto, & quam Concilium repręſentat, transfunditur in ipſum Concilium, vel potiùs continuatur in eo, & fit ipſum Concilium ſuper Papam, & cunctos alios: quemadmodùm ſi quis homo ſubijciat ſe alicui, poſtquam ſubiectus eſt, non poteſt ſe ab illa ſubiectione eximere, nec poteſtatem ſui ſuperioris diſſoluere ſine ſui ſuperioris conſenſu: quia quod à principio fuit voluntarium, ex poſt fit neceſſarium. Et hoc modo intelligenda ſunt iura, dicētia quòd Concilia per Romanæ eccleſiæ authoritatem fiunt & robur accipiūt. Robur enim (vt cōmuniter) accipiunt, vt congregentur, non vt congregata poteſtatem iudicandi & ſtatuendi à Papa conſequantur, Et ſi quis fortè dixerit, in Concilijs intelligitur excepta authoritas Papę, ideò Papa non ſubijcitur: reſpondetur illud eſſe verum, quando perſona Papæ ſpecialiter nō includitur: ſed ſi ſpecialiter includeretur, non poſſet excipi, quia eſſet contradictio. Sed in decreto Concilij Conſtantienſis ſpecialiter dicitur, quilibet etiam Papalis dignitatis, obedire teneatur præceptis Concilij. Quòd autem prædicta diſſolutio nō valuerit, clarè deducitur ex decreto tertiæ ſeſsionis Concilij Conſtantienſis, in qua fuit diffinitum, etiam ante proceſſum inchoatum contra Ioannem, quod dominus Ioannes XXIII. Romanam curiam & officia publica illius ſeu illorum officiarios de ciuitate Conſtantienſi ad alium locū non mutaret aut transferret, ſeu perſonas dictorum officiariorum ad ſequendum eum, directè vel indirectè cogeret ſine licentia & authoritate ipſius ſynodi: & hoc, quò ad illos officiarios & illa officia, per quorum abſentiam Concilium veriſimiliter diſſolueretur vel læderetur. Et ſi contrarium feciſſet, vel faceret in futurum, aut aliquos proceſſus ſeu mādata contra dictos vel alios quoſcunque illi ſacro Concilio adhærentes, & cenſuras eccleſiaſticas aut alias pœnas vt ipſum ſequerentur, fulminaſſet aut fulminaret ſeu fulminauerit, eſſet totum irritum & inane, nec eiſdem proceſsibus, cēſuris & pœnis tanquam irritis & inanibus, quomodolibet obediendum fore. Si ergo Papa non poteſt priuare Concilium aliquibus ſuis ſuppoſitis, per quorum abſentiam veriſimiliter Concilium diſſolueretur vel læderetur: multò minus poteſt priuare ipſum Concilium ſeipſo; & ipſum annihilare. Si non poteſt facere aliquid, vnde veriſimiliter Conciliū diſſoluatur vel lędatur. multò minus poteſt ipſum Cōcilium veraciter & expreſsè diſſoluere vel lædere. Nihil videtur certi huic rationi poſſe reſponderi. Item Concilium Conſtantienſe declarauit in eadē ſeſsione, quod ſi qua priuatio vel tranſlatio perſonarum exiſtentium in ipſo Concilio vel adhærentium, facta fuiſſet in lęſionem Concilij per Ioānem à tempore inchoationis eiuſdem Concilij, eſſet irrita & inanis. Ecce quomodo declaratur nullum, quod fit in læſionem Concilij. Et aduertendum, quòd hæc duo Capitula, loquēdo de pœnis inflictis & cēſuris fulminatis & priuationibus factis in præteritum ante tempus ſeſsionis, intelligi oportet per modum declarationis eſſe irritas, & eis tanquam irritis & inanibus non eſſe obediendum. Alioquin ſi valuiſſent, nō fuiſſet dictum hoc modo, nec fuiſſent annullatæ: qa ſecundùm regulam iuris, factū, legitimè, retractari nō debet etiam ſi ad eum caſum deueniat, à quo incipere non poſſet. Item in 10. ſeſsione fuit pronunciatū, receſſum dicti Ioannis de Conſtantia, fuiſſe illicitum, & Eccleſiæ Dei & dicto Concilio notoriè ſcandaloſum. Si ergo receſſus qui veriſimiliter & præſumptiuè tendebat ad diſſolutionem, fuit declaratus illicitus: quantò magis apparet, expreſſum actum diſſolutionis, eſſe illicitum? Iam ergo luce clariùs cōſtat, diſſolutionem non valuiſſe. Quocirca mirandum non eſt, ſi nō paruimus. magis autem mirandum, quomodo ſtatuta vniuerſalis Eccleſię, pro vniuerſali bono & cū tanta maturitate promulgata, ita leuiter infringātur. vtinam qui ſedent in ſede Petri, legerent aliquando acta prædeceſſorum ſuorum, à talibus profectò abſtinerent. Inquit B. Gregorius: Si ea deſtruerem quæ anteceſſores mei ſtatuerunt, non conſtructor, ſed euerſor eſſe iuſtè comprobarer. Item, Abſit à me, vt ſtatuta maiorum cum Sacerdotibus meis infringam: quia mihi iniuriam facio, ſi fratrum meorum iura perturbo. Item Leo Papa: Quæ ad perpetuam generaliter ordinata ſunt vtilitatem, nulla commutatione varientur: nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa. Item Gelaſius Papa: Confidimus quòd nullus iam Chriſtianus

ignoret

ignoret vniuſcuiuſque ſynodi conſtitutum, quod vniuer
ſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, nullam magis exequi ſe-
dem præ ceteris oportere, quàm primam: quæ & vnamquã-
que ſynodum ſua authoritate confirmat, & continua mo-
deratione cuſtodit. cuſtodire igitur habet, & non tollere.
Item Vrbanus Papa: Sunt quidem dicentes, Romano Pon-
tifici ſemper licuiſſe nouas condere leges: quod & nos non
ſolùm nõ negamus, ſed etiam valdè affirmamus. Sciendum
verò ſummoperè eſt, quia indè nouas leges condere poteſt,
vndè Euangeliſtæ aliquid nequaquam dixerunt: vbi verò
apertè dominus vel eius Apoſtoli, & eos ſequẽtes ſancti pa-
tres, ſententialiter aliquid diffinierunt, ibi non nouam le-
gem Romanus Pontifex dare poteſt: ſed potiùs quod præ-
dicatum eſt, vſque ad animam & ſanguinem cõfirmare de-
bet. Item Zoſimus Papa: Contra ſtatuta Patrum aliquid vel
mutare, ne huius quidem ſedis poteſt authoritas. Apud nos
enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Pa-
trum ſanxerunt reuerentiam. Item Leo Papa: Ideo permit-
tente domino paſtores hominum ſumus effecti, vt quod
patres noſtri ſiue in ſanctis canonibus, ſiue in mundanis af-
fixere legibus, excedere minimè debeamus. Contra ſancto-
rum patrum quippè agimus ſaluberrima inſtituta, ſi quod i-
pſi diuino ſtatuerant conſulto, intactum non conſeruamus.
Item ex Concilio Chalcedonenſi: à ſanctis patribus in vna-
quaque ſynodo vſque nunc perlatas regulas tenere conſti-
tuimus. Quòd autem ſubijcitis, ſi de aliqua vniuerſali ſyno-
do aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendum de eo quod
non intelligitur rationem, ad Apoſtolicam ſedem conue-
niendum eſſe, opus non fuiſſet narrare. Nam de Conſtan-
tienſi ſynodo aut eius decretis nulla eſt dubitatio. ſynodus
illa authentica eſt & Catholica decreta eius authentica ſunt,
& ita clara & intelligibilia, vt nulla egeant declaratione. Iſta
autem ſynodus legitimè inchoata eſt, & legitimè continua-
tur. Si autem aliquo modo de intellectu geſtorum illius ſy-
nodi dubitatio orireturm, cùm iſto modo ſit congregata, quæ
Catholicam repræſentat eccleſiam, ipſius iudicium eſſet ex-
quirendum. Beatus autem Gregorius, cuius eſt capitulum
illud, Nec licuit, loquebatur aliquibus epiſcopis particularẽ
ſynodum celebrantibus, qui volebant retractare ſtatuta v-
niuerſalis ſynodi Conſtantinopolitanæ: quòd ſi tunc tem-
poris aliqua alia ſynodus vniuerſalis actu congregata fuiſ-
ſet, & de geſtis prioris ſynodi aliqua ambiguitas fuiſſet or-
ta, proculdubiò ad illius vniuerſalis ſynodi determinationẽ
recurrendum eſſe dixiſſet Gregorius, & ſuum iudiciũ iudi-
cio ſynodi ſubmiſiſſet, qui priùs dixerat de Cõcilijs loquẽs:
quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe, & non illa
deſtruit, quiſquis præſumpſerit abſoluere quos ligant, & li-
gare quas abſoluunt. Si iſta venerabiles viri rectè conſidera-
retis, taceretis forſitan verbum illud, quod admiratione ſit
dignum, nos præſumpſiſſe citare ſummum Pontificem.
Non eſt præſumptio, nec admiratione dignũ, ſi quid iuridi-
cè, ſit niſi quis velit admirari tanquam conſtanter & virtuo-
sè factum. præſumptio fuit, rem illicitam & ſcandaloſam
tentare. Et quia actus erat, qui notoriò ſcandalizabat & con-
turbabat Eccleſiam, ideo authoritate ſacri Concilij ipſum
ſummum Pontificem obſecrauimus & monuimus, vt diſſo
lutionem prætenſam tolleret, & ab hac ſancta ſynodo non
alienum ſe faceret. Paulo ſuperiùs audiſtis Concilium Con-
ſtantienſe pronunciaſſe, receſſum illum Ioannis fuiſſe illici-
tum & ſcandaloſum. Optimè noſtis, quod Eccleſia poteſt
& debet, ac ſæpè conſueuit, cùm Papa ipſam ſcandalizat,
eum monere & requirere vt deſiſtat. Hoc certè quod egi-
mus, non ad iniuriam factum eſt, ſed ad honorem vtilita-
temque Eccleſiæ ac ſuæ ſanctitatis, vt tollendo ab Eccleſia
ſcandalum, vtriuſque honor atque vtilitas conſeruaretur.
Sed additis, quod nec ab Auguſto, nec à populo, nec ab om-
ni clero iudex iudicabitur, allegãdo argumentationem glo-
ſæ, quòd Concilium non poteſt iudicare papam: & ſi totus
mundus ſentiret in aliquo negocio contra papam, videtur
quod papæ ſentẽtiæ ſtandum ſit. Sed illa gloſa prò & contrà
allegat, & non ſe firmat. Sed in c. Legimus, quod allegatis, te-
net, quod ſtatutum concilij, præiudicat ſtatuto Papæ. Supe-
riùs ad hoc dictum eſt, quod per quemcunque clerum parti-
cularem papa non iudicatur, & ita textus loquitur, nõ tamẽ
excludit eccleſiam vniuerſalem: quam qui corrigentem nõ
audierit, ſit tibi (inquit Chriſtus) vt ethnicus & publicanus.
quam eandem authoritatem eadem gloſa dicit etiam habere
locum in Papam. & iſtud dicit in c. ſi papa, dummodò ſit tale
crimen, de quo poſſit accuſari, vtputà cùm ſcandalizaret Ec-
cleſiam. vbi etiam dicit, nomine fratris quemlibet Chriſtia-
num contineri. Gloſæ & Dd. in hac materia ante Conciliũ
Conſtant. ſæpè vacillabant: modò vnum, modò aliud dice-
bant: & ſcholaſticè diſputantes, non ſe firmabant. Magnum
oporteret explicare volumen, ſi ſingulorum dicta & argu-
menta in medium proferre vellemus. propterea ad imputã-
dum curioſas & contentioſas verborum concertationes, ec-
cleſia vniuerſalis magiſtra omnium Conſtantiæ congrega-
ta, diffiniuit hunc paſſum. Itaque ſi authoritas quęritur, quis
non præferat vniuerſalem eccleſiam & omnes homines, di-
ctis vnius doctoris aut decẽ, aut quorũcunque, cum autho-
ritas eccleſiæ & ſacræ ſcripturæ, vt ſupradictum eſt, æquipa-
rentur? Sacram autem ſcripturam quis neſciat proferri om-
nibus doctoribus, vt planè eſt xj. diſtin. in decretis? Omnes
autem doctores dicta ſua eccleſiæ ſubmittunt. Si rationem
quęritis, nónne rationabilius eſt, illius qui errare nõ poteſt,
præferri ſententiam iudicio illius qui errare poteſt? Iterum
ergo hic reſpõdeat B. Hieron. Poteram omnes tuarum pro-
poſitionum riuulos vno eccleſiæ ſole exciccare. Quantum
verò ad diſpenſationem faciendam ſuper capit. Frequens
breuiter dicendum eſt, non poſſe in eo quenquam diſpenſa-
re, in quo ſibi imponitur lex, quam neceſſe ſeruare habet. Si
autem aliqui caſus contingant rationabiles mutandi locum
Concilij, decretum illud optimè prouidet. Vndè non eſt di-
cere quòd aliàs inhumana eſſet conſtitutio illa. Addidiſtis
etiam, indignum eſſe ad inſtantiam vnius, quantacunq; di-
gnitate prædit, moleſtari decreto noſtro ſummum ponti-
ficem. putamus, ſentire vos de dilecto eccleſiæ filio Domi-
nico Cardinali, Firmano communiter nuncupato. Dolen-
ter de re iſta verbũ facimus. Ipſe grauiſſimè in publica ſeſ-
ſione ac generali ſacra cõgregatione noſtra queſtus eſt, quã-
ta potuit cum honeſtate, intolerabilem ſibi fuiſſe irrogatã
iniuriam, petens ſibi per cõcilium miniſtrari iuſtitiam, quã
alibi conſequi non potuit. Retulit quemadmodum à felicis
recordationis Martino papa V. aſſumptus fuerat in S. Ro-
manæ eccleſiæ diaconum cardinalem. poſt cuius mortẽ ac-
ceſſit ad vrbem, vt vnà cum alijs cardinalibus in electionẽ
Romani pontificis, vt cardinalis & elector, interueniret. Et
licet ſe ad electionem admitti inſtantiſſimè peteret, nihilo
minus (vt aſſeruit) eo ſpreto & contempto, fuit ad electionẽ
ſummi pontificis proceſſum, in magnam iniuriam & dam-
num ipſius & ſuę dignitatis cardinalatus, & in publicum ſcã-
dalum totius eccleſiæ, cõtra bonos mores & ſanctorum pa-
trum inſtituta, quod hactenus nunquã auditum fuit. Aſſer-
uit etiam poſt electionem dñi Eugenij plures ſibi illatas in-
iurias, cum omnium bonorum ſuorum & fructuum ſuæ ec-
cleſiæ Firmanæ de facto expoliatione, & quòd ſuper prædi-
ctis nunquam potuerit obtinere iuſtitiam, quam per mediũ
nonnullorum venerabilium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ car-
dinalium, pluries ſibi fieri petijt & requiſiuit, maximè cùm
nec Romam poſſit ſine euidẽti mortis periculo (vt aſſeruit)
accedere. Patres concilij aduertentes prædicta, & recogno-
ſcentes quòd negocium iſtud eſſet grauiſſimum, & meritò
per concilium non negligendum, maximè vt declaretur ius
ipſius, an ſit cardinalis vel non, vt in futura electione quãdo
ſedẽ vacare contingeret, ſciatur an ſit admittendus vel non,
ne ſcandalum aliquod in ipſa electione vel poſt oriri poſſit,
commiſerunt cauſam iſtam iudicibus concilij, inquantum
concernit ius ipſius, duntaxat cognoſcendam. Et vt patribus
concilij magis de iure ſuo conſtaret, legi fecit copiam cuiuſ-
dam decreti felicis recordationis Martini papæ V. vt aſſer-
uit, cuius tenor ſequitur & eſt talis: Anno à Natiuitate dñi
1426. die Veneris 9. Cal Iunij, Romę in palatio S. Petri pręe-
ſentibus omnibus Cardinalibus qui erant in curia, excepto
cardinali Aquilegienſi, qui tunc infirmabatur, ad quem fue-
runt miſſi duo cardinales, videlicet Placentinenſis & de Co
mite, pro eius voto ſciendo. & ipſis conſiſtorialiter congre-
gatis, in forma conſueta ſcrutinio præcedẽte ſecreto, publi-
cè creauimus, aſſumpſimus & publicauimus vltra Cardina-
les eadem die aſſumptos & publicatos, Dominicum epiſco-
pum Ilerdenſem in presbyterum, Proſperum de Columna,

Matt. 18.

Pius II. ſcribit cardinales & Baſileam venerant, ob priuatas inimicitias bono & ſancto viro Eugenio notã inurere voluiſſe, & eoſdem tamẽ poſtea ad eũ rediiſſe & veniã petijſſe.

Dominicum de Crapanica electum Firmanum, Iulianum de Cæſarinis auditorem cameræ, diaconos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui Ilerdenſis & Firmanus aliàs iuxta morem conſuetum creati fuerat, ſed ex bonis cauſis tunc & nunc vnà cum alijs duobus noluimus publicari, ſed dicto Ilerdenſi reſeruauimus locum ſuum, licet publicatus nō ſit. Item volumus, ſtatuimus & ordinamus, quòd ſi contingat nos mori ante publicationem dictorum quatuor Cardinalium, habeantur ſtatim pro publicatis ſolenniter, etiam quo ad electionem Romani Pontificis, & ad omnia alia, etiam ſi tituli ipſis quatuor aſſignati non eſſent. Item volumus, ſtatuimus, & de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine decernimus & mandamus omnibus & ſingulis Cardinalib. ſub pœna excōmunicationis ipſo facto, & inhabilitationis omnis actiuæ & paſſiuæ, quo ad electionē Rom. pontificis, quòd in caſu ſ. mortis noſtrę ante publicationē dictorū iv. Cardinaliū, q,p ipſi alij Cardinales teneantur & debeant immediatè ſcilicet infra diem naturalem, habita notitia mortis, publicare prædicta, dictoſque quatuor Cardinales recipiant pariter & admittant in omnibus, ac ſi publicati & admiſſi fuiſſent, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum. Ita fuit, A. Cardinalis Præneſtinus Laudenſis, propria manu. Ita fuit, A. Cardinalis Bononienſis propria manu. Ita fuit, F. Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis Venetiarum, propria manu. Ita fuit, A. Cardinalis Aquilegienſis, propria manu. Ita fuit, G. Cardinalis Senenſis, propria manu. Ita fuit, B. Cardinalis Placentinen. manu propria. Ita fuit, G. Cardinalis S. Marci manu propria. Ita fuit, R. Cardinalis de Brancacijs. Ita fuit, A. Cardinalis S. Euſtachij, propria manu. Ita fuit, L. Cardinalis de Comite. Aſſeruit autem prædicti decreti originalem ſchedulam, eiuſdem domini Eugenij tunc Cardinalis Senenſis, manu propria conſcriptam. Addens etiam, duos ex venerabilibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ante ingreſſum cōclauis, de liberè ipſum admittendo ad electionem, prout in dicto decreto continetur, proteſtatos fuiſſe: quorum duorum proteſtationem in publica forma in dicta ſacra generali congregatione legi fecit, quæ omnia ingeſſerunt ſtuporē atque ſcrupulum magnum in animis cunctorum audientium. Exiſtimabatur autem à Domino factum, vt iſto tempore ſacrum concilium celebretur ad prouidendum tam inſolitis nouitatibus. Quòd autem poſt diſſolutionem præſumpſerimus multa ſtatuere & edita promulgare, dolemus vehementer nos tam modicam iuſtitiam ſacri concilij & authoritatem eccleſiæ animaduertere, quòd ea quæ cùm ſumma ratione facta ſunt, præſumptionem vocetis. nos autem æquo animo veſtra non rectè dicta toleramus, & potius pati iniuriam, quam reddere volumus: licet quæcunque agimus, ita euidenter iuſta ſint & licita, vt probatione non indigeant, nihilominus omni poſcenti parati ſumus rationem reddere. Magnum aliquid vos dixiſſe putatis dum dicitis, quod qui Romanæ Eccleſiæ priuilegium detrahit, ab ipſo ſummo omnium eccleſiarum capite traditum, in hæreſim labitur. Idem ſentimus & nos, ac multo firmiùs. Dicimus enim ſummum Pontificem eſſe caput Eccleſiæ, & Romanam ſedem principalem inter alias ſedes. Sed nunquid dum partem laudatis, obliti eſtis totius? Nunquid dum vanam Eccleſiam extollitis, eam quæ vniuerſalis eſt, prætermittitis? Si hæreticus eſt qui Romanæ Eccleſiæ primatum aufert, quanto maior ille hæreticus erit, qui iam Eccleſiam in qua Romana continetur, & præeſt ſuper omnes eccleſias & omnes homines, poteſtatem habere negat? Item & hęreticum illum fateri debetis, qui putat concilium generale, & ſpecialiter illud Conſtan. Eccleſiam Catholicam nō repræſentare, aut in his quæ ad fidem ſeu bonos mores pertinent, poſſe errare. hoc ſi nobiſcum credatis, omnis cōtrouerſia facilè ſoluta eſt. Si ſedi Apoſtolicæ credendum eſt & obediendum, credite literis apoſtolicis Martini Papæ V. in quibus iſta continentur: Commemoratis nobis pœnæ formidinem ac conſcientiæ vermiculum. eccè aduenit tempus, quod prædixit Propheta: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. (Eſaiæ 5.) Qui nouitates inducunt, qui ſanctorum patrum decreta infringunt, qui hæreſum, bellorum ac vitiorū extirpationem impediunt, qui pacem perturbant Eccleſiæ, hi loquuntur de conſcientiæ vermiculo. Si rationi non creditis, ſaltem exemplis credite. Qui in cōcilio Conſtan. poſt receſſum Ioannis Papæ remanſerunt, nunquid contra conſcientiā fecerunt? nunquid non ab omnibus commendati ſunt & commendātur? Nos id idem facimus, niſi quod lentiùs procedimus. expectantes ſi fortè molleſcat cor ſummi Pontificis. hortamini nos ad pacem & vnionē. vtinam cor orj reſpōderet. Eccè genibus flexis & plicatis manibus, crudele bellum quod nobis & eccleſiæ infertur, tolli exoramus. Sed quomodo vera pax eſſe poteſt, ſi gladium infixum in vulnere tenetis? clamamus, tollite gladium, & obliuiſcimur vulnerum: deſinite percutere, & non recordamur iniuriarum. pax & vnio in manu pontificis eſt, quam ſibi dari Eccleſia poſtulat. non diſperget filios ſub alis matris ſuæ congregatos, non diſſipet oues quas ſibi commiſit dominus. Eccè ſi quid culpæ commiſſum eſt tentando diſſolutionē prætenſam, ſacrum concilium penitus abolet, dummodò ipſe pontifex à perſequendo deſiſtat, tollatque diſſolutionem in perniciem Eccleſiæ tendentem. Si dignabitur venire, nemo erit noſtrum qui pedes eius non oſculetur vt Petri, qui vt vicarium Chriſti non honoret, erit concilij caput, omnes eum reſpicient, omnes ei complacere, obſequi, & quantum cum Deo poterunt, deſeruire curabunt. Poſtremò concluditis, in duobus eſſe diſſenſionem, in tempore & loco. Quo ad tempus, dicitis placere ſummo Pontifici, vt non prorogetur vlterius: loci autem electionem dat nobis, dummodò ſit in terris Italiæ Eccleſiæ Romanæ ſubiectis, cùm perſonaliter velit intereſſe, cuius dominio, durante Concilio, ſe ſpoliare intendit. Reformationem autem cleri Germaniæ & Reductionem Bohemorum committit pręfato legato. Et vt nos ei adiumento ſimus, ſi hoc fructuoſius, quàm ſine interuallo ad Concilium proficiſci extimamus: quòd ſi complementum rerum huiuſmodi per nos & prædictum legatum fieri non poſſet, reliquum quod ad perfectionem extabit, ſupplebitur in concilio generali. Quantum ex his verbis intelligimus, dominus Eugenius non ſolùm non reputat hoc Concilium, ſed nec quidem vult vllo pacto hîc celebrari concilium, ſed dat nobis electionem loci in Italia, in quo futurum celebretur concilium. Quòd hoc ſit legitimum Concilium, euidenter oſtendimus. Propterea neceſſarium eſſe arbitramur tam ſaluti animę ſuæ quàm vtilitati Eccleſiæ, vt ſua ſanctitas diſſolutionē prætenſam tollat, ſimpliciterque recognoſcat concilium, & illi tota mente adhæreat. Hoc enim nullatenus prætermitti poteſt: tùm quia fieri non potuit, tum quia notoriè ſcandalizat Eccleſiam: tum ne futuris temporibus detur occaſio abolendi capitulum, Frequens: quod ita eſt in Eccleſia neceſſarium, ſicut oculus in capite: ſine Dei & totius Eccleſiæ graui offenſa, diſſolutioni prætenſæ conſentire non poſſumus. Nam præter alia mala quæ prædicta ſunt, hoc inde ſequeretur, quòd fateremur Eccleſiam erraſſe, quæ hic iudicauit diſſolutionem fieri non potuiſſe. Abrogemus etiam decretum Conſtantienſis Concilij, non ſolum de modo celebrandi concilij, ſed etiam de conciliorum poteſtate. Ex eo enim decreto, vt perſæpè dictum eſt, papa Concilio, non concilium Papæ ſubijcitur. Quo autē ad loci mutationem, maius quòd allegatis, eſt papæ debilitas, quæ prohibet ipſum huc accedere, & tamen intereſſe concilio neceſſarium reputat. Si Bononiam accedere poterit, & Baſileam poterit. Et ſi paululum plus tēporis itinerando exponi oporteat, non eſt curæ. Alioquin futuris temporibus propter infirmitatem papæ oportebit Concilium ad locum reſidentiæ papæ transferre. Plura cōcilia & de rebus grauiſſimis, papa abſente, quàm præſente, celebrata ſunt. Ipſe dominus Martin⁹, licet grauiſſimè eſſet infirmus tempore inchoationis concilij huius, non tamen transferri Romam vel in Italiam mandauit. Et quantū coniecturari poteſt, nihil eſt quod magis pontificem modernū ab hoc loco retrahere debeat, quam ſuum prædeceſſorem. Mundus hanc excuſationem non capit, quòd propter infirmitatem hoc fieri debeat, cùm alij pontifices, non obſtante ægritudine, legatos ſuos deſtinauerint. Nunquid mundana gloria animum ſuum pulſat vt ſi quid glorioſum in cōcilio agendum ſit, ſuæ præſentiæ tantùm attribuatur? Sed abſit hoc à vicario Chriſti, qui omnia ad gloriam Dei referre debet: quanquam quicquid in legatorum ſuorum præſentia factum fuerit, ſibi aſcribi poterit. Sed qua conſcientia poteſt à nobis mutatio loci concedi vel peti, cum tanto tempore

Sed tu erāt ſc mata i cleſia, bus ſib patū v d cāt quod i nō eſt vnico genio.

laborauerimus, vt Bohemos huc traheremus, & ipſi cũ noſtris oratoribus in magnorum præſentia principum concluſerint, velle huc venire, & iam acceperunt tam noſtrum quã multorum principum ſaluoſconductus? Si hinc euaneſcat Concilium, ſpes recõciliationis Bohemorum perpetuo tolletur. animum reductionis ſi quem habent, videntes ſe deluſos, indurarent magis quàm vnquam. eſſet certè confundere Eccleſiam, & periclitari fidem. Daremus enim multis populis occaſionem, vt Bohemis ſe coniungerent, putantes fidem noſtram veram non fore, & nos aliquid non habere, per quod poſſemus eos inſtruere. Quòd ſi dixeritis, manebit hîc legatus & nos: hoc ergo eſt dicere, vt ſimus hîc, non vt Concilium. Sed * hoc fieri non poteſt. nam à Concilio vocati ſunt, & ad Concilium venire concluſerunt: & niſi ſit conciliũ, nullo modo venient. videtur non modicam ſpem tota Bohemia in cõciliũ ponere. Dicẽt & ipſi Bohemi, principes atq; populi Germaniæ, ſe à nobis deceptos, quòd vſq; nunc dixerimus, hoc eſſe verum Concilium. Si nunc conſentiamus hîc non eſſe Concilium, quam fidem decætero mundus habebit Concilijs? Si hoc fecerimus, nihil aliud reſtat, niſi vt tanquam deceptores per Principes & populos iſtos lapidemur & trucidemur, vel in manibus Bohemorum tradamur: Vtranque enim gentem deluſiſſe videbimur. conſultius nobis eſſet vt hinc fugeremus, quàm amiſſo nomine & authoritate Concilij, hîc moraremur. Nec videmus quòd profectum aliquem dominus legatus, quo ad reformationem, facere poſſet, ſi hoc Concilium extinguatur. Nam ita vbique mali mores inueterati ſunt, quòd niſi fiat generalis reformatio in Eccleſia, nunquam fiet particularis alicuius prouinciæ. Solent enim omnes dicere: Reformentur alij, & reformabimur nos. Illud etiam dicunt: Reformentur capita, reformabimur & nos. Vnde iudicio omniũ neceſſarium eſt, authoritate Concilij generalis fieri generalem reformationem, in qua potiùs ad exequendum, quàm ad condendum nouas leges intendendum videtur. Quantum verò ad loci mutationem in Italia, cur à nobis expectatis reſponſum, cùm nobis optimè conſtet, hoc tempore impoſſibile eſſe ibi celebrari Concilium? Italia tota ardet guerris, omnis gleba ſuos habet armigeros & prædones, & vix ſimplices viatores ſecurè tranſire poſſunt. * Quòd varietates & mutationes ſtatuum ſint in terris Eccleſiæ, vos meliùs noſtis. eſt etiam in omnibus Eccleſiæ terris penuria non modica. Si mente luſtratis omnes Chriſtianitatis regiones, vix vlla eſt ad celebrandum concilium accommodatior, ſecurior ac fertilior hoc loco intus & in circuitu. Quod ante omnia eſt ponderandum, Bohemi ad Italiam nullatenus venirent, quos etiam ad veniendum huc, potenti principum manu conduci oportebit. Non enim aliter concludi potuit aduentus eorum, niſi magni quidam principes ſe obligauerint perſonaliter eos huc conducere, quod ſine magnis expenſis fieri non poterit. Ipſi etiam Bohemi oratoribus noſtris in Egra expreſsè dixerunt, ſentientes famam iſtius diſſolutionis prætenſæ & nouæ indictionis concilij Bononienſis, nullatenus ſe montes tranſituros. Etiam vt inquit beatus Thomas, huiuſmodi materiam in alienis partibus, vbi hæreſis nota non eſt, periculoſum eſſet tractare. Eſt etiam & aliud, propter quod pati non debemus mutari locum: quia hoc deſtrueretur, nec aliud fieret Concilium. Nullus enim veniret, nec ſe ad tam longum iter exponeret, ea præſertim ratione, quòd quilibet exiſtimabit, quòd ſicut factum eſt hîc, ita futurum eſſe & multò magis in Italia. Et ſi dicatur, promittetur non diſſoluere niſi omnia completa ſint, erunt qui replicabunt: Si duorum Conciliorum & duorum pontificum authoritas non valuit, quin prædicta diſſolutio fieret, multò minus valebit ſimplex promiſſio. Dicetur etiam, ſi dominus Papa decederet, ſucceſſor faceret ſicut nunc fecit dominus Eugenius. Nec puteris homines eſſe rudes, quòd huiuſmodi non cognoſcant artes. Exiſtimatur nihil aliud quæri per multas ac varias vias, niſi quemadmodum hoc Concilium diſſipetur. Tot anguſtias & moleſtias mentis & diuerſos labores, qui ſunt hîc, paſſi ſunt pro ſuſtentando concilio, quòd ſi ſcirent mutandum eſſe locum, ſtatim ad propria redirent, amplius non viſuri Concilium. Suſpicantur multi, quòd non tam loci mutatio, quàm extinctio decretorum concilij Cõſtantienſis quæratur: ex quo quanta mala in Eccleſia nunc & in futuris temporibus ſequerentur, vix enarrari poſſet. Hęc igitur & multa alia tractant conſcientias noſtras, vt nullatenus dictæ diſſolutioni prætenſæ aut loci mutationi præbeamus aſſenſum. Quare obteſtamur, obſecramus, & cum quanta poſſumus inſtantia requirimus præfatum ſanctiſs. D. Eugenium per paſſionem Dñi noſtri Ieſu Chriſti & ſalutẽ animæ ſuæ, & per debitum quo obligatur Eccleſiæ, vt cũ omni fauore huic ſacro velit adhærere cõcilio. Obtulimus quæ ſuprà audiſtis. Offerimus etiam omnium moleſtiarum, quas ex huiuſmodi diſſolutione perpeſſi ſumus, velle obliuiſci. Offerimus etiam quicquid dici aut cogitari poteſt, nos fideliſſimè facturos, quantum cum Deo fieri poterit, pro omni honore & ſtatu tam ſuæ ſanctitatis, quam omniũ ſuorum, dummodò integrè ac ſimpliciter huic ſanctæ ſynodo ſe coniungat. Quòd ſi prout ſuam ſanctitatem decet, oſtendet nolle ſchiſma in corpore, nec ſpiritum contriſtabit, qui ſibi & nobis & toti populo Chriſtiano hîc perfectam charitatem, & in futuro ſeculo vitam æternam donare dignetur, Amen. Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali, 3. Nonas Septembris. Anno à Natiuitate Domini Milleſimo quingenteſimo trigeſimoſecundo.

Margin: * hic — * Quot — Imò verò Ferrariæ & Florẽt. frequens admodũ fuit ſynodus, & Baſileæ vix vnus tandẽ remãſit cardinalis.

RESPONSIO SYNODALIS, OSTENSIVA *non eſſe acceptandas literas Eugenij papæ de ſua prætenſa diſſolutione, quodq; articulus de diſſolutione eſt pertinens ad fidem.*

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spirituſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Sperauit hactenus hæc ſacra ſynodus, per diuturnam patientiam ſuam poſſe ſummum pontificem ad ea quæ rationis & æquitatis ſunt, aliquando deflectere. cogitauit diu expectando efficere, vt ipſe ſummus pontifex cognita noſtra manſuetudine hoc ſacrum Concilium vniuerſalem repræſentans Eccleſiam, veraciter recognoſceret, & illi, quemadmodùm tenetur, purè & ſimpliciter adhæreret: idque, quod ſcandali ac perturbationis cauſa in Eccleſia fuerat, ſine difficultate reuocaret. Credebamus iam adueniſſe diem, quo de ipſo meliora concipere deberemus: ac dolorem, quem vſque nunc ex ſua ſcandaloſa diſſolutione perpeſſi fueramus, amodò ex ſua humilia adhærentia conuerteremus in gaudium. Sed quod non ſine fletu referimus, ſpe noſtra fruſtrati ſumus, & quotidiè maior dolendi cauſa augetur: quoniã quem tolerando & differendo delinire curauimus, eum in ſuo propoſito duriorem experimur. Præſtolati ſumus per annum integrum ac dimidium, vt offenſam illam diſſolutionis grauiſſimam, quæ notoriè vniuerſalem læſit eccleſiã, pœnitendo emendaret: & expectauimus vt dominus Eugenius pro noſtra clementia & benignitate, huic ſanctæ ſynodo ſe penitus confirmando, nos omnes conſularetur. Sed quantùm proh dolor aſpicimus, maiori indies amaritudine ac mœrore contriſtat. Quid enim acerbiùs Eccleſiæ poteſt accidere, quàm quod, qui cuſtos & caput illius eſſe deberet, & eam præ alijs fouere & honorare, ipſam nolit recognoſcere, ſed quotidiè magis contemnat & deſpiciat? Heu quàm magnam querelam habet de moderno pontifice ſancta mater Eccleſia, cuius authoritatem omni ſtudio opprimere ſatagit: & quo modeſtiùs ab ea admonetur & obſecratur, eo pertinaciùs illam audire negligit. Quàm manſuetè ac modeſtè erga eum hæc ſancta ſynodus, licet grauiter laceſſita, ſe geſſerit, nemo eſt qui iam ignorat. Poſtquàm enim dominus Eugenius in notorium Eccleſiæ ſcandalum & perturbationem Chriſtianæ religionis hoc ſacrum Concilium tam ſolitudine inſtitutum, diſſoluere conatus eſt, deſtinauimus primò noſtros oratores, vt per eos informatus de pluribus ſcandalis, quæ ex huiuſmodi diſſolutione ſecutura erãt, ipſam penitùs tolleret: & ſacrum Concilium, prout inchoatum erat ad honorem Dei & authoritatem eccleſiæ, perfici pateretur: quod cùm facere recuſaret, ipſum citauimus & monuimus, vt infra quatuor menſes ab ipſa diſſolutione deſiſteret ac ſacro Concilio adhæreret. quibus lapſis, licet per promotores ipſius ſacri Concilij, ipſius domini Eugenij contumaciam accuſantes requireremur, vt ipſum

ipſum prout iuris erat, declararemus contumacem, & aduerſus eum iuris remedijs procederemus, inſtantibus tamẽ ambaſiatoribus ipſius domini Eugenij, & in publica ſeſſione nos orantibus, vt in huiuſmodi proceſſu ſuperſedere dignaremus protunc, & vſque ad tres menſes ſequentes diſtulimus. Quibus tranſactis, licet meritò ad ſuſpenſionem ipſius tanquam incorrigibilem & notoriè ſcandalizantem eccleſiam, ab omni adminiſtratione papali procedere potuiſſemus, mitiùs tamen ſecum agentes, ipſum iterum monuimus ac citauimus, & ex parte omnipotentis Dei præcipimus, vt infra ſexaginta dies prætenſam diſſolutionem omnino reuocaret, & huic ſacro Concilio publicè, purè ac ſimpliciter & cum effectu adhæreret. Quo adueniente termino, interim per promotores Concilij, ipſius domini Eugenij contumaciam fortiùs accuſantes, inſtantiùs requiſiti fuimus, vt ampliùs tam notoriæ contumaciæ non parcentes, partes iuſtitiæ exequeremur. Decreuimus nihilominùs aliquandiu ſuperſedere, expectantes ſi fortè pertam exuberantem Concilij manſuetudinem, ad cor reuerti & demum reſipiſcere vellet. Interim autem vos tres ac dominum epiſcopum * Seruienſem ad nos ambaſiatores tranſmiſit, cum quatuor diuerſarum facultatum bullatis literis, loco inſtructionum eis datarum, quæ cuique videnti non paruam admirandi occaſionem præbuerunt, ita varijs cautelis & inuolutionibus plenæ, non quaſi res eccleſiaſtica inter eccleſiaſticos, ſed vt res prophana inter mercatores tractaretur. Prima autem inſtructio erat, vt ad ciuitatem Bononienſem accederemus, quam ſi non acceptaremus, ſuccedebat ſecunda, vt alium in Italia locum pro futuro Concilio eligeremus: quod ſi nobis non placebat, offerebat tertiam ad arbitrium duodecim prælatorum ac ambaſiatorum principum hic exiſtentium, quibus an huiuſmodi petitio iuſta foret, committeretur qui ſi declararent, Chriſtianitati Concilium expedire in Alemania celebrari, fieret cum modis & conditionibus in ſequenti inſtructione expreſſis. Quarta autem inſtructio erat, vt ſi nihil prædictorum nobis placeret, facultatem haberemus eligendi vnam de ciuitatibus Alemaniæ, *Baſileæ* tamen ſemper excluſa. Quòd autem ex his non ſolùm diſſolutio ſublata non ſit, ſed magis firmata, ac monitioni huius ſacri Concilij nullatenùs paritum, ita manifeſtum eſt, vt probatione alia non indigeat. quinimò & vos ipſi ambaſiatores conati eſtis nonnullis rationibus, quanquam friuolis, probare, hoc Concilium non fuiſſe ritè inchoatum: & tanquam tempore decreto non inceptum, lapſu temporis expiraſſe, atque etiam ſi ritè congregatum fuiſſet, licuiſſe Papæ ſua poteſtate id diſſoluere. Quibus nomine ſacri Concilij reſponſum eſt, & luce clarius probatum, ſanctum hoc Concilium legitimè extitiſſe inchoatum, nec à Romano Pontifice ſine ipſius Concilij conſenſu diſſolui potuiſſe: quodque cum honore Dei & Eccleſiæ, prædictis bullis rem illicitam & valdè abſurdam petentibus, nullatenus Concilium poſſet annuere. Poſt hæc fama publica referente, ad noſtram peruenit notitiam. ipſum dominum Eugenium quaſdam literas decimoſexto Calendas Martij, duobus videlicet diebus ante finem dictorum ſexaginta dierum in publico promulgaſſe conſiſtorio, de quarum tenore poſtmodùm certiores effecti fuimus per nuncios dominorum Electorum ſacri Imperij, qui in publica congregatione noſtra illas perlegi voluerunt, Harum literarum hic eſt effectus, quòd ipſe dominus Eugenius ſtatuit vt Baſileæ Concilium per ſuos legatos * quantocyus tranſmittendos celebretur. Interim verò Baſileæ conuenientes, ad reductionem Bohemorum ad fidem Catholicam, pacemque inter cunctos Chriſti fideles tractandum, vult eſſe intentos. In principio autem dictarum literarum exprimitur, quemadmodum per felicis recordationis Martinum Papam Quintum, Cardinalis ſancti Angeli principaliter deſtinatus fuiſſet ad extirpandum hæreſim Bohemorum cum poteſtate in Baſileenſi Concilio præſidendi, ſi in tempore congruo & decreto, prælatorum ibi condecentem copiam reperiret. quod ipſe Cardinalis ſatis dilucidè confutauit, aſſerens ſine vlla conditione ſibi iniunctum fuiſſe, vt ipſe Concilio præſideret, quemadmodum ex literis ipſius domini Martini euidenter apparet, nec aliud à dicto domino Martino in mandatis habuiſſe, niſi hoc ſolùm, & bina vice repetitum, vt benè faceret. Quo verò ad tempus decretũ, quia ipſe dominus Eugenius intelligit neceſſarium fuiſſe, vt ſtatim & immediatè poſt ſeptennium à fine Concilij Senenſis Concilium Baſileenſe inchoari debuerit, præfatus Cardinalis explicauit, qualiter nec à iure communi hoc cautum eſt, nec mens Papæ Martini, qui primò voluit intendendum fore ad expeditionem militarem cõgregandam contra Bohemos, quàm vt Baſileam ipſe Cardinalis pergeret. nec intentio iſtius domini Eugenij, qui multis poſt menſibus ipſi Cardinali per ſuas literas iniunxit, vt expedito negocio Bohemorum, Baſileam pro cõcilio celebrando accederet. fuitque ſtatim poſt ſeptennium concilium opus inchoari. Iuſtificare etiã conatur præfatus dominus Eugenius cauſas propter quos diſſolutionem præfatam feciſſe ſe aſſerit: quas nõ fuiſſe ſufficientes, nec ſic ſe habuiſſe, in reſponſione data primis ambaſiatoribus clarè continetur. Per has autem literas, nemini videtur aliquo modo ſatisfactum eſſe monitioni & requiſitioni noſtræ. Non enim recognoſcit fuiſſe aut eſſe Concilium, ſed ſtatuit vt celebretur per legatos * quantocyus tranſmittendos. Antè igitur quàm legati veniant, & Concilium inchoetur, ſecundum has literas Conciliũ dici non poterit: quod ex illa clauſula manifeſtiùs conſtat, quæ dicit: Interim enim Baſileæ conuenientes, ad reductionem hæreticorum & pacem volumus eſſe intentos. Si enim interim intelligeret eſſe Concilium, non poſſet ipſum ad duos tantùm caſus reſtringere, cùm & de reformatione, & de quibuſcunq; negocijs totius Eccleſiæ, facultatem habeat Concilium generale. Quòd ſi interim (vt prædictum eſt) intelligit non fuiſſe Concilium, ſubſequenter dicẽdum eſt, non eſſe diſſolutionem ſublatam, neque impedimento eſt quod dicat. Volumus vt dicta diſſolutione non obſtante, Concilium per legatos tranſmittendos celebretur: quoniam illa clauſula futuram duntaxat reſpicit Concilij celebrationem per legatos faciendam, non autem Concilium iam diu inchoatum. Hic enim non reputat eſſe Concilium. Vnde clauſula iſta, non obſtante, non ſolùm * verò tollit prædictam diſſolutionem, ſed firmat, ſicut exceptio alicuius caſus ab aliqua regula, extra illum caſum firmat regulam. Cùm ergo non reputet eſſe Concilium ante aduentum legatorũ, & celebrationem per ipſos faciendam, nec diſſolutionem quo ad præterita, tollat: quis non iudicet, ipſum non parère mandatis Concilij, quibus cauetur, vt purè, ſimpliciter & cũ effectu adhæreat? rei enim quæ ſecundum eum non eſt, adhærere non poteſt. Sed & vos oratores, euidenter cognoſcentes per has literas decreto Concilij minimè fore ſatisfactum, miſiſtis, vt ipſi aſſeruiſti in deputationibus huius ſacri Concilij, præfatum dominum Epiſcopum * Ceruienſem, ſupplicaturum Papæ, vt decreto prædicto ſatisfaciat. poſt cuius Epiſcopi ab hinc receſſum, per duos menſes, & ampliùs hoc ſacrum Concilium procedere diſtulit. nonnulli enim ex patribus ſacri Concilij ſperabant perfectam adhærentiam, adueniente dicto domino Epiſcopo * Ceruienſi, aſſecuturam. Sed nec propterea amplius factum eſſe cognoſcimus, imo quotidiè nobis manifeſtiùs innoteſcit, dominum Eugenium in ſuæ diſſolutionis propoſito firmiter perdurare. Miſit enim tandem nonnullas literas, & in quibuſdam ex eis, quatuor nominat deſignatos legatos Cardinales, ſuperuenturos ad præſidendum: in alijs, quinque prælatos, in alijs præfatum dominum Cardinalem ſancti Angeli ſimul cum prædictis deputatis, & in omnibus his facultas data refertur ad literas datas decimoſexto Calẽdas Martij, in quibus non vetus approbatur Concilium, ſed nouum per legatos indicendum expectatur. Scripſit præterea nobis, nominando ſacrum Concilium ô vtinam recta id diceret intentione. quod quidem nos facilè crederemus, ſi huic nominationi reliqua conſonarent. aperientes enim literas, legimus tale principium: Poſtquàm ſtatuimus in ciuitate Baſileenſi debere Concilium celebrari. de hoc ſtatuto cautum eſt in literis decimoſexto Calendas Martij, ſed in illis vt prædictum eſt, nouum expectatur Concilium indicendum. nec nunc dicit quòd iam ſtatuerit, ſed quod ſtatuit debere celebrari. quæ verba futuram celebrationem expreſſè ſignificant. In his etiam literis refert ſe ad facultatem datam legatis, & in huiuſmodi facultate ad prædictas literas decimoſexto Calendas Martij ſe refert. Quicquid ergo in

omni-

* Ceruienſem

* quantocitius

* verè

* Seruienſem

omnibus literis dicitur, intelligendum eſt de futuro Concilio per legatos celebrando. Sed & non mediocriter facultas datas legatis nos admirari compellit, in qua negocia quæque Eccleſiæ vniuerſalis per dictos præſidentes expedienda mandantur cum conſilio Concilij. quæ verba iuxta ſignificationem propriam aut regulas iuris Canonici & Ciuilis, innuunt, vt conſilium Concilij peti duntaxat, non autē ſequi oporteat. Igitur ſi Concilium conſuleret aut dictauerit aliquid Eccleſiæ expedire, & præſidentibus non libeat fieri, ſecundum eum non licebit. Quid ſi præſidentes nihil eorum quæ ad fidem vel ad generalem reformationem Eccleſiæ pertinent, aut aliquid quod fidei vel bonis moribus contradicat, agere decreuerunt, Concilium ergo prohibere non poterit? ergo de iudice fiet conſiliarius? Quid ſi præſidentes totum Concilium condemnare vel iudicare deliberent, ſecundum hoc contradicere non poterit. ergo de iudice fiet reus. deluſorium eſſet ergo & falſum decretum illud, tanta maturitate à ſanctis patribus & in Concilio Conſtantienſis digeſtum, in quo cauetur, quòd quilibet cuiuſcunque dignitatis, etiam ſi papalis, ſtatutis, mandatis & decretis Concilij generalis obedire teneatur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & vniuerſalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris: quòd ſi non obediuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo. Secundum hoc non ſolùm præſidentes, ſed & papa obnoxius eſt decretis & præceptis Concilij. Ergo potiùs Concilium cum conſilio papæ vel præſidentium, quàm è contrà, negocia Eccleſiæ concludere debet. quod ſi in verbis memoratæ facultatis ſtare oporteret, vt quid hic conueniſſemus, acturi præcipuè de reformatione capitis, à quo primùm reddi rationem decet? cuius languor ſi curatus nō fuerit, totum corpus, ſecundum beatum Gregorium, infici neceſſe eſt, & talem fuiſſe ipſius domini Eugenij, mentem, in hoc videlicet Concilio capitis non eſſe faciendam reformationem, verba illa ſatis innuunt in fine ipſius facultatis poſita, videlicet agendi, tractandi, diſponendi, ſtatuendi, declarandi, decidendi, & concludendi, quæ in præmiſſis & circa ea pro ſtatu noſtro & eiuſdem Eccleſiæ ac ſalute animarum fidelium &c. necnon reformatione in omnibus membris ſuis noueritis expedire. Talibus enim literis ratio nulla aſſentire perſuadet, nec dicere vllo pacto poſſumus ipſum ſatisfeciſſe monitioni noſtræ. Alioquin fateremur hoc non fuiſſe Concilium, & geſta in eo, eſſe irrita: & communiter Eccleſiam quam hic eſſe omnes reputauimus & meritò reputamus, non fuiſſe Eccleſiam, & nos omnes extitiſſe ſchiſmaticos. quòd ſi hoc Concilium infringi pateremur, vacillaret profectò præteritorum Conciliorum authoritas, & præſertim Conſtantienſis, à quo iſtud dependet, & ſecundum cuius decreta hoc inſtitutum eſt. Nam ſi fateamur aliquod Concilium reuocari in dubium, eadem ratione de cæteris hæſitari poterit. Quid ergo roboris & firmitatis in Eccleſia remanebit, ſi ſacrorum Conciliorum mutabitur authoritas, per quam poſt ſacra Euangelia quicquid fidei habemus, elucidatum eſt? Abſit à nobis, vt tale peſtiferum vulnus Eccleſiæ patiamur inferri. Præter hoc & aliud enorme præiudicium ſequeretur, quòd tam Concilium illud quod nouiter ipſe Eugenius celebrari inſtituit, quàm alia futura, Romanis pontificibus in ipſo limine, nullo contradicente, diſſoluere fas eſſet: ex quo quanta poſſunt mala ſuccedere, quis ſatis enarrabit? Si inſurgant in Eccleſia hæreſes, errores, ſuperſtitiones, vitia deformitates ac bella, & cætera omnia quæ Chriſtianam religionem perturbare poſſint, & in præcipitium deducere, ſi papa velit Eccleſiam incorrigibiliter ac notoriè ſcandalizare, ac deuorare plebem Domini ſicut eſcam panis, & fidem Catholicam tandem peruertere, Concilium vel non congregabitur, Papa prohibente: & congregatum, eo mandante diſſoluetur. Caſſetur igitur Concilium Conſtantienſe & decreta ſanctorum patrum, quæ declarant, in his quæ vniuerſalem ſtatum Eccleſiæ concernunt, Papam nihil poſſe immutare. Fruſtrà enim membranas occupant, ſi vnico verbo Papa poteſt illa irritare: & quod deterius eſt, authoritate Eccleſiæ talia poſſe videretur. Si poſt huiuſmodi contradictionem inter Concilium & Papam ortam, Concilium quaſi victum liti cederet, & ipſum & alios Romanos Pontifices in poſſeſſione diſſoluendi Concilia poneret: quæ tandem ſpes erit, quò præfatus dominus Eugenius decreta huius ſacri Concilij ſeruet, & ſeruari faciat, ſi ipſum Concilium ſpernat recognoſcere? quibus etiam remedijs vti poterimus, vt ſtatutis hic promulgandis non contraueniat, ſi ipſum Concilium per quod ſtatuta fiunt, irritari patiamur? Mori malumus, quàm tanto errori per ignauiam cedere. Si maiores noſtri pro legibus paternis viriliter decertare & mori ſtatuerunt, cur nos ſic erimus degeneres, vt pro conſeruatione vniuerſalis Eccleſiæ idipſum non faciamus? Si de priuatis rebus ageretur, ac perſonalem pateremur iniuriam, eſſet fortè credendum: & patienter propter Deum ferre, laudabile foret. Iniurias autem Dei impunè tolerare, iuxta beati Chryſoſtomi ſententiam, nimis impium foret. Hic articulus de quo diſceptamus, fidem concernit, qui ſine interitu ſalutis negligi non poteſt. Si dominus Eugenius ſanctam Eccleſiam non audierit, quam hoc Concilium repræſentat, oportebit tanden haberi vt ethnicum & publicanum. Si Eccleſiam ampliùs offendere non vult, recognoſcere neceſſe habet, hoc verum fuiſſe & eſſe Concilium, ipſumque diſſoluere nequiuiſſe, & illi purè & ſine diſſimulatione adhærere. Si vult vt de ipſo benè concipiamus, deſinet tot bullis, totque inuolutionibus & ſe & nos defatigare. Iſta enim magis difficultates augent. Si declaraſſet hoc Baſileenſe Concilium per ſtatuta generalium Conſtantienſis & Senenſis Conciliorum, ordinationemq; domini Martini & ſuam inchoatum, verum ſemper & ſine interruptione fuiſſe & eſſe Concilium, & illi purè & ſimpliciter adhæſiſſet, diſſolutionemque prætenſam iuxta decreti noſtri tenorem reuocaſſet, ſuo debito honori ſatisfeciſſet: reddidiſſetque ſe Deo & hominibus gratum, & quicquid cum Deo poſſemus, ſicut aliàs oblatum eſt, libenter faceremus, ſicut ei ſemper offerimus. Ex prædictis igitur iuſtiſſimis cauſis admirandum non eſt, ſi vos in præſidentes non admittimus, paratos nos offerentes, cùm præfatus dominus Eugenius ſuum debitum fecerit, cum omni modeſtia debitum noſtrum facere. Alioquin ſi ſecùs fieret, & Deum & eccleſiam & ipſam fidem grauiter offenderemus, multiſque ſcandalis daremus & nunc & futuris temporibus occaſionem. Iam omnibus conſtat iuſtitia & veritas, quas nos defendimus, & quam manſuetè & patienter tanta temporis prolixitate ipſas apud dominū Eugenium proſecuti ſumus. Teſtis eſt Chriſtianus orbis patientiæ & manſuetudinis noſtræ. Nunquam in annalibus legitur, Romanum Pontificē notoriè ſcandalizantem Eccleſiam, tam ſuppliciter obſecratum, tam inſtanter monitum & requiſitum, & tandiu, ſicq; patienter ab ipſa Eccleſia expectatum. cogit nos amodò zelus domus Dei & Catholicæ veritatis defenſio vehementiùs inſurgere, & acriora contra induratum morbum adhibere remedia. Oramus tamen omnipotentem Deum, vt cor præfati domini Eugenij emolliat ad conſentiendum iuſtis ſanctæ matris Eccleſiæ monitionibus, ne horrendum illud iudicium incurrat, quod dominus ſcandalizanti vnum de puſillis ſuis minimis comminatur. Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali, decimoſexto Calendas Iulij, Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo quadringenteſimo trigeſimotertio.

Talis non fuit Eugenius 4.

Matt. 18.

RESPONSIO SYNODALIS, DATA A PRAESIdente Concilij, quam & ſeipſo facit viua voce in congregatione generali, & deinde redegit in ſcriptis, ſuper acceptatione decretorum per papam facienda, primò quàm eidem à Concilio fiat prouiſio.

SACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, &c. ad futuram rei memoriam. Hodiè in noſtra generali congregatione dilectus Eccleſiæ filius Iulianus tituli ſanctæ Sabinæ, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legatus, præſidens in hoc ſacro generali Baſileenſi Concilio, dilectis Eccleſiæ filijs Ambroſio priori Camaldulenſi, & Antonio de ſancto Vito, palatij Apoſtolici cauſarum auditori, oratoribus ſanctiſſimi domini Eugenij papæ Quarti infraſcriptam reſpōſionem dedit in modum qui ſequitur: Deceret huius ſacri Concilij dignitatem,

Hic Iulianus poſtrà, relictis Baſileenſibus adhæſit Eugenio.

vt cùm ſanctiſſimi domini Papæ oratoribus nunc reſpondendum ſit, tali viro hoc onus iniungeretur, qui & ſacro Concilio & ſummo * pontifici dignam orationem faceret. Sed cùm loco tantùm, & non meritis, hoc reſpondendi mihi officium tribui hactenus ſolitum ſit, excuſabit conſuetudo ſi veſtris ornatiſſimis orationibus par aut ſimilis non reddatur oratio. Excuſari & ego debeo iure, qui hunc primum locum non ambitu aliquo, ſed ſuperioris iuſſu, contraque meum inſtinctum conſequutus ſum: quem etiam non voluntas, ſed neceſſitas ad reſpondendum coegit. Semper & familiariter ego quemadmodum apud * nos domi ſoleo, nunc vobiſcum colloquens magis quàm perorans, principales veſtrarum orationum partes aſſumam, quibus nomine ſacri Concilij reſpondebo, & à vobis initium dicendi faciens, venerabilis domine Generalis, qui primùm Lactantij aut Ciceronis ſtylo hic peroraſtis, quatuor ex veſtra oratione principaliter colligo: Primò, hanc ſanctam ſynodum ad charitatem pacemque & vnitatem cum domino noſtro conſeruandam, exhortati eſtis. Secundò ſanctam piumque eius propoſitum ac deſiderium explicaſtis ad hæc tria opera, quibus ſacrum Concilium intendunt. Tertiò, ſedem potentem eſſe, & quòd opibus abundare [illegible] pus ſit, vt oppreſſos releuet, & indigentibus [illegible]. Poſtulaſtis demum, loco annatarum, quas decretum [illegible] proximè editum abſtulit, prouiſionem ſedi Apoſtolicæ ſufficientem fieri. Vos autem domine Antoni auditor, [illegible] præcipuè apud fratres Minores etiam diſertiſſimè [illegible] eſtis. Primò, quòd hę annatæ iure diuino, naturali & humano, tolerari poterant. Secundò, quòd aut ſuſpendatur decretum, aut debita ſedi Apoſtolicæ fiat prouiſio. Exhortatio, quàm primo loco domine Generalis ad pacem generalem charitatemque & vnitatem feciſtis, ſancta quidem eſt & ſalubris, & omni acceptatione digna, quam quilibet Chriſtianus vtraque manu amplecti debet: quæ quàm [illegible] neceſſaria & vtilis, in ſe quilibet palam experitur. Quantumlibet enim homo ſit diues aut potens, omnia habens naturæ ac fortunæ bona, ſi pace & vnitate cum proximis caret, nihil iocunditatis, nihil lætitiæ vnquam [illegible] poterit, ſed plurimas animo moleſtias atque anguſtias [illegible] bique deferet. Nos etiam non paſſi ſumus hoc munere [illegible] ab ipſo ſummo pontifice peruenire. Nam & ſæpenumero ac per noſtros oratores nouiſſimè Florentiam deſtinatos idipſum ſuæ ſanctitati nunciauimus, optantes vt vnum eſſemus charitate ipſe & nos, ſicut Chriſtus orans pro diſcipulis ſuis, dicebat: Oro pater, vt vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus. Ipſe igitur ſummus pontifex pacem & vnitatem nobiſcum habere deſiderat, & vos ſecum. Ipſe illam nobis nunciat, & nos ſibi. Quid ergo reſtat, quòd ipſo & nos pacem & vnitatem optantibus, inuicemque nunciantibus, pax ipſa non ſit? An quia ſic alter alteri pacem optamus & nunciamus, pacifici dicendi ſumus? An etiã quia inter diſſidentes, vt modo in Chriſtianiſſimo regno Frãciæ factũ eſt, pacem cõponere ſatagimus, filij Dei vocabimur, ſi pacem inter nos inuicem non habemus? non quidem, inquit beatus Hieronymus ſuper Matthæum in verbo illo Beati pacifici: Ille verò pacificus eſt, qui priùs in ſeipſo, deinde inter alios pacem quærit. Ipſe & nos vnum corpus Eccleſiæ ſumus, qui regimur ſub vno Chriſto capite noſtro: Ipſe & nos ciuitas Dei ſumus: Ipſe & nos vna domus Domini ſumus. Si in hoc corpore, ſi intra huius Eccleſia ciuitatis mœnia, ſi intra huius domus domini parietes diſſenſionum, æmulationum, odiorum bella verſentur, quis ipſum & nos pacificos rectè nuncupabit, etiam ſi in toto terrarum orbe pacem efficeremus? Quid ergo cauſæ, eſt cùm vterque tam bonam & ſynceram ad pacem ſe voluntatem habere dicat, quòd inter ipſum & nos non mediocres diſſenſionum ſcintillæ apparent? quæ niſi cautè extinguantur, verendum eſt quòd ne in maximam erumpant flammam. Quid opus eſt indicijs, aut coniecturis huius diſcordiæ cauſas inueſtigare? Audiamus quid in nobis loquatur dominus Deus noſter, qui loquetur pacem in plebem ſuam, inquit Deus per os Pſalmiſtæ: Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax complexę ſunt ſe. Demonſtrat profectò Dominus Deus noſter, quòd pax ſine iuſtitia eſſe non poſſit: imò vt illa ſit, iuſtitiam præcedere oportet.

* pōtifice

* vos

Ioan. 17.

Matt. 5.

Pſal. 84.

Cùm ergo ita ſit, aliter eſſe non poteſt, cùm [illegible] veritas atteſtatur, neceſſarium eſt, ſi dominus noſter veram pacem & vnitatem inter nos & ipſum fore deſiderat, vt quæ ad iuſtitiam ſpectant, primò ipſe præmittat: hoc eſt, vt Eccleſia vniuerſalis ius ſuum tribuat. Quod eſt illud Eccleſiæ ius? quæ ſunt illæ iuſtitiæ partes, quæ veram pacem præcedere debent? non certè aliæ, niſi cum Eccleſię vniuerſalis ſpiritu ſancto dirigatur, & eam vniuerſale Concilium repræſentet, vt decreta ſynodalia diligẽter & per alios ſuo exemplo & iuſſu ſeruari faciat. Ita & ſui anteceſſores ſancti Romani pontifices, quorum vitam in teſtimonium ſanctitatis etiam miraculis illuſtrauit Deus, fecerunt, ſumma veneratione vniuerſalium Conciliorum canones ſuſcipientes, & per eos inuiolabiliter ſeruari facientes, qui ſine maxima & vrgentiſſima cauſa aduerſus ea non diſponebat quicquam, nec ab alijs aliter fieri patiebantur. Inquit enim beatus Damaſus: Abſit à me, vt ſanctorum patrum Canones abſque ineuitabili ratione tranſgrediar vnquam. Et magnus ille Gregorius, vt ſancta Euangelia, Concilia generalia ſe venerari affirmat: & non ſolùm quatuor illa primæua, ſed & omnia, dum ea ratione vtitur, quæ omnibus vniuerſalibus Concilijs communis eſt. Beatus quoque Gelaſius vniuerſalis Eccleſiæ ſtatuta aſſeuerat nullam eſſe ſedem quam magis exequi oporteat. quàm primam non mihi ſatis eſſet vſque in craſtinum, ſi ſingulos tam ſummos pontifices, quàm ſanctos Doctores, recenſere pergam, qui ſaluberrimam Conciliorum doctrinam ſuper cæteris alijs efferebant, venerabantur & obſeruabant: nec ſic faciendo, quicquam Romani pontificis authoritati deperit aut detrahitur, imo ediſicitur & accreſcit. Quicquid enim in ſacris ſtatuitur Concilijs, ſua etiam authoritate ſtatuitur, quæ ſemper ibi refulget, vt prima & præcipua omnibus, caput & directrix, Et cùm aut perſonaliter, aut authoritatiuè ſemper in ſynodis vniuerſalibus interſit, ipſeque Eccleſiæ rector ſit & paſtor, decreta Concilium, etiam ſua & ſedis Apoſtolicæ non immeritò dici poſſunt. Nos enim (vt dixi) vnum Eccleſiæ corpus ſumus, & ipſe huius corporis caput ſub capite Chriſto. Quicquid igitur fit ab hoc corpore eccleſiaſtico, etiam ſi omnia membra in idem concurrant, ſicut in corpore naturali accidit, magis tamen ac præcipuè operatio quæuis capiti appropriatur & aſcribitur: ab ipſoque magis, quàm ab alio corporis membro procedere cenſetur. Itaque non ſecùs ſynodalia decreta pro ſuo debito & honore exequi debet, ac per alios ſeruari facere, quàm ſi ab ore proprio dictata & promulgata eſſent. Dum enim ipſe præſens eſt, ipſe concludit, ipſe ſtatuit, & ſub nomine ſuo ac perſona eius omnia decernuntur. Dum abeſt, ſui præſidentes qui vice eius funguntur, locumque Apoſtolicum tenent, & perſonam pontificis repræſentant, per ſacrum Concilium deliberata concludunt. Per Concilium autem ſtatuta, in nullo derogant ſuæ poteſtati, quin pro tempore, loco, cauſiſque & perſonis, vtilitate vel neceſſitate ſuadente, moderari diſpenſarique poſſit, atque vti ſummi principis epijkeia, quæ ab eo auferri nequit. Hæc ergo, ſancta ſynodus non opes, non quid aliud ab eo poſtulat, ſed hoc, vt quemadmodum duntaxat ſui egerunt anteceſſores circa decretorum ſynodalium obſeruantiam, ita & ipſe facere dignetur. Quod ſi fecerit, prout putamus & ex toto corde obſecramus, hinc præeunte iuſtitia, mox læta fronte ſoror eius iocundiſſima ſuccedet pax, quæ ſinę iuſtitia germana ſua antiquiore incedere non conſueuit. Quod ſi forſitan & ipſe ſummus pontifex dicat, quemadmodum & vos in cordibus veſtris nunc dicere ſuſpicor, etiam ex parte huius ſacri Concilij præcedere oportere iuſtitiam, ſibique ius ſuum per nos tribui debere: Nemo noſtrum ita irrationabilis eſt, aut etiam eſſe debet, quòd alio iure in ſe, alio in alijs vti contendat: & ab alio ſibi iniuriam fieri petat, ipſe alteri deneget. Videamus & inter nos cum charitate diſcutiamus, ſi quid eſt quo Concilium ius ſedis Apoſtolicæ grauet, lædat, offendat, minuat: & eccè nulla erit (vt ſpero) difficultas, quin omnia ad iuſtitiæ rectitudinem & regulæ normam redigantur. Sic igitur vterque faciendo, tunc rei euidentia animum vtriuſque ad vnitatem paratum demonſtrabit, & tunc verè pacifici erimus, ac filij Dei vocabimur. Et hinc ad ſecundam veſtræ orationis partem ſe mihi competens reſponſum

Nota quantum hic tribuit pontifici

Epikeia

ſponſum

ſponſum offert. Sic enim (vt prædictum eſt) faciendo, tunc euidenter cognoſcemus & vbique palàm fatebitur, ſanctitatem ſuam ad hæc ſancta opera propter quæ conuenimus, veram perfectamque voluntatem gerere: tunc nos ſuper omnes præcipui laudatores ac præcones erimus. Tertio loco dicitis, oportere ſedem Apoſtolicam abundare ac potentem eſſe, exemplo illorum Romanorum pontificum, qui beato Athanaſio, beato Ioanni Chryſoſtomo, ac beato Thomæ Cantuarienſi de ſedibus proprijs pulſis, opem ſubſidiaque neceſſaria contulerunt: beati quoque Gregorij, qui vſque in Hieruſalem indigentibus vitæ neceſſaria miniſtrabat. Nos nec re nec verbo in hoc contradicimus: imo non eſt illa ſedes, nec etiam eſſe poſſet tam potens ac locuples, quin eam pro vtilitate Eccleſiæ locupletiorem potentioremque eſſe vellemus: quanquam affirmemus, & in illa & in alijs epiſcopalibus ſedibus deſiderari magis copiam abundantiamque virtutum & meritorum, quàm opum aut diuitiarum. Nec certè fecimus aut facere quicquam intendimus, per quod illa ſedis iacturam ſeu diminutionem aliquam authoritatis ac facultatis pati poſſit. Quòd ſi rectè cuncta animaduertantur, atque omni paſſione ſopita indicentur omnia, nemo aſſerere cum ratione poterit, quicquam per hoc noſtrum decretum in diminutionem, derogationem ſeu præiudicium illius ſedis, fore attentatum. Et quanquam multæ ad id ſuppetant rationes, tres nunc ſatis eſſe iudico. Primò, cùm nemo inficietur multos in exactione harum annatarum ſolitos fieri abuſus, cùm etiam hinc multi ſcandalum paterentur & ſcrupulum in conſcientijs, ac modus ipſe exegendi oneroſus eſſet Eccleſiæ, & apud multos ſpeciem mali continere videretur: Nos his omnibus hoc decreto prouidimus, ſequentes doctrinam Chriſti, mandantes nemini incutiendum eſſe ſcandalum: & Apoſtoli, præcipientis ab omni ſpecie mali abſtinendum: Regulas quoque canonicas ac legales, quæ nonnulla prohibent, licet in ſe non mala, ob hoc tantùm, quòd vel ſpeciem mali contineant, vel occaſionem præbeant delinquendi. Nónne & gratis offerre, & eleemoſynam dare, pium eſt & charitatis opus? Sed quoniam tempore baptiſmi nummos proijcere in concham, ſpeciem prætendebat mali, emendari & aboleri talem conſuetudinem iuſſit Eccleſia. Nihil quidem nouitatis per hoc decretum in Eccleſia introductum eſt, ſed præcepta & exempla Chriſti executi ſumus, ac ſanctorum patrum renouamus inſtituta. Quid fecimus? audite & conſiderate quæſo diligenter. Statuimus quòd beneficia & ordines eccleſiaſtici gratis conferantur. Nunquid hoc eſt ſcelus aliquod aut ſacrilegium? Nónne ſaluator noſter hanc ipſam nobis neceſſitatem imponit, dicens: Gratis accepiſtis, gratis date? Quid fecimus? ſtatuimus quòd ſpiritualia pacto, conuentione ſeu contractu aut opera numulariorum non diſtribuantur. Sed & CHRISTVS Deus noſter in domo Domini hoc fieri videns, flagello de funiculis facto, zelo iuſtitiæ ſuccenſus, expulit indè omnes ementes & vendentes, & menſas nummulariorum euertit: & cùm ipſe cætera crimina verbo tantùm deteſtatus ſit, hoc vitium manu propria terribili punitione correxit. Quid fecimus? decreuimus quòd res ſpirituales ſine pecuniæ interuentu miniſtrentur. Ac beatus Petrus primus Chriſti Vicarius, mentem Domini quotidiana conuerſatione intelligens, cùm Simon Magus pro gratia ſpirituali pecuniam offerret, eum abhorruit, maledixit, repulit, dicens: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Nónne ſacrorum Conciliorum, Romanorum pontificum, probatorumque Doctorum Codices hi prohibitionibus pleni ſunt, vt videlicet pro rebus Spiritualibus & Eccleſiaſticis nihil antè vel pòſt ab inuito exigatur? hoc fecimus, hoc ſtatuimus. Conqueratur ergo qui vult, ſi tamen iuſtè id poſſit, de illis, qui talem nobis legem dederunt, quorum decreta renouauimus, non noſtra fecimus. Quis ergo iam dicere audebit, ſedem Apoſtolicam aut alias per hoc tam ſalubre & neceſſarium ſtatutum depauperatas & læſas fore? imò rectiùs dicet, qui ratione vtitur, honeſtatas expolitaſque, & ad decorem priſtinæ formæ redactas.

Matt. 18. 1. Theſſ. 5. Ca. 48. cōcil. Eliber. Math. 10. Ioan. 2. Act. 8.

Secundò verò ab omni calumnia noſtrum decretum euidenter defenditur. Per ipſum enim non interdicitur, quin pro vitę ſuſtentatione, alijſque eccleſiæ neceſſitatibus, ſummus pontifex aliarumque eccleſiarum Epiſcopi charitatiuum ſubſidium indicere, decimam ſeu aliam quotam imponere, fructuſque aliquorum beneficiorum ad tempus reſeruare, vel alias ſubuentionum ſpecies petere poſſint. Satis iſta eſſent, niſi & tertiam reddere promiſiſſem. quanquam autem ſic decretum ſit, & benè decretum, non tamen adhuc auditum eſt, quòd hæc ſancta ſynodus nolit ſedis Apoſtolicæ dignam & competentem facere prouiſionem: imo hoc per ſuos oratores iampridem nunciauit & pollicita eſt, ſi tamen obſeruantiæ decretorum ſynodalium, vt dignum eſt, rationem habuerit: & veluti in corpore naturali reliqua membra ſuo capiti neceſſaria prouident, vt vitæ & ſuſtentationis influxus ab illo in ipſa deſcendant: ſic quidem æquum eſt & rationi conſonum, vt Eccleſiæ per orbem diffuſæ, ſummo pontifici ſuiſque paſtoribus indigentibus, vt ab his ſalubritur regantur & gubernentur, neceſſariam ſubuentionem porrigant. Nihil autem ad benè regendam conſeruandamque Eccleſiam æquè vtile & neceſſarium eſt, quã vt ſynodales canones, quos à Spirituſancto dictatos credimus, non negligantur aut contemnantur. Illud autem ſilentio prætereundum non eſt, quòd nec beato Athanaſio, nec beato Ioanni Chryſoſtomo, nec beato Thomæ Cantuarienſi per Romanos pontifices, nec pauperibus Hieroſolymitanis per beatum Gregorium de his annatis ſubuentum eſt. Neque enim adhuc hæc vocabula in Eccleſia Dei audiebantur, neque etiam alij ſancti Epiſcopi præclara charitatis & pietatis opera de emolumentis ſigillorum explere conſueuerant. Ex his facilè reſponſum patet ad ea, quæ primo loco vos domine Antoni explicaſtis: quoniam etſi pro vitæ ſuſtentatione & alijs iuſtis neceſſitatibus, paſtoribus Eccleſiæ ius commune, naturale, diuinumque & humanum, prouiſionem facere iubeant, modum tamen iſtum nec illũ, ſaltem pro ſemper, non præcipiunt. Illud autem conſtat, quòd quanto exactio aliqua plùs habet abuſus ſeu oneris aut ſcãdali, vel maiorem ſpeciem mali, tanto ampliùs à iure naturali & diuino diſcrepat, quæ huic diebus noſtris vſitato modo exigendi annatas, admixta eſſe nec vos, nec quiſquã amicus vnitatis inficiari poterit. Quanquam autem modus exigendi vſitatus ſit in Eccleſia, ſi tamen oneroſus aut abuſiuus eſſe incipiat, nulli negare fas eſt, quin modum illum Eccleſia poſſit in alium leuiorem vel honeſtiorem conuertere. Ea autem quæ pertinent ad vitæ ſuſtentationem ſeu vtilitatem aut neceſſitatem Eccleſiæ, quæ quidem de iure naturali & diuino eſſe fatemur, neque abſtulimus, neque auferre licitum videtur: imo vt plùs dicam, etiam præter nonnullos ſuſtentandi modos, qui in iure ſtatuti ſunt, hæc ſancta ſynodus, vt prædictum eſt, ſummo pontifici prouiſionem facere obtulit, ſi & ipſe circa ſynodalium decretorum obſeruantiam animum, vt decet, inclinauerit. Quo verò ad ſuſpenſionem decreti poſtulaſtis, nulla ratione decere videtur, vt tam ſalubre decretum, conformeque per omnia legi Euangelicæ & Sanctorum patrum inſtitutis, ſuſpendi aut irritari debeat. Poſtremò vterque veſtrum prouiſionem ſufficientem ſedi Apoſtolicæ faciendam popoſcit. Ad quod ſancta ſynodus reſpõdet, circa hoc id deliberaturam, quod ſecundum Deum & rationem ſanctum viderit expedire: taliterque facturam, quòd nemo de ipſa ſynodo poterit cum ratione conqueri.

Datum Baſileæ in noſtra congregatione generali, tertio Nonas Nouembris, anno à Natiuitate Domini 1435.

EPISTOLA AD EVGENIVM PAPAM, QVOD pro vnione Græcorum non decet in Conſtantinopoli ſynodum celebrare.

SACROSANCTA, &c. ſanctiſſimo domino Eugenio papæ Quarto. Veniens ad nos dilectus Eccleſiæ filius Chriſtophorus Garathonis orator veſter, expoſuit huic ſanctæ ſynodo ſerioſè ac diſcretè ea, quæ apud Conſtantinopolim egerat. quibus per ſacras ipſius ſanctæ ſynodi deputationes plenè matureque diſcuſſis, ac conſideratis omnibus quæ in tanta re attendenda ſunt, viſum eſt honori huius ſacri Concilij ac ſanctitatis veſtræ, Imperatoriſque & Patriarchæ Conſtantinopolitani, ipſius quoque executioni multo magis expedire, vt capitula apud hanc ſanctam ſynodum, primò tam ſolenniter concluſa, nomine vniuerſalis Eccle-

ſiæ ipſiuſque Imperatoris & patriarchæ per eorum ambaſiatores plenum deſuper habentes mandatum, quibus poſteà ſanctitas veſtra expreſſum præbuit aſſenſum, amplecti potius, quam ſecunda apud Conſtantinopolim conuenta debeamus, præſertim cùm ipſi Græci tam primi quàm ſecundi ambaſiatores, ſæpenumerò profeſſi ſint, ſine vniuerſali ſynodo hanc vnionem fieri nequaquam poſſe: nec factam diu durare poſſe. Quòd ſi quiſquam dixerit, ſatis eſſe, ipſos eam, exiſtimare futuram ſynodum vniuerſalem, licet nos particularem ſeu regionalem cenſeamus, iudicet vnuſquiſque quantùm hoc expediat, & quem finem res habitura ſit, ſi ad tollendas diſcordias præcedentes, nouam ſuperinducamus diſcordiam: & de ipſa ſynodo quæ fundamentum huius rei eſt, varia atque diuerſa hincinde cenſeantur, neque illud viſum eſt expedire, vt certitudo fidei Catholicæ, qua nihil firmiùs atque certiùs apud Eccleſiam eſſe poteſt, quaſi per compromiſſum quoddã in legato vel legatis, & alijs ex parte Græcorum conuenientibus, remitti debeat. vt quod illi ſuper differentijs, quæ inter nos & Græcos fidem ipſam tangentibus, concorditer deliberauerint, id per totam Eccleſiam ratum habeatur: nec etiam vllo pacto viſum eſt, vniuerſalem ſynodum hoc tempore apud Conſtantinopolim in faucibus Turcarum ſitam, potius quàm apud terras, quæ Romanæ Eccleſiæ vnitatem tenent, celebrari debere. Super quibus tam ipſe Chriſtophorus, quàm oratores noſtri, mox ad ſanctitatem veſtram venturi, eandem pleniùs & latiùs & certificabunt.

Datum Baſileæ tertio Nonas Maij, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquinto.

RESPONSIO SACRAE SYNODI, QVOD POSſet Concilium condere indulgentias plenarias pro vnione Græcorum: quòd oblatio papæ, quo ad acceptationem decretorum, non eſt ſufficiens: nec agendum eſſe modò de mutatione Concilij.

SACROSANCTA &c. ad futuram rei memoriam. Cuperet hæc ſancta ſynodus vobis dilectiſſimis Eccleſiæ filijs N. tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem, & Ioanni tituli ſancti Petri ad Vincula presbyteris Cardinalibus, legatis ſedis Apoſtolicæ, tam iocundo animo reſponſum facere, quàm læto veſtrum præſtolatur aduentum, putat aduenientibus, vobis non dolendi aut conquerendi de ſanctiſſimo domino Eugenio cauſam, ſed gratias eidem agẽdi tribui debere. Sperebamus etenim tantæ dignitatis viros ea ſecum deferre, quæ nos meritò conſolarentur: & talia vobis eſſe commiſſa, per quæ pijs iuſtiſque ſacri Conſilij deſiderij ſatisfacere poſſetis, prȩſertim cùm tam crebro & inſtãter oratoribus atq; literis noſtris ipſe ſanctiſſimus dominus Eugenius requiſitus extiterit, prout ipſi noſtis, & eo potiſſimè, cùm non niſi ſancta & rationabilia à ſua ſanctitate efflagitarentur. Ad quæ quidem non ſolùm pro vniuerſalis Eccleſiæ reuerentia, cuius decretis & monitionibus quiſque mortalium parêre tenetur, ſed & pro ſua tam ſolenni pollicitatione in literis adhæſionis ſacta, flecti vltrò debuiſſet. Quod etſi illorum ſanctorum operum, propter quæ hoc Concilium congregatum eſt, ſua ſanctitas prout in proœmio veſtræ ſchedulæ nuper oblatæ exprimitis, felicem cõſummationem deſiderat, cur verbis facta compenſans, decreta reformationis, pro qua præcipuè hæc ſynodalis congregatio facta eſt, non ſeruat: & vt ſeruet, toties requiſitus, tandiu differt? Si verum eſt quod initium veſtræ ſchedulæ continet, & in ſecundo articulo repetitur, cur ea quæ nos & Eccleſiam conturbant, de medio non tolluntur? Quanquã multa per ipſum facta ſint, quæ nos meritò contriſtant, videntes ex ſynodalium tranſgreſſione decretorum multa in Eccleſia Dei orta eſſe, & grauiora indies ſcandala oritura: Nihilominus præteritorum libenter obliuiſceremur, ſi iam poſt tot requiſitiones & monitiones talia inſpiceremus, per quæ & præterita repararentur, & in futurum ſpes foret, hanc ſummi pontificis intentionem aliquando opere compleri, humana intentio, niſi per opera, hominibus conſtare non poteſt. Quomodo perſuaderi rebus ſic ſtantibus nobis poteſt, talem eſſe ſummi pontificis intentionem, cùm quotidiè opera diſſimilia videamus? Nam poteſt veſtrum à ſua ſanctitate receſſum, nonnulla admodum grauia contra decreta & perſonas huius ſacri Concilij ac ſententias etiam cõciliariter latas, facta eſſe didicimus. Sed nec mediocriter miramur quòd cùm non ſolùm in decretis de electionibus & annatis conſiſtat Eccleſiæ reformatio, nec ſuper his ſolùm, ſed ſuper omnibus concernentibus capitis & membrorum Eccleſiæ reformationem, ſuam ſanctitatẽ ſæpenumerò mãſuetiſſimè exorauerimus & requiſiuerimus, ipſe ſuper his duobus duntaxat reſponderit, nec ſuper his quidẽ ſufficienter. Nam circa decretum de electionibus ambiguè, circa verò decretum de confirmationibus & prouiſionibus dignitatum & beneficiorũ & adminiſtratione rerum ſpiritualiũ ſine exactione faciendis, conditionaliter reſpondet: & tali quidem conditione, quæ (ſicut in veſtræ literis facultatis cõtinetur) tam difficilis eſt, vt penè impoſſibile iudicetur. In decreto enim de electionibus offertis, ſuam ſanctitatẽ velle expectare electiones. quid ſi à ꝓximo ſuperiori ordinario cõfirmatio alicuius electionis iuxta diſpoſitionem iuris cõmunis petatur, nunquid ordinarios ſuo iure liberè vti permittet, ſicut ſacri canones ſtatuunt? Quo verò ad decretum de annatis, decuiſſet magis ſuam ſanctitatem, decretum hoc liberè obſeruare ac ſeruari facere, quàm conditionem adijcere, iuxta ſanctorum patrum inſtituta ac decretum ſacri Concilij Conſtantien. diffiniens omnem hominem, etiam papalis dignitatis, decretis & mandatis Conciliorum generalium parêre debere in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, ac reformationem Eccleſiæ in capite & in membris. Et cùm huiuſmodi decretũ de annatis. conforme per omnia ſit decretis ſanctorum patrum, ſanctè faceret, ſi verbis vteretur B. Leonis, dicentis: Ideo permittente domino paſtores hominum ſumus effecti, vt quod patres noſtri ſiue in ſacris canonibus, ſiue in mundanis affixere legibus, excedere minimè debeamus. Cõtra ſanctorum quippe ſaluberrima agimus ſtatuta, ſi quod ipſi diuino ſtatuerunt conſultu, intactum non conſeruamus. Congruentius ergo fuiſſet, decretum ipſum tam ſalubre ſuſcipere, & poſteà ab Eccleſia prouiſionem poſtulare, quam ſecundum indigentiam facere non recuſamus, præſertim ſi ſuam ſanctitatem ad obſeruantiam reformationis videamus efficaciter diſpoſitam, quæ quidem prouiſio iam facta eſſet, niſi ex parte ſuæ ſanctitatis ac ſuorum, quædam contigiſſent, quæ hanc prouiſionem diſ[illegible]lerunt. Illud autem quàm difficile ſit, quod per omnes [illegible]iones & prouincias prouiſio hic decernenda, cùm acceptetur iuxta facultatum veſtrarum tenorem, voſ ipſi iudicetis. Nam ſi vna minima prouincia difficultatem in acceptando talem prouiſionem fecerit, tunc decretũ hoc ſeruare non volet. Quod quam abſurdum ſit & quàm prolixum, habere omnium prouinciarum mundi cõſenſum, vos ipſi optimè recognoſcitis. cum ergo decretum hoc ſanctum ſit & rationabile ſeruari meritò ab omnibus ſine difficultate debet. Quòd ſi quis poſtea prouiſioni per hoc ſacrum cõcilium decernendæ obtemperare recuſauerit, poterit ſua ſanctitas authoritate Apoſtolica & vniuerſalis Eccleſiæ per iuris remedia tales compeſcere. Sed ſi fortè contingeret, quod non arbitramur, huiuſmodi prouiſionem per Concilium non decerni, nónne tam ſua ſanctitas, quam prælati, per multos honeſtos modos in iure communi deſcriptos, à ſuis ſubditis in vrgente neceſſitate ſubſidia obtinere poterunt? Quomodo * enim adinuẽtionem annatarum, & aliorum abuſuum per decretum ſublatorum, ſummi pontifices & prælati ſe ſuſtentabant? [for. * enim ante] Ea quæ in ſecundo articulo continentur, de intentione ſuæ ſanctitatis in omnibus ſanctis, iuſtis & rationabilibus petitionibus & ſibi poſſibilibus, cõplacendi & ſatisfaciendi ſacro Concilio, magna laude & gratiarum actione digna ſunt, ſi ex animo prodeunt, quod tunc recognoſcemus, ſi ea quæ pro honore Dei & bono publico ſancta ſynodus ordinat, & ab eo ſeruari poſtulat, ſua ſanctitas more prædeceſſorum ſuorum non infringat, imitando beatum Papam Gelaſium, dicentem, nullam magis quàm primam, ſedem ſtatuta vniuerſalis ſynodi exequi oportere. Meminiſſe ſuam ſanctitatem cupimus eorũ quæ in ſua pollicitus eſt adheſionẽ, videlicet quòd ipſum ſacrum Concilium Baſileenſe cum omni deuotione & fauore proſequi intenderet, & deinceps à nouitatibus & grauaminibus

ſeu præ-

ſeu præiudicijs inferendis ipſi ſacro Concilio vel ſuppoſitis eius & adhærentibus realiter & cum effectu deſiſteret. Sed proh dolor quotidiè contraria fieri audiuimus, & vſque nunc cum patientia tolerauimus, ſi fortè toties rogatus & obſecratus deſiſtat. Hæc certè non ſolùm dum fiunt, moleſtè ferimus, ſed cùm neceſſitas referre nos compellit, dolore afficimur. Quis enim non doleat, quòd ſumma ac ſaluberrima Conciliorum authoritas hoc tempore ita depereat & contemnatur? Quomodo & nos illud ampliùs tolerare poſſemus aut debemus, vt quos hæc ſancta ſynodus iuſtis ex cauſis excommunicat, ipſe abſoluat: & quos nos abſoluimus, ſua authoritate excommunicentur? non hoc ſonant ſuæ adhæſionis literæ. Non ita agebat ille beatiſſimus Papa Gregorius, cuius in explanandis ſcripturis Spiritusſanctus irradiabat intellectum. Is de vniuerſalibus Concilijs inquit: Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumpſerit abſoluere quos ligant, aut ligare quos abſoluunt: quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. Nos non aliud optamus, niſi vt ſic agat, quòd vera charitas inter hoc ſacrum Concilium & ſuam ſanctitatem illibata ſeruetur. Quomodoque ſperare poſſumus ſuam ſanctitatem, finito Concilio, eius decreta inuiolata ſeruare, & ab alijs pro ſuo officio ſeruari facere, niſi antè cum effectu reparet, quæ contra decreta ac perſonas huius Concilij geſta ſunt? nullatenus hæc ſancta ſynodus contentari, aut ſilentio præterire, nec de ipſo huiuſmodi ſpem in futurum concipere poterit. Tertius veſtræ ſchedulæ articulus duo continet: primùm, vt de eligendo ſine mora locum Concilij pro aduentu Græcorum, ad quem ſua ſanctitas commodè accedere poſſet, cùm neceſſaria ſit eius præſentia. Secundò, de transferendo Concilium ad locum illum, & ibidem de pecunijs prouidere. Quo ad primum, ſacrum Concilium negocium hoc ita maturè diſponet, quòd in eligendo loco nihil committetur negligentiæ, nec incaſſum labi tempus permittet. tempore autem opportuno talis electio fiet, quòd à nemine redargui poterit, ad quem quidem omnes de Eccleſia Latina commodè poterunt proficiſci, præſentiam autem ſuæ ſanctitatis ibidem nos etiam plurimum deſideraremus. Et cùm etiam ipſe ſuam præſentiam neceſſariam fore cognoſcat, ſperamus quòd illam nulla ratione in tanta fidei cauſa, qua nulla poteſt eſſe maior, ſubtrahere debebit. Quamobrem tempore debito & ſuam ſanctitatem & alios Eccleſiæ prælatos, vt in loco Concilij eligendo adſint, cum omni diligentia rogabimus & conuocabimus. Nec credendum eſt, quòd quiſquam illuc proficiſci recuſaturus ſit, quò viderint Græcos tam procul & de tam vltramarinis partibus accedere, & præſertim Patriarcham Conſtantinopolitanum ſenio & valetudine graui confectum: qui videndæ vnionis deſiderio pollicitus eſt, etiam ſi ſuper humeros hominum deferri oporteat, ibidem conuenire. vtinam ipſe ſummus pontifex ſe taliter exhibuiſſet, & ſaltem nunc ſe exhiberet, quòd circa bonum eligendum, etiam ſuæ ſanctitati meritò gratum, certiùs reſpondere poſſemus. Circa verò tranſlationem reminiſci vos volumus, quòd ſolenni decreto obligati ſumus vſque ad certum tempus hic permanere, vndè ante illud ſine nota ac periculo rupturæ tractatus Bohemorum, & interruptionis reformationis in qua laboramus, transferri non poſſet. Et cùm in tempore tranſlationis Imperator & Patriarcha in loco Concilij conuenturi ſint, meritò ante tranſlationem pecunias reperiri neceſſitas compellit. Pro eo autem quòd ſua ſanctitas cùm ibidem fuerimus, omnes pollicetur fauores poſſibiles, meritò ſuam ſanctitatem commendamus. Et quidem nulla in re vtiliùs bona Eccleſiæ exponi poſſunt, quàm in hac, vbi de ſalute agitur innumerabilium animarum, & de fide Catholica augenda, & conſeruanda. Optimus enim Theſaurus eſt, qui operatur hoc quod ſanguis CHRISTI operatus eſt. Ad quartum articulum de indulgentijs aliàs noſtri deputati plenè vobiſcum conferentes, probanteſque hunc modum fore conuenientem atque idoneum, & in eiuſmodi rebus viſitatum, vos noſtro nomine cũ charitate & humilitate magna deprecati ſunt, vt nomine ſedis Apoſtolicæ iuxta literas facultatum veſtrarum in his promulgandis indulgentijs intereſſe & concurrere velletis, quatenùs cunctis innoteſceret, omnia Eccleſiæ negocia, & præſertim huius reductionis Græcorum, concordi atque vnanimi Eccleſiæ conſenſu procedere: & ne quis diſſidij rugam inter nos, qui alios ad vnitatem reducere cupimus, eſſe ſuſpicaretur. vos autem tunc aliud non poſſe, quàm quod in ſchedula ipſa continetur, reſpondiſtis, dicentes aliud in mandatis non habere, quod quidem durum & triſte fuit nobis audire. Interrogati etiam à prædictis deputatis, an literas Apoſtolicas aliquarum indulgentiarum per eum modum, quem in ſchedula obtuliſtis, ipſe ſummus pontifex vobis dediſſet Concilio præſentandas, reſpondiſtis nullas apud vos habere, ſed opus eſſe vt ad Papam denuò mitteremus. Nos animaduertentes ſummam & in promptu, vt ipſi fatemini, pro pecunijs reperiendis imminere neceſſitatem, & omnem dilationem admodum eſſe plenam diſcrimine, conſiderantesque quod per decem menſes inſtanter ſuper hoc Papa exoratus & requiſitus fuerit, requiſitis tandem vobis, vt vnà nobiſcum in tam ſancto negocio (vt prædictum eſt) concurretis, authoritate vniuerſalis Eccleſiæ quæ in Concilijs vniuerſalibus adeſſe non dubitatur, in nomine Domini qui dixit: Vbi duo vel tres conueniunt in nomine meo, ibi Mat ego ſum in medio eorum: & de quacunque re conſenſerint ſuper terram, fiet illis à patre meo qui eſt in cœlis: & quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: ad ipſas indulgentias promulgandas proceſſimus. Ex parte igitur noſtra quicquid modeſtiæ & honeſtatis, interpoſito magno temporis interuallo, adhibitis etiam multis precibus, fieri potuit, factum extitit: etiam nunc magnoperè optaremus, literas Apoſtolicas ſuper huiuſmodi indulgentijs exhiberi, vt nihil diſcordiæ in Eccleſia Latina notari poſſet: quas, ſi ipſe ſummus pontifex illud haberet propoſitum ſatisfaciendi & complacendi ſacro Concilio, iam huc deſtinare deberet, cùm tantùm ab oblatione veſtra temporis effluxerit, quòd vel nunc, vel infra paucos dies commodè tranſmitti poſſent. Et quoniam in ipſo articulo dicitis, quòd modus indulgentiarum pro ſubſidio Græcorum reperiendo, non videtur pluribus conueniens, opportunum fore arbitramur aliqua his ſcriptis adijcere, vndè pateat modum hunc minimè calumniari debere. In primis quicunque illi ſint, æquiùs agerent, ſi more ſanctorũ patrum deliberationi vniuerſalis Eccleſiæ iudicia ſua ſubmitterent. Hæc ſancta ſynodus non repentè, ſed matura & digeſta conſultatione habita, hunc modum eſſe valdè conuenientem iudicauit: de quo ſi quis hæſitet, ad ea quæ temporibus patrum noſtrorũ fieri cõſueuerunt, reſpiciat. Nónne cùm paſſagium generale pro recuperatione terræ ſanctæ indictum fuit, proque alijs magnis Eccleſiæ neceſſitatibus, indulgentiæ generales conceſſæ ſunt? Nónne ex proximis annis bis aut pluries pro extirpãda hæreſi VVickleffiſtarũ, modis idoneis id ipſum actũ eſt? Si ergo pro illis hic indulgentiarum modus idoneus iudicatus eſt, cur & nunc pro reductione Græcorum, qua nihil fortè poteſt dici maius, non cenſebitur conueniens? Quòd & ſi pro reparatione põtium ac villarum exuſtarum, ſummi pontifices & ipſe modernus ſummus pontifex, etiam ad inſtantiam priuatarum perſonarum, plenarias conceſſerunt: cur & nunc inſtante Eccleſia, ſit tanta dilatio, nec ſolùm ad reperiendum ſubſidium, ſed pro ſalute innumerabilium animarum, quæ manus porrigentes adiutrices, vigore iſtarum indulgentiarum Deo reconciliabuntur? Modus iſte meritò conueniens atque idoneus exiſtimandus eſt. Obiectio autem illa de guerris Chriſtianitatis, non videtur ſufficiens, cùm & alijs temporibus vigentibus guerris & fortè maioribus, conceſſas eſſe, & nunc concedi per ſuam ſanctitatem manifeſtum ſit. Nec modus iſte cuiquam Chriſtiano neceſſitatem imponit, ſed allicit, vt ſpe præmij ſpiritualis de bonis à Deo collatis modicum aliquid contribuat tam moderatè, quòd nulli quidem difficile videri poſſit. imò & tempore guerrarum quo pluribus criminibus irretiri homines ſolent, conuenientior hic modus videtur, vt omnes homines de contritione & pœnitentia cogitantes, faciliùs à guerris ipſis deſiſtant. neque his concedendis indulgentijs illud obſtat, quod ad

tantùm opus ſufficere non credantur. Ita enim dici poſſet de alijs modis, ſi opponerentur. ſed excogitati ſunt cum indulgentijs iſtis etiam & alij modi, quos tempore ſuo exequemur. Demum obtuliſtis, ſuam ſanctitatem, vt videatur morem gerere huic ſacro Concilio, paratam eſſe authoritate Apoſtolica & iuxta obſeruantiam ſanctorum patrum ad ritum in vniuerſali Eccleſia hactenus obſeruatum, plenarias indulgentias publicare ſacro approbante Concilio. Certè decuiſſet, cùm ſe ita paratum dicat, vt ſua ſanctitas quę tamdiu ſuper hoc fuerat requiſita, tales literas vobis tradidiſſet huic ſanctæ ſynodo præſentandas. Quantam autem admirationem nobis præbeat, imò & multis ſuſpicionem, vos forſitan & audire potuiſtis. Primò ipſe requiritur per oratores noſtros, ipſe reſpondet & nobis reſcribit, quòd per Generalem Camaldulenſem & dominum Antonium ſuos oratores, ſuper hoc intentionem ſuam ſacro intimabit Concilio. Hi duo offerunt, ſuam ſanctitatem, cùm erit certitudo aduentus Græcorum, velle in indulgentijs vel in alio modo cum Concilio conuenire, & omnes fauores poſſibiles præſtare. Mittitur etiam poſteà dominus Leonardus ad dilectum Eccleſiæ filium Cardinalem ſanctæ Sabinę ſuum præſidentem, quòd in negocijs concernentibus ſacrum Concilium, intendit ſequi ſuum conſilium. Ipſe cardinalis hoc nobis intimato, remittit dominum Leonardum, conſulens, ſatisfacere ſuam ſanctitatem debere ſacro Concilio in petitione indulgentiarum & alijs ad commune bonum ſpectantibus. Sperabatur, ipſum dominum Leonardum infra menſem cum dimidio reuerti debere, ſed adhuc non comparet. Sed poſt ſex menſes deſtinauit vos, legati veniunt noua & nuncij tam ad ipſum ſummum Pontificem, quàm ad nos de certitudine aduentus Græcorum. Exoramus & requirimus vos, vt deſiderio Concilij circa indulgentias ſatisfaciatis. Reſpondetis, nos mittere debere iterum ad Papam qui hoc faciet.. Quid ſibi velint tot dilationes ac circuitus, magis volumus admirari ac dolere, quàm temere aliquid ſuſpicari aut iudicare ſaltem vt prędictum eſt vel iam, vel intra paucos dies huiuſmodi literas venire, & opere intentionem ſuam complere opus eſt, vt verum eſſe cognoſcamus, de quo plurimùm gaudebimus, ipſum morem velle ſacro Concilio gerere. Ad obſeruantiam verò ſanctorum patrum & ritum Eccleſiæ, ipſi deputati aliàs reſponderunt. rectè quidem. Nam in illis octo primis vniuerſalibus Concilijs, & in reliquis in quibus ſummus pontifex non per ſe, ſed per legatos interfuit, omnia quæuis, ſiue deciſionem fidei, ſiue condemnationes & anathematizationes hæreticorũ, ſiue ligandi & ſoluendi poteſtatem, ſiue reformationem Eccleſiæ ſiue alia quæcunq; eccleſiaſtica communia aut priuata negocia concernentia, ſuo nomine ſynodi facta, ſancita & promulgata ſunt. Cur ergo alius modus in hac re modò obſeruandus ſit, nulla ratio dictat. Si ſua ſanctitas hìc perſonaliter adeſſet, non diffitemur quin ipſe loqueretur pro omnibus, quemadmodùm fieri ſolitum eſt, vt vnitas deſignetur Eccleſiæ. Et vt ad recentiora veniamus, & ad hanc ſpecialiter indulgentiarum cauſam, proximum generale Concilium Senenſe, quod in foribus Romanæ Vrbis erat, in quo felicis recordationis Martinus reſidebat, ſub his verbis has plenarias indulgentias conceſſit: Sacroſancta generalis ſynodus Senenſis, in ſpiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans &c. ſtatuit, quòd quicunque capientes hæreticos, & in poteſtatem ordinariorum vel inquiſitorum hæreticæ prauitatis effectualiter ponentes, vel ad eos quos retinere vel capere non poſſent, de eorum territorijs omnino expellentes, aut bannientes, ſeu etiam requiſiti brachiũ ſeculare contra tales præſtantes, eam indulgentiam conſequantur, quæ dari conſueuit proficiſcentibus in ſubſidium terræ ſanctæ. Hanc autem, quæ in ſubſidium terræ ſanctæ dari conſueuit, plenariam fore nemo eſt qui neſciat. nec quidem ex tali decernendi modo, quem vniuerſalia ſeruant Concilia abſente Papa, quicquam authoritati ſedis Apoſtolicæ deperit. In omnibus enim ſynodalibus ſanctionibus, ſemper prima & potiſſima refulgeat illius ſanctæ ſedis authoritas, ac deinde patriarcharum & antiſtitum, totiuſque Eccleſiæ vniuerſalis, quam generalia Concilia legitime congregata repræſentant. Et eſt præterea omnibus

Conc. ...n. ſub ...ino

...leen. ...ná au ...ita é ...iunt ...manæ

conſentientibus Apoſtolicis præſidentibus. hìc ſynodaliter ordinatum, vt in hoc Concilio, cùm Papa ſit abſens, omnia ſub nomine & bulla huius ſacri Concilij expediri debeant. Quod poſtremò dicitis de pecunijs ex indulgentijs colligendis, vt fideliter conſeruentur, & ad alium non exponantur vſum, gratiſſimum nobis eſt, & id ipſum huic ſanctæ ſynodo cordi eſſe, ex modo qui in literis indulgentiarum atque inſtructionibus executoribus huius negocij dandis, continetur, ſatis euidenter conijcere poteſtis. Nihilominùs, ſi quem meliorem modum conceperitis, non tenuimus? imò contenti ſumus, vt vos vnà cum alijs ſacri Concilij deputatis, curam præcipuam habeatis, quatenùs pecuniæ hinc colligendæ, ad hunc duntaxat vſum fideliter exponantur. Vt autem ſyncera huius ſacri Concilij intentio tam vobis quàm omnibus innoteſcat, offerimus vt hi q. aliàs fuerunt deputati, vel alij mox deputandi, conferant ac practicent vobiſcum omnem honeſtam & rationabilem viam concordiæ. Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali, quinto idus Maij. Anno à Natiuitate Domini Milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſexto.

EPISTOLA SYNODALIS RESPONSIVA AD inuectiuam factam ſub nomine Eugenij Papæ contra ſynodum Baſileenſem, ſuper materia citatorij eum vocantis ad iudicium ſynodale.

SACROSANCTA &c. vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutẽ & omnipotentis Dei benedictionem. Eccleſiam ſuam Chriſtus Deus noſter tanta firmitate ſtabiliri dignatus eſt, vt etſi fluctibus ac turbationibus mundi huius agitetur, nequaquam tamen deijciatur aut vincatur: imò nec portæ inferi præualebunt aduerſus eam. Fundata eſt quippe ſupra firmam petram. petra autem erat CHRISTVS, qui ait: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſeculi. Poteſt quidem homo particularis deficere & errare, atque in ęternum condemnari. & nemo ſcit, vtrùm odio dignus ſit vel amore. Sed hoc certiſſimum eſt, eccleſiã nunquam deſeri à Chriſto, nec eius gratia aut dilectione priuari, neque ipſum ſanctum ſpiritum deeſſe congregationi fidelium, quin aliquos ſemper amatores Dei conſtituat, cùm veritas dixerit: Ego rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum. Speciali autem quadam aſſiſtentia congregatos in nomine ſuo dignatur Chriſtus Dominus, qui ait: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. quod maximè ſynodis vniuerſalibus cõuenire declarauit octaua ſynodus Conſtãtinopolitana, dicens: Quis neſciat quòd in medio ſanctæ huius & vniuerſalis ſynodi fuerit incomprehenſibilis & incircunſcriptus Chriſtus ac Dñs, qui dicit: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum? Hinc eſt quòd naſcentibus hęreſibus, creſcentibus deformitatibus, ad Conciliorum generalium ſoliditatem recurſus habetur, vt inde & fidei determinatio, & omnis vitæ actioniſque norma prodeat. Sed id quam maximè neceſſarium fore compertũ eſt nouiſſimis noſtris temporibus, cùm ampliùs diminutæ ſunt veritates à filijs hominum, cùm rariùs inuenti ſunt viri ſanctitate præſtantes, quorum vita exemplaris toti gregi dominico ſeſe formam exhiberet imitandam, cumque varia ſchiſmata & deformitatum inſolita magnitudo gregem dominicum acriùs inuaſerunt, fauẽte quoque diuina miſeratione, ad horum repreſſionem ſynodus Conſtantienſis coadunata extitit, quæ modum & ſeriem agendorum deinceps Conciliorum præſcripſit. Et ne fieret ſchiſma vlteriùs in corpore, ne qui proprio ſenſu ductus, aut propriæ innitens prudentię, ſe ab illis ſegregaret quæ eſſent vniuerſali conſenſu conſtituta, eſſetque ſic in Eccleſia vnitas & pax optima, omnibus idem ſapientibus, declarauit eadem ſancta ſynodus Conſtantienſis quemlibet fidelium, cuiuſcunque dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, teneri obedire in his quæ in pertinentibus ad fidem, extirpationẽ ſchiſmatis & reformationem Eccleſiæ in capite & membris, vniuerſalis ſynodus ſtatuiſſet, ſequens in hoc & Chriſti doctrinam: qui cùm dixiſſet Simoni Petro, Dic eccleſiæ: ſi eccleſiã non audierit. ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, ſubiunxit: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram,

Matth. 16.
Matt. 7.
1. Cor. 10.
Matt. 18.
Eccle. 9.
Ioan. 14.
Matt. 18.
Sed huic ſynodo nõ defuit authoritas & aſſẽſus Rom. Põtificis.
Pſal. 10.
Iſtud ſem per vrgẽ Baſileen. vt ipſis o bediat põ tifex, no ipſi Põ tifici obe diant.
Matt. 18.

Sed hæc ſpecialiter dicta ſunt ipſi Petro alio loco.
Act.2.

erunt ligata & in c[illegible]o. Exempla quoque beatiſſimorum Apoſtolorum imitantur, qui quod communi conſilio ſtatutum erat & ordinatum, id obſeruare & exequi cum omni promptitudine ſutagebant, ſicuti de Petro & Ioanne miſſis à Concilio primitiuæ Eccleſiæ, diuina ſcriptura teſtatur. Et ſi qua ſuper hac obedientia vnanimiter à cunctis Concilio præſtanda, quæſtio verſari videbatur, huius rei dubietatem ſynodus ipſa Conſtantienſis amputauit. Quicunq; hanc fidei regulam ſequuntur, pax ſuper illos, vnitaſque eccleſiaſtica in ipſis conſeruatur veraciter. Sicuti autem in ipſo Conſtantienſi Concilio præfinitum erat, ac etiam Senenſi, hæc ſancta vniuerſalis ſynodus Baſileenſis tempore ſtatuto congregata extitit: quæ ſalutem publicam indeſeſſa proſequens ſolicitudine, primùm de pacificando regno Bohemiæ tunc miſerabilibus diuiſionibus agitato, quarum incendia in regiones non modo ſinitimas, ſed & longinquas euadere timebantur, vigilantem impendit operam. De pacificandis quoque regnis ac prouincijs & moribus hominum reformandis, maximo ſtudio tractare cœpit. Sed heu fœlicibus illis initijs quanta turbatio, quanta calamitas iniecta ſit, quis ſine lachrymis & gemitu referre poſſit? quam & perpetuo nos optaremus contegere ſilentio, niſi quædam epiſtola ſub nomine domini Eugenij Papæ Quarti, nuper vniuerſis directa ſidelibus, iſtæc commemorans, nos compelleret infandum reuocare dolorem, qui & proceſſum huius ſanctæ ſynodi ab eius primæuis oppugnans exordijs, nos veritatem rerum geſtarum in memoriam hominum reducere vrget, & hanc ſanctam ſynodum in manifeſtatione veritatis, velut Apoſtolus loquitur, commendare ad omnem conſcientiam hominum coram Deo, vt ſuper omnia vincens veritas cunctis appareat, & coram omnibus viuentibus luceat ſyncera noſtra intentio in gloriam eius, in cuius nomine congregati ſumus.

2.Cor.4.

Siquidem ſynodum ipſam proſequendæ vnioni Bohemorum, & alijs ſanctis operibus multa cum diligentia incumbentem, vehementi flagello pretenſæ diſſolutionis dudum concutere cœpit dominus Eugenius, & ſeſe ab ipſius Eccleſiæ corpore & vnitate diuidere. quæ quidem diuiſio, radix fuit & origo malorum, quæ Eccleſiam Dei vexârunt, & nunc cum maioribus renouantur incrementis, pro cuius diſſolutionis reparatione quantos labores duobus annis & ampliùs pertulerimus, orbis ipſe cognoſcit. Sed & principes Catholici tantum malum diuiſionis illius abhorrentes, inſtantiſſimè laborârunt, vt ipſe dominus Eugenius purè, ſimpliciter & cum effectu adhæreret: quod & fecit, diſſolutionē ipſam irritam & inanem confitendo, declarans & decernens hoc Baſileenſe Concilium à tempore ſuæ inchoationis legitimè continuatum fuiſſe & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuari ac proſecutionē habere debere, ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet: deinceps quoque à nouitatibus & grauaminibus ſeu præiudicijs inferendis ipſi ſacro Concilio, vel ſuppoſitis eius & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu deſiſtere ſe affirmans. Sperabat iam hæc ſancta ſynodus decæterò cum pace cuncta peragere, nec Eccleſiæ vnitatem per receſſum ab ipſius ſynodi obedientia perturbari.

Vtinam.

vnionem Bohemorum proſecuta extitit, regna & prouincias ad pacem excitauit, laborumque ſuorum in his rebus Deus omnipotens dignatus eſt fructus reddere glorioſos, ita vt regnum Bohemiæ in Eccleſiæ obedientia perſiſtens, ſub regimine chariſſimi Eccleſiæ filij Sigiſmundi Romanorum Imperatoris, fœlici tranquillitate lætetur: & principes plurimi, præſertim per Germaniam & Galliam, ad pacem & concordiam reducti ſunt. Inſuper eadem ſynodus pro æterna hominum ſalute & vigentium deformitatum repreſſione, ſalubria decreta & perutiles ordinationes edidit, formam electionum canonicarum iuxta ſanctorum patrum inſtituta reſtaurans, quibus prælati ſingularum eccleſiarum aſſumi deberent, vt reprimeretur ambitio, nec ſe homines ad primatus capeſſendos ingererent, ſed aſſumerentur, vt ait Apoſtolus, vocati à Domino tanquam Aaron.

Heb.5.

pariter quoque Romanis pontificibus decæterò eligendis modum aptiſſimum præſcripſit, numerum & qualitatem creandorum Cardinalium ordinans, atque ſalutares regulas adijciens pro fœlici regimine ipſius Romani Pontificis & ſuæ curiæ, ac etiam patrimonij terrarum & dominiorum Ro-

manæ Eccleſiæ pertinentium, quorum alienationem alte
decreto fieri prohibuit. Cæterùm decreuit, ne in collati
ne vel prouiſione beneficiorum, prætextu vacantiarum v
alio quolibet, quicquam exigeretur: pacificis beneficioru
poſſeſſoribus abſtulit turbationum incentiua. circa diui
cultus celebrationem, vitamque & honeſtatem miniſtr
rum, plurima ſalutifera diſpoſuit: modum, tempus & o
dinem celebrandorum Conciliorum generalium, proui
cialium & ſynodalium ordinauit. In Græcis præterea co
uocandis ad celebrationem œcumenici Concilij, & proſ
cutionem vnionis eorum, labores innumeros & impen
maximas conſumpſit. ſed interea dum hæc aguntur, ec
rurſum multimoda per vniuerſam Eccleſiam exoritur tu
batio, dum ipſe dominus Eugenius proh dolor factis & o
peribus ab hac ſancta ſynodo iterum ſe diſiungit. vnus el
gitur in vacante Eccleſia, ipſe alterum reſeruationibus in
hærendo præficit. ſcandala, ſchiſmata, diuiſiones per eccl
ſias oriuntur. Vnde mirandum eſt, quo pacto miſſa eius ca
pitula aſſerere audent, ipſum nunquam contra electione
canonicas veniſſe, niſi cùm iniquè celebratæ fuiſſent, ſi
de perſona ad beneficia minùs apta, aut ex qua poſſet ver
ſimiliter ſcandalum exoriri: cùm nimis notorium ſit, ipſum
eccleſias, etiam priuſquàm prælati moriantur, reſeruare, &
vigore reſeruationum ipſarum, non expectatis electioni
bus, ipſis eccleſijs præficere paſtores. nec adhuc apparuit
ipſum aliquam electionem expectatam, & debitè examina
tam, ex cauſa euidenti publicæ vtilitatis vel neceſſitatis, ſic
ut prætendere videtur, reieciſſe. confirmationes quoque e
lectionum per metropolitanos & alios ordinarios facta
aut fiendas, multipliciter perturbat. pecunia in beneficio
rum & dignitatum collatione interuenire etiam more in
conſueto audita eſt, ita vt plerunque beneficia ipſa & digni
tates non expediantur, niſi pecunia realiter fuerit exhibi
ta. Sed nec excuſare nititur à ſpecie Simoniacæ labis, quo
niam vacantiás aſſerit recipi licere, imò etiam oportere, in
ſuſtentationem Romani Pontificis & ſibi aſſiſtentium or-
dinum. Vt autem non contentionis gratia, ſed veritatis &
ſalutis, de hoc aliquid dicamus, ſi ſana doctrina ſapientum
attentiùs perlegatur, vbi cum aliquo pactum initur vt pecu-
niam tradat, non aliter beneficium aut dignitatem habitu-
rus, ibi ſpecies contractus non gratuiti conſpicitur interue-
nire. Nec ita lauari poteſt aquis excuſationum iſta pactio,
vt à ſpecie Simoniacæ labis reddatur aliena. Hinc enim e-
uenit, vt plurimi qui & Deo gratiores, & ſaluti animarum
procurandæ vtiliores eſſent, qui pecunia carent, aut ipſam
non aſſerunt, ad dignitates minimè aſſumantur. Hinc
plerunque accidit, vt & cupidi & ambitioſi, qui ſeipſos gra-
du ambito indignos reddunt, promoueantur faciliùs. Et
vbi temporale commodum impellit animum ad deferen-
dum dignos promouendum indignos, quis illum à ſpe-
cie labis Simoniacæ purum aſſirmabit? Sed & ex hoc
contingere poteſt, vt Romani pontifices faciliùs inclinen-
tur ad ſibi attrahendum collationes dignitatum & benefi-
ciorum, electiones perturbandum iura * infirmorum im-
pediendum, canones ſuper his editos ſub vmbra plenitu-
dinis poteſtatis infringendum: quod fortaſſe non age-
rent, ſi non eſſet pecuniæ interuentus, ſed vnicuique ſuum
relinquerent officium, & ipſi deſuper vigilarent, corre-
cturi delinquentes, & maioribus intenturi. Sicque tunc
Eccleſia optimè diſponeretur, & adhuc noſtris tempori-
bus inoleuit, vt cùm vacat vna Eccleſia *, fiant tranſlatio-
nes plurimæ, per quas plurimæ eccleſiæ vacare poſſint, ex
quibus pecuniarum exactio magis & magis abundet: quæ
quantùm Eccleſijs & ſaluti animarum noceant, facilè eſt
videre. Quis non intelligit hoc promouendi genus per in
teruentum pecuniæ, ex radice auaritiæ adinuentum, plus
fouendæ ambitioni, quàm animarum ſaluti, eſſe accom-
modum? Qui enim dignitates ambiunt, illi pecunias
conquirere laborant, quarum ſuffragio gradum aſſequan-
tur honoris. Hinc ſua vendunt patrimonia, hinc ſe fœne-
ratoribus obligant: quibus poſtea ſatisfacturi, prædia, poſ
ſeſſiones & caſtra Eccleſijs pertinentia, interdum alienare
coguntur. Hinc regiones variæ depauperantur & euacuan-
tur pecunijs. Hinc prælati per annos plurimos ſuſpenſi à
diuinis, ſæpenumerò hac tempeſtate viſi ſunt. Neque hæc

eſt primorum fructuum collectio, quæ beneficijs liberè expeditis aliquando colligi ſolebat: imò & ſi nunquam fructus illos prælatus ipſe ſit collecturus, ſi etiam infra triduū moriturus ſit, pecuniam ex patrimonio aut aliundè ſoluit, quæ nunquam deinceps reſtituitur. Non certè ſic patres antiqui annatas exegerunt, vel potiùs pecunias ſub nomine annatarum, licet fructus aliquos, abſque hoc quòd pecunia in collatione interueniret, reſeruandos pro neceſſitate temporis tunc inſtante, duxerunt: non tamen vt perpetuò talis eſſet reſeruatio duratura. Nunquid ex hoc reprehendenda eſt hæc ſancta ſynodus, quaſi ſedem Apoſtolicam exinanire velit, dum modum illum exactionum reprobat, qui tantoperè officit ſaluti animarum? Nunquid illam epiſtolam aduerſus ſanctam ſynodum proferre decuit, quòd ipſa mendaciter ſe aſſerit in repreſſionem auaritiæ, Simoniæ, ambitionum & aliorum vitiorum, ordinationes & ſalubria decreta condidiſſe? Certè nemo inficiabatur, formam decretorum noſtrorum ſuper electionibus ritè celebrandis, ſuper collationibus & confirmationibus liberè expediendis, & alijs priùs memoratis, ad expellendum illa genera peccatorum eſſe conuenientiſſimam. Nec ad contumeliam diximus, ſed ad plurimam ſalutem efficiendam, abuſus illos habentes ſpeciem Simoniacæ labis, per Romanum Pontificem foueri, dum hæc tollere & perturbare, cùm poteſt obmitti: imò ſi abuſus tali labis ſpecie reſperſi, per miniſtros eius committuntur, eos fouere dicitur, cùm eos non perturbat: & vehementer pertimeſcere debet, ne durè propter illos corripiatur à Domino, qui Heli ſummum Sacerdotem duriſſimè puniuit, dum filios ſuos efficaciter corrigere negligebat. Sed nec in his quibus diuina maieſtas offēditur, & ſalûs impeditur animarū, continuare oportuit prætendendo excuſationem non adhibitæ alterius prouiſionis, cùm timore perdendi temporale emolumentum, nimis inconſultum ſit, regni cœleſtis hæreditatem negligere, & animarum perpeti detrimentum. Sed & dictum erat, per hanc ſanctam ſynodum prouiſionem eſſe fiendam ipſi Romano pontifici iuxta eius indigentiam, ſi animum eius ad obſeruationem decretorum videret benignè inclinatum. Nec autem ipſe aut ſuam indigentiam aperuit, nec decreta exequi compertus eſt. Videns itaque hæc ſancta ſynodus iugiter animas hominum his abuſibus illaqueari, decretaque ſua pro repreſſionibus talium edita contemni, videns (vt præmittitur) diuiſiones in eccleſijs per canonicarum electionū manifeſtam conturbationem nimium adaugeri, videns & alia vigere ſchiſmata, dum illi qui per hanc ſanctam ſynodum alligabantur, per Romanum ſoluebantur pontificem, ita vt iam in populo Chriſtiano ſerperet illa diuiſio, vt quēadmodum quondam diuidebantur Corinthij, & vnus dicebat, Ego ſum Cephæ: alter, ego ſum Appollò: ſic & nunc vnus aiebat, Ego ſum Papæ: alter, Ego ſum Concilij: dum Romanus pontifex huius ſanctæ vniuerſalis ſynodi in his operibus non tenebat vnitatem, neq; beatiſſimi Papæ Damaſi imitabatur exemplum, qui & de his nullatenus cognoſcere volebat, quæ ſancta ſynodus diffiniuiſſet. Attendens præterea hoc ſacrum Concilium proſecutionem reductionis Græcorum, quam tantis impenſis & laboribus inchoauerat, multipliciter impediri, & denique vniuerſa quaſi ſacta Eccleſiæ perturbari ex hac diuiſione, quam aduerſus ſynodum congregatam & ſalubria eius opera, ipſe dominus Eugenius confouebat, atque per minus debitum regimen Eccleſiæ, cuncta in peius ruere, miſerta eſt tandem ſynodus ipſa Eccleſiæ Chriſti, tanta ægritudine laborantis: & zelo domus Dei accenſa, eundem dominum Eugenium citare decreuit, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales conuocare vt ipſis auxiliantibus, conueniens & ſalutaris prouiſio Eccleſiæ donaretur, priuſquam deteriora contingerent. Commemorauit cum dolore non ſine informatione præcedenti defectus aliquos, qui publicè & notoriè in præiudicium & ſcandalum gregis dominici ſuper regimine ipſius Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus adeſſe ferebantur, vt omnibus in melius emendatis, ſalus & pax redderetur populo Dei. Dolet quidem plurimum ſancta ſynodus, quòd talia commemorare oporteat: nec libellum famoſum confecit, vt obijcitur, ſed tantùm recitauit ea non animo diffamandi, ſed corrigendi, prout ad eam pertinebat, quæ iam in publicum prodierant, dum pro debito officij à Chriſto ſuſcepti negligere non poteſt, quo minus in hac vrgentiſſima neceſſitate languoribus vniuerſalis Eccleſiæ medelam quærat donari ſalutarem & pro ea inſtet vehementiùs, impleatque diuini Apoſtoli præceptum ſcribentis Timotheo: Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt. Rurſumque ait idem Apoſtolus: Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Quod in peccatis publicis agi poteſt, maximè per eum, cui reformatio & correctio pertinet aliorum. Sed & beatus Gregorius in ſuo paſtorali, illos qui dum deficiunt, ſe benè agere credunt, docet à pluribus oportere increpari. Verùm citationem præfatam aliquanto aſperiùs ferens Romanus pontifex aliqua in aduerſum per eorum (vt creditur) ſuaſionem, qui magis loqui quærunt ſibi placentia, quàm ipſius æternam ſalutem & vniuerſalis Eccleſiæ releuamen perquirere, plurima peragere conatus eſt, atque inter cætera memoratam vniuerſis Chriſti fidelibus direxiſſe dicitur epiſtolam: in qua non correctio, non emendatio proh dolor affertur, ſed quæ ſibi obijciuntur, mendaciter prolata eſſe ſcribit per hanc ſanctā ſynodum, quam vtique honeſtioribus verbis alloqui decebat. Verùm ipſa pro ſua charitate omnia cum manſuetudine ferre decreuit, impropèria etiam ſuauiter ſuſtinens, dum arguendo & obſecrando in omni patientia & doctrina poſſit homines perducere in ſalutem. Sed debuit arbitrari Romanus Pontifex populos non eſſe ſcriptis ſuis in factis proprijs & perſonalibus credituros. Neque hunc modum conuenientem exiſtimabunt, vt ipſe vocatus ad ſynodale iudicium, illud ſubterfugiat, & ad diſperſos hincinde quærat ſeipſum proprijs iuſtificare ſermonibus. Quis enim eſt qui epiſtolam conſcribere non poſſit, & in ea quæ volet, aſſerere? quòd ſi proprijs ſermonibus ſeipſum quis hoc pacto iuſtificare poſſit, pauci erunt qui ſe deficere fateantur. Quòd ſi olim beati ſummi pontifices, Leo, Damaſus, Sixtus, ſe in ſynodo expurgare curauerunt, vt ſcandalum à fidelium mentibus tollerent: multò ampliùs ipſe dominus Eugenius comparere debuiſſet, qui in eo caſu tenetur, vbi de defectibus notorijs & ſcendalizantibus Eccleſiam delatus eſt, in quibus ſynodum vniuerſalem in Papam iuriſdictionem habere nemo ambigere iuſtè poteſt. Honeſtius quippe fuerat, per ſe vel alterum in ſynodo comparére: & ſi non probarentur quæ de ipſo dicta erant, eluceret coram omnibus iuſtitia eius. Si autem & vera probarentur, debita conuerſione omnia contegerentur, & in melius emendarentur: ſicque per debitam conuerſionem, honorem plurimum & benedictionem obtineret in populis: imò & exemplum pœnitentiæ cunctis præſtaret, per quam efficaciter reformatio Eccleſiæ & ſalus daretur vniuerſis. Nam & pœnitentibus ait Dominus, per Prophetam: Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, tanquam nix dealbabuntur. Iam enim adeò peccata noſtra creuerunt, vt iuſtitias noſtras proferre non oporteat, ſed poſt naufragium vitiorum oportet ſuper ſecundam tabulam pœnitentiæ peruenire in portum ſalutis. Cuius rei exemplum in beatiſſimo Petro Apoſtolorū principe præclarum habemus, cui cùm Paulus in faciem reſtitiſſet, & dixiſſet eum non rectè ambulare ad veritatem Euangelij, & non ſolùm dixiſſet, ſed & in epiſtola ſua ad perpetuam rei memoriam ſcripſiſſet, non hoc moleſtè tulit beatiſſimus Petrus: imò expreſsè Pauli epiſtolas commendauit. in quibus hoc ipſum non ignorabat contineri: vt & hoc ſuis ſucceſſoribus exemplum daret, non moleſtè ferre, ſi eis per eorum coapoſtolos aliquid tale pro ſua & vniuerſalis eccleſiæ ſalute diceretur. Sed vnum in ſua epiſtola ſummus ipſe pontifex maximè proſequi videtur, quòd hæc ſancta ſynodus ab eius exordio ipſum à papatu deponi affectauit: quòd ſi rerum geſtarum ſeriem in memoriam reduxerit, talia proferre deſinet, Cùm vix adhuc eſſet in papatu cōſtitutus, dum ipſa ſynodus inchoata extitit, quomodò aduerſus eum tunc conuenerat ſynodus, quæ de geſtis eis nullam adhuc habebat notitiam? Quid tunc contra eum intentauerat, cùm ipſe cœpit eam diſſoluere? Deinde quàm benignè, quam patienter etiam poſt diſſolutionem reſarcitam, hæc ipſa ſynodus præſtitas contradictiones, impugnationes & reſiſtentias varijs modis in diſſolutionem ipſius &

operum

2. Tim. 4.

2. Tim. 5.

Falſo accuſatum Eugeniū teſtatur Pius II. qui diu Baſileenſibus adhæſerat ſed poſtea ad Eugenium rei veritate comperta ſe tranſtulit.

Leonē III. grauiter accuſatū, ſynodus quæ frequēs Romæ conuenerat, adeò non condemnauit, vt etiam palam corā Carolo Magno omnes epiſcopi dictitarent, ſedem Apoſtolicā à nemine iudicari debere.

Eſaiæ 1.

Gal. 2.

2. Pet. 3.

operum eius tendentes, hucuſque pertulerit, ſatis manifeſtum eſt. Sed neque in hac nouiſsima citatione quicquam aliud quæſitum eſt, quàm vt in neceſsitate maxima conueniens prouiſio Eccleſiæ donaretur. Nihil nobis gratiùs, nihil deſideratius eſt, quàm vt ipſe Eccleſiam Dei ſalubriter regat, non quidem vt pro libito voluntatis ſuæ cuncta peragere velit, ſpretis canonibus ſacrorum Conciliorum, ſed iuxta Beatiſsimi Petri doctrinam, ſic regat, non vt dominans in clero, ſed vt forma factus gregis. Romanus enim pontifex eſt vniuerſalis Eccleſiæ miniſter, non dominus. atq; etiam ſchiſmata & ſcandala ſubmoueat, quæ contingunt dum heu nimium propriam ſtudet implere voluntatem. Dicit nos eius ſanctam intentionem perturbaſſe, ſed nos latentem intentionem, niſi ex operibus & fructibus, cognoſcere non poſſumus. Nos iudicamus ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor. * Nunquid prohiberi poteſt libera hominis voluntas, ne fructus bonorum operum ex ſe producat, vt defectuoſum regimen abhorreat, vt pacem & vnitatem conſeruet? profectò longè melius ſuaderet animos hominum in approbationem iuſtitiæ ſuæ, ſi bona opera ſua ſe feciſſe oſtenderet, quàm prædicando ſe habuiſſe bonam intentionem, quam homines nec intueri, nec dijudicare poſſunt.

1. Petr. 5.

Eſt certè etiã paſtor & caput.

1. Reg. 16. for. * Nõne.

Quis enim impediuit, * nec hodie impedit, vt abuſus curiæ ſuæ non abſtulerit, nec de præſenti auferat? Sed mirandum valdè eſt, quòd diſſolutionem per eum aliàs reuocatam & annullatam, iterum approbare conatur eadem epiſtola: & proceſſum Concilij tunc contra hanc diſſolutionem deductum, reprobare: cùm tamen diſſolutionem ipſam irritam eſſe & inanem, apertè per literas ſuas confeſſus ſit. Cui diſſolutioni ſi patres paruiſſent, maneret adhuc regni Bohemiæ deſolatio, nec Bohemorum ipſorum vnio facta fuiſſet: imò quamplurimæ patriarum & terrarum deſolationes, erroresq; hominum & mala innumera veriſimiliter perpetrata fuiſſent. Si illam diſſolutionem deſtruxit, cur iterum eam ſermonibus reædificat, cùm dicat diuinus Apoſtolus: Si ea quæ deſtruxi, iterum ædifico, præuaricatorem me cõſtituo? Illud autem valde flebile eſt, quod dicit, eo tunc Concilium ſine iuriſdictione & iuſtitia, ſuper illius diſſolutionis reuocatione ipſum monendo, proceſsiſſe, adijciens iterum, quòd patres in Concilio exiſtentes, contra diuinam voluntatem ipſum ſupprimere quæſierunt ſiue anguſtare poteſtatem, & ſe ſupra eum conſtituere ſupremos. Nunquid ipſe iam abnegare volet iuriſdictionem ſynodi vniuerſalis in ſacra ſcriptura fundatam, & determinationem vniuerſalis Eccleſiæ declaratam, cui declarationi ſi quis pertinaciter contradiceret, incideret in hæreſim? Sed nec poteſtas anguſtatur, dum ita dirigitur, vt non in deſtructionem, ſed in ædificationem procedat. Caueat pro Dei reuerentia, ne, dum minora excuſare nititur, & aduerſus ſalubres correctiões plus debito recalcitrare, in grauiora corruat: qui & in epiſtolæ illius exordio dicere auſus eſt, patres in Concilio congregatos, iam ferè ſeptem annis ab ipſo Chriſti vicario & à ſuprema Romana Apoſtolica ſede, Chriſtianorum matre & capite, ſegregatos. * Nunquid in hoc damnabit vniuerſos Cardinales, Patriarchas, Epiſcopos, Imperatorem, Reges, Principes & cæteros, qui per ſe vel alios in hoc Concilio fuerint: & denique Eccleſiam per orbem diſperſam, hoc Concilium approbantem, vt dicat vel eos à capite & matre Chriſtianorum fuiſſe ſegregatos, vel fauiſſe ſegregatis? Dicendo quidem ſynodũ à ſe fuiſſe ſegregatam, ſe potiùs à ſynodo ſegregatum affirmare videtur, quę tamen vniuerſalem Dei Eccleſiam repręſentat. Cùm enim membrum à corpore diſiungitur, non totum à parte ſe dicitur ſeparare, ſed pars à toto ſegregari. debuit quidem ſynodo vniuerſali vt membrum ipſius, in vnitate ſpiritus iugiter adhærere. & ſi relinqueret, non tamen ipſa à ſuo vero capite Chriſto relinquitur. Non enim eſt generale Concilium Eccleſiæ, ſicut vna particularis cõuentio conſiliariorum alicuius principis, cui Papa ipſe tanquã præſidens & dominus præſideat: ſed eſt vniuerſalis eccleſiæ Catholicæ conuentus, continens & includens virtualiter & authoritatiuè ſingulos gradus Eccleſiæ, tam Papatum quàm cęteros, ſicut membra ipſius Eccleſiæ vniuerſalis: quam propterea ipſum Concilium repræſentare dicitur, prout iam cõfitentur vniuerſi. Quæ ſi attentiùs conſiderauerit ipſe dominus Eugenius, ſeipſum ex ſegregatione potiùs reprehendet,

for. * aut

Mirũ, hoc dici de Bohemis.

Galat. 2.

Quæ eſt ſynod9 ſine capite?

for. * Nõne.

Vnus ſolus tãdem Baſileæ Cardinalis mãſit, Eugenij hoſtis, plurimi Eugenio adhæſerũt cum alijs multis.

definetq; in talem ſynodum congregatam in nomine Chriſti & in vniuerſalem Eccleſiam proferre Iniuriam. Deniqu nos dicit vehementer ſtuduiſſe, vt inconſutilem tunica Chriſti ſcinderemus. inueniet ipſe nos pro vnitate vniue ſalis Eccleſiæ, & eius ſalute ſedulò deſudaſſe: nec poſſumus Romana Eccleſia ſeparari, dum vniuerſalis Eccleſiæ retine mus vnitatem, in qua tam ipſa Romana eccleſia, quàm ali ſingulæ eccleſiæ includuntur. Et ſi authoritas quæritu in quit Hieronymus, orbis maior eſt vrbe. ſed ipſe primus ſci ſuræ & diuiſionis author extitit, cùm primus ſynodum di ſoluere, & ſe ab ea ſegregare incepit, atq; in huiuſmodi ſegr gatione & diuiſione longo tempore perſiſtere voluit, & nũ dum poſt longam expectationem ac multam patientiam e ius, emendatio & regiminis Eccleſiæ Dei ſalutaris prouiſi quæritur, ipſe loquitur grandia aduerſus ſanctam ſynodu & Eccleſiam Dei, ipſe eandem ſynodum diſſoluere cona tur, ſi de ipſo iudicium fiat, aut aliquo ſuorum præſidẽtiu oratorum. Nunquid ei conueniens eſt tale quærere diffu gium, qui aliquando ſolebat per oratores ſuos circa huiu Concilij exordia ſe ante omnes reformandũ offerre, quod que de vita eius audaciter inquireretur? Nunquid hoc iam tolerabile eſt, vt propter effugiendam correctionem ipſiu aut ſui oratorum, Concilium diſſoluere laboret: atque propter factum perſonæ ſuæ, quæ mortalis eſt, authoritatẽ Eccleſiæ immortalem confundere nitatur? ſed ipſius adiuto eſt Chriſtus, qui eam non deſeret. Iam verò ad cætera dicamus, quę citationi noſtræ reſpondere volens, aduerſum nos retorquere nititur. Ipſe alienationẽ terrarum excuſare prætendens, dicit Nicolaum de Fortibrachijs & Comitem Franciſcum de * Cotugualla, contra eum fuiſſe incitatos, qui dicentes ſe eſſe Capitaneos Concilij, terras Eccleſiæ inuaſerunt, vnde ſtrages ſecutæ ſunt. Si autem veritas rerum aperiatur, nunquam illi ab hoc ſacro Concilio inuadere terras Eccleſiæ iuſsi fuerant, neque res talis vllo tempore per Concilium deliberata extitit. Verùm videntes diuiſionem, quam ipſe dominus Eugenius aduerſus Concilium tunc fouebat, hanc acceperunt audaciam. Vnde & qui diuiſionis huius cauſa fuit, ipſe etiam cauſa extitit malorum ac diſcriminum quę exinde ſecuta ſunt. quamobrem iam id diximus: illa prima diſſolutio, per quam ab vnitate huius ſanctæ ſynodi dominus ipſe Eugenius voluntariè receſsit, cauſa fuit & origo malorum. Sed poſtquàm diſſolutionem ſuſtulit, nunquid propterea terras ipſas Eccleſiæ, quæ recuperari poterant, oportuit in alienas manus tradere, & titulum in eis alteri aſsignare, vt iam repeti non poſſent? & quò tunc vera alienatio patrata eſt? Quid prætereà de alienatione aliarum terrarum deinceps facta, vt burgi ſancti Sepulchri, & plurium, dicturus eſt, cùm tamen ante adhæſionem ipſius iam per decretũ huius Concilij, ſpecialiter terrarum omnium Eccleſiæ alienatio ſibi interdicta fuiſſet? Debuit quidem imitari B. Ambroſium, qui Imperatori quærenti hæreditatem Chriſti, reſpondit: Abſit à me, vt Chriſti hæreditatem tradam. Non tradidit Naboth ſuam, ſed proprio cruore defendit. Sic hæc iacula, quæ in ſanctam ſynodum ſe excuſando detorquere nititur, manifeſtè reuertuntur in ipſum. Cæterùm aliam excuſationem ſuper impedimentis indulgentiarum afferens, dicit ſe nullas indulgentias plenarias de nouo contuliſſe, ſed ſolùm antiquas renouaſſe. Verùm ſi loca nominatim, quoties opus erit, deſignabimus quamplura, vbi pro cauſis exiguis, vt refectione materialium ædificiorum, plenariam cõceſsit indulgentiam, tunc eo maximè cùm Eccleſia ſubſidijs Chriſtiani populi pro exaltatione fidei Catholicæ & reductione Græcorum indigebat, & in partibus Burgundiæ, Sabaudiæ, Franciæ, varijſque regionibus notiſsimum habetur. Dum verò requiſitus extitit, vt in conceſsione indulgẽtiarum plenariarum pro facto Græcorum expreſsè concurreret, dixit ſe, ne claues Eccleſiæ contemnerentur, aut eius vileſceret authoritas, maturiùs incedere voluiſſe. Non timuit hanc authoritatem vileſcere vel contemni claues, ſi pro quibuſdam ædificijs materialibus hæc indulgentia donaretur.

Quòd ſi, vt ipſe allegat, incertus erat Græcorum aduentus, nunquid propterea non oportuit Eccleſiam præparare, quæ in huius operis proſecutionem erant neceſſaria, vt promiſſa Græcis implerentur, & ea diſponerentur, ſine quibus

ſi Græci ad terras Latinorum conduci non poterant? In
uibus præparandis iam hæc ſancta ſynodus in ciuitate A-
ionenſi ſeptuaginta millia ducatorum in mutuum accepit,
: anteà duodecim millia à patribus in Concilio exiſtenti-
us, dum priores nuncios ante biennium mitit in Greçiam,
es videlicet ſolennes oratores, quorum vnus ad nos redijt,
ter vita functus, tertius vſq; in hodiernum diem pro con-
ione rerum permanſit. plures quoque alias impenſas fe-
t, ſuper quibus omnibus nondum octo millia potuit col-
gere. Ecce quomodo patres hic exiſtentes, ſe in his rebus
itare quærût, quorum plures vltra proprias pecunias, quas
mutuum tradiderunt, etiam mobilia & * localia ſua pig-
ori obligârunt. Sed dicit, cùm res clericorum principaliter
gerentur, ſuperfluum fuiſſe laicos onerare: neque certè o-
erauimus laicos ipſos, ſed tam clericis quàm laicis qui ſua
beralitate & pietate in ſubſidium huius rei quicquam con-
ribuere vellent, indulgentias conceſsimus. Nunquid hoc
ſt aliquem compellere, aliquem onerare? nunquid hoc eſt
ouum in Eccleſia Dei, quòd pro factis fidei Catholicæ, in-
ulgentiæ concedantur? Adiecit inſuper affectaſſe omnes
azas Eccleſiæ ad tam pium opus protinus exhibere, ſicut &
pere ſe dicit adimpleuiſſe, galeas, pecunias, & omnia quæ
o Græcis ad Italiam transferendis neceſſaria erant, ſua ex
npenſa tranſmittendo. Sed certè intelligimus ipſum huius
i gratia exactionem quandam valdè odioſam, etiam ſuper
icos Bononiæ conſtitutos impoſuiſſe.

Fatetur autem hæc ſancta ſynodus, non auro & argento
eſſe hoc pacto fulcitam, ſed ſperans in adiutorio domini,
ui eam hucuſque confortauit & direxit, negotijs Eccleſiæ
fidei Catholicæ conducendis fidelem & ſynceram impen
i operam, non verita expetere ſubſidium Catholicorum
opulorum, quorum incumbit procurandæ ſaluti. Sed iam
ompellit ipſe dominus Eugenius nos huius rei aperire ve-
tatem, quam libentiùs tacuiſſemus. Ipſe diuerſis artibus
oc Concilium diſſoluere tentauit, aut in eúm locum tranſ-
rre, vbi liberiùs libitum ſuæ voluntatis impleret, & huius
nctæ ſynodi reformationẽ ſubterfugeret, etiã priuſquã de
tatorio * nouiſsimè vlla mentio haberetur. Tandẽ cùm id
ſum complere non poſſet, iam per medium Græcorũ po-
ri ſperat optatis. Hinc varia impedimenta & grauiſsimæ
omminationes Auinionenſibus datæ ſunt, ne pecuniã præ-
arent. Hinc variæ promiſsiones beneficiorum & dignita-
m, hinc plurimæ impenſæ in legationibus ad diuerſas re-
ones tranſmittendis conſumptæ, hinc labores innumeri
lumpti, vt aut Concilium diſſolueret, aut locum quem af-
ctabat, obtinere poſſet. Tandem cùm iam pecuniæ & ga-
æ ex parte huius ſacri Concilij in Auinione expeditæ fuiſ-
nt, & anteà octo millia florenorum pro Græcis congregã-
is in Conſtantinopolim tranſmiſſa, res quoque inchoatæ,
m cum pace & tranquilla deductione deduci poterant. Nã
Græcorum oratores huc aduenientes, quicquid dicerent,
mper in hoc perſiſtebant, quòd à decreto ſuper conuen-
one ipſorum edito nullatenùs recederent. Cui decreto in
ctione locorum per nos factam, & omnium aliarum re-
um expeditione ſatisfactum erat. His ita feliciter diſpoſi-
s, ipſe dominus Eugenius volens metere vbi non ſemina-
erat, qui & pręcedentibus temporibus magis opportunum
erat arbitratus, vt legati mitterẽtur in Conſtantinopolim
actaturi cum Græcis, & non fieret ipſorum conductio ad
oncilium Oecumenicum in his partibus occidentalibꝰ ce-
brandum, videns ipſe iam in loca citramontana eorũ con-
uctionem diſponi, tũc pecunias inuenit, galeas tranſmiſit,
uæ ipſos Græcos in aliquem locum Italiæ, quem vellet, de-
ucerent: non parcens honori eccleſiæ Latinæ, in qua Gręci
m proh dolor videbunt miſerabilem diuiſionem, quam i-
e aduerſus hanc ſanctam ſynodum in proſecutione nego-
orum fidei huiuſmodi per eum inchoata exercet. vnde &
axima perturbatio rebus agendis affertur, & quæ priùs pa-
to curſu deducebantur, nunc varijs exponuntur fluctibus.
onne ſanctiùs feciſſet, proſecutionem inceptam in vnita-
confouere, quàm pecuniam in fomẽtum diuiſionis & re-
m turbationem conſumere? Aſſentiat ipſe, quæſumus, ali-
ando ſaltem in hoc tanto fidei negotio huius ſanctæ ſy-
odi tenere vnitatem, quæ loco opportuniſsimo in his par-
us citramontanis elegit, vbi potentiſsimi principes Chri-
ſtiani & vniuerſitates ſtudentium, præſertim in ſacra Theologia, pax quoque & ſecuritas magis abundant: vbi ad honorem Eccleſiæ Latinæ poteſt haberi conuentus celebrior, & ad bonum fidei, ac ipſius vnionis deſideratæ efficacior. Nec ipſe dominus Eugenius laborem veniendi ad hæc loca recuſare debet, qui etiam in loca remotiora pro tãto bono proficiſci deberet, oſtendendo ſe fidelem Chriſti vicarium, qui pro ſalute gregis ſui de cœlo deſcendit, præſertim cùm & ipſe dominus Eugenius in hac epiſtola profiteatur ſe velle pati mortem pro reductione Orientalis Eccleſię, pro qua tamen (quod dolenter referimus) induci adhuc non potuit, vt extra Italiam egredi vellet. quod ſi voluiſſet, poterat toti Eccleſiæ dare pacem. imò & noſtri oratores ad eum miſsi, obtinere non potuerunt, vt pro Græcis conducendis ad loca per nos electa, ſaluum conductum donaret, quem ſeculares principes vniuerſi liberaliſsimè concedebant. Non autem ipſe conari debet Græcos ad locum non electum per hanc ſanctam ſynodum, euocare: quæ ſolùm tria loca elegit, cùm & Græci pepigerint in locum per nos eligendum aduenire: nec pati debet hæc ſancta ſynodus, vt aduerſus pacta inita & contra ſanctorum decretorum ſuorum tenorem, Concilium hoc Oecumenicum in alio loco ſine ſuo conſenſu cum Græcis ipſis celebretur, vbi certa ſequeretur Latinę Eccleſię confuſio, & incertus eſſet vnionis Græcorum aduentus. poſſetque contingere & illam vnionem non perfici, & Latinam Eccleſiam in confuſione ac deformatione manere, authoritate ſynodali ipſius Latinæ vniuerſalis Eccleſiæ miſerabiliter conculcata, & proſtrata. quæ nullatenus permittere poſſumus, ſed Eccleſiæ retinebimus Deo fauente firmitatem & authoritatem, atque nihilominùs vnionem Græcorum iuxta conuenta pro viribus proſequemur.

Et tamen celebratũ eſt alibi, & quidem feliciter.

Interſerit autem præmiſſa epiſtola veluti pro relatione * crimini, quòd in hac ſancta ſynodo diſpenſationes, commutationes votorum venduntur ac beneficia. Sed neſcimus vnde hæc acceperit, niſi forſitan impugnare velit, quòd in conceſsione indulgentiarum largientibus pia ſubſidia in opus Græcorum, indultum eſt, vt commutationes votorum & diſpenſationes aliquas obtinere poſsint. Nunquid & hoc illicitum eſt, quòd illi ſua peccata eleemoſynis redimant, quæ eleemoſynæ in proſecutionem illius ſaluberrimæ vnionis Græcorum manifeſtè conuertuntur? (Dan. 4.) quomodo autem alias diſpenſationes, quæ hîc conceduntur, vendi aſſerat, cùm homines hîc ad matrem ſuam Eccleſiam congregatam pro diſpenſationibus obtinendis refugere ſæpè notum ſit, ne illas magnas exactiones pecuniarum ſubire cogantur, quæ in curia ipſius domini Eugenij palàm conſtat exerceri? Signet nobis vnum, qui in hac ſynodo beneficium aut diſpenſationem vel aliquod tale vendiderit, & videbit nos protinus debitum iuſtitiæ peragere. Dicit nos beneficiorum collationem, ſibi plerunque adimendo illa, de facto conferre: ſed ſi antiquarum ſynodorum acta perlegerit, quæ Epiſcopos ſæpenumerò inſtituerunt, & deſtituerunt: imò etiam Nicæna ſynodus Euſtathium epiſcopum de Nicæa Beroæ in Antiochiam tranſtulit: ſi etiam Matthiam Apoſtolum & primos ſeptem diaconos per Concilia primitiuæ Eccleſiæ fuiſſe aſſumptos meminerit, non negabit in ipſis beneficijs per ſynodum vniuerſalem miniſtros iuſtitiæ inſtitui poſſe: quod tamen rariſsimè non egimus, imò collationem beneficiorũ (Act. 1. & 6.) per ipſum dominum Eugenium ſuſtinuimus exerceri, licèt multas inordinationes gratiarum expectatiuarum & nominationum agere conſpiceretur: quibus mediantibus, in expugnationem ipſius ſanctæ ſynodi & vniuerſalis Eccleſiæ, varios ſibi conabatur exquirere fauores. ſed cupiebamus ſemper fouere vnitatem & pacem. Verba plurima per hanc epiſtolam in nos grauia proferũtur, quæ etiam, occulta cordium ſine affectibus dijudicans, dicit, quòd creditur in cordibus noſtris potiſsimè ineſſe auaritiæ ardorem. Ecce dum ſubſtantias noſtras conſumimus, dum promotiones & beneficia non quærimus, & ad bonum vniuerſalis Eccleſiæ noſtra vertimus ſtudia, auari vocamur. Proteſtatur huius epiſtolæ principium, noſtra (vt inquit) ſacrilegia iuridicè retundere, ſuperſtitiones & errores velle ſopiri. Sed dum ipſe dominus Eugenius iuſtitiam ſuam proferre debuit, refugit iudicium: diſſoluit, quantum in ſe eſt, Concilium. Et inſuper quæ in Eccleſiam Dei proferat, quo pacto excuſationes

in

in peccatis adducat, præmiſſa teſtantur, quæ certe dolenter proferimus. Nam ipſum & rectius ſapere, & loqui veracius, atque honeſtius optaremus, nec ita coram mundo proprij animi efferre paſsionem. Sed cùm omnia dixit quæcunque voluit, vbi ſunt illa ſacrilegia? vbi ſuperſtitiones? vbi errores quos nobis ineſſe dicebat, & quos ſopire pollicebatur? Melius quidem fuiſſet verba tam iniurioſa ſubticere, vbi nullam penitùs in re ipſa apparentiam afferre potuit, nec Deo fauente afferet in æternum. Nec propter opprobriorũ talium aut quarumlibet detractionum diſſeminationem, proſecutionem boni communis & defenſionem vniuerſalis Eccleſiæ atq; Conciliorum generalium, quibus robur fidei Catholicæ duce Chriſto innititur, eodem adiuuante deſeremus. Paucitatem nobis & imperitiam objicit eadem epiſtola, ſed ſi veritatem amplecti velit, nullam huius ſanctæ ſynodi concluſionem in omnibus his quæ decretata fuerunt, cœptam inueniet, in quam non longè maior pars prælatorum, maior pars doctorum, maior denique pars omnium notabilium virorum conſenſerit, imò plus quàm duæ partes in Concilij idipſum cõuenerunt, quod eſt copioſè congregatũ. & ſi omnium peritiam atque dona ex largitate ſancti ſpiritus diſtributa diuidentes vnicuique prout vult, conſiderantius examinaſſet, parcius talia loqueretur. Tandem illa ſubticendo quæ in emanata citatione dicebantur, vos Chriſti fideles exhortatur, vt ſchiſmata impijſsima & horrenda (vt inquit) ſcandala deuitetis, noſtroſque conatus quos impijſſimos dicit, reprimere ſtudeatis: quæ iam omnia et ſi grauiſſimarum iniuriarum plena ſunt, manſuetè tolerare polliciti ſumus, cùm non nobis ſit animus verbis contendere, ſed conatibus perquirere, quid commodiùs, quid conuenientius agendum ſit pro eccleſiaſtica ſalute. ſed dominus Eugenius ſchiſma ſe abhorrere oſtendit, & ſub timore ſchiſmatis in hoc animos hominum perducere, vt aduerſus hanc ſanctam ſynodum liberè agere poſsit quæcunque volet, & diuiſionem quam ab exordio (vt præmiſſum eſt) inchoauit, ita conducere, vt confundatur ſynodalis authoritas, & libitũ ſuæ præualeat voluntatis, atque ſub velamine comminati ſchiſmatis, ipſe corrigi non valeat: quę res etiam exemplum pernicioſum afferret poſteris, in magnam Eccleſiæ deſolationem. Nam quicquid ſummi pontifices vellent in futurũ, pro libito agere hoc poſſent, omni ſublato timore, confidentes ob metum ſchiſmatis nunquam eorum correctionem per Concilia generalia tentari poſſe. Inſuper dum ſchiſma diſſuadet, ipſe actu ſchiſma pernicioſiſsimum duorum Conciliorum, quale nunquam auditum eſt, erigit, euocando aliud Concilium in ciuitatem Ferrarienſem, contra decreta Concilij Conſtantienſis, & iſtius, ac etiam illa quę ſunt Grecis promiſſa, quæ ipſe expreſsè approbauit. Nos autem fauente Chriſti gratia, nullum ſchiſma facimus: imo veram Eccleſiæ proſequimur vnitatem, vt videlicet tam ipſe Romanus pontifex, quàm cęteri omnes, vnanimiter teneant vnitatem Eccleſiæ congregatæ, & non ſe ſeparent ab his quæ vniuerſali conſenſu ſunt conſtituta. ſoliditatem Petri teneant, quæ non in vnius ſolius perſonæ voluntate conſiſtit, quæ quotidie errare poteſt, cum & aliqui Romani pontifices in errorem lapſi ſint: ſed maximè reſidet in vniuerſalis Eccleſię Catholicæ conuentu, quem Chriſtus, caput verum ipſius, non deſeret vſque ad conſummationem ſeculi. Vtque omnes idẽ ſapiant cum Eccleſia congregata, & ceſſent illa ſchiſmata, quæ proh dolor in oculis noſtris iam vigere conſpicimus, dum ipſe dominus Eugenius in diuiſione inchoata nimiùm perſeuerat, qui etiam rurſum ad diſſolutionem ſemel reuocatam reuertitur, aſsiduèque bonum vniuerſalis Eccleſiæ cõturbat: & nihilominus adhuc expectamus, hoc maximè deſiderantes, vt omnes prælati & principes Chriſtiani ac cæteri fideles, iunctis animis & concordi ſententia, in his diſcriminibus conſulant publicæ ſaluti ac regimini ſalutari totius Eccleſiæ: nam res omnium agitur. hoc petimus & requirimus, vt eccleſiaſticorum copioſus numerus ex omni regione huc affluat, ſicut ad hanc ſynodum vniuerſi ſtatus Eccleſiæ ſunt legitimè vocati, & pariter deliberent quid pro vnitate conſeruanda, & omnibus rebus Eccleſiæ feliciter ordinandis expediat. Vniuerſos quoque iam intelligere ſperamus, hoc non eſſe ſchiſma quærere, ſed potius velle ſchiſma perpetuum deuitare: quod contingeret, ſi ſummi pontifices noſtri temporis à ſacris Concilijs, quorum inſtituta ſui prædeceſſores maximè exequi curabant, ſe vellent pro libito voluntatis aſsiduè disiungere, & eiſdem repugnare: cognoſcentque iam cuncti apertius, quanta ſit neceſsitas pro ſoliditate fidei & Eccleſiæ retinere Conciliorum vnitatem, quæ dum magis oppugnatur, tantò magis in animis hominum eluceſcit: hoc diſponente omnipotenti Deo; qui mala eſſe non fineret, niſi potens eſſet bona etiam ex eis elicere. Ideò dilecti Eccleſiæ filij principes Chriſtiani & vniuerſi fideles, his rebus per Dei gratiam intellectis, cognoſcetis vbi veritas & iuſtitia reſideat, per quã ad pacem poſſumus peruenire ſalutarem. Vos ipſi iuuate & orate, vt dominus Eugenius Romanus pontifex meliori fretus conſilio, & proprio voluntate paululum inclinata, ad pacem, vnitatem & ſalutare regimen eccleſiarum & animarum, benignius ſe conuertat. & illum in viſceribus charitatis hæc ſancta ſynodus paratis animis amplexabitur, totis viribus adiutura, vt ipſe in omnibus bonis ſemper abundet. ad hanc quoque ciuitatem veniant vniuerſi, qui de iure vel conſuetudine Concilijs generalibus intereſſe tenentur. Mittant huc principes ſeculi ſuos oratores, vt ſuper cunctis quæ pro bono Eccleſiæ agenda ſunt, communi omnium conſenſu capiatur concluſio ſalutaris, & in omni pace ac tranquillitate cuncta diſponantur ad gloriam nominis Chriſti, & ſalutem Eccleſiæ ſuę, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum.

Ego pro te oraui Petre, vt non deficiat fides tua. Matth. 28.

Hoc Eugenius non fecit.

Sed æquũ erat vos in re non mala potius à propria volũtate diſcedere, & põtifici obtẽperare.

Datum in noſtra generali congregatione in Eccleſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata xiiij. Calendas Nouembris, Anno à natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſeptimo.

RESPONSIO SYNODALIS, FACTA ORATORIbus Electorum Imperij Romani, &c. inſtantibus vt ſuperſederetur in proceſſu Papæ Eugenij.

SAcroſancta, &c. ad futuram rei memoriam. Audiuit hæc ſancta ſynodus affectionem deuotiſſimam venerabilium Archiepiſcoporum, & cæterorũ illuſtrium Principum Electorum ſacri Imperij, ad pacem & quietem Eccleſiæ, quam vos egregij ipſorum oratores in noſtra congregatione generali diſerta oratione reſeraſtis. viciſſim quoque audierunt diſcretiones veſtræ zelum ſyncerum, quem ſancta eadem ſynodus ad ipſius Eccleſię ſalutem & pacem ſemper geſsit, veluti per venerabilem Archiepiſcopum Panormitanum ex ordinatione huius ſacri Concilij fuit in eadem congregatione latius explicatum. Deinceps pro affectu quem ad pacem in cordibus noſtris ſedulò gerimus, ab eiſdem diſcretionibus veſtris inter deputatos huius ſacri Concilij quæſitum eſt, vt media ad pacem ipſam opportuna velletis aperire. Nam hæc ſancta ſynodus omnia media intendebat gratis animis amplexari, per quæ authoritas Eccleſiæ ſeruaretur illæſa, & reformatio tantis expetita temporibus, & pro qua iam in Concilijs Conſtantienſi, Senenſi, & iſto Baſileenſi tot ſunt adhibiti labores, aliquem tandem fructuoſum ſortiretur effectum, ad Dei gloriam & animarum ſalutem. Vos verò pacis inueniendæ ſpem vos habere dixiſtis, ſi ſuſpenderetur proceſſus aduerſus dominũ Eugenium Papam Quartum inchoatus, & interim opera daretur per dominos veſtros illuſtres, vt ipſe dominus Eugenius diſſolutionem prætenſam Concilij per eum attentatam reuocaret, & ea quæ aduerſus hoc ſacrum Concilium egerat, de quibus atque etiam de iuſtitia ipſius Concilij dominos veſtros * planè informatos eſſe commemoraſtis. Vtque inſuper idem dominus Eugenius decreta ſynodalia ſuſciperet, & de congregando Concilio pro Græcis ſe non intromitteret, ſed fieret apud Græcos ipſos inſtantia, vt venirent ad aliquem trium locorum electorum per Concilium. quod ſi obtineri non poſſet, videretur de aliquo tertio loco eligendo, qui & Concilio & Papæ tutus & accommodus foret, adijcientes quòd ad Papam ſuper his deſtinaremus oratores. Et tandem ſi concordia aliter non poſſet inueniri, ſuper ipſius tertij loci electione Concilium & Papa in aliquos compromitterent. Quibus per vos ex optima intentione & zelo ſyncero (vt credimus) expreſsis, matura deliberatione præhabita, duximus hoc modo reſpondendum: Laudamus & commendamus plurimum deuotionem venerabilium

* plenè.

archi-

archipræſulum & cæterorum illuſtrium dominorum veſtrorum atque veſtram, quam ſimul & iuſtitiam huius ſacri Concilij attentius conſiderare, & pacis media inuenire conari conſpicimus, laboribusque ipſorum & veſtris gratia eſt habenda. Nos quoque ea cupimus efficere, quę ad pacem ſalutarem conſequendam, & piorum veſtrorum deſideriorum conſummationem efficaciora ſint. Speramus autem, fauente Chriſti clementia, pacem ipſam nobis & vobis pariter deſideratam, inueniri poſſe, ſi ſororem pacis iuſtitiam non prorſus abiecerimus. Nam ita iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, atque tali vinculo fœderatæ, vt quiſquis vnam ſine altera quęrit, neutram valeat amplecti. Si conſtantibus animis viam iuſtitiæ & veritatis ingrediamur, authoritatem Eccleſiæ & determinationes fidei iam in pluribus Concilijs promulgatas, atque per vniuerſalem Eccleſiam approbatas, totis viribus defendamus, quę concorditer acclamant, Romanum pontificem teneri obedire vniuerſalibus Concilijs in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in capite & membris, ac pertinentibus ad ea: vt quod veritas ipſa declarata ſonat, opere impleatur, pacem optimam & nunc & in futurum vniuerſa Eccleſia conſequetur. Nec Romani pontifices pro libito ſuæ voluntatis implendæ aduerſus vniuerſales ſynodos tanta bella mouebunt in continuam perturbationem Eccleſiæ, ſed benignè amplexabuntur, quæ vniuerſali conſenſu ſunt inſtituta pro ædificatione ipſius Eccleſiæ & animarum ſalute. Ipſi quoque hoc pacto à ſynodis vniuerſalibus omni fauore & honore tractari merebuntur. Inducunt nosettetereà exiſtimare de futuris, dominum Eugenium Papā Quartum faciliùs ad hanc pacē inclinari poſſe pro ſalute animæ ſuæ, & totius Eccleſiæ, ſi proceſſus inchoatus per hanc ſanctam ſynodum continuetur, quàm ſi eodem proceſſu ſuſpenſo, nudis precibus de hoc interpelletur. Meminiſtis, vt credimus, dum altera vice Concilium diſſoluerat, neque precibus inclytę memoriæ Sigiſmundi Imperatoris Romanorum, nec archipræſulum & cæterorum illuſtrium principum electorum ſacri Imperij, aut quorumlibet aliorum, ad huiuſmodi reuocandam diſſolutionem induci potuiſſe, donec ad ſuſpenſionem ipſius ab adminiſtratione Papali hæc ſancta ſynodus procedere decreuit. Vbi verò nunc longè grauiora, longè duriora peregit, & ſemel reuocatam diſſolutionem iterum attentauit, quid putandum eſt ex dilatione proceſſus euenturum, niſi duriorem ipſius in cœpto propoſito perſiſtentiam? Iam ſemel poſt eius accuſatam contumaciam, dilationem ſexaginta dierum ad inſtantiam præfati Imperatoris ac illuſtrium dominorum veſtrorū dedimus. Et poſt lapſum illorum adhuc alijs plurimis diebus expectauimus. Quid iſtæ dilationes profecerint, vos ipſi conſpicitis: quoniam etiam dominos veſtros illuſtres literas & nuncios ad eundem dominum Eugenium miſiſſe commemoratis. Et quanquam plurimùm ſit eorum diligentia commendanda, nihil tamen ad ſalutem Eccleſiæ Dei obtentum eſt. Interìm ipſe dominus Eugenius literas & nuncios ad diuerſas regiones miſit, in huius Concilij expugnationem: interim plurimos ad adeundum prætenſum Ferrarienſe Concilium conuocare ſtuduit, in ſciſſuram Eccleſiæ: interim laborauit vt Græcos ad locum quem vellet, poſſet adducere, vt ſub vmbra conuentionis eorum, correctionem effugere, & obedientiam quam huic ſanctæ ſynodo exhibere tenetur, eludere valeret. Cuius rei aſſequendæ gratia, iam aduerſus honorem Eccleſiæ Latinæ plurima ſcandala per ipſum dominum Eugenium atque ſuos, etiam in oculis Græcorum commiſſa ſunt: & nunc in foribus eſt ſchiſma inauditum duorum Cōciliorū, per erectionē ipſius prætenſi Concilij Ferrarienſis. Iam imminet ſperatæ reformationis extinctio, authoritatis vniuerſalis Eccleſiæ proſtratio, ſi non celeriter occurratur, neque aliud remedium nobis ſupereſt, quàm vt per continuationem proceſſus & iuſtam ſuſpenſionem ab adminiſtratione Papali, ipſe dominus Eugenius ad viam iuſtitiæ & ſemitam veritatis reducatur, per quam pax gratiſsima non tātùm in hoc tempore, ſed & diebus futuris donetur populo Dei. Nec iſta ſuſpenſio eſt ipſius depoſitio. adhuc illa differetur. nec ad eam niſi cum magna maturitate hæc ſancta ſynodus procedere intendit. & interim illuſtrium dominorum veſtrorum pia deuotio apud ipſum dominum Eugenium laborare poterit, vt pacem Eccleſię donet. longè quoque faciliùs, Deo adiuuante, ſua conſequentur deſideria, vehementiusque dominum ipſum ad pacis amplexus excitabunt, imminente depoſitione ſua, ſi non aſſenſerit precibus ipſorum, quàm ſi ſuſpēderetur proceſſus. erit enim per Dei gratiam hæc ſuſpenſio non letalis vulneratio, ſed medicina ſalutaris. habebitisque in vlteriori dilatione quod à nobis expoſcitis, tempus proſequēdi ſalubria media pacis, ad quorum cupitos amplexus hanc ſanctam ſynodum ſemper paratam inuenietis. Offert autem hæc ſancta ſynodus venerabilibus Archiepiſcopis & cæteris illuſtribus dominis veſtris plurimo honore digniſsimis, quicquid ad pacem & proſperitatem ſacri imperij & omnium prælatorum atque principum inclytæ Germaniæ efficere poterit, exhortans in domino deuotiones eorum, vt ſaluti Eccleſiæ ac paci ſemper intendant, benignosq; fauores ſemper & auxilia huic ſanctæ ſynodo iugiter largiantur: & cum bona concordia atque diligentia debita talem futurum Imperatorem eligere curent, qui languoribus vniuerſalis Eccleſiæ ſua aduocatione ſubuenire poſsit, & vniuerſum populum Dei inter præſentium temporum calamitates conſolari: ad ipſius omnipotentis Dei gloriam & honorem, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Vide Bullã retractationum Pij 2. quæ infrà habetur.

Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali, xvj. Calendas Februarij, Anno à Natiuitate domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo.

RESPONSIO SYNODALIS AD FVNDAMENTA *& rationes primæ & ſecundæ ſeſsionum conuenticuli Ferrarienſis, oſtendens quòd Papa erigendo ipſum conuenticulum introduxit ſchiſma in Eccleſia Dei.*

Ferrarienſem ſynodum & Latini & Græci venerantur.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Vt inter varias fluctuū procellas, quibus nauicula Petri (ſacroſancta Chriſti Eccleſia) agitatur, cuncti fideles portum veritatis conſpiciant, in quo animæ ipſorum ſalubriter quieſcere poſsint in acquiſitionē æternæ ſalutis, nec timeant fluctus varios tribulationum, quæ aduerſus veritatem ipſam & Eccleſiæ ſtabilitatem excitantur, ſed vſque in aduentum domini ſtabiles atque firmi permaneant: apertiſsimè coram omnibus viuentibus declarare duxit hæc ſancta ſynodus, quid in fauorē defendendæ veritatis, ad ſtatus eccleſiæ conſeruationem, & diuinæ legis obſeruationem indefeſsè proſequitur.

Hæc enim veritas eſt, quòd Romani pontifices Concilia vniuerſalia actu congregata, diſſoluere ſine ipſorum conſenſu Conciliorum non poſſunt, neque de loco ad locum mutare aut prorogare. Hæc iterum eſt veritas, quòd Concilium vniuerſale poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui Romanus pōtifex tenetur obedire, in his præſertim, quę fidem concernunt, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem generalē Eccleſię in capite & membris ac pertinentibus ad ea. Hæc eſt etiam veritas, quòd Romanus pontifex non poteſt ea immutare, quæ concernunt vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum, quæ quidem veritates ſibi mutuò cohærent.

Hęc reprobauit & damnauit Eugen. 4. vt habetur ſuprà ſeſsione 38.

Si enim liceret Romano pontifici congregatum Concilium diſſoluere, prorogare, de loco ad locum transferre contra ipſius conſenſum: & dum in vno Concilio agerentur, quæ ſibi non placerent in facto fidei aut generalis reformationis, aut ſchiſmatis & talium, huiuſmodi transferre ad alium locum placitum ſibi, & ibi homines congregare: & ſi ibi iterum non fieret quod vellet, tranſmutare in locum alterum, ſicque totam Eccleſiam de loco ad locum ducere & reducere: quis non intelligit, ex hoc obedientiam ipſius ad vniuerſale Concilium, eccleſiam militantem repræſentans, poſſe fruſtrari? Quomodò enim Concilium Papam in facto fidei, generalis reformationis, & cæteris iudicare poterit, ſi illicò, vt iudicare cœperit, valeat per Papam diſſolui, aut mutari? Quis intellectus hoc capit, vt Concilio in Papam iuriſdictionem exercere donatum ſit à domino, & tamen Concilium ipſum ſe in aliquo loco ſtabilire non poſſit, in quo iuriſdictionem huiuſmodi exerceat, ſed ex volun-

Epheſina 2. ſynodus legitimè coacta per Leonem Papam damnata eſt, & illo volẽte aliò tranſlata.

tate Papæ totaliter dependeat ipſius mutatio? Qualiter in his quæ ſunt fidei, obediet Concilio, ſi Concilium vniuerſale pro declarationibus fidei & extirpationibus hæreſum cógregatum, dum voluerit, in quemcunque locum citramarinum, aut vltramarinum mutare poſsit contra conſenſum ipſius? & iam dominus Eugenius Papa Quartus pridem in Conſtantinopoli conuentionem Latinorum cum Græcis habere volebat, quam ipſi Græci ſynodum vniuerſalem fore dicebant, quod in effectum deduci non potuit, dum hoc ſacrum Baſileenſe Concilium nequaquam * conſentijt, arbitrans ex ea re grauia detrimenta poſſe Latinæ Eccleſię imminere. Quomodò denique Eccleſiam congregatam audire compelletur Romanus pontifex, ſi ipſis congregationem, prout ei videbitur, valeat immutare? Cuius Eccleſiæ authoritas, reſpectu cuiuſlibet fidelis cuiuſcunque dignitatis, in ipſis verbis Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri fundata eſt, dicenti Simoni Petro: Si te non audierit, dic Eccleſiæ: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Subdens poſt pauca: Vbi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, & ego ſum in medio eorum. Ex quibus diuinis verbis authoritatem eſſe attributam Eccleſię cógregatæ & vniuerſali Concilio ſuper quemcunque fidelem cuiuſcunque dignitatis, oſtenditur: ad cuius eccleſiæ iudicium etiam Petrum, & in eo quemlibet ſucceſſorem Romanum pontificem, Chriſtus recurrere iubet, atque illius acquieſcere iudicio, quod & doctorum ac ſanctorum doctrinæ, declarationes ſacrorum Conciliorum plenè affirmant. & dum his nouiſsimis temporibus ex doctrinis malè intellectis, nonnulli argumenta & dubia aduerſus authoritatem ipſorum vniuerſalium Conciliorum afferre conabantur, frequenter ea quæ de Romano pontifice erga ſingulos diſperſos ſcripta erant, ad vniuerſalis Concilij congregationem applicantes, celeberrimum Conſtantienſe Concilium dubitationum talium hæſitationem à mentibus fidelium ſuſtulit, & viam futuris præcluſit erroribus. Sed neque à principio naſcentis Eccleſiæ vſque in hoc tempus auditum eſt, quempiam Romanorum pontificum hoc attentare, vt Concilium Eccleſiæ quod vniuerſale reputaret, contra conſenſum ipſius de loco ad locum ducere, aut ipſum diſſoluere præſumeret. Nunquid beatiſsimus Petrus Apoſtolorum & diſcipulorum domini congregationem, dum celebraretur, voluit aliquando ipſis inuitis diſſoluere, aut in aliam mutare regionem? Nunquid aliquis aliorum id ipſum agere viſus eſt, vſque quò aduenit ipſe dominus Eugenius, qui hanc ſanctam ſynodum Baſileenſem legitimè congregatum in ſpiritu ſancto, paulò poſt eius prima exordia, diſſoluere & in aliud tempus prorogare, atque in ciuitatem Bononienſem transferre tentauit, dicens ſe ob cauſam reductionis Græcorum id agere, ſicuti ex tenore literarum ſuarum ſuper huiuſmodi diſſolutione factarum apparuit? Sed continuò fuit ei declarata ſupradicta veritas, quòd Concilium cógregatum diſſoluere, prorogare aut transferre non poterat ſine conſenſu ipſius, & in ſecunda ſeſsione eiuſdem ſanctæ ſynodi poſita eſt eadem declaratio, vbi poſt recitationem duarum declarationum Conſtantienſis Concilij, hæc verba ponuntur: Præmiſsis igitur & nonnullis alijs Conſtantienſis Concilij attentis, præſertim capituli quod incipit, Frequens, prælibata ſynodus Baſileéſis decernit & declarat, quòd ipſa pro hæreſum extirpatione ac morum generali reformatione in capite & in membris, necnon pace inter Chriſtianos procuranda, vt præmittitur, in ſpiritu ſancto legitimè congregata, per nullum quauis authoritate, etiam ſi Papali dignitate pręfulgeat, diſſolui aut ad alium locum transferri, ſeu ad aliud tempus prorogari debuit aut potuit, debet aut poteſt, debebit aut poterit in futurum, abſque eiuſdem ſynodi Baſileenſis deliberatione & conſenſu. Hæc habentur in præfata ſeſſione. Deinceps autem verbis illis vtamur, quæ in decreto duodecimæ ſeſsionis huius ſanctæ ſynodi, in qua etiam ſeptem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales præſentes erant, legatusq; ſedis Apoſtolicæ præſidebat, poſita ſunt: dominus Eugenius ad nos quatuor oratores tranſmiſit, non vt emendarent, ſed errata defenderent: noſque increparent, quòd mox ſuæ prætenſæ non paruiſſemus diſſolutioni. quibus per reſponſiones huius ſacri Concilij veritas tam iuris diuini & humani, quòd ſine conſenſu Concilij ipſum diſſoluere nequiuerat: quàm facti, quòd cauſæ prætenſæ diſſolutionis veræ non fuerant, extitit luce clariùs patefacta. Hæc ilicò tunc diximus, commemorantes illam eſſe veritatem iuris diuini & humani, quòd ſine conſenſu Concilij ipſum diſſoluere nequiuerat, prout latiùs in quadam reſponſione noſtra, incipiente, Cogitanti, &c. fuerat declaratum. Sed & quantum nobis cordi eſſet, hanc iuris diuini & humani veritaté, prout tenebamur, defendere, & errori contrario reſiſtere, in altera noſtra reſpóſione, q̃ incipit, Sperauit, &c. data oratoribus ipſius domini Eugenij in noſtra cógregatione generali, in qua & ipſi Cardinales numero ſeptem & legatus Apoſtolicus præſentes aderant, apertè oſtendimus, hæc verba inter cætera proferentes: Caſſetur ergo Concilium Conſtantienſe, & decreta ſanctorum patrum, quæ declarant, in his quę vniuerſalem Eccleſię ſtatum concernunt, Papam nihil poſſe immutare. Fruſtra enim membranas occupant, ſi vnico verbo Papa poteſt illa mutare: & quod deterius eſt, authoritate eccleſiæ talia poſſe videretur, ſi poſt huiuſmodi contradictionem inter Concilium & Papam ortam, Concilium quaſi victum liti cederet, & ipſum & alios Romanos pontifices in poſſeſsionem diſſoluendi Concilia poneret. Et poſt pauca ſequitur: Mori malumus, quàm tanto errori per ignauiam cedere. Deinde ſubiungitur ibidem: Hic articulus de quo diſceptam⁹, fidé cócernit, qui ſine interitu ſalutis negligi non poteſt. Si dominus Eugenius Eccleſiam ſanctam non audierit, quam hoc ſacrum Concilium repræſentat, oportebit tandem haberi vt ethnicum & publicanum. Si eccleſiam amplius offendere non vult, recognoſcere neceſſe habet, hoc verum fuiſſe & eſſe Concilium, ipſumque diſſoluere nequiuiſſe. Hæc ſunt verba reſponſionis illius, quæ hîc inſerenda duximus, malentes antiqua repetere, quàm noua proferre. Inſuper declaratum eſt in octaua ſeſsione: Si Romanus pontifex aliud Concilium erigeret, durante iſto, nó fore Concilium, ſed ſchiſmaticorum conuenticulum. Deinde duodecima ſeſsione generaliter aduerſus Romanos pontifices Concilia generalia diſſoluere, prorogare, aut de loco ad locum mutare volentes ſine conſenſu ipſorum Conciliorum, pœnæ ſuſpenſionis & depoſitionis decretæ ſunt. Demùm autem cùm iam vltra annum & dimidium ipſe dominus Eugenius aduerſus præfatam veritatem repugnaſſet, præcepit ſibi & mandauit hæc ſancta ſynodus per pręfatum decretum duodecimæ ſeſsionis, vt diſſolutionem per eum attentatam reuocaret, & hoc ſacrum Baſileenſe Concilium legitimè inchoatum, declararet, à tempore huiuſmodi inchoationis continuatum fuiſſe & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuarique ac proſecutionem habere debere: quod ſi non faceret, infra terminum ſexaginta dierum, ex tunc adueniente termino, eſſet ab omni adminiſtratione Papali ſuſpenſus: tandem huic monitioni paruit, & in forma ſibi per hoc ſacrum Concilium in decimaquarta ſeſsione ipſius deſignata, reuocationem fecit per ſuas literas more Romanæ curiæ bullatas, decernens & declarans de conſilio & aſſenſu Cardinalium ſibi tunc aſsiſtentium, generale Baſileenſe Concilium à tempore prędictæ inchoationis ſuæ legitimè continuatum fuiſſe & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe, continuari & proſecutionem habere debere ad prædicta & pertinentia ad ea, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta fuiſſet: declarans etiam præfatam diſſolutionem irritam & inanem, reuocans inſuper, caſſans & irritans duas literas ſuas in palatio Apoſtolico promulgatas, & tertias incipientes, Deus nouit, & quicquid ſuo nomine in præiudicium derogationem prædicti ſacri Baſileenſis Concilij, ſeu contra eius authoritatem factum, attentatum ſeu aſſertum erat, eadem nulla & irrita fuiſſe declarãdo, addens quòd à nouitatibus & grauaminibus, ſeu prçiudicijs inferendis ipſi ſacro Concilio, vel ſuppoſitis eius & adhærentibus eidem, realiter & cum effectu deſiſteret. Quibus per dominum Eugenium ſic ſolenniter decretatis & declaratis, arbitrati ſumus eundem iam illi veritati mente integra, prout tenebatur, adhærere, quòd Concilium vniuerſale diſſoluere non poterat ſine conſenſu ipſius, dum illam diſſolutionem quam vltra duos annos ſuſtinuerat, & tranſlationem in Bononiam, quamque per totum orbem publicauerat, quam

for.* conſenſit.

Matth. 18. Hęc nihil faciunt cótra authoritaté Pontificis.

Sed ipſe legatus & multi alij ad Eugenium redierút, relictis Baſileenſibus.

Tota Eccleſia aliter ſentit de Concilio Ferrarienſi & Florétino

Sed ſcribit Platina adeò tunc eum bellis vndiq; fuiſſe vexatũ, vt vix ei reſpirãdi facultas daretur. Itaq; poſteà ſententiam mutauit.

quam etiam propter cauſam reductionis Græcorum factam eſſe dicebat, irritam & inanem eſſe decreuit, dicens, illa non obſtante, ſacrum Baſileenſe Concilium à tempore inchoationis ſuæ legitimè continuatum fuiſſe. quod quidem nullatenus legitimè continuatum eſſe poterat, ſi poteſtatem diſſoluẽdi & transferendi ſine conſenſu Concilij ex cauſa quam neceſſariam arbitrabatur, habuerat. Sic iam illam veritatem iuris diuini & humani, illum articulum qui fidem concernit, vt præmiſimus, etiam dominus ipſe Eugenius approbauit, totaq; Eccleſia & populus Chriſtianus in hac veritate conquieuit. Sed heu dolor vehementiſsimus rurſum vniuerſam conturbat Eccleſiam. dum enim ſacrum hoc Baſileenſe Concilium videns maximam eſſe deſolationem, cuius reformationi & ſalutari gubernationi pro honore Dei & ſalute animarum iam multis quęſitæ laboribus, & toti populo Chriſtiano deſideratæ, ipſe dominus Eugenius multis annis obſtiterat, qui cæteris omnibus viam ſalutis debuerat oſtendere: videns etiam grauiſsimam ſciſſuram quam dominus Eugenius in eccleſia excitauerat, galeas & oratores in Græciam tranſmittendo aduerſus legationem huius ſanctæ ſynodi ibidem deſtinatam cum multa impenſa facultatum noſtrarum, & earum quæ ex gratuitis ſubſidijs fidelium populorum collectę ſunt, atque illa perturbando, quę cum Imperatore Romeorum & patriarcha Conſtãtinopolitano eadem hæc ſancta ſynodus cõcordauerat, quibus & ipſa ex integro ſatisfecit, vt ſic ipſe dominus Eugenius poſſet ad locum quem vellet, modis indebitis vniuerſam perducere Eccleſiam, vbi poſſet dictare quæ ſibi placerent, obedientiam huius ſanctæ ſynodi & reformationem ſubterfugiendo, decretaq; Concilij Conſtantienſis & iſtius ac veritates declaratas illudendo: qui & nunc Florentiam pro loco Concilij habere volens, nunc illa relicta, Bononiam aut Ferrariam, vel locum alium pro libito ſuæ voluntatis pro ipſo Concilio aſsignare, iam ad id manifeſtè redibat, quòd Concilia vniuerſalia de loco ad locum ducere, & mutare vellet, prout ſibi videretur: videns ſacrum Concilium hæc & alia plurima per dominũ Eugenium in offenſam diuinæ maieſtatis & totius Eccleſiæ de facto attentari, voluit (prout tenebatur) remedium apponere, & regimini ipſius eccleſiæ Dei, prouiſionem quęrere ſalutarem. Tunc dominus Eugenius iterum de facto vniuerſale Concilium ſine cõſenſu eius diſſoluere, & in ciuitatem Ferrarienſem transferre * dixit, caſu quo contra ipſum, aut aliquem oratorum ſuorum præſidentium in Concilio, procederetur, aſſerens ſe hoc facere ex authoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis, iterum veritatem tãtoperè declaratã, vehementius oppugnare aggreſſus eſt, præfigens etiã terminũ triginta dierũ, vltra quos hanc ſanctam ſynod inũ facto Bohemorum, quicquam agere prohibebat: & iuriſdictionẽ ſuprà Concilium aſſumens in his, quæ reformationem generalem Eccleſiæ, ac etiam fidem concernebant: atque illi veritati declaratæ expreſsè repugnans, quæ ipſum aſſerit teneri obedire vniuerſali Concilio in iſtis & pertinentibus ad ea. Adiecitq́ue ipſe dominus Eugenius pœnas & cenſuras, ſi contra factum eſſet, totum decernens irritum & inane. Quis nõ videt hic veritatem conculcari, ſtabilitatem & firmitatem Eccleſiæ proſterni, ſi non diuina clementia ex alto prouideret, atque ſeruis ſuis in eius nomine congregatis, virtutem reſiſtendi præſtaret, opponendique ſe murum pro domo Iſrael, & oſtendendi exemplo * ſcandalum in prælio in die domini? Quid vltrà? dominus Eugenius ſe æſtimans exinde fieri fortiorem in hac expugnatione veritatis, conuenticulum apud Ferrariam ſub nomine Concilij generalis erexit, ſchiſma grauiſsimum realiter inducendo: quod quidem fore conuenticulum ſchiſmaticorum, aperte fuerat declaratũ. Ex his omnibus euidentiùs conſtare poteſt, conſiderãtibus veritatis illius claritatem apertiſsimam, quòd Papa vniuerſale Concilium contra conſenſum ipſius Concilij diſſoluere non poteſt, aut de loco ad locum tranſmutare, quam omnes docti & indocti ex ſupradictis lucidiſsimè conſpicere poſſunt. Quid igitur neceſſe eſt, vt fundamenta ipſorũ Ferrariæ conuenientium conemur eludere, quę in prætenſa ſua prima ſeſsione poſuerunt, allegantes decretum noſtrum decimænonę ſeſsionis per Papam approbatum, cui manifeſtiſsimè illius Conciliabuli erectio contradixit? Nam in eo decreto cauetur, vt Concilium Baſileæ firmum remaneat, donec Græci ad portum applicuerint, qui portus ſimiliter & locus futuri Concilij, non per Papam, neque per aliquem aliũ, ſed per Concilium, aut eius oratores determinari debebant. Videant ſi hoc obſeruauerunt, & qualis ratio fundamentalis ſuæ prætenſæ ſeſsionis fuerit, aduertant. Subiecerunt etiã de ſchedual, quam apud nos concluſam dicunt, & conuẽtionalem appellant, quaſi ex ea erectionis talis Conciliabuli velint aliquam apparentiam aſſumere. Sed ſi omnes ſchedulas huius ſacri Concilij ab ipſius exordio legant & relegant, nũquam inuenient, ex verbis aut ſcriptis aut intentione eiuſdem Concilij proceſsiſſe, vt domino Eugenio cõcederetur, quòd ſub quocunq; colore poſſet pro tranſmutatione Concilij nunc Florentiam, nunc Bononiam, nunc Ferrariam aſſignare, aũt ipſum quando ſibi videretur, diſſoluere. Quòd ſi de ſchedula ipſa loqui volunt, in qua concludebatur, certum terminum ciuibus Auinionenſibus aſsignari, infra quẽ pecuniarum expeditionem pro legatione mittenda in Græciam facerent, & nobis intimarent; alioquin vniuerſali Eccleſiæ per alterius loci electionem prouideretur: non fuit illa conuentio Concilij cum aliquo, ſed concluſio facta inter nos, vt Auinionenſes ipſi eam expeditionem non nimium protelarent, cuius concluſionis interpretatio & declaratio iuxta caſus occurrentes, & omnimoda diſpoſitio ad ipſum Concilium pertinebat, nec poteſtatem circa hoc diſponendi, in aliquem vel aliquos idem Concilium tranſtulit. Dum autem pendente termino, ſuperuenit proteſtatio per præſidentes Apoſtolicos, facta aduerſus decretationem loci Auinionenſis, in ſchedula ipſa cum alijs locis Baſileæ & Auinionẽ. poſitam, quæ non paruam occaſionem retrahendi animos Auinionenſium ab expeditione pecuniarum præſtabat, dum plurima impedimenta per dominum Eugenium & ſuos in Auinione huic expeditioni interim præſtita ſunt. Dum etiam ita accidit, vt noſtri oratores in Auinionem applicantes, non inuenirent præcipuos gubernatores ciuitatis, quorũ durante abſentia, res expediri non poterat: quibus illuc redeuntibus, tandem talis diligentia appoſita eſt, quòd circa terminum aſsignatum ciues ipſi fideliſsimi nobis intimàrunt, ſe contentaſſe capitaneum galearum noſtrarum de triginta millibꝰ florenorũ, & cautos ac ſecuros feciſſe oratores noſtros de toto reſiduo petitę pecuniæ, prout & ipſi oratores noſtri eo tunc ſuis literis intimàrunt. Requirebantque Auinionẽ. ipſi, vt ad declarationẽ electionis loci iam factæ procederet Concilium. Viſum eſt aũt ipſi Concilio, quòd attentis omnibus prædictis, præfati Auinionenſes intentioni eiuſdẽ Concilij ſatisfecerant, quodq́; præfata decretatio fieri debebat. Nam & per hunc modum melius prouidebatur vniuerſali Eccleſiæ pro expeditione legationis in Gręciam, quã iterum intrando nouas & magnas difficultates electiõis alterius loci, dimittendo omnia quę iã parata erant cum magnis ſumptibus, & frangendo conuẽtionem cum capitaneo galearum initam per totum Concilium, cui & legatus Apoſtolicus vexillum Eccleſiæ & baculum peregrinationis manu propria tradiderat, cui etiam tanta ſumma pecuniæ iam fuerat aſsignata. Nunquid ex hoc fuit data poteſtas alicui vel aliquibus, vt contra conſenſum duarum partium Concilij & amplius poſſent ſe ſynodum generalem, repræſentantem vniuerſalem Eccleſiam, nominare & tradere totum Concilium in manus Papæ, vt ipſum in Florentia, & deinde in Bononia aut Ferraria poneret, vel in quocunque loco, quem ipſe tutum & ſibi atq; Græcis accommodum iudicaret, & pro quo galeas & pecunias faceret expediri? Nunquã enim auditum eſt in aliquo legitimo vniuerſali Concilio, quòd minor pars nominans ſe generale Concilium, decretaret quæ ad vniuerſalis Eccleſię ſtatum pertinebant contra ſententiam plurimorum. Et ſi hoc permitteretur, via periculoſiſsima diuiſionum in Concilijs vniuerſalibus futurarum, & totalis deſtructionis ipſorum aperta videretur. vtq; exempli gratia hoc dicamus, non ſolùm ſimplici concluſione, ſed decreto ſolenni firmatum eſt in vndecima noſtra ſeſſione, vt ſummi pontifices Concilia vniuerſalia ſine conſenſu ipſorum diſſoluentes, ſi infra quatuor menſes non reſipuerint, ſint ipſo facto ſuſpenſi. Et ſi ſuſpenſionem hanc per duos menſes ſuſtinuerint, ad eorum depoſitionem procedatur. Nunquam in eo caſu, ſi maiori parti ex bonis cau-

fol.* ſe dixit.

Ezech. 13. for.* ſtandum.

Licèt B. leenſes ı nõ prob rint, tai Papa fec tota approbant Eccleſia

Pius 2. ſcribit Eugenium nõ ſine ratione in Italia Conciliũ petiiſſe. Itaq; in re nõ mala obtẽperandum illi erat.

ſis videatur, non ſtatim ad talem depoſitionem procedendum, minor pars ſibi authoritatem procedendi ad eandem depoſitionem aſſumet? Denique, quis ſapiens exiſtimabit hanc intentionem Concilij vnquàm fuiſſe, vt paucis aliquibus poteſtatem dare vellet auferendi ſibi libertatem electionis loci, & eam pro pecunijs & galeis habendis iudicio domini Eugenij. attentis circunſtantijs negotiorum Eccleſiæ, ſubijcere, quam libertatem non ſibi pro quacunque auri vel rei temporalis compenſatione tradidiſſe Eccleſia? & ſi Auinionenſes defeciſſent, confidebat hæc ſancta ſynodus in domino, quòd aliunde ſuæ Eccleſiæ benè prouidiſſet, authoritatem vniuerſalium Conciliorum conſeruando, veritates declaratas manu tenendo, & reformationem ipſius Eccleſiæ atque illa ſancta opera inchoata cófouendo. Conſpiciant igitur illi qui Ferrariæ conuenerunt, veritatem rerum, & de ipſa meliùs ſe informent, ne ſuarum prætenſarum ſeſſionum in diuiſionem Eccleſiæ, tam inania iaciant fundamenta, quæ nec vllum colorem talia faciendi ſibi afferre potuerunt. Prætereà adiecerunt, quòd ſchiſma venturum permiteſcebant & impedimentum vnionis Græcorú. O mirandam allegationem, ſchiſma ſe timere dicentes,

3.Reg.12.

realiter ſchiſma grauiſſimum perpetrârunt, aliud Concilium contra iſtud erigere volentes, quaſi altare contra altare

Pſal.13.

ponentes, actu etiam perturbando quæcunq; cum Græcis fuerant cócordata. Sed quid trepidare debebant timore, vbi nó erat timor, dum iſtud concilium videns Eccleſiam vndique turbari per ea, quæ dominus Eugenius tam in Græcorum negotio, quàm in cæteris rebus (vt præmiſſum eſt) attentauerat, flebili querela plurimos ſuorum defectuum commemorans, vocabat ipſum dominum Eugenium, necnó etiam ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales conuocabat, vt in hanc ciuitatem Baſileen. omnibus ſecuram, cum alijs Eccleſiæ filijs aduenirent, ſaluti Eccleſiæ in tanta neceſſitate conſulturi, & ſuper omnibus agendis tam in facto Græcorum, quàm in alijs vnanimiter prouiſuri? quod ſi factum fuiſſet, ſicut ſyncera intentione deſiderabat hæc ſancta ſynodus, non iam tantis procellis agitaretur Chriſtiana religio: omniaque ſedari & pacificari potuiſſent, poteratque hoc modo vera vnitas & tranquillitas Eccleſiæ dari. Illi verò timentes, ad ſchiſma perpetrandum proruperunt. Illique ſchiſma faciunt, qui ab vnitate Eccleſiæ congregatæ ſe

Veinã hoc in vos nó quadret.

ſegregant. Sed quid vltrà in reſpódendo illis, quæ apud Ferrariam aguntur, inſiſtimus? licèt enim ibi conuenientes tractent, loquantur aduerſus hanc ſanctam ſynodum, eiusque ſuppoſita, & eas quas appellant ſeſſiones celebrare conentur, vnico verbo omnia ſoluuntur, omnia deſtruuntur, ac vnica veritate declarata, velut vno ſole lucente, omnes factorum illorum & dictorum riuuli exiccantur: Papa concilium Baſileen. ſine ipſius conſenſu diſſoluere aut de loco ad locum mutare non poteſt. Hæc veritas fundata eſt ſupra firmam petram, aduerſus quam dominus Eugenius tantis temporibus decertauit, cui & iam ſemel cedere apertè compulſus eſt: hæc omnes fulminationes pœnarum, quæ ad-

Nó eſt ita.

uerſus ipſum Baſileenſe concilium, ſuppoſita eius & adhærentes eidem promulgantur, irritas facit: hæc illud conuenticulum in conſpectu Dei & hominum proſternit, hæc cum cæteris aggrauantibus ipſum dominum Eugenium ſuſpenſum eſſe fecit ab omni adminiſtratione papali, ad cuius ſuſpenſionis declarationem quàm iuſtè poſt monitiones dilationes congruas proceſſerimus, ex alijs noſtris decretis & epiſtolis euidentiùs conſtare poteſt: per quæ etiam omnibus ſatisfecimus, quæ aduerſus hanc ſanctam ſynodum & proceſſus ipſius, dominus Eugenius inducere conabatur. Verùm adhuc ipſe poſtquàm ab omni adminiſtratione papali ſuſpenſus eſt, ſuppoſita huius ſanctæ ſynodi grauibus pœnis, necnon etiam dilectos Eccleſiæ filios ciues Baſileenſes afficere nititur, ſi ipſam ſanctam ſynodum diutiùs ſuſtinuerit: victualiaque & alia neceſſaria ad vſum hominum denegari iubet, quo ipſos viuentes necare auſus eſt, ac denique aliqua portantes ad hoc concilium, ſpoliari, & corú ſpolia primo capientium occupare cócedit. Et quid hæc omnia valent, etiam ſi multò adijcerentur grandiora, dum ab illo fiunt, qui ab omni adminiſtratione pápali ſuſpéſus eſt? vt qd fruſtrà tam vehementes ictus illo gladio vibrare conatur, qui iam à ſuis manibus prouidè ereptus eſt. Poſt hæc tamen ſubijcit, omnia relaxari & pro infectis haberi velle, quo ad illos qui infra terminum per eum aſſignatum, obedientes fuerint: omnia remitti vult, dummodò ſuæ voluntati hæc ſancta ſynodus obediat. Fuiſſemus autem & nos parati ſuæ complacere voluntati, ſi non repugnaſſet veritati. Sed non poteſt eadem ſancta ſynodus illum deſere- Ioan.14.

re, qui eſt via, veritas, & vita, vt hominis morituri impleat voluntatem: non poteſt conſentire, vt ſolidam veritatem Eccleſiæ in vacillationem adducat, vt ſtabilitas & firmitas veritatum, quas ipſa Eccleſia declarauit, victa reddatur: quibus proſtratis, nec pax, nec ordo, nec decor in Chriſtiana religione manerent. Et cùm ante quadriennium aduerſus primam diſſolutionem, præſentibus etiam hic (vt præmiſſum eſt) pluribus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus & ſedis Apoſtolicæ legato, diceremus: Malumus mori, quàm tanto errori per ignauiam cedere: Hic articulus de quo diſceptamus, fidem concernit, qui ſine interitu ſalutis negligi non poteſt: non poſſumus nunc dicere: Foueamus erro-

Magnum periculú, ſi in re nó mala Pontifici obtẽperetis.

ri, ſalutem noſtram negligamus, non debemus eſſe homicidæ animarum noſtrarum, & aliorum fidelium, vt dominum Eugenium, & ſucceſſores ſuos ponamus in poſſeſsionem diſſoluendi generalia concilia contra conſenſum ipſorum, & ipſis nullatenùs obediendi. Nec id tolerandum eſt, vt ſub vmbra adducendi Græcos in Ferrariam & locum ſuæ voluntati deditum, aut per quaſcunq; practicas, authoritatem vniuerſalium conciliorum conculcet, veritatem ac ſtabilitatem Eccleſiæ proſternat, & ſub colore proſequendi modis excogitatis ea, quorum futuri euentus incerti ſunt, exnunc certam confuſionem & grauiſſimam plagam vniuerſæ inducat Eccleſiæ, fidem noſtram lædat. Reformatioque ipſius Eccleſiæ, quam tantis laboribus pro honore Dei creatoris noſtri & animarum ſalute tandiù quæſiuimus, forſitan ſupprimeretur, cuius executioni ſi operam dare dominus Eugenius voluiſſet, nec in hoc tempus differre, neque locum alium pro benefaciendo & deformitates abuſuum cum effectu tollendo expetere oportebat. Proſecuta eſt hæc ſancta ſynodus & proſequitur, vt electiones prælatorum per ſingulas eccleſias canonicè celebrentur, iuxta diſpoſitionem ſacrorum canonum, per quos grex dominicus dirigatur in ſalutem, vt dignitates eccleſiaſticæ & beneficia ſine interuentu pecuniæ datæ vel promiſſæ conferantur, vt ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, virtutibus & ſcientijs præcellentes, de ſingulis regionibus proportionabiliter aſſumantur, qui toti orbi ſalubriter conſulere poſsint: electionesque ſummorum Pontificum ad vniuerſæ Eccleſiæ ſalutem debitè celebrentur, beneficia idoneis miniſtris per eos, ad quos pertinent, aſsignentur. In cauſis & litibus mouendis vnicuiq; ſua ſeruetur iuriſdictio, & non confundatur ordo Eccleſiaſticus. Non vexentur homines iniuſtè, nec perſonæ deſtruantur. Non exhauriantur vltra modum regnorum & prouinciarum pecuniæ, ſed omnia ordine debito in Eccleſia diſponátur, ad honorem Dei, & ſalutem animarum. Decretaque ſaluberrima ſuper his & alijs plurimis rebus, ſuper reformatione Eccleſiæ Dei in capite & in membris, hæc ſancta ſynodus edidit, quę non poteſt ſic permittere fruſtrari. Quantis verò exhortationibus & admonitionibus ipſum dominum Eugenium iam multis annis ad hoc excitauerimus, vt ſe & alios in viam ſalutis dirigeret, quicquid ſuper hoc egerit, rerum euidentia monſtrauit. Deſignat igitur aut nos allicere blanditijs, aut communicationibus deterrere, vt veritatem deſeramus. Si ſæuiat quæuis perſecutio, orabimus omnipotentem Deum, qui ſanctis Patribus noſtris virtutem inſpirauit omnia tolerandi pro defenſione catholicæ veritatis, vt & nobis fortitudinem præbeat, ab ipſius veritatis & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ conſeruationem, & vſque ad animam & ſanguinem reſiſtendum, in quem firmiter & ſine vlla cordium hæſitatione omnem noſtram proijcimus fiduciam. Deſiſtat ipſe dominus Eugenius pro reuerentia Dei & integritate fidei, quæ ſemper in Latina permanſit Eccleſia: deſiſtat, ſublatione perpetrati ſchiſmatis: ab intentatis conatibus: cui nec victualia, nec neceſſaria tolli, nec quicquam quod ſuum ſit, eripi exquiſiuimus, ſed vt acquieſceret veritati, & Eccleſiam debitè gubernari aſſentiret, & ea efficeret, quę eſſent pro ipſius & aliorum ſalute. Sed & omnes ac ſingulos qui Ferrariæ

conueniunt, cum omni charitate reddimus attentos, vt ab inceptis, quæ forſitan ſiniſtrè informati, aut non ſatis omnia aduertentes, attentauerunt, celeriter deſiſtant, & ad veritates fidei defendendas pariter nobiſcum in vnitate ſpiritus coniungantur, nec etiam complacere quærant voluntati cuiuſcunque, vt velint offendere Deum creatorem cunctorum. Si qui verò in rebellione perſtiterint, coget nos Chriſti charitas & zelus iuſtitiæ vltra pœnarum declarationem, aduerſus omnes illuc conuenientes & mittentes, quam dudum ſolenni decreto fecimus, etiam alia grauiora in ipſos, quæ digna fuerint, exequi. Omnes tandem vos Chriſti fideles, quibus huis ſanctæ ſynodi ſynceram intentionem pro defenſione veritatis planis & ſimplicibus verbis aperire duximus, per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti requirimus, vt in conſcientia pura & fide non facta, Eccleſiam matrem cunctorum, quæ nos regenerauit in ſpem viuā hæreditatis æternę, adunare, & veritatem ipſius omni fauore & auxilio defendere ac ſuſtinere curetis, pro honore Dei & animarum veſtrarum ſalute: vt vobis adiuuantibus, ipſa Petri nauicula maturius in portum tranquillum perducatur: vt non ſolùm aduerſus eam contrariæ tempeſtates præualere non poſsint, prout eo adiuuante domino poterunt, ſed nec diutiùs eam valeant conturbare, orantes ſine intermiſſione patrem miſericordiarum, vt greſſus omnium dirigat in viam ſalutis, veritatis & pacis, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen. Datum Baſileæ in noſtra generali congregatione, Idibus Martij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimooctauo.

RESPONSIO SYNODALIS AD SCHEDVLAM proteſtationis contra proceſſum Papæ, facta per Franciſcum de Barbauaria oratorem ducis Mediolani.

SACROSANCTA &c. ad perpetuam rei memoriam. Legiſti per hos dies coram deputationibus huius ſacri Concilij ſchedulam quandam Franciſce de Barbauarijs orator illuſtris principis ducis Mediolani, quam ex audito ipſo ſatis omnes intellexerunt, ex ſcientia aut deliberatione eiuſdem ducis, aut ſui magnifici conſilij minimè proceſſiſſe, cùm de quadam citatione valuis maioris Eccleſiæ Baſileen. affixa pridie Calendas Septembris, immediatè ſequētes tantùm tres dies effluxerīt, quibus de Baſilea in Mediolanum, & rurſum de Mediolano in Baſileam proficiſci nequaquàm poſſibile fuit. Nec prætereà exiſtimandum eſt, ipſum ducem illuſtrem, qui ſemper ſingulari deuotione ac veneratione hanc ſanctam ſynodū ac eius authoritatem colere curauit, omnia dici iuſſiſſe, quæ in præfata ſchedula continentur. Ad ipſa tamen fauente Domino reſpōdere, ac de actis in hac ſancta ſynodo reddere rationem parati ſumus. Commemoras in primis, nos cōueniſſe pro pace populi Chriſtiani, pro tollendis hęreſibus, & reformatione eorū quę in orbe geruntur. Verùm quidem hoc eſt, & quos labores iam his rebus per plures annos impenderimus, tu ipſe noſti, & totus orbis conſpicere potuit. Quot enim legationes in Bohemiam, quot in Græciam tranſmiſerimus: quanta legatio oratorum noſtrorum ad pacificandos principes per Germaniam, Galliam, Italiam conſtitutos, tranſierit, quantos ſumptus, quātas vexationes & * fatigas earum rerum gratia ſubierimus, non facilè exprimi poteſt. Sed & quot ſalubria decreta, * quæ in orbe malè geruntur, ediderimus, quantis inſtantijs laborauerimus, vt in executionē deducerentur, & præcipuè apud Eugenium Papam Quartum, qui primitùs canones ſacrorum Conciliorum obſeruare & exequi habebat, ac cæteros ad eorum obſeruantiam inducere, ſanctitatiſque exemplum ſe cunctis oſtendere, ſatis per orbem publicatum extitit, & ſi fructum optatum non adhuc adepti fuimus, ſatis omnes conſpiciunt, quis hominum præcipuè huic rei impedimento ſit. Subijcis præterea Franciſce, velut dolendi deflendique caſus grauiorem querelam, dum ais non attendi preces Principum, petentium ſuperſederi à proceſſibus, aduerſus Romanum pontificem, & illos qui apud eum conſtituti ſunt, inchoatis, quinimmò ipſos magis & magis indies vrgeri. Ex quibus depoſitionem ipſis Romani pōtificis, & alterius electionem mox ſecuturas eſſe dicis, atque exinde ſchiſma graue & plurima diſcrimina populo Chriſtiano imminere. Attende in primis, quanta benignitate hęc ſancta ſynodus precibus Principum Chriſtianorum in his negotijs hucuſque condeſcenderit. Iam decimusquartus menſis ab eo die voluitur, quo citatio aduerſus ipſum pontificem decreta eſt, vt Eccleſiæ Dei oppreſſæ maximis neceſſitatibus propter reformationis contemptum ac ſchiſmatis introductionem ex alterius prætenſi Concilij erectione per eundem Romanum pontificem iam tunc diſpoſita prouideretur, contemplatione inclytæ memoriæ Sigiſmundi Imperatoris, data fuit menſe Octobris exaginta dierum dilatio: quibus elapſis, rurſum à proceſſu per præfatam citationem inchoato, tempore multo ſuperſeſſum eſt. Aduenit deinde tempus, quo ſuſpētio ipſius Romani pontificis ab omni adminiſtratione Papali, vigeſimaquarta Ianuarij facta eſt, propter prętenſam diſſolutionem & tranſlationem huius ſacri Concilij Baſileenſis in Ferrariam, caſu quo contra ipſum aut aliquem prædictium oratorum ſuorum, qui in hoc Concilio fuerant, procederetur aut fieret aliqua nouitas, per eundem factam & declaratam decimaoctaua mēſis Septembris, adeò apertè & enormiter contra decreta Concilij Conſtantienſis, & illius attentatam, vt nulla poſſit tergiuerſatione, excuſari, atque etiam propter illam erectionem alterius prætenſi Cōcilij contra omnem formam prædictorum decretorum de facto, nona die menſis Ianuarij inchoata vrgebat Decretorum ſanctio, vt ſi hanc ſuſpenſioem ſuſtineret ipſe dominus Eugenius animo indurato, ad depoſitionem eius procederetur. Quid factum ſit ab illo tempore contemplatione Principum catholicorum, quanta dilatio habita ſit, in rebus luciditſimè conſtat. Deponendus veniebat dominus Eugenius poſt vigeſimamquartam Martij, iuxta Decretorum ſanctionem. Iam ſex ferè menſes exinde lapſi ſunt, & adhuc perduret expectatio. Non potes inficiari, quin extunc deponi poterat, non opus erat vlteriori proceſſu, non examinatione teſtium ex eo ſolo capite, quòd ſuſpenſionem notoriè ſuſtinuerat per duos menſes animo indurato: vt quid putas hanc ſanctam ſynodum tantis poſteà diſtuliſſe temporibus, niſi vt precibus Principum catholicorum benignè faueret, vt etiā cuncti conſpicerent, ſi pendentibus dilationibus, dominus Eugenius reuertetur ad cor, ſi ad reformationem efficaciter capeſſendam, & in realem executionem tam in curia eius, quàm alibi deducendam, propter honorem Dei & ſalutem animarum, ſi ad tollendum ſchiſma introductum ex alterius prætenſi Concilij erectione, ſi ad recognoſcendam Eccleſiæ congregatæ & ſacrorum vniuerſalium Conciliorum authoritatem ſuum inclinaret animum? Quid autem pendentibus iſtis dilationibus egerit, attentè cōſidera: & meritò dices, quòd principiū tuæ ſchedulæ ferebat, ô dolendū, ô grauiſſimum, ô deflendum caſum. Quis enim non ploret, quis non amariſſimos proferat gemitus, dum tuetur authoritatem ſacrorum generalium Cōciliorum, quæ neruus eſt conſeruationis vnitatis fidei, ſacrorumque Canonum & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, nūc per cuiuſpiam mortalis hominis voluntatem miſerabiliter proſterni & conculcari? Sed quo pacto arguere poteris ſanctam ſynodum Franciſce, ſi dum eam Romanus Pontifex acerrimè impugnat, ipſa in ſui defenſionem ſuos proceſſus iuſtificat in manifeſtationem veritatis? Suggerunt auribus principum & aliorum oratores ipſius Romani pontificis, falſas calumnias in citatione aduerſus eundem decreta fuiſſe confictas. Examinari iubet teſtes ſancta ſynodus plurimos ſuper veritate & notorietate eorum, quę in ipſa citatione poſita ſunt in defenſionem & iuſtificationem ſui. Nunquid hoc reprehendere vis, & potiùs diligis, vt eadem ſancta ſynodus ſe vbique iniuſtè infamari, & de calumnia accuſari permittat? Neque ex his conqueri debes ad depoſitionem feſtinari, cum & ſi feſtinare voluiſſet eadem ſancta ſynodus, ſine his dudum depoſitionem illam (vt præmiſimus) efficere potuiſſet. Quid verò mali eſt, ſi deputati huis ſanctæ ſynodi aut maior pars ipſorum, aut duo ex ipſis, ſicut eis commiſſum eſt, dum in examinatione procedūt, quandam citationem affixerunt ad recognoſcendum ſigilla & inſtrumenta, ſtylum in hoc iudicialē ſeruare volentes, quem minimè ſeruare tenebātur? Noſſe etenim debes Romanū pōti-

for. * fatigationes
for. * de his quæ

Nimis vos eleuatis Rom. pontificis authoritatē, qui totius Eccleſiæ paſtor eſt.

ficem in citatione aduerſus eum iamdudùm decreta, fuiſſe
citatum ad omnes & ſingulos actus, neque vlteriorem cita-
tionem eſſe neceſſariam. Quid reprehendis, ſi ex abundan-
ti hanc nouiſſimam citationem fecere deputati. Quid ter-
minum breuem aſſignatum cauſaris, quaſi in quolibet ter-
mino citationem in longinquam & diuturnam expecta-
tionem decernere opus eſſet, poſtquàm ad omnes & ſingu-
lo actus citatus extitit? ſicque omnes illæ obiectiones facilè
euacuantur, quas aduerſus hanc nouiſsimam citationem
exaggeraſti. Obijcis etiam, in die feriato eſſe factam: ſed ſi
rectè aduertas, altero die facta eſt, qui non feriatus erat. Sed
affixio eius idcirco die dominico facta eſt in valuis maioris
Eccleſiæ Baſileenſis, vt in plurimorum notitiam deueniret.
Vnde patuit etiã, non fuiſſe clandeſtinam, ſicut in obiectio-
ne altera dicere videbaris, & ipſa ſcripta tua edocent, ſatis
ipſam in eorũ notitiã deueniſſe, qui contradicere voluerũt.
Nec prætereà illi rumori reſpõdere conuenit, quẽ apud mul
tos dicis eſſe de deputatis, quòd ſuſpecti ſunt Romano Pon-
tifici, cùm ad eam rem viri probiſſimi electi ſint, omni ex-
ce[illegible]ione maiores, aduerſus quos nulla iuſta cauſa ſuſpicio-
nis allegata eſt. Nec in leui rumore fundamentũ facere de-
buiſti, pro tali cõtradictione in ſynodũ vniuerſalem ſuſci-
tanda. Quomodo aũt hanc materiã obijcis non fuiſſe cõmu-
nicatam cũ pluribus, qui ſcire potuiſti longè antè, pridie quã
illa citatio fieret, fuiſſe per omnes deputationes Cõcilij con-
corditer concluſum, vt proceſſus concernens Romanum
pontificem, vlteriùs continuaretur & perficeretur? illa verò
declaratio priuationis exiſtentium apud ſummum Pontifi-
cem, quam allegaſti, ea ſolùm amplectebatur & proſeque-
batur, quantum ad priuationem dignitatũ & beneficiorum,
attinet quæ dudum in alijs decretis huius ſanctæ ſynodi, &
præſertim in decreto octauæ ſeſſionis incipiente, Sicut vni-
ca, iam ante quinque annos promulgato, ordinata fuerant.
Cuius decreti verba ſunt hæc: Si qua verò perſona Eccleſia-
ſtica, etiam ſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, aut alia
quæcunque, cuiuſuis ſtatus, gradus aut conditionis exiſtat,
Bononiam vel ad aliquẽ locum aliũ ſub nomine generalis
Concilij iſto durante, præſumat accedere vel ibi manere,
ſententiam excommunicationis & priuationis omnium di-
gnitatum, beneficiorum & officiorum, ac inhabilitationis
ad ipſa, incurrat ipſo facto: & de dignitatibus, beneficijs &
officijs talium, per eos ad quos de iure ſpectat, liberè diſpo-
natur. Hæc in decreto prædicto. Quid plus operata eſt de-
claratio generalis, quo ad diſpoſitionem liberè de beneficijs
& officijs faciendam, quàm ibi decretum fuerat? Sed man-
ſuetudine ſemper vtens hæc ſancta ſynodus, dum multi hu-
iuſmodi beneficia impetrare conarẽtur, ordinauit, vt à col-
latione taliũ vſq; ad quadraginta dies ſuperſederetur, quan-
quàm iam longo tempore poſt varias admonitiones expe-
ctati ſunt. Sed quæ tu ipſe dicis, attẽtiùs conſidera: ſubiungis
in oratione tua, quòd quicquid citra depoſitionem feceri-
mus, in debita veneratione & obſeruatione ſemper habebi-
tur. Quomodo igitur ea, quæ citra depoſitionem facta ſunt
& fiunt, ita reprehendere conaris? prædixiſti inſuper ven-
tura eſſe inconuenientia plurima, ſi Romani pontificis de-
poſitio fiat. Quæ autem futura ſint, Deus ipſe cognoſcit: ſed
an fiet depoſitio vel non fiet, de præſenti non agitur, pro-
ceſſus continuatur, vt iuſtitia huius ſanctæ ſynodi ad homi-
num conſtantiam manifeſtetur. Dudum, vt diximus, etiam
abſque vlteriori deductione proceſſus, poterat fieri depoſi-
tio. Videmus mala plurima per conculcationem authorita-
tis Eccleſiæ & ſacrorum Conciliorum exoriri, errores in-
ſurgunt, & aduerſus determinationes vniuerſalis Eccleſiæ
in materijs fidei, plures iam ſua dogmata impunè aſſerere
audent, cenſuræ Eccleſiaſticæ contemnuntur, decreta & ca-
nones vilipenduntur, atque exinde vitia laxatis frenis per
orbem debacchãtur: diſcordiæ, diuiſiones, ſchiſmata in im-
menſum vigent: quælibet ferè vacans Eccleſia, duos patro-
nos habet. Vnus eligitur, alteri per reſeruationem prouide-
tur. Omnis inobedientia, omnis trãſgreſſio iam per orbem
eleuatur: quòd ſancta ſynodus ordinat, Romanus pontifex
inficit: quod ipſa ligat, ille abſoluit. Conſcientię Chriſtiano-
rum in magnum labyrinthum præcipitiumque ducuntur.
Et quaſi vbique excommunicationum & cenſurarum vin-
culis iam animarũ copioſa multitudo alligatur, iudicialiaq;

Immò plurima mala peperit eleuatio authoritatis Roma. põtificis, cui vos plus ſatis derogatis.

detrimenta Chriſtianitas vniuerſa ſuſtinet. Et cum nulla ſit
abuſuum correctio, vitia dimittuntur impunita. Sed & om-
nipotentis iudicis ira, quam peccatorum multitudo conci-
tauit, multis iam modis flagellare conſpicitur populum
ſuum, vt conuertatur ad pœnitentiam. Et ſi hoc Concilium
tantis laboribus congregatum & continuatum, abſque alia-
rum rerum diſpoſitione per reſiſtentiam Romani pontifi-
cis, aut quicquam aliud ſuperueniens diſſoluatur, quantam
putas vniuerſæ Eccleſiæ totique Chriſtianitati deſolatio-
nem & confuſionem fore ſecuturam? Quid autem in hac
perplexitate rerum agendum ſit, quo pacto Eccleſiæ proui-
dendum, non facilè exiſtimare poteſt humana conſidera-
tio: ſed ſperandum eſt in miſericordia omnipotentis Dei,
quòd hanc ſanctam ſynodum in ſuo nomine cõgregatam,
in eam partem diriget, quæ magis placita erit ſuæ maieſtati:
& quòd ſynod9 ipſa dictauerit, cuius notoria eſt authoritas,
id omnes amplexabuntur, qui Eccleſiæ filij obedientes eſſe
volent. Quòd ſi in ea re huic ſanctæ ſynodo obediendum
non arbitraris, quam tamen vniuerſalem Eccleſiam repræ-
ſentare in ipſa ſchedula tua cenſes, ſed vnumquenque prin-
cipem aduerſus ſynodale iudicium proprio iudicio putas
inniti debere, & qui ex alia parte dicis omnem poteſtatem
ademptam eſſe ſummo Pontifici, & hoc tantùm ſibi reli-
ctum, quòd nudum & inane pontificis nomen habet, ita vt
veriùs imago pontificis, quàm pontifex dici poſſit, adijciens
quòd omnis adminiſtratio ad hanc ſanctam ſynodum de-
uoluta eſt, vbi iam obedientiam Eccleſiæ poſitam putabis,
ſi nec ſynodo iudicanti, nec Romano põtifici obediendum
arbitraris? Quæ deinceps erit ſacrorum Conciliorum au-
thoritas, ſi vnuſquiſque illorum iudicijs in reformatione
capitis & membrorum, obediat quando velit, quando non
velit, non obediat, aut priuſquàm aliquid iudicatum, ſit de
non obediendo proteſtetur, niſi eo modo ſynodus & eo
tempore iudicet, quo ipſa cõuenire arbitrabitur præſens iu-
dicium ſuum iudicio vniuerſalis Eccleſiæ in tantis tamque
arduis rebus? Hæc quidem Frãciſce valdè periculoſa ſunt in
Chriſtiana religione & Eccleſia Dei, & quid in ſe importẽt,
alio tempore poterit latiùs aperiri. Nec credimus illuſtrem
dominũ tuum, qui Eccleſiæ deuotiſſimus & obedientiſſimus
ſemper eſſe ſperatur, talia ſuo nomine dici aut fieri iubere.
Potiùs te ô Franciſce humiliter, ſicut decet Eccleſiæ filium,
cõſilia tua & auxilia ſubminiſtrare decet, et ſine intermiſſio-
ne orare cum ceteris fidelibus, vt Chriſtus hanc ſanctã ſyno
dum & Eccleſiam ſuã dirigat in agendis, quàm aduerſus ſy-
nodale iudicium proteſtari, quod an futurum ſit, vel quale
futurũ ſit, ignoras: atq; præfigere modos vniuerſali cõcilio
ex tua ſentẽtia, qui ſi nõ obſeruẽtur, vt vis aut ſentis, omnia
iniuſta, inualida & nulla eſſe etiã proteſtatis, & impingis huic
ſanctæ ſynodo impetuoſam Romani pontificis depoſitio-
nem: quæ an ad depoſitionẽ procedet, vel qualiter & quãdo
nondum ipſe cognoſcis. Ad pacem nos inuitas, quam vtinã
poſt longæuam adeò expectationem vel tua deuotio, vel
alius quilibet attuliſſet. At etiam in præſentiarum videmus
impugnationem cõtinuam huius ſacri Concilij, & vniuer-
ſæ Eccleſię turbationem grauiſſimam, ſchiſmatiſque conti-
nuationem in alterius prætenſi Concilij perduratione: pacẽ
verò minimè cõſpicimus, quam ſummoperè deſideramus,
& pro cuius aſſecutione ſperata, hucuſque diſtulimus & diſ-
ferimus eam proferre ſentẽtiam, quam (velut ſuperiùs præ-
miſſum eſt) ferre poteramus. Sed neque dilationibus conti-
nuis in magnum grauamen vniuerſę Chriſtianitatis res iſtę
duci ſemper poterũt, ſicut per diſpendioſas miſſiones pro-
ceſſuum ad principes hinc inde diſperſos & longinquas
expectationes, agendum tua inſinuat oratio: quæ intra ſe
repugnantiam quandam gerere videtur, dum quærit pro-
ceſſus huius ſanctæ ſynodi ad vniuerſos principes mitti, &
nihilominùs ipſos compleri aut vlteriùs deduci nõ vult. Et
quomodo fieret vt mitterentur, ſi non prius complerentur
& perficerentur, vt in conuenienti forma oſtendi poſſent?
Vt itaque finem noſtra reſponſio accipiat, neque pacem re
cuſamus, neque de depoſitione fienda quicquam adhuc cer-
tum determinauimus, neque vllatenùs proteſtationẽ tuam,
per te factam aut ſimiles, ob ſuperiores rationes admittere
poſſumus, nec admittimus: quinimmò ſi in hac forma pro-
teſtationis perſiſtere voles, quod non ſperamus, oporteret
nos

nos pro defenſione Eccleſiæ Dei & authoritatis eius ad alia iuris remedia recurrere. In rebus autem agendis ſic fauente Chriſti gratia procedet hæc ſancta ſynodus, vt nec illuſtris princeps tuus, nec quiſquam fidelium poſſit cum ratione conqueri. Datum in congregatione noſtra generali decimotertio Calendas Octobris, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo.

RESPONSIO SYNODALIS AD SCHEDVLAM *præſentatam in deputationibus per oratores principum, ſuper mutatione Concilij in alterum ex tribus locis, etiamſi Papa & Græci non conſentirent.*

SACROSANCTA generalis &c. ad futuram rei memoriam. Audiat veſtra charitas, venerabiles & circunſpecti viri oratores ſereniſſimorum regum Romanorum & Francorum atque etiam & principum, qui per hos dies huic ſanctæ ſynodo Baſileenſi præſentes affuiſtis, ea quę ſuper rebus per vos propoſitis, zelus domus Domini nos in auxilio ipſius diuinæ pietatis confidentes, reſpondere vrget atque compellit. Commẽdamus quidem in primis & ipſorum Principum veſtrorum piam deuotionem, & veſtrã ad bonum vniuerſalis Eccleſiæ, in quod pariter vniuerſa noſtra vota & deſideria ſedulò adſpirãt. Quid enim aliud hæc ſancta ſynod⁹ tantis tamq; aſſiduis laboribus iam per octo ferè annos cõtinuatos efficere cupi⁹, niſi vt Eccleſia Chriſti & ſalubri diſpoſitione regatur, & optima pace & tranquillitate refloreat? Sed vt nos & vos auxiliante pacis & ſalutis authore Chriſto Ieſu, tandem id conſequi valeamus, quod omnes communi conſenſu optamus: nõ ſuperuacuum erit, de neceſſitatibus & periculis, in quib⁹ ipſa verſatur eccleſia quicquam dicere: quæ etſi alijs noſtris decretis & epiſtolis magna ex parte commemorata ſint, tamen his iam ad memoriam cunctorum recẽter deductis & pleniùs intellectis, ſalutaria remedia faciliùs inueniri poterunt, & efficaciùs præſtari. Non latet diſcretiones veſtras, quanto conatu iam tribus Concilijs generalibus, Conſtantienſi, Senenſi, & hoc præſenti Baſileen. elaboratum ſit pro pacifico & ordinato regimine Eccleſiæ, ſub lege Domini & canonicis regulis diſponendo, vt non per varios abuſus aſſiduè increſcentes, ipſe ſtatus Eccleſiaſticus decolorari, & in deteriora ruere ſineretur, in offenſam diuinæ maieſtatis, & periclitationem, confuſionem atque turbationem maximam vniuerſæ Chriſtianæ religionis. Neque inficiari poſſumus, id eſſe beneplacitum diuinæ voluntatis, vt hæc reſtauratio decoris domus Dei, & reformatio ſalutaris ageretur, pro qua efficienda iam hæc tria generalia Concilia in Spiritu ſancto legitimè congregata fuerunt, prout ipſi ſummi Pontifices & vniuerſi Eccleſiæ miniſtri, atq; etiam reges & principes Chriſtiani profeſſi ſunt, & omnis plebs catholica cognouit. Et vt dolorum præſentium originem aperto ſermone dicamus, pro hac vna cauſa reformationis Eccleſiæ in capite & in membris, quam cum alijs operibus extirpationem hæreſum & pacificationem Chriſtianorum principum concernentibus, hæc ſancta ſynodus multa ſolicitudine & vehementi inſtantia proſequi cœpit, tot & tanta perturbationum genera, quæ conſpicitis, aduerſus eam excitata ſunt. Cùm enim decreta ſalubria ſuper celebrandis electionibus prælatorum, tollendisque exactionibus, quæ ſub prætextu annatarum in collatione dignitatum & beneficiorum ac Eccleſiarum prouiſione interuenire ſolebant, atque inſuper de prælatis non transferendis inuitis, de terris Eccleſiæ Romanæ non alienandis, & alia quædam edidiſſet, ſperans dominum Eugenium Papam Quartum non ſolùm ea amplecti & maximè exequi, verùm etiam cæteros verbo & exemplo ad obſeruantiam ſacrorum canonum inducere, præſertim viſa adhæſione quam huic ſacro Concilio præſtiterat, vbi epreſsè affirmabat ipſum concilium debere continuari, & progreſſum habere ad reformationem Eccleſiæ in capite & in membris, ac pertinentia ad ea: idemque Concilium purè, ſimpliciter, & cum effectu ac omni deuotione proſequebatur, vt dicebat & intẽdebat proſequi, ſicut in literis ſuis patẽtibus more Romanę Curię bullatis, & per Cardinales ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tunc apud eum conſiſtentes ſubſcriptis, atque in noſtra ſynodali ſeſſione ſolenniter præſentatis & publicatis, latiùs continetur. Vidit autem deinceps hæc ſancta ſynodus, quòd quaſi paſſim electionibus obſiſtebat, reſeruationibus contrarijs vtendo: exactioneſque pecuniarum in collationibus beneficiorum & dignitatum magis indiès creſcebant in illaqueationem animarum, depauperationem regnorum & prouinciarum, violationem voluntariam ſacrorum canonum, & paruipenſionem authoritatis Concilij generalis, à quo Canones ipſi editi erant, vnde futurorum generalium Conciliorum paruipenſio, & grauis contemptus imminere videbantur. Nec ſic tamen ceſſauit ſancta ſynodus à perſecutione inchoati ſanctiſsimi operis reformationis Eccleſiæ, vt voluntati Domini Dei ſui pro viribus obſequeretur. Promulgati ſunt Canones de numero & qualitate Cardinalium, de reſtringendis ſuperuacuis reſeruationibus beneficiorum, de ſublatione multitudinis gratiarum expectatiuarum, & cauſis in partibus, vbi oriuntur, ordinatè tractandis. Necnon & alia plura ſalutem & tranquillitatem totius Eccleſiæ concernentia, multoque ampliora & in breuiori tempore pro publica ſalute edita fuiſſent, ſi non grauiſſima impedimenta obſtitiſſent, quæ huic ſanctæ ſynodo quaſi aſſiduè procurata fuerunt.

Videat lector Bullam retractatoriam Pij 2. qua Eugenius grauiſſimè defenditur.

Quantum verò & canones ipſos & authoritatem condentis reueritus fuerit ipſe Dominus Eugenius, facta proh dolor nimis in aduerſus multiplicata teſtãtur. Admonitus eſt pluribus vicibus cum omni charitate, vt animũ ſuum ad eorũ obſeruationem inflecteret, quæ pro ſalute gregis Dominici ſtatuta erant: nec poteſtatem ſibi in ædificationem Eccleſiæ datam, verteret in deſtructionem. Et ne in quibuſdam ſuper minùs ſufficienti prouiſione temporalium, aliquã prætenderet excuſationem, obtulit ei ſancta ſynodus, ſi indigeret, conuenientem prouiſionem exhibere, dum animum ſuum ad obſeruationem decretorum ſynodalium videret benignè inclinatum. Ipſe autem, quod dolenter referimus, nimiùm durè in aduerſum obſtitit. Soluebatque inſuper quos ligabat ſancta ſynodus, & ligabat ipſe quos hæc ſoluebat. Quibus ex rebus plurima ſcandala, diuiſiones & ſchiſmata tum in Eccleſijs particularibus, tum in generali facto vniuerſalis Eccleſiæ exorta ſunt. Viſusque eſt in hoc vnum vehementer adſpirare, vt hoc Concilium ſic reformationi intentum abrumpere, & aliud in ea parte Italiæ quæ ſibi magis placeret, eligere poſſet, vbi omnia magis ad ſuum libitum tractarentur: quod nec beneplacito diuinæ voluntatis conſentaneum, nec ſaluti Dominici gregis, nec conſeruandæ authoritati ſacrorum Conciliorum accommodum, attentis præfati domini Eugenij actibus, hæc ſancta ſynodus exiſtimauit. Cùm verò ſuum in ea re deſideriũ explere aliter non poſſet ipſe dominus Eugenius, cogitauit ſub vmbra Græcorum hoc tandem aſſequi. Qui quidem anteà voluerat, vt cum eiſdem Græcis in Conſtantinopoli cõuentio fieret. Iamque orator ſuus cum Imperatore Romeorum ita fiendũ eſſe conuenerat, ſi hoc ſanctæ ſynodo placuiſſet. Verùm ipſa ex hoc graue periculum fidei catholicæ iudicauit poſſe imminere, ſi in eo loco tam remoto ab Eccleſia Latina in faucibus Turcarum conſtituto, res illæ concludi & tractari haberẽt. Sed dum eadem ſancta ſynodus in eo propoſito perſeuerauit, vt Gręcorum ipſorum, in regiones iſtas occidentales procuraretur aduentus; locumq; nominauit, in quo iuxta conuentiones cum ipſis habitas, de ipſorum ageretur vnione. Nam & ſingulariter pro vnione Gręcorum & orientalium proſequenda, eadem ſancta ſynodus inter cætera fuit à principio congregata, ac inſuper pro expenſis neceſſarijs ſubſidia exquiſiuit, tum ab vniuerſis populis fidelibus per indulgẽtiarum largitionem, tum ſingulariter à ciuibus Auinionenſibus per mutuationem pecuniæ. Nouit Deus quanta impedimenta ex parte ipſius domini Eugenij & ſuorum in his præſtita ſunt, vt tandem deficientibus pecunijs & ſubſidijs ſacro Concilio, in eam partem Italiæ, quã idem dominus Eugenius deſiderabat, tranſire cogeretur: ſicque per medium auri & argenti, in quo præualere ſperabat, facta Concilij & Eccleſiæ in ſuam redigeret voluntatem. Sed cùm diuina miſeratio nec in his neceſsitatibus Concilium deſeret, ſubſidiaque tum ex mutua Auinionenſium, cùm ex deuotione populorum ſuppeterent, quorum ope ſancta ſynodus ſuam legationem in Conſtantinopolim

pro conductione Græcorum tranſmittebat: nec ſic proh dolor ceſſauit idem dominus Eugenius aliud Concilium, prout ei libitum erat, velle erigere, & Græcos perduci facere in locum qui ſibi placebat, nullatenùs electum per hanc ſanctam ſynodum, ſicut ex conuentionibus inter ipſam & eoſdem Græcos habitis, & per ipſum dominum Eugenium expreſſè approbatis, eligi & nominari debebat. Quodq́ue ſingulariter aduertendum eſt, non ſolùm conuentioni habendæ in loco per Conciliũ nominato obſiſtebat, immò & eum locum qui der ſuos præſidentes inter alia loca, licèt nulliter & de facto, ſicut in alijs noſtris decretis & epiſtolis lucidè oſtendimus, nominatus erat, quiq́ue pecunias & galeas protũc parare conabatur, reiecit ac recuſauit. Vidit autem hæc ſancta ſynodus, ex ea re ſchiſma grauiſsimum iam parturiri, per alterius prætenſi Concilij contra hoc verum Concilium, & altaris contra altare diſpoſitam erectionem, ad quam perficiendam, ipſe dominus Eugenius iam de facto alias galeas, alioſq́ue oratores in Græciam trãſmittebat, in contrarium illorum qui ex parte Concilij miſſi erant. Vnde periculoſiſsima gregi Dominico vaſtatio parabatur & perplexitas animarum, irreparabiliſq́ue iactura auctoritatis ſacrorum Conciliorum & canonum ſynodalium imminebat, dum ſic aut Eccleſiam ſcindere, aut ipſius Eccleſiæ facta in ſuæ libitum voluntatis redigere dominus ipſe Eugenius conari videbatur. Non potuit diſſimulare ſynodus, quæ multùm patienter facta eiuſdem domini Eugenij aduerſus eius decreta & bonum regimen Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus longo tempore ſuſtinuerat, quo minùs ad eius euocationem & citationem procederet, recepta etiam priùs informatione ſummaria ſuper his, quæ de abuſibus ſpeciem ſimoniacæ labis habentibus, alienationeq́ue & deſtructione plurium terrarum Romanæ Eccleſiæ, periurio ac alijs in noſtro citatorio ſynodali pleniùs deſignatis, fama publica ferebat, vt priuſquàm vulnera illata Eccleſiæ cunctorum matri, validioribus incrementis aggrauarentur, ſuper ipſius Eccleſiæ regimine opportuna quæreretur prouiſio. Quid autem egerit vocatus ad ſynodum, pro Deo attendite: non ſolùm non venit, immò nec minimum ſeruulum mittere dignatus eſt: neque non mittere contentus fuit, verùm inſuper ſynodum ipſam authoritate Apoſtolica, ex plenitudine poteſtatis ac ex certa ſcientia in Ferrariam ſe transferre dixit, caſu quo virtute citatorij ſynodalis in aliquo procederetur, aut fieret aliqua nouitas contra eum & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, aut contra aliquem præſidentium oratorum ſuorum, qui in Concilio fuerant, excepta cauſa Bohemorum, per triginta dies duntaxat Baſileæ tractanda, cùm alter ſuorum præſidentium pro tunc Archiepiſcopus Tarentinus, quem in literis præmiſſæ tranſlationis nominauit, ad iudicium ſynodale vocatus eſſet, occaſione certarum literarum ſuper quodam prætenſo decreto confectarum, de quo in eadem tranſlatione mentio habita eſt, quas tamen literas falsò & clandeſtinè bullatas fuiſſe conſtitit, prout in decreto vigeſimæſeptimæ ſeſſionis huius ſanctæ ſynodi extitit declaratũ. Cognoſcebat ipſe dominus Eugenius eſſe verum & legitimum Concilium in Baſilea, & expreſsè tam ipſe quàm ſui præſidentes ipſum in eodem loco firmum perſiſtere debere condixerant & firmauerant, ſaltem vſque ad aduentum Imperatoris & Patriarchę Gręcorum in vltimũ portum citramarinum. Et ſi interim aliqua neceſsitas mutandi locum ſuperueniſſet, mutari debebat Concilium in locum propinquiorem eiuſdem nationis iuxta decretum Concilij Conſtantienſis, quod incipit, Frequens, ſicut in conuentionibus firmatis cum Græcis expreſsè cautum erat. Sciebatq́ue multipliciter fuiſſe declaratum per hanc ſanctam ſynodum, etiam ex tempore primæ diſſolutionis per eum attentatæ, quòd Concilium per neminem cuiuſcunque dignitatis, etiam ſi papalis, diſſolui, aut de loco ad locum mutari ſine ipſius conſenſu poterat: quam eſſe veritatem iuris diuini, & articulum qui fidem concernit, frequentiùs ſynodus ipſa oſtenderat. Vnde nullatenùs tolerare potuit eadem ſynodus hanc tranſlationem prætenſam, quam ipſe dominus Eugenius, non obſtantibus quibuſcunque decretis Concilij Conſtantienſis & iſtius Baſileenſis, & conuentionibus habitis cum Græcis, per ipſumq́ue approbatis, &

Et cur nõ liceat Pontifici ex iuſta cauſa aliò trãſferre Synodum.

declarationibus factis in materia fidei, attentaſſe com riebatur, quibus omnibus derogatum eſſe velle videtur eo ſolo capite, ſi procederetur contra aliquem ſuorum p ſidentium oratorum. Minusq́ue poteſt tantus error in ſu mo Pontifice, quàm in quocunque viuentium tolera quantò magis ipſum in fide orthodoxa eruditum eſſe, & ctè ſapere conuenit, ne (quod abſit) totum corpus gra morbus inuadat, ſi languor non fuerit curatus in capite. V dereque poſſunt clariſſimè omnes intellectus hominu authoritatem ſacrorum generalium Conciliorum, aut n lam, aut minimam deinceps haberi reſpectu ſummoru Pontificum, ſi permitterentur vt Concilium authorita Apoſtolica transferrent, caſu quo procèderetur cõtra ipſ aut aliquem ſuorum. Dicit veritas fidei, in ſacro Conſta tienſi Concilio declarata, quòd Cõcilium generale vniue ſalem Eccleſiam repræſentans, poteſtatem à Chriſto imm diatè habet, cui etiam ſummus pontifex obedire tenetur i his, quæ pertinent ad generalem reformationem Eccleſi in capite & in membris. Eccè citatũr ipſe dominus Euge nius ſuper non obſeruantia decretorum ſynodalium, co cernentium ipſam generalem reformationẽ capitis & me brorum, alijſq́ue ad eandem pertinentibus. Ipſe autem præ cipit Concilio, ne vlteriùs in his procedat. Alioquin ipſu extunc transfert in Ferrariam, pœnas & cenſuras, licèt tam nulliter & de facto, in omnes qui poſt actus cõciliares Baſi leæ exercuerint, fulminat. Addidit etiam, vt factum Bohe morum, pro quo tot millia hominum interierant, eo caſ vltra triginta dies non tractaretur in Baſilea, vbi oratore regni Bohemiæ eo tunc conſtituti erant, cum quibus ſancta ſynodus ſuper declaratione articuli de communion ſub vtraque ſpecie, grauibus & maturis, diſputationibus ac diſcriminibus laborabat. Potéſtne ó venerabiles oratores, hanc taliter attentatam diſſolutionem & tranſlationem hæc ſancta ſynodus tolerare, aut ſub diſſimulatione trãſire, vbi per eam, dum prima eius diſſolutio longè minùs grauis, quàm hæc ſecunda, fuerat perpetrata, reſponſum extitit oratoribus ipſius ſummi Pontificis, in reſponſione ſynodali, in qua ſeptem Cardinales aderant, & legatus Apoſtolicus præſidebat: Hic articulus fidem concernit, qui ſine interitu ſalutis negligi non poteſt. Malumus, mori, quàm tanto errori per ignauiam cedere. Hæc verba ibidem dicta fuerunt, quæ nunc multò magis dicenda veniunt, vbi poſt declarationes ſuper hoc factas per Eccleſiam, poſt promiſſiones ipſius domini Eugenij quòd abſtineret in futurum à grauaminibus inferendis Concilio & ſuppoſitis eius. Hæc prætenſa nouiſsima tranſlatio ſub talibus conditionibus, quæ nulla ratione colorari poſſunt, & tali tempore facta eſt, quòd ſi oportuit, vt primam diſſolutionem ſine conſenſu ipſius Concilij attentatam, declararet ipſe dominus nullam, irritam, & inanem, quantò magis de hac iterum attentata prætenſa tranſlatione, hoc agere neceſſe eſt? Sed vlteriora proſequamur, in vim huius tranſlationis nouiſſimæ, idem dominus Eugenius aliam congregationem ſub nomine generalis Concilij apud Ferrariam erexit, etiam ante aduentum Imperatoris & Patriarchæ Græcorum, declaratione præmiſſa, quòd conditio poſita in præfata tranſlatione, iam erat adimpleta, eo quòd ſua contumacia fuerat per ſynodum declarata, dum ad ſynodum ipſam (vt præfertur) nec vnum ſeruulum mittere dignatus eſt. Ecce fundamentum erectionis alterius prætenſi Concilij, & altaris contra altare, immò contra vniuerſalem Eccleſiam: non ſolùm aduerſus decreta Conſtantienſis & huius Baſileenſis Cõciliorum, verùm etiam expreſſè cõtra ea, quæ per ſuos præſidentes in prætenſa decretatione ſua nominationis locorum ordinata fuerant, & quæ in conuentionibus Græcorum, approbatis (vt præfertur) per eundem dominum Eugenium, habebantur. Conſiderate in vero iudicio, qualiter hoc factum à ſchiſmate excuſari poſsit, præſertim vbi iam dudum in octaua ſeſſione huius ſanctæ ſynodi, præſidente ſedis Apoſtolicæ legato, etiam ante ipſius domini Eugenij adhæſionem, fuerat ſolenniter declaratum, quòd ſicut vnica eſt Chriſti Eccleſia, ſic non poteſt eſſe niſi vnicũ generale Conciliũ ipſam repræſentans. Et quòd ſi contigerit aliã congregationem ſub nomine generalis Concilij, durante iſto, erigi per quemcunque cuiuſcunque dignitatis, etiam ſi papalis,

n foret Concilium Eccleſiæ Catholicæ, ſed ſchiſmatico- m conuenticulum. Hæc verba ibidem habentur. Conſpi- e pro Dei reuerentia, ſi poſt horum perpetrationem cau- n legitimam, immò vrgétiſſimam, habuit hæc ſancta ſy- dus decernendi & declarandi ipſum dominum Eugeniũ pam fuiſſe ſuſpenſum ab omni adminiſtratione papali, la- s quatuor méſibus à die prætenſæ diſſolutionis ſeu traſ- ionis, per eum (vt præfertur) attétatæ, præmiſſa monitio- per ſolenne decretũ, vt infra illud tempus quatuor men- um ipſam tráſlationem reuocare haberet, ſub pœna ipſius ſpenſionis ab adminiſtratione papali ipſo facto incurren- e, iuxta formam quæ dudum in decreto vndecimæ ſeſſio- s huius ſanctæ ſynodi ordinata fuerat. Poteſtne aliquis ic ſuſpenſioni contradicere., quæ facta eſt à legitimo enerali Concilio vniuerſalem Eccleſiam repræſentante, ex tam vrgentiſſimis cauſis, poſt tantum contemptum ecretorum ſynodalium, continuationemq́ue abuſuum & eformitatum: poſt tam grauem læſionem authoritatis ge- eralium conciliorum, quam fidem tenemus ex determi- ation vniuerſalis Eccleſiæ nobis tradita, quam quili- et Chriſtianorum tenetur vſque ad animam & ſangui- em defenſare: poſt ſchiſma perpetratum, propter quod meritò ſibi obedientia ſubtrahẽda erat, dum (vt verbis dica- nus beati Cypriani) ſe ſeparabat à collegio ſacerdotum & inculo Eccleſiæ: quo caſu de Nouatiano dicit idem Cy- rianus, quòd Epiſcopi poteſtatem non poteſt habere nec onorem, qui epiſcopatus nec habere voluit vnitatem, nec acem: poſt manifeſtam cótumaciam & apertam rebellio- nem, dum ſic dominus Eugenius notoriè & incorrigibili- er Eccleſiam Dei ſcandalizabat? Quæ etiam ſuſpenſio decreta & declarata fuit ante aduentum Imperatoris & Pa- triarchæ Græcorum ad vltimum portum citramarinum.

Nam ſupradictus terminus quatuor menſium effluxerat, quo tempore concilium ipſum adhuc durare in Baſilea nul- us, quouis quæſito colore, ambigere poterat. Quid autem poſt ipſorum Græcorum aduentum in erectione cuiuſlibet congregationis ſub nomine generalis Concilij efficere po- tuerit, ſiue apud Ferrariam, ſiue ad quemlibet locum alte- rum, cùm iam ab adminiſtratione papali legitimè ſuſpenſus eſſet, vos præclari Oratores lucide conſpicere poteſtis, etiam abſque alijs neceſſarijs rationibus, quas latius in alijs decretis & epiſtolis noſtris deduximus. Et vt adhuc parumper de hac ſuſpenſionis euidentia ſummatim loquamur, determinationes præcedentes vniuerſalis Eccleſiæ in hoc aduertite. Olim Coſtantienſe concilium in eo maximè de- creto, quod incipit, Frequens, pluribus in caſibus decreuit ſummos Pontifices ſuſpenſioni ab adminiſtratione papali ſubiacere debere, propter bonum vniuerſalis Eccleſiæ: & in ea ſeſſione quam ſuper authoritate conciliorum generalium celebrauit, expreſsè ſtatuit & declarauit, quòd ſi quis etiam ſummus Pontifex, mandatis, ſtatutis ſiue ordinationibus, aut præceptis cuiuſlibet concilij generalis vniuerſalem Eccleſiam repræſentantis, obedire contumaciter contempſerit in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem ſchiſmatis, & generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, ad alia iuris remedia, ſi opus fuerit, recurrendo. Deinde in vndecima ſeſsione huius ſanctæ ſynodi ſtatutum fuit, quòd ſi ſummus Pontifex in futurum attentaret concilia generalia actu congregata, diſſoluere, aut de loco ad locum mutare ſine conſenſu ipſorum, niſi reſipiſceret infra quatuor menſes, ſuſpenſionem ab adminiſtratione papali incurreret ipſo facto. Et ſi hanc ſuſtineret per duos menſes animo indurato, ad depoſitionem ipſius procederetur. Subſequenter in duodecima ſeſſione fuit monitus ipſe præſens ſummus Pontifex, vt diſſolutionem concilij per eum tunc attentatam, reuocaret infra ſexaginta dies. Alioquin extunc prout exnunc eſſet ſuſpenſus ab omni adminiſtratione papali. Poſtquàm hæc omnia præceſſerant, ipſe dominus Eugenius adhæſit huic ſacro concilio, dicens ipſum legitimè ab initio ſui fuiſſe cótinuatum, non obſtante præmiſſa diſſolutione, quam expreſſè declarauit nullam, irritam & inanem. Exinde Oratores ſui ad præſidendum in concilio deputati, iurauerunt expreſſè ſuis nominibus decreta concilij Conſtantienſis ſu- per authoritate generalium conciliorum edita, atque inſuper decreta concilij Baſileenſis manutenere & defendere.

Quis poſt tanta, tamq́ue ſolida vniuerſalis Eccleſiæ teſtimonia, ambigere aut in dubium reuocare poteſt, ſi præfata ſuſpenſio per hanc ſanctam ſynodum decerni ac declarari potuerit ac debuerit? quod non ſolùm clariſſimè conſpicitur, verùm etiam illud irrefragabile eſt, quòd poſtquàm ſuſpenſionem ipſam dominus Eugenius ſuſtinuerat per duos menſes animo indurato, ad eius depoſitionem procedere incumbebat ſynodali iudicio. Sed quantam in ea re manſuetudinem obſeruauerit ſancta ſynodus, quàm benignè ſupplicationibus veſtrorum sereniſsimorum Principum condeſcenderit, vos venerabiles oratores pro Deo attendite. Iam eandem ſuſpenſionem ſummus Pontifex per annum integrum ſuſtinuit animo indurato, & eccè depoſitionem eius diſtulimus vſque ad hoc tempus, proceſſusq́ue aduerſus eum inchoatos tardiori greſſu deduci & continuari fecimus expectantes ſi forſan ad preces veſtrorum principum, aut aliundè quomodolibet excitatus, reuerteretur ad cor, & ad ea quæ ſunt ſalutis, vnionis, pacis & boni regiminis Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus efficaciter conuerteretur, ſi tandem Eccleſiam monentem & corripientem audiret, ne ipſum oporteret haberi iuxta verbum Christi, ſicut ethnicum & publicanum. *Matth. 18.* Quantas verò interim perſecutiones aduerſus hanc ſanctam ſynodum pro ſalute ipſius laborantem, excitauit, conſiderate: quantum in ſe erat, licèt tamen nulliter & de facto, omnia ſuppoſita ipſius ſanctæ ſynodi excommunicare, priuare, inhabilitare conatus eſt, niſi ſuæ prætenſæ diſſolutioni parerent. Interdictum in ciuitate Baſileenſi ſeruandum ſtatuit, niſi ciues Baſileenſes Concilium ipſius à ciuitate ſua eijcerent. Victualia ad nos deferri prohibuit, & portantes eadem ſpoliari conceſſit, atque ipſorum ſpolia cedere occupantibus.

Certè Gregorius dicit, etiam non iuſtã paſtoris ſententiã eſſe formidandã.

Inſuper quoque per literas ſuas more Romanæ curiæ bullatas mandauit, vt in ipſa ſuppoſita concilij fieret perſecutio tanquàm in hoſtes fidei Chriſtianæ, appellans hanc ſanctam ſynodum, perfidam iniquorum ſynagogam. Poſtq́ue venerabilis epiſcopus Viſenſis & dilecti Eccleſiæ filij Ludouicus de vrbe ſedis Apoſtolicæ protonotarius, Dionyſius de Sabenrays ſacræ Theologiæ profeſſor, & Stephanus Plonerij decretorum doctor oratores noſtri, realiter capti fuerunt, ſumpta occaſione per captiuantes, vti accipimus, ex mandatis domini Eugenij. Sed Dominus in his omnibus nobis adiutor fuit, pro cuius Eccleſia perſecutiones pati non refugimus, ſcientes quoniam ipſe Dominus ait: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. *Matth. 5.* Et quamuis plurima temporalia damna, diſpendia & pericula nobis afferat in hoc loco, tam lõgi temporis expectatio cum innumeris ſumptibus & laboribus, tamen non poſſumus hanc in Deum noſtrum offenſam committere, vt Eccleſiam eius ruere, inceptam reſtaurationem ſanctiſsimæ legis ſuæ in cordibus hominum, & neceſſariam reformationem Chriſtianæ religionis * deferri atque abijci, necnon veritatem & iuſtitiam in diebus noſtris miſerabiliter conculari patiamur: ſed miſericordiam Saluatoris noſtri iugiter exorabimus, vt ipſam Eccleſiam ſuam aduerſus perſecutiones ſuſcitatas aſſiduè tueatur, nobiſq́ue in eo propoſito perſeuerare donet, vt nullus aduerſitatis impetus, nulla perſecutionum magnitudo noſtros animos dimoueat, quo minùs ſancta opera, propter quæ hæc vniuerſalis Eccleſiæ ſynodus congregata eſt, in realem effectum deduci procuremus, & authoritatem vniuerſalium conciliorum, per quam fidei integritas & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, omniſq́ue regula Chriſtianæ vitæ conſeruari habet, ſuſtineamus illibatam, non quærentes in ea re quæ noſtra ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti & ſalutis animarum.

*for. * deſeri*

Sed hæc cõtra Eccleſiæ paſtorẽ pertinacia à multis reprehenditur, & fuit certè exẽpli nõ boni, præſertĩ vix vno Cardinale Baſileæ manente, ceteris reſipiſcentibus.

Alia quoque plura, ſpecialia de geſtis tam per ſummum Pontificem, quàm etiam per ſuos qui ad diuerſas regiones miſſi fuerunt, nequaquàm per ſingula commemorare de præſenti volumus. Sed illam grauiſſimam offenſam Dei noſtri & Eccleſiæ ſuæ, atque etiam humanæ naturæ, nequaquàm * tacenda eſt in perſonam Heraldi illuſtris principis Pedemontium perpetratam: quem ad Græciam præmiſerãt legati noſtri, qui ſuper vna galea oratorum ſummi Pontificis captiuatus, & torturæ expoſitus, nuſquàm comparet: &

*for. * tacendã putamus, in*

in ma-

in mare proiectum & dimerſum fuiſſe accepimus. Verùm diuinam exoramus clementiam, quatenùs cor ipſius ſummi Pontificis ita conuertere dignetur in viam veritatis, ſalutis & pacis, vt non ampliora de his loqui, aut ſcribere neceſſe ſit, ſed omnibus emendatis, Eccleſia cunctorum mater de ipſius probis actibus in Domino gaudeat. Iam verò clariſsimi oratores ad ea venimus, quæ ſuper mutatione loci pro celebratione concilij, nomine veſtrorum principum poſtulaſtis. Opportunum quidem fore propoſuerunt diſcretiones veſtræ, vt locus alius huic ſacro concilio tutus & accommodus eligeretur, in quo cum Græcis haberetur conuentio, ſeruata ex integra authoritate generalium Conciliorum, & huius præſentis Baſileenſis concilij, quòd vniuerſalem Eccleſiam repræſentare deuotis & fidelibus animis profitemini. Nos quoque pacis & vnitatis amantiſſimi, ipſorum Principum veſtrorum votis, quantum cum Deo poſſumus, condeſcendere cupientes, aures benignas cunctis in ea re per vos proponendis accommodauimus. Petierunt autem deputati huius ſanctæ ſynodi, inter quos Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates & Doctores inſignes erant, vt media aperire velletis, quibus res iſtæ perfici poſſent. Vos ad hæc reſpondiſtis, vt illi potiùs ea aperirent, qui de authoritate Conciliorum generalium, & rebus eam concernentibus ampliùs informati erãt, atque in his vltrà iam per ſeptennium occupati. Ipſi verò ſuaſioni veſtræ morem gerentes, huic negotio operam dederunt. Et cùm plurima in ea re pericula cernerent ſubuerſionis eiuſdem authorieatis conciliorum generalium, atque deperditionis inchoatorum operum, reformationem Eccleſiæ in capite & membris concernentium, certa capitula conceperunt, per quæ his periculis obuiare pro ſua fidelitate conabantur. Et ſi verè eadem capitula, dum à vobis audita fuerint, non à iuſtitia & ſanctitate deuiare arbitremini, tamen quoniam difficile fore exiſtimatis, ſummum Pontificem ad hæc inducere, alia capitula concepiſtis: quibus completis, hanc fieri poſſe loci mutationem. Vos autem maiorem partem veſtrum * aduiſaſſe dicebatis, ſuper ipſis quoque per vos * aduiſatis, deinceps noſtri deputati nonnulla quæ addenda videbantur, & quædam etiam ſubtrahenda, exindè annotauerunt: circa quæ deinceps mutuam collationem habuiſtis.

Solus Arelatenſis cardinalis mãſit Baſileæ, Eugenio infenſiſſimus.

* auiſaſſe

Hæc autem ſancta ſynodus omnia maturo examine ponderans, quę tam per deputatos ſuos, quàm per deuotiones veſtras liberata fuerunt, iam in præſentiatũ grandia pericula veſtris deuotionibus exponere duxit, ex hac mutatione ſibi ac toti Eccleſiæ euidenter imminentia: quibus non ſatis cautum eſſe per capitula quæ à vobis concepta ſunt, veſtræ diſcretiones facilè poſſunt aduertere. Primùm quidem, de nullitate diſſolutionis ac tranſlationis prætenſæ huius ſacri Concilij in Ferrariam per ſummum Pontificem recognoſcenda, nullã feciſtis mentionem: quam nullatenùs per Eccleſiã tolerare poſſe, ſuperiores ratione oſtenderunt: neque ſola ceſſatio congregationis Ferrarienſis, de qua feciſtis mentionem, graue vulnus in hoc illatum Eccleſiæ quoquo modo ſanaret. Secundò, tria loca per ſynodum nominanda propoſuiſtis, ita vt alterius ipſorum optio per dominum Papam & Græcos fieri haberet, cùm tamen venerabiles & diſcreti oratores ſereniſſimi regis Romanorũ, & venerabilium ac illuſtrium Principum electorum ſacri Romani imperij, tam in propoſitionibus per vos factis, quàm in petitionibus ſcriptotenus præſentatis, à principio duntaxat locum alterum pro œcumenico Concilio celebrando quæſieritis, & poſſet Concilio periculum imminere, dum illum locum quo minùs accommodus & ſecurus nobis eſſet, Papa cum Græcis fortaſſe aſſumeret. Tertiò, non expreſſiſtis quòd dominus Eugenius in talem locum conſentiret tanquàm authoritate huius ſacri concilij vniuerſalem Eccleſiam repræſentantis nominatum: neque aliquod verbum in veſtris auiſamentis percepimus, per quod ipſe hoc Baſileenſe Concilium legitimè continuatum recognoſcere haberet: quod tamen neceſſe eſt, ſi ſummus ipſe Pontifex cum hac ſancta ſynodo, atque etiam cum religioſis principibus veſtris vnum ſentiret, & pacem & vnitatẽ confouere velis, ac futuris quæſtionibus & controuerſijs obuiare, quæ in altero loco exoriri poſſent. Quartò, de obſeruatione ſynodalium decretorum & reformationis executione, pro qua hæc ſancta ſynodus grauiſsimos labores tanto tempore ſuſtinuit, & quæ intantùm diuinæ legi beneplacita, ſalutiq́ue Dominici gregis neceſſaria iudicata eſt, nullam mentionem expreſſam videmini: neque etiam ſuper obſeruatione geſtorum in materia iuſtitiæ, gratiæ, ſeu indulti in hac ſancta ſynodo, per ipſa auiſamenta veſtra habetur prouiſio aut ſecuritas, ex qua re quàm plurimæ turbationes in diuerſis regionibus prouenirent, niſi opportunè prouideretur. Quintò, de modo transferendi Concilium ad locum alterum, & qualiter procedetur in illo loco, ſaltem ab initio nihil auiſamenta veſtra dixerunt, niſi tantùm quòd modus ille obſeruabitur, quem Concilium ibi exiſtens determinabit. Dum verò ibi deuentum eſſet, dicerent forſan aliqui, ſolos pontifices vocem diffinitiuam habere, & à votis illorum concludere vellent. Alij, Abbates, Doctores & Priores & capitulorum procuratores, aliterq́ue debitè qualificatos inſignes viros, non excludi debere, & à maiori parte omnium concluſiones habendas arbitrarentur. Rurſum quidam per deputationes, alij per nationes procedere conarentur: facileq́ue eſſet, concilium inter has diſſenſiones diſſolui, maximè attento conatu, quem præſens ſummus Pontifex ad ipſam diſſolutionem hactenùs exercere viſus eſt. Sicq́ue tandem poſſet contingere, vt paruipenſis decretis ſynodalibus, & quodammodò ſepulta authoritate generalium conciliorum, ſummi pontifices pro libito voluntatis agere poſſent quicquid eis videretur, dum aduerſus hoc Concilium, cui incorporati fuerunt omnes reges Chriſtiani, & quod tanta authoritate fundatum extitit, in ipſius tali diſſolutione & eluſione poſt tanta certamina præualeret moderni domini Eugenij voluntas: quod quàm eſſet pernicioſum & damnoſum toti Eccleſiæ atque Chriſtiano populo, vos ipſi conſiderate. Quare neceſſe eſt, ſi Concilium transferri debet, vt cum magna cautela his periculis obuietur, & de modo incipiendi progreſſum ipſius Concilij in loco altero, firma & ſtabilis concluſio ante tranſlationem habeatur. Cùm verò ibi ſolidatum & ſtabilitum fuerit Concilium, ſi alios modos tenere voluerit, hoc in ſua libertate manebit. Sextò, ſuſpenſionem ſummi Pontificis ab adminiſtratione papali, mox ſublatam intelligi profertis, cùm Canones Cõſtantienſis Concilij profeſſus erit, & in locum nominatum conſenſerit: quòd nullatenùs fieri poſſe, manentibus cauſis propter quas ſuſpenſio ipſa decretata eſt, veſtræ diſcretiones clariſſimè conſpicere poſſunt: quæ etiam vbi expurgatæ eſſent, & ſpes bona in ſpiritualibus & temporalibus in adminiſtratione poſſet concipi, talem ſublationem cum magna conſideratione per ſolenne decretum effici conueniret: neque de admiſſione præſidentium ex parte ipſius ſummi pontificis, de qua in veſtris auiſamentis agebatur, mentio eſt habenda, priuſquàm ipſa ſuſpenſio auferatur. Quod voto de cenſuris hinc & inde tollendis additum, eſt ſcitis ea quæ aduèrſus hoc legitimum generale Concilium in his facta ſunt, nulla prorſus eſſe, irrita & inania, ſicut etiam dudum in decreto duodecimæ ſeſsionis huius ſanctæ ſynodi extitit declaratũ: & cùm vnica ſit Eccleſia, vnicum eſt etiam generale Concilium ipſam repræſentans, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus & dignitatis, etiam ſi papalis, obedire tenetur. Nec in Eccleſia contrariæ ſunt poteſtates, à quibus contrariæ cenſuræ veraciter procedere poſsint, ſicut & vos optimè intelligere non dubitamus. Septimò, locum mutari quæritis, eſto quòd nec Papa, neque Græci venirent ad ad illum alterum locũ, aut in eum conſentirent. Quæ autem neceſsitas vel quæ vtilitas id agere ſuadet, non aperuiſtis. Nec videtur quo pacto dominus Eugenius ibidem audiri haberet, ſicut tangere videmini, dum neque in illum locum conſentire, neque ad ipſum mittere vellet. Ipſum verò nequaquàm conueniens eſſe, ſynodum in loco ſecuro ac quieto & pacifico conſiſtentem, periculoſæ tranſlationi exponere ſine fructu aut ſpe alicuius vtilitatis vel vrgente neceſsitate. Octauò, quoniam non dixiſtis quid agendum erit, ſi dominus Eugenius ea quæ petuntur, facere noluerit: poterimus ne ſemper in talibus dilationibus, in his fluctuationibus Eccleſiam periclitari permittere, & nõ ſibi de aliquo prouidere remedio? videtis quantæ dilationes conceſſæ ſunt, quæ nullũ fructum

Et tamen Eccleſia reuerẽter agnoſcit Synodum Ferrarien.

lerunt:immò pendentibus illis,ipſe dominus Eugenius m plurima in præiudicium Eccleſiæ innouauit:pendenuidem dilatione ſexaginta dierum , poſt citationem , Concilium diſſoluere & transferre attentauit. Subſenter dilatione quatuor mēſium , poſt diſſolutionem ip-,congregationem Ferrarien.erexit. Deinde ſub tertia tione duorum menſium, poſt ſuſpenſionem ipſius ab iniſtratione papali , nos prædæ & ſpoliationi , alijſque ſecutionibus antedictis expoſuit, & Græcos ad ſe pro ſui nimento attraxit. Longioribus deinde dilationibus ad gamina Principum per nos obſeruatis, ipſe interim nuns per orbem tranſmiſit, qui ſuaderent corda multorum iam eius. Rurſum,dum his diebus ſuper tractatibus pa-* nobiſcum occuparemur, ipſe neque nobis neque vo- conſultis,prętenſam tranſlationem in ciuitatem Florenam fecit:& cùm vos venerabiles oratores locum alterum Germania expeteretis,vbi omnes conuenire poſſent,ipſe longiores regiones non parùm acceſſu difficiliores, ſe nſtulit. Videtis quòd inter has dilationes ſcandala con uè creſcunt. Vileſcit ſynodalis authoritas,totus ferè grex minicus ob defectum paſtoris prouidè regentis, in præitium malorū dilabitur, & in his nullam medelam protis,nullam ſecuritatem remediorū datis, ſi ſummus ponx huic ſanctæ ſynodo & veſtris deſiderijs condeſcende- recuſauerit. Tandem deſignaſtis, quòd dum ſic ad alten locum deuentum fuerit, ciuibus Auinionenſibus cre oribus Eccleſiæ ſatisfiet.Nullatenùs autem poſſumus aut bemus vſque in id tempus ſub euentu incerto ſatisfactiom eis debitam differre & prolōgare,cùm & pecuniæ iam lectæ, pro Eccleſia in diuerſis locis habeantur, quæ nulenùs nobis denegari iuſtè poſſunt, tenemurque pro viri agere vt quantocyùs ſine mora, quod debet ſancta ſydus reſtituat. Hæc itaque clariſſimi oratores ponderare lint veſtræ prudentiæ, & pro reuerentia Chriſti Saluato- noſtri efficacem operam impendere, vt res vniuerſaliccleſiæ ad honorem Dei,ſalutem animarum & veram pam cunctorum, feliciter diſponi poſſint. Vos omnes vnc imo cū hac ſancta ſynodo ſaluti Eccleſiæ ſanctæ Dei conere curetis, & eam in ſuis neceſſitatibus efficaciter adiu re.Nos verò ſi in præmiſſis quæ neceſſaria ſunt cōuenien prouiſum fuerit,pro bono pacis & contemplatione ſereſſimorum Principum veſtrorum , atque ſingulariter pro ione Græcorum proſequenda,quam ſemper multo deſi rio expetiuimus, ad tranſlationem huius ſanctæ & vnirſalis ſynodi in alterum locum ſecurum,& rebus vniueris Eccleſiæ gerendis accommodum,condeſcendere paraerimus. Interim tamen non omiſſuri ea,quæ ad progreſm huius ſacri Concilij & operū per ipſum inchoatorum, m in reformatione Eccleſiæ in capite & in mēbris, quàm cæteris rebus, pertinere videbuntur pro honore Dei & ute vniuerſalis Eccleſiæ.Et nihilominùs totis viribꝰ ſemr operam dabimus, vt pax optima & beata tranquillitas r omnem Eccleſiam vigeat. Ad laudem & gloriam Spiris paracliti, qui cū Patre & Filio vnus eſt Deus benedictus ſecula ſeculorum, Amen.

Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali, 10. Cand.Martij,anno à natiuitate Domini 1439.

ESPONSIO SYNODI AD SCHEDVLAM ORA*torum principum de mutatione Concilij in alium ex tribus locis , vbi inchoandum eſſet omninò Concilium ad ſex menſes cum dimidio , nec interim contra Papam procedendum.*

SACROSANCTA &c. ad futuram rei memoriam. Rem grauiſſimam,quam ab hac ſancta ſynodo quęritis venerabiles ac circunſpecti oratores, attentis conſiderantes imis, Deum noſtrum qui ſua potenti dextera Eccleſiam antauit in terris,ſupplices orauimus & oramus, vt ea nos loqui ac reſpondere donet, quæ ſint ad ſuæ maieſtatis onorem & ſalutem omnium credentium, qui Apoſtolis is & diſcipulis, vt in tempore neceſſitatis loquendi fiduam haberent,dixit : Dabitur enim vobis in illa hora quid quamini. Mutationem huius ſacri Concilij in locum alteam,ſuperiori tempore per vos expetitam, iterum poſtulatis. Spem quoque pacis Eccleſiæ ex ea re concipere videmini, quam profectò pacem ſi per hoc medium poſſemus adipiſci, iamdudùm ipſam mutationem auidis animis quæſiuiſſemus, quoniam ſummo deſiderio cupimus cum beatis pacificis filiationem Dei promerentibus operari ad pacem, non quidem illam pacem appellantes, qua, conciliorum authoritate contempta, quiſpiam ſummus Pontifex poſſet de tota Eccleſia & animabus redemptis ſanguine CHRISTI, agere quicquid ſibi libitum foret, abiectaque ſalutifera reformatione , ſpretis ſacris canonibus & decretis, vitia & abuſus peſtiferi pacificè regnare permitterentur : aut quod omnibus grauius eſt, fide læſa & vulnerata, quiſquis fidem ipſam impugnans pacificè opprimeret Eccleſiam,& illi tacere cogerentur qui fidem ipſam ſuſtinerent. Non quidem hoc eſſet pacem agere, ſed turbationem grauiſſimam : Non hoc eſſet mederi languoribus præſentibus Eccleſiæ, ſed eam in miſerabile diſcrimen adducere.

Non hoc voluit Eugeniꝰ, cui vos multū detrahitis.

Quod quidem non eſſe noſtræ intentionis credimus. Sed zelus domus Dei cogit nos in extremis Eccleſiæ periculis non tacere veritatem , ne tandem dicere oporteat in Dei iudicio : Væ mihi , quia tacui. Eſa. 6. Sciunt diſcretiones veſtræ, vitam Eccleſiæ in fide & probis moribus præcipuè conſiſtere, quibus capiti ſuo & fonti vitæ Chriſto coniungitur, ac cum eo pacem habet,charitatē & gaudium,quæ ſunt fructus ſpiritus: vt & vos ipſi ex Apoſtolo allegaſtis. Gal. 5. Quam* verò pacem quærunt beati pacifici, qui recipiunt adoptionem filiorum Dei. Hæc eſt enim pax Chriſti, de qua ipſe ait: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. Ioan. 14. Cùm autem his nouiſſimis temporibꝰ deformitates, ſchiſmata & errores plus ſolito cœpiſſent inſurgere, congregata in Spiritu ſancto ſacra Conſtantienſis ſynodus, nobis fidem explicauit de poteſtate immediatè data ab ipſo fidei authore Chriſto Concilijs generalibus, repræſentantibus Catholicam militantem Eccleſiam, quibus & ſummus Pontifex, & quilibet alius obedire tenetur: vt Chriſtiani intelligerent, quòd ipſis erroribus, ſchiſmatibus & deformitatibus obuiare oporteret per Conciliorum generalium authoritatem, ſicut Chriſtus ipſe Deus noſter ordinauit, vt ſic frequens cōciliorum celebratio, quæ præcipua agri dominici cultura eſt, vepres & tribulos prædictorum malorū euellat, prout in eadem Conſtantienæ ſynodo declaratum extitit,& pax optima cum ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus vigeant in terris. Vnde verò languores, vnde morbi , vnde turbationes pacis & vexationes Eccleſiæ iam nunc potiſſimè inualeſcunt , niſi ex eo quod obedientia, quam Chriſtus ipſe imperauit, quam Eccleſia declarauit, quam fides edocet, non data eſt Concilio generali (quod dolenter referimus) à domino Eugenio Papa moderno ? immò grauiſſimè contempta, & duriſſimè factis,verbis, & ſcriptis vſque in hodiernum diem impugnata, ſicut magna ex parte in alia noſtra reſponſione ſynodali, pręterito menſe Februarij ad veſtras priores petitiones ſuper mutatione huius ſacri concilij porrectas, explicauimꝰ, vnde diuiſiones & ſchiſmata in Eccleſijs particularibus, vnde Principū & prælatorum , atq; etiam populorum per orbem diſperſorū, grauiſſima perturbatio.

Petro dictum eſt, paſce oues meas, illi ergo vos obedire debuiſtis.

Nam quemadmodum ſæpè audiſtis, primitus hoc ſacrum concilium congregatum authoritate duorum præcedentium conciliorum, & duorum ſummorum Pōtificum, pro extirpatione hæreſum & reformatione Eccleſiæ in capite & in membris, quaſi ab exordio attētauit dominus Eugenius, licèt nulliter & de facto, diſſoluere ſine ipſius concilij conſenſu. Deinceps cùm plurima decreta ſalubria edita fuiſſent pro reformatione Eccleſiæ in capite & in membris , & per legationes plures * per plures oratores admonitus eſſet , vt animum ſuum ad eorum obſeruationem redderet benignè inclinatū: ita proh dolor ea paruipendit, ita contempſit, vt quaſi in nullo debitam obedientiam ipſi concilio adhibere cōpertus ſit: ex quo grauiſſimo contemptu nō parua ſuſpicio aduerſus eū exorta eſt, quòd de declaratione catholicę fidei, facta in concilio Conſtantienſi, non rectè ſentiret, quodq; non crederet ſe teneri obedire concilio, prout ipſa fidei veritas aſſerit. Quid ampliùs? cùm ſuper hoc graui cōtemptu citaretur, mentem ſuam pleniùs aduerſus ipſam veritatē declarauit, diſſoluendo authoritatiuè hoc ſacrum Conciliū de facto ſine cōſenſu

fo. *ac per

ipſius,

ipſius, caſu quo virtute decreti citatorij procederetur, aut fieret aliqua nouitas contra ipſum, aut contra aliquem ſuorum oratorum præſidentium, qui in concilio fuerant, prohibendo etiam authoritatiuè, ne in eo caſu factum Bohemorum, quod actu tractabat hæc ſancta ſynodus, vltra triginta dies ageretur: vbi non ſolùm iam obedientiam denegauit, ſed ſe iudicem ſuper concilium conſtituit, non ei obediens, ſed imperans in his, in quibus eundem teneri obedire Concilio, ex Chriſti ordinatione aſſerit ipſa traditio fidei. Si verò iam hoc ſacrum Concilium diſſoluatur, quòd fidem Eccleſiæ defendit: dimittaturque ille ſupra Eccleſiam pro libito ſuæ voluntatis imperare, qui tanto tempore tam grauiter ipſam factis, operibus & verbis impugnat, immò authoritate & poteſtate conatur opprimere: nunquid non ipſius Eccleſiæ imminet deſolatio? Nunquid non timendum eſt, vel potiùs præſumendum, quòd Concilio diſſoluto, volet ſingulos per orbem diſperſos cogere, vt idem ſentiant quod ipſe? Nunquid non ſi abſque debita correctione ſic dimittatur, cunctis ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſecularibus, ſiue prælatis, ſiue principibus, aut alijs quibuſcunque imminebit perſecutio, qui fidem in ſacro Conſtantienſi concilio explicatam voluerint profiteri? Quid verò de illis faciet, qui decreta ſynodalia ſeruare volent? quòd cùm in præſentia videamus adhuc ſedente Concilio, quomodo tales in pluribus Eccleſijs faciat tractari. An verò hæc erit appellāda pax & tranquillitas Eccleſiæ, vos præclari oratores, pro Deo conſiderate. Quod erunt deinceps, qui pro conciliorum authoritate, pro declarationibus per Eccleſiam factis in explicatione fidei certabunt, eas deprimi & hoc concilium in earum defenſionem de facto viderit ſuccumbere? Quis hæreticus non audentiùs (quod cùm amariſſimo gemitu dicimus) cornua eriget aduerſus ſponſam Chriſti, ſi ipſa concilia generalia, quibus ſupremum iudicium in materijs fidei decretum eſt, viderit conculcari?

Certè Eugenio Latini & Græci in Synodo Florentina aſſenſerunt.

Sed quis, ô præclari oratores, iam in alio concilio, quod futurum dicitis, ad reſiſtendum ſummo Pontifici pro defenſione rectæ fidei veniret, dum ipſe Pontifex hoc ſacrum concilium de facto ſuppreſſiſſe, & in nihilum redegiſſe conſpiceretur? Quale prætereà exemplum relinqueretur ſummis Pontificibus, ſi perperàm agere volent, ſchiſmata faciendi, concilium generali impugnandi & diſſoluendi, vt quoties de ipſorum correctione in fide, aut in moribus agetur, perturbent, ſcindant & diuidant concilium, atque in aliud concilium deueniri poſtulent? Et ſi in illo non fieret quòd voluerint iterum, aliud quærant: ſicque fiet tranſmigratio de concilio in concilium, & iudicia vniuerſalis Eccleſiæ ſic ſemper in incerto vagabuntur, dum præſens ſummus Pontifex poſtquàm decretis, præceptis & ordinationibus ſynodalibus tanta obduratione obſiſtit, poſtquàm ipſum bis authoritatiuè ſine eius conſenſu diſſoluere attentauit, & ſciſſuram in Eccleſia grauem iam perpetrauit, tandem nulla ſuſcepta pœnitētia, nulla penitùs emendatione facta, obtineret vt concilium mutari cogeretur: immò veriſimiliter in totum diſpergeretur per hanc viam mutationum & dilationum, quas afferri concipimus, perſeuerante ipſo moderno Pontifice in aſſidua eiuſdem Concilij, & totiès declaratæ veritatis impugnatione. Hoc equidem non eſſe ſchiſmati obuiare, ſed ſchiſmata fouere & nutrire, dum pontifici volenti ſchiſma facere, vt formidare videmini, ſi concilium ad eius correctionem procederet, talis fauor præberetur, vt eius contemplatione ipſum concilium tali modo mutaretur, vnde poſteris ad ſchiſmata facienda maior pararetur audacia, vt conciliorum eneruaretur authoritas, per quorum ſupremum iudicium in terris ſchiſmata extirpari conuenit: immò ſecundùm hoc, qui Eccleſiam lacerare & ſcindere vellet, ipſa ſibi tota opprimenda relinqueretur. Et ne partem gregis ad ſe traheret, totus in ſuis manibus dimitteretur. Vnde forſan volendo auferre ab eis fidem, quam in Catholica Eccleſia de authoritate conciliorum didicerunt, & contemnendo leges pro ſalute omnium datas, ipſe omnes in damnationem ducere moliretur. Non hîc agitur, præclari oratores, de tali ſchiſmate, in quo duæ perſonæ contendunt de papatu, & in dubium vertitur cui eorum ius competat, vbi vterque contendentium in iudicium cōcilij generalis venire habet ſententiam auditurus: ſed agitur de pōtifice, qui ſe voluntar[ie] à concilio volente ipſum corripere, ſeparauit, quod reput[a]bat legitimum vniuerſalis Eccleſiæ concilium, & Eccleſi[æ] pacem turbauit, ſchiſma fecit, ſcandala ſuſcitauit diſſoluen[]do concilium authoritatiuè, vt præmiſſum eſt, caſu quo pro[]cederetur cōtra ipſum aut aliquem oratorum ſuorum præ[]ſidentium. Et altare contra altare erexit, vt ſic correctio[]nem iudicis effugeret. Quomodo autem res illa locum ſib[i] vendicare poterit ſine eneruatione authoritatis concilio[]rum? vt poſt prædicta oporteat Pontificem manere in poſ[]ſeſſione diſſoluendi taliter concilium. Et quia ſancta ſyno[]dus * dum verò iam requiritur, vt poſt iſta concilium, qui officiū iudicis egit pro exercitio iuſtitiæ ſibi diuinitùs commiſſo, cogatur loco iudicij cedere & mutari, ſuaque iudici[a] differre, ac deſerere, ac per talem mutari, vt ſibi præfigantu[r] tempora, loca, modi procedendi & alia quæ nunc requirun[]tur à nobis, quaſi non ſit libertas in concilio generali ad faciendum quod pro Republica expedientiùs iudicabitur ſub directione ipſius Spiritus ſancti, de cuius auxilio confidendum eſt, quòd ſiue oporteat concilium manere in hoc loco, ſiue mutari, ſiue conueniat procedere, ſiue quicquam aliud agere, & de modo, forma & tempore omnia peragendi, ſuggeret ipſi concilio, quod pro ſalute vniuerſalis Eccleſiæ fuerit neceſſarium. Sed dicitis, quòd concilium in alio loco præter ſui conſenſum, indiſſolubile permaneat. Verùm ſi Papa hoc priuilegium habeat diſſoluendi concilium ſine eius conſenſu, quomodo vultis illud ab ipſo tollere? Si autem non habeat, in hoc notoriè errauit: quomodo id fieri quæritur, per quod in hac errandi poſſeſsione permaneat, & de mutatione concilij tali modo per ipſum dominum Eugenium facta, poſſeſſio haberetur, quæ trahatur ad conſequentiam? Et ſi in talibus conſentiret hæc ſancta ſynodus, iam authoritate Eccleſiæ, talia fieri poſſe viderentur, quòd nullatenùs quæri aut effici debet. Dicitis prætereà ipſum concilium mutari habere in alterum trium locorum, in quem Papa aut Græci venire conſenſerint. Et eſto quòd nec ipſe nec ille conſentiant, nihilominùs mutetur. In primo caſu non eſt nobis facilè exiſtimare, attentis præteritis operibus, quòd Papa veniat in illum locum perſonaliter, in quo ſperet ſe correctionem accepturum. In ſecundo caſu, cùm Græci aduenient, & fiet nouum concilium ex Latinis & Græcis, dantur induciæ correctionis & emendationis domini Eugenij, donec per ipſos Græcos fuerit iudicatus: immò ſecundùm hoc agitur, vt Græci ipſi de actis ſynodalibus huius ſacri Concilij Catholicam Eccleſiam repræſentantis, & de operibus Papæ iudicare habeant, priuſquàm Papa ipſe corrigatur: quodque omnes quæſtiones iuris & facti agitatæ in Concilio erga dominum Eugenium, quarum etiam aliquæ ius diuinum & fidem concernunt, haberent in iudicium ipſorum Græcorum deuenire, relicto huius ſanctæ ſynodi Catholico iudicio: & quòd ea, quæ per Eccleſiam in concernentibus fidem determinata ſunt, in dubium reuocentur, quaſi notaretur ipſa Eccleſia in his quæ fidei ſunt, errare potuiſſe. Dicitur, quòd ibidem dominus Eugenius legatos ſuos mittat, quòd iuriſdictionis eſt, ac ſi ipſe ab adminiſtratione papali non eſſet ſuſpenſus, cùm tamen ipſam ſuſpenſionem ex cauſis tam neceſſarijs & tam vrgentiſsimis, quas in alia reſponſione ſynodali expoſuimus, conſtat eſſe factam. In tertio caſu, ſi hoc ſacrum Concilium mutetur, quod fundatum eſt authoritate duorum conciliorum præcedentium, & duorum ſummorum Pontificum, cui ferè omnes maiores Eccleſiæ prælati, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, omneſque Reges orbis catholici incorporati ſunt: eſto quòd nec Papa nec Græci conſentiant, id ſequetur, quòd vbi concilium exiſtens in hoc loco, fortiter impugnat dominus Eugenius, ipſum tranſlatum in alium locum ſine eius conſenſu fortiùs impugnare poſſe videatur, & habere maiores colores impugnandi: interimque ſeptem menſium vel * eocirca, dilationem obtineat, quibus nihil pro eius correctione agatur, quibus nullatenus fidei & ſaluti Eccleſiæ prouideatur, ſed potiùs ſuppoſita huius Concilij per attædiationem, aut alia incommoda diſpergantur, & tandem nulli vel paucisſimi ad illum alium locum accedendi habeant voluntatē, dum viderint huius concilij Baſileenſis tam miſerabilem

Quis hoc vnquàm Pontifex fecit?

citum, quod tantis laboribus congregatum, tot annis ad-
erſus impugnationes domini Eugenij conſeruatum fuit.
Quid aliud ad hæc reſpondere poſſumus, venerabiles Ora-
ores, niſi amariſſimos edere gemitus ſuper flebili ruina Ec-
leſiæ, ſi res ita procedant, & plorare die ac nocte ſuper il-
a generalium conciliorum authoritate tandiu per nos de-
enſata, quam in interitum perduci conſpicimus, niſi Deus
oſter præuideat? De qua authoritate parùm prodeſt ver-
o dicere, quòd conſeruari habeat, ſi tale factum agatur, vn-
le ipſa miſerabiliter proſternatur. Quis verò dabit capi-
ibus noſtris fontem lachrymarum, vt in mœroribus & do-
oribus dignè lugeamus læſionem fidei, contemptum ſy-
nodorum & ſacrorum canonum? quibus conculcatis, om-
nia ſcelera, omnia vitia, omnium abuſuum & deformitatũ
incrementa liberiùs regnabunt: pariter quoque amarè fle-
bunt diebus futuris principes & nationes orbis, dum quiſ-
piam Romanus pontifex eos iniuſtè opprimere volet.
Nam fruſtrà deinceps ad Concilia generalia recurrent,
quorum erit ſic proſtrata authoritas. Si enim concilium
generale aliquid vellet de ipſo Romano Pontifice iudica-
re, illud diſſoluet ac transferet, aliudq́ue concilium fieri
quæret, vbi poſſit ſuum libitum conſequi, ſicq́ue nulla ſta-
bilitas, nulla firmitas in iudicijs ipſorum conciliorum ha-
beri poterit. Inualeſcet prætereà ille pernicioſiſſimus er-
ror in populum Dei, vt vnus homo ad ſummum pontifi-
cium aſſumptus, poſſit de tota Eccleſia & Chriſtianitate a-
gere ad ſuæ libitum voluntatis, ſicq́ue per generale
concilium vniuerſalis Eccleſiæ, non valeat corrigi aut re-
formari. Sed & videmus non ſolùm ſtatum Eccleſiaſti-
cum & ſalutem animarum ex ea re detrimenta pati, immò
omnem ſtatum, omnem politiam, omne regimen in ſpiri-
tualibus & temporalibus perturbari. Nam ecce poſtquàm
generale Concilium Eccleſiam catholicam repræſentans,
immediatè habens poteſtatem à Chriſto, cui ſummus Pon-
tifex & quilibet alius obedire tenetur in his quæ pertinent
ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Ec-
cleſiæ in capite & in membris, cœpit ſuum exercere iudi-
cium in dominum Eugenium pro correptione ipſius, con-
tumaciter obedire contempſit: iam via introducitur, vt qui
Concilio in his tenentur obedire, non ipſum concilium re-
putent vt iudicem, ſed vt partẽ cum domino Eugenio con
tendentem, & velint ipſum iudicem directè aut indirectè
arctare vel compellere, loca & tempora eidem præfigere,
vt ſua iudicia nequaquàm proferat: immò ad inſtantiam
eius qui reus eſt, iudicium ſuum mutare cogatur. Quòd ſi
hoc fit de ſummo iudice poteſtatem habente immediatè
à Chriſto, nunquid non ex hoc datur exemplum ſubdi-
tis quorumcunque iudicantium, vt ipſos iudices tempora-
les ac ſpirituales per mutuas intelligentias compellerent, vt
illi à iudicando deſiſtant? Sicq́ue peribit Iuſtitia in terris, &
eueniet, quod ait glorioſus Hieronymus, dum vni par-
cunt, vniuerſæ Eccleſiæ moliuntur interitum. Quæ eſt,
inquit, iſta miſericordia vni parcere, & vniuerſos in diſcri-
men adducere? cumq́ue pax (vt ait beatus Auguſtinus) ſit
tranquillitas ordinis, iam abrupto ordine iudiciorum, om-
nis pax & hominum ad Deum, & hominum inter ſe, turba-
bitur, dum via conueniens ad pacem non quæritur, dum iu-
ſtitia abijcitur, & veritas proſternitur: quas cum pace ipſa,
diuina doctrina nobis oſtendit oportere copulari. ait enim
ſcriptura quæ mentiri non poteſt: Miſericordia & veritas
obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Et Dominus
per Prophetam inquit: Pacem & veritatem diligite. Rex
quoque Ezechias dicebat: Sit pax & veritas in diebus meis.
Quid igitur potiùs in tanta rerum difficultate agendum
eſt huic ſanctæ ſynodo? an quòd recedat, malà & omnia
ſupradicta permittat præualere, an quòd ex officio ſibi com
miſſo à Chriſto, ſub confidentia ipſius diuini auxilij, per
defenſionem veritatis & exercitium iuſtitiæ in repellen-
dis tantis malis, debitum ſuum agere curet coram Deo &
hominibus, adimplens illud quod per ſapientem dictum
eſt, Certa pro iuſtitia vſque ad mortem? Clariſſimè vide-
re poteſtis, venerabiles oratores, quòd Eccleſiam matrem
omnium Chriſtianorum in tanta deſolatione deſerere non
poſſimus, ſed nobis & toti populo Chriſtiano grauiſsima
imminet damnatio, ſi ſaluti ipſius Eccleſiæ & vitæ ſuæ quæ
ex fide eſt, prouidere negligamus. Expectauimus iam plu-
rimis annis, ſi præfatus dominus Eugenius, viam verita-
tis recognoſceret, & contemplatione Chriſtianorum prin-
cipum, dilatiões plurimas benigniſſimè obſeruauit hæc ſan-
cta ſynodus, ambaſiatoresq́ue ſuos ad diuerſas regiones
tranſmiſit, veritatem & iuſtitiam huius ſacri Concilij, ac
neceſsitatem vrgentiſsimam prouidendi publicæ ſaluti Ec-
cleſiæ aperientes, ad duas quoque conuentiones in Nuren-
berga ſucceſsiuè habitas profecti ſunt, & nouiſsimè in ci-
uitate Moguntinenſi non defuerunt ſufficienti poteſtate
ſuffulti, vbi oratores ſummi Pontificis per triginta dies ex-
pectati, nullatenùs comparere voluerunt, niſi poſt receſ-
ſum oratorum huius ſanctæ ſynodi, qui cum bona licentia
oratorum principum ibidem exiſtentium, per plures anteà
dies abſceſſerant. In omnibus autem his nunquàm ex par-
te ſummi Pontificis aliquid emendationis vel correctio-
nis oblatum audiuimus, vt per hoc paci Eccleſiæ conſulere-
tur, quam ita turbauit: & ne (quod abſit) totum corpus in-
uaderet morbus, & languor non eſſet curatus in capite, at-
que etiam vt diuina maieſtas, per ipſum grauiſsimè of-
fenſa, placari poſſet: immò duntaxat petita eſt ſemper hu-
ius concilij mutatio, & talis mutatiò, quæ ipſum concilium
reformationem Eccleſiæ quærens eneruaret, & dominum
Eugenium duriſsimè reſiſtentem, in ſua contumacia robo-
raret. Neque audiuimus quòd vos aut alij oratores Prin-
cipum in his rebus à Papa impetraueritis, vt contem-
platione Eccleſiæ & populi Chriſtiani quicquam emenda-
tionis aut meliorationis efficiat. Iam verò iuſtiſsimam hu-
ius ſacri Concilij proſecutionem totus orbis conſpicere
potuit, necnon patientiam ac manſuetudinem noſtram
atque longiſsimam expectationem in hoc loco, in quo non
nos mundana ſolatia aut terrena affectio detinent: immò
relictis proprijs regionibus, domibus, & beneficijs, in qui-
bus quieſcere poteramus, varias hic perſecutiones, iniurias,
damna, opprobria paſſi ſumus, & aſsiduè patimur, libenter
omnia ſufferentes pro votiua conſecutione reformationis
Eccleſiæ Dei, pro qua iam tribus generalibus concilij diu-
turno tempore laboratum eſt, pro defenſione fidei ortho-
doxæ, quam in oculis noſtris videmus multipliciter im-
pugnari. Et intantùm pręfatis Catholicis principibus expe-
ctando quæſiuimus complacere, vt poſt victualium penu-
riam & alias clades quas pertulimus, etiam grauiora pericu-
la immineant, atque per varia rerum diſcrimina huius con-
cilij diſperſio, & poſt tot annorum ſuſceptos labores, extre-
ma Eccleſiæ deſolatio in foribus eſſe videantur, ſi non ce-
leriter occurratur. Vnde iam apertè conſpicere poſſunt prin
cipes Chriſtiani, nos maxima neceſſitate compulſos, vt ſe-
cluſa ampliori dilatione, pro honore Dei creatoris cuncto-
rum, regis regum, domini dominantium, & pro ſaluatione
animarum omnium, communi ſaluti ipſius Eccleſiæ pro-
uidere curemus. Et ne in tanta rerum neceſsitate de graui
negligentia coram omnipotentis Dei iudicio arguamur,
omnem noſtram fiduciam proijcientes in ſaluatorem no-
ſtrum Ieſum, in cuius nomine congregati ſumus, fauente
ipſius gratia, ita intendimus agere, vt coram omnibus prin-
cipibus atque populis clariſſima iuſtitia & veritas huius
ſanctæ ſynodi reluceant, cum iuſtitia autem veniat intra Ec-
cleſiam ſoror eius pax, & ſibi inuicem gratiſsimo copula-
buntur oſculo, nec quicquam aliud petimus, niſi vt in his
turbationibus rerum det nobis id agere, quòd beneplaci-
tum fuerit ſuæ diuinæ maieſtati, & ſperamus per manum
eius omnes Chriſtianos in viam veritatis & proſecutione
publicæ ſalutis vnionem & pacem bonam amplecti: quod
& nos maximè deſideramus, ac laboribus cunctis proſequi
volumus, vt omnes vnanimiter in amore fraternitatis Deo
ſeruiant, & ſint vnum in veritate: nec aliquem de veritate
huius ſanctæ ſynodi informatum, credimus velle tandem
huic fauere errori, vt vnus mortalis homo, qui ordinatus
eſt vt ſit fidelis miniſter in domo Dei, poſſit (vt præmiſ-
ſum eſt) ad libitum voluntatis ſuæ de tota Eccleſia age-
re, & neque generalia Concilia repræſentantia Eccleſiam
vniuerſalem, neque Canones ſynodales, neque poſtre-
mò ipſas declarationes fidei per Eccleſiam Catholicam fa-
ctas attendens, poſſit totum gregem Domini cum tãto pre-
tio redemptum, in præcipitium damnationis inducere:

nec

nec vni perſonæ mortali quis intantùm humano fauore affectus putari debet, vt propter illius temporale deſiderium, quod ſicut vmbra pertranſit, velit vniuerſam Eccleſiam deſtrui: neque formidari nimium oportet, ſi iuſtum Eccleſiæ iudicium in correptionem domini Eugenij proferetur in futurum pro neceſſitate totius Eccleſiæ: & ipſe, quod abſit; rebellando in aduerſum, velit ſchiſma facere, alios attrahendo, vt ab vnitate Eccleſiæ ſe ſeparent, quòd princeps aliquis Catholicus, aut notabilium prælatorum quiſpiam velit ſuo fauere ſchiſmati, præſertim in læſionem Catholicę fidei & authoritatis Eccleſiæ. Nunquid notorium non eſt, quanti principes orbis tam per ſe, quàm per ſuos Concilio Conſtantienſi interfuerunt, vbi explicata fuit declaratio fidei de authoritate Conciliorum Generalium ſuper Papam & quemlibet alterum, & in omnibus obſeruata, nemine reclamante, nemine approbante? Sed vbi dominus Eugenius iam bina vice voluit ſua authoritate hoc Baſileenſe Concilium ſine eius conſenſu diſſoluere, ſcitis quomodo principes orbis ferè omnes, aut primæ, aut ſecundæ diſſolutionis tempore, ſuos oratores in hoc ſacro Concilio tenuerunt, firmiter credentes Papam non poſſe diſſoluere ipſum ſacrum Concilium, quod pro extirpatione hæreſum & reformatione Eccleſiæ in capite & in membris legitimè congregatum erat, ſine conſenſu eius: cùm ipſe Concilio non haberet in his imperare, ſed teneretur obedire. Quid de prælatis Eccleſiæ dicemus? Nunquid non in ſacro Conſtantienſi Concilio Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & cæteri de omni regione fuerunt? Nec illi defuit felicis recordationis Papa Martinus, qui etiam circa finem ipſius Concilij, per patentes literas mandauit, eodem approbante Concilio, vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Inquiſitoribus, vt ſingulos de hæreſi VVickleffiſtarum ſuſpectos diligenter interrogarent, vtrùm crederent quòd illud, quod ſacrum Concilium Conſtantienſe vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, approbauit & approbat in fauorem fidei & ad ſalutem animarum, quòd hoc ab vniuerſis Chriſti fidelibus eſſet approbandum, & tenendum; cùm non ignoranter Papa ipſe Martinus declarationem de authoritate Conciliorum data immediatè à CHRISTO, anteà per ipſum Concilium factam fuiſſe: qui etiam in eiſdem literis poſuit, quòd error eſt dicere, non eſſe de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter Eccleſias, ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur vniuerſalis Eccleſia, aut Concilium generale, aut etiam pro quanto negaret primatum ſummi Pontificis reſpectu Eccleſiarum particularium. In hoc præthereà Baſileenſi Concilio, tempore attentatæ primæ diſſolutionis, fuerunt ſeptem de præſtantioribus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, videlicet Iulianus tituli ſancti Angeli ſedis Apoſtolicæ legatus, * A. Bononien B. Portuen. vulgariter dictus Placentinus, Cardinales Epiſcopi: Ioannes ſancti Laurentij in Lucina, dictus Rothomagen. Ioannes ſancti Petri ad Vincula, * A. ſancti Euſtachij, & Dominicus ſanctæ Mariæ in via lata, dictus Firmanus, etiam Cardinales, doctrinam ipſam Catholicam & Apoſtolicam de authoritate Conciliorum in Conſtantia declaratã, virtuosè defendentes, atque oſtendentes, propter illam non potuiſſe, neque in futurum poſſe diſſolutionem huius Concilij ſine ipſius conſenſu, pluri maque ſolennia ſuper hoc decreta cum cæteris Patribus condiderunt, & toti mundo publicauerunt, qui de hac re in reſponſione quadam ſynodali cum toto Cõcilio magna authoritate oratoribus domini Eugenij diſſolutionem ipſam manutenere volentis, reſponderunt: Malumus mori, quàm tanto errori per ignauiam cedere. Hic articulus de quo diſceptamus, fidem concernit, qui ſine interitu ſalutis negligi non poteſt. Si dominus Eugenius Eccleſiam audire non vult, oportebit eum tandem haberi ſicut ethnicum & publicanum. Hæc ſunt verba Concilij, in quo tunc illi præſentes affuerunt. Audiſtis & vos ſæpiùs, quomodo alij plures Cardinales, ſe ſubſcripſerunt, dum dominus Eugenius ad mandatum Concilij, illam prætenſam diſſolutionem irritam, & inanem declarauit: & ea non obſtante, dixit Concilium legitimè fuiſſe continuatum. Sed nunquid non præthereà omnes viderunt, quàm multi prælati, doctores, diuini & humani iuris, ac cæteri eccleſiaſtici

Illo tēpore ſchiſma erat, & 3. ſimul Pontifices, & nõ fuit in Baſileenſi Synodo.

Sed poſteà Eugenio ſe reddiderunt.

viri ex diuerſis nationibus; regnis & prouincijs ſucce
tam tempore primæ diſſolutionis, quàm ſecundę, in hac
ctã Synodo comparuerunt, dum ipſe dominus Euge
eam diſſolutam reputabat, credentes hoc factum eiuſ
domini Eugenij aduerſus ipſius Concilij authoritatem
latenus potuiſſe præualere? Quomodo igitur putandur
vel ſuſpicandum, vt catholicus orbis fidem quam acce
vellet propter quamcunque perſonam deſerere, aut cu
perſonæ, in aduerſum repugnanti, & ſchiſma facere vo
ti, fauorem præſtare? & quòd ab hoc ſacro Concilio, q
fidem ipſorum prælatorum, fidem Principum atque
nium nationum orbis defendit; ſe ſeparent, vt illi ad
reant, qui ipſam in pugna euellit? Credendum eſt quid
tiùs, quòd omnes prouidere volent, ne in futurum q
quam Pontificum poſſit rebellando Concilijs generali
immediatè à Chriſto poteſtatẽ ſuper eos habentibus, ſc
ma facere, & pro ſua voluntate, aut libidine dominandi v
uerſum orbem hoc modo conturbare. Intelligentque
dem omnes vnanimiter, illum pro Pontifice haberi nõ
bere, quem Concilium vniuerſalis Eccleſiæ pro non P
tifice habendum iudicauerit: vt ſic non neceſſe ſit, iam
inceps principes orbis hoc modo cum varijs legationi
magnis expenſis in ea re vexari, ſimulque pax in Ecc
ſia vigere poſſit, & authoritas Conciliorum illibata ſeru
quæ (vt ait beatus Auguſtinus) in ipſa Eccleſia ſaluberri
eſt. Nam oportet vniuerſos Chriſtianos idipſum ſentire
ſapere, ſi vna fides & pax vera conſeruanda eſt; quòd ſu
mi Pontifices per concilium generale, Catholicam Ecc
ſiam repræſentans, corrigi poſſunt, ſicut veritas Cathol
diffinit: quodque Eccleſia Dei in Spiritu ſancto cong
gata, non habet exiſtimari ſicut vna prophana commu
tas, cui Papa ipſe velut Princeps ſecularis dominetur. Sic i
que cum Dei gratia, per conſtantem fidei noſtræ confeſſi
nem & ipſius probationem in opere, pax optima & ſaluta
gubernatio Eccleſiæ reflorebit in terris. Summi Pontific
cognoſcentes ſe poſſe corrigi (vt præfertur) per Conciliu
vniuerſalis Eccleſiæ, curabunt vigilantiùs ſalutẽ gregis D
minici quærere, & in miniſterio ſibi credito opera Chriſt
placentia agere, ipſamque ſedem Apoſtolicam ſalutari g
bernatione & decore virtutum reflorere faciant in ocul
omnium populorum, atque omnium bonorum vberta
abundare, ſicut prius illa ſolebat, cùm bono & ſalutari reg
mine gubernaretur: cuius quidem ſedis authoritatem
honorem hæc ſancta Synodus ſemper conſeruare cu
bit, ipſamque dignis honoribus per debitum ſanctitatis cu
tum magis intendit amplificare & exaltare in futurum.
Breuiorque erit deinceps Conciliorum generalium du
tio, dum illis debita præſtabitur obedientia: & tempo
bus ſtatutis omnes diligenter confluent, expedituri cele
quæ pro ſalute Chriſtianæ religionis agenda videbuntur
Concilia prouincialia & ſynodalia frequẽtabuntur, ſacri
nones pacificè obſeruabuntur: ſic erit pax & tranquillit
Eccleſiarum, ſanctitas morum, vtilitas regnorum & pr
uinciarum. Sic efficaciter deſiderium Principum veſtr
rum complebitur, præclari oratores, qui pacem & ſaluten
Eccleſiæ deſiderant. Per ea verò quæ in Moguntia conc
piſtis, licèt bona intentione vos feciſſe ſperandum ſit, nõ a
ſequerentur Principes ipſi bonum veræ pacis quod optan
vt ex ſuperioribus ſatis liquere poteſt. Nos autem, fauen
Domino, per viam ſalutarem & rectum ordinem à Chr
ſto datum, pacem ipſam proſequemur: & quantum ſine D
offenſa poterimus, curabimus ſemper religioſiſſimis veſtr
principibus complacere, qui etiam (vt credendum eſt) d
uinæ ordinationi obſequi volent: neque aliud agent, ni
quod cum Deo poterunt, quod iuri diuino conſonum
rit: & cùm fideliter credant, quòd de iure diuino tener
tur obedire Concilio in his, in quibus habet poteſtatem im
mediatè à CHRISTO, non ſubtrahent ab eodem Concili
debitum obedientiæ ſuæ propter exercitium iuſtitiæ. Dum
autem ipſi vnanimiter in ipſa obedientia, quam debent ſan
ctæ ſynodo, & ipſi Chriſto qui ei poteſtatem dedit, perſe
uerauerint, amplectendo concorditer iuſtitiam, & verita
tem, ipſi animas ſuas ſaluabunt, ipſi authoritatem Conci
liorum ſibi & toti orbi neceſſariam, ſeruabunt illibatam
ſalutemq; & pacem bonam in Chriſtiana religione viger

facient. Si autem obed.entiam debitam ſubtraherent Concilio per aliquam neutralitatem, aut aliâs quouis modo, plura mala contingerent in aduerſum, quæ vos præclari oratores ipſis orthodoxis principibus diligenter, ac fideliter remonſtrare habetis, quantum vos diligitis eorum ſalutem & totius Eccleſiæ. Et non dubitamus, quòd, cùm erunt debitè informati, debitum ſuum erga Deum & Eccleſiam ſemper facient. Et intellectis rationibus ac motiuis huius ſanctæ ſynodi, deuotiones eorum apertiſsimè conſpicient, intentionem ipſius dirigi, ſicut beatis pacificis conuenit, ad quærendas vias veræ pacis, tranquillitatis & ſalutis Eccleſiæ ac totius orbis nunc & in futurum. Quod autem ad factum Græcorum attinet, ſcitis quanto deſiderio vnionem eorum ſemper optauerimus & optemus, quantosque labores & ſumptus in eius rei proſecutionem impenderimus, & qualia nobis impedimẽta obiecta ſint: dudum quoque loca conuenientia, videlicet Baſileam, Auinionem, & Sabaudiam, pro ipſa tractãda vnione, nominauimus: & adhuc vt omnes conſpiciant noſtram perſeuerantem intentionem ad huius vnionis proſecutionem, ſi Imperator Romeorum & patriarcha Conſtantinopolitanus qui pro tempore fuerint, & cæteri Eccleſiam orientalem repræſentantes, ceſſante omni dolo & fraude, in aliquem locum ſecurũ quẽ hæc ſancta ſynodus eliget, aduenire voluerint, hæc ſancta ſynodus illum eligere & in ipſum ſe transferre non recuſabit: talemque locum eliget poſtquàm intentionẽ Græcorum ipſorum plenè cognouerit, de quo ipſi veſtri Principes & totus orbis meritò debebunt contentari. Interim verò curabit eadem ſancta ſynodus quærere diligenter, quę Eccleſiæ Dei proſunt: & ita res ipſius noſtræ catholicæ Eccleſiæ diſponere, vt ſalutifera gubernatione regantur, per quam Deus propitietur populo ſuo, & placata ira eius, quã peccata regnantia concitarunt, vnionem ipſorum Gręcorũ & bonam pacem omnium Chriſtianorum reflorere videamus in terris. Ad laudem & gloriam ſpiritus paracliti, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali Idibus Iunij, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono.

SENTENTIA SYNODALIS IN CONGREGAtione generali, declarans ſequentes curiam Papæ Eugenij, pœnas contentas in decretis ſynodalibus incidiſſe.

SACROSANCTA, &c. ad futurã rei memoriam. Quoniam dudum in decreto noſtro octauæ ſeſsionis, quod dominus Eugenius Papa Quartus in ſua ſolenni adhæſione approbaſſe dinoſcitur, inter cætera decreuimus, quòd ſi aliqua perſona Eccleſiaſtica, etiam ſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, aut alia quæcunque, cuiuſuis ſtatus, gradus aut conditionis exiſtat, Bononiam vel ad aliquem alium locum ſub nomine generalis Concilij, iſto durante, præſumeret accedere vel ibi manere, ſententiam excommunicationis & priuationis omnium dignitatum, beneficiorum & officiorum ac inhabilitationis ad ipſa, incurreret ipſo facto: & de dignitatibus, beneficijs & officijs talium, per eos ad quos de iure ſpectat, etiam ſi cathedrales, aut metropolitanæ Eccleſiæ forent liberè diſponere. Et conſequenter in alio decreto noſtro vigeſimæ nonæ ſeſſionis, præcepit hæc ſancta ſynodus ſub eiſdem pœnis & cenſuris, quas contrafacientes incurrerent ipſo facto, vniuerſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs quibuſcunque in curia dicti Eugenij Papæ Quarti exiſtentibus, eo caſu quo ipſe dominus Eugenius ciuitate Ferrarienſi, ſicuti præparare videbatur, vel alibi Concilium iſto durante erigere incepiſſet vel inciperet in futurum, ab eiuſdem curia recedere, & qui ſynodis generalibus de iure vel conſuetudine intereſſe tenebantur, ad hoc ſacrũ Concilium Baſileenſe, cæteri verò ad loca beneficiorũ, vel alibi extra curiam ipſam ſe transferrent, deinde verò illo conuenticulo Ferrariæ erecto, & declarata ſuſpenſione præfati Eugenij ab adminiſtratione papatus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna priuationis, quam ipſe facto ſuo ſimiliter incurrerent omnium ſuorum beneficiorũ, dignitatum, officiorũ, commendarum, penſionũ & gratiarũ quarumcunque, etiam expectatiuarum, per decretum noſtrum trigeſimæ primæ ſeſsioniis mandauit eadem ſancta ſynodus omnib⁹ & ſingulis Eccleſiaſticis perſonis, vt ſuprà qualificatis, etiam Apoſtolicæ ſedis & curiæ Romanæ officialis, quatenùs infra quadraginta dies extunc immediatè ſecuturos poſt diem datæ eiuſdem noſtræ ſeſsionis, ab illa curia, quam dictus Eugenius de facto tenebat & tenet, recederẽt, & ad hoc ſacrum Concilium vel alia loca, prout in prædicta trigeſima prima ſeſsione fuerunt admoniti, accederunt. Deinceps quoque per aliud decretum noſtrum trigeſimæ ſecundæ ſeſsionis, omnes & ſingulos in eodem conuenticulo Ferrarienſi aut dicta prætenſa Eugenij curia exiſtentes, ac etiam eodem conuenticulo memoratis decretis noſtris comprehenſos, qui eorundem decretorum monitionibus non paruiſſent, citauit, vt trigeſima die extunc immediatè ſequente, in congregatione noſtra generali, ſi protunc eam celebrari contingeret, alioquin in proxima ſequenti, comparérent corã eadem ſancta ſynodo, viſuri ſe in pœnas prædictas incidiſſe declarari, aut iuſtas cauſas, ſi quas habeant, allegaturi. Quo quidem termino adueniente, quãquàm nonnulli per ſe, alij verò per procuratores coram nobis aut deputatis noſtris comparuerint, licèt tamen ipſis peremptoriè & vna vice pro omnibus duxiſſet ipſa ſancta ſynodus aſsignandum & aſsignaſſet, decernens nihilominùs contra non parentes ipſos procedendum & declarandum, prout iuris & rationis eſſet, ſola nihilominùs, pro obſeruatione huiuſmodi termini, contumacia non ſatisfacientium accuſata, ipſisq; contumacibus reputatis, nonnullos præſtantes Patres deputauimus ad audiendum & examinandum quaſcunque cauſas & excuſatiões pro parte prædictorum citatorum, qui ſe repræſentabant, ſi quas adduci & allegari contingeret: & in longanimi manſuetudine patienter expectauimus, vt vinceremus in bono malum, & illi veritatem agnoſcerent, ſeq; conuerterent in viam ſalutis. Rom. 12.

Ne verò huiuſmodi vulneri grauiſsimo, tanquàm vetuſto aut neglecto, callus obducatur, & eo inſanabile quo inſenſibile fiat: ſicque facilitate peſtiferæ veniæ prædictorum non parentium indurentur corda, & perampliùs firmetur periculoſiſsimum huiuſmodi ſchiſma, in conculcationem fidei noſtræ catholicæ, authoritatis Eccleſię vniuerſalis manifeſtam læſionem, & euerſionem totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ, necnon fomentum abuſuum & perditionem animarum: declarat præfata ſancta ſynodus, omnes & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas, de quibus ſuprà fit mentio, cuiuſuis ſtatus, gradus aut conditionis exiſtant, quæ Ferrariam ſub nomine generalis Concilij accedere, vel ibi manere præſumpſerunt, aut illuc vel ad aliquem alium locum ſimili prætextu, iſto durante, præſumpſerint in futurum, & quæ poſt dictorum decretorum noſtrorum promulgationem infra terminos ſucceſsiuè ſibi (vt præmittitur) aſsignatos, à dicta prætenſa curia præfati Eugenij non receſſerint, nec ad hoc ſacrum Concilium vel alia loca, prout eis præcipiebat hæc ſancta ſynodus, ſe trãſtulerint, quaſque citatas & prædictorum decretorum noſtrorum monitionibus non parentes, contumaces reputauimus, vt præfertur, & pro quibus cauſæ iuſtæ & rationabiles non extiterunt, legitimè coram deputatis noſtris allegatæ, in pœnas prædictas incidiſſe: & ſi forſan contrafecerint, incidere, ita vt de dignitatibus, beneficijs & officijs eorundem, per eos ad quos de iure ſpectat, etiam metropolitanæ aut aliæ cathedrales Eccleſiæ fuerint, poſsint decætero liberò diſponi: ipſosque & eorum quemlibet, vt tales, denunciat, ac haberi, teneri & denunciari, necnon ab vniuerſis Chriſti fidelibus euitari vult & mãdat: quorũm omnium nomina & cognomina habet, & haberi vult pro ſufficienter expreſsis. Decernit aũt hęc ſancta ſynodus affixionem præſentium in valuis Eccleſiæ maioris Baſileenſ. vim habere legitimæ denunciationis, & perinde ad euitationem & alia præmiſſa arctari & arctatos intelligi vniuerſos, ac ſi eædem præſentes ad perſonas ſingulorum executæ & particulariter intimatę fuiſſent. Pollicetur tamen ſacra ſynodus, quæ ſolitæ manſuetudinis ſanctæ matris Eccleſiæ, quam repræſentat, obliuiſci nunquàm poteſt, indemnitati ſtatus illorum ex prædictis, qui infra quadraginta dies à datis præſentium immediatè computandos, prædictum conuenticulum abiurauerint, & ad

Et tamen neutrà Ferrariæ erat legitima Synodus cui Baſileẽſes potiùs obtẽperare debuerant.

hoc

hoc ſacrum Concilium ſe ſine fraude contulerint, gratioſè conſulere & benignè prouidere, decernens ex nunc, quòd de dignitatibus, beneficijs & officijs talium interim non debeat per quempiam diſponi.

Datum in generali congregatione noſtra in Eccelſia maiori Baſileenſi ſolenniter celebrata, ſexto Idus Auguſti, Anno à natiuitate domini 1438.

Aliter ſenſit de Eugenio & Florētino Concilio Eccleſia.

RESPONSIO SYNODALIS AD INVECTIVAM *Gabrielis quondam Papæ Eugenij, publicatam in quadam diſſenſione conuenticuli Florentini.*

SAcroſancta, &c. ad futuram rei memoriam. Beatus Hieronymus cùm lumen veritatis ſalubri doctrina diffunderet, cogebatur frequẽter aduerſantium maledictis reſpondere: & dum ſtuderet deprauata corrigere, errores auferre, reprobabatur à malignis, qui aduerſum ſe (vt inquit) ore rabido deſæuiebant, ſicut ipſe in pluribus prologis ſuis in diuinæ ſcripturæ libros, oſtendit. Sed hæc ſancta ſynodus defendendo veritatem Catholicæ fidei de authoritate ſanctæ matris Eccleſiæ, & generalium Conciliorum, aduerſus impugnationes Gabrielis olim dicti Eugenij Papę Quarti, & proſequendo conſtanter reformationem Eccleſiæ in capite & in membris pro honore Dei & animarum ſalute, varias iniurias, perſecutiones, maledicta, opprobria ſuſtinet ab ipſo impugnatore veritatis: qui poſtquam longo tempore ipſorum Conciliorum authoritatem operibus, verbis & ſcriptis perſecutus eſt, tandem in profundum malorum deductus, quod dolentiſsimè dicimus, ad hoc deuenit, vt in quadam horrenda inuectiua per eum poſt depoſitionem eius Florentiæ promulgata, defenſores præfatæ authoritatis & veritatis in celeberrimo Conſtantienſi Concilio declaratæ, ac etiam aliarum veritatum ex ea neceſſario dependentium, vocauerit hęreticos, cùm ignorare non poſſet, vniuerſam Eccleſiam Catholicam, omnes prælatos orbis, omnes reges & principes orthodoxos, qui tam in præfato Concilio Conſtantienſi, quàm in hoc Baſileenſi per ſe aut ſuos aſfuerunt, in eadem via veritatis, quam ille reprobat, reſediſſe. Sed permiſſum credimus à Domino, quòd hoc faceret Gabriel ipſe, vt ſe coram omnibus manifeſtaret hęreticum, qui vniuerſam conatur Eccleſiam hæreticare: & intelligerent cuncti, quàm neceſſarium fuerit talem hominem à Papatu deponere, priuſquam hæc ſancta ſynodus diſſolueretur, ne mundum inficeret erroribus, & poſt eiuſdem ſynodi diſſolutionem vbique Catholicos perſequeretur, qui authoritatem Conciliorum defenderent. Cuius rei futuræ magna dudum præſumptio habita eſt, poſtquam in factis ſuis præfatus Gabriel ita paſsim contemnere videbatur decreta ſynodalia. Poſtquàm inſuper iam ante tres annos in hoc Concilio auditum erat, quod aliud Concilium fieret, vbi hæreticarentur decreta Concilij Conſtantienſis & huius Baſileenſis, ob quam cauſam maximè reſtitit hæc ſancta ſynodus, ne Gabriel in alio loco pro ſua volunta te Concilium erigeret, ſicut ipſe tam ſub vmbra Græcorum, quàm alijs modis laborauit erigere. Et tandem cùm hoc legitimè facere non poſſet, nec obtinere conſenſum Eccleſiæ, diuina prouidentia repugnantis malo iam præmeditato, ipſe in ſchiſmate & diuiſione aliam congregationem ſub nomine generalis Cõcilij primò Ferrariæ, deinde Florentiæ erexit: in qua tunc per præfatam inuectiuam ſuos errores, ſuumque obduratum animum in perſecutionem Eccleſiæ patefecit. Quomodò autem veritates ipſas fidei impugnet, audiamus: & deinde ad cætera omnia reſpondeamus, vt omnes Chriſti fideles in hoc turbulento tempore lumen aſpiciant veritatis, per quod in portum ſalutis perducantur. Eneruare quidem conatur veritatem in Conſtantienſi Concilio declaratam, dicens eam declarationem ab vna tantùm obedientia Ioannis Vigeſimitertij fuiſſe factam. Sed nunquid negare vult, pro eo tempore verum fuiſſe Concilium, & declarationes in eo factas, validas eſſe? Quid autem contradicere vult de obedientijs alijs? reclamauitne aliqua contra huius veritatis declarationem? Nunquid non omnes vnanimiter & depoſitionem Ioannis laudauerunt, & in priuationem Benedicti ab omni iure, ſi quod habebat in Papatu, conſenſerunt, quæ vigore authoritatis ſynodalis, declaratæ per præfatam veritatem, facta ſunt? Nunquid non omnes ad electionem felicis recordationis Martini Papæ Quinti proceſſerunt eadem ſynodali authoritate? Qui quidem Martinus deinceps approbante Concilio, diffiniuit errorem eſſe, ſi quis diceret, non eſſe de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter Eccleſias, ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur vniuerſalis Eccleſia, aut Cõcilium generale. Item ordinauit eodem approbante Concilio, vt quilibet de hæreſi Vuicleffiſtarum ſuſpectus, interrogaretur, an credat, teneat, & aſſerat, quòd quodlibet Concilium generale, & etiam Conſtantienſe, Catholicam eccleſiam repræſentet. Item, vtrùm credat, quòd quicquid ipſum Concilium Conſtantienſe diffiniuit & approbauit in fauorem fidei & ſalutem animarum, quòd hoc ſit ab omnibus fidelibus tenendum & approbandum. cùm tamen non ignoraret, prædictam declarationem in eodem Concilio factam eſſe. Deinde verò hoc in Baſileenſi Concilio, eadem declaratio innouata fuit in publica ſeſsione, vbi de nulla obedientiarum differentia ſermo erat, vbi etiam quamplures Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, cæterique Prælati & doctores inſignes in multitudine copioſa præſentes erant, & legatus Apoſtolicus præſidentiam exercebat. Vt quid ergo nunc allegatur, quòd hæc declaratio ab vna tantùm obedientia in Concilio Conſtantienſi facta fuit? Sed audiamus quomodò in probatione veritatum declaratarum conatur Gabriel mundum inuoluere. dicit eas ſe reprobare ad ſenſum Baſileenſ. quem, inquit, facto demonſtrant. & non aperit quis ille ſenſus ſit, nec etiam in quo ſenſu approbare velit ipſas. & ſuper hoc pro voluntate ſua poſtquàm per hæreſim probatam & lucide manifeſtam, iudicialiter poſt maturam examinationem depoſitus eſt, nos appellat hæreticos, qui doctrinam Eccleſię patefecimus, & veritates clariſsimas ſine ruga, ſine duplicitate, ſine quacunque inuolutione verborum, decreto ſynodali aperuimus ad ædificationem populi Chriſtiani. Nam & verba veritatum ipſarum plena & aperta ſunt, nec oportet nunc has inuolutiones quærere ad deceptionem ſimplicium, vt dicat ſe reprobare veritates ad aliquem ſenſum, quem nequaquam explicat. Sic enim dudum oratoribus ſuis ſuper hac materia reſponſum fuit in ea reſponſione quæ incipit, Cogitanti, quòd decreta Conſtantienſis ſynodi authentica ſunt, & ita clara & intelligibilia, vt nulla egeant declaratione. Non quærit profectò veritas fidei tales angulos, non tales inuolutiones affectat: ſed quem ſenſum habuit, quem facto monſtrauit in his veritatibus Conſtantienſe Concilium, cùm Ioannem propter Simoniam, & alia crimina ab adminiſtratione Papali ſuſpendit, atque depoſuit, & Benedictum (vt præmiſſum eſt) à iure ſi quod ſibi competebat, priuauit: quem ſenſum habuit Concilium Conſtantienſe, cùm in capitulo, Frequens, ſtatuit, vt dum plures eſſent contendentes de Papatu, quilibet ad Concilium venire teneretur ſub pœna cadendi à iure Papatus, ſi quod haberet: quodque vterque contendentium eſſet ſuſpenſus ab adminiſtratione Papali, donec cauſa eorum eſſet definita per Concilium.

Cùm vnus eſt indubitatus pontifex, niſi ſit hæreticus, qualis nõ fuit Eugenius, à Concilio nec iudicari, nec deponi pot.

Reuocare autem nunc in dubium ipſa decreta Concilij Conſtantienſis quid aliud eſſet, quàm in dubitationem vertere depoſitionem prædictorum, electionem prædicti Papę Martini, & conſequenter ipſius olim Eugenij, creationesq; Cardinalium, promotiones Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & aliorum, cæteraq; facta eccleſiæ in horrendã confuſionem deducere? Quẽ ſenſum prę terea in his habuerunt patres in hac ſancta ſynodo conſtituti, legatus Apoſtolicus, & alij S. R. E. Cardinales, dum pariter cum vniuerſo Concilio in 11. ſeſſ. huius ſanctę ſynodi ſtatuerunt decreto perpetuo, quòd ſi ſummus pontifex in futurũ diſſolueret Concilium generale ſine eius cõſenſu, niſi reſipiſceret infra quatuor menſes, pœnam ſuſpenſionis ab adminiſtratione Papali ipſo facto incurreret: & deinde ad depoſitionẽ eius procederetur, ſi illã per duos menſes ſuſtineret animo indurato. Quem ſenſum etiã habuerunt, dum dixerunt in 12. ſeſs. hanc eſſe veritatẽ iuris diuini & humani, ꝙ Papa Concilium ſine conſenſu eius diſſoluere nequiuerat, & ipſum admonuerunt, vt diſſolutionem per eum attentatam reuocaret infra ſexaginta dies. Alioquin ſuſpenſionem auto

Hic fatentur Eugenium legitimè electum: non ergo fuit ſchiſma, ſed ipſi Fœlicẽ eligẽdo, ſchiſma fecerunt.

Imò reclamauit & ipſe Ioãnes 23. & multi eius Cardinales, Prælati, & doctores, vt ait Roder. Epiſc. Calaguritanus.

ritate ſynodali decernebant eſſe faciendam. qui & in reſponſione ſynodali, quæ incipit, Sperauit, dixerunt de prædicta diſſolutione, quam dictus Gabriel tunc Eugenius, ſuſtinere volebat: Malumus mori, quàm tanto errori per ignauiam cedere. Hic articulus fidem côncernit, qui ſine interitu ſalutis negligi non poteſt. Si dominus Eugenius Eccleſiam audire non vult, quam hoc ſacrum Concilium repræſentat, oportebit eum tandem haberi ſicut ethnicum & publicanum. Hæc ibidem dicta ſunt. Non profectò alium ſenſum nunc habere voluit nec vult in his veritatibus ſancta ſynodus, niſi quem ipſa tunc habuit cùm illi adeſſent. An dicet eos qui in Concilio Conſtantienſi erant, fuiſſe hæreticos, cum quibus ipſe Gabriel ſe vniuit, & coniunxit? An dicet legatum ſuum, Cardinales & alios qui in hoc Baſileenſi Concilio prædicta egerunt, fuiſſe hæreticos? Sed quid de ipſo dicetur, qui eis adhæſit, & poſt monitionem ſynodalem confeſſus eſt diſſolutionem illam quam fecerat, & multo tempore defenſauerat, nullam fuiſſe: immò ea non obſtante, Concilium legitimè fuiſſe continuatum: reuocans etiam literas, incipientes, DEVS nouit, & alias quaſcunque, & quicquid per ipſum aut ſuo nomine in præiudicium, aut derogationem huius ſacri Concilij Baſileenſis, ſeu contra eius authoritatem factum & attentatum ſeu aſſertum erat? Recognouitque errorem ſuum, quem in diſſoluendo Concilium ſine conſenſu eius habuerat. fueruntque ſuper hoc lectæ literæ eius ſolenniter in ſeſsione publica, præſentibus inclytæ memoriæ Sigiſmundo Imperatore, & præfatis Cardinalibus, oratoribus regis Franciæ, & aliorum quamplurium principum, prælatis & alijs egregijs viris in multitudine copioſa. An dicet, quòd tota Eccleſia cum eo in errore fuit, dum pariter omnes huic ſuæ r[illegible]tioni aſſenſerunt. Quomodò audet nunc vocare exiſtentes in hac ſancta ſynodo, hæreticos, qui in eadem veritate, in eadem doctrina Eccleſiæ de authoritate Conciliorum generalium fideliter & conſtanter perſeuerant? Ipſe qui in errorem ſemel reuocatum, atque dimiſſum, multò grauiùs per prætenſam tranſlationem in Ferrariam reincidit, ac deinceps aduerſus doctrinam Eccleſiæ & veritates fidei declaratas, quibus tunc reſiſtere non potuit, magis ſe per induratam pertinaciam & hæreſim obfirmauit. Qualiter autem hæc doctrina Eccleſiæ de authoritate Conciliorum fundata ſit & in ſacris ſcripturis, & in doctrinis ſanctorum, ſæpenumerò fuit dilucidè declaratum, & in reſponſione ſynodali quæ incipit, Cogitanti, & in alijs multis ſcripturis, orationibus & ſermonibus, quibus neque ipſe Gabriel, neque ſui tam in hoc Concilio, quàm in conſpectu regum & principum reſiſtere potuerunt. Intellexeruntque Chriſtiani, quanta eſſet Eccleſiæ ruina, ſi ſpretis Concilijs generalibus, abiectis ſacris canonibus & debitis regulis, vnus homo peccator poſſet de omnibus rebus ipſius Eccleſiæ pro libito ſuæ voluntatis agere: & dum congregatum eſſet Concilium pro reformatione eius & aliorum, poſſet illud in quemcunque locum vellet, ac in regionem quamcunque transferre ſine eius conſenſu. Manifeſtè quoque conſtat, quantum illud falſum ſit, quòd confingit ipſe Gabriel, nos per declarationem veritatum prædictarum voluiſſe principes deuotos ſedis Apoſtolicæ, iudicare hæreticos. Notum eſt enim, quomodo principes orbis has veritates ſemper tenuerint, & defenſauerint, qui oratores ſuos in hoc Concilio tenuerunt, & ipſum verum & legitimum Concilium reputauerunt illis temporibus, quibus idem Gabriel ipſum diſſolutum eſſe affirmabat. Sed & quomodò in hac ſancta ſynodo perſeuerantes, ſchiſmaticos appellare audet, qui in vnitate* qua à principio fuerant, ſine variatione permanſerunt, dum ipſe manifeſtè ſe ab eadem vnitate ſeparauit, & ſchiſma perniciosiſsimum perpetrauit, erigens aliam congregationem ſub nomine generalis Concilij, primò apud Ferrariam, deinde apud Florentiam aduerſus hanc ſanctam ſynodum, & altare ſacrilegum contra altare legitimum, vnde vniuerſum orbem in turbationem adduxit, & maledictionem in Chore, Dathan & Abiron diuinitùs latam, atque pœnas contra ſchiſmaticos à iure inditas promeruit, iuxta declarationem iam à ſeptem annis factam in octaua ſeſsione huius ſanctæ ſynodi, qua dicitur: Quicunque hoc ſacro durante Concilio, aliam congregationem ſub nomine generalis Concilij erigere, aut facere præſumpſerit, non Catholicæ Eccleſiæ Concilium, ſed ſchiſmaticorum conuenticulum facere conuincitur? Idcircò hæc ſancta ſynodus omnes Chriſti fideles, cuiuſcunque ſtatus aut dignitatis, etiam ſi Papalis, Imperialis aut Regalis exiſtant, ſub obteſtatione diuini iudicij, quod in Chore, Dathan & Abiron authoribus ſchiſmatis ſcriptura ſacra commemorat, admonet & hortatur, & in virtute ſanctæ obedientiæ & pœnis contra ſchiſmaticos à iure indictis, diſtrictè præcipit atque mandat, ne hoc ſacro durante Concilio, aliam congregationem ſub nomine generalis Concilij, quod reuera non eſſet Concilium facere aut congregare, nec ad ipſum tanquam ad generale Concilium etiam prætextu cuiuſuis promiſsionis aut iuramenti, accedere, aut intereſſe, vel quoquomodò, neque pro Concilio generali habere, reputare, aut etiam nominare præſumat. Hæc in præfata ſeſsione habentur. Ex quibus clariſſimè patet, quomodò maledictio illa ſchiſmaticorum ſuper ipſum Gabrielem reuertitur, quam in nos per præfatam inuectiuam adducere conabatur: ita vt propriè de tabernaculo ſuo omnes admoneat recedere illa Moyſis ſerui Dei locutio, quæ dicit: Recedite à tabernaculis hominum impiorum. Et dum ſchiſmate hæreſim adiunxit, in qua poſt plures correptiones & admonitiones obdurato magis ſemper animo perdurat, rectè admonetur vnuſquiſque Chriſtianus ipſum euitare, per illam Apoſtoli Pauli ſaluberrimam doctrinam, qua dicit ad Titum: *Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & delinquit proprio iudicio condemnatus.* Certiſsimè enim ſe proprio iudicio condemnauit per illam inuectiuam, dum obdurationem animi ſui in ſchiſmate & hæreſi aduerſus doctrinam Eccleſiæ, & veritates fidei declaratas oſtendit. Vt iam omnes Chriſtiani intelligant, talem veritatis, iuſtitiæ, fidei & Eccleſiæ perſecutorem nullatenùs poſſe tolerari, ſed in eo propriè verificari ſententiam Cypriani in epiſtola ad Antonium, qua dicit de Nouatiano contendente ſuper Epiſcopatu vrbis Romæ: *Epiſcopatum tenere non poſſet, etiam ſi priùs Epiſcopus factus, à coëpiſcoporum ſuorum corpore & ab Eccleſiæ vnitate diſcederet.* Et infrà: *Qui ergo nec vnitatem ſpiritus, nec coniunctionem pacis obſeruat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo atque à ſacerdotum collegio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui epiſcopatus nec vnitatem voluit habere, nec pacem.* Quæ ſententia ita clarè verificatur in Gabriele, vt clariùs dici non poſsit, dum manifeſtè & per erectionem conuenticulorum contra generale Concilium, & per impugnationem authoritatis Conciliorum in factis, verbis & ſcriptis, quam coëpiſcopi ſui & vniuerſum collegium ſacerdotum tam in Concilio Conſtantienſi, quàm in iſto Baſileenſi tenuerunt, & diſperſa per orbem profitetur Eccleſia, ſe à coepiſcoporum corpore, ab vnitate eccleſiæ ſeparauit, & totum orbem in turbatione ac diuiſione poſuit. Sic itaque dum depoſitionem ſuam eneruare quærit, magis eam approbat & confirmat: dumque alios hęreticos & ſchiſmaticos voluntariè appellat, quantùm iuſtè pro ſchiſmate & hęreſi depoſitus fuerit, ipſe demonſtrat. De ſimonia autem, periurio, dilapidatione, violatione aſsidua & contemptu canonum ac decretorum ſynodalium, ſcandalizatione eccleſiæ & notoria incorrigibilitate, pro quibus pariter depoſitus eſt, nullam in prædicta inuectiua expurgationem adduxit, ſed penitùs obticuit. Verùm ſicut rei & incorrigibiles facere ſolent in iudicem ſuum, conuicia & contumelias in hanc ſanctam ſynodum exaggerat, & relationem criminum agere conatur, dum ſui ipſius iuſtificationem proferre non poteſt. Dicit hanc ſanctam ſynodum fuiſſe verſam in tyrannidem, in qua ſemper omnibus ſumma libertas patuit, & hodie patet. Dicit plura ſuppoſita huius ſanctæ ſynodi, antequam ad eius diſſolutionem procederet, fuiſſe diuerſis ſceleribus irretita, de quibus nullam vnquam probationem iudicialem coram hac ſancta ſynodo protulit, ſed omnes qui ſe à corpore eccleſiæ ſeparant, ita ſe ſolent dicere iuſtos & cæteros peccatores, atque in ipſa Eccleſia multa atque innumera mala fieri: & non aduertunt, quot in eadem bona fiunt, & quot ſunt in ea meliores ipſis. Hi (vt inquit Auguſtinus) ſunt falſi iuſtificatores, & veri

Sed ij ab Eugenio veniã poſteà petierunt.

Sed tãdem & eccleſiaſtici & ſeculares, præteres ferè omnes vobis relictis, Eugenio adhæſerunt.

for. * in qua

Abſie.

Num. 16.

Num. 1

Tit. 3.

Aliter d Eugenii ſentit Eccleſia.

præciſores. Et alio loco ipſe ait: Hæc conſilia ſeparationis, inania ſunt, pernicioſa, ſacrilega, impia & ſuperba: & longè grauiores ſunt trabes ſchiſmatis, quas in oculis tales gerunt, quàm peccata manentium in vnitate eccleſiæ: quæ ipſi ſchiſmati comparata, ſicut feſtucæ in oculis fratrum reputantur. Peccata quidem ſi in alijs erant, illa eis & forſan alijs paucis nocebant. peccatum autem Gabrielis & eius incorrigibilitas mundo nocuit vniuerſo. Vnde nullam cauſam habuit ſe ſeparandi Gabriel ab hoc ſacro Concilio, neque à tot Epiſcopis, oratoribus principum, doctoribus & cæteris bonis viris, qui pro maiori parte Concilij * duplo vnanimes erant in his, quæ per ipſum ſacrum Concilium decernebantur. Nec debuit aliam congregationem erigere in conturbationem vniuerſi orbis aduerſus ſynodalem ſententiam. Dicit monopolia, coniurationes, conſpirationes pro tunc factas fuiſſe. Quomodò autem vocare poteſt conſpirationes & coniurationes illa, quæ palàm à duabus partibus Concilij & ampliùs, facta ſunt in deputationibus, congregationibus generalibus & ſeſsionibus publicis? Illa autem quæ per factionem paucorum acta ſunt, pro erigendo Conciliabulum cõtra iſtud legitimum Concilium, qui inter ſe concluſiones ſuas conſpirabant, qui illam diuiſionem conflauerunt, ex quibus nunc totus orbis tanta patitur diſcrimina, reputat eſſe iuſta, appellans malum bonum, & bonum malum. Sed & ea non commemorat, quæ per aliquos ex ſuis facta ſunt pro præueniendo ad erectionem illius conuenticuli contra hoc Concilium, in falſificatione literarum ſub nomine huius ſanctæ ſynodi, in captione & cruciatibus Ioannis Heraldi Principis Pedemontium, quem noſtri oratores ad Greciam præmiſerant, & in perſecutione venerabilis Ioannis de Raguſio, nunc epiſcopi Argentinenſis, ad Conſtantinopolim. Imputat autem ſuperbiam manentibus in ſynodo, pro eo quòd maxima neceſsitate compulſi, pro honore Dei & animarum ſalute, veritatem, iuſtitiam, fidem & eccleſiam ſuſtinent, quos ipſe per ſuperbiam eius ſemper aſcendentem, ita dirè oppugnat: & filios appellat degeneres, qui ſanctam matrem eccleſiam fideliter defenderunt, quam ille perditioni ſuo inutili & damnoſo regimine exponere moliebatur. Dicit ſe pati perſecutionem à vocatis Chriſtianis, qui veros Chriſtianos prędæ & grauiſsimis perſecutionibus expoſuit, dum fideliſsime hoc Concilium & ipſius atq; aliorum Conciliorum authoritatem defenderunt, quę ipſe deſtruere volebat. Commemorat inſuper idolum abominationis non velle erigere in templo Dei, cùm potiùs omnis intentio huius ſanctæ ſynodi fuerit ad illa idola abijcienda ex ipſo templo, de quibus Apoſtolus loquitur, dicens: quòd auaritia eſt idolorum ſeruitus: & quæ abominatus eſt dominus, cùm facto flagello de funiculis, eiecit vendentes & ementes de templo. Nam ad hoc tendunt huius ſanctæ ſynodi decreta & labor ſummus, vt Simonia repellatur à templo Domini, fiantque omnia in collationibus dignitatum & beneficiorum, ac etiam cæteris rebus, prout lex diuina & ſanctorum patrum decreta inſtituerunt, ad ſalutem animarum, non ad exhauſtum pecuniarum. Nam, vt inquit Apoſtolus, radix omniũ malorum cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis, ſicut in Gabriele nunc impletum eſſe conſpicitur. Et dicit nos reformationem abhorruiſſe, qui omnibus laboribus ſemper enitimur, omniaque pericula ſuſtinemus, & vitam noſtram & bona exponimus, vt ipſa reformatio realem & efficacem ſortiatur executionem: quæ hucuſque impedimentum maximum ex eo habuit, quòd ille qui primus in Eccleſia canones exequi habebat, & ſe omnibus præbere exemplum virtutis & ſanctitatis, agebat in contrarium. Iam non quęritur idolum, ſed paſtor bonus, qui virtute, prudentia & bonitate ſe exhibeat formam gregis, paſcatque ſubditos verbo ac exemplo, vtens poteſtate à Chriſto conceſſa in ædificationem Eccleſiæ, non in deſtructionem: & eijciatur idolum ipſum cum abominationibus ſuis, quòd cõtra iuſtitiam & voluntatem Domini ſedere conatur. Sed conqueritur deinde Gabriel, citatorium contra eum factum fuiſſe, quod in perturbationem facti Græcorum cedebat, vt dicit. Verùm ſi benè attendat, non illud fuit ad perturbandum factum Græcorum, ſed ad conſulendum & prouidendum ſaluti eccleſiæ noſtræ Catholicæ, quam impio ſchiſmate vulnerabat Gabriel ipſe,

Coloſſ.3.

Ioan.2.

1.Tim.6.

qui poſt execrandam illam diuiſionem in hoc ſacro Concilio per ſuos excitatam illicitè & nefariè, ſicut in pluribus decretis & epiſtolis oſtendimus, omninò determinauerat conuenticulum erigere ſub nomine alterius Concilij generalis contra hanc ſanctam ſynodum, in loco pro libito ſuæ voluntatis aſſumendo, & iam galeas contra galeas eiuſdem ſanctæ ſynodi propter hanc cauſam mittebat in Conſtantinopolim. Conſiderabantur ſcandala, quæ ex hoc ſchiſmate Concilij prætenſi contra verum Concilium imminebant, & quæ iam, proh dolor, in oculis omnium conſpiciuntur, fuit ille citatus, per quem tantum ſcandalum exoriebatur, qui & reformationis, ac legis Domini, & decretorum huius ſanctæ ſynodi contemptor erat, immò iam perſequebatur illos, qui decreta ipſa ſeruare volebant, atque eandem ſynodum & geſta eius per erectorium illius prætenſi Concilij confundere conabatur, vt priuſquam illud grande ſcandalum eueniret, priuſquam electio illius conuenticuli contra Concilium, illa horrenda diuiſio quæ iam parturiebatur, actualiter formata eſſet, prouideretur Eccleſiæ, & eius ſciſſuræ perículoſiſsimæ obuiaretur. Quod ſi tunc factum eſſet, iam nunc nõ ſentiret eccleſia dolores acerrimos, quos per colliſionem fratrum in vtero ſuo ipſa præſentit. Nunquid non omnis amator vnitatis, omnis verus filius Eccleſiæ, debebat totis viribus inſiſtere, ne hoc vulnus matri ſuæ inferretur, ſed in tempore prouideretur, quòd maximè expetebat præfatum citatorium? Et nihilominus ſancta ſynodus omnem ſuam poſsibilitatem pro Græcorum conductione impendebat, mittens oratores ſuos & galeas in Conſtantinopolim, vt Gręcos adducerent, obtulitque ipſis Gręcis per ſuos oratores complere omnia, quæ eis promiſſa fuerant, ſi aduenire voluiſſent, nec in aliquo defecit ipſa ſancta ſynodus, ſperans ſemper ipſos Græcos venire debere ad locum nominatum per eandem ſynodum, ſicut cum eis conuentum erat. Nec dubium eſſe debet cuiquam Chriſtiano, quòd ſi iuuare voluiſſet Gabriel tũc dictus Eugenius, vt veniſſent, ſicut ipſe reſtitit & impediuit, quòd fuiſſent adducti. Sed maluit eccleſiam ſcindere, quam in hoc conſentire, vt ſub vmbra illa reformationem euitare poſſet, & facta ipſius Eccleſiæ in ſuam tyrannidem redigere. Dum verò citatus eſt, ſcidit extunc Eccleſiam quantum in ipſo fuit, immò & contra determinationem Catholicæ fidei, Concilium hoc Baſileenſe, licèt nulliter, tranſtulit & tunc in Ferrariam, caſu quo procederetur contra ipſum aut aliquem oratorum ſuorum præſidentium, qui in Concilio fuerant, quorũ vnus de crimine falſi erat accuſatus, de quo fuit poſtmodùm iuſto iudicio condemnatus. Et iam dicit ſe hoc feciſſe propter Græcos, quod propter ſe & pręſidentem ſuum fecit. Nam & contentus erat non obſtantibus omnibus, vt Cõcilium Baſileæ permaneret vſq; ad aduentũ Græcorum, dummodò ab vlterioribus proceſsibus contra ipſum & pręſatum præſidentem ſuum ſuperſederetur. Addit autem de venerabilibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, cõtra quos tamen nihil Concilium agebat, niſi quòd eos euocabat ad prouidendum eccleſię in tanto periculo. Sed quid attinet ad factũ Græcorum, quòd oporteret diſſolui hoc Conciliũ, ſi procederetur contra vnũ de præſidentibus ipſius Gabrielis olim Eugenij, vt propter hoc ſibi liceret transferre Concilium in Ferrariam, impediendo ex hoc ſolo capite factum Bohemorum, quod tunc actu in Baſilea tractabatur cum oratoribus regni Bohemiæ, & mãdando ne illud vltra triginta dies ageretur in caſu pręjdicto, excommunicandoque, priuando, inhabilitando omnes qui poſteà in Baſilea actus conciliares exercerent, tam in facto fidei quàm reformationis generalis, in quibus ipſe iuxta veritatem fidei Catholicæ tenebatur obedire Concilio? Quis tam ſubtilis, quis tam acutus, qui hoc factum ab errore, à ſchiſmate excuſare poſſet, dum propter euitandam iuſtam punitionem vnius falſarij, etiam omnibus alijs ceſſantibus, ipſe olim Eugenius omnia hæc ſcandala perpetrabat? Dicit autem ſuſpenſionem eius ab adminiſtratione Papali, fuiſſe factam cùm inſtaret aduentus Græcorum. Notorium verò eſt, quomodò poſt illam adeò ſcandaloſam diſſolutionem & tranſlationem in Ferrariam, monitus fuit, vt eam reuocaret ſub pœna ſuſpenſionis poſt quatuor menſes, niſi reſipiſceret, incurrendæ: quod dum facere noluit, per propriam contumaciam huiuſmodi

Sed quo iure vos pauci citatis Paſtorē Eccleſiæ:

ſuſpen-

ſuſpenſionem incurrit. Neq; aduentus Græcorum, qui diu poſt ipſam ſuſpẽſionem in portum Venetiarum aduenerũt, in hoc aliquid cauſauit. Adiungit quòd ad depoſitionẽ eius proceſſum eſt, cùm immineret eorundem Græcorum reductio. Sed ſcit totus orbis, quod licèt ad depoſitionẽ eius procedere licitè potuiſſet ſancta ſynodus iuxta decreta ipſius, poſtquam præfatus Gabriel ſuſpenſionẽ ipſam ſuſtinuerat per duos menſes animo indurato, tamen maxima vtens patientia & manſuetudine, adhuc poſteà per quindecim menſes hanc depoſitionẽ diſtulit, donec grauiſsimis periculis imminentibus hoc ſacrũ Concilium in periculo totalis diſperſiõis poſitum erat. poſt depoſitionem aũt ipſius per aliquot dies, publicauit quòd Græci vnionem acceperant. Sed nunquid idcircò in ſuis criminibus prẹualere debet aduerſus Catholicam Eccleſiam, & eam ad iudicia eius iuſta cõfundere, authoritatẽ Conciliorum generalium proſternere, quia dixit ſe reduxiſſe Græcos, & omnia mala facta ſua ſub hoc pallio cooperire laborat? Videant pro Deo Chriſtiani, quomodo in ea re proceſſerit: iamdudum anno Domini 1434. dum veniſſent ad hanc ſanctã ſynodum eius expenſis oratores ipſorum Grẹcorum, cum quibus tractabatur, vt anno ſequẽti Imp. Romeorum, patriarcha Conſtantinopolitanus cũ cẹteris ex Oriente venirent ad aliquẽ locum per hanc ſanctam ſynodum nominandum, præfatus Gabriel miſit Chriſtophorum Garathonum ad Conſtantinopolim, vt ibidem fieret conuentio Latinorum & Grẹcorum, & non venirent citra mare. Vnde multa retardatio in facto vnionis Græcorũ quã hæc ſancta ſynodus proſequebatur, ſubſecuta fuit. Tandem ipſe olim Eugenius conſenſum præbuit, vt eadẽ ſancta ſynodus proſequeretur conuenta cum præfatis oratoribus Græcorum per eum modum, quo cum eiſdem ipſa concluſerat. Et nihilominus dum poſt conſenſum prædictũ oratores noſtros ad prædicta exequendum miſiſſemus in Grẹciã, qui pecunias pro congregandis Orientalibus dederunt, ipſe Gabriel iterum miſit præfatum Garathonum, qui in cõtrarium ipſorum oratorum noſtrorum laborabat. Cùm verò res concluſa fuit, vt Græci ipſi citra mare venirent ad locum nominandum per hanc ſanctam ſynodum, Deus nouit quãtis artibus Gabriel ipſe impediuit, & impediri fecit, tam in Auinione quàm alibi, ne hæc ſancta ſynodus haberet pecunias pro conductione Græcorum: quantis modis laborauit, vt ipſos ad ſe traheret, vt ſub vmbra Grẹcorum ſua compleret deſideria: qui etiam ſuum ſaluumcõductum pro eiſdem Græcis conducendis huic ſanctæ ſynodo requirenti dare recuſauit, dum Sigiſmundus Imperator Roman. & Albertus tunc dux Auſtriæ, & nunc rex Romanorum, rex Francorũ atque alij Reges, per quorum dominia venturi erant Græci præfati, necnon alij duces & principes, atq; etiam Venetorũ, Ianuenſium, Florentinorum, ac Seneñ. communitates, ſuos ſaluosconductus liberaliter conceſſerunt. Ea res quidẽ perpetuis eſt deploranda ſeculis. poterat fieri Græcorum vnio cum bona pace, cum vnione Eccleſiẹ noſtrẹ in vero vniuerſali Concilio, vbi prælati orbis, vbi omnes principes Catholici aut oratores eorũ conueniſſent, vbi multo celerius, multo ſtabilius atq; firmius fuiſſet fauente dño, ipſa vnio expleta. Maluit ipſe Gabriel Eccleſiam noſtram Catholicam ſcindere, factum ipſorum Græcorum perturbare, & eos ad conuenticulum Ferrarienſe, ac deinde Florentinẽſe perducere, vbi reges Catholici vidẽtes ſchiſma eius & illicitam erectionem altaris ſacrilegi contra verum altare, videlicet hoc ſacrum vniuerſalis Eccleſiæ Concilium, abhorruerunt illuc ſuos mittere oratores. Si verò Grẹci ipſi aliquam profeſsionem veritatis fecerint, in qua perſiſtant, aut ſi quid boni in hoc facto repertum fuerit, rerum veritate comperta, gratias agemus diuinæ pietati, quæ non ſineret mala eſſe, niſi potẽs eſſet ex illis elicere bona: & vnionem ipſorum Grẹcorũ ſemper optauimus, & optabimus. Sed non propter hoc mala ipſius Gabrielis ſub hoc pallio cooperiri poſſunt. Quid enim ſibi prodeſſet cæteros ad fidẽ conuertere, ſi ipſe in ſchiſmate & hæreſi permanere vellet? Si cæteros vellet vnire, & ſe ab eccleſia Catholica ſeparare, qui etiam ſi montes transferret, & charitatem non haberet erga ipſam Catholicam eccleſiã, ſicut nec habere poteſt, quamdiu ſchiſma & hæreſim obdurato animo retinet, nihil ſibi prodeſt. Et licèt laboret vt ſub hoc colore Grẹcorum, fideles Chriſtiani ſuum Conciliabulum Florentinenſe in ſchiſmate erectum approbent, eundẽque Gabrielem depoſitum, priuatum, condemnatum & reprobatum, pro vero & ſummo pontifice venerentur, tamen Deus illis dedit intellectum ad diſcernendum bonum à malo, cognoſcendum iuſtitiam & veritatem. Et fruſtra tale rete iacitur ante oculos pennatorũ. Alij enim pontifices in veris Concilijs Generalibus, vt Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, in quo duo Patriarchæ Orientales perſonaliter affuerunt: & Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi, Grẹcos reduxerunt longè citra quingentos annos: imò etiam ipſe Gregorius ibidem baptizari fecit oratores Tartarorum. Et nihilominùs ſi Eccleſiam ſcandalizare voluiſſent illi pontifices, atq; mala perpetrare quæ fecit olim ipſe Eugenius, nequaquam hoc eis ſub tali colore permiſiſſet Eccleſia. Deinde præfatus Gabriel comparat ſe beato Leoni, contra quem Dioſcorus ſententiam tuliſſe refertur in ſecunda Epheſina ſynodo, cui hanc ſanctam ſynodum Baſileenſem aſsimilat. Longè certè eſt differentia inter Leonẽ ſanctum, & Gabrielem tot vitijs & criminibus irretitum: atq; etiam inter hanc ſanctam legitimam ſynodum, in plena libertate ſemper conſtitutam, & illam reprobam Epheſinam, in qua viri armati gladios tenentes in manibus, compellebant homines ad diffiniendum quod placebat Dioſcoro. Tandem ipſe Gabriel depoſitionem damnat & reprobat, quod certè omnibus malis & peruerſis, iuſtè condemnatis, accidere ſolet, vt ſemper ſententiam in eos latam, iniuſtam eſſe reputent. Sed in cauſa propria non mirum ſi non rectè iudicat, qui in verbis iniurioſis atq; inflatis per totam ſuam inuectiuam reſperſis, plenè oſtendit loqui ſe ex paſsione animi exacerbati, non ex iudicio rationis, dum audet dicere, dẹmonia totius orbis in latrocinium Baſileenſe confluxiſſe videri: & alia horribilia verba, quẹ nemo prudens, nemo iuſtus, nemo diceret honeſtus. Sed dixerunt etiam Iudæi Chriſto quòd dæmoniũ habebat, & multoties Eccleſia Catholica à diuerſis hæreticis, vt Donatiſtis, Arianis & alijs permultis, graues iniurias audire ſolita eſt: qui dum lepra hẹreſis infecti erant, alios omnes qui aliter ab eis ſentiebant, hæreticos reputabant, & ab Eccleſia præciſos & ſchiſmaticos, ſicut nunc Gabriel ab vnitate Eccleſiæ præciſus, de his iudicat, qui in vnitate permanſerunt, qui doctrinæ Catholicæ & Apoſtolicæ adhæſerunt, & conſtantiſsimis animis ſemper adhærent, tam in Concilio Conſtantienſi declaratæ, quàm dudum in hac Baſileenſi etiam pro eo tempore, ſicut prædictum eſt, quo ipſe Gabriel hoc ſacrum Concilium, legitimum generale Concilium eſſe recognouit, & quo legatus ſuus eidem præſedit. Proſpiciebatur etiam quanta deſolatio Eccleſiæ ſequeretur, ſi deinceps conculcatis Concilijs generalibus, ſpretis canonibus, abiectis determinationibus Catholicæ fidei, vnus mortalis homo poſſet negotia Eccleſiæ pro libito voluntatis agere. Quòd verò longam patientiam habuit ſancta ſynodus in tolerando Gabrielem & facta eius, ipſe hoc impingere conatur, tanquam pro habendo Papatum, facta ſit tam lõga protractio, cùm econtrariò manifeſtum ſit, quòd ſi hoc quæſiuiſſet ſancta ſynodus, iamdudum ad depoſitionẽ eius proceſsiſſet, attentis ſcandalis, ſchiſmatibus & malis ferè innumeris, quæ per eius damnoſum & inutile regimen accidebant. Sed expectauit benignè hæc ſancta ſynodus eius emendationem in multa patientia, & ipſe per reſiſtẽtias quas præſtitit per varia impedimenta, quæ præbuit tam tempore primæ prætenſæ diſſolutionis, quàm ſecundæ, quàm alio medio tempore, fuit cauſa tam diuturnæ protractionis. Manifeſtè autem iam omnes conſpiciunt obduratam Gabrielis pertinaciam per ſupradictam inuectiuam, & quomodò confundere conatur Eccleſiam Catholicam, veritatemq; & iuſtitiam, vt iam omnes clariſsimè intelligere poſsint, quomodo ſine vlteriori quacunq; protelatiõe ipſum euitare, eiuſq; venenatum conſortium fugere, & quoſlibet Chriſti fideles ab eodem efficaciter recedere neceſſe ſit, atque in doctrina Eccleſiæ Catholicæ permanere, dolere quidem omnes debent, quòd Gabriel ipſe qui benignè ab eſſentiendo eccleſiẹ & ambulando vnanimiter cum conſenſu in domo Dei, poterat fructus vberrimos in Eccleſia efficere, & omnibus bonis ſpiritualibus & temporalibus abundare, nũc ſuperba ſeparatione in tanta mala ſe prẹcipitauerit, & Eccleſiam ipſam tantis perturbationibus afflixerit, vt conculta Conci-

ligorum authoritate, ipſam ſuæ voluntati ſubijceret. Iam verò ad talia verba ipſius Gabrielis, in quibus finis non inuenitur, nequaquam vlteriùs attendere neceſſe eſt. Sed orandus eſt Deus omnipotens, vt animam illius humiliare dignetur, & non ipſum in damnationem perpetuam corruere permittat. dandaque eſt opera, ſicut neceſsitas expoſcit, vt Eccleſiæ prouideatur de bono & ſalutifero regimine ad cõſeruationem fidei, & ſalutem Chriſtianorum in gloriam Dei omnipotentis, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen. Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali, Nonis Octobris, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono.

Eadẽ vſq; ad nauſeã non ſine magno ſcandalo toties repetuntur: atq; vtinã cautius egiſſent Baſileenſes.

EPISTOLA SYNODALIS AD VNIVERSOS *Chriſti fideles, de obedientia Concilijs generalibus, & cauendo ipſis inobedientes.*

SAcroſancta, &c. vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Grande periculum ac deſolationem inauditam, quæ iam Eccleſiæ Dei & vobis ipſis imminet, ô Chriſti fideles, attendite, & antiqui hoſtis iacula conſpicite, quibus gregem dominicum magno pretio redemptum, perimere conatur, vt deuotioribus animis auxilium diuinæ gratiæ imploretis. Et quemadmodùm exhortatur Apoſtolus, accipiatis armaturam Dei, vt poſsitis reſiſtere in die malo, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela hoſtis nequiſsimi ignea extinguere: qui iam vehementi tentatione fundamenta Eccleſiæ & religionis Chriſtianæ concutere quærit, volens Conciliorum generalium authoritatem euertere, per quæ fides orthodoxa & omnis vitæ atque actionis norma tradita eſt, & quorũ vigore eadem fides atque regula diſciplinæ Chriſtianæ ſuſtentari habent in terris, vt illis proſtratis, mala innumera ſuper populum Chriſtianum inducere poſsit. Sed vt eam rem lucidiùs proſpiciatis, & non permittatis vos ipſos miſerabiliter deperire, Eccleſiamq; matrem veſtram tantis ſubijci ruinis, primùm vos conſiderare decet, quanta deſolatio in foribus eſt, quantaque periclitatio animarum imminet, ſi nunc ruat & proſternatur Conciliorum authoritas. Deinde aperiemus quomodò ipſa grauiſsimè ruit, ſi illi fauor & obedientia præſtatur, qui eandem Conciliorum authoritatem factis, verbis & ſcriptis iam à multo tempore conculcare non ceſſat. Poſtmodùm obiectionis contra illius iuſtiſsimam ſuſpenſionem ab adminiſtratione Papali, & ſubſequentem depoſitionem, nullius eſſe momenti clariſsimè oſtendemus: vt veritate plenè comperta, quiſque Chriſtianus intelligat, quid ſibi agendum eſt de neceſsitate ſalutis. Aduertite in primis, ô Chriſticolæ, & ante oculos veſtros ponite miſerandum & flebilem ſtatum Chriſtianæ religionis, ſi eo redacta fuerit, vt quiſque in ſummo pontificio poſitus, iam aſſecuratus ſit, quòd nullam correctionem à Concilijs generalibus deinceps habeat pertimeſcere, quantumcunque Eccleſiam ſcandalizet, & eius ſtatum perturbet, ac decoloret: ita vt ſi omnes dignitates Eccleſiaſticas & beneficia venderet, ſi prælatos quoſque inuitos transferret, & expelleret iniuſtè pro libito voluntatis, etiam notoriè ac iniuſtè reges & principes deijceret, moribus pernicioſis animas hominum paſsim perimere laboraret, crudelitates perpetraret horrendas, legem Dei confunderet, quæque ſalubria inſtituta euerteret, temporalia Eccleſiæ Romanæ & cæterarum particularium Eccleſiarum diſsiparet atque alienaret, aliaque innumera flagitia, ſcelera & crimina notoria perpetraret, ac ſe incorrigibilem redderet, omnis Eccleſia in vnum congregata, nullatenus illum à talibus coërcere poſſet: quinimò liberum eſſet ei, quamlibet ſynodum eum reprimere volẽtem, ilicò transferre: vel diſſoluere perſiſtentes in ſynodo contra voluntatem eius, perſequi, excommunicare, priuare, inhabilitare, contumelijs ac iniurijs afficere, inuaſiones corporales aduerſus eos excitare: ac deinde quicquid ſynodus ſtatueret, præciperet, dictaret, ordinaret, penitus contemnere, abijcere & reprobare. Conſpicicite pro Dei reuerentia, qualis ex hac re daretur introitus inimico humani generis ad ſubuertendum religionem Chriſtianam, dum ſeducendo vnum hominem, poſſet Chriſtianitatem in deſolationem maximam deijcere, mores peruertere, Canones & regulas quaſque diſsipare Eccleſiaſticas, regna & prouinciã conturbare, ac bonis ſpiritualibus & temporalibus ſpoliare, vitiorumque immanitatem inducere. Aperite oculos & videte, qualis ex hoc daretur ingreſſus Antichriſto. Sed & conſiderate, quomodo ea res fidem Catholicam confunderet atque violaret, quæ eſt primum fundamentum Eccleſiaſtici ædificij, quo euerſo, omnia corruunt, ſine qua fide impoſsibile eſt placere Deo, aut aliquam ſalutem conſequi. Notum eſt enim, quomodo ſacra Conſtantienſis ſynodus ad extirpationem errorum tanta pericula vniuerſæ Eccleſiæ afferentium, diffiniuit & declarauit, innitendo ſacris ſcripturis & doctrinis antiquorum Conciliorum, atque ſanctorum doctorum, quod Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus & dignitatis, etiam ſi Papalis, obedire tenetur in his, quæ pertinet ad fidem, ad extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in capite & in membris: quodque ſi quis ſtatutis & mandatis cuiuſlibet Concilij generalis legitimè congregati, obedire contumaciter contempſerit in prædictis & pertinentibus ad ea, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, ad alia etiam iuris remedia, ſi opus fuerit, recurrendo. Deinceps felicis recordationis Martinus Papa Quintus, approbante toto Conſtantienſi Concilio, per literas ſuas vniuerſis Epiſcopis & inquiſitoribus mandauit, continentes, quòd eſt de neceſsitate ſalutis, credere generale Concilium habere ſupremam authoritatem in Eccleſia, quodque quodlibet in Concilium generale, & etiam ipſum Conſtantienſe, repræſentat vniuerſalem Eccleſiam: & quicquid approbauit & approbat in fauorem fidei & ſalutis animarum, eſt ab vniuerſis fidelibus approbandum & tenendum: & quicquid condemnat eſſe fidei vel bonis moribus contrarium, ab vniuerſis fidelibus pro condemnato tenendum & aſſerendum: loquens etiam de illis, quæ circa principium ipſius Concilij Conſtantienſis diffinita & approbata ſunt, ſicut ſuæ præfatæ literæ indicant, quæ expreſſam mentionem faciunt de declaratione facta circa principium ipſius Concilij ſuper communione diuinæ Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie, & de condemnatione errorum & perſonarum eorundem Ioannis VVicleff, & Ioannis Huſz. fuit autem deinceps præmiſſa determinatio de Conciliorum authoritate in hoc ſacro Baſileenſi Concilio in pluribus ſeſsionibus repetita, dum olim Eugenius Concilium ipſum prima vice diſſoluere attentauerat, atque in reſponſionibus ſynodalibus multipliciter declarata, & in vniuerſum orbem per epiſtolas, aliaſque literas & ſynodales nuncios publicata. Ipſe tunc Eugenius huic ſacro Concilio doctrinam hanc notoriè tenenti, prædicanti & publicanti, adhæſit: & ipſum fuiſſe legitimum, ac legitimè à principio ſui continuatum, profeſſus eſt, confitens diſſolutionem per eum factam, irritam & inanem: quam tamen primò ex iuſtis & neceſſarijs cauſis factam eſſe publicauerat, ac etiam duas literas ſuas in Apoſtolico palatio contra hoc ſacrum Concilium & eius decreta promulgatas, in quarum vna dicebat, quòd ante aduentum legatorum ſuorum exiſtentium in ſynodo, nulla erant ſedis Apoſtolicæ authoritate ſuffulti: atque etiam deſignabat, quod ipſo contradicente, generalis ſynodi non habebant poteſtatem: quodque multa & grauia diſponere & ſtatuere præſumpſerant contra decreta ſanctorum patrum in Apoſtolicæ ſedis graue præiudicium: tertiaſque, incipientes, Deus nouit, ſuo nomine ſanctas, in quibus quamplura contra authoritatem Conciliorum aſſerebantur: & quicquid per eum aut ſuo nomine in præiudicium aut derogationem ſacri huius Concilij Baſileenſis ſeu contra eius authoritatem, factum, attentatum, ſeu aſſertum erat, caſſans, irritans & annullans, nullaſque & irritas fuiſſe & eſſe declarans: adijciens, quòd de cæterò à grauaminibus ipſi Concilio inferendis, abſtineret. Deinceps quoque poſt ipſius adhæſionem in ſeſsione publica, præſidente legato Apoſtolico, aſsiſtentibus octo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, oratoribus regum & principum, prælatorumque & doctorum iuris diuini & humani copioſa multitudine, eadem declaratio Conſtãtienſis Concilij renouata extitit. Vbi autem hæc veritas concernens manifeſtè fidem & ius diuinum, ſicut olim lucidè in celebri reſpon

ſione

Epheſ. 6.

Hebr. 11.

Sed talis Concilij caput eſt Rom. pontifex, cui' authoritate confirmetur oportet.

Has Fugenij' negat eſſe ſuas.

Sẽper iſti vicarium Chriſti cõtemptim vocãt vnũ hominẽ, cũ Chriſtus dicit: Qui vos audit, me audit, &c.

Concilia generalia ſẽper Romani pontificis authoritatẽ præcipuã agnouerunt, & ab eo tanquã maiori cõfirmari petierunt.

ſione, incipiente, Cogitanti, & alijs pluribus oſtenſum fuit, expreſsè differens de authoritate data immediatè à Chriſto Eccleſiæ congregatæ & Concilijs generalibus, toties & tam ſolenniter per vniuerſam Eccleſiam declarata eſt, & per Cõcilia generalia, quæ ſummi pontifices conſiſtorialiter declarauerunt legitima, etiam pro eo tempore quo huiuſmodi declarationes ediderunt. Si nunc poſt hæc omnia, ipſæ declarationes fidei & iuris diuini abijciantur, ac veluti erroneæ deijciantur & conculcantur, impingaturq́; toti Eccleſiæ error, quæ talia declarauit: quis non videt alias hæreſes per eccleſiam ſopitas, reſuſcitari, & nouis ſuſcitandis frena laxari. dum ex hoc via paratur, vt Concilijs generalibus in declarationibus fidei & diuini iuris ampliùs non credatur: ſed in qualibet regione, in quolibet loco poſsint homines ſectas & hæreſes & quaſlibet malas doctrinas excitare, ampliùs nõ timentes ſuas adinuentiones per generalium Conciliorum authoritatem confutari? Vnde totus orbis in conturbationem maximam deueniret, & periclitabitur Chriſtianitas, quæ & olim ante tempora Conſtantini, ſicut teſtatur Iſidorus, feruente perſecutione, in varias hæreſes ſciſſa eſt: quia non erat Epiſcopis licentia conueniendi in vnum, niſi tempore ſupradicti imperatoris: quòd ſi tunc, non obſtante quòd eſſent ſummi pontifices vita & ſanctitate præclari, propter defectum congregationis Conciliorum generalium, hæreſes ipſæ pullulabant, quanta nunc inſurget hæreſum vorago, ſi ampliùs Conciliorum generalium diffinitionibus non credatur, nec acquieſcatur, atque illorum ſic miſerabiliter proſternatur authoritas? O quanta Chriſtianitatis deſtructio, O quanta fidei deſolatio, O quanta omnis religionis & pietatis abiectio, quanta euerſio rerum publicarum, regnorum & prouinciarum, quantum naufragium animarum. Plorate iam & ingemiſcite omnes inuocantes nomen Domini, maiores cum minoribus, & apertis oculis inſpicite turbationem venturam vniuerſo orbi, ruinamq́ue veſtram, & deſolationem præuidete, ſi ſic frangatur neceſſaria illa Conciliorum authoritas. Sed & flete ſuper vos, ſi ſic proſternatur, quod omnium Chriſtianorum prælatorumq́ue religioſorum ac cęterorum Chriſtianorum erat ſupremum refugium in terris: ad eorundem nempè auxilium ſæpenumerò confugerunt ſummi pontifices, dum à tyrannis perſequutionem patiebantur, quæ iam ampliùs nulli venerabuntur, aut reuerebuntur tyranni, ſi hoc tempore corruerint. Per ipſa Concilia ſedes Apoſtolica robur ſuæ dignitatis & autoritatis conſeruabat, dum per eorundem Conciliorum ſententias cunctis hominibus formidandas, & venerandos canones, omnes aduerſarios fidei & ſanæ doctrinę atque bonorum morum corruptores arcebant & reprimebant. Ipſi quoque pontifices per eadem Concilia dirigebantur, vt ambularent ad veritatem Euangelij, & poteſtate ſibi data ad ædificationem vterentur. Vnde qui ipſorum Conciliorum authoritatem eneruare quærunt, illi decorem, dignitatem, robur & auxilium Apoſtolicæ dignitatis, fidemq́; ſalutem & bonas actiones ſummorum pontificum manifeſtè confundere moliuntur, atque in illam deſtructionem adducere, de qua loquitur beatus Gregorius, dum poſt enumerata vniuerſalia Concilia, ſubdit: Cunctas quas veneranda Concilia præfata perſonas reſpuunt, reſpuo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit abſoluere quos ligant, aut ligare quos abſoluunt. quibus verbis idem Gregorius immediatè ſubiungit: Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. Vt verò de cæteris prælatis Eccleſiaſticis & & principibus ſecularibus, qui ad Concilia refugium habuerunt, dicere omittamus, quoniam nimium prolixum eſſet ſingula enarrarę, ſaltem illud homines conſpiciant, quòd per huius ſacri Concilij labores, regnum inclytum Bohemiæ Sigiſmundo Romanorum regi reſtitutum fuit, quodq́ue aduerſus nonnullos, qui temporalia cunctis Eccleſijs eripere, religioneſque tam mendicantium, quàm aliorum deſtruere conabantur, ſingulare præſidium tam in dicto Cõſtantienſi, quàm in hoc ſacro Concilio inuentum eſt. Quid de ſchiſmatibus tollendis dicemus, ſi ampliùs Concilijs generalibus non obediatur? ſi plures contenderint de Papatu, quilibet qui ſe verum Papam putabit, dicet ſe ſuperiorem Concilio. quomodò poterunt iudicari, quomodò coërceri aut reprimi, ſi viderint hoc modo proſtratam ipſorum Cõciliorum authoritatem? Quòd ſi omnia inconuenientia enumerare vellemus, quæ ſecum afferret huius authoritatis ruptura, non multis poſſet deſcribi codicibus. Sed iam ad ſecundum explicandum tranſeamus, quomodò hæc proſternitur authoritas, quomodo ruina grauiſsima Eccleſiæ, & malarum turbationum inenarrabilis multitudo paratur, ſi ille ſuſtineatur & foueatur, qui huius authoritatis ſe contemptorem, impugnatorem & notorium perſecutorem oſtendit.

Quis negare poteſt, ô Chriſtiani, quòd reformationi Eccleſiæ in capite & in membris, quam totus orbis deſiderabat, & pro qua iam plura Concilia congregata fuerunt, duriſsimè reſtiterit (de quo omnis anima dolere debet) ille qui primus homines ad viam ſalutis inducere debuerat, olim Eugenius Papa Quartus, nunc Gabriel nuncupatus, quodq́ue illa quæ pro ipſa reformatione decreta & inſtituta erant per hanc ſanctam ſynodum, à ſe abiecerit & contempſerit, ita vt nunquam vnum canonem ſynodalem concernentem reformationem ipſam, in executionem efficacem deducere compertus ſit, qui nullam penitùs emendationem in regimine curiæ ſuæ propter quamcunque admonitionem, aut correctionem effecit, ſed aſsiduè grauiores abuſus adauxit, in perditionem animarum & deteſtabilis Simoniacæ peſtis fomentum? Quis negare poteſt, quòd quantum in ſe eſt, authoritatem omnium Conciliorum generalium conculcauit, dum euocatus ad ſynodale iudicium, diffiniuit quòd ex certa ſua ſcientia authoritate Apoſtolica & ex plenitudine poteſtatis transferebat hoc ſacrum Concilium, caſu quo procederetur contra ipſum aut aliquem ſuorum oratorum præſidentium, qui in Concilio fuerant, cùm tamen eo tunc tempore ipſum Concilium generale verum ac legitimum reputaret? Quis diſsimulare poteſt, quòd etiam ipſi Concilio authoritatiuè prohibuit, ne vltra dies triginta cauſam fidei q̃ cum Bohemis agebatur, tractaret, adijciens quòd omnes excommunicabat, priuabat beneficijs, & inhabilitabat ad eadem, qui deinceps poſt terminum quem ipſe tunc præfixit, actus conciliares Baſileæ exercerent, volens etiam ex ea cauſa eſſe derogatum quibuſcunque declarationibus, etiam ſub nomine generalis Concilij factis, & alijs in contrarium facientibus? Ex his proſternens & abnegans manifeſtè ſupradictam declarationem Catholicæ fidei, tam per ſacrum Conſtantienſe Concilium factam, quã per hoc Baſileenſe, vt præmittitur, dudum renouatam, & ſe ſuperiorem in his omnibus Concilio deſignans: vigore cuius prætenſæ diſſolutionis ſchiſma horrendum & grauiſſimam diuiſionem conſequenter in orbe poſuit, erigens congregationem Ferrarienſem ſub nomine alterius generalis Concilij contra hanc ſanctam ſynodum, poſtquam declarauerat conditiones in præfata diſſolutione poſitas, purificatas fuiſſe: ſtudens hoc pacto inconſutilem tunicam Chriſti, & Eccleſiam quam in vnitate repererat, gladio ſæuiſsimo diuiſionis, & ſchiſmatis feriens: quod certè omnes debuerant abhorrere Chriſtiani, quibus ſimile ſchiſma nunquam compertum fuerat. Sed nec his contentus, in hanc ſanctam ſynodum varias perſecutiones excitauit, mandans ciuibus Baſileeñ. vt eandẽ à ſua ciuitate expellerent. Alioquin ſe in ciuitatem interdictum, & in gubernatores eius excommunicationem proferre dicebat, inhibendo ne quis victualia deportaret ad eandem: & ſi qui portarent, ſpoliarentur, cederentq́; ſpolia occupantibus. Scripſit prætereà, vt in eos de Concilio fieret perſecutio, tanquam in hoſtes Chriſtianę fidei, vocans ipſam ſynodum, iniquorum perfidam ſynagogam: quæ mandata adeò grauia fuerunt, vt vix filius perditionis adueniens, grauiora aduerſus Eccleſiam mãdata ferre poſſet, ſi eam ſentiret pro ſuſtinenda fide & lege Domini in aliquo loco congregatam. Quæ verò & quanta ſcripſerit diuerſis principibus, blaſphemando eandem ſynodum, & decreta eius, longum eſſet enarrare. Sed & quomodo patrimonium, terras & dominia eccleſię, quæ in ſumma pace & proſperitate repererat, ipſe tractauerit, quas alienationes fecerit, quas guerras commouerit, partialitates acceperit, quantæque crudelitates ſub regimine ſuo in loca & ſubditos Eccleſiæ perpetratæ ſint, quomodo iuramenta ſua ſolenniter in conclaui, & poſt conclaue præſtita, infregerit:

Pius II. lõgè aliter ſcribit de hoc Eugenio, palã reuocãs, q̃ olim ſcripſiſſet vobiſcũ contra Eugenium.

flebile

flebile eſt dicere. Et præterea quæ vnquam maior incorrigibilitas, quæ maior pertinacia in aliquo pontifice vel miniſtro Eccleſiaſtico apparuit, qui non ſolùm in prædictis ſuis exceſſibus, quibus diuinam maieſtatem & legem eius ac fidem Catholicam tam notoriè offendit, & Eccleſiam Chriſti in ſpiritualibus & temporalibus ſic conturbauit, afflixis, damnificauit, diuiſit, & ſupra modum ſcandalizauit, obdurato permanſit animo: verùm etiam vult, his non obſtantibus, ab hominibus innocens & iuſtus reputari, nulla vnquam emendatione, nulla correctione oſtenſa, quaſi tantã cæcitatem iam in populo Dei excidiſſe credat, vt tam grauia vitia velint pro veritatibus venerari? Videns autem hæc ſancta ſynodus, ad ipſius emendationem nec dulces admonitiones ſæpiùs & per plures legatos & oratores tranſmiſſas, nec longam patientiam & benignam expectationẽ, nec citationem iuridicam, nec ſuſpenſionis ab adminiſtratione Papali ſententiam iuſtiſſimam proficere: tandem expectatis decem & ſeptem menſibus poſt ſuſpenſionem prædictam, neceſſe habuit ſuper depoſitione ipſius à papatu, iuſtum proferre iudicium, prout eidem ex authoritate data à Chriſto incumbebat. Nunc verò aduertite ô Chriſti fideles, quæ deinceps erit in orbe Conciliorum authoritas, ſi poſt hæc omnia fouetur & ſuſtinetur, qui nõ ſolùm in tantis malis ſe incorrigibilem præbuit, verùm etiam eandem Conciliorum authoritatem proſternere laborauit, & laborare nõ ceſſat, vt deinceps nec ipſe, nec aliquis ſucceſſorum ſuorum per iudicium Eccleſiæ corrigi valeat, ſed poſſint pro libito voluntatis omnia agere abſque vllo timore correctionis fiendæ ſuper terram: qui & adhuc poſt ſuam depoſitionem grauiora grauioribus addens, tres declarationes Catholicæ fidei de authoritate Conciliorum, condemnare auſus eſt, cuius oratores iam per orbem aduerſus eandem authoritatem apertè prædicant: & tam ipſi quam nonnulli ſibi fauẽtes, diſſeminant libellos ac tractatus ad huius hæreſis diuulgationem, & ſuppreſſionem declarationum Catholicę fidei quas vniuerſa tenuit Eccleſia. Poteſtis autem ô cuncti Chriſtiani hunc ignem, priuſquam amplius accendatur, extinguere, & fidei Catholicæ ac vniuerſæ Eccleſiæ pacem reddere, ſi ſententijs iuſtiſſimis huius ſanctæ ſynodi, quam repræſentare vniuerſalem Eccleſiam recognouiſtis, debitam præſtiteritis obedientiam, & viam veritatis ac iuſtitiæ efficaciter amplexari curetis, in fauorem fidei & ſalutis Eccleſię vniuerſæ. Si verò id non fiat, ſed diutiùs præſtetur obedientia ei, qui omnium horum malorum caput eſt, ſi repulſo eccleſiæ iudicio, ille ſuſtineatur, qui iuſtè condemnatus eſt, ſi impugnatori notorio fidei & authoritatis Conciliorum faueatur, ſi manifeſtus perſecutor congregationis ſynodalis ſuſtineatur, ſi mandata, ſtatuta & præcepta Concilij generalis abijciantur, & rebellanti atque contumaci & incorrigibili adhæreatur, illæque poſt ſententiam depoſitionis in eum latam, pro capite Eccleſiæ reputetur, qui ſe ab ipſius Eccleſiæ vnitate & corpore per fidei læſionem, per ſchiſmatis in erectione prætenſi alterius Concilij perpetrationem ſeparauit, & cui iam nullus color, nullus titulus papatus competere poteſt: ſi denique non auditur Eccleſia iudicans, & libellis illius qui condemnatus eſt, blaſphemias & enormes iniurias in ſanctam ſynodum & exiſtentes in ea continentibus, aures præbentur: quis non videt dies illos malos, horrendamque turbationem totius Eccleſiæ, de qua ſuperiùs diſſeruimus, in proximo adeſſe? Quanti reperientur, qui deinceps in Concilijs generalibus ad defenſionem fidei, ad extirpationem hæreſum, ad reformationem morum, ad tuitionem iuſtitiæ & veritatis perſiſtere vellent, ſi videant ſibi priuationes beneficiorum, & perſecutiones corporum, iniurias, opprobria, prætenſas cenſuras & quaſcunque aduerſitates imminere: illi autem, qui hæc aduerſus ſynodum hanc perpetrauerit, obedientiam & fauorem finaliter dari? Sepelitur profectò, conculcatur, & proſternitur, ſi res ita procedant, ipſa Conciliorum authoritas, & grauiſſimus dolor imminet omnibus Chriſtianis. Verùm confidimus in Domino, quòd non ſic Eccleſiam ſuam in interitum ruere permittet: quinimò excitabit corda ſeruorum ſuorum, vt miſereantur ipſius eccleſiæ & animarum ſuarum, nec fidem Catholicam, veritatem & iuſtitiam ſic opprimi patiantur. Sed neque hoc ſuſtineri poteſt, quod quidam obedientiæ neutralitatem conſulunt obſeruandam, & ſicut ei qui iuſtè per ſynodale iudicium condemnatus eſt, nequaquam obediendum eſt, ſic Concilio iudicanti obedientiam ſubtrahẽdam putant. Quomodo enim poteſt quiſquis Chriſtianus excuſari, vt ab omni iudicio Eccleſiæ ſe ſubtrahat, cùm de neceſſitate ſalutis eccleſiam audire teneatur, ſicut Euangelica doctrina & omnis ſanctorum traditio teſtatur? quod liceret, ſi quiſquam ſe à iudicio vnius Cõcilij ſubtrahere poſſet, ſimiliter & ſacri Concilio denegare obedientiam, nec in eorum ſententijs ſiue pro fide, ſiue pro quibùſcunque rebus animarum ſalutem aut Eccleſiæ ſtatum concernẽtibus, vlla ſtabilitas, vllave efficacia haberetur. Quilibet acta Cõciliorum examinare vellet, ac de illis, prout ei videretur, iudicare: aut poſt iudicium vnius Cõcilij, aliud expetere, nullum interim obedientiæ debitum reddens. ſicque fruſtraretur Conciliorum authoritas, & tandem neque ipſis, neque ſummis pontificibus legitimam adminiſtrationem habentibus obediretur. Vnde in totum confunderentur Eccleſiaſtica iudicia, periclitareturque Chriſtiana religio: nec deinceps Concilia generalia quęcunque mala reprimere laborarent, ſi eorum ſententijs non obedire conſpicerent, neq; locus eſt ſuſpenſioni animorum in tam clara iuſtitia, in tanta obediendi neceſſitate, dum per defectum obedientię præſtandæ, fidei lęſio & veritatis oppreſſio aſſiduè ſuccreſcunt, periclitantur animæ innumeræ, & exemplum datur omnibus, vt deinceps nullis ſententijs prælatorum ſuorum, ſicuti nec ſynodorum obediant, ſed animos ſuos per plura tempora ſuſpendere velint, vnde omnis iuriſdictio perire poterit, dum authoritatem ſupremam Eccleſiæ obmitti & negligi videbunt. Si itaque communi bono Eccleſiæ Dei conſulere quæritis, ô Chriſti fideles, ſi præſentibus malis finem imponere, ſi pacem conſequi & felicem ſtatum totius Chriſtianitatis intueri, date operam, vt cuncti vnanimiter viam veritatis ſequantur, vt Concilijs generalibus ſua reddatur authoritas, vt nullus eam deneget ſynodo vniuerſali obedientiam, ad quam tenetur de neceſſitate ſalutis, in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in capite & in membris, & pertinentibus ad ea. Si ceſſabunt ſchiſmata, ſic hęreſes extinguentur, mores reformabuntur, vigebunt Concilia, ſedes Apoſtolica & virtutum dignitate & honore plurimo reflorebit, repellentur conatus antiqui hoſtis, breuiabuntur dies mali, & malorum grandium repelletur incurſus, quæ, ſi ſecus fiat, ſuper omnes Chriſtianos iam imminere conſpicitis. Supereſt iam vt eas obiectiones nullius oſtendamus eſſe momẽti, quæ illaqueationem animarum & obfuſcationẽ veritatis ac iuſtitiæ huius ſanctæ ſynodi, per nonnullos afferuntur. Allegant quidem hoc ſacrum Concilium de ſuo conſenſu fuiſſe tranſlatum, pro eo quòd concordauerat cum Græcis, ſe transferre infra menſem poſtquam aduenisſent ad vltimum portum citra marinum, eiſdem in Conſtantinopoli per oratores cõcilij nominandum pro celebrando œcumenico Concilio, in eo loco quem hoc ſacrum Baſileenſe Concilium elegiſſet. Verùm quantò reijcienda ſit hæc obiectio, vos Chriſti fideles aduertite. Manifeſta quidem nimis eſt veritas, quòd Græci præualentibus practicis olim Eugenij perſequentis ſynodum, non ad portum per oratores Concilij eis nominatum, venerunt, neque ad locum per Concilium electum, ſicut ipſi promiſerant, venire voluerunt: immò ſcripſerunt Concilio per oratores eius in Conſtantinopolim miſſos, ſe propterea cum eis & eorum galeis non adueniſſe, quia tempus mittẽdarum ipſarum galearum tranſactum erat, ſic abſoluentes ſe ab omni obligatione mutua, quæ inter Concilium & ipſos contracta erat, licet tamen alteri oratorum priùs dixiſſent ſe de vlteriori expectatione contentos eſſe, impedimentaque Concilio præſtita eſſent manifeſta, cùm in conuentionibus initis cum eiſdem, expreſsè caueretur, omnia debere intelligi ſine fraude & dolo, ac legitimo impedimento ceſſante. Quòd ſi ad requeſtam ipſius olim Eugenij deinceps ire voluerunt Ferrariam contra conſenſum Concilij, quis ratione vtens, dicere poſſit Concilium ex ea re ad ſe transferendum fuiſſe obligatum? Dum verò quidã vlteriùs obijciunt, quòd Concilium quadam vice concluſit, caſu quo Auinionenſes certam pecuniæ ſummã infra menſem non traderent in pecunia numerata, & de hoc infra xij. dies

Florẽtinũ Conciliũ definiuit Romanũ pontificẽ plenam à Chriſto habere poteſtatem vniuerſalis eccleſię gubernandæ.

dies ſequentes, non certificaretur Concilium, quòd tunc teneretur ipſum Concilium ad electionem alterius loci procedere, & vniuerſali Eccleſiæ aliundè prouidere: quod dum a dueniente tempore non fieret, præſidentes Apoſtolici & alij quidam ſecum minorem partem Concilij facientes, tanquam ad ipſos deuoluta poteſtate Concilij, alium locum aliumque portum nominauerunt, & oratores ad Græcos miſerunt. Sæpè ad huiuſmodi obiectiones per decreta & Epiſtolas noſtras reſponſionem fecimus, oſtendimuſque illas eſſe penitus inanes. Manifeſtum eſt enim, quòd Concilium in ea concluſione cum nullo contractum fecit aut conuentionem, nulluſque aderat cum quo huiuſmodi contractum celebraret: nullique dubium eſt, quenquam cum ſeipſo cótrahere non poſſe, cùm inter ſpondentem recipientemque ſponſionem, debeat eſſe diſtinctio perſonarum. Vndè illarum omnium obiectionum corruit fundamentum. Sed tantùm illam concluſionem intra ſe cepit concilium, quam & interpretari & mutare poterat iuxta caſus occurrentes, ſi pro ſalute Eccleſiæ, ſibi ita agendum videbatur. Nec aliquis ſibi legem imponit, à qua recedere non poſſit. neque dicebatur in concluſione ipſa, quòd in caſu prædicto minor pars haberet alium locum eligere, ſed Concilium. Et ſi aliquod dubium erat, quod interpretandum veniret, aut ſi quid in hoc agendum, vel deliberandum aut mutandum, nullatenùs iudicio minoris partis ſtandum erat, ſed plurimorum ſententiæ acquieſcendum, ſicut mos antiquorum Conciliorum & omnia patrum inſtituta edocent. Vndè & ex eo in vniuerſum orbem turbatio grauiſſima excitata olim fuit, dum aliqui Epiſcopi minorem partem Concilij Nicæni facientes, illis contradixerunt, quæ maior pars concluſerat. Sed quid ampliùs illi met præſidentes Apoſtolici, qui ſub prætextu cõcluſionis illius alium locum eligere voluerunt, eidem concluſioni cùm fieri deberet, contradixerunt, proteſtantes ſe non conſentire in decretatione loci Auinionenſis, de quo expreſsè agebat dicta concluſio? Et vlteriùs, pendente termino præfixo, oratores olim Eugenij Archiepiſcopus Cæretenſis & Iacobus de Rachaneto, impediebant, ne illæ pecuniæ darentur in Auinione, de quibus hæc concluſio agebat. Scripſerunt præterea Auinionen. quomodò Abbas Bonæ vallis & Raymundus Taloni decretorum Doctor, ad eos miſſi ex parte Concilij, compoſuerant cum eis ex poteſtate eius data à toto Concilio, quòd haberent decretationem loci Auinionenſis & impoſitionis decimarũ, priuſquam pecunias ſuas exoluerunt. Mandaueruntque ipſi Auinionenſes, quòd illis habitis pro cautione eorum, pecunias expedirent, de quibus oratores Concilij miſſos ad eoſdem, cautos & ſecuros fecerunt. Iudicauit Concilium quòd rationabiliter petebant, quodque attentis prædictis, quæ ſuperuenerunt ad notitiam ipſius Concilij, & alijs pluribus ipſum * monentibus, non erat procedendum ad electionem alterius loci, nec expediebat ſaluti Eccleſiæ & bono rerum agendarum. Quòd autem aliqui pauci ad electionem alterius loci temerariè procedere præſumpſerunt, ſe dicentes Decretum agere contra duplo maiorem partem Concilij & ampliùs, ſcindentes & diuidentes, quantùm in ſe fuit, Eccleſiæ vnitatem, hoc prorſus illicitum & pernicioſum fuit, ſicut per ſolenne Decretum ſeſſionis noſtræ xxxij. demonſtrauimus. Vnde & conatibus eorum extunc reſiſtens hæc ſancta ſynodus, decretationem fecit in ſeſſione publica ſuper electione loci Auinionenſis & aliorum ſibi adiunctorum, omnem aliam electionem ſeu nominationem loci per quoſcunque factam irritans. Deinceps quoque ſubſequuta eſt communis omnium nullo diſcrepante concordia, quòd tres domini, inter quos erat vnus & primus legatorum Apoſtolicorum, haberent ſigillare literas de quibus agebatur, ſine præiudicio alicuius, & oratores mittere. Ipſi autem ſigillauerunt decretum Concilij, mittentes ipſum pro oratorum in Auinionem illo prætenſo reiecto, quod per minorem partem factum fuerat. Cumque ſit omnino à veritate alienum, quòd duo Decreta contrarij tenoris, immò & ſibi inuicem contradicentia expreſsè, vno & eodem tempore ſimilia ſynodali iudicio emanuerint, quia Spirituſſanctus per eos generalis ſynodi contrariè loqui non poteſt, eo ipſo quòd Decretum Concilij ſuper Electione de Baſilea, Auinione & Sabaudia, conſentientibus omnibus patribus qui in Concilio erant, & ipſis legatis Apoſtolicis, vera bulla plumbea ſynodali ritè plumbatum eſt: manifeſtum eſt dictam ſchedulam legatorum nullatenùs vim Decreti habere potuiſſe. Dum verò quidam literas ſuper eo quod per minorem partem factum fuerat. clandeſtinè bulla ſacri Concilij de nocte ſurrepta ſigillauerunt, declaratum eſt, illas falsò bullatas, eſſe: & quòd Archiepiſcopus olim Tarentinus, præſidẽs & orator ipſius olim Eugenij, q ſe in hoc operã cũ effectu dediſſe confeſſus erat, tanquam falſarius iuſtè condemnatus extitit. Sic igitur in ea re nullus hæſitationis ſcrupulus eſt quòd penitus nullius momenti fuerit, quòd per illos paucos contra iudicium Concilij actum eſt. Sed nec de his diſputare neceſſe eſt, cùm etiam illud quod per illos paucos factum fuerat, abruperit ipſe olim Eugenius: qui, cùm omnes patres exiſtentes in Concilio, tam ſui legati quàm alij, dictaſſent, vt Concilium firmiter maneret Baſileæ vſque ad aduentum Imperatoris & patriarchæ Græcorum ad vltimum portum, nihilominùs ipſe longè ante aduentum prædictorum Græcorum plùs quàm per quatuor menſes, hoc Concilium, quantùm in ſe fuit, abrupit & diſſoluit, ex eo capite quòd procederetur contra ipſum aut aliquem ſuorum, negans iuriſdictionem immediatè à Chriſto Concilijs datam, & ſe (vt antea præmiſſum eſt) ſupra Concilium erigens in facto reformationis & fidei. Quam prætenſam diſſolutionem cùm non reuocaſſet infra quatuor menſes, immò aliam congregationem ſub nomine generalis Concilij interim apud Ferrariam feciſſet. grauiſſimum ſchiſma perpetrans, ſuſpenſus fuit ab adminiſtratione papali ante aduentum prædictorum Græcorum eo tempore, quo etiam illi de minori parte prædictum Concilium permanere debere in Baſilea dixerunt. Poſtquam verò legitimè ſuſpenſus fuit per Concilium, quis Chriſtianorum dubitat quoſcunque actus per ipſum in adminiſtratione papali expletos, nullos, irritos & inanos extitiſſe? Sic itaque volentibus quærere occaſionem diſcendi à ſancta ſynodo, nullus color cuiuſcunque tranſlationis poteſt vllatenùs ſuffragari: quod ſatis intellexerunt prælati, principes, vniuerſitates ac cæteri maioris partis orbis, qui nunquam ad conuentionem Ferrariẽſem vel Florentinenſem, iam ferè à tribus annis erectam, accedere vel mittere voluerunt, ſed illa reprobata, ſanctam ſynodum Baſileen. velut repræſentantem vniuerſalem Eccleſiam, verbis & ſcriptis cognouerunt. Et cùm dictam congregationem Ferrarienſem, erectam ſub nomine generalis Concilij hoc durante Concilio, non generale Concilium, ſed ſchiſmaticorum fuiſſe conuenticulum, prout in Decretò noſtræ vigeſimænonæ ſeſſionis manifeſtiſſimè conſtat, ipſeque Gabriel quia caput illius ſchiſmaticæ conuentionis, & quia à papatu legitimè ſuſpenſus erat, iuriſdictionem papalem non poterat exercere, per acceſſum ipſorum Græcorum, qui iam à plurimus annis ab Eccleſiæ Catholica diuiſi erant, nullatenus dicta Ferrarienſis conuentio legitima facta eſt. Neque veraciter dici potuit, ipſam eſſe generale vel œcumenicum, prout ipſe illam intitulauit. Obijciunt deinde alij, quòd in ſancta ſynodo permanentes, pauci numero fuerunt ad exercendos actus iuridicos ſuſpenſionis ab adminiſtratione papali & depoſitionis olim Eugenij, ac ſubſequentis electionis ſanctiſſimi domini Felicis papæ Quinti. Quæ quidem obiectio ſi illi debeat ſuffragari, qui ſynodum perſecutus eſt, qui omnibus modis homines ab ea ſubtrahere & ſeparare laborauerit, & aduerſus illos militet qui tempore perſecutionis permanſerunt, qui omnes de orbe ad ſuccurrendum & prouidendum Eccleſias Dei per epiſtolas & oratores vocare integro ferè biennio non ceſſauerunt: quis non videt, ex hoc Conciliorum authoritatem proſterni & confundi? Nam ſemper ſummus pontifex dum ſynodum rumpere volet, aliquos exindè abſtrahere poterit. Si autem alij permaneant, obijcietur eis paucitas: ſicque videntes ſe nihil proficere poſſe, ſynodum in totum deſerent, permitteturque agere cuilibet ſummo pontifici quicquid libuerit. Nec poſſibile erit, ſi quiſquam eorum fidem offendat, ſchiſma faciat, aut quibuſcunque malis Eccleſiam ſcandalizet, remedium per generale Concilium exhiberi. Sed nunquid illi qui non fugerunt, qui non deſeruerunt ſynodum in neceſſitate, qui non fidem, veritatem & & iuſtitiam conculcari permiſerunt, quique pro his ſuſti

ouen- us

Imò verò Conciliũ Florentinen. & Latini & Græci venerãtur, & ferè oẽs à Baſileenſib⁹ diſceſſerunt.

Fatentur paucitatẽ ſuam.

Chriſtus aliter promiſit Petro.

nendis

nendis tribulationes & dolores, peſtem, guerram, penuriam & cæteras aduerſitates ſubierunt, propterea culpandi ſunt? Nunquid Apoſtoli qui in numero pauci cum Chriſto permanſerunt in tentationibus ſuis, alijs diſcedentibus, ideo male egerunt? nónne ſatis elucidatum fuit in ſupradicta ſynodali reſponſione, quæ incipit, Cogitanti, conſentiente in hoc & cooperante tunc legato Apoſtolico, quomodò illi qui permanerent in ſinodo vſque ad finem operis ſui, commendandi eſſent: non autem illi qui diſcederent, aut qui ſe ab ea diuiderent? Allegatumque quomodò dum CHRISTVS dixiſſet, Niſi mânducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis: non paũci qui remanſerunt cum Chriſto, ſed illi qui receſſerunt, repræhenſionem meruerunt. Ibi quoque non obmiſſum eſt, quomodò recedente Ioanne 23. à Conſtantienſi ſynodo, non illi defecerunt, ſed commendati ſunt, qui cum ipſo Concilio perſtiterunt vſque in finem. Nec tamen ita pauci fuerunt in hac ſancta ſynodo, vt quidam exiſtimant, cum in decreto ſuſpenſionis ipſius olim Eugenij ab adminiſtratione papali, valdè multi adeſſent, & inter eos plures regum & principum ambaſiatores. Decreta quoque de cauſis & de collatione beneficiorum in eadem ſeſſione promulgata ſunt, quæ maior pars recepit tanquam à generali ſynodo vniuerſalem Eccleſiam repræſentante. Vndè nullus color, nulla excuſatio aut tergiuerſatio poteſt cuiquam in diuino iudicio ſuffragari, quare illi ſuſpenſioni reſiſtat, aut cur poſt eam illi qui ſuſpenſus fuit, velut ex certo propoſito in adminiſtratione papali obedire, & actus eius, tanquam non ſuſpenſi, legitimos reputare. In actu quoque depoſitionis ferè trecenti fuerunt. Et tempore ſubſequentis electionis grandis adhuc numerus erat, nec vſque in hodiernum diem diuina prouidentia hanc ſanctam ſynodum deſeruit, quin competentem numerum prælatorum, doctorum & aliorum notabilium virorum habuerit, & adhuc hodiè habeat. Sed præterea hæc quæſtio dudum diffinita & determinata eſt tam per ſynodum, quàm per ſummum pontificem tunc exiſtentem, conſentientibus in hoc Cardinalibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & omnibus Chriſtianis. Nam cùm tempore primæ diſſolutionis prætenſæ pauci prælati eſſent in Concilio, non numerum quatuordecim excedentes, neque medietas numeri omnium ſuppoſitorum in Concilio haberetur, quæ præmiſſis actibus interfuit, ipſe quoque tunc ſummus pontifex obijciebat eidem Concilio numeri paucitatem per literas ſuas diuulgatas in orbem. Et nihilominùs determinatum eſt per omnes, quòd hoc non obſtante, fuit protunc legitimum Concilium & legitimè continuatum. Quòd ſi in tali numero legitimum eſt Concilium ex diffinitione Catholica & Apoſtolica, omneſque de neceſſitate ſalutis legitimo Concilio obedire tenentur, tanquam habenti poteſtatem immediatè à Chriſto, vt præmiſſum eſt, in pertinentibus ad fidem, extirpationem ſchiſmatum, & reformationem Eccleſiæ in capite & in membris: quis poteſt iam ſub colore paucitatis vel alio quocunque, occaſionem quærere non obediendi Concilio in actibus præfatis? Quòd ſi deinceps liberum ſit vnicuique de actis ſynodalibus recipere quæ volet, quæ nolet abijcere, reputare Concilium velut habens poteſtatem cum placuerit, cum non placuerit non reputare, non audire Eccleſiam niſi quandò & quomodò voluerit: quis dubitat, ex hoc omnem Conciliorum authoritatem proſterni, omnemque obedientiam illis debitam fruſtrari? Clarum eſt itaque, has obiectiones nulli Chriſtiano ſuffragari, quò minùs iuſtis ſententijs, per hanc ſanctam ſynodum pro neceſſitate fidei & vniuerſæ ſalutis Eccleſiæ promulgatis, plenè obedire debeat, quæ fideliter dicimus, veritatem manifeſtantes ad omnem conſcientiam hominum, vt videntes horrenda pericula & cunctis ſeculis inaudita, quæ ex conculcatione authoritatis Conciliorum & diſceſſione à fide iam imminet, viam veritatis efficaciter amplectantur, fidem ipſam tueantur & conſtantibus animis iuſtitiæ adhæreant, per quam impugnatores inimici repellantur, & omnia in pacem, quietem, ac ſalutarem diſpoſitionem reduci valeant. Obſecramus itaque vos Chriſti fideles per miſericordiam Dei, vt dum adhuc tempus eſt, conſulatis publicæ ſaluti: & ſicut adhæſiſtis huic ſanctæ ſynodo, eiuſque authoritatem recognouiſtis, & inſuper varietatem fidei, quam defendi ſuſtinuiſtis, dum ille qui & nunc eam perſequitur, tentauit prima vice diſſoluere, tenentes quòd hoc facere non poterat, ſic & vos permaneatis, & cum veritate ſtetis vſque in finem: ſicque agatis, vt is qui tantis laboribus authoritatem omnium Conciliorum proſternere molitur, tandem ab his deſiſtat, & ſuæ ſaluti conſulat. Nec tale exemplum poſteritati relinquatis, vt Concilium repræſentans vniuerſalem Eccleſiam, per vos tanto tempore recognitum, & cui de neceſſitate ſalutis tenemini obedire, patiamini in diebus veſtris confundi & conculcari. Verùm quoque paſtorem Eccleſiæ Catholicæ per eandem ſynodum canonicè electum, colite & veneramini: cuius aſſumptionem ad Apoſtolatum fuiſſe neceſſariam, ſatis indicat aduerſitatum magnitudo, quæ aduerſus Eccleſiam ita ſuccreuerunt, vt vix alius inuentus fuiſſet, qui hoc tempore pondus huius miniſterij ſufferre valeret: ſed eum donauit Dominus, qui nunquam Eccleſiam derelinquit, vt eius prudentia, patientia & multiplici virtute cum auxilio huius ſanctæ ſynodi, fides defendatur, authoritas Conciliorum conſeruetur, iuſtitia vigeat, pax & tranquillitas ac bona omnis diſpoſitio in ſtatu eccleſiaſtico & Chriſtiana religione ſubſequantur. Pro quibus, fauente altiſſimi gratia, omnes labores noſtros vſque in finem impẽdemus, multa aduerſitatum genera nobis aſſiduè irrogata patienter pro nomine Chriſti ſuſtinentes qui maiora pro Eccleſiæ ſuæ plantatione ſubire dignatus: pro quo & diſcipuli eius grauiſſimas perſecutiones pertulerunt, omnemq; operam nobis poſſibilem, de ſuperno confiſi auxilio, dabimus, ne ſic Eccleſia, quam tanto precio Chriſtus ipſe Deus noſter acquiſiuit, diebus noſtris confundatur, ne in opprobrium & deſolationem Chriſtianæ religionis veritas fidei per Chriſtianos ipſos agnita, recepta & defenſata, ſic miſerabiliter relinquatur & proſternatur in terrã, ſed potiùs illibata ſeruetur: vtq; hæc ſancta ſynodus tam ſolenniter inchoata, tantiſque continuata laboribus, felicem exitum accipiat, ad ſalutem vniuerſorum & gloriam Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amẽ.

Ioan. 6.

Alia fuit tunc ratio propter ſchiſma.

Sed non exprimũt quæ illorum trecentorum fuerit authoritas.

Nõ id fuit Eu nius.

Datum in congregatione noſtra generali in Eccleſia maiori Baſileenſi celebrata, ſexto idus Nouembris, Anno à Natiuitate domini 1440.

RESPONSIO SYNODALIS, FACTA ORATOribus Regis Romanorum ac principum electorum de transferendo concilio.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spirituſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Petitionem veſtram audiuit hæc ſancta ſynodus, quam nomine chariſſimi Eccleſiæ filij Frederici regis Romanorum illuſtris, & venerabilium Archiepiſcoporum ac nobilium virorum principum electorum ſacri Romani Imperij, vos venerabilis Siluester epiſcope Chiemenſis, & dilecti eiuſdem Eccleſiæ filij Erharde de Zelking baro, Thoma de Haſelbach in Theologia Magiſter, Ioannes de Liſura decretorum Doctor, præpoſite Eccleſiæ B. Mariæ ad gradus Moguntinen. Ioannes de Francofordia Officialis Confluẽtiæ, Henrice de Herpel præpoſite S. Seuerini Colonienſis, Ioãnes de Lamberg etiam in Theologia Magiſter, præmiſſis diſertis orationibus porrexiſtis. Cuius quidem petitionis tenor talis eſt: Dignentur veſtræ reuerendiſſimæ paternitates ad exhortationem & deuotam poſtulationem sereniſſimi domini noſtri Romanorum regis, &c. necnon ſuorum principum electorum ſua vota conferre, quatenus modis congruis ad generalis Concilij ab omnibus indubitati congregationem, infra vnius anni ſpatium, perueniatur loco ſuæ maieſtati & ſuis principibus electoribus grato & rebus gerendis accommodo. Veſtras autem dominationes latêre non putamus, quantum neceſſe ſit, vt Conciliorum generalium iudicia, quæ pro fide orthodoxa & Salute animarum proferuntur, firma & ſtabilia permaneant: quodque iactura ipſius fidei & eccleſiaſticæ diſciplinæ immineat, ſi illa mutari & vacillare, nec robur & ſtabilitatem habere permittantur. Hinc enim aſſiduæ perturbationi pacis datur occaſio, hinc detrimenta ſalutis afferuntur innumera, hinc

ad malorum audacem perpetrationem ingreſſus probetur, hinc ſubterfugijs perfidorum aditus aperitur. Sic quippè inducerentur peruerſi, vt nullatenus ſynodo iudicanti aut ſtatuenti vel mandanti obedirent, ſed ilicò aliam ſynodum fieri expeterent, cùm & mos ſit malorum litigatorum, ſicut præclarè beatus Auguſtinus ad Glorium Eleuſinum & alios Donatiſtas ſcripſit, vt dicant ſe malos iudices fuiſſe perpeſſos, licet etiam firmiter manifeſtiſſima veritate ſuperati. neque coercere poſſet ceruices ſuperborum & Eccleſiaſticã pacem perturbantium ſynodalis authoritas, ſi celebrato Concilio mox ipſum transferri aut ad aliud oporteret deueniri. Quod papa Gelaſius luculenter aduertens, in epiſtola directa epiſcopis Dardaniæ aiebat: Maiores noſtri diuina inſpiratione cernentes, neceſſariò prędicauerũt, vt quod contra vnamquanque hæreſim coacta ſemel ſynodus pro fidei communione ac veritate promulgaſſet, non ſinerent poſt hoc nouis retractionibus mutilari, ne prauis occaſio præberetur. Et ſubdit eadem epiſtola: Sic Eunomium, Macedonium Neſtorium ſynodus ſemel geſta condemnans, vlteriùs ad noua Concilia venire non ſinit. Martinus quoq; & Valentinianus Imperatores firmum habere voluerunt, quod per ſynodum Chalcedonẽſem fuerat definitum, cauſam illam ſubiungentes: Nam iniuriam facit iudicio religioſiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel iudicata ac rectè diſpoſita, reuoluere & publicè diſputare contendit: quod ſi permitteretur, nihil fermè in diffinitionibus fidei & iudicijs Eccleſię apud mortales ſtabile haberetur: facileque rueret omnium futurorum Conciliorum vigor, ſi hæc ſancta ſynodus authoritate duorum præcedentium Conciliorum & duorum Romanorum pontificum congregata, cui etiam ſummus pontifex pro tempore exiſtẽs cum omnibus Cardinalibus, cunctique prælati eccleſiaſtici inhæſerunt, cui omnes reges terræ, omneſque ferè magni principes orbis incorporati ſunt, & ſolennia per ſuos oratores præſtiterunt iuramenta, conculcaretur: aut in ſuis iudicijs, ſtatutis, declarationibus & decretis contemneretur & haberetur ludibrio. Non paruum itaque imminet periculum, ſi in alium locum ſynodus congreganda decernatur, quin robur eccleſiaſticæ authoritatis aliquid læſionis atque detrimenti patiatur. Vbi tamen iam pluribus annis diligentiam noſtram pro illibata ſtabilitate ipſius authoritatis Conciliorum cõſeruanda, Domino auxiliante, impendimus, & pro pace Eccleſiæ pręmiſſam petitionem poſtulatis adimpleri, quam ſi reijceremus, plurima diſcrimina grauiorque ipſius Eccleſiæ Dei læſio ſequi poſſet: Nos de benigno Chriſti adiutorio aſſiduè ſperantes, qui ad ipſam Eccleſiam ait, Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi: ſimulque de probitate ſerenitatis regiæ & inclytorum principum vos mittentium confidentes, quòd magnis viribus laborabunt, vt ſiue hic continuata fuerit, ſiue in alium locum tranſlata concio ſynodalis, firmiter atque inconcuſsè teneantur ab omnibus veritates in ſacro Conſtantienſi Concilio declaratæ, & per hanc ſanctam ſynodum renouatæ, ſicque ſtabilis & firma deinceps Conciliorum habeatur authoritas, per quam fidei Catholicæ robur ac neruus eccleſiaſticæ diſciplinæ & ſtatus Chriſtianorum conſeruetur in terris: Sic eorundem Conciliorum ſtatuta, ordinationes & iudicia pro ipſa fide, pro lege Domini & ædificatione animarum, ac bono regimine ſtatus vniuerſalis Eccleſiæ, cuncti reuereantur, quòd nullius in aduerſum rebellio aut pertinax contradictio vel ſcandaloſa diſſenſio præualere permittatur: vt ſic cum vigore iuſtitię mala reprimi, & bona cum tranquillitate valeant promoueri, vnanimitaſque obedientiæ vbilibet reflorere poſſit: præfatæ veſtræ petitione reſpondendum duximus, iuxta ſeriem articulorum ſequentium ſub hac forma: Primò, ſancta ſynodus commendat deuotionem & ſynceram intentionem, quam præfati ſereniſſimus Romanorum rex, & illuſtres principes ad vnionem & pacificationem Eccleſiæ ſanctæ Dei habent, & pridem per vos prædictos ſolennes nuncios & oratores ſuos cum eorum literis ad hoc ſacrum Concilium deſtinatos, in congregatione generali facundè & prudenter explicârunt. Secundò, vobis præfatis oratoribus commemorat, quomodò in hac ciuitate Baſileenſi hactenus fuerit & hodiè ſit generale Concilium vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, quod meritò apud omnes Chriſticolas multiplici ratione debet dici & reputari indubitatum & vnicum, & quòd ſinè maximis periculis, incommoditatibus, laboribus, ſumptibus & difficultatibus, abhinc ad alium locum mutatio huius ſacri Concilij fieri non poterit, prout res hæc ſeipſam cunctis diligenter intuentibus indicat, & hæc ipſa ſancta ſynodus ſæpiùs per oratores ſuos in diuerſis ambaſiatis, ac in iſto loco verbo & ſcriptis oratoribus regum & principum ſeculi multifariè oſtendit. Vndè præmiſſis alijſque pluribus attentè conſideratis, videretur huic ſanctæ ſynodo, quòd hæc inſignis ciuitas Baſileenſis, cuius idoneitas multiplici experientia diuturnè comprobata extitit, eſſet locus aptus & rebus gerendis accommodus, ad quem cooperantibus præfatis dominis ſereniſſimo Romanorum rege & electoribus, non ſolùm ex inclyta natione Germanica, ſed ex omni fidelium natione quæ ſub cœlo eſt, conuenire poſſent omnes, qui generalibus Concilijs intereſſe debent & conſueuerunt, vt vna cum patribus qui in hoc Concilio conſtanter hactenus perſeuerauerunt, pax & vnio Eccleſiæ deſiderata dari poſſet: præcipuè cùm hoc ſacrum Concilium, inter alia ſancta opera, ſpecialiter extitit congregatum ad pacem omnium Chriſtianorum. Nihilominùs his non obſtantibus, vt prædicti ſereniſſimus rex & principes electores, cæterique reges & principes ac cuncti fideles clarè percipiant rectam & puram intentionem, quã habet hoc ſacrum Concilium ad vnitatem & pacem Eccleſiæ, & hactenus ſemper habuit, quodque patres in eo perſeuerantes parati ſunt reddere rationem omni poſcenti de ea quæ in ipſis eſt fide, vtque præfati ſereniſſimus rex & ſui principes electores euidenter cognoſcant, quòd ſacrum Concilium cupit votis eorundem complacere pro pacificatione vniuerſalis Eccleſiæ, diuina fauente clementia, conſequenda, ipſa ſancta ſynodus in hac Baſileenſi ciuitate inclytæ nationis Germanicæ in Spirituſancto congregata, & vſque in præſentem diem legitimè continuata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, offert ſe paratam in tempore de quo infrà fit mentio, ad locum eiuſdem nationis rebus gerendis accommodum, & regiæ celſitudini gratum, ſua propria authoritate modis congruis ſeipſam transferre, ſecuritatibus tamen ante huiuſmodi tranſlationem decretandam & finiendam, in talibus præſtari ſolitis, & alijs neceſſarijs datis & præſtitis. Obſecrat aũt pręfata ſancta ſynodus eandem regiã celſitudinẽ, quatenus dignetur rem hãc alijs regibus & principibus intimare, eos toto ingenio & niſu inducẽdo, vt illam ipſi amplectantur, veniantque perſonaliter, aut ſuo ſolennes oratores mittant, ac prælatos & alios qui in generalibus Concilijs de iure vel conſuetudine debent intereſſe ditionis eorundem, etiam ad veniendum inducant, vt pax & vnio Eccleſiæ ſanctæ Dei dari poſſit. Securitates verò & alia quæ neceſſaria eſſe reputat & intendit hæc ſancta ſynodus, ſunt ea quæ ſequuntur: Primò, quòd ſereniſſimus ipſe rex præſtet ſuum & ſacri Romani Imperij ſaluumconductum ipſi Sacro Concilio ad alium locum transferendo, pro omnibus accedentibus ad ipſum, ſtantibus & recedentibus in plena forma. Detque operam, vt locus eligendus etiam habeat pleniſſimam ſecuritatem & ſaluumconductũ cum libertatibus circa iuriſdictionem, ac etiam ſuper habitationibus, victualibus & alijs requiſitis. Similiterque dabit operam, quòd principes Eccleſiaſtici & ſeculares ac loca ipſi Concilio vicina, dent ſuos ſaluoſconductus quodque prædicti ſaluiconductus ſereniſſimi domini regis, loci Concilij, aliorumque dominorum & locorum, ſint irreuocabiles, durentque continuè vſque ad quatuor menſes poſt finitum Concilium. Exhortatur autem ſancta ſynodus regiam celſitudinem, ſi quæ guerræ aut diſcordiæ graues tunc inter illos aut illa eſſent, dignetur ſe interponere pro treuga aut pace inter illos componenda. Item petit ſancta ſynodus, quod ſereniſſimus ipſe dominus rex Romanorum ipſi Concilio interſit perſonaliter, ceſſante legitimo impedimento: quo adueniente, aliquem potentem & magnæ authoritatis principem ſacro Concilio gratum, in eius protectorem inſtituere habeat: polliceaturque ſub verbo regio per ſuas literas patentes, quòd non faciet, nec fieri permittet, Deo authore, quantum in eo fuerit, quod ſit vel eſſe poſſit directè vel indirectè contra ipſius Concilij authoritatem & libertatem. Item ne inanis &

Synodus Chalcedonen. vel maximè agnouit primariã Ro. pont. authoritatis, petẽs à Leone ſua decreta confirmari, & eius ſentẽtiam diu expectãs.

Matt. 28.

1. Pet. 3.

En qui h ſſen' no luerũt E geniũ ſe qui, iam in grauiã Cæſaris parati ſi alio ſe trãſferre.

fruſtatoria reddatur huiuſmodi ſacri Concilij tranſlatio, quæ ſine magnis periculis & difficultatibus fieri non poteſt, videtur per maximè neceſſarium, cùm iuxta declarationem ſanctæ & magnæ ſynodi Conſtantienſis, quicunque fidelis teneatur obedire mandatis, ſtatutis, ordinationibus aut pręceptis cuiuſlibet generalis Concilij, quòd domini rex & electores præfati per ſuas literas patens hoc ſacrum Concilium Baſileenſe, ante ipſius tranſlationem decretandam, certificent, quòd Concilium dum in illo loco fuerit, recognoſcent pro vero generali Concilio & indubitato, eiq́ue adhærebunt cum effectu inconcuſsè, quandiu durabit & continuatum fuerit: ſtatutiſq́ue, ordinationibus, decretis & mãdatis per illud inibi fiendis acquieſcent & obtemperabunt, & quantùm in eis erit, inuiolabiliter facient obſeruari, etiã ſi aduerſarij ad illud non venerint. Loca verò, quę prædictæ tranſlationi & rebus gerendis videntur accommoda, & regiæ celſitudini grata, nominabit ſacrum concilium quando ipſius ſerenitati videbiur expedire: quorum alterum, pro maiori gratitudine contentatur ſacrum Concilium, quòd ipſe dominus rex authoritate huius ſacri Concilij eligat & aſſignet. Poſtquàm autem dictæ ſecuritates ſacro huic Concilio fuerint præſtitæ cum effectu, ac per regiam ſerenitatem vnius ex locis eidem ſpecificandis pro tranſlatione Concilij nominatus, & de his alijſq́ue præmiſſis ſacrum Concilium per ſuas literas regias patentes fuerit certificatum, hæc ſancta ſynodus ſuam tranſlationem in illum locum publicè ac in ſolenni ſeſſione decretabit fiendam ad tempus, quod eidem ſynodo ac dictæ regiæ maieſtati, conſideratis temporum circumſtantijs & neceſſitate Eccleſiæ, videbitur expedire. Videtis præclari oratores, quantùm pacem eccleſiæ hæc ſancta ſynodus exoptet, quã ta liberalitate deſiderijs regiæ ſerenitatis & aliorum illuſtrium dominorum vos mittentium, ſatisfacere deſideret, nihil aliud quærens, niſi vt publicæ ſaluti Eccleſiæ conuenienter & efficaciter conſulatur. Veſtrum erit iam eorundem principum animos inducere, vt matrem ſuam Eccleſiam, ex qua ſpiritualiter regenerati ſunt, virtuoſis adiuuent auxilijs, quatenus eorum ope, ſacri Concilij Conſtantienſis & huius Baſileenſis, ac vniuerſitatum almarum vniuerſalium ſynodorum illæſa ſeruetur authoritas, fides vigeat, ſacris canonibus reuerentia debita exhibeatur procuretur animarum ſalus, ad quæ ſemper ſummè huius ſanctæ ſynodi adſpirauit intentio: quæ & ſi per impletionem veſtræ poſtulationis obmitti aut negligi contingeret, graue iudicium à Domino ſuper ipſos principes inclytos & ſuper vos pertimeſcendum foret. Sed ita illorum piam deuotionem & veſtram in cunctis agere ſperamus, vt ex laboribus fructuoſis à Domino promereamini præmia glorioſa. Datum Baſileæ in noſtra generali congregatione, ſecundo Nonas Octobris, Anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimoſecundo.

Et cur nō eſtis ſecuti paſtorē Eccleſiæ Eugeniū.

¶ Hic finem habent Epiſtolæ ſeu reſponſiones ſynodi Baſileenſis ſuppeditatæ nobis ex bibliotheca Facultatis artium celeberrimæ Vniuerſitatis ſtudij Colonienſis, ac iam tertiò typis excuſa.

COPIA LITERARVM MISSARVM PAPAE EX *parte regis Angliæ, ſuper facto Concilij per Dominum epiſcopum* * *Landenſem & dominum Raſallum præceptorem ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, & magiſtrum Guidonem Priorem Prædicatorum &c.*

*Landen.

BEATISSIME pater, humilima recommẽdatione præmiſſa, veſtræ beatitudinis literis, quas nuper per manus egregij viri domini Petri de Mella nuncij Apoſtolici, cum ea qua decuit reuerentia ſuſcepimus, vnà cum credentia per eundem nobis deſuper ſerioſè expoſita, intelleximus eandem ſanctitatem veſtram certis ex cauſis vos mouentibus, Concilium Baſileenſe diſſoluendum fore decreuiſſe, ac aliud Concilium Bononiæ ex tunc ad annum cum dimidio celebrandum indixiſſe, nos tam in eiſdem literis, quam in eiuſdem ſanctitatis veſtræ nuncij viua voce exhortando, vt cùm tempus poſtulauerit, ad ipſam Bononienſem ſynodum noſtros oratores tranſmittere placeret, qui circa Chriſtianæ religionis & ſedis Apoſtolicæ ſtatum & honorem ea proponant & operentur, quæ rege Catholico digna ſint. His itaque pater beatiſſimè intellectus, non ab re mente turbata, eo permaximè fuimus ſtupefacti, quod nullum conuenientius præſidium inueniri putauimus, quo ſancta mater Eccleſia ſeſe ab extremis horrendiſq́ue periculis iam vndique imminentibus tueretur, quò celeriùs hæreticorum conatus opprimi, aut Catholicorum mores in melius reformari valerent, quam vt per præfixum Concilij generalis cœtum adunatum. præmiſſis & alijs inſtantibus periculis ſine vlterioris prorogationis diſpendio ſuccurratur. Cernimus quippe de præſenti, & ante hæc tempora animo perſpicaci intuebamur, nedum progenitorum noſtrorum, ſed & noſtris heu quomodo temporibus fides Catholica ſtatuſq́ue eccleſiaſticus & laicalis vbique iam fluctuet, & procellis magnis agitetur, adeò quod reparandis reformandiſq́ue præter præmiſſa exorbitantijs quampluri mis, quas ad Gregis Chriſti turbationem non modicam indies ingruere conſpicimus, mora nociua exiſtit: & multa gignit dilatio pericula, quæ nihilominùs fideliũ animarum ſaluti cui celeriter ſuccurrendum eſt, periculoſiora (proh dolor) cominantur. His propterea pater beatiſſime alijſq́ue motiuis incitati, Baſileen. ciuitatis locum pro vniuerſali ſynodo celebranda, authoritati ſufficienti aliâs limitatum, tanquam in Chriſtiani orbis modio poſitum, ab hæreticis Bohemiſq́ue per Dei gratiam ad ſanctæ matris Eccleſiæ vnitatem reducendis, haud longè diſtantem, ſatis commodum & congruum reputantes, ad ſanctiſſimæ memoriæ Martinum papam quintum prædeceſſorem veſtrum, noſtros oratores dum in humanis agebat, pro anticipatione ipſius Concilij Baſileen. deſtinaſſe meminimus. Cuius reuerentia ſicut & tunc, ſic & nunc pro procraſtinatione fauores impendere regios nos debere, Dei Eccleſiæ, cuius in ipſo negocia proſperari ſperamus, expediens fore nõ credimus: quinimo conſiderantes, vt veraciter informamur, quòd multi de notabilioribus Chriſtianæ religionis principibus ad prælibatum Concilium Baſileen. iam ſuos ambaſiatores deſtinârunt, ipſumq́ue Concilium tam prælatorum quam doctorum ac aliorum probatiſſimorum illuc aſſiduè confluentium numero non modico indies excreſcit, in his quæ fidelium pacem, fidei nutrimentum, & Eccleſiæ ſtatum & honorem ac animarum ſalutem reſpiciunt, & alijs quæ in ipſa ſacra ſynodo generali tractari & expediri debeant, nos eis conformare intendimus, prout decet. Veſtram itaquè beatitudinem filiali affectione attentiùs exoramus, & exhortamur in Domin o Ieſu Chriſto, quatenus præmiſſis attentis, ad dicti Concilij quòd vniuerſalis Eccleſiæ profectibus tam neceſſarium, tamq́ue opportunum arbitramur, progreſſionem, & ipſius vſque ad finale complementum tractandorum in eodem continuationem, paternos fauores & aſſiſtentiam benignam adhibere dignemini, firmiſſimè (ſi placet veſtræ ſanctitati) in mente tenentes, quod ſi non omnia in Concilio apud Baſileam congregato expediri queant, quæ pro bono vniuerſalis Eccleſiæ occurrerint, Concilio apud Bononiam ſeu alibi congregando (ſi opus fuerit) noſtros illuc oratores, cum poſtulauerit, ad veſtræ ſanctitatis complacentiam animo paratiſſimo tranſmittemus. Cæterùm pater beatiſſime corde ſyncero ſupplicamus, quatenus memorati circunſpecti viri domini Petri veſtræ ſanctitatis nuncij moram in regno noſtro Angliæ diuturniorem, excuſatam habere dignetur veſtræ beatitudinis clementia, quòd non ſui deſidia, ſed varijs circa progreſſum ſeu non progreſſum dicti Concilij Baſileen. occurrentibus nouis, ſecundum varietatem occurrentium, nouas deſuper deliberationes haberi, & noua oportuit conſilia præparari. Beatitudinem veſtram &c. Datum &c.

Literæ regis Angliæ illuſtris, directa Concilio per eoſdem ambaſiatores.

SACROSANCTAE generali ſynodo Baſileenſi, in Spiritusſancto legitimè congregatę, vniuerſalem Eccleſiam repræſentanti, Henricus Dei gratia rex Angliæ & Franciæ ac dominus Hybernię, ſuiipſius recõmendationem, & ad vniuerſalis Eccleſiæ bonum feliciter proſperari. Veſtræ ſacratiſſimæ congregationis literis nobis iam præſentatis, primis vi-

mus videlicet ante aduentum reuerendi patris domini Epiſcopi Lauden. nobiliſque & magnifici militis domini Raffaelis de auro de Bononia, præceptoris S. Ioannis Hieroſolymitani Ianuen. necnon egregij viri fratris Guidonis prioris conuentus Chamberien. de Sabaudia ordinis Prædicatorum, ſacræ paginæ profeſſoris, legatorum veſtrorum, ad noſtram præſentiam tranſmiſſorum: ſecundis verò, per eoſdem in ipſorum ad nos acceſſu, credentiaque pro parte noſtra per ipſos in conſpectu trium ſtatuum regni noſtri deuotiſſimo ſermone ſerioſius expoſita, poſtquam pijſſimum ſanctæ veſtræ congregationis propoſitum ad hoc tendens, vt tam fidei orthodoxæ, hæreticorum verſutijs & varijs erroribus nunc temporis multipliciter impugnatæ, celerius ſuccurratur, quam vt damnati mores omnium ſtatuum in melius relaxantum altiſſimus conceſſerit, reformentur, diſcordiæque regum & principum, quibus Chriſtianitas miſerabiliter atteritur, poſſetenus ſopiantur, nobis elegantiſſime declaratum eſt pro parte celeberrimæ congregationis veſtræ, quæ ſequuntur, a vobis incepimus poſtulare. Quorum primo, videlicet vt noſtri oratores & legati ad præfatam ſynodum deſtinentur, annuimus animo perlibenti, ipſorumque, Dei opitulante gratia, aduentum modo poſſibiliori maturabimus, vt optatis. In ſecundo autem per oratores eoſdem a nobis poſtulato, quod videlicet pacem inter nos & aduerſarios noſtros, præſertim in regno noſtro Franciæ concernit, ineundam, ſcire dignetur, veſtra concio ſacroſancta, quod in hoc pacis negocio inſtantijs & hortamentis reuerendiſſimi patris domini Cardinalis S. Crucis condeſcendimus firmo cum propoſito, per quaſcunque vias rationabiles, ipſius tractatui pacis cum ipſis aduerſarijs noſtris efficaciter intendendi, ſperantes in Domino, quod dicti reuerendiſſimi patris labor in ea fruſtrari non debeat, ſed fructuoſum & gratum ſortietur effectum. Veruntamen ſi ex ſuorum laborum & meditationis induſtria, fructus in ea parte ſperatus (quod abſit) non ſequatur, ambaſſiatores noſtri ad veſtrum cœtum deſtinandi circa ipſius pacis ineundæ progreſſum vlteriorem venient ſic inſtructi, vt cunctis per copioſulentius apparere debeat, quòd ab omni tempore fuimus; ſumus & erimus fauente altiſſimo diſpoſiti & inclinati ad ipſius pacis bonum per quæcunque media rationabilia & conuenientia intendere, prout conuenit principi Chriſtiano. Cæterum in Spiritu ſancto ô adunata * ſynodus glorioſa, literas ſecuritatis & ſaluiconductus, qui per Concilium generale volentibus adire per veſtros oratores prædictos petebantur, animo libenti conceſſimus, exhortationemque prælatorum regni noſtri de accedendo ad Concilium memoratum per nos faciendam, vt veſtri etiam pro parte eſt petitum libenter exequentes, quos tamen ad opus hoc aggrediendum vrgere oportet, ad quod pro viribus abſque ſtimulo voluntarie ſe diſponunt. Cæterùm veſtrum ſacroſanctum cœtum ad operis inchoati conſummationem feliciſſimam tueri dirigereque dignetur ſenſatorum cogitatuum pijſſimus inſpirator. Scriptum ſub priuato ſigillo noſtro apud palatium noſtrum * VVeſtmonaſterienſe viceſimo die Iulij menſis, Anno regni noſtri decimo.

Locus obſcurus.

EPISTOLA SIGISMVNDI CAESARIS, EX ITAlia ad patres in Concilio Baſilea congregatos miſſa.

REVERENDISSIMI in Chriſto patres ac venerabiles, grate & ſyncere nobis dilecti, tranſlapſis diebus, geminatis noſtris literis veſtris paternitatibus notificauimus concordiam inter ſanctiſſimum dominum noſtrum Papam ac maieſtatem noſtram ſecutam, quemadmodum non ambigimus, iam lympidè cognoſcere potuiſtis. Et ecce propter rerum agendarum progreſſum, modò ad hanc ciuitatem Viterbienſem intrauimus, continuaturi iter noſtrum verſus vrbem Romanam, ad viſitandum ſanctitatem ipſius domini noſtri, quam ſeptimana proxima ſine dilatione annuente Domino conuenire ſperamus: & quoniam præter Bullam admiſſionum ſacri Baſileenſis Cōcilij, qua & certi reddimur, dudum habuiſtis, reperimus per legatos & oratores ſuæ ſanctitatis, eandem benè diſpoſitam ad fauores ſacri Concilij, & eorū maximè, pro quibus ipſum ſacrum Concilium congregatum exiſtit. Et nos quoq; vnà cum ſanctitate ſua illa & alia bona opera fauorizare intēdimus, quæ ſanctitas ſua iam ſuos præſidentes & legatos miſiſſet dudum apromptuatos, niſi legitima impedimenta, prout percepimus, obſtitiſſent. Intendit autem ſua ſanctitas, prout nobis dici fecit, illos quantocyus expedire: nihilominùs ne ſacrum Concilium ex huius modica dilatione patiatur diſcrimē, eadem ſanctitas ſua pronunciauit nonnullos alios præſidentes, prout ex bullis ſuis Apoſtolicis clarius colligere poteritis. Adhortamur igitur veſtras paternitates maiori affectione qua poſſumus, quatenus eoſdem benignè velitis ſuſcipere, nilque interim admittere, quod poſſit cedere in perturbationem ſanctitatis ſuæ & pacis vniuerſalis eccleſię. Quoniam nobis cōuenientibus breuiſſimis (vt prędiximus) his diebus vnà cùm ſanctitate ſua, ſolennes noſtros oratores ſuper ſingulis ad veſtras paternitates mittemus, ſperantes in domino, quod omnia pro bono Reipublicę Chriſtianæ benè manebunt compoſita, & ad id omni ſtudio intendemus, qui ſcandala in Eccleſia Dei (ipſe nouit) moleſtè ferremus. Datum Viterbij die nona menſis Maij, regnorum noſtrorum anno Hungarię &c. quadrageſimoſeptimo, Romanorū vigeſimotertio, Bohemiæ vero decimotertio &c.

Sigiſmundus Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ Bohemorumq; &c. rex.

Ad mandatum Domini regis Caſpar Slick.

NOVA ET ANTEHAC NON NISI SEMEL TYPIS EXCVSA VARIARVM RERVM, EPISTOLARVM, ACTIONVM, SENtentiarum, Decretorum, Orationumq; diuerſarum, ad Concilium Baſileen. ſeu eius materiam expectantium, FARRAGO ſiue APPENDIX.

Ac primum Articuli quidam ſeu Statuta, Deliberata ſeu Acta, Pronunciata ſeu Definita Concilij Baſileen. ſeorſim hic congeſta, & ſecundum DATAS ipſorum, quantum ex ipſis conijci potuit, digeſta.

INSERTIS AVISAMENTIS CLERI GALLICANI, in Gallia pro ſynodo Baſileen. factis: & Articulis Bohemorum, ipſo Concilio Baſileenſi oblatis.

ARTICVLI DE MODO PROCEDENDI IN SAcro Concilio legitimi & approbati ſeu concluſi in generali congregatione, die Veneris 26. Septembris 1430.

PRIMÒ ſint quatuor deputationes, ſicuti ſunt, inter quas omnes de Concilio diſtribuantur æqualiter, quantùm commodè fieri poterit. Et ſint in qualibet deputatione de quolibet ſtatu, ſ. dominorum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Abbatum, Doctorum, Religioſorum, Exemptorum & non Exemptorum, & aliorum, & in qualibet de omnibus nationibus diſtribuantur in quatuor æquales partes ſuppoſita ſingularum nationum. Et ad diſtribuendum ſuppoſita Concilij, eligētur quatuor, ſcilicet vnus ex qualibet deputatione: qui quidē quatuor, menſibus ſingulis eligantur de nouo.

Item in qualibet deputatione eligatur vnus præſidēs ſingulis menſibus per vota ſingulorum. Et in qualibet earum deputetur vnus promotor, notarius & vnus curſor.

Item omnes deputationes congregabuntur ter in ſeptimana regulariter, videlicet die lunę, die mercurij, & die ſabbati de manè hora conſueta: & ſi in prædictis diebus feſtum aliquod occurrerit præcipuū, poterunt in ſequenti die congregari, vel in die præcedenti, ſi per præſidentem fuerit intimatum.

Item quod nulla deputatio adſtringat ſe quibuſcunq; iuramentis ad tenendū ſecretè materias, quæ tractabuntur in eadē. Sed ſit licitū ſingulis ſuppoſitis deputationū, conferre cum ſingulis de concilio, tantum de rebus de quibus agetur.

Item

Item quolibet menſe deputentur tres de qualibet deputatione, qui duodecim pari modo ter in ſeptimana vel plu ries, prout eis videbitur expedire, certis horis & loco, non tamen illis horis, quibus deputationes congregantur, cõuenient ad videndum materias eis datas de deputationibus diſtribuendas ad tractandum. Sic tamen, quod in fine cuiuſlibet menſis eligendo nouos deputatos, de qualibet deputatione maneat vnus de præcedentibus deputatis, ille videlicet, quem ipſi duodecim elegerint: ſic tamen, quod ille qui eligetur pro menſe ſecundo, non eligatur pro menſe tertio. qui quatuor habeant de nouo venientes informare de agitatis in illo menſe finito. Et ſic ſucceſſiuè de ſingulis menſibus. Et illi duodecim eligant vnum ex eis pro præſidente, qui pro toto menſe ſit eorum præſidens, ad cuius mandatũ cæteri deputati tenebuntur in loco per eos eligendo conuenire.

Item ſi aliqua deputatio vel aliqua particularis perſona, habeat aliquam materiam præ manibus, quod illam poſſit eiſdem deputatis proponere, qui ſub iuramento præſtito tradendam (niſi ſibi placuerit) non reuelabunt.

Item quod deputationes, præcipuè in reb⁹ arduis, & maximè ſi exigant celeritatem, non ſtatim ſuper propoſitis dũ primò proponuntur, deliberabunt: ſed ad ſequentem congationem differant propoſita, vt vnuſquiſque habeat tempus cogitandi & maturè deliberandi ſuper propoſitis. Et ſi res propoſita grauis fuerit, poterit bis vel ter ſecundum exigentiam ſuę grauitatis ſuper ea deliberari, vt maturiùs concludatur, quod fuerit multiplici deliberatione recenſitum: Sic tamen, quod quilibet iuxta propoſita per præſidentem, reſpondeat pertinenter: & non per materias extrà vagantes, ita quod non inducat aliam materiam, quàm illam quæ per præſidentem fuerit introducta. Et ſi contingeret aliquem vel aliquos introducere materias alias, dominus præſidẽs nõ * faciat ſuper illis deliberatis protunc, ſed in * illa congregatione, niſi fortè materia talis fuerit, quæ vrgentem exigat celeritatem.

*for. alia

Item quando in vna deputatione aliqua materia fuerit agitata & deliberata, ſi in bona ſententia omnes conueniant, appunctuamentum ſuum per duos ad alias deputationes peferant cum motiuis & perſuaſionibus eiuſdem deputationis. Si verò non fuerit omnium concors ſententia, & quantumcunque vna pars numero excedat aliam, nihilominus de qualibet parte ſumatur vnus, & ambo ad alias deputationes tranſmittantur, vt diuerſitas cum motiuis & rationibus vtriuſque ſiue omnibus innoteſcat, vt ſic aliæ deputationes perceptis rationibus & motiuis, clariùs valeant declarare.

Item quælibet deputatio in deferendo votum ſuum ſeu compunctuamentum ad alias deputationes, ſeruabit ordinem rerum de quibus agitur, vtpote ſi res ad fidem pertinet, primò ad deputationem fidei deferatur, & inde ad alias. Et ſimiliter ſi res exigit celerem expeditionem, indilatè deferatur ad omnem deputationem, & ſimiliter in alijs. Communis verò deputatio tenebit eundem ordinem in deferẽdo communia ad alias deputationes.

Item prædicti duodecim deputati, ſemper in die præcedenti ad congregationem generalem conueniant cum præſidente Concilij, cum appunctuamentis & auiſatis & agitatis deputationum, vt præſidens Concilij ſit plenè informatus de ſingulis, quæ habebit in generali congregatione proponere cum motiuis & rationibus. Nihil autem ardui proponat præſidẽs in congregatione generali ad deliberandum ſeu concludendum, niſi prius fuerit propoſitum in ſingulis deputationibus & agitatũ: niſi caſus eſſet repentinus & talis, cuius mora eſſet nociua, tunc poſſet proponi. Quæcunque verò in deputationibus agitata fuerint, ſiue omnes conuenerint, ſiue non proponat, dummodò ſaltem per duas deputationes ad proponendum fuerit requiſitus.

Item ſi in feria ſexta feſtum aliquod vel aliud impedimentum occurrerit, quod in die Sabbati fiat cõgregatio generalis, niſi per præſidentem aliter intimatum fuerit. Et ita fiat, quòd nunquam in ſeptimana generalis congregatio omittatur.

Item quòd dominus præſidens in qualibet congregatione habeat Rotulum ſuum, in quo ponantur materiæ proponendæ. Et literis miſſiuis lectis, ſemper incipiat à grauior bus: ita tamen, quòd omnia puncta ſuper quibus eſt pro tunc declarandum, in principio explicentur.

Item exhortentur ſuppoſita deputationum, & etiam i congregatione generali per præſidentem, quòd ſi in depu tationibus vel congregationibus ſint duæ vel tres opinio nes, quicunque voluerint adhærere alicui illarum, non de bent reiterare quod iam dictum fuerit, niſi velint aliqui addere vel diminuere: ſed poterint illam, quam volue rint, partem breui verbo eligere, vel nouam dicere, iuxt eorum voluntatem.

Item ſi in deputationibus ſint ſuppoſita non deliberan tia propter arduitatem materiarum, & dicant ſe velle cur libris vel aliâs deliberare, non concludatur, donec in ſequẽ ti deputatione, in qua ſi dicere velint, audiantur.

Item ne tempus inutiliter occupetur, & labatur in va num, ordinetur quòd deinceps ſuper cauſis & rebus tractã dis & expediendis in hoc ſacro Concilio, ac in generali con gregatione per dominum præſidentem ipſi Concilio pro ponendis, per priùs ſingularum deputationum præſidentes vel notarij referant auiſata, deliberata, ſeu concluſa in eiſdem. Et ſi contingat maiorem partem, hoc eſt, tres deputationes eſſe concordes, ilicò quarta deputatio, imò quodlibet ſuppoſitum huius ſacri Concilij, diligenter & ad plenum audiatur benignè cum ſuis rationibus & motiuis: quæ ſi forſitan excitationem aliquam ſeu difficultatem offerãt, remittatur articulus ſuper quo difficultas fuerit exorta, ad deputationes ſingulas latiùs & maturiùs degerendus. Si verò rationes talium & motiua, dubietatem probabilem ſufficientem non adducant, concludatur quod probatum extitit & maturè digeſtum per tres deputationes.

Item quod omnes deputati & qui in poſterum incorporabuntur ipſi Concilio, prout ſunt deputati, ſingulis diebus ordinarijs intrent ipſas deputationes, ad auiſandum & practicandum cauſas & materias occurrentes, ne quis prætendere poſſit ignorantiam proponendi in generali congregatione, & quòd per vota omnium, ſingula expediantur. Et qui tunc intrauerint abſque rationabili cauſa, ſeu qui non ſignificauerint hora debita ſe non poſſe intrare, & qui ante diſſolutionem receſſerint ſine licentia præſidentis, ipſius præſidentis arbitrio puniantur.

Item omnia ſuppoſita Concilij teneantur venire & ſtare in congregatione generali in Miſſis ſolennibus & proceſſionibus, quemadmodum ſupradictum eſt de deputationibus.

Item antequam diſſoluatur congregatio generalis, aut ſingularum deputationum, per notarios congregationis generalis & etiam ſingularum deputationum legantur appunctuata & ordinata in eiſdem, vt ſi per dictos notarios aliquis defectus in ſcribendo fuerit commiſſus, corrigatur.

Item de qualibet deputatione eligatur vnus, qui quatuor prouideant de ſermonibus ad clerum ſingulis diebus ſolennibus fiendis, quos ipſi perſonis idoneis ad hoc diſtribuant: & antequam ſermo huiuſmodi per eum cui aſſignatus eſt, publicetur: priùs per eoſdem quatuor, vel alterum ipſorum videatur, ne error contingat aut ſcandalum aliquod exindè oriri. Et iſte ordo à feſto ſancti Michaelis in anteà ſemper continuetur.

Item ad expediendum aliquid, dentur aliqui deputati: qui dum conueniunt, ille qui dignior & primus eſt, inter eos proponat materiam tractandam, & dirigat illam, & vota aliorum exquirat. Et ſi aliquis vel aliqui de Concilio, non deputati, volunt intereſſe ad auiſandum, ſuper materia de qua eſt tractandum, poſſint auiſare deputatos de motiuis ſuis: & ſi placet deputatis quod interſint, poterunt remanere.

Nomina quatuor deputationum in Concilio, videlicet:

- Pro communibus,
- Reformatorij,
- Fidei &
- Pacis.

Sequuntur inſtructiones deferendæ ambaſiatoribus Concilij, continentes modos quibus ſe debent habere cum ambaſiatoribus domini noſtri Papæ.

ET primò dicti ambaſiatores ſacri Concilij deputati cum vno ex parte domini Prorectoris, ibunt obuiam præfatis dominis oratoribus, & ſuſcipient eos benignè & gratioſè, vt inter alia dicant eis, qualiter dominus Petrus Ponitern requiſiuit dominum Cardinalem legatum ex parte ipſorum, vt procurarat eis tres ſaluoſconductus: & cùm ipſe dominus legatus inferret dominis de Concilio, valde ipſi ſunt admirati de huiuſmodi petitione ſaluiconductus, necnon & proprias cauſas in ſaluoconductu expreſſas.

Item exhortentur eos qui velint liberè huc venire ſine ſaluoconductu, quia reuera non eſt opus, & ſuper his dicant quantum eis videtur, inducendo eos vt deſiſtant, nec curent de huiuſmodi ſaluiſconductibus. Si tamen omninò ipſi inſtent habere, tunc dicant noſtri ambaſiatores, qualiter prædictus dominuus Petrus porrexit dicto domino Legato certam formam, & curent ſcire ab eis, vtrùm illam dederint. Et ſi dicant quòd ſic, tunc ambaſiatores noſtri requirant notarios & teſtes, & dicant quòd licèt non eſſet neceſſarium eis dare ſaluumconductum noſtrum, nihilominùs ad ſatisfaciendum eis, oſtendant eis ſaluumconductum noſtrum, qui conceptus eſt in plena forma, &c. Et ſi cauſarentur de aliquibus clauſulis omiſſis, videlicet de eundo vlteriùs, & de mittendis & recipiendis nuncijs, & quòd * trahatur data ſaluiconductus ratio, exprimant iuſtas cauſas: prædicta verba ſunt omiſſa, prout circunſpectiones ipſorum ſcient eis clarè declarare ſecundum mentem ſacri Concilij. Et curét ipſi ambaſiatores noſtri, quòd in prædictis omnib aſſint notarij & teſtes, & etiam ciues vel oppidani maiores loci, vbi dictos ambaſiatores reperient. Si autem nollent dicti oratores eſſe contenti de ſaluoconductu noſtro, tunc ambaſiatores noſtri proteſtentur coram notarijs & teſtibus &c. quòd per ſacrum Concilium non ſtaret, quin ipſi veniant vel poſſint venire: admoneant etiam eos, quod in redeundo non dicant vel faciant aliquid, quod ſit in derogationem vel læſionem Concilij, quia timent, ne fortè alij ægrè ferétes hoc, facerent ſibi aliquam diſplicentiam, & etiam admoneant quòd propter ſuſpicionem exortam non remaneant in Alemania, ſed quàm citius poſſint, reuertátur. Si fortè noſtri ambaſiatores ſenſerint eos aliquid commiſiſſe verbo vel facto contra honorem ſacri Concilij, túc ambaſiatores noſtri dicant, quòd ſecundùm decreta ſacri Concilij poſſet procedi contra eos: nihilominùs ob reuerentiam ſedis Apoſtolicæ, & quia Concilium vult procedere cum omni manſuetudine & pietate, ſunt contenti noſtri ambaſiatores, quod ipſi in pace poſſint recedere, ſed caueant de futuro. Et de hoc auiſetur ille, qui mittetur nomine domini ducis Protectoris.

...tur

Declaratio ſaluiconductus.

LICET ſaluuſconductus per vos petitus ad hanc ciuitatem Baſileenſem veniendi, non neceſſarius fuiſſet ex cauſis in alijs literis noſtris & per oratores noſtros expreſſis, nihilominùs nos volentes veſtræ poſtulationi, quátum cum Deo & honeſtate fieri potuit, ſatisfacere, ipſum ſaluumconductum in forma plena & ſufficienti per dictos oratores ad vos tranſmiſimus. Verùm quia dubitare videmini, vbi dubitandum non eſt, & in re clara ſcrupulum quęritis, difficultatem in aliquibus clauſulis nó neceſſariam facientes: ideo vt cognoſcatis hanc ſanctam ſynodum in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis procedere, & ne veſter acceſſus *conuentiuam fructuoſus, ſic impediri ex parte ipſius ſynodi videatur, prædictas clauſulas dicti noſtri ſaluiconductus hoc modo ex ſuperabundáti duximus declarandas, videlicet vt priuata collocutio quo ad res familiares & priuatas, & non concernentes negocia huius ſacri generalis Concilij Baſileenſis in læſionem ipſius ſacri Concilij, nullatenus interdicta vobis intelligatur: quòdque verba illa, Vult etiam hæc ſancta ſynodus, vt poſtquàm ad veſtra propoſita & explicata reſponſum dederit, vel vos requiſierit &c, intelligantur, vt terminus octo dierum referatur ita ad reſponſum dandum, ſicut ad requiſitionem fiendam. Item quòd verbum illud, per viam rectam: intelligatur, per eam qua veniſtis, vel aliam vobis gratam & ſecuram, verſus partes Italiæ ſine dolo & fraude tendendo, &c.

con-
...i

Reformationes de ſuppoſitis huius ſacri Concilij.

ADMONET hæc ſancta ſynodus omnes ſacrum Concilium celebrantes, vt omnem grauitatem & honeſtatem, quæ viros Eccleſiaſticos decent, diligenter obſeruent, vitam & conuerſationem exemplarem ducant: & cùm ad dandam toti * orbi conuenerint, ipſi prius in ſe legé ſuſcepiſſe demonſtrent. ſint eorum mores ſine macula & ruga. Exhibeant ſe tanquam ſpeculum mundum, in quo alij ſpeculantes, normam & exemplum ſanctimoniæ accipiant. meminerint ſe eſſe ſal terræ, in quo opus eſt vt nunc ſanetur mundus. Sint tales iuxta præceptum Domini, vt lumen eorum luceat coram hominibus, vt videant bona opera ipſorum, & glorificent patrem noſtrum qui in cœlis eſt. Ipſis inquit Apoſtolus in perſona Timothei: Eſto exemplum fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Intima eſt bona conſcientia propter ſeipſos, bona fama propter proximos.

for.* orbi legem
Matt.5.
1.Tim.4.
for. *Neceſſaria

Et quantum ad conſcientiam attinet, vnuſquiſque eam ſæpè examinet & mundet, quantum fieri poteſt, ab his omnibus, quæ diuinam maieſtatem offendunt. Qui ſacerdotes ſunt, ſæpè celebrent, alij verò ſæpè confiteantur. hoc plurimum valebit ad gratiam Domini impetrandam. Alioquin ſi iniquitatem conſpexerit in cordibus eorum, nó exaudiet Dominus, & oratio peccatoris fiet ei in peccatum.

Pſal. 65. 108.

Et quoniam opera quæ hoc ſacrum Concilium conſequitur, nimis grandia ſunt, quæ quidem viribus humanis nullatenus effici poſſunt, neceſſariò ad Dominum recurrédum eſt orationibus, eleemoſynis, ieiunijs. Quilibet igitur de Concilio, ſingulis diebus aliquam ſaltem breuem orationem ad Deum porrigat pro ſucceſſu huius ſacri Concilij. Mandat etiam hæc ſancta ſynodus, vt ſingulis ferijs quintis, quàm diu durat tractatus Bohemorum, in maiori Eccleſia celebretur Miſſa de Spiritu ſancto cum orationibus ad hoc inſtitutis. In qua omnes de Concilio interſint. Ea autem die necnon diebus Dominicis & alijs diebus ſolénibus, quibus præſente Concilio Miſſæ celebrantur, quilibet de Concilio offerat in gazophylacio ſaltem vnum nummum, hoc modo, quod duo curſores cum pyxidibus, vnus ab vno latere chori, alius ab alio, intra Miſſarum ſolennia recipiant, quidquid à ſuppoſitis Concilij offertur. Poſt Miſſam promotores Concilij diſtribuant huiuſmodi oblationes pauperibus, de quibus ipſis videbitur. Eandem Miſſam de Spirituſancto quinta feria, ſancta ſynodus mandat ſolenniter celebrari in qualibet eccleſia collegiata & conuentuali huius ciuitatis.

Mandat etiá tam ſuppoſitis Concilij celebrantibus, quá alijs ſacerdotibus in hac ciuitate exiſtétibus, vt in Miſſis ſuis dicant aliquam orationem pro pace & vnitate eccleſiæ.

Vt negocia quæ in deputationibus cócilij aguntur, Deus oculo pietatis adſpiciat & proſperari faciat, expedit vt hi qui illa tractant, ad ipſas deputationes deuoti accedát. propterea quælibet deputatio antequàm negociari incipiat, audiat in communi Miſſam in loco, quem ordinauerit prope ipſam deputationem. Ibidem omnes de deputatione curent intereſſe, niſi forſan aliqui ſint per ſe celebrantes.

Tempore diuinorum non fiant inuicem collocutiones. Sed quilibet vel oret, vel contempletur quæ aguntur vel dicuntur in Miſſa.

Et quoniam (vt inquit Tobias) bona eſt oratio cum eleemoſyna & ieiunijs, quilibet ſemel in hebdomada feria ſexta vel alia ieiunet. Et ſicut Moſes antequàm legem mereretur ſumere, ieiunauit: ita & nos legem reformationis à Domino accepturi, & tradituri mundo, facere curemus. qui autem ieiunare non poteſt, det eleemoſynam.

Tob.12.
Deut.9.

His autem diebus quilibet in menſa ſua ſeruet moderationem ſobrietatemque ciborum, etiam ſi hoſpites adſint, non multitudine ac repræhenſibili varietate ferculorum, ſed modeſta & competenti refectione honorentur.

Prælati in menſis ſuis ſtudeant ſeruare decretum Toletanum, quod tale eſt: Pro reuerentia Dei & ſacerdotum id

vniuerſa

vniuerſa conſtituit ſynodus. Et quia ſolent crebrò menſis ocioſæ fabulæ interponi, in omni ſacerdotali conuiuio diuinarum ſcripturarum lectio miſceatur: per hæc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non neceſſariæ prohibentur.

Quælibet etiam eccleſiaſtica perſona, antequam cibum ſumat, benedicat: & poſt refectionem, orationes ab eccleſia inſtitutas dicere non negligat.

Caueant ſuppoſita Concilij, ad tollendas tentationes & murmurationes, ne conuiuia vel ſuſpecta commercia cum mulieribus habeant.

Suppoſita Concilij à verbis detractorijs, contentioſis, vel ſcurrilibus & malè ædificantibus quibuſlibet accuratè ſtudeant, ne factis aut verbis proximum ſcandalizent.

In via quilibet incedat pudicis oculis cum modeſtia & grauitate. ad loca minùs honeſta non vadat, nec ad ſpectacula publica, choreas, ludos, haſtiludia, torneamenta & alia huiuſmodi. Veſtimentis vtantur, prout ſacri canones ſtatuerunt. abſtineant à coloribus rubeis & viridibus exceſſiuè. veſtimenta deferant talia, & tam retrò quàm à lateribus & antè clauſa, & ſine manicis ad cubitum pendentibus, & abſque foderaturis vltra oras excedētibus & infixuris. Nullus portet annulum, niſi cui competit ex officio dignitatis, & vnum duntaxat. Nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes, nec caligas * ſolatas, nec mitras, * ſinceas aut birreta longa, ſed parua aut honeſta * caputia. tonſuras deferāt ſuis ordinibus congruentes, & capillos ita tonſos, quòd aures pateant.

Non portent in frenis, Sellis, aut pectoralibus equorum aurum, vel argentum, aut ornamenta metalli depicti, aut figurati, aut mappas Sericeas, ſeu alia huiuſmodi ſuperfluitatum: & quòd huiuſmodi ornamenta equorum, ſint vniùs coloris, non rubei vel viridis, nec calcaribus deauratis vtantur.

Et prælati in multitudine, ſed honeſtate familiæ gloriari videantur, incedendo per viam pedites, aut equites, quanto pauciores poſſunt, præmittent familiares: Cardinales decem, patriarchæ octo, Archiepiſcopi ſex ante ſe.

Et quia qualis paterfamiliâs, tales & domeſtici eius: curandum eſt, vt non ſolùm patres de Concilio, ſed & eorum familiares decentem honeſtatem ſeruent. Quilibet igitur familiares ſuos ſæpè admoneat, ne quid reprehenſibile aut ſcandaloſum publicè vel occultè perpetrare audeant. huiuſmodi familiarum veſtes non ſint breuiores genu, ne diuerſorum colorum, nec cum ſciſſuris, frappis. vel * brodaturis, vel alia ornamenta aurea vel argentea, nec cincturas exceſſiuè ſumptuoſas. Sint eorum caligæ vnius coloris, ſimiliter & caputia. nec dagas ſeu cultellos vltra longitudinē vnius palmæ deferant.

Nemo de ſuppoſitis Concilij ludat, aut familiares ſuos ad taxillos, vel alios ludos inhoneſtos ludere patiatur. Non permittant à familiaribus ſuis per ciuitatem cum auibus ſe aſſociari.

Familiares dominorum de Concilio, beneficiati vel in ſacris conſtituti, taliter incedant, & non laicaliter tanquam ſcutiferi.

Omnes religioſi exiſtētes in hoc loco ſacri concilij, portent habitus ſuarum religionum in colore, valore, longitudine, amplitudine. Cùm incedunt per ciuitatem, veſtes deferant ſuperiores, iuxta inſtitutiones ſuorum ordinum: & canonici regulares pro veſte ſuperiori portent * croceam, mantellum, vel rediuidellum.

Ne in hoc loco ſacri Concilij, religioſi ſine cauſa vagari præſumant, teneantur ſtatim poſt primam diem aduentus ſui, præſentare ſe ſuperioribus ſuis, vel eorum vicarijs aut procuratoribus: & qui hîc non habuerint ſuperiores vel eorum vicarios, repræſentent ſe generali præſidenti. & ſi ſine legitima cauſa huc aduenerunt, reuertantur ad monaſteria eorum. quòd ſi, vt prædictum eſt, repræſentare ſe aut ad monaſteria reuerti cōtempſerint, de mandato prædictorum ſuperiorum ſuorum vel præſidentis, per Soldanū carceri mancipentur.

In congregatione generali deputationum ſeruetur debita modeſtia. In loquendo nullus alium maledictis aus contumelijs laceſſat. vnuſquiſque de alio reuerenter & honeſtè loquatur, præſertim minores de maioribus. Nemo alium loquentem interrumpat. vno loquente, cæteri ſilentium ſeruent. Quilibet proferat liberè votum ſuum, ad neminem niſi ſolum Deum reſpectum habens. Nemo humana affectione ſeu paſſione moueatur.

Animaduertant patres de Concilio verba illa quæ ſcribuntur in Paralipomenôn: Videte quid faciatis. non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redūdabit. Sit timor Domini vobiſcū, & cum diligentia cuncta facite. Meminerit ergo quilibet iuramenti in receptione ſua ad ſacrum Concilium prȩſtiti, videlicet quòd ſalubre conſilium, dabit ſecundum Deum & conſcientiam ſuam. In hoc loco, vbi de communi totius Chriſtiani populi ſalute agitur, omnis minima culpa, maxima eſt, in diſtricto Dei iudicio ſeueritate plectenda. Studeāt ſuppoſita Concilij pacem & vnitatem, quàm mundo & eccleſiæ dare procurant, inter ſe priùs cuſtodire. Sint vnum in Domino, idipſum ſentientes omnes. Non ſint inter eos ſchiſmata, contentiones & æmulationes. Seruent ſuper omnia fraternam concordiam: quia vt inquit Dominus, omne regnum in ſe diuiſum, deſolabitur, & domus ſupra domum ruet. Nemo eorum ſuſcitet odiorum & rancorum fomenta, quin potiùs extinguat. Alter alteri, ſi fortè ſe offenſū putat, ignoſcat: & hoc eſt, alterū alterius onera portare, & adimplere legē Chriſti. Nemo iuxta iuramentū ſuū, vota ſingulorū reuelet, vndè nemini veriſimiliter odiū ſequi poſſit.

Huiuſmodi ordinationes & exhortationes quilibet præſidens per ſuppoſita ſuæ deputationis obſeruari faciat, inquirendo diligenter, an quiſquam tranſgrediatur. Tranſgreſſorem autem charitatiuè corrigat, & ſi ſe non emendet, adhibeat cum conſilio aliquorum de maioribus ſuæ deputationis efficax & opportunum remedium: promotores etiam Concilij ſolicitè huiuſmodi tranſgreſſores inquirant, & ſuæ deputationis deferant præſidenti.

Quilibet præſidēs deputationum, in principio ſuæ præſidentiæ prædicta in ſua deputatione legi faciat, vt ſuperuenientibus innoteſcant.

Prȩſidens autem Concilij, deputet aliquos qui ſolicitent ciues, vt ea quæ pro honeſtate ciuitatis inſtituta ſunt, executioni demandentur, & debitè cuſtodiantur.

Admoneantur Baſil eenſis Epiſcopus & Officialis ſuus, vt prædicta clero ſuo intiment, & inuiolabiliter obſeruari faciant.

ARTICVLI OBLATI CONCILIO EX PARte regni Bohemiæ, Marchionatus Morauiæ &c. Anno Domini 1433. in feſto ſancti Tiburtij. poſt Laurentij.

HOs articulos paternitatibus veſtris offerimus, quatenus intuitu optandæ cunctis mortalibus pacis & vnitatis, velitis ipſis in hac forma ſubſcripta veſtrum prȩbere conſenſum, vt liberè teneantur, doceantur & irreuocabiliter obſeruētur in regno Bohæmiæ & Marchionatu Morauiæ, ac locis eius adhærentibus in hac parte.

Primò, vt communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ vtilis & ſalubris ſub vtraque ſpecie, ſcilicet panis & vini, vniuerſis Chriſti fidelibus in regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ ac locis eis in hac parte adhærentibus conſtitutis, per ſacerdotes liberè miniſtretur.

Secundò, vt omnia peccata mortalia, & præſertim publica, per eos quorum intereſt, rationabiliter & ſecundum legem Dei cohibeantur, corripeantur, & eliminentur.

Tertiò, vt verbum Dei à ſacerdotibus Domini & Leuitis idoneis, liberè ac fideliter prædicetur.

Quartò, quòd non licet clero, tempore legis gratiæ, ſuper bonis temporalibus ſeculariter dominari.

Ipſius autem, quam vtrinque diutinè optauimus, vnionis tenorem offerimus in hac forma: Parati ſumus vniri & eſſe vnum, modo quo omnes Chriſtiani fideles vniri ſecundum legem Dei obligantur, & adhærere & obedire quibuſcunq; nobis * legitimè præfectis in omnibus eccleſiaſticis, quæcunq; nobis ſecundū legē Dei mandauerint: ꝙ ſi quidq̃ Conciliū, papa aut prælati, quod à Dño prohibitum eſt, determinauerint faciendū, aut facere iuſſerint, vel quod in ca-

canone Biblię ſcriptum eſt, prætererint aut præterire mandauerint, cùm Canones tales dicant execrabiles, & anathema obedire, cùm non obligabimur, nec obediemus, hæc vobis offerimus inter nos & vos, vt ſupponimus, concludenda, expeditis noſtris quatuor articulis ſecundum iudicem parte ex vtraque concordatum, cuius ſententiam & iudiciũ etiam in futurum emergentibus volumus ab omnibus acceptari.

Præterea iſtud per ambaſiatores noſtros tandem pro finali vnione facienda mittendos, volumus exigente & vrgẽte æquitate, propter obſeruationem & confirmationem pacis & vnitatis obtinendæ, & vnione facta, Concilium ſuis patentibus literis præcipiat omnibus primatibus, Archiepiſcopis, Regibus, & Principibus, & vniuerſis vtriuſque ſtatus ſibi ſubiectis, quatenus nos & nobis in hac parte adhærentes, & adhærere volentes, ampliùs palàm vel occultè hæreticare, aut quouis modo infamare, aut etiam hoſtiliter inuadere non præſumant, proptèr aliquem dictorum articulorum, & præſertim propter primum, quem aſſerimus & aſſerere proponimus. Dominico cadere ſub præcepto vſq; ad diſcuſſionem finalem, mutuam & concordem, per Concilium & nos ſecundum ſententiam iudicis in Egra condictati, circa difficultates prædictorum articulorum, ſi quæ occurrerint fienda. Nam illius æquiſſimi iudicis legibus & decretis optamus, Domino diſpoſitore, in Concilio ſedentis incorporari fideliter ad reformationem totius Eccleſiæ in capitibus, artubus & membris. Quam quidem ſententiã, vt veridico didicimus relatu, vti propoſuit Concilium circa reformationem Eccleſiæ atque ſpopondit &c.

Inſuper, vt litium & iurgiorum inter nos & * Conicolas noſtros materia radicitus euellatur, circa vnionem inter nos & Concilium celebrandam, iſtud volumus per nuncios noſtros ad Concilium mittendos obtineri, vt facta vnione, ipſum Concilium modis & hortamentis congruis ſcribat, indicat & efficiat, quantum in eo eſt, quatenus omnes & ſinguli ſacerdotes cuiuſcunque præeminentiæ aut dignitatis exiſtant, in eiſdem regno & marchionatu, præſertim qui ipſos articulos nondum in effectu obſeruârunt, queant cum honore ſui obſeruare, & valeant libere ac fideliter exequi & amabiliter obſeruare & docere. Nam ſic in ſancta veritate vniti erimus, nunc gratiæ diuinę participes, & in futuro viſionis ipſius iocundæ conſortes. Amen.

Inſtrumentum factæ pacis inter Regem Franciæ & ducem Burgundiæ per legatos Concilij.

IN nomine Domini, Amen. Tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis pateat euidenter & ſit notum, quod Anno à natiuitate eiuſdem 1435. indictione 13. die verò Sabbati, 15. menſis Nouembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris ac Domini noſtri, domini Eugenij diuina prouidentia Papæ IIII. anno 5. Reuerendiſſimis in Chriſto patribus ac dominis, domino Iuliano tituli Sanctæ Sabinæ, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ in Germaniam legato, Ludouico tituli Sanctæ Cæciliæ Arelatenſi presbyteris, Proſpero Sancti Georgij ad * velum aureum diacono de Columna, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus vulgariter nuncupatis, Ioanne Archiepiſcopo Tarentino, Petro Epiſcopo Paduano, Ioanne Antiocheno. Ludouico Aquileienſi Patriarchis, Amedeo Lugdunenſi, Henrico Bituricenſi Franciæ, reuerẽdiſſimis patribus dominis Bernardo Aquenſi Angliæ, Aluaro Conchenſi, Alphonſo Burgenſi Caſtellæ & Legionis, Nicolao VVexonienſi Daciæ &c. Petro Dignenſi Siciliæ, &c. venerabili viro domino Nicolao præpoſito Cracouienſi Poloniæ regum ſereniſſimorum, dominis Ioanne Niuernenſi Burgundiæ, Matthæo Albinganen. Epiſcopis Mediolani Ducum illuſtriſſimorum, Ioanne Ciſtertienſi, Alexandro Virziliacenſi, ordinis Sancti Benedicti Cabilonenſis, & Eduenſis diœceſis monaſteriorum Abbatibus, Ioanne Pulchipatris, Dionyſio Sambrenais in ſacra pagina Doctoribus almæ vniuerſitatis ſtudij Pariſienſis, in ſacro Baſileenſi Concilio nuncijs & ambaſiatoribus, alijſq; reuerendiſſimis & reuerendis patribus & dominis, dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Doctoribus, & Magiſtris in magna multitudine & numero copioſo ſacrum Baſileen. Conciliũ repræſentantibus & celebrantibus, in generali congregatione de manè in maiori Eccleſia Baſileenſi more ſolito congregatis. Præfatis reuerendiſſimis patribus dominis, Cardinali legato, Archiepiſcopo Tarentino, & Epiſcopo Paduano, & pro nomine ſanctiſſimi domini noſtri Papæ præſidẽtibus in eadem, in dominorum, teſtium & noſtrũ notariorum publicorum infraſcriptorum præſentia, lectis primitus deliberationibus ſacrarum deputationum pro dicta generali congregatione hac die de manè celebranda, ad audiendum reuerẽdiſſimi patris domini Hugonis Præneſtini Cardinalis de Cypro legati cum poteſtate de latere, ac reuerendorum patrum & venerabilium virorum dominorum Nicolai VVexonienſis, Matthæi Albinganenſis Epiſcoporũ, Nicolai præpoſiti Cracouien. & * Guilhermi Hugonis Archidiaconi Metenſis, ſacri Concilij ambaſiatorum miſſorũ ad conuentionem Attrebatenſem, prò pace Chriſtianiſſimi regni Franciæ tractanda, & de eadem conuentione redeuntium, de geſtis per eos circa huiuſmodi pacem relationem faciendam: Concluſoque per reuerendiſſimum dominum Cardinalem legatum alterum dominorum præſidentium nomine & authoritate ſacri Concilij ſuper huiuſmodi generali congregatione celebranda, præfati domini legatus & ambaſiatores acceſſerunt ad dictam generalem cõgregationem pro huiuſmodi ſua relatione facienda. Et ſedentibus ipſis dominis legato & ambaſiatoribus in altera bancha, in qua reuerendiſſimi patres domini Cardinales & præſidentes ſanctiſſimi domini noſtri Papæ in generalibus cõgregationibus ſedere conſueuerunt, requiſitiſque & exhortatis dominis & Patribus de ſacro Concilio per eundem reuerẽdiſ. dominum Cardinalem de Cypro legatum, vt ipſi haberent eundem dominum Cardinalem & alios dominos ambaſiatores in huiuſmodi ſua relatione facienda patienter & benignè audire: deinde facta priùs per dominum Epiſcopum VVexonienſem ſolẽni collatione ſub themate, Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis &c. præfatus venerabilis & circumſpectus vir dominus Archidiaconus Metenſis dixit eorum inſtructiones fuiſſe tripartitas. Primò inſtruebantur Epiſcopi partes contendẽtes exhortari tam in genere quàm in ſpecie ad pacem & cõcordiam per omnia media poſſibilia. Secundò eis committebatur pacis & concordiæ præfatæ ſpecialis proſecutio [illegible]cto & opere. Tertiò eis dabatur facultas ſingula bene geſta interpretandi, roborandi, ac pœnis & cenſuris validari. Dicebatque & ex harum inſtructionum directione, quantum fieri potuit, eis commiſſa fideliter peregerunt, ipſaque geſta per eos ſecundum ordinem inſtructionum ſuarum, ſpecifice & articulatim recitauit. primam partem earum declarauit, qualiter poſt aduentum in ciuitate Atrebatenſi coram illuſtriſſimo Domino Burgundiæ propoſuit ſolenniter dominus Nicolaus de Polonia, perſuadendo ſibi pacem & cõcordiam. Deinde ad idem coram ambaſiatoribus Chriſtianiſſimi domini Regis Franciæ dominùs Albinganenſis. Poſtremò dominus * VVexionenſis coram ambaſiatoribus ſereniſſimi domini regis Angliæ, ipſos ad pacem medijs & vijs poſſibilibus inducendo. Recitat vlteriùs dictus dominus Archidiaconus quomodo tractatum ipſius pacis & concordiæ ſpecialiter fuerunt proſecuti. Iuxta ſecundam partẽ ſuarum inſtructionum, aperiendo & declarando articulatim & ſucceſſiuè omnes oblationes factas hincindè inter Gallicos & Anglicos, quarum vltimæ finales & in quibus partes ipſæ immutabiliter perſiſtebant, fuerunt hæ: Pro parte Chriſtianiſſimi Regis Franciæ, oblatum eſt Anglicis omne dominium, quod tenent & occupant in ducatu Aquitaniæ, necnon totus Ducatus Normanniæ modo & forma contentis in quadam litera ſigillis omnium dictorum ambaſiatorum ſigillata, & illuſtriſſimo domino duci Burgundiæ tradita. Pro parte Anglicorum fuit oblatum regi Chriſtianiſſimo Franciæ totum id quod tenet & poſſidet in Francia tam citra Ligerim quàm vltrà. Hoc adiecto, quod terrę, dominia & oppida vnius obedientię, incluſæ ſeu incluſa in dominijs alterius obedientiæ, commutabuntur ad alias terras & alia oppida, ſita ſeu inclauata inter dominia alterius obedientiæ, ſecundum commodioſiorem vſum alterutrius partium. Item hoc mediante, offerebant matrimonium ſui regis ſine alio onere dotis, etiam liberationem domini

ducis

* vellus

Eſa. 51.

Locus obſcurus

ducis Aurelianenſis mediante finantia competenti. Narrauit poſtmodùm, quòd finaliter legati & oratores ſacri Concilij & ſedis Apoſtolicæ, dixerunt dominis ambaſiatoribus Angliç, attento quòd pater moderni regis Franciç Chriſtianiſſimi, auus, proauus, & alij ſui prædeceſſores, à tanto tempore, & per tantum tempus, cuius principij memoria non exiſtit, fuerunt in poſſeſſione quieta & pacifica coronæ Frâciæ, & tales habiti, ac etiam per ſacra Côcilia generalia, ſummos pontifices, Imperatores, & alios omnes principes orbis ſic nominati verbo & literis, certè propterea eis videbatur, quòd ipſius regis oblationes erant rationabiles pro pace & concordia, & nullo modo per Anglicos refutandæ, ſed omninò acceptandæ. Et caſu quo eas non acceptarent, volebant adire præfatum dominum ducem Burgundiæ, ipſum exhortando, vt regno Franciç quantùm in eo erat, daret pacem & tranquillitatem, pacem cum rege faciendo, prout etiam in mandatis haberent. Deinde dixit idem dominus Archidiaconus, quòd quia ipſi domini ambaſiatores Angliæ receſſerant abſque communione vel acceptatione oblationum Gallicarum, quæ (vt ſuprà) eiſdem dominis Legatis rationabiles quàm plurimùm videbantur, adiuerunt realiter præfatum dominum ducem Burgundiæ, ipſumque tam authoritate ſacri Concilij, quàm ſanctiſſimi domini noſtri Papæ exhortati ſunt, & requiſierunt omnibus melioribus medijs & vijs, quibus potuerunt ad huiuſmodi pacem & côcordiam cum Chriſtianiſſimo domino Rege Franciæ (de qua ipſe dominus dux & ſui progenitores traxerunt originem) iniendam & faciendam. Tandem datis & oblatis per dominos ambaſiatores domini Francorum Regis certis oblationibus, quæ iuſtæ & rationabiles videbantur, dicto domino duci Burgundiæ pro ſuo intereſſe, ipſe dominus dux volens parêre exhortationibus, requiſitionibus, immò verò mandatis ſacri Concilij & ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, declarato priùs per præfatos dominos legatos & ambaſiatores authoritate qua ſuprà, quòd licitè & ſine nota ſeu iactura honoris ipſius domini ducis, præfatus illuſtriſſimus dominus dux, non obſtantibns prætenſis conuentionibus, per eundem dominum ducem, aliàs diuæ memoriæ progenitorem moderni regis Angliæ, & regi Angliæ moderno
Locus obſcurus.
initis & factis, poterat & debebat pacem & concordiam cũ Rege Franciæ facere & inire. Reſpondit ſe velle parêre & obedire. De qua quidem declaratione & alijs præmiſſis prçlibati domini legati & ambaſiatores authoritate qua ſuprà literas opportunas eorum ſigillis ſigillatas, præfato illuſtriſſimo domino duci illas poſtulanti dederunt & obtulerunt. Qua quidem relatione ſic (vt præfertur) facta, præfati domini legatus & ambaſiatores per organum ipſius domini Archidiaconi petierunt, & requiſierunt à ſacro Concilio, quatenus dignaretur omnia acta & geſta per eos circa huiuſmodi tractatum pacis habere rata & grata, ac illa approbare, defectuſque ſi in huiuſmodi tractatu interueniſſent, ſupplere. Hoc idem venerabiles viri magiſtri Aimarus de Rouſſilione, Hugo Berardi, & Bartholomæus de Fraxino, promotores ſacri Concilij, & nomine promotorio eiuſdẽ petierunt, & requiſierunt, & quilibet eorum petijt & requiſiuit. Super quo per ſacrum Concilium & dominos & patres ipſius ſacri Concilij, nemine diſcrepante, reſpôſum extitit per verbum, Placet. Quibus ſic actis, reuerendiſſimus pater dominus Cardinalis legatus & præſidens nomine & authoritate ſacri Concilij, de huiuſmodi ſanctiſſima pace inter præfatos dominos Regem Franciæ & ducem Burgundiæ reformata, dedit laudes ſanctiſſimæ Trinitati, regratiãdo ſanctiſſimo domino noſtro ſummo Pontifici, præfatis dominis legatis & ambaſiatoribus, de laboribus per eos in huiuſmodi ſancto negocio aſſumptis. Exhortatuſque eſt dominos de ſacro Concilio, vt huiuſmodi paci generali velint operam dare vſque ad conſummationem eiuſdem. Adijciens contra detrahentes ſacro Concilio, quòd ſi Conciliũ duraſſet per viginti annos, & non fuiſſet aliud agitatum, niſi de illa benedicta pace Franciæ, adhuc non deberent ſacrum Concilium diffamare, immò illud laudare & benedicere. De & ſuper quibus omnibus ſingulis præmiſſis præfati domini promotores nomine promorio quò ſuprà, petierunt, & quilibet eorum petijt à nobis notarijs publicis & dicti ſacri Concilij ſcribis infraſcriptis, ſibi & omnibus quorum intereſt, fieri atque tradi vnum vel plura, publicum & publica, inſtrumentum & inſtrumenta. Acta fuerunt hæc Baſileç in dicta generali congregatione ſub anno, indictione, die menſe & pontificatu, quibus ſuprà, præſentibus ibidem venerabilibus & circũſpectis viris, dominis & magiſtris, Ioanne Pulchripatris, Dionyſio Sambrenays, Radulpho de Porta, in ſacra pagina doctoribus, & Guidone de Vercellis magiſtro in artibus Pariſienſi, vnà cum pluribus alijs teſtibus ad præmiſſa adſtantibus.

COPIA TRACTATVS ATREBATENSIS,

Celebrati inter Regem Franciæ, & Ducem Burgundiæ.

PRIMÒ rex dicet, vel per ſuos ſufficienti poteſtate fulcitos, dicere faciet duci Burgundiæ, quòd mors quondam ſui patris, cui Deus parcat, fuit iniqua, & malitiosè facta per illos qui perpetrârunt dictum ſcelus, & ex malo côſilio, & ſemper ſibi diſplicuit, & de prçſenti diſplicet ex toto corde ſuo: & ſi ſciuiſſet dictum caſum, & fuiſſet in tali ætate & diſcretione intellectus, in quo eſt de præſenti, ipſe obuiaſſet toto ſuo poſſe. Sed ipſe erat benè iuuenis, & habebat illo tẽpore paruam notitiam, & non fuit ita aduiſatus, quòd in hoc prouideret: & rogabit dictum dominum Burgundiæ, quòd omnem rancorem & odium, quæ poteſt habere contra ipſum occaſione præmiſſorum, tollat de corde ſuo, & quòd inter eos ſit bona pax & dilectio, & de hoc fiat expreſſa mentio in literis, quæ fient de concordia & tractatu ipſorum.

Item quòd omnes illi qui perpetrârunt dictum ſcelus, & conſentientes fuerunt, rex ponet perditioni, & faciet diligentiam poſſibilem capiendi & appræhendendi ipſos, in quocunque loco reperiri poterunt, ad puniendum eos in corpore & in bonis: & ſi appræhendi non poterunt, eoſdem banniet, & banniri faciet ſine gratia ſeu reuocatione de regno & delphinatu, eorum omnia bona côfiſcando, & remanebunt extra omnem concordiam.

Item non patietur rex aliquem eorum recipi, aut ſibi aliquem fauorem dari in ſuo dominio: immò faciet proclamari per omnia loca regni & delphinatus, quòd nullus eôs receptet, aut fauorizet, ſub pœna confiſcationis corporis & bonorum.

Item in continenti poſt concordiam dictus dux Burgũdiæ, nominabit eos de quibus eſt vel erit informatus, ipſos perpetraſſe dictum ſcelus, vel conſenſum præbuiſſe, vt in continenti diligenter procedatur contra eos. Sed quia dictus dux Burgundiæ, nondum potuit habere veram notitiã de omnibus illis, qui perpetrarunt dictũ ſcelus, aut conſenſcientes fuerunt, omni tempore quo debitè fuerit informatus de aliquibus alijs, eos poterit nominare & ſignificare per ſuas literas patentes, aut alias ſufficienter Regi, qui in hoc caſu tenebitur procedere contra eoſdem ſtatim modo ſuprà deſignato.

Item pro anima defuncti ducis Burgundiæ, & defuncti Arthambaut de Foys domini de Noualia ſecum interfecti, & omnium aliorum interfectorum occaſione dictarum guerrarum iſtius regni, fiet in Eccleſia de Monterean, in qua fuit præſepultum funus dicti defuncti ducis Burgundiç, & ante plateam in qua fuit ſepultus, fundabitur vna capellania perpetua vnius baſſæ MISSAE de REQVIEM ſingulis diebus, quç reddituabitur ad ſummam ſexaginta librarum Pariſienſium annuatim, & aptabitur calicibus & ornamentis ad expenſas Regis, & collatio ſpectabit ad ducem Burgundiæ & ſucceſſores in perpetuum.

Item in dicta villa de Monterean, vel propinquiori loco, conſtruetur per regem & ſuis expenſis vnum monaſterium duodecim Carthuſienſium cum vno Priore, vnà cùm clauſtro de illis, & cæteris monachis, qui dotabuntur per regem octingentarum librarum Pariſienſium reddituralium, * iuxta ordinationem Cardinalis ſanctæ Crucis.

Item in loco, vbi fuit perpetratum dictum ſcelus, ædificabitur vna Crux expenſis regis talis facturæ, prout aduiſabitur per dictum Cardinalem ſanctæ Crucis.

Item in Eccleſia Carthuſienſi prope Diuionem, in qua requieſcit corpus defuncti ducis Burgundiæ, fundabitur expenſis regis vna MISSA alta de REQVIEM, ſingulis diebus in perpetuum dicenda in magno altari, quod fundabitur de centum libris Pariſienſibus redditualibus, & munietur calicibus, ornamentis &c. vt ſuprà.

Item dictæ MISSAE inchoabuntur in continenti poſt concordiam habitam, & ædificia agenda in villa de Monterean, inchoabuntur ſtatim infra menſes tres, poſtquàm eadem villa fuerit reducta ad obediẽtiam regis, & infra quinque annos erunt omnia expedita ſine intermiſſione operis. Et quo ad fundationes, ſtatim poſt concordiam factam. fiet & expedietur fundatio altæ MISSAE celebrãdæ à Carthuſienſibus cum omnibus appendentijs. Et ibidem expẽſis regis celebrabitur MISSA baſſa, quæ debet fundari in eccleſia de Monterean, donec villa de Monterean reducta fuerit ad obedientiam regis. Et quantum ad fundationem & ædificia quo debent fieri in dicta villa de Monterean, poſtquàm reducta fuerit ad obedientiam, deponatur in manibus ducis Burgundiæ certa ſumma pecunię, ad complendum redditus dictarum octingentarum propinquiùs de loco Monterean quæ fieri poterit, non comprehendendo illas centum libras reddituales, quæ debent aſſignari pro fundatione dictæ MISSAE altæ in Carthuſia Diuionenſi celebrandæ.

Item in recompẽſationem iocalium, & cæterorum mobilium, quæ habebat defunctus dux tempore ſui obitus, quæ tunc capta & perdita fuerunt, rex ſoluet duci Burgundiæ ſummam quinquaginta millium veterum ſcutorum, ſexagintaquatuor pro marcha, & vigintitria * carato cum dimidio, aut aliam monetam conſimilem in tali valore. Et vnà cum hoc, reſeruabitur duci Burgundiæ actio, quam prætendit pro pulchro * colari defuncti patris ſui, contra omnes qui illud habent vel habuerunt.

Item pro parte regis tranſportabitur dicto duci Burgundiæ pro ſe & ſuis hæredibus in recta linea, ſiue maſculi ſiue fœminæ fuerint ciuitas & comitatus Matiſconenſis, vnà cũ omnibus villis, villagijs, terris, cenſibus, redditibus & emolumentis quibuſcunque ſpectantibus ad regem & coronam Franciæ, & per Bailliuatum regalem Matiſconenſem & ſancti Gengulphi, & in metis ſuis, vnà cum omnibus pertinentijs comitatus Matiſconenſis, & alijs dominijs, quæ tenet & tenere debet rex per totum Bailliuatum Matiſconenſem, & ſancti Gengulphi, in omnibus feudorum & valuaſſorum iuribus, confiſcationibus, patronagijs eccleſiaſticis, collationibus beneficiorum & alijs iuribus & emolumentis quibuſcunque, ſine quacunque reſeruatione pro parte regis facienda de illo quod cõcernere poteſt dominium & iuriſdictionem ordinariam comitatus & locorum ſupradictorum. Eſt tamen reſeruatum regi feudum & homagium bonorum & iurium prædictorum, reſortum, & ſupremum dominium vnà cum cuſtodia & ſupremitate Eccleſiarum, & ſubditorum ipſarum quæ ſunt de fundatione regali, ſitarum in metis dictorum bailliuatuum & inclauatorum in eiſdem. Saluo etiam iure regali vbi locum habere poteſt, & etiam alijs iuribus regalibus ab antiquo ſpectantibus ad coronam Frãciæ in prædictis Bailliuatibus, de quo comitatu gaudebit præfatus dux & ſui hæredes in feudum & homagium à rege, ſicut pares Franciæ ſub ſorte regis & curiæ Parlamenti, ſicut cæteri Pares regis Franciæ.

Item pro parte regis tranſportabantur dicto duci Burgundiæ, & illi de ſuis hæredibus legitimis, de ſuo corpore procreatis, cui dimittet cuſtoditum ſuum dictum comitatũ Matiſconenſem, omnes vtilitates & emolumenta ſupremi dominij ſpectantis ad regem in dictis Bailliuatibus, ſiue hoc ſit occaſione gardiæ & ſupremitatis Eccleſiarum, quæ ſunt de fundatione regali. & ſubiectorum iurium regalium, aut aliàs quouis modo, & etiam in confiſcationibus pro quocũque caſu, pœnis & emendis & exercitio iuſtitiæ, commoditas & emolumentum monetæ & alijs vtilitatibus quibuſcũque: de quibus omnibus gaudebit dictus dominus dux & ſuus hæres ad vitam ſuperuiuentis tantùm modo & forma quæ ſequuntur, videlicet quòd ad nominationem dicti domini Burgundiæ & ſui hæredis poſt eum: rex committet illum qui erat Bailliuus pro dicto domino Burgundiæ, iudicem regalem & commiſſarium ſui ex parte, ad cogitandum de omnibus caſibus regalibus & alijs occurrentibus in dictis patrijs, locis & inclauaturis ſupradictis & formis, quibus conſueuerunt Bailliui regales Matiſconenſes, qui temporibus præteritis ibidem fuerunt, & ſimili modo committentur per regem ad nominationem dicti ducis & ſui hæredis, omnes alij officiarij neceſſarij pro exercitio iuriſdictionum & iurium regalium ſiue ſint Caſtellani, præpoſiti, clientes, receptores &c.

Item ſimiliter tranſportabuntur dicto domino Burgundiæ & ſuo hæredi poſt eum omnes vtilitates ſubſidiorum granariorum pro ſale, gabella vinorum venditorum ad debitolium pedagium, ſeu vectigale omnium mercantiarum talliæ, foagia, & quæcunque ſubuentiones impoſitæ & imponendæ in partibus Matiſconenſi, Cabilonenſi, Eduenſi, & Lingonenſi, quantum ad dicta territoria ſe extendere poſſunt per ducatum Burgundiæ, comitatũ de Charaloys, & comitatum & patriam Matiſconenſem, & in villis ac terris quibuſcunque inclauatis in dictis ducatu, comitatu & alijs locis: & ad dictum ducem & ſuum hæredem ſpectabit nominatio officiariorum ad præmiſſa neceſſariorum, & inſtitutio ad regem, vt ſuprà.

Item per regem tranſportabitur dicto domino Burgundiæ perpetuum pro ſe & ſuis hæredibus, ſiue maſculis ſiue fœminis, in directa linea procreatis, ciuitas & comitatus Antiſſiodorenſis vnà cum omnibus & ſingulis pertinentijs in iuſtitia regali feudorum, ſub feudis, patronagijs eccleſiarum, collationibus beneficiorum, ſiue aliàs quouis modo ad tenendum illa à rege ſub fide, homagio & Paritate Franciæ, ſub reſorto regis & curiæ Parlamenti ſine medio ſicut alij Pares.

Item tranſportabuntur per regem dicto domino Burgundiæ, & illi de ſuis hæredibus, cui dimittet poſt obitum dictum comitatum, omnia & ſingula emolumenta quæ eueniunt in dictis ciuitate & comitatu, & in omnibus villis inclauatis in dicto comitatu, quæ tamen non ſunt de eodẽ, ſiue ſpectent Eccleſijs, aut alijs ad cauſam iurium regalium etiam quocunque modo & regalibus confiſcationibus, pœnis & emendis ac exercitijs iuſtitiæ, aut aliàs quomodolibet, quibus dominus dux & ſuus hæres pro tempore, vita alterius ſuperuiuentis duntaxat durante, gaudebunt, & per modum ſuprà declaratum, videlicet quod ad nominationem, &c.

Item vlterius pro parte regis erunt tranſportati dicto domino Duci & ſuo hæredi omnes profectus ſubuentionis granariorum, ſalis, gabellæ, vinorum venditorum, & cætera vt ſupra, pro ſe & ſuo hærede &c.

Item per regem traſportabuntur præfato domino duci Burgundiæ & ſuis hæredibus in recta linea, ſiue maſculis ſiue fœminis, caſtrum, villæ & caſtellaria de Barro ſuper Sequanam, cum omnibus appenditijs vel regimine, iuſtitia, feudo, patronatu, collatione beneficiorum, tenendo in fide homagio & paritate, vt ſuprà.

Item tranſportabuntur præfato duci & ſuo hæredi omnes profectus granariorum, ſalis, gabellæ, & cætera, vt ſuprà.

Item tranſportabitur à rege ipſo duci pro ſe & ſuis hæredibus comitibus Burgundiæ perpetuè & hæreditariè garda, cuſtodia ſeu protectio Abbatiæ de Lexeu, ac omnia iura, profectus & emolumenta quæcunque attinentia gardiæ prædictæ, quam rex ad cauſam comitatus Campaniæ dicit ſibi attinere, quanuis comites Burgundiæ in anteà prætenderunt & querularunt in contrarium, pro eo quòd illa Abbatia erat extra regnum.

Item per regem tranſportabuntur dicto domino duci pro ſe & ſuis hæredibus in recta linea maſculis tantùm, caſtra, villæ, caſtellariæ præpoſituræ forenſes Peronæ, Mout Didier, & * Roys, cum omnibus ſuis attinentijs &c. patronatu, & collatione beneficiorum, tenendo in homagio & paritate reſorto, vt ſuprà. * Roix

Item tranſportabit rex dicto domino duci & ſuo hæredi maſculo, cui poſt ſuum deceſſum deputabit dictas villas Peronæ, Mout, Didier & Voye, omnia emolumenta ex illis villis, caſtellarijs, & præpoſituris forenſibus, & in villis, terris, ſubiectis & reſortis ipſis villis, caſtellarijs & præpoſituris, cauſa iurium regalium quomodocunque fuerit, tam in

confiſcationibus, emendis, exercitijs iuſtitię, quàm aliter, ad gaudendum per ipſum ducem & ſuum hæredem duntaxat per modum ſuprà declaratum, ſcilicet quòd ad monitionē ducis vel ſui hæredis, rex inſtituet, &c.

Item tranſportabuntur eidem duci & ſuo hæredi omnes prouentus ſubuentionis granariorum, [illegible]is, gabellæ, &c. vt ſuprà.

Item à parte Regis dimittetur dicto duci & illi de ſuis hęredibus, cui dimittet Comitatum Artheſij, compoſitiones aradarum dicti Comitatus, reſortita & inclauamenta, aſcendentia pro nunc ad trigintaquatuor M. annuatim vel ciciter. ſine hoc quòd ipſe vel ſui hæredes ſint adſtricti inde habendi aliud donum vel oblationem. Et nominabunt dictus dux & ſuus hęres tales officiarios, &c. quos rex terris inſtituet, &c. & ipſis ſuper hoc faciet deliberare.

Item Rex tranſportabit domino Burgundiæ pro ſe, ſuis hæredibus, & habentibus cauſam ſeu intereſſe perpetuè omnes ciuitates, villas, fortalicia, terras & dominia attinentia coronæ Franciæ, de & ſuper fluuio de Somme, de vno latere, & de alio, ſicut ſanctus Quintinus, Corbiæ, Ambianis, Abbatis villa, & aliæ pariter totius Comitatus de Poutieu, citra & vltra dictum flumen de Somme, Dourleus, ſanctus Richarus, Crepicordium, Meux, Mortaigne cum ſuis attinentijs & appenditijs quibuſcunque, & omnes alias terras, quę poſſunt pertinere coronæ Franciæ circa flumen de Somme incluſiuè verſus Artheſiam, Flandriam & Hannoniam, tam de regno quàm de Imperio, compræhendendo etiam in reſpectu villarum ſitarum ſupra dictum flumen de Somme, de latere verſus Franciam, Bailliuatus & Scabinatus ipſarum villarum poſſidendoş per dictum dominum Burgundiæ, dictos ſuos hæredes, & habentes cauſam perpetuò de dictis villis, ciuitatibus, fortalicijs, terris & dominijs, in omnibus commodis redditiuum tam inordinatorum pro guerris, & etiam talliarum & aliorum emolumentorum quorumcunque, & non retinendo ex parte regis, præterquam homagium, reſortum & ſupremitatem : quæ tranſportatio fiet per Regem, mediante reemptione ſummæ quadringentorum millium ſcutorum aureorum antiquorum, ſexaginta quatuor in marca de octo * Oucis pro marca & Daloy ad viginti quatuor quaratz t.arñt de Remede, vel alteriꝰ monetę aureæ currentis ad valorem, de qua reemptione per dominum Burgundiæ tradentur bonæ literæ & ſufficientes, per quas ipſe promittet pro ſe & ſuis & toties quoties placebit Regi vel ſuis facere dictam reemptionem, dominus Burgundiæ & ſui tenebuntur, recipiendo dictam ſummam auream, reddere Regi vel ſuis omnes dictas ciuitates, villas, fortalicia, terras & dominia compræhenſa in iſto articulo tantùm, & * ſiue tangendo aliquas alias, de quibus ſuprà facta eſt mentio, & * alterius contentabitur dictus dux Burgundiæ recipere ſolutionem dictorum quadringentorum millium ſcutorum ad duas vices, ſcilicet qualibet vice medietatem, prouiſo quòd non tenebitur dictas ciuitates, villas, fortalicia, terras & dominia, nec aliquas ipſarum, quouſque tota ſolutio ſit completa, & tempore pendente faciet dominus Burgundiæ fructus ſuos omnium dictarum ciuitatum, villarum, &c. * de Demmanyo, quàm de * Aydijs ſine vlla deductione principalis ſummæ.

Et eſt ſciendum, quòd in iſto tranſportu non compræhendetur ciuitas Tornacenſis, neque Bailliuatus Tornaceſij & ſancti Amandi, ſed remanebunt in manibus Regis, excepto Mortaigne, quæ remanebit domino Burgundię: nihilominus eſt reſeruatum domino Burgundiæ, pecunia ſibi cōcordata ab illis de ciuitate Tornacenſi pro certo tractatu, quem habet cum ipſis durante vſque certum tempus, quam pecuniam Tornacenſes ſoluēt integrè domino Burgundiæ. Et eſt ſciendum de omnibus officiarijs, qui erunt reſpectu dominij, quòd dominus Burgundię conſtituet eos: & reſpectu iurium regalium, Aydarum & talliarũ, nominatio ſpectabit ad dominum ducem, & inſtitutio ad Regem.

Item quia dominus Burgundiæ prætendit ius in Comitatu Verdonienſi ſupra mare, quem tenet & poſſidet, ille ſi[illegible] remanebit pro ſe & ſuis hęredibus maſculis ex ſuo corpore tantùm, & tenebitur Rex pacificare illos, qui ius prætendunt in illo Comitatu, taliter quòd nullam habeant querelā verſus dictum dominum Burgundiæ.

Item caſtrum, villa & Comitatus Gyemyr ſuprà Ligerim, quæ dicuntur tranſportata cum Comitatu Stampiæ & Dordani per Ducem Bituricenſem, defuncto Ioanne Duce Burgundiæ, ponētur ex parte Regis in manibus Ducis Borbonij ſtatim poſt paſſatam concordiam, tenēda per ſpatium vnius anni, infra quod tempus Ioannes Burgundiæ, nunc Comes Stamparum, vel Dux Burgundiæ pro eo monſtrabunt Regi & ſuo Concilio literas doni facti Ioanni defuncto Duci per dominum Ducem Bituricenſem: quæ ſi viſæ fuerint ſufficientes & validæ, Dux Borbonij tenebitur tradere præfato Comiti abſq; hoc, quòd ex parte Regis poſſit allegari antiqua præſcriptio aut lapſus temporis. Quòd ſi qui ſunt alij qui prætendant ius, illis remanebit actio contra Comitem.

Item per Regem reſtituetur Comitibus Niuernenſi & Stamparum ſumma trigintaduorum millium octingentorũ ſcutorum aureorum, quæ quondam Rex Carolus vltimò defunctus, fecit depræhendi in eccleſiæ Rothomagenſi, vbi fuerant depoſita pro matrimonio Donnæ Bonæ Artheſij matris ipſorum Comitum, caſu quo probabunt quòd iſta ſumma fuit in computo & profectu dicti regis Caroli ad ſoluendum illam ſummã triginta duorum millium 800. ad tales terminos, qui erunt aduiſati poſt ſolutionem factam & completam quinquaginta millium domino Burgundiæ, de quibus ſuprà. Et reſpectu debitorum quæ dominus Burgundiæ dicit ſibi deberi per quondam regem Carolum, tam cauſa donorum & penſionum, quàm aliter, aſcendentiũ ad magnas ſummas, ſuum ius quod habet & debet habere pro recuperatione ipſorum debitorum, ſibi remanebit ſaluum.

Item quòd dictus dominus Burgundiæ non tenebitur facere aliquod homagium vel ſeruitium Regi de terris & dominijs, quæ de præſenti tenet in regno, nec de illis quæ deberet habere per præſentem tractatum, nec de illis quæ ſibi euenire potuerint per ſucceſſionem, ſed remanebit exemptus in ſua perſona in omnibus caſibus ſubiectionis, reſorti, ſupremitatis & aliorum, durante vita ipſius. Sed poſt ipſius regis obitum, dominus Burgundiæ faciet filio ſuo & ſucceſſori in corona homagia, fidelitatem & ſeruitia quæ requirētur. Et etiam ſi dictus Dux Burgundiæ decederet ante Regem, hæredes ſui & cauſam habentes, facient Regi dicta homagia, &c.

Item in reſpectu feudatariorũ & ſubiectorum Ducis Burgundiæ, quæ habet & debet habere per præſentem tractatũ, & quæ ſibi potuerint euenire per ſucceſſionem durante vita Regis & ſua, ipſi nō erunt adſtricti ſe armare ad mandatum Regis & ſuorum officiariorum, ſuppoſito quòd teneāt cum hoc à Rege aliquas terras vel dominia. Sed eſt Rex contentus, quòd omni vice qua placebit domino Burgundiæ mandare ſuos ſubditos ſeu feudatarios, & ſubiectos pro ſuis guerris, ſiue in regno, ſiue extra, ipſi tenebuntur & conſtringentur ibidem & illuc ire, ſiue poſſe aut debere venire ad mādatum regis, ſi etiam rex mandaret. Et ſimiliter fiet reſpectu ſeruitorum ducis Burgundiæ, qui ſunt ſui familiares & de ſua domo, ſuppoſito quòd non ſint ſui ſubiecti.

Item ſi eueniat, quòd Anglici aut ſui confœderati, faciāt in poſterum guerram domino Burgundiæ aut ſuis pueris, ſiue per mare, ſiue per terram, occaſione præſentis tractatus, vel aliàs, Rex tenebitur iuuare ſicut in facto proprio.

Item quòd dominus Burgundiæ & ſui feudatarij & ſubiecti & alij, qui priùs portauerunt in armis crucem ſancti Andreæ, non adſtringentur portare aliud interſignium in quacunque armata in regno vel extra, & in præſentia Regis aut ſuorum * conneſtabiliorum aut mareſcallorum, prout ſint ſuis ſtipendijs vel aliàs.

Item & quòd Rex faciet reſtitui & ſine damno de ſuis perditis rationabilibus, & etiam de ſuis cancoribus illis qui fuerint capti in die mortis quondã Ducis Ioãnis, & illis qui ibi perdiderunt ſua bona, & fuerunt poſiti ad magnam redemptionem.

Item & quòd de cæteris abolitio generalis ſit facta de omnibus caſibus, euentis, & de omnibus cauſis, rebus, dictis, factis & paſſatis occaſione diuiſionis iſtius regni. Excepto reſpectu illorum, qui perpetrârunt dictum malum caſum, vel fuerint conſentientes de morte quondam Ducis Burgundiæ, qui erunt & remanebunt extra omnem concor-

diam tractatum, & quòd de cæteris quilibet de vno & alio latere reuertatur, ſcilicet Eccleſiaſtici ad ſuas eccleſias & beneficia, & ſeculares ad ſuas terras, redditus & * hæreditagia, poſſeſsiones & bona immobilia, in ſtatu in quo erunt, reſeruato reſpectu terrarum & dominiorum exiſtentium in Comitatu Burgundiæ, quas Dux Burgundiæ & quondam ſuus pater habuerunt & retinuerunt, vel alijs dederunt tanquam confiſcatas ſibi cauſa dictarum guerrarum, quæ erunt & remanebunt, non obſtante dicta abolitione & concordia illis, qui ipſas tenent & poſsident. Sed alibi vbique quilibet redibit ad ſuas poſſeſsiones & terras, & hæreditagia, ſine hoc, quòd pro demolitione, deterioratione cuſtodiarum, locorum aut reparatione qualicunque aliquid poſsit exigere vnus ab alio: & quilibet tenebitur conuictus omnium reddituum euentorum de tempore, quo nó poſsidebat ſuas terras & hæreditagia. Sed in reſpectu mobilium captorum aut habitorum de vno latere aut de alia, nunquam poterit fieri aliqua querela aut actio de vno aut de alio.

Item per iſtum tractatum extinguantur & aboleantur omnes iniuriæ, rancores tam verborum & factorum, quàm aliter euentorum per anteà occaſione dictarum diuiſionũ, partialitatum, &c. tam de vna parte quàm de alia: abſq; hoc, quòd aliquis poſsit exigere, vel facere quæſtionem vel proſecutionem, vel proceſſus, vel aliter reprobari vel ſcandalizari de tenendo aliquam partem. Et dicentes vel facientes contrarium, punientur ſicut tranſgreſſores pacis ſecundùm exigentiam delicti.

Item in iſto tractatu compræhendentur expreſsè ex parte Ducis Burgundię, omnes partes Eccleſiaſticæ, villæ, nobiles, & alij cuiuſcunq; ſtatus ſint, qui tenuerunt ſuam partem, & quondam ſui patris, tam in regno quàm in Delphinatu, prouiſo quòd acceptabunt præſentem tractatum, & inde volunt gaudere.

Item renunciabit Rex confœderationi, quam fecit cum Imperatore contra Ducem Burgundiæ, & omnibus alijs cõfœderationibus per ipſum factis cum quibuſcunque perſonis, principibus aut dominis in cõtrarium dicti Ducis. Prouiſo quòd dominus Dux faciet ſimiliter, & promittet Rex dicto Duci ipſum ſuſtinere & adiuuare contra omnes qui vellent ipſum grauare, vel damnum impendere per guerram & aliter. Et ſimiliter promittet Dux, ſalua ſemper exẽptione ſuæ perſonæ ad vitam.

Item tradet Rex ſuas literas, quòd ſi contingat in poſterum, quòd ex ſua parte infringatur iſte tractatus, ſui vaſalli, feudales, ſubiecti & ſeruitores, pręſentes & futuri non tenebuntur ſibi plus obedire nec ſeruire: ſed tenebuntur extunc ſeruire domino Burgundiæ & ſuis ſucceſſoribus contra ipſum. & quòd in dicto caſu omnes ſui feudales, ſubiecti & ſeruitores, ſint abſoluti & quieti de omnibus iuramentis, fidelitatibus, promiſsionibus, obligationibus ſeruitiorum, in quibus ipſi poſſent teneri per anteà verſus Regem, abſq; hoc, quòd in tempore futuro ipſis poſsit imputari ad onus aut opprobrium, aut quòd ab ipſis poſsit inde aliquid exigi. Et quòd ex nunc, prout extunc, Rex præcipiat ipſis ita facere, & quitet & exoneret ab omnibus obligationibus, & iuramentis in caſu prædicto, & quòd ſimiliter fiat & conſentiatur de latere Ducis Burgundiæ, reſpectu ſuorum vaſallorũ, feudatariorum, ſubiectorum & ſeruitorum.

Item quòd ex parte Regis fient promiſsiones, obligationes & ſubmiſsiones tangentes intentionem pręſentis tractatus in manibus Cardinalis ſanctæ Crucis legati Papæ, & de Cypro legati Concilij, ampliores quæ potuerint aduiſari, & ſub pœnis excommunicationis, aggrauationis, reaggrauationis, interdicti in terris ſuis & dominijs, & aliter vlteriores, ad quas cenſuræ eccleſiaſticæ ſe potuerint extendere ſecundùm poteſtatem quam habent dicti domini a Papa & Concilio, prouiſo quòd ſimiliter faciat ex parte ſua Dux Burgundiæ.

Item & cum hoc faciet Rex cum ſuo ſigillo tradi dicto Duci Burgundiæ ſigilla principum & dominorum ſui ſanguinis & obedientiæ, ſcilicet Ducum Andegauenſium, Caroli ſui fratris, Ducum Borbonij, Ducis Alenconnij, Comitis Richemõdiæ, Comitis Vindemię, Comitis de Fuxo, Comitis Armignaci, Comitis Perdiaci, & aliorum qui aduiſabuntur, in * quibus ſigillis incorporabitur ſigillum Regis, ſor.* quorum & promittent tenere ex ſua parte contenta ſigillatorum. Et ſi infringerentur ex parte Regis, de in iſto caſu adiuuando & confortando dictum Ducem Burgundiæ & ſuos contra Regem. Et ſimiliter fiet ex parte Ducis Burgundiæ.

Item & quòd ſimiliter Rex faciet tradi ſigilla virorum eccleſiaſticorum, & aliorum nobilium & villarum de regno de ſua obedientia, quos dictus Dux voluerit nominare, cum ſecuritatibus pœnarum corporalium & pecuniariarũ, & aliarum ſecuritatum, quas dicti Cardinales & alij prælati huc miſsi ex parte Papæ & Concilij, aduiſabunt pertinere.

ADVISAMENTA PROLOCVTA PER dominos Prælatos & alios, clerum regni Franciæ & Delphinatus repræſentantes, qui Biturìs conuenerunt ad mandatum domini noſtri Regis, die 26. Februarij, 1431. more Gallicano, præfati domini noſtri Regis, & ſui Magni Concilij beneplacita voluntate & correctione in omnibus ſemper ſaluis.

IN primis, quòd attentis hæreſibus Bohemorum & eorum inſultationibus, guerrarum calamitatibus, & morum in Clero & populo vndique deformitatibus, conuentioneque Baſileæ triplici authoritate Apoſtolica legitimè facta, quæ per annum durauit & vltrà, & ad quam de vniuerſis mundi partibus plures conuenerunt, Spiritu ſancto duce, meliora & viciniora ſalutis ſperantes, & mandati ibidem Bohemi, qui ſæpiùs per vniuerſa mundi climata diuulgârunt, ſe à Catholicis non potuiſſe audiri, & generalis Concilij determinationi ſtare velle: quibus nihil omninò reſpondere, vtile non eſſe videtur, ne fortè exiſtiment Catholicos reſponſionis penuria declinare certamẽ, & fides lędatur, non intelligentium mentes ipſorum: Nonque paſtorum, ſed mercenariorum perſonas gerere videantur prælati maiores & minores, terga ſilentio præbendo, qui liberè veritatem pronunciare, & eandem populi defendere tenẽtur, vbi honor Deo debitus & proximorum ſalus adimitur, eximereque citò, oberrantes introducere infra eccleſiam iubentur. Ideò nedum honeſtum & vtile, ſed & neceſſariũ eſt, Concilium Baſileenſe celebrare, & pro poſſe ad Dei laudem & intentos fines ſtabilitum exaltari.

Item quia naturaliter homo homini ſubeſſe, aut tributa ſoluere abhorret, & cùm error Bohemorum ſpiritualem temporalem pręſidentiam, aut tributa decimarum, oblationum & quæuis alia eccleſiaſtica, necnon & temporalia aboleat & execretur, ideò hic cancer leniùs ſerpit. ſi enim ex Alexandria Arij ſcintilla, nihil naturale habens, in magnam excreuerit flammam: quanto magis hic error, per meatus naturales veniens, & auaritiæ ſe commiſcens, faciliùs multos inflammabit? Vindex eſt enim error iſte diſsimulantium, aut comminuentium eum tam eccleſiaſticorum quàm ſecularium: quia enim eccleſiaſtici qui paſtorum more, ſe pro ouibus & veritate opponere debeant, & non fugere ante faciem fidem perſequentis diſsimulârunt: ideò vbique in Bohemia templa Dei incenderunt, ſacerdotes Dei ſpoliârunt, & varijs cruciatibus trucidarunt, nouis & inauditis tormentorum generibus adinuentis: ſacramenta eccleſiaſtica pro nihilo reputârunt, & in tam varios errores deciderũt, vt Catholicæ eccleſię doctrina ibi in paucißimis & latentibus hominibus conſiſtens, in nullo ab alijs audiatur & idcircò nedum honeſtum, aut vtile, ſed & neceſſarium eſt, generale Concilium abſque dilatione celebrari: quia non eſt expectãdus Antiochus qui templum Dei totaliter ſpoliet, vaſa argentea auferat pariter & aurea, coinquinet ſancta, fideles occidat, incircuncíſus trucidet circuncíſos: ſed præueniendum eſt, ne videamus mala gentis noſtræ & ſanctorum. Ezech. 8

Item quia Rex Bohemiæ & alij principes nobiles, qui gladium portant ad laudem bonorum, vindictamque malorum, patientiùs tolerârunt fidem vacillari, templa & perſonas eccleſiaſticas (vt præmittitur) laniari, illum poſteà ſeminârunt errorem, dominum temporalem in peccato publico mortali non poſſe populo præeſſe, & quodlibet peccatum publicum & mortale pro ſuo arbitrio reputantes, fugârunt & Regem & principes & nobiles: & quos habere po-

tuerunt,

fuerunt, membratim conciderunt, ſuis vxoribus & filiabus virginibus, ſanctimonialibus & alijs quibuſcunque ſine reuerentia violatis, caſtella ipſorum diruerunt, & omne diuinum * ad ſe penitùs abiecerunt ſine alia cognitione iudiciaria: nec fuit poſsibile, Eccleſia tacente & demùm fugata, nobilibus reſiſtere: populus enim multus eſt, & dominus vnus ſuis ſubditis præpoſitus. nec facilè eſt, vnum dominum aduerſari populo multo.

for.* à ſe

Item præfati Bohemi venenum per epiſtolas plurimas diuulgârunt per vniuerſas mundi partes, & plurimos infecerunt. & vt Bohemiam prętereamus remotam, domini noſtri Regis infectas partes non ſileamus, nonne in Bailliuia Matiſconenſi, & Comitatu Forenſi viſus eſt à paucis annis citra populus in nobiles dominos ſuos inſurgere, & impias manus in eos inijcere, non nobilitati, non ſexui, nó ætati aut conditioni parcentes, libros cenſuales ſiue terrena concremantes, caſtella inuadentes, & dominos ſuos ſuis mobilibus ſpoliantes? auſique ſunt dicere, quòd in tota patria ſufficerent duo ſacerdotes, & quòd omnes nobiles ad labores propriarum manuum tenebantur, ex ſententia diuina in genus humanum & perſonam Adæ: In ſudore videlicet vultus tui veſceris pane tuo, prolata. ex quo inferebant, tributa dominis temporalibus non debere ſolui. & quantum deuiet, aut coniungatur error iſte Bohemis, iudicet ſapiens quiſque. Et niſi exterminatus fuiſſet prudentia domini * Bailliui Matiſconenſis vnà cum nobilibus patriæ dum naſceretur error ille, multorum ſupplicijs & patibulis, iam diuulgabatur in plurimos populos.

Geneſ. 3.

Principijs obſta.

Item nonne etiam in Delphinatu eſt quædam portio inter montes incluſa, quæ erroribus adhærens prędictis Bohemorum, iam tributum impoſuit, leuauit & miſit eiſdem Bohemis, in quibus fautoria manifeſta hæreſis prædictæ debet iudicari? & nouit Deus, ſi multorum popularium latentia corda leuiter detegerentur, ſubleuata ampliùs Bohemorum malitia, & ad eiſdem ſeminaretur, Concilium generale auſugiſſe, non valés reſpondere rationibus Bohemorum prædictorum, hoc pręſertim in tempore, cùm populus ex guerrarum malitijs laceſſitus, depauperatum ſe ſępiùs vidit, & in partibus multis videtur furere, & ex popularibus multi ducti ſunt ad prælia. Eapropter citò, immò citiſsimè obuiandum eſt per dominum noſtrum Regem, necnon & per Eccleſiam Catholicam: quæ tamen aliàs occurrere non poteſt, niſi principum & nobilium fortitudine, vel iurium & clericorum ratione.

Item ſi principum & nobilium fortitudine occurrêdum eſt, quòd licèt cum ferro abijcienda ſint vulnera, quę medelam non ſentiunt, quia cùm gens illa inuerſa valdè & indomita eſt, ac in ſuis erroribus indurata, vinci non poteſt, niſi maxima Catholicorum ad hoc vnitorum multitudine, & cum expenſarum grandi mole: principum autem & Catholicorũ multitudo hos hæreticos expugnantium haberi non poteſt ſine pacificatione regum & principum, ad inuicem vbique terrarum contendentium. Et ideò moris fuit Eccleſiæ Catholicæ volentis principes in ſubſidium terræ ſanctæ aut contra infideles commouere, priùs ipſos per media Conciliorum generalium pacificare, aut ſaltem longas & fidas treugas inter ipſos inire, & fideliter in facie Eccleſiæ firmare, ac vno agmine ad fidem defendendam inducere: & ad hunc finem Baſileenſe Concilium conuocatum eſt. nec Eccleſiæ, quæ in fide defendenda à facultatum contributione ſe excuſare non debent vel poſſunt, contributum imponi aliàs poteſt. Nec patietur ſe tributariam fieri, quàm ex ordinatione Concilij generalis, vt patet ex conſtitutione Conſtantienſi. nec obeditum eſt domino Martino, contra Bohemos ſubſidia imponere volenti. Ex quibus infertur, neceſſariò Concilium generale celebrandum, cum principum & nobilium iuuamine poſtulandum, * vel onus eccleſiæ imponendum fuerit, ſine quibus hac in re ad bella procedi non poteſt.

Locus obſcurus aut vitiatus, quales hac in parte cõplures.

Item ſi occurrendum eſt iurium & clericorum ratione, quæ via videtur accommoda, quia Spiritusſanctus in vnum congregatos in nomine eius dirigit, & per generalia Cõcilia frequentiùs hæreſes ſunt extinctæ, ſicut hæc hæreſes Bohemica ſperatur extingui in Concilio Baſileeñ. ad quod vocati ſunt dicti Bohemi cum magna charitate, & qui literas eiuſdé Concilij acceperuut, & ſi venerint ad Concilium general præfatis expedit eccleſiam Catholicam in vnum conuenir quia quòd à pluribus quæritur, faciliùs inuenitur: ſalubriu que eſt fidei, & Papæ conſultius, cauſam fidei vnitati cõmi tere, quàm vni: & ſic omninò aſsiſtendum eſt, & ſubleuan dum generale Concilium, & non differendum, maximè vbiq; vniuerſitates ſtudiorum ob guerras & rerum inopia ſint multùm depopulatę, nec ſit expectandum, vt ex toto ſ neſcat, vel morte pereat literatorum antiquorum copia. S verò Bohemi non venerint ad Conciliũ ſic ſolenniter ma dati, tunc ſua obmuteſcet garrulitas quòd non potuerunt au diri: tunc conuocata erit Eccleſia vniuerſa, & principes & Chriſti fideles poterunt ad pugn[illegible]n animari: tunc Eccleſia tributa & ſubuentiones iuſtè imponi, imò gratiùs & benig niſsimè ferent ſua voluntate impoſita, & in poſterum ha de cauſa imponenda.

Item licèt iuſtè induci poſsit bellum contra hæretico dãnatos, ſępiùs tamen reprobata videtur in hac cauſa à Deo qui aufert corda principum, fortitudo, cùm Catholici itera tis vicibus fugerunt, nemine perſequente, inſcrutabiliaqu Dei iudicia, licèt nullus hominum valeat diſcernere aut iudicare. Suaderi tamen poteſt, quòd monſtruoſos mores in Clero & populo voluit purgari, ſicut contra hoſtes fidei congredi, ne cæcus cæco ducatum præberet, aut geſtans trabem in oculo, feſtucam in oculo proximi erueret. Ne etiam diuiſi principes, hæreticos ab Eccleſia diuiſos exterminare conentur: quibus pacem conſulendo, priùs ſuadendum eſt: Medice cura te ipſum. Quis enim neſciat à Viennenſi Concilio anno 1311. celebrato, circa morum deformitatem nullum fuiſſe celebratum generale Concilium, & varij in varios ex vetuſta corruptela, quam pro iure conſuetudinis vẽdicant, deciderunt deformitatum mores? quis neſciat confictas cauſas & diffugia, poſt aſsignata generalia Concilia, ne celebrentur eadem, adinuenta? & meminiſſe diuinam ſentẽtiam decet: Hieruſalem Hieruſalem, quoties volui te congregare, quemadmodùm gallina congregat pullos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Viſitat quoque iam ferè vbique terrarum dominus plebem ſuam in gladio, fame & peſte. & ſi dictos corruptos mores, quibus vehementer Deus offenditur, inſequi & vlciſci * deferimus, ad iraſcendum vtique diuinitatis patientiam pro[illegible]ocamus. Nec tamen dicti corrupti mores extra Concilium generale, cùm de omnium ſtatu agatur, honeſtè vel breuiter poſſunt emendari, aut reges & principes ad pacem & treugas induci.

Item ponderandum eſt, quòd poſt tempora Apoſtolorum cùm perſecutiones contra Eccleſiam ſerueſcerent, non habuit facultatem Eccleſia conueniendi in vnum vſque ad tempora Conſtantini Magni. Si igitur multiplicatis vitijs in Clero & populo, multiplicet & Dominus flagella contra religionem Chriſtianam, ſe aduerſus Deum rebellantem, & Pharaonis more indurantem: non eſt credibile, quòd Eccleſia tunc ad D[illegible]m confugiens leuiter audiatur ad conuentionem Conciliorum, ſed redibit ad prędicta perſecutionum tempora, libertatem non habés congregandi. Hoc ipſe Dominus regio ore profeſſus eſt: Multiplicatæ ſunt, inquit, infirmitates eorum poſteà accelerauerunt. Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Item quòd viſis ſanctiſsimi domini noſtri Eugenij Papę diſſolutionis eiuſdem Concilij cauſis, necnon & rationibus contrarijs in quibuſdam inſtructionibus per ſacrum Concilium generale Baſileenſe ad eundem dominum noſtrũ Papam directis, vt diſsidia ceſſent, quæ ſator zizaniæ ingerere poſſet, per clerum Eccleſiæ Gallicanæ conſulendum eſt, & conſulit humiliuſq; ſupplicat domino noſtro Regi, vt progenitorum ſuorum more ſchiſmata extinguentium, & Eccleſiam depreſſam ſubleuantium, his occurrat, vt priùs extinctum, quàm natum, malum huiuſmodi inextinguibile, videatur. per hæc enim Deum ſibi placabit, eccleſiam peramplius obligabit. veſtigia prædeceſſoris imitetur, & fama eius in omnem terram diuulgabitur.

Item quòd præfatus dominus noſter Rex, re & titulo Chriſtianiſsimus, à paternis non declinando traditionibus & veſtigijs præmiſsis, aſſurgens pro ſe & eccleſia Gallicana, nota-

notabilem dirigat ad præfatum ſanctiſsimum dominũ noſtrum Papam Ambaſiatam, exorando pro vt pro fidei neceſsitate, proque religionis Chriſtianæ vniuerſali vtilitate, mandet continuari & celebrari idem generale Conciliũ Baſileenſe, obſtruendo ora in fidem orthodoxorum, ſuamque S. clementiſsimam malignantium.

Item quòd præfati ambaſiatores inſtent apud Reuerendiſ. patres dominos Cardinales & ſacrum collegium, de pręmiſsis eos reddentes attentos, vt Eccleſiæ incommoda præcauentes, deuotiùs exorent eundem dominum noſtrum, & in ſingulari & per modum collegij, vt celebrationi Concilij quæ ſuæ S. honori accedit, & Eccleſiæ plurimæ vtilitati intendere velit, mãdando cõtinuari idem Concilium & pręlatos abſentes, quatenùs opus eſt, arctiùs conuocando.

Item hoc ſacrum Concilium pro extirpatione hæreſum, alijſque cauſis à diu aſsignatum, non debet dici cum Bohemis iam damnatis initum, ſed pro eorum totali extirpatione, & fidei defenſione, ſuperque dictis cauſis legitimè conuocatum, licèt & in eodem Concilio ſi dicti Bohemi venerint, poſsint doceri, & charitatiuè inſtrui & tractari, necnon ſi poſsibile eſt, reduci. Suaque attenta multitudine, quæ ferro domari ſine ſanguinis humani multa effuſione non poteſt, ſeueritate diſciplinæ detrahi valet & poteſt: & vbi reperientur contumaces, Catholici in Concilio præſentes, & diuulgata fama abſentes, audaciores & firmiores reddentur. Imò ſperandum eſt de Dei miſericordia, quòd Deus pugnabit pro illis, quia veritas vincit.

Item quòd placeat domino noſtro Regi, ſuas dirigere literas Imperatori, & dominis ducibus Sabaudiæ & Mediolanenſi, quòd velint ſuo nomine cum charitate plena fauere Concilio, ipſius Imperatoris grandi inſtantia & in eius indictione conuocato. faueant etiam omnibus euntibus, ſtantibus & redeuntibus ad idem, & in ſingulari prælatis & alijs quibuſcunque de regno Franciæ domino noſtro regi ſubditis. Nihilque à quibuſcunque permittant acceptari contra dominum noſtrum Papam, curiam Romanam, vrbem vel patrimonium eorundem, vnde Papa & collegium occaſionem indignationis, dilationis, ſuſpenſionis aut mutationis Concilij aſſumant: quia exinde fructus ſperatus Concilij deperderetur, hæreſes augmentarentur, & mores ſordidi in ampliùs ſordeſcerent in Dei offenſam & populi Chriſtiani corruptelam.

Item quòd Clerus regni Franciæ in Concilio Bituricenſi ad mandatum domini noſtri Regis (vt præmittitur) congregatus pro præfata Ambaſiata dirigenda ad ſanctiſsimi domini noſtri Papæ, elegit concorditer reuerendiſsimum in Chriſto patrem dominum Archiepiſcopum Lugduneñ. ex parte Eccleſiæ Gallicanæ Ambaſiatorem & legatum tanquã virum in quo eſt zelus domus Dei, & in iure eximium profeſſorem, qui licèt totis viribus renitendo præfatam Ambaſiatam omnimodò recuſaret, precibus tamen victus, licèt inuitus, onus præfatæ Ambaſiatæ pro neceſsitate pariter & honore Eccleſiæ ſuſcepit: quem ſi dominus noſter Rex pro ſe & ex parte ſua dirigat ad præfatum dominum noſtrum Papam Ambaſiatorem & legatum, ita vt vna fiat Ambaſiata ex parte dicti dñi noſtri Regis & eccleſiæ Gallicanæ, Ambaſiata erit maioris authoritatis, efficaciæ & virtutis, quoniam funiculus duplex non æquè facilè rumpitur vt ſimplex, fietq; Ambaſiata cum minori expenſa. Et vt ita fiat, humiliùs clerus ſupplicat domino noſtro Regi,

Item ne tædio affectum ex longa mora & pluri expenſa ſacrum generale Concilium videatur, vt aſſumant pennas, volent, & non deficiant: vtque præfatus dominus noſter rex alios præueniat in benedictionibus huius dulcedinis, quòd ad dictum Concilium aliquos ſuos præmittat oratores, nũciantes intentionem regiam & eccleſiæ Gallicanæ ſanctam, pro qua miſſa eſt ſolennis Ambaſiata ad Papam: patiaturque prælatos ſub cẽſuris eccleſiaſticis & religione iuramenti adſtrictos, & ab eodem Concilio authoritate Apoſtolica vocatos, vt ad idem Concilium vadant, prout ſuis conſcientijs attenta vocatione & rei neceſsitate videbitur expedire.

Item quòd pro expenſis præmiſſorum, & in vſus præfatos conuertendorum, & non aliàs vel alio modo, conſentiunt leuari quartam partem vnius decimæ ſuper Clero regni & Delphinatus: ita tamen, quòd cũ de iure cõmuni, etiã ex beneficio Concilij Conſtantienſis, Papæ nõ liceat imponere decimam aut partem eiuſdem clero vniuerſaliter vel particulariter, niſi ſacro generali approbante Concilio, aut de conſenſu cleri eiuſdem, quòd dominus noſter Rex non patiatur clerum regni aut Delphinatus grauari authoritate Apoſtolica alia decima aut parte eiuſdem, maximè cùm clerus ſit oppreſſus ex guerris & monetis, & ampliùs grauabuntur prælati ex acceſſu ad Concilium generale.

Copia mandati nunciorum Concilij exiſtentium in Norimberga ad tractandum cum Bohemis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem eccleſiam repræſentans, pacem & vnitatem Chriſti fidelium & eccleſiæ * propinq eo modo quo præmittitur, congregari voluit, procurare, integritatemque pacis inchoare, præter- *Locus obſcurus.* tim cùm regni Bohemiæ incolis proſequi, & ad optatum vſque finem perducere deſiderans, volensq; ipſorum procuratoribus, nuncijs, & Ambaſiatoribus propterea hucuſque deſtinandis, de plena ſecuritate pro ſuo acceſſu, mora & receſſu vſque ad propria ſua loca & ſaluoconductu petito & oblato prouidere, & alia quæ dictæ pacis & vnitatis vberiori ac celeriori proſecutione deſeruiant, cùm ipſi præcederẽt, pertractare: eadem ſancta ſynodus meliori modo & forma, via & iure, quibus efficaciùs potuit & debuit, poteſt & debet, fecit, conſtituit & ordinauit, ac facit, conſtituit, & ſolenniter ordinat ſuos veros & legitimos ac indubitatos procuratores, negotiorum ſuorum geſtores, ac nuncios ſpeciales & Ambaſiatores, videlicet venerabiles & egregios viros dominum Henricum Abbatem ſancti Aegidij in Nurenberga, & fratrem Ioannem Nider ſacræ Theologiæ profeſſorem, & priorem domus prædicatorum Baſileenſ. dominum Henricum canonicum Magdeburgenſem & in ſacra pagina profeſſorem, dominum Fredericum de Parſperch Decanũ Ratiſponenſem, Licentiatum in Decretis, magiſtrum Albertum plebanum ſancti Sebaldi in Nurenberga, & fratrem Ioannem monachum Ciſtertienſis ordinis monaſterij de Mulenbrun, & ex illis quoſlibet duos in ſolidum, ita tamen, quòd duorum occupantium non ſit melior conditio: ſed quod duo ex eis inceperint, omnes prænominati aut ſaltem duo ex eiſdem proſequi valeant & finire. Dans & concedẽs præmiſsis omnibus, & ſingulis duobus plenam liberam ac omnimodam poteſtatem cum procuratoribus ſeu nuncijs dictarum incolarum regni Bohemiæ in Egra vel alibi, vbicunque neceſſe fuerit, conueniendi, colloquendi, audiendi, necnon de ſaluis conductibus opportunè eis præſtandis, dãdis, procurandis & ordinandis, ac modo ſeu modis ac forma, & tempore acceſſus & receſſus ipſorum, & numero accedere volentium, tractandi, concordandi, concludendi, pactisq; quibuſlibet, promiſsionibus & obligationibus, etiam iuramento, ſi opus fuerit, per ipſos vtrinque concorditer cõcludendi, firmandi & roborandi. Et nihilominùs quoſcunque Epiſcopos, prælatos, principes, comites, nobiles, necnõ ciuitates, magiſtratus, Scabinos, cõſules, ac quaſuis alias perſonas eccleſiaſticas ac ſeculares, quouis nomine nuncupentur, de quibus videbitur, & cõmunitates, quatenus huic ſacro Concilio, dictiſque procuratoribus in hac parte ſuo nomine fauorem, conſilium & auxilium, ac aſsiſtentiam, ſupradictisq; procuratoribus, nuncijs & Ambaſiatoribus huc accedere volentibus ſaluoſconductus dent, præſtent & impendant, petendi, rogandi, exhortandi & requirendi, vbi & quoties procuratoratoribus prædictis videbitur opportunum. Omniaque alia & ſingula faciendi, agendi, exercendi & ordinandi, quæ pro præmiſsis neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, etiam ſi maiora forent ſuperiùs expreſſis, ac mandatum exigerent magis ſpeciale. Promittens ſe ratum, gratum & firmum perpetuò habiturum, quicquid per nominatos ſuos procuratores omnes aut duos ex ipſis actũ, geſtum, ſeu procuratum fuerit quomodolibet in præmiſsis ſeu à quolibet præmiſſorum. Acta fuerunt hæc in congregatione noſtra generali, præſentibus dictæ noſtrę ſanctæ ſynodi Baſileenſis notarijs & ſcribis infrà ſcriptis, ſub ſigillo reuerendi in Chriſto patris domini epiſcopi Conſtantienſis prouinciæ Rothomagenſis, quò ad præſens vtimur, die

Veneris 28. menſis Martij, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

TAXATIO NOTARIORVM IN CONcilio Baſileenſi facta & limitata, Anno natiuitatis Domini 1432. die 24. menſis Octobris.

Ita habetur in protocollo magiſtri Petri Bruneti Notarij Concilij Baſileenſis.

Pro citatione ad partes in cauſis beneficialibus ſimplicibus & alijs cauſis ciuilibus, ſi cum inhibitione, ſoluetur medius florenus Rhenenſis.

Blappard nũmi argentei æquiualẽtis ferè Albo rotato aut ſtuſero Brabantico, ſpecies eſt, Baſileen. & vicinis corũ maximè familiaris

Si verò ſine inhibitione, 8. blappard.
Item in cauſis eccleſiarum cathedralium, flor. 1.
Item pro inhibitione ſimplici ſine citatione, 8. blappard.
Item pro compulſoria, 8. blappard.
Item pro monitorio cum citatione, flor. 1.
Item pro ſequeſtratione fructuum, flor. 1.
Item pro ſimplicibus mandatis contra præſentes, 1. blappard.
Item pro folio regum, dummodò ſint in qualibet parte folij 30. lineæ, & in qualibet linea 8. dictiones, 15. folia pro vno flor. Rhenenſi.
Item pro 30. folijs copiæ de ſimili forma ſcripturæ, 1. flor.
Item pro examine teſtium, vbi eſt numerus articulorum infra decem, quarta pars flor.
Si vltra quantumcunque, ſemper pro decem addatur & ſoluatur quarta pars flor.
Item pro nota ſententiæ, 2. flor.
Item pro inſtrumento ſententiæ, 2. flor.
Item pro executione ſententiæ ſub ſigillo iudicum, prout ſuprà de monitorio: tamen inſpiciendum eſt, ſi eſt magna quãtitas ſcripturæ, tunc ſuperaddatur alter dimidius florenus.
Item pro inſtrumento priuato alicuius actus Concilij, 8. blappard.
Si verò ſcriptura duplicabitur, etiam duplicabitur ſalarium: aut aliàs ad quantitatem ſcripturæ habeatur reſpectus.
Item à pauperibus non valentibus ſoluere recepto priùs ab eis iuramento, nil recipiatur.
Item curſor præſentans ſupplicationem ſiue commiſsionẽ, non recipiat vltra duos blappard.
Item pro actu citationis, 1. blappard.
Item pro executione citationis in valuis, 1. blappard, &c.

QVODDAM CONCESSVM CONCILII EXTRA ſeſsionem publicam pro ſuppoſitis ipſius Concilij ſequitur, factum Anno Domini 1433. octaua Maij, in Concilio Baſileenſi.

PRo incremento huius ſacri Concilij & tuitione perſonarum ad illud confluentium, & vt decreta ipſius inconcuſsè obſeruentur, & ſtabilita permaneant, vult hęc ſancta ſynodus, ſtatuitq; pariter & ordinat & declarat, quòd omnes & ſingulæ antelationum prærogatiuę, per ſanctiſsimũ dominũ Eugenium Papam IIII. ſub quacunq; verborum forma familiaribus ſuis, continuis commenſalibus, ipſiusq; & ſedis Apoſtolicæ officialibus, necnon curtiſanis Romanã curiam ſequentibus conceſſæ & concedendæ, quò ad aſſecutionem beneficiorum eccleſiaſticorum, canonicatuum, prębendarum ac dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum vel officiorum, quę vigore gratiarum expectatiuarum expectabant, expectant, ac in anteà expectant, tam quò ad pręſentes in hoc ſacro Concilio, quàm familiares, officiales & pręſentes in dicta curia, ac quoſlibet alios à tempore publicationis decreti, quo curiales & officiales dictæ curiæ monebãtur à Romana curia recedere, ad ius commune cenſeantur reductæ: nulluſq; ex familiaribus & Officialibus & alijs pręedictis vigore quarumcunque prærogatiuarum in aſſecutione beneficiorum, canonicatuum & præbendarum ac dignitatum, perſonatuum, Adminiſtrationum, vel beneficiorum alteri pręfertur, ſed ius commune inter ipſos hincindè ſeruetur, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

IVRAMENTVM AMBASIATORVM DOMINI Papæ, quod præſtiterunt in plena congregatione habita in vno die ſabbati, & die Lunæ immediatè ſequenti celebrabatur.

SESSIO XVII.

ANno Domini M. CCCC. XXXIIII. octaua mẽſis Aprilis, videlicet die ſabbati in plena congregatione ſacri Concilij, Ambaſiatores ſanctiſsimi domini noſtri Papæ moderni fuerunt recepti in ſacro Concilio, & iurauerunt ſecundùm ſchedulam quæ ſequitur, proprijs nominibus, ſcilicet fideliter laborare pro ſtatu & honore Concilij Baſileñ. & eius decreta defendere & manutenere, & ſpecialiter decretum Concilij Conſtãtienſis, cuius tenor ſequitur & eſt talis: Primò, quòd generalis ſynodus Conſtantienſis, necnon quæcunque alia ſynodus in ſpiritu ſancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet, cuiuſcunq; ſtatus & dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem dicti ſchiſmatis, & ad generalẽ reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris.

Item declarat, quòd quicunque, cuiuſcunq; ſtatus & dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus aut præceptis huius ſanctæ ſynodi, & cuiuſcũque alterius Concilij generalis, legitimè congregati, ſuper præmiſsis ſeu ad ea pertinentibus, factis vel fiendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Item dare ſanum & ſalubre conſilium ſecundùm Deum & conſcientias ſuas, & non reuelare vota ſingulorũ, inquantum ex huiuſmodi reuelatione veriſimiliter poſsit oriri aliquod odium vel ſcandalum, & non recedere à loco huius Concilij ſine licentia obtenta à deputatis eiuſdem.

Concordata deputationum.

CONCORDANT tres deputationes, quòd omnes appellationes ab hoc ſacro Concilio emanatæ, & quæcunque inde ſecuta & ſequenda, caſſentur, & irritentur & annullentur. Et tam iudices quàm commiſſarij, partes, procuratores & notarij, qui circa præmiſſa culpabiles reperti fuerint, moneantur etiam per edictum & debitè puniantur. Et ad hoc dati ſunt executores in deputatione reformatorij, vicarius Friſingenſis: In deputatione pro communibus, Magiſter Guillermus de Conſtantia: In deputatione pacis dominus epiſcopus Lectorenſis, Quarta verò de fide, concordat cum eiſdem deputationibus, dum tamen excipiatur perſona domini ducis Sabaudiæ, & pro eadẽ deputatione fidei, datus deputatus dominus præpoſitus Gueznenſis. Quodq; ex parte ſacri Concilij ſcribatur eidem duci ſuper materia huiuſmodi Lauſanenſis. Quodq́ue Concilium paratum eſt ſibi & cuicunque de ſuppoſitis Concilij querulanti, iuſtitiã miniſtrare. Et ſi opus ſit, eidem tranſmittentur viri notabiles pro actu huiuſmodi.

Item concordant quatuor deputationes, quòd contra appellantes ab hoc ſacro Concilio, ſeu à iudicibus & commiſſarijs ab eodem Concilio deputatis extra hoc ſacrum Concilium, intimanteſq́ue huiuſmodi appellationes, ac illis deferentes, ac notarios inde inſtrumenta recipientes, necnon cõtra illos qui literas quaſcunque tam à Romana curia, quàm aliunde extra locum ſacri Concilij emanatas, contra incorporatos huic ſacro Concilio exequuntur, & procurant exequi. Et ad procedendum contra huiuſmodi appellantes, intimantes, & alios prędictos fuerunt deputati, pro deputatione pacis, dominus epiſcopus Lectorenſis, pro deputatione reformatorij, vicarius Friſingenſis: pro deputatione fidei, præpoſitus Gueznenſis: pro deputatione de communibus, dominus patriarcha Aquilegien. qui contra prædictos procedant cum poteſtate citãdi in loco huius ſacri Concilij, extra & ad partes etiam perſonaliter & per edictum, illoſq́ue puniendi & caſtigandi vſque ad priuationem officiorum & beneficiorum, atq; in futurũ obtinenda inhabilitandi, prout

iuſtitia & criminis qualitas poſtulant & requirunt, ac eis videbitur expedire: ita tamen, quòd coram altero ex eis in cauſis huiuſmodi poſsit procedi vſq; ad ſententiam excluſiuè, quę tunc conſenſu maioris partis interuenientis poſsit promulgari, & procedendi ſimpliciter ſummariè & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicij omnium iuris & ſtyli ſolennitate atque terminorum obſeruatione ſemotis, ſola tamen facti veritate inſpecta.

Ita concordarunt domini de duodecim die Iouis 15. Septembris, Anno domini 1435.

Die Veneris 16. menſis Septembris, Anno 1435. in generali congregatione, præſidente in eadem reuerendiſs. domino Cardinali Legato, lectis concordatis dominorũ de duodecim, inter quę concordata ſupradicta fuerunt, reuerendiſſimus dominus Cardinalis legatus nomine & authoritate ſacri Concilij iuxta cõcordata dictorum dominorum de duodecim, more ſolito concluſit.

PRAEROGATIVAE GRADVATORVM INCORporatorum in ſacro Concilio Baſileen. expedita 2. Decembris 1435.

SAcroſancta, &c. Ad futuram rei memoriam. Plaſmatoris omnium, qui gradus & formas humani generis per hæc ſpiritualia & temporalia bona diſponens, quoſdam diuini ſui muneris beneficio ad præfugandas ignorantiæ tenebras perſpicuæ veritatis arcanarum rerum ſic illuminat dogmatibus, vt velut ſplendor firmamenti, & ſtellæ in perpetuas ęternitates, in eccleſia Dei fulgentes, tam publica quã priuata eruditionis & iuſtitiæ aſsiduè commoda procurant, quantùm poſſumus & permittit, inſequendo veſtigia, ipſorum præſertim, qui vineam Domini ſedulò colunt, peculiaribus fauoribus digno compenſationis munere duximus cõfouere. Sanè dudum D. Eugenius Papa I V. nonnullos Romanam curiam pro tempore ſequẽtes, & quoſdam alios ſpecialibus fauoribus & varijs antelationum gratiarum proſequens prærogatiuis, quibus eos voluit anteferri dilectis Eccleſiæ filijs in Theologia magiſtris, & in altero iurium doctoribus, ac cum rigore examinis. Licentiatis, & in Theologia, ac altero iurium huiuſmodi baccalaureis, in vinea domini nobiſcum quotidie laborantibus, in aſſecutione beneficiorum, quę vigore gratiarum expectatiuarum eis per dictũ dñm Eugenium conceſſarum expectant, graue pręiudicium generauit. Nos itaq; licèt dudum, quòd dictæ antelationes prærogatiuæ noſtræ congregationi incorporatis, ſiue eorũ familiaribus, obſequijs ipſorum inſiſtentibus, nullũ præiudicium generare poſſent aut deberent, ſub cunctis modo & forma ſtatuiſſemus atq; ordinaſſemus: tamẽ circa ſtatum & commodum dictorũ magiſtrorum, licentiatorum & baccalaureorũ prædictorum, qui pro tractandis vniuerſalis eccleſiæ negotijs peruigiles in vinea dñi nobiſcum ſolicitudines impendunt, ne ipſi denario ex dicta vinea fraudarentur, vberiùs prouidere cupientes, æqua librata conſideratione huiuſmodi promotorum, authoritate vniuerſalis Eccleſiæ tenore præſentium ſtatuimus, decernimus, volumus atque ordinamus, quòd doctores, licentiati & baccalaurei ſupradicti, illi videlicet, qui nobiſcum pro vniuerſalis Eccleſiæ negotijs exequendis per annum in eadem vinea laborauerunt, in aſſecutione beneficiorum ſuorum eccleſiaſticorum, cum cura vel ſine cura, etiamſi canonicatus & prębendæ, dignitates, perſonatus, vel officia, integræ vel dimidię portiones, præſtimoniæ & præſtimoniales portiones, ſeu adminiſtrationes, in metropolitanis aut cathedralibus vel collegiatis eccleſijs fuerint, quæ exnunc vacantia & in antea vacatura, vigore earũdem gratiarum ritè acceptauerint, & de illis ſibi prouideri fecerint, omnibus & ſingulis alijs doctoribus ſimilibus, magiſtris, licẽtiatis & baccalaureis ac alijs quibuſcũque antelationũ gratiarum huiuſmodi pręrogatiuis, aut quibuſuis alijs gratijs eis à domino Eugenio etiã motu proprio, ſeu quacunq; alia verborum forma, etiã priore datis & conceſsis, huiuſmodi beneficia expectantibus, etiamſi vigore dictarum gratiarum in canonicos ſint recepti, & diligentiores in proceſsibus exiſtãt, S.R.E. Cardinalibus & veris ſine fraude receptis familiaribus, continuis commenſalibus eiuſdem Eugenij Papæ, & dictis incorporatis doctoribus, magiſtris, licentiatis & baccalaureis æqualiter graduatis, & ſimilibus Apoſtolicæ ſedis officialibus, & his qui earũdem gratiarum prætextu, beneficia prædicta aſſecuti exiſtũt, duntaxat exceptis, in aſſecutione beneficiorum huiuſmodi præferantur. Et inſuper inter graduatos incorporatos prædictos talẽ ordinẽ volumus obſeruari, quòd magis graduatus, minùs graduato in aſſecutione beneficiorum prædictorum præferatur, & inter æquales eorundem ius cõmune conſeruetur, nõ obſtantibus omnibus ſupradictis, ac voluntate, ſtatuto, atq; decreto Eugenij Papæ: quæ quo ac incorporatos graduatos per annum nobiſcum laborantes, huiuſmodi, vt præfertur, volumus haberi pro infectis, nulliuſq; exiſtere roboris vel momenti, ac conſtitutionibus, ordinationibus, indultis, nominationibus, facultatibus & conceſsionibus Apoſtolicis quibuſcunque, regibus, principibus, ducibus, prælatis, perſonis & vniuerſitatibus cõceſsis, aut in poſterum quomodolibet concedendis, atque noſtris, de quibus eorumq; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda eſſet in noſtris literis mẽtio ſpecialis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo, &c. Datum Baſileæ tertio Nonas Auguſti, Anno milleſimo quadringenteſimo triceſimoquinto, &c.

RESPONSIO FACTA AMBASIATORIBVS DOmini Imperatoris ſuper factis Bohemorum in generali congregatione, die Sabbati 29. Octobris, 1435.

HAEC ſancta ſynodus, matrem vniuerſorum Chriſti fidelium, ſanctam videlicet vniuerſam Eccleſiam, repræſentans, materna pietate ſolicita, optans multis animarum & corporum periculis obuiare, atq; regnum Bohemiæ & Marchionatum Morauiæ ad pacis trãquillitatem & eccleſiaſticam vnitatem, ſine quibus nec ſalus eſt animarum, nec proſperitas rerũ. Imperialis etiam ſerenitatis, quæ tam per illuſtrem principem quoque Guilhelmum, ducem Bauariæ, cuius anima Deo viuat, quæ protectoris eiuſdem ſynodi officium ipſius vice gerebat, quàm per alios oratores pluribus vicibus eandem ſynodum deprecata eſt, quatenus propter effectus prædictos, quantum ſalua fide & eccleſiæ honeſtate fieri poſſet, hæc ſancta ſynodus benignè cõdeſcendere dignaretur, cum multa benignitate & pietate materna condeſcendit ad hoc, quòd ipſis Bohemis & Morauis ſuſcipientibus eccleſiaſticam vnitatem, & pacem realiter & cum effectu * in omnibus alijs, quàm in vſu communionis vtriuſq; ſpeciei, fidei & ritui vniuerſalis Eccleſiæ conformibus illi & illæ, qui talem habent, communicarent ſub vtraq; ſpecie, &c. prout in capitulis ſuper pace & vnitate, inter huius ſacræ ſynodi legatos & generalem congregationẽ dictorum regni & Marchionatus concordatis & formatis, latiùs continetur. Per quæ quidem capitula ſic concordata & formata, ſperabatur aſsiſtente diuina gratia perfici pax & eccleſiaſtica vnitas peroptatæ, ſi ipſa capitula fuiſſent ad debitam executionẽ deducta, prout hoc ſacrum Concilium per ſe promptum exhibuit: & ipſos Bohemos repetitis vicibus requiſiuit. Sed pro parte ipſorum Bohemorum vſq; ad pręſens ſtetit à tempore concordię & reformationis dictorum capitulorum ferè biennio adijciẽtibus his, quæ pro ipſis Bohemis negotia gerunt, difficultates plurimas, & petentibus plura, quæ nedum ſunt vltra compactata, ſed eiſdem compactatis ſanè & ſyncerè intellectis aduerſa. Et nunc nouiſsimè in diæta Brunnæ habita, poſtquam ab Ambaſiatoribus huius ſacri Concilij nonnulla poſtulauerant minùs cõgrua, etiam ab Imperiali ſerenitate petierunt, quòd ſua ſerenitas perſonaliter cum eis in perceptione communionis ſub vtraque ſpecie conueniret, ac Capellanos haberet, qui ſic populo miniſtrarent. Et quòd nullus eſſet in Conſilio eiuſdem & negotijs dicti regni, qui ſic non communicaret. Et quod religioſi monachi & moniales, ſine conſenſu Archiepiſcopi & domini communis loci, non admittantur. Et quòd ipſi habeant ſibi eligere Archiepiſcopum, qui ſic electus, habeat confirmare: & nonnulla alia, quæ non ſolùm vergunt in derogationem eccleſiaſtici ordinis & authoritatis, ſed etiam contra ſynceram intelligẽtiam dictorum compactatorum, indultum libertationis communionis ſub vtraque ſpecie, in coactionẽ conuertendo, & declinando à conformitate quã in reliquis habere debent cũ reliquo populo Chriſtiano. Et talia & taliter locuti, qui pro eis loquebantur, nõ videbatur

for. * cũ in

multum

multum ſperandum de ſtabili reductione ipſorum. Vnde licèt exiſtimetur, hæc non procedere de communi voluntate Baronum, nobilium & procerum, ſed immitti vel ſubmitti ab aliquibus contra pacem publicam propter priuata commoda machinantibus, ne tamen his modis tractatus inutiliter differatur, hæc ſancta ſynodus cupiens non tegere vulnus, ſed ſanare: ante omnia vult certificari, an dicti Bohemi velint ſtare purè & ſimpliciter in compactatis, & ea ſine vlteriori dilatione ad executionem deducere, & à prædictis petitionibus & alijs huiuſmodi penitùs abſtinere, & certa effici, quòd ceſſet omnis ſpecies prædicta vel alia ſimilia, quæ ad Eccleſiæ diſpoſitionem pertinent, ab aliqua ſeculari poteſtate ipſos poſſe obtinere, & quòd ad cōmunionem ſub vtraque ſpecie, nullus modo aliquo directè vel indirectè compellatur.

Si autem de his, quæ ad Eccleſiæ diſpoſitionem pertinent, pro vtilitate dictorum regni & Marchionatus alqua voluerint poſtulare, quæ compactatis non obuient ſupradictis, ab hac ſacra ſynodo poſſunt poſtulare, quæ tanquàm pia mater, quantum pro ſalute & vtilitate ipſorum, iudicauerit expedire, prouidebit. Et quantum ad difficultatem illam, quæ orta eſt ſuper vltima particula quarti articuli, vbi ſic ſcriptum erat, in declaratione ab hac ſacra ſynodo facta, * ipſam bona eccleſiæ ab alijs quàm ab his, quibus adminiſtratio canonicè eſt commiſſa, vſurpari ſine ſacrilegij reatu non poſſunt, licè hanc veritatem, quam non nunc nouiter hęc ſancta ſynodus protulit, ſed ſancti Doctores, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, & alij plures ſancti doctores, & antiquorum ſanctorum conciliorum & ſanctorum Patrum inſtituta repetitis vicibus protulerunt: credendū non ſit, quòd ipſi Bohemi reſpuere velint. Quia tamen dicunt cum ambaſiatoribus huius ſacri Concilij ſuper mutatione verborum aliter cōueniſſe, Legatis huius ſacri Concilij certum modum ponentibus, & ipſis Bohemis vel ſuis aliâs aſſerentibus, hæc ſancta ſynodus Ambaſiatoribus ſuis contulit poteſtatem, quòd habita certificatione de præmiſſis. propter hæc aut rupturæ tractatuum, aut dilationis occaſio nulla erit.

*ipſaſque

Originale, ex quo hæc excerpta ſunt, nihil amplius habuit.

SENTENTIA DOMINI PATRIARCHAE *Aquilegienſis.*

CHRISTI nomine inuocato, de cuiꝰ vultu omne procedit iudicium, per hanc noſtram ſententiam quam pro tribunali ſedentes ferimus in his ſcriptis, pronunciamus, decernimus & declaramus dictos Ducem, conſiliarios, procuratores, aduocatos nobiles, culpabiles, locatenentes, & quoſcunq; alios quomodolibet obnoxios anathematis & excommunicationis, communitatemq; interdicti contentas pœnas & ſententias incidiſſe, pro & ex eo, quòd ciuitatem, caſtrū, terras, villas, loca, iura, iuriſdictiones & dominia, ac alia ſpoliata, & occupata & detenta, ad eccleſiā Aquilegien. (vt præfertur) ſpectantis, iuxta monitorij tenorem, dicto Ludouico Patriarchæ non reſtituerint, neque cauſam ſeu cauſas rationabiles cur monitorio noſtro parere nō deberent allegantes, docuerint, & pro talibus habendos, denunciandos, reputandos, vitandos, & tractandos fore tandiu, & quouſque dux, communitas, conſiliarij, procuratores, aduocati, nobiles, locatentes, & alij obnoxij prædicti, ciuitatem, caſtrum, terras, villas, loca, iura, iuriſdictiones & dominia: ac alia ſpoliata, occupata ſeu detenta, ad ipſam eccleſiam Aquilegienſis (vt prædicitur) ſpectantia, præfato Ludouico Patriarchæ abſque dolo & fraude, ſeu alicuius excuſationis interuentione, omninò vnà cum fructibus perceptis & qui percipi potuerint, reſtituerint liberè cum effectu. Ipſumque Ludouicum Patriarcham integrè reſtitutum eccleſiæ Aquilegienſis in ſpiritualibus & temporalibus pacifica ſinant poſſeſſione gaudere, & ad gremiū S. matris Eccleſiæ reuertētes, abſolutionis meruerint beneficium obtinere. Necnon ipſos Ducem, communitatem, conſiliarios, procuratores, aduocatos, nobiles, locatennentes, & alios obnoxios prædictos, in expenſis in ipſa cauſa factis, condemnandos fore & codemnamus, ipſarum expenſaru taxationē nobis in poſterum reſeruantes, ſupplentes omn defectus qui in huiuſmodi interueniſſent proceſſu.

Datum Baſileæ in congregatione generali, 22. die menſis Decembris, Anno 1435.

M. CCCC. XXXVI. DIE MARTIS TERTIA IV *lij ferebatur præſens ſententia diffinitiua.*

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileen. in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem eccleſian repręſentās, inuocato Chriſti omine, de cuius vultu omne iudicium procedit: ex actis, habitis, & proceſſibus facti in cauſa Traiecten. per hanc ſententiam diffinitiuam in hi ſcriptis diffinit, decernit et declarat, Rodulpho de Diephol nullum ius in eccleſia Traiecten. præfata vel ad eam competiiſſe, neque competere, poſtulationemq; de perſona nobilis viri VValrami de Morſa factam ad dictam eccleſian Traiecten. auctoritate vniuerſalis eccleſiæ admittit & recipit, ſupplendo ex certa ſcientia omnes defectus, ſi qui forſar circa eandem aut proceſſum cauſæ quomodolibet interueniſſent, vel interueniſſe allegari potuiſſent: mandando eundem VValramum in poſſeſſionem dictæ Traiecten. eccleſiæ iuriumque & pertinentiarum omnium eiuſdem induci, recipi & mitti, ac inducit, recipit & admittit, ipſum eidem eccleſiæ Traiectenſi præficiēdo in epiſcopum & paſtorem, dictumq; Rodulphum de Diepholt ab occupatione & detentione eorundem amouendo, quem per præſentes amouet ſub cenſuris & alijs quibuſcunque pœnis, proceſſus deſuper decerni mandando opportunos.

M. CCCC. XXXVI. DIE SABBATI TERTIA *Nouemb fuerunt in congregatione generali publicata maximè infraſcripta.*

CONCORDANT tres deputationes, quia à nonnullis aſſeritur quod dominus noſter Papa conceſſit prærogatiuas in pręiudicium incorporatorum ſeu incorporandorum, eneruatiuas pręrogatiuarum eiſdem incorporatis & incorporandis conceſſarum ad manutentionem & defenſionem ſuppoſitorum Cōcilij, quòd tales, ſi quæ per Papam factæ ſint aut fuerint in futurum contra incorporatos, caſſentur & annulletur cum clauſulis opportunis quibuſcunque in contrarium facientibus non obſtantibus. Deputatio de communibus requiſita, non deliberauit.

EPISTOLAE CONCILII BASILEENSIS, SEORSIM HIC COLLECTAE, & ſecundùm datas earum, quantum licuit, ordinatæ.

EPISTOLA SACRI CONCILII BASILEENSIS *miſſa ad Bohemos.*

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileen. in Spiritu ſancto legitimè congregata, militātem eccleſiam repræſentans, vniuerſis & ſingulis ſacerdotibus, nobilibus, conſulibus, clientibus, cæteriſq; regni Bohemiæ incolis, vnionem, cōcordiam, charitatem, & pacem in Domino noſtro Ieſu Chriſto. Dum eminentiſſimam redemptoris noſtri dilectionem, qua pro noſtra ſalute nō dubitauit manibus tradi nocentium, & ignominioſiſſimæ mortis ſubire tormentum, (quæ præcepit nobis, alterius onera portare, ac mutuam ante omnia charitatem habere) attentiùs conſideramus, cum maxima cordium noſtrorum amaritudine veſtram à nobis conſpicimus diſſenſionem. Quamobrem ex intimis affectionibꝰ noſtris cupimus, tam grauem & noxiam diuiſionem in concordiam reuocare, vt omnium noſtrûm ſub vno paſtore Chriſto, quemadmodum paulò antè fuerat, ſit eadem credulitas & charitatiua dilectio, & eiſdem, ſpiritualibus pabulis in caulis refici mereamur Dominicis, prout latiùs ex epiſtola noſtra à vobis reuerenter (vt certificati ſumus) recepta, lucidè potuiſtis agnoſcere. Quod & confirmauerunt oratores noſtri Nurenbergæ exiſtētes, ſuis

literis * veſtris diſcretionibus nouiter tranſmiſſis. Ex quibusgrandem mutuæ vnionis ſpem concepimus. Teſtificamur enim coram Deo, magnam triſtitiam & dolorem aſſiduum cordibus noſtris ineſſe, de tam diuturna & meritò deflenda diuiſione, ſuper omnia pacem, concordiam, & in credendis ſalubrem vnionem, ex intimis affectionibus deſideramus, quantum Deus annuerit, perficere. Nec ab hac ſynodali congregatione quouis modo intendimus diſcedere, donec omnia nobis poſſibilia pro votiua & optata noſtrum adinuicem vnione peregerimus, in Domino ſperantes, qui præſtò adeſt omnibus inuocantibus eum in veritate, quique neminem vult perire, ſed omnes viam veritatis agnoſcere, quòd piorum interceſſionibus exoratus, & diligentijs humanis ad hoc (vt decet) exhibitis, Spiritus ſancti illuſtrante gratia, mutuam concordiam & affectuoſiſſimè huiuſmodi deſideratatam vnionem conſequemur. In hoc autem ampliùs confidimus, quòd potiſſima medicina, talibus diſſenſionibus ſubuenire ſolita, parata eſt, ſacra ſcilicet præſens ſynodus, cuius director eſt Spiritus ſanctus, eam deficere aut quoquo modo deuiare non permittens, in his præſertim, quæ ſalutem animarum concernunt. Neque enim fieri potuit, quòd Chriſti oratio, qua Patrem exorauit, ne Eccleſiæ fides deficeret, non fuerit exaudita. Eſt itaque certa regula, indeficiens menſura, cunctos fideles rectiſſimè regulans, quæ credenda aut agenda ſint, ſaluberrimè demonſtrans. Adhortamur igitur vos in viſceribus Chriſti, & in illa ſalute, quam à iuſto iudice ſperatis, quatenùs omnes veſtros conatus ad tam ſanctum & diuinum vnionis & concordiæ opus apponendo, viros timoratos in lege Chriſti exercitatos, communem ſalutem & pacem, nõ particularia commoda affectantes, de quib⁹ vobis aliàs ſcripſimus, ad hoc ſacrum Concilium placeat * quantocius deſtinare, quibus plenam & omnimodam ſecuritatem accedendi, ſtandi & redeundi, promptis & non fictis dabimus animis, atque apud quoſcunque, de quibus neceſſarium fuerit, ſeu etiam opportunum, procurare non omittemus, nec in aliquo deficiemus (quãtum vires noſtræ ſuppetunt) tam ſalutiferæ & Deo gratæ operationi. Super autem ſaluis conductibus ad hoc neceſſarijs, ſcribimus illuſtribus Principibus, dominis Marchioni Brandeburgen. Alberto Auſtriæ, & Ioanni Bauariæ ducibus, nobili Vlrico de Roſenberg, ac etiam conſulibus Nurenbergen. & Egren. necnon ambaſiatoribus noſtris in locis vobis vicinis perſiſtẽtibus. Accingemini itaque ſacro fidei baptiſmate inſigniti, operas veſtras efficaces apponere ad regni veſtri cum cæteris firmam pacem, concordiam & vnionem. Tædeat vos (quæſumus) cladium bellicarum, & hincinde tam horridorum flagitiorum perpetratorum, ac viribus totis communem animarum & corporũ ſalutem procurare ſatagite. In his ſiquidem, Deo authore, vobis coaſſiſtem⁹ fideles cooperatores, hoc tamen * quantocyùs fieri rogitamus, quatenùs morum omniumque ſtatuum emendationi latiùs & efficaciùs intendere valeamus ad Dei honorem, & ſuæ immaculatæ ſponſæ Eccleſiæ ſanctæ. Pax autem Chriſti exuperans omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras, voſque ad diuitias glorię & cognitionem veritatis Deificæ perducere dignetur. Datum Baſileæ in noſtra congregatione generali die Sabbati, octauo die menſis Martij, Anno à Natiuitate Domini 1432. ſub ſigillo reuerendi in Chriſto patris domini Philiberti epiſcopi Conſtantien. prouinciæ Rothomagenſis, quo de præſenti vtimur.

COPIA, SALVICONDVCTVS COLLATI à Concilio Bohemis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, vniuerſis viris eccleſiaſticis, nobilibus, & toti populo regni Bohemiæ, vnitatem & pacem in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Dudum hæc ſancta ſynodus, inter alia ſanctitatis opera, quæ propoſuit & proponit, hoc principaliter cordi gerens, vt præclarum Bohemiæ regnum in eadem vnitate cum alijs Chriſti fidelibus coniungatur, vos per ſuas literas ſyncera charitate requiſiuit, vt ad ſacrũ Concilium nuncios deſtinaretis; liberam eis offerens audientiam ſaluumque conductum: quod ſanctum opus vt eo maturiùs expediretur, venerabiles & religioſos viros fratrem Ioannem Nyder priorem domus Prædicatorum Baſileen. in ſacra pagina profeſſorem, & Ioannem monachum Ciſtertienſis ordinis conuentus de Mulenbrum, nuncios prò hac re ſolicitanda ad ciuitatem Nurenbergenſem deſtinauit. Qui (vt nobis pridie reſcripſerunt) literis exhortatorijs ad vos ſuper hoc tranſmiſſis, veſtras poſtmodum à vobis oblatæ pacis deſideria amplectentibus, acceperunt, in quibus inter alia continetur, vt prædicti noſtri nuncij ad Egram pro finali concluſione aduentus veſtri ſe transferant. In primis creatori modò gratias agimus, qui taliter huius rei diſponit initia, vt finis optatus veriſimiliter ſequi ſperetur. Deinde, vt res iſta, qui diuino potiùs quàm humano conſilio cœpta eſſe videtur, debitum ſortiatur effectum, & vt tam regnum veſtrum, quàm totus mundus euidenter agnoſcat, ſyncerum purumque huius ſanctæ ſynodi deſiderium, ecce quòd polliciti ſumus per primas literas, iam nunc efficaciter exequi properamus. Omnibus igitur illis perſonis, cuiuſcunque dignitatis, præeminentiæ, conditionis vel ſtatus exiſtant, Eccleſiaſtici vel ſecularis, quas ad hoc ſacrum Concilium deſtinare volueritis in eo numero, & pro tempore, & ſub his modis & conditionibus, tam in ſtando, veniendo & redeundo, quàm in audientia præbenda, de quibus prædicti noſtri ambaſiatores vobiſcum aut veſtris nuncijs in Egra vel alibi conuenerint, tenore præſentium pleniſſimum ac liberrimum ſaluumcõductum, veriſſimamque veritatem veniendi ad hanc ciuitatem Baſileen. ibidemque manendi, & deinde ad præfatum regnum Bohemiæ redeundi, pura fide & integro corde concedimus, & veraciter impartimur. In hoc quoque ſaluo conductu omnes quaſcunque clauſulas includi & contineri volumus, quæ pro plena & efficaci ſecuritate eorum, in veniendo, ſtando & redeundo neceſſariæ ſunt & opportunæ, & quæ de iure vel conſuetudine in ſaluiſconductibus apponi debent aut ſolitæ ſunt. Vniuerſos autem & ſingulos Chriſti fideles, reuerendos patres, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, prælatos, & clericos, necnon illuſtres Principes, Reges, Duces, Marchiones, Comites, Barones, nobiles, milites, vniuerſitates, ac communitates ciuitatum, caſtrorum, & villarum, earumque Conſules, ſcabinos & officiales, & alios cuiuſcunq; conditionis & ſtatus, Eccleſiaſtici & ſecularis, quocunque nomine cẽſentur, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri Exhortamur & obſecramus, eiſque nihilominùs in virtute ſanctæ obedientiæ authoritate à Deo vniuerſali Eccleſiæ conceſſa, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs prædictos nuncios & ambaſiatores regni Bohemiæ huc venturos, cum omni charitate, benignitate & mãſuetudine, veniendo ſtando & redeundo pertractent: nec eis vel familiaribus eorum inferant, nec per aliquem inferri quoquo modo permittant quamcunque offenſam, læſionem, aut iniuriam: alioquin aduerſus contrarium facientes, tanquàm turbatores pacis & vnitatis, ad debitas pœnas tam per cẽſuram Eccleſiaſticam, quàm brachium ſeculare, ſeueriter procedetur. Cæterùm quod in primis literis rogauimus, nunc ad memoriam veſtram reducimus, vt tales viros mittere huc velitis, ſuper quos ſpiritus Domini quieſcere ſperetur, mites videlicet, timoratos, humiles corde, pacem optantes, & non ſuæ ſua ſunt, quærentes, ſed quæ Ieſu Chriſti: qui nobis, vobis, & toti populo Chriſtiano hic pacem, & in futuro ſeculo vitam æternam donare dignetur: qui viuit benedictus in ſecula, Amen. Acta fuerunt hæc in congregatione generali noſtra, præſentibus dictæ noſtræ ſanctæ ſynodi Baſileenſis notarijs & ſcribis ſubſcriptis, ſub ſigillo reuerendi in Chriſto patris domini Epiſcopi Conſtantienſis prouinciæ Rothomagen. quo ad præſens vtimur, die Veneris vigeſima octaua menſis Martij, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſecundo.

¶*Litera miſſa Regi Franciæ.*

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileen. &c Chriſtianiſſimo principi & ſereniſſimo domino, domino regi Franciæ, ſalutẽ & omnipotẽtis Dei benedictionẽ. Pro quàm pijs & populo Chriſtiano neceſſarijs cauſis h[illegible] ſacrũ conci-

Concilium congregatum ſit, iam diù literis ac nuncijs veſtræ ſerenitati ſignificauimus, aliud enim hæc ſancta ſynodus non intendit, quâm vt hæreſes, bella, ac vitia de populo Chriſtiano extirpentur:& quanquàm in omnibus regnis ac prouincijs vbi bella vigent, pacem & concordiam firmare deſideremus, ad veſtrum tamen præclariſſimum regnum pacificandum propenſiùs oculos noſtros dirigimus. Hæ igitur tam ſanctæ cauſæ, ac memoria eorum quæ veſtri præclariſſimi maiores pro exaltatione fidei,& conſeruatione Eccleſiæ catholicæ ſemper egerunt, firmam nobis ſpem præbent,quòd ſerenitas veſtra huic ſacro Concilio, ex quo tot bona prouenire ſperantur, omnem fauorem & auxilium impendet,atque omnia faciet,per quæ hæc ſancta opera quæ proponimus,optatum conſequentur effectum. Sed & hanc noſtram ſpem, quam de veſtra ſerenitate concepimus,iam ad effectum Dei gratia perduci videmus. Audimus enim eccleſiæ Gallicanæ prælatos in ciuitate Bituricenſi opera veſtra conueniſſe, ibique Spiritu ſancto illuminatos concluſiſſe ſacrum hoc Concilium Baſileenſe fore non ſolùm legitimè congregatum, quinimmò hoc tempore permaximè neceſſarium, vt in hoc loco vbi cœptum eſt, ſine dilatione aut mutatione continuetur atque compleatur:& pro ſubueniendo vniuerſalis Eccleſiæ neceſſitatibus, expedit vt ad id omnes,pręſertim regni veſtri Francię,proficiſcantur:hinc equidem magnam lætitiam non immeritò ſuſcepimus, tùm quòd Spiritus ſanctus non patitur veritatis lumen latere ſub modio: tùm quòd ex ea deliberatione fidei & Eccleſiæ magna & incrementa ſucceſſura ſperamus, pro qua re ipſi Spiritui ſancto in primis, cuius dono hoc factum eſt:deinde veſtræ ſerenitati gratias agimus, & eam dignis laudibus commendamus,quę ad tam ſanctum opus diligentiam præbuit. Ampliusque ipſam commendaturi ſumus,cùm hanc ſaluberrimã concluſionem executioni mandari ſentiemus. Quapropter eandẽ S. quantò efficaciùs poſſumus, deprecamur & obſecramus, vt quemadmodum inter reges Chriſtianos anteceſſores veſtri ſemper primi fuerunt ad auxiliũ fidei & Eccleſiæ, propter quod Chriſtianiſſimi vocari meruerũt: ita maiorum veſtrorũ imitando veſtigia,idipſum pro viribus & omni ſtudio agere dignemini, omnemque operam dare, vt prædicta deliberatio tam laudabilis, & veſtræ ſerenitati ac regno veſtro honorifica, per celerem aduentum prælatorum veſtrorum ſimul cum inſigni veſtra ambaſiata ad hoc ſacrum Concilium per rei executionem toti mundo illuceſcat, Ex quo & apud omnipotentem Deum meritum immortale, & apud homines ſummam laudem vbique conſequemini, & ipſam tandẽ vniuerſalem eccleſiam * vobis quidem chariſſime Princeps agendorum vrgens neceſſitas omnẽ dilationem expoſtulat amputari,eò permaximè, quoniam vt ab ambaſiatoribus noſtris,ad hæc tractanda tranſmiſſis,nobis inſinuatum eſt,aduentus Bohemorum ad hoc Cõcilium de proximo præſtolatur: qua in re regnum veſtrũ inter cęteras Chriſtianitatis partes magna literatura refulgeat, ipſorumque prælatorum veſtræque ambaſiatæ præſentia,dante altiſſimo, ſit fructuoſa. Datum Baſileæ die 9. Maij, 1432.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileẽſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans,reuerendis in Chriſto patribus,& illuſtribus ac magnificis dominis conſiliarijs Chriſtianiſſimi regis Franciæ ſalutem &c. Deſtinamus præfato Chriſtianiſſimo regi Franciæ literas infraſcripti tenoris.

Hic inſerta fuiſſe intelligatur epiſtola præcedens ad regem Franciæ miſſa: eamq́, bis eodem deſcribi loco, ocioſum tranſſcriptoribus fuiſſe viſum: atque ideo omiſſam, alioqui non omittendam. In fine

Cùm autem hæc omnſum Chriſtianorum negotia communia ſint, & veſtra ſicut noſtra interſit, vt ſaluti Chriſtianæ Reipublicæ conſulatur, veſtras paternitates & dominationes rogamus, & exhortamur, vt pro honore & debito veſtro apud præfatum Chriſtianiſſimum Principem efficaciter laborare velitis, quatenùs tam prælati Gallicanæ Eccleſiæ, quàm ipſius Chriſtianiſſimi Regis inſignis ambaſiata, prout tantum Principem decet, huc ad communem Chriſtianæ religionis vtilitatem ſine mora accedant. Datum Baſileæ, vt ſuprà.

MAGNIFICO DOMINO DE TREmollia, &c.

SAACROSANCTA &c. Magnifico domino N. de Tremollia &c. Cùm diuino munere vobis conceſſum ſit, vt gratiam in oculis Chriſtianiſſimi Regis Franciæ inueniatis, & apud eum locum & authoritatem inter primos habeatis,meritò die nocteq́; cogitare debetis, vt ipſe Deus hanc gratiam vobis conſeruet & ampliet. Quod nullo modo melius conſequi poteſtis,quàm ſi fidei & Eccleſiæ defenſionem totis viribus procuretis. Certi ſumus ad notitiam veſtram diù perueniſſe,quemadmodum pro hæreſibus,bellis ac vitijs ex populo Chriſtiano extirpandis, hoc ſacrũ generale Concilium, apud Baſileam cõgregatam legitimè ſit, quibus rebus cùm nihil Deo gratius, & Chriſtianitati vtilius fieri poſſit,meritò ſperare poteritis, gratiam Dei & hominum vobiſcum permanſuram, ſi huic ſacro Concilio fauorem vobis poſſibilem præſtiteritis. Itaque curare, quantum in vobis eſt,debetis, vt hoc concilium à Spiritu ſancto inceptum,veſtra opera & diligentia creſcat, & humana obſtacula,quæ illud quoquo modo impedire poſſent,pro viribus tollere & amouere. Qui enim aduerſus hoc Concilium aliquid agit,cauſa eſſe videtur, vt hæreſes, bella. & peccata in Chriſtianitate perdurent. Qui verò illi fauet, eſt protector fidei,procurator pacis ac ſanctæ reformationis. Audimus prælatos eccleſiæ Gallicanæ apud ciuitatem Bituricen. conuenientes,inter ſe cõcluſiſſe, ad hoc ſacrum Concilium proficiſci. Quæ res non ſolùm præfato Chriſtianiſſimo regi ac regno ſuo honorem & vtilitatem maximã allatura eſt, ſed toti Chriſtianitati profectum, proptereà vos efficaciter rogamus & hortamur, vt apud ipſum dominum Regem diligenter intercedere velitis, vt prædicta concluſio per aduentum Prælatorum ad ipſum Concilium ſimul cum ambaſiata executioni demandetur. Ex quo (vt prædiximus) proculdubiò gratiam Dei & hominum vobis & veſtræ poſteritati comparabitis, & vniuerſalem Eccleſiam ad omnia, veſtrum ſtatum & honorem concernentia, exinde obligatam efficietis. Baſileæ vt ſuprà.

ARCHIEPISCOPO RHEMEN. CANCELlario Franciæ.

SACROSANCTA &c. Reuerendo in Chriſto patri domino Archiepiſcopo Rhemen &c. Reſcripſit nobis venerabilis vir Prior Conuentus Chãberiaci ordinis Prędicatorum,ambaſiator noſter, quanto zelo huic ſacro Concilio afficiamini, eiuſque profectum deſideretis, & cum diligentia quęratis: pro qua re,quia cauſa Dei agitis,ipſe vobis in hoc & in alio ſeculo dignè retribuat. Eccleſia verò pro huiuſmodi fauore, quẽ ſibi impenditis,ſuarum orationũ & meritorum apud Deum participem faciet, & ad omnia veſtrum honorẽ & ſtatum concernentia obligatã ſe vobis meritò profitetur: In hac re, quæ veſtram paternitatem tanquã Chriſtianum & antiſtitem, non minùs tangit quàm nos, nil aliud dicendum videtur, niſi vt ſolita diligẽtia opus hoc diuinum proſequamini, ex quo cùm extirpatio hæreſum pacificatio populi Chriſtiani, eradicatio vitiorum ſequi ſperetur,magnum apud Deum meritum, & apud homines laudem accepturi ſitis,optimè intelligitis. Scribimus Chriſtianiſſimo regi Franciæ, & ſuo conſilio & quibuſdam particularibus apud eum potentibus, prout idem Prior ex veſtro Concilio nos aduiſauit, & literarum copias hîc intercluſas mittimus. Si quid illud ad proſecutionem iſtius rei,necnon ad pacem præclariſſimi regni Franciæ, ad quam toto corde adſpiramus, faciendum videtur, vos maximè deprecamur, vt nobis ſignificare velitis.

¶ *Archiepiſcopo Lugdunenſi.*

SACROSANCTA &c. Reuerendo in Chriſto patri domino Archiepiſcopo Lugdunẽſi, ſalutẽ &c. Cum magna iocũditate et exultatiõe audiuimus literas, quas ad nos &

reue-

reuerendum in Chriſto patrem dominum epiſcopum Lauſanen. cum aduiſamentis Eccleſiæ Gallicanæ deſtinaſtis. Intelleximus ex his & aliorum relatu, quanta prudentia & ſolicitudine in congregatione Prælatorum apud Bituris in fauorem huius ſanctæ ſynodi, immò totius Chriſtianitatis laboraueritis, & quid per medium veſtræ ſapientiæ ac diligentiæ Spiritus ſanctus ibidem concludi fecerit, hinc luce clariùs perpendimus, hoc ſacrum Concilium ita ſtabilitum, vt iam modicum de humanis obſtaculis timeri poſſit. Hoc tam magnum ac felix nouum, quilibet veſtræ aſcribit circunſpectioni: & quod ibi concluſum eſt, veſtra opera contigiſſe exiſtimat. Pro qua re ipſe omnipotens Deus, cuius cauſam tam laborioſè viriliterque defendiſtis, reddet vobis in cœlis præmiorum menſuram bonam, confertam, coagitatam, & ſupereffluentem. Nos omnes quicunque in hoc ſacro Concilio ſumus, auditis his literis, miram vos ferimus dilectione, & nomen veſtrum ac laudes in ore omnium paſſim reſonant: vos patrem, defenſorē, ac protectorem ſacri Concilij omnes appellant. Agite igitur optime antiſtites, quemadmodū cœpiſtis, & opus tam laudabile veſtra virtute in eccleſia Gallicana inchoatum, enitimini ad finem perducere, & concluſio illa per celerem aduentum prælatorum re ipſa compleatur, præſertim vt paternitas veſtra ſicut authrix fuit huiuſmodi deliberationis, ita prima ſit in exequendo. Nam cùm alij vos huc proficiſci viderint, mox ſequentur. Aduentus veſter ad nos, iudicio omnium multò vtilior reputatur, quàm progreſſus ad vrbem. Timemus ne abſentia veſtra aut diuturna mora, ſacro concilio ſit damnoſa, & acceſſus ad vrbem in nihilo fructuoſus, ex his quæ à fide dignis percepimus: qui Concilio aduerſantur, ita fixi in ſua opinione videntur, vt in perſuaſionibus humanis modica ſpes haberi poſſit. Spiritui ſancto & nobis viſum eſt, vt omiſſo acceſſu ad vrbem, ad hanc ſacram ſynodum, quam Spiritu ſancto regi non dubitamus, quāto citiùs properetis: verùm ſi in congregatione prælatorū apud Lugdunum, putaueritis aliquandiu pro vtilitate Cōcilij immorandum, hoc veſtræ ſapientiæ committimus. Valete feliciter, ſcriptum Baſileæ vt ſuprà & datum.

Lucæ 6.

Acto. 15.

REGI POLONIAE ET ALIIS.

SACROSANCTAE &c. congregata, sereniſſimo domino Principi domino VVladiſlao Poloniæ Regi &c. Regiæ dignitatis proſperum augmentum, ac omnipotentis Dei benedictionem. Non ambigimus, ſatis diuq; diuulgatum eſſe apud veſtram ſerenitatem, ſacroſanctam hāc ſynodum in hac ciuitate Baſileen. rectè cōgregatam exiſtere pro rebus Eccleſiæ & omnium orthodoxorum promouendis & benè gerendis, pro veprium hæreticarum de finibus fidelium extirpatione, morum deformium in cunctis ſtatibus emendatione, proque bellicarum rerum, quæ proh dolor his temporibus populum Dei circundant, ſedatione: quibus nil dignius, & fideli populo ſalubrius ſub cœlo valet afferri. Vnde ſi quis zelum Dei in corde gerat, ſi quiſpiam Principum ſalutem, ſubiectorum atque communem profectum & vtilitatem, prout ad hoc tenetur, quærat, mox ſacrum hoc Concilium dignificare, fauorizare & promouere tenetur, eius ſanctiſſimis determinationibus firmiter inhęrendo. Cōtraria verò & præiudicialia ſibi poſſetenus impedire, & vt auferātur de medio, totis viribus in Dei obſequiū debet adſpirare. Quamobrem veſtram dominationem ac regiam celſitudinem, vt Principem catholicum, & fidei Chriſti fidelem propugnatorem, obſeruamus, & exhortamur per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quatenus ad tam neceſſarium & accommodum opus expediendum & Deo duce perficiendum in populo fideli, placeat aliquos doctos & peritos diuinarum & mundanarum rerum experientia imbutos, ad hanc noſtram congregationem quantocyùs deſtinare: necnon reuerendos patres Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, cæteroſque qui de iure vel conſuetudine ſacris Concilij generalibus intereſſe tenentur, ſub veſtræ dignitatis iuriſdictione & protectione temporaliter conſtitutos, per literas veſtræ ſerenitatis ſolicitare, & modis alijs congruis inducere, vt non poſtponant ad conueniendum ilico nobiſcum: & prout præclara fama de veſtra celſitudine volat per orbem vniuerſum, qualiter vt Principem catholicum decet, contra perfidos hæreticos brachia potentiæ veſtræ viriliter expandiſtis: ſic exhortamur veſtram ſerenitatem & deuotionem, vt in exaltationē ſacræ fidei, feruenti animoſitate ad eorundem inimicorum reductionem in vnionem fidei catholicæ operam continuò dare velitis, Chriſti fideles ad hoc vijs ac modis cōuenientibus inducendo & confortando, & ſi in quantum opus etiam manu armata pugnando & reſiſtendo, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, fidei catholicæ incrementum, & Eccleſiæ ſacroſanctæ continuam proſperitatem, quod vtique ad principatus veſtri honoris titulum cedit pariter & decorum. Nec moueat veſtram dominationem rumor de diſſolutione huius ſacri Concilij, ſi quis ad præſentiam veſtræ ſerenitatis forſan delatus eſt, qui ex leuitate & ſiniſtra ſuggeſtione haud dubium proceſſit. Quoniam noſtræ intentionis eſt, ad conſeruationem fidei catholicæ & cunctorum fidelium conſolationem, in laudem creatoris noſtri firmiter perſeuerare, cunctis Chriſticolis nobis aſſiſtentibus in vinculo charitatis, vſque ad eiuſdem ſacri Concilij felicem conſummationem, ne increduli dicant in cordibus ſuis, Trepidauerunt timore vbi nō erat timor, & glorientur in malitia ſua, putantes nos ſacræ fidei certamen declinaſſe. Confidimus etenim, quòd in hac ſanctiſſima re conſiderata rectiſſima intentione, celſitudo veſtra ardenti deſiderio nobiſcum in vnum concurrat. Pro quibus omnibus plenius explicandis, Reuerendum in Chriſto patrem fratrem Aegidium Epiſcopum * Roſenſem, ordinis fratrum Carmelitarum, exhibitorem pręſentium ad veſtram ſerenitatem curauimus deſtinare, cuius relatibus in præmiſſis placeat fidem credulam propenſiùs adhibere. Spiritus ſanctus ſacri Concilij author dirigat veſtram illuſtrem Celſitudinem in cunctis agendis ad vtilitatem Eccleſiæ ſanctæ cum votiua proſperitate.

Pſal. 13.

Datum Baſileæ, &c.

COPIA SALVICONDVCTVS CONCESSI per Concilium ambaſſiatoribus domini noſtri Papæ.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, venerabilibus Ioanni & Andreæ, Tarentino & Coloſſenſi Archiepiſcopis, ac Bertrando epiſcopo Magalonenſi, necnon dilecto Eccleſiæ filio Antonio de ſancto Vito vtriuſque iuris Doctori, & Apoſtolici palatij cauſarum auditori, aſſertis ſanctiſſimi domini Eugenij Papæ ambaſſiatoribus, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Quamuis pleniſſima libertas & ſecuritas omnibus ad hanc ſacram ſynodum venientibus, & ſtantibus in ea, & ab eadem recedentibus, iuxta ipſius ſynodi decreta aliàs publicata, & ſaluoſconductus pleniſſimos chariſſimi Eccleſię filij Sigiſmundi Romanorum Regis ſemper Auguſti, ac ciuiū ciuitatis Baſileenſis notoriè vigeant, & proptereà non opus eſſet vobis ad hunc locum proficiſci volētibus, ſaluumconductū petere, præcipuè cùm pro vtilitate & neceſſitate vniuerſalis Eccleſiæ, ac pro honore ſanctę ſedis Apoſtolicę hoc ſacrum Concilium ſit congregatum: Nihilominùs eadem ſancta ſynodus veſtræ poſtulationi, quantum cum Deo & honeſtate poteſt, ſatiſfacere volens, tenore præſentium dat & concedit vobis & veſtrûm cuilibet cum omnibus & ſingulis familiaribus ac equis & rebus omnibus veſtris, liberum, plenum ac ſufficientem ſaluumconductum, veramque ſecuritatem ad hanc ciuitatem Baſileenſem veniendi, ibidemque ſtandi & morandi, & ad ſanctiſſimū dominum Eugeniū Papam IV. redeundi, & ſpecialiter in publica congregatione huius ſacri Concilij ſeu priuatim corā ad hoc deputatis vel deputandis ab eodem Concilio, omnia quæcunque & qualiacunque nomine & ex parte ipſius ſanctiſſimi domini Eugenij Papæ proponendi, explicandi, loquendi, ac tractandi & conferendi, cæteraque agendi, * mediandi & finiendi, quæ veri oratores ſeu ambaſſiatores dicere & agere de iure vel conſuetudine poſſunt & debent. Vultque ipſa ſancta ſynodus hunc ſaluumconductum eſſe plenum ac pleniſſimum, in eoque includi omnes clauſulas neceſſa-

ceſſarias & opportunas, quæ de iure vel conſuetudine in ſaluiſconductibus opponi ſeu intelligi conſueuerunt, ac eaſdem pro incluſis habet & apponit, ita vt plena ſecuritate & libertate tam vos, quàm veſtri familiares in perſonis & rebus vti poſſitis, ſine vllo grauamine aut offenſione vel damno vel iniuria, tam perſonali, quàm reali, & etiam verbali, in veniendo, ſtando, & ad prædictum ſanctiſſimum dominum Papam redeundo, cum hac tamen conditione adiecta, quòd nec intra, nec extra aliquid attentetis coniunctim vel diuiſim, per viam executionis aliquorum proceſſuum, literarum vel mandatorum, per vos vel alios in læſionem huius ſacri Concilij, aut ſuppoſitorum eius: nec hoc accipiatis, quaſi aliquid huiuſmodi de iure fieri poſſe hæc ſancta ſynodus hæſitet, cùm veritas ſit, & in ſecunda ſeſſione declaratum exiſtat, quicquid in præiudicium huius ſacri Concilij attentetur, id fore nullius roboris vel momenti. Sed ad euitandum ſcandala quæ contra talia tentantes contingere poſſent, vult etiam hæc ſancta ſynodus, vt poſtquàm ad veſtra propoſita & explicata reſponſum dederit, vel vos requiſierit, vt ad præfatum ſanctiſſimum dominum Papam, relaturi quæ vidiſtis & audiſtis, reuertamini, à dicta ciuitate infra octo dies à die requiſitionis computandos, in nomine Domini iter veſtrum verius ipſum ſanctiſſimum Papam per viam rectam arripere debeatis, ipſum ſaltem vſque ad metas Italiæ incluſiuè ſine fraude & dolo continuando. Exhortatur inſuper eadem ſancta ſynodus omnes & ſingulos Chriſti fideles, cuiuſcunque dignitatis, gradus, ſtatus aut præeminentiæ exiſtant, ſpirituales & temporales, etiam ſi regali, ducali Archiepiſcopi, epiſcopali, vel alia quauis præfulgeant dignitate vniuerſitates, & communitates, cæteriſque quibus præſentes literæ exhibitæ fuerint, eiſdemque in virtute ſanctæ obedientiæ mandat, vt ſi per eorum dominia, terras, territoria, ciuitates, oppida, caſtra, ſtratas, villas, caſtella, aut alia loca vos & quemlibet veſtrûm tranſire contingat, ſub pœnis, ſententijs, & cenſuris tam in Conſtantienſi & Senenſi, quàm huius ſanctæ ſynodi ſacris decretis contentis & fulminatis, diſtrictè iniungendo, quatenus vos & veſtrûm quemlibet cum comitiua huiuſmodi ſecuros, liberos & tutos, cum rebus & bonis veſtris vniuerſis ire, ſtare, & redire, ſine moleſtia & impedimento permittant, de ſocietate & conductu à nobis requiſiti, quoties opus fuerit, fauorabiliter prouidendo.

Datum Baſileæ in congregatione generali dictæ ſanctæ ſynodi, die Veneris 18. menſis Iulij, anno Domini 1432.

BVLLA PER CONCILIVM BASILEENSE miſſa ad ſacri Imperij Electores.

SACROSANCTA &c. Venerabilibus Archiepiſcopis, & dilectis Eccleſiæ filijs Nobilibus viris, ducibus illuſtribus ſacri Romani Imperij Electoribus, ſalutem &c. Deus pius & miſericors Reges & Principes in terra conſtituit, vt ſanctuaria templaq; ſua defenderent, & veluti quadrigæ quidam arcam Eccleſiæ ſanctiſſimam deportarent. Sunt ergo agri Dominici cuſtodes, pontes, arces, & diuinæ humanæq; legis vehicula atque portus: quamobrem ſi commiſſam eis curam intelligerent, nihil magis ſe debere exiſtimabunt, quàm vt Eccleſiam ſanctam, pro qua Chriſtus, ne periret, in cruce orauit, tueantur. Quod vbi fecerint, tunc rectè Reges ſeu Principes appellari poterunt, & Dei qui eos ſupra homines conſtituit, iudicia miniſtrabunt. Porrò in eo nunc tempore ſumus, vt ipſorum ſuffragia & auxilia eandem eccleſiam implorare oporteat, vt ſuam pietatem oſtendere neceſſe ſit, cuius fauoribus freti huc conuenimus, dum remedium nullum melius viſum ſit ad huiuſmodi flagitia ſubmouenda, quàm vt ſacræ ſynodi generalis accerſitio haberetur, per cuius authoritatem, diſſidia abuſuque abſecti, tolli poſſent. Talis enim ſacer Cœtus ſæpè antiquum humani generis hoſtem deuicit, & deformitates Eccleſiæ ſuſtulit. Teſtes ſunt Ariani, Neſtoriani, Sabelliani, alijque hæreſiarchæ, qui cùm philoſophorum ſcholis expugnari nõ potuére, ſacrorum Conciliorum ſententia euerſi ſunt. Denique quãta ſemper fuit ipſorum ſacrorum generalium Conciliorum authoritas, canonica ſcriptura, quam vniuerſalis recipit & dogmatizat Eccleſia, demonſtrat, dum quatuor

ſynodos * & ſacra Euangelia recipi iubet, veluti quæ co- *vt
lumnæ & baſes quædam ſint in firmamentum Chriſtianæ
religionis poſitæ: per eas enim Catholica fides quadam claritate coruſcat, & hæreticorum impietas conculcatur. Alias
etiam ſynodos ſacris ritibus & legibus ſacerdotum radiantes, vt candelabra & ſpecula militantis Eccleſiæ, coli, amplectique ſuadet. Quamobrem dudum Catholici Principes cernentes populum Chriſtianum varijs occurſibus indies magis ac magis deprimi & labefactari, præterita tempora, quibus euenerunt ſimilia recolentes ſummoperè ad celebrationem generalis Concilij intenderunt. Itaque ſacra Conſtantienſis ſynodus inde profecta eſt, qua conſultiſſimè ſancitum fuit, vt decæterò generalia Concilia certis ſtatutis temporibus tenerentur, quaſi ea præcipua ſemita videretur, per quam ad mores reformandos & pacem recuperandam eſſet aſcenſus. Denique & ad hanc deuenimus etiam authoritate domini Eugenij Papæ moderni, vt tandem extirpatis hæreſibus, flagitijs & deformitatibus ſubmotis, ac animis pacis dulcedine recreatis, quandoque ſacer ordo refloreat, & leges ac mores diu perditi reuiuiſcant. Eaque acta iam feliciter extitiſſent, niſi dicti domini Eugenij Papæ impedimẽta notoria obſtitiſſent. Nihil enim adeò vacauit, quàm vt prætenſa ſua diſſolutio huius ſynodi, effectui mandaretur, nunc nuntijs, nunc literis figmentis varijs refertis, cunctorum animos excitando, vt rei tam execrabili annueretur. Sed veritas quæ dum plenè defenditur, rarò vincitur, inuicta remanſit: atque amotis errorum nubibus, eam indiès proſperaturam minimè dubitamus. Proinde ingenti admiratione detinemur, cur tam adeò animi veſtri erepti, tantoque ardore obſcurari videntur, cùm obſecrare exhortarique non deſinatis, vt in proceſſu aduerſus eundem dominum Eugenium incepto ſuperſedere: immò id ſtupendum magis extitit, monitorium ſuſpẽſionis pœnam continens, relaxare ac alterare deberemus. An non cogitatis, quid idem dominus Eugenius patrauit, quid indies indurato animo molitur? Iactata ſcilicet fundamenta recuperandæ quandoque pacis, & morum reformationis, euertere, dum ſacratiſſimum hoc Concilium tam legitimè inchoatum, nititur annullare. An non videtis, ſi ſuæ ſententiæ pareatur, vt non ſolùm hanc ſynodum euaneſcere oporteat, ſed ne decæterò aliæ fiant, facilè euenturum? profectò in id ſua pergere videtur intentio, vt quod pro totius orbis ſalute, veſtris & aliorum Principum conſilijs, auxilijſq; effectum eſt, momento excidat aboleaturque. Arbitramini ergo, quantum quale quid ex humeris noſtris pendeat, quid ſit inſuper quod rogatur, & à quibus id tam enixè rogatum ſit: nempè Chriſtianus populus, pacem eſuriens, diſciplinamque perditam repetens, ex nobis iuſtitiam expectat, ſi quis talia damnabiliter impedire vellet. Nos autem vniuerſalis conſtituit Eccleſia iudicaturos malignantium impietatem, vindicaturoſque eandem in dextera virtutis ſuæ, quod ergo noſtrum non eſt, à non expetite chariſſimi filij. Id pium eſt rogare, quod decet & licet rogatos facere. Noſtra ſiquidem cura ea præcipuè eſſe debet, ne vniuerſalis Eccleſiæ authoritas contemnatur: atque vt poteſtas quæ ſibi à Deo tributa eſt, illibata permaneat: quam violare idem dominus Eugenius notoriè viſus eſt, dum hanc ſynodum præcipiti zelo diſſoluere tentauit. Et quod eſt grauius, obſtinate perſeuerare non deſinit. Quomodo ergo rem hanc tam Eccleſiæ periculoſam, diſſimulare, poſtergareque poſſumus, niſi tanti exceſſus participes eſſe velimus? Denique ſi impunis & inexpugnatus exceſſus huiuſmodi relinquatur, quis vnquàm Romano Pontifici, quanquàm improbiſſimo, contradicet? quis in Generalis Concilij authoritate confidet? Cedat ergo vni hominũ * vnus homo? cũctáne eius arbitrio cõmittantur? obliuiſcamur Chriſtum ſæpè (vt euangelica doctrina teſtatur) poteſtatem clauium Apoſtolis, in quibus repræſentabatur Eccleſia, tradidiſſe: & non in fide, quæ omnes Catholicos complectitur, ſed in ſolo Petro, Eccleſiam fundauiſſe fateamur? Etiam Conſtantienſe Concilium illuxiſſe hominibus confiteamur, dum ſynodum generalem immediatè à Chriſto poteſtatem habuiſſe, etiã ſupra Papam, in his quæ pertinent ad extirpationem hæreſum, ac generalẽ reformationẽ in capite & in mẽbris, declarauit, nõ hæc ſunt, quæ cõniuentibus

Vide Bullam Pij 2. qua defenditur Eugenius.

Certè Petro vni dictum eſt, Paſce o[ues] meas, for. *omnis. Matth. 18. Ioan. 20.

tibus oculi[illegible]anſire debeamus, ſed ſeueritate opus eſt dum leuia argumenta non proſunt, debuiſſemus quidem citiùs his rebus præſcribere, & huiuſmodi domini Eugenij iacula refellere. Sed nunc dum vlterior expectatio onuſta vndique eſt periculis, * mutandum non erit. Quod ergo pridem veſtra literæ in generali ſacra noſtra congregatione recitatæ requrebant, vt ab vlteriori proceſſu aduerſus Papam abſtinere, & monitorium decretum relaxare dignaremur: libenter impleremus, niſi in ea re paratum diſcrimen vniuerſalis eccleſiæ appareret. Toties enim dilationes repetitas fomenta malorum, & præcipuè contemptum Eccleſiæ peperiſſe, exploratiſſimum eſt. Ignoraſſe autem vos videmus, dum eas literas decreuiſtis, nouiſsimè inſtantiſſimis precibus chariſsimi Eccleſiæ filij Sigiſmundi Romanorum Imperatoris il'uſtriſſimi, & eiuſdem Eccleſiæ aduocati, nos ad dies triginta eidem domino Eugenio terminum prorogaſſe, præfato enim Sigiſmundo ob tam ingentia merita inexplicabileſque labores, quos hactenùs pro vniuerſali ſuſtinuit Eccleſia, nuncque in præſentiarum ſuſtinet, id negare minimè potuimus. Sed cùm nullam decæterò dilationem expetere, & decretis noſtris liberè acquieſcere pollicitus ſolenniter extiterit. prout in prororgationis decreto inſertum eſt, & diximus & conſtituimus ſolenni in ſeſſione, nullum aliũ decæterò ad cuiuſcunq; inſtantiã terminum præbituros. Minimè autem dubitamus, ſi hæc vobis innotuiſſent, quòd preces hũiuſmodi porrectæ non fuiſſent. Neque ambigui ſitis, ſi quid ſit quòd ſine Chriſtiani populi diſcrimine & animarum periculo fieri poſſit, non obliti ingentium meritorum veſtrorum, & nec ignari quanta & qualia in vniuerſis Eccleſiæ commoda indies efficere valeatis, quàm libenter veſtram in complacentiam ageremus faciemuſq; Deo dante, dum ad talia ſe facultas obtulerit. Sinite ergo chariſsimi filij nos in iuſtitiæ dextera huiuſmodi exceſſus propellere, & vineam Domini ſub veritatis clypeo reformare. Imitamini, obſecramus, Chriſtianiſsimum ac potentiſſimum illum Romanorum Imperatorem Carolum Magnum, qui cùm Romæ ſynodo congregata, vt aduerſus Symmachum Papam accuſatores audiri deberent, interrogaretur, quam in partem iudicium ſuum penderet, Deo inſpirante, reſpondit: ſynodalis eſſe arbitrij, in tanto negotio ſequenda præſcribere & ſtatuere, nec aliquid ad ſe præter reuerentiam de eccleſiaſticis negotijs pertinere. Id quidem ſi facietis, vt certiſſimi penè ſumus, apud Deum immortalem gratiam, & apud hommines laudes ampliſſimas conſequemini.

* mutiendum

In hac ſynodo epiſcopi omnes dixerunt Carolo, ſedem Apoſtolicam à nemine iudicari debere. Agebatur autem non de Symmacho, ſed de Leo, 3.

Datum Baſileæ &c.

LICENTIA EXERCENDI OFFICIVM PROcurationis cauſarum ſacro Baſileenſi durante concilio.

SACROSANCTA &c. Dilecto Eccleſiæ filio magiſtro Ioanni Creyt, Rectori parochialis Eccleſiæ ſanctæ Columbæ Colonien. ac literarum Apoſtolicarum ſcriptori & abbreuiatori, ſalutem &c. Vitæ ac morum honeſtas, aliaque virtutis opera, quibus ſplendere dinoſceris, nos inducunt, vt te ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequamur: hinc eſt quòd nos tuis ſupplicationibus inclinati, tecum qui in ſacerdotio conſtitutus ac Rector Eccleſiæ Parochialis ſanctæ Columbæ Colonien. necnon literarum Apoſtolicarum ſcriptor & abbreuiator, ac huic ſacro Concilio incorporatus exiſtis, vt in quibuſcunque cauſis beneficialibus, prophanis, ciuilibus, matrimonialibus, criminalibus ciuiliter intentatis, ſeu mixtis durante hoc ſacro Concilio, ſeu quouſque ipſum ſacrum Concilium ſuper hoc aliter duxerit ordinandum ſeu prouidendum, inibi officium procurationis cauſarum, quemadmodum in Romana curia authoritate Apoſtolica, ac in ſacro Piſano & Coſtantienſi Concilijs hactenùs exercere conſueuiſti, liberè & licitè exercere & procurare in eiſdem cauſis valeas, felicis recordationis Ioannis XXIII. & Martini quinti, ac aliorum Romanorum Pontificum conſtitutionibus & ordinationibus, etiam iuramentis per te ſuper hoc forſan præſtitis, cæteriſque contrarijs nequaquàm obſtantibus, authoritate noſtra tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Volumus autem quòd Eccleſiã huiuſmodi & alia beneficia eccleſiaſtica, quæ obtines, propterea non fraudentur eorum debitis obſequijs, ſed animarum cura in Eccleſia, & onera in beneficijs ipſis incumbentia congruè exerceantur, decernentes inſuper irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his per quoſcunque quauis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Baſileæ * Non. Nouembris, Anno à natiuitate Domini 1433.

EXECVTORIA PRESBYTERI LYRENSIS SVper ſententia diffinitiua in curia Romana dudum cum inuocatione auxilij brachij ſecularis.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè cõgregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, venerabili Epiſcopo Adrienſi in hoc ſacro generali Concilio ad præſens cõmemoranti & dilectis Eccleſię filijs ſancti Petri Turnouten. & ſancti Petri Anderlechtenſis Cameracenſis diœceſis Eccleſiarum Decanis, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Sua nobis dilectus Eccleſiæ filius Arnoldus Multoris, Rector parochialis Eccleſię ſancti Gummari Lyrenſis, plebanus nuncupatus, Cameracenſis diœceſis, petitione monſtrauit, quòd olim orta inter ipſum ex vna, & dilectum Eccleſiæ filium Dauidem Pyers de Lyra presbyterum dicta diœceſis ſuper eadem parochiali eccleſia, & eius occaſione partibus ex altera coram certo palatij Apoſtolici cauſarum auditore, ex commiſsione Apoſtolica materia quæſtionis: idem auditor ritè & iuris ordine ſeruato procedens, diffinitiuam (per quam inter cætera dictum Arnoldum ab impetitione ipſius Dauidis abſoluit, ac ipſum Dauidem in expenſis coram eo factis condemnauit, expenſarum earundem taxatione ſibi in poſterum reſeruata) ſententiam promulgauit: quæ quidem ſententia, nulla prouocatione ſuſpenſa, in rem tranſiuit iudicatam. Idem verò Auditor expenſas ipſas ad certam florenorum auri ſummam taxauit, procuratoris ipſius Arnoldi iuramento, vt moris eſt, ſubſecuto. Quare pro parte dicti Arnoldi nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenùs ſuper executione dictæ ſententiæ, & aliàs ſibi in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate ſingulari dignaremur. Nos de præmiſsis certam notitiam non habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per hæc noſtra ſcripta mandamus, quatenùs vos vel duo aut vnus veſtrûm per vos vel alium, ſeu alios, ſi ita eſt, ſententiam ipſam, ſicut ritè & canonicè lata eſt, debitæ executioni per cenſuram eccleſiaſticam, & alia iuris remedia demanderis, inuocato ah hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis: contradictores per cenſuram ſolennem, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Datum Baſileæ 16. Calendas Decemb. Anno à natiuitate Domini 1433.

Die 21. ſabbati Nouembris dicti anni fuit decretus proceſſus per dominum Iacobum Epiſcopum Adrienſem, rogato ad hæc G. Martini de Turnout notario.

KAROLINA SVB LATIORI forma.

SAACROSANCTA generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repręſentans, venerabili epiſcopo Adrienſi & dilectis Eccleſiæ filijs ſancti Liuini Zienxenſis, ac ſancti Seruatij Traiectenſis ſupra Moſam, Traiectenſis & Leodienſis, diœceſis eccleſiarum Decanis, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Ad compeſcendos conatus nefarios peruerſorum, qui perſonas & loca Eccleſiaſtica ſuper bonis & iuribus ſuis offendere, ac multiplicibus perturbare moleſtijs nõ verentur: tantò magis per nos decet generale Concilium de opportuno remedio prouidere, quantò per amplius turbationes huiuſmodi & moleſtiæ in diuinę maieſtatis offenſam, necnon Eccleſiaſticæ libertatis diſpendium redundare dinoſcuntur. Dudum ſiquidem cùm in diuerſis mundi partibus Conſules ciuitatum & Rectores, necnon alij qui

Dilectis Eccleſiæ Abbati monaſterijs S. Baonis Ganden. & Cameracen. ac S. Petri Louanie. eccleſiaru Decanis, Tornacen. et Leodien. diœceſiũ, ſalutem.

pote-

ca.47. poteſtatem habere videbantur, tot onera frequenter imponerent Eccleſijs, vt deterioris conditionis factum ſub eis ſacerdotium videretur, quàm ſub Pharaone fuiſſet, qui legis diuinæ notitiam non habebat, quique omnibus alijs ſeruituti ſubactis, Sacerdotes & poſſeſsiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & de publico eis alimoniam miniſtrauit: in Concilio Lateranenſi Eccleſiæ immunitati prouidendo, ſub anathematis diſtrictione prohibitum extitit, ne conſules, Rectores, aut alij prædicti, Eccleſias & viros Eccleſiaſticos tallijs ſeu collectis, aut exactionibus alijs aggrauare præſumerent, tranſgreſſores & fautores eorum præcipiendo anathematis ſententiæ ſubiacere, donec ſatisfactionem impenderent competentem: Et etiam deinde in generali Concilio editum fuerit, quòd ſi epiſcopi fortè ſimul cùm clericis, etiam ſi tantam neceſsitatem vel vtilitatem inſpicerent, vt abſque vlla coactione ad releuandas communes vtilitates vel neceſsitates, vbi laicorum non ſuppeterent facultates, ſubſidia per eccleſias laicis ducerent concedenda, minimè ſuper hoc conſulto Romano Pontifice, conceſsiones & ſententiæ quæ à talibus, vel de ipſorum mandato forent promulgatæ, eſſent irritæ & inanes, nullo vnquàm tempore valituræ. Ac etiam in ipſo generali Concilio decretũ extitit, illum qui infra tempus ſui regiminis, propter fractionem cõſtitutionum vel ſanctionum, huiuſmodi ſuſtineret anathema, tanquàm poſt illud non eſſet ad ſatisfactionis debitum compellendus. Necnon ipſius ſucceſſorem, qui nõ ſatisfaceret infra menſem, manere Eccleſiaſtica cenſura concluſum, donec ſatisfaceret competenter, cùm ſuccederet in onere, qui ſubſtitueretur in honore. Poſtmodùm verò felicis recordationis Honorius Papa Tertius attentè cõſiderans, quòd quondam Fredericus ſecundus olim Romanorum Imperator, tunc ſub obediẽtia & deuotione ſanctę Romanæ Eccleſiæ perſiſtens, ad laudem eiuſdem Eccleſiæ, & ſacri decus Romani imperij, cupiens, vt expurgatis quorundam erroribus, & iniquis ſtatutis penitùs deſtitutis, decæterò Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ plena vigerent quiete, ac ſecura libertate gauderent: Ac piè & iuſtè attendens, quòd quorundam peruerſorum iniquitas adeò abundauerat, vt non dubitarent contra Eccleſiaſticam diſciplinam & ſacros canones ſtatuta ſua confingere aduerſus Eccleſiaſticas perſonas & Eccleſiaſticam libertatem, edictali lege huiuſmodi ſtatuta iniqua irritauerat: & præceperat irrita nunciari, & omnia ſtatuta & conſuetudines, quæ ciuitates & loca, poteſtates & conſules, aut quæcunque aliæ perſonæ contra libertatem Eccleſiæ, vel perſonas eccleſiaſticas, ac bona huiuſmodi, edere aut ſeruare tentarent contra canonicas vel imperiales ſanctiones, de ipſorum capitularibus infra duos menſes poſt ipſius legis publicationem penitùs aboleri facerent, & ſi decæterò talia attentarent, illa ipſo iure decreuit eſſe nulla, & eos ſua iuriſdictione priuatos. Necno locum, vbi talia deinceps præſumpta fuiſſent, banno mille marcarum auri*, fiſco imperiali præceperat ſubiacere. Poteſtates verò, conſules ſtatutarij, & ſcriptores ſtatutorum prædictorum, necnon conſiliarij locorum ipſorum, qui ſecundùm ſtatuta & conſuetudines memorata iudicarent, extunc eſſent ipſo iure infames, quorum ſententias & actus legitimos ſtatuerat aliqualiter nõ tenere. Quodq; ſi per annum præfatarum cõſtitutionum inuenti forent cõtemptores, bona eorum per totũ Imperium mandauit impunè ab omnibus occupari, ſaluis nihilominùs alijs pœnis, cõtra tales in eiſdem generalibus Concilijs promulgatis. Et inſuper voluit idem tũc Imperator, quòd nulla communitas vel perſona publica vel priuata, collectas ſeu exactiões, angarias, vel perãgarias eccleſijs vel alijs pijs locis aut Eccleſiaſticis perſonis huiuſmodi imponere ſeu inuadere Eccleſiaſtica bona præſumerent: quòd ſi ſecùs facerent, & requiſiti ab Eccleſia vel Imperio, huiuſmodi emendare contemnerent, tripliciter refunderent. Et nihilominùs banno Imperiali ſubiacerẽt, quòd ſine ſatisfactione debita nullatenùs remitteretur. Statuerat inſuper, quòd quæcunque communitas vel perſona per aurum in communicatione propter libertatem Eccleſiæ violatam perſiſteret, ipſo iure ſimiliter dicto Banno imperiali ſubiaceret, à quo nullatenùs extraheretur, niſi prius ab eccleſia de beneficio abſolutionis obtento. Et inſuper ordinauerat, vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione vel ciuili, ad iudicium ſeculare trahere pręſumeret contra eaſdem canonicas ſanctiones & conſtitutiones imperiales: quòd ſi ſecùs faceret, Actor à ſuo iure caderet, & iudicatum non teneret, & iudex foret extunc iudicandi authoritate priuatus: quodque iudices temporales, qui clericis & perſonis Eccleſiaſticis iuſtitiam denegare præſumerent, tertiò requiſiti ſuam iuriſdictionem amitterent, conſtitutionem ipſam de conſilio etiam fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, qui tunc erant, authoritate Apoſtolica approbans & confirmans, ipſam mandauit inuiolabiliter obſeruari: Necnon ſtatutarios & ſcriptores ac violatores prædictos excommunicatos eadem authoritate nunciari. Et deinde ad audientiam diuæ memoriæ Caroli Quarti etiam Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti deducto, quòd nonnullæ ſeculares perſonæ in poteſtatibus & officijs publicis conſtitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones, & alij domini temporales, necnon Conſules ciuitatum, oppidorum, villarum & locorum rectores, in diuerſis prouincijs eiuſdem Imperij, Dei timore poſtpoſito, ſtatuta ſingularia & iniquas ordinationes motu proprio de facto contra ipſas perſonas Eccleſiaſticas & Eccleſiarum libertates, ac eorum priuilegia condiderant, illiſque de facto & publicè vtebantur contra Canonicas & legitimas ſanctiones, vtpote quòd nulla bona temporalia in poteſtatem Eccleſiaſticam transferrentur, & ne clerici in ſacris ordinibus conſtituti, ad agendum & teſtificandum in ciuilibus, & maximè in pijs cauſis aliquatenus admitterentur: quodque excommunicati laici, & publicè denunciati, in ciuili foro minimè repellerentur. Et inſuper prædicti domini temporales, Conſules & Rectores, qui per ſecularem poteſtatem bona clericorum occuparent, arreſtarent; & oblationes CHRISTI fidelium minuerent atque reſtringerent, exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus Eccleſiarum exigerent, & extorquerent poſſeſsiones Eccleſiarum perſonarum earundem deuaſtarent incendijs & rapinis: Contractus inter Clericos & Laicos factos legitimè ad libros Ciuitatum, villarum & locorum prædictorum, inſcribere & ſigillare & recuſarent, donataque & legata ad fabricas Eccleſiarum ſtructuras, contra prælatorum voluntatem & aliorum quorum intererat, temerè vſurpare præſumerent, ac in fraudem & odium Clericorum de bonis etiam & rebus eorundem Clericorum, quæ non cauſa negotiationum, ſed & pro eorum proprijs vſibus per eorum terras ducebant ſeu duci faciebant, telonium exigere & recipere non verebantur: & confugientes ad Eccleſiam & eorum cœmeteria, deinde extrahere contra Canonicas & Imperiales ſanctiones huiuſmodi præſumpſerant & præſumebant. Idem Carolus Imperator tanquàm Chriſtianiſſimus Princeps, volens in præmiſſis prouidere de remedio ſalutari, etiam de quorundum Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Militum, fideliumque aliorum ſacri Imperij ſæpedicti conſilio, authoritate Imperiali quæcunque ſtatuta & conſuetudines prædicta, tanquàm per Canonicas & Ciuiles ſanctiones expreſsè reprobata, ceſſauit, irritauit & annullauit, ac caſſa & irrita, nulliuſque eſſe voluit roboris vel momenti, præcipiens ſub Imperialis banni pœna, vniuerſis & ſingulis Principibus & Domini temporalibus, Conſulibus, poteſtatibus, & alijs in officijs publicis in eodem Imperio conſtitutis, quatenus extunc eorum ſtatuta & ordinationes, ſicut in præiudicium Eccleſiaſticæ libertatis edita fuerant, omninò reuocarent & de luce tollerent: quodque ſecundùm ea non iudicarent ampliùs, nec ſententias dictarent, aut de eiſdem in iudicio vel extra iudicium quomodolibet pro ſe & contra eandem Eccleſiaſticam libertatem potirentur. Pronunciauit inſuper & eadem decreuit authoritate, quòd quicunque Laicus cuiuſcunque ſtatus aut conditionis exiſteret, auſu ſacrilego & propriæ temeritatis audacia ſacerdotem, aut clericum ſecularem vel religioſum diffidaret, proſcriberet, captiuaret, ſpoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, vel huiuſmodi maleficia perpetrantes ſcienter receptaret vel eis fauorem præſtaret; præter pœnas à ſacris canonibus & legalibus ſanctionibus in tales inflictas, eo ipſo redderetur infamis, & omni honore priuatus, nec ad placita vel conſilia nobi-

nobilium admitteretur, quouis modo. Hortans inſuper in Domino & requirens Eccleſiaſticos prælatos, in illis partibus, in quibus committerentur talia, conſtitutos, vt legem Imperialem huiuſmodi per corũ Eccleſias & ſynodus publicarent, ne tranſgreſſores huiuſmodi per ſimulatam ignorantiam, ſuam valerent in hac parte malitiam excuſare, prout in conſtitutionibus & ſanctionibus Conciliorum, & Honorij prædictorum ac Imperialibus pręfatis plenius continetur.

¶ Cùm autem, ſicut lamentabili querela dilectorum Eccleſiæ filiorum Abbatis & conuentus monaſterij ſanctorum Cornelij & Cypriani * Niniuenſis, Præmonſtratenſis ordinis Cameracenſis diœceſis, Decani & Prouiſoris, ſingulorumque beneficiatorum cum cura & ſine cura Decanatus Ruralis Vualacriæ Traiectenſis diœceſis, nuper accepimus, quòd nonnulli Principes, Duces, Comites, Barones, Milites, communitates, & alij ſeculares poteſtates, earundem cõſtitutionum, & ſanctionum canonicarum & Legalium forſan ignari, contra ipſas à Decano & Prouiſore ſingulisque beneficiatis prædictis, ab Abbate, monachis & conuentu monaſterij prædicti, eorundemque ſubditis, communiter vel diuiſim, forſan tallias & gabellas, ac alias exactiones illicitas hactenùs extorſerunt, & adhuc extorquere nituntur, ac etiam bona ipſorum communiter vel diuiſim Decani vel Prouiſoris, ſingulorumque beneficiatorum prædictorum inuaſerint, arreſtauerint, occupaerint, detinuerint, & ſuis vſibus applicauerint, necnon occupare inuadere, arreſtare, detinere, ac etiam eiſdem ſuis vſibus applicare ſimiliter de facto præſumant in animarum ſuarum periculum, necnon Decani & Prouiſoris, ſingulorumque beneficiatorum prædictorum, Abbatis & conuentus monaſterij prædicti, eorundemque ſubditorum huiuſmodi coniunctim & diuiſim, non modicum præiudicium atque damnum: Nos in præmiſſis Decano & Prouiſori, ſingulisque beneficiatis prædictis, Abbati, monachis & conuentui monaſterij prædicti, eorundemque ſubditis, præſentibus & futuris communiter & diuiſim, de opportuno remedio prouidere volentes, diſcretioni veſtræ tenore præſentium in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus vos vel duo vel vnus veſtrum per vos vel alium ſeu alios, Decano & prouiſori, ſingulisque beneficiatis prædictis, Abbati, Monachis & Conuentui monaſterij prædicti, eorundemque ſubditis prædictis, contra quoſcunque tranſgreſſores & violatores conſtitutionum & ſanctionum earundem, cuiuſcunque ſtatus, dignitatis & excellentiæ fuerint, efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis eos contra Canonicas & Legales ſanctiones & conſtitutiones huiuſmodi indebitè moleſtari. Necnon eaſdem Conſtitutiones & ſanctiones, vbi & quando expedire videritis, ſolenniter publicantes, faciatis tranſgreſſores & violatores huiuſmodi ſi prout iuſtum fuerit, ac vbi & quoties expedierit, tam diu execratos & anathematizatos publicè nunciari, donec ab earundem talliarum, collectarum, impoſitionum, & quarumlibet extortionum, necnon bonorum Decani & Prouiſoris, ſingulorumque beneficiatorum prædictorum, Abbatis, monachorum, & conuentus monaſterij prædicti, ac eorum ſubditorum, inuaſione, arreſtatione, occupatione, detentione & applicatione omninò deſiſtant. Necnon etiam efficaciter reſtituãt eiſdem Decano & prouiſori, ſingulisque beneficiatis prædictis, Abbati, monachis & conuentui, eorumque ſubditis monaſterij prædicti, occaſione præmiſſorum per eos communiter vel diuiſim læſis ſeu grauatis, tallias, gabellas & exactiones ipſas, ac etiam bona ipſorum Decani & prouiſoris, ſingulorumque beneficiatorum prædictorum arreſta ta, occupata, detenta & applicata, communiter & diuiſim, ipſis aut quæ per ſe vel alios illo prætextu quomodolibet receperint, immò veriùs temerè & illicitè vſurpauerint, à ſe liberè omninò relaxent, ac in manibus veſtris iurauerint, quòd decæterò talia non committent, & ea committentibus non præſtent auxilium, conſilium vel fauorem, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam & alia iuris opportuna remedia compeſcendo, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Cæterùm ſi forſan huiuſmodi tranſgreſſorum, aut violatorum, vel ea fieri mandantium, ipſiſque conſentientium ſeu dantium in illis per ſe, vel alios directè vel indirectè, publicè vel occultè auxilium, conſilium vel fauorem, præſentia pro monitionibus & requiſitionibus per vos de ipſis fiendis, tutè, ſecurè vel commodè haberi nequiret: Nos vobis monitiones & requiſitiones huiuſmodi ac citationes quaſlibet per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus ſit veriſimilis coniectura, quòd ad notitiam dictorum citatorum & monitorum huiuſmodi peruenire valeant, faciendi plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem: volentes quòd monitiones, requiſitiones & citationes huiuſmodi, perinde ipſos citatos, requiſitos & monitos (vt præmittitur) * arctent, ac ſi eis factæ & inſinuatæ præſentialiter & perſonaliter extitiſſent. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui, quibus cauetur, ne aliquis extra ſuam ciuitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam diætam à fine ſuæ diœceſis ad iudicium euocetur: ſeu ne iudices extra ciuitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alij vel alijs vices ſuas committere, ſeu aliquos vltra vnam diætam à fine diœceſis eorundem trahere præſumant: dummodò vltra duas diætas aliquis authoritate præſentium non trahatur, ac de perſonis vltra certum numerum ad iudicium nõ vocandis, quàm alijs conſtitutionibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcunque: Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim à ſede Apoſtolica indultum exiſtat: quòd interdici, ſuſpendi, vel execrari, vel extra vel vltra certa loca ad iudicium euocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem.

Datum Baſileę * duodecimo Calendas Maij, Anno à Natiuitate Domini 1434.

Locus obſcurus, quales ſuprà & infra plures.

* atte

* m.C lend. k

BVLLA PRAEROGATIVARVM CONCESSARVM incorporatis Concilio, expedita pro domino Archidiacono Metenſi.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam.

Quanto perſonæ eccleſiaſticæ vniuerſali Eccleſiæ ſeruitutem exhibent, tanto pluribus eos conuenit ſermonibus & præſidijs communire, vt per hoc ab indemnitatibus & oppreſſionibus expediti, ad ea quæ ad ipſius Eccleſiæ ſalutem & felicem ſtatum complectendum pertractãda habentur, nobiſcum animos valeant liberiùs applicare. Vnde illis per quæ ſtatus ipſorum poſtergari ſimul & perturbari poſſet, ope noſtra eſt conſultiùs occurrendum. Sanè dudum ſanctiſſimus dominus Eugenius Papa Quartus, intendens Romanam curiam pro tempore ſequentes ſpecialibus fauoribus & antelationum proſequi prærogatiuis, voluit, ſtatuit atque decernit, quòd omnes & ſinguli, qui tempore, vacationis beneficiorum ſub expectatiuis, quas eis ipſe dominus Eugenius Papa conceſſit, gratijs comprehenſorum in dicta curia præſentes & anteà per ſex proximè præteritos menſes illam continuò ſequentes, ſecuti forent, in aſſecutione quorumlibet huiuſmodi beneficiorum, quæ tunc vacantia ritè acceptarent, & de quibus prouideri eis facerent, omnibus cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, vel ordinis, etiam ſi in proceſſibus deſuper habitis diligentiores & in Canonicos recepti eſſent, ſub pari vel iuniori data gratias expectatiuas habentibus, & tunc à dicta curia abſentibus, præterquàm præfati domini Eugenij Papæ familiaribus, continuis commenſalibus, in cancellaria Apoſtolica deſcriptis omninò præferentur, & alia diuerſis priuilegia & antelationum clauſulas conceſſit, gratias expectatiuas ab eo obtinentibus. Nos itaque ad multiplicia labores & ſtudia, quæ nobiſcum in vinea Domini pro hæreſibus extirpandis, pace procuranda fidelibus, ac reformatione Eccleſiaſtici ſtatus ſoliciti obſequio ſortiuntur & perferunt, noſtræ conſiderationis conuertentes intuitum, dignumque cenſentes ex hoc, perſonas ipſorum meritis, fructuoſiſque laboribus penſatis æquo liberamine, condignis fore fauoribus proſequendos, horum conſideratione inducti, volumus & authoritate vniuerſalis Eccleſiæ præſentium

tium tenore ſtatuimus, decernimus pariter & ordinamus, quòd præfati ſoliciti & noſtræ congregationi incorporati, necnon ipſorum familiares, eorundem obſequijs inſiſtentes, quandiù incorporati nobiſcum actualiter & familiares in obſequijs huiuſmodi perſtiterint, in beneficiorum aſſecutione quorumcunque, quæ ipſi expectatiuarum eis à ſede Apoſtolica conceſſarum gratiarum vigore legitimè acceptauerint, & de quibus ſibi prouideri fecerunt, omnibus & ſingulis, ac illis ſimilibus antelationibus & prærogatiuis, quibus prædicti in eadem Curia præſentes, illamque ſequentes, vt præfertur, adminiculantibus eis voluntate atque ipſius domini Eugenij ſtatuto & decreto prædictis, quomodolibet potiuntur & gaudent, vti valeant pariter & gaudere: quodque etiam interim ſolicitis, incorporatis, & familiaribus præfatus nullum prorſus per huiuſmodi voluntatem, ſtatutum atque decretum dicti Eugenij Papæ, vt præfertur edita, necnon priuilegia ſeu antelationum clauſulis quibuſuis, præterquàm ſuis familiaribus cõtinuis commenſalibus conceſſa, præiudicium generari poſſit aut debeat quominùs ipſi iuri communis inſecuto tramite, beneficia ipſa dictarum ſuarum vigore literarum aſſequi poſſint, & etiam obtinere. Super quo iuris eiuſdem in iudicio & extra volumus ſtari iudicio & dictamini, illudque inter ſolicitos, incorporatos, & familiares, necnon præſentes & ſequentes prædictos & quoſcunque alios hincinde penitùs obſeruari: Non obſtantibus prædictis & alijs voluntate, ſtatuto, priuilegijs, clauſulis atque decreto ipſius domini Eugenij Papæ, etiam ſi de illis præſentibus habenda foret mentio ſpecialis, quæ quo ad ſolicitos, incorporatos & eorum familiares, ac alios prædictos, quoaduſque perſtiterint, vt præfertur, volumus haberi pro non factis, nulliusque roboris vel momenti, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, cæterisque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, decreti, & ordinationis huiuſmodi infringere, aut ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & vniuerſalis Eccleſiæ ſe nouerit incurſurum. Datum Baſileæ, decimooctauo Calendas Februarij, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquarto.

B. BVNSCHOTEN.

EPISTOLA SYNODALIS CONCILII, QVA inſtituuntur indulgentia in venerationem ſacramenti corporis Chriſti.

SACROSANCTA generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans. Plaſmatori omnium ſimul & redemptori Deo omnipotenti laudes debitas, & pro immenſis ipſius ſingulis impenſis beneficijs gratiarum actiones à ſuis fidelibus tunc dignè illi * exigere credimus, ſi vota relinquamus eiſdem, quæ ad ipſorum conceſſa ſunt ſalutem animarum, vt exinde fideles ipſi & corde & animo exultantes, ipſorumq; in humilitatis ſpiritu mentibus præparatis, participes fieri mereantur æternę felicitatis. Hinc eſt, quòd nos quarundam literarum per ſanctiſſimum dominum Eugenium Papam Quartum, ſuper veneratione ſanctiſſimi corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, adiectione dierum diebus fidelibus cunctis de iniunctis eis pœnitentijs per Fe. Re. Martinum Papam Quintum prædeceſſorem ipſius, ſub certis modis & forma relaxatis conceſſarum, tenorem ad dilecti Eccleſiæ filij &c. ſupplicantis inſtantiam, de originalibus ipſius Eugenij literis tranſſumi, & præſentibus annotari fecimus, qui ſequitur in hæc verba:

¶ Eugenius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Excellentiſſimum corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV CHRISTI ſacramentum, quòd appropinquante paſſionis eius hora, Dominus ipſe ſigno præcipui, quo nos dilexit, amoris ſalubriter inſtituit, eiusque commemorationem ſacratiſſimã iugi mentis exultatione contemplantes ad hoc inter ſingulos huiuſmodi mercato ſanguine ſpiritualia diſpenſare munera votis expoſcimus, vt illi condignis aſſurgentes laudibus, ſua frequentiùs ad ipſius venerationem ſacramenti corda dirigãt, & eo quo habetur corporalis pręſentia ſaluatoris, viatico fructus vitæ complectentes æternæ, cœleſtia conſcendant, ipſum, qui ſe nobis in edulium tribuit, perpetuò conſpecturi. Sanè dudum piæ memoriæ Vrbanus Papa Quartus prædeceſſor noſter, ad orthodoxę fidei corroborationem & exaltationem, dignè & laudabiliter ſtatuens, vt de tanto ſacramento, pręter illam, quę dietim in Eccleſia fieret, annuatim memoria ſolennior & ſpecialior haberetur, & ad celebrandum eius tam excelſum tamq; glorioſum feſtum, quintam poſt octauam Pentecoſtes feriam deſignans, ac Chriſti fideles quoſlibet ad colendum illud donis ſpiritualibus animare volens, omnibus verè pœnitentibus & cõfeſſis, qui in matutinali officio feſti eiuſdem in Eccleſia, in qua illud celebraretur, intereſſent, centum: qui verò Miſſæ, totidem: & qui in primis ipſius feſti Veſperis, ſimiliter centum: qui autem in ſecundis, totidem. Illis verò qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorij horarum officijs, pro qualibet ipſarum, Quadraginta: eis autem qui per octauas ipſius feſti Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum horarum officijs intereſſent, ſingulis octauarum ipſarum diebus ſimiliter centum. Et ſubſequenter felicis recordationis Martinus Papa Quintus etiam prædeceſſor noſter, fideles eoſdem ad impartienda pro veneratione ſacramenti huiuſmodi potiora reuerentiæ & deuotionis exercitia firmare cupiens, ſingulis ex eis verè pœnitentibus & confeſſis, qui & quoties in ipſius ſacramenti profeſto ieiunium vel loco illius aliud pium iuxta ſuorum conſilia confeſſorum opus facerent, etiam centum: & qui præmiſſis in eccleſijs, in quibus illa celebrari contingeret, officijs intereſſent: necnon Epiſcopis, & alijs prælatis ſuperioribus, qui dictis officijs libenter intereſſent, ſed quominùs eis in ipſis Eccleſijs intereſſe poſſent, pro conſeruandis ſuarum dignitatum iuribus, & alias tunc legitimè impeditis, pro Matutinali ducentos, & pro Miſſæ officijs totidem, ac pro qualibet Veſperarum etiam ducentos, reliquarum verò videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ & Completorij feſti, octoginta. Rurſus autem in quibuſlibet octauarum diebus pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum ſimiliter centum: necnon reliquarum horarum officiorum huiuſmodi, quadraginta. Illis præterea, qui proceſſiones, in quibus ipſum viuificum Sacramentum dicto feſto iuxta præfatarum ritus Eccleſiarum deferretur, continuò ſecuti forent, ac quibuſlibet in feſto & octauarum diebus huiuſmodi pro pace & tranquillitate Eccleſiæ Miſſas deuotè celebrantibus, pro ſingulis ipſarum, necnon alijs in eodem feſto Euchariſtiæ Sacramentum deuotè ſumentibus, etiam centum ſingulis annis. Profectò vice qualibet eis, qui dum corpus Dominicum communicandum deferretur infirmis, illud cum incenſo luminari præcedendo, vel ſequendo venerarentur, ſimiliter centum. Et qui tunc illud aliàs deuotè ſecuti forent, quinquaginta dies de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxàrunt. Ac etiam ipſe Martinus prædeceſſor, quòd in feſto & diebus octauarum huiuſmodi in terris & locis Eccleſiaſtico quauis authoritate ſuppoſitis interdicto pulſatis campanis, ianuis apertis, & alia voce, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis, vt citiùs reconciliari ſtuderent, admiſſis, & illis qui cauſam vel occaſionem huiuſmodi interdicto dediſſent, altari tunc nullatenùs appropinquantibus, Miſſæ & officia præmiſſa licitè celebrari poſſent, authoritate Apoſtolica duxit concedendum. Nos verò quos interim ad ſummi Apoſtolatus apicem diuina clementia prouexit, etiam pro frequentiori huiuſmodi veneratione ſacramenti, ſummis geſtientes affectibus noſtri partes miniſterij ſalubriter impartiri, necnon relaxationes & conceſſiones prædictas Apoſtolici robore muniminis notioni ipſorum fidelium committentes, præmiſſis per eundem Martinum predeceſſorem, vt præfertur, relaxatis diebus alios totidem dies, pariformiter ab ipſis fidelibus conſequendos adijcimus per præſentes. Et inſuper vniuerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios eccleſiarum prælatos monemus, & hortamur in Domino, ac eis per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, & in remiſſionem peccaminum iniungimus, vt per ſe vel alios eorum ſubditos per ſingulas ſuarum ciuitatum

& diœceſum Eccleſias, in Dominica feriam & feſtum prædicta proximè præcedente, ſalutaribus ad venerationē potiſſimè Sacramenti huiuſmodi monitis & exhortationibus præſentium, quarum etiam tenor inter matutinales feſti, necnon dierum octauarum huiuſmodi lectiones recitetur, literarum continentiam & officium publicare & inſinuare procurent, vt eiuſdem ſacramēti ſuffragante myſterio ſubditi & fideles Epiſcopi ſpiritualium gratiarum vberiori fulciantur augmento, & ab illo, qui ſe pro ipſis immolauit hoſtiam, poſt huius vitæ curſum ad gloriā perducantur æternam. Verum quia difficile foret, huiuſmodi literas ſingulis exhiberi, volumus, & eadem authoritate decernimus, quòd ipſarum tranſſumpto, manu publica & ſigillo alicuius epiſcopalis vel ſuperioris Eccleſiaſticæ curiæ munito, tanquàm præfatis (ſi originales exhiberentur) literis plena fides adhibeatur, & perinde ſtetur, ac ſi originales literæ forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, ſeptimo Calendas Iunij, pontificatus noſtri Anno tertio.

Nos igitur volumus, & authoritate vniuerſalis Eccleſię decernimus, quòd tenori huiuſmodi, vbicunque exhibitus fuerit vel oſtenſus, * præſentibus in omnibus ſtetur firmiter, & adhibeatur plena fides, ſicut eiſdem literis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ notificationis & commonitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & vniuerſalis Eccleſię ſe nouerit incurſurum.

Datum Baſileæ quinto Nonas Iulij, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoquarto.

CONTRA COLLECTORES CAMEræ *Apoſtolicæ.*

SACROSANCTA, &c. Dilectis Eccleſiæ filijs, Vniuerſis & ſingulis collectoribus, & Subcollectoribus fructuum & prouentuum, Cameræ Apoſtolicæ aut vniuerſali Eccleſiæ debitorum, per Germanicam nationem ſiue Apoſtolica ſiue noſtra authoritatibus hincinde conſtitutis, tam præſentibus quàm præteritis & futuris, coniunctim & diuiſim, Salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Quoniam ab initio congregationis noſtræ præcipua nobis cura eſt, recens proh dolor illud Bohemorum, antiquumque Græcorum diſſidium prorſus extinguere: quo autem ordine ad vtraque hæc tanquàm fortiſſima efficaces manus iam miſerimus, liquidò conſtat vniuerſis. Sed cùm ad ea Spiritus ſancti gratia ſalubriter peragenda, diuerſa & ineuitabilia ſubire oporteat onera expenſarum, quæ proculdubiò ærarij noſtri iam ferè euacuati facultatibus ſoli ſupportare nequimus, hinc deſuper maturæ conſiderationis intuentes ſcrutinio, nedum aurum quodcunque habet Eccleſia, ſed & cuiuſlibet catholici corpus & animam pro tanto reductionis bono cenſuimus exponenda. Cùm itaque pridem inter alia ſynodica noſtra decreta ſalubriter ſtatuerimus, decæterò occaſione annatarum communium & minutorum ſeruitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut ſub quocunque alio titulo, colore vel nomine, tam in Romana curia quàm alibi, pro Eccleſiarum, dignitatum, officiorum & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque aſſecutione antè vel poſt exigi nihil penitùs debere aut promitti, quemadmodum in noſtro decreto deſuper confecto pleniùs continetur: & nunc ſolùm ſupereſt, vt hactenus dicta occaſione exacta ad Dei laudē pro * vniuerſalis ſupportandis expenſis & oneribus prędictis vtiliter expēdantur. Idcircò vobis omnibus & ſingulis cōiunctim & diuiſim in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis ſententiæ pœna, quam, niſi mandatis noſtris huiuſmodi parueritis, ferimus in his ſcriptis, diſtrictè præci[pie]ndo mandamus, quatenus infra viginti dies poſt præſen[tationem] præſentium, vobis coniunctim & diuiſim, publicè vel occultè factam, immediatè ſequentes, quilibet veſtrûm iter per ſe vel alium ad hoc ſpecialiter conſtitutum, ad nos veniendi arripiat, & inceptum continuet ſine fraude cum quaterno, quem de geſtis, receptis & expoſitis per eum, in ſuæ collecturæ aut ſubcollecturæ officio, toto eiuſdem officij tempore conſcripſerit, Dilectis Eccleſiæ filijs deputatis nutu noſtro, deſuper per nationem Germanicam calculum, computum & rationem de geſtis, receptis & expoſitis huiuſmodi redditurus, ſoluturuſque & præſentaturus fideliter cum effectu eiſdem deputatis pecuniam omnem tempore præſentationis præſentium collectam & reſtantem in huiuſmodi officio: & deinde congruentibus terminis apud eoſdem acceptandis in eodem officio colligendam pecuniam, de qua à iam obligatis colligenda etiam ſub dicta pœna diſponat per ſe vel alios nihilominùs diligenter. Vt autem in his exequendis vobis collectoribus & ſubcollectoribus prædictis coniunctim, & diuiſim nulli prorſus præſtatur impedimentum, vniuerſis & ſingulis perſonis ſpiritualibus & ſecularibus cuiuſcunque, etiam ſi regalis, Cardinalatus vel Pontificalis dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, ſub dicta excommunicationis latæ ſententiæ: Collegijs verò & vniuerſitatibus quibuſcunque, ſub interdicti Eccleſiaſtici, quod etiam in contrafacientes ferimus in his ſcriptis, pœnis, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus omnem pecuniam pro dicta Camera Apoſtolica aut domino Papa ſiue nobis collectā, apud eos aut eorum alterum ſeu alios * ſui mandato forſan depoſitam, vel aliâs quomodolibet exiſtentem & deponendam, poſtquàm depoſita fuerit, vel aliâs apud eos extiterit, quam, ſi quauis etiam Apoſtolica ſiue dicti domini Papę authoritate apud eos aut vos ſiue aliquem veſtrûm forſan nunc aut in futurū, de iure vel de facto arreſtata foret, præſentibus omnia & ſingula mandata, inhibitiones & proceſſus, quaſcunque cenſuras ſiue pœnas Eccleſiaſticas aut ſeculares continentia, in contrarium forſan facta vel fienda, caſſando, tollendo, irritando & reuocando, dearreſtamus: Vobis Collectoribus & Succollectoribus, cōiunctim & diuiſim, infra trium dierum ſpatium à tempore notitiæ præſentium immediatè ſequentium, tradant & aſſignent, ac per nos ad dictos deputatos, vt præmittitur, fideliter deferri per mittant & adiuuent, nec impedimentum quodcunque ſiue qualecunque circa hoc, vel etiam vt nondum collecta pecunia huiuſmodi colligatur, & vt præmittitur, deferatur, quomodolibet præſtent, aut præſtari procurēt quouis quæſito colore, directè vel indirectè, publicè vel occultè, At verò ſi (quòd abſit) vos aut quiſquam prædictorum huiuſmodi noſtris mandatis non parueritis, vel non paruerit cum effectu, hunc & omnes in contrarium facientes, præſentium tenore peremptoriè citamus, & abſque alterius adminiculo executionis citatum habere volumus quatenùs quadrageſima die poſt notificationem præſentium ſibi publicè vel occultè factam, de qua ad hoc iurati nuncij noſtri relatione * ſimplici ſtari debere decreuimus, ſi dies ipſa iuridica fuerit. Alioquin prima iuridica extunc immediatè ſequentibus, coram auditore curiæ Cameræ noſtræ aut eius locum tenente, cui deſuper & etiam contra obligatos, & non ſoluentes, exemptos & non exemptos, quoſcunque, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis (vt præmittitur) exiſtant, ſpecialem præſentibus tradimus poteſtatem, Baſileæ in iudicio compareant ad videndum & audiendum ſe pœnas ſupradictas incidiſſe, per eundem auditorem vel eius locumtenentem declarari, & aliâs contra ſe ad fiſcalis procuratoris noſtri inſtantiam, ad grauiores pœnas & cenſuras, etiam vſque ad priuationem beneficiorum & priuilegiorum omnium, quæ forſan coniunctim vel diuiſim obtinent, incluſiuè abſque citatione procedi, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

Datum Baſileæ in congregatione noſtra generali, 8. Idus Auguſti, Anno à Natiuitate Domini &c. trigeſimo quinto.

AMBASIA-

AMBASIATORVM CONCILII BASILEENSIS EPISTOLAE AD DIVERſos ſcriptæ, Tractatuſque cum Bohemis ac Græcis habiti.

EPISTOLA MISSA BOHEMIS PER AMBAſiatores ſeu legatos Concilij.

VNIVERSIS viris eccleſiaſticis & toti populo regni Bohemiæ, Frater Ioannes Nyder Prior domus Prædicatorum Baſileen. & Frater Ioannes de Mulbrun. ordinis Ciſtertienſis, ſanctæ ſynodi Baſileenſis pro certis ſuis & præſertim infrà ſcriptis negotijs humiles nuncij, pacem, quam ſecundùm Deum optatis.

Et ſi cupitæ rei quæque expectatio aliquid ex mora pœnæ contineat, differentiùs tamen & potiſſimùm ea, quæ in periculo verſatur ſalutis, multum anxietatis habere videtur admixtum. Cùm igitur dicta ſancta & inclyta congregatio, exortum inter nos diſſidium, in noxam animarum Chriſti ſanguine redemptarum vergere dolenter conſpiciat, & tantam iacturam cum innumeris alijs inde prouenientibus damnis & incommodis, velut pia mater deplangat, ſalutemque veſtram ſicut omni ardenti deſiderio (prout ex ipſius digito Dei compoſitis literis perpendere poteſtis) expetat & expectat, modicum ſibi hacten⁹ feciſſe videtur, eo quòd vniuerſitati veſtræ trinas eiuſdem continentiæ literas tranſmiſit, niſi quadruplicatis eiſdem nos binos cum eis nuncios pro rerum gerendarum expeditiori proſecutione, ne, quod tam auidè deſiderat, præter ſpem longiùs protrahatur, emitteret. Oblatam ergo à tam pijs & pacificis mentibus viam & gratiã, futuri mox in Chriſto chariſſimi, ne paruipendatis, ſed tanquàm ab Angelo pacis cælitùs annunciatam, reuerenter cum præſentibus (quæſumus) * concipiatis, [* accipiatis,] & ad componendum ea, quæ vnitatis & pacis ſunt, ocyùs oratores inſtruite, nuncios confeſtim dirigite ad nos bona & pura fide. Iuxta commiſſum ac etiam conſilium, auxilium, & fauorem eorũ, de quibus indubiam gerere poteritis fidem, veſtris mittendis, de tam ſufficienti & rationabili ſecuritate veniẽdi, ſtandi, redeundi, & ſingula ſibi à vobis rationabiliter impoſita agendi & proſequendi, nomine & mãdato dicti ſacri Concilij prouidebimus, quòd meritò poteritis & debebitis manere hac parte contenti. Et ſi adhuc cautiùs & citiùs prouidendum, ac prouidè tractandum, mittere ad nos huc aliquos decreueritis, cum eis ſuper hoc medio pacificorum in omni manſuetudine & ſecuritate agemus, & ipſorum aduentum (ſi nos de hoc citiùs certificare curaueritis, vſquequò dicti patres & Domini noſtri de Concilio indulgebunt) libenter præſtolabimur. Rogamus tamen affectione qua poſſumus, & hortamur in Domino, quatenus pro veſtrorum cauenda ſecuritate, pro noſtra adinuicem redintegranda in beneuolentia ſocietate, tales & tam rationabiles vias & modos concipere & offerre, & huiuſmodi ex aduerſo oblatos recipere & admittere ſtudeatis, vt euidenter appareat, quòd ea, quæ veritatis ſunt, bono & decenti ordine quæritis. Abſit, vt cùm de concordia fidei & ſimplici intentione intendimus, quocunque * inuoluto [* inuolucro] aut contextu verborum, quæ iuſtè & rationabiliter expeti, aut ſecundùm honeſtatem reddi de facili non poſſint, exigere, aut pacem ſimulare, bonaq; & ſanguinem noſtrorum aliquatenus àmodò ſitire videamur: ſed rationabilibus & parabilibus in lenitate contenti ad inueniendum & dandum requiem animabus mutuò conueniamus. Quantocyùs etiam fieri poterit, mittite quos miſſuri eſtis, ne pro nimia dilatione, ſanctum & neceſſarium reformationis opus, de quo inter reliqua principaliter & efficaciter miſſa ad aratrum manu nunc agitur, aliquatenùs retardetur. Melius enim eſt, & haud dubium ſalubrius, viriliter ſe in communi contra vitia, quibus expugnamur, erigere fœdus cum virtutibus, & proximis pacifici: quàm ſanguinem fundentes, & animas periclitantes, crudeliter ſe in alterutrum armare. Exurgamus adhuc, & quæ retrò ſunt, quantum cum Domino poſſumus, iniuriarum & offenſarum obliti, Deo recõciliari: in ea, quæ anteà ſunt pacis fœdera, toto niſu conemur: nec vos, nec quenquam detineat ad res caducas inordinata quæque affectio, aut deterreat ex præteritis, qualitercunque geſtis, inflicta forſan & non * parata paſſio. Si ipſi condicenda inter nos pacta, bona fide ſeruaueritis: nõ erit, qui ex vobis quenquam iniuſtè aliquatenùs offendat, cùm omnes, qui in Chriſtianiſmo ſunt, ſecuritatem, quã in verbo præfati concilij pollicentur, indubitanter præſtabunt. Confidenter ergo venite in Domino, nihil hæſitantes, confidimus, quoniam ſecundùm depoſitionem, qua concilium ſumpſit in rectis & ſimplicibus viris, & ordinato procedendi modo, exordium, veſtra cooperatione, ſi opportunè veneritis (relictis ſiue cõcordatis reliquis, quibus à nobis vtrinque diſcrepare videmini) formationem diſciplinæ ac morum, in nimium proh dolor in populo Dei collapſorum cum bonæ voluntatis hominibus, pura & ſimplici intentione promouere curaueritis, mundus de fructu glorioſorum huiuſmodi laborum lætabundus proſperabitur, & votiuum in virtutibus & donis gratiæ ſumet incrementum, ac in pace tandem bona pectoris & temporis, æternæ pacis authorem concordi & iubila voce laudabit: quia malis pœnalibus, quibus nos, ne flamma vitiorum exuberet & exuperet, clementer hucuſque pungi & * permiſit, profectum noſtrum, ſicut nouit, dignanter promouit, ac cum tentatione prouentum ſalutarem effecit, vt ſeminantes in lachrymis, meritorum manipulos proferentes, præmia gloriæ in patria metamus gaudentes. Præſtet homo natus & datus nobis paruulus Ieſus Chriſtus Domin⁹ noſter, qui vt nos vnanimes & glorioſos in domo ſua afficeret, ſeipſum vſque ad infima carnis noſtræ & ignominiam crucis exinaniuit, ſuaque tanta & inaudita à ſeculis humilitate, nomen, quod eſt ſuper omne nomen, in quo & nos ſaluos fieri oportet, promeruit. Humiliemus & nos, mitis præceptoris veſtigia imitantes, animas noſtras: nõ alta ſapientes, ſed ſimplicibus conſentientes, ac ea, quæ recta, quæq; vera & ſancta ſunt, ſine inuidia alteri alter communicemus, & iocundam proculdubiò (prout in via datur) vitam agemus, quam vitæ iocunditatem nulla vſquàm perituræ rei quamlibet lata poſſeſſiò poterit recompenſare. Speramus, ſicut oramus & optamus, quia nouus agnus, immò nouus ipſe omnis laudatæ nouitatis promotor, nouum vobis ſpiritum, pro ſua laude, veſtra ſalute, & fidelis populi noua de veſtra ad ſe in pace acceſſione lætitia, miſericorditer inſpirabit, vt ſic bonis & donis eius exhilarati & infuſi, gratum nobis ſuper præmiſſis, ſicut deſideramus, & anheli expectamus, reſponſum pro veſtra vrbanitate quantocyùs demandetis. Datum Nurenbergis, ſub impreſſione Sigilli noſtri fratris Ioannis Prioris memorati, quo & ego frater Ioannes Mulbrun. in teſtimonium præmiſſorum ſecum vtor ad præſens, die quinta Ianuarij, anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.

EPISTOLA LEGATORVM CONCILII BAſileen. in Nurenberga exiſtentium, ad Bohemos directa.

AMPLIOREM ſpectabiles viri redintegrandæ inter nos pacis ſpem veſtris è literis concepimus: ſupplices proinde Dominum rogantes, quatenùs quod ſalubre in vobis vtrinq; pro ſua laude, & noſtra adinuicẽ renouanda in ſynceritate fidei & dilectionis vnanimitate incepit, ipſe (qui vinculum eſt & oſculum pacis) perficiat, perfectumq; inſolubiliter firmet. Et vt flagranti, qui in nobis eſt hac parte, affectui, qualicunque pro viribus effectu reſpondeamus, parati ſumus (vt repetitis) charitatiuum veſtrum & finale (vt verbis veſtris vtamur) in deſtinatum diem non modò patienter, ſed & gaudenter præſtolari reſponſum, nihil dubitantes, quin & hæc ſacroſancta Baſileenſis ſynodus, digeſto veſtrorum ſcriptorũ audito tenore, laudabit & probabit eum, veſtramq; excuſationem, tanquàm rationabilem, fauorabiliter admittet, & promiſſum reſponſum æquanimiter expectabit. De procuranda verò veſtrarum literarum baiulis ac nuncijs ſecuritate circumſpectis & prouidis viris conſulatus Egrenſis, tanquàm viris reconciliationis, & fidis hac parte mediatoribus, confidenter pro parte dicti ſacri Concilij ſcripſimus, ſupplicantes, quatenùs huiuſmodi ſingulares, & ſimplices veſtros ad nos dirigen-

dos huc nuncios, eo quo requiſierint, aut opus fuerit, loco fauorabiliter & pacificè recipiant, & ſaluos ad nos vſq; perducant. Nobiſcum autem, quandiù commiſſa negotia flagitent, inoffenſi manere poterunt, & licentiati deinde, ad vos ſalui (vt indubitanter ſperamus) redire. Si quid ampliùs huiuſmodi portitorum aſſecuratio depoſcat, apud dictos dominos de Egra requirat. Et credimus quòd in hoc veſtræ prouidentiæ ac veſtris non deficient, etiam ſi in ſe onus ad literas veſtras nobis præſentandas ipſi aſſumere deberent. Poſtquàm autem inſignes & celebriores ad dictum Concilium ad nos mittere decreueritis oratores, tunc iuxta concilium & auxilium potentũ & principum, qui ſe ad hoc hactenùs nobis, ex parte memorati concilij requirentibus, beneuolos & obſequioſos obtulerunt, & amodò (vt confidimus) exhibebunt, taliter prouidere * conabuntur, vt ſecundùm * conducenda inter nos pacta, & humanam coniecturam, vt meritò remanere debeatis hac parte contenti: hoc ſolùm charitate non ficta nec ſubdola ſuaſione commonentes, vt ſalutis acceptabile tempus fructuoſis mutuò & expeditis tractatibus redimamus. Sicque nos ad alterutrum non fronte minaci, vultuque toruo, ſed placatis & placidis animis exhibeamus, vt non in vanum nobis hoc ſerò (quod abſit) plangamus dilapſum. Datum Nurenbergis, 12, Februarij, anno * 32.

*confidimus *condicenda

for. *1432.

SEQVVNTVR CERTÆ PROMISSIONES factæ per ambaſiatores ſacri Concilij.

NOs &c. ſacroſanctæ generalis ſynodi Baſileenſis in Spiritu ſancto legitimè congregatæ, vniuerſalem Eccleſiam repræſentantis, ad ſereniſſimum Imperatorem Romeorum & Reuerendiſſimũ patriarcham Conſtantinopolitanum ambaſiatores & nuncij, ad ea quę in dicta ſancta ſynodo pro vnione eccleſiarũ Chriſti perficienda, concluſa ſunt, exequẽdum ſpecialiter deſtinati: eiuſdem ſanctæ ſynodi ad ea, quę pacis ſunt & vnitatis, firmum propoſitum cognoſcẽdum vice & nomine eiuſdem, tenore præſentium literarum promittimus dare & cum effectu exhibere, quàm citiùs fieri poterit, vel ſaltem per galeas, quæ venturæ ſunt, pro recipiendo ad Concilium venientes ſereniſſimum Imperatorem & reuerendiſſimum Patriarcham, præfata capitula, quæ in eadem Baſileenſi ſynodo pro pace & vnione eccleſiarum Chriſti hincinde cõcluſa ſunt & firmata ſub bulla plumbea conſueta dictæ ſanctæ ſynodi, & ſub tenore de verbo ad verbum, qui ſequitur & eſt talis: Sacroſancta &c. Quia ambaſiatores noſtri &c.

Item promittimus nomine vt ſuprà, dare præfatis ſereniſſimo Imperatori & reuerendiſſimo Patriarchę quàm citiùs poterimus, vel ſaltem per præfatas galeas ſaluumconductum ſub bulla (vt præmittitur) & ſub tenore de verbo ad verbum, qui ſequitur: Sacroſancta &c. Quia authore Domino &c.

Item promittimus, quòd dicta ſancta ſynodus procurabit ſaluoſconductus ſimiliter per galeas deſtinando præfatis ſereniſſimo Imperatori & reuerendiſſimo Patriarchæ à dominis ciuitatis & patriæ, in quibus futura vniuerſalis & œcumenica ſynodus Deo authore celebrabitur. Et ſimiliter ab omnibus dominijs & territorijs obedientiæ Eccleſiæ noſtræ Occidentalis, per quæ ſiue eundo ſiue redeũdo tranſituri ſunt, munitos & roboratos moto conſueto patriarum & dominiorum, firmiori modo quo fieri poterit, tenoris qui ſequitur, & eſt talis &c.

Item promittimus, quòd dicta ſancta ſynodus Baſileenſis ſub bulla ſiue in bulla ſaluiconductus, dandi (vt præmittitur) per eandem ſanctam ſynodum, declarabit 10. capitulum contentum in decreto, vbi dicitur: Item quòd in omnem euentum prædicta omnia vtique adimpleantur, debere intelligi, vel intelligendum fore, ſiue vnio ſequatur, ſiue non, in dicta ſancta ſynodo œcumenica, &c. In quorũ omnium &c.

Datum Conſtantinopoli in monaſterio S. Georgij pro tunc habitationis noſtræ, 25, Nouembris, anno à natiuitate Domini, 1435.

COPIA PROMISSIONIS EORVNDEM ambaſiatorum.

NOs frater Ioannes de Raguſio ordinis fratrum prædicatorũ, profeſſor, & in ſacra pagina magiſter, Henricus Menger decretorum doctor Canonicus Conſtantien. vnus ex ambaſiatoribus ſacroſancti generalis concilij Baſileen. & Simon Freiron in ſacra Theologia Baccalaureus, Canonicus Aurelian. circa procemiũ dicimus, quòd nunquã fuit de intentione ſacri Concilij, per aliqua verba in dicto procemio poſita, diminuere honorẽ Eccleſiæ Orientalis aliquo modo. Nec ex aliquibus verbis in eo poſitis debet aliquis ſcandalizari. Dicimus vlteriùs, quòd ſi ambaſiatores ipſorum vel ante promulgationem decreti vel poſt, aut in receſſu eorum feciſſent aliquam mẽtionem de dicto procemio, vel de aliquibus in eo contentis, per ſacrum Concilium debitum fuiſſet appoſitum remedium. Veruntamen quia non placuit dictum procemium, nec placet dominis Eccleſiæ Orientalis, nos cognoſcentes feruentiſſimum deſiderium & promptiſſimam voluntatem, ſanctamque intentionem dictæ ſanctæ ſynodi ad vnionem & pacem Eccleſiarum Chriſti, contenti ſumus & promittimus, capitula in eadem ſancta ſynodo concluſa dare & exhibere ſub bulla plumbea ſacri Concilij, & ſub tenore, prout in literis noſtrę promiſſionis continetur.

Ego Ioannes de Raguſio &c. ſubſcripſi me manu propria &c. Ego Hẽricus Menger &c. ſubſcripſi me manu propria &c. Ego Simon Freiron &c. ſubſcripſi me manu propria &c.

PROPOSITIO AMBASIATORVM CONCILII Baſileenſis facta Conſtantinopoli coram ſereniſſimo Imperatore Græcorum.

PRIMA PARS.

MAIESTAS veſtra ſereniſſime Imperator, licèt omnium virtutum officijs dedita ſit, & totius honeſtatis moribus * ordinata, nihil tamen regali dignitati decentius eſt, nihil imperiali veſtræ maieſtati ampliùs conuenit, quàm procurare pacẽ Eccleſiæ ſanctæ catholicæ. Neque enim (vt egregius doctor Auguſtinus ait) Chriſtianos reges vel Imperatores felices eſſe dicimus, quia diutiùs imperant, vel quia filios ſuos regnantes & imperantes * placita morte relinquunt, vel quia hoſtes reipublicæ potenter domant: quoniam hæc & alia huius vitæ ærumnoſæ munera ſiue ſolatia gentiles & infideles Principes adeò frequenter obtinent, qui tamen non pertinent ad regnum Dei, quò tendere debent Principes catholici. Sed felices Reges & Imperatores Chriſtianos eſſe dicimus, ſi iuſtè imperant, ſi Deum timent, ſi Deum colunt, ſi Deum diligunt, ſi pacem eis à Deo datam ad dilatandum cultum Dei, diuinæ maieſtati ſeruire faciunt. Felicem verò non immeritò dixerim animam genitoris veſtri piæ & recolendæ memoriæ, quę pro fide catholica & pace Eccleſiæ diebus ſuis plurimum laborauit, Italiam, Franciam, Angliam, & plurima alia Chriſtianitatis regna pro ſancta vnione Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis laborioſiſſimè peragrauit. Et licèt diebus ſuis illam videre non potuit, tamen deſideriorum ſuorum meritum & laborum præmium ſuorum non perdidit apud Deum. Felix etiam non immeritò dici poteſt maieſtas veſtra imperialis, felix (inquam) nunc ſpe futuræ beatitudinis, poſteà per gratiam Dei re ipſa futura, pro eo quia zelum Dei habet ad pacem Eccleſiæ Dei catholicæ. Scimus enim quòd maieſtas veſtra ſummos Põtifices noſtros, præſertim dominum Martinum bonæ memoriæ, necnon ſanctiſſimum dominum noſtrũ modernum ſollicitauit, & per plures ambaſiatas requiſiuit, vt hoc nefandum ſchiſma inter Eccleſiam Occidentalem & Orientalem de medio tollerent, per quod fides catholica tantam iacturam patitur, quòd infideles totam penè terram Chriſtianorum occupare videntur. Sed vbi fructus laborum veſtrorum ſereniſſime Imperator, cur chariſſimus genitor veſter pacem Eccleſiæ videre non potuit, qui pro ea re (ſicut prædictum eſt) tot labores ſuſtinuit? certè ratio fundamẽtalis omnium per

*ornata

*placida

nos dicendorum hæc eſt, quoniã materia diſsidij inter Græcos & Latinos non poteſt tolli, niſi per viam generalis & vniuerſalis Concilij. Et quoniam ſummi pontifices noſtri tollere illud ex ſeipſis ſine Concilio generali conati ſunt, ideò ad pacem Eccleſiæ proficere non potuerunt. Petierunt ob hanc cauſam prudentiſsimè & cum ſpiritu Dei * loquentis in ſacro Concilio Baſileenſi Oratores inſignes maieſtatis veſtræ, videlicet dominus Demetrius, Iſidorus Abbas monaſterij S. Demetrij, & Ioannes Diſsipatus, fieri Concilium Oecumenicum vniuerſale ex vtraq; Eccleſia Occidentali & Orientali congregatum, duo coram patribus pręfati Concilij conſtanter affirmantes: Primum, quòd abſq; tali Concilio œcumenico non poſsit tolli diſsidium. Secundum, quod ſi * fiet, ipſa vnio, vt ſperabant, votiuum ſortiretur effectũ. Quoniam quicquid per vtramq; Eccleſiam ibidem congregatam eſſet, Deo inſpirante diffinitum, firmiter crederetur, & vſq; in futura ſemper ſecula integrè & inuiolabiliter teneretur. Narrauerunt etiam deuotionem grandem, quam Maieſtas veſtra Imperialis ſemper habuit ad pacem Eccleſiæ. Retulerunt etiam feruentiſs. zelum, quem reuerendiſsimus in Chriſto pater dominus patriarcha Conſtãtinopolitanus gerit pro ſancta vnione, cuius deuotionis non parua indicia dediſtis, quando rogati per dominum Epiſcopum Suden. & magiſtrum Albertum de Criſpis ambaſiatores ſacri Concilij, vt oratores veſtros ad prȩfatum deſtinaretis Concilium, libenter aſſentientes vos viros inſignes ad hoc ſanctũ opus vnionis conficiendum deſignaſtis. quibus honorificè receptis, &c. & in Concilio auditis, * pro eo quod hæc ſancta vnió ſine practica fieri nõ poterat, ſtatim per Concilium deputati ſunt ex maioribus Cardinalibus præſidentibus ſedis Apoſtolicæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, doctores & magiſtri in nume o competenti, qui vnà cum prædictis Oratoribus multis diebus conuenientes, & rem iſtã maturè tractantes, deuenerunt ad certa capitula: quȩ ſecundùm morem ipſius præfati Concilij Baſileenſ. fuerunt per quatuor deputationes concordata poſteà in generali congregatione concluſa, deinde in ſolenni & publica ſeſsione Miſſa de Spiritu ſancto in maiori eccleſia celebrata, ſtatuto ſiue decreto ad perpetuam rei memoriam roborata & firmata. Ibiq; coram Altari in præſentia totius Concilij propoſitis ſacri Euangelijs & cruce dominica, ipſo domino Iſidoro cum ſtola iurante eadẽ capitula per ipſos Oratores veſtros iureiurando fuerunt approbata. O felix dies, in qua arram futuræ vnionis & vobis dedimus, & à vobis ſuſcepimus. Decreuit enim ſacrũ Concilium iuxta deſiderium veſtrum inter cætera capitula fieri Concilium œcumenicum, id eſt, ex vtraq; eccleſia congregatum, in quo vnio & pax votiuum ſortiri poſsit effectũ. Suſceperunt etiam patres ſacri Baſileenſis Concilij loca nominata per Oratores veſtros pro celebratione huiuſmodi Concilij Oecumenici, ita tamen, vt optio loci ex illis nominatis maneat in beneplacito præfati Concilij Baſileenſis, ſicut patet clarè & dilucidè ex lege & tenore decreti. Porrò intelligitur ſummum pontificem implicitè decretis ſacri Cõcilij conſentire, quando ſacro Concilio adhæſit, & ipſum authoritate Apoſtolica approbauit. Sed non fuit contentum Concilium ſacrum, niſi iuxta petitionem Ambaſiatorũ veſtrorum ipſe ſanctiſs. dominus non * explicitè præberet ſuæ ſanctitatis aſſenſum, licèt inſuper præſidentes ſedis Apoſtolicæ ſeſsioni interfuerint, in qua hoc ſaluberrimum decretũ fuit publicatum, decretationiq; conſenſerint, vigore quoq; mandati ſui, quicquid ipſi egerunt, actum cenſeri debeat ab ipſo ſummo pontifice. Nihilominùs prout in decreto fuerat promiſſum, ſuperaddidit ſacrum Concilium, dominũ Simonem Freiron conſocium noſtrũ tranſmittere ad ipſum ſummum pontificem, & offerre ſuæ ſanctitati decretum, & petere ſuæ ſanctitatis conſenſum, quatenùs res cum maiori concordia fieret, & ad pacem quam nos & vos deſideramus, magis proficeret. Vtinã ſereniſsime Imperator ipſum ſanctiſsimum dominum noſtrum æquè dignè poſſemus cõmendare. Commendabilis eſt pro ſua deuotione, quã gerit erga pacem eccleſiæ. Videns enim quòd ſacrum Concilium manus apponeret efficaces ad hoc ſacrum negotium, audiens etiam per organum dñi Simonis, quid in ſe contineret decretum, ignorans quid orator ſuus dñs Chriſtophorus in Conſtantinopoli concluderet, & ſi quid etiã concluſiſſet, determinationi ſacri Concilij ſubijciens approbauit decretum, de conſenſu reuerendiſsimorum patrum S.R.E. Cardinalium. Reuerſus eſt itaque dñs Simon cum benedictione Apoſtolica, deportans ad ſacrum Concilium literas Apoſtolicas, expreſſum ſummi pontificis continentes aſſenſum: vt ecce, quȩ facta ſunt inter Concilium ſacrum ex vna parte, & Oratores veſtros ex litera, circa decretũ & in materia decreti. Et hæc eſt ſecunda pars orationis, dominus Henricus mediabit.

Secunda pars dictæ propoſitionis.

AVDIVISTIS ſereniſ. Imperator per organũ domini mei proloquentis, quòd materia diſsidij inter eccleſiã Occidentalem & Orientalem nõ poteſt tolli, niſi per viam ſacri & vniuerſalis Concilij: Scit etiam Maieſt. veſtra Imperialis, Oratores veſtros inſignes petiuiſſe ſemper Oecumenicũ fieri Concilium, in quo pax eccleſiæ votiuũ ſortiretur effectum. Nunc igitur habeo declarare Imperiali Maieſt. veſtræ, quare ſacrum Concilium viam ſecundam, q̃ hîc in Conſtantinopoli fuerat concluſa, voluit acceptare. Certè ratio fundamentalis hæc eſt, quoniam Concilium Oecumenicum non inducitur per capitula in illa via practicata, ſed ſolùm particulare & regionale. Dicitur enim in illis capitulis inter cætera: Fiat ſynodus generalis ex latere eccleſiæ Orientalis ex omnibus nationibus ipſi eccleſiæ Orientali adhærentibus & ſubiectis. Item ſecundùm practicam illius viæ legatus ſedis Apoſtolicæ venturus erat Conſtantinopolim, diſputaturus de differentia Latinorum & Grȩcorum. Manifeſtum eſt autem, quòd vnus legatus ſedis Apoſtolicæ, non poteſt repræſentare ſynodum Oecumenicam ex latere Eccleſiæ Orientalis. Quare practica illius viæ excludit œcumenicum & vniuerſale Concilium noſtrum. Tamen (vt prædictũ eſt) pro perficienda ſancta vnione ampliùs illa via ſecunda, ſi habuiſſet locum, & nouæ diuiſionis erat fomentum, & maioris diſcordiæ præbuiſſet intentum. Putaſſent Grȩci ſynodum, quæ per iſta indicebatur capitula, vniuerſalem fore debuiſſe, nos verò particularẽ & regionalem. Quis fructus ſequi poterat vniõis, quam optamus, ſi de ipſa ſynodo, quæ fundamentum pacis & vnionis eſſe debuerat, varia & diuerſa ſentiamus? Certè non modò non ſequebatur pax & vnio, ſed maior quàm vnquam fuerat, ſurgebat ſciſſura atq; diuiſio. Grȩci octauam ſynodum particularem & regionalẽ eſſe dicunt, nos illam quaſi vniuerſalem reputamus. Quid opus eſt diſcordiam diſcordiæ addere, & ſciſſuram nouã antiquis diuiſionibus accumulare? Non ſit inter nos diſcordia vt ſynodo futura. Si ad vnionem tendimus, in fundamento concordemus. Si pacem quærimus, opus eſt vt fundamentũ pacis iaciamus. Hæc omnia intelligentes Ambaſiatores maieſtatis veſtræ, tam primi quàm ſecundi, dimiſſa ſecunda via, acquieuerunt primæ viæ, requirentes inſtanter ſacrum Cõcilium, vt poſtquam ſecunda via non placebat, primã proſequeretur, & decretum ad executionẽ deduceret. Et quoniã ſacrũ Concilium dubitauit, an propter concluſa hîc in Conſtantinopoli maieſtas veſtra vellet primæ viæ acquieſcere, præfati Ambaſiatores exhibuerunt, quòd * Imperialis maieſtatis veſtræ, per quod Maieſtas veſtra plenam eis conceſsit poteſtatem. Quòd ſi prædictam viam nõ poſſet à ſacro Concilio obtinere, inſiſterent totaliter primæ viæ. Aſſeruitque publicè dominus Georgius, reuerendiſsimum dominum patriarcham Conſtantinopolis ſibi dixiſſe inter cætera, quòd ſi ſacrum Concilium nollet ſecundæ viæ, quæ hîc fuerit concluſa, annuere, ſed mallet perſiſtere in prima via concluſa in Baſilea, ſi opus eſſet, faceret ſe deferri in humeris, vt propter mandatum datum primis Ambaſiatoribus & iuſiurandum, non diſcederet à promiſsis & concluſis. Sed & dominus Chriſtophorus Garatanus Orator ſanctiſsimi domini noſtri, qui illis diebus Baſileam venerat, deportauit literas Apoſtolicas ad ſacrum Concilium, in quib' ſanctiſsimus dominus noſter totum hoc ſacrum negotium Cõcilio remittebat: cuius optioni commiſit, vt quam vellet viam eligeret, vel concluſam. Et quicquid in his per ſacrum Concilium deliberaretur, ipſe approbaret. Tandem igitur ipſum ſacrum Concilium, vt ipſi Oratores Maieſt. veſtræ, primam viam iterum firmauerunt, & determinauerunt illam proſequi, donec Deo authore pacis largiente, per iſtam viã pax reddatur Eccleſiæ ſanctæ. O felix hora, qua dici poterit Græcorũ & Latinorum eccleſia vna. O beatos oculos,

quibus Dominus dabit ſtatim videre vnionem. Sperant patres in ſacro Baſileenſi Concilio congregati diebus ſuis videre pacem Eccleſiæ, pro qua orāt ſine intermiſsione. Quoniam vos & nos magnum zēlum pacis habuiſſe oſtendimus, quid ſupereſt, niſi vt bonam voluntatem per operis euidentiam ad conſummationem vſquequaq; perducamus? Maius, quod in hac re eſt, bona voluntas eſt: Hanc vtraque pars ſe habere aſſerit, & ſignis euidentibus comprobamus. Apponamus iam manus ad executionem operis. Intentio enim ſacri Concilij Baſileenſis eſt, vt ex parte ſua non pereat vnus apex vel vnum iota de lege ſui decreti. Quare etiam Maieſtas veſtra debet manus apponere ad hoc opus ſanctiſs. perficiendum, cùm iam tempus habeat opportunum. Ne
Ioan. 9. forte iuxta verbum Saluatoris, veniat nox in qua nemo poterit operari. Timendum eſt enim valdè, ſi noluerimus hoc bonum operari, dum tempus habemus & poſſumus, illud alio tempore non poſsimus cùm voluerimus, Turcis, Tartaris, Sarracenis, & alijs infidelibus iuſto Dei iudicio occulto, Chriſtianos ita prementibus, vt etiam ad inchoandum hoc opus aſpirare fas non ſit. Ex quibus omnibus maieſtas veſtra Imperialis poteſt perpendere, quòd ex iuſta cauſa & rationabili ſacrum Concilium dimiſit ſecundam viam, quæ fuerat concluſa hic in Conſtantinopoli, intenditque primam viam proſequi ad honorem omnipotentis Dei. Et hæc eſt ſecunda pars orationis noſtræ. Dominus Simon conſummabit.

Tertia pars eiuſdem propoſitionis.

MEMINISTIS (vt opinor) ſereniſsime Imperator verbi, quod ex ore Imperiali proceſsit. Promiſiſtis in animam genitoris veſtri bonæ memoriæ, & in animam veſtram, necnon per fidem, quam princeps Catholicus tenere debet & ſeruare, gratū ratumq; habere, quicquid Oratores veſtri pro ſancta vnione Eccleſiarum Chriſti cum ſacro Baſileenſi Concilio concluderent, ſicut patet ex tenore chryſobuli veſtri. Quapropter veſtram exhortamur in Domino Imperialem Maieſt. & petimus, quatenus Maieſt. veſtra, & etiam reuerendiſsimus dominus Patriarcha velitis perſonis proprijs iureiurando & per bullas auream & plumbeam more ſolito ratificare, & quantum in vobis eſt, executioni demandare omnia ea, quę per Oratores veſtros pleniſſimo mandato ſuffultos in publica ſeſsione cum ipſa ſancta ſynodo vnanimiter vos ipſi concluſiſtis, & in altari celebrata Miſſa de Spiritu ſancto, ſuper ſanctis euangelijs ſolenniter firmaſti. Secundò petimus, quòd cùm tempus in decreto ſtatutum effluxerit, ne circūſtantiæ rerum impediant hoc tam ſanctiſsimum negotium, quatenus debitum tempus ſtatuatur pro executione cōcluſorum, in quo maieſtas veſtra poſſit exequi quod iurauit, & eccleſia noſtra operari, quod promiſit, præſertim quia ſi tempus effluxerit, culpa veſtra nulla fuit. Quoniam firmiter credimus, quòd ſi veſtra Maieſtas notitiam habuiſſet eorum, quæ in Baſilea facta fuerūnt, nullo modo aliam viam attentaſſet. Et ex alio capite Maieſtas veſtra totaliter immunis eſt à culpa, quia putauit quòd ſacrum Concilium conſentiret in ſecunda via. Similiter neq; fuit culpa ſanctiſsimi domini noſtri, quia licèt ſanctitas ſua miſiſſet huc dominum Chriſtophorum ad tractandum pacem Occidentalis & Orientalis eccleſiārum, tamen hoc totum negotium remiſit ad ſacrum Concilium. Sed nec ipſa ſacra ſynodus peccauit, quia ad exequendum decretum ſuum parata eſt, & erit. Pro cuius etiam executione nos Oratores ſuos huc tranſmiſit. Quid ergo? zelus domus Dei hoc fecit, vt eodem tempore plures concurrerent, ſequentes do-
Matth. 13. ctrinam Euangelicam: Simile eſt regnum cœlorum homini quærenti bonas margaritas: Inuenta autem vna pretioſa, vēdidit omnia quæ poſſedit, & comparauit eam. Poſtremò ſereniſsime Imperator, ſicut in mandatis habemus, petimus locum optimum ad celebrandum Concilium œcumenicū, in quo pax Eccleſię votiuum ſortiatur effectum. Et dicimus ſecundum diſpoſitionem Chriſtianitatis, prout his diebus, proh dolor, diſpoſita eſſe cernitur, nō eſt locus aptior ad celebrandum huiuſmodi Concilium œcumenicum, quàm ciuitas Baſileenſis. Vtinam rationes congruentiæ poſſem Maieſtati veſtræ lingua Græca exprimere, quoniam apud vos melius reſonarent, quàm in Latino ſermone. Sed quando lingua deficit, charitas magis inardeſcit. Quemadmodùm enim ſol, cùm multæ * exteriùs, lucet ſuper terrā, ſed interiùs ardet in cœlo: ſic cùm maiori loquimur charitate, * quanto lingua neſcit vti Gręco idiomate. Cæterùm plures occurrere poſſent circa materiam loci opportunitates, quæ longum eſſet enarrare. Sed ex multis quinque colligimus, quas Imperiali Maieſt. proponere volumus. Prima ſumitur ex quiete loci, quoniam illa regio eſt pacifica, quieta & tranquilla: & per conſequens aptiſsima ad tractandum pacē Eccleſiæ, ſicut ſcriptum eſt: In pace factus eſt locus eius. Proptereà Concilium Oecumenicum cui ſpiritum ſanctū oportet aſsiſtere, omninò fieri in huiuſmodi loco tranquillitatis & pacis * De cæteris verò partibus Chriſtianitatis, quod dolenter referimus, omnes ferè guerris lacerantur, atque etiam conſumuntur, &c. Sola illa ciuitas & regiones circunſtātes, quæ ſuper Rhenum fluuium protenduntur, tranquillitate gaudent & pace: quare ciuitas illa locus eſt aptiſsimus ad celebrandum Concilium Oecumenicum pro conſequenda vnione Eccleſiæ. Secunda ratio fundatur in libertate, quæ debet in Concilio Oecumenico eſſe. Petiuiſtis per oratores veſtros, vt Cōcilium veſtrū futurū ſit liberū, ita quod vnicuiq; liceat dicere votum ſuum ſine rixoſa contentione. Quanta autem ibi ſit libertas loquendi, conſulendi, deliberandi, cōcludendi, ſciunt Ambaſiatores Maieſt. veſtræ, qui in ciuitate Baſileenſi longo tempore ſteterunt, * ſi ciuitas illa, eſt ciuium concordia & vnitas. Baſilea enim inter cæteras ciuitates, ciuitas propriè appellatur, quia à ſe regitur, & ciues nulla partialitate diuiduntur. Amicitia principis ibidē dominantis, neminem opprimit timore: tantaq; eſt ibi libertas, quòd etiam inimici Eccleſiæ, quando ibi acceſſerunt, maxima potiti ſunt libertate. Accedit tertia ratio, quoniam congruum eſt, vt vbi hoc ſanctiſsimum negotium accepit initium, ibi perficiatur. Exhibitio enim rerum præterlatarū, indicium eſt futurarum. Et ideò ſi in loco illo fiet Concilium Oecumenicum, tractatus pacis ſortietur effectum. Quarta ratio reſpicit fertilitatem patriæ: quoniam vbicunq; celebrabitur Concilium Oecumenicum, oportet ibi maximam multitudinem gentiū conuenire. Conueniet enim ibi ſummus Pontifex, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & prælati cæteri eccleſiæ noſtræ Occidentalis, conuenient Reges & principes, & Ambaſiatores abſentium principum. Conuenient etiam Serenitas veſtra cum Patriarchis & Prælatis, regibus & principibus eccleſię Orientalis. Quomodò poſsit hæc multitudo viuere, niſi locus abundaret maxima fertilitate? Tanta eſt autem fertilitas patriæ & Baſileenſ. regionis, quòd Concilium generale ex latere totius eccleſiæ noſtræ iam per quinquennium ſuſtinuit. Vnde ſicut Baſilea eſt in medio totius obedientiæ noſtræ, ſic & ferè præ cęteris fertilior locus eſt de ſe, & ad illum tanquam ad centrum cōfluunt vndique bona ab omni alia regione.

Vltimò amœnitas loci non parùm videtur ad rem pertinere, quoniam in præfata ciuitate Baſileenſi tanta eſt ſerenitas aëris, quòd nunquam aut rarò ſubijcitur peſtilentię. Quæ cùm ſit contagioſa infirmitas, ſolet Concilia generalia & regionalia ſine fructu diſſoluere. Petimus igitur ſereniſsime Imperator, quatenùs Maieſt. veſtra illum velit eligere locū, vt abſque omni impedimento celebrari poſsit Concilium Oecumenicum. Et ecce nos offerimus pro parte ſacri Concilij ad executionem decreti, donec largiente Domino, pax reddatur eccleſiæ Dei, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Margin: for. * tenebræ — * quando — Pſalm. 75. — for. * conueniat — for. * qd felicitas

PROOEMIVM DECRETI, QVOD NON placuit Imperatori dicto.

SICVT pia mater pro filiorū ſalute ſemper anxia eſt, nec vnquam quieſcit, donec ſi qua inter ipſos diſſenſio ſit, ſopita fuerit: ſic multò amplius ſancta mater Eccleſia, quæ filios ad perpetuam vitam regenerat, omni conatu laborare conſueuit, vt omnes qui Chriſtiano nomine cenſentur, ſublato omni diſsidio, eandem fidei vnitatem, ſine qua ſalus eſſe non poteſt, fraterna charitatē cuſtodiant. Quamobrē huius ſanctę ſynodi ab initio ſuę congregationis pręcipua cura fuit, recens illud Bohemorū, antiquumq; Græcorū diſsidiū

prorſus

proſus extinguere,& eos nobiſcum in eodem fidei & charitatis vinculo perpetuo copulare.

Articuli Ambaſiatorum Concilij Baſileenſis.

PRIMVS punctus eſt de ratificatione eorum quæ geſta ſunt,quòd videlicet ſereniſſ. Imperator, & reuerendiſſimus dominus Patriarcha velint proprijs in perſonis iureiurando & per bullas auream & plumbeam more ſolito ratificare ſolenniter,& executioni demandare, quantùm in ipſis eſt,ea quæ ipſi in ſancta ſynodo Baſileenſi per ſuos ſolennes oratores pleniſsimo mandato fulcitos,& publica ſeſſione cum ipſa ſancta ſynodo vnanimiter concluſerunt, & in Altari celebrata Miſſa de Spiritu ſancto, ſuper ſanctis Euangelijs & cruce Dominica iureiurando ſolenniter firmauerunt.

Secundus punctus eſt de tempore, quia cùm tempus in decreto ſtatutum & expreſſum, non defectu ſacri Concilij, aut ipſorũ dominorum Imperatoris & Patriarchæ, ſeu Ambaſiatorum eorundem,ſed alijs ex cauſis iam effluxerit, neceſſe eſt, vt pro executione concluſorum, tempus debitum & competens per vtramque partem ſtatuatur.

Tertius punctus eſt de loco Baſileen. quòd videlicet præfati ſereniſsimus Imperator & reuerendiſsimus Patriarcha multis ex cauſis dignentur & velint aſſentire, quòd Concilium vniuerſale & Oecumenicum, quod condictum eſt celebrari,in ciuitate Baſileenſi celebretur.

Quartus punctus eſt de executione decreti, quia videlicet miſsi ſumus ad præſentandum præfato ſereniſsimo Imperatori & reuerendiſsimo Patriarchæ decretum concluſorum in publica forma cum plumbea bulla præfati ſacri Cõcilij Baſileenſ. in quantum attinet ad dictum ſacrum Concilium,ad inchoandum executionem decreti eiuſdem,& concluſorum contentorum in eodem decreto.

ALII ARTICVLI IMPERATORIS *Conſtantinopolitani.*

PRIMÒ dicimus & volumus,vt procemium decreti aliàs lectum & intellectum, totaliter tollatur, & ad minus corrigatur,tali modo,vt poſsimus remanere in hoc cõtenti,vt omnis mala & ſcandaloſa ſuſpicio remoueatur,quæ poterit per illud procemium in animis quorundam exoriri.

Secundò, ſi (quod abſit) vnio & concordia Eccleſiarum Chriſti non ſortiatur effectum, ſed recedamus ex illis partibus diſcordes & diuiſi,ſicut nunc ſumus,quòd non afferatur nobis propter hoc aliquod impedimentum,damnum,vel aliquod hoſtile, quouis modo ex parte ſanctæ Romanæ Eccleſiæ,immò vt fiat reditus noſter ad has partes cum ijſdem honoribus,diſpoſitionibus,fauoribus, cum quibus illuc acceſſuri ſumus. Et faciat nobis pars ſanctæ Romanæ eccleſiæ omnia,quæ pertinent ad reuerſionem noſtram in tali etiam caſu, ſicut ſi fieremus concordes & vniti, vt in Deo ſperamus.

Tertiò,ſi contigerit aliquos dominos reges ac principes non affuiſſe tali ſynodo nec verè, nec repræſentatiuè propter aliquas cauſas tam ex partibus noſtris, quàm Occidentalibus, quòd hoc non intelligatur, nec habeatur pro defectu aut reuerſione conuentorum & concluſorum, vel ipſius rei & ſolicitandæ ſanctiſsimæ vnionis.

Quartò, quòd in ciuitate vel regione, in quibus debeat, Deo authore,dictum Oecumenicum Concilium celebrari, & in alijs ciuitatibus ac regionibus Romanæ Eccleſiæ ſubiectis,veniendo,ſtando, redeundo, nos & omnes noſtri nullum habeamus impedimentum, grauamen, nocumentum, vel quodcunque malum ab aliqua perſona tam eccleſiaſtica quàm ſeculari,propriè vel communiter, palàm vel occultè ex quacunque occaſione.

Quintò & vltimò,quòd ſi aliquis vel aliqui de quacunq; natione & cuiuſcunque fortunæ & qualitatis ex illis, qui ex parte noſtræ eccleſiæ ibidem acceſſuri ſunt, in aliquo peccaret,iudicium illius peccati ſpectet ad nos & noſtram partem: pœna etiam illius determinetur noſtra diſcretione, & non habeat ſuper hoc & poſsit aliquid facere pars Occidentalis eccleſiæ ſubiectorum noſtrorum.

ALII ARTICVLI RESPONSORVM *Ambaſiatorum Concilij.*

AD primum dicimus,quòd nunquam fuit de intentione per procemium decreti iniuriari aliquo modo Eccleſiæ Orientali,nec ex ipſo ſanè intellecto (vt declaratum eſt)poteſt vel debet aliquis iuſtè ſcandalizari.

Item dicimus, quòd ſi Ambaſiatores Ipſorum vel ante promulgationem decreti vel poſt, aut in receſſu ipſorum feciſſent aliquam difficultatem de dicto procemio, per ſacrũ Concilium debitum fuiſſet appoſitum remedium.

Dicimus vlteriùs, quòd non eſt in poteſtate noſtra, dictum procemium tollere, aut corrigere, ſiue mutare, aut aliud facere, tum quia non habemus ſigillum, aut plumbum Concilij, tum quia illius eſt tollere, corrigere ſiue mutare, cuius eſt concedere. Poſtremò, quò ad hunc primum articulum dicimus, quòd propter prædictum procemium nullo modo tantum bonum eſt omittendum,aut aliquo modo differendum. Et offerimus nos ad omnia remedia rationabilia,nobis poſsibilia.

Ad ſecundùm dicimus, quòd ſi loquatur articulus de expenſis honeſtis, clarum eſt ex tertio & decimo capitulis ipſius decreti. Et ſi ampliori declaratione indiget, parati ſumus ad declarandum, &c. Si autem de ſecuritate loquatur, prouidebitur per ſaluumconductum.

Ad tertium,quòd de regibus, principibus ac dominis & principalibus Eccleſiæ prælatis conſentire non poſſumus, quin ſaltẽ interſint repræſentatiuè, vt patet ex primo capitulo decreti,&ex declaratione,Quid eſt ſynodus vniuerſalis & Oecumenica. Nam inter alia dicitur in primo capitulo: Similiter venient ex omnibus regnis & dominijs,quæ ſubijciuntur eccleſiæ Græcorum cum plena poteſtate & mandato vallato iuramento & alijs clauſulis opportunis, tam ex parte ſecularium dominorum quàm Prælatorum.

ORATIONES ALIQVÔT IN SEV PRO IPSA BASILEEN. SYNODO, CONTRAQ; vel ad ipſam habitæ.

COLLATIO EXIMII DECRETORVM DOCTORIS *magiſtri Ioannis de Bachenſtein, facta coram domino noſtro ſanctiſſimo in Florentia.*

BEATISSIME Pater, exigeret præſentia V. B. In primo dicendorum alloquio orationem ornatè compoſitam, maturæque digeſtam, quæ S. V. dignitatem, clementiam, aliaſque virtutes & dotes ſummas in medium adduceret,& rem ipſam Deo gratiſsimam, & hominibus ſaluciferam,de qua paulo pòſt dicturus ſum,peroraret. Quis autem eloquentiæ princeps aut Tullianæ ſapientiæ, præſulatũ ſupremi vicarij Ieſu Chriſti, modico & inculto ſermone ad plenum explicare poterit? profectò mearum virium, ſed & ſublimioris ingenij tranſſcendit facultatem. Rem inſuper ilicò ſubijciendam, veritatis nitore ſubmiſſam video,ratuſq; non ſum eam verborum lenocinio indigere. Canon mihi locupletiſsimus teſtis eſt, eum ſuperuacuis laborare impẽdijs, qui ſolem certat facibus adiuuare. Quoniam igitur gratiæ plenitudo adiectione non indiget, nec vlla requirit cõmendationis argumenta,immorari in ea re verborum fucatis coloribus ampliùs non putamus. Ne autem vſque ad faſtidij neceſsitatem mea ſe extendat præfatio, ad conceptã materiam orationem conuerto,non tamen de propria virtute, ſed de munere largitoris illius, qui dat omnibus affluenter, & non improperat,confidens. Verùm P. B. cùm parens noſter ille ſolus & vnus Deus glorioſus, fingeret animal rationale,ipſum ex humo ſubleuatum, ad contemplationem ſui artificis erexit:& ſolus homo eſt,qui res cęleſtes accepit: ſpectare eum Deus cœlum voluit, vt religionẽ ibi quærat. Apparet non eſſe rationis humanę,vt poſtpoſitis diuinis ac humanis præceptis,opes terrenas,quæ plerunq; curuãt animal rationale,venerari. Cùm autem P. B. glorioſiſsimi pontifices anteceſſores V.B. magni,iuſti, in cœleſtibus rebus experti,ſumma religione Deum adorabant, iuſtitiæ cultum colebant, in omnibus Deum præſentem eſſe putabant, decreta Iacob. 1.

ſacro-

ſacrorum Conciliorum in ſumma reuerentia ac veneratione habere ſolebant, & à ſubditis obſeruari faciebant, adeò etiam, vt beatus Gregorius tantæ beatitudinis ac ſcientiæ pôtifex, quatuor Concilia generalia vniuerſalia, ſicut quatuor libros Euangelij profeſſus fuerit, ſcilicet Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe. Ratio, quia in his, velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cuiuſlibet vitæ atque communis actionis norma exiſtit. Et cùm vniuerſali ſint conſenſu conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumpſerit abſoluere quos religant, aut ligare quos abſoluunt. Clarum autẽ eſt, iuxta Gelaſij Papæ ſententiam, quòd eadem veneratione & decreta aliorum Conciliorum cuſtodienda & recipienda ſunt. Nedum autẽ dicta quatuor generalia Concilia cum ſuis ſequentibus, ſolummodò quò ad fidem, beatus Gregorius ſe venerari fatetur, ſed etiam quò ad Reformationem, quando ſubiungit, dicens: Quia in his cuiuſlibet vitę atque communis actionis norma exiſtit. Conſtat autem, & luce clariùs apparere poteſt, quòd iuxta ſacri Concilij Conſtantienſis decretũ, quemlibet, etiam ſi Papali præfulgeat dignitate, decretis ſacrorum Conciliorum obedire debere in his quæ pertinent ad fidem, ſchiſmatis extirpationem, & Reformationem Eccleſiæ in capite & in mẽbris, & pertinentium ad ea. Et ſi glorioſiſsimi pontifices ea deſtruere, quæ anteceſſores ſui ſtatuerunt, erubuerunt: multò magis decet & expedit, quinimò neceſſarium foret S. V. eorum veſtigijs inhærendo, decreta ſacrorum Conciliorum ſumma cum veneratione obſeruare, & obſeruari facere & cuſtodire. Sicque Pater B. ſi priſcorum ſacrorum pontificum magnifica opera S. V. attendit, ſummo ſtudio conabitur gloriam ſuam triumphalẽ ſuis poſteris & vniuerſo orbi relinquere profuturam. Neq; S. V. retrahat leuis occaſio, quinimò diuinę neceſsitudini ſatisfaciet, ſi grato ſtudio ſuo adminicula miſericorditer petẽda Eccleſiæ Dei feliciter condonabit. Non iniuſtum petiuimus, non S. V. maximis prælijs & certaminibus confligere rogamus, non inſuperabiles montes tranſituram, non ampla terrarum ſpatia vaſti orbis luſtrare: ſed vt ſancta Catholica Eccleſia fauoribus benignis participata, bonos felicitatis ſuæ conuentus in perpetuum memorales conquirat glorioſè. Nunc autem P. B. de veſtræ ſanctitatis benedictione ad rem ſpecialiùs deſcendam, alia iniuncta poſteris temporibus explicaturus.

Conſiderans itaq; ſancta Catholica Eccleſia, per ſacram ſynodum Baſileenſem præſentata, Reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris, vniuerſo orbi ſummè eſſe neceſſariam, & ad eam perficiẽdam creberrimis literis S. V. magna cum charitate & ſolertia propulſatam fuiſſe, In nomine Spiritusſancti paracliti, magnis ac varijs impedimẽtis interuenientibus, ſua ſaluberrima promulgauit decreta. Cũ autem P. B. ob eorundem tranſgreſsionem magna ſcandala in Eccleſia Dei præteritis temporibus exorta ſint, & niſi accuratius prouideatur, timendum foret, maiora ſcandala intolerabilia ac ſchiſmata grauiora ſuboriri, maximè autem propter non obſeruationem decreti de electionibus, ob quam trãſgreſsionẽ paucis temporibus elapſis ſequi poterit pernicioſiſsimum ſchiſma in Eccleſia Dei, periculoſiùs quidem, quàm fuerit aliud nouiter extinctum. Illud namque diuidebat Eccleſiam in duas partes. Sed ſi S. V. non ſeruaret decretum de electionibus per ſacrum Concilium promulgatum, timendum foret, quòd infra decem aut quindecim annos ſancta Catholica Eccleſia diuiſa reperiatur in tot partes, quot ſunt diœceſes. Proximis inſuper diebus, cùm Ambaſiatores ſacri Concilij Francfordiæ in ſolenni conuentione ſacri Romani Imperij principum Alemaniæ & Electorum eſſent conſtituti, audiuerunt grauiſsimas querelas maximaque ſcandala exinde euenire. At ſtatim verò expoſt Colonienſis & Moguntinenſis Archiepiſcopi queruloſas literas de nouo, ſacro Concilio tranſmiſerunt, poſtulantes humiliter & deuotè, quatenùs ſacrum Concilium ſuper obſeruantijs decreti de electionibus ante ſui diſſolutionem dignaretur apponere remedium oportunum. Quamuis autem P. B. ſuperioribus temporibus ſacrum Concilium per honorabilem dominum Abbatem ſanctæ Iuſtinæ, & demùm per duos reuerendiſsimos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, pro obſeruandis decretis editis & edendis S. V. requiſiuerunt, nunc verò per duos humiles dictæ ſacroſanctæ ſynodi oratores rogat, petit, hortatur, & per viſcera Domini noſtri Iesv Christi obſecrat & ampliùs requirit, quatenùs ſanctitas veſtra deinceps cum effectu ſeruare & ſeruari facere velit decreta edita & edenda per ſacrum Concilium Baſileenſe, & in contrarium attentata reuocare. Alioquin P. S. dicta ſacra ſynodus multiplicibus iurgiorum ac ſcandalorum crebris propulſata opprobrijs, intendit dare operam efficacem, per quam decreta ſua ab omnibus inuiolabiliter obſeruentur, etiam quacunque præfulgeant dignitate, prout poſsibile erit. Vnde iã tot ſcandala & ſchiſmata in populo Chriſtiano ſuborta exiſtunt, & peramplius ſequi veriſimiliter timentur, quod ſacro Concilio non expedit conniuentibus oculis pertranſire. Et ſi ſacrum Concilium non foret congregatum ad obuiandum dictis ſcandalis, de nouo deberet congregari. Nunquam autem ſacrum Concilium patietur ſe diſſolui, niſi primitùs adhibito ſufficienti remedio modo poſsibili pro obſeruandis decretis eiuſdem. Quid namque prodeſſet condere decreta & leges, ſi non manutenerentur? Qualis inſuper futuris temporibus ſpes generalia Concilia congregandi haberi poterit, ſi decreta ſacri Concilij Baſileenſis tot laboribus & expenſis condita & promulgata, tam de facili violari, ac etiam retractari & irritari à quocunque tolerarentur? Et profectò niſi diligentiùs prouideatur ſuper obſeruantia decretorum, paucis temporibus elapſis, omnis authoritas ſacrorum Conciliorum eneruabitur, & diſciplina eccleſiaſtica peribit. Vulgaris namque inoleuit vox populi, ſi durante Concilio hæc fiunt viridi, quid eo diſſoluto * ſpectandum foret in arido? (* ſperandum) Præterea P. B. ad dictam obſeruantiam decretorum, ex ſuſcepti regiminis officio S. V. adſtricta eſt. vnde iuxta Iuliani Papæ ſententiam, officij noſtri conſiderationem non eſt nobis diſsimulare, non eſt tacere libertas, quibus maior cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit: & per conſequens, feruentiori deſiderio ea quæ ſunt Chriſtianæ religionis decreta, Romanos pontifices ſeruare oportet. Neque aliquam aliam ſedem, ſecundùm Gelaſium, vniuſcuiuſque ſynodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus; magis exequi præ cæteris oportet, quàm primam, quæ vnamquanque ſynodum ſua authoritate confirmat, & continua moderatione cuſtodit. Nedum autem verbo aut ſcripto ea amplecti, ſed etiam vſque ad animam & ſanguinem, ea quæ Spiritu ſancto dictante patres diffiniuerunt, præcipua virtute defenſare & ſeruare, ab alijſque obſeruari facere & cuſtodire: quod ſi S. V. fecerit, conſequetur profectò ſancta Eccleſia Catholica immenſam gloriam, honoremq; ſuſcipiet pariter & decorem: ſacrum quoque Concilium Baſileenſe in Spiritu ſancto legitimè congregatum, & S. V. vinculo charitatis indiſſolubili erunt vnum, ſicut & nos vnum ſumus.

Inſuper P. B. quot & qualia ſcandala præteritis temporibus prouenerint ex eo, quòd ſententiæ etiam tres conformes latæ in ſacro Concilio, in curia Romana refutantur, retractantur & reuocantur, ad plenè explicandum non ſufficeret dies neque menſis. Patres autem ſacri Concilij, & etiam cuncti principes ſeculi, de hac re non ſolùm admirantur, ſed & grauiſsimè ſcandalizantur, cùm hoc cedat in maximum ſcandalum & perturbationem Eccleſiæ vniuerſalis. fiunt namque diuerſi proceſſus in diuerſis partibus: vnus excommunicat, alius verò abſoluit: vnus obedit, alter contemnit. Quanta autem mala & contemptus eccleſiaſtici ſtatus hinc proueniant, lingua noſtra mortalis ad plenum explicare non poterit. Et quod grauius eſt, fiunt proceſſus in curia Romana, per quos mouentur ſuppoſita Concilij, ſignanter autem ſcriptores & abbreuiatores, cùm tamen ita neceſſaria negotia ibidem tractentur, quòd non ſolùm deberent vocari, quinimò & alij mitti. Ea propter P. B. dicta ſacra ſynodus S. V. rogat, petit, hortatur, & inſuper per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti obſecrat & requirit, quatenùs S. V. deinceps taliter velit obedire, quòd iſta aut conſimilia de cæterò non fiant. Et præſertim mandare domino Patriarchæ Hieroſolymitano, à quo dicitur illud monitorium emanatum, & illud reuocet, & de cæterò conſimilia non attentet.

Peramplius autem ſanctitas V. dignetur fauere & habere

recom-

recommiſſa ſuppoſita ſacri Concilij, prout in decreto adhęſionis pollicita fuit S. V. facere velle. In omnibus autem S. V. velit ſic agere, quatenꝰ patres in ſacro Concilio cõcipere valeant, S. V. manutenere ſacrum Concilium, & non per indirectum diſſoluere. Quod ſi S. V. fecerit, * totus inſuper orbis vniuerſus exinde magnam ſuſcipiet conſolationem & quietem, ſacrum inſuper Concilium & S. V. erunt vnum, ſicut & nos vnum ſumus.

fo.* totiꝰ orbis vniuerſitas.

Poſtremò pater beatiſsime, ſacrum Concilium volens ea ſignificare S. V. quæ proximis diebus in ſacroſancto opere reformationis, dudum vniuerſo orbi per ſuas literas promiſſo fecit & ordinauit, in præſentiarum in ſignum participationum tot & tantorum bonorum operum, tranſmittit S. V. decretum de Annatis, vacantijs, & communibus ſeruitijs tollendis, prout in ipſo decreto ſtatim præſentando clariùs continetur. Et dicta ſacra ſynodus hortatur & requirit S. V. quatenus velit ipſum decretum in ſua curia ſeruari, & alibi obſeruari facere & cuſtodire: quoniam ipſum eſt conforme legi diuinæ & canonibus ſanctorum patrum, & dignetur ipſum benignè ſuſcipere, tanquam opus quod principaliter reformandum erat. Quamuis autem P. B. iſtæ Annatæ introductæ fuerunt ex cauſa Paſſagij terræ ſanctæ, nunc autem ceſſante cauſa, ceſſare poterit & effectus. Etiam dictæ Annatæ hactenùs ſubleuatæ, non ſunt conuerſæ in eũ vſum & finem, propter quem Annatæ adinuentæ fuerunt. Maximè autem, quoniam ſuperioribus temporibus in ſubleuationem dictarum Annatarum, tantus rigor, tantæque exorbitantiæ, & tot inſuper deſtructiones, & orbationes inſignium eccleſiarum prouenerunt, adeò etiam, quòd in multis eccleſijs cultus diuinus nedum diminutus, ſed etiam in totum in collapſum reductus exiſtit. Multi enim notabiles prælati, ob non ſolutionem Annatarum, innodati cenſuris eccleſiaſticis, multis annis à diuinis abſtinentes, & tandem plurimi in ipſis ſic mortui, in terra profana inhumati ſunt. Alij verò coacti ſunt vendere libros, calices, capſas reliquiarum, & ornamenta eccleſiarum. Alia autem innumerabilia mala, quæ exinde ſubſecuta ſunt, in longum enarrare de pręſenti ſuperſedeo. Quibus ſingulis attentis, perampliùs non expediebat ſacro Concilio, conniuentibus oculis pertranſire. Vnde P. B. ſi Alexander ſanctæ Romanæ eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis Epiſcopus, ſcribens Lucenſi eccleſiæ conſtituerit & decreuerit, quòd nullus cuiuſcunque gradus clericus pro eccleſiaſtico beneficio audeat aliquid conferre, etiam ſi fabricæ eccleſiæ vel in denarijs ſeu etiam in vſus pauperum donatum tribuendum foret: multò magis decuit ſacrum Concilium, quod eſt ſpeculum & norma cuiuſlibet vitæ atque communis actionis, decretare & ordinare, quatenùs peramplius in collatione beneficiorum, confirmationum, electionum, admiſsionum, poſtulationum, tam in curia Romana, quàm alibi, nil penitùs ante vel pòſt exigatur, directè vel indirectè, prętextu etiam cuiuſcunque conſuetudinis, priuilegij vel ſtatuti, aut aliàs quacunque recepta occaſione. Sacrum namque Concilium nil noui feciſſe videtur, ſed antiquiſsima iura ſanctorum Romanorum pontificum innouauit. Nihilominus P. B. ſacrum Concilium omninò diſpoſitum eſt, & iam laborat per aliquem alium modum honeſtiorem S. V. & dominis Cardinalibus talẽ facere prouiſionem, de qua S. V. dominique Cardinales meritò poterunt contentari. Præſertim autem ſi ſacrum Concilium informatum fuerit realiter & cum effectu, S. V. decreta ſacri Concilij Baſileeñ. ſeruare, & ab alijs obſeruari facere & cuſtodire, prout & S. V. in Bulla ſuæ adhæſionis pollicita eſt ea ſeruare, has preces pater B. pro hac vice nos humiles & tantilli dictæ ſacroſanctæ ſynodi oratores, S. V. magna cum inſtantia offerimus, rogantes S. V. humiliter & deuotè, quòd ſi nobis iniuncta non tam maturè aut eleganti ſtylo quo debuiſſemus, expoſuerimus, id non ſacro Concilio, ſed noſtræ imperitiæ S. V. aſcribere dignetur. Finaliter P. B. optat ipſa ſacra ſynodus, vt Deus glorioſus vota & agenda S. V. feliciter dirigat, & cœleſti dono proſequatur, vt per hæc & alia quæ Domino inſpirante S. V. in poſterum fecerit, immarceſcibilem vitæ æternæ coronam & triumphalem gloriam conſequi mereatur, quam S. V. & nobis omnibus concedat Iesvs Christvs benedictus in ſecula, Amen.

RESPONSIO DOMINI EVGENII PAPAE ad prædicta propoſita per Ambaſiatores Concilij.

Sanctissimvs dominus noſter Papa venerabilibus viris oratoribus ſacri Baſileenſis Concilij ſuper propoſitis & petitis per eos reſponſum requirentibus, hoc modo reſpondit:

Quòd mens & intentio, ac omne ſtudium ſuum ſemper fuit, intendere & vigilare ad ea quæ honorem Dei, ſalutem animarum, ac bonum totius Eccleſiæ ac reipublicæ Chriſtianæ concernerent, ſignanter ad extirpationem hæreſum, reformationem morum, ac pacẽ populi Chriſtiani. Et ſpecialiter ad reductionem Græcorum, & Eccleſiæ Orientalis ad veram & Catholicam fidem. In qua re quantùm laborauerit, primùm Conſtantiæ, deinde Romæ tempore felicis recordationis domini Martini Papæ V. prædeceſſoris ſui, dum eſſet in minoribus, poſtremò poſtquam ad apicem Apoſtolatus aſſumptus fuit, ferè omnibus notum eſt, ita vt nõ ocioſè exiſtimet, quòd ſi in ea re ſibi credulitas fuiſſet adhibita, iam ad optimum finem peruẽtum fuiſſe, aut ſaltem huiuſmodi reductio magnum principium haberet.

Quantum autem ad negotium indulgentiarum, Electionum, Annatarum, cauſarum & vocationum ſcriptorum & abbreuiatorum Romanæ curiæ, reſpondit: Quia materiæ grandes ſunt, & diſcuſsione ac declaratione indigent, ſe vnà cum fratribus ſuis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus decreuiſſe reſpondere per ſuos * ſacro Concilio: quod quàm primùm facere intendit, ſperans reſponſiones ſuas tales eſſe debere, quæ iuſtitiæ & honeſtati conueniant, ipſique ſacro Concilio & omnibus piè ſentientibus ad Dei honorem, charitatem & pacem, ac bonum vniuerſalis Eccleſiæ, gratæ ac acceptæ meritò ſint futuræ.

POGGIVS.

Ego Poggius domini noſtri Papæ Secretarius, ſupraſcriptam reſponſionem de mandato ſuę S. ſcripſi manu propria & ſubſcripſi.

Auſcultatum cum originali ſcripto in ſchedula papyrea. Et concordat. Et interfui quando 12. die menſis Auguſti milleſimo quadringenteſimo triceſimo quinto, præfatus Poggius in Camera ſanctiſsimi domini noſtri Papæ coram multitudine prælatorum, doctorum, & aliorum virorum, reſpondit dictam ſchedulam ſcripſiſſe, & dominis Ioanni de Bachenſtein decretorum doctori, & Matthæo * Meſnaige in ſacra pagina Baccalaureo, oratoribus ſacri Baſileenſis Concilij prælatis, ex parte ipſius ſanctiſsimi domini noſtri Papæ, præſentaſſe.

Ita eſt. D. Barard.
notarius publicus.

C. Rouſſelli.

SEQVVNTVR RESPONSIONES FActæ per dominum Antonium auditorem nomine fratris Ambroſij Prioris generalis & ſuo, pro parte ſanctiſsimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Eugenij diuina prouidentia Papæ IIII. in generali congregatione ad petitiones factas per oratores ſacri Concilij, 1435. die 7. Octobris.

Nvncii & Oratores à ſacro hoc generali deſtinati Concilio ad ſanctiſsimum in Chriſto patrem & dominum noſtrum, dominum Eugenium diuina prouidẽtia Papam Quartum, Venerabiles ſcilicet & doctiſsimi viri magiſtri Matthæus * Neuartze, ſacræ profeſſor Theologiæ, & Ioannes Bachenſtein decretorum doctor, iniunctum eis proſequentes officium, Reuerendiſsimi reuerendique in Chriſto patres & domini, cæteriq; vos patres & viri electiſſimi, plura diuerſis orationibus ipſius domini noſtri beatitudini expoſuerunt, eorumq; * adplacuit corroborantes exhortatorias ſuas petitiones autoritatibus, tum rationib. tum

fo. co. ora rot. tiu

quoque

uoque perſuaſionibus, ornatè ſanè atque diſcretè: quę cùm omnia reuerendiſsimis P. & dominationibus veſtris nota ore conſpicimus, ad vniuſcuiuſque exhortatoriè petiti reſponſionem deſcendere congruentiùs iudicamus, quàm eorundem dominorum oratorum ſingula repetamus propoſita, verùm non declinantes ab ordine, per eos ipſos egregiè cuſtodito, vice & nomine ipſius S.D.N. cuius ſumus nũcij & oratores immeriti, frater Ambroſius Prior generalis & ego Antonius auditor reſpondebimus ſingulis eorum petitionibus, concluſiuè tamẽ, ne verbis immorari videamur. Ex qua tamen reſponſione ſatis apertè colligi poterit, quid eorum quiſque dixerit petieritve.

Ad primum igitur reuerendiſsimi patres, voſque viri elegantiſsimi, per ipſum magiſtrum Matthæum primò propoſitum atque petitum, dicimus, quòd ſanctiſsimus dominus noſter inter omnes alias res, quantumcunque graues, reductionem Græcorum & Eccleſiæ Orientalis ad veram & Catholicam fidem, ſemper ſibi præcipuam fecit. In qua quidem re, quantũ laboris, curęve ſumpſerit, primùm Conſtantiæ, deinde Romæ tempore felicis recordationis domini Martini Papæ Quinti, poſtremò poſtquam ad apicem Apoſtolatus aſſumptus fuit, multis notum eſt, præſertim pleriſque ex vobis reuerendiſsimis reuerendiq́ue patres. ſicq́ue materiam illam omni quo melius poteſt ſtudio vnà cum hoc ipſo ſacro Concilio paratus eſt proſequi, gauderq́; plurimùm, quòd hæc Græcorum reductio vobis patrib9 & dominis reuerẽdiſsimis facilis videatur, quam quidẽ primùm per ſanctitatem ſuam promotam, aliqui phylacteriam antiquam & cantilenam vocabant. Et hæc quò ad primum.

Quò verò ad ſecundum, hoc eſt, ad materiam indulgentiarum, ſic breuiter reſpondemus: Modus iſte habendi pecunias, reuerendiſsimi patres, grauis eſt, eò quòd ex quæſtu proueniat, qui in ſimilibus ſuperiori tempore multa mala attulit exempla Chriſtiano populo. Item aduentus Græcorum, cuius gratia hoc quæritur, omninò incertus eſt, quanquam eorum oratores aliquid certi concluſiſſe videantur. Nam & aliàs multa polliciti ſunt, quæ tamen aut rerum vel temporis neceſsitate vel alia cauſa mutato conſilio non ſeruârunt. Nemo in rem incertam aliquid conferre diſponet. ſed ſuſpicabitur potiùs gratia turpis quæſtus & lucri id fieri. Regnum Cypri & inſula Rhodi, terrarum Chriſtianorum fortiſsima propugnacula, ex hoc & ſcandalum & iacturam grauem patientur: ſimiliter & multa pia opera, quæ ad indulgentias huiuſmodi promouentur, ſi contingat hos Græcos non venire, cùm & planè arbitrabitur quiſpiam nos illuſiſſe, & prædam quandam hac ſictione quæſiuiſſe, & dicet: Ecce qui in multitudine diuitiarum gloriantur, & præualere voluerunt in vanitate ſua: ſicq́ue quod pro pietate quęſitum erit, ad impietatem aſſcribetur: quod omninò cauendum videtur, apud eos maximè, qui ad ſancta operà conueniſſe ſe profitẽtur. Quare concludimus reuerendiſsimi patres, quòd omninò ante omnia expectandum ſit Imperatoris & Patriarchæ finale reſponſum, & habenda certitudo de aduentu eorum: qua habita, ſiue per viam indulgentiarum, ſiue alio modo, qui melior & conuenientior forſitan eſſe videatur, ſanctiſsimus dominus noſter ſe paratum offert ad concurrẽdum cum hoc ſacro generali Concilio, & omnes poſsibiles fauores impendendum. Et hæc quò ad ſecundum.

Ad tertium breuiſsimè dicimus, quòd ipſe ſanctiſsimus dominus noſter tunc etiam paratus eſt Cardinales & Prælatos, & alias literatas perſonas ad tam pium opus & locum electum mittere: imò & ſi contingat eligi locum, ad quem ſanctitas ſua commodè poſsit accedere, perſonaliter intereſſe curabit. Interim autem deputabit viros aliquos doctiſsimos, qui ſuper differentijs Latinorum & Græcorum plenè conferant & diſputent, quanquam iſta materia reperiatur plenè diſcuſſa. Et hæc quò ad propoſita per venerabilem virum magiſtrum Matthæum.

Accedimus modò ad petitiones venerabilis decretorum doctoris domini Ioannis de Bachenſteyn. Et primò, quò ad conſeruantiam decretorum huius ſacri Concilij, ſic breuiſsimè reſpondemus, quòd ſanctiſsimus dominus noſter quantùm potuit, decrẽta huius ſacri Concilij amplexus eſt, & ſeruari voluit, & in futurum ſe paratiſsimum offert: & ſi in præteritum aliquo particulari caſu aliter factum eſſe videatur, id ex iuſtis & neceſſarijs cauſis, ſi diligenter res inueſtigetur, factum fuiſſe comperietur. Et idem in decreto de electionibus ſeruatum eſſe videbitur. Quò verò ad articulum cauſarum, hoc damus reſponſum, quòd ſanctiſsimus dominus noſter non intendit ex cauſis quæ in curia recipiuntur, ſcandalum aliquod facere: ſed cùm mos ſedis Apoſtolicæ ſit, vt nôrunt dominationes veſtræ, vnicuique miniſtrare iuſtitiam, non eſt mirum, ſi ad ſe concurrentes ſuſcepit, eiſq́ue iuſtitiam per viros doctiſsimos & in talibus valde expertos miniſtrari iuſsit. Neque ſemper conſtat à principio, cùm cauſa committitur, de omni circunſtantia iudicis, à quo ad curiã introducatur, videlicet qua authoritate iudex proceſſerit. Curauit autem ſanctiſsimus dominus noſter materiam litium pro viribus excidere, & quandoque requiſitus, cauſas etiam ad hoc ſacrum generale remittere Concilium. ſed mirantur multi, & nos dolere nõ poſſunt, quòd ſacrum hoc generale Concilium, quod pro rebus maximis & vniuerſale bonum concernentibus, congregatum ſe eſſe profitetur, ad innumerabiles priuatarum & minimarum rerum cauſas occupetur, & quotquot pro ea re venientes indifferenter admittat, & cauſas in curia Romana cœptas, ad ſe retrahat. quo fit vt multi ſe incorporari procurent, non vt cõmuni vtilitati conſulant, ſed priuatis eorum commodis, & ſępè cum alterius partis grauamine, & ſignanter officialium curiæ Romanæ, qui ſub eo prætextu huc ſæpè trahuntur: quòd plurimi ex vobis reuerendiſsimi, reuerendiq́; patres, circumſpicientes, dixerunt pluries & proclamârunt, huiuſmodi particulares cauſas & alia priuata negotia, per ſacrum hoc Concilium non eſſe admittenda, & magiſter Simon * Freronen. aliàs Orator huius ſacroſanctæ ſynodi ad ipſum ſanctiſsimum dominum noſtrum accedens, dixit ſacrũ Conciliũ ad ea velle prouidere, & à ſe omninò abdicare. Et hoc, quò ad articulum cauſarum.

* Freiron
* Fereon

Quò autem ad ſcriptores & abbreuiatores, qui de hoc ſacro Concilio dicuntur ad curiam vocati, dicimus illos qui tempore mandati in hoc ſacro generali Concilio erant incorporati, fuiſſe in ipſo mandato & eſſe exceptos: ſicq́ue ex eo mandato nihil contra huius ſacri Concilij ſuppoſita eſſe innouatum. Si qui autem poſteà & iam mandato pręuenti, in fraudem & illuſionem mandati, incorporari curauerunt, exiſtiment reuerendiſsimę paternitates veſtræ an iure fecerint. Et hoc breuiſsimè, quò ad ſcriptores & abbreuiatores.

Quò verò ad decretum annatarum, &c. licèt aliàs per me multa dicta, ſunt tamen vtile, & non ſuperfluum fore putauimus, ſi iterum ad id pauca quædam ſubijciamus, vt in omnibus ſatis feciſſe vno videamur ſermone. Breuiſsimè itaq; ſic reſpondemus, quòd nemo ſatis admiratur, quòd in re tam grandi, irrequiſitis & inſcijs ſanctiſsimo domino noſtro atque ſacro collegio & alijs quorum intereſt, tam citò & inſperatè concluſum fuerit: quòd ſi vnquam faciendum fuit, hoc præcipuè tempore omittẽdum videbatur, quo Romana Eccleſia & multæ aliæ pro malignitate temporis innumerabilia damna ſunt paſſæ. Si qui in his prætendebantur abuſus, his prouidendum erat ſine priuatione ſubſtantiæ: aut ſaltem prouiſio debita ſimul facienda erat, vt ſic iuſtitia & pax obuiarent ſibi. Vnde reuerendiſsimi patres dominiq́ue præſtantiſsimi, interim viuent, qui hactenus indè vitæ ſuſtentationem ducebant? vnde eccleſiarum ſuarum onera ſupportabunt, cùm præter Romanam Eccleſiam multi pręlati ſunt, qui ex poſſeſsionibus aut decimis parùm vel nihil recipiant? vnde ſedes Apoſtolica impenſas faciet, prouidendo neceſsitatibus & vtilitati vniuerſalis Eccleſiæ pro his quæ pertinent ad pacem & extirpationem hæreſum & errorum, & ad alia concernentia bonum publicum totius populi Chriſtiani? Iure igitur reuerendiſsimi patres manu tenenda erant iſta, ſaltem donec aliter fieret ſufficiens prouiſio, de qua prouiſione ſufficienti facienda per ſacrum hoc Concilium, ſanctiſsimus dominus noſter vult eſſe benè contentus iuxta deſiderium huius ſacri Concilij, prouiſo quòd taliter fiat, quòd ſtabilis & firma permaneat. Et hæc quò ad vltimũ ad laudem Dei omnipotentis, Amen.

ORATIO GERARDI LANDRIANI EPISCOPI Lauden. Oratoris Baſileen. Concilij ad regem Angliæ & reliquos patres conſcriptos regni.

FACITE quod Dei eſt, & ipſe faciet quod veſtrum eſt, ex ſacris literis apud Gregorium epiſtola octaua. Paucis his anteà proximè more inſtitutoq; maiorum præmiſſis, credimus sereniſſime & Chriſtianiſſime Rex, reuerendiſſimi Patres & illuſtres Domini, vos iamiam pro ſumma prudentia veſtra planè intelligere debuiſſe, omnia nos iuſta, vtilia, & nimirùm toti orbi neceſſaria, hodierno die ſereniſſimam maieſtatem veſtram nomine ſacri Baſileen. Concilij rogaturos fore. Quapropter ſi qui nunc ſunt hoc in ſanctiſſimo ac celeberrimo patrum & procerum ordine, quos fortè offendi contingeret, qui cùm apud maximum & glorioſiſſimum omnium regem, totque ſapientiſſimos & præſtantiſſimos viros verba facimus, non eam dicendi artem aut elegantiam adferamus, quam eloquentiſſimi ipſi viri vel expectaſſent, vel pro ſummo ſplendore huiuſce loci dignum fore iudicaſſent: hos tales oramus & obſecramus, vt potiùs rationem & ſummam æquitatem cauſæ, de qua paulò poſt agemus, conſiderare velint, quàm tarditatem aliquam in dicendo noſtram accuſare: neque tantum quo ornatu verborum, quàm quid & qua fide dicatur, aduertant. diximus enim in principio orationis noſtræ, Facite quod Dei eſt. Quis vnquam vllo tempore pro iuſtiore aut ſanctiore cauſa quenquam in orbe regem aut principem adiuit? quis pro tam ſalubri & honeſtò negocio nuncius ad regem regijs præcipuè virtutibus inſignem, nullâ etiam elegantia adhibita, non ea quæ exoptet, omnia impetrare poſſe confidat? Animaduertite diligenter (quæſo) ipſam miſſionis noſtræ cauſam, nó minùs certè neceſſariam, quàm honeſtam. Miſſi ſumus à ſanctiſſimo Baſileen. Concilio ad regem, & quidem in toto orbe terrarum fideliſſimum & Catholicum, ne fides ipſa, quam fluxam ſatis & quaſſam habemus, turpiter pereat, præſidium aduocatur. Miſſi ſumus ad Chriſtianiſſimum regem, ne rempublicam Chriſtianam miſerè quidem afflictam, vitijs prauiſque moribus debilitatam & deformem, ac nunc quidem in ſummo diſcrimine poſitam, cùm ſubuenire maximè poſitis, periclitari non patiamini. Miſſi ſumus ad regem na[illegible]a mitem, iuſtum, manſuetum, pacis amatorem. vt per ip[illegible]m, pacem, ocium, tranquillitatem, concordiam ipſi, ſuis omnibus & vniuerſo orbi terrarum pariamus. Miſſi ſumus tandem ad regem clariſſimum animo, atque genere illuſtri præter cæteros natum: vt ad tam præclara & ſalubria Dei opera, comitem ſe & participem ad ſacroſanctam ſynodum iungere velit: ſynodum dico, in Spiritusſancto & in omni bono opere legitimè congregatam, vniuerſalem ſummi & immortalis Dei Eccleſiam repræſentantem, ac non minori ſtabilitati iuris firmatam, quàm in vnum rerum neceſſitate vocatam. Quæritis in ea ædificationis & ordinationis ſuæ ſolenne ac legitimum exordium? at hæc celeberrimo omnium Conſtantien. Concilio decreta & conſtituta fuit, in quo certè diuinarum humanarumque literarum ex omni parte nobis ſapientiſſimi homines conuenerant, in quo Inclyta hæc, hæc inquam doctiſſima natio veſtra ſummo honore interfuit: in quo ſapientiæ lumina * & contra fermè mundi ornamēta collecta fuerunt. Quæritis ſummam in ea authoritatem? at hæc eadem ſynodus patrum, ſacerdotum, regum, principum, ducum, nationum, & communi omnium conſenſu, tanta frequentia hominum, quantam vnquam fuiſſe conſtat, vna voce, vno ore decreta, ſtatuta, diffinita, declarata, promulgata fuit. Quæritis in ea ſummorum pontificum cōſenſum? at hæc ſanctiſſimorum quondam Martini, & nunc domini noſtri Eugenij plurimis literarum monumētis ob firmata, ſtabilita eſt & conuocata. & adijcit ad hæc omnia ſimul non mediocrem Concilium Senen. authoritatem. Nónne omnes in eo patres, hoc Baſileen. Concilium pro ſtatu ſanctæ Eccleſiæ Dei, pro communi omnium ſalute, ad hoc tempus neceſſariò celebrañdum eſſe cenſuerunt? Itaque ſi diligenter omnia in vnum colligere volumus, nullum vnquam Concilium tot decretorum monimentis, tot diuerſis (vt ita dicam) authoritatibus ædificatum, valla-

*l. conſtã, &

tum, congregatumque, vel vidiſſe, vel audiſſe, vel etiam [...]giſſe fatebimur. At quàm nunc hæc ſacroſancta ſynod[...] non opportuna modò, ſed & ſi nullo vnquam tempore f[...] tuta fuiſſet, maximè neceſſaria ſit, paucis attendite, & r[...] cognoſcite ſanctiſſimæ fidei & Reipublicæ Chriſtianæ vu[l]nera. Primùm, an diſſimulare poſſumus, niſi fœdiſſim[è] quidem, & non mediocri etiam totius nominis Chriſtia[ni] periculo, in omni fermè regione orbis exortas atque e[...] creſcentes indies magis nefarias & hæreticas factiones, v[e]nenatamque illam in primis & peſtiferam Bohemoru[m] luem? Bone IESV, quàm longè lateque iam fines exter[...]dit? Quis enim non acerbè doleat, clariſſimum olim popu[...]li Chriſtiani regnum, alienum, auerſumque à fide & reli[gione] noſtra factum? Quis præterea non miſerebitur, to[t] innumerabiles animas, illorum falſa peſtiferaque doctrin[a] pellectas, igni & ſupplicijs æternis quotidiè deperire? Ne[...]que eſt animus nunc commemorare hoc loco, quantas ſtra[...]ges, cædes & incendia populo Chriſtiano hæc peſtis homi[...]num attulerit, quòd ſanctiſſima Dei templa, aras, reliquia[s] martyrum pollutis ſacrilegiſque manibus prophanàrit, non enim omnia ſingulariter ſine lachrymis, Chriſtiani[s] præcipuè hominibus, enumerari poſſunt. Sed nec his ſe finibus continet hæc contagioſa peſtis. Serpit enim indies magis & magis hoc exitiale malum: atque ſceleratiſſimæ ac ſuperſtitioſæ gentis veſanæ temeritati parum facinoris in eo eſſe videtur, dum turpia & teterrima omnia in Eccleſiam Dei, in religionem, in fidem, in diſciplinam ſanctorum patrum flagitioſiſſimè moliuntur, niſi ciuilem etiam vniuerſi orbis politiam funditùs euertant: tantumque illis ſupereſt odij & hoſtilitatis in rempublicam Chriſtianam, vt non ſolùm aduerſus Chriſtos Domini, ſed etiam aduerſus reges & principes diuino vtique iure conſtitutos, plebis & multitudinis imperitæ tumultuaria odia concitare conentur, pro concione publica prædicantes, omnes homines inter ſe pares eſſe, neque alium alio ſuperiorem fore, negantes præterea vectigalia & tributa principibus dari oportere: quo fit, vt multi non modo homines, ſed populi, vt rerum nouarum ſemper cupidi ſunt, cùm à vera & Catholica Eccleſia, tum à principibus etiam ſuis, aut re ipſa & animis & voluntate certè deficiant. Itaque hodierno tempore cùm hoc ſuperſtitioſum & maleficum genus hominum, magna nunc reductionis eorum oblata ſpe, ad ſacrum Concilium venire obtulerit; ſi hæc res neglectui fortè haberi volet, vel ſi cùm ipſos armis vincere non potuimus, turpiter eſſet* cogitari à facie eorum cædem; extollent ſe inſolenter, & conflagrabit profectò in tantum incendium hæc vis morbi, vt fruſtrà poſteà deſperatæ rei ſubuenire cupiamus. operemur igitur (ab Apoſtolo inſtituti) bonum, dum tempus habemus: nec tanti ac tam ſperati boni occaſionem nobis oblatam, præterire ſinamus.

Atque vt intelligatis ex omni parte orbis congregandi Concilij ſummam imminere neceſſitatem, cōuertite nunc oculos ad ſanctam Eccleſiam Dei iacentem & afflictam, ac longa perturbationum aſſiduitate penè profligatam. Bone DEVS, quantum ab antiquis honoribus, & à priſca Maiorum noſtrorum dignitate, * quibus Chriſtianæ reipublicæ ſtatus diutina ſacrorum Conciliorum intermiſſione decidit. videtiſne, dum diſcordijs nimium pertinaciter inter nos decertamus, quidquid opum, opulentiarum, ſplendoris, ornamenti ac ſanctimoniæ in florentiſſimo olim populo Chriſtiano à Maioribus noſtris ſumma induſtria & vigilantia partum fuit, id omne nos diſſentionibus & ſimultatibus noſtris totum fermè perdidiſſe? videtis propterea, vniuerſum fermè orbem ardere bello, inter principes populoſque Chriſtianos teterrima concitata odia. O cæcitatem incredibilem, omnia effundi, omnia exhauriri ad arma, ad funeſtiſſimos exercitus, in ſtrages non hæreticorum (vt debuit) comparandos, ſed in perniciem totius populi Chriſtiani. Recogitate nunc tot nobiliſſimos exercitus, tot illuſtres proceres cæſos, tantum ſparſum ſanguinis Chriſtiani, tot florentiſſimas vrbes euerſas, tot pulcherrimas patrias igni ferroque abſumptas, vt nulla certè pro his tantis malis ſatis vnquam digna inueniri præmia poſſent. Recogitate, nullā fermè plagā orbis, calamitatū vel diſſentionū vacuam eſſe, nullam vacare bello. Quid igitur? his ne inquam turbu-

lentiſſimis temporibus noſtris, frigeſcente indies magis charitate, huius Concilij celebrationem ſuperuacuam, an ſummoperè nobis neceſſariam fore putabimus, ſolam certè viam & vnicam ſpem calamitatum noſtrarum opprimendarum? Etenim cùm multa à maioribus noſtris diuinitùs inſtituta ſunt; ſalubria quidem & vtilia, nihil tamen grauius, nihil commodius, quàm quòd ſacra Concilia in orbe Chriſtiano celebrari voluerunt: quibus ſolis fidem Chriſtianam, pacem, ocium, tranquillitatem, concordiam ſapientiſſimi illi homines vel dari vel poſſe conſeruari crediderunt, facileque vbi hæc fieri deſierint, in aduerſum omnia iri & præcipitari putârunt. atque ita eſſe, longo vſu, non ſine tamen ingenti iactura rerum noſtrarum, experti ſumus. quidquid enim hæreſum, quidquid bellorum, quidquid diſcordiam. diſſenſionum, calamitatum, quibus miſerè nimium nunc populus Chriſtianus premitur, omnia inquam per intermiſſionem Conciliorum exorta ſunt. atque olim ſancti patres, vt quiddam parùm honeſtè, parùm verecundè, parùm moderatè fieri conſpiciebant, Concilia ſtatim, nullo interuallo facto, cogebant in vnum, neque morbos per negligentiam aut deſidiam excreſcere ſinebant, nullo ſanè alio ſanctiori inſtituto aut documento, vtiliùs communi omnium ſaluti atque poſteritati ſuæ conſulere poſſe putantes. Nos igitur tantorum patrum ſoboles, ſedendo ſtantes & ocioſi adſpicere poterimus tam exitioſa & indies magis excreſcentia mala gentis noſtræ, præſertim cùm ita ſaluberrimum ad omnes morbos medicamentum nobis relictum ſit, quo nihil certè conuenientius, nihil prudentius, nihil ad omnes gentes communis fieri poteſt? Eſt enim Concilium omnium patrum, regum, principum, gentium; & publicum totius orbis Concilium: In quo ex omni parte ſacri humanique iuris doctiſſimi viri conueniunt: in quo Spirituſſanctus adſiſtit, & idem ſpiritus paraclitus qui nos docebit omnia, qui nos complexus eſt, nec errare, nec decipi, nec falli ſinit: quæ omnia ideo breuioribus verbis proſequimur, quoniam pro ſumma prudentia & zelo religionis, qui in vobis eſt, à ſanctiſſima maieſtate regia & à vobis ſapientiſſimis viris iam diu profecta & cognita fuerunt. Memini enim, paucis antè annis exactis maieſtatem veſtram, vt ſummè quidem omnium Chriſtianiſſima eſt, honorificam omni dignitate legationem ad ſanctiſſimum quondam Martinum Pontificem deſtinaſſe, vt pro ſummis neceſſitatibus & periculis Reipublicæ Chriſtianæ, quæ inualeſcentibus quotidiè malis, in ſummo diſcrimine eſſet, diem futuri tunc Concilij anticipare vellet: tantũ fidei & populo Chriſtiano maieſtas religioſiſſima veſtra ſubuentũ iri cupiebat. Itaq; ſereniſ. rex, illuſtres principes, & ampliſſimi domini, iamiã exoptata & tãtoperè vobis expectata dies illuxit, iam ſanctiſſimis patrib⁹ frequẽs cõgregatum omni iure & firmitate Conciliũ eſt, & idipſum iam ſanctiſſimis patribus frequens. Illa inquam dies illuxit, in qua iuſtiſſimæ voluntati & diuino ardore veſtro fidei & reipublicæ ſubuenire cupienti ſatisfacere poſſitis: in qua quantum virtutis, quantum regij animi, quantum beneuolentiæ erga ſanctiſſimam religionem & publicam ſalutem habuiſtis, habetiſque, tantum hodierno die in vniuerſo populo Chriſtiano declarare queatis. non enim agitur nunc de cæremonijs, de ſolennijs, de diebus profeſtis, de ornatu templorum, de ſplendore vrbium: ſed cùm res Chriſtiana diſcordijs, bellis & hæreticis factionibus iam diu multiplicata ſit & laboret, agitur de ſalute religionis & ſacratiſſimæ legis Iesv Christi: agitur de conſeruatione regum, principum, totiuſque populi Chriſtiani. Agitur, ne vnica humanæ ſalutis inſtitutio, maioribus noſtris nobis relicta, omnia ſcilicet in futurum ſacra Concilia, penitùs ſublata perpetuò diſpereant. Agitur conſequenter, ne orbis terrarum, ne nos omnes perpetuò pereamus. Itaque ſereniſſime rex, præſtantiſſimi patres & illuſtres domini, vt pro ingenio veſtro & antiqua conſuetudine ſacris inſtitutis & religioni Dei noſtri dediti eſtis, ſequimini veterem impetum animi & diutini deſiderij* noſtri. Sequimini ſanctum & antiquum morem clariſſimæ & religioſiſſimæ patriæ veſtræ, & Eccleſiæ ac Reipublicæ à nobis auxilium deprecantibus ſubuenire non tardetis. Etenim cùm præcipuò quodam loco dignitatis, ſumma etiam gloria inter omnes orbis reges euecti ſitis, cùm vel virtute, vel religione, vel genere, vel clarite patriæ, vel gloria rerum nemini cedatis: cùm hæc inclyta natio tanta frequentia prudentiſſimorum eloquentiſſimorumque virorum affluat: ita vt antiquiori fama, palma ſapientiæ, tam diuinarũ quam humanarum literarum ſine controuerſia apud vos ſit, nihil ſanctiſſima maieſtas veſtra regio nomine dignius vel ſanctiſſimorum maiorum veſtrorum virtute* proprius facere poteſt, quàm quòd pacem Chriſtianam (vt Rex & viri certè natura veſtra pacifici eſtis) & dare omnibus, & ſuſcipere velitis. neque vlla alia de virtutibus veſtris, etſi innumerabiles & maximæ ſunt, magis proximos aut ſimiles Deo vos facere poteſt. Fateor ſummas eſſe laudes, & verè regias, aliquid fortiter, iuſtè, clementer, magnificè, liberaliter agere: aut patrocinium diuinæ legis, ſanctiſſimæ pacis recipere, ne fides, ne Religio, ne res ſacræ, ne ſtatus Chriſtianus, ne hæc omnia funditùs pereant, viribus atque animo fortiter incumbere: quis pro hoc tam illuſtri negocio, non diuinos magis honores, quàm humanos decernendos eſſe putauerit? Sed nimis multa de his ad vos, honeſtæ laudis & certæ veræque gloriæ cupidos. Haud enim clariſſima virtus veſtra ſuaſore ad benè recteque operandum egere videtur. Vt igitur finem faciam, cùm hoc ſacroſanctum Concilium ritè fundatum, congregatum, & rebus noſtris neceſſarium ſit, ſacram maieſtatem veſtram deprecatur & orat, immò potiùs Spirituſſanctus paraclitus in eo exiſtens, cuius feliciſſimis auſpicijs, oleo lætitiæ præ conſortibus veſtris vnctus rex eſtis & conſecratus: primùm, vt veſtris ex præclariſſimis regnis lectiſſimos quoſdam & ſapientiſſimos viros, quorum magna ſanè & infinita penè apud nos multitudo eſt, delegatis, & pro ſumma dignitate regiæ maieſtatis ac celeberrima in toto orbe terrarum Catholici nominis fama, qua ſemper ſanctiſſimi Maiores veſtri vos ac præclari fuiſtis, legationẽ omniũ authoritate inſignem atque digniſſimam, ad ſacroſanctum Baſileenſe Concilium mittite, & cum cæteris principibus Chriſtianis, quorum magna ſanè pars egregias iam & magnificas legationes pro hoc communi incendio extinguendo, ad idem Concilium miſit, cæteri quoque miſſuri videntur, de extirpatione hæreſum, de virtute, de conſeruanda religione, de pace, de ſanctimonia morum in melius conſtituenda, honeſtiſſimo certamine contendatis. Proximũ eſt, ꝙ omnibus animi ſenſibus à ſacra maieſtate veſtra ſacrum idem Concilium petit, vt cum hoſtibus veſtris, ad quos nomine ſacri Concilij hiſce de cauſis decreta legatio eſt, pacem, charitatem, concordiam, opus certè à natura veſtra non abhorrens, inire velitis: qua pace confecta, tanquam ſalutis vniuerſæ iactis fundamentis, non dubitamus omnem populum Chriſtianum, iacentem diu quidem & oppreſſum, ad priſtinæ dignitatis ſuæ recuperandæ ſpem erigere ſe, & reuiuiſcere debere. Agite igitur oramus omnes per ſanctiſſimam memoriam paſſionis Iesv Christi, quæ pacis ſunt: condonate immortali Deo ac creatori veſtro exceptas iniurias: excutite odia, quærite pacem, fruimini tam ſingulari & excellenti bono, quod nobis Redemptor noſter vltimo teſtamento reliquit, cùm exceſſurus ex hac vita mortali, dixit: Pacem meam relinquo vobis. dulce enim nomen eſt pacis. Res verò ipſa cùm iocunda tum ſalutaris. nam nec ſacram legem, nec fidem, nec ſocietatem humanam, nec Rempublicam charam habere videtur, quem diſcordiæ, quem bella delectant. Noſtis illud tritum quo dici ſolet, Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Nos igitur authoritate & nomine ſacri Baſileen. Concilij, ſi quid huic tam ſalutiferæ & neceſſariæ rei à nobis præſtari poſſe videritis, omnia non ſolùm forti animo, ſed & libenti animo ſubire præſto ſumus: omnia patiemur, nihil ſubterfugiemus, modò hinc omnibus mortalibus ſummè deſideratæ paci, dirigente Deo noſtro, vel ſatisfacere vel prodeſſe poſſimus. Poſtremum eſt, vt ex ditione regnorum veſtrorum, reuerendiſſimos reuerendoſque patres, qui ad ſacrum Concilium iuxta ſanctiones antiquas venire tenentur, id vt faciant, adhortari velitis: vt Eccleſiæ & communi omnium ſaluti, præſtanti prudentia & authoritate, quemadmodum in Concilio olim Conſtantien. ingenti præter cæ-

[Margin: for. * veſtri.]

[Margin: for. * magis proprium]

[Margin: Ioan. 14.]

teros ſcientiæ ac religionis laude fecerunt, conſulere & prodeſſe queant: quæ omnia ſi vt optamus & confidimus, à vobis confecta erunt, facietis certè, vt primò dictum eſt, quod Dei eſt, & ipſe altiſſimus & immortalis omnium pater, dignitatem, gloriam ac amplitudinem nominis veſtri augendo, faciet quod veſtrum eſt: & tandem in numero beatorum relati, certum & diffinitum in cælo locum obtinebitis. Ad laudem & gloriam omnipotentis æterni Dei & totus curiæ triumphantis. Amen.

ORATIO MAGISTRI ANDREAE DE PETRA Archiepiſcopi Coloſſen. quarti ambaſiatoris domini Eugenij Papæ, in congregatione generali, 28. Auguſti 1432.

MAXIMAM mihi dicendi fiduciam præſtat, Reuerẽdiſſimi patres, cæterique vos viri lectiſſimi, hic veſter cõuentus ampliſſimus ac ſpectantiſſimus. Cùm enim plurimos apud vos iſtic videam, quorum ſingulariſſima ſapientia atque humanitas, longa mihi familiaritate perſpecta & cognita ſit: alios verò omnium virtute & optimis artibus ornatos eſſe confidam, omnes autem vos ad Chriſtianæ religionis conſeruationem & amplitudinem comparãdam aduentaſſe intelligam: dubitare non poſſum, quominùs pro ſapientia æquo animo me dicẽtem audiatis, præſertim cùm illud à me dicẽdum ſit, quod ad omnium veſtrũ ſalutem & immortalem gloriam attinet, omnibus enim hominibus natura ineſt, vt ea quæ ad ſe pertinent, libenter audiant: & cùm hanc veſtram curam & ſtudium ad hoc ſolũ contuliſſe videamini, vt ſæuientes hæreſes extinguantur, eccleſiaſtica & ceremoniæ repetantur, Chriſtiani fines paci reſtituantur, pro quibus omnibus apud vos mihi ſermo habendus eſt, non maior debet eſſe in me cura dicendi, quàm in vobis audiendi voluptas. Sed antequàm ad eam diſputationem deſcendam, neceſſarium fore exiſtimo, vt quid do-
1.Cor.12. ctor gentium Paulus dicat, audiamus. Non ſit, inquit, ſchiſma in corpore. Ita enim quondam veritatis conſtantiſſimus prædicator, Corinthijs diſſidentibus dixerat, ſicut primæ epiſtolæ 12. cap. ſcriptum eſt. Huius Apoſtolicæ præceptionis intelligentia, patres, cognitu facilis fiet, ſi priùs ille ſpiritus, qui quondam igneo ſplendore deſcendens, rudium illorum & trepidantium hominum animos & glutino cha-
Act.2. ritatis coniunxit, & ſumma ſapientia illuſtrauit, ſuo ardore corde noſtra inflammet: quod vt facere dignetur, ad ipſum mentes noſtras cogitationeſque vertamus. Hoc modo eius ſuffragio poſtulato, ad propoſitæ iuſſionis perceptionem reuertamur.

Inter ea diſſidentiæ genera, patres optimi, quæ membra corporis myſtici agitant atque perturbant, nullum eo deterius, quod ſchiſma nominatur. eſt enim totius diſcordiæ caput atque principium, adimitque corporis eccleſiaſtici vnitatem, cuius perniciem idem Doctor proſpiciens, in capite prædictæ epiſtolæ eoſdem Corinthios ſumma obteſtatione precatus eſt, vt illam peſtem diffugerent. Obſecro, inquit, vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis, omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſcientia. Quid autem nomine ſchiſmatis intelligi debeat, patres doctiſſimi, neminem veſtrum dubitare exiſtimo. Græcus enim, à quo in primis illi voci ſignificatio data eſt, per illud nomen ſciſſuram quandam ac diuiſionem intelligit, non illam certè, qua
Iſaiæ 59. quiſque peccator à Deo diuiditur, de qua olim Iſaias loquẽs, dixerat: Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum. Nec rurſus illam diuiſionem intelligo, qua ab vnitate fidei quiſpiam ſegregatur. Illa enim in aliud impietatis genus tranſcendit, quod idem Græcus rectiùs hæreſim nominauit. Sed de illa ſciſſura nobis præſens diſputatio eſt, cùm quis eodem religionis cultu ſeruato, rectè præcipienti parẽre contemnit. Cuius diffinitionem, licet alijs verbis, eadem tamen ſententia, beatiſſimus pater Auguſtinus, cùm aduerſus Fauſtum ſcriberet, apertè oſtendit: Schiſma, inquit, eſt, eadem opinantem, atque eodem ritu colentem in quo cæteri, ſolo congregationis delectari diſſidio. Ex quo & illud ſequi neceſſe eſt, vt ab vnitate quam ſpirituſſanctus in Dei Eccleſiam inducit & ſeruat, voluntariè recedatur. Sic B. doctori, 2.2.q.39.art.1. viſum eſt. Plurima diſſidiorum genera membris eccleſiaſtici corporis accedunt, diſcordia ſcilicet, contentio, rixa, ſeditio, bellum hęreſis, & omnis animi indignatio, quam B. Paulus Galatis ſcribens enumerat. Ex his omnibus patres reuerendiſſimi, nihil eſt quod tantam perniciẽ corpori myſtico inferat, quemadmodum diſſidentia ſchiſmatis. Cætera namque animorum aduerſa ſtudia, alijs atq; alijs proprietatibus: hoc deteſtabile facinus, ſoli vnitati eccleſiaſticæ obiectatur. Nam & ſi diſcordia concordię opponatur, cùm quis ſuam alterius ſententiæ præferat, id tamen eo modo fieri poteſt, vt diſcordantium quilibet bonum dicat & cupiat, quanquam in modo rei cõficiendæ diſſentiat, ſicut de Paulo & Barnaba in aſſumptione Marci diſcipuli legimus, vt eſt Actuum 15. cap. Contentio etiam, licet ex ipſo dicendi modo, animorum contrarietatem ſignificet, honeſtè tamen fieri poteſt, cùm aliquis pro dignitate hominis atque negocij acrimonia debita vſus, ad veritatis defenſionem accedit. vnde & Catholici aduerſus fidei hoſtes contentiones commouent, vbi priùs ad certamen vocantur, ſicut gloſa teſtatur 1. Reg. 4. c. Rixa inſuper etſi à peccato diutius eſſe non poſſit, vt B. Doctor diffinit, (nam qui rixatur, & ad contradicendum paratus eſt, vt placet Iſidoro, & de ipſa contentione lætatur, alios quoque ad contradicendum inducit) priuatum nihilominus malum eſt, & inter paucos accidit. habet enim priuati belli naturam, nulla publica authoritate firmati. ſeditionem verò eſſe aliquod crimen, & ipſa ratio perſuadet, & B. Paulus teſtis eſt: qui cùm quædam peccata grauia prohibuiſſet Corinthijs, ſeditionem etiam enumerauerat, ſicut primæ epiſtolæ * duodecimo capitulo legitur. Eſt enim malum, quod ſoli ſocietati ciuium aduerſatur. Per ipſum autem bellum, etſi maximas vrbes diruptas plurimas reſpublicas euerſas, florentiſſima regna depopulata legamus, nonnulla tamen bella iuſtè fieri poſſe nemo ſapiens dubitabit. Cuius ſententiæ B. Auguſtinus eſt in eo ſermone, quem pro puero cẽturionis habuerat. Et hæc quidem animorum aduerſitas illi vnitati obijcitur, quæ ad myſticorum membrorum coniunctionem attinet. Quòd ſi ad ordinem illum conuerteris, qui ad caput huius Eccleſiaſtici corporis ſpectat, aliud quoddam peſtiferum diuiſionis genus inuenies: quod etiam bipartitum B. Thomas intelligit, ſi quidem ea ſentire ac prędicari à quoquam contigerit cum omni dura & improba pertinacia, quæ fidei veritatẽ & maieſtatem offendant. Is, quiſquis fuerit ille, hæreticorum numero aggregatur, quod alijs accõmodatioribus verbis beatiſſimus doctor Auguſtinus aduerſus Manichæos declarat: Qui in Eccleſia, inquit, Chriſti morbidum aliquid prauumque quid ſapiunt, ſi correcti, vt ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera dogmata emendare nolunt, ſed defendere perſiſtunt, hæretici ſunt. Hoc infidelitatis genere inter ſciſſuras Eccleſiaſticas eſſe quidquam deterius, nullus doctorum affirmat. Iacta enim fidei fundamenta ſua opinione euertit, tenditq; ad primæ veritatis iniuriam. Quanta autem Chriſtianæ religioni publica damna intulerit, facilè ſciet, qui volet, ſi à Simone Samaritano. à quo omnis hæreſis initium ſumpſit, vſq; ad Ioannem Huſz noſtræ ætatis vltimum hæreſiarcham, annales Eccleſiæ repetere ſtatuit. Vltimũ contẽdentium genus, * ſchiſmæ nomen accepit, quod accommodatiùs Græco vocabulo vos patres Latini ſchiſma nominatis. Hoc inteſtinum malum etſi maieſtati ac veritati miſtici capitis non aduerſetur, cùm in primis neque inſolitum dogma prædicet, nec veterem corruptelam defenſet: habet tamen quandam proprietatẽ peſtiferam, quæ Chriſtianæ paci & vnitati vehementiſſimè officit. Qui enim Eccleſiæ principi ſubeſſe renuit, & membris Eccleſiæ ipſi ſubiectis communicare recuſat, quemadmodum B. Doctor oſtendit, is in vnitate myſtici corporis manere non poteſt. Vndè & ſchiſmaticus iure nominatur: ex ipſo etiam, tanquàm ex fonte quodam iniquitatis, omnes illæ ſuperiores animi indignationes facilè fluunt. Schiſmaticus enim abſque diſcordia eſſe non poteſt, cùm ſe meliora & ſanctiora dicere & profiteri glorietur. Contentiones etiam in ipſo ſchiſmate nutriri neceſſe eſt, cum ea quæ prauè ſchiſmatici ſenſerũt, improba temeritate defenſent. Rixæ ſchiſmatico minimè deſunt, Etenim ad contradicendum ſemper paratus eſt, ne minus rectè feciſſe iudicetur. Se-

ditiones populi Chriſti, ex ipſo ſchiſmate maximè occidũt. Scinditur enim in aduerſa ſtudia vulgus, & populi velut greges poſt terga paſtorum ſequuntur, & quia ratione vulgo conſtare non poteſt, quod prauè ſemel acceperat, & ferro & ſanguine probare molitur, vndè & bella publica ſurgunt. Quod ſi paulò longius ſchiſma perſtiterit, hęreſim parit. Confingit enim aliquam ſibi hæreſim ſchiſmaticus, vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur, ſicut beatus Hieronymus dixit. Cumque ex contemptu illius, qui authoritatem & locum myſtici capitis tenet, hoc deteſtabile malum proficiſci videatur, idcircò ſchiſmaticus Eccleſiaſticum ordinẽ non mediocriter turbat: & quia reliquorum membrorum communionẽ reſpuit, Spiritũ Dei non habet, ſicut Pelagius Papa teſtatur, vt eſt 24. diſt. quæſt. 1. Schiſma inſuper. quia ſchiſmaticus in vnitate vnum non eſt, ſicut idem pontifex dicit, quantum ex ipſo ſuo maleficio Eccleſiaſticam vnitatẽ & pacem penitus dirimit, pro qua inſtituenda & conſeruãda, filius Dei paulò minùs minoratus ab Angelis, in terram deſcenderat, pro qua ſummam inediam varioſque labores perpeſſus eſt, ſanguinem proprium fudit, mortem ſubijt, nihilque eorum abhorruit, quæ ſuæ maieſtati aduerſarentur, immò illud ad conſtitutionem huius ſacratiſſimi corporis conducere videretur. Cùm itaque tantorum præclariſſimorum atque admirabilium operum munus, hoc vnum perniciosiſſimum ſchiſmatis facinus adimit atque corrumpit, iuſtiſſimè veritatis Doctor ipſum à Chriſtiana religione depellit, dicens: Non ſit ſchiſma in corpore.

Non ſit ſchiſma in corpore, patres, ſi cupitis hæreſum zizanias extirpare. Non ſit ſchiſma in corpore, ſi quæritis vitam Eccleſiaſticam reformare. Non ſit ſchiſma in corpore, deſideratis * infenſos animos mitigare.

Quantum igitur ad primum attinet, patres, etſi Spiritus ſanctus iſtam corporis Eccleſiaſtici magnitudinem dirigat atque informet, totoſque (vt ſic dixerim) infuſus per artus, hanc agitet molem. & magno ſe corpori miſceat, ſicut ille Poeta dixit: id tamen huic corpori accidere videmus, quod & naturali euenire Phyſici dicunt, vt anima ſcilicet incorrupta & integra, membra ſæpè aliquo morbo laborent. Quod ex triplici ægritudinum genere accidere medici diſputant. Omnis enim humani corporis languor, aut eſt mẽbrorum conſimilium, aut officialium, aut ex vtriſque conſtitutorum. Conſtare autem cuilibet veſtrum arbitror, patres doctiſſimi, quid nomine conſimilium aut officialium membrorum intelligi debeat. Illa cõſimilia membra ſunt, quibus toti & partibus eadem denominatio datur, vt ſi quis carnem, neruum, os, & huiuſmodi dixerit. In officialibus autem, toti & partibus nulla vna & eadẽ denominatio ſpecialis competit: vt oculus, pes, manus, & eorum ſimilia. Aegritudinem itaque conſimilium membrorum, illam dicunt medici eſſe, cùm variata proportione calidi, frigidi, ſicci & humidi, qualitatum primarum aduerſa diſpoſitio inducitur. Cùm verò officialibus membris languor aliquis accidit, hunc aut in forma, aut in numero * quantitate, aut * impoſitione eueniſſe contendunt. Ex his quæ diximus, quid & de membris mixtis intelligi debeat, non erit difficile cognitu. Hæc omnia tranſlata quadam ſignificatione, myſtico corpori conuenire inuenio. Habuit corpus hoc membra conſimilia, habuit officialia, habet ex vtriſque compoſita. Eo enim tempore quo Dei eccleſia prima erudimenta Chriſtianæ religionis acceperat, conſimilium membrorum formã præferebat, cùm eſſet credentium cor vnum & anima vna in Domino: nec diceretur eis aliquid proprium, ſed eſſent eis omnia communia, ſicut Actorum quarto capitulo ſcribitur. Officialia verò membra tunc Eccleſia habuit, cùm authoritate & operibus creſcere cœperat, aut cùm poteſtate ordinis & iuriſdictionis vſum authoritate publica receptauerat, quod à Syluestro ad poſteros quoſque Romanos põtifices proceſſit, ſicut hiſtoriæ produnt, & in canon. ponitur, 24. diſt. quæſt. 8. Tributum. His myſticis membris varia diuerſaque morborum genera contigerunt. Morbum autem hîc nõ aliud iuxta beati Auguſtini ſententiam, quâm hæreticam prauitatem intelligo, quod idem etiam beatus Hieronymus ſenſiſſe videtur, qui hæreticum hominem putridæ carni comperauit. Enumerare autem, proprijſque nominibus omnia illa vobis patres exponere, eſſet quidem iucũdum, ſi ratio temporis non haberetur. B. Auguſtinus in libro quem de hæreſibus accuratiſſimè ſcripſit, non à ſe, nec ab alio quo quam numerum omnis hæreſeos ſatis exploratum fuiſſe exiſtimat. quanquam Philaſter Brixienſis Epiſcopus, centum & 28. genera hæreſum vſque ad illam ſuam ætatem contigiſſe cõmemoret. Cogitare itaque facilè poteſtis, patres reuerendiſſ. quot errorum genera in agro Dominico diſſeminata poſtea fuerint, ſi Philaſter centum & vigintiocto hæreſum nomina recenſuerit, quod B. Auguſtinus ſequens, librum de hæreſibus ſcripſerat. Hæc immenſa, vt ſic dixerim, errorum ſylua, etſi à beatis Apoſtolis ſanctiſque patribus ac ſacris Concilijs conculcata diſſipataque dicatur, penitus tamẽ ſuccedi non potuit. Nam beatus Iſidorus, poſtquàm quinquaginta & ſeptem hæreſum capita numerauerat, illas omnes dicit à ſanctis Apoſtolis, ſanctiſq; patribus ac ſacris concilijs fuiſſe condemnatas. Quod qui volet, facilè ſciet, ſi rerum temporumq; ſucceſſiones & ordinem repetat. Nam Menandrini ac Saturnini, magni diaboli laquei, cum Simone Mago principe illius hæreſeos, à beatiſſ. Petro Apoſtolo condemnati ſunt, qui eundem Simonem & eius pecuniam in perditionem abiecerat. [Act.8.] Qui verò humanitatis officio ſatisfactum iri arbitrantur, ſi quiſque rem ſolam priuatam curaret, quod * adytis hæreticis attribuitur, hi Ananiæ & Saphyræ horrendo interitu condemnantur, [Act.5.] quos ambos idem Petrus ſubita morte mulctauerat, ſicut Actuum 5. cap. ſcriptum eſt. Nicolaitarum verò impudẽtem laſciuiam Ioannes in Apocalypſi cùm ad Epheſinam Eccleſiam ſcriberet, reprobauit. Nam etſi priorem charitatem in illa Eccleſia amiſſam conqueratur, in hoc tamen illam dignam commendatione duxerat, quòd Nicolaitarum impudentiam fugerit. Hòc habes, inquit, quòd odiſti facta Nicolaitarum. [Apoc.2.] Illi verò qui connubijs detrahunt, & omnem legitimum torum turpitudinem putant, qui etiam Apoſtolicos ſe vocare præſumpſerãt, B. Pauli Apoſtoli ſententia condemnantur, qui ad Coloſſ. ſcribens, præcepta quibus coniuges omni repręhenſione carerent, tradiderat: [Col.3.] Mulieres, inquit, viris ſubditæ eſtote, ſicut oportet in Domino, & alibi: [Eph.5.] Viri, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. Et hæc quidem in prima ætate Eccleſiæ contigiſſe inuenio. Cùm autem eadem membra officialia eſſe cœperũt, alius peſtilens morbus erepſit. Arius ſiquidem Alexandrinus, cùm de forma Eccleſiaſtici corporis, hoc eſt, de plena eſſentia filij Dei (ſecundum Auguſtinum) iniquè ſanxerat, & prædicauerat, dicens eum eſſe alterius naturæ à patre, maximam vbique peſtem effudit. Macedonius verò de numero diuinitatis iniquam ſententiam ferens, dicenſq; Spiritum ſanctum ſeruum patris ac filij, multos corruperat. Neſtorius quantitatem maieſtatemque huius myſtici capitis, vehementer opinione praua minuit, cùm ipſum ſaluatorem noſtrum, ſummum quidem virum & Deo dignum eſſe affirmaſſet, ſed eundem Deum omninò negauerat. Euthyches verò atque Dioſcorus ipſam diſpoſitionem humanitatis CHRISTI, iniquè tranſtulerat, affirmans eandem diuinitatis potentiam exhauſtam fuiſſe atque abſorptam in mẽbra myſtica ſparſit. Contra quos velut aduerſus publicam peſtem, inuecti quondam Romani pontifices, ſynodos ſacras conuocarunt. Nam & Syluester natione & dignitate Romanus, trecentorum & octodecim patrum conſenſu, quos in Nicena congregauerat. Arrium hæreticum declarauit. Damaſus verò vita & eloquentia clarus, in ſecunda ſynodo centum & quinquaginta patrum conuentu Conſtantinopoli coacto, Macedonium blaſphemum deiecit Neſtorianam verò hæreſim Cœleſtinus, ducentorum patrum in Epheſo conuenientium authoritate reprobauit. Ita & Leone pontifice præcipiente, Chalcedonenſis ſynodus * quingẽtorum [* ſexcentorum] & triginta patrum præſentia Eutyches atque Dioſcorus anathemati æterno ſubiecti ſunt. Sic & aliæ vniuerſales ſynodi authoritate Romanorum pontificum congregatæ ad morbum aliquem depellendum conuenerant, licet illæ priores; quas paulò ante enumeraui, dignitate quadam cæteris alijs præferri videantur, quemadmodum diſt. 15. ca canon. poſitum eſt: Ipſæ enim totam fidem Chriſtianam complexæ, quemadmodum Gregorius dixit, quaſi quatuor paradiſi fluuij, totum orbem irrigauerant. Quòd verò ſanctorum patrũ doctrina errores depulerit, teſtes ſunt * Ana- [* Athanaſius]

ſtaſius, Baſilius, Cœleſtinus, Cyrillus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus Chriſtianæ religionis clariſſima lumina, qui aduerſus omne hæreſis genus inuictiſſimè ſcripſerunt. Sed nec Apoſtolorum ſumma in terris poteſtas, nec ſacrorum Conciliorum authoritas, nec ſanctorum patrum admirabilis illa & penè diuina ſapientia efficere potuerunt, quo minùs multiplex hæreſum peſtis, quæ ſemel inſederat, per totum orbem effuſa, infinitam hominum multitudinē ad infernum deducat. Qui de orbis dimenſionibus diſputēt, præter eam participationem quam in ſeptem climata diuidunt, aliam quādam vulgatiorem addunt, qua totum quod ab homine colitur, in Orientalem, Occidentalem, Septentrionalem, Meridionalemque plagam diſtinguunt. Primam partem in decem prouincias diuidi dicunt: in Indiam ſcilicet,* Sauriam, Adonis Phœniciam, Syriam, Palæſtinā, & reliquas, quas à quadraginta & tribus gentibus habitatas affirmant. Occidentalis portio in ſex & triginta prouincias diſtincta eſt, quæ quinquaginta & quatuor gentium homines continet. Septentrionalis autem regio in duodecim prouincias porrigitur, quarum gentes trigintavnam eſſe affirmant. Meridionalis & ipſa in duodecim partes diſtincta eſt, quarum gentes ob interiacentia deſerti ſpatia, certo numero compræhendi non poſſunt. Per has igitur vaſtiſſimas regiones ac varios gentium mores, omnia illa hæreſum genera, quæ vel ab Epiphanio Cyprio, aut Philaſtro aut Auguſtino ſiue Iſidoro numerātur, reſperſa atque effuſa ſunt. Nec eſt quòd ſi veterum hæreſum principes de medio ſublati fuerint, deſinant qui eorum errores & ſapiant & defenſent. Primam habitantium regionem Arriana hæreſis vehementer inuaſit. Macedoniani facilè numerari non poſſunt: quos Armenos appellamus, gens certè ampliſſima, & frugalitate præcipua, Eutychis atque Dioſcori peruerſam eruditionem ſequuntur. In Heſperia verò plaga Saducæos, qui reſurrectionem negant, & animas cum corporibus ſimul interire affirmant, plures inuenies Cerdonianos, qui duo principia ponunt: Tertullianos, qui animas per traductionem eſſe à corpore arbitrantur: Cataphryges, qui ſacramenta eccleſiaſtica negant, ſufficere tamen ad humanam ſalutem aiunt, ſi infantis anniculi ſanguis, quem immanibus punctionibus (vt Auguſtinus ait) à corpore innocentis extorquent, mixtus farinæ, panem à ſe ſumendum conficiunt. Pars inſuper, quæ Septentrioni ſubiecta eſt, plurimos habet, qui Catholicæ fidei aduerſantur. Sunt qui negant Romanam ſedem eſſe matrem ac principem reliquarum. quod an hæreſim ſapiat, teſtis eſt Nicolaus Papa 22. diſt. Omnis. Præterea ſunt nonnulli, qui aiunt animas exutas corporibus, nondum ad ſua loca receptas. Alij purgatorij pœnas figmenta exiſtimant. Siniſtra autem orbis poſitio, quem Meridionalem dicunt, hæreſibus plena eſt. Illic Neſtorianorum nomen & genus ampliſſimè patet, Sabellianorum hæreſis latiſſimè prædicatur. Valentiniani, Appellitæ, Archontiani, Carminiani, Ebionitæ, numero facilè compræhendi non poſſunt. Nequeo patres reuerendiſſimi vobis enumerare infinitam, vt ſic dixerim, hæreſum multitudinem, quæ tot gentium animos corruperat: quod vnde proueniat, aut quo authore procedat, dignoſcere certè facilè non eſt, niſi (vt placet ſanctis doctoribus) ideo illud Deus fieri paſſus eſt, vt credentium fides probetur, & ne fidelium ingenia tranquilla credulitate contorpeant. Fieri etiam poteſt, Deum tot hoſtes ſuæ fidei eſſe pati, vt tyrannos Chriſtianæ religionis habeant quos vincere poſſint. Tantam igitur zizaniorum varietatem ab agro Dominico non ſolùm non diuellere, ſed nec excerpere quidem humana ingenia ſuppetunt. Satis igitur eſt, ſi de his duntaxat poteſtas eccleſiaſtica propenſiùs curet, quibus vel beneficium reddendum eſt, aut ſi tales ſint hoſtes, aut religioni magis ac magis officiant. Sunt autem (ni fallor) duo genera hominū, qui fidei Catholicæ aduerſantur, Græci ſcilicet atque Huſſitæ, de quibus prouidere oportet: Et illis quidem, vt pro ſuſceptis beneficijs gratiæ dignæ reddant: iſtis verò, ne contagione peſtifera totum corpus eccleſiaſticum lædant. Neminem veſtrum patres præterire arbitror, Græcorum gentem ſic optimis artibus floruiſſe, vt omnium gentium nationes incredibili quadam virtute ſuperauerit. Taceo de cæteris diſciplinis, quas omnes à fontibus Græcorum profectas, omnes vno ore fatentur. quicquid Dei Eccleſia docet & prædicat, id ipſum etiam ſuis nominibus à Græcis in Latinum traductum eſt. Quod ſi parentibus maximum debeamus, quia genuerunt ac educauerunt: ſi præceptoribus plurimum, quod erudierint: certè ſatis apertè ſignificari non poteſt, quantum vos patres Latini Græcorum generi debeatis, à quibus illud vobis collatum eſt, quo nihil præſtantius ab homine conferri poteſt. Hi ergo, quos memoro, Græci ad vnionem Eccleſiæ veniri contendunt, non eo pacto quo quidam eos fallendi gratia dicunt accedere, ſed apertè & abſque aliqua ſimulatione. Pontifex ſiquidem maximus Martinus felicis memoriæ Papa Quintus, ſic ſua ſapientia atque humanitate Græcos ad opus vnionis attraxit, vt de tanta opinionum & poſtulationum diuerſitate, ad vnam & ſolam differentiam conceſſerint, quis ſcilicet locus ille ſit, qui pro cōuocanda ſynodo vtriuſque generis patres aptè ſuſcipere poſſet. Habeo hui9 rei teſtes grauiſſimos, qui huic veſtræ clariſſimæ ſpectationi aſſunt, & quæ dico, in præſenti audiunt: nec audita vobis patres pronuncio, ſed quæ vidi, & quæ præcepto eiuſdem præſulis ipſe contrectaui, & publica ſtipulatione concluſeram. Quorum Græcorū propoſitum & tu Eugenij Papa ſanctiſſime, pro tua religione eximia & animi amplitudine, nuper ampliora & certiora te ipſis facturum ſpondendo confirmaſti. Nec credi poteſt. vt Chriſtianorum quiſpiam his tuis ſanctiſſimis deſiderijs atq; conatibus contraire poſſit. Ad hoc enim opus tam ſalutiferum, nemo Chriſtianorum quicquam ſuorum excipere debet. Non enim parum fructus habet ad fidei Catholicæ incrementum, Græcorum conuerſio. Illa ſiquidē Conſtantinopolitana ſedes habet in Aſia, Africana, & Europa vaſtiſſimas prouincias atque ampliſſima regna, plurima genera hominum, linguis & moribus longè diſparia, qui omnes ad fidei Catholicæ obedientiam atque religionem conuolarent, ſi præſul Conſtantinopolitanus, vt quondam facere ſolebat, honorem & debita iura Romano pontifici redderet. Illud autem patres optimi facilè fiet, ſi non ſit ſchiſma in corpore. In nouam enim Eccleſiæ ſciſſuram dilabi, & inueteratos ſchiſmaticos ad vnionem eccleſię reducere velle, illud quo pacto fieri poſſit, non ſatis intelligo. Quomodo enim Græcus, tantum in hoc noſtro eccleſiaſtico corpore diſſidium audiens, eidem ſe coniungere vellet? Aut cū Romanum Pontificem tam facilè à ſuis contemni viderit, eidē honore debitos reddat? Nonne ridebit? Nonne vtroſque leues & longè à Chriſtiana * veritate ſe iunctos iudicabit? Nonne poſtulanti vt ad gremium Eccleſiæ redeat, mox euangelicam illam reſpondebit ſententiam: Frater, vade, erue priùs trabem de oculo tuo, & tunc veniēs, erue feſtucam de oculo fratris tui? Cum ſuperiori tempore nullus indubitatus pontifex haberetur, neminem Græcorum aliquis audiuit qui de vnione Eccleſiæ tractaret: at vbi omnium diſſidentium vota ad vnum paſtorem conuenerant, mox legati Græcorum pontificem adierunt, & coram glorioſiſſimo ac inuictiſſimo Romanorū rege domino Sigiſmundo ſemper Auguſto, pro vnionis negocio Imperator & Patriarcha Conſtantinopolitanus voluntatem & vota trigintaſex articulis patefecerant. Scio quòd verum loquor, & quòd hę manus literas obſignatas explicuerint, & quæ illic continebantur, ex Græcis Latina fecerā. Vnde cùm honeſtiſſimæ Græcorum petitiones, principibus noſtrę religionis viſæ fuerāt, mox dominus Ioannes Epiſcopus Cardinalis tituli ſancti Sixti, vir omnium ſuę ætatis religione & ſapientia ſpectatiſſimus, legatus in Græciam declaratus eſt: quem illuc properantem ſi mors è medio non ſuſtuliſſet, plurimi nunc populi ac nationes ritum & religione eſſent vobis ſimilimi, quorum nullum in præſentiarum habetis. Nec certè credendum eſt, Græcos ab illa ſua honeſta opinione receſſiſſe: eadem eſt gentis illius ad reconciliationis opus intentio, idem omninò deſiderium, eadem poſtulatio, niſi quod filius qui nuper imperio ſucceſſit, ad vnionis negocium longè ardentior ſit, quam vnquam fuerit pater: quo fit, vt ad reconciliandū gentem illam Catholicæ fidei via paratior modò ſit. Quòd ſi locus aliquis ad conuocandam vtranque gentem optimus daretur, videretis patres reuerendiſſimi plurima de Græcis facta fuiſſe iudicia, quæ omninò conſtare non poſſent. Hos igitur fructus vberrimos de Græcis vos patres præſtantiſſimi refe-

for. *Iſauriā Adonis,

ocus ob. tatus.

m i reteretis, ſi non ſchiſma in corpore. Alterum perditiſſimorum hominum genus, de quibus ob ſummam perniciē generali omnium patrum iuſtitutione conſulendum eſt, Huſſitas intelligo. Gens profectò peſtilentiſ. & velut exitiale virus per corpus Eccleſiaſticum repens. Nec vnum, ſed multiplex ac atrociſſimum malum, huius hæreſeos morbus eſt. Nam ſi quis illorum hominum peruerſas ſentētias, quas grauiſſimis Chriſtianorum cladibus amplificare voluerūt, recenſere voluerit, veterum hęreſum irritamenta quædam fuiſſe fatebitur. Cogitanti enim hanc nouellam corruptionem, e veſtigio Nicolaite, * Emoſtici. Cerdoniani, atque Marcionitæ occurrent,* Aditæ quoque & Catharitæ, ac Apoſtolici: huic hæreſi non defuerunt * Acharchitæ, Ariani atque Iouiniani quamplurimi, quos omnes Epiphanius Cyprius, vir omnium orientalium patrum ſapientia & ſanctitate inſignis, inter nominatiſſimos hæreticos ſcripſit: nec ſolum multiplex hęreſis hęc, ſed & funeſtiſſima Chriſtiano populo extat. Plurima damna ab Arianis, Neſtorianis, Monothelitis, Iconomachis Eccleſia Dei perpeſſa eſt: ſed nulla fuit tanta hæretica peſtis, quæ huic cladi comparari poſſit. Hæc enim omnia iura humana atque diuina peruertēs, nulla pietate in ætatem vel ſexum, ampliſſimas & opulentiſſimas patrias igni & ferro ſubiecit. Patent eius immaniſſimæ ſtrages in Bohemia, Morauia, Sleſia, Marchia, Auſtria, Hūgaria, ac cæteris circumfinitimis adiacentibus nationibus. Quòd ſi hoc captioſiſſimum ac falaciſſimum hominum genus, ab illa ſua immani conſuetudine ac funeſtiſſima rabie contepuerit, velitque iter ſalutis & reconciliationis ingredi, nulla ſit mora, patres præſtantiſſimi,* quo pontifex maximus ac tota concio patrum, operam ſuam ac ſtudium conferant, vt lupos * rapidos in oues conuertant. Nihil hoc opere ſalubrius, nihil certam vtilius Sed cùm inter vos patres Eccleſiaſticos ſint aduerſæ ſententiæ, hoc fieri minimè poterit. Nam totum Huſſitarum ſtudium in eo poſitum eſt, vt clericorum inſolētias, voluptates, auaritiam, ſuperbiam atque ambitionem, quibus hunc veſtrum ſtatum Eccleſiaſticum & amplitudinem deijciant atque proſternant, vulgo continuò prædicent. Illud autem quantum quibuſdum maximis viris placeat, & populis rationi conſentaneum videatur, apertè oſtenderem, ſi hæc omnia vobis clariùs non paterent. Igitur qui cupit Huſſitas ad vnionem Eccleſiaſticam reuocare, illud priùs efficere ſtudeat, vt nouella zizania euellantur, vt nulla mentis affectio, nulla in rebus gerendis perturbatio, ſed timor Dei, charitas proximi, zelus Eccleſiaſticæ pacis opera veſtra perficiat. Illud etiam ſummo ſtudio agendum eſt, vt debitus honor ac reuerentia pontifici maximo, quem vnicum loco Dei in terris ſuſpicimus, tribuatur. Quòd omninò faciendum quiſque hominum iudicabit, ſi de huius patris ſanctiſſimi ac beatiſſimi vitæ integritate & innocentia nouerit. Ad hæreſum extirpationem ac fideliū expugnationem, nemo Chriſtianorum illo flagrantior. Taceo alia ipſius ſanctiſs. præſulis ornamenta virtutum. Illa enim aliud tempus deſiderant. Cùm priuatis negocijs operā daret, contra infidelium ac hæreticorum errores & impetus plurima egregia & memoria digna cogitauerat atque inſtituerat. Reuerendiſſimorum patrum Cardinalium numero aggregatus, mox quæ priuatim excogitauerat, publica authoritate perficere conatus eſt. Propterea & legationem in Epirum, Macedoniam, Thraciam, Propontidem, Aſiam, Ciliciam, Syriam atque AEgyptum, vbi veræ fidei iura & dignitas in ſpretum maximum veniunt, paratiſſimo animo ſuſcepiſſet. Propterea & conſcribi iuſſerat, quibus artibus illæ nationes poteſtati Eccleſiæ adigi poſſent. Quòd ſi ipſi ꝑ magnitudine animi & zelo fidei, parem poteſtatē & authoritatem conferri cōtigiſſet, nihil eſt quod vexillum ſanctiſſimæ crucis inter remotiſſimas gentes ſumma gloria noſtræ religionis nō figeretur. Adſcitus ſanctiſſimi Rom. pōtificis dignitati, quæ iam tot labētibus annis excogitauerat, in effectum omnino deduxiſſet, ſi inteſtinæ diſcordiæ atque vicina bella, ſancto eius propoſito impedimenta nō extitiſſent: non tamē deſtitit, quo minus aduerſus Huſſitarum rabiem extinguendam, diuerſis ſtudijs vigilaret. Quod aperta ratione probabitur; cùm neceſſitas poſtulauerit. Secretarium Imperatoris Græcorum nuper ad ſe venientem, ita gratè remiſſit, vt idem Imperator ſtatuerit legationem ampliſſimā ad ſummum pontificem dare, vt de loco aliquo idoneo pro congreganda ſynodo videatur. Hoc iam factum fuiſſe credendum eſt, niſi aliquis inſpectatus vel aliàs inſperatus caſus impedimento fuerit. Sub tali igitur noſtrę religionis patre & præſule & veterum & recentium hæreſum reſperſa zizania facilè euellentur, niſi vos reliqui patres eius præcepta iuſtiſſima tanquam deuotiſſimi filij ſuſcipere ſtatuatis. Ad quod pium & neceſſarium opus, & totius Eccleſiæ diuturna conſuetudo, & veterum Conciliorum authoritas, & ſanctorum patrum ſententiæ vos hortantur. Quare patres per immortalem Deum, per intemeratā fidem, cuius defenſionem ſuſcepiſſe videmini, per illud diſtrictum horrendūque iudicium, ad quod nos omnes volentes nolentes detrahemur, in hac rerum maximarum conſultatione moderatione animi vti velitis, ne cùm exteriorum gentium hæreſes purgare quæritis, nouellos errores domi nutriatis: ſed de hæreſis extirpatione hactenus dixiſſe ſufficiat, amodò de reformatione pauca dicam. Hoc myſticum corpus, de quo hactenus memoriam feci, alia etiam appellatione domus nomen accepit ſententia illius, qui ad Hebræos ſcribens, dixerat: Chriſtus tanquàm filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos. [Heb. 3.] In hoc ſanctiſs. templo nemo aliud fundamentum ponere poteſt, præter illud quod poſuit Chriſtus ſcilicet Ieſu, ſicut primæ ad Cor. 3. c. dicitur: hanc ſtructuram mirabilem ille ſapientiſſimus architector non ſimplici, ſed varia quadam compoſitione erexit. Ipſe enim dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios paſtores & doctores, ad conſummationē ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, ſicut quarto ad Epheſios ſcribitur. Hæc eſt illa varietas, quam in ſpiritu Dauid quondam proſpiciens, dixerat: Adſtitit, inquit, regina à dexteris tuis, in veſtitu deaurato, circundata varietate. [Pſal. 44.] Varietatem autem non illam intelligo, qua ex ebore, auro, varioque coloris genere parietes in regijs principum ornari ſolent, ſed Apoſtolorum doctrinam, confeſſorum, martyrum, vt Gloſa teſtatur, puritatem virginum, lamenta pœnitentium. Id autem optima ratione fuiſſe facilè quiſque iudicabit, ſi huius corporis myſtici aut domus eccleſiaſticæ naturam ordinemque proſpexerit. Nam cum gratia huius fundamenti vel capitis, plenè tota in partibus extare non poſſit, vt dicit doctor beatus, ideo vario modo ſingulis diſtributa eſt. Propterea & quidam Apoſtoli, alij verò prophetæ dari dicuntur. Cumque id fieri nequeat, patres reuerendiſſimi, vt quiſpiam ſe ſolo æquè officijs pluribus ſatisfacere poſſit, vnde & membra corporis ſingulis actionibus occupantur, idcirco Eccleſia circumamicta varietate deſcribitur. Et quia officium ſponſæ ſimul & nomen accepit, ideo ipſam decoram ornatamque prodire oportet, quod in varietate maximè conſtat, ſicut ſapientibus placet, & ipſo experimento oſtenditur. Nam & regina Saba, præter illam admirabilem ſapientiam, quam argumētando in Salomone cognouerat, perſpecto ſeruorum habitaculo & ordine miniſtrantium, maximè admirata, ſpiritu ipſo defecerat, ſicut 3. Regum 10. capit. ſcribitur. Huius itaque ſtructuræ mirificæ etſi fundamentum ſolidum inconcuſſumque perſiſtat, ornatus tamen ac cæterarum partium ordo labefactari iudicantur. Nam loco Apoſtolorum eos hodiè cernimus, de quibus Paulus Corinthijs ſcripſerat: Pſeudoapoſtoli, inquit, openarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. [1. Cor. 11.] Nec alios puto, patres optimi, hodiernos prophetas exiſtere, niſi eos dūtaxat, de quibus Ezechiel in ſpiritu videns dixerat: Væ, inquit, prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, quaſi vulpes in deſertis prophetæ tui Iſrael. [Ezec. 13.] Nequeo, patres reuerendiſſimi, crimina & caſus grauiſſimos eorum hominū vobis exponere, qui dignitate & authoritate velut in quadam ſpecula cōnſtituti, Magiſtri debent eſſe publicæ diſciplinæ. Omnes enim declinauerunt, & ab officio recedentes, inutiles facti ſunt, ſicut Propheta teſtatur. [Pſal. 13.] Aptiſſimè deſcripſit Iſaias clericorum ignominiam, ſecordiam, laſciuiam, ſegnitiem, immunditiam, turpitudinem, ambitionem, auaritiam. Speculatores eius, inquit, cæci omnes, neſcierunt vniuerſi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia, canes impudentiſſimi, neſcierunt ſaturitatem. [Eſa. 56.] Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes

in viam

in viam ſuam declinauerũt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam vſque ad nouiſſimum. Cùm igitur ex eorum criminibus ac vitę corruptione, qui virtutem ac diſciplinam profeſſi ſunt, huius myſtici templi ſtructura grauiſſimum lapſum atque ruinam minetur, optimè Eccleſiaſticæ ſaluti conſulitis, vt redintegratio fiat, quam vos vulgò reformationem nominatis. Cæterorum verò hominum vitia, priuatam: clericorum verò ſcelera, publicam perniciem inferunt. Nam cum populi omnes in ſacerdotem atque pontificem, tanquam in præceptorem virtutum, ſuſpiciant id indubitata ſide putant à ſe factum iri, quod ipſe faciendum delegerit. Sed hanc rem per difficilem plenamque laboris, ea ratione efficere poteritis, quod non ſit ſchiſma in corpore. Nam cum in ipſa ſpirituali ſtructura ſit vnitatis multiplicitas, tamen inter cętera illa præcipua iudicatur, quam ille cæleſtis ac indiuiduus ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult, ſicut primæ ad Corinthios duodecimo cap. ſcribitur. Fieri autem minimè poteſt, vt hi qui aduerſa dę bonis moribus ſentiunt, & qui manifeſtam ruinam Eccleſiæ parent, ſpiritu Dej ducantur. Eo etiam euenit in præceptis maiorum ad vitæ innocentiam atque religionem velle quempiam ducere, perdifficilè, & niſi eum ſpiritus Dei priùs induxerit. Pleni ſunt libri omnes Chriſtianorum ſanctiſſimis exhortationibus, pleni præceptis ſaluberrimis, pleni exemplis admirabilibus. Quidquid de vita & honeſtate clericorum decerni & præcipi poteſt, id
Ioan. 7. totum ampliſſimis literis & maximis codicibus continetur. Et tamen nemo facit legem, ſicut dicit Saluator. Priùs itaque
Pſal. 118. ſpiritus rogandus eſt, vt doceat & inſpiret, quo pacto impleri debeant ſuæ iuſtificationes, ſicut Propheta precatur. Cæterùm impoſſibile quidem videtur, de principatu Eccleſiæ ac de moribus diſputare ſimul atq; decernere. Nam cùm de capite ac principe ac principe ſenatus Eccleſiaſticus occupatur ornatus publicæ honeſtatis ſatis aptè vacare non poteſt. Extant gentilium atque Chriſtianorum monumen-
Eccl. 50. ta ampliſſima, quæ huic rei grauiſſimũ teſtimoniũ afferunt. Vnum ſolùm in præſentiarum ſufficiat. Cùm per Oniam pontificem ſolum res Iudæorum agitarentur, ciuitas ſancta in omni pace habitabatur, legeſque optimè cuſtodiebantur,
2. Mac. 3. ſicut 2. Machabæo. 3. cap. ſcribitur. Sed poſteà quàm per ambitionem Iaſonis fratris, collatio ſummi pontifici ad Antiochum tranſlata eſt, mox gymnaſia & ephebiæ in ciuitate Dei fuerant inſtitutæ, horrendum certè ſcelus, & omnibus ſeculis inauditum facinus. Confracto itaque atque colliſo Eccleſiaſtico corpore, integritas honeſtatis atque religionis conſtare minimè poteſt. Præterea quem vos patres Eccleſiaſticis inſtitutis coercere poteritis, qui mox alios quæſiturus non ſit, à quibus gratè ſuſceptus, prioris vitæ corruptelam non teneat? Et inde huc venientem nemo corripere audebit, ne ſuo exemplo alij ſecuturi teneantur. Itaque patres ſapientiſſimi mores Eccleſiaſticos ea ratione poteſtis componere, ſi non ſit ſchiſma in corpore. Hortatur vos ad hoc opus per necessarium dignitas beatiſſimi patris noſtri Eugenij pontificis maximi, qui Petri ſedem tenet & fidem, ſine cuius authoritatę nulla lex aut decreta ſatis roboris habere poſſunt, vt eſt diſt. 22. Sacroſancta. Cuius ſententiæ beatus Thomas 2. ſecundæ quæſt. prima artic. 10. fideliſſimus teſtis eſt. Hortatur vos ad hanc eccleſiaſticam diſciplinam, huius ſanctiſſimi patris integritas, qui cum à puero vſque ad hanc confectam ætatem vitam præclariſſimis virtutum muneribus exornauerit, adeò vt in ipſo corrigendum, abradendumve nihil omnino videatur, tamen vt optimi præſulis morem gerat, hanc quam vos patres re-
for. * incipi capit, ſi formationem nominis à ſeipſos * caput, ſi huic publicæ actioni debitus ordo tribuatur. O verè pontificem, ô paſtorem gregis Dominici meritiſſimum. Quem ſuperiorum pontificum, obſecro patres, veſtra tenet memoria, qui iſta protulerit, qui in tanta rerum tempeſtate infracto animo manſerit? Ite igitur patres lectiſſimi, & huiuſmodi pijſſimi patris atq; pontificis meritiſſimi iuſtiſſima vota & deſideria impleatis, ſi vultis mores Eccleſiaſticos integritati priſtinæ reſtituere. Sed de reformatione quid ſentiã, iam patres au-
for. * exercitia inter cætera, patres diſtis, amodò & de pace pro extremæ orationis particula pauciſſimis vtar. Cùm plurima ſint, * exercita cum inter genera, patres lectiſſimi, quæ ad ſacerdotis atque pontificis officium attinent, tamen illud præcipuum eſt, quod in conciliandis pacandiſque populis conſtat: ſiquidem ſacerdoti propria actio dicitur, cum inter Deum hominemq; mediu quaſi conciliator accedat, vt placet B. Thomæ 3. parte q. 30 art. 1. propterea & ſacerdos à Deo legem & ſacramenta recipit, quo populis voluntatem diuinam ſignificet, conciliarique volentibus paramenta debita tribuat. Et rurſus acceptas ab hominibus oblationes & ſacrificia Domino offert, vt diuinam maieſtatem hominis vitio vehementer inſenſam, placet atq; cõciliet hoc acutè proſpexit qui ait: Omnis põtifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deũ, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. ad Hebræos 5. cap. Hæc autem munera tunc placationis efficaciam habent, cùm homines excuſſis odijs ac ſimultatibus, ad offenſarũ remiſſionem reuocantur. Quod quanto ſtudio agendum ſit, ſaluatoris præcepto oſtenditur. Si offers, inquit, munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſus te &c. Et iterùm: Si non dimiſeritis fratribus. In quibus omnibus oſtenditur, humanas oblationes & munera nullam prorſus habere efficaciam, niſi homo ſe prius inimico conciliet. Hoc autem inter cædes & bella fieri poſſe non video. Quomodò enim inter eos vis charitatis & amicitiæ aut ſeruari, aut incipere poterit, qui mutuis irruptionibus exuuias & ſpolia quærunt, quorum alter in alterius effundendum ſanguinem iurat, qui liberos à parentum euulſos amplexibus, impudicè abducit? quæ omnia cùm in bellorum congreſſibus fieri videamus, difficilimũ eſt, humanitatis, charitatis ac pietatis quippiam in illis hominibus reperiri, qui bella ſequuntur Præcipuum itaque ſacerdotum atque pontificum officium agitis patres reuerendiſſimi, qui inflatos atque tumentes animos principum placere curatis, eo præſertim tempore, quo nullum Chriſtianorum regnum vacet. Sed illud priùs ſumma cura agendum eſt, patres reuerendiſſimi, vt non ſit ſchiſma in corpore. Quis enim ad alienas diſcordias ſopiendas ſufficiet, qui ad maxima & inteſtina bella parari cogetur? aut quis aliquem medicorum vel etiam peritiſſimum ſummo morbo laborantem vidit, qui alijs ægrotis pharmaca porrigat? Oportet igitur priùs domeſticam peſtem purgare, & inde aliorum languores extinguere. Quod optimè facturi eſtis, patres ſapientiſſimi, ſi pacis, qua nihil vtilius deſiderari poteſt, vim & naturam ſeruabitis. Pacis enim bonum non in eo ſolo conſpicitur, quod vnionem diuerſa optantium faciat, hoc enim & concordiæ datur: immò vt ſancto Doctori videtur, id concordiæ proprium eſt: ſed id maximum pacis officium eſt, vt renitentem varium appetitum in vnũ conſenſum debito ordine adigat. Propterea & beatus Auguſtinus 19. de ciuitate Dei, cùm multa genera pacis enumeraſſet, id tanquam proprium pacis adiecit, quòd ſit ſcilicet tranquillitas ordinis, qui in parium diſpariumque rerum ac hominum debita diſtributione conſiſtit. Hoc ſi & vos patres reuerendiſſimi, ad pontificem maximum patrem & præſulem omnium, ſeruare curabitis, nauicula Petri â dehiſcentibus fluctibus trãquillam reddetis, principum animos maximas cædes ſpirantibus pacabitis, hæreticos reluctantes ad iugum eccleſiaſticum ſubducetis, infidelium impetus, qui tota rabie dietim Chriſtiano ſanguine debacchantur, inuictiſſima poteſtate deprimetis. Illud etiam cum ſumma omnium veſtrum gloria fiet, vt aptiſſima ratione probetur, nulla vnquam ambitione, nulla iniquitate, ſed ſolius religionis amplificandæ gratia, hos varios & diuturnos labores vos conſtantiſſimè ſuſcepiſſe: Quod nobis omnibus ille concedat, qui ſine fine viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

ALIA ORATIO (FORSAN ARCHIEPISCOPI Tarentini) habita ad patres Conſilij Baſileenſis pro Eugenio quarto.

In nomine IESV CHRISTI
Amen.

HVMANISSIMAM & ſanctiſſimam Domini noſtri digniſſimi ſummi pontificis, D. Eugenij Papæ IV. intentionẽ, quã ex iniuncto legationis officio, cõmuni horum patrum & dominorum meorũ conſenſu & iuſſione,

 in præ-

in præſentiarum explicaturus ſum, vobis reuerendiſſimi in Chriſto patres & domini, ſi quanta decet dignitates veſtras charitate & animorum moderatione intellexeritis, populo Chriſti ſanguine redempto vnionem & pacem & vitæ nouitatem, noſtris verò animabus ſalutem, & multarum curarum requiem allaturam eſſe, in ſpiritu paraclyto, & huius tam pij propoſiti motore & directore plenè confidimus. Sed vt ſtabilius & certius in huiuſcemodi rei narratione fundamentum conſtituamus, exordiendum in primis præcincta editione arbitramur ab ipſius Apoſtolici ſupremæ poteſtatis & iuriſdictionis origine & deriuatione. Deus igitur ideo magnus Dominus & rex magnus ſuper omnes Deos,

Pſal. 94.

ſpiritu habitus eſt prophetico, reuerendiſſimi patres, quoniam curam habens facturæ ſuæ, non repellit Dominus plebem ſuam habere certè diuinitatem ab exceſſo ſolio ſuo

Rom. 11.

peruigilem humani generis curam, omnis fermè & quæ benè inſtituta humanitatis, & quæ deſurſum mentibus illabitur, diſciplina teſtatur. Hinc gaudere eam optimo, eique cognatiſſimo viro in Ethicis Ariſtoteles arbitratur: & quod diuinum eſt in nobis, hoc eſt, intellectum diligentes & honorantes rebeneficiare. Hinc illud ad Timotheum Apoſtoli dogma, quo eos quibus quarumcunque publicarum rerum tutela committatur, diuino nutu ad huiuſmodi officij functionem aſſumptos edocet, emanuiſſe * putant, pura etenim diuinitatis eſſentia totius entis perfectione abundè reſperſa, omnium eſſentium eſſe per prius atque perfectius in ſe complectitur. Quamobrem eam quæ tantarum formarum capax extat, naturam, communi omnium vocabulo Deum quandoque veteres nuncupauerunt, quandoque omnium eſſentium primum, quandoque archetypum, quaſi rerum omnium exemplare ſimulacrum. Cumque ex eius perfectionis & bonitatis redundantia, atque omnipotentia interminata & ineffabili, nulla exteriore violentia coarctante, nulla impellente neceſſitate, ſed mera ac libera voluntate, eius eſſe exiſtentiæ vniuerſa creatura ſecundum accommodatas ſpecierum perfectiones ſortita ſit, operatorium principium Plato, primam cauſam Ariſtoteles, Dominum dominationum ſcriptura, magnum Dominum (tamquam omnium à voluntate proficiſcentium libera dominus opifex conſtituatur) naturam illam appellauit propheta. Sed cùm ſplendor in æſtimabilis prouidentiæ eius inter mundi ſemina, interque varias rerum ſpecies, & vnius & eiuſdem rei potentias atque diſpares rerum cultus, ordo * quidem regiminis atque lex & ritus naturalis innaſcatur, rectorem Olympi gentiles, regem regum ſcriptura magnum regem ſuper omnes deos, hoc eſt, angelicos ſpiritus, ſeu motrices orbium intelligentius, illam ipſam nuncupauit propheta Dauid. Ex illa itaque diuinæ naturæ bonitate & omnipotentia, tantarum illa rerum apud Geneſim conſcripta emanatio effluxit. Inde rerum inter ſe tanta, tamque admirabilis propagatio excreuit. Ex hac verò ad humanum genus charitate, prouidentia, ſtudio atque cura, illa legis traditio & tabularum digito Dei conſcriptio, ortum traxere. Hinc morum, ſacrificiorum, cæremoniarum directio, hinc illa ineffabilis coæterni & coeſſentialis Patri & Spiritui ſancto Verbi incarnatio, hinc paſſio, hinc reſurrectio, hinc Apoſtolorum miſſio, & cum eſſet mundum præſentia ſua corporali incarnatum illud verbum relicturum, illa mirabilis ſacramenti conſtitutio, atque vicarij eius electio, illiuſque cum ſuprema authoritate & poteſtate * fulminatio & inthronizatio, cui data eſt ſuper vniuerſo populo Chriſtiano plena poteſtas atque iuriſdictio. Quamquàm enim populus ipſe per diuerſas diœceſes ſit diſtinctus, tamen ſicut vna eſt Eccleſia ab vnico fundatore & capite Chriſto IESV, ita vnum oportet conſtituere populum Chriſtianum, & veluti in vno ſpeciali populo vnius Eccleſiæ caput. Hæc eſt ratio B. doctoris Thomæ atque ſententia, 4. contra gentiles, capitulo ſeptuageſimoſexto. & canonum ſacrorum inſtituta concordant, caput huiuſmodi, Epiſcopum almæ vrbis eſſe & Petri ſucceſſorem & principatum Eccleſiæ vniuerſalis in Eccleſia Romana præſidere, 11. diſt. cap. Nolite. Et hæc poteſtas & præſulatus authoritas Petro tributa fuit, non ab hominibus, ſed ab ipſo redemptore & ſaluatore noſtro, & ab Apoſtolis cum maxima veneratione cuſtodita. Non enim quælibet terrena ſententia, vt eſt textus 22. diſt. cap. Omnis. ſed illud verbum, quo conſtructum eſt cælum & terra, per quod condita ſunt omnia elementa, Romanam fundauit Eccleſiam. Idem expreſſius innuitur 21. diſt. cap. In nouo, & cap. ſeq. cuius initium eſt, Quamuis vniuerſæ per orbem Catholicæ Eccleſiæ conſtitutæ vnus Chriſti thalamus ſint, ſancta tamen Romana Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutionibus cæteris eccleſijs prælata eſt, ſed euangelica voce Domini & ſaluatoris noſtri primatum obtinuit: Tu es, inquit, Petrus &c. Et paulò infrà concludit: Ita in his omnibus punctis, quanto celſior gradus tanto maior authoritas inuenitur: in maioribus ſiquidem regendi & iubendi eſt poteſtas, in minoribus obſequendi neceſſitas. Congruum etiam eſt & expediens ad Eccleſiæ vnitatem, vt fideles in fide conueniant cumque contingat frequēter circa illa quæ fidei ſunt, quæſtiones moueri & diſſonas ſententias promulgari, ex quibus ſciſſura in Eccleſia ſæpenumerò eſt exorta, expediebat (vt beatus doctor concludit) quòd in vnitate per vnius viri ſententiam Eccleſia conſeruaretur. Cùm igitur caput & fundator Eccleſiæ CHRISTVS, in neceſſarijs non defecerit, quam ita dilexit, vt pro ea ſanguinem ſuum fuderit: cùm etiam de ſynagoga ab Eſaia dicatur: Quid potui facere vineæ meæ, & non feci? non eſt dubitandum, quin ex Chriſti ordinatione vnus toti & vniuerſali Eccleſiæ præſit, cuius iudicio atque ſententia diſſenſiones circa fidem & grauiſſimæ quæſtiones tollantur & terminentur. quod clarè innuitur 22. diſt. c. Multis, vbi ad literam ita dicitur: Maiores verò & difficiliores quæſtiones, vt ſancta ſynodus ſtatuit, vt & beata conſuetudo exigit, ad ſedem Apoſtolicam ſemper referantur. huius beatus doctor egregiam loco ſuperiori rationem aſſignat: Quoniam cùm pax & vnitas ſit finis regentis & * gubernātis, & vnitatis cōgruentior cauſa ſit vnus, quàm multi: videtur, quòd omnes ſubditorum diuerſitates, ab vno, benè diſpoſita politia, debeant extirpari. Propterea Ariſtoteles in politicis monarchiam democratiæ & ariſtocratiæ præferre videtur. Id etiam regiminis genus vniuerſæ mundi partes naturali quodam deſiderio appetere videntur. Quamobrem in extrema Phyſicorum Ariſtotelis parte ſcriptum eſt, Entia nolūt malè diſponi, vnicus ergo princeps. Chriſtum igitur, per quem reges regnant, & legum cōditores iuſta decernunt, optimū dediſſe Eccleſiæ ſuæ regnum nuſquam eſt ambigendū, quod quidem ad inſtar regiminis triumphantis Eccleſiæ ordinauit. Hinc Ioannes in Apocalypſi aiebat: Vidi * Dominum deſcendentem de cœlo. & alibi: Vidi ciuitatem ſanctā Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. & Moyſi dictum eſt, quod omnia faceret quemadmodum ſibi in monte monſtratū fuerat. & * Ioelis primo dictum eſt, Congregabuntur filij Iuda & filij Iſrael pariter, & ponēt ſibi caput vnum. & Dominus dixit, fiat vnū ouile & vnus paſtor, cui ſoli poteſtatem pleniſſimam & abſolutam tradidit ad omnia fidei * miniſteria exequendum, vt ad eum principaliter de gregis ſalute & directione, ac fidei vnitate ac integritate, diſpoſitio & iudiciū ac ſententia ſpectarēt, & vt per eum ad alios huiuſmodi miniſteriorum & authoritas diffunderetur. Hinc primo Paſtori ante aſcenſionē ſuam Dominus dixit: Paſce oues meas. & ante paſſionem ſuam: Tu iterū conuerſus, confirma fratres tuos. & illi ſoli promiſit, Tibi dabo claues regni cœlorū. vt oſtenderetur (vt inquit beatus doctor) quod poteſtas clauium per eum eſſet ad alios diffundenda vſque ad ſeculi finem, iuxta illud Eſaiæ: Super ſolium Dauid & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet iſtud & corroboret in iudicio & iuſtitia amodò & vſque in ſempiternum. & Matthæi vltimo Dominus aiebat: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. nec obſtat quod plerique dicunt verba illa fuiſſe Petro in Perſona totius Eccleſiæ. textus enim illud declarat 9. quæſt. 3. Aliorum hominum. * verſu * primo. Replicabo, Vni dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. & quęcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis &c. Hæc magna ex parte ex dictis B. doctoris loco ſuperiori habētur, qui in fine huius capituli ita cōcludit ad literam: Et per hoc excluditur quorundā præſumptuoſus error, qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia & ſubiectione Petri, ſucceſſorem eius Rom. pontificē, vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorē non recognoſcentes.

Margin notes (left column): 1. Tim. 2. Rom. 13. — Fo. * con ſtat — 1. Tim. 6. Act. 17. 19 — Pſal. 94. — * quidam — Pſal. 94. — for. * ſub limatio — Matt. 16. — Ioan. 21. Matt. 16.

Margin notes (right column): Matt. 16. — Eſa. 5. — Trium regendi modorum optimus quis. — Prou. 8. — Apo. 18. * angelū — Apo. 21. — Exo. 25. 26 — Oſeæ 1. — Ioan. 10. — * miſteria — Ioan. 21. — Luc. 22. — Matt. 16. — Eſa. 9. — Matt. 28.

ſcentes. Secundum tamen canonica decreta de ipſius ſummi pontificis ſupremæ poteſtatis amplitudine, certiſſima doctrina traditur. Hinc enim dicitur, quod ſolus in plenitudine poteſtatis vocatus eſt, alij autem in partem ſolicitudinis. in c. ad honorem, de au. & vſu pallij. & ſolus ſedet in illa ſede, quam Dominus in perſona beati Petri ſibi ſpecialiter elegit. vt in c. Per venerabilem. §. Sanè qui fi. ſunt legitimi. & ſolus iudicat & diſponit, vt ſibi placet. 9. quæſt. 3. c Cuncta per mundum. Ipſe enim habet arbitrium cœleſte, c. de ſum. Trinit. leg. 1. & ei conceſſa ſunt iura cœleſtis & terreni imperij à Domino redemptore noſtro, 22. diſt. c. omnis, vbi eſt textus ad literam: Illam verò ſolus ipſe fundauit, de Romana Eccleſia loquens. & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul & cœleſtis imperij iura commiſit. facit ad idem c. ſequens, ſacroſancta: Et principes ac omnes homines ei obedire tenentur. de maior. & obe. c. Omnes principes, & c. Solitæ, cui nec quiſquam dicere poteſt, cur ita facis? 19. diſt. c. In memoriam. ac ei fit pro ratione voluntas, & quod ei placet, legis habet authoritatem, in. de iure naturrli, §. ſed & quod principi. Per huius authoritatis vires, frequenter emergentibus mundo difformibus atque diſſidijs, opportunè diuina prouidentia occurrit. Sed cùm nimium collapſa eſſet nouiſſimis temporibus, ac per deuia præceps rueret libertas humana, miſericors & miſerator Dominus, qui non eſt vſquequaque iuxta præaſſumptam prophetæ ſententiam, plebem ſuam relicturus, virum optimum, omnium decore virtutum, iuſtitia, prudentia, temperantia, modeſtia, ſanctimonia, atque quod præſentium temporum acerbitati, tempeſtatique & tantis Petri nauiculæ fluctibus accommodatiſſimum videtur, magno animo, robore, patientia, conſtãtia & longanimitate redimitum, clementem tamen, pium, charitate & omni heroica virtute refertum, in ea ipſa ſede locauit, quo præſentium temporum horrendis Eccleſia ſuæ ſcandalis, alijſque vniuerſi populi ſui malis ſuccurreretur, * atque eleuarentur. Huius igitur nos authoritatis viri, huius poteſtatis, huius cæremoniæ nuncij & oratores, quanquam immeriti, ad vos ſumus patres optimi.

*eaque

Nunc autem ad inſtitutam domini noſtri intentionis explanationem proficiſcamur, ſi prius tamen pauca ad rem ipſam pertinentia, de geſtis præteritorum temporum ad memoriam reduxerimus, plurimum cauſæ noſtræ fauoris, ac veſtræ intelligentiæ commoditatis conferemus. Sanctiſſimus dominus noſter digniſſimus ſummus Pontifex, verus indubitatus, atque vnicus Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti vicarius, cui ſoli conuenit in altum rete ducere, hoc eſt, in profundum diſputationum & difficultatum ſeſe immiſcere, 24. quæſt. 1. Non turbatur, ratus hæreſibus inueteratis & his * qui in præſentiarum incrementa videbantur habere, ac inteſtinis per totã Chriſtianitatem odijs, diſſentionibus & hoſtilibus armis, amiſſo etiam & fermè extincto totius Eccleſiaſticæ libertatis priuilegio, ac multiformibus clericq; & Chriſtiani populi deformitatibus ſine ſanctorum patrũ atque illuſtriſſimorum principum aſſiſtentia, fauore, ope & opere facilè & opportunè obuiare non poſſe, Concilium Baſileæ ex bonæ & recolendæ memoriæ domini Martini Papæ Quinti authoritate per Senen. Concilium promulgatum, atque eiuſdem domini Martini iuſſione ſtabilitum, poſt ipſius obitum & ſanctitatis ſuæ aſſumptionem, robur habere voluit & proſecutionem, ratum & gratum per Apoſtolicas ſuas bullas gerens, quicquid poteſtatis in ea re reuerendiſſimo in Chriſto patri & domino, domino noſtro ſingulariſſimo digniſſimo, Cardinali ſancti Angeli Apoſtolicę ſedis legato, per prædeceſſorem ſuum collatũ fuiſſet. Cumque amplificationem illius ſynodi, vt optaſſet & rerũ magnitudine expediuiſſet, intueretur: quando etiam per oratorem eorum paucorum prælatorum, qui tunc Baſileæ præſentes erãt, de ipſius cõcilij debilitate & prauitate certitudinem accepiſſet, eſſetque cum inſtantia requiſitus, vt talia faceret quæ nouam conuocationem prætendere videbantur: illud abinde diſſoluit, & ad ciuitatem Bononienſem vnà cũ literis diſſolutionis cõuocauit per interiectionem tam modici temporis, vt non niſi continuaſſe dici poſſit, ita vt illa diſſolutio nil aliud in effectu, nec ex ſuæ ſanctitatis mente, voto & intentione, quàm loci mutationem, importare videretur. Quod ſanè patres reuerendiſſimi, non abſque grauitate ſumma, atque multa circunſpectione, & longa & matura deliberatone, ac ſyncera ad Deum & Eccleſiam ſuam ſanctam charitate factum eſſe exiſtimare debetis. Intuebatur enim ille pontifex ſanctiſſimus. tantarum rerum expeditionem non eſſe finem optatum habituram, niſi ſua ſanctitas Concilio adeſſet atque præeſſet, & cum reuerendiſſimorum patrum & dominorum meorum ſacri collegij, aliorumque magnorum principum, & totius Chriſtianitatis orthodoxorum præſulum conſultatione, fauore atque pręſidio tanta tamque ardua negocia derigeret atque diſponeret: quod in hac ipſa ciuitate propter notoriam ſanctitatis ſuæ inualitudinem, & quoniam plerique illuſtriſſimi principes ad eum locum conuenire denegabant, nullatenus fieri potuiſſet. Accedebat inſuper ad hoc, quòd locus iſte nimium vicinus videbatur potentiæ Huſſitarum: & magnæ imprudentiæ tributum fuiſſet, maximè poſt agnitionem periculi, quod non parum formidabile eſſet orator ipſe referebat, vniuerſalem Eccleſiam tanto ſupponere diſcrimini: quin inſuper neque eo, quo facta eſt, modo hæreticorum vocationem ſine offenſa, vel ſaltem tacita detractione damnationis de ea hæreſi in ſacro Concilio Conſtantienſe factæ, ſua ſanctitas ſuſtinere potuiſſet, cùm per vocationem illam, non ad diſputationem ſolùm, ſed ad ſpirituſſancti commune iudicium Eccleſia noſtra Catholica & hæretici æqualiter inuitarentur. Illius etiam vocationis verba, vt cum pace veſtra dicam, hæc ſunt: Ecce iam locus ac facultas plenæ audientiæ præbetur, iam inuitamini: non coram paucis, ſed vniuerſis audiemini, quantumlibet. Audietis & vos ipſos reſpondentes. ſanctus adſtabit medius ſpiritus iudex & arbiter, quid in Eccleſia tenendum & agendum ſit. Erimus ſimul & in oratione perſeuerantes, & tam diu feruenter ſuam pietatem ieiunijs, gemitibus, præcibus, obſecrationibus ac ſanctis operibus interpellabimus, vſquequò ipſe charitatis author & veritatis Doctor corda vniuerſi populi illuſtrabit ad cognoſcendam amplectendamque veritatis & vnitatis * ſententiam. Ecce quòd per hæc verba, non ad recognoſcendum damnatum errorem Huſſitæ vocantur, ſed ſubmittendum ſe pariter cum Eccleſia Catholica ad inueſtigationem veritatis: quod certè Huſſitis fauorem & authoritatem maiorem, fidelibus verò ambiguitatem & perplexitatem præſtare videbatur. Sed quando illis fuiſſet, vt conuincerentur & ad cognoſcendum damnatum errorem, audientia præſtanda: locus ipſe ad id deputari non debuiſſet, attento quòd ſecundum relationem oratoris illius, certæ ciuitates circumadiacentes, illo peſtifero morbo labefactari cœperant. Itaque de huiuſmodi hæreſibus non erat tutum neque ſecurum in Germania publicè tractatum facere: tum quia per huiuſmodi contentiones corruptis maior commoditas & occaſio tributa fuiſſet alios corrumpendi, tum quia Bohemis ipſis maiorem fauorem præſtari quàm alibi ſuſpicari poterat, ſicut in duobus tantum huius hæreſis ſceleſtiſſimis capitibus, initio naſcentis mali experientia viſum eſt. Quid igitur cenſendum putatis, patres optimi, ſi in tanta multitudine adaucta infectione, & poſt tributas nobis neſcio quo occulto Dei iudicio tantas ſtrages, ibidem & publicè reciperentur? Non erat etiam ille locus Græcis ad vnionem tam piè tamque feruenter adſpirantibus accommodatus. plures etiam aliæ cauſæ, & multo grauiores, illius commutationis deliberationẽ auxerunt: quarum expreſſio poſſet maiora, quàm ſint, ſcandala excitare, & quarum inueſtigationem facilè ingredi poſſet, quiſquis præteritorum temporum non nimis vetuſtam habet memoriam, & præſentium diſpoſitiones libero animo & abſque paſſione, * metetur. huiuſmodi ſanctitatis ſuæ deliberationem, ac Bononien. Concilij nouam conuocationem omnibus mundi præſulibus atque principibus intimauit, etiam illis ex vobis, patres optimi, qui pro tempore hîc reſidebant: optima ſpe fretus, ne huiuſmodi ſanctitatis ſuæ mandatis orthodoxis quiſquam veſtrum cõtrairet. Sed heu reuerendiſſimi patres, nedum mandata ſanctitatis ſuæ ſpreta ſunt, ſed quidam ex * nobis ante diſſolutionem ſegnes & ad veniendum remiſſi videbantur, poſt diſſolutionẽ ſolertiſſimi atq; perpetes facti ſunt quidẽ qui hîc aderant, poſt diſſolutionẽ cum aliquali diſplicentia læti & im-

for.* quæ

Eugenius hic egregiè & grauiter defenditur.

* ſem

for.* S medite tur au *metu

* vobi

Locus ſcuns

mobiles

mobiles permanſerunt: quod certè, niſi ex impreſſione aut timore, qui caderet in conſtantes viros, factum ſit, quàm ſit ab obedientia & humanitate veſtra alienum, vos ipſi dijudicare. Spectat etiam ad ſummum Romanum pontificem, nõ ſolum generales ſynodos conuocare, ſententia roborare concilia conuocata. aliàs in irritum labitur, quicquid præter eius authoritatem ſtatuitur: & nõ propriè Concilia, ſed conciliabula nuncupantur. textus eſt di.* c. multis. Inſuper quoties aliqua de vniuerſali ſynodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo quod non intelligitur, rationẽ: aut ſpontè hi qui ſaltem animæ ſuæ deſiderant, ad Apoſtolicam ſedem pro percipienda ratione conueniant: aut ſi fortè (ſicut de talibus ſcriptum eſt, peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit) ita & obſtinati & contumaces extiterint, vt doceri nõ velint, eos ab eiſdem ſedibus Apoſtolicis aut attrahi ad ſalutem quoquo modo neceſſe eſt, aut nec aliorum perditio poſſint eſſe, ſecundum canones per ſeculares opprimi conuenit poteſtates. tex. eſt eadẽ di. nec licuit. Quàm ſit igitur periculoſum, in hac ipſa re mãdata tranſgredi Apoſtolica, c. illud inſpicite patres optimi, Nulli fas eſt, 19. diſt. cuius ego ſeriem, ne aures & dignitates veſtras tam grauiter offenderem, ſub ſilentio prætereundũ eſſe ſtatui. Graue quidem igitur & periculoſum ab omnibus cenſetur, reuerendiſſimi patres, hoc quod paulò antè diximus: ſed maiori cum admiratione dignum extimatum, quòd Romanum pontificem citare præſumpſeritis, cùm diſt. 9. q. 3. ſcriptum ſit: Nemo iudex iudicabit primam ſedem iuſtitiam temperare deſiderantem: neque etiam ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur, & gloſa ſuper verbo. Omni clero, habet: Ita argumentum, quod Concilium non poteſt Papã iudicare, vt extra de electionibus, ſignificaſti. vnde ſi totus mundus* ſententiaret in aliquo negocio contra Papam, videtur quòd Papæ ſententiæ ſtandum eſſet, vt 24. q. 1. Hæc eſt fides. Nec ob argumentum gl. in contrarium, quia orbis maior eſt vrbe, 93. di. legimus, quia illud intelligitur, cùm Papa diſſentiret à tota Eccleſia in articulis fidei, 15. diſt. ſicut ſancta, vbi eſt gloſa ad hoc notabiliſſima ſuper verbo, præſumpſerit, & illa gl. ſatis ſufficienter ſoluit obiectionem quę fieri poſſet per c. illud, Frequens, editum in ſacro Concilio Conſtantienſi: quod certè non ita arctat Papam, quin poſſit ex ſuprema ſua authoritate ſuper loco & tempore celebrandi Concilij diſpenſare. Quam quidem authoritatem nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus ſuis: & id quod accepit à veteribus, non ſequendo, vt eſt textus. l. 19. di. Ita domінus. Mortaliter etiam huiuſmodi legum circunſtantiæ ſemper in authoritate & prudentia principis reſeruatæ ſunt. mutatis enim illis, frequenter non ſolùm diſpenſationem, ſed abrogationem leges paſſæ ſunt. Elici poſſunt hæc ex ſententijs Ariſtotelis in fine 10. Ethicorum aliàs eſſet nimis inhumana huiuſmodi conſtitutio. Poſſet enim locus ad Concilium deputatus, funditus infra illud decennium euerti, in quo nullo vnquam tempore prælatorum congregatio fieri poſſet, neque alibi, ſi ſoli ſummo pontifici conſtitutionis illius diſpenſatio non tribueretur. Poſſet etiam Conſtitutio illa ex tempore, niſi in talibus diſpenſatio locum haberet, effici inutilis & captioſa, quod ab omni lege alienum eſſe debet. 4. diſt. Erit autem lex. Formale enim legis eſt, cauſas, perſonas, loca & tempora metiri, diſt. 29. Sciendum, & c. neceſſe. neque propterea c. illud, Frequens, & alia edita in ſacro Concilio Conſtantienſi, caſſa & inualida reputari debent. quotidiè enim in poſitiuis, etiam ſine cauſa, nedum cùm grauis cauſa inſit, vt eſt doctorum communis ſententia: Papa diſpenſat, eaque penitus tollit, legibus in ſua ſoliditate remanentibus. Illud prætereo, patres optimi, quam ſit ab omni religione alienum, Domini noſtri Ieſu Chriſti vicarium ad inſtantiam & pro intereſſe vnius viri, etiam quantacunque dignitate præditi, veſtro decreto imperi & moleſtari. Scio quoniam ſcitis reuerendiſſimi patres, & frequentius me vidiſtis. c. illud, Frequens: Aliorum hominũ, cuius ego ſuperius mentionem feci, illius tamen recentem memoriam vobis ingeram, & inquam: Aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminari: ſed ſedis iſtius præſulem ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio. voluit beati Apoſtoli ſucceſſores cœlo tantam debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagine inuiolatam habere conſcientiam. Nolite æſtimare eas animas inquiſitionis non habere formidinem, quas Deus præ cæteris ſuo reſeruauit examini. Scitis inſuper patres, quanta cum humanitate Marcellinum Epiſcopum almæ vrbis ſuo ore etiam de idololatria conuictum. Concilium ritè congregatum, colligere in ſinu ſuo cauſam ſuam exhortatum eſt, tanquam non liceret à quoquam primam ſedem iudicari, 21. di. Nunc autem. Facit ad hoc, c. ſequens, & c. In tantum. Illud ibi ſub ſilentio prætereundum eſſe ſtatui, patres reuerendiſſimi, quàm fuerit à veſtra ſapientia & charitate remotum, poſt illam loci mutationem, contra libertatem, authoritatem & poteſtatẽ ſummi Romani Pontificis conatos vos eſſe, immò veriùs præſumpſiſſe pluries ſtatuere & edita promulgare. noſtis, quàm formidabiles eſſe huiuſmodi tranſgreſſiones ſanctorum patrum decreta declarent. Vnde non dubium eſt, vt eſt textus. 22. diſt. cap. 1. Omnes, quod pluries allegauimus: quia quiſquis cuiuſlibet Eccleſiæ ius ſuum detrahit, iniuſtitiam facit. Qui autem Romanæ Eccleſiæ priuilegium detrahit, ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur: & cũ ille vocetur iniuſtus, hic eſt dicendus hęreticus. fidem quippe violat, qui aduerſus illam agit, quæ mater eſt fidei: & ille contumax inuenitur, qui eam cunctis eccleſijs non prætuliſſe cognoſcitur. ſed ſi neque pœnæ formido, neque conſcientiæ vermiculus reprimere vos potuit, patres optimi, ſaltem commune, quod habent membra cum capite depreſſo, diſcrimen continere vos debuit. finis enim illius capituli. Aliorum hominum, cuius toties mentionem fecimus, talis eſt: Rurſus patet ſanctorum voce pontificum, dignitatem ſedis eius factam eſſe toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium eſt, vbique ſummittitur, dum totius corporis caput eſſe deſignatur, de hac mihi per Prophetam dictum videtur: Si hæc humiliatur ad cuius confugietis auxilium? & vbi relinquetis gloriam veſtram? Multa ad hæc reprimenda, longè lateque in toto iuris & canonum ambitu conſcripta ſunt, quæ prætereunda eſſe cenſẽmus, vt celeriùs ad legationis noſtræ fructum ingrediamur. Nemo profectò eſt, patres optimi, qui de rebus grauibus æquo & moderato animo iudicet, qui non plurimùm admiretur huiuſmodi progreſſus veſtros, opineturque grauia illos, & grauiora quàm ſint ſcandala, in Eccleſia Dei parituros, quibus quantum ex alto permittitur, & quanta cum clementia & charitate poteſt, ſanctiſſimus dominus noſter ſummus Pontifex obuiare proponens, charitates veſtras humaniſſimè deprecatur, hortatur, monet, requirit & obteſtatur, per eam qua ſedi Apoſtolicæ obligamini, obedientiam, per integritatem fidei veſtræ, per ſalutem animarum veſtrarum, per vnionem eccleſiaſtici corporis, CHRISTI ſanguine complantati, per ipſum IESVM CHRISTVM Deum & Dominum noſtrum, vt ab huiuſmodi progreſſibus abſtinentes, ad pacem, ad vnionem, ad reformationem cleri & fidelium, ac intermiſſæ libertatis eccleſiaſticæ inſtaurationem, modo quo poteſtis meliori cum ſanctitate ſua conueniatis. & quoniam Concilij deſiderium ſanctitati ſuæ & vobis commune eſſe videtur, ſuum tamen tanto feruentius, quanto plus ſua intereſt, vtpotè qui in eo prdeſſe habet, debet & vult, decreuit & deliberauit; & vult vt omninò Concilium generale celebretur, in quo ſua ſanctitas non ſolùm adeſſe & præeſſe vult, ſed vt membra condignam reformationem humili & manſueto animo tolerent, ſtatuit vt in primis reformatio à perſona ſuæ ſanctitatis inchoetur, non ſolum à tempore quo ad ſummum Apoſtolatus apicem aſſumptos eſt, ſed teneræ iuuentutis: procedaturque ad reliqua totius Romanæ curiæ membra: demum alios mundi Principes atque Prælatos ſecundum gradus tangat & pungat, quo totus Chriſtiani profeſſionis populus, correctionis fructum ſalutemque percipiat, ſtatuens ſacrum illud Concilium ita protegere, vt nullo vnquam tempore illud diſſolui patiatur, niſi prius (quantum poſſibile DEVS permiſit) ſectæ veteres, hæreſes & diſcrimina ab agro Dominico procul pellantur, quo CHRITI populus vnus & pacificus factus, atque Euangelicæ vitæ puritate renouatus,

Prou. 18.

*ſententiaret

Locus obſcurus. for. * & c. illud.

9. quæſ. 3. Aliorum hominũ.

Eſa. 10.

En hic Eugenius ſpontè ſe ſubmittit Concilio, tantũ abeſt, vt cõ ſumpſerit Concilia, quod illi obiecerũt nõ ſemel Baſileæ.

ac Chri-

ac Chriſti charitate & deuotione accenſus, Chriſti Crucem atque Chriſtiani populi ſanguine madefactos mucrones, in hoſtes crucis, domus & terræ ſanctæ occupatores, conuertere poſſit. Quam diem ſi Deus dederit, vt oculis proprijs ſua ſanctitas intueatur, nihil in hac vita fructuoſius, nihil deſideratius, nihil iucundius ſeſe cõſecuturam ſperaret. Hic erit, Deo rem & cauſam ſuam promouente & protegente, patres optimi, ſacri illius concilij finis, hic terminus, hic fructus. Vult igitur ſua ſanctitas concilium, vult omne bonũ. Duabus igitur tantùm in rebus ſeu circunſtantijs à ſanctitatis ſuæ decreto diſſentire videmini. Altera deputatum per ſanctitatem ſuam locum deteſtatur, altera interpoſiti temporis dilationem. vtrunque pro pace & conſolationis via, & ne membra à capi te ſeparentur. ex innata humanitate ſua ſanctitas prouidere dignatur. Ad primam enim diſſenſionẽ tollendam, quemcunque aliũm in Italia Eccleſiæ immediatè ſubiectum locum offert: cuius dominio, pro tempore celebrandi Concilij, ſeſe expoliare decernit, & ſub Concilij poteſtate ponere, cum conditione, quod poſt finem Concilij, Eccleſię & ſuæ ſanctitati reſtituatur. Ad ſecundum, illam temporis dilationem tollere, & ſeſe ad locum per nos eligendum & deputãdum, modo prædicto perſonaliter & abſque inter medio conferre. Ad quem primo congreſſu magnam prælatorum multitudinẽ ſecum ducet, alios cum celeritate ex omnibus mundi partibus venire compellet. Ad quem etiam locum pleroſque mundi principes venturos, pleroſque ſolennes ambaſiatores & procuratores miſſuros, certò confidit. Nos etiam iuſſu ſuæ ſanctitatis vobiſcum illuc, ſi nunc venire placet, ne quidquam temporis interponatur, properare ſpondemus, vobis & cuilibet veſtrum omnium præteritorum perpetuis temporibus valiturã remiſſionem pollicentes ac omnimodam libertatem & ſecuritatem. Quòd ſi forſan Germaniæ reformationem, reductionemque Bohemorum commodius in Germania fieri arbi- *fot. alia traremini, ſua ſanctitas eſt alterius longè ſententiæ, vt præmiſſum eſt, præſertim quia authoritas præſentiæ ſanctitatis ſuæ ad tantarum rerum expeditionem, plurimùm neceſſaria videtur. & an vltra Italiæ limites ſeſe, propter notoriam inualitudinem, conferri poſſet, qui etiam quinquaginta paſſuum progreſſu laſſatur, vos ipſi dijudicate. neque exiſtimare debetis, patres optimi, Bohemos, ſi eorum intentio pia & recta foret, ab eorum ſalute, ab vnione fidelium, ab amœniſſima pace propter locì diſtantiam retardari: neque propter ipſorum hæreticorum reductionem, quam tamen credere, conſideratis multis, mens refugit, poſtponenda eſt orientalis Eccleſiæ reuocatio, quæ tantis patribus incredibili ſapientia & ſanctimonia refertis abundauit, vndè ſcilicet doctrinæ fidei gloria meritò eſt tributa, cuius inclinationẽ nuſquam hactenus promptiorem vidimus, neque ſtricto & iuſto Dei iudicio eius magis neceſſariam, neque à tam pio & Catholico principe oblatam. pereunt ſanè in tarditate reductionis decẽcentum Huſſitarũ animæ, pereunt orientalium ſchiſmaticorum, & abſque dubio longè plurium. Modus eſt igitur, vt abſque intermedio vtrique inuitentur, ne cum illis ſimul pereamus & nos, & vt ſi illi obſtinatione ad gehennam ædificent, liberemur & nos. poſſunt certè vno eodemq; contextu ad vnitatem Eccleſiæ hi duo populi reuocari, poſſunt & debent, maximè cùm ab altero inuitemur & nos. Tamen ſi in ea opinione veſtra perſiſtitis, placet ſuæ ſanctitati, ne propterea ab eius vnitate recedatis, quòd in ambarum harum rerum expeditione reuerendiſſimus dominus meus legatus intendat. Placet inſuper quòd vos eidẽ adiumento ſitis, ſi hoc fructuoſius, quàm ſine intermedio ad Concilium proficiſci, exiſtimatis. Quòd ſi complementum rerum huiuſmodi per domiuum legatum & vos fieri non poſſit, reliquum quod ad perfectionem extabit, ſupplebitur in Concilio generali. Germaniæ tamen reformatio plùs antiquorum canonum obſeruatione, in qua modeſta coactio neceſſaria eſſe videtur, quàm nouarum conſtitutionum editione indiget. Qua in re dominum legatum poteſtate & fauore circumfultum, dari poterit aptiſſimus modus, præſertim cùm clerus huius patriæ hactenus Deo deuotiſſimus extiterit, & ad obedientiam ferè ex natura paratiſſimus, facilè itaque ad decorem priſtinum reducentur. Hæc eſt ſanctiſſimi domini noſtri pia intentio, patres, hoc deſiderium, hoc votum atque decretum. Suſcipiatis igitur reuerendiſſimi patres inſitum vobis verbum, quanta cum oportet charitate & humilitate, ne qui videmini pacis, vnionis & reformationis amatores, nouorum ſchiſmatum, diſſenſionum & deformitatum capita reputemini. Amplectamini amore IESV CHRISTI charitatem non fictam. ea eſt, de qua Apoſtolus ad Corinthios ait: Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt: non irritatur, non cogitat malum, nõ gaudet ſuper iniquitatem, congaudet autem veritati. Ea quæ ſummoperè appetere videmini, patres optimi, profectò magna & ardua ſunt, & frontem per ſe honeſti & boni ferunt, quorũ tamen appetitus humilitatis freno continendus eſt. cogitans enim magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento priùs cogitat humilitatis. Aurelius ille Auguſtinus ait: Efficiendum eſt igitur, prout ille noſter Arpinas (gentilis tamen, ſed moraliſſimus) Cicero in Officijs inquit: Vt appetitus rationi obediant, eam neque præcurrant, neque propter pigritiam aut ignauiam deſerant, ſintque tranquilli, atque omni animi perturbatione careant: ex quo elucebit omnis conſtantia, omniſque moderatio. nam qui appetitus lõgius euagantur, & tanquam exultantes, ſiue cupiendo, ſiue fugiẽdo, non ſatis à ratione retinentur, ſine dubio finem & modum tranſeunt, & relinquunt, atq; abijciunt obedientiã, cui ſubiecti ſunt lege naturæ. Benè igitur Auguſt. aiebat, ꝙ mẽſura humilitatis, cuiq; ex menſura ipſius magnitudinis data eſt. Bonũ eſt igitur, quærere dignos iuſtitiæ fructus, patres, ſi tamẽ humilitatis frenũ non relaxetis: quia Chryſoſt. ille græcus inquit: Si iuſtitiæ coniunxeris humilitatẽ, quò non ibit? adſiſtet ipſi tribunali diuino in medio angelorũ. Penſate igitur rerum, quas agitatis, magnitudinem patres commenſurate dignitates veſtras, & ita omnia ponderate, vt opera veſtra diuinæ voluntati conformentur. Hæc eſt igitur voluntas Dei, vt cum Apoſtolo concludamus, ab omni ſpecie mali abſtinere vos. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per æuum, vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus, ſine querela in aduentu Domini IESV CHRISTI ſeruetur. Amen.

Ego Iacobus Adſerricius presbyter Tarentinus, publicus Apoſtolica authoritate notarius, & reuerendiſſimi in Chriſto patris domini Ioannis Archiepiſc. Taren. &c.

ORATIO LVCVLENTA PRAESIDENTIS, HAbita in Concilio Baſileen. nomine Eccleſia Catholica ad conuertendum Bohemos.

Ieſus Chriſtus. Amen.

LOCVTVRVS pro publica populi Chriſtiani vtilitate, opus mihi eſt arbitror, vt perſonam priuatam exuam: & induam publicam: & tam publicam, vt omnes comprehendãt, & nemo ab eius iuriſdictione eximatur. Hæc eſt illa ſancta Eccleſia, ſponſa Chriſti & Chriſtianorum omnium mater. Hæc inquam quæ nos omnes ad hunc locũ diuinæ benedictionis vocauit, & ad nuptiale inuitauit conuiuium, antequam ea pro quibus conuenimus, tractare incipiamus, pauca nobiſcum ex viſceribus charitatis loqui decreuit. Itaque iam non me quaſi meipſum loquentem audiatis, ſed tanquam matrem & alumnam communem, ſanctam Dei Eccleſiam. Ego duntaxat miniſterium præbeo, & rudem linguam, qua vt inſtrumento vtatur, tantùm accommodo. Ipſa autem eſt, quę concipit, dictatq; ſententias. Nec vos admiratio teneat, quòd hæc tam grandis & circunſpecta domina, ex hac magna congregatione, in qua plurimi ſunt & ſancti & literati viri, me ſolum elegerit, indoctũ & peccatorẽ. Habet enim apud Deũ neſcio quid priuilegij officium publicum, quo diuina potẽtia virtutes ſuas crebrò exercere conſueuit. Cùm itaque præſidens ſim temporis huius in hoc ſacro Concilio, quanquã ſupra modũ indignus, elegit me ſponſa Chriſti, non vitæ merito, ſed authoritate officij, per quem animi ſui conceptum explicaret. Quòd ſi forſitan (vti vereor) ex ore meo aliquid ineptũ effluxerit, non imputetis quæſo huic ſapientiſſimæ mulieri; quę in nulla re errare cõſueuit: ſed tantũ incircunciſis pol-

lutiſque

lutiſque labijs meis, quemadmodum nec imputandum fo-ret magiſtro in arte muſica peritiſſimo, ſi inſtrumétum ru-biginoſum aut confractum in quo pſallit, raucam & non benè ſonoram emittat vocem. Vos autem obſecro, vt in-terim, me loquente, tacitè in cordibus veſtris oretis, qua-tenus honore ſanctæ matris Eccleſiæ ac noſtra ædificatio-Iſa.6. ne, ſpirituſſanctus igniculo illo, quo labia Iſaiæ purificauit, ſaltem per horam purificare dignetur & mea. Deinceps magna cum deuotione & reuerentia matrem noſtram lo quentem audiamus omnes, & attentè conſideremus diuini exordij verba, quibus nos allocutura eſt, quæ ſumpta ſunt Phil.2. ex beato Apoſtolo Paulo ad Philip. Si qua conſolatio in CHRISTO, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpi-ritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per ina-nem gloriam, ſed in humilitate: in primis nolo exiſtimetis, ad aliquos tantùm ex vobis me verbum facere. Ad vni-uerſos, prout cuique, opus eſt, meus ſermo dirigitur. totam ego hanc congregationem, non partem, alloquor. Om-nium enim veſtrum æqualis mihi cura eſt. Nam omnes filij mei eſtis, & in vtero meo non ſine magno labore concepti. Ego enim ſum ſponſa Chriſti, in quo ſecundum Apoſto-Col. 3. lum ad Coloſſ. Non eſt maſculus & fœmina, Gentilis & Iu-dæus, circunciſio & præputium, barbarus & Scytha, ſeruus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Auſcultate igi-tur diligenter omnes qui hic adeſtis, & in cordibus veſtris recondite in ſpiritu lenitatis quæ dictura ſum, & pro viribus enitimini implere gaudium meū. Naturali iure & diuina le-ge filioli mei conſtringimini credere conſilijs meis, & præ-ceptis meis obtemperare. Natura ipſa filio ſuadet, cùm ſe à matre genitum eſſe ſciat, & ab ea ſuper omnes ſe amari co gnoſcat, vt eam ſimiliter diligat, honoret & conſoletur, & Tob.4. eius omnibus acquieſcat conſilijs. Ita Tobias ſenior mo-riens admonebat filium ſuum: Honorem exhibebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ſuæ. Memor enim eſſe debes, qua Exod. 20. & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo. Lex et-iam digito Dei ſcripta inter præcepta quæ ad humanam ſo-cietatem pertinent, hoc primum iubet, vt parentes à filijs Colloſſ. 3. honorentur. propter quod Apoſtolus inſtruit Coloſſ. Filij, obedite parentibus per omnia hoc enim beneplacitum eſt Eccl.3. in Domino. Quantum meriti filius honorando matrem, quantum ve ſupplicij eam contemnendo expectet, ſcriptu-Prou.1. ra diuina inſinuat, dicens: Sicut qui theſaurizat, ita & qui honorat matrem. & rurſus: Fili mi, ne dimittas legem ma-Eccl.3. tris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo. Econtrà, Maledictus à Deo qui exaſperat matrem. Accedit præterea, quòd conſi-lijs meis ſine vlla hæſitatione parere debetis? quia non ſum ſicut vna de ſtultis mulieribus huius ſeculi, ſed in omni vir-tute & ſapientia ab omnipotente Deo pleniſſimè imbuta. propter quod certi eſſe debitis, præcepta mea tanquam ex ſapientiæ fonte manantia, non poſſe eſſe niſi ſalubria, nec illud omittendum eſt, quod quidquid vobis conſuluero ac iuſſero, facilimum eſt, & ſupra modum delectabile. Quæ cura mihi ſit de ſalute veſtra, hinc facilè perſpicere poteſtis, quòd gaudium meum impleri non poteſt, niſi & vobis be-ne ſit. Gaudium meum ex veſtra pendet vtilitate, non poſ-ſum eſſe læta, niſi & vos lætos atque vnanimes intuear. Car-puntur viſcera mea, ſi quem de filijs meis vel modicum lædi videro. Crucior tota, ſi quid accidat eis infortunij. Made-ſcunt tunc præſertim genæ meæ lachrymis, cùm inter filios meos diſſidij aliquid ortum ſentio. Et licet aliquæ inter-dum matres repertæ ſint quæ dimiſſis filijs, ad nouos mari-for.* tamen tos ſeu procos ſe tranſtulerunt, & voluptatibus proprijs ſa-tisfacere cupientes, filiorum ſuorum oblitæ ſunt: ego * au-Iſa.49. tem de numero illarum computari debeo, prout experien-tia manifeſtat, de quibus Iſaias ſcribit: Nunquid obliuiſci poteſt mater infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Quanquã etiã quidam ſint patres aut domini, qui filiorũ culpis miſerijſq; nõ mouentur, dicẽtes: Satis mihi eſt, quòd bene ago & mihi bene ſit: decæterò neque iniquitas mea neq; delictum meũ. Ego aũt non ſic. licet enim nihil mihi conſcia ſim, hoc me non conſolatur, niſi & idem filijs meis adeſſe videã. Nec mihi ſatis eſt ſemel admonuiſſe, niſi iterũ atq; iterũ & ſine intermiſſione vſq; in finẽ ſedulò eos com-moneſaciam. Dilectiſſimi mei, ita vos omnes affectu quo-dam inexplicabili diligo, vt nulla tam grauia eſſe poſſint di-ſcrimina, quibus libens pro ſalute veſtra me vltrò non obij-cerem. Quot martyria, tormenta, perſecutiones à ſæuis im-peratoribus & tyrannis in primitiua adoleſcentiæ meæ æta-te pertulerim pro ſalute eorum] qui tunc erant filiorum, & qui poſtea ſucceſſerunt & ſucceſſuri ſunt, quis vnquam poſ-ſet enarrare? Inundauerũt plateæ ciuitatum ſanguine mem-brorum meorum, vt fides Catholica in filijs meis illibata perſiſteret. Ita quidem vos omnes in præcordijs meis infixi eſtis, vt non niſi de veſtris commodis cogitare queam, pro quibus non ſolùm alligari, ſed & mori in membris meis pro vnoquoque veſtrum omni tempore parata ſim. Sequor in Act.21. hoc veſtigia ſponſi mei, qui ita me & corpus meum dilexit, vt pro ea animam ſuã ponere non dubitauerit. Vidi ipſum ſæpenumero lachrymantem ac dolentem pro membris meis. Audiui ipſum inter maximos cruciatus clamantem: Luc.23. Pater ignoſce illis. licet vndique dilectus manaret ſangui-ne, & atrociſſimis tormentis vndique agitaretur, nihil ta-men aliud quàm ſalutem filiorum meorum ſitiebat. Sic & me ſpoſam ac diſcipulam ſuam facere decet, & memoriam continuam veſtri habere, ac die noctuque gemitibus ine-narrabilibus clamare & interpellare ad Deum pro vobis, vt nemo pereat ex his quos tradidit mihi. Propterea ſic anxia ac ſolicita poſtulo, vt impleatis gaudium meum. Quanto mentis affectu, quantaque anxietate & vehementia depre-cationem hanc meam ad vos porrigam, ex verbis Apoſto-licis modò propoſitis animaduertite: Si qua conſolatio eſt Phil.2. in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiri-tus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum. Quid eſt dicere, ſi qua conſolatio eſt in Chriſto, niſi quia maxima eſt? quam ſi habere vultis, opus eſt vt impleatis de-ſiderium meum. Immoremur, ſi placet, paululum in hoc Chriſti nomine. non enim decet memoriam ſponſi mei ſic Cant.2. & 5. perfunctoriam tranſire. Eius quippe amore langueo, & li-quefacta eſt anima vt primum nomen dilecti mei inſonuit auribus meis. Quid (quæſo) maius dici poteſt, quam conſo-2. Cor.1. latio in Chriſto, qui eſt pater miſericordiarum & Deus to-tius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra? Fallitur, qui putat alij in rebus conſolationem poſſe reperiri. Ad ipſum duntaxat pro conſolatione accedere o-Ibidem. portet, quoniam per Chriſtum, vt inquit Apoſtolus, abun-Matt.11. dat conſolatio noſtra. Ipſe ſolus eſt qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. & rurſus. Qui ſitit, Ioan.7. veniat ad me, & bibat. Poſſidete quod vultis aurum, argen-tum, regna, ciuitates, ſcientiam, & eloquentiam, & quicquid ſub cœlo eſt: ſine Chriſto moleſtias potius quam conſola-tionem experiemini. Solus Chriſtus eſt conſolatio, pax, quies & tranquillitas: quod & ipſe, tranſiturus ex hoc mun-do, diſcipulis ſuis prædixit: In mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem. Si igitur filij mei cõſolationem in Chri-Ioan.16. ſto obtinere ſperatis, neceſſe eſt vt impleatis gaudium meũ. Non enim aliter dominus meus vos cõſolabitur, niſi & vos vnicam ſponſam ſuam conſolemini, quam vt animam ſuã Phil.2. & pupillam oculi ſui diligit. Sequitur: Si quod ſolatium cha-ritatis, hoc eſt, ſi charitatem habere vultis & ex charitate ſo-latium, implete deſiderium meum. Charitas dilectio eſt. v-bi dilectio, ibi dilectatio: vbi delectatio, ibi ſolatium & gau-dium. vbi charitas eſt, ibi Deus eſt, quia Deus charitas eſt. 1. Ioan.3. Econtrà vbi charitas non eſt, ibi nec Deus eſt, nec quidem boni aliquid eſſe poteſt. Si igitur charitatem & Deum, & o-mne bonum cum Deo deſideratis, votis meis ſatisfacere vos oportet. Si præceptum primum cauſa charitatis eſt, vt dili-gatis Deum: diligendo me, diligitis profectò Deum, quia Chriſtus Deus & ego, vna myſtica perſona ſumus, cuius ipſe Eph.5. eſt caput. duo enim ſumus in carne vna. & hoc eſt illud ma-gnum ſacramentum, de quo inquit Apoſtolus, in Chriſto Eph.5. & Eccleſia. Si item ex charitate diligendus eſt proximus, quis vobis proximior eſt, quàm ego mater veſtra, & talis mater, quæ non ſemel vt aliæ matres, ſed & præter ſacri bap-tiſmatis generationem, continuè in verbo prædicationis & exhortationis vos pario? Ita in perſona mea inquit Apoſto-Gal.4. lus: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus. Iterum & tertiò: Si qua ſocietas ſpirituſſan-Phil.2.

ĉti, implete gaudium meum, quid hoc ſignificat, niſi quod ſi
vultis habere vnionem, quam facit Spirituſſanctus in omni-
bus fidelibus, ſi vultis eſſe participes ſpirituſſancti & eius ſo-
cietatem habere, ſi vultis vt ſpirituſſanctus habitet in vobis,
Hebr.4. lætificate matrem veſtram eccleſiam? O vehemens admira-
tionis genus, quàm ignitus eſt hic ſermo & penetrabilior o-
mni gladio ancipiti, pertingens vſq; ad compagem animæ,
ſpiritus, ac medullarum. Sed non tam properè ſpirituſſancti
memoriam percurramus. Nam ineffabile quoddam in ore
meo, dum ipſum recenſeo, ſentio ſuauitatis nectar. Et quia
multa hic ſpiritus paraclytus mihi beneficia contulit, multũ
equidem, ne ingrata ſim, diligere ipſum debeo: ſuæ enim cu-
Luc.24. ſtodiæ dimiſſa ſum, ne videar orphana. Ipſe me protegit, ne
portæ inferi prævaleant aduerſus me. Ipſe me fouet, dirigit,
Act.2. & gubernat. Ipſe primùm induit me adoleſcentulam virtutẽ
ex alto, & in me reſedit per ignẽ, vt charitate arderem: & in
lingua, vt linguis omnium loquens, omnes docere poſſem.
Ipſe adſtat ſemper aurib⁹ meis, & quidquid dixerit Chriſt⁹,
ipſe ſuggerit mihi, docetq; *mihi omnem veritatem ſpiri-
tus ipſe veritatis. nec me vnquam errare paſſus eſt, neque (vt
ſpero) vſq; ad conſummationem ſeculi patietur. hic mihi a-
Eſai.11. bundè largitus eſt ſeptem eius ſacratiſsima munera, ſpiritũ
videlicet ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſci-
entię. pietatis & timoris. dona ipſius Spirituſſancti habeo, vt
per ſapientiam ſim matura, per intellectum prouida, per cõ-
ſilium cauta, per fortitudinem animoſa, per ſcientiam diſcre-
ta, per pietatem miſericors, per timorem humilis. Multa ni-
mis de Spiritu ſancto dicenda forent: ſed quis ad lucem, quã
inhabitat, inacciſsibilem accedere poterit? Nunc autem duo
hæc de doctore meo referre ſatis ſit, vt vnuſquiſq; Chriſtia-
nus cognoſcat, quãtùm amare & reuereri ipſum debeat. Spi-
ritus paraclitus hic eſt, de quo conceptus & incarnatus eſt
Redemptor generis humani Ieſus Chriſtus Deus meus &
Deus veſter, Dominus meus & Dominus veſter. Ipſe etiam
1.Cor.12. eſt, de quo inquit Apoſtolus: Nemo poteſt dicere, Chriſtus
Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Si igitur huius Spirituſſancti, qui
tam mirabilium eſt patrator operum, ſocietatẽ habere vul-
tis, implete gaudium meum. Tandem & quartò vos obſe-
cro per viſcera miſerationis, ſi qua in vobis ſunt, vt implea-
tis gaudium meum. Omnis ſumma Chriſtianæ diſciplinæ in
pietate & miſericordia conſiſtit. quantum miſericordiæ &
pietatis opus Deo ſit cordi, hinc conſtat, quòd in extremo
Matth.25. mundi iudicio, de miſericordia ſolùm ratio exigetur. pietas
ſeu miſericordia ad omnia eſt vtilis, promiſsionem habens
1.Tim.4. vitæ quæ nunc eſt futuræ, ſecundùm Apoſtolum. Hic enim
diuitias & gloriam, in futuro vitam æternã conſequitur. De
Prou.3. hoc dictũ eſſe videtur quod ſcribitur in libro Sap. In dextera
eius anni vitæ, in ſiniſtra illius diuitiæ & honor. Si ergo pro-
miſsionẽ huius vitæ æternæ optatis, miſeremini matris ve-
ſtrę, quæ tam diu de filiorũ ſuorũ diſsidio vehementer affli-
gitur. per viſcera miſericordiæ Dei veſtri vos oro, vt in
veſtra me vnitate conſolemini. Non violentum aliquid à
vobis exigo, ſed ipſum naturalem affectum, qui ad miſeri-
cordiam vos meritò inclinare debet, tum ad omnes homi-
nes, tum præſertim ad matrẽ veſtram & membra veſtra in-
1.Cor.12. quit Apoſtolus: In idipſum ſolicita ſunt membra: & ſi quid
patitur vnum membrum, compatiuntur & cętera. Cùm ſitis
membra corporis mei, naturali pietate tam matris veſtræ,
quàm cæterorum membrorum, ex veſtro diſsidio ſe affligẽ-
tium, miſereri ac compati debetis. Si vt primùm Ioſeph vi-
Gen.45. dit Beniamin fratrem ſuum paruulum in Aegyptum dedu-
ctum, commota ſunt viſcera eius, nec ſe cohibere poterat,
quin lachrymæ ex oculis erumperent: quantò magis viſce-
ra veſtra commoueri debent ad pietatem, & oculi erumpe-
re ad lachrymas, viſa matre veſtra & genitrice, tot fratrum
veſtrorũ diuturno mœrore tabefacta? Sic igitur filioli mei
conteſtor & adiuro vos per conſolationem Chriſti, per ſo-
latium charitatis, per ſocietatem Spirituſſancti, per viſcera
miſerationis, vt gaudium quod de vobis concepi, hoc in lo-
co compleatur. Intelligitis, puto, cur dixerim, implete gau-
dium meum: hoc ſignificat, aliquid gaudij cœptum eſſe, ali-
quid autem reſtare vt impleatur. Cœptum eſt gaudiũ in cor
de meo, cùm tempus huius ſacri Concilij celebrandi adue-
nit, per quod ſpes mihi non parua erat, vt filij mei vndique
colligendi, infirmitatib⁹ corporis mei, quæ proh dolor gra-
uiſsimę ſunt, opportunè prouiderent, & fidem orthodoxam,
quam ipſa profiteor, viriliter ab impugnantibus tuerentur,
pacemque vbiq; exulantem intra fines meos reducerent, ac
virtutes multis in locis ac perſonis ferè extinctas reſuſcita-
rent, quemadmodùm hæc omnia in alijs ſacris generalibus
Concilijs per Spirituſſancti gratiam ſæpenumerò facta ſunt.
huiuſmodi autem gaudium tunc auctum eſt, cùm per pijſsi-
mas huius ſacri Concilij literas, Bohemiæ populus ad hanc
ſanctam ſynodum magna cum charitate conuocatus eſt, &
ei libera audientia oblata. Sed tunc præſertim exultauit ani-
mus meus cum conuenientibus huius ſacri Concilij & Bo-
hemorum ambaſiatoribus in oppido Egræ, vnanimiter cõ-
cluſum eſt, vt vos Bohemi ad hunc locum proficiſceremini:
quod, Deo diſponente, iam oculis meis factum video. Nunc
autem ſpes futuri gaudij magis ac magis appropinquat, quã-
do filios meos ante hæc tempora inuidia diaboli inter ſe di-
uiſos, nec ſe reſpicere audientes, nunc inſimul modeſtè con
ſidere, pacificè loqui, & manſuetè inuicem conuerſari adſpi
cio. Et quo magis corpora coniunguntur, eò maior ſpes eſt
conciliandorum animorum. Multùm quidem effluxit tem-
poris, quo lætiorẽ diem quàm iſtum experta non ſum: quan
doquidem veriſimilia futuræ vnionis fundamenta, ex tam
felici initio inter filios meos iacta eſſe videntur. Agite igitur
filij mei, implete gaudium meum, date operam, vt quod tam
laudabiliter inchoaſtis, optato fine terminetis. Gaudiũ cœ-
ptum eſt, reſtat vt conſummetur. in manu veſtra eſt cõſum-
mare illud, & conſolari matrẽ veſtram, atq; omnẽ exhilara-
re populum Chriſtianũ, qui magno cum deſiderio finẽ con-
uentionis veſtræ præſtolatur. Facite, obſecro, ne fruſtra huc
veniſſe videamini. Sic agite, vt tot labores iam vltra annum
incaſſum non diſpereant, & gentes tam grandi de vobis ſpe
concepta non fruſtrẽtur. Quis tam duri cordis filius eſt, qui
tam vehementer obſecratus, audeat contraire maternis pre-
cibus? Quis tam inhumanus atq; impius reperiri poteſt, qui
ſic efficaciter à matre adiuratus, mox non acquieſcat, & cum
Salomone dicat: Pete mater mea, neq; enim fas eſt, vt auertã 3.Reg.2.
faciem tuam. Sub hac igitur ſpe, filioli mei, explicabo vobis
deſiderium meum, & confidenter aperiã quod illud ſit gau-
dium, quod tãtoperè per vos impleri efflagito. Sed hoc filij
mei ſcitote, nihil difficile aut laborioſum me petiturã. Dul-
ciſsimum erit & vtiliſsimum, & quo magis contrectabitur,
eò dulcius atq; vtilius fiet. Hoc eſt inquã gaudium, quod im
pleri poſtulo: Primùm, vt idem ſapiatis omnes: deinde, vt
eandem charitatem habeatis. Quid de hac duplici petitiun-
cula vobis videtur filij? Nunquid præcipio vobis, vt tranſ-
fretetis maria, per orbem peregrinemini, cum hoſtibus pu-
gnetis? Non iubeo vt contemnatis diuitias, vt corpora ve-
ſtra maceretis ieiunijs, vt martyria & tormenta ſubeatis. Ni
hil horum, vt audiſtis, quanquam & ſi iſta præciperem, con-
temnenda non eſſent. Nam & fratres veſtri, qui vos præceſ-
ſerunt, iuſſu meo hæc & maiora forti animo ſæpenumerò fa
ctitàrunt. Sed hoc duntaxat hortor, hoc moneo, vt idipſum
credatis, & alter alterum diligat. Credere, facilium eſt, ama-
re dulciſsimum, vtrunq; verò vtiliſsimum. His duobus præ-
ceptis conficiendis re nulla extrinſecùs opus eſt. Credite, &
amate inuicem in cordibus veſtris, & ſatisfeciſtis deſiderio
meo. In momento, in ictu oculi hoc agere poteſtis. Velitis,
& factum eſt. Primùm eſt igitur, vt idem ſapiatis. Quid eſt,
idem ſapiatis, niſi vt non diuerſa alter ab altero, de fide Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti ſentiatis? A fide incepi, quoniam fi-
des Chriſtianæ religionis & omnis ſalutis ianua eſt. Hæc eſt
fundamentum & radix omnis ædificationis, quæ creſcit in
domo mea. Aliud autem fundamentum, ſecundùm Apoſto 1.Cor.3.
lum, nemo poteſt ponere, quàm quod poſitum eſt, quod eſt
Chriſtus Ieſus. Hoc autem fidei fundamentum, quàm firmi-
ter ſuſtentet ædificium quod ſuperimponitur, quantaq; il-
lud virtute ac gratia communiat, & hęc radix quàm ſaluber-
rimos ſuauiſsimosq; ex ſe producat fructus, quo alio proba-
tionis genere vti opus eſt, niſi hoc ſolo teſtimonio, quòd
Chriſtus Ieſus, per quem facta ſunt omnia, huius ædificij ba-
ſis ac fundamentum fieri dignatus eſt? Huic ergo tam ſtabili
fundamento ſi quis corde puro & conſcientia non ficta in-
hæſerit, primùm ab immũditijs ſi quas habet, purificabitur,
vt in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt: fide purificans cor Act.15.
da eorum. purificatus verò, mox in Dño iuſtificabitur, vt

Rom. 3. inquit Apoſtolus, erbitramur hominem iuſtificari per fidẽ.
Sic autem anima per fidem purificata ac iuſtificata, merebi-
mur deſponſari à Domino, vt ipſe per Oſeam inquit: De-
Oſeæ 2. ſponſabo te mihi in fide. Quicunq; verò ſic deſponſatus fue
1. Petr. 5. rit, fortis fiet, vt illi magno aduerſario noſtro leoni rugienti
poſsit reſiſtere, cui (inquit Petrus) reſiſtite fortes in fide.
Huic qui reſiſtere potuerit, eiuſdẽ fidei virtute facilimè vin
1. Ioan. 5. cet & ſuperabit mundum. Hæc eſt victoria, inquit Ioannes,
quæ vincit mundum, fides noſtra. Mundo autem deuicto,
benedictionem accipiet per eandem fidem à Domino: quia
Galat. 3. qui ex fide ſunt, ſecundùm Apoſtolum, benedicentur à do-
mino cum fideli Abraham. Sed & hæc amplius, quia Chri-
ſtus in corde fidelis animæ habitaculum faciet. Habitare, in-
Epheſ. 3. quit Apoſtolus, Chriſtum per fidem in cordibus veſtris: nec
ſolùm habitabit quinimò per fidem in filium ad optimum
Gal. 3. aſſumet. Omnes enim, inquit Apoſtolus, filij Dei eſtis per
fidem. poſtquàm autem fidei merito tantùm muneris à Do-
Matth. 8. mino conſecuti fueritis, & reſpondebit nobis ſicut olim Cẽ-
Matth. 15. turioni, Fiat tibi ſicut credidiſti: & quemadmodùm Chana-
neæ, Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Tam pretioſa eſt
huius fidei radix & ſemen eius, quòd ſi modicum quid ex ea
Marc. 4. habueritis, (quid autem minus dici poteſt, quàm granũ ſina-
Luc. 17. pis?) diceris huic monti, transfer te, & transferet ſe. Quan-
Matth. 21. quam autem non ſemper eo modo, quo verba petentis ſo-
nant, quis exaudiatur: obtinetur tamen per fidem id, quod
magis petenti prodeſt, ad vitam præſertim æternam, in qua
omne deſiderium includitur, cuius vitæ æternę per fidem
Tob. 2. hîc promiſsionem conſequemur. Inquit Tobias: Filij ſan-
ctorum ſumus, & vitam expectamus quam Deus daturus eſt
his, qui nunquam mutant fidem. Quid plura? Sine hac ambu
2. Cor. 5. lare non poteſtis, quia per fidem ambulamus, inquit Apo-
Rom. 1. ſtolus. Sine hac nec etiam viuere, quia iuſtus ex fide viuit. Si-
Hebr. 11. ne hac, vt idem atteſtatur Apoſtolus, impoſsibile eſt place-
re Deo. Sine hac quilibet in abyſſum errorũ mergitur, ſicut
in profundũ maris mergi incipiebat Petrus, cui dictum eſt à
Matth. 14. Domino: Modicæ fidei cur dubitaſti? Videat igitur vnuſ-
quiſque, quantum ſtabilitatis ac firmamenti ex hoc funda-
mento, quàm pretioſos fructus ex hac radice, quantaq; cœ-
leſtia bona ex hac fidei profeſsione aſſequi poſsit. Quid er-
1. Petr. 1. go illa pretioſiùs? Rectè inquit Petrus, probatio fidei, pre-
tioſior eſt auro quod per ignem probatur.

Sed ad veram adipiſcendam fidem, filioli mei, primùm
noſſe oportet, ſub qua domo huiuſmodi (quod ante dixi)
fundamentum iactum ſit, & quemadmodùm ad eam perue
Matth. 16. niatur. Super hoc fundamentum domus mea à Domino æ-
dificata eſt, ipſo dicente: Super hanc petram, videlicet fidei,
ædificabo Eccleſiam meam. Videte quis hic ędificator & ar-
Pſalm. 118. chitector. Is, cuius manu facti ſunt cœli & terra, & cuius or-
dinatione perſeuerant dies, & omnia ſeruiunt ſibi. Hic no-
ſter fabricator, tam ſolidè huic fundamento domũ meam
ſuperimpoſuit, vt quanquam poteſtas ſatanæ tanta ſit, vt ſe-
Iob 41. cundùm Iob, nulla ſit ei ſimilis in terris, quem ipſa Veritas
Ioan. 12. principem huius mundi appellat, tamen aduerſus hanc meã
14. 16. domum priuilegio Chriſti nihil præualere poſsit. Scru-
tamini ſcripturas, & nullam domum ſic fundatam, nec tale
ei munus indultum inuenietis. Hanc domum perflare ven-
Matth. 7. ti poſſunt, concutere non poſſunt, fulguraq; ac turbines aërij
illam tangere, ſed non euertere: quia hæc eſt domus domini
firmiter ædificata, benè fundata ſuper firmam petram, non
Apoc. 21. ſuper arenam aut trabes putridas ſeu ſaxa mortua, fundata
eſt hæc ſacroſancta mea domus: ſed ſuper lapides pretioſos
Apoc. 21. iaſpidis & ſaphiri & aliorum decem, quos in Apocalypſi no
minatim Ioannes enumerat: ſed quod omnibus pretioſis la-
pidibus pretioſius eſt, ſuper petram Chriſti viuam. Nec etiã
mortali manu hominum facta eſt, ſed noua deſcendit de cœ
lo à Deo parata, ſicut ſponſa ornata viro ſuo. Nemini, vt
* anguli hanc domum demoliatur, ingredi fas eſt, quam 12. * angeli
Apoc. 21. (vt in eadem Apocalypſi ſcribitur) in portis cuſtodiunt. Sed
qualem intus putatis hanc eſſe domum? an caliginoſam, an
fortè ad depellendum tenebras: lumen tibi eſſe ex oleo, aut
cera compoſitum: aut, quod plus eſt, Solem aut Lunam in il-
la lucere? Maius aliquid habet, & longè maius. Sed quod il-
lud eſſe poteſt Sole & Luna maius lumen? Audite Ioannem
Apoc. 21. in Apocalypſi dicentẽ: Et ciuitas (quam paulo ſuperius nouã
deſcendentem de cœlo, & vxorẽ agni dixerat) non eget Sole,
neq; Luna, vt luceant in ea. Nam charitas Dei illuminat eã,
& lucerna eius eſt agnus, & ambulabunt gentes in lumine
eius. Et vt ſupremum omnium teſtimonium adducamus,
Chriſtus qui mentiri non poteſt, pollicitus eſt manere cum Matth. 28.
ea vſque ad conſummationem ſeculi. Si qui in hac domo in
nomine Ieſu Chriſti congregantur, ibi ipſe eſt in medio eo- Matth. 18.
rum, & Spirituſſanctus lumine ſuæ claritatis totam replet,
vbi filij mei manent in vnitate ſedentes. Sed & hoc memo-
moriæ perpetuò fixum tenete, quod Apoſtolus ad Timoth. 1. Tim. 3.
ſcribit: Hæc tibi ſcribo fili mi Timothee, ſperans me ad te
venire citò. Si autem tardauero, vt ſcias quomodò oportet
te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, colum
na & firmamentum veritatis. Intret igitur omnis homo ſe-
curus tam lucidam & tam firmiter conſtructam domũ, quæ
nec obtenebrari poteſt, talem ac tantam Dei patris & agni
& ſpiritus paracliti fulgorem habens: nec corruere, talibus
ſuperinnixa baſibus. Et qui ingreditur, maneat & nunquàm
exeat: & qui exiuit, redire non differat. redeuntem autẽ ne-
minem eijcio. Extra hanc domum omnia ſunt caligo & te-
nebræ. Extra iſtam nec eſt, nec eſſe poteſt vera fides nec ſa-
lus hominibus. Et velut qui in arca Noæ reperti non ſunt, di Gen. 7.
luuium aquarum abſorbuit: ita & qui in hac ſacra æde non
permanſerint, caligine errorum obrui & tandem perire ne-
ceſſe eſt. Sed nec ad hãc domum iter cuiquam patere poteſt,
niſi illud ipſa docuero: quoniam niſi à me doctrinam fidei
accipiatis, nec fidem rectam, nec Eccleſiæ vnitatẽ habere po-
teſtis. Fides, vt ſcitis, ex auditu eſt. quomodò audietis ſine Rom. 10.
prædicante? Sed prædicari quid poteſt, in quo ſit ſalus, niſi
Euangelium Chriſti? Quòd autem verum foret Chriſti Eu-
angelium, quomodò ſcire poſſetis, niſi illud vobis patefeciſ-
ſem? Audiſtis nonnullos etiam ex Apoſtolis ſcripſiſſe Euã-
gelia: ſed quoniam quatuor duntaxat approbaui, illa vt Euã-
gelia venerantur, alia reſpuuntur. Neq; etiam poſtquam ad
hanc domum inter vobis oſtenſum fuerit, ingredi poteritis,
niſi ego cui claues huius domus à Domino traditæ ſunt, meis
manibus adaperiam, voſq; introducam. Sine his clauibus ad
ſecretos theſauros cœleſtis regis ſponſi mei, in domo mea
recluſos, neminem licet introire. Et ſi alienis clauibus intra-
re contenderit, poterit videri intrare, ſed non rectè intrare.
Reſtat igitur & iam liquido intellexiſtis, quòd peruenire ad
fidẽ, & perſeuerare in ea, niſi per me & mecum, nõ poteſtis.
Quamobrem ſine mora relictis omnibus, me vnuſquiſque
ſequatur, & mecum habitet, vt veritas fidei habitet cum eo.
Liber in quo fides Catholica deſcripta eſt, non incongruè il-
li libro comparari poſſet ſignato ſeptem ſignaculis, quẽ (vt
Apocalypſis Ioannis teſtatur) nemo neque in cœlo, neq; in Apoc. 5.
terra, neque ſub terra ſoluere poteſt, niſi ſolus agnus qui oc-
ciſus eſt. Ita quidem & hunc librum fidei ac doctrinam eius,
nulli creaturæ neque in cœlo, neq; in terra, neque ſub terra
aliter intelligere fas eſt, quàm ego Catholica Eccleſia intelli-
go ipſius veri agni vera ſponſa, cui ipſe ſponſus, vt ex Euan-
gelio Ioannis ſæpè legi audiſtis, omnia quæ audiuit à patre,
nota fecit. Neq; enim angelis, aut hominibus, quantacunq;
præditis poteſtate, contra meam doctrinam quidquam cre-
dendum foret. Ita ad Galatas ſcribit Apoſtolus, per cuius os Galat. 1.
loquebatur Chriſtus, licèt nos aut angelus de cœlo euangeli
zet vobis, præterquam quod euãgelizauimus, anathema ſit.
Hoc nihil aliud ſignificare videtur, niſi quòd angelos de cę-
lo contra veritatem Euangelij quidquam dicere impoſsibi-
le eſt, me verò adhuc impoſsibilius. De hominibus autẽ quis
gloriari poteſt, vt ſibi contra Eccleſiæ authoritatẽ credatur,
cũ Apoſtolus ſeipſum velit eſſe anathema, ſi aliud euãgelizet,
quàm quod prius ſecundùm Eccleſiæ doctrinam euangeli-
zauerat. His autẽ qui ſub terra ſunt, nihil quoquo modo fo-
re credendum, quis dubitet, cùm ſatanas & angeli eius in ve-
ritate non ſteterant, ſed mendaces ſint, & mendacij patres? Si
Arius, Manichæus, Neſtorius, Fauſtus, Donatus, & cætera
huiuſmodi hominũ monſtra, meis tñ clauibus, & non pro-
prijs & adulterinis, hunc fidei librũ aperire voluiſſent, nũc in
inferno cum patre mendacij non cruciarentur. Si hi pertina- Ioan. 8.
ces & obſtinati homines meis paruiſſent præceptis, multa-
rum gẽtium cateruas ad locum ſulfuris & ignis perpetui ſe-
cum non præcipitaſſent. Initium ſalutis hominis eſt, nolle
propriæ inniti prudentiæ: ſed ipſum ad ſuſcipiendam maio-
rum ſuorum diſciplinam accommodare, illorum ſcilicet,

quos

quos diutina approbatio authenticos fecit, quorumq́ue doctrinæ, ſanctitas vitæ ac manifeſta miracula certum perhibent veritatis teſtimonium. Quis non ſanctos patres ac doctores per multa ſecula à me vbiq; approbatos, quorum tanta fuit integritas & veritatis zelus, vt priùs mortem & omnia ſupplicia pati voluiſſent, quàm leuiſsimū proferre mendacium, potiùs quàm ſeipſum, rudis fortè ingenij ſeu nō exercitati, meritò ſequi debeat? Quis interpretationem excellentiſsimorum penè innumerabilium doctorum, ex omnibus mundi partibus in eadem conuenientium ſententia, qui ita in ſacris ſcripturis ſtudioſi fuerunt, vt omne vitę tempus in his expoſuerint, non potiùs acquieſcat, quàm duobus aut tribus, ſeu pauciſsimis hominibus nouiter ſcripturas legentibus, nullo fretis doctore, niſi proprio ingenio? Quis non aduertat, quàm ſit Eccleſię Dei pernicioſus hic morbus nullo pacto ferendus? Si enim cuique fas eſt, ſuo ſenſu exponere & Interpretari ſcripturas, nihil certi erit: omnia confuſa & inuicem aduerſa fient, nouum redibit chaos: tot erunt ſententiæ, quot capita. Quis ille erit ita hebes, cui non ſuppetat audacia nouam fabricare interpretationem? Melius ergo leges humanas conditas eſſe fateri oportebit. Hæ poſtquàm vel à principe vel communitate latæ ſunt, nemini fas cōtraire. quòd ſi fortè aliquid ambiguitatis contineant, priuatis nō licet Interpretari perſonis, ſed ad legiſlatorem, ſeu illum qui iudicando præeſt, habetur recurſus. Si forſitan veſtrum aliquis ratione non * mouetur, exemplo populi Dei * moneatur. Nehem. 8. Scriptum eſt in Nehemia, quòd congregati ſunt principes familiarum vniuerſi populi, Sacerdotes & Leuitæ ad Eſdram ſcribam, vt interpretaretur verba legis. Et quia vitio naturæ corruptæ homines frequenter errant, frequenterq́ue inter ſe diſcrepant, neceſſariò Dominus noſter Ieſus Chriſtus fidelibus ſuis prouidit, me ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam in terris relinquens, atq; aſsiſtentia Matth. 28. ſua ac Spiritus ſancti vſq; ad conſummationem ſeculi, & in æternum corroborans, vt in his quæ ad ſalutē pertinent, errare non poſſem, & ad me omnes tanquam ad infallibilem regulam adſpicerent. Si vna ſancta Catholica & Apoſtolica eccleſia, toto orbe terrarum ſemper vocata & credita ſum, nemo ab vnitate mea ſe ſcindat: nemo, quod ſanctum eſt, erroneum putet: nullus iudicium proprium aut paucorum, vniuerſali determinationi anteponat. Catholicum enim, gręcum eſt, quod Latinè vniuerſale interpretatur. Si Apoſtolica vocor, vt certè ſum, credat vnuſquiſque indubius, quòd ſicut Apoſtoli ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt, ita loquor & ego. Neq; enim ſolùm pro tempore Apoſtolorum, Chriſtus per ſe, & per ſpiritum ſanctum aſsiſtere promiſit: ſed quod ſæpè pro veſtro profectu repetendum eſt, vſq; ad conſummationem ſeculi, & in æternum: nec pro illis tantùm o- Ioan. 17. rauit Dominus, ſed dixit in Euangelio Ioannis: Sanctifica eos in veritate: ſermo tuus veritas eſt, ſicut tu me miſiſti in mundum, & ego pro eis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, & mundus credat quòd tu me miſiſti. & ego claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Hinc apertè cognoſci poteſt, quòd ſicut pater & filius in vnitate & veritate non diſcordant, ſed vnum ſunt: ita omnis eccleſia & Apoſtolorum, & eorum qui per eos credituri ſunt vſque in finem, vnius eſt charitatis & Apoc. 21. vnitatis. Hinc eſt quod in Apocalypſi dicitur, murum ciuitatis deſcendentis de cœlo, quæ eſt Eccleſia, habere fundamēta duodecim Apoſtolorum & agni. & Apoſtolus inquit: Epheſ. 2. Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed ciues ſanctorum & do- Prouer. 15. meſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Quis iam non videat, quàm turpiter ſeipſum confundit, tot habens diuinæ veritatis teſtimonia, qui de mea doctrina ac fide aliquatenus dubitauerit? Stultum prorſus ſe cōprobat, vt inquit in Prouerbijs Salomon, qui deſpicit matrem. Iam igitur qui me audit, Chriſtum ſe Luc. 12. audire credat: & qui me ſpernit, Chriſtum ſpernere non dubitet, vt ipſe atteſtatur. Sacrilegus eſt, ac nomine Chriſtiano indignus. Chriſtum enim mendacem facit, qui in mea doctrina aliquid ſuſpicatur falſitatis. Cauete ergo filij mei, ne vnquam in hanc incidatis tentationem, vt ſcripturas proprio ſenſu intelligere velitis, quàm ego intelligam. Nolite vſurpare priuilegium hoc, quod mihi ſoli conceſsit Dominus. Vos, cùm errare poſsitis, iudicium veſtrum humilite[r] more patrum veſtrorum ſemper mihi ſummittite, quā experientia teſte conſtat errare non poſſe. me diſpenſatricem myſteriorum ſuorum reliquit Dominus, conſtituitq́ue ſuper omnem familiam ſuam, vt dem in tempore tritici menſuram. Multa in ſcripturis ſacris eſſe fatemur, quæ expoſitione indigent: quæ ſi corticetenùs intelligantur, facilè in errorem legentes pertrahent. Si quid in eis legere vos contingat, quod non tam planè, vt velletis, intelligitis: agite inſtar diſcipulorum Chriſti, qui parabolam à Domino dictam, nō intelligentes, ipſum domi interrogant: Domine ediſſere nobis parabolam zizaniorum. Diſcipuli parabolam Domini non tentârunt proprio ſenſu intelligere. neque ad Scribas & Phariſæos, vt eis exponerent, ſed ad magiſtrum veritatis profecti ſunt. Vos ergo ad alium nolite accedere. pergite ad me diſcipulam Chriſti, matrem & magiſtram veſtram. aperiam vobis, & luce clariùs manifeſtabo ſenſus & arcana ſcripturarum: & incipiens à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabor vobis in omnibus ſcripturis quæ de Chriſto ſunt. Venite Filij, audite me, & inſtruam vos in via hac qua gradiamini. Nullus per me vnquam deceptus eſt, neque in ęternum decipietur. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Ipſe caput meum, & Spiritus ſanctus ductor meus, quomodò me quenquam fallere permitterent? Vultis, filioli mei, viam vobis oſtendam infallibilem, qua ſi recto calle incedatis, nunquam errare poteritis? Reſpicite ſemper ad me, conſiderate veſtigia mea, & pedetentim me ſequimini, non declinātes neq; ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Et ſi forſitan ſtrictum callem aut durum iter ſeu aſperum monticulum offenderitis, clamate ad me, & porrigam vobis dexteram: & ſuſtentans vos, conuertam aſpera in vias planas: voſq́ue illæſos & ſine labore, ad montem qui Chriſtus eſt, perducam. Recurrite ad me audacter ac confidenter, & nunquam vobis in neceſsitate deero. Non ſum ſuperba, nec faſtidioſa mater: benigna ſum & pia ſum, & charitate ardeo: omnes ſiue venientes, ſiue redeuntes ad me, hilaris in gremio ſuſcipio: omnes doceo, inſtruo & conforto: & vena aquarum viuentium de ventre meo fluit in audientium ora. Memoriale hoc perenne ſuperponite filij mei in frontibus, alligate in digitis, & ſuper limina domorum affigite. Credite videlicet quod ego credo, profitemini quod ipſa profiteor: & tunc nulla caligo erroris, nullæq́ue tenebræ falſitatis vobis appropinquare poterunt. O ſanctum documētum, ô felicem ſemitam, ô omni tempore imitanda veſtigia. Quid certius ac ſecurius viatoribus huius ſeculi relinqui poterat, quàm quòd talis via exhiberetur, qua incedentes, deficere nullatenus poſſent? Nolite abduci varijs ac peregrinis doctrinis, nec ſequimini magiſtros prurientes auribus: omnem doctrinæ cibum, qui de menſa mea nō propinatur, ſuſpectum habetote. Venenoſus enim eſt, virus habens aſpidis inſanabile. interpretationum & expoſitionum nouitates cauete. ſenſus inſolitos, ſingulareſq́ue ſententias fugite. doctores qui in mea ſchola probati non ſunt, tanquam ſerpentes declinate. Nam, vt inquit Apoſtolus, & ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. nam in Ieſu Chriſto per Euangelium ego vos genui. Nec filij mei oportet omnium quæ à me audieritis, poſtulare ex humano ingenio rationem. Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. A Chriſto fides eſt, quam per me vobis inſinuat. Certiores de fide & doctrina mea eſtote, quam ſi quid proprijs conſpiciatis oculis. Humani enim oculi, rem licèt propinquam videntes, nonnunquam falluntur, putantes aliud eſſe quàm ſit. Deus autē nec falli à quoquam, nec fallere quenquam poteſt. Doctrina autem mea, non eſt mea, ſed eius qui deſponſauit me. Suſtinete igitur paululùm, ſi fortè omnia capere non poteſtis, vſquequo ad locum, vbi ego in cœlis triumpho, vos perduxerim: ibi ſine vllo velamine rationem, quam modò fide creditis, oculis intuebimini, manibuſq́ue palbabitis: nūc videtis per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Expoſui vobis, filioli mei, quid ſit, idem ſapere. Cætera quæ ſequuntur, ad charitatem pertinent, & quoniā fides ſola ad

ad ſalutem non ſufficit, niſi veſtita ſit & comitata charitate:
nam, vt inquit Apoſtolus, & ſi habuero omnem fidem, ita
vt montes transferam, charitatem autem non habeam, ni-
hil ſum: Ideò poſt fidem præceptum charitatis traditum eſt:
Non expectetis vt ego omnes laudes charitatis hoc vno ſer-
mone complectar. Ipſa quidem tam magna eſt, vt ſi linguis
hominum loquar & angelorum, vix mediocriter eam expli-
care poſſem, vtique cùm tantæ dignitatis ſit, vt inter virtu
4. tes ipſa ſola Deus appelletur. Deus enim charitas eſt. Tantæ
etiam eſt authoritatis, vt (cum gaudio referam, more huma
mano loquens) de omnipotente Deo triumphare viſa ſit,
dum eum de cœlo ſolo amore traxit ad terram, & in Cruce
pro ſalute noſtra affixit, & vſque ad ima terræ pro redem-
ptione filiorum Iſraël migrare coëgit. Quid dignè de hac
virtute dici vnquam poterit, quæ in cœlo & in terra domi-
natur & regnat, & cùm vult, vſq; ad abyſſum penetrat? Hæc
2. eſt illa excellentior via, quam demonſtrat Apoſtolus. Nam
& prophetare, dæmonia eijcere, virtutes ac miracula facere,
ſine charitate neminem gratum Deo efficiunt: talia enim fa
cientibus, tandem Chriſtus dicturus eſt: Recedite à me ope-
25. rarij iniquitatis, non noui vos. Et habentibus ſcientiam Do-
minus improperat: Vos clauem ſcientiæ habetis, ſed nec in-
tratis in regnum cœlorum, nec alios intrare ſinitis. dare o-
mnia ſua pauperibus, & ſeipſum martyrio, ſine hac nihil
13. prodeſſe affirmat Apoſtolus. Charitas præceptum præce-
ptorum eſt, in quo omne præceptum concluditur. Nam, vt
1. inquit Apoſtolus, finis præcepti eſt charitas. Et rurſus: Ple-
13. nitudo legis dilectio. Charitas patiens eſt, benigna eſt, non
13. æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambi-
tioſa, non quærit quę ſua ſunt. & cętera omnia continet, quę
(vt ſcitis) B. Paulus latè commemorat. Charitas fons eſt pro-
prius & ſingularis honor, cui non communicat alienus: quæ
vt oleum, non poteſt premi in imo, ſed ſuperexilit. Si deſit,
fruſtrà habentur cætera: ſi adſit, cætera non deſunt. Sine hac
2. omnis virtus, etiam ipſa fides, vt inquit B. Iacobus, mortua
eſt. Ipſa etiam nominis appellatio, rem quandam charam eſ-
ſe demonſtrat. Amplectimini igitur filij mei hanc tam ex-
cellentem & diuinam virtutem, Appræhendite tam ſingu-
lare Spiritus ſancti munus. per ipſum enim, vt inquit Apo-
5. ſtolus, charitas in cordibus noſtris diffunditur. Induimini
hanc veſtem nuptialem, qua induti, ſecurè diſcumbetis in
menſa regia: nec timebitis, vt dicatur vobis, cur huc intra
1. 22. ſtis, non habentes veſtem nuptialem? hac veſte induti, pel
letis à vobis frigus quo frigebat Petrus, calefaciens ſe ad pru
1.26. nas Caiphæ: hac veſte circundati, quę omnium armatura eſt
fortior, intrepidi & illæſi cuneos hoſtium pertranſibitis.
Et & vt vno verbo omnia complectar, ſi vultis perfecti eſſe,
ſuper omnia charitatem habete, quæ ſecundùm Apoſtolum
ſ.3. vinculum eſt perfectionis. Sed quemadmodùm paulo antè
documentum tradidi, quo ad rectam fidei regulam perue-
niri poſsit, ita & nunc vos erudiam, quàm faciliter à chari-
tate nunquam excidatis. Reſpicite ſemper ad me, conſide-
rantes me eſſe matrem, & vos filios. Recogitate, in viſceri-
bus meis vos eſſe conceptos, & eodem lacte nutritos: tunc
eſſe. fratres vos * eſſe matrem recognoſcetis: & ex eadem carne
ſ.5. eandem carnem vos inficiari non poteritis. Quis ergo vn-
quàm carnem ſuam odio habere poterit? Attendite etiam,
quàm tenerrimè vos ſemper dilexerim, & quantam vnicui-
que filiorum meorum charitatem exhibeam, quotque labo-
res & anguſtias in omni mea ætate, pro vobis vbique terra-
rum perpeſſa ſim, & à me exemplum capientes, diligatis vos
inuicem ſicut dilexi vos. Sed & ſi partem ſuperiorem dig-
nioremq; mei corporis, caput videlicet, adſpexeritis, quod
eſt Chriſtus, efficaciùs charitatis magiſteriũ cordib⁹ veſtris
imprimetur. Cogitãtes namq; q cùm mundus nihil meruc
rit, imò propter ſua facinora morte dignus eſſet, ipſe Ieſus
Chriſtus ſola charitate tot tantaque in corpore ſuo pro ſalu-
te hominum tormenta pertulit, totque beneficia conferre
dignatus eſt, quot lingua humana exprimere nunquam poſ-
ſet: mox omnem compellemini rancorem deponere, & in-
diſſolubili charitatis vinculo confœderari, in fraternumq;
amorem redire. Dicite mihi, nunquid vos extraneos aut a-
lienigenas eſſe putatis filij mei? ſi hoc putatis, mihi iniuriam
facitis. Nonne in hoc vos vtero tanto cum labore concepi
& portaui? Nonne his lactaui vberibus, & his manibus cibũ
potumque tanto tempore præbui? Cùm ergo fratres ger-
mani ſitis ex eadem carne geniti, & talia exempla dilectio-
nis à capite & toto meo corpore habeatis, debetis alter alte-
rum fraterna charitate diligere, & cum omni ſynceritate in-
uicem reconciliari. O oſſa de oſsibus meis, ô membra de
membris meis, ô viſcera de viſceribus meis. Quis vos abin-
uicem ſeparauit? Quis inimicus homo inter vos ſeminauit Matth.13.
zizaniam? Quis ſeductor ille antiquus accuſator fratrum
ſuorum, qui vos ad tantas inimicitias perduxit? Solebatis i-
dem ſapere, inuicem vos amare, fouere concordiam, inſi-
mul cum pace & charitate conuerſari. Nunc mutatus eſt per Thren.4.
omnia color optimus. Nam vnitas in diſſenſionem, charitas
in odium, pax in bellum, fraternitas in hoſtilitatem peruer-
ſa ſunt. Cur ſic inhumaniter filij mei confligunt? cur gladijs
& ignę decertant? cur tam crudeli bello & odio tam dete-
ſtabili alter alterum perſequitur? Suntne iſta iura fraterni-
tatis? Suntne hæc cognationis & proximitatis indicia? Eru-
beſco referens. vix barbari & infideles hæc inter ſe tam a-
trociter facere auderẽt. Conuertite iam gladios in vaginas: Matth.26.
quia omnis qui gladio ferit, gladio peribit. Remittite truces
vultus, abijcite minas, deponite arma, proijce tela manu ſan-
guis meus. Abolere penitus ex cordibus veſtris omnia diſ-
cordiarum odiorumque fomenta. Oſculamini obſecro, vos
in præſentia matris veſtræ oſculo pacis. Amplectimini vos
tenerrimè, date inuicem dextras. Congratulamini ſimul, e-
pulamini in menſa mea cibos delitiarum mearum, pacis &
charitatis: Celebrate ſolenniter hunc diem feſtum, conſola-
mini cõſolamini filij mei matrem veſtram, quæ hunc diem
tanto cum deſiderio præſtolata eſt. Amate vos inuicem, vt
fratres decet., & contenta ſum. impletum eſt gaudiũ meum,
& nihil ampliùs poſtulo. Sequitur in verbis Apoſtolicis: V- Phil.2.
nanimes, idipſum ſentientes: hoc eſt, vt in diuerſis corpori-
bus idem ſit animus, eademque voluntas. Sit hic populus
meus quaſi vir vnus. Non ſcindamini in varias ſentẽtias: ſed
quod voluerit vnus in Chriſto, alter ſimiliter velit. Imita-
tores eſtote patrum veſtrorum, quorum in primitiua ætate Act.4.
cor erat vnum & anima vna. Nihil vnitate præſtantius: quæ
quàm ſit Chriſtianis neceſſaria, Chriſtus ipſe oſtendit, qui
pro eis orauit, non vt efficerẽtur diuites aut ſapientes huius
ſeculi, ſed vt vnum eſſent, ſicut ſunt ipſe pater & filius. Quid
vtilius reipublicæ Chriſtianorum eſſe poteſt, quàm vnitas?
hoc modo Chriſtiana creuit religio, & ego propter vnani-
mitatem filiorum meorum, toto orbe terrarum diffuſa fui.
Cauete modis omnibus diſcordias, & timete quòd commi-
natur Dominus: quia omne regnum in ſe diuiſum deſolabi- Matth.12.
tur, & domus ſuprà domum ruet. Scitis vulgare illud dictũ: Luc.11.
Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia autem maximæ di-
labuntur. Si vultis pertinere ad Chriſtum, pacem inter vos
contrahite, qua nihil eſſe Deo acceptabilius, hominibusque
expedientius, ex hoc facilè intelligetis, ſi memineritis Chri-
ſtum de cœlo deſcendentem in terram, pacem per angelos
ſuos annunciaſſe hominibus, de terraque in cœlum redeun-
tem, eandem pacem duntaxat diſcipulis in teſtamento reli- Luc.2.
quiſſe. Sentite idipſum inter vos, hoc eſt, vt bona malaq; ſin- Ioan.14.
gulorum per charitatem ſint omnium. Hoc proprium cha-
ritatis eſt, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus. Ni-
ſi membra inuicem coniungantur, & ſuo ordine connexa
perſiſtant, & vnum alteri opem in neceſsitate præbeat, defi-
cere corpus neceſſe eſt. Vnum enim corpus ſumus in Chri- Rom.12.
ſto, ſinguli autem alter alterius membra in Chriſto Ieſu do-
mino noſtro, vt inquit Apoſtolus. Subdit deinde Apoſto-
lus: Nihil per contentionem & inanem gloriam, ſed in hu- Phil.2.
militate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. Superioribus
conſentanea ſunt hæc & valdè accommoda. Cùm enim ad
hunc locum cauſa fidei & charitatis veneritis, non decet vt
tam ſanctum opus contentioſis verbis agatis, ſed cum omni
potiùs manſuetudine & lenitate. Contentio animos irritat,
mentem perturbat, & odia accẽdit. Non poſſum pati, in do-
mo mea & inter filios meos fieri quæſtiones, pugnaſque ver
borum. Ex his enim (inquit Apoſtolus ad Timoth.) oriun- 1.Tim.6.
tur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, & ſuſpiciones: & rur
ſus, his qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, Rom.2.
Ira, indignatio, tribulatio & anguſtia. Cum contentioſis &
per contentionem nihil tractare vnquam conſueui. Ita de
me inquit Apoſtolus: Si quis autẽ videtur contentioſus eſſe, 1.Cor.11.

nos talem conſuetudinem non habemus, neq; Eccleſia Dei.
Sed nec per inanem gloriam in hoc ſacro loco quidquam a-
gitetis. Inanis gloria cuiuſque boni operis fomentum eſt,
inſidiatrixque virtutum, vt fructum quem benè operando
acquirerent, per elationem euacuet. Inane eſt captare homi-
num laudes, qui cùm ſecundùm oculos iudicent, ſæpè fallú-
tur. Momentanea eſt iſta gloria, ex faſtu & cupiditate pro-
cedens: & quia inanis eſt, conſtat eſſe vanam ac vacuam, me-
ritoque contemnendam. Ex eo quod inane eſt, quem fru-
ctum referre poteritis? Quinimò ſatagite placare patri ve-
ſtro cœleſti, qui videt in abſcondito: hoc eſt quærere non
inanem, ſed æternam gloriam. Quidquid facitis, in gloriam
Matth. 23. Dei facite. Nolite fieri ſimiles ſcribis & Phariſęis, qui (vt in-
quit Dominus) omnia ſua faciunt, vt videantur ab homini-
bus, & vocētur rabbi. Imitamini potiùs illa ſancta quatuor
Ezechielis animalia, habentia facies extentas deſuper, & pē-
nas extentas deſuper: hoc eſt, cogitationes veſtras, quę ſigni-
ficantur per pennas: & actiones, quæ ſignificantur per fa-
cies, ad Deum ſemper referte. Si quis inter vos ſapiens eſſe
Ierem. 9. videtur, non glorietur (vt inquit Ieremias) in ſapientia ſua,
nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis: ſed in
hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum
Pſalm. 52. Dominus. Vereamini quod minatur Pſalmiſta: Dominus
diſſipat oſſa eorum qui hominibus placent. Abſit vobis glo-
Galat. 6. riari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Si gloriari
1. Cor. 1. vultis, in Domino gloriemini. & hæc ſit gloria veſtra, teſti-
2. Cor. 1. monium conſcientiæ veſtræ. Huiuſmodi inanis gloriæ ap-
petitus, in intelligendis ſcripturis ſuprà modū obeſt. Deum
enim humanis laudibus aucupandis animus intentus eſt,
primò ſenſus inſolitos nouaſq; opiniones quærit. Deinde
quæ ipſe adinuenerit, nimis tenaciter defendit. Vnde fit, vt
2. Cor. 10. cùm redigere intellectum in captiuitatem recuſet, quod ne-
ceſſarium eſt ſecundùm Apoſtolum, aliter ſcripturas intel-
ligat, quàm Spirituſſanctus efflagitet: & dum de ſingularita-
te ſententiæ gloriatur, ſe ipſum nolens corrigere, in errore
perſeueret. Et quia inanis gloria, filia eſt ſuperbiæ, quæ non
Eccl. 10. conſiderans imbecillitatem ingenij humani, effert ſe ſuprà
Eſai. 14. ſe, & apoſtatare hominem facit à Deo, ſicut & olim multos
Phil. 2. ex angelis: ideò confeſtim Apoſtolus in remedium huius vi-
tij, ſubijcit humilitatis virtutem. Hortor ergo vos filij mei,
vt res veſtras in humilitate agatis. Nihil dilectiſſimi mei, ci-
tiùs ad eandem fidei vnitatem & charitatem adducere vos
poterit, quàm humilitatis ſpiritus: nihil verò magis dirime-
re, quàm ſuperbiæ tumor. Nam ſicut nutrix eſt dilectionis,
humilitas: ita mater odij, ſuperbia. Si gratiam Dei appetitis,
humiles eſtote: quia Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat
gratiam. Et ne forſitan humilitatis perſuaſio, grauis cuiquā
videatur, B. Paulus poſtquam prædixit, nihil per contentio-
nem & inanem gloriam, ſed in humilitate, &c. cōtinuò ſub
Phil. 2. dit: Hoc enim ſentite in vobis quod in Chriſto Ieſu, qui
cùm in forma Dei eſſet, nō rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æ-
qualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui ac-
cipiens. quod maius humilitatis exemplum tradi aut cogita-
ri potuiſſet, quàm quod Dominus & creator omnium ſe ex-
inaniuerit, & ſeruilem conditionem acceperit? Quis tam e-
latus eſſe poteſt, qui iſta cogitans, non compellatur fieri hu-
milimus? huiuſmodi exinanitio & ſeruilis formæ acceptio,
etſi ſatis foret ad perſuadendum omne genus humilitatis,
quia tamen acta ſponſi mei nimis mihi ſuaue eſt recenſere,
Luc. 2. ideò morem mihi in auſcultando gerite. Nonne tota eius vi-
Matth. 2. ta ſummam redolet humilitatem? Naſcitur ex humilima ma-
Matth. 4. tre, humili nutricio commendatur, in humili tugurio & in-
Marc. 9. 10. ter humilia animalia reponitur. humiles piſcatores in diſci-
pulos eligit, humiles paruulos amplexatur, prædicando ni-
Ioan. 14. hil ſibi attribuit, ſed dicit: Sermonem quem audiſtis, non eſt
Ioan. 7. meus. & rurſus: Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui mi-
Matth. 17. ſit me. Faciendo miracula, dicit diſcipulis: Videte nemini
Matth. 8. dixeritis viſionem hanc. Leproſo mundato, vide nemini di-
Ioan. 13. xeris. Abluit, in documentum humilitatis, pedes diſcipulo-
rum, & vt impleat omnem humilitatem, permittit ſe à ſer-
Marc. 1. uo baptizari. humiliter omnes audit, humiliterque reſpon-
Ioan. 18. det, etiam cæſus. Taceo quàm humiliter paſſionem & cru-
cem tulerit, ne fortè fluuius lachrymarum me reliqua dice-
re & vos audire impediat. Deficeret me quippè dies, ſi om-
nia Chriſti humilitatis geſta & documenta referre vellem.

Quid ergo intumeſcis, ô homo? O pellis morticina, quid t
deris? O ſanies fœtida quid inflaris? Princeps tuus humili
& tu ſuperbus: caput humile, & membrum ſuperbum. Di
ſcite igitur filij Chriſto, quia mitis eſt & humilis corde. Se
ſi vultis, filioli mei, in hoc ſancto vnitatis negotio, quod tra
ctaturi eſtis, vitare contentionem, inanem gloriam, & om
nia in humilitate agere: ſi vultis celeriter & ſine difficultat
id ipſum ſapere, & charitatem mutuam habere, accipite ho
ſalutare præceptum quod vobis trado, quo nihil conſultius
nihil efficacius eſſe poteſt. In omni controuerſia ſedand
primùm quæritur iudex peritus, & qui non ſit acceptor per-
ſonarum. Nam ſine iudice litigantes rarò inter ſe conuenire
conſueuerunt. Ecce huiuſmodi vobis demonſtro iudicem.
Ipſa ego ſum, ſancta Dei Eccleſia mater veſtra. Compro-
mittite in me. Eligite me iudicem & arbitram. de ſapienti
mea cum relinquitur dubitandi locus, cùm Spirituſſanctu
omnem me doceat veritatem? Si euangelia, & omnis ſacra
Scriptura à me fidei authoritatem ſuſceperunt, ſi nihil Ca-
tholicum dici poteſt, quod per me non fuerit approbatum:
ſi omnes doctores ac magiſtri ſuas ſententias meo ſemper
iudicio ſubmiſerunt, dicentes: Non crederemus Euangelio,
niſi Eccleſiæ Catholicæ authoritas nos commoueret: quis
de cæterò ambigat, an cuiuſlibet controuerſiæ diffiniendæ
competens ego iudex ſim? De acceptione perſonarum ſu-
peruacuum quicquam dicere, cùm leges humanæ prohibe-
ant patres à filijs, in quibus par conſtat affectus, iudicem re-
cuſari. Quis maior vobis honor contingere poteſt, quàm
quòd ſponſa Chriſti & Regina adſtans à dextris eius, iudicet
inter vos? Quæ maior certitudo veritatis, quàm quod diſci-
pula Spirituſſancti ſententiam pronunciet? Quem vnquam
fideliorem iudicem inuenire poteritis, quàm amantiſſi-
mam matrem veſtram? Nolite ergo diſputando laborare,
nec contendendo verbis alter alterum laceſſere. Quid vos
multitudine librorum oneratis? cur diuerſorum magiſtro-
rum ſententias in medium affertis? Cur intelligentias ve-
ſtras humanis inquiſitionibus ac ſubtilitatibus defatigatis?
Ecce in medio veſtri adeſt magiſtra veſtra, cuius Spiritus
Domini, ſenſus myſteria & arcana aperit ſcripturarum.
Non mihi opus eſt iudicando, vt legiſperitos aduocem, aut
bibliothecas perſcruter. Nullius hominis conſilio opus ha-
beo, cui conſulit Deus. Claritas Domini meum ſemper in-
tellectum illuſtrat, & Agnus meus Ieſus Chriſtus ante me
lucernam defert, ne errem, vt paulò antè ex Apocalypſi Io-
annis recitatum audiſtis. Et quia ego, cùm ſim toto orbe
terrarum diffuſa, in vno loco tota eſſe non poſſum, ſoleo
pro neceſſitatibus Chriſtianæ religionis nonnunquam vr-
bem aliquam inſignem eligere, & ad eam ex omnibus fini-
bus meæ ditionis Epiſcopos & Sacerdotes, & alios Leuitici
generis, & quos voluero de populo Chriſtiano aduocare,
quibus in Spiritu ſancto legitimè congregatis, ego ipſa re-
præſentor, & ibi tribunal meum erigens, quidquid per hu-
iuſmodi congregationem, quam vniuerſalem Synodum,
ſeu generale Concilium voco, iudicatum ſtatutumque fue-
rit, perinde ratum habeo, ac ſi ego ipſa ore proprio iudicaſ-
ſem ac ſtatuiſſem: idque ab omnibus iubeo ſub anathemate
vbique obſeruari. Hoc autem tempore nuſquam melius,
quàm in hac ciuitate Baſileenſi huiuſmodi generalem ſyno-
dum viſum eſt poſſe * indicere. Huic ergo ſacro Concilio,
quod in Spiritu ſancto legitimè congregatum fateor, om-
nem meam authoritatem poteſtatemque impartior, & am-
bas ſcientiæ & poteſtatis cœleſtes claues mihi à Domino
traditas, veraciter conſigno: vt quidquid in terris claudere
& aperire, ſoluere & ligare voluerit, iuxta pollicitationem
Chriſti, indubitanter clauſum & apertum, ſolutum & liga-
tum reputetur in cœlis. Itaque non aliter nec minus reue-
renter hoc Concilium, quàm meipſam, exiſtimare debetis.
Quamobrem vt veſtra fidelis aduocata, vobis ſuadeo: vt pia
mater, conſulo: vt ſponſa Chriſti & regina Chriſtiani popu-
li, impero, vt in omnibus vos ipſos huic ſacro Concilio pe-
nitùs committatis, & ab eius ſanctionibus nullatenus decli-
netis. Si nonnulli aliquando de fide contendentes, vnum vel
duos, aut paucos elegerunt homines, quorum iudicio ſtare
voluerunt: quanto magis & vos, hanc tam celebrem, ex toto
Chriſtiano populo collectam ſynodum, pro dirimenda ve-
ſtra cōtentione, in iudicē acceptare debetis? Deus in Veteri

37. Teſtamento populo ſuo mandauit, dicens: Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam, inter lepram & lepram, & iudicũ intra portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum quem elegit Dominus Deus tuus, veniesq; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit in illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quæcunque dixerint, qui pręſunt in loco, quem elegit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: ſequerisq; ſententiam eorum, non declinabis ad dexteram vel ſiniſtram. Sed & hoc generale Concilium locus eſt, quem elegit Dominus, in quo ſponſa ſua ſanctum tribunal erexit. Et hi qui in eo congregantur, in locum ſacerdotum Leuitici generis ſucceſſerunt, imò & plus quàm Leuitę ſunt, maioremque proculdubio ſcientiæ poteſtatisque copiam à Domino perceperunt: vtique cùm illi, vmbræ miniſtri fuerint, hi verò ſint veritatis: illi ſanguinis & carnis iudices, hi autem ſpiritus & animæ. Meritò ergo ad verbum huius Cõcilij, veſtrum omne negotium pẽdeat: & quidquid ſanctum, aut prophanum iudicauerit, id ſine hæſitatione ſanctum prophanumq; habetote, ne veniat ſuper vos iudicium mortis, quod inobedientibus comminatur Dominus. In hoc apparebit humilitas & obedientia veſtra, ſi quemadmodùm Chriſtus venit facere voluntatem patris, ita & vos veneritis facere voluntatem matris veſtræ. Acquieſcite tandem, obſecro, monitionibus meis, neque innitamini prudentiæ veſtræ. Accipite iuſſu Dei & meo in iudicem hanc ſanctam ſynodum, de cuius gremio quilibet eſſe poteſt, qui eius iudicio ſtare voluerit: polliceor vobis quòd non aliud iudicabit, quàm Spirituſſanctus dux & rector illius dictauerit. Ipſe adſtabit medius iudex & arbiter, perfectè illuminaturus corda omnium, vt viam ambulent veritatis & pacis. Sed & ipſe Spiritus paraclytus in cordibus veſtris efficaciùs habitet, & idipſum ſapere, & eandem charitatem vobis largiri dignetur, cui humilium & manſuetorum ſemper deprecatio placuit. h 9. Sitis in oratione perſeuerantes, & tam diu ac tam feruenter ſuam pietatem ieiunijs, gemitibus, obſecrationibus ac ſanctis operibus interpellabitis, vſquequo ipſe veritatis doctor & charitatis author, corda vniuerſi populi per ſententiam huius ſacri Concilij illuſtrabit ad cognoſcendam amplectendamque veritatis & vnitatis ſemitam. Hora exigit, vt iam finem dicendi faciam. Audiſtis ergo dilectiſſimi mei, conſilia & præcepta mea, quàm ſancta & vtilia ſunt: oſtendi tandem viam, qua hoc facillimè exequi poſsitis. Apprendite quæſo illam, qua certè nulla ſalubrior inueniri poteſt. Moneat vos honor Dei, qui ſuprà modum ex veſtra diſſenſione læditur. Fides etiam Catholica ab infidelibus blaſphematur, inhonoratur, & irridetur: nec veram eſſe credunt, quam per tot ſectas hincinde lacerari inſpiciunt. Moneat vos honor matris veſtræ, quam hoſtes nominis Chriſtiani propter diſsidia veſtra vbique contemnunt. Moneãt vos acerbiſſimæ lachrymæ, quas pro vobis quotidie fundo: & aſſiduus dolor, qui me pro veſtra diſcordia excruciat. Verè dicere illud poſſunt, quod ſcribitur in Canticis: Inuenerunt t. 5. me cuſtodes qui circuierunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt mihi pallium meum cuſtodes murorum. Niſi velitis ab omni humanitatis & gratitudinis veſtigio declinare, miſereri vos decet tot ærumnarum ac calamitatum mearum. Siccate, cùm poſſitis, filij lachrymas meas: ſanate vulnera, reſtituite mihi pallium meũ, quod abſtulerũt mihi cuſtodes murorum, idololatræ videlicet & gentiles, & qui in rebus mortuis huius ſeculi ſpem ponunt. Induite me veſtem deauratam, circundatam varietate, deauratam quidem charitate membrorum, variatam autem copioſa filiorum multitudine. Sed & publica monere vos debet calamitas. Circumſpicite vndique quomodo plebs Chriſtiana à Turcis, Saracenis, Tartaris ac barbaris cõculcatur ac deuoratur. Cur non compatimini tot millibus fratrum veſtrorum, qui ſingulis annis in duriſſimam infidelium ſeruitutem rediguntur. O ſi audiretis, cùm raptores prædam diuidunt Chriſtianorum, quanta ſunt illa lamenta ac ſuſpiria, cùm vxor cedit in ſortem vni, vir alteri: vni pater, alij filius: vni frater, alij alius. Quanti ſunt illi gemitus, quantique ſingultus miſerabilium filiorum meorum, cùm inuicem diſiunguntur, nunquam ſe ampliùs reuiſuri? Quis tunc veſtrum abſtinere poſſet à lachrymis? Deſineretis tunc forſitan bellis inuicem decertare. Sed quod lachrymabilius eſt, quàm multi ex his qui captiui ducuntur, non valentes tam duram ferre ſeruitutem, fidem Catholicam abnegant, & ad nefandam Machometi ſectam peruertuntur. Quòd deinde regna, prouincias, vrbes, oppida quotidie capiunt & depopulantur? Iam vos penè ad angulum Occidentis reduxerunt. Modicum reſtat, vt tandem de finibus terræ vos eijciant. Heu mihi, cur tantam matris veſtræ fratrumq; veſtrorum afflictionem non recogitatis? Cur iſta audientes, in voſipſos bellum non tam crudele conuertitis, & Chriſtianum ac fraternum ſanguinem ſine vlla miſericordia gratis effunditis? Harum omnium calamitatum, diſſidia Chriſtianorum ſunt cauſa. Si idem ſaperent, eandemque charitatem haberent, huiuſmodi perſecutio mox finem acciperet, neque enim vllo pacto ferre poſſent aduerſarios meos ſanctuarium Domini polluere, & in populum Catholicum ampliùs deſæuire: imò quæ infideles nunc Catholicis faciunt, facere poſſent hæc eadem Catholici infidelibus. Moneat denique vos regni Bohemiæ ac regionum finitimarum miſeranda calamitas. Quanta in his partibus ſanguinis Chriſtiani effuſio, quot ſtrages & cædes, conflictus, bella, ruinæ, incendia, deuaſtationes, depopulationes, quantaque in perſonis & rebus deſolatio ex hoc recenti diſſidio iamdudum ſecutæ ſint, ſequique veriſimiliter formidetur indies, niſi vera vnitas inter vos fiat, proh dolor toti orbi plus quàm manifeſtum eſt. Profectò lachrymandum potiùs ſuper hoc, quàm loquendum foret. Vix inter Chriſtianos alicuius ſciſſuræ memoria eſt, vnde Eccleſia Dei tantam iacturam perpeſſa ſit, & tanto cruore reſperſa. Sed ſi meo acquieueritis conſilio, quemadmodùm ſpero, idipſum ſapientes, & mutuam charitatem habentes, hæc omnia repentè ceſſabunt. Nouus tunc ſol ſuper vos quietis & tranquillitatis orietur. Reflorebit in pace veſtra Catholicus populus, Chriſtianus orbis totus renouari videbitur. Implebitis cœlum terramque, Angelos & homines inenarrabili lætitia, iubilo & exultatione. Tanto deinde inter vos beneuolentiæ nexu coniungemini, quòd præteritorum penitùs obliuiſcentes, voſipſos ſicut fratres amabitis, & inuicem pro amore certantes, alter alterum charitate ſuperare ſtudebitis. Benedicetis ſemper diem iſtum, & innumeras Deo omnipotenti gratias referetis, qui in eadem vos vnitate & charitate deuinxit. Quid plura? Succedet tandẽ vobis, quemadmodùm ſucceſsit & Chriſto, quantum tamen humana conditio capere poteſt. Poſtquam enim beatus Paulus ſuperiùs commemorauit, quòd Chriſtus exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens, humiliauitque ſe, factus obediens, vſque ad mortem, in præmium huius humiliationis & obedientię ſubdit: Propter quod exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Sic quidem ſi vos humiliaueritis, & mihi obediẽtes fueritis, exaltabit vos Deus ſuper terram, & magnificabit ſuper filios hominum, & dabit vobis nomen quod eſt ſuper omne nomen, hoc eſt, nomen regium Chriſtianum, quo nullum inter gentes eſt glorioſius. Tunc enim dignè Chriſtiani eritis & vocabimini. Nam hoc nomen niſi charitatem habentibus, non rectè congruit. Atque in hoc veſtro Chriſtianitatis nomine, ſi verè Chriſtianum fuerit, id eſt, ſi ſpiritualem charitatis vnctionem habueritis, omne genu flectatur. Nam inferi videntes vos eadem fide & charitate vnitos, vobis ſubijcientur: & tanquam victi & genuflexi contremiſcentes, nihil aduerſus * præualere poterunt. * vos Homines vos reuerebuntur, & meo Chriſtiano populo, ſi vnanimis fuerit, totius orbis quaſi genuflexus ſeruire cogetur. Angeli verò & ciues cœleſtes, genua charitatis flectentes, vos honorificabunt, & vnà nobiſcum genuflexi, præſentabunt vos cum iubilo coram Ieſu Chriſto ſponſo meo, vt in æterna beatitudine viuatis, & regnetis cum ipſo. Tunc omnis lingua cõfitebitur, quia meus populus Catholicus in gloria eſt Dei patris. Ad quam gloriam ipſe Ieſus Chriſtus vos omnes & alios filios meos vbique exiſtentes perducere dignetur. Qui viuit cum Deo patre & Spiritu ſancto, benedictus in ſecula, Amen.

Nota.

IN SEQVENS OPVSCVLVM notatiuncula.

PRæſens opuſculum compoſitum extitit per reuerendum patrem dominum Ioannem Patriarcham Antiochenum in Concilio Baſileenſi, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo-quarto, ac fecit præſens opuſculum omnibus ſcribere volentibus publicè pronunciari in Conuentu fratrum Minorum in quadam magna ſtufa, videlicet immediatè poſt feſtum Epiphaniæ Domini vel circiter tractans de dignitate vel ſuperioritate inter Concilium generale legitimè congregatum &c. & Papam, vtpută vtrùm Cõcilium &c. ſit ſupra Papã, vel etiam quis eorum dignior, &c. Lege & conſidera.

ADSIT OMNIPOTENS, &c.

Videat lector Bullam retractationũ Pij II. qui diu adhæſit Baſileẽ. cõtra Eugeniũ, ſed tandẽ melius inſtitutus, relictis Baſileen. adhæſit Eugenio cũ multis alijs.

SACROSANCTAE generali ſynodo Baſileenſi, in Spiritu ſancto legitimę congregatæ, vniuerſalem Eccleſiam repræſentanti, veſter deuotus humilis Ioannes Patriarcha Antiochenus ſcipſum ad veſtrorum deuotiſsimorum operum efficacem continuationem, cum omni deuotione, reuerentia & honore obſequialem.

Quia nonnulli os ſuum aperientes in cœlum, poteſtatem Romani pontificis ſupra poteſtatem ſacrorum generalium Conciliorum contra iuris diuini & humani veritatem à ſanctis patribus aliâs declaratam exaltare nituntur: & ob hoc quòd dominus Eugenius Papa Quartus veſtram ſacratiſsimam ſynodum ad extirpationem hæreſum, reformationem Eccleſię in capite & in membris, ac pacem in populo Chriſtiano procurandam, legitimè congregatam, ſine conſenſu ipſius ſacræ ſynodi diſſoluere potuerit, aſſerere publicè non verentur: Ego honorem ipſius ſacræ ſynodi procurare, ac illius decreta defendere, iuramẽto adſtrictus, ne errori huiuſmodi, ſi ei non contradicerem, aſſentire viderer: Opuſculum præſens per me cõtra errorem huiuſmodi compoſitum, ſanctitati veſtræ cum humilitate duxi præſentandum, corrigendum, emendãdum, & ſi neceſſe fuerit, caſſandum: Non intendens tenere circa cõtenta in eo aliud, quàm hîc quod tenet ſacroſancta mater Eccleſia Catholica, & veſtra ſacra ſynodus illã repræſentans. & licèt, teſte Hieronymo, ſciam quòd qui ſcribit, multos ſumit iudices, nec ignorem in ſcripturis irreprehenſibile omne nimis, ſiue ſit longitudini, ſiue breuitati connexum, cùm primum ſenſus legentium oneret, & ſecundum præſcindat ſtudiorum deſiderium, vt ait Hieronymus ſuper Hieremiam lib. 2. in principio: tamen & hoc ſcio, ipſo teſtante ſuper Ioelem quinto, quòd oris apertio, eſt in Dei, non hominis, poteſtate. per quod conſtat, me non plus potuiſſe, quàm ingenioli à Deo largiri paterentur anguſtiæ, vt de ſe Hieronymus aſſerit ſuper Nichæum quinto. Quibus attentis, ſupplico, vt circa huius opuſculi defectus ſanctitas veſtra me dignetur habere ſupportatum.

IN NOMINE DOMINI IESV CHRISTI, Amen.

AD oſtendendum, quòd Concilium generale in Spiritu ſancto legitimè congregatum, ſit ſupra Papam, ex eo quod niuerſalem Eccleſiam repræſentat: & conſequenter, quòd Papa illud diſſoluere non poſſit ſine conſenſu ipſius Concilij, poſſunt conſiderari ſequentia.

Et primò, quòd vna eſt fidelium vniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſaluatur, in quo nõ Papa, ſed Chriſtus eſt ſacerdos & ſacrificium, teſte Innocentio III. in c. firmiter, de ſumma Trinitate. Vnde inquantum Papa aut alius quicunque non ſaluatur extra Eccleſiam vniuerſalem. patet quòd Eccleſia vniuerſalis eſt maior & dignior Papa, & quocunque alio membro ipſius Eccleſiæ: & per conſequens ſupra Papam, arguendo à dignitate ſaluatoris, ad dignitatem inferioris, ſaluati, ſicut argui poteſt à dignitate Creatoris ad dignitatem creaturæ, quæ * maior eſt dignitatis ipſius creatoris. Ad cuius ſententię robur, diffiniuit ſacrũ Concilium Africanũ, quòd primæ ſedis Epiſcopus nõ appelletur ſummus ſacerdos, nec princeps ſacerdotum, vt habetur in c. primę ſedis, 99. diſtin. qua de re Gregorius Eulogio

*minor

Conciliũ Chalcedonẽſe lõgè aliter ap-

Patriarchæ Alexandriæ in c. Ecce, eadem diſt. ſic ſcribeb Ecce in præfatione epiſtolæ, quam ad meipſum qui prol bui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, vniuerſale me Papam dicens, imprimere curauiſtis, quod peto mi dulciſsima ſanctitas veſtra vltrà non faciat: quia vobis ſu trahitur, quod alteri plus quàm ratio exigit, præbetur. Et ſ quitur ibidem paulò pòſt: Si vniuerſalem me Papam V. dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur vniuerſum. S abſit hoc. Et Gloſa ibi verba illa, negat ſe hoc eſſe, exponi i. eſſe de vniuerſitate, cùm tamẽ Eccleſia Rom. non ſit vn uerſa, ſed ſit de vniuerſitate. Gelaſiusque in c. Quamuis, 2 diſt. ad propoſitum dicebat, quòd quamuis vniuerſæ Eccl ſiæ Chriſti thalamus ſint, Romana cæteris prælata eſt. Qu ſi dicat, quòd licèt vniuerſæ Eccleſiæ (includendo Roma nam) ſint thalamus Chriſti, etiam Eccleſia vniuerſalis: Ro mana prælata eſt cæteris, ſed non Chriſti thalamo, qui e Eccleſia vniuerſalis. Et quod dictum eſt de Eccleſia vniue ſali, dici poteſt & debet de Concilio generali in Spiritu ſan cto legitimè congregato, Eccleſiam vniuerſalem repræſe tante: attento, quòd honor & præeminentia qui debentu repræſentato, debentur repræſentanti illius vices gerenti, finali, 93. diſt. Vbi dicitur, quòd diaconus ante presbyterum ſedere non debet, niſi locum habuerit proprij Patriarcha aut Metropolitani ſui, & concordat c. primum, 94. diſt. Vb dum dicebat Symmachus Papa, & vbi nos præſentes eſſe n poſſumus, noſtra per eũ cui præcipimus, repræſentetur au thoritas, facit c. Sanè, quia de officio. ff. de officio eius cu mandata eſt iuriſdictio, l. Etſi prætor. & c. In nouo, 21. diſt & quòd Concilium generale repræſentet vniuerſalem Ec cleſiam, patet in decreto generalis Concilij Conſtantienſ infrà inſerto, & per hoc, quòd Apoſtoli vſum Conciliorum generalium inuenerunt. Et per illa concilia fierent vice & nomine Eccleſiæ vniuerſalis, illa congregata, quæ per eam fieri poſſent ipſa congregata, vt patet per Actus Apoſtolorum, Actuum 1. 6. 8. & 15.

Secundò hoc patet, quoniam quando Petrus Apoſtolu primus Papa poſt Chriſtum, appropinquante tempore ſua paſſionis, ſibi elegit in ſede Apoſtolica ſucceſſorem Clementem, Cõcilium generale Apoſtolorum Eccleſiam vniuerſalem repræſentans, conſiderans ad bonam politiam Eccleſiæ non conuenire, electionem per Petrum de perſona Clementis factam, per modum reformationis reprobauit & Linũ, & poſteà Cletum Petri ſucceſſores in adminiſtratione papatus ordinauit, vt patet in Chronicis Clementis & aliorum prædicatorum, hocq; vniuerſalis Eccleſia approbauit & tolerauit: quòd non feciſſet, ſi concilium generale non eſſet ſupra Papam. Nec obſtat c. Si Petrus, * q. 9. quoniã verba illius textus intellecta ſecundùm gloſam, non faciunt contrà. Nec obſtat, quod ibi dicit Gloſa de Clemente, quòd renunciauit: quoniam ideo renunciauit, quia cõcilium generale Apoſtolorũ, electionem per Petrum factã, tanquàm non conuenientem ſtatui Eccleſię, reprobauit, & deinde Linum & Cletũ ordine ſucceſsiuo in Romanos pontifices elegit: quòd nõ feciſſet, ſi ſuper Petrum poteſtatem nõ habuiſſet: conſiderato, quòd ſi non habuiſſet poteſtatem reprobandi dictam electionem, eadem ratiõe nec habuiſſet poteſtatẽ eligendi Linum, nec ſubſequẽter Cletum. Nec obſtat quòd aliqui in d. c. Si Petrus, quòd Eccleſia tũc nõ erat cõgregata: quoniam licèt tunc publicè nõ congregaretur propter metum infidelium, ſecretè tamen congregabatur, vt patet in * epiſtola, in qua dicitur, quòd oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo, Actuum 12. c. & facit pro præmiſſa ſententia, quòd quando Samaria recepit verbum Dei, Actor. 8. c. Concilium generale Apoſtolorum miſit ad eos Petrum & Ioannem. In quo denotatur, quòd Concium generale Apoſtolorum erat ſupra Petrum, arguendo à maioritate mittentis, ad minoritatem miſſi, de quo habetur Lucæ 7. ibi dum dicitur: Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit, ſecundùm ſententiam magiſtri ſententiarum in 1. diſt. 11. & 15. vbi dicit: In mittente notari authoritatem, & in miſſo ſub authoritatem. Nec obſtat, quod aliqui dicũt, Petrum ibi miſſum potiùs conſilio, quàm authoritate: quoniam inquantum Petrus non fuit miſſus ſolus, nõ fundatur illorum

ntentio, & communis ſententia Theologorum eſt contra eos in hoc paſſu.

Terti[illegible] hoc etiam probatur per Ambroſium in c. Quæ dignior, 24. quæſt. 9. ibi dum dicebat, quòd non eſt dignior domus Apoſtolicæ prædicationis ingreſſu, quàm ſancta Eccleſia. Igitur Eccleſia eſt dignior, & conſequenter maior Papa, & quocunque alio, vt ſonat illud verbum, dignior.

Quartò hoc etiam probatur, quoniam Papa eſt miniſter Chriſti & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, vt patet per Auguſtinum in c. Quodcunque, 24. q. 7. ibi dum dicebat, quòd quádo Chriſtus Petro tradidit claues, Petrus Eccleſiam ſanctam ſignificauit, quod verbum exponit ibi Archidiaconus in Roſario, ſic dicens: Significauit, i. ſub ſigno & nomine Eccleſiæ accepit. Vnde inquãtum Petrus claues recepit vt miniſter Chriſti & Eccleſię, & ſub ſigno & nomine Eccleſiæ, patet ꝙ Eccleſia vt domina, maior eſt Petro vt miniſtro ſuo, ſecúdùm iura vulgata, dicentia dominam eſſe maiorem minſtro ſuo. Hoc etiam Chriſtus atteſtabatur, dum dicebat, illum qui recumbebat, etiã maiorem eo qui miniſtrabat, Luc. 22. Et ex quo Eccleſia eſt domina recumbens, & Papa eſt eius miniſter, ſequitur, quòd quãdo Papa malè miniſtrat in offenſam Chriſti & Eccleſiæ ſuæ ſponſæ, Eccleſia tanquàm domina maior miniſtro ſuo, illum cõpeſcere poteſt, & per modum reformationis corrigere & punire, ſecundùm iura dicentia, maiorem, * miniſtro inferiorem, quando malè agit, corrigere poſſe & punire, & maximè, quia poteſtas data fuit Petro ad ædificationem, & non ad diſsipationem, c. Remittuntur, 23. q. 5. cum ibi notatis per Archidiaconum in roſario, ibi dum dicit, quòd illa verba, Quodcunque ligaueris, exponuntur frequentius ſic, ſcilicet iuſtè, claue non errante: & quòd Eccleſia à Chriſto claues acceperit ac poteſtatem ligandi & ſoluendi, patet ſecundùm Hieronymũ in c. Omnibus, 24. q. 7.

Item pro hac parte facit ſententia Gregorij in c. Sicut ſancti, 15. diſt. vbi dicit, venerari ſacra illa Concilia generalia ſicut Euangeliuum, quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis pręſumit abſoluere quod ligant, aut ligare quod abſoluunt.

Item facit etiam c. Si duo contra fas, 25. diſt. c. Vbique. quòd ſi ſint duo contendentes de papatu, diffinitio pertinebit ad Concilium generale, ſecundùm Gloſam ibidem, & hoc etiam aperit Textus, cùm dicit, quòd ſi duo contra fas fuerint electi, nullus eorum debet recipi, ſed ille quem vniuerſalis conſenſus elegit.

Item ad hoc propoſitum dicit Ioannes Andreæ in c. de Renunciatione libr. 6. in Nouella, quòd ſi Papa in conſiſtorio ſecreto coram Cardinalibus renunciet papatui, ſine pręſentia aliorum teſtium, & poſteà dicat nó renunciaſſe, Concilium generale erit iudex: quòd non eſſet, ſi non eſſet ſupra Papam.

Item nota Gloſam in c. Si Papa, 40. diſt. quòd nedum in cauſa hæreſis, ſed etiam in quocunq; alio caſu, in quo Papa committit exceſſum Eccleſiam ſcandalizantem, ſi ſit incorrigibilis, poteſt accuſari & puniri: quod eſt intelligendum, per Concilium generale, iuxta iam dicta ſuprà.

Item quòd Concilium generale ſit ſupra Papam, patet, quia Papa peccare poteſt, 21. diſt. Nunc autem. Eccleſia autem vniuerſalis per Concilium reprę ſentata, peccare nó poteſt, vt patet in c. A recta, 24. q. 1. cum ibi notatis per Gloſam & Doctores, & notant Oſtienſis & Ioannes Andr. in c. à nobis in magno, de ſententia excommunicationis ſuper verbo, Eccleſię, quòd illud quod dicitur de Eccleſia vniuerſali, dici debet de Cõcilio generali illam repræſentante, arguendo à natura, ſeu qualitate repræſentantis & repræſentati, de qua in præcedentibus dictum eſt.

Prætereà hoc etiam probatur arguendo ab abſurditate vitanda, & per exemplum ſimilitudinis, quo Chriſtus vtebatur inter ſuos diſcipulos, dicendo, ſimilitudinem hanc. Veniat igitur primò argumentum ab abſurditate vitanda, & ponamus quòd aliquis Papa per ſua mala opera diſsiparet generalem ſtatum Eccleſiæ, & ipſam Eccleſiam & populum Chriſtianum notoriè ſcandalizaret: ſi dicamus Concilium generale nó habere poteſtatem compeſcendi eum, eſſet in poteſtate vnius hominis deſtruere Eccleſiam ſine remedio: quòd eſſet abſurdum, ſed quo ad exemplum ſimilitudinis ponamus quòd aliquis dominus rex volens ire ad ſanctum Sepulchrum, dat poteſtatẽ gubernandi regnum in eius abſentia dñæ reginæ ſpõſæ ſuæ, adijciens quòd, quia nõ conuenit honeſtati ſuæ muliebri diſcurrere per regnũ quotidiè quando caſus neceſſitatis occurrerint, ordinat ſibi vnũ miniſtrum generalem, qui nomine ipſius regis & dictæ reginæ habeat poteſtatem gubernandi dictum regnum: quo facto, vadit rex ad viagium ſuum.

Deinde iſte gubernat in abſentia regis, ita malè iuſtitiã & facta regis, quòd cedit in ſcandalum, aut præiudicium ſeu offenſam regis & reginæ, ac totius regni, & non eſt in regno qui ſibi dicere poſsit. Tu malè facis. Quæritur, nunquid regina in iſto caſu poterit vti poteſtate ſibi data à rege, & illum compeſcere ac punire, & de alio bono Gubernatore prouidere vſque ad regreſſum regis? Videtur quòd non, quia licèt rex dederit poteſtatem prædictam reginæ, nihilominùs dedit poteſtatem dicto gubernatori gubernandi regnum, vt non oporteret reginam diſcurrere per regnum: & ſic videtur voluiſſe, quòd Gubernator vteretur exercitio dictæ poteſtatis, & non regina. Contrarium tamen eſt de veritate iuris dicendum, ad euitandum abſurditatem, quæ ex contrario ſequeretur, & etiam quia nó eſt veriſimile, regem regnum ſuum in tali caſu ſine remedio voluiſſe dimittere, & in tali caſu debemus in dubio amplecti. Hic poteſt veriſimilius regula inſpici de regulis iuris libr. 6. cum alijs concordantijs ad hoc vulgatis, & ita videmus in ſimili, quòd quando Chriſtus dedit claues Petro, eſt veriſimile, quòd ſub nomine Petri intellexerit ſucceſſores, licèt de illis in datione clauium nullam mentionem fecerit, quia non eſt veriſimile, quòd mortuo Petro, Chriſtus voluerit Eccleſiam eſſe ſine Petri ſucceſſore, ſecundùm ea, quæ habentur in c. Pro humani, de homicidio libro ſexto, cum ibi notatis per Ioannem Andreæ in Gloſa ſuper verbo, deſereret, quæ pro tanto poſſunt ad propoſitum applicari, quoniam quando Chriſtus aſcenſurus ad cœlos, dedit poteſtatem Petro & ſucceſſoribus, vt miniſtris eius, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, non eſt veriſimile intellexiſſe, quòd in caſu in quo aliquis ex ſucceſſoribus Petri malè regendo ſcãdalizaret Eccleſiam ſponſam ſuam, ipſa non deberet vti poteſtate clauium contra talem, ſed ſine remedio ruinam fidei catholicæ & bonæ politiæ ipſius Eccleſiæ haberet tolerare, quod eſt abſurdum: & ſic arguendo ab euitatione abſurditatis, & à ſimili, eſt concludendum, Eccleſiam in tali caſu cõtra Papam poteſtatem habere, & pro iſta parte facit decretum generalis Concilij Conſtantienſis, tenoris qui ſequitur:

Pontifex nõ ab homine eſt inſtitutus ſed à Chriſto, qui non deſerit Eccleſiam ſuã.

Locus obſcurus.

IN nomine ſanctæ & indiuiduę Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Hæc ſancta ſynodus Cõſtantienſis, generale Concilium faciens, pro extirpatione ſchiſmatis, ac vnione & reformatione Eccleſiæ Dei in capite & in membris fienda ad laudem &c.

ET primò declarat, quòd ipſa in Spiritu ſancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam reprę ſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem dictæ Eccleſiæ in capite & in membris.

Item declarat, quòd quicunque cuiuſcunque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ordinationibus, ſeu præceptis huius ſacræ ſynodi, & cuiuſcunque alterius Concilij generalis legitimè congregati ſuper præmiſsis, ſeu ad ea pertinentibus, factis vel fiendis, obedire contumaciter præſumpſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubijciatur, & debita puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Locus obſcurus.

NVNC AVTEM RESTAT RESPONDERE ad ea, quæ in contrarium allegantur.

ET primò ad primum dum dicitur, quòd inquantum Concilia generalia recipiunt authoritatem à Papa, & non econtrà, vt habetur in capitulo, Significaſti, de Electionibus apparet, quòd Papa eſt

ſupra

ſupra Concilia generalia, & non econtra. Reſpõdetur, quòd Textus ille debeat intelligi de authoritate relata ad hoc, quòd concilia generalia non poſſint eſſe legitimè cõgregata ſine Papæ authoritate, niſi quando immineret neceſſitas congregandi illud pro intereſſe vniuerſalis Eccleſiæ & Papa nollet congregare, de qua authoritate habetur 17. diſt. Portatum. Sed poſtquàm concilia generalia authoritate Papæ, vel aliâs legitimè ſunt congregata, poteſtas eorum nõ procedit à Papa, ſed à Chriſto immediatè, vt patet in Decreto Concilij Conſtantienſis, & per iam dicta ſuprà. & cùm obijciendo quęritur, quomodo ſtabunt poteſtas Eccleſiæ, & poteſtas Petri, cùm ambæ à Chriſto immediatè procedãt? & ſic tanquàm pares, vna non videtur habere vim ſuper aliam, c. innotuit, de elect. Reſpondetur, quòd inquantum poteſtas clauiũ eſt ſituata in Petro, vt in miniſtro Eccleſiæ, ſicut ſuprà deductum eſt, ſequitur, quòd poteſtas Petri vt miniſtri, ſubijcitur poteſtati Eccleſiæ, tanquàm poteſtati Dominæ. Et licèt ab eodem fonte procedant, diuerſimodè tamen diuerſitates qualitatum miniſtri & dominæ procedũt. Et ſic etiam videmus, quòd licèt poteſtas Presbyteri, & poteſtas Diaconi, ab eodem procedant, quia tamen poteſtas Diaconi inferior eſt, vt miniſtri Presbyteri, eſt poteſtas ipſius Presbyteri maior, & poteſtas Diaconi inferior, ſecũdùm ea quæ habentur in c. finali, 93. diſt. & ad huius ſententiæ propoſitũ dicebat S. Thomas in ſecunda ſecundæ, quæſtione quarta, artic. 1. quòd ſicut obtinet in naturalibus, vt ſuperiora moueant inferiora ad ſuas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatæ diuinitùs, ſic oportet in reb⁹ humanis, quòd ſuperiores moueant inferiores per ſuam voluntatem ex vi authoritatis diuinitùs collatæ.

Ergo etiã Chriſtus, qui venit miniſtrare ſubijcitur Eccleſiæ,

Paſtor ergo regit oues, i. Pontifex Eccleſiã.

Item obijciebatur de his quæ habentur in c. Licèt de vitanda, de electio. in fine. Sed reſpondetur, quòd Alexander Tertius ibi loquitur, habendo reſpectum ad tempus, in quo vacante Eccleſia Romana, Concilium generale nõ erat congregatum, nec ſperabatur congregari: aliâs illo congregato, poſſet ad illud haberi recurſus ſuper difficultatib⁹ emergentibus erga electionem Romani pontificis, argumento capituli, Si duo, 69. diſtin. cum ibi notatis in Gloſa, & per Ioannem Andreæ in cap. 1. de Renunciatione, libro 6. in Nouella.

Item dicebatur, quòd ex quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus munus poteſtatis clauium ita ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſsimo Petro Apoſtolorum omniũ ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne infunderet, vt habetur in c. Ita Dominus, 19. diſt. apparet quòd nec Concilium generale, nec quæcunque perſona aliquid poteſt habere de iuriſdictione Eccleſiaſtica, niſi inquantum à Papa ſibi conceditur. Et per conſequens, quòd Papa eſt ſupra Concilium generale, & non ecõtrà. Ad quod reſpondetur, quòd licèt poteſtas iuriſdictionis à Chriſto tradita fuerit beato Petro vt miniſtro Chriſti & Eccleſiæ per Concilium repręſentatæ, conſiderato quòd in traditione huiuſmodi per Petrum Eccleſia fuit deſignata, quodque ipſe ſub ſigno & nomine Eccleſiæ poteſtatem recipit ſecundùm Auguſtinum in d. c. Quodcunque, 24. diſt. q. 1. cum ibi notatis per Archidiaconum, & ad ædificationem membrorum Eccleſiæ, & non ad diſsipationem, c. Sunt quidem, 24. quæſt. 1. & ſic cum onere, quòd Petrus & eius ſucceſſores vt miniſtri Eccleſię illi ſubijcientur, quando malè regendo Eccleſiam ſcandalizarent, & quantum in eis eſſet, diſsiparent, vt patet per iam dicta.

Dictũ eſt Petro, Paſce, i. rege &c. oues meas.

Quibus attentis, conſtat verba dicti c. Ita Dominus, nõ fundare, Papam non eſſe ſubmiſſum poteſtati Eccleſiæ per Concilium generale repræſentatæ. Et cùm ſubijcitur, quomodo poteſt hoc eſſe, cùm Concilium generale nihil poſſit habere de iuriſdictione Eccleſiaſtica, niſi inquantum ſibi concedatur à Papa, vt in argumento dicebatur. Reſpondetur, quòd ſi traditio clauium Petro tantùm facta fuiſſet, & nomine ſuo, militaret argumentum. Sed quicquid dicat Leo Papa in d. c. Ita Dominus, Veritas eſt, quòd in traditione clauium per Petrum Eccleſia fuit deſignata. Et Petrus claues recepit ſub ſigno & nomine Eccleſiæ, vt ſuprà dictũ eſt, &, ſic cum onere, quòd quando non ædificaret, ſed diſsiparet corrigi poſſet per Eccleſiã, vt patet per iam dicta. Nec legitur, quòd Petrus receperit poteſtatem ſupra Eccleſiam vniuerſalem, nec per conſequens ſupra Concilium generale illam repræſentans: ſed ſupra ſingularia membra Eccleſiæ, ſecundùm communem Theologorum opinionem. Et probatur per Gelaſium in c. Quamuis, 21. diſt. & per Gregorium in c. ecce, 99. diſt.

Ecce reijcit Leonis ſanctiſſ. ſententiã: quia premit eum.

Iſti pontifices aliter loquũtur.

Quibus attentis, conſtat verba dicti c. Ita Dominus, nõ fundare, Papam non eſſe ſubmiſſum poteſtati Eccleſiæ. Poſſuntque præmiſſa ratione naturali fortificari, quoniam ſupponendo, quòd Papa ſit caput miniſteriale Eccleſiæ, & membrorum ſingularium ipſius Eccleſiæ, videmus quòd licèt caput in corpore humano ſit ordinatum ad directionem & gubernationem membrorum, ſicque non licitum, membra à capite (id eſt, ab obedientia capitis) recedere, c. Cùm non liceat, de præſcriptionibus: ſi tamen caput in corpore humano efficiatur languidum ſeu infirmum, licitum erit membris illud ligare & cauterizare, ne totum (quod abſit) corpus morbus inuadat, ſi languor non fuerit curatus in capite, c. ſic inquit, 2. quæſt. 7. ſicque etiam videmus, quòd ſi Papa efficeretur furioſus & habens enſem in manu, exiens palatium, quos ſibi obuiam reperiret, occideret: vtique liceret ſubditis inferioribus eum capere & ligare: & ſi hoc liceret pro ſaluatione corporis, multò magis licere debet Concilio generali Eccleſiam repræſentanti, pro ſalute animarum, quando Papa malè regendo, & Eccleſiam ipſam ſcandalizando, animas ſubditorum ad viam damnationis induceret. Nec obſtat præmiſſis, c. Si Papa, 40. diſtin. ibi dum dicitur, quòd etiam ſi animas ſubditorum cateruatim ad inferos deduceret, nullus mortalium poſſet eum iudicare, niſi deprehendatur à fide deuius &c. quoniam ſecundùm * Laudunum in ſacramentali de baptiſmo, Textus ille debet intelligi de peccatis Papæ occultis, quæ Dei iudicio relinquuntur, 6. q. 1. Si omnia, & etiam de publicis, quando Papa eſt corrigibilis. Ego autem dico quòd textus ibi dicit, mortalium nullus, denegãdo iudicium ſingulis mortalium: non autem Eccleſiæ vniuerſali, nec Concilio generali illam repræſentanti.

O argumentum.

Item opponebatur de his quæ habentur in c. Nemo, 9. q. 3. Vbi dicitur, quòd nemo iudicabit primam ſedem. & ſequitur ibidem: Neque enim ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Sed reſpondetur illud eſſe intelligendum, quando ſedes prima, id eſt, Papa in illa ſedens, bona opera facit, vt ſonãt verba ibi poſita, iuſtitiam temperare deſiderantem. Sed quando Papa facit opera mala, Eccleſiam notoriè ſcandalizãtia, eſt ſecùs, quoniam tunc poteſt iudicari & puniri per Concilium, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ſi ſit incorrigibilis, vt patet per iam dicta ſuprà. Et ad hoc propoſitum dicebat Gloſa in d. c. Nemo, ſuper verbo, Nemo, quòd cùm Papa peccat, poteſt peccatum eius Eccleſiæ denunciari, ſecundùm admonitionem Euangelij. Adijciens quòd hoc determinauit in c. Si Papa, 40. diſt. Nec obſtant præmiſsis notata per Oſtienſem in c. propoſui, de conceſsione præbendæ, vbi videtur dicere, quòd etiam procedendo ſecundùm admonitionẽ Euangelicam, Eccleſia nõ poteſt iudicare Papam, quoniam ſalua ſui pace, mandatum illud Euangelij, ſi peccauerit, omnibus fuit directum, & contra omnes peccantes, etiam contra Papam, ſicut contra alios, quando Papa peccat notoriè in ſcandalum vniuerſalis Eccleſiæ, vt patet per iam dicta ſuprà, ſicque practicatum fuit in Concilio generali Conſtentienſi contra dominum Ioannem Papam 23. & ſimili modo poteſt reſponderi ad c. aliorum, & ad capitulũ, facta, 9. q. 3. & ad omnia alia iura, dicentia, facta Papæ non poſſe iudicari ab alio, quàm à Deo, & facit pro authoritate Cõciliorum quod habetur 17. diſt. Hinc etiam, ibi dum dicitur, ſcientes quia eius ſedi primum Petri Apoſt. meritũ, deinde ſecuta iuſsione Domini, Cõciliorum venerandorũ authoritas ſingularem in Eccleſijs tradidit poteſtatẽ: quanuis gloſa ibidem hoc dictum moderatur, dicens, quòd Eccleſia Rom. poteſtatem principaliter habeat à Domino, & ſecundariò à Concilijs, cuius ſententiæ cõcordat Gloſa in c. Dudũ, 3. q. 6. ſed quãuis ita ſit, hoc nõ infert, Papã non ſubijci Concilio, quando notoriè Eccleſiam ſcandalizaret, conſiderato ꝙ Petrus poteſtatem recepit à Chriſto, vt miniſter Chriſti & eccleſię, & ſic cũ onere, ꝙ eſſet ſubmiſſus poteſtati

Matth. 18.

Hic iura oĩa, quæ faciunt apertiſſimè pro pontifice, vt vult interpretatur.

Vt paſtor & doctor.

Eccle-

Eccleſiæ dicente Chriſto, Confirma fratres tuos.

Eccleſiæ Dominæ ſuæ, quando notoriè illā ſcandalizaret, vt ſupràoſtenſum eſt. Et ſi dicatur, quòd iſte caſus ſcandali notorij, non eſt de expreſsis in Decreto Concilij Conſtantien. reſpondetur quòd quādo Papa notoriè ſcandalizat eccleſiam, caſus iſte eſt de pertinētibus ad caſum generalis reformationis Eccleſiæ, qui eſt expreſſus in dicto Decreto Concilij Conſtantienſis.

Item opponebatur de his quæ habentur in Gloſa dicti c. Nemo, ſuper verbo, ab omni clero, ibi dum dicitur, quòd Concilium non poteſt iudicare Papam, c. Significaſti, de elect. Sed ad dictum c. fuit ſuprà in præcedentibus reſponſum, & ſequitur in eadem Gloſa, quòd ſi totus mundus ſentiret in aliquo contra Papam, videtur quòd ſententiæ Papæ ſtādum eſſet, 24. q. 1. Hæc eſt fides. Sed ad dictum c. Hæc eſt fides, reſpondetur, quod loquitur, quando agitur de fide, & in caſu, in quo Concilium generale Eccleſiam vniuerſalem repræſentans, nec eſt congregatum, nec in aliquo caſu fidei habet opinionem determinatam contra Papam, nec Papa contra Concilium. Præterea Gloſa ibi ibi loquitur argumentatiuè, & non deciſiuè, arguens ibi pro & cōtra, ſine decidendo: & quicquid in hoc paſſu hactenùs per Gloſas & doctores interdum affirmatiuè, & interdum negatiuè fuerit opinatum, ſtandum eſt hodiè diffinitioni factæ per Concilium generale Conſtantienſe, quo ad caſus in decreto illius expreſſos, videlicet cùm agitur de fide, & de extirpatione ſchiſmatis, & de generali reformatione Eccleſiæ in capite & in membris, & de pertinētibus ad caſus præmiſſos, & ſi quis in contrarium poteſtatem dicti Concilij in præmiſsis negās aſſereret pertinaciter, abſque dubio hæreticus eſſet cenſendus, argumento eorum quæ habentur in c. omnes, 22. diſt. immò poteſt vltra præmiſſa cōſiderari, quòd licèt Chriſtus poteſtatem tradiderit Petro ſupra ſingularia membra Eccleſiæ, iuxta illud: Paſce oues meas: non legitur tamen quòd poteſtatem ſibi tradiderit ſupra vniuerſalem Eccleſiam, cuius Chriſtus caput eſt: nec ſupra concilium generale illam repræſentans: immò potiùs de contrario, vt patet per iam dicta ſuprà in principio, & per cōſequens, Eccleſia cuius nomine Petrus poteſtatem recepit, & Concilium generale illam repræſentans, poteſtatem habent ſupra Papam, vt ſupra miniſtrum & membrum ſuum, nedum in caſibus in dicto decreto Conſtantienſi expreſsis, ſed etiam in omnibus alijs, arguendo à plenitudine poteſtatis, quam Petrus nomine Eccleſiæ recepit.

Ioan. 21.

O ineptū argumentum.

Paulò antè dixit decretum intelligi de expreſſis in illo.

Nec obſtant præmiſsis notata per Ioannem Andreæ in dicto c. Nemo, 9. quæſt. 3. ibi dum dicit, quòd licèt orbis ſit maior vrbe, quantum ad circuitum, non tamen quantum ad authoritatem: quoniam ſi ſumamus orbem pro vniuerſali Eccleſia in toto orbe conſiſtente, ſicut Hieronymus in c. legimus, 93. diſtin. ſumebat, dicta gloſſa Ioannis, modicum, immò nihil facit ad propoſitum ſuum.

Item opponebatur contra poteſtatem Concilij de his quæ habentur in c. Nunc autem, 21. diſtin. ibi dum dicitur, declaratum fuiſſe per Concilium, ſe non habere poteſtatem proferendi ſententuam contra Marcellinum Papam, de hæreſi, quia thurificauerat idolis, impetitum, quamuis idem Marcellinus thurificationem huiuſmodi confiteretur: ſed ad hoc reſpondetur, quod verba ibi poſita, non ſunt verba Concilij, ſed Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem: & quicquid ibi dicat dictus Nicolaus, veritas eſt, quod Conciliū non omiſit ibi condemnare Marcellinum de hæreſi propter defectum poteſtatis, ſed quia idem Marcellinus per metum coactus fuerat thurificare idolis, & erat corrigibilis, & per conſequens non debebat deponi, 24. quæſt. 1. dicit Apoſt. vt gloſa in dicto c. Nunc autem, dicit, & quòd contra Papam de hæreſi poſsit agi, patet in dicto c. ſi Papa, ibi dum dicit, niſi deprehendatur à fide deuius. & quod iſto caſu, videlicet quando agitur de hæreſi contra Papam, Concilium generale ſit iudex, patet ex notatis per Ioannem Andreæ & Archidiaconum in c. in fidei, de hæreticis libr. 6. immò poteſt etiam conſiderari, quod inquantum Petrus poteſtatem recepit à CHRISTO tantùm ſuprà ſingularia membra Eccleſiæ, iuxta illud, Paſce oues meas: & non ſupra corpus vniuerſalis Eccleſiæ, cuius Chriſtus caput eſt: quandocunque eccleſia eſt legitimè congregata, ſeu concilium generale illam repreſentans, Petrus illi concilio, de quocunque caſu in eodem agatur, authoritatiuè præſidere non poteſt: quia non decet, ſubditum ſuperiori ſuo præſidere, 21. diſt. per totum, c. cùm inferior, de maioritate & obedientia.

En quò iſti prolabuntur.

Sed ideo tunc Cōciliū poteſt cōtra Papam, quia cùm hereticus eſt, deſinit eſſe Papa.

Ioan. 21.

Nec obſtant notata per Ioannem Andreæ in c. graue, de præbendis, ſuper verbo, Nunciando. quoniam loquutur ſecundùm tempora, in quibus ipſe & alij Doctores in terris Eccleſiæ Romanæ reſidentes, reſpiciebant ad poteſtatem Papæ cum duobus oculis, & ad poteſtatem Eccleſiæ & generalium Conciliorum cum vno oculo tantùm. Nec obſtant iura per eundem ibidem allegata, quia ad illa patet reſponſio per iam dicta.

Item opponebatur de hoc, quod Appoſtoli voluerunt Petrum eſſe principem eorum, vt habetur in d. c. In nouo. Sed reſpōdetur, quod Apoſtoli non intendebant ſibi dare nouam poteſtatem, ſed datam ſibi à Chriſto, approbare, vt patet ex notatis per gloſſam in d. §. Hinc etiam, 17. diſtinct. cuius gloſæ ſententia communiter approbatur per Doctores. Sed non legitur, quòd Chriſtus dederit Petro poteſtatem ſupra vniuerſalem eccleſiam, ſed ſupra ſingularia membra eiuſdem. Igitur dicta Apoſtolorum volūtas, de qua habetur in d. c. In nouo, relata ad poteſtatem quam Chriſtus dedit Petro, non probat Apoſtolos dediſſe poteſtatem Petro ſupra vniuerſalem Eccleſiam: nec per conſequens, ſupra Concilium generale illam repræſentans.

Qui dixit Paſce oues meas, neminē vtique excepit Chriſtianum.

Item opponebatur de iuribus, dicentibus quod Papa eſt caput eccleſię, vt habetur in c. fundamenta, de electione lib. 6. cū alijs concordantijs. Sed reſpondetur, quòd illa iura debent intelligi de capite miniſteriali, quod non recepit poteſtatem ſupra vniuerſalem eccleſiam, cuius Chriſtus caput eſt. Nec etiam ſupra concilium generale illam repræſentās, ſed ſupra ſingularia membra ipſius Eccleſiæ.

Item opponebatur, quod Papa habuit præſidentiam in multis Concilijs generalibus, vt patet in c. In nomine Domini, 24. diſt. & in pluribus alijs iuribus, & maximè in c. ad Apoſtolicæ, de re iudicata, libr. 6. cum ibi notatis per Ioan. Andreæ in glo. 1. Sed ad hoc reſpondetur, quod in pluribus antiquis concilijs Papa non fuit præſidens, vt patet in illis, in quibus Romani pontifices non faciebant diffinitiones, ſed concilium, dicendo, placuit concilio. de quibus habetur in c. quæ recipiunt, Placuit, quæ habentur de cōſecratione diſt. 5. & in pluribus alijs ad cuius ſententiæ robur, notandum quod concilum Apoſtolorum, de qua Actuum 6. Petrus ſolus non congregauit, ſed 12. Apoſtoli ſimul, vt patet ibi dum dicitur, quòd conuocauerunt 12. multitudinem diſcipulorum.

Quænam ſunt illa Concilia?

Actor. 6.

Item eſt etiam notandum, quod in illo concilio, de quo habetur Actuum 15. Petrus, licèt ibi fuerit præſens, ſententiam * tamen pronunciauit, ſed Iacobus ſub his verbis, Placuit Apoſtolis & ſenioribus & omni Eccleſiæ, & ibi decretalem epiſtolam ordinauerunt, non Petri nomine, ſed Apoſtolorum & ſeniorum, & declarando iſtum paſſum, poteſt conſiderari, quod inquantum Petrus non recepit poteſtatē ſupra Eccleſiam vniuerſalē, nec per conſequens ſupra concilium generale illam repræſentans, vt ſuprà dictum eſt, conſtat Papam non poſſe habere præſidentiam authoritatiuam in concilijs generalibus, niſi inquātum illa per concilium in quo eſſet, ſibi concederetur: quo caſu non haberet vſum huiuſmodi poteſtatis nomine & authoritate ſua ſed dicti concilij. Nec obſtant iura, probantia quòd Romani pontifices aliàs præſidentiam habuerunt in concilijs generalibus: quoniā illa iura ſunt intelligenda de honoraria, ad beneplacitum conciliorum eis data, facit dictum c. In nomine Domini, 23. diſtinct. ibi, dum dicebat Nicolaus Papa, ſi placet fraternitati veſtræ. & ſi dicatur, quòd Papa habuit præſidentiā in concilijs generalibus, vt in d. c. ad Apoſtolicæ &c. Reſpondetur illud fuiſſe ex conceſsione dictorum conciliorum, ſeu ex permiſsione illorum habentiū vim dictę conceſsionis, aut ex tolerātia patientiæ, & multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta eſſent in iudicio, nō tolerarētur. de præbendis, cùm iam dudum. Quibus attentis, conſtat Papam in concilio generali non habere præſidentiam authoritatiuam, neque honorariam, niſi inquantū à concilio ſibi concederetur, aut permitteretur.

for. * tamē non

A Chriſto eſt authoritas Petri.

Item opponebatur de cap. Non debet, de conſanguinitate

nitate & affinitate, vbi Papa prohibitionem Concilij generalis reducit ad quartum gradum. Sed reſpondetur id ibi fieri per Papam in Concilio generali, ex permiſsione ipſius Concilij, vt ibi patet. quo attento, non probat ille textus, quòd Papa ſit ſupra Concilium, nec quòd diſſoluere poſſit illud ſine conſenſu ipſius Concilij.

Item opponebatur de c.ſtatutum, de reſcriptio. lib. 6. vbi Papa conſtitutionem Concilij generalis de duabus diætis, reducit ad vnam diętam. Sed reſpondetur, quod Papa illud fecit pro bono communis iuſtitiæ, vt miniſter Eccleſiæ, ipſiusque authoritate, & non ſua, & in caſu in quo Concilium generale Eccleſiam repræſentans, non erat congregatum. *Nec id prohibitus id facere ſine conſenſu ipſius Concilij, vt patet in conſtitutione Concilij generalis Conſtan. quæ incipit, Frequens. Quibus attentis, patet illud c.ſtatutũ, non probare, Papam eſſe ſupra Concilium. Nec, quòd Concilium diſſoluere poſsit ſine conſenſu ipſius Concilij, maximè contra prohibitionem ſibi factam per Concilium generale in dicta conſtitutione, Frequens. nec dubiorum per ipſum erga dictam conſtitutionem, Frequens, motorum allegatio, ipſum releuat, quo ad facta per ipſum ſuppoſita, quoniam notoriè dicuntur illa ſuper veritate non fundari: & declaratio dictorum dubiorum, Concilio congregato, ad ipſum Concilium generale pertinet, & non ad ipſum, ſecundùm iura, dicentia quod illius eſt interpretari, cuius eſt condere: nec decet, præſente ſuperiore, quòd inferior dubia erga conſtitutionem ſuperioris mota, habeat declarare ſeu interpretari, 21. diſtin. per totum, c. inferior, de maioritate & obedientia, cap. ne Romani, de electio. in Clementinis.

for * ſed ipſæ

Item opponebatur de verbis dicti c.ſignificaſti, importantibus, quod in ſtatutis Conciliorum generalium apertè intelligitur authoritas Romanæ Eccleſiæ excepta. Sed reſpondetur, quod ex quo authoritas vniuerſalis eccleſiæ, & conſequenter Conciliorum eſt maior, & authoritas Romanæ eccleſiæ minor, vt ſuprà in præcedentibus eſt oſtenſum: neceſſarium eſt dicere, quod authoritas eccleſiæ Romanæ, de qua habetur in d.c.ſignificaſti, miniſterialis eſt eccleſiæ vniuerſalis, quo ad eccleſias particulares, ſicut de Petro dicitur, quod eſt miniſter Eccleſiæ ſponſæ Chriſti, reſpectu eccleſiarum particularium, quibus eccleſia Romana prælata eſt, 21. diſtin. quamuis. quodque ipſa authoritas, vt miniſterialis eccleſiæ vniuerſalis, authoritate illius eccleſiæ Romanæ, in ſtatutis Conciliorum generalium intelligitur excepta, ad declarandum, interpretandum & moderandum dicta ſtatuta ſecundùm varietatem temporum pro bono Reipublicæ quandocunque Concilijs generalibus non congregatis, eccleſiæ Romanæ pro bono reipublicę videtur faciendum: & vocatur dicta Eccleſiæ Romanæ authoritas excepta, apud Doctores & magiſtros epicikeia. quibus attentis, conſtat verba dicti c.ſignificaſti, non fundare, authoritatem eccleſiæ Romanæ eſſe maiorem authoritate Eccleſiæ vniuerſalis, nec per conſequens Conciliorum generalium ipſam repræſentantium. Et per præmiſſa patet reſpõſio ad c.ſtatutum, &c. Conſtitutio, de elect. lib. 6. In quibus Romanus pontifex ſine Concilio generali interpretatur & declarat ſtatuta Cõciliorum generalium, & ad c. Dudum, 3. q. 6. & ad alia iura ſimilia, dicentia eccleſiam Romanam eſſe caput aliarum Eccleſiarum.

Immò & Gerſon fatetur Ro. Pontificẽ eccleſiaſticæ hierarchiæ eſſe principẽ & monarcham.

in,iſtas

Et ſi dicatur, quòd ex quo dicta epieikeia conceſſa eſt Papæ authoritate eccleſiæ vniuerſalis, & cõſequenter Conciliorum generalium, potuit Papa vigore dictæ conceſsionis, derogare dictæ Conſtitutioni Frequens, & illam interpretari ac moderari ac Concilium diſſoluere, & ad alium locum mutare: reſpondetur, quod præmiſſa per Papam fieri non potuerunt vigore conceſsionis dictæ epieikeiæ, attento quod in conceſsione illius authoritas prohibitiua eccleſiæ vniuerſalis, & conſequenter Conciliorum generalium, tanquàm authoritas ſuperioris, fuit excepta: & non eſt licitum inferiori, aduerſus prohibitionem ſuperioris, maxime pro bono vniuerſalis eccleſiæ, vt in caſu dictę cõſtitutioni, Frequens, factam venire: aliàs ſi contrarium diceremus, ſequeretur abſurdum, videlicet quod vigore dictę epieikeiæ eſſet in poteſtate Papæ derogare omnibus cõſtitutionibus ſacrorum generalium Cõciliorum, & omnem bonam politiam eccleſiæ euertere, abſque eo quod ſibi poſſet dici, Tu malè facis: quod non eſt dicendum.

inanias

Vide S. Thomã in Tractatu cõtra impugnãtes religionẽ,

Nec obſtat præmiſsis illa quorundam aſſertio, habens quod Papa eſt caput & paſtor, nedum eccleſiarum particularium, ſed etiam eccleſię vniuerſalis: quoniam ſi Papa eſſet caput & paſtor vniuerſalis eccleſiæ, vniuerſalis eſſet: Epiſcopusque vniuerſalis eccleſiæ appellari poſſet, vt patet ad ſenſum. Sed nec eſt vniuerſalis, nec Epiſcopus vniuerſalis eccleſiæ appellari debet, vt patet per B. Gregorium in c. Ecce, 99. diſt. ſuprà in principio allegato. Igitur dicta aſſertio eſt falſa.

Vbi ait, quiuris poſitiui ſunt, ſubeſſe diſpoſitioni Papæ &c.

Sic eũ vocauit Synodus Chalcedonen.

Præterea ſi Papa eſſet paſtor & caput eccleſiæ vniuerſalis, ſequeretur abſurdum, videlicet quod ipſe eſſet caput & paſtor corporis myſtici eccleſiæ, ſecundùm quod caput in corpore humano, eſt caput & rector illius: quod non eſt, nec eſſe poteſt, cùm Chriſtus ſit caput, Gubernator & Rector eccleſiæ vniuerſalis, vt corporis myſtici conſideratæ: eſſeque duo capita in eodem corpore, monſtrum exiſtat: Igitur arguendo ab abſurditate euitanda, conſtat dictam aſſertionem eſſe falſam.

Chriſtus fundamẽtum eſt, & 12. Apoſtoli fundamenta ſua.

Item eccleſia Romana non eſt vniuerſa, ſed eſt de vniuerſitate corporis myſtici Eccleſiæ, & ſic eſt membrum dicti corporis myſtici, vt patet per B. Gregorium in dicto c. Ecce, cum ibi notatis per gloſam. Igitur ex quo eſt membrum dicti corporis, nõ eſt nec eſſe poteſt caput illius, cum differentia ſit inter caput & membra, c. Cùm non liceat, de præſcriptionibus.

Item ſi Papa eſſet caput eccleſiæ vniuerſalis, ſequeretur abſurdum, videlicet quod Petrus homo peccabilis, recepiſſet poteſtatem ligandi & ſoluedi ſupra ſponſam CHRISTI, id eſt, corpus myſticum Eccleſiæ quod nunquàm peccauit, nec peccare poteſt, ſecundùm ea quæ habentur in c. A recta, 24. q. 1. cum ibi notatis in gloſa. quod non eſt dicendum.

Item ſi Papa eſſet caput vniuerſalis eccleſiæ, eſſet prælatus à Chriſto vniuerſalis Catholicis Eccleſijs per orbem inſtitutis, quę incluſa eccleſia Romana, vnus Thalamus Chriſti ſunt, teſte Gelaſio in c. quamuis vniuerſæ, 21. diſt. Sed nõ eſt ſic, quia non fuit prælatus niſi cæteris eccleſijs à Romana diſtinctis, vt patet in d.c. quamuis.

Item Petrus poteſtatem ligandi & ſoluendi recepit, non nomine ſuo, ſed nomine eccleſiæ, vt miniſter illius. patet per Auguſtinum in c. quodcunque, 24. q. 1. cũ ibi notatis per Archidiaconum in Roſario. Igitur ex quo vt miniſter hanc poteſtatem recepit, non eſt nec eſſe poteſt caput dominæ ſuæ, ſicut videmus in corpore cuiuſuis Eccleſiæ, quod licèt œconomus vel * ſyndicus gerat vices dicti corporis, & in hoc ſit eius miniſter, non eſt per hoc ille caput dicti corporis. Et ſi dicatur quod licèt Petrus non ſit caput principale Eccleſiæ, nec eſſe poſſit, eſt tamen caput miniſteriale. Reſpondetur id eſſe falſum, conſiderato quod eſſet caput, denotat præeminẽtiam & ſuperioritatem, quam miniſter non habet, nec habere poteſt ſupra dominum & dominam, cùm ſit ſub eis, & ſic inferior: & in hoc confutatur opinio illorum, qui dicunt Petrum fuiſſe caput miniſteriale eccleſiæ vniuerſalis: quoniam inquantùm præeminentiam non habuit, nec ſuperioritatem ſupra eccleſiam vniuerſalem, vt corpus myſticum conſideratum, nõ poteſt ratione miniſterij ſibi commiſsi ſupra eccleſias particulares à Romana diſtinctas, dici caput miniſteriale ipſius corporis myſtici, licèt reſpectu eccleſiarum particularium, quæ ſunt membra dicti corporis myſtici, eccleſia Romana & Papa poſſunt dici caput miniſteriale illarum, eo quia ratione miniſterij Petro cõmiſsi, ipſe præeminentiam & ſuperioritatẽ habuerit circa ipſas eccleſias particulares, vt atteſtatur Gelaſius Papa in c. quamuis vniuerſæ, 21. diſt. ibi, dum dicebat, quod quãuis vniuerſæ per orbem Catholicæ eccleſiæ inſtitutæ, vnus thalamus Chriſti ſint, tamen ſancta Romana eccleſia Catholica & Apoſtolica, nullis ſynodicis conſtitutis, cæteris eccleſijs prælata eſt. *In quo eſt notandum, quod nõ dicit quòd eccleſia Romana ſit prælata vniuerſali eccleſiæ, quæ eſt Chriſti thalamus: ſed cæteris eccleſijs particulariter conſideratis, ab eadem Romana diſtinctis.

i. procurator.

Ergo Chriſtus, qui ſe miniſtrũ vocat, nõ eſt ſupra Eccleſiã.

Nunc reſtat reſpondere ad iura prædicta, pro dicta falſa aſſertione allegata: & primò allegatur Gregorius in

* Adde quod ſequitur: Sed Euãgelica voce ſaluatoris noſtri primatũ obtinuit.

c.Con-

c. Conſiderandum, 1. diſtin. ibi, dum dicitur de Petro, quòd Chriſtus eum cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat. Sed reſpondetur, illa verba debere exponi, id eſt, cunctis Eccleſijs particularibus, quoniam illis tantùm Chriſtus Petrum prætulit, & nō Eccleſiæ vniuerſali, vt denotat verbum, cæteris, poſitum in dicto c. quamuis eſtq; dicta expoſitio neceſſaria, propter dictum verbum, cæteris, & etiā propter ea quæ habētur ſecundùm Gregoriū in d. c. Ecce, & vt verba in ſenſu, in quo valere poſſint, & non perire, recipiantur, c. Abbate, de verborum ſignificatione cum alijs concordantijs.

O interpretem:

Item allegatur pro dicta falſa aſſertione c. præcedens Dictum, c. conſiderandum, quod incipit, Hi qui. Sed ſaluā pace allegantis, in dicto c. nihil eſt quòd faciat ad propoſitū ſuum, §. tamen. ſed exceptio præcedens dictum c. conſiderandum. benè habet, quòd Petrus poſt triinam Chriſti negationem, non ſolùm in gradu ſui Epiſcopatus remāſit, verùm etiam in paſtorem totius Eccleſiæ, exponi debēt, id eſt, omnium Eccleſiarum particularium exordium ab ipſo habētium, & à Romana diſtinctarum: quibus tātùm Romana prælata eſt, vt patet in d. c. quamuis. vt verba ipſa in ſenſu, in quo valere poſſunt & nō perire, recipiantur, iuxta dicta ſuprà in reſponſione facta ad c. conſiderandum.

Sed oēs Eccleſiæ particulares faciūt vnā vniuerſalem.

Item allegatur pro dicta falſa aſſertione, c. Petrus. 2. q. 7. Vbi dicitur, quòd Petrus poteſtatem regni acceperat. Sed reſpondetur id verum eſſe, quo ad particulares Eccleſias: non autem quo ad corpus vniuerſalis Eccleſiæ, quæ eſt corpus myſticum, cuius Chriſtus caput eſt: & quòd non receperit poteſtatē regni ſupra corpus vniuerſalis Eccleſiæ, patet per Gelaſium in d. c. quanuis. & per Gregorium in d. c. Ecce, vt ſuprà in præcedentibus fuit oſtenſum.

Nec obſtant notata per Ioannem Andreæ in Clementina Ad noſtrum, de hæreticis, ibi dum dicit, quòd ſicut in Eccleſia triumphante eſt vnum caput ſupremum, ita in Eccleſia militante eſt vnum caput, ſcilicet Papa: quoniam illud quod ibi dicit Io. Andreæ de Papa, intelligi debet reſpectu Eccleſiarum particularium, non autem reſpectu vniuerſalis Eccleſiæ, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Ibi nihil obſtat, quia omnia interpretatur vt vult.

Item allegatur capitulum, fideiuſſor 50. diſtin. Vbi dicit Ambroſius, quòd Petrus tanquàm bonus paſtor tuendum gregē accepit, poſtquàm fidē perdidiſſe defleuerat: quodq; ipſe Petrus paſtor factus erat, vt cæteros fidei ſtabilitate fundaret. & ſubdit ibi, quòd Petrus pro ſoliditate deuotionis, Eccleſia petra dicitur, ſicut ait Dominus, Tu es Petrus &c. Ad quæ reſpondetur, quòd ibi non dicitur Petrus dici petra, ad denotādum quòd Eccleſia fuerit fundata ſuper eum, quoniam fundata fuit ſupra Chriſtum, iuxta illud: Petra autem erat Chriſtus. Sed fuit Petrus dictus petra, ad denotandum quòd primus in nationibus fidei fundamēta per ſuam prædicationem poſuerit, vt in eodem textu dicitur: & ſic præmiſſa, ex dicto textu allegata, ſunt referenda ad regimen & gubernationem Eccleſiarum particularium, non autem ad regimen Eccleſiæ vniuerſalis, quæ eſt corpus myſticum Eccleſiæ: quòd nunquàm indiguit, neque indiget officio paſtorali Petri, cùm illud ſit impeccabile, non habens maculam neque rugam, ſecundùm ea quæ habentur in dicto c. A recta, 24. q. 1. cum ibi notatis in gloſſ. & ad huis ſententiæ propoſitum dicebant Oſtienſis & Ioannes Andreæ in c. à nobis in magno de ſentētia excommunicationis ſuper verbo Eccleſiæ, quòd ille textus debet intelligi de Eccleſia militante ſpeciali, vel Romana, quoniā generalis militans congregata, non poteſt errare, 24. q. 1. A recta fide.

Matth. 16.

1. Cor. 10.

Fruſtrà ergo Chriſtus Petro commiſit oues ſuas.

Nec obſtant alia verba ibi in fine poſita, videlicet, & tanquàm ſaxum immobile, totius corporis Chriſtiani compagem molemque obtineat: quoniam illa verba ſunt referenda ad effectum prædicationis, quæ in Petro fuit fundamentum fidei in nationibus, vt ibi dicitur: eſtque neceſſarium, dicta verba ſic intelligere, vt recipiantur in ſenſu, in quo valere poſſunt, & non perire: & niſi ſic intelligantur, perirent, propter ea quæ habentur in d. c. Ecce, & in c. quanuis vniuerſæ, ſuprà allegatis.

Item allegatur c. Beati, 2. q. 7. Vbi dicitur, quòd meritis Apoſtolorum Petri & Pauli, Roma principatum & caput obtinuit nationū. Ad quod reſpondetur, quòd ſi Roma ibi ſumatur pro Romana Eccleſia, reſpondetur quòd illud, quod ibi dicitur de principatu & capite nationum, referri debet ad Eccleſias particulares in toto orbe conſtitutas: non autem ad Eccleſiam vniuerſalem, quę eſt corpus myſticum Eccleſię, ſupra quod Eccleſia Romana nullum vnquàm obtinuit principatum, vt patet per iam dicta ſuprà.

Certè etiā Gerſon dicit Papam eſſe monarchā & principē Eccleſiaſt. hierarchiæ.

Item allegatur c. Eſt aliud, 24. q. 1. Vbi dicitur, Eſt aliud Apoſtolicum piſcandi genus: quo genere ſolum Petrum piſcari dominus iubet, dicens: Mitte hamum: & cum piſcem qui primò aſcendit, tolle. Ad quod reſpondetur, quod verba illius textus referri debent ad piſcaturam faciendam ſupra cæteras Eccleſias, ſupra quas Romana fuit prælata: non autem ad piſcaturam faciendam ſupra Eccleſiam vniuerſalem, prout eſt corpus myſticum: quoniam illud eſt ſine peccato, & ſic non indiget piſcatura Petri.

Matth. 17.

Item allegatur c. Puto, 2. q. 7. Vbi dicitur, quòd Petrus & Cyprianus fuerūt pares meritis. Sed Petrus fuit in poteſtate maior illo, & quocunque alio Epiſcopo, eo quia ſua poteſtas per ſtatuta vniuerſalis Eccleſiæ eſt firmata. Sed reſpondetur, vt ſuprà, quòd illa quæ ibi dicuntur de poteſtate Petri, referri debent quo ad Eccleſias particulares, non autem quo ad Eccleſiam vniuerſalem: Vt verba illius capituli recipiantur in eo ſenſu, in quo valere poſſunt & non perire, ſicut ſuprà in præcedentibus dictum eſt, & licèt textus ibi habeat, quòd poteſtas Petri ſit firmata per ſtatuta vniuerſalis Eccleſiæ, per hoc tamen non habetur ex illo, quòd Petrus haberit poteſtatem ſupra corpus vniuerſalis Eccleſiæ, quæ eſt corpus myſticum, cuius Chriſtus caput eſt.

Item allegatur c. Hæc eſt fides, 24. q. 1. Vbi dicitur, quòd Papa tenet & fidem & ſedem Petri: ad quod reſpondetur, quòd qui impugnat profeſſionem fidei, quam Papa cōprobauit, nō catholicum, ſed hæreticum ſe cōprobabit: quodq; ſancta Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata permanſit, Domino prouidente &c. in futuro manebit ſine vlla hæreticorum inſultatione, atq; firma & immobilis omni tempore perſiſtit. Sed reſpondetur, quod illud quod ibi dicitur de Eccleſia Romana, quòd ſemper immaculata permanſit, & permanebit, intelligi debet verum, quādiù ligabit & ſoluet iuſtè, claue non errante, vt ſuprà in præcedentibus eſt dictum: & ſic intelligendo. non probant illa verba, nec etiā alia ibi poſita, quòd Eccleſia Romana ſit vniuerſalis Eccleſia, quæ eſt corpus myſticum, cuius Chriſtus caput eſt. Faciunt notata per glo. in d. c. A recta, 24. q. 1. Nec quòd Eccleſia Romana receperit poteſtatem ſupra corpus vniuerſalis Eccleſiæ. Nec etiam, quòd Papa ratione Romanæ Eccleſiæ poſſit dici caput & paſtor vniuerſalis Eccleſiæ.

Ecce gloſſam. Sed Petro dictum eſt, Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.

Item allegatur capitulum, In iſtis, 80. diſtin. vbi dicitur, quòd inter ipſos Apoſtolos nō fuit par inſtitutio, ſed vnus præfuit omnibus. Sed reſpondetur, quòd illa verba, vnus præfuit omnibus, debent intelligi referēdo ad miniſterium Eccleſiarum particularium, non autem ad vniuerſalem Eccleſiam, quæ eſt corpus myſticum, cuius Chriſtus caput eſt, vt patet per iam dicta ſuprà.

Item ad probandum, quòd Eccleſia Romana eſt caput vniuerſalis Eccleſiæ, allegatur capitulum, Non licet, 12. diſt. Ibi dum dicitur, & ſicut Filius venit facere voluntatem Patris, ſic & vos voluntatem implete veſtræ matris, quæ eſt Eccleſia, cuius caput (vt prædictum eſt) Romana exiſtit Eccleſia. Sed reſpondetur, quòd ad illud verbum, cuius, addi debet ſupplendo verbū membrorum: & tunc eſt ſenſus, quòd illi Epiſcopi implere debent voluntatem matris Eccleſiæ, cuius membrorum caput, Romana Eccleſia caput exiſtit: & ſic ſupplendo & intelligendo, non probat ille textus, quòd Eccleſia Romana ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ. Et notandū quòd Calixtus author dicti cap. Non licet, dicit Eccleſiam Romanam eſſe matrem aliarum Eccleſiarum, ab eadem diſtinctarum, ad denotandum quòd non eſt mater vniuerſalis Eccleſiæ, ſecundùm Gregorium in c. Ecce, 99. diſt. & patet etiam per Gelaſium in c. quanuis, 21. diſt. Ibi dū dicebat, quòd quanuis vniuerſæ Eccleſiæ Chriſti thalamus ſint, tamen ſancta Romana Eccleſia cæteris prælata eſt, & nō dicit, quòd Chriſti thalamo, i. vniuerſali Eccleſiæ prælata ſit: debētq; verba huiuſmodi ad hūc ſenſum applicari, quia in alio ſumpta, inducerent abſurditatem, vt patet per iam dicta ſuprà. Et notandum quòd Archidiaconus in Roſario in d. c. Non decet, recitando Bernardum ad Eugenium, circa finem 4. libri dicit, quòd licèt Eccleſia Romana ſit mater Eccleſiarum,

Aliquādo ponitur etiā, decet: quod idem eſt.

Hi Pontifices aliter ſcribunt.

non

non tamen domina: quodque Papa non eſt dominus Epiſcoporum, ſed vnus ex ipſis: quodq; Papa debet ſe conſiderare fratrem diligentium Deum, & participem eorum. & ſubdit ibi Archidiaconus, quod eſt optimum argumentum. In c. * Inuentiones, in principio, quòd Papa non ſit dominus aliorum Epiſcoporum.

Et quare Petrus dictus eſt Princeps Apoſtolorum?

Item allegatur cap. præceptis, in eadem diſtin. 12. Vbi dicitur quòd præceptis apoſtolicis non dura ſuperbia reſiſtatur, ſed per obedientiam, quæ à ſancto Rom. Eccleſia & Apoſtolica authoritate iuſſa ſunt, ſalutiferè impleantur, ſi eiuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ, quæ eſt caput veſtrum, communionem habere deſideratis, & ſequitur ibidem, cuius authoritatis ſanctionem omnes teneant ſacerdotes, qui noluerint ab Apoſtolicæ Petræ, ſupra quam Chriſtus vniuerſalem fundauit Eccleſiam, ſoliditate diuelli. Ad quæ reſpondetur, quod textus in d.c. non probat id, ad quod allegatur. Nec obſtant illa verba, ſi eiuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ, quæ eſt caput omnium veſtrûm: quoniam illa verba, ſi eiuſdem ſanctæ Dei Eccleſiæ, relationem faciunt ad Eccleſiam Romanam, de qua in præcedentibus verbis facta erat mentio. Nec obſtant etiam verba, qui noluerint &c. Quoniam textus ibi dicit, ab Apoſtolica Petræ, non autem Petri: & veritas eſt, quòd Chriſtus fundauit Eccleſiam ſupra petram, quæ Chriſtus erat, & non ſupra Petrum, ſecundùm communem Doctorum opinionem.

O interpretem. Gregorius ibi de Apoſtolica ſede expreſsè loquitur.

Item dicunt illi, in d.c. Non decet, & in ſequenti dicitur, quòd Eccleſia Romana eſt caput vniuerſalis Eccleſiæ & omnium eccleſiarum. Sed ſalua pace ſic dicentium, hoc quòd Eccleſia Romana ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ in d.c. non habetur, conſiderato quòd illa verba, à matre ipſorum quæ eſt Eccleſia, poſita, in d.c. Non decet, legi debent & exponi, vt in reſponſione ad dictum c. Non decet, ſupradictum eſt. Nec verba cap. ſequentis quod incipit, præceptis, hoc etiam habent ſanè intellecta, vt in reſponſione facta ad illud c. oſtenſum eſt.

Immò dicitur caput Eccleſiæ, quæ vbiq; vna eſt, nec poteſt aliter quàm de vniuerſa accipi.

Item dicunt illi, in dictis c. Non decet, & ſequenti, haberi, quòd Eccleſia vniuerſalis eſt fundata ſuper apoſtolicam petram, i. ſupra Petrum & ſucceſſores. Sed hoc ibidem non probatur, vt patet per dicta in reſponſionibus factis ad illa capitula.

Item allegatur cap. Quis neſciat, 11. diſt. Ad quod reſpondetur quod facit cõtra allegantem, inquantum habet, quòd Petrus inſtituit Eccleſias particulares per vniuerſum orbem: & non dicit, quòd Eccleſia Rom. ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ. Nec obſtat quod in eodem c. dicitur, quòd aliæ Eccleſiæ habuerunt initium à Romana: quoniam per hoc non infertur quòd Eccleſia Romana ſit caput vniuerſalis Eccleſiæ, licèt poſſit dici caput aliarum Eccleſiarum particularium ratione poteſtatis traditæ Petro vt miniſtro Eccleſiæ ſuper dictis Eccleſijs particularibus.

Item allegant iſti gloſam dicti c. Quis neſciat, quæ habet, quòd Petrus tribuit poteſtatem Paulo prædicandi. Sed reſpondetur, illud non inferre, quòd Petrus eſſet caput vniuerſalis Eccleſiæ, vt corpus myſticum, cuius Chriſtus caput eſt, conſideratę: & per hoc patet reſponſio ad notata per Archidiaconum in c. Ita Dominus, 19. diſt. Ibi dum dicebat, Petrum alijs Apoſtolis dediſſe poteſtatem prædicandi.

Item mandant illi videri capitulum, Benè quidem, 96. diſtin. quod nõ facit ad propoſitum eorum, niſi reſpectum haberent ad illa verba ibi poſita prope principium, quæ ſunt iſta: Nec adiectione indiget plenitudo quaſi vellent dicere, quòd ex quo Petrus habuit plenitudinem poteſtatis, c. Significaſti, de elect. non poteſt habere aliquam poteſtatem ſupra ſe, niſi Deum: & ad hoc reſpondetur, quòd Petrus nõ habuit dictam poteſtatis plenitudinem nomine ſuo, ſed vice & nomine Eccleſiæ vniuerſalis, cuius miniſter eſt, vt patet per Auguſtinum in c. Quodcunque, 24. q. 1. cum ibi notatis per Archidiaconũ in Roſario, de quo ſuprà in præcedentibus dictum eſt.

Item & ſi forſan habuerint reſpectum ad alia verba dicti c. quæ habent, quòd præſul Eccleſiæ Romanæ merito B. Petri Apoſtoli per vniuerſum orbem primatum obtinet ſacerdotij: reſpõdetur, hoc eſſe intelligendum, quod ad Eccleſias particulares, per vniuerſum orbem conſtitutas, quas ipſa Romana Eccleſia inſtituit, vt habetur in c. Quis neſciat, 11. diſt. non autem quo ad Eccleſiam vniuerſalem, cui Papa tanquàm illius miniſter ſubijcitur, vt ſuprà in præcedentibus deductum eſt. Nec obſtant enim alia verba dicti c. Benè quidem, quæ habent, quòd Papa ſtatutis ſynodalibus conſueuit tribuere firmitatem: quoniam ſi illa verba recipiantur pro ſtatutis ſynodalibus Conciliorum generalium, eſt hoc intelligendum per approbationem reuerentialem, de qua habetur in c. Sicut ſancti, 15. diſt. per quem textum ſatis videtur confutari opinio prædictorum, quoniam ſi authoritas Papæ ſic eſſet ſupra Concilia, vt Concilia generalia legitimè congregata, quòd illorum ſtatuta non poſſent habere firmitatẽ ſine Papæ authoritate, Gregorius non fuiſſet locutus in d.c. Sicut ſancti, de Concilijs generalibus cum tanta reuerentia, cum quanta locutus eſt ibidem.

Certè Damaſus ait, nulla vnquàm Cõcilia rata legi, quæ non ſunt fulta Apoſtol. authoritate.

Item allegant capitulum, Rogamus, 24. q. 1. Ibi dum dicitur, quòd Petrus eſt caput totius Eccleſiæ. Sed reſpondetur illud eſſe exponẽdum, id eſt, omnium Eccleſiarum quæ ab ipſo exordium habuerunt, c. Quis neſciat, 11. diſtin. quoniam quamuis vniuerſæ per orbem Catholicæ Eccleſiæ inſtitutę, vnus thalamus Chriſti ſint, tamen Eccleſia Romana nullis ſynodicis cæteris Eccleſijs prælata eſt, teſte Gelaſio Papa 3. c. Quantis vniuerſæ, 21. diſt. Et notandum, quòd nõ dicit, quòd ſit prælata thalamo Chriſti, nec Eccleſię vniuerſali, quæ eſt Chriſti thalamus, vt ibi: ſed dicit, cæteris Eccleſijs prælata eſt, ad denotandum, quòd omnes aliæ Eccleſiæ à Romana diſtinctæ, non faciunt thalamum Chriſti: ſed Romana & omnes aliæ cum ea, faciunt Chriſti thalamum, & ſic Eccleſiam vniuerſalem. Vnde inquantum cæteræ Eccleſiæ non faciunt Eccleſiam vniuerſalem, & Romana non eſt prelata niſi cæteris ab ea diſtinctis, patet quod non eſt prælata Eccleſiæ vniuerſali, & per conſequens, quòd non eſt vniuerſa, ſed de vniuerſitate corporis myſtici Eccleſiæ, vt dicebat Gregorius in d.c. Ecce, 99. diſt.

Sed Petrus eſt paſtor Ro. Eccleſię, & oim aliarũ, ergo vniuerſę eccleſię.

Item allegant c. Cùm beatiſſimus, 24. q. 1. Vbi dicitur, quòd B. Petrus à Domino recepit principatum. Sed reſpondetur, illud intelligendum quo ad cæteras Eccleſias, quæ à Romana habuerunt exordium: ſed nõ quo ad vniuerſalem Eccleſiam, quæ Chriſti thalamus eſt, vt patet per proximè dicta.

Hoc modo facilè oẽs nodos ſolueris.

Item allegant c. Si Petrus, eadem cauſa, & 9. Vbi habetur, quòd Petrus & non alius ex Apoſtolis, abſcidit aurem Malchi: Ad denotandum, quòd ipſe præ alijs habiturus erat poteſtatem ligandi & ſoluendi. Sed reſpondetur, hoc eſſe intelligendum quo ad particulares Eccleſias, quæ à Romana habuerunt exordium: Non autem quo ad Eccleſiam vniuerſalem, vt patet per iam dicta ſuprà.

Item allegant c. de Conſtantinopolitana, 22. diſt. Vbi dicitur, Si qua culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio quis non ſit Papæ ſubiectus. Sed reſpondetur, illud non probare, quòd vniuerſalis Eccleſia ſit ſubiecta Papæ, attento quòd ibi non ſit ſermo de vniuerſali Eccleſia, ſed de culpis ſingulorum Epiſcoporum Eccleſiarum particularium, à Romana diſtinctarum, qui non faciunt eccleſiam vniuerſalem.

Item allegãt c. Antiqua, de priuilegijs, vbi dicitur, quòd Romana Eccleſia eſt mater vniuerſorum Chriſti fidelium: Sed reſpondetur, illud eſſe intelligendum verum, reſpectu cæterarum eccleſiarum, quibus Romana prælata eſt: nõ autem reſpectu vniuerſalis Eccleſiæ, cui Romana non eſt pręlata, vt patet per iam dicta ſuprà.

Item allegant c. primum de Renunciatione, lib. 6. vbi dicunt * haberi poteſtatem regere vniuerſalem Eccleſiam, & illi præſidere. Sed reſpondetur, quòd illa verba non ſunt ibi diſpoſitiuè poſita, ſed narratiuè, narrando verba quæ illi Curioſi vltra modum dicebant in q. An eſſet illicitum Papę renunciare papatui, quãdo agnoſcebat ſe inſufficientem ad regendam vniuerſalem Eccleſiam. Et ſic cùm non ſint diſpoſitiua, non, non fundant intentionem allegantium.

*f. * haberi, ẽã habere.*

Item allegant c. primum, 22. diſt. vbi habetur, quòd Eccleſia Romana eſt fidei mater. Sed reſpondetur, illud eſſe intelligendum ratione prædicationis, quam Petrus primus poſt Chriſtum in populis exercuit, & Eccleſia Romana alias Eccleſias inſtituit, 11. diſt. Quis neſciat? Et ſic illud non inferre, quòd Eccleſia Romana ſit vniuerſa: nec, quòd Eccleſia Romana fuerit prælata vniuerſali Eccleſiæ. Et per hoc

Si prælata eſt omnibus particularibus, quomodo non & vniuerſæ?

hoc etiam reſpondetur ad dictum Ambroſij, in eodem c. dicentis, quod ipſe profeſſus eſt ſe velle in cũctis ſequi ſanctam Romanam, quoniam iſtud nõ probat, Eccleſiam Rom. fuiſſe prælatam vniuerſali Eccleſiæ.

Item allegant, quòd Chriſtus fundauit Eccleſiam ſuprà Petrum. Sed reſpondetur hoc eſſe falſum, quoniam illa verba & ſuper hanc petram, non referuntur ad Petrum, ſed ad Chriſtum, iuxta id, Petra autem erat Chriſtus.

Matth. 16.

1.Cor.10.

Item allegant c. Ita Dominus 19. diſtinct. cuius verba etiam ponuntur in c. Fundamenta, de ele. lib. 6. Sed ad illud fuit reſponſum in primis reſponſionibus ſuprà ſcriptis.

Item allegant verba per Chriſtum dicta Petro. Sed reſpondetur, quòd per illa Petrus non fuit pręlatus vniuerſali Eccleſiæ, ſed particularibus Eccleſijs, vt ſuprà fuit oſtenſum ſecundùm Gregorium & Gelaſium.

Gregorius & Gelaſi⁹ ſunt contra vos.

Item allegant gloſam c. In nouo. 21. diſtinct. quæ habet, quod Apoſtoli fuerunt pares in conſecratione & ordine, non autem in adminiſtratione. Sed reſpondetur, quòd licèt Petrus fuerit alijs maior in adminiſtratione, hoc nõ infert: & quòd Petrus non fuerit prælatus Eccleſiæ vniuerſali, patet per iam dicta ſuprà.

Item allegant, quod Apoſtoli voluerunt Petrum eſſe principem eorum. Ad quod reſpondetur, nõ reperiri quòd ipſum voluerunt eſſe principem Eccleſiæ vniuerſalis. Nec vnquàm talem principatum habuit à Chriſto, vt patet per iam dicta ſuprà, ſecundùm Gregorium & Gelaſium.

Nota acumen.

Item allegant c. Sacroſancta, 22. diſt. Sed ad illud patet reſponſio per iam dicta ſuprà.

Item allegant gloſas & textus, dicentes quod Papa non habet ſuperiorem in terris. Sed reſpondetur hoc* verum, ſaluo iure thàlami Chriſti, quando Concilium Generale non eſt congregatũ Sed quando eſt legitimè congregatũ, ſuperioritatẽ habet in Papa, vt ſuprà in primis reſponſionibus oſtenſum eſt. Et iſto modo reſpondetur ad notata per VVilhelmum in ſpeculo, tit. de legatis. §. nunc oſtendendũ, verſ. 99. & per Baldum in l. reſcripta &c.

* eſſe

Item allegant Papam impunè poſſe tollere conſtitutionem Concilij Generalis, contra prohibitionem ipſius Concilij Generalis, ſupponentes Papam eſſe paſtorem vniuerſalis Eccleſiæ. Sed ipſorum ſuppoſitum eſt falſum, & conſequenter ipſorum aſſertio ſuper illo fundata, eſt falſa, vt patet per iam dicta ſuprà.

Nihil certi⁹, quàm Papã vniuerſæ Eccleſiæ eſſe paſtorem.

Item allegant c. vbi maius, de elect. lib. 6. in §. cæterùm, vbi dicitur, quod Papa eſt rector vniuerſalis eccleſię. Sed reſpondetur, quòd illa verba, vniuerſalis eccleſiæ, exponi debent, id eſt omnium eccleſiarum particulariũ, membra vniuerſalis eccleſiæ exiſtentium, vt patet ex his quæ habẽtur in c. ecce, 99. diſtin. & in c. quamuis, 2 . diſtin. Eſtque dicta expoſitio neceſſaria, vt patet per iam dicta ſuprà. Prętereà notandum, quod Gregorius X. dicta verba protulit, tempore quo Concilia generalia non frequentabãtur, & ad poteſtatem eccleſiæ vniuerſalis pauci reſpiciebant: & iſto modo poteſt reſponderi ad illa iura, ſi quæ allegentur ad probandum, quòd Papa prælit eccleſiæ vniuerſali: quoniam exponenda ſunt taliter, quòd veritati declaratæ per B. Gregoriũ, in d. c. ecce, & per Gelaſiam in d. c. Quamuis, non obuient. id eſt, contradicant.

Iſti⁹ pontifices nihil faciũt pro vobis.

Item allegant dicta Auguſtini, Gregorij, S. Thomę, Cyrilli & Rabani, & quorundam aliorum. Sed reſpondetur, quod fundantur ſuper verbis dictis Petro à Chriſto, quæ ſanè intellecta iuxta iam dicta ſuprà, nõ fundant Papam præſidentiam habere ſupra corpus vniuerſalis eccleſiæ. Nec obſtant illa verba, Paſce oues meas: quæ ſi intelligantur de paſcuo ſpirituali, illud eſt comprehenſum ſub poteſtate ligandi & ſoluẽdi, quæ data eſt eccleſiæ principaliter, vt ſuprà oſtenſum, attento quod nullus debet prædicare, niſi mittatur ab eccleſia, vel e Petro nomine eccleſiæ. Si autem intelligantur, de paſcuo corporali, tunc cùm illud pertineat ad eccleſiam vniuerſalem, vt patet in Actibus Apoſtolorum, vbi diſtribuebatur, vnicuique prout ſibi opus erat, non cenſetur per hoc Petro amplior poteſtas data, quàm eccleſiæ vniuerſali, & ſic ceſſat argumentum.

Ioan.21.

Petr⁹ Chriſti eſt vicarius.

Acto.4.

Nec obſtat, ſi pro eis dicatur, quod Papa præſidet eccleſiæ Romanæ, c. Licet, de conſtitutionibus, lib. 6. & cæteris eccleſijs quæ faciunt vniuerſalem, vt in d. c. quamuis. quoniam reſpondetur, quod ad hoc quòd Papa præſideret vniuerſali eccleſiæ, requireretur quòd ipſe præſideret capitibus & membris omnium eccleſiarum per orbem inſtitutarum, vt patet in d. c. quamuis. ibi dum dicitur, vniuerſæ. Sed Papa nõ præſidet capiti eccleſiæ Romanæ, quia ſibijpſi præſidere non poteſt. Igitur nõ præſidet vniuerſis eccleſijs vniuerſalem facientibus.

Ecce ad quas ineptias dilabitur, dũ veritatem oppugnatum.

Item allegant c. Si ſummus, de ſententia excommunicationis in Clementinis, vbi Papa dicitur ſummus põtifex. Sed reſpondetur, quod non debemus reſpicere, quid Papa ibi fecit, ſed quid facere debuit: & conſtat, quod non debet ſe appellare ſummum, vt ſuprà in principio fuit probatum. Igitur &c. Et eodem modo poteſt reſponderi ad c. Vbi maius, de elect. lib. 6. Vbi Papa nominatur rector vniuerſalis eccleſiæ: & ſuppoſito ſine præiudicio veritatis, quòd poſſet ſe appellare ſummum, hoc eſſet referendum reſpectu eccleſiarum particularium, nõ autem reſpectu eccleſiæ vniuerſalis, cui non præſidet, vt patet per iam dicta ſuprà. & de poteſtate eccleſiæ dicit Apoſtolus ad Epheſios, quod eccleſia eſt corpus Chriſti & plenitudo eius. Et Auguſt. lib. de ſymbolo, tract. 4. dicit, quod eccleſia eſt ſponſa Chriſti, quodq; totum poſsidet, & à viro ſuo accepit in dotem.

Ecce negat Papã eſſe ſummum põtificem. Sed hæc merces eſt temeritatis.

Epheſ.1.

Quibus attentis, conſtat Papam non eſſe ſupra eccleſiam vniuerſalem: nec per conſequens, ſupra Concilium generale ipſam repræſentans: quodque præmiſsis attentis, non potuit dominus Eugenius Quartus, neque poteſt diſſoluere hoc Concilium Generale ſine conſenſu ipſius Concilij: ſed ei, iuxta decretum Concilij Generalis Conſtantien. & alia ſupradicta, obedire tenetur.

Et ſic eſt finis, atque ſufficit.

Nullum Concilium ex quantacunque Epiſcoporum multitudine conflatum, ei, quem conſtat eſſe Pontificem Romanum, præeſſe, aut iudicium legitimum in illum, (extra cauſam hæreſis) exercere poſſe; ex eoque Baſileenſe Concilium, quod Papam Eugenium deponere conatum eſt, illegitimum meritò iudicandum eſſe, præter Cardinalẽ de Turrecremata libro 2. ſummæ de Eccleſia, & alios multos, probat luculenter Nicolaus Sa. derus libr. 7. de Viſibili Monarchia Eccleſiæ.

EVGENII PAPAE QVARTI EPISTOLAE AD VEL CONTRA SYNODVM BASILEENSEM, HIC SEORSIM CONgeſtæ, & iuxta datas ipſarum, quantum ex ipſis diuinari licuit, digeſtæ.

BVLLA MISSA A DOMINO NOSTRO Papa, Domino Archiepiſcopo Colonien.

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri Archiepiſcopo Colonien. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam ex multorum relatione ſentimus murmurare nonnullos, audita diſſolutione Concilij, ſi quod eſſe congregatum videbatur in ciuitate Baſileen. opinantes forſitan nos ſubterfugere velle Concilium, quod ſemper optauimus fieri & optamus, nos fraternitatem tuam auiſatam fecimus per præſentes, quod illa fecimus cum maturo conſilio & deliberatione iuſtis ex cauſis in literis noſtris expreſsis, quæ non fuerunt fictæ, vt aliqui garriunt, ſed veræ & efficaces fuerunt. Etiam ſunt aliæ cauſæ, quas nolumus ſpecificè exprimere, quia manifeſtari non poſſent ſine quorundam principum nota: ſed ſi omnes aliæ cauſæ defuiſſent, vna potiſsima fuit per ſe omnibus nota, infirma ſcilicet noſtri corporis valetudo. Nos enim qui in minoribus conſtituti, in Conſtantien. Concilio reformare eccleſiam cupiebamus, iam in pontificatu noſtro deſiderium illud noſtrum perficere, & in tam pio opere laborare perſonaliter plurimum affectamus.

mus. Ideo Concilium indiximus in ciuitate Bononien. Neque enim cùm agendum ſit dẽ reformatione vniuerſalis Eccleſiæ, cuius directio & cura principaliter ad nos pertinet, & de nonnullis alijs grauiſſimis rebus concernentibus ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ, nobis inconueniens viſum eſt, tantam rem fieri debere per legatum ſine noſtra præſentia, & venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium. Sed ſicut ei placuit, cuius inſcrutabilia conſilia, grauiſsima perſonæ noſtræ ſuperuenit infirmitas, à qua licèt paulatim conualeſcere incipiamus, tamen non omninò liberati ſumus, ita vt poſſimus ſine certiſsimo mortis periculo ad remotiores partes accedere. Igitur in loco magis vicino Concilium celebrare, & in eo præſidere decreuimus. Quare nemo iuſtè ſuccenſere nobis poteſt, ſi ex omni voluntate Dei quam oſtendit in nobis, illud dicimus, quod ei gratum & vtile Eccleſiæ ſuæ fore non dubitamus. Miramur itaque venerabilis frater de quibuſdam, qui magis quærentes euertere & deformare, quàm ſtabilire & reformare Eccleſiam, hæreſes fouere & bella ſuſcitare, prout hactenùs notoriè fecerunt, quàm præmiſſa extirpare, & in dulcedine pacis reducere: obloquuntur & ſtudent contra voluntatem & decretum noſtrum, Epiſcopos & prælatos in Baſilea ſub nomine Concilij congregare, non vt ibi per eos reformetur, ſed vt penitùs obruatur ſtatus Eccleſiæ, & fides catholica confundatur. Licèt Archiepiſcopi & Epiſcopi, quo ad reformationem in vita & moribus, diffinitiuas voces habeant in Concilio generali, tamen ex iuramento priùs præſtito, parére & obedire mandatis Apoſtolicis ſunt adſtricti: nec remanere Baſileæ qui erant nec de nouo accedere, ſed potiùs ad veniendum Bononiam ſe præparare debuiſſent, poſtquàm decreti noſtri notitiam habuerunt. Plerique ſtare & accedere ſunt coacti, in quibus nec ius, nec authoritas concilij generalis conſiſtit, quorum voces & deliberationes minimè* libent, cùm ab eorum qui compulerunt, voluntate dependeant. Itaque digni non ſunt neque habiles, qui dent legem Eccleſiæ, neque alijs nationibus, neque religioni Chriſtianæ. Nos enim in concilio proximè celebrando Bononiæ in tempore conſtituto vel citiùs quamprimùm ſufficiens numerus prælatorum aderit, videbimus, iudicabimus cum concilio in talibus opportuno ſuper cauſa eorum, qui Baſileæ remanſerunt, vel illuc nouiter acceſſerunt, & inſpirante nos Domino, qui inſpirat iuſta & ſancta conſilia in his, ad quę conciliũ Baſileæ fuit principaliter ordinatum, ſalubriter prouidere conabimur. Quare venerabilis frater, cùm tibi etiã qui in Eccleſia Dei notabile mẽbrum exiſtis, ſolers immineat cura præmiſſorum, qui de veritate rerũ & ſtatu perſonæ noſtræ es pleniùs informatus, qui vides in hoc turbine fluctuantium voluntatum, ſub hac informitate aſſerti concilij, rem Eccleſiæ periculosè committi, quæ maioribus conſilijs indigeret: quibus vtinam omnes debito in tẽpore ſufficere poſſemus. & ſentire potes, nõ per vniuerſalem Chriſtianorum voluntatẽ, ſed per aliquos conſpiratores, ad perniciem Eccleſiæ prælatos, fictiſq; rationibus, coloratiſq; argumentis induci, & nõnullos exquiſitis modis & cominationibus impelli, vt ad id aſſerũ concilium vadant, quod & lapſu temporis & noſtra authoritate eſt diſſolutum: Fraternitatem tuam in Domino exhortamur, quatenus per nuncios & literas tuas, quomodocunque noueris aptiùs conuenire, retrahere procures prælatos circumſtantes, & temporales dominos exhortari, vt ipſos retrahant à dicto aſſerto concilio Baſileen. Et ſi qui iam iuiſſent, hos penitùs reuocare, in quàm maiori numero fieri poteſt, ipſos inducendo, vt ad indictum per nos Bononien. Concilium ſupradictum, vt tenentur, debito tempore quantò citiùs poterunt, venire procurent: & temporales domini ſuos oratores, ad dictum Bononienſe Concilium mittant, qui ſuis honoribus adſint, negotia dirigant, & iuſtis deliberationibus foueant, ſicut de Chriſtiana eorum deuotione ſperamus: quo in tempore tum etiam ad ipſum Bononien. concilium debeas aduenire. Qua in re omnẽ tuæ virtutis conſuetum vigorem excitamus in hac iuſta cauſa Eccleſiæ Dei, vt omnis mundus intelligat, ſancto operi ſanctas te atque feruentes operas poſuiſſe, & nos ad meritos tuos honores feruentiùs animemur, nobis de tẽpore in tempus notificando, quantum (vt ſperamus) virtus tua profecerit, & proſecuta fuerit in prædictis. Datum Romæ apud S. Petrũ, Anno incarnationis Dominicæ 1431. 3. Idus Februar. pontificatus noſtri anno primo.

INFORMATIO MISSA PER DOMINVM NOſtrum Papam ad regem Romanorum per dominum Iacobum Archiepiſcopum Ebredun. deliberata circa modum ſe habendi per dominos Prælatos & alios Baſilea congregatos.

QVIA impoſſibile eſt, ſine fide placere Deo, & ſanctiſſ. dominus noſter ſub continuata religionis Chriſtianę inſtitutione à puero vacauerit fidei obſeruationi, nihilq; ampliùs deſideret, poſt animæ ſalutẽ, quàm ipſius fidei obſeruationem & incrementum: placet [contentatur] eiuſdem ſanctitati, quòd exiſtentes in loco prædicto Baſileen. & qui erunt, authoritate per dominum noſtrum eis concedenda, & præſidentibus nuncijs, ſiue legatis per ſanctitatem ſuam deputandis, intendere poſsint & valeant hæreſum extirpationi, vigentium in partibus Vltramontanis, & potiſſimè Bohemorũ nunc vrgenti, tam per inſtructionem, quàm per reductionem eorum ad ſacroſanctam fidem catholicã, & alijs vijs debitis, licitis & honeſtis: prouiſo tamen, quòd ſi oriantur dubia notabilia, ſeu magna, eiuſdem domini noſtri cum conſilio Concilij & dominorum Cardinalium ſit deciſio authoritatiuè, vel remittantur ad Concilium aliud futurum, vbi dominus noſter perſonaliter intereſſe poſsit, ſi prædicti Baſileen. maluerint.

Item placuit [cõtentabiturq;] domino noſtro, quòd prędicti circa reformationem morum in omni ſtatu Eccleſiaſtico inuigilare habeãt, & aduiſare particulariter, prout Spiritus ſanctus miniſtrabit vnicuique, prouiſo quòd eorum auiſamenta per oratores ſuos ipſi domino noſtro tranſmittant: qui correcto & addito, quod ſuæ ſanctitati videbitur, cõmunicatione facta correctoribus & additoribus exiſtentibus in Baſilea, firmitatem obtineant, prout domino noſtro videbitur, approbantibus vel in Baſilea congregatis: & ſi nõ concordauerit ſanctitas domini noſtri cum prædictis, remittantur ad futurum aliud Concilium, in quo dominus noſter intereſſe poſsit, vt per hæc & alia debitus honor ſedi Apoſtolicæ ſeruetur, & ei deferatur.

Item quia pacis bonũ inter omnia deſiderabile eſt, cùm non niſi pacis in tempore benè colatur pacis author, placuit [contentatur] domino noſtro, quòd prædictis omnibus ad auiſandum ſe de pacis procuratione interponant, media ad eam quęrant, & eidem efficaciter intendant, ſalua ſemper in omnibus prędictis ſanctæ ſedis Apoſtolicę authoritate: Cui deuotè obſecundare tenentur, qui Chriſtiano nomine gloriantur. Et proptereà remittenda eſt ei deciſio ſaltem, vt ſuperiori capitulo continetur.

Item quòd omnia & ſingula, requiſitiones, exhortationes, monitiões, citationes, dierum appoſitiones & proceſſus incepti, & qui inciperentur poſt præſentium conceſsionem per Baſileæ congregatos, contra quaſcunq; perſonas cuiuſcunque dignitatis, aut cõditionis exiſtant, ſiue ſtatus, & omnia per quæ, ſiue quorum medio, ſiue authoritate ad ipſos, vel ipſas ventura eſt, pro non factis habeãtur, perindeq; ſit, ac ſi nullo vnquàm tẽpore facta, facti, ſeu factæ extitiſſent: ita quòd omnia remaneant in ſtatu, in quo erant ante dictã congregationem Baſileæ, & etiam omnes monitiones, citationes & proceſſus incepti in audientia contradictarum & alibi authoritate Apoſtolica, & qui inciperentur poſt præſentium conceſsionem contra dictos Baſileæ congregatos, ſeu ſingulares eorundem, qui ibidem erant, exiſtant aut fuerint, habeantur pro non factis, ac ſi nunquàm eueniſſent, ſiue facti, aut factæ extitiſſent, ita quòd in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in vera pace, charitate non ficta, & bona vnione animarum, modo & forma præinſertis, & non aliter nec in alijs cum maturitate debita procedatur, vnà cum legatis domini noſtri Papæ deputandis.

Item paratus eſt dominus noſter abbreuiare tempus Concilij proximè futuri Bononiæ, & etiam locum mutare, dummodò fiat in terris Eccleſiæ immediatè ſubiectis in Italia, vbi dominus noſter cum ſacro collegio poſsit perſo-

na liter præſidere, iuxta Concilium in Baſilea exiſtentium, & ibidem poterunt conuenire & Papa & dominus rex perſonaliter in Concilio, vbi multa bona fieri poterunt, quæ fieri non poſſent ſine Papæ ad minus præſentia.

TENOR LITERARVM APOSTOLICARVM DE *poteſtate Legati Papæ moderni præſiden. Concilio.*

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Iuliano S. Angeli diacono Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamprimùm fuimus diuina fauente clementia ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, venit nobis in mentem, quantum mũdo vtilis & neceſſaria Eccleſiæ legatio tua, cum qua fuiſti per ſedem Apoſtolicã deſtinatus ad Alemanię & nonnullas alias partes pro cauſa fidei & ordinatione Cõcilij generalis, & alijs commiſſionibus ſpecialibus de rebus magnis & arduis, datis circumſpectioni tuæ. Propterea placet nobis, & volumus vt legationem huiuſmodi pro cauſa fidei & alijs ſpecialibus commiſſionibus tibi factis, quãtum tibi gratia diuina conceſſerit, continues atq; perficias cum illis modo & forma, poteſtate & facultatibus tibi datis atque conceſſis, per felicis recordationis Martinum Papam Quintum prædeceſſorem noſtrum, prout in eius literis pleniùs continetur. Circa verò negotium Concilij Generalis, quia in pluribus mutationem eſſe factam ſentimus, omnia quæ emerſerint vel ad notitiam tuam peruenerint, celeriter nobis ſcribas cum conſilio tuo, qualiter in talibus prouidendum & agendum eſſe videatur, ſignificando nobis omnem illarũ rerum ſtatum particulariter & diſtinctè:

Datum Romæ apud S. Petrum, 4. Idus Martij, pontificatus noſtri anno primo.

BVLLA REVOCATIONIS PER COMMISSIO*nem factam domino Cardinali Legato, de Concilio cum cauſis inibi expreſsis.*

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Iuliano S. Angeli diacono Cardinali, ſedis Apoſtolicæ legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſtquàm diuina clementia ad apicem ſummi apoſtolatus, licèt immeriti, aſſumpti fuimus, nihil dignitati noſtræ & amplitudini ſedis Apoſtolicæ magis conuenire putauimus, quàm omni ſtudio & diligentia proſequi, vt perſonæ Eccleſiaſticæ, quantum humanę fragilitati cælitùs permiſſum eſt, per ſemitam Ieſu Chriſti incedentes, abiectis illecebris cum ſynceritate religionis & fidei vitam honeſtam ducerent, & Deo, prout profeſſi ſunt, ſeipſos veris effectibus dedicarẽt.

Proœmiũ pro reformatione cleri.

Quod conſiderantes, & in animo noſtro ſæpiùs repetentes, ac ea quæ per felicis recordationis Martinum Papã v. prædeceſſorem noſtrum, circa celebrationem Baſileen. Cõcilij iuxta ordinationem Conſtan. ſynodi inſtituta fuerunt, qui tibi in dicto Baſileen. Concilio præſidendi, & huiuſmodi Cõcilium, ſi & quando prudentiæ tuæ videretur diſſoluendi, & pro alio Cõcilio iuxta ſtatuta præfata ſynodi in decennio celebrando, alium locum aſsignandi, plenam per varias ſuas literas dedit facultatem, Deo propitio, abſoluere & perficere intendentes, de venerabilium fratrum noſtrorũ conſilio, circunſpectioni tuæ, ex quo in ingreſſu tuo ad Alemaniæ partes nulli prælati in Baſilea pro celebratione Concilij erant cõgregati, dedimus in mandatis, vt intereà circa expeditionem contra Bohemos hæreticos, tibi etiam cõmiſſam vacares, & deinde ad ciuitatem Baſileen. dicti Cõncilij locũ accederes, & ibidem noſtro & Eccleſiæ nomine præſideres.

Cõmẽdatio legati.

Verùm licèt ad opprimendam dictorum hæreticorum perfidiam, omnia à te prudenter & ſolicitè geſta ſint, & nihil ad hoc ſanctum opus pertinens, prætermiſſum, tamen occulto Dei iudicio permiſſum eſt, vt infelix ac turpis illa catholicorum fuga ſequeretur, poſteaquàm præmiſsis dilectis filijs magiſtro Ioanne * Polomar palatij Apoſtolici cauſarum auditore, ac Ioanne de * Raguſcio in Theologia magiſtro & ordinis fratrum Prædicatorum procuratore, ad dictam ciuitatem profectus es, & omnia iuxta deſiderium cordis noſtri circa reformationem cleri, extirpationẽ hæreſum, pacem & ſalutem Chriſtianorum, quantum in te fuit, efficere procuraſti. Tandem cùm poſt lõgam tuam moram, requiſitis inſuper à tua circũſpectione prælatis & alijs, parua ibidem congregatio facta fuit, de conſenſu eorum qui in dicta ciuitate exiſtunt, dilectum filium Ioãnem Pulchripatris in Theologia magiſtrum canonicum Biſuntin. pro plena informatione diſpoſitionis Cõcilij ac belli & turbationis illarum partium, ad nos & dictos fratres noſtros deſtinaſti, quẽ vnà cum dictis fratribus noſtris, licèt infirmitate grauati, libenter audiuimus, & omnia per ipſum tam nobis vnà cum præfatis fratribus quàm commiſſarijs noſtris ad eũ audiendum per nos poſteà deputatis, facũdè & prudẽter explicata plenè intelleximus. Qui enarrauit inter cętera, quòd in partibus Alemaniæ ſpecialiter clerus multipliciter deformatus erat, quodq; peſtis illa Bohemica ad multas Alemaniæ partes ſerpens, venenum ſuum effuderat, & partes illas tam deteſtabili labe inquinauerat. Quodque etiam exinde in partibus Baſileæ in finibus ſcandala ſuborta erant, cùm nonulli oppidani ſectam Bohemorum imitantes, clerum perſequerentur, & crudeliter trucidarent. Addidit præterea alias difficultates & pericula, quæ ex bello inter dilectos nobiles viros Philippum Burgundiæ & Fredericum Auſtriæ Duces proueniebãt. Nam hi armis decertantes, terras dictæ ciuitati propinquas habentes, aſſerunt tranſitum ad Baſileam, ſine formidine & periculo fieri non poſſe. Præterea celebrationem Concilij & reformationem Eccleſię plurimum opportunam eſſe aſſerebat. Quæ omnia ac plura alia ſatis nota, quæ honeſtatis gratia prætereunda & * ſubijcienda ſunt, conſiderantes, quamuis anteà varijs nuncijs ac literis cognita nobis eſſent, ac exiſtimantes ob tot difficultates & pericula prælatos forſitan tanto tempore expectantes, Baſileam non veniſſe, ſeptenniumque in quo congregari debebant, elapſum eſſe, & ſi de nouo vocarentur, pericula & difficultates prædictas allegarent, nec ad ſubeunda huiuſmodi pericula honeſtè cogi poſſent, ac etiam verſantes in animo noſtro, quòd cum tot facultatibus, impedimentis & periculis, hyems etiam inſtat, & noua vocatio ad Concilium celebrandum, quam idem Ioannes Pulchripatris affectare videbatur, fruſtrà fieret, niſi aliquod conueniens temporum ſpatium interponeretur. Cumque etiam his proximis diebus chariſsimus in Chriſto filius noſter Ioãnes Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus nuncupatus, oratorẽ ſuum ad nos & pręfatos fratres noſtros deſtinauerit, qui exponendo nos requiſiuit, vt iuxta ordinationem dicti prædeceſſoris pro vnione Oriẽtalis Eccleſiæ cum Romana & Occidentali Eccleſia Cõcilium celebraretur: noſque conuentiones & ordinationem dicti prædeceſſoris etiam cum conſilio dictorum fratrum noſtrorum approbantes, ipſiſque Græcis poſtulantibus, iuxta cõuentiones dicti prædeceſſoris, expenſas galearum eos ad Concilium conducere, & ipſo finito, ad partes ſuas reducere debentium, & alias expenſas opportunas & neceſſarias obtulerimus: multaque etiam loca Italiæ, cùm alibi pro Gręcis commodè fieri nõ poſſet, pro celebratione dicti Cõcilij, eorumque reductione ad ritum Roman. Eccleſiæ per nos oblata fuerint, dictuſque orator nos certos effecerit, Imperatorem & Patriarcham pręfatos alios ſuos oratores cum plena poteſtate tranſmiſſuros eſſe, qui ex oblatis in Italia locis aliquem præſertim cum plena poteſtate Bononiam acceptabunt, prout ad præfatum prædeceſſorem ante ſui obitus notitiam trãſmittebant. Cumq; ſi noua prælatorum vocatio, vt præmittitur, fieret, hæc duo cõcilia vno propè tempore cõcurrere videantur: & ſi ea diſiuncta fieri & celebrari cõtingeret, vnum ex altero debilius & minoris efficeretur authoritatis: hęc inſuper vnà cum dictis fratribus noſtris animo noſtro cõtemplantes, cùm in vniuerſa republica Chriſtianorum nihil deſiderabilius contingere poſſet, quàm videre Græcos tanto temporis interuallo à dicta Roman. Eccleſia diſiunctos, ſub ritu ipſius Eccleſiæ & veritate catholicæ fidei reductos eſſe, & illã Græciæ nationem, quæ tot ſanctos patres & viros egregios & ſapiẽtes genuit, qui humano generi tam ſacratarum quàm ſecularium literarum ſeminarium dederunt, Rom. Eccleſiæ vnitam, & ſub ipſius vnico ouili reductam, his & alijs rationabilibus cauſis inducti, tam reformationem cleri & eccleſiæ ac extirpationem hęreſum, ac paci & tranquillitati Chriſtianorũ

quàm

quàm etiam Græcorum reductioni, quæ omnia ſummis deſideramus affectibus, prouidere perſonaliter valeamus, circumſpectioni tuæ ipſum Concilium, ſi quòd adhuc pendere videatur, diſſoluendi: & nihilominùs ante diſſolutionem huiuſmodi in ciuitate noſtra Bononien. vbi Deo authore perſonaliter intendimus præſidere, vſq; ad annum cum dimidio à die diſſolutionis huiuſmodi cõputandum, nouum Cõcilium indicendi, aliudq́; pro tempore decennij iuxta ordinationem dictæ Cõſtantien. ſynodi in loco, vbi tibi cum cõſilio eorum, qui in Baſilea pro Concilij cauſa exiſtunt, videbitur, ſimiliter indicẽdi, ac omnia alia in præmiſsis agendi, diſponendi, ſtatuendi, exequendi & cõcludendi, quæ pro ſtatu & honore noſtro, & dictæ Romanæ Eccleſiæ, ac pace & tranquillitate reipublicæ Chriſtianæ noueris profutura, plenam & liberam de ipſorum fratrum, videlicet Iordani Sabinen. Antonij Oſtien. &* Velletten. Hugonis Prẹneſtin. Epiſcoporum, & dilectorum filiorum noſtrorum, Ioannis tituli ſancti Laurentij in Lucina, Antonij tituli S. Marcelli, Ioannis tituli S. Sixti, Franciſci S. Clementis, Angelotti tituli S. Marci presbyterorum, Lucidi S Mariæ in Coſmedin, &
*Ardecini Arcidini ſanctorum Coſmæ & Damiani, ſanctæ Rom. Eccleſiæ diaconorum Cardinalium conſilio, authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem pariter ac poteſtatem, ratum & gratum habituri, quidquid per te ſuper præmiſsis propoſitum, deliberatum, ordinatum, ſtatutum, ac decretum & conſultum fuerit, idq́ue faciemus, authore Domino, vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1431. 2. Idus Nouembris, pontificatus noſtri anno primo.

Ego Iordanus epiſcopus Sabin. Domino noſtro præfato aliqualiter impedito, ac de eius mãdato præſentibus præſcriptis dominis Cardin. manu propria ſubſcripſi.

Ego Iordanus epiſcopus Sabin. nomine meo proprio ſubſcripſi.

Ego Antonius epiſcopus Oſtienſis manu propria ſubſcripſi.

Ego H. epiſcopus Præneſtin. nomine meo proprio ſubſcripſi.

Ego Ioannes tituli S. Laurentij, ſubſcripſi.

Ego Antonius tituli S. Marcelli, ſubſcripſi.

Ego Ioannes tituli S. Sixti presbyteri Cardinalis, me ſubſcripſi.

Ego Franciſcus tituli S. Clementis presbyter Cardinalis, ſubſcripſi.

Ego A. tituli ſancti Marci presbyter Cardinalis, ſubſcripſi.

Ego Lucidus Cardinalis de comitibus S. Mariæ in Coſmedin, ſubſcripſi.

Ego Ardecinus ſanctorum Coſmæ & Damiani diacon. Cardinalis, ſubſcripſi.

LITERA REVOCATIONIS CONCILII, publicata Romæ & alibi.

EVGENIVS &c. ad futuram rei memoriam. Vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam
ſal.115. alto & incomprehenſibili Domino reddere conſtituimus vota noſtra in cõſpectu omnis populi, & in atrijs ſanctis ei⁹, poſtquàm claues Domini ſuſcepimus, & B. Petri nauiculam gubernamus, ſuppreſsi magno pondere, inter proceſloſos mundi motus eſſe videmur conſtituti. cõtuemur enim ſubortam iſta tempeſtate prophanam hẹreſim Bohemicorum, quaſi venenum inficere præcordia fidelium, inq́; dies mortali contagio ſerpere, taxareque animos titubantium populorum, & Græcorum errores, ad quorum extirpationem ſalubribus experimentis prouidebatur, propter emergentia incommoda perdurare hoſtes adorandæ crucis ab Aſia & Africa inter Europam vaſta cæde atque calamitate inualeſcere cõtra populum Chriſtianum. & ipſos principes populoſque fidelium inter ſe concertantes deſæuire, & clerum in diuerſis mundi partibus reformatione plurima indigere. His igitur prophanis malis afflictati, clamare cogimur ad
al.72 Dominum: Excita potentiam tuam, & veni, vt ſaluos facias nos. Deus conuerte nos, oſtende faciem tuã, & ſalui erimus: Domine Deus virtutum, conuerte nos. His & alijs cogitationibus lanіantibus mentem noſtram, alta nos cura ſollicitat, * quod tot malis obſtare & Chriſtianæ ſaluti prouidere poſſumus. Et dum affectionem noſtram flagrantiſsimam attendimus, vehementiſsimè concitamur: dum verò gerendarum rerum magnitudinem, loca & tempora mẽſuramus, neceſsitatem conditionis humanæ recordamur, quoniam res tam arduas, tamq́ue difficiles, luſtrare breui ſpacio non valemus: attento maximè, quòd dum Fe. Re. Martinus Papa v. prædeceſſor noſter, dilectum filium noſtrum Iulianum S. Angeli diaconum Cardinalem, pro celebratione Baſileen. Cõcilij ad ipſam ciuitatem Baſileen. deſtinaſſet, dum nulla adhuc ibi congregatio prælatorum facta foret, ipſe Cardinalis, ne interim tempus vacuum deduceret, verſus Bohemiam ſe tranſtulit, ſicut habuerat in mandatis, ſicuti demùm facta occulto Dei iudicio Catholicorum fuga, præmiſsis ad ipſam ciuitatem Baſileen. dilectis filijs Ioãne * Polomari palatij Apoſtolici cauſarum auditore, & Ioanne de * Baguſia in Theologia magiſtro ordinis Prædicatorum procuratore, Cardinalis profectus ad ipſam ciuitatem, requiſitiſq́ue prælatis partium diuerſarum, paruaque ibidem cleri congregatione ſequuta, de conſenſu eorum qui in dicta ciuitate exiſtunt, dilectum filium Ioannem Pulchripatris in Theologia magiſtrũ Canonicum Biſuntin. ad nos & dictos fratres noſtros tranſmiſit, qui nobis inter cætera facunde & prudẽter explicauit, ſignificauitq́; deformationem cleri in partibus illis, & nefandam ipſius hẹreſis peſtem pullulare indies, & iam vſq; ad partes Baſileæ proximas aduenіſſe, ſequutis inde ſcandalis & cladibus abominandis: nam hæreſis prædictæ imitatores, clerũ inſequentes, aliquos turpiter expulerunt, & nonnullos inhumaniter trucidàrunt. Addidit etiam diſcrimina principatus guerræ inter dilectos filios nobiles viros Philippũ Burgundiæ & Fredericũ Auſtriæ Duces, aliaſq; difficultates, ex quibus tamen nouã prẹlatorum vocationem ad Baſileam affectare videbatur. Nos quidẽ examinantes cõditionem mundi, temporum & locorum, quod inſtat tempus hyemis, quodq́; loca circumſtantia Baſileam, potiſsimè verſus Auſtriam & Burgũdiam, minus eſſe trãſitu ſecura ferebantur, vnde veriſimile fuit, prælatos in Baſilea diutiùs expectatos non veniſſe, qui etiã conſideratis difficultatibus, temporũ ineptitudine, pericula bellorum nõ veniendi rationes allegare poſſent. Et ſi qui pauci veniſſent, tractandis rebus multis & magnis nõ ſufficerẽt: quodq́; præterijt tempus ſeptennij, in quo ſecundum ſtatuta Conſtantien. Concilij, ſine alia vocatione debebant congregari. Super hæc omnia, quæ animo noſtro verſabamus, quia propter certas cõuentiones vnionis & reductiõis Grẹciæ Orientalis eccleſiæ in Romana & vniuerſali eccleſia, initas & tractatas inter ipſum prædeceſſorẽ noſtrum & ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, de quorum numero eramus, & oratores in Chriſto Ioannis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitan. illuſtris, & venerabilis fratris noſtri Ioſeph apud Græcos Conſtantinopolitani Patriarchæ, ipſi Imperator & Patriarcha his diebus ſuos ad nos & præfatos fratres noſtros oratores trãſmiſerunt, requiren. ex tractatis eiſdẽ pro vnione & reductione prẹdictis, quod ſicuti cũ prẹdeceſſore noſtro & fratribus eiſdem conuenerãt, dignaremur exequi, & in loco eis apto generale Conciliũ facere cõuocari. Requiren. etiam præmiſſas expenſas, & alia ſibi ſecundùm dictas cõuentiones promiſſa. vnde nos & oblationes propter executionẽ tanti boni, pro aduenturis prælatis & oratoribus eorum ad Italiam, pro manſione, & pro ſuo reditu ad Græciam, pro galeis & alijs neceſſarijs obtulimus impenſas opportunas. Cum quibus Græcis, dum nominata fuiſſent Roma, Ancona & Bononia, & alia Italiẹ loca, demũ licèt Roma nobis & fratribus noſtris commodior extitiſſet in Bononiam putamus aptiùs conuenire, quæ propter habilitatem nauigationis eorũ, & propter aditum viciniorẽ Vltramontanorum ad Italiã, capacitatem loci & alias cõditiones, idonea reputatur: quò præfati Patriarcha & Imperator ſolennes ſuos oratores ad nos trãſmittere promiſerũt, ſicut ante notitiã obitus præfati noſtri prædeceſſoris tranſmittebant. Conſiderantes itaq; prædicta, & quòd in tota republica Chriſtianorum nihil ſanctius & optabilius eſſe poteſt

quàm Græcam Eccleſiam, olim tot ſanctis & viris Eccleſiaſticis clariſsimis illuſtribus, dimiſsis erroribus, reductã videri ad ritum Roman. & vniuerſalis eccleſiæ: comprehendimus neceſſarium eſſe, ad conueniens ſpatium temporis in Bononiam generale Concilium conuocari. Nam ſi prælati Baſileam de nouo vocarentur, qui cõuenire non poſſent ſine temporis interuallo, vtrunq; Conciliũ ferè vno tempore concurreret, & ſic vtrunque minoris authoritatis haberetur, nec prælati in vtroq; poſſent intereſſe, nec poſſet vtrunque generale conciliũ nominari. Vnde pro ipſorũ commoditate, ne bis habeant cõuenire, & cauſis ſuperiùs declaratis, & alijs magnis & vrgentibus, ſuis loco & tempore declarandis, magis bonum minori præponen. nos de conſilio & aſſenſu venerabilium fratrum noſtrorum, Iordani Sabinen. Antonij Oſtien. Hugonis Præneſtin. Epiſcoporum, Ioãnis tituli ſancti Laurentij in Lucina, Antonij ſancti Marcelli, Ioannis tituli ſancti Sixti, Franciſci tituli ſancti Clementis, Angelotti tituli ſancti Marci presbyterorum, Lucidi ſanctæ Mariæ in Coſmedin, & Ardecini ſanctorum Cæſmæ & Damiani diaconorum eiuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, per literas noſtras directas ipſi Cardinali ſancti Angeli legato, vt ſuprà aliás Cõcilium ſi quod in Baſilea congregatum videretur, ex cauſis prædictis diſſoluendum, & aliud (vt prædicitur) in anno cũ dimidio à die publicationis earundem literarum, in præfata ciuitate Bononia celebrandum, indicendum & publicandũ, & ſequens aliud Concilium in decennio à die diſſolutionis ipſius Baſileen. Concilij, iuxta ordinationem Conſtantien. ſynodi, in ciuitate Auinionen. enunciandum & ſtatuendũ decreuimus: & quia poſt tranſmiſſionem præfatarum noſtrarum literarũ ad notitiã noſtrã peruenit, vltra eã q̃ ſuperiùs cõtinentur, præfatos Bohemos hæreticos in Conſtantien. Concilio tam maturè atque ſolenniter condemnatos, & in Senen. Concilio ac per diuerſos proceſſus ſedis Apoſtolicæ & legatorum eius, ſubſequenter aggrauatos & reaggrauatos, cum inuocatione etiã auxilij brachij ſecularis, & publici belli indictione multiplici, quouſque toti orbi pluſquàm notiſsimum eſt, catholicæ fidei eſſe notorios hoſtes & perfidos inimicos armatos, hæreſes pertinaciſsimè & inflexibiliter defendẽtes, fuiſſe inuitatos Baſileam ad diſputandum & contendendum ſuper articulis in præfatis Concilijs generalibus, & per proceſſus Apoſtolicos tam ſolenniter (vt præfertur) condemnatos, in iniuriam autoritatis Apoſtolicæ, ſacrorumq; Conciliorum prædictorum contra decreta ſanctorum patrum, & ſtatuta legum imperialium, ciuilibus audientiam expreſsè denegantium, & alia diuerſa ſcandala & pericula imminere, vt eo citiùs ad terminum currant & veniant ipſorum Cõciliorum, quo citiùs præmiſſa fuerint publicata: ex nunc tenore præſentium de ipſorum noſtrorum fratrum Cardinalium conſilio & aſſenſu, Concilium ſi quod (vt præmittitur) Baſileæ congregatum videatur, de Apoſtolicæ poteſtatis noſtræ plenitudine diſſoluimus & totaliter liberamus, aliudq́ue Concilium in anno cum dimidio à die datæ præſentium computando, in præfata ciuitate Bononien. quam ad hoc cognouimus aptam quamplurimùm, vt præfertur, indicimus, publicamus, & tenore præſentiũ declaramus. In quo cum præfatis fratribus noſtris, dante Domino, intendimus intereſſe & perſonaliter præſidere. Et nihilominus in decẽnio, aliud ſimile Concilium iuxta ſtatuta Conſtantien. ſynodi de eorundem fratrum noſtrorum conſilia & aſſenſu, in ciuitate Auinionen. ſimiliter extunc indicimus, publicamus & declaramus, in nomine Ieſu Chriſti filij Dei, cuius precioſiſsimo ſanguine ſaluati ſumus, & cuius * populi ſalutem totis affectibus adſpiramus, vobis vniuerſis & ſingulis Patriarchis & Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis & clericis, quorũ intereſt, vbicunq; conſtitutis, diſſolutiones & indictiones huiuſmodi notificamus, voſq; & veſtrũm quemlibet requirimus & monemus per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, & in vim iuramenti præſtiti in conſecrationibus veſtris, & in virtute ſanctæ obedientiæ ac etiam Apoſtolica authoritate noſtra vobis præcipimus & mandamus ſub pœna excommunicationis & alijs pœnis iuris, quatenùs in anno vno cum dimidio à datis præſentium (vt præmittitur) cõputando, ad præfatam ciuitatem Bononiẽſem pro hoc ſacroſancto Cõcilio celebrando, & ſubſequenter in decennio prædicto in ciuitate Auinionen. debeatis perſonaliter conuenire, quos omnes præſentis ſcripti inſtantia atq; decreto intendimus eſſe monitos, peremptorieque citatos, ac ſi veſtrûm ſingulis directæ fuiſſent noſtræ monitoriæ literæ ſpeciales. Nulli ergo liceat, &c. noſtræ diſſolutionis, liberationis & citationis infringere. Datum Romæ apud S. Petrum 15. Kalend. Ianuarij, pontificatus noſtri anno primo.

Sic etiam Leo 1. noluit ſemel definita, ruſus in diſputationẽ reuocari. Vide eius aliquot epiſtolas.

* auxilio

LITERA APOSTOLICA AD REGEM SVPER Concilij diſſolutione.

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſsimo in Chriſto filio Sigiſmundo Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ regi illuſtri, ſalutẽ & Apoſtolicam benedictionem. Cum paſtorali officio, cui diſponente domino præſidemus, & ſedis Apoſtolicæ authoritati nihil magis conuenire putaremus, quàm tota mente incumbere, & efficaciter proſequi, vt perſonæ Eccleſiaſticæ per ſemitam Ieſu Chriſti incedentes, abiectis illecebris, cum ſynceritate religionis & fidei vitam honeſtam ducerent, & Deo prout profeſsi ſunt, ſeipſos veris effectibus dedicarent, dilecto filio noſtro Iuliano ſancti Angeli diacono Cardinali, ſedis Apoſtolicæ legato, de venerabilium fratrum noſtrorum conſilio, per noſtras certi tenoris literas dedimus in mandatis, vt ad ciuitatem Baſileen. accederet, & ibidem ſi prælatorũ congregatio facta eſſet, noſto & Romanæ eccleſiæ nomine præſideret, & inquantum in eo eſſet, reformationem cleri, hæreſum extirpationem, ac pacem & ſalutem fidelium procuraret. Verùm licèt in propoſito cõſtantes ſimus, & putemus Concilij celebrationem neceſſariam eſſe: tamẽ certis rationabilibus cauſis inducti, in ſchedula præſentibus intercluſa denotatis, de eorundem fratrum conſilio huiuſmodi Concilium, ſi quod cõgregatum videatur, diſſoluendũ eſſe mandauimus, & iuxta tenorem dictæ ſchedulæ diſſoluimus, & in ciuitate noſtra Bononienſi, vſque ad annum cum dimidio à die diſſolutionis huiuſmodi computandum, celebrandum eſſe decreuimus. Quæ tibi præcipuè ſignificare voluimus, quia ante omnes principes fidei defenſores, & fidelium pacem, ac ſtatum eccleſiæ, & conſeruationem authoritatis noſtræ & ſedis Apoſtolicæ procurare debes, ſerenitatem tuam rogantes, vt ſi pro ardore tuæ regiæ deuotionis, & pro tua ſapientia aliqua auiſamenta excogitaſti, & intereà etiam cogitaturus es ad pacem fidelium, & Chriſtianæ religionis ſtatum, & honorem Eccleſiæ pertinentia, ea ſuo tempore per tuos oratores exponere placeat. Et quia inter cætera in dicto Concilio agitanda, Græcorum reductio tractanda eſt, precamur ex corde clementiam & ſerenitatem tuam, vt chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ioannem Romeorũ Imperatorem illuſtrem, & venerabilem fratrem Ioſeph à Græcis Patriarcham Conſtantinopolitanum nuncupatum, per literas & oratores tuos incitare velis, vt quemadmodũ ſuis literis & nuncijs nobis promiſerunt, oratores ſuos cum plena poteſtate ad Concilium huiuſmodi tranſmittant. Super quibus & certis alijs, ardua noſtra & Romanæ Eccleſiæ negotia cõcernentibus, ad ſublimitatem tuã ſolennem ambaſiatã deſtinauimus, quæ de omnibus, præſertim de ardenti deſiderio noſtro, circa fideliũ pacem procurandam, eandem tuã ſublimitatem noſtro nomine certiùs & particulariùs informabit. Quod autem ad nos attinet, fili chariſsime, ita noſtras cogitationes noſtroſq; conatus in hoc ſanctiſsimum opus, Deo authore, perſonaliter conferemus, vt nihil in noſtro pontificatu huic Dei cauſæ præpoſuiſſe videamur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ 1431. decimoquinto Kalendas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno primo.

LITERA DOMINI NOSTRI PAPAE, PRAESENtato ſacro Concilio per Ambaſiatores dominorum electorum imperij, miſſos ad Papam.

EVGENIVS &c. Ad futuram rei memoriam.

Ad ſanctam Petri ſedem diuina diſponente clementia euocati, ſalutem, tranquillitatem & pacem totius gregis Dominici, nobis ex alto crediti, iuxta paſtoralis

officij

officij debitum, indefeſſis ſtudijs affectantes, ad ea maximè dirigimus aciem mentis noſtræ, per quæ, licèt diuerſis conſilijs, prout rerum & temporum varietas perſuadet, ad eundem tamen ſalutis optatum finem, hoc eſt, ad * vnitatem eccleſiæ præſeruationem, extirpationem hæreſum, eiuſdemq́; reformationem, pacem & ſalutem Chriſti fidelium ac Chriſtianæ Reipublicæ valeamus, ſublatis diſſenſionum fomentis, authore altiſſimo, peruenire. Sanè licèt in ſeptennium per generalium Conſtantienſis & Senenſis Conciliorum ſtatuta ordinationesq; fel. record. Martini Papæ V. prædeceſſoris noſtri, Baſileñ. Concilium abſq; alia vocatione congregari debuiſſet, & nullatenus prorogari, ac dilectus filius Iulianus ſancti Angeli diaconus Cardinalis, per ipſum prædeceſſorem ad extirpandum perfidiam hæreſum Bohemorum principaliter deſtinatus extitiſſet, cum poteſtate ipſi Baſileenſi Concilio præſidendi, ſi in tempore congruo & debito prælatorum condecentem copiam reperiret, ac * ſubſequeretur per nos poſt noſtrum ad Apoſtolatus apicē aſſumptionem, ad prædicta peragenda confirmatus, tamen pluribus exactis menſibus, etiam poſt ſeptennium antedictum, pauci tamen tam prælati quàm doctores & magiſtri, in dicta Baſileeñ. ciuitate conuenerant, prout percepimus ex relatu dilectiſſimi filij Ioannis Pulchripatris, ad nos venerabiles fratres noſtros ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales per dictum & eoſdem prælatos doctores & magiſtros deſtinati, aſſeruiſſetq; ipſos propter numeri paruitatē, tot tantarumq; rerum peragendarum mole inſufficientes penitùs videri, & inhabiles ad verſutias hæreticorum & eorum fallacia argumenta defendendi: Quodq́ue ibi non erant regum atq; principum Oratores, cum quibus de Concilijs & pacificatione tractaretur: Locum etiam Baſileenſis ciuitatis minimè tutū videri, propter plura loca eis vicina, quę Bohemorum hęretica labe infecta erant: Inſuper ad ipſam ciuitatem Baſileenſem dicebat tutum non patere acceſſum, propter ſubortum bellum inter dilectos filios nobiles viros Burgundiæ atque Auſtriæ duces. Quare præfatus Ioannes dictorum Cardinalis & congregatorum nominibus nobis ſupplicauit, vt cùm veriſimiliter propter cauſas prædictas prælati eo minimè conueniſſent, ipſos vocare, & eis præcipere: Reges verò & principes ac etiam Græcos hortari vellemus & inuitare, vt Baſileam accederent, vel Idoneos mitterent Oratores, per quos poſſit hæreſis Bohemorum, quæ armata dicebatur, extirpari, reductio Græcorum fieri, & pax ac tranquillitas Chriſtiani populi pertractari. Præterea dum eramus in minoribus in conclaui pro celebrāda futuri pontificis electione vnà cum eiſdem fratribus conſtituti, nos verbo adſtruximus illo in loco Concilium celebrare, ſiue celebrari facere, in quo maiori parti ipſorum fratrū magis vtile, expediensq́ue & opportunum videretur: ac dictis fratribus viſum fuerit melius, Concilium prædictum ad ciuitatem Bononienſem commutari: idcircò quia prædictis cauſis & alijs, quas honeſtatis gratia tacuimus, commoti, ne tantùm bonum ampliùs differretur, vt in ipſo Concilio poſſemus perſonaliter intereſſe, de fratrum prædictorum conſilio & aſſenſu, cùm Baſileæ nulla viderentur præparamenta, ſed potiùs impedimenta ſubeſſe, Conciliū huiuſmodi ad præfatā ciuitatē Bononien. commutauimus, ſperantes quòd ad eam nobis cum præfatis fratribus & noſtra curia, ac chariſſimo in Chriſto filio Romanorum regi illuſtri, cùm in Italia eſſet, prout nunc eſt, facilior eſſet acceſſus. Quodq́ue conuenientibus ibidem nobis ambobus, eſſet in prædicto Concilio prælatorum & principum numerus copioſus, ac etiam doctores & magiſtri ad tantum pondus idonei, quibus Romana curia & ipſa Bononienſis ciuitas plurimum ſunt refertæ, ſtatusque Romanæ eccleſiæ propter abſentiam noſtram longinquam vtique in periclitatione quò ad temporalia proculdubiò extitiſſet, faciliùs poſſe conſeruari videbatur. Græci inſuper, quos ipſi Baſileæ exiſtentes, nos vt vocaremus ad Concilium, ſunt hortati, commodiùs Bononiam accedere potuiſſent, quàm Baſileam, tum propter maris propinquitatem, tum quia * tam ipſis Græcis conuentum erat de loco Concilij in Italia eligendo: tum etiam, quoniam nobis & Eccleſiæ facilior eorum ſuſtentatio extitiſſet, cùm præfatus prædeceſſor & nos etiam perantea expenſas ipſis pro eorum acceſſu & receſſu ad Concilium obtulerimus. Verùm quia ex plurimorum fidelium relatione percepimus, quòd plura quæ tunc Baſileæ Concilij celebrationem impediebant, vtique ceſſârunt, (nam primùm Domino concedente, ipſorum ducum bella ſublata ſunt, & aliqui pro parte Bohemorum Baſileam veniſſe dicuntur, quod nobis eſt gratiſſimum, ſi contingat eos ad Catholicam fidem reuerti: quodq́ue etiam ibidem nunc eſt prælatorum ac magiſtrorum maior ſolito numerus) & nobis per Roman. regem præfatum ac venerabiles fratres & electos filios nobiles viros electores ſacri Romani Imperij extiterit ſupplicatum, vt conſentire vellemus, Baſileæ generale Concilium celebrari, pro bono vniuerſalis Eccleſiæ militantis: Nos iudicantes non eſſe repræhenſibile, ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatuta quandoq́ue variantur humana, ne bonum ſi quod Baſileæ fieri poſſet, aliquatenus impediatur, dicta diſſolutione Concilij non obſtante, ſtatuimus, volumus & mandamus de eorundem fratrum conſilio, quòd Baſileæ ſacrum generale Concilium per noſtros legatos illuc quanto citiùs tranſmittendos, & qui nomine noſtro ibidem præſideant, celebretur. Et cum præfati electores obtulerunt circa libertatem & ſecuritatem Concilij ſe taliter curaturos, quòd nos & per nos mittendi, & alij ad ipſum Concilium conuenturi, poterimus contentari, committimus eiſdem, & tenore præſentium mandamus, vt ipſi curam, diligentiam & ſolicitudinem ſecuritatis & libertatis prædictarum, ac cuſtodiam tam loci Baſileenſ. quàm Concilij, & maximè legatorum quos illuc proficiſci contigerit, in ſe ſuſcipiant, præſtent, & ita circa illos vacent & intendant, ac vacari & intendi faciāt & procurent, vt tutus & liber ad præfatam ciuitatem Baſileenſem omnibus acceſſus pateat reſidentibus pariter & receſſus. Interim verò Baſileæ conuenientes, ad extirpandam hæreſim Bohemorum, ac ipſos ad ſanctam fidem Catholicam reducendum, pacem & concordiam inter cunctos Chriſti fideles tractandum, intentos exiſtere volumus & mandamus. Hæc autem omnia volumus ad omnium deducere notitiam, & valuis palatij noſtri Apoſtolici ac baſilicæ principis Apoſtolorum vrbis affigi, & ad diuerſas mundi partes etiam deſtinari, ad prædictorum notitiam pleniorē: mandantes omnibus & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, cæteriſq́ue eccleſiarum & monaſteriorum prælatis, ac omnibus & ſingulis alijs, qui ad Concilia generalia venire tenentur, vt in Baſileenſi Concilio infra trium menſium ſpatium à die datæ præſentium computandum, debeant conuenire. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

for. * vnitatis

for. * ſubſequenter

* cum

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Dominicæ incarnationis 1432. 16. Kalend. Martij, pontificatus noſtri anno ſecundo.

LITERA PAPAE AD IMPERATOREM REſponſiua ſuper factis Concilij negatiua.

EVGENIVS, &c. Chariſſimo in Chriſto filio Sigiſmundo Roman. Hungariæ, &c. Salutem, &c. Recepimus literas tuas de manu equitatoris tui, præſente dilecto filio, &c. Goiſvvino literarum Apoſtolicarum ſcriptorę familiare noſtro & Capellano tuo. In quibus ex ardenti zelo fidei & deuotionis tuæ erga religionem Chriſtianam & Eccleſiam Dei, cuius aduocatus & defenſor exiſtis, & ex ſyncero beneuolentiæ filialis affectu, quem erga perſonam noſtrā geris, ſerenitas tua videtur plurimùm perturbata, & plena eſſe ſolicitudinis & timoris propter diſſolutionem Concilij, ſi quod videbatur eſſe congregatū in ciuitate Baſileen. ad quā diſſolutionem, & indictionem alterius per nos factā, nos cum conſilio & aſſenſu venerabilium fratrum noſtrorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ex iuſtis & rationabilibus cauſis cum magna deliberatione & maturitate proceſſimus, conſideratis omnibus, quæ in re tanta conſideranda fuerunt: de quibus, cùm ad Vrbem veneritis, per viua colloquia nos & præfati Cardinales clariùs informabimus & certificabimus ſublimitatem tuam: Non dubitantes pro tua ſapientia ſingulari, te, nobis auditis de prædictis fore benè contentum: & Domino noſtros animos inſpirante, nos tecum, & te nobiſcum concordes in optima & ſalutari ſententia permanſuros. Aduentus autem tuus ad Italiam & ad

vrbem, de quo fuimus ante per plures tuas literas certiorati, dudum deſideratus & gratus eſt nobis, dum tamen ad has Italiæ partes ipſum aduentum pacificum facias, ſicut hucuſque feciſti. Sperauimus ſanè, ſicut de Nurenberga nobis ſcripſiſti, te tuos perantea Oratores deſtinare debuiſſe, quos ſummoperè adueniſſe voluiſſemus ad hoc, vt tam de perſona tua honoranda in eius præuia coronatione, quàm de pacifico tuo aduentu, paternum cum eis tractatum potuiſſemus habere, qui ſuper hac materia & reformationis Concilij, quam ſemper optauimus, & ſuper nonnullis alijs negotijs & arduis concernentibus honorem Dei, pacem fidelium & vniuerſum ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ, cum ſerenitate tua cupimus communicare conſilia noſtra, & diſpoſiti cum omni ſyncera beneuolentia & charitate recipere & honorare perſonam tuam: quam, dum eſſemus in minoribus conſtituti, præcipua affectione dileximus. Nec eam veterem beneuolentiam in nobis diuturnitate temporis, nec dignitatis mutatione cognoſcis eſſe mutatam, nec aliqualiter diminutam. Cæterùm ad præſentiam tuam aliquem de noſtris antè non miſimus, expectantes, ſicut prædiximus, vt per Oratores tuos nunciares nobis aliquid de diſpoſitione & aduentu tuo. Cùm verò Oratores tui venerint, videbimus & audiemus eos libẽter, & ad te continuò trãſmittemus noſtros oratores ſolennes, qui celſitudinem tuam de optima voluntate noſtra certiùs viuis relatibus informabunt. Data Romæ 6. Kal. Febr. pontificatus noſtri anno 1.

SEQVITVR BVLLA CAPITVLORVM INITOrum & concluſorum inter dominum noſtrum Papam & prædictos Oratores.

EVGENIVS, &c. Ad futuram rei memoriam.

Quoniam Dominus Dei filius, de cœlis ad terram deſcendens ad ſaluandum genus humanum, inter cętera diuina præclariſſima documenta, tanquam pacis mediator, pacem diſcipulis ſuis reliquit, cuius ſanctum fructum quaſi ſubſtantia vitæ terminus conſeruare humanam ſocietatem, vnde Fides augetur, Spes ſubleuatur, & Charitas ampliatur, cùm ſit directiua iuſtitiæ, regnorum, principatuum, omniſque ſpiritualis & temporalis ſtatus valida & robuſtiſsima conſeruatio: Nos moniti ipſius Dei filij ſalutaribus documẽtis, pacem tanquam bonorum omnium productricem ſemper optauimus & optamus pro vniuerſali bono ſanctæ Eccleſiæ Dei, totiusque populi Chriſtiani. Vt itaque omnis mundus intelligat, ſynceritatem noſtræ affectionis ad tranquillitatem & quietem Reipublicæ Chriſtianæ, continuis meditationibus & affectibus adſpirare, deductus inter nos & chariſſimum in Chriſto filium Sigiſmundum Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ regem illuſtrem, certis tractatibus multa bona concernentibus, demùm cum dilectis filijs nobilibus viris Matikone Comite Krevuineñ. & Capitaneo Manderalbeñ. & Caſpare Slik regio vicecancellario, & terrarum Egræ Capitaneo, eiuſdem regis Oratoribus, habentibus ab ipſo Rege ſufficiens mandatum, infrà ſcripta capitula & omnia in ipſis contenta ſeruabimus, quæ de verbo ad verbum fecimus hîc inſcribi, quorum tenor ſequitur & eſt talis:

Ioan. 14. Locus obſcurus.

In Dei nomine, Amen. Infrà ſcripta ſunt capitula, conuentiones & pacta, inita & firmata inter ſanctiſſimum dominum noſtrum Eugenium Papam IV. ex parte vna, & magnificos viros cõſiliarios, procuratores, legatos ac Ambaſiatores ſereniſſimi principis & domini Sigiſmundi Romanorum regis ſemper Auguſti, ex parte altera: de quorum mandato publico plenè conſtat per literas regias, ſuo pendente ſigillo ſigillatas, * videbitis magnificos Matikonem Comitem * Nevuineñ. & capitaneum Manderalbeñ. ac Caſparum Slik vicecancellarium dicti domini regis, & capitaneum terrarum Egræ, anno Domini 1433. die ſeptima menſis Aprilis, indictione 11. pontificatus ſanctiſsimi domini noſtri prędicti domini Eugenij Papæ quarti anno 3.

for. * videlicet

In primis dictus Comes Matiko & Caſpar prædicti procuratores & procuratorio nomine dicti domini regis Sigiſmundi, promiſerunt dicto domino noſtro Eugenio, ſtipulantes & recipientes tam ſuo quàm Eccleſię * quòd ipſe ſereniſſimus rex Sigiſmundus per totum præſentem menſem Aprilis veniet Viterbium, vbi ipſe inueniet ſanctiſſimum dominum noſtrum Eugenium, & vt verus eius ſpiritualis filius, dicto tempore ibidem ipſum viſitabit.

for. * nomine q

Item promiſerunt procuratores procuratorio nomine, quo ſuprà, ipſi ſanctiſſimo domino noſtro Eugenio, ſtipulantes & recipientes, vt ſuprà, quòd ipſe dominus Rex præſtabit perſonaliter Papæ omnia illa iuramenta, & alia faciet ad quæ tenetur, tam de conſuetudine, quàm de iure, ſiue etiã eius legato aut legatis, per ſuam ſanctitatem ſpecialiter deſtinando ſeu deſtinandis.

Item promiſerunt dicti procuratores, quòd ipſum iuramentum per ipſos procuratores hodie in generali conſiſtorio præſtatum, in propria perſona & perſonaliter iterum ipſe Rex præſtabit ſanctiſſimo domino noſtro Eugenio, vel eius legato, ſeu legatis, ſpecialiter deſtinato, ſeu deſtinandis, non obſtante dicta proteſtatione iuramenti per procuratores ipſos antè facta.

Item promiſerunt dicto nomine quo ſuprà, quòd dominus Rex veniet ad viſitandum ſanctiſſimum dominum noſtrum Viterbium, vel ad vrbem, ſolùm & duntaxat cum comitiua & familia ſua, quam in pręſenti habet Senis, dummodò nullum ſcienter ducat hoſtem vel inimicum Eccleſiæ, vel domini noſtri Eugenij Papæ quarti, vel rebellem Romani populi. Et ex inanimaduertentia aliquem ſecum duxerit, vel aliquos, illos ſua maieſtas ad inquiſitionem domini noſtri Papæ, ilicò licentiet & remittat.

Hoc loco ſubiunctam oportuiſſet Eugenij Quarti de venerabili Sacramento Epiſtolam. Verùm cùm epiſtola iſta ſuperiùs inter Appendicias Concilij præſentis epiſtolas, ſub numero 171. epiſtolio cuidã ſynodi Baſileenſis aliundè excerpto inſerta eſſet, eandem hic repetere neceſſarium viſum non eſt.

EVGENIVS, &c. Ad futuram rei memoriam.

Die Lunæ 12. Octob. fuit pſentata bulla præſentata p dominũ Imper. certis deputatis Concilij 1433.

Dudum ſacrum generale Baſileenſe Concilium pro reformatione morum, extirpatione hęreſum, & pace populi Chriſtiani, per generalium Conſtantienſ. & Senenſ. Conciliorum ſtatuta ordinationemq; felicis recordationis Martini Papæ Quinti prædeceſſoris noſtri ac noſtram inchoatum, ex certis cauſis in literis noſtris tunc expreſſis, ad ciuitatem Bononienſem de fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu cum ſubſcriptione commutauimus. Verùm cùm ex dicta commutatione nonnullæ diſſenſiones ſubortæ videantur, ac nonnullas ex dictis cauſis, quibus ad huiuſmodi commutationem, ſeu diſſolutionem faciendam principaliter moti fuimus, aliter iam ſe habere cognoſcamus, nihilque aliud optemus, quàm vt ſublata omni materia diſſenſionis, ad hæreſes, bella, & morum deformitates, de populo Chriſtiano extirpandas ſalubriter intendatur, ad Concilium etiam ad inſtantiam chariſſimi in Chriſto filij noſtri Sigiſmundi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. regis illuſtris, de fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium conſilio, volumus & contentamur, præfatum generale Baſileenſe Concilium à tempore inchoationis ſuæ continuatum fuiſſe & eſſe, proſecutionemque ſemper habuiſſe & continuari, proſecutionemque ad prædicta habere debere, perinde ac ſi nulla commutatio, tranſlatio, ſeu diſſolutio facta fuiſſet: quinimò pręfatam commutationem, tranſlationem, ſeu diſſolutionem reuocantes, ipſumque Concilium Baſileenſe purè ſimpliciter & cum effectu ac omni charitate amplectimur, quo viribusque illud promouere ac omni fauore proſequi intendimus: ita tamẽ, quòd præſidentes ad noſtri præfati Concilij præſidentiam admittantur cum effectu, ac omnia & ſingula contra perſonam, authoritatem ac libertatem noſtram, & ſedis Apoſtolicæ ac venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſię Cardinalium, & aliorum quorumcunque nobis adhærentium in dicto Concilio facta & geſta, per dictum Cõcilium priùs omninò tollantur, & in priſtinum ſtatum reducantur. Sicque vna mente & vno ſpiritu cum charitate & puritate ad ea, quæ præmiſſa ſunt, in dicto Concilio procedatur. Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, &c. Kalen. Auguſti, anno incarnationis Dominicæ 1433.

Ego

Ego Antonius tituli ſancti Marcelli manu propria ſubſcripſi.

Ego Iordanus epiſcopus Sabinenſ. ad fidem manu propria ſubſcripſi.

Ego Lucidus ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

EVGENIVS,&c. Venerabilibus fratribus Bartholomęo Archiepiſcopo Spalaten. Chriſtophoro epiſcopo Cervien.ac dilecto filio Nicolao ſanctæ Marię de Moniacis Montiſregalis diœceſis monaſterij Abbati, Salutem, &c. Cùm vos ad petendum quæcunque in Baſileen. Concilio cótra perſonam, authoritatem ac libertatem noſtram & Apoſtolicæ ſedis ac venerabilium fratrum noſtrorum S. Romanæ Eccleſıæ Cardinalium, & aliorum quorumcunq; nobis adhærentium facta & geſta, per dictum Concilium reuocaſi & in priſtinum ſtatum induci per literas noſtras deputauerimus: idcircò ad tollendum omnem diſſenſionis ſcrupulum, vobis in euentum reuocationis prædicta omnia & ſingula, quæ per nos ſeu authoritate noſtra contra dictũ Concilium, ſeu ſingulares perſonas dicti Concilij, cuiuſcunque ſtatus, præeminentiæ ſeu conditionis exiſtant, etiam ſi ſint dictæ Eccleſiæ Cardinales, quouis modo facta & geſta eſſent, etiam ſi de eis vel eorum aliquo habenda eſſet in literis noſtris mentio ſpecialis, reuocandum pariter & in ſtatum priſtinum reducendum authoritate Apoſtolica de prędictorum fratrum noſtrorum conſilio, plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem: volentes quod in executione prædictorum, duo ex vobis, tertio abſente, vel aliàs quomodolibet impedito, ſeu non intereſſente, procedere valeatis, ratum & gratum habituri, quidquid in præmiſsis & circa præmiſſa per vos ſeu duos ex vobis, vt pręmittitur, fieri & exequi contigerit: idq́ue faciemus vſque ad ſatisfactionem condignam, authore Domino, inuiolabiliter obſeruari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ 1433. idibus Auguſti, pontificatus noſtri anno tertio.

Ego Antonius tituli ſancti Marcelli, manu propria ſubſcripſi.

Ego Iordanus Epiſcopus Sabinen. ad fidem manu propria ſubſcripſi.

Ego Lucidus ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconus Cardinalis, ſubſcripſi.

¶ *Bulla præſidentium.*

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Iordano Sabinenſi & Petro Albanenſ. epiſcopis, ac dilectis filijs Nicolao tituli S. Crucis in Hieruſalem, & Angelotto tituli S. Marci presbyteris ſanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Apoſtolicæ ſedis legatis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Alta nos cura ſolicitat, dum vnicè ſedis cui diuina voluntate præſumus, ponderoſum anxiæ ſeruitutis officium cogitamus, & dum pro neceſſitate gerendarum rerum, his quæ præſentiam noſtram exigunt, non poſſumus præſentialiter intereſſe, humanæ carnis infirmitatem aduertentes, his rebus adducimus promptum ſpiritum, vt quantũ in nobis eſt, grata Domino ſeruitia conferamus. Dudum ſiquidem ſacrum generale Baſileen. Concilium pro reformatione Eccleſiæ, extirpatione hæreſum, & pace populi Chriſtiani, iuxta generalium Conſtantien. & Senen. Conciliorum ſtatuta, ordinationemq́; felic. record. Martini Papæ V. prædeceſſoris noſtri, celebrari mandauimus. Cumq; nihil magis optemus, quàm ipſum Concilium felicem habere progreſſum, & ad debitum finem perduci, noſq́; propter debilitatem corporis noſtri ad ciuitatem Baſileen. per tãta terrarum ſpatia in præſentiarum tranſire nó poſsimus: vos fide, bonitate, vitę integritate & ſapientia pręclaros, conſilij magnitudine conſpicuos, ac in maximis noſtris & Eccleſiæ præfatæ negotijs diuturna experientia comprobatos, prout etiam ante decreuimus, legatos noſtros & ſedis Apoſtolicę cum plena & omnimoda poteſtate legatorum de latere de fratrum noſtrorum conſilio, authoritate Apoſtolica tenore præſentium conſtituimus & ordinamus, voſq́; ad ciuitatem Baſileen. ad præſidendum in dicto Concilio tanquam pacis Angelos, prouidimus deſtinandos. Idcircò vobis & illis, ſeu illi ex vobis, quos vel quem in dicto Baſileen. Concilio pro tempore contigerit intereſſe noſtro & ſedis Apoſtolicæ nomine & authoritate in dicto Concilio præſidendi, necnon omnia & ſingula, quæ ad generalem reformationem Eccleſię in capite & in membris & pertinẽtibus ad ea, extirpationem hæreſum, pacem & concordiam principum & totius populi Chriſtiani noueritis pertinere, promouendi, proponendi, atq; cum conſenſu, deliberatione & approbatione præfati Baſileen. Concilij tractandi, ordinandi, deliberandi, concludendi, ſtatuendi, diſponendi, terminandi, decernendi, decidendi, declarandi & exequendi. Inſuper contradictores omnes & rebelles, cuiuſcunque ſtatus, gradus, præeminẽtiæ vel conditionis exiſtant, & quauis eccleſiaſtica vel mundana, etiam ſi regali, Cardinalatus vel pontificali pręfulgeant dignitate, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Et ſuper his auxilium brachij ſecularis inuocandi, præſertim chariſsimi in Chriſto filij noſtri Sigiſmundi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac Hungarię & Bohemiæ regis illuſtris, qui tam ex dignitatis ſuę debito, quàm iuramenti nobis præſtiti, ad hoc noſcitur obligatus. Necnõ omnia alia & ſingula cum conſenſu, deliberatione & approbatione dicti Concilij, vt præmittitur, agendi, gerendi & faciendi, q̃ in pręmiſſis & circa pręmiſſa, & tam circa modum & ordinationem celebrationis præfati Baſileen. Concilij, & omnium & ſingulorum in eo agendorum, eorum deciſionem, perfectionem & executionem videritis neceſſaria fore, aut quomodolibet opportuna. Et quę Romani pontificis & ſedis Apoſtolicę nomine in generalibus Concilijs pręſidẽtes, in prædictis, ſeu circa prædicta per omnia gerere & facere conſueuerunt, & poſſunt, de prædictorũ fratrum noſtrorum conſilio, authoritate prædicta plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem, ratum & gratum habituri, quicquid ſuper præmiſſis per vos, ſeu illos vel illum ex vobis, quos vel quem in præfato Concilio (vt præmittitur) intereſſe contigerit, vnà cum eodem Baſileenſi Concilio deliberatum, ordinatum, concluſum, ſtatutum, diſpoſitũ & decretum fuerit. Idq́ue faciemus ad ſatisfactionem condignam, authore Domino, inuiolabiliter obſeruari. Quocirca circunſpectioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs iniunctum vobis miniſterium laboris huiuſmodi pro Dei atq; noſtra & ſedis Apoſtolicæ reuerentia ſuſcipiẽtes, illud iuxta datam vobis à Domino prudentiam exequamini, quo fructus optati veniant, quos ſperamus: voſq́ue illam, quæ pias cauſas agentibus ſuperna retributione impenditur, gloriam conſequamini felicitatis æternæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1433. decimooctauo Calendas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno tertio.

EVGENIVS epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Ioanni Archiepiſcopo Tarentino, & Petro epiſcopo Paduano, ac dilecto filio Ludouico Abba. monaſterij S. Iuſtinæ Paduanæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm ſacrum generale Baſileenſe Concilium, iuxta Conſtantien. & Senen. Conciliorum ſtatuta celebrari mandauimus, dilectum filium Iulianum S. Angeli, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconum Cardinalem, eidem Concilio noſtro & ſedis Apoſtolicæ nomine, prout etiam per felicis recor. Martinum Papam V. prædeceſſorem noſtrum, ad id deputatus fuerat, pręſidere mandauimus. Poſtmodùm verò venerabiles fratres noſtros Iordanum Sabinen. & Petrum Albanen. necnon dilectos filios Nicolaum tituli S. Crucis in Hieruſalem, & Angelottum tituli ſancti Marci, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Epiſcopos & presbyteros Cardinales, ad huiuſmodi Concilij præſidentiam etiam deputauimus, prout in literis noſtris ſuper inde confectis pleniùs continetur. Cumq́; aliqui expòſt deputati, ex nonnullis rationabilibus & honeſtis cauſis adhuc occupati, ad dictum Concilium necdum iter arripientes, forſitan venire tardarent, nolentes proſecutionem dicti Concilij aliquatenùs impediri vel etiam differri, vos ſeu illos ex vobis, quos in dicto Cócilio pro tẽpore contigerit intereſſe, fide, bonitate, prudẽtia pręclaros, ac in ma-

gnis noſtris & præfatæ Eccleſiæ negotijs longa experientia comprobatos, ad præſidentiam dicti Concilij noſtro & A- poſtolicæ Sedis nomine, loco dictorum Cardinalium, & in ipſorum vel aliquorum aut alicuius ex ipſis abſentia de fra- trum noſtrorum conſilio deputamus cum omnimoda po- teſtate dicto Concilio vnà cum illis, qui pro tempore præ- ſentes fuerint, continuandi. Necnon omnia & ſingula gerē- di, agendi, & diſponendi, de quibus in literis noſtris ſuper præſidentia & facultate præfatis Cardinalibus concesſa ſeu concesſis, & quemadmodùm ipſis Cardinalibus dedimus in mandatis, pleniùs continetur, ratum & gratū habituri, quic- quid ſuper præmiſsis & circa præmiſſa, per vos ſeu illos, quos ex vobis in dicto Concilio pro tempore contigerit in- tereſſe, iuxta facultatem prædictam ordinatum, deliberatū, ſtatutum, decretum & diſpoſitum fuerit. Idque faciemus, authore Domino, vſque ad ſatisfactionem condignam in- uiolabiliter obſeruari. Quocirca circunſpectioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus iniunctum vobis miniſterium huiuſmodi, pro Dei ac no- ſtra & ſedis Apoſtolicæ reuerentia ſuſcipientes, illud in om- nibus & ſingulis ſupradictis, iuxta datam vobis à Domino prudentiam, omni ſtudio & induſtria exequamini, quo fru- ctus optati veniant, quos ſperamus: vosq; illam quę pias cau- ſas agentibus ſuperna retributione impenditur, gloriam cō- ſequamini felicitatis æternæ. Datum Romæ apud S. Petrū, Anno incarnationis Dominicæ, 1433. 17. Calendas Ianua- rij, pontificatus noſtri anno tertio.

EVGENIVS epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto fi- lio Iuliano ſancti Angeli Diacono Cardinali, Apoſtoli- cæ ſedis legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionē. Authoritate præſentium tibi iniungimus, quatenùs prçſidē- tiam in ſacro generali Baſileenſi Concilio, ad quam felicis recordationis Martini Papæ V. prædeceſſoris noſtri & no- ſtra authoritatibus deputatus extitiſti, vnà cum alijs legatis & præſidentibus, ac eorum ſubſtitutis per nos poſtmodùm deputatis, ſeu in futurum forſitan deputandis, iuxta faculta- tem per nos ei concesſam, noſtro & ſedis Apoſtolicæ nomi- ne continues, ac ſecundùm tibi datam à Deo prudentiam, cū præfatis, (vt præmittitur) ad debitum & felicem finem cum Dei honore & vtilitate Reipublicæ Chriſtianæ perducere ſtudeas. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1433. decimoſexto Calend. Ianuarij, pontificatus noſtri anno tertio.

EPISTOLA DOMINI PAPAE *miſſa Concilio.*

EVGENIVS epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabi- libus fratribus, & dilectis filijs in ſacro Baſileenſi cōgre- gatis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionē. Mittimus illuc dilectum filium Chriſtophorum Garatonum magiſtrū in artibus, ſecretarium & familiarem noſtrum, quem anno præterito circa ſanctiſsimę vnionis materiam inter Occidē- talem & Orientalem eccleſias, Conſtantinopolim miſimus. Redijt autem, & circa materiam prædictam plenè de omni- bus informatus eſt. Quamobrem fraternitates & deuotio- nes veſtræ in tam ſancto & diuino opere illum audire ve- lint, ſibique in relationibus ſuis plenam & fidem credulam adhibere. Datum Florentiæ anno incarnationis Dominicæ 1434. decimo Calendas Martij, pontificatus noſtri anno quarto.

R. de Valentia. A. de Florentia.

EPISTOLA EVGENII PAPAE IIII. AD *Concilium Baſileenſe.*

EVGENIVS epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabi- libus fratribus & dilectis filijs in ſacro generali Baſileen ſi Concilio congregatis, ſalutem & Apoſtolicam bene- dictionem. Exiſtimaret forſitan aliquis ex his, quæ ſupe- riori tempore præceſſerunt, mentes noſtras non vſquequa- que ſine nubilo exiſtere: ſed ſi quæcunque per Oratores no- ſtros, præſertim hoc vltimo loco vobis offerri iuſsimus, re- ctè intueri voluerit, ſerenitatem pectoris noſtri (vt de nobis loquamur) ſatis intelliget. Neq; id difficilè nobis fuerat, qui vobiſcum in eundem finem ſemper proceſsimus: ſolùm in loco celebrandi Concilij, ſalua ſemper pietate, diſſenſimus. Nec mirum, cùm Paulus & Barnabas propter Ioannem co- Act. 15. gnomento Marcum, inuicē diſſentientes, ſeparati ſint, quos tamen Chriſti Euangelium copulabat. Optauimus pacem, optauimus Eccleſię reformationem: ob hanc rem nō ſolùm ceſsimus vobis, ſed etiam per literas noſtras decreto veſtro, quemadmodum dictaſtis, annuimus. Poſt hæc maiorem in modum (vt præfati ſumus) aperuimus cor noſtrum. Iterum replicamus: hoc noſtrum propoſitū eſt, hic noſter affectus, vos amare vt filios, obſeruare vt fratres, & in benedictioni- bus dulcedinis vna vobis præcipua charitate conſtringi. Sed etiam de vobis confidimus, vt nō alij apud vos ſitis, ſed pro ipſius Apoſtolicæ ſedis reuerētia, fideles & deuotos animos ad nos habeatis. Huius ſiquidem confidentiæ ſigna perſpe- ximus. Primò, quòd ex noſtro conſenſu ad ſacrum genera- le Concilium, plurimùm lætati eſtis. Iterum, quòd præſidē- tes noſtros affectu & opere, amodò ſic vobis coniunctos, vt penè vnum inuicem eſſe videamini, audimus. Ex his congra- tulamur plurimùm deuotionibus veſtris, congratulamur Eccleſiæ ſanctæ, cui profectum euenire ſperamus. Congratu- lamur & ipſi Apoſtolicæ ſedi, quæ diu, non quidem defectu noſtro, ſed (vt ita dicamus) temporis malignitate afflicta & anguſtiata, conſolari & honorari à vobis expectat. vt enim vetera diu vulgata prætereamus, quis ſine dolore & lachry- mis tranſeat, quæ his diebus Romæ paſsi ſumus? Non enim incognitum eſt, quid cōſpirationis in nos actum ſit, quid in venerabiles fratres noſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Car- dinales, quid denīq; in noſtros & Curiales omnes, quo etiā conſilio, quibus medijs, quo autore aut quo fine omnia iſta proceſſerint. Quid vltra hæc in alijs terris Eccleſiæ Roma- næ quotidie machinetur, ſatis perſpicuum eſt. Chriſtus pro ſua pietate eos omnes ad frugem melioris vitæ conuertat. Ob has & alias iuſtas cauſas, cenſuimus malignitati eſſe ce- dendum. Itaq; ex vrbe profecti, cum galeis & alijs nauigijs, Deo propitio, in portum Piſanum deuenimus. Deinde ſani & incolumes, ipſo Deo iuuante, hodie huc adplicuimus. In quem locum multo honore, reuerentia, & deuotione ſuſce- pti ſumus. Supereſt vt eo affectu, quo cœpiſtis, in Deū quo- tidiè ſuccreſcentes, ad generalem Eccleſiæ reformationem ſine vlteriori mora vigiles ſitis. Sic deuotiones veſtras ex- hortamur in Domino. Noſtis enim, quantùm ea indigeat religio Chriſtiana: quia (vt ait Propheta) à planta pedis vſ- Eſai. 1. que ad verticem non eſt in ea ſanitas. Non multa diſputatio- ne opus eſt, ſed obſeruatione & exemplo. Quibus veluti quodam optimo rectore, ea, quæ à ſanctis patribus diuino ſpiritu conſtituta ſunt, dirigantur, ſuumque attingant offi- cium. Horum ſanctorum patrum imitatores eſtote, ſicuti veri condiſcipuli & filij Dei chariſsimi. Si qua igitur pietas, ſi qua conſolatio in Chriſto, implete deſiderium & gaudiū Philip. 2. noſtrum, immò & bonorum omnium. Non deerit vobis gratia diuina, neque bonorum ſubſidia, ſic in domino con- fidimus. Quantum ad nos pertinet, omnes operas noſtras pro his rebus libenter offerimus, nihil pro noſtro officio prætermittentes, quo gratiam Deo, pacem & ſalutem popu- lo Chriſtiano ex his ſanctis operibus vendicemus.

Datum Florentiæ Anno Dominicæ Incarnationis mil- leſimo quadringenteſimo trigeſimoquarto, nono Calend. Iulij, pontificatus noſtri anno quarto.

EPISTOLA EVGENII PAPAE IIII. AD *legatos ſuos Concilij præſidentes.*

EVGENIVS epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis fi- lijs Nicolao tituli S. Crucis in Hieruſalem, Ioanni tituli ſancti Petri ad vincula, & Iuliano tituli ſanctæ Sabinæ, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyteris Cardinalibus, Apo- ſtolicæ ſedis legatis, ac venerabilibus fratribus Ioanni Ar- chiepiſcopo Tarentino, & Petro epiſcopo Paduano, pro no- bis in ſacro Baſileenſi Concilio Præſidentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Non eſt inſolitum inimico hominis, ſuperſeminare zi- zaniam, vt etiam inter eos, qui pari pietate contendunt, vt in vnum finem conueniant, ex ipſis procedendi me-

dijs, qui pro diuerſitate humanorum ſenſuum in ſemet differentes redduntur, nonnunquam vario diſsidio, qui mutuam charitatem vulnerent, oriantur. Hoc autem inter nos, & nonnullos ex venerabilibus fratribus & dilectis filijs ſacri generalis Baſileenſis Concilij ſuperiori tempore eueniſſe conſpeximus. Quod tamen diuina annuente clementia tandem concordiæ locum & pacis inuenit. Poſtmodùm verò quaſi inter nos & ipſos emergeret differentia per nouos Oratores eius generalis Concilij de ſeruanda eorum concluſione cum Græcis, de dandis indulgentijs, de cauſis ſuppoſitorum dicti Concilij non admittendis, de officialibus noſtris ad curiam noſtram non vocandis, de electionibus expectandis, aut etiam confirmandis, de Annatis, ſeruitiis communibus, & ſimilibus non recipiendis fuimus requiſiti. Ad quæ omnia per noſtros Oratores plenè reſpondimus. Et licèt ex illis reſponſionibus eidem ſacro Concilio ſatisfeciſſe ſperemus, proſpeximus tamen non eſſe inconſultum, ſi quid difficultatis vel ſcrupuli, aut ſuſpicionis forſitan ſupereſſe contigerit, abundantiùs prouidere, & deſiderium noſtrum ad vnitatem & pacem ampliùs aperire, ita vt etiam paruo nubilo ſublato de medio, ad ea, quæ honorem Dei ac bonum Reipublicæ Chriſtianæ concernunt ante diuinę claritatis faciem * vnis ac ſerenis animis intendamus. His igitur diligenter attentis veſtris circunſpectionibus, de quibus plurimam in Domino fiduciam continemus, omnes & ſingulas differentias, difficultates & ſuſpiciones, ſi quæ prædictorum occiſione (vt prædiximus) ſupereſſe, aut in futurum emergere fortè contingeret, concordandi, tollendi, ſedandi & ſopiendi, ſufficienti tamen prouiſione quò ad Annatas, communia ſeruitia, & alia in quadā ipſius generalis Concilij ordinatiōe cōtenta priùs facta, ac per nationes & prouincias approbata & recepta, necnō alia in pręmiſsis & circa pręmiſſa faciendi, per quæ ad veram & perfectam charitatem, vnanimem concordiam inter nos & fratres & filios noſtros pro Dei gloria, exaltatione Orthodoxæ fidei Chriſtianæ, ac conſeruatione honoris & dignitatis Apoſtolicę ſedis peruenire poſſe videritis, de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum Iordani Sabinenſis, Brandæ Portuenſis Epiſcoporum, Ioannis tituli ſancti Laurentij in Lucina, Antonij tituli ſancti Marcelli, Ioannis tituli ſancti Sixti, Franciſci tituli ſancti Clementis, Angelotti tituli ſancti Marci, Presbyterorum, Lucidi ſanctæ Mariæ in Coſmedin, Proſperi ſancti Georgij ad velum aureum, & Dominici ſanctę Mariæ in via lata Diaconorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem, ratum & gratum habituri, quicquid per vos in præmiſſis ordinatum, concordatum fuerit & concluſum. Idque faciemus authore Domino inuiolabiliter obſeruari. Datum Florentiæ Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto, decimotertio Calendas Martij, Pontificatus noſtri anno quinto.

Ego Iordanus epiſcopus Sabinenſis ſubſcripſi.

Ego Branda epiſcopus Portuenſis ſubſcripſi, &c.

A. de Florentia.
F. de * Laude.

COPIA BVLLÆ TRANSLATIONIS CONCILII *Baſileenſis ad ciuitatem Ferrarienſem, miſſa per dominum Vualterum de * Herke, canonicum eccleſiæ S. Martini Leodienſis ex Bonoma.*

*Herke

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futurā rei memoriam. Doctoris Gentium admoniti ſaluberrima ſuauiſsimaque doctrina, hortantis vt ſoliciti ſimus ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, ad ea maximè intendimus aciem mentis noſtræ, & indefeſſa ſolicitudine, cura & cogitatione conatus omnes intendimus, per quæ in corpore myſtico, ſancta ſcilicet eccleſia, perpetua charitas & pax inuiolata perduret: ac ſi qua membra diſſentiant, ea corpori commodè reinſerantur ſuo, vt dum per Spiritus ſancti gratiam, qui eſt Patris & Filij amor atque connexio, membra omnia ſub Chriſto capite vnum in Eccleſia corpus efficiamur vnica etiam per vnitatem ſpirituum in Chriſto ſocietas ſimus, & pax quę eſt perfectę vnitatis vinculum, ſyncera charitate, & concordi animorum coniunctione ſeruetur, omneſque diſcordiæ & ſciſſuræ fomites penitùs extinguantur. Sanè dudum in minoribus conſtituti, diuiſionem Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, quippè ex qua mala innumera & Chriſtianæ religionis detrimenta prouenire videbamus, ferentes ægerrimè ſemper moleſtiſsimè, agenteſque pro viribus noſtris vt tolleretur, inſtitimus multum in Conſtantienſi Concilio primùm, tum etiam apud felicis recordationis Martinum Papam Quintum prædeceſſorem noſtrum: ſatisq; laborauimus, vt ſublato pariete de medio, vtriuſque Eccleſiæ vnio proueniret. Vbi verò ad Apoſtolatus apicem aſſumpti, honeſtiſsimo huic & pro deſiderio noſtro debitum ex iniuncto nobis deſuper curæ paſtoralis officio acceſsiſſe conſpeximus eam rem ardenti animo & tota alacritate ſuſcepimus. ac primùm quidem adierunt, per noſtrum ſtudium & diligentiam Oratores chariſsimi in Chriſto filij Ioannis Græcorum Imperatoris, & venerabilis fratris Ioſeph Conſtantinopolitani patriarchæ. Tum verò miſsis eueſtigiò Conſtantinopolim nuncijs noſtris, habitoque tractatu diligenti, id tandem communi conſenſu omnium placuit, vt ex antiquo inſtituto pro celeriori ac feliciori executione tantæ rei, legatos de Latere cum prælatis & Theologi ac Doctoribus tam dignæ materiæ tractandæ neceſſarijs, Conſtantinopolim à nobis mitteretur. In eam quoque concluſionem Imperator Trapezuntius, & Armenius Patriarcha, & alij quamplures pari voto conſenſerunt. Necdum ad nos huiuſcemodi deliberationis concluſiones peruenerant, cùm alium longè diuerſum vnionis modum in Baſileenſi Concilio iam decreto firmatum, miſſus ab ipſo Concilio orator, vt approbaretur, requiſiuit à nobis. Diſplicuit quidem iam tunc, quòd Sedi Apoſtolicæ * differri videretur, & de re tam graui & ardua tot menſibus agitata, contra honeſtæ & antiquæ conſuetudinis normas, nihil anteà nobis per ipſum Concilium fuiſſet nunciatum. Auidi tamen prædictæ vnionis, ſimulque veriti, ne ſi diſſenſio vlla intercederet, optatiſsimæ nobis rei ruptura ſequeretur, licèt deliberationem aliam longè diuerſam & multò expeditiorem, ex Conſtantinopoli indies veriſimiliter affuturam expectaremus, ſicuti & eſt factum poſteà. Concluſioni ipſius Concilij præbuimus aſſenſum. Subſequuti Græcorum Oratores, cùm inſtantiſsimè poſtularent ea capitula à nobis confirmari, in quibus Imperator & Patriarcha præfati cum Oratore noſtro conuenerant, exhortati à nobis ſunt & attētius admoniti, ne concluſionum varietatem ægrè ferrent, neve diffiderent, auſpice Deo, proſperè & pro votis ſucceſſura omnia: nobis eſſe gratam viam omnem, per quam ea res tam ſancta, tam neceſſaria, optatum effectum eſſet habitura, neque opem & operam noſtram vllo tempore vnquam defuturam. Miſsi poſtmodùm ab ipſo Concilio nuncij ad ipſos Imperatorem & Patriarcham vt decretum illud ratificarent, poſtulârunt. Comperto autem ex Oratore noſtro, nos decreto illi cōſenſiſſe, & ipſi conſenſum dederunt, aliàs, vt profitebantur, illud nulla ratione facturi. Literis itaque * peractis, eiuſdem vnionis deſiderio nos magis ac magis incenſi, de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctę Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſenſu ac aſſenſu, dilectos filios noſtros & Apoſtolicæ ſedis Legatos Baſileam miſimus, eis inter cætera facultatem dantes, ea omnia & ſingula tractandi & agendi quæ memoratæ vnioni quomodolibet profutura viderentur. Inſtituerunt illi, vt locus eligeretur nobis & Græcis accommodus, quæ ad optatum vnionis finem maturè poſſet perueniri. At licèt ob difficultates plurimas, quas gignebant inordinati quorundam motus & compugnantiæ voluntatum, parùm ſpei de conficiendo dictæ vnionis negotio tribueretur nobis, expectauimus tamen, neque à ſpe & intentione noſtra, omninò decidimus, quouſque nonnullos ex ipſo Concilio ad eam nominationem loci proceſsiſſe cognouimus, quam iuſtis & rationabilibus cauſis gratam habere, neque potuimus, neque vllis rationibus poſſumus. Ciuitatem enim noſtram Auinionenſem, in decreto non nominatam, non comprælienſam, & à Græcis ipſis expreſsè & ſæpenumerò repudiatam, nobis etiam irrequiſitis, quantùm in ſe fuit, elegerunt: nō ſatis aduertentes, quantum ea res importet in ſe mali, quantum

Epheſ. 4.

for. * [...]nus def[...] re vide[...]tur per [...] quod de[...]

tum verò & prædictæ vnioni afferat detrimenti, contra Concilij decretum, contra Græcorum inſtantiam, contra denique pium noſtrum deſiderium tanta facilitate prȩſumpta. Eſt quippe locus iſte parùm nobis cōmodoſus, & prouincijs multis ac regnis, regibusq́ue & principibus non modò ingratus, verùm *ex ſitu ipſe ſuo non ſatis tutus. Quibus ex reb' illa loci nominatio nullo pacto fuit admittenda: cui niſi authore domino obuiaſſemus, vt ex certis autoribus & grauibus de ipſo Concilio viris, certiores facti ſumus, nihil actum eſſet de Eccleſiaſtica pace & optatiſsima illa vnione. Denique ex Græcorum Oratoribus, quorum alter ad nos, alter ad Baſileenſe Concilium, profectus eſt, mandatis paribus in ſcriptis vtrobique traditis, cunctis palam fuit, ipſos Imperatorē & Patriarchā perſtare in ſententia, locū ſcilicet eſſe eligendum, qui nobis & illis eſſet accommodus, apertè proteſtantibus, niſi nos in loco adeſſemus, Imperatorem ipſum & Patriarcham nequaquam acceſſuros. Queſtus eſt grauiter Orator ipſe, quòd ad eum auocaretur locum, qui eſſet remotiſsimus, & præter nauigationis longinquæ pericula, mare ipſum piratis quoque infeſtum eſſe, ac per id cæteris ſuſpectum, in primis ſibi & illis eſſe ſuſpectiſsimū: Proteſtans, niſi conditiones in decreto appoſitæ ſeruarentur, locusq́ue (vt præfertur) eligeretur idoneus, Eccleſiæ Latinorū imputandum fore, quòd optata, tantoq́ue ſtudio & labore quæſita vnio non ſequeretur. His omnibus intenta meditatione & diligenti libratione penſatis, prouidendum omninò viſum eſt, ne Græci à propoſito itinere deſiſterent. Ea fermè fuit omnium ſententia, non modò vnionem ipſam, niſi aliter prouideretur, non ſecuturam, verùm in ipſa quoque Occidentali Eccleſia nouitates noxias & ſcandala plura emerſura neceſſariò. Nos itaque tanto conſtricti articulo, tam varijs caſibus, tam multis omni ex parte aperientibus ſe periculis, pro viribus occurrere cupientes, de prædictorū venerabilium fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, venerabili fratri Ioanni Archiepiſcopo Tarentinenſi ad ipſum Baſileenſe Concilium deſtinato, dilectis filijs Ioanni tituli ſancti Petri ad vincula, & Iuliano tituli ſanctæ Sabinæ, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Apoſtolicis legatis, ac ipſi Archiepiſcopo per literas noſtras commiſimus & mandauimus, vt per paſsionem Ieſu Chriſti, ac ad euitandas omnes diſſenſionum materias, exhortarentur venerabiles fratres & dilectos filios in ipſo Concilio exiſtentes, vellent ob laudem & reuerentiam Dei ac Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & per adſperſionem ſui ſacratiſsimi ſanguinis, pro pace & felici tantarum rerum conſummatione, locum eligere, pro huiuſmodi transferendo Concilio, qui gratus eſſet Græcis & nobis aptus, atque acceſſu facilis, diſceptationibus ac diſſenſionibus omnibus ſeductis de medio, ambulantes in rectitudine & ſimplicitate cordis, iactarent in Deū omnes cogitatus ſuos, ac de Deo confidentes, in ſuis Concilijs charitatis legibus obſequerentur, quę iuxta Apoſtolum, non irritatur, non cogitat malum, non quærit quæ ſua ſunt, non gaudet ſuper iniquitate, ſed econtrà patiens, ac benigna eſt: debere eos qui Eccleſiæ Dei negotijs tractandis inſiſterent, ſuperiores eſſe mundo, non quæ ſua ſunt quærere, ſed quæ Ieſu Chriſti: nullam cuiuſuis loci electionem debere eſſe impedimento, quo minùs tam ſalutaris rei ſubſequatur effectus. Iſta nos & his ſimilia, pro affectione noſtra ipſis in Concilio exiſtentibus tranquillè proponenda mandauimus. Iniunximus prætereà legatis ipſis ac præſidentibus noſtris, vt nihil * committerent ex his, quę ad hunc finem conducere poſſe vlla ratione viderentur. Requirerent, hortarentur, orarēt omnes & ſingulos Regum & Principum prælatorumq́ue oratores, procuratores ibi præſentes, vicinosq́ue ibidem prælatos ac principes, ſibi vt ſocij accederent, ſecumq́ue hortarentur omnes ad locum ipſum aptum concorditer eligendum. Tentarent denique omnia, per quæ ad optatum tantæ rei effectum pacificè perueniri poſſet. Nec tunc quidem tam pia, tam ſancta, adeoq́ue ſalutaria tam modeſtè poſtulantes, auditi ſunt: quin potiùs ſpreti adhortationibus noſtris, Auinionis ciuitatis electionem, ipſo iure nullam, decretare tentârunt, Legatis & præſidentibus noſtris, & alijs prælatis plurimis & grauibus religioſisq́ue perſonis renitentibus, atque ad nouam loci alterius electionem procedendum eſſe decernentibus. Cùm verò ſedandi tumultus cauſa ad id tandem deuentum extitit, approbantibus cunctis, vt ſecundæ darentur induciæ ea conditione, vt niſi intra præſcriptum & præſtitutum diem, Auinionenſes promiſſas pecunias numeratas perſoluiſſent, integrum iam eſſet ac liberum & debitum, Concilio locum alium eligere. Cùm verò intra condictum terminum pecunias illi nequaquam exoluiſſent, legati ac præſidentes prȩdicti, alijq́ue ex prælatis plurimi, & omnes fermè Regum principumq́ue oratores, procuratores prælatorum, Theologiq; & doctores, habendam rationem honoris & dignitatis Occidentalis Eccleſiæ, ea ſtudioſè ſeruando quæ Græcis fuerunt promiſſa, cenſentes, Eccleſiaſticæq́ue pacis ac vnionis cupientiſsimi, & ſaniorem ipſius Concilij partem facientes, ad quos etiam eſſet ius eligendi deuolutum, cùm partem aliam nihilominùs antè ſæpè requiſiſſent, vt ad alterius loci electionem intenderent, alioquin proteſtantes, ſe iſta amplius, ſine graui offenſa Dei & ipſius Eccleſiæ inſigni nota, diſsimulare non poſſe. Poſtquàm autem minimè exauditi erant, ad electionem loci, Florentiæ ſcilicet aut Vtini, ſiue alterius cuiuſlibet in decreto compræhenſi, qui galeas & neceſſaria alia maturiùs paraſſet, canonicè legitimeq; proceſſerunt, prout ex decreto inde confecto clariùs conſtat. Eam electionem memorati Imperatoris & Patriarchæ oratores, vt conſequendæ vnioni ſummè neceſſariam, gratiſsimè amplexi ſunt: profectiq́ue inde ad nos, vt electionem huiuſmodi admittere & confirmare vellemus, precibus humilimis petiuerunt, ſimul nos impenſiùs orantes atque requirentes, ne rem hanc ſacratiſsimam deſertam eſſe pateremur, proteſtati publicè in generali Conſiſtorio, quod per eos nequaquam ſtaret, ſi ſancta iſta vnio non ſequeretur. Nos autem omnia attentiùs conſiderantes, conſpicientesq́ue rem eò deueniſſe, vt prædictos oratores neceſſariò exaudire cogeremur, nec ſupereſſe modum alium proſequendi operis tanti, & ſeruandi Latinæ Eccleſiæ honoris, de prȩdictorum venerabilium fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ipſorum petitis annuimus, nominationemq́ue factam de Florentia, aut Vtino, vel alio ex locis in decreto comprǽhenſis, in alio generali Conſiſtorio admiſimus atque confirmauimus, At demùm cum ipſis oratoribus mandatum ad hoc habentibus nonnullis prius tractatis, concluſis atque firmatis, quæ de memoratorum Imperatoris & Patriarchæ aduentu ad has partes ſpem nobis indubiam pollicentur, multis cum laboribus ingentiq́ue ſumptu operam dedimus, vt galeæ quatuor & alia mitterentur pro ipſorum aduentu neceſſaria: ſicq́ue largiente Deo factum eſt. Hæc vbi didicēre qui Auinionem prætulerant, ſemper pro inordinatis, quibus agitantur, affectibus turbati, quia iuxta beatæ memoriæ prædeceſſoris noſtri Leonis Primi ſententiam, dum priuatæ cauſæ, religionis exercentur obtentu, committitur impietate paucorum, quod vniuerſalem ECCLESIAM vulneret, multa ad perturbanda prædicta machinati ſunt. Nam primùm quidem in venerabilem fratrem noſtrum Ioannem Archiepiſcopum ſuprà nominatum, qui decretum in ea forma mittebat ad nos, qua fuerat in publica ſeſsione promulgatum, nonnulla confingentes irruerunt, omniq́ue prætermiſſo iuris ordine ipſum poſteaquam primò, ſecundò ac tertiò ea pro ſua iuſtitia petierat, quæ iure nulli deberent denegari, primùm in domo ſua ſub cautione iuriſiurandi detinere conati ſunt. Deinde deputationem & congregationem generalem per iudices datos ſuſpectiſsimos, illi interdicere tentauerunt: At poſtremò contra grauamen vtrunque ſe tueri de iure ſatagentem, ſuamq́ue iuſtitiam aſſerere ſub excommunicationis, priuationum & inhabilitationum pœnis, in domo propria tumultuario multitudinis impetu detinere, & quodammodò carcerare moliti ſunt. Grauamen prætereà grauamini adijcientes, dilectum filium Arnoldum Rechlinchuſen, dicti Archiepiſcopi procuratorem, pro iuſtitia illius in congregatione generali & maiori Eccleſia loqui volentem, manibus iniectis percuſſerunt, ac per capillos ad carcerem trahere conati ſunt, adeò violenter atque inhoneſtè, vt Cardinalis ſanctæ Sabinæ legatus antedictus, de violentia illata, & de ſublata libertate Concilij, neceſſariò publicè fuerit proteſtatus. per hāc ita illatam violentiam, iuſto metu conſtrictus Archiepiſcopus ipſe, in defenſionem ſui quoſdam nobiles armatos domi habere

for.* etiā ex

Pſalm. 54.

1. Cor. 13.

Philip. 2.

for.* omitterent

Illud decretum in Concilio tanquam falſatum narratur.

compulſus eſt. Tandem iuſtiſſima quadam petitione in generali cōgregatione porrecta, cui adiecta erat proteſtatio, quòd niſi in ſua iuſtitia audiretur, & à grauaminibus & oppreſſionibus quæ indies augebantur, ceſſaretur, ipſe ob iuſtum metum recedere indè cogeretur, & non modo non fuiſſet admiſſa ipſa petitio, verũ contra exhibitorem ipſius, vt ad carceres traheretur, eſſet acclamatum, coactus eſt & iniunctum ſibi oratoris ab præſidentis officium deſerere, & adiunctis ſibi ſeque ducentibus dilectis filijs nobilibus viris, VVilhelmo marchione de Rothelen, & Rodulpho de Rameſteyn, & alijs pleriſq; illorum nobilibus, à prædicto concilio omnino diſcedere. Nos obmittimus alia plura grauamina, vt curſores noſtros primùm, tum dilectum filium priorem Furnenſem ordinis Præmonſtratenſis ad nos ſpecialiter miſſum, in itinere cum literis interceptos, pecunijſque cum bonis alijs nudauerunt, vt ex noſtris ſit nemo, qui ſine iuſto metu vel illuc ire, vel inde redire poſſit. Quantum generali Concilio iſta cōueniant, cunctis ratione vtentibus liquet. In ſecunda Epheſina ſynodo pernicioſiſſima illa quoſdam Apoſtolicæ ſedis legatos iugulatos legimus, quòd acquieſcere ſubſcriptioni nefariæ noluerunt. Verum hæc inſonora non ſunt, ſed obmittimus: referre quidem piget ob Eccleſiæ matris iniuriam atque iacturam. Sed dicendum tamen eſt. Illi ipſi, qui pro tractandis Eccleſiæ negocijs, pro pace & vnitate in Eccleſia Catholica ſeruanda pro reformatione vtili & honeſta inducenda * ſecum veniſſe profitentur, quique ſextum iam annum in huiuſmodi tractatibus ſummo cum fructu exegerunt, cùm vniuerſus Chriſtianus orbis eſſet prædictę ſanctiſſimæ illius vnionis quaſi iam imminentis expectatione ſuſpenſus, ex qua dici non poteſt, quantum lætioris ſpei humanis rebus & religioni Chriſtianæ accederet, eos ad euerſionem potiùs tam pij operis, confuſionemque Chriſtiani nominis, & vniuerſalis Eccleſiæ ſciſſuram, & totius religionis excidiũ moliri, manifeſtè depræhenduntur. Et quid mirum ſi in Oratores noſtros ſæuiant, qui in nos quoque adeò effrenatè feruntur? Prætenſum quippe quoddam monitorium, ſiue (vt appellant ipſi) citatorium, conuicijs, contumelijs, atque iniurijs plenum, aduerſus nos & in grauamen venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, conflare auſi ſunt, nouo planè exēplo, & quod priora omnia ſecula ignorauerũt, & quod vti ne fieret, cùm Ioannes & Iulianus Cardinales prædicti ſedis Apoſtolicæ legati, varijs modis obſiſterent, & validiſſimis, & grauiſſimis, veriſſimilſque rationibus improbitatem facti coarguerent, demonſtrarentque apertis documentis, id charitati, bono publico, paci Eccleſiæ, iuſtitiæ, ſacriſque canonibus ita aduerſari, vt ipſi abhorrerent illic adeſſe, vbi de tali tractaretur monitorio auditi nõ ſunt. Et cùm inſtanter orarent, & expreſsè poſtularent, vt à re tam monſtruoſa deſiſterent, conſcientiaſque exonerando ſuas, excuſarent coram Deo & hominibus innocentiam ſuam, quod monitoriũ illud pro viribus & ſupra vires impugnarent, plurima quæ ex illo ſequi potuerint ſcandala & mala memorantes, maximaque inſtantia vtentes, veluti ex proteſtationibus ſuis publicè & ſolenniter factis apertiſſimè conſtat: tantis tamen, tam pijs, tam iuſtis poſtulationibus furor ille non ceſſit. Cùm vero memorati Ioãnes & Iulianus legati octo primò, deinde trium dierum inducias peterent, infra quos rationes in ſcriptis redigerent, quibus, cur nullo modo ad dictum prætenſum monitorium, ſeu citatorium eſſet procedendum, euidentiſſimè demonſtrarent: nõ ſolùm non auditi ſunt, verum contra ipſius ordinationes Concilij, eadem die & generalis cōgregatio & ſeſſio repentè ac præcipitanter eſt habita, quod nunquam anteà vel in minimis priuatiſque negocijs fuerat factum. In ea ſanè prætenſa præcipitaque ſeſſione, & ſi prælatos ſub pœna præſtiti iuramenti cogere & penè violenter attrahere conarentur, legati tamē ipſi & plures ex oratoribus Regum & principũ, prælatique plurimi, iuſtitiæ potiùs & veritati deferentes, quàm illorum cedentes comminationibus, nulla ratione huic tam inhoneſtæ ac monſtruoſæ rei intereſſe paſſi ſunt, ſed magis ac magis inſtiterunt, vt à dicto monitorio abſtinerent, nihil innouari debere identidem aperte proteſtantes. His profectò legatorum noſtrorum rationibus, iuſtiſſimiſque petitionibus ac proteſtationibus neceſſarijs acquieuiſſent, niſi pauci ex primoribus, quos ſequitur interiorum turba, partim ambitionis corrupti peſte, partim potentium quorundam ſecularium, ſeu furori obſequentes, ſeu deliniti obſequijs, ſeu minis atq; terroribus adacti, ſub reformationis ſpecioſo nomine, ſeſe duces atq; authores harum nouitatum præbuiſſent. In quę nos imminentes iam Concilij œcumenici ſi quid aduerſus nos cōciperent, omninò diſtuliſſent. Ea verò cùm comperiſſet chariſſimus in Chriſto filius noſter Sigiſmundus Rom. Imperator, obſtupuit: præcipitemque ſententiam ſchiſmatis metu, quod ſublatum laboribus plurimis, iſtis inferre tentarent, vehementer exhorruit. Ac protinus per venerabilem fratrē Petrum Auguſtanenſem epiſcopum oratorem ſuum, ad prefatum concilium deſtinatum, vt abſtinerent, ab huiuſmodi nouitatibus & ſcandalis, omni inſtantia requiſiuit: & ſi quid aduerſum nos promulgaſſent, reuocarent. Quod quidem, vt rex certiſſimis nuncijs accepimus, facere omninò neglexerũt. Et quid mirum, ſi illi minùs obtemperent honeſta poſtulanti, contra ſanctorum canonum ſtatuta, qui excuſſo de ſubiugo diuini timoris collo, tam liberè quàm licenter eunt in paſtorē pōtificem ſuum: quorũ conatibus niſi opportunius prouideatur, rem hanc ſanctæ vnionis Orientalis & Occidentalis eccleſiæ, ex qua diebus noſtris propagari Chriſtianitatis terminos ſperamus, & ſub cuius ſpe & expectatione Criſtianorum multitudo ab infidelibus oppreſſa reſpirat, intercipi & deſtitui, Eccleſiæque reformationem & pacem Chriſtiani populi, quam iam annis ſex mundus præſtolatur, in deformationem potius inteſtinumque bellum conuerti: quis adeò rationis ac iudicij ignar⁹ eſt, quin videat, quin intelligat? Suborientur, vt timendum eſt, inſuper alia incommoda & mala neceſſariò, ſcandalaque & diuiſiones non modò in re eccleſiaſtica, verùm quoque in regnis, principatibus, dominijſq; temporalibus pullulabunt ex infauſto hoc germine, quæ ſine maxima Dei offenſa nos ampliùs diſſimulare nemo ſanę mentis ignorat. Cum igitur ad huiuſmodi pericula, ſcandala & detrimenta ab vniuerſali Eccleſia & à populo Chriſtiano ſicuti à debito adſtringimur paſtoralis officij, propulſanda, & ne longius ſerpant, arcenda: nihil æquè expediens occurrat, quàm ſi in vnum cōueniamus omnes charitatis, pacis & concordiæ vinculo adſtricti & ſemotis priuatis affectionibus, ad memoratæ vnionis Eccleſiæ vtriuſq;, ſanctorumque reliquorum operum proſecutionem, quorũ gratia concilium Baſileenſe ab initio fuerat inſtitutum, ſtudia & vota noſtra conuertamus: omnibus itaque & ſingulis quæ ſuprà digeſta ſunt, & alijs iuſtis & rationabilibus cauſis ad hoc animum noſtrum permouentibus, atque eo in primis, quia factum ſine conſideratione iuſtitiæ & contra omnem canonum diſciplinam, ratum habere nulla permittit ratio: & quia diſſenſionis ſcandalum non auferret Baſileenſis ſynodus, ſed illi, qui in illa ſe duces & principes nouarum rerum faciunt, potius augerent; his, inquam, omnibus accurata meditatione penſatis, quorum gratia, neque nobis, neque noſtris tutum aut liberũ ſit in eo concilio, quod ſub ditio eſt & quaſi tyrannide quadam æmulorum noſtrorum redactum, quidquam proponere aut tractare: habitaque ſuper his omnibus & ſingulis cum venerabilibus fratribus noſtris matura deliberatione de ipſorum omnium communi cōſilio & aſſenſu, plurimiſque etiam adhibitis venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filijs Electis Abbatibus, alijſq; prælatis in curia noſtra exiſtentibus, ad idem conſidentibus atque laudantibus, volentes tam pernicioſis & imminentibus ſcandalorum, turbationum & cōfuſionum periculis in Dei Eccleſia, vt præmittitur, obuiare: ſi & inquantum ſupradicti in ipſo Baſileenſi Concilio exiſtentes, in obſtinato propoſito ſuo perſeuerint, vigore vel occaſione dicti prætenſi monitorij vel citatorij in aliquo procedendo, aut aliquam aliam nouitatem contra nos vel venerabiles fratres noſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, vel præſidentes & oratores noſtros, qui in dicto Concilio fuerunt, vel aliquam ex eis in poſterum inferendo, vel etiam à die datæ præfati aſſerti monitorij forſitan factam continuando quouis modo ſeruando tenore præſentiũ authoritate Apoſtolica & ex certa ſciētia ac ex plenitudine poteſtatis ciuitatē Ferrarienſem, quam etiam pro futuro œcu-

ſe
ſſe

Locus obſcurus.

menico concilio exnunc aſſumimus exnunc prout extunc, & extunc prout exnunc, pro loco dicti concilij transferendi nominamus, aſſignamus, & etiã deputamus: locum quidem gratum Græcis, rebus gerendis vtilem, idoneum & accommodum, omnibus regibus, prælatis & principibus tutũ & liberum, in decreto Græcorum compræhenſum, & pro quo omnia Græcis promiſſa, expedita & peracta ſunt: ad eundemq́ue locum præfatum Baſileenſe concilium, ad oẽs & ſingulos effectus inchoatos & inchoandos, & pro eiſdẽ cauſis, pro quibus fuerat Baſileæ congregatum, conſilio, aſſenſu authoritate & poteſtate ſimilibus, exnunc prout extunc, & extunc prout exnunc traſnferimus, ac tranſlatum fuiſſe & eſſe declaramus: cauſa Bohemorum, quo ad articulum communionis ſub vtraque ſpecie, quem ſolum articulũ volumus in dicta ciuitate Baſileen. infra 30. dies continuari poſſe, duntaxat excepta: quos etiam Bohemos, ſi pro ea cauſa ad dictam ciuitatem Ferrarien. & concilium ſic tranſlatum, eis magis venire placuerit, in eum caſum benignè ſuſcipiemus, tractabimuſq́ue cum omni humilitate & charitate poſſibili, & ab alijs tractari faciemus. Hanc autem tranſlationem, inquantum prædicti Baſileæ exiſtentes non reſipuerint, vt præmittitur, locum habere intelligimus & declaramus ante ipſorum Græcorum aduẽtum. Ipſis autem Græcis veniẽtibus, & in dictum locum Ferrariæ pro œcumenico concilio celebrando, vt certi reddimur, conſentientibus, exnunc pro extunc, & extunc pro exnunc, ipſum Baſileen. concilium ad prefatam ciuitatem Ferrarien. purè, liberè, & ſimpliciter transferrimus & decernimus inchoandũ. In quo etiam ſic tranſlato, talia authore Deo proponere & agere intendimus, ex quibus noſtram innocentiã orbis totus agnoſcere poterit, & quæ ſunt aduerſus nos quorundam maleuolentia & malignitate confecta, falſa & omni veritatis fundamẽto deſtituta intelligere, ac noſtram bonam voluntatẽ, ad ea pro quibus dictum Baſileen. conciliũ, vt præmittitur, fuerat congregatum, euidentius poterit intueri: Decernentes ac etiam declarantes, omnem aliam declarationem, electionem vel tranſlationem, quauis authoritate & quocunque prætextu factam, vel aliam in poſterũ faciendam, præterquàm authoritate noſtra, de qua conſtet per authenticas literas noſtras ſuper hoc conficiendas, nullius eſt * prout roboris vel momenti: Mandantes inſuper & præcipientes venerabilibus fratribus & dilectis filijs S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, patriarchis, epiſcopis, Electis, Abbatibus, & alijs qui de iure & antiqua conſuetudine generalibus concilijs intereſſe tenentur, quatenus ad præfatum concilium (vt præmittitur) tranſlatũ ſe transferant, & ad ea tractanda & peragẽda quæ ad Dei laudem & gloriam, ſanctorumq́ue operum profectum, pro quibus ipſum Baſileen. concilium fuerat congregatum, neceſſaria & vtilia videbuntur ſignanter in materia Bohemorum, ſi quid fortaſſe in ea reſtaret agendum, & ſpecialiter ad materiam vnionis orientalis & occidentalis Eccleſiæ, vt ſupradictum eſt: quoniam quanta poſſumus induſtria & diligentia, ad felicẽ vſque exitum proſequi intendimus, quos omnes & ſingulos ad omnia & ſingula præmiſſa exnunc citamus, requirimus, & monemus ſecuritatemq́ue & ſaluumconductum omnibus & ſingulis, prout in alijs noſtris literis inde confectis latiùs continetur, damus & concedimus etiam per præſentes. Inſuper authoritate, poteſtate, conſilio & aſſenſu prædictis, ſub excommunicationis, priuationum dignitatum, beneficiorum & officiorum, ac inhabilitationis * pœnis, quas cõtra facientes incurrere volumus ipſo facto, aduerſus quas pœnas reſtitui rehabilitarive præterquam à nobis non poſſint: ſed nec ab excommunicatione abſolui, niſi in mortis articulo conſtituti: Diſtrictiùs inhibemus, ne in præfata Baſileen. ciuitate, aut alibi quàm in ciuitate Ferrarien. ſupradicta, deinceps (vt ſuprà præmittitur) concilium aut aliquis cõciliaris actus teneantur, ſeu aliquod officium ad ea ſubordinatum decæterò exerceatur: neque etiam aliquis in dicta Baſileen. ciuitate remanere, præterquàm ad articulum Bohemorum, vt dictum eſt, & ad alium locum quàm Ferrarię, ſub nomine aut prætextu Concilij accedere audeat. Decernentes etiam irritum & inane, aut nullius roboris vel momenti, ſi ſecùs quauis authoritate, etiam ſub nomine & authoritate concilij, præterquàm noſtra, de qua per literas (vt præmittitur) ſuper hæc conficiendas conſtet: à quibus cõmuniter vel diuiſim cuiuſcunque ſtatus, gradus, præeminẽtiæ, & conditionis exiſtant, etiamſi cardinalatus, patriarchali, Archiepiſcopali & Epiſcopali dignitate præfulgeant, ſciẽter vel ignoranter forſitan contigerit attentari, ordinationibus, ſtatutis, conſtitutionibus, decretis, declarationibus quauis authoritate, etiam ſub nomine generalis Concilij factis, & alijs in contrarium facientibus, etiam ſi talia forent, de quibus eſſet habenda etiam de verbo ad verbum mentio ſpecialis. Quibus omnibus authoritate, poteſtatis plenitudine, conſilio & aſſenſu ſimilibus, ex præmiſſis neceſſarijs & vrgentibus cauſis prædictis, derogamus, ac derogatum eſſe authoritate Apoſtolica, tenore præſentiũ declaramus. Cæteriſq́ue in contrarium quomodolibet facientibus, non obſtantibus quibuſcunq;. Nulli ergo omnino hominũ liceat, hãc paginã noſtræ aſſumptionis, nominationis, aſſignationis, deputationis, trãſlationis, declarationis, volũtatis, cõſtitutionis, mãdati, pręcepti, citationis, requiſitionis, monitionis, dationis, inhibitionis & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorũ eius ſe nouerit incurſurum. Datum Bononiæ anno incarnationis Dominicæ 1437. xiiij. Calend. Octob. pontificatus noſtri anno 7.

for. * eſſe, prout eſt, roboris

Quæ etiã in conſiſtorio generali lectæ fuerũt per quas Papa ad ciuitatem Ferrariẽ. euntibus ſaluũconductũ largitur: etiã literę eiuſdẽ tenoris domini Ferrariẽ. in eodem conſiſtorio lectæ fuerunt.

for. * ad ea pœnis

Adiutor & protector meus es tu Domine, ne derelinquas me Deus meus.

SANCTVS PETRVS — SANCTVS PAVLVS

Eugenius papa quartus.

Ego Eugenius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Prædicta bulla ſignata fuit per papã & omnes cardinales in Romana curia exiſtẽtes, prout hic habetur.

Ego Iordanus epiſcopus Sabinenſis, ſubſcripſi.
Ego Branda Epiſcopus Portuenſis, ſubſcripſi.
Ego Antonius tit. S. Marcelli presbyter cardinal. ſubſcripſi.
Nicolaus tituli S. Crucis presbyter cardinalis, ſubſcripſi.
Ego F. tituli S. Clementis presbyter cardinalis, ſubſcripſi.
Ego A. tituli S. Marci presbyter cardinalis, ſubſcripſi.
Ego Proſper tituli ſancti Georgij ad velum aureum diaconus cardinalis, ſubſcr.
Ego Dominicus S. Mariæ in via lata diaconus cardinalis, ſubſcripſi.

Non ſunt plures Cardinales nunc temporis in curia.

SIGISMVNDI IMPERATORIS PIJſſimi epiſtolæ ad Concilium Baſileen. vel pro ipſo ad alios ſcriptæ, hic ſeparatim congeſtæ, & iuxta datas earum, quantum ex ipſis conijci potuit, ordinatæ.

Supplicatio ad Papam, pro credentia primorum ambaſiatorum domini regis.

BEATISSIME pater & domine reuerendiſſime, intelleximus venerabiles & egregios viros Iacobum de * Syrck Scholaſticum Treuiren. & Thomam * Fyme decretorũ doctorem Officialem Pariſien. Oratores ſacri Baſileen. Concilij, nobis directos ex ipſorum relatu. Qui quod de continuatione ipſius Concilij, quo in republica Chriſtiana nil vtilius, nilq; perfectius perſonabant, permaximè cõmendamus. Et quia ea de re etiam V. S. accedunt, rogamus affectu deuotiſſimo, quatenus ipſos velitis, noſtri intuitu & reuerentia dicti Concilij, recommiſſos ſuſcipere, benignè audire, & iuxta petita pro honore Dei & cõmodo Chriſtianiſſimi clemẽter & * celeriter adhibendo operam, quæ vtique S. V. incumbit, vt ſacrum Concilium nullatenus inducietur ſeu mutetur: ſed ex directione eiuſdem ſanctitatis, fomenta & incrementa optata ſuſcipiat, prout E. S. ab oratoribus ipſis percipiet, quibus noſtri nomine velit adhibere credentiæ plenam fidem, & vltra ea accuratiſſimè deprecamur, vt eadem ſanctitas perſonas pręfatorum oratorum cõmendatas velit habere pro complacẽtia & gratia nobis acceptiſſima. Cuius perſonam conſeruare dignetur. &c.

* Fyme

for. * celeriter expedite

Regis

Regis ad Papam ſuper facto Concilij.

Copia literarum Regiæ maieſtatis ad dominum noſtrum Papam per oratores Concilij Baſileenſis deſtinatarum.

BEATISSIME pater & domine reuerendiſſime. Non fuit indignum, quòd veſtra ſanctitas receſſum & ſcripturam fidelium de Bohemia, geſſit moleſtã, prout ex Bulla eiuſdẽ ſanctitatis, quæ nobis hodiè præſentata exiſtit, clarè percepimus. Nam & nos tantam mentis amaritudinẽ, exindè cõcepimus, vt reuerâ ad plenum reſcribere nequeamus. Non expediebat * eum hos cunctos contrarios ad V. S. auditum ita præcipitanter deducere. Quia ipſorum ſignificatio erat horribilis, & potius his committenda, qui ipſis rebus concilio adfuerunt, viderunt, & eas corporaliter tetigerunt. Ad prouiſionem autem tanti caſus, tantumq́; opprobrium gentis fidelium abſtergendum, palpebras noſtras nõ contraximus: immò vigilando ſolerter poſt reuerſionem exercitus, mox in præſentia Reuerend. dñi Cardinalis legati, Electorum & principum aliorum omnia remedia exquiſiuimus, quæ tanta celeritate fieri poterant, & tandem diætã in ciuitate noſtra Franckfordẽſi cũctis indiximus in feſto S. Galli nunc præterito, ad prouidendũ his rebus ſalubriter, & vt hęc ignominia catholicorũ auferri, & hæreticorũ ſuperbia poſſet cõtundi. In qua tñ diæta quãuis ſolẽnes Oratores noſtros pręlatos & alios haberemus, nil peractũ eſt, qa quaſi nullus comparuit. Nec iam aliqua ſalubria ſperantur in re iſta remedia, quàm hoc ſacrum Baſileenſe Concilium, quod Deus omnipotens hoc tempore tribulationis ab alto cõceſſit, & in quo omnis virtus contra hanc peſtem hæreticam, omniſq́; ſalus & ſpes omnium conſiſtit. Neque alibi exquirendæ ſunt particulares viæ in rebus tam arduis, niſi vbi generalia & ſumma Chriſtianorũ ingenia, Spirituſancto duce, feliciter conuenerunt. Ad quod quidem Concilium manutenendum, protegendum & conſeruandum, antequam mõtes trãſiremus, tales promiſſiones fecimus, prout nuncij dicti Concilij à nobis petere voluerũt. Et nihilominus illuſtrẽ principem noſtrum VVilhelmum ducem Bauariæ, & cũ eo certos Epiſcopos, Abbates & viros notabiles, tũc promptos fecimus, illuc noſtro nomine accedẽdo. Quos iã ibidẽ * ſine fallo, ſtatutos confidimus. Et ſperamus in clementiſ. Deo noſtro, quod ibidem ad prouiſionem huius tam piæ & ſanctæ rei dabitur prouiſio ſalubris & optata, quamobrem veſtram S. cui ex ſummi Apoſtolatus officio nõ minùs, quàm nobis, res illę incũbunt, obſecramus in Deo, quatenus ipſum ſacrum Concilium veſtra S. dignetur confouere & augere, ſicq́; prouidere, vt illud nec diſſoluatur, nec nullatenus protrahatur: quoniã eius turbatio, in dubiè eſſet totius reipubl. Chriſtianæ deſtructio, hæreſumq́; auctio: exaduerſo, ipſius fomentum & confortatio, profectò Catholicæ fidei & toti Chriſtianiſmo pariet remedia adoptata. Et dum Deo dante cum V. S. erimus, prout Deo largiente in breui ſperamus, multa ardua ſuper re ipſa cum eadem conferemus, quæ non minus erunt vtilia, & prout confidimus, ſanctitati veſtræ accepta. Cuius perſonam conſeruare dignetur altiſſimus feliciter & longævè regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctę. Datum &c.

for. * alios euentus contrarios

for. * ſi nõ fallor,

SIGISMVNDVS Dei gratia Romanorũ Imperator ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex, Reuerendiſſimo in Chriſto patri domino Iuliano Cardinali tit. S. Angeli præſidenti, venerandiſq́ue patribus prælatis & cæteris in ſacro generali Baſileenſi Concilio congregatis, amicis noſtris chariſſimis & ſyncerè grateque dilectis. Reuerendiſſimi ac venerandi in Chriſto patres amici chariſſimi, ſynceri & grati, nobis dilecti, venientes ad nos venerandos & egregios Iacobum de * Slyck Scholaſticum Treuerenſem, & Thomam * Fyrne decretorum Doctorem Officialem Pariſienſem, oratores veſtros nobis gratiſſimos, lætanter ſuſcepimus: qui habita diſerta per ipſos coram nobis tam ſyncerè quàm eleganter oratione ex impoſita ipſis legatione, inter cætera retulerunt, deliberatum eſſe pro ſeſſione futura tractandum de ſufficienti ſtabilimento ſacræ ſynodi Baſileen. & de continuatione eiuſdem, quæ omnia nedum honeſtæ, immò verius diuina eſſe cenſuimus, & repulſis penitus turbationibus & animi noſtri procellis, conſolati fuimus, & refecti gaudio ſingulari, reddentes in primis gratias Domino Deo noſtro, cùm ipſa ſacra ſynodus ita congregata exiſtat, vt nullum conuenientius præſidium excogitari poſſit, quo nauicula Petri ſeſe ab extremis horrendiſq́ue fluctibus iam vndique inſultantibus tueri, neq́; labes hæretica commodius deprimi, mores Chriſtianorũ in præſtantius reformari, aut res vniuerſæ orthodoxæ fidei poſſint in melius commutari. Moxq́ue præfatis veſtris oratoribus recommendatorias noſtras ad dominum noſtrum ſummũ pontificem dedimus, ſuæq́ue ſanctitati res ipſius concilij cõmiſſas fecimus: quos etiam ambaſiatores noſtri ſolennes ſuper ea intentione eueſtigio ſubſequentur, certificantes paternitates veſtras, quod quemadmodum prius omnem facultatem regnorum noſtrorum, perſonamque regiam vſq́; ad effuſionem ſanguinis & mortis paſſionem obtulimus: ita ſemper, Deo cooperante, ea intentione inuicta, quoad vixerimus, reperiemur, & ſic nos offerimus pro Eccleſia ſancta Dei, ſignificantes paternitatibus veſtris, quod ipſo feſto ſanctæ Catharinæ virginis proximè præterito hic Mediolani in domicilio S. Ambroſij, Maiorum noſtrorum imitando veſtigia, regium diadema aſſumpſimus, authore Dño Ieſu Chriſto, cum ſolennitate & celebritate ſemper digna memoria, & in rebus ſecũdis illius gratia feliciter proſperamur, accincti ſeptimana inſtante ad conuentionem cum filio noſtro chariſſimo Duce Mediolani in Placentia, pro tranſitu noſtro verſus Romam celebrandam, prout vobis quicquid ibidem cõcluſum fuerit, ilicò deſcripturi ſumus. In ſingulis autẽ, quæ per oratores veſtros petita ſunt, ita nos apud ſanctitatem domini noſtri dum ſecum fuerimus, prout in breui ſperamus, & alios quoſcunque & vbicunque purè & fideliter exhibebimus, quòd ſancta mater Eccleſia, quam deuotè veneramur, & ſemper venerabimur, in nobis ſentiet integerrimum aduocatũ & filium, & ipſius Concilij, quod eandem repræſentat Eccleſiam, defenſorem & vltroneum protectorem. Obſecrantes paternitates veſtras in viſceribus Ieſu Chriſti, vt in hoc ſancto velitis perſeuerare propoſito, & ſiqui æmulorum Dei & Chriſtianiſmi in pœnis debachantium, fortaſſis ad protractionem ſeu diſſolutionem ipſius Concilij conarentur intendere, illos velitis tanquam membra putrida præcidere, ne corpus inficiant: ad hocq́ue ſolerter eniti, vt ipſum Concilium omninò ſolidetur, & accuratiſſimè foueatur. Nam ex eius diſſolutione aut inducijs quas Deus auertat, non videmus niſi Eccleſiam Dei in totalem interitum & conditionem peſſimam ruituram: quibus omnibus per hoc ſacrum Concilium, quod Deus hoc tempore tribulationis ab alto conceſſit, & in quo omnis virtus, omniſq́ue ſpes Chriſtianorum ad extirpandas hæreſes, repellẽdaque vitia, & omnes rugas Eccleſiæ abſtergendas plenè cõſiſtit, fietque prouiſio adoptata, ad quod etiam, Deo dante, citò & feliciter reuerti ſperamus, deſiderio magno incenſi, vt ſicut in conſtan. Concilio vidimus gregem Dominicum anteà miſerè diſperſum, in vnius Paſtoris obedientiam cõuenire, ita in pręſenti Baſileenſi Concilio ipſius vnici gregis reformationem videre poſſimus, oramus, vt nobis velit cõcedere rex æternus. Datum Mediolani die 11. mẽſis Decembris, regnorum noſtrorum anno Hungariæ 45. Romanorũ 22. & Bohemiæ 12.

Ad mandatum domini Regis,
Caſpar Slick.

* Sirck

LITERA REGIS AD PAPAM SVPER facto eodem.

BEATISSIME pater & domine reuerendiſſime, hodie recepimus Bullam veſtræ ſanctitatis de manibus E. V. ſanctitatis, notificantem nobis diſſolutionem ſacri Baſileenſis concilij. quam eadem ſanctitas fecit per ſuas Bullas hincindè publicari: de qua quidem re nobis nedum terribili, ſed infauſta nimium, nedum amariſſimè perturbati, immò tanto vehementiùs ſtupefacti ſumus, quanto apertè videmus calamitates innumeras, diſcriminoſa pericula atque ſcandala, toti Chriſtianiſmo exinde ſucceſſura, & fidem Catholicam per hoc indubiè fundamentaliter eneruari. Et quamuis plurima & infanda mala, quæ ſtylo deſcribi non

poſſunt, ex diſſolutione tali ſequutura ſunt, tamen nos accẽſi zelo, quem gerimus ad religionem fidei, & affectu filiali, que eã habemus ad veſtram ſanctitatem, ad ſatisfaciendum quoque debito noſtro, quod nobis tanquam Romanorum regi aduocato & defenſori Eccleſiæ incumbit, præmittimus veſtræ ſanctitati hic incluſa certa Auiſamenta, & repẽtinè quidem ac feſtinantiſſimè: quoniã arduitas & magnitudo rei, ipſius oratoris miſſionem propter moram pati non potuit, in quibus eadem ſanctitas verſando colligere poterit pericula, in quæ Eccleſia Dei ruitura eſt, ſi concilium diſſoluatur, quod abſit: videbit etiam ſanctitas veſtra in auiſamentis præfatis mentem noſtram ſuper rationibus, quæ veſtram ſanctitatem ad huiuſmodi diſſolutionis materiam permouerunt: quæ vtinam tantũ facerent in hac Chriſtianorum extremitate, quantum ſine fructu prolongant. Rogan. obſecran. ac affectu maiori quo poſſumus requirẽtes veſtram ſanctitatem in domino noſtro Ieſu Chriſto, cuius res agitur, quatenus penſata totius Chriſtianæ religionis ſubuerſione, mox remediare dignemini, ſcribere & mandare reuerendiſſimo præſidenti & ſacro Concilio, vt nullatenùs diſſoluantur, ſed in nomine ſpiritus ſancti, in quo congregati ſunt, incepta feliciter perficiant. Et ſi quę veſtra ſanctitas in contrarium ſcripſerit ſeu nunciauerit, illa reſpectibus præmiſſis legitimis penſatis, protinus reuocet, eidemq; Concilio fauores & omnes promotiones impendat, neceſſitas ſumma requirit. Auiſata enim eſſe debet eadem ſanctitas, quod niſi hoc celeriter fiat, Eccleſia Dei in deterrimas conditiones prolapſura eſt, potiſſimè in Germaniæ partibus, quæ iam proh dolor indubioſo vacillant diſcrimine. In quo profectò ſanctitas veſtra quę hucuſque tanquam innocens ſine macula tenta eſt, non modicè (quod dolenter deſcribimus) ſuſpicionis notæ ſubiacebit. Quam quidem remedium ſalutare veſtra ſanctitas tollere velit, & hanc adhortationem noſtram, ad quam nos extrema vnctio, quam Eccleſia Dei modo expectat, ac conſcientia noſtra, ac filialis erga ſanctitatem veſtram vrget affectus, paternè & benignè ſuſcipere & ſic prouidere, vt grex Dominicus non tam miſerè diſpergatur: ſed boni paſtoris regimine, ad eiuſdem & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientiam, cùm tempus aſſit gratiæ, feliciter conducatur. Perſonam veſtræ ſanctitatis ſanam & incolumem cõſeruare dignetur altiſſimus feliciter & longæve regimini Eccleſiæ. Datum Placentiæ die nona menſis Ianuarij, regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. 45. Romanorum 22. & Bohemiæ 12.

Optat Imperator, vt eccleſia ad pontificis obediẽtiã reducatur: cui vtinã Baſileen. obtemperaſſent.

AVISAMENTA AD DOMINVM SVMMVM

Pontificem ex parte domini Romanorum &c. Regis, ſuper facto Baſileenſis concilij.

PRIMO, quemadmodum veſtra ſanctitas in Bulla nobis tranſmiſſa notificat nobis primò diſſolutionem ſacri Baſileen. Concilij &c. Ita perlecto diligenter tenore eiuſdem, non videmus aliam penitus cauſam diſſolutionis, propter quam fiat, cõtineri, niſi propter reductionem Græcorum ad ritum Romanæ ac vniuerſalis Eccleſię. Et quemadmodum eadem ſanctitas nos rogat, vt ſi aliqua auiſamenta excogitaturi ſumus, ad pacem fidelium religionis Chriſtianæ ac ſtatum & honorem Eccleſiæ facientia, veſtræ ſanctitatis velimus exponere &c. Ita requiſitione veſtræ ſanctitatis promoti & inducti, etiam deuotione ſyncera quam ad bonum eccleſiæ & ſtatum vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ gerimus, rubore depoſito & confidenter dicimus, quod hæc cauſa Gręcorum, nullatenùs ſufficere poteſt ad diſſolutionem ipſius ſacri Concilij, quamuis benè eſſet res ſanctorum & multum optabilis, ipſos Græcos reductos videre, nec prętermittendum eſt ſuo tempore ad illa intendere. Sed non poterit nec debebit ipſa reductio, quæ tot centenis annorum ſic perſtitit, & dubioſa quidem eſt, rebus tam arduis quæ ſubuerſionem totius noſtræ fidei tangũt, quoquo modo præponi: quia vtique res illa moram pati non poteſt quæ hucuſque tanto tempore perdurauit ſine læſione Romanæ Eccleſiæ, cùm à Græcis & ſuis concredentibus hucvſque Chriſtianitas nihil violenti pertulerit. Sed iſtæ res videntur nobis debere ilicò ad manus recipi, tanquàm magis bonæ & arduæ, quæ facere poſſunt ad extirpationem hæreſum, quæ hodiè tanta enormia mala in populo fideli patrant, nec ceſſant, ſed igne & gladio trucidant, non parcentes ſexui nec ætati. Nunquam enim credibile eſſe poterit, Græcos ritui noſtro conformari velle, videntes nos in tanta ſtrage, diſſenſione, & deformitate morum & vitiorum, nec vnquam aliquam correctionem adhiberi, ſed de die in diem nos in viliora & magis inordinata corruere, & ritum noſtrum ac obedientiam Chriſticolarum, quaſi penitùs extingui. Dicunt ipſi apertè:

Sæuitia Huſſitarũ.

Turpe eſt doctori cùm culpa redarguit ipſum.

Sed ſi nos viderent eſſe compoſitos & reformatos, & intendere ad extirpationem hæreſum & pacem fidelium, profectò indubij ſumus, quod ſe deflecterent. Sed hoc iterum per alios & alios modos, Deo faciles & benè conuenientes, prout à nobis enucleatiùs & clariùs informabitur ſanctitas veſtra. Secundò ſacrum Baſileenſe Concilium miſit nobis certas literas, Bohemis Huſſitiſque * ſonantes, eoſque ad Baſileam pro reductione ipſorum vocantes, quas ilicò eiſdẽ tranſmiſimus, adiunctis noſtris oportunis & adhortatorijs literis, tenorem literarum Sacri concilij continentibus. Super quibus Pragenſes, qui inter eos potiores ſunt, in Praga diætam, * prout in copia hic annexa, ſanctitas veſtra elicere poterit, & vt nos aliundè informamur, ſperatur omninò de comparitione ipſorum coram Concilio, & veriſimiliter etiam multò magis ad hoc ſtringuntur, * quanto iam in regno noſtro Hungariæ conflicti ſunt, & magnam partẽ ſui exercitus, equeſtrium & pedeſtrium, ac inſtrumẽtorum & Curruum, auxiliante Domino, perdiderunt, & etiam per illuſtrẽ filium noſtrum ducem Auſtrię, æſtate præterita in Morauia potenter de campo depreſſi, & in fugam conuerſi, ac nouiſſimè in ducatu Auſtriæ notabiliter ſunt proſtrati. Inſuper etiam, quia ipſum concilium ipſis magnum terrorem inducit, cùm audiunt, illud ad extirpationem hæreſum eſſe potiſſimè congregatum, quibus comparentibus, ſperaremus ipſos per ſacrum Concilium ita informari, quod contenti recederent, & hæc peſtis Deo dante ceſſaret: nec intentio Concilij & noſtra vnquam fuit neque eſt, vt ſuper articulis ipſorum prius damnatis debeat * fore diſputatio, prout tangit ſanctitas veſtra, ſed ſolum informatio & inſtructio per ſacras ſcripturas, vt ſe errare cognoſcant, & reſipiſcant, prout dominus noſter Papa Martinus prędeceſſor veſter, nobis & regi Poloniæ in pluribus ſuis Bullis faciendum impoſuit & perſuaſit. Et in caſu quo nil perficeret, tamen videns ſacrũ Concilium ipſorum pertinaciam, feruentius ad eorum ſuppreſſionem intenderet, & ſuper his ex omnium regionum finibus prouideret, quoniam hoc onus ſolis eſt importabile Alemanis. Inſuper quia locus Baſileenſis præfatis Huſſitis eſt deputatus, & ſacrum Concilium, noſque ſecuritatem illuc conducendi illis plenè obtulimus, & per literas noſtras affirmauimus: quid dicent ipſi hæretici, ſentientes diſſolutionem Concilij, niſi quod nos fugiamus eos, & Eccleſiam contra eorum rationes quodammodò ſuccubuiſſe? & ſic cõfortabũt ſuos, & fideles populos, ad quos iam, vt audiuimus, errores ſuos & articulos cum inſertionibus ſacrarum ſcripturarum miſerunt, mortali contagione inficient, in quo cũctus populus ſpem ſuam defixit: nec illud tantam moram perferre quomodolibet poterit, quãta eſſet huiuſmodi protractio concilij: quia reuera in tanto tempore & ipſi quaſi totam Germaniam poſſent ſubripere, prout circunquaque in magna parte de facto fecerunt, nec reſiſtentia aliqua pararetur, nec parari poſſet, propter diſſolutionem ipſius concilij, vti claret. Tertiò, quia vbique famatur, ſacrum Conciliũ pro reformatione morum in populo Catholico & etiã ſtatu eccleſiaſtico congregatum fore &c. modò ſi diſſolutum maneret Concilium, reuera timendum eſt, quod laici qui multimodè contra clericos debacchãtur, capiant occaſionẽ irruendi contra ipſos, dicentes in congregandis & diſſoluẽdis Concilijs ſine fructu illuſiones fieri, prout prius etiam factum eſt, prout manifeſtè clamant, quod non expectant niſi finem huius Concilij. Et vt principium huius mali oſtendamus. Ecce ciuitas metropolitana Meyddeburgen. expulſo ſuo Archiepiſcopo atque clero, iam per terras ipſius Eccleſię in fortitudine curruum Huſſitarum diuagant, quibus in ſubſidio ſunt quaſi omnes ciuitates Saxoniæ mariti-

Strages Huſſitarũ.

* fieri

Magdeburgen. & vrbes maritimæ fauent Huſſitis.

mæ, & maiorem (vt timendum eſt) habebunt ſequelam, ſi non celerrima fiet prouiſio. Inſuper, vt auiſamur, Patauien. ciuitas ſuo epiſcopo rebellauit, & ſe parat ad expugnandum caſtra ſua. Demum ciuitas Bambergen. quæ propter mutationem, quam fecit contra hæreticos ex indulto noſtro, per clerum infeſtatur, in magna eſt vacillatione, & quia prædicta loca omnia Bohemis ſunt vicina, timendum eſt, quod per diſſolutionem Concilij, quod pro ſeparandis talibus nũcios ſuos tranſmiſit, illa loca talia cum hæreticis in ſpem ſubſidij partita capient, quæ nullis vel ſaltem grauiſſimis erunt recuperanda laboribus. Quartò, quamuis multi principes nobiles & ciuitates circumquaque Bohemiam poſt rupturã exercitus cum hæreticis treugas inierunt, tamen maior pars adhuc ſe contra eos ſuſtentat, ponendo ſpem ſuam totalem in ipſo Concilio pro liberatione ſua: ad quos dictum Concilium, & nos dudum pro eo miſimus, qui audientes Concilium debere diſſolui totaliter ſe auertent, & treugas etiam inient ad redimendas vexationes, & quid in * locum ſequetur, niſi illius prauitatis adhæſio? Quintò, quemadmodum ipſum ſacrum Concilium pro ponenda pace inter cætera congregatum exiſtit, & iam inter quàm plures reges, principes & alios ſint præparamenta & initia facta, ad dandum modos pro pace: ita ipſi audientes, diſſolutionem Concilij, conuertent ſe ad gladium, & erit error nouiſſimus peior peiori: nec poſtea erit aptitudo id faciendi, cùm principes fuerint exhauſti terræ per clades, cædes, & ſanguinis effuſionem deſertæ, & in periculum innumerabilium animarum & corporum, quæ infra has prorogationes & inducias, proh dolor corruent: ceſſabunt etiam multæ prouiſiones, quæ in eodem Concilio pro republica Chriſtiana fieri poſſent: & innumera prouenient ſcandala, in deſtructionem totius religionis Chriſtianæ vergentia, quæ veſtra ſanctitas clariùs quàm poſſunt deſcribi proſpicere valeat. Idcircò nos petimus, inuocamus, & quanto efficaciùs poſſumus, requirimus veſtram ſanctitatem, quatenùs eadem veſtra ſanctitas incontinenti ad præfatum dominum præſidentem & ſacrum Concilium ſcribat & mittat, vt nullatenus diſſoluantur, ſed in nomine Domini in quo congregati ſunt, incepta feliciter perficiant. Et ſi quæ veſtra ſanctitas in contrarium ſcripſerit, ſeu nunciauerit, illa protinùs reuocet & annullet: Auiſando veſtram ſanctitatem, quod niſi hoc fiat, hæreſes iſtę armatæ multimodè augebuntur, & Eccleſia Dei, indubiè in peſſimas conditiones ruitura eſt, quibus poſtmodum nulla potentia, nullo conſilio, nulla ve arte ſeu ingenio ſuccurri poterit. Et reuerà tamen hi, qui veſtræ ſanctitati dederunt conſilium, non intellexerunt fortitan tanta ventura mala, vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. mora enim in hoc negocio periculoſa eſt, & nullatenus ſufferenda. Et ſi quippiam fortaſſis pertimeſcerent, aliqua cõtra ſtatum Eccleſiaſticum per laicos debere tractari, non timeant: quia laici falcem ſuam non habebunt in meſſem illam immittere, immo profectò induciæ protractionis, quæ quæruntur, laicos facient contra clerum & Eccleſiam inſanire: quod tamen per iſtud concilium ordinatè tolletur de medio, dum laici videbunt clerum omni bono intendere.

¶ Item conſiderandum eſt veſtræ ſanctitati, quòd ſacrũ Concilium (vt putatur) ad huiuſmodi diſſolutionem nullatenùs conſentiet cum quo etiam maior pars regum, principum, prælatorum & communitatum concurret, & veſtra ſanctitas quæ hucuſque in Eccleſia Dei ſine ruga & macula tenta eſt, per huiuſmodi opera poterit ſibi ſuſpicionem & rubiginem facere, ac innocentiam ſuam per hoc quòd faciliter & quaſi nulla legitima ratione ſubſiſtit diſſolutionis negotium, fermentare: quia dici poterit, quòd veſtra ſanctitas hac occaſione foueat hæreſes, cædes, & clades inter Chriſticolas, & perſeuerantiam deformitatum & vitiorum in populo: & timendum eſt, quòd habebunt ſequelam multorũ. Item ſi veſtra ſanctitas vellet concilio perſonaliter intereſſe, eſſet bonum & ſalubre, ſi poſſet. Sed ſi non poteſt, feſtinãter & citò demandet illud exequi, prout eſt inceptum, quia res illæ quæ vſque ad ſanguinem tangunt, nullatenus volunt moram, niſi cum diſpendio totius Chriſtianitatis. Et ſi veſtra ſanctitas poſteà voluerit perſonaliter intereſſe ſuper facto Græcorum, ſeu alijs, quæ non requirunt tantam feſtinantiam, poterit congregare aliud Concilium, quod fiet cum gratitudine & maiori aptitudine, quàm nunc hæc mora tolerari poſſet: nam iſto diſſoluto, neſcimus ſi per annum cum dimidio aliqui congregari poſſent propter diſpendia, quæ interim euenirent. Hæc omnia ſanctitas veſtra velit diligentiſſimè conſiderare & prouidere, vt iſtud Concilium mox reſtauretur: ſuſcipiatque hanc adhortationem noſtram paternè & benignè, quàm fecimus fideliter, vrgente ad eadem conſcientia & extremitatibus, in quibus Eccleſia Dei conſtituta eſt, & etiam quia maieſtas ſua valdè inuitè perciperet, quòd ſanctitati veſtræ exinde aliqua inter Chriſticolas deberet ſiniſtra ſuſpicio ſuboriri, quemadmodum nos veſtræ ſanctitati, dum cum eadem conſtituemur, prout in breui ſperamus, clariùs communicabimus.

INSTRVCTIO DOMINORVM EVNTIVM ex parte Cæſareæ maieſtatis ad dominum ſummum pontificem.

PRIMO exponatur, qualiter ad aures regias peruenerit, quod ſanctitas domini noſtri gentes ſuas armigeras miſerit contra maieſtatem regiam, & ſubditos ſuos, ac terras ſibi & imperio ſubtractas, abſque culpa regia, & nulla offenſa & rationabili cauſa præcedente. Et quamuis hucuſque nunquam crediderit, ſanctitatem ſuam erga maieſtatem Regiam aliquam indignationem velle aut poſſe concipere, ſeu facere, licèt Nicolaus de Tolentino, qui ſe per expreſſum Capitaneum generalem Eccleſiæ ſcripſit, aliàs veniens cum Florentinen. gentibus in ante Lucam, gentibus regijs, vt debitum erat, Papam defendentibus publicè clamari fecerit, Viuat Eccleſia: tamen iam habetur * tertius, qualiter Nicolaus de Fortebrachijs contra terras Imperio ſubiectas nouiter inſultauerit, & illas nomine ſuæ ſanctitatis & Eccleſiæ poſtulauerit, qualiter etiam memoratus Nicolaus de Tolentino in Maricim Senenſem pridem patrauerit, eadem ſanctitas perſentiet in ſchedula cum præſentibus oſtendenda, quæ tamen Maieſtas ſua à dicta ſanctitate minimè ſperaſſet, cum talia nunquam demeruerit, ſed ſemper ſtuduerit omni ſolicitudine ſuæ ſanctitati & ſedi Apoſtolicæ ſumma deuotione & filialiter complacere: nec ab eo vnquam compertum eſt contrarium. Non poteſt non mirari, quis ſanctitatem ſuam contra ſuum aduocatum & filium ſine cauſa commoueat: & ſi ſubditi ſuæ maieſtatis & imperij ſacri, eandem ſanctitatem aut ſuos in aliquo moleſtaſſent, fas fuiſſet, eam antè auiſare: & ipſa fuiſſet quàm parata, nedum eidem ſanctitati, ſed & cuique de ſubditis ſuis iuſtitiam miniſtrare, quod profectò in aduerſum paternaliùs & clementiùs actum fuiſſet, quam tali indignatione prorumpere, cùm continuò eadem ſanctitas ſuæ maieſtati ſcripſerit, ac latiſſimè nunciauerit, ac nouiſſimè per venerabilem Iacobum Archiepiſcopum Ebredunen. principem Triſtamerarium ſuum dici fecerit, ſe erga eandem maieſtatem optimè eſſe diſpoſitam, eamque multùm amare, nec aliud vnquam ſperauit, & adhuc quod ſua ſanctitas clementiùs & paternaliùs cogitabit & aget, vt in eadem ſperat.

*for. * certius*

¶ Item regia maieſtas ſuſcepit reuerenter, & vidit, ac audiuit diligenter bullas ſuæ ſanctitatis per dominum Archiepiſcopum allatas: ſed quia negocia illa magni ſunt ponderis, & extra poteſtatem regiam, non poſſet ſuper illo ſuæ ſanctitati eadem Maieſtas efficaciter reſpondere, cùm illa potiùs pertineant ad ſacrum Baſileen. Concilium, prout aliàs oratoribus Apoſtolicis in Parma conſtitutis clarè dixit eadem Maieſtas, tales res Concilium tangentes, ibidem quæri debere. Et ſic denuò ibidem dicet, & adhuc cooperabitur omni poſſe, vt res illæ benè cedant. veruntamen rogat, petit & obſecrat eandem ſanctitatem filialiter deuotè in Domino Ieſu Chriſto, quatenùs eædem limitationes & modificationes capitulorum in bulla expreſſorum, defendendo illud Concilium ad laudem Dei & ſalutem ſuæ ſanctæ Eccleſiæ, dignetur ſimpliciter & indiſtinctè manutenere & fouere, vt ſuper articulis & rebus, pro quibus congregatum eſt, procedat liberè iuxta formas & modos in retrò generalibus Concilijs tentos. Quod ſi eadem ſanctitas faceret, vt ſperat eadem maieſtas, prouidebit indubiè ſaluberrimè

rimè honori & dignitatibus ſuis, & extolletur ad æthera, & ſub eius regimine eiuſque præſidio in Eccleſia Dei, nunc vndique impugnata, tot bona ſequutura ſunt, ſcilicet reductio hæreticorum atque hæreſum extirpatio, quæ in foribus eſt, & ſine generali Concilio nullatenùs fieri potuit, & alia bona innumera. habebitque maieſtatem regiam deuotam ſemper & obedientem filium in auribus ſuæ ſanctitati gratum & Eccleſiæ Dei accommodum. nam profectò ſi id nō fiet, prout eadem maieſtas ſæpiùs ſcripſit & dixit ac proteſtata eſt, inuicibiſia ſcandala exinde proh dolor ſunt euentura. Item regratiatur ſummoperè ſanctitati ſuæ de paterna affectione & clementi oblatione ſanctitatis ſuæ erga maieſtatem eandem, quemadmodum in ſchedula parua contentum eſt: quoniam maieſtas ſua * quia dominus Archiepiſcopus Ebredun. concluſit cum reuerendiſs. dominis Cardinalibus deputatis per ſanctitatem D. N. ad facta illorum qui ſunt in Baſilea, idem dominus noſter vult habere literas à domino Romanorum rege attentiùs cum ſigillo maieſtatis & ſubſcriptione propriæ manus ſuæ. quod ſi illi non conſentirent, & poſteà in aliquo contrafecerint, idem dominus rex promittit & iurat ſub fide regia, proſequi eos tanquam homines turbatores pacis & quietis Eccleſiæ & totius religionis Chriſtianæ, ad ſimplicem requiſitionem ipſius domini noſtri, ſicut ipſe per iuramentum eſt obligatus, & adhærebit ſuæ ſanctitati tam in Concilio per eandem ſuam ſanctitatem tenendo, quàm alibi. Item quod idem dominus Ebredun. aſſerit præfatum dominum regem affectare accedere ad vrbem Roman. & præfatum dominum viſitare, quem ſemper præcipua charitate dilexit, & ſperat quod per communicationem ipſorum adinuicem multa poterūt fieri congruentia, concernentia fidem ipſorum & Eccleſiā & totam Chriſtianitatem. Item dominus noſter contentatur de acceſſu ſuo cùm ipſum à tempore Concilij Conſtan. quo cognouit eum, ſemper fuerit magna dilectione & affectione proſecutus, dummodò eius aduentus pacificus ſit, id eſt, cum illis de domo ſua tantum, vt aliàs tactum fuit. & certificatus de tempore aduentus ſui, mittat obuiam ſibi vſque ad confinia terrarum Eccleſiæ duos ex reuerendiſſimis dominis Cardinalibus, & alios prælatos & clericos ad ipſum aſſociandum honorificè, & ipſum ſecurè conducent, & tenebit per Dei gratiam, & remittet cum honore, pace & benedictione Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli, ac ſua. Et ſi voluerit in comitiua ſua habere de gentibus armigeris præfati domini noſtri, tam in veniendo quàm in reuertendo: & ſi petierit quòd dictæ gentes faciant conueniens prædictæ materiæ, contentatur dominus noſter, quòd fuit hoc declaratum, quòd antequam intret terras eccleſiæ, præſtabit iuramentum, quod de iure præſtare tenebatur antequàm intraret Italiam, iuxta formam Clementin.

for. * *gratæ ſuſcepit quia*

Item ad oſtendendum charitatem, amorem & beneuolentiam erga perſonam domini regis, conſideratis magnis expenſis habitis per futurum dominum regem, dominus eſt paratus ſubuenire eidem dominino regi, poſtquàm intrauerit terras Eccleſiæ: & eum illa paternali charitate amplecti, qua pater bonus filium optimum complecti debet prout per oratores ſuos aliàs oblatum fuit. Et ſuper hoc dominus noſter paratus eſt deputare aliquos, qui habeant tractare cum deputandis per dominum regem, & infallenter ſperat quod erunt in bona concordia cum Dei adiutorio.

LITERA REGIS DE CONCORDIA CVM PAPA, *lecta die 2 Maij, anno domini 1433.*

SIGISMVNDVS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex, Reuerendiſs. in Chriſto patribus ac venerabilibus dominis, ſacroſanctæ generali Baſileenſi ſynodo, in ſpiritu ſancto legitimè congregatæ, vniuerſalem Eccleſiam repræſentanti, amicis noſtris chariſſimis ac gratè & ſyncerè nobis dilectis.

¶ Reuerendiſs. in Chriſto patres & domini, ac venerabiles & egregij ſyncerè grateque dilecti, ad requiſitionem & continuatam inſtantiam veſtrarum paternitatum, vt ad ſacrum concilium nos quanto citius * transferremus, ſatis conflauimus operas noſtras atque ſtudium, vt conſilijs veſtris nos conformare poſſemus, quemadmodum profectò ipſi Concilio & rebus peragendis per præſentiam noſtram non modicum commodi euenturum ſperauimus. Sicque res noſtras aptauimus, vt ſiue per terram, ſiue per mare diſponeremus procedere, omnibus periculis & diſcriminibus paruipenſis. Veruntamen approbante domino ſummo pōtifice ſacrum Concilium, ad perſuaſionem nonnullorum notabilium virorum & etiam oratorum noſtrorum & imperij ſacri principum Electorum, qui nobis huiuſmodi bullas exhibebant, nobiſque receſſum noſtrum ſine imperialibus inſulis penitùs diſſuadebant, cum ſanctitate ſua remanſimus concordes in deificis, licitis & honeſtis. Sicque per totum iſtum menſem Aprilis cum S. ſua in Viterbio conſtituemur, & vſque medium Iunij vel prius in vrbe Roman. à S. ſua coronabimur, præſtabimuſque & innouabimus ſibi illa iuramenta, quæ noſtri prædeceſſores Romanis pontificibus præſtiterunt. Iſtudque adiecimus, quòd ipſum manu tenebimus, quantum cum Deo poterimus: Quoniam nos vſquequaque ad alia obligari non permiſimus, nec permittemus. Et hæc V. P. ideo deſcribimus, vt ſi aliquis hanc concordiam ſiniſtrè initam, forſitan interpretari vellet, illud à V. P. non credatur: quoniam hæc concordia bonis reſpectibus facta eſt. Diſpoſitique ſumus ſemper ipſi Concilio iuxta bullam per nos traditam, in proſecutione illorum, pro quibus ipſa ſynodus eſt congregata, plenariè fauere & conſtanter adhærere. Certificantes vos, quòd niſi S. ſua ſæpè dictum Concilium approbaſſet, indubiè ſine ipſis coronis, quas propter facta ipſius Concilij tanto tempore prætermiſimus, ad propria rediſſemus: quemadmodum de his omnibus illuſtris princeps & locum tenens noſter dux VVilhelmus V. P. poterit clarius informare, cui in dicendis velitis credere tanquam nobis. Datum Senis die 15. April. regnorū anno Hungariæ &c. 48. Roman. 23. & Bohemiæ 13.

* *conferremus.*

REVERENDISSIMIS reuerendis ac venerabilibus in Chriſto patribus & dominis ſacroſanctæ generalis ſynodi Baſileenſis &c.

Sigiſmundus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex. Reuerendiſſimi reuerendique patres, amici chariſſimi, ac venerab. & egregij, deuoti ſyncerè grateque dilecti, audito pridem, quod P. V. ſuper controuerſia ſeſſionis inter illuſtres Archiprincipes ſacri Romani imperij electores & ducem Burgundię quandam prouiſionem fecerint, quæ per ambaſiatores vtriuſque partis ambaſiatorio nomine gratificata ſit de veſtrarum paternitatum ſolertia, & ipſorum ambaſiatorum induſtria confiſi, ſpemque firmam aſſumentes, quod huiuſmodi prouiſio noſtro & ipſius ſacri Romani imperij ac ipſorum Archiprincipum honori expediat, ſumus admodum gauiſi. Sed intellecto ad præſens, quod quidam procuratores illuſtris Erici ducis Lauvvenburgen. qui ſe nominat Saxoniæ ducem, ac ipſius ſacri imperij electorem & Archimareſcallum huiuſmodi prouiſionis occaſione ſe de loco illuſtri Frederico duci Saxoniæ, ſacri Rom. Imp. Archimareſcallo, Lantgrauio Thuringiæ, ac Marchi. Miſnen. & Ambaſiatoribus eius debito intromiſerint, ſeque intruſerint in eodem: ſatis illud nobis viſum eſt alienū. Et quia genitorem præfati Frederici, ac deinde ipſum Fredericum de ipſo ducatu Saxoniæ ac iure eligendi Romanū principem, ac etiam ipſi Archimareſcallatus officio inueſtiuimus, cuius inueſtituræ vigore, primum genitor, ac deinde Fredericus natus eius, poſſeſſionem principatus Saxoniæ nacti ſunt, & deinde per illuſtres ſacri Romani imperij electores ad ius & exercitium dignitatis & officii principis electoris & Archimareſcalli ſimiliter recepti ſunt & admiſſi: non immeritò manſimus admirati de ſupradicti ducis Erici, quinimmò ſuorum Ambaſiatorum præſumptione, qua poſſeſſionem iuris & dignitatis apud aliam conſtitutorum ante euentum iudicialis arbitrij violenter inuadere præſumpſerunt. Licèt itaque credamus veſtras paternitates noſtros & imperij noſtri principes veſtra diſpoſitiſſima domo, quantum ad ſeſſionem, inceſſum, vel aliam exhibitionis reuerentiam non aliter honorare, quàm à nobis & imperij noſtri principibus honorantur, ſicut & nos eccleſiaſticos prælatos ſecundum gradus eccleſiaſticarum dignitatum

in noſtra curia reueremur: ne tamen in poſterum oriatur diſcordiarum materia præmiſſa, quamuis vndique notoria veſtris paternitatibus duximus intimanda, quatenus prælibato Frederico & eius Oratoribus honorem Archiprincipi & electori iuxta veſtræ prouiſionis normam impendendum exhibere velitis, prout nos imperij noſtri principes & vniuerſi proceres ſibi impendunt. In quo nobis V. P. facient complacentiam multum gratam. Datum Vlmæ Conſtantienſis diœceſis die 19. Iulij, regnorum noſtrorum anno Hungariæ 48. &c.

EPISTOLA IMPERATORIS ROMANORVM, qua Concilium certum facit de victoria Bohemorum aduerſus Taboritas.

REVERENDISSIMIS ac venerabilibus in Chriſto patribus ac dominis ſacroſanctæ generalis ſynodi Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregatis, Eccleſiam vniuerſalem repræſentantibus, amicis noſtris chariſſimis ac gratè & ſyncerè nobis dilectis. Sigiſmundus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c. Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex. Reuerendiſs. in Chriſto patres & domini, amici chariſſimi & reuerendi, gratè ſyncereque dilecti, hodiè hora veſperarum confluxerunt ad nos nuncij, qui in tribus diebus & citiùs de Bohemia volantiſſimè applicuerunt, afferentes nobis iocundiſſima & feliciſſima noua de victoria noſtrorum & conflictu Taboritarum & illorum qui aliâs in obſidione ciuitatis Pilznen. erant, qui per Dei gratiam, à quo omnis procedit victoria, in planitie inter ciuitatem *Gurſim & monaſterium *Scalicz forti bello cum modico damno noſtrorum victorioſè proſtrati ſunt, quarum literarum aliquas originales veſtris reuerendiſs. paternitatibus mittimus præſentibus interclusas. Hæc reuerendiſſimi patres voluimus veſtris paternitatibus pro ſingulariſſimo gaudio cunctis Chriſti fidelibus optatiſſimè nunciare, rogantes cordintimè, quatenùs altiſſimo Dño Ieſu Chriſto infinitas agentes gratias cum proceſſionibus & alijs ſolennitatibus, ad bonum & felicem progreſſum tam felicis principij, immò veriùs medij, omni opera atque cura vigilare velitis, quoniam & nos ſimiliter de agendis nil prętermittemus. Et quæcunque in futurum habuerimus, veſtris paternitatibus die noctuque intimare curabimus. Datum Vlmæ die 4. Iunij.

EPISTOLA IMPERATORIS ROMANI ad Concilium.

REVERENDISSIMI reuerendique in Chriſto patres & domini, ac venerabiles & egregij, ſyncerè grateque dilecti, confirmat continuò Deus noſter magnam miſericordiam ſuam ſuper nos in felici proſecutione rerum Bohemiæ, quæ Chriſto diſponente, qui cuncta gubernat, indies conſiderabiliùs diriguntur. Scribunt enim nobis illi oratores noſtri, quos in proxima diæta Pragen. habuimus, quomodo omnes Bohemi in vnam ſententiam vnamque voluntatem tracti ſunt in materia articulorum fidei. Et quod ſuper reliquis ad vos verſus Ratiſponam, miſſuri ſunt in feſto Aſſumptionis Virginis glorioſæ. Taliſque datur ſpes, vt nil melius poſſit ſuperaddi. Quarum literarum copias de Bohemico in Latinum tranſlatas V. P. mittimus præſentibus interclusas. Verum reuerend. patres, quia ipſi Bohemi multum affectare videntur in huiuſmodi diæta Ratiſponen. præſentiam venerab. Conſtantien. Epiſcopi; etiam auditoris & magiſtri Martini & aliorum qui tractatibus ipſorum priùs affuerunt, nos opinioni eorum & deſiderijs concurrentes, illud nedum vtile, verùm etiam pro bona concluſione & ſalubri conſummatione omnium tractatorum neceſſariorum arbitrantes, vos attentiſſimè adhortamur, quatenùs P. V. velint dare ordinem, vt præfati patres & magiſtri in huiuſmodi diæta omninò interſint. Et ſi etiam aliqui alij ſuperaddendi fuerint, & illud extollimus atque laudamus, vt & deſiderijs ipſorum Bohemorum ſatisfiat, & ipſi patres nobis & nos ipſis in mutuis peragendis poſſimus aſſiſtere atque conſulere. Hæc itaque Reuerendiſſimi patres vobis pro conſolatione ſtatuimus ſcribere, vt nil vos lateat de his, quæ ad notitiam * veſtram in tam arduis rebus deueniunt. Et quicquid in proceſſu temporis habuerimus, V. P. ſignificabimus, exorantes altiſſimum, vt ſuccedant talia, quæ V. P. cum immenſa iocunditate ſignificare poſſimus. Datum Vlmæ Conſtantien. diœceſis, die 13. Iulij regnorum.*

for.* noſtram

LITERA DOMINI REGIS ROMANORVM PAtens, per quam promittit inconcuſſè adhærere Concilio, lecta in congregatione generali die luna 19. Ianuarij, 1433.*

* 2. Maij.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Amen. SIGISMVNDVS Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus tenore præſentium vniuerſis, quod cùm inter alios orbis principatus ſacrum Romanum imperium diuinitus inſtitutum obtineat principatum, cui Deo authore præſidemus, & aſſidua pulſemur ſolicitudine, vt ea quæ concernunt religionem Chriſtianam & bonum Eccleſiæ ſanctæ Dei, quorum aduocatus & protector ex officio nobis incumbenti ſumus & eſſe debemus, procurareque habeamus ſtabilitatem & felicem progreſſum eorundem: ſanè cùm ex ſacrorum generalium Conſtantien. & Senen. Conciliorum decreti conſtitutione ſuſcepta felicis record. Martini Papæ Quinti, & deinde ſanctiſſimi domini Eugenij Papæ Quarti ſucceſſoris immediati authoritatiua approbatione ſacrum Baſileenſe Concilium initiatum fuerit, roburque & authoritatem ſumpſerit & progreſſum habeat: Et ſucceſſiuè per idem ſacrum Concilium Baſileen. & Romanos patres in eodem exiſtentes & illud celebrantes, cum inſtantia fuerimus requiſiti, vt tanquam aduocatus Eccleſiæ ſanctæ Dei & defenſor, protectionem ipſius in nobis aſſumeremus, prout ad nos pertinere dignoſcitur, quod perſonaliter exequi nõ valentes,* vocati inuitati primò per dominum Martinum, & ipſo ſublato, per dominum Eugenium ſummos pontifices prędictos tranſire ad Italiam, prout tranſiuimus. Et propterea loco noſtri protectionem in nobis aſſumendo, prout tenebamur, in eodem ſacro Concilio protectorem dimiſerimus illuſtrem Principem VVilhelmum Comitem Palatinum Rheni & Ducem Bauariæ auunculum noſtrum chariſſimum, deputamuſque & inſtituimus cum plena authoritate & omnimoda poteſtate, prout in noſtris ſuper hoc confectis literis pleniùs continetur. Et quia (vt percepimus) nonnulli vaniloquentes, non rectè ſentientes, ipſum ſacrum * perſuadere ac turbare per exquiſitas vias * molientes vt de noſtra pura mente, interpretationeque eiuſdem & voluntate, cunctis appareat euidenter, ad confutationem iniqua peruerſè loquentium, volentes Reuerendiſs. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos Deo amabiles, necnon venerabiles Abbates, Prælatos, & omnes alios in ciuitate noſtra Baſilenſi congregatos & congregandos, ſacrum generale Concilium facientes, & illud celebrare intendentes, ſacroſanctamque vniuerſalem Eccleſiam repræſentantes, & eidem adhærentes, & adhærere volentes, & quoſcunque alios de eadem noſtra intentione & voluntate claros reddere & ſecuros, ad ipſius ſacri Concilij corroborationem firmiorem & authorizationem, prout ad nos poteſt quouis modo pertinere, animo deliberato ex certa noſtra ſcientia motuque proprio in verbo noſtro regio dicimus ac tenore præſentium atteſtamur, quod nos ab initio præfati ſacri Concilij Baſileen. ſemper abſque omni dubio ſimpliciter atq; purè eidem adhæſimus, adhęremuſque firmiter, & quandiù durauerit continuatum fuerit, adhærebimus inconcuſsè, nec faciemus neque fieri permittemus, Deo authore, quãtum in nobis fuerit, quod ſit vel eſſe poſſit directè vel indirectè contra ipſius ſacri Concilij authoritatem & libertatem, ſeu in præiudiciũ actorum in eodem vel agẽdorum in futurũ, quo ad ea propter quæ eſt conuocatum & etiam congregatum. Præſentiũ ſub noſtræ Maieſtatis ſigillo teſtimonio literarum. Datum Senis Anno Domini 1432. die 22. menſis Nouemb. regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. 46. Romanorum 23. Bohemiæ verò 13.

for.* vocati &

for.* diſſuadere

for.* moliuntur, vt

Ad mandatum domini regis, Petr. Kalde canonicus.

MANDATVM MISSVM SANCTISSIMO DOmino noſtro Papa, per ſereniſsimum dominum regem Romanorum per ſuos oratores, & lectum in conſiſtorio publico die 8. Apri.1433. domini Papa Eugenij anno tertio. & in eodem conſiſtorio oratores Imperatoris iuramentum Papa præſtiterunt.

SIGISMVNDVS Dei gratia Imperator Romanorũ ſemper Auguſtus,ac Hungariæ,Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ,&c.Rex.

Notum facimus tenore præſentium vniverſis,quod quãuis inter ſanctitatem beatiſſimi domini noſtræ Papæ Eugenij atque Maieſtatem noſtram fuerit ſemper & ſit per Dei gratiam bona concordia & perfecta ſynceritas animorum nihilominùs quia per multos aliquando quàm plurima incõſulta hinc inde relata ſunt, ſicut plerique mortaliũ prompti ſunt ad zizaniam inter principes ſeminandam & imprimendas ſuſpiciones, quo nihil periculoſius eſſe poteſt: nõ fortè de claritate mentium vtriuſque dubium, quod hucuſque volauit,ampliùs perſeueret:conſiderantes etiam,ex noſtra integra iniunctione bonum publicum ſecuturum, deliberauimus de proximo viſitare ſanctitatem præfati domini noſtri & vrbem Romam,pro ſuſcipiendis imperialibus noſtris coronis, & aliis rebus perarduis, tangentibus rempub. Chriſtianam & pacem Italiæ, pertractandis: quæ vt perfectiùs & pleniùs pertractari poſſint,mittimus ad ſanctitatem præfati domini noſtri Papæ Eugenij dilectos conſiliarios & ambaſſiatores noſtros magnificos, Matikonem comitem Keuvinen. & Capitaneum Mandoralben. & Caſparem Slyck vicecancellarium noſtrum & Capitaneum terrarum Egræ,conſtituen. creantes, ordinantes & facientes ipſos tenore præſentium ac authoritate regia noſtros veros & legitimos procuratores & factores & nuncios ſpeciales,& quidquid melius eſſe & dici poteſt: Danteſque eiſdem plenariam & omnimodam poteſtatem, plenam licentiam & facultatem exponendi ſuæ S. pro nobis deuotionem & reuerentiam filialem, quam ad ſuam ſanctitatem & Roman. eccleſiam ſyncero affectu gerimus. Necnon petendi & impetrandi à ſua ſanctitate fauorem & gratiam conſuetos,offerendo quoque eidem ſuæ ſanctitati fidelitatis & cuiuſlibet alterius generis iuramentum ſimul vel ſucceſſiuè. Et nihilominùs petẽdi à ſua ſanctitate nobis per manus ſuas impendendam vnctionem, conſecrationem, & Romani Imperij diadema,ac promittendi quòd illa, dum apud ſanctitatem ſuam fuerimus in propria perſona, ſi opus fuerit, innouabimus: ac omnia & ſingula alia peragendi & concludendi,promittendi & ſpondendi, quæ mutuam vnionem, charitatem & concordiam vitæ, ſanctitatem ſuam & maieſtatem noſtram & ſupereminentiæ & dignitatis principes, qui ſuper alios à Domino conſtituti ſumus, facere & conſeruare poſſunt, vt etiam à ſanctitate ſua, ſi opus fuerit, obligationes quaſcunque acceptandi, cæteraque omnia faciendi, finiendi, & concludendi quæ nos facere poſſemus, ſi perſonaliter adeſſemus: ratum & gratum habentes, & habere promittentes verbo noſtro regio, quidquid per præfatos oratores & procuratores noſtros actum,factum ſiue geſtum fuerit, acſi illud in perſona propria feciſſemus: volentes illa omnia noſtris regijs literis & ſigillis, ſi opus fuerit, denuò roborare præſentium ſub noſtræ Maieſtatis ſigillo teſtimonio literarum. Datum Senis Anno Domini 1433. die 16. menſis Martij, regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. 46. Romanorum 23. Bohemiæ ij verò 13.

SEQVITVR FORMA IVRAMENTI FACTI IN Conſiſtorio publico per dictos Ambaſiatores tactis ſanctis euangelijs & ſacris crucibus cum reliquijs. & lectum alta voce per Caſparum Slyck vicecancellarium regis Roman. coram domino noſtro Papa præſente & acceptante, & iſtud iuramentum fuit ſcriptum in membrana cum duobus Sigillis pendentibus recognitu eſſe dictorum Oratorum.

NOs Matiko de Callonz comes Kevuinen. & Capitaneus Mandoralben.& Caſpar Slyck vicecancellarius & Capitaneus terrarum Egræ, Ambaſiatores & procuratores inuictiſſimi principis & domini Sigiſmundi Roma.regis ſemper Auguſti,ac Hungariæ,Bohemiæ &c. regis glorioſiſſimi,ad ſanctiſs.& clementiſs. D. noſtrum Papam Eugenium IV. deſtinati, recognoſcimus tenore præſentium vniuerſis, quòd nos de mandato & licentia præfati ſereniſſimi domini noſtri regis,cuius pleno & ſufficienti mandato fulciti ſumus,quodque ſigillatum in manus ipſius ſanctiſs. domini noſtri diſpoſuimus hodiè dato literæ noſtræ præſentis in conſiſtorio Apoſtolico generali in manus ſuæ ſanctitatis præſtitimus in forma quæ eſt iſta: Nos comes Matiko & Caſpar Slick vicecancellarius, procuratorio nomine quo ſuprà,promittimus & tactis Euangelijs ſacroſanctis iuramentum firmamus ſanctitati præfati domini noſtri, ſuo & Eccleſiæ nomine huiuſmodi iuramentum accipiẽti, quòd ſereniſſimus dominus rex Sigiſmundus Eccleſiam & fidem Catholicam pura fide totis viribus conſeruabit reuerenter & etiam defendet, omnemque hæreſim, ſchiſma & hæreticos quoſlibet, fautoreſque & receptatores & defenſores eorum exterminabit pro poſſe, ac nunquam cum Saraceno, Pagano, Schiſmatico, ſeu alio quolibet communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ Eccleſiæ inimico vel rebelli, ſeu eidem manifeſtè ſuſpecto, vnionem quamlibet, parentelam, aut confœderationem inibit: Sed tam veſtram, quam ſucceſſorum veſtrorum perſonas, honorem & ſtatum manutenebit & defendet ac cõſeruabit contra omnes homines, cuiuſcunque exiſterent præeminentiæ, dignitatis aut ſtatus, eidem adiciicientes iuramẽto, quod eadem maieſtas manutenebit ſemper atque ſeruabit priuilegia omnia, per prædeceſſores ſuos reges ac Imperatores Romanos, præfatæ Romanæ Eccleſiæ ac alijs quibuſlibet eccleſijs quocunque conceſſa tempore, & continẽtię cuiuſcunque, ipſaque omnia & ſpecialiter ac præcipuè præclaræ memoriæ Conſtantinum, Carolum, Henricum, Ottonem IV. Fredericum ſecundum, atque Rudolphũ prædeceſſores ipſius, præſertim ſuper conceſſione, recognitione, aduocatione, quitatione ac libera admiſſione terrarum & prouinciarum Roman. Eccleſiæ vbilibet poſitarum, quarum etiã multas nominatim expreſſit, ſedi Apoſtolicæ Romaniſque pontificibus ſub quocunque tenore conceſſa, recognoſcet, confirmabit, & ex certa ſcientia innouabit, ac etiam de nouo concedet, & terras ipſas atque prouincias cognoſcet ad ius & proprietatem ipſius Eccleſię pleniſſimè pertinere, eaſque nihilominùs ex abundanti de nouo Eccleſiæ præfatæ donabit ſub prædicto ſe obligans iuramento, quod ipſas vel aliquam ipſarum partem nullo vnquàm tempore occupabit, ſeu quantum in eo erit, * permittet, poſſeſſiones, * occupati
aut ſemitas habebit, ſeu quomodolibet poſſidebit, nec in eis etiam poteſtariæ, ſeu cuiuſuis * capitaneæ officium, aut iuriſdictionem quamcunq; per ſe, vel alium exercebit: quodque vt princeps Catholicus ſæpedictæ Eccleſiæ aduocatus, atque defenſor, ipſam iuuabit, & conſilijs & auxilijs illi aſſiſtet opportunis, contra quoſcunque inobedientes & rebelles eidem, & præcipuè contra occupantes & turbantes terras prædictas, ſeu prouincias vel partem quamlibet earundem. Sub eodem etiam iuramento * permittimus, quòd tã for.* promittimus
ipſam Roman. quam alias eccleſias, libertatem Eccleſiaſticam, bona, iura, prælatos & miniſtros eccleſiarum ipſarum ipſe dominus rex manutenebit, cõſeruabit ac defendet ſuo poſſe. Et quod Eccleſiæ Romanæ vaſallos contra iuſtitiam nullatenùs offendet, deuotos & fideles etiam in imperio cõſtitutos benignè tractabit, nec eos opprimet contra iuſtitiã, aut quantum in eo erit, per alium opprimi ſuſtinebit, ſed in ſuis potiùs iuribus & iuſtitijs conſeruabit. Sic eum Deus adiuuet, & ſancta Dei euangelia. Et ſic nos procuratores nomine præfato recognoſcimus, confirmamus, innouamus, concedimus, donamus, & cætera facimus ſecundum tenorẽ qui ſuperiùs continetur: Promittentes inſuper, quod præfatus ſereniſſimus dominus noſter Rex, hoc quoque iuramẽtum per nos (vt præmittitur) præſtitum, in manus ſuæ ſanctitatis vel legatorum eiuſdem ſanctitatis, ſi illos præmittere decreuerit, perſonaliter innouabit, ſuas regias patentes literas & ſigilla conſueta ſuper illis tradendo. In cuius rei teſtimonium, ſigilla noſtra propria præſentibus ſunt appenſa. Datum Romæ anno 1433. die 7. menſis Aprilis.

ALIA EPISTOLA EIVSDEM IMPERATORIS *Sigiſmundi ad idem Concilium.*

REVERENDISSIMIS reuerendis ac venerabilibus in Chriſto patribus & dominis ſacroſanctæ generalis Baſileenſis ſynodi, in Spirituſancto legitimè congregatæ vniuerſalem Eccleſiam repræſentan. amicis noſtris chariſſimis, ac gratè & ſyncerè nobis dilectis. Reuerendi patres, inſinuatione literarum veſtrarum ac relatione illuſtris Friderici ducis Saxoniæ, ſacri noſtri Imperij Archimareſcalli, Lantgrauiæ Thuringiæ ac Marchionis Miſnen. aliorumque plurimorum fidelium noſtrorum nuper accepimus, quod illuſtris Ericus dux Lauvvenburgen. qui ſe nominat Saxonię ducem & ipſius Imperij Archimareſcallum, eundem Fredericum coram ſynodo veſtra, ſeu iudicibus ab ea deputatis, ſuper ducatu, officio, & iure ſupradictis trahere nititur in cauſam, nó erubeſcens de noſtra maieſtate publicas proponere querelas, quod ſibi licet crebrè poſtulanti, iuſtitiam in foro noſtro denegauerimus, ſeu miniſtrare neglexerimus. Vndè perpenden. in primis authoritati noſtræ derogari, pro eo quod cauſas ad examen noſtræ imperialis maieſtatis & procerum noſtrorum immediatè ſpectantes, ad alienum forum producere conatur: noſtram inſuper honorificentiam detractari ex eo, quod dicimur iuſtitiæ neglectores, quorum vtrique debitis & aptis ad hoc remedijs occurrendo, nuper in aula noſtra Cæſarea ſuper his habita diligenti epiſcoporum, Abbatum, Archiprincipum, Principum, Comitum, Baronum, & aliorum procerum, & ducum ſacri noſtri palatij examinatione, tandem in ipſorum & omnium oratorum Ambaſiatorum, & quorumlibet aliorum, qui tunc in noſtri conſpectus cóſtituti fuerunt præſentia, palam & ſolenniter proteſtati ſumus, quod cú Archiprincipatus, Archimareſcallatus, & ius eligendi Romanú principem à nobis & ſacro Romano imperio immediatè deſcendant, ac in feudum dependeant,* cùm autem iuxta formam iuris, ac ſtylum, & obſeruantiam ſacri noſtri imperij, feudales quæſtiones corá dominis feudorum, etiam ſi minores Valuaſſores eſſent, ac paribus curiarum ſuarú reſpectu feudi, de quo agitur, decernendæ ſint, quod etiam ius in noſtra Cæſarea Maieſt. & ſacro imperio noſtro, & parib⁹ curiæ noſtræ reſpectu feudi taliſmodi meritò debeat illæſum conſeruari, conſequens eſſe cauſam prę libatam ad forum noſtrum pertinere: Certificántes præter ea omnes & ſingulos, quorú intereſſe poſſet, quod nos præfato Erico iuſtitiam nullo vnquam tempore denegauimus legitimè poſtulanti, nec in futurum Deo propicio denegabimus vnquam ritè petenti. Quinimò quandocunque ipſe vel alius iuſtitiam popoſcerit, parati ſumus pares curiæ euocare, & cauſam iuxta ſtylum imperij noſtri diffinire. Quare V.P. requirimus & hortamur, ac etiam attètè rogamus, quatenus cauſam ipſam ad forum noſtrum remittatis more ſolito & conſuetudine imperij noſtri, & parium curiæ noſtræ terminandam, ſic enim iuſtitiæ debitum videtur requirere, & officia noſtra in ſacrum Concilium meritò poſtulare. Datum in Vlma feria 4. poſt Iacobi, anno &c. 34.

* cumque iuxta

Ad mandatum domini Imperatoris
Caſpar Slygk mīles &c. cancell.

EPISTOLA IMPERATORIS ROMANORVM AD *Concilium, qua petit, cauſam, cuius cognitio ad ſe pertinebat, ad Concilium appellatam & vocatam, remittit: alioquì proteſtatur contra Concilium.*

SIGISMVNDVS Dei gratia Roman. Imperator ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatię, &c. Rex. Vobis Reuerendis, venerabilib⁹, illuſtr. magnificis, ſpectabilibus, generoſis, nobilibus, ſtrenuis, prouidis & circunſpectis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, militibus, oratoribus, Ambaſiatoribus & nuncijs, ac omnibus & ſingulis proceribus ſacri palatij noſtri, qui in noſtrę Maieſt. cóſpectu in maxima copia conſtituti eſtis. Notum facimus, ac per præſentem noſtram inſinuationem ac vlteriorem relationem, quā vobis omnibus & ſinguli ſub debito fidelitatis iniúgimus, cunctis noſtro ſubiectis imperio publicari iubemus, quod ad noſtræ maieſt. notitiam peruenit, qualiter illuſt. Ericus dux Lauvvéburg. illuſt. Fredericum Saxoniæ ducem, ſacri noſtri imperij Archimareſcallum, Lantgrauium Turingię, ac Marchio. Miſnen. coram ſacro Baſileen. Concilio ſuper ducatu Saxoniæ & Archimareſcallatu prædictis ac iure eligendi Rom. principem, trahere nititur in cauſam, prætendens principatum, officium, & ius ſupradicta ſibi tam hæreditario quàm etiá infeudationis per nos ſibi factæ iure deberi. Et inſuper quod nos ſuper impetitionibus ſibi promiſſorum occaſione contra præfatum Fredericum competentibus iuſtitiam miniſtrare, denegauerimus, querelas in publicum proferre minimè veretur. Per quorum alterum noſtræ M. authoritati derogatur, per alterum autem honorificentiæ noſtræ detrahitur. Noſtram itaque decet ſolertiam in primis, quædá imperij noſtri iura ſeruare, quinimò iuxta poſſibilitatem noſtræ facultatis adaugere, prout ex debito ſacramenti ſumus adſtricti. Quod rectè facere cóſpicimur, ſi cauſas ad* examen imperialis culminis pertinétes, ſub noſtra iuriſdictione conſeruemus. Cùm itaq; principatus officium ac ius ſupradicta à nobis & imperio noſtro in feudum immediatè deſcendát, ac ſecundum iuris communis diſpoſitionem, necnon vſum, morem, ſtylum & conſuetudinem S. Rom. imperij, feudalis contentio per dominum feudi ac pares curiæ terminanda ſit, liquet, hanc quæſtionem, ſi qua prætendi poterit, ad noſtrum & illuſt. Archiprincipum noſtrorum ſacri Rom. Imp. Electorum pertinere notionem. Expedit inſuper de neglectu iuſtitiæ noſtram ſolicitudiné excuſare. Et quidem meminimus, quod poſt per inueſtiturá per nos dudum in Fredericú tunc Marchionem Miſnen.* genitorem ipſius Frederici (de quo nunc agitur) de ducatu officio, & iure prædictis gratioſè collatam, illuſtres Archiprincipes electores, ante ipſius Frederici aſſumptionem, ac in collegium & conſortium ſuum aggregationem, cauſam huiuſmodi perpenſis maturiſq; conſilijs biennio ferè digeſſerunt: tandem ipſum in collegium & ſenatum ſuú acceptarunt, etiam Erico prælibato renitente, ac ſucceſſionē, & inueſtituram ſimiliter prætendente. Quanquam aút ipſe dux Ericus apud nos plurimum inſtiterit pro iuſtitia ſibi contra eundem Fredericum miniſtranda, foret quoq; ſatis durum, cauſam & contentionem tam perpenſo digeſtam conſilio, rurſus in dubium reuocare: quia tamen quæſtio ipſa non erat in figura iudicij trutinata, nos eidé Erico ſemper vltroneos præbuimus iuſtitiæ complementum miniſtrare legitimè. Quod aliter expedi nequit, niſi parium noſtræ curiæ arbitrio, reſpectu feudi memorati. Quos vtiq; pares, legitimè requiſiti, prompti ſumus more Imp. Maieſt. intra fines Alemaniæ vocare, vbi de cauſis & quæſtionibus principum Alemaniæ ex ſtylo imperij noſtri nos conuenit iudicare. Ex quibus apertè colligitur, nos eidem Erico iuſtitiæ complementum in præteritum minimè denegaſſe.* Itaq; & in pręſentiarum nos in huiuſmodi cauſa præbemus iuſtitiæ miniſtrú, quinimo Deo propicio, præbebimus ſemper in futurú, quamdiu nos ſuo terreno imperio præeſſe voluerit. Quæ omnia & ſingula métibus veſtris firmiter inculcari volumus, & in theſauro memorię veſtrę reponi tenaciùs, & nihilominùs per organa veſtra in omni orbe diffundi, quo liquidiùs cunctis innoteſcere queat, cauſam huiuſcemodi ad noſtram & pariú noſtræ curiæ, reſpectu ipſius feudi, examen pertinere, noſq; iuſtitiam in ea nunquam denegaſſe. Nec modo poſtquam diuina præordinante clem étia ſolitum Cæſareæ dignitatis cóſcendimus, futuris vnquam temporibus denegabimus. De quo publicè & ſolenniter proteſtamur. Quam inſuper proteſtationem ſacræ Baſileé. ſynodo intimare curabimus, ac ipſam requirere, quatenùs cauſam ipſam à ſe penitus abdicet, & ad forú noſtrú remittat, more, ſtylo, & cóſuetudine imperij noſtri & parium curiæ noſtræ terminandam. In hoc actu proteſtationis noſtræ præſentes fuerunt venerabiles Guntherus Archiepiſcopus Magdeburgen. Alexáder Triden. & Petrus Auguſten. Epiſcopi, Abbas Campidon. illuſtres Fredericus Marchio Brandeburgen. Archicamerarius ſacri imperij, Guilhelm⁹ comes Palatinus Rheni & dux Bauariæ, Albertus Marchio Brandeburgen. & Burggrauius Nurenburgen. Ludouicus comes de VVirtenberg, venerabilis Eberhardus magiſter ordinis beatæ Ma-

* iura

* noſtram

* atque in

riæ Teutonicorum per Alemaniam & Italiam, Henricus Ruſſe de Melbingen. præceptor, Marquardus de Kunigſel, & alij commendatores ordinis præfati. Henricus de Furſtẽburg. VVilhelmus ſenior, Henricus & VVilhelmus iun. de Mōteforti. Ioan. de Nevvenburg, Eberardus de Kyrcberg, comites, & maxima copia nobilium, militum, & clientum, & Ambaſiatorum principum & ciuitatum ſacri imperij. In quorum omnium & ſingulorum fidem, robur, & euidens teſtimonium has noſtras patentes literas fieri, & noſtræ maieſtatis ſigillo iuſſimus communiri. Datum Vlmæ Conſtantienſis diœceſis, Anno Domini 1434. die 28 menſis Iulij, regnorum Hungariæ &c. 48. Romanorum 24. Bohemiæ 15. Imperij verò 2.

Ad mandatum domini Imperatoris
Caſpar Slygk miles &c. cancell.

SALVVS CONDVCTVS DOMINI IMPERATO- *ru miſſus ſacro Concilio, & lectus in generali congregatione die Sabbati, 23. Iulij, 1435.*

SIGISMVNDVS Dei gratia Imperator Romanorũ ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex.

Notum facimus tenore præſentium vniuerſis, quod licèt pridem dum ſacroſanctũ generale Baſileen. Conciliũ exordium ſumeret, ex inſtitutione præcedentium ſacrorum Cōciliorum, nos omnibus & ſingulis eccleſiaſticis & ſecularibus perſonis illuc venientibus, ibidem ſtantibus, & abindè recedentibus, noſtrum ſaluum & ſecurum conductum dederimus & conceſſerimus, quemadmodum nobis tanquam aduocato & primo protectori ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & ſacrorum Conciliorum dignè conueniebat: eaſdem etiam perſonas, cuiuſcunque dignitatis ſeu conditionis exiſterẽt, in noſtram ſpecialem protectionẽ aſſumentes: tamen intellecto, quod nonnulli, licet ſuperuacuè, dubitent, ne propter diſſidationem, quam Philippo duci Burgundiæ fecimus, huiuſmodi noſtra conceſſa libertas poſſet lædi ſeu infringi, quod tamen noſtræ intentionis nunquam fuit, neque eſt, cũ ipſam diſſidationem ſolùm pro recuperatione iurium ſacri Romani imperij & nullius perturbatione fecerimus: ſtatuimus * ſecuritate ipſius ſacri Concilij (cuius felicem & deſideratum progreſſum ſemper concupiuimus) cum non mediocri noſtra exhibita opera ſalubriter prouidere, & mentẽ noſtram ſynceram declarare, ne quiſquam nobis imputare habeat, nos aliquid intẽtaſſe, quod quomodolibet eſſe poſſit ad perturbationem ipſius, ſeu venientium, ſtantium, ſeu recedentium. Idcircò animo deliberato, & ex certa noſtra ſcientia iterum de nouo ac ex ſuperabundanti (licet profectò non ſit) cùm intentio noſtra ad indemnitatem & libertatem ipſius ſacri Concilij ſemper illæſa & integra fuerit atque ſit, vniuerſos & ſingulos prælatos, principes, doctores, magiſtros, ambaſiatores, nobiles, & quoſcunque eccleſiaſticas & ſeculares perſonas, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ſeu cōditionis exiſtant, vt ſacrum Conciliũ feliciter ſuper his, pro quibus congregatum eſt, continuari poſſit ad reuerentiam Dei, releuationem orthodoxorum, & honorem vniuerſalis Eccleſiæ in noſtrã ſpecialem ſaluaguardiam, tuitionem, & protectionẽ grato & deuotiſſimo animo recipimus per præſentes: Volentes & ordinantes authoritate Cæſarea præſentium per tenorem, quòd omnes & ſinguli ad dictum Concilium accedentes, in eodem permanen. & ab eodem recedentes, in noſtri imperiali cuſtodia, non obſtãte diſſidatione præmiſſa, quodq́ue ab aliquo non moleſtentur, inquietentur, vel aliquam iniuriam ſeu moleſtiam patiantur: Mãdantes vniuerſis & ſingulis principibus eccleſiaſticis & ſecularibus ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, magnatibus, proceribus, militibus, clientibus, capitaneis, poteſtatibus, gubernatoribus, rectoribus, burggrauijs, caſtellanis, officialibus, iudicibus, telonearibus, bolctarijs paſſuum cuſtodibus ciuitatum, villarum, & quorumcunque locorũ communitatibus, & rectoribus eorundem, cæteriſq; noſtris & imperij ſacri ſubditis & fidelibus, firmiter & diſtrictè, eoſdem ſeriotiſſimè requiren. quatenus vniuerſis & ſingulis prælatis, principibus, nobilibus, & magiſtris, & Ambaſiatoribus quorumcunque regum, prælatorum, principum, & communitatum, vniuerſitatumq́ue totius Chriſtianitatis, qui ad præfatum Concilium auxiliante Domino acceſſuri ſunt, ibidem ſteterint, vel receſſerint, cuiuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis, ſeu conditionis exiſtant, noſtro & imperij ſacri nomine fauorabilem & benignam debeatis impendere voluntatem, eoſdem cum gẽtibus & familiaribus ſuis ac bonis & rebus eorum quibuſcunque faciatis pleniſſima libertate gaudere, ipſoſq́ue fauorabiliter pertractare, ac eoſdem & eorum quemlibet cum bonis prędictis tutè & ſecurè per territoria, ciuitates, caſtra, caſtella, oppida, villas, itinera, paſſus, portus, pōtes & terras, ac iuriſdictionis veſtræ loca, nobiſq́ue ſubiecta, ire, tranſire, ſtare & morari, eundo ad dictum Concilium, & redeundo ab eodem permittatis. immò eiſdem amore ſanctæ matris Eccleſiæ, ob reuerentiamq́ue ſacri Concilij, ac noſtram & ſacri imperij beneuolentiã ſingularem, dum & quoties requiſiti fueritis in his, quæ ſecuritatem & celeritatem ipſorum concernunt itineris, promotiuam & gratuitam ipſis oſtendere realiter & exhibere velitis & debeatis voluntatem, necnon eiſdem & cuilibet ipſorum de victualibus, domibus, expenſis ipſorum competentibus & conductis, petitis & requiſitis, pro rationabilibus ſalarijs prouidendo. Sic enim fieri volumus, vt in fauorem præfati Concilij, conceſſimus & concedimus per præſentes, quibuſcunque literis in contrarium factis, ſeu fiendis non obſtantibus. Quicunque enim aliquem prædictum cōcilium viſitantem, modo quocunque lædere præſumpſerit, ſciat ſe noſtram & imperij ſacri indignationem grauiſſimã incurriſſe. Et econtrariò, quicunque viſitantibus, vndecunque ſint, noſtri amore fauores impẽderit, certum ſe reddat, quod eidem ſingula beneficia impenſabimus gratia ſingulari, præſentium ſub noſtræ imperialis maieſtatis ſigillo, teſtimonio literarum. Datum * Teruaniæ Strigonien. diœceſis, Anno Domini 1435. menſe Maij, regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. 49. Romanorum 25. Bohemiæ 15 imperij verò 2.

Margin: * [illegible]

EPISTOLA IMPERATORIS ROMANI, QVA *ſpondet & promittit ſe confirmaturum certa capitula Concilij.*

SIGISMVNDVS diuina fauente clementia Romanorũ Imperator, ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex.

Notum facimus tenore præſentium vniuerſis, quod ab alto nobis commiſſum officium tunc rectè indubitanter exequimur, cùm in his, quæ ad fidem Catholicam pertinẽt, ſanctæ matri Eccleſiæ ipſiuſq́ue ordinationibus inhærentes, pro earum obſeruantia & executione partes noſtræ ſolicitudinis adhibemus. Cùm itaque inter legatos ſacri generalis Concilij, quod Baſileæ in Spiritusſancto legitimè celebratur, nomine & authoritate ipſius ſacri Concilij & generalem congregationem regni noſtri Bohemiæ, pro vnitate & pace quædam capitula concordata fuerunt, & mutuum ſtipulatione firmata, debeantq́ue ſigillorum munimine roborari, & ad executionem deduci, iuxta formam in noſtri præſentia * Brimæ concordatam, & nunc nouiter, coram nobis à patribus recognitam & confeſſatam. Nos rei tam vtili ac ſalutari officij noſtri partes volentes authore Domino impartiri, Deoque & fidei Catholicæ obſequium reddere, omnipotenti Deo & ſanctæ matri Eccleſiæ promittimus & vouemus, quod poſtquam ipſa compactata fuerint (vt præmittitur) roborata, nos ea firmabimus & roborabimus, & ſeruari faciemus purè, ſimpliciter & ſyncerè, iuxta ſanum & bonum intallellectum eorum, nec permittemus ea in aliquo violari, vel eis abuti, nec permittemus aliquem ad communionem ſub vtraque ſpecie coarctari, vel compelli quoquo modo in præiudicium compactatorum. In cuius rei teſtimonium, ſigillum Maieſtatis noſtræ præſentibus eſt appenſum. Datum in Alba regali * Veſprumen. diœceſis, Anno Domini 1436. die 8. Ianuarij, regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. 49. Romanorum 26. Bohemię 16. imperij verò 3.

Margin: * Bruna
Margin: * Veſprumen.
Margin: * Veſpumen.

EPISTOLAE DIVERSORVM VEL Regum vel principum vel magnatum ad ſynodum Baſileen.

*EPISTOLA DVCIS BVRGVNDIAE MISSA Concilio ſuper facto S. Petri de * Lutzenburgo, lecta &c. Martij 9. Anno Domini 1436.*

REVERENDISSIMIS reuerendiſque in Chriſto patribus, cæteriſque Chriſtifidelibus in ſacro generali Concilio Baſileen. in Spirituſancto legitimè congregatis, amicis meis præchariſſimis, deuot⁹ Eccleſiæ filius Philippus Dux Burgundiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ, Comes Flandriæ, Artheſiæ, Burgundiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Namurci, veſter amicus. Reuerendiſſimi reuerendique patres, cæteri quoque Chriſtifideles in Spirituſancto congregati amici præchariſſimi, iam hora eſt, & nunc tempus idoneum venit, vt negocium diu deſideratum, ſuper canonizatione & eleuatione dignæ per ſecula memoriæ domini Petri de Luxenburgo, ſacroſanctę Romanæ Eccleſiæ quondam Cardinalis, meiq; conſanguinei, ad extremam manum & operam, ſi duxeritis intẽdendum, deducatur. Hoc etenim varijs in Concilijs generalibus Eccleſiæ temporibus retroactis fuit inceptum. ſed quibus medijs vel modis, ignoro vel interruptum vel aliàs quomodolibet imperfectum ſemper remanſit, & ita remanſurum (quod abſit) exiſtimo, niſi diuina ſuper hoc prouidentia veſtros in idipſum animos excitans. prouideat, quæ vobis (vt arbitror) tantum decus & laudis titulum ſpecialiter reſeruauit, quemadmodum ea ſacro Conſtantien. Concilio fuit (vt audiui) olim reſeruata canonizatio quorundam ſanctorum apud * Saymitas tunc temporis interuentorum, & aliorum ſimilium memorabilium factorum in quibuſdam alijs Concilijs generalibus. Sic enim Deus huiuſmodi Concilia celebrãtibus ſua (prout vult) ſecreta reuelat, diſtribuit, & reſeruat. Quid veſtro cœtui ò veri pugiles, veræque baſes Eccleſiæ. plus honoris & gloriæ accedere poſſit. quàm ad canonizationem & eleuationem prædictam procedere, & eũ, quem ſuis ex meritis glorioſis, & tot miraculis velut inauditis, quibus quotidiè coruſcat, aliorum CHRISTI confeſſorum collegio conſtat aggregari, ac cum his palàm & publicè adorandum eleuare, ipſiſque in Catalogo ſanctorum inſcribendis ad perpetuam eius laudem & memoriam apponere? Quas ob res V. P. R. amicitias præclariſſimas obnixè deprecor & hortor, quatenus oculum interioris intelligentiæ ad præmiſſorum conſiderationem erigentes, placeat ea pro Dei & ſui confeſſoris (cuius res agitur) reuerentia & honore, quo videritis oportere modo proſequi & tractare, vt quo ſtudioſiùs eo in facto, quod maximoperè cordi habeo, proceſſeritis, eo peramplius Deo placituri, gratum ſibi obſequium impendatis. Reuerendiſſimi reuerendique patres, & cæteri ſupradicti amici præchariſſimi, Spirituſſanctus, ſub quo duce veſtro multis ab annis in vinea Domini laboratis, veſtri laboris faciat finem votiuum & felicem. Ex villa mea Bruxellen. die penultima Ianuarij.

LITERA ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS DOmini ducis Burgundiæ &c. miſſa Concilio, & lecta in generali congregatione die Sabbati 26. Martij, 1435.

SACROSANCTAE generali ſynodo, Baſileæ in Spirituſancto cõgregatæ, Eccleſiæ ſanctæ deuotus filius Philippus dux Burgundiæ, Brabantiæ & Limburgiæ &c. Promptum & ſyncerum Eccleſiæ ſanctæ deuotionis affectum. Reuerendiſſimi reuerendique in Chriſto patres ac ſpectabiles & commendatiſſimi viri, ſacroſanctæ veſtræ in Spirituſancto congregatæ conuentionis intentum animum cęteris cum ſanctiſſimis operibus paci & concordiæ principum Chriſtianorum, regni potiſſimè Franciæ, quod Chriſtianæ religionis pars eſt non minima, firmiter exiſtimas paternitatibus veſtris, quas in vnum congregat vnionis & pacis amator & author, ea dignũ duxi propoſito ſignificari deuotiori, quæ regni ipſius pacis aſſequendæ media contingunt. Nuper igitur reuerendiſſimi reuerendiq; in Chriſto patres & recolendi viri, cum certorum appunctuamentorũ & tractatuum inter chariſſimum fratrem meum ducem Burbonij & Aluerniæ, & me in villa pontificali actorum firmationis & cõcluſionis gratia in ciuitate Niuernen. noſtris in perſonis ipſe frater meus ſororque mea ſua contoralis eſſemus, ad eandem ciuitatẽ applicuerunt, chariſſ. frater meus comes Richmundiæ, reuerendiſſimus in Chriſto pater Archiepiſ. Rhemen. Chriſtophorus de Haricauria, & quidam alij pro parte aduerſarij domini mei regis, & mei Ambaſiatores ad me deſtinati. Quibus tandem per aliquos dies auditis, aperta eſt inter nos & aduiſata certa diæta tenenda in ciuitate mea Attrebaten. die 1. Iulij proximè futura, ad in effectum generalis pacis in regno prædicto vacandum & intendendum. Cuius diætæ inter nos prolocutione per eoſdẽ fratres meos dicto aduerſario ſignificata, de ipſius aduerſarij ſuper eiuſdẽ diætæ acceptione deliberata voluntate ſe polliciti ſunt quãtocyus opportuno tempore me reddere certiorem. Quod etiam nunc vſque paternitatibus veſtris incertum ea ratione ſignificare diſtuli, reſponſum eorum expectans, quo certum quid ſuper huiuſmodi negocio poſſem celebri veſtro cœtui referre. Vndè & nunc habito à dicto fratre meo comite Richmundiæ certo reſponſo, quo dictum aduerſariũ refert diætam ipſam acceptaſſe. ad eamque plures principes conſanguineos ſuos, & alios ſui conſilij cum eiſdem ad agẽdorum expeditionem pro dictæ generalis pacis effectu ſufficienti * conceden. poteſtate tranſmittere concluſum, veſtris P. idipſum in præſentiarum duxi ſignificandum, eaſdẽ in ſanctæ charitatis viſceribus obnixo deprecans affectu, quatenùs ob reuerentiam altiſſimi, ſuęque ſanctæ orthodoxæ fidei (cuius ipſum Franciæ regnum inter cætera ſpecialiſſimam culturam exercuit) exaltationem & augmentum, & totius reipublicæ Chriſtianorum profectum, dignentur & velint Sereniſ. dominũ meum regem, dictumque ſuum & meũ aduerſarium literatoriè aut per nuncios ſolennes charitatiuè monere & inducere, vt ad diætam ipſam ſuos infallenter deſtinet oratores & deputatos, ac commiſſos certos Ambaſiatores, cum ſufficienti (ſicut res ipſa requirit) eis tributa poteſtate. Ego enim ex toto animo pacis ipſius optans videre dies, in perſona mea me diſpono ad diætã ipſam memoratæ pacis generalis, quantũ in me poſſibiliter erit, agendæ cauſa compariturum. Dignentur inſuper eędem P. ad tãtum pacis bonum, quo rebus in terrenis atq; mortalibus nihil ſolet gratius audiri, nihilque delectabilius concupiſci, ex ſacra veſtra congregatione, quæ de diuerſis orbis partibus electiſſimos viros adunauit, aliquos ex reuerendiſſimis in Chriſto patribus S. Rom, Eccleſiæ Cardinalibus, ac alijs ipſius veſtræ ſanctæ ſynodi venerabilibus ſuppoſitis, ad diætã ipſam ſolennes tranſmittere deputatos, viros pacis amatores. & diuiſionis exoſos: quos pro tantæ rei tam diu requiſito clamatoque felici ſucceſſu, meliùs duxerint tranſmittendos, cum eiſdem à ſacroſancta veſtra ſynodo plena conceſſa poteſtate dictum ſereniſ. dñm meum regem aduerſarium prædictum & me, in omnipotentis Dei eccleſiæq; virtutem & nomen hortandi, inducendi informandi & requirendi, vt ad pacis ipſius generalis conſequendæ effectũ, nos & noſtras vires & animos diſponamus. Tractatus etiam, concordias & appunctuamenta ad ipſius effectum & pacem ipſam, ſi (quod concedat author ipſe pacis (aduenerit, Eccleſiæ ſanctę generalis authoritate roborandi, confirmandi & approbandi, cenſuras eccleſiaſticas ad ipſarum integrationem opportunas, fulminandi & promulgandi, cæteraque omnia & ſingula pro negocij bono & votiuo complemento neceſſaria, congrua, vel opportuna faciendi, ſicut agendorum inibi ſeries expoſtulabit: quatenus Dei ſuffragante gratia, & ipſorũ opportuno directorio, regnum ipſum Franciæ mœroris & iuſtitię prohdolor iacens humi, poſt tam diu continuatos guerrarum anxios dolores & miras anguſtias, à funere ſuo reſurgat, & ſibi ac toti Catholicæ Religioni tam propicia tranquillitas diuinæ pietatis operante clementia tribuatur. Super præſentium verò literarum mearum receptione, quas (vt res ipſa benè requirit) per præſentium latorem proprium nuncium veſtris P. deſtinare decreui, & veſtro ſuper earundem tenore deliberato reſponſo per eundem nuncium quantocyus exoro per eaſdem P. V. fieri certiorem, per eundem, quæ me ad Eccleſiæ ſanctæ felicia

vota

ocus obtus.

for.* cum decente

vota facturum voluerint intimandum ad quæ me reperient ex animo paratum. Scit eiuſdem Eccleſiæ ſanctæ ſponſus altiſſimus, qui P. V. ad ipſius ſuæ Eccleſiæ laudabilē directionem feliciter & proſperè conſeruare dignetur in longæuū. Scriptum in villa mea Diuionen. die xvj. Martij.

LITERA REGIS FRANCIAE CAROLI, MISSA Concilio ſacro, lecta in generali congregatione die Sabbati 23. Aprilis, 1435.

SACROSANCTAE ſynodo Baſileeñ. in Spiritu ſancto legitimè congregatæ, deuotus Eccleſiæ filius Francorū rex Carolus, ſalutem atque rerum gerendarum felicem ſucceſſum.

Nihil quicquam apud rempublicam * regna, potiſſimū erga Chriſticolas omnes, felicius & accōmodatius arbitramur, quàm illos & ipſa, optata pace atq; beata perfrui. Quapropter multa ratione perſuaſum habemus, ad ea quæ paci magis attinent, maximè regni noſtri & ſubditorum noſtrorum, charitate ſyncera operas noſtras conferre debere, ſicuti ex animo hucuſque omni ſolicitudine atque cura, prout legis præcepto inducimur, fecimus: profectò nil ſanctius ipſa aut beata nobis fuit. Et cum ſuperiori tempore pia atq; deuota ſupplicatione chariſſimi & dilecti amici noſtri Cardinalis S. Crucis, res ipſa non modica diſceptatione varijs aſſignationibus agitata fuerit: quoniam labori, periculis, atque expenſis minimè ipſe pepercit, vſque in portum & ſalutis finem non pertigit, poſtmodum proximis his diebus Chriſto pacis authore (vt piè creditur) faciente, nouiſſima celebrata eſt in materia componendæ pacis cum duce Burgundiæ apud ciuitatem Niuernen. conuentio, & ad eandem noſtra ex parte cum decenti & ſufficienti poteſtate chariſſimos & dilectiſſimos cōſanguineos noſtros ducem Burbonij & Aluerniæ, & comitem Richemundiæ conestabulariū noſtrum, & dilectos & fideles conſiliarios noſtros Archiepiſcopum Rhemen. cancellarium noſtrum, & Chriſtophorum de Haricuria conſanguineum noſtrum tranſmiſimus. Et cùm res ipſa poſt longam diſceptationem, optimam ad ea quæ pacis ſunt, diſpoſitionem habuit, cupiētes omnes etiam partes eodem & vnanimi conſenſu ac fauore pacis & vnitatis præſtantiùs agere, in alterius * diem & conuentionis apud ciuitatem noſtram Attrebaten. ad primam die menſis Iulij proximè inſtantis cōcordarunt. Conſentientes etiam, vt res tanta efficaciam habeat ampliorē & certiorem, vt pro parte ſanctiſſimi patris noſtri Cardin[illegible] S. Crucis & Arelaten. & à ſacro Baſileen. Concilio Car[illegible]lis de Cypro conſanguineus noſter & S. Petri ad vincul[illegible] ipſam aſſignationem & locum tranſmittantur. Quamobrem amicitiam veſtram maiorem in modum oramus & deprecamur, ſit res illa tam ſacra atque fidei orthodoxę tam vtilis & neceſſaria, vobis curę & ſolicitudini, vt ad illam diætam præfatos Cardinales de Cypro & S. Petri, tranſmittere veſtri ex parte velitis. Confidimus, vt tantorum patrum præſentia & ſingulari præſtantia atque virtutum magnitudine, differentia omninò ex medio tollatur, * abſolutaque ſit. Proindè ipſis trāſmiſſis, atque re confecta, non paruam nos ſumus percepturi lætitiam, ac gratiam vobis habituri. Datum in ciuitate noſtra Turo. die 24. menſis Martij.

ſeu regna

Locus obſcurus.

LITERA MISSA PER DOMINOS AMBASIAtores Concilij exiſtentes in Bohemia ſacro Concilio, lecta in generali congregatione die Sabbati 23. Aprilis, 1435.

SACROSANCTAE generali Baſileeñ. ſynodo, in ſpiritu ſancto legitimè congregatæ, vniuerſalem eccleſiam repræſentanti earundem R.P.V. humiles oratores Philibertus epiſcopus Conſtan. & cęteri ſui collegę. Reuerendiſ. in Chriſto patres & domini, quòd R.P.V. vſque ad præſens non ſcripſimus, cauſa fuit, quoniam ſcribendi materia non ſuberat. Negocia enim pro quibus deſtinati ſumus, inſperatam acceperūt dilationem. Cuius cauſam eſſe ferunt, nimiā temporis acerbitatem, propter quam vijs omnibus inijt facta congregatio Pragę pro eligēdis Ambaſiatoribus, & præagendis ante carniſpriuij tempus haberi non potuit. Nos quidem qui auſteritatem temporis & viarum diſcrimina ſumus experti, moram ipſam ſatis habemus rationabiliter excuſatam. Venerunt igitur pridem ille nuncius sereniſſimi Imperatoris, qui fuit apud P.V. & VVenzelaus presbyter de Karleſteyn, & cum eis nuncij Bohemorum ad excuſandum moras & literas ſaluicōductus recipiendi pro x. baronibus. x. nobilibus, clientibus electis & nominatis, atque pro oratoribus ferè omnium ciuitatum * Tabor. & paucis tantùm exceptis. Arte ſolita factum eſt, quod à domino Imperatore poſtulatum eſt, vt duret eis intelligere mentionē ſacri Concilij per nos miſſam. Dominus autem Imperator miſit pro nobis vt iremus ad eius Maieſt. apud Pozonium Quod fecimus indilatè. Cumque Pozonium nauigio veniſſemus, ab eius cōſilijs in littore ſuſcepti ſumus, & ad hoſpitium ducti. Eis à nobis recedentibus, morula interiecta, ipſe ſereniſ. dominus Imperator hoſpitium noſtrum intrauit, aduentum noſtrum iocundè ſuſcipiens, & ſacro Concilio de noſtri deſtinatione gratias magnas agens. Poſt hæc quæ per Bohemorum nuncios ſibi dicta & illata fuerant, non diſtulit referre. Nobis quidem viſum eſt, diætam, quam iam ad Dominicam in albis poſuerunt, refutandam nō eſſe, præſertim cùm ex bonis cauſis factum eſſe dicatur. Quo ad aliud diximus, qđ ſupplicabimus ſuę Maieſtati, vt nō indignè ferret, ſed nos dignaretur ſupportatos habere, quoniam cum eſſemus à ſacro Cōcilio deſtinati, vt nō in cōuentione cum ipſis Bohemis coram eius Maieſtate mentem ſacri Concilij aperire deberemus: nec deceret, nec forſitan expediret, ante locum & tempus, & per internuncios talia reſerare. Quod eius Imperialis apex benignè ſuſcepit, & nuncijs Bohemorum ſuum dedit reſponſum. Et ſic illi receptis literis ſaluiconductus, Bohemiam reuertuntur. Nos verò Viennæ tempus conuentionis præſtolabimur. Exiſtimauimus reuerendiſſimi patres, gratè P. V. ſuſcipere, quòd hanc prorogationem conuentionis non refutauimus, ſicut nec erat aliquo modo refutanda. Quòd hæc negocia difficultates & dilationes ſuſcipiant, P.V. (quæ magna ſapientia pollent) credimus non mirari. Sed & ſperamus confidenter, P.V. illis inſiſtere, & finem rerum intendere, in quibus tanta & tam mira Dei beneficia cognouerunt. Opus enim eſt, quòd ſacrum Concilium à proſecutione incepti operis non deſiſtat. Illi ſiquidē perditi homines, qui cœpta bona turbare & dirumpere ſatagunt, in diſſolutionem Concilij ſpem figunt. Et exindè ſpondent ſuis ſatellitibus reſpiramen. Vnde oportet econtra, vt P.V. hoc ſacrificium omnipotenti Deo offerant, ne ſuſceptorum beneficiorum videantur ingratæ: atque ignis, qui minutus extinctioni propinquat, per incuriam vires reſumens, in flammam (quod abſit) vehementer exurgat. Et quod patres reuerendiſſimi & huic rei valdè accommodum foret, ſanctæ reformationis opus vrgere, * ſed ex multis alijs reſpectibus eſt neceſſarium. Vtinam omnes qui ſunt in Concilio, audirent & intelligerent quæ nos, qui extrà proceſſimus. Profectò etſi tam auidi ſint tanti boni, auidiores & feruentiores fieri minimè dubitamus. Alia ſcribenda non inſtant, niſi quòd nos P.V. humilimè commendamus, cum omni promptitudine obſequēdi. Quas dignetur altiſſimus ad bonum vniuerſalis Eccleſiæ dirigere, ac feliciter conſeruare. Scriptum Viennæ, 1. die menſis Aprilis.

* Taborſ.

* ſecus

REVERENDISSIMIS IN CHRISTI PATRIBVS & dominis Præſidenti, prælatis, & cæteris generale Baſileen. Concilium celebrantibus, dominis ſuis tota veneratione colendis & honorandiſſimis.

REVERENDISSIMI patres ac dñi mei honorandiſſimi, humilima recōmendatione præmiſſa, poſt longā concertationem dominorum prælatorum, Gallicanā Eccleſiam Bituris repræſentantium, quam pro confirmatione ſuarum mentium diutiùs protraxerunt, omnibus pręſentibus, nemineque diſcrepante, concluſum eſt, conuentionem veſtram multiplici * legitimis funiculo conuocatam, ab omnibus, & præſertim ipſa Eccleſia Gallicana ſequendā, & cum veſtro debere conuenire Concilio vniuerſo, deuotaſque Deo gratias omnes exoluerūt, qui in huius peſtilentis temporis curſu E.V.D. * deprimas huius Concilij geminat, gran-

Locus obſcurus.

nat, grandiaque & electa virtutum vaſa ſibi ſeruauit, & in Baſilea quæ baſis firma in baſe ſiue petra Chriſto, Gallia more Liæ multos in vtero proprio geſtans Patriarchas, vos huius Concilij celebres patres in charitatis vinculo priores firmauit. Sed quia concluſorum ibidem executio, in aliquas moras defertur, & accelero deliberatorum conſummationem ad poſſe, inuitus à me exigo abſentiam veſtræ ſacratiſſimæ concionis. In qua inter ſuprema deſideria cupio adeſſe, & adero quamprimùm rerum gerendarum opportunitas aderit, ſupplicans vt interim habear excuſatus. Ferè enim per trimeſtre ad nihil aliud deſudaui, & ſpero perfectionem agendorum. abundantiùs autem omnes die ac nocte orant, vt videamus facies veſtras, & compleamus quæ deſunt

1. Theſſ. 3. fidei noſtræ. Ipſe autem Deus & pater noſter, & Dominus Ieſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos. Vos autẽ multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in inuicem, & in omnes, ad confirmanda corda veſtra ſine querela in ſanctitate ante Deum. Mihique ſuo humili & deuoto E. V. D. præcipiant & mandent quæq; grata, & parebo ad poſſe. Prætreſtiſſæ die 28. Aprilis.

Veſter humilis & ad
vos deuotus,
A. Archiepiſcopus Lugdunen.

SACROSANCTAE GENERALI SYNODO
Baſileen. in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentanti.

EXVLTA & iubila ſynode ſacroſancta altiſona, depromе gratiarum actiones & laudes rerum omnium conditori. Nuncia in omnibus finibus terræ diem feſtum & gaudij, vniuerſos Eccleſiæ filios ad congratulandum & gratias peragendum gratulabundis admonitionibus exhortare. Laudent tecum magna opera DEI, & exultent ingenti lætitia Chriſtiani omnes prouinciæ vniuerſæ. Siquidem deſiderata ecce dies aduenit, quo iam tuorum meſsi ſunt fructus, & ſeminum tuorum in horrea Dominica plenos manipulos reportaſti. Hodie nanque Imperiali maieſtate imperialibus inſulis decorata, in publico foro huius ciuitatis numeroſa populi multitudine aſſiſteñ. coram nobis tuæ beatitudinis nuncijs, gubernator, barones, nobiles ciuitatis, Ambaſiatores regni Bohemiæ, primùm nobis compactata obtulerunt, literis authenticis communita. Deinde pro ipſorum executione de tenenda, obſeruanda & defendenda vnitate Eccleſiaſtica & pace, literas alias ſecundùm formam Brunnę condictam. Poſt hæc quatuor ad hoc deputati cum pleno & authentico mandato nomine omnium tam Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium, reuerentiam & obedientiam canonicam præſtiterunnt. Nos quoque iuxta tuæ ſanctiſſimæ concionis iniunctam vnitatem Eccleſiaſticam per eos factam & acceptam, pacemque, necnon reuerentiam & obedientiam exhibitas acceptauimus, & pacem pronunciauimus eis ſeruandam per vniuerſum populum Chriſtianum. Quod ô ſacroſancta ſynode ſtyli officium poſsit ſufficienter exprimere exuberantiam gaudij, quæ aſſiſtentium corda repleuit? Vultuum amœna ſerenitas, lachrymæ præ vbertate lætitiæ, ab oculis erumpentes, cantus & applauſus, internæ letitiæ teſtes erant, aut certè melius indicia dici poſſent. Quoniam nulla extrinſeca ſigna immẽſitatem æterni gaudij proportionabili poſſent oſtenſione teſtari, videlicet vt iam nos ipſius beatiſſimæ congregationis & vniuerſi populi Chriſtiani gaudia meditantes, noua iterum exultatione replemur, quo tandem fine hanc noſtram claudemus epiſtolam, ne, ſi pro modo affectus perduret oratio, metas epiſtolarum excederet, niſi vt cum Dauid eximio prophetatũ dicemus:

Pſ. 91. Bonum eſt cõfiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. Ad núciaudum mane miſericordiam tuam, & veritatẽ tuam per noctem. In decachordo pſalterio cum cãtico in cithara: qa delectaſti me Dñe in factura tua, & in operibus manuũ

2. tuarũ exultabo. Ipſe quidem fecit nobis magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius: cuius clementiam ſuppliciter exoramus, vt quod operatus eſt, confirmare dignetur, & ipſam ſacroſanctã ſynodum tueri, regere & gubernare ad perficiendam ſancta opera, pro quibus eſt in eius nomine congregata. Scriptum * Eglamæ 5. menſis Iunij, anno 1436.

Per humiles Oratores & Nuncios,
Philibertum Epiſcopum Conſtant.
Ioannem de Polomar, ſacri palatij Apoſtolici Auditorem.
Martinum Bernerij decanum Turonenſem, &
Thomam de Haſelbach ſacræ Theologiæ profeſſorem.

EPISTOLA MISSA CONCILIO AB AMBASIAtoribus eiuſdem exiſtentibus in Nurenberga, præſentata & lecta in congregatione generali, die Veneris vltima Februarij.

SACROSANCTAE & venerabili ſynodo Baſileeñ. patribus & dominis omni nobis veneratione & amore colendiſſimis, inclytarum dominationum veſtrarum obedientiam fratres Ioannes Nyder prior, & Ioan. Mulenbrun.

Reuerendiſſimi & indulgentiſſimi patres & domini, viri ſapientia clari, virtute præſtãtes, & laudata conſtãtia vbiq; colendi: A diebus quibus nos Deus congregauit, in vnũ, & præſertim poſtquam ſub titulo ſacroſanctæ veſtræ ſynodi ad regnum Bohemiæ eulogia pacis manârunt, corda multorum, triſtitia propè abſorpta, in ſpem conſolationis reſpirârunt, exultantibus animis Dominum tanquàm auxilium eis deſuper veniſſet, laudantes, quòd tantæ miſerationis oleo corda veſtra perfudit, vt vobis de fratribus, qui in preſſura ſunt, tanta cura fuiſſet, firmiter tenentes, quòd citiùs & cumulatiùs & eo laudatiùs inimicos noſtros in ſpiritu lenitatis & verbo Dei, quàm flatu furoris & ore gladij reduceretis, argumentum ſumẽtes ex retroactis infauſtis noſtris ſucceſſibus. Ex quibus plerique in tantam deciderunt puſillanimitatem, vt de pace temporali, qualibuſcunque, niſi veſtra ſolicitudo præueniſſet, cogitabant prouideri remedijs. Audito autem poſteà, quòd congregatio veſtra, in quam ſpem (vt præfertur) conceperunt, mandata fuiſſet diſſolui, geminata triſtitia obriguerunt, tanquã quo ſe conuerterẽt, aut quid facerent, neſcirent. Et ad nos venientes ſiue mittentes, ſciſcitati ſunt, quomodo ſe factum haberet, aut quid amodò facere deberent, cùm nunc ſua fiducia ſe fruſtratos viderẽt. Nos, licèt nõ minori eſſemus ſecundùm audita, viſa & lecta, mœrore perculſi, ipſos, vt poteramus animãtes, confortauimus in eo potiſſimum, quòd perſeueranter, tanquam de veſtra conſtantia hæſitantes, nobis commiſſis proſequuti ſumus. Nam nihil ſcripti aut nuncij à veſtris paternitatibus vſque nunc recepimus. Nobis autem & reliquis, quos ad plenum conſolari non potuimus, in qualicunque turbatione conſiſtentibus, ſperantibus autem, quòd de propinquo nobis aliquid conſolationis mandaretur, ſuperuenit deſideratus admodùm de Egra nuncius, deferens nobis literas conſulatus Egreñ. continentes, quòd literas ſacræ congregationis veſtræ, & noſtras, quas nobis cum ſuis deſtinarent, attuliſſet. Quas cùm recepiſſemus, gaudio multo * refecti ſumus. Dubij tamen adhuc, quid veſtræ eſſet voluntatis, aut quid de vobis ageretur, * Vtrunque ineſt, & ſoliciti manſimus, ſuper ſcripta eadem, nihilominùs iuxta conſilia fidelium & prudẽtium reſpondentes, miſſum vobis nuncium cum gratiarum actione remiſimus. Et eodem expedito, mox veſtra lata & clara ſcripta ſuperuenerunt, & literis nobis à Bohemia primùm, & à vobis deinde ad vniuerſos directis, in vulgare noſtrum intelligibiliter tranſlatis Conſulatui Nurenbergenſi deuotis veſtris, data ſibi ad petitionem copia, inſinuauimus, qui in priſtinam ſibi vidẽtur conſtituti ſpei conſolationem. Deinde alter ex nobis, qui hæc ſcripſit, reliquo vtiliùs occupato, illuſtrem principem & dominũ, dominum Marchionem Brandeburgeñ. tunc adijt ad quinque milliaria diſtantem, & ſibi pręmiſſa omnia per ordinem expoſuit. Qui cùm auidè & magno gaudio ſingula audiuiſſet, copias narratorum & lectorum petijt. Et poſtquam de conſilio & auxilio inuocatus fuiſſet, magnificè & ex animo (vt videbatur) reſpondit, ſe longo nunquam tempore meliora percepiſſe noua, & quaſi de ſomno cordialis mœſtitiæ euigilaſſe. Et in ſententia, præſentibus reuerendo patre domino epiſcopo * Ciſtereñſi, & quampluribus nobilibus & notabilibus perſonis, reſpondit: Ego ſcio, quia interfui, quòd ſecundum decretũ

* referti
* vtcunq; enim eſt
for. * Eiſteten. aut Eichſteten.

Concilij Conſtantienſis iſti ſancti & venerabiles patres congregauerunt Concilium ſicut iure potuerunt. Et ſuſpicari non poſſum, quòd aliud quàm merè honorem Dei, conſolationem & ſalutem totius Chriſtiani, qui in triſtitia eſt, populi quærunt: quia longè ſunt ab inſultibus eorum, qui nos de propinquo tam hoſtiliter impugnant, damna inferunt, & offendũt. Et qui licèt ab eiſdem in ſuis regnis ſecuri ſunt, adhuc ex charitate de nobis ſoliciti, pacem nobis procurare ſatagunt. Quare ſicuti tu ipſorum nomine petis & requiris, ego cum omnibus mihi ſubditis Eccleſiaſticis & ſecularibus firmiter & çonſtanter adhærebo. Et huius rei gratia, ſicut tu nomine quo ſuprà petis, quàm citiùs fieri poterit, & præſertim cùm reuerendus pater dominus Herbipolenſis, qui ab infirmitate, quam de proximo incidit, notabiliter reſpirauit, modico fortior effectus fuerit, quia vir boni & acuti cõſilij eſt, & benè affectatus de Concilio, rogabo, quos potero Principes, vt mecum in Nurenberga conueniant, ad deliberandum quomodò nuncijs mittendis de Bohemia ad Concilium vel Nurenbergam aut alibi, de ſecuritate prouideatur: ad confortandum etiam hoc ſacrum Concilium in ſua, ſicut cœpit, proſequutione ad ſibi adhærendum, ac etiam prælatos, doctores & notabiles viros mittendum, &c. Et ad ſtatim commiſit, vt ſuis ſingulis officialibus ſeriosè ſcriberetur, vt nuncios de Bohemia ad Concilium vel ad nos mittendos, ſaluos conducerẽt, & ire per ſuas terras & dominia, nulla prorſus illata iniuria, permitterent. Commiſit etiam, vt literæ ſibi allatæ multiplicarentur, & ad ſingulos principes, prælatos, dominos & communitates vicinas, cum ſuis ſcriptis in eorum confortationem mitterentur. Et cùm ego qui ad ipſum veni, quærerem, an hæc per ipſum taliter dicta & repetita, V. P. ſcribere poſſem: reſpondit, quòd audacter affirmarem & ſcriberem, quia ita indubitanter facere proponere. Ac taliter & tam conſolabiliter loquutus eſt, vt firmiter teneamur, quòd magnam cum ſuis amicis & ſubditis conſolationem vobis quantociùs offeret. In quo nobis valdè expedire videretur, quòd ſcripta fauorabilia in genere ſiue ſpecie à ſereniſ. rege Romanorum obtinerentur: quibus ſingulis huiuſmodi ſuis principibus, cõmunitatibus & ſubditis mandaretur, quatenùs vobis adhærerent & fauerẽt. Ac etiam voſipſi ad principes electores, & ſpecialiter ad ſupradictum dominum Marchionem & ducem Saxoniæ ſpecialiter ſcriberetis, gratias primùm agentes de ſuo bono propoſito, fideli aſſiſtentia & fauore. Et quòd mitterent ſuos prælatos & Ambaſiatores, &c. Et ita ad conſuletum Nurenbergeñ. qui optimi ſunt & fideles in hoc negotio cooperatores. Memoratus verò dominus * Eiſteten. ſatis fauorabiliter ſuper mea requiſitione reſpondit: ſed efficax & finale reſponſum vſq; ad conſultationem ſuorum ſuſpẽdit. Et ſperamus, ſicut optamus, quòd aliqui partium noſtratium prælati, de ſuſpicione, quæ contra ſe eſt, tanquam non faueant veſtræ congregationi, & vocationi Bohemorum aduerſentur, contrario actu fauorabiles ſcilicet oratores mittentes, ſe citiùs purgabunt. Quod ſi non fecerint, ſed eatenus ſuam voluntatem proſequuti fuerint, vt veſtrum (quod abſit) conuentum abſoluant, vel fructu ſperato euacuent: tunc nos, qui ſalutem ipſorum & omnium iugi precamur inſtantia, aliud ex his, quæ videmus & audimus in verbo veritatis, conijcere non poſſumus, quàm quòd eorundem & omnium ſibi fauentium inſtabit periculum maius, quàm omnium reliquorum. Quod inde ſyllogizamus. Nam ipſi, quos proſequimur, Bohemi vicinis ſibi latiſſimis regnis, ac ipſi Alemaniæ grauiſſima hactenùs damna intulerunt, vt vix aut nuſquam alia via reſtet reſiſtendi vel occurrendi, quàm per medium & ſuccurſum vniuerſalis Eccleſiæ in virtute ſynodi generalis cõgregatæ: quæ * interpellante tempore ſe colligens, viam tantis malis occurrẽdi in ſpiritu manſuetudinis exorſa eſt, eos, de quibus agitur, vocans. Vnde ſpem tantam & conſolationem innumerabiles (vt præfertur) cœperunt, & ipſi ſe in Bohemia vtcunque reſoluere, & propiùs accedere (vt ſperatur, & ipſi ex ſcriptis præſentibus * conijcere poteritis) cœperunt. Quid nobis ſperandum erit, ſi cuiuſcunque facto vel cauſa vocatos nõ legitimè expectaueritis, & reliquos ſpe ſua fruſtraueritis, quàm quòd vtcunque vocati, in eos, qui ſibi deluſerunt, fortiùs ſe & atrociùs armabunt? Ergo dilectiſſimi & gratiſſimi patres, vndecunq; & qualiumcunque

* iunctis

opinionũ, ſicut in eo quod ſemel conſilio vnanimi omniũ, qui tunc præſentes eratis, & ſufficienter & ardenter abſentium aduentum deſideraſtis & expectaſtis, maturè concluſum eſt, & nomine vniuerſalis eccleſiæ ritè emanauit, & ab * (vt præmittitur) laudatum eſt, & hodie laudatur, conueniatis: & concordes, inuitatorum præſentiam (prout de congruo decet) expectetis, ſed & expetatis, omnemque poſſibilem diligentiam pro ipſorum reductione adhibeatis, & honorem à Deo & hominibus incunctanter habebitis. Si ſecùs (quod abſit) feceritis, indelebilem Eccleſiæ ignominiã inferetis. Quod per extenſum tam oculatis & perſpicacibus viris declarare, ſuperfluũ putamus. Nec videmus, * cùm velut inermes & myſteriorum Dei expertes, fugere debeamus, cùm omnium noſtrũ vna ſit & firma ſententia, quod in dubium vocari non debent, quæ ſolenniter & digeſtè à ſacris Concilijs ſancita ſunt, aut fide ſanctorum probata. Admittatur ergo, illibatæ fidei noſtræ tenore manente, qui vocati ſunt, & audiantur. Non quòd ſolidiores hi tanquam dubij ſiant, quibus datum eſt diuina noſſe myſteria: ſed certè, vt ijdem ipſi, qui deriſis errorũ inuoluti ſunt tenebris, Catholicis noſtris fide firmis Doctoribus, errorum nebulas ratione & arte diſcutientibus, in claram probatæ fidei noſtræ cognitionem, ſi Dominus annuerit, reuocentur. Similiter & ſi illi, qui huiuſcemodi non modò ſubdolè ſerpentibus, ſed & paſſim nunc palàm volantibus, ſeq; infirmis animis inſigentibus, hæreſum iaculis perniciosè vulnerati ſunt, ocyus ſanentur. Quod niſi factum & citiùs factum fuerit, videbitis patres, quòd lugebitis. Sed ne, quod veremur, accidat: nos, quibus aliquid veſtræ ea parte ſolicitudinis impoſuiſtis, quique rem tanquam ſub proſpectu noſtro non ſine mœrore cadentem, acriùs, ſed & * amaris pleriſque metimur, cum reuerentia ſupplices rogamus. Et quia expedire, & vix aliter abſque grauiſſimo ſcandalo & irremediabili, fieri poſſe putamus, bona fide conſulimus, ne irrita faciatis, aut quantum in vobis eſt, fieri permittatis, etiam ſub periculo corporalis ſalutis, cùm pro domo Dei ſecundùm profeſſionem noſtrã (vt rationabiliter ſcribitis) nos murum, qui periculis aut impulſibus vſque dum ruat, nõ cedit, ponere debeamus: ea ſcilicet, quæ Spiritu ſancto dictante, non modò ſemel aut altera, ſed & tertia, vt ipſi (de quibus agitur,) ſuis ad nos ſcriptis teſtantur, immò & quarta vice de ore veſtro proceſſerũt. Sed eos quos tam ſolenniter vocatis, quia ardenter eorũ (vt oportet) ſalutem optatis, quamlibet longiùs abijſſe videantur, ſi venire voluerint, vt magnã nobis & multis ſpem ſcriptis ſuis dederunt, expanſo læti ſinu reciperè benignè & patienter audire, in viam ſalutis & veritatis miſericorditer & manſuetè dirigere, & ſi redire reſipiſcentes cupierint, in cõmunionem fraternè admittere aliaſque conſtanter & perſeueranter facere velitis, quæ pro ipſorum reductione & Eccleſiæ pace & reformatione apud vos ſalubriter ſtatuiſtis. Vnde fidelium mentes, quæ à iocunditate, quam veſtris (vt præfertur) ſalutari conuentione, ordinato in agendis proceſſu, deuotaq; & ſimplici conuerſatione longiùs viuificum ſuum odorem in ædificationem fidelium ſpargentibus conceperunt, ſtupefactæ nimis, & velut amentes conciderunt, geminata continuandaque lætitia erigetis. Hæc ad qualemcunq; veſtram conſolationem amore, qui reuerentiam neſcit, ſcripſiſſe voluimus, petentes, nos de incuria & ruſticitate haberi miſericorditer excuſatos: quia bona & ſimplici fide vobiſcum, velut cum patribus noſtris & præceptoribus indulgentiſſimis, agimus. Neque cultiùs, emendatiùs, aut mundiùs propter temporis anguſtiam, quæ poſita ſunt, reſcribere curauimus, de veſtra benigna ſupportatione confiſi. Ceterùm ſi vobis videatur, deputẽtur venerabiles patres domini Terbraceñ. & de Langem ordinis Ciſtertienſis harum partium de vicino Abbates, aut alij, prout vobis videbitur, qui frequentius nobis veſtro nomine de occurrentibus nouis & bonis in conſolationem noſtrûm & aliorum ſcribant per occurrentes opportunè nuncios. Mittimus dominationibus veſtris copias literarum communitatis Nurenbergenſ. nobis à Prageñ. directarum, & noſtrarum ad eoſdem. Et ſicut Pragenſes Nurenbergenſibus, pariformiter & Egrenſ. ſcripſerunt, qui optimi mediatores in currente noſtro negotio exiſtunt: Etiam recepimus ab amicis Eccleſiæ quoſdam profeſſionis articulos, in quos dicuntur ſub magno apud

fot.* omnibus

fot.* cur

fot.* amatius plerumque

nos

nos ſatis ſi* doctores & Clerus ciuitatis Prageñ. veteris & nouæ conueniſſe. Quos ſi in congregatione audire volueritis, nulli tamen copia decernatur, quouſque plenius, quod expectamus, reſponſum habuerimus, ne forſan ipſi in inſtanti ſua & plena totius regni congregatione, meliùs & aliter deliberent. Committatur tamen aliquibus Doctoribus ſacræ paginæ & aliarum facultatum, ſicut videbitur, vt diligenter videant & examinent, quatenus opportuno tempore quid agendum ſit, ea parte proferant. Verùm huiuſmodi articuli in lingua & ſcriptis Bohemicis ad nos peruenerunt, & in Latinum quidam doctor ſatis celebris in medicina, alter verò in idioma noſtrum Alemanicum tranſtulerunt. Mittimus, vtrunque, vt collatione adinuicem habita, clariùs intelligere ipſorum intentionem poſſitis, & de occurrendo eis cogitare ſalubrius erit, & (vt confidimus) faciliùs ipſos literali congreſſu deuincere, quàm hoſtili campo cum eis ſub periculo cladis aut fugæ noſtrorum confligere. Quid expediet, vnctio vos ſpiritus, qui velut hoſpes beatificus corda veſtra inhabitat, docebit, vt optabimus & iugiter orabimus. Noſtri memores in Domino Valete. Scriptum Nurenbergæ, 16. Februarij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſecundo.

LITERA IMPERATORIS CONSTANTINOpolitani, miſſa ſacro Concilio Baſileenſi.

IOANNES in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator Romeorum Palæologus ſemper Auguſtus, ſacroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi, ſalutem in eo, qui omniũ eſt vera ſalus. Literas V. R. recepimus per reuerendum Antonium Epiſcopum Sudeñ. & fratrem Albertum de Criſpis ſacræ Theologiæ magiſtrum, Oratores veſtros, ex quibus & etiam relationibus præfatorum benè notauimus optimam diſpoſitionem atque intentionem Deo amabilem, quas V. R. pro tota Chriſtianitate gerit, & ſpecialiter pro nobis, id eſt, pro vnitate Eccleſiæ ſanctæ Chriſti. Et ſuper hoc lætati ſumus maximè, quoniam hortamini nos pro illis, pro quibus & nos iam diu hortati fuimus inſtanter Eccleſiam Romanam. Multoties enim ſcripſimus, & miſimus illuc pro vnitate prædicta, vt omnibus patet. Tantis autem legationibus factis ex parte noſtra, & tanta ſolicitudine oſtenſa, non permiſerunt cauſam circumſtantiæ eorum, vt finem acciperet noſtra voluntas & tractatus. Ad præſens igitur de eiſdẽ his, & cum ſimili & eadem diſpoſitione V. R. ſcribimus, quærentes filij Concilium Oecumenicum ſub præſentia omnium perſonarum neceſſariò debentium intereſſe ſecundùm antiquum ordinem & conſuetudinem. Et tale Concilinm fieri canonicum, liberum, inuiolatum, & ſimpliciter ſecundùm formas antiquorum Oecumenicorum Cõciliorum, Et omne illud, quod Deo dante in tali Concilio vnanimiter & concorditer concluſum fuerit, hoc firmum haberi indubitanter & ſine contradictione & lite quacunque, quæ omnia dicta fuerunt & conceſſa, & confirmata à ſancta Romana Eccleſia per plures legationes ad eam noſtra parte factas. impedita autem fuit iſtorum concluſio & effectus propter temporales circumſtantias, vt ſuprà dictũ eſt. Sed quoniam V. R. in præſenti tempore tantam promptitudinem ſuper iſtis oſtendit, quòd legationem ſpecialem fecerit pro iſtis, & hortata nos fuit literis & relationibus ſuorum oratorum, propter hoc & nos mittimus Ambaſiatores noſtros, familiarem Imperij noſtri*

Abbatem ſcilicet monaſterij S. Demetrij Iſidorum, & familiarem noſtrum Ioannem Diſſipatum,

per quos petimus & rogamus V. R. quòd ad hoc Deo amabile opus vnionis conferatis omnem curam & ſolicitudinem, vt fiat & cõcludatur dictum laudabile opus veſtris ſtudio & diligentia noſtris correſpondentibus, cùm nota ſint aliqua neceſſaria ad hoc, & eius operis executionem, commiſimus de iſtis prędictis noſtris Ambaſiatoribus, qui V. R. latiùs & clariùs omnia referent & manifeſtabunt, placeatque V. R. eiſdem dare plenam fidem.

Datum in vrbe noſtra Conſtantinopolitana 1433. die 25. Octobris.

LITERA REGIS DACIAE MISSA SACROSANcto Concilio in fauorem ordinis S. Brigittæ, lecta in generali congregatione die Veneris, 26. menſis Martij, 1435.

Reuerendiſſimis in Chriſto patribus ac dominis præſtantiſſimis, honore præcipuo venerandis, pro Concilio generali çelebrando in Spiritu ſancto Baſileæ legitimè cõgregatis, Ericus Dei gratia Sueciæ, Noruegiæ, Sclauorum, Gothorumq; Rex, & Dux Pomeriæ, ſalutem & ſynceram noſtri in Domino recommendationem.

REVERENDISSIMI patres & domini, Regalis præeminentiæ requirit dignitas & officium, illudque præcipuum in ſui pectoris armariolo iugiter verſare debet, vt poſt diuinæ cultum maieſtatis modis & medijs, quibus poterit, in effectum producat, quòd ſubiectus ſibi populus, pacis tranquillitate frui & gaudere valeat, & præſertim hi, qui ſpretis curis & vanitatibus labentis ſeculi, Deo inhærere (cùm ſibi ſeruire, regnare ſit) totis deſiderijs inardeſcunt. Cuiuſmodi ſunt vtriuſque ſexus homines religioſi, & præſertim ordo ille deuotiſſimus B. Brigittæ, S. Saluatoris nuncupatus, qui in loco Vuadzſteñ. regni noſtri Suecię, Dei diſpenſatione (vt piè creditur) laudabile ſumpſit initium, & poſtmodùm per diuerſas mundi partes in ſalutem multorũ à via rectitudinis aberrantium, commendabile ſuſceperat incrementum. Ipſius nempè B. Brigittæ ſanctiſſima vita, virtutum præclara merita, necnon magnifica & ſtupenda, q̃ glorioſus & mirabilis Deus in ſanctis ſuis per illam fecerat, & ſine intermiſſione in his terræ finibus facit opera, mentes hominum ad credendum attrahunt, hunc ordinem cum ſuis viuendi regula & conſtitutionibus, à Deo ſpecialiter proceſſiſſe. Apparet hoc idem de deuota & irrepræhenſibili vita perſonarum in eo degentium, exemplis ſanctimoniæ & doctrina ſaluberrima, quibus innumerabilis populus diuinitùs illuſtratus, latam & lubricam deferens viam, quæ ducit ad mortem, arctam cœleſtis patriæ ſemitam ambulat conſidenter. Sed heu venerandiſſimi patres & domini, accepimus nuper, quod dolenter referimus, ex illius nõ dubitamus inſtinctu, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, ſurrepſiſſe videlicet in ordine prædicto nobis dilecto, periculoſas quaſdam ſciſſuras & contentiones, ob quas generales cõfeſſores, & aliæ dicti ordinis perſonæ, de monaſterijs regnorum noſtrorum ad reuerendarum paternitatum veſtrarum præſentiam, ſacroſanctam ſcilicet generalem Baſileenſem ſynodum, ſunt citati. Etiam (vt aſſeritur) ad reſpondendum nonnullis articulis, contra libros reuelationum prænominatæ ſanctæ dominæ patronæ noſtræ conſcriptos: qui reuelationum libri in ſalutem indubiè multorum in via fidei & morum titubantium, hic & alibi ſparſim per mundum publicati fuerant, & ſolenniter prædicari. Quamobrẽ reuerendiſſimi patres, veſtrarum paternitatum & dominationum congregationem ſacratiſſimam, vniuerſalem Eccleſiam repræſentantem, deuotioribus & efficacioribus, quibus poſſumus precibus aggredimur, inſtantius exorandam, quatenùs ex parte Dei omnipotentis, & eius intuitu, cuius in hac parte vices geritis, noſtrarumque ob deuotarum precum inſtantiam, perſonarum & locorum ſæpedicti ordinis huiuſmodi periculoſas diſcordias ad Deo placentem concordiam reuocare velitis, necnon obloquentium ora ſic obſtruere, quòd ſtare & viuere deinceps poterunt in Dei ſeruitio, ſuaque regulari obſeruantia, ſicut hactenùs in monaſterijs regnorum noſtrorũ laudabiliter ſteterant, atq; vixerant ſub dicta S. Saluatoris regula, ſecundùm ipſius inſtitutionem primitiuam. Inſuper quòd illa doctrina ſanctiſſima Reuelationum B. Brigittæ, ſicut in præſens in Eccleſia Dei ad ipſius laudem & gloriam, ad purgationem criminũ, bonorumque morum introductionem prædicatæ & publicatæ fuerant, ſic & amodò publicari & prædicari valeant & teneri. Alioquin exinde ſanabuntur corda ſimplicium, ſcandalizabuntur plurimi, & formidandum erit finaliter Chriſtianæ fidei non minimum detrimentum. Spiritus ille veritatis, qui procedens de thalamo diuinæ Maieſtatis, Apoſtolorum pectora inuiſibili gratia penetrauit, dignetur illuſtrare corda veſtra ad faciendum pacem, & tranquilitatem in

Sap. 2.

Eccleſia ſua ſancta. Datũ in caſtro noſtro Vuordlingborg. Anno Domini 1434. tertia die menſis Iulij noſtro ſub Secret. &c.

ALIA LITERA CERTORVM EPISCOPORVM miſſa in fauorem dicti ordinis, & lecta in congregatione eodem die.

REVERENDISSIMIS in Chriſto patribus ac dominis præſtantiſſimis, pro Concilio celebrando in Spiritu ſancto Baſileæ legitimè cógregatis, Petrus Lundenſis, Aſlatus Nidroſiẽſis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi, Naſſuo Othoniẽſis, Ioannes Roskildenſis, Ioannes Haſloenſis, Siggo Scarenſis, Andoenus Stauangrenſis, Thomas * Strengenenſis, Hermãnus Vuibergenſis, Petrus * Hamarenſis, Gerardus Binglauenſis, & Seuerinus Farenſis, eadem gratia Eccleſiarum epiſcopi, cum omni humilitate & reuerentia debita obſequia, votisque ac mandatis veſtris in omnibus deuotè & fideliter obedire. Gratias agimus patri miſericordiarum, & Deo totius conſolationis, qui ſeneſcentis mundi miſerijs ineffabili ſua miſericordia, & miſeris, ne in barathrum deſperationis prolabantur, ſalutaribus remedijs ſubuenit, & ſuccurrit. Hinc eſt, patres reuerendiſſimi, quòd Deus inter alia miſerationis ſuæ opera magnifica & glorioſa, quę ad laudem & gloriam nominis ſui fieri voluit, in his vltimis finibus terræ pro cóſequenda remiſſione peccatorum, ad dirigendos pedes oberrantium in viam patriæ cœleſtis, beatam Brigittam de regno * Sueciæ progenitam, quaſi venam fontis viui ſponſam ſuam & canale gratiæ ſuæ tantis gratiarum aquis abundare fecit, & non ſolùm regno prædicto, verumetiam quaſi toti orbi terrarum per eam miſericors Dominus, cuius miſericordiæ non eſt numerus ſalutis & gratiæ melliflua pocula dignatus eſt miſericorditer propinare. Ex cuius quidem B. Brigittæ meritis & ſanctitate, primùm in regno Sueciæ, videlicet Vuadzſteyn, ordo ille præclariſſimus, S. Saluatoris nuncupatus, inoleuit, ac glorioſum ſuſcepit exordium. Deinde ſucceſſu breuiſſimi temporis, & hoc ſatis miraculosè, in diuerſis regnis & mũdi partibus ex inflammatione vtique Spiritusſancti, regibus & dominis terrarum atq; prę latis diuinitùs facta, plura ſunt innouata & multiplicata monaſteria, in quibus ſororum & fratrum conuentualium feruens & affectuoſa viget deuotio, & vitæ regularis obſeruãtia ſecundùm ordinem inſtituta perfectiſſimè obſeruatur, tam per cõtinuas prædicationes, quã per diuinæ maieſtatis cultum & obſequium, videlicet Miſſarum ſolẽnia, & diuinarum horarum iugiter pſalmodiam. Vnde quaſi infiniti peccatores de die in diem diuinitùs inſpirati conuertuntur, conuerſique in breui proficiunt, magna virtutum accumulantes incrementa, & ſpirituales effecti, calcatis ſeculi curis, ſentientes ſe corruptibile pondus cum mœrore portare, quibus nil agere libeat, niſi ſolius Dei deſiderio & amori iugiter inhærere. Vnde reuerendiſſ. patres nos vnà cum principibus & prælatis, & magnatibus, militibus, & militaribus, nobilibus, primis, ac proceribus regnorum pro quieto ſtatu regnorum eorundem in magno parlamento in caſtro & oppido Vuordlingborg regni Daciæ congregati, nunc accepimus, qualiter confeſſores totius ordinis prælibatim ad ſacroſanctam ſynodum Baſileeñ. pro ſtatu ſalubri, reformatione laudabili, ac incremẽto felici locorum & perſonarum vtriuſq; ſexus in eodem ordine ſparſim per mundum degentium ſunt citati. Eapropter patres & domini reuerendiſſimi, dominationes veſtras cum humili & deuota ſubiectione aggredimur implorandas, quatenùs ſi qua in hoc ſacro Concilio vſque in præſens literis, proceſſibus, articulis, quæſtionibus vel querelis contra dictum ordinem, cuius priuilegia, regulam, conſtitutiones, ſeu inſtituta regularia, iamdudum per ſacram ſedem Apoſtolicam approbata & confirmata, ac etiam contra libros Reuelationum dictæ ſanctæ Brigittæ dominæ diuinitùs (vt creditur) oſtenſarum, quomodolibet fuerint attentatæ, ob noſtrarum petitionum humilimam inſtantiam faciatis reuocari. Si qua verò in eiſdem Reuelationum libris examinanda & diſcutienda fortaſſe videantur, tam cautè & moderatè reformationis ſarculo cum lenitatis moderamine emendentur, ne piarum aurium in poſterum offenſiua fiant ea, quæ de his libris Reuelationum coram populo, nedum in partibus iſtis & regnis, ſed & alibi per mundum publicè prædicata fuerant in Chriſtianæ fidei fulcimentum. Alioquin ſi (quod abſit) ex huiuſmodi controuerſijs, litibus, & contentionibus ſic (vt præmittitur) motis & attentatis, inſurgeret aliqua ordinis præfati diffamatio, vel à ſui primitiui regularis ſtatus vigore diſceſsio, ex tunc (prout veriſimiliter formidamus) vbique & præſertim in partibus iſtis tam in Clero, quàm in populo fiet maxima confuſio, & deuotionis fidelium feruor ad Deum & ad illam ſanctam, quæ tot, tantis & tam manifeſtis claruerat miraculis & virtutum meritis, vertetur in torporem. Quod vtique cedet in fidei Catholicæ turbationem & diminutionem, in ſcandalum multorum, & Eccleſiæ, ſaltem in his orbis finibus ſub hoc periculoſo tempore non modicum detrimentum. De modo autem cohabitationis Sororum & fratrum in monaſterijs ordinis prædicti, quæ ſituata ſunt in regnis iſtis, quem alij quidam pacis æmuli & tranquillitatis calumniari conantur, nulla datur hîc cuiquam Chriſti fidelium ſuſpicionis occaſio, quòd eorum habitacula adeò firmis altisq; muris & ædificijs diſtincta ac diuiſa ſunt, prout ferè nos omnes, præcipuè autem, qui monaſteriorum & locorum eorundem viſitores ſumus. * quòd ſecurè & abſque conſcientiarum ſcrupulo iuxta primariam ordinis inſtitutionem, quam adeò piè credimus factam eſſe, ſorores & fratres ſicut cohabitant, honeſtè & licitè poterũt commorari. Valeat, & in Deo proficiat veſtræ ſanctiſſimæ deuotionis venerabile collegium à Deo cœlitùs inſpiratum, ab æterno prouiſum & pręordinatum, & iam in hoc occidui mundi ærumnoſo tempore in Spiritu ſancto legitimè congregatum. Datum in oppido Vuordlingborg Roskildenſis diœceſis, anno Domini 1434. die 3. menſis Iulij, noſtris ſub ſecretis, &c.

* Strangueñ. Hãmeñ. * Hãneñ.

* videmus deeſſe, videlicet aliquid eiuſmodi

Epiſtola Rothomagenſ. ad Concilium.

REVERENDISSIMIS & honoratiſſimis ac metuendiſſimis patribus, ſacroſanctam ſynodum Eccleſiam vniuerſalem Baſileæ repræſentantem Baſileæ tenẽtes, humiles veſtri filiali ſubiectione ſubditi conſules & ciues ciuitatis Rothomagenſis. Reuerendiſſimi & honoratiſſimi ac in timore Domini ſancto reuerendiſſimi patres, Conſiderantes apud nos nihil eſſe, quod adeò indignationem prouocet altiſſimi ſicut ingratitudo. Ipſa enim eſt prouocatio malorum, beneficiorum exinanitio, & extinctio meritorum. Quapropter miſerationum, quas in eccleſia ſancti Audoeni Rothomageñ. per literas veſtras magnificaſtis, pro qua vicibus repetitis auſi fuimus ſanctitati veſtræ congregationis dudum reſcribere, iugem habentes firmamq; memoriam, nolentes inſuper illud Iudaicum in nobis notari opprobrium: Non fuerunt (inquit) memores beneficiorum eius, & mirabilium quæ oſtendit eis, per pręſentes literas noſtras, & pro modulo noſtro benedicimus Deum cœli, qui per miniſterium veſtrũ faciens miſericordiã, de puluere tribulatiotionis & ſordib' litigioſę captiuitatis erigit egenũ, vt cũ Principibus Eccleſiæ ſuæ ſedeat, & ſoliũ gloriæ inter vos reuerendiſſimi patres, reiecta omni confuſione teneat. Quinimmò eædem literæ veſtræ ab ingenti, diuturnaque & difficili narratu præfatæ Eccleſiæ ſancti Audoeni ruina, quam pro diſcordia & concurſu guerrarum æſtimamus potiſſimè contigiſſe, reſurgendi primitias præſtant non modicas. Namque lapſos erigunt, vagos congregant, & reuocant aberrantes. Quamobrem non quas debemus ſanctitati veſtræ congregationis, ſed quas valemus & ſcimus, gratiarum referimus actiones, nosipſos & quæque noſtra ſunt, in obſequium veſtrarum paternitatum filialiter offerentes. Cumque nouella ſit huiuſmodi plantatio pacis in dicta eccleſia & quietis, plantæ verò quæ ſe nondum terræ radicibus adhæſerunt, ſuſpectam habeant tyrannidem, ac * borealem & ventorum fortiores nequeant tolerare excurſus, ſic vt paci & quieti præfatæ Eccleſiæ vigilantiùs oporteat prouideri: idcircò reuerendiſſimi ac metuendiſſimi patres humiliùs, quàm poſſumus, veſtris reuerendiſſimis paternitatibus ſupplicamus, quatenùs huius Eccleſiæ pacem & quietem iam per vos plus quàm ad medium perductam, dignemini, reiecta omni æmulorum diſſenſione, ad perfectum vſque perducere.

Pſalm. 77

for. * borealium vẽtorum

ducere. Auxiliante vobis ſanctitatis veſtræ congregationis authore & conſeruatore Spiritu ſancto, qui cum Patre & Filio viuit vnus Deus in ſecula ſeculorum, Amen. Datum Rothomagi die 18. menſis Iulij, 1434.

LITERA ROMEORVM IMPERATORIS ad idem Concilium.

SACROSANCTAE generali ſynodo Baſileeñ. Ioannes in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator Romeorum Palęologus * ſemper Auguſtus, ſalutem in omnium redemptore. Ad legationem nobis priùs factam per V. R. reſponſum dedimus per noſtros ambaſiatores ad vos tranſmiſſos ahortantes E. V. R. ad ſanctiſſimum opus vnionis eccleſiarum Chriſti diu tractatum cum beatiſſimo domino Papa Eugenio & prædeceſſore ſuo, & volentes quod tale diuinum opus ad finem optatum perducatur. Intereà verò præfatus dominus Papa miſit ad nos Nuncium ſuum & Secretarium venerabilem Chriſtophorum Garatonum, conceden̄. pro tali propoſito & permittendo, quæ nos priùs pętebamus & deſiderabamus, videlicet quod fiat ſynodus pro dicta materia vnionis in hac vrbe Conſtantinopolitana, quem nuncium libentiſſimè vidimus atque videmus, & acceptauimus illud membrum, quia nobis videtur maximè tendere ad perfectionem dictæ ſanctiſſimæ rei propter cauſas V. R. relatas & manifeſtatas per noſtros Ambaſiatores. Et multò magis libenter acceptauimus, quia certificauit nos dictus nuncius, dictum dominum Papam & V. R. tam in hac re, quàm ſingulis alijs, eſſe * cuiuſdam voluntatis, quod nobis gratiſſimum eſt. Quare cum dicto nuncio prædictis nominibus nonnulla concluſimus ſuper dicta vnionis materia. Et pro vltima concluſione & confirmatione omnium geſtorum cum nuncio antedimo & pro complemento aliorum, & vt ſanctum opus Deo authore incipiat, mittimus ad præfatum ſanctiſſimum dominum Eugenium & ad V. R. Ambaſiatores noſtros nobiles viros Georgium Diſſipatum & Manuelem Diſſipatum eius fratres, familiares & dilectos noſtros, quibus in relationibus ſuper præmiſſis placeat dare plenam fidem. Datum Conſtantinopoli, 1434. die 12. Nouembris.

for.* eiuſdem

LITERA DVCIS SABAVDIAE MISSA SACRO Concilio in læſionem domini Ludouici Epiſcopi Lauſanen. lecta in generali congregatione die ſabbati, 14. Maij, 1435.

SACROSANCTAE ſynodo generali Baſileeñ. humilis & deuotus Eccleſiæ filius Amedeus Dux Sabaudiæ. Humili deuotaque recommendatione præmiſſa. Aduerſariò & hoſte meo notorio domino Ludouico de Palude & ſuis fautoribus contra me, duntaxat exceptis, quibus me nõ recommitto, licèt ex generali doctrinæ ſacræ conſilio, iniuriæ veniant ab iniuriatis æqualiter tolerandæ. Attamen nõ improuidè talis in hoc modeſtia ſeruanda eſt, vt iniuriantibus ad corrigendum attentata poſtmodùm iniſtria innoteſcat, quæ forſan priùs impetuoſiùs à tramite manſuetudinis deuiârat. Confiſus itaque de V. R. P. benigna ſupportatione, conqueri compellor apud eas, hoſtibus ſecluſis: ſuper eo quod nuperrimè dilecto fideli ſcutifero Oratore & procuratore meo ad hoc deputato Ioanne Championis in conſpectu veſtro in Eccleſia maiori Baſileenſi, vbi (vt credo) debebat & debet ſibi & omnibus ſeruari totalis immunitas, & plena ſecuritas, perſonaliter conſtituto, poſt intimatam eiſdem P. & parti aduerſæ, videlicet dicto domino Ludouico aduerſario & hoſti meo, ibidem tunc præſenti, appellationem iuſtam à quadam prætenſa ſententia generaliter (vt fertur) in cauſa Eccleſiæ Lauſanenſis, ſicut placuit in fauorem dicti aduerſarij contra reuerendum in Chriſto patrem dominum Ioannem de * Pringino Epiſcopum Lauſanenſem nuper lata, quæ vtinam pro honore Concilij ſine alio præuio moderamine, & cauſæ maturiori iuſtificatione, nunquam fuiſſet promulgata: ſtatim inſurrexerunt quidam ex procuratoribus, necnon procurator fiſcalis ac etiam procurator fidei, qui tamen vt prudens, fuit alijs magis temperatus, licèt vrgeretur, & cum clamore valido petierunt, quatenùs idem ſcutifer & procurator meus caperetur, detineretur, & grauiter puniretur, eò quòd huiuſmodi appellationẽ intimauerat. Surrexerunt etiam innumerabiles alij cum clamore & ſtrepitu pariter acclamantes, Capiatur, incarceretur. Nec defuit aliud verbum violentum, niſi vt crucifigeretur. Hoſtis inſuper prædictus particulariter debitum ſuum hoſtilitatis, hoc idem vociferando, perſoluit, in quo mihi quamplurimùm complacuit: quia qualis erat & eſt apud me, inimicum publicum meum ſe palàm declarauit. Quod tantò moleſtè fero, quanto ipſe prodijt ex vaſallis meis: quorũ meritis præteritis ex hoc & alijs operibus ſuis reddidit ſe indignum perpetuum. Vnde ſuper hoc quod in præſentia veſtra clamigârat, ſe ex parentibus magnis (quorum aliqui defuncti ſunt in parentum meorum obſequio) traxiſſe originem, fateor verum eſſe hoc quod dicit, quia ex bonis & fidelibus parentibus ortus eſt, qui tam erga me, quàm inclytos progenitores meos, debitum fidelitatis firmiter exercuerunt. Vtinam nõ fuiſſet nec eſſet idem aduerſarius degener, contra me & iuſtitiam meam attentando: quo cum diuino & dominorum meorum auxilio, non poterunt ipſe & ſui prępualere. Scio enim remedia mea, quibus vtar loco & tempore contra ipſos. in hoc autem quod allegat magnitudinem parentum, allegat veritatem: ſed non credat aliquis, me non habere ſine comparatione potiores ſe. Habeo enim per Dei gratiam vaſallos & ſubditos inſignes in bono numero, Ducali, Marchionali, Principali, Comitali, Baronali, & Banneriali dignitatibus inſignitos vltra valuaſores: cuius fallacijs aſſerunt & me ea, quæ geſta ſunt in prędicta cauſa Lauſanenſi, ignoraſſe: ſed ea ex ſuggeſtione aliquorũ ſeruitorũ meorũ ꝓceſſiſſe. credere nõ debuiſſetis, nec debetis Habetis enĩ de contrario argumẽta notoria, videlicet literas meas manu propria ſigillatas & ſubſcriptas, ac frequenter Oratores meos fideles, * quos non oportet in aliquo vacillare, Hiraldum tunica armorum meorum veſtitum. deinde reuerendum in Chriſto patrem epiſcopum Vexionenſem, ac venerabilem doctorem ſcholaſticum Andegauenſem, per vos ad me nuper deputatus, qui ſciuerunt ex meo immediato oraculo mentem meam in hac parte. Et nunc habetis efficaciſſimum meæ voluntatis indicium in hoc, quòd non per procuratorem, ſed in propria perſona coram authenticis perſonis appellaui. Miror, qualiter & quomodò V. R. P. tot vicibus permiſerunt & permittunt ſe à prædicto aduerſario & eius fiſtulis dulcè canentibus ſic decipi. Sed omnibus conſideratis, non admiror: quia facies dealbatæ multos fefellerunt, atque fallunt. Non credebam tamen, quòd ad complacendum vni monacho, iuſtitiam iuſti iniuſtè auferre ſatagenti, maximè ex actu ordinatiſſimæ iuſtitiæ, videlicet appellationis, debuiſſem in perſona mei ſcutiferi & procuratoris ſic offendi, & etiam in ſedibus Oratorum meorum prægrauari. Non enim ſic turbari debuiſſetis ex appellatione ſupradicta. Eſt enim commune vulgare, quòd cuicunq; cuiuſcunque ſtatus etiam infimi licet proteſtari, appellare, & etiam mendicare, & maximè cõtra me, qui me conſcium alicuius offenſæ ſacro Concilio vel alicui ex ſuis ſuppoſitis hucuſque illatæ, non ſentio. Quinimmò ad profectum & augmentum ipſius Concilij vijs poſſibilibus tam erga ſanctiſſimum dominum noſtrum Papam, cuius ſanctitatem plus debito, ſed DEI zelo, hac de cauſa frequenter ſtimulaui, & nimis exaſperaui, quàm erga principes conſanguineos, confœderatos & amicos, cum omnium feruore laboraui. Vnde præter teſtem æternum poſſunt (ſi velint inniti veritati) eſſe mei teſtes reuerendiſſimus in Chriſto pater dominus legatus, Abbas Verziliaceñ. Oratores Pariſieñ. & cæteri primordiales Concilij, à quibus continuis precibus commonebatur tunc quamplurimùm appreciatus, nunc verò poſt dilationem (ſicuti placet) vilipenſus, contemptus & mala pro bonis adeptus. Neſcio enim vnde fuit, quòd ſupplicatio per me iterata & reiterata videlicet, pro cauſa Eccleſiæ Lauſanenſis, quæ mea fuit, eſt, & * erit, aliquibus probis auditoribus peritis & partibus non ſuſpectis, committeretur via & ordine iuris tractanda & diffinienda. Nunquam potui obtinere, quod etiam vni Saraceno non fuit denegandũ: niſi quia ſic placuit illi bono domino Ludouico, & ſuis fautoribus ſatis mihi notis. Scio enim & fateor indubitanter

* ſuper quibus

for.* erit, non

ipſi ſacro Concilio plures & plures adfuiſſe & adeſſe dominos ſapientiſſimos, iuſtos, manſuetos, & pios, quibus præmiſſa attentata tanquam iniqua diſplicuerunt & diſplicent, quos inde culpare neſcirem, niſi ex hoc quòd alijs partialibus forſan ex metu vel falſa perſuaſione conſenſerunt. Indulgere mihi dignentur V.P.R. ſaluis aduerſarijs, ſi in præmiſſis alicubi exceſſerim, quod tamen non credo, nec intendo ad diſplicentiam earum quicquàm expreſſiſſe. ſed duntaxat pro quiete & notitia mentis meæ. Nunquam enim tranquillam dediſſem oculis meis dormitationem, quouſque tanquam filius ad patres querimoniam meam protuliſſem. V.R.P. conſeruare & adiuuare dignetur omnipotens ad opus ſuum perficiendum. Scriptum Rapalliæ die prima Maij, 1435.

LITERA DVCIS MEDIOLANENSIS MISSA *Concilio in Auguſto, anno 1435.*

REVERENDISSIMARVM paternitatum veſtrarum filius Philippus Maria Angelus Dux Mediolanenſis, item Papiæ Angleriæque Comes, ac Ianuæ dominus. Reuerendiſſimi in Chriſto patres & domini mei præſtantiſſimi, cooperante gratia diuina, habeo nuper feliciſſima noua de victorioſa & triumphante claſſe mea Ianuenſi, quæ hoſtilem armatam regis Aragonum apud * Gaietam ex toto conflixit, captis (vt recitant literæ per me habitæ) ipſo rege & duobus fratribus ſuis, videlicet rege Nauarræ, & magiſtro ſancti Iacobi, necnon principe Tarenti, Duce Gueſſæ, & filio domini Chriſtophori Gaietani Comitis * feudorū, alijsque Baronibus ſecum exiſtētibus, exceptis infante Don Petro, & principe Salerni, captis etiam nauibus & nauigijs ipſius armatæ, omnibusque gentibus hoſtilibus, quæ ſupra ea militabant. Hanc ideò tam felicem diuinamque victoriā ſtatim R.P. veſtris intimare decreui, vt cùm omnes felicitates meæ propriæ veſtræ ſint, mecum laudes altiſſimo agentes, inde lætari & gaudere poſſitis, & continuò meliora ſperare, ad laudem & gloriam ipſius qui pijſſimus eſt donator omnium gratiarū. Datum Mediolani die 20. Auguſti, 1435. Poſt ſupra ſcripta certioratus ſum, per literas proprias magnanimi & glorioſi Capitanei mei claſſis meæ Blaſij de Axereto, quòd vltra prænominatos reges & alios captos, etiam captiui remanſerunt dictus infans Aragonum & Vicerex Siciliæ filius Ducis Gueſſæ Menegūtius del aquila Capitaneus lancearum 300. alijque multi Barones & nobiles vltra 400. & armigeri vltra mille, & gens alia infinita ad milliaria. Capta prætereà fuit tota hoſtilis claſſis, præter duas naues minores, quæ euaſerunt. Conflictus autem fuit ſuus terreſtris exercitus, qui contra Gaietam militabat, captis bombardis & munitionibus quibuſcunque. Denique pro maieſtatis diuinæ clementia tanta fuit ipſa victoria, quod ſtupēdum & mirabile dictu eſt. Ipſi laus, gloria, &c. Datum vt ſupra.

fundorū

COPIA LITERARVM DOMINI IMPERATORIS *Græcorum ad Concilium.*

IOANNES in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum Palæologus ſemper Auguſtus, ſacroſancto generali Concilio Baſileeñ. ſalutem in eo qui eſt vera ſalus. Venerabiles veſtri ambaſiatores miſſi ad nos cum noſtris Ambaſiatoribus hic adfuerunt, portantes nobis literas veſtras. Ex quibus literis & etiam relatione ipſorū, cùm ſapienter & clarè expoſuerint omnia ſibi commiſſa, cognouimus & certi fuimus de optima diſpoſitione feruentique deſiderio, quæ ad opus vnionis Eccleſiarum Chriſti geritis. Pro quo & nos etiam antè plurimum laborauimus & ſtuduimus, & nunc ſtudemus, & diligentem operam facimus. Perlecto etiam decreto quod factum eſt per vos ſuper tali materia, etiam difficultates aliquæ in eo repertæ & illis oſtenſæ, per Dei gratiam remotæ ſunt, & grata nobis habuerunt remedia, ita vt vniti & cōcordes remanſerimus. quare per noſtrum chryſobulum illa firmauimus & roborauimus, ſicut de omnibus latiùs & particulariter R.P.V. à venerabili viro Henrico vno dictorum veſtrorum Ambaſiaturū ſcient, qui pro iſta cauſa ad vos reuertitur. Omnia igitur illa quę ad nos attineant, & à nobis debeant fieri, cum multa diligentia vſq; ad finem Deo authore facturi ſumus. Voſq; rogamus, vt ſimiliter cum pari charitate & promptitudine ad hāc ſanctiſſ. rem procedatis, & nihil deficiat de incumbentibus vobis ſpecialiter verò plurimùm & cum multa inſtātia vos petimus & rogamus, de loco in quo mediata ſancta vniuerſalis & Oecumenica ſynodus celebranda eſt, vt deputetur & eligatur vnus locus ex maritimis, vt ſine difficultatibus & incommodis magnis poſſint venire & conduci neceſſariò congregandi ibidem, & maximè ſanctiſſ. mihi dn̄s Oecumenicus Patriarcha, qui eſt ſenex, & continua infirmitate grauatus. Et præcipuè hoc etiam petimus & rogamus, propter ſanctiſſ. & beatiſſ. dominum Papam, quia caput eſt Eccleſiæ Romanæ & Occidentalis, & eius præſentia eſt neceſſaria, & quamplurimùm valet. Propterea (vt diximus) multùm rogamus vos & precamur, vt circa hoc bonam diligentiam & deliberationem faciatis, nihilominùs non recedentes à geſtis circa hoc & alia inter nos & vos. Datum in vrbe noſtra Conſtantinopoli, 1435. die 26. Nouembris.

* COPIA LITERARVM DOMINI PATRIARchæ *Conſtantinopolis ad Concilium.*

IOSEPH miſeratione diuina Archiepiſcopus Conſtantinopolis nouæ Romæ & Oecumenicus Patriarcha, reuerendiſſimis Cardinalibus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſię & reuerendis epiſcopis & omnibus alijs religioſis perſonis congregatis in ſacra ſynodo Baſileeñ. dignam & condecentem ſalutem reddimus reuerentiæ veſtræ cum ſyncera diſpoſitione & charitate ſpirituali & amicitia. Venerabiles veſtri Ambaſiatores, &c. *vt in præcedenti litera, vſque, congregandi ibidem.* Et maximè propter me, qui ſenex & continuis infirmitatibus grauatus ſum, & præcipuè propter ſanctiſſ. dominum Papam, &c. *vt in litera immediatè præcedenti, vſque ad finem.* Datum Conſtantinopoli, 1435. die 26. Nouembr. apud Patriarchium noſtrum S. Sophiæ.

COPIA LITERARVM FRATRIS GERmani *domini Imperatoris Græcorum.*

SACROSANCTAE generali ſynodo Baſileeñ. in Spiritu ſancto legitimè congregatæ, ac vniuerſalem Eccleſiā repræſentanti. Conſtantinus in Chriſto fidelis deſpotus Romeorum Palæologus, ſalutem in eo qui eſt vera ſalus. Literas V.R.P. per venerabiles veſtros Ambaſiatores recepimus, quibus ex literis & ex relatione ipſorum Ambaſiatorū de optima voluntate & promptitudine & feruentiſſimo zelo, quæ ad hoc diuinum vnionis eccleſiarum Chriſti opus geritis, certificati fuimus: quamuis rebus ex ipſis ſatis intellexerimus eas. quare veſtram intentionem quamplurimùm laudamus, & veſtrarum virtutum condignam iudicamus, cùm non poſſit cogitari alia res, in qua V.R.P. ſuis viribus atque ſtudijs vteretur rationabiliùs & laudabiliùs, quàm in hac, quæ ad communem Chriſticolarum vtilitatem & Chriſtianæ fidei incrementum ſpectat. Hortabatur etiam V.R.P. vt dictis veſtris Ambaſiatoribus auxilia & fauores circa ſuum propoſitum, pro quo huc deſtinati ſunt, gratè adhibere velimus. Quod quidem licèt ab omnibus Chriſtianis veris debeatur, propter rei præſentis dignitatem, nos tamen ipſi magis hoc debere facere exiſtimauimus, & per gratiam Dei plus quàm debeatur, intendimus ſuper hoc laborare. Et propter hoc quantum nobis poſſibile eſt, vt tale diuinum opus ad finem optatum deduci poſſit & valeat, ſtuduimus, & in futurum ſtudebimus, & ſic mirabiliter huius rei deſiderio tenti fuimus, vt V.R.P. promptiſſimam in hac re exiſtentem, cum maxima diligentia procurantem (prout proſequitur) & nos ipſi peteremus iterum & vos rogaremus vt omnes difficultates velitis ex medio tollere, & omnimodam diligentiam adhibere ad conſummationem huius diuini negotij. Nunc enim multi tractatus & legationes ab vtraque parte ad talem terminum cum gratia Dei deuenerunt, vt non indigerent aliquo alio, niſi executione ſola & progreſſu reali & cum effectu. Et proculdubio confidimus, quòd V.R.P. ſic faciet, & bono principio optimū finem apponet, talem aūt intentionem noſtram, quam & multis alijs

cau-

cauſis iuſtis habemus, & propter veſtram petitionem multò clariorem & feruentiorē habemus à venerabili Henrico vno dictorum ambaſiatorum veſtrorum, latiùs & particulariùs ſciet V.R.P. qui eidem P. & de alijs ad iſtud propoſitum attinentibus referet. Nos verò ſemper ad omnes honeſtas & rationabiles petitiones paratos eſſe & fore R.V.P. agnoſcat. Datum Conſtantinopoli 1435. die 26. Nouembris.

LITERA DVCIS FEDERICI IVNIORIS AVſtriæ, miſſa Concilio, lecta in generali congregatione die Veneris 37. Martij, 1436.

REVERENDISSIMVS ac reuerēdis in Chriſto patribus & dominis ſacroſanctam generalem ſynodum Baſileen. repræſentantibus vniuerſis E. V.R.P. mādatis obedire &c. paratus Fredericus iunior Dux Auſtriæ.

Reuerendiſſimi reuerendique in Chriſto patres & domini, literas ſacroſanctæ ſynodi Baſileen. per venerabilem & circumſpectum virum dominum Ioannem de Polomar, decretorum doctorē eximium, ſacri palatij Apoſtolici cauſarum auditorem, ac prætacti ſaci Concilij Baſileen. Oratorem, cum ea qua decuit, reuerentia accepi, vnà cum eiuſdem auditoris legali relatione ſubſecuta. Ad quæ omnia tāquàm humilis & obediens ſanctæ matris Eccleſiæ filius & princeps catholicus, me fatebar animum habere diſpoſitum & inclinatum. Quia verò adeò nouiter regimen & gubernationem principatuum ac dominorum meorū exto adeptus, reſtant adhuc certa iura per me expetenda, quorum aliqua eccleſiam * Gurzen, ipſiusque caſtra, & me aduocatum dictæ eccleſiæ, patriæ quoque principem ac protectorem, contingunt. Qua de re & propter alias cauſas vtilitatem dictæ eccleſię potiſſimè reſpicientes, præfato oratori veſtro lympidiùs explicatas, expediens viſum fuerat, negotij huiuſmodi executionem differendam, ipſoſque ſuper dicto epiſcopatu ſibi aduerſantes, ad iſtas Auſtriæ partes conuocandos ſub ſpe peroptimæ pacis ac perficiendæ compoſitionis. Et deſuper reuerendo in Chriſto patri domino Ioanni dictæ eccleſiæ Epiſcopo, literas meas tranſmitto de præſenti. Quocircà paternitates veſtras accuratiùs deprecor, quatenùs præfato domino Epiſcopo indilatè adueniendi fauorabiliter dignentur licentiam impartiri. Spiritus ſanctus in cuius eſtis nomine congregati, ad ſuæ ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem vos feliciter dirigat & conſeruet.

Datum in noua ciuitate die 3. mēſis Martij, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſexto.

LITERA REGIS ARAGONVM MISSA CONCILIO, lecta in congregatione generali in vigilia Paſchæ, 7. menſis Aprilis 1436.

SACROSANCTAE generali ſynodo Baſil. in Spiritu ſancto legitimè congregatæ, vniuerſalem Eccleſiam repræſentanti, eiuſdem S. Eccleſiæ Dei humilis & deuotus filius, Alphonſus Dei gratia rex Aragonum, Siciliæque citra & vltra pharum. Sacratiſſima ſynodo in Spiritu ſancto legitimè congregata, longum nos deſiderium tenuit, vt ſolennes ad vos Oratores mitteremus. Quod profectò vt debitum fuiſſet, diù * eſt executioni mandatum, niſi nos quemadmodum toti orbi notum eſt, præpediti fuiſſemus. Hoc itaque tam ſanctum propoſitum è manibus, rerum maximarum quidā cumulus nexu penè indiſſolubili deuinctus, non voluntas, quæ teſte Deo ſemper ad hoc nobis ardens fuit, extorſit. Nunc autem quia nobis veridicè relatum extitit, quanta cura, quanta ſolertia, quanta denique vigilantia in præſentiarum incumbitis circa ea, quæ ad Eccleſiæ Dei reformationem, hęreſum extirpationem, & pacem inter ſeculi principes componendam maximè faciunt, & quemadmodum etiam toto pectore operam datis, vt nō ſolùm Bohemorum vnio, quam Deo auxiliante acerrimis diſputationibus, & indefeſſis inauditiſque laboribus procuraſtis, concludatur, ſed etiam vt Græcorum reductio diù à Chriſtiano populo maxima cum auiditate expetita, feliciter fiat, nō modò alacres, ſed diuino inſuper (vt putamus) quopiā nuncio inuitati fuimus, vt quamuis non ſimus ab huiuſmodi rerum difficillimarum laqueis omninò expediti, vellemus vlteriùs * morari laudabile illud diù mente noſtra agitatum propoſitum parere. Cupientes igitur tot & tantorum operum bonorum, quorum glorioſus eſt fructus, participes fieri, quod vos qui in vinea Domini aſſiduè laboratis, apud æternum illum luminum patrem & rerum omnium conditorem conſequuturi eſtis, legationem noſtram omni authoritate inſignem, ad ſacratiſſimum cœtum veſtrū mittere decreuimus, vt ſi totius diei pondus & æſtus non portauimus, ſaltem bonam magnamque eius partem aliquam ſuſtineamus, qua poſſimus diuina clementia ſuffragante, cum his qui in operando primi fuerunt, efficaciter in ipſa vinea laborare, voſque pro viribus ad optatiſſimam illam ac felicem Græcorum adipiſcendam reductionem iuuare. Quam quidem tum ad diuini cultus amplificationem, ad ipſorum ſalutem & cōcordiam, tum ad veſtri ſempiternam memoriam immárceſcibilemque coronam immortalitati perpetuò conſecrandam perneceſſarium arbitramur. Iam autem delecti ſunt viri illi, quibus hæc prouincia eſt committenda. Literas & nuncios prætereà in omnes partes noſtras nuper deſtinauimus, ac alias etiā nouiter duximus deſtinandas. Quibus omnes reuerendos & venerabiles prælatos plurimoſque ſacrarum literarum eximios interpretes, demùm canonū ac ciuilis ſapientiæ inſignes doctores hortamur, & inquantum in nobis eſt, compellimus, vt pro tam pio negotio faciliùs conſumando, breui ad vos proficiſcantur: nec longa certè mora temporis contrahetur, quin noſtra ipſa legatio, quæ ire propediēm habebit, vobiſcū ſit. Simile quoque erit de his de quibus ſuprà diximus. Si quid autem aliud fuerit, quod pro Dei Eccleſia veſtrique ſtabilitate & conſeruationem ampliùs facere poterimus, illud grauiſſimo animo perficiemus.

ſiet

for. * non morari, ſed

Matth. 20.

Datum in noſtra ciuitate Gaietæ die 8. Martij, anno à natiuitate Domini 1436.

Rex Alphonſus.

EPISTOLA DVCIS ALBERTI AVSTRIAE miſſa concilio, lecta in generali congregatione die Veneris 30. Martij, 1436.

REVERENDISSIMIS in Chriſto patribus ac dominis vniuerſis, in ſacroſancta generali Baſileen. ſynodo, in Spiritu ſancto legitimè congregatis, vniuerſalē Eccleſiam repræſentātibus, dominis & amicis chariſſimis Albertus Dei gratia dux Auſtriæ, marchioq; Morauiæ. Reuerendiſſimi patres domini & amici chariſſimi, deuota recōmendatione præmiſſa, ſanctum viſitationis & reformationis opus in diœceſi Patauien. & dominijs meis, reuerendis in Chriſto patribus domino epiſcopo Conſtantien. prouinciæ Rothomagen, ſuiſque collegis in Bohemiam legatis per ſacrum Baſileen. concilium, ad precum mearum inſtatiam deuotam, iniunctum prudenter & reuerà multùm accuratè inchoatum, continuatur indies adeò feliciter, eſtque iam in multis locis patratum tā amabiliter, quod omni dubio ceſſante in vtroque ſtatu factis & exemplis, vt opera euidenter demonſtrant, vberrimus inde ſequetur fructus. Aſſurgo igitur, Deo qui hoc ſanctum opus inſpirauit, nec minùs veſtro ſancto cœtui gratiarum actiones deuota mente referendo. Petens denique humiliter, ſi fortè aliqui tam ſancto operi, tamque ſalubri non fauentes, viſitationem & reformationē huiuſmodi extinguere aut impedire conarentur, quòd tales contra præfatam ſanctam cōmiſſionem cum exauditionis affectu vel effectu non admittatis. Verùm patres reuerendiſſimi (vt ſine circuitione loquar) veſtras certifico paternitates, quod in viſitationis & reformationis præmemoratarum proſecutione nihil aliud quærit, niſi Deo præcipuè obſequi, & deinde perſonas viſitandas à longo tempore (quod dolenter refero) multùm collapſas, ad ſtatum reduci conuenientem. Nec eſt qui veridicè dicere poſſit, quod in viſitatione & reformatione prædictis alicuius lucrum ſeu cōmodum priuatum, quouis quæratur modo. Recommendo me veſtris paternitatibus digniſſimis cum prona voluntate in ſingulis complacendi. Datum Viennæ die 8. menſis Martij, anno Domini 1436.

DIVERSORVM AD DIVERSOS EPISTOLAE DE CONCILIO BASILEENSI, AVT de negotijs ad concilium illud ſpectantibus, tractantes, hic ſeorſum congeſtæ, & iuxta datas ipſarum, quantum ex ipſis aduerti potuit digeſtæ.

LITERA A BOHEMIS, CONSVLIBVS *ciuitatis Egrenſis tranſmiſſa.*

HONORABILIBVS & circumſpectis dominis Conſulibus ciuitatis Egrenſis, Magiſtri ciuium & Cõſules maioris ciuitatis Pragen. Seruitium noſtrum, iuxta præſentis curſus qualitatem, vobis circumſpectis prudentibus amicis intimamus & notificamus, quoniam omnes in vna generali congregatione iam apud nos conſtituti Domini, milites, terrigenæ honorabiles, ciuitates & communitates, ſeculares & ſpirituales, concorditer deliberauimus, & finaliter in hoc manemus, quod ad concilium Baſileen. tanquàm ad publicam & ſecuram audientiam, mittere volumus nuncios noſtros ſpirituales & ſeculares, qui iam ad eundem tranſitum electi ſunt & donati. Auertat ergo Deus, ne bonum quod diu deſiderauimus, & ad quod iam oſtium apertum eſt, elato animo contemnamus: ſed parati ſimus, ſaluis tamen quibuſdam aſſecurationibus, iuſtitiam Dei omnipotentis, in quam nos locamus coram omni Chriſtianitate confiteri. Hac tamen conditione adiecta, vt eiſdem perſonis ad eundem tranſitum deputatis, talis ſecuritas procuretur & donetur, vt tranſire ad ipſum Concilium, ibidem ſtare, & ad nos redire valeant ſalui & ſecuri abſque læſione perſonarum ſuarum & honoris, & aliarum rerum quarumcunque. Et ideo cum nuncijs à concilio ad Nurenbergam miſſis, deſideramus conuenire in ciuitate veſtra, vbi de modo aſſecurationis & alijs neceſſitatibus noſtris intendimus oretenus loqui cum eiſdem, quemadmodum ex literis eiſdem nuncijs per nos directis, quarum copiam vobis tranſmittimus, hæc & cætera, quæ ab eis petimus, clarè intelligere poteritis. Affectuoſiùs inſtanterque rogamus, vt quemadadmodum in hac re quæ vergit ad laudem Dei, vtilitatem cõmunem, & pacificationem Chriſtianitatis, exhibuiſtis vos bono initio præmiſſo, impigrè laboraſtis & perduraſtis vſque huc: ita perdurare velitis, ſcientes quòd merces promittitur incipienaibus, ſed perſeuerantibus exhibetur. Rogamus etiam, vt literas ipſas cum veſtro nuncio dirigere velitis Nurenbergam. Etiam deſideramus, inſtanterque rogamus, quatenùs ciuitatibus ſeu oppidis ſubſcriptis, Piſen, Svvamberg, Temez, Blaſvvinſch, Schauſtein, Balenſtein, Ovvegen, & cæteris omnibus regiæ reſidétiæ * paculis, literas veſtras dirigere velitis, & cum eis practicare, vt nuncij noſtri cum ſaluo conductu & alijs quibuſcunque neceſſarijs ita prouideantur, vt ad nos vel alium quemcunque locum, ab ambabus partibus deputatum, ſecurè accedere poſſint & recedere, quotieſcunque fuerit opportunum.

or. *pa- alis

Datum Pragæ, feria 4. poſt feſtum S. Matthiæ Apoſtoli, anno 32.

EPISTOLA MISSA A PRAGENSIBVS AD NVNcios *ſacri concilij Baſileen. in Nurenberga conſiſtentibus pro cauſa Bohemorum.*

VENERABILIBVS & religioſis fratribus Ioanni Nider priori domus prædicatorum Baſileen. & Ioanni Mulbrun. ordinis Ciſtertien. nũcijs ſynodi Baſileen. fratribus dilectis, magiſter ciuium & conſules iurati maioris ciuitatis Pragen. Oblatæ pacis deſideria amplectimur, cum fideli eorundem ad vos & omnes Chriſti fideles reciprocatione votorum. Nam hoc ſummi & æterni patris lex clementiæ poſtulat, vt quod nobis, id etiam noſtris proximis ritè optemus. Sanè venerabilis Baſileen. concilij dudum paginam pietatis oculatæ verbis redundantem, & nunc veſtram illi parem grata mente ſuſcepimus, vtpotè benedictionis ſemina, vberem fructum in virtute patientię allatura ſalutem. Et quia non modò nobis, verùm etiam * & ita vniuerſo ſtatui regni Bohemię vtrinque ſcribitur, quanquàm non omnibus, ſed fortaſſe tantùm nobis ſit eatenùs præſentatum: eapropter veſtræ honorificentiæ perinde eo ſucceſſiuo reſpondemus, quod mox prima eiuſdem concilij viſa epiſtola, barones, proceres & nobiles, necnõ clerum & communitates regni noſtri ſcriptis & nuncijs noſtris auiſauimus operosè, quatenùs Dominica poſt feſtum B. Dorotheæ ventura proximè ad ciuitatem noſtram indilatè conueniant, congruum, ſalubre, ac finale ſuper eadem felici materia daturi reſponſum: vt quod omnes concernit, etiam ab omnibus pariter & vnanimiter comprobetur. Et quia tot & tantarum communitatum & perſonarum multitudo tum propter locorum diſtãtiam, tum etiam ob negotiorum veritatem & pondus, non valuit repentè congregari: * quare honorificentiæ veſtræ ſolertiam obnixè deprecamur, in conſpectu præfati concilij noſtræ prorogationis in reſpondendo, aut oratores idoneos mittendo, moram non ex ſegnitie, aut quauis alia negligentia, ſed præmiſſis ex cauſis admiſſam, excuſare, & ſi cõmodè fieri poteſt, in loco, quo nũc eſtis, vſque ad diem Cathedræ B. Petri proximum, * fidele & (ſperamus) charitatiuum præſtolari reſpõſum, literarum noſtrarum baiulis & nuncijs ad honorificentiam veſtram quoties fuerit opportunum, dirigendis aſſecurationem ſufficientem, vt tutè queant ad vos accedere, ac in vrbe veſtræ nunc manſionis demorari, & ad propria reuerti, ſaluis perſonis, fama & rebus, procurare dignemini. Nam & nos nuncijs veſtris, quos ad ciuitatem noſtram Pragam duxeritis trãſmittendos, de pari forma aſſecurationis prouidere præſentibus pollicemur, vt mutuæ voluntates & promptiùs & faciliùs poſſint partibus vtriuſque deferri.

Matth. 7.

ocus ob- curus.

Fort. varietatem *ideo

*finale

Datum Pragæ, 4. feria ante feſtum Purificationis beatæ Virginis Glorioſæ.

ALIA EPISTOLA AB EISDEM PRAGEN. *Conſulibus ciuitatis Nurenbergen. tranſmiſſa.*

Prudentibus & circumſpectis viris magiſtro ciuium & iuratis Conſulibus ciuitatis Nurenbergen. magiſter ciuium & iurati Conſules ciuitatis Pragen.

ADMIRABILEM ſeruitutem, iuxta temporis exigentiam, vobis prudentes & circumſpecti amici præmittentes, notificamus, quòd triplicatas literas à ſacro Baſileen. concilio cum ea, qua decuit, reuerentia nos recepiſſe noueritis. Sed quia talis legatio inſignes, non ſolùm nos & cõmunitatem ciuitatis noſtræ, ſed etiá vniuerſos & ſingulos manentes, nobiles, barones, milites, clientes, terrigenas ciuitates & communitates parti noſtræ adhærétes tangit & concernit, quamobrem præfatas literas nobis (vt præfertur) à ſacro Concilio præſentatas, diuina fauente clemétia, in noſtra generali congregatione, quæ proxima Dominica poſt feſtum S. Dorotheæ nunc ventura, noſtra in ciuitate celebrabitur, coram omnibus tam ſecularibus quàm ſpiritualibus notificare ac publicare intendimus: & quicquid rei ex vnanimi omnium conſenſu fuerit in eadé materia deciſum, præfato ſacro Concilio ac vobis per noſtras literas, quantocyùs potuerimus, intimare curabimus.

Datum feria 4. ante feſtum Purificationis.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI ET *domino L. Epiſcopo Lauſanen. domino ſuo ſingulariſſimo.*

REVERENDE pater & domine mi honorandiſſime, omnimoda recommendatione pręmiſſa, præſentibus adiunguntur deliberata eccleſiæ Gallicanæ, in concilio Bituricen. vbi perdigeſtè examinatum eſt negotium, viſis facultatibus fe. re. domini Martini, & approbationib⁹ domini noſtri Eugenij, ac literis directis Bohemis, necon & inſtructionibus V.P. per ſacrum Concilium vobis datis, iter arripiendo ad vrbem, fueruntque duo iuriſtæ & vnus Theologus deputati in dicto Concilio Bituricen. qui defenderent partem Concilij generalis, cæteris omnibus pro diſſolutione arguétibus, & nihil de apicibus iurium diuini vel humani credo vtrobique prætermiſſum: & tãdem, nemine diſcrepante, omnes in vnam conuenerunt ſententiam arti-

culatim

latim deſcriptam. Sed quia rerum Veneticarum & guerrarum occupatio multos impediuit, nec deliberatorum executio plena potuit fieri, maximè cùm dominus cancellarius Franciç,& alij regis conciliarij irent Diuionem, cum quibus partim viam peregi, & Iouis in cœna Domini hanc ciuitatem intraui. Eapropter, quia parùm eſt deliberare, niſi deliberatorũ executio ſequatur, ante diſceſſum ex Bituris vnanimiter eligimus dominum meum Aurelianenſ. epiſcopum, vtriuſq; iuris doctoré, regisque conſiliarium qui præmiſſis omnib⁹ interſuit, & laudabiliſſimè ſe geſſit, cõcilioq; deuotiſſimè afficitur, & hic debebat ire ad Regem pro executione prætacta. Idemq; præfatus dominus Aurelianen. & ego ſerioſè in Iſſolduno ſabbato in vigilia Ramiſpalmarum locuti ſumus cum domino cancellario Franciæ, & quibuſdam alijs Regis cõſiliarijs, deliberata noſtris eis referentes, & illa gratiſſima habuerũt. Sed circa executionem nihil agi poteſt, donec poſt regreſſum eorum de tractatu pacis quam annuat Altiſſimus: & vt ea exprimam plenè, quæ ſpero ſecutura, non veniet credo in recidiuam quæſtionem, ſi cõcilium eſt celebrandum * vel ne Baſileç, & ad ſtatim, quia hoc concluſum eſt: ſed crèdo, alia fiet cõuentio prælatorum Galliæ in loco huic vicino, vbi agetur de tractandis in concilio generali, & neceſſarijs eccleſiç Gallicanæ, & inde omnes progredientur ad cõcilium Baſileen. Vnicors enim Bituris fuit ſententia, quòd ſufficiebat ibi eccleſiam Gallicanam firmare cum concilio ineuitabiliter Baſileæ celebrando. In reformatione enim vniuerſalis eccleſiæ, multæ particularia tangentur: & ſi expreſſa ibi fuiſſet practica reformationis, fortaſſe adhæſiſſent diſſolutioni. Et ſi Rex pacificus pacisq; author, pacem inter regem & dominum meum Burgundiæ propitiatus miſericorditer tribuerit, quòd largiatur ex miſerationibus ſuis, quarum non eſt numerus: tunc eccleſia Gallicana neceſſariò ſolennis conueniet, ſed non eſt dubitandum quòd iſta cõuentio fiet breuiter, & ad gloriam concilij generalis, & exiſtentium in eodem. Electus ſum ire ad vrbem in contradictione mea multa, ignorantiam, inexperientiam & æſtum, qui contrarius multum eſt corpori meo, opponens: ſed victus inſtantia, onus accepi. Nec vniuerſæ aut Gallicanæ eccleſiæ perſonam meam infructuoſam decuit denegare. Hac pollicitatione per me vltroneè præmiſſa, quòd nunquàm tranſlationem aut promotionem quamcunque procurabo, aut iniectam acceptabo. Concluſa prædicta parlamento regio & ſingulis vniuerſitatibus ac prælatis obediẽtiæ Regis tranſmiſſa ſunt, vt omninò oẽs firmati ſint in conuentione futura eccleſiæ Gallicanæ: & ſi quiſquam vellet ſuſcitare querelam, reſpondebitur, Actum eſt, ne agas. Magiſter Ioannes de monte magiſter in Theologia, canonicus Leodien. domini noſtri Papç cubicularius, bullas ex parte eiuſdem mihi præſentauit tranſlationis concilij, vbi mihi mandatur pro me & prouincia, tam pro exemptis quàm non exemptis, vt loco & tempore concilio tranſlato interſimus. Præſentauit etiam vnum breue ſub ſigno piſcatoris. Necnon & literas quorundam dominorum Cardinalium in diſſolutione nominatorum, & cõcludebat ſanctam & neceſſariam diſſolutionem, & quòd eum dirigerem in agendis. Reſpondi, quòd tota intentione ſeruiam Papæ, eroque adiutor ſui papatus, & ad conſeruandum regalia ſancti Petri in eius perſonam, vt mea profeſſio & immediata ſubiectio exigebant: ſed re concluſa concilio generali in concilio eccleſiæ Gallicanæ, quod ineuitabili neceſſitate celebrandum eſt, nihil poſſem agere fructuosè: nec mihi eſſet honeſtum, dirigere eum contra deliberata mea propria: & ideo de directione mea non confideret, & ſciebam quòd apud Regem non proficeret, vnde plurimùm turbatus eſt, & ex iam ſcripſi aliquibus prælatis, per quos debet tranſire. & credo ſimilia inueniet reſponſa. Expoſui etiam eidem, quod quidem domini Cardinales in diſſolutione nominati, concilio de præſenti adhærent, viſa facti neceſſitate: & quod in facto circũuenti, aſſenſum diſſolutioni præbebant, nunc veraciter informati, eandem diſſolutionem reuocãt. Suaſi inſuper celebrationem concilij, domini noſtri Papæ honori accedere, tantis authoritatibus & maximè ſua approbatione laudabili approbati, & cùm de fide ageretur & diſcrimine Germaniæ, ipſe fidei doctor & Germanus non debebat in propoſitis perſiſtere. Relatum eſt domino cancellariò Franciæ, mihi & alijs, quod quidam Ambaſiatores regij, qui nunc in vrbe fuerunt, habitis promotionibus aut eiſdem promiſſis, ſe fecerunt fortes, quod Rex diſſolutioni adhærebit. Sed dominus cancellarius mihi promiſit ſolidè ſtare & repellere clauum clauo dictis Ambaſiatoribus Ego etiam non timebo, ſed exaltabo vocem ſuper tecta, dum locus aderit: & ſpero quod dicti Ambaſiatores ſatis deliberabunt, quomodo rem concluſam in nouam deducent quæſtionem: quia munera ſumpta ligant, omnesq; ſequuntur munera, & retributiones. Si non fallor, expedit, immò & neceſſe eſt, & concilio generali plus vtile, teſte Deo, non dico ex laude mea, quòd hic remaneam, quàm quòd vadam ad concilium. Fronte enim aperta reſiſtam in facies dictorum Ambaſiatorum: & ideo hic decertando pro concilio, placeat eidem me habere pro præſente. Etiam ſi me oporteat ire ad Papam, ſarcinulas parare & iniuncta expedire opus erit. Maior mihi quies eſſet, concilio adeſſe, quàm æſtiuo tempore equitare ad vrbem: & maior fuit mihi expenſa in via, quàm fuiſſet in concilio: ſed nec perſonæ, nec burſæ parcam. Idem magiſter Ioannes de monte, reſponſa mea intimauit Papæ per proprium nuncium, qui ab hinc Veneris poſt Paſcha iter arripuit. Scripſeram etiam dominis meis Rothomagen. & Arelaten. deliberata eccleſiç Gallicanç ante Paſcha, vt nota eſſet concluſio in vrbe. Salua correctione ſacri concilij, credo quòd expedit cum multa manſuetudine tractare dominum noſtum Papam, qui caput eſt eccleſiæ, & depreſſo capite, arida vel infructuoſa manent membra. Cõcilium enim cœpit à modeſtia, & ſemper modeſtiùs agere poterit. Hæc pro tanto dico, quia idem magiſter Ioannes cauſam dedit loquendi. Sed reſpondi quòd Eccleſia non eſt ſicut ſynagoga ad filium Dei, qui bona opera operatus eſt, & propterea voluerunt, eum lapidare. Nec eſt ſicut de Ioanne XXIII cùm vita eius ſit commendabilis, & ſine exceptione quacunque. Agebat inſupèr idem magiſter Ioannes de tranſlatione concilij ad Auinionem. Auſum præbetur Bohemis, dicere Eccleſiam à ſua facie aufugiſſe, & panis ibi cariſtiam eſſe, cùm pro victu hominis pro pane duntaxat neceſſarij ſint 20. floreni auri papales. Locusque Auinionen. inter regnum Franciæ, Delphinatum & prouinciam Prouinciæ ſituetur & intercludatur, quæ dominia ſunt regis & ſuorum fœderatorum, & ſic non eſſet * aduerſitatibus regi tutus acceſſus: quibus etſi daretur litera de ſaluo conductu, opponerent, quòd per tales literas ſe capitalibus crederent inimicis. Inſtabat ſaltem, quòd transferretur ad Biſuntinũ, cui ante factam pacem cum rege, reſpondi, quòd regi & ſuis idem ius vt priùs competebat exceptionis. Facta verò pace inter regem & dominum meum Burgundiæ, Anglici fortaſſe Biſuntinum declinarent. fluminæ * intereà carebat notabili ciuitas Biſuntij, quia etſi flumen habet qualecunque, inter flumina non nominatur per ſcriptores, quia Sagonam intrat, & Sagona Rhodanum, Rhodanus autem mare, & ideo Rhodanus pro flumine ſumitur, Sagona verò non, vel aliæ aquç labentes & eam intrantes. Finaliter inſtabat de ciuitate hac Lugdunen. cui repræſentaui eaſdem rationes militare, quæ in Auinionen. militabant. Eſt enim hic maxima cariſtia, & maior * ſperatur in Annata futura propter ſata congelata. probaui etiam ex Chronicis, quòd locus quantumcunque ſolennis, & in ſitu fertili poſitus, ſæpè fuerat à concilijs generalibus ſe improbatus: & ideo nec ciuitas Biſuntij, nec Bononien. nominari meruerunt, probans Bononiam bono nullam. Hæc R.P.V. ſic ſerioſè ſcribere curaui, nolens his verbiſculis fatigare concilium, nolens meum V.P. latere intentum, aut rem geſtam tacere, vel exprimens concilio, propriam gloriam quærere apud ſacrum cõcilium de affectu eiuſdem. Et expediret, ſi non fallor, vt noua mihi ſcribantur ſæpè concilij, quia ad me frequentiùs * venerint conflictus. Dominis meis Legato Conſtantien. Ciſtertien. * Vuetzellicen. & Ambaſiatoribus Sabaudiæ, quando opus erit, præmiſſa poteritis exponere: & ſi placet, mandetis reſponſionis effectum vobis factæ, & quales inueniſti fauentes in vrbe, vt intelligam qui ſunt de veris fratribus. Meipſum V.R.P. ad vota offerentes & mandata, in Domino precor diu & feliciter eam valere. Prætreſtiſſæ die 28. Aprilis.

for. *Baſileæ, nec ne, & ad ſtatim.

Eſa. 1.

Nota, quod ait archiepiſcopus Lugdunẽ. vitã Eugenij ſine vila exceptione eſſe cõmendabilem.

for. *aduerſantibus.

for. *enim caret

l. timetur

for. *veniunt.

for. Vercellen.

EPISTOLA LEGATI IMPERATORIS ROMANOrum ad eundem, quem legatum iuſſerat omnes nobiles Bohemiæ conuocare. Domino Sigiſmundo Romanorum Imperatori, Pnotha Czaſtolovvicz, Arneſtus de Vulaſſym.

SERENISSIME Princeps & inuictiſſime Cæſar, domine mi gratioſe, Seruitium noſtrũ V.S. ſemper præmiſſum. Serenitatem veſtram ſcire cupimus, quòd illam legationem nobis per S.V. iniunctam, executi ſumus ad omnes barones, milites, terrigenas & ciuitates Bohemiæ in communi iuxta concilium illorum, prout nobis V. Maieſt. mandauit. Super hoc ipſi nobis tale dederunt reſponſum, quòd volũt ad V.S. in die Aſſumptionis beatæ Mariæ virginis ad Ratiſponam cum plena poteſtate & reſponſo barones & terrigenas, & de ciuitatibus aliquos deſtinare, quia pars eorum tota & cum Ioanne Czaplione ſunt ſimul vniti & concordati ſuper illis quatuor articulis, Volentes vt & alij cum ipſis ad idem ſe ſubmittant, & in vnitate ſint. Videretur ergo nobis & alijs probis hominibus, quòd V.S. in illo termino apud ſe auditorem, & alios de concilio Baſileen. ad hoc neceſſarios habere dignaretur. Nam ſi cum ipſis pro huiuſmodi articulis poterit fieri concordia, non intelligimus aliquas alias difficultates. Et ecce tranſimus cum domino de Roſenberg per eandem viam, per quam huc venimus, ſperantes apud eum ipſum auditorem inuenire. Volẽtes etiam cum cõſilio domini de Roſenberg, ſuper iſtis negotijs conferre. Petimus ergo V.S. nolite nobis ad malum imputare, quòd paululùm deuiauimus, & quòd ita citò venire non poſſumus, & tamen feſtinabimus. Venientesque ad V.S. de alijs rebus pleniùs informabimus S.V.

Datum Pragæ feria 2. poſt feſtum S. Procopij.

EPISTOLA COMMVNITATIS CIVITATIS Pilznæ de victoria Bohemorum, & quomodo res geſta ſit ab eis. Honorabili viro domino Nicolao ordinis fratrum Minorum cuſtodi, & Procopio Segel amicis noſtris chariſſimis, concilium & communitas ciuitatis nouæ Pilznæ.*

*Engel

Epiſtola militaris ac lectu lepidiſſima.

SERVITIIS noſtris præmiſſis. Amici noſtri chariſſimi, bonas & iocundas nouitates vobis annũciauimus, quòd omnes inimici noſtri contriti & proſtrati ſunt, ſicut ſacro concilio & imperiali Maieſtati iſta in ſcriptis dirigimus enarranda. Proceſſus autem belli talis fuit. Cùm enim vtrique caſtra ex aduerſo metati fuiſſent, exercitus Huſſitarum multum de bombardis maioribus & minoribus caſtra noſtrorum vexabant & perturbabant. Populus autem communis clamabat, contra barones murmurans & dicens, Vt quid ita inaniter vitam perdimus, & interficimur, & tempus vanè conſumimus? Progrediamur contra illos, Melius eſt nos pugnando mori, quàm ita miſerabiliter perire. Tunc aſſurgentes barones & capitanei noſtræ partis, diſpoſuerunt ſe, & ordinauerunt acies, & proceſſerunt ad pugnandũ. Cumq; instaret hora certandi, & acies contra ſe procederent; nos verò ordinati eramus retrò in parte poſteriori, tunc noſtræ acies) ſecundùm quod ordinatum erat) terga verterunt, fugam fingentes, ita quòd nos, qui eramus in cauda in parte poſteriori, fuimus in capite à parte anteriori. Inimici autem hoc videntes, videlicet nos terga vertiſſe, concrepantes buccinis, clamabant horribiliter magnis vocibus: Conſurgite conſurgite, & inſequamur eos, ecce enim fugiunt. Et ſic omnes aduerſarij conſurgentes, de ſuis caſtris & turribus egreſſi equeſtres & pedeſtres, nos ſunt inſecuti. Nos autem, qui eramus in parte poſteriori, videntes quòd ſe à ſuis caſtris & turribus elongauerunt, aſſurgentes in nomine Domini, cuius cauſa agebatur, aggreſſi ſumus eos à tergo, & intercepimus eorũ regreſſum ad eorum caſtra & turres. Alij autem barones & nobiles cum omni multitudine conſurgentes à parte anteriori, inuaſerunt eos vnanimiter quaſi vir vnus. Et ſic antè & à tergo eos tãquàm manipulos deijciebamus, cædentes, quamuis multi reddebant ſe & reddidiſſent captiuos. Non erat tunc tempus captiuandi, ſed interficiendi ſolùm. Etiam aliqui per nos captiui, extrahebantur violenter de noſtris manibus, & interficiebantur. Et ſic per hunc modum Domino Deo nos præcedente, omnes inimicos proſtrauimus, paucis euadentibus. Pro qua victoria ſit Deo laus & gloria in ſecula. Omnes currus eorum, omnes bombardæ, omnia inſtrumenta bellica, omnia arma, defenſiua ablata ſunt, quia omnia ibidem reliquerunt. Noueritis etiã, q; domini barones ſtant in campis cum valida potentia, nec recedere intendunt, quoaduſque inchoata ad finem deducant. Imperialis verò Maieſt. ſolennem ambaſiatam direxit ad eos, videlicet dominum * Purcham, & dominum Erneſtum, & alios quamplures, ita quòd illa ambaſiata multa bona operabitur. Etiam vobis, vt ſcitis, inſinuamus, quòd dominus Imperator ſcripſit nobis, quatenùs plures de concilio & de ciuitate debeamus venire ad ſuam ſerenitatem, ſed duæ cauſæ nos retrahebãt. * Primò, timor inimicorum, qui ſemper minabantur nobis, quòd ſi victoriam habuiſſent, omnibus modis volebant ad nos redire, & in toto nos delere. Noſtra autem intentio ſemper fuit, libentiùs velle mori, quàm ipſis ſubijci. Sed indeſinenter Deo gratiarum actiones referimus, quòd nos de manibus eorum liberauit. Secunda cauſa adhuc nos impedit. Quamuis iam elegerimus eos, qui debeant adire præſentiam domini Imperatoris, deſunt tamen expenſę & impenſę, quia nõ poſſumus inter nos conquirere tantùm de pecunia pro expeditione illorum, & ſtipendiarij pro maiori parte cõſurrexerunt cõtra nos, mouentes de ſtipendijs à multis annis retentis. Et ſic illi repetunt ſtipendia & damna, & nos ſumus in penuria magna. Ergo amici chariſſimi, circa imperialẽ Maieſt. & ſacrum concilium laboretis, quatenùs nobis impendãt ſubſidiũ, quo modicùm ab oneribus debitorum in parte liberari poſſimus.

Huſſitæ à catholicis cęduntur.

*Pothum

Datum in noua Pilzna feria 3. poſt feſtũ corporis Chriſti.

LITERA MISSA DOMINO CARDINALI LEGAto per quendam ciuem Nurembergen. de interemptione Taboritarum & Orphanorum.

REVERENDISSIMO in Chriſto patri & domino, domino Iuliano, miſeratione diuina S. Angeli Cardinali, Apoſtolicæ ſedis legato, domino meo ſingulariter gratioſe: Reuerendiſſime in Chriſto pater & gratioſiſſime dñe, Exultet ſacroſancta ſynodus, gaudeat cunctus populus Chriſtianus, lętetur præcipuè animus veſter de tam celebri & felici victoria, quam Dominus Deus exercituum ſuis Chriſticolis cõtra hoſtes benedicti nominis ſui miſericorditer concedere dignatus eſt. Nouerit igitur veſtra reuerẽda paternitas, quòd die Dominica proxima poſt feſtum corporis Chriſti, Barones regni Bohemiæ ciuitatis antiquæ Pragen. aliorum fideliũ fulciti præſidio, cum Taboriſtis & Orphanis campeſtribus in virtute altiſſimi bellũ aggreſſi ſunt, & per totam diem Dominicam & noctem ſequentes, prælia continuando certârunt, & die Lunæ hora tertia diei prælium pro parte noſtra, authore Domino, feliciter terminatũ eſſe dinoſcitur. Et ceciderunt pro parte Huſſitarum vniuerſi campeſtres numero 3. millium. Inter quos interempti ſunt ille Zapego capitaneus, Procopius & Lupus presbyteri ſeductores nequam, & 700. capti exiſtunt carceribus mancipati, & de parte noſtra, quam altiſſimus cõſeruare dignatus eſt, perierunt duntaxat ducenti: quibus clementia ſaluatoris dignetur miſereri. Cæterùm reuerendiſſime pater dirigo magnificentiæ veſtræ copias duarum literarum vulgarium materiam belli prædicti continentes, vt in illis eadem magnificẽtia veſtra nedum dulciter recreetur, ſed & hæc noua veriſſima intimet domino meo ſingulariſſimo dño auditori, vt & ſynceritatis ſuæ integritas gaudeat in Domino, cui honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

Scriptum Nurenbergæ octaua corporis Chriſti.

EPISTOLA CVIVSDAM CAPITANEI DE victis Taboritis.

*Nobili & ſtrenuo militi domino * Kulbayno de * Duriſuba fratri meo dilecto.*

*Colnino *Dranka

OBSEQVIIS præmiſſis, frater chariſſime, notifico vobis, quòd regratiãtes Deo benè valemus, & Taboritas hodiè cum Dei adiutorio & meritis S. Vuenzelai proſtraui-

ſtrauimus, & damnum modicum de parte noſtra percepimus, & de Taboritis magna multitudo interfecta eſt, ſed illorum numerum, qui in loco remanſerunt, neſcimus: quia à loco conflictus ſtatim vlteriùs receſſimus, & captiuos plures adduximus. Et de equeſtribus aliqui maiores, ſed tamen pauci, fugerunt & euaſerunt. Et illa ſtrages facta eſt inter oppidum Gurſim & inter Brodam in illa planitie. Piltznen. aciem duxerunt. & primi aggreſſi ſunt eos, & directo tramite receſſerunt cum curribus & familia mea, ſicut boni & probi ſine intermiſſione & retroceſſione. Proptereà frater dilecte, iſtis auditis, iſtam ſtragem notificetis principibus. Et ſi poteritis aliquem expedire ad Cæſaream Maieſtatem, illa ſerenitati ſuæ notificetis ſine intermiſſione & mora. Et etiam ſi iuuenis ille nũcius Capunco venit, expediatis ipſum Karelſtain, & ab inde requirẽs vbi fuerimus, veniat ad me, vbi campũ vel caſtra poſuerimus. Etiam vlteriùs nunciũ ad vos expediuiſſemus, ſed expectauimus & retinuimus nuncium, volentes qualẽ finem conſequeremur, * Idcircò credimus & confidimus illud, quod in primis literis poſt cœnam ſcripſimus, quòd hæc facietis. Et vlteriùs etiam ſynceriter rogo, ſi aliqui de meis furtiuè recedentes à me, ad domum veniant, quòd ipſos caſtigabitis, ſicut in prima litera ſcriptum eſt vobis. Et de gentibus armorum nunc copiam habemus & validam multitudinem, & plures ſemper veniunt in vnum. Et nihil aliud intelligimus, niſi quòd omnes ciuitates ſubdentur nobis. Et cum iſtis vos Deo recommendamus. Orate Deum pro nobis, & nos pro vobis.

*Brodan & Cuſyn

Datum inter * Pride[illegible] Kurſym iam poſt conflictum factum in ſerò, Dominica poſt feſtum corporis Chriſti.

*Dencko de Druska rěſidẽs in Pijn Horſobien.

Stenko de Duriſtiba reſidens
in Timhorſtab.

EPISTOLA BOHEMORVM AD *Chriſti fideles.*

VNIVERSIS & ſingulis Chriſti fidelibus, Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, nobilibus, * inclytibus, clientibus, ciuibus, & omnis ſtatus & conditionis hominibus: barones, nobiles, milites, clientes, rectores cõmunitatum, præfecti vrbium, iudices, conſules, iurati, ciues, totaque communitas Bohemię gentis, in regno Bohemiæ pariter & in marchionatu Morauiæ conſtituti, diuinarum veritatum cognitionem, dilectionem & obſeruantiam ſalutarem.

*militib'

Cùm vnigenitus Dei filius, qui eſt æternaliter in ſinu eiuſdem patris æterni, deſcendiſſet in terras, locum nõ mutans, & maieſtatem nõ minuens, ſed humanam aſſumens naturam. multifaria vitę documenta ore, manu, & manib' contradidit. De quorum reuerà numero, iſta 4. inſignia ſuis ad imitandum diſcipulis & exemplari conuerſatione reliquit. quorum * ſic de dignitate primũ eſt, vt diuiniſſimum corporis & ſanguinis eius eis ſacramentum per miniſtros Eccleſiæ fidelibus miniſtretur. Secundum, vt verbum Domini liberè, publicè, & veraciter per eos, quorum intereſt, prædicetur. Tertium, vt ciuile dominium, vt lethale virus, auferatur à clero. Quartum, vt publica, & potiora crimina per legitimas poteſtates à plebibus fidelium extirpentur. Has profectò infringibiles veritates, promotiuas fidei, auctiuas charitatis, regulatiuas vitæ, necnon procuratiuas ſempiternæ ſalutis, humiliter amplexantes, iuxta virium noſtrarum modulum gratanter ſuſcepimus, ſtudioſè proſequi quoque intendimus, quouſque fides concludatur cum vita: vt ita ad illarum cognitionem, amorem, & obſeruantiam fidelem, etiam à principio iugiter affectauimus, & nunc accuratiùs omnem Dei populum affectamus venire. Vnde non parcentes ſumptibus, laboribus, & expenſis, plures per nonnullas Chriſtianitatis regiones epiſtolas ſolidis ſcripturarum authoritatibus eaſdem * virtute fulcientes tranſmiſimus. Nihilominùs viſitauimus Chriſtianiſſimum principem nunc magnificum Fredericum marchionem Brandenburgen. * nunc illuſtrem regem Poloniæ, & ad Sereniſſimi Sigiſmundi Romanorum ad Hungariæ regis inſtantiam, nobis per ſpectabiles legatos ipſius ſignificatam, pridem in Presburg, & nunc in Egram ciuitatem imperij venimus, omni niſu vbique inſtantes, vt nobis in concilio generali audientia publica, libera, ſecura & charitatiua procuraretur, ſuper articulis diuinis prædictis, quatenùs publicè, palàm, & manifeſtè in totius conſpectu concilij, illos quatuor ſalutares articulos, quos pro fide tenemus, manifeſtare, dilucidare, declarare, adſtruere, iuſtificare, probare & defenſare ſcripturis ſacris, beatorumque doctorum ſententijs, & in eiſdem ſcripturis verè ineuitabiliter fundatis, liberè, omni impedimento ſecluſo, valeamus. Et quòd tota vna nobiſcũ Dei viuentis militans reformetur eccleſia in capitibus ſuis pariter & in membris, iuxta ſacræ ſcripturę doctrinam. Qui nimirum & ex principum, epiſcoporum, procerũ, & doctorum communicato conſilio reſpondit, quòd iſta limitatio audientiæ & reformationis Eccleſiæ, derogaret libertati & priuilegio concilij generalis, ſupra omnẽ legem eminentis. Sed * quòd nos illis limitationibus & declerationibus noſtris ex diuina lege & ſanctorum doctorum * ſcientijs omiſſis, ſtemus in his omnibus determinationi & diffinitioni ipſius concilij. Quòd profectò nos meritò, rationabiliter, & ritè reputantes illicitũ, incõgruum, & prorſus indignum, vt videlicet diuinas veritates iuſtificatas in ſemetipſis, humanũ iudicet arbitriũ, & * ſoluet aut ſoluat pro ſua volũtate: quod vtiq; interdum, ſolida veritate relicta, opinionem ſequitur, ſicq; ipſam nõnunquã fallere contingit, & falli. Et quòd illi earum veritatum & noſtri ſint iudices, qui illas diuino poſtergato timore, tanquàm errores notorios, & nos propter obſeruantiam illarum veluti erroneos, inconſultè, perperàm & temeram iudicantes damnauerunt iniquè, vt ſic inimici ac noſtri hoſtes ſæuiſſimi, in noſtrũ exterminium adſpirãtes, ſint iudices. Quod reuerà ſana vetat, ratio, diuinęq; & humanę leges exhorrent. Idcircò ipſis in hac parte noluimus neq; intendimus conſentire. Sed hoc præſertim optauimus, & (vt æquum & iuſtum eſt) iugiter optamus, vt diuinarum ſcripturarum rectiſſima & infallibilis regula, per iuſtiſſimum iudicem, iuſtitiam & veritatem diligentem, derelicta in terris, quæ nec fallere poteſt, nec falli, in mediũ concilij proferatur, & beatorũ doctorum (vt præfertur) * finem, & iuxta illam eorundem articulorum & iura rectitudo aut obliquitas poterit comparari, & conſequenter rectificari, aut approbari. Sed hoc ipſi nullatenùs acceptare voluerunt. Hanc iuſtiſſimam æquitatem per nos illis oblatam, veſtra quæſumus dignetur penſare induſtria, necnon partis aduerſæ de ſuperbæ ignauiæ * timore contumacia arrogantem, qua ſe ſupra ſe enormiter erigentes, nituntur ſibi ſubijcere non modò * omnes Chriſtianiſmi principatus, regna & dominia, ſed etiam infringibiles diuinę veritatis doctrinas, Domini noſtri Ieſu Chriſti morte confirmatas, iuxta ſuum libitum * & iudicando variare, ita vt quod nunc per Chriſti fideles verè creditur & fideliter obſeruatur, tandem eorum arbitrio tanquàm error & ſuperſtitio totaliter declinetur, ſicque Chriſtiana fides non in petra ſolidiſſima, ſed in arena mobiliſſima fundabitur, quotidianę ſubiecta ruinę, & verba Chriſti perenni firmitate fulcita, (ita vt cœlum & terra faciliùs tranſeant, quàm ipſius commutentur ſermones) veluti lecti opertorium, epiſcoporum mutabuntur cenſura. Sed quid hac temeritate ſtultius? quid hoc errore nequius? quid hac peſte pernicioſius poteſt inueniri? ipſi, quod diximus, iudicate, ſenſatè attendite, obſecramus, vniuerſi & ſinguli Chriſti fideles, ſi iſti epiſcopi ſedes Apoſtolorum iuſtè & dignè occupant, qui illis vita & moribus totaliter aduerſantur. Illi quippe per orbem terrarum, pannoſi & contempti à populo migrantes, veritates Dominicas cunctis populis, tribubus & linguis fideliter nunciârunt, eaſdem propria morte firmantes: iſti purpura veſtiti & byſſo, glorioſi in populo, canes muti effecti, in caſtris & vrbib' tranquillè reſident, & eaſdem veritates etiam aſpernantur audire, ac propter earum obſeruantiam fidelem fideles ſpoliant fama, vita & rebus, non per ſe, quia cubant cum ſcortis: ſed per cruentæ crucis erectionem, ſeculare brachium in occiſionem fidelium fallaciter concitantes. Illi, relictis omnibus mundi diuitijs, omni virtute ornati, in paupertate & ieiunio Dominũ ſequebantur: iſti vrbium, caſtrorũ, prædiorum & regionum * poſſeſſiones, viri diuitiarũ inſtituti, pleni vitijs, nõ Chriſtum humilem in cõtemptu, ſed ſuperbiſſimum ſatanam in pompa & faſtu, carniſq; voluptate ſequuntur, à quibus, vtpotè pſeudoprophetis, attendere

ſuadet

Epiſtola hæc pertinaciũ eſt hæreticorum, errores contĩnẽs ab Eccleſia catholica dãnatos.
*ſcilicet
*veritate
necnon
* &
* ſentẽtijs
Hæretici ſemper ſcripturas crepant, ſed malè detortas.
for. * liget
for. * faluet
Volunt inepti leges Concilio præſcribere.
* ſi nictiæ [illegible] ob[illegible].
*tumore
* omnia Chriſtianiſmi
Num Iudas non fuit Apoſtolus?
* poſſeſſores
Tu quis es, qui iudicas alienos ſeruos?

ſuadet ipſa veritas increata. Et ſi illi, vt proponūt, cum exercitibus ſuis validiſſimis regnum noſtrum inuaſerint, vſque ad interemptionem (vt aſſeritur) demoliri cupientes, nos in altiſſimi virtute, cuius cauſam proſequimur, habentes fiduciam, vim vi cogemur repellere, quemadmodum omnes leges & omnia iura permittunt. Quæ omnia iuſta & rationabilia ſupraſcripta, vos viri illuſtres & nobiles, animo diligenti penſate, & catholicè diſcutite, ſi in adiutorio ſceleratorū huiuſmodi clericorum, & temerario ac erroneo auſu de veritatibus omnipotentis Dei ſentientium, in voluptatibus huius ſeculi & meretricio ſicut in ſterquilinio iacētium, veſtras animas pariter & perſonas in bellicoſis periculis ſalubriter morti exponetis, cōtra iuſtiſſimas per nos vobis crebrò oblatas Chriſti Ieſu æquitates.

Datum ſabbato in vigilia beatæ Mariæ Magdalenæ, ſub ſigillo communi omnium adhærentium euangelicæ veritati, circa limites regni Bohemiæ, anno Domini 1431.

ALIA EPISTOLA PER EGRENSES MISSA nuncijs concilij Nurenbergæ exiſtentibus.

DEVOTIS & religioſis in Chriſto patribus & dominis, domino Ioāni Nyder Priori domus Prædicatorū Baſileen. & D. Ioanni de Mulenbrun. ordinis Ciſtertien. nuncijs ſynodi Baſileen. dominis & pręceptoribus noſtris, Conſules iurati oppidi Egren.

Præmiſſis ſeruitijs ad beneplacita veſtræ voluntatis. Honorabiles ac dilecti domini, ſicut ſcriptis veſtris nobis proximè miſſis, deſideraſtis vt literas veſtras miſſas Pragen. per nūcium noſtrum dirigere curaremus, hoc fecimus. Et ſcripſimus eiſdem amicabiliter, prout aliàs erat eis per nos ſcriptum: ſic idem nuncius heri de ſerò ad nos eſt reuerſus, portās nobis reſponſum ab eiſdem, quod vobis cum præſentibus decernimus traſmittendum. Cuius tenorem percipietis. Inſuper dicti Pragen. ſcripſerunt dominis & amicis noſtris conſulibus oppidi Nureburgen. ac nobis certas literas. Literam Nurenbergen. cum præſenti baiulo tranſmittimus eiſdem, copiam literæ nobis directæ vobis mittimus præſentibus intercluſam. Quam fecimus transferri de vulgari Bohemico in idioma noſtrum, ſecundùm cuius tenorem vos regere poteritis in agendis. Sed prout ipſi monent in literis nobis miſſis pro ſaluo conductu & ſecuritate ordinādis, quò ad oppidanos Lucen. nobiles de Svvamberg. oppidanos de Tenithz, & alios officiarios ſereniſſimi domini noſtri regis Romanorum &c. vos ipſi intelligitis & ſcitis, quòd nos nec ſcimus, nec poſſumus huiuſmodi ſaluum conductum ipſi procurare, quoniam ſupradicti oppidani & nobiles, noſtri ſunt aduerſarij, & quotidiè ab eiſdem formidamus inuaſiones. Et ſi hoc non eſſet, parati eſſemus & cū omni conatu vellemus, pro huiuſmodi ſaluo conductu libenti animo laborare, prout hucuſq; in negotijs pacis & communis vtilitatis Chriſtianorum nos voluntarios & promptos exhibuimus, & in futurum volumus exhibere, prout hoc in nobis experti eſtis, & in futurum experiri debetis. Idcirco de libertis cum Nurenbergen. ac alijs ad hoc idoneis, per quem aut per quos dictus ſaluus conductus & ſecuritas poſſit procurari. Hoc faciatis ſecundum videre veſtrum & aliorum, prout vobis videbitur expedire. Quicquid autem nos ad ad huiuſmodi poſſumus conſulere & iuuare, faciemus voluntariè.

Datum feria 6. ante Inuocauit, anno Domini 1432.

EPISTOLA PRAGENSIVM AD NVNcios concilij.

REVERENDIS ac religioſis in Chriſto fratribus Ioanni Nyder Priori domus Prædicatorum Baſileen. & Ioanni de Mulbrun. nuncijs cōcilij Baſileen. Magiſter ciuium, conſules & Scabini ciuitatis Pragen. necnō magnates, nobiles, Barones, ac capitanei exercituum & cōmunitatum regni Bohemię & Marchionatus Morauiæ. Affectandę pacis commoda in ſummo verę tranquillitatis authore, Reuerendi & religioſi viri, epiſtolarum venerabilis cōcilij Baſileen. & veſtrę, nos ad audientiam plenam, piam & ſecuram inuitantium, fœcunditate facunda gauiſi, meritò arbitramur clemētiſſimum ſupra omnes Dominum viſitaſſe plebem ſuam in pijs viſceribus miſerationum ſuarum, vt reducat corda filiorum ad patres priſtinos, greſſuſque ipſorum dirigat in ſemitis iuſtitiæ directiſſimis primitiuæ Eccleſiæ, quatenus tempore nouiſſimo vrgente edocta ad veſperum corruptibilis mundi corruptela, in militantis Eccleſiæ glorioſa ciuitate habitent cum fiducia, fide, ſpe, atque charitate ciues vnanimes, qui ſe ſperāt in futuræ beatitudinis aula cœleſti fore ſodales. Vnde quantocyùs valuimus, gubernatoribus & populo regni Bohemiæ congregatis, in hoc reſedimus vniuerſi finaliter, vt oratores noſtros & legatos ad præfatum concilium dirigamus, quatenùs dudum per nos deſideratum opus & nunc annuente Domino feliciter inchoatum, laudabili & cunctis fidelibus fluctuoſo cōcludatur effectu. Sed quia vtriuſque epiſtolæ præmiſſę tenor offert, ipſum concilium & vos ſub nomine & authoritate ipſius ad largiendam aſſecurationem ſufficientem & rationabilē, expectandam oratoribus & legatis mittēdis à nobis: eapropter obſecramus, ad Egram ciuitatem, vobis & nobis* continuā, for. *contiguam
quo celeriùs fieri poteſt, cùm principibus regni Bohemiæ adiacentum regionum venire velitis, ibidem cum noſtris certis nuncijs ad hoc ſpecialiter deputatis, tempore per vos ſtatuto * minimè vnius menſis, for. *ad minimū
nobiſque per nuncium pręſentem intimando congreſſuri, ſub ſaluis certis conditionibus ipſis noſtris nuncijs à tota parte noſtra cōceſſis, modos, conditiones & proceſſus huiuſmodi aſſecurationis & audientiæ noſtris oratoribus & legatis à dicto concilio præſtandis, plenè ac effectualiter tractaturi & diſpoſituri finales ita & taliter, vt nos oratoreſq; noſtri & legati ad concilium ſæpedictum mittendi, prout in epiſtola veſtra nobis tranſmiſſa ſcribitis, de cautione per vos nobis & ipſis offerenda, meritò debeamus & debeāt eſſe contenti. De veſtra etiam patiēti præſtolatione ac benigna, & de his quæ nunc ſcribitis, nos noueritis eſſe multum gratos pariter & gauiſos.

Datum feria 4. poſt diem B. Matthiæ Apoſtoli Domini, anno Domini 1432.

EPISTOLA CVIVSDAM CAPITANEI AD Imperatorem Romanorum de rebus Taboriticis.

SERENISSIMO principi Sigiſmundo Romanorum Imperatori, Aſſo de Steinberg, aliàs de Holicz. Sereniſſime Cæſar & Rex domine glorioſe, ſeruitium meū præmiſſum veſtræ ſerenitati. Scire velitis, quid actum eſt nunc in Pragen. congregatione circa feſtum ſancti Ioannis Baptiſtę. Quando ibidem conuenimus, tunc aliquibus diebus poſt noſtram ibidem conuentionem omnes ciuitates, quę nobis contrariebantur, ibi nobiſcum vnitę ſunt, excepta Colonia. Et tandem poſt aliquot dies, Ezapko & antiqui Taboritæ cum ſuis rotis & ſequacibus & cum dicta Colonia etiam nobiſcum ſunt vniti. Et poſtquàm nobiſcum fuerunt compoſiti, ſtatim veſtræ S. nos omnes tale reſpōſum dedimus, vt ad vos irent, & veſtram ſerenitatem peterent, quatenus V. S. velit appropinquare Ratiſponam, & quòd ibidem ad V. S. tranſmittere volumus de terrigenis & de ciuitatibus. Et etiam cum veſtris nuncijs cōtulimus, vt peterent V.S. quòd eadem V.S. nobis de ſaluo conductu prouidere dignaretur, vſque ad numerum trecentorum equorum & totidem perſonarum. Rogamus etiam V.S. vt ſe in his gratioſam velit exhibere. Etiam ſcire dignetur V.S. quòd huiuſmodi conuentio fieri debet in feſto ſanctæ Mariæ proximo. Videtur multis probis hominibus & mihi ſimiliter, quòd habeatis in huiuſmodi cōgregatione dominum epiſcopum Cōſtantien. auditorem & alios doctores, qui aliàs Pragæ fuerant à ſacro concilio deſtinati, & illi vt plenum mandatum à ſacro concilio habeant. Nam ſperamus in Deo, quòd omnia negotia benè ſuccedent. Sunt enim quaſi omnes homines de militaribus & de ciuitatibus qui deſiderant V.S. ſupra ſe dominari.

Datum Pragæ ſabbato ante feſtum ſancti Procopij, anno 1434.

EPISTOLA TRAIECTENSIVM MISSA AD *ſuos commiſſarios.*

REVERENDISSIMIS reuerẽdiſq; in Chriſto patrib⁹ & ſacræ deputationis fidei gratioſiſſimis, V.R.P. humiles, & deuoti prælati & capitula V. eccleſiarũ Traiecten. Barones, milites & militares ac Burgimagiſtri, Scabini & rectores ciuitatis & oppidorum patriæ Traiecten. Reuerendiſſimi reuerẽdiq; patres & præſtantiſſimi domini, ſcribimus ſacroſanctæ Baſileen. ſynodo, prout in copia præſentibus incluſa perpendere poſſunt paternitates veſtræ pariter & videre. Verùm res nobis dura eſt & multum aliena, quòd ad requeſtam partis nullum intereſſe habentis, aliqua citatio ſeu proceſſio ex officio decerni deberet. Priùs enim intereſſe partis declaratũ extitiſſet, & demùm forma iuris obſeruata. Durius tamẽ multò viſum eſt, quòd decreta ſacræ ſynodi in eadem materia variationem ſumunt, ea ſeruando & recuſando. Dudum enim decretum extiterat, quòd ea quæ à tribus deputationibus concluduntur, vim decreti & concluſionem ſacri Concilij obtinerent. Et pridem mortuo reuerendo patre domino Zvvedero archiepiſcopo Cæſareen. tres deputationes concluſerant inhibendum fore, & inhibuerunt omnibus canonicis extra & infra diœceſim Traiecten. exiſtentibus, ne aliquid noui attentarent, quodque ab omni electione ceſſarent, volẽtes ad pacem dictæ diœceſis & patriæ laborare, quę executioni demandari non poterat, nec vim decreti obtinere. Sed quod nuperrimè tres deputationes (vt nonnulli prætendunt) citationem perſonalem concluſerunt, illud ſecundum eoſdem (vt aſſeritur) in vim tranſiuit decreti. Cauſam diuerſitatis, quare iſta admittitur, quæ eſt probatiua pacis: illa autem, quæ eſt pacis nutritiua, reijcitur, ignoramus. Tamen vnum V.R.P. ſit manifeſtum, quòd ciuitas & patria Traiecten. inimicum ſuum voluntarium iam plurimis annis trãſactis, etiam ſi eccleſia vacaret, & concorditer electus exiſteret, non reciperent, vti nec tenerentur. Domicellus autẽ VValramus inimicus patriæ, annis elapſis multa damna incolis patriæ intulit, & quotidiè infert, prout luce clariùs eadẽ demonſtrare volumus & probare. Quare paternitatibus veſtris reuerendiſsimis humiliter ſupplicamus, quatenùs literam ſiue copiam præſentibus incluſam, videre & intelligere velint, & operã efficacem tradere, ad ea quæ pacis ſunt, nec permittere nouam diuiſiõem, guerras, ſeditiones & alia innumerabilia mala hîc de nouo ſeminari. In quo Deo & hominibus bonæ voluntatis multum complacebunt. V.R.P. ſæpè dictæ. Quas conſeruare dignetur author pacis. Ex vrbe Traiecten. anno Domini 1434. menſis Iulij die 15. ſub ſigillis maioris eccleſię Traiecten. & nobilium ſtrenuorumque virorum Reinaldi &c.

EPISTOLA CVIVSDAM CAPITANEI AD IMperatorem de rebus Taboriticis.

Superſcriptio exterior.

ILLVSTRISSIMO & inuictiſſimo principi & domino, domino Sigiſmundo Dei gratia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, dño meo gratioſiſſimo dentur.

Interior.

Excellentiſſimo & inuictiſſimo principi & domino, D. Sigiſmundo Dei gratia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Hungariæ, Bohemiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, &c. Regi, dño meo prægratioſiſſ. Ego Kuntzo *Lukſſa de Bonzenix Caſtellanus in Carleſtein, Seruitia mea veſtræ ſerenitati fideliſſima & conſtantiſſima omni tempore prædirigo. Serenitati veſtræ notifico, q̃ Dei miſericordia magna, ſine cuius voluntate & poteſtate nihil fieri poteſt, ſed omnia per ipſum diriguntur, factũ eſt, quòd inimici heri hora veſperarũ inter monaſteriũ Stalix & oppidum *Gurſim, à veſtris fidelib⁹ dominis Baronibus & fideli cõmunitate feliciter cõtriti & proſtrati ſunt, ita quòd de veſtris fidelibus pauci perierunt. Et ſic nouerit ſerenitas veſtra pro certo, quòd in dominis Baronibus & terrigenis fideles ſeruitores habetis. Et frequenter me allocuti ſunt de ſerenitate veſtra, quòd ad vos fidelem & bonam intentionẽ habent, ſecundùm quod effectualiter oſtendunt, & vlteriùs oſtendent: nec aliud intendunt facere, niſi ſicut ſerenitatis veſtræ fideles domini & ſeruitores, omnia volentes ſeu intendentes facere, quæ pertinent ad dominum ſuum naturalem & gratioſiſſimum. Dignetur ergo ſerenitas veſtra manum ſuam largè ad eos extendere, & ipſis in ſubſidium aliquot millia florenorum tranſmittere & dare, vt opus inceptum ad honorem S.V. regnique illius & coronæ Bohemiæ, melius terminare, & ad bonum finem perducere poſſint. Et ſerenitas veſtra in ſubſidium illius boni perſonam veſtram non dignemini abſtrahere ſine mora, quia cum adiutorio Dei omnia benè procedunt & procedent, cùm ſerenitas veſtra venire non tardauerit. Propterea ſerenitas veſtra ſciat, qualiter illa victoria fuerit facta de inimicis. Cùm enim domini Barones poſt victoriam habitam de noua ciuitate Pragen. in Praga perſiſterent, gentes congregantes, eodem tempore inimici de diſpoſitione Dei à Pilzna receſſerunt, & ſe verſus Pragam recipientes, iuxta nouum caſtrum aliquibus diebus caſtra metati eſſent, vlteriùs procedentes verſus Coloniam, domini Barones miſerunt pro omnibus nobilibus, vt in ſubſidium eorum contra inimicos venirent. Ibi dominus Roſenberg, gentem multum notabilem & *exercitam ad campos expediuit. Et domini Barones & ciuitas Piltznen. etiam validam potentiam tranſmiſit. & cùm progrederentur verſus Pragam ſub caſtro Carleſtein, ibi ego & gentes meas expediui à fidelibus ſeruitoribus veſtris 500. equeſtres & pedeſtres, & currus 30. Et cùm omnes prædicti iuxta Pragam conueniſſent, domini Barones extra Pragam cum eiſdem proceſſerunt, & cum valida potentia inimicos inſecuti ſunt. & ſic, quòd de gratia Dei & ſuo iuuamine illos proſtrauerunt inter monaſterium *Scalicz & oppidum *Gourſin, ſicut ſuprà ſcriptũ eſt. Prætereà S.V. rogo, quatenus velitis me fideles veſtros ſeruitores, qui mecum ſunt in caſtro Karleſtain, oculo pietatis reſpicere, & ſubſidium trãſmittere *& dare: quia Deus nouit, quòd huius magnam indigentiam habemus: quia aliunde nno habeo illos bonos homines ſtipendiare, nec ab aliquo alio, niſi ſerenitate veſtra, expectamus tanquàm à domino noſtro hærede vero & domino gratioſiſsimo.

*Scalitz *Gourſim *Cuſijm *Cuſiju

*excellẽtẽ

*Scalitz *Gurſim

ſor. & ſtipendium

Datum feria 2. poſt feſtum corporis Chriſti, anno 1434.

Cuntzo *Lukſſa de *Benſennis Caſtellan⁹ in Karleſtain.

*Blorna *Bözenix *Burzanich *Buſanits

ALIA EPISTOLA CVIVSDAM CAPITANEI *ad eundem Imperatorem de victis Taboritis.*

SERENISSIMO & inuictiſſimo &c. *Seruitijs præmiſſis omni tempore ſubditis & paratis. Sereniſſime Imperator & domine gratioſiſſime, S.V. notifico, regratiando Domino Deo omnipotenti, quòd contriti ſunt & proſtrati omnes Taboritæ, qui in campis iacebant contra veſtros & noſtros fideles, ſecũdùm quod S.V. in alia litera meliùs percipiet, quam mihi ſcribit auunculus meus, quam V.S. dirigo & mitto. Et rogo S.V. tanquàm dominum noſtrum gratioſiſſimum, quatenus mihi dirigere per nuncium Caupotan. quia equi noſtri in bello aliqui interfecti & alij mortui ſunt, ita quòd ambo caremus equis ad equitandum.

Locus obſcurus.

Datum in Thinbouiſſ, feria 4. ante octauam corporis Chriſti, anno 1434.

*Seuco Luckoldim de Reimſperg.

* Dencko Coluijn de Ramſpereck

EPISTOLA IMPER. TRAPEZVNDARVM, *miſſa domino noſtro Papa Eugenio.*

*Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri & domino Eugenio Quarto ſummo pontif. Romanorum, ſuo Reuerendiſſimo *Morame Megatonenus Dei gratia Imperator Trapezundarum.*

SANCTISSIME & beatiſſime pater & domine in Chriſto, binas ſeries eiuſdem S.V. per galeam Venetorum ſuſcepiſſe ſciueritis, ſingulam Romæ datam, alterã quoque Florentiæ. Gratiſſima nobis, contenta in ipſis, cordiali mente percepimus. Requiſitioni ſiquidem prælibatæ S. cum toto noſtro imperio læto animo aſſentiuè diſpoſiti. *Quis enim dignus illius lucis videre conſtructum magno deſiderio optandum? Parcat Deus illis, quibus non eſt

eſt timor Dei, eandem S. vexare, * curoſam tanti boni operis merita adimplere. Rogamus altiſſimum, vt dignetur in prædictis taliter diſponere, vt nulla interueniat cauſa, quæ obſtet prælibatæ ſanctitati ab inceptis deſiſtere, vt optatur.

Data Trapezundis, 1434. die 18. Octob.

COMMISSIO IMPERATORIS GRAECORUM, *facta vni Ambaſſiatorum Concilij.*

CVM venerabilis vir Henricus Menger decretorum doctor Canonicus Conſtantien. vnus ex ambaſſiatoribus ſacroſancti generalis Concilij Baſileen. &c. ad nos tranſmiſſus ad præſens reuertatur ad præfatum Concilium, committimus antedicto Concilio de ſtatuendo & deſignando loco fiendæ generalis & œcumenicæ ſynodi, quòd deſignetur & ſtatuatur locus maritimus, ita quòd non ſit aliqua ciuitas excepta Anchona, vt poſſimus venire ad illũ locum cum omnibus neceſſariò debentibus intereſſe, ſine difficultatibus & incommodis, cùm multi ex illis ſenes & infirmi exiſtant. Et maximè ſanctiſſimus meus dominus œcumenicus Patriarcha. Et in tali loco plures prælati Orientalis noſtræ eccleſiæ poterunt aggregari propter facultatem & non nimiam diſtantiam. Qui quantò plures affuerint, tantò vtilius ad perfectionem vnionis erit. Præterea hoc erit maximum conferens ad vtilitatem & ſecuritatem noſtræ ciuitatis, propter multas cauſas dicto venerabili viro dictas. Præcipuè verò hoc neceſſarium eſt, propter præſentiam ſanctiſſimi & beatiſſimi domini Papæ, qui ſi commodè aduenire poterit, hoc erit gratiſſimum, & ad perfectionem præmeditatæ vnionis quàm plurimùm valens, necnon ad honores & fauores futuri Concilij. Propter iſtas & plures alias cauſas debet prædictus venerabilis Henricus rogare & deprecari dictam Baſileen. ſynodum ex parte noſtra, vt noſtra petitio adimpleatur. Et cùm antea per noſtros ambaſſiatores nominauimus nonnulla loca, quæ non ſunt maritima, petimus & cum inſtantia rogamus, vt non fiat impedimentum noſtræ petitioni talis locorum expreſſio, ſed ſuſtinere velint laborare illi reuerendiſſimi patres propter vtilitatem & ſecuritatem propoſitæ rei. Etiam vt oſtendat & referat, quòd omnia nobis ſpectantia ſecundùm noſtram potentiam ſine prætermiſſione adimplebuntur. Propter hoc & prædicta Baſileen. Synod᷑ debeat facere omnia præmiſſa per ipſam & per ſuos ambaſſiatores integraliter & opportunè. Et ſi hoc * fuerit, nec nos etiam ire poterimus tempore deſignato, & etiam promiſſo. Nec poterit aliquis nos reprehendere, conſiderato quod cauſa erit concilij, ſicut & nos non dignamur accuſare prædictam ſynodum propter tranſactum tempus in decreto determinatum, cùm talis tranſactio temporis venerit propter circumſtantias occurren. & temporaneas, non ex voluntate Concilij. Similiter autem alij duo ambaſſiatores hic remanentes, debent facere opportunè de expenſis & alijs pro congregatione prælatorum orientalis Eccleſiæ, prout extitit promiſſum: quia talibus expenſis & alijs non in tempore debito factis, ſi quis ex iſta cauſa defectus adueniat, nos de expenſis nihil reſpondere debebimus. Datum in vrbe noſtra Conſtantinopolitan. 1435. die 26. Nouemb. ſub Sigillo noſtro imperiali.

fot.* non fieret.

COMMISSIO PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITAN. *facta Ambaſſiatori Concilij.*

QVONIAM propter multas rationabiles & neceſſarias cauſas vltimum & non prætermittendum extitit, beatiſſ. dominum Eugenium Papam neceſſariò adeſſe debere meditatæ & ſolicitandæ cum Deo ſanctæ catholicæ & œcumenicæ ſynodi pro vnione Eccleſiarum Chriſti, & ad eam accedere perſonaliter & intereſſe vnanimiter cum ſacroſancta ſynodo ſacræ Romanæ eccleſiæ & omnibus ipſi eccleſiæ aggregatis, vt poſſimus & nos Deo authore illic perſonaliter adeſſe, loco commodo ſtatuto, vnà cum potentiſſimo & ſancto meo Imperatore & alijs nobis adhærentibus. Et ſic fiat tractatus & conſtitutio vnionis, ſicut daret Deus, & ab vtraque parte conuentum & affirmatum foret. Propterea humilitas noſtra ad præſens committit tibi venerabili viro Henrice Menger decretorũ doctori canonico Conſtantien. eccleſiæ, vni ex ambaſſiatoribus ſacroſanctæ Baſileen. ſynodi ad ſynodum ſanctam reuertenti, vt quando fueris cum prædicta ſacroſancta ſynodo Baſileen. ſtudium & diligentiam omnimodam exhibeas, & inſtanter labores & opereris, vt ſtatuatur, beatiſſ. dominum Papam in meditata œcumenica ſynodo intereſſe perſonaliter & non repræſentatiuè, electo & ſtatuto loco congruente & commodo pro quiete dicti beatiſſimi domini Eugenij & noſtra. Propter hoc facta eſt tibi præſens donatio & conceſſio noſtra in ſcriptis cauſa roboris & firmitatis.

Datum Conſtantinopoli, 1435. die 26. menſis Nouẽbris.

EPISTOLA LEGATI CONCILII AD LEGATUM PONTIFICIS.

REVERENDISSIMO in Chriſto patri & domino, domino Iuliano miſeratione diuina tituli S. Sabinæ, ſanctæ Roman. Eccleſiæ presbytero Cardinali, vulgariter ſancti Angeli nuncupato, in Germania Apoſtolicæ ſedis legato, V. R. P. humilis Henricus Menger Reuerendiſſ. pater, domineq; metuendiſſime, 2. Ianuarij cum Galeis ad ciuitatem Venetiarum Dei gratia viuus, ſed non ſanus, reuerſus ſum. Et vt in paucis me expediam, quia horam ſcribendi non habeo, nouerit R. P. V. quòd omnia nobis per ſacrum Concilium iniuncta votiuè expediuimus, ita quòd dominus Imperator & patriarcha omnia capitula per Ambaſſiatores ipſorum in ſacro Concilio concluſa & promiſſa, & vt in decreto continentur, de nouo ſimiliter per bullam auream & plumbeam ratificauit &c. Et hoc pro nunc P. V. R. me excuſatum habere velit, ſi non ſtatim veniam: quia pro certo nihil in hoc mundo tardabit me, niſi hoc ferò. Nam licèt ſim infirmus, tamen nihilominùs hoc concluſi Deo dante, quòd iter arripiam, & de die in diem ibo, donec & quouſque ad V. R. P. glorioſam veniam, quam toto corde videre deſidero. Et verè gaudebit cor veſtrum, & iterum gaudebit, quia iocundiſſima lætiſſimaque noua ſacro Concilio portabo: quoniam ramum virentis oliuæ & vnitatis eccleſiæ ſanè portabo, quemadmodum columba Noæ in arca præſentauit &c.

Datum Venetijs 4. Ianuarij 1436.

SEQVVN-

Digitized by Google

SEQVVNTVR FRAGMENTA QVÆDAM AD HOC CONCILIVM BASILEENSE, QVAE HACTENVS TOMIS CONCILIORVM INSERTA NON FVERVNT.

ORATIO QVA IOANNES DE RAGVSIO ORDINIS PRAEDICATORVM PROCVRATOR GENERALIS

Reſpondit per octo dies in Concilio Baſileenſi

AD ARTICVLVM PRIMVM BOHEMORVM, DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE SPECIE,

Propoſitum à M. IOANNE ROCKYZANA 16. Ianuarij.

REVERENDISSIMI Reuerendiq; Patres, Illuſtriſsime Princeps, Regum & Principum vniuerſitatum atque communitatum Ambaſiatores, oratoreſq; egregij, vtriuſq; iuris diuini pariter & humani Doctores eximij, magiſtri, Comites, Barones, & nobiles, ciueſq; inſignes, & cęteri in Chriſto Ieſu omnes Patres Domini & fratres dilectiſſimi, qui huic ſacrę cōgregationi diuinoq; certamini intereſtis; poſt valdè vtilem ac pernecesſariam exhortationem Reuerendi in Chriſto patris & domini mei ſingulariſſimi domini Ciſtertienſis (cuius exhortationis verba vtinam tali fide, tali deuotione, talique charitatis affectu fuiſſent à cunctis auditoribus accepta, quibus ab eodem patre prolata ſunt) reſponſionem pro modulo meæ paruitatis, & vt Spiritus ſancti gratia ſuggeſſerit, ad articulum de cōmunione ſacratiſsimæ Euchariſtiæ, ſub vtraq; ſpecie, per Ambaſiatores & oratores incliti regni Bohemiæ propoſitū, facturus, video me neceſſitate compellente in præſenti actu quatuor debere peragere. Et PRIMÒ oportunas & neceſſarias excuſationes præmittere. SECVNDÒ diuinum auxiliū implorare. TERTIÒ neceſſarias & cōſuetas proteſtationes annectere. QVARTÒ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ cōſuetudinem in cōmunione vnius ſpeciei, quo ad populum laicalem, firmare, ſtabilire & roborare, necnō & aduerſa quantum fieri poterit & vires meę debiles pmiſerint, propulſare.

Quatuor pręmittūtur & tractantur. 1. Neceſſaria excuſatio. 2. Imploratio diuini auxilij. 3. Cōſuetę proteſtationes. 4. Confirmatio cōmunionis ſub vna ſpecie. Sublimitas materiæ.

PRIMVM igitur proſequendo; triplici me intueor obrui difficultate. PRIMA eſt obiectæ materiæ altitudo. SECVNDA eſt aſtātis huius glorioſiſſimi ac celeberrimi & ſacratiſſimi cœtus ingenij profunditas, & ſummę atq; incredibilis & penè diuinę ſapiētiæ magnitudo. TERTIA eſt proprij ingenij vehemens inſufficientia, inextricabiles tenebræ & profectò inexplicabilis hebetudo. Nam ſic altam & profundam inuenio, de qua ad præſens corā glorioſiſſimis conſpectibus veſtris ſum prolocuturus materiā, vt profectò ad eam explicādam nedum me inſufficientem intueor, verùm etiam totaliter inhabilem & ineptum. Si enim Paulus Apoſtolus diuinorum contemplator & reſerator arcanorū, immerſus diuinæ prouidentiæ irreſerabili atque inattingibili & inperſcrutabili profunditati, coactus fuit exclamare? *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius?* (Rom. 11.) quid ego miſer dicere potero, de hoc ineffabili ſacramento? quod inter mirabilia opera Domini egregius Propheta Dauid enumerat, ita dicens, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* (Pſal. 110.) Ibi enim Apoſtolus diuinæ ſapientiæ infinitate oppreſſus cogebatur exclamare: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Ego verò in conſideratione huius diuiniſſimi ſacramenti veluti manibus & pedibus triplici, quod difficilè rumpitur, ligatus funiculo, nequeo me explicare. In hoc ſiquidem diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſacramento diuina omnipotentia oſtenditur, ſumma Sapientia explicatur, & immenſa diuinæ bonitatis benignitas declaratur.

Et quidē diuina omnipotentia oſtenditur, dum diuino verbo ad elemētum accedente, hæc terrena materies, remanentibus accidentibus, in Chriſti ſubſtantiam ſubito & in inſtanti cōuertitur, dum ipſa panis & vini accidentia, præter naturę ordinem, abſq; ſubiecto relinquuntur, dū eis modus exiſtendi ſubſtātiæ tribuitur, ita vt oīa poſſint agere & pati, ſicut ſi eiſdē adeſſet propria ſubſtantia, dum nō mutans locum nec cœlum deſerēs Chriſtus totus verus & integer, ſub hoc incipit eſſe ſacramento, & nō ſolùm totus ſub toto, ſed totus ſub qualibet parte, & quantumuis ſpecies diuidantur, frangantur, dentibus maſticentur, ſiue in pluribus locis aut vbiq; terrarum multiplicentur, ipſe tamen Chriſtus totus & integer ſub qualibet particula diuiſionis perſeuerat, idemq; & vnus in cœlo, & in omnibus locis, in quibus hoc ſacrificium celebratur aut exiſtit, nō multiplicatus manet idē penitùs, qui ex virgine natus, qui in mundo cōuerſatus, qui in vltima cœna ſeipſum diſcipulis, hoc ſacramentum inſtituendo, tradidit, qui in cruce pependit, qui mortem pro nobis pertulit, lanceam militis ſuſtinuit, in ſepulcro iacuit, tertio die de ſepulcro glorioſus reſurrexit, in cœlum aſcēdit, Apoſtolis Spiritum ſanctum miſit, ſedetq; nūc ad dexteram Patris, ipſe vnus, inquam, idem & totus, atq; integer eſt & apud patrem in cœlo & nobiſcum in altari, & vbicunque hoc diuinum myſterium celebratur, & ſicut non alius & alius hic & ibi Chriſtus, ſed vnus verus & totus in omnib⁹ altaribus; ſic nec hoc aliud ab illo, ſed hoc & illud & omnia vnum verum & immaculatum ſacrificium. Hæc & innumerabilia, quæ in hoc continentur ſacramento mirabilia fiunt omnipotenti virtute Dei, cùm enim ſacerdos illa Chriſti verba pronūciet; *Hoc eſt enim corpus meum, & hic eſt ſanguis meus,* panis & vinum in carnem & ſanguinem conuertuntur, illa verbi virtute qua Verbum caro factū eſt & habitauit in nobis, qua dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt, qua fœminā mutauit in ſtatuam ſalis, & virgam Moyſi in colubrū cōuertit, qua fontes mutauit in ſanguinem, & aquā conuertit in vinum. Nam ſi verbū Helię potuit ignem de cœlo ponere, verbum Chriſti nō poterit panem in carnem mutare? quis hoc audeat opinari de illo cui nullum verbum eſt impoſſibile, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil? certè maius eſt creare quod nō eſt, quàm mutare quod eſt; ac longè maius, quod non eſt, de nihilo procreare, quàm quod eſt, in aliud trāſmutare. Illud autem nemo eſt qui dubitat, & hoc aliquis dubitabit? abſit. Omninò incomparabiliter maius eſt quòd Deus ita factus eſt homo, quòd nō deſinit eſſe Deus, quàm quòd panis ita fit caro, quod nō deſinit eſſe panis, quia nō annihilatur, ſed in corpus Chriſti conuertitur. Illud per incarnationē ſemel factum eſt; iſtud per conſecrationem iugiter fit. Vnde Ambroſius in libro de ſacramentis: & habetur de conſecrat. diſt. 2. c. reuerà. *Cognouiſti praeſtantiora: potior eſt lux quàm vmbra, veritas quàm figura, corpus auctoris quàm manna de cœlo. Fortè dicis, aliud video: quomodo & tu mihi aſſeris, quòd Chriſti corpus accipiam? & hoc nobis adhuc ſupereſt vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis vt pro-*

Ioan. 1. Pſal. 148. Geneſ. 19. Exod. 4. & 7. Ioan. 2. 4. Reg. 1. Luc. 1. Ioan. 1. — cap. 8. & 9. cap. 69.

bemus hoc non eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremq́; vim eſſe benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione natura etiã ipſa mutatur? Virgam tenebat Moyſes proiecit eam, & facta eſt ſerpens: rurſus apprehendit caudã ſerpentis, & in virgæ naturã conuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatã eſſe naturã ſerpentis et virgæ. Currebãt Aegypti flumina puro meatu aquarũ, ſubitò de fontiũ venis ſanguis cœpit erumpere. Nõ erat potus in fluuijs, rurſus ad Prophetæ preces cruor ceſſauit fluminũ, aquarũ natura remeauit. Circumcluſus erat vndiq; populus Hebræorũ, hinc Aegyptijs vallatus, inde mari cõcluſus virgã leuauit Moyſes, ſeparauit ſe aqua, & in muro rũm ſpeciem congelauit, atq; inter vndas via

Exod. 14. Ioſ. 4.

pedeſtris apparuit. Iordanis retrorſum cõuerſus contra naturã in ſui fontis reuertitur exordium. Nonne claret naturã vel maritimorum fluctuum vel fluuialis curſus eſſe mutatã? ſitiebat populus patrũ, tetigit Moyſes petrã, & aqua de petra fluxit.

Pſal. 67.

Nunquid non præter naturã operata eſt gratia, vt aquã vomeret petra, quã nõ habebat per naturam?

Exod. 15.

Marath fluuius amariſſimus erat, vt ſitiens populus bibere non poſſet; miſit Moyſes lignum in aquã, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quã infuſa ſubitò gratia temperauit. Sub

4. Reg. 6.

Eliſæo Propheta vni ex filijs Prophetarũ excuſſum eſt ferrum de ſecuri, & ſtatim merſum eſt; rogauit Eliſæum qui amiſerat ferrum, miſitq; Eliſæus lignum in aquã, & ferrum natauit. vtiq; & hoc præter naturam factum cognouimus: grauior eſt enim ferri ſpecies, quàm aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris potentiæ eſſe gratiam, quàm naturã, & adhuc tamen Prophetica benedictionis numeramus gratiam. Quod ſi tantũ valuit humana benedictio, vt naturã conuerteret; quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operãtur? Nam ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone cõficitur. Quod ſi tantùm valuit ſermo Heliæ vt ignẽ de cœlo deponeret, nõ valebit Chriſti ſermo vt ſpecies mutet elementorũ? De totius mundi operibus legiſti quia ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Sermo igitur Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod nõ erat; nõ poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod nõ erat? Nõ minus eſt dare, quàm mutare nouas naturas rebus. Sed cur argumentis vtimur? ſuis vtamur exemplis, incarnationisq́; exẽplo aſtruamus myſterij veritatem. Nunquid naturæ vſus præceſſit cùm Dominus Ieſus ex Maria naſceretur? ſi ordinem quærimus; viro mixta fœmina generare conſueuerat, liquet igitur quod præter naturæ ordinem virgo generat. & hoc quod conficimus corpus, ex virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinẽ in Chriſti corpore, cùm præter naturã ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex virgine? vera vtiq; caro Chriſti crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: verè ergo illius carnis ſacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Ieſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum: ante conſecrationem aliud dicitur, poſt cõſecrationem ſanguis nuncupatur; & tu dicis, Amen, hoc eſt, verum eſt: quod os loquitur, mẽs interna fateatur; quod ſermo ſonat, affectus ſentiat. Hæc Ambroſius. Sed diceret aliquis: Certus ſum omninò quod Deus hæc valet, & maiora; at non ſum certus aliquo modo quod velit. Aduertat ergo, quòd Chriſtus panem, cùm accepiſſet, benedixit & dixit: *Hoc eſt corpus meum.* Veritas enim hoc dixit, & ideo verum eſt omninò quod dixit. Quod ergo panis fuerat cùm accepit, corpus ſuum erat cùm dedit: panis itaq; mutatus erat in corpus ipſius, & ſimiliter vinum in ſanguinem. Non enim vt hæreticus ſapit, ſed deſipit, ita debet intelligi quod Dominus ait: *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, hoc ſignificat corpus meum, ſicut quod dicit Apoſtolus: *Petra erat Chriſtus*, id eſt, Petra ſignificabat Chriſtum: hoc enim potiùs dixiſſet de agno Paſchali, quàm de azymo pane. Nam agnus Paſchalis abſque dubio figurabat corpus Dominicum, ſed panis azymus corpus ſyncerum. Sicut autem

Ioan. 1.

Ioannes Baptiſta qui dixerat: *Ecce agnus Dei*, per adiunctum determinauit, *qui tollit peccata mundi*: ſic & Chriſtus quod dixerat: *Hoc eſt corpus meum*, per adiunctum determinauit; *quod pro vobis tradetur*: ſicut ergo corpus CHRITI veraciter tradebatur, ita verè demonſtrabatur, non in figura quæ iam ceſſauerat, ſed in veritate, quæ iam aduenerat. Hæc Innocentius. Benè igitur omnipotens Dominus memoriam fecit mirabilium ſuorum, & talium, ad quæ nullius creaturæ potentia valet nedum actu, aut opere, ſed nec cogitatu attingere, vt meritò ratione huius ineffabilis potentiæ dicatur ei id quod habetur Heſter 13. *Domine Deus rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt ſunt poſita, & nõ eſt qui poſſit reſiſtere volũtati tuæ, ſi decreueris ſaluare Iſrael. Tu feciſti cœlum & terrã, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ.* ac ſi dicat, vt inquit dominus Albertus in tractatu ſuo de officio Miſſæ, talem redemptionis noſtræ cibum & pignus impoſſibile eſt humanæ infirmitati præparare, ſed tibi Domine Deus rex omnipotẽs, nihil eſt impoſſibile, quia in ditione tua cuncta ſunt poſita, quia tu verbo ſimplici tibi coæterno feciſti cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt contenta, & eodem verbo creaturas in id quod vis tranſmutas, quia dominus vniuerſorum ipſe tu es, cuius magnificẽtiæ cuncta obediunt, & nihil reſiſtit. & hoc eſt quod dicitur Sapientiæ 15. Subeſt tibi cùm volueris poſſe: quia quamuis fides in omnibus articulis omnipotentiæ Dei innitatur; in ſacramento tamen altaris in quo conſiſtit fundamẽtum fidei, & totius Eccleſiæ cõmunio, maximè innititur omnipotentiæ. Et hoc eſt quod in ſigno huius ſacramenti dixit ad Saram Angelus, Gen. 18. vbi ſimul promiſſio * ſeminis facta eſt, & confectio cibi Angelorum de tribus farinæ ſatis, quæ magna fuerunt, & non niſi ab omnipotentia Dei fieri poterant. Nunquid Deo quidquam erat difficile? quaſi dicat, Nõ. facilè eſt enim Deo creaturas mutare & tranſſubſtantiare, quas fecit, & de cibis nobis conſuetis hoc eſt pane & vino corporis ſui & ſanguinis nobis dulcem cœnam præparare. Hinc eſt etiam quod Lucæ primo Angelus dixit, cùm de perfectione & conceptione Dominici corporis & ſanguinis ageretur; Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum: & perſuadens virgini vnde hoc fieri poſſet, dixit: virtus altiſſimi obumbrabit tibi. quod exponens Origenes, dicit, virtutem altiſſimi eſſe virtuoſam potentiam patris, quæ vmbram & imaginem ſui ipſius perfecit in Maria virgine, de creatura vetuſtatis corruptæ nouum hominem ſecundùm Deum creatum perficiens, & hunc non ad imaginem, ſed ipſam imaginem faciens per vnionem, in quo perfecta reſultaret potentia patris. Hæc Albertus.

Albertus magnus, de euch. in c. de præparatione ſacramentalis huius cibi, pag. 38. f. b.

* Albert. habet: Sanguinis alter liber m. ſcript. nec ſanguinis, ſed ſeminis habet.

Luc. 1.

Summa etiam diuina ſapientia in hoc diuiniſſimo ſacramento Euchariſtiæ diſcernitur, dum iuxta hominis naturalem conditionem hunc Angelorum cibum in eis ſenſibilibus rebus præparauit, quibus communiter homines vti conſueuerunt, in cibo corporali, vt ſic per corporalia & ſenſibilia diſcernerent & diſcerent homines in cœleſtium & diuinarum rerum cognitionem deuenire. Etenim neque poſſibile eſt aliter nobis lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum anagogicè circumuelatũ, vt diuinus ait Dionyſius primo capitulo cœleſtis hierarchiæ. Quemadmodũ enim infirmi oculi ſolem nube tectum liberè conſpiciunt, qui coruſcum lumen eius intueri nõ poſſunt; ſic & diuinum radium lippientibus mentis oculis lucere impoſſibile eſt, niſi varietate ſacrorũ velaminum circumuelatũ & præparatum prouidentia paterna connaturaliter & propriè quæ ſecundùm nos ſunt &c. Hugo de S. Victore ibidem in gloſſa. Vnde Innocentius de officio Miſſæ ita dicit: Sapientia Dei quæ ſe per viſibilia manifeſtat, volens euidẽter oſtẽdere, quod ipſa eſt cibus animarum, carnem aſſumptã propoſuit in edulium, vt per cibum humanitatis inuitaret ad guſtum diuinitatis, de quo Pſalmiſta: *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Totũ ergo ſe Chriſtus pro nobis exhibet in cibum, vt diuinitate nos reficiat, quem corporaliter ore comedimus, vt ita de viſibilibus ad inuiſibilia, de temporalibus ad æterna, de terrenis ad cœleſtia, de humanis ad diuina nos transferat. *Ego ſum* inquit *panis viuus qui* de cœlo deſcendi, ecce cibus diuinitatis: *& panis quem ego dedero, caro mea eſt*, ecce cibus humanitatis: Panis ergo Angelorũ factus eſt cibus hominum, ſecũdùm illud Propheticum: *panem Angelorum manducauit homo*, quatenus qui ſecundùm animam cibum diuinitatis accipimus, etiam ſecundùm carnem cibum humanitatis ſumamus: quoniam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus: & quia per guſtum homo mortem incurrit, per guſtum quoq; vitam acquirit; quatenùs vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret. Dictũ eſt quippe de illo: *Quacũq; die comederis, morte morieris*, dicitur autem de iſto: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Cibus ille mortalis pependit in ligno ſcientiæ boni & mali. Cibus iſte vitalis pependit in ligno vitæ quod eſt in medio Paradiſi: illud fuit lignum inobedientiæ, ad quod homo manus extenderet, vt

Pſal. 33. Ioan. 6. Pſal. 77. Gen. 2. Ioan. 6.

fieret

Gen.3. fieret ſicut Deus, iuxta quod ſerpens illi promiſerat: *Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum*: iſtud eſt lignum obedientiæ, in quo Deus manus extendit vt fieret homo, iuxta quod dicit Apoſtolus: Phil.2. *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis.* Item Albertus Magnus in libro de officio Miſſæ ita dicit: Rom.11. Albert. vbi ſuprà. *De ſapientia autem huius cibum contemperante dicitur ad Romanos 11. O altitudo diuitiarum ſapientia & ſcientia Dei &c.* Et ſubdit: *Quis enim dignè inueſtigare valeat qualiter ex antiquo corpus incorruptum ſit innouatum, qualiter noua anima viuificatum, qualiter vtrumq; horum deitati ſit ſociatum. & in vnam perſonam vnitum & aſſumptum, qualiter in carne infirmitates carnis portauerit, qualiter in cruce mortuus ſit, & qualiter in corpus & ſanguinem principalia elementa eſculenti & poculenti humani mutauerit, & ſic ſe homini in cibum præbuerit. Hæ enim via ſapientia Dei ſunt nobis abſcondita. Vnde Prouerbiorum trigeſimo dicit Salomon, hæc eſſe ſibi abſcondita, confitens: Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro: viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſupra petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia ſua.* Quæ quidem quatuor idem Doctor pulchrè deducens, ac difficultates quæ in hoc ſacramento continentur, proſequitur ibidem; quæ pro nunc cauſa breuitatis omittuntur: in quibus valdè pulchrum eſt conſiderare qualiter cœleſtis altitudo conſilij diſpoſuit, vt ſicut tres ſunt perſonæ in vnitate diuinæ ſubſtantiæ, ſcilicet Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, ita tres eſſent ſubſtantiæ in vnitate perſonæ ſcilicet diuinitas, corpus & anima: & ſicut CHRISTVS ſecundùm naturam diuinam tribus modis exiſtit in omnibus, per eſſentiam, præſentiam & potentiam, in ſolis iuſtis per gratiam & gloriam, in homine aſſumpto per vnionem: ſic voluit vt idem ipſe ſecundùm naturam humanam tribus modis in rebus exiſteret, ſcilicet localiter in cœlo, perſonaliter in Verbo, ſacramentaliter in altari. Sicut enim ſecundùm diuinitatem totus eſſentialiter eſt in omnibus rebus, ita ſecundùm humanitatem totus ſacramentaliter eſt in omnibus locis in quibus conficitur & celebratur. Similiter & in hoc eodem venerabili ſacramento immenſa diuinæ bonitatis benignitas erga nos miſeros & pauperes copioſiſſimè declaratur. Vt enim ſuam aduerſus nos caritatem oſtenderet & noſtram erga ſe caritatem accenderet, qui dedit ſe pro nobis in precium, ipſe tribuit ſe nobis in cibum, vt per Ioan.6. precium redimeret nos à morte, per cibum aleret nos ad vitam. *Vnde qui manducat me & ipſe viuet propter me.* Quid ampliùs vnquàm pro nobis potuit efficere? Precium ſe dedit pro nobis in mortem, & cibum tribuit nobis ad vitam, vt mortem noſtram ſua morte perimeret, & vitam noſtrã Pſal.22. ſua vita nutriret. Panis iſte ſi dignè comeditur, impinguat. *Poculum tuum inebrians quàm præclarum eſt?* Per hanc ergo ſacramenti virtutem vniuerſæ virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant. Is enim in hoc ſacramento ſumitur totus & integer qui eſt fons & origo totius virtutis & gratiæ. Quapropter antonomaſticè reſpectu omnium aliorum ſacramentorum Euchariſtia dicitur græcè, quod latinè interpretatur bona gratia; cuius nuncu- Alber. c.1. pationis ſex poſſunt cauſæ & rationes aſſignari; quarum VNA eſt, quia non eſt niſi gratia, & non niſi gratia eſſe poteſt. SECVNDA autem quia non datur niſi à gratiſſimo. TERTIA quia nõ niſi gratiſſimis adminiſtratur. QVARTA autem quia non niſi gratiam operatur. QVINTA quia gratia eſt ſuper gratiam. SEXTA quia eſt omnis gratiæ contentiuum, etenim cùm in omnibꝰ ſacramentis alijs gratiam eius per partes participamus, in hoc ſacramẽto totum quod videmus, quod tangimus. quod guſtamus, eſt gratia. Vnde Alber.p.1. Zachariæ 4. dicitur de hoc ſacramento. *Exæquabit gratias gratiam eius*, quia quidquid in omnibus ſacramentis & virtutibus ſparſim in gratijs colligitur, totũ ſimul hic in vna gratia inuenitur. Vnde ſignificatur per Gomor, quod eſt mẽſura mannæ, quæ vnicuiq; ſufficiebat, Exodi 16. menſura enim ſufficiẽs homini ad ſalutẽ non eſt niſi quæ continet gratiam perfectam, in qua totus Chriſtus continetur. Hæc eſt Vrna aurea, cõtinens manna, ad Hebræos 9. quæ intra ſancta ſanctorum collocatur, quæ ad vniuſcuiuſq; ſufficit capacitatẽ. Longũ eſſet ſingulas bonitates, gratias & perfectiones huius ſacramenti enumerare, & immenſam diuinæ bonitatis benignitatem extollere pro pręſenti, & potiùs mens & lingua, imò dies & tempora deficerent quàm materia. Etenim vt dicit Innocentius: *Per Euchariſtiæ ſacramentum Chriſtus eripuit nos à poteſtate peccandi, liberat à peccandi voluntate. Nam Euchariſtia ſi dignè ſumatur, à malo liberat, & cõfirmat in bono, venialia delet & cauet mortalia; Vnde cùm præmittimus in oratione Dominica: Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodiè; ſtatim adiungimus: Et dimitte nobis debita noſtra, & ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo. quia per panem iſtum cœleſtem liberamur à malis præteritis, præſentibus, & futuris. Dedit ergo nobis hoc ſacramentũ ſalutis, vt quia nos quotidiè peccamus, & ipſe iam mori non poteſt, per hoc ſacramentũ quod in memoriã mortis eius accipimus, remiſſionẽ peccatorum quotidiè conſequamur.* Hæc Innocentius. Verùm etiã vt aliqua ex multis ſub cõpendio proferamus: Primò hoc ſacramẽtum dignè ſumptũ in nobis remiſſionem peccatorum operatur: deinde vitã gratiæ tribuit, & ne à gratia deficiamus, nutrit, augetq; ad perfectionem gratiæ, vnionẽ noſtri ad Deum operatur, ſumẽtes in Chriſtum transformat. Pręter effectus hos adhuc famem patientes ſatiat, inebriat ſitientes, tenues impinguat, confirmat debiles, lætificat mẽtes, ignit affectum, illuminat intellectum, mitigat tẽtationes, affectũ mortalium reprimit, firmat virtutes, à futuris præſeruat peccatis, pœnam minuit, ſubuenit viuis, proficit defunctis, Spiritũ ſanctum mittit, terret dæmones, cõtra hoſtes etiã viſibiles adiuuat, & tandẽ ad æternam vitã perducit. Nullum igitur eſt iſto ſacramento ſalubrius, quo peccata purgantur, virtutes augentur, & mens omnium Spiritualium chariſmatum abundãtia impinguatur. Quid plura? Hæc pro exercitio & excitatione mentis noſtræ de mirabilibus huius ineffabilis ſacramẽti, quam breuiter curaui perſtringere, in quibus & omnipotentia Dei, ſummã ſapientiam, & inenarrabilem erga nos diuinæ dignationis & benignitatis bonitatem ſedulò & grato animo cõtemplemur, & quamuis parùm ſit, quod à nobis aut intelligi aut exprimi poſſit, eſt enim ſupra omnẽ ſenſum & omnẽ intelligentiã, id tamẽ modicum etiã quantulumcunq; ſit, debet eſſe magis amatum & deſideratum à nobis omni cognitione quã habemus de rebus inferioribus. ſic enim & Ariſtoteles ait in 11. de animalibus, quod quamuis parùm ſit quod de ſubſtantijs ſuperioribus percipimus, tamen illud modicum eſt magis amatum & deſideratum omni cognitione quã de ſubſtantijs inferioribus habemus. Et in 2. de cœlo & mundo dicit, quod cùm de corporibꝰ cœleſtibus quæſtiones poſſunt ſolui parua & topica ſolutione, cõtingit auditori, vt vehemẽs ſit gaudium eius. & in 10. Ethicorũ cùm Simonides cuidã homini prætermittendã diuinã cognitionẽ perſuaderet & humanis rebus ingeniũ applicãdum, oportere inquiẽs humana ſapere hominẽ, & mortalia mortalẽ; contra eũ Philoſophus dicit, ꝙ homo debet ſe ad immortalia & diuina trahere quantum poteſt: quod vtiq; & nos Deo adiuuãte in præſenti altiſſima materia quantũ poterimus faciemus: tali tamen à nobis ſacrorũ eloquiorum prædiffinita lege, vt nõ in perſuaſibilibus aut incredibilibus humanæ ſapientiæ verbis ſpẽ ponamus, ſed in demõſtratione à Spiritu motæ Theologorum virtutis, ſecundùm quã ineffabilibus & ignotis ineffabiliter & ignotè cõiungimur ſecũdùm meliorẽ noſtræ rationabilis & intellectualis virtutis & operationis vnionem, vt diuinus ait theologus Dionyſius 1. cap. de diuinis nominibus, erimusq; circa hæc diuina myſteria tractanda, vt idem Dionyſius ait, temperantia & ſanctitate conſtricti; ſanctitate quidem diuinis firmiter inhærendo ab omni nos errore immunes Deo duce obſeruabimus, temperantia verò, dum ad diuina perſcrutanda myſteria non magis nos ingerimus, quàm nobis datum de cœlo fuerit & oſtenſum: verùm quia vt vox teſtatur Apoſtoli non ſumus ſufficientes non ſolùm 2.Cor.3. aliquid agere aut operari, ſed nec cogitare quidem quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui etiã omnia opera noſtra in nobis operatur; Eſa.26. ideo ſecũdo loco, vt verbis vtar Platonis, agamus & deliberemus cepta, vocata, vt mos eſt, priùs diuinitate. Etenim vt idẽ ait in principio Timæi, omnibus mos eſt & quaſi quædam religio, qui vel de maximis vel de minimis rebus ſunt acturi aliquid, precari ad auxiliũ diuinitatẽ, & vt dicit ſacer Theologus Dionyſ. 3. cap. de diuinis nominib. ante omnia ab oratione incipere eſt vtile, ſicut nos ipſos tradentes Deo & vniẽtes: hæ ſunt enim

ſummæ intentiones Dei gratiæ cùm aguntur à mortalibus, vt inquit Trimegiſtus Mercurius in lib. de Deo. Igitur vt ea mendicantur à nobis quæ placent Deo, veritatē declarent, mentes noſtras illuminent, gignant concordiā, caritatē accendāt, pariant vnitatem & pacem: Primùm cum eodē diuiniſſimo theologo Pariſiorum antiſtite Areopagita videlicet Dionyſio 1. c. cœleſtis hierarchiæ, Ieſum primū lumen inuocemus, quod eſt, quod verum eſt, quod illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum, per quē ad principale lumen Patrē acceſſum habemus. Etenim vt idē ait Dionyſius theologus. Sicut omnis à Patre motæ manifeſtationis luminum proceſſio in nos optimè ac largè prouenit, ſic iterū viuifica virtus quæ eſt Chriſtus Ieſus reſtituēs nos replet & ad congregantis Patris vnitatē & Deificam ſimplicitatem cōuertit. Sicut enim diuinum verbum per Paulum Apoſtolum teſtatur; ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. origo enim fontium, vt inquit S. Bernard⁹, & fluminum omniū eſt mare; virtutum & ſcientiarum eſt dominus Ieſus Chriſtus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, cōtinentia carnis, cordis induſtria, mentis rectitudo, caſta conſilia, iuſta iudicia, ſancta deſideria ex ipſo manant. Si quis viget ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde ſcientiæ, inde ſapientiæ ſermo, quia gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, de cuius plenitudine omnes nos accepimus gratiam pro gratia Ioan. 1. Igitur in noſtris præcordijs fundamentis, iactis humilitatis, te Chriſte Ieſu huic cæpto, penes quem hominum & omnium Sanctorum cōmuni conſenſu maris & terræ regimen eſſe voluit, certiſſima ſalus patriæ, inuoco, vt noſter pręſens hic ſermo, noſtra hæc inſtans oratio, noſter hic tractatus, atque pium certamen fidelium deuotè flagitantibus tuam Chriſte veritatem fructus pariat ſalutares, vtque noſter actus hic opportunum ſortiatur initium, progreſſum ordinatum accipiat, atque fine cōpetenti & debito terminetur cum effectu ſinceræ & veræ vnionis, Amen.

Cap. 1. Rom. 11. Col. 2. Ioan. 1.

SEd iam accedo ad tertium mihi vtiq; neceſſarium ſummè, & valdè vtile, ſcilicet ad cōſuetas debitas & laudabiles proteſtationes, quibus puro & ſincero corde inhęrendo puto & ſpero me ab omni erroris periculo liberari, maximè cùm per huiuſmodi proteſtationes, præcipuè quæ eſt omnis erroris mater & origo præſumptio, euitetur, & omnium virtutū fundamentum ſtabiliatur humilitas, cui ſemp præſto adeſt illuminator & illuſtrator cordium Spiritus ſanctus, qui nō niſi ſuper humilē & manſuetum requieſcit, docēs ipſum omnē veritatem neceſſariā ad ſalutem. Proteſtor igitur inprimis, quod in præſenti actu & in quocunq; alio per me Deo cōcedente fiendo in poſterū, non intēdo, ſicut nec vnquàm intendi, aliquid dicere, aſſerere, dogmatizare, aut pertinaciter defendere, quòd ſit contra fidē Catholicā, ſacrā Scripturam ſanè intellectam, determinationem ſacroſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ ac Romanę Eccleſiæ, quòd ſit contra cōmunem intentionem ſanctorum doctorum ab Eccleſia approbatorum, aut contra bonos mores, ſeu quod ſit quouis modo piarū aurium offenſiuum; Quod ſi ex ignorantia, quæ in me maxima eſt, & inaduertentia, aut ex lapſu linguæ aliquid me contra prædicta dicere aut ſcribere cōtingeret, quòd Deus ſua pietate dignetur auertere, ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc, reuoco, & annihilo, & habeo pro nō dicto, ſubijciens me & dicta mea atq; ſcripta correctioni & emendationi Eccleſiæ ſanctę Dei, & ſpecialiter huius ſacroſanctæ generalis Baſileenſis Synodi in Spiritus ſancti gratia legitimè congregatæ, & vniuerſalē Eccleſiā repræſentantis, & omniū aliorum, ad quos huiuſmodi deuiantes aut errantes pertinet ad viam reducere veritatis, & huic proteſtationi adhæreo pro præſenti, & adhærere intendo quamdiù vitam duxero in humanis, & vtinam ſimilem proteſtationem, quo ad ſingulas eius partes, feciſſent domini qui pro regno Bohemiæ propoſuerunt, quia & ſe ipſos & nos vniuerſam Chriſtianitatem à multis laboribus, anguſtijs & perturbationibus ſatis facilè potuiſſent & poſſent liberare, ſe determinationi Eccleſiæ Catholicę Romanę ſubmittentes, quod quādoque, imò nunc, & ipſis & nobis Deus ſua immenſa pietate dignetur concedere. Proteſtor inſuper toto & puro corde & ſincera intentione, quod in præſenti actu & tota collatione quam habiturus ſum coram hoc ſacro Concilio Baſileenſi publicè cum dictis Dominis ambaſiatoribus & oratoribus regni Bohemiæ, nihil etiam priuatim, non intendo aliquid dicere aut facere nutu vel ſigno quomodocunque aut qualitercunque animo vel intentione iniuriandi, nec intendo vti terminis quibuſlibet in præiudicium & quouis modo in confuſionē ipſorum vergentibus; ſemper tamen, manente veritate illibata quā Eccleſia Catholica & Romana profitetur, in cuius defenſione ſi aliquid me dicere cōtigerit, quòd fortè poſſit eiſdem rationabiliter diſplicere, ex inaduertentia, vel ex lapſu linguæ: illud ex nunc habeo pro non dicto, & rogo eoſdem Dominos vt non capiant ad animum, offerens me vſq; ad condignā ſatisfactionē in omnibus, velintq; recordari vnius capituli in ipſorum ſaluo conductu inſerti, ſub tali verborum forma: Item liberum erit illis ſicut & nobis, ſalua pace & bona honeſtate, corā dicto Concilio ſi placuerit, obijcere ſiue accuſare quoſcunq; ſtatus exorbitantes, defectus ſibi inuicem, quos ſenſerint, modeſtè exponendo: velint etiam ad mentē Chriſti regulam reducere, qua dixit: In qua menſura menſi fueritis, eadem remetietur vobis.

Eſa. 66.

FATEOR inſuper & proteſtor cum B. Auguſtino in libro de vtilitate credendi, circa principium, quia rogaui Deum & rogo, & ſpero ita fore, ſi mihi benè conſcius ſum, quod ad hunc ſtylum, actum & tractatū pio & officioſo animo, nō vani nominis appetitione ac nugatorię oſtentationis acceſſi: ſcit enim, vt idē inquit doctor, Deus, cui nota ſunt arcana cōſcientiæ meæ, nihil me in hoc ſermone malitioſè agere, ſed vt exiſtimo accipiendum eſſe veri probādi cauſa, cui vni rei viuere iam diù ſtatuimus & incredibili ſolicitudine. Non igitur de vani nominis appetitu aut rancoris aut malitiæ hodiè ſiue in præſenti actu à vobis præſtantiſſimi patres habear ſuſpectus, niſi forſan elatio incaſtigati vultus aut verba rigida hæc depingant. Sed rogo præſtantiſſimi Domini mei, ſi hæc eueniāt, recolite, quod corde profiteor, & date ſignis veniā, & ſi forſan interdum me contingat aliquid durius loqui, & à ſolita exorbitare manſuetudine, indulgete rogo fragilitati dicentis, & audacitati fideli. Non enim poſſum omnes alloqui pari corde, nec tamē ſi in me huiuſmodi contingant defectus debent contumelia reputari ab auditoribus, ſecundùm quod idem glorioſiſſimus Doctor Auguſtinus declarat in cōſimili caſu, in epiſtola ad Proculeianū inter epiſtolas centeſima ſeptuageſima prima: Audiui, inquit, de memorato fratre noſtro, te fuiſſe cōqueſtum, quod neſcio quid cōtumelioſè tibi reſponderit, quod quæſo te ne illam contumeliā deputes, quoniā certum mihi eſt non de ſuperbo animo proceſſiſſe; noui enim fratrem meum: Sed ſi quid in diſputando, pro fide ſua & pro caritate Eccleſię dixit, fortè feruentiùs, quàm tua grauitas vellet audire, non illa contumacia, ſed fiducia nominanda eſt. Proinde per viſcera miſericordię Dei noſtri quemlibet hic aſſiſtentem rogo & obſecro, quatenùs in inquiſitione veritatis prædictorum quatuor articulorum propoſitorum ſtudeat imitari atq; ſeruare, quod venerabilis Doctor Auguſtinus in 1. lib. de Trinitate de ſeipſo ait: Non pudebit me, inquit, ſicubi hæſito quærere, nec pudebit ſicubi erro diſcere. Quiſquis ergo hæc audit vel legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum; vbi pariter hæſitat, quęrat mecum; vbi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; vbi meum reuocet me: ita ingrediamur ſimul caritatis viam tendētes ad eum de quo dictum eſt, Quærite faciem eius ſemper.

Cap. 1. Cap. 2. Cap. 2, 8. Pſal. 104.

CVm deniq; coram Reuerēdiſſimis paternitatibus veſtris omni auctoritate & ſapiētia præditis cōſidero me tam alta & grandia tractaturum, dum corā acutiſſimis ingenijs illuſtriſſimis & omnium literarum, peritiſſimis inueſtigandæque veritatis diuino amore flagrantiſſimis me proſpicio locuturum, profectò timor & tremor me taliter obruunt, vt potiùs ſilentio opus eſſet quàm verbis, nec mirum, reuerendiſſimi patres. Nam ſi quibuſdam etiam conſtantiſſimis dicturis in conſpectu populi ſudor erumpit, non aliter quàm fatigatis & æſtuantibus ſolet: quibuſdam tremunt genua, quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labia concurrunt, vt Seneca ait 12. Epiſtola ad Lucillū;

Epiſt. 11. ſecundùm edit. Rō. Mureti.

quid

quid mirum ſi & nunc & aliàs mihi loquenti, non in cõſpectu vulgi aut rudis populi, ſed in præſentia glorioſiſſimi Senatus totius orbis Chriſtiani, prędicta mihi cõtigerint & cõtingant: inter hæc enim eſſe & ruborẽ ſcio, inquit idem Philoſophus, qui grauiſſimis quoq; viris ſubitus effunditur, magis quidem in iuuenibus apparet, quibus & plus caloris eſt, & tenera frons: nihilominùs & veteranos & ſenes tangit, & quidem nunquã magis quàm cùm erubuerint timendi ſunt, quaſi omnem verecundiam effuderint. Sylla tunc erat violentiſſimus, cùm faciẽ eius ſanguis inuaſerat. nihil erat mollius ore Pompeij, nunquam non coram pluribus erubuit, vtique & in concionibus. Fabianum cùm in Senatum eſſet teſtis inductus, erubuiſſe memini, & hic illum mirè pudor decuit. non accidit hoc ab infirmitate mentis, ſed à nouitate rei quæ inexercitatos etſi non concutit, mouet, naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam vt quidam boni ſanguinis ſunt ita quidem incitati & mobilis, & citò in os prodeuntis, & cętera: hęc, vt dixi, nulla ſapientia abigit. ſuperiùs enim dixerat, poſtquam verecundiam adoleſcentis cuiuſdã deſcripſerat; rubor hic illum, quantùm ſuſpicor, etiam cùm ſe conformauerit & omnibus vitijs exuerit, ſapientem quoque ſequetur. Nulla enim ſapientia corporis aut animi vitia naturalia ponuntur: Quidquid infixum & ingenitũ eſt, lenitur arte, non vincitur; alioquin haberet rerum naturam ſub imperio, ſi omnia eraderet vitia. quæcunq; attribuit cõditio naſcendi & corporis temperamentũ, cùm multum diuq; ſe animus compoſuerit, hærebunt, nihil horum vitari poteſt. Et infrà: nihil aduerſus hæc ſapientia permittit, nihil proficit, ſui iuris ſunt, iniuſſa veniunt, iniuſſa diſcedũt. Hęc Seneca in eadem epiſtola. Quid plura? & ſi nunquam prædictis naturæ defectibus impedirer, quod vt verum fatear, in primordijs dicendi nunquã arte quacunq; ab ineunte ętate mea comprimere valui, nihilominùs tamẽ attenta altitudine rerum & huius ſacratiſſimi cœtus ineffabili ſapientia meaque inſufficiẽtia atq; inexperiẽtia, tarditate ingenij, hebetudine ſenſuum, labilitate memoriæ, difficultate iudicij, indiſcretione rationis, intellectus imbecillitate, qui ſe habet ad ea q̃ manifeſtiſſima ſunt in natura, ſicut veſpertilionis oculus ad lucem diei, vt Philoſophus dicit in principio ſuæ primę philoſophię. Honeſtior mihi fuga eſſet, quàm quod tantillus in conſpectu tantorũ ac talium præſumam apparere: Grandes ſiquidem materias, vt glorioſiſſimus doctor noſter Hieron. ait, ingenia parua nõ ſufferunt, & in ipſo conatu vltra vires auſa ſuccumbunt: quantoq; maius fuerit quod dicendũ eſt, tantò magis obruitur qui magnitudinem rerum verbis vult explicare: ſed etſi vulgi ſimilia & pedeſtris materiæ nos in pręſenti tractatu dicere oporteret, in tam nihilominùs conuentu ſacratiſſimo me profectò prolocuturũ erubeſco, quibus non niſi difficilia intellectu alta myſterijs, & imperſcrutabilia placent ſacramentis. Neminem nanq;, vt nobiliſſimi Oratoris teſtatur ſententia, excelſi ingenij virum delectant humilia & parua. habet enim hoc optimum in ſe generoſus animus, quod ad ardua cõcitatur & honeſta, magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat & attollit, atq; igneæ flammæ comparatus, quę ſurgens in rectum iacere ac deprimi poteſt non magis quàm quieſcere. Vos potiùs, glorioſiſſimi patres, vos qui omni terreno caretis negotio, vos qui cœleſti abundatis otio, lectione cõtinua refecti, oratione aſſidua ſaginati, quorum ſicut adipe & pinguedine repletur anima ſupernorum ſecretorũ dulcedine, vos inquam, labijs exultatiõis deberetis animas eſurientium reficere, ſitientes potare & ex ſuperabundãte ſpiritus veſtri ſagina cordium ariditatẽ impinguare, qui eiuſdem panis verbo, quo viuunt Angeli, dulci ac ineffabili ſuauitate eſtis repleti. hæc quidẽ ſunt, glorioſiſſimi patres, q̃ me ſilere iubent, loqui nõ permittunt, & impoſita ori cuſtodia taciturnitatem exhortantur; & reuera, ſi mea res eſſet hæc, & non fidei, & Eccleſiæ Catholicæ, cuius defenſioni etiam vſq; ad ſanguinis effuſionẽ, ſpecialiter in ſuſceptione gradus magiſtralis, licèt immeritus & indignus, iuramento me aſtrinxi, longè altius, pertimeſcerem: & licèt naturalis affectus quo ex affinitate linguæ inclito regno Bohemię tota cordis affectione & caritate afficior, me ab hoc certamine quamplurimũ retrahat, tamen quia ſecundũ vtriuſque Philoſophiæ, diuinæ pariter & humanæ doctrinã duobus exiſtentibus amicis, vt dicit Ariſtot. Sanctum eſt præhonorare veritatẽ; ſic enim & ipſe ſolitus erat dicere, Amicus Plato, ſed magis amica veritas, quod prouerbiũ etiam ab ipſo ſuo præceptore Platone acceperat, qui & ipſe ſolitus erat dicere: Amicus Socrates, ſed magis amica veritas; & in Euangelio dicit ipſa prima veritas: Qui non odit patrem & matrem propter me, non eſt me dignus, & multo magis qui non odit * patriam linguam & gentem, quod quidem odiũ non excludit charitatem, ex qua & ipſi pater & mater ſæpè præcipuæque propter fidei veritatem odio habentur, ſic etiam & ſecundi Eſdrę 4.c. dicitur: Omnis terra veritatem inuocat, cœlum etiam ipſam benedicit, & omnia opera mouẽtur & tremunt eam, & non eſt cum ea quidquam iniquum. & infra: nec eſt apud eam recipere perſonas, neq; differentias, ſed quæ iuſta ſunt, facit omnibus, & omnes benignantur in operibus eius, &c. & hæc quò ad primum ſcilicet quò ad excuſationes neceſſarias & opportunas dicta ſunt, tum omni humilitate & manſuetudine.

Luc. 14.

* propria.

2. Eſdr. c. 4

His itaq; humiliter præſuppoſitis; Venio ad quartum & principale noſtri actus præſentis intentum, videlicet ad reſponſionem articuli de communione diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſub vtraq; ſpecie. Pro cuius rei executione proponitur quæſtio ſub tali verborum forma: Vtrùm communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie panis ſcilicet & vini ſit vtilis multùm & ſaluti expediens, toti credentium populo neceſſaria, & à domino præcepta Saluatore. Omiſſis argumentis pro & contra, gratia breuitatis, in determinatione huius quæſtionis ſic procedam, quia primò proponentur quædam neceſſaria ad intelligentiam dicendorum per modum ſuppoſitionum quarundam. Secundò ponentur cõcluſiones ad quæſtionem propoſitam, & tertiò reſpondebo ad obiecta aduerſariorum & oppoſitũ tenentium. Quantũ ad primum, ponentur ſuppoſitiones quædam generales fundãtes omnẽ materiam fidem & Eccleſiam Catholicam concernentes: Quædam verò ſpeciales & propriè ad propoſitam quæſtionẽ & materiam pertinentes. Pro executione primæ partis, primò ſciendum eſt & notandũ, quòd ſicut in ſciẽtijs naturalibus oportet fieri reductionem ad principia quæ per priora probari nõ poſſunt, ſicut ſunt indemõſtrabilia & per ſe nota, quorum ſtatim cognitis terminis cognoſcitur veritas, & per ipſa omnium aliorũ quæ traduntur in ſciẽtia cuius ſunt principia veritas innoteſcit, cuiuſmodi in mathematica ſunt: Omne totum eſt maius ſua parte, & ſi ab æqualibus æqualia demas, ea quæ remanent, ſunt æqualia, & cæteræ tales propoſitiones & in metaphyſica: de quolibet eſt eſſe vel nõ eſſe: ita in doctrina & ſcientia fidei quæ ſupernaturalis eſt, ſunt quædã principia indemonſtrabilia & per ſe nota in lumine fidei, quæ per alia non probantur: ſed omnia alia quæ in doctrina Theologiæ traduntur; habẽt notitiam & manifeſtationem per ipſa. Item ſicut principia indemonſtrabilia & per ſe nota ſunt plura, & tamen omnia neceſſe eſt reduci ad vnũ vniuerſaliſſimum & primum atq; commune omniũ quod eſt dignitas omnium dignitatũ, ſicut eſt illud: de quolibet eſſe vel non eſſe, &c. Ex cuius veritate & cognitione omnium aliorũ notitia dependet & veritas, vt patet per Ariſtot. 4. Metaph. ita quamuis plures ſint articuli fidei, tamen eſt vnus inter eos qui eſt ianua & principium omnium aliorũ, qui eſt ſimpliciter per ſe notus, quò ad nos, vel nullo modo variabilis in aliquod aliud, quod ſit notius quò ad nos, in lumine fidei, per q̀ aut probari aut manifeſtari à priori quoquo modo poſſit in vita præſenti, & hoc eſt credere ſanctã Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam regi & gubernari à Spiritu ſancto, nec eam poſſe vllo modo errare in his quæ fidei ſunt & neceſſitatis ad ſalutem, & tangitur in ſymbolo, cùm dicitur: Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Catholicam Eccleſiam, quia per ipſum Spiritum ſanctum ſcilicet Catholica Eccleſia ſancta eſt & gubernatur ac dirigitur per eundem qui nec falli nec fallere poteſt. Quòd autem prædictus articulus ſit inter omnes alios primus, in quem omnes alij reſoluuntur manifeſtum eſt, quia ſi qua dubitatio circa alios articulos contingit, ſtatim ad ſacram ſcripturam veluti ad certiſſimam & inobliquabilẽ regulam communiter recurritur, & ſecundùm teſtimonium veritatis eiuſdem, ſublatis dubijs veritas eluceſcit. In tali autẽ recurſu ad ſacram ſcripturã adhuc duplex dubium remanet. quia cùm ſacra ſcriptura non procedat ex rationibus conuincentibus & ligantibus

Status quæſtionis.

1. ponẽtur ſuppoſitiones.
2. concluſiones.
3. reſponſiones ad obiecta.

In omnib. ſciẽtijs oportet fieri reductionẽ ad prima principia indemonſtrabilia.

Et tandem perueniendũ ad vnũ principiũ, quod eſt dignitas dignitatũ.

Et hoc, in reb. fidei, eſt credere vnã, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicã Eccleſiã regi à Spiritu ſancto.

intellectum, quemadmodùm in ſcientijs naturalibus, & præcipuè Mathematicis proceditur, oportet quod modus ſuus procedendi ſit ex auctoritate: quia, vt dicit Boëtius, argumẽtatio ſit duobus modis, vel ex ratione, vel ex auctoritate. & licèt in ſciẽtijs humanis locus ab auctoritate ſit debiliſſimus, niſi pro quanto fundatur in ratione, in ſcientia tamẽ diuina locus ab auctoritate qui non in humanâ ratione fundatur, ſed etiam in diuina reuelatione, eſt firmiſſimus. Quæ autem ſcripturæ ſint diuina reuelatione traditæ, vt earum auctoritati aſſentiatur, vel quæ non, ſciri non poteſt niſi aliquo approbâte, de cuius teſtimonio dubitari non poſſit, quod vtique de nullo particulari homine dici poteſt, quia quilibet talis poteſt errare. Oportet ergo firmitatem ſcripturarum in approbationem reſoluere Eccleſiæ, ſecundùm quod glorioſiſſimus facit Auguſt. qui in pluribus locis ait: Non crederẽ Euangelio, niſi me Eccleſiæ auctoritas commoueret. Quòd ſi & ipſa errare poſſet, vtiq; nil firmi in ſcientia diuina remaneret. Deinde cùm ſacra ſcriptura in pleriſq; locis ſit ad intelligendum difficilis, in ſoluendis huiuſmodi dubijs circa fidẽ emergentibus, ſæpè inter doctos accidit varietas & multiplicitas opinionum & inexterminabilis quodãmodò difficultas. In hac ergo difficultate ſcripturarum & varietate opinionum, neceſſe eſt habere recurſum ad aliquod metrum vel menſuram, per cuius applicationem, verum à falſo diſcernitur; quòd vtique non poteſt eſſe aliud in humanis, quàm ipſa Eccleſia ſancta Catholica; quam præſupponimus errare non poſſe. Item ſicut in ſcientijs Phyſicis contra negantem principia, & præcipuè communiſſima; non eſt amplius diſputandum, ad probandum ipſum à priori, quia non eſt aliquid priùs per quod poſſit probari, cùm ponatur ſimpliciter primum, vt patet per Ariſtot. in 4. Metaph. ita in doctrina fidei contra negantem articulos fidei, & ſacræ ſcripturæ veritatem, & præcipuè Eccleſiam regi à Spirituſancto, & ita non errare, quod eſt ſimpliciter primũ in doctrina fidei, nõ eſt ampliùs diſputandũ à priori, cũ non ſit aliquod prius in quod poſſit reſolui, vt dictum eſt. Item licèt nõ ſit diſputandum à priori contra negantem principia, ad ipſa probandum, vt dictum eſt, tamen excipitur eorum experientia per ſenſum. & etiam, ſi aduerſarius concedat aliquod eorũ, quæ in lumine naturæ nota ſunt à poſteriori, ex conceſſis poteſt oſtendere defenſor principiorum eorum veritatem, ducendo ipſum ad inconueniens aliquod, aut ſoluendo rationes, ſi quas contra veritatem ipſorum adducit. Si autem nihil concedat, tunc nec diſputandum nec loquendum eſt cũ ipſo, vt patet per Ariſtot. in 4. Metaph. prout etiam per ſe manifeſtum eſt: ſic & in doctrina fidei à poſteriori quidem manifeſtari poſſunt & declarari quò ad nos in lumine fidei ipſius principia aliquo modo, vt per exempla, & alia, & contra negantem aduerſarium, ſi aliquod eorum quæ ſunt fidei, concedat, ex conceſſis procedi, vt ſi aduerſarius hæreticus negaret reſurrectionem futuram mortuorum, & concederet reſurrectionem Chriſti, poſſet Catholicus ex reſurrectione capitis arguere reſurrectionem mortuorum. Sic & Apoſtolus ad Corinth. facit Epiſtola 1. cap. 15. Si autem nil eorum quæ ſunt fidei concedat, vt paganus, tunc cum ipſo de negotio fidei nihil agendum eſt, quia talis longè erit à noſtra Philoſophia, vt Dionyſius ait in lib. de diuinis nominibus: poterũt tamen fideles per exempla, manuductiones, & perſuaſiones aliquas, mouere animos infidelium ad credendum, non eſſe impoſſibilia, nec diuinæ potentiæ, ſapientiæ, maieſtati & bonitati inconuenientia ea quæ fides prædicat & affirmat, atque rationes naturales ex Philoſophia humana ſumptas, ſi quas in oppoſitum & in contrarium fidei mundi ſapientes adducerent, ſoluere & annullare, cũ non poſſint eſſe demonſtrationes, ſed qualeſcunque perſuaſiones, quia in infallibili veritate impoſſibile eſt demonſtrare contrarium eſſe verum.

[Margin: Aug. contra epiſt. Manichæi c. 5. tom. 6. & lib. 28. cõtra Fauſtum, c. 2. tom. 6.]

[Margin: Contra negantem principia non eſt diſputandũ.]

[Margin: Si quã tamẽ aduerſarius concedat, põt oſtendi veritas principiorũ ex conceſſis & à poſteriori.]

QVIA ergo in doctrina fidei vniuerſaliſſimum principium & primum eſt, Eccleſiam Catholicam credere, à Spiritu ſancto dirigi & gubernari, ac per hoc nõ poſſe errare in his quæ neceſſitatis ſunt ad ſalutẽ, vt dictum eſt, & ex ipſo & per ipſum omnis hæreticorum nequitia eliditur: Idcircò licèt non à priori, à poſteriori tamen ad ipſum declarãdum & manifeſtandum inſiſtendum eſt. Verùm quia huiuſmodi declaratio atq; manifeſtatio prædicti vniuerſaliſſimi principij & aliorum in hoc tractatu dicendorũ, præcipuè & maximè ſumenda eſt ex auctoritate ſacræ ſcripturæ quæ ſuperficie tenus & in cortice intellecta, ſuperbis hominib⁹ & elatis multam materiam præſtat erroris, ſicut patet intuenti omnes antiquas hæreſes & modernas, quæ in defenſionẽ ſui erroris, pluribus auctoritatibus ſacræ ſcripturæ malè intellectis ſe muniunt & defendunt: idcircò vt manifeſtiùs & clariùs pateat veritas Catholicæ fidei, quam in præſenti, DEO auctore & directore, defendere ſuſcepimus, & omnium hæreſum falſitas & malitia: quædam generalia cenſuimus præmittenda, quibus in intellectu ſacrarum ſcripturarum, veluti quibuſdam regulis atq; lineis, dirigamur.

IN primis igitur tanquam omnium fundamentũ firmiſſimum ſtabiliatur, quòd omnis ſcriptura veteris & Noui teſtamenti contenta in volumine Bibliæ, ſit edita ab auctoribus ſuis Spiritu ſancto inſpirante. Et de veteri quidem teſtamento habetur 2. Petr. 1. c. vbi ait: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*, in nomine Prophetiæ tanquam in nobiliori parte includẽs cæteras partes ſcripturarum. De ſcripturis verò Noui teſtamenti habetur, Matth. 10. cap. vbi Chriſtus mittens Apoſtolos & dans eis auctoritatem prædicandi, & euangelizandi, dixit eis: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Nõ enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Conſtat autem Apoſtolos conſcripſiſſe & Euangeliſtas nouum teſtamentum, & de Apoſtolo Paulo notum eſt, quia non ab homine, neq; per hominem, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti, vt ipſe teſtatur ad Galat. 1. cap. Ex quibus ſequitur; quòd principalis auctor ſacrarũ ſcripturarum eſt Spiritus ſanctus, qui eſt Deus: homines verò per quos editæ & conſcriptæ ſunt, fuerunt quaſi inſtrumẽta & calami eiuſdem Spiritus ſancti. Vnde Propheta: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, Scriba enim doctiſſimus in lege, vt ait Hieron. eſt Spiritus ſanctus.

[Margin: 1. Omnis doctrina veteris & noui teſtamẽti, edita eſt ex inſpiratione ſpiritus ſãct]

[Margin: Pſalm. 4.]

SECVNDA ſuppoſitio eſt: tanta eſt certitudo veritatis ſacrarum Scripturarũ, vt nihil in eis aſſertiuè poſitum aut expreſſum poſſit eſſe mendoſum & falſum. Patet ex prima, quia autor ipſarum ſit Spiritus ſanctus, cùm ſit prima & ſumma veritas, nec fallere nec falli poteſt aut mentiri. Et patet Matth. 15. c. *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non prætęribit à lege donec omnia fiant.* & Luc. 16. c. *facilius eſt cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* quin videlicet propter infallibilem certitudinem ita eueniat, prout lege tactũ eſt & expreſſum, iuxta ſenſum quem intendit Spiritus ſanctus. Ad hanc veritatis regulam cõfirmandam ſunt quodammodò infiniti textus ſcripturarum tam veteris quàm noui teſtamenti, quos adducere longum eſſet & tædioſum, quam regulam & Aug. confirmat his verbis, in lib. de videndo Deum: Fieri nullo modo poteſt, vt hæc ſacrarum literarum auctoritas ex aliqua parte ſui mentiatur, hoc enim omnium Catholicorũ firma & inconcuſſa eſt ſentẽtia: & oppoſitum dicere, eſt totius fidei noſtræ diruere fundamenta. Quamobrem tota ſacra ſcriptura debet conſiderari quaſi eſſet vna propoſitio copulatiua, ad cuius veritatem exigitur vtranque propoſitionem & partem eſſe veram, cõnectens ſingulas partes, & vnam affirmans, elucidans & exponens per alteram; alioquin ſi propoſitio aliqua ſacræ Scripturæ poſita aſſertiuè per autorem ſuum, qui eſt Spiritus ſanctus, eſſet falſa, tota Scripturæ ſacræ ſicut dicit Auguſtinus, vacillaret auctoritas.

[Margin: 2. Scripturæ ſacræ canonicæ tãta eſt certitudo veritatis, vt nihil planè in ea falſ eſſe poſſ]

TERTIA ſuppoſitio. Sacram ſcripturam à Deo dari hominibus, diuinæ bonitati fuit congruum & humanę ſaluti neceſſarium patet, quia cum bonum de ratione ſua ſit communicatiuum, & Deus ſit non ſolùm quoddam, ſed & omne, ſummè ac per eſſentiam bonũ vtiq; congruũ fuit & eſt, vt ſe cõmunicet liberaliſſimè omnibus creaturis ſecundùm vniuſcuiuſq; naturæ exigentiam, à qua, vt Plato ait, porrò inuidia hominis longè relegata eſt. Neq; enim diuinũ inuidum eſſe conuenit, vt Ariſtot. ponit in 1. Metaph. contra Poetas, qui maximè in communicatione ſapientiæ Deum inui-

[Margin: 3. Eã hominib⁹ dari Deo, diuinæ bonitati fuit congruũ, & humanæ ſaluti neceſſarium. 1. Meta. c.]

inuidere hominibus aſſerebant, vnde & Simonides quidam: Solus quidem Deus hunc habet honorem inquit, virũ verò non dignum eſſe quærere quæ ſecundùm ſe eſt ſapientia: & ſecundùm prouerbium vt idem Ariſt. ait, multa mentiũtur Poetæ. Cùm igitur rationalis creatura, homo ſcilicet capax ſit ſecundùm intellectum & voluntatẽ diuinæ felicitatis, qa ad hoc ipſum idẽ Deus & Dominus produxit & creauit propter bonitatem ſuam, dicente Aug. in lib. de doct. Chriſt. & allegatur à Magiſtro ſent. lib. 2. diſt. 1. quia, inquit, bonus eſt Deus ſummus, & inquantum ſummus bonus ſummus: vt ſi quæritur ad quid creata ſit rationalis creatura, reſpondetur ad laudandũ Deum & ad ſeruiendum ei, & ad fruendũ eo in quibus proficit ipſa, non Deus. Deus enim perfectus & ſumma bonitate plenus, nec augeri poteſt, nec minui. Quod ergo rationalis creatura facta eſt à Deo, referendũ eſt ad creatoris bonitatẽ, & ad creaturæ vtilitatẽ. Et iterum ibidẽ Magiſter dicit: fecit Deus rationalẽ creaturam quę ſummũ bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur. Verùm quia hæc fruitio non cõpetit homini ſecundũ naturam ſuã, licèt inſit ei capacitas ad eã obtinendã & habendam à natura per gratiã Dei, idcircò ipſa diuina bonitas ſicut ipſum hominẽ ad prædictam fruitionẽ, quę comprehenſionem rationis humanę excedit ordinauit, ſecundùm id Eſai. 64. *Oculus non vidit Deus abſq; te, quæ præparaſti diligentibus te*: ita eidem ſua liberaliſſima communicatione ſcientiam & doctrinam ſacrarum ſcripturarum omnem humani intellectus excedentem capacitatem reuelauit, per quam ad hunc finem dirigeretur, oportet enim præcognitũ eſſe finẽ hominibus, qui [illegible] actiones & intentiones debent ordinare in finem, & hoc eſt valde homini vtile & neceſſarium. Vnde Apoſtolus 2. Timoth. 3. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia.*

4. Habet illa vno eodẽque ſermone plures ſenſus.

QVARTA ſuppoſitio. Sacra ſcriptura in vno eodemq; ſermone habet plures ſenſus, literalem ſcilicet & ſpiritualem. patet per Greg. 3. lib. Moral. vbi dicit, S. ſcriptura omnes ſcientias ipſo ſuo more locutionis tranſcendit, quia vno eodemque ſermone habet plures ſenſus, dũ narrat geſtum prodit myſterium. quod S. Thom. 1. par. q. 1. art. 10. ita declarat: Auctor S. ſcripturæ Deus eſt, in cuius poteſtate eſt non ſolùm quod voces ad ſignificandũ accommodet, qđ etiam homo facere poteſt, ſed etiam res ipſas; & ideò cùm in omnibus ſcientijs voces ſignificent, hoc habet propriũ iſta ſcientia, quod ipſæ res ſignificatæ per vocem etiam ſignificant aliquid. Illa ergo prima ſignificatio qua voces ſignificant res, pertinet ad primum ſenſum, qui ſcilicet eſt hiſtoricus vel literalis ſenſus. Illa aũt ſignificatio qua res ſignificatę per voces iterũ res alias ſignificant, dicitur ſenſus ſpiritualis, propter quod ſenſus ſpiritualis ſuper literam fundatur, & eũ ſupponit. Hic autem ſenſus ſpiritualis trifariè diuiditur. ſicut enim dicit Apoſtolus: Lex vetus figura eſt nouæ legis: & ipſa noua lex, vt Dionyſius dicit in Eccleſiaſtica Hierarch. eſt figura futuræ gloriæ. In noua etiam lege ea quæ in capite geſta ſunt, ſigna ſunt eorum quæ nos agere debemus. Secundùm ergo quod ea quæ ſunt veteris legis, ſignificant ea quæ ſunt nouæ legis, eſt ſenſus allegoricus. Secundùm verò quod ea in Chriſto ſunt facta, vel in his quę Chriſtum ſignificant, ſunt ſigna eorum quæ nos agere debemus, eſt ſenſus moralis, & dicitur tropologicus: prout verò ſignificant ea quæ ſunt in æterna gloria, eſt ſenſus anagogicus, ſicut exemplariter poſſet declarari in illo verſu Pſalmiſtæ: *Lauda Hieruſalem Dominum.*

5. Senſus literalis principalis eſt, nõ quem litera prætendit, ſed quem Spiritus ſanctus ſcripturarũ authot intẽdit.

QVINTA ſuppoſitio. Senſus literalis ſacrarum ſcripturarum principalis eſt ille, non quem litera prætendit, ſed quem auctor earum ſcilicet ſpiritus ſanctus intendit. patet exemplariter in ſenſu parabolico ſiue figuratiuo, qui ſub literali ſenſu continetur. Nam in huiuſmodi locutionibus parabolicis per voces ſignificatur aliquid propriè & aliquid figuratiuè, nec eſt literalis ſenſus ipſa figura, ſed id quod eſt figuratũ: ſic enim cũ ſcriptura nominat Dei brachium non eſt literalis ſenſus, quod in Deo ſit membrũ huiuſmodi corporale, quia Spiritus eſt Deus, vt dicitur Ioã. 4. ſed id quod per huiuſmodi membrũ ſignificatur, ſcilicet virtus operatiua. Ex quo patet quod ſenſui literali ſacrę ſcripturæ nunquam poteſt ſubeſſe falſum, vt dicit S. Thomas vbi ſuprà.

SEXTA ſuppoſitio. Fides & omnia neceſſaria ad ſalutem tam credenda quàm agenda, fundantur in ſenſu literali & ex ipſo ſolo argumentatio ſumitur ad probandum ea quæ fidei ſunt, vel neceſſitatis ad ſalutem, & non ex his quæ ſecundùm allegoriam vel aliũ ſenſum ſpiritualem dicuntur vt Auguſt. dicit in epiſt. contra Vincentium Donatiſtam. & nil ſpirituali ſenſu continetur fidei neceſſarium quod ſcriptura ſacra per literalem ſenſum alicubi manifeſtè non tradat, vt dicit S. Thomas in loco præallegato.

SEPTIMA ſuppoſitio: S. ſcriptura in ſenſu literali ſanè & benè intellecta, eſt infallibilis fidei regula & * ſufficientiſſima. Prima pars huius ſuppoſitiõis ex ſuperiorib⁹ manifeſta eſt: ſed probatur quia cũ intellectum, circa ea quę fidei ſunt, contingat errare, vt patet in hęreticis, neceſſe eſt eſſe regulam aliquam per cuius deuiationem aut conformitatẽ percipiat ſe intellectus errare vel non errare: Alioquin ſemper in dubio maneret, & ſemper fluctuaret, & cùm fides ſic circa ea quæ humanam intelligentiam & rationem excedunt; ſecundùm illud Apoſtoli ad Hebræos: *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.* Et ſecundùm Ambroſium: tolle argumenta, vbi fides quæritur: & ſecundùm Gregorium: fides nõ habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentũ; patet, nullam humanarum ſcientiarum regulam eſſe fidei. Relinquitur ergo quod huiuſmodi regula fidei ſit ſacra ſcriptura. Hæc regula eſt Ioan. 20. ca. vbi ait: Hæc autem ſcripta ſunt vt credatis quòd Ieſus eſt filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius, & Petri 2. primo capitulo 2. *Habemus firmiorem Propheticũ ſermonem cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Et Apoſt. ad Rom. 15. *Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*; & patet quod prædictæ auctoritates ſunt ſacrę ſcripturæ, & de eadem ſacra ſcriptura loquuntur: & non de alijs ſcientijs humanitùs adinuentis. Secunda pars patet etiã, quia ſi ſacra ſcriptura nõ eſſet ſufficiens fidei regula, ſequeretur, quod ſpiritus ſanctus inſufficienter tradidiſſet eam, qui eſt auctor ipſius quod de Deo, cuius omnia opera sũt perfecta, nullo modo eſt ſentiendũ. Prætereà ſi ſacra ſcriptura in aliquibus, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, deficeret, tunc licitè & meritoriè ea quæ deficiunt, poſſent aliunde ſuperaddi, aut ſi aliqua eſſent ſuperflua, diminui. Sed hoc eſt prohibitum à Ioan. Euangeliſta Apocal. vlt. vbi ita ait: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas quæ ſunt in libro iſto, & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferat Deus partem eius de libro vitæ & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſunt ſcripta in libro iſto.* Ex quibus verbis Ioannis Euangeliſtę clarè oſtenditur, in ſacra ſcriptura nihil diminutè, nihilq; ſuperfluè cõtineri, quod vtique congruit auctori ipſius, qui eſt Spiritus ſanctus, vt dictum eſt, cuius omnipotentiæ congruit, vt nil diminutè; ſapientiæ, vt nil ſuperfluè; & bonitati, vt ordine congruo noſtræ prouideat neceſſitati ſalutis. Vnde Prouerbior. 30. *Sermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe, ne addas quidquam verbis illius, & arguaris inueniarisq; mendax*, & loquitur de diuina ſapientia. Sed pro declaratione ampliori huiuſmodi regulæ pro iſta parte ſciendum eſt, quòd ſufficientia alicuius doctrinæ neceſſariò intelligitur dupliciter, vno modo explicitè, alio modo implicitè. Et hoc verum eſt in qualibet doctrina & ſcientia, quia nulla vnquam doctrina fuit tam ſufficienter tradita, quòd omnes concluſiones in ipſius principijs contentæ explicitè, & in proprijs terminis fuiſſent traditæ & expreſſæ, & ſic eſt in propoſito noſtro: quia nihil eſt ad fidem & ad ſalutem quomodocunq; & qualitercunq; pertinens, quod non in ſacra ſcriptura ſufficientiſſimè explicitè aut implicitè contineatur. Vnde Auguſtinus: Omnis veritas in ſcripturis continetur latens aut patẽs, quemadmodùm & in alijs ſcientijs ſiue ſpeculatiuis ſiue moralibus & ciuilibus, concluſiones & determinationes, in earũ principijs continentur, quę iuxta exigentiam rerum temporis & perſonarum atque occaſionum varietatem educun-

tur & explicantur, vt notum eſt cuilibet in Scholaſticis diſciplinis erudito, quæ quidem eductio fit per modũ illationis vel determinationis, vt in proceſſu huius operis fortaſſe clariùs eluceſcet. Item ſciendum, quòd ad aliquã doctrinam addere aliquid, poteſt intelligi quatuor modis. Primò per modum explicationis aut declarationis. Secundò per modũ ſuppletionis. Tertiò per modum ampliationis. Quartò per modum deſtructionis aut contrarij. Primus modus eſt neceſſarius in qualibet ſciẽtia & doctrina, & ſpecialiter in ſacra ſcriptura, nõ propter ſe ipſam, quę ſufficientiſſima eſt & clariſſima in ſe, ſed propter nos: vnde & declarantibus eã promittit præmium vitæ æternæ: *Qui elucidant me,* inquit, *vitam æternam habebunt.* Eccleſ. 24. Secundus modus eſt neceſſarius ſcientijs ab auctoribus earum diminutè & inſufficienter traditis ad ipſarum ſupplementum; cuiuſmodi apud nos ſcientiæ ſeu Philoſophiæ naturali, quam aut Ariſtoteles non plenè & ſufficienter tradidit, aut ſi perfectè tradidit, ad nos nõ peruenit cõpletè aut perfectè: Albertus Magnus & alij Phyſicorum Latinorum multos libros & tractatus ad complementum ipſius addiderunt. Tertius modus maximè ſi non fuerit exceſſiuus, ſuſtinendus eſt & tolerandus ad benè eſſe, licèt non ſit neceſſarius. Quartus modus poteſt addi in ſcientijs duobus modis: vel declaratiuè, tanquam oppoſitum oppoſito, vt verum ex ſuo contrario & oppoſito quod eſt falſum magis eluceſcat, ſecundùm quod Ariſtoteles poſuit & communiter dicitur: *Oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt,* ſcilicet vnumquodq; in ſua ratione, quia falſum oppoſitum vero, eius falſitas ex comparatione veri manifeſtior fit, & è contrario veritas falſitati. Et ſic modus iſte ad primum reducitur: qui eſt vtilis & laudabilis in qualibet doctrina: Vel aſſertiuè pro concluſione tanquam verum, & ſic cũ deſtruat veritatem doctrinæ & corrumpat omninò, in qualibet doctrina tanquam venenum abijciendum eſt, & tanto amplius quanto doctrina cértior fuerit & remotior à contradictione. Vnde cum ſacra doctrina ſit certiſſima in veritate, vt patet ex ſecundo huius propter auctoritatẽ eius qui errare non poteſt, omne contrarium eius omnimodò eſt repellendum; alioquin ſic apponẽs incurret plagas deſcriptas, ſuperius per Ioannem Euangeliſtam. Et hoc modo intelligendę ſunt auctoritates ſcripturarum quę prohibent additionem vel ſubtractionem ad ſacram ſcripturam. Vnde ſuper illo Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferatis ex eo,* gloſa ordinaria dicit, docet normam æquitatis, & omnem hęreſim percutit. vetat enim rectæ doctrinæ aliquid prauæ intẽtionis addere, vel aliquid veritatis ſubtrahere. Via enim regia incedendum eſt, non ad dextram, vel ad ſiniſtrã, quia rectæ viæ domini, & iuſti ambulabunt in eis. Vnde Nicolaus de Lyra: Conſiderandũ eſt, quòd hic prohibetur additio deprauans intellectum legis, non aũt additio declarans aut elucidans, ſecũdùm quod Eccleſ. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt, &c.* Similiter ſuper illo: ſermo Dei ignitus, &c. dicit gloſ. interlinearis: vt hæretici, qui corrumpunt ſcripturas, ne eis conuincantur, & Hieronymus ibidem; Ne corrũpas eloquia ſacrarum ſcripturarum, ſicut quidam hæretici, ne eis conuincerentur, feciſſe noſcuntur. Et Nicolaus de Lyra: Ne addas quidquam quod ſit eis contrariũ. poſſunt tamẽ benè & meritoriè addi illa quæ faciunt ad verba domini declaranda Eccleſ. 24. *Qui elucidant me.* ſimiliter ſuper dicto Ioan. Apocal. vlt. dicit gloſ. ordinaria: quia quoſdam ſciebat in Aſia eſſe, qui pro ſuis erroribus fouendis adderent, vel diminuerẽt, ſupponit excommunicationi. Et Nicolaus de Lyra: *Si quis appoſuerit, &c.* id eſt, diſcrepantia, ſicut faciebant hæretici, qui tempore illo addebant diſcrepantia à veritate Euangelij & aliqua diminuebant de veritate, dicebant, dicentes Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, per hoc tamẽ non excluditur quin poſſent aliqua addi licitè quę faciũt ad declarationem totius ſacræ Scripturæ, & ſic fecerũt doctores ſancti. & ad hunc modum reducitur ſi quis mandatis Chriſti dimiſſis & neglectis, alias humanas ſuperadderet traditiones, ſicut dicunt Doctores ſuper illo verbo Chriſti: *Væ vobis qui decimatis mentam ciminum & anetum, & quæ potiora ſunt legis dimittitis,* ſicut miſericordiam & iudiciũ, Matth. 23. Et alibi increpat Dominus Iudæos, dicens: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* Et per Eſaiam Prophetam: *Sine cauſa colunt me, mandata & doctrinas hominũ docentes & ſequentes.*

OCTAVA ſuppoſitio. non eſt incõueniens ſub vno & eodem textu ſacrarum literarũ eſſe plures ſenſus literales. declarat hæc S. Thomas vbi ſuprà, dicẽs, quia auctor ſacræ Scripturæ Deus eſt, qui omnia ſimul ſuo intellectu comprehendit, ideò non eſt inconueniens vt Auguſt. dicit, 12. Confeſſionum, ſi etiam ſecundùm literalem ſenſum in vna litera ſacræ Scripturæ plures ſunt ſenſus. verbi gratia, 1. Paralip. 17. ca. dicit dominus de Salomone: *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* & intelligitur de Salomone ad literam, inquantum fuit filius Dei per adoptionem in iuuentute, propter quod Nathan Propheta nominauit eum amabilem Deo, vt habetur 2. Regũ 12. Prædicta etiam auctoritas, *Ego ero illi in patrem,* inducitur ab Apoſtolo ad Hebr. 1. tanquam dicta de Chriſto ad literam, quod patet ex hoc, quia Apoſtolus inducit eam ad probandum quod Chriſtus fuit maior angelis, talis autem probatio non poteſt fieri per ſenſum myſticum, vt dicit Auguſtinus contra Vincẽtium Donatiſtam, vt ſuprà allegatum eſt. Prædicta igitur auctoritas completa fuit ad literam in Salomone, minus tamen perfectè, quia fuit Dei filius ſolùm per gratiam: in Chriſto autem perfectius, imò perfectiſſimè, qui eſt Dei filius per naturã: verba ſunt Nicolai de Lyra in prologo Bibliæ.

8. Nõ eſt inconueniens ſub vno & eodẽ textu ſacrarũ literarũ plures eſſe ſenſus literales.

NONA ſuppoſitio. Ad rectè intelligendum S. ſcripturam, ſecũdùm ſuum ſenſum literalem neceſſe eſt ſępè vt vnus & idem textus ad præcedentia vel ſubſequentia referatur, vel ad alia loca in quibus de eadem materia tractatur, quia per ipſam quandoq; exponitur, & quandoq; ſuppletur. vnde Auguſt. in lib. octoginta trium quæſtionum, quæſt. 69. ſolet circunſtantia ſcripturarũ illuminare ſententiam: quapropter in verbis Chriſti hæc regula diligenter notanda eſt, quia per eam perpendimus ſæpè an verba Chriſti figuratiuè dicta ſint an non, quia ex pręcedentibus vel ex ſequentibus ibidem, vel ſimul ex vtriſque vel alijs locis ſacræ ſcripturæ perpenditur & aperitur intellectus; ſicut ſi volũmus intelligere quæ iſtarum locutionũ figuratiua ſit & quæ non: *Ego ſum vitis vera, &c. hoc eſt corpus meum.* Ex his quæ ſubiunguntur, aperitur intellectus. Nam ad primam ſtatim ſubiunxit ad diſcipulos, *Et vos palmites.* per quam ſubiunctionẽ manifeſtè oſtenditur, quòd cùm diſcipuli ſui non eſſent palmites naturales, ſed tãtùm figurales, quòd nec ipſe erat vitis, cùm dixit, *ego ſum vitis,* niſi ſecundùm figuram. Ad ſecũdam verò ſubdit, *quod pro vobis tradetur,* per quod intelligitur, cũ ipſe verũ corpus ſuum & naturale quod traxit de virgine, tradiderit in cruce pro nobis, quòd etiam illud idem corpus quod aſſumpſit de virgine, & in quo in cruce pependit, tradiderit diſcipulis in cœna, in hoc diuiniſſimo Euchariſtiæ ſacramento. Similiter ſæpè truncata ſententia per alium paſſum ſuppletur. Nam ille textus Matt. vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit,* ſi præciſè intelligatur de fide, & de baptiſmo ſine alijs virtutibus, falſus eſt & truncatus, quia prędicta non ſufficiunt ad ſalutem, ſed oportet quod aliæ virtutes cõcurrant, & ſpecialiter Caritas, ſine qua nec Fides, nec Baptiſmus proficit ad ſalutem, vt patet per Apoſtolum. & ſimiliter facilè eſſet videre in multis alijs S. ſcripturæ locis.

9. Ad rectè intelligendum S. ſcripturam ſecundũ ſenſum literalẽ, conſideranda ſunt pręcedẽtia & ſequẽtia & alia quæque loca.

DECIMA ſuppoſitio. Ad habendum verũ ſenſum literalẽ ſacrarum ſcripturarũ, neceſſe eſt ſummo opere cũ ſtudio & diligentia attendere varium modũ procedẽdi earundem. Nam in eodem contextu verborum, ſæpè aliqua verba accipiuntur literaliter & purè grammaticaliter, & aliqua myſticè, & ſæpè vnum & idem verbũ aliter & aliter: Nam illud Marci 6. *Nihil tuleritis in via niſi virgam tantùm,* habet prædictam diſtinctionem, vbi hæc verba, *nihil tuleritis in via,* accipiuntur literaliter, & ſequentia *niſi virgam tantùm,* accipiuntur myſticè pro poteſtate accipiẽdi victui neceſſaria. Item hoc ipſum, *niſi virgam tantùm,* aliter accipitur nomine virgæ Matth. 10. Lucæ 9. Marci 6. quia in primis locis vbi Chriſtus loquitur de miſſione Apoſtolorum, accipitur virga pro baculo, aut rebus neceſſarijs humanæ ſuſtentationi. hic verò accipitur myſticè pro poteſtate accipiendi neceſſaria ab auditoribus, quam Chriſtus dedit Euangelizantibus, vnde Aug. in de conſenſu Euangeliſtarũ: Solet, inquit, quęri quomodo Matth. & Lucas commemorauerint Dominum dixiſſe diſcipulis vt nec virgã ferrent, cùm dicat Marcus: *Et*

10. Ad habendũ verum ſenſum literalẽ, oportet attẽdere diligenter ad variũ modũ procedẽdi eorum.

Aug. de conſen. Euangeliſt. lib. 2. c. 29.

pauci-

præcepit eis ne quidquã tollerent niſi virgam tantum, quod ita ſoluitur, vt ſub alia ſignificatione dictam virgã quæ ſecundùm Marcum ferenda eſt, & ſub alia quæ ſecundùm Matthæũ & Lucam non eſt ferenda, intelligamus. Potuit enim breuiter ſic dici; nihil neceſſariorum vobiſcum feratis, nec virgam, niſi virgam tantùm, vt illud quod dictum eſt, *nec virgam*, intelligatur, nec minimas quidem res: quod verò adiunctum eſt, *niſi virgam tantùm*, intelligatur poteſtas, quia per poteſtatem à Domino acceptam, quæ virgæ nomine ſignificata eſt, etiam quæ non portantur, non deerunt, & ſubdit ad propoſitum: Quiſquis autem putat non potuiſſe dominum in vno ſermone quędam figuratè, quędam propriè ponere eloquia, cætera eius inſpiciat, & videbit quàm hoc temerè ac ineruditè arbitretur. ſimiliter multi paſſus ſacræ ſcripturæ ſibi inuicem eſſent contrarij, ſi tamen ad grammaticalèm ſenſum reſpiciamus, vt patuit in prædictis locis, in quibus Matthæus & Lucas dicunt *neq; virgam*, & Marcus *niſi virgam tantùm*. Similiter Matth. vlt. pręcipitur diligi inimicus, & Luc. 14. pręcipitur odiri pater, mater, vxor, filij, fratres & ſorores. Item ſæpè ſacra ſcriptura ſub vno contextu quaſi vna perſona aliquando loquitur, nõ tamen ad idem ſingulæ partes locutionis referuntur, ſed altera ad caput, altera ad corpus refertur, ſcilicet altera ad Chriſtum, altera ad Eccleſiam, quæ eſt corpus Chriſti myſticum: ſecũdùm quem modum intelligitur id Eſaiæ 61. *Induit me veſtimento ſalutis, & indumento ſalutis circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatã monilibus ſuis*, quod enim dicitur hîc *quaſi ſponſum*, intelligitur de Chriſto capite, & id quod ſubditur, *& quaſi ſponſam*, intelligitur de ipſa Eccleſia. ſimiliter Canticorum primo: *oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino*. cùm enim dicitur, *oſculetur me*, deſiderium ſponſæ ſponſum deſiderantis exprimitur, & quod ſubditur, *quia meliora ſunt vbera tua vino*. verbum eſt ſponſi ſponſam commendantis. Quia verò myſticũm Eccleſiæ corpus eſt quaſi ſagena nondum tracta ad littus, continẽs malos permixtos cum bonis, ideò ſępè in ſacra ſcriptura mali commendantur cum bonis quibus ſunt permixti: ſicut Oſeæ 4. *puer Iſraël: & dilexi eum*, & econuerſo ſæpè boni vituperantur cum malis, ſicut Eſaiæ 1. ſcribitur: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit*. Similiter in eodem contextu, aliquando quid ad bonos pertineat, & quid ad malos, exprimitur, ſicut Cant. 1. *Nigra ſum, ſed formoſa filia Ieruſalem ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*, verba ſunt Eccleſiæ, quæ ratione malorum in ipſa contentorum dicit: *nigra ſum*, ſed ratione bonorum ſubdit: *ſed formoſa*, & quod ſubditur, quaſi pro exemplo inducitur, *ſicut tabernacula Cedar*. Cedar enim fuit filius Iſmaël, à quo deſcenderunt Saraceni, & refertur ad malos. Quod autem dicitur, *ſicut pelles Salomonis*, refertur ad bonos. Per Salomonẽ enim intelligitur ſecundùm expoſitores Catholicos & Hebræos ipſe Deus, & ideò pelles eius dicuntur quibus operiebatur tabernaculum in quo boni colebant eum. Quandoq; etiam ſacra ſcriptura in ſuo modo loquendi tranſit de ſpecie ad genus, ſiue de parte ad totum, & è cõuerſo, ſecundùm quod patet Iſaiæ 13. vbi ſpecialiter loquitur contra Babylonem, primò dicens: *Onus Babylonis*, & deinde tranſit ad intelligendũ verbum de toto mundo generaliter per hoc quod ſubditur, *à ſummitate cæli Dominus & vaſa furoris eius, vt diſperdat omnem terram*. Poſteà reuertitur ad loquendum contra Babylonem ſpecialiter, cùm dicit: *Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos qui argentum nõ quærunt, nec aurum velint, ſed ſagittis paruulos interficient, lactantibus vteris nõ miſerebuntur, & ſuper filios non parcet oculus eorum, &c.* quia Darius Medus cum Cyro nepote ſuo cepit Babyloniam, & interfecit Balthaſar Regem Babylonis, vt patet Daniel. 5. cap. Quia etiam diabolus cum malis conſtituit corpus malorum, ſicut & Chriſtus cũ bonis conſtituit corpus Eccleſiæ myſticum, dicente Gregorio homil. 10. Certè iniquorũ omnium diabolus caput eſt, & huius capitis membra ſunt omnes iniqui, ideò propter connexionem vtrorumq; adinuicem ſcriptura in eodem contextu loquens de vno, tranſit ad loquendum de altero, ſicut habetur Iſaiæ 14. vbi loquens de rege Babylonis qui erat membrum diaboli, tranſit ad loquendum de principe dæmoniorum, cùm ſubditur ibidem: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris: corruiſti in terram qui vulnerabas gentes*. & ſimiliter habetur Ezech. 24. vbi loquens de principe tranſit ad loquẽdum de diabolo, cùm ſubditur: *tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia & decore in delicijs Paradiſi fuiſti*. Sępè etiam in ſacra ſcriptura contingit difficultas ex parte temporis. quod quidẽ contingit quadrupliciter videlicet per Synecdochen: quando videlicet pars ponitur pro toto, ſicut cùm dicitur in Euangelio Chriſtus tribus diebus in ſepulchro iacuiſſe, cùm tamen prima & tertia dies non fuerint integri. Alio modo per minutiarum temporis omiſſionem, quæ aliquando in ſcriptura computantur & aliquando omittuntur: ſicut cùm aliquando ſcriptura loquens de aliquo numero annorum in pluribus locis accidit varietas, quia in vno loco numerantur minutiæ temporis, & ita videntur plures anni, in alio verò loco dimittendo dictas minutias, pauciores vidẽtur. Tertio modo contingit ex variatione termini; quia cõputatio annorum aliquando incipit in vno loco à priori termino, & in alio loco à poſteriori, vnde Geneſ. 15. ca. dictũ fuit Abrahæ *Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis*. Exod. 12. De iſta eadem peregrinatione dicitur, quòd manſio filiorum Iſrael in terra Aegypti fuit 430. annorum, quia computatio huius maioris numeri incipit à natiuitate Iſaac, quæ fuit triginta octo annis poſt egreſſum Abrahæ de Arã. Quarto verò modo contingit eo quod ſcriptura ſacra loquitur de futuro, per modum præteriti, ſicuti Iſaiæ 9. *paruulus natus eſt nobis, &c.* & hoc ad denotandum certitudinem Prophetiæ, cuius euentus de futuro eſt ita certus, ſicut iam præteriſſet, & hoc eſt propter certitudinem diuinæ præſtantiæ, ex qua fit reuelatio ipſi Prophetæ. Eſt tamen aduertendum, quòd talis modus loquendi non habet locũ niſi in Prophetia prædeſtinationis, quæ eſt quando aliquod certum cõtingens reuelatur Prophetæ eo modo, quo eſt in præſcientia Dei, quæ ita infallibiliter intuetur futura, ſicut præſentia & præterita. In Prophetia verò comminationis non habet locum, quæ eſt quando aliqua pœna reuelatur Prophetę, infligenda populis vel alicui perſonæ particulari, non ſecundùm quod eſt in Dei præſcientia, ſed ſecundùm ordinem cauſarum ſecundarum, vtpotè ſecundùm demerita hominum, ſicut eſt illa Prophetia Ionæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*. Hanc enim ſubuerſionem meruerant peccata illius ciuitatis, veruntamẽ quia talis cauſa mutabilis eſt, ideò effectus aliquando non ſequitur, ſicut in propoſito, quia Niniuitæ egerunt pœnitentiam, & ſic Dominus non inflixit eis pro tunc pœnam comminatam. Inſuper contingit difficultas in ſcriptura propter variam mutationem recapitulationis & anticipationis in narratione, quia non ſuper eo ordine geſta & facta ſcribuntur, & ideò quando proponuntur poſteriora, dicitur anticipatio, quando autẽ fit èconuerſo, dicitur recapitulatio, ſicut Geneſ. 10. dicitur de filijs Noë: *Ab his diuiſæ ſunt Inſulæ gentium in regionibus ſuis, vnuſquiſq; ſecundùm legem ſuam*. & infrà eod. cap. *Hi ſunt filij Elam in cognationibus & linguis*. poſteà 11. cap. dicitur: *Erat autem terra labij vnius & ſermonum eorundem*. ex quo patet quòd illud quod dictum eſt prius de diuiſione linguarum, dictum eſt per anticipationem ſimiliter Geneſ. 2. cap. Poſtquam Moyſes deſcripſerat creationem cœli & terræ, & diſtinctionem & ornatum partium mundi dicit: *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ in die quo creati ſunt, &c.* Ex hoc patet, quòd prædicta dicũtur hîc & referuntur, per recapitulationem. Hæ & multæ aliæ difficultates in intelligendis ſacris ſcripturis interueniũt voluntate & ordinatione diuina, cuius nutu & inſpiratione conſcriptæ ſunt, ad quarum difficultatum dilucidationem Donatiſta quidam Tyconius nomine ſeptem regulas adinuenit, quas Auguſt. 3. de doctrina Chriſtiana proſequitur, & declarat Iſidorus de ſummo bono, Nicolaus de Lyra in prologo Bibliæ, & alij multi Doctores, quorum in aperiendis prædictis difficultatibus veſtigia ſum ſecutus.

VNDECIMA ſuppoſitio. prędicta difficultas in intelligentia ſacrarũ ſcripturarũ eſt eccleſię valdè vtilis & neceſſaria, cùm propter exercitiũ ſtudioſorũ, & meritũ eorundem. Nam ſi ſingula paterent & oẽs planum haberent exceſſum ad diuina cognoſcenda & capienda myſteria, humanũ ingenium pigreſceret, & multi qui nunc in inquiſitione veritatis glorioſo labore occupantur; aut otio marceſcerent,

aut

aut ad illicita prolaberentur, nec in ſtudio earundem ſcrip- turarum, haberêt illud meritum, quod eis promittitur; tum etiam propter vitandas irriſiones infidelium, & ne etiam apud fideles eadem diuina myſteria vileſcerent. vnde Dominus ait Matth. 6. *Nolite ſanctum dare canibus, & margaritas nolite proijcere ante porcos, &c.*

12. Hac difficultate exiſtente, neceſſariò requiruntur diligentes & fideles expoſitores, qui quales eſſe debeât, explicatur.

DVODECIMA ſuppoſitio. Tali ac tanta difficultate in intelligentia ſacrarum ſcripturarum exiſtente, neceſſariò ipſæ ſcripturæ requirunt diligentes & fideles expoſitores, qui ſint prędîti ingenio, exercitati ſtudio, humiles in iudicio, & immunes ab affectato vitio. Nam ex oppoſito alterius illorũ quatuor, ſolet facillimè falſus intellectus ſcripturæ ſuboriri, vt ſi ſit homo hebetis ingenij, iners & negle- ctor ſtudij, ſi ſuperbi & arrogantis iudicij, ſi deniq; fuerit infectus & damnatus ex affectu alicuius vitij aut paſſionis, ſicut pleroſq; excæcat malitia eorũ. poſſent prædicta & quodlibet ipſorum tam auctoritatibus quàm exemplis & rationibus multipliciter declarari, quæ cauſa breuitatis, cùm ſint ex ſe nota, relinquuntur.

13. Inter expoſitores ſacræ ſcripturæ facta diligenti cõparatione præferendi ſunt quiprædictas conditiones habentes nõ habentib.

TERTIADECIMA ſuppoſitio. Inter expoſitores & declaratores ſacræ ſcripturæ ſumma cũ diligentia facienda eſt comparatio, & illi quos conſtat habere conditiones poſitas in præcedenti ſuppoſitione, pręferendi ſunt non habentibus, ſimiliter reuelationem habentes, non habentibus eam; & dona gratis data poſſidentes, cæteris paribus, nõ poſſidentibus ea. Magna enim ſtultitia & fatuitas eſt hominis, qui dimiſſis Doctoribus omni ſanctitate & deuotione feruentibus, ſummo ingenio præditis, exercitatis ſtudio, humilibus in iudicio, & omni vitio ac paſſione ſpoliatis, qui etiam in vita & poſt mortê miraculis claruerunt, & interpretãdis & exponendis ſacris ſcripturis diuinas & cœleſtes reuelationes habuerunt, ſequeretur homines rudes ingenio, neglectores ſtudij, ſuperbos & arrogantes ac præſumptuoſos in iudicio, deprauatos & infectos omni vitio, quibus à percipienda veritate humanus animus retrahitur. Sed heu impletũ eſt hodie illud quod Apoſtolus prędixerat 2. ad Timoth. 4. *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem cõuertentur.* Ex quo ſequitur quod antiqui doctores cuiuſmodi fuerũt Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, & alij qui ſimiliter prædictis conditionibus claruerunt, præferendi ſint modernis, quibus & vitæ ſanctitas, & ingenij acuitas, & cęteræ conditiones videntur noſtris peccatis defeciſſe. atq; inter modernos illi præferendi ſunt qui plures de prędictis cõditionibus participant: ac proinde conuincitur & deprehenditur quorundam arrogantia modernorum, vſurpantiũ ſibi illa de Pſalmo: *Super omnes docentes me intellexi*, & iterum; *ſuper ſenes intellexi*, & iterum: *ſuper inimicos meos prudentem me feciſti.* Sed vtinam animaduerterent ſi veræ ſint cauſæ in eis quæ iunguntur, *quia teſtimonia tua exquiſiui: quia lex tua meditatio mea eſt*: ſequitur vlterius quod incautiſſimum eſt fidelibus accipere & ſequi nouas ſcripturarum expoſitiones aut interpretationes, quas non cõmendat famoſa veterum traditio, neq; nouorũ exponentium vitæ ſanctitas, nec miraculorũ atteſtatio, nec ſinceræ veritatis puritas, nec vniuerſalis Eccleſiæ certa approbãs auctoritas. Patet, quia hoc eſt ſe exponere periculo ſalutis, cũ ignorantia legis Dei neminê excuſet: & è conuerſo omninò cautum & ſecurũ eſt in exponêdo & allegando ſacram ſcripturã inniti ſententijs antiquorũ doctorum Eccleſiæ, de quorum conditionibus & gratijs in præcedenti dicebatur: quo enim quiſque magis ratione vtitur, eo maioris auctoritatis eius verba eſſe videntur.

Pſalm. 118.

14. Ipſi quoq; doctores declarãtes ſcripturã ſacrã, aliquando dictorũ ſuorũ interpretationê recipiunt.

QVARTADECIMA ſuppoſitio. Sicut ſacra ſcriptura recipit interpretationê & expoſitionem in ſuis verbis originalibus, ſic etiam doctores exponentes eam ſæpè recipiunt interpretationê & expoſitionem dictorũ ſuorum, & comparanda ſunt dicta doctorũ & etiam vnius & eiuſdê doctoris adinuicem, & ſi aliqua contrarietas in dictis eorundem videatur, reducenda eſt ad concordiã. & ſi omninò repugnarent, tunc accipiendus eſt ille doctor cuius ſententia propinquior eſt veritati & ſenſui quem intendit auctor ſcripturarum, qui eſt Spiritus ſanctus, vel ei quem Eccleſiæ auctoritas corroborat. Similiter ſi dicta vnius & eiuſdem doctoris diſſona & contraria videantur, ea accipienda eſt pars quam doctor ex intentione proſequitur, & quæ magis appropinquare videtur veritati aut ſenſui literali quem exponit, vt ſi Auguſtinus aliquo in loco diceret communionem laicam vtriuſque ſpeciei eſſe de neceſſitate ſalutis, & alibi diceret vel ſeruaret oppoſitum, tunc laborandum eſſet vt dictus doctor ad concordiam reduceretur, vel ea pars eſſet amplectenda quam ex intẽtione proſequitur: prout facit in expoſitione ca. 6. Ioan. vbi totum illud capitulum ex intentione proſequens exponit & declarat de manducatione ſpirituali, vt clarè declarabitur in ſequentibus, &c.

15. S. ſcriptura patitur in lectoribus ſuperbis & præſumptuoſis, permittente Deo quod errent.

QVINTADECIMA ſuppoſitio. Sacra ſcriptura patitur in lectoribus ſuperbis, & præſumptuoſis, permittente Deo, quòd errent, & proteruè agant, incidantq; in varias hæreſes & errores, & hoc multiplici ratione. neq; enim omnipotens Deus & optimus hæreſes permitteret, ſicut & alia mala, niſi etiam ex ipſis poſſet & vellet meliora bona elicere, vt Aug. dicit in Enchiridio. *Diligentibus*, inquit Apoſtolus, *Deum, omnia cooperantur in bonum.* Ad Rom. 8. Nam ex ipſis fideles probantur, doctores peramplius illuminantur, electi purgantur, innocentes maiorem gloriam merentur, & humanę pręſuppoſitiones meritò puniũtur. Multi etenim tempore proſperitatis ſe putant eſſe bonos & firmos in fide, exemplo Petri, Luc. 22. qui paratum ſe dixit cum Chriſto in mortem & in carcerem ire, qui tamen tempore perſecutionis aut dubitãt, aut à fide labuntur. Quapropter inquit Apoſtolus 1. Cor. 11. *Oportet hæreſes eſſe vt qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis*, vbi gloſſa dicit; Non vult Apoſtolus nec optat vt hæreſes ſint, ſed ſic futurũ eſſe prædicit, vt quia hoc vtile eſt, idcircò ad quid ſit vtile declarans ſubdit; vt non tãtùm reprobi qui dicunt, ego ſum Pauli, ſed etiam qui probati ſunt in vobis, id eſt inter vos, ſicut illi qui dicunt, ego ſum Chriſti, manifeſti fiant hominibus: tunc etiam videtur qui ſint lolium ſeu zizania in agro Eccleſiæ. Vtiles ſunt, quia tũc Doctores plus illuminantur. vnde gloſſa Auguſt. vbi prius: multa quidem ad fidem Catholicam pertinentia, dum hęreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduerſus eos defendi poſſent, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & prædicantur inſtantius, ideoq; diuina prouidẽtia hæreticos multos eſſe permittit, vt cùm inſultant nobis, interrogant nos quæ neſcimus, excutiamus pigritiam, & diuinas ſcripturas noſſe cupiamus. Vtiles ſunt hęreſes quia per eos electi purgantur, vnde gloſ. vbi prius: omnes inimici eccleſiæ, vel errore cæcati, vel malitia deprauati proſunt, quia ſi accipiunt poteſtatem corporaliter affligendi, exercẽt eius patientiã; ſi verò malè ſentiendo aduerſantur, exercent eius ſapientiam. Ab aduerſario enim mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio. Poſtremò vtiles ſunt hęreſes, quoniam tunc videtur quomodo diuina iuſtitia humanas præſumptiones punit. Sunt enim quidam hominũ tantùm de ſuo ingenio præſumentes, vt totam rerum naturã ſe reputent ſuo intellectu poſſe metiri, vt dicit S. Thom. 1. contra gentiles, exiſtimãtes id ſolum eſſe verum quod eis videtur, & eſſe falſum, quod eis non videtur, exempli gratia ſi quis crederet intra cœlum & circulum Lunæ eſſe omnia, neceſſe haberet credere non eſſe, quidquid intra ipſum non inueniret: & ex hoc, tanto amore amplectuntur opiniones ſuas & ſectas, vt de contrarijs etiam nec cogitare velint, tantoq; odio auerſi ſunt, vt cõtraria errorum ſuorum nullatenus videre, reſpicere aut audire velint. in quibus verificatur illud Prouerb. 18. *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in eius corde.* Quare meritò huiuſmodi præſumptio nequam venit puniẽda, quia vt dicit Apoſtolus ad Rom. 1. de Romanis & ſapientibus paganorum: *Cùm cognouiſſent Deum non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerũt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* vbi gloſſa: obſcuratum eſt cor, id eſt, ratio tumore ſuperbię obumbrante, & ſic paulatim vſque ad inſipientiam cor eorum deductum eſt. Nebula enim erroris cõtexit cor eorum. Vnde Leo Papa ait: quid iniquius eſt quàm iniqua ſapere & ſapientibus doctoribus non credere? Sed in hanc inſipientiam cadunt quicunq; ad cognoſcendum veri-

tatem aliquo impediuntur obſcuro, non autem ad Propheticas voces, nec ad Euangelicas auctoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt, & ideo Magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuerunt.

16 Scriptura ſacra in ſui receptione, & authentica expoſitione, ſicut & doctorũ explanationes reſoluuntur in receptionem & approbationẽ eccleſiæ.

VLTIMA ſuppoſitio pro præſenti ad noſtrum faciens propoſitum: ſcriptura ſacra in ſui receptione & expoſitione authentica atque intellectum eiuſdem, plano & vero, necnon & cuiuſcunque doctoris Catholici expoſitio, intentio ſiue ſententia ad fidem Catholicam pertinens, finaliter reſoluitur in auctoritatem, receptionem & approbationem vniuerſalis Eccleſiæ, tamquã in primum & vniuerſaliſſimum doctrinæ & ſcientiæ fidei principiũ ad quod probandum ex eiſdem fundatis auctoritatibus in æternum, & veritatibus eiuſdem ſacræ ſcripturæ procedemus diuina gratia & Spiritusſancto dirigente, qui eſt in ſecula ſeculorũ benedictus, amen. Et hæc de ſuppoſitionibus generalibus dicta ſunt pro præſenti.

Prima ſpecialis de Euchariſtia ſuppoſitio.

In Sacramẽto Euchariſtiæ eſt verum corpus Chriſti & ſanguis, licet nec ſenſu, nec ratione poſſit deprahẽdi.

QVANTVM verò ad ſuppoſitiones ſpeciales & proprias præſentem quæſtionem diuiniſſimæ Euchariſtię concernentes, primò ſupponitur tamquam articulus fidei, quod in ſacramento diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſit verũ corpus Chriſti & ſanguis, licet nec ſenſu nec ratione poſſit deprehendi. Hanc ſuppoſitionem doctor ſanctus 3 parte ſummæ quæſt. 75. artic. 1. triplici ratione declarat. Prima ſumitur ex perfectione nouę legis reſpectu veteris, quia ſacrificia veteris legis illud verum ſacrificium paſſionis Chriſti ſolum in figura continebant, ſecundum illud ad Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum non ipſam imaginem*, & ideo oportuit vt aliquid plus haberet ſacrificium nouæ legis à Chriſto inſtitutum, vt ſcilicet ipſum Chriſtum paſſum non ſolum in ſignificatione, vel figura, ſed etiam in rei veritate contineret. Quare ratione perfectionis nouæ legis & ſacramentorum eiuſdem, neceſſarium eſt dicere quod hoc ſacramentum Euchariſtiæ ipſum Chriſtum contineat realiter, vnde Dionyſius dicit 4. cap. Eccleſ. Hierarchiæ, quod eſt perfectiſſimum omnium ſacramentorum aliorum, in quibus virtus Chriſti participatur. Secunda ſumitur ex perfectione caritatis & amicitiæ qua ipſe dominus Ieſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ cõiungitur, ex qua prouenit, vt ſicut pro ſalute noſtra corpus verũ naturæ aſſumpſit, & in eadem pro nobis paſſus eſt, ita etiam cum eodem corpore nobiſcum & cum Eccleſia maneat in æternum. Nam vt dicit Philoſophus in Ethicis maxime proprium eſt amicitię conuiuere amicis, & quia in propria ſpecie ſecundum ſtatũ mortalem, non erat conueniens, vt maneret nobiſcum in æternum, tum propter redemptionem noſtram peragendam, tum etiam vt reſurrectione ſua futuram noſtram reſurrectionem aſtrueret: nec etiam ſecundum ſtatum gloriæ congruebat, cùm ſit alterius conditionis incõparabiliter diſtans à natura, neceſſarium nobis & opportunum fuit & congruũ ſuæ immenſæ bonitati, caritati & amicitiæ, vt ſaltem ſub aliena ſpecie in propria tamẽ corporali præſentia, ſemper & in æternum maneret cum Eccleſia vt ſic per veritatem corporis & ſanguinis ſui nos ſibi in hoc ſacramento coniungeret. Vnde & ipſe Dominus dicit Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vnde hoc ſacramantum eſt ſignum maximæ caritatis Chriſti ad nos, & noſtræ ſpei ad Chriſtum ſubleuatio ex tam familiari coniunctione ipſius & nos. Tertia ratio ſumitur ex perfectione fidei, quæ ſicut eſt de diuinitate Chriſti, ita eſt etiam de eius humanitate, ſecundum illud, Ioan. 14. *Creditis in Deũ & in me credite*, & quia fides eſt inuiſibilium. Idcirco ſicut Chriſtus dum erat in hoc ſeculo diuinitatem ſuam exhibebat diſcipulis humanitate velatam inuiſibiliter, ita & in hoc ſacramento carnem ſuam ſimul & diuinitatem alienis ſpeciebus velatam modo exhibet inuiſibili: Prædicta veritas ex verbis Chiſti patet, qui ait: *hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.* Manifeſtum eſt autem quod Chriſtus verũ corpus ſuum reale & naturale pro nobis tradidit, in cruce & in morte: Ergo illud idem quod ſic tradidit, dedit diſcipulis, quando dixit, *Hoc eſt corpus meum.* Item idem patet per Apoſtolum Paulum. 1. Cor. 11. *qui manducat & bibit indignè, iudiciũ ſibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini*, vbi expreſsè Paulus non dicit, non dijudicans figuram corporis Domini, ſed ſimpliciter corpus Domini: propterea ſi eſſet ibi corpus Chriſti ſecundum ſolam ſignificationem ad quid oporteret dijudicare hunc cibum ab alijs? quia quilibet panis eadẽ ratione poſſet ſignificare & ſignificat corpus Chriſti. Oportet igitur ponere quod ſit ibi verum corpus Chriſti: Ad hanc veritatem Catholicam aſtruendam corroborandam & cõfirmandam eſt auctoritas Eccleſiæ, quæ ſemper tenuit, tenet & tenebit in æternum, tam diu quàm diu hic mundus durabit, quod in hoc diuiniſſimæ Euchariſtię Sacramento ſit verus totus & integer Chriſtus, quę veritas fide tenetur omniũ Chriſtifidelium, approbatur doctrina vniuerſorum ſanctorũ doctorũ Eccleſiæ, & innumeris miraculis exſtitit declarata, quæ oĩa peto hîc haberi pro repetitis gratia breuitatis.

2. In eodem Sacramẽto, poſt cõſecrationẽ, nullo modo remanet, nec remanere põt panis & vini ſubſtantia.

SECVNDO ſupponitur, quod in eodem diuiniſſimæ Euchariſtiæ Sacramento poſt conſecrationem nullo modo remanet nec remanere poteſt panis & vini ſubſtantia; ꝙ Doctor ſanctus declarat in 4. ſentent. diſt. 10. q. 1. triplici ratione. Prima, quia eſt contra veritatem ſcripturæ: nam ſi ſimul in hoc ſacramento eſſet corpus Chriſti cum ſubſtantia panis, corpus Chriſti eſſet ibi concomitanter & quaſi in loco, & ſic cum pronomẽ *hoc*, ſit demonſtratiuum ſubſtantiæ, Chriſtus falſum dixiſſet porrigẽs panem, *hoc eſt corpus meum*, & debuiſſet potius dixiſſe cum hoc vel hic eſt corpus meũ. Quia igitur eſt contra veritatem verborum Chriſti, vt dicit idem doctor omninò eſt hæreticum dicere ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem remanere. Secunda quia ſic dicere eſſet dare occaſionẽ idololatriæ populo Chriſtiano. Nam cum huic ſacramento exhibeatur veneratio latriæ ■ tioqe præſentiæ domini noſtri Ieſu Chriſti in ipſo exiſtẽte; ſi ibi remaneret ſubſtantia panis & vini cum ſpecies extrinſecæ ſint ſacramento corporis Chriſti vtique non ducerent in verum corpus Chriſti per modum ſigni: ſed magis in ſubſtantiam panis, & ſic homines vnum pro reliquo adorarẽt, quod eſſet maximũ inconueniens & omnino importabile. Tertia qa manẽte veritate in hoc ſacramẽto corporis Chriſti prout prima ſuppoſitio præſupponit, impoſſibile eſt eãdem ſubſtantiam panis & vini remanere. Nam manifeſtum eſt quod ante conſecrationem ibi corpus Chriſti non eſt, oportet igitur quod virtute conſecrationis incipiat eſſe, vbi prius non erat. Non poteſt autẽ aliquid eſſe alicubi vbi prius non erat, niſi aut per loci mutationem, vel per alterius conuerſionem in ipſum: ſicut in domo aliqua de nouo incipit eſſe ignis aut quia illuc defertur, aut quia ibi generatur. Manifeſtum eſt autem quod corpus Chriſti non incipit eſſe in hoc ſacramento per motum localem, quia ab extrinſeco adueniret: primò quidem quia ſequeretur quod non remaneret in cœlo; non enim quod localiter mouetur peruenit de nouo ad aliquem locum niſi deſerat priorem. Secundò quia omne corpus localiter motũ, pertranſit omnia media, quod hîc dici non poteſt. Tertiò, quia impoſſibile eſt quod vnus motus eiuſdẽ corporis localiter moti, terminetur ſimul ad diuerſa loca, cũ tñ in pluribus locis corpus Chriſti ſub hoc ſacramento ſimul eſſe incipiat, & propter hoc relinquitur, quòd non poſſit aliter corpus Chriſti incipere eſſe de nouo in hoc ſacramento, niſi per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum; quod autem conuertitur in aliquid, facta conuerſione non manet. vnde relinquitur quod ſalua veritate huiꝰ ſacramenti ſubſtantia panis poſt conſecrationem remanere non poteſt, nec tamen ſubſtantia panis in præiacentem materiam, vt quidam poſuerunt, nec etiam in nihilum conuertitur, vt alij dixerunt, quia, ſi ſic, vel ſic fieret, non eſſet dare aliquem modum per quem corpus Chriſti verum inciperet eſſe in hoc ſacramento niſi per ſolam ſubſtantiæ panis conuerſionem in ipſum corpus Chriſti, vt clarè deducit idem doctor 3. ſummæ eadem quæſt. artic. 3.

3 Accidẽtia panis & vini in hoc ſacramẽto, poſt conſecrationẽ, remanent ſine ſubiectio.

EX prædictis ſequitur tertia ſuppoſitio: videlicet ꝙ accidentia panis & vini quæ ſenſu deprehenduntur in hoc ſacramento poſt conſecrationem remanent ſine ſubiecto. Nam ex quo ibi fides Catholica ponit eſſe verũ corpus Chriſti, vt dicit prima ſuppoſitio, nec remanet ſubſtãtia panis, vt dicit ſecunda, oportet quod remaneant ſine ſubiecto: quia ſi remanerent in ſubiecto aut remanerent in ipſo cor-

pore Chriſti, aut in aere, aut in aliqua alia ſubſtantia, ſed nó poterit dici primum, quia corpus humanú nullo modo poteſt aſſici huius modi accidentibus. neque etiam eſt poſſibile quod corpus CHRISTI glorioſum & impoſſibile exiſtens alteretur ad ſuſcipiendas huius modi qualitates: nec poteſt dici ſecundum, quia aer non eſt huius modi accidentium ſuſceptiuus, quia etiam accidens nó tranſit de ſubiecto in ſubiectum, vt ſcilicet idem accidés numero ſit quod primò fuit in ſuo ſubiecto, poſtmodum fiat in alio: accidens enim accipit numerum à ſubiecto. vnde nó poteſt eſſe quod idem numero manens ſit quandoque in hoc, quandoque in alio ſubiecto, & videmus etiá ad oculum, quod cum huiuſmodi accidétia transferantur de loco ad locum, ad motum harum ſpecierum aer depellitur, quod vtique nó fieret ſi in ipſo aere exiſterét, ſicut in ſubiecto, nec poteſt dici quod remaneát in aliqua alia ſubſtátia pari ratione ſicut nec in ſubſtátia panis, vt ſuperius dictum eſt, cum ibi nulla remaneat. nec hoc eſt inconueniens diuinæ omnipotentiæ & ſuæ ſapientiæ; cùm enim effectus magis dependeant à cauſa prima quam à cauſa ſecunda, vtiq; nulli dubium poteſt eſſe, quod Deus qui eſt prima cauſa ſubſtantiæ & accidentis poſſit ſua virtute infinita conſeruare ineſſe accidens, ſubtracta ſubſtátia, per quam ineſſe cóſeruabatur, ſicut per cauſam ſecundá: ſicut & in genere cauſæ efficientis poteſt alios effectus naturalium cauſarum producere, ſine eiſdem cauſis naturalibus, quemadmodú corpus humanum formauit ſine virili ſemine, in vtero virginis. Has tres ſuppoſitiones de veritate noſtri diuiniſſimi ſacramenti volui proponere duplici de cauſa. prima eſt quia ad ſequentia multum mihi deſeruient, ſecunda eſt ad aliqualiter aperiendam maledictę & damnatiſſimæ memoriæ hæreſiarchę Io. VVicleiſ perfidiá, qui quantum in eo fuit, nó diuino ſed diabolico ſpiritu inſpiratus viſus eſt tollere à cordibus fidelium fidem huius venerabilis ſacraméti, & ſubuertere vniuerſam fidem & Eccleſiam Catholicam, ponens in forma tres concluſiones cótrarias prædictis tribus veritatibus Catholicis, videlicet: Chriſtus non eſt in eodem ſacraméto identicè & realiter, in propria præſentia corporali, cótra primam. Subſtantia panis materialis & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanent in ſacraméto altaris, contra ſecundam. Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in eodem ſacramento, cótra tertiam. Quæ ſententiæ & propoſitiones quàm ſint aduerſæ fidei, quàm ſint blaſphemæ in Deum vtpote eiuſdem omnipotétiæ, ſummę ſapientiæ, & ſummæ bonitati derogantes quàm ſint piarum aurium offenſiuæ, quátum derogent ipſius Eccleſiæ Catholicæ & ſacramétorum eiuſdem dignitati, quis ſufficiat enarrare, cum etiam horror ſit nedum loqui aut audire tantas in Deum & Eccleſiam blaſphemias, ſed nec etiam pijs mentibus cogitare: O hominem iniquitate plenum, omnium errore ſeductum, omni inuidia ſauciatum, omni blaſphemia ſordidatum: tibi profecto competit illa Apoſtoli ſententia q̄ Act. 14. c. protulit: *O plene omni dolo, & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iuſtitia, nō deſinis ſubuertere vias Domini rectas.*

4.
In ſacraméto Euchariſtiæ tria ſunt cóſiderāda, videlicet, id q̄ eſt ſacramentum tātum; id quod eſt res & ſacramentú ſimul; id quod eſt res tantú & non ſacraméntú.

QVARTA ſuppoſitio. Sciendum quod ſecundum Magiſtrum ſentent. in 4. diſt. 8. in ſacraméto Euchariſtiæ tria ſunt conſideranda. videlicet id quod eſt ſacramentum tantum, id quod eſt res & ſacramentum ſimiliter & id quod eſt res tantum & non ſacramentum. Primum eſt ſpecies viſibilis panis & vini quæ poſt conſecrationem manet. Secundum eſt corpus Chriſti verum. Tertium eſt corpus Chriſti myſticum. Primum dicitur ſacramétum quia ſacræ rei ſignum, huius autem ſacramenti duæ ſunt res, quarú prima eſt contenta & ſignata, atq; ſignificans, & ideo eſt res ſimul & ſacramétum, & hæc res eſt caro Chriſti quam de virgine traxit, & ſanguis quem pro nobis in cruce fudit, quę res ſignificatur p̄ ſpecies viſibiles panis & vini, & veraciter ſub eiſdé cótinetur. & hoc corp⁹ Chriſti eſt figura corporis Chriſti myſtici, & ipſú ſignificat. Alią verò res huius ſacramenti eſt corp⁹ Chriſti myſticú per ipſum ſacramentú, ſignificatú ſed nó cótentú ſub eo realiter: nec aliquid aliud ſecundú ſe ex vi huius ſacramenti ſignificans, & ideo eſt res tantum & non ſacramentum. Vnde Innocentius in ſumma de officio miſſæ vbi dicit; tria quippe in hoc ſacramento ſunt diſcreta, videlicet, forma viſibilis, veritas corporis, & virtus ſpiritualis. Forma panis & vini, veritas caro & ſanguis, virtus vnitas & charitas. Primum oculo cernitur, ſecundum anima creditur, tertium corde percipitur. primum eſt Sacramentú & non res. ſecundum eſt Sacramentum & res. tertium eſt res & non Sacramentum, ſed primum eſt Sacramentum geminæ rei. ſecundum verò Sacramentum vnius eſt & res alterius. tertium verò eſt res gemini Sacramenti. Nam forma panis vtramque carnem Chriſti ſignificat, id eſt veram & myſticam, ſed veram carnem continet & ſignificat, myſticam vero ſignificat, ſed non continet. Item ſciendum quod ſecundum prædictam duplicem rem huius Sacramenti, eſt duplex caro Chriſti ſiuę corpus, vna quam ſumpſit & traxit de virgine & ſanguis qui fuſus fuit in cruce p̄ nobis; de hac carne dicitur Lucæ vlt. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* De ſanguine verò dicit Ioan. 19. *& continuò exiuit ſanguis & aqua.* Alia verò caro & ſanguis Chriſti eſt ſpiritualis & myſtica; id eſt, corpus Chriſti myſticum, cuius corporis caput eſt ipſe Chriſtus, reliqui verò fideles ſunt membra, de quo inquit Apoſt. 1. ad Cor. 12. *Sicut enim corpus vnum eſt & membra multa habet, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum corpus ſunt: ita & Chriſtus, etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnū corpus Baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles ſiue Serui, ſiue Liberi, & omnes vno ſpiritu potati ſumus,* & infra: *vos autem eſtis corpus Chriſti, & mēbra de membro,* nec eſt vis quod in prędicta diſtinctione in vno membro dicitur caro, in alio vero corpus: quia in hoc Sacramento idem ſignificant. Vnde & Saluator noſter in inſtitutione huius Sacramenti dixit: *hoc eſt corpus meum,* & Ioan. 6. *caro mea verè eſt cibus.* Corpus etiam myſticum Chriſti dicitur caro Chriſti, vt dicit Magiſter ſententiarum in 4. Hanc diſtinctionem duplicis carnis ſiue corporis Chriſti tangit Auguſtin. 3. de Trinitate, dicens: *Commendauit enim Chriſtus in hoc ſacramento corpus & ſanguinem ſuum, quod etiam fecit & nos ipſos, namq; & nos ipſius corpus facti ſumus.* Et habetur de conſecr. diſt. 2. commendauit. Et ſimiliter Hieronymus ſuper Epiſtolam ad Epheſ. & ponitur in gloſſa 1. Corinthiorum ita dicens: *dupliciter intelligitur caro Chriſti & ſanguis, vel ſpiritualis illa atq; diuina de qua ipſe ait: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et niſi manducaueritis carnem meam & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: vel ea quæ crucifixa eſt, & ſanguis qui militis effuſus eſt lancea:* & ponuntur hæc verba de conſecrat. diſt. 2. dupliciter: huius itaque geminæ carnis Chriſti ipſa viſibilis ſpecies ſacramentum eſt, quia vtramque ſignificat & vtriuſque ſimilitudinem gerit. Sicut enim panis præ cæteris cibis corpus reficit & ſuſtentat, vinum hominem lætificat atq; inebriat: ſic vera caro Chriſti & eius ſanguis plus cæteris ſacramentis, gratijs interiorem hominem reficit & ſaginat. Similiter ſicut ex multis granis perficitur vnus panis, & ex plurimis racemis vinum in vnum cófluit: Sic ex multis fidelium perſonis, vnitas Eccleſiaſtica conſtat, & conſtituitur corpus Chriſti myſticum. vnde Apoſtolus 1. Cor. 10. dicit: *vnus panis & vnum corpus multi ſumus.* ſuper quo & Auguſtinus: vnus panis & vnum corpus dicitur Eccleſia pro eo, quod ſicut vnus panis ex multis granis & vnum corpus ex multis membris componitur, ſic Eccleſia ex multis fidelibus caritate copulante connectitur. Similiter ipſa vera caro Chriſti aut eius verus ſanguis, eſt carnis Chriſti myſticæ & ipſius ſanguinis myſtici ſignum & ſacramentum. Sicut enim vera caro Chriſti ex multis membris puriſſimis & immaculatis conſtat, ſic caro Chriſti myſtica, quæ eſt ſocietas Eccleſiaſtica ex multis perſonis à criminali macula, erroris ſcilicet vel operis liberis conſiſtit.

Duplex corpus Chriſti.
Verum.
Myſticú.
cap. 1.

5.
Triplex eſt mãducatio hui⁹ ſacraméti ſpecierú, veræ carnis Chriſti & carnis myſticæ.
Prima purè corporalis. Secunda, ſacramentalis.

QVINTA ſuppoſitio: quod ſecúdum tria prædicta quę in hoc ſacramento attenduntur, triplex eſt manducatio huius ſacraméti & ſumptio. Scilicet ſpecierum, veræ carnis Chriſti, & ipſius carnis myſticæ. Prima manducatio eſt purè corporalis, qua hoc ſacramétum comeſtum maſticatur & in ſtomachum trahitur, & ſimiliter bibitum, & poſtea digeritur, & vltimò in ſubſtantiam ſumentis conuertitur. Et ſic verè manducantur & bibuntur illæ ſpecies, ſub quibus veraciter continetur verum corpus Chriſti. Alia verò manducatio eſt ſumptio veri corporis & ſanguinis Chriſti ſub dictis ſpeciebus panis & vini contentis. Et hæc

mandu-

manducatio dicitur ſacramentalis,de qua dicitur Mat .h.26. *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum*, & ibidem: *bibite ex hoc omnes*.Et iſta mãducatio fit dupliciter. Vno modo in ſacrificij oblatione. Luc.22.*hoc facite*,id eſt conficite, *in meam commemorationem*,& ſic fit ſub duplici ſpecie. Alio modo fit in laica ſiue in ſimplici communione. Et illa ſecundum diſpoſitionem & obſeruantiam Eccleſiæ fit ſub vna ſpecie tãtum.Et prædictæ duæ manducationes pertinent ad os corporis. Tertia manducatio & bibitio eſt ſpiritualis, & hæc ad os animæ pertinet. Et hæc eſt duplex ſecundum quod duplex eſt res huius ſacramenti. Prima primæ rei ſcilicet verę carnis & veri ſanguinis Chriſti, & hæc eſt deuota cogitatio ſeu meditatio paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſiue ipſius Chriſti ſecundum quod ſub hoc ſacramento continetur,cum vero ſuo corpore & ſanguine,in quo multiplicem ſuſtinuit paſſionem & quem pro nobis in ara crucis fudit. Et hanc ipſam cogitationem ſeu meditationem ſequitur ipſius recogitantis vnio transformatiua ad ipſum cogitatum per actum amoris. Vnde hanc ad manducationem ſpiritualem ſicut in corporali,duo requiruntur: ſcilicet maſticatio & incorporatio. Primò enim requiritur quod homo in fide vera recogitet deuotè paſſionem Chriſti, cuius memoriale eſt hoc venerabile ſacramentum, & hoc ſufficit quo ad minores ſeu vulgares. Sed quo ad maiores, vltra hoc requiritur,quod deuotè recogitẽt quomodo ſub illis ſpeciebus eſt realiter & verè corpus Chriſti, Deus & homo, cum ſuo ſacratiſſimo corpore,quod pro nobis expoſuit tam multiplici paſſioni.Et quod illud ex ineſtabili ſua bonitate dedit nobis in cibum animarum noſtrarum & cætera,quæ in hoc ſacramento mirabilia opera pietatis continentur. Et talis deuota recogitatio maſticationi correſpondet. Secundò requiritur quod recogitans vniatur per actum amoris ipſi cogitato ſcilicet Chriſto Domino, & in ipſum per amorem quantum poteſt transformetur.Et hoc incorporationi correſpondet. Secunda manducatio ſpiritualis, quæ in hoc ſacramento tertiò principaliter attenditur, & bibitio,quæ eſt ſecundæ rei,eſt conſecutio vnionis ſeu adeptio per fidem & caritatem ad membra Eccleſię & cum Chriſto capite,quam vnionem tam ſacramentum quàm prima res huius ſacramenti ſignificat. Differentia inter prædictas manducationes eſt,quia prima habet veram & omnimodam rationem corporalis manducationis,vt dictum eſt,cæteræ verò non:quia caro Chriſti vera ſumpta ſacramentaliter, nec laceratur dẽtibus,nec ſecundum ſaporem guſtum immutat,nec conuertitur in corporale manducantis nutrimẽtum. Similiter nec aliæ duæ ſpirituales,quia nec Chriſtus dum recogitatur eius paſſio,aut dum ſibi mens vnitur per amorem, comeditur, aut materialibus dentibus premitur; nec ſimiliter corpus Chriſti myſticum dum quis ſibi vnitur per fidem & caritatem: intelliguntur tamen & dicuntur prædictæ manducationes per aliquam ſimilitudinem ad manducationem corporalem.Sicut enim cibus corporalis nutrit,augmentat, reficit,confortat,& ſuſtentat corpus, & vitam conſeruat: ſic & ſumptio corporis Chriſti ſiue veri in ſacramento, & recogitati per deuotionem; ſiue etiam myſtici per fidei & caritatis vnionem,animam nutrit,augmentat,& conſeruat in vita ſpirituali, differunt tamen & per contrarium ad manducationem corporalem,quia cibus corporalis ſumptus in ſumentem & manducantem conuertitur. Sed Chriſtus dignè ſumptus, ſiue ſacramentaliter, ſiue ſpiritualiter, non in ſuſcipientem conuertitur, ſed potius ipſe ſumens in Chriſtum transformatur,ſiue conuertitùr. Vnde Auguſt.in libr. ſuarum confeſſionum dicit: *Quaſi audirem vocem Dei de excelſo dicentem:cibus ſum grandium, creſce & manducabis me, nec tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Similiter in manducatione corporis myſtici, ſumens nõ ſibi corpus myſticũ incorporat, ſed potius ipſi corpori myſtico & Chriſto capiti coniungitur & in ipſum transformatur & incorporatur.Item differentia eſt inter manducationem ſacramentalem & ſpiritualem: quia manducatio veræ carnis fit ore corporali, vt dictum eſt, ſub ſpeciebus ſacramentalibus: manducatio verò ſpiritualis fit ore animæ ſiue intellectu & voluntate, per fidem & caritatem. Per hæc enim habitat Chriſtus in nobis & nos in ipſo tamquam mẽbra coniuncta capiti, ſecundum illud ad Epheſ. 3. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris*,& prima Ioh. 4.*Deus caritas eſt & qui manet in caritate, in Deo manet & Deus in eo.* Prima manducatio poteſt eſſe bona & digna, & etiam indigna, & tunc ad iudicium,ſecunda autem ſemper eſt bona. Prima exigit ſecundam,vt ſit ad ſalutem,ſecunda eſt ſola ſufficiens & neceſſaria ad ſalutem. Prima vocatur ſacramentalis, ſine qua multi Martyres ſancti & paruuli ſaluati ſunt. Secunda verò vocatur ſpiritualis, ſine qua nullus ſaluatur. Vltimò notandum eſt, quod licet neceſſarium ſiue neceſſitas tam à Theologis quàm à Philoſophis & præcipuè ab Ariſtotele in quinto Metaphyſicæ, multipliciter diſtinguatur, tamen quantum ad præſentem ſpectat materiam neceſſarium reſpectu finis eſt tripliciter diſtinguendum, quia aliquid dicitur neceſſarium reſpectu finis ſimpliciter & abſolutè, id ſcilicet, ſine quo nullo modo poteſt finis obtineri. Alio modo ex conditione ſiue ex pacto, ſiue ex ſuppoſitione. Tertio modo neceſſarium accipitur pro vtili & expedienti: ſicut reſpectu finis qui eſt æterna felicitas,conſequendi aliquid dicitur neceſſariũ eſſe abſolutè & ſimpliciter, ſ. ipſa diuina volitio,ſine qua impoſſibile eſt ſimpliciter & abſolutè dictã felicitatẽ cõſequi. Aliquid ex ſuppoſitione,& ex cõmuni lege,ſicut eſt Baptiſmus,de quo habetur Ioh.3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ poteſt intrare in regnũ Dei.* Qui quidem baptiſmus non eſt ita neceſſarius ad conſequendũ vitam æternam ſicut diuina volitio, quia DEVS non ſic ſuam potentiam alligauit ſacramentis, vt ſine ipſis non poſſit aut non valeat dare & conferre vitam æternam cui voluerit. Aliquid autem dicitur eſſe neceſſarium reſpectu dicti finis non ſimpliciter & abſolutè, nec ex ſuppoſitione, ſed ſecundum quid, qui etiam ſine eo poteſt finis obtineri, licet non ita expeditè & de facili: cuiuſmodi dicimus conſilia Chriſti eſſe neceſſaria, id eſt, vtilia ad æternam vitam conſequendam, quia per ipſa facilius & expeditius od dictũ finem poteſt homo peruenire.

Tertia ſpiritualis quæ duplex eſt

Differẽtia harũ mãducationum.

Neceſſitas reſpectu finis triplex.

Abſoluta.

Ex ſuppoſitione.

Ex vtili & faciliori modo.

ISTIS præſuppoſitis: venio ad ſecundam partem principalem propoſitæ quæſtionis, videlicet ad proponendas concluſiones,pro eiuſdem quæſtionis deciſione, & erũt tres in numero tantummodò, quarum prima ſit iſta: Communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſub ſpecie vtraque ſcilicet panis & vini, toti credentium populo nõ eſt neceſſaria,primo modo accepta neceſſitate.Secunda concluſio: communio diuiſſimæ Euchariſtiæ ſub ſpecie vtraque panis ſcilicet & vini,non eſt neceſſaria toti credentium populo, ſecundo modo accepta neceſſitate, nec à dño præcepta Saluatore. Tertia concluſio:communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſub ſpecie vtraq; panis ſ. vini conſuetudine & ſtatuto Eccleſiæ ſtantibus In oppoſitum non eſt multum vtilis nec ſaluti expediens toti credẽtium populo,imo eſt multum inutilis eidem nociua.Probationi primæ concluſionis nõ intendo inſiſtere,cùm ſit quaſi per ſe nota, quia Deus non aligauit ſuã potentiam ſic ſacramentis,vt abſq; illis non poſſet & valeat ſaluare,cum voluerit, niſi forte aliquis VVichlefiſta vellet dicere,quod omnia ex neceſſitate proueniãt.Ex quo ſequeretur,quod ſolùm per hãc viam ſacramentorum Deus poſſet ſaluare & non aliter, à quo errore peſtifero quiã video magiſtrum Ioannem qui hunc articulum propoſuit longè remote poſitũ.Idcirco in hac materia me non extendo, ſed pergo ad 2.q. in qua conſiſtit pondus belli, diei & æſtus:quã iterum replico, videlicet communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſub ſpecie vtraq; panis ſcilicet & vini,non eſt neceſſaria toti credẽntium populo,ſecundo modo accepta neceſſitate, nec à Domino præcepta Saluatore: probatur hæc concluſio ſic.laicis & non conficientibus ſufficit ad ſalutem ſumere prædictum ſacramentum ſub vna ſpecie. ergo non eſt de neceſſitate ſalutis neque de præcepto Chriſti ſumere ſub vtraque. conſequẽtia nota eſt, quia ſi vna ſufficit, ſequitur quod altera non ſit neceſſaria neque de præcepto Chriſti,vt patet ex rationibus ſufficientiæ,& neceſſarij atq; præcepti. Aſſumptum probatur primo per legem diuinam, deinde per praxin Chriſti,per praxin Apoſtolorum & primitiuæ Eccleſiæ,tertio per ſacra generalia Concilia. Quarto per dicta ſanctorum doctorum veraciter ſe in lege diuina fundantium. Pòſt ſubiungentur cauſę aliquę & rationes pro concluſione intenta. Et primò per legem diuinam tam noui quam veteris teſtamenti. Nam in noua lege Chriſtus lo-

Communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſub vtraq; ſpecie, ſ. panis & vini toti populo credentium nõ eſt neceſſaria primo modo accepta neceſſitate.

Nec ſecũdo modo eadem cõmunio ſtãtibus conſuetudine & ſtatuto Eccleſiæ in oppoſitum, nõ eſt multũ vtilis vel expediẽs.

Probatio primæ cõcluſionis.

Probatio ſecundæ cõcluſionis per legẽ diuinã.

> Chriſtus Io.6.15. vicibus fecit mentionẽ de hoc ſacramẽto de pane in mãducatione vndecies, de carne & ſanguine quater, de vino nunquam.

quens de hoc ſacramento ſecundum intentionem aduerſariorum. Ioan. 6. quindecim vicibus vel forte pluribus fecit mentionem de hoc ſacramento diuiniſſimo, de pane quidẽ & de manducatione tantum vndecim vicibus, dę manducatione verò carnis & bibitione ſanguinis quater. De vino verò in toto proceſſu illo non fecit mentionem, ad oſtendendum manifeſtè, quod ſumere ſub altera ſpecie tantum, ſcilicet ſub ſpecie panis, ſufficit ad ſalutem, & quod ſub ipſa ſpecie panis continetur vera Caro Chriſti, & verus ſanguis ipſius. vnde inquit, *Operamini cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis, hunc enim pater ſignauit Deus*. Ecce primum teſtimonium in quo nullam mentionem facit de potu, & dicit cibum permanere & ſufficere in vitam æternam. Item *non Moyſes dedit vobis panem de cælo, &c.* Ecce ſecundum teſtimonium in quo hic cæleſtis panis præfertur mannæ dato per Moyſen, quod inter huiuſmodi cibos corporales habebat omnem ſaporem ſuauiſſimum, nec erat verus panis, & quod hic ſcilicet, de quo Chriſtus loquitur, eſt panis verus: vbi iterum nulla mentio fit de potu, aut de vino. Item *panis enim verus eſt qui de cælo deſcendit & dat vitam mundo.* Ecce tertium teſtimonium de pane qui dat vitam mundo & nihil dicit de vino: Item: *ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet vnquam.* Ecce quartum teſtimonium de pane vitæ manifeſtiſſimum, qui non ſolum tollit eſuriem, ſed etiam ſitim vt eadem ratione ſicut cibus dicitur, & eſt, ſic etiam & potus dicatur. Item quinto: *ego ſum panis vitæ: patres veſtri mãducauerunt manna in deſerto & mortui ſunt*. Ecce iterum dicit ſe panem vitæ & nulla mentio fit de vino. Item ſexto: *hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo mãducauerit, non moriatur*: Item ſeptimo: *ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*. Item octauò: *& panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*. Item nonò: *Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi primò incipit mentionem facere de bibitione ſanguinis, nullam tamen mentionem faciens de ſpecie vini. Item decimò: *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. Item vndecimò: *caro mea vere eſt cibus & ſanguis meus vere eſt potus*. Item duodecimò: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo*, in quibus ſolum quatuor locis mẽtio fit de potatione ſanguinis, & nullo modo de potatione vini. Et cum ſub ſpecie panis contineatur totus & integer Chriſtus, manifeſtum eſt, quod qui ſumit ſub vna ſpecie, ſumit vtrumque, ſcilicet carnem & ſanguinem, & adimplet Domini mandatum: *niſi manducaueritis, &c.* Dato quod de ſacramentali ſumptione intelligeretur. Deinde redit ad priſtinum modum loquendi ſcilicet de ſolo pane, vnde ſubiungit tertio decimo loco: *ſicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me & ipſe viuit propter me.* Et iterum quartodecimò: *hic eſt panis qui de cælo deſcendit, non ſicut manducauerunt patres manna in deſerto & mortui ſunt*. & concludit finaliter: *qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Ecce quotieș Chriſtus fecit mentionem de pane & nullam de vino: & quod qui manducat hunc panem viuet in æternum. Vnde cum in toto illo proceſſu Euangelico nullam facit mentionem de vino, ſed ſolum de pane, manifeſtum eſt quod ſumptio illius ſacramenti ſub ſpecie panis ſufficit ad ſalutem, cui pœnè in ſingulis clauſulis vitã vel æquiualens tribuit, quem vtique qui manducat, veram Chriſti carnem manducat, & verum ipſius ſanguinem bibit etiam ſi nunquam de vino guſtet. vnde & illud Chriſti præceptum implet; ſi tamen de ſacramentali ſumptione intelligatur. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: quia ſumendo tantum ſacramentum panis, ſumit verè vtrumque, cum vtrumque ſub altera ſpecie cõtineatur. Vnde S. Thomas in Poſtilla ſuper Ioannem ſuper eodem verbo. *Niſi, &c. ſolus Sacerdos cõmunicat ſanguini, nec tamen eſt contra ſententiam Domini quia qui communicat corpori, communicat etiam ſanguini, cũ ſub vtraq; ſpecie totus Chriſtus contineatur, etiam quantum ad corpus & quãtum ad ſanguinem.* Hæc ille. Si enim Chriſtus prædicto mandato voluiſſet ad vtramq; ſpeciem obligare fideles, proculdubio ſicut panem totiens nominauit & expreſſit, ita & vinum alicubi in prędicto proceſſu nominaſſet, quod minimè fecit. Vnde in hoc decipiuntur aduerſarij quia arguunt à cõtento ad continens, & pręceptum quod determinat contentum & rem illius ſacramenti, trahunt ad continens, ſcilicet ſpecies, quæ ſunt ſacramentum tantum. Chriſtus ſiquidem poſuit præceptum ad carnem & ſanguinem dicens: *niſi manducaueritis, &c.* & ipſi trahunt ad panem & vinum. Vlterius, manifeſta in prædicto proceſſu Euangelico & verbis Chriſti contradictio implicaretur ſi illa auctoritas: *niſi manducaueritis, &c.* eſſet obligatiua de neceſſitate & de præcepto Chriſti, quoad omnes ad vtramq; ſpeciem, & ſic in vno illorum contradictorum prima & ſumma veritas non diceret verum, quod nullo modo eſt dicendum: patet tamẽ ſequela. Nam Chriſtus in prædicto proceſſu præmiſit: *ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*, & iterum: *ſi quis ex ipſo manducauerit, non morietur*. Et nè cuncta replicem, ita concluſit in præmiſſis: *qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Ex quibus patet quod ad vitam habendam ſufficit ſumptio huius ſacramenti ſub ſpecie panis. Si autem ex oppoſito illa auctoritas; *niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, &c.* vt aduerſarius dicit, obligat ad ſumendum panem & vinum, ſequitur expreſſa cõtradictio, quia, ſufficit ſumere panem ad ſalutem, & non ſufficit ſumere panem ad ſalutem, quia ad hoc vinum requiritur: cõtradicunt. quod nullus ſanæ mentis dicere. Et confirmatur. Nã in prædicto proceſſu pro eodem accipit panem carnem ſuã, carnem & ſanguinem, & ſe ipſum, & ad omnia prædicta idẽ præmium appoſuit. Nam dixit primo: *ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*. Et declarans quis eſſet ille panis, ſubiunxit: *& panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Et iterum: *Qui manducat me & ipſe viuet propter me*. Ex quibus patet quod idem ſunt prædicta quatuor, ex quo idem præmium omnibus apponitur. Nam manducare panem, manducare carnem & manducare carnem ſimul, & ſanguinem bibere, nihil aliud ſunt quàm manducare ipſum Chriſtum, quod erat vltimum, quia ſiue ſub ſpecie panis, ſiue ſub vtraque ſumatur Chriſtus, in tali ſumptione nihil confert vitã niſi Chriſtus, qui ſub illis ſpeciebus continetur & ſumitur. Et ſic de primo &c.

ITEM ſecũdo principaliter probatur idem ex lege Chriſti, Lucæ 11. cum Diſcipuli peterent vt eos Chriſtus orare doceret, ait: *cum oratis dicite: Pater noſter qui es in cælis, &c. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, &c.* Et Matth. 6. dicitur: *Panem noſtrum superſubſtantialem da nobis hodie*, quod vtique principaliter & ſpecialiter de pane huius ſacramenti intelligendum plurimi ſanctorum Doctorum expoſuerunt, qui materiam in nobis nõ ſubſtantialem, ſed ſuperſubſtãtialem ſcilicet gratiam auget & augmentat. Vnde Hieronymus dicit: *quando petimus vt peculiarem vel præcipuum nobis Deus tribuat, panem, illum petimus qui dicit: ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi.* Et beatus Cyprianus: *panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt, hunc autem panem dari nobis quotidiè poſtulamus. Ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidiè ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto dum abſtentè & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur. petimus ergò, vt qui in Chriſto manemus & viuimus, à ſanctificatione eius & corpore non recedamus.* [Cypr. de orat. Dominica.] B. quoq; Aug. in lib. de bono perſeuerantiæ. *perſeuerantiã ergò à Domino petũt ſancti, quãdo petũt ne à corpore Chriſti ſeparentur, ſed in ea ſanctitate permaneãt qua nullũ quo inde ſeparari mereantur, crimen admittant:* [Aug. de bono perſeuerantiæ c. 4.] & in collationibus Patrũ dicitur: *cum dicit hodie, oſtendit eum quotidiè eſſe ſumendũ & heſternam prabitionem eius non ſufficere, niſi hodie quoq; ſimiliter fuerit attributus: omniq; tempore hãc orationem debere profundere, indigentia eius quotidiana commonet. quia non eſt dies in quo non opus ſit nobis huius eſu ac perceptione cor interioris noſtri hominis confirmare.* [Coll. 9. c.] prædictas auctoritates adducit S. Tomas in gl. continua ſuper Matth. Titus etiam dicit: *panis ille medicina animarum eſt, deferens vitam per hominem, hunc ergo quotidie accipe, vt tibi quotidie proſit: ſic viue, vt quotidie merearis accipere.* & Lyra tractans illud Matt. 6. *panem noſtrum quotidianum*, dicit: *Omnia Sacramenta ordinantur ad hoc Sacramentum, quomodo petimus quando dicimus: panem noſtrum ſuperſubſtantialem. Dicitur autem ſuperſubſtantialis, quia tranſcendit vitam corporalem, & perducit ad vitam æternam.* Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. &*

petand.

petendo hoc ſacramentum, petimus omnia alia quæ ordinantur ad ipſum: Et ſubdit Lyra: *Lucas Euangeliſta 5. cap. vocat eum panem quotidianum quia quotidie ipſum ſumimus per miniſtros Eccleſiæ qui hoc ſacramentum percipiunt pro ſe & pro tota communitate.* Ex quorum Doctorum auctoritate patet quod in prædicta oratione Dominica per panem quotidianum & ſuperſubſtantialem intelligitur corpus Chriſti, quod in ſacramẽto altaris accipimus, quod docet nos Saluator petere ab eo. Cùm igitur in prædicta oratione Chriſtus nullam fecit mẽtionem de potu aut vino, ſed tantummodo de pane, manifeſtum eſt quod ſufficit ſpecies panis tantum, alioquin inſufficienter Chriſtus ſuos docuiſſet orare diſcipulos. Item Ioan. 1. dicitur. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Vbi per Auguſtinum ſecundum omnes Doctores intelligitur Chriſtus, qui figurabatur per agnum paſchalem comeſtum in figuram commeſtionis huius ſacramenti. & ſic Euchariſtiæ ſacramentum hoc in loco ſub vna ſpecie ſcilicet commeſtibili exprimitur. Item Lucæ 15. habetur de prodigo, quod ei pater occidit vitulũ ſaginatum, per quem Chriſtus ſignificatur: propter gratiæ pinguedinem, qui vitulus occiſus manducabatur, nulla mentione facta de bibitione, & licet fortè biberent, non tamen fit mentio, tamquam de impertinenti, ſicut nec de lotione & de alijs quæ huiuſmodi conuiuijs ſolent accidere & fieri, tamquam de impertinentibus ad intentionem propoſitam: vbi inquit Lyra: Adducite vitulum ſaginatum vt epulemur, & occidite vt manducemus, id eſt ſacramentum Euchariſtiæ fidelibus miniſtrate, in quo immolatur Chriſtus, qui eſt vitulus ſaginatus propter gratiæ pinguedinem, & manducemus, quia in primitiua Eccleſia non ſolum miniſtri Eccleſiæ ſumebant hoc ſacramentum, ſed etiam omnis populus quotidiè, vt habetur Act. 2. *Erant perſeuerantes in fractione panis.*

Ex doctrina Apoſtolica.

ITEM tertio ex doctrina Apoſtolica. 1. Corinth. 5. inquit Apoſtolus: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, per quẽ tranſire debemus de hoc mundo ad patrem, vt dicit gl. Immolatus eſt, quem ſcilicet edere debemus. Vbi Apoſtolus nõ dicit, immolatum eſt vinum, quod bibere debemus. vnde & ſubdit poſtmodum: *itaq; epulemur*, & non dicit, bibamus, *in azymis ſinceritatis & veritatis*, vbi nullam mentionem facit de vino aut de potu, ſed ſolum de pane azymo, ſecundum quod Eccleſia Romana conficit. Item Apoſtolus 1. Cor. 11. in fine cap. *Itaq; fratres mei cum conuenitis ad manducandum, inuicem exſpectate. Si quis eſurit, domi manducet, vt nõ in iudicium conueniatis.* Qui textus ſecundum gloſſ. Ambroſij ſic exponitur: itaque fratres mei, cùm conuenitis in vnum ad ſimilitudinem cœnæ Dominicæ ad manducandum, ſupple, corpus Domini, inuicem exſpectate, ſupple, ieiuni dum omnes conueniant, vt multorum oblatio ſimul celebretur. Si quis autem eſurit, ſupple & impatiens, non vult expectare, domi manducet, ſcilicet ſuos cibos, id eſt, pane terreno paſcatur, nec poſtea Euchariſtiam ſumat, vt non in iudiciũ, ſupple, damnationis, conueniatis. Ecce quàm apertè & notanter Apoſtolus, licet in præcedentibus locutus fuerat de modo quem Chriſtus tenuerat in vltima cœna quando Apoſtolos in Sacerdotes ordinans communicauit ſub duplici ſpecie, in ſola manducatione, ſui ſermonis impoſuit finẽ, nullam faciens mentionem de bibitione, ad manifeſtè oſtẽdendum, quod ſufficit ſub ſpecie panis & per modum manducationis non conficientibus hoc ſacramentum ſumere.

Ex lege diuina vet. teſtam.

1. Cor. 10.

ITEM quarto ex lege diuina veteris teſtamenti: Manifeſtum eſt enim ſecundum Apoſtolum, quod omnia vel plurima veteris teſtamenti cõtingebant in figuram eorum quæ ſunt in nouo teſtamento: *omnia*, inquit, *in figuram contingebant illis*, vnde & huius ſacramenti quod eſt præcipuum & potiſſimum, atque finis omnium aliorũ ſacramentorum nouæ legis, plures figuræ præceſſerunt. Inter quas ſunt tres præcipuæ ſecundum Magiſtrum ſententiarum in 4. diſt. 8. videlicet panis & vini oblata per Melchiſedech ſub lege naturæ, agnus Paſchalis, & manna ſub lege Moſaica. Sed panis & vinum, oblata per Melchiſedech ſummum Dei Sacerdotem. Gen. 14. qui Chriſtum præfigurauit, vt dicit Apoſt. Hebr. 7. Hic enim Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde regum, & benedixit ei, cui decimas omnium dimiſit Abraham. Primum quidem quia interpretatur rex iuſtitiæ, deinde autem & rex Salem, quod eſt rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens, aſſimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in æternum, de quo & iam ait Ambroſius ſuper illud Matth. 26. accipite & comedite. *Chriſtus*, inquit, *ſuis diſcipulis obtulit in cœna, quod Melchiſedech repræſentat in figura*. Et idem in libro de ſacramentis, & allegatur per Magiſtrum ſententiarum in diſt. 8. *Ex hoc accipit anteriora eſſe ſacrificia Chriſtianorum quam Iudæorum, obtulit enim Melchiſedech panem & vinum ſimilis per omnia filio Dei, cui dicitur: tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, & B. Hieronymus ſuper illo; *Cœnantibus illis accepit*, dicit: poſtquam typicum paſcha fuerat impletum, & carnes agni cum Apoſtolis commederat, ad verum paſchæ tranſgreditur ſacramentum, vt ſicut in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis ſic figuratum repræſentaret. Per hunc itaque Melchiſedech panis & vinum oblata, non leguntur à populo ſub vtraque ſpecie ſumpta, ſed ſolum per Melchiſedech oblata. Sic etiam hodie ſolum Sacerdos celebrans ſumit ſub vtraq; ſpecie. Similiter nec agnus paſchalis ſumptus reperitur cum vino vel huiuſmodi bibitione, ſed comeſtus, & licet fortè biberent, non tamen bibitio cadebat ſub præcepto. Similiter manna omne delectamentum in ſe habens, ſine præcepto bibitionis ſumebatur quod quidem manna in ſcripturis panis angelorum & eſca nominatur. Vnde Sap. 16. *Eſca Angelorum nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti eis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem*, & in Pſalmo, *panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* In quibus nulla mentio fit de vino aut de potu. Inſuper ſanguis in veteri teſtamento oblatus Domino in altari & nõ populo viſus eſt immolari. Vnde Leuitici 1. dicitur Sacerdotibus, *Sanguinem fundentes per altaris circuitum*, & 4. ibidem: *pro peccato Sacerdotis vel etiam totius multitudinis Sacerdos offerat vitulũ, cuius ſanguinem aſpergat contra velum ſanctuarij, & de eodem ponat ſuper cornua altaris, reſiduum fundendo in baſim altaris holocauſti.* & 17. ibidem dicitur. *Sanguinem dedi vobis vt ſuper altare meum expietis pro animabus veſtris*: in cuius etiam ſignum ſoli Sacerdotes veteris teſtamenti vtebantur libaminibus & his ſacrificijs, quæ fiebant ex fluida materia, ſcilicet oleo & vino. Item 1. Reg. 2 cap. quidam Sacerdos in deſiderio populi & omnium non ſacrificantium hunc cibum deſiderantium dicebat & petebat: *dimitte me obſecro ad vnam partem Sacerdotalem vt comedam buccellam panis*: duæ enim partes ſunt Sacerdotis ſacrificantis & conficientis, ſcilicet panis & vinum, & ſub ambabus & ſub qualibet ipſarum totus & integer Chriſtus: populus itaque nõ ad ambas partes ſacerdotis, ſed ad vnã petit & obſecrat admitti, & ad eam quæ eſt ſub ſpecie panis, ad quã vtique admittitur, vt buccella corporis Dominici ſatietur. Huius inſuper figura præceſſit, vt inquit Albertus Magnus in tract. de off. Miſſæ, in tribus ſatis farinæ Gen. 18. cùm Abraham ſederet in oſtio tabernaculi ſui, vidit tres angelos deſcendentes per viam, quibus tria ſata farinæ ſimilæ commixta parari fecit in ſubcinericios & azimos panes, per quod innuitur laicos ſolum ad vnam ſpeciem debere admitti, eo quod de vino nullam mentionem facit. tria verò ſata fuiſſe narrantur propter triplicem ſubſtantiam quæ in hoc ſacramento continetur, ſcilicet corpus, anima, & deitas. Similiter in commeſtione Heliæ huiuſmodi manducationis ſacramentalis expreſſiſſima figura præceſſit, quando ſubcinericium panem comedit cum potu aquæ, nulla facta mentione de vino, in cuius cibi fortitudine, ambulabat quadraginta diebus & noctibus. Patet igitur ex lege diuina tam noui quã veteris teſtamenti, quod communicare laicos aut non conficientes, ſufficit ſub altera ſpecie tantum, ſcilicet panis, & per conſequens non eſſe de neceſſitate ſalutis, ſiue de præcepto Chriſti, ſumere ſub vtraque.

Lib. 4. c. 3.

In c. Matt. 26.

Pſal 77.

3. Reg. 19.

Ex praxi Chriſti.

SECVNDO principaliter probatur ex praxi Chriſti, & primò quia in toto Euangelio nõ reperitur, quod Chriſtus communicauit aliquem laicũ ſub vtraque ſpecie, tãtummodo duodecim Apoſtolos, vt patet Io. 12. vbi duodecim

cim Apoſtolorum pedes lauiſſe fertur, & Marci 14. vbi dicitur quod veſpere facto venit cum xij. Apoſtolis, & Luc. 22. *cū facta fuiſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cū eo.* Quos duodecim ante in ſacerdotes ordinauit, vt dicunt communiter Doctores omnes, in eadem cœna, per illa verba: *accipite, hoc eſt corpus meum, & hoc facite in meam commemorationem.* & poſtmodum eos cōmunicauit, & licet pro tūc ſolus Chriſtus conficeret & non Apoſtoli, tamen communicauit eos ſub vtraque ſpecie non vt laicos, ſed vt Sacerdotes, dans eis exemplum & doctrinam, qualiter & ipſi conficientes conficere & ſumere deberent. Præterea ſi huiuſmodi communio ſub vtraq; ſpecie fuiſſet de neceſſitate ſalutis, nequaquā matrem alioſq; vtriuſque ſexus caros, qui ipſum Dominum & mentis & corporis paſſibus ſequebantur, à prædicta cōmunione excluſiſſet, quod tamen videtur feciſſe, cum exceptis duodecim, vt dictum eſt, non legantur dictæ cœnæ interfuiſſe. Item hoc idem patet ex ſatietatib⁹ Chriſti, quibus ſatiauit turbas & diſcipulos ſuos ante & poſt ſuā reſurrectionem. Scribitur etenim Matt. 14. & Io. 9. quod Dominus ſatiauit quinq; millia hominum de quinq; panibus & duobus piſcibus. & Mar. 8. habetur, quod ſatiauit quatuor millia de ſeptem panibus, in quibus ſatietatibus nulla mētio fit de potu aut vino ſiue aqua aut quocunq; alio liquore. Et licet non habeatur ex textu, quod ſacietates prædictæ fuerint de pane veraciter tranſſubſtantiato in corpus Chriſti, tamen veraciter tenendum eſt quod ille panis diuina potentia multiplicatus, & tam mirabiliter ſatians corpora manducātium, typum & figuram gerebat huius ſanctiſſimi panis, qui de cœlo deſcendit & dat vitam mundo. quia ſicut ille panis ineffabili quadam ſuauitate refecit manducātium corpora, & in quadam admiratione omnes ſuſpendit, ita vt quærerent ipſum regem facere, & vt ipſum ſequerentur: ſic ille panis cœleſtis & ſuperſubſtantialis replet ineffabili ſuauitate animas ſe dignè ſumētes, & eas ſic in ſui amorem & admirationem conuertit, vt nil præter Chriſtum in cordibus ipſorum regnare permittant. ſicque ipſas trahat, vt omnibus poſtpoſitis, currant in odorem vngentorum ſuorum. vnde Chriſtus Io. 6. loquens de prædicta ſatietate corporali, ait: *Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus & ſaturati eſtis.* & ſtatim pòſt ſubiunxit loqui de hoc ſacramentali & ſpirituali pane, ſi tamen de ſacramentali intelligatur, vt per prædictam ſatietatem corporalem manuduceret in ſatietatem ſpiritualem huius ſanctiſſimi panis, de quo ſtatim ſubiunxit: *operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit.* Item poſt paſſionem ſuam, & habetur Lucæ vlt. *& factū eſt cum diſcumberet IESVS in Emaus*, cum illis ſcilicet duobus diſcipulis Cleopha & alio. *accepit panem benedixit & fregit, & porrigebat illis*, vbi ſecūdum multos Doctores, corpus ſub ſpecie panis ſolùm eis tradidit, eo quod nullam facit mentionem de vino. vnde Aug. in Homilia de concordantia Euangeliſtarū. *à Chriſto facta eſt per nuſio impedimenti vſq; ad ſacramentum panis, vt vnitate corporis participata, remoueri intelligatur impedimētum inimici, vt Chriſtus poſſit cognoſci.* Item Beda, ſuper eodem, *impedimentum permittit eſſe Deus, donec ad ſacramentum perueniatur, ſed percepta veritate corporis Chriſti, impedimentum inimici aufertur, vt Chriſtus poſſit agnoſci.* Item Theophylact. *Sed & aliud innuit, quod ſcilicet ſumentibus ſacrū panem aperiuntur oculi eorum, vt eum cognoſcant. magnam enim habet & ineffabilem Domini caro virtutem.* Item gloſſa eſt, & eſt Bedæ: *Per panem corpus Chriſti & eius ſanguinem ſignabat.* Item Io. vlt. Chriſtus manifeſtauit ſe diſcipulis ſeptem ad mare Tyberiadis, vbi accepit panem & piſcem aſſum & dabat eis, quod verbum tractans Innocent. dicit: *per aſſum piſcem quē Chriſtus cum ſuis diſcipulis comedebat, intelligi debet corpus Chriſti quod in ara crucis aſſatum fuit.* Vnde B. Gregorius in Hom. 27. dicit per aſſum piſcem intelligi debet mediator Dei & hominum, pro nobis paſſus, & patet ibi nulla mētio fit de potu vel vino. Item ſequenti die poſt inſtitutionem prædicti ſacramenti Chriſtus docuit exemplo & opere non ſolum non eſſe de neceſſitate ſalutis ſumere ſub vtraq; ſpecie quo ad laicos, ſed nec ſimpliciter ſumptio prædicti ſacramēti in latrone, cui mox credenti & dicenti: *memento mei Domine, dum veneris in regnū tuum*, promiſit Dominus paradiſum, dicens: *Hodie mecum eris in paradiſo*, abſque quacunque huius ſacramēti perceptione quod etiam in innumeris Martyribus probatum eſt, qui abſque huius perceptione ſacramenti ad regna cœleſtia feliciter peruenerunt. quod & de pueris Baptizatis ſancta tenet Eccleſia: Item probatur ex praxi Apoſtolica & primitiuæ Eccleſiæ ſimul, quia dicitur Act. 2. *Erant autem perſeuerātes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis,* ſancti, ſecundum gloſſam, vt Magiſter hiſtoriarum in ſcholaſticis hiſtorijs exponit fractionem panis, id eſt Euchariſtiæ, quia in primitiua Eccleſia fideles crebrò communicabant & conueniebant ad percipiēdam Euchariſtiam: in quo loco ſcriptura nullam mētionem facit de vino aut de potu. Eodem modo & Albertus Magnus exponit de Apoſtolis & de iſta fractione panis. Item de nullo Apoſtolorum legitur quod huiuſmodi communionem duplicis ſpeciei practicauerint quo ad laicos, vel de eo doctrinā tradiderint aut præceptum, excepto Paulo Apoſtolo, qui recitatiuè Corinthijs narrat, qualiter Chriſtus ſub duplici ſpecie hoc ſacramentū inſtituerat, & ſolum Corinthijs apud quos ſolos erat huiuſmodi conſuetudo. Et indubitanter ſi fuiſſet Chriſti præceptum indifferenter, quo ad omnes, communicare ſub vtraque ſpecie, ſanctus Paulus expreſſiùs ſcripſiſſet de ipſo tam Corinthijs quàm & alijs fidelibus quibus ſuas tranſmiſit epiſtolas, præcipuè Romanis qui erant caput mundi, & Hebræis pro quibus cupiebat eſſe anathema vt eos lucrifaceret, ſimiliter quilibet Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſcripſiſſet aliquid de huiuſmodi præcepto ſine quo non eſſet ſalus hominibus; quod quia non fecerunt, ideo indubitanter tenendum eſt quod non ſit præceptum Chriſti. Idem patet ex praxi multorum ſanctorum antiquorum & præcipuè in Eccleſia, de ſancta Petronilla B. Petri Apoſtoli filia, de qua ſic in eius legenda legitur, quod in extremis poſt multa ieiunia & orationes corpus Domini ſuſcepit, & demum in lecto ſe reclinans, poſt triduum ad Chriſtum migrauit. Item atteſtatur B. Euſebius ad Damaſum Portuenſem Epiſcopum de morte glorioſiſſimi Hieronymi, vbi refert, quomodo B. Hieronymus variè & multipliciter ſacramentum Dominicum recommendans, Euchariſtiæ ſacramentum ſub ſpecie panis ab alio ſuſcepit, vbi refert verba Hieronymi in hunc modum: *Rogo vos fratres, vt Domini mei afferatis corpus, quatenus in ſuo lumine videam lumen, vt firmans ſuper me oculos ſuos, det mihi intellectum & inſtruat me in via hac qua gradiar.* his verbis finitis poſt longas orationes vir Dei glorioſus ſacrū Domini corpus ſuſcipiens ad terram ſupinus redijt. hæc Euſebius. ſic & idem B. Euſebius in extremis poſitus ſub ſpecie panis communicauit, vt de eo ſcribit B. Cyrillus in Epiſtola ad B. Auguſtinum de mirabilibus glorioſiſſimi Hieronymi. Illo etiam modo B. Ambroſius in extremis communicauit de manibus B. Honorati VVercellenſis Epiſcopi. Idem habetur de B. Benedicto, de quo in legenda ſua dicitur quod vltima die exitus ſui, in oratorium portari ſe fecit, & ibi exitum ſuum Dominici corporis perceptione muniuit. Idem refert B. Gregorius tertio Dialogorum, quod B. Agapitus Papa, quēdam claudum & mutum ſub vna ſpecie communicans eum plenè ſanauit. Idem habetur de beata Lucia quod ipſa ſpiritum non tradidit poſt gladij in guttur eius immerſionem, donec Sacerdos corpus Dominicum ei traderet. Idem de B. Dominico & Frāciſco & in multis alijs Sanctis habetur per omnia. Idem VVilhelmus in ſuo ſacramentali Hugonem de ſancto Victore ſub vna ſpecie tantum communicare debuiſſe, narrat, ſub his verbis: quod cùm Hugo de ſancto Victore excellentiſſimus Doctor vltima infirmitate laboraret, corpus Domini inſtanter petebat ſibi dari, & cum nullum cibum continere poſſet, fratres eius turbationem timentes ſimplicem hoſtiam ſibi obtulerunt, quod ille cognoſcens per ſpiritum ait: *Miſereatur veſtri Deus fratres cur me ita deludere vultis? iſte quem portaſtis, non eſt Dominus Deus meus.* Et illi attoniti mox corpus Domini attulerunt. Sed ipſe videns ſe non poſſe recipere, eleuatis in cœlum oculis ac manibus ſic orauit: *Aſcendet filius ad patrem & ſpiritus ad Deum qui miſit illum*, & inter hæc verba emiſit ſpiritum, & corpus Domini ibidem diſparuit. Ecce quam manifeſta & clara narratione refert hic Doctor ſanctum Victorem debuiſſe ſub vna tantum ſpecie communicare.

Ex praxi Apoſtolica.

Tertiò

TERTIÒ principaliter probatur ex doctrina & inſtitutione ſacrorum Conciliorum. Nam vt habetur ex lib. Conciliorum Iſidori, ita in ſexta Conſtantinopolitana Synodo legitur: *citra ſanguinem ceremonias in Eccleſiis celebramus: ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas & ſanctificamur participes effecti tàm ſanctæ carnis quàm pretioſi ſanguinis Chriſti*: Ecce quàm apertè hæc ſancta Synodus ponit diſtinctionem inter cómunionem laicam & Sacerdotalem. nam quò ad laicos dicit citrà ſanguinem ceremonias in Eccleſijs celebramus, & vocat communioné laicam cerimonias, quia præcepto & ſtatuto Eccleſiæ introducta eſt. Quò ad Sacerdotes verò ſubiungit. *Ita quippè accedimus ad benedictiones arcanas & ſanctificamur, participes effecti tam ſanctæ carnis quàm precioſi ſanguinis Chriſti*. Nam ſi vtraque pars iſtius decreti, ad laicos vel ad Sacerdotes ſine diſtinctione referretur, vtique manifeſtam implicaret contradictionem. Nam in prima parte excludit ſanguinem, cum dicit: *citra ſanguinem &c.* & in 2. dicit: *participes effecti tam ſanctæ carnis quàm pretioſi ſanguinis*. Clarum igitur eſt hoc decretum nec aliquo modo poteſt inficiari aut infringi. Idem longè clarius oſtendit vndecimum Toletanum Concilium ita dicens: *Cum nihil in diuino canone debeat eſſe confuſum, nil dubium, nil etiam indiſcretũ, in collatione noſtri catus relectus eſt canon Toletani primi Concilij, in quo præceptum eſt, vt ſi quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, vel vt ſacrilegus repellatur: nec adiecta eſt ibi diſcretio voluntatum, cum infidelis hac talia infideliter agat & fidelis accipiat fideliter, quod naturalis illum neceſſitas deglutire non ſinit. Solet enim humana natura infirmitas in ipſo mortis exitu prægrauata tanto ſiccitatis pondere deprimi, vt nulli ciborum illationibus reficiatur, ſed vix tandem illati delectetur poculi gratia ſuſtentari, quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum ſuis votis ſacræ communionis expectantes viaticum, collatam ſibi à Sacerdote Euchariſtiam reiecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, ſed quod præter Dominici calicis hauſtum traditam ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire*: Ex quo decreto manifeſtè oſtenditur quod etiam tempore primi Cócilij Toletani infirmi tantummodò ſola hoſtia communicabant. quod patet ex declaratione ſuprapoſiti decreti. Nam refert quod primum Concilium Toteletanum fecerat ſtatutum, vt quicunque Euchariſtiam à Sacerdote acceptam non ſumeret, velut ſacrilegus repelleretur. Et quia in hoc decreto non fuerat facta diſtinctio, de voluntate & neceſſitate cum & infidelis hæc talia infideliter agat, & fidelis accipiat fideliter quod naturalis illum neceſſitas deglutire non ſinit: Declarat ſequens Concilium, quia cum multi fideles in exitu mortis poſiti, tanto ſiccitatis pódere deprimãtur, vt nihil poſſint deglutire, niſi aliquo poculo vel liquido mediante, manifeſtum eſt quod tales accipiẽdo Euchariſtiam, hoſtia ſcilicet ſine poculo, bona & ſancta intentione, ſi eam propter ſiccitatem reijcerent, non incurrerent ſacrilegij crimen. Et hoc per experientiã probant ſancti patres in dicto Concilio exiſtentes, quod etiam, inquiunt, in multorum exitu vidimus, qui optatum ſuis votis ſacræ communionis expectantes viaticum collatam ſibi à Sacerdote Euchariſtiam reiecerunt, non quod hoc infidelitate agerent, ſed quod prҿter Dominici calicis hauſtum traditam ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire. Ex quo luce clarius patet, quod ſub ſola ſpecie panis tunc temporis ſacra communio miniſtrabatur infirmis, ait enim: *præter Dominici calicis hauſtum*. quia quando Euchariſtia ſine calice miniſtrabatur, ideo ſæpe ex huiuſmodi ſiccitatis pondere grauati cogebantur reijcere, quam deglutire non valebant. & hoc eſt quod dicit, *ſed quod præter Domini calicis hauſtum traditam ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire*. Idem ſimiliter ex Concilio Rhemenſi oſtenditur, & habetur de communione & conſecrati. diſt. 2. c. peruenit 29. vbi declaratur quod ſufficit dare Euchariſtiam ſiue hoſtiam infirmis ſine vino. Nam quidam presbyteri in tantum parui pendebant diuina myſteria, vt laico aut fœminæ ſacrum corpus tradderent ad deferendum infirmis, quos ſancta Synodus grauiter reprehẽdit, & ſtatuit quod talis temeraria præſumptio amplius fieri non debeat, ſed presbyter per ſemetipſum debeat infirmũ communicare, in quo decreto ſolum fit mentio de corpore Chriſti, & nullo modo de vino aut de ſanguine. Tenor verò dicti decreti eſt talis. *Peruenit ad noticiam noſtram quod quidam presbyteri in tantum parui pendant diuina myſteria, vt laico, aut fœminæ ſacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur vt nec ſacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis ſancta ſanctorum comittunt: quod quàm ſit horribile, quamq; deteſtabile, omnium religioſarum animarum aduertit prudentia: ideo interdicit per omnia Synodus ne talis temeraria præſumptio vlterius fiat, ſed omnib. modis presbyter per ſemetipſum infirmum communicet, quod ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubiacebit*. Item ex Concilio VVormacíẽſi eadem diſt. c. preſbyter, præcipitur quod presbyter Euchariſtiam, id eſt, hoſtiam, vt dictum eſt, ſemper habeat paratam, vt quãdo quis infirmatus fuerit, ſtatim cum communicet, ne ſine communione moriatur. vnde dicit Canon: *presbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur*. ſuper quo ait gloſſa, *ſanguinem non præcipit ſeruare, quia opus eſſet nimia cautela in eo ſeruando*. Et addit Archidiaconus: *addere præterea non eſt opus, quia vbi eſt corpus, ibi eſt & ſanguis*: & in gloſſa ſuper cap. Comperimus eadem diſt. ſuper verba: *aut integra percipiant: hoc intelligo de conficiente. Nã infirmus, vel ſanus, in neceſſitate, ſine vino corpus ſumere poteſt*. Ex quibus omnibus patet, quod communio ſub vtraque ſpecie non eſt de neceſſitate ſalutis. Ex quo per ſacra Concilia ſanis pariter & infirmis concedebatur tantummodo ſub vna ſpecie. Item non ſolum infirmis Sacerdotibus, ſed etiam ſanis ab eorum officijs depoſitis à ſacris Concilijs conceſſa eſt vnius ſpeciei communio, vnde diſt. 50. cap. ſi Epiſcopus, & habetur ex Concilio Agathenſi dicitur quod ſi Epiſcopus, presbiter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſauerit, aut falſum teſtimonium dixerit, ab officij honore depoſitus, in monaſterium detrudatur & ibi quã diu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat, eundem modum loquendi habet Pelagius Papa de laica cómunione, diſt. 55. vbi ita dicit: *ſi Euangelica monitio iracundiam nec vſq; ad verbum furentem proſilire permittit, ne ſi racha fratri ſuo quis dixerit ſit reus gehennæ ignis, quali putamus pœna plectendus, eſt qui non ſolum pugnis impiè percuſſit in Leuitici ordinis hominem miniſterio ſeruientem, ſed quaſi non ſufficeret ad cædem manus, inſtigante ita ſe Diabolo, raptus eſt ad iracundiam, vt fuſte non ſolum percuteret, ſed etiam erueret oculum fratris. Et quamuis huiuſmodi exceſſus grauiori eſſet pœna plectendus. bene tamen fraternitas tua fecit eum ab officio presbyteratus remouens. Hoc tamen ſollicitudinis tuæ ſit, vt locum ei pœnitentiæ conſtituas, & in aliquo eum monaſterio retrudas, laica ſibi tantummodo communione conceſſa*. ſimiliter ex Concilio Sardicenſi habentur duo decreta de eadem communione laica huiuſmodi ſub tenore: Item Hoſius Epiſcopus dixit: *non minus mala conſuetudo, quàm pernicioſa corruptela funditus eradicanda eſt, ne cui liceat Epiſcopo de ciuitate ſua ad aliam tranſire ciuitatem, manifeſta eſt enim cauſa qua hoc facere tentant; cum nullus in hac re inuentus ſit Epiſcopus qui de maiore ciuitate ad minorem tranſiret, vnde apparet auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſeruire, & vt Dominationem exerceant. Si ergo omnibus placet, huiuſmodi pernicies auſterius vindicetur, vt nec laicam communionem habeat qui talis eſt*, reſponderunt vniuerſi, *placet*. Item idem Hoſius Epiſcopus dixit: *Etiam ſi talis alias exſtiterit temerarius, vt fortaſſe excuſationem afferat quod populi literas acceperit, cũ manifeſtum ſit potuiſſe paucos præmio & mercede corrumpi, qui ſinceram fidem non habent, vt clamarent in eccleſia & ipſum petere viderentur Epiſcopum, omnino has fraudes damnandas eſſe arbitror, ita vt nec laicam in fine communionem talis accipiat, quod ſi vobis omnibus placet, ſtatuite*. Synodus reſpondit. *placet*. Ex iſtis duobus decretis manifeſtè declaratur, quod communio ſecundum ſe non eſt de neceſſitate ſalutis, alioquin impiè prædictum Concilium ſtatuiſſet, vt taliter delinquens nec laicam communionem in fine acciperet, ait enim: *ita vt nec laicam in fine communionem talis accipiat*. Per communionnm aũt laicam quid poteſt intelligi aliud quã cómunio ſimplex ſub vna ſpecie: & ſub ipſa præcipuè, quod vt cõmuniter minus poteſt adferre periculi reuerentiæ tanto ſacramento debitæ, cuiuſmodi eſt ſpecies panis: & ad hoc ſunt omnes Doctores iuris Canonici, quibus credendum eſt vtpote exercitatis & peritis in arte ſua. vnde ſuper prædicto cap. Hoſius Abbas exponit laicam cómunionem, id eſt corpus Chriſti. Innocentius, id eſt, viaticum. Hoſtiẽſis, id eſt, panem benedictũ vel corpus Chriſti, & idem dicit Io. Andreæ in Nouella. Item Clemẽs Papa (&

Ex doctri na ſacrorum conciliorum.

Ex Conc. 6. Conſtã tinopolit.

Cap. 11.

Ex Toletano 11.

hemenſ. cap. 2.

Cap. 1.

Cap. 12.

Cap. 7.

Cap. 50.

Cap. 3. Canõ habet Gelaſius Papa

Cap. 1.

Cap. 23. habetur de conſecr. diſt. 2. c. tribus gradibus) dicit: *tribus gradibus commiſſa ſunt ſacramenta diuinorum ſecretorum, id eſt, presbytero, Diacono, & Miniſtro, qui cum timore & tremore clericorum reliquias corporis Domini cuſtodire debent.* & ſequitur ibidem, *tanta in altare certè holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſeruentur ſed cum timore & tremore clericorum diligentia conſumantur. qui autem reſidua corporis Domini quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, nō ſtatim ad accipiendos communes cibos conueniant.* Ecce quā manifeſte in prædicto canone habetur, quod reliquiæ clericorum corporis Domini cuſtodiendæ ſunt cū magna diligentia, & nulla penitus fit mētio de reliquijs vini aut ſanguinis, nec de cuſtodia ipſius, de cuius tamen cuſtodia ſi fuiſſet in vſu, potius debuiſſet cautela adhiberi, & ordinatio ſiue ſtatutum fieri, cum in ipſo ſanguine maius immineat periculū.

Cap. 38. Item ſancta Synodus Romana, cui B. Leo Papa præſedit, c. quibus, de conſec. diſt. 2. loquēs de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in hoc ſacramēto, inter cætera ita dicit. *Idem eſt corpus de quo dictum eſt: caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Circa hoc corpus, aquilæ ſunt quæ alis circumuolant ſpiritualibus, vnde & idem corpus Chriſti edimus, vt vitæ æternæ poſſimus eſſe participes.* vbi notāter ſancta Synod⁹ corpori Chriſti ſoli illam copulatiuam attribuit; *caro mea, &c.* ad oſtendendum quod ſub ſpecie panis, ſub qua, ex vi conuerſionis verborum, eſt propriè corpus Chriſti, verè & realiter ac integrè vtrumq; contineatur, ſcilicet caro Chriſti & ſanguis, & quęcunque alia ſe habent ad perfectionem Chriſti ex naturali & reali concomitantia, & quod idem corpus Chriſti edimus, nulla mentione facta de ſanguine, aut de vino, ſiue de potu, vt vitæ æternæ poſſimus eſſe participes: ad oſtendendum quod ſufficit ſumere ſub vna ſpecie. nouiſſimè verò declarauit hoc ſacrum Conſtantienſe Concilium, cuius tenorem Papa Martinus V. in quadam bulla ſua interſerit quem pro præſenti recitare gratia breuitatis omitto.

Autoritas conciliorum quāta. Epiſt. 118. QVANTA autem ſit auctoritas ſacrorum Conciliorū, oſtendit Auguſtinus ad Ianuarium ita dicens: *Conciliorum in Eccleſia eſt ſaluberrima auctoritas, quibus Eccleſiæ negotia terminantur.* & in libro de fide Catholica, idem dicit: *ſi quis aliquas ſcripturas præter illas quas Eccleſia Catholica recipit & in auctoritate habendas eſſe tradidit, fuerit veneratus, anathema ſit.* Idem Gregorius, & habetur diſt. 15. *ſicut ſancti Euangelij quatuor libros ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor.* Et ſubdit: *cunctas verò perſonas quas præfata veneranda Concilia venerantur, veneror, & quas reſpuunt reſpuo.* Quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſūpſerit aut ſoluere quos ligant, aut ligare quos ſoluunt nec mirum, cum ipſa ſacra generalia Concilia regantur & dirigantur à ſpiritu ſancto, imò ab ipſo Ieſu Chriſto. Nam ſi ipſe Dominus promiſit ſe eſſe in medio duorū vel trium in nomine ipſius congregatorum, quanto magis erit in medio Patrum ſeniorum omnium Chriſti fidelium in ſacris Concilijs generalibus congregatorum? quod expreſsè ſancti Apoſtoli exemplo declarauerunt Act. 15. vbi præſidentiam in Concilio ſpiritui ſancto attribuerunt, vel potius inſinuauerunt, dicentes in eorum Epiſt. decretali, *viſum eſt ſpiritu ſancto & nobis*: quod etiam atteſtatur Cœleſtin⁹ Papa ad Synodum in Epheſo conſtitutam: *ſpiritus ſancti teſtatur præſentiam congregatio Sacerdotum. Certum eſt enim quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cuius in Euangelio iſta ſententia eſt: vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum. Quod cum ita ſit, nam nec huic tam breui numero ſpiritus ſanctus deeſt, quanto magis cum nunc intereſſe credamus quando in vnum conuenit tanta turba ſanctorum. ſciēdum namq; eſt pro debita veneratione Concilium in quo vtiq; nunc Apoſtolorum frequentiſſima illius quam legimus congregationis aſpicienda reuerentia eſt, nunquam his defuit Magiſter quem receperant prædicandum. affuit ſemper ijs Dominus & Magiſter. ſed nec docentes à ſuo Doctore deſerti ſunt: docebat ille qui miſerat, docebat qui dixerat quod docerent: docebat qui in Apoſtolis ſuis ſe confirmat audiri.* hæc Cœleſtin.

Cæleſtini epiſt. 7. Epiſtolarū decretaliū Romæ editarum, To. 1. p. 2.

Epiſt. 5. Item S. Damaſus Papa ad Aurelium Archiepiſ. de ſeruandis canonibus SS. patrum & decretis in concilio editis, prout refert Iſidorus in lib. Concilior. ita ſcribit: *Reuerendiſſimo fratri Coepiſcopo Aurelio Damaſus: ſcripta ſanctitatis tuæ debita veneratione ſuſcepimus, in quibus ſitire venerationem ac prudentiam tuam Apoſtolica inſtituta, vt dignum erat cognouimus, quæ de re quadā ex his, quæ petiſti, miſimus: & quædam adhuc cum cæterorum miſeris, mittere cupimus. Nullum tamen à B. Petro principe Apoſtolorum ſiue prædeceſſorem noſtrorū prætermiſimus, de quorum ſtatutis aliquid tibi Ammonium presbyterū, & Felicem Diaconum ſub certis ſignaculis non mitteremus. Quæ te & cuſtodire optamus & alijs prædicanda ac publicanda mandamus, vt ab omnibus inuiolatè debita veneratione cuſtodiantur & inuiolatè ſeruentur, atq; ab omnibus futuris temporibus diligenter venerentur: quod violatores voluntarij canonum. grauiter à ſanctis patribus iudicantur, & à ſpiritu ſancto, cuius inſtinctu ac dono dictati ſunt damnantur, qui blaſphemare ſpiritum ſanctum non incongruè videntur, & qui contra eoſdem ſanctos canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter, vt præfixum eſt, aliquid aut proteruè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt: talis enim præſumptio manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium ſpiritum ſanctū, quia, vt iam prælibatum eſt, contra eum agunt cuius impulſu & gratia ijdem ſancti editi ſunt canones, Diabolica verò nequitia pleroſq; ſubtiliter fallere ſolet. & ita quorundam imprudentiam per ſimilitudinem pietatis ſæpiſſimè illudit, vt pro ſalubribus nocitura perſuadeat, idcirco norma ſanctorum canonum qui ſunt ſpiritu Dei cōditi & totius mundi reuerentia conſecrati, fideliter à nobis eſt ſcienda, & diligenter tradenda, neq; quomodo ſanctorum patrum ſtatuta, abſq; ineuitabili neceſſitate, quod abſit, tranſgrediamur, ſed fideliſſimè per ea gradientes, cum eis qui eos inſtinctu condiderunt diuino, mercedis gloriam & laboris cumulum eorum meritis, auxiliante Domino, habere mereamur:* quod nobis præſtare dignetur ipſe ſpiritus S. in cui⁹ nomine in hac ſancta ſynodo cōgregati ſum⁹. Amē.

Ex cōſuetudine eccleſiæ. QVarto principaliter probatur ex conſuetudine Eccleſiæ quæ ex antiquiſſimis temporibus & ex multis centenis annorum fuit vniuerſaliter in Eccleſia introducta. Sunt enim vltra ducenti & trecenti anni vel ſaltem propè, quibus doctores Catholici in libris eorum & ſcriptis cœperunt laudare & approbare vniuerſalem Eccleſiæ conſuetudinem in communione ſub vna ſpecie, vt paulo poſt patebit, in allegatione Doctorum. Clarum autem eſt quod hæc conſuetudo non fuit vno die, aut vno menſe, ſeu vno anno in Eccleſia vniuerſaliter introducta, immo nullus Doctorū ipſam laudantium & approbantium, potuit aut ſciuit aſſignare temporis originem, quo hæc conſuetudo vniuerſaliter ortum habuerit, propter antiquitatem ſuam: vnde indubitanter tenendum eſt quod communio ſub vtraque ſpecie nunquam fuit in Eccleſia Dei vniuerſali, ſed ſecundum varium exemplum Chriſti, varia fuit ſemper habita conſuetudo. Chriſtus enim in cœna ſub duplici ſpecie tradidit, inſtante ſua paſſione, ſed poſt reſurrectionem ſuam legitur, ſecundum intentionem ſanctorum, confeciſſe ſub ſola ſpecie panis, vt patuit ſuperius, quando in Emaus cognouerunt eum duo diſcipuli in fractione panis. Sic etiam & de primitiua Eccleſia & de Apoſtolis legitur in Ieroſolymis, q; erant perſeuerantes in fractione panis, & communicatione: Actuum 2. quod intelligitur de communione panis ſancti, vt in præcedentibus fuit declaratum, & Corinthij ſub duplici ſpecie communicabant, vt patet per Apoſtolū. & ſic cōmuniter ſemper manſit huiuſmodi diuerſitas cōmunionis laicalis, ſub vna vel ſub duplici ſpecie, donec propter pericula & varios errores, vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo obtinuit cōmunionem vnius ſpeciei, cuius cōſuetudinis principium aut initium, nec in memorijs hominum, nec in ſcriptis Doctorū, aut in annalibus ſcribentium reperitur: Et cū conſuetudo, cuius initij memoria non habetur, iure ſtatuti habenda ſit, vt dicunt leges, vtique pro lege habenda eſt & tenenda. Quanta autem ſit auctoritas conſuetudinis Eccleſiæ Romanæ, oſtendit Auguſt. in libello, de cura pro mortuis agenda, qui ait: quod ſi nulla eſſet auctoritas ſacræ ſcripturæ, quæ doceret orare pro defunctis, tanta eſt auctoritas Eccleſiæ Romanę, quod pro lege firmiſſima ſine dubitatione eſt tenenda, ſimiliter ſanctus Thomas ſecunda 2. quæſt. 10. artic. 12. dicit: *maximam authoritatem habet Eccleſiæ conſuetudo quæ ſemper in omnibus eſt æmulanda: quia & ipſa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatē habet.* Vnde ſubdit: quod magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſię quàm Auguſtini vel Hieronymi vel cuiuſcunque Doctoris. Qualiter autem tranſgreſſores conſuetudinum coercendi ſunt,

oſten-

Epiſt.86.
Diſ. 11.c.7

oſtendit Auguſt. ad Caſulanum preſbyterum, & habetur diſt.2.c. in his rebus: qui dicit, quod mos populi Dei, & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt, & ſicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores conſuetudinem eccleſiaſticarum coercendi ſunt, & in libr. confeſſio. ita dicit:

lib.3.c.8.

quæ ſunt contra mores hominum, flagitia pro morum diuerſitate vitanda ſunt, vt pactum inter ſe gentis aut ciuitatis. conſuetudine aut lege firmatum nulla ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis eſt enim omnis pars vniuerſo ſuo non congruens. Item Auguſt. facere contra conſuetudinem prohibet epiſt. 18. ad Hieron. ita dicens: *contra Eccleſiæ fundatiſſimũ modũ nemo ſentiat.* Itẽ Damaſcen. lib. 4. ſent. ſuarũ: *ſemper conſuetudo Eccleſiæ ſeruãda eſt & contrarium dogmatizantes & ſuam praxin confirmantes non ſunt audiendi.* Item Hieronymus in quadã epiſt. contra Vigilantium.

Cap.3.

quid neceſſe eſt in manus ſumere, quod Eccleſia nõ recipit? niſi forte Balſamum mihi, & Barbelum, & Theſaurum Manichæi, & ridiculum nomen Leuſiboræ proferas &c. Cum igitur Eccleſia non recipit in communione laica vtramque ſpeciem, ipſam vtique recipere ridiculum eſt, pernicioſum & ſuperfluum: propter quod B. Thomas dicit 2.2. quæſt. 93. art. 1. *Sicut enim falſarius eſſet, qui aliqua proponeret ex parte alicuius quæ non eſſent ei commiſſa, ita vitium falſitatis incurrit, qui ex parte Eccleſiæ cultum exhibet Deo, contra modum diuina auctoritate ab Eccleſia conſtitutum.* & art. 2. *Si enim aliquid ſit, quod quantum eſt de ſe, non pertinet ad Dei gloriam. neq; ad hoc quod mens feratur in Deum, aut quod carnis concupiſcentia moderatè refrænetur, aut etiamſi ſit præter Dei & Eccleſiæ inſtitutionem vel conſuetudinem communem, quæ ſecundum Auguſtinum pro lege habenda eſt, totum hoc reputandum eſt ſuperfluum & ſuperſtitioſum &c.*

Aug. ep. 118.

Cùm itaque dicta communio ſub vtraque ſpecie quo ad laicos, ſit contra communem conſuetudinem Eccleſiæ, vtique tanquam ſuperflua repellenda eſt. Manifeſtum eſt autem quod iam à multis centenis annorum, prædicta conſuetudo communicandi laicos ſeu non conficientes, ſub vna ſpecie tantum ſcilicet panis in eccleſia, nemine contradicente vniuerſaliter introducta eſt, vt patebit ſtatim ex dictis Doctorum de hac conſuetudine mentionem facientibus.

Ex teſtimonio SS. Patrũ.

QVINTO principaliter probatur per ſanctorum Doctorum atteſtationem, qui in locis quodammodo innumeris, de huiuſmodi ſacramento & communione facientes mẽtionem, nihil de potu aut vino memorati ſunt, ſed tantummodo de corpore Chriſti ſiue de pane aut eſca locuti ſunt: per hoc oſtendentes ſufficere ſub ſola ſpecie panis ſumere diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſacramentum. Vnde Ambr. in lib. de ſacramen.

Cap. 69. Ambr. de his q. initiãtur ſacris. Ca. 8. & 9.

iſta eſca quam accipis, iſte panis viuus qui de cælo deſcendit, vitæ æternæ ſubſtantiam adminiſtrat. Et quicunq; hunc panem manducauerit, non morietur in æternum, quia corpus eſt Chriſti, & habetur de conſecr. diſt. 2. c. reuerà. Idem eadem diſt. ſcilicet conſecr. in multis capitulis, videlicet in c. omnia: & in capitulo, nullo ſacramento, & in capitulo, nõ iſte panis eſt, & in capitulo, ante benedictionem. in quibus locis manifeſtè habetur ꝙ ſumptio huius ſacramenti ſufficit tantũ ſub ſpecie panis.

Cap. 74.
Cap. 85.
Cap. 56.
Cap. 40.

Item idẽ Ambr. in lib. de paradiſo loquitur ſub his verbis:

Amb. de Parad. c. 9

Cùm igitur in cibo neq; præmium ſit, quia eſca nos non commendat Deo: neq; magnum periculum ſit, quia non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod exit de ore, videtur ſine dubio à tanto auctore non eſſe præceptum, niſi hunc cibum ad illum Propheticum referas, quem pro magno præmio Dominus ſanctis pollicetur ſuis: Ecce qui ſeruiunt mihi, mãducabunt, vos autem eſurietis. Hic eſt enim cibus in quo vita diffinitur æterna quo quiſquis fuerit defraudatus, morte morietur. Quandoquidem panis viuus atque cæleſtis ipſe Dominus eſt, qui vitam dat huic mundo. Vnde & ipſe ait: niſi manducaueritis carnem meam & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam æternam, erat ergo panis aliquis de quo præſcripſerat edendum Paradiſi incolis: quis ille? accipe quem dicat: panem inquit Angelorum manducabit homo. Eſt enim bonus panis, ſi facias voluntatem Dei; vis ſcire quàm bonus panis? ipſe filius manducat hunc panem, de quo ait, meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris mei qui in cælis eſt:

Eſa. 65.
Ioan. 6.
Pſal. 77.

Hæc Ambroſius vbi primò notandũ quod hic doctor ſanctiſſimus & vnus ex quatuor columnis Eccleſiæ, veraciter ſe fundat in ſacra ſcriptura & in doctrina Chriſti. Deinde notandum eſt quod dicit: *videtur ſine dubio à tanto autore non eſſe præceptum,* vbi dicit *ſine dubio*, omnem ambiguitatem excludens, non eſſe præceptum. Tertiò notandum eſt ex dictis ſuis, quod ſi intelligatur præceptiuè, quod hoc ſpiritualiter intelligendum eſt, de ſpirituali manducatione, vt patet per totum reſiduum quod ſequitur: *niſi hunc modum ad illud Propheticum referas.* Item beatiſſimus noſter Hieronymus vt ſuperius fuit allegatus, loquitur de duplici carne Chriſti, videlicet ſpirituali & diuina, de qua intelligitur illa auctoritas: *niſi manducaueritis*, de ea quæ crucifixa eſt & ſepulta. Quæ vt fides Catholica tenet eſt verè realiter & in propria perſona ipſe Chriſtus in hoc ſacramento, & non ſpiritualiter tantum. Item idem beatus Hieronymus ſuper Leuiticum ita dicit: *de hac quidem hoſtia quæ in Chriſti commemoratione mirabiliter fit, edere licet, de hac verò quã Chriſtus in ara crucis obtulit, ſecundum ſe nulli edere licet.* vbi notanter dicit, *edere*, & nullam mentionem facit de bibere, & habetur de conſecrat. diſt. 2. de hac. Item B. Hieronymus in quodam ſermone dicit: *ſinguli autem accipiunt Chriſtum Dominum & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos comminuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.* & habetur de conſecr. diſt. 2. ſinguli: Cap. 76.

Item Auguſt. in epiſtola ad Irenæum: *Chriſtus panis eſt de quo qui manducat, viuet in æternum: & de quo ipſemet dicit. panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita:* & habetur de conſec. diſt. 2. Chriſti. Item in ſermone de verbis Domini, & habetur in gloſſ. 1. ad Corinth. 10. Cap. 77. Cap. 57.

Non ergo timeamus fratres manducare panem iſtum, ne fortè ſumamus, id eſt, conſumamus illum, & poſtea, quod manducemus non inueniamus, manducatur Chriſtus, viuit manducatus, quia ſurrexit occiſus, nec quando manducamus partes de illo facimus. Et quidem in ſacramento ſic fit, & norunt fideles quemadmodum manducent carnem vel corpus Chriſt. & ſuper pſalmo 100. Idem dicit: *Iudæi paſcebantur tanquam de pœna Domini, & nos de cruce Domini paſcimur, quod corpus ipſius manducamus.*

In gl. hæc fuſius habetur. vide conſec. Diſt. 2. c. 70. Iteratur.

Ecce Auguſt. in prædictis omnibus ſolum mentionem facit de pane, & nullam de potu. Item Hilarius dicit, & habetur de conſecr. diſt. 2. *ſi non ſunt tanta peccata vt quis excommunicetur, non ſe debet à medicina corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeparare.* Item idem de Trinitate, & habetur de conſec. diſt. 2. *in Chriſto pater & Chriſtus in nobis eſt, vnum in his eſſe nos faciat. Si verò carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè ille homo qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, noſq; verè ſub myſterio carnem corporis eius ſumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo eſt, & Chriſtus in nobis.*

Cap. 15. Hæc verba habentur apud Auguſt. epiſt. 118.
Cap. 82.

In quibus ſimiliter Hilarius de potu nullam facit mentionem. Quid plura? lõgum eſſet narrare antiquorum ſanctorum Doctorum dicta, per quæ videntur omnia innuere ſufficientiam communionis ſacræ ſub vna ſpecie. Sed iam oculos noſtros dirigamus ad Doctores poſteriores, qui tamen nos & hanc nouitatem per plura centena annorum præceſſerunt, quorum dicta & ſententiæ ſequuntur in hunc modum.

Innocen. Pontifex.

IN primis igitur occurrit antiquiſſimus Doctor & ſummus Pontifex Innocentius in tractatu de officio Miſſæ particula quarta de ſacramento Euchariſtiæ cap. vtrum panis ſine vino vel è contrario valeat conſecrari. Vbi inter cætera ita loquitur. *Si verò vinum inueniri non poſſet, vel aliquo caſu defuerit, quæritur vtrum neceſſitate vel caſu cogente, ſola panis materia poſſit in Euchariſtiam conſecrari: ſicut ſub ſola panis ſpecie debet Euchariſtia ſeruari.* Et infra concludit. *In his itaq; regionibus in quibus alterutrum inuenire non poteſt, licitè poſſet alterutrum ſine altero conſecrari, minus enim ignorantia, quàm neceſſitas, vel negligentia quàm difficultas excuſat.* Hæc Innocent. In quibus verbis hic Doctor affirmatiuè ponit primum quod ſub ſola panis ſpecie debet Euchariſtia ſeruari, ſecundum, quod in his regionibus, in quibus alterutrum inueniri non poteſt, licitè poſſit alterum ſine altero conſecrari, quæ nullo modo poſſent ſtare in veritate ſi communio ſub vtraq; ſpecie eſſet de præcepto Chriſti.

Alex. de Ales.

Item Alex. de Ales Doct. antiquus, ſolemnis, & profundus in doctrina diuina pariter & humana, & ſanctæ vitæ, magnæq; auctoritatis in tota Schola Theolog. in 4. part. ſuæ ſum. de materia ſacramenti Euchariſtiæ quærit, vtrũ liceat corpus Chriſti ſumere ſub ſpecie panis tantum ſiue ſub ſpecie vini. Et reſpondendo ad illud dubiũ dicit ꝙ quia Chriſtus integrè ſumitur ſub vtraq; ſpecie, bene licet Chriſtũ ſumere ſub ſpecie panis tantũ, ſicut fere fit à laicis vbiq; in Eccleſia. Quod aũt dicunt canones cõperimus, intelligitur de cõficiente. Eccleſia autem illud ſacramentum diſpenſare cõ ſueuit ſub ſpecie panis tantũ, tũ pro-

q. 11. art. 4.

pter

pter periculum effuſionis quod fortè accideret, ſi ſub ſpecie vini diſpenſaretur, tum propter vitij infidelitatis amotionē quod ſe non immeritò ſimplicium mentibus ingereret, ſi ſemper ſub ſpeciebus panis & vini daretur, quia ſi ita fieret poſſent ſimplices credere, quod Chriſtus non contineretur integer ſub altera ſpecie, ſicut contigit quandoque vnde aliquibus religioſis petētibus & inſtantibus vt ſub vtraq; ſpecie ſumerent hoc ſacramentum, Sacerdote quodam pio celebrante cum faceret fractionem, concauum patenæ totum viſum eſt repleri ſanguine. Ad quod obſtupuerunt ipſe & circumſtantes; ſed cum coniungeret Sacerdos partes hoſtię, totus ille ſanguis viſus eſt reintrare, & ſic petitioni & tentationi illorum fuit penitus ſatisfactū. Et in ſcripto ſuo ſuper Ioh. vbi exponens illud Io. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis &c.* dicit quod ſolus ſacerdos communicat ſanguini. Reliqui verò ſ. non ſacrificantes communicant corpori. Itē Alb. Magnus ſummus Philoſophus & maximus Theologus ſanctæq; vitæ qui & in vita & poſt mortem claruit miraculis, in tractatu de corpore Chriſti dicit: *hoc eſt quod dicitur 1. Reg. 2. in deſiderio populi hunc cibum deſiderantis: dimitte me obſecro ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedā buccellam panis. Vnica enim & ſingularis pars Sacerdotalis eſt hoſtia corporis Chriſti, ad quam populus admittitur vt buccella corporis Dominici ſacietur.* Et conſequēter ſubdit figuram vnius ſpeciei in tribus ſatis, dicens. *Et hoc eſt figuratum Gen. 18. vbi dicitur, cū Abraham ſederet in oſtio tabernaculi ſui, vidit tres Angelos deſcendentes per viā, quibus tria ſata farinæ ſimilæ commixta parari fecit in ſubcinericios & azymos panes.* Hæc Alber. per quæ innuit laicos ſolum ad vnam ſpeciem eſſe admittendos, eo quod de vino nullā facit mentionem. Item idem Alb. Magnus tenuit & credidit, quod Eccleſia poſſet diſpenſare cū Sacerdotibus in partibus in quibus vinum non reperitur, quod cū ſola hoſtia poſſent conficere. Cuius verba in propria forma ſunt quæ ſequuntur & habentur in tract. de offic. Miſſę circa fin. *Ad hoc autem quod quæritur de terris in quibus vinū nullo modo poßit haberi, dicendum videtur quod de hoc conſultatio ad curiam haberi debeat, quid ſit agendum, tamen propter intolerabile damnum animarum, quod incurritur ex ſacramenti defectu, videretur mihi eſſe cū talibus diſpenſandum, vt corpus Chriſti ſine calice haberent, & conficerent ſacramentū. Quia ſicut patet per ante dicta, corpus non eſt ſine ſanguine, & anima & Deitate, quamuis non ſit ibi ſanguis ex virtute conſecrationis & ſacramenti.* hęc Alber. Item B. Thom. diſcipulus eiuſdem Alb. Magni, qui fuit excellentiſſimi ingenij, immo potius Angelici quàm humani, diligentiſſimi ſtudij, humillimi iudicij, & omni omninò ſpoliatus inordinata paſſione, vitæ ſanctiſſimæ, qui ſcientiam ſuam plus oratione & meditatione, quàm ſtudio & lectione à Domino promeruit. Quotiēs enim ſanct⁹ Dei diſputare, legere, ſcribere, vel dictare voluit, prius ad orationis ſecretum acceſſit. & inde ſurgēs inueniebat ſic in promptu, quod ſcriberet vel dictaret, quaſi in libro aliquo didiciſſet. Hic doctor cū quadā nocte orationi inſiſteret, ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus ipſum de textu dubio ſcripturæ propheticæ pleniſſimè inſtruxerūt, cuius doctrinæ & ipſa prima veritatis teſtimonium perhibuit. Nam poſt quam ediderat officium corporis Chriſti, & ſcripſerat materiam in tertia parte huius diuiniſſimi ſacramenti, oranti, ab imagine Chriſti crucifixi talis vox audita eſt, *benè ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo recipies pro tuo labore mercedem?* & reſpondit S. Thomas: *Domine, non aliā mercedem recipiam niſi te ipſum.* Audiamus igitur quid talis ac tant⁹ Doctor dicat in materia noſtra. Ecce ipſe in 3. par. ſummę q. 80. art. 12. mouet in forma articulū in reſpōſione ad 3. art. ſic dicit. *Circa huius ſacramenti vſum duo poſſunt conſiderari. Vnum ex parte ipſius ſacramenti. Aliud ex parte ſumentiū. Ex parte ipſius ſacramenti conuenit quod vtrunq; ſumatur ſ. corpus & ſanguis. quia in vtroq; conſiſtit perfectio ſacramenti, & ideo quia ad Sacerdotem pertinet hoc ſacramentum conſecrare, & perficere, ficere, nullo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine. Ex parte autem ſumentium, reuerentia ſumma requiritur & cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad iniuriam tāti myſterij. quod præcipuè poſſet accidere in ſanguinis ſusceptione, qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi. Et quia creſcente multitudine populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes, iuuenes, & paruuli, quorū quidam non ſunt tantæ diſcretionis vt cautelam debitā circa vſum huiuſmodi ſacramenti adhibeant, ideo prouide in quibuſdam Eccleſiis ſeruatur, vt populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolum à Sacerdotibus ſumatur:* hæc ille.

AD rationes verò quas adducit in oppoſitum reſpondet vt ſequitur. & primò ad auctoritatem Gelaſij quæ habetur de conſ. diſt. 2. Comperimus. dicit quod Gelaſius Papa loquitur quantum ad ſacerdotes, qui ſicut totum conſecrant ſacramētum, ita etiam toti cōmunicare debent. vt enim legitur in Concilio Toletano: *Quale erit ſacrificium, vbi nec ipſe ſacrificans eſſe dinoſcitur?* Ad ſecūdum de perfectione huius ſacramenti dicit quod perfectio huius ſacramenti, non eſt in vſu fideliū, ſed in conſecratione materiæ. Et ideò nihil derogat perfectioni hui⁹ ſacramēti, ſi popul⁹ ſumat corpus ſine ſanguine, dūmodò Sacerdos cōſecrās ſumat vtrūq;. Ad tertium de repræſentatione Dominicæ paſſionis, dicit, quod repræſentatio Dñcæ paſſionis agitur in ipſa conſecratione huius ſacramenti, in qua nō debet corpus ſine ſanguine conſecrari, poteſt autem à populo corpus ſine ſanguine ſumi. nec exinde eidem aliquod ſequitur detrimētum, quia Sacerdos in perſona omnium ſanguinem offert & ſumit, & ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus continetur, vt ſupra habitum eſt. hæc S. Thomas in proprijs terminis. Item idem in Poſtilla ſuper Ioh. dicit: *propter periculum effuſionis in aliquibus Eccleſiis ſeruatur, vt ſolus ſacerdos communicet ſanguini, reliqui verò corpori. Nec tamen eſt contra ſententiam Domini, quia qui cōmunicat corpori, cōmunicat etiam ſanguini. cum ſub vtraq; ſpecie totus Chriſtus contineatur, etiam quantū ad corpus & ſanguinem. Sed ſub ſpeciebus panis continetur corpus Chriſtus ex vi conuerſionis, ſanguis verò ex naturali concomitantia. Sub ſpeciebus verò vini continetur ſanguis Chriſti, ex vi conuerſionis, corpus verò ex concomitantia:* hæc ille, qui & paulo ſuperius declarans, quid intelligat per id q̃ dicit, *in pleriſq; locis, in quibuſdam Eccleſiis*, dicit, *vbi miniſtri altaris continuè & corpore & ſanguine cōmunicant*. per quæ verba manifeſtè declarat quod tempore ſuo in nulla Eccleſia laici communicabant ſub vtraque ſpecie, niſi ſolùm miniſtri altaris, & hoc ſolùm in quibuſdā, & non in omnibus. Item idē Doctor in ſcripto ſuo ſuper. 4. ſenten. diſt. 12. ſic arguit vno art. *cōmunicatio corporis Domini & ſanguinis æqualiter debetur omnibus membris Chriſti, ſed alijs datur corpus Chriſti ſine ſanguine, ergo Sacerdos ſaltē à ſumptione ſanguinis abſtinere poteſt.* Reſpōdet præfatus Doctor, quod perfectio huius ſacramēti in vtroq; conſiſtit, & ideo Sacerdos celebrans qui alterum tantū ſumeret, imperfectè ſacramentum perageret. Vnde reus ſacrilegij ſecundū canones iudicatur de conſ. diſt. 2. c. cōperimus. Secus aūt de alijs, qui iſtud ſacramentum non perficiūt, quia eis ſubtrahitur ſanguis propter effuſionis periculū. Vnde & ſacerdos in paraſceue, quando non conſecrat, corpus ſine ſanguine ſumit. Item idem S. Thomas in 4. diſt. 12. q. 2. in reſponſione ad 3. artic. primi artic. ita dicit: *Ad tertium dicendum quod populo nō datur ſanguis propter periculum effuſionis, quia citius vna gutta ſanguinis laberetur, quàm aliqua particula corporis. Vnde miniſtris altaris, ſecundum conſuetudinem aliquorū, datur participatio ſanguinis de quibus præſumitur quod in talibus magis ſint cauti. In lege etiam veteri de libaminibus nihil habebant offerentes, ſed ſoli ſacerdotes, per quæ ſignificabatur cibus huius ſacramenti:* Hæc S. Doctor: Item Doctor in alio loco dicit quod laicis debet dari ſimplex vinum, non conſecratum, aut aqua, pro ablutione, nō tamen propter myſterium aliquod, ſed vt lauentur ora ſumentium, ne maneant aliquæ reliquiæ Euchariſtiæ intra dentes vel gingiuas, & etiam vt non ſeruetur Euchariſtia in ore propter maleficium exercendum, vt expertum fuit tempore Ambroſij quo in trunco apum, hoſtia conſecrata, per vnam mulierem fuit ſeruata, & abſconſa, vt apes augerentur. Et vlterius dicit quod Sacerdoti ſemel ſufficit in die communicare, alijs autem probatis perfectis ſufficit de octaua in octauam, communioni autem populo qui non eſt magna deuotione occupatus, ad minus ſemel in anno. Et conſequenter dicit: Sacerdos porrigens alijs Euchariſtiam ſub vna ſpecie, poteſt illa vel ſimilia verba proferre: *Corpus & ſanguis Domini noſtri IESV Chriſti proficiat tibi in vitam æternam,* & non ſolum, *corpus Domini noſtri*, & dans vinum ſimplex pro ablutione, debet vel poteſt dicere: *In nomine Domini noſtri* IESV CHRISTI. *amen.* Longum eſſet replicare verba & loca quibus & in quibus dictus Doctor hanc veritatem fidei Catholicæ ex propoſito & intentione proſequitur: Nam in ſermonibus de

Cap. 12.

Lectione 7. in 6. c. Ioan.

q. 1. ad 2.

Simile q̃ habet Cęſarius Heiſterbacen. lib. 9. c. 8. & Thom. Cātipratanus lib. 2. c. 40.

S. Thom. de Sacramento altaris c.29.

lib.6.c.16.

S.Bonauentura.

quæſt.2.

bus de corpore Chriſti ſermone 29. ad longum ſpacium, & per medium ſermonis, ſub tali titulo. *Secundò quæritur quare populus non accipiat ſanguinē, ſicut Sacerdos ſub ſpecie vini.* Proſequitur reſpondens & aſſignans triplicem rationem quam ibidem deducit ad longum. Similiter & in compendio Theologicæ veritatis, & in quæſtionibus de ſacramentis & in multis alijs locis. Quò ad prædictum Doctorem & pro præſenti dictæ allegationes ſufficiant. Item Bonauentura Doctorum vtique deuotiſſimus, & ſanctæ vitæ, profundæque ſcientiæ & doctrinæ, qui etiam miraculis claruit. diſtin. 11. quarti ſummarum dicit, *duo ſunt circa hoc ſacramentum conſideranda primum eſt eius efficacia, ſecundum eius ſignificantia, & ſic aliquid poteſt eſſe de integritate vel de perfectione huius ſacramenti dupliciter. Vno modo quo ad efficaciam (ſcilicet illud quod ex parte ſacramenti requiritur, ad totalem efficaciam eius & ſic neutra ſpecies eſt de integritate ſacramenti, ſed quælibet quantum eſt ex opere operato, ſufficit ſine alia ad cauſandum totalem ſacramenti effectum, & hoc ideo, quia efficacia ſacramenti non eſt ratione ſigni, ſed ratione contenti ſub ſacramento: Idem autem per omnia continetur ſub vtraq; ſpecie & ſecundum eundem modum exiſtendi. Nec plus ſumit qui ſumit vtramq; ſpeciem quàm qui ſumit alteram tantum, vt dicit Magiſter diſt. 11. quarti. Vnde ſicut ſub ſpeciebus panis eſt totus Chriſtus cum corpore, anima, ſanguine & Deitate, ita ſub ſpeciebus vini eſt totus Chriſtus cum omnibus eiſdem & ſecundum eundem modum exiſtendi, quia ſicut ſub ſpeciebus panis Deitas eſt vnita humanitati, ſic ſub ſpeciebus vini: & ſicut hic anima informat corpus, ita & ibi: & ſicut hic ſanguis eſt incluſus inter venas corporis, ita ibi ſub ſpeciebus vini: & ita in modo exiſtendi nulla eſt diuerſitas, hic & ibi, quamuis in conuerſione ſit diuerſitas, quia panis conuertitur in corpus tantummodo, & cætera ſunt ibi concomitāter. Alio modo aliquid eſt de integritate ſacramēti, quantum ad omnem ſignificationem, ſcilicet illud quod requiritur ad totalem & completam illius ſacramenti ſignificationem, hoc modo ambæ ſpecies ſunt, & quælibet illarum eſt de integritate & perfectione ſacramenti, eo quod per ambas & per nullam earum ſeorſum ſufficienter & completè exprimitur huius ſacramenti ſignificatio, quod ſic patet. Hoc ſacramētum ſignificat Chriſtum, vt nutrimētum perfectè reficiens ſe dignè communicantes ſacramētaliter, ſed cum perfecta refectio corporalis vt cōmuniter ſeu ſine miraculo non fiat in pane ſolo, aut in vino ſolo, ſed in vtroq; non poteſt vna ſpecies ſola ſignificare Chriſtum vt perfectè reficientem, ſed vna ſignificat eum per modum cibi reficientis, ratione corporis ſui, & alia per modū potus ratione ſanguinis, ambæ verò ſimul hoc completè ſignificant. Quare requiruntur ad integritatem ſignificationis huius ſacramēti. Et dico notanter, vt communiter, ſeu ſine miraculo: quia in ſatietatibus Chriſti quibus plura millia quinq; panibus & duobus piſcibus ſaciauit, populus plenè ac perfectè fuit refectus ſine potu,* tūc ad argumentum primum reſpondendo dicit: *Etſi totum in vtraq; ſpecie contineatur, non tamen alterum perfectè ſignificatur, & ideo fideles perfectum ſacramentum recipiunt, quia ad efficaciam [illegible] piunt. Sed quantum ad ſignificationem ſufficit quod Eccleſia facit in eorum præſentia.* Subdit: *nec oportet quod ipſi recipiant ſub ſpeciebus vini propter periculum effuſionis & erroris.* Hæc Bonauentura:

Petr. de Tarentaſia.

Item Petrus de Tarentaſia Doctor excellētiſſimus, ſummus Rom. Pontifex & Sanctæ & deuotæ vitæ. diſt. 11. quarti. *cùm enim in hoc ſacramento ſit ratio ſigni, ſcilicet ſignificatio pertinens ad ſapientiam, & ratio cauſæ ſeu cauſalitas, pertinens ad gratiam, & quia gratia eſt omnibus neceſſaria, ideo omnibus traditur ſub vna ſpecie perfectione cauſatiuæ gratiæ. Sub qua cum maiori cautela ſine reuerentia poteſt tradi. Sed ſapientia non eſt ſic omnibus neceſſaria, ideo à ſolis maioribus, id eſt presbyteris vel miniſtris altaris ſumitur ſub vtraq; ſpecie, quia maiorem cautelam & reuerentiā ſeruare ſciunt:* Hæc ille:

Richard⁹ de media Villa. art. 4.q.6.

Item Richardus de media villa Doctor profundus & magnæ auctoritatis in Scholis. diſtin. 11. quarti dicit: *communiter non debet hoc ſacramentum populo tradi ſub vtraq; ſpecie propter periculum effuſionis ſanguinis, & etiam propter periculum erroris, ne ſcilicet populus cōmunis crederet Chriſtum non eſſe totum ſub vtraq; ſpecie, maioribus tamē in quibus neutrum prædictorum periculorum probabiliter timetur. ſub vtraq; ſpecie dari poteſt, non tamen minorem efficaciam recipiunt illi quibus datur ſub altera ſpecie tantum, quàm illi quibus datur ſub vtraq;, eo quod ſub vtraq; ſpecie totus Chriſtus continetur. Sumptio tamen ſub vtraq; ſpecie facit ad expreſſiorem myſterij ſignificationem.*

Nicolaus de Lyra.

Item Nicolaus de Lyra, in expoſitione ſacrarum literarum meo iudicio poſt antiquos Doctores excellentiſſimus & bonæ vitæ, tractans illud Io. 6. *Niſi manducaueritis &c.* dicens: *non eſt intelligendum quod hoc ſacramentum ſub vtraq; ſpecie fidelibus ſit exhibendum, ſed tamen hoc modo à ſacerdote ſumendum. licet enim in primitiua Eccleſia populus ſub vtraq; ſpecie communicaret, tamen poſtea proinde ordinatum eſt, vt non communicet ſub ſpecie vini propter periculū effuſionis, & quia ſub ſpecie panis accipitur quodammodo ſanguis, in quantum ibi continetur, quia ſub vtraq; ſpecie eſt totus Chriſtus, tamen aliter & aliter, quia ſub ſpecie panis eſt vera caro Chriſti virtute ſacramenti, cætera vero ſunt ibi per concomitantiam: & eodem modo ſub ſpecie vini eſt ſanguis Chriſti ex vi ſacramenti, Cætera verò concomitatiuè:* & ibidē dicit, quod ſacramentum Euchariſtiæ non ſolum proficit Sacerdoti ſumēti, ſed etiá toti Eccleſiæ & illis qui ſunt in purgatorio, cuius ratio eſt, quia Euchariſtia nō eſt tantum ſacramētum, ſed etia eſt ſacrificium Eccleſiæ, in quantum continet Chriſtū paſſum, & ideo proficit omnibus fidelibus: Si ſumatur alio modo, ſicut à laico, tūc proficit ſibi ſoli ſumēti, quia officiū eius non eſt offerre ſacrificium, ſed tantum ſumere ſacramentū. Et ſuper illud Apoſt. 1. ad Cor. 11. *probet aūt ſe ipſum homo*, dicit idem: *hic fit mentio de duplici ſpecie, nam in primitiua Eccleſia ſic dabatur fidelibus, ſed propter periculum effuſionis ſanguinis modò datur tantum ſub ſpecie panis, Sacerdos tamen celebrans accipit ſub vtraq; ſpecie, non tantum pro ſe, ſed pro alijs:* Hæc ille:

Pet. de Palude q.1.

Itē dńs Petrus de Palude, Patriarcha Ieroſolymitanus, Doctor vtique magni ingenij & profundæ ſcientiæ & ſanctę & deuotę vitæ in 4. ſent. diſt. 11. ſic dicit: *Secunda concluſio eſt quod nō debet ſub vtraq; ſpecie dari populo, ſed ſolū ſub ſpecie panis propter periculum effuſionis. ſicut olim offerētes edebant de ſacrificijs & oblationibus quæ erāt in materia ſolida. Sed ſoli miniſtri de libaminibus, quæ erant in materia liquida, Græci tamen communicant carni & ſanguini, & in quibuſdam Eccleſijs eſt conſuetudo quod communicās ſub vtraq; ſpecie, nec eſt peccatum, quia quando mos erat, crimen non erat, & ita cautè in illis Eccleſijs ſiue monaſterijs faciunt, quod nihil effundunt: ſed ſi vulgo indifferēter daretur, eſſet maius periculum:*

Scotus.

Item Scotus, qui præ altitudine & ſubtilitate doctrinæ antonomaſticè nomē Doctoris ſubtilis in ſcholis obtinuit, in 4. ſent. diſt. 8. in 1. q. *vtrùm ſacramentum à nō ieiunis poſſit recipi*, dicit in ſumma, quod Sacerdos poſt conſecrationē hui⁹ ſacramenti rigidiſſimum habet mandatum Eccleſię ad hoc, vt percipiat vtrumq;, laicus aūt non habet aliquod mandatū Eccleſiæ ad hoc vt percipiat vtrumque ergo non eſt neceſſitatis, hæc ille.

Thomas de Argētina.

Itē Thomas de Argent. Doct. valde profundus & magnæ auctoritatis in ſcholis, ſup. 4. diſt. 8. dicit: *ſicut Sacerdos in die Paraſceues celebrando nō debet vti vino conſecrato ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ſola hoſtia reſeruata in præcedēte die, nec obligatur ad conſecrandum & ſumendum ſanguinē ſub ſpecie vini tali die, ſic nec laica perſona poſt cōmunionem corporis Chriſti tenetur ad ſumptionem ſanguinis, ſed poteſt ſumere vinum non conſecratū:* Hęc ille: & idē in alia quæſt. dicit. *licet in paſſione Domini ſanguis fuerit ſeparatus à corpore vſq; ad horam qua ſurrexit à mortuis. Et ſi in medio tempore fuiſſet conſecratū corpus Chriſti fuiſſet corpus, ſine ſanguine, & ſi calix fuiſſet conſecratus, ſanguis fuiſſet ſine corpore, & poſt reſurrectionem ſanguis eſt vnitus corpori & in ſempiternū ſic manebit, & propter hāc vnionē realem ſanguinis & corporis Chriſti ſub vtraq; ſpecie panis & vini recipiens habet totū corpus Chriſti, & totum ſanguinem, ideo cōmuni populo ſecundum cōſuetudinem Romanæ Eccleſiæ veritas corporis & ſanguinis Chriſti datur ſub ſpecie panis tantū, & hoc propter periculū diſtillationis ſanguinis, quod poſſet accidere ſi ſub ſpecie vini rudi & impetuoſo populo traderetur ſacramentū.* Et conſequēter arguit pro vtraq; ſpecie ſic: *ſanguis per modū potus ſolum datur ſub ſpecie vini: igitur cuilibet Chriſtiano ſanguis Chriſti debet dari ſub ſpecie vini, ne priuetur vita ſpirituali. Reſpondetur, cui datur corpus Chriſti, illi datur ſpiritualis perfectio per modū cibi & potus, quantū ad rē ſignificatā, licet non quo ad ſpeciē ſignificantē.* Et conſequenter arguit: *Omnis ordinata refectio de cōmuni lege & ſine miraculo datur per modū cibi & potus, Reſpōdetur, quod qui dignè recipit corpus Chriſti ſub ſpecie panis, verè mādu cat eius carnē & bibit eius ſanguinē, quamuis hoc non fiat ita ſub proprio ſigno expreſſo, ſicut ſi reciperet illud ſub ſpecieb. vini. Nā Chriſtus ſub ſpecieb. panis eſt animæ ſpiritualis cibus & pot⁹*, hæc ille: Itē ibidē arguit ſic. *ſi ſub ſpeciebus panis haberetur ſanguis Chriſti, tūc in vanum iterum Sacerdos conſecraret ſanguinē calicis. conſequētia tenet, quia fruſtra ordinatur alius actus ad habendū quod de facto habetur realiter. Reſpōdetur, quod ideo diſtinctim et diuiſim debet fieri cōſecratio ſanguinis, vt expreſsè ſignificetur, quod in Chriſti paſſione*

ſanguis

ſanguis per effuſionem fuerit ſeparatus è corpore. ergo quamuis ſanguis Chriſti concomitãter ſit ſub ſpeciebus panis, ſub quibus corpus eſt vnitum ſanguini ex vi ſacramenti, propter tamen dictam ſignificationē, idem ſanguis ex vi ſacramenti eſt ſub ſpeciebus vini, & corpus cõcomitanter. & ideo non eſt fruſtra, quia ille actus qui ordinatur ad ſanguinem, eſt alius ex vi verborum ſacramenti, quàm ille qui eſt ex vi verborum ſacramenti panis. Hæc ille: Ad idem eſt Hugo primus poſtillator totius Bibliç. ſimiliter Gorra, & penè quotquot ſcripſerunt ſuper Euangelia, aut ſuper ſententias: Item quidam doctor Angelicus ſolemnis & valdè profundus, dictus Fiſcare, ſuper 4. diſt. 11. ita dicit: *Quæritur*, inquit, *quare non datur populo corpus Chriſti ſub ſpeciebus vini ſicut ſub ſpecie panis, vel ſimul ſub vtraq;? Reſponſio, Multiplex aſsignatur ratio: Vna, quam tangit Iulius Papa de conſecr. diſt. 2. Alia eſt propter periculũ, facilius enim elaberetur gutta quã hoſtia. Tertia, quia in lege & in ſacrificijs offerebantur libamina, de libamine aũt nihil habebãt offerentes ſed tãtũ Sacerdos, licet de ſacrificio haberẽt, & ideo vt innoteſcat cõgrua veritatis ſignificatio de ſacrificio, ſcil. de corpore Chriſti ſub ſpecie panis datur populo, ſed ſub ſpecie libaminis non.* hæc ille. Quid plura? longum eſſet omnes Doctores Theologos hoc in loco enumerare, & vnius cuiuſque propriam ſententiam in hac noſtra materia replicare. Sed iam ad Dd. iuris canonici accedamus, quorum ſentẽtias breuiter perſtringemus. Ecce gl. ordinaria diſt. 2. de conſecr. c. presbyter. ſuper verbo, *Eucharistiam ſemper habeat paratam*: ita dicit: *ſanguinem nõ præcipit ſeruare, quia opus eſſet nimia cautela in eo ſeruando.* Item eadem gl. de eodem, 3. c. cõperimus, ſuper verbo, *aut integra*, dicit: *Et hoc intelligo de conficiente. Nam infirmus vel ſanus in neceſſitate, ſine vino corpus ſumere poteſt*: ad quod confirmandũ adducit dicta gloſſa tres ſolennes Doctores & antiquos, videlicet Hugolinum, Laurentium, & Ioannem, vt patet ibidem. Item Archidiaconus in eadem diſt. c. presbyter, addit ad gloſ. prællegatam, dicens: *addere præterea non opus eſt, quia vbi eſt corpus, ibi eſt ſanguis.* Item idem Archidiaconus in cpait. competimus. hanc materiam ex dictis Petri de Tarentaſia, hoc modo declarat: *dic ad huius declarationem quod in huiuſmodi ſacramẽto eſt ratio ſigni & ratio cauſæ: ſignificatio pertinet ad ſapientiam, ſed cauſalitas ad gratiam. Quia ergo gratia communiter omnibus neceſſaria eſt. ſed non ſic ſapientia efficacia verò æqualis eſt ſub vtraq; ſpecie, ſed non ſignificantia, ideo omnibus traditur ſub altera ſpecie, in qua poteſt tradi cum reuerentia & cautela maiori. A maioribus verò tantum id eſt presbyteris, & miniſtris ſumitur ſub vtraq; ſpecie.* Hæc Archidiaconus. Ad idem eſt Ioannes in ſumma confeſſorum, & Hoſtien. in ſumma ſua. Idem Rudolphus in paſtorali nouello, in metris de hac eadem materia loquens, ita dicit: *Hic & ibi cautela ſit hæc, ne presbyter ægris aut ſanis tribuat laicis de ſanguine Chriſti. Nam fundi leuiter poſſet, ſimplexq; putaret. Quod non ſub ſpecie eſſet Ieſus totus vtraq;. Sed facit hic aliter nouitatum gratia mater.*

Doctores iuris canonici.

Cap. 93.

Cap. 12.

ATTENDANT igitur quæſo oppoſitum huius veritatis tenentes & libera ratione dijudicẽt, quæ pars habeat Doctores ex propoſito & intentione in materia loquentes potiores in conditionibus ſuperius enumeratis, in quadam ſuppoſitione generali. Comparabitur ne quidam Iacobellus, primus vniuerſalis conſuetudinis Eccleſiæ effractor, & primus huius nouitatis in regno Bohemiç inuẽtor, in perſpicuitate ingenij, in exercitatione ſtudij, in humilitate iudicij, in immunitate vitij & paſſionis, in ſanctitate vitæ, in reuelationibus & inſpirationibus diuinis, in intellectu diuinarum ſcripturarum in perceptione diuinæ voluntatis, in cognitione veri præfatis tot & tantis ſanctiſſimis & profundiſſimis doctoribus, in quorum doctrina & vita fulget Eccleſia vt Sol & Luna? Vbi quæſo præfati Iacobelli miracula vitç ſanctitatem teſtantia? Vbi gradus magiſtralis ſeu doctoralis, vel potius ſcripta & opera ſufficientiam doctrinæ ſuæ declarantia? Mira res vtique & non mira. Non mirũ quidem quod vnus homo detur in reprobum ſenſum. ſed mirandum quod poſt ſe trahat innumeram multitudinem fidelium, mirandum vtique & dolẽdum, quod tam glorioſum & notabile regnum, derelicta vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine, vnius hominis nouitatẽ ſequi voluerit. Ecce tot doctores, tam ſanctiſſimos in vita, & tã in doctrina & ſcientia diuinarum ſcripturarum profundiſſimos, qui ex propoſito & ex intentione atque in proprijs terminis ſole clarius noſtram declarant & determinant ſentẽtiam, adduxi, & adduco in medium. Det mihi magiſter Iohannes, ſiue pars aduerſa, à tempore quo Chriſtus hoc inſtituit ſacramentũ, vſq; in præſentem diem, vnum doctorem fidelem & Catholicũ, qui ex propoſito & ex intentione mouerit in libris aut ſcriptis, ſiue in dictis ſuis, hanc quæſtionem in forma ſiue in ſententia: Vtrum in communione laica vtraque ſpecies panis ſcilicet & vini ſit de neceſſitate ſalutis. & de præcepto Chriſti: & qui determinet pro parte aduerſa, contra tot & tantos & tam ſanctiſſimos viros, & in diuinis ſcripturis Doctores profundiſſimos, in loco præſenti per me adductos, & offero me ad ſubeundam omnem pœnitentiam & pœnam corporalem dictandam & inferendam per hoc ſacroſanctum generale Concilium, in Spiritu S. legitimè congregatum. Nec apud partem aduerſam dicti ſancti Doctores per me hic inducti pro præſenti, & quorum libri hic in oculis omniũ fuerunt reuoluti, poſſunt aut debent haberi ſuſpecti quoquo modo, cum omnes per longa annorum ſpacia hanc nouitatem præceſſerint, alij penè per ducentos annos, imo per plures, vt Inocentius. Alij ferè per ducentos, vt Alexander de Ales, Albertus Magnus, S. Doctor Bonauentura. Alij per cẽtum quinquaginta, & alij per cẽtum, & nullus eſt qui ad minus non præceſſerit per quinquaginta annos, quorum vtiq; vita & doctrina etiam in regno inclyto Bohemiæ, & in vniuerſitate Pragenſi ante hoc diſturbium claruit, & in magna veneratione habiti ſunt.

Sexto principaliter prædicta veritas rationibus quibuſdã perſuaderi videtur, ex ſuppoſitione fidei Eccleſiæ & doctrinæ ſanctorum. Et primò ſit prima ratio: Omnis ſubſtãtia habens omnem perfectionem & virtutum ſub vno accidente, ſicut ſub pluribus, & nihil perfectionis aut virtutis ſiue effectus ab accidentibus capiens, dum talis ſubſtantia ſub vno accidente accipitur, non eſt neceſſe quod ſub pluribus capiatur, ne Chriſti præcepto vel ſtatuto Eccleſiæ. Sed Chriſtus eſt ſubſtantia omnem perfectionem & virtutem habens & continens ſub vno accidente, id eſt, ſub ſpecie panis vel etiam ſub ſpecie vini. Igitur ſi accipitur ſub vno accidente ſcilicet panis, non eſt neceſſe quod capiatur ſub pluribus, niſi obſtaret CHRISTI præceptum vel Eccleſiæ ſtatutum. Maior patet per illud octauo Phyſicorũ, vbi dicitur quod peccatũ eſt fieri per plura, quod competẽter poteſt fieri per pauciora. Nec hoc etiam eſt de præcepto Chriſti, nec pro nũc de ſtatuto Eccleſiæ, Minor etiam patet, quia ſi Chriſtus nõ haberet omnem perfectionem ſub vno accidente ſicut ſub alio, tunc Chriſtus ſub vno accidente nõ eſſet perfectus, & quod ab accidentibus aliquam acquireret perfectionem, quod nullus ſanæ mentis diceret. Secunda ratio. Si Sacerdotibus quandoque congruit communicare ſub vna ſpecie tantum, ſine peccato, tunc à fortiori laicis. Sed de facto Sacerdotibus in ſexta feria paraſceuæ ex ſtatuto Eccleſiæ congruit, ſicut præmittitur, communicare. igitur & laicis. conſequentia tenet per regulam topicam ſi illud quod minus videtur ineſſe, & ineſt, tunc & illud quod magis. Statuit autem Innocentius Papa Euchariſtiam à die cœnç reſeruare ſub ſpecie panis pro fidelibus communicãdis & ad implendum officium ſequentis diei, in quo ſacramentum non cõficitur. Ratio autem à Doctoribus aſſignatur, quia in prædicta ſexta feria ſanguis fuit effuſus de corpore Domini, & diuiſus à corpore realiter, vnde non oportet illa die quæ ex ſe rerum toto officio prædictam diuiſionẽ cõmemorat, per huiuſmodi ſpecies viſibiles deſignari. Quapropter & eadem die Sacerdos ſumit ſacramẽtum tantummodo ſub ſpecie panis ad refectionem potius in perſona totius Eccleſiæ, quã ad ſignificationẽ. Item quia ſicut in veteri lege in ſecũdo tabernaculo quod dicebatur ſancta ſanctorũ, ſemel in anno ſolus Pontifex intrabat, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorantia, vt ait Apoſtolus ad Hebræos 5. ſic ad oſtendendum quod ea die ſolus noſter ſummus Sacerdos Dominus IESVS CHRISTVS intrauit per proprium ſanguinem de quo Apoſt. ibidem. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manifeſtum, id eſt, non huius creationis, neq; per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuẽta,* nullus ea die celebrat. vnde Rabanus de inſtitutione clericorum Capitulo 67.

Probatur hæc veritas rationibus. I

in hac die ſacramenta penitus non celebrantur, ſed Eucharistiam in cœna Domini conſecratam, peracto officio lectionum & orationum, & ſanctæ crucis ſalutatione, reſumunt. Tertia ratio: Si prædicta communicatio laica ſub vtraque ſpecie eſſet de neceſſitate ſalutis, ſequeretur quòd omnes Sacerdotes & laici à tempore quo huiuſmodi communicatio ſub vna ſpecie ortum habuit, peccaſſent mortaliter, & per conſequens, quòd eſſent damnati, quod eſt error manifeſtus, quia ſic ſanctus Ambroſius, Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius, & alij innumeri ſanctiſſimi patres eſſent damnati, quod piæ aures exaudire perhorreſcunt. Aſſumptum probatur: Primò de Sacerdotibus quidem, quia obligabâtur populo miniſtrare hoc ſacramentum ſub vtraq; ſpecie, ex diuino præcepto, & hoc facere neglexerunt, immò facere noluerunt, & ſic populum priuauerunt iure ſuo, quod habuit in tali ſacramenti perceptione, & impediuerunt ſalutem ipſorum, quod non potuerunt ſine graui & mortali peccato facere. Si enim ſpoliare honore, aut rebus, aut iure quod habet in aliqua poſſeſſione, eſſet peccatum mortale, quantò magis ſpoliare quenquam ſalute & iure ſuo in perceptione tantæ rei. Item non ſolùm Sacerdotes non miniſtrabant aut ſubtrahebant populo tantùm ſacramentum, ſed etiam docebât populum quòd licitum eſſet, ſic ſub vna ſola ſpecie communicare, nec tenebantur aliter. Et in hac ſuppoſita aduerſariorum opinione pro veritate docebant errorem contra diuinam legem, & faciebât ſibi gregem commiſſum in tam magnis & arduis rebus periculoſiſſimè errare, quod vtique facere non poterant ſine grauiſſimo peccato mortali: Sicut ſi prælatus doceret gregem ſibi commiſſum quòd fornicari eſſet licitum, aut ſe ipſum propria auctoritate indifferenter vindicare, & ſimilia, quæ ſecundùm ſe erronea ſunt. Similiter laici, ſi fuiſſent obligati ad vtramque ſpeciem, peccaſſent mortaliter non faciendo diligentiam, nec petendo id quod ſibi ad ſalutem competebat. Sicut non excuſatur laicus, ſi non ſit baptizatus, nec petit baptizari, quia quilibet tenetur diligentiam facere ad habendum id ſine quo ſaluari nô poteſt. Conſequentia patet ſimiliter. Omnis enim qui peccat mortaliter, nec ſaltem in extremis poſitus conteritur & confitetur, is pro facto inter damnatos computatur. Manifeſtum eſt autem, quòd à multis centenis annis à quibus prædicta communio ſub vna ſpecie introducta eſt, nullus ſanctorum Sacerdotum ſic laicis miniſtrantium, ſiue etiam ipſi laici ſic accipientes, contriti ſunt aut confeſſi de huiuſmodi ritu, quaſi peccaſſent mortaliter, & ſic omnes eſſent damnati, & per conſequens omnes patres noſtri, & Bohemorum, & qui nos & eos in regno Bohemiæ præceſſerunt, eſſent dânati & æternis ignibus & pœnis deputati, quod nec ipſi, nec aliquis ſanæ mentis aſſereret. Et ſic vlteriùs pro huiuſmodi & taliter defunctis non eſſet orandum, nec alia ſuffragia eſſent pro iiſdem facienda, & per conſequens prædictam côgmunionem ſub vtraque ſpecie aſſerentes, pro parentibus eorum orare non deberent, nec aliqua alia pietatis opera exercere, quod credo non ſolùm apud nos Catholicos, ſed etiam apud ipſos aduerſarios impium eſſet aſſerere, & audire. Nec ſufficit dicere, quòd prædeceſſores ſaluati ſunt per vnam ſpeciem, quia notitiam ſcripturarum non habuerunt, ſed iam ex quo ſcripturæ apertæ ſunt & reuelatæ, non ſufficit ſub vna ſpecie tantùm, ſed ſub duabus communicare, quia nullus excuſatur per ignorantiam alicuius quod de neceſſitate, ſcire tenetur & ſpecialiter, cùm ea quæ credenda ſunt explicitè, expreſſè in ſacra Scriptura ſunt poſita, ignorans enim ignorabitur. Et ſequeretur quòd eadem de cauſa omnes pagani & infideles eſſent ſaluandi: patet, quia ignorant Baptiſmum eſſe de neceſſitate ſalutis, mandata Dei, articulos fidei, ſacramenta & alia quæ in Eccleſia ſunt de neceſſitate ſalutis, & dicuntur eſſe. Item omnes perſequentes & obſidentes Chriſtianos, propter nomen Chriſti, putantes ſe obſequium præſtare Deo, eſſent immunes à peccato, quia propter ignorantiam putant ſe benè facere, de quorum numero quandoque fuit Paulus Apoſtolus, qui de ſe ipſo ait prima ad Timotheum primo; *Qui prius Blaſphemus fui & perſecutor & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Vbi manifeſtè dicit ſe fuiſſe Blaſphemum & contumelioſum, licèt ignoranter fecerit, & niſi fuiſſet miſericordiam conſecutus, vtique ignorantia non excuſaſſet eum. Similiter ſi prælatus doceret populum ſuum, quòd Chriſtus nô eſſet Deus, ſed pura creatura, & populus crederet, ſic certè non excuſaretur à graui peccato. ſic etiam ignorans fornicationem eſſe prohibitam lege diuina, non propter hoc, ſi fornicatur, excuſatur à peccato mortali. Ad confirmationem huius facit illud Euangelij: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Matth. 15. Oportet ergo eos de neceſſitate fateri, aut quòd patres & anteceſſores eorum in regno Bohemiæ, qui fuerunt per multa centena annorum ante ipſos, cùm ignorantia non excuſet eos, damnatos eſſe: aut quod ipſi harum nouitatum inuentores erant, & per conſequens damnentur, ſi pertinaciter agant. Et prætereà ſcripturæ, de quibus aduerſarij gloriantur ſe nouiter intellexiſſe, ante multa centena annorum à ſanctis patribus ſenſum Chriſti, ſecundùm Apoſtolùm, habentibus in ſe, lectæ & optimè expoſitæ atque intellectæ fuerunt, necnon & optimo fundamento ſtabilitæ, & per ſingula ſtudia affirmatæ & approbatæ, qui ſi neceſſitatem huiuſmodi communicationis ſub vtraque ſpecie in his ſcripturis cognouiſſent, vtique ſtatuto Eccleſiæ fuiſſet huiuſmodi communicatio aſſignata, cuius oppoſitum apparet manifeſtè. Non enim veriſimile eſt tam ſanctiſſimos viros & ſapientes, atque totam Eccleſiam, per tam grande annorum ſpatium, tam damnabiliter erraſſe, & hodie in errore perſiſtere, cùm ipſa à Spiritu ſancto regatur, qui eam non ſinit errare, in his potiſſime, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, vt infrà manifeſtiſſimis teſtimonijs approbabitur. Prætereà ſi prædicta communio ſub vtraq; ſpecie fuiſſet ſub præcepto, ſequeretur quòd Deus præcepiſſet aliquid impoſſibile aliquibus; conſequens falſum, quia derogat diuinæ pietati: vnde Hieronymus excommunicat, imò veriùs excommunicatos denunciat in quadam epiſtola, omnes qui dicunt Deû aliquid impoſſibile præcepiſſe. Hieron. conſequentia tamen patet, quia multi homines ſunt qui naturaliter nec bibere, nec odorari vinum poſſunt, & per conſequens nec ſub ſpeciebus vini poſſent cômunicare. Si ergo antecedens eſſet verum, ſequeretur, quòd omnes huiuſmodi eſſent in ſtatu damnationis, quod nullo modo eſt dicendum, quia propter inexiſtentiam à natura, nullus eſt vituperandus, vt dicit Ariſtoteles in Ethicis. Ariſtot. Idem etiam accidit de multis infirmis, qui ſub vna, vel ſub alia ſpecie Euchariſtiam ſumentes, ipſam deglutire non poſſunt, & ſi deglutiant, tamen retinere nô poſſunt, ſed potiùs euomunt, vnde aut impiè aut improuidè Chriſtus ſuum corpus & ſanguinem ſub duplici ſpecie ſumêdum præcepiſſet. Impiè quidem, quia multi contra naturam & ſine cauſa damnarentur; Improuidè autem, ſi neſciuiſſet huiuſmodi caſibus prouidere, quod de omniſciente & ſapientia Patris nullo modo eſt ſuſpicandum. Item ad ſolos Sacerdotes pertinet offerre ſacrificium, ſecundùm illud ad Hebræos 8. *Omnis enim pontifex ad offerenda munera & hoſtias conſtituitur.* Sed vinum & ſanguis nunquam offerebatur niſi in ſacrificio per manus Sacerdotum in lege veteri, ergo ratione correſpondentiæ figuræ ad figuratum, nec in noua lege debet offerri vinum, quod ſanguinem repræſentat, niſi in ſacrificio per ſacerdotes. Item Auguſtinus in libro qui intitulatur contra epiſtolam Manichęi quam vocant Fundamêtum: Auguſtin. *Id autem ſcientia & voce ſecurum eſt aſſerere, quod in gubernatione Eccleſiæ Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Cùm igitur communio ſub vna ſpecie conſenſione vniuerſalis Eccleſiæ roborata ſit, vt patet de ſuperiùs inductis, ſcientia vtique & voce illam aſſerere & tenere ſecurum eſt; & oppoſitum omnimodè inſecurum. Item beatiſſimus Hieronymus ſcribens ſymbolum fidei ad Damaſum Papam, ita loquitur: & habetur 24. quæſt. 1. Cap. 13. *Hæc eſt fides Papa beatiſſime, quam in Catholica Eccleſia didicimus, quamq; ſemper tenuimus & tenemus, in qua ſi minus peritè aut parùm cautè fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & ſedem tenes. Si autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, ſed hæreticum comprobabit.* Item idem glorioſiſſimus Hieronymus eiſdem & cauſa & quæſtione, c. quoniam vetuſto, loquens ad Romanum Pontificem, dicens: Cap. 25. *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior: ſupra illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque ex-*

tra hanc domũ agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in Noæ Arca non fuerit, peribit regnante diluuio, & in fine capituli ſubdit: *Nam noui Vitalem, Miletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit ſpargit. Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt*. Ex prædictis glorioſiſſimi Hieronymi auctoritatibus benè penſatis & intellectis, concludat ratio vniuſcuiuſque quid ſequatur.

POSTREMÒ licèt prædicta ſufficiant ad prædictam cõmunionem veraciter confirmandam, & ſpecialiter Eccleſiæ conſuetudo, atque ſacrorum Conciliorum quæ errare non poſſunt, ſtatutum & ordinatio: nihilominus ad maiorem veritatis manifeſtationem & ad conuincendum contumaces, motiua aliqua ex plurimis, quibus ſancta mater Eccleſia hunc ritum introduxit, benè & laudabiliter continuauit, hodieque continuat, & obſeruat, ſunt inducenda: Et primum quidem eſt, vt euitetur periculum diſtillationis & effuſionis ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem tractare eſt valde periculoſum propter ſpecierum naturalem fluxibilitatem, quæ poſſent effundi de facili, præſertim cùm in multitudine frequenter fit preſſura, & multi ſæpè ad cõmunionem veniunt homines tremuli, barbati, infirmi & paruuli, circa quorum ſacramenti ſumptionem multa poſſent & grauia pericula imminere, & per conſequens peccata, quæ non de facili poſſent euitari. Quale autem ſit peccatum effuſionis & diſtillationis ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, oſtendit Auguſtinus libro quinto Homiliarum, & habetur 1. quæſtione 1. *Interrogo vos fratres, dicite mihi, quid plus eſſe videtur vobis, Verbum Dei, an corpus Chriſti. Si vultis verè reſpondere, hoc vtique dicere debetis, quod non ſit minus Verbum Dei, quàm corpus Chriſti: & ideò quanta ſolicitudine obſeruamus, quando nobis corpus Chriſti datur, vt nihil ex ipſo de manibus noſtris in terram cadat, tanta ſollicitudine obſeruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde pereat, quia non minus reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Chriſti ſua negligentia in terram cadere permiſerit.*

Hom.26. Cap.94.

Ecce quod Auguſtinus dicit, quòd reus erit qui ſua negligentia corpus Chriſti in terram cadere permittit, & non minus qui verbum Dei negligenter audierit, reus autem eſt quilibet, qui in grauibus peccatis delinquit; quapropter & Sacerdos qui per negligentiam guttam ſanguinis CHRISTI ſuper terram aut pallam fundit, debet pœnitere quadraginta diebus, & palla comburi, & lapis radi, & terra lambi, & in ſacrarium reponi, vt dicitur de conſecrat. diſt. 2. *Si per negligentiam aliquid de ſanguine Domini ſtillauerit in terram, lingua lambetur, tabula radetur. Si verò non fuerit tabula, vt non conculcetur locus, corradetur, & igne conſumetur, & cinis intra altare recondetur, & Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si ſuper altare ſtillauerit calix, ſorbeat miniſter ſtillam, & tribus diebus pœniteat, &c.*

Cap.27.

Hæc autem tam dura pœnitentia non imponeretur Sacerdoti, ſi non eſſet valde graue peccatum. Si ergo per negligentiam cadente ſanguine terram lambet, & tabula radi debet, & poſt ad ignem proijci raſura vt comburatur: quanto magis pepla mulierum, & barbæ virorum Chriſti ſanguine madidatæ, deberent comburi, eo quòd ex propoſito & ſine neceſſitate, ac irreuerenter ſic Chriſti ſanguine perfunduntur. Si etiam Sacerdos qui ſic negligens repertus fuerit, tam durè puniendus eſt, vt per quadraginta dies pœniteat, quanto magis perſonæ laicæ puniendæ ſunt; & ſi non magis aut æquè, nihilominùs grauiter puniendæ venient, pro huiuſmodi exceſſibus, et irreuerentijs commiſſis, quam vtique punitionem & pœnitentiam cum magna difficultate laici facere poſſent, & vtique abſque cauſa & neceſſitate. Cauendum ergo fuit Eccleſiæ, & ſumma diligentia procurandum, vt rudis populus non exponeretur gratis tam grauibus periculis peccatorum & pœnarum. Ex quo decreto Pij Papæ, manifeſtiſſimo ſigno coniecturari poteſt, quòd cõſuetudo vnius ſpeciei eſt antiquiſſima. Nam hic Pius Papa fertur fuiſſe decimus poſt beatum Petrum pontifex in Eccleſia Romana, vt refert Auguſtinus in epiſtola ad Generoſum, & ſedit in cathedra Petri circa annum Domini centeſimum quinquageſimum tertium, qui abſque dubio ſi fuiſſet tempore ſuo conſuetudo vtriuſq; ſpeciei, ita benè prouidiſſet circa effuſionem ſanguinis, quæ contingeret aut poſſet contingere in ſumptione laicorum, ſicut prouidit circa pericula, quæ contingunt in miniſtratione miniſtrorum ſiue ſacerdotum. Imò ampliùs & diligentiùs, inquantum laici, mares & fœminæ, ſenes & iuuenes, infirmi, & alij ſunt minus cauti, & minus circumſpecti atq; diſcreti in tractando diuina myſteria, quàm ſint miniſtri ad hoc ſpecialiter deputati. Aut igitur aduerſarij producant tam antiquum decretum, quòd ſciant prouiſionem circa huiuſmodi pericula laicorũ facere, quod nõ facient in æternum, aut fateantur nobiſcum antiquitatẽ conſuetudinis vnius ſpeciei, ex hoc decreto prouiſionem faciente in periculis contingentibus circa effuſionem ſanguinis per miniſtros; ſicut etiam fit in alio decreto ex Concilio Aurelianenſi de cuſtodia corporis Chriſti, nulla facta mentione de ſanguine, aut de ſpecie vini, & habetur de conſecrat. diſtin. 2. c. qui benè: vbi ita Concilium determinat: *Qui benè non cuſtodierit ſacrificium, & mus vel aliud aliquod animal comederit, quadraginta diebus pœniteat.* Ca Ex quo decreto ſimiliter patet, quòd ſola hoſtia ſiue Euchariſtia ſeruabatur ſine ſanguine: *Qui autem perdiderit illud in Eccleſia, aut pars ceciderit & inuenta fuerit, triginta dies pœniteat.* Ex quo decreto ſimiliter patet, quòd ſola hoſtia ſiue Euchariſtia ſeruabatur ſine ſanguine, quia indubitanter, ſi ſanguis fuiſſet præceptus ſeruari, multò maior cautela fuiſſet adhibita in cuſtodiam illius, quàm in cuſtodiam hoſtiæ, cùm ſit maioris periculi ad cuſtodiendum. Quocirca ſanctus doctor tertia parte ſummæ ſuæ dicit, quòd circa vſum huius ſacramẽti duo poſſunt conſiderari, vnum ex parte ipſius ſacramenti, aliud ex parte ſumentiũ. Ex parte ſacramenti conuenit, quòd vtrunque ſumatur, ſcilicet corpus & ſanguis, quia in vtroq; conſiſtit perfectio ſacramẽti. Et quia ad ſacerdotem pertinet hoc ſacramentum cõſecrare & perficere, nullo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine: Ex parte autem ſumentiũ requiritur ſumma reuerentia & cautela, ne aliquod accidat quod vergat in iniuriam, aut in irreuerentiam tanti myſterij, quod præcipuè poſſet accidere in ſanguinis ſumptione, qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi. & quia creſcente multitudine populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes, & iuuenes, & paruuli, quorum quidam nõ ſunt tantæ diſcretionis, vt cautelam debitam circa vſum huius ſacramenti adhiberent, ideò prouidè in quibuſdam Eccleſijs obſeruatur, vt ſanguis ſumendus non detur populo, ſed ſolùm à Sacerdote ſumatur. Secundum, propter infirmos, pro Se m quibus deberet ſanguis ſub ſpeciebus vini, in ſacrario reſeruari, circa quem multa horribilia poſſent contingere. Nam de facili congelaretur, vel in acetum tranſmutaretur, & ita corrumperetur ſacramentum, & ſic acetum purum pro ſanguine Chriſti daretur fidelibus, & ſic de facili idololatria cõmitteretur: In æſtate etiam de facili vermes aut muſculæ in eo orirentur, etiam quantumcunque vas clauſum cuſtodiretur, vnde fieret abominabile ſumentibus ad bibendum, & multa alia quæ non poſſunt exprimi. Similiter importando ad infirmos ad longum ſpacium ſanguinem, multa poſſent occurrere pericula & interuenire, ſiue eques Sacerdos ipſum portaret, ſiue pedes, vt tempore pluuiæ, glaciei, & multis alijs modis. Te m Tertium propter vitare errores, ne videlicet populus communis, qui tantùm iudicat ſecundùm ſenſum, credat Chriſtum non eſſe totum ſub vna ſpecie, ſicut multi hæreticorum, vt Neſtorius & Pelagius, & eos ſequentes aſtruxerunt. Neſtorius enim ſic ſub vtraque ſpecie miniſtrauit, exiſtimans quòd ſub ſpecie panis eſſet tantummodò corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſub ſpecie vini ſanguis ſine corpore, quia ſic in paraſceue ſanguis fuit diuiſus à corpore, & è conuerſo; quod omninò falſum eſt & hæreticum; quia licèt in paraſceue ita fuerit, & ſic in hoc ſacramento, ſi eadem die fuiſſet celebratum, ſic fuiſſet, vt aſſerit, propter mortem, qua & anima & ſanguis ſeparabantur ab inuicem, & à corpore, Re non tamen nunc ita eſt, quia Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, & per conſequens nec ſanguis ab ipſius corpore ſeparatur. Pelagius verò & ipſius ſequaces dictis Saluatoris innitentes, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* dederunt laicis ſub vtraque ſpecie, & etiam paruulis ſtatim poſt Baptiſmum, & ſi ſpeciem panis ſacramentalem non poſſent ſumere, dicebant quòd debebat conteri cũ ſanguine, & ſic infundi in ora puerorũ, & ſi fortaſſe quippiam

Epiſt.165.

eieciſſent, dicebant illud eſſe comburendum, innitentes illi Scripturæ Exodi 12. *Si quid reſiduum fuerit, comburetis.* multi etiam ita extenſiuè hunc textum acceperunt, vt vltra Pelagianos non ſolùm miniſtrarent viuis vtramq; ſpeciem, ſed etiam defunctis, vt refert venerabilis Beda in Homilia ſuper Matthæum 26. cap. Datur ergo non conficientibus ſub vna ſpecie, vt euitentur prædicti errores, vt videlicet Chriſtus non credatur in hoc ſacramento diuiſus, ſecundùm diuiſionem ſpecierum, ſed quod ſub altera totus ſit & integer, contra id quod Neſtorius aſſerebat; & ne credatur illud dictum Chriſti neceſſitatem inducere abſolutam, vt Pelagius aſſeruit, ita vt etiam pueris vſu rationis carentibus, & alijs amentibus dari deberet, & miniſtrari, ne fortè eis ſub diuerſis ſpeciebus, alius & alius Chriſtus crederetur, præcipueque apud illos qui intelligere nequeunt, idem corpus per diuinum miraculum ſub alienis dimenſionibus poſſe in diuerſis

Quartum motiuū.

locis contineri: Quartum, vt veritas vmbræ & figuræ correſponderet. In veteri enim lege, de libaminibus, per quæ ſanguis Chriſti præfigurabatur, nihil ſumebant laici, ſed ſoli

Quintum

Sacerdotes, vt prædictum eſt. Quintum, propter honorem & dignitatem Sacerdotalis officij: dignum enim & iuſtum eſt, vt caracterem & dignitatem Sacerdotalem & officium quibus à communi populo diſtinguuntur, & ſi non quantum ad rem & affectum cæteris paribus, in ſignis tamē dum miniſtrant & celebrant hoc ſacramentum, à cæteris diſtinguantur, & quadam extrinſeca in myſterij huius oblationis dignitate, refulgeant. vnde quidam doctor dictus Albertus de Padua, in quadam ſua Quadrageſimali Homilia in cœna

Serm. 4. feria 5. maioris hebd. in ordine 246.

Domini, ait: *Congruit etiam inter miniſtros Eccleſiæ & populum eſſe differentiam, & ideò populo ſufficit eſſe de corpore Chriſti: ſed miniſtros oportet eſſe quaſi animam corporis, dirigēdo populum ſubditum, ideò illi corpus tantùm, iſti etiam ſanguinem, in quo eſt anima, ſumunt.* Ne etiam crederetur virtus huius ſacramenti æquè principaliùs conſiſtere in ſumptione & conſecratione. Si enim laici ad vtramque ſpeciem admitterentur æqualiter Sacerdotibus, & ſub vtraque ſpecie communicarent, facilè creſcente temeritate & malitia hominum, laici fortaſſe mulierculæ poſſent præſumere aliquid non ſolùm ſic ſumendum, ſed etiam conficiendum, quod quàm deteſtabilis & dā-

Sextum.

nabilis error eſſet, nullus ſanæ mentis dubitat. Finaliter Eccleſia debuit ceſſante cauſſa tollere & amouere effectum. Cùm enim Euchariſtiæ ſacramentum etiam ſecundùm virtutem nominis, ſit ſacramentum caritatis, quæ ſola celat & operit multitudinem peccatorum, 1. Petr. 4. In primitiua autem Eccleſia, laicorū caritas efferbuerat in tantùm, quòd pro Chriſtiano nomine ſitiebant, ſicut ſitit ceruus ad aquæ fluuium, effundere ſanguinem proprium: & hoc principaliter ex triplici cauſa. Primò ex viciſſitudine amoris, ad quam

Philip. 2.

inuitabat Apoſtolus dicens: *hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu.* Secundò ex recompenſatione ſatisfactionis, prout

1. Petr. 4.

B. Petrus hortabatur fideles, dicens: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Tertiò propter exemplum Apoſtolorum quos videbant vltro ſe paſſionibus ingerere atque perſecutionibus, de quibus dicitur Actuum 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati:* in cuius feruoris ſignum Chriſto eos ad paſſionem inuitanti. ſecundùm beatum Hieronymum, *poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* efficaciter reſponderunt: *poſſumus*, ex feruore martyrij. His itaque & alijs de cauſis illa ſacra primitiuæ Eccleſiæ non ſolùm clericorum, ſed etiam laicorum caritas, ita eos ad paſſionē martyrij animabat, vt alter alterum certaret præuenire, decan-

Pſalm. 115.

tans cum Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*, tunc etenim qui Epiſcopatum deſiderabat, non aliud quàm martyrium optabat, ſecundùm Gregorium in paſto-

1. Tim. 3.

rali: ad quam intentionem dicebat Apoſtolus; *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Tali igitur deuotione & caritate in ſanctis laicis exiſtentibus, & perſecutoribus omni momento & loco mortem intentantibus, tunc qualibet hora licebat laicis in prouocationem & deuotionem effundendi ſanguinem proprium, bibere de calice altaris ſan-

Iuxta edit. Pamelij epiſt. 54.

guinem Chriſti, & hac in cauſa & ad propoſitum loquebatur beatus Cyprianus, epiſtola trigeſima ſeptima de lapſis: *Et cùm ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarios volumus, munimento Don ſecuritatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocam in confeſſione nominis ſanguinem ſuū fundere, ſi eis militaturis C ſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum neos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum mini iure communicationis admittimus?* Cùm igitur talis fer charitatis erat ſingularis priuilegij, Apoſtolo atteſtante primo ad Philippenſes: *Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolù in eo credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini*, & ſecundùm Au ſtinum: *Sicut nullus eſt melior in hac vita introitus quàm per ptiſmum, ſic nullus tutior exitus quàm per martyrium, in quo in Baptiſmo, omnia tolluntur peccata: in cuius myſterium ſuper ſtum primum baptizatum, & ſuper Stephanum primum pro C ſto lapidatum, cæli leguntur aperti.* Ceſſante illo feruore ritatis & deuotionis, & hoc ſingulari priuilegio, quòd martyrij deſiderium, vtique ceſſare debuit & debet quod in ſignum illius deſiderij dabatur laicis. Nec ob quòd ſacerdotes conficientes ſumunt ſanguinem, in eis ficiente illa charitate & deuotione, de quibus prædict eſt, quia non ſolùm pro ſe ipſis, ſed pro tota Eccleſia, in non eſt exſtincta charitas, nec in ſempiternum exſting tur, Deo offerunt ſacrificium. Et etiam quia ad ipſos pe net non ſolùm ad efficaciam ſumere, ſed etiam ad ſignit tionem. Vnde Nicolaus de Lyra ſuper illud Ioan. 6. *manducaueritis, &c.* dicit: *Sacramentum Euchariſtiæ non ſo proficit Sacerdoti ſumenti, ſed etiam toti Eccleſiæ, etiam illis ſunt in purgatorio.* Cuius ratio eſt, quia Euchariſtia non tantùm ſacramentum, ſed etiam ſacrificium Eccleſiæ, quantùm continet Chriſtum paſſum, & ideò proficit om bus fidelibus. Si ſumatur alio modo, vt à laico, tunc p ficit ſibi ſoli ſumenti, quia officium eius non eſt offerre crificium, ſed tantùm ſuſcipere ſacramentum, & quia iam Apoſtolis præceptiuè dictum eſt: *hoc facite in meam co memorationem:* per quæ etiam verba in Sacerdotes con tuebantur, vt patebit. Ex his & alijs motiuis, conſuetu & auctoritas Eccleſiæ obtinuit, vt non conficientibus tummodò hoc ſacramentum ſub ſpecie panis traderet Et hæc de poſitione mea præſenti dicta ſufficiant, ad l dem omnipotentis Dei, cui ſit honor & gloria in ſecula culorum, Amen.

EXPEDITA diuino auxilio poſitione primæ & ſecu dæ concluſionum propoſitarum pro veritate Catho ca, poſtergata etiam tertia, quæ ex dicendis dependet, ac do ad vltimam partem præſentis actus, videlicet ad reſpo dendum obiectis partis aduerſæ. Et licèt quamplurimùm gitauerim, quem ordinem in reſpondendo tenere debere an ordinem concluſionum mearum, vel ſuæ poſitionis: I dem deliberaui potiùs inſequi poſitionem proponentis, cèt ordo doctrinæ & materiæ propoſitæ exigeret oppo tum. In qua reſponſione tenendo hunc modum, quia ea quibus conuenimus vel differimus, referam breuiter, vt h venerabile auditorium percipiat tam conuenientiam qu differentiam noſtram. Inprimis igitur quò ad proteſtati nem quam idem Magiſter nomine omnium ſuorum pr poſuit in medium, videtur quod ſit inſufficiens. Primò q ad credulitatem fidei articulorum. Secundò quò ad Ecc ſiam quam profitetur. Tertiò quò ad ſubmiſſionem, qua cunt ſe velle ſubmitti correctioni, in caſu quo deficeren Quia in prædictis locis ſolùm ſtant in genere, circa quod tent æquiuocationes, vt dicit Ariſtot. non terminantes ſe aliquod certum particulare & determinatum. Nam dicu ſe credere articulos fidei ad illum intellectum ad quem b nedicta Trinitas & Dominus Ieſus præcepit & vult cre Cùm enim voluntas benedictiſſimæ Trinitatis non inn teſcat hominibus, niſi per ſcripturas ſanctas, quas conting benè & malè intelligi; aut per Eccleſiam, quam ipſe Dom nus non ſinit errare; vel per reuelationem: cùm nihil e rum exprimant, patet quod inſufficienter articulos fid profitentur. Similiter cùm dicunt ſe credere ſanctam Eccl ſiam per totum mundum diffuſam, cùm multiplex ſit var tas in acceptione Eccleſiæ per totum mūdum diffuſæ. Na multi dicunt Eccleſiam Catholicam tantummodò conſt re ex prædeſtinatis, ſiue fidelibus ſiue infidelibus, multi et dicunt eam conſtare ex fidelibus in gratia gratum facien

conſtitutis. Alij verò ex cunctis fidelibus, in vnitate fidei, ritu ſacramentorum, & præceptorum Dei exiſtentibus, dicūt conſtare Eccleſiam, cùm ad nullam prædictarum acceptionum ſe determinent quò ad credulitatem Eccleſiæ, patet quòd proteſtatio eorum eſt inſufficiens. Deinde cùm propriè ad Eccleſiam, deuiantes & errātes à fide & in moribus, pertineat corrigere, ad cuius iudicium quemlibet fratrem errantem Dominus, tanquam ad inobliquabilem regulam, remiſit, dicens: *Si te non audierit, dic Eccleſiæ, quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Matth. 18. patet, quòd ſubmiſſio ipſorum eſt in indiuiduo vago, & in re inſtabili & incerta, & per conſequens omninò proteſtatio eorum eſt inſufficiens; quia non ſubmittunt ſe alicui certo iudici.

NB.

Cõcluſiones M. Rockenzan de cõmunione.

Secundò in declaratione terminorum in concluſione ſua poſitorum, ponit trimembrem diuiſionem de communione corporis Chriſti, & dicit quòd primo modo communio corporis Chriſti dicitur ſocietas ſanctorum, & ſolùm talium eſt vnum corpus Chriſti myſticum, cuius caput eſt Chriſtus. Secundo modo communio ſignificat ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, per cuius ſumptionem dignam homo ingeritur ad cõmunionem primo modo acceptam. Tertio modo accipitur communio pro congregatione omnium credentium in Chriſtum, bonorū Chriſtianorum ſimul & malorum, & hæc eſt vulgaris acceptio communis & minus propria. Circa primū membrum Magiſter proponens intendit quòd corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, ſit ſocietas & Eccleſia ſanctorum, cuius caput eſt Chriſtus, ex quo declaratur, quòd ipſe intelligat per Eccleſiam ſolùm congregationem fidelium in gratia conſtitutorum, vt patet etiam per declarationem ſuam, cùm dicit, quòd in hac cõmunitate fidelium, de qua loquitur, talis & tanta eſt vnio, quòd quodlibet membrum omnium bonorum eſt particeps, niſi per peccatum mortale ſit mortuum & abſciſſum. in qua re quātum deuiet à veritate, oſtenditur ex duplici capite. Primò ex ratione capitis, quæ ipſi Chriſto competit. Secundò ex ratione membrorum & corporis, ſecundùm quod corpus eius in hac vita peregrinatur. Ratione primi, ſcilicet ratione capitis, probatur ſic: Propria ratio capitis accipienda eſt ex propria operatione eiuſdem, maxima autem & propria operatio Chriſti hominis, ſecundùm quam verè & propriè eſt caput Eccleſiæ, eſt ſaluare: à qua operatione tanquam ſibi maximè propria, proprio vocabulo ac nomine nuncupari voluit, Ieſus ſcilicet, quod idem eſt quod Saluator.

Chriſtus quomodo & quorum caput.

quod nomen fuit ſibi impoſitum ab æterno, licèt ab Angelo fuerit pronunciatum ex tempore, Luc. 1. *Et vocabis nomen eius Ieſum.* & Matthæi primo: *quod vocatum eſt ab Angelo prius quàm in vtero conciperetur.* Cuius interpretationem & ſenſum ibidem Angelus exprimens, poſtquam dixerat: *& vocabis nomen eius Ieſum*, ſubiunxit: *ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Quorumcunque igitur ipſe Chriſtus & Saluator erit, vtique & caput. Ex quo ipſius propria operatio eſt ſaluare. Sed ipſe eſt Saluator omnium hominum, & maximè fidelium, vt ait Apoſtolus ad Timotheum 4. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi*, vt dicitur 1. Ioā. 2. Ergo ipſe Chriſtus eſt caput omnium hominum, & maximè fidelium, & non tantùm omnium noſtrùm, ſed etiam totius mundi. Pro cuius declaratione ſciēdum eſt, quòd differentia eſt inter corpus naturale hominis, & corpus Eccleſiæ myſticum, vt dicit doctor ſanctus, p 3. quæſt. 8. art. 3. quia membra naturalia ſunt omnia ſimul, non ſic autem Eccleſiæ, neque quantum ad eſſe naturæ, cùm conſtituatur ex omnibus hominibus qui fuerunt à principio mundi, vſque ad finem ipſius, qui non ſunt ſimul, neque etiam quantum ad eſſe gratiæ, quia etiam eorum qui ſunt in vno tempore, quidam carent gratia, eam poſtmodùm habituri, alijs iam habentibus.

Differētia inter corpus naturale & myſticum.

Sic igitur membra corporis myſtici non ſolùm accipiuntur ſecundùm quod actu ſunt, ſed etiam ſecundùm quod in potentia. Quædam autem in potentia, quæ nunquam ad actum reducuntur, quædam verò ad actum reducuntur quandoque. Et hoc ſecundùm triplicem gradum, quorum vnus eſt per fidem, ſecundus per caritatem viæ, tertius per fruitionem patriæ. Sic ergo dicendum eſt, quòd accipiendo generaliter ſecundùm totum tempus mundi, Chriſtus eſt caput omnium hominum: ſed ſecundùm diuerſos gradus, quia primò & principaliter eſt caput eorū, qui actu ſibi per gloriam vniuntur. Secundariò eorum, qui ei actu vniuntur per charitatem viæ, tertiò qui ſibi vniuntur per fidem, quartò eorum qui vniuntur ſibi ſolùm in potentia nondum ad actum reducta, quandoque tamen reducenda per diuinam prædeſtinationem. Quintò eorum qui ſibi vniuntur in potentia, quæ tamen nunquam reducetur ad actum, cuiuſmodi ſunt homines in hoc mundo viuentes, qui non ſunt prædeſtinati, qui nunquam ſibi vniuntur per fidē, aut charitatem, qui tamen decedentes de hoc mundo, deſinunt eſſe in potentia vt vniantur Chriſto. hæc in ſumma S. Thomas vbi ſuprà. Ex quibus ſequitur primò quod Chriſtus eſt caput principaliter Eccleſiæ triumphantis, & non ſolùm animarum omnium, ſed etiam angelorū, ſecundùm illud quod Apoſtolus dicit ad Coloſſ. 2. loquens de Chriſto, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis, & ad Epheſ. 1. quod conſtituens eum, ſcilicet Chriſtum, Deus Pater ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnē poteſtatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnē Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, qui in omnibus adimpletur. Sequitur etiam quod Chriſtus eſt caput ſecundariò Eccleſiæ militantis, de qua in præſenti loquimur, ordine tamen præſcripto ſeruato in perſonis, & non ſolùm aliquorum, ſed etiam omnium hominum, qui ab initio mundi fuerunt, & erunt vſque ad finem mundi; hi tamen actualiter Chriſti Eccleſiam militantem conſtituunt, qui actu Chriſto aliquo modo vniuntur, ſcilicet per fidem aut caritatem. Ex quibus manifeſtè colligitur, quòd Chriſtus eſt verè & propriè caput non ſolùm in gratia conſtitutorum, ſed etiam in fide ſibi vnitorum & vnitate ſacramentorum. Secundò declaratur falſitas prædicti primi membri ex ratione cōditionis Eccleſiæ peregrinantis & militātis in hac vita, in qua neceſſe eſt eſſe ſimul malos cum bonis, quòd vtique efficaciſſimis ſcripturarum & Doctorum teſtimonijs oſtendendum eſt.

In eccleſia militante ſunt boni malis permixti.

Et primò quidem ex ſimilitudinibus quas Chriſtus adducit in Euangelio, quibus comparat præſentem Eccleſiam, vnde Matth. 25. ait Dominus: *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus*, quinque videlicet prudentibus, & quinque fatuis, ſuper quo ſic ait Gregorius: *Sed ſciendum nobis eſt quod ſæpè in ſacro eloquio regnum cælorum præſentis temporis Eccleſia dicitur, de quo in alio loco Dominus dicit: mittet filius hominis angelos, & colligent omnia ſcandala de regno eius. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax ſumma eſt, inueniri poterunt ſcandala quæ colligantur. Vnde rurſus dicitur: Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: in quo, doctor qui mandatum ſoluerit, minimus vocatur: cuius enim vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio condemnatur: Quid ergo per hanc ſententiam niſi præſens Eccleſia regnum cælorum dicitur, & quia ex vtroque ſexu fidelium multitudo colligitur, ſancta Eccleſia decem virginibus ſimilis denūciatur, in qua quia mali cum bonis, & reprobi cū electis ſunt admixti, rectè ſimilis virginibus prudentibus, fatuiſq; eſſe perhibetur. Quouſque enim hîc viuimus, neceſſe eſt vt viam præſentis ſeculi permixtè agamus. Boni enim ſoli nuſquam ſunt niſi in cælo, & mali ſoli nuſquam ſunt niſi in inferno: hæc autem vita quæ inter cælum & infernum ſita eſt, ſicut in medio ſubſiſtit, ita mixta vtrarumq; partium ciues communiter recipit, quos tamen ſancta Eccleſia & nunc indiſtinctè recipit, & poſtmodùm in egreſſione diſcernet.*

Patet ſimilitudine prudentiū & fatuarū virginum. Hom. 12. Matth. 25. Matth. 5.

Greg. homil. 38.

Item ſancta Eccleſia comparatur ſagenæ miſſæ in mari, & ex omni genere piſcium cōgreganti. Idem vbi ſuprà Gregorius in Homilia: *Sancta Eccleſia ſagenæ miſſæ in mari comparatur, quia & piſcatoribus eſt commiſſa, & per eam quiſque ad æternum regnum à præſentis ſeculi fluctibus trahitur, ne in æterna mortis profunda mergatur, quæ ex omni genere piſcium congregat, quia ad peccatorum veniam ſapientes & fatuos, liberos & ſeruos, pauperes & diuites, fortes & infirmos vocat.* & infrà: *Nunc enim bonos maloſq; communiter quaſi permixtos piſces fidei ſagena continet; ſed littus ſancta Eccleſia, id eſt finis indicat, ſagena quid trahebat.* Et Chryſoſtomus ſuper illud: *Collegerunt bonos in vaſa ſua. &c.* inquit, *Eccleſia media eſt inter cælum, quod eſt tantùm bonorum locus, & infernum qui eſt tantùm malorum. Ipſa verò Eccleſia eſt media, quia indifferenter bonos & malos colligit.* Itē Eccleſia militans comparatur areæ, ſecundùm illud Luc. 3. *Ipſe vos baptizabit in aqua & igne, & Spiritu ſancto, cuius ventilabrum*

Sagenæ miſſæ in mare. Matth. 13. Homil. 11.

Area.

brum

brum in manu eius, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem, &c. vbi per aream Ioannes intelligit & deſignat præſentem Eccleſiam, vt exponunt communiter ſancti, & præſertim Auguſt. qui ſuper Pſalm. 25. *Iudica me Domine,* dicit: *Area eſt Eccleſia huius temporis: ſæpè diximus, ſæpè dicimus, & paleam habet, & frumentum:* Item ad Petrum diaconum in libro de fide dicit, cap. 43. *Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, aream Dei eſſe Catholicam Eccleſiam, & in ea vſque ad finem ſeculi frumento mixtas paleas contineri.* & infrà: *In fine verò ſeculi, bonos à malis etiam corpore ſeparandos, quando venit Chriſtus habens ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili:* Item eadem præſens Eccleſia comparatur nuptijs,

Nuptiarū. de quibus Matth. 25. dicitur; *Simile eſt regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio, &c. qui egreſsi congregauerunt omnes quos inuenerunt bonos & malos, & impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium,* vbi, vt Gregorius inquit,

Homil. 31. *apertè oſtenditur, quia per has Regis nuptias Eccleſia deſignatur, in qua mali cum bonis conueniunt, permixta quippè eſt diuerſitate filiorum, quia ſic homines ad fidem generat, vt tamen omnes per imitationem vitæ ad libertatem ſpiritualis vitæ, culpis exigentibus, non perducat. Quouſque namque hic viuimus, &c.* vt ſuprà de decem virginibus, &c. Idem ſuper illud Matth. 22. *Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, &c.* dicit: *Intrat enim ad nuptias, ſed cum veſte nuptiali non intrat, qui in ſancta Eccleſia exiſtens fidem habet, ſed charitatem non habet:* & Simon de Caſsia ſuper illud: *Egreſsi ſunt ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt bonos & malos, & impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium, &c.* dicit, quòd ex omnibus nationibus crediderunt homines, ex quibus Eccleſia impleta eſt, & ex malis & ex bonis Chriſtianis conſtat Eccleſia, & mixtum eſt Eccleſiæ Chriſti corpus, quanquam ipſe velit eam exhibere glorioſam, non habentem maculam neq; rugam, ſed in area negotium agitur vbi paleæ ſunt & triticum, nondum enim vẽtilabrum excuſsit vnum ex altero, ſed boni & mali diſcumbunt in nuptijs Eccleſiæ militantis, diſpari vita, diſpari cultu, diſparibus moribus atque meritis, quouſque decernat ſuper vtrumque Rex, qui nouit non perperam, ſed in veritate proferre iudicium, qui excludet merito excludendos, & iuſtè abſque macula ſuper menſam Eccleſiæ epulantes in pace

Arcę Noe. dimittet: Item præſens Eccleſia comparatur Arcæ Noe, in qua animalia mitia fuerunt cum immitibus, coruus cum columba, & homines cum animalibus, per quæ boni & mali in Arca Eccleſiæ ſignificantur. Item Eccleſia militans compa-

Domus magnæ. ratur domui magnæ, de qua Apoſtolus loquitur: *In magna domo,* inquiens, *non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam,* vbi inquit gloſſa: *In magna domo quæ eſt Eccleſia, ſcilicet domus Dei viui, columna & firmamentum veritatis. 2. ad Timotheum 2. non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea. Quod dupliciter intelligitur: vno modo per vaſa aurea & argentea intelliguntur electi, per lignea & fictilia reprobi, & ſic, quod ſequitur, quædam in honorem, refertur ad vaſa aurea & argentea, quædam in contumeliam, refertur ad lignea & fictilia vaſa. Alio modo per vaſa aurea & argentea intelliguntur boni in præſenti, ſiue electi ſiue reprobi, per lignea & fictilia omnes mali in præſenti, ſiue reprobi ſiue electi, & tunc quod ſequitur, quædam in honorem, quædam in contumeliam, refertur indifferenter ad vtrumque. Primo ergo modo exprimitur ſic. In magna domo id eſt, in Eccleſia, non ſolùm ſunt vaſa aurea, id eſt, electi perfecti, & argentea, id eſt, electi imperfecti, ſed lignea, id eſt, reprobi apertè mali, æterno incendio præparati, & fictilia, id eſt, reprobi fictè boni, qui non ita apertè ſunt mali: & quædam quidem ſcilicet vaſa aurea & argentea ſunt in honorem, ſcilicet in vſum honorabilem ordinata hic gratia & in futuro gloria. Quædam autem ſcilicet lignea & fictilia, in contumeliam, id eſt, in vſum vilem hic culpa, & in futuro gehenna. Secundo modo legitur ſic: In magna domo, id eſt, in Eccleſia, non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, id eſt, omnes boni perfecti & imperfecti, & hoc ſiue præſciti, ſiue electi. ſed & lignea & fictilia, id eſt, mali aperti & occulti, & hoc ſimiliter ſiue electi ſiue reprobi: & quædam quidem ſcilicet ex vtriſque, tam ex bonis, quàm ex malis, ſunt in honorem, ſcilicet electi, Quidam autem in contumeliam, ſcilicet reprobi. Ex bonis enim quidam ad tempus tantùm boni ſunt, tamen in fine ſunt mali, & hi ſunt in contumeliam. Quidam autem perſeuerantes in bono, & hi ſunt in honorem. Similiter de malis quidam ad tempus ſunt mali tantùm,*

tamen in fine ſunt boni, & hi ſunt in honorem: Quidam autem
perſeuerantes in malo, & hi ſunt in contumeliam. Ecce quàm
num & apertum teſtimonium ſacrarum ſcripturarũ, &
ctorum Doctorum, quòd præſens S. Eccleſia militans c
tinet in ſe bonos & malos, prædeſtinatos & præſcitos,
nauicula quæ Chriſtum cum Apoſtolis, & Iudam cont
bat, qui & inter Apoſtolos habebatur Apoſtolus. *Eſt erg*
Auguſt. ſuper Pſalm. 51. in prologo, *regnum terrenum &*
nunc cæleſte regnum eradicandum, & regnum in æternum pla
dum. Modo in hoc ſeculo ciues vtriuſque regni permixti ſunt, co
regni terreni & corpus regni cæleſtis commixtum eſt.

Poſt hæc declaratur prædicta veritas Catholica rati
fundata in veritate diuinarum ſcripturarum, & aſſumi
ſic: Eccleſia Catholica eſt illa Eccleſia, quam fideles pr
tentur in ſymbolo tam Apoſtolorum quàm etiam Nicæ
cùm dicitur: *Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam*
tholicam. & iterum: *Et vnam ſanctam Catholicam & Apoſ*
cam Eccleſiam. Aut igitur profitentur id quod credunt, au
quod non credunt; aut ſolùm id quod dubitant. Non eſt
cendum, quod profitentur id quod non credunt, quia t
mentirentur, nec id etiam quod dubitant, quia tunc non
berent fidem, quæ eſt firma adhæſio ad credibilia, quam
bitatio excludit. Oportet igitur quod profiteantur id qu
firmiter credunt. Aut igitur vlteriùs credunt ſe eſſe de g
mio Eccleſiæ Catholicæ quam profitentur, aut non; ſi n
tunc hæretici mentiuntur quando dicunt apud eos eſſe
cleſiam Catholicam, vel ſe eſſe de gremio Eccleſiæ Cat
licæ ex quo non credunt ſe eſſe in ea; ſi ſic, oportet quod
aliquid accipiant huiuſmodi credulitatem. Aut igitur
erit, quia nota eſt eis prædeſtinatio, aut quod ſint in gra
gratũ faciente cõſtituti per ſe, aut quia habẽt per reuelat
nem, ſed non primo modo, quia cùm diuina prædeſtina
nihil ponat in prædeſtinato, cùm ſit ſola diuina volitio,
ab æterno voluit aliquem ad vitam æternam ordinare, n
poteſt eſſe nota prędeſtinato, niſi quantum ſibi à Deo re
laretur: Similiter nemo ſecundùm ſe, niſi ſibi reuelatur,
an amore vel odio dignus ſit, vt ſcriptura dicit Si igitur
retici credunt ſe eſſe de gremio Eccleſiæ Catholicæ, op
tet quod habeant hoc per reuelationem, & tunc vnuſqui
eorũ examinet coram Deo conſcientiam ſuam, vbi & qu
do hoc fuerit ſibi reuelatum.

Si igitur numerus prædeſtinatorum tantùm, vel eor
qui ſunt in gratia conſtituti, eſſet Eccleſia Catholica, pat
quod nulla eſt certitudo ipſius, quod nullo modo eſt dic
dum de Eccleſia Catholica, quæ eſt ciuitas ſuper mont
poſita, id eſt, ſuper Chriſtum ædificata, quæ non poteſt
ſcondi. vnde Chryſoſtomus ſuper Matthæum, & ſuper h
verbo: *Non poteſt ciuitas abſcondi,* & allegat ſanctus Thom
eum, *hæc ciuitas Eccleſia ſanctorum eſt, de qua dicitur in Pſal*
Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Ciues eius ſunt omnes fidel
quibus Apoſtolus ait: Vos eſtis ciues ſanctorum. hæc ergo ciuitas p
ta eſt ſuper montem Chriſti, de quo Danielis 2. dicitur: Lapis abſ
ſus ſine manibus factus eſt mons magnus. Sanè non poteſt abſco
ſuprà Chriſtum poſita, etiam ſi ipſa voluerit, mons enim qui eam p
tat, facit eam omnibus manifeſtam, ſic & Apoſtoli, & Sacerdo
qui fundati ſunt in Chriſto, non poſſunt eſſe abſconditi, etiamſi v
rint, quia Chriſtus eos manifeſtat. hæc Chryſoſtomus. Q
idcircò ſuprà montem poſita deſcribitur, vt & habitantib
in ea ſit firma & certa ſecuritas, & vt cunctis exteris pat
ad eam confugere ſeu venire volentibus: in qua licèt gra
Dei inſunt, vt firmiter credimus, multi prædeſtinati & m
ti in gratia conſtituti, quorum meritis adhuc durat mu
dus, non tamen propter prædeſtinationem aut gratiam q
occulta ſunt, ſancta Eccleſia dicitur Catholica, ſed propt
communionem vnius fidei, ſacramentorum, & præcept
rum, quæ omnibus poſſunt eſſe nota & communia bonis
licet & malis.

Item prædeſtinatio & gratia huiuſmodi Eccleſiæ qua
fingunt aduerſarij, minus nota eſt alijs, quam ipſiſmet q
ſe dicunt in eadem exiſtere: igitur quantumcunque fulg
rent per mundum bonis operibus, cùm ſæpè angelus Sath
næ transfiguret ſe in angelum lucis, non propter hoc aud
ret homo ſe ipſis coniungere, tanquam Eccleſiæ Catho
cæ, quia ſemper dubitandum eſſet de ipſis, an eſſent pſeud
prophetæ, de quibus cautos nos reddidit Dominus, dicen

[Ma]tth. 7.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimētis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. Oportet igitur quod certa & manifeſta ſint ſigna & indicia Eccleſiæ Catholicæ, per quæ diſcernantur oues à lupis. huius autem ſigna ſunt vnitas fidei, vnitas ſacramentorum & præceptorum Dei. Item Chriſtus reſoluens vltimam correctionem fratris remiſit ad Eccleſiam, ita dicens: *Si te non audierit, dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Aut ergo Chriſtus remiſit nos ad aliquem certum iudicem aut incertum. Non eſt dicendum, incertum, quia tunc nunquam fratris correctio ſequeretur. Oportet igitur quòd ad certum iudicem tranſmittat nos. Cùm igitur Eccleſia prædeſtinatorum & in gratia conſtitutorum, ſit homini incerta, vt dictū eſt, oportet quod huiuſmodi remiſſio ſit ad Eccleſiam, quæ ſit nota & certa viatoribus, ſecundùm ſtatum viæ præſentis, cuiuſmodi eſt Eccleſia Catholica in vnitate fidei & ſacramentorum vbique per orbem perſeuerans. Ex quibus patet, quòd corpus Chriſti myſticum prout in hac valle miſeriæ peregrinatur, quod eſt Eccleſia eius, non ſolùm prædeſtinatos aut ſolùm in gratia gratum faciente conſtitutos retinet & comprehendit, ſed in ſimul bonos & malos, fide rectos, Chriſto capiti adhærentes. Vlteriùs ex prædictis poteſt colligi vna deſcriptio Eccleſiæ Catholicæ, talis videlicet, quod Eccleſia eſt corpus myſticum, organicum, fide Chriſti animatum. Corpus ponitur loco generis, additur myſticum ad differentiam corporis naturalis, licèt ad ſimilitudinem eiuſdem dicatur ſic Organicum propter diuerſitatem ſtatuum, graduum & officiorum, ad ſimilitudinem diuerſorum mēbrorum in corpore naturali, quæ ſunt diuerſa organa, quæ declarans Apoſtolus inquit: prima ad Corinthios 12. *Sicut corpus vnum eſt, & multa membra habet, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, vnum corpus ſunt. ita & Chriſtus habet multa membra in ſuo corpore.* & iterum: *Vos autem eſtis corpus Chriſti & membra de membro.* & iterum: *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi ſumus vnum corpus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Et ſicut vnum membrū ſeruit ſibi & toti corpori, ſic in Eccleſia militante diuerſi in diuerſis ſtatibus & officijs ſibi & alijs in Eccleſia ſubminiſtrant.

[Ma]tth. 8.

[V]t fra[tri]s pecca[tu]m eidē [de]nūciare.

Eccleſia Catholica quid.

Ex quibus verbis & ſententijs Apoſtoli clarè habentur prædictæ particulæ tres, ſcilicet, quòd Eccleſia eſt corpus myſticum, organicum, additur autem, fide CHRISTI animatum, per quam Eccleſia militans in tali eſſe conſtituitur, & ab omni alia Eccleſia, ſiue congregatione diſtinguitur. Dicitur autem animatum fide, quia ſicut anima corpus, ſic fides animam & ſpecialiter formata per gratiam viuificat, ſecundùm id ad Romanos 1. & 10. ad Hebræos: *Iuſtus autem meus ex fide viuit*, quod non ſolùm intelligendum eſt de fide formata, ſed etiam informi, quia etiam mali fideles per fidem, & in ſe ipſis viuunt, licèt non vita perfecta, & cæteris membris Eccleſiæ ac Chriſto capiti coniunguntur, & multas vitæ operationes exercent. & ita ſe habet fidelis peccator ad caput Chriſti, & ad corpus Eccleſiæ, ſicut membrum in corpore naturali, non quidem mortuum totaliter & præciſum, ſed tanquam membrum mortificatum & vnitum corpori, quia adhuc in ipſo eſt radix vitæ, ſcilicet ipſa fides. Nō igitur verum eſt quod fidelis per peccatum moriatur ex toto, aut abſcindatur à corpore, vt proponens dicit. Et de mortificatione quidem dicit ſanctus Thomas tertia parte ſummæ, articulo tertio loquens de huiuſmodi peccatoribus fidelibus: *Percipiunt*, inquit, *tamen tales, à* CHRISTO *quendam actum qui eſt tradere, ſicut ſi membrum mortificatum aliqualiter moueatur ab homine.* Quod etiam non ſint membra abſciſſa, oſtendit Auguſtinus contra Donatiſtas, dicens: *Si cuius eſt manus arida, verum quidem eſt membrum, quamuis ſine ſanguine & inefficax, & mortuum, ſic & fides cum ſit vera, tamen ſine operibus mortua eſt*, & habetur 1. quæſtione 1. ſicut vrgeri.

Abacuc 2.

Peccator quomodo in Eccleſia.

3. q. 8. ar. 3. ad ſecūdū.

Lib. 4. c. 4.

Cap. 47.

Alij verò ſic deſcribunt Eccleſiam, Eccleſia ſancta Catholica militans ſiue viatrix eſt vniuerſitas fidelium bonorum & malorum, orthodoxam fidem tenentium, in ſacramentis Eccleſiaſticis ſocietatem habentium: quæ in ſententia in idem redit cum prima. Sed iam ad id quod in prima generali ſuppoſitione præmiſimus, & ſæpè promiſimus, greſſus noſtros dirigamus, ſcilicet ad probandum Eccleſiam Catholicam errare non poſſe, cuius declaratione pōnitur talis propoſitio: Impoſſibile eſt Eccleſiam Dei militantem Catholicam errare in his quæ fidei ſunt & neceſſitatis ad ſalutem. Quæ propoſitio licèt quondam fuerit apud omnes Doctores Catholicos, & ſanctos, & alios fideles, & nunc ſit principium fidei per ſe notum & manifeſtum, tamen propter quoſdam qui eam friuolè difficultant, ad conſolationem fidelium, & eorum qui eam difficultant confutationem, ipſam ex fundamentis in æternum fundatis ſacræ ſcripturæ, multipliciter probabimus in præſenti. Et primò, quia prædicta propoſitio virtualiter eſt articulus fidei, vt patet in ſymbolis tam Apoſtolorum quàm Niceno, in quibus fideles profitentur, ſe credere ſanctam Catholicam Eccleſiam. In altero enim dicitur: *Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam*, in altero. *Et vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.* Idem autem eſt credere Eccleſiam Catholicam eſſe ſanctam, & Eccleſiam Catholicam non poſſe errare in his, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, quia pro tempore quo erraret in prædictis, non eſſet ſancta; ſed eſſet maculata errore mortifero peccati mortalis. vnde beatus Auguſtinus in expoſitione ſymboli: *Iſta eſt ſancta Eccleſia, non habens maculam aut rugam: multi enim & alij Eccleſias congregârunt, vt Marcion, vt Valentinus, vt Hebion, vt Manichæus, vt Arius, & cæteri omnes hæretici, ſed illæ Eccleſiæ non ſunt ſine macula vel ruga perfidiæ, & ideò dicebat de illis Propheta: odiui Eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo. De hac autem Eccleſia quæ fidem Chriſti integram ſeruat, audi quid dicit Spiritus ſanctus in Canticis Canticorum: Vna eſt columba mea, vna eſt perfecta genitricis ſuæ. Qui ergo hanc fidem in Eccleſia ſuſceperit, non declinet in conſilia vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introeat.* hæc Auguſtinus. Ex hoc argumentor ſic: Nihil erronei aut falſi ſubeſt aut ſubeſſe poteſt articulis fidei; ſed prædicta propoſitio eſt articulus fidei, ergo ſub ipſa aut in ipſa non ſubeſt, nec poteſt ſubeſſe aliquid erronei aut falſi. Aſſumptum pro minori parte probatum eſt, ſed maior patet, quia qua ratione ſub vno articulo daretur falſum, eadem ratione & ſub alio, & ipſa tota fides vacillaret, & omnia in dubium verterentur, quod nullo modo eſt dicendum. Secundò, Eccleſia regitur à Spiritu ſancto, ſed Spiritus ſanctus errare non poteſt, ergo nec Eccleſia. Prima pars innuitur tam per ſymbolum Apoſtolorum, quàm Nicænum, cùm ſtatim poſt articulum Spiritus ſancti, cùm dicitur, *Credo in Spiritum ſanctum*, ſubiungitur articulus de Eccleſia, videlicet, *ſanctam Eccleſiam Catholicam*, vt ſit ſenſus, Credo in Spiritum ſanctum, ſupple dirigentem, gubernantem, & ſanctificantem, ſanctam Eccleſiam, imò & viuificantem, vt dicitur in ſymbolo Niceno. vnde Albertus Magnus in expoſitione ſymboli quam ponit in tractatu de officio Miſſæ, dicit: *Deinde ſuum bolum poſuit Iacobus Minor, dicens: ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum communionem: reſpiciens enim ad hoc quod ſanctus Spiritus datur & mittitur ad ſanctificandum creaturam, quæ ſanctitas nunquam fallit in Eccleſia, ſed nonnunquam fallit in perſona, dixit, ſanctam Eccleſiam, & quia omnis articulus fundatur in diuina & æterna veritate, & non ſuper creatam veritatem, quia omnis creatura vana eſt, & non habet ſolidam veritatem, ideò iſte articulus ſic reſoluendus eſt, ad proprium opus Spiritus ſancti, hoc eſt, credo in Spiritum ſanctum non ſolùm ſecundùm ſe, ſicut dixit præcedens articulus, ſed etiam credo in eum, ſecundùm proprium opus eius, quod eſt, quòd ſanctificat Eccleſiam, quam ſanctitatem profudit in ſacramentis & virtutibus & donis quæ dat ad ſanctitatis perfectionem, & eandem in miraculis & donis gratis datis, ſicut ſapientia, ſcientia, fides, diſcretio ſpirituum, operatio ſanitatum & prophetiæ, & huiuſmodi quæ dat Spiritus ad ſanctitatis Eccleſiæ demonſtrationē.* hæc Albertus.

Alia eccleſiæ deſcriptio.

Impoſſibile eſt eccleſiam Dei militantē, in his quæ fidei ſunt & neceſſitatis ad ſalutem, errare.

Alioquin non eſſet pro tempore, quo erraret, ſancta.

Expoſitio illa eſt Ruffini, habetur in 3. tomo Cypr.

Pſalm. 25.

Cant. 6.

Non regeretur à Spiritu ſancto.

1. Cor. 12.

Similiter patet per illud Ioan. 14. *Rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* ſimiliter per illud: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* & per illud: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, cùm autem venerit Spiritus veritatis, ille vos docebit omnem veritatem.* per omnia & ſimilia datur manifeſtiſſimè intelligi commiſſum fuiſſe regimen Eccleſiæ Spiritui ſancto, Chriſto, præſentia corporali, ab Eccleſia recedente, ſecundùm illud: *Si ego non abiero, paraclitus non veniet ad vos, Si autem abiero, mittam eum ad vos.* & Spiritus ſanctus docuit eccleſiam omnem veritatem, ſcilicet ad ſalutem neceſſariam, & in

Ioan. 16.

ſignum

ſignum huius inuiſibi'is miſsionis, & aſsiſtentiæ Spiritus ſancti fuit datus in die Pentecoſtes in ſigno viſibili, ſcilicet in linguis igneis, Apoſtolis, & cæteris fidelibus, in quibus pro tunc erat Eccleſia, & qui eam conſtituebant.

Nō durẽretur in omnẽ veritatem vſq; ad cõſummationẽ ſeculi.

Secunda pars patet, quia Spiritus ſanctus dicitur à Chriſto Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, & cùm ſit Deus qui eſt prima veritas, errare non poteſt. Sed fortaſſe dicit aduerſarius quod prædicta verba ſunt de Apoſtolis & primitiua Eccleſia, quando Eccleſia erat in vera imitatione doctrinæ & vitæ Chriſti conſtituta, ſed recedente ab imitatione Chriſti, & immergente ſe vitijs & peccatis, receſsit ab ea Spiritus ſanctus, qui non habitat in corpore ſubdito peccatis, & per conſequens, incidit in varios errores & hæreſes.

Sap. 2.

ſed contra Chriſtus promiſit indefectibilem ſui aſsiſtentiam Eccleſiæ, vſque ad conſummationem ſeculi, ideo prædicta nõ ſolùm intelliguntur de Apoſtolis, & primitiua Eccleſia, ſed ſimpliciter de Eccleſia duratura vſque ad finem ſeculi. Aſſumptum patet Matth. vlt. cap. *Euntes docete omnes gẽtes &c.* Et ſubdit: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.* Manifeſtum eſt autem quod Apoſtoli non ſunt, nec erunt in hoc mundo vſque ad conſummationem ſeculi, non igitur pro ipſis ſolis dictum eſt, ſed & pro ſucceſſoribus eorum duraturis vſque ad conſummationem ſeculi.

Hom. 91. in Matth.

Vnde Chryſoſtomus in homilia ſuper hoc eodem paſſu: *Quia verè eis magna iniunxerat, erigens eorum ſenſus dicit: Ecce ego vobiſcum ſum, quaſi dicat, ne dicatis, difficile eſſe iniunctum negotium, ego ſum vobiſcum, quia omnia facio leuia, non autem cum illis ſolùm dixit ſe futurum eſſe, ſed & cum omnibus qui poſt illos credunt, non enim vſq; ad conſummationem ſeculi Apoſtoli manſuri erant, ſed ſicut vni corpori fidelibus loquitur.* hæc Chryſoſtomus.

S. Thom. in Catena ſuper hoc caput.

Item Beda: *Ex hoc autem intelligitur quod vſq; ad finem ſeculi non ſunt defuturi in mundo qui diuina manſione & inhabitatione ſint digni in Eccleſia.* Item in gloſſa ordinaria habetur ſic: *Quod Apoſtolis per ſucceſsionem vniuerſali Eccleſiæ promittit. Nota quod vſq; ad finem ſeculi.*

S. Hieron. in cap. Matth. 28.

Item Hieronymus ibidem: *qui ergo vſq; ad conſummationem ſeculi cum diſcipulis ſe eſſe promittit, & illos oſtendit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquàm à credentibus receſſurum.* hæc Hieronymus. Si igitur Eccleſia aliquo tempore erraſſet, aut errauerit de facto, quomodo Chriſtus erit aut fuit ſemper cum ea omnibus diebus? Similiter etiam promiſit aſsiſtentiam Spiritus ſancti vſque in æternum ita dicens, Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Sed dicet aduerſarius, prædicta verba dicta ſunt Apoſtolis, cum quibus fuit Chriſtus, quàm diù fuerunt in hac vita, eos hic per gratiam protegendo, & in perſecutionibus adiuuando, & poſt hanc vitam fuit & erit cum eiſdem per gloriam, vſque ad conſummationem ſeculi, & vſque in æternum cum eiſdem manebit Spiritus ſanctus, vnde prædicta verba non videntur extendi ad alios, ſed tantùm ad Apoſtolos: Contra hoc expreſsè eſt intentio Chriſti, quia mittens eos in mundum vniuerſum prædicare & docere omnes gentes, dixit eis: *Ego vobiſcum ſum, vſq; ad conſummationem ſeculi.* ibi enim promiſit ſe permanere cum eis quo ipſos mittebat, vſque ad conſummationem ſeculi.

Cùm ergo in mundum eos mitteret, in mundo ſe eſſe cum eis promiſit manifeſtè, & cum eiſdem manſurum Spiritum ſanctum, & hoc eſt etiam, quod dixit ſuperiùs Chryſoſtomus, Beda & Hieronymus. Præterea Chriſtus fuit exauditus in omnibus petitionibus & rogaminibus, ſed ipſe rogauit pro fide Petri, vt non deficiat, Ergo fides Petri non deficiet, nec deficit. Primum patet ad Hebræos quinto, vbi dicit Apoſtolus, quod Chriſtus exauditus eſt pro ſua reuerentia. & Ioan. 11. vbi Chriſtus ait: *Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me. Ego enim ſciebam quia ſemper audis me.*

[D]eficere [fi]des Petri [con]tra pro[m]iſſionẽ Chriſti.

Secundum patet Lucæ 22. vbi Dominus ait ad Petrum: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,* hoc autem non poteſt intelligi de fide perſonali Petri, quia in illa defecit interna abnegatione, vt patet ex textu Euangelij, & ſimiliter patet ex verbis conſequentibus, cùm ſubiungitur: *& tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* qui vtique non diceretur conuerſus, niſi fuiſſet priùs à fide propria auerſus. Intelligendum eſt igitur, quòd Chriſtus rogauerit pro fide, quam ipſe confeſſus fuerat, dùm dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui,* & ſuper quam ipſe Chriſtus fundauit

ſuam Eccleſiam, eodem Domino dicente. *Tu es Petrus*
ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Pro fide igi
Eccleſiæ CHRISTVS rogauit vt non deficeret, & non p
fide perſonali Petri. Quare ſi in aliquo neceſſario
ad ſalutem pro aliquo tempore erraret, aut erraſſet E
cleſia totaliter, Chriſtus Dominus & prima veritas n
dixiſſet verum, nec fuiſſet exauditus, pro ſua reuerent
quod eſt contra prædicta, & omninò falſum. vnde Alb
tus Magnus ſuper eodem paſſu, *ego rogaui vt non defic*
ſcilicet finaliter, *fides tua. Hoc argumentum efficax eſt*
ſede Petri & ſucceſſore ipſius, quòd fides non finaliter deficiat
Nahum primo: Non adijciet vltrà, vt pertranſeat per te Belial, v
uerſus interijt. hæc Albertus. Item Gorram, *fides tua, id e*
Eccleſia tibi commiſſa, ſcilicet Romana Eccleſia. Vnde hoc
argumentum quòd fides Romanæ Eccleſiæ quam in ea Petrus pla
tauit, ſit ſemper duratura. hæc ille. Item quòd Chriſtus r
gauerit non ſolùm pro Petro & Apoſtolis, ſed pro om
bus ſequentibus, patet manifeſtè Ioan. 17. vbi cùm pr
miſiſſet ardentiſſimæ caritatis pro ipſis diſcipulis orati
nem, vt, *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti m*
hi, vt vnum ſint. ſicut & nos, & infrà: *ſanctifica eos in veritate*
Sermo tuus veritas eſt, ſicut tu me miſiſti in mundum, & ego m
eos in mundum, & ego pro eis ſanctifico me ipſum, vt ſint & ipſi ſa
ctificati in veritate. Poſt hæc ſubiunxit, *Non pro eis rogo ta*
tùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt, per verbum eorum in me,
omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt mun
credat, quia tu me miſiſti. Et patet, quod omnes qui credid
runt, & credunt, ſiue credent vſque ad finem ſeculi in Ch
ſtum, credunt in ipſum per verbum & doctrinam Apoſt
lorum, quamobrem & in ſymbolo Nicæno profitemur
Eccleſiam Apoſtolicam, non alia de cauſa, niſi quia in verbo
doctrina Apoſtolica fundata eſt, dicente Apoſtolo ad
pheſios. *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctor*
& domeſtici Dei ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolor
& Prophetarum &c. Vnde & Ioan. in Apocalyſi 21. d
ſcribens murum ciuitatis ſanctæ Ieruſalem, quæ eſt E
cleſia militans, deſcribit enim eam habere duodecim fu
damenta, & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum &
gni. Si igitur aliquando deuiaſſet Eccleſia ab hoc fund
mento, ſeu fundamentis doctrię Apoſtolicæ per errore
ſequeretur quòd Chriſtus non fuiſſet exauditus, vt priùs.

Prætereà ſi Eccleſia poſſet errare in his quæ neceſſar
ſunt ad ſalutem, ſequeretur, quòd non eſſet ſecuritas, neq
aliqua certitudo credibilium exiſtentibus in ea, & per co
ſequens nec aliqua fides. patet, quia qua ratione vnus ar
culus, & vnum dogma Eccleſiæ in dubium verteretur, e
dem ratione & omnia alia per ipſam prædicata & ordin
ta. ſicut ſi quis dubitaret, an Chriſtus reſurrexerit, eade
ratione dubitaret an in cœlum aſcenderit, & ſimiliter de
lijs, & ita non haberet ſecuritatem certitudinis de aliquo.
cùm dubius in fide, infidelis ſit, vt habetur cap. 1. de hære
cis, quia fides cum dubitatione ſtare non poteſt, ſequitur m
nifeſtè, quòd ſi Eccleſia errare poſſet, quòd nulla ſecurit
certitudinis eſſet in ea, & per conſequens fides non eſſet
Eccleſia, quod eſt omninò contra Chriſtum, indefectib
lem ſecuritatem Eccleſiæ ſuæ promittentem, qui ait Petr
ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi nõ pr
ualebunt aduerſus eam, ſuper quo verbo ait Hiero. *portas inf*
inquit, *vitia reor eſſe atq; peccata* (quo ad agenda) *vel certè hær*
ticorum doctrinas (quo ad credenda) *quæ aduerſus Eccleſiã præu*
lere non poſſunt. nec poteſt dicere aduerſarius, quòd aliund
capiat certitudinem, aut ſecuritatem credendorum, quã
Eccleſia, quia aut eam haberet à Deo per ſingularem inſp
rationẽ, aut ab aliquo homine particulari, aut fortè per E
angelia quæ continent doctrinam Chriſti. Sed non prim
modo, quia talis inſpiratio cùm ſit occulta & ſupernaturali
oporteret quòd aliquibus ſignis ſupernaturalibus, ſeu mir
culis manifeſtaretur, quemadmodum doctrina Apoſtolo
rum confirmabatur ſignis & miraculis. Si igitur doctrin
aduerſariorum habetur per inſpirationem, oſtendant ſign
& miracula, & credemus eis, quod non facient in æternum
quia ſumma veritas, cuius eſt miracula facere, non pote
perhibere teſtimonium mendacio & falſitati. ſimiliter n
ſecũdo modo, quia multò magis poteſt errare quilibet pa
ticularis homo, quã Eccleſia vniuerſalis, vt patet, quia plu

vident ſubtilius, oculi quàm oculus. ſimiliter nec tertio modo, quia nec ipſa Euangelia haberent certitudinis ſecuritatem, niſi fuiſſent ab Eccleſia approbata & acceptata. Cùm enim multa Euangelia & actus reperiantur, quæ dicuntur fuiſſe ab Apoſtolis compilata, ſic enim legitur in decretis diſtin. 15. *Actus nomine Andreæ Apoſtoli apocryphi, actus nomine Petri apocryphi, actus nomine Philippi Apoſtoli apocryphi, actus nomine Thomæ apocryphi, Euangelium nomine Thaddæi Apoſtoli apocryphum, Euangelia nomine Thomæ Apoſtoli, quibus Manichæi vtuntur apocrypha, Euangelia quæ falſauit Lucianus; apocrypha, Euangelia quæ falſauit Hyrcius, apocrypha.* & infrà, *reuelatio quæ appellatur Pauli apocrypha. Reuelatio quæ appellatur Thomæ apocrypha: Reuelatio quæ appellatur Stephani, apocrypha:* Cùm itaque omnia prædicta Euangelia, & cæteri libri prænominati reperiantur ſcripti, vnde certi ſunt aduerſarij, quòd iſta quatuor Euangelia contineant veritatem, alia verò non, & quòd iſta ſcripta ſunt à veris Apoſtolis, & non illa? quodque illa falſificata ſint, & non iſta, & per conſequens iſta quatuor ſint recipienda, alia verò tanquàm falſa reſpuenda? cum ipſi non audiuerint Chriſtum prædicantem, nec docentem, nec viderint ipſum mirabilia facientem, nec alia dicta aut facta ipſius, quæ in dictis quatuor Euangelijs ſcripta ſunt, nec vlteriùs viderint hos quatuor Euangeliſtas magis quàm alios, vt poſſent ex doctrina, vita aut miraculis magis approbare iſtorum Euangelia, quàm aliorum, niſi quia vniuerſalis Eccleſia iſta quatuor recipit, illa verò reſpuit: Si ergo vniuerſalis Eccleſia non dirigeretur à Spiritu ſancto, in his quæ fidei ſunt & de neceſſitate ſalutis, & poteſt in illis errare, ſequitur, quod in recipiendo illa quatuor Euangelia, & alia reſpuendo, errare potuerit, & ita vertetur in dubium, an iſta quatuor Euangelia contineant doctrinam, facta & miracula CHRISTI. Et vlteriùs, quidquid prædicti aduerſarij affirmant ex dictis dictorum Eangeliorum, totum erit dubium, & ſic apud eos nihil erit certum in fide, aut ſecurum, & conſequenter nullam habebunt fidem: Hoc profectò intellexit Auguſtinus, cùm dixit in libro contra epiſtolam fundamenti, & etiam contra Fauſtum hæreticum, & in multis alijs locis: *non crederem Euangelio, niſi me auctoritas Eccleſiæ commoueret:* Si dicat aduerſarius, accepto hæc quatuor Euangelia, & non alia, quia primitiua Eccleſia, quæ propter aſsiſtentiam Spiritus ſancti errare non poterat, illa reſpuit, & iſta acceptauit, quibus tamen non crederem, ſi ea moderna, à qua propter vitia & peccata receſſit Spiritus ſanctus tantummodò, alijs ſpretis, acceptaſſet: Contra quod poteſt argui vt ſuperiùs, per illud Chriſti: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi, &c.* prætereà cùm prædicti aduerſarij non fuerint in primitiua Eccleſia, vnde ſciunt, quòd ipſa hæc acceptauerit, & alia reſipuerit; reuerà non aliunde quàm ex atteſtatione modernæ Eccleſiæ, cuius atteſtatio ſi dubia fuerit, multò magis & id quod atteſtatur, ſub dubio remanebit.

Cap. 3. Sancta Romana.

Cap. 5.

Prætereà cùm hæc Euangelia veram Chriſti doctrinam, facta & mirabilia contineant, vtique ad veram & certam fidem habendam, intelligentia in verbis & factis Chriſti opus eſt, vt videlicet eum ſenſum in verbis Chriſti apprehendamus, quem ipſe Chriſtus intendit, alioquin non haberemus veram doctrinam eius, neque fidem, quemadmodum contingit pauperibus Lugdunenſibus, qui ſecundum literalem ſenſum, ſed non Chriſti, illud dictum intelligentes. *Si oculus tuus ſcandalizauerit te, erue eum & proijce abs te,* oculos ſibi eruebant cùm contingebat eos peccare per oculos, qui vtique ſic facientes, non habebant ſenſum Chriſti: non enim Dominus eruitionem corporalem oculorum, ſed ſpiritualem vitiorum, quæ per oculos & alia membra committuntur, præcepit ibidem. vnde & Ioan. 6. loquens de manducatione & bibitione ſui corporis & ſanguinis, cùm diceret: *niſi manducaueritis, &c.* manifeſtè ſcandalizati etiam diſcipulorum quidam, retrò abierunt, putantes ipſum loqui de carnali manducatione, ſubiunxit: *Spiritus eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quicquam:* & Paulus Apoſtolus: *littera occidit Spiritus autem viuificat,* quia in intelligendo ſacras ſcripturas non ſemper literalis ſenſus & grammaticalis eſt accipiendus, ſed myſticus & ſpiritualis eſt requirendus, vt ſuperiùs dictum eſt. Cum ergo quilibet particularis homo in intelligendo doctrinam CHRISTI, & verba eius poſſit errare & decipi, quemadmodum & omnes hæretici decepti ſunt, qui ex aliquo dicto ſacræ Scripturæ malè intellecto, ſui erroris occaſionem ſumpſerunt & originem: dicente Auguſtino homilia ſuper Ioannem 18. *Neque enim nata ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum ſcriptura bona intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur. Itaque cariſſimi, valdè cautè audire debemus, ad quæ capienda paruuli ſumus, & corde pio, & cum tremore ſicut ſcriptum eſt, hanc tenentes regulam ſanitatis, vt quod ſecundùm fidem qua imbuti ſumus, intelligere valuerimus, tanquàm de cibo gaudeamus, quod autem ſecundùm ſanam fidei regulam intelligere non potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus: hoc eſt, vt etiam ſi quid ſit neſcimus, bonum tamē & verum eſſe minimè dubitemus. Et ego fratres qui ſuſcepi loqui vobis, cogitandus ſum à vobis qui ſuſceperim, & quæ ſuſceperim. Suſcepi enim tractandi diuina homo, ſpiritualia carnalis, æterna mortalis. Etiam à me, cariſſimi, longè ſit vana præſumptio, Si volo ſanus in domo Dei conuerſari, quæ eſt, Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis, pro modulo meo capio, quod vobis appono, vbi aperitur, paſcor vobiſcum; vbi clauditur, pulſo vobiſcum.* hæc Auguſtinus. Et ſi ſimiliter vniuerſalis Eccleſia poſſet errare in intelligendo & exponendo doctrinam Chriſti, ſequitur manifeſtè quòd nullus eſſet certus de vero intellectu ſcripturarum, & per conſequens de fide, quæ ex vero intellectu ſcripturarum accipitur, & ſic omnes eſſent infideles, cuiuſmodi ſunt aduerſarij, aſſerentes Eccleſiam vniuerſalem poſſe errare in his quæ fidei ſunt & neceſſitatis ad ſalutem. Nec ſufficit, quòd aliquis confiteatur ore verba, niſi etiam ſine dubitatione credat intelligentiam & ſignificationem verborum Chriſti, quia vtrumque Apoſtolus ad Roman. 10. coniunxit, inquiens: *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Vnde ſi quilibet particularis homo poteſt errare, & ſimiliter Eccleſia vniuerſalis, in accipiendo veram ſignificationem verborum Chriſti, patet, quòd nullus haberet fidem, quæ omnimodam excludit dubitationem, ex quo intelligentia verborum Chriſti ſub dubio remaneret. Dicendum eſt igitur vniuerſalem eccleſiam in exponendo Euangelia & ſacram Scripturam errare non poſſe, & à Spiritu ſancto dirigi, ac eidem, tanquam infallibili & diuinæ regulæ debere quemlibet fidelem adhærere, & qui non faciunt, pro hæreticis ſunt habendi. Vnde ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 5. articulo tertio dicit: *Obiectum fidei eſt veritas prima, ſecundùm quod manifeſtatur in ſcripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ. Vnde quicunque non inhæret ſicut infallibili & diuinæ regulæ, doctrinæ Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate prima in ſacris ſcripturis manifeſtata, non habet habitum fidei.* Et infrà: *Et ſic manifeſtum eſt quod hæreticus qui pertinaciter diſcredit vnum articulū, non eſt paratus in omnibus ſequi doctrinam Eccleſiæ.* & infrà: *vnde & manifeſtum eſt, quod talis fidem non habet de alijs articulis, ſed opinionem quandam ſecundùm propriam voluntatem.* & infrà in reſponſione ad ſecundum argumentum dicit: *omnibus articulis fidei inhæret fides propter vnum medium, ſcilicet propter veritatem primam propoſitam nobis in ſcripturis ſecundùm doctrinam Eccleſiæ ſanè intelligentis, & ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret.* hæc S. Thom. Sed fortè diceret aduerſarius, volens fugere verum Eccleſiæ iudiciū, ſe velle intelligere ſcripturas ſecundùm expoſitionē doctorum & non Eccleſiæ. Contrà, quia ſicut dictum eſt de Euangelijs, cùm multi ſcripſerint & expoſuerint ſcripturas & Euangelia, vnde ipſi aduerſarij erūt certi, qui doctorum fuerint & ſint boni, & ſequendi, & qui mali, & reſpuendi. Cùm non omnes indifferenter acceptentur, nec etiam reſpuantur, propter contrarietatem & diuerſitatem plurium ipſorum, circa eundem paſſum ſcripturarum, manifeſtum eſt quod hoc iudicium & diſcretio Eccleſiæ relinquitur, & non alicui particulari homini, vt patet in decretis diſtin. 15. vbi illi Doctores approbati vel reprobati habentur, quos Eccleſia approbat vel reprobat. Quis enim aduerſarijs indicauit, Beatum Auguſtinum, vel Hieronymum, vel quemcunque alium eſſe ſanctum, & Doctorem Catholicum niſi approbatio Eccleſiæ? Et ſi dicat, quod ex vita ipſius; vnde ſcit legendam

Matth. 18.

2. Cor. 3.

Tract. 18. in Ioan.

Nemo eſſet certus de vllo ſcripturæ ſenſu.

Ipſius

ipſius non eſſe apocrypham, niſi ex auctoritate Eccleſiæ? quæ ſi potuit & poteſt errare in alijs, vtique & in hac doctorum approbatione. Prætereà cùm inter Doctores multa ſit varietas opinionum & contrarietas, & ſæpè circa idem dictum Doctoris eiuſdem multa contingat ambiguitas. Neceſſe eſt per aliquem doctorem infallibilem tolli huiuſmodi dubia, & declarari, & cum quilibet particularis homo falli poſſit & errare, neceſſe eſt quòd Eccleſia ſit huiuſmodi infallibilis expoſitor & doctor credendorum & agendorum.

Tolli diuerſitas opinionũ variorum doctorũ nõ poſſet.

Prætereà nemo debet maiorem fidem dictis & expoſitionibus Doctorum adhibere, quàm ipſimet Doctores ſibi ipſis adhibuerunt, vel ab alijs adhiberi voluerunt. ſed ipſi in dictis & expoſitionibus ipſorum ſæpè dubitabant, & ne damnabiliter errarent, in omnibus ſe & ſua dicta omnia correctioni Eccleſiæ ſubijciebant. Ergo fideles non debent expoſitiones Doctorum certitudinaliter eſſe veras reputare, nec eis certam fidem adhibere, niſi in quantum fuerint doctrinæ Eccleſiæ conſonæ vel per Eccleſiam approbatæ. Minor patet penè per omnes Doctores qui ſua dicta corrigenda Eccleſiæ vel ſummo Pontifici ſubijciebant. Vnde 24. quæſt. 1. *quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres noſtros & coepiſcopos non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris authorem referre debere.* Contra cuius auctoritatem nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis ſacrorum Doctorum ſuam ſententiam defendit. Sic enim dicit Hieronymus eadem quęſtione: *hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in Catholica didicimus Eccleſia, quamq; ſemper tenuimus & tenemus: in qua ſi minus peritè, aut parùm cautè forte aliquid poſitum eſt, cupimus emendari à te, qui Petri fidem & ſedem tenes. Si autem hæc noſtra confeſſio apoſtolatus tui iudicio approbatur, quicumque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, ſed hæreticum comprobabit.* Beatus etiam Bernardus in epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes ita dicit: *quæ autem dixi, abſque præiudicio ſanè dicta ſint, ſanius ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atq; examini totum hoc, ſicut & cætera quæ eiuſmodi ſunt vniuerſa, reſeruo, ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus iudicio, emendare.* Similiter ſanctus Thomas in procemio ſuper Euangelia ſcribens Papæ Vrbano quarto, ita dicit, *ſuſcipiat itaq; veſtra ſanctitas opus veſtro diſcutiendi corrigendiq; iudicio, veſtræ ſolicitudinis, & obedientiæ meæ fructum, vt dum à vobis emanauit præceptum, vobis etiam reſeruetur finale iudicium; ad locum vnde exeunt flumina, reuertãtur.* Idem ſecunda ſecundæ quæſt. 2. articulo 10. dicit, *maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda, quia & ipſa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet. Vnde magis eſt ſtandum auctoritati Eccleſiæ quàm auctoritati Auguſtini vel Hieronymi, vel cuiuſcunq; Doctoris.* hæc ſanctus Thomas. Ecce quomodo & quàm manifeſtè ſe & dicta ſua ſancti doctores correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ ſubijciunt, vnde & nullum dictum alicuius ſancti valet, ſi contra determinationem Eccleſiæ allegaretur, quia auctoritas Eccleſiæ ſemper maior eſt auctoritate cuiuſcunque quantumcunque docti, aut ſancti viri, & per conſequens, omnibus æmulanda. præterea ſi dicunt aduerſarij ſe velle intelligere ſcripturas, ſecundùm expoſitionem doctorum, & non Eccleſiæ, tunc aut ipſi ſtabunt expoſitioni doctorum viuentium, aut eorum, qui ab hac vita migrauerunt. Si primo modo, cùm inter viuentes ſæpenumerò, imò ſæpiſſimè contrarietas oriatur, & diſſenſio, vt patet ſpecialiter, inter doctores Catholicos & hæreticos; ad contrarietatem & diſſenſionem hanc tollendam, quis erit iudex in vita præſenti niſi Eccleſia? Si ſecundo modo, vt quidam doctorum aduerſariorum dicunt, tunc ſi diſcordia oriatur de intellectu auctoritatum ſanctorum doctorum iam defunctorum, quis erit iudex? nunquid alij doctores defuncti? & ſi ſic, tunc orta diſcordia in dictis aliorum, quis iudicabit? Si vlteriùs, alij doctores defuncti; tunc erit proceſſus in infinitum, quod eſt omninò abſurdum. dicendum igitur eſt, quod tam dicta doctorum viuentium quàm defunctorum, ad iudicium Eccleſiæ tãquàm ad infallibilem & diuinam regulam ſunt referenda, & eius ſentẽtia tam in expoſitione ſcripturarum ſanctarum, quàm intelligendo dicta doctorum, & in alijs neceſſarijs ad ſalutem, tamquàm diuino ore prolata, à cunctis Chriſti fidelibus eſt amplectenda & acceptanda. Præterea ad principale propoſitum redeundo, inter Chriſtum & Eccleſiam eſt matrimonium ſpirituale, teſte Apoſtolo; qui ex verbis protoplaſti dicentis, *& erunt duo in carne vna.* concludit, *ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Sed ſicut in matrimonio carnali præcipuè fides thori exigitur, ſic & in ſpirituali, dicente Propheta: *deſponſabo te mihi in fide:* ſicut igitur fractionem fidei in thoro adulterij macula ſequitur, ſic & in matrimonio ſpirituali deuiatio ab his quæ fidei ſunt & neceſſaria ad ſalutem, ſequitur macula erroris, & per conſequens adulterij ſpiritualis, quod eſt contra Apoſtolum dicentem ad Epheſios 5. quod Chriſtus tradidit ſemetipſum pro Eccleſia, vt exhiberet eam ſibi glorioſam, non habentem maculam neque rugam, neque aliquid huiuſmodi. Præterea quicunque dat alicui ex caritate id quod incomparabiliter maius eſt reſpectu alicuius finis conſequẽdi, dat etiam id quod minus eſt, reſpectu eiuſdem, & tantò ampliùs, quantò magis eſt neceſſarium ad dictum finem conſequendum. Sed Chriſtus dedit ſponſæ ſuæ Eccleſiæ ſeipſum, vt patet per Apoſtolũ immediatè allegatum, quod incomparabiliter maius eſt, quàm ipſam non ſinere errare in his quæ fidei ſunt. Ergo eidem contulit vt nullo modo poſſit errare in prædictis, quod eſt maximè Eccleſiæ neceſſarium, quia ad ipſius ſalutem. Si igitur Chriſtus ex caritate ſeipſum tradidit Eccleſiæ, & pro Eccleſia; ſi Deus Pater mundum ſic dilexit, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt inquit Ioannes, & qui proprio filio ſuo non pepercit, vt ait Apoſtolus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit? & ſi omnia; quomodo aſſiſtentiam ſui, ſeu Spiritus ſancti indefectibilem nobis, ſeu ſuæ Eccleſiæ, qui eam non ſinat errare in his quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, non donauit? *commendat Deus ſuam caritatem in nobis,* inquit Apoſtolus ad Romanos quinto, loquens in perſona omnium Eccleſiam conſtituentium, *quoniam ſi cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus.* Quomodo autem nos vel Eccleſia ſalui erimus, ſi in his quæ fidei ſunt errauerimus? aut quomodo derelinquet Eccleſiam, ex fidelibus collectam, lauacro baptiſmi regeneratam & ſuo ſanguine pretioſiſſimo redemptam, vt non ei adſit in his, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem? Si pro ea dum adhuc ex infidelibus, & peccatoribus atque idololatris colligebatur, tam turpiſſimam & ignominioſiſſimam mortem ſuſtinuit, vt exhiberet ſibi eam glorioſam, non habentem maculam, neque rugam, vt dictum eſt. Et hæc profectò concluſio & intentio Pauli eſt, in prædictis verbis: *commendat Deus ſuam caritatem, &c.* Præterea nullus ſapiens ſui ipſius, aut eius, quod ex caritate & dilectione vera amantem in amatum transformante ſe ipſum reputat, dum poteſt & valet, curam & prouidentiam prætermittit. ſed CHRISTVS tanto caritatis affectu Eccleſiam diligit, vt non aliam & aliam, ſed vnam & eandem perſonam ſe & Eccleſiam reputet, vt patet Actuum nono, vbi Chriſtus ad Saulum loquens Eccleſiam perſequentem, ait. *Saule Saule quid me perſequeris?* Chriſtus enim iam in cœlo regnabat, & Saulus in terra non ipſum, ſed membra ſua, & fideles ſuos perſequebatur, & tamen transformans caritas, cogebat ipſum perſecutionem ſponſæ propriam reputare, & vnam eandemque perſonam fateri, cùm ait, *quid me perſequeris?* ſic & in fine mundi, mundum iudicaturus dicet, *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis,* ergo Chriſtus cùm potens ſit & valeat, nunquàm ſponſæ ſuæ Eccleſiæ prouidentiam prætermittit & curam. Præterea quanto gratia eſt potior natura, tanto & diuina prouidentia, quæ eſt ſecundùm gratiam, eſt potior & efficacior reſpectu prouiſorum, quàm ſit prouidentia, quæ eſt ſecundùm naturam. Sed diuina prouidentia, quæ eſt ſecundùm naturam, nunquàm deficit vniuerſaliter. ergo nec ſecundùm gratiam deficiet totaliter, vt videlicet Chriſtus ſponſam ſuam Eccleſiam, quam indefectibiliter gubernat ſecundum eſſe naturæ, & eidem prouidet ſecundùm conditionem ſuæ naturæ, permittat errare in his quæ maximè neceſſaria ſunt ad ſtatum gratiæ & ſalutis, cuiuſmodi eſt errare in fide. Præterea Eccleſia Chriſtianorum eſt multò prętantior, quàm fuerit

ſyna-

Neq; doctores ſancti ſe iudicio Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ ſubmiſiſſent.

Innocentius Papa epiſt. 26.

Cap. 14.

Bernard⁹ epiſt. 174.

infallibi[illegible]m.

Epheſ. 5

Oſe. 2.

Si Chriſt[us] ſpõſæ ſu[æ] dedit ſeipſum, c[ur] non & g[ra]tiã ne fal[li] queat.

Ioan. 3.

Rom. 8.

Nullus v[e]rus amator, amat[i] curam & prouidentiã deponit, multò m[i]nùs Chriſtus Eccleſiæ.

Matth. 2[5]

Si prouid[enti]a in naturalibus nõ deficit, multò m[in]ùs in gratiis.

nagogā n deſe it, quo- odo Ec- eſiam? ſynagoga Iudæorum. patet tam ratione legis, quàm Sacerdotum, ſacramentorum, & omnium in ea cótentorum. Sed Deus nunquàm ex toto deſeruit ſynagogam Iudæorum, pro tempore quo ipſam durare oportuit, nec eá errare permiſit circa fidem, de qua Iſaiæ 21. *Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus.* & eiuſdem 49. dicit Dominus: *Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* quæ omnia & infinita huiuſmodi dicta ſunt ad literam de ſynagoga, pro tempore ſuæ durationis. vnde & Phariſæorum doctrinam Dominus tanquàm veram, licèt ipſi eſſent mali, approbauit, cùm dixit: *ſupra cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, &c.* (Matth. 23.) Ergo nec Eccleſiam Deus deſerit, aut errare permittit, in his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, pro toto tempore diuinationis ſuæ, quod quidem durábit vſque ad conſummationem ſeculi. prætereà omnis architectus ſapiens ædificat domum ſuam firmiter, tantum quantum ſcit & poteſt, ſiue ſupra firmam petram, ſiue aliter. Sed CHRISTVS fuit & eſt ſapientiſsimus architectus, ergo ædificauit domum ſuam, quæ eſt Eccleſia, firmiter, & ſupra firmam petram. maior patet per Apoſtolum, qui ait: *vt ſapiens architectus fundamentum poſui.* Et Matthæi 7. *Similis eſt ſapienti qui ædificauit domum ſuam ſupra firmam petram.* minor etiam patet, quia Chriſtus Dei ſapientia, & Dei virtus ſecundùm Apoſtolum, eſt etiam architectus, quia ædificauit Eccleſiam ſecundùm illud: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Si ergo Eccleſia poſſet errare, aut errauit aliquando, vt dicunt aduerſarij, ſequitur manifeſtè, quòd Chriſtus non ædificauerit Eccleſiam ſuam firmiter, & ſupra firmam petram, & per conſequens, quòd non fuerit architectus ſapiens, & quòd falſum dixiſſet, quòd portæ inferi non præualerent aduerſus eam; quæ omnia ſunt à fide aliena. Dicendum eſt igitur & concludendum firmiter, quòd licèt deſcendet pluuia, flent venti, veniant flumina hæreticorum & malorum hominum, & irruant in domum hanc Eccleſiæ Catholicæ, non tamen cecidit, neque cadet, quia firmata eſt ſupra firmam petram. Vnde & Apoſtolus, vocat eam columnam & firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. ita ſcribens Timotheo: *ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* ſuper quo Ambroſius in epiſt. ad Timoth. ita dicit: *cùm totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus eius dicitur, cuius hodie rector eſt Damaſus. Mundus enim in præuaricatione eſt, diuerſo turbatus errore, ideo illic neceſſe eſt, vt dicatur eſſe domus Dei; & veritas, vbi ſecundùm voluntatem ſuam timetur.* Hæc Ambroſius: Ecce quàm apertè hic doctor declarat, vbi ſit Eccleſia, quæ eſt domus Dei, illa ſcilicet & ibi, cui tempore ſuo, Damaſus Papa præſidebat S. Eccleſia Romana. Tenendum itaque eſt fide inconcuſſa, Eccleſiam Chriſti & Petri nauiculam, quamuis agitetur multis interdum turbinibus, in hoc tempeſtuoſo mari & procelloſo, nunquàm priuari præſentia Chriſti, & gubernaculo Spiritus ſancti, qui eam non ſinit errare in his quæ fidei ſunt, & neceſſitatis ad ſalutem. Cætera quæ de Eccleſia erant dicenda hoc in loco, gratia breuitatis, dimiſſa ſunt, cùm hæc in audientia publica fuerint recitata.

Non imperfectū relinquit Chriſtus ædificium ſuū, quod ſupra firmā petrā ſtatuit. 1. Cor. 3. Matth. 16.

PROSEQVENDO reſponſionem inchoatam die Sabbati ad dicta magiſtri proponentis in materia articuli communionis ſub vtraque ſpecie, quia coarctor temporis breuitate, nó valeo omnia dicta eius, vt opportunum eſſet, perſcrutari, tamen ne clauſis oculis pertranſeam illa, quæ mihi videntur in poſitione ſua difficultatem habere, referam per articulos, diſcuſſionem eorum ſequentibus reuerendis magiſtris & doctoribus relinquendo; curabo autem pro præſenti ad ea ſolùm reſpondere, quæ faciunt, vel videntur facere contra intentionem meam, in articulo propoſito per eundem. Inprimis igitur poſt ea quæ de inſufficientia proteſtationis dicta ſunt, & de acceptione Eccleſiæ, qua viſus fuit ponere Eccleſiam conſtare ſolùm ex iuſtis, & in gratia gratum faciente actualiter conſtitutis: difficultatem affert id quod dicit in ſecúdo membro diuiſionis, quam facit de communione, quod per ſumptionem dignam corporis & ſanguinis Chriſti homo ingeritur ad communionem primo modo acceptam, & fit de ſocietate Sanctorum. Et quòd ad hunc ſenſum intelligatur auctoritas Auguſtini in homilia: Corpus Domini à quibus ſumatur. Item circa tertium membrum dictæ diuiſionis, dicit, quod à communione, quæ minùs propriè & vulgariter accipitur, ſit excommunicatio hominum à iudicib⁹ Eccleſiæ, & quod huiuſmodi excommunicatio fertur quàm plurimùm non pro peccato mortali, ſed ſolùm de facto, & non de iure, & ſolùm pro veniali. Item in reſumptione prædictæ trimembris diuiſionis dicit, boni Chriſtiani cum malis non habent vnitatem vitę & ſpiritus in Chriſto, ſicut viuum membrum à mortuo, & ad hoc inducit Apoſtolum 1. Cor. 10. *Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum.* & 2. Cor. 6. *Quæ eſt conuentio Chriſti ad Belial?* Itẽ in correlarijs quæ infert ex præcedenti notabili, in primo dicit, quòd non omnis qui eiectus eſt de tertia communione, puta per excommunicationem iudicis, eiectus eſt de ſecúda communione. Item in ſecundo correlario dicit, quod minus eſt pernicioſum & incautum cõmunicare tam cum ſcito excómunicato à iudice, quàm cum ſcito mortaliter peccante. Et ad hunc ſenſum adducit Apoſtolum: *nolite communicare, &c.* Item in tertio correlario ponit, quod notorij peccatores debẽt à communione Sanctorum propelli. & ad hunc ſenſum inducit exemplũ de Dathan & Abyron, Num. ſexto decimo, vbi dicitur: *Recedite à tabernaculis hominum &c.* quæ ibi proſequitur contra manifeſta peccata. Prædicta ſcilicet, quæ mihi videntur, ſaluo iudicio meliori, extra materiam meam poſita, non modicas in ſe continere difficultates, quas vt prædixi, Doctores & Magiſtri ſubſequentes, vt ſpero, pleniſsimè aperient & declarabunt. Deinceps ad ea quæ me contingunt oculos aperiam. Et primò ad id quod ſupponit, videlicet quòd communio Euchariſtiæ, Græcè dicitur panis & calicis ſacramentum. Ad quod dicendum, quod hoc non ſemper verum eſt, quia quandoque accipitur pro hoſtia tantùm, ſicut patuit ex Concilio Toletano 12. ſuperiùs allegato, & etiam per cap. presbyter, de conſecrat. diſtinct. 2. vbi ex Concilio VVormacenſi præcipiebatur ſub his verbis: *presbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur:* vbi ſecundùm gloſſam, Euchariſtiæ nomine, ſola hoſtia deſignatur. Nam dicit, *ſanguinem non præcipit ſeruare, quia opus eſſet nimia cautela in cõſeruando.* nec eſt de intentione Gregorij dicere in loco præallegato, quòd Euchariſtia ſignificet panem & calicem, quaſi de ſuo principali ſignificato, immò dicit ſic: *Cum panis & calicis ſacramentum, græcè Euchariſtia dicitur, latinè bona gratia interpretatur.* Et ſequitur: *& quid melius ſanguine & corpore Chriſti?* Ex quibus verbis patet, quod nomen Euchariſtiæ non competit ſpeciebus, ſed ipſi rei, ſcilicet, carni & ſanguini Domini noſtri Ieſu Chriſti. vnde ſanctus Thomas tertia parte ſummæ ſuæ loquens de nominibus huius Sacramenti, & Petrus de palude in 4. diſtin. 8. dicunt in forma, quod licèt iſtud Sacramentum ſit vnum perfectione & ordine, eſt tamen diuerſis nominibus nuncupatum. Nam in quantum eſt rememoramentum dominicæ paſſionis, dicitur ſacrificium, hoſtia & oblatio, & hoc modo ſignificatio eius refertur ad præteritum. In quantum verò ſignificat rem, reſpectu pręſentis temporis, tunc cùm duplex ſit res huius ſacramenti, vna ſignificata & contenta, ſcilicet Eccleſiaſtica vnitas, ideo ratione primæ rei ſignificatæ & contentæ, vt dicit Dominus Petrus de Palude, dicitur Euchariſtia quaſi bona gratia, quia continet fontem gratiæ: Euchariſtia enim græcè, bona gratia latinè interpretatur. Ratione verò ſecundæ rei ſignificatæ, ſcilicet vnitatis Eccleſiaſticæ, nominatur communio, vel Synaxis, ſecundùm quod omnes per hoc ſacramentum ſignificantur aggregari, in vnum corpus Chriſti myſticum. vnde dicit Damaſcenus quarto libro, quod dicitur communio, quia communicamus per ipſam Chriſto & participamus eius carne & Deitate, & quod communicamus & vnimur per ipſam ad inuicem. dicitur etiam in Græco metalepſis, μετάληψις, id eſt, aſſumptio, quia vt Damaſcenus dicit, per hoc filij Deitatem aſſumimus. Quare ſuppoſitio generaliter non eſt vera, imò vt in pluribus & quaſi ſemper Euchariſtia ſupponit pro hoſtia tantùm. Quantum ad ſecundũ notabile, quod eſt de differentia terminorum, ſcilicet, licet,

Cap. 93. Super. in tertia principali probatione.

3. q. 73. a. 4.

Cap. 14.

expe

expedit,& neceſſarium, & quòd huiuſmodi ſacramēti ſumptio non ſit neceſſaria,neceſſitate abſoluta, ſumus ſatis concordes, vt dictum fuit in prima concluſione mea. Quantum ad tertium notabile, de differentia præceptorum Dei, licèt concordemus de eo, quod dicit quod quædam obligant ſemper,& pro ſemper, quædam autem ad ſemper, ſed non pro ſemper. Nihilominùs in exemplo poſito, de diligere Deum, videat ipſe ſi benè dictum ſit, cùm diligere dicat actum elicitum à diligente, licèt ſit actus immanens,& non tranſiens in exteriorem materiam, ſicut & intelligere, & ſi quilibet teneatur ſub præcepto omni tempore & momento inceſſanter, & ſine interpellatione intelligere, & diligere Deum actuali elicione actuum, & ſi ipſe faciat dum dormit, comedit, & bibit, & in alijs rebus occupatur, videat ipſe & iudicet, quia hoc eſt proprium Angelorum & comprehenſorum in patria. Credo tamen quod accipit diligere pro habitu dilectionis & non pro actu,& ſic vtique verum eſt. Et hæc dicta ſint contra præſuppoſita breuiter.

Præcepta quædam obligant ſemp. & pro ſemp. quædam ſemper, ſed non ſemper.

SED iam venio ad primam partem ſuæ poſitionis, in qua dicit,quòd communio diuiniſſimę Euchariſtiæ ſub ſpecie vtraque panis ſcilicet & vini, vtilis multum eſt, & ſaluti expediens. Contra quam in forma poſui concluſionem meam tertiam, in terminis contrariam, in quibus concluſionibus tam ſua quàm mea,duo tāguntur. vnum eſt quòd communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſit multum vtilis, & ſaluti expediens, & in hoc ſumus concordes, quia tanta eſt vtilitas huius ſacramenti,& tot effectus diuinos in ſumentibus dignè operatur, vt nec ipſe Magiſter, nec ego, imò nec nec omnes linguæ mortalium, etiam ſi omnia membra conuerterentur in linguas,ſufficerent enarrare, imò nec etiam ipſi Angeli, & Sancti in patria comprehenſores poſſunt, nec valent comprehendere. Secundum, quod attenditur in prædictis concluſionibus,eſt, in quo conſiſtit contrarietas inter ipſum & me, videlicet,quod ſub duplici ſpecie, vel ſub vna miniſtretur quo ad populum laicalem. Auctoritates igitur quibus probat vtilitatem ſumptionis huius ſacramenti, concedo, quia nihil aliud intendunt quàm vtilitatem ſimpliciter ſumptionis huius ſacramenti, quæ vtilitas ſequitur plenè & perfectè indignè ſumentibus,ſiue ſub vna,ſiue ſub duabus ſpeciebus ſumatur, cùm ſub altera plenè & integrè caro CHRISTI, & ſanguis eius, immò & totus Chriſtus ſumatur, ratione cuius ſumptionis ſequuntur omnes prædicti effectus. Quapropter falsè infertur, & malè, cùm ex prædictis auctoritatibus ſic concluditur. *Quare ſequitur, quàm vtilis eſt, & quàm expediens ſaluti fidelium diuiniſſima Euchariſtia ſub ſpecie vtraque communio, ſi fuerit dignè celebrata*. niſi fortè propter id quod dicit, *dignè celebrata*, vellet referre ad celebrationem Sacerdotum, quia propriè celebrare, & offerre ſacrificium in rebus ſenſibilibus Deo,pertinet ad Sacerdotes, licèt etiam ex prædictis auctoritatibus,nec hoc ſequatur, cùm purè loquatur de manducatione & ſumptione corporis CHRISTI, niſi fortè auctoritas Alexandri Papæ, qui dicit: *Nihil ſacrificium maius eſſe poteſt*; quia vt dictum, ſolùm Sacerdotum eſt offerre ſacrificia Domino. Sed iam pro declaratione auctoritatum Ambroſij,ſancti Thomæ, Alberti Magni, Innocentij, & multorum aliorum, qui ſequuntur, eſt diligenter notanda diſtinctio,quæ ſequitur, ex qua ſpero per gratiam Ieſu Chriſti,ſatisfacere omnibus audientibus,non habentibus animum paſſione aliqua obumbratum, quæ diſtinctio,præſuppoſita Catholica veritate, eſt ita clara & ita diſtincta, quòd nemo poterit contra eam aliquid obijcere, niſi proterua voluntate. Sciendum igitur quod triplex eſt huius ſacramenti perfectio, videlicet rei, ſigni, & effectus. Perfectio huius ſacramenti, quantum ad rem, conſiſtit in integritate & totalitate præſentiæ rei contentæ & ſignatæ in hoc ſacramento, videlicet ipſius Chriſti, & ſic ſub vtraque ſpecie huius ſacramenti ſimul totus CHRISTVS verè & totaliter continetur, & ſub altera ſimiliter. Vnde idem per omnia, continetur ſub vtraque ſpecie ſimul,& ſub altera tantùm, & ſecundùm eundem modum exiſtendi. vnde ſicut ſub ſpeciebus panis& vini ſimul totus & vnus Chriſtus & integer continetur, ſcilicet cum corpore,anima,ſanguine,& Deitate, ſic per omnia ſub ſpeciebus panis pe
ſumptis,& ſimiliter ſub ſpeciebus vini, immò & ſub qu
bet particula panis, & ſub qualibet gutta vini, & ſecund
eundem modum etiam exiſtendi, quia ſicut ſub ſpecie
nis eſt vnita Deitas humanitati, ſic & ſub ſpeciebus
ni, & ſicut hic anima informat corpus, ita ibi, & ſicut
ſanguis eſt incluſus intra venas corporis, ita ſub ſpeciel
vini.& ita quantum ad rem, & in modo exiſtendi rei in l
ſacramento,nulla eſt diuerſitas, ſiue conſideretur ſub a
babus, ſiue ſub altera tantùm ſpeciebus. Sed in conu
ſione eſt diuerſitas, quia ex vi ſacramenti, panis tantu
modò in corpus Chriſti conuertitur, videlicet,quod ex c
ne,oſſibus, neruis, & alijs huiuſmodi integratur. Cæt
verò ſunt ibi ex vi naturalis & realis concomitantiæ, ſ
licet, anima, ſanguis, & Deitas, quæ corpori Chriſti re
ter, & naturaliter conſequenter ſunt vnita, quia vt dicit
ad Romanos ſexto, *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non n*
ritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quod enim viuit, viuit De
Vnde cùm corpus non viuat niſi per animam, & anima
nimalis in ſanguine eſt, vt habetur Geneſ.nono. Nece
eſt naturali concomitantia, ſit ibi & ſanguis & anima.
cùm Deitas nunquàm corpus, quod aſſumpſit, depoſue
aut dereliquerit, neceſſe eſt vt etiam ſit ibi Deitas, non ſ
lùm abſolutè conſiderata, ratione ſuæ immenſæ maieſt
tis, ſed etiam hypoſtaticè ex reali concomitantia. Sin
liter ſub ſpeciebus vini eſt tantùm ſanguis Chriſti ex vi ſ
cramenti directè, tanquàm terminus per ſe conſecrationi
corpus verò, anima,& Deitas ſunt ibi vt dictum eſt, ex n
turali & reali concomitantia. Si quis verò in triduo mo
tis Domini confeciſſet hoc ſacramentum, prædicta rea
ter ſeparata in ipſo, ſcilicet corpus,ſanguis, & anima, ab
troque, quia ſub ſpecie panis fuiſſet corpus & diuinitas, ſe
non anima,neque ſanguis, quia erant in re per mortem ſ
parata, & ſimiliter ſub ſpecie vini: Sic igitur in hoc ſacr
mento vbicunque eſt aliqua pars ſacramenti,ſiue ſub ſpec
panis, ſiue ſub ſpecie vini, ſiue aliqua pars corporis aut ſa
guinis CHRISTI, ibi eſt totus & integer Chriſtus. vnc
beatus Hilarius loquens de hoc ſacramento, & habetur c
conſecratione, diſtinct. 2. *vbi pars eſt corporis, ibi & totum.*
Hieroymus etiam, & habetur eadem diſtin. ſinguli. *ſingu*
accipiant Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus, n
per ſingulos minuitur, ſed integ: um ſe præbet ſingulis: Magiſte
quoque ſententiarum libro 4. diſtinct. 11. ita dicit: *ſub vtra*
que ſpecie totus ſumitur Chriſtus, nec plus ſub vtraq;, nec minus ſi
altera. Eadem enim ratio eſt, vt ait Hilarius, in corpo
Chriſti, quæ in manna præceſsit, de quo dicitur Exodi 16.
Qui plus collegerat, non habuit amplius, nec qui minus parauera
habuit minus. & infrà: *nec debent dici duo ſacramenta, ſed vnum*
quia ſub vtraq; ſpecie idem ſumitur. & habetur de conſecrat. di
ſtin. 2. vbi pars. Item Auguſtinus in libro ſentētiarum Pro
ſperi, *quia ſemel immolatus eſt Chriſtus, hoc autē ſacrificium exe*
plum eſt illius, id ipſum, & ſemper id ipſum, proinde vnum eſt hoc ſa
crificium, alioquin quoniam in multis locis offertur, multi ſun
Chriſti, ſed vnus vbiq; eſt Chriſtus, & hic plenus, & illic plenus.
& habetur de conſecrat. diſtin. 2. In Chriſto: his auctotitatibus oſtenditur manifeſtè, quod in hoc ſacramento ſu
qualibet ſpecie eſt totus & integer, atque plenus Chriſtus
& ſub vtraque ſimul, immò & in qualibet particula, ſcilicet cum corpore,ſanguine,anima,& Deitate,& cum omnibus quæ ad perfectionem & integritatem ipſius pertinent
nec in hoc debet aliquis fidelium dubitare, quia hæc eſt fidei Catholicæ, & omnium ſanctorum Doctorum ſententia,&c.

Vtilitates Euchariſtiæ ineffabiles.

Et hę tam perfectè redeūt ad cōmunicantē ſub vna ꝗ ſub vtraque.

De conſecrat. diſt. 2. cap. 9. Nihil.

Alia perfectio huius ſacramenti conſiſtit in ſigno, ſiue in ſignificatione, ſecundùm quod concurrunt omnia illa & integrè, quæ requiruntur ad totalem & completam illius ſacramenti ſignificationem; & ſecundùm hoc ambæ ſpecies, ſicut & quælibet earum eſt de integritate, & perfectione ſacramenti. eo quod per ambas, & per nullam illarum ſeorſum, ſufficienter & completè exprimitur huius ſacramenti ſignificatio. quod patet primò. quia hoc ſacramentum ſignificat Chriſtum, vt nutrimentum perfectè reficiens ſe dignè manducantes, ſed cùm perfecta refectio corporalis non in ſolo pane, aut in ſolo vino conſiſtat, ſed in vtroq; ſimul, vtiq; vna ſola ſpecierum non poteſt ſignificare Chri-

[T]riplex [e]ſt perfectio huius ſacramēti. [R]ei, Signi [ef]fectus.

[P]erfectio [re]i cōſiſtit [in] ipſo [C]hriſto [in]tegro [ſu]b quali[be]t ſpecie.

ſtum,

ſtum, vt perfectè reficientem, ſed vna ſignificat eum per
modum cibi reficientis,& famem tollentis, ratione ſui cor-
poris, & alia per modum potus ſitim extinguentis, ratione
ſanguinis, vnde nulla ſeorſum, ſed ambæ ſimul hoc com-
pletè ſignificant. quare ambæ ſpecies ad integritatem ſigni-
ficationis huius ſacramenti requiruntur. Secundò, quia hoc
ſacramentum inſtitutum eſt in memoriam dominicæ paſ-
ſionis, ſecundùm illud, *hoc facite in meam commemorationem.*
& Apoſtolus 1. Corinth. 11. *quotienſcunq; manducaueritis pa-*
nem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis, do-
nec veniat. prout videlicet CHRISTVS in ſua paſſione fuit
in corpore ſuo ſubiectus multiplici afflictioni, & ſecundùm
quod eius ſanguis fuit à corpore ſeparatus. Sed hoc non
poteſt ſignificari, nec repræſentari, per alteram ſpeciem
tantùm, ſed per vtramque ſimul. igitur ad completam &
perfectam ſignificationem paſſionis Chriſti & repræſen-
tationem, vtraque ſpecies requiritur, ſcilicet, ſpecies pa-
nis, quæ poſt conſecrationem in altari frangitur, per quam
corpus Chriſti ſubiectum multiplici fractioni ſeu pœna-
litati ſignificatur. Et ſpeciès vini, per quam ſeorſum ſan-
guis CHRISTI effuſus oſtenditur. Ad huius paſſionis
igitur completam ſignificationem, requiruntur ambæ ſpe-
cies, vnde Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi,
dum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium fun-
ditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiuſq;
ſanguinis effuſio de latere ſignificatur? Tertiò, quia ſacramen-
tum hoc ſignificat aſſumptionem totalis humanitatis aſ-
ſumptæ à Chriſto, tam quo ad animam, quàm quo ad Cor-
pus, & etiam ſignificat perfectam noſtram redemptionem,
ſcilicet in anima & corpore. Vnde dicit Magiſter ſentẽtiar.
Cap. 4. in 4. diſt. 2. quòd in duabus ſpeciebus celebratur & animę &
corporis in Chriſto ſuſceptio, & vtriuſq; in nobis liberatio
ſignificatur: hæc autẽ ſignificatio non poteſt fieri per alterã
ſpeciem tãtùm: ſed per ambas ſimul, vt per ſpeciem panis ſi-
gnificetur corpus: per ſpeciem vini ſignificetur anima, cuius
ſedes eſt in ſanguine, ſecundùm modum ſcripturæ dicentis,
quòd ſedes animæ eſt in ſanguine.

Perfectio effect' Euchariſtiæ.

TERTIA verò perfectio huius ſacramenti eſt effectus
ipſius, qui eſt augmentum gratiæ, deletio peccatorum
venialium, præſeruatio à futuris peccatis, quædam re-
fectio ſpiritualis animę, & tandem in perſeuerantibus & di-
gnè ſumentibus adeptio æternæ gloriæ. Hi autem effectus
vt manifeſtum eſt, non dependent à ſpeciebus ſacramenta-
libus, nec ex ſignificatione qua repræſentantur per dictas
ſpecies paſſio Dominica, perfectum ſpirituale nutrimen-
tum, perfecta à Chriſto noſtræ humanitatis aſſumptio, &
totius hominis per paſſionem ſuam perfecta & integra re-
demptio, ſed ex perfectione & totalitate rei, ſecundùm
quod ſuperiùs dictum eſt. Vnde Albertus Magnus in tra-
ctatu de officio Miſſæ ita dicit reſpondendo ad quædam
obiecta: *ad hæc autem & ſimilia non eſt difficile reſpondere ei,*
qui apud ſe benè habet ſcientiam ſacramentalem. dici enim debet
quod ſicut in omni ſacramento, ita & in iſto eſt aliquod ſacramen-
tum tantùm, ſicut formæ ſacramentales, & aliquid res & ſacra-
mentum, ſicut corpus Chriſti verum, & aliquid res tantùm, ſicut
gratia nutriens ſpiritualiter ad incorporationem Chriſto facien-
dam. Formæ enim ſacramentales ſignant tantùm & nihil cau-
ſant. Corpus autem Chriſti verum ſignificat & cauſat: Gratia
autem nutriens ſpiritualiter ſignificatur & cauſatur, & nihil vl
terius ſignificat, ſed cauſat in myſtico corpore incorporationem, quæ
fit fidelium in Chriſtum. Et hac de cauſa iſta tria ſunt in ſacra-
mento, ita ſcilicet, quod primum eſt ſignificans, & non ſignificatum:
tertium autem ſignificatum, & non ſignificans, medium autem eſt
ſignificatum & ſignificans. Quicquid autem ex inſtitutione diui-
na ſignificat gratiam, ſacramenti nomen habet & rationem, quia
ſacramentum eſt inuiſibilis gratiæ, viſibilis forma, cuius ſpeciem ge-
rat, & cauſa exiſtat, ſicut dicit Auguſtinus. Hæc Albertus:
Cùm igitur ſub vtraque ſpecie totus & integer Chriſtus,
contineatur, & ſeorſum ſub qualibet, manifeſtum eſt
quòd ſiue ſumatur ſub ambabus ſpeciebus, ſiue ſub alte-
ra tantùm, cùm totus & integer ſumatur vtroque modo,
quod indignè ſumentibus totus & integer effectus conſe-
quitur. Iſta igitur diſtinctione præſuppoſita: Venio par-
ticulariter ad auctoritates quæ inducuntur, & primò ad

Cap. Quid in hoc ſacramento ſit ſacramentũ tãtùm, quid res tantũ, &c.

Ad S. Ambroſiũ vide Mag. Sen. lib. 4. diſt. 11. c. 4.

auctoritatem beati Ambroſij. Dicendum igitur quod ve-
rum eſt, quia in morte Chriſti liberati ſumus, & quod hoc
ſacramentum in memoriam illius diuni beneficij celebra-
tur, & quod ad tuitionem vtriuſque, animæ ſcilicet &
corporis, vtrunque ſcilicet caro & ſanguis ſumitur, ſiue
ſub duplici ſpecie, ſiue ſub vna accipiatur, verùm quantum
ad ſignificationem, hæc tuitio vtriuſque completiùs &
perfectiùs ſub duplici ſpecie, quàm ſub vna deſignatur, li-
cèt non magis ſub duplici, quàm ſub vna, quoquo modo,
in ſimplici ſumptione, ad prædictorum tuitionem opere-
tur. Quo ad ſignificationem faciendam, ſicut & paſſionis
CHRISTI, quantum ad ſpecies viſibiles, pertinet ad ſa-
cerdotes, quibus ſolis ipſe Deus dixit: *hoc facite in meam com-*
memorationem, &c. Vnde in libro ſententiarum diſtin. 2.
quarti libri, poſt prædicta verba beati Ambroſij ſubdit:
ſed ſub vtraq; ſpecie ſumitur, quod ad vtrumq; valet, quia ſub
vtraque ſpecie ſumitur totus Chriſtus. Sed ſi in altera tantum ſu-
meretur, ad alterius tantùm, id eſt, corporis aut animæ, non vtriuſq;
pariter, tuitionem valere ſignificaretur. Ecce quomodo Ma-
giſter loquitur de ſignificatione. non enim dicit, ad alte-
rius tuitionem tantùm valere, ſed alterius tantùm tuitio-
nem ſignificaretur valere. imò dicit, quòd ſub vtraque ſpe-
cie ſumitur quod ad vtrumque valet. Ad idem eſt Hugo
in quarto de ſacramentis vbi ita dicit: *Nunc videtur dicen-*
dum, quod licèt in duabus ſpeciebus ſumatur, tamen ſub vtraq; in-
teger Chriſtus ſumitur. Non enim poteſt eſſe corpus ſine ſanguine,
nec ſanguis ſine corpore eſſe poteſt. Sed ideo in duabus ſpeciebus ſu-
mitur huius vt ſignificetur ſacramenti duplex effectus. Valet enim
vt ait Ambroſius ad tuitionem corporis & animæ, & quod ſumi-
tur in pane, valet ad vtrumq;, & ſimiliter quod in vino ſumitur,
quia in pane totum & integrum ſumimus. Sed ſi in pane tantùm
ſumeremus, alterum tantùm ſignificaretur, ſecundùm quod ad tui-
tionem corporis valeret. Iterum, ſi in vino tantùm ſumeretur, li-
cèt hoc ſufficeret ad corporis & animæ tuitionem, tamen hoc ſolum
ſignificaretur quod pro ſalute animæ ſuſciperetur. hæc ille: Poſt
hæc adducit S. Thomam parte 3. quæſt. 74. art. 1. dicentem
de diſtinctione duplicis ſpeciei, & ſimiliter eadem parte,
q. 76. artic. 2. Ad quem dicendum, quod ſanctus Doctor ex
propoſito & ex intẽtione tam in tertia parte, quàm in quar-
to ſententiarum, & penè in omnibus ſcripturis ſuis, in qui-
bus tractat hanc materiam, determinat pro parte conſuetu-
dinis Romanæ Eccleſiæ, & eandem conſuetudinem multi-
pliciter laudat & approbat, ſecundùm quod in præcedenti-
bus ex dictis ſuis ſatis fuit diffusè declaratum. Sunt autem
doctores allegandi ad eum ſenſum quem ipſi intendunt in
dictis ipſorum, & non ad ſenſum repugnantem, ſicut & ſa-
cra ſcriptura. ſed videtur mihi quod Magiſter opponens, o-
miſſa doctorum clara & manifeſta intentione, nititur & la-
borat eoſdem doctores capere in ſermone, quemadmodum
& Iudæi obſeruabant Chriſtum. Veruntamen ne credat
ſe doctores Catholicos in hac materia in contradictione
deprehendiſſe, reſpondendum eſt. Et primò ad dicta
huius doctoris, qui in prædictis locis intendit aſſignare
cauſas, quare in conſecratione huius ſacramenti, vtra-
que ſpecies requiritur, cùm tamen idem contineatur vtro-
bique, & quòd vna ſpecierum nullo modo ſuperfluit, &
ad hoc oſtendendum triplicem cauſam aſsignat. Prima
eſt expreſſior ſignificatio Dominicæ paſſionis. Secunda
eſt expreſſior ſignificatio completæ refectionis ſpiritua-
lis. Tertia expreſſior ſignificatiò ſaluationis vtriuſque
hominis, quorum omnium repræſentationem facere per-
tinet ad ſacerdotes, quibus dictum eſt & præceptum, *hoc*
facite in meam commemorationem. quod autem dicit, *conue-*
niens eſt vt ſeorſum exhibeatur fidelibus tam ratione vſus, quàm
ratione effectus. Dicendum quod Doctor loquitur de in-
ſtitutione huius ſacramenti, cauſas aſſignando, quòd non
fruſtrà ſub duplici ſpecie inſtitutum ſit, & ſic id quod
dicit quòd ſeorſum exhibeatur fidelibus, refertur indif-
ferenter ad Eccleſiam, & verificantur verba ſua, tam in
ſacerdotibus, quàm in non ſacerdotibus, quibus ſic ex con-
ſuetudine miniſtrabatur, vt dictum eſt de miniſtris qua-
rundam Eccleſiarum, ſpecialiter in ordine Ciſtertien-
ſium. Id verò quod dicit, quod corpus CHRISTI ex-
hiberetur pro ſalute corporis, & ſanguis pro ſalute ani-
mæ ſub diuerſis ſpeciebus, intelligendum eſt ſignifica-

Ad Hugonem.

Ad S. Thomam.

tiuè,

tiuè, vt ſæpè dictum eſt, & ſecundùm quod dictum eſt ad auctoritatem Ambroſij. ex quibus patet, quod quantum ad rem & ſimpliciter, nulla eſt vtilitas maior capere ſub vtraque ſpecie, quàm ſub vna, imò ſtantibus conſuetudine vniuerſali, & ſtatuto Eccleſiæ in oppoſitum, quibus fideles tenentur conformari & obedire, capere ſub vtraque eſt damnabile & pernicioſum. Vlteriùs quòd ex communione ſub vtraque ſpecie augeatur gratiâ in ſumente, ſcilicet ratione adiunctæ ſecundæ ſpeciei, negatur ſimpliciter. & ad auctoritatem Auguſtini dicendum, quòd dicta auctoritas Auguſtini ponitur in gloſſa ordinaria ſuper Pſalmo 22. In quo Pſalmo Dauid enumerat decem dona Dei, quæ prædicta gloſſa vocat decem gratias, & poſt nonam gratiam ponit auctoritatem iam allegatam, quam ſic incipit: *Nota quòd calicem & ſanguinem Chriſti pſalmiſta per ſe ponit, quaſi aliam gratiam à menſa & à corpore Chriſti, cùm tamen caro ſine ſanguine &c.* In qua auctoritate gloſſa implicitè ſoluit illam quæſtionem, Cur Pſalmiſta enumerando dicta dona Dei ſeu gratias, menſam & corpus Chriſti & calicem & ſanguinem diſtinguit, velut duas gratias, & duo dona Dei. Cùm ſpecies panis & vini ſint vnum ſacramentum totale & non duo, & caro Chriſti non poſſit de lege communi eſſe aut ſumi ſine ſanguine, & è conuerſo, eo quòd totus Chriſtus eſt ſub vtraque ſpecie. Et reſpondendo reddit iſtius diſtinctionis tres cauſſas, Prima eſt diſtinctio eſſentialis corporis Chriſti & ſanguinis eius. & hanc tangit, cùm dicit: *ſed quia caro non eſt ſanguis, & ſanguis non eſt caro.* Secunda eſt diuerſitas conuerſionis, & illam innuit cum ſubiungitur: *& panis in carnem conuertitur, & vinum in ſanguinem, & non è conuerſo.* Tertia eſt diſtinctio ſpecierum panis & vini, & iſtam dat intelligere, cùm addit: *& ſub diuerſis ſpecibus vtrumque ſumitur.* Et hæc eſt totalis intentio auctoritatis illius, in qua nulla mentio fit de communione laicorum ſub vtraque ſpecie, & illud quod in fine ipſius ponitur, *& ſub diuerſis ſpeciebus vtrumque ſumitur*, refertur ad Sacerdotes ſacrificantes, ad quos pertinet ſub vtraq; ſpecie conficere & ſumere propter perfectam ſacramenti ſignificationem. Et ex hoc patet quod falsò infertur & malè, cùm dicitur, quòd ſit alia gratia ſub illis diuerſis ſpeciebus, & per conſequens ſumens ſub vna, non ſumit vtraque, quia illa diſtinctio tantùm ponitur propter rationes prædictas, quæ nullo modo inferunt aliquã diſtinctionem in re aut in effectu, vnde & cautè Auguſt. & gloſſa inquiunt, *ideo mẽſam & calicem hic diſtinguit, velut diuerſas gratias.* & ſuperiùs in principio auctoritatis dixerunt: *qui calicem, id eſt, ſanguinẽ Chriſti per ſe ponit quaſi aliã gratiam, &c.* Non enim aiunt quòd ſint diuerſæ gratiæ, ſed propter prædictas diuerſitatis cauſſas dicunt velut, id eſt, quaſi diuerſas gratias. Ex quo nullum poteſt inferri præiudicium cõmunioni ſub vna ſpecie, quaſi minùs contineat in ſe aut rei aut gratiæ. Ad illud igitur quod ex prędictis auctoritatibus videlicet Ambroſij, Thomæ & Auguſtinij concludit, videlicet ꝙ ſint diuerſæ gratiæ ſiue efficaciæ & diuerſi fructus ſub duabus ſpeciebus, negatur, vt expoſitũ eſt, quia ex dictis illorũ nihil ſequitur. Quare fideles intelligere debent, quod nihil vtilitatis, nihil virtutis, nihil gratiæ aut cuiuſcũq; ſpiritualis effectus, ſumitur per ſumentes hoc ſacramentum ſub duplici ſpecie magis, quàm per ſumẽtes ſub altera tantũ, cæteris paribus, & ex opere operato, & quod eis per conſequens nihil aufertur ſpiritualis effectus, niſi occaſio erroris, periculũ effuſionis, & irreuerentia, quæ in multitudine populi minùs diſcreti & minùs cauti poſſet accidere huic venerabili ſacramẽto in adminiſtratiõe ſub ſpecie vini. Vlteriùs ad auctoritatẽ Alberti Magni dicendũ primò, ꝙ tẽpore Alberti Magni nõ dubiũ eſt quin modus & conſuetudo vnius ſpeciei iam erat in Eccleſia introducta, nec reperitur ꝙ eam hic Doctor profundiſſimus in loco aliquo redarguerit, aut reprehẽderit, quòd vtiq; audacter feciſſet, ſi ipſam quoquomodo crediđiſſet aut putaſſet illicitã, imò prędictus Doctor putauit & credidit, nõ ſolùm Eccleſiã poſſe miniſtrare laicis hoc ſacramentũ ſub vna ſpecie, ſed etiã credidit ꝙ Eccleſia poſſet cũ ſacerdotibus diſpenſare, vt in illis partibus, in quibus nõ poteſt vinũ de facili reperiri, cõficerent ſub vna ſpecie. Vnde in tract. ſuo de Miſſa prope finẽ dicit: *Propter intolerabile dãnum animarũ quod incurrũnt habitãtes in terris, vbi non habetur vinũ, expediret vt diſpenſaretur, vt Chriſti corpus ſine calice*

[Margin: .d Auguſtinum.]

[Margin: Non plus ſumitur, quo ad effectũ, ſub vtraq; quã quàm ſub vna cæteris parib⁹.]

[Margin: Ad Alberti Magnũ.]

[Margin: ſuprà in teſtimonijs ſanctorum Patrum.]

confici poſſet. Et ſubdit rationẽ illius dicti dicens: *corpus enim*
eſt ſine ſanguine, & anima, & Deitate, quamuis non ſit ibi ſangu
conſecrationis. nõ eſt igitur dicendũ nec præſumẽdum, ꝙ t
eus doctor ſibi ipſi in allegatis auctoritatib⁹ fuerit cõtrari

AD auctoritatem igitur eius allegatam dicẽdum, qu
loquitur de ſacerdotibus celebrantibus & cõficie
bus hoc ſacramentum, quod manifeſtiſſimè patet
ſole clarius ex ipſius reſponſione, quam immediatè ad
ctum dubium motum ſubſequitur, quam reſponſion
Magiſter Ioannes, ea ex cauſſa dimiſit, quia totaliter fa
contra eum. Nam Albertus reſpondens, ita dicit: *Sed*
hoc dicimus, quòd Chriſtus poſtquàm exhibuit corpus ſuum ſub ſ
cie panis, tunc etiam poſteà exhibuit ſanguinem ſuum ſub ſpecie
ni, & vtrumq; ſacramentaliter eſſe celebrandum præcepit in
cleſia, per ſtatuta Apoſtolica, & ideo Eccleſia inſtructa actione Ch
ſti, vtrumque celebrat, diuiſim conficiendo corpus ſub ſpecie
nis, & diuiſim conficiendo ſanguinem ſub ſpecie vini. Quòd
tem ſic diuiſim hæc duo exhibuerit, & celebranda inſtituerit Ch
ſtus, patet Matthæi 26. hæc Albertus. Qui poſt prædi
cùm teſtimonijs Euangeliſtarum probaſſet, quòd CHR
STVS ſub duplici ſpecie hoc ſacramentum inſtituerit,
ita celebrandum & conficiendum in Eccleſia per ſtat
Apoſtolica præceperit, Subiungit: *ex omnibus iſtis acc*
tur, quòd Chriſtus ſub vna ſpecie panis corpus ſuum tradidit
ſub altera ſpecie vini, tradidit ſanguinem, & ſic ſeruandum
ſtatuit, & cùm Chriſti actio ſit noſtra inſtructio, pro certo
duo nobis ſeruanda eſſe præcepit, & ideo ſub vna ſpecie corpus
ſub alia tradimus ſanguinem. Hæc Albertus in loco, vbi
ctus Magiſter allegat eum, in quo vnuſquiſque vel ſci
Grammaticam poteſt intelligere hunc Doctorem, qu
non loquitur niſi de celebrantibus & conficientibus h
ſacramentum. Vlteriùs valdè notandum verbum, qu
ibi dicitur, quod CHRISTVS vtrumque ſacrament
ter celebrandum eſſe præcepit in Eccleſia, per ſtatuta A
ſtolica. Ex quo verbo patet intentio huius Doctoris, qu
etiam celebratio huius ſacramenti per ſacerdotes in Ec
ſia non eſt præcepta immediatè à Chriſto, ſed per ſtat
Apoſtolica: quæ tamen ſtatuta Apoſtolica ipſi Chri
attribuit ad declarandum, quod nihil Eccleſia ſtatu
aut poteſt ſtatuere, quòd concernat fidem, aut aliquid
ceſſarium ad ſalutem ſine Chriſto ipſam dirigente, &
dem aſſiſtente, vſq; ad conſummationem ſeculi. vnde &
ſeriùs ait aſſignans rationem de duplici ſpecie in celeb
tione: *huius autem facti Chriſti & Eccleſiæ hæc eſt cauſa,*
vbi & Chriſto & Eccleſiæ hoc factum attribuit, & ex h
fundamento dependet illa ſententia ſua, qua, vt ſuper
dictum eſt, aſſeruit, quod in partibus in quibus non
peritur vinum; Eccleſia poſſet diſpenſare, vt ſub ſpe
panis tantùm ſacerdos conficeret, quòd vtique nullo m
do poſſet fieri, ſi fuiſſet CHRISTI præceptum tant
obligans in celebratione huius ſacramenti, & ſumptio
quantum aduerſarij conantur perſuadere. Ad verb
autem, *tradimus ſanguinem*, dicendum, quod ſæpè Do
res ſubinducunt perſonam totius communitatis vel Ec
ſiæ, & loquuntur in numero plurali, & ſic & iſte Docto
quitur in perſona Eccleſiæ. Nam ſuperiùs dixerat, qu
Chriſtus vtrumque ſacramentaliter celebrandum eſſ
Eccleſia, per ſtatuta Apoſtolica præceperat, & poſt
dum ſubdit, *& ideo ſub vna ſpecie corpus, & ſub altera ſan*
nem tradimus, per modum ſcilicet ſtatuti & doctrinæ, q
diceret, nos Eccleſia tradimus & mandamus, ſiue ſta
mus & docemus ſub vna ſpecie corpus, & ſub altera
guinem debere celebrari. ſecundùm quod & Apoſtolu
noſtra materia loquitur, 1. Corinth. 2. *Ego enim accepi à*
mino, quod & tradidi vobis. Non enim Apoſtolus accep
communionem ſacramentalem à Domino per modu
quo communicans recipit Euchariſtiam à ſacerdote.
ſimiliter ipſe ita tradidit Corinthijs, niſi per modum
ctrinæ, vnde arguens paralogizat in acceptione termini
dimus. Ad aliud autem quod inducitur de eodem
ctore, videlicet de diuiſa vel diuerſa operatione corpo
ſanguine, &c. dicendum, quod idemmet doctor ſuper
litera textus Auguſtini, quòd ſacramentum compon
ex viſibili elementorum ſpecie, & Domini noſtri

Chriſti carne, ſacramento videlicet, & re ſacramenti, dicit ſic: *non intendit hic Auguſtinus determinare partes eſſentiales ſacramenti, ſed potius dicere ea quæ exiguntur ad veritatem & ſacramenti perfectionem, ſecundum quod eſt effectiuum vnitatis corporis myſtici, quod eſt Eccleſia. ſpecies autẽ viſibiles operantur illam per modum ſignificandi, vt Magiſter dicit in ſequenti diſtinctione, quia ſicut vnus panis fit ex multis granis deputatis, & vinum confluit ex multis vuis, ſic Eccleſia congregatur ex multis fidelibus, corpus autem Chriſti efficit illam per modum cauſſæ.* hæc ille. Ex quibus verbis eiuſdem Doctoris manifeſtè colligitur, quæ ſit operatio ſpecierum ſacramentalium, quia eſt ipſa ſignificatio, prout etiam ſuperiùs dictum eſt per eundem Doctorem, quod formæ ſacramentales nihil cauſant, ſed ſolùm ſignificant. Iſta igitur eiuſdem Doctoris præſuppoſita declaratione, manifeſta eſt intentio ſua, quia videlicet ſicut ad nutrimentum corporale ſumitur potus ad perfectionem nutrimenti, ita & in nutrimento ſpirituali, datus eſt potus ad perfectionem nutrimenti ſpiritualis, ſcilicet ipſe ſanguis CHRISTI, & quantum a hoc, vt ſuperiùs dicebatur poſt Hugonem de ſancto Victore, & Magiſtrum ſententiarum, totum completur & continetur ſub altera ſpecierum. verùm quia perfecta refectio, quæ cõſiſtit in cibo & potu ſpirituali, non ſignificatur per vnam ſpeciem, idcirco idem Doctor ait, quod diuiſam habet operationem ſanguis à corpore, corpus enim dedit Chriſtus in communionem ſui & membrorum, ſanguinem autem dedit in redemptionem. Iſtæ autem ſunt diuerſæ operationes, quod vtique verum eſt tam in ſe, quàm etiam in ſigno, tamen cùm vtrumque ſcilicet corpus & ſanguis contineatur ſub altera ſpecie; patet quòd ſub altera ſpecie vtrumque fit, communio ſcilicet & redemptio, non tamen vtrumque per alteram ſpeciem ſignificatur. & ideo ſunt diuiſæ operationes, & eſſentialiter inter ſe, & etiam in ſignis. & hoc eſt quod idem Doctor concludit. quod cùm Dominus ſic ordinauerit & multiplicauerit ſacramenta, quòd omnes gratias ſacramentales habeamus in ſacramentis, ſupplé, effectiuè, & ſignificatiuè, & alia gratia ſit redemptionis per ſanguinem, quàm communionis per corporis ſumptionem, non ſufficit in Sacramento habere elementum ſignificans communionem, niſi etiam haberetur elementum ſignificans redemptionem: vbi expreſſè Doctor concludit totam iſtam diuerſitatem exiſtere in diuerſitate ſignificationis, & non in re, quo ad effectum. non enim dixit, non ſufficit in ſacramento habere elementum efficiens ſeu cauſans, , ſed ſignificans communionem. Ex quibus manifeſtè patet, quod quantum pertinet ad eſſe rei, nulla vtilitas reſultat communionis duplicis ſpeciei, quia iſta pluralitas ſolùm requiritur propter completam ſignificationem faciendam completæ refectionis, ſeu aliorum, quæ per hoc Sacramentum efficiuntur in nobis per dignam ſumptionem.

Ad Innocentium. Superiùs in teſtimonijs SS. Patrum.

AD auctoritatem Innocentij dicendum, quod ipſe, vt ſuperiùs dictum eſt, tenet in ſequenti capitulo, quod ſub ſola ſpecie panis debet Euchariſtia ſeruari. Item quod in illis regionibus, in quibus alterutrum inueniri non poteſt, licitè poteſt alterutrum ſine altero conſecrari, & in fine capituli, approbat modum qui tenetur in Paraſceue de ſumptione Euchariſtiæ ſine ſpecie vini. Ex quibus patet, quòd hic Doctor non fuit opinionis, quòd vtraque ſpecies fuerit', vel ſit de neceſſitate ſalutis, ſiue de præcepto Chriſti, quia ſi ſic, nullum prædictorum potuiſſet rationabiliter concedere. Ad auctoritatem igitur quæ hic inducitur, dicendum, quod loquitur de Sacerdotibus actu conficientibus, quorum eſt conficere ſimul & ſumere ſub vtraque ſpecie, propter perfectam ſignificationem, vt in ſuperioribus ſæpè dictum eſt, quod patet ex hoc, quia nullam mentionem facit de laicis, & quia loquitur de oblatione & cõſecratione, quæ ſolis competunt Sacerdotibus, hoc etiam rubrica eiuſdem capituli oſtendit, quæ dicit, *cur Euchariſtia ſub dupl. ſpecie conſecratur.* Et idem quod de ſumptione dicit, referendum eſt ad ſacrificium, quia ad ſacrificantem pertinet, vt dictum eſt, vterque actus, ſcilicet conficiendi & ſumendi, & hoc propter ſignificationem perfectam, tam Chriſti paſsionis quàm etiam ſalutis vtriuſque hominis.

Si enim in ſacrificatione vna tantùm ſpecies conficeretur & ſumeretur, ad alterius, corporis, ſcilicet, vel animæ, ſalutem pertinere ſignificaretur, ſed idcirco vtrumque à Sacerdotibus conficitur & ſumitur, vt mors Chriſti & ſalus vtriuſque hominis ſignificetur. Quod autem vlteriùs additur, quòd nec ſanguis ſub ſpecie panis, nec corpus ſub ſpecie vini bibitur & comeditur, verum eſt quo ad ſignum extrinſecum, ſed tamen quo ad rem quæ eſt caro & ſanguis', & quo ad effectum, qui eſt exſtinctio eſuriei & ſitis, vel quo ad perfectam & completam cibationem, quæ principaliter in quolibet nutrimento attenduntur, ita plenè & perfectè ſub vna ſpecie vtrumque ſumitur, ſicut ſub vtraque, & verè comeditur corpus Chriſti, & verè ipſius ſanguis bibitur. Vnde Præpoſitiuus qui fuit Doctor antiquiſſimus, quem ſanctus Thomas, & multi antiquorum Doctorum allegãt, in quæſtionibus de Sacramentis dicit, *ſub hac ſpecie ſanguinis eſt corpus & ſanguis, & ſub ſpecie panis hac ſumis ſanguinem, vel ergo comedis vel bibis ſanguinem. Sed non eſt dicendum quod comedis, ergo bibis, & ſub hac ſpecie comedis. Solutio, ſub hac ſpecie comedo & bibo:* hæc præfatus Doctor antiquus. Idem dicunt Petrus de Tarantaſia, & Thomas de Argentina, & penè omnes, qui approbant communionem ſub vna ſpecie: nec tamen in ſacrificio vna ſpecies ſuperfluit alteri, imò ſicut vtraque requiritur ad perfectam ſignificationem prædictorum, ſic & prædicti duo actus, qui reſpiciunt, ratione ſignificationis, prædictas ſpecies, neceſſariò exiguntur. quare totum quod idem Doctor & Pontifex loquitur, ad ſacrificium referendum, in quo tam vtraque ſpecies, quàm vterque actus propter ſignificationem prædictam requiruntur. Ad auctoritatem ſancti Thomæ de diuerſis inſtrumentis, dicendum eſt, quod in hoc ſacramento, panis & vini non ſunt diuerſa inſtrumenta, ſicut nec diuerſa Sacramenta, niſi materialiter, & ita non eſt niſi vnum inſtrumentum, per quod Deus in nobis operatur perfectam nutritionem & cibationem, vnde nec ſub duplici ſpecie diuina virtus diuerſas efficacias operatur. vnde Albertus in tractatu de Miſſa dicit, *quod autem obijcitur quod duæ inſtitutiones faciunt duo ſacramenta, dicendum quod non ſequitur, niſi duæ inſtitutiones eſſent de diuerſis materijs diuerſis, & duabus formis diuerſis, & duabus gratijs in ſacramentis ſubſtantialiter effectis diuerſis, quæ hic non ſunt, quia duæ materiæ panis & vini, indicant vnum perfectum nutrimentum, quod in perfectione nutriendi altera illarum materiarum indicare non ſufficit, forma etiam ad formam refertur ad perfectionem vnius ſacramenti, vna etiam eſt gratia in vtroq; effecta, & ideo duæ eſſe non poſſunt.* hæc Albertus: Ex quibus ſole clarius patet, quod nullum bonum, nulla vtilitas ſequitur ex ſumptione duplicis ſpeciei, cùm nulla efficacia magis ſub vna quàm ſub duplici contineatur, & cùm fiat contra determinationem Eccleſiæ, non ſolùm non eſt expediens ſaluti, ſed omninò eſt damnabilis & nociua, maximè ſi pertinacia adiungatur. Vlteriùs ad auctoritates ſequentes, quæ procedunt ex effectibus appropriatis ſanguini. Et primò ad auctoritatem S. Thomæ dicendum, quod ipſemet Doctor declarat ſeipſum & verba ſua atque ſententiam. Nam dicit: *per hæc verba, hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa conuerſio vini in ſanguinem; per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſſione, quæ operatur in hoc ſacramento, quæ quidem, ſcilicet virtus ſanguinis effuſi in paſſione, ad tria ordinatur. Primò quidem & principaliter ad adipiſcendam æternam hæreditatem, ſecundò ad iuſtitiam gratiæ, quæ eſt per fidem. tertiò ad remouendum impedimenta vtriuſque prædictorum, ſcilicet peccata.* In quibus verbis expreſſè doctor oſtendit, quod prædicta tria conſecuti ſunt fideles ex effuſione ſanguinis Chriſti in paſsione, & eadem virtus paſsionis operatur in hoc ſacramento, & non dixit doctor, in ſacramento tantùm ſanguinis, ſed in ſacramento ſimpliciter. Et licèt prædicta verba, *noui & æterni teſtamenti.* & alia quæ ſequuntur, adiuncta ſint formæ conſecrationis ſanguinis propter maiorem expreſsionem & ſimilitudinem, quæ eiuſdem ſanguinis habetur in ſpecie appropriata, ſcilicet vini, tamen effectus prædicti cùm non ſequantur ſpeciem, manifeſtum eſt quod vbicunque eſt ſanguis ille qui effuſus eſt, ibi ſunt omnes effectus eius. Cùm igitur ſub ſpecie panis ſit verus ſanguis Chriſti, immò totus & integer Chriſtus', manifeſtum eſt, quod ibi erunt omnes effectus

De huius ſacramẽti forma ſup vinũ. Impreſſũ exẽplar habet, duiſis.

S. Tho 3. q. 78. ar. 3.

vir-

virtualiter & ſufficientiſſime eiuſdem ſanguinis. Et mirabilis cauſa quam adducit, eiuſdem doctoris declarat veritatem, cùm ſubdit, quod ſanguis non ſolùm habet efficaciam in Sacerdotibus qui hoc conficiunt Sacramentum, vel alijs qui ſumunt, ſed etiam in illis pro quibus offertur. Si enim ſanguis CHRISTI proficit illis offertur, licèt non ſumant ipſi, nec in re, nec in ſigno, quantò magis proficiet illis qui capiunt & ſumunt ipſum in re, licèt non in ſigno, vt Sacerdotes faciunt, ex quo ſecundùm ſe nulla virtus ſequitur aut cauſatur, vt dixit Albertus. Ex quo patet, quod populus fidelis, in ſubtractione calicis, non ſpoliatur quibuſcunque effectibus ſalutiferis, aut quomodocunque vtilibus, cùm ſanguis CHRISTI non auferatur ab eis, ſed ſolùm ſpecies & ſignum repræſentans, & hoc propter pericula effuſionis & erroris.

Ibidē ad 8.

Ad S. Cyprianum. Supra motiuo 6.

Ad auctoritatem Cypriani dicendum primò, quod ipſe in hac auctoritate nullam neceſsitatem ponit aut præceptum Chriſti, nec vlteriùs facit mentionem de communione laica ſub vtraque ſpecie, imò nec de ſpecie vini, ſed ſolùm de ſanguine, quem quilibet ſumit ita benè communicans ſub vna ſpecie, & omnem effectum eius, ſicut qui communicat ſub vtraque. Ad aliam auctoritatem ſancti Thomæ quam allegat ſermone trigeſimo, dicendum primò, quod mirum eſt quomodo magiſter proponens non aduerterit ad præcedentem ſermonem, immò ad vnam lineam præcedentem dicta, quæ aſſumit pro ſe. nam idem Doctor in ſermone 29. quærit ex intentione, *quare populus non accipit ſanguinem ſicut ſacerdos?* & aſſignat tres rationes quas ibidem diffuſè proſequitur, quarum proſecutio hic gratia breuitatis omittitur, quia dicti ſermones ſatis communes ſunt.

Suprà in teſtimonijs SS. Patrū & Doctorum.

Dicitur igitur quod omnes illi effectus quos enumerat doctor præfatus in dicto ſermone trigeſimo, ſunt effectus ipſius rei, id eſt, veri ſanguinis Chriſti, & non ſpeciei, idcirco ſanguis Chriſti ſiue ſignificetur per aquam, ſiue ſignificetur per vinum, ſiue per quemcunque alium liquorem, ſeu aliam rem ſenſibilem, & quicquid poteſt dici de effectibus eius, de vtilitatibus, de dulcedine, totum ſibi competit ratione ſui, & non ratione ſpeciei neque ſigni. Idcirco quicunque dignè ſumit, ſiue ſub ſpecie panis, ſiue ſub ſpecie ſibi appropriata ſemper conſequitur ſuos effectus.

Ad S. Chryſoſtomum.

Et idem dicendum eſt ad effectus & vtilitates, quas enumerat Chryſoſtomus, & non ſolùm Chryſoſtomus, ſed quicquid vnquàm dixerunt omnes Apoſtoli, omnes Doctores, & quicquid poteſt cogitari aut imaginari de ipſo ſacratiſsimo ſanguine Chriſti, totum ſibi competit, ſecundùm naturam ſuam, & non ſecundùm ſpeciem, à qua nihil accipit virtutis aut efficaciæ, quod vtique dicere eſſet non ſolum hæreticum, ſed omninò inſanum. Cùm igitur totus & integer ſanguis, & Chriſtus contineatur ſub vna ſpecie, vel ſub duabus, quomodocunque conſideretur, totum ſibi competit, vt pictum eſt, ratione ſui, & non ratione ſpeciei. quapropter non valet illatio, quã Magiſter proponens infert ex dictis auctoritatibus ſancti Thomæ & Chryſoſtomi dicens: *Ex quo patet quàm precioſos & nobiliſsimos effectus gratiarum facit calix ſacramentalis illis, qui cum puritate conſcientia accedunt, & quam ſaluti omnium fidelium neceſſarios & opportunos, quod quidem efficit in eis ex vi ſacramenti, & ex inſtitutione Chriſti ſpeciali.* quia nullo modo prædicti effectus veniunt ex vi Sacramenti, ſed ex vi præſentiæ & exiſtentiæ ſanguinis Chriſti veri, qui ita perfectè, completè & integrè eſt ſub vna ſpecie, ſicut ſub duabus, licèt non ſit ibi tamquàm in appropriato ſigno. Ideo vniuerſi fideles conſiderantes pura & ſancta fide, tam precioſos effectus non conſequi ſpecies & accidentia ſine ſubſtantia & ſubiecto exiſtentia, ſed verum Chriſtum, id eſt, verum ſanguinem eius; nec contineri ſub illis accidentibus ex vi Sacramenti, ſed ex vi præſentiæ & exiſtentiæ Chriſti. Idcirco per viſcera miſericordiæ Dei noſtri exhortor & obteſtor omnes Chriſti fideles, quatenùs etiam ſi oporteret perferre mille mortes, peſtes, & ignes, non permittant ſe abduci à conſuetudine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ, in communione ſacratiſſimi corporis ſub ſpecie panis, ſub qua totus, perfectus, & integer Chriſtus continetur, plenus gratia & veritate, de cuius plenitudine omnes nos accipimus gratiam pro gratia, Ioan. 1.

Ad Armachanū.

Ad auctoritatem Armachani, dico primò, quòd dictus Doctor in multis alijs ſuis dictis habitus fuit ſuſpectus, & de hæreſi notatus. fateor tamen me hoc dicere ex auditu, & ex relatione multorum, non quòd legerim errores ſuos. Deinde dico quod hæc auctoritas ſua non facit contra me, quia ſumendo ſub vna ſpecie ſacramentali, eſt ſumptio ſacramentalis corporis & ſanguinis Saluatoris noſtri, & ſic dico, quod non eſt negandum, ſed firmiter aſtruendum, quod ſic ſumere multum prodeſt fidelibus ad vitam ſpiritualem agendam. Ad illud quod inducitur de Eccleſia primitiua, concedo, quod propter deuotionem qualibet die ſumebant fideles Sacramentum Euchariſtiæ, non tamen ſub vtraque ſpecie.

Ad morē primitiuæ Eccleſiæ. Ad Anacletum.

Et hoc patet per auctoritatem quam proponens inducit Actuum 2. cap. vbi dicitur de quotidiana fractione panis, nulla facta mentione de vino, aut de calice. Similiter dicendum eſt ad auctoritatem Anacleti Papæ, qui videlicet ſtatuit, quòd fideles ſæpè communicarent, non tamen habetur, quod ſub duplici ſpecie. & dato etiam quòd ſub duplici ſpecie ſtatuiſſet, non tamen propter hoc fuiſſet ſtatutum Chriſti immediatum ſiue præceptum eius, ſed Eccleſiæ, aut Papæ, vnde & ipſemet Anacletus teſtatur, non quod CHRISTVS, ſed quod Apoſtoli ita ſtatuerunt, ita enim dicit: *ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.*

Epiſt. 1. De cōſecr. diſt. 2. c. 10 peracta.

Et dato etiam quòd ſub duplici ſpecie communicaſſent, non tamen hic feruor erat in ſanctis viris propter ſpecies vnam vel duas, ſed propter verum Chriſtum Dominum noſtrum, qui in hoc ſacramento æqualiter, & ſecundum rem & ſecundum effectum continetur, ſiue ſub vna ſiue ſub duplici ſpecie ſumatur. Quod autem ſæpè accedere dignè & deuotè, & cum diſcuſſione debita ſit vtile & valdè proficuum, imò ſummè neceſſarium cupienti & deſideranti in via Domini non regredi ſed progredi, omnes Doctores Catholici prædicant, laudant, hortantur, admonent, & obſecrant inceſſanter fidelem populum, immò contra negligentes Eccleſia Romana Catholica pœnas infligit, vt vel ſaltem ſemel in anno hoc ſacratiſſimo cibo reficiantur. Et licèt antiquitùs in frequentatione huius myſterij fidelis populus fuerit feruentior, nihilominùs & adhuc in veneratione eiuſdem ſolers & diligentiſsima cura adhibetur, tam in miniſtrando, quàm in ſacrarijs, in quibus conſeruatur, quam etiam in celeberrima feſtiuitate, quæ ſingulis annis apud vniuerſos Chriſti fideles, præter quotidianam venerationem, ſolemniter & deuotiſſimè peragitur. Regratior autem Magiſtro proponenti de auctoritate quam adducit ex Exodo quintodecimo, vbi Dominus in figura huius Sacramenti, præcepit Iudæis, dicens: *ecce ego pluam vobis panes de cœlo, egrediatur populus, & quæ ſufficiunt per ſingulos dies colligat*, quia in dicta figura nulla mentio fit de pluuia vini, cui tamen magis competeret quòd plueret, quàm pani, cùm vinum originaliter ſit aqua, cui competit pluere propriè, & non pani. Vlteriùs ad epilogum quem facit ex præcedentibus, cùm dicit: *Et patet quàm vtilis & expediens ſit saluti hominum communio diuiniſſima Euchariſtiæ ſub ſpecie vtraq; à Chriſtianis dignè celebrata. hoc autem patet ex verbis Chriſti, ſententijs Doctorum, praxi primitiuæ Eccleſiæ & libro Conciliorum, ex dicto Anacleti ſupra iam & immediatè adductis & allegatis.* Dicendum primò, quod iſte epilogus & illatio peccat in materia & in forma. In materia quidem, quia nulla prædictarum auctoritatum neque Chriſti, neque Doctorum, neque praxis primitiuæ Eccleſiæ, neque Papæ dictum Anacleti ex libro Conciliorum, neque etiam figura facit quantumcunque mentionem in verbo, vel in ſenſu, de duplici ſpecie pertinente quoquo modo ad communionem laicam, ſed ſolùm de carne & ſanguine Domini noſtri, quæ ſub vna ſpecie continentur & celebrantur, atque de conficientibus illis Sacerdotibus. patet intuenti, & examinentur omnes auctoritates inductæ, quia non reperietur aliqua quæ intendat aliquo modo tangere communionem laicam ſub vtraque ſpecie. Secundò peccat prædictus epilogus in inferendo à dicto ſimpliciter ad ſecundum quid. Nam omnes auctoritates prætactæ intendunt perſuadere vtilitatem deuotæ ſumptionis huius Sacramenti, ſimpliciter & abſolutè, non habendo reſpectum ad vnam vel ad duplicem ſpeciem, niſi pro quanto quilibet tenetur in ritu Sacramentorum ſequi conſuetudinem & ſtatuta Eccleſiæ Catholicæ: & nihilominùs proponens trahit has con-

tra conſuetudinem & ſtatutum Eccleſiæ, & ad ſenſum repugnantem, & omninò contrarium intentioni doctorum, qui ſemper & in omnibus niſi ſunt ſequi conſuetudinem & ordinationem Eccleſię, omnia dicta eorum correctioni Eccleſiæ ſubmittentes.

Tandem ſucceſſiuè dicendum eſt ad correlaria, quæ inferuntur. Et primò quo ad primum, quando dicit quòd quamuis Chriſtus totus plenus Deus & homo ſit ſub alterutra ſpecie, cum plenitudine omnium gratiarum, non tamen vno modo omnem gratiam diſpenſat, ſed per diuerſa ſacramenta, diuerſas gratias idem ipſe Chriſtus confert. Ex iſto correlario habentur tria. Primum eſt, quod ſub alterutra ſpecie eſt totus CHRISTVS, plenus, Deus & homo, cum plenitudine omnium gratiarum. Secundum eſt, quod nō vno modo omnē gratiam diſpenſat. Tertium eſt, quod per diuerſa ſacramēta diuerſas gratias idem ipſe Chriſtus confert: ex quo applicando ad propoſitum: panis & vinum ſunt diuerſa ſacramenta. Contra prædictum correlarium ex oppoſito tertij, & primò inſtabo contra ſecundum dictum prædicti correlarij. Et aſſumo ſic: panis & vinum non ſunt diuerſa ſacramenta, ſed vnum: ergo Chriſtus non confert diuerſas gratias per illa duo. Argumentum patet ab oppoſitis, quia ſicut ad diuerſitatem ſacramentorum, ſequitur diuerſitas gratiarum, vt dicit aduerſarius, ita per oppoſitum, ad vnitatem cauſæ ſiue ſacramenti, ſequitur vnitas gratiæ. Aſſumptum patet per omnes Doctores qui loquuntur de vnitate huius ſacramenti, omnes enim concorditer concludunt, vnum eſſe ſacramentum formaliter, ratione finis & perfectionis; plura ſecundùm quid & materialiter: Ad hoc nota doctores Albertum Magnum, ſanctum Thomam, & alios &c. Manifeſtum eſt autem quòd vnitas effectus ſequitur vnitatem formæ, patet etiam, quia effectus huius ſacramenti eſt vnus principalis, videlicet ipſa ſpiritualis refectio, vt ſuperiùs dixit Albertus. Si ergo non ſit niſi vnum ſacramentum, & vnus effectus, ſitque ipſe Dominus ſub alterutra ſpecie cum plenitudine gratiarum, vt prima pars correlarij dicit, ſequitur de neceſſitate, quod vno modo omnem gratiam diſpenſat, prout competit ei ſecundùm rationem huius ſacramenti, quæ eſt refectio ſpiritualis, quod eſt contra ſecundum, & per conſequens, ſiue ſumat ſub vna ſpecie, ſiue ſub altera tantundem ſumit, & eodem modo de gratia, ſiue quacunque diuerſitate aut diminutione, quantum ad rem, licèt cùm ſub altera ſumitur, non vtrumque ſignificatur, prout ſuperiùs dictum eſt ſecundùm intentionem Magiſtri ſententiarum, quod ſub prima ſpecie CHRISTVS eſt verus cibus, & vera vitis, reficiens plenè & perfectè vtrumque, animam ſcilicet & corpus, & ſimiliter ſub ſecunda ſpecie, licèt non vtrumque ſignificetur per proprium ſignum. Ad illud autem quod dicit, quod primam deguſtationem Chriſtus vocat comeſtionem ſiue manducationem, & ſecundam bibitionem, dicendum quod falſum eſt, quia Chriſtus non refert manducationem & bibitionem ad ſpecies panis & vini, ſed ad ipſas res, ſcilicet carnem & ſanguinem, cùm dicit: *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus &c.* Et, *niſi mãducaueritis &c.* quare ſiue ſub vna ſpecie ſumat, ſiue ſub duplici, verè vtrumque facit, quia verè comedit carnem, & verè bibit eius ſanguinem. quare non ſequitur quòd ſit alia & alia efficacia ſub vna & ſub alia ſpecie, quia ſub altera ſumit completam nutritionem, & completam refectionem.

Ex prædictis patet, quod falſum infert & malè, ſecundùm correlarium, videlicet quòd ſub duplici ſpecie capiēs, diſpoſitiuè duplicem gratiam accipit ſupra illum, qui in vna ſpecie accipit, cæteris tamen paribus, quia vt declaratum eſt, hoc falſum eſt, & ſatis reſponſum eſt ad auctoritatem Auguſtini. Item in tertio correlario infert, quod luce clarius patet, quod magnum ſacrilegium committunt qui ſacramentum calicis ab Eccleſia fidelium cōtemptibiliter auferunt. In quo Eccleſiæ Romanæ duo imponit, ſacrilegium ſcilicet & contemptum, & ex his tertio damnationem, quia in probatione dicit, quod à populo Chriſtiano ſub altera ſpecie gratiam & efficaciam abſtrahunt damnabiliter. Nam ſi præceptum Chriſti tradit & determinat vtramque ſpeciem, & ita manifeſtè proponens dicit, nullo modo Eccleſia poſſet à contemptu excuſari, & per conſequens à ſacrilegio, & vlteriùs à damnatione. Nec poteſt dicere quòd ignorantia excuſaret Eccleſiam à ſacrilegio, & contemptu, & per conſequen à damnatione, quia vt aliàs dictum eſt, ignorantia iuris, in his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, cuiuſmodi ſunt præcepta diuina & Chriſti, non excuſat. Quare ſi tam apertè notauerit partem noſtram, & tam durè eidem ſacrilegium, contemptum & damnationem impoſuerit, fueritque & ipſe, & ſua pars, patienter & modeſtè auditus ab hoc ſacro Concilio, & ab hoc venerabili auditorio, vtique & ipſe & ſui, verba non ad eos directa, nec etiam de eis, Deo teſte, intellecta, vel dicta, imò purè & ſincerè prolata, deberent patienter & modeſtè ſufferre: & ita rogo propter pium Ieſum. procedamus in inquiſitione veritatis iuxta regulam beati Auguſtini in primo de Trinitate hîc per me aliâs allegatam, qui de ſe ipſo ait: *non pigebit me,* inquit, *ſicuti heſito quærere; non pudebit me, ſicubi erro diſcere. Quiſquis ergo hoc audit vel legit, vbi pariter certus eſt, pergat mecum, vbi pariter heſitat, quærat mecum, vbi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me, vbi meum, reuocet me. Ita ingrediamur ſimul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum eſt: quærite faciem eius ſemper.* Verùm quia auctoritates & rationes quas adducit, præcedentes & ſubſequentes, ad corroborationem dicti correlarij, non faciunt ad propoſitum, ideo nihil concludit. Similiter quartum correlarium, in quo dicit, quod multum damnificantur fideles altera ſpecie ſubtracta, nihil concludit, quia patet, quod nihil minùs nec in re, nec in effectu capit ſumens ſub vna ſpecie, quàm ſub vtraque. Et hæc dicta ſint quo ad primam partem ſuæ poſitionis. Ad laudem omnipotentis Dei, cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Ignorantia iuris in his quę neceſſaria ſunt ad ſalutē, non excuſat.

Suprà in proteſtatione.

VLTERIVS progrediendo ad ſecundam partem propoſitionis, in qua intendit tria probare, videlicet quod communio ſub vtraque ſpecie ſit à Chriſto toti populo credentium ad communicandum inſtituta. Secundò quòd ipſa communio ſacramentalis ſit de neceſſitate & de præcepto Chriſti. Tertiò quòd illa auctoritas, *niſi manducaueritis, &c.* intelligitur de ſacramentali manducatione, & non de ſpirituali. Licèt poſſit dici pro expeditione materiæ, quòd prædictæ difficultates ſint omninò extraneæ, & nullo modo facientes ad propoſitum: & probationes introductæ, aut auctoritates conſimili modo in vanum occupant membranas, in hac materia. Quia dato quòd CHRISTVS hoc ſacramentum inſtituerit pro ſingulis generibus omnium fidelium, & quòd eius vſum mandauerit obſeruari ſub præcepto, quodque etiam dicta auctoritas Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis &c.* intelligeretur de ſacramentali manducatione, non tamen adhuc haberent intentum, imò nullo modo habent de communione vtriuſque ſpeciei, quòd ſcilicet cadat ſub præcepto. Nihilominùs ne videar ſubterfugere materias propoſitas. quamuis non ſint ad propoſitum principalis intenti, pro veritate dilucidanda, dicam aliquid de quolibet. Et quantum ad primum, dicendum, quòd Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum in vltima cœna ſub vtraque ſpecie, & ſic ſuos diſcipulos communicauit: & hoc intendunt & referunt narratiuè auctoritates inductæ Euangeliſtarum, videlicet Matthæi, Marci & Lucæ. *accipite & comedite, hoc eſt corpus meum,* &, *bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus &c.* & ex iſtis auctoritatibus nihil poteſt aliud inferri nec infertur. Ad auctoritates verò quæ ex ſexto capitulo Ioannis adducuntur, dicetur in ſequentibus loco ſuo. Vlteriùs cùm dicit quod Paulus Apoſtolus dicit eſſe inſtitutam cœnam ſacramentalem communitati fidelium, propter Dominicæ paſſionis commemorationem, 1. ad Corinth. 11. Cùm dicit: *ego enim accepi à Domino, &c.* dicendum primò quod Paulus loquitur ibidem de communione ſacramentali. deinde quod ipſe loquitur purè & ſincerè narratiuè referendo: ſcilicet, qualiter Chriſtus in cœna hoc ſacramentum confecerat. tertiò, quod ipſe Paulus nec in verbis, nec in ſententia, nec in quocunque ſigno euidenti, referendo prædictam cœnam Dominicam, innuit, quòd Chriſtus ſic agendo in cœna inſtituerit dictum ſacramentum ſub vtraque ſpecie pro Apoſtolis, aut pro fidelibus quibuſcunque, & qualitercunque in futurum. nec vlteriùs dicit Apoſto-

lus, quod Chriſtus hoc ſacramentum frequentandum aut celebrandum ſiue etiam ſumendum præceperit, aut manducauerit; nec etiã ipſe Apoſtolus in toto illo proceſſuali quid mandat vel præcipit, ſed omnia quæ ibi dicuntur, vel narratiuè referuntur, aut ex ſuppoſitione per admonitionem dicuntur: Nam totum illud ad narrationem pertinet, quidquid dicitur ab illo loco: *Ego enim accepi à Domino*, vſque ad locum, *hoc facite, quotienſcunque bibetis, in meam commemorationem.* quidquid autem vlteriùs ſequitur, ad exhortationem pertinet, videlicet, *quotienſcunque enim manducaueritis, &c.* Non enim dicit quod Chriſtus ſic facere præcepit aut mandauit, neque ego præcipio aut mando, vt ſic faciatis, aut vt ſic ſumatis, ſed, *quotienſcunque enim manducaueritis, &c.* quo modo dicendi, etiam ſecundùm ſenſum Grammaticalem, nihil infertur aut intelligitur, niſi conditionalis ſuppoſitio, quaſi diceret, quòd CHRISTVS ſic in cœna fecit, & ſi vos vultis facere, faciatis ad eum finem, ad quem ipſe dixit faciendum, ſcilicet in Dominicæ mortis commemorationem. Deinde taliter ſumite, quòd potiùs cedat vobis in ſalutem, quàm in damnationem, & antequàm aliquis accedat, probet ſeipſum, ne videlicet cum conſcientia peccati mortalis accedat, habeat etiam diſcretionem, vt cum ea reuerentia accedat, ſicut decet tantum ſacramentum, dijudicando corpus Domini ab alijs cibis corporalibus & carnalibus; & nihil aliud Paulus in to[illegible] proceſſu hoc intendit aut deducit. & notandi ſunt h[illegible] duo textus Apoſtoli: *probet autem ſeipſum homo, &, non dijudicans corpus Domini*, contra illos, qui in maximam irreuerentiam huius diuiniſſimi ſacramẽti, communicant infantes, ſtatim poſt baptiſmum, & alios amentes & vſu rationis carentes.

Deinde Magiſter proponens proſequitur intentionem ſuam, dicens; *Quod autem communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie toti credentium populo ſit neceſſaria, patet per illud Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Importat namq; hæc dictio, niſi, neceſſitatem præceptiuam, non ſolùm de comeſtione, ſed & de bibitione ſacramentali, obligatiuam omnium fidelium ſub carentia vitæ æternæ*: hæc proponens. Reſpondendo ad hanc auctoritatem quæ malè intellecta, eſt Achilles aduerſariorum, poteſt dici tripliciter. Primò, quod dicta auctoritas non intelligitur præceptiuè, nec includit in ſe aliquod præceptum vel mandatum. Secundò, dato, quòd importaret præceptum, non intelligitur de ſacramentali, ſed de ſpirituali manducatione, quarto modo accepta manducatione, in præcedentibus declarata. Tertiò, dato, licet non conceſſo, quòd dicta auctoritas ſtaret præceptiuè, & de ſacramentali ſumptione intelligeretur, adhuc non habet aduerſarius intentum de duplici ſpecie.

Suprà in 3. ſuppoſitione.

Nõ eſt neceſſarium vt vbi ponitur nota præcepti, affirmatiuè vel negatiue, ibi ſequatur obligatio ſub neceſſitate.

Primus modus dicendi declaratur, quia non eſt neceſſarium quod vbicunque in doctrina CHRISTI ponitur nota præcepti vel affirmatiuè, vel negatiuè, quod ibi vel illud obliget ex neceſsitate, ſed ſemper oportet recurrere ad intentionem dicentis, vnde legitur Matthæi nono, de duobus cæcis, quibus curatis, comminatus eſt Dominus, dicens, *videte ne quis ſciat.* illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa, vtputà gratias agentes: manifeſtum eſt autem quod Chriſtus non intendebat eos obligare ad ingratitudinem vel ad peccatum. Similiter præcepit Apoſtolis, dicens: *nihil tuleritis in via, neque baculum, neque peram, neque calceamenta, neq; duas tunicas habeatis*, quod vtique nullo modo ad literam, & præceptiuè poteſt intelligi, quia neque Chriſtus, neque ſui diſcipuli hoc fecerunt. Nam ipſe Dominus plures veſtes habuit, vt patet Ioan. 13. *ſurgit à cœna & ponit veſtimenta ſua.* Non eſt autem dicendum quòd tantùm vnam tunicam habuit, & illa depoſita nudus lauerat pedes diſcipulorum. Similiter quando crucifixus fuit, plures veſtes habebat, ſecundùm illud, *diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Item beatus Bartholomæus habuit ſandalia, Paulus baculum, Petrus caligas, & per conſequens calceamenta. vnde Angelus ad eum Actuum 7. *Surge præcingere & calcea te caligas tuas.* Similiter idem Saluator ait in alio loco: *niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, quæ ſententia ſi præceptiuè intelligeretur, & literaliter, non video quomodo Reges, Duces, Marchiones, Barones, Milites, Nobiles, Ciues, & alij diuites ſaluarentur: cùm diſcipulatus CHRISTI ſit ad vitam æternam conſequendam neceſſarius, cùm tamen legimus Mariam Magdalenam, Martham, & Lazarum, cæterasque mulieres, quæ de facultatibus earum miniſtrabant Domino, diuites fuiſſe, & diſcipulas eiuſdem. Similiter Ioſeph ab Arimathia, ſingulariter diſcipulum Domini nominatum, diuitem fuiſſe Euangelium commemorat, & Nicodemum ſimiliter, & Zachæum. Sanctum denique Gregorium, Syluestrum, Conſtantinum, Carolum Magnum, Henricum, VVenzeſlaum, cæteroſque innumeroſque ſanctos, quos opulentiſſimos conſtat extitiſſe, ſancta Eccleſia inter Chriſti diſcipulos, & regni cœlorum poſſeſſores commemorat.

Matth. 10.

Pſal. 21.
Matth. 27.

Luc. 14.

Similiter Marci decimo Chriſtus permiſſionem libelli repudij in lege veteri vocat præceptum, vbi ita loquitur ad Phariſæos de libello repudij: *quid vobis præcepit Moyſes?* & infrà: *ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis Moyſes præceptum iſtud.* manifeſtum eſt autem, omni homini, ſcienti ſacras literas, quod nunquàm fuit præceptum, accipiendo in propria ſignificatione præceptum, de libello repudij dando in lege veteri, ſolùm permiſſum fuit propter vitare homicidia, & alia maiora ſcandala. Ex quibus patet, quod prędicta auctoritas: *niſi manducaueritis*, poteſt intelligi nõ pręceptiuè, nõ obſtante nota præcepti. Verùm tamen dato, quòd dicta verba intelligantur præceptiuè, dico quod non intelliguntur de manducatione ſacramentali, ſed de manducatione ſpirituali, quod quidem multipliciter oſtenditur, & primò per expoſitionem ipſius CHRISTI, quia nulla melior eſſe poteſt, qui qualiter eſſent prædicta verba intelligenda, *niſi manducaueritis*, mox declarans, ſubiunxit, dicens: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vbi notandum, quòd ſicut Chriſtus loquens de baptiſmo, Ioan. 3. Primò præmiſit indiſtinctè & indeterminatè præceptum de ipſo inquiens, *Amen Amen dico tibi*, ſcilicet Nicodemo, *niſi quis natus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.* & cùm multiplex ſit natiuitas, carnalis ſcilicet, de qua idem Nicodemus intelligebat, vnde dixit: *Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò* introire & renaſci? & ſpiritualis; ad declarandum, de qua iſtarum natiuitatum intelligeretur, mox ſubiunxit, modum etiam ipſius oſtendens: *Amen amen dico tibi, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei*, ita eſt omnimodè in propoſito: quia cùm multiplex ſit comeſtio, ſcilicet, carnalis, de qua ad literam Iudæi intelligebant, ſacramentalis, & ſpiritualis, vt in prima parte declaratum eſt, Chriſtus loquens de manducatione ſuæ carnis, primò præmiſit præceptum indiſtinctum & indeterminatum non exprimens modum manducationis, dicens: *Amen amen dico vobis: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, poſtmodum verò quomodo hoc fieret, & quis modus eſſet manducationis ſuæ carnis declarauit, inquiens: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*: ſicut igitur præceptum baptiſmi indiſtinctum determinatur & declaratur per aquam & ſpiritum, videlicet: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*: ita præceptum indiſtinctum de manducatione ſuæ carnis determinatur & declaratur per id quod dicitur: *in me manet, & ego in illo* hæc autem non mea, ſed Auguſtini ſententia eſt, homilia vigeſima ſexta ſuper Ioannem, vbi primò declarat, quis ſit cibus iſte & potus, de quo Chriſtus hic loquitur: *Niſi manducaueritis carnem, & biberitis ſanguinem*, ita dicens: *hunc itaq; cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, & iuſtificatis, & glorificatis ſanctis, & fidelibus eius, quorum primum iam factum eſt: id eſt, prædeſtinatio: ſecundum & tertium factum eſt, & fit, & fiet, id eſt, vocatio, & iuſtificatio: quartum verò nunc in ſpe eſt, in re autem futurum eſt, id eſt glorificatio. Huius rei ſacramentum, id eſt, vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti alicubi quotidiè, alicubi certis interuallis dierum, in Dominica menſa præparatur, & de menſa Dominica ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium, res verò ipſa cuius ſacramentum eſt omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fuerit*: hæc Auguſtinus.

Verba Chriſti, niſi manducaueritis &c. intelligũtur de manducatione ſpirituali.

Tract. 26.

Ecce quàm apertè hic Doctor declarat quid intelligat Dominus per cibum & potum, de quibus Dominus loqui-

tur in prædicto textu, *niſi manducaueritis, &c.* ait enim, *hunc cibum & potum ſocietatem vult intelligi.* Vlteriùs cùm dicit: *huius rei ſacramentum, id eſt, vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti, &c.* per hoc etiam quod dicit, *quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium,* oſtendit differentiam inter manducationem ſacramentalem & ſpiritualem, quia ſacramentalis indifferens eſt ad vitam & ad mortem: ſpiritualis verò ſemper eſt ad vitam: vnde dicit: *res verò ipſa &c. omni homini ad vitam, nulli exitium*: Item idem Doctor ibidem ſupra dictam ſententiam replicans, oſtendens quid ſit cibus & potus qui eos à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit, id eſt, ſocietas ipſorum ſanctorum.

August. paulò inferiùs.

Et ſubdit declarans rem ex ſimilitudine ſacramenti: Nam ſacramentum eſt ſacræ rei ſignum, & ſimilitudinem eius gerit, dicens: *propterea quippe ſicut etiam ante nos hoc intellexerũt homines Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, corpus & ſanguinem ſuum in rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur. Namq; aliud in vnum ex multis granis conficitur, aliud in vnum ex multis acinis confluit*: hæc ille. *propterea*, inquit, quaſi diceret, ideo Dominus tradidit corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, vt ſimilitudine ſua eſſent ſacramentum corporis CHRISTI myſtici, ſcilicet ipſius ſocietatis Sanctorum, de qua hic agitur & tractatur. Vltimus idem Doctor proſequens inceptam explanationem de ſpirituali manducatione quomodo fiat, & quid ſit manducare & bibere, ſubdit ibidem ita dicens: *Deniq; iam exponit quomodo id fiat quod loquitur, & quid ſit manducare corpus eius, & ſanguinem bibere; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere, ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo Chriſtus non manet, proculdubiò nec manducat* * *eius carnem, nec bibit ſanguinem, etiam ſi tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducet, & bibat.* hæc Auguſtinus. vbi expreſsè idem Doctor declarat, quod manducare & bibere nihil aliud eſt in hoc loco, niſi in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere, quod etiam in ſequenti homilia circa principium oſtendit, dicens: *Expoſuit autẽ modum attributionis huius doni ſui, quomodo daret carnem ſuam manducare, dicens. qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo. ſignum quia manducauit & bibit, hoc eſt ſi manet & manetur, ſi inhabitat, & inhabitatur, ſi hæret & non deſeritur. hoc ergo nos docuit, & admonuit myſticis verbis, vt ſimus in eius corpore ſub ipſo capite in membris eius, edentes carnem eius, non relinquentes vnitatem eius.* hæc ille. Et in fine eiuſdem homiliæ 24. Idem epilogando dicit. *hoc totum quod Dominus de carne & ſanguine ſuo locutus eſt, & quod in eius diſtributionis gratia vitam nobis promiſit æternam, & quod hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & ſanguinis ſui, vt in ipſo maneant, & ille in ipſis.* Et infrà: *hoc ergo totum ad hoc nobis valeat dilectiſſimi, vt carnem Chriſti & ſanguinem non edamus tantùm in ſacramento, quod & multi mali, ſed vſque ad Spiritus participationem manducemus & bibamus, vt in Domini corpore tanquàm membra maneamus, aut eius Spiritu vegetemur.* hæc ille. Item idem Doctor libro vigeſimo primo de ciuitate Dei, capite vigeſimo primo, de hac eadem materia ita loquitur: *qui ergo eſt in eius corporis vnitate, id eſt, in Chriſtianorum compage membrorum, cuius corporis ſacramentum fideles communicantes de altari ſumere conſueuerunt, ipſe verè dicendus eſt manducare corpus Chriſti, & bibere ſanguinem Chriſti: ac per hoc hæretici & ſchiſmatici ab huius vnitate corporis ſeparati, poſſunt idem percipere ſacramentum, ſed non ſibi vtile, imò verò etiam noxium, quo iudicentur grauiùs, quàm vel tardiùs liberentur. Non ſunt enim in eo vinculo pacis, quod in illo exprimitur ſacramento.* & infrà poſt multa, conſequenter ſubdit: *nec iſti ergo dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti, vt etiam alia taceam, non poſſunt ſimul eſſe & membra Chriſti, & membra meretricis. Denique ipſe dicens: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, oſtendit quid ſit, non ſacramento tenus, ſed reuerà corpus Chriſti manducare, & eius ſanguinem bibere. hoc eſt enim in Chriſto manere, vt in illo maneat & Chriſtus. ſic enim hoc dixit, tanquàm diceret: qui non in me manet, & in quo non maneo, non ſe dicat, aut æſtimet manducare corpus meum, aut bibere ſanguinem meum. non itaque manent in Chriſto qui non ſunt membra eius. non ſunt autem membra Chriſti qui ſe faciunt membra meretricis, niſi malum illud pœnitendo eſſe deſtiterint, & ad hoc bonum reconciliatione redierint.* hæc Auguſtinus, vbi apertiſſimè declarat intellectum prædictarum auctoritatum, & quid ſit manducare & bibere, quia non ſacramento tenus, ſed reuerà corpus CHRISTI manducare, & ſanguinem eius bibere, eſt in Chriſto manere, ita vt in illo maneat & Chriſtus. habitat autem Chriſtus in nobis, & manet per fidem, dicente Apoſtolo ad Epheſios tertio, *habitare Chriſtum in cordibus noſtris per fidem*, manet etiam in nobis, & nos manemus in Chriſto per caritatem, dicente Ioanne 1. Ioan. 4. *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et per conſequens manducare carnem Chriſti, & bibere ſanguinem ipſius, nihil aliud eſt, quàm credere in Chriſtum, & eidem per caritatem adhærere. Quod etiam ipſe Dominus eodem capitulo apertiſſimè declarat, cùm ait: *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquàm.* manifeſtum eſt autem quod ad non eſurire & non ſitire peruenitur per manducare & bibere, & per conſequens credere in Chriſtum, & venire ad ipſum, quod fit per fidem & caritatem, idem ſunt quod manducare & bibere. vnde eodem capitulo ait idem Dominus: *Qui credit in me, habet vitam æternam.* & pòſt: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum,* manifeſtè oſtendens idem eſſe, *qui credit in me, & ſi quis manducauerit, &c.* & per conſequens, quòd idem ſit credere, & manducare. Quod autem manducare hunc panem, ſit idem quod manducare carnem eius, & ipſius ſanguinem bibere, vt omnis tolleretur ambiguitas, & ne fieret vis in verbis, ſimiliter ipſe Dominus declarat, inquiens, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, de qua carne litigantibus Iudæis, & dicentibus. *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Subiunxit, *Amen amen dico vobis, Niſi manducaueritis, &c.* Manifeſtè oſtendens idem eſſe manducare panem hunc, & manducare carnem ſuam, & ſuum ſanguinem bibere, & per conſequens vt fiat proceſſus de primo ad vltimum, idem quod credere in ipſum, & eidem per caritatem adhærere. Ex quo proceſſu patet primò, quod Chriſtus manet in nobis, & nos in Chriſto, per fidem & caritatem. Secundo patet, quod credere & amare per caritatem, idem eſt in hoc loco quod manducare & bibere, quæ duo confirmantur per beatum Auguſtinum, qui qualiter maneamus in Chriſto, & qualiter Chriſtus in nobis, oſtendit in homilia 27. Vbi ita dicit, *diximus enim fratres hoc Dominum commendaſſe in manducatione carnis ſuæ & potatione ſanguinis ſui, vt in illo maneamus, & ipſe in nobis, manemus autem in illo cùm ſumus membra eius, manet autem ipſe in nobis, cùm ſumus templum eius, vt autem ſimus membra eius, vnitas nos compaginat, vt compaginet vnitas, quid facit niſi caritas? & caritas Dei. Vnde Apoſtolum interroga, Caritas, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Ergo Spiritus eſt qui viuificat. Spiritus enim facit viua membra, nec viua membra Spiritus facit, niſi quæ in corpore quod vegetat, ipſe Spiritus inuenit. Nam Spiritus qui eſt in te, ô homo, quo conſtas vt ſis homo, Nunquid viuificat membrum, quod ſeparatum inuenitur à carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam, anima tua non viuificat, niſi membra, quæ ſunt in carne tua, vnum ſi tollas, iàm ex anima tua non viuificatur, quia vnitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur, vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparationem, nihil enim ſic debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari à corpore, ſi enim ſeparatur à corpore* CHRISTI, *non eſt membrum eius: ſi non eſt membrum eius, non vegetur ſpiritu eius. Quiſquis autem, inquit Apoſtolus, Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Spiritus ergo eſt qui viuificat, caro autem non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Quid eſt ſpiritus & vita ſunt? Spiritualiter intelligenda ſunt: Intellexiſti ſpiritualiter? Spiritus & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? Etiam ſic illa ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt.* hæc Auguſtinus. de hac eadem ſpirituali manducatione & inhabitatione CHRISTI in nobis, & noſtra in Chriſto, idem Doctor, homilia 22. Exponendo illud, *caro mea eſt pro mundi vita*, loquitur ita dicens: *Norunt fideles corpus Chriſti. ſi corpus Chriſti eſſe non negligunt: fiant corpus Chriſti ſi volunt viuere de ſpiritu Chriſti, de ſpiritu Chriſti nõ viuit niſi corpus Chriſti. Intelligi-*

Spiritualiter, habẽt impreſſa exēplaria & hoc loco, ſed manu ſcripta Raguſienſia non.

Aug. trac. 27. in Ioã.

Tract. 27.

Aug. de ciuitate Dei lib. 21. cap. 25.

Tract. 27.

Rom. 5.

Tract. 26.

te fratres mei, q̄d dixerim homo es & ſpiritū habes. & corp⁹ habes. Spiritum dico, qui anima vocatur, qua conſtat quod homo eſt. Conſtat enim ex anima & corpore, habes ſpiritum itaque, ſpiritum inuiſibilem, corpus viſibile. Dic mihi quid ex quo viuat? ſpiritus tuus viuit ex corpore tuo, an corpus tuum ex ſpiritu tuo? Reſpondit omnis qui viuit, qui autem hoc non poteſt reſpondere neſcio, ſi viuit. Quid reſpondet omnis qui viuit? Corpus vtique meum viuit de ſpiritu meo. Vis ergo & tu viuere de ſpiritu Chriſti? in corpore eſto Chriſti. Nunquid enim corpus meum viuit de ſpiritu tuo? meum viuit de ſpiritu meo, tuum viuit de tuo, non poteſt viuere corpus Chriſti, niſi de ſpiritu Chriſti. Inde eſt quod exponens nobis Apoſtolus Paulus hunc panem: Vnus panis, inquit, vnum corpus multi ſumus. O ſacramentum pietatis, O ſignum vnitatis, O vinculum charitatis, qui vult viuerē, habet vnde viuat, habet vbi viuat, accedat, credat, incorporetur vt viuificetur, non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum quod reſecari mereatur, non ſit diſtortum de quo erubeſcatur, ſit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum, hæreat corpori, viuat Deo de Deo, nunc laboret in terra, vt poſteà regnet in cœlo: Hæc Auguſtinus. Cuius verba vtinam tali virtute cordibus audientiū & legentium imprimerentur, quali feruore à dicto Doctore ſanctiſſimo edita, conſcripta & prolata ſunt. Et hæc dicta ſunt ad confirmationem primi.

Aug trac. in Ioā. 25.

QVOD autem manducare & bibere idem ſit quod credere, oſtendit idem Doctor homilia 22. exponens illud: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*, ita dicens: *dixerat enim illis: operamini eſcam non quæ perit, ſed quæ permanet in vitam æternam. Quid faciemus? inquiunt, quid obſeruando hoc præceptum implere poterimus? reſpondit Ieſus & dixit eis: hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille: hoc eſt ergo manducare cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducaſti*: Hæc Auguſtinus, vbi expreſsè declarat, quòd operari cibum, de quo hic Dominus loquitur, idem eſt quod manducare, & manducare idem quod credere. Item idem eadem homilia: *Verus ergo panis ille, qui dat vitam mundo, & ipſe cibus eſt, de quo paulo antè locutus ſum: Operamini cibum qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam*: Item ibidem oſtendit, quòd non ſolùm credere & manducare idem ſint, ſed etiam manducare & bibere idem ſunt. declarans illud: *Ego ſum panis vitæ; qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam*, vbi ita dicit: *Qui venit ad me hoc eſt quod ait, & qui credit in me, & quod dixit, non eſuriet, hoc intelligendum eſt, & non ſitiet vnquam, vtroque enim illo ſignificatur æterna ſatietas, vbi nulla eſt egeſtas*. hæc Auguſtinus. Item idem Doctor homilia 23. ad idem dicit: *Daturus ergo Dominus Spiritum ſanctum, dixit ſe panem qui de cœlo deſcendit, hortans nos vt credamus in eum. Credere enim in eum, hoc eſt manducare panem viuum; qui credit in eum, manducat, inuiſibiliter ſaginatur, quia & inuiſibiliter renaſcitur infans intus eſt, nouus intus eſt; vbi nouellatur, ibi ſatiatur*. hæc Aug. Ex quibus luce clariùs patet, quòd ſecūdùm intentionē Auguſtini in hoc loco, & in toto proceſſu huius capituli idem eſt manducare & bibere, quod credere & inuiſibiliter intus per charitatem pingueſcere & ſaginari. credere autem in Chriſtum, & eidem inhærere per charitatem, quid aliud eſt quàm viuere vita gratiæ? & per conſequens habere in ſe vitam æternam? dicitur enim de fide ad Roman. primo: *Iuſtus autem meus ex fide viuit*. & de charitate 1. Ioan. 4. *Qui non diligit, manet in morte*. Fides autem & Charitas ideò præſtant vitam, quia illi coniungunt & faciunt inhærere, apud quem eſt fons vitæ, imò qui eſt ipſa vita, qui de ſe ipſo ait: Ego ſum via veritas & vita. Ioan. 14. & de quo dicitur Deuter. 30. *Illi adhæreas, ipſe enim eſt vita tua*. Idem ergo eſt credere in Chriſtum, & ipſum diligere, & habere vitam. vnde Auguſtinus homilia 23. ſuper illo: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam*, ita dicit: *reuelare ſe voluit quid eſſet: Nam compendio dicere potuit, qui credit in me, habet me. Ipſe enim Chriſtus verus Deus eſt, & vita æterna*,[a] *qui ergo credit in me, inquit, it in me, & qui it in me, habet me*[b]. *Quid eſt autem habere me? habere vitā æternam. Vita æterna mortem aſſumpſit, vita æterna mori voluit, ſed de tuo, non de ſuo*: hæc Auguſtinus. Ex quibus omnibus tam ex intentione Chriſti, quàm etiam ex intentione Auguſtini verba Chriſti poſtillantis & exponentis patet, quid intelligatur per hunc cibum & potum, de quo ipſe Dominus loquitur, quia ipſa vnitas & ſatietas ſanctorum, deniq; quomodo fiat huiuſmodi manducatio & bibitio, & quid ſit vtrunque, ſcilicet manducare & bibere, quia hoc eſt manere in Chriſto, & Chriſtum in ſe manentem habere. Vlteriùs quomodo per fidem & charitatem Chriſtus in nobis, & nos manemus & inhabitamus in Chriſto, poſt hæc quomodo credere & charitate diligere idem eſt quod manducare & bibere, imò etiam quod manducare & bibere idem ſunt, & finaliter quomodo ad credere & manducare tanquā ad vnum & idem, ſequitur vita æterna, per quæ omnia luce clariùs oſtēditur, quòd prædictus textus, Ioan. 6. *Niſi manducaueritis, etc.* imò & totum illud capitulum intelligitur de ſpirituali manducatione, & nullo modo de ſacramentali.

Tract. 26.

Tract. 26.

Hęc verba non habet tex. in teſtus. b

ITEM Chriſtus remouens carnalem intelligentiam Iudæorum & diſcipulorum, expoſuit qualiter hæc manducatio intelligenda ſit, cùm dicit: *Spiritus & vita ſunt*: ſpiritualiter intelligenda ſunt: intellexiſti ſpiritualiter, ſpiritus & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? etiam ſic illa ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt. De illa igitur mãducatione Chriſtus loquebatur, quæ ſecundùm ſe vitam præſtat, & hæc eſt ſola manducatio ſpiritualis: Sacramētalis autem manducatio nō ſemper dat vitam, imò ſæpè mortem, vt patet per Apoſtolū dicentem: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit*. Vnde hęc differentia eſt inter ſpiritualem manducationem & ſacramētalem, vt in prima parte dictum eſt, quia ſpiritualis manducatio ſemper dat vitam, Sacramentalis verò ſæpe dat mortem, vt dictum eſt, & quod de ſpirituali mãducatione Chriſtus hîc loquitur, patet, quia vbicunq; hic de manducatione loquitur, ſemper adiungit vitam, quæ vtique ad ſacramentalem ſemper non ſequitur, imò potiùs mors, vnde & in ipſo pręcepto: *Niſi manducaueritis*, dicit, *nō habebitis vitam in vobis*. quia, *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, &, *qui manducat me, & ipſe viuet propter me*. Quæ ſi de ſacramētali intelligerentur, vtique ſemper qui ſacramentaliter ſumeret, ſemper viueret vita ſpirituali, quod falſum eſt, quia multi comedunt ad mortem. Vnde Auguſtinus homilia 23. ſuper Ioannem: *Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, et accipiendo moriuntur? Vnde dicit Apoſtolus, iudicium ſibi manducat & bibit. Non enim buccella Dominica venenum fuit Iudæ, & tamen accepit, & cùm accepit, inimicus in eum intrauit, non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit*. Ecce quàm expreſsè Auguſtinus ait, quòd ſumptio ſacramentalis eſt indifferens & ad bonos & ad malos, & ad vitam & ad mortem, ſed non ſic eſt de ſumptione & manducatione, de quā hoc in loco Dominus loquitur, quod apertè idem Auguſtinus eadem homilia loquens de hoc præcepto, *Niſi, &c.* declarat dicens: *Quomodo quidem detur, & quis nam modus ſit manducandi ipſum panem, ignoratis, veruntamen niſi manducaueritis, &c. hæc non vtique cadaueribus, ſed viuentibus loquebatur. Vnde ne iſtā vitam intelligentes de hac re litigarent, ſecutus adiunxit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. hanc ergo non habet, qui iſtum panem non mãducat, nec iſtum ſanguinem bibit. Nam temporalem vitam ſine illo habere homines poſſunt, æternam verò omninò non poſſunt. Qui ergo non manducat eius carnem, nec bibit eius ſanguinem, non habet vitam in ſe, & qui manducat eius carnem, & bibit eius ſanguinem, habet vitam æternam: Ad vtrumq; autem reſpondit quod dixit, æternam. Non ita eſt in alia eſca, quam ſuſtentandæ huius* * *temporalis vitæ cauſſa ſumimus, nam qui eam non ſumpſerit, non viuet, nec tamen qui eam ſumpſit, viuet. fieri enim poteſt, vt ſenio vel morbo, vel aliquo caſu plurimi, & qui eam ſumpſerunt, moriantur, in hoc autem cibo & potu, id eſt, corpore & ſanguine Domini non ita eſt. Nam & qui eam non ſumit, non habet vitam, & qui eam ſumit, habet vitam & hanc vtiq; æternam*. Spiritualis igitur manducatio, de qua hîc agitur, pertinet ad bonos tantùm, ſacramentalis verò indifferenter ad vtroſque. vnde Eccleſia cantat in proſa feſti corporis Chriſti: *Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vita vel interitus. Mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus, &c.* Sic enim Petrus & Iudas ſacramentaliter comederunt, ſed alter ad ſalutem, alter verò ad damnationem. quare patet manifeſtè, quòd ſi prædicta doctrina Chriſti de ſacramentali manducatione intelligeretur, quòd omnes ſacramentaliter manducantes eſſent ſaluati, & omnes ſacramentaliter non manducantes, eſſent damnati. quod patet eſſe falſum in vtriſque. quia multi ſacramentaliter manducantes damnantur, vt patet de Iuda. & multi ſa-

Aug. trac. 27. in Ioā.

Suprà in ſuppoſitione 5.

Tract. 26.

1. Cor. 11.

Hic habetur, non enim, in textu impreſſo, nōne.

* corporis

cramentaliter non comedentes, vt pueri & martyres, ſalua-
ti ſunt, & ſaluantur. Nec valet ſi dicat aduerſarius, quod in-
telligitur de manducatione ſacramentali ſimul cum ſpiri-
tuali. quia ſpiritualis manducatio & ſacramentalis ſunt man
ducationes proprijs proprietatibus condiſtinctæ. & Spiri-
tualis quidem manducationis proprietas eam neceſſariò cõ
ſequens, eſt, ſemper manducanti conferre vitam formali-
ter. Sacramentalis verò manducatio eſt indifferens ad vi-
tam, vel ad mortem, licèt enim ex ſe ſemper ſit ad vitam,
quia ipſum ſacramentum in ſe continet fontem vitę, tamen
ratione ſuſcipientis, id quod ſecundùm ſe vita eſt, fit mors malè ſumenti. *Non enim buccella Dominicà venenum fuit Iuda, & tamen accepit, & cùm accepit, inimicus in eum intrauit, non quia malum accepit, ſed quia bonum malus accepit.* hæc Auguſtinus
Tract. 26. homilià. 3.

Cùm igitur ex proprijs effectibus deueniatur ad cognitionem propriarum cauſarum, vtiq; ſi ex verbis Chriſti volumus ſine errore venire in notitiam, de qua manducatione in hoc loco Chriſtus intelligat, neceſſe eſt vt conferamus effectus harum manducationum, ad ipſas manducationes, tãquam ad proprias cauſas. quia ergo in iſto toto proceſſu huius capituli manducationi Chriſtus tribuit vitam, quæ eſt proprius effectus huius ſpiritualis manducationis, vtique ex proprio effectu, ex neceſſitate concluditur, quòd Chriſtus loquitur hic de ſpirituali manducatione. Et ſicut ex ſenſibili nunquam poſſemus venire in cognitionem hominis, inquantum homo, niſi per aliquod additum ad ſenſibile, licèt etiam ipſum ſenſibile conueniat homini, ita quantumcunq; vita ſequatur ad manducationẽ ſacramentalem, ex quo non eſt ſibi neceſſariò nec tanquam proprium, annexa. Ex ipſa vita, non poteſt argui aut inferri manducatio ſacramẽtalis. Oportet igitur quòd ſicut ex ſenſibili infertur animalis, ſic ex vita in loco præſenti, inferatur manducatio ſpiritualis: præcipuè cùm Chriſtus in nulla parte præſentis cap. nec per ſe, nec per accidens, faciat quoquomodo mentionẽ de ſacramẽtali mãducatione. Satis enim mirabile eſſet, ꝙ Chriſtus diuina ſapientia, Dei virtus, & immenſa bonitas, voluiſſet ſua pręcepta & ſalutem humanam tali inuolucro verborum obumbrare, & tam periculosè inſtantibus temporibus vniuerſalem Eccleſiam errare, & tam longo tempore, cuius initiũ aut origo, nec in memorijs hominum, nec in annalibus ſcribentium, reperitur. vnde pręter prædicta, manifeſtiſſimum ſignum, quod non de ſacramẽtali manducatione loquatur, eſt, quia in prædicto præcepto, ſi tamen præceptiuè teneatur, nullam facit mentionem de ſpeciebus, panis, ſcilicet, aut vini. immò quod plus eſt, quotieſcunque loquitur. Ioan. 6. de corpore aut ſanguine ſuo, nullam vnquam facit mentionem de ſpeciebus, ad oſtendendum, non de ſpecifica ſeu ſacramentali ſumptione intelligenda fore verba ipſius, ſed ſpirituali, vt dictum eſt. Item ſi illa verba, *Niſi manducaueritis,* intelliguntur præceptiuè de ſacramentali ſumptione, pari ratione & illa: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo,* quia non videtur ratio, quod Chriſtus in tam modico ſpatio mutaſſet modum & ſententiam dicendi, vt nunc de ſacramentali, & immediatè pòſt, de ſpirituali ſumptiõe loqueretur ſine aliqua nota diuerſitatis. Sed quod ſecunda auctoritas non intelligatur de ſacramentali, patet, quia ſenſus eſſet, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet,* id eſt, in ſacramento panis & vini manet, *& ego,* id eſt, ſacramentum panis & vini, *in illo,* quod nullus ſanæ mentis diceret. Item quod ſpiritualiter intelligenda ſint verba Chriſti & doctrina de manducatione & bibitione, oſtendit Apoſtolus 1. ad Corin. 10. *Nolo vos,* inquit, *ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem mãducauerunt, & omnes eundem potum biberunt. Biberunt autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* ſuper
Tract. 26. quo ait gloſſa, & colligitur ex dictis Auguſtini homilia 23. *Omnes eandem eſcam manducauerunt ſpiritualem, quam & nos, corporalem verò alterã, id eſt, manna, ꝙ ſignificat Chriſtum, & idem credentibus eſſet. quare? quia viſibilem cibum ſpiritualiter intellexerunt, ſpiritualiter eſurierũt, ſpiritualiter guſtauerunt, vt ſpiritualiter ſatiarentur. Nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt ſacramentum, aliud eſt virtus ſacramenti. Sacramenta illa fuerunt, ſacramenta ſunt & noſtra, & vtiq; euiſdem rei. Manna enim Chriſtum ſignificauit, hunc panem ſignificat altare Dei. Chriſtus enim panis eſt qui de cælo deſcendit. Si quis manducat ex hoc pane, non morietur in æternum, ſed quod pertinet ad virtutem ſacramenti, non ad viſibile ſacramentũ. qui manducat intus, non foris, qui mãducat corde, non qui premit dente. ideò Apoſtolus vigilanter non ſimpliciter ait, manducauerunt eandem eſcam, ſed addit ſpiritualem, quia ſpiritualem eandem manducauerunt, quam & nos; corporalem verò alteram, quia illi manna, nos aliud: & vigilanter ait, patres noſtri, & nõ illorum, per hos tantùm bonos ſignificans, quibus nos ſimiles ſumus. Nam illi fuerunt, qui eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, quam & nos, & tamen & aliud illi, & aliud nos, ſed ſpecie viſibili aliud, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpirituali.* hæc ibi. Ex quibus verbis patet tam Apoſtoli, quàm gloſſæ, quòd eandem eſcam ſpiritualem patres noſtri manducauerunt, & nos manducamus, & eundem potum ſpiritualem biberunt, & nos bibimus. quod nequaquam intelligi poteſt de ſacramentali, quia vt dicit gloſſa, aliud ipſi, aliud nos. Quæ eſt igitur illa eſca ſpiritualis? & quis potus? nonne caro Chriſti & ſanguis? vtique: ipſe enim mediator Dei & hominum, Chriſtus Ieſus, qui eſt caput ſuper omnem Eccleſiam, ad Epheſios 1. qui erat cibus & ſatietas ſecũdùm diuinitatem, angelorum, ſecundùm humanitatẽ factus eſt cibus & eſca viatorum, non ſolùm eorum qui poſt aduentum ſuum in carne in ipſum crediderunt, ſed etiam præteritorum. [illegible] quomodo manducauerunt? fide vtique, & dilectione. tunc enim manducauerunt carnem, quando crediderunt implicitè vel explicitè, filium Dei carnem humanam de noſtræ mortalitatis ſubſtantia aſſumpturum, & ſimiliter biberunt eius ſanguinem, quando modo ſimili ſe crediderunt & ſperauerunt liberari, per ſupplicium ſuæ amariſſimæ paſſionis. Ea propter ſummo deſiderio clamabant ſancti patres veteris teſtamenti, per oracula prophetarum: *Vtinam diſrumperes* Eſai. 64.
cælos & deſcenderes. & rurſus: *Emitte Domine agnum dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Verba iſta ſunt Iſaiæ 16. cap. Hoc itaque modo manducare carnem ſuam, & & bibere ſanguinem ſuum, turbis Iudæorum & diſcipulis ſuis Dominus præcepit, vt videlicet in eum crederent, ſicut ipſe ait: *Qui credit in me, habet vitam æternam: Ego ſum panis vitæ, & hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis manducauerit ex ipſo, non moriatur.* & hoc eſt in Chriſto manere, & ipſum in ſe habentem habere; hoc eſt quod longo ſermone auribus diſcipulorum inculcare volebat, non ſpecies panis aut vini, dicens: *Manete in dilectione mea.* Sicut Ioannes teſtatur, maxima charitate, feruentiſſimove deſiderio perfuſus, precibus ſuis, dilectiſſimum patrem pro hac ſpirituali manducatione, vt eam ſui diſcipuli haberent, rogabat, dicens: *Non pro mũ* Ioan. 17.
do rogo, ſed pro his qui credituri ſunt in nomine meo. Rogo pater, vt ſint vnum nobiſcum, ſicut ego & tu vnum ſumus. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. Quid plura? Innumerabilia ſunt loca Auguſtini, in quibus dictam auctoritatem Ioã. 6. *Niſi manducaueritis, &c.* de ſpirituali manducatione exponit & declarat, & ne omnia præteream, homilia 11. ſuper Io-
annem, declarans in facto Nicodemi illud quod dicit Euan- Tract. 11.
geliſta, videlicet quòd multi crediderant in nomine eius, & ipſe Ieſus non ſe credebat eis, ſimpliciter & de plano hoc ſextum capitulum Ioannis inducens, declarat & exponit de
ſpirituali manducatione: Item idem lib. 3. de doctrina Chri- Cap. 28.
ſtiana, qui locus non eſt paruipendendus, quia in eo tradit modos & regulas ad intelligẽdum ſacras ſcripturas, & ad accipiẽdum verum ſenſum literalem ſacrarum ſcripturarum, vbi inducens ſæpè dictam auctoritatem: *Niſi manducaueritis,* ita dicit: *Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem & beneficentiam vetare, figurata eſt. Niſi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere, figura ergo eſt, præcipiens paſſioni Dominicæ eſſe communicandum, & ſuauiter atque vtiliter eſſe recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit.* hæc Auguſtinus.

Ad idem eſt gloſſa ordinaria ſuper eodem textu, *Niſi manducaueritis.* quæ ita dicit: *Sed quæritur, quomodo in vitam æternam? cùm quidam ad mortem, vt dicit Apoſtolus.* & reſpondet, *Si quis comedit in Altari cum hac comeſtione, de qua hic agitur, ſcilicet cum fide operante ex dilectione, hic comedit in vitam æternam. Si quis verò aliter, in mortem.* hæc gloſſa. Ecce quàm apertè de-

monſtrat

monſtrat, de qua comeſtione hic agatur, quia de illa, quæ cum fide & dilectione operatur. Ad idem eſt Innocentius in libro de officio Miſſæ, parte quarta, capitulo 10. ſuper illo verbo, *accipite & comedite.* vbi ita dicit: *Accipite & comedite, ac ſi diceret, comedite & comedite, vtramque huius ſacramenti comeſtionem inſinuās. Dupliciter enim corpus Chriſti comeditur, quia dupliciter intelligitur, verum ſcilicet quod de virgine traxit, & in cruce pependit; & myſticum quod eſt Eccleſia Chriſti ſpiritu vegetata. De vero corpore Dominus ait: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: de myſtico dicit Apoſtolus: vnus panis & vnum corpus multi ſumus: verum corpus Chriſti comeditur ſacramentaliter, id eſt ſub ſpecie; myſticum autem comeditur ſpiritualiter, id eſt, in fide: de comeſtiōe ſacramētali Dominus ait: Accipite & cōedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem; hoc modo tam boni quàm mali corpus Chriſti manducāt, ſed boni comedunt ad ſalutem, mali verò comedunt ad iudicium. niſi enim & mali corpus Chriſti manducarent, non dixiſſet Apoſtolus: qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Nam & Iudas cum alijs Eucharistiam traditur accepiſſe: De ſpirituali verò comeſtione Dominus ait: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. hoc modo comedunt corpus Chriſti ſoli boni, vnde, qui manducat carnem meam, & bibit, &c. vt quid paras dentem aut ventrem? crede & manducaſti. qui manducat, id eſt, credit in Chriſtum, comedit ipſum, quando incorporatur Chriſto per fidem, id eſt, membrum eius efficitur, vel in vnitate corporis eius firmius ſolidatur.* Hæc Innocentius: Longum eſſet ſingulos Doctores inducere, qui hanc auctoritatem, & totum præſens capitulum de ſpirituali manducatione principaliter & ex directo expoſuerunt. ſed hæc tantùm ſufficiant pro præſenti.

His itaque luce clariùs preſuppoſitis, accedo ad reſpondendum obiectis, quę videntur facere contra hanc intentionem & declarationem Chriſti & ſanctorum. Et primò ad auctoritatem Nicolai de Lyra, & fortè aliorum, qui videntur prædictam auctoritatem, *Niſi manducaueritis, &c.* exponere de ſacramentali manducatione: vbi primò reducenda eſt ad memoriam quædam ſuppoſitio generalis, quam præpoſui in principio præſentis actus, videlicet quòd inter Doctores exponentes ſacram ſcripturam, facienda eſt comparatio in ingenij acuitate, in ſtudij aſſiduitate, in humilitate iudicij, in immunitate vitij & paſſionis, in ſanctitate vitæ, in diuinis inſpirationibus, & alijs huiuſmodi, quę præſtant auctoritatem doctoribus: & ille Doctor ſequendus eſt circa expoſitionem vnius paſſus Scripturæ, in quo reperiuntur plures conditiones de prædictis. Et dicebatur vlteriùs, quòd doctores antiqui qui in prædictis conditionibus exceſſiſſe reperiuntur, præferendi ſunt modernis doctoribus, præcipuè quatuor doctores, quos tanquam quatuor columnas ſuſtentantes Eccleſiam Catholicam in veritate fidei & doctrinæ Catholica eccleſia recipit, & veneratur, videlicet Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, inter quos Auguſtinus præcellit ingenio, & excellentiſſimus habetur, præferenda eſt igitur auctoritas ſua in expoſitione Catholicæ veritatis omnibus doctoribus modernis, quantæcunque auctoritatis vel ingenij fuerunt, & ita inquantum Nicolaus de Lyra, vel quicunque doctorum modernorum eidem Auguſt. in aliquo paſſu contradicere viderentur, omninò ſunt poſtponendi, maximè quando expoſitio Auguſtini propinquior eſt ſenſui, quem auctor ſcripturarum intendit. Vel dicendum, & meliùs, quòd principalis intellectus literalis illius auctoritatis cùm ſit figuratiua, vt patuit ſuperiùs per Auguſtinum in tertio de doctr. Chriſt. eſt ſpiritualis communio, eo modo quo expoſitum eſt, ſed ad ſacramentalem ſæpè per quandam adaptationem à doctoribus adduci conſueuit. Solent enim doctores, ſicut & Eccleſia, multas auctoritates adaptare ratione ſimilitudinis vel alterius correſpondentiæ, vel ſecundùm literam, vel ſecundū ſenſum ad intentionem ipſorum. Nam Euangelium, quod Eccleſia in feſto aſſumptionis decantat, quantùm ad literam & ſenſum eius, non eſt de B. virgine, ſed ei adaptatur. ſic & doctores loquentes de hoc ineffabili ſacramento, ſæpè ad cōfirmationem dictorum adducunt auctoritates habentes vel ſonantes ſimilitudinem vel ſecundùm literā, vel ſecundùm ſenſum ad intentioné ipſorum. ſicut cùm Doctores loquuntur de veritate huius ſacramenti, probant verū corpus Chriſti in eo contineri, per illa verba Chriſti, cùm dixit: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.* & verum ſanguinem ipſius per illa verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei qui pro vobis effundetur,* quæ verba non poſſunt intelligi figuratiuè, ſicut illa: *Ego ſum vitis vera.* & *petra autem erat Chriſtus.* vel aliq quocunq; modo, vt quidam hæreticorum intellexerunt, ſed verè & realiter, & ſecundùm literam, ſicut verè & realiter corpus ſuum pro nobis tradidit, & verum ſuum ſanguinem pro nobis fudit, & nihilominùs ad id probandum inducunt alios, eiuſmodi ſunt in dicto capitulo Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* & iterum: *panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* quæ quidem auctoritates habent omnimodam ſimilitudinem quantum ad literam cum primis, ſed non quantum ad ſenſum literæ primum & immediatū, quia primæ verè & realiter intelligendæ ſunt, ſecundæ autem ſpiritualiter, & ſecundùm eundem ſenſum, ſecundùm quem expoſita eſt illa: *Niſi manducaueritis, &c.* Similiter in Clemētinis de reliquijs & veneratione ſanctorum. Si Dominum in ſanctis: per adaptationem adducitur illa auctoritas: *Ecce ego vobiſcum ſum, &c.* Ad declarandam veritatem & realem præſentiam Chriſti in hoc ſacramento: cùm tamen de primo ſuo intellectu non intelligatur, niſi de aſſiſtentia ſua per gratiam, ſic enim ibidem dicitur: *In hac verò ſacramētali Chriſti cōmemoratione Ieſus Chriſtus pſens ſub alia quidē forma, in propria verò ſubſtantia eſt nobiſcum, aſcenſurus enim in cœlum, dixit Apoſtolis & eorum ſequacibus: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi, benigna ipſos promiſſione confortās, quod remaneret & eſſet cum eis etiā præſentia corporali.* nec poteſt dici in hoc loco, quod vterque ſenſus tam ſpiritualis quàm ſacramentalis ſint ex æquo ſenſus literales, & quod obligent ad vtrumque, quia illic duplices ſenſus literales reperiuntur ſolùm in his ſcripturis, in quibus aliquid competit figuræ, & aliquid ſecundùm excellentiorem modum figurato, prout ipſe Nicolaus de Lyra declarat, in illis verbis ca. 17. Paralip. *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Dicēdum igitur ad Nicolaum de Lyra, vel quod auctoritas ſua cedat auctoritati Auguſtini, vel quod ipſe exponit prædictū textum, per quandam applicationem ad ſacramentalē manducationem, nec dicit quod Chriſtus præcipiat, ſed dicit, quod hìc conſequenter oſtenditur huius ſacramēti neceſſitas. dictum eſt autem quod neceſſarium accipitur multipliciter, & & inter alias acceptationes accipitur pro vtili: & ſic & ego concedo, quod ſumptio huius ſacramenti eſt valdè & multùm vtilis, & valdè neceſſaria. Eodem modo intelligitur dictum Auguſtini quo dicit, panem quotidianum huic tempori neceſſarium, id eſt, vtilem, quod ex ipſius dictis apparet, cùm dicit: *Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum eſt eos accipere.* non ergo benè infert ex prædictis, cùm dicit: *ex quo patet quod Eucharistia eſt panis huic tempori* neceſſarius, & ſic ex neceſſitate & præcepto expetendus & accipiendus, quia non ſequitur, iſte panis eſt neceſſarius, id eſt, vtilis & valde vtilis, ergo eſt ex præcepto. & vlteriùs non ſequitur: Hoc ſacramentum eſt ex præcepto Chriſti, ergo ſub vtraque ſpecie. Et quia penè in ſingulis auctoritatibus, quas adducit, pro neceſſitate huius ſacramenti, dictum modum arguendi tenet & inferendi, in quo paralogizatur, mutans quod in quale, & ſubſtantiam in modum: idcircò venio ad tertium modum dicendi pro expeditione faciliori, videlicet, dato, quòd dicta auctoritas Ioannis intelligeretur de ſumptione ſacramentali, & quod hoc ſacramentum ſit de præcepto Chriſti, quò ad ſingulos fideles, adhuc tamen aduerſarij non habent intentum de vtraque ſpecie. Nam de neceſſitate & præcepto huius ſacramenti inter doctores nulla videtur varietas, etenim quidam videntur dicere quod hoc ſacramentum neque quò ad celebrationem ſeu confectionem ipſius per manus ſacerdotum in ſacrificio, eſt de præcepto Chriſti immediatè, & multò minus quò ad ſumptionē vulgarium, dicentes, quòd verbum Imperatiui modi in ſacra ſcriptura multipliciter accipitur, & non ſemper præceptiuè. Sumitur enim quandoq; præceptoriè, quandoq; exhortatoriè, quandoque Optatiuè, ſiue deprecatoriè, quandoq; inuitatoriè, quādoq; iuxta vulgarem modum ironicè, & fortaſſe pluribus alijs modis quos diligens ſcrutator ſcripturarum poſſet reperire. Sed quantum ad præſens ſpectat

Superiùs ſuppoſitione 13.

ædam ſcriptura- loca, ob ſimilitudi quibuſ ſpeciali adaptā

Tit. 16. ca. vnico.

Matth. 28.

1. Paral. 17.

Supra.

Imperatiua verba aliquādo intelliguntur.

Digitized by Google

...cepto. ...ſeæ 1.

de prætactis modis exempla in medium adducantur: & pro primo facit illud Oſeæ Prophetæ, cui Dominus præcipiens dixit per verbum Imperatiui modi: *Vade ſume tibi vxorē fornicariam, & fac tibi filios fornicarios, quia terra fornicans fornicabitur à Domino.* & rurſus Sapient. 1. *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram.* Pro ſecundo modo, ſcilicet exhortatiuè, facit illud Apoſtoli: *Surge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* & Matthæi 6. *Nolite ſoliciti eſſe quid manducabitis, & quid bibetis, &c.* cui etiam ſimile eſt quod dixit Matth. 5. *Nolite iurare omninò, neque per cœlum, neque per terram, &c.* prout tradit Auguſtinus in libello de ſermone Domini in monte, & in ſermone quem de periurio ſcripſit, vbi dicit, quòd non prohibuit Dominus licitam iurationem. De tertio modo, videlicet optatiuo, ſiue deprecatorio, pleni ſunt libri Prophetales, qui expectantes aduentum Chriſti, verbis Imperatiuis loquebantur, quorum vnus dicebat: *Veni ad nos liberandum Domine Deus virtutum, & oſtende nobis faciem tuam, & ſalui erimus.* & Eſaias 16. capitulo: *Emitte*, inquit, *Domine agnum dominatorē terræ de petra deſerti, &c.* Et in alio loco: *Veni Domine, & noli tardare.* Pro quarto modo, videlicet inuitatorio, habetur Matthæi 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me.* & multa huiuſmodi ſimilia poſſent induci, ad oſtendendum, non ſemper modum Imperatiuum præceptiuè poni. Et de ironico modo, modus communis ſæpè habet, quemadmodùm ſi magiſter dicit diſcipulo pigritanti: dormi puer dormi, volens ipſum à deſidia & graui torpore ad vigilantiam excitare. Dicunt igitur, conſideratis his acceptionibus Imperatiui modi, quidam, quod, accipite, & hoc facite, licèt ſint verba Imperatiui modi, non tamen præceptum important, & ita ſimiliter ponuntur ibi, vt dicunt, exhortatoriè, & inuitatoriè, quaſi dicat, hoc facite in meam commemorationē, quia vobis proderit ad magnum augmentum gratiæ, vnde potiùs per modum conſilij, quàm præcepti dictum eſt. Sicut & illud: *Vade & vende omnia quæ habes*, & ita etiam ſe expediunt de gloſſa interlineali, qua dicitur, & alijs miniſtrate, qui modus dicendi ſatis diceretur conueniens, qui vellet inſequi textum Ioannis: *Niſi manducaueritis*, ſecundùm ſpiritualem manducationem tantùm. Hanc ſententiam videtur ſecutus fuiſſe Albertus Magnus, qui, vt alias allegatus hîc per me & lectus, dicit, quòd Chriſtus vtrumque ſacramentaliter celebrandum præcepit in Eccleſia, per ſtatuta Apoſtolica, attribuens præceptum Eccleſiæ Chriſto tanquam principali agenti & imperanti propter indefectibilem ſui aſſiſtentiam qua ipſi Eccleſiæ aſſiſtit, & aſſiſtet vſque ad conſummationem ſeculi. Nam Eccleſia nihil poteſt facere ſine Chriſto, ipſo dicente: *Sine me nihil poteſtis facere.* Alij verò dixerunt, & dicunt, quòd hoc ſacramentum, quò ad celebrationem in Eccleſia per ſacerdotes & miniſtros in præſentia populi, eſt de præcepto Chriſti immediato, & fundant hoc præceptum in illis verbis imperatiuè prolatis: *Hæc facite in meam commemorationem*, ſed quò ad ſumptionem non ſacrificantium, aut non celebrantium, non eſt de præcepto Chriſti, ſed ſolùm de præcepto Eccleſię. ad hoc ſunt in terminis proprijs Alexander de Hales, & Bonauentura, quorum dicta ſequuntur in hunc modum. Nam Alexander de Hales quarta parte ſummæ ſuæ quærens de neceſſitate actus manducandi, quærit, vtrùm neceſſe ſit manducare corpus Chriſti, & arguit auctoritatoribus, 1. Ioan. 6. *Niſi manducaueritis, &c.* & 1. Corint. 11. Item ex ſtatuto Eccleſiæ: Omnis vtriuſque ſexus. Item quia baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Et ſimili modo videtur, quod hoc ſacramentum ſit neceſſitatis propter eundem modum loquendi, *Niſi manducaueritis, &c.* In contrarium arguit, quia illud ſacramētum, & ſolum illud, eſt neceſſitatis, quo non ſuſcepto, non viuit quis vita gratię, ſicut patet de baptiſmo ante ſuſceptionem eiuſdem, ergo ſi hoc ſacramentum eſt neceſſitatis, vtique ante ipſius ſuſceptionem nullus viueret vita gratiæ, quod manifeſtè falſum eſt, quia tunc nullus ſaluaretur, ſi moreretur ante eius ſuſceptionem. Reſpondet iſte doctor, quòd hoc ſacramentum non eſt de neceſſitate ſalutis, quantum eſt de ſua inſtitutione, ſed ſi eſt, hoc eſt ex aſſumpto officio, vel de mandato ſuperaddito. verbi gratia, Eccleſia conſtituit, vt fideles communicent ſemel in anno, & in morte, vnde ſi quis negligit, non eſt ſine contemptu, & peccat

...hortatoriè. ...pheſ. 5. ...ib. 1. Optatiuè. Pſalm. 79. Inuitatoriè. Ironicè.

Suprà in reſpōſione ad 1. partē poſitionis M. Ioānis, ad auctoritatē Alberti Magni. Ioan. 15.

Alex. ab Hales q. 4. q. 11. art. 4.

mortaliter, & hæc conſtitutio Eccleſiæ eſt ſub præcepto, vt patet ex decretali prædicta: ſcilicet, Omnis vtriuſque ſexus. poſt prędicta reſpondet prędictus Doctor ad argumentum, & primò ad illud Ioan. 6. *Niſi manducaueritis, &c.* dicit, quod intelligitur de manducatione ſpirituali & per fidem, ſine qua nullus adultus ſaluabitur, nec etiam paruulus: aut de manducatione ſacramentali, ratione inſtitutionis Eccleſiæ: & ſic intelligitur etiam quod adducitur de ſimilitudine Baptiſmi. Ad aliud de inſtitutione Eccleſiæ, dicit, quòd communio, eo modo quo inſtitutum eſt ab Eccleſia, debet obſeruari, nec poteſt negligi ſine offenſa mortali, ſuppetente facultate. hæc iſte Doctor in ſumma. Item dominus Bonauentura in quarto diſtinct. 12. mouens quæſtionem, vtrùm neceſſe ſit ad hoc ſacramentum accedere, & arguit eiſdem auctoritatibus quibus ſuprà Ioan. 6. In contrarium verò arguit per Auguſtinum, *Quid paras dentem & ventrem? crede & manducaſti.* ſufficit ergo ad manducandum credere, nec tenemur, ſumere ſacramentum. Item effectus huius ſacramenti eſt deletio venialium peccatorum, & augmentum virtutum, ſed neutrum eſt de neceſſitate ſalutis, ergo, &c. Item ſi neceſſe eſſet accedere, paruuli qui non accedunt, nec manducant, omnes damnarentur. Reſpondendo dicit iſte Doctor, quòd hoc ſacramentum non eſt de neceſſitate ſalutis, quantùm eſt de ſua inſtitutione, ſed ſi eſt, hoc eſt, ex aſſumpto officio, vel mandato ſuperaddito. Ex aſſumpto officio, quod neceſſarium eſt exequi, vt cùm ſacerdos viuit de altari, vt Parochianus debet ſeruire altari. Si autem non viuat de altari, ſed in libertate ſua remaneat, non tenetur magis quàm alius homo ex debito: ſed magis de bono & ex æquo. Ex mandato ſuperaddito, quod Eccleſia inſtituit vt fideles communicent ſemel in anno, & in morte. vnde ſi quis negligat non eſt ſine contemptu, & peccat mortaliter: Ratio autem quare Eccleſia inſtituit, eſt, quia hoc ſacramentum eſt ſalubre, & multi erant negligentes de ſua ſalute. Inſtitutio autem Eccleſię ſub præcepto fuit: Omnis vtriuſque ſexus fidelis, cùm ad annos diſcretionis peruenerit, vt ad minus in Paſcha recipiat Euchariſtiæ ſacramentum, niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam duxerit abſtinendum, alioquin viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura: Conſtat autem quòd hæc eſt pœna excommunicatorum. Ex his patet reſponſio ad obiecta. Nam verbum Domini Ioan. 6. intelligitur de manducatione ſpirituali, quæ eſt per fidem & caritatem, ſine qua nemo adultus ſaluatur. hæc iſte Doctor in forma. De hac etiam opinione fuiſſe videtur S. Thomas, dum legeret ſententias, vt patet in quarto ſententiarum, diſt. 9. q. 1. art. 5. vbi ſic quærit: *Vlterius videtur quod manducatio corporis Chriſti ſit de neceſſitate ſalutis, &c.* & in fine poſitis argumentis pro & cōtra, ſic determinat dicens, quod gratia eſt ſufficiens cauſa gloriæ, vnde omne illud ſine quo poteſt haberi gratia, non eſt de neceſſitate ſalutis: hoc autem ſacramentum præſupponit gratiam, quia præſupponit Baptiſmum, in quo gratia datur, neque debet peccato præueniri, quod gratiam priuet, & ideò quantum eſt de ſe, non eſt de neceſſitate ſalutis, ſed de ordinatione Eccleſiæ homines obligantur ſecundùm Eccleſiæ ſtatutum, corpus Chriſti ſemel in anno ſumere. hæc Doctor præfatus, quò ad eandem ſententiam, in multis alijs replicat. Alij verò videntur ſentire, quod tam celebratio huius ſacramēti, per modum ſacrificij, quę fit per ſacerdotes, quàm etiam ipſius vſus, quò ad ſingulos fideles, eſt de præcepto Chriſti. & hanc opinionem ſequentes, adhuc videntur variari, quia alij dicunt hoc eſſe de pręcepto Chriſti expreſſo & explicito, quantum ad ſubſtantiam, & ea quæ ſunt eſſentialia ſacramento. Alij verò ex præcepto implicito. primum modum videtur ſequi Nicolaus de Lyra: ſecundum modum S. Thomas in tertia parte ſummæ, vbi allegat eum dominus proponens: etenim dicit, quòd ſpiritualis manducatio includit votum ſeu deſiderium percipiendi hoc ſacramentum, & ſic ſecundùm ipſum in prædicto loco ſpiritualis manducatio expreſsè cadit & explicitè ſub præcepto Chriſti. quod patet, quia dictus Doctor vbiq; illam auctoritatē: *Niſi manducaueritis*, principaliter declarat & exponit pro ſpirituali manducatione, & in ipſa ſpecialiter includit votum percipiendi hoc ſacramentum, & ita ſecundùm eundem, intelligenda eſt auctoritas, quam inducit

De pœn. & remiſſ.

Vt patet in decreto de pœn. & remiſ. lib. 6.

S. Tho. p. 3 q. 80. ar. 11.

ibidem

ibidem Matth. *hoc facite in meam commemorationem*, quia ſicut in illa, *niſi manducaueritis*, ſecundùm ipſum, includitur implicitè ſacramentalis ſumptio, ſic & in iſta. cùm enim per prędicta verba communiter ſecundùm omnes doctores, *hoc facite in meam commemorationem*, Apoſtolos in Sacerdotes ordinauerit, ſi illa verba expreſsè & explicitè quò ad ſubſtantiam & quò ad modum, obligatiuè, ad omnes indifferenter fideles extenderentur, manifeſtè ſequeretur, quòd omnibus fuiſſet collata poteſtas conficiendi hoc ſacramentum, viris & mulierib⁹, paruis & magnis, & ſic quilibet eſſet hic & hæc ſacerdos, quod nullo modo eſt dicendum, neque etiam cogitandum. Oportet ergo ſecundùm intentionem dicti Doctoris, quod præceptum de ſumptione ſacramentali in prædictis verbis includatur implicitè & in medulla: cùm autem in prædicto præcepto, *hoc facite in meam commemorationem*, duo includantur, videlicet ſubſtantia ſacramenti, quę ſignificatur per hoc pronomen demonſtratiuum, *hoc*, & cõmemoratio Dominicæ paſſionis, oportet quòd alterum, videlicet, id quod eſt ſubſtantiæ, pertineat ad omnes, id autem quod ſe habet ex conſequenti, & quaſi finis quidam atque modus, tantummodò ad Sacerdotes pertineat: ipſa videlicet ſub diuerſis ſignis & ſpeciebus Dominicæ paſſionis repræſentatio: & quòd hæc fuerit dicti Doctoris intentio, patet ex articulo immediatè ſequenti, in quo ex intentione quærit, vtrùm liceat ſumere corpus Chriſti ſine ſanguine, & determinat ſic vt aliàs hic lectum eſt & declaratum. Non eſt autem pium credere, nec eſt veriſimile quòd talis ac tantus & tam ſanctiſſimus vir & Doctor, in tam modico ſpatio, ſibi ipſi contradiceret, ibi ponendo neceſſitatem ſacramenti, & hic verò neceſſitatem alterius ſpeciei. In præcedẽ[ti] igitur articulo declarat eodem ſub præcepto ſubſtantiam & rem huius ſacramenti quò ad omnes. In iſto autem articulo declarat & ſubſtantiam & modum eodem ſub præcepto ſolùm Sacerdotibus, non autem vniuerſis Chriſti fidelibus. In hac igitur tali ac tanta varietate Doctorum, nihilominùs ſua dicta Eccleſiæ iudicio ſubmittentium, ipſa ſancta mater Eccleſia ab initio ſemper in rebus dubijs cepit & tenuit partem ſecuriorem, & tutiorem. Nam quò ad celebrationem & conſecrationem huius ſacramenti Eccleſia inſtituit & præcepit, quòd hoc ſacramentum frequentaretur in Eccleſijs Chriſti fidelium, ſiue Chriſtus præcepit ſiue nõ præcepit. Similiter quò ad vſum fidelium huius ſacramenti, Eccleſia eligit partem tutiorem, præcipiens vniuerſis Chriſti fidelibus capacibus & diſpoſitis variè, ſecundùm varietatem temporum, conditionum, perſonarum, ſumptionem eiuſdem ſacramenti. Quia verò in modo miniſtrandi hoc ſacramentum non conficientibus, nulla vnquam fuit varietas opinionum, an ſub vna vel ſub duplici ſpecie poſſit miniſtrari, quia vt aliàs dixi, ante nouitatem cuiuſdam Iacobelli, in regno Bohemiæ, non reperitur doctor, ab inſtitutione huius ſacramenti, fidelis & Catholicus, qui in forma vel in ſententia moto dubio determinauerit, quod ſic vel ſic, ſcilicet, ſub duplici, vel ſub vna ſpecie Chriſtus pręceperit hoc ſacramentum miniſtrari fidelibus, & quòd eccleſia non poſſit ſic vel ſic in adminiſtratione eius facere & ſtatuere: ideò & ipſa Eccleſia propter multas cauſas ſuperiùs allegatas, ſtatuit ſub vna ſpecie miniſtrari. Redeundo igitur ad propoſitum noſtrum, nihil prędictis difficultatibus temerè diffiniendo, dico quòd ſi etiam miniſtratio quò ad non conficientes dicti ſacramenti caderet ſub præcepto, non tñ vſus eius ſub duplici, aut ſub vna ſpecie, cadit ſub præcepto Chriſti.

S. Tho. p. 3 q. 80. art. 12. Suprà, in teſtimonijs SS. patrum & Doctorũ.

PROSEQVOR igitur ordinem auctoritatum ſuarũ reſpondẽdo ad ſingulas, & oſtendendo ad oculum & cum digito, quòd per nullam earum concludit intentum. Adducit igitur Ambroſium in gloſſa ordinaria ſuper verbo: *Cætera cùm venero diſponam, &c.* Ex quibus infert tam Apoſtoli, quàm gloſſæ verbis, quod Apoſtolus præcipit de ſacramento, dicens: *tenete quod dixi*, Scilicet accipite & manducate, & calicem bibite, tenete inquit, & non intermittite nec mutate. Hæc eſt illatio domini proponentis, quæ quantum aliena & aduerſa ſit tam à mente Apoſtoli, quàm à gloſſa, nullus habens intellectum poteſt decipi, dicit enim Apoſtolus. *Cætera cùm venero diſponam*, gloſſa autem dicit, *tenete quod dixi*, cętera autem de eodem, id eſt, quæ ad eiuſdem ſacramenti or-

[Gloſſ.] verba, [Cæ]tera. cù[m ven]ero, di[ſpo]nam.

dinem pertinent, cùm venero diſponam. In quibus v[erbis]
nullo modo dantur intelligi ea quæ infert dominus pr[opo-]
nens, qui omnimodò diſtrahit textum gloſſæ Ambroſi[j con-]
tra intellectum Apoſtoli. Nam Apoſtolus in prædicto
non inſtruit Corinthios neq; docet, qualiter debeant c[om-]
municare, ſed qualiter pacificè, modeſtè, cum diſcreti[one,]
cum probatione conſcientiæ debeant accedere ad ſum[ptio-]
nẽ huius ſacramenti. vnde refert Ambr. *tenete quod dix[i]*
eſt, accipite, manducate, & calicẽ bibite, & non intermit[tite]
nec mutate: ſed potiùs tenete quod dixi quantũ ad deuo[tio-]
nẽ, puritatem conſcientiæ, pacẽ & concordiam & pietat[em.]
Similiter dicendum ad id quod dicit: *his carere non poteſti[s, vi-]*
delicet virtutibus prædictĩs, ad dignè ſumendum hoc ſa[cra-]
mentum: vnde, *his carere non poteſtis*, non refertur ad com[mu-]
nionem ſub vtraq; ſpecie, ſed ad virtutes de quibus dict[um]
eſt. Et licèt ſimilitudo quã inducit de vita corporali, quę [vi-]
delicet ſine cibo & potu non poſſit cõtinuari, valeret tr[an-]
ferendo ad vitam ſpiritualẽ, reſpectu huius ſacramenti, [non]
tñ ſequeretur, quòd vtraq; ſpecies exigatur, quia vita ani[mæ]
non conſiſtit in ſpeciebus, ſed in ipſa vera carne Chriſti [&]
vero ſanguine eius. vnde cùm ſumẽdo ſub vna ſpecie qu[i-]
fidelis ſumat carnem & ſanguinem, manifeſtum eſt quo[d ſu-]
mit perfectũ alimentum & nutrimentum, quo viuit ani[ma,]
qa verè comedit carnẽ Chriſti, & verè bibit ſanguinẽ e[ius,]
de quibus ipſe Dñs dicit: *Caro mea verę eſt cibus, &c.* ſed tan[tùm]
ſimpliciter falſum eſt, quòd ſine ſumptione quotidiana [vel]
frequenti, anima nõ poſſet ſtare, vegetari, augmentari & [con-]
tinuari in vita perfecta & ſpirituali, vt patet in multis ſ[an-]
ctis Patribus; & ſpecialiter in ſancto Paulo primo Erem[ita,]
qui per 40. annos manſit in Eremo abſq; huius Sacrame[nti]
ſumptione. Similiter de S. Maria AEgyptiaca, quæ ferè [per]
totidem annos ſine communione permanſit. Et ſic ad Ni[co-]
laum de Lyra dico, quòd ipſe loquitur perſuaſiuè, & cõm[u-]
niter inducens populum ad frequentem ſumptionem hu[ius]
ſacramenti, quod vtique valde vtile eſt, non autem inten[dit]
ibi neceſſitatem præceptiuam inducere ad quotidianã ſu[m-]
ptionem vel frequentem, & multò minus frequentem ſu[m-]
ptionem ſub vtraque ſpecie. Ad auctoritatem Paſchaſij [di-]
cendum, quòd ipſe loquitur de carne & ſanguine, quæ d[ant &]
præſtant vitam animæ, non autem ſpeciebus panis & vi[ni,]
quæ ſecundùm ſe nihil cauſſant in anima, immò nec guſ[tant]
eas, cùm corporaliter ſumuntur, & corporaliter in ſtom[a-]
chum trahuntur, vnde dicit, *quod iuſtum & perneceſſarium [eſt,]*
&c. quod autem dicit, quòd ideò benè ſimul in calice * re[d-]
duntur, quia de vno calice paſſionis Chriſti hæc duo nob[is]
manârunt, intelligendum eſt quòd caro Chriſti & ſang[uis]
in calice redduntur, id eſt, traduntur, quia etiam in calice [to-]
tus & integer Chriſtus continetur, ſicut & ſub ſpecie pan[is,]
& qui hoc non credit, inſelix eſt. quia ſi cibo & potu ma[-]
teriali vita humana ſuſtentetur, multò magis carne & ſa[n-]
guine Domini noſtri Ieſu Chriſti vita ſpiritualis. potiùs a[u-]
tem in hoc loco hic Doctor calicem nominauit, quàm p[a-]
nem, quia comparat effectum huius ſacramenti ad paſſio[nem]
Chriſti, tanquam ad cauſam, quæ paſſio magis in ſpecie &
ſimilitudine vini exprimitur, & etiam quia paſſio in ſc[ri-]
pturis calix appellatur: ſecundùm illud: *poteſtis calicem bibe[re]*
[q]uem ego bibiturus ſum? & idem Dominus in Oratione de m[or-]
te dixit: *pater transfer à me calicem iſtum*, vnde dicit: *quia de [v-]*
no calice paſſionis Chriſti, &c. quare cùm in dicta auctorita[te]
Paſchaſij, nulla mẽtio fiat de pane & vino, ſed ſolùm de c[i-]
bo & potu, quæ duo carni & ſanguini Chriſti attribuit, v[t-]
que non benè refert proponens dicti doctoris intentionẽ[m]
ad ſacramentum panis & vini.

AD auctoritates S. Thomæ & Doctoris ſubtilis, Sco[ti,]
ſcilicet dicendũ, quòd nulla earum probat aliquid [de]
duplici ſpecie: ſed ſolùm volunt, quòd ſumptio ſacr[a-]
menti huius ſit de præcepto Chriſti, & non aliud intendu[nt]
dicti doctores, eo modo quo ſuperiùs declaratũ eſt. Ad illu[d]
autẽ quod infert ex dicto Scoti, quòd ſumptio ſeu commu[-]
nio ſacramenti eſt maioris neceſſitatis quàm conſecratio t[an-]
quam finis melior & nobilior ipſa conſecratione, & dicit [quòd]
hoc eſt contra oẽs aduerſarios huius veritatis, dicentes co[n-]
ſecrationẽ eſſe de præcepto, non communionem, ſed ſalu[a]
gratia ſua, aduerſarij communionis ſub vtraque ſpecie no[n]

dicun[t]

dicunt hoc, imò dicunt oppoſitum, quia dicunt, quòd ſimul conſecratio & ſumptio, quæ fit per Sacerdotem in Altari, perficiunt ſimul vnum ſacrificium, quod prodeſt nō ſolùm ipſi conſecranti, ſed toti Eccleſiæ militanti, & etiam dormientium in purgatorio, & in hoc tali ſacrificio vtique conſecratio ordinatur ad ſumptionem, in qua & ipſum ſacrificium perficitur. Sed benè dicunt aliqui, quòd cōmunio non ſacrificantium non eſt neceſſitatis, neque præcepti, niſi Eccleſiæ. Ad ſecundum quod infert ex dictis Scoti, quòd omnibus loquitur Chriſtus, vt ipſe dicit, & omnes obligat ad manducandum & bibendum ſacramentaliter, dicendum, quòd ſalua gratia inferentis, ex dictis Scoti non poteſt elici quòd illa auctoritas Chriſti obliget ad manducandum & bibendum ſacramentum hoc ſub diuerſis ſpeciebus ſacramentaliter, cùm expreſsè teneat Scotus oppoſitum, vt aliàs extinctum digito & ad oculum ex libris ſuis declaratum.

Suprà in teſtimonijs SS. patrum & doctorum, ad finem.

POST prædictas auctoritates inducit auctoritates Conciliorum & canonum, quæ ſimiliter probant neceſſitatem præcepti ad ſumendam carnem Chriſti & ſanguinem in ſacramento: nec tamen probant præceptum Chriſti, ſed tantùm Eccleſiæ quæ habet auctoritatem ligandi, & ſoluendi, ſtatuendi, & præcipiendi, & cuius præceptum obligat ad pœnam æternam, quemadmodùm & pręcepta diuina. vnde ſicut contemptores legum diuinarum, ſic contemptores legum Eccleſiaſticarum, & hoc in futuro, ſi ſine pœnitentia deceſſerint, veniunt puniendi. vnde lex Eccleſiaſtica ita neceſſitatem imponit ſubditis eiuſdem, ſicut & lex diuina, quia ipſa lege diuina præcipiendi & ſtatuendi auctoritas Eccleſiæ data eſt, ſecundùm id: *Qui vos audit, me audit*: &, *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi vt ethnicus & publicanus*, & ſecundùm illud: *Super cathedram Moyſi, &c. quæcunque dixerint vobis, facite, &c.* tamen quicquid ſit, nulla prædictarum auctoritatum deſeruit ſibi, quocunq; modo intelligantur, aliquid ad propoſitum duplicis ſpeciei. Vlteriùs Magiſter proponens inducit auctoritates ad probandum, quòd ille textus Ioan. 6. *Niſi manducaueritis*, intelligatur de manducatione ſacramentali & bibitione, & non de ſola ſpirituali. Et primò per gloſſam duplicem ordinariam, dicendum, quod dato, quòd illa auctoritas intelligatur de ſacramentali manducatione, non tamen ex dicto textu habetur neceſſitas duplicis ſpeciei, nec ex ipſis gloſſis. imò ex dictis gloſſæ, habetur manifeſtè ſufficientia vnius ſpeciei & comeſtionis. Nam in nulla fit mentio de bibitione vini, ſed de ſola comeſtione, & vlterius vtraque gloſſa exponit de comeſtione altaris, & per conſequens gloſſa trahit hunc textum ad Sacerdotes, qui ſoli conficiunt, & comedunt in altari, & ſic intelligendo hunc textum ſiue ſpiritualiter, vt Auguſt. & alij doctores antiqui, ſiue de ſacramentali comeſtione altaris, benè dicunt: ergo, per locum à contrario ſenſu, omnes aduerſarij, dicendo illā literam non eſſe exponendam de ſpirituali vel ſacramentali mānducatione altaris, ſed eam debere trahi ad communionem laicam vtriuſque ſpeciei, decipiuntur, & malè dicunt. Deinde adducit auctoritatem Remigij multam & ſatis longam ſuper eodem verbo: *Niſi manducaueritis, &c.* in qua tota auctoritate, & in omnibus per proponentem ex ea elicitis, nō reperio nec video aliquid, in quo poſſit vel valeat ſuum fundare intentum, quò ad præceptum communionis ſub vtraque ſpecie. Deinde quò ad auctoritatem communionis, plus facit contra eum dicta auctoritas, quàm contra tenentes oppoſitum. Nam cùm dicit: *Ad hanc ſpiritualem alimoniam, ad hoc myſticum epulum & diuinum nos Dominus inuitat, &c.* manifeſtè declarat ſe loqui de ſpirituali manducatione, quod manifeſtiùs declaratur, cùm conſequenter dicit in §. Nam verò: *ſubſequenter exponit quomodo id fiat, & quid ſit manducare carnem eius, & ſanguinem bibere. Qui manducat, inquit, meam carnem, & ſanguinem meum bibit, in me manet, & ego in illo, hoc profectò eſt hanc eſcam manducare, & hunc potum bibere, manere in Chriſto, & Chriſtum in ſe habere manſionem, &c.* Vbi hic doctor ſanctus Remigius conformiter ad Auguſt. exponit quidditatiuè & eſſentialiter quid ſit manducare carnem eius, & ſanguinem bibere, & reſpondet, *qui manducat*, inquit, *meam carnem, &c.* vbi expreſsè declarat, quòd manducare & bibere in hoc loco ſumitur pro manere in Chriſto, & è cōuerſo Chriſtum in ſe manentem habere. Ad eundem ſenſum, totum reſiduum illius auctoritatis tendit, ſcilicet de ſpirituali manducatione. Nec obſtat de exemplis quæ inducit de comeſtione ſacramentali, vt expoſitum eſt in dictis Auguſtini: loquens enim Auguſtinus & Remigius abbreuiator eiuſdem, de vero ſenſu, quem CHRISTVS intendit de his verbis, ſcilicet de ſpirituali manducatione, adducunt ſermones de ſacramentali manducatione, ſicut cùm adducitur figura ad figuratum, & ſacramentum ad id quod ſignificat & figurat. ſicut ſi loqueremur de paſſione Chriſti, adduceremus figuras veteris teſtamenti, quæ Chriſti paſſionem præfigurabāt; vtiq; non omnia quæ dicerentur de ipſa paſſione Chriſti in ſe, & quæ dicerentur de figuris illis, ad idem referrentur, quia ſemper aliud eſt figura, aliud figuratum. Similiter ſi loquemur de corpore Chriſti vero, in hoc ſacramento, & adduceremus materiam ſacramenti, vt puta panis & vini, vtique non quicquid diceretur de vero corpore Chriſti, hoc intelligeretur de ſpeciebus, nec è conuerſo: ita eſt propriè in propoſito. Cùm enim hoc ſacramentum altaris, quātùm ad ſpecies ſuas, & quantum ad primam rem contentam, quę eſt vera caro Chriſti, & verus ſanguis eius, ſit ſacramentum corporis Chriſti myſtici, vt patet omnibus materiam huius ſacramenti intelligentibus, ſi ſacerdotes loquentes de corpore Chriſti myſtico & ſpirituali, & carne eius myſtica, adducant materiam huius ſacramēti, ſiue quò ad ſpecies, ſiue quò ad ipſam primam rem eiuſdem, ſicut ſigni ad ſignatum, & ſacramenti ad id cuius eſt ſacramentum, non eſt dicendum quod idem ſit, & quòd ad idem referantur omnia, quæ dicuntur, tanquam idem eſſet ſignum & ſignatum, res & ſacramentū. Et hæc eſt profectò, ſaluo iudicio meliori, vera intentio Auguſtini, & Remigij, & multorum aliorū doctorum, dictum capitulum Ioannis exponentium, qui exponentes de ſpirituali corpore Chriſti myſtico, & de manducatione, adducūt materiam ſacramenti altaris, tanquam ſigni ad ſignatum, & ſacramentum ad id quod ſignificat & figurat. Vlteriùs dato quòd Remigius loqueretur in illa parte, ad hanc ſpiritalem alimoniam, de ſacramento altaris; adhuc ex ipſis verbis ſuis declaratur, quòd non neceſſitatem ſumendæ huius alimoniæ nobis indicit. per hoc enim cum dicit, *tanquàm*, cùm ſit aduerbium ſimilitudinis, vtiq; ſimilitudinariam, nō perfectam neceſſitatem expreſſit, per quod dat intelligi, quādam magnam & vehemētem vtilitatem, non præcepti innuit neceſſitatem. Vlterius patet per aliud, per illud ſcilicet, quod ſequitur, quòd dictus ſanctus Remigius non acceperit in verbis prædictis ſtrictè neceſſitatem. Nam infra dicit, quòd ipſe Dominus myſterium ſui corporis & ſanguinis quotidie à fidelibus per Sacerdotum miniſterium fieri mandauit rationabili ſacramento, quòd vtique propriè accipiendo mandatum & præceptum nullo modo ſtare poteſt in veritate, quia omninò Catholicę veritati, ſanctorumque patrum traditionibus, & ſententijs eſſet contrarium & aduerſum, qui nullo modo dicunt obligari vniuerſam fidelium congregationem ad huius venerabilis ſacramenti quotidianam ſumptionem. Vnde Auguſtinus, & habetur de conſecrat. diſtin. 2. *Quotidie Euchariſtiam ſumere nec laudo, nec vitupero, &c.* Dicendum igitur, quòd Remigius in dicta auctoritate, verbū mandati largè accepit, non pro pręcepto propriè, ſed exhortatiuè, quia qui taliter poſsit diſponere vitam ſuam, vt omninò caueret à peccatis mortalibus, & ex ſumptione quotidiana huius ſacramenti ſentiret ſe in deuotione ac feruore proficere, valde neceſſarium eſſet & vtile ſic animæ diſpoſitæ, frequenter & quotidie ad hoc ſacramentum accedere. Sicut igitur hoc verbum, *mandauit*, propriè non poteſt determinare illud, quod dicitur, *quotidie*, ſic minus determinat illam neceſſitatem. Ex omnibus tamen prędictis hoc indubiè habetur, & manifeſtè, quòd dicta auctoritas Remigij in nullo deſeruit ſibi ad communionem laicam ſub vtraq; ſpecie. Ad auctoritates Auguſtini quas conſequenter inducit, quæ videntur eidemmet Doctori contrariari, qui, vt dictum eſt, ſole clarius & luce meridiana in multis locis declarauit, Euangelium Ioannis debere intelligi de ſpirituali manducatione, non eſſet difficile reſpondere, eundem doctorem ad concordiam reuocando ex libris eiuſdem, ex quibus dictę auctoritates aſſumūtur: Nihilominùs quia tēpore coarctor, dico, quod nulla prædictarū auctoritatum, dato quod oēs intelligerentur de ſacramentali ſumptione, probat propoſitum

Luc. 10. Matth. 18. Matth. 23.

Ad gloſsā ordinariā.

Ad Remigium.

Cap. 13. De eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 53.

Ad S. Auguſtinum.

de

de duplici ſpecie, in communione laicali. Et ſunt auctoritates Auguſtini, prima [a] in libro de meritis & remiſſione peccatorum. Secunda [b] contra Creſconium Grammaticum. Tertia in lectionibus Dominicæ primæ in aduentu Domini. Quarta [c] libro primo de baptiſmo paruulorum, vt ipſe allegat eam, quæ incipit *Auferatur ergo dubitatio, &c.* quæ tamen ponitur in libro de meritis & remiſſione peccatorum, niſi velit vnum & eundem librum prædicto duplici titulo inſignire. Quinta Pſalmo 98. ſuper illo verbo: *adorate ſcabellum pedis eius.* veruntamen vt detur occaſio volenti dictas auctoritates Auguſtini intelligere, in quo ſenſu ab eo prolatæ ſunt, ſubiúgo auctoritatem ſuam, quæ habetur tranſſumptiuè de conſec. diſt. 4. c. *nulli dubitandum & ambigendum eſt.* vbi ita dicit: *nulli an bigendum eſt, cum corporis & ſanguinis Domini vnumquemq́; fidelium participem fieri, quando membrũ Chriſti in baptiſmo efficitur, nec alienari ab illius panis calicisq́; cõſortio, etiam ſi antequam panem illum edat & calicem bibat, de hoc ſeculo, in vnitate corporis conſtitutus, abſcedat, quia illius ſacramenti beneficio non priuatur, quando in ipſo hoc quod illud ſacramentum ſignificat, inuenitur. In illo enim ſacramento corpus & ſanguinem ſuũ in nobis commendauit, quod & fecit nos ipſos, nam & nos corpus Chriſti facti ſumus.* hæc Auguſtinus. Et iterum idem ad Bonifacium ita ſcribit, & habetur eadem diſt. 4. c. in Eccleſia, vbi ita dicit: *non cogitetis vitam habere non poſſe paruulos qui fuerint expertes corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, dicente Domino: Niſi manducaueritis carnem &c. Manifeſtum eſt enim tunc vnumquemq́; corporis & ſanguinis Domini participem fieri, quando in baptiſmo membrum Chriſti efficitur.* Hæc Auguſtinus. Ex his auctoritatibus & vltima reſolutione quam facit idem Doctor doctorum ſuorum libro tertio de meritis & remiſſione peccatorum, ſiue de baptiſmo paruulorum, ſtudioſus lector & pius dictum excellẽtiſſimum doctorem non contrarium nec ſibi ipſi diſſonum, ſed maximè vniformem & concordem in ſuis dictis & ſentẽtijs clarè percipiet & intelliget. Similiter dicendũm eſt ad auctoritates Origenis & Chryſoſtomi, quia ex ipſis nihil cõcluditur ad auctoritatẽ communionis ſub vtraq; ſpecie, cum nullam mẽtionem faciant de ſpecie vini, ſed ſolum de carne & ſanguine, quæ ita integrè plenè & perfectè ſumuntur à fidelibus ſub vna ſpecie, ſicut ſi ſumeretur ſub duplici. Similiter dicendũ eſt ad auctoritatem Innocentij, quia nihil facit ad propoſitum de præcepto aut neceſſitate communionis ſub vtraque ſpecie. Eodem modo ad dominum Armachanum dicendũ eſt, quod nihil confert ſua auctoritas ad communionem vtriuſque ſpeciei: imo quantum poteſt concipi ex verbis eiuſdem dicti text. Ioan. 6. *Niſi manducaueritis &c.* non intelligitur de manducatione ſacramentali quantum ad intentionẽ ſuam, dicit enim: *ſi quis verò dictum Saluatoris, omninò velit accipere de manducatione & bibitione ſacramentali, tunc intelligendum eſt de modificatione &c.* vbi expreſsè & manifeſtè declarat ſe loqui non ex ſua intentione cum dicit: *Si quis verò &c.* Ad auctoritatem verò Euſebij dicẽdum, quod Euſebius loquitur de cõſecratione qua Chriſtus in cœna vinum in ſanguinem commutauit, & quotidiè commutat in altari, quod manifeſtè oſtenditur ex verbis eius, dum dicit: *Aduerte quàm euidenter conſtat vini creaturam Chriſti ſanguinem nuncupandam,* quod vtique non fit niſi in altari vbi prius eſt vini creatura, & deinde Chriſti ſanguis poſt conſecrationem nuncupatur, poſt quam conſecrationem nullo modo ſanguis Chriſti eſt vini creatura. Et ad hunc ſenſum per quandam adaptationẽ ad Sacramentum altaris inducit auctoritatem. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis &c.* Et præterea dictus doctor nullã mentionem facit in prædictis verbis de communione laica aut de præcepto ſiue de neceſſitate illa de qua hîc loquimur, nec etiam de quacunque alia. Et hæc ſint dicta ad ſecundam partem ſuæ propoſitionis ad laudem & gloriam omnipotẽtis Dei, &c.

Lib. 1. c. 20.
Lib. c. 25.
Cap. 4.
Cap. 13.
De conſe. diſ. 2. c. 62 commentauit. Cap. 130.
Cap. 4.
Ad Origenem & Chryſoſt.
Innocentium.
Armachanum.
Euſebij.
Euſeb. in omil. de corpore & ſanguine Chriſti.

VLterius proſequendo tertiam partem ſuæ poſitionis, proponens ita dicit: *Cum autem plurimi aduerſariorum diuiniſſimæ communioni ſub vtraq; ſpecie ad laicos propter tot teſtimonia & ſanctorum auctoritates reſiſtere non valẽtes ipſam communionem benedictæ Euchariſtiæ ſub vtraq; ſpecie ad laicos fideles concedunt, quantum in ſe eſt, & de ſe eſſe licitam & Catholicam, quia à Chriſto inſtituta, & ab Apoſtolis & Eccleſia primitiua practicata, & hæc eorum confeſſio patet per eorum plurima ſcrip*
ſed in hoc latibulum omnes confugiunt, dicentes, quod ipſa comm
nio vtriuſq; ſpeciei non ſit de præcepto: hæc proponens. Ad h
dico, non propter auctoritates & rationes quas aduerſa
adducũt, quia nullæ ſunt, ſed propter veritatem in ſe, qu
communio huius ſacramenti ſecundum ſe cõſideratata,
licita & Catholica, & dignè ſumentibus ac deuotè multu
vtilis ac neceſſaria; ſed quod fiat ſub vna vel ſub duplici ſp
cie, eſt indifferens ad meritũ vel demeritum, niſi pro qua
to Eccleſiæ conſuetudo aut ſtatutum determinat ad vna
vel ad duplicem ſpeciem. Nam Chriſtus inſtituit ſacrame
ta, ſed modum eadem diſpenſandi, reliquit Eccleſiæ, vt t
nent omnes doctores concorditer: Quando igitur conſu
tudo Eccleſiæ habebat duplicem ſpeciem, tunc nulli liceb
communicare ſub vna ſpecie in locis in quibus huiuſmo
conſuetudo ſeruabatur, & ſimiliter oppoſita conſuetudi
in Eccleſia, ex rationabilibus cauſis inualeſcente, & maxin
ſtatuto & præcepto vniuerſalis eccleſiæ confirmata, nulli l
cet non conficienti communicare ſub vtraque ſpecie. vnd
nullo modo concedimus ipſam communionem ſub vtra
ſpecie eſſe licitam & Catholicã, quo ad laicos, licet ſic Chr
ſtus fecerit & Apoſtolis tradiderit, & Apoſtolus in primit
ua Eccleſia Corinthiorum ſic facere permiſerit, ſtante ſt
tuto eccleſiæ in oppoſitum. Nec confugimus in latibulu
qui eſt locus hæreticorum, dicentes, quod ipſa communi
ſub vtraq; ſpecie non ſit de præcepto. imo manemus in ip
veritate Catholica, ſicut in ciuitate ſupra montem poſit
quæ omnibus ſole clarius eluceſcit. Ad auctoritates igit
Euangeliſtarum, videlicet Matth. 26. Mar. 14. & Lucæ 22. d
co, quod ſtant narratiuè, quia Euangeliſtæ narrant modu
quem Chriſtus tenuit in confectione huius ſacramenti,
verbum hoc, *facite*, quod innuit præceptũ, ſi præceptiuè t
neatur, refertur ad Apoſtolos, quos per illa verba in ſace
dotes ordinauit, & ad ipſorum ſucceſſores, tantum; alioqu
omnes viri & mulieres eſſent ſacerdotes, & poſſent hoc cõ
ficere ſacramentum, quod nullus ſanæ mentis diceret. A
gloſſam autem quæ dicit, *& alijs date*: dicendum quod gloſ
non dicit, quod Chriſtus præcepit Apoſtolis alijs dare: dat
enim, quod non concedetur pro præſenti, quod Chriſt
præcepiſſet diſcipulis, dare alijs hoc ſacramentum, non t
men præcepit ſic dare, quapropter notanter gloſſa non e
preſſit ſic, vel taliter, vel hoc modo alijs dare. Ad canticu
Eccleſiæ: *dedit fragilibus &c.* dicendum quod Chriſtus ſacra
cium iſtud inſtituit & commiſit ipſum celebrandum ſolu
presbyteris quibus ſic congruit ſumere, non tamen ſic da
cæteris. quapropter notanter dicit: *quibus ſic congruit vt ſum*
& dent cæteris. & quod iſta ſit intentio illius cantici, patet
ex ſummo pontifice, quàm ex compoſitione officij, quà
ex ipſa eccleſia cantate dictum cãticum. Nam tempore V
bani, & doctoris ſancti, qui officiũ corporis Chriſti, & pr
dictum canticum compoſuit, per totam eccleſiam vniuer
liter erat vnius ſpeciei cõſuetudo, vt patet ex doctrina eiu
dem doctoris. Ad Nicolaum de Lyra, dicendum quod ſ
cundum opinionem verũ dicit, quod per illa verba, *hoc fa*
te, iniungitur eccleſiæ huius ſacramenti vſus, ſed non hab
tur ex hoc, quod iniungatur laicali populo vſus cõmuni
nis ſub vtraque ſpecie. Vlterius ad auctoritatem Damaſc
ni, cum dixit, *dixit Dominus Ieſus hoc eſt corpus meum, & hic*
ſanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem, omnipote
te eius præcepto, donec veniat, efficitur. dicendũ eſt quod ibi pr
ceptũ Damaſcenus non intendit referre ad Apoſtolos, qu
ſi ipſis ſit præceptum, vt ſic miniſtrent alijs, ſed refert ad n
turam panis, ſcilicet, & vini conſecrandam, vt obediat pr
cepto omnipotentis Dei ſiue Chriſti, dum videlicet ad ve
ba prolata ſacerdotis, panis & vini ſubſtãtia in corp⁹ & ſa
guinem Chriſti diuina & omnipotenti virtute conuertitu
Eſt igitur ſenſus, *& hoc facite*, id eſt, conficite, & conſecra
tranſmutando naturæ ſubſtantiam in corpus Chriſti & ſa
guinẽ, non vtique virtute veſtra, ſed omnipotenti eius pr
cepto, quo ſcilicet nõ ſolũ ea quæ ſunt, poſſunt cõuerti in
lia, ſed etiam ea quæ ſunt, poſſunt in nihilũ redigi, & ea qu
non ſunt, ad eſſe produci. ſecundum quod dicit in Pſalmo
ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Si eni
Damaſcenus voluit referre id præceptum ad Apoſtolos,
ſic deberent facere donec veniat, ſuffeciſſet ſibi ſimplicit

dicere: hoc facite præcepto eius, ſine additione *omnipotentis*, quia ad mandatum obligatorium faciendum non exigitur omnipotentia, cum & prælati & puri homines poſſint obligatoriè præcipere, in quibus non eſt omnipotentia, quæ vtique ad naturalem tranſſubſtantiationem ſubitam & inſtantaneam de neceſſitate requiritur. Et ad hunc eundem ſenſum propriè loquitur Paſchaſius in ſequenti allegatione, cum dicit: *Crede ô fili, quia ita eſt quomodo ipſe dixit, & dubitare factum non potes, ipſe mandauit & creatum eſt, præceptum poſuit dicens, in meam commemorationem hoc facite.* Nam tota intentio Paſchaſij in hoc loco eſt, inducere fidem tranſſubſtantiationis panis & vini in veram carnis CHRISTI & in verum ſanguinem eiuſdem, ad quam tranſſubſtantiationem credendam, ipſe hortatur quemlibet fidelem, quod ex verbis eius patet. & ex perſuaſionibus, cum dicit: *crede ô fili, &c.* & ibi punctus faciendus eſt, *præceptum poſuit*, & poſtmodũ ſequendum eſt, *in meam commemorationem facite*, quidquid tamẽ ſit, ſiue Paſchaſius, ſiue Damaſcenus, ſiue Nicolaus de Lyra, & quicunq; alij dicant, quod illa verba *hoc facite in meam commemorationem*, dicta fuerũt à CHRISTO Apoſtolis præceptiuè, & in perſona ipſorum, cæteris ſacerdotibus, & per conſequens Eccleſiæ, in cuius perſona ſacerdotes vt miniſtri tenentur hoc Sacramentum celebrare, conficere, & paſſionem CHRISTI ſub vtraque ſpecie repræſentare in conſpectu & præſentia fidelium, concedo, nec tamen aliquid ſequitur pro communione ſub vtraque ſpecie. Ad illud igitur quod refert proponens, quod per illa verba, *hoc facite*, intellexit non ſolum confectionem, ſed manducationem & bibitionem ſacramentalem, & quod illa verba dixit præceptiuè, dicendum quod præceptum illud, ſi tamen præceptiuè teneatur, extendit ſe ſimul ad confectionem & ad manducationem & bibitionem, quo ad ipſum conficientem, quia ſacerdos conficiens tenetur ſicut conficere, ſic & vtrumque diſtinctè, ſeorſum & ſeparatim ſumere. vnde non ſequitur, quod per illa verba Dominus præcipiat ſolam manducationem & bibitionem ſacramentalem, ſecundum quod reſpicit vniuerſaliter omnes, ſed ſolum prout manducatio & bibitio ſunt coniuncta conſecrationi, ſcilicet in ipſo ſanctificante. Ad auctoritatem ſancti Thomæ dictum eſt in præcedentibus, quod in dictis verbis dictus Doctor intendit fundare præceptum implicitè ſacramenti ſecundum ſe conſiderati, ſed non ſub vtraque ſpecie, quam in ſequenti articulo dicit non eſſe de neceſſitate, neque de præcepto. Etenim, ſecundum quod fuit in præcidentibus aliqualiter apertum, in hoc Sacramento duo ſunt accidenda: vel ea quæ ſunt eſſentialia, vel ea quæ ſunt accidentalia. Quantum ergo ad eſſentialia, quæ ſunt forma, materia, intentio, & ordo, CHRISTVS dedit præceptum, quod vtique inuariabile ac immutabile eſt: ſed non quantum ad accidentalia, cuiuſmodi ſunt, tempus, conditio materiæ, modus ſumendi, ritus conficiendi, & huiuſmodi, quæ CHRISTVS dimiſit in poteſtate Eccleſiæ, vt circa ipſa ordinaret, prout ei Spiritus ſanctus rector eiuſdem inſpiraret. Vnde ſicut in poteſtate Eccleſiæ fuit ſtatuere, vt non niſi à ieiunis hoc Sacramentum conficeretur, & etiam niſi in certis caſibus ſumeretur, cum tamen CHRISTVS poſt cœnam ipſum confecerit & diſcipulis dederit ad ſumendum. Et ſicut in poteſtate fuit Eccleſiæ, per aliquod tempus in fermentato conficere, licet CHRISTVS in azymo confecerit, ſic eodem & pari modo fuit & eſt in poteſtate Eccleſiæ propter aliquas cauſas neceſſarias & rationes, mutare modum communicandi laicos, vt videlicet ſub vna & non ſub duabus ſpeciebus, quemadmodum CHRISTVS tradidit communionem. nec videtur ratio quare potius illa quàm hunc modum mutare potuerit, cum iſte modus ita ſe habeat per accidens, ſicut & illa. Et hæc diſtinctio expreſsè innuitur in præcepto CHRISTI, cum ait, *hoc facite*, non autem dixit, ſic, vel hoc modo facite, *hoc*, enim ad ſubſtantiam refertur, non ad modum. Sed contra arguit proponens, quia ipſe CHRISTVS ad vtrumque addit præceptum *hoc facite*, vt recitat Apoſtolus. dicendum quod materia in hoc ſacramento poteſt duobus modis conſiderari. Vno modo reſpectu rei contentæ, cuiuſmodi eſt verum corpus CHRISTI, & verus ſanguis eius. Alio modo reſpectu rei ſignificatæ, cuiuſmodi eſt paſſio Chriſti, refectio ſpiritualis, tuitio corporis & animæ & cætera, ſi qua ſunt, quæ in hoc ſacramento repræſentantur. Ratione primi, panis & vinum cadunt ſub præcepto diſiunctiuè, quia vel vtrumque vel alterum ipſorum ſufficit, cum ſub vtraque, & ſub altera ipſarum, verus & integer Chriſtus contineatur, vt fuit declaratum in ſuperioribus ſatis diffusè, ratione verò ſecundi, capit vtrumque copulatiuè ſub præcepto, quia paſſio CHRISTI non poteſt perfectè repræſentari ſub altero ipſorum, & hoc ipſius CHRISTI verbis expreſsè comprehendetur. Non enim ait ſimpliciter, *hoc facite*, ſed addit, *in meam commemorationem*. Si enim dixit tantummodò *hoc facite*, planum eſſet quod altera ſpecies ſufficeret. quia verò addit: *in meam commemorationem*, Vtraque neceſſaria eſt. vnde & Paulus vtrumque complexus eſt copulatiuè in huiuſmodi commemoratione facienda dicens: *quotieſcunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*. ideò etiam ad vtrumque appoſuit præceptum, vt vtrumque ſimul oſtenderet fore neceſſarium ad huiuſmodi Dominæ mortis repræſentationem. ſi enim ad vnam ſolum appoſuiſſet, videretur, quod ſola ſpecies ſufficeret ad repræſentationem. vnde Apoſtolus eſt declaratiuus Lucæ Euangeliſtæ in hac parte, & Lucas aliorum Euangeliſtarum, qui non fecerunt mentionem de huiuſmodi præcepto. Quia verò huiuſmodi commemoratio Dominicæ paſſionis tantummodo conficientibus ſiue Sacerdotibus præcepta eſt, vt ex ſuperioribus patet, cum ait: *facite*, quod idem eſt quod conficite vel ſacrificate, idcirco ſufficit quod ſoli ſacerdotes in Eccleſia coram populo conficientes & ſacrificantes huiuſmodi repræſentantes paſſionem, ſignis exterioribus, ſpeciebus ſcilicet panis & vini, non autem quod ſic cæteris miniſtrent. & licet ſi non ſacrificantes ſumerent ſub vtraque ſpecie, ſicut antiquitus Corinthij faciebant, & modò faciunt Græci ſimiliter, & repræſentarent mortem Domini, ſicut & ſacrificantes, non tamen eodem modo: quia ſacrificantes, ex præcepto, hi verò ſine præcepto. & vlterius expreſſius ſignificantes, quia non ſolum in ſumptione ſub vtraque ſpecie, ſed principalius in confectione, & in eleuatione, & cæteris ſignis & ritibus CHRISTI paſſio repræſentatur, quàm in ſola ſumptione. Ad auctoritatem Cypriani quæ hîc ponitur & ad cæteras quæ infrà ponuntur, primò dicendum eſt quod non omnia opuſcula neque dicta eiuſdem ſancti martyris ab eccleſia acceptantur, ipſe enim cum octuaginta Epiſcopis in quadam ſynodo prouinciali, ſub eodem Cypriano, in ciuitate Carthaginenſi celebrata, dixit, hæreticos & ſchiſmaticos non poſſe baptizare, & quod baptiſmus ab hæreticis collatus, eſſet lauacrum diaboli, in quo tamen ipſe non tenetur eò quod Eccleſia oppoſitum determinat, vt habetur 3. diſtinct. Sed ſciendum. & in quarto ſententiarum diſtinct. 6. contra quem in hac materia egregius Doctor Auguſtinus edidit librum, quem de vnico baptiſmo nominauit, de quo martyre idem Auguſtinus dicit: *ego viſa ſanctitate Cypriani, eidem adhæſiſſem, niſi me Romana Synodus retraxiſſet.* & ſubdit: *ego dicta Cypriani non approbo, cuius martyrium veneror, cuius ingenium laudo, quia nec Eccleſia approbauit: vbi malè ſenſit, hoc purgatum eſt igne paſsionis.* hæc Auguſtinus. vbi bene attendendum eſt excellentiſſimi doctoris Auguſtini exemplum & documentum, & perpetuò memoriæ retinendum libenter ſiquidem, tum propter ſanctitatem tum propter excellentiam ingenij, ſecutus fuiſſet opinionem huius ſancti & glorioſiſſimi martyris Cypriani, quod tamen non fecit, propter Romanam ſynodum, quæ oppoſitum illius determinauerat. nec auſus fuit dicta Cypriani approbare, quæ non approbauerat Eccleſia. Si tantus Doctor & tam excellentiſſimi ingenij ac ſanctiſſimæ vitæ, Auguſtinus ſcilicet non fuit auſus ſequi, tam ſanctiſſimum & profundiſſimum martyrem, ſtante in oppoſitum determinatione Eccleſię, quid faciemus nos miſeri homunculi, qui vix ſcimus alphabetum componendo balbutire, non dico profunda ſcripturarum indagare? numquid prudentiæ meæ inſiſtendo, erecta ſcilicet ceruice, huius hominis quantumcunque ſancti & excellentijs ingenij ſententiam aut ſenſum noſtrum præponemus & anteferemus ſententiæ & deter-

Paſchaſi⁹ de corpore & ſanguine domini c. 15.

Quid per illa verba, hoc facite intelligatur.

Suprà in expoſitione horum verborũ. Niſi manducaueritis, &c.

In ſacramẽto Euchariſtiæ conſideranda eſſentialia, & accidẽtalia, illa ſunt immutabilia hæc variabilia.

Materia in hoc ſacramento dupliciter conſideratur.

Aliud exemplar m.ſ habet eſt elatior Luca.

Ad S. Cyprian.

determinationi Catholicæ eccleſiæ? abſit hoc à nobis, & à
cordibus cunctorum Chriſti fideliũ. Prædicta idcirco præ-
miſi de dicto martyre, non quod velim ipſum in hac mate-
ria noſtra negare, ſed vt appareat quia non in omnibus eius
doctrina eſt ſequẽda: dicendum igitur, quod nec in iſta au-
ctoritate, nec in omnibus alijs ſequentibus, quoquo modo
prędict⁹ martyr, nec implicitè nec explicitè ponit aut dicit,
cõmunionẽ vtriuſq; ſpeciei, quo ad laicos, eſſe de præcepto
Chriſti, aut de mãdato eius, deinde in hac auctoritate loqui-
tur de ſacerdotibus & celebrantibus, quibus Dñs pręcepit
facere in commemorationem ſuæ mortis, quod patet, quia
loquitur in propria perſona, qui erat Epiſcopus, & etiam lo-
quebatur & ſcribebat Epiſcopis, quibus vtique præceptum
fuit vt facerẽt in commemorationem mortis Domini. vn-
Epiſt. 63. edit. Pamel. antiquæ lib. 2. epiſt. 3. de dicit, quod ſic à Domino præcipitur, vt quotieſcunq; bi-
berimus, in commemorationẽ Domini hoc faciamus. Hanc
autem reprehenſionem faciebat prædictus martyr alijs E-
piſcopis nõ occaſione vnius vel duplicis ſpeciei, quo ad po-
pulum laicalem, ſed in primitiua eccleſia multi ſacerdotes
multipliciter aberrabant tam circa celebrationem huius ſa-
cramenti, quàm circa diſpenſationem eiuſdem ad populũ.
nam aliqui hoſtiã ſanguine intinctam populo porrigebant,
alij vuas vino apponebant, & vinum presbyteri ſumebant,
vuas verò dabant communicantibus laicis, & pro infirmis
in ſacrario reponebãt. alij verò pannum lineum muſto tin-
ctum per totum annum ſeruabant, & in tempore ſacrificij
aqua partem eius lauantes, loturam illam miniſtrabant. Alij
lac dabant pro ſanguine, vt patet de conſ. diſt. 2. didicimus,
Cap. 6. & capitulo, cum omne crimen: Illa igitur aduertens, & mul-
ta alia hic ſanctus martyr fieri pręter modum à Chriſto tra-
ditum in miniſtratione & oblatione huius ſacri myſterij,
zelo accenſus, præſertim Epiſcopos reprehendit, tanquam
eos ad quos pertinebat alios corrigere & ad viam reducere
veritatis, & hæc eſt totalis & vera intentio prædicti marty-
ris, tam in præſenti auctoritate, quam in omnibus ſequenti-
bus, prout declarabitur loco ſuo. & per dicta patet, quod ea
quæ infert proponens, omninò falſa ſunt, quia non ſequun-
tur ex intentione dicti doctoris. Vlterius ad auctoritatẽ Io.
Ad Lyrã. 6. *Niſi manducaueritis*, cum Nicolao de Lyra, dicendum, dato
quod eſſet præceptum de ſacramẽtali ſumptione, nullo mo-
do tamen præceptum eſt, de vtraque ſpecie, vt dictum eſt, &
clarè oſtenſum etiam ſecundum intentionem Nic. de Lyra,
qui ponit ibidem, vt aliàs allegatum eſt, verba in hunc mo-
dum: *non eſt intelligendum quod ſcilicet hoc ſacramentũ ſub vtraq;
ſpecie fidelibus ſit exhibendum. ſed tantum hoc modo à ſacerdotibus
eſt ſumẽdum: licet enim in primitiua Eccleſia populus ſub vtraq; ſpe-
cie communicaret, tamen poſtea proinde ordinatum, vt non commu-
Ad ſanctũ Thomã. nicet ſub ſpecie vini propter periculum effuſionis.* Item ad S. Tho-
mam quem inducit in quęſtionib. ſuper 4. ſimiliter dicendũ
quod nihil concludit de vtraque ſpecie. ſimiliter gloſſa in
terlinealis nullam mentionem facit de ſpecie vini. Item in-
De ſacramento altaris, c. 20 ducit S. Thomam ſerm. 20. & eius auctoritatem recitat per
longũ ſpaciũ, in qua auctoritate S. Doctor nec in verbis nec
in ſentẽtia nec in quacũq; ſignò explicitè vel implicitè facit
mẽtionem de cõmunione laica vtriuſq; ſpeciei, nec in tota
illa auctoritate facit mẽtionem de vino aut de ſecunda ſpe-
cie. Et quantum ad auctoritatem Ioan. 6. *Niſi mãducaueritis,
&c.* ſæpius repetitum eſt, quod ſi intelligitur de ſacramen-
tali, ſolùm cadit præceptum ad carnem & ſanguinem, & nõ
ad ſpecies ſacramentales, quapropter correlaria quæ infert,
pro quanto aliquid infert pro vtraque ſpecie, falsè & malè
infert, quia in toto proceſſu ille Doctor non fecit mentio-
nem de vtraq; ſpecie, ſed ſolũ de corpore & ſanguine Chri
ſti alicubi, alicubi verò ſine determinatione de ſacramento,
quare ex dicta auctoritate nihil concludit quoad vtramque
ſpeciem. Vlterius inducit eundem doctorem in eodem ſer-
mone quod ſpiritualis ſimul & ſacramentalis manducatio
corporis & ſanguinis Chriſti eſt vtilior & ſalubrior ſola
manducatione ſpirituali, quod vtique concedo, cæteris pa-
ribus, tamen hoc nihil facit ad vtramque ſpeciem. Item ad
Paſchaſium, quem inducit in tractatu ſuo de corpore Chri-
ſti, dicendum primò, quod dictus doctor nullam facit men-
tionem de præcepto aut neceſſitate. Deinde ipſe loquitur in
perſona laicorum de ſola manducatione, cum dicit. *& come-
dimus*, & de modo quo ſacerdotes conficiunt dictum ſacra-
mẽtum, ſcilicet in pane corporis Chriſti & potu ſangu
quæ de agro corporis nobis quotidie per officium ſac
tum maturescunt. Et ad hoc inducit figuram benedict
frumenti & vini. Quare nihil dicta auctoritas valet ad
poſitum. in ſequẽti particula ſolum loquitur de carne C
ſti & eius ſanguine, & nullam facit mẽtionem de ſpeci
& ſic ſimiliter nihil concludit ad intentum vtriuſque
ciei: Ad Albertum Magnum dictum eſt ſuperius, qui
quitur ſolum de conficientibus & ſacerdotibus, & cum
de ſignificatione: Item ad beatum Bernardum, quem i
cit in ſermone ad Petrum de corpore Chriſti, primò di
dum, quid iſte doctor ſenſerit de illa auctoritate: *Niſi m
ducaueritis, &c.* qui ſuper tertio verſu Pſalmi 90. dicit:
*eſt autem manducare eius carnem, & bibere eius ſanguinem,
communicare paſſionibus eius, & eius conuerſationi quam geſ
carne? Vnde & in hoc deſignat illud illibatum altaris ſacra
tum, vbi Dominicum corpus accipimus, vt ſicut videtur illa p
forma in nos intrare: ſic nouerimus per eam quam in terris h
conuerſationem, ipſum intrare in nos, & habitare per fidem in
dibus noſtris*: hæc ille. Item idem Bernardus in epiſtol
fratres de monte Dei, ita dicit: *ſicut enim quicunq; habet
ſus Chriſti quantum Chriſtianæ pietati expediat, quantum ſer
Dei, ſeruum redemptionis Chriſti deceat, & vtile ei ſit, vna ſa
aliqua diei hora paſſionis ipſius ac redemptionis attentius rec
beneficia, ad fruendum ſuauiter in conſcientia & recondendu
deliter in memoria, quod eſt ſpiritualiter manducare corpus C
ſti, & bibere eius ſanguinem in memoriam eius, qui in ſe cred
bus præcepit, dicẽs: hoc facite in meã cõmemorationẽ. in quo etiã
pter peccatum inobedientiæ, quam impium ſit hominem tanta
tatis Dei eſſe immemorem palam omnibus eſt, cum amici ho
abeuntis ſub quolibet ſigno commendatam memoriam nefas ſit
uiſci*: Ex quibus verbis manifeſtè patet quid prædictus
ctor ſentiat de illa duplici auctoritate, videlicet, *Niſi m
ducaueritis, &. hoc facite*: quia ambas interpretatur præce
uè & ſpiritualiter. Sed iam ad auctoritatẽ ſuam per aduc
rium adductam dicendum eſt videlicet quod Dominus
ſter Ieſus Chriſtus Eccleſiæ ſponſæ ſuæ & columbæ dil
ſimæ hoc dotalitium, ſcilicet, corpus & ſanguinem ſuum
dulſit ſub ſacramẽto, in ſuæ paſſionis & mortis memori
& quidem quotidie frequentatur & fit in Eccleſia per o
rationem & miniſterium ſacerdotum, pro omnibus fic
bus tam viuis quàm defunctis: Non enim omnia quæ Cl
ſtus dimiſit eccleſiæ, eodem modo conueniunt ſinguli
eccleſia alioquin cùm Chriſtus dimiſit eccleſiæ ſacerdo
ſequeretur quod omnes eſſent ſacerdotes, omnes Prop
tæ, omnes Apoſtoli, omnes Paſtores & Doctores, quod
tet falſum eſſe manifeſtè, quia nec omnes Sacerdotes, ne
omnes Prophetæ &c. & tamen omnia Chriſtus indulſit
cleſiæ ſuæ ſponſæ ſecundum quod dicit Apoſtolus: *quoſd
quidem dedit Apoſtolos, &c. in conſummationem ſanctorum, in
miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*: ſimiliter in corp
naturali oculus datus eſt non ſibi ſoli, ſed corpori, ne
men omnia membra ſunt oculus. Similiter Chriſtus
dotalitiũ inquantum eſt memoriale ſuæ mortis, ind
eccleſiæ in perſona ſacerdotum, vt non ſolum ſibi, ſed
eccleſiæ deſeruirent. Ad iſtud autem quod dicit Bernarc
idem fieri præcepit, referendum eſt ad illud præceptum,
Chriſtus præcepit Apoſtolis, dum eos in ſacerdotes ordi
uit, dicens: *hoc facite in meam commemorationem*, vbi præ
pit confectionem huius ſacramẽti in pane & vino, quoc
ſolos pertinet ſacerdotes. Quod quidem præceptum ſi v
uerſos fideles obligaret, ſequeretur, quod omnes laici ma
& fœminæ deberent & poſſent hoc ſacramentum conf
re, quod omninò falſum eſt, abſurdum & erroneum: I
ad Durandum dicendum quod nullam mentionem faci
duplici ſpecie, ſed tantummodo dicit quod ſacrament
hoc eſt de neſſitate ſalutis, ratione præcepti Domini, &
iam eccleſiæ, ex quo non ſequitur, quod vtraque ſpecie
de præcepto: Item ad Armachanum primatem Hiberi
dicendum, quod iſte expreſsè approbat ritum eccleſiæ R
manæ & conſuetudinem vnius ſpeciei, vel ſaltem eum n
reprobet, quod vtique feciſſet, ſi credidiſſet eam fore ill
tam, alioquin aſſimularetur cani muto nõ valenti latrare,
cum duo ſint officia ſapiẽtis, videlicet meditari, & defen
re veritatem, & falſitatem atque impium deteſtari, ſecun

illud: *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium*: vtique non fuiſſet doctor veritatis, ſi viſa impietate, non fuiſſet eam deteſtatus. Approbat igitur conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, ex quo narrat eam, & fulcit rationibus, nec eam reprehendit, vt decuiſſet doctorem Catholicum, vt patet in fine auctoritatis eius. Nam ita dicit: *Eccleſia tamen Romana in vſu habet ſolum vnum calicis conferre poſt communionem corporis Chriſti.* Ecce narratio; *ne forte per negligentiam, quæ leuiter poſſet contingere in miniſtrando in multitudine populi ſacramentum ſanguinis Chriſti fidelibus quibuſcunque, aliquid effunderetur de ipſo ſacramento, quale periculum non eſt in miniſtratione corporis Chriſti fidelibus indiſtinctè, & ideo populo ſacramentum ſanguinis non miniſtrat quamuis fieri poſſet licitè iuxta ſcripturam canonicam.* hæc Armachanus. Vlterius ipſe idem in præcedentibus, non dicit quod vtraque ſpecies ſit de neceſſitate, aut de præcepto CHRISTI, ſed iuxta legem ſiue ſcripturam canonicam licitè poſſit ſub vtraque ſpecie miniſtrari, ſupple, non obſtante conſuetudine & ſtatuto Eccleſiæ in oppoſitum. Vlterius Magiſter proponens inducit, quod multum ac commodum eſſet in materia fidei, & alijs, conformari Eccleſiæ primitiuæ, & ad hoc inducit auctoritatem Bedæ in homilia infra octauam Aſcenſionis Domini, dicentis: *Perfectum vitæ magiſterium eſt Eccleſiæ primitiuæ actus imitari.* Ad idem inducit Apoſtolum, qui dicebat fideles debere imitari eos, & debere ſtare & tenere tradititiones, quas didicerant ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam. Ad quod dicendum, quod ſi praxis CHRISTI & exemplum non obligat ſub præcepto. multo minus praxis Apoſtolorum, aut primitiuæ Eccleſiæ. Nam praxis & exemplum Chriſti non obligat de neceſſitate ſalutis ad ipſum imitandum in omnibus ſuis actionibus & operationibus, quod patet inductiuè in ſingulis generibus operum Chriſti. Nam non tenemur de neceſſitate Chriſtum imitari in operibus ſupernaturalibus: vt puta in faciendis miraculis, ſimiliter nec in omnibus operibus moralibus, vt puta in his quæ pertinent ad perfectionem, niſi quis ſe ſponte voto proprio aſtrinxerit, vt eſt paupertas, caſtitas, obedientia & huiuſmodi, quæ ſi ratione exempli obligarent, vtique omnes Chriſtiani ad prædicta obligarentur, & ſic omnes diuites, in matrimonio conſtituti, eſſent in ſtatu damnationis, quod eſt omninò hæreticum. Similiter CHRISTVS ieiunauit 40. diebus & noctibus. non habuit propriam domum, ſpontè permiſit ſe crucifigi, & multa alia pati, in quibus imitari non tenemur de neceſſitate. Alioquin omnes hæretici, ſicut ſunt eò quod hæretici, eſſent in ſtatu damnationis, qui in prædictis CHRISTVM non ſequuntur. ſimiliter in ſacramentalibus & cæremonialibus CHRISTVS permiſit ſe circumcidi, octauo die in templo præſentari, Paſcha vetus celebrauit, & vt ad noſtra veniamus, hoc ineffabile ſacramentum, de quo eſt ſermo in præſenti, ipſe Dominus in cœna confecit, & poſt alios cibos ipſum tradidit edendum diſcipulis, in quibus omnibus Eccleſia nec imitatur CHRISTVM, nec tenetur imitari imò tenetur non imitari. Et pari ratione non tenetur nec obligatur, ex ratione praxis vel exempli, imitari CHRISTVM in communione ſub vtraque ſpecie. Si igitur praxis Chriſti & exemplum non obligat ſub præcepto, multò minus praxis Apoſtolorum aut primitiuæ Eccleſiæ. Siue igitur in primitiua Eccleſia fuit hic modus communicandi laicos ſub vtraque ſpecie vniuerſalis in tota Eccleſia, ſiue partialis in aliquibus Eccleſijs, vt communiter tenent omnes, quia non poteſt ſufficienter probari hunc modum fuiſſe vniuerſalem, nec aliquem, Apoſtolorum dediſſe communionem ſub vtraque ſpecie, excepto Apoſtolo, hoc Corinthijs permittente, non ſequitur tamen, quod etiam nunc ita debeat fieri aut obſeruari, cum CHRISTVS nullibi, vt declaratum eſt, ſic, vel ſic fieri mandauerit aut præceperit. Ad auctoritatem verò Bedæ dicendum primò quod nullam facit mentionem de hoc ſacramento. Demum quod ipſe loquitur de imitatione vitæ in moribus, nec neceſſitatem imponit, ſed inuitat ad perfectioné. Vnde dicit: *perfectũ vitæ magiſterium eſt Eccleſiæ primitiuæ actus imitari*, nõ autem dicit, neceſſarium vitæ magiſterium &c. multa enim in primatiua eccleſia fiebant, ad quæ tamen moderna non obligatur ex præcepto, & vt exemplariter dicatur, legitur quidem in Act. Apoſt. 4. c. quod multitudinis credentium cor vnum & anima vna, neque quiſquã eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, & quod offerebant precia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes Apoſtolorum, diuidebaturque ſingulis prout cuique opus erat. hoc quidem tunc fiebat, ſed tamen non ex præcepto neque de neceſſitate ſalutis, nec tenentur omnes fideles ad huiuſmodi communitatem. Paulus etiam circumcidit Timotheum. Act. 16. & Apoſtoli præceperunt quod gentiles conuerſi ad fidem abſtinerent à ſanguine & ſuffocato, Act. 15. quæ tamen ſine periculo omittimus, cum nullum ipſorum ſit de neceſſitate ſalutis. Similiter ſacerdotes tunc licitè ducebant vxores, nõ autem tempore præſenti, & multa alia fiebant in primitiua Eccleſia, quæ modò licitè non fiunt, & ſic dicendum eſt, de communione vtriuſque ſpeciei, &c. Item in primitiua eccleſia quaſi omnibus indifferenter licitum erat baptizare, prædicare, & huiuſmodi. vnde Ambr. ſuper epiſt. ad Epheſ. *& ipſe dedit quoſdam Apoſtolos*, ita dicit: *vt creſceret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt Euangelizare & baptizare & ſcripturas in Eccleſia explanare: at vbi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conuenticula conſtituta ſunt, & rectores ac cætera officia in Eccleſiis ordinata ſunt: quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res & viliſſima videretur.* hæc ille. Poſt prædicta Magiſter proponens praxin dictæ Eccleſiæ primitiuæ volens diligenter confirmare & pertractare, inducit multa exempla, & primò exemplum Corinthiorum, apud quos viguit communio prætacti calicis, prout ex epiſtola Apoſtoli Pauli colligitur, ad quod dicendum, quod ſicut praxis Chriſti qui ſub vtraque confecit & tradidit diſcipulis, non obligat ex neceſſitate aut ex præcepto, ſic multo minus exemplum Corinthiorum & praxis eorundem obligabit Eccleſiam ad ſic vel ſic faciendum. Vlterius inducit practicam & auctoritatem Dionyſij ſcribentis de Eccleſia. Hierarchia, c. de Euchariſtia. compertum. Ad quod dicendum quod prædictus S. Philoſophus & ſummus Theologus fuit diſcipulus Pauli, & Græcus, & Athenienſis natione, quia igitur in primitiua eccleſia Græci ab Apoſtolo ſuſceperunt conſuetudinem vtriuſque ſpeciei, eam ſeruarunt vſque ad præſentem diem, & ſic Dionyſ. conſuetudinem Græcorum ſequens, loquitur in prædicta ſua auctoritate, & gloſſa eiuſdem, de prædicta communione vtriuſque ſpeciei: In nulla tamen parte illius auctoritatis nec in toto illo capitulo, imo nec in tota ſua doctrina, B. Dionyſius dicit illam communionem eſſe neceſſariam vel de præcepto Chriſti, & per conſequens per ipſam nihil contra veritatem Catholicam & eccleſię conſuetudinem cõcluditur. Vel dicendum ad dictam auctoritatem Dionyſij, ſicut dicit S. Thomas in 3. parte, quod ſicut ſacerdos offert vnum calicem pro omni populo, & ideo calix populo non datur, Sicut etiam ſacerdos ſacrificãs vnionem calicis quo ad meritum & remiſſionem peccatorũ omnibus qui adſunt de populo fide & deuotione diuidit & diſtribuit, Sicut enim pro omnibus orat & pro omnibus offert, imo & ipſi cum ipſo offerunt, Sicut enim ſacerdos ait pro omnibus orans; *& omnium circumſtantiũ quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis &c.* Sic & ipſe ſumens in perſona omnium, omnes ſumunt cũ ipſo, quia ipſius oblationis omnes fideles efficiuntur participes per remiſſioné peccatorum & augmentum gratiæ & in his ſacerdos ſacram conſummat actionem. Vlterius ad Originem, quem inducit in hom. 16. ſup. lib. Num. dicendum quod ipſe intelligit prædictum text. Ioan. 6. *Niſi manducaueritis, &c.* de duplici manducatione, ſacramentali ſcilicet & ſpirituali. vnde eodé modo intelligitur dictum ſuũ, ſicut & prædicta auctoritas: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, expoſitum eſt autem ſuprà, quod prædicta auctoritas ſiue intelligatur de ſacramentali manducatione, ſiue ſpirituali, non tamen aduerſarius habet intentum, quod vtraque ſpecies cadat ſub præcepto, in cuius ſignum, nulla mentio fit de ſpeciebus panis & vini. verùm ſi prædictus doctor vel ex prædicta auctoritate vel ex alijs dictis eiuſdem traheretur ad communionem vtriuſque ſpeciei, tunc dicendum eſſet, quod ipſe loquitur ſecundum conſuetudinem Græcorum, cũ & ipſe Græcus fuerit natione, apud quos, vt dictum eſt, fuit & eſt conſuetudo

vtriuſ-

[Margin notes:]

2. Theſ. 2.

Nõ tenẽtur fideles in omnibus imitari Chriſtum, in ſuis actionibus.

Patet. in miraculis, obſeruatione conſiliorum. Ieiunio 40. dierũ, ſpõtanea paſſione. Sacramẽtalibus & cæremonialibus.

Multò minus tenẽtur obſeruare in omnibus praxim Eccleſiæ primitiuę

Vt cõſtat ex cõmunitate rerum, circumciſione aliquãdiu tolerata, & ſimilibus.

Imò vxorati promouebãtur ad ſacerdotiũ, ab vxoribus tamẽ abſtinebant.

S. Ambr. in 4. c. ad Epheſ.

S. Diony. c. 3.

Ad Orig.

vtriuſque ſpeciei, nõ tamen aliquo modo dicit eam eſſe de neceſſitate aut de præcepto Chriſti. Deinde inducit practicam B. Donati, allegãs B. Gregorium, & paſſionale &c. Dicendum quod B. Gregorius nullam mentioné in loco præallegato facit de ſanguine, ſed ſolum de reparatione calicis. Et ad hiſtoriam legendæ ſuæ eſt dicendum, quod B. Donatus miniſtrabat populo ſanguinem, ſecundum conſuetudinem quæ tunc in eccleſia ſua tenebatur, & ſecundum quod quidam dicunt, propter prædictum ſcandalum, quod ſibi contigit in prædicta fractione, licet per miraculum reparauerit, deinceps dictus martyr cœperit populo miniſtrare hoc ſacramentum ſub vna ſpecie: eius exemplum alij propter ſimilia ſcandala & alia quę numerata ſunt, cœperunt ſimiliter facere. & quia prædictus martyr non affirmabat neque docebat duplicem ſpecié eſſe de ſalutis neceſſitate aut de præcepto Chriſti, ideo non plus concludunt aduerſarij exemplo ſuo, quàm fecerint exemplo Chriſti & aliorum ſanctorum, qui ſub vtraque ſpecie hoc ſacramentum miniſtrauerunt. [Ad S. Thom. li. 4. d. ſt. 24. q. 2. art. 3. ad 3.] Item ad id quod inducit de S. Thoma, quod videlicet diaconi habent diſpenſare ſanguinem Chriſti fidelibus, dicendum quod Doctor ſanctus ibidem deſcribat actus quos in ſacris conſtituti ex officijs ipſorum exequi poſſunt. quapropter ſi eſſet conſuetudo, vel ſi eccleſia non ſtatuiſſet oppoſitũ, quod ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini populo miniſtraretur, vtique diaconi ex officio poſſunt miniſtrare; ſecundum quod de B. Laurentio legitur, & allegatur, per B. Auguſtinum. ſed hoc nihil facit ad propoſitum de neceſſitate & præcepro vtriuſque ſpeciei. [Ad Leoné Papã.] Vlterius ad Leonem Papam dicendum, quod prædictus Leo Papa ſcripſit contra Manichæos, qui negabant Chriſtũ reſurrexiſſe à mortuis, & per conſequens nec diem Dominicum volebant celebrare, ſed in contemptum Dominicæ reſurrectionis & Eccleſiæ Dei illo die ieiunabant, & ſic de huiuſmodi hæreticis loquitur, quod ad tegendam ſuam infidelitatem immiſcebant ſe conuentibus Chriſtianorum, & interdum quãdo latere amplius non poterant, indigno ore ſimulando ſe eſſe Catholicos, corpus Chriſti recipiebant, ſanguinem autem Chriſti haurire de calice omnino declinabant, exiſtimantes nondũ Chriſtum reſurrexiſſe, ſed ipſum adhuc mortuum eſſe, ideoque ex conſequenti credebant corpus eius ſine ſanguine exiſtere, & ſic propter illam infidelitatem Chriſti ſanguiné omninò cauebant recipere ab altari. Non eſt ſimilis ratio in illis, & in noſtris Chriſti fidelibus Catholicis, quia illi propter dictam infidelitatem ſanguinem nolebant capere, noſtri autem propter conſuetudinem & præceptum Eccleſiæ laudabiliter & ex cauſis neceſſarijs & rationalibus introductam. Et vlterius patet quod in dicta auctoritate Leo Papa nullam fecit mentionem de neſſitate aut de præcepto Chriſti, quare nihil facit ad propoſitum, ad quod probandum eã aduerſarij introducunt, & per cõſequens nõ ſequitur quod communicantes ſub prima ſpecie, & calicem haurire declinantes dicatur ſacrilegij crimen committere. nec etiam à ſocietate ſanctorum ſunt expellendi, & ſic excommunicandi, nec ab ipſis tamquam ab excommunicatis eſt declinandum, vt Magiſter proponens ex dicta auctoritate Leonis infert: quia nec communio calicis eſt præcepta, & per conſequens nec grande ſcelus contra legem Dei committunt communicantes ſub vna ſpecie, nec ſubeſt etiam eadem cauſa in nobis, ſicut ſuberat in illis hæreticis, de quibus Leo Papa loquebatur. potuiſſet tamen dominus proponens honeſtius inferre quod intendebat, vel ſaltem honeſtatem meam cum maiori patientia ſubportare: [Ad S. Gre.] Deinde ad auctoritates Gregorij dicendum, quod Gregorius loquitur in dicta auctoritate de ſanguine Domini, & non de ſpecie vini, qui ſanguis verè & cõpletè ſumitur ſub prima ſpecie ſanguinis Chriſti per ora fidelium funditur. [Ad S. Auguſt. c. 36.] Vlterius ad auctoritates Auguſtini & primò ad illam quæ habetur de conſe. diſt. 2. quia paſſus &c. dicẽdum quod Auguſtinus loquitur fidelibus & populis, inuitans eos ad huiuſmodi ſacramenti perceptionem, magis ſub nomine calicis, non ratione ſacramentalis ſumptionis, ſed ratione ſignificationis, ſcilicet ratione contenti & effectus, qui ſanguini appropriatur, videlicet ratione refrigerij & læticiæ ſpiritualis, quod manifeſtè innuitur cum dicit: *& vos poſt ieiunia, poſt labores, poſt humilitatem, & contritionem, iam in nomine Chriſti tanquam ad calicem veniſtis*, quaſi diceret, poſt anxietates & labores præſentis ſeculi, tanquam ad refrigerium, id eſt, ad conſolationem ſpiritualem ad calicem veniſtis, & notanter ait, *tanquam ad calicem* & non ſimpliciter, ad calicem veniſtis, ad innuendum quod non de ſacramẽtali calice, ſed de eo quod per calicem ſignificatur intelligit, quod etiam ſequentia verba declarant cum dicit: *& vos ibi eſtis in menſa, & ibi vos eſtis in calice, nobiſcum vos eſtis*. Eſt enim populus in calice ſimul cum ſacerdotibus, inquantum populus Chriſto cõiungitur, qui per aquam ſignificatur. ideo enim, aqua in calice miſcetur, vt populus Chriſto ſuo capiti vniri ſignificetur. & cũ ſubiũxit: *ſimul enim hoc ſumimus, ſimul bibimus*, nõ ibi ſubſtitit, ſed quomodo popul⁹ ſimul bibat nobiſcum declarãs adiunxit, *quia ſimul viuimus*, dicuntur igitur laici bibere nobiſcum, quia ſimul viuunt nobiſcũ caritate cõiuncti. Ex quibus patet manifeſtè quod Auguſt. nõ dicit abſolutè quod populus bibat de calice ſacramentali, quod oſtendit per illud quod dicit, *tanquam ad calicem veniſtis*, & per illud enim declarat, *ſimul bibimus*, per, *ſimul viuimus*, quare ſecundariò poſſet dici, quod Auguſtinus ibi loquitur de bibitione & ſumptione myſtica, vt patet per illud, *ſimul bibimus, quia ſimul viuimus*, ſupple vniti in caritate Dei, qua fideles efficiuntur vna vita in Chriſto & cum Chriſto. Et quod ſic debeat intelligi dicta auctoritas, *quia paſſus &c.* oſtenditur per ſubſequentem auctoritatem: *nulli ambigendum eſt, vnumquemq; fidelium corporis & ſanguinis Domini participem* fieri, vt fuit ſuperius allegatum. Item ad ſecundam auctoritaté eiuſdem doctoris quæ ponitur de conſe. diſt. 2. Cum frangitur [Cap. 37.] hoſtia &c. Dicendum quod hæc auctòritas omninò intelligitur de ſacrificãtibus ſacerdotibus, ad quos Chriſti paſſionem ſuis myſterijs & actibus pertinet repræſentare. Nam dictum eſt quod Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus ſacerdotibus dicta ſunt illa verba: *hoc facite in meã cõmemorationem*. Quod igitur illa auctoritas ſic intelligatur, patet ex verbis in eadem poſitis, & debitè ponderatis. Nam dicit: *dum frangitur hoſtia &c.* Patet aũt quod hoſtia frangitur à ſacerdotibus & non à laicis, quę fractio nihil aliud ſignificat, quàm corporis Dominici in cruce immolationem: frangitur autem in tres partes, ſecundum triplicem differentiam corporis Chriſti, [Cap. 3.] myſtici, vt patet per Magiſtrum diſt. 12. 4. lib. ſent. Sicut igitur per prædictam fractionem, quæ fit per ſacerdotem, vulneratio veri corporis Chriſti deſignatur, ſic & per ſpecies vini & earum de calice in os ſacerdotis fidelis fuſionem, expreſſa effuſio ſanguinis Chriſti in cruce facta pro noſtra reconciliatione ad Deum ſignificatur, Vnde & in ſimul prædicta duo coniunxit, videlicet: *dum frangitur hoſtia dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur*, vt ad eundem vtrumq; pertinere deſignaret, ſcil. fractionem & ſanguinis ſumptioné, ſcil. ad ſacerdotes. Pro ſano tamen intellectu eius quod dicit Auguſt. & multi alij ſancti doctores, notandum eſt id quod dicit VVilhelmus Pariſien. de ſacram. parte 3. *ſi à ſanctis aliquãdo dicitur quod ſanguis ille ſanctiſſimus in ora fidelium funditur, intellige quod non funditur, ſed mittitur, & hoc cum ipſo & in ipſo ſacro corpore cuius eſt, non extra*. hæc ille. quia & ſuperius declaratum eſt, ſanguis Chriſti eundem modum habet exiſtendi, quantum ad veritatem, ſub ſpeciebus vini, quem habet ſub ſpeciebus panis, quia ſub vtriſque ſanguis eſt in corpore, in venis, & non extra. Vnde propriè nec corpus manducatur nec ſanguis bibitur, ſed hi actus propriè ad ſpecies terminantur, ſub quibus verè & propriè ſumitur, caro ſcilicet & ſanguis, licet ex vi conuerſionis aliter & aliter. Vel dicendum, quod etiam ſi indifferenter intelligatur de omnibus fidelibus, verum erit in cõmunione vnius ſpeciei, quod Chriſti in ora fidelium funditur ſub ſpeciebus panis, quia cum non alium modum ſanguis Chriſti habeat exiſtẽdi ſub ſpeciebus vini, quàm ſub ſpeciebus panis, cũ nec ibi, nec hìc ſit effuſus, ſed intra venas corporis incluſas, ita bene ſub ſpeciebus panis in ora fideliũ funditur, ſicut ſub ſpecieb⁹ vini. vnde ſicut prædicta fractio hoſtiæ in altari non eſt niſi ſpecierum tantum, & non corporis Chriſti, cum ſit infrangibile, impaſſibile, & incorruptibile, ſic etiam nec illa effuſio eſt ſanguinis Chriſti, eadẽ ratione, ſed tãtummodo ſpecierum vini. Quare ſub quibuſcunq; ſpeciebus tradatur fidelibus, ſemper ſanguis Chriſti in ora ipſorum funditur, eo modo ſanè intelligendum quod dictum eſt. Vlterius dicendum eſt ad auctoritates quæ inducũtur ex dictis ſancti martyris

ad S. Cyprianum ctum.

tyris Cypriani & ex epiſtolis eiuſdem. Et primò ad primã, quod dictus martyr reprehẽdit Epiſcopos, quia ſub vna ſpecie populo miniſtrarẽt, imo in tota doctrina prædicti martyris & in omnibus epiſtolis ſuis nunquam reperietur, nec in verbis nec in ſenſu, quod ipſe tractauerit materiam vnius vel duplicis ſpeciei, an videlicet cadat ſub præcepto Chriſti, vel quod ipſe dicat duplicẽ ſpeciem eſſe de præcepto Chriſti, ſed quia in calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, non hoc faciebant quod Ieſus Chriſtus fecerat, ſcilicet vinum cum aqua tantummodo mixtum offerendo, ſed vel lac pro vino, vel vuas admiſcẽdo, vel aliquod aliud offerendo, conſecrando, ſicut & miniſtrando populo contra ritum & modum à Chriſto traditum, & ideo reprehendendi erant, quia grauiter errabant, vel forte quia calicẽ non conſecrabant, aut fortè aqua vino non miſcebant. Offerre autem populo ſub vna ſpecie, ex conſuetudine & ſtatuto Eccleſię, non errare, & ita non reprehenſibile, imo laudabile & meritorium, cum nihil agatur in calice Dominico ſanctificando, quod Chriſtus non fecerit, in quo totus error prædictorum conſiſtebat. Si enim in ſanctificando & conſecrando calicem Domini, conſecraſſent vinum & aquam, ſicut Chriſtus fecerat, & ſicut nũc Eccleſia facit, licet aliter populo poſt conſecrationem hoſtiam miniſtrarent, non conſecratum vinum vel aquam, ſicut nunc facimus, nõ fuiſſent tantum repræhẽſibiles, niſi inquantum contraueniſſent cõſuetudini Eccleſiæ. Ad ſecundam auctoritatem eiuſdem, dicendum, quod loquitur martyr ſecundum conſuetudinem quam habebat in eccleſia cui præſidebat. Et ſicut tunc neceſſarium erat, id eſt, vtile, in quotidiana pugna exiſtentibus, ſumere Euchariſtiæ ſacramentum, iuxta morem Eccleſiæ ſub vtraque ſpecie, ſicut & nunc valde vtile eſſet, & eſt fidelibus ſæpius accipere hoc diuiniſſimum ſacramentum ſub vna ſpecie, qua armentur contra inſtantia huius miſerabilis mundi pericula & tentationes quas iam Antichriſtus per ſuos miniſtros parare incepit, & grauiſſimè producere, nec minus erunt armati fideles, ſub vna ſpecie ſumentes, quam eſſent illi qui idem & tantundem ſumebant ſub vtraque. Et vtiq; optimè facit ad propoſitum auctoritas eiuſdem martyris loquẽtis de preſſura & de temporibus Antichriſti, qui Chriſti milites his grauiſſimis temporibus fide incorrupta & veritate robuſta debent ſe parare ad perſiſtendum fortiter, & vt armẽtur & fortificentur, debent quotidie ſpiritualiter fide & deuotione calicem Domini bibere, & ſæpe ad ſacramentalem communionem vnius ſpeciei, ſub qua vera caro Chriſti & verus ſanguis Chriſti cum cæteris concomitantibus continetur, accedere, quemadmodum & ad communionẽ ſub duplici ſpecie, de qua idem martyr loquebatur, propter conſuetudinem quæ tunc in eccleſia ſua habebatur, fideles deuotiſſimè accedebant. Ad tertiam eiuſdem dicendum, quod dictus martyr loquitur de communione ſimpliciter, nec eſt ſenſus quod tunc aliqui ſacerdotes miniſtraſſent militaturis pro Chriſto, hoſtiam tãtum, ſine vino, & quod propter hoc ipſos reprehenderet, ſed quia denegabant eis ſimpliciter ſacramentum, vtitur autem magis terminis ſanguinis & poculi propter ſimilitudinem effundendi ſanguinis in martyre. Ad quartam eiuſdem martyris, dicendum, quod calix Domini lætificat turbam non ratione ſpecierum, ſed ratione rerum, vt ſæpè dictum eſt, & ideo ſiue ſub vna ſpecie, ſiue ſub duplici ſumatur, fideliter & deuotè, ſemper lætificat turbam; quia verò tempore prædicti martyris conſuetudo erat duplicis ſpeciei. Idcirco ex quo calix dabatur populo, debebat dari eo modo quo Chriſtus dederat, videlicet vinũ cũ aqua mixtũ, ꝓpter ſignificationẽ. Nã aqua populũ ſignificat, q̃ mixta in calice cõiunctionẽ populi ad Chriſtũ ſignificat, qđ vtiq; nõ faciebãt illi, quos dict⁹ martyr repræhẽdebat, & ob hoc errabãt, vnde meritò erant repræhendendi. Cũ aũt dicitur: *veritas Dominica &c.* dicendũ quod verum eſt quod Chriſtus ſeorſum panem, & ſeorſum vinum tradidit. Non tamen ſic præcepit laicis tradendum, nec de hac veritate loquitur hic martyr, ſed de veritate ſanguinis ſiue vini & aquæ, quæ in calice debet offerri, & pro tunc populo tradi, quam veritatem nõ ſequebantur illi, qui hîc reprehenduntur, quia vel lac offerebant, vel aquam nõ admiſcebant, vel aliquem alium errorẽ ex prædictis in conſecrando & miniſtrãdo committebant. Ad aliud, quod qui ex contemptu dimittebant tunc bibere ſanguinem Chriſti, quaſi erubeſcentes, errabant & grauiter peccabant, cum ex contemptu, tum quia contra conſuetudinem Eccleſiæ faciebant, & ex hoc ſignum erat modicæ deuotionis & modici feruoris qui ad ſuſtinendum martyrium maximus requiritur. Similiter & nunc dicere poſſumus quod ſanguinẽ pro Chriſto effundere non poterunt qui ſanguinem Chriſti ſub duplici ſpecie, ſicut ſunt ſacerdotes, vel ſub vna vt laici, bibere erubeſcunt, ſacram communionem contemnentes.

Epiſt. ad Cęciliũ 63.

Epiſt. 54.

Supra in motiuis Eccleſiæ pro vna ſpecie circa finem.

Ad Fulgentium.

Ad auctoritatem quæ ſub nomine Fulgentij allegatur dicendum primò, nullam facit mentionem de neceſſitate aut de præcepto Chriſti, nec facit mentionem de communione laica, quare in nullo aduerſarijs ſuffragatur. ſed aduertendum quod prædicta auctoritas ſub nomine Fulgentij allegata, nõ eſt illius antiquiſſimi doctoris, cuius auctoritas in magna veneratione habetur apud Eccleſiaſticos doctores, quod patet tam ex diuerſa allegatione dictæ auctoritatis quàm etiam ex ſuſpecta doctrina quæ in dicta auctoritate videtur contineri. nam vt refert Magiſter Thomas Anglicus, qui doctrinam VVickleff pleniſſimè legit, optimè intellexit, & fortiſſimè atque acerrimè, vt verus Eccleſiæ Catholicæ filius & doctor Catholicus, impugnauit, hunc Fulgentium VVickleff animo vocabat magnum Ambroſium, vel ſaltem magni Ambroſij diſcipulum. Alij verò ſubſequentes VVickleuiſtæ hunc eundem vocauerunt & vocant Iſidorum. Alij verò VValeranum, Alij autẽ vocant & nuncupant Fulgentium. hanc autem falſam denominationem dictæ auctoritati & alijs fortaſſe dederunt VVickleuiſtæ, vt propter auctoritatem dictorum Doctorum, quorum falsè nomina aſſumunt, facilius valeant ſimplices & incautas mẽtes decipere, vnde videtur prædicta auctoritas eſſe Berengarij, qui aliquando malè ſenſit de veritate huius ſacramenti, cuius reuocatio habetur de conſe. diſt. 2. Ego Berengarius, qui vt refert Magiſter Thomas, in 2. à damnatę memoriæ VVickleff differebat, quia dicebat in hoc ſacramento poſt conſecrationem, panis & vini ſubſtantiam remanere ſimul cum vero corpore & ſanguine Domini noſtri IESV Chriſti. VVickleff verò totaliter amouit ſubſtantiam & veritatem corporis Chriſti ab hoc ſacramento. Ita dicit VValeranus 3. c. de azymo & fermentato. *Significari, inquit, pane illo dixi Eccleſiam, non in eo quod offertur, & conſecratur, ſed in eo quod de multis granis vt dictum eſt, conficitur. Nam in eo quod conſecratur, nec ipſum indiuiduum corpus Domini ſignificat, ſed eſt: transfuſo in ſe Dei verbo per fidem paßionis. Dominus enim, non, hoc ſignificat, ſed hoc eſt corpus meum, inquit.* Hæc ille, cuius memoria in damnatione eſt: videtur autem fuiſſe prædictus Berengarius tempore Anſelmi, vt poteſt perpendi ex epiſtola, quæ in prœmio ponitur libri eiuſdem Anſelmi de corpore & ſanguine Domini, in qua eundem redarguit de errore ſuo, quem tenebat in capitulo de Euchariſtia & fraternè monet, vt errorem ſuum corrigat. Patet ſecundo, quod dicta auctoritas non ſit magni Fulgentij, propter ſuſpectam doctrinam in ea contentam. Nam manifeſtè ſapit errorem Berengarij, qui poſuit ſubſtantiam panis & vini ſimul cum ſubſtantia corporis Chriſti in hoc ſacramento remanere. vnde dicit: *verbum Patris carni & ſanguini quem de vtero virginis aſſumpſerat, & pane ac vino quod in altari ſumitur, medium interueniens, vnum efficit ſacramentum.* Ecce quàm apertè hîc patet venenum, cùm dicit. quod verbum Patris interueniens ex carne & ſanguine & pane ac vino vnum efficit ſacramentum, quod eſt omninò contra fidem Catholicam. Idem oſtenditur error per verba ſequentia, cum dicit, quod cum in ora fidelium ſacerdos diſtribuit, panis & vinum abſumitur & tranſit, partus autem virginis cum vnito ſibi Verbo patris & in cœlo & in hominibus integer permanet & inconſumptus. Ecce iterum dicit quod in ora fidelium ſacerdos diſtribuit panem & vinum, quod omninò eſt à fide eccleſiæ alienũ. Ex quibus manifeſtè colligitur, quod dictus auctor cuius eſt dicta auctoritas, & multæ aliæ ſimiles, nec auctoritate Ambroſius magnus fuerit, nec eius diſcipulus, nec fide Iſidorus, nec ætate Fulgentius, ſed potius Berengarius quãdoque in fide de vino, & contemporaneus Anſelmi, vel fortè aliquis eius Berengarij diſcipulus in errore. quapropter ſimpliciter neganda eſt huiuſmodi auctoritas, & cæteræ ſimiles, cum earum auctore. laborandum tamen eſſet, vt ori-

Thomas VValden. de ſacramen. Euchariſtiæ, c. 93.

Cap. 41.

ginalia

ginalia haberentur magni Fulgentij, & aliorum, vt manifeſtior fieret ſacrilega malitia VVickleſiſtarum, qui non deſiſtunt ſacrarum ſcripturarum & Catholicorum Doctorũ ſanum peruertere ſenſum. Legi ſiquidem eiuſdem Fulgentij tractatum de fide incarnationis filij Dei, inſuper libellũ eiuſdem de quinque quæſtionibus ad Ferrandum Carthaginenſem Diaconum, & nihil de huiuſmodi ſuſpecta doctrina valui deprehendere in dictis eiuſdem præclariſſimi & glorioſiſſimi Doctoris. Ad antiqua miſſalia dicendum, quod miſſalia antiqua continent rubricam & notulam ſecundum conſuetudinem primitiuæ eccleſiæ, in qua in aliquibus locis conſuetudo erat communionis vtriuſque ſpeciei, quo ad populum: nec tamẽ in illa notula, dicitur quod ſic fieri debeat ex neceſſitate aut ex præcepto: & vt clauus clauo retundatur, cum adducunt antiqua miſſalia, adducamus & nos antiquiſſima, in quibus rubrica & notula de officio dici paraſceues ſentiat, & ponit, quod illo die corpus & ſanguis non debent conſecrari, ſed quod hoſtia à præcedenti die debet ſeruari, ſola ſpecies ſcilicet panis debeat ſumi à ſacerdote. Quod ſi tali ac tanto die ſufficit toti Eccleſiæ, ſub ſola ſpecie panis corpus Chriſti & ſanguinem ſumere, multo magis ſufficiet ſic ſumere laicis. Et ſine dubio ſi fuiſſet præceptum Chriſti, ſemper ſumere ſub vtraque ſpecie, nequaquam eccleſia tali die, in quo maximè Chriſto paſſo compatitur & conformatur, in pœnitentia, in ieiunijs, in vigilijs, in peregrinationibus & alijs pijs, ſanctis, & deuotis operibus, prætermitteret præceptum Chriſti adimplere, nec permiſiſſet Deus à tantis temporibus, tam periculosè errare eccleſiam, & in tali die in qua maximè fideles & populus Chriſtianus humiliatur, compungitur, & Chriſto Domino ex intimis cordibus afficitur & compatitur. Ad relationem Nicolai de Lyra, quod fideles antiquitus in vtraque ſpecie communicabant, & quod ſic dabatur fidelibus in primitiua eccleſia, ſæpe conceſſum eſt, & conceditur, nec tamen Nicolaus de Lyra dicit aut refert quod hoc facerent ex præcepto Chriſti. Similiter ad VVilhelmum de monte Landuno dicendum eſt, quod ipſe refert, quod tempore ſuo in multis locis communicabatur cum pane & vino, & cum toto ſacramento, ſanè intelligendo pro pane & vino ſpecies ſacramentales, non tamen dicit Doctor, quod in illis multis locis fieret huiuſmodi communio ſub vtraq; ſpecie ex præcepto Chriſti. Similiter ad id quod Nicolaus de Lyra dicit, quod per Apoſtolos ſuos facit & fecit Dominus hoc conuiuium miniſtrari omnibus Chriſtianis per orbem diffuſis, verum dicit, ſiue ſub vna ſpecie, ſiue ſub duplici miniſtretur, quia etiam ſub vna ſpecie verum & perfectum conuiuium carnis Chriſti & ſanguinis miniſtratur, nec dicit quod ſub vtraque ſpecie Chriſtus præcepit omnibus Chriſtianis miniſtrare. Et idem dicendum eſt ad auctoritatem eiuſdem de multiplicatione virginũ. Ad auctoritatem ſancti Thomæ, in qua facit mentionem de diſpẽſatione ſanguinis per Diaconos, & de ſancto Laurentio, & ad auctoritatem Auguſtini qui inducit dictum ſanctum martyrem in Romana eccleſia Chriſti ſanguinem diſpenſaſſe, dictum eſt ſuperius in reſponſione ad quandam auctoritatem dicti S. Thomæ.

SED iam ad auctoritates duorum Conciliorum, quas iam adducit, dicendum eſt, & primò ad decretum Concilij Carthaginenſis quarti dicendum quod Euchariſtia, vt dictum eſt ſuperius, in quodam decreto duodecimi Concilij Toletani, propriè accipitur pro hoſtia. tamen quandoq; accipitur pro toto ſacramento, hoſtia videlicet & ſanguine, Nunquam verò, quantum memoriæ occurrit, Euchariſtia accipitur pro ſolo ſanguine. Tota ergo difficultas huius decreti remanet in hoc verbo, *infundatur*, quia infundi pertinet ad liquidam materiam. Quare dicẽdum quod illud verbum, *infundi*, reducatur ad Euchariſtiam, vt ſit ſenſus, *infundatur*, id eſt, immittatur, non ſub ſpecie vini, quia non dicit hoc canon, ſed ſub ſpecie panis, vel è conuerſo Euchariſtiæ nomen trahatur ad verbum, infundi, vt videlicet ſit ſenſus Originis: infundatur Euchariſtia, ſcilicet ſub ſpecie vini, vel quod vtrumq; ſtet in propria ſignificatione, & per ſyncopam de toto ſacramento intelligatur, vt ſit ſenſus, quod detur ſacramentum ſub ſpecie panis, ratione nominis Euchariſtiæ, & ſub ſpecie vini ratione verbi, infundi & quocũque modo intelligatur, nullum inconueniens ſequitur, nec

[Left margin: ...uprà pro ...atione 3. ...x doctri... ...a ſacro... ...i Conci... ...orum.]

aduerſarius habet intentum, quia concilium diſponebat ad miniſtrationem ſacramentorum ſecundum conſuetudinẽ quæ tunc in Eccleſia Affricana & Carthaginenſi ſeruabatur. Nec dicit ille canon, quod ideo ſic ſanctum Concilium inſtituerit, quia eſſet præceptum Chriſti aut cuiuſcunque Apoſtolorum, quod ſtatutum & præceptum Concilij, ex quo non emanabat originaliter, ex præcepto & oblatione Chriſti, potuit rationabilibus & iuſtis de cauſis, per conſuetudinem vel per decreta ſummorum Pontificum, aut etiam Cõciliorum generalium ſequentium abrogari. Ad illud aũt ꝙ adducitur de Concilio quarto Toletano, dicendum quod nulla mentio fit ibi de ſpeciebus, ſed tãtummodo de corpore & ſanguine Domini noſtri, quæ duo plenè & perfectè ſumuntur ſub ſpecie panis. Poſtremò & finaliter adducit Dominus proponens tres rationes, quarum rationum omnes maiores propoſitiones concedo, ſed pro declaratione minorum propoſitionum reducenda eſt ad memoriã diſtinctio poſita à principio reſpõſionis ad auctoritates inductas per eundem, dicebatur enim ibi, quod in cõcluſionibus ſuis & meis duo erant attendenda, videlicet ipſa communio ſecundum ſe conſiderata, non habito reſpectu ad vnam vel ad duplicẽ ſpeciẽ, aliud, qđ talis cõmunio debeat dari ſub vna vel ſub duplici ſpecie populo laicali vel non conficientibus. Quantum ad primum, concordia eſt inter ipſum & me, videlicet communio diuiniſſimæ Euchariſtiæ eſt multum vtilis, valde neceſſaria Chriſtifidelibus, & quod innumeros effectus ſpirituales efficit in accipiẽtibus & ſumentibus dignè, & quod etiam ſecundum multorum doctorum intentionẽ & opinionem, cadit ſub præcepto omnibus Chriſti fidelibus vſum rationis & diſcretionis habẽtibus, & taliter diſpoſitis, prout decet & congruit honori & reuerentiæ tanti ſacramẽti; & ad hunc ſenſum conceſſi ſibi omnes auctoritates ſanctorum extollentes vtilitates & effectus huius diuiniſſimi ſacramenti, eas etiam quæ neceſſitatem aut præceptum videntur importare; & ſimiliter ad hunc ſenſum concedo ſibi omnes propoſitiones ſuas minores, & auctoritates quibus probat eas. Sed quantum ad ſecundum, videlicet, quod ſit vtile & neceſſarium, aut de præcepto Chriſti ſumere dictũ ſacramẽtum magis ſub duplici ſpecie quam ſub vna, niſi in quantum Eccleſię conſuetudo vel ſtatutum magis ad vnum modum vel ad aliud declinaret, negaui, & nunc finaliter nego, quia nulla auctoritas in tota ſua poſitione poſita, ſiue ſit auctoritas ſanctarum ſcripturarum, ſiue cuiuſcunq; ſancti, aut doctoris, nec implicitè nec explicitè, nec aliquo modo dicit, innuit, aut prætendit præceptum Chriſti determinare magis duplicem ſpeciem, quam vnam, vel è cõuerſo, in cõmunione vel ſumptione laicorum vel non conficientium. vnde patet, quod in omnibus huiuſmodi argumẽtationibus paralogizatur arguendo à ſimpliciter, ad ſecundum quid. imò in iſtis vltimis rationibus, auctoritates quas adducit ad probandum minores ſuas, vt plurimum potius faciunt pro vna ſpecie, quam pro vtraque: ſicut eſt: *panem de cælo dediſti &c.* Item de conuiuio ſiue de nuptijs, quas rex fecit filio ſuo, in quibus nulla fit mentio de vino aut potu, tanquã de impertinenti ad ſacramentũ, quod illæ nuptiæ præfigurabant. Ex quibus nullo modo concluditur neceſſitas aut præceptũ vtriuſq; ſpeciei. Et hęc dicta ſunt de 3. par. & vlt. & per cõſequens de tota poſitione, quã dictus dñs proponẽs poſuit corã hoc ſacro Concil. Baſil. in Spiritu S. legitimè congregato, pro defenſione cõmunionis laicalis ſeu nõ conficientiũ ſub vtraq; ſpecie, in qua reſponſione & defenſione conſuetudinis eccleſiæ Cath. ſi quid minus ſufficienter poſitũ eſt, pium & beneuolũ deſidero correctorẽ, & nihilominus prædicta ſubiicio correctioni & emẽdationi huius ſacroſ. general. ſynodi Baſil. & ex toto corde adhęreo proteſtationi per me in principio huius actus præmiſſę, ad laudẽ omnipotentis Dei, cui ſit laus honor & gloria, per infinita ſecula ſeculorũ, amẽ.

[Right margin: Cap. 17.]

PRO finali confirmatione veritatis Catholicæ, & cõſuetudinis cõmunionis ſub vna ſpecie, quantum arctitudo temporis permittit præſenti actui, videndũ eſt per exẽplum & per experientiam, quæ eſt rerum omniũ magiſtra, quid poſſit vniuerſalis Eccleſia Catholica circa ea quæ pertinent ad fidem & regimen Chriſti fidelium. Et ante omnia præſupponendum eſt, quod Eccleſia Chriſti fidelium, non eſt minoris auctoritatis ſub lege Euangelica, quam fu

[Right margin: Eccleſia fide... C... tholica ...uo eſt mi... ...noris au... ...horitati... circa ea ... pertinent... ...d fidem ...& regim... Chriſtia... ...norum ... ...ynagog...]

[Right margin: [illegible]]

erit ſynagoga Iudæorum ſub lege Moſaica: Reperimus autem, quòd non ſolum ſynagoga vel in ea exiſtentes pro tempore præter legem Dei noua ſtatuta, traditiones, & cerimonias ſtatuerit, ſed etiam circa præcepta diuina diſpenſauerit, quod planè inducitur & declaratur per exempla. Et primò Heſter 9.c. vbi Iudæi conſtituerunt xiiij diem Martij eſſe ſolemnem. fertur enim ibidem, quod quando ſentētia, quæ erat in mortem omnium Iudæorũ ſub rege Aſſuero degentium, mutata fuit in ſententiam ſalutis, tunc ſtatutũ fuit, vt xiiij. dies menſis duodecimi, cum omni lætitia inter dies feſtos celebraretur, vt in poſterum agnoſcatur &c. Et paulò pòſt. *omnis autē prouincia & ciuitas quæ noluerit huius ſolēnitatis eſſe particeps, gladio & igne pereant*, vt habetur vlt. c. ibid. præceptum igitur de die huius feſtiuitatis, non erat legis diuinæ, ſed vnanimi conſenſu populi ſtatutum eſt, & tentum vniuerſaliter in lege veteri per Iudæos, & tenetur omni anno vſq; in præſentem diē. Item Iudas Machabæus & fratres eius. & vniuerſa Eccleſia Iſrael conſtituerunt, vt agatur dies dedicationis altaris, ab anno in ann, per dies 8. 1. Machab. 4. Dauid quoq; conſtituit cantores & ſummos ſacerdotes, 1. Paralip. 15. multa huiuſmodi ſtatuta, ceremonias & ordinationes diligens lector in veteri lege percipiet, ſiue communi conſenſu populi factas & ordinatas, ſiue etiam particularium, inſignium tamē perſonarum, gratas & acceptas Deo. quemadmodum habetur de Ionadab patre Rechabitarũ, de quibus legitur Hierem. 35. vbi habetur quod Deus præcepit Hieremiæ, vt intraret in domũ Rechabitarum, & inductis Rechabitis in domum Dñi, daret illis vinum ad bibendum, & eidem Hieremiæ iuxta verbum Domini facienti, reſpōderunt Rechabitæ in domo Domini: *nō bibimus vinum, nos & domus noſtra in æternum.* ad quos Hierem. dixit: *cur bibere non vultis iuxta verbum Domini vobis oblatum vinum?* Reſponderũt: *quia pater noſter Ionadab filius Rechab, nobis conſtituit, vt non ædificemus domos, non colamus agros, aut vineas, & non bibamus vinũ in æternum.* Et circa [illegible]. eiuſdem cap. laudauit Dominus obedientiam Rechabitarum, & præmium adijciendo dixit: *pro eo quod obedierunt Rechabitæ præcepto patris ſui Ionadab, non deficiet homo de domo Rechabitarum in ſempiternum.* Ecce quàm apertè declaratur, quod etiam præter legem Dei licet facere particularibus perſonis ordinationē vel ſtatuta, ſemper tamen in bonum, & in his quæ tendunt ad perfectionem, quēadmodum fecit Ionadab filius Rechab, cuius præceptum ipſe Dominus approbauit, q̃ vtiq; non feciſſet niſi placuiſſet ei. Quantum verò ad immutationem diuinorum præceptorum, in veteri lege patet, quia licet circumciſio ſtrictiſſimè præcepta fuerit, vt patet Gen. 17. quando Dominus apparuit Abrahæ 99. annorum exiſtenti dicens ad eum. *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus, ponamq; fœdus meum inter te & me*, & infrà: *ſtatuamq; pactum inter me & te, & inter ſemē tuum poſt te in generationibus tuis fœdere ſempiterno*, & infrà: *tu ergo cuſtodias pactum meum & ſemen tuum poſt te, in generationibus ſuis: hoc pactum eſt quod ſeruabitis, circumcidetur ex vobis omne maſculinum & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit ſignum fœderis inter me, & vos: infans octo dierum circumcidetur in vobis: omne maſculinum in generationibus veſtris tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur, & quicunq; nō fuerit de ſtirpe veſtra, eritq; pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum, Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Ecce fœdus æternum, ecce pactum ſempiternum inter Deum ex vna parte, & Abraham & ſemen eius in generationibus ſuis poſt ipſum, parte ex altera: Nihilominus Moyſes cũ de AEgypto Iſrael filios educeret, tam ſtrictè à Dño præceptã circumciſionem per annos xl. ob cauſam laboris itineris prætermiſit, nō enim filij Iſrael leguntur circumciſi in deſerto, ſed poſtquã eos Ioſue eduxerat, in terrã promiſſionis trans Iordanem, ibi in Galgalis ſeu in colle præputiorũ iuxta præceptum Dñi eos circumcidit. Ioſ. 5. Item legitur 1. Machab. 2. c. quod Matthatias cum ſua ſocietate, non obſtante quod dies ſabbati fuiſſet tam de lege naturæ, quam de lege ſcripta, ſtrictiſſimè præcepta, conſtituerunt ſcil. Iudæis, quod non licebat ſecundum legem, vt pugnarent contra gentes etiam diebus ſabbathorũ: Item Leuit. 8. habetur, quod panis propoſitionis laicis non debebat exponi ad mãducandum, & tamen Dauid cum pueris ſuis, tempore neceſſitatis, apud Abimelech ſacerdotem eis vſus fuit, vt patet 1. Reg. 2. Matth. 12. Lucæ 6. Sic denique ſerpentem æneum quem Dominus præcepit fieri per Moyſen, dicens, Num. 21. c. *& fac ſerpentē æneum, & pone eum pro ſigno*, ſanctus Ezechias rex. 4. Reg. 18. c. dexſtruxit, ſic enim refert ſcriptura de eo *fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater, ipſe diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitq; ſerpentem æneum quem fecerat Moyſes. Siquidem vſq; ad illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum*: ex quibus & quam pluribus alijs exemplis veteris legis, ſatis manifeſtè colligitur, quod ſi ſynagogæ Iudæorum, vel eiuſdem gubernatoribus, vel alijs particularibus licuit, ſtatuta, ordinationes, & Ceremonias ſtatuere, & ex certis & rationabilibus cauſis etiam diuinam legem interpretari, & ex hoc immutare aut tollere, ſiue ſuſpendere pro tempore; multo magis hoc licet & licebit Eccleſiæ Catholicæ, & eius vniuerſali pōtifici Papæ ſcilicet, qui totius Eccleſiæ curam gerit, qui non eſt minoris auctoritatis in populo Chriſti, quam fuerit Moyſes in populo Iudæorum, maximè cum ipſe Chriſtus indefectibilem aſſiſtētiam ſui & Spiritus S. Eccleſiæ Catholicæ promiſerit, dicens & loquens Apoſtolis: *ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi.* & ſimiliter eiſdem loquens de aſſiſtentia Spiritus ſancti Io. 10. dixit: *paraclitus autē ſpiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis*, Et ne quis æſtimet quod ſolis Apoſtolis & non futuris Eccleſiæ rectoribus ſit hoc dictum, ideo Io. 14. idem Dominus dicit: *Ego rogabo patrem & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis*, poteſt igitur Eccleſia Catholica ſtatuta & ordinationes facere, præter ea quæ in lege Chriſti expreſsè continentur, & etiam ipſam legem Chriſti interpretari, & ex certis & rationabilib⁹ cauſis, pro locorum & temporum varietate præcepta eius & ordinationes ſuſpendere, tollere, aut immutare, pro tempore, quod tamen nuſquam factum eſt, quia nunquam præceptum in virtute aut in ſubſtãtia vſquequaque ab Eccleſia ſublatum eſt aut immutatum: & ex hoc concluditur, quod ſi etiam communio vtriuſq; ſpeciei fuiſſet de præcepto Chriſti, quod tamen nullo modo conceditur, quia nullo modo verum eſt, ipſam Eccleſia Catholica ex certis cauſis potuiſſet immutare aut tollere, multo magis quam Moyſes circumciſionem vel Machabæi ſabbatũ, quæ tam ſtrictiſſimè diuina lege obſeruari mandabantur, & ritũ vnius ſpeciei ſtatuere. Et hæc ratio in materia omninò conuinceret aduerſarios, ſi conuenirent nobiſcum in acceptione, quid eſt eccleſia Catholica, quia nullo modo auderēt negare præeminentiam legis Euangelicæ & eccleſiæ Catholicę ad legem Moſaicam & ſynagogam Iudæorum. Sed iam ad ea quæ eccleſia Catholica Chriſti in præteritũ fecit, ſtatuit & ordinauit, oculos dirigamus, vt præteritorum memoria mente moueat noſtram, de præſentibus & futuris cogitare. In primis quidem manifeſtum eſt Bibliam, quæ eſt fundamentum totius fidei noſtræ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, robur & auctoritatem accepiſſe ex acceptatione & approbatione eccleſiæ vniuerſalis, ſecũdum reparationem & innouationem Eſdræ ſcribæ magni ſacerdotis, cuius innouatio per multa tempora, ante Chriſti aduentum fuerat, per ſynagogam Iudæorum acceptata & approbata. Inſuper manifeſtum eſt multos in eodem volum. libros contineri, qui apud Iudæos in auctoritate non habentur, ſed inter apocryphos computantur. Qui tamen apud nos in eadem veneratione & auctoritate habentur, ſicut & cęteri, & hoc vtiq; nō niſi ex traditione & acceptatione vniuerſalis eccleſiæ Catholicę, quibus contradicere nullo modo licet pertinaciter. Inſuper cũ multi Euangelia ſcripſerint, vt habetur diſt. 15. in decretis, vtpute, Bartholomęus, Nicodemus, & quàm plures alij, de quibus dictũ eſt in ſuperiorib. tñ eccleſia Catholica omnib⁹ alijs ſpretis, quatuor tantũmodo acceptauit, approbauit, & in auctoritate atq; in ſumma veneratione habere voluit. Et quod prædicti libri Diuinæ legis tam veteris quã noui teſtamenti auctoritatem ab eccleſia habeant: patet per egregium Doctorem Auguſtinum contra Fauſtum hæreticum ita dicentem. *Noſtrorum librorum auctoritas ex gentium conſenſione per ſucceſſores Apoſtolorum Conciliorumq; roborata vobis aduerſa eſt*: & iterum: *non crederem Euangelio, niſi me Eccleſiæ Catholicæ auctoritas commoueret.* Item quis 14.

Synagoga nō modo pro tēpore, noua ſtatuta traditiones, & ceremonias inſtituit. Patet in feſto Sortium. Encæniorum.

Inſtitut. cantorũ.

Obligatione Rechabitarũ à patre. Quædam verba in Hieremia non habeantur.

Sed & in quibuſdã præceptis diuinis diſpenſauit. Patet in circumciſione. Ioſ. 5.

Pugna in ſabbatho.

Panibus propoſitionis,

Dauid ad manducãdũ datis. Serpente æneo deſtructio

Sic eccleſia poteſt ſtatuta cũdere, præter ea quæ in ſcripturis expreſſa ſunt, & ipſam legē interpretari.

Vt cõſtat ex acceptatione & approbatione librorũ noui & veteris teſtamenti.

Aug. contra Fauſtũ Manichæum lib. 11. c. 2. & lib. 13. c. 5.

Contra ep ſt.Manichæi q d citur fundamē tum, c.5.

Epiſtolas Pauli in auctoritate habendas ſtatuit, & qui-quintam decimam reſecauit? Nam & vnam Laodicenſibus ſcripſit, de qua ipſemet Apoſtolus facit mentionem ad Coloſ. 4.c. in fine, vbi dicit: *& ea quæ Laodicenſium eſt vulgatur:* Similiter cum apud plures dubium fuerit quis eã quæ ad Hebr. eſt epiſtolam ſcripſerit, quis eam aſcripſit Paulo Apoſtolo? cum plures etiam eiuſdem epiſtolæ ad Senecam legantur, quis eos remouit, vt non cum cæteris in auctoritate haberentur? vtique hæc omnia auctoritate ſolius eccleſiæ geſta ſunt, cuius etiam auctoritas epiſtolas canonicas, Act. Apoſtolorum, & Apocalypſin Ioannis, inter canonicos & diuinos libros haberi voluit, ſtatuit, & ordinauit. Item cum plures Bibliam in Latinum tranſtulerint, ſiue de Hebræo ſiue de Græco, ſolius tamen noſtri Hieronymi glorioſiſſimi tranſlatio eccleſiæ auctoritate antefertur. Cum igitur omnis noſtra auctoritas in affirmãda veritate Catholica & aduerſa falſitate confutanda ortum habeat à fonte ſacrarum ſcripturarum, vtique multò fortius habebit ab ipſa eccleſia Catholica, quæ & ipſas ſcripturas ſacras tradidit, & ſtatuit in auctoritate habendas: Præterea gloſſa ordinaria ſuper totã Bibliam, libri ſanctorũ doctorum Ambroſij, Hieronymi, Aug. Gregorij, & aliorum, leges ciuiles, decreta, decretales, & omnes aliæ ſcripturæ, quæ inter Chriſtianos in auctoritate habentur, nõ aliunde habent auctoritatem, niſi ab eccleſia & in tantum valent quantum ab eccleſia probantur, aut ſaltem ſuſtinentur, aut permittuntur. Inſuper auctoritate eccleſiæ vniuerſitates & ſtudia fundata ſunt, gradus magiſtrales & doctorales in omni facultate ordinati & conceſſi ſunt in eiſdem. Denique quanta circa fidem eccleſia Catholica ſtatuerit vel ordinauerit, vel pro infallibili veritate tenenda mandauerit, manifeſtè liquet. Nam licet ex ſcripturis ſanctis conſtet eſſe trinitatem in diuinis, tamen, quod ſinguli in trinitate exiſtentes, perſonæ nominentur hoc eccleſia Catholica ordinauit & ſtatuit. ſuper quod in Chriſto nõ ſint duæ perſonæ, vt quidam hæreticorum poſuerunt, cum ex ſcripturis manifeſtè nõ habeatur, hoc per doctores ſuos eccleſia declarauit. Similiter, quod mater Chriſti, mater Dei diceretur. Item nuſquam in canone ſacræ ſcripturæ reperitur, quod paruulus recenter baptizatus, qui nec corde credit ad iuſtitiam, nec ore confitetur ad ſalutem, inter fideles & credentes computetur, & nihilominus eccleſia ita determinauit, & ſtatuit, quod ſi quiſquam negare hoc auſus fuerit, apertus vtique iudicabitur hæreticus. vnde Aug. de verbis Apoſtoli, ſer. 14. *vbi ponis paruulos baptizatos? profectò in numero credentium. Nam ideo ex conſuetudine antiqua, canonicã & fundatiſſima paruuli baptizati fideles vocantur.* & infra: *inter credentes inter baptizatos paruulos numerabis, nec iudicare vllo modo aliter audebis ſi nõ vis apertus eſſe hæreticus, ergo ideo habent vitam æternam, quia qui credit, habet vitam æternam. Noli eis ſine iſta fide, & ſine iſto ſacramento huius fidei, promittere vitam æternam.* & infrà: *ratiocinationes eorum ſcil. Pelagianorum à tunc videntur compellere, ſed auctoritate reprimuntur Eccleſiæ, ne non dicam ſpiritu hominum obruantur, ſed ipſorum infantium lachrymis tanquam flumine pertrahantur:* & ſic patet quod eccleſia fundauit ibi fidem, quæ ex canone ſcripturæ non habetur. Item nullus canon Bibliæ te docet, quod ſi aliquis mortuus fuerit, & non crediderit, quod talis ſaluetur: imò habetur oppoſitum, Marc. vlt. c. *qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui verò non crediderit, damnabitur*, & nihilominus fides eccleſiæ ſtatuit, vt quilibet fidelis firmiter credat, paruulum baptizatũ etiam ſi ante vſum rationis moriatur, ſaluari. vnde Aug. & ponitur in can. 15. q. 1. c. Firmiſſimè, vbi ſic habetur: *Paruulis verò qui nec dum propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere poſſunt, ſacramentum fidei, quod eſt ſanctum baptiſma, quam diu rationis ætas eorum capax eſſe non poteſt ſufficere ad ſalutem:* Item ſola auctoritas eccleſiæ conſtituit, vt compatres in baptiſmo paruuli fidem pro ipſo reſpõdeant, loco eccleſiæ, & quod fides eccleſiæ ſufficit paruulo, ſic baptizato, quam diu ad ætatem non peruenerit, ad ſalutem. Et ſic auctoritas eccleſiæ nobis inſtituit, vt paruuli per aliorum pedes ad fidem veniãt, per aliorum corda credant, per aliorum linguas in baptiſmo reſpõdeant & fidem confiteantur. vnde Aug. in lib. 3. de liber. arbitr. & habetur de conſ. diſt. 4. *illud perſcrutari homines ſolent ſacramentum baptiſmi Chriſti quid proſit paruulis, cùm eo accepto*

Ex receptione nominis perſonæ in S.S. Trinitate.

Item baptiſmo paruulorum, & aſſignatione cõpatrum.

ap. 23.

ap. 7.

plerumq; moriuntur, priuſquam ex eo quidquam potuerunt cognoſcere, qua in re ſatis piè recteq; credimus, prodeſſe paruulo fidem eorum à quibus conſecrandus affertur, & hoc Eccleſiæ commendat ſaluberrima auctoritas, vt ex eo quiſq; ſentiat, quid ſibi proſit ſua fides quãdo in aliorum quoq; beneficio qui propriam nondum habent poteſtatem commoda ſit. Inſuper nuſquam legitur in ſacris literis quod Apoſtoli ſymbolum minus quod in diuerſis horis diurnis ſub ſilentio dicitur, compoſuerint aut fecerint, vel in duodecim articulos diſtinxerint, & tamen fideles tenent & credunt, imo & nominant ipſum ſymbolum Apoſtolorum, & hoc non niſi auctoritate Eccleſiæ, & ſpecialiter Concilij Niceni, cuius etiam auctoritate & articulus de deſcenſu Chriſti ad inferos tenetur, firmiter creditur. Ipſum etiam ſacrum Concilium Nicænum, ſecundum & maius ſymbolum edidit, in quo plurima fidem concernentia declarauit, quod & publicè & aperta voce vbique in cunctis Eccleſijs Catholicis dicitur & cantatur, cui poſtmodum articulum, de proceſſione Spiritus ſancti à filio, Eccleſia addidit, cuius auctoritate etiam ſymbolum Athanaſij in diuinis officijs canitur. Quanta verò Eccleſia Catholica de his quæ ad fidem pertinent interpretata fuerit, declarauerit, expoſuerit, manifeſtat confutatio innumerabilium hæreſum, ad quas enumerandas non ſufficeret tempus, nec manus ad ſcribendum, nec lingua ad narrandum valeret, in quarum confutatione tot veritates fidei elucidatæ, manifeſtatæ & apertè fuere, quæ prius latebant in operto, quot fuerunt hæreſes confutatæ: ſed iam deſcendamus ad ea, quæ eadem Catholica circa diuina præcepta & ſacramenta immutauerit. Etenim licet in lege veteri prohibitæ fuiſſet lege diuina imagines viſibiles, nedum ipſius Dei, ſed quorumcunque ſanctorum hominum, nec de poſt in ſcripturis ſiue veteris ſiue noui teſtamenti conceſſa licentia eas faciendi aut fabricandi reperiatur, nihilominus Eccleſia Catholica edocta à Spiritu ſancto, nedum permiſit, imò ſtatuit & ordinauit, vt venerabiles imagines Chriſti, glorioſiſſimæ ſuæ matris, & cæterorum ſanctorum fierent, quibus manu ducerentur homines ad memorandum & recordandum geſta & facta Domini noſtri Ieſu Chriſti, & aliorum ſanctorum, vt ſic excitarentur ad eorum imitationem, & vt eorum ſæpius implorarent pro ſe ſuiſque, viuis & defunctis, ſuffragia & auxilia. Inſuper licet dies ſabbati fuerit ſtrictiſſimè ad obſeruandum & cuſtodiendum præcepta & mandata, vt patet Geneſ. 2. capitulo, vbi legitur quod poſt creationem ſex dierum ceſſauit Dominus die ſeptimo ab omni opere quod patrauerat, & benedixit diei ſeptimo, atque in lege ſcripta poſtmodum in legitimum ſempiternum conſtituerit, ſub diuerſis pœnis diem hunc ſeptimum à cunctis generationibus celebrandum obſeruari. Vnde & collectorem lignorum in die ſabbati mandauit Dominus lapidibus obrui, vt patet Numer. 15. & pro firmiori ratificatione ſuæ conſtantiſſimæ voluntatis, & pro diligentiori cuſtodia ſpeciali munimine conſignauit hoc præceptum, dicens: *Memento vt diem ſabbati ſanctifices.* Nullum enim aliorum præceptorum tantæ memoriæ ſigno conſignauit: qui dies magna ſub cuſtodia & religioſa obſeruatione ſemper habitus fuit & cuſtoditus, etiam tempore Apoſtolorum, & longè poſt obſeruatus, & nihilominus propter reuerentiam & beneficium Dominicæ reſurrectionis dictus dies ſabbati, ex ſola conſuetudine eccleſiæ vniuerſalis, fuit in diem Dominicum commutatus, præter auctoritatem cuiuſcunque ſcripturæ ſacræ veteris vel noui teſtamenti. Item Dominus præcepit Exodi 12. in legitimum ſempiternum, quatenus fidelis populus celebraret Paſcha Domini ad veſperum die 14. menſis primi quod præceptum etiam eccleſia Catholica per multa tempora poſt obſeruauit, tandem Spiritu ſancto duce, ſine cuiuſcunque ſcripturæ auctoritate prædictum ritum, quo ad tempus, propria auctoritate permutauit, taliter vt nunquam paſcha noſtrum cum paſcha Iudæorum coincidat, & ſemper in die Dominico celebretur. Item vt ſupra habitum eſt, in principio, licet circumciſio in lege fuerit ſtrictiſſimè mandata obſeruari, fueritque ipſe Dominus noſter IESVS CHRISTVS circumciſus, & omnes Apoſtoli, & etiam poſt aſcenſionem Domini fuerit obſeruata: nihilominus abſque alia auctoritate ſcripturæ Apoſtoli eam immutauerunt auctoritate Spiritus ſancti.

Ex ſymbolo Apoſtolorum.

Ex vſu imaginum.

Ex mutatione diei Sabbati in Dominicam.

Ex ordinatione paſchatis.

Eccle-

Eccleſiam dirigentis & gubernantis, vt habetur Actuum 15. vbi dixit Petrus: *quid tentatis imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri neq; nos portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari quemadmodum & illi*, vnde & infrà, ſtatuerunt Apoſtoli omninò eam deberetolli, ſcribentes epiſtolam ad fideles, qui erant Antiochiæ, per manus Pauli & Barnabæ dicentes: *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris quàm hæc neceſſaria &c.* Ex quibus manifeſtè oſtenditur poteſtas Eccleſiæ, & veritas indefectibilis in his quæ fidei ſunt, & neceſſitatis ad ſalutem. & Paulus ad Galatas 5. poſt decretum & ſtatutum Apoſtolorum, ait: *ſi circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit.* vbi apparet totalis ablatio imo annihilatio circumciſionis, quæ debuit, ſub pœna mortis lata

eaboli- ione cæ- emonia- um vete- is legis.

ab ipſo Domino, æternaliter obſeruari. Item innumeræ cerimoniæ erant in lege veteri præceptæ celebrari à Domino, quas Apoſtoli pòſt, & Eccleſia ſuſtulerunt, ex certis & rationabilibus cauſis. Item videamus mutationes factas circa præcepta Chriſti & ſacramenta nouæ legis, & primo circa ſacramentum baptiſmi, quod ipſi circumciſioni in noua lege ſuccedit. Nam Dominus noſter IESVS CHRISTVS aſcendens in cœlum, præcepit Apoſtolis dicens Matth. vltimo; *ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, in quibus verbis dedit eis & limitauit formam baptiſmi, & in perſona eorum toti Eccleſiæ, & tamen non poſt longum tempus, ipſi Apoſtoli & Eccleſia, dimittendo dictam formam, *in nomine Patris, &c.* traditam per Dominum, baptizabant tantum in nomine Chriſti, dicentes: *te baptizo in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Cum autem hoc nomen IESVS CHRISTVS dicat vnam perſonam tantum duarum naturarum, hæc autem nomina, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, dicant tres perſonas in vnu natura tantum, patet maximam eſſe differentiam inter has duas formas baptiſmi, ſcilicet, *in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, &, *in nomine Ieſu Chriſti*, & licet ſecundum rem & eſſentiam idem ſit baptiſmus, qui fiebat primò, & nunc in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, &, in nomine Chriſti, tamen tanta videtur eſſe differentia, vt ſi quis nunc in no-

q.66.a.8

mine Chriſti baptizaret, non baptizaret, vt dicit ſanctus Thomas in tertia parte. Nec prætermittendum eſt, de mutationibus factis in Eccleſia, hoc ſacramentum baptiſmi tam quo ad tempus baptizandi, quam quoad ætatem baptizandorum, quam etiam quo ad perſonas quæ poſſint hoc ſacramentum miniſtrare. In principio enim huius ſacramẽti baptizabantur ſolum illi, qui per ſe ſciebant fidẽ interrogati reſpondere. Sed poſtmodum, ne paruuli & alij vſu carentes rationis; ſubeſſent periculo damnationis, Eccleſia prouidit circa eorum baptiſmum, vt etiam ſuperius tractatum eſt. Tenuit etiam Eccleſia pro ſtatuto, quod præter vigilias paſchæ & pentecoſtes nullo modo ſolemnis baptiſmus celebraretur, omneſque ad prædictas vigilias, excluſo neceſſitatis articulo, baptizandi ſeruarẽtur porro nec ex doctrina Chriſti & Euãgelij, nec etiam ex doctrina alicuius Apoſtolorum habetur expreſsè, quod aliquis habeat poteſtatem baptizandi exceptis Eccleſiaſticis, quorum ſtatum præfigurabant Apoſtoli, quibus ſolis dictum eſt, *ite baptizantes, &c.* & nihilominus in neceſſitatis articulo mares & feminæ, pagani, Iudæi & hæretici poſſunt baptizare dummodo ſeruent formam, materiam, & intentionem Eccleſiæ. vnde hoc? certè quia ſic declarauit Eccleſia, ſic ordinauit, & quia ſic ei placuit ſuam auctoritatem omnibus communicare in neceſſitatis articulo: Item non modica mutatio etiam in ſacramento matrimonij ſecundum ſucceſſionem temporum auctoritate Eccleſiæ facta eſt. Nam in principio ſuæ inſtitutionis erat illimitatum, ita quod maſculus & fœmina, vterini & germani poterant legitimè matrimonialiter copulari, & poſt aliquam multiplicationem humani generis ordinatum fuit, ne in prima linea conſanguinitatis contraheretur, deinde poſt abundantem multiplicationem, vſum huius arctando ſacramenti, ordinatum exſtitit, vt non in propinquiori quàm quinta linea conſanguinitatis poſſet matrimonium contrahi. ex quibus patet quod certus vſus ſacramentorum conceditur paucitati hominum, qui tamen multitudini ex certis cauſis denegatur. Et ſic potuit eſſe, imò ita fuit, quod in primitiua Eccleſia quando adhuc homines pauci erant Chriſtiani, dabatur Euchariſtiæ ſacramentum fidelibus populis, ſub vtraque ſpecie, quibus multiplicatis propter ſæpe enumerata pericula quod paucis concedebatur nunc multitudini denegatur. Itẽ quamuis Deus in lege naturæ, quando hoc matrimonij ſacramentum inſtituebatur, ſtatuiſſet, quod vnius viri tantũmodo vna eſſet vxor, & è côuerſo: prout patet Gen. 2. Quãdo Spiritus S. dixit per Adã: *relinquet homo patrẽ ſuũ & matrẽ ſuã & adhærebit vxori ſuæ*: ſeqtur: *& erũt duo in carne vna*: nihil omin⁹ hæc lex mutata fuit in ſanctis Patriarchis, vt patet in Lamech, qui primus ſimul duas vxores habuit, in Abrahã, ſimiliter & Iacob, in alijs etiam ſub lege cõſtitutis, in quibus lex vetus vxorum pluralitatem videtur approbaſſe. Sed adueniente lege noua, in qua perfectio Euãgelica exprimitur, mutata eſt lex nuptiarum atque matrimonij, & reducta ad priorem inſtitutionẽ & honeſtiorem, vt vnus vni, & è conuerſo tantummodo cõiungantur in figura Chriſti & Eccleſiæ vnicæ ſponſæ, de quorum matrimonio ait Apoſt. ad Epheſ. 5. *ſacramentum hoc*, ſcilicet matrimonij, *magnum eſt, dico autem in Chriſto & Eccleſia.* Hanc autem reductionem ad priſtinum ſtatum nullo modo legimus reductam ex quibuſuis ſacris literis, niſi ex ſtatuto & conſuetudine Eccleſiæ, nec audebit quis dicere quod tempore legis naturę & legis Moſaicæ, nõ fuerit in hominibus verum matrimonium aut quod ipſorum fuerit aliud ſacramẽtum matrimonij à ſacramento legis gratiæ, propter dictum Chriſti in Euangelio loquẽtis de huiuſmodi ſacramento: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Matt. 19. Etenim ſacramentum matrimonij, & ſacramentum pœnitentiæ in lege naturali ſcilicet, Moſaica & Euangelica locum habuerunt, quamuis in vſu fuerint multipliciter immutata. Item præcipitur 25. c. Deut. quod habitantibus fratribus germanis ſimul, vno moriente abſque liberis, vxor defuncti alteri non nubat, ſed accipiat eam frater eius, vt ſuſcitet fratris ſui ſemẽ, quod in noua lege ad aliquod tempus fertur perduraſſe, quæ tandẽ lex nulla adhuc ſcriptura promouente, per eccleſiæ conſuetudinem & ſtatutum ſublata eſt, quibus ſtatuitur & prohibetur quod ſponſus non poſſit contrahere matrimonium cum aliqua conſanguinea ſponſę mortuæ vſque ad quintum gradum conſanguinitatis excluſiuè. Item Saluator noſter Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Matt. 19. accedentibus ad eum Phariſæis ad ipſum tentandũ, & ab eo quærentibus, *ſi licet homini dimittere vxorem ſuã, quacunq; ex cauſa?* ita reſpondit: *Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam niſi ob cauſam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.* & nihilominus S. eccleſia Catholica non ſolum ex hac cauſa, ſed ex hac cauſa, ſed ex pluribus alijs permittit & facit rationabiliter diuortia fieri, vt patet in frigidis, & maleficiatis, de affinibus, ex cauſis hæreſis, & pluribus alijs cauſis. Ecce quot & quantæ mutationes circa tam magnum & neceſſarium ſacramentum auctoritate Eccleſiæ contigerint. Item in ſacramento pœnitentiæ, quod ab Adam in paradiſo incepit & debet durare vſque ad conſummationem ſeculi, ſimiliter mutatio magna facta eſt ſecundum ſucceſſionem temporũ. Nam cum confeſſio ſit pars principalis pœnitentiæ, tempore legis naturæ ad eam tantummodo Deo faciendam mentaliter tenebantur: ſuccedente verò lege Moſaica, vltra hoc homines obligabantur ad confeſſionem cerimonialem extrinſecam prout per aliquod ſacrificium homines manifeſtabãt ſe hoc vel illo peccato deliquiſſe, vt habetur Liuit. 4. & 5. c. vt habetur eodem lib. 16. c. ſacerdotis poſitis manibus ſuper caput hirci, oẽs filiorum Iſrael cõfitebantur iniquitates. Sed adueniente veritate Euangelicæ legis, etiã confeſſionẽ vocalẽ de vniuerſis cogitationib⁹, locutionib⁹, operibus, & omiſſionib⁹ clarè diſtincteq; faciendã inſtituit eccleſia, ſacerdoti auctoritatẽ & iuriſdictionẽ habenti, in ſecreto, nõ vt homini, ſed vt Deo, ſine offenſa quacunq; honoris cõfitẽtis, ſub formidalib⁹ & execrabilib⁹ pœnis præcipiẽdo & mẽdando ſacerdoti, ne quoquo modo ſigno aut verbo prodat aut reuelet peccata confitentis: de qua quidem confeſſione ſingulariter & ſpecialiter, quatenus ſolùm ſic ſecretè & auriculariter fieri debeat ſacerdoti, nulla in ſcripturis ſacris habetur traditio, niſi quantum ad ſic agendum Spiritus ſanctus mouit & direxit eccleſiam, quæ nihilominus originaliter fundat ſe in auctoritate clauium, quæ ipſi Eccleſiæ ab ipſo Domino traditæ ſunt, dicente Petro: *Tibi dabo* Matt. 16.

claues

claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris &c. & Ioan. 20. *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*. quia igitur ſacerdotes habent remittere peccata, vtique oportet, vt agnoſcant ea, & ſic Spiritu ſancto ducente ſancta eccleſia confeſſionem vt præmittitur ſecretam ſtatuit & ordinauit. Item circa ſacramentum Ordinis videtur eccleſia addidiſſe. Nam in primitiua eccleſia erant duo tantummodo ordines, diaconatus ſcilicet & ſacerdotium. Et ſecundum beatum Hieronymum idem tunc erat Epiſcopus & Sacerdos, quo ad nomen: non autem quantum ad rem, quod tamen nunc non eſt. Itẽ circa ſacramentum diuiniſſimæ Euchariſtiæ multa videntur addita vel mutata. Nam forma qua calix conſecratur. in nullo Euangeliſtarum in propria forma verborum reperitur, ſed videtur per eccleſiam ex omnibus dictis Euangeliſtarum compilata, & in ea ſunt aliqua addita. Etiam in conſecratione hoſtiæ eccleſia addidit hanc dictionem, enim cęterum Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, & miniſtrauit poſt cœnam, & tamen Eccleſia immutauit, & ordinauit vt nõ niſi à ieiunis de mane celebraretur & miniſtraretur, niſi in neceſſitatis articulo. Imminente etiam errore de obſeruatione legalium, Leo Papa ordinauit, vt pro tempore in fermento conficeretur, licet Chriſtus conſecerat in azymo, ad quem ritum poſtmodum, ceſſante dicto errore, eccleſia reuerſa eſt. Denique eccleſia ordinauit ritum & modum ad hoc ſacramentum celebrandum cum talibus orationibus, epiſtolis & euangelijs, ſecretis, myſticis ſignis, veſtibus ſacris & vaſis conſecratis, in eccleſia, in altari, cum luminaribus, cũ aſſiſtentibus, & alijs quæ pro deuotione & ſolemnitate tanti ſacramenti fiunt, de quibus per ſingula diſcurrere longũ eſſet: Item in pluribus quæ Apoſtoli ſtatuerunt, ſecundum temporum ſucceſſionem & temporum varietatem facta eſt mutatio. Nam Apoſtoli in Concilio 3. Hieroſol. celebrato, de quo habetur Act. 15. ſublata circumciſione, & omnibus quodammodo ceremonijs veteris legis, ſtatuerũt vt fideles deberẽt tantummodo abſtinere ab immolatis ſimulacrorum, ſanguine, ſuffocato, & fornicatione, & nihilominus ſtatim poſt prædictã ſublationem circumciſionis, Paulus Apoſt. circumcidit Timotheum, qui ex patre gentili natus fuerat, propter vitare ſcandalum Iudęorum, qui erant in illis locis, vt habetur Act. 16. Inſuper poſt dictum Conciliũ de ceſſatione legalium, Apoſtoli & ſeniores qui erant Hieroſolymis, adueniente Paulo, propter ſcandalum euitandũ, ſuſtinuerunt adhuc cerimonias legales, & voluerunt, vt Paulus aſcendens templum, purificaret ſe & ſanctificaret tanquam ambulans & cuſtodiens legem, vt habetur Actuum 21. cap. Et poſt prædicta etiam ex ipſis præceptis quę per Apoſtolos tradita erant ſeruanda, quædam conſuetudo eccleſiæ immutauit. Nam ex prædictis quatuor, primo & quarto manentibus illæſis, de non edendo de immolatis ſiue idolis & de cuſtodiendo ſe à fornicatione, ſecundum & tertium mutata ſunt, quia & ſanguinem edimus & ſuffocatum. Item Paulus Apoſt. dicit: Oportet Epiſcopum vnius vxoris virum eſſe, in quibus verbis præceptum Apoſtoli includitur, & ex hoc, & etiam ex ratione ſignificationis bigamiæ, cui ſemper eſt annexa irregularitas: & nihilominus Papa, & multo magis Eccleſia, poteſt imò & de facto diſpẽſat in bigamis, non obſtante præcepto prædicti Apoſtoli: Vnde dicit ſanctus doctor in 4. diſt. 27. in reſponſione ad dictam auctoritatem Pauli, quantum ad ea quæ ſunt de neceſſitate ſacramẽtorum & fidei, nec eccleſia nec Papa poteſt diſpenſare, ſed in alijs quæ ſunt de inſtitutione Apoſtolorũ, cùm eccleſia nunc habeat eandem poteſtatem ſtatuendi & deſtituendi quam tunc habuit, poteſt per eum qui primatũ tenet in eccleſia, diſpenſare: Quapropter & Lucius Papa diſpenſauit cum Panormitano qui erat Bigamus. Item ſancta mater eccleſia docuit ſignum ſacratiſſimæ crucis in fronte depingere, ipſa docuit in eodem ſigno benedictiones fieri ſacramentorum & conſecrationes, pro defenſione & contra inſidias malignorum ſpirituum ſal & aquam benedicere, & ea in ſimul miſcere. Ipſa docuit fontes baptiſmatis benedicere, pro congregatione fidelium, ad ſacramenta percipienda, ad doctrinam diuinam audiendam, ad diuina myſteria peragenda, & ad laudandum Deum ſpecialiter eccleſias fabricari, cæmiteria vbi fideles ſepelirentur, & exequias mortuorum facere & omnem alium ritum Eccleſiaſticum adinuenit, quem per ſingula explicare dies nobis potius deficeret, quàm materia dicendi, in quibus immutationibus faciendis, ſancta mater Eccleſia pro locorum, temporum, & perſonarum varietate exemplum habuit à Deo, & à Chriſto Domino: Nam licet fides confiteatur Deum eſſe omnipotentem, omniſcientem, æternum, inuariabilem, & omnimodè incommutabilem, ipſe tamen immutabilis & immobilis, ſecundum exigentiam & diuerſitatem temporum, & varias leges, dedit, vt aliter homo in ſtatu naturæ, aliter in tempore legis, & aliter in ſtatu gratiæ ſaluaretur: Non quod tunc eſſet alia fides quam nunc, ſed vna & eadem, per quam omnes iuſti ab Abel, vſque ad vltimum iuſtum, Deo placuerunt, quia ſecundum Apoſtolum, *vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus omnipotens*, & ita licet ſemper eadem fides manſerit; cerimonias & proteſtationes fidei ipſe Deus immobilis & inuariabilis, ſecundum varietatem temporuum, variauit. Ipſe etiam Dominus noſter IESVS CHRISTVS magiſter & exemplum omnium actuum Eccleſiæ, in aſſumpta humanitate, ſuas ſanctiſſimas conſtitutiones & ſua præcepta, iuxta qualitatem temporum, pro informatione Eccleſiæ, immutauit. Nam vt habetur Matth. 10. Marci 3. & Lucæ 9. Dominus IESVS CHRISTVS mittens ſuos diſcipulos ad prædicandum, præcepit eis, vt non haberent ſacculum neque peram, & ſimiliter præcepit eis, *in viam gentium ne abieritis, in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*. Nihilominus, mutata conditione temporum, & ipſe Dominus mutauit ſua præcepta. Etenim inſtante paſſionis tempore, quo eum oportebat ſua præſentia corporali ſuos relinquere diſcipulos, plurima exempla relaxauit. Nam Lucæ 22. ait: *quando miſi vos ſine ſacculo & ſine pera, nunquid aliquid defuit vobis?* Reſponderunt *nihil*. Tunc Chriſtus dixit eis: *nunc autem dico vobis, qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram.* & poſt reſurrectionem ſuam aſcenſurus in cœlum, quos ante paſſionem ſuam tantummodo addo ad Iudæam miſerat, mittit in vniuerſum mundum, dicens Marci vltimo: *Ite in mundum vniuerſum & prædicate Euangelium omni creaturæ*, & ſimiliter Matth. vltimo ita: *docete omnes gentes baptizantes eos &c.* His nimirum exemplis diuinis, & Chriſti hominis, ſancta vniuerſalis Eccleſia edocta, nihilominus à Chriſto & à Spiritu ſancto directa, cùm ſciat nihil velle Deum nec Chriſtum Dominum niſi ſalutem noſtram, & omnia præcepta, ſtatuta, concilia, & alia ad hunc vnum & ſolum finem ordinari, prædictas mutationes, variationes, ſtatuta, ceremonias fecit, & ſtatuit & ordinauit: Si igitur Eccleſia Catholica tot & tanta, ducta & directa à Spiritu ſancto fecerit, in præteritum ſtatuerit, & ordinauerit, Iuſtè, ſanctè, rationabiliter & ſine reprehenſione, ac etiam in diuinis Chriſti & Apoſtolicis præceptis mutationes, & interpretationes fecerit. Quis tam inſanus & hebetis ingenij audebit aſſerere Eccleſiam, ex rationabilibus & vrgentibus cauſis, non potuiſſe communionem duplicis ſpeciei mutare in communionem vnius? præcipuè cum nec ſit de præcepto Chriſti, nec aliquod detrimentum incurrant non conficientes ſic ſumendo? Si enim immutauerunt Apoſtoli formam baptiſmi quæ dat eſſentiam ſacramento taliter, vt ſi quis nunc in illa forma, qua ipſi Apoſtoli baptizabant, baptizaret, non eſſet baptiſmus; quanto magis poteſt Eccleſia mutare vel tollere vnam ſpeciem, quæ ſe tenet ex parte materiæ, & ex qua nihil eſſentiæ ſacramenti deperditur, nec etiam ſumenti gratiæ? Si tot & tanta facta ſunt tam circa hoc Sacramentem, quàm circa alia, auctoritate Eccleſiæ, mirum profectò videtur, cur etiam circa communionem & vſum huius Sacramenti Eccleſia non poſſit ſtatuere vt ſic, vel ſic, ſumatur. Et ſi quæratur, quæ aut vbi, aut quo tempore, ante Conſtantienſe Concilium fuit duplicis ſpeciei in vnam auctoritate Eccleſiæ facta mutatio? Reſpondendum eſt ſecundum Auguſtin. & habetur diſtinct. prima, capit. 2. Eccleſiaſticarum. Vbi dicitur, quod Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam ſcripturis, quaſdam verò Apoſtolica traditione per ſucceſſores in miniſterio confirmatas, accepimus, quaſdam verò conſuetudine roboratas approbauit vſus, quibus par ritus, & idem vtriſque pietatis debetur affectus. Et infrà, enumeratis pluribus, de quibus auctor & locus & tempus ignorantur. ſubiun-

S. Hieron. — Leo Papa. — Quæſt. 3. [ar]t. 3 ad 2. — [S.] Thom. [ib]id. — Epheſ. 4. — Cap. 3.

Digitized by Google

ſubiungit. *hec & alia in hunc modum non pauca, niſi quia tacita ac myſtica traditione à patribus Eccleſiaſtico more, & reuerentiori diligentia ſunt in myſterijs obſeruata magis ſilentio, quàm publica ta ſcripto.* Cuiuſmodi ſunt immutatio ſabbati & paſchalis feſtiuitatis, crucis ſignatio, aquæ & ſalis benedictio, multorū præceptorum & ceremoniarū veteris legis immutatio: multa quoque quæ nunc in ſacrificijs fiunt, vt & forma conſecrationis calicis, benedictiones fontium baptiſmatis & multa huiuſmodi, quibus ſola conſuetudo vniuerſalis eccleſiæ auctoritatem tribuit, & ſic eſt etiam communio vnius ſpeciei, cuius immutationis & auctor & tempus & locus ignorantur. & vſque ad Conſtantienſe Concilium, ſola ei rationabilis conſuetudo & ſanctorum doctorum comprobatio auctoritatem præbuit, quam poſtmodum compellente aduerſariorum inſtantia, idem ſacroſanctum Concilium approbauit. Et vt poſtmodum, nō vt conſuetudo tantum, ſed vt ſtatutum & ordinatio eccleſiæ vniuerſalis veneraretur. Ad laudem omnipotentis Dei, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum.

Septē regulæ pro intellectu auctoritatum inductarum notandæ. Prima.

VLtimò verò & finaliter pro facili & manuali ſolutione dictarum auctoritatum & aliarum quas pro ſe adducunt aduerſarij Notandæ ſunt diligēter ſeptem regulæ quæ ſequuntur. Primò itaque ſciēdum, quod quamuis plures auctoritates ſacræ ſcripturæ & etiam ſanctorum loquantur indifferenter de communione ſub vtraque ſpecie panis ſcilicet, & vini, non tamen prætendunt præceptum, nec dicunt, huiuſmodi communionem ſub vtraque ſpecie quo ad laicos eſſe de neceſſitate ſalutis, vel de præcepto Chriſti, & ſic omnes huiuſmodi auctoritates adducuntur per eos friuolè & impertinenter, nihilque contra Catholicam veritatem concludentes, cuiuſmodi ſunt auctoritates Apoſtoli, 1. ad Corinth. 11. quę indifferenter loquuntur tam de ſacerdotibus conficientibus, quàm laicis, in quibus tamē nullum præceptum exprimitur, vt plenè patuit loco ſuo dū de ipſis ſuperius ageretur in ſpeciali.

Secunda.

Secundò ſciendum, q̃ auctoritates tam ſacræ ſcripturæ, quàm etiam doctorum multorum, facientes mentionem de communione ſub vtraque ſpecie, continentes in ſe præceptum vel vim habentes præcepti, vt in pluribus loquuntur, & ſunt intelligendæ de ſacerdotibus ſacrificantibus, quorum eſt conficere hoc ſacramentum & ſub vtraque ſpecie ſumere propter perfectam ſignificationem & repræſentationem Dominicæ paſſionis, & mortis, ſpiritualis refectionis completæ, & aliorū quæ in hoc ſacramento repræſentantur, non autem de cōmunione laicorum, quorū capere & ſumere eſt ſolùm propter efficaciam, & nō propter repræſentationem, cuiuſmodi eſt auctoritas Chriſti, qui ſolis Apoſtolis, quos in ſacerdotes inſtituerat, præcepit vt hoc facerent ſub vtraque ſpecie in ſuam commemorationem. Hoc modo etiam intelligitur capitulum Papę Gelaſij Comperimus, de quibus in locis ſuis dictum fuit ſuperius.

Tertia.

Tertiò ſciendum, quod auctoritates ſanctorum ſi quæ fortè ſunt loquentes de huiuſmodi cōmunione ſub vtraque ſpecie, reſtringēdæ ſunt ad tempus illud, in quo mos ille in Eccleſia ſeruabatur. Conſuetudo enim eccleſiæ quæ habuit ex cauſa rationabili originem, ſiue fuerit generalis ſimpliciter in tota eccleſia, ſiue in aliqua ſui parte notabili, vtpote in vna natione, vel regno, ſiue etiā in vna prouincia, aut diœceſi, vim habet obligatiuam legis & præcepti, nec alicui particulari ſcienter licet contra eam agere, aut ipſam ſua ſponte præterire, in loco vbi communiter obſeruatur: vnde dicit Auguſt. ad Caſulanum presbyterum quod mos populi Dei & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt: & ſicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores conſuetudinum eccleſiarum coercendi ſunt.

Epiſt. 84.

Quapropter ſi quis Latinorum in orientali ſiue Græca eccleſia, contra morem ipſorum in azymo conficeret, peccaret, vt dicunt doctores communiter, & è conuerſo ſi Græcus apud nos ageret in fermentato, propter diuerſam conſuetudinem eccleſiarum. Quia igitur Chriſtus ita ſub duplici ſpecie diſcipulis in vltima cœna miniſtrauerat hoc ſacramentum, multi ſequentes hunc ritum tenuerunt, & in multis eccleſijs indiſtinctè quo ad non ſacrificantes, habitus eſt pro inuariabili conſuetudine, & pro lege, nunquam tamen hæc conſuetudo miniſtrandi laicis ſub vtraque ſpecie fuit in eccleſia omnimode generalis, quia etiam tempore Apoſtolorum legitur Act. 2. quod erant perſeuerātes fideles in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, & in fine cap. quod erant fideles frangentes panes circa domos quotidie, quod vtique de pane ſacramētali doctores intelligunt, & ſpecialiter Magiſter hiſtoriarū in hiſtorijs ſcholaſticis, vbi nulla mētio fit de vino aut pōtu nec eſt veriſimile quod in tanta re ab hoc ritu eccleſia tā generaliter receſſiſſet, niſi in aliquibus aliquo exemplo præcedente deducto ex Apoſtolis & primitiua eccleſia, etiam rationabilibus & neceſſarijs cauſis concurrentibus. Auctoritates igitur loquentes ſub præcepto de laicis, reſtringēdæ ſunt ad tempus, & ad eccleſias in quibus huiuſmodi conſuetudo pro lege habebatur; qua conſuetudine ceſſante, ceſſat obligatio huiuſmodi auctoritatum & veritas, quia quælibet auctoritas vera, ex cauſa tantum; ceſſante cauſa veritatis eius, ceſſat veritas & allegatio eius. ſicut iſta: Chriſtus eſt incarnandus, quandoque fuit vera, quia cauſa veritatis ipſius erat futuri temporis quod nondum aduenerat, ſed iam, futuro pro tunc tempore adueniente, & Chriſto nato, cauſa ipſius veritatis ablata eſt & per conſequēs ipſa pro nunc remanet falſa, quia non eſt vera, Chriſtus eſt incarnandus. Cum igitur auctoritates huiuſmodi doctorum non erant veræ, niſi ex conſuetudine, vim legis & præcepti habente, ceſſante cōſuetudine, eorum veritas ceſſabat & allegatio. Et valdè diligenter eſt aduertendum, quod nullus doctorum Catholicorum per aduerſarios allegatorum, & ita credo de omnibus alijs loquentibus de huiuſmodi communione ſub vtraque, dixit eam indifferenter quo ad omnes eſſe de præcepto Chriſti, aut de neceſſitate ſalutis, ita quod vna ſpecies non ſufficiat ſine alia. nec aliqua auctoritatum per aduerſarium adductarum dictum præceptum Chriſti intendit quoquomodo aut prætendit. E contrario autem multi Doctores Catholici dicunt communionem diuiniſſimæ Euchariſtiæ non conficientibus ſufficere ſub vna ſpecie, vt in ſuperioribus diffusè oſtenſum eſt. Quartò notandum, quod auctoritates tam ſacræ ſcripturæ quàm aliorum doctorum, quæ videntur facere mentionem de ſumptione huius ſacramenti ſub duplici ſpecie, quo ad laicos, vel indifferenter quo ad omnes, duplici modo loquuntur, videlicet vel nomina rerū aſſumentes, vel nomina ſpecierum. Exemplum primi, Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Caro enim & ſanguis ſunt res ſacramenti, & ea quæ ex naturali aut reali concomitantia conſequuntur ad hæc. Exemplum ſecundi, 1. Cor. 11. *quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini &c.* panis enim & calix qui vinum continet & pro vino accipitur ſicut ſæpè cōtinens pro cōtento, ſunt nomina ſpecierum huius ſacramenti. Inter has autem locutiones diligens lector hanc differentiam attendat, quoniam in auctoritate quæ eſt ex terminis ſpecierum, nunquam aut raro inueniet notam præcepti aut terminum vim præcepti habentem, per quam poſſit deprehendi, quod huiuſmodi ſumptio ſpecierum cadat & obliget ad præceptum, ad oſtendendum quod huiuſmodi ſumptio ſub vtraque ſpecie non eſt de neceſſitate ſalutis, & per conſequens de præcepto Dominico. Quod ſi fortè in aliqua auctoritate doctoris alicuius repertum fuerit, ad præcedētem immediatè regulam recurrendum eſt, vel ſaltem ad eam quæ in loco vltimo adducetur, quæ eſt finalis reſolutio omnium. In auctoritate verò quæ conſtat ex terminis rerum ſæpe imò ſæpiſſimè reperitur præceptum, vel in proprijs terminis, vel in æquiualentibus ſicut patet in primo exemplo: *Niſi manducaueritis &c.* Si tamen de ſacramentali mǎducatione dicta auctoritas intelligatur, ad declarandum quod ex præcepto diuino tenetur quilibet fidelis Chriſtianus rem vtramque huius ſacramenti ſumere ſiue ſpiritualiter ſiue etiam realiter, ſecundum q̃ in ſacramento continetur & cum vtraque res verè & integrè ſub qualibet ſpecierum contineatur, perfectè adimplet præceptum, quicunque ſub vtraque, vel ſub vna accipit ſpecie, quia præceptum rem, non ſpeciem determinat. Et per hanc aduertentiam multæ auctoritates & rationes aduerſariorum euacuantur, imo ipſorum totale & principale fundamentum, ſcilicet. *Niſi manducaueritis &c.* penitus eneruatur. Quintò ſciendum, quod in auctoritatibus ſacræ ſcripturæ &

ræ & ſanctorum per manducationem corporis, & bibitionem ſanguinis, intelligitur, in generali ſumptio vtriuſque, quod vtique ita verè & intègrè fit ſub vna ſola ſpecie, ſicut ſub vtraque, cùm ſub qualibet ipſarum per ſe ſumpta, totus & integer Chriſtus contineatur, vt declaratum eſt. Et etiam ſi ad proprietatem locutionis attendamus, non propriè ſanguis in calice bibitur, ſed ſola vini ſpecies, cùm ſub ſpecie vini eundem modum ſanguis Chriſti habeat exiſtendi, quem habet omnimodè ſub ſpecie panis. Etenim ſicut ſub ſpecie panis, ſanguis habet eſſe intra corpus Chriſti, & intra venas ipſius incluſus, ſic per omnia & ſub ſpecie vini, quia non eſt effuſus extra corpus, aut à corpore diuiſus, ſicut per ſpecies deſignatur, in memoriam Dominicæ paſſionis. ſæpè itaque ſcripturæ & doctores ſancti loquentes de hoc ſacramento, etiam ſecundùm quod ſub vna ſpecie continetur, vtuntur manducationis & bibitionis terminis pro ſumptione, ad ſignificandum fidelibus, quòd ſub vna ſola ſpecie panis ſumant corpus & ſanguinem Chriſti verum verè & realiter, & non aliter ſub ambabus, quàm ſub vna earum, nec magis efficaciter.

Sexta.

Sextò etiam intelligendum, quòd multæ auctoritates facientes mentionem de communione laicali ſub vtraque ſpecie, potiùs ſpiritualiter intelligendæ ſunt, quàm ſacramentaliter, vt de multis patuit. Quando enim Sacerdotes in altari in conſpectu populi conficiunt ſub duplici ſpecie, & ſimiliter ſumunt in memoriam Dominicæ paſſionis, tunc populus aſſiſtens fide & deuotione, manducat & bibit & corpus & ſanguinem Domini ſpiritualiter in ſinceritate fidei, per recogitationes bonas, & ſanctas meditationes, maſticando & hauriendo ore cordis, & ſe Chriſto vniendo per affectum amoris. Hunc modum actualis manducationis ſpiritualis, qui tertius fuit ſuperius aſſignatus, tangit Auguſtinus, *vt quid paras ventrem & dentes? Crede & manducaſti.*

Suprà, in ſuppoſitione . in tertia mãducatione ſpirituali.

Multæ auctoritates intelliguntur de modo ſpiritualis manducationis, ſuperiùs ſimiliter tacto, ſecundùm quem modum illam auctoritatem: *Niſi manducaueritis carnem, &c* exponit Auguſtinus, vt clarè oſtenſum eſt loco ſuo.

Septima.

Septimò & vltimò notandum, quòd nulla auctoritas cuiuſcunq; ſancti aut doctoris habet efficaciam ad aliquid probandum aut concludendum auctenticè, in aliqua materia fidem, aut ſalutem animarum concernente, niſi inquantum doctrinæ Eccleſiaſticæ congrueret, aut ab Eccleſia approbaretur: vbi autem contrarium & diſſonum haberet aliquid, totum, vt falſum, repudiatur & inutile, & hoc ideò, quia non doctrinę doctorum Eccleſia ſubijcitur, ſed è conuerſo doctrina ipſorum Eccleſiæ tanquam indeficienti regulæ, quæ errare non poteſt, vt clariſſimè monſtratum eſt in capitulo huiuſmodi materiam declarante. vnde & Auguſtinus contra epiſtolam fundamenti, non ſolùm doctrinæ doctorum, ſed etiam ipſi Euangelio præfertur Eccleſia: *Euangelio non crederem*, inquit, *niſi me Eccleſiæ auctoritas commoueret.* Etenim cùm plura reperiantur ſcripta Euangelia, quàm quatuor, vt puta, Andreæ, Thomæ, & multorum aliorum, illa nihilominùs obtinuerunt auctoritatem, quæ ipſa Eccleſia approbauit, & illa reprobata ſunt, quæ ipſa reprobauit. quare & omnes doctores Eccleſiæ ſuas doctrinas meritò Eccleſiæ iudicio ſubmiſerũt & ſubmittunt quotidie. Sic & Paulus ad Galatas 2. non obſtãte, quòd Euangelium ſuum à Chriſti reuelatione habuiſſet, tamen vt auctenticaretur, aſcendit cum Barnaba Hieruſalem, vbi pro tunc Eccleſia principaliter reſidebat, & contulit cum illis, ſcilicet Apoſtolis, & alijs in quibus Eccleſia conſiſtebat, & ſeorſum cum illis, qui videbãtur eſſe aliquid, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurriſſet. Cùm igitur Eccleſiæ conſuetudo obtinuerit generaliter, à multis retrò tẽporibus, vt non ſacrificantes ſub vna ſpecie communicent, fueritque dicta conſuetudo per generalia Concilia approbata & declarata, non eſſe contra diuinam voluntatẽ aut Chriſti pręceptum, manifeſtum eſt, omnem auctoritatem cuiuſcunque doctoris, quantumcunque ſancti, aut ingenio & ſapientia præditi, contra hanc conſuetudinem & ſtatutum Eccleſiæ nihil poſſe concludere. quapropter ſi adduceretur aliqua auctoritas, cui per aliquam prædictarum regularum nõ poſſet ſatisfieri ad plenum, maximè propter proteruiam aduerſantis, reſpondens fidelis Catholicus ad hanc vltimam regulam, tanquam ad portum tutiſſimum, confugiat, quia vnico hoc eccleſiæ ſole, vt ait Hieronymus, in diſputatione

eron.

contra Luciferianos, omnium aduerſariotum argumentationum rluulos facilè poterit deſiccare. Ad laudem omnipotentis Dei, & exaltationem fidei Catholicæ.

Et hic finis eſt poſitionis & reſponſionis Magiſtri Ioannis de Raguſio S. Theologiæ profeſſoris, Ordinis fratrum Prædicatorum, facta in ſacro generali Baſileenſi Concilio, ad dicta Magiſtri Ioãnis de Rokiz. ano Bohemi, in articulo communionis ſub vtraque ſpecie. Anno Domini M. CCCC. XXXIII.

AEGIDII CARLERII, DECANI ECCLESIAE CAMERACENSIS

Oratio,

QVA RESPONDIT PER DIES QVATVOR, IN CONCILIO BASILEENSI AD ARTICVLVM SECVNDVM BOhemorum,

De corrigendis peccatis publicis.

Quem propoſuit per biduum

NICOLAVS TABORITA.

Nunc primùm hac noſtra Conciliorum editione ſuper addita.

AVDISTIS Reuerendiſsimi Patres, Illuſtriſſime Princeps, Celeberrimi inclyti & doctiſsimi viri, venerabileſque Oratores regni Bohemiæ profundam, præcellãm & veram poſitionem de communione diuiniſſimæ Euchariſtiæ, per quam oſtenſum eſt, non eſſe de neceſſitate ſalutis, nec præceptum à Chriſto Saluatore quoſcunq; non conficientes ſanctam communionem accipere ſub vtraque ſpecie, ſcilicet panis & vini. Iam precor patientes aures commodate, facite quietum ſilentium, vt dum ſermo, qui vt ſpero, de regalibus ſedib⁹ venit, in hoc diuino cœtu liberè currat, nullus ſubtilia ſperet ab ore dicentis, neque ſubeſt ingenium, neque hoc patitur materia. Debet, ſi Philoſophorum dicta memini, ſermo rei eſſe ſubiectus, non res ſermoni. Vnde cùm de punitione peccatorum futura ſit Oratio, in ea vt in moralibus, typicè & figuraliter procedendum eſt. Cùm manus ad opus ponere tentaui, quorſum oculos, quorſum articulos digitorum ſcribentium, quorſum deniq; animum voluerẽ pauid⁹, neſciebã. Obtulit ſe lata materia, & anguſtus erat locus ingenij, ſparſa valdè & colligendi virtus non erat. Quodque cùm neceſſitatem rei intelligerem, quod in ea pẽdeat ſalus orbis, & ſignanter Catholicæ Eccleſiæ vltra quam credi poteſt, Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Ea propter poſtulaui à Domino, vt o- Pſalm. 54.
riretur mihi ſol veritatis, pergerem ad opus meum & ad o-
perationem meam vſque ad veſperam, id eſt finem huius a- Pſal. 103.
ctus, & dixi: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege* Pſalm. 118.
tua. Pſalm. 118. Non miretur aliquis, quòd reuelationem po-
to oculorum. Pro regendo vno populo Rex Salomon ſapi- 3. Reg. 3.
entiam popoſcit, vt ſciret introitum & exitũ ſuum. Et ego vermis & cinis pro reparatione populi vniuerſi lumen ſapientiæ non quæram? ille de populi circumciſi regimine acturus erat, nec in viribus ſuis fuit confiſus. Et ego pro ſalute Chriſtianorum, pro quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, pro pace & vnitate laborem aſſumens, vt qui coniunxit duos parietes Iudæorum & gentiliũ, in vno angulari lapide Chriſto Ieſu, iungat & nos in vinculo Spirit⁹ & charitatis. Sperabo in virtute mea? magna certè mihi cura eſt vos & hoc famoſum atque inclytum Regnum Bohemiæ, Galliæ meæ regioni olim amicum, conciliare & ſociare in fœdere ſempiternæ pacis, & vt vnanimes de cæterò habitemus in domo Domini, vnde ipſos dilectos propter Deum venerandos Nuncios Bohemorum Oratores velim, vt ſi aliter ſapiam quò ad aliqua, quam ipſi in articulo, De punitione publicorum peccatorum, non moueantur eorum reſides animi: Neque enim ad roſas venitur niſi per medium ſpinarum, nec mel quis reperiet, niſi ſe ingeſſerit exercitui apum, neque in difficilibus, niſi poſt

diſputationem veritas lucebit. Si in hoc non ſit modicus labor, non erit tenuis gloria. Aperui oculos mentis. Peto patres digniſſimi, quoniam viſio mihi oſtenſa eſt, & eam non plenè intelligo, calamitatem Eccleſiæ mente reuoluens, cùm ſuper eam plorarem planctu magno, vt alter Hieremias, vidi ollam ſuccenſam & faciem eius à facie Aquilonis.

Hier. 1.

Et quoniam intelligentia opus eſt, in tali, viſione, dixi Deo: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.*

Pſalm. 118.

Dicam tamen vt intelligo, quæ nam ſit hæc olla, quæ ſuccéſio, quę facies contra faciem Aquilonis. Olla iſta huius ſacroſanctæ ſynodi necnon & horum venerabilium oratorum Bohemiæ cogitatio eſt, in qua vt in olla. concepta & auiſata reponuntur. Siquidem intellectus poſſibilis eſt omnia fieri, vt agens omnia facere: ſuccenſio, ardor & zelus eſt; facies quæ anterior pars eſt capitis, intentio non incongruè accipitur. Aquilo regio frigida & ſicca, à qua, vt Ieremias Propheta teſtatur, panditur omne malum & peccata,

Hier. 1.

Carent enim calore gratiæ & honore pietatis. Cogitatio itaque huius ſacri Concilij & præſentium venerabilium oratorum Bohemiæ ſuccenditur. Et huius cogitationis intentio verſa eſt contra peccata. Igitur peccata in olla cogitationum veſtrarum, patres eximij, & viri venerabiles, profectò comburũtur; quoniam aduerſus ea zelus affectuum veſtrorũ commotus eſt. ſed quemadmodùm ignis in aliena materia vrit & crepitat, ita quamdiu in peccata zelus accenditur, turbidus eſt & inquietus. Et ſicut ignis in propria materia iam non ignis, carbo, aut ignis flamma, ſed ignis lux eſt non vrens, ſed lucens, non agitata, ſed quietus: ita cùm zelus exuſtis peccatis in meditatione permanet, lucidus eſt, non vrit, non laborat, ſed tamen in ardore creſcit, de quo Propheta Pſalm. 38. *In meditatione mea exardeſcit ignis.*

Pſalm. 38.

Quis verò ſuccenſor & ollæ faber eſt qui ſufflauit ſub ea prunas? ipſe eſt venerabilis proponẽs articulum de punitione peccatorum, prunas rationum ſuarum & auctoritatum cùm retulit, ſufflauit, quem creans Dominus ad vos miſit, vt ollam ardentem ampliùs ſuccenderet. De quo Eſai. ait 54. cap. *Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum*, adeò dilectus meus faber exſufflauit, prunas ſuccendit, vt olla ipſa penè reſoluta liqueſcat.

Eſai. 54.

ſed ſicut cùm videt operarius flammam excreſcere, vt vas proferat in opus ſuum, aquam mittit in ignẽ, neque tamen ſuccendere deſinit, ita cum zelum venerabilis proponentis admodùm vehementem viderem ad combuſtionem vitiorum, timens cum vitijs etiam ipſius ollæ vſtionem, aquam moderationis huius ignei zeli vt alter faber, mittere curaui; videram equidem quoniam flamma vltra fornacem effundebatur cubitis multis, & ſuccenderat eam valde, vnde ego intelligens omnem exceſſum periculoſum, imò vtile in vita eſſe, ne quid nimis, prætereà quod malè miniſtrat omnia Impetus, ſocius officio, differenti miniſterio, præparaui antidotum, aquam ad ignem attuli, vt aliquid ex ambobus nobis medium fieret; medium enim amat Dominus: ſtat medius venientium ad baptiſmum: Ieſus in medio Doctorum eſt. In medio duorum aut trium congregatorum in nomine ſuo, in medio diſcipulorum ſuorum dum dixit, *pax vobis*, non eſt ergo pax niſi in medio. Igitur extremitatem venerandi proponentis ad medium tentabo reducere, vt ad pacem veniamus, tũc in camino ignis erit, vt in propria materia, dum purgatis vitiorum rubiginibus & combuſtis, ignis cœleſtium deſideriorum ardebit ſuauiter, hunc Dominus ſuſcitat, hunc Dominus agitat, hunc ſuccendit, de quo ipſe loquitur Luc. 12. *Ignem veni mittere in terrã & quid volo niſi vt ardeat?*

Luc. 12.

ideò ignem miſit in terram, quoniam iuxta verba legis, Deus ignis conſumens eſt, Deus ęmulator,

Deut. 4.

qui in rubo ardenti apparuit, qui ductor fuit populi in columna ignis per noctem: tunc impletum erit verbum Euangelici Prophetæ Eſaiæ 10 *Erit lumen Iſraël in igne, & ſanctus in flamma ignis*,

Eſai. 10.

luceat ignis iſte obſecro Domine in corde meo, vt reuelentur oculi mei, & cõſiderem mirabilia de lege tua, ardeat ad conſumptionem peccatorum, vt verba ignea proferam, & ſit ſermo meus vt facula ardens, vt illo ollam cordis per venerabilem proponentem ſuprà modum, quantum in ſe fuit, ſuccenſam, nec ſurere faciam, nec exſtinguam, ſed aſperſio aquæ moderationis, feruorem cordium in correctione temperet, & ignitum eloquium frigida commoueat, quatenus reformatione S. Eccleſiæ ad Dei laudem peracta, zelus domus Dei vltra non crepitet, nec prunas denuò ſufflare neceſſe habeamus in præſenti, ſed luceãt fidelibus quaſi luminaria in firmamento, & tandem in lumine fortis ſanctorum fulgeant vt ſtellæ in perpetuas æternitates, præſtante Domino Ieſu Chriſto, qui eſt lucerna eius, qui cũ Patre & Spiritu S. eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

AD declarationem veritatis materiæ, Secundi articuli, qui eſt de punitione peccatorum, nuper pro parte venerabilium oratorum inclyti regni Bohemiæ propoſiti venturus, & veritatem iuxta vires oſtenſurus, vnam proteſtationem, vnamq; ſupplicationem vt componerem, ratio iudicauit. Proteſtor, quòd iam dicenda ſubmitto correctioni, & emendationi huius ſacræ ſynodi Baſileenſis, affirmãs quod affirmandum dictabit; negans quod negabit, à ſua confeſſione nullatenus, quamdiu vixero, diſceſſurus. Supplico cum omni reuerentia, vt dicenda vniuerſi cum omni manſuetudine ſuſcipiant, Scientes quòd neq; animo turgido vel indignanti, neque temerario propoſito, ſed in ſpiritu lenitatis, & in viſceribus charitatis zelus domus Dei hãc ſarcinam me ſuſcipere coëgit.

Audiſtis patres reuerendiſſimi, inclyti domini ac viri percelebres, prolatum articulum ſub hac forma: *Peccata mortalia publica, & quantum rationabiliter fieri poteſt, priuata, aliæq; deordinationes legi Dei contraria, in communitatibus Chriſtianorum, & qualibet ſtatu eorundem, debitè iuxta dictamen diuinæ legis per Chriſti fideles tam ſpirituales, quàm ſeculares, prout congruit vtriſque, ſunt cohibenda, corripienda, caſtiganda, & pro poſſe ab eiſdem propellenda.*

Articulus Huſſitarũ.

Deducendo enim proponens propter Chriſtum dilectus, multa inſeruit, ſcilicet, de poteſtate legis humanæ, per quos, & quando peccata publica & ſecreta, quantum fieri poteſt, ſint corripienda, de peccatis prælatorum & ſacerdotum, de indulgentijs, abſolutionibus, & conſecrationibus, de peregrinationibus, & venerationibus reliquiarum, & exceſſibus circa illas, de pluribus ſceleribus alijs intrinſecus & extrinſecus contingentibus ſacerdotes ipſos & alios fideles. Materiam igitur hãc latam & ſpatioſam, ad tria puncta breuiabo.

Diuiſio huius tractatus.

Primus erit de punitione peccatorum publicorum, de veritate tenenda circa vnam ſpecialem materiam huic propoſito aliqualiter attinentem. Secundus pertractabit, per quos fieri debeat peccatorum publicorum punitio. Tertius ſatisfaciet pro poſſe rationibus, per proponẽtem inductis, & erit de aliquibus incidenter per eum expoſitis, & exceſſibus narratis, cum inductione, vt circa hæc fiat debita per reformationem prouiſio.

Quantum ad primum de punitione peccatorum priuatorum, nõ eſt magna difficultas, maximè vt in articulo proponitur, quia dicitur; & quantum rationabiliter fieri poteſt priuata. tamen de illis aliquid dicetur in proſecutione materiæ de punitione peccatorum publicorum. Notandum ergo quòd peccatum mortale habet multas deſcriptiones,

Primum notabile.

Non enim habet definitionem dicẽtem quid eſt. Nam multa ſunt entia non habentia quidditatem vel eſſentiam, vt ſunt priuationes & negationes, & ſic deſcriptiones peccati mortalis ſunt ſermones maioris declarationis. Itaque dantur à B. Auguſtino quatuor deſcriptiones peccati mortalis. Primum, peccatum mortale eſt, *dictum, factum vel concupitum contra legem Dei.*

Cõtra Fauſtũ Manichęum. li. 22. c. 27.

Secundum, peccatum eſt, *voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat.* hoc dicitur libro de duabus animabus.

De duab' animabus ca. 11.

Tertium, peccatum eſt, *neglectis rebus æternis temporalia ſectari.* hoc dicit de libero arbitrio.

De libero arb. c. 16.

Quartum, peccatum eſt, *vti fruendis, & frui vtendis.* lib. 83. quæſt.

Li. 83. quæſtionum, quæſt. 30.

Ambroſius ſic peccatum diffinit, Peccatum eſt, *præuaricatio legis diuinæ, & cœleſtiũ inobedientia mãdatorum.*

Ambr. de parad. c. 8.

Anſelmus, peccatum eſt, *carentia debitæ iuſtitiæ ex propria volũtate procedens.*

Anſel. de peccato orig. cap. 6. cur Deus homo, li. 1. cap. 9.

Quoniã verò formale peccati eſt defectus à rectitudine: rectitudo aũt per eſſentiã eſt lex æterna participata in recta ratione: Forma peccati eſt exorbitatio à lege Dei, aut recta ratione; & hic receſſus à rectitudine debita, ponitur in omnib' deſcriptionib' Auguſtini. Eſt verum quod etiã ponitur materiale peccati ſcilicet actus. Itaq; omnes deſcriptiones peccati ab Aug. datæ complectuntur materiale & formale. Deſcriptio Ambroſij dicit ſolùm formam & cauſam deficientem, ex quo illud formale procedit, cùm dicit, *à voluntate procedens*, à voluntate ſcilicet non efficiente, ſed deficiente, cuius defectus eſt cauſa ca-

rentiæ

rentiæ rectitudinis debitæ ineſſe actui, qui dicitur culpa aut peccatum. Hæc dicta ſunt, quia quid nominis, eſt principiũ doctrinæ. Inter cæteras deſcriptiones, illa quæ eſt Ambroſij, videtur benè propria, quia formalis, & illam accepit proponens articulum.

Secundò notandum, quòd peccatum dicitur publicum, quod habet facti euidentiam, quid probabiliter negari non poteſt. Priuatum verò, quod caret tali euidentia facti, quemadmodùm dixit proponens,

Tertiò notandum, ad tollendum æquiuocationem in ſequentibus quadruplex eſt iudicium, quoddam eſt diſcuſſionis, aliud eſt condemnationis vel generaliter diffinitionis, ſecundùm quod eſt actus iuſtitiæ. Aliud cõparationis, aliud aſſeſſionis. De iudicio diſcuſſionis ſeu diſcretionis oſtendẽs Apoſtolus, quomodo homo debet ſe ipſum probare, ait: 1. Corin. 11 *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur*. De iudicio comparationis, quo aliqui iudicari dicuntur, qui reſpectu aliorum aliqui iudicantur, vt loquitur Alexander Halis Par. 3. q. 25. art. 1, in 3. ſcribitur Matth. 12. *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas hic, Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ videre ſapientiam Salomonis. Et ecce plus quàm Salomon hic*. de iudicio aſſeſſionis Matth. 19. *iudicantes 12. tribus Iſraël*. Et iſta diſtinctio vtilis erit ad propoſitũ in ſequentibus de conſideratione peccati ſecundũ ſe, & in comparatione ad ſubiectũ, non eſt inutilis diſtinctio, vt in ſequẽtibus cohibitio, ad peccatũ in ſe referatur, correctio autẽ, punitio & propulſio, ad peccatum in ſubiecto, id eſt, ad peccantem.

Quartò notandum, quòd duplex correctio, quædam eſt actus iuſtitię pro cohibitione pœnę, alia eſt charitatis ad cõſeruationem conſcientiæ, & hoc iterum ad tollendam ęquiuocationem in dicendis non erit impertinens. Nã ſæpè propter identitatem nominis, conuolat quis de vno in aliam. Propoſit. prima. Exordiendo igitur ab origine legum ſit hæc propoſitio 1. *Ponenda eſt lex æterna in ſummo omnium principe*. cùm enim mũdus diuina prouidentia regatur, neceſſe eſt in gubernante eſſe dictamen practicum omnium ab eo directorum, in quantùm à ratione practica artis increatæ proceſſit, vt ſic ſua prouidentia in ipſum vt finem vltimum reducatur. De qua dicit B. Auguſtinus in lib. de arbit. Aug. de libe. arb. c. 6 *lex quæ ſumma ratio nominatur, non poteſt cuiquam intelligenti niſi incommutabilis æternaq; videri*. Aug. de vera relig. c. 30. tom. 1. Et idem de vera religione dicit: *Menti noſtræ conceſſum eſt videre legem veritatis immutabilem*, ſed omne immutabile dicitur æternum. Ponenda eſt ergo lex æterna. ab hac deriuatur in nobis lex naturæ, velut quædam participatio eius, per quam inclinamur ad proprios actus & finem vitæ humanæ, Rom. 2. de qua, ſuper illo ad Rom. 2. *Cùm gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, huiuſmodi legem non habentes ſibi ipſis ſunt lex*, dicit gloſſa: Gloſ. ord. in ca. 2. ad Rom. *Etſi non habent legem ſcriptam, habẽt tamen legem naturalem, qua quiſquis intelligit & ſibi conſcius eſt, quid bonum, quid malum*, hęc eſt impreſſio de qua Propheta in Pſalm. 4. Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. De hac etiam dicit Aug. lib. 83. *ex ineffabili atq; ſublimi rerum adminiſtratione quæ fit per diuinam prouidentiam quaſi tranſcripta eſt lex naturalis in animam rationalem*.

Propoſit. ſecunda. Secunda propoſitio. *Vltra legem æternam & legem naturalem oportet ponere legem humanam*, humana enim ratio nõ poteſt participare ad plenum dictamẽ rationis diuinæ, ſed ſuo modo & imperfectè ac ſecundùm obſcuram reſonantiam, vt loquitur Albertus Magnus. Ideò ſicut ex parte rationis ſpeculatiuæ per naturalem participationem diuinæ ſapientię ineſt nobis aliquorum cõmunium principiorũ cognitio, non aũt cuiuſlibet veritatis, ſicut in diuina ſapientia continetur, ſic etiam ex parte rationis practicæ naturaliter homo participat legem æternã ſecundùm quædam principia communia, non autẽ ſecundùm particulares directiones ſingulorum, quæ in ęterna lege continentur. Vnde neceſſe eſt quod ratio humana procedat ad particulares quaſdam legum ſanctiones. Et hæ dicũtur lex humana. ſic dixére quidam, quod initium iuris eſt à natura profectum, deinde quædam in conſuetudinem, ex vtilitate rationis, venerunt, poſteà res à natura profectas, à cõſuetudine probatas legum metus & religio ſanxit. Igitur prima ratio neceſſitatis legis humanæ ſumitur ex imperfectione rationis noſtræ, quæ de ſingulis agendis non poteſt iudicium ferre ex ſolis principijs practicis legis naturæ. Et illam tangit S. Thom. 1. 2. quæſt. 91. art. 3. in corpore. S. Tho. 2. q. 91 3. in c Præthereà etſi vi refulgentiæ legis æternæ in nobis, & ſuper vultus rationalis creaturæ infuſi radij diuini luminis, quædam naturalis inclinatio ſit in nobis ad virtutes, perfectio tamen eſt per aliquam diſciplinam, quæ perfectio præcipuè conſiſtit in retrahendo hominem ab indebitis delectationibus ad quas proni ſunt homines, maximè iuuenes. Ideò neceſſe eſt hanc diſciplinam haberi ab alio. Et quidem in benè diſpoſitis ad virtutes ex bona diſpoſitione naturæ, vel cõſuetudine, vel diuino munere, ſufficit diſciplina paterna, quæ eſt per monitiones, in pronis verò ad vitia, qui verbis non facilè mouentur, neceſſaria eſt diſciplina coactiua, per vim aut metum, vt ſaltem ſic malè facere deſiſtant, denique cæteris vitam quietam, & tandem, mediante conſuetudine, ad hoc perducantur, vt voluntariè faciant, quod à principio metu impleuerunt. Talis verò diſciplina eſt diſciplina legũ. Hæc ratio tangitur à B. Thoma 1. 2. q. 95. art. 1. in corpore. S. Tho. 2. q. 95. 1. in co. Hæ duæ viæ differũt, quia vna ſumitur penes cognitionem, alia penes actionem. Ex prima ratione ſequitur, quòd præcepta legis humanę deriuãtur ex præcepto legis naturę multa, & communiter per modum determinationis cõmunium principiorum. Sicut ex illo principio legis naturæ: Qui malè facit, eſt puniendus, deriuatur præceptum quòd tali vel tali pœna eſt puniendus. Aliqua etiam deriuãtur ex præceptis legis naturæ per modum concluſionum ex principijs, vt ex illo legis naturæ: Nullum malum eſt faciendum, deriuatur illud pręceptum legis humanæ, non eſt occidendum, ſcilicet propria auctoritate. Et ea quæ deriuantur per modum concluſionum ex præceptis legis naturæ, ſicut ex principijs, vigorem habent, nõ ſolùm quia lege ſunt poſita: ſed etiam ex lege naturæ: Quæ verò deriuantur per modum determinationis, cùm non ſint incluſa in illis, vt ſunt concluſiones in principijs, habent ex ſola lege humana vigorẽ. Hæc in ſumma habentur à Thoma 1. 2. quæſt. 95. art. 2. in corpore. Et infrà: quæſt. 99. art. 3. & 4. oſtendit, quòd lex diuina ordinet hominem ad Deum & ad hominem, & quod vtrumque in communi, pertineat ad dictamen legis naturæ, ad quod pertinet præcepta moralia determinare. Determinatio in his quæ ordinant homines ad Deum, facta eſt in lege veteri per cæremonialia. Determinatio verò in his quæ ordinant homines ad inuicem, facta eſt in lege ipſa per iudicialia. Et huius determinationis cærimonialium & iudicialiũ neceſſitas fuit, quia vniuerſalia nõ mouẽt ſufficiẽter ad opus, vnde ex hoc præcepto: Deus eſt adorãdus, ſine particulari pius & religioſus affect⁹ neſciebat exire in op⁹, ſed aut, vt inſpirabatur vnicuique, vt factum eſt ante legem datam, aut ex poſt per cærimonialia fuit determinatum, ſic adoratum eſt, ſic ſacrificatum eſt tũc, ideò etiam ex præceptis: Non furtum facies, Non mœchaberis, & ſic de alijs, quæ ſunt legis naturæ & moralia, ſi non fuiſſet determinatum poſteà, qua pœna fur, aut mœchus, aut homicida, & ſic de alijs, puniendus erat, iudex non niſi proprio arbitrio pœnam ſciuiſſet infligere; ideò vt debitus ordo hominum ad inuicem & pacis ordo ſeruaretur, oportuit iudicialia pręcepta ſuperaddere moralibus. Videtis exemplum quantum ad illud de obſeruatione ſabbati, quod in generali, quantum ad actum colendi, morale eſt, quoniam Moyſes non habens qua pœna puniendus erat, qui Num. 15. ligna collegerat in ſabbato, Dominum conſuluit. Et iterum Ioſue ſuper furto Achior, quod nõ ſimplex furtum videbatur, Ioſue 7. ſed furtum de Anathemate Iericho, reſponſum petijt à Domino. Quoniã verò cęrimonialia legis veteris ſunt mortua & mortifera & iudicialia eiuſdẽ mortua, neceſſe fuit ſub lege gratiæ eſſe leges humanas, quæ præcepta moralia legis diuinæ & naturalis per deriuationem ab illa determinarent. Alioqui iudex homo ſæpè neſciret furem, homicidam, adulterum qua pœna puniret, ſicut ſciens quod currendum eſt, ſed neſciẽs quo curſum dirigeret, nunquam inchoaret. Hæc ideò poſita ſunt, vt non deſpiciantur leges humanæ, ſed omninò teneantur neceſſariæ; quæ tantùm bonæ ſunt, inquantum diuinæ legis rectitudinem & iuſtitiam imitantur.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio. *Quamuis omnia peccata mortalia & maximè publica ſint à quolibet fideli deteſtanda, non tamen omnia poſſunt puniri lege humana*. Primam partem concluſionis ſuppono. Alteram probo ſic. Iſidorus 5. Etym. c. 21. dicit, quòd lex

debet eſſe honeſta, iuſta, poſſibilis, ſecundùm naturã, ſecundùm conſuetudinem, patriæ, loco, temporiq́; conueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſta quoq;, ne aliquid per obſcuritatem in captione cõtineat, nullo priuato commodo, ſed pro communi vtilitate ciuium cõſcripta. Ex hoc ergo quòd lex debet eſſe poſſibilis ſecundùm naturam & conſuetudinem patriæ, & ex hoc quod pro communi omnium fertur vtilitate, deducitur concluſio ſic. Lex ponenda eſt hominibus ſecundùm eorum conditionem, ergo ſecundùm diuerſos hominum mores, diuerſæ leges ſunt ferendæ, imò ſecundùm varietatem temporum ſunt mutãdæ. Cùm igitur non ſit eadem conditio perfectorum & imperfectorum, & aliqua ſint poſſibilia perfectis, quæ non imperfectis, legiſlator, qui multitudini præeſt cui & fert legem, in qua communiter maior pars eſt imperfectorum, cuius intẽtio eſt ciues facere bonos, poſſibilia multitudini debet præcipere, alioquin faceret eos deteriores, cùm tranſgrederentur perfectionis præcepta. Ille ergo prohibet à quibus poſſibile eſt faciliter multitudinẽ abſtinere, & quę vertuntur in nocumentum communitatis. Alia verò quæ nõ ſunt huiuſmodi, tolerat & permittit. Hæc ex Thoma 1.2.q.96. art. 3. in corpore. Si verò multitudini, in qua maior pars regulariter eſt imperfectorum, difficilia præciperet, & leuiora aut minus grauia prohiberet, quia nimis vellet emungere, eliceret ſanguinem rebellionis, & contemptus, aut turbationis pacis. Quod ſi vinum nouum, id eſt præcepta perfectæ vitæ, mittatur in vtres veteres, id eſt, in homines imperfectos: vtres rumpuntur, & vinum effunditur: id eſt, præcepta contemnuntur: & homines ex contemptu ad peiora mala prorumpunt. hæc ex ſancto doctore accipiuntur. Vnde furta, homicidia, adulteria, &c. quæ cõturbant politiam, & à quibus multitudo faciliter abſtinere poteſt, humana & ciuilis lex prohibet. ſimplicem autem fornicationem, aut ſimplex meretricium, ſi fiat vis in verbo, licèt ſit peccatum mortale, & diuinæ maieſtatis offenſiuum tolerat. Nam per ipſum non turbatur politia, nec plebium multitudinem luſibus, delicijs, & voluptatibus deditam facilè eſt abſtinere. Dicit enim Hieronymus in epiſtola ad Oceanũ, *venter mero æſtuans, cito deſpumat in libidines*. & quidam, *proximus*, ait, *à Libero patre intemperantia gradus eſt*, imò punitio pœnalis huius peccati occaſionem daret maiorib⁹ criminibus, & pareret in politia graue ſcandalum. Item Auguſt. de hoc peccato loquens, lib. de ordine vt Thom. refert, ait: *aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus*. Item de tolerantia Iudæorum ſcriptum eſt Pſal. 58. *Dominus oſtendit mihi ſuper inimicos, ne occidas eos*, & tamẽ ſunt mali, igitur, &c. De hac verò tolerantia ſic dixit Thom. 2.2. quæſt. 10. art. 11. in corpore: *Humanum regimen deriuatur à diuino, & ipſum debet imitari. Deus autem quamuis ſit omnipotens & ſummè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerſo, quæ prohibere poſſet, ne eis ſublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala ſequerẽtur, ſic ergo in regimine humano illi qui præſunt rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona tollantur, vel etiam ne aliqua peiora mala incurrantur*. Allegat ibi Auguſtinum lib. de ordine dicẽtem: *Aufer meretrices, &c.* vt ſuprà: *ſic ergo infideles tolerari poſſunt quamuis peccent, propter aliud bonum quod ex eis prouenit, vel propter aliquod malum quod vitatur. Ex hoc autem quod Iudæi ritus ſuos obſeruant, in quibus olim præfigurabatur fidei veritas, quã tenemus, hoc bonum prouenit, quod teſtimonium fidei noſtræ habemus ab hoſtibus, & quaſi figura nobis repræſentatur quod credimus, & idem in ſuis ritibus toleratur. Aliorum verò infidelium ritus qui nihil veritatis aut vtilitatis afferunt, nõ ſunt aliqualiter tolerandi, niſi fortè ad aliquod malum vitandum, ſcilicet, ad vitandum ſcandalum, vel diſſidium, quod ex hoc poſſet prouenire, vel impedimentum ſalutis eorum qui ſic tolerati paulatim conuertuntur ad fidem; propter hoc enim etiam hæreticorum & paganorum ritus aliquando Eccleſia tolerauit, quando erat magna infidelium multitudo*. hæc ille. Item Greg. dicit de Iudæis, & habetur in decreto, diſt. 45. cap. *Qui omnes feſtiuitates ſuas, ſicut hactenus ipſi & patres ipſorum per longa colentes retrò tempora tenuerunt, liberam habeant obſeruandi celebrandiq́; licentiam*. Item Aug. primo de liber. arbit. dixit: *lex humana non poteſt omnia quæ malè fiunt punire, vel prohibere, quia dum auferri vellet omnia mala, tollerentur etiam plura bona, & impediretur vtilitas communis*: propterea idem eod. lib. ait: *Iſta lex quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedit atq; impunita relinquit, quæ per diuinam prudentiam vindicantur*: neq; enim quia non omnia facit, ideò quæ facit improbanda ſunt, verùm, ſi non omnia mala publica poſſit pœnaliter punire, tamen prohibet omnia, & punit quæ vergunt in aliorum nocumentum in politia. Nam Auguſt. vt Alexander recitat in ſuo 3. ponit in lib. de decem cord. differentiam inter flagitioſos & facinoroſos, & dicit quòd flagitioſi ſunt qui peccant in ſe, facinoroſi verò qui peccant in alios, eis nocendo. Et contra tales qui nocent proximis, datæ ſunt leges, vt citò de medijs rapiãtur, vt ſcilicet ſint velut membra putrida in corpore ſocietatis humanæ. Et ideò à ſocietate ſunt abſcindendi. propterea ſic dicit Iſidor. 5. lib. Etym. *Factæ ſunt leges, vt earũ metu humana coërceatur audacia, tutaq; ſit inter improbos innocẽtia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur nocendi facultas*. Cogit interdum lex humana nonnullos legem Euangelicam obſeruare, ſecundùm quos dicitur Luc. 14. *Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea*. Ex hoc teſtatur B. Auguſt. ad Vincentium Donatiſtam, dicens: *Hæc autem primitus ſententia mea erat, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum: verbo enim agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non cõtradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota eſſet in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum Imperialium conuerſa eſt, quam nunc videmus ita huius veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, vt in ea nunquam fuiſſe credatur*. Et commemoratis alijs pluribus, ſubiungit: *His omnibus terror legum, quibus promulgandis reges ſeruiunt Deo in timore, ita profuit vt nunc alij dicãt: Iam hoc volebamus, ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit, & dilationũ morulas amputauit. Alij dicant: Hoc eſſe verum iam ſciebamus, ſed neſcio qua cõſuetudine tenebamur: Deo gratias, qui vincula noſtra diſrupit, et nos ad pacis vincula tranſtulit. Alij dicant: Neſciebamus hic eſſe veritatem, nec eam diſcere volebamus, ſed nos ad eam cognoſcendam metus fecit eſſe intentos, quo timuimus, ne fortè ſine vllis rerum æternarum lucris, damno rerum temporalium feriremur: gratias Domino, qui negligentiam noſtram ſtimulo terroris excuſsit. Alij dicant: Nos falſis rumoribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe neſciremus niſi intraremus, nec intraremus, niſi cogeremus: gratias Deo, qui trepidationem noſtram flagello abſtulit, expertos docuit, quàm vana & inania de Eccleſia ſua mendax fama iactauerit. Alij dicãt: Putabamus quidem nihil intereſſe, vbi fidem Chriſti teneremus: ſed gratias Deo, qui nos à diuiſione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur, oſtendit. Seruiant ergo reges terræ Chriſto, leges edendo pro Chriſto*. hæc Aug. Ex quo ſequitur, quòd illa mala quæ lex humana permittit ad vitandum maius malum, & maximè illa quæ ſunt circa delectationes tactus, guſtus, & olfactus, ſicut eſt ſimplex fornicatio, & magis propriè loquendo, ſimplex meretricium, tenetur pro poſſe reſtringere, puta, quantum ad locum, vt meretrices non ſint in loco honeſto ciuitatis, ſed in loco quaſi ſterquilinij, vbi ſunt purgamenta ciuitatis. Nec ſint in locis priuatis, ne inuerecundius peccetur, ſed in loco publico. Et melius videtur fortaſſe, vt in ſuburbijs ciuitatum. Quantum ad progreſſum, nec currere permittantur per vicos & plateas ciuitatis, non tabernas aut comeſſationes cum viris frequentare. Quantum ad ornatum, ne pretioſis vtantur veſtimentis, ne auro vel argento capita fulgeant, nõ intortis crinibus, non in extrinſeca capillatura videantur ab hominibus, non tunicæ manicas ad terram habeant non redimicula mitre, ne, vt quidam loquitur, videantur Ideæ Berecynthiæ matris. Sicq; per legem humanam ciuilẽ fieri debet, vt non ſicut licitum, hæc peſtis maneat in vrbibus, ſed tanquam malum, licèt minus, ad vitandũ maiora, ita vt quãtum poſſibile eſt, inſolentia reprimatur, nec in loco permittantur meretrices manere ad quem pateat aliunde licitus acceſſus. propellantur ergo omninò à domibus mechanicorũ, ſtuſarum, & locis Balnealibus, ne ſub prętextu alicuius liciti, peccetur licentius: quinimò nec permittantur ſimili habitu vti, vt honeſtæ mulieres. Tenetur inſuper lex ciuilis delectationes guſtus temperare pro poſſe, ſcilicet, ne tabernas viri ſcurriliter, & ſic ingurgitando frequentent, nec illuc taxillarij aut alij accedant. Nec pateat illic fœminæ ſuſpectæ acceſſus. Ne tabernarij vina ſophiſticent, ne ad eas accedentibus falſa offerant irritamenta malorum: Et generaliter poſſet prohibere humana lex & punire omnia peccata mortalia publica, à quibus facilè eſt multitudinem abſtinere, tribus

concur-

Cap. 10.

Iſid. lib. 5. cap. 20.

Aug. epiſto. 48.

Meretrices.

concurrentibus, ſcilicet iuriſdictione, coniunctione, & pace ſalua. de quibus dicetur infra: alia tolerat & permittit propter quid, bonus legiſlator, vt ædificatores in Lesbia inſula. Eſt enim Lesbia inſula, in qua regula plumbea ædificare oportet, eò quod ſunt ibi duriſſimi lapides citius malleo frāgibiles, quàm vt poſſint eorum nodi rectificari. Itaq; regula ibi ædificantium plumbea eſt, vt ad duriſſimos lapidū nodos flectatur, & rurſus rectificetur, non omnes, ſed enormes tortuoſitates deuitans. Hæc eſt doctrina principis Peripateticorum Ariſtotelis, Ariſt. 5. Ethic. A quo ſicut à cæteris, vt ait Auguſtinus, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus Catholici poſſunt extorquere veritatem: ſic ſeruit Domino in timore lex humana. Sic tamen diſcat à lege Domini lex humana, vt non puniat omne peccatum mortale quod fit in hoc ſeculo. Et tamen aliqua crimina licitè poteſt punire mortis ſupplicio. Nec in hoc contradicit Euangelicæ legi, vt proponens expoſuit. Probatur hoc ſic: gloſſa interlinearis ſuper illo Exod. 20. *Non occides*, dicit, *iudex occidit reum, ſed lex quæ iubet.* innuens quod auctoritate iuſtitiæ hoc liceat, quia ſi nulla auctoritate liceret, ſuperfluè dixiſſet, *ſed lex:* hæc gloſſa non eſt præcepti iudicialis nec mortui, ſed moralis in lege gratię manentis in vigore. Nam ſecundùm quod dicit Rabi Salomon vt recitat Nicolaus de Lyra, in iſto præcepto homicidium tantum prohibetur, propter quod imponitur pœna mortis. Alia verò mala quæ corpori aut rebus poſſunt inferri, prohibentur alijs præceptis iudicialibus. Item ſcriptum eſt Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernūt.* Deus autem poteſt occidere, cùm ſit auctor vitæ, & mortis habeat imperium, ipſo dicente Deut. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam & ego ſanabo.* Ergo reges quibus ipſe conceſſit regnare, hoc poſſunt facere per iuſtitiam, ſcilicet, mortem inferre. Item ad Rom. 10. dicitur de committentibus grauia mortalia, *qui agunt talia digni ſunt morte.* Sed de iudice dicitur in 13. quod Dei miniſter eſt, ergo quos Deus iudicat ad mortē, poteſt iudex licitè interficere. Et maximè illos qui per legem diuinā adiudicādi ſunt morti, ſecūdùm q̄ dicitur Luc. 19. *Inimicos meos illos qui noluerunt me regnare ſuper ſe adducite huc, & interficite ante me.* Item ad Rom. 13. dicitur de temporali principe: *Non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram qui malum facit.* Ergo maleficū occidendo non peccat, cùm facit auctoritate iuſtitiæ, q̄a Dei miniſter eſt. Cyprianus ſuper illo Deut. 13. *Si audieris in vna ex ciuitatibus quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare te illic, dicentes: Eamus, ſeruiamus Dijs alienis quos non noſti, interficiens necabis omnes qui ſunt in ciuitate cæde gladij*, dicit: *Huius præcepti memor Matathias 1. Mach. 2. interfecit illum qui ſuper altare ſacrificabat.* ſi ante aduentum Chriſti hæc præcepta ſunt, quanto magis poſt aduentū Chriſti ſunt obſeruanda? Et ſi dicatur q̄ non eſt obſeruandum hoc præceptum, quia iudiciale; & per conſequēs mortuum. Eſto, quod ea rōne, qua iudiciale erat, non ſit ſeruandum, tamen ea parte qua in noua lege fundamentum habet, ſicut expoſitū eſt ex verbis Apoſtoli ad Roma. 1. & 13. Et ſicut ſtatim patebit in verbis Saluatoris implicitè contentum, licitè poteſt impleri. Amplius B. Auguſtin. dicit: *Cùm quis iuſtè occiditur, lex occidit, non tu:* ait ad iudicem: Rurſus dicit Hieronymus ad Riparium: *Non eſt crudelitas crimina pro Deo punire, ſed pietas:* & quod de punitiōe vltimi ſupplicij ſcilicet mortis intelligat, apparet, quia præmiſit: *Legi vindictam Phynees, auſteritatem Heliæ, zelum Simonis Cananei, qui in duos magos Zaroe & Arfaxat ignitos ſerpentes extorſit, Petri ſeueritatem Ananiam & Saphiram trucidantis, Paulią; conſtantiam, qui Elymam magum æterna cæcitate damnauit.* Et tunc ſubiūgit: *Non eſt crudelitas, &c.* Et poſt hæc verba ſubiungit: *Vnde & in lege dicitur: Si frater tuus & amicus, & vxor quæ eſt in ſinu tuo, deprauare te voluerint à veritate, ſit manus tua ſuper eos, & effunde ſanguinem eorum, & auferes malum de Iſraël.* Item Auguſt. in ſerm. Domini in monte, ait: *Helias multos morte affecit, & propria manu & igne diuinitùs impetrato. quem conſtat Spiritu ſancto repletum, ſic dicitur Luc. 10. de Ioan. Baptiſta, ipſe præcedit ante illū in ſpiritu & virtute Heliæ, & alij multi magni & diuini viri eodem ſpiritu conſulendis rebus humanis non temerè id fecerunt.* Item idē in eodem: *verbis Apoſtoli Petri Ananias & vxor eius. ſicut in Actib. Apoſt. legimus, exanimes ceciderunt, nec reſuſcitati ſunt. ſed ſepulti.* Ex quo ſumitur ratio, quòd ſi in plenitudine temporis nullum liceret occidere, Petrus aut non occidiſſet, aut, vt communiter dicitur, ſententiam mortis non promulgaſſet.

Ariſt. lib. 5. Ethic. c. 10. S. Thom. lect. 16. Auguſt. — Prouer. 8. — Deut. 32. — Rom. 10. — Rom. 13. — Luc. 19. — Cypr. ad Fortun. de exhortat. Martyrij, cap. 5. — Auguſt. in queſt. Leuitici 468. ad cap. 16. — S. Hier. ep. 53. aduerſ. Vigilant. — Num. 25. — 3. Reg. 18. — Abd. lib. 6. — Act. 5. — Act. 13. — Li. 1. vltra medium. — Luc. 10. — Act. 5.

Adduco pro hac parte rōnes Alexandri de Ales doctoris irrefragabilis. Prima ſi ex iuſtitia leuiores pœnæ inferendæ ſunt alicui pro culpa aliqua, cùm ipſe per illas nondū corrigitur, ſed addit prę̄teritę culpæ contumaciā, manifeſtum eſt quod cū contumacia ſit graue peccatū, q̄ merito cōtumacię, debet creſcere pœna, aut contumacia remanebit impunita. Quia ergo creſcere poteſt quantūlibet contumacia, creſcere poteſt de iure quantumlibet & pœna. Quare neceſſe eſt, vt ipſa vel ſit mors corporalis, vel ęqualis illi, cū mors corporalis nō ſit pœna infinita. Per hanc aūt viam à flagellis leuibus venitur ad grauia, à grauibus ad vulnera, ab illis ad tormēta, à tormētis ad ipſam mortē, per ſimilia cōtumaciæ tormēta.

Par. 3. q. membr. art. 1.

Secunda ratio: cùm proportionales ſint culpæ & pœnæ illis debitæ: ſi ergo alicui culpæ debetur flagellatio, maiori culpæ duplo maior flagellatio debetur. Et ſic in decuplo, & centuplo, & tanta poterit eſſe flagellatio, quod inducet mortem, ſequitur ergo de neceſſitate, quòd mors corporalis pro aliqua culpa poteſt infligi.

In pleriſ[que] ſenſus r[e]gis quàm verba c[on]tur.

Tertia ratio: occidens hominem iniuſtè, aut puniendus eſt pœna mortis, aut minori. Si primum, habetur intētum. Si pœna minori, aut finitè minori, aut infinitè. Non ſecundum, quia non ſeruaretur æqualitas pœnæ ad culpam, cōtra illud: *Secundùm quantitatē delicti erit & plagarum modus*, & cōtra illud Apoc. 18. *Quantùm glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantùm date ei tormentum et luctum.* Si finitè minori, adhuc idem: Et ſicut dum quis damnificauit aliquē in mille marcis, non ſufficienter puniretur reſtituendo vnā, ſic nec in propoſito.

Deut. 25. Apoc. 18.

Quarta ratio: Aut mors corporalis maior eſt omni culpa, aut nō. Si primum, ergo iniuſtus eſt Deus, qui eam inflixit toti generi humano pro comeſtione fructus ligni ſcientiæ boni & mali. Iniuſtus eſt Chriſtus, qui eam inferet Antichriſto, ſicut dicitur 2. Theſſ. 2. *Quem Chriſtus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Si ſecundum, ergo inferri poteſt licitè pro aliqua culpa: nec valet quod dicunt Dominum Matth. 5. dixiſſe: *Ego autem dico vobis omninò nō reſiſtere malo.* Nam ſicut dicit Aug. Non prohibetur vindicta quæ ſit ad correctionē. Et iterum idē ait ibidem: *officia vindictæ poſſunt bono animo impleri, quomodo iudex, quomodo lex.* intelligetur ergo prohibita iniuria perſonalis vindicanda libidine vindictæ, non de iniuria Dei vel Eccleſiæ vindicanda zelo iuſtitiæ: Nec illud quod allegant ex Matth. 13. de prohibitione eradicationis zizaniorum, valet, Nam hoc fecit Dominus vt parceretur tritico, nō vt parceretur zizanijs in detrimentū tritici. Ideò vbi creſcūt zizania in detrimentū tritici & ſuffocationē, nullatenus creſcere ſinendi ſunt, ſed ſi opus eſt per mortem corporalem vindicandi. Rurſus nec prohibuit Dominus ſimpliciter eradicationem zizaniorum, ſed eradicationē generalem, dubiā & ſuſpectam, ne ſcilicet de ambiguo iudicemus, vt eſt inter lolium & triticū dum ſunt in herba. De iſto inferius aliqua dicentur: dicit ergo Alexāder. Maleficus poteſt interfici duplici de cauſa, aut quia homo, aut quia maleficus. Si interficiatur quia homo, interficitur odio perſonæ, & hoc prohibetur cùm dicitur, *Non occides*, quia maleficus occiditur odio malitiæ & amore inſcitiæ. Et tunc diſtinguendum. Aut occiditur ab illo, qui habet auctoritatem, vt à principe ſeculari, & hoc non prohibetur ibi, *Non occides.* Aut ab illo qui nō habet poteſtatem, & ſic prohibetur, cùm dicitur *Non occides* Non eſt ergo illicitum occidere maleficum in eo quod maleficus, ab eo qui habet auctoritatem, imò in hoc ille eſt Dei miniſter. Teſte B. Hieron. li. 4: ſuper Ezechielem, dicētem: *Qui malos percutit in eo quod ſunt mali, & habet vaſa interfectionis, id eſt poteſtatem vt occidat peſſimos, miniſter Domini eſt.* Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 64. art. 2. & 3. in corpore. Determinat quod peccatores poſſint iuſtè occidi pro ſalute totius Reip. ad quam quilibet comparatur vt pars, vnde ſicut membrū putridum pro ſalute corporis licitè poteſt à corpore abſcindi: Sic peccator periculoſus Reipubl. & infectiuus, qui veriſimiliter non poteſt ſanari propter ſalutem boni cōmunis, laudabiliter & ſalubriter occiditur: modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit, 1. Cor. 5. Hoſtienſis in ſumma 1. lib. tit. 25. idem dicit in ſubſtantia quod Alexander & Thomas, & rurſus de eodem 6. lib. 14. de Lyra idem ſentit Exod. 23. *Inſontem & iuſtum non occides.* Ex verbis enim ſuis poteſt hoc elici, & in hoc cōcordant Doctores. vnde neſcio

2. Theſſ. — Matth. 5. Auguſt. quæſt. ſu[per] Euangel. lib. 1. q. — Alexā. de Ales p. 3. q. 34. mē[m]. 1. art. 3. — Hier. lib. ſuper Ezechiel. in 9. Item 1. q. 5. Qui malos. cap. 29. — 1. Cor. 5. Hoſtienſ. — Exod. 23

vnde venerit hæc adinuentio, niſi vt maior licentia detur, fingere volentibus noua: Tanta de lege humana dicta ſunt, quia proponens in articulo ſuo videtur eam negligere quò correctionem, caſtigationem, & expulſionem, peccatorum publicorum, aut parui pendere, imò cõtemnere in quodam notabili, vbi dicit: *Ne autem aliqui ex iſtis dictis modis, peccata caſtigandi aut corrigendi, occaſionem accipiant ſecundùm iudicialia legis, pro nunc obligantia, aut ſecundùm humanas leges, legi Euangelicæ diſſonas, reos mortis ſupplicio puniendi: illud præmiſſis adiungimus.* vbi videtur dicere eas legi Euangelicę diſſonas, plectere mortis ſupplicio: Cùm tamen audiueritis Saluatorem noſtrum hoc facturum in Antichriſto, Petrum feciſſe, aut à domino factum promulgaſſe in Anania & Saphira; audiueritis auctoritates Veteris & Noui Teſtamenti, & doctorum ſanctorum cum rationibus difficilibus Alexandri.

IAm ad eorum intentionẽ magis accedo, ponens hãc vnicam concluſionem: *licèt omnia peccata mortalia ſint diuina lege expreſſè vel implicitè prohibita, non tamen omnia peccata mortalia publicè ab homine ſunt, ex dictamine huius legis, pœnaliter per iudicium punienda.* Prima pars concluſionis nota eſt, ſecunda probatur: Deus qui eſt iuſtiſſimus iudex, aliqua in lege veteri permiſit, multò ergo magis habet homo permittere, cuius potentia executiua eſt remiſſior lege diuina præceptiua, aut phibitiua. Patet aſſumptũ primo. Moyſes occidẽdo AEgyptium peccauit. Nam Auguſtinus contra Fauſtum loquens de illo, & etiam de Petro qui abſcidit auriculam Malchi ſententialiter dicit, quòd vterq; nondum regimẽ aſſumpſerat, hic ſynagogæ, iſtæ Eccleſiæ: vterq; non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate iuſtitiæ regulam exceſſit, vterq; odio improbitatis alienæ, ſed ille fraterno, iſte dominico, licèt adhuc carnali, tamen amore peccauit. tamen illud peccatũ Moyſi non legitur à Domino punitum, imò poſteà ducatum populi Hebræorum ab eo accepit. Item vſura eſt de ſe mala, ſed licèt Deus poſſit facere de re non tua quod ſit tua, quia eſt Dominus vniuerſorum, tamen fieri non poteſt vt quod habet in ſe conuolutam malitiam, licitè fiat. Cùm ergo vſura, in ratione vſuræ, habeat in ſe conuolutam malitiã, licitè fieri non poteſt: tamen in lege veteri non puniebatur, imò ad extraneos permittebatur. Deut. enim 23. ſcriptũ eſt: *Non fœnerabers fratri tuo ad vſuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno,* hoc verò, *ſed alieno,* non dicitur velut præcipiendo aliquid iuſto, ſed permittendo infirmo: Poteram allegare de repudio vxoris in veteri lege, quod vtiq; permittebatur: & vt communius doctores tenent, erat peccatũ mortale. propter varietes opinionum, dimitto. Item inquiſitio, ſeu inueſtigatio adulterio, per ſacrificium zelotypiæ, ſi hoc non ex zelo iuſtitiæ, ac reuerenter, ac cum ſupplicatione fieret, erat peccatum mortale publicum, tamen non puniebatur, imò in lege illa Num. 5. lex ſacrificij zelotypiæ fuit inſtituta in hunc modum: *Si ſpiritus zelotypiæ concitauerit virum cõtra vxorem ſuam, quæ vel polluta eſt, vel falſa ſuſpicione appetitur: Adducet eam ad ſacerdotem, & offeret oblationem pro ea, &c.* erat ibi duplex actus, vnus ſacerdotis, qui ſecundùm diuinã inſtitutionẽ quaſi coactus offerebat, ne vir peius faceret, putà ne ſuæ ſuſpicioni relictus, vxorẽ interficeret. Et iſte actus erat acceptus Deo & approbatus. Alius actus erat ſpiritu zelotypiæ cõcitati, & hic ſi ſine præſumptione probabili, aut ex inuidia, vel alio inordinato affectu procedebat, erat malus, tamẽ permiſſus à Deo, nõ approbatus. arguit ratio. Itẽ occiſio filiæ Iephte fuit mortale peccatum publicũ, dicit enim canõ Iſidori 22. q. 4. *In malè promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vouiſti, ne facias, impia eſt promiſſio q̃ ſcelere adimpletur.* Non tamen legitur fuiſſe à Deo punitũ. Quòd aũt fuit peccatũ, patet aliunde. Ad hoc quòd iuramentũ ſit licitum, requiruntur tres comites, ſcilicet iudicium, iuſtitia, & veritas: ſicut ſcriptũ eſt Ierem. 4. *Iurabis, viuit Dominus, in iuſtitia, iudicio, & veritate:* promiſſio aũt illa caruit iudicio diſcretionis, & fuit eius impletio iniuſta & impia. Item Sap. 11. ſcriptũ eſt: *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominũ propter pœnitentiã, diligis enim omnia quæ ſunt, et nihil odiſti eorũ quæ feciſti.* & poſt pauca: *Parcis aũt omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Ex quo patet Deũ non ſemper punire propter peccata, ſed parcere aliquãdo. Itẽ Ezech. 33. dicitur: *Si dixero impio; morte morieris, & egerit pœnitentiã à peccato ſuo feceritq; iuſtitiã & iudiciũ:* ſequitur: *vita viuet, & non morietur, omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei.* Item gl. ord. ſuper illo Pſal. 100. *In matutino interficiebam oẽs peccatores terræ, vt diſpergerem de ciuitate omnes operantes iniquitatẽ.* dicit ſic in perſona Chriſti: *tempus miſericordiæ eſt, nox eſt, nondũ omnia ſunt manifeſta in hac nocte, abundant tentationes, in qua pertranſeunt beſtiæ ſilueſtres, & catuli leonum, id eſt diaboli quærũt eſcam ſibi. In hac ergo nocte parco, tolero, corrigo. ſed in matutino cũ dies iudicij aduenerit, & erunt omnia aperta, q̃ modò ſunt occulta. Interficiebã omnes peccatores terræ, id eſt, omnes mali mittentur in ignem æternum, vel interficiebã, id eſt, puniebam in matutino iudicij interficiendos.* Nã Nic. de Lyra dicit ſuper illo Exod. 21. *Si quis per induſtriã occiderit proximũ ſuum, & per inſidias, ab altari meo auelles eũ vt moriatur,* pœna homicidij intelligitur de interfectione Iudæi, ideò dicitur occiderit proximũ ſuum, non intelligitur de interfectione gentilis. Lex ait, vt dicit Rabbi Salomon, qui per inſidias occidebat, interficiebatur, & extrahebatur ſi ad ipſum confugiſſet, de altari, &c. Si ſacerdos occidiſſet, extrahebatur, niſi officium miniſtrãdi incepiſſet, quo caſu expectabatur complementum miniſterij, quo peracto trahebatur ad mortem. & ſic locus ſacer erat refugium in aliquibus caſibus, inter quos erat homicidium gentilis, quod erat mortale, & interdum publicum, tamen non puniebatur ſi homicida confugiſſet ad altare.

Tertiò probatur concluſio ex teſtimonijs legis nouæ, Ioan. 8. Dominus & Saluator noſter dixit mulieri in adulterio deprehenſæ ſibi oblatæ: *Nemo te condemnauit? nec ego condemnabo,* nocentẽ in miſericordia indamnatã remiſit. Cùm ergo Chriſti actio noſtra ſit inſtructio, vt allegauit proponens articulũ de communione diuiniſſimæ Euchariſtiæ, aliqua crimina ſunt ab homine miſericorditer relaxanda, per iudiciũ, vel non puniẽda. Præterea peccatũ Samaritanorum nolentium recipere Iacobum & Ioãnem, fuit mortale & notorium, tamen non fuit punitum. Nam cùm indignati diſcipuli dicerent: *Vis ignis deſcendat de cœlo, & conſumat eos?* Reſpõdit Dominus: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis filij.* Luc. 9. Amplius de zizanijs ſeminatis in agro quæ ſerui volebant eradicare, & dicebant: *Vis imus & colligimus ea?* Dominus reſpondit: *Ita ſinite ea creſcere vſq; ad meſſem, ne colligentes zizania, ſimul eradicetis cum eis & triticum,* Matth. 13. Ex qua parabola apparet, quòd mali tolerandi ſunt inter bonos, donec ſine periculo bonorũ poterunt ab eis ſeparari, quod erit ad meſſem finalis iudicij. Sic enim ipſe Dominus Ieſus illam exponit, dicens: *Ager eſt mundus, Semen hi ſunt filij regni, zizania filij nequã. Meſſis verò eſt cõſummatio ſeculi meſſores Angeli.* Rurſus ſcriptũ eſt vbi ſuprà Matt. 13. *Simile eſt regnũ cœlorũ ſagenæ miſſæ in mari, & ex oĩ genere piſcium congreganti, quæ cũ impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt.* Regnum cœlorum eſt militans Eccleſia, & hæc eſt ſimilis ſagenæ miſſæ in mari tempeſtuoſo huius mundi: habet piſces bonos & malos, hoc eſt iuſtos & iniuſtos. Nam Abacuc primo: *Facies homines quaſi piſces maris.* implebitur illa ſagena dum erit completus numerus electorũ, educetur, cùm de vita corruptibili tranſibit ad incorruptibilem, quod fiet in conſummatione ſeculi, bonorum piſcium in vaſa recẽtia, & eiectio malorum, & iuſtorum præmiatio in regno Dei, & impiorum tortura, & compedes, ac alia Gehennæ ſupplicia. & hæc omnia patent ex expoſitione Saluatoris, qui ait: *Sic erit in cõſummatione ſeculi. Exibunt angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminũ ignis, vbi erit fletus & ſtridor dentium.* Ergo vſque ad conſummationem ſeculi in ſagena Eccleſiæ militantis erunt ſimul boni & mali. Vnde ſuper illo ſic dicit Gregorius, vt Thomas in expoſitione Eccleſiæ recitat, *ſancta Eccleſia ſagenæ comparatur, quia & piſcatoribus eſt commiſſa, & per eam quiſque ad æternum regnum trahitur à præſentis ſeculi fluctibus, ne æternæ mortis profundo mergatur. quæ ex omni genere piſcium congregat, quia ad peccatorum veniam, ſapiẽtes & fatuos, liberos & ſeruos, diuites & pauperes, fortes & infirmos vocat.* Poſt pauca ſequitur: *ſicut enim mare ſeculũ, ita ſeculi finem ſignat littus maris, in quo in fine boni piſces in vaſis eligẽtur, mali proijcientur foras, &c.* Nunc enim malos bonoſq; cõmuniter quaſi permixtos piſces fidei ſagena continet, ſed littus indicat ſagena Eccleſia quid trahebat. Et hoc eſt ꝙ Hieron. dicit, vt Thomas recitat, *dum ſagena extrahetur ad littus, tunc verũ ſecernendorum piſcium ſignũ demonſtrabitur.* Itẽ id patet in nuptijs quas fecit Rex regum Deus pater filio ſuo, in quibus

[Left margin notes: oppoſit. ... tarta. — Aug. li. 22. 70. cõt. Fauſtum. — Deut. 23. — Cap. 5. — Hier. 4. — Sap. 11. — Ezech. 33.]

[Right margin notes: Pſal. 100. ex S. Aug. — Exod. 21. — Probatur ex teſtimonijs legis nouæ. Ioan. 8. — Luc. 9. — Matth. 13. — Abac. 1. — Greg. homil. 11. — in 13. cap. Matth.]

vocati

vocati ſunt boni & mali, & impletæ nuptiæ iuſtis & iniu-
Matth.20. ſtis. Nam dicitur Matth.20. *Egreſſi ſerui congregauerunt omnes*
quos inuenerunt, bonos & malos. quia in Eccleſia militante ad-
mixti ſunt boni cum malis. Sic ergo in Eccleſia militãte ſunt
boni & mali: ſed in Eccleſia triumphante ſolùm boni; pro
ptereà cùm Domin⁹ intraſſet, quod erit generaliter in finali
iudicio, & particulariter in morte cuiuſlibet hominis, & vi-
diſſet hominé non habentem veſtem nuptialem, ſcilicet ca-
ritatis, Rex præcedit eum eijci, & mitti in tenebras exterio-
res, vbi erit fletus & ſtridor dẽtium: Et quòd ſimul ſunt bo-
Cantic.1. Matth.25. ni & mali in Eccleſia militante, dicit ſponſus Canticorum 1.
ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Item Matth.25.
dicit ipſa veritas. *Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus,*
quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ,
quinq; autem erant fatuæ, & quinq; prudentes. Sed quinq; fatuæ
acceptis lampadibus ſuis, non ſumpſerunt oleum ſecum in vaſis ſuis,
cum lampadibus: Regnũ hoc cœlorum nõ eſt Eccleſia trium-
phans, quia ab ea nullus fatuus recipitur: Eſt igitur Eccleſia
militans, in qua ſunt virgines prudentes & fatuæ, igitur bo-
ni & mali, ergo non omne peccatum etiam publicum de ea
pellitur aut excluditur: Prætereà Apoc.2. ſcriptum eſt An-
gelo Epheſi Eccleſiæ, *memor eſto, vnde excideris, & age pœniten*
tiam, & prima opera fac, Sin autem, veniam tibi, & mouebo cande-
labrum de loco ſuo niſi pœnitentiam egeris, In angelo &c. Præpo-
ſitum & Epiſcopum Eccleſiæ Epheſinæ intelligere debe-
Malach.1. mus, ſecundùm quod ſcriptum eſt Malachiæ 1. *labia Sacerdo-*
tis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de ore eius requirunt, quia Ange-
lus Domini exercituum eſt. ipſe peccauerat, & tamen nõ expel
litur à Ioann: Sed monetur. Iſidorus autem ſuper eodẽ tex-
tu ait: *Præpoſitus lapſus in vitium monetur vt memor ſit vnde cecide-*
rit, & pœnitentiã agat, & priora opera faciat, vt non moueatur can
delabrum eius. Nam candelabrum doctrina ſacerdotalis, vel honor
poteſtatis, quem geſtabat intelligitur: malus ergo interdum præ-
poſitus eſt in Eccleſia militãte. Non ergo ſtatim poſtquàm
malus, eſt compellendus, imò ſuſtinendus ad tempus, & ta-
le vitium eſſe poſſet, quòd puniendus & expellendus eſſet
de officio, per eum ad quem ſpectat, & tale quòd permitten
dus, vt poſteà videbitur. Prætereà ſuper maledictione fi-
cus, quæ tribus annis fructum non attulit, dicit beatus Au-
Aug. homil. de verbis Domini 31. guſtinus lib. de verbis Domini ſermone 31. *Arbor ficulnea eſt*
humanum genus, tres anni, in quibus illa non fecit fructum, tria tem
pora ſunt: vnum ante legem: alterum ſub lege: tertium ſub gratia, in
quibus humanum genus, quantũ ad multos, infructuoſum fuit, puta
ſine meritorijs operibus: maledictio eſt illa diuina ſententia, quæ in
finali iudicio fulminabitur: hæc ille. Tertio anno, ſcilicet, tem-
pore legis Euangelicæ dimittitur & non præſcinditur. Nam
Luc.13. Lucæ 13. per cultorem vineæ dicitur, *dimitte eam & hoc an-*
no, vſq; dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora. poſt tres an-
nos ſucciditur, quia poſt ſeculum peccator aridus, ſola folia,
non fructum boni operis habens, in ignem æternum mitti
tur: Parcit ergo Dominus multis in Eccleſia exiſtentibus,
ergo & homo parcere debet, & nonnulla mala permittere
ſiue tolerare ex cauſa.

Ex praxi Christi. Eſa.53. Ex praxi Chriſti apparet, quoniam peccata in illum com
miſſa patientiſſimè ſuſtinuit. De eo enim Eſa. 53. ſcriptum
eſt. *Tanquàm agnus ad occiſionem ductus, coram tondente ſe non*
aperuit os ſuum. De cuius patientia quo ad proprias iniurias,
Gregor. hom.18. ait beatus Gregorius homilia 18. ſuper illo Ioan.8. *Ego glo-*
riam meam non quæro, eſt qui quærat & iudicet. Illatas contume-
lias patris iudicio reſeruat, vt profectò nobis inſinuet quantum nos
patientes eſſe debemus, dum ſe adhuc vlciſci non vult ipſe qui iu-
dicat. Item non contentus Scribas & Phariſæos non pu
niri, ex abundantia caritatis ſuadet turbis vt obediant ipſis,
quanquàm multa mala publica committerent, dicens illis
Matth.23. Matth.23. *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæ*
dicunt, facite.

Ex praxi Apoſtolorum Act.6. Ex praxi Apoſtolorum manifeſta eſt concluſio. Nam
illi multa mala viderunt, nec puniuerunt omnia, quãtum ex
ſacro codice poteſt perpendi. Legitur Actuum 6. murmur
factum fuiſſe Græcorum aduerſus Iudæos, quòd viduæ eo-
rum deſpiciebantur in quotidiano miniſterio. Nec hoc le
gitur iudicialiter aut per pœnas iuſtitiæ punitũ, quamuis eſ-
ſet publicum. leguntur cõtentiones fuiſſe & zeli ad inuicem
1.Cor.1. inter Corinthios, non tamen legitur hoc peccatum pœnali-
ter fuiſſe punitum. Item erant aliqui pſeudoapoſtoli, & illi

erant publici peccatores, tamen illos permittebat Ap
lus, quia quamuis benè docebant, tamen malo animo
bant, quidam propter inuidiam, quidam propter cõte
nem, dicitur enim ad Philip.1. *quidam propter contention*
inuidiam, quidam autem & propter bonam voluntatem Ch
prædicant. Quidam ex caritate, ſcientes, quoniam in defenſio
uangelij poſitus ſum. Quidam autem ex contentione Chriſtu
nunciãt, non ſincerè, exiſtimantes ſe preſſurã ſuſcitare vinculi
Quid enim? Dum omnimodò, ſiue per occaſionẽ, ſiue per cari
Chriſtus annuncietur. Maledictiones etiam in Apoſtolo
peccata publica, nec tamen puniebãtur, ad eorum ſalte
ſtantiam, imò dicit, 1.Cor.4. Apoſtolus, *maledicimur, e*
nedicimus, blaſphemamur & obſecramus. Rurſus cõtradicti
dæorum verbi Dei, erat peccatum mortale publicum
leguntur Apoſtoli eos puniuiſſe pœna iuſtitiæ poſitiua
ſolùm priuatiua, quia dixerunt, *oportebat vobis primùm*
verbum Dei, ſed quoniam repulitis illud, & indignos vos iudic
ternæ vitæ, Ecce conuertimur ad gentes. Sic enim Dominus pr
nobis. De alijs ſanctis idem oſtendit ſancta mater Ecc
quorum patientiã in tormentis, abſq; in tortores com
aut indignatione, pulcherrimo metro canit ſuauiter, c
Ceduntur gladijs more bidentium, non murmur reſonat, non q
monia, ſed corde tacito mens benè conſcia, conſeruat patientia

Dehinc authoritatibus ſacrorum canonũ probatu
cluſio, oſtendẽdo enim quomodo rigor iuſtitię debeat
perari ex peccantium multitudine, ait S. Auguſtinus B
facio, & habetur 1. di. ca. vt cõſtitueretur, *verùm in huiuſ*
cauſis, vbi per graues diſſenſionum ſciſſuras non huius aut illius h
nis, eſt periculum, ſed populorum ſtrages iacent, detrahẽdum e
quid ſeueritati, vt maiorib⁹ malis ſanãdis ſyncera caritas ſubue
Item 1. quæſt. 6. cap. Quotiens dicit Innocentius epiſt.
Quoties à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter
titudinem vindicari non poteſt, inultum ſolet tranſire. priora
dimittenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima ſollicit
præcauendum. iterum 23. q. 4. forte: & habetur ab Augu
libro vnico de baptiſmo. *forte*, inquit Auguſtinus, *ibi in*
lo Dei ſtat iuxta te auarus, raptor, inhians rebus alienis, quem
talem, & fidelis eſt, vel fidelis nominatur. Non eum potes de E
ſia pellere, non habens aliquem aditum caſtigãdo & corripiẽd
rigere, acceſſurus eſt tecum ad altare, noli timere, vnuſquiſq;
ſuum portabit, ſed quomodo, inquis, ferrem quem noui mal
Nónne melius eſt ipſum ferre, quàm te foras efferre? Ecce quo
feres, attende Apoſtolum dicentem, vnuſquiſq; onus ſuum port
liberet te iſta ſententia. Ex iſto habetur quòd ferendi ſun
terdum mali. Item 23. q. 4. Tolerandi. & habetur ab Au
ſtino lib. de verbis Domini, dicitur enim ibi: *tolerandi*
mali pro pace, nec corporaliter ab eis recedatur, ſed ſpiritualit
Spiritualiter autem exire eſt facere quod pertinet ad correctio
malorum, quantum licet pro gradu cuiuſq;, ſalua pace: hab
hic quod pro pace ſaluanda tolerandi ſunt quandoque
li, imò & quòd à correctione malorum pro pace ſalua
eſt nonnunquàm ceſſandum, Alioquin fruſtrà addidiſſ
correctionem pace ſalua. Quòd etiam interdum rigor iuri
laxetur ad vitandum contentiones, patet per illud, 1. q.
Quoniam quidquid. vbi Hilarius Papa ſic ait: *Quoniam quid*
ab alterutra parte eſt iudicatum, omnium videmus peruerſitat
fuſum, temporum neceſſitate perſpecta hanc rationem decern
ad veniam pertinere quod geſtum eſt. Ibi tolerat Papa quen
ad Epiſcopatum aſſumptum ſuo metropolitano inſcio,
vt ait Apoſtolus 1.Cor.11. *Si quis videtur contentioſus eſſe*
talem non habemus conſuetudinem.

Poſteà probatur concluſio auctoritatibus ſanctorũ
ctorum, puta, non omnia peccata mortalia publica ſun
homine, ex dictamine diuinæ legis, pœnaliter per iudic
punienda. Quædam enim illorum ſunt, quæ ſine peric
bonorum puniri non poſſunt ab homine, vt cùm in m
tudine ſunt boni & mali, & non poſſunt diſcerni iſti ab i
& talia ſunt permittẽda ab homine, ſi tamen ex illa per
ſione non ſequatur maius ſcandalum, quàm ex punitio
Quædam ſine periculo ſchiſmatis Eccleſiæ, aut grauis
bationis puniri non poſſunt, vt peccatum Principis, au
terius qui ſociam habet multitudinem. Quædam,
ſunt manifeſta illi, cui punitio de iure conuenit, cùm
conuinci non poſſunt: hæc & ſimilia per hominem nõ
punienda ex dictamine legis diuinæ: Illud verò dictar

Matth.13. eſt: *Sinite vtraq; creſcere vſq; ad meſſem.* Conſequenter idem in parabola de ſagena maris bonos & malos piſces continente, Matth.20. Et in nuptijs filij Regis, in quibus fuerunt boni & mali, deſignatur. Hæc declaratio ideo facta eſt, ne videar fautor peccatorum, dum nitor oſtendere talia non eſſe per hominem iudicialiter caſtiganda, & * ne videar agnitor conditionis Eccleſiæ militantis, ponendo in ea bonos & malos, dum tamen ſit vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma.

* Pro ne, aliud exemplar habet vt,

Prima auctoritas ad probationem concluſionis eſt Auguſtini in lib. contra epiſtolam Parmeniani, dicentis: *Hæc de ſcripturis ſanctis documēta proferimus, vt appareat facilè nō eſſe quidquam grauius ſacrilegio ſchiſmatis, quia præſcindendæ vnitatis nulla eſt iuſta neceſſitas, cùm ſibi nequaquā ſpiritualiter nocituros malos boni ideo tolerant, ne ſpiritualiter ſeiungātur à bonis, cùm diſciplinæ ſeueritatem conſideratio cuſtodiendæ pacis refrenat, aut differt, quā tamen ſecuritas exerit, cùm apparet, ſine vulnere ſchiſmatis, ad ſalubrem correctionem poſſe aliquid Eccleſiaſtico iudicio vindicari.* Item idem reſpondens circa principiū 2. libri contra epiſt. Parmeniani Donatiſtæ Carthaginēſis Epiſcopi ad illud per ſequaces ipſius adductum. *Væ his qui dicunt quod nequā eſt bonum, & quod bonum eſt nequam, Qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem, qui dicunt dulce amarū, & amarum dulce*, cōcludit poſt multa: *Quiſquis ergo vel quod poteſt arguēdo corrigit vel quod non poteſt corrigere, ſaluo pacis vinculo excludit, vel quod ſaluo pacis vinculo excludere non poteſt æquitate improbat, firmitate ſupportat, hic eſt pacificus, & ab illo maledicto immunis, de quo dicit ſcriptura: væ vobis qui dicunt quod bonum eſt nequam, & nequam bonum &c. omninò liber prorſus ſecurus penitus alienus.* porrò idem reſpondens ad illud per ſequaces Parmeniani in Eſaia prepoſitum: *Nunquid valet manus Domini ſaluos facere, aut aggrauauit aurē ne exaudiet? Sed delicta veſtra diſtinxerunt inter mediū veſtrūm & Dei. Vbicunq; fuerint mali inter bonos non obſunt bonis, ſicut nec palea frumentis, donec veniat Dominus aream ferens ventilabrum in manu ſua, vt mundet aream ſuā frumenta recondat in horreum ſuum, paleas verò comburat igne inextinguibili, ſicut non obfuit bonis, tanta multitudo ſceleratorum qui per Ezechielem dicti ſunt, illis videlicet qui gemebant & mœrebant facinora populi quæ fiebāt in medio eorū. vnde quia eos corrigere non poterant, nec ab vnitate populi Dei ſe vllo modo ſeparare volebant, pro merito innocentiſſimæ tolerantiæ ſuæ ſignari meruerūt, & in illorum perditorum vaſtatione atq; interitu liberari.* hæc ille. Item idem in 3. lib. cōtra epiſtolam Parmeniani ſuper illo verbo 1. Cor. 5. *Si quis verò frater nominatur in vobis, & eſt aut fornicator, aut idolis ſeruiens, aut auarus, aut ebrioſus, aut rapax, nec quidem cum eo cibum ſumere:* dicit in ſententia quod nō præcipitur ſola ſeparatio cordis. Nam idem Apoſtolus dicit alibi: *Si quis vocauerit ex infidelibus & volueritis ire, omnia quæ vobis apponuntur manducate, nihil interrogantes*, & ſic hic permittit communionem fidelis cum infideli, vt priùs prohibuit communionem fidelis cum fideli peccatore, modo ab omni malo ſe ſeparandum eſt corde, ergo plus prohibet, puta ſeparationem corporalem, quàm cum infideli permittit. Dicitur igitur in ſententia Auguſtini, quod ſe ſeparandum eſt à corpore ab his de quibus loquitur Apoſtolus, ſi tamen ſine periculo ſchiſmatis fieri poteſt, ait enim in forma: Cum quis fratrū, id eſt Chriſtianorum intus, in Eccleſiæ Societate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, vt Anathemate dignus habeatur, fiat hoc, vbi periculū Schiſmatis nullum eſt, atq; id cum ea dilectione, de qua ipſe alibi præcipit 2. Theſſ. 2. dicens, *vt inimicum non exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem.* Nō enim eſtis ad eradicandum, ſed ad corrigendum. Quod ſi ſe non agnouerit, neq; pœnitendo correxerit, ipſe foras exi & per propriam voluntatem ab Eccleſiæ vnitate dirimetur. Nam tunc non non eſt metus eradicandi triticum. Itaque quando, vt ait Auguſtinus in forma, ita cuiuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, vt vel prorſus nullos vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeueritas diſciplinæ, cùm ſine læſione vnitatis Eccleſiæ poteſt fieri vindicta, cum Eccleſia ab illo crimine quo anathematiſatur, eſt aliena. ideo dixit Apoſtolus. *Si quis*: ad differentiam ab alijs notandam. Item nominatur, ad oſtendendum, quod crimen eſt notorium & famoſum. Tunc ſubiungit in forma, *neq; enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, niſi cùm ille corripitur, qui non habet ſocium multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis reſtat quam dolor & gemitus &c.* Ideo Apoſtolus cùm iam multos comperiſſet in immunda luxuria & fornicationibus inquinatos, non itidem præcepit vt cum talibus nec cibum ſumerent, in 2. epiſt. 12. cap. ſicut vetārat priùs. Nec dici poterat, Si quis fornicatur nominatur in vobis, propter multitudinem, ſed dixit, *ne iterum cùm venero, humiliet me Dominus, & lugeam multos, ex his qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, ſuper immunditia & luxuria:* aliquibus autem interpoſitis, dicit B. Auguſtinus. *Conſilia ſeparationis & inania ſunt & pernicioſa, atq; ſacrilega, quia & impia ſunt & ſuperba, & plus perturbāt infirmos bonos, quàm corrigant animoſos malos.* Item B. Gregorius ſuper illo Deut. 7. de ſeptem generalibus gentilibus interimendis vſque ad interfectionē, ait. *patiēter tolerandi ſunt mali, vbi aliqui inueniuntur boni.* Iuxta illud dictum Abraham, Gen. 18. *Si fuerint in ciuitate Sodomorum decem iuſti, non delebo eam propter illos.* Item beatus Hier. epiſt. ad Dardanum ait: *Ipſa metropolis tua prius Iebus, poſteà Salem, tertiò Hieroſolyma, & nunc Aelia Iebuſæos expellere nō valuit, ſed manſerunt cum eis in ſcandalum exemplumq; vitiorum.* Hoc ipſum, quod aliqua peccata per hominem hic non puniuntur, ſed Deo reſeruātur vindicanda, ſignificatū eſt in Dauid, qui peccatum Ioab non puniuit, ſed Salomoni vindicandum reſeruauit, vt quòd manu forti, iudex, ſcilicet, non puniuerit, verus Salomon Chriſtus inultum non relinquat. Inſuper ſuper iſto Apoſtoli, 1. Cor. 5. *Auferte malum ex vobis ipſis.* In 3. lib. contra epiſtolam Parmeniani dicit Aug. in ſententia, quòd vbi quis impediretur ſeparare malos à congregatione Eccleſiæ, ſi à ſe ipſo auferat malum, non eis corde miſcetur, atque ita ſpiritualiter non ſolùm coniungitur bonis, ſed etiam ſeparatur à malis, ſed quòd hoc modo non ſufficiat, vbi non impeditur, declarat, cùm infert, aliquibus interpoſitis, & dicit ſic in forma: *Quapropter quiſquis etiam contempſerit Eccleſiæ Dei diſciplinam, vt malos cum quibus non peccat, & quibus non fauet, deſiſtat monere, corrigere, arguere, Si etiam talem gerit perſonam & pax Eccleſiæ patitur, vt etiam à participatione ſacramentorum poſſit quempiam ſeparare, non alieno malo peccat, ſed ſuo. Ipſa quippe in tanta re negligentia graue malū eſt. Et ideo ſicut ſicut Apoſtolus admonet ſi auferat malū à ſe ipſo, nō ſolum aufert audaciā committendi, aut peſtilentiam conſentiendi, ſed etiā pigritiam corrigendi & negligentiā vindicandi, adhibita prudentia & obediētia in eo quod præcipit, Dominus, ne frumenta lædantur*, hæc ille. Ergo ſi pax Eccleſię turbaretur, aut frumenta læderentur, ceſſandū eſſet à punitione pro tunc. prętereà Auguſt. ſuper illo Ioan. 8. *vbi ſunt qui te accuſabant: Nemo te condemnauit? nec ego te condemnabo.* Ait, *audiuimus vocem iuſtitiæ quia dixerat Dominus, Qui veſtrûm eſt ſine peccato primus in illam lapidem mittat. Audiamus vocem manſuetudinis: dixit ei Ieſus, Nec ego te condemnabo, à quo fortè, te condemnari timuiſti, quia in me peccatum non inueniſti, nec ego te condemnabo. Quid eſt Domine? Faues ergo peccatis? non planè. Attende quod ſequitur, vade & iam ampliùs noli peccare. Ergo & Dominus dānauit peccatū, non hominē. Nam ſi peccatorū fautor eſſet, diceret, vade, viue vt vis, de mea liberatione eſto ſecura. Ego te quantumcunq; peccaueris te ab omni pœna, etiā gehenna & inferni tortoribus liberabo. Non hoc dixit, intendant ergo qui amant in Domino manſuetudinem & timeant veritatem, Etenim dulcis & rectus Dominus.* Ampliùs B. Ambr. ſuper eodem ſic dixit ad Studium epiſt. 76. *Exierunt ſcilicet qui accuſabant adulterā, exierunt foras, & remāſit ſolus Ieſus & mulier in medio ſtans: benè ait quod exierunt foras qui nolebant eſſe cū Chriſto. Foris litera eſt, intus, myſteria, denīq; diſcedētibus illis remāſit ſolus Ieſus. & mulier in medio ſtans, donaturus peccatū, ſolus remanet Ieſus, quia nō poteſt hoc cuiquā homini cū Chriſto eſſe cōmune vt peccata condonet, ſolius hoc munus eſt Chriſti, qui tulit peccata mūdi, meruit & mulier abſolui, quæ recedētibus Iudæis remāſit ſola cum Chriſto. Vide lector diuina myſteria, clementiam Chriſti, cū accuſatur mulier, caput Chriſtus inclinat, eleuat autē vbi defecit accuſator, ita nullū dānari vult, abſolui oēs. Ecce & hic ait, Nemo te lapidauit? quō vtiq; interrogat q videbat? ſed interrogat nobis, vt noſceremus nō eſſe lapidatā. Aduerte quomodo ꝓpriā ſententiā tēperauit, vt Iudæi de abſolutione mulieris calumniari nihil poſſent, ſed in ſe magis calumniā retorquerent ſi queri vellent. Dimittitur enim mulier, nō abſoluitur, quia deerat accuſator; nō quia innocens eſſe probatur. Quid ergo quererētur qui priores à perſecutione criminis, & ab executione ſupplicij deſtiterant? Addit autem deniq; vade & amodò vide ne pecces, emendauit reā, non crimine abſoluit.*

Cap.1. Eſa.5. — Eſa.59. — Ezech.9. — Cap.2. — Contra epiſt. Parmeniani lib.2.c.11. — Habetur c. 2. 3 q. 2. cum quiſq; &c.

Etenim

Etenim ſeueriore ſententia culpa damnatur, ſi vnuſquiſq; crimen ſuũ oderit, & in ſe incipiat cõdemnare delictũ, etenim cùm reus occiditur, perſona magis quàm culpa punitur, vbi verò culpa deponitur, abſolutio eſt pro pœna peccati. Quid eſt ergo, vade, & ampliùs noli peccare? hoc eſt, ex quo Chriſtus te redemit, corrigit gratia, quam pœna non emendauit. hæc Ambroſius : Ex qua auctoritate apparet aliquod peccatũ à Chriſto non eſſe punitum, concretiuè loquendo, id eſt, fœminã iſtam adulteram nõ eſſe lapidatam, vt lex iubebat. Cæterùm ſuper illo. *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.*

S. Tho. in catena Luc. 9.

dicit Beda ; *Reprehendit Dominus non exemplũ Prophetæ ſancti, ſed ignorantiã vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus, animaduertens eos non amore correctionis, ſed odio deſiderare vindictã. itaq; poſteà quãdo eos docuit, quid eſſet diligere proximũ ſicut ſe ipſum, infuſo etiã Spiritu ſancto, non defuerunt tales vindictæ, quãuis multò rarius, quàm in veteri teſtamento, quia ſequitur, filius hominis nõ venit animas perdere, ſed ſaluare. quaſi dicat. Et vos, qui eius ſpiritu ſignati eſtis, etiam acta eius imitemini, nunc piè conſulentes, ſed in futuro iuſtè iudicantes* : Item ſuper eodẽ ſic loquitur Ambroſius. *Non enim ſemper in eos, qui peccauerunt, eſt vindicandum, quia nonnunquàm ampliùs prodeſt clementia tibi ad patientiam, lapſo ad correctionem. Deniq; Samaritani citius crediderunt, à quibus hoc loco ignis arcetur.*

In cap. 13. Matthæi.

Ita Hieronymus ſuper illo, *vis imus, colligimus ea?* quod de zizanijs dicitur, ait; *datur locus pœnitentiæ, & monemur ne citò amputemus fratrem, quia fieri poteſt vt ille qui hodie noxio deprauatus eſt dogmate, cras reſipiſcat & defendere incipiat veritatem. Vnde ſubditur, Ne fortè colligentes zizaniam, eradicetis & triticum:* Chryſoſt. autem ſuper eodem ait, *intuenda eſt ſeruorũ diligentia, etenim feſtinant zizaniã euellere, quod monſtrat eorũ de ſemine ſollicitudinem, ad hoc enim ſolùm reſpiciunt, nõ vt aliquis puniatur, ſed vt ſeminata non pereant. Quid autẽ Dominus reſpondit, ſubditur, & ait: non:*

Hier. ibid.

Hieronymus verò circa hoc dicit, *videtur hoc eſſe contrarium illi præcepto, Auferte malũ de medio veſtrûm, Si enim prohibetur eradicatio, & vſq; ad meſſem tenenda eſt patientia. quomodo eijciendi ſunt quidam de medio noſtrûm? Sed inter triticum & zizaniam, quod nos lolium vocamus, quã diu herba eſt, & nec dum calamus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt & in diſcernendo aut nulla aut perdifficilis diſtantia. præmonet ergo Dominus ne vbi quid ambiguum eſt, citò ſententiam proferamus: ſed Dei iudicio reſeruemus.*

Ratio autem quare aliqui mali in Eccleſia ſunt interdũ tolerãdi, quia tales ſunt vtiles bonis, ſiue vt per eos exerceantur, ſiue vt illorum comparatione magna eis exhortatio fiat, vt nitantur ad melius : Sicut dicit Auguſtinus de quæſtionibus Euangeliſtarum, Aut quia benè docent, puta quia donũ habent ſciẽtiæ, aut interpretationis ſcripturarum, aut aliud.

Auguſt. in quæſtionibus ex Matt. c. 12.

Quæ omnia dantur ad vtilitatem non recitantis, ſed Eccleſiæ, teſte Apoſtolo, 1. Cor. 12. Quod proptereà ſæpiùs diuina diſpoſitione bonis mali ſunt permixti, vbi enim erãt Moyſes & Aaron, ibi fuerũt murmuratores ſacrilegi, vbi Zacharias, Simeon, & cæteri ſancti, ibi fuerunt Annas & Cayphas, vbi Chriſtus & diſcipuli, ibi Iudas, Scribæ & Phariſæi, propter quod attendenda ſunt Domini Ieſu Saluatoris verba, quibus docuit, à quibus nos obſeruare debeamus, dixit enim, *à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Matth. 7. Non dixit, à mercenarijs, qui licèt vera dicant, quærunt quæ ſua ſunt, & mali ſunt, imò de his qui ſuper Cathedram Moyſi ſedebant, quia verè docebant, dixit, *quæ dicunt, facite* : Vnde mali viri rectè docentes videntur tolerandi interdum. Verùm, quòd illorum & cæterorum peccata publica ſunt punienda, tribus concurrentibus, ſcilicet iuriſdictione, conuictione, & pace ſalua. De iuriſdictione dicit Auguſtinus ſuper illo verbo : *Quid enim mihi de his qui foris ſunt,* id eſt infidelibus, *iudicare?* Deus iudicabit. De his qui *intus ſunt*, id eſt fidelibus, *putredo eſt à me reſecanda,* loquitur ibi in perſona iudicis puta Apoſtoli, ſed de hoc videbitur in ſecundo puncto. de conuictione dicit idem Auguſtinus ſuper illo primæ Corinth. 11. *Qui manducauit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Sibi, inquit, non tibi. Sanè ſi iudex es, ſi apud te accuſatur, ſi veris documentis teſtibuſq; conuincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada, iudicium ſiquidem humanum procedere debet ex cauſis manifeſtis, cùm homo tantùm videat ea quæ patent, 1. Regum 6.* Ideo puniendus de crimine debet conuinci. Tertia de pace ſaluanda dicit Auguſtinus in lib. cont. Parmen. Ad illud Eſa. lib. 2. *Recedite, recedite, exite, immundum nolite tangere.* per

Math. 7.

Math. 23.

Auguſt. Alexãder ab Ales lib. 3. q. 41. memb. 1. in reſolut. Similia habet Auguſt. ſerm. de pœnit. qui eſt 50. vide 2. q. 1. Multi c. 18. Aug. aduerſus epiſtolã Parmeniani lib. 3. c. 4. Tom. 7.

aduerſarios allegatum, dicit: *immundum non tangit, qui a*
catum nulli conſentit, exit autem inde, & ſalua ſit eius cauſa
Deum, ſi etiam diſciplinam corripiendi & arguendi ſalua pac
negliget. Nam qui vult corporaliter quaſi manifeſtos malos d
re, ſpiritualiter deſerit latentes bonos, quos inexpertes & im
tos cogitur accuſare, dum ſeparationẽ ſuam conatur defendere
tis interpoſitis, dicit: *cum laude patientiæ mali tolerãtur ne*
boni dãnentur. ſic Iſaias ipſe dicit: Recedite, recedite, exite imn
mundũ nolite tangere. in medio immũdi populi polluta e
labia habentis corporaliter habitauit. Ieremias, ab imn
populo nõ diſceſſit, Dauid mundus & iuſtus, qui dixit
ſedi cũ concilio vanitatis & cũ facinoroſis non introibo, nõ rel
corpore oẽs malos, imò reprobatum Saulem venerab
Nõ ergo corporalis receſſus, vbi ſalua pace Eccleſiæ fie
poteſt eſt neceſſarius, ſed ſpiritualis, vt malis nõ conſe
mus. Alexander de Halis in tertia parte tangit iſta ſul
forma dicens, quod ad interficiendum ſecundùm lege
quiruntur plura, ſcilicet, iuſta cauſa, iuſtus ordo, iuſtus
mus. Iuſta cauſa, quòd reus meruerit interfici, quia dic
Exodi 23. *innocentem & iuſtum nõ occides*, Iuſtus ordo vt
dens habeat poteſtatem, & reus ſit conuictus de crim
habeat poteſtatem inquam, iudex, vel à diuina aucto
te, quæ eſt in lege, vel ab eius voluntate, ſcilicet Dei, i
lecta per inſpirationem internam, quam, dico ego, pr
per miracula aut per ſacram ſcripturam, priuſquàm ſit
neceſſitate credendum. proptereà dicit Auguſtinus ſ
illu Matth. 5. *Officia vindictæ poſſunt impleri quomodo iudex,*
modo lex: per Ambroſ. ſuper illud 1. Corinth. 5. *modicum*
mentum totam maſſam corrumpit. Si quis poteſtatem nõ habet
ſcit reum, abijcere, vel probare non valet immunis eſt, & iudici
eſt ſine accuſatore damnare, ſicut nec Chriſtus Iudã abiecit : Iu
animus, vt fiat ſolùm amore iuſtitiæ, non libidine vindi
vel appetitu pœnæ: Auguſtinus in quæſtionibus ſuper E
Cùm miniſter iudicis occidit, quem iudex iuſsit occidi, profect
ſpontè facit, homicida eſt : etiam ſi occidit eum, quem ſcit à ia
debuiſſe occidi. quòd hæc tria ſint neceſſaria ad iuſtam p
tionem exequendam, deducitur ſic. iudex gerit in iudic
vices Dei. Deutero. 1. dicitur, *Audite illos*, ſcilicet popul
quod iuſtum eſt iudicate, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus, nulla
diſtantia perſonarum: ita paruum audietis, vt magnum, nec acc
tis cuiuſquam perſonam, quia iudicium Dei eſt. Debet ergo iu
ex quo eius iudicium eſt Dei, in tribus ſe ei conformar
In poteſtate, in veritate, & bonitate, vt poteſtas referatu
ordinem iuſtum, veritas ad iuſtã cauſam, bonitas ad iuſ
animum. hoc Exod. 23. inſinuatur, cùm dicitur, *prouid*
omni plebe viros ſapientes, timentes Deum, in quibus ſit verita
qui oderunt auaritiam. Sapientes, timentes Deum, ecce prim
in quibus ſit veritas. Ecce ſecundum. *qui oderint auaritiam.*
tertium. Item Deutero. primo repetitur ſub alia for
Cùm dicitur, *Date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, quorũ*
uerſatio ſit probata in tribubus veſtris, vt ponam eos vobis princ
In ſapientia intelligitur veritas, In conuerſatione prob
bonitas, In principatu, poteſtas. Vbi verò alterũ prædic
rum, ſcilicet iuriſdictio, conuictio, & pax ſalua, defecerir
poterunt peccata publica puniri. Nam ſi puniendus non
iſti ſubiectus, non habebit in eum ferre iudicium. ſi crim
non poſſiunt manifeſtis indicijs probari, eſto quòd ſint
dici vt perſonæ ſingulari nota, non poterunt puniri, q
niam iudicium humanum ex teſtimonijs manifeſtis pro
dere debet. ſi ſine periculo ſchiſmatis aut turbationis
cleſiæ iudicium exerceri non poteſt, ceſſandum eſt à pœ
li punitione, & iudiciali, vt eſt in peccato multitudinis,
principis, quem ſequitur multitudo. Nam Auguſtinus
ſtola ad Aurelium de peccato multitudinis, oſtendens, qu
non ſeueriter cum ea agendum eſt, dicit, *non aſperè, quan*
æſtimo, non duriter, non imperioſè peccata multitudinis aut pr
conſuetudinis corripienda ſunt. Iſta tolluntur magis docendo, qu
iubendo, magis monendo, quàm minando. ſic enim agendum
cum multitudine peccantium, & ſi quid minatur, cum dolore f
de ſcripturis comminando vindictam futuram, ne nos in no
poteſtate, ſed Dominus in noſtro ſermone timeatur. hæc Au
ſtinus. Et vbi iſtæ tres conditiones ſunt, peccata morta
publica poſſunt puniri. Ex quibus patet, quod hoc mo
dicendo non defenduntur peccata, cum tribus ſcilicet, iu
dictione, conuictione, & pace ſalua cõcurrentibus, dictũ

omn

omnia peccata publica mortalia eſſe punienda, ſed non conceditur peccata puniri abſque ordine iuris, vt in detrimentum eccleſiæ vel boni communis.

ARTICVLVM autem propoſitum multū inuolutum reperio, æquiuocationibus, compoſitione, vel diuiſione, poſſet enim habére ſenſum verum & ſenſus falſos, prout in fine ſecundi puncti declarabitur. Et quoniam magis ex probationib⁹ & notabilibus, quàm ex ſerie terminorum articuli proponens prætendit dicere, omnia peccata mortalia publica eſſe arguēda, punienda, corripienda, caſtiganda & expellenda, præmiſſa, vt audiſtis in cōſpectu huius ſanctæ ſynodi narraui, cuius correctioni & emendationi eidem deuoto corde ſubmitto. Hoc de primo pūcto ſufficiat.

QVANTVM ad ſecundum punctum, vbi videndum eſt per quos & quomodo correctio, caſtigatio & expulſio peccatorum eſt facienda. Nam dicit articulus ſic. *Peccata mortalia publica & quantum rationabiliter fieri poteſt priuata, aliaq; deordinationes legi Dei cōtraria in cōmunitatibus Chriſtianorū, & quolibet ſtatu eorundem, debitè iuxta dictamen diuinæ legis Chriſti fideles tam ſeculares, quàm ſpirituales, prout congruit vtriſq; ſunt cohibenda, corripienda, caſtiganda, & pro poſſe expellenda.* Et quoniā duplex eſt modus correctionis & caſtigationis, Vnus ex fraterna caritate procedens, Alius ex auctoritate & poteſtate; erunt duæ cōcluſiones. Prima de fraterna caritate, & eſt talis. *Quilibet fidelis poteſt & in caſu tenetur, quēlibet pro peccatis ſuis ſaltem priuatis aliū corripere correctione fraterna.* Fundatur autē correctio iſta in verbis Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Ordo autem ſeruandus eſt in illa, de quo ſubditur. *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, Si autem te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, quia in ore duorum vel trium ſtat omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi vt ethnicus & publicanus.* Quòd correctio iſta ſit licita & honeſta, patet ex triplici lege naturali, ſcripta, & gratiæ. Ex naturali, quia legis naturæ præceptum eſt, *hoc facies alijs quod tibi vis fieri*, id eſt, quod velle debes tibi fieri. Debes autē velle, vt alius te corrigat quando peccas, vt te emēdes, ergo debes tu hoc vnicuique facere. Ex lege ſcripta, nam Deuter. 22. dicitur, *Non præteribis bouem aut ouem errantem, ſed reduces fratri tuo. Etiamſi nō eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum, duces in domū tuam & erit apud te, quandiù ea quærat frater tuus, & recipiat. Similiter facies de aſino, & de omni re fratris tui, & ſi videris aſinum fratris tui aut bouem cecidiſſe in via, non deſpicias, ſed ſubleuabis eum cum eo.* hæc de benignitate legis ad literam obſeruanda erant, quod ſi de brutis proximorum debebat alter eſſe ſollicitus, quantò magis de proximo errante, propterea ſcriptū eſt Eccleſiaſt. 17. *vnicuiq; mandauit Deus de proximo ſuo. Viæ illorum coram ipſo ſunt ſemper, non ſunt abſconſæ ab oculis ipſius.* huius autem curam neglectam à proximo, in lege tamen præceptam, Beatus Bernardus ad Eugenium deplorabat dicens. *In effectu cadit aſina, ſuccurritur ei, cadat anima, & non eſt qui releuet eam.* Ex lege gratiæ per textum allegatum Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* gloſſa autem oſtendit eam eſſe licitam, quæ dicit, *peccātem zelo iuſtitiæ corripiamus, & pœnitenti viſcera miſericordiæ pandamus.* Beatus Auguſtinus lib. de Correctione & gratia, ponit quatuor cauſas cur exercenda eſt fraterna correctio. Prima, vt peccator ſuum peccatum & ſe recognoſcat, Prouerb. 29. *virga & correctio tribuit ſapientiam*, vnde non correpti, quia ſe ignorant & peccata ſua, alios confundunt. propterea ſequitur, *puer qui dimittitur voluntati ſuæ, confundet matrem ſuam.* Secunda vt de peccato cognito dolorem, pudorem & timorem habeat. Tertia vt peccator ſe difformem ex peccato videns, reformari deſideret, & Deū oret, ne in tali debilitate permaneat. Quarta vt ſi corripiens correpto nō proficiat, tamen ſibi valeat vt peccatum effugiat & meritum acquirat. vnde 13. moralium cap. 20. Grego. dicit, *Caritatis zelus nulla quæ corrigere non valet, increpare non deſinat, ne ſe participem delinquentium ex conſenſu taciturnitatis adijciat.* Et Auguſtin. de correctione & gratia, ait *ſine deſperatione corripiamus, quia ſi filius pacis eſt quem corripimus, requieſcet ſuper eum pax veſtra; Sin autem, ad vos reuertetur.* Quòd verò ſit in præcepto tamen affirmatiuo, quod obligat ſemper, ſed non pro ſemper, ſed pro tempore, & loco & alijs circumſtantijs, patet ex textu Saluatoris dicentis, *corripe*, vbi manifeſtè videtur imperare. Gloſſa ibi ait, *ita peccat qui fratrem ſuum videt peccare & tacet, ſicut qui peccanti non indulget.* Sed præceptum eſt indulgere peccanti, ergo & corripere peccantem. Et Auguſt. in lib. de verbis Domini ſic ait, *ſi neglexeris corrigere, peior factus es eo qui peccauit.* Beatus Thomas 2. 2. q. 33. art. 2. in corpore deducit quòd ſit in præcepto ex ratione finis qui eſt fratris emēdatio, ad hoc autem ordinatur correctio fraterna, ſicut iſta quæ eſt paterna, Aut per cohibitionem pœnæ & virtute iuſtitiæ quis ordinatur ad bonum commune. Et dicit, quòd eſt neceſſaria fraterna correctio ſecundùm quod ad emendationem fratris ordinatur. Et hoc in quarto magis declarat diſt. 19. oſtēdendo quod per præcepta legis diuinæ ſufficienter homines in vita ordinātur, & quemadmodum in exercitu eſt duplex ordo, vnus quo totus exercitus ordinatur ad ducem, alius partium exercitus ad ſe inuicem; ſic in Chriſtiana conuerſatione duplex eſt ordo, vnus ad prælatum, alius ſingulorum ad inuicē, vnde vterq; debet præcepto legis diuinæ inſtitui. iuxta primum ordinem, omnes tendere debent ad illud, ad quod prælati intentio recta verſatur. Et ad hunc finem commune ſcilicet bonum debet prælatus eos dirigere: iuxta ſecundum, vnuſquiſq; alteri præbere debet auxilium ad bonum ſuum conſequendum. Sicut ergo tenentur ſubditi prælato ſuo obedientiam exhibere, & ille ſubditis curam ſollicitudinis impartiri, ita iſti ſibi inuicem ferre auxilium non ſolùm in corporalibus, imò magis in ſpiritualibus. hæc ſententia de obligatione ad correctionem fraternā, eſt Alberti in quarto ſuo, Richardi de media villa, Hoſtien. in ſua ſumma, & omnium Doctorum.

Auctoritates autem aliquorum audiamus, dicit Auguſtinus de verbis Domini, *monet nos quidem Dominus non negligere inuicem noſtra peccata, non quærendo quid reprehēdas, ſed videndo quid corrigas, debemus enim amando corripere, non nocendi cupiditate, ſed ſtudio corrigendi.* Chryſoſtomus autem dicit ſic. *Conſiderandum autem quod quandoq; Dominus eum qui contriſtauit, ad eum qui contriſtatus eſt ducit, ſicut cùm dixit. Si recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduerſus te, Vade reconciliare fratri tuo. Quandoq; eum qui iniuſtè paſſus eſt, iubet dimittere proximo, ſicut ibi, dimitte nobis debita noſtra, Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hic autem alium excogitat modum. Nam eum qui contriſtatus eſt, ducit ad eū qui contriſtauit, ideo dicit. Si peccauerit in te frater tuus, vade ad eum, quia enim ille qui iniuſtè fecit, non facilè veniret ad excuſationem, verecundatus, hunc qui paſſus eſt ad illum mittit & nō ſimpliciter, ſed vt corrigat quod factum eſt, ideo ait, vade corripe eum.* Item idem, *nō autem dicit accuſa, neq; increpa, neq; vindica, neq; vindictas expete, ſed argue, id eſt rememora ſibi peccatum, dic ei, qui ab eo paſſus es, ipſe enim ira & verecūdia detinetur ebrius factus, quaſi graui ſomno, vnde oportet te qui ſanus es, ad illum qui ægrotat adire*, & B. Hieronymus ait: *Sciendum tamen quòd ſi peccauerit in nos frater noſter, & in qualibet cauſa nos læſerit, dimittendi habemus poteſtatem, imò neceſſitatem, quia præcipitur vt debitoribus noſtris debita dimittamus, propter quod & hic dicitur: ſi peccauerit in te frater tuus &c.* Rurſus Chryſoſtomus dicit: *Ideo autem præcipit ei arguere, qui paſſus eſt iniuriam, & non alij, quia ille qui fecit iniuriam, ab eo manſuetiùs ſuſtinet, & maximè ſi ſolus eum corripiat, cùm enim qui vindictam expetere debeat, hic ſalutis videtur diligentiam habere, maximè hoc eum poteſt propitium facere*, ne tamen ex verbis iſtis & quibuſdam præmiſſis quis credat, quòd ſolùm iniuriam paſſus habeat delinquentem corripere, cùm iuxta Doctores cuilibet hoc competat, cui peccatum eſt notum, tamen cum certis circumſtantijs: dicendum eſt, quod hoc quod dicitur *in te*, non intelligitur ſolùm contra te, tanquàm iniuriam ſuſtinenti, niſi dicatur quòd ſiue Deo ſiue alio iniuriato iniurieris, ſed *in te*, id eſt, te ſciente. Vnde Auguſtinus. *Aliquando ſcias fratrem tuum eſſe corripiendum inter te & ipſum ſolum. Aliquando verò coram omnibus, quid autem quando facere debemus iudicè? Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum, quare? quid eſt in te peccauit? tu ſcis quia peccauit, quia enim ſecretum fuit quando in te peccauit, ſecretum quære, cùm corrigis quia peccauit. Nam ſi ſolus noſti quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor ſed proditor.* hæc Auguſtinus. Si tamen ſint occulta peccata, ſic videtur habere locū

Duplex mod⁹ correctionis. Vnus ex charitate fraterna procedēs. Propoſitio prima de correctione fraterna.

Matth. 18.

Deut. 22.

Eccleſ. 17.

De conſideratione lib. vltra medium.

Cap. 4. & 5. quo ad ſenſum.

Gregori⁹.

Cap. 15.

Gloſſa ordinaria in 18. c. Matt.

Sermo 16.

S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. in co.

S. Thom. diſt. 19. q. 1.

Albertus. Richard⁹ de media villa lib. 4. ſen. diſt. 19. Hoſtienſ.

Auguſt. de verb. Domini ſer. 16.

Chryſoſt. in c. Matt. 5. & 18.

Hier. in 18. ca. Matth.

Vbi ſuprà.

Eodē ſermone de verbis Domini 16.

quod dicit Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus.* quoniam enim te publicè offendit, iam non ſolùm in te peccat, ſed etiam in alios, quos turbat.

Corollarium 1.

EX concluſione ſequitur. primò, quòd ſuperiores poſſunt inferiores corrigere & corripere correctione fraterna, & contra ſubditi ſuperiores. Et ſemper dicetur, *fraterna*, ſi debitis circumſtantijs ſuis induta ſit, nempè prælatus, eſt frater, & eſt pater, & ſuperior, eſt ſuperior dignitate vel officio, pater beneficio, frater fide, religione, aut naturæ cõformitate. Quia prælatus & ſuperior, debet inferiori ei reuerentiam & honorem, quia pater amorem, quia frater adiutoriũ. Et ita ſi peccat, correctioné ſecundùm quod Prouer. 18. ſcriptũ eſt, *frater qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas firma, &c.* Debet autem hæc correctio habere tres conditiones, maximè dum ſuperiores ab inferioribus corripiuntur, vt dicit Auguſtinus de Ancona. primò debet habere diſcretionem & debitam diligentiam, vt ſemper ſperetur & probabiliter credatur eius emendatio. Secundò debet habere ſubiectionem & debitam reuerentiam, vt non fiat modo temerario, & cum proteruia. Tertiò debet habere dilectionem & beneuolentiam, vt non fiat cauſa diffamationis & detractionis. Propter defectum primæ conditionis, debent inferiores increpari, ſi ſine diſcretione debita ſuperiores corrigant & corripiant, & ſecundùm hoc in lege diuina iuſſum erat beſtiam quæ montem tangeret lapidari Exod. 19. propter defectum ſecundæ, Oza fuit percuſſus. Nam cùm eſſet de genere ſacerdotali, ſecundùm quoſdam, proprijs humeris debebat portare Archam Domini. Thomas in 4. dicit quòd tangere Archam non erat Leuitarum, ſed ſacerdotum. Ideo percuſſus fuit, quia officium ſuperioris vſurpauit. Et in vtraque reſponſione apparet, quod irreuerenter ſe habuit, ideo percuſſus fuit, propter quod dicitur in textu 2. Regum 6. cap. *propter temeritatem percuſſus eſt à Domino.* Propter defectum tertiæ, Maria ſoror Moyſi fuit percuſſa lepra, quia cauſa murmurationis, diffamationis & detractionis inſurrexit contra Moyſen. habetur Num 12.

Superiores poſsũt inferiores corripere correctione fraterna, & vice verſa.

Auguſt. de Ancona, q. 7. art. 1.

Cõditiones correctionis fraternæ.

Exod. 19.

Diſtin. 19. quæſt. 2.

2. Reg. 6.

Num. 12.

Secundũ corollarium.

Magna diſcretio in correptione hac adhibenda.

Infero ſecundò, cum diſcretione magna huiuſmodi correctio facienda eſt. ad quatuor ſiquidem inſpiciendum eſt, vt dicit Albertus Magnus, in quarto ſententiarum, ſcilicet ad quantitatem culpæ delinquentis, ad ſpem emendationis, ad ſtatum perſonæ quæ admonetur, & ad zelum qui mouet corripientem. ſi culpa eſt leuis, & timetur ne turbatio grauior ſequatur, non tenetur corrigere, quia peius ſubſequetur. Item ſi probabiliter deſperatur de emendatione, non tenetur corrigere, quia nihil faceret niſi prouocare ad pœnam. Adhæc, ſi ſtatus altus eſt perſonæ, cum reuerentia & excuſatione delicti, debet potius admonere quàm corripere, & rogare potiùs quàm increpare. Quartò ſi videt ſe ex rancore & inuidia moueri vel aliqua alia radice, tunc non debet facere, quia tales citò prorumpunt in verba contumeliæ, & tunc ex minori malo, factum eſt maius malum. Et iſta diſtinctio eſt optima. hæc Albertus Magnus.

Corollariũ tertiũ.

Correctio debet aliquãdo eſſe lenis, aliquãdo aſpera.

4. ſent. diſt. 19. quæſt. 2.

Gal. 6.

Tertiò infero, quòd correctio inferiorum à ſuperioribus debet eſſe aliquando lenis, aliquando aſpera, nunquàm tamen omninò carere dulcedine. Hoſtienſ. in ſumma ſua diſtinguit, & partem habet à Thoma in 4. ſic inquit, *ſi peccatum fiat ex ignorãtia vel infirmitate, debet corripere leniter & moderatè.* Et hoc etiam dicit Thomas vbi ſuprà. Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis.* Si peccatum ſit ex paſsione, & ſuperinducta mala conſuetudine, eſt corripiendũ partim leniter, & partim durè, prout dicit commentator. 1. Ethic. *Iuuenis enim*, inquit, *paſsionum ſectator, nõ ſolùm perſuaſionibus & monitionibus corripiẽdus eſt, ſed opprobrijs & cõtumelijs frequenter indiget:* Vnde Heli, licèt moneret filios ſuos iuuenes quos nouerat iniquè agere, qa nõ intulit opprobria aut contumelias, dicitur non corripuiſſe, id eſt, nõ ſufficienter. 1. Reg. 2. Quando peccatum committitur ex electione & pura malitia, tunc corripiendum eſt durè. Gregorius in paſtorali: *Nonnulla peccata ſunt vehementer increpanda, vt cum culpa ab auctore non cognoſcitur, quanti ſit ponderis ab increpantis ore ſentiatur.* hoc etiam dicit Thomas. Præterea ex parte increpan-

1. Reg. 2.

Gregor. in paſtorali.

Loco citato.

tium diſtinguendum eſt, Aut increpantes ſunt Iuuene
Senes. Si iuuenes, deſient corripere aut monere humili
Si ſenes corripiant moderatè & maturè. Alios ſenes
renter, prælatos humiliter. Si verò corripientes eſſent
lati, corripiant ſenes obſecrando, iuuenes humaniter
nendo, 1. Timoth. 4. *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra, v*
trem, iuuenes vt fratres &c. Qui autem generoſus eſt ani
humanus, & faciliùs ducitur quàm trahatur, vt dicit Sen
In omni correctione aliquid miſcendum eſt mãſuetud
vt caritas, ex qua vt ex radice correctio procedere digno
tur, ſemper fulgeat. Ideo Seneca ait in Prouerb. *Sempe*
iurgationi aliquid blanditia admiſce.

Infero quartò ex hoc, quòd correctio eſt præcepta, q
obligat non pro ſemper, ſed pro aliquo tempore, quia
præceptum affirmatiuum. Tria autem ex parte corripie
quæ debent eſſe, & tria ex parte correpti, quibus exiſtẽti
obligat, aliâs nõ. Primum eſt certa peccati cognitio Eccl
prius quàm interroges non vitupera quemquam, & cùm interr
ueris, corripe iuſtè. Secundum eſt manſuetudo in corripien
Pſal. 89. *quoniam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur.* T
tium eſt quòd in alio non ſit tanta aptitudo ad corripi
dum, quoniam ſi alij æquè boni vel meliores adſint aut p
canti magis familiares, & probabiliter æſtimatur quod
gis proficient, pro tunc nõ obligatur iſte, præſertim niſi
riſimiliter appareret quòd iſti omnes negligerent. Sic en
profectò obligaretur, nam tũc ſibi competit illud 3. Reg.
Cuſtodi mihi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pr
nima illius. Primum requiſitorum ex parte peccantis, eſt
de correctione, aliàs vt dictum eſt, non obligatur quis tal
corripere. Prouerb. 9. *Noli arguere deriſorem ne oderit te.*
cundum quòd ſuum peccatum ſit mortale. Nam dicit
ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum, Si non, tandem dic Eccle
per hoc quod liberatur quis à veniali, non eſt lucratus q
eum, quia propter hoc non erat perditus, Nec oportet
lem propter hoc denunciari Eccleſiæ.

Tertium quod non eſt ſpes maioris opportunitatis
corripiendo. dicit enim Auguſtinus primo de ciuitate D
Si propterea quiſq, obiurgandis & corripiendis malè agentibus
cit, quia tempus opportunum inquiritur; non eſt occaſio cupidita
ſed conſilium caritatis. hæc ſententialiter ex illo Doctore
Tres autem caſus tangit ſanctus Thomas ſecunda ſecun
quæſt. 33. artic. 2. ad tertium. Et item Richardus de mo
villa. In quorum primo meritoriè à correctione frate
quis ſe abſtinet, ſi ſcilicet, opportunum tempus expectet
In ſecundo cum peccato mortali. dum probabiliter ſcit
poſſe fratrem peccantem emendare, tamen pro tempo
li commodo aut metu amittendi aliquid temporale. In t
tio cum peccato veniali, dum non habet ſpem probabile
de emendatione fratris per eum, & nimis inhiat iſte, qui
bet corripere, temporalibus. Non tamen ita, quod ſi conſ
ret, quòd fratrem poſſet à peccato retrahere, propter tim
rem, vel cupiditatem omitteret, quibus in animo ſuo pr
ponit charitatem fraternam.

Sequitur per hoc, quod iſta correctio ordinata eſt ad
mendationem peccantis, Ordo, ſi peccata ſint occulta, à S
uatore datus, ſeruandus eſt. ſi admonitioni caritatiuè p
cans ipſe * paruit. itaque ſi monitus non paruit aut acqu
uit, eſt vltrà procedẽdum, ſuppoſitis diſpoſitionibus & c
cumſtantijs antedictis. Aduocandus eſt enim vnus teſtis
duo, quos ſperemus probabiliter velle correpto prodeſſe
obeſſe; quos ſi non audierit, dicendum eſt Eccleſiæ, id e
prælato vt iudici. Ratio huius ſicut vbi vna lenis medi
na non proficit ad ſalutem corporis, adhibenda eſt forti
vt tamen minùs grauetur infirmus, quantum fieri pote
ſic in ſanatione ſpirituali vbi ſecreta monitio non ſuf
cit, ad grauiora procedendum eſt, quod fit cùm teſtis vn
aſſumitur vel duo, qui triplici ratione auocantur. prima
videant. Secunda, vt teſtes ſint admonitionis factæ. T
tia vt negantem coram Eccleſia, id eſt prælato conuinca
poſſem etiam non incongruè per Eccleſiam intellige
Concilium generale. Et ſic talis ordo eſt obſeruandu
primò frater delinquens monendus eſt caritatiuè, ſi n
acquieſcit, dicendum eſt prælato, vt eſt priuata perſon
quia nullus eſt qui magis debeat illi prodeſſe quàm perſo
prælati, ſi ſic eum nõ audierit, adhibendus eſt vnus teſtis v

duo ad iterum monendum; Et ſi illos non audierit, dicendum eſt prælato vt iudici. Et coram illo contemptus negauerit conuincendus eſt per teſtes adhibitos, quia ſcriptum. *In ore duorum vel trium ſtat omne teſtimonium.* hunc ordinem tangit Thomas in quarto. Et quod dicendũ eſt prælato ante teſtium adhibitionem, vt tamen eſt priuata perſona, habetur ab Auguſt. in regula. Verùm quod in aliquibus ſecretis vel priuatis peccatis non eſt obſeruãdus iſte ordo de neceſſitate, vt ſi quis tractaret de proditione ciuitatis, aut de ſubuertẽdo populum in fide, aut moribus; Nam ſtatim procedendum eſt ad denunciationem talium, admonitione ſecreta prætermiſſa, vt impediatur tantum nocumentum, niſi firmiter quis exiſtimaret quod per ſolam ſecretam admonitionem poſſet huiuſmodi mala impedire. nec tamen contra ordinẽ Chriſti ſit, quia talia peccata nõ ſunt ſolùm *in te*, ſed etiã in alios. ſed in illis peccatis quæ tantùm nocent peccanti directè & per ſe, aut paucis, ordo tenet. De prælatis autem qui committunt peccatum occultum, & poſtquàm moniti caritatiuè & humiliter ac reuerenter fuerint, nolunt acquieſcere correctioni, vtrùm ſic procedẽdum eſt ad denunciationem, dicit Albertus ſuper 4. quod non, & dicit in forma ſic, in diſt. 19. 3. q. Verùm idem ordo obſeruandus eſt in correctione cuiuſlibet hominis? Ad reſponſionẽ poſt reprobationẽ cuiuſdam opinionis, dicimus, cum quibuſdã, quòd ad omnes extendatur, ſed ad omnes prælatos eſt admonitio in denunciatione non procedens. In alijs autem poteſt procedere in denunciatione, vt ſuprà dictum eſt. Et in articulo priori, vtrùm hęc correctio fraterna ſit omnium in omnes, dicit ſic in ſolutione. *Omnis homo omnem hominem cum reuerentia & manſuetudine tenetur admonere & corripere de delicto, ſed non vlterius poteſt denunciare ſi eſt inobediens, quia ſi prælatus ſupremus eſt, non habet iudicem.* ibi loquitur de ſupremo prælato ſpecialiter, & etiam ſtatim dixerat vniuerſaliter de omni prælato. Quidquid ſit, manifeſtum eſt quòd vbi prælatus monitus non obedierit, licèt ad ſuperiorem, ſi habeat, recurrere quis poſſet, non eſt ad populum recurrendum, prout dici proponens, coram eodẽ hæc peccata ſua arguenda, niſi immineret fidei periculum, vt communiter Doctores exemplificãt. addere poſſem, & in periculo ſchiſmatis & corruptionis morum in Eccleſia per malã doctrinam. Vnde dicit Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 33. artic. 4. Ad ſecundum: quod in faciem reſiſtere coram omnibus, excedit modum fraternæ correctionis. Et ideo ſic Paulus Petrum non reprehendiſſet, niſi aliquo modo eſſet par quantum ad fidei defenſionem, ſed in occulto admonere & reuerenter, hoc poteſt etiam ille qui non eſt par. Vnde Apoſtolus ad Coloſſenſes vltimo ſcribit, vt prælatum ſuum admoneant. Cùm dicit, *dicite Archippo Epiſcopo, miniſteriũ tuum imple.* Sciendum tamen quòd vbi immineret fidei periculum, etiã publicè eſſent prælati à ſubditis arguendi. Vnde etiam Paulus, qui erat ſubditus Petro, propter imminens periculum ſcandali circa fidem, publicè Petrum arguit. Et ſicut glo. dicit Auguſt. ad Galat. 2. Ipſe Petrus exemplum maioribus præbuit, vt ſic vbi fortè rectum tramitem reliquiſſent, non dedignarentur etiam à poſterioribus corrigi. hæc Thomas ibidem, in 4. diſtin. 19. dicit ſic. In forma reſpondendo ad vnam rationem quæ eſt de reprehenſione Petri à Paulo. *Dicendum,* inquit, *quod Paulus reſtitit in faciem Petro coram omnibus, ſicut ibidem ad Galat. 2. dicitur, hoc autem excedit modum fraternæ correctionis, qui prælatis à ſubditis debetur. Non enim prælati à ſubditis coram plebe ſeu multitudine, ſed humiliter in priuato corripiendi ſunt, niſi immineret periculum fidei. Tunc enim prælatus minor fieret ſi in infidelitate laberetur & ſubditus fidelis maior.* Idem dicit Richardus de media villa, dico vlteriùs quod fraterna correctio de peccatis præteritis publicis locum habet, Etiam dicit Thomas, publica reprehẽſio, ſaluis his quæ dicta ſunt de prælatis. dicit enim hic ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 33. artic. 7. in corpore, quæſierat enim vtrùm in correctione fraterna ſecreta admonitio ex neceſſitate præcepti debeat præcedere denunciationem. *Diſtinguendum eſt,* inquit, *Aut enim peccata ſunt publica, aut occulta. Si quidem ſunt publica, non tantùm adhibendum eſt remedium ei, qui peccauit, vt melior fiat, ſed etiam alijs, in quorum notitiam deuenit, vt non ſcandalizentur. Et ideo talia peccata ſunt publicè arguenda ſecundum illud, 1. Timoth. 5. Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant, quod intelligitur de peccatis publicis, vt dicit Auguſtinus in libro de verbis Domini.* ibi dicit S. Thomas quod remedium vt melior fiat illi adhibendum eſt. Et hoc fit per correctionem fraternam, ſicut quod coram omnibus arguitur, remedium eſt alijs, ne ipſum in culpa ſequantur, & vt de re publica tollatur ſcandalum.

Loco ſuprà citato

Ordo in corripiendo prælato ſeruãdus.

Diſt. 19. ... me... & ...

1. Tim. 5.

Serm. 16.

Sextò infero, quod cùm prælati presbyteri & Eccleſiaſtici ſint ſuperiores laicis, non eſt fraterna correctio faciẽda eis, coram multitudine laicorum. De peccatis etiam publicis perſonalibus, neque etiam fidem, neque ſubuerſionem morum per malam doctrinam directè concernentibus, vt per illam inducantur laici ad ſubtractionem obedientię reſpectu ſacerdotum. Iſtud corollarium ponit vltra præmiſſa, quod non debent induci laici ad ſubtrahendam obedientiam presbyteris etiam malis malitia perſonali, quamquàm etiam ſit publica, patet per illud Exod. 20. *honora patrem tuũ,* quod nõ tantùm de patre carnali, ſed ſpirituali intelligitur. Et iſtud morale præceptum eſt, ideo ſemper manet. lex etiam dicebat, Deut. 17. *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael. Cunctuſq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* quamuis autem hoc præceptum, quia iudiciale erat, ſit mortuum, ratio tamen præcepti manet, ſcilicet de obediẽdo ſacerdotis imperio. Nam hoc morale eſt, quia præcipitur honorare parentes, nec hoc valet dicere, quod hoc ſolùm intelligitur de bonis. Nam dicit Alexander de Hales in tertia parte ſuæ ſummæ, quod malo prælato quàm diù ab Eccleſia toleratur, debetur honor. Et quamuis malè præſideat, quouſque ab Eccleſia deponatur, vt benè præſidens, debet haberi, & intelligitur de malitia perſonali. patet corrolarium iſtud per illud Matth. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt vobis, facite.* & 1. Petr. 2. *Subditi eſtote in omni timore dominis veſtris, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiã diſcolis, hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſtè.* Patet etiã auctoritatibus Doctorum ſanctorum. Dicit Teleſphorus Papa VII. à B. Petro, ex computo Aug. decreto ſuo cap. 3. *Ipſi qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab omnibus ſunt audiendi & timendi, & non dilacerandi, aut detrahendi, quia à quibus populus Domini ſe benedici, ſaluari, & inſtitui cupit, nullatenus debet eos arguere. Nec vulgus in eorũ accuſatione ſuſcipi, populus enim ab eis docendus eſt, & corripiendus, non ipſi à populo, quia non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.* Apparet per hoc quod populus debet obedire ſacerdotibus, & ſe non ſubtrahere ab eorum obedientia. Item Gregorius Nazianzenus 2. oratione in ſancta lumina poſt medium. *Demùm etiam illud docet quomodo ſubiectum eſſe oporteat eos qui accedunt ad gratiam, his quibus diſpenſatio myſteriorũ Dei commiſſa eſt, maximè etiam ſi dignitate aliqua ſibi vel ſapiẽtia præditi videantur, nemo diſsimulet baptiſmum, nemo contemnat, nemo prædicatoribus fidei & diſpenſatoribus gratiæ reſiſtat atq; repugnet, ſed cum omni humilitate & veneratione ſubijciat.* hæc ille. prætereà Chryſoſt. ſuper epiſt. 1. ad Timoth. homilia 2. dicit, *Neſcis quid eſt Sacerdos? quoniam Angelus Dei eſt, non enim quæ ſua ipſius ſunt loquitur, ſi contempſeris, non eum contemnis, ſed eum qui inthroniſauit eum, Deum. & vnde manifeſtum eſt quod Deus inthroniſauit eum? niſi hanc habeas opinionem, ſpes tua euacuata eſt. Si enim nihil agat Deus per eum, neq; lauacrũ habes, neq; myſterijs particeps, neq; benedictionibus frueris. Non ergo Chriſtianus es. Quid ergo; Omnes ordinat, etiã indignos? Non omnes quidem inthroniſat, per omnes tamen ipſe operatur, ſalutem populi moliens, non illorum intrans merita.* hæc ille: profectò hæc ſententia in illo verbo Saluatoris fundata eſt. *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* fortè dicet quiſpiã, ideo publicè malis ſacerdotibus non obedio, quia propter ſuam malitiam publicam dominiũ ſuper me perdiderunt. putas quæſo dominium in caritate fundari? ſi hoc credis, cùm certi eſſe, nõ poſſumus de alio ſi ſit in caritate, Cùm nec de nobis ipſis ſumus, Sapiente teſte, qui ait, Eccleſiaſt. 9. *Nemo ſcit an odio vel timore dignus ſit.* Et Apoſtolo qui dicit, 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non hoc iuſtificatus ſum,* certi eſſe nõ poſſumus, de aliquo, ſi ſit verus Dominus, & ita non ſolùm ſpiritualia dominia ambigua erunt, ſed & temporalia. quod ſi dicatur, imò certi erimus, donec aliquod publicum mortale commiſerint. Si ſic dicitur, ergo dominiũ aut ſpirituale aut temporale in caritate non fundatur, cùm per mortale occultum

Corollariũ ſecundũ. Eccleſiaſtici presbyteri non ſunt publicè corripiẽdi, niſi in certis caſib⁹, ne populus ſubſtrahatur, à debita obedientia.

Exod. 20. Deut. 17.

Alexãder ab Hales p. 3 q. ... memb. 4. art. 4.

Matth. 23. 1. Pet. 2.

Teleſphorus in epiſtola ſua decretali.

Grego. Naz. in oratione 40. in ſanctũ baptiſma.

Chryſoſt. epiſt. 2. ad Timoth. hom. 2.

Matth. 10.

Eccleſ. 9. 1. Cor. 4.

Per peccatũ quodcũ[que] mortale nõ amittitur dominium.

quis

quis dominium non amittit. porro oſtendo, quod per mortale publicum non amittitur dominium, ſaltem per peccatum perſonale, quod fidem non corrumpit, aut Eccleſiam nō ſcindit, vel bonos mores per malam doctrinam directè non perimit. dignitates & dominia ſunt à Dei prouidentia deriuata. Nam ad Rom. 13. dicitur. *qui poteſtati reſiſtit, diuinæ ordinationi reſiſtit.* Et Prouerb. 8. dicit, æterna ſapientia cuius munere omnia gubernantur. *per me Reges regnant, & legū conditores iuſta decernunt.* Ergo quibus dedit Dominus poteſtates & imperia, illi veri ſunt Domini. Conſtat autem Dñm interdum facere malum hominem regnare ſuper populum ad populi afflictionem Iob 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* Igitur tales quamuis ſint mali culpa perſonali, tamen Domini ſunt. Idem manifeſtum eſt in angelis Epheſi, Pergami, Thyatiræ, Sardis, & Laodiceæ, aduerſus enim illos Epiſcopos Dominum comminationes reuelat, quarū aliquę nō ſunt pro peccato veniali, imò mortali, & tamen adhuc Epiſcopi ſunt, & nō ipſo facto depoſiti. præterea Anſel. in gl. ſuper illo 1. Cor. 2. *vt ſciat quæ à Deo donata ſunt nobis*, ait: *multi habēt donū ſpiritus Dei, & neſciendo à quo habent, impia vanitate iactātur, nemo donis Dei beatus qui danti eſt ingratus.* Item Aug. ſuper Pſal. 66. v. 1. *Alia ſunt dona quæ dat Deus inimicis ſuis, & alia quæ nō ſeruat niſi amicis ſuis. Quæ ſunt dona quæ dat Deus inimicis ſuis? quæ nūc memoraui. Non enim ſoli boni plenas habent domos rebus neceſſarijs, aut ſoli boni vel ſalui facti ſunt vel ab ægritudine conualeſcunt.* hæc Auguſt. Quid mirum, ſi dominia dat peccatoribus, fidelibus tamen, qui etiā infidelibus larga dedit Imperia? imò & infidelem ſuper populum ſuum regnare conſtituit? patet in Nabuchodonoſor. Erat enim ille idololatra, ſed & rex conſtitutus à Domino ſuper populum Iſrael peccantem, Hieremiæ ſiquidem 27. ſcriptum eſt, *ego feci terram & homines & iumenta quæ ſuper faciem terræ ſunt, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento. & dedi eam ei qui placuit in oculis meis. Et nunc itaq; ego dedi omnes terras iſtas in manum Nabuchodonoſor regis Babilonis ſerui mei. Inſuper & beſtias agri dedi ei vt ſeruiant illi, & ſeruient ei omnes gentes, & filio eius & filio filij eius.* videtis quomodo Deus, eum præfecit in Regem terræ Iſrael, ſicut de ipſis Propheta loquitur in textu: Nec ſolum eum, ſed filium, & filium filij. Nec poteſt dici quòd Deus dicatur facere hoc permiſſiuè, quia Dominus addidit, *Serui mei, & beſtias agri dedi ei.* Iterum Cyro adhuc idololatræ dedit Dominus regna terræ, Iſaiæ enim 45. *hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehēdi dextram vt ſubijciam ante faciem eius gentes & dorſa Regum vertam:* Sequitur & ibi. *dabo tibi theſauros abſconditos & arcana ſecretorum.* Hieron. in Commentario lib. 12. ait: *huius dextram apprehendit & tenuit, vt nullus fortitudini eius valeret reſiſtere. legamus Xenophontis octo librorum Cyri maioris hiſtoriam & prophetiam Eſaiæ cernemus expletam. quæ enim ciuitas illi non patuit? quis non Regum terga ſubiecit? qui muri prius inexpugnabiles non illius obſidione ſubuerſi ſunt?* hęc ille: Ampliùs Cæſar erat iniuſtus iniuſtitia fidei, tamen Dominus dominium ſuum confirmauit, Cùm ait: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Pilatus etiam erat iniquus Chriſto, iuſtificans in fauorem Iudæorum, tamen ſuam poteſtatem approbauit, cùm ait: *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Propterea dicit Auguſt. lib. de quæſtionibus veteris & noui teſtamenti, *Dei imaginē habet Rex, ſicut Epiſcopus Chriſti. Quamdiù ergo in ea traditione manet, eſt honorandus ſi non propter ſe, vel propter ordinem, vnde Gentilē, in poteſtate tamē poſitū honoramus, licèt indignus ſit.* Hæc ille. Patet quomodo in Rege perſonam diſtinguit Auguſt. ab ordine. ſi fuerit peccator in perſona, meretur priuari bonis Dei. Sed qa eſt Rex ex officio, meretur habere Dei bona etiā valida, honores excelſos ab homine, & à Deo viſiones & ſomnia, proinde idem lib. de Ciuitate Dei dicit in effectu, quod idē Deus dedit regna pijs & impijs, qui Mario Imperium ipſe & Gaio, qui Cōnſtantino Chriſtiano, & Iuliano apoſtatæ. Patet ergo, quòd verum dominium nō fundatur in gratia gratum faciente, ſed in diuina prouidentia, ſicut in cauſa efficiente, ſecundùm quam propter occultas nobis cauſas, ſuæ æternæ ſapientiæ manifeſtiſſimas, benè vult malis, & interdum malè, pœnaliter verò bonis. cùm autem viſum erit in ſequenti concluſione Sacerdotes populo non eſſe ſubiectos, apparebit irrationabile, ipſos coram populo de peccatis ſuis perſonalibus publicis arguere,

Rom. 13.
Prouer. 8.
Iob 34.
Apoc. 2. & 3.
* Alius liber habet, Auguſt.
Hier. 27.
Eſai. 45.
Matth. 22.
Auguſt.
Aug. de Ciuit. Dei lib. 5. c. 21.

hypocriſim detegere, & coram ipſo ſuis manifeſtis ſc
bus contraire, vt dixit proponens, dum tamen non ſ
ſubuerſionem, per falſam doctrinā: in quo caſu poſſu
gui publicè coram populo, vt ſuprà dictum.

Sequitur ſeptimò ex præcedenti, quod ſubditus p
lus non poteſt licitè ſubtrahere decimas & oblationes
lis ſacerdotibus publicè malitia perſonali, nec valet ex
tio auaritiæ, hoc facere volentium, quia nolunt tales n
re in peccatis, quòd tamen facerent dando, vt dicunt.
batur. Chriſtus ſuſtentauit Iudam proditorem, dedit
buccellam panis, & fecit eum participem menſæ ſuæ,
huc erat ſacerdos. Item Deus paſcit gentiles, in orbe, ha
cos, impios Chriſtianos, ita vt Iob dicat: *abundant taber*
la prædonum, & audacter prouocant eum, cùm ipſe dederit om
manibus eorum, Iob 12. Et veritas ipſa de hoc ait: *Qui*
ſuū facit oriri ſuper bonos et malos, & pluit ſuper iuſtos & in
Item Auguſtin. tractatu de oratione Dominica, qui in
Sanctiſſimus Apoſtolis, ait, ipſum panem chariſſimi, quo venter i
tur, quo caro quotidiè reficitur, Ipſum panem videtis dare Deu
ſolùm laudatoribus ſuis, qui facit Solem ſuū oriri ſuper bonos
los, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. laudas, paſcit te; blaſphem
ſcit te, vt pœnitentiam agas, expectat te, ſi non te mutaueris,
te. Quia ergo panem iſtum accipiunt boni & mali à Deo, putas
alter panis? Hæc ille. Item idem prima parte ſermonū
de generalitate eleemoſynæ, qui incipit: *Sunt qui dicūt, d*
ſericordiam, & ne ſuſcipias peccatorem. Iſta enim ob hoc dicta
ne vnquàm peccatori benefacias, propterea quia peccator, ſe
homo eſt, itaq; vtrumq; præceptum tenebis, non ad vindictam
ſis, nec ad ſubueniendum. Omnis enim, qui ratione arguit pec
rem, quid aliud quàm vult non eſſe peccatorē? Odit ergo in illo,
odit Deus, vt perimatur, quod homo fecit, & liberetur, quod D
cit. peccatum aūt homo fecit, ipſos homines Deus. Et infrà: *Be*
humili propter hoc, quod humilis eſt, & ne dederis impio propt
quod impius eſt, quoniā & altiſſimus odit peccatores, & impij
det vindictā, qui tamen nō ſolùm propter quod peccatores &
ſunt, verùm etiā quod homines, facit oriri ſolem ſuū ſuper bo
malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, ita nulli hominū clau
eſt miſericordia, nulli peccatori impunitas relaxanda. hæc A
Ex quo patet, quomodo poteſt dari malis, nec tamē n
tur malitia, ideo poſſunt reddi decimæ, vtiq; iuſtiſſim
bitæ, nec ideo nutrietur malitiá. nā ſoluentur, quia debi
quia illi ſunt ſacerdotes, non aūt, quia mali. Item Hier
Cōment. ſuper illo in cap. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris C*
& quæ ſunt Dei Deo, dicit ſic. *Porrò quod ait: reddite quæ ſun*
ſaris Cæſari, id eſt, nummū, tributū, & pecuniā. & quæ ſunt Dei
id eſt, decimas, primitias & oblationes: hæc Hiero. Tunc a
Cæſar Tyberius erat Tyrānus, ſucceſſor Tyranni & h
ſacerdotes, infideles, auari, & in malo pertinaces, ad pi
indociles, in mortem Dñi iugiter meditantes, & tame
decimas Dñs iubet dari. ſi illis dandæ ſunt, cur nō ſacer
bus malis, tamē fidelibus? Rurſus idē in annotationib.
illo: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, pota illum*, ait
negare. quod Dominus nulli negat, quāuis ſit blaſphemus & i
hoc enim faciens, carbones congeres ſuper caput eius. vt cùm ſ
bones intellexerit, * *per tuā indebitam miſericordiam congr*
excutiat eos, hoc eſt, cōuertatur, & diligat te, quem habuer
quando peroſum. Item: *Idem Deus nulli negat etiam blaſphe*
impio, & nunquid ipſe cibat inimicos ſuos cōtra ſe ipſum: nō ſ
tra ſe ipſos eis gratitudo Domini gratitudo et ſeruorū eius obe
teſt ad pœnā. Domini gratitudo aūt ſeruis eius creſcet ad glor
nec ideo paſcunt peccatorem, vt ampliùs peccet, ſed magis, vt
Domini victus à delicto quieſcat: hæc Hieron. Chryſoſt. ſu
per Ioan. homilia 70. *Qui manducat meum panem, omn*
inquit, *dimittens, hoc vnum quod ſufficiens erat eum, ſcilicet*
detinere & cōuertere, poſuit Chriſtus, qui à me nutritus eſt, qu
menſam cōmunicauit, hoc autē dixit, erudiens eos, qui malef
benefacere etiā, ſi manſerint inſanabiliter habentes: hæc ille.
derate quod dicit, *& ſi manſerint inſanabiliter habentes.*
illis benfaciendum, non obſtante malitia, docet Dom
Ieſus, vt ait ipſe Chryſoſt. Si verò zelum habens corre
nis vitiorum, vtinam ſecundùm ſcientiam, cauſetur di
quod niſi coram multitudine populi, vitia cleri arguat
& improbentur, iudicabit ſimplex populus illa eſſe li
ideo vt eis cōſulatur, neceſſarium eſt, omnibus talibus
licè coram populo contraire. dico quòd nō habet, vn

tionabiliter congeratur: Nam iuxta præmiſſa doctrinam Saluatoris inſequendo, ſacerdotes delinquentes publicè peccatis perſonalibus, poteſt fraternaliter cum reuerentia, honore & manſuetudne corripere, adhibitis debitis circumſtantijs. quòd ſi illum non audierit, adhibeat vnum vel duos teſtes; quos ſi non audierit, dicat Eccleſiæ, id eſt, prælato Eccleſiæ, qui eſt ſuperior ſacerdotis delinquentis. Si ille neglexerit, poteſt ad ſuperiorem recurrere, vſque ad Summum Pontificem, quem ſi rurſus deſidem in correctione iſta iudicauerit, habet pro finali recurſu generale cócilium. quod requiſitum & * corrigẽdis informatum nullatenùs deficiet, ſpeciali enim quadam præſentia paraclitus Spiritus ſanctus ei adeſt, & Chriſtus, qui ſponſam ſuam Eccleſiam Catholicam in concilio generali repræſentatam, nullatenùs errare permittit, quam deſponſauit ſibi in fide & in miſericordia & miſerationibus vſque in ſempiternum, propter quod in morum reformatione non eſt ambigendum, cócilium generale tramitem veritatis vnquàm relicturum. hoc tantum reſtat, vt omnis puritatis amator, conciliorum generalium celebrationem toto corde & opere procuret. Ecce legem Domini, ecce mandatum de correctione fraterna. Ecce practicam horum contra malitiam ſacerdotum perſonalẽ. dixi, perſonalẽ, quia ſi in fide aut doctrina errarẽt, & peruerterẽt populũ, hoc modo, ſi mores ſanctos documẽtis malis niterentur euertere, aliter eſſet procedendum, vt dictũ eſt, nec peccarent ſolùm in te, ſed in omnes Chriſtianos. Vbi verò omitteretur celebratio generalium Cóciliorum, quòd Deus auertat, remedium eſt prædicatio verbi Dei maximè ad clerum facta. In illa fiat generalis exprobratio vitiorum, ne vnquàm putent inſipientes vitia ſibi licere. Ad populum verò exprobratio vitiorũ cleri, non videtur expediens, niſi cum magno moderamine, & diligenti verborum temperantia fiat, ne clero populus infeſtus inſolentior fiat, & abijciat omnem reuerentiam & obedientiam. Vbi tamen probabiliter appareret populum errare credendo, vitia cleri iam nó eſſe vitia, eſſet per veram doctrinam ei ſuccurrendum. ſed hoc diebus noſtris euenire pro magna parte populi nó permiſit Dominus. Non ergo arguendi ſunt mali ſacerdotes malitia perſonali coram populo. propter hoc, vltra præmiſſa, hanc vnicam facio rationem. Ordo fraternæ correctionis oſtendit, quòd ab ea itur in correctionem paternam ſeu iudiciariam, dum illa non ſufficit. Nam poſt correptionem inter te & illum, vnus vel duo teſtes adhibentur, vt conuincatur iam correptus coram iudice. Poſteà ſi negauerit, dicetur Eccleſiæ, id eſt, prælato, vel vniuerſali Eccleſiæ in negligentia prælatorum. ſi illam non audierit, excommunicatur vel excommunicatus eſt. Ideo ſit tibi vt ethnicus & publicanus. Igitur vbi fraterna correptio non ſufficit, curritur ad iudicem, vt qui volens corrigi noluit, nolens corrigatur. modò populus, vt poſteà patebit, non eſt iudex ſacerdotum, nec habet excómunicare aut claues Eccleſiæ, ſed potiùs paſtores, & Eccleſia vniuerſalis ſeu Concilium illam repræſentans. Igitur corrigendo coram populo malum ſacerdotem, legem correctionis fraternæ quis tranſgreditur, & non ingreditur ordinem iudiciariæ poteſtatis. ergo hoc nó eſt faciendum.

* m.ſ. codex alter. & debite corrigendum informatũ. Oſeæ 2.

SEQVITVR SECVNDA CONCLVSIO.

SECVNDA concluſio. *Soli habentes auctoritatem à lege, à diuina voluntate, per inſpirationem ſeu reuelationem cogitã, aut ab aliquo illorum commiſſã, poſſunt licitè in quolibet ſtatu corrigere iudicialiter ſubditorum ſuorum peccata mortalia publica:* Iſta concluſio probatur lege diuina, praxi Apoſtolorum, & Eccleſiæ primitiuæ, decretis libri Conciliorum Iſidori, & ſanctorum Patrum, & auctoritatibus ſanctorum Doctorũ, ſe fundantium in lege diuina.

Primò probatur ex teſtimonijs veteris teſtamenti, Exodi 2. ſcriptum eſt: Cùm quidam Hebræus alteri faceret iniuriam, & Moyſes iniuriantem corriperet, Ait correptus: *Quis te conſtituit iudicem ſuper nos? numquid vis me interficere, ſicut heri interfeciſti Aegyptium?* Auguſt. autem contra Fauſtum dicit, ſuper interfectionem Aegyptij per Moyſen. *Moyſes non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate iuſtitiæ regulam exceſſit, quia nondum à Domino principatum acceperat*, vt priùs allegatum eſt. Secundò: Sic Dauid quendam iuuenem. Dicunt multi Doctores, quod fuit Doeg Idumæus, qui dixerat ſe Saulem occidiſſe, licèt mentiretur, occidit. Nam 2. Reg. 1. dixit illi iuueni, *quare non timuiſti manum tuam mittere, vt occideres Chriſtum Domini?* Et paulò pòſt dixit, *ſanguis tuus ſuper caput tuum ſit.* Iuſsitq; eum interfici. hoc autem nó feciſſet, ſi ſibi licuiſſet Regem Saulem occidiſſe. Non ergo illi licuit, quáuis Saul eſſet malus & reprobatus à Domino, ne regnaret. Tertiò, Prouerb. 30. dicitur: *per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere. Primum eſt per ſeruum, cùm regnauerit*, hoc autem fieret, ſi ſubditi vellent defectus ſuperiorũ publicos per iuſtitiam vindicare. Quoniam verò orbis perturbatio mala eſt, hoc non licet. Quartò, Pſalm. 71. dicit Propheta: *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.* Ibi iudicium iuſtitiæ committi precatur Propheta, nó cuilibet, ſed Regi, aut filio Regis, vel his, qui iuſtè alijs præſunt. Iterũ Prouerb. 19. Sapiens ait: *Non decent ſtultum deliciæ, nec ſeruum dominari Principibus.* Ex illis patet ſubditos non debere ſuperiorum peccata per iuſtitiã corrigere, caſtigare aut punire. Item Iſa. 10. dicit Spiritus ſanctus: *Nunquid glorabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur? Quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui vtiq; lignum eſt*, licèt autem hoc dictum ſit contra præuaricatores diuinorum mandatorum, quod patet ex pronunciatione pœnæ diuinitùs comminatæ. Rationabiliter tamen poteſt exponi de inſurgentibus in ſuperiores, delicta eorum cupientes ſub titulo iuſtitiæ vindicare. Rurſus, vt allegatũ fuit, inobediens ſacerdotis Imperio moriebatur in lege. Ex quo verbo hoc morale accipiẽdum eſt, quod ſacerdotibus euangelicis, in his quæ benè præcipiunt, populus tenetur obedire, non ergo habet populus eorũ peccata perſonalia, per iuſtitiæ poteſtatem corrigere. Si dicatur, quod hoc verum eſt de bonis. Nam malos presbyteros puerulus Daniel iudicauit, vt patet Daniel. 13. Reſpódebo, quod ita fecit, ſed hoc fuit accepta à Domino ſuper hoc ſpeciali poteſtate, q̃ innoteſcit hominib⁹, aut per miracula, aut ꝑ teſtimonium ſacrarum ſcripturarũ, hæc autem, de qua hic inſpiratio diuina ex ſcriptura manifeſtatur. Nam dicitur: *ſuſcitauit Deus ſpiritum pueri iunioris, cui nomen Daniel.* Præterea eodem modo videtur dicendum, quod ſubditi poſſunt peccata principum ſecularium publica, auctoritate iuſtitiæ punire & corripere, & hoc eſſet ſeditioſum & ſubuerſio omnis pincipatus temporalis. Ampliùs: ſuperiores non habent ab inferioribus puniri, propter eorum negligentias in iuſtitia miniſtranda aut regimine; & ſpecialiter Eccleſiaſtici à laicis. Illorum enim defectus Dominus iudicabit & non populus terræ. Quod patet Iſa. 3. vbi dicitur: *Stat ad iudicandum Dominus.* quod ad prælatos aut ad ſacerdotes hoc dictum ſit, patet. Nam paulò poſt dicitur: *vos depaſti eſtis vineam meam, & rapina pauperis in domo veſtra*, ſic enim ad hoc propoſitum allegat Alexander illam auctoritatem. Idem patet Ezechielis 33. de ſpeculatore enim dicitur: *Niſi inſonuerit buccina, cùm viderit gladium venientem, ſanguinem pereuntis de manu ſua requiram*, nó populus terræ, ſed ego, ſupple, Dominus. Hæc enim ſunt verba Domini. Non habet ergo negligentias exigere populus ex auctoritate, de manibus prælatorum aut presbyterorum, ſed Dominus, quamuis poſſit pro defectibus & negligentis in officio, querimoniam ſuperioribus ipſorum Eccleſiaſticorum deficientium, porrigere, ac pro peccatis perſonalibus eos monere fraternaliter, modo dicto in præcedenti concluſione.

Suprà ꝓpoſitione 4. Aug. contra Fauſtũ Manicheũ lib. 2. c. 22. To. 6.

2. Reg. 1. Prou. 30. Pſal. 71. Prouer. 19 Iſaiæ 10. Daniel. 13. Eſaiæ 3. Ezech. 33.

Deinde probatur concluſio teſtimonijs noui teſtamenti, & primo Matth. 26. dicit Saluator: *omnis qui gladium acceperit, gladio peribit.* Ille verò dicitur gladiũ accipere, qui propria auctoritate iuſtitiæ pœnas exercet. Vnde Aug. *Ille gladium accipit, qui nulla ſuperiori aut legitima poteſtate vel iubente vel concedente in ſanguinem alicuius armatur*, ergo ſoli tales, nó qui gladium accipiunt, quoniam gladio peribunt, ſed quibus gladius à Deo datus eſt, habent peccata publica auctoritate iuſtitiæ vindicare. Secundò Apoſtolus Roman. 13. dicit: *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Nam qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Poſt pauca ſubdit, *non ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt vindex in iram, ei,*

Matth. 26. Aug. lib. 22. cõtra Fauſtum Manicheũ c. 70. To. 6. Rom. 13.

qui male agit. Ex his patet quod inferiores ſubdi debent poteſtatibus ſublimioribus, & ſic non habent de illis poteſtatibus iuſtitiam facere, non enim habent gladium datũ à Domino, ſed princeps, qui Dei miniſter eſt, contra operantes malum. Si de facto faciunt, gladium accipiunt, & gladio peribunt, vt dicit Dominus. Tertiò, Apoſtolus reprehendit eos, qui iudicant non ſibi ſubditos. Dicit enim ad Rom. 14.

Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit.* Nec poteſt dici, quod propter peccatum Domini efficiãtur ſubditi, dum tamen illud peccatum ſit tantùm perſonale, & non ſit in fide, aut contra Rempublicam, ad cuius cuſtodiã, & fidei defenſionem, ordinatum eſt dominiũ, ſicut probatũ eſt ſuprà. Quartò, 1. Pet. 2. Petrus Apoſtolus: *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*; ſpecificando autem cui, ſubiungit, *ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus quaſi ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt volũtas Dei.* Si dicatur, quod bonis parendum eſt, non malis. Cõtradicit illud 1. Pet. 2. *Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis veſtris, nõ tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* (1. Petr. 2.)

Conſequenter ex praxi Chriſti, Apoſtolorum & primitiuæ Eccleſiæ. ſic ex praxi Chriſti. Chriſtus vni tantum, nõ omnibus dixit, ſcilicet Petro: *Paſce oues meas*, Ioan. vltimo. (Ioan. 21.) Dans vni, non pluribus, vniuerſalem auctoritatem corripiendi peccata ſubditorum, & in virtutibus eos nutriendi. Item ex praxi Apoſtolorum. (Actor. 5.) Petrus ſolus tanquàm caput aliorum, diuinam ſententiam in Ananiam & Saphiram promulgat, quia defraudauerant de pretio agri, mentiri Spiritui ſancto, vt habetur Actuum quinto. in quo patet, quod ſuperior habet ferre iudicium aut promulgare. Cæterùm cùm Simon Magus offerret pecuniam Apoſtolis, vt haberet poteſtatem dandi Spiritum ſanctum, per impoſitionem manuum, ſolus Petrus, vt aliorum princeps, legitur eum corripuiſſe imperioſè dicens: *pecunia tua tecum ſit in perditionem*, Act. 8. (Actor. 8.) Prçtereà cùm Paulus percuſſus iuſſu Ananiç ſummi ſacerdotis Iudæorum, dixiſſet: (Actor. 23.) *percutiet te Deus paries dealbate.* Et quidam aſtantium ei appoſuiſſet, *ſic ſummum ſacerdotem Dei maledicis?* Reſpondit: *neſciebam fratres, quia princeps eſt Sacerdotum*, per hoc ſe excuſans de maledicti pronunciatione oſtendens, quod ſuperioribus non ſunt maledicta inferenda, & multò minùs corporales pœnæ per inferiores: De his Apoſtoli verbis habetur Actuum 23. Nec valet, quod Paulus reſtitit Petro in faciem. Nam habetur Galat. 2. (Galat. 2.) *Cùm veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat*, quia cùm ſuperior peccat in facto fidei, fit inferior in hac parte. Et ſubditi non lapſi, fient ſuperiores, vt Thom. in 4. diſt. 19. vel magis gloſſam ſequendo dico, quod in defenſione fidei Paulus fuit par Petro. (Suprà Corollario 5. 4. diſt. 19.) dicit enim gloſſa ſuper illo *Reſtiti enim in faciem, vt par*, ita dicit Richardus de media villa in quarto, diſt. 19. In vna reſponſione tangit aliã, quæ Thomæ videtur conformari in quarto, quod vbi imminet periculum fidei, inferior poteſt ſuperiorem etiam publicè arguere, vt etiam dicit Thomas in 2. ſecun. immediatè ſuprà, (Tho. 2. 2. q. 33. art. 7.) ſicut antè in fine quinti Corrolarij dictum eſt. Et hoc maximè dico verum eſſe, quando periculum eſt in mora, nec dilationem recurrendi ad ſuperiorem periculum patitur. Ita dicit de paritate Petri & Pauli in defenſione fidei. Auguſtinus de Ancona, lib. de poteſtate Eccleſiaſtica, q. 7. art. 1. ad primum, (Auguſt. de Ancona.) vbi oſtendit, quod Paulus fuit minor Petro, maior, & æqualis. Minor quidẽ poteſtate prælationis, quia ſolus Petrus fuit Cephas, id eſt Caput totius Eccleſię. Maior autem prærogatiua electionis, quia electus fuit à Chriſto poſt reſurrectionem & poſt glorificationem. Vnde in Bulla Papæ, Paulus ponitur ad dextram. Aequalis in officio prædicationis, & fidei defenſionis. In hac autem reprehenſione fides defenſionis tangebatur, quãtum ad ceſſationẽ legaliũ, vnde ad Gal. 2. poſt verba aſſumpta ſequitur de Petro, *Non enim ambulabat ad veritatem Euangelij.*

Allego vltra praxim Apoſtolicam, praxim, vt ſic dicam Angelicam Michaelis Archãgeli, qui dum cum diabolo de corpore Moyſis altercaretur, noluit imperare, ſed Domino imperandũ reſeruauit. De hoc enim habetur in epiſt. Iudæ: *Cùm Michael Archangelus altercaretur cum diabolo de corpore Moyſis, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit, imperet tibi Dominus.* ſi punitionem noluit Archangelus in diabolum ſine auctoritate ſuperioris, ſcilicet Dei, exercere, ſed Domino reſeruauit; cum homines non ſint meliores Angelis, nec delinquentes peiores diabolo, vindictam malorum non debent exercere, ſed ſuperioribus reſeruare.

Poſſet ex praxi primitiuæ Eccleſiæ ſatis facile, idem deduci permulti. Sufficiant autem duo exempla, quæ ſi non ſunt de primitiua Eccleſia, ſunt tamen de Eccleſia ſatis primitiua. Vnum eſt Conſtantini Magni, de quo in 2. lib. hiſtoriæ tripartitæ dicitur, quòd Epiſcopis inter ſe diſſidentibus & libellos famoſos contra ſe inuicem Conſtantino offerentibus, ipſe ait: (Conſtantinus.) *Dominus conſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem dedit vobis de nobis iudicandi, ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non poteſtis iudicari ab hominibus, propter quod inter vos Dei ſolius expectate iudicium, & veſtra iurgia, quæcunq; ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen, vos eſtis nobis dati Dij, & inconueniens eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt Pſalm. 81. Deus ſtetit in ſynagoga* deorum, in medio autem Deus diiudicat.* (Pſal. 81. *m. ſ. alter Iudæorũ.) Aliud eſt exemplum de obedientia Theodoſij erga beatum Ambroſium. ex quibus apparet Principes ſeculares Chriſtianiſſimos iudicibus Eccleſiaſticis paruiſſe, quanquàm aliqui eorum mali eſſent, ſicut patuit in primo exemplo.

Ex his autem, quæ in lib. conciliorum Iſidori habentur, probatur concluſio. In epiſtola Clementis Papæ ad Iacobũ fratrem Domini de morte S. Petri dicitur: (Clemens Papa epiſt. 1.) *Epiſcopos à ſolo Domino iudicandos aut remouendos, & non ab alijs eſſe dicebat, quia ſui ſunt & non alterius. Et quis eſt, qui alterius iudicet ſeruum? Nã ſi ita non patiuntur homines, nec Deus Deorum, nec Dominus Dominantium, hoc nullatenus patitur.* Item Euariſtus Papa, vt eodẽ lib. Conciliorum Iſidorus narrat, decreto ſuo nono, ait: (Euariſtus epiſt. 2. habetur 2. q. 7. c. nõ eſt. 6.) *non eſt itaq; à plebe aut à vulgaribus hominibus arguendus Epiſcopus vel accuſandus, licèt ſit inordinatus, quia pro meritis ſubditorum diſponitur à Deo vita iſtorum*, & tranſſumptione habetur 2. q. 7. non eſt. Item ex decreto Alexandri primi in eo. lib. Conciliorum Iſidori dicitur: (Alexãder Pontifex epiſt. 1. Matth. 16.) *Relatum inſuper eſt ad huius ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis apicem, cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omnia negotia Eccleſiarum, ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad caput, ipſo dicente Principi Apoſtolorũ Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quod quidẽ æmuli Chriſti eiuſq; ſanctæ Eccleſiæ inſidiatores, ſacerdotes Dei ad iudices publicos accuſare præſumant, cùm magis Apoſtolus Chriſtianorum cauſas ad Eccleſias deferri, & ibidem terminari præcipiat. Taliter præuaricantes præuaricati ſunt in Deum ſuum, & nõ obediunt præceptis eius.* Ampliùs in Cõcilio generali Pariſien. & habetur in c. nullus iudicum, de for. compe. ſic fuit diffinitum: (De for. cõp. c. nullus. 1.) *Nullus iudicum neq; presbyterum, neq; diaconum, aut clericum vllum, aut minores Eccleſiæ ſine permiſſu Pontificis, per ſe diſtringere aut condemnare præſumat. quòd ſi fecerit, ab Eccleſia Dei, cui iniuriam irrogare dignoſcitur, tam diù ſit ſequeſtratus, quouſq; reatum ſuũ recognoſcat, & emendet.* Sunt tamen caſus ſpeciales, in quibus iudex ſecularis poteſt eſſe iudex clerici, quæ notãtur per Hoſtienſem, & alios Doctores in d. c. Nullus, de for. com. (Hoſtiẽ. de foro cõp. c. prædicta.) Rurſus, quòd dignitas Epiſcopalis ſit maior Imperiali, exceptis temporalibus, quæ Epiſcopus ab eo recipit, declarat Innocentius III. illuſtri Imperatori Conſtantino, in c. ſolicitæ, de maioritate & obed. (De maioritate & obediẽtia cap. 6.)

ITEM ex decretis SS. Patrum apparet concluſio. Primò, in decreto diſtin. 10. dicit beatus Gregorius Nazianzenus Imperatoribus Conſtantinopolitanis. (Greg. Nazianz. in orat. ad ciues Naziãzenos, diſ. 10. c. 6.) quod etiam poteſtas tribunalium Regiorum, lege Chriſti ſubiecta eſt poteſtati Eccleſiaſticæ. Ideo non debent regulariter Eccleſiaſticorum delicta à Principibus ſecularibus puniri. Et multò minùs à populo vel alijs Chriſti fidelibus. Item 2. quæſt. 7. cap. laicos, dicitur: (2. q. 7. ca. 5. laicos.) *Laicos non accuſaſſe Epiſcopos, hactenus obſeruatum & conſtitutum eſt, quia non ſunt eiuſdem conuerſationis, & oppido quidem eis infeſti exiſtunt.* Iterum 23. quęſt. 5. c. Non fruſtrà, dicitur ab Auguſtino ad Macedonium: (23. q. 5. c. 18 Non fruſtrà. Aug. epiſt. 14. ad Macedon.) *Non fruſtrà inſtituta ſunt poteſtas Regis, ius cognitoris, vngulæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeueritas etiam boni patris, habent omnia iſta modos ſuos, cauſas, vtilitates, rationes. hæc dum timentur, & malè coërcentur, & boni quieti inter malos viuũt.* In hoc patet, quod ad ſolam auctoritatem publicam pertinet peccata publica per iuſtitiam punire.

POSTREMÒ auctoritatibus SS. Doctorum in lege diuina veraciter ſe fundantium, probatur concluſio per Aug. primò de ciuit. Dei, & recitat Thom. in glo. ſuper Matth. 5 c. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non occides, qui autem occidit, reus erit iudicio*, dicit enim ſic. *Nequaquā contra hoc præceptum fecerunt, qui autore Deo bella geſſerunt, ac perſonam gerentes publicæ poteſtatis, ſecundum iuſtiſſimæ rationis imperio, ſceleratos morte puniuerunt. Et Abrahā non ſolùm nō eſt culpatus crudelitatis crimine, verùm etiā laudatus eſt nomine pietatis, quod voluit filiū, nequaquā ſceleratè, ſed obedienter occidere, hi ergo excipiuntur, quos Deus occidi iubet et ſiue lege lata, ſiue ad perſonā pro tempore, expreſſa iuſſione, nō autem ipſe occidit, qui miniſterium dat iubenti, ſicut adminiculum gladius eſt vtenti*: hæc Auguſt. Ex quo patet, quod ſolùm ad habentem auctoritatem, ſiue à lege, ſiue ſpeciali iuſſu Dei, pertinet pœnam per iuſtitiam inferre. Item idem ſuper Matth. eodem cap. dicit: *Non prohibetur vindicta, quæ fit per correctionem, nec hæc ei conceditur, niſi ei, cui poteſtas ex ordine data eſt*. Rurſus idem primo de ciuitate Dei ait: *qui ſine aliqua publica adminiſtratione maleficum interfecerit, velut homicida reputabitur*. Iterum idem ſuper Matth. 5. cap. *officia vindictæ poſſunt bono animo impleri, quomodo iudex, & quomodo lex.* Prætereà Greg. ſuper Deuter. 23. *Si intraueris ſegetem proximi tui, franges ſpicas, & manu conteres, falce autem non metes*, dicit, *falcem iudicij mittere nō poteſt quis in eam rem, quæ alteri videtur eſſe ſubiecta.* Ex his patet probata concluſio, quod ſoli habentes auctoritatem à lege, aut à diuina voluntate per inſpirationē ſeu reuelationem cognita, aut ab aliquo illorum commiſſi poſſunt licitè in quolibet ſtatu corrigere iudicialiter ſubditorum ſuorū peccata mortalia publica. Ex quo patet, quòd peccata puniri non poſſunt, niſi adſit iuriſdictio, & quia iudicium humanum procedere debet ex manifeſtis, oportet, quòd adſit cōuictio, oportet etiam, vt in primo puncto deductum fuit, quòd fiat abſque turbatione boni communis. Ideo oportet, quòd ſit pax ſalua. His igitur tribus concurrentibus, ex primo puncto, & ex iſto declaratis, ſcilicet iuriſdictione, conuictione, pace ſalua, peccata publica ſunt punienda, aliàs non, niſi vbi maius ſcandalum orietur ex diſſimulatione punitionis peccati, quàm ex turbatione pacis Eccleſiæ, aut boni communis, ſicut etiam dictum fuit in primo puncto.

Auguſt. li. de ciuitate Dei c. 21

Aug. vbi ſuprà. Aug. in q. Euāg. lib. 1. c. 20. to. 4. Deut. 23. Greg.

EX hac concluſione infero primò, quòd peccata publica perſonalia prælatorum, ſacerdotum, & aliorum Eccleſiaſticorum Chriſti fidelium, per laicos nō ſunt punienda, etiam ſecundum dictamen legis diuinæ, per cohibitionē pœnæ, exceptis caſibus, etiam paucis infrà dicendis, in quibus nec eis liceret, niſi eſſet ab Eccleſia ſpecialiter cōceſſum. hoc probatum erit, ſi fuerit oſtenſum, quod non ſunt laicis, quo ad ea, ſubditi, hoc autem ſic patet. Primò ante legem ſcriptam, ſecundò in lege, tertiò ſub Euangelio. Ante legem in regno Aegypti ſub Pharaone manifeſtum eſt ſacerdotes ab omni regali exactione fuiſſe liberos. Cùm enim omnes eſſent Pharaonis Imperio ſubiecti, & in ſeruitutem ſubacti, ſola terra ſacerdotum permāſit libera. habetur Geneſ. 47. In lege verò non reperiuntur ſacerdotes populo eſſe ſubiecti, immò econtrà. Nam diſſinitio quæſtionum ad ſacerdotis pertinebat arbitrium, ei, quod obediendum lex iubebat ſub pœna mortis. Deuter. enim 17. ſcriptum eſt: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegit Dominus Deus tuus. Venieſq; ad ſacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit pro illo tempore, quæreſq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus.* ſequitur paucis interpoſitis: *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.* ſub Euangelio autem ſacerdotium liberum eſt ab omni poteſtate ſeculari, quātum ad eorum perſonas, maximè probatur, per id Matth. 17. vbi Chriſtus interrogauit Petrum, *à quibus Reges accipiunt tributum, an à filijs, an ab alienis?* Reſpondit Petrus: *ab alienis.* Et Dominus, *ergo filij ſunt liberi.* per hoc intelligens Apoſtolos, diſcipulos, & eorum ſucceſſores eſſe liberos à ſubiectione temporali, vnde quod ſoluit tributum, fuit ne ſcandalizarent exactores tributorij, ideo dicit, *ne ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum & eum piſcem, qui primus aſcēdet, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illum ſumens, da eis pro me & pro te.* Ecce patet Eccleſiaſticas perſonas liberas eſſe à tributis, & alijs oneribus Principum terrenorum. Auguſtin. autem, vt recitat Thomas in glo. ſuper Matth. 17. cap. ſuper illo verbo. *Ergo filij ſunt liberi.* ſic ait, *dicit Chriſtus in omni regno filios eſſe liberos, id eſt non eſſe vectigales, multò magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno, ſcilicet filij regni ipſius, ſub quo ſunt omnia regna terræ.* Hieron. verò in eadem glo. dicit ſic. *Dominus autem noſter, & ſecundùm carnem, & ſecundùm ſpiritum filius erat Regis, vel ex Dauid ſtirpe generatus, vel omnipotentis patris verbum, ergo tributa quaſi Regum filius non debebat.* Origenes autem ibidem ſic ait: *Vide Chriſti prudentiam, qualiter nec renuit tributum, nec ſimpliciter iubet dare, ſed prius oſtendit ſe non eſſe obnoxium, & tunc dat, quorum vnum fecit, ſcilicet dare tributum, vt illi ſcilicet exactores non ſcandalizarentur. Hoc autem, quod oſtendit ſe liberum, vt non ſcandalizentur diſcipuli.* Hęc Origenes. Ita ego dico Eccleſiaſticos liberos à ſubiectione populari, & omnium laicorum. quoad perſonas & actus eorum perſonales, præterquàm in certis caſibus in reſpondendo exprimēdis, vt priùs dictum eſt, & vt non ſcandalizem diſcipulorum Domini ſucceſſores, ſi putarē aliquos dicere velle ſacerdotes Dei, quia reuerà ſunt medij inter Deum & populum: Ex quo fit, vt dicantur os Dei, & os populi. Os Dei pro eo, quod mandata Dei populo exponunt. Os populi, quia preces offerunt & ſacrificia, pro populo: ſubiectos eſſe quoad iudiciariam punitionem cuilibet fideli Chriſtiano, laborarem auctoritates multiplicare, ſed quia hoc eſſe falſum iudicandum puto, ſuperſedeo. Vile namque & captiuum eſſet ſacerdotium, ſi in diſciplinatis & conuerſis ad terram laicis eſſet ſubiectum, nec aliud ſibi quàm dolendum eſſet ſuper flumina Babylonicæ confuſionis. Igitur ex quo ſubditi non ſunt laicis modo dicto, non ſunt ab eis taliter puniendi.

Primum Corollarium, Peccata publica perſonarum Eccleſiaſticarum à laicis non ſunt punienda, exceptis quibuſdā caſibus.

Gen. 47.

Deut. 17.

Matth. 17.

Matth. 17. Aug. de quæſt. Euang. lib. 1. cap. 23. Hier. in c. 17. Matth.

Hęc habet Chryſoſt. hom. 59. in c. Matt. 17.

INFERO ſecūdò, quòd licèt quilibet Chriſti fidelis poſſet iudicare iudicio diſcretionis, de peccatis publicis ſacerdotum, & aliorum Eccleſiaſticorum, tamē nullus eorum poteſt iudicare iudicio condemnationis & diffinitionis, vt eſt actus iuſtitię de peccatis publicis perſonalibus eorundem, modo nuper expreſſo. Prima pars à proponente videtur concedenda, & eſt nota ſatis. Nam tale iudicium nō prohibetur de proximo, aut de ſuperiori. Secunda pars patet ex hoc, quod tale iudicium non debet fieri, niſi de inferioribus. oſtenſum eſt autem, quòd ſacerdotes non ſunt inferiores Chriſti fidelibus laicis, igitur, &c. Audite, quid dicat Ioan. Chryſoſt. ſuper Matth. in opere imperfecto, Homilia 43. Et loquitur popularibus, Homilia quippe eſt ſermo ad populum: *Vos*, inquit, *qui ſedetis in Eccleſia quaſi ſacerdotum iudices, & non auditores, aliena diſcutientes, & propria non cōſiderantes, ex vobis ipſis iudicate de ſacerdotibus, ſicut vos oēs auditis & nō oēs facitis, quod auditis ſic ſacerdotes oēs docent, & nō faciunt, quod docent. Nam in hominibus dignitas quadam diuerſa eſt, omnium autem natura vna eſt, homines enim ab initio creati ſunt propter ſe, poſteà autem ſacerdotes ordinati ſunt propter vos, propterea natura eorum, ipſorum eſt, Ordinatio autem eorum, veſtra. vnde, ſi benè vixerint, lucrum eſt eorum, ſi benè docuerint, veſtrum. Accipite ergo, quod veſtrum eſt, & nolite diſcutere quod alienum eſt. Sicut enim ſacerdotes etiam infideles, docent propter fideles, melius iudicātes, propter bonos etiam malos fouere, quàm propter malos etiam bonos negligere. Sic ergo vos propter bonos ſacerdotes, etiam malos honorate, nec etiam propter malos, bonos contemnatis. Melius eſt enim iuſta præſtare malis, quàm bonis iuſta ſubtrahere, frequenter enim & de malo homine bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra precioſum aurum producit. Nunquid propter vilem terram precioſum aurum contemnitur? Non. Sed ſicut aurum eligitur, & terra relinquitur, Sic & vos ſuſcipite doctrinam, & mores relinquite.* hæc Chryſoſt. Apparet ex illa auctoritate, quod de moribus non habent iudicare. Nam propter peccata perſonalia ſacerdos non redditur par aut inferior laicis. Cæterum idem Chryſoſt. ſuper Ioan. Morali ſeu Homelia 85. ſic inquit: *Nunc non eſt dicere, ſuper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſei, ſed ſuper Cathedram Chriſti ſederunt ſacerdotes, Eius enim acceperūt doctrinam. Idcirco Apoſtolus ait: pro Chriſto legatione fungimur: Nō videtis in his quæ feru*

Corollariū ſecundum. Licet Chriſti fideles poſſent iudicare Eccleſiaſticas perſonas iudicio diſcretionis, nō tamē damnationis.

Ioā. Chryſoſt. in opere imperfecto in Mat. ho. 43

Chryſoſt. in Ioan. hom. 85.

2. Cor. 5.

ſunt

ſunt principibus, vniuerſos curuantes, & genere meliores exiſtentes, multotiens etiã vita & prudentia his, qui iudicant eos, ſed tamẽ propter eum, qui dedit iudices nihil horum excogitauit, ſed venerantur ſententiam Regis, & ſi quicunq; abiectus fuerit, qui acceperit principatũ, demum ſi, vbi homo inthronizauit, tantus eſt timor, vt inthronizato obediamus, inthronizante Domino, contẽnemus eum, qui inthronizatus eſt, & cõuiciabimur, & decẽ millibus opprobrijs laniabimus, & fratres noſtros prohibiti iudicare, aduerſus ſacerdotes linguam exacuemus? Ecce arguit Chryſoſt. à maiori: populares Chriſtianos nõ debere iudicare magiſtros, q. prohibiti ſunt iudicare fratres ſibi pares. Quoniã dicit Dominus, Matth. 7.

Matth. 7.

Nolite iudicare, vt non iudicabimini: de quo autem iudicio intelligat, patet ex ſequentibus, quia ſubiungit, *Nolite condemnare, & non condemnabimini*, vnde improperando tale iudicium præſumptum vel vſurpatum à populo, quod ei non conuenit de ſacerdotibus, dicit idem Chryſoſto. ſuper 2. epiſt. ad Timoth. hom. 2. & ait: *Si debemus examinare vitas principantium, ipſi debemus eſſe interonizatores magiſtrorum, & quæ ſurſum, inferius fient, ſurſum pedes, inferius caput.* Et idem 3. Dialogorum, *& quidem*, inquit, *ſacerdotes in veteri teſtamento habebant poteſtatem non curandi, ſed oſtendendi tantùm eos, quos conſtabat fuiſſe mundatos, & noſti quantum ibi imminebat labor: at hi ſcilicet in nouo teſtamento, non corporis lepram, ſed immunditiam mentiũ, non ex parte probandi, ſed omnifariam mundandi obtinent poteſtatem, propter quod, qui deſpiciunt, magis mihi rei, quàm Dathan & Abyron videntur, digni q. maiori ſupplicio, quàm illi.* Nec valet, quòd diceret aliquis, Dominus Maieſtatis Chriſtus Ieſus conceſſit populo Iudæorũ iudicare de vita & operibus eius: dicit enim Ioan. 10. *Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere.* quomodo ergo nõ potuerũt Chriſti fideles de ſuis miniſtris iudicare, quibus de Domino hoc licuit? Hoc, inquit, non valet, Nam Dominus non dixit: Si non facio opera patris mei, iudicate me, ſed dixit, *nolite mihi credere*, hæc opera erant miracula, quæ ſunt teſtimonia veritatis, prædicationis & doctrinæ. Conceſſit ergo Chriſtus, vt propter miracula mundi crederent, non vt vitam cum operibus iudicarent: Propterea B. Gregor. in paſtorali lib. 3. cap. 5. ait: *Admonendi ſunt ſubditi, ne præpoſitorum ſuorum vitam temerè iudicent, ſi quid fortaſſe eos agere reprehenſibiliter vident, ne vnde rectè mala redarguunt, inde per elationis impulſum in profundiora mergãtur. admonendi ſunt, nè cùm culpas præpoſitorum conſiderant, contra eos audaciores fiãt, ſed ſi qua valdè ſunt eorum praua apud ſemetipſum dijudicent, vt tamen diuino conſtricti amore, ferre ſub eis iugum reuerentiæ non recuſent. quod melius oſtendimus, ſi Dauid factum ad medium deducamus: Saul quippe perſecutor, cùm ad purgandum ventrem ſpeluncam fuiſſet ingreſſus, illic cum viris ſuis Dauid inerat, qui iam longo tempore perſecutionis eius mala tolerabat, cumq; viri ſui ad feriendũ eum accederent, fregit eos * rationibus, dicens: Quia manum in Chriſtum Domini mittere non auderet. qui tamen occultè ſurrexit, oramq; chlamydis eius abſcidit. Quid per Saul, niſi mali rectores, quid per Dauid, niſi boni ſubditi deſignantur?* Poſt multa dicitur: *Poſt hoc, Dauid percuſſit cor ſuũ, eo, quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul facta quippè præpoſitorum oris gladio ferienda non ſunt, etiam cum ratione reprehendenda iudicantur: Et ſi quando contra eos, vel in minimis lingua labitur, neceſſe vt per afflictiones pœnitentiæ cor prematur:* Ecce quòd etſi iudicio diſcretionis de manifeſtis iudicare poſſint inferiores, non tamen iudicio condemnationis aut diffinitionis, quæ eſt actus iuſtitiæ. Et hoc eſt, quod dicitur 25. Moral. cap. 11. ſuper illo Iob: *Qui regnare facit hominem hypocritam, quia*, inquit, *rectores habet iudicem ſuum, magna cautela ſubditorum eſt, non temerè vitam iudicare regentium, neq; enim fruſtrà per ſemetipſum Dominus æs nummulariorum fudit, & Cathedras vendentium columbas euertit, mirum ſignificans, quia per magiſtros quidẽ iudicabat vitam plebeium, ſed per ſemetipſum facta iudicat & examinat magiſtrorum.*

Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. ad Tim. 2. circa mediũ. Ruſus Chryſ. de ſacerdotio lib. 3.

Ioan. 10.

Gregor. in paſtor. p. 3. cap. 5.

* pro rationibus, exẽplaria impreſſa habẽt, reſpõſionib.

Grego. 25 mor. c. 21.

Corollarium 3. propter malitiam eccleſiaſticorũ ſiue laicorum nõ poteſt alius licitè ab vnitate eccleſiæ recedere. Aug. con. epiſt.

TERTIÒ infero, quòd propter malitiam nõnullorum, ſiue eccleſiaſticorum, ſiue laicorum, non poteſt licitè ſe aliqua natio ab vnitate totius reſidui orbis Chriſtiani ſeparare, putans ſe Eccleſiam eſſe. Hic duo dicuntur, Primum, quod non eſt putandum, quòd Eccleſia Catholica ſit in vnica Regione. Secundum, quod vna natio ſe ab alijs diuidere non debet, propter multorum peccata publica. Primum patet ſic. Arguit B. Auguſt. primo lib. contra epiſtol. Parmeniani, dixit enim Dominus Abrahæ: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, & Iſaac: *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ, pro eo, quod audiuit Abraham pater tuus vocem meam.* ad Iacob dixit: *Ego ſum Deus Abrahæ patris tui, & Deus Iſaac, ne timeas, terrã enim, in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo, & erit ſemen tuum tanquàm arena maris, & replebitur in mare, & in Aquilonem, & in Orientem, & benedicentur in te omnes tribus terræ in ſemine tuo.* Et ne de Iudæis dictum putetur, quòd ſit ſemen Abrahæ, in quo benedicendæ ſunt omnes gentes, Apoſtolus exponit, dicens; *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones & ſemini eius, non dicit, & ſeminibus, tãquàm in multis, ſed tantùm in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* In Chriſto ergo omnes gentes benedictionem habituras, tanta auctoritate promiſſum eſt, tanta exhibita veritate, & non pudebit dicere ad pugillum orbis illam diebus his eſſe coarctatam? hæc Auguſt. Porrò, ſicut Auguſt. arguit Dominus in parabola zizaniorum ait, quòd paterfamiliàs ſeminat bonum ſemen in agro, Exponens autem illam, ipſe ait: *Qui ſeminatur bonum ſemen, eſt filius hominis. Ager eſt mundus, Bonum ſemen hi ſunt filij regni, zizania verò ſunt filij nequã.* Ergo Chriſtus filius regni poſuit illud in agro, id eſt, mundo, non in aliqua portiuncula terræ, aut in Africa, vt arguit Auguſt. in fin. primi lib. contra epiſtolam Parmeniani: ſed in toto orbe ab ortu ſolis vſque ad occaſum: hoc Dominus veritatis declarat, Matth. 24. *Si quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus*, id eſt in iſta parte mundi, *aut illic*, ſupple, eſt fides Catholica. *nolite credere, ſi dixerint vobis, ecce in deſerto eſt*, hoc eſt, in dogmate Philoſophorum, *nolite exire*, ſcilicet à fide Eccleſiæ, *ſi dixerint, in penetralibus eſt*, Id eſt, in doctrinis occultorum hæreticorum, *nolite credere.* Eſt ergo fides Catholica poſt eius publicationem ſicut fulgur, quod patet ab oriente in occidentem. Sic enim exponit B. Auguſtin. de quæſtionibus Euangeliſtarum, dicens: quod orientis & occidentis nomine, totum orbem voluit ſignificare, per quem futura erat Eccleſia. Iſidorus libr. de ſummo bono, 16. cap. dicit: *Sancta Eccleſia ideo dicitur Catholica, quod vniuerſaliter per omnem mundum ſit diffuſa, Hæreticorum enim Eccleſiæ in partibus mundi coarctantur. hæc verò in toto orbe diffuſa expanditur.* Idem 8. lib. Etymolog. *Eccleſia græcè dicitur cõuocatio, latinè Catholica dicitur vniuerſalis.* Eandem ſententiam habet Honorius ſuper illo, Cant. 4. *Duo vbera tua ſunt duo capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs.* Eandem Auguſt. de fide ad Petrum. Patet ergo prima pars Corollarij. Secunda, quòd natio non ſe debet diuidere à reliqua parte orbis propter peccata publica multorum, ſatis fuit in primo puncto deducta. Et hoc propter peccata particularia, & nõ fidem concernentia. vnde quamuis ſine periculo ſchiſmatis boni à malis recedere non poſſint corporaliter, debent corporali præſentia manere, recedere verò ſpiritu, nè ſcilicet peccatis malorum conſentiant. Sic enim Apoſtolus dicit ad Philip. 2. *Omnia facite ſine murmurationibus & hæſitationibus, vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ atq; peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes*, Auguſt. ſuper verbo Ioan. & habetur 23. q. 4. dicit: *Quid ergo vult Dominus noſter Ieſus Chriſtus, fratres mei, admonere Eccleſiam ſuam, quando vnum perditum ſcilicet Iudam, inter duodecim habere voluit, niſi vt malos toleremus, ne corpus Domini diuidamus? Eccè inter Sanctos ſuos eſt Iudas, eccè fur Iudas, & ne contemnas, fur ſacrilegus, non qualiſcunq; fur, ſed loculorum Dominicorum, ſed ſacrorum.*

Parm. lib. 1. c. 2.

Gen. 22.

Gen. 26.

Gen. 28.

Gal. 3.

Eodẽ lib. cap. vlt.

Matth. 24.

Aug. de q. Euãg. lib. 1. c. 38.

S. Hieron hęc verba prout etiã recitat S. Thom. in glo. ſuper caput 20. Matth.

Iſidor⁹ de ſũmo bono c. 26.

Iſidor⁹ li. 8. c. 1.

Honori⁹.

Aug. de fide ad Petrũ c. 3. 37. 45.

Philip. 2.

Aug. trac. 50. in Ioã. habetur 23. q. 4. c. 3. Quid.

INFERO quartò, quòd Eccleſia militans non eſt pro cõmuni ſtatu, abſq; mixtura malorum cum bonis, ſed hoc proprium eſt eccleſiæ triumphanti, quod tamen ſentire videntur, qui tã rigidè, non ſaluo ordine iuris, nec pace prępoſita, omnia mala publica volunt de cõmunitatibus Chriſtianorum, & in quolibet ſtatu, propellere. Patet corollariũ per Auguſt. 3. lib. contra epiſt. Parmeniani dicentẽ: *Inter omnia, quib⁹ eorũ ſacrilegus tumor apparet, nullo ſe loco magis aperuit, quàm in eo, quòd auſus eſt etiam illud Ieremiæ Prophetæ ponere, vt perſuaderet hominibus cõmunionem Donatiſtarum, non ſolùm Eccleſiam verã eſſe, ſed etiam talem iam hoc tempore, qualis poſt vltimam ventilationem Eccleſia ſancta futura eſt.* Verum illud Ieremiæ fuit, *quid paleæ ad triticum?* dicit ſic Auguſtin. de Parmeniano & complicibus *conſiderent, ſi in eis ineſt qualiſcunq; ſenſus humanus, nunquid in agro dici poteſt quid paleis ad triticum? quando in eadẽ radice portantur? nunquid in area, vbi pariter tri-*

Coroll. 4. Eccleſia militãs nõ eſt pro cõmuni ſtatu, abſq; mixtura malorum cũ bonis.

Aug. lib. 3. contra epiſt. Par. c. 2.

Hier. 23.

rantur? ſed vtrq; in horreo, quid paleis ad triticum? veniet ille pater-familias ferens ventilabrum in manu ſua, & mundabit areã ſuam, frumenta recondet in horreum, paleã verò comburet igne inextinguibili. Matth. 25. *Nam per altã ſimilitudinem omne triticum ouium nomine, omnis palea hædorum nomine ſignificatur, quæ duorũ pecorum genera ſub vno paſtore paſcuntur, ſed veniet filius hominis cum Angelis ſuis, & congregabuntur ante eum omnes gẽtes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſeparat oues ab hædis, &c. tunc implebitur Prophetia, quid paleis ad triticũ? quãdo non poterunt paſcua eſſe communia hædis & ouibus.* Ipſe etiã idem Auguſtinus Donatiſtis ita reſpõdit ad propoſitum in tractatu Pſalm. Pſal. 36. *Suſpicamini quid velitis de nobis, ſi boni ſumus, in Eccleſia Chriſti, frumenta ſumus; Si mali ſumus in Eccleſia Chriſti, palea ſumus, tamen ab area nõ recedimus, tu qui vento tentationis foras volaſti, quid es? triticũ, non id tolleret ventus ex area. Ecce ergo, vbi es, agnoſce quid es.* Et infrà: Matth. 23. *quid autem ſimus, ille nouit, ad quẽ gemimus, de malis tamen dictum eſt illud, ſuper Cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæ dicunt facite, quæ autẽ faciũt, nolite facere. Vides, quod in Cathedra Moyſi, cui ſucceſſit Cathedra Chriſti, ſedẽt & mali, & tamẽ dicendo bona, nõ obſunt auditoribus, quare tu propter malos iſtã Cathedrã dimiſiſti? Redi ad pacem, redi ad concordiã, quæ te non offendit. ſi bona loquor, & bona facio, ſequere me: ſi autẽ non facio, quod dico, habes conſilium Domini, quod dico fac, quod autẽ facio, noli facere, tamen à Cathedra Catholica noli diſcedere.* hęc Auguſt. Nõ niſi in Eccleſia eſt ſalus, quod teſtatur Remigius ſuper illo In Catena S. Thomę Matth. 21. Matth. 21. *Acceſſerunt ad eum*, ſcilicet Chriſtum, *cæci & claudi in templo, & ſanauit eos*, dicens: *Quòd in templo ſanantur, ſignificat, quod homines nõ niſi in Eccleſia ſanari poſſunt, cui data eſt poteſtas ligãdi atq; ſoluendi, tamen in Eccleſia ſunt cæci & claudi.* Vbi Origenes tract. 15. in Matth. 21. Origenes: *In templo enim Dei, id eſt, in Eccleſia nõ ſunt omnes videntes, neq; rectè ambulãtes. Sed alij quidã ſunt cæci, alij autẽ claudi, Qui ex eo, quod intelligunt propriã cæcitatem, & ſcientes, quia nullius eſt opus, niſi Chriſti Ieſu, vt ſanentur, accedentes ad verbum Dei ſanantur.* hæc ille. Et habentur in glo. Thomæ, Matth. 21. vbi ſuprà: hæc dicta ſunt, vt oſtendatur veritas tenenda circa propoſitum articulum, de punitione peccatorum publicorum, & falſitas reſpuatur, vt appareat æquiuocatio, & multiplicitas compoſitionis & diuiſionis in illa, & euolutio harum volutionum. Articulus enim fuit iſte. *Peccata mortalia publica, & quantum rationabiliter fieri poteſt priuata, aliaq; deordinationes legi Dei contraria, in communitatibus Chriſtianorum, & quolibet ſtatu eorum, debita iuxta dictamẽ diuinæ legis, per Chriſti fideles, tã ſpirituales, quàm ſeculares, prout cõgruit vtriſq;, ſunt cohibenda, corripienda, caſtigãda, & pro poſſe ab eiſdem propellenda.* Primò enim id complexum, *quantum rationabiliter fieri poteſt*, poteſt determinare cohibitionem, correctionem, &c. peccatorum publicorum & priuatorum, vt ſit ſenſus, peccata publica & priuata, aliæque deordinationes legi Dei contrariæ ſunt cohibenda, corrigenda, caſtiganda, &c. quantum rationabiliter fieri poteſt. Certè iſte ſenſus iudicio meo eſſet verus. Vel poteſt determinare cohibitionem, correctionem, caſtigationem, &c. peccatorum priuatorum, vt ſit ſenſus, quòd publica ſunt cohibenda, corrigenda, & peccata priuata ſunt etiam cohibenda, quantum rationabiliter fieri poteſt, &c. & iſte eſt falſus, quantum ad peccata publica, quia ponit omnia eſſe cohibenda, corripienda, &c. ſimpliciter, & ſine reſtrictione. in moralibus enim indiffinitæ vniuerſalibus æquiualent. ſimpliciter autem, & ſine reſtrictione dicere, omnia peccata publica eſſe cohibenda, corrigenda, corripienda, &c. oſtenſum eſt in primo puncto, eſſe falſum, ſi de cohibitione, correctione &c. loquatur, quæ fit auctoritate iuſtitiæ. Si verò de cohibitione, correctione, &c. fraterna loquimur, ſic priuata, dum tamẽ ad notitiam alicuius venerint, ſunt corripienda. &c. ſicut & publica ſpecialiter perſonalia, nec oportuit apponere illam reſtrictionem, *quantum rationabiliter fieri poteſt*, ad peccata priuata magis, quàm ad publica. Secundùm iſtam variam determinationem poteſt eſſe compoſitio, aut diuiſio, vt ſciunt Logici.

Præterea circa hoc, quod dicitur, *iuxta dictamen diuinæ legis*, immorandum aliqualiter, quare omittitur mẽtio legum humanarum, quæ ſunt licitæ, & regulant hominem * iudicem, quaſi regula homogenia, & propterea. nullus enim, qui veritatem agnoſcit, ambigit, quin lex humana habeat vim obligatiuam à lege Dei, ſed quare omittitur ſermo de lege humana, non benè video, niſi quòd proponens intẽdat tam ſpirituales, quàm ſeculares, omnia per ſolam legem diuinã, recturos eſſe, & diſpoſituros. quantum concernit punitionem vitiorum, & leges humanas, quantum ad hoc, non eſſe neceſſarias aut vtiles, falſum eſſe monſtratum eſt, & tamen viſum eſt, quomodo punienda ſunt peccata publica, lege diuina, in primo puncto. Item in articulo; hoc complexum, *prout congruit vtriſq;*, licèt in ſuperficie rationabiliter poſitũ videatur, eſt tamen obſcurũ: per hoc enim neſcitur, quomodo aut ſeculares, aut ſpirituales habeãt peccata corrigere, arguere, cohibere, per prædicta tamẽ ſatis arbitror oſtendiſſe veritatem. Deniq; circa illud, quod dicitur, *ſunt cohibenda, corripienda, caſtigãda, & pro poſſe ab eiſdem propellenda*, latet æquiuocatio. Nam cohibitio, correctio, caſtigatio, & propulſio poſſunt dicere actus correptiõis fraternæ vel iudiciariæ. Itẽ ly *pro poſſe*, poteſt determinare omnia iſta quatuor participia, *cohibenda, corrigenda, caſtiganda, & propellenda*. Aut ſolum vltimum, ſcilicet *propellenda*. & hoc magis propriè, quia in eadem cathegorica ponitur. Si dicant, actus correctionis fraternæ, ſiue hoc, quod dicitur, *pro poſſe*, determinet omnia quatuor participia, ſiue ſolum vltimum, videretur ſenſus, quo ad hoc eſſe verus, niſi fortè fieret vis de peccatis infidelitatis, aut aliter rem publicam directè turbantibus, & populum Chriſtianum, ſicut patuit in prima concluſione, ſecundi puncti. Si dicant, actus correctionis iudiciariæ, & ly *pro poſſe*, determinet omnia quatuor participia, ſic non benè video, quomodo poſſit articulus habere veritatẽ, quo ad hoc, cùm ſeculares nihil habeant iuriſdictionis in Eccleſiaſticas perſonas. Si determinet vltimum ſolum participium, *propellenda*, ſimpliciter falſus eſt articulus, quo ad priuata participia *cohibenda, corrigenda, caſtiganda*. Nam falſum eſt, vt oſtenſum eſt in ſecunda concluſione primi puncti, ſeculares ſeu laicos habere auctoritatem iudiciariam, cohibendi, arguẽdi & caſtigandi peccata publica ſacerdotum, ſpecialiter perſonalia. Secundùm iſta patet, quomodo verus eſt, & quomodo falſus erit articulus propoſitus.

Patet etiam circa primum corollarium eadem ambiguitas, quantùm ad ſecundam partem, vbi dicit *per ſpirituales & ſeculares rectores in eorum officijs, modis ipſis congruentibus, in communitatibus Chriſtianorum, & quolibet ſtatu eorum, ſunt cohibenda, corripienda, caſtigãda, & pro poſſe ab eiſdem propellenda.* Pro prima parte eſt verum, in qua dicitur, deordinationes & peccata mortalia, antedicta, cùm ſint prohibita ſub pœna damnationis æternæ, propter nulla lucra mundi ſunt defendenda & fouenda. abſit autem à pijs fidelium mẽtibus, vt aliqua mortalia foueant aut defendãt, licèt tolerent aliqua, vel permittant per cohibitionem pœnæ impunita.

Secundum corollarium, quia expreſsè de cohibitione, correctione, caſtigatione, & propulſione fraterna, quæ fit ex lege caritatis, loquitur, verum eſt, niſi de peccato infidelitatis, aut alio Eccleſiam aut Rempublicam conturbante, fieret exceptio. Et in caſu, vbi mora eſſet faciẽda, quia in tali caſu omiſſa ſecreta admonitione, eſſet ad publicam denunciationem procedendum, ad vitandum periculum, vt determinatum eſt in ſecundo puncto. Eſt enim corollarium hoc in forma: *dicta peccata & deordinationes in cõmunitatibus Chriſtianorum, & quolibet ſtatu eorundem, non ſolùm per rectores prædictos, ſed per omnes generaliter Chriſtifideles, tàm ſpirituales quã ſeculares, debitè modis ipſis cõgruentibus, ex zelo caritatis ſunt corrigenda, corripienda, caſtigãda, & pro poſſe ab eiſdem propellenda, & nullo modo defendenda aut facienda.*

Tertium corollarium eſt in forma: *Peccantibus rectoribus tàm ſpiritualibus quàm ſecularibus, vel alijs cum ſuis ſtatus ſuperioribus, ſubditi fideles licitè poſſunt illos, vel malitiã eorum caritatiuè arguere, hypocriſim eorum detegere, & eorum manifeſtis ſceleribus, etiam coràm alijs publicè contraire.* Iſtud quoad primam partem, quæ loquitur de reprehenſione fraterna ſuperna ſuperiorum, eſt verum, ſed quantum ad ſecundã partem, quod hypocriſim eorum poſſint ſubditi detegere, & eorum manifeſtis ſceleribus contraire coram alijs. Si intelligitur coram ſuis ſuperioribus, verum adhuc eſt, ſed ſi intelligitur coram non ſuperioribus, ſicut magis apparet ex aliquibus ſequentibus, eſt falſum, & oſtenſa eſt falſitas in ſecundo puncto. Inferior enim nõ habet peccatum ſui ſuperioris denũciare, niſi ſuperiori illius, vt cùm ſecreta monitio non ſufficit, per

medium

* Alterũ exemplar pro, iudicẽ, habet iudirectè.

medium denunciationis veniatur de correctione fraterna ad paternam. ſed nec habet ſuum ſuperiorem accuſare, niſi coram iudice ſuo, nec ideò hoc debet facere, id eſt, dicere peccata ſuperioris coram populo, vt ille verecundiam habeat, & reſipiſcat à malo. Nam ipſum infamare eſt malum, & non ſunt facienda mala, vt bona eueniant, dicit Apoſtolus. etiam, quia per hunc modum citius tolleretur ab eo verecundia, ex quo enim eſſet infamatus, perdita eſſet verecundia, quæ ſecundùm Ariſtotelem eſt timor ingloriatiõis. De hac materia ſatis extensè dictum eſt. videtur enim ſeditionem inducere, &c.

Rom. 3.

Ariſt. li. 4 Eth. ca. 9.

Corollarium 4. Grauẽ reddent rõnẽ negligentes correptionẽ quouis modo.

Quartum Corollarium in forma: *Quanta mala ſunt in communitatibus, & rectores, Domini temporales, Scabini, iudices, ſiue paſtores, conſequenter & omnes generaliter Chriſti fideles, tam ſpirituales, quàm ſeculares, talia totis conatibus medijs ipſorum conuenientibus neglexerint arguere & prohibere, pro peccatis delinquentium grauiſſimam reddent rationem.* Iſtud corollarium eſt valde multiplex, ſi intelligatur de rectoribus & paſtoribus, quò ad ſuos ſubditos, referendo ſingula ſingulis, credo corollarium eſſe verum. Si fiat permutatio ſubditorum, vt per hoc intelligatur Scabinos & iudices ſeculares, quia non cohibuerunt, correxerunt, &c. poteſtate iudiciaria, Eccleſiaſticos, falſum eſt, vt patuit in ſecundo puncto. Si intelligatur de cohibitione etiam fraterna, eſt verum, ſi tamen neglexerint corrigere illo modo, tempore, quo correctio fraterna obligat, quò ad fideles non iudices, ſi de iudiciaria poteſtatis neglectione loquatur Corollarium, falſum eſt, quod ſi de fraternæ correctionis neglectu intelligitur, verum eſt, modo, vt ſtatim dicam. Hæc de ſecundo puncto.

QVANTVM ad tertium punctũ, vt vno ordine reſpondeam ad rationes proponentis, veritas ipſa oſtendenda eſt contraria aliquibus dictis ipſius. Primum dictum eſt eius, etſi non in forma, tamen in effectu & ſententia. *Abſolutiones à pœna & à culpa ficta ſunt, & per Papam ſiunt venales, & Indulgentia non ſunt in lege Dei fundata.* Pauca dicenda ſunt de abſolutionibus à pœna & à culpa: ex iſto, quod iſte non eſt cõmunis modus concedendi abſolutiones à Summo Pontifice. & ſi aliquæ Bullæ ſub tali forma dentur ſurreptitiæ creduntur impetratæ ideò, quia curia Romana hunc ſtilum cõmuniter non habet: dicunt enim cõmuniter Doctores, Magiſter ſententiarum 18. diſt. 4. Guillermus Altiſiodorenſis, in ſumma. Doctor S. ſcilicet Thomas, Bonauentura, Scotus & Richardus de media villa, quòd ſolus Deus culpam remittat principaliter. Sacerdos autem vi clauium ſolùm ad hoc agit, aut per modum inſtrumenti animati, ad hoc gratiam nõ attingendo, ſed ad eam diſponendo, vt dicunt aliqui, aut ex pacto diuino, vt alij loquuntur. Et ideò non poteſt ſummus Pontifex à culpa abſoluere, vi clauium, niſi ſicut cæteri ſacerdotes ſubditos ſuos, hoc eſt ad hanc remiſſionem per applicationem clauium diſponere, illam oſtendere eſſe à Deo factam, partem pœnæ temporalis remittere, &c. vt habẽt doctores. Sed interdum ſummus Pontifex concedit ex rationabili cauſa plenariam omnium peccatorum Indulgẽtiam, aut relaxationem alicuius partis, iniunctarum pœnitentiarũ, & ad hoc, quantum ad plenariam peccatorum Indulgentiam, intelligo, ſaluo iudicio meliori, Indulgentiam pœnarum pro peccatis debitarum. Ad hunc enim ſenſum dicitur, quod ſacerdos dimittat peccata, & etiam eo modo, de quo dictum eſt. De venalitate autem, & alijs exceſſibus factis, nõ eſt opus aliquid dicere, niſi quod tollendæ ſunt.

Quantùm verò ad Indulgentias, oſtendo, quòd ſunt fundatæ in lege Dei, ad quod deducendum, ſupponendum eſt, quòd Indulgentia dicit relaxationem pœnę debitæ, ſed quia oportet, vt ſaluetur diuina iuſtitia, & qui peccauit, quia debitor eſt, ſoluat, & vt alius ſatisfaciat pro eo, per Indulgentiam pœna peccatorum relaxatur, ex hoc, quòd merita alterius illi applicantur: ergo pro Catholico dicere oportet in Eccleſia eſſe theſaurum meritorum Chriſti, & Eccleſiæ & Sanctorum. Chriſtus enim per ſuam paſſionem non tantùm ſatisfecit pro culpa primi parentis, ſed etiam ſibi meruit exaltationem, non in ſe, ſed in hominum fide & deuotione, & proprij corporis glorificatione, & nomen quod eſt ſuper omne nomen, iuxta verbum Apoſtoli ad Philip. 2. *Humiliauit ſemet ipſum, factus obediens vſq; ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* Secundũ quod doctores declarant in 3. ſent. pulcherrimè. meruit etiam nobis ianuę cœleſtis apertionẽ. Paſſio enim eius, quia à diuino ſuppoſito fuit exhibita, & à voluntate ei' accepta, fuit infinitè bona. Ideò exceſſit debitum, quo Adam erat obligatus pro peccato ſuo. Illud verò quod vltra debitum ſolutũ eſt, remanet in theſauro Eccleſię. Ecce principaliter radicẽ theſauri ex abundãti merito paſſionis Chriſti, de quo ſcriptum eſt 1. Ioan. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtũ, ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed pro totius mundi.* Fides etiam Eccleſiæ & caritas eius, merentur multùm. Sãcti præterea, qui ſupererogauerunt his meritis, cumulauerunt & merita, & hi omnes in Gazophylacio ſpirituali Eccleſiæ repoſuerunt. ex his ergo conſtat meritorũ Eccleſiæ theſaurus, ſecundùm quod ſcriptum eſt Eccleſ. 1. *Sapientia & diſciplina, timor Domini, & quod beneplacitum eſt illi, fides & manſuetudo, adimplebit theſauros illius.* Iam in paucis videtis id, vnde fit Indulgentia, etiam in lege Dei veraciter fundatum. Rõnem aũt cur fieri debeat Indulgentia, audite. In communitatibus humanis & politijs theſaurus publicus propter duo ſolet erogari. Primum eſt, propter principis gloriam & honorem, vt faciunt reges curiales, & fecit Rex Aſſuerus, Heſt. 1. Secundum propter cõmunitatis neceſſitatem, vel vtilitatem. Nam quando læditur communitas, ſtipendia & donatiua proferũtur militibus pro ea pugnaturis. Simili modo theſaurus Eccleſiæ ab his, qui habent eum diſpenſare, duplici cauſa debet erogari: primò propter Dei gloriam & honorẽ, qui per multa relucet in Sanctis eius, honorantur aũt Sancti in conſtructione Baſilicarum, & cõmemoratione virtutum ſuarũ, per ſermones & prædicationẽ ſanctam. Secunda cauſa propter communẽ vtilitatem Eccleſiæ, vt eſt defenſio terræ ſanctæ, defenſio fidei, & ſimilia. pro iſtis cauſis in generæ theſaurus Eccleſiæ per indulgẽtias cõmunicatur. Verum non à quocũque, nec cuicunq;, nec pro quacunq; cauſa diſtribui poteſt, aut debet. Sed ſub tribus conditionibus communiter à Doctoribus aſſignatis. Prima, quòd ſit in conferente auctoritas. Secunda, quòd ſit in ſuſcipiente caritas. Tertia, quòd ſit in cauſa pietas. non reſtat nunc aliud oſtendere, quàm quod auctoritas conferendi ſit in lege Dei fundata. auctoritas illa competit vniuerſaliter ſummo Pontifici, ſiue ſit bonus, ſiue malus, dum tamen ab Eccleſia toleretur. Nam non ex vitæ merito confert indulgentias, ſed ex poteſtate. Alijs, quibus datum eſt, conceditur ſpecialiter huiuſmodi diſtribuere Indulgentias. Dico igitur, quòd poteſtas ſummo Pontifici conueniens generaliter, & inferioribus particulariter, fundatur in hoc paſſu Scripturę Matth. 16. vbi Dominus loquitur Petro illam glorioſam confeſſionem facienti, cùm dicit: *Tu es Chriſtus filius Dei.* Cui dixit Dominus: *Tibi dabo claues regni cælorum:* dum ſubdit, *Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Si intelligere vellet aliquis ſolùm de abſolutione peccatorum, & ligatione pœnæ ſatisfactoriæ, hoc improbatur à Magiſtro ſententiarum, in quarto, & ab omnibus Doctoribus, & etiam à proponente hunc articulum, quoniam auctoritas vindicandi, excommunicandi, competit Prælatis Eccleſiæ, nec hoc negat proponens, licèt multos exceſſus narrauerit, & illa auctoritas ſpecialiter ibi fundatur, vt dicunt Magiſtri & doctores. oſtendo tamen, quòd illud, *quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; ſolueris, &c.* non ſolùm ad poteſtatem clauium in foro conſcientiæ aut contentioſo, ſed ad multa alia extendatur. Primò Eccleſia Bibliam pro Canonica & ſancta Scriptura acceptauit, & talem declarauit. quatuor Euangelia ſecundùm Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem auctenticauit, nõ aliorum Apoſtolorum, aut diſcipulorum, vt Nicodemi. Item Bibliam innouatam per Eſdram ſcribam ipſa Eccleſia recepit, ab eadem tranſlatio Hieronymi, alijs prætermiſſis acceptata eſt. Eadem auctore gloſſ. ord. ſuper Bibliam, libri etiam beatorum Auguſtini, Hieronymi, Gregorij, Ambroſij, auctoritatẽ ſumpſerũt, vbi collata fuit ei hęc auctoritas in canone, non alibi quã hic: *Tibi dabo claues regni cœlorũ, quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum, &c.* Petrus Apoſtolus formam Baptiſmi à Chriſto traditam, mutauit in illam: *Ego*

Philip. 2.

1. Ioan. 2.

Eccleſ. 1.

Indulgentiæ.

Heſter 1.

Conditiones indulgentijs annexæ.

Match. 16.

te baptiza in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti,& hoc fecit, vt nomen Chriſti prius odioſum, fieret amabile. Poſt notitiam nominis Domini Ieſu Chriſti in cordibus fidelium, Eccleſia hac forma dimiſſa, redijt ad inſtitutam à domino formã, vbi data fuit hæc poteſtas mutandi formam à Saluatore inſtitutam? Et vbi Eccleſia habuit poteſtatem formam à Petro datam mutare? Cæterùm Dominus ſeptimum diem, cõpletis ſex dierum operibus, ſanctificauit, Geneſ.2. pòſt, hanc diem ſabbati ſanctiſſimè in lege præcepit, ita, vt colligentem ligna in ſabbato mandauerit lapidari, Num.15. Et hoc Chriſtus in Euangelio, cum alijs præceptis decalogi approbauit, Matth. 19. hoc Apoſtoli & Eccleſia Catholica diu poſt obſeruauit, tamen poſteà Eccleſia hanc obſeruantiam mutauit in obſeruationem diei Dominicæ, ſcilicet octauæ. Item Dominus præcepit celebrare Paſcha 14. die menſis primi, à veſpera in veſperam, tanquam legitimum ſempiternum, Exodi 12. & ſic diu Eccleſia obſeruauit, tamen poſteà dies Paſchę ſemper Dominica celebrãda inſtituta eſt. Rurſus Leuit. 17. & Deut.12. prohibitum fuit, & Apoſtoli in ſuo Concilio celebrato approbauerunt, vt patet Act. 15. comedere immolatum ſimulacris, ſanguinem ſuffocatum, atq; fornicari; poſtmodùm Eccleſia ſeruatis primo & quarto, mutauit ſecundũ & tertium. Apparet quomodo multa mutauit Eccleſia, quæ à Deo, Chriſto & primitiua Eccleſia, erant præcepta & obſeruata. Præatereà Sacramentum Matrimonij, quod teſte Apoſtolo magnum eſt ratione ſuę ſignificationis, ſcilicet coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, in ſtatu innocentiæ inſtitutũ, & in Paradiſo delitiarum, in principio admiſit vterinos, & germanos ſimul poſſe matrimonialiter copulari, ſcilicet maſculũ & fœminam, poſteà denegatũ eſt de prima linea cõſanguinitatis; poſt hęc multiplicato genere humano, Eccleſia prohibuit vſq; ad quartam lineã conſanguinitatis incluſiuè. Item in lege veteri, mortuo viro ſine liberis, frater ducebat vxorẽ fratris defuncti, vt ſuſcitaret eius ſemen, & hoc obſeruatum eſt diu in lege noua, deinde introducta publicæ honeſtatis iuſtitia prohibitum eſt virum contrahere cum aliqua conſanguinea ſuæ ſponſæ, vſq; ad quintum gradũ excluſiuè, ac per hoc fratrem cum defuncti ſponſa fratris.

Geneſ. 2.
Num. 15.
Matth. 19.
Exod. 12.
Leuit. 17.
Deut. 12.
Act. 15.

Circa ſacramentum Euchariſtiæ Eccleſia aliqua mutauit. Præſens enim forma conſecrationis ſanguinis eſt alia, ab ea, quam in Euangeliſtis reperimus, licèt ſubſtantia ſit eadẽ. Addidit etiam in conſecratione corporis illam coniunctionem, enim. Rurſus Leo Papa ait, quòd aliquo tempore, propter errorem de obſeruatione legalium, cõficiebatur in fermentato. Nunc non licet. ſimiliter in Eccleſia primitiua erãt tãtùm duo ordines ſacri, ſcilicet diaconatus & ſacerdotium. Et ſecundùm Hieronymum, idem erat Epiſcopus & ſacerdos, ſaltem dico ego, eodem nomine appellabantur. hæc ſũt nunc mutata.

In ſacramento Pœnitentię, quod vſque ad finem duraturum eſt, ab initio lapſus humani facta eſt mutatio. In lege enim naturæ ſufficiebat confeſſio mentalis ſoli Deo, in lege veteri obligabantur homines ad confeſſionem cærimonialem, ita quod aliquo ſacrificio homines oſtenderent ſe peccaſſe hoc vel illo peccato. Sacerdotes verò illi, manibus poſitis ſuper cornu hirci confitebantur peccata filiorum Iſraël, & nunc in lege gratiæ, quia ſacerdotibus conuenit remittere peccata, modo prędicto, vt peccator ſine ſcandalo ſua peccata confiteatur ſecretè ſacerdoti, & ſic abſoluat, inſtituit Eccleſia. Videtis, quomodo ferè in omnibus ſacramentis multa mutauit Eccleſia. Si non potuit, nec valuit, quod fecit, nec nunc eſſet obſeruandum, quod tamen abſurdum ab omnibus iudicatur: Si potuit, vbi in Scriptura ſacra ſibi data eſt, & lege Dei illa poteſtas? & non reperitur ſpecialius ad iſta eſſe conceſſum, quàm per illud dictum Petro, & ſucceſſoribus eius: *Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c.* Nam non dixit Dominus: Quodcunque ligaueris aut ſolueris abſoluendo, pœnitentiam iniungendo, excommunicando, ab ea ſoluendo, ſed, *Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c.* nec dixit, quodcunque ligaueris erga hominem, ſed vt vniuerſalem poteſtatem ei conceſſam neceſſariam ad ſalutem humani generis oſtenderet, dixit vniuerſaliter, & ſine reſtrictione, *quodcunq; ligaueris*, ſcilicet claue nõ errante, *ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Ecce ibi fundata eſt poteſtas Indulgentias conferendi. Vt autem intentionem proponentis omninò euacuem, oſtendo, quod, eſto, quod in lege Dei, hoc eſt, in Scriptura Veteris & noui Teſtamenti, non poſſet reperiri fundata auctoritas ſpecialis, & expreſſa, ad huiuſmodi Indulgentias diſtribuendas vel conferendas, ſufficeret ſola Eccleſiæ auctoritas, quæ reuera in Scriptura Euangelica fundatur. patet Ioan. 14. vbi Dominus dicit: *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcunq; dixero vobis.* Et ne putetur hoc dictum ſolis Apoſtolis, ibi dicitur toti Eccleſiæ: *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum.* vnde oſtendo, quòd eccleſia multa facere poteſt, & fecit, tamen nõ habetur ex Canone ſuper his ſpecialis & expreſſa auctoritas. Eccleſia numerat inter fideles paruulos baptizatos, numerat inquã, ſub pœna hæreſis. Vnde Auguſt. de baptiſmo paruulorũ: *Vbi ponis paruulos baptizatos? profectò in numero credentiũ:* nõ niſi ex cõſuetudine Eccleſię antiquæ canonica fundatiſſima. Et infrà: *Inter credentes baptizatos paruulos numerabis, nec iudicare aliter vllo modo audebis, ſi non vis apertus eſſe hæreticus.* Eccleſia etiam inſtituit, vt compatres in Baptiſmo, fidem paruuli pro eo reſpondeant. Et ſic Eccleſiæ auctoritas ordinauit, vt paruuli per aliorum pedes ad fidem veniant, per aliorum corda credant, per aliorum linguas in Baptiſmo reſpondeant, & fidem fateantur. Item Eccleſia in Niceno Cõcilio ſecundum Symbolum edidit, poſt Symbolum Apoſtolorũ auctorizauit etiam Symbolum Athanaſij. Item in toto Canone non habetur, quòd Pater in diuinis, aut Filius, aut Spiritus ſanctus nominetur, Perſona, ſed ab Eccleſia habetur: etenim in illo, quod *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, &c.* Cùm quærerent hæretici, qui tres? nõ habens Eccleſia, quid ex Canone reſponderet, importunitati hæreticorum ſatisfaciens, inuenit hoc nomen, Perſona, & dixit, Tres perſonę. Prætereà etſi Canon Bibliæ dicat, beatam Virginem eſſe matrem Chriſti, tamen non reperitur in eo, quod dicatur mater Dei, ſed hoc Eccleſia determinauit, vt dicatur nõ ſolùm Chriſtotocos, ſed etiam Theotocos, id eſt, nõ ſolùm Chriſti mater, ſed & Dei mater. Deniq; non habetur ex Canone, vt illa ſignacula, quæ in perficiendis Sacramentis modò fiunt, ſint facienda; nihil de benedictione fontium baptiſmalium; aquæ benedictæ, exequiarum defunctorum, & aliorũ multorum, quæ ne tædium generem, omittam, quæ tamen Eccleſia ſancta obſeruanda inſtituit. Videtis, quanta ſit auctoritas ſanctæ Eccleſię Catholicę, de qua Auguſtinus contra Fauſtũ hæreticum auctoritatis Eccleſię impugnatorem dicit, & habetur 11. diſt. q.3. Vides in hac re, quantùm valet Eccleſię auctoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum, vſq; ad hodiernam diem, ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſu firmatur. Et Chryſoſtomus dicit, vt refert Auguſtinus de Ancona, de poteſtate Eccleſiaſtica, quæſt. 29. quod homini mortali omnium, quæ in cœlo & in terra ſunt, poteſtatem commiſit Deus, & validiorem cœlo Eccleſiam eſſe monſtrauit. Huic nempè beatus Hieronymus omnia dicta ſua, & fidem ſubmiſit. & habetur 24. q. 1. *Hæc eſt fides, Papa beatiſſime*, vnde dato, quòd in Scriptura ſacra nõ reperiretur ſpecialiter & expreſſè fundata poteſtas conferendi Indulgentias, adhuc auctoritate Eccleſiæ, quæ Spiritu ſancto regitur, infallibiliter in his, quę pertinẽt ad ſalutẽm, potuit tam pretioſi theſauri apertio demonſtrari, & de nouo aliquando inſtitui, ſicut & illa, quæ prius memorata ſunt. niſi dicatur, quòd auctoritas modernæ Eccleſiæ eſt minor, quàm primitiuæ, quod falſum eſt, cũ auctoritas mutandi ſtatuta Eccleſiæ, & inſtituendi, non ſequatur ſanctitatem vitæ, ſed officium & dignitatem, quæ æquales ſunt nunc & tunc, nec alias claues habet modò, quàm tunc. vnde Auguſtinus ſerm. 18. ait: *Nemo dicat Eccleſia primitiua tempora præualere iſti Eccleſiæ, quia tunc Chriſtus & Apoſtoli fecerunt miracula, & nõ modò, quia tunc fiebant ſanitates corporũ, non modò animarũ.* Debent ergo ſufficere putãtibus Indulgẽtias non eſſe in lege Dei fundatas, quæ dicta ſunt, nec præponant vltra ſenſum ſuum, dictis & ſcriptis Doctorum Theologorum, Magiſtri ſententiarum, Guillermi, Altiſiodorenſis, Alberti Magni, Thomæ, & aliorum, quorum tanta eſt in Eccleſiæ reuerentia, vt non liceat oppoſitum aſſerere huius, quod omnes communi conſenſu determinant.

Ioan. 14.
Ser. 14. de verbis Apoſt. tom. 10. vide in reſpõſione M. Ioã. Raguſio pro finali confirmatione, qd poſſit Eccleſia circa hæc.
Aug. in li. 11. contra Fauſt. Manich. ca. 2. & citatur diſt. 11. c. 9. palam.
Aug. de Ancona, de eccl. poteſt. q. 29. art. 1.
Chry. to. 5 hom. cum de ipſi? expulſiõe ageretur, in to. 5 hom. de ſpiritu ſancto.
Hiero. ad Damaſ. in expoſitione ſymboli. 24. q. 1. ca. 14. Hæc eſt fides.
Auguſtin.
Illud (nõ) in altero exemplari non habetur.

Digitized by Google

[De peregrinationibus.]

Aliud dictum proponentis, *Peregrinationes per homines inuenta*, vt dicit proponens, *ſuperſtitioſa ſunt, idololatriam ſapientes, & cleri auaritiam nutrientes*, quod oſtendo non eſſe verũ, ſuppoſito, quid nominis peregrinationis: Eſt enim peregrinatio de manſo ſuo longior receſſus, vt acutiori deuotione Deus adoretur. Quòd illæ ſint in lege Dei fundatæ, & non per homines inuentæ, vt dicit proponens, & aliquibus auctoritatibus nititur colorare, probo: Scriptum eſt Deut.16. [Deut.16.] *Tribus vicibus per annum, apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit, in ſolemnitate azimorum, & in ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate tabernaculorum.* Ecce, quòd ex lege Dei ter habebant peregrinari in Hieruſalem filij Iſrael quolibet anno, & quòd aliquid deberent offerri in templo, patet. Nam dicitur ibi, *Non apparebit ante Dominum vacuus, ſed offerat vnuſquiſque ſecundùm quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei ſui, quam dederit ei.* Iuxta hanc regulam legis Dei aſcendit Ieſus cum parentibus ſuis ad idem feſtum Paſchæ, vt habetur Luc.2. [Luc.2.] vbi Beda: *Euangeliſta Dominum poſt Natiuitatem, continuò cum hoſtia transfert ad templum*, ſupple, eundum illò ſingulis annis cum parentibus, *ducit & duodennem, in templo Doctorum choris inſerit.*

[Zacha.14.]

Item, quod non fuerit ſolùm cæremonia, pro Iudæis, ſed pro Gentibus, patet, nam Zachariæ vltimo ſcriptum eſt: *Et omnes, qui reliqui fuerint, de vniuerſis Gentibus, qui venerunt contra Hieruſalem, aſcendent ab anno in annum, vt adorent Dominum Regem exercituum, & celebrent feſtiuitatem tabernaculorũ, & erit, qui non aſcenderit de familijs terræ Hieruſalem, vt adorent Dominum Regem exercituum, non erit ſuper eos imber.* Secũdùm quam Prophetiam Gentiles quidam aſcenderant citò poſt ſuſcitationem Lazari, vt adorarent in die feſto, Ioan.12. [Ioan.12.] Et vir Aethiops Candacis Reginæ Aethiopum, Eunuchus venit adorare in Hieruſalem. Act.8. [Act.8.]

De cuius iuſtitia dicit venerabilis Beda ſuper iſto paſſu, *pro virtute, & integritate mentis vir appellatur, nec immerito, qui tantùm ſtudij in Scripturis habebat, vt eas etiam in via legere, non ceſſaret, tantumq; amoris in religione gerebat, vt aula regia derelicta, de vltimis mundi partibus veniret ad templum Domini, vnde iuſta mercede, dum quæreret interpretem lectionis, Chriſtum quem quærebat, inuenit.* Præterea paſtores venerunt peregrè ad Saluatoris ortum, [Luc.2. Math.2.] & tres Magi peregrè profecti ſunt adorare Regem Iudæorum à Solis ortu. De quibus ait Auguſtinus in ſecunda parte ſermonum, ſerm. 31. [Aug. de temp. ſer. 30. qui eſt 2. de Epip.] *In his terris de longinquo iſti peregrini puerum iſtum nõdum verba promentem adorauerunt, vbi ciues illi iuuenem miracula facientem crucifixerũt. Iſti in membris paruis Deum adorauerunt, illi in factis magnis nec tanquam homini pepercerunt*: hæc Auguſtinus. Dictum eſt de peregrinis in ortu Saluatoris, quos Herodes impius non inculpauit. Iam de peregrinis mulieribus Chriſtum in ſepulchro viſitantibus ſubſequetur auctoritas. dicit Euangeliſta: *Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati*, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum. Matth. 28. [Matth. 28. Hier. in 28 ca. Matth.] ſuper quo Hieronymus in commentario: *Quod diuerſa temporà iſtarum mulierum in Euangelijs deſcribuntur, non mendaciũ ſignum, vt impij obijciunt, ſed ſedula viſitationis officium, dum crebrò adeunt & recedunt, & non patiuntur à ſepulchro Domini diu abeſſe vel longius*: hæc ille.

[Ioan.19. Matth. 28.]

Adeſt alia auctoritas de Nicodemo, qui venit peregrè viſitare ſepulchrum Domini, cum mixtura myrrhæ & aloes, quaſi librarum centum. De Ioſeph ſimiliter ab Arimathia notabili viro, qui inuoluit ſyndone munda Dominicum corpus. hi tamen in Euangelio laudantur. ipſe etiam Dominus non dedignatus eſt ſe peregrinum oſtendere diſcipulis euntibus in Emaus. [Luc. 24.] Item Hieronymus oſtendit, quomodo Virgo Maria mater Dei viſitabat poſt aſcenſionem eius loca paſſionis. [Tom.9. epiſt. 10. ex iis quæ tribuuntur S. Hieron. ex edit. Mariani Victorij, vltra medium.] Et hoc facit in ſermone de aſſumptione B. Mariæ, ad Paulum: *Chriſtus*, inquit, *ab omnibus eſt amandus, ex toto corde, ex tota anima, atq; ex tota virtute quærendus, maximè tamẽ ab ea ardentius, cuius & dominus erat & filius. fortaſſè ergo præ nimio amore, in loco, quo ſepultus dicitur, interdum habitaſſe eam credimus, quæ etiam pijs paſceretur internis amor obtutibus. Sic namq; locus medius eſt hinc inde conſtitutus, vt adire poſſet Aſcenſionis veſtigia, & locum ſepulturæ ac Reſurrectionis, & omnia in quibus paſſus eſt, loca inuiſere, non quod iam viuentem quæreret cum mortuis, ſed vt ſuis cõſolaretur affectibus. Hoc quippe habet impatiens amor, vt quæ deſiderat, inuenire ſe credat, ignorat ſiquidem iudicium, multotiens ratione caret, modum neſcit, nec aliud cogitare poteſt, quàm quod diligit. amor non capit de impoßibilitate ſolatium, neq; ex difficultate remedium*: hæc Hieronymus.

Ex quibus apparet, cum quali deuotione, & in quanto honore à fidelibus habitum ſit ſepulchrum Domini, vt ſic impleta ſit hæc Prophetia Eſaiæ 11. cap. de illo loquens, [Eſai. 11.] cùm ait: *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* De cruce autem Domini loquitur B. Auguſt. lib. de viſitatione infirm. c.3. oſtendens, [Aug. de viſit. infirm. lib.2. ca.3. & 4.] quod in magna reuerentia habeatur à Chriſtianis, & dicit ſic: *Habent ſiquidem Chriſtianorum arcana, illius Dominicæ crucis quoddam venerabile monumentum, quod de crucis ipſius imaginatione crucem cognominant, quod & nos omni veneratione digniſſimum fatemur, & ad recordationem crucifixi noſtri veneramur. Adijcitur etiam ſuper crucem quædam hominis ibi patientis imago, per quod ſalutifera Ieſu nobis renouatur paßio. hanc complectere humiliter, venerare ſuppliciter, cùm hoc ad memoriam tibi ipſum reducat crucifixum.* hæc ille. Poſt hoc immediatè ſequitur notabilis proceſſus de confeſſione vocali facienda. Præterea peregrinatio magna commemoratur ad locum, vbi Dominus cęlos aſcẽdit, de quo Sulpit. ita loquitur: [Sulpit. in ſacra hiſt. lib.2. vltra medium.] *Illud autem mirũ eſt, quia locus ille, in quo poſtremò inſtiterant diuina veſtigia, cùm in cælum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pauimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit, ſiquidem quæcunq; applicabantur, inſolens humana ſuſcipere, terra reſpueret excuſſis in ora apponentium ſæpè marmoribus, quinetiam calcati à Deo pulueris adeò documentum perenne eſt, vt veſtigia impreſſa cernantur. Et cùm quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen area non ſentit, & eandem adhuc ſui ſpeciem, velut impreſſis ſignata veſtigijs terra cuſtodit.* Prorſus de peregrinatione ad ſepulchrum Domini legitur 12. libro hiſtoriæ Tripartitæ, cap. 15. [Socra. lib. 7. cap. 46.] de qua dicit Caſſiodorus: *Theodoſius Imperator pro beneficijs ſibi à Deo collatis, gratias referebat, pluribus honoribus Chriſto ſua vota compenſans, coniugemq; ſuam Eudociam, ad Hieroſolymam deſtinauit, hæc enim & ipſa votum habuerat, ſi filiam videret nuptam, quæ tam Hieroſolymis Eccleſias conſtitutas, quàm per ſingulas ciuitates poſitas, honorauit, & cùm pergeret, & cùm denuò remearet.* hæc ille. Proinde beatus Hieronymus epiſtola contra errorem Arrianæ & Eunomianæ perfidiæ circa peregrinationem ad loca ſancta, ad Ruſticum, [Hier. to.1. ep.46. ad Ruſticum.] ipſum peregrè proficiſcendum ad loca ſancta inuitat. Dicit enim ſic: *Narrauit mihi vxor quondam tua, nunc ſoror, atque conſerua, quod iuxta præceptũ Apoſtoli, ex conſenſu, abſtinueritis vos ab opere nuptiarum vt vacaretis orationi.* Et infrà: *Cumq; vos rabies Barbarorum, & imminens captiuitas ſepararet, ſub iuriſiurandi teſtificatione pollicitum, vt ad ſancta tranſeuntem loca vel ſtatim vel poſtea ſequereris, & ſeruares animam tuam, quam viſus fueras negligentia perdidiſſe, Redde ergo, quod præſente Deo ſpopondiſti. Incerta eſt vita mortalium, ne antè rapiaris, quàm impleas ſponſionem. Imitare eam, quam docere debueras.* ſequitur pòſt: *tu vagaris in patria, imò non in patria, quia patriam perdidiſti? Iſta pro te in locis venerabilibus reſurrectionis & crucis, & cunabulorum Domini Saluatoris, in quibus paruulus vagit, tui nominis recordatur, teq; ad ſe orationibus trahit, vt ſi non tuo merito, ſaltem huius ſalueris fide.* hæc Hieronymus. Deinde Auguſt. lib. de diffinitionibus rectæ fidei, ca. 40. ſic inquit: [Auguſ. de dogmat. Eccleſ. ca. 73. tom.3.] *Sanctorum corpora, & maximè beatorum Martyrum reliquias, ac ſi Chriſti membra, ſinceriſſimè honoranda, & Baſilicas eorum nominibus appellatas, velut loca ſancta, & diuino cultui mancipata affectu piſſimo, & deuotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus ſed Eunomianus & Vigilantianus credatur.* hęc ille. In Gangrenſi etiam Cõcillo ſtatutum legitur in hunc modum: [Conciliũ Gang. c.21] *Si quis per ſuperbiam, tanquam perfectum ſe exiſtimans, conuentus, qui per loca, & Baſilicas Martyrum fiunt, vel accuſauerit, vel oblationes, quæ ibi celebrantur, ſpernendas eſſe crediderit, memoriáſque ſanctorum contemnendas, Anathema ſit.* Rurſus Auguſtinus contra Fauſtum, libro 20. [Aug. contra Fauſtũ lib.20. ca. 21. tom.6.] *Populus*, inquit, *Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur.* Et infrà: *quod offertur Deo, qui Martyres coronauit, & apud memorias eorum, quos coronauit, vt ex ipſorum locorum admonitione maior affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adiuuante poſſumus*: hæc ille. Dicit Auguſtinus, quod licitum & charitatiuum eſt, viſitare Martyrum memorias, in locis illis oblationes facere. Peregrinationum

veritatem teſtantur Stationes Romæ, quas ferunt B. inſtituiſſe Gregorium. Quamplurima dicta Sanctorum tranſeo, contentus ſufficienter probaſſe, peregrinationes fundamentum habere in diuina Scriptura, & firmamentum in ſanctis Doctoribus, profectò ſe in diuina lege fundantibus. Ac per hoc nec eſſe inuentiones hominum, nec ſuperſtitioſas, nec idololatriam ſapientes, nec per ſe cleri auaritiam nutrientes. Nam oblata, DEO, vt dicit ſanctus Auguſtinus, offeruntur, in veteri etiam lege præcipiuntur, nec oblatorum clerus eſt proprietarius, ſed poſſeſſor vſufructuarius, miniſter, & diſpenſator. Si per accidens auaritia cleri ſe immergat, hoc malum eſt, hoc per eos, ad quos ſpectat ſuperiores ſcilicet cum iuſtitia puniendum, per alios charitatiuè arguendum, modis tamen ſuprà dictis.

Circa multa, quæ in veneratione reliquiarũ contingunt peccata, vt narrauit proponens, vt ſunt expoſitiones earum venalitate ficta, ſpoliatio pauperum peccatorum, horrenda continuatio auaritiæ ſacerdotum, & ſimulata ſpes ponendi numinis in eiſdem, &c. hoc vnum dico, quòd veneratio ſanctarum reliquiarum Sanctorum & ſanctarum non eſt improbanda. Etenim de ſe honeſta eſt licita & ſancta. Verùm nõ pluri honore aut maiori ſunt venerandæ reliquiæ, quàm Sancti, quorum ſunt.

Latria. Supponendum eſt enim ex Doctoribus, triplicem eſſe adorationẽ, ſcilicet latriæ, hyperduliæ, & duliæ. Latriæ, quæ Deo; hyperduliæ, quæ creaturæ ſub ratione magnæ excellẽtiæ, vt virgini Mariæ, in quantum eſt mater Dei; duliæ, quæ cæteris creaturis ratione excellentiæ exhibetur. Et quidem pro nunc non eſt loquendum de dulia, quę debetur ſuperioribus ratione dominij. Nam ſic etiam debetur nõ modò bonis, ſed & malis, ſed de ea, quæ exhibetur Sanctis, ratione ſanctitatis, hæc debitè Sanctorum reliquijs exhibetur, nõ quaſi in iſtis numinis aliquid vel ſanctitatis exiſtat, ſed propter ordinem, quem habuerunt ad Sanctos, quorũ ſunt reliquiæ. Habent etiam Doctores in 3. quomodo cultus ſeu adoratio debetur alicui per ſe, in quo conſiderandum, quid adoretur, & ratio, cur adoretur. Quod adoratur, ſuppoſitum eſt vel perſona. Cur adoratur, vt nunc loquimur, eſt virtus, vel ſanctitas. (Adoratio) debetur autem alicui per accidens nomine habitudinis ad eum, cui per ſe debetur, vt Cruci Chriſti, imagini eius, & Sanctorum, & hoc modo reliquiæ adorantur, nec hoc eſt idololatrare, quoniam cultus latriæ nullis Sanctorum, qui fuerunt puræ creaturæ, exhibendus eſt. Idololatria enim dicitur latria exhibita idolo, ſiue puræ creaturæ: Quod autem ratione habitudinis ad aliquem, honor ſit exhibendus, vt veſti Regiæ, propter Regem, probatur ex eo, quod 1.Reg. 24. dicitur, cùm præcidiſſet Dauid oram chlamydis Saul, percuſſit cor Dauid, dicens: *Propitius ſit mihi Deus, ne faciam hanc rem domino meo Chriſto Domini*, tamen Regem non tetigerat, ſed Chlamydem. (1.Reg. 24.) Præterea inter diuinas contumelias Chriſtus propheticè commemorat, quòd crucifixores eius diuiſerunt veſtimenta, & veſtem ſorti expoſuerunt, dicens: *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*, Quam certè veſtem venerabilem, imò * adorabilem, Ioannes in Apocal. 19. dicit eſſe conſperſam ſanguine, & in eo, & in femore ipſius Domini ſcriptum erat: *Rex Regum, dominus dominantium*. Præterea B. Hieronymus ad Ruffinum, lib. 3. ſcribit, ſe adoraſſe præſepe, & ſancta cunabula Saluatoris. *Contendi*, inquit, *Aegyptum, luſtraui monaſteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aſpides latere perſpexi, protinus concito gradu Bethlehem meam reuerſus ſum, vbi adoraui præſepe, & incunabula Saluatoris*. Idem de ſancta Paula in eius Epitaphio ſic ait: *Perrexit Bethlehem*, ſcilicet ſancta Paula, *& in dextera parte itineris ſtetit ad ſepulchrum Rachel, atque inde ſpecum Saluatoris ingrediens, poſt quam vidit ſacrum Virginis diuerſorium, & ſtabulum, in quo agnouit, bos poſſeſſorem ſuum, &c.* poſt pauca: *iurabat ſe cernere fidei oculis infantem pannis inuolutum, vagientem in præſepe Dominum, Magos adorantes*. Et multa ibi de ſublimibus conſolationibus ponit, quas ſancta Paula merebatur. De adoratione autem crucis Chriſti, loquitur Damaſcenus 4. lib. ſententiarum, cap. 3. dicens: *Adorandum ſignum Chriſti, vbi vtique fuerit ſignum, illic & ipſe erit*. Sequitur: *Omnia ergo, quæ Deo adiacent, adoramus, vt ipſi venerationem offerentes*. Quoniam autem non puto, proponentem detrahere venerationi, aut adorationi ſanctarum reliquiarum propter habitudinem quã ad Sanctos, cuius ſunt, habuerunt, ſcilicet fortè, quia ſunt oſſa, veſtes, aut alia artificialia, aut naturalia, multa de hac materia prætereo. Abuſus autem per ante narratos vitupero, & reprehenſione dignos iudico.

Literas confraternitatum & confeſſionales proponens vituperat, & reuera non dubium, quin multa mala ſub hac ſpecie pietatis parantur, putà queſtus illiciti, deordinati fauores, audacia peccandi, & multa ſimilia. Verùm non ſunt de ſe illicitæ confraternitates, ipſæ imò honeſtatis titulum habent, & parere poſſunt fructum. (Confraternitates.) Nam *frater, qui iuuatur à fratre, eſt quaſi ciuitas firma*. Prou. 18. Licèt enim ſuffragia Eccleſiæ proſint omnibus, in vnitate eius exiſtentibus, ex parte charitatis, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed facit omnia communia, vt dicit Apoſtolus, tamen ex parte intentionis, his, quibus applicãtur, proſunt magis, quàm alijs. (Prou. 18.) (1. Cor. 13.) Et per hoc inſtitutæ, conceſſæ, vel permiſſæ ſunt fraternitates ipſæ. Oſtendo, quod hęc in Scriptura ſunt fundatę. Nam vt habetur Exod. 8. Impius Pharao vocans Moyſen & Aaron, ait: *Adorate Dominum, vt auferat ranas à me, & populo meo, & dimittam populum, vt ſacrificet Domino*. Et in eodem cap. ait: *Ego dimittã vos, vt ſacrificetis Domino, rogate pro me*. (Exod. 8.) Ecce principem paganum, qui orationes poſtulat, quomodo ergo precibus ſe cõmunicare negabit fidelis? Item apparet de Heliodoro, cuius amici rogauerunt Oniam ſummum ſacerdotem, vt oraret pro illo, vt habetur 2. Machab. 3. (2. Machab. 3.) Rurſus probo, quòd Apoſtoli fecerunt homines participes ſuorum ſuffragiorũ. Primò ſic Apoſtolus Epheſios per literam ſuam facit eſſe participes ſuarum orationum, nam ſic eis ſcribit in primo cap. *Propterea ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & dilectionem in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis*. (Epheſ. 1.) Nec tantùm Paulus commemorat orationes, ſed alia meritoria opera offert facere pro Philippenſibus, nam in primo cap. dicit: *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis, pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, ſuper communicatione veſtra, in Euangelio Chriſti, à prima die vſque nunc*. (Ad Philip. 1.) Qui ergo dicit, *in cunctis orationibus meis*, nihil minus dicit implicitè quàm literæ, quæ Vigilias, Miſſas, prædicationes, ieiunia, & ſimilia cõcedunt Chriſti fidelibus, eas facientibus eſſe communes. Item idem ad Coloſſenſes primo ſcribit: *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionũ Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*, nulla litera fraternitatis modò talia promittit, quanta fecit Apoſtolus pro Coloſſenſibus. (Ad Col. 1.) Præterea Chryſ. ſuper Matth. in opere imperfect. hom. 14. ait: *Libenter audit Deus, quando Chriſtianus nõ ſolùm pro ſe, ſed etiam pro alijs orat, pro ſe enim orare natura eſt, pro altero autem gratiæ, pro ſe orare neceſſitas rei cogit, pro altero autẽ charitas fraternitatis hortatur, dulcior eſt autem oratio ante Deum non quam neceſſitas rei tranſmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat*. (Chryſ. in opere imperfect. in Matth. homil. 14.) Ex qua fraternitas commendatur, & Deo acceptabilis oſtenditur: Item Auguſt. *Pro ſe oratione impetrat, qui ſe precibus Eccleſiæ, Virginum, Confeſſorum, in domo Iulianæ inſeri poſtulat*, lib. de ſancta viduitate in fine dicens: *Obſecro vos per illum, à quo donum hoc accepiſtis, & huius doni præmia ſperatis, vt me quoq; orationibus veſtris memineritis inſerere, cum tota domeſtica veſtra Eccleſia*. (Aug. de dono vid. c. 23. to. 4.) Et inter epiſtolas Auguſtini in epiſtola 16. quę eſt Paulini ad Auguſtinum, ait Paulinus: *Omnes in Chriſto Sãctos, quales tibi cohærere non eſt dubium, à nobis ſaluta, commenda nos omnibus Sanctis, vt tecum pro nobis orare dignentur*: Hæc ille. (Aug. ep. 36. tom. 2.) Et Auguſtinus epiſtola 74. quæ eſt ad Profuturum, dicit: *Commendamus Sanctis orationibus tuis & dies & noctes noſtras, vt oretis pro nobis, ne diebus intemperanter vtamur, vt noctes æquo animo toleremus, vt etiam ſi ambulemus in medio vmbræ mortis, nobiſcum ſit Dominus, ne timeamus mala*. hæc Auguſtinus. (Aug. epl. 149. to. 2.) Reperiuntur & multa opera beati Gregorij, in quibus petit ſociari precibus Sanctorum. Item Ambroſij, Anſelmi, Iuonis Carnotenſis. Tales auctoritates valde multas, amore breuitatis, omitto, vnde non ſophiſmata ſunt literæ fraternitatum, ſed Chriſtianis vtilia ſubſidia, tamen abuſum vitupero, turpes queſtus perhorreſco. Confeſſionales etiam literas concedere, ex cauſa rationabili iuſtum eſt. (Literæ confeſſionales.) Nam & priuilegia de confeſſionibus audiendis, nullus Doctor notabilium reprobat, immò approbat. Data enim ſunt non in fauorem Confeſſorum, aut odium alicuius, ſed in fauorem Pœnitentium.

Excõmunicatiões.

AD rationes per proponentem factas cum alijs reſpondebo, De ſententia excommunicationis dicit, quod feruntur ex liuore vindictæ aut odio. *Si ſunt*, inquit, *ob veritatem, & in hominem in gratia permanentem, ſunt irrita & inanes.* Si velit dicere, quòd ſentētia lata à iudice ex odio aut inuidia, aut propter vindictam, nullo caſu teneat, huius oppoſitum dico, cum Doctoribus: B. Thomas in 4. diſt. 18. ſic dicit in forma: *Excommunicatio*, inquit, *poteſt dici iniuſta dupliciter. Primò, ex parte excommunicantis, quia ex odio vel ira excommunicat, & tunc excommunicatio nihilominùs habet effectũ ſuum, quamuis ille, qui exercet, peccet, quia ille iuſtè patitur, quamuis iſte iniuſtè ferat. Alio modo ex parte ipſius excommunicationis, vel quia cauſa excommunicationis eſt indebita, vel quia fertur ſententia iuris ordine prætermiſſo. Et tunc ſi ſit talis error ex parte ſententiæ, quæ ſententiam nullam faciat eſſe, non habet effectum, quia non eſt excommunicatio. Si autem ſententiam non annullet, habet effectum ſuum, & debet excommunicatus humiliter obedire, & erit ei ad meritum, vel ſolutionem petere ab excommunicante, vel ad ſuperiorem iudicem recurrere. Si autem contemneret, eo ipſo mortaliter peccaret. Contingit autem quandoq;, quod eſt debita cauſa ex parte excommunicationis, quæ non eſt debita ex parte excommunicati, ſicut cùm quis pro falſo crimine in iudicio probato excommunicatur, & tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum.* Ex quo ſequitur, quòd excõmunicatus pro falſo crimine, tamē probato in iudicio, licèt per falſos teſtes, vel confeſſato, cenſetur verè excommunicatus in foro exteriori Eccleſiæ militantis, tamen eſt in gratia. Nā dicit, quòd humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum. Igitur talis incurrit damnum excommunicationis, & ſic patet, quòd in caſu reputatur verè excõmunicatus, qui eſt in gratia, nec iudex peccat, ſi nihil prętermittat de contingentibus, ſecundùm ordinem iuris, & maximè, dum ſibi non conſtat de innocentia rei.

S. Thom. diſt. 18. q. 2. art. 1. ad 4.

AD rationes autem factas, pro vno notabili, quo probare videtur, quòd non ſit per legem humanam inferendum alicui mortis ſupplicium. Primò reſpondendum eſt, & primò illam de Circumcellionibus, quæ eſt Auguſtini ad Marcellinum comitem, dico cum Alexandro de Halis, quamuis pro illis ſceleratis Auguſtinus ſupplicando ſpatium vitæ eis reſeruare popoſcerit, non legum ſeueritatem, qua tales morte plectuntur, non ſeruandam eſſe docuit. Vnde noto ibi quatuor: primò, quod Auguſtinus dat intelligere, quòd ſecundùm ſeueritatē legum erant grauiora paſſuri, quàm poſcebat. Et quia poſcebat vitam eis ſeruari, ſequitur, quod erant vitam iuxta legum ſanctiones, amiſſuri. Et hoc ibi, *ne fortè ſublimitas tua cenſeat eos tanta legum ſeueritate eſſe plectendos, vt qualia fecerunt, talia patiantur.* & quoniā occiderunt aliquos presbyteros Catholicos, erant enim iſti occidentes Donatiſtæ, digni erāt morte. Secundò, quòd ſupplicat pro miſericordia, vt ſcilicet miſericorditer cum eis agatur. Nam ibi dicitur: *ideoq; his literis obteſtor fidem tuam, quā habes in Chriſto, per ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti miſericordiam, vt hoc non facias.* ideò de miſericordia hoc petit, non de iuſtitia. Tertiò dicit, quòd diſſimulare poſſet, quia non per ſuos delati erant ad Comitem, ſed per * Notarios, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat. Ex quo duo implicitè dantur intelligi: Primum, quod poterat diſſimulare, ideò quod faciebat, erat opus ſupererogationis. Et ſic ſi Comes non acquieſcebat, ſed iuſtitiam faciebat, non peccabat. Secundum, quòd Notarij, id eſt, Officiarij habent vigilantiam de ſaluanda pace Reipubl. & ſic obſiſtere & denunciare poſſunt reos iudici ſeculari, qui poteſt facere iuſtitiam. Et hoc patet per illud, quod ſequitur: *Non quod ſceleratis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri*, ait Auguſt. & illud ſecundum hìc notatum eſt. Quartò, quod ex capitulo elicitur, & breuiter conſideranti totum illud capitulum apparet, quod Auguſtinus flectit ad miſericordiam, vt ſeueritatem legum per hoc auertat, & maximè, quia iſti Circumcelliones erāt clerici, licèt eſſent Donatiſtæ. nec ex hoc habetur, quod peccaſſet ille Comes, ſi eos occidiſſet, ſed admonetur, vt agat miſericorditer.

Alexā. ab Hales p. 3. q. 34. art. 3.

Aug. epi. 159. ad Marcellin. tribunũ, to. 2.

* Notoria habet tex. impreſſus

Ad rationes huius, quod tangit Chryſoſt. ſuper * Ierem. dico, quod duplices ſint modi peccantium, quidam ex infirmitate, aut ignorātia, alij ex conſuetudine vel malitia. Item

* for. ſup Ioanném.

quidam animo verecundi ſunt, alij ſine verecundia
primis mitius eſt agendum, cum ſecundis durius, de ſe-
cundis verò non loquitur Chryſoſt. ſed de primis. A
Prouer. 30. *qui nimis emungit.* Item ad illud, *iuſtitia vel*
cordia multum diſcutitur, ad illa duo vno verbo dico, q
omni virtuoſo actu oportet, quod prudentia habeat
eſt enim origo virtutum, vt omnes morales virtute
connectuntur, 6. Ethico. Prudentiæ vni exiſtenti, om
mul inerunt, & ita oportet eſſe directionem omniu
diorum ad finem, vt nihil minus fiat, hoc dicit Sapien
uerb. 30. hoc quod dicit illud decretum allegatum, v
ricordia temperet ſeueritatem iuſtitiæ, & iuſtitia eri
miſſionem miſericordiæ.

Ad illam Chryſoſt. ſuper illo Matth. 13. *Sinite vtra*
ſcere, &c. dico, quòd ſi benè verba eius conſiderentur
pro me. nam loquitur de occiſione hæreticorum, ex q
queretur ſchiſma, aut turbatio Eccleſię. Et ego cõceſſ
in tali caſu non oportet ſecundùm iudicium vindicare
enim. peccata eſſe punienda, tribus concurrentibus, ſ
iuriſdictione, conuictione, & pace ſalua. Et hoc non
propoſito, ſed vbi pace ſalua fieri poſſet, erunt occidēd
oppoſitum dicit Chryſoſt.

IAM accedendum eſt ad principales rationes prope
tis, primò ad illas, per quas viſus eſt probare articul
primam, vbi dicit, quòd Deus præcepit Deuter. 31.
Iſraël auferant malum de medio ſui, dico, cùm Deus p
piat hominibus, non præcipit, niſi quod poſſibile eſt h
modi, vt ſcilicet auferat malũ de medio populi, iuriſdi
ne, conuictione, & pace ſalua concurrentibus, vt dictum
Item dico ſecundùm Auguſt. in lib. contra epiſt. Parme
ni, tractantem illud verbum Apoſtoli: *Auferte malum e*
bis. quod vbi mali, ſalua pacis vnitate, ſeparari poſſunt
nis, ſeparandi ſunt corporaliter; vbi hoc fieri non pote
faciendum ſpiritualiter ſcilicet, non conſentiendo pec
illorum, vnde ſic malum auferant ex eis, & ſi nõ poſſin
los ſeparare à congregatione ſua. Ibi enim dicit Augu
forma: *Videamus, ſi fortè non fruſtrà non dixerit Apoſtolus: Au*
malos à congregatione veſtra, ſed auferte malum ex vobis ipſis
cùm quiſque impeditur ab Eccleſia congregatione malos homi
parare, ſi à ſe ipſo auferat malum, non eis corde miſcetur, atq;
ritualiter non ſolum coniungitur bonis, ſed ſeparatur à malis.
ſecundùm eundem Auguſtinum, lib. de decem Chord
cendum, quod quidam ſunt flagitioſi, qui non nocent
quidam facinoroſi, qui nocent alijs: propter iſtos leges
tæ ſunt, vt ſatis in poſitione dictum eſt. Ideò iſti tollen
de medio populi, proſcribendo, incarcerando, aut alite
mortis ſupplicio, ſaluis tribus prædictis, iuriſdictione,
uictione, & pace ſalua. Et ad hoc oſtendendũ, dum dici
minus: *Auferant malum*, addidit, *de medio ſui*, & Apoſtol
dixiſſet, *Auferte malum*, ſubiunxit, *de medio veſtri.*

Ad ſecundam Leuitici 19. dico, cùm de lyra, quod
ligitur, *non oderis fratrem tuum*, ex rancore & odio, diſſ
lans peccatum ſuum, donec poſſis eum deſtruere, *ſed p*
argue eum. hoc eſt, voce expreſſa. Iuxta illud Matth. 18.
cauerit in te frater tuus. Non autem dicit, *publicè*, id eſt, c
omnibus corripe eum correctione fraterna. Si autem
ly *publicè* intelligatur correctio facta in publico ſeu iu
tunc eſt intelligendum de peccatis, quæ poſſunt proba
tunc talis correctio pertinet ad iudicem exequendo,
cuſante denunciando, ad teſtes probando. Et ſic patet,
non omnia peccata. &c. poſſunt puniri, ſed ſolum con
tibus tribus iam dictis.

Ad tertiam 23. Deuter. de prohibitione meretricij
quòd lege diuina, & olim, & nunc meretricium eſt pro
tum in illo præcepto morali, Nõ mœchaberis. verùm,
in lege veteri vltra hoc præceptum decalogi, erat datu
diciale de prohibitione meretricij. Nunc verò non p
betur ab homine per iudicium ciuile legis humanæ, ſe
poteſt conuenienter legem diuinam prohibentem
executioni demandare, non enim ſubeſt ei potenti
legi adæquata. Nec eſt Omnipotens, vt ſciat ex malo e
bonum, vt Deus, ideò ne deterius contingat, tolerat, &
mittit. Cur autem in lege veteri prohibebatur iudic
hoc peccatum, non nunc lege humana. Ratio eſt

Pſalm. 95. Propheta: Dominus regnabit à ligno, grauiſſimè duriſſimeque puniti fuerunt, quòd talium exemplo etiam ſedens in ipſa Apoſtolica ſede animaduerteret, qua cenſura plectendus veniret, ſi ipſe Deo non obediret: quandoquidem Deus illum ſibi ſoli iudicandum ſeruauerat, prout in pontifice Aaron & Petro concipere potuimus. Quapropter noſtro tempore duo Imperia, tot tantaque regna & Chriſtianorum dominia, ad ſpurciſſimam ſectam Mahumeti cum maxima iactura Reipublicæ Chriſtianæ & regentium in ea venerunt, quoniam ab obedientia ſedis Apoſtolicæ receſſerunt. De quibus valde timeo, & pertimeſco, quoniam obſtinationem in malo in rectoribus tum Eccleſiæ, tum reſidui populi Chriſtiani in orbe terrarum non ignoro, quòd di- Ezech. 34. cente Ezechiele, Dominus iam per flagellum Turcarum ſiue impiorum, à paſtoribus requiret gregem ſuum, tempore nubis & caliginis malè præſidentium diſperſum, & ab vberibus ſanctæ eccleſiæ euulſum per inobedientiam. O me miſerum, quid audio? quid mente concipio ex his? Væh inquam mihi, quia tamdiu tacui, vt inde vir pollutis labijs eſ- Eſai. 6. ſem. Veruntamen tacui, ô patres, ô domini, ô maiores mei, quia aliquantiſper propheticus ille ſermo me retardauit, Amos 5. quo dicitur: Qui intelligit, taceat, quoniam prauum tempus eſt, in quo alij ſupplantant, alij qui in eum, qui cecidit, inſiliunt, alij ſuper eum plaudunt: qui autem manum porrigat ex affectione, non eſt. Et quoniam charitas extincta eſt, admonitiones ex charitate ſublatæ ſunt, concordiæque etiam nomen ipſum ad præſens ignoratur. O tempora: à ſummis ad ima facta tranſgreſſio: improbitati probitas, inopiæ copia, ſuperbiæ humilitas, auaritiæ charitas ceſſit. Non mirum igitur, ſi cauſis diuerſis, vti natura eſt, diuerſi pro temporibus oriuntur effectus. Nam & ſancti Apoſtoli, & illi qui noſtram Eccleſiam ſuo ſanguine ædificârunt, cœleſtia & bona immortalia, nos verò caduca & mortalia terrena quærimus: illi miracula & virtutes, nos piacula & ſcelera. Illi ſummis virtutibus gratiam, nos vitijs iram conſecuti fuimus. Sed væ væ gubernacula Chriſtianorum malè flectentibus, quia propria duntaxat curantes, mentium animarumque ſalutem neglexerunt, gregemque rapientibus lupis non modò non obuiant, ſed vada (quoad poſſunt) per deſidiam ampliant. Iamiam tempus vindictæ erit, niſi per veram Lateranen. Concilij ordinationem, pœnitentia[m] de commiſſis & omiſſis in populo Chriſtiano, te iubente, P.S. qui plenitudinem poteſtatis in te habes, prædicabitur, & vera reformatio tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, vbique terrarum tuo decreto diffuſa fuerit. Arripe ergo gladium diuinæ poteſtatis tibi traditum bis acutum, & iube, impera & manda, vt pax vniuerſalis & colligatio per decennium inter Chriſtianos ad minus fiat, & Reges ad id in cõpedibus magnitudinis magni Regis liga, & nobiles in manicis ferreis cen- Matth. 16. ſurarum conſtringe, quoniam tibi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Vtere ergo illa, vt pacem inter Chriſtianos habeas, & expeditionem contra hoſtes fidei (vt par eſt) eueſtigiò obtineas: quandoquidem hoſtis noſter tanquam draco ſæuiſſimus, ad nos deuorãdos properat & feſtinat. Et ſi ante prouiſionẽ noſtram ingredietur terram noſtræ promiſſionis Italiam, quid tibi tunc P. S. dignitas pontificalis proderit? quid gemmæ? quid pretioſa latera domus? quid dominia & principatus tui & tuorum? quid ſponſæ fidei tuę commiſſæ ornamenta? quid vaſa pretioſa, & palatia dignè cõſtructa? Quid Cæſari Maximo noſtro Imperij ſceptrum, & regni Romani dignitas valebit, ſi eo viuente & negligente, talis calamitas eueniret? Quid regibus Chriſtianiſſimo & Catholico, talis denominatio Chriſtianiſſimi & Catholici operabitur, ſi de illorum negligentia rei diuino iudicio ſtet? Quid alijs regibus Chriſtianis, cæteriſq; tum Italiæ, tum extra, dominia, Regna, theſauri maximi, filij, & paratus armorum, ſi ſanctam Eccleſiam Romanam, dominam & Reginã, ac omnium matrem prophanari permiſerint? Quid vobis, patres optimi, dignitas maxima Cardinalatus? quid arca plena nũmis? quid vaſa aurea & argentea? quid lapides pretioſi? quid equorũ & familiæ ornatus, & domorum cæterarumq; rerũ vſus deceptione plenus? Quid deniq; Eccleſiæ ſancta prælatis dignitas, poteſtas & diuitiæ? Quid Romanis, alijſq; populis, & Romanæ curiæ officialibus, cęteriſq; miſeræ Italiæ cultoribus vita & opera ipſorũ tunc prodeſſe poterunt?

Dicat à memoria mea calamitoſa illa Conſtantinopolitanæ ciuitatis clades. Probet totius illius Imperij dura ſanguinis effuſio. Confirmet Trapezundæ & omnium populorum Helleſpontici maris circumquaq; euerſio. Clamet Theſſalonicarum * Mityleni & Peloponeſi occupatio. In mediũ affe- for. * Mitylenes. rant Aſiæ & Europę ditiſſimæ deuaſtatæ prouinciæ. Inſinuent totius Theſſaliæ, Macedoniæ, Epiri & Illyriæ opulentiſſimæ ſine numero deprædatæ ciuitates, oppida & caſtra. Exclament tot millia millium populorum totius ferè plagæ Orientis, Meridiei, ac Septentrionis, qui ab annis ducentis, ſed turpiùs duriuſq; noſtris temporibus, ab infidelibus ſubiugati fuerunt, & iam ſucceſſiuis temporibus (quod dolẽter dico) à fide noſtra diuerſi, quorũ ſanguinem, dicente Ezechiele, in die diſtricti examinis dñs de manibus illorum, qui Ezech. 34. tunc in Dei Eccleſia indignè præſidebant, duriſſimè requiret. Declaret tantarum virginum violatio, puerorum vlulatus, mulierum planctus, matrimoniorum diuiſio, captiuorũ venditio, & aliorum abſq; numero occiſio. Aperiat, & ante oculos noſtros ponat huius matris noſtræ, & ſponſæ Dei tãtarum Eccleſiarum vbiq; fornicatio, & ſanctarum religionum diſſipatio, & in reliquijs ſanctorum conculcatio: quæ quidem omnia in illa miſera * Calcidij, ſeu * Euboię, Croiæ, for. * Chalcidis * Euboeæ Driuaſti, Aliſſij, Scodræ, Motoni, & Coronæ, & aliorum direptione fuerunt, quæ cuncta hæc domus Ottomannorum breui temporis ſpatio debacchata eſt. Et denique proclamet in auribus noſtris crudele ac nefandum Hydrunti excidiũ, in quo quàm ſæua fuerit Turcarum rabies, nemo noſtrûm ignorat. Nam & quo in periculo tunc fuerit & Romana eccleſia & tota Italia, quòd tertium væ Apocalypſis non ſuſti- Apoc. 8. & 18. nuerit, ſicut Hieroſolymitana primum & Conſtantinopolitana ſecundum propter illarum auerſionem contra regnũ Chriſti, & ſuæ ſanctæ Apoſtolicæ ſedis ſuſtinuerunt, miſericordia & miſeratio magni Domini ad ſuorũ fidelium preces apertiſſimè declarauit, quando inſtante periculo noſtro, opportuno tempore Turcarum principem Imperatorẽ ſæuiſſimum Mahumetum * Soldanum interemit. Hæc nos do- Sulthanũ ceant, hæc nobis ad doctrinam fiant, hęc in exemplum accedant, hæc nos excitent, hęc nos cautiores & diligentiores faciant & reddant. Et quæ nobis vſui & ornatui ſunt, pro ſalute noſtra & multorum, ac liberatione totius reipubl. noſtræ Chriſtianæ nos ipſimet potiùs exponamus, largiſſimeq; effundamus, quàm ad talium pollutas manus vnà nobiſcum deueniant. Quod vtiq; dignè fiet, P.B. ſi, quæ diximus, opere complere curabimus. Verùm quo id à nobis digniùs, pręſtantiuſq; exequatur, colligite, vos patres, vos domini, vos eccleſiarum Rectores ac Præſides, vos (inquam) etiam reges & principes Chriſtiani populi, vos iterum (inquam) qui in ſanguinem Chriſti & ſanctorum nimium impinguati & dilatati eſtis, colligite fragmenta Alabaſtri, confractæ in dicẽdo pſalmodiæ ne pereant, & implete cophinos animarum veſtrarum, ſicut Apoſtolorum numerus, prima ſabbati, pro ſecunda ſabbati orbis conuerſione complenda, quaſi priora Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6. reminiſcẽdo, & poſteriora præuidendo, iuſſu Domini duodecim Cophinos, iuxta partes duodecim orbis ſecundò conuertendas impleuerunt, de quibus Propheta: Reminiſcen- Pſalm. 21. tur, & conuertentur ad te omnes fines terræ. Quapropter vos cardines orbis, vos principes terræ, docente Rege noſtro Dauid, circundate iam digniùs ac præſtantiùs ſolito mõ- Pſalm. 47. tem Sion ſpeculatricem, videlicet ſanctam Apoſtolicam ſedem veſtram. Et vos etiam veri Epiſcopi & ſanctæ Eccleſię digni prælati, matrem noſtram Romanam Eccleſiam, vnicam dominam omnium & Reginam, vero & pio affectu cõplectimini, & veſtra immaculata vita, doctrina & operatione perfecta fouete eam, orationibus inſtantes, ieiunia & eleẽmoſynas obſeruantes, ſacras vigilias adamantes, & diſtribuite fragmenta Apoſtolicæ doctrinæ in domibus eius, ſcilicet in eccleſijs illius, in quibus tanquam Turres * dati eſtis * Dauid cum propugnaculis contra hoſtes fidei, vt enarretis pro progenie altera, quæ ad iugum fidei Catholicæ & Apoſtolicæ ventura eſt: quoniam hic magnus Dominus, nimiùm laudabilis in ciuitate Dei & in monte ſancto eius: ipſe, & nõ alius, eſt Deus dominus noſter, & ſolus ſaluator & liberator, qui dignè & glorioſè miraculoſeq; cum exultatione vniuerſa terræ, ab omni periculo nos liberabit, & in fremitu fortitudinis ſuę conculcabit omnes contrarias poteſtates: & ipſe,

linquam, & non alius, cum gloria & honore nominis ſui reget nos in ſecula ſeculorum, Amen.

DEO GRATIAS,

Die verò 20. præfati menſis Maij. Reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Antonius tituli S. Vitalis, nunc verò ſanctæ Praxedis presbyter Card. protector Illuſtr. Caroli Ducis Sabaudiæ, dedit mandatum præfati Illuſtr. domini. Cuius tenor talis eſt.

MANDATVM DVCIS SABAVDIAE.

CAROLVS Dux Sabaudiæ, Chablaiſij, & Auguſtæ, ſacri Romani Imperij princeps vicariuſque perpetuus, Marchio in Italia, princeps Pedemontium, Comes Gebenneſij, Bangiaci & Rotundi montis, baro Vuandi, * Foncigmaci & Gaij, Niciæque, Breyſſię ac Vercellarum, &c. dominus, vniuerſis & ſingulis præſentes patentes literas inſpecturis facimus manifeſtum, quòd cùm quondam fe. re. Iulius Papa II. ſacrum Lateran. Concilium in vrbe Roma celebrandum indixerit, quod ſanctiſſimus dominus noſter, dominus Leo diuina prouidentia Papa X. præfato Iulio (ſicut domino placuit) de medio ſublato, ad ſummi Apoſtolatus apicem diuina clementia aſſumptus, pro rebus vniuerſalis Eccleſiæ, ac totius Chriſtianæ religionis ſalubriter dirigendis, diſponendiſque (vt experientia edocet) cum maxima Catholicorum principum, Chriſtianique populi frequentia proſequitur: nos igitur tam ſalubre & laudabile ſuæ beatitudinis propoſitũ, ac permaximè neceſſariũ opus collaudãtes, illiſq; pia deuotione & reuerẽtia aſſiſtẽtes, licèt ſuperioribus proximis diebus ſpeciales Oratores noſtros ſuæ beatitudini, tanquam Vicario Chriſti, & beati Apoſtolorum principis Petri vero ſucceſſori, reuerentiam obedientiamque præſtandam deſtinauerimus, nihilominùs vt ſanctis inſtitutis ſuæ beatitudinis, cuius & ſanctæ matris eccleſiæ membrum nos eſſe profitemur, iuxta Illuſtriſſimorum progenitorum noſtrorum laudabilem conſuetudinem conformemur, ex noſtra certa ſcientia, maturaq; deliberatione, citra tamen quorumcunq; procuratorum noſtrorum hactenùs per nos conſtitutorum reuocationem, tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus noſtrum verum, legitimum, & indubitatum procuratorem ſpecialem, ita tamen, quòd ſpecialitas generalitati non deroget, nec econtrà, videlicet Reuerend. in Chriſto patrem & dominum, dominum Antonium ſanctæ Rom. Eccleſiæ tituli S. Vitalis preſbyterum Cardinalem, noſtrum & negotiorum noſtrorum in Romana curia protectorem, ſpecialiter & expreſsè ad ſe nomine noſtro in dicto ſacroſancto Cõcilio, illiuſq; ſeſſionibus (quatenùs expediat) præſentandum, illiſq; intereſſendum, ad dicendum, proponendum, tractandum & procurãdum, necnon laudandum & emologandum omnia & ſingula, quę ad laudem Dei, animarum ſalutem, morum reformationem, vniuerſaliſq; Eccleſiæ, ac totius religionis Chriſtianæ bonum, pacem quoque & vnionem Chriſti fidelium concernere videbuntur, & quę pręfatus ſanctiſſimus dominus noſter Papa ſacro huiuſmodi Concilio approbante duxerit reformanda, ſtatuenda & ordinanda, necnõ & ad alia faciendum, dicendum, gerendum & exercendum, quę nos ipſi in præmiſſis, & circa ea faceremus, diceremus, & proponeremus, & ageremus, ſi præſentes perſonaliter intereſſem͛, etiam ſi talia forent, quę mandatum exigerent magis ſpeciale, quàm præſentibus eſt expreſſum. Quæ quidem omnia & ſingula promittimus bona fide noſtra, & in verbo principis perpetuò habere & tenere rata, grata, valida & firma, in nulloque contrafacere, dicere, opponere vel venire, nec cõtrauenire volenti aliqualiter conſentire, clàm, palàm, tacitè vel expreſsè, ſub obligatione omnium bonorum noſtrorum, præſentium & futurorum, cum renunciationibus & cæteris clauſulis ſolitis & oportunis. In quorum teſtimonium has duximus concedendas, quas per ſecretarium noſtrum ſubſignatum fieri iuſſimus, ſigillo cancellariæ noſtræ roboratas. Datæ Taurini die 4. menſis Maij, 1515.

Carolus.

Primùm præſentibus dominis Illuſtr. Philippo de Sabaudia Comite Gebenneñ. R. Ioanne de Sabaudia Epiſcopo Gebennarum, R. Vrbano de * Myolano electo Valentinẽ. Angelino de Prouais præſide patrimoniali, G. domino Salloyſonis Barone S. Germani, Reuerend. domino de Piouane Abbate Noualeſij, Franciſco Piouana, Ioanne de Lucerna, Franciſco de Boſcho domino Preſſiaci magiſtro hoſpitij, Iaſebro Paſerij aduocato Fiſcali.

Anno à natiuitate Domini 1515. indictione tertia, die verò vigeſimaprima menſis Iunij, pontificatus ſanctiſſimi in CHRISTO patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi anno tertio, dominus Marius de Peruſchijs ſacri Concilij aut Fiſci procurator, petijt quoddam inſtrumentum, datum coram ſanctiſſimo domino noſtro per magnificum dominum Ludouicum de Solerijs, & in libris cameræ Apoſtolicæ regiſtratum, in actis Concilij de nouo regiſtrari tradens illud facto tenoris infraſcripti.

In nomine Domini, Amen. Anno natiuitatis Dominicæ 1515. & die vigeſima ſecunda menſis Februarij, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi anno ſecundo. Nouerit modernorum præſentia, & futurorum poſteritas non ignoret, quòd magnifici & ſpectabiles iurium profeſſores domini Geruaſius de Bello monte miles & pręſidens, Bertrandus Duranti dominus de Podiouerio, Simon de Tributijs dominus de ſancta Margarita, Gaſpar de Pererio, Marcellinus Giuremandi, Bertrandus Roſtagui, Antonius de Albis, Claudius Sarente dominus de Souaſſu Regij conſiliarij, in ſuprema curia inſignis Parlamenti Prouinciæ, & itẽ magnifici etiam iurium doctores domini Aymericus de Andrea præſidens computorum, Ioannes Arbaudi, & Michael Guirani Magiſtri rationales magnæ curiæ, & cameræ computorum Aquenſ. necnon egregij domini Iacobus de Angelo & Franciſcus Guarini iurium Licentiati, Regij generales procuratores conſtituti infra Cameram Concilij dictæ ſupremæ curiæ, certificati (vt dixerunt) de actis, geſtis, & promiſſis per magnificum & ſpectabilem militem dominum Ludouicum Forbinum dominum de Solerijs, primùm in dicta Parlamenti curia Regium cõſiliarium, & apud ſummum pontificem pro Chriſtianiſſimo domino noſtro Frãcorum Rege oratorem digniſſimũ, eorumve ſpectabilium dominorum procuratorem, conſtante de eius procuratoria poteſtate inſtrumento, in notam ſumpto, & rogato per me notarium & ſecretarium Regium infraſcriptum, apud dictum ſanctiſſimũ dominum noſtrum Papam iuxta poteſtatẽ eorum parte illi datam, prout de actis, geſtis, atq; promiſſis iam dictis ſpectabilibus dominis conſtitit peractum, ſeu illius exemplum nuper eiſdem tranſmiſſum per Reuerendum & ſpectabilem Iurium Doctorem dominum Petrum de Brandis Archidiacoum Venetenſ. etiam Regium in dicta curia parlamenti conſiliarium Romæ exiſtentem. Cuius quidem exempli tenor ſequitur:

Anno à natiuitate Domini 1514. indictione ſecunda, die verò decimaquinta menſis Nouembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi anno ſecundo, conſtitutus perſonaliter coram præfato ſanctiſſimo domino noſtro, ac teſtium, & mei notarij cameræ Apoſtolicę infraſcriptorum Romæ in palatio Apoſtolico, ac in aula ſeu camera ipſius palatij, præfatus magnificus dominus Ludouicus procurator, & procuratorio nomine præmiſſorum in eodem procuratorio nominatorum, aſſerens & notificans eidem ſanctiſſimo domino noſtro, quòd ipſi conſiliarij Regij ſuperiùs nominati, voluntariè & ſcienter non admiſerant contẽta in dicto monitorio, ſed quodammodò in anteà intendebant eſſe obedientes filij ſuæ ſanctitatis, & nihilominùs vigore facultatis ſibi in dicto inſtrumento attributæ, omnes & ſingulas prohibitiones, mandata & decreta per ipſos conſiliarios, ac parlamentum huiuſmodi hactenùs contra eccleſiaſticam libertatem & canonicas & pontificum ſanctiones factas, & facta ac geſta, eis omnibus melioribus modo, via, iure, cauſa & forma, quibus meliùs potuit, ſciuit, & debuit, coram ipſo S. D. N. reuocauit, caſſauit & annullauit: ac reuocat caſſat & annullat, & ad priſtinum ſtatum omnia reducit, ac eiſdem literis monitorialibus expreſsè (quantum potuit) obediuit & obtemperauit, & quòd dicti ſui principales illis

obedient

Aug. ſup. epiſt. Ioã. tr.7. to. 9. 23.q.5.c.36 Nõ putes. 23. q. 4. c. 35. Duo iſta.

per epiſtolam Ioannis & 24.quæ.5. *Non putes, &c.* Reſpondeo cum gloſſ. quod iſtud intelligitur de illis, qui habent aliquam poteſtatem ſuper alios, vel de Canonica denunciatione, ad quam quilibet tenetur: Per Canonicam denunciationem intelligit gloſſ. fraternam correctionem. De multis verò modis habendi poteſtatem, habetur ſuper 23.q.4. *Duo iſta*, vt eſt in Epiſcopo erga plebem ſuã, pauperi regenti domum ſuam, diuiti regenti familiam ſuam, marito erga coniugem ſuam, patri erga prolem, iudici erga prouinciam, Regi erga Gentem.

5.q.5.c.1. Nõ vos iudicãt. Auguſt.ep.ſt. 109.To.2. 23.q.5.c.36 Nõ putes.

Ad illam de Auguſtino, *Non vos iudicetis maleuolos*, de quo 5.q 5. dico cum gloſſ. quod textus ille de denunciatione loquitur, & de ſecreta correctione & eſt argumentum, quod quilibet tenetur ad denunciationem, de quo 23.q.5. *Non putes*. Iſta ſunt verba gloſſæ. Intelligo autem denunciationem hic, admonitionem fraternam, ad quã quilibet tenetur pro loco, tempore, & aliis circumſtantijs aut denunciationem teſtibus factam, aut Eccleſię, ſi ſecreta monitio non ſufficit.

Auguſt.

Ad illam Auguſtini in ſermone de ſeruo Centurionis, dico, quod Auguſtinus oſtendit magnitudinem mali eorũ, qui impunè peccant, nam peccatum eſt pœna magna peccantis. Et quia ex impunitate aſſumunt ſibi auſum peccandi, tamen commodè duobus malis minus malum, ad vitandum maius toleratur, & maius malum eſt malum totius, quàm partis. Permittitur malum in parte, ne ſit malum in toto. Ideò ad vitandum ſchiſma in Eccleſia, aut turbationẽ boni communis, aliqua manent ab homine impunita.

[23.]q. 4. c. 30. Si ea de quibus.

Ad illam Auguſtini, *Si ea, de quibus Deus vehementer offenditur, &c.* 23.q. 4. dico, quod illud capitulum loquitur de punitione poteſtatis iudiciarię, & eſt verum, cum iudex differt iudicare & punire ea, vnde Deus vehementer offenditur. Nota quod vehementer deſignat grauitatem, ſi tamen ſalua iuriſdictione, & conuictione hoc facere poſſit. Dei patientiam prouocat, ſed non ſi iſtis ſaluis punire non poſſit.

Auguſt.

Ad illam Auguſtini ad Chryſoſtomum dico, quod eſt vera iſtis tribus iam concurrentibus, iuriſdictione, conuictione & pace ſalua, ſeu vnitate Eccleſiæ, aut Reipublicæ.

Hieron. ſup. Hierem.c. 22. 9.q.5.c.133. Regũ officium eſt propriũ.

Ad illam Hieronymi 23.q.5. Regum, vbi dicitur, *Regum eſt proprium, &c.* Iſta auctoritas vera eſt, ſed arguit ab inſufficienti, aſſumit enim auctoritas, quod officium Regum proprium eſt facere iudicium, & iuſtitiam, ſcilicet in foro ſuo. Cæteroſque caſus enumerat facere iudicium & iuſtitiã, vt liberare vi oppreſſos, de manu calumniantium, peregrino, pupillo, & viduæ præbere auxilium, ſanguinem innocentem non effundere. Iſti ſunt caſus * ſeptem, Concedo, quod in iſtis, & in omnibus ſuæ legi ſubiectis pertinet facere iudicium, ſed ex hoc concludit, quod omnia peccata debet punire, ſi ſint mortalia publica, & hæc inſufficienter. tum, quia lex humana nõ prohibet omnia, tum quia homo legem diuinam omnia prohibentẽ mortalia, non ſufficienter poteſt executioni demandare omnia ſcilicet puniendo pœnaliter, vt dictum eſt. Deficit autem argumentum, quia ex hoc, quod diuina lex omnia mortalia prohibet, videtur concludere, quod ergò omnia in hoc ſeculo pœnaliter puniat, quod non concedo. Item, quia, Eccleſiaſtici non ſubduntur poteſtati ſeculari, quo ad perſonas, ideò, &c. Ad illã Hieronymi in libro Iudicum: *Traduntur autem peccatores, &c.* illam concedo, nec video, quomodo eſt ad propoſitum.

* pro ſeptem, alter m.ſ. habet pij, ex ſimilitudine harum literarũ & numeri.

Cap.4.

Hieron.

Ad illam Hieronymi in prologo Bibliæ, *Sancta ruſticitas*. Iſta autem intelligitur de reſiſtendo contra impugnatores fidei maxime, nam hoc modo potiſſimè Eccleſia impugnatur, & de reſiſtentia ei competente, puta, orando, corripiendo, arguendo publicè fidei peruerſores, ſi & quando opus eſt, cum alijs circumſtantijs requiſitis, Bonum autem opus fit vno modo, malum autem multiuario. Quod verò de talibus intelligatur, patet manifeſtè ex ſerie verborum illius capituli.

Greg. lib. 9. in Reg. epiſt. 64. in diſt. 4. ad Brunichildam Reginã.

Ad illam auctoritatem Gregorij in Regiſtro Reginæ Francorum Brunichildæ: *Conſcriptum ſit, iuſtitia eleuat Gentem, &c.* Hic dico, quod in allegatione iſta aperit opponens mentem ſuam manifeſtius, quàm in articulo ſuo, aut primo Corollario. Nam per hoc videtur ſentire, quod principes ſeculares habeant auctoritatem puniendi peccata publica ſacerdotum, & quod debeant hoc facere, ne Dominus manum ad feriendum extentam excutiat. Hoc autem oſtenſum eſt, eſſe falſum, in primo Corollario ſecundæ concluſionis, in ſecundo puncto. Dico igitur, quod auctoritas Gregorij intelligitur de correctione cõpetente ſuæ iuriſdictioni, puta, ſi ſacerdotes ſint publicè mali, vt Regina ſuis ſubditis prohibeat, ne in peccatis ſacerdotum dent auxilium vel fauorem: vt fœminas, cum quibus impudicè peccant, ſicut etiam ſonat auctoritas, proſcribant de ſuis dominijs, aut alio modo licito, non autem in perſona ſacerdotum aut eccleſiaſticorum aliquem actum iuriſdictionis exercendo. aut intelligitur de correctione fraterna, dum dicit, *de correctione ſcelerum ſtudioſiſſimè cogitate.*

Gregor.

Ad illam Gregorij ad Conſtantiam Reginam Galliæ, *Et quia ſummum, &c.* dico, quod hoc de iuſtitia ſectanda accipitur. Allegatur ad caſum particularem, puta, quod quidam prædones villas Eccleſiæ Epiſcopi Iuliani ſpoliauerunt, & nocturnis incendijs cremauerunt. Petit igitur Gregorius Papa, vt immunitas violata præſumptio & ſacrilegium, ſicut auctoritate Eccleſiaſtica, ita regia dignitate talem finem accipiant, ne filij nequam, & membra diaboli talia pręſumant de cætero attentare.

Greg. in regiſt. lib. 9. c. 32. in diſt. 4. ad Theodoricũ regẽ Francor.

Ad illam Gregorij in Regiſtro, *Dum ſcripſimus, &c.* dico, quod illa loquitur de executione ſententiæ Eccleſiaſticæ, Regem monendo, vt illam exequatur, aut iudicibus Eccleſiaſticis aſſiſtat, dicit enim: *veſtris amputari finibus faciatis. quid? carnalia vitia ſacerdotum, & ſimoniacam prauitatem, iam, ſcilicet, damnata, aut vt ſcripſimus per Epiſcopos damnanda & arguenda, illa è veſtris amputari finibus faciatis.*

Greg. in reg. lib. 7. in diſt. 1. ep. 5. eadẽ 23.q. 4. ca. 47. Si quos igitur. Deut. 16. Aug. ep. 50. to. 2. 23 q. 4. c. 24. Ipſa pietas. 23 q. 4. c. 25. Quid faciet. Aug. ep. 167. to. 2.

Ad illam Gregorij Brunichindæ, Reginæ Francorum. *Si quos igitur, &c.* Ecce concedo illam, ſed accipiendo, vt hoc iuſtè fiat. Nam non ſufficit iuſtam rem facere, ſed iuſtè, dicente Scriptura, Deut. 16. *Quod iuſtum eſt, iuſtè exequaris.* puta vt ſit iuſtus ordo, iuſta cauſa, iuſtus animus. Si iuſtus ordo, non ergò niſi in ſubditos, & de crimine conuictos. In illos correctio etiam iuſtitiæ fieri poteſt, verùm, vbi magna populorum ſtrages immineret, parcendo multitudini, eſſet ſeueritati detrahendum, vt dicit Auguſtinus Bonifacio, & habetur 23.q. 4. *Ipſa pietas*, & hoc eſt, quod dictum eſt prius. quoniam crimina punienda ſunt, quando ſalua pace eccleſię feriri poſſunt, vt dicit B. Auguſtinus in 2. & 3. lib. contra epiſtolam Parmeniani. & contra Fauſtum, vt habetur 23.q. 4. *Quid faciet?* vbi ſic dicitur: *Ecce quod crimina ſunt punienda, quando ſalua pace Eccleſia feriri poſſunt, in quo tamen diſcretio eſt adhibenda, aliquando enim delinquentium multitudo diu per patientiam eſt expectanda, aliquando in paucis eſt punienda, vt eorũ exemplo cæteri terreantur.*

Matth. 18. Chryſoſt. hom. 6.

Ad auctoritatem Chryſoſto. ſuper illo Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, &c.* dico, quod illa manifeſtè loquitur de correctione fraterna, & ſic illam concedo.

Chryſ. in opere imperf. in c. Matt. 5.

Ad illam, Chryſoſt. in opere imperfecto ſuper illo Matthæ. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, &c. hoc intelligendum eſt*; Illa non eſt ad propoſitum. Ibi enim reprehendit patientiam irrationabilem, quoniam, vt inquit, vitia ſeminat, negligentiã nutrit, bonos inuitat ad malum: non tamen dico ego, vt per ſe agens, ſed vt remouens prohibens, vt puto, quia iram per zelum, qui cauſa eſt correctionis & iuſtitiæ exercendæ, remouet. verum eſt tamen, quod B. Hieronymus in Homilia ſuper illo, ex ſententia Thomæ ſuper Matth. 5. allegatum ſic ait: *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, in quibuſdam codicibus additur (ſine cauſa) cæterum in veris diffinitiua ſententia eſt, & ira penitus tollitur, Scriptura dicente: Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Si enim iubemur verberanti alteram præbere maxillam, & inimicos noſtros amare, & orare pro perſequentibus, omnis iræ occaſio tollitur. radendum eſt ergò (ſine cauſa) quia ira viri iuſtitiam Dei non operatur.* hæc ille. Poſſet dici, quòd B. Hieronymus non damnat omnem iram, cum aliqua ſit iuſta, ſcilicet, quæ eſt per zelum, ſicut ſcriptum eſt, Ioannis 7. *Zelus domus tuæ comedit me*, ſed tanquam conſilium ſuadet, omnem iram de corde propellere. Ad illam in opere imperfecto ſuper illo Matth. 4. *Vade retro Sathana, exaſperatus eſt, &c.* dico, quòd vera eſt, & intelligitur, vt vnuſquiſque modo ſibi inconuenienti iniurias Dei, & offenſas, hoc eſt, peccata mortalia, & maximè, quæ ſunt in Deum directè, corrigat, nec patiatur inulta, vt princeps, per inflictionem pœnæ ex iudicio, inferiores ſubditi per correctionem fraternam, & iſta ſunt vera, modo tacto in poſitione.

Ioan. 3.

Chryſ. in opere imperf. in c. Matt. 4. hom. 5.

Digitized by Google

Ad illam Iſidori, de qua 23.q.5. *Principes ſeculi*, dicit gloſ-
Iſidor. li. 3. de ſum. bono. c. 53 23.q.5.c. 20. Princi- pes ſeculi. ſa ſic, quòd hic quatuor capitula ad hoc inducuntur, vt principes eccleſias defendant, & reos non permittant viuere, nec tamen ex iſto capitulo, aut alijs ſequentibus poteſt inferri, quòd principes in perſonas eccleſiaſticas habeāt exercere iudicium, niſi in caſibus, qui in gloſſa exprimuntur. Et adhuc non poteſt illud, niſi ex ordinatione eccleſiæ, & conceſſione ſpeciali, in ſubſidium eccleſiaſticæ iuriſdictionis.
32. diſt. c. 20. Eos, q. Primus, cum ſunt incorrigibiles: de quo 22. diſt. *eos qui*: ibi enim dicitur, quòd, ſi diaconi poſt ſuſceptum ordinem velint vacare vxoribus, à ſacro ordine remoueantur, id eſt, remouendi iudicantur, intelligo hoc, quo ad adminiſtrationem, quia character eſt indebilis; officio atque beneficio carere decernuntur, quod ſi ab Epiſcopo commoniti non ſe correxerint, principibus indulgemus licentiam, vt eorum fœminas mancipent ſeruituti: Ex textu patet, quod non datur licentia, vt in perſonā diaconi iuriſdictio ſecularis exerceatur etiam poſt monitionem Epiſcopi, ſed in fœminam eius, & ad id dicit gloſſa, quod hoc eſt verum, cum Epiſcopus eam corripere non potuerit, aut ſuffecerit. Nam primò debet eas in ſeruitutem redigere, ſi poteſt, ſed ſi non ſufficit, tunc itur ad brachium ſeculare, & ſecundùm gloſſam, per punitionem talis fœminæ dicitur exercere brachium ſeculare iudicium in Eccleſia, quia ex quo illa eſt de familia ſacerdotis vel diaconi, poteſt dici, inquit gloſſa, quod eſt de foro Eccleſię, ſicut & alij, qui ſunt de familia eius, vt 89. diſt.
diſt. 89. c. 5. indicatū *Indicatum*, & 12.q.2. *Eccleſiarum ſeruos*. vel ideò cenſetur talis
eſt. 2. q. 2. fœmina de foro eccleſiæ, quia ratione delicti fit quis de fo-
c. 59. Eccle ro alterius, vt 6.q.7. placuit: de iſtis incorrigibilibus habetur
ſiarū ſer- 23.q.5. de liguribus c. 43. Item 24.q.3. cap. 18. *Ecce autem*. Se-
uos. Ex cundus caſus eſt propter ambitionem, 79. diſt. *Si quis pecu-*
conc. To- *nia*. loquitur, de intruſo in Papatu pecunia vel gratia huma
leta. 3. 6. q. na, aut populari vel militari tumultu, &c. licitum eſt, inquit
3. c. 4. Pla- capitulum, *humano auxilio à Sede Apoſtolica pellere*. Tertius ca-
cuit. ſus eſt, cum fidem moliuntur Eccleſiaſtici peruertere, 17.
diſt. 79. c. diſt. *Nec licuit*. vbi in fine dicitur de obſtinatis & contuma-
9. Si quis cibus, eos ab eiſdem Apoſtolicis ſedibus, aut attrahi ad ſalu-
pecunia. tem, quoquo modo neceſſe eſt, aut ne aliorum perditio eſ-
diſt. 17. c. ſe poſſint ſecundùm Canones per ſeculares comprimi po-
4. Nec li- teſtates. de hoc ſatis dictum eſt ſuprà. Quartus caſus, cum
cuit. clericus eſt falſarius, vt extra de crimine falſi *ad falſariorum*.
Itē de fal- Quintus caſes, cum eccleſiaſtici ſchiſma faciunt & contem-
ſarijs ad nunt excommunicationem, vt hic: 3.q.5. de liguribus. Sex-
falſariorū tus, vbi poteſtas Eccleſiaſtica deficit, vt in præſenti capitu-
lib. 5. & 20 lo, *Principes*. Septimum de tributis tranſeo. extra illos & a-
c. 7. lios, ſi ſint aliqui à iure determinati, nihil iuriſdictionis habet laicus in clericum, hoc eſt in perſonam clerici. Et quod habet in iſtis, eſt auctoritatis Eccleſiæ, in ſubſidium Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, vt dictum eſt.

32. q. 1. c. 9. Cū renū ciatum. Ad illam de Ambroſio 32.q.1. *Cum renunciatum*, concedo illam, nec facit ad propoſitum, ſed oſtendit, quod in iuſtificatione impij, dum culpa recedit, aduenit gratia, & è cōtra in peruerſione.

24. q. 3. A- poſtolicę auctori- tatis, c. 13. Ad auctoritates Canonum. Ad primam Pelagij Apoſtolicæ auctoritatis, & 24. q. 3. iſta eſt magis contra opponentem, quàm pro eo. Nam ſi exemplo Apoſtolicæ auctoritatis, puta Pauli, tradendi ſunt Sathanæ, id eſt, excommunicādi peccantes, ſequitur, quod non niſi habens auctoritatem, ſicut ille habebat, ſuper Corinth. nec niſi pro crimine ſcandalizante, vt erat illud facinus Corinthi, qui tenebat vxorē patris, aut aliud graue, alteri vel pluribus nociuum, debet ferre iudicum pœnæ, & ſic non pro quolibet peccato mortali etiam publico nec quilibet poteſt per iuſtitiam punire, quod eſt contra eum.

24. q. 3. Il- lud ſanè c. 24. Ad illam de Leone Papa 24, q. 3. illud capitulum intelligitur de tolerantia conuerſationis quorundam Catolicorum cum hæreticis. Tolerare enim hoc graue peccatum eſt, quia nullum magis infectiuū arbitror, & contagioſum peccatū, quàm hæreticam prauitatem, vnde ſacerdotes vel Epiſcopi, in illo caſu tacentes, cum tamen innoteſcat, canes muti dicendi ſunt, non valentes latrare, cum lupi rapaces gregem
Eſa. 22. inuadunt, vnde tunc eis dici poteſt illud Iſaiæ 22. *Quid tu hic? aut quaſi quis hic? Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut gallus gallinaceus aſportatur*.

Epiſt. 92. Ad illam Leonis Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo, &c. dico, quòd hoc dicit, quia non amore vindictæ, ſed iuſtitiæ;
non odio perſonæ, ſed vitij correctio eſt facienda. Et hoc editionis
dixi ſæpius in ſecundo puncto, nec aliquo modo concludit, antiquæ,
quod omnia peccata ſunt punienda. 93. edit.

Ad illam, Ioannis 8. *Adminiſtratores, &c.* dico, quod lo- Rom. 86.
quitur de peccatis alijs nocentibus, vt patet. Nam dicit de ra- odio habeatur, c. 3
pacibus, de nocentibus pupillis & viduis, & quod querimo- 23. q. 3. ad-
nias audiant pro Epiſcoporum tuitione illorum, &c. Ex hoc miniſtra-
arguit ab inſufficienti, quod ergò omnia peccata mortalia tores, c. 26
ſint punienda, quia multa ſunt, quæ nocent directè & per ſe alijs, nec eſt facilè totam multitudinem ab illis abſtinere, & prohibito talium cum punitione pœnali cōfuſionem faceret in politia, aut ſchiſma in Eccleſia, aut aliud graue periculum vel peccatum, ſicut dictum eſt.

Ad auctoritates Conciliorum: Ad illam de Concilio Apoſtolorum, dico, quod à quatuor prohibuerunt abſtinere fideles, ſcilicet ab immolatis, idolis, ſanguine ſuffocato, & fornicatione, placet tamen mihi, quod omnia peccata mortalia ſint diuina lege prohibita. Nam hoc in prima parte cō-
cluſionis primi puncti dictum eſt, ſed non ſequitur, quod Conc. Tu
ideò ſint omnia per hominem punienda. Ad illam ex Con- roné. III.
cilio Turonenſi, *inceſtuoſi parricida*. Illud capitulum loqui- c. 41. ha-
tur de aliquibus grauibus peccatis puniēdis, afflictione pœ- betur 23.
næ, quia actores illorum monitis eccleſiæ noluerunt obedi- q. 5. ince-
re, ex qua particulari, nullo modò poteſt concludi vniuer- ſtuoſi, c.
ſalis: omnia peccata mortalia publica ſunt punienda per co- 22.
hibitionem pœnæ.

Ad illam auctoritatem 2. Paralipomenon 30. qualiter 2. Para. 30.
muto Conciliò, &c. dico, quod apparētiam ad probandum vniuerſalem, omnia peccata, &c. non habet opponens, niſi ex illo textu, *deſtruxerunt altaria, quæ erant in Ieruſalem, atque vniuerſa, in quibus idolis adolebatur incenſum ſubuertentes, &c.* tamen ille textus ſolum loquitur de deſtructione idololatrię, & omnium ad eam pertinentinentium. Ex qua particulari deſtructione malè poteſt concludi omnium peccatorum deſtructio.

Ad illam, 2. Paral. 34. qualiter Ioſias conuocatis vniuer- 2. Para. 34.
ſis, &c. dico, quòd apparentiam accipit opponens ex illo, *Abſtulit Ioſias cunctas abominationes, de vniuerſis regionibus filiorum Iſrael*. Ad quam dico, quod Scriptura non dixit, omnia peccata, ſed, *cunctas abominationes*, per quas peccata idololatriæ intelliguntur, in multis paſſibus Scripturæ. Et hoc etiam videtur ſonare textus ſequens, cum ſubditur: *Et fecit eos, qui reſidui erant in Iſrael ſeruire Domino Deo ſuo*. Et expreſſius appa-
ret idem 4. Reg. 23. tamen ſi per abominationes intelligan- 4. Reg. 23.
tur peccata mortalia, dicendum videtur, quod ſit diſtributio accommoda, puta, quòd maiora peccata abſtulit, vel diſtributio pro generibus ſingulorum, tamen magis ſto in prima ſolutione, quia magis conſonat textui & gl. de Lyra.

Ad illa, quæ circa probationem concluſionis ſeu articu-
li dicuntur, apparet, quod de correctione fraterna aſſuman-
tur: Et ſpecialiter auctoritas Auguſtini, libro primo, con- Auguſt.
tra Creſconium Grammaticum, dico, quod loquitur, quod perſequenda ſunt vitia, amore iuſtitiæ, non libidine vindictę, ita vt vitia, quia Chriſto inimica puniantur, non homo, & ſic arguit de modò punitionis, non de punitione, vnde ſi ex modò inferat illam, immutat quale in quid, & fit fallacia. In declaratione dicitur vnum bene notandum. nam proponens declarauit, quomodò vnicuique congruat corripere peccata mortalia publica. Nam dicit, quod prædicatoribus prædicando, contemplantibus orando, vel aliter promerēdo, ſecularibus iudicibus, aut principibus ſecundùm potentiam coactiuam conſeruando, iuxta legem Euangelicam cōuenit corrigere. Et quòd omittens, iuxta ſuum officium, peccat in Deum & proximum. & quantum & quomodò hæc non ſint vera, oſtenſum eſt, niſi vellet ſingula ſingulis referre, ita, vt cum loquitur de poteſtate iudiciaria, intelligat reſpectu ſuorum ſubditorum, ſi de fraterna correctione intelligeretur, correctio aliud eſſet, ſicut monſtratum eſt.

Ad rationes primi Corrolarij, concedo rationem, quæ probat, quòd peccata mortalia publica, &c. non ſunt fouenda aut defendenda. Hæc fuit prima pars Corrolarij. Ad rationes arguentes contra ſecundam partem, quod per rectores ſpirituales & ſeculares, ex officio modis ipſis congruen-

tibus

tibus, in communitatibus Chriſtianorum, & quolibet ſtatu eorum, ſunt cohibenda, corripienda, caſtiganda, & pro poſſe ab eiſdem propellenda. Ad primam Dominus Dominantium, Rex Regum, Deus Omnipotens hoc fecit, & hominibus faciendum iniungit, vt patet ex diſcurſu veteris & noui teſtamenti, ergò rectores hoc facere debent. Dico, quod nec omnia peccata mortalia publica Dominus puniuit in lege veteri, nec omnia in lege noua, ſicut latè deductum fuit in concluſione primi puncti, ſed nec omnia punienda mandauit in lege noua. Imò dicit Lucæ 6. *Eſtote miſericordes. ſicut pater veſter cœleſtis miſericors eſt*. Dixit & Matth. 18. cum quæreret Petrus, quotiens fratri in eum peccanti eſſet parcendum: *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*. Et iterum: *Nonne oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? & iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitū ſic*, inquit Saluator, *& pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Dixit & Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis*. Et Petrus prima Petri 3. *In fide autem omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes.*

Lucæ 6.
Matt. 18.
Eph. 4.
1. Pet. 3.

Proponens allegat, quod Dominus puniuit ſuperbiam in Lucifero & quibuſdam, auaritiam in Achor, & etiam certis perſonis, &c. quæ ad longum non recito, quia concedo ſemper: tamen argumentum ſuum deficit, quia arguit ab inſufficienti. Non enim ſequitur, puniuit peccata in ipſis, ergò in omnibus. Siquidem iudicia ſua, ſunt abyſſus multa, & alta profunditas, quis inuenit eam? Interdum itaque ita durè corripuit, vt non ſolum homines peccantes, ſed & irrationabilia propter eos puniuerit, vt apparet in theſauris Iericho, & animalibus Amalechitarum, in pecunia Simonis Magi, in poſſeſſionibus AEgyptiorum, & hoc, ſicut aperuit nobis Alexander Doctor irrefragibilis triplici de cauſa, ſcilicet ratione Sacramenti, ratione deteſtationis peccati, ratione flagelli. Ratio Sacramenti Theſauri Iericho, Ioſue 6. Et animalia Amalechitarum, 1. Regum 15. puniuntur. Nam Iericho interpretatur Luna, & ſignificat mundum, cuius auaritia damnatur, cum theſauro Iericho. Anathematizantur Amalechitæ, qui interpretantur lingentes, ſignificant carnalium deſideriorum voluptates, quæ debent mortificari, quod denotatur in interfectione animalium Amalechitarum. Ratione deteſtationis peccati. Pecunia Simonis Magi damnata eſt pro peccato ſuo, Actuum 8. Ratione flagelli, poſſeſſiones AEptiorum traditæ ſunt grandini, Exodi 9. vt in illis puniantur & flagellentur, in quorum amore ſupra modum delectabantur. Interdum ita pepercit, vt duxerit iuſtos in ſtuporem, dum non contenta fuit clementia ſua crucifixioribus parcere, ſed orabat pro eis. Videtis mirabilem diuinæ diſpoſitionis ſcientiam & arcanum inſcrutabile confortatum, nō poſſimus ad eum, vnde non debet ſumi argumentum pro punitione ab homine, ex punitione Dei, potius ſumendum eſt exemplum ignoſcendi aut corripiendi in ſpiritu lenitatis ex benignitate Chriſti, ipſo dicente: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris*. Et per Prophetam Ioel peccatores vocante, cum dicit: *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multa miſericordia, & præſtabilis ſuper malitia*, Ioel. 2. Et cognoſcite, quàm amarum eſt, dereliquiſſe Deum veſtrum, *derelinquentes fontem aquæ viuæ, & fodientes ſibi ciſternas diſſipatas*, in nimio rigore, ſcilicet punitionis, *quæ non valent continere*, Ierem. 2. *aquas*, ſcilicet miſericordiæ.

Pſal. 35.
Ioſ. 6. & 7.
Alexã. ab Ales par. 3. q. 41. mem. 4. art. 2. ad 2. & ſeq.
1. Reg. 15.
Act. 8.
Exod. 9.
Matt. 11.
Ioel. 2.
Hier. 2.

Ad illam de Fabiano Papa, 3. q. 1. *Deus ergò ad hoc præordinauit vos, &c.* dico, quòd illud capitulum loquitur de pœna infligenda contra facientes calumniam ſacerdotibus, & vim eis inferentibus, quod patet primò ex rubro, patet etiā ex continuatione. Nam in fine capituli præcedentis dicitur: *Dominum crucifigunt, qui eum in ſuis ſacerdotibus perſequuntur*: quia crux à cruciatu dicitur, magnum autem cruciatum ſuſtinet, qui vim patitur. Patet tertiò ex fine capituli, quod opponens obiicuit. Nam poſtquam dixerat, *illum verò, qui calumniam vel opprobrium facit, abſcindatis*, ſequitur, quod tacitū fuit, *& Domino in ſuis ſacerdotibus opem feratis*, hoc autem totum concedo, & eſt contra opponentem, qui dicere videtur apertè, per ſeculares ſacerdotes eſſe puniendos.

Fabia. ep. 2. 3. q. 1. Deus ergò, c. 6.

Ad illam, *Niſi in ſancta communitate Chriſtianorum, &c.* dico, quod iſta ratio deficit, ſi tendat ad hoc, quod fornicatio ſimplex, & omnia mortalia non ſolum correctione fraterna, aut generali correctione prædicationis ſunt corripienda, ſed etiam per ſeculares poteſtates coercenda. & omninò punienda aut expellenda de communitatibus Chriſtianorum. Iſta, inquam, ratio deficit in duobus, primò in hoc, quod non diſtinguit inter prohibitionem & punitionem, & tamen magna eſt diſtinctio facienda, cum lex Dei prohibeat omne mortale, nec tamen in hoc ſeculo Deus puniuit omne mortale, etiam publicum, vt oſtenſum eſt. Nam arguit Paulū omnes fornicationes prohibuiſſe, & ex hoc concludit, quod omnes ſunt puniendæ. Secundò deficit in hoc, quod non diſtinguit ſpecies peccatorum in vno genere. aut etiam genera, quia ex punitione fornicationis Corinthij vult arguere punitionem omnis fornicationis, quod fieri non debet, quia illa, quam puniuit, non fuit ſimplex fornicatio, imò fuit inceſtus, & aliquo modo contra naturam, & contra reuerentiam naturalem, que debetur patri, & ex hoc vxori eius, quæ eſt cum illo vna caro. Si tendat ratio, quod fornicatio & alia mortalia ſunt correctione fraterna corripienda, non nego, imò cōcedo, abſit etiam, quod ſint fouenda, ſed dico, quod eſt tolerandum ſimplex meretricum & permittendum propter cauſas ante memoratas. Placet inſuper mihi, quod omnia peccata mortalia ſint Spiritu ſancto dictante prohibita, ſed Concilium Apoſtolorū, Act. 15. non omnia prohibuit, ſed tantùm quatuor, ſcilicet, ab idololatricijs, ſuffocato, ſanguine & fornicatione. Illa verò clauſula, *& ea, quæ vobis fieri non vultis, ne faceritis*, non eſt de Canone ſeu textu. nec eſt apparentia, quod eſſe debeat, quia eſt vnum principium legis naturę omnib⁹ vtentibus ratione notū. talia verò non cadunt ſub Conſilio. Si tñ omnia mortalia prohibuiſſet, non ideò omnia eſſent hîc pœnaliter punienda, ſed in tribunali & foro adęquato diuinæ iuſtitiæ, puta in extremo iudicio, & in foro conſcientiæ de omnibus mortalibus occurrentibus memoriæ.

Ad rationes ſecundi Corollarij editas. ad primam, quæ nititur probare, quod communitates habeant punire peccata. primo ad primam de communitate Corinthiorum aſſumit, quod puniuit Corinthium, dico, quod non ſentiando puniuit, ſed Paulus, quia, vt dictum eſt, dixit: *iudicaui eiuſmodi hominem*, nō dicit, iudicauimus, nec iudicaſtis. Eſt verùm, quod hoc fecit illis congregatis cum ſuo ſpiritu, in vinculo fidei & caritatis, & etiam ſcientibus. Quod ſi aliquis contendere velit, quod illa iudicauit, tunc diceretur, quod fuit cum Paulo & auctoritate eius. Nam dicit: *Congregatis vobis & meo ſpiritu*: Quod allegat, *corrigite inquietos*, de Theſſalonicenſibus, intelligitur de inſtructione exhortatoria prælatorum, & non communitatis eorū, mox enim, cum eos de obediētia & ſuſtentatione prælatorum docuerat, vt dicit Petrus de Tarantaſia, & ſpecialiter reſpectu curioſorum, gyrouagorum, ideò dicitur, *inquietos*. Eſt hæc inſtructio Corinthiorū, quia ſufferebant Pſeudoapoſtolos, quos inſipientes dicit, eoque, quod in carne gloriabantur, reprehendit, & hoc eſt ſpeciale & graue peccatum, cōtradictores, ſcilicet verorum prædicatorum, tolerare, non tamen concluditur, quod nulli peccatores ſint tolerandi ex iſto.

1. Theſſ. 5.
2. Cor. 11.

Ad illam Ambroſij 23. q. 5. *Remittuntur*, dicentis, *puniuntur peccata per homines, &c.* dictum eſt ſuprà de hac materia ſatis. ad præſens tantùm dico, quod ſi communitas puniret, Deo ad punitionem eius, & intentionem mouente, non peccaret, ſic enim haberet auctoritatem: ſed ſi puniret Deo ad actum punitionis mouente, & non ad intentionem, peccaret, quia quamuis punitionis actio eſſet bona, non tamen intentio punientis. Præterea eſto, quod communitas poſſet aliqua peccata punire ex auctoritate, non tamen ideò punire poſſet peccata clericorum, cum non ſint eis ſubditi, vt palam factum eſt, niſi à Deo vel Eccleſia acciperēt expreſſam poteſtatem, & nunc fieret Authoritate Dei, aut eccleſiæ, & magis Deus vel eccleſia hoc faceret.

Amb. lib. 2. de Cain & Abel, c. 4. 23. q. 5. Remittũtur, c. 49.

Ad illam de Anacleto Papa 24. q. 3. *Tam ſacerdotes, quàm reliqui fideles, &c.* dico, quod illud capitulum intelligitur de correctione fraterna, quò ad omnes, & de iudiciaria poteſtate,

Anaclet. ep. 3. 24. q. 3. Tam ſacerdotes, c. 14.

ſtate, quo ad ſacerdotes, dum dicitur: *Aut ſi incorrigibiles apparuerint, ab Eccleſia ſeparentur*. Nam gloſſa dicit: *hic eſt argumentum, quod iſtud, ſi peccauerint, ſpectat ad omnes*: & ſuper illo verbo, *ſeparentur*, dicit, *ergò ſacerdotes habent officium excommunicandi*: Et ita hæc ratio eſt pro me. Ad illam, Ioan. 8. diſtin. 86. dicente: *Facientis procul dubio, &c.* dico, quòd iſta

diſt. 86. c. Facientis culpa. c. 3.

omnia hic allegata vera ſunt, de differentibus diſciplinam ex negligentia, aut aliqua inordinata, vel indiſcreta affectione, quaſi aliquid humanum paſſi. Non autem de omittentibus ſeueritatem iuſtitiæ, ex cauſis rationabilibus. præterea vera ſunt de negligentia punitionis peccatorum turbãtium bonam conſiſtentiam politiæ, & eorum, à quibus facilè eſt plebeiam multitudinem abſtinere. Aliorum verò peccatorum punitio omittitur, pro ſalute boni communis, aut ad peiora vitanda, & non negligitur. neglectio enim eſt omiſſio eius, quod quis ſcit & poteſt facere, & ad hoc tenetur. Impotens autem humana poteſtas non poteſt omnia peccata mortalia punire, nec omnia dirigere rectè. Ex quo fit, quòd cauet maiora & punit ex auctoritate minora, quamuis mortalia, relinquẽs diuino examini, aut foro conſcientiæ vel finali.

Ad rationes tertij Corollarij. Ad illam, cùm dicitur: *Patet ex lege correctionis fraternæ, &c.* concedo, quòd ſuperiores poſſint ab inferioribus corripi correptione fraterna, ſed nõ vt opponens intelligit, in deductione, ſcilicet vt denunciatio poſt decretam monitionem fiat coram populo, ſed debet fieri coram ſuo ſuperiori. Et ſi Summus Pontifex peccet peccato perſonali, debet ſecretè cum humilitate & reuerentia moneri. Si autem nolit acquieſcere poſt adhibitionem vnius aut duorum teſtium, poterit denunciari Concilio generali, ſi non, ſic non eſt alter recurſus, res eſt Deo committenda, & pro eo orandum.

Greg. homil. 18.

Ad hoc, quod de Chriſto allegat, dico, quòd ſecundùm Gregorium in homilia, vt Thomas in expoſitione huius paſſus, recitat, non ſubmittit ſe Chriſtus correctioni populi, ſed ex ratione probat ſe peccatorem non eſſe, vnde ait: *Penſate autem manſuetudinem Dei, relaxare peccata venerat, & dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? non dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iuſtificare.* Quod dicit de Moyſi, dico,

Exod. 18.

quòd inſtructus fuit Iethro. Nam dicitur in textu: *Audi conſilium meum*, non correctus, quia non peccauit. De Dauid dicendum, quòd illa correctio, quam fecit Nathan, fuit fraterna, & etiã Nathan in ſpiritualibus erat maior Dauid, 2. q. 7. *Nos ſi*, quamuis par in parem, & maior in minorem, & è contra poſſit iſtam exercere, debitis ſeruatis circumſtantijs. De reſiſtentia Pauli erga Petrum, quod fuit publica, iam dictum eſt. Imminebat enim magnum periculum fidei. Nam Petrus ſimulatione inducebat ad obſeruantiam

q. 7. Nos ſi c. c. 41. 2. Reg. 12. Gal. 2. 3. Reg. 2.

legalium contra veritatem Euangelij. De Salomone, qui depoſuit Abiathar ſacerdotem, dico primò cum de Lyra, quod fecit diuino inſtinctu, ſeu diuina voluntate, quia conſpirauerat contra ipſum Salomonem, & diuinam ordinationem, atque Dauid patris eius. & vt impleretur ſermo

1. Reg. 2.

Domini, quem locutus eſt ſuper domum Hely. ſicut etiam dicitur in textu. Dicerem ſecundò, quòd ſacerdotium euangelicum ſuccedit magis ſacerdotio Melchiſedech, quàm Leuitico, Propheta teſtante, cum ait: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Non enim hæreditate poſſidetur ſanctuarium Dei modò, vt in lege, ſed diuina vocatione quis ad illud aſſumitur, non parentum fauore. propterea etiam Melchiſedech non legitur habuiſſe patrem aut matrem. Erat enim Leuiticum ſacerdotium ſatis ſeruile, & ad illud per Reges aſſumebatur. Ideò non mirum, ſi ab officio potuerit, per Regem Salomonem, Abiathar deponi. Modò Regibus ſacerdotium euangelicum non eſt obnoxium, ideò nec Reges poſſunt tales inſtituere, vel deſtituere, aut iuridicè punire. Et hæc ipſa, de ſucceſſione ſacerdotij Euangelici, magis ſacerdotio Melchiſedech, probantur ex hoc, quod lex naturæ perficitur per Euangelicam, lex verò Moyſi euacuatur per eam, ſaltem quo ad cærimonialia & iudicialia. moralia verò, quæ manent, pertinent ad legem naturæ. Tranſlatio ergò legis infert tranſlationem ſacerdotij, ſicut è contra Apoſtolus dicit ad Hebræos 7. *Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt, vt legis tranſlatio fiat.* Ex quo ergo lex naturæ, in qua fuit ſacerdotium Melchiſedech, non eſt tranſlata, & lex Moyſi tranſlata eſt, ſiue euacuata, in qua erat ſacerdotium Leuiticum, habeo intentum.

Heb. 7.

Ad illam, Hieremiæ 14. *Dixit totus populus, &c. ſacerdotes noſtri, &c.* dico, quod aliud eſt Deo lacrymoſum querimonium facere propter peccata ſacerdotum. Aliud eſt huiuſmodi peccata coram populo arguere. Primum licet interdum, maximè tamen, dum non habetur ad ſuperiorem hominem recurſus. Secundum non licet pro peccatis perſonalibus prælatorum; primum faciebat populus, non ſecundũ.

Ad illam, *Superiores ſæpius viuunt illicitè, &c.* dico, quòd inferiores ex hoc, quod non impugnant iuridicè, ſeu ex poteſtate ſuperiores, quia non poſſunt, nec illos licet pœnaliter punire ſuperiores, non ſunt conſentientes. Ad hoc propoſitum dicit gloſſa interlinearis, ibi, *qui poteſt, debet & habet iuriſdictionem*. Et conformiter dicit ad hoc, *nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare, ſi poteſt.* dicit gloſſa. Et ſic exponitur de ſentent. excommun. quantæ. Ad capitulum ergò allegatum poteſt reſponderi, ſicut ad illud: Facientis culpa. diſt. 86.

De ſent. ex com. c. Quantæ, c. 47.

Ad illam de Gregorio, 2. q. 7. *ſicut*, inquit, *laudabile*, dico, quòd illud capitulum loquitur de correctione ex auctoritate. Nam ibi Gregorius incitat Epiſcopos in Concilio Bizãtij congregatos, vt Primatem Clementium informatione ſacerdotali præuia puniant aut iudicent, & ſic non facit ad propoſitum proponentis, quod inferiores corrigant per inflictionem pœnæ ſuperiores, & laici Eccleſiaſticos, ſed magis ad propoſitum, quòd talis correctio fit per ſuperiores.

2. q. 7. Sicut laudabile. c. 46. Greg. lib. 12. ep. 37. an ed. Rom. 35.

Ad illam de Leone, 2. q. 7. dicente: *Nos ſi incompetenter aliquid agimus, &c.* dico cum Doctoribus, quod hæc ſubmiſſio fuit perfectionis & non debiti. Ad decretum allegatum, quod hoc ſit debitum, quod incipit. Nos ſi *incompetenter aliquid agimus, &c.* vbi inducitur Balaam Propheta reprehenſus ab aſina, in quo per Balaam ſuperior, per aſinam inferior intelligitur. Dico, quòd hoc non oſtendit inferiores ex auctoritate poſſe reprehendere ſuperiores, nec ſuperiores ſe debere ſubijcere inferioribus in illa correctione. Patet in textu ibi ſequenti, vbi dicitur: *Verum eſt, quod per aſinam ſubditi, & per Balaam prælati intelliguntur, non tamen hoc exemplo probantur prælati accuſandi à ſubditis, ſed ſubditis forma tantùm datur humiliter retinendi prælatis, ſi fortè eos ad malum cogere voluerint.* Et poſt pauca ſubditur: *Licet eis in huiuſmodi vocem conqueſtionis prorumpere, & prælatis ſuis dicere: Cur nos verberibus affligitis? Cur nobis iniuſtè iraſcimini? Nunquid vobis inobedientes aliquando fuimus, niſi nunc, cum ad malum cogimur?*

2. 7. Nos ſi incompetẽter. c. 41.

Ad expoſitionem Bedæ dico, quòd licet prima facie videatur ad hoc venire, quòd prælati mali à ſubditis poſſint reprehendi, quòd ſi de fraternali correctione intelligeretur, non negarem, tamen benè conſideranti, loquitur de malis prælatis in fide errantibus, aut ſubditos prædicando ad malum trahentibus, vnde ſic habetur in textu: *Qui etiam*, ſcilicet prælati, *in præcipitium ſuos mergunt auditores, quibus non ſalutaria, quæ corrigant, ſed quæ illos delectant erronea prædicant, de quibus apertè ſubditur*, ſcilicet in ſecunda epiſtola Petri, 2. *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur, ſed infatuatum, à porcis conculcatur. Et qui dicit: pax vobis, plerumq; non columba, ſed coruus reputatur.* Profectò loquitur, vt apparet diligenter conſideranti de prælatis male docentibus, & dictum eſt ſuprà, quòd talibus poſſint ſubditi reſiſtere ad ſuperiorem recurrendo. Et ſi periculum ſit, iſtos publicè reprehendere. Non ſic autem pro peccatis perſonalibus, ſeu pro vita eorũ mala.

Beda. 2. Pet. 2.

Ad illam Auguſtini ſuper Pſalmo 81. & habetur 23. q. 3. *Oſtendit Propheta, &c.* dico, quòd differentia eſt inter prohibere & punire, quòd poteſt quis prohibere ſuperiori, nec peccet modo ſuo, monendo, exhortando, & ſic prohibitio eſt in reſpectu futuri, punitio per pœnæ inflictionem nõ fit niſi per ſuperiorem, & eſt reſpectu peccati præteriti. Dico ergò, quòd capitulum loquitur de prohibitione prælati, ne peccet, & hoc poteſt fieri per inferiorem, per modum exhortationis, & cum reuerentia, ſed hæc non eſt punitio, quæ eſt actus iuſtitiæ, nec correctionis fraternæ, ſed præſeruatio à periculo, nec popularis multitudo aliud facere poteſt.

Aug. in pſal. 81. 23. q. 3. Oſtẽdit. c. 11.

Ad

Ad illud, quod inſert, quod oportet ſuperiorem clericũ à laico iudicari, &c. ſicut dixi à principio, eſt quadruplex, iudicium aſſeſſionis, comparationis diſcretionis, & condemnationis ſeu diffamationis, quæ eſt actus iuſtitiæ. Primis tribus iudicijs poteſt inferior de ſuperiori iudicare, & hoc de manifeſtis, aut vbi eſt vehemens ſuſpicio, & hoc probant hic allegata ſaltem de tertio modo. Quòd verò Chriſtus & Apoſtoli, & alij Sancti voluerunt, vt allegatur, ſe & opera ſua ſubſterni iudicio laicorum: iam de Chriſto dixi, de Apoſtolis & Sanctis dicendum, quòd ſi fecerint, hoc fuit perfectionis, & non neceſſitatis.

8. q. 1. Vereor. c. 22. Hiero. in 1. c. epi. ad ad Titũ.

Ad illud Hieronymi, 8. q. 1. dicentis: *Vereor, quomodo Regina Auſtri &c.* dico, quod illud capitulum loquitur de iudicio comparationis. Sic enim dicitur: *Regina Auſtri iudicabit homines ſui temporis, & Niniuitæ, qui ad prædicationẽ Ionæ, crediderunt, condemnabunt eos, qui maiorem Iona Saluatorem contempſerunt.* Hoc eſt dicere, vita hominum temporibus Reginæ & Salomonis comparata vitæ Reginæ, erit culpabilis & cõdemnanda: ſic & de vita Niniuitarum, & eorum, qui Saluatorem contempſerunt, dicendum. Et tunc illud, quod ſequitur; *Sic plurimi in populis Epiſcopos iudicent*, eſt de eodem iudicio comparationis accipiendum. Nam dicitur: *ſic*, id eſt, ſimili modo plurimi in populis *Epiſcopos iudicent*, ſubtrahendo ſe ab Eccleſiaſtico gradu, ſcilicet quo ad opera, & ea, quæ Epiſcopo conueniunt non exercentes. *iudicent* comparatione, hoc eſt, meliores laici comparati ad Epiſcopos malos, oſtendent ex comparatione malam eſſe vitam Epiſcoporum talium.

Ad illam, *Item in die iudicij licebit, &c.* dico, quòd iſta ratio arguit de iudicio aſſeſſionis, aut comparationis, & poſtea transfert ſe in eadem ratione ad iudicium diſcretionis, ex quo ſurgit ſæpius correctio fraterna: De Salomone Abiathar ſacerdotem, de Daniele iudicante duos iniquos ſacerdotes, de Nabuchodonoſor dictum eſt, quia proponens dicit, quod in hoc Nabuchodonoſor non reprobatur. dico, quòd ex textu non laudatur in hoc, ſecundùm Alexandrum in 3. quo ad intentionem. ſed quantum ad actionem, quia cooperabatur Domino, dicitur ſeruus Domini, & licet à Deo dicatur ſeruus eius, hoc eſt, quia ei dedit dominium, & quia Domino, quantum ad actionem, licet non quo ad intentionem, ſeruiuit. De Tito & Veſpaſiano dicendum, quòd iuſto Dei iudicio puniuerunt ſacerdotes & habitatores Ieruſalem, quia occiderunt filium Dei, & vendiderunt Iuſtum pro argento, Amos 2. Et vt impleretur verbum Dei, Lucæ 19. dicentis: *Venient & circumdabunt te vallo, & coangustabunt te vndiq;, & ad terram proſternent te, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* Et præterea lex Moyſi impleta erat, & ſic figura ceſſauerat, quare & ſacerdotium. Erat enim iam Synagoga ducta ad tumulum. De ſancto Ambroſio dicendum, quod erat Arcadio in ſpiritualibus ſuperior. Quod Hieronymus refert de Damaſo, dicendum, quòd iſta accuſatio fuit pia inſinuatio, ſuper fama, aut potius ſuper infamia de lubrico carnis. Et nullus negat, quoniam inferiores poſſint ſuperiores arguere, tamen cum reuerentia fraternaliter, a[illegible]is infamiam clamoroſam inſinuare. Sed negandum eſt, quòd liceat eos publicè coram populo, in ſpeciali reprehendere, aut detractoriè infamare. Qualiter verò de illis in prædicatione agendum ſit, eſt in fine concluſionis ſecundi puncti.

Alexã. ab Ales, p. 3. q. 35. mẽ 2 art. 2. ad 1. Item 23. q. 5. c. Remittũtur. 49. Amb. de Cain & Abel. c. 4. Amos 2. Luc. 19.

Ad rationes quarti Corollarij, Primò ad rationes de Rectoribus in ſpiritualibus, &c. Ad illam Ezech. 3. & 33. capitulis. *Speculatorem, &c.* Iſta probat comminationem factam à Deo, contra negligentiam Rectorum ſpiritualium, in officio prædicationis, ſi veritatem vitæ & iuſtitiæ non docuerunt ſuos ſubditos. Et hoc etiam manifeſtè innuit auctoritas primæ ad Timoth. 5. *Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* & hoc nihil facit ad propoſitum de punitione per viam iuſtitiæ ſuperiorum per inferiores, & Eccleſiaſticorum per laicos. Scabinos, aut iudices, aut communitates.

Ezech. 3. & 33.

1. Tim. 5.

Ad illam Originis homilia 7. ſuper Ioſue dicentis *Quando ſacerdos, &c.* Iſtam omninò concedo. arguit enim negligentiam ſuperiorum in officio & prædicatione & punitione inferiorum. Sed vt ſæpè dictum eſt, non eſt negligere, omittere corrigere, quod quis rationabiliter emendare non poſſet, vnde Rector ſpiritualis peccata publica gladio verbi, & auctoritate iuſtitiæ tenetur corrigere, prout poteſt. Quæ verò per inflictionem pœnæ nó poteſt caſtigare, verbo Dei deteſtatur.

Orig. ho 7. in 6. c. Ioſue.

Ad illam de Rectoribus ſecularibus, Num. 25. vbi tangitur periculum eorum, ſi mala in communitatibus eorum non cohibuerunt. Et ad Originem, ibi, *populus peccat, & principes oſtentantur*. Dico, quod pro peccato populi, principes interdum puniuntur, quia propter negligentiam correctionis populi multitudo licentior fit ad malum & procliuior. Quoniam autem curam populi princeps ſuſcepit, ſi culpabili omiſſione peccata permiſerit impunita, reus erit inſolentiæ eius. Tales autem fortaſſe fuére principes populi, qui cùm viderent filias Moab miſſas ex conſilio Balaam, ad caſtra filiorum Iſrael, vt propter eos populus peccaret & vinceretur, qui ab eodem maledici non poterat, non cohibuerunt populum ad eos accedere, cum vnus Zambri ſcilicet, coram filijs Iſrael legatur acceſſiſſe ad Cozbi Madianitidem filiam Ducis, & cum ea peccare non erubuerit. Et nihilominus reperimus vnum pro alio puniri interdum, abſque peccato, tribus cauſis, vt dicit Alexander: Prima eſt excitatio ſollicitudinis caritatis, vt non tantùm quiſque ſe obſeruet à peccato, pro ſe, ſed etiam alij diligentiam adhibeant ad cuſtodiam vnius, ne & ipſi pro illo puniantur. Secunda cauſa eſt oſtenſio vnitatis, quæ debet eſſe quantum, ad vinculum ſocietatis. Nam propter peccatum Achaz, vt dictum eſt, peccauit populus. Tertia cauſa eſt deteſtatio peccati, & oſtenſio magnitudinis eius, vt videatur quantum peccaret multitudo, hoc vel illud faciendo, quoniàm vnus ſic agendo peccauit. Thomas verò 2. 2. quæſt. cap. 8. artic. 3. ad primum, oſtendit, quòd tribus modis vnus aliquando pro alio punitur.

Orig. in c. 25. Num. hom. 20.

Alex. ab Ales, p. 3. q. 41. m. 4. art. 1.

Aug. in q. ſup. Ioſ. li. 6. q. 8. 10. 4

Tho. 2. 2. q. 108. art. 3. ad 1.

Primò, quia eſt aliquo modo alterius, vt filius punitur pro peccato patris. Secundò, per deriuationem vnius in aliũ aut quia vnius alium imitatur, aut per modũ meriti, vt ſubditi pro peccato principis, patet in punitione populi, pro peccato Dauid, numerantis populum, 2. Reg. 24. propter quod dicit quidam: *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.* Tertiò, ad commendandum vnitatem humanæ ſocietatis, & ſic vnus, etiam bonus, pro malis in eadẽ ſocietate patitur. Iuxta iſtos modos ſatis manifeſtum eſt nõnunquam aliquẽ ſine culpa, non tamen ſine cauſa puniri. Veruntamen principes filiorum Iſrael, non ſine culpa eorum æſtimandũ fortè eſt, fuiſſe punitos pro peccato populi, quia corrigere neglexerunt, cum poſſent, vt tangit Origines.

2. Reg. 24

Ad auctoritatem Auguſtini, 2. q. 7. *Qui nec*, increpantis Rectores, nec ſui nec ſuorum curam habentes, concedo. Rurſus ad illam, quæ de vindicta Heli loquitur, in comminatione Angeli Eccleſiæ Sardis, propter eorum negligẽtias in correctione ſuorum, etiam concedo. Illam etiam, quæ eſt Leonis ad Aquilegienſem Epiſcopum: Inferiorum ordinũ culpæ, &c.

2. q. 7. Qui nec. c. 32. 1. Reg. 2. Apoc. 3.

Ad auctoritatem Iſidori, lib. 3. de ſummo bono, quæ vera eſt, de omittẽtibus doctrinam miniſtrare, & ſarculo correctionis fraternæ vitiorum ſpinas purgare, dum & quibus, cũ alijs circũſtantijs, obligantur, & maximè de illis, qui paſtoralis dignitatis, aut vocationis officio adhuc ſtrictius tenentur. Propterea Apoſtolus prima, Corinth. 5. Corinthios arguit, quod non corripuerunt illum notorium fornicatorem correctione fraterna, de quo ſæpè eſt mentio facta.

Diſt. 86. Inferiorũ culpæ ordinum, c. 1. Leo Aquilegiẽſi Epiſc. ep. 3. & 84 ſeu 86.

1. Cor. 5.

Poſuit proponens quatuor cauſas. propter quas corripienda & caſtiganda ſunt peccata. Prima, quia populus videns peccatores non puniri vel argui per eccleſiam & publicè, credunt ea, quæ committunt non eſſe peccata, vel non tam grauia, ſicut in ſe ſunt. Secundò, quia ipſi alliciuntur ad peccandum ſimilibus peccatis. Tertiò, quia facilius ad aliqua grauiora ruunt. Quartò, quia vna communitas coram Deo propter publicos peccatores dãnatur, vt populus Iſrael, propter fornicantes cum Madianitis, &c. Nullus profectò ſanæ mentis eſt, qui non dicat, peccata mortalia publica eſſe punienda, dicentes enim oppoſitum, fautores eſſent criminum, ac meo iudicio ſeueriori diſciplina arcendi, quàm crimina facientes, eo, quod non paucorum auctores eſſent, ſed omnium, quæ ſub prætextu illius erroneæ doctrinæ licentius agerentur: Ideò pono, quód multa peccata publica

Num. 25.

Differentia inter reſpondentē & proponentem in hoc articulo.

ſunt punienda per inflictionem pœnæ, ab his, qui iuriſdictionem habent ſuper illos. Et in hoc proponens & ego, non ſumus diſcordes. differimus autem, quantum potui, ex articuli Corollarijs notabilibus, rationibus accipere, in quatuor. I. Primò, quia ponit omnia peccata mortalia publica eſſe punienda per iudicium, & hoc apparet, quia in articulo dicit, peccata mortalia publica indefinitè, & tales in moralibus regulariter æquiualent vniuerſalibus. Et ex rationibus ad eundem, ſpecialiter ex declaratione, quæ incipit, *Vnde id apparet*, & ego pono oppoſitum. II. Secundò, quia ponit, quod à quolibet Chriſti fideli peccata mortalia publica, quorumcunque tam Eccleſiaſticorum, quam ſecularium, ſunt publicè coram quibuſcunque charitatiuè arguenda, patet ex ſecūdo Corollario & tertio, & ex declaratione ante Corollaria, quæ incipit, *patet etiam ex dilectione Dei, &c.* Et ego pono oppoſitum. III. Tertiò, quia ponit, quod peccata publica mortalia ſuperiorum ſunt prædicanda etiam coram populo, & hoc apparet ex tertio Corollario, & rationibus, & declaratione, quæ incipit: *Sunt multa alia peccata prælatorum.* Et ego dico, quod peccata clericorum, ſpecialia illi ſtatui, non ſunt populo nuncianda in verbo prædicationis immoderatè, imò cum magna diſcretione & ſobriè, etiam vbi faciendum eſſet, puta, ſi veriſimiliter populus crederet ea, quæ ſacerdotes committunt non eſſe peccata, aut minora, quàm ſint, aut caperent auſum peccandi ab eis, aut aliquid aliud ſimile. Rationes huius ſuo loco tangentur. IIII. Quartò, quia ponit, quòd peccata mortalia publica quorumcunque, ſunt per poteſtates ſeculares coactiuè punienda, & hoc vbi correctio fraterna, aut generalis reprehenſio per prædicationem verbi Dei non ſufficeret. Apparet ex declaratione, quæ incipit: *Vndè, quia lex diuina:* Et ego pono oppoſitum ad nō ſubiectos: Dico enim, quòd peccata clericorum non ſunt pœnaliter per iudices ſeculares corrigenda, aut coram eis arguenda, niſi eſſet peccatum in fide, aut ſubuerſione morum per falſam doctrinam, & caſibus exceptis à iure in vna reſpōſione ſpecialiter, & vt ibi expreſſis, aut ſi aliqui alij ſint à iure conceſſi, hoc enim & ſolùm poſſunt in illis, quòd eis concedit ius, & indulget. & quod hoc nō poſſunt in illos, eſt in fauorem iuriſdictionis eccleſiaſticę. Alioquin eccleſia, ſi poteſtate ſeculari ſubiaceret, cū fletu clamare deberet illud Threnorū 1. *Facta eſt quaſi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo: Ideò plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius.* Iſta verò, quæ pono aduerſus dicta proponentis, per extenſū in poſitione declarata ſunt. Addit opponēs, quòd quamdiu peccata mortalia publica in communitatibus non prohibebuntur, tam diu maiores in plebe & cum plebe erunt in periculo damnationis: quòd non apparet verum, de peccatis non ſubditorum, & ſi prohibeant ipſos nō ſubditos, modò ſibi competenti illis, ſcilicet, correctione fraterna, quia erga illos alius modus eis non conuenit. & quamuis peccatores, inquit, inter alios exiſtentes ſuo exemplo aliquos aliquo modo attrahant, non tamen ſunt omnes vt contagioſi. ſicut enim dictum eſt antè, ſunt quidam flagitioſi ſecundùm doctrinam B. Auguſtini, lib. de decē chordis, & ſecundo de doctrina Chriſtiana, & quidam facinoroſi. Primi ſunt, qui non nocent alijs, ſecundi, qui nocent. Cōtagioſa igitur peccata, ſunt hæreſes & ſchiſmata, mala doctrina in moribus, defenſionis vel excuſationis publicæ in peccatis, incitamenta aliorum ad peccandum, & ſimilia, taliter peccantes dicuntur oues morbidæ contagioſæ: peccantes alijs peccatis, non. Tales fuerunt illi impij Chore & Abyrō, erant namq; ſchiſmatici, alios ad ſchiſma prouocantes, vnde benè dicitur per Rectorem: *Recedite à tabernaculis impiorū hominum*, ne ſcilicet, infecti eorum peccatis, inuoluamini in eorum pœnis. De illis dicit Hieronymus ſuper Ieremiam: *Polluitur ex vno peccatore populus, ſicut ex vna oue morbida vniuerſus grex inficitur.* Quod verò allegatur 45. diſt. ab eodem, & ab Origine, quòd prius fuit allegatum, & ad hoc reſponſum eſt, de negligētia ſacerdotum, aut puſillanimitate, aut timore ſeruili peccata arguere diſſimulantiū, verentium linguas corrigendorum, ex quo peccato omiſſionis aliquando venit ira Dei ſuper populum, eſt magis ad oppoſitum, quàm ad propoſitum, quia per hoc oſtenditur auctoritas ſacerdotum ſuper alijs, quorum eſt ſuis ſubditis viam ſalutis oſtendere ex cuius defectu grauiter peccant. non ergò ſubijciuntur iudicio definitionis ſecularium.

Thren. 1.

Aug. lib. de decem chordis de doctrina Chriſtiana, li. 3 c. 10. to. 4.

Num. 16.

Rabani ſunt non Hieronymi. diſt. 45. Sed illud c. 17.

Circa peccata prælatorum & ſacerdotum, quia cauſæ ruinæ populi ſunt ſacerdotes mali, ait Greg. Et proponens allegat, & ex hoc concludit, quòd eorum peccata ſunt maximè arguenda, dico, quod hæc ſunt vera, ſed intendit, nō per ſeculares pœnali iudicio, non per prædicatores coram populo, niſi cum moderamine & ſobria grauitate verborum, niſi error eſſet in populo credente, quod talia licerent, tunc enim eſſent talia peccata ſeuerius deteſtanda in ſe, ſed non referendo ad auctores coram populo liberè & ſine freno, vt prætendunt dicta proponentis. Nam per quoſlibet charitatiuè, vt dicit, coram alijs corripienda ſunt, ergò arguenda peccata prælatorum & ſacerdotum, primò caritatiuè, & correctione fraterna, etiam à quolibet, vbi non ſufficit, procedendum eſt vltra iuxta formam Saluatoris. Adhibendus eſt vnus teſtis, vel duo, & corā illis cōmonendus eſt, vt deſiſtat, quòd ſi non audierit, dicendum eſt eccleſiæ, id eſt, prælato. Et ſi neglexerit, ab eo poteſt ad ſuperiorem. ſcil. ad Sūmum Pont. iri. Quod ſi diſſimulauerit, aut ipſemet peccauerit, dicendum eſt eccleſiæ, id eſt, generali concilio, quòd, vt dictū fuit, correctionem nullatenus omittere credendum eſt. Si Concilium nō audierit, ſit tibi vt ethnicus & publicanus, excōmunicatus, excluſus, à cœtu fidelium. Aliud non habent Chriſti fideles laici in ſacerdotes. Sunt etiam arguenda peccata prædictorum, per prędicatores, & generaliter reprehēdēda, ſed potius in ſermonibus ad clerum, & ibi duriter, interdum ſuauiter eſt agendum. Emplaſtrum ex pietate & iuſtitia conficiendum eſt, pietas exhibeatur, vt mater iuſtitia, vt pater aſſiſtat. Simoniacam prauitatem in clero, & diuerſis ſtatibus aggrauauit, & ego illam pariter deteſtor. Abradenda eſt de Eccleſia hæc peſſima peſtis. Allegauit ipſe proponens multa dicta Sanctorum hoc mortiferum virus reprobantia, quæ ſana intellecta etiam ipſe accepto pertranſiens diuerſos modos ſimoniæ, qui veri ſunt.

Gregor. Peccata prælatorū & ſacerdotū quomodo arguenda.

Accedo ad rationes, quibus probare videbatur, factas abſolutiones à pœna & à culpa, & indulgentias, non eſſe in lege Dei fundatas. Primò aſſumit illud Iſaiæ 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Secundò aſſumit illud Ier. 6. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax, pax, & non erat pax.* Item illud Ezech. 13. *Væ, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiēdas animas, & cum caperēt animas populi mei, viuificabant animas eorum, & violabant, me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmentum panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.* Iam dixi quo ad abſolutiones à pœna & à culpa, quòd nō eſt cōmunis modus tradēdi iſto modo eas, ſed dantur ſub modò remiſſionis omniū peccatorum, id eſt, omnium pœnarum pro peccatis debitarum, aut alicuius partis illarum. Tunc dico ad has tres rationes, quod petunt principium, loquuntur enim de ſeducentibus populum per falſam exhortationem, aut intuitu gratiæ captandæ aut auari quæſtus, & cum applicat ad propoſitum abſolutionis & indulgentiarum, ſupponit, quod ſint mēdacia cum veritates ſint, & præparationes fructuoſæ ad viam ſalutis, ſi tamen ſeruetur debitus ordo, & moderatio honeſta in eis. Et quaſi videtur arguere à ſuperiori ad inferius affirmatiuè. Et hic locus non tenet ſecundùm logicos. Arguit enim æquiualenter, Paſtores in multis, vt dicēdo populo ſcelerato, quod eſt beatus; dicendo affligendæ plebi, quod eſt pax; & multa eidem pro temporalibus recipiendis fingentibus, ſeducunt illum, ergò ſeducunt eum in iſto propoſito de abſolutionibus & indulgentijs.

Abſolutiones à pœna & culpa.

Eſa. 3.

Hiere. 6.

Ezech. 13.

Iam ad rationes cōtra peregrinationes procedamus. Ad primam, aſſumit illud Matth. 24. *Ecce prædixi vobis. Si ergò dixerint vobis, &c.* dico, quod iſta auctoritas non allegatur ad propoſitum. Non enim eſt contra Deū aut Sanctos colētes, & eccleſias ex deuotione viſitantes. Sed contra eos, qui dicunt eccleſiam Catholicam eſſe in aliquo angulo terræ, aut fidem Catholicam in aliqua particulari regione, ſicut per expoſitiones Hieronymi & Auguſtini ſuperius oſtenſum eſt: Ad ſecundam Hieremiæ id eſt, *Paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntq́; vagari in montibus, &c.* dico, quod iſtud Propheta dixit, quia Rectores populi prouocabant populum ad quærēdum Dominum extra terram ſuam & locū, quem elegerat.

De peregrinationibus.

Matth. 24.

Hiere. 50.

y Google

elegerat. Siquidem in lege veteri erat locus determinatus in Iudæa, vbi oportebat adorare, nec extra terram erat verus cultus Dei, ſed idololatria tantùm ſecundùm Prophetam: Pſal. 75. *Notus in Iudæa Deus*. Propterea incitare populum, vt adoraret alibi, quàm in terra Iuda, erat eum ſeducere. Nunc quia venit plenitudo temporis, colitur Deus ab ortu ſolis vſque ad occaſum, quoniam vbique pro fide eius ſanguine Martyrum rubricata eſt terra. Ideò prohibere viſitare loca Sãctorum, & ex ſpeciali deuotione propter præſentiam pignorũ ſuorum, id eſt, corporum & cinerum ibi exiſtentium eos ibi quærere, hoc videtur impium. 2. Para. 14. Ad tertiam de Aza, 2. Paralipom. 14. dico, quod Aza prohibuit idololatriam, confregit idola, lucos ſuccidit & portauit, imò præcepit adorare Dominum. In iſtis placuit Deo, non autem prohibuit peregrinationem in Hieruſalem ter in anno, ſecundum quod erat præceptum in lege Domini. Ipſe enim ſoluiſſet legem. Et hoc eſt, quod dicitur in textu allegato: *Subuertit altaria peregrini cultus*, id eſt, idololatriæ. *& excelſa, & confregit ſtatuas lucoſq; ſuccidit ac præcepit Iudæ, vt quærerẽt Dominum Deum patrum ſuorum*. Et ex illa clauſula, *præcepit Iudæ, vt quæreret*, ſequitur, quod implicitè præciperit peregrinationem populo in Hieruſalem. Ibi enim ſpecialiter & excellentiori modo colebatur. Nec ex diffidẽtia peregrinatur populus, ſed propter octo cauſas.

Cauſę peregrinationum.

I. Prima, ad excitandum Sanctorum imitationem. II. Secunda, propter acuendam deuotionem. III. Tertia, vt Sanctorum meritis fideles ipſi ſocientur. IIII. Quarta, vt eorũ orationibus adiuuentur. V. Quinta, vt ſint ad orandum Deum plus memores. VI. Sexta, vt ſatis fiat honori SS. pro eorũ laboribus. VII. Septima, vt ex Sanctorum præſentia coram omni Eccleſia rutilemus ſplendidius. VIII. Octaua, vt eccleſiæ obediant, cum per pœnitẽtiam peregrinatio eis iniungitur, & ſic obediendo ſatisfaciant pro peccatis. Quomodo igitur prohiberi poſſunt peregrinationes, ad quas Deus vocat? Exod. 3. 1. Reg. 19. Vocauit Moyſen ad rubum ardentem, & diſcalcatus accedit, cũ Saul etiam malus ad cuneum Prophetarum veniſſet, prophetare cœpit. Non facerẽt SS. reliquiæ in beata * requie manentiũ, quod mortalium viatorum fecit præſentia? An aliquis limi- SS. viſitare prohibebitur, & cõceſſum erat adire Prophetas? Non modica eſt enim recreatio mentium deuotarum, relicta quandoque Eccleſia ſua domeſtica, alia loca ſancta, vel Sanctos Dei ſeruos, acceſſu ipſo corporeo, & petere & contemplari ad oculũ, velut de eo, qui mortuum ſuum in loco ſacro elegit ſepeliri, Notat Aug. lib. de cura pro mortuis agenda, dicens c. 5. *Cum plurimum interſit, vbi ponatur corpus mortui ſui, qui pro ſpiritu eius Deo ſupplicat, quia & præcedens affectus locum elegit ſanctum, & illic corpore poſito recordatus locus ſanctus eum, qui præceſſerat, renouat, & auget affectum*: hæc ille. Per hoc ad illud Sapientiæ: *Confide in Deo, & mane in loco tuo, &c.* dico, quod loquitur de permanentia & quiete cordis, ex cuius inquietudine fiunt homines vagi, mobiles, & inſtabiles ad omne opus bonum hæc enim mala inſtabilitas. Sed deuotè perigrinantes confidunt in Domino, manent in loco ſuo, ſcilicet in Deo ſuo, in quo iuſtus ſecundùm diuinam Scripturam manere perhibetur, licet corpore ambulet, ſecundùm quod dicit quidam: *Cœlum non animum mutat, qui trans mare currit*.

* Virgine

Aug. de cura pro mortuis agẽda, c. 5. tom. 4.

Eccle. 11.

Ad illam, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus peregrinationem illam ſolemnem, quæ erat Hieruſalem ter in anno, reuocauerit, ſeu ſpiritualem intelligentiam huius dederit, cum allegat illud Ioan. 4. *Mulier crede mihi, venit hora, quãdo nec in monte hoc, nec Ieroſolymis adorabitis patrem, &c.* dico, quòd Dominus de modo colendi eum, illam inſtruit, quod non ſecundùm cæremonias legis, vt in monte Syon vſque tunc fiebat, eſſet colendus, ſed in ſpiritu & veritate doctrinæ Euangelicæ. Ideò Auguſtinus epiſtola prima ad Hipponenſem Eccleſiam ait: *Vbiq; quidem Deus eſt, & nullo continetur loco vel clauditur, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet & coronet. Veruntamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius concilium perſcrutari, quare in alijs locis hæc mirabilia fiant, & in alijs non fiant? In multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, vbi ſancti Felicis Nolenſis corpus conditũ eſt, quo volui, vt pergerent; quia inde nobis faciliùs fideliuſq; ſcribi poteſt, quidquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat reddere. Nunquid & non Africa martyrum corporibus plena eſt? & tamen nuſquam ſcimus hic talia fieri, ſicut enim, quod Apoſtolus dicit: Non omnes Sancti habẽt dona curationis, nec omnes habent diiudicationem ſpirituum, nec in omnibus memorijs Sanctorum iſta voluit fieri ille, qui diuidit propria vnicuiq; prout vult*: hæc ille. Ex quo patet, quod licet ſit vbiq; Deus, in vno ſolo templo colatur, tamen dignatus eſt ad honorem alicuius Sancti miracula facere vno loco, & non alio, & alia hic, alia ibi. Nam & de ſancto Fortunato, libro primo dialogorum, cap. 10. dicit B. Gregorius: *Cur multa de eius vita dicimus, cum nunc vſq; ad corpus illius tot virtutum documenta teneamus? Dæmoniacos quippe abſoluere, ægros curare, quotiens ex fide petitur, vt viuens conſueuerat, hoc indeſinenter facere, & apud mortua ſua oſſa indeſinenter perſeuerat*: hæc ille. Itaque peregrinatio in montem Syon, & ciuitatem ſanctam, per doctrinam Saluatoris non eſt damnata, ſed ad intelligentiam ſpiritualem declarata, vt quæratur Deus, & Sanctorum ſuffragia poſtulentur, vbi deuotio ſpiritualis & ſanctitatis ſuccenſus ignis ardebit, & hoc eſt, quod dixit mulieri Samaritanæ: *Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate*, nec occaſione peregrinationum vtique laicorum, ſi ex charitate fiant, putet quis proprias parochias eſſe contemnendas. ſicut nec tempore illo figurali ſynagogæ ſpernebantur, licet ter in anno eſſet aſcenſus in Hieruſalem. Concedo tamen, quod peregrinationes abſque deuotione charitatis modicum aut nihil proſunt ad meritum vitæ æternæ. Et hoc eſt, quod dicit beatus Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſermo. 2. *Non corpore*, inquit, *impellitur quis ad Chriſtum venire, ſed deſiderio colligatur, &c.* Idem dicit Auguſtinus ſuper illo: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum*. Cum ait: *Non ambulando ad Chriſtum currimus, ſed credendo*.

Ioan. 4.

Aug. epiſto. 137.

Greg. lib. dial. c. 10

Ioan. 4.

Aug. ho. 2 de verbis Apoſtoli.

Aug. trac. 26. in Ioan. 6.

Ad auctoritatem Hieronymi dicentis ſuper illo Matth. 24. *Nolite exire, nolite credere, &c. Stultum eſt enim in paruo loco vel abſcondito quærere, qui totius mundi lumen eſt*. dico, quod nõ eſt contra peregrinationes, ſed contra putantes, Catholicam Eccleſiam, aut fidem eſſe in vna parua regione, vt dictum eſt. Hiero. in 24. c. Mat.

Ad auctoritetem Bedæ, ſuper illo Matth. 9. *Sequere, &c.* dicentis, *ſequere me, & non tam inceſſu pedum, quàm executione morum*, dico, quod verum eſt, quod peregrinatio corporalis, ſine ſpirituali pinguedine deuotionis, parum prodeſt, Iuxta dictum Apoſtoli prima ad Timoth. 4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt, pietas ad omnia valet*. Narrat proponens multa peccata & abuſus circa peregrinationes, quas non diſcredo, ſed puto eſſe vera, & illi ab omni bono viro pro poſſe tollendi ſunt. Hoc non vitiat peregrinationes, quando ſunt benè factæ ex charitate & alijs circumſtantijs debitis, niſi enim eſſent bonæ, non eſſent approbatæ à ſanctis Patribus. Igitur cum ſint per Doctores ſanctos iuſtificatæ patet, quod ſint licitæ. hoc etiam probatur. Nam de Cleto Papa III. à Petro, vel eius coadiutore dicitur, in Chronica Martini ſic. *Hic Cletus Pontifex ſcribens omnibus populis approbat & commendat peregrinationes ad Sanctos, & maximè ad limina S. Petri, aſſerens quod validior eſt ad ſalutem S. Petri viſitatio, quã duorum annorum ieiunium, & illos anathemate execratur, qui viſitationem Apoſtolorum impediunt vel diſſuadent*. hæc ibi. Siquidem virtutibus ipſis, vt obiecto contingit malè vti, vt dicũt Doctores. Nam dicit Apoſtolus: *Scientia inflat*, ſed non, vt in principio eliciente actum, cur etiam non potuerunt aliqui mali vti, vt obiecto peregrinationibus.

1. Tim. 4.

Anno 91. Chriſto nato.

1. Cor. 8.

POST prædicta veniendum eſt ad obiecta circa venerationem ſanctarum reliquiarum. Ad auctoritatem Innocentij de reliq. & venerat. Sanctorum, *cum ex eo, quod quidam, &c.* Concedo illud decretum. prohibetur enim, ne antiquæ reliquiæ extra capſam trahantur propter turpem quæſtum, aut vt vendantur, & ne de nouo inuentæ ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ venerentur, per hoc dico ad id, quod de nouitate, &c. Nam ſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ hoc approbtum eſt, peregrinatio, & conſequenter veneratione iſta laudabilis eſt. ſi non: tunc fieri non debet.

Sanctæ reliquiæ.

De reliq. & vener. Sanct. cũ ex eo. c. 2.

Ad auctoritatem Chryſoſt. in opere imperfecto ſuper

Matth-

deputatis vacantia, gratificare poſſint illum ex eis, quem voluerint: quo verò ad beneficia in menſibus graduatis nominatis deputatis, antiquiori nominato cōferre, ſeu antiquiorem nominatum, qui literas nominationis, temporis, ſtudij, & atteſtationis nobilitatis, debitè inſinuauerit, præſentare, ſeu nominare teneantur. Concurrentibus aūt nominationibus eiuſdem anni, doctores licentiatis, licentiatos baccalaureis, demptis baccalaureis formatis in theologia, quos fauore ſtudij theologici, Licētiatis in iure canonico, ciuili, aut medicina, præferendos eſſe decernimus: Baccalaureos iuris canonici aut ciuilis, magiſtris in artibus præferri volumus. Concurrentibus autem pluribus doctoribus in diuerſis facultatibus, doctorem Theologū, doctori in iure, doctorem in iure canonico, doctori in iure ciuili, doctorem in iure ciuili, doctori in medicina præferendos eſſe decernimus. Et idē in licentiatis & baccalaureis ſeruari debere volumus. Et ſi in eiſdē facultate & gradu concurrerent, ad datā nominationis ſeu gradus recurrendum eſſe volumus. Et ſi in omnibus his cōcurrerent, tunc collator ordinarius inter eoſdem concurrentes gratificare poſſit. Volumus autē, quòd nominati literas nominationis ab vniuerſitatibus, in quibus ſtuduerint, obtinētes, in nominationū literis beneficia per eos poſſeſſa, & eorū verum valorē exprimere teneantur: alioqn literę nominationis huiuſmodi, eo ipſo nullę ſint & eſſe cenſeantur. Si quis verò ex dictis qualificatis, graduatis ſimplicibus, aut nominatis, tempore vacationis beneficij in mēſibus eis deputatis vacātis, duas obtineat præbendas in Cathedralibus etiā Metropolitan. aut collegiatis, ſeu dignitatē vel præbendā, vel aliud beneficium ſeu alia beneficia, quorū in ſimul vel cuius fructus, redditus & prouentus tempore reſidētiæ & horis diuinis intereſſendo, ad ſummam ducentorū florenorum auri de camera aſcēderent, beneficium, in vim gradus ſeu nominationis huiuſmodi, tunc petere ſeu conſequi nō poſſit. Et inſuper, ꝙ tam graduati ſimplices, quàm nominati, beneficia in menſibus eis aſſignatis vacantia, petere & cōſequi poſſint ſecundùm propriæ perſonæ condecentiā & conformitatem, videlicet ſeculares ſecularia, & religioſi regularia beneficia eccleſiaſtica, ita ꝙ ſecularis nominatus, beneficia regularia in menſibus deputatis vacantia, prætextu cuiuſuis diſpenſationis Apoſtolicæ, & econtrà religioſus beneficia ſecularia, petere aut conſequi minimè poſſint. Quodq; beneficia ſimpliciter vel ex cauſa permutationis in menſibus, graduatis ſimplicibus & nominatis aſſignatis vacantia, eis non ſint affecta nec debita, ſed ex cauſa permutationis cum permutantibus duntaxat, ſimpliciter verò vacantia beneficia huiuſmodi, perſonis idoneis per ipſos ordinarios liberè conferri poſſint.

Statuimus quoque, quòd Parochiales Eccleſiæ in ciuitatibus aut villis muratis exiſtentes, non niſi perſonis modo pręmiſſo qualificatis, aut ſaltem qui per tres annos in Theologia vel altero iurium ſtuduerint, ſeu magiſtris in artibus, qui in aliqua vniuerſitate priuilegiata ſtudentes, magiſterij gradum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati Regni vniuerſitates, ſub pœna priuationis omniū & ſingulorum priuilegiorum, à nobis & ſede Apoſtolica obtentorū, ne collatoribus ſeu patronis eccleſiaſticis habeant aliquos nominare, niſi eos, qui ſecūdùm præfata tempora ſtuduerint, & ſecundùm dictarū vniuerſitatum ſtatuta ad gradꝰ & nō per ſaltum prouecti fuerint. Quòd ſi ſecùs fecerint, vlterius nullitatis pœnam, quam in pręfatarum nominationum literis declaramus, vniuerſitates ipſas nominādi priuilegio ad tempus, ſecundùm culpæ qualitatem, ſuſpendimus.

Si quis autem graduatorum, aut nominatorum in menſibus deputatis, à collatoribus ordinarijs aut perſonis eccleſiaſticis, beneficiū vacās in vim gradus aut nominationis petierit, & collatorem ordinarium in vim præfati gradus, aut nominationis in proceſſu poſuerit, & alter moleſtauerit, illum vltra expenſarū, damnorum & intereſſe damnationē, à fructibus ſui gradus & nominationis priuandū eſſe decernimus: eodemq; vinculo collatores ordinarios & patronos eccleſiaſticos, quibus graduati & nominati debitè (vt ſuprà) qualificati, ſuos gradus & nominatiōis literas inſinuauerint, adſtringimus, vt beneficia ad eorum collationē vel præſentationem ſpectantia, in menſibus graduatorū ſimplicium & nominatorum vacantia, ſtantibꝰ præfatis graduatis aut nominatis debitè qualificatis, illa proſequentibus, alijs, quàm graduatis aut nominatis conferāt, ſub pœna ſuſpenſionis poteſtatis conferendi beneficia in octo mēſibus, illo anno ad collationē eorum ac præſentationē liberā ſpectantibus. Statuimus quoq; & ordinamus, ꝙ quilibet Ro. Pōt. ſemel duntaxat tempore ſui Pōtificatus, literas in forma mādati iuxta formā inferiùs annotatā, & nō vltrà dare poſſit hoc modo, videlicet vnū collatorem habentē collationem decē beneficiorum, in vno: habentem autē collationem quinquaginta beneficiorū & vltrà, in duobus beneficijs duntaxat grauare poſſit, ita tamē, ꝙ in eadē Eccleſia Cathedrali vel Collegiata, Collatorem vnum pro tempore in duabꝰ præbendis nō grauet. Et vt obuietur litibus, quæ occaſione literarum mandatorum huiuſmodi oriri poſſent, mandata huiuſmodi ſub forma, quæ eſt inferiùs annotata, dari volumus, quā ad perpetuam rei memoriā in Cancellaria Apoſtolica publicari, & in illius quinterno regiſtrari mandamus, declarātes, proſequētes huiuſmodi mandata, quo ad beneficia ſub illis compræhenſa, ordinarijs collatoribus & graduatis ſimplicibus & nominatis præferendos eſſe, noſq; & ſucceſſores noſtros iure præfationis, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia, cęteraq; beneficia eccleſiaſtica, ſecularia, & quorumuis ordinum regularia, quæcunq; & quomodocunq; qualificata, tam in menſibus graduatis, ſimplicibus & nominatis, quàm ordinarijs collatoribus pręfatis aſſignatis, vacantia, ac etiam ſub dictis mandatis compręhenſa, liberè conferre.

Statuimus inſuper, quod in prouiſionibus, quas perſonis quibuſuis de beneficijs vacātibus ſeu certo modo vacaturis, per nos & ſucceſſores noſtros, ac ſedē prædictam, etiā motu proprio, etiam promotis ad eccleſias cathedrales, & Metropolitan. ac monaſteria, vt obtenta per eos beneficia retinere poſſint, fieri contigerit, illorum verus annuus per florenos, aut ducatos auri de camera, aut libras Turonen. ſeu alterius monetæ valor ſecundùm communem extimationem exprimi debeat: alioquin gratiæ ipſæ ſint ipſo iure nullæ.

Statuimus quoq; & ordinamus, quòd in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis, omnes & ſingulæ cauſæ, exceptis maioribus in iure expreſsè denominatis, apud illos iudices in partibus, qui de iure aut conſuetudine præſcripta, vel priuilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant. Et ne ſub vmbra appellationum quæ nimium & nōnunquàm friuolè interponi conſueuerunt, atq; etiā in eadem inſtantia ad prorogationē litium ſæpè multiplicari, iniuſtis vexationibus materia præbeatur: volumus, quòd ſi quis offenſus coram ſuo iudice iuſtitiæ complementum habere non poſſit, ad immediatum ſuperiorem, etiam ad nos & ſucceſſores noſtros, vel ſedem prędictam, omiſſo medio, nec à grauamine in quacunq; inſtantia ante diffinitiuam ſententiam quomodolibet appelletur: niſi forſitan tale grauamen extiterit, quòd in diffinitiua reparari nequiret, & eo caſu, non niſi ad immediatum ſuperiorem liceat appellari. Si quis verò immediatè ſubiectus ſedi Apoſtolicæ, ad eandem ſedē duxerit appellandum, cauſa cōmittatur in partibus per reſcriptum vſq; ad finem litis, videlicet vſq; ad tertiam ſententiam conformem incluſiuè, ſi ab illis appellari contigerit, niſi propter defectum denegatæ iuſtitiæ, aut iuſtum metum: & tunc committi debeat in partibus conuicinis, & cum cauſarum expreſſione, quæ etiam de illis, etiam legitimè aliàs, quàm per iuramentum, coram iudicibus à ſede Apoſtolica deputandis, conſtare debeat. Proceſſus autē contra præmiſſa attentatos, nullos & irritos eſſe volumus: ac reſcripta contra pręmiſſa impetrantes, in expenſis, damnis & intereſſe condemnari debere decernimus atq; declaramus. Sanctæ verò Romanæ Eccleſiæ Card. qui pro vniuerſali Eccleſia continuè laborant, necnon dictæ ſedis officiales, officia ſua actu exercentes, ſub præſenti decreto non intendimus compræhendi. Statuimus etiam & ordinamus, quòd iudices cauſas, quæ in partibus terminari debent, coram eis pro tempore pendentes, ſub pœna excommunicationis & priuationis beneficiorū per eos obtentorū, eo ipſo incurrenda, infra bienniū terminare debeant. Pars verò diffugiens, & expeditionem ipſius cauſæ malitioſè impediēs, grauiſſimè per eoſdem iudices mulctetur, etiam vſque ad priuationem iuris in huiuſmodi proceſſu prætenſi, ſi eis viſum fuerit, ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Ab interlocutorijs autem

ſecun-

ſecundo, à diffinitiuis verò tertiò duntaxat prouocare licere decernimus. Volumusq; ſecundam ſententiam interlocutoriam conformé,& tertiã diffinitiuam etiam conformé,omni mora ceſſante,executioni debitę demandari debere,quacunq; appellatione interpoſita,nõ obſtãte. Statuimus quoque, quòd quicunq;,dummodò non ſit violentus,ſed habẽs coloratum titulũ,pacificè & ſine lite prẹlaturam,dignitatẽ, perſonatum,adminiſtrationẽ,vel officium, ſeu quodcunq; beneficium eccleſiaſticum triennio proximo hactenùs poſſidet,vel pro tẽpore poſſidebit,in petitorio vel poſſeſſorio, à quoquã etiam ratione iuris nouiter reperti moleſtari nequeat,prǽterquàm prætextu hoſtilitatis aut alterius legitimi impedimenti,de quo proteſtari, & illud iuxta Conciliũ Viennen. intimari debeat. Lis autẽ hoc caſu quoad futuras cõtrouerſias intelligatur,ſi ad executionẽ citationis, iuriſq; ſui in iudicio exhibitionem, aut terminorum omnium obſeruationem proceſſum fuerit.Monemus etiam ordinarios, vt diligenter inquirant,ne quis ſine titulo beneficium poſſideat:& ſi quem beneficium ſine titulo poſſidere repererint, declarent,illi ius non cõpetere,cuiuſuis temporis detentione nõ obſtante,de ipſoq; beneficio poſſit illi,dummodò nõ ſit intruſus,vel violentus,aut aliàs indignus, vel alteri idoneo prouideri.Et inſuper ſtatuimus,ꝙ quicunq; clericus cuiuſcunque conditionis, ſtatus, religionis, dignitatis,etiam ſi Pontificalis,vel alterius prẹeminentiæ fuerit,qui poſt habitam præſentium notitiam, quam habere præſumatur poſt duos menſes poſt earundem præſentium publicationem,in eccleſijs cathedralib⁹ factam, quam ipſi diœceſani omninò facere teneantur, poſtquàm præſentes ad eorum notitiam peruenerint,publicus cõcubinarius à perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus ſuperior in fabricam vel aliã euidentẽ eccleſiarum vtilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur,conuertat. Necnõ huiuſmodi publicũ concubinarium,vt primum talẽ eſſe nouerit,mox ſuus ſuperior monere teneatur, vt infra breuiſſimum terminũ concubinam dimittat,& ſi illam nõ dimiſerit,vel dimiſſam ſeu aliã publicè reſumpſerit,iubemus, vt ipſum omnibus ſuis beneficijs omninò priuet. Et nihilominùs hi publici concubinarij, vſque quo cum eis per ſuos ſuperiores poſt ipſarum concubinarũ dimiſſionẽ, manifeſtamq; vitæ emendationẽ fuerit diſpenſatum,ad ſuſceptionem quorumcunq; honorum,dignitatũ, beneficiorũ officiorumve ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem recidiuo vomitu ad huiuſmodi publicũ concubinatum redierint,ſine ſpe alicuius diſpenſationis ad prẹdicta, prorſus inhabiles exiſtant.Quodq; ſi hi,ad quos talium correctio pertinet, eos (vt prædictum eſt) punire neglexerint, eorũ ſuperiores, tam in ipſos de neglectu, quàm in illos pro concubitu modis omnibus digna punitione animaduertãt. In Concilijs etiam prouincialibus & ſynodalibus aduerſus táles punire negligentes,vel de hoc crimine diffamatos,etiã per ſuſpenſionẽ à collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna ſeueriter procedatur. Et ſi ij, quorum deſtitutio ad nos & ſedẽ prædictam ſpectat, per concilia prouincialia, aut ſuperiores propter concubinatum publicum reperiantur priuatione digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ad nos deferantur. Eadem diligentia & inquiſitio in quibuſcunque generalibus capitulis etiam prouincialibus, quoad eos ſeruetur,pœnis alijs contra prẹdictos,& alios non publicos concubinarios à iure ſtatutis, in ſuo robore permanſuris.

Pœna publici cõcubinarij.

Publici autem intelligendi ſunt,non ſolùm hi,quorum concubinatus per ſententiã aut cõfeſſionem in iure factam,*ſed per rei euidentiã,quæ nulla poſſit tergiuerſatione celari,notorius eſt,ſed etiam, qui mulierẽ de incontinẽtia ſuſpectam & diffamatam tenẽt, & per ſuum ſuperiorem admoniti, ipſam cum effectu non dimittunt. Quia verò in quibuſdã regionibus nõnulli iuriſdictionẽ eccleſiaſticam habentes, pecuniarios quæſtus à concubinarijs percipere nõ erubeſcunt, patiẽtes eos in tali fẹditate ſordeſcere,ſub pœna maledictionis æternæ præcipimus, ne deinceps ſub pacto,cõpoſitione, aut ſpe alterius quæſtus talia quouis modo tolerent, aut diſſimulent:alioquin vltra præmiſſam negligẽtiæ pœnam, duplum eius,quòd propterea acceperint,reſtituere, & ad pios vſus omninò conuertere teneantur & compellantur.

Publici cõcubinarij qui ſint. for. *ſeu

Ipſas autem cõcubinas aut ſuſpectas prælati omnibus modis curẽt à ſuis ſubditis per auxilium & brachij ſecularis inuocationem(ſi opus fuerit)penitùs arcere, qui etiã filios ex tali concubinatu procreatos, apud patres ſuos cohabitare nõ permittant. Iubemus inſuper,quòd in prædictis ſynodis & capitulis præmiſſa publicentur, & vt quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneat, diligenter iniungimus. Præterea omnibus ſecularibus viris,etiam ſi Regali præfulgeant dignitate, ne vllum qualecunq; inferant impedimentum, quocunq; quæſito colore, prælatis,qui ratiõe officij ſui aduerſus ſubditos ſuos pro huiuſmodi concubinatu, & alijs caſibus ſibi à iure permiſſis procedunt.Et cùm omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum ſit, & ſub pœna peccati mortalis neceſſariò euitandum, monemus omnes laicos tam vxoratos quàm ſolutos, vt ſimiliter à concubinatu abſtineant. Nimis enim reprẹhenſibilis eſt,qui vxorem habet,& ad aliam vxorem ſeu mulierem accedit. Qui verò ſolutus,ſi cõtinere nolit,iuxta Apoſtoli cõſilium,vxorem ducat. Pro huiuſmodi autem diuini obſeruantia præcepti hi ad quos pertinet,tã ſalutaribus monitis,quàm alijs canonicis remedijs omni ſtudio laborent. 1.Cor.7.

Statuimus inſuper,quòd ad vitandum ſcandala & multa pericula ſubueniendumq; conſcientijs timoratis, quod nemo deinceps à cõmunicatione alicuius in ſacramẽtorum adminiſtratione vel receptione, aut alijs quibuſcunq; diuinis vel extra,prætextu cuiuſcunq; ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ,ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine vel à iure generali promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquẽ vitare, vel interdictũ eccleſiaſticũ obſeruare: niſi ſententia,prohibitio,ſuſpenſio vel cenſura huiuſmodi, fuerit vel contra perſonã,collegium, vniuerſitatẽ*eccleſiaſticã, aut locũ certum,aut certã,à iudice publicata, & denũciata ſpecialiter & expreſsè, aut ſi notoriè in excõmunicationis ſententiã conſtiterit incidiſſe,quòd nulla poſſit tergiuerſatiõe celari, aut aliquo iuris ſuffragio excuſari,cum à cõmunione illius abſtinere volumus iuxta canonicas ſanctiones. Per hoc tñ huiuſmodi excõmunicatos,ſuſpenſos,interdictos,ſeu prohibitos nõ intẽdimus in aliquo releuare, nec eis quomodolibet ſuffragari. Et qm̃ ex indiſcreta interdictorum promulgatione multa cõſueuerunt ſcandala euenire, ſtatuimus, ꝙ nulla ciuitas,oppidũ,caſtrum, villa, aut locus eccleſiaſtico ſupponi poſſit interdicto, niſi ex cauſa ſeu culpa ipſorũ locorum,aut dñi,ſeu rectoris vel officialium. Propter culpam autem ſeu cauſam alterius cuiuſcunq; priuatæ perſonæ, huiuſmodi loca interdici nequaquàm poſſint authoritate quacunque ordinaria vel delegata, niſi talis perſona priùs fuerit excõmunicata ac denunciata, ſeu in Eccleſia publicata,aut dñi ſeu rectores vel officiales ipſorum locorum, authoritate iudicis, requiſiti,huiuſmodi perſonã excommunicatã, infra biduũ inde cum effectu non eiecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint,qua etiã poſt biduum eiecta, recedente vel ſatisfaciente,mox diuina reſumi poſſint. Quod etiam in pendentibus locum habere decernimus. Necnon conſtitutionem de eorundem fratrum noſtrorum conſilio editam, quam cum irritanti decreto ſtatuimus,decernimus & ordinamus, ꝙ extunc decætero perpetuis futuris temporibus de ceſſione regiminis & adminiſtrationis eccleſiarum & monaſteriorum, facta per eos qui Eccleſijs & monaſterijs ipſis præerunt,ſeu illa in adminiſtrationem ſeu commendam, aut vt alijs vnita, aut aliàs obtinebant, ſeu reſignatione aliorum quorumcunq; beneficiorum Eccleſiaſticorum,ſeu ceſſione iuris in eis vel ad ea quomodolibet competentis, aut priuationis vel depoſitionis, aut cenſurarum fulminationem, etiam in literis Apoſtolicis, à nobis & ſede Apoſtolica etiam motu proprio pro tempore emanatis, quæ in manibus Ro. Pont. factæ dicerentur, contentis, etiam ſi ſuper illis narrantis fundaretur intentio,conſtare & apparere deberet per publica inſtrumenta, vel documenta authentica: alioquin tam in iudicio, quàm extra illud, narratiuæ & aſſertionibus huiuſmodi in præiudicium tertij minimè ſtari, nec ex illis alicui præiudiciũ afferri debere, niſi de huiuſmodi narratiua & aſſertione etiam in literis Apoſtolicis facta, altero ex præmiſſis modis doceretur: innouamus,illamque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruari mãdamus. Et quia ad ſupradictam concordiam cum præfato Francorum Rege, ob illius ſynceram deuotionem, erga nos

for. *Eccleſiam

& ſe-

gines. Et exibit opus eius de fornace ignis, vt vas puriſſimũ, erit Eccleſia in camino hoc ignis examinata & purgata, vt [Alterum exemplar habet etiã] nõ iam ſint columbæ Chriſti vnicæ ſponſæ eius, id eſt, *Eccleſiæ, pennæ deargentatæ & poſteriora dorſi eius in pallore auri. [Pſalm. 67.] Sed de auro mundo verę charitatis, vt fulgeant iuſti, [Sapient. 3.] & tanquam ſcintillæ in ardimento diſcurrant. Quod nobis præſtet in cõmune, in cuius nomine congregati ſumus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum Patre & Spiritu ſancto eſt imperium, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

[* Ita alter codex m. ſ.]

**Explicit reſponſio articuli 2. videlicet de punitione peccatorum publicorum mortalium, facta in generali Concilio Baſileenſi, per Magiſtrum Aegidium Decanum Cameracenſem.*

ORATIO, HENRICI KALTEISEN DOMINICANI, PROFESSORIS SACRAE THEOLOGIAE IN celeberrima Colonienſi Academia, & hæreticæ prauitatis inquiſitoris,

QVA IN CONCILIO BASILEENSI, ANNO M. CCCC. XXXIII. PER DIES tres refutauit tertium articulum Bohemorum,

DE LIBERA PRAEDICATIONE VERBI DEI,

Quem propoſuit per biduum

VDALRICVS PRESBYTER ORPHANORVM.

Nunc primùm ex Codicibus m. ſ. edita,

AB

HENRICO CANISIO SS. CANONVM Profeſſore Ingolſtadij, & huic noſtra Conciliorum editioni inſerta.

PATRES & Domini Reuerendiſſimi, Doctores prudentiſſimi, inclyti Bohemiæ regni Oratores egregij, cęteriq; confratres mei præclariſſimi, in medio tam magnatorum, tamq; auditorij diuiniſſimi locuturus, renuit [Pſalm. 93.] conſolari anima mea, niſi conſolationes Dei lætificaſſent eam cum Pſalmiſta. Quamobrem ſpem finaliter in eius po- [Iacob. 1.] ſui exuberantiam, qui dat omnibus affluenter, Iacob. 1. qui [Pſalm. 80.] aſſecurat, promittens: *Aperi os tuum, & ego implebo illud*, dans [Pſalm. 67.] verba Euangelizantibus virtute multa, in Pſalmo, Beatiſſima interueniente Dei genitrice virgine Maria, per quam veluti per canalem, & aquæductum gratiarum, quidquid diuina largitas influit, quidquid humano generi dare virtutis & gratiæ diſpoſuit, largiſſimo ſancti Spiritus imbre infun- [Bern. ſer. de natiuit. Mariæ.] dit, ſecundùm melliſluum Bernardum in ſermone, beatis omnibus occurrentibus Dei Sanctis, qui charitatis vinculo conſtricti nobis miſeris inuocantibus, non minus quàm Hieremias Dei Propheta multùm orans pro populo & vni- [2. Mach. 15.] uerſa ciuitate, dicitur 2. Machabæorum vlt. quorum ſuffultus meritis iuxta materiam articuli tertij, in ordine propoſitorum. qui eſt de prædicatione verbi Dei, parumper locuturus, aſſumo verba thematis Dominicæ iam currentis, Lu- [Luc. 8.] cæ 8. conſcripta: *Qui in corde bono, & optimo audientes retinent verbum, fructum afferunt in patientia.* Pro cuius introductione noto cum beato Thoma 2. 2. quæſt. 177. articulo primo. Ad hoc, quòd verbi Dei orator efficaciter loquatur, tria requiruntur, vt ſcilicet doceat, delectet, & flectat, doceat intellectum inſtruendo, delectet affectum demulcendo, flectat effectum procreando. Et quanquam duo prima in facultate docentis vt plurimùm reperiantur, tertium tamen ſolius Dei eſſe dignoſcitur. niſi enim interius Spiritus ſanctus doceat, in caſſum exterius vox Doctoris laborat, ſecundùm beatum Gregorium, in homilia de feſto Pentecoſtes. ſicut enim impoſſibile eſt, quòd ſola pluuia fructificet terram, niſi flauerit etiam ventus, ſic non eſt poſſibile, quod ſola doctrina corrigat hominem, niſi cooperatus fuerit Spiritus ſanctus in corde ipſius, vt ait beatus Chryſoſtomus, homilia vigeſima. Idcircò, vt per me dicenda, in cunctis nobis fructum afferant in patientia, tria noto. Primum, vt locus congruus adaptetur, *in corde bono & optimo*. Secundum, vt modus debitus obſeruetur, *audientes verbum retinent*. Tertium, vt fructus debitus reportetur, *fructum afferunt in patientia*. Primum docet intellectum. Secundum demulcet intellectum. Tertium flectet effectum, vt ſic his ſimul concurrentibus, opus præſentis actus optatum reportet profectum. Dico primò & principaliter, reſeruatis duobus membris pro ſequentibus diebus, vt fructum verbi Dei in patientia auferamus, neceſſe eſſe nobis locum congruum, vt adoptemus, qui eſt in corde bono & optimo, bono per induſtriam naturalem, & optimo per gratiam iuſtificantem, ait Nicolaus de Lyra ibidem; *bono*, per fidem illuminantem, *& optimo*, per gratiam operantem. Optimum enim eſt gratia ſtabilire cor. Vnde Gorra ſuper eodem, *in corde bono*, per diſciplinę & virtutis exercitium, *& optimo*, per internæ contemplationis & conſolationis ſolatium. Secundùm Albertum, *in corde bono*, id eſt, mundo à peccato, Matthæi quinto, *& optimo*, ſcilicet diuinæ voluntati in omnibus conformato, ſecundùm beatum Auguſtinum, ſuper illo Pſalm. *Qui ſaluos facit rectos corde, in corde bono*, per dilectionem Dei, vt ſeipſum, *& optimo*, per dilectionem Dei ſuper omnia. ſic *Maria optimam partem elegit*, Luc. 10. ac vt reor ex cauſa quidam hæſitanti, quid offerre poſſet Deo gratiſſimum, edoctus eſt per Angelum, offerre curuitatem lunæ, rotunditatem ſolis, & primam partem rotæ: per quæ intelligi docuit, C per curuitatem, O per rotunditatem, & R per rotæ primam partem ſeu literam, quæ tria ſimul compoſita hoc nomen, Cor, afficiunt, hinc ſecundùm Iſidorum & Catholicon cor etymologiſatur, c. cuſtos, o. omnium, r. rerum. quare hoc volẽs ſibi Dominus præparare, clamat: *Quis eſt iſte, qui cor ſuum applicet, vt appropinquet mihi? eritiſq; mihi in populum, & ego ero vobis in Deum*, Hieremiæ 30. Aliter autem formatur animal à natura, aliter à pictura. Nam natura animal formando, incipit à corde; & ſic ſecundùm proportionem cordis cætera membra figurat, ait Ariſtoteles 16. de animalibus. pictor verò nihil curat de corde, & tota ſollicitudo eſt circa membra exteriora componenda: ſic ſi ſacram vnionem cupimus, ſi veritatis normam quærimus, ſi reformationem ſalutarem appetimus, non in verbis exterioribus, ſed cordis optimi penetralibus, id eſt, non lingua tantùm, ſed opere & veritate amplecti debemus. Ad hoc quæſo *hodie, Si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ait Pſalmiſta, quoniam *cor durum malè habebit in nouiſſimo*. Eccleſ. 3.

Cor durum eſt, quod ſeipſum non exhorret, nec ſentit, quod cor durum ſit, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad conſilia infidum. Nemo duri cordis ſalutem vnquam adeptus eſt, niſi fortè quem miſerans Deus, abſtulerit ab eo cor lapideum, & dederit cor carneum, iuxta Prophetam. Bernardus de conſideratione libro primo. quidam namque reproborum in poteſtatem dæmonum occulto & iuſtiſſimo Dei iudicio rediguntur, Iſaia atteſtante: *Ipſe miſit eis ſortem, & manus Dei diuiſit eis eam in menſuram, vſque in æternum poſſidebunt eam.* quidam electorum dimittuntur à Deo, ex diuina iuſtitia incidere in errorem peccati, ſed tamen miſeratione eius reducti, denuò conuertuntur. de talibus enim dominus per Prophetam loquitur: *Et dimiſi eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi:* ſanctus Iſidorus de ſummo bono, libro 20. cap. 15. talis ſic à domino reductus, poteſt aptè cum Propheta dicere: *Inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oret te.* 2. Regum 7. ſic Nabuchodonoſor per tempora multa ſua exigente culpa à Deo derelictus, tandem reductus eſt, & reſtituta figura priſtina, id eſt, intelligentia humana, Danielis 4. hoc Dauid petiuit, cùm ait: *Cor mundum crea in me Deus*, ſciens, quod *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, Matthæi 5. quæ viſio tota merces eſt, quæ viſio ſummum bonum finale & æternum gaudium

eſt, quam nobis concedat benedictus Ieſus, qui imperat & regnat, Amen.

QVemadmodum Deus & natura nihil agunt fruſtra, ſed ſicut in neceſſarijs non deficiunt, nec abundant in ſuperfluis, ita imitator vtriuſque, prout ipſe ex alto cõceſſerit, nec in ſuperfluis abundare, nec in neceſſarijs deficere, propono: ſed iuxta materias per dominum proponentem miniſtratas, notanda quædam obſcurè poſita declarabo, omiſſa ſupplebo, ſed & à veritate deuia arguendo emendabo, iuxta Apoſtolicam doctrinam, vt ſit veritatis Doctor

Tit. 1.

exhori potens in doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere. Obtulit dominus venerabilis Vlricus proponens in ſua propoſitione certa enthymemata, circa quę intendo declarationi inſiſtere arguendo ſic: Chriſtus mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum. Chriſtus prohibet hoc, ergò hoc non eſt faciendum. benè ſequitur, non autem ſequitur de puro homine ſic. Papa mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum. Papa prohibet hoc, ergò hoc non eſt faciendum, &c. niſi addito iſto medio, & in lege Dei veraciter ſe fundat. Obtulit in primo

Aduerſarij notabile primũ.

notabili, duplex eſſe verbum Dei, ſcilicet CHRISTVM IESVM, qui eſt verus Deus & homo, & vtrumque Teſtamentum, ibi defectum per eum commiſſum intendo ſupplere, deinceps quædam intulit, quæ intendo conſtanter redarguere, vel modificare, & veritatem credi neceſſariam adducere. quorum primum eſt: Tantæ perfectionis ſunt verba Dei, quod eis nil licet addere, nec ſubtrahere. Secundum, quod cauſa ruinæ populi maximè eſt cauſa malorum ſacerdotum. hoc declabo lucidius propter multa mala de ſacer-

Secũdum.

dotibus domini. In ſecundo notabili, enarrata, vbi additur, quòd nemo amplius nocet, nec Eccleſiam ſcindit, ſicut ſa-

Tertium.

cerdotes mali, hoc intendo modificare. In notabili tercio, quod tenetur præceptiuè. vbi inter multa redarguenda ſunt hæc inſerta. Primum, quòd non obſeruantia conſilij Dei non obligat non obſeruantem ad peccatum veniale, ſicut præcepti ad mortale. Secundum, quòd eſt præceptum Domini cuilibet diacono & presbytero liberè prædicare verbum Dei, ita quòd ſub præcepto obligante non prædicantem ad peccatum mortale, cadit actus prædicandi in ipſis.

Quartum.

In quarto propoſuit ſuper verbo, liberè, quòd diaconus & presbyter libertantur ad prædicandum, dum ſuſcipiunt diaconatus & presbyteratus ordinem legitimè, & quòd extunc nullum impedimentum illegitimum obſiſtere debet, ſecundùm legem Domini noſtri IESV CHRISTI. ibi etiam reprehendit, quòd miſſantes plurimi, ſed prędicantes ſunt pauciſſimi, & altarium multiplicationem.

Conſequenter prædicta probando venerabilis Vlricus proponens probat articulum auctoritatibus & rationibus

I. ſibi gratis. Et infert primò iſtam concluſionem. Non obſtante inhibitione, aut prætenſa excommunicatione lata iam aut minata, ſacerdos domini debet fideliter & liberò verbum domini annunciare, quia debet Deo magis, quàm

Act. 5.

II. hominibus obedire. Addit ſecundò, quòd ſacerdos dimittens fidelem prædicationem, propter hominum inhibitionem, ſeu prætenſam excommunicationem, eſt apud Deum excommunicatus, quia tales non ſeruant mandatum Dei, & ergò maledicti, & excommunicati. Et ſunt hæc, primæ veritatis, quæ Deus eſt, cum adiutorio conſtanter reproban-

III. da. Tertiò, quòd ſacerdotes Dei verbi prædicationem fidelem non debent omittere propter ſcandalum peruerſorum.

IV. Quartò, quòd non ſolùm ſacerdotes minores, ſed & prælati maiores tenentur verbum Dei fideliter annunciare.

Hęc eſt dicendorum materia, prout propoſitio cogit veſtra. Antequam harum difficultatum declarationem aggrediar, præſuppoſita recognitione ignorantiæ meæ, & imbecillitatis notoriæ, quam recognoſco corde, & confiteor ore. Nihilominùs ex mihi iniuncto, colla obedientiæ ſubmittens, iugo, vires hinc reſumo, quoniam cauſam Dei agimus, quoniam ſalutem animarum quærimus, in quibus no-

2. Cor. 3.
Matth. 10.

ſtra ſufficientia ex Deo eſt, qui promiſit: *Dum ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini*. Duo autem inter multa mihi neceſſaria proteſtor. Primò, quòd omnia per me vnquam dicta, nunc & in futurum dicenda, iudicio; ac diffinitioni huius ſacroſancti generalis Concilij Baſileenſis ſincerè & plenè ſubmitto, credens & confitens, quidquid ipſa ſancta Synodus credit & confitetur. quòd ſi aliud dixero, quod auertat Altiſſimus, ex nunc reuoco, & retracto, pro non dicto haberi deſiderans; ſecundùm quod non eſt mentis meæ piarum aurium offendicula verba proferre, aut ſaluo conductui venerabilium Oratorum inclyti regni Bohemiæ quouis modo præiudicare. quòd ſi ex lapſu linguæ contingerit, ex nunc veniam poſtulo, qua indiget lingua ſeu maxilla in chamo & fræno rationis ſeu imperio voluntatis non conſtricta, quibus proteſtationibus in qualibet ſequentium materiarum, quaſi innouatis ac iteratis, præſuppoſitis Prædicatorum Ordinis ego minimus prædicationem verbi Dei defenſurus iuxta articuli tertij exigentiam, quam adduxit venerabilis Vlricus dominus proponens inclyti regni Bohemiæ Orator, ſecundùm formam per ipſum ſeruatam procedere intendo. Et ideò ſi formalitatem aliquádo egreſſus fuero, non mihi indignemini, quia formam traditam inueſtigabo.

Articulus propoſit.° Verbum Dei exemplo Chriſti & Apoſtolorum a ſacerdotibus Domini liberè & ſine impedimẽto, fideliter & veraciter debet pdicari & annunciari.

Articulus proponentis iſte eſt: *Verbum Dei exemplo Chriſti & Apoſtolorum, à ſacerdotibus Domini liberè, & ſine impedimento fideliter & veraciter debet prædicari & annunciari*. Iuxta cuius deductionem dominus Vlricus proponens venerabilis talem habuit ordinem. Primò notabilia circa aliquorum terminorum expoſitionem, præmittendo. Secundò, articuli deciſionem annectendo. Secundùm ergò ordinem veſtri proceſſus, erit forma mei progreſſus. hoc promiſſo, quòd necdum propoſitionibus poſitis, ſed & earum probationibus declarandis inſiſtam, ne dum verbis, ſed & Intentioni, prout ex verbis colligere potui, innitendo, & primò in proœmio ſuæ collationis inter cætera iſta fuerunt verba eiuſdẽ: *Iſtud eſt argumentum infallibile, hoc mandat Chriſtus Ieſus, ergò hoc eſt faciendum. Hoc prohibet Chriſtus, ergò hoc non eſt faciendũ: De puro autem homine infallibiliter non ſic ſequitur de forma, non enim ſequitur vniuerſaliter, Hoc mandat Romanus Pontifex, hoc dicit Eugenius Papa, ergò verum, aut faciendum: hoc prohibet Papa, ergò non faciendum. Sed addito iſto medio benè ſequitur, hoc dicit Romanus Pontifex, & in ſcriptura Canonica ſe fundat veraciter, ergò hoc eſt verum, aut faciendum*. & quanquam hoc in ſuperficie videatur tutè dictum, tamen quia primæ conſequentiæ poſſent multis materiam miniſtrare erroris, & inobedientiæ & rebellionis, ideò circa eas parùm inſiſtere, non abſonum iudicabunt. Obtulit dominus proponens argumẽtationem talem: *Chriſtus Ieſus mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum: Chriſtus Ieſus prohibet hoc, ergò hoc omittendum*. Circa quam ſciendum, ꝙ non omne mandatũ Chriſti, quod habet notam mãdati, habet efficaciam mandati, dicit enim venerabilis Gorra. Lucæ 7. quòd eſt triplex pręceptum domini, vnum propriè dictum, obligans ad faciendum, vt illud: *Honora patrem & matrem*. Exo. 20. Aliud minus propriè dictum, tentans ad probandum, vt illud: *Tolle filium tuum*, Geneſ. 22. Tertium impropriè dictum, ſcilicet, docens tantùm ad ſciendum, vt dum dominus præcepit ei quem curauit, ne cuiquam diceret: hæc ille. cui alludit Magiſter primò ſententiarum, libro 1. diſtinct. 45. dicens: Quòd Deus non vult ab hominibus fieri omnia, quæ præcepit, vel non fieri quæ prohibet, præcepit enim Abraham immolare, nec tamen voluit. Non enim ideò pręcepit, vt fieret, ſed ad probandum fidem Abrahæ. Et in Euangelio præcepit ſanato, ne cuiquam diceret, ille autem prædicauit vbiq;, intelligens Deum non ideò prohibuiſſe, quin vellet opus ſuum prædicari, ſed vt daret formam homini laudem humanam declinandi. & capitulo finali dicit, diſtinguens de voluntate ſigni & beneplaciti. *Fit omne, quod Deus beneplacito vult fieri; & omne quod vult non fieri, nequaquam fit. non ita eſt de ſignis, quia ſic præcipit Deus multis, quæ non faciunt, & prohibet quæ non cauent, & conſulit quæ nõ implent*. hæc ille. vbi dicit ſanctus Thomas: *Quamuis non vellet Deus voluntate conſequente, quòd Abraham filium occideret, voluit tamen voluntate antecedente, quòd voluntas Abraham hoc ferretur, ſecundùm quod iam erat ordinatum. Et talem voluntatem præceptum expreſſit, & ſic fictio non fuit iſta, & de illis, qui contra præceptum Domini opus prædicant, licèt Chriſtus noluerit hoc, quod præcepit voluntate conſequente, voluit tamen voluntate antecedente homines in hoc tendere, vt gloriam mundanam de temporalibus bonis non quærerent, ſed Dei; & hoc præceptum expreſſit*. hæc ille. Vnde communiter tenent Doctores, circa diſtinctionem quadra-

Triplex mandatũ Domini.
Exod. 20.
Geneſ. 22.
Mag. ſent. li. 1. diſt. 45.
Diſt. 47. q. 1. ar. 1. ad 2.

geſimam quartam, primi ſententiarum, quòd quando præceptum datur in documentum, non in præceptum, non obligat; ſicut ſi prælatus præciperet aliquid grande ſuo monacho, & tamen cordetenus, nollet illud fieri, ſed ſtatim, cum frater hoc facere inciperet, eum reuocaret, ita quod præceptum illud eſt directè ſignum voluntatis præcipientis, ita quod velit obligare ſubditum ad exequendum voluntatem præcipientis, ſed non eſt directè ſignum, quòd velit rem præceptam impleri, talia enim fiunt ad ſumendum experientiam de obedientia ſubditi, vel ad oſtendendum pluribus obedientiam vnius exemplo. Ideò recitat ibidem quatuor ſolemnes opiniones dominus Patriarcha de palude, circa iſtam concluſionem, *Deus quandoq; præcipit fieri, quod tamen nō vult fieri.*

Secundò addit venerabilis proponens Vlricus enthymema. *Non ſequitur, Papa mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum, niſi addito iſto medio, & in lege diuina veraciter ſe fundat.* Ego aſſumo ſic: *Papa mandat hoc, & in lege Domini ſaltem expreſſè ſe veraciter non fundat, dummodò contra mandatum domini non præcipiat, neque contra ſacrorum generalium Conciliorum ſtatuta, ergò hoc eſt faciendum.* Pro cuius deductione duxi aliqua notare:
I. Primum eſt, quòd papa non eſt nomen ordinis, ſed tantum iuriſdictionis, & officij, patet, quia papa poteſt cedere papatui, ita quod non ſit ampliùs papa, non tamen poteſt cedere ſacro ordini, quin ſemper ſit ordinatus, poſtquam eſt ordinatus. Secundò, quia papa vt papa, non habet poteſtatem conficiendi corpus Chriſti verum, niſi conſecretur in presbyterum, quanuis poſſet gubernare corpus Chriſti myſticum, etiam ſi non habeat ſacerdotij gradum, vt deducit venerabilis magiſter Auguſtinus de Ancona, in libr. de Eccleſiaſtica poteſtate, quæſt. 4. art. 2. Secundum, quòd quamdiu papa eſt fidelis, etſi in moribus ſit malus, poteſt & debet dici ſanctus aut ſanctiſſimus, non quidem ex vitæ merito, ſic-
II. ut Chriſtus dicitur ſanctus Sanctorum, ſed ex ſanctificandi alios officio, ſic enim Num. 18. dixit dominus ad Moyſen: *Tu & filij tui, & domus patris tui portabitis iniquitatem ſanctuarij,* & ſecundùm tranſlationem antiquam 70. interpretum, dicitur, *ſumetis peccata ſanctorum,* vbi clarè patet, quòd etiam homines peccatores dicuntur ſancti, ex officio, quia Moyſes cum familia ſignati ſunt portare iniquitatem ſanctuarij, & ſumere peccata Sanctorum. ſi ſanctuarium, quomodo habet iniquitatem? & ſi ſancti ſunt, quomodo habent peccata? Venerabilis Thomas de VValden lib. 2. cap. 36. ſic & Concilia generalia dicuntur ſancta & ſanctiſſima, non à ſanctitate perſonarum inibi exiſtentium, ſed ex plenitudine officij ſanctificandi, & infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti. ſic & Eccleſia Catholica dicitur ſancta, non propter ſanctitatem omnium exiſtentium in ea, cùm ſint multi peccatores, ſed propter ſanctiſſima eius officia, propter Sacramentorū ſanctitatem exiſtentium in ea. non enim talia dicuntur ſancta ex opere operante, ſed ex opere operato. Ideò ſanctus Cyrillus in epiſtola Synodica directa Neſtorio, quæ incipit: *Religioſo & Deo amabili,* nominat papam ſanctiſſimum venerandiſſimum, ſimiliter ſacrum generale Concilium, ſimiliter ſanctus Hieronymus papam vocat ſanctiſſimum, gloriā ſanctitatis ſuæ magnificans in libro, qui intitulatur de geſtis Romanorum pontificum, in principio ſcribens ad Damaſum papam.
III. Tertium, quòd papa ratione officij ſæpè aptiſſimè nominatur beatus ſeu beatiſſimus, non quaſi extra ſtatum viæ æternaliter conſtitutus beatus, ſed propter admirādam ſuæ poteſtatis excellentiam, quę propè Chriſtum attingit. quidquid enim poteſtatis, quidquid gratiæ Sacramentalis, quidquid diſpenſationis cœleſtis à Chriſto capite Eccleſiæ commiſſum eſt, ipſa Eccleſia diſperſa, & Papa in fide non errante, totum eſt eius diſpenſationi commiſſum. Hinc beatus Hilarius etiam Imperatorem Conſtantinum propter auctoritatem imperialem beatiſſimum nuncupauit in epiſtola ſua ad eundem de fide. Et beatus Ambroſius quibuſdam ſcribens Epiſcopis & ſacerdotibus malis, quos de ſymonia & multis exceſſibus redarguit, beatiſſimos & ſanctiſſimos patres nominat in libro ſuo paſtorali, quem de obſeruantijs
IV. ipſorum intitulat. Quartò ergò dico, quòd ſi Papa aliquid mandat faciendum, quod non eſt contra legem Dei expreſſè, aut contra ſtatuta aliqua ſanctorum Patrum, etiam ſi ſe[illegible]teraliter in lege Dei veraciter non fundat, ei obediendum eſt. Hinc dicit beatus Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, in libro theſaurorum: *Vt membra maneamus in capite noſtro, Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, à quo medium eſt quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ligare & ſoluere, loco illius, qui ipſum ædificauit, & nulli alij, quod ſuum eſt plenè, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tāquam ipſi Ieſu Chriſto obediunt.* hæc ille. Pariformiter ſanctus Chryſoſtomus cum omnibus doctoribus ſuper illo: *Paſce oues meas,* ſcribentibus, & beatus Bernardus in principio tertij libri ad Eugenium. Sed dices: papa malus eſt, & prælati peſſimi ſunt. reſpondet Dominus: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæ vobis dixerint, facite, ſecundùm opera eorum nolite facere,* Matth. 23. Et eius Vicarius immediatus inquit: *Obedite præpoſitis veſtris, non tantùm bonis, ſed & diſcolis,* primæ Petri 2. cuius rationem aſſignat beatus Hieronymus, lib. 1. contra Iouinianum, dicens: *Epiſcopus, & presbyter, & diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum. Nec dicitur, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum gradum deſiderat, ſed bonum opus deſiderat, quod in maiori ordine conſtitutus, poſſit, ſi velit, occaſionem exercendarum habere virtutum:* hæc ille. Vnde beatus Bernardus ſuper Canticis ſermone 67. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, & qui non obedierunt eis, tanquā Epiſcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipſum Dominum præcipientem, & dicentem, quæ dicunt, facite. patet, quamuis Scribæ, quāuis Phariſæi, quamuis peccatores maximi, propter Cathedram tamen Moyſi, ad eos quoq; nihilominus pertinere, quod idem dicit: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* hæc ille. Patet ergò, quid ſit de illa argumentatione ſentiendum: papa mandat hoc, ergò hoc eſt faciendum, etiam ſi ſe non fundet expreſſè in diuina lege, & tantùm de procœmio domini proponentis.

Poſt hoc expedito procœmio, dominus proponens in articulo incepit proponere notabilia, & fuit primum notabile circa illud complexum, *Verbum Dei,* vbi in ſermone vel ſententia diſtinxit, verbum Dei dupliciter per eum intelligi. vno modo accipiendo pro Chriſto Ieſu Deo vero & homine. Secundo modo pro omni verbo veritatis, quod locutus eſt Dominus per ſuos Angelos, Prophetas veros, & filiū ſuum, & per ſanctos ſuos Apoſtolos, & in ſcriptis reliquit ad futura tempora. Et iſto ſecundo modo dicebat ſe vſurum, in propoſito, illo complexo, *Verbum Dei,* & quanquam iſtud non ſit reprehenſibile, quò ad ea, quæ dicta ſunt, eſt tamen reprehenſibile propter ea, quæ omiſſa ſunt. Vnde dico, fuit enim neceſſe addi tertium modum, quod ſcilicet Dei verbum eſt verbum inſpiratum, hoc enim oportet vti verbi Dei prædicatorem, ſi non vult inducere populum in errorem. vnde dico, quod triplex eſt Dei verbum, nō ſolum incarnatum, & exaratum, ſed etiam inſpiratum, & hoc eſt geminum, vnum priuatum, aliud publicum. Primò, inquam, eſt verbum Dei meritò dicendum & nuncupandum, ſcilicet inſpiratum, priuatum, id eſt, perſonis priuatis, de quibus ait vertex Apoſtolicus: *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt homines Dei.* Et Pſalmiſta: *Audiam quid loquatur in me Deus.* hinc Apoſtolus, & eius vtilitatem expreſſit: *Omnis doctrina diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiēdum, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonū inſtructus,* 2. ad Timoth. 3. non ſunt ergo S. doctorum ſcripta, quorum prudentiſſima ſcientia explanat ſcripturæ ſecreta, ab aliquo vilipendenda, ſed quaſi à Deo veneranda: quia eſt regula, quod eodem ſpiritu Scriptura ſacra exponitur, quo fuit inſpirata, quod eleganter Apoſtolus oſtendit, dicens; quòd Chriſtus ad conſummationem Sanctorum dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, & ne ibi crederetur eſſe ſtatus, quaſi aliorum ſcripturæ non eſſent à Deo, ſubdit: *quoſdā verò Doctores,* cuiuſmodi ſunt ſcripturæ ſanctorum Gregorij, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſij. poſt hos beatorum Bernardi, ſancti Thomæ, & aliorum multorum, etiam non canonizatorum, quibus proculdubio Spiritus ſanctus aperuit ſenſum, vt intelligerent Scripturas, quatenus myſticos ſenſus, quibus ſacra Scriptura eſt grauida, aperirent, & ad communem hominum capacitatem redigerent. alioquin quomodo Deus præcepiſſet, Deuter. 17. in his, quæ ſunt ambigua & difficilia, refugiendum eſſe ad ſacerdotes Leuitici gene-

Margin notes: Papa non eſt nomē ordinis, ſed iuriſdictionis & officij. — Auguſ. de Ancona, de eccl. poteſtate. q. 4. art. 2. — Num. 18. — Thomas VValden. lib. 2. doct. fidei, cap. 36. & 37. — vide Vvalden. in loco citato. — Amb. lib. de ſacerdotali dignitate, ca. 2. tom. 4. — Cyrillus. — Chryſ. in 21. c. 10. Io. — Bernar. de conſi. li. 3. — Matth. 23. — 1. Petr. 2. — Hier. lib. 1. contra Iouin. ca. 19. — Bern. ſermone ſup. Canti. 66. — Luc. 10. — Aduerſarij notabile primū. — Triplex verbū Dei. Incarnatū. Exaratū. Inſpiratū, Priuatū. Publicū. — 2. Petr. 1. — Pſalm. 84. — 2. Tim. 3. — Eodē ſpiritu Scriptura ſacra exponitur, quo inſpiratur. — Epheſ. 4. — Deut. 17.

generis,& ad iudicem, qui fuerit illo tempore? *Et facies, quacunq; dixerint tibi, qui præſunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequerisq; ſententiam illorum, non declinabis ad dexteram neque ſiniſtram.* vbi continuò ſubiungitur: *qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de domo Iſraël, cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* Ideoque diſtinct. 15. in c. Distin. 15. Sancta Romana, c. 3. Sancta Romana Eccleſia, multa ſanctorum Doctorum enumerantur opuſcula, iam per Eccleſiam acceptata, & ſibi ſoli ad iudicandum reſeruata. Et ſubditur, propter Doctores ibi non expreſſos, quod etiam aliorum Doctorum, Patrum orthodoxorum, qui in nullo à ſancto conſortio Romanæ Eccleſiæ deuiârunt, nec ab eius fide & prædicatione ſemoti ſunt, ſcripta ſuſcipienda & legenda ſint. Alij autem moderni non canonizati, ad legendum conceduntur, & ad impugnandum etiam à ſingularibus perſonis, ſi in eis aliquid veritati diſſonum reperitur. ſecundùm quem modum beatus Auguſtinus dicta ſua ad aliorum exponebat diſcutientiam, dicens S. Aug. ad Fortunat. epiſt. 111. in epiſtola ad Fortunatianum: *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut ſcripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, ſalua honorificentia, quæ illis hominib⁹ debetur, aliquid in eorũ ſcriptis improbare, atq; reſpuere, ſi fortè inuenerimus, quod aliter ſenſerint, q̃ veritas habet diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel nobis. nam talis,* inquit, *ego ſum in ſcripturis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.* hæc ille. Eſt ergo verbum Dei verbum inſpiratum, ad prædicandum neceſſarium ſanctis Doctoribus, in ædificationem corporis Chriſti myſtici, quibus ait Dominus: Matth. 10. *Nõ enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* vt quilibet talis dicere poſſit: 2. Reg. 23. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.* 2. Regum 23. & hoc de priuato. Ex quibus elicio, quod etiam illud nõ verè dictum eſt, vbi dicit proponens venerabilis, verbum Dei eſſe tantæ perfectionis, quòd nihil poſſit ei addi aut ſubtrahi, quia licet ea explanare, & dubia emergentia determinare, & talibus promittitur merces magna, dicente ſapientia: Qui elucidant Eccleſ. 24. me, vitam æternam habebunt, Eccleſ. 24. non ergo licet ſubtrahere, id quod eſt neceſſitatis ſcripturæ, ſed licet addere, quod eſt pro eius elucidatione, quod tam pulchrè oſtendit Dominus in expoſitione parabolæ Euangelij pręſentis Do- Greg. homil. 15. minicæ, vbi ſic ait beatus Gregorius: *Eſt quod ſollicitè in hac ipſa expoſitione Dominica penſare debetis, quia ſi nos vobis ſemen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, ſpinas diuitias ſignificare diceremus, ad credendum nobis forſitan mens veſtra dubitaret. Vnde & idem Dominus per ſemetipſum dignatus eſt exponere, quod dicebat, vt ſciatis rerum ſignificationes quærere in his etiam, quæ per ſemetipſum noluit explanare. Exponendo ergo, quod dixit, figuratè ſe loqui innotuit, quatenus certos vos redderet, cùm vobis noſtra fragilitas verborum eius figuras aperiret.* hæc ille. Auctoritates in contrarium adductæ intelliguntur, *qui addiderint*, id ſcilicet, quod textum falſificaret, aut perfidiam ſaperet, prout nuper ſatis declaratum eſt.

Inſpiratũ verbum publicum. Quantum ad aliud verbum inſpiratum, verbum Dei aptiſſimè nominatum, & per omnia verbi Dei prædicatoribus neceſſarium, quod eſt inſpiratum publicum, eſt cuiuſlibet generalis Concilij legitimè congregati ſtatutum & decretũ, cuius auctoritatem Dominus ſibi aſſcripſit, dicens collegio Luc. 10. Apoſtolorum: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, Luc. 10. quibus ſuam promiſit aſſiſtentiam, dicens: Matt. 18. *Vbi cõgregati fuerint duo vel tres in nomine meo, in medio eorum ſum.* quod de congregatione generalium Conciliorum intelligẽ Cœleſtin⁹ ep. 7. edit. Roman. dum exponit beatus Cœleſtinus in epiſtola ad Synodum tranſmiſſa, vt refert Iſidorus in libro Conciliorum. Hoc expreſſius idem Saluator noſter innuit, Concilio Apoſtolico promittens in perſona Eccleſiæ: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Ioan. 16. & ne hęc cre- Ioan. 16. Ioan. 15. dantur dicta perſonis Apoſtolorum tantùm, ait capitulo 15. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Ergo ineſt ille Spiritus ſanctus omnibus congregationibus generalium Conciliorum, & omnia ibi concluſa ſunt verba Spiritus ſancti, ideoque determinationem ſacri Concilij non ſibi Apoſtoli, ſed Spiritui ſancto attribuerunt. *Placuit*, inquiunt, *Spiritui ſancto, & nobis.* Actuum 15. Vnde valdè cauendum eſt, ne ab informatione & ſententia huius ſacri Concilij generalis Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitimè congregati, quiſquam ſe alienum reddat, ne contra Dei ſententiam videatur recalcitrare, verba Spiritus ſancti abnegare, & à Catholica Eccleſiæ ſanctæ ſe vnione ſeparare. Hæc modica conſcripſi, reſidua reſeruans replicationi, & ſi contingat fraternali confabulationi. vnde cõcludere pro nunc poſſumus, quod diſtinctionem circa id complexum, *Verbum Dei*, minus completè poſuit Proponens, cùm in ędificatione corporis myſtici oporteat, ad minus etiam verbo inſpirato vti. Ideò non ſolùm quatuor Concilia prima, ſed & omnia alia à ſanctis inſtituta cuſtodienda & recipienda mandantur & decernuntur, diſt. 15. Sancta Romana Eccleſia.

Demùm ad ſecundum notabile procedendo ſuper illo complexo, *à Sacerdotibus Domini*, diſtinxit dominus proponens, de ſacerdotibus bonis & malis, poſt multa vitia malorum ſacerdotum enarrata, & quomodo nemo amplius nocet in Eccleſia Dei, quàm ſacerdotes mali; & quia tanta mala enarrauit de malis, & pauciora bona de bonis, dicam ſubſequentia. Prælati & presbyteri mali, non ſolùm boni, ſunt magnificè honorandi & reuerendi, ne videantur omninò ſpernendi, quos glorioſus Deus ſibi ſpecialiter elegit ex Gẽtibus mundi, non ad confortandum eos in malum, ſed magis ad reuocandum presbyteros malos, & confirmandum bonos, & docendum cunctos, in qua honorifica maieſtate conſtituit Dominus presbyteros Eccleſiæ. Et primò ex veteri Teſtamento, Geneſ. 9. vbi dicitur, quòd Noe inebriatus dormiuit detectis verendis iacuit in tabernaculo ſuo: quod cùm vidiſſet Cham, non eum texit, ſed duobus fratribus annunciauit. At verò Sem & Iaphet videntes, auertebant facies ſuas. *Quid eſt ergo, quòd filij pallio verenda patris ſuperiecto dorſis pallio auerſi veniendo operiunt? Niſi quod bonis ſubditis, ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicent, vt ab alijs nota occultent! Operimentum auerſa deferunt, quia dijudicantes factum, & venerantes magiſterium, nolunt videre, quod tegunt.* Et nota, quòd pater expergiſcens ſemen Cham maledixit, ſed duos patrem [illegible] gentes benedixit. Hanc maledictionem fugere voluit ſanctiſſimus Imperator Conſtantinus, de quo in Eccleſiaſtica hiſtoria libro quarto, capitulo 10. dixiſſe narratur: *Si proprijs oculis vidiſſem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monaſtico habitu circumamicti ſunt, peccantem, chlamidem meam explicarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur:* Hoc autẽ Chriſtus adhuc in vita ſibi partim recompenſauit, quia poſtmodum in bellis feliciſſimus fuit, vt dicit beatus Auguſtinus de ciuitate Dei, libro 5. Secundò idem expreſsè Dominus præcepit, Exo. 22. *Dijs ne detrahes, & principi populi tui nõ maledices* Gloſſa, id eſt, *ſacerdotibus & Eccleſiæ doctoribus, qui populis principantur*, cùm enim omnis detractio pernicioſa ſit, in illo eſt pernicioſior. Tertiò, Deuter. 5. *Honora patrem & matrem tuam, vt longo viuas tempore.* Gloſſa. *Hoc eſt maximum et primum mandatum, in altera tabula, honora, ſcilicet patrem corporalem & ſpiritualem, officio pietatis, & honora ſimiliter matrem, id eſt, Eccleſiam ſanctam* Quartò, quia Trenor. 4. Hieremias deſtructionis cauſam aſſignans, ait: *Facies ſacerdotum non erubuerunt, neque ſenum miſerti ſunt.* Gloſſa: *Immò Deum in ſuis ſacerdotibus contempſerunt, nec Deum in his reueriti ſunt, ideò diuiſi ſunt à facie domini, quia per orbem diſperſi ſunt*, & alia gloſſa: *Nota, quàm terribile ſit ſacerdotes contemnere, nec faciem eorum erubeſcere, id eſt illis monentibus & videntibus, à ſceleribus non ceſſare.* Quintò patet per Dauid, qui quamuis ſciret Saul malum, tamen quia vnctus erat in Regem & conſecratus, & coram populo nondum depoſitus, eundem nũquam grauiter inhonorauit, ſed in ſpelunca, in papilione, & vbique pepercit. Vnde gloſſa 1. Regum 24. & eſt venerabilis Bedæ, & beati Gregorij: *Quid per Saul, niſi mali rectores? Quid per Dauid niſi boni ſubditi ſignantur? Saul ventrem purgare, eſt prauos præpoſitos conceptam in corde malitiam, vſque ad opera miſeri odoris extendere, & cogitata apud ſe noxia, factis exterioribus exequendo monſtrare, quem tamen Dauid ferire metuit, quia piæ ſubditorum mentes ab omni ſe peſte obtrectationis abſtinentes, præpoſitorum vitam nullo gladio linguæ percutiunt, etiam cùm imperfectionem reprehendunt, qui etſi quandiu propter infirmitatem ſe abſtinere vix poſſunt, extrema quædam, atque exteriora præpoſitorum mala, ſed tamen humiliter loquuntur,*

tur, & quaſi oram Chlamidis ſilenter incidunt, quia dum prælati dignitati, ſaltem innoxia, & latenter derogant, quaſi Regis ſuppoſiti veſtem ſecant, ſed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeq; de tenuiſsima verbi laceratione reprehendunt. Inſuper ex nouo Teſtamento,

Itē & nou. Matth.8. I. & primò per Chriſti facta & Iuſta, nam Matth.8. ſanato à ſe leproſo, ait: *Vade, oſtende te ſacerdotibus*, quos ſciuit pro tunc peſſimos, *& offer*, inquit, *munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis*, cui gloſſa, *mittit ad ſacerdotes propter humilitatem, vt ſacerdotibus deferat honorem.*

II. Luc. 17. Secundò per illud, Luc.17. *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* Super quo B. Auguſt. libro de baptiſmo: Aug. de baptiſmo, contr. Donatiſt, lib. 6.c.44. *Nonne Sodomitæ ethnici erant Gentiles? peiores ergò Iudæi, quibus Dominus dicit: Tolerabilius erit Sodomis in die iudicij, quàm vobis.* Matt.10. & 11. Luc.10. *Et quibus Propheta dixit: Iuſtificaſtis Sodomam, id eſt, in comparatione ad vos iuſtificata eſt. Nunquid tamen ideò Sacramenta diuina, quæ apud Iudæos erant, talia, quales erant ipſi, quæ Dominus quoq; ipſe ſuſcepit, & ad ea celebranda leproſos, quos ipſe mundauerat, miſit?* & ſequitur: 1.q.1. c. nōne.97. *Eadem ſacramenta, & in bonis hominibus illius temporis, erant & in malis peioribus, quàm ſint Ethnici, quandoquidem Sodomitis in malitia prælati ſunt, & tamen illa Sacramenta erant in vtriſque integra & diuina.* hæc ille.

III. Hoc tertiò expreſſius habetur in verbo Chriſti, Matth.23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunq; dixerint vobis, facite, ſecundùm verò opera eorum nolite facere.* Vbi beatus Chryſoſtomus dicit: Chryſ. ibidē in opere imp. *Sicut aurum de terra eligitur, & terra relinquitur, ſic & auditores doctrinā ſuſcipiant, & mores relinquant.* Frequēter enim de homine malo procedunt bona. Hoc expreſſius Dominus docuit, qui Iudam multis honoribus decorauit, quamuis enim ſciret, eum eſſe peccatorem, furem, & proditorem, imò vocauit eum diabolum. Nihilominùs intantum eum honorauit, quod poteſtatem dedit ſuper omnia dæmonia, & vt languores curaret, & ante faciem ſuam prædicaret & baptizaret. Auguſtin. Hoc ſecundùm beatum Auguſtinum factum eſt, vt diſcamus non contemnere Sanctorum collegia, ſi cōtingat aliquem malum inter eos reperiri. Nullum eſt, nec vnquam fuit ſanctius collegium, dicit S. Thom. Tho. in c. Ioā.6. & 3. Th.2. 2.q. 103.art.2. ad 2. ſuper Ioan.6. quàm collegium Apoſtolorum, in quo tamen vnus inuentus eſt proditor & latro. Ideò dicit S. Thomas 2. 2.q.103. art.2. quod prælati non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, ſed propter excellentiam dignitatis, ſecundùm quam ſunt Dei miniſtri, & in eis etiam honoratur tota communitas, cui præſunt.

I. Cur populus Dei honorare merito debeat ſacerdotes. Sunt autem notabiles cauſæ, quare populus Dei multùm debet honorare Sacerdotes. Prima, quia eum, qui mundum creauit, ſoli de cœlis adducere queunt, in altari Miſſam celebrando. quia diſcipulis, quos in ſacerdotes conſecrauit Dominus ait in cœna: *Hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ 22. Luc.22. II. Secunda, quia eis omnia Sacramenta, & velut medicinas contra omnes animæ morbos principaliter, & ex officio commendauit, quia ſtabellarij Euangelici ſauciati ſoli habent curam, prout de Samaritano tangitur, Luc.10. Luc.10. III. Tertia, quia ſoli habent auctoritatem ligandi & ſoluendi à peccatis, & ab excommunicationibus, ſecundùm illud Matthæi Matth.18. 8. *Amen dico vobis, quodcunque ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlo, & quæcunque ſolueritis, erunt ſoluta & in cœlo.* IV. Quarta, quia de orationibus eorum, eò, quod ſunt miniſtri Eccleſiæ, certius eſt, quòd efficaciam pro populo & animabus ſortiantur, quia quando, vt miniſtri Eccleſię, quidquam faciunt celebrādo, vel huiuſmodi, Pontificis vicem gerunt, de quo ad Hebræos 5. Hebr.5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* V. Quinta, quia in animabus & corporibus per ſeptem ordines diſtinctos, quos quilibet recipit, Deo amplius conſecrati ſunt, & per conſequens diſtinctos characteres ſuper laicos habet impreſſos, propter ſeptem ordines, propter quod prima Petri ſecundo dicitur: 1.Petr.2. *Vos autem Genus electum, regale ſacerdotium, Gens ſancta, populus acquiſitionis.* VI. Sexta, quia lumen Eccleſiæ ſunt & Doctores, de quibus Matthæi quinto: Matth.5. *Vos eſtis lux mundi, & ſal terræ.* VII. Vltima, quia per manus eorum ſolùm benedicuntur omnia, quæ in cultum Dei habent conſecrari, ſicut Eccleſiæ altaria, veſtes, Euchariſtia, Matrimonium, & ſic de ſimilibus. his ait Dominus: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, Lucæ 10. Luc.10. Qui ergo ſacerdotes non audit, ſed ſpernit, atque, vita ſua neglecta, diſcutit nimis ſacerdotum opera. Non mirum, ſi Dominus tales cadere permittit, vt etiam Eccleſiaſtica contemnant Sacramenta, & finaliter infideles moriantur, vt deducit beatus Gregorius, 1. quęſt. 1. Multi ſecularium.

Inter cætera, etiam iſtud Corollarium dominus Vlricus proponens ſubintulit: *Cauſa ruinæ populi ſit maximè ex culpa ſacerdotum malorum.* circa quæ dicta iſtam propono concluſionem: *Etſi interdum ita contingat, nō tamen eſt vniuerſaliter verum, quòd ruinæ populi cauſa ſit maximè ſacerdotum malorum ex culpa. quinimò ſæpè ex malitia populi, propterea prouenit ſibi ruina, & populi demeritis exigentibus, degenerare permittitur à Deo,* * *ſacerdotum à bonis moribus.* Hanc probo primò, ſimilitudine. Secundò ratione. Tertiò, auctoritate. hoc enim pro tanto indicaui neceſſarium fore, quia non videtur aliud dictum, *Omnis ruina populi prouenit ex malitia clericorum*, niſi quod clericus detur per hoc ad manus gladij laicorum, ne patiantur ruinam propter exceſſus clericorum. Vnde iſtam * ſeditionis volens determinare malitiam, primò accedo ſimilitudinem hoc modo: Comparamus cum Doctoribus allegorizantibus illum textum, Geneſis primo: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Clerum mundo ſuperiori, id eſt, cœlo cum ſtellis, & reſiduum populum mundo inferiori, ſcilicet terræ cum Planetis comparando. vt aptè poſſumus, ex hoc; quòd ſicut ſecundùm Philoſophos inferior mundus à cœlo & ſtellis gubernatur, ita tota virtus reſidui populi à clero dependere habet, & augeri, atque in vltimum felicitatis finem dirigi.

Cùm ergo cœtus laicalis ſubordinatus eſt cœtui clericali, tanquam ſuo magiſtratui, vt ab illo doctrinis illuminetur, virtutibus roboretur, & fructibus repleatur. Ideò clerus, de quo ſcriptum eſt: *Regale ſacerdotium, genus electum:* congruè, reſpectu laicalis populi, cœlum eſt, plenum ſtellis magnis, & paruis, fixis & erraticis. Stellę maiores, prælatos; minores, ſubditos, quorum quidam comparantur ſtellis fixis, ſicut hi qui ad certam diœceſim, vel parochiam ſunt limitati, ad illuminandum illos, quibus ipſi ſunt præfecti, vt eos ex alto ſcientiæ illuminent, fructumque ſalutis fœcundent. Stellis autem erraticis, alij prædicatores per mundum diſcurrētes. ſic enim, qui docti fuerunt, *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, Danielis 12. Sicut igitur interdum eſt, non ſemper, quod ſecundùm habitudinem & diſpoſitionem ſtellarum cœli bonam, & malam, alteratur & diſponitur hic inferior mundus conuenienter, vel diſconuenienter; ita ſæpè propter defectus & indebitos reſpectus in inuicem ſtellarum firmamenti, quod eſt allegoricè clerus, varijs turbatur moleſtijs inferior populus. verùm, quòd ſicut non omnia inferioris mundi incommoda ex influentia ſuperioris proueniunt, ſed ſæpiſſimè ab inferiori, vt ſi iſta inferiora ſuperiorum influxum non recipiunt, vbi & quando deberent, vel ſi per vapores vel nubes ab infrà aſcendentes abſconduntur ſtellæ, & per conſequens debitus earum impeditur influxus, & iſta inferiora, vel ſicut terra & aqua eclipſant lunam, & luna ſolem: ita terreni populi cæcata voluptas & auaritia eclipſant poteſtatem ſecularem, quæ eiſdem vitijs tenebroſa facta, eclipſat ſæpè poteſtatē ſpiritualem. vnde ſecurè aſſero, quòd ſicut exorbitātiæ & deordinationes inferiorum mundi, tam in naturalibus, quàm in moralibus, non ſemper reputandæ ſunt deordinationi curſus ſtellarum, & qui contrarium ſentiunt, magnam cœlo iniuriam faciunt, vt dicit B. Auguſtinus libro 5. de ciuitate Dei, cap.1. ita non eſt verum dicere, quòd omnis ruina populi proueniat ex inordinationibus cleri, quinimò ſtaret, clerum eſſe regulariſſimum, & populum deordinatum, ſicut fuit in Eccleſia primitiua, vbi erat clerus ſanctiſſimus, & populus tyrannis plenus. Inſuper à primęuo ita fuit, tempore Moyſis, qui fuit ſacerdos, & rector filiorū Iſraël optimus, & tamen populus fuit duriſſimæ ceruicis, & à domino multipliciter flagellatus. propter peccata ſua propria, & multò ſæpiùs fuiſſet, ſi non Moyſes ſeruus Domini, ſtetiſſet in confractione in conſpectu Dei. Inſuper tempore Chriſti, Apoſtolorum & ſanctorum Martyrum, qui omnes fuerunt optimi, & peſſimi populi multi.

Secundò hoc probatur ratione. Ruinæ populi maximæ proueniunt ex peccatis populi, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* ſed maxima cauſa ruinæ populi eſt malitia ſui liberi arbitrij; cùm nemo ad peccandum poſſit cogi, nec eſt peccatum, niſi

inquantum voluntarium, ſaltem actuale, ergo non ſemper cauſa ruinæ populi ſunt ſacerdotes mali; ſed inclinatio in II. malum liberi ſui arbitrij. Secundò, hæc quæ ſæpè fiunt diuina promiſſione ex malitia ſpiritus maligni, non ſunt attribuenda clero innocenti, ſed pleræque ruinæ & plagæ in populis proueniunt diuina permiſſione à ſpiritibus malignis, Pſal. 77. iuxta illud Pſalmiſtæ: *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & tribulationem, immiſſionem per Angelos malos.* III. Tertiò, illa delicta non ſunt clero imponenda, quæ committũt populi, & ſufficienter arguuntur per prælatos, nec ab eis ſuſcipiunt talium peccatorum exemplum. ſed infinita peccata committuntur à populis, quorum nullum exemplum vidẽt in ſacerdotibus, imò publicè arguuntur ab eis in ſermonibus, & priuatim in confeſſionibus. ergò ſi aliqua patiuntur populi, talis ruina non eſt culpa cleri. Ad hoc eſt experiẽtia. dicimus enim quod tempore B. Gregorij & Ambroſij, fuit clerus bonus & regulatus, & multi ex eis ſunt ſancti canonizati, & tamen tunc tot fuerunt ruinæ in populis, quòd B. Gre- Greg. homil. 2. Dominicę aduentus. 35. gorius in homilia ſecundæ Dominicæ Aduentus, ſcribit omnia ſigna in Euangelio conſcripta de ruinis bellorum, peſtilentiarum, & ſeditionum ante diem iudicij ventura, ſuis in temporibus fuiſſe completa, ergò tales ruinæ non ſunt IV. clero aſcribendæ. Quartò ſic. Illæ ruinæ non ſunt quocunq; modo clero attribuendæ, quæ nec ex populi nec cleri culpa ſciuntur euenire, ſed ſic eſt, quod multa flagella Dei eueniũt multis, non propter cuiuſcunque culpam, ſed Dei gloriam oſtendendam, ſicut cæcus natus fuit, de quo Dominus ait: Ioan. 9. *Neque hic peccauit, neq; parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Ioan. 9. Sic & ſanctus Iob creditur multipliciter flagellatus, non quod ipſe, vel aliquis alius hoc demeruerit, ſed vt patientiæ ſuæ virtus toti mundo innoteſceret, ſecundùm Greg. in Iob c. 1. beatum Gregorium, Iob 1. Ergò vt prius. V. Vltimò, ſicut illa, quæ ſæpè proueniunt ex cauſis naturalibus, etiam ſi totus mundus eſſet optimus, non ſunt ſacerdotibus permaximè imputanda, ita eſt de ſterilitate terræ, de aëris intempeſtate, peſtilentiarum immenſitate, quæ, & ſimilia ſæpè ex cauſis naturalibus proueniunt hominibus: ergò non eſt tutum dicere, omnes ruinas populorum ex culpa ſacerdotum euenire.

Tertiò auctoritate. Tertiò hoc probatur auctoritatibus ſacræ Scripturæ, & Iob. 37. primò Iob 34. dicitur: *Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Vbi beatus Gregorius Moralium libro 25. dicit: Greg. moral. lib. 25. cap. 20. *Alibi quoque per Prophetam dicit: Dabo tibi Regem in furore meo,* Oſeæ 13. *& auferam in indignatione mea. quid ergò nobis illos præeſſe deſpicimus, quorum regimina ſuper nos ex Domini furore ſuſcipimus? ſi autem ſecundùm merita ſubditorum, perſonæ regentium tribuũtur, vt ſæpè, qui boni videntur, accepto regimine, mox mutentur, ſicut de* 1. Reg. 15. *Saule Scriptura exprimit, qui cor cum dignitate mutauit. Cùm, inquit, paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es, quare feciſti ergò malum in oculis Domini? ſic ergo pro qualitate ſubditorum diſponuntur corda rectorum, vt ſæpè pro merito gregis delinquat vita paſtoris.* & ſequitur: *Denique certum eſt, quod ita ſibi inuicem rectorum vita connectantur, & plebium, vt ſæpè ex culpa paſtorum deterior fiat vita plebium, & ſæpè ex vita plebium mutetur vita paſtorum.* Ex quo habetur, quòd propter peccata populi quandoque efficiuntur ſacerdotes boni, mali, quia non merentur habere bonos, ſicut malum corpus non meretur Iſidorus. habere caput bonum. Cui conformiter loquitur beatus Iſidorus de ſummo bono, libro quarto, capitulo decimo, inquiens: *Propheta dicit: Dabo tibi Regem in furore meo. ex hoc manifeſtè claret, bonam malamq; poteſtatem à Deo ordinari, ſed bonam Deo propitio, malam irato. Reges quando boni ſunt, muneris eſſe Dei, quando verò mali, ſceleris eſſe populi. nam ſecundùm merita plebium, diſponitur vita rectorum: Iraſcente enim Deo, talem rectorem populi ſuſcipiunt, qualem pro peccato meruerunt. nonnunquam etiam pro malitia plebis Reges mutantur, & qui ante videbantur boni, accepto regno, fiunt iniqui.* Et libro tertio, capitulo trigeſimo nono, dicit: *Pro merito plebium diſponitur à Deo vita rectorum exemplo Dauid peccantis in comparatione principum, qui* 8. q. 1. c. audacter. 18. nõ eſt Hierony. ſed Orig. homil. 4. in lib. Iudic. *ex merito plebis præuaricantur.* Hæc ille. Beatus Hieronymus octaua quæſtione 1. *Audacter fortaſſe aliquid dicimus, tamen quod ſcriptum eſt dicimus, non ſemper princeps populi & Eccleſiæ per Dei arbitrium datur, ſed prout merita noſtra depoſcunt. ſi mali ſunt actus noſtri, & operamur malignum in conſpectu Domini; dantur nobis principes ſecundùm cor noſtrum. & hoc tibi de ſcripturis probabo. audi namque, quod Dominus dicit: Fecerunt ſibi Regem, et non per me; principem, & non per conſilium meum. & hoc videtur dictum de Saule, quem vtique ipſe Dominus elegerat, & Regem fieri iuſſerat: ſed quoniam nõ ſecundùm Dei voluntatem, ſed ſecũdum populi peccatoris meritum fuerat electus, negat eum cum ſua voluntate vel conſilio conſtitutum. tale ergò aliquid intelligimus etiam in Eccleſiis fieri, quod pro meritis populi, aut in verbo, aut in opere potẽs à Deo tribuitur rector Eccleſiæ, aut ſi malignum faciat populus in cõſpectu Domini, talis Eccleſiæ datur iudex, ſub quo famem & ſitim populus patiatur.* hæc ille. Eccè quàm lucidè claret, quòd non omne malum ruinæ populorum ex culpa proueniat ſacerdotum malorum. Per hoc patere poteſt, quid reſpondendum ſit ad auctoritates per dominum opponentem inductas, & multas ſimiles, ſcilicet Bedæ ſuper Matth. 21. dicentis: Quod ideò Dominus de templo eiecit vendentes, quia cauſa ruinæ populi maximè fuit ſacerdotum culpa. Ad idem allegauit Gregorium dicentem ibidem. Similiter audiſtis iam mentem beati Gregorij, & ita poſſim de alijs exemplificare. Nunquam fuit mens beati Gregorij, quòd omnes ruinæ populi eſſent ex culpa cleri, ſicut nec dominus proponens vniuerſaliter, ſed indefinitè tantùm poſuit, & tanto cautius. Quia tamen nonnunquam ſimplices audientes, neſcientes inter vniuerſale & particulare diſtinguere, ſeducuntur; ideò ſciendum, quod modus loquendi Doctorum eſt, quòd ſicut ſæpè in Scripturis pars ſumitur pro toto, & è conuerſo, ita & in propoſito, quando dicitur maximè, id eſt, ſæpè, & pro magna parte, ſicut etiam communiter ſumi ſolet, ſemper pro frequenter, & cauſa pro occaſione: quæ tamen occaſio non eſt cauſa, niſi per accidens. Eſt ergo fideliter credendum, quòd ſicut ſæpè ruinę populi proueniunt ex culpis cleri, ita è conuerſo, ſæpè ruinæ cleri proueniunt ex culpis populi. huius diſtinctionem ſolus nouit, qui omnes ſimiliter clerum & populum iudicabit, qui eſt diſcretor meritorum, & diſtributor mercedum vnicuiq; prout geſſit in corpore. Ceſſet ergo prouerbium iſtud in Iſrael: *Patres noſtri cõederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt, quoniam filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij, ſed anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* Ezech. 18. hæc de primo.

Conſequenter dominus proponens Ioannem Hus extollit præconijs multis. Ad hoc dico, quòd non propter virtutes ſuas, nec propter hoc, quòd Simoniacam hęreſim deteſtatus eſt, vt proponens dicit, ſed propter errores multos, quorum quoſdam per ſe faſſus eſt, quoſdam in ſuis tractatulis conſcripſit, quoſdam proborum teſtimonio conuictus eſt. Vnde non de bono opere, ſed propter blaſphemiam iudicatus eſt, de quo heri ſatis dictum eſt, ideò ſuperſedeo. Ego autem volens nunc baſim & fundamẽtum omnium dicendorum de materia prædictorum ſacerdotum ponere, Pono aliud, & eſt iſtud notabile ſuper eodem complexo, de ſacerdotibus Domini, ſcilicet quòd ſunt duplices ſacerdotes Domini, ſiue boni ſint, ſiue mali. Aliqui curati, alij non curati. Et ſoli curati habent ordinariè verbum Dei prædicare poſt prælatos maiores, ſcilicet Epiſcopos. Alij non curati, nõ tenentur, nec debent prædicare verbum Dei, niſi ex ſpeciali licentia Prælati. Pro cuius deductione, duo ſunt notanda. Primum de ſcientia in quolibet presbytero requiſita, & ſi reperiremus, quod minor ſufficit ſacerdoti ad ſacerdotium, quã ad prædicandum requiratur, habeo propoſitum. Secundum de originali ſucceſſione presbyterorum, qui ſcilicet ſuccedant ordinarijs primis prædicatoribus, quorum fuit officiũ per verbi Dei prædicationem illuminare mundum. ſicut Apoſtoli & 72. diſcipuli.

Quantum ad primum nota verba ſancti Thomę in quarto ſententiarum, diſtinctione 23. in quæſtione tertia, quanta ſcientia requiratur in ordinando, in reſponſione ad primum articulum, ſcilicet ad auctoritatem Malachiæ ſecundo: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de manu eius requirant*, oſtendere volens, de quibus ſacerdotibus hæc verba intelligantur, dicit de curatis tantùm. *Sacerdos*, inquiens, *habet duos actus, vnum principalem ſuper corpus Chriſti verum, & alium ſecundarium ſuper corpus Chriſti myſticum, & ſecundus actus dependet à primo, ſed non conuertitur, & ideò aliqui ad ſacerdotium promouentur, quibus primus actus tantùm committitur ſicut religioſi, quibus animarum cura nõ committitur, & à talium ore non requiritur lex, ſed ſolùm, quod Sacramenta conficiant, et*

ideo talibus ſufficit, ſi tantùm de ſcientia habeant, quòd ea, quæ ad Sacramentum ſpectant, ritè perficere poßint, ſicut in vitis Patrum, multi ſimplicißimi presbyteri leguntur fuiſſe, qui vita erant ſanctißima. Alij autem promouentur ad altum actum, qui eſt ſuper corpus Chriſti myſticum, & à talium ore populus legem requirit. vnde in illis ſcientia legis eſſe debet, non quidem, vt ſciãt omnes difficiles quæſtiones legis: quia in his debet recurſus ad ſuperiores fieri, ſed ſciant ea, quæ populus tenetur ſcire vel credere de lege: ſed ad ſuperiores ſacerdotes, ſcilicet Epiſcopos pertinet, vt etiam ad ea, quæ difficultatem in lege facere poßint, ſciant, & tantò magis, quantum in gradu altiori collocantur, hæc ille. Ad eãdem concordat ſententiam dominus Albertus Magnus, eadem diſtinctione, dicens: *Diſtinguendum videtur mihi in ordinandis, quidam enim ordines ſumunt ex ſola deuotione, vt monachi, & alij quidam religioſi. Alij recipiunt ordines, vt in illis miniſtrent populo, verba, Sacramenta miniſtrando ſeu diſpenſando, vt religioſi quidam, & illi, qui ſunt intitulati ad curam animarum. De primis diſtinguendum puto, aut enim habent curam animarum, in ſuis ordinibus, vt Abbates & Confeſſores, ab Abbatibus conſtituti, aut non habent, nec habebunt. ſi habent, idem iudicium videtur de eis, quod de alijs habentibus curam animarum: ſi autem non habent, vt hi qui cauſa deuotionis tantùm ordinem ſuſcipiunt, videtur mihi, quòd non teneantur, niſi vt ſciant pronunciationem Pſalmorum, & lectionum, & illorum diſtinctiones, quæ ex ſcientia Grammatica addiſcuntur. Si autem officium docendi ſuſcipiunt, ex beneficio, vt clerici intitulati, vel ex profeßione, vt quidam religioſi, dicendum videtur, quod tenetur plura ſcire, & ea credo eſſe, quæ groſſe ſunt exponenda populo in fide & moribus, quæ rudimenta Chriſtianæ fidei vocantur. & vt in alijs determinent caſus, & quæſtiones ſecundùm conſilia ſuperiorum. Vnde omnes*, inquit, *auctoritates inductas in contrarium, inter quas etiã eſt illa iam allegata*, Malachiæ 2. *intelligo de huiuſmodi ordinatis, & quantum ad huiuſmodi ſcientiam, ſcilicet diſcernendi, quid mortale, & quid veniale, in quibus, & qui articuli ſolemnizati ab Eccleſia, & cætera talia: Et ad alia, meo iudicio, non tenetur, niſi ſit in altiori gradu conſtitutus*. hæc Albertus. Concordat his Oſtienſis, libro primo, Rubrica ſecunda, de tempore ordinand. capite quarto, & cui ſub §. quarta, regula, vbi in ſumma ſatis etiam videtur concordare Raymundus §. vltimo, in ſumma, & multi ſunt alij ad idem ſcribentes, quorum dicta omitto hîc conſcribere breuitatis gratia, & ob huius diſtinctionis cauſam æſtimo inoleuiſſe hanc conſuetudinem, quæ in antiquiſſimis Eccleſijs obſeruatur, ſicut in Eccleſia Treuerenſi, in qua, quicunque debet promoueri ad gradum ſacerdotalem, fertur, ſi non habet beneficium curatum, promittit. Hoc etiam habet communis practica Eccleſiæ, quod ſi vnquàm beneficium curatum adipiſcitur, ſe de nouo ad examen manifeſtare ſeu præſentare, quia oportet ipſum ex tunc populo prædicare, & ſacramenta miniſtrare, ad quod prius non fuit obligatus, & de iſtis ſacerdotibus, ſic ad curam animarum ordinatis, dicit Canon, *Ignorantia*, diſtinct. 38. *Ignorantia mater cunctorum malorum, maximè in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis Dei ſuſceperunt*, non loquitur ergo, niſi tantùm de curatis, quod oſtendit capitulum ſequens, ex Concilio Toletano, dicens: *Quando presbyteri in parochijs ordinantur, libellum officialem à ſuo ſacerdote accipiant, vt ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi accedant*, & eſt libellus officiorum, in quo officium presbyteri officiandi, baptizandi, & Sacramenta miniſtrandi continetur, vt dicit gloſſa ibidem. Et ſic patet primum, ſcilicet quod minor ſcientia requiritur ad ſacerdotium, quàm ad prædicandum, ergo non omnes ſacerdotes ſunt obligati, ſub præcepto Domini, prædicare verbum Dei. Sequitur etiam quod non niſi curati, vel ex profeßione religionis obligati tenentur prædicare ordinariè verbum Dei.

Albertus Magnus.

Malach. 2.

Oſtienſis.

Raymundus.

Diſt. 38. c. Ignorantia. 1.

Diſt. 38. c. Quãdo. II.

Libellus officialis quid?

Quantum ad ſecundum, ſcilicet quomodo hoc pateat ex originali ſucceßione presbyterorum, dico, quòd ſicut ſoli Põtifices vel Epiſcopi ſunt ordinarij ſucceſſores Apoſtolorum, quanq̃ ſunt multi alij prælati in Eccleſia Dei, ita ſoli presbyteri curati ſuccedunt 72. diſcipulis Domini, quanquã ſint multi alij presbyteri, & diaconi. Iſtud patet originaliter ex gloſſa Lucæ 10. vbi dicitur ſic: *Sicut in Apoſtolis præceßit forma Epiſcoporum, ita in 72. Diſcipulis figura relucet minorum presbyterorum*, hoc ſecundariò claret diſtinct. 21. in nouo. vbi ſic dicitur: *Videntes Apoſtoli meſſem eſſe multam, & operarios paucos, rogauerunt Dominum meßis, vt mittat operarios in meſſem. Vnde ab eis electi ſunt 72. Diſcipuli, quorum typum gerunt presbyteri, atq; in eorum loca ſunt conſtituti in Eccleſia.* de quibus ſacerdotibus hoc intelligatur, ibidem exprimitur in capitulo præcedenti decreti. vbi dicitur ſic: *Simpliciter verò maiorum & minorum ſacerdotum diſcretio in nouo Teſtamento ab ipſo Chriſto ſumpſit exordium, qui duodecim Apoſtolos tanquàm maiores ſacerdotes, & 72. Diſcipulos, quaſi minores ſacerdotes inſtituit, ita quod veri paſtores ſunt tantùm Epiſcopi, ſed plebani ſunt paſtores ſubſtituti, ac cooperatores inſtituti.* Item dicit venerabilis Doctor frater Auguſtinus de Ancona, in libro de Eccleſiaſtica poteſtate, cap. 104. artic. primo, quod ſoli curati, qui vocantur ſecundi ordines presbyteri ſuccedunt 72. diſcipulis Domini, non quòd ſit per omnia ſimilitudo, ſed inter multas differentias quatuor reperio eorum conuenientias. Prima eſt in poteſtate Domini. acceperunt enim diſcipuli à Chriſto poteſtatis dominium, quando dictum eſt eis, Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*, ac ſi diceret, dedi vobis poteſtatem eijciendi omne genus immundorum ſpirituum ab obſeſſis corporibus. & hoc ne putaretur eſſe dictum de beſtijs, vt exponit beatus Chryſoſtomus Iſtud autem repræſentant presbyteri curati in Sacramentorum adminiſtratione, vbi, & per quæ dęmones ſeu ſerpentes, id eſt, peccata expelluntur à pœnitentibus. Secundò in adminiſtrationis officio, quod 72. diſcipuli receperũt, quando dictum eſt eis: *In quamcunq; domum intraueritis, primùm dicite: pax huic domui*, quia enim bonorum omnium pax mater eſt, ſine qua cætera inania ſunt. Ideò Chriſtus miſit diſcipulos pacem primò offerre tanquàm bonorum omnium initium, quorum miniſtros eos faciebat, vt dicit B. Chryſoſtomus: hoc autem repræſentant curati presbyteri in Euangelij ſancti prædicatione, in qua primò numeranda eſt pax, iuxta illud, ad Romanos 10. *Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* Tertiò, in charitatis vinculo, quod 72. receperunt, quando bini miſſi ſunt in omnem ciuitatem & locum, in ſignum, quod qui charitatem Dei & proximi non habent, officium prædicationis nullatenùs aſſumere debent, vt beatus Gregorius exponit. Iſtud totum repræſentant presbyteri in plebis curæ receptione, pro qua ipſam animam & vitam propriam tenentur exponere. Vltimò in honoris præconio, quod 72. Diſcipuli receperunt, dum reuerſi cum gaudio dixerunt: *Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo.* vt dicit gloſſa, Gaudebant enim, quod quaſi ſublimes effecti terribiles dæmonibus & hominibus erant, hoc autem repræſentant presbyteri, in ſubditorum iuriſdictione, à quibus, ſi benè præſunt eis, digni duplici honore debent haberi, vt dicit Apoſtolus, primo ad Timotheum quinto. Repræſentant ergo Diſcipulos Chriſti Domini ſacerdotes curati hoc modo, quamuis etiam ſit diſsimilitudo, quia iſti non poſſunt facere miracula, ſicut illi, nec habebant determinatas parochias, ſicut iſti, ſed pręedicabant in omni loco, quo erat Chriſtus venturus, Lucæ decimo. Ex quo iterum ſic arguo. Illis tantùm conuenit ex officio ordinariè prædicare, qui ſuccedunt Apoſtolis, & ſeptuaginta duobus Diſcipulis, ſed nulli eis ſuccedunt, niſi tantùm Epiſcopi & curati, ergo diaconis & presbyteris non curatis, non conuenit vllo præcepto Domini actus prædicationis. Et tãtùm de notabili ſecundo, permaximè in hac materia opportuno. Ex iſto ſequitur, quod totum fundamentum veſtrum eſt debile, & à veritate arenoſum, vbi dixiſtis, ſuper notabili, liberè, quod libertas prædicandi confertur à Domino cuilibet Diacono & presbytero, per miniſterium Epiſcopi in ſua ordinatione, & quod tale officium debent liberè exequi, irrequiſitis, imò nolentibus prælatis. patet ex iam dictis, luce meridiana clarius. Et iſtud probo ſic limpidius. Omne, quod confertur presbytero in collatione ſacri Ordinis, eſt aut ratione characteris, aut auctoritate clauium, ſed neutrum eorum dat presbytero libertatem actus prædicandi, niſi habeat curam commiſſi populi, ergo non conuenit ſibi prædicare, ratione accepti ordinis, per miniſterium Epiſcopi. Aſſumptum declaratur pro maiori, quia ſecundùm omnium Theologorum ſcholam in ſacerdotio non confertur, niſi duplex poteſtas, vna ſuper corpus Chriſti verum illud ad

Diſt. 21. In nouo. c. 2.

conficiendum, & hoc virtute characteris ſacerdotalis. Alia ſuper corpus Chriſti myſticum, quæ eſt poteſtas clauium, ſcilicet potentia ligandi & ſoluendi, & ſcientia diſcernendi inter lepram & lepram, quæ ſcientia non dicit nouum habitum, ſed auctoritatem diſcernendi in foro conſcientiæ, quam prius non habuit, & executionem vtriuſque non habet, niſi materiam aptam, & ſibi miniſtratam accipiat. Vnde ſicut cæteri presbyteri non poſſent miſſam celebrare, ſi hoſtiam aptam, quaſi materiam requiſitam, non haberent, ita nec poſſunt abſoluere, vel ligare, niſi populum ſibi commiſſum, id eſt, materiam requiſitam, accipiant. Nam omnis actio hominum ſeu naturalis, ſicut requirit potentiam, qua fiat, ita requirit materiam in qua fiat. non plùs legi ego conferri presbytero, per Epiſcopi miniſterium in collatione characteris & clauium ſacerdotalium. Et ſic patet maior. Minor probatur de vtroque. & primò, quod non virtute clauium: quia, vt dictum eſt, virtus clauium ſacerdotij eſt in ligando, ſoluendo & diſcernendo in foro conſcientiæ. ſed hic nulla fit mentio de prædicatione. ergo non poteſt ritè dici, quòd ratione ſacerdotij habeat libertatem prædicandi. Secundò nec ratione characteris, quod patet ex deſcriptione eius, quæ eſt triplex, vt communiter allegatur circa quartum Sententiarum, diſtinctione quarta.

Character quid?

Prima eſt, *Character eſt ſignum diſtinctiuum, quo quis ab alijs diuiditur, & ad aliquod ſpirituale dandum vel ſuſcipiendum deputatur.* Secunda eſt: *Character eſt ſignum ſacrum communionis fidei, & poteſtatis diuinorum, & ſacræ ordinationis fidelium, datum à diuina beatitudine.* Tertia eſt: *Character eſt diſtinctio à charactere æterno, impreſſa animæ rationali ſecundùm imaginem, conſignans Trinitatem creatam, Trinitati creanti, & recreanti, & diſtinguens à non figuratis ſecundùm ſtatum fidei.* & conſtat diligenter intuenti, ſingulas particulas harum deſcriptionum, quod nulla earum importat prædicandi actum liberè, ergo ratione characteris, vt character eſt, nullus habet auctoritatem exercendi actum prædicationis. Confirmatur, Apoſtoli in cœna Domini virtute characteris ex conſecratione ſacerdotali non receperunt poteſtatem liberè prædicandi, ergo nec modò presbyteri illam recipiunt ratione Epiſcopalis miniſterij. Tenet conſequentia, quia in cœna Domini fuerunt conſecrati in presbyteros, per illa verba, *hoc facite in meam commemorationem*, & receperũt characterem ſacerdotalem, ſed in die Paſchæ pòſt dedit eis poteſtatem prædicandi, dicens: *Sicut miſit me viuens pater, & ego mitto vos*, Ioan. 20. Et dicit ſanctus Thomas, quòd in illa cœna non dedit eis Dominus niſi actum principalem ſacerdotij, ſcilicet conficiendi corpus Chriſti verum. ſed poſt in die Reſurrectionis ſuperaddidit aliam poteſtatem, ſcilicet ligandi & ſoluendi, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. In quarto Sententiarum, diſtinctione 24. vbi vult Scotus, quod fortè propter has diſtinctas poteſtates characteris & clauium adhuc hodiè imprimatur ſacerdotibus duplex character. vnus, quando Epiſcopus dat ſibi calicem cum patena, hic dicitur character ordinis. Alius, quando Epiſcopus imponit ſacerdoti manus, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum.* qui diceretur character clauis, nuſquàm autem legitur, quòd imprimatur aliquis alius character, virtute cuius ſibi conferatur libertas vbique prædicandi. & de his habemus poſteà clariùs & prolixiùs in Corollario articuli principalis, quod eſt primum in ordine Corollariorum. & tantùm de notabili ſecundo.

Apoſtoli quando facti ſunt ſacerdotes.

Thom. 4. ſent. diſt. 24. q. 2. ar. 3. ad 2.

Scotus 4. ſent. diſt. 24.

Tertiũ notabile ad neceſſarij.

Circa tertium notabile domini proponentis, ſuper illo verbo, *debet*, dixit proponens debere capi præceptiuè, ita quod ex præcepto Domini ſacerdotes eſſent obligati prædicare verbum Dei, de quo pòſt videbitur in materia principali, quæ eſt materia articuli. ibi etiam notauit vnum ſilentio non prætereundum, ſcilicet quòd hæc eſſet differentia inter præceptum & conſilium, quod præceptum Dei eſt doctrina ſeu ſtatutum obligans hominem, ſub pœna peccati mortalis. Conſilium autem Dei eſt doctrina ſpecialis, ſolùm obligans ſub pœna peccati venialis. Iſtud reſtat impugnandum, quoad ſecundam partem, quia à veritate eſt omninò deuium, & dico ſecurè, quod non obſeruantia conſiliorum diuinorum in Euangelio conſcriptorum, ea ratione, qua conſilia ſunt, nullum obligat ad peccatum veniale, niſi tantùm eum, qui ſeruare vouit, quia illi deinceps non ſunt conſilia, ſed vota, quorum tranſgreſſio non eſt venialis, ſed mortalis culpa, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Vouete & reddite* Gloſſa beati Auguſtini, *vouere eſt voluntatis, ſed reddere neceſſitatis.* Et dixi notanter, quòd tranſgreſſio conſiliorum, vt conſilia ſunt, non obligat, cùm talia ſub certo modo intellecta, non ſint conſilia, ſed præcepta, & ſic eorum tranſgreſſio eſt mortalis, non venialis culpa. Ponamus ſub exemplo. nam conſilium ex Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros*, iſtud eſt præceptum quantum ad dilectionis affectum, ſed quantum ad dilectionis effectus eſt conſilium, quia inimico velle gratiam & gloriam neceſſitatis & præcepti eſt, ſed oſtendere illis ſigna beneuolentiæ, hoc perfectionis & conſilij eſt, Vnde ad hoc non omnes tenentur. Inſuper illud: *Si quis percuſſerit te ad vnam maxillam, præbe ei aliam*, eſt conſilium quoad exteriorem exhibitionem, ſed præceptum eſt quoad interiorem animi præparationem, vt ſcilicet homo paratus ſit ſuſtinere patienter, & alteram percuſſionem, ſi cedere hoc crederet in bonum. Præterea corrigere fratrem delinquentem, eſt conſilium, ſi frater peccet venialiter, ſed eſt præceptum, ſi peccet mortaliter, & vbi ſpes ſit de eius emendatione, & ita de alijs multis, cæteris circumſtantijs ſaluis. Tunc propoſitum oſtenditur falſum primò auctoritatibus, ſecundò rationibus. & primò auctoritatibus. dicit enim Hieronymus contra Iouinianum, 14. quæſtione prima: *quod præcipitur, imperatur, quod imperatur, neceſſe eſt fieri. ſi non fiat, pœnam habet; vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt*, ergo ſi in pura arbitrij libertate conſiſtit conſilium, non obſeruantia, nullum erit peccatum. Secundò auctoritate ſacri generalis Cõcilij Carthaginenſis quarti dicitur: *Conſilia Domini non præcipientis, ſed exhortantis ſunt.* exponendo illud Euangelium: Si quis vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et habetur ibidem cap. *Epiſcopus.* Tertiò, auctoritate per proponentem allegata, in capitulo, *Quod debetur.* Vbi dicit beatus Auguſtinus: *Præcepto Domini non obtemperare, peccatum eſt, & conſilio ſi vti nolueris, minus boni adipiſcens, non mali quidquam vel aliquid perpetrabis.* Vbi expreſsè innuitur ex beato Auguſtino, quod aliquid mali non perpetrat, qui conſilia Domini non ſeruat, ergo nec venialiter peccat, cùm venialiter peccare ſit aliquid mali perpetrare. Quartò, ex poſitione Archidiaconi, qui dicit ibidem, quod eſt duplex conſilium. Primum eſt conſilium reuerentiæ, & qui hoc non recipit, peccat. ſexta diſtinctione, c. *Teſtamentum.* ſicut conſulebatur in veteri Teſtamento, quod pollutus niſi aqua lotus fuerit, ei vſque ad veſperam Eccleſiam intrare non permittebatur, & ſic nunc de pollutione dicit, quod aliquando à celebratione cogit abſtinere, quod cadit ſub cõſilio reuerentiæ, quam ad Sacramentum homo debet habere. Aliud eſt conſilium inquit, perfectionis, cui licèt non pareatur, non eſt peccatum. ergo ſecundùm Archidiaconum non ſeruare conſilia, quæ ſunt perfectionis exhortamenta, non eſt aliqua culpa. Quintò, eſt ad idem Hugutius, qui dicit ibidem, hanc eſſe differentiam inter præceptum & mandatum, quia mandatum tenet medium inter conſilium & præceptum, in hoc quod mandatum eſt vltra conſiliũ & citra præceptum, mandatum enim cogit ſicut præceptum, & peccatur, ſi non impletur. & hoc, inquit, differt mandatum à cõſilio, ita quòd ſi conſilium non impletur, nec peccatur. Ergo nec venialiter cùm veniale peccatum ſit vtique peccatum.

Conſilia non obligant ad ve-

Ex his duobus elicio primum, inter præceptum & conſilium eſſe multiplicem diſtinctionem. Secundum, nõ ſeruare conſilia non obligat fideles ad veniale peccatum. Quãtum ad primum. prima diſtinctio eſt quòd cõſilium eſt perſuaſio boni melioris, ad quod non tenentur Chriſtiani niſi velint, ſed præceptum eſt obligatio boni neceſſarij, ad quod ſinguli obligantur, etiam ſi nolint. Vnde ſeruare Dei præcepta cunctis eſt neceſſitatis; ſeruare conſilia, eſt puræ voluntatis, id eſt, libertatis. Secunda, quia conſilia pertinent ad perfectos; præcepta ad perficiendos, ſed permiſſio ad imperfectos ſeu infirmos. Tertia, præcepta ſeparant nos ab illicitis, ſed conſilia à conceſſis. Quarta, per præcepta declinamus à peccato, per conſilia ab occaſione peccandi. Quinta, per præcepta maximè negatiua, pœnam fugimus, ſed per conſilia, præmia annullamus. Sexta, ad præ

cept

vi. cepta conſtringimur ex debito, ad conſilia non niſi ex vo-
vii. to. Septima, præceptum nunquàm fit cõſilium, ſed conſiliũ
viii. per votum fit præceptum. Octaua, præcepta data ſunt ad
conſequendum finem beatitudinis. Sed conſilia ad ex-
peditiùs conſequendum illum finem. Vnde præcepta or-
dinant ad finem: ſed conſilia ſunt quaſi media aptiſſima ad
conſequendum illum finem; ſicut equum aſcendere, eſt ap-
tiùs medium perueniendi ad terminum, quàm peditare.
ix. Nona, præcepta ſunt omnibus expedientia, ſed conſilia non
propter indiſpoſitionem aliquorum, quia eorum affectus
ad ea non inclinatur. Et ideò dominus conſilia Euangelica
proponens, ſemper facit mentioné de idoneitate & volun-
tate hominum, ad obſeruantiam conſiliorum. Dans enim
Matth. 19. conſilium perpetuæ paupertatis, Matth. 19. præmittit: *[illegible] vis
perfectus eſſe*, & tunc ſubdit, *vade, & vende omnia.* ſimiliter dãs
conſilium perpetuæ caſtitatis, cùm dixit: *Sunt Eunuchi, qui
ſeipſos caſtrauerint propter regnum cælorum.* Statim ſubdit: *Qui
1. Cor. 7. poteſt capere, capiat.* Et ſimiliter Apoſtolus, 1. ad Cor. 7. præ-
miſſo conſilio ſuggerens, dicit: *Porrò hoc ad vtilitatem veſtram
dico, non vt laqueum vobis injciam.* & ita patet diſtinctio inter
conſilia & præcepta Euangelica.

Ex his ſequitur ſtatim ſecundum, ſcilicet quòd non ob-
ſeruantia conſiliorum non obligat fideles ad veniale pecca-
i. tum, quod probatur ex tribus. Primò, quia ſecundùm om-
nes Doctores, peccatum veniale obligat facientem ad ali-
quam pœnam, in præſenti vel futuro perſoluẽdam, licèt nõ
ſit grauis, & citò ſoluta, ſed non obſeruantia cõſiliorum ab
his, qui non vouerunt, nullum obligat ad quamcunq; pœnã
in præſenti aut futuro ſuſtinendam, quia illam nec pœniten
tiarij iniungunt, nec non obſeruantes conſilia, talem pœ-
nam ſoluunt, ergo non videtur eos incurrere talem culpam
venialem, patet aſſumptum, quia peccatum veniale dicitur
id, quòd aliqua venia indiget ſeu indulgentia, ſed non ob-
ſeruantia conſiliorum non indiget venia, cùm nihil mali
ii. actum ſit, vt dictum eſt, ergò vt prius. Secundò, hoc il-
lud, quod eſt in pura voluntate hominis, non obligat ho-
minem ad eligendùm vel reſpondendum, ſub quacunque
ſpecie peccati, imò poteſt liberè hoc acceptare, vel non ac-
ceptare. Sed ſic eſt de conſilijs Euangelicis, ergò ſi non ac-
iii. ceptantur, nullum peccatum incurritur. Tertiò ſic. id, ad
quod nemo obligatur, niſi ex voto proprio, ſi nõ facit, nul-
lo modo peccat. ſed ad conſiliorum obſeruantiam nullus
obligatur, niſi qui vouit, vt dictum eſt, ergò qui talia non
ſeruat conſilia, nullo modo peccat. Pro quo ſciendum,
quod iſtud valdè periculoſum eſt dicere propter quatuor
i. præcipuè, primò, ſi non obſeruantia conſiliorum obli-
garet ad peccatum veniale, & peccatum veniale ad aliquam
pœnam licèt modicam, peccatum veniale ſecundum obli-
garet ad duplam pœnam; tertium ad triplam; & ſic dein-
ceps. Sed valdè graue eſſet omnibus fidelibus, qui conſi
lia non ſeruant, nec vnquàm ſeruare proponunt, quòd to-
ties peccatũ veniale incurrerent, quia grauem & diutinã pœ
nam finaliter ſoluerent. ergo non eſt veriſimile, quod non
obſeruantia conſiliorum inducat veniale peccatum. Se-
ii. cundò, quia veniale peccatum vltra hoc multiplicia incom
moda animæ affert. nam primò animam maculat, quod ſic
intelligendum, ſi ſit imago aliqua depicta, aliquando deni
gratur, vt videri non poſſit; aliquando verò obſcuratur, vt
videri quidem poſſit, ſed non plenè diſcerni. Et ideo pro-
B. Grego. citatur à S. Thoma diſt. 16. lib. 4. q. 2. ar. 2. add. 3. Aug. de pœn. c. 2. & ſerm. 4. de Sãctis. Thom. 1. 2. art. 1. q. 89.
pter talem denigrationem dicit beatus Gregorius, quod ve-
niale oſcurat, mortale denigrat. De quo etiam beatus Au-
guſtinus, in libro de pœnitentia ait: *Peccata venialia, ſi mul-
tiplicentur, decorem noſtrum ita exterminant, vt à cæleſtis ſponſi
amplexibus nos ſeparent*, quod exponit beatus Thomas, pri-
ma ſecundæ, quæſtione 89. articulo primo, quod hoc ve-
rum eſt diſpoſitiuè, in caſu, vbi multa venialia diſponunt
ad mortale. Secundus effectus eſt, quòd venialia peccata
imminuunt feruorem charitatis, ſicut aqua in ignem
proiecta, licèt ignem nõ extinguat, tamen feruorem illius
minuit. Tertius eſt, quòd potentias animæ in operibus
bonis laſſat, ſicut quando ponitur onus ſuper equum, li-
cèt non ſuccumbat, tamen eſt minùs promptus ad ambu-
landum. Quartus, quòd retardat ad gloriam, quia ho-
mo, qui deberet, & poſſet ſtatim poſt mortem euolare,
cogetur ad tempus porpter venialia in purgatorio ſtare.

Quis vnquàm tantæ crudelitatis eſſet, quòd omnes
nalitates vellet cuilibet, qui conſilia non ſeruaret, int
Inſuper tertiò, quia omnium Doctorum hæc verit
prædixi, quòd præbere alteram maxillam eſt conſil
tamen Chriſtus hoc non fecit, ergo Chriſtus veniali
[illegible]ſſet, contra illud Euangelij: *Quis ex vobis arguet m
cato?* Ioannis octauo, *qui peccatum non fecit*, prima ſ
cundo. finaliter quartò ex eo, quòd ſicut ad remiſ
peccati mortalis exigitur deſertio actus peccandi, cı
luntate in poſterum abſtinendi, ſic quoque peccat
niale in præſenti factum, non dimittitur, niſi actu
poſito deſeratur.

Conſtat autem, quòd non obſeruantes conſilia,
quenter, nec actu recipiunt, nec propoſito intendun
re ea. Ergo talibus illa peccata venialia nunquàm r
rentur in præſenti vita, ſed reſtaret longa & acerba
talibus hominibus poſt hanc vitam ſuſtinenda, quò
omnis, & tota Theologorum ſchola, quia de conſili
ſtolus loquens, ait, vt prædictum eſt, *hoc ad vtilitatem
dico, non vt laqueum vobis injciam*, 1. ad Corinth. 7. Ex
tet reſponſio ad ea, quæ Proponens allegauit. 14. qua
prima, *quod debetur*, non habetur ibi, quòd tranſgı
conſilium Dei, peccet venialiter, ſed tantùm, quod
ſilium non ſeruas, minus bonum adipiſceris, ſed,
non mali aliquid perpetrabis, & hoc contra ipſum, quia
mali aliquid perpetrat, ergo nec venialiter peccat.
ter in capitulo ſequenti, quod etiam contra ſe adduci
dicitur, quod conſilium datur offerentis arbitrio
go non obligat ad veniale aliquo modo. Inſuper ſu
lo complexo, exemplo CHRISTI & Apoſtolorum,
ui, quomodo, & ad quantum exempla Chriſti, Apo
rum, & primitiuæ praxes, & exempla non obligant, p
rum ſequela, ſed quia dicta ſunt in ſententia per Re
dum Magiſtrum meum, Ioannem de Areguſio, ideò
ſuperſedeo, quia habentur in alio opuſculo meo. Ep
præſentis [illegible]tionis hic eſt in ſumma, quod arguendo
mò, *Chri[illegible] mandat hoc, ergo hoc eſt faciendum*, non v
forma, ſed fortè ex materia, quia Chriſtus aliquando
dat, quod non vult fieri, quia non mandat ſub form
cepti, ſed per modum alicuius documenti. Item benè
tur: *Papa mandat hoc, & non fundat ſe expreſſè in lege diui*
ſuperiùs dictum eſt, *ergo hoc eſt faciendum.* quia qui
mandat, quod legi Dei, aut aliquibus ſacris Canonibu
obuiat, licèt expreſſè hoc non contineat, faciendu
quia, vt deduxi, Papa non eſt nomen ordinis, ſed off
iuriſdictionis, & dicitur ſanctiſſimus & beatiſſimus, e
ſi ſit malus, dummodò non ſit hæreticus, quia hæc ſib
ueniunt, non ratione meriti perſonalis, ſed ratione o
poteſtatis, & vniuerſalis iuriſdictionis. Hæc circa arg
ta dicta ſint.

CIRCA primum notabile habemus, quod verbum
diminutiuè expreſſit, eo quod verbum Dei tertio
do captum, ſcilicet inſpiratum non poſuit, quod
neceſſariũ eſt prædicatoribus. Ex quo vlteriùs deduxi,
verbum Dei inſpiratum eſt duplex, ſcilicet priuatum,
Deus per ſanctos Doctores expreſſit; & publicum,
ſcilicet per ſtatuta generalium conciliorum ſtatuit &
nit. Circa hoc concluſi, quòd illud per dominum prop
tem adductum, ſcilicet, quod verbũ Dei tantæ ſit perfe
nis, quòd ei nil addi aut auferri poſſit, ſub allegatis p
quòd licèt ſit maximæ perfectionis, poſſumus tamen
re ad declarandum, licèt non debeat addi contrarium.
ca ſecundum notabile, de ſacerdotibus Domini, diſtin
ter curatos & non curatos, oſtendens, quod non cura
dinariè non tenentur prædicare verbum Dei, & quod
curati presbyteri ſuccedunt 72. diſcipulis Domini, nc
omnibus ſecundùm æqualitatem, ſed ſecundùm figı
& ſimilitudinem, ex quo concluſi, quod non eſt vn
ſaliter verum, omnes ruinas populi prouenire ex
pa malorum Sacerdotum, quia ſæpè propter pec
populi dantur à Deo eis Sacerdotes, & prælati mali
Vnde dominus proponens cautè egit, quod indefin
non vniuerſaliter poſuit. Circa tertium notabile ſuper
bo, *debet*, (vbi dixit illud capiendum præceptiuè aſſere

quod tranſgrediendo cõſilium Dei, committat quis peccatũ veniale. reprobaui hoc multipliciter & veraciter. Oſtendo, quod conſilium Chriſti non obligat vnquàm ad peccatum veniale, cæteris paribus, ſed ſæpè ad mortale eum, qui vouit, vel in caſu, quo conſilium præcipitur. Hæc eſt ſumma dictorum, quæ quæſo accipite in corde bono & optimo, vt præmiſi in themate, vt fructus ſequatur in patientia, de quo Domin' ait: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, in præſenti per gratiam, in futuro per gloriam, Amen. Luc. 21.

SEQVITVR ACTVS SECVNDI DIEI.

M*Vltifariè, multiſq; modis* Patres & domini venerandiſſimi, *olim Deus loquens*, voluntatis ſuæ beneplacita Patribus veteris Teſtamenti pandens *in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio ſuo vnigenito*, ad Hebræos primo, Hebr. 1. quem ex matre, ſed Virgine naſciturum: eãdem Pater obumbrauit, Filius imprægnauit, & Spiritus ſanctus adaptauit, vt eſſet ſine grauamine grauida, ſine corruptione fęcunda, ſine dolore puerpera, ſecundùm Bernardum in ſermone, Bernard. ſerm. 3. de laudibus Marię virginis, & alibi. qui ex voluntate patris, vt diſperſos in vnum colligeret, quos tandem in æterno ouili vnico vnicus ipſe paſtor reficeret, in totius ſui in humanis diſcurſus periodo, in huius mundi agro duo inſeruit, ſcilicet veritatem & gratiã, quoniam veritas & gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt, Ioan. primo. Ioan. 1. veritatem, id eſt, fidem illuminantem intellectum & gratiam, id eſt, dilectionem iuſtificantem affectum, quæ ſunt duo in corde bono & optimo requiſita, prout heri dixi per thematis verba, *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, fructum adferunt in patientia*, vbi poſtquàm expoſitum eſt primum principale, quod eſt locus aptificandus in corde bono & optimo, reſtat declarare ſecundum, vt annectatur modus congruus, per quem demulceatur & delectetur auditorum animus, vtique audientes verbum Domini retinent intellectu, vt inſtruantur affectu, vt delectentur re, vt teneantur memori[...] & re impleant efficaciter. Non minus reus eſt, qui verbum Dei audierit negligenter, quàm qui corpus CHRISTI in terram ſua negligentia cadere permiſit. prima, quæſtione prima, *interrogo*. 1. q. 1. c. Interrogo, c. 94. *Omnis etiam, qui audit verba mea, & facit ea, ſimilis eſt homini, qui ædificat domum ſuam ſupra firmam petram*, Matthæi ſeptimo, Aug. lib. 50. homil. c. 6. Math. 7. *ſis conſentiens eſto aduerſario tuo*, Matthæi quinto. Math. 5. Aduerſarius tuus, verbum Dei eſt, ſi facis, quod audis, concordaſti cum eo, ſi autem non facis, rixaris cum eo, & ſi non compoſueris te, vt facias, tradet te iudici tuo, & iudex miniſtro, & in carcerem mittent te. Beatus Auguſtinus, in libro de decem chordis, cap. decimo. Aug. de decẽ chordis, c. 10. Sed diceret fortè ſimplex laicus, aut hirſutus clericus: Certè hoc facio, verbo Dei me conformo, ſicut prædicat prælatus meus, ita credo, ita & ago. Reſpondeo, optimè facis, ſi benè te docet ille prælatus vel ſacerdos. Nam in his, quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur errorem cuiuſcunque docentis, in talibus nec ignorantia, nec ſimplicitas excuſat, Ait ſanctus Thomas, quodlibeto tertio, articulo decimo. Thom. Quodlibeto 3. ar. 10. ita Euangelium diffinit, ſi cæcus Doctor cæco populo ducatum præſtet, neuter excuſabitur, ſed ambo ſimul in foueam cadunt, Matthæi decimoquinto. Math. 15. Sed quid igitur facit clerus & populus inſurgentibus doctrinis inſolitis, à quibuſcunque Doctoribus? Reſpondet beatus Auguſtinus, libro tertio de doctrina Chriſtiana, Aug. de doct. Chriſt. lib. 3. c. 37. Item 26. conſulere debet regulam fidei, quam de Scripturarum locis planioribus, & Eccleſiæ auctoritate percepit, & id credere, quod ſecundùm Eccleſiæ auctoritatem tenetur publicè, debet etiam ad Dei miſericordiam recurrere, & eius illuminationem inceſſanter implorare, dicens cum Pſalmiſta: Pſal. 12. *Illumina oculos meos, ne vnquàm obdormiam in morte*. orans cum Eccleſia, *à cæcitate cordis libera nos Domine*. Debet etiam ab alijs peritioribus inquirere, non enim Deus deficiet ſuis, niſi in pulſando fuerint negligentes. Nam *cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe*, in Pſalmo. Pſal. 144. cuſtodietque rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter, Prouerbiorum ſecundo. Prouer. 2. debent & vltimò ſimul omnes ad ſcrutamen conſcientiæ recurrere, & ſe toto corde contrito & humiliato Deo committere, vt inſonet illa vox Domini in tantæ perplexitatis turbine in auribus tam docentium, quàm audientium ſubiectorum. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*, quæ geminatur, Lucæ 13. Luc. 13. quia ſæpè Dominus iratus malos prædicatores malis mittit, vt vtrumque per vtroſque iuſtè damnet, ait ſanctus Euſebius, ſuper illo, *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* ad Romanos 10. Euſebius. Rom. 10. Nempè pro malo merito plebis, aufertur doctrina prædicatoris, & pro bono merito audientis tribuitur ſermo Doctoris. In poteſtate enim diuina conſiſtit, vt cui velit Deus doctrinam veram dare, vel auferre, faciat, vt hoc pro dicentis vel audientis ſit merito, vt modò pro culpa plebis auferatur ſermo Doctoris, modo verò pro vtriuſque meritis tribuatur. Sanctus Iſidorus, libro tertio de ſummo bono, cap 44. Iſidorus. *Melius illis erat viam iuſtitiæ non agnoſcere, quàm poſt agnitionem retrò conuerti, &* c. 2. Petri 2. 1. Pet. 2. *Beati ergo, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Lucæ 11. Luc. 11. hoc eſt retinere, tenere, ſcilicet implere opere, vt gratiam in præſenti, & gloriam ſempiternam valeamus reportare, quam nobis concedat Ieſus glorioſus, qui imperat & regnat, Amen.

SEQVITVR ARTICVLVS.

S*Acerdotes Domini, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, non debent liberè & ſine impedimento prædicare verbum Dei, niſi vltra & ſupra omnem poteſtatem, quam in ſua conſecratione ſacerdotali acceperunt, ſe, probare poſſint, eſſe miſſos à Deo, vel ad hoc ſufficienti Eccleſiæ prælato.* Simile per omnia, & multò fortius eſt de diacono, vt infrà patebit, & hoc ad ſenſum expoſitionis terminorum proponentis. Iſta concluſio reſtat probanda multipliciter, primò lege diuina, ſecundò, praxi Chriſti, tertiò, praxi Apoſtolorum, quartò, praxi Eccleſię primitiuæ, quintò ſacrorum Conciliorum, ſextò, Doctorum in lege Domini veraciter ſe fundantium. Circa primum notandum, quod per legem diuinam intelligo legem quadrifariam, æternam, Moſaicam, Euangelicam, & Canonicam. Probatur concluſio primò per legem æternam. Probatur concluſio per legem æternam. Nam lex æterna eſt ratio ſumma in ſummo principe Deo, cui ſemper obtemperandum eſt, per quam mali miſeriam, boni bonam vitam merentur, per quam illa, quæ temporalis eſt, rectè fertur, recteque mutatur, ſecundùm beatum Auguſtinum, libro primo, de libero arbitrio, Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 6. & ibidem, vt breuiter tibi notionem æternæ legis explicem, lex æterna eſt, qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima. quod declarans ſanctus Thomas in prima ſecundæ, quæſt. 93. articulo ſecundo, Thom. 1. 2. q. 93. art. 2. & 3. deducit, quòd omnis lex Hierarchiæ deriuatur à lege æterna, ac per hoc omnia ſunt conſtituta in ordine debito, ſi ſuo modo regulantur à lege æterna, dicens. ſic lex importat quandam rationem directiuam actum in finem ordinatum, conſtat autem, quod in omnibus mouentibus ordinatis, oportet, quod virtus ſecundi mouentis deriuetur à virtute mouentis primò, quia mouens ſecundarium non mouet, niſi quantum à primo mouetur, hoc patet in artificialibus & moralibus. In artificialibus quidem ratio artificialium actuum deriuatur ab architectore ad inferiores artifices qui manu operantur. In moralibus etiam in omnibus gubernantibus videmus, quod nomen gubernationis deriuatur à primo gubernatore ad ſecundos & inferiores ſubordinatos. Cum ergo lex æterna ſit ratio gubernationis in ſupremo gubernante, neceſſe eſt, quod omnes rationes gubernationis, quæ ſunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna deriuentur. hæc ille. Quæ autem ſit ratio, & quis ordo in illuminatione fidelium ſeruandus ab æterna lege deriuatus. Notandum, quòd ſicut in Eccleſia triumphante ſunt tres Angelicæ Hierarchiæ, quarum Trinitas beatiſſima caput eſt, quarum ſupremam illuminat ipſa Trinitas per ſe, ſuprema mediam, & media infimam, & non econuerſò: ita in Eccleſia militante ſunt tres ſtatus ſuo modo illam imitantes, ſub vno capite, quod eſt CHRISTVS, ſecundùm quod homo. ſummum Papa loco Chriſti tenet in terris; medium Epiſcopi, loco Apoſtolorum; tertium curati loco 72. Diſcipulorum. Ex quibus apparet, qui ſecundùm diuini principatus ordinem, quæ Hierarchia vocatur, ſint ordinarij Eccleſiæ Doctores, ad quos inexcuſabiliter, ratione qualitatis ſui

ſtatus,

ſtatus, pertinet illuminare populum Dei ac cæteros actus Hierarchicos exercere, ſcilicet ad Papam, Epiſcopos, ac plebanos, vel loca eorum tenentes.

Ex hac conſideratione ſubſequentia conſideranda ſunt attenta mente. Primum eſt quodammodò quædam cauſa & ratio, quare modò ceſſent ſpeciales viſibiles illuminationes & inſpirationes hominũ ab Angelis, quæ tamen olim abundabant. Ratio eſſe poteſt, quia quando homo facit debitum ſuum, vt de ſalutaribus erudiatur, ſi nõ eſt doctrina inter homines, qua erudiri poſſit, conſequens eſt, vt iuxta diuinum ordinem iam expreſſum illuminetur ab Angelis, & ita erat & eſt de profundis myſterijs diuinis, quæ vltra hominem ſunt, pro quibus erat opus reuelatione. modò autem, quia ſcientia Domini plena eſt terra, & de omnibus ſufficienter Eccleſia Chriſtiana erudita, ita quòd ſi diligentiam volunt facere, quorum intereſt, & diligẽter addiſcere, quæ ſcire debent, poſſent ex ſcripturis omnia negotia, & omnem caſum neceſſarium ad ſalutem ſalubriter expedire & diſcutere, & ita videtur, quod exſpectare iam diuinam reuelationem in caſibus etiam arduis, ſit tentare Deum, ex quo Deus ſufficienter illuminauit Eccleſiam in omni ſcientia diuina pariter & humana.

Secundum eſt, quòd diſtinctionem & varietatem ſtatuum in Eccleſiaſtica Hierarchia eſt neceſſariũ facere, quod
Thom. 2. 2. q. 183. art. 2. Diuerſitas ſtatuũ in Eccleſia neceſſaria eſt.
oſtendit ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. centeſima 83. articulo ſecundo, propter tria. Primò propter ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ perfectionem. Sicut enim in rerum naturalium ordine, perfectio, quæ in Deo vniformiter & ſimpliciter inuenitur, non potuit in vniuerſitate creaturarum reperiri, niſi difformiter & multipliciter: Ita etiam multitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto, vt in capite, diuerſimodè ad
I. eius membra redũdat, ad hoc, quòd corpus Eccleſiæ ſit per-
Epheſ. 4. fectum, & hoc eſt, quod Apoſtolus ait ad Epheſios quarto: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*, gloſſa. *Ecce quomodo alij plus, alij minus dedit, hominibus dat ad menſuram, ipſe verò non ad menſuram accipit. hos autem omnes dedit in opus miniſterij, vt ſcilicet quiſq; poſſet plenè facere opus miniſtrationis ſibi creditæ, ſi enim vnus omnia haberet, non*
Gloſſa ordi. ibidẽ. *perfectè ageret ſingula.* hæc ille. Secundò, propter neceſſita-
II. tes actionum, quæ in Eccleſia ſunt neceſſariæ, oportet, inquit, ad diuerſa officia, ſeu diuerſas actiones, diuerſos homines deputari, ad hoc quod expeditius, & ſine cõfuſione ſingula expediantur, & hoc eſt, quod Apoſtolus dicit, ad Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa habemus membra, non autem omnia membra eundem actum habent.* Item, *multi vnum corpus ſu-*
III. *mus in Chriſto.* Tertiò hoc pertinet ad dignitatem & pulchritudinem Eccleſiæ, quæ in quodam ordine conſiſtit. vnde in
Pſal. 44. laudem Eccleſiæ dicitur in Pſalmo, quod eſt circumamicta
Caſſiod. paulò aliter habet. varietate, glorioſa doctrina Apoſtolorum, confeſſione Martyrum, puritate Virginum, & lamento Monachorum ſeu pœnitentium ornãtur Regina, id eſt Eccleſia, in cuius figura Regina Saba videns omnem ſapientiam Salomonis, & habitacula ſeruorum, ordineſque miniſtrantium,
3. Reg. 10. non habebat vltra ſpiritum, tertio Regum decimo cap.
2. Tim. 2. Nam in magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed lignea & fictilia. hæc ſanctus Doctor. Idem ſub alijs verbis oſtendit dominus Petrus de Taranthaſia, qui &
Epheſ. 4. Innocentius quartus, ad Epheſios quarto, & præter prædi-
Diſtinctio officiorũ in Eccleſia cur inſtituta. cta, addit duas rationes alias, dicens: *facta eſt diſtinctio officiorum, propter multa in Eccleſia, primò propter myſtici corporis integritatem, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 12. ſi totum corpus oculus, vbi auditus? Secundum, propter ſingulorum membrorum vtilita-*
I. 1. Cor. 12. *tem, dicitur enim prima Corinth. 12. non poteſt dicere caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. & Deut. 1. Non poſſum ſolus ſuſtinere vos,*
II. Deut. 1. *ait ille fidelis Moyſes. ad quod refertur, quod Apoſtolus ad Epheſ. 4.*
Epheſ. 4. *dicit, veritatem facientes in charitate creſcamus, in illo ſcilicet Chriſto, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm menſurã in operationem vniuſcuiuſq; membri. quia ſecundùm diuerſos gradus Eccleſiæ membrorum, competunt diuerſis diuerſi actus minores ſcilicet & maiores, ſicut alij Epiſcopis, alij ſacerdotibus, alij religioſis ſecundùm expoſitionem Lucæ ibidem.*

III. Tertium, quòd iſti diuerſi ſtatus in Eccleſia, ſunt fundati per Chriſtum, dum iret perſonaliter in terris, per expreſſas ſimilitudines. Quarum vna eſt, quòd Apoſtoli, & ſeptuaginta duo Diſcipuli non fuerũt presbyteri, nec Diaconi vſq; ap cœnam Domini, tunc enim ſoli Apoſtoli fuerunt ſacerdotes conſecrati, ſed de 72. Diſcipulis nõ reperimus ex textu, niſi quod fortè Matthias, qui ſucceſſit in locũ Iudæ, & ſeptẽ, qui ex oĩs creduntur per Apoſtolos facti diaconi, ſic ſunt ab Apoſtolis ordinati. non eſt ergo dicendum, quòd illi, qui nec ſunt Epiſcopi, nec plebani, ſint à diabolo introducti, cùm præfati neutri horum eſſent, dum à Chriſto fuerunt electi. Alia via eſt, quia Matth. 24. Dominus Matth. 24.
noſter diuerſitatem omnium ad Eccleſiam pertinentium volens oſtendere, ait ſub ſimilitudine, *duo in agro, duo in lecto, duo in mola, alter aſſumetur, alter relinquetur*, vbi ſecundùm beatum Auguſtinum, libro quæſtionum ſuper Euangelio Aug. lib. 2 qq. Euangelicarũ c. 44. infrà 168. & 169.
quæſtione 46. tres ſtatus Eccleſiæ pateſcunt. per duos in agro intelliguntur prælati, per exiſtentes in lecto religioſi, per gyrantes in mola laici, quorum ſemper vnus aſſumetur, ſcilicet bono fine terminans, alter relinquetur, malè finiens. Nam in agro ſunt, qui in Eccleſia laborando præſunt. In lecto ſunt, qui contemplationi in clauſtris vacant. In mola autem ſunt, qui in mundanis ſollicitudinibus gyrant. De his etiam tribus ſtatibus, Ezechielis 14. *Hi tres viri, Noe,* Ezech. 14.
Iob. & Daniel in ſua iuſtitia ſaluabunt animas ſuas, ſecũdùm beatum Auguſtinum parte prima ſermonum, ſermone 29. Beda libr. 5. ſuper Lucam, cap. 7. per Noe, qui Archam rexit, Auguſt. Beda.
prælati; per Danielem, qui contemplationi vacauit, religioſi; per Iob, qui vxoratus fuit, laici intelliguntur. Hunc ordinem Pſalmiſta intelligens dixit: *Ecce, quam bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, & quæ ſit iſta Pſal. 132.
vnitas, ſubdit: *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, dehinc in oram veſtimenti.* Nam vnguentum, id eſt, pinguedo totius Eccleſiaſticæ ſanctitatis, vt eſt in capite, ſcilicet in CHRISTO homine, prout congruit Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, deſcendit in barbam ſuam, id eſt, beatum Petrum, proximum eius Vicarium, & quemlibet eiuſdem legitimum ſucceſſorem. Dehinc in barbam Aaron, id eſt, cuiuſlibet prælati ſeu Epiſcopi legitimè ſuccedentis, dehinc in veſtimentum, id eſt, Eccleſiaſticos, dehinc in oram veſtimenti, id eſt, populares, qui ſunt extrema pars Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. De quo ordine ait mellifluus Bernardus 3. de conſideratione dicens: *Nec vilem reputes* Bern. lib. 3. de conſideratione vltra medium.
formam hanc, quia in terris eſt, exemplar enim è cælo habet, neq; enim filius poteſt facere quidquam, niſi quòd viderit patrem facientem, præſertim cùm ei ſub nomine Moyſi ſit dictum: vide, vt omnia faciàs ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt, viderat hoc, qui dicebat: vidi ciuitatem ſanctam, Hieruſalem nouam, Ioſ. 5. Exod. 25.
deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Ego enim propter ſimilitudinem dictam reor, quod ſicut illic Apoc. 21.
Seraphim & Cherubim, ac cæteri quiq; vſq; ad Archangelos & Angelos, ordinantur ſub vno capite Deo: ita hic quoq; ſub vno ſummo Pontifice, Primates vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non eſt parui pendendum, quod & Deum habet auctorem, & de cælo ducit originem. Quòd ſi dicat Epiſcopus: nolo eſſe ſub Archiepiſcopo, & Abbas: nolo obedire Epiſcopo. hoc de cælo non eſt, niſi tu fortè quempiam Angelorum de cælo audiſti dicentem: Nolo eſſe ſub Archangelis, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquã, niſi ſoli Deo. hæc S. Bernardus. Seraphim & Cherubim.

IV. Quartum, quòd ſumma diligentia inuigilandum, ne hic ordo Hierarchicus tam regulariter à Deo inſtitutus, ab vllo infringi patiatur: Infringetur autem & confundetur, ſi quilibet ſacerdos, qui ſe non poſſet probare à Deo, vel prælato Eccleſiæ miſſum, ſibi officium prædicationis vſurparet, quod ex tribus claret: primò, quia talis or- Hierarchia Eccleſiaſtica nõ labefactãda. I.
dinem diuinitùs inſtitutum iam regulariter enarratum proſtitueret, quia nec de primo gradu Eccleſiaſticorum illuminatorum, qui eſt Papa, nec de ſecundo, qui ſunt Epiſcopi, nec de tertio, qui ſunt plebani, exiſtens, nec ad hoc aſſumptus, officium cuilibet eorum ſurriperet contra Hierarchicum diuinæ ordinationis modum, qui eſt, quòd nil bonitatis in inferioribus effulgeat, quòd à ſuperiori poteſtate non deriuetur. Aequiſſima enim diuinitatis hæc lex eſt, vt infima per media, media per ſuprema in Deum reducantur, ſecundùm B. Dionyſium. Secundò, tales presbyteri II.

ex hoc perturbarent ordinem Eccleſiaſticum, quia ſi tres, quatuor vel decem ad eandem Eccleſiam venirent, & quilibet eorum prædicare vellet, nec alter alteri cedere, quilibet ſanæ mentis intelligere poteſt, quantæ ex hoc ſequerentur ſeditiones in populis, contradictiones in ſermonibus, & ita in actibus Eccleſiaſticis nullus ordo, ſed ſempiternus horror pararetur.

III. Tertiò, quòd eadem ratione, qua ſic liceret cuilibet diacono & presbytero vbique prædicare, liceret etiam tam liberè & ſine impedimento quemlibet ſacerdotem vbique confeſſiones audire, ligare, ſoluere, excommunicare, & abſoluere, omnia Sacramenta miniſtrare, quemlibet Epiſcopum in qualibet Eccleſia ordines conferre, & quemlibet iudicem, videlicet Eccleſiaſticum prælatum vbique iuriſdictionem exercere, tot diſturbia inſurgerēt, quòd non niſi horror ſine ordine in Eccleſiaſtica Hierarchia eſſet, ſed quãtum talis confuſio repellitur & deteſtatur à Sanctis, audiamus. Nam beatus Gregorius in Regiſtro, vbi ſcribit Romano defenſori Siciliæ, hoc habetur 11.q.1. *Peruenit ad nos.* Nam ſi vnicuique Epiſcopo iuriſdictio non ſeruetur, quid aliud agitur, niſi vt per eos, per quos Eccleſiaſticus ille ordo cuſtodiri debuit, confundatur? & ſicut dicitur de Epiſcopo, ita de inferioribus prælatis & plebanis dici poteſt. Ex tali enim confuſione ordo honeſtus à rebus tollitur. Ideo beatus Auguſtinus dicit tertio de natura boni: *Omnia tantò magis bona ſunt, quantò magis ordinata ſunt, & tantò minus bona ſunt quantò minus ordinata ſunt.* Et libro ſexto ſuæ muſicæ idem inquit: *Iubeat eamus Deo, & non teneamus tantum illius ordinationem, ſed etiam noſtrum ordinem inconcuſſum, certumq; teneamus,* * contra quod ad literam Apoſtolus de in Eccleſia prophetantibus, prouidens ait: *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis.* 1. ad Corinth. 14. *Quæ namq; à Deo ſunt, ordinata ſunt,* ſcribitur ad Rom. 13. Ecce lex æterna pro concluſione noſtra.

11.q.1. Peruenit ad nos. c. 39. Greg. lib. 8 epiſt. 32.

Aug. de natura boni. c. 3. Tom. 6. Aug. lib. 6 ſuæ muſicæ. c. 14. * forſan, circa. 1. Cor. 14. Rom. 13.

Per legem Moſaicã.

Secundò probatur eadem concluſio per legem Moſaicam. Nam S. Hieremias in vtero ſanctificatus, fuit ſacerdos, & tamen oblatum à Domino prædicationis officium non ſolùm non importunè acceptauit, ſed & humiliter recuſauit, quanquàm finaliter acceptaret. Ergo concluſio vera, conſequentia nota, Maior probatur, quia in principio ſuæ Prophetiæ dicitur: *Verba Hieremiæ filij Helchiæ de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathot.* Et beatus Hieronymus in prologo Hieremiæ, qui incipit: *Hieremias Propheta,* dicit, *fuit enim anatothites, quæ eſt vſq; hodiè viculus tribus ſtans milibus à Hieroſolymis ſacerdos ex ſacerdotibus, & in vtero matris ſanctificatus.* Minor patet, quòd non obſtante, quòd fuit tantus, tamen dum eum Dominus mitteret, non prius ſe de prædicationis officio intromiſerat, ſed nec tunc acceptare decreuerat, imò recuſauit dicens: *A a a. Domine neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Vbi dicit S. Thomas ad propoſitum eius de presbyteris & omnibus: *Non miſſi, non ſunt audiendi propter præſumptam auctoritatem.* Et quid per multa diſcurrimus? Ezechiel fuit ſacerdos, vt dicit beat⁹ Hieronymus in principio eiuſdem, Daniel ſacerdos, vt ſeptuaginta interpretes dicunt, licèt Magiſter hiſtoriarum dicat eum de ſemine Regio progenitum, in principio libri. & ſic de multis ſanctis Domini Prophetis.

Hierem. 1. Hierem. 1.

Per legem naturæ.

In lege etiam naturæ omnes primogeniti à Noë vſq; ad Aaron ſacerdotes fuiſſe, qui in cõuiuijs, & oblationibus populo benedicebant, ait Magiſter in hiſtoria ſcholaſtica. Exo. 14. cap. de victoria Abrahæ.

Exod. 29.

Poſt hanc legem naturalem in lege ſcripta Deus inſtituit ſacerdotes, Gen. 19. dicens Moyſi: *Facies, vt mihi in ſacerdotio conſecrentur. Aaron & filios eius applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonij, eruntq; Aaron & filij eius ſacerdotes in religione perpetua.* Vnde nullus tunc debebat fungi ſacerdotio, niſi de tribu Leui & ſemine Aaron. Vnde, quia Chore, Datan & Abiron volebant ſibi vſurpare ſacerdotium, incẽſum offerendo, terra deglutiuit eos, vt patet Num. 16. Sed conſtat de omnibus his, quòd licèt Sacerdotes eſſent, nullus tamen ſe de prædicationis officio intromiſit, niſi ſpecialiter ſibi ex Deo expreſsè imponeretur, quod etiam ſignis patentibus probauerunt. Ergo cõcluſio vera, quæ dicit, quòd ſuper omnem poteſtatem, quam Sacerdos accipit in ſacerdotali Ordinatione, requiritur adhuc, vt poſſit ſe probare miſſum à Deo, vel eius Vicario, ſcilicet ſufficienti Eccleſiæ Prælato.

Num. 16.

Per legem Euangelicam.

Tertiò probatur eadem concluſio ex legē Euangelica dupliciter. Et primò ſic. Poſtquã miſit Apoſtolos & ſeptuaginta duos Diſcipulos, Apoſtolos, tanquàm Epiſcopos, ſeptuaginta duos, tanquàm plebanos, licèt adhuc nõ eſſent tales, tamen figurã eorum ferebãt, ſecundùm gloſſam Luc. 10. Illo non obſtante, quòd ipſe eos miſit, non obſtante, quòd etiam figuram omnium curatorum gerebant adhuc oſtendere volens, quòd auctoritate ſuperiorum indigebant, ait illis: *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci, rogate ergo dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam,* quod ad literam exponitur de meſſe prædicationis verbi Dei. vnde ſi quæritur, quare vult rogari? reſpondet gloſſa, quòd ideo vt ſcilicet ex ſua miſericordia per internam inſpirationem, vel per miniſtros ſuos mittat prædicatores in Eccleſiam ſuam. Alia ratio multorum Doctorum eſt, vt per hoc doceat ordinem, quem omnis prædicaturus ſeruare debet, v ſcilicet à ſuperiori ſuam admiſſionem exſpectet, prout exponit Archidia. diſtinct. 21. *In nouo.* vbi hęc authoritas ponitur. Secundò ſic: Certum eſt omnibus, quòd ſanctus Baptiſta fuit Sacerdos: quia primogenitus filius Sacerdotis, miſſus à Deo, vt teſtimonium perhiberet de Dei filio, vt patet Ioan. 1. Hic quanquàm Spiritu ſancto repletus tantæ ſanctitatis, quòd Chriſtus eſſe potuiſſet credi, tamen de prædicationis officio ſe intromittere auſus non fuit, donec ſupra auctoritatem ſacerdotalem, etiam nouã diuinam commiſſionem recepit, dum factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto, & tunc primò incepit prædicare, vt patet Lucæ 3. vbi dicit dominus Albertus ſic, quòd ibi data eſt Ioanni auctoritas prædicandi. Nota. dicit ibi datam, ergo priùs non habuit eam, licèt eſſet Sacerdos ſanctiſſimus; dicit eum ibi primò miſſum ad prædicandum, ſine qua ſpeciali miſſione nõ habuiſſet auctoritatem prædicandi, vt dicit. Vnde quatuor ibi exprimuntur, ſcilicet, modus prædicandi verbum, verbum prædicatum, auctoritas iniungentis, & prædicationis ſublimitas. Et conſequenter oſtendit Albertus, quòd etiam iſtud ſe extendit ad omnes alios Sacerdotes, dicens: *Factum eſt verbum Dei.* Ecce auctoritas. Dominus enim miſit eum ad prædicandum, [illegible] non aliter prædicaret, iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Hæc ille. Quid ergo nos dicemus, qui vltra ſacerdotalem ordinationem aliam ſuperiorem auctoritatem volumus?

Luc. 10. Diſt. 21. In nouo, c. 2. Ioan. 1. Luc. 3. Albert⁹ in Luc. c. 3. Rom. 10.

Per legē canonicã. 2. Tim. 2.

Quartò probatur per legem diuinam Canonicam. Et primò ſic. Secunda ad Timotheum 2. cap. *Fili,* inquit Apoſtolus, *confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere:* Gloſſa, *qui idonei ſunt ſcientia, facundia, & vita, alios docere, illis debet prædicatio committi, quia apti reputantur.* Nota, quòd dicit, *commenda,* in textu; & *committi debet,* in gloſſa: non quòd quilibet etiam Sacerdos ſeipſum ingerat, ſed quòd expectet vſque dum ſibi committatur officium prædicationis. Sed diceres, Quis eſt idoneus? Reſpondeo, quòd & ſi hoc certitudinaliter ſciri non poſſit, hoc tamen ex certis ſignis haberi poteſt, quæ ponit venerabilis Auguſtinus de Ancona Eremitarum ordinis in libro de eccleſiaſtica poteſtate, quæſt. 15. art. 2. Primum ſi per eum veritas fidei non peruertatur. Secundum, ſi per eum Eccleſiæ mandatum non cõtemnatur. Tertium, ſi per eum peccatum accuſatione dignum toto conatu fugiatur. Quartum, ſi per eum nouus viuendi ritus non inducatur. Quintum, ſi per eum etiam verbum Dei delectabiliter audiatur. Sextum, ſi per eum caritas proximi non ſpernatur. Septimum, ſi per eum de operibus bonis mundi gloria non quæratur. Et hanc concluſionem noſtram beatus Apoſtolus tam expreſsè declarat de ſe ipſo, 2. Corinth. 10. Vnde arguo ſic: Paulus fuit Sacerdos, Epiſcopus & Doctor gentium. ſed ipſe noluit ſe extendere ad prædicandum, niſi tantùm illuc, vbi fuit à Chriſto ſpecialiter miſſus. ergo nullo modo licet alicui alicubi prædicare, niſi ſolùm in illo loco, vbi miſſum à Deo vel Pręlato ſe poteſt oſtendere. Conſequentia nota eſt. Maior omnibus clara eſt, Minor oſtenderur: Dicit enim ſic: *Nos autem non gloriabimur in immenſum, ſed ſecundum menſuram regulæ, quam menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi vſq; ad vos in Euangelio Chriſti, non enim ſuperextendemus nos in alienis laboribus gloriantes, & in aliena regula.* & increpans eos, qui ſe intromittunt prædicare populis, qui ſunt alijs cõmiſſi, dicit:

Gloſſ. ibi. Aug. de Ancon. q. 15. ar. 2. Quis ſit idoneus Prædicator. 2. Corin.

Non

Non in aliena regula, in his quæ ſunt præparata gloriari. qui autem gloriatur, in Domino glorietur. non enim qui ſeipſum commēdat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Hæc ille. Senſus eſt. *Non gloriabimur in immenſum*, id eſt, non exercebimus poteſtatem prædicandi vltra menſuram noſtrā, quia Deus voluit, quòd ſolis Corinthijs pro tunc prædicaret ſecundùm Ambroſiū, *nec ſuperextendimus*, id eſt, vltra poteſtatem nobis commiſſam, prædicationem noſtram non extendimus. Nam ſuperextendere, ſecundùm gloſſam eſt, vltra quam cōceditur extendi, *vſq; ad vos enim peruenimus*, id eſt, poteſtas nobis conceſſa ad vos ſe extendit. & ita dixit ſe non habere gloriari in alienis laboribus, & in aliena regula, quia non debuit prædicare ſibi non commiſſis, & hoc ex lege diuina.

Ex praxi domini noſtri Ieſu Chriſti.

Eſt ergo ſecundò eadem concluſio deducenda ex praxi Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quam eadem hoc modo oſtenditur cōcluſio; & primò in ſeipſo, ſecundò, in ſuis Apoſtolis. In ſe quidem, cùm ipſe eſſet Sacerdos diuiniſſimus in vtero matris, in primo inſtanti ſuæ conceptionis conſecratus, officium tamen prædicationis nō exercuit, niſi dum vltra omnem auctoritatem ſacerdotalem quodammodò auctorizatus eſſet, ita quòd Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum deſcendit, & vox patris intonuit: *Hic* Luc. 3. *eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*, Luc. 3. Et adie- Matth. 17. cit, *ipſum audite*. Matth. 17. Secundò patet hoc idem ex hoc, quod vt nos doceret, quantumcunque presbyteros doctos & ſanctos non habere ius vel pręceptū alibi prædicandi, niſi Matth. 15. quo poſſemus nos miſſos probare. Ait: *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*, Matth. 15. ſcilicet ad prædicandum perſonaliter, niſi tantùm Iudæis, ſecundùm Gloſſam, licèt per Apoſtolos prædicaret tandē toti mundo. ecce praxis Chriſti in ſe. quis audeat ergo ſibi liberè poſſe vbiq; aſ- 2. ſerere? Secundò idem in ſuis Apoſtolis ſeruauit. & hæc eſt ita clara, quòd meritò ſufficeręt pro omni doctrina. Primò ſic. Nam Dominus noſter ſuos Apoſtolos in Cœna conſe- Luc. 22. crauit in Sacerdotes, dum ait: *Hoc facite in meam commemorationem*. Lucæ 22. Et tamen oſtendit, quòd non ſufficit eis auctoritas ſacerdotij, ad officium prædicandi, niſi eſſent de nouo, & iterum ad hoc miſſi. Ideò poſt ſacerdotium, primo in die Paſchæ miſit eos ad prædicandum, dans auctoritatem, Ioan. viceſimo, &c. dicens: *Sicut miſit me viuens Pater, ita & ego mitto vos*. & illa miſſione non obſtante, vt ſcirent, vbi deberent prædicare, ſcilicet, ne crederent in ſola Iudæa debere permanere, ſicut priùs quando præceperat eis quòd in viam gentium non abirent, iterum miſit illos dicens: Matth. 28. Marc. 16. *Euntes in mundū vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, Mar. & Matth. vltimo. Secundò ſic. Quanquàm Apoſtoli eſſent Sacerdotes, & iam bis miſſi, de nouo ad prædicandum ſcilicet die aſcenſionis, & Paſchæ, nihilominùs adhuc volēs docere, non licere etiam cuilibet presbyterò ſanctiſſimo & doctiſſimo, vbi & quando vellent prædicare, abſque noua ſuperioris commiſſione, quæ fit Spiritus ſancti auctoritate, ait eis in hora ſuæ aſcenſionis. *Ecce ego mittam Spiritum Patris in vos, vos autē ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*: Greg. lib. 3 paſtoral. curæ c. 26. quod tractans beatus Gregor. in ſuo libro tertio paſtorali cap. 26. ait: *Admonendi ſunt ergo, quos à prædicationis officio vel imperfectio, vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit, ne dum ſibi tanti onus officij præcipitatione arrogant, viam ſibi ſubſequentis emendationis abſcindant; Ipſa enim veritas, quæ repentè, quos vellet, roborare poſſet, & vt exemplum ſequentibus daret, ne imperfecti prædicare præſumerent, poſtquàm plenè Diſcipulos de prædicationis virtute inſtruxit, mandauit eis, vt in ciuitate ſederēt, donec induerentur virtute ex alto.*

In c. 24. Luc.

Idem ſanctus Thomas in gloſſa *continua*. Idem Hugo: idem Gloſſa ordinaria. Ecce praxis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Ex praxi Apoſtolorum.

Tertiò probatur concluſio ex praxi Apoſtolica, qua clarè deducitur concluſio prædicta. Et primò ex praxi Apoſtolorum, ex praxi ſeptuaginta duorum Diſcipulorum. Primum arguitur. primò in ſpeciali de aliquibus, ſecūdo in generali de omnibus. Quantum ad ſpecialem praxin quorundam Apoſtolorum, patet, licèt presbyteri eſſent, non tamen alicubi prædicauerūt, niſi quo ſpeciali Dei vel B. Petri ſummi Pontificis auctoritate fuiſſent miſſi.

Et primò hoc beato Petro accidit, de quo dicit Martinus in Chronica cap. 3. quòd ipſe adhuc viuens in carne ſibi duos ſubſtituit, qui ambo presbyteri fuerunt, ſcilicet Linus & Cletus, volens quòd ipſi curæ omnium Eccleſiarum intenderent, ita ſcilicet, quod non prædicarent, ipſe verò Petrus verbi Dei Prædicationi & orationi ac contemplationi inſiſterent. Præterea Paulus licèt à Chriſto miſſus, licèt Vas electionis, & Sacerdos ſanctiſſimus, imò Angelus terreſtris, & homo diuinus, ſecundùm Dionyſium, ſcribit ſe nō fuiſſe auſum, ſed prohibitum prædicare in Aſia à Spiritu ſancto, qui etiam eum, quò minùs intendit, miſit ad Macedones, vt ibi prædicaret, Actor. 16. Demùm idem ſanctus Apoſtolus multos presbyteros ſecum habuit, ſed nullum ex his miſit Corinthijs ad prædicandum, niſi ſolum Timotheum, qui licèt presbyter eſſet, tamen miſſionem Apoſtoli exſpectauit, nec quiſquam aliorum ab Apoſtolo non miſſorum adiuit, ne mittentis conculcaretur auctoritas, & extolleretur miſſionis vtilitas, vnde dicit primo ad Corinth. 4. *Miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus cariſſimus & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas in Chriſto Ieſu.* quaſi dicat ſecundùm B. Auguſtinum in libro ſermonū Domini in monte ſerm. 49. *Neminem enim habeo tam inibi vnanimem qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit. Nónne*, inquit, *cum illo multi erant? Sed quid ſequitur? Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, & ego Paſtorem vobis mittere volui, non mercenarium. Nam multi mercenarij ſunt, & vix inuenit Paulus vnum Paſtorem, quem mitteret inter multos mercenarios, quoniā pauci Paſtores, multi mercenarij.* Hæc ille. Ex quo claret expreſsè, quod Apoſtolus ſibi reſeruauit auctoritatem mittendi Prædicatores, quos vellet, & non mittendi, quos nollet, licèt Sacerdotes eſſent, hi qui ſecum erant, ita & nunc fit in Eccleſia, dum Prælatus deliberat ex multis bonis, quem mittere ad prædicandum placeat. Vltimò B. Marcus Euangeliſta noſtris presbyteris vtique non inferior; Sacerdos fuit & non minùs conſcius ſecretorum Dei, qui quanquàm Euāgelium ſcripſerat, adbuc miſſionem Petri expectauit, cuius ipſe diſcipulus fuit. Vnde venerabilis Beda in expoſitione primæ Canonicæ Petri ſuper illo. *Salutat vos Marcus filius meus chariſſimus*, dicit, *Marcum filium nominat, quia eius baptiſmate dicitur filius effectus. Vnde patet*, inquit, *quòd prius quàm Marcum de Roma Alexandriam ad Euangelizandum mitteret, Epiſtolam ſcripſerat, tempore autem Claudij Principis, & Petrus & Marcum Romā venerunt, & ipſe Marcus deſcripto Roma Euangelio ſuo, Alexandriā miſſus eſt.* Hæc Beda.

Ecce praxis Apoſtolorum ſpecialis, docet vltra Sacerdotij auctoritatem requiri ſuperioris miſſionem. Idem dixi ex praxi eorundem deducendum generali. Deducit namque Dominus Patriarcha Petrus de Palude ordinis mei Prædicatorum Theologus & Iuriſta eximius, in tractatu de Eccleſiaſtica poteſtate, articulo ſecundo, concluſione ſecunda. Quòd, quamuis Apoſtoli ante Chriſti paſſionem fuerunt regimini Chriſti, immediatè ſubiecti, tamē poſt glorioſam eius aſcenſionem in prædicando, abſoluendo, baptizando, fuerunt ſummo eorum Pontifici Petro ſubiecta, non ſolùm Chriſti inſtitutione, qui cum omnibus præfecit, dicens: *Paſce oues meas*; Sed etiam Apoſtolorum volitione, quoniā ipſi Apoſtoli voluerunt, beatum Petrum eſſe ſummum Pōtificem eorum, vt dicunt Hugnio & Archidiaconus, & eſt textus diſtinctione 22. *Sacroſancta* Quid mirum? nam dixerat Dominus, *Fiat vnum ouile & vnus paſtor*. Ioan. 10. Et hunc vnum deſignans ſoli Petro ait: *Paſce oues meas*: ergo ex tunc, nullus niſi auctoritate Petri, habuit oues paſcere, nec regere vbicunque. Vnde ipſius auctoritatis fuit vocare alios in partem ſolicitudinis, ſcilicet paſtores, quemadmodum ipſe ordinauit de ſucceſſore Iudæ in Apoſtolatu, quanquàm Apoſtolis alijs dederit electionem, & omnia cum conſenſu diſpoſuit Apoſtolorum, ſicut nunc Papa de conſilio confratrum ſuorum Cardinalium. Similiter ipſius officij fuit de Diaconibus, Officialibus, & Prædicatoribus, ordinare & eos in officia mittere, licèt electionem alijs voluerit committere, ſicut fecit, dum ait: *Conſiderate ex vobis viros boni teſtimonij*, & elegerunt Stephanum primum Primicerium ſeptem Diaconorum, Actorum 6. ſicut etiam Moyſes conſtitutos ſub ſe Principes, quamuis per ſe potuiſſet eligere, tamen electionem populo commiſit. *Date ex vobis viros, &c.* Deuteronom. primo. Vnde omnis electio & inſtitutio ad aliquam rectoriam, pro tunc in tota Dei Eccleſia

oportuit fieri à Petro, & deinceps ab eius ſucceſſore, vt dicit Clemens Papa ſucceſſor beati Petri diſtinct. 80. *In illis*. Idem dicit ſanctus Thomas quarto ſententiarum diſtinct. 19. articu. 1. ad primum, quòd licèt poteſtas ordinis æqualiter collata Apoſtolis, tamen poteſtas iuriſdictionis nõ eſt data eis niſi præſuppoſita auctoritate diſtributiua Petri, ita quòd omnia facerent ſecundùm eius ordinationem. Item contra gentiles, libro quarto, cap. 76. Idem oſtendit per hoc, quod ſoli Petro dictum eſt poſt paſſionem, *paſce oues meas*. Et ante paſſionem, *& tu conuerſus, confirma fratres tuos*, & quia ſibi ſoli promiſit claues regni cœlorum, prout glorioſiſſimè deducit ibidem, & concludit, dicens: *per hoc concluditur quorundam præſumptuoſus error, qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia & ſubiectione Petri, ſucceſſorem eius Pontificem Romanum vniuerſalis Eccleſiæ paſtorem non recognoſcentes*. hæc ille. Idem Hugutio & Archidiaconus in c. *Ita Dominum*. Idem dominus Cameracenſis, qui in tractatu de ecclesiaſtica poteſtate, enumerat ſex genera poteſtatum, concludit, omnes æqualiter datas Apoſtolis, vltima dempta, quæ eſt poteſtas diſtributionis ſoli Petro commiſſa. Omnem ergo poteſtatem prædicandi, baptizandi, & ſimiles receperunt Apoſtoli à beato Petro, poſt aſcenſionem Domini, non quo ad auctoritatem, quia illam à Chriſto receperunt, ſed quo ad authoritatis executionem, ne quis mitteret falcem in meſſem alienam ſpiritualiter aut temporaliter: vnde eius fuit diœceſes diuidere, vnicuique ſuam aſſignare. Nec obſtat, quòd Chriſtus eos miſit in orbem vniuerſum, quia ipſe indiſtinctè miſit, diſtinctionem verò Petro reliquit. ſicut Ioſue diuiſit terram in funiculo diſtributionis, quam tamen non ipſe, ſed Dominus dedit, ita beatus Petrus eccleſiam diſtribuit, quam tamen nõ Petrus, ſed ſolus Chriſtus proprio ſanguine ſuo acquiſiuit vnde dicit gloſſa 2. Corinth. 10. *menſura enim Dei factum eſt quod partitum erat vnicuiq;, ad quos in prædicatione dirigeretur, vt ſinguli aliquos populos haberent proprios, de quorum fide gloriarentur*. Ecce praxis Apoſtolica quàm expreſsè eſt pro concluſione noſtra. Idem duxi deducendum per praxim 72. diſcipulorum, illi enim non leguntur à Domino miſſi, niſi ante eius paſſionem, & tunc tantùm in Iudæa non ita amplè ſicut Apoſtoli, qui fuerunt per totam Iudæam miſſi, ſed reſtricti, ne alibi prędicarent, niſi quo Chriſtus venturus erat perſonaliter ad prædicandum, vt patet Luc. 10. vnde ipſi poſt Chriſti aſcenſionem, vt prædicarẽt, leguntur per Apoſtolos ad hoc officium de nouo electi, vt dicitur 21. diſtin. *in nouo. videntes*, inquit, *Apoſtoli meſſem multam, id eſt, totum mundum verbo Euangelij illuminandum, & operarios paucos, quia ipſi pauci erant pro tanta multitudine conuertenda, rogauerunt dominum, vt mitteret operarios in meſſem ſuã. & ipſi elegerunt 72. diſcipulos, & miſerunt eos ad prædicandũ*. vbi dicit Hugutius, quod Dominus in veteri teſtamẽto Leuitas per ſe inſtituit, ſed in nouo per Apoſtolos, diſt. 93. *diaconi*. Ex quo patet concluſio aſſumpta ex praxi Apoſtolorũ, & 72. diſcipulorũ, ex quibus Euſebius in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica lib. 2. c. 1. dicit, quòd Dominus poſt reſurrectionem ſuam Petro & omnibus Apoſtolis omnem ſcientiam tradidit, qui eam vlterius 72. diſcipulis tradiderunt. hæc ille.

Quartò probatur hæc concluſio ex praxi Eccleſiæ primitiuæ, à cuius ergo exordio inchoantes, ipſe B. Clemens qui fuit immediatus ſucceſſor S. Petri, quem B. Petruſmet in ſummũ Pontificem erexit, in articulo mortis ſuæ hęc ſcribit in epiſt. ſua ad Iacobum Ieroſolymorum Epiſcopum in fine epiſtolæ, dicẽs, nullum presbyterum in alicuius epiſcopi parochia aliquid agere debere abſq; eius permiſſu, cũctos etiã presbyteros proprijs Epiſcopis, in omnibus abſq; mora obedientes, inſtituente Dño, eſſe debere docebat: hæc ille. Hinc B. Dionyſ. Areopagita diſcipulus B. Pauli diſtinguens tres actus Hierarchicos attribuit diacono, purgare, illuminare presbytero, ſed Epiſcopo perficere: ita quod in primitiua Eccleſia diconus dicebatur baptizandos purgare, id eſt, exorcizare. Sed presbyter illuminauit dum baptizauit, non enim intelligitur ibi illuminare, id eſt, prædicare. Sed dicitur baptizatio illuminatio, quia baptizato diuina lumina communicantur, quæ ſunt habitus virtutum theologicarum fidei, ſpei & charitatis, quæ ibi infunduntur ſecundùm expoſitionem Alberti M. ſed ſolius Epiſcopi erat baptizatum perficere, id eſt, prædicare & confirmare. ita exponunt commentatores c. 5. in Eccleſiaſt. Hierarchia. Poſt hoc Papa Martinus in Chronica, & habetur 23. q. 1. *Eccleſias ſingulas*, qui ſedit anno Domini 270. cùm prius non eſſent niſi parochiæ & plebani erant * oues Epiſcopi, ipſe diſtinxit parochias ab epiſcopatibus & diœceſes à prouincijs, dans ſingulos ſingulis presbyteros, mandans vt ſinguli ſuis terminis contenti eſſent, & alienos nõ vſurparent, quanquàm multi presbyteri tunc eſſent. Ex quo patet clarè, praxin Eccleſiæ primitiuæ pro concluſione aſſumpta ſententiare.

Quintò, hæc concluſio probatur per concilia antiqua & per omnia idem oſtenditur nobis libr. 5. de hæreti. cap. *cùm ex iniuncto*. ex Concilio Lateranenſi habetur ſic. *ſicut multa ſunt membra vnius corporis, omnia verò non eundem actum habent, ita ſunt ordines in Eccleſia diuerſi, ſed non habent omnes eundem actum ſeu idem officium. Nam ſecũdùm Apoſtolum, alios dedit Dominus Apoſtolos, alios Prophetas, alios doctores; Cùm ergo doctorum ordo ſit quaſi præcipuus in Eccleſia, non debet ſibi quiſquã indifferenter prædicationis officium vſurpare. Nam ſecũdùm Apoſtolum, quomodo prædicabunt niſi mittãtur? & veritas ipſa præcepit, rogate Dominũ meſſis, vt mittat operarios in vineam ſuam*. & in c. *excommunicamus. quia verò*, dicitur ſic. *omnes qui prohibiti, vel nõ miſſi, præter auctoritatem ab Apoſtolica ſede, vel loci Epiſcopo ſuſceptã, publicè vel priuatim ſibi prædicationis officium vſurpauerint, excommunicationis vinculo nodentur, & niſi quamtocius reſipuerint, alia competenti pœna plectantur*. hæc ille. notate hæc verba, ſignate myſteria. idẽ habetur ſententialiter ex cõcilijs generalib. vt patet diſt. 71. & 72. ex Concilijs Carthaginenſibus, primo, quarto & quinto, Antiocheno & Romano, & Mileuitano, vbi præcipitur in omnibus iſtis, quod presbyteri vel diaconi, aut in quocunque ordine Eccleſiaſtico conſtituti fuerint, ſi receſſerint de Eccleſijs ſuis, non debeant ſuſcipi in aliena Eccleſia, ſed cogi etiam per excommunicationem, vt inde exeant, & ad ſuas redeant. Idem dicitur 7. q. 1. Epiſcopi, ex Concilio Carthaginenſi. Epiſcopi vel presbyteri ſi cauſa *viſitandi ad Eccleſiam alterius Epiſcopi veniunt, in ſuo gradu. id eſt, honore ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem conſecrandam inuitentur*: gloſſ. Hugucij & Archidiaconus, *quòd niſi inuitentur, eis non licet*. 9. quæſt. 2. *Nullus primas*. Vnde presbyteri debent ſecum gerere literas dimiſſorias Epiſcopi, aliàs nõ debent recipi, nec ad quidquam admitti. diſtin. 71. *hortamur*. Et ſic patet concluſio noſtra per ſacra Concilia.

Loco ſexto ſi imploraueritis dicta doctorum, in lege Dei veraciter ſe fundãtium, inter multa pauca pro nunc adducam, reſidua poſt allegaturus partim. Sit primus B. Ambroſius, ſuper epiſtolam ad Epheſios, dicẽs, *vt creſceret plebs, & multiplicaretur inter initia omnibus conceſſum eſt, & euangelizare & baptizare, & ſcripturas in Eccleſia explanare. At vbi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conuenticula conſtituta ſunt, & rectores, & cætera officia in Eccleſiis ordinata*. Sequitur. *quaſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res res & viliſſima videretur*, hæc ille. Secundus beatus Gregorius, & aſſumitur 6. q. 3. *ſcriptum eſt in lege per alienã meſſem tranſiens falcem mittere non debes, ſed manu ſpicas conterere, & manducare. Falcem ergo iudicij mittere non debes in meam ſegetem, quæ alteri videtur eſſe commiſſa, sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum ſuorum paleis expolia. & in Eccleſiæ corpus admonendo & perſuadendo quaſi mãdendo conuerte*. quod exponit gloſſa Hugucij & Archidiaconus, ad literam de prædicatione verbi Dei, quam nemo debet in Eccleſijs exercere quaſi ius habens in eis, abſq; licentia prælati Eccleſiæ illius, ſed benè poteſt tranſeundo aliqua verba ædificatoria occurrentibus dicere, & ſic eos in hortum Eccleſiæ, quaſi mandendo corroborare. Sit tertius beatus Bernardus ſuper Cantica, ſermone 64. inquiens, *nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron. Et Apoſtolus ait, quomodo prædicabunt niſi mittantur? & ſcimus monachi non eſſe officium docere, ſed lugere. Ex his ſimilibuſq; collectis mihi texo rete, & capio vulpem, ne demoliatur vineam. claret namq; & certum eſt, quòd prædicare nec * publicè conuenit monacho, nec nouitio expedit, nec non miſſo licet. Porrò contra hæc tria venire, quanta conſcientiæ demolitio eſt? ergo quicquid tale ingeratur animo, ſiue illud ſit tua cogitatio, ſiue immiſſio per Angelum malum, doloſam agnoſce vulpeculam, & malum ſub ſpecie boni*. hæc ille. Sit quartus S. Thomas, qui quodlibet. 12. quæſt. 17. iſtam materiam determinat, & quæſtionem in

Marginal notes (left): …diſtin. 80. … illis c. 2. … Clemẽs ad Iacob. e… … The. 4. … ſentẽ. diſt. … 1. q. 1. art. … add. 1. … em lib. 4. … contra gentiles, c. 76. … Ioan. 21. … Luc. 22. … Matt. 16. … diſt. 19. Ita Dominus … 7. … eo Papa … poſt. 78. … Cor. 10. … o. ordinaria ibidem. … Luc. 10. … diſt. 21. in nouo. c. 2. … diſtin. 93. diaconi. … Euſeb. lib. … c. 1. … Ex praxi eccleſiæ primitiuæ.

Marginal notes (right): Dionyſ. c. 5. Eccleſ. Hierar. Dionyſ. … habetur 23. q. 1. Eccleſias ſingulas, … c. 1. * alias lo… … habe… omnes. Dionyſ. epiſt. 8. Ex cõcilijs antiquis. De hæreticis cũ ex iniuncto, l. … 7. c. 12. Epheſ. 4. Roman. 10. Luc. 10. Lib. 5. de hæreticis. Excommunicamus, … c. 9. §. Quia verò. 7. q. 1. Epiſcopi, c. 18. 9. q. 2. Nullus primas. diſtin. 71. hortamur c. 8. Ex doctrina doctorum. Ambroſ. in 4. c. ad Epheſ. 6. q. 3. ſcriptum eſt c. 1. reſpõſ. 9. ad Auguſtinum. Deut. 23. Bernard. in Cantic. Serm. 64. Heb. 5. Rom. 10. * publicè in textu impreſſo non habetur. S. Thom. Quodlibetico 12. q. 17. art. 19.

terminis proprijs mouet, an ſcilicet liceat prædicare cuicunque abſque licentia Prælati ſuperioris, & reſpondendo dicit, quòd nullus quantumcunque doctus vel ſanctus, debet prædicare abſque Prȩlati auctoritate, quia nullum agens natum eſt agere niſi ſuper determinatam materiam, ſibi miniſtratam, prædicatio autem publica reſpicit totam Eccleſiam. Tota autem Eccleſia & cura publica Eccleſiæ Prælatis eſt commiſſa, & ideo nullus debet exercere, quòd requirat auctoritatem publicam, niſi auctoritate prælati. hæc ille. Sit quintus doctor ſolennis, licèt modernus, Henricus de Haſſia, qui parte vltima ſuper Geneſim dicit, quod prædicatio non permittitur, niſi miſſis, ſcilicet vltra gradum ſacerdotalem, ſpecialiter à Deo tantùm, vel à Deo per hominem, ſecundùm illud ad Romanos 10. *quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Alioquin pſeudoprædicatores nõ eſſent prohibendi, cùm tamen & ipſi prædicent in nomine Chriſti, & plerunq; idem quod veri prædicatores, vt clarum eſt. *Inſuper*, inquit, *& ſi facientes miracula in nomine Chriſti, nõ debent prohiberi, quia nullius vſurpant officium, nec cuiquam iniuriantur, tamen publicæ prædicationes in diœceſibus alienis, abſq; canonica miſſione prohiberi debent, quoniam Epiſcoporum & curatorum presbyterorũ vſurpant officium, & eis iniuriantur.* & poſteà declarat, quomodo dicentes ſe miſſos à Deo, tenentur hoc probare per ſcripturam, vt Ioannes, vel per miracula, vt Moyſes, prout iam dictum eſt, ex conciliorum determinatione. Sit ſextus venerabilis Auguſtinus de Ancona in de eccleſiaſtica poteſtate, q. 64. art. 2. dicens, quod nec Epiſcopis nec presbyteris liceat prædicare, niſi miſſis eis ſpecialiter auctoritate Papȩ. Nam actus prædicationis, eſt actus iuriſdictionis, licèt nõ coactiuæ, ſed omnis iuriſdictio à Papa dependet, cuius eſt ſignum, quod ipſe cuilibet Epiſcopo ſuam præfigit diœceſim, & auctoritate ſua quilibet plebanus ſuam & ſibi commiſſam gubernat Eccleſiam, ergo ſicut abſque auctoritate ſuperioris, nec ipſi ſunt diœceſani, nec plebani curati, ita nec ſine auctoritate Papæ conuenit eis prædicare. Sit pronunc ſeptimus honorabilis Thomas de VValden Anglicus, qui per omnia quaſi in proprijs terminis cõcordat prout patebit inferiùs. Ad idem ſunt omnes poſteà in corollario allegandi, ad idem ſunt omnes prius per alios indices allegati, & prout præmiſi, nõ credatis nos in ſententia concurrere, quia ambo dicimus, quod ſacerdos vel diaconus ad hoc quòd prædicet debet eſſe miſſus, ſed in hoc differimus, quod vos dicitis, quòd illa miſſio fit ex mandato Domini, & ex miniſterio Epiſcopi in collatione ordinis diaconatus vel ſacerdotij, & contra hoc militant quæ dicta ſunt, & quæ dicentur, reprobabunt illud.

Henricus de Haſſia.
Rom. 10.
Aug. de Ancona, de eccleſiaſtica poteſta. q. 64 art. 2.
Thomas VValdenſis.

Octauus ſit VVilhelmus Epiſcopus Pariſienſis in ſuo ſacerdotali, dicit quòd autoritas prædicandi presbytero non datur, niſi dum cura animarum ſibi cõmittitur. hoc enim officium eſt curæ animarum annexum. Nunquàm enim dicitur eis in ſua ordinatione, ite, docete, ſeu prȩdicate; docere enim ſeu prædicare ſpeciale eſt officium Epiſcopòrum, propter quod in ſuis conſecrationibus dicitur eis, ite, prædicate populis. Epiſcoporum etiam eſt, doctores in diœceſibus conſtituere, quia nulli licet prædicare in quacunq; diœceſi, niſi de mandato Epiſcopi. hæc ille.

Guilielm⁹ Pariſiẽſis.

ISTA pro tanto conſcripſi, quia horum oppoſitum directè in veſtris præſentatis ſcriptis reperi, dixiſtis enim in vna cõcluſione, quòd quilibet prædicator verbi Dei debet eſſe miſſus. & in notabili ſuper termino, *liberè* dixit proponens quòd talis miſſio ſeu licentia datur per miniſterium Epiſcopi & à domino, quando ad ordinem diaconatus vel presbyteratus quis promouetur. concluſiſtis ergo, quòd ex mandato Chriſti tenentur prædicare, nec poſſent ab vllo prohiberi, & ne videretur hoc mirabile, direxiſtis ad rationes, quas facitis conſequenter ad probandum oppoſitũ eorum, quæ dixi, ad quas reſpondebo hoc modo. Prima fuit hæc: ſacerdos Domini, ſpiritu IESV inſtigante, poteſt ſine ſpeciali Epiſcopi licentia aut Prælati prædicare verbũ Dei, ergo ſibi licet. tenet conſequentia, quia *oportet magis obedire Deo quàm hominibus*. Act. 5. Reſpondeo, quod aſſumptum verum eſt, ſi aliquis ſacerdos ſe à ſpiritu IESV inſtigatum ad prædicandũ probare poteſt. *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint*. Circa iſtã materiã qua quidã dicunt ſe ſpiritu Ieſu inſtigari ad præicandũ, notãdum quod valdè dubioſum eſt & periculoſum homini ſemper ſe præſumere inſpiratũ à Spiritu ſancto ſciendũ, quod ſecũdùm B. Thomã 2. 2. q. 171. art. 5. mẽs humana inſpiratur à Spiritu ſancto dupliciter: vno modo per expreſſam reuelationẽ, puta per ſpiritum propheticæ, vel per domũ diſcretionis ſpirituũ, & qui hoc modo inſpiratur, certiſſimus eſt quod nõ decipitur, veruntamen vt prædixi, nec iſti miſſioni credere tenẽtur alij, niſi probet ſe ſic miſſum per ſcripturam, vel miraculum, *de hæreticis, cùm ex iniuncto*. Alia eſt inſpiratio per internam inſtigationem, quæ vocatur inſtinctus, quem interdum etiam neſcientes humanæ mentes patiuntur, vt dicit beatus Auguſtinus lib. 2. ſuper Geneſin. & diſtinguere, an talis inſtinctus ſit à Deo, an à Diabolo, tam eſt difficile, vt vix aliquis viuẽs in hoc ſemper poſſet eſſe certus, vt dicit B. Bernardus ſuper Cantica, hom. 23. & hoc propter motionem mentis noſtræ, & Spiritus ſancti maximam ſimilitudinem, & Angeli Sathanæ in Angelum lucis transfigurationem. Vnde quàm ſtultum ſit ſemper credere tales inſtinctus à Deo veniſſe, patet ex hoc, quòd etiam Prophetæ decepti ſunt nonnunquàm, putantes eſſe ſpiritum Dei, cùm ſpiritus proprius loqueretur, vt dicit beatus Gregorius ſupra Ezechielem. ſunt tamen aliqua ſigna, quibus diſcerni poteſt an ſit inſtinctus à Deo. Primum ſi ſit conformis diuinis ſcripturis. vnde dicit beatus Gregorius moralium 23. ſuper illo Iob 33. *Semel loquitur Deus & idipſum ſecundò non repetit, hoc eſt dicere, Deus ſingulorum cordibus priuatis vocibus non reſpondet, ſed tale eloquium conſtruit, per quod cunctorum quæſtionibus ſatisfacit, in ſcriptura quippe eius eloquio, cauſſas noſtras ſinguli ſi requirimus, inuenimus.* hæc ille. Secundum, ſi talis motio approbatur ſpiritualium virorum, & maximè Prælatorum iudicio, ſecundùm Bernardum, propter hoc Paulus etiã poſtquàm reuelationem Chriſti habuit, mittitur ad Ananiam, Cornelius ad Petrum, ſic Eunuchus inſtruitur per Philippum, vt approbationem & iudicium virorum ſpiritualium requirere doceremur, ſicut de hoc pleniùs in collatione Patrum habetur. Tertium eſt affectus, quem talis interior motio cauſat. Nam ſpiritus diuinus facit hominem intus humilem, flexibilem.

Reſpõſio ad primũ argumentũ aduerſarij.
Acto. 5.
1. Ioan. 4.

Spiritus Diabolicus præſumptuoſum & pertinacem. Nam ſunt viæ Diaboli, ſecũdùm beatum Bernardum, ſuper illud Pſalmiſtæ. *Qui habitat*. Quartum eſt ordo inſpirandi, quia ordo commotionis Spiritus ſancti eſt, quod loquitur primò in turbine, facit hominem pauidum, timoratum & percuſſum, & propriam fragilitatem cognoſcere, & poſteà erigit in ſpem. Econtrà autem diabolicus ſpiritus, vt dicunt gloſſæ Luc. 1. & Matth. vlt. de terrore boni Angeli, qui virginem beatiſſimam Mariam ſalutando, & mulieres terruit circa ſepulchrum. Quintum eſt ſecundum circumſtantias perſonæ, ſi inſtinctus non trahat ſupra propriam * perſonã, & contra debitum ordinem perſonarum, inter quas viuit. nam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, ad Rom. 13. Sextum, ſecundùm circumſtãtias perſonarum, inter quas viuit, ſi charitatem non infringit, ſi pacem non turbat, vt beatus Bernardus reſpondit cuidam Abbati, qui ſe putabat ſpiritu Dei moueri. Multa talia ſigna poni poſſunt non tanquàm certæ ſcientiæ, ſed tanquàm quædam coniecturæ, quia, vt dictum eſt, ſcientiã de talibus vix aliquis habere poteſt. Vnde Iob 9. *ſi venerit ad me, non videbo eum, & ſi abierit, non intelligam.* vbi dicit beatus Gregorius. *donec rerum alternantium finis neſcitur, acceſſus receſſusq; diuinus ignoratur. Spiritus enim vbi vult ſpirat, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat, ideo periculoſum eſt omni ſpiritui credere, ſed probandi ſunt ſpiritus, ſi ex Deo ſint*, docet B. Ioannes Euangeliſta.

Si ergo quæris, quis inſtinctus ad prædicandum, & lucrificandũ animã proximi diuinus poſſit dici. Reſpondeo, ꝙ hoc ex quinq; poſſint diſcerni. primũ eſt, ſi illi ſic moti nõ mouentur ex affectu & deſiderio proprio, ſed quantũ in ipſis eſt ſemper deſiderãt ſibi vacare, & nequaquàm officio prædicationis deſeruire, ſed neceſſitatis charitate, vel ſuperioris imperio, ad hoc coguntur, arrogãtes verò & appetitu laudis vanæ mouentur, ſeipſos ingerunt, & occaſionẽ quærunt, vt loqui & docere poſſint, nec expectant, donec vtilitas exigat vel neceſſitas requirat. Secũdum eſt, quòd illi, qui benè afficiuntur, non ſe eſſe ex hoc alijs meliores, reputant, eo quòd ipſi alios docet, ſed ſe magis reputant, ſicut veraciter ſunt, in maiori periculo, arrogantes autẽ peccatores alios

deſpiciunt, ſe cunctis ſapientiores & meliores reputantes. His duobus dicit beatus Gregorius 13. moralium. *Sancta vniuerſalis Eccleſia ſpiritualis quiſque prædicator, in cunctis quæ dicit ſolerti cura ſe inſpicit, ne in eo quod rectè prædicat, vitio ſe elationis extollat, ne vita à lingua diſcordet*, & infrà, *indignum ſe omnibus iudicat, etiam cùm dignus cunctis viuat, ſcit enim, quòd bona, quæ innoteſcunt hominibus, ſine periculo vix eſſe poſſint, & quamuis ſapientem ſe eſſe ſentiat, vellet tamen eſſe ſapiens nec videri, atq; ſibi hoc omnimodò quod loquendo proditur, pertimeſcit, & ſi liceat tacere, appetit, dum eſſe multis* [illegible] *ſilentium cernit, eosq; ſe feliciores putat, quos intra ſanctam Eccleſiam, locus inferior per ſilentium occultat, & tamen vt ſanctam Eccleſiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex neceſſitate quidem officium locutionis ſuſcipit, ſed ex magno deſiderio otium taciturnitatis quærit, hoc ſeruat voto, illud exercet miniſterio, hanc autem docendi formulam arrogantes ignorãt. Neq; enim loquuntur, quia cauſa eueniunt, ſed quia cauſas venire appetunt, vt loquãtur.* hæc Gregor.

S. Gregor. lib. 23. moralium c. 4.

3\. Tertium eſt, quando quis magno affectu accenditur ad prædicandũ, cuius tamen ſtatui repugnat publicè prędicare, ſed magis incumbit in ſolitudine vacare, ſicut monachis multis, quorum officiũ eſt plangere, nõ docere, ſecundùm B. Hieronymum.

S. Hieron. aduerſus Vigilant. c. 6.

Quartum eſt, ſi aliquis debilis, & nondum à concupiſcentijs * exercitatus & in humilitate fundatus inſtigetur ad prædicandum volens alijs proficere, & ſe negligere.

4\. Vnde B. Bernard. ſuper Cantica, ſerm. 81. *quod tuum eſt ſpargis & perdis, ſi prius quàm infundaris tu, totus ſemiplenus feſtinas effundere contra legem agens in primogenito bonis, & ouis primogenita tondens. Nimirum vita atq; ſalute, quam alteri das, te fraudas, dum ſana vacuus intentione, gloria inanis vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, & lætali apoſtemate turgens interis.* hæc Bernardus.

** forſan extricat⁹.*

Bernard. ſerm. 18. ſuper Cantica.

Deut. 15.

5\. Quintum eſt, ſi affectus hominum ingerit ad prædicandum, qui nec à Prælatis miſſus eſt, nec à Deo, ſiue per vocationem ſpiritualem, & de his tribus vltimis dicit B. Bernardus ſuper Cantica, ſerm. 64. *claret namq; & eſt certum, quod publicè prædicare monacho non conuenit, nec nouitio expedit, nec nõ miſſo licet. Porrò contra hæc tria venire quanta conſcientiæ demolitio eſt? ergo quidquid tale animo ſuggeritur, ſiue illud ſit tua cogitatio, ſiue immiſſio per Angelum malum, doloſam agnoſce vulpeculã, id eſt, malum ſub ſpecie boni.* hæc ille.

Bernar. ſuper Cãtica ſerm. 64.

Et notandum quòd vbi omnia hæc concurrunt, diſcerni poteſt, an inſpiratio à Deo vel Diabolo prouenerit ſecundùm humanam cõiecturam, non ſecundùm neceſſariam ſcientiam. Sed tria vltima ſunt manifeſta diabolicæ inſpirationis indicia. Et ſic patet, quòd ſit dicendum ad argumentum, vbi aſſumitur, Sacerdos ſpiritu Ieſu inſpiratus, poteſt prædicare, nolente Prælato quocunque. Oſtendãt ſe inſpiratos, & credimus eis. Si quæritur, qualiter hoc probari debet, dicò, quòd per miraculum, aut ſcripturæ ſacræ teſtimonium. & hoc probo multipliciter. 1. ex veteri teſtamento. nam Exo. 3. dum Dñs mitteret Moyſen ad denunciandum Pharaoni eius voluntatem, ait Moyſes, *quod ſignum oſtendis mihi, vt credant mihi Pharao & filij Iſrael, quòd me miſeris?* ſtatim virtutem miraculorum Dominus ſibi dedit, vt virgam in colubrum, & econuersò transformare poſſet.

Indicia veri prædicatoris.

In nouo: ex praxi Chriſti in ſe & in ſuis Apoſtolis. In ſe, quia cum dixit, *ego ex Deo proceſſi, & veni in mundum, neq; enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit*, Ioan. 8. volens oſtendere, quomodo hoc eſſet verum, primò direxit * idẽ ad ſcripturas dicens, Ioan. 5. *Scrutamini ſcripturas, illæ teſtimonium perhibent de me.* quæ autem fuerint illæ Scripturæ, oſtendit ipſe Lucæ vltimo, dum aperit diſcipulis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, dicens: *Oportet impleri omnia quæ ſcripta ſunt de me, in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis*, & quia ad ſcripturarum teſtimonium non attenderẽt, vt eſſent inexcuſabiles, fecit opera miraculorum, quibus debebant ipſum credere à Deo miſſum, ait enim, *ſi opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationẽ non habent de peccato ſuo.* Ioan. 15.

Ioan. 8.

Ioan. 5.

** forſan eoſdem*

Luc. 24.

Ioan. 15.

Ecce quomodo ſaluator docuit, quòd quicunque ſeſe à ſpiritu Ieſu inſtinctum ad prędicandum dicit, hoc probare tenetur miraculis, vel ſcripturis de ſe conſcriptis. Idem in ſuis Apoſtolis idem practicauit. Nam vt ſtatim dum eos miſit, virtutem miraculorum eis tribuit dicens, *infirmos curate, leproſos mundate, &c.* Matth. 10. Eadem etiam fuit praxis Apoſtolorum, qui ſuam nouam doctrinam confirmârunt per miraculorum cõſummationem. vnde Marci vltimo. *illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperãte, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Matth. 10.

Marc. 16.

Ita beatus Paulus ait Corinthijs: *ſigna apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, ſignis & prodigijs & virtutibus*, hoc eſt, apoſtolatus ſui in vobis ſigna monſtrauit, per patientiam in moribus, & prodigia in ſignis, ſecundùm beatum Hieronymum. Hoc promiſit certitudinaliter Propheta dicens, *Dominus dabit verbum euãgelizantibus virtute multa*, id eſt, virtute fidei & miraculorum, ſecundùm expoſitionem Caſſiodori. hęc determinatio Concilij Lateranenſis in cap. *cùm ex iniuncto, de hæreticis*, dicens, *quòd ſi fortè quis argutè reſpondeat, quia tales inuiſibiliter mittantur à Deo, etſi non viſibiliter mittantur ab homine, cùm inuiſibilis miſſio multò ſit dignior quã viſibilis, & diuina longè ſit melior, quàm humana, poteſt rationabiliter reſponderi, quòd cùm illa interior miſſio ſit occulta, non ſufficit cuiquam nudè tantùm aſſerere, quòd ſit miſſus à Deo, cùm hoc quilibet hæreticus aſſeueret, ſed oportet quòd aſtruat illam inuiſibilem miſſionem per operationẽ miraculi, vel ſcripturæ teſtimoniũ ſpeciale. Vnde cùm Dominus mittere vellet Moyſen ad filios Iſrael in Aegyptum, vt crederent ei, quòd mitteretur ab ipſo, dedit ei ſignum, vt mutaret virgam in colubrum, & virgam iterum reformaret. Ioannes quoq; Baptiſta, ſpeciale ſuæ miſſionis teſtimonium protulit de ſcripturis, dicens: Ego vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta.* Hæc iſte. Et ſic patet ſolutio ad primum.

2. Cor. 12.

Hieron. in c. 12. 2. ad Cor.

Pſal. 67.

c. cùm ex iniuncto, de hæreticis, lib. 5. c. 12.

Ioan. 1.

Eſa. 40.

Secunda ratio fuit hæc: Ligius homo ſub poteſtate regia cõſtitutus, ſpiritu Dei inſtigatus, poteſt dare eleemoſynam corporalem indigenti ſine ſpeciali licentia Regis, ergo multò magis ſacerdos Domini poteſt licitè prædicare verbum Dei ſine ſpeciali licentia Prælati, cum eleemoſyna ſpiritualis ſit multò dignior corporali. Reſpondeo, negando cõſequentiam, non enim eſt ſimilitudo conueniens. Nam laici poſſunt dare eleemoſynam, & tamen non poſſunt prædicare ordinaria poteſtate, cùm ſit ſolius ſacerdotis officium, 16. q. 1. *adijcimus.* Inſuper quòd ſacerdos prædicet, requiritur quòd vltra ſacerdotalem auctoritatem habeat commiſſionem ſpecialem ad prædicandum, vt probatum lõgè ſatis ſuperi[illegible] ſed hoc non oportet de dando eleemoſynã corporalem, ſaltem regulariter loquendo, ergo claudicat ſimilitudo. Tertiò, quia licèt quilibet debet communicare eleemoſynam ſpiritualem pro poſſe; tamen Apoſtolus docet ſingula ſecundùm ordinem fieri debere: non autem eſſet debitus ordo, ſed ſempiternus horror, ſi quilibet ſacerdos poſſet prædicare vbi vellet, abſque ſpeciali commiſſione, vt probatum eſt ſuprà ex æterna lege. Quartò, quia ex eodem fundamento arguere poſſem: miſſare pro alijs eſt eleemoſyna ſpiritualis, ergo cui licet dare eleemoſynam corporalem, licet celebrare miſſam, cùm maior ſit eleemoſyna ſpiritualis, quàm corporalis. conſequens falſum. ergo claudicat prouerbium. Quintò, quia dare eleemoſynam non eſt prohibitum, ſed prædicare contra voluntatem Prælati eſt prohibitum ſub pœna excommunicationis, in c. *cùm ex iniuncto*, vt iam dictum eſt ergo, &c. Inſuper non eſt ſimile de pane materiali & verbo Dei prædicando, quoniam ex eleemoſyna materiali non ſequitur periculum apud ſuſcipientes eam, ſicut periculum ſæpè videmus ſequi ex libertate prædicandi propter adiunctionem venenatam doctrinæ, quæ conſueuit admiſceri * cum forma veritatis eloqui, quemadmodum conſueuerunt facere * paſtores hæreticorum, & ideo Eccleſia ſancta volens huiuſmodi pericula remouere ex Spiritu ſancto edocta, ordinauit, quòd nullus tribueret panem ouibus Chriſti publicè, abſque authoritate ſuperioris paſtoris, qui agnoſceret quale pabulum ſuis ouibus conueniret. S. Thomas in 4. diſtin. 15. ſoluit dicens de eleemoſyna, quæſtione tertia, articulo 2. quod ſicut dare eleemoſynam corporalem non cadit ſub pręcepto obligante, niſi ad tempus neceſſitatis, & vt alicui in neceſſarijs vitæ ſubueniatur: Ita ad doctrinam alterius non obligatur homo præter debitum officium, niſi in his quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, & quando non eſſet qui inſtrueret, vel quando aliquis alium errantem videret, niſi eſſet alius qui ex officio facere teneretur. Aliâs autem docere, eſt conſilium & ſupererogatio quædam, ſicut & de eleemoſyna corporali dictum eſt. hæc ibi.

Reſpõſio ad 2. arg.

16. q. 1. adijcimus. c. 19.

** falſi libet farina veritatis eloqui.*

** paſtores*

S. Tho. 4. diſt. 15. q. 3. art. 2. ad 1.

Tertia ratio veſtra fuit hæc: Conſummato matrimonio, coniuges ſine licentia ſpeciali Prælati poſſunt licitè generare filios carnales. ergo ſacerdotes Domini poſſunt licitè

Reſpõſio ad 3. arg.

gene-

generare filios ſpirituales per prædicationem verbi Dei, ſine licentia Prælati. Reſp. negando conſequen. propter diſſimilitudinem, quia generare filios carnales, eſt principalis finis & bonum matrimonij. alius finis, ſcilicet, quod eſt inſtitutum in remedium cõtra concupiſcentiam, eſt ſecundarius. Sed generare per prædicationem filios ſpirituales non eſt principalis finis ſacerdotij, quia vt dictũ eſt prius in notabili, de diſtinctione ſacerdotum curatorũ & non curatorum. principalis eſt actus ſacerdotij cõficere corpus Chriſti verum. ſed ſecũdarius eſt actus ſuper corpus Chriſti myſticum, ſcilicet generare filios ſpirituales in foro pœnitentiæ, vel ſacramentorum collatione, aut verbi Dei prędicatione, ſed iſte ſecundus actus non conuenit omnibus ſacerdotibus, niſi tantùm curatis, vel à Prælatis ad hoc deputatis, vt dicit idem B. Thom. & Albertus M. Ad confirmationem qua ſic aſſumitis: Peius eſt ſemen verbi Dei non admitteré vel ſuffocare, quàm ſemen carnale, ſic econuerſò melius eſt ſemen verbi Dei ſpargere & ſuſcipere, quo ſuſcitentur filij Dei, quã ſuſcipere vel dare ſemen, de quo ſuſcitentur filij carnis. Ideo dicit Dominus Matth. 10. *Quicunq; non receperint vos neq; audierint ſermones veſtros, excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, quod tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm ciuitati illi.* Reſpondeo, quòd verum concluderitis, ſi prælati verbum Dei omninò ſuffocarét, & neceſſariam doctrinam populo ſubtraherent, quod vtique non fit ex hoc, quod non quilibet ſacerdos prædicat, ſed magis ſemen verbi Dei ſpargitur, qa per eos ad quos ſpectat, ſcilicet curatos, & à Prælatis miſſos, copioſè ſeminatur. vnde ſi quis tales impediret vel prohiberet, ille ſemen doctrinæ ſuffocaret, & grauiter reprehendendus eſſet. Quemadmodum B. Hieronymus ſcribit ad Auſticum monachum, & aſſumitur diſtinctione 95. *ecce ego*, dico reprehẽdendos Epiſcopos, qui prohibuerunt curatos, ne in præſentia eorum prædicarent populis, & ſic doctrina neceſſaria ſubtrahebatur eis. ſicut hic dicitur de ſemine ſpirituali non ſuffocando, ita dicit B. Thomas de non abſcõdendo, ſecunda 2. q. 185. artic. primo, quòd ille dominica frumenta doctrinarum non dicitur abſcondere, cui ex officio non competit diſpenſare, nec ei iniungitur à ſuperiori, ſed ille dicitur abſcondere ea, qui officium ſibi commiſſum negligit, vel pertinaciter recipere renuit. Inſuper, ſicut non quilibet ager ſeminari debet à quolibet agricola, ſed tantũ ab eo, cuius eſt, vel qui ad hoc conductus eſt, ita non quilibet populus à quolibet presbytero inſtruendus eſt per publicam prædicationem, niſi tantùm ab eo, cuius eſt, ſcilicet curato, vel qui ad hoc à ſuperiori conductus eſt. Nullus enim debet gloriari in aliena regula, nec in immenſum extendere Euangelium, id eſt, prædicationis actum. ita 1. ad Corinth. 10. hoc eſt quod dicitur, *ne mittas falcem in meſſem alienam.*

Matt. 10.

diſt. 95. c. ecce ego, c. 6.

S. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 1. ad 3.

Prætereà, licèt ſemen carnale, ſi ad vas appropriatum ſeminatur, adhibitis debitis circumſtantijs, eſt meritorium; Ita ſi ſeminatur in perſonam prohibitam, eſt fornicationis, ſeu adulterij peccatum. ita quanquàm verbum Dei ſecundùm ordinationem Eccleſiæ ſeminare in locis commiſſis ſit licitum; tamen adulterari, id eſt, ibi prædicare, vbi prohibitum eſt fieri, eſt demeritorium. immò excommunicationis incurrunt tales periculum, vt patet de *hæreticis. Excommunicamus.*

lib. 5. c. 7. Excõmunicamus, c. 13.

Reſpõſio ad quartũ argumentum, de propheta. Num. 11.

Quarta ratio fuit hæc: cum Heldad & Medad prophetarent, noluit eis Moyſes prohiberi, Numer. 11. Sed dicit, *Quis det, vt omnis populus prophetizet?* Ergo, &c. Reſpõdeo, negando conſequentiam, quia magna eſt differẽtia inter prophetare & prædicare. Nam prophetare mulieribus conuenit, ſicut & viris. Sed prædicare non poteſt propriè conuenire, niſi tantùm viris. Nam mulieri docere non permitto, 1. Timoth. 2. nec viris omnibus, niſi tantùm presbyteris regulariter, in cap. adijcimus, 16. quæſt. 1. c. 19. quia toti populo fuiſſet vtile recepiſſe donum prophetiæ, ſed non eſt vtile Eccleſiæ, quòd quilibet ſacerdos vellet prædicare liberè, & ſi eſſet vtile, omnes optaremus. Prætereà ad prophetandum non requiritur aliquid per ſe, niſi illuminatio mentis propheticæ diuinitùs per lumẽ diuinum impreſſum, ſed ad prædicandum plus adhuc requiritur, ſcilicet miſſio ad certum locum ſeu populum. vnde miſſio tria importat. 1. auctoritatem ex parte mittentis. 2. idoneitatem ex parte miſſi. 3. determinatum locum ſeu populum, ad quem mittatur. primum eſt terminus à quo. ſecundum mediũ ad quod. tertium eſt terminus ad quem. ſententia eſt domini Alberti Magni ſuper Lucam, c. 10. de miſſione diſcipulorum. Inſuper quintò, ſi Deus omnibus communicaret donum prophetiæ, ex hoc nulla* diſtaſia fieri poſſet ſeu deordinatio eccleſiaſticæ hierarchiæ. Sed ſi ſinguli presbyteri indifferẽter vbique prædicare vellent, ſequeretur maximus error in eccleſiaſtica hierarchia, vt probatum eſt ex lege æterna, ergo non eſt ſimile prædicare & prophetizare. Sextò, quia habẽs donum prophetiæ, poteſt illo immediatè vti abſque alia probatione, ſed qui habet donum prædicandi, nõ poteſt eo vti, niſi probet ſe à Deo miſſum, per ſcripturam vel miraculum, vt dictum eſt in reſponſione ad primum argumentum veſtrum. ergò iterum non eſt ſimile.

1. Tim. 2. ſupra reſpõſione ad 2. arg.

Miſſio tria importat.

Albert. in Luc. 10.

* alter liber diſcordia.

Reſpõſio ad V. arg.

Vltima ratio veſtra fuit hæc. Ita licet facere Chriſti Sacerdotibus, ſicut Apoſtolis & 72. diſcipulis. ſed illi à Chriſto miſſi, non iuerunt ad petendum licentiam prædicãdi à Prælatis, vel alter ad alterum, ergo ita & nunc ſine licentia ſpeciali licet prædicare presbyteris. Reſpondeo negando conſequentiam. quia licèt Apoſtoli potuiſſent prædicaſſe ſine licentia aliorum prælatorum, quia habebant licentiam ſui Prælati, ſcilicet Chriſti, nõ ſequitur, quòd ergo quilibet ſacerdos, cùm non ſit omnis talis taliter licentiatus à Chriſto. Etiam conſequentia non valet ex eo, quòd non omnes Presbyteri ſuccedunt Apoſtolis, ſed ſolùm Epiſcopi, vt patet diſtinct. 21. *in nouo.* in actu iuriſdictionis. Reſpondeo ſecundò negãdo illud quod pro minori aſſumitis, quia vt probatum eſt ſuperiùs loco tertio, ſcilicet praxi Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti, dictum eſt, quòd Apoſtoli licèt recepiſſent à Chriſto Domino immediatè auctoritatem prædicandi, tamen executionem illius auctoritatis receperunt à beato Petro, quia ſibi ſoli tradita fuit poteſtas paſcendi vniuerſaliter, & ſecundùm eius diſtributionem iuerunt ſinguli Apoſtoli ad implendum præceptum CHRISTI. In cuius ſignum etiam dictum eſt, quòd Apoſtoli voluerunt Petrum eſſe omnium eorum ſummum Pontificem, prout deductũ eſt ſatis clarè ibidem. Reſpõdeo tertiò, quòd Apoſtoli & diſcipuli non indiguerunt petere licentiam à Prælatis illis, quibus volebant prædicare, quia poterant ſe probare miſſos à Deo & per ſcripturas à Chriſto prophetatas, nũc impletas, qui debebat mittere diſcipulos. De quibus Pſalmiſta. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* & iterum per ſigna miraculorum, quæ fecerunt copioſè. hæc enim ſunt duo neceſſaria ei pro altero eorum, qui vult prædicare abſque licentia Prælati, vt oſtendat ſe miſſum eſſe à Deo, vt probatum eſt, reſponſione ad primam rationem veſtram. Et iterum, quia illi Prælati non fuerunt ſuperiores Apoſtolorum, ſed Apoſtoli fuerunt Prælati ipſorum. De quibus Pſalmiſta: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Ad confirmationem qua aſſumitis contra prædicta; beatus Apoſtolus Paulus vocatus à CHRISTO ad prædicandum, non iuit ad Apoſtolos petere licentiam, vt patet ad Galat. 1. Reſpondeo, quòd ratio fuit, quæ dicta eſt, ſcilicet quia potuit probare ſe à Chriſto miſſum immediatè per ſigna miraculorum, ideo dicit ſanctus Thomas ad Galatas 2. Sed poſſet dicere aliquis Paulo, vnde conſtat nobis, quòd tibi ſit commiſſum Euangelium in gentibus? Reſpondet Paulus, *per operationem Chriſti.* Sicut etiam patet, quòd Petrus accepit Euangelium à Chriſto propter miracula, quæ fecit Chriſtus per eum, ita patet, quòd ego, ſcilicet Paulus, ab ipſo accepi ſcilicet Chriſto, etiam propter miracula, quæ operatus eſt in me. vnde dicit, *qui operatus eſt Petro*, id eſt, qui Petrum Apoſtolũ fecit in Iudæa, ſcilicet Chriſtus, ipſe operatus & mihi inter gentes, id eſt, me fecit Apoſtolum gentium, nec tamen totaliter omiſit, ſed venit ad Petrum, & cõtulit ſecum, & cum alijs Apoſtolis Euangelium, vt patet ad Galat. 2. Sequitur Epilogus.

diſt. 21. in nouo, c. 2.

Pſal. 18.

Pſal. 44.

Galat. 1.

Galat. 2.

QVOD iſta concluſio, concluſioni proponentis contraria, eſt vera, ſecundùm expoſitionẽ terminorum præhabitam: *Verbum Dei à Sacerdotibus Domini non debet liberè ac ſine impedimento fideliter prædicari & enunciari.* ex deductione ſequuntur iſta. Primò quòd ordinariè prædicatores in Eccleſia ſunt Epiſcopi & curati, quia illi propriè ſuccedunt

cedunt duodecim Apoſtolis & ſeptuaginta diſcipulis Domini. Secundum, quòd alij gradus in Eccleſia nō ſunt à Diabolo, quia à Chriſto & in veteri teſtamēto ſunt præfigurati, vt in agro Prelati, in lecto Religioſi, in mola laici. Tertium, quod iam non eſt expectanda reuelatio à Deo vt manifeſtet quid creddere debeamus, quia ſciētia Domini plena eſt terra, & Eccleſia ſufficienter in omnibus illuſtrata. Quartum, quod multum decorat Eccleſiam Dei, eſſe diuerſos ſtatus, ſicut decorat corpus humanum, quod habet diuerſa mēbra, quorum quodlibet habet diſtinctum ſibi proprium actum. Quintum, quòd ille ordo Eccleſiaſticus debet indefectibiliter ſeruari, ne ſi quilibet vellet indifferenter prædicare, cōfunderetur tota monarchia principatus monarchici. Sextum, hoc probatum eſt auctoritatibus veteris & noui teſtamenti. Septimum, quòd licèt omnes Apoſtoli eſſent à Chriſto immediatè miſſi ad prædicandum, non tñ licuit cuilibet eorum ire quo voluiſſet, niſi præſuppoſita, ante eorum diuiſionē auctoritate Petri, quia ſoli dictum eſt, *paſce oues meas.* Octauum, quod valdè periculoſum eſt credere, ſe à Spiritu ſancto inſpiratum, niſi poſſit hoc probari per ſcripturā vel miraculum. Vnde nulli creditur, quòd ſit miſſus ad prædicandum à Deo, niſi probet ſcriptura vel ſigno. Hæc quæſo in corde bono & optimo accipite, vt fructus optatus ſequi valeat. Quilibet veſtrûm verbum quod audiuit, attente retineat loco eius, qui ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* In præſenti gratiam, in futuro gloriam cōferendo, quam nobis concedat Ieſus Chriſtus benedictus in ſecula glorioſus, Amen.

Ioan. 14.

Hoc caput in alio libro prorſus nō habetur.

IAm pro tertio & actu finali in beatiſſimæ Trinitatis nomine, patris, inquam, miſericordiarum, cuius omnipotentia aperuit ora multorum, filij vnigeniti, cuius omni ſapientia diſertas facit linguas infantium, & Spiritus ſancti paracliti, cuius omni clementia, materiam ſuggerit dicendorum, Patres reuerendiſſimi, cæteriq; domini præſtantiſſimi, mediante beatiſſima Dei genitrice, cui non deeſt poteſtas, cùm ſit mater omnipotentiæ, nec induſtria, cùm ſit mater ſapientiæ, neque adiuuandi voluntas, cùm ſit mater totius clementiæ & miſericordiæ, ſecundùm beatum mellifluum Bernardum in ſermone, actum nunc diebus cōtinuatum geminis iam concludendum ſub breuibus, reſumo verba in altera vice alterata, *Qui in corde bono & optimo verbum Domini audiētes retinent, fructum afferunt in patientia.* vbi poſtquàm declaratum eſt primò, quòd locus congruus eſt aptificandus, in quo fructificare queat ſermo diuinus, quod fit in corde bono & optimo. Conſequenter quomodo obſeruandus eſt modus debitus, ſi audientes verbum retinent finaliter, eſt nunc concludendum, ſi ita fecerimus, quem conſequemur profectum, ſcilicet *fructum afferunt in patientia*, & quis eſt iſte fructus, quem intendimus, quem quærimus, quem Dominus donet vt reperiamus, certè non alius, quàm ille, quem in patientia expectamus, in hoc nomine *patientia* etymologizatus. hæc enim eſt etymologia eius. *Patientia*, pacis entia, patientia, pacis ſcientia, patientia, pacis encœnia. Nam pacis entia ſunt pax in gratia vel gloria, pacis entia in propria conſcientia, pax cum ſeipſo; pacis ſcientia, pax cum proximo; ſed pacis encænia, pax intelligitur cum Deo, pax conſcientiæ cum ſeipſo, & pax Angelicæ modulationis. *In terra*, inquit, *pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. pax amicitiæ cum proximo eſt, pax apoſtolicæ prædicationis, optata ſolis filijs pacis, Luc. 10. pax gratiæ & gloriæ, eſt pax Chriſtiferæ ſalutationis, qua in vnum congregatis, *pax*, inquit, *vobis.* Ioan. 20. hanc itaque patientiam, veræ pacis exiſtentiam Pſalmiſta dicit, pacem multam, *pax multa diligentibus legem tuam.* multa, quia conſcientiç, amicitiç, & gratiæ, multa, quia Angelica, Apoſtolica, & Chriſtifera, multa, quia ſecum ipſo, proximo, & cum Deo, multa, quia per nos multos, multoties corde optata, ore poſtulata, & nunc opere exhibita, atque doctrina, multa, quia non vnius hominis tantùm, ſed totius regni incliti Bohemiç, Marchionatusq; Morauiæ, pro ſalute æterna, multa, quia omnium noſtrum vobiſcum, & omnium veſtrum nobiſcum, vnione fraterna. Pax multa vtiq; erit, ſi vna fides, vnum baptiſma, vnus omnium ſacramentorum Eccleſiæ ritus, vnus clericalis viuendi modus, vna ſpes certa, vna charitas firma, & vna eccleſia ſancta Catholica, nobis omnibꝰ cor vnum fuerit, & anima vna in Deo. Ecce fructus in patientia, in pacis veræ exiſtentia. Hinc conſilio Aurelij Auguſtini de verbis Domini ſerm. 8. *qui hāc pacem acceperit, ipſam teneat qui perdiderit, ipſam repetat, qui amiſerit, ipſam requirat, qui enim in ea,* inquit, *inuentus no fuerit, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, nihilominus alienus efficitur à Spiritu ſancto.* De hac pacis ſcientia orat quotidiè Eccleſia. *Da pacem hanc in diebus noſtris.* Et Pſalmiſta. *fiat pax in virtute tua.* In hac patientia, id eſt, veræ pacis efficientia, poſſidebitis animas veſtras, in præſenti in gratia, in futuro in gloria, quam nobis dignetur præſtare propter ſuam magnā gloriam, propter ſuæ infinitæ miſericordiæ clementiam, propter vulnerum ſuorū, mortis, crucis, & paſſionis patientiam & amaritudinem, Ieſus Dominus benedictus in ſecula glorioſus, Amen.

Luc. 20.

Ioan. 20.

Pſal. 118.

Pſal. 121.

EX præſcriptis elicio aliqua corollaria, quorum cuiuſlibet dominus proponens oppoſitum mihi miniſtrauit, Corollaria.
ſaltem in ſententia. Primum, quòd non quilibet ſacer- 1.
dos habet poteſtatem prædicandi liberè ex vi ſacerdotalis
conſecrationis, ſed virtute iuriſdictionis. Secundum, Non 2.
eſt præceptum Domini, quemlibet Presbyterum prædica-
re verbū Dei. 3. licet Papæ vel Epiſcopo prohibere, ne qui- 3.
libet ſacerdos prædicet abſque ſua licentia liberè vbique &
ſub pœna excommunicationis ſententiç. 4. multum ſalubre 4.
eſt multos miſſantes eſſe, etiamſi pauci prædicantes poſſent
haberi. 5. congruit cultui diuino. quòd in Eccleſia Dei ſit al- 5.
tarium multiplicatio. 6. ex proprio diaconi officio ſibi non 6.
eſt præceptū à Dño, verbi Domini libera prędicatio. 7. pro- 7.
pter ſcandalum peruerſorum debent aliquando ſacerdotes
Domini omittere verbi Dei prędicationem. 8. non obligan 8.
tur Prælati maiores prædicare verbum Dei, quin in certis caſibus poſſint licitè ſupportari. Primò dixi, quòd non quilibet ſacerdos Domini habet facultatem prædicandi actualiter verbum Dei, ex virtute ſuæ conſecrationis, quia ſibi per miniſterium Epiſcopi confertur officiū ſacerdotale, cuius oppoſitum venerabilis proponēs dixit in notabili de libertate ſuper verbo, *liberè*, & probatur dictis multorū Doctorum. Primò ſancti Thomæ in tractatu de contra impugnantes Religionem dicēs, quòd poteſtas ſacerdotalis ad duo ordinatur. Primò & principaliter ſuper corpus Chriſti verum conſecrandum. Et huius poteſtatis executionem ſtatim cùm ordinatur, accipit, niſi ſit defectus in ordinatione, vel in ordinato. Secundò ordinatur ad corpus Chriſti myſticum per claues Eccleſiæ, quæ ſibi committuntur, & huius poteſtatis executionem non recipit niſi cura ei committatur; vel niſi auctoritate alterius curam habentis hoc agat, nec tamen poteſtas ſacerdotalis fruſtrà datur ei, quia habet executionem in hoc, ad quod eſt poteſtas ſacerdotij principaliter inſtituta. ſed, inquit, officium prædicationis non ordinatur ad aliud, niſi ad prædicandum. vnde cum priuilegium Principis nō debeat eſſe inutile, vt iura dicunt, ex hoc ipſo, quod Papa committit alicui officium prædicandi, ille habet executionem officij, quicunque ſit ille. hæc ibi.

I. Coroll. Nō quilibet ſacerdos habet facultatē prædicādi liberè ex virtute cōſecrationis ſacerdotalis.

S. Thom. lib. cont. impugnātes religionē c. 4. nō procul à fine.

Secundò idem 2. 2. quæſt. 185. art. 1. quod diſpenſatio frumentorum ſpiritualium, id eſt, doctrinarum non eſt facienda ad arbitrium cuiuſlibet. ſed primò & principaliter ſecundùm diſpoſitionem Dei, ſecundariò autem ad arbitrium ſuperiorum Prælatorū, ex quorum perſona dicitur, 1. Cor. 4. *ſic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* hæc ille. Tertiò, dominus Albertus ſuper Eccleſiaſticam hierarchiam cap. 2. vbi beatus Dionyſius docet, quomodo Epiſcopus debet prędicare ei, qui ad baptiſma accedit, arguit quod non debuit baptizātem inducere ad prædicandum, quia prædicare & baptizare ſunt diſtincta officia, & reſpondet, quòd licèt ſint diſtincta officia, cōueniunt tamen in relatione ad vnum principium, à quo deſcēdunt. Sicut enim iuriſdictio prædicandi deriuatur à Pontifice in alios, ita & baptizatio, ſicut dicitur ad Roman. 10. *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Vnde ponendo vtrunq; officium circa vnam Pontificis perſonam, eſt intentio ſua oſtendere, quòd vtrunque deſcendit ab ipſo. hæc ille. Idem patet clarè per ambos iſtos in 4. ſententiarum, diſtinct. 13. vt ſuprà allegatum eſt in notabili de diſtin. ſacerdotum curatorum,

2. S. Tho. 2. 2. q. 185. ar. 1. ad 3.

1. Cor. 4.

Albertus. 3.

Rom. 10.

& non

4. & non curatorum. Quartò idem oſtendit venerabilis Auguſt. de Ancona in lib. de Eccleſiaſtica poteſtate, q. 64. art. 1. oſtendens, quòd etiam prædicare in Papa eſt officium iuriſdictionis, & non ſacri ordinis, quia & Papa electus, qui nõ eſſet ſacerdos, prædicare poſſet per ſe; & cum hoc, officium prædicationis alijs committere: ſed non poſſet ea, quæ ſunt ordinis, niſi prius eſſet cõſecratus. Et hoc ideò, quia id, quod eſt ordinis, reſpicit corpus Chriſti verum. Sed quod eſt iuriſdictionis, reſpicit corpus Chriſti myſticum. & ibid. ar. 2. probat, quòd prædicare non licet Epiſcopo vel presbytero abſq; licentia Papæ, quia prædicare eſt iuriſdictionis actus. Sed omnis iuriſdictio deriuata eſt Epiſcopis & presbyteris à Papa, ad quem ſpectat diœceſes & parochias diſtinguere, & cuilibet ſuam aſſignare. ergò abſq; auctoritate Papæ non licet eis prædicare.

Aug. de Ancon. de Eccle. pot. q. 64. art. 1. & 2.

5. Quintò, idem per totum ſuum proceſſum ponit venerabilis Thomas de VValden, qui non concedit, quòd ex ordine vel officio ſacerdotali cuiquã competit prędicare, niſi poſſit ſe miſſum probare per ſigna; ſi à Deo ſit, vel monimenta, ſi à prælato ſe aſſerat miſſum.

Th. VValden. l. 2. doctr. fidei, c. 70. & ſeq. tom. 1.

6. Sextò, hoc dominus Ioannes Gerſon in tract. de Eccleſ. poteſtate videtur velle dicens, quòd poteſtas eccleſiaſtica iuriſdictionis non coercitiuè in ſua latitudine conſiderata, nedum ad ſacramẽtum pœnitentiæ, ſed etiam ad aliorum ſacramentorum adminiſtrationem, imò ad prædicationẽ eſt extenſa, quæ omnia reſpiciunt corpus Chriſti myſticum, horum ratio eſt, q̃ pridie eſt dicta, quòd presbytero in ſua conſecratione non datur, niſi duplex poteſtas, ſcilicet ordinis, & clauis, quarum neutra adfert libertatem prædicationis.

Gerſon de pot. eccleſ. conſid. 5. tom. 1.

2. Corol. Nõ obligatur q̃libet ſacerdos ex p̃cepto domini p̃dicare verbum Dei.

Ex iſto ſequitur ſecundum Corollarium, ſcilicet, quòd non obligatur quilibet ſacerdos ex præcepto Domini prædicare verbum Dei. quod quamuis ex dictis pateat, probatur tamen ex ſuperabundanti, & primò ex veteri lege ſic. Illud non eſt presbyteris præceptum, de quo ſe licitè excuſare poſſunt. ſed Ieremias ſe licitè ab officio prædicationis excuſauit, nihilominùs presbyter fuit, vt dictum eſt, ergo nõ fuit hoc præceptum. Maior nota eſt, quia præceptum obligat nõ facientem ad peccatum mortale. Minor probatur per beatũ Gregorium in paſtorali, & S. Thomam, in gloſſa, Ierem. 1. vbi excuſat Moyſen & Ieremiam ex amore Dei voluiſſe cõtemplationi inſiſtere. Et Eſaiam, qui ſpontè ſe obtulit ex amore proximi prodeſſe.

Hier. 1.

Greg. in paſt. par. 1. c. 7. Itẽ in moral. li. 35. c. 13.

2. Secundò, ſic ex lege noua. Nam Apoſtolus perfectionem corporis Chriſti myſtici differens, dicit de presbyteris, quòd Chriſtus dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. *Nunquid*, inquit, *omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* 1. Cor. 12. Ex quo claret manifeſtè, quòd non omnibus presbyteris præceptum prędicare, cùm non ſint oẽs Apoſtoli, nec Euangeliſtæ.

Epheſ. 4. 1. Cor. 12.

3. Tertiò ſic, prædicare eſt paſcere, ſed non oẽs presbyteri ſunt paſtores, cùm nõ habeant gregem ſibi cõmiſſum, iuxta illud. 1. Pet. 4. *Paſcite eum qui in vobis eſt, gregem*, ſcil. commiſſum nõ alium. iubet ergo, &c.

1. Petr. 4.

4. Quartò ſic, ad presbyterum ſufficit aliqua ſcientia ſacrarum literarum, quæ non ſufficit ad prædicandum, vt prædictum eſt, non ergo oportet quemlibet ſacerdotem eſſe prædicatorẽ. patet conſequentia, quia da oppoſitum, & ſequitur, quòd quilibet Sacerdos qui prædicare neſcit, ſit continuè in peccato mortali, quod falſum eſt, quia legimus de multis ſanctis presbyteris, qui fuerunt ſimpliciſſimi, nec ſciuerunt niſi Miſſam pro mortuis, vel de B. Virgine Maria, & fructũ ſibi, & viuis, & defunctis fecerunt.

5. Quintò ſic, inter actus officij ſacerdotalis principalius eſt conſecrare corpus Chriſti, & magis ſibi annexum, quàm prædicationis officium. Sed nullus dicit Sacerdotem ex præcepto obligari omni hebdomade celebrare Miſſam, aut etiam mẽſe, imò ex familiari inſtinctu Spiritus S. ſi qui totaliter abſtinent à celebrando, excuſantur, ſicut legimus in vitis Patrum de quodam Sancto, qui ordinatus nunquam poſtea celebrauit. & B. Marcus legitur ſibi pollicis partem abſcidiſſe, ne celebrare poſſet, diſt. 13. 4. dicit S. Thom. vt etiam refert beatus Hieronymus in Prologo ſuper Marcum. ergo multo minus prædicatio ſic eſt præcepta, quòd non prædicantes obligentur ad mortale peccatum.

S. Tho. 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. q. 1. ad 1.

Sextò ſic, ſi quilibet Sacerdos teneretur ex præcepto Domini prædicare populo, tunc nullus talis, niſi ex ſpeciali diſpenſatione Domini poſſet ſe dare ſolitariæ vitæ aut religioni, cui prædicare non competit, ſed contemplatiuæ vacare vitæ, quæ teſte B. Gregorio ſuper Ezechielem, eſt charitatem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quieſcere, & ſoli conditoris deſiderio inhærere, &c. conſequens falſum, vt patet de multis Sanctis, qui mundum fugerunt in deſertum, anachoreticam vitam duxerunt; & de alijs presbyteris religioſis, qui nunquam prædicauerunt, ſed cum Maria Magdalena optimã vitam ſeu partem elegerunt, Luc. 10. 6.

Gregõ. in Ezech. ho. 14. circa medium.

Luc. 10.

Solut. arg. 1. cõtrarij, ex verbis, Ite prædicare.

Reſtat ergo ſoluere auctoritates multas, quibus probare niſus eſt Venerabilis proponens, quemlibet Sacerdotem ad prædicandum obligari ex præcepto Domini. Primò illud Matth. & Marci vltimo, & Act. 10. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, & Petrus ait, *nobis præcepit Deus prædicare populo*. & Matth. 10. hos duodecim miſit, & præcepit eis dicens: *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum Dei*. Ad hos omnes ſimul reſpondeo, quòd veritas eſt quod Chriſtus præcepit Apoſtolis prædicare, ſed ex hoc non ſequitur, ergo omnibus presbyteris & diaconibus. quia presbyteri & diaconi non ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, ſed ſoli Epiſcopi. Vnde Pſalmiſta: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij*. Gloſſa B. Auguſtini, id eſt, *pro Apoſtolis Epiſcopi*. Idem patet per gloſſam Matth. 10. & eſt ſuperius deductum in ſecunda differentia poſita inter ſacerdotes curatos, & nõ curatos, & vt clarius hoc conſtet, notandum quod hæc verba: *Ite in orbem*. vel, *euntes in mundum vniuerſum*, & ſimilia nõ fuerunt pręceptiuè ad quemlibet Apoſtolorum dicta, quod probatur.

Matth. 28. Marc. 6. Act. 10. Matt. 10.

Auguſt. in Pſal. 44.

Primò, quia ſi non; tunc omnes Apoſtoli peccaſſent mortaliter, eo quod nullus eorum iuit in orbem vniuerſum, nec aliquis eorũ prędicauit Euangelium omni creaturæ, ſecundùm ſenſum literæ, & ſic fuiſſent tranſgreſſores illius præcepti, & ſic fuiſſent omnes damnati. Secundò nota, quod etiam illa verba non fuerunt dicta Apoſtolis ſingulis, per modum conſilij, quia fruſtra daretur conſilium, quod nullus poſſet, etiamſi vellet perficere, ſed non fuiſſet poſſibile humano more cuicunq; Apoſtolorum, quod perambulaſſet totum mundum. ergo hoc non fuit ſibi à Domino conſultum. Tertiò dico, quod illa verba non fuerunt dicta cuilibet Apoſtolorum ſimpliciter, ſed omnibus ſimul collectiuè & generaliter: in cuius ſignum non dixit Dominus ad quemlibet, vade. ſed collectiuè, ite, vel, euntes docete vnde licet nullus eorum, tamen omnes collectiuè prædicauerunt per mundum vniuerſum, ſicut & nunc, licèt quilibet Epiſcopus, qui eſt ſucceſſor Apoſtolorum, non prædicet vbiq;, tamen omnes ſimul qui in mundo ſunt, ita diſponunt, quod pabulum verbi Dei miniſtratur populo ſufficienter. Quartò, quod illud præceptum datum eſt Apoſtolis indiſtinctè, vt intelligerent, quod diſtinctionem Petro commiſiſſet, cui ſoli dixit: *Paſce oues meas*. Ita & nunc dato, quod hoc præceptum Epiſcopos obligaret, qui ſunt Apoſtolorũ ſucceſſores, adhuc nullus eorum eſſet ſufficienter miſſus ad officium prædicationis per totum mundum, quia non poſſunt prædicare in aliena diœceſi, ſi prohibeantur ab Epiſcopo illius loci, niſi ſpeciali ſibi committeretur auctoritate ſuperioris, vel à Deo miſſos ſpecialiter probare ſe poſſent. Quintò concludo, quod per illa verba, *euntes docete*, non eſt præceptum presbyteris & diaconibus, vbique prædicare, quia ſi ſic, ſi non facerent, eſſent in ſtatu damnationis. Inſuper & omnes Carthuſienſes, Ciſtercienſes, & Religioſi alij, qui nunquam prædicarent, in peccato mortali eſſent, quia facerent contra præceptum Chriſti. Et vltimò, ſi ſic in generali obligarentur, ipſi eſſent magis perplexi, quò eſſent miſſi, & ad quos. Si ad vniuerſum orbem, vbi exſequerentur? & ſi ad omnes, quomodo idiomata ſcirent? & ſi omni tempore, quando prædicabunt, & quando ceſſabunt? & ſi ad certum locum, vbi eſt expreſſus? ſi ad certos, nullibi eſt expreſſum. Nam ad actum prædicandi requiruntur tempus, locus & auditores, quæ in illis verbis generalibus: *Ite in orbem. Euntes in mundum. Ite, docete omnes gentes*, non ſunt aſſignata. ſi dixeritis, quod ſunt miſſi vt vadant iuxta ſuum arbitrium, quocunque eis licuerit vel videbitur, & quando, & vbi, hoc faceret infinitam perturbationem in regno Eccleſiaſtico, &

Ioan. 21.

turbarent totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinem, quod reprobatum eſt ſuprà in principio ex æterna lege.

Ad 2. obiect. Si nō euangelizauero. 1. Cor. 1.

Secundò adducitis Apoſtolum 1. Cor. 9. *Væ mihi ſi non euangelizauero.* reſpondeo quòd meritò. ipſe enim ad prędicandum fuit obligatus, & expreſsè ad hoc à Domino legatus. *Non*, inquit, *miſit me Dominus baptizare, ſed euangelizare.* quia ſecundùm gloſſam, baptizare poſſunt minores presbyteri, ſed ad prædicandum requiruntur homines excellentioris virtutis, 1. ad Corint. 1. ſed ex hoc non habetur propoſitum veſtrum.

Ad 3. Verbum Dei non eſt alligatum.

Tertiò ad id, 2. Tim. 2. *Verbum Dei non eſt alligatum*; dico quòd hoc verbum nihil videtur facere ad propoſitum, quia ſecundùm textum & gloſſam ad literam, quod Apoſtolus ibi oſtendit, quòd quanquam vinculatus eſſet corpore, nō tamen ligatus fuit in ore, quòd non poſſet docere præſentes verbo, vel abſentes ſcripto, verbum Dei ſic prędicando. vnde præmittit ibidem: *ſecundùm euangelium meum, in quo laboro, vſq; ad vincula.* Ad hunc ſenſum etiam B. Gregorius expo-

2. Tim. 2. Iob 39. Greg. lib. Moral. 31. cap. 25.

nit eandem auctoritatem 3. Moralium, ca. 31. ſuper illo verbo, Vibratur enim clypeus haſta, ſic inquiens: *Verbum Dei nō eſt alligatum, quia doctores ſancti pro defenſione fidei ſupplicia ſubeunt, ad eandem fidem, quos valent, rapere etiam inter verba nō deſiſtunt. Vnde idem Apoſtolus ait: in quo ſcilicet euangelio laboro vſq; ad vincula, quaſi malè operans, ſed Verbum Dei non eſt alligatum. quaſi diceret, haſta quidem ſuppliciorum ferior, ſed tamen verborum ſagittas emittere non deſiſto, vulnera crudelitatis accipio, ſed cor infidelium vera loquens transfigo. Ideò Sancti cùm vulnera patienter ſuſcipiunt, prudenter contra corda infidelium ſagittas prædicationis reddunt. Vnde nonnunquā agitur, vt ipſi qui in perſecutione ſæuiunt, non tam doleant, quòd cor prædicatoris emolliunt, quàm quòd per eius verba etiam auittunt.* hæc ille.

Ad 4. obiect. Quis putas. Luc. 12.

Quartò illud Luc. 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* hoc omninò non probat propoſitum, quia intelligitur tantùm de curatis & pręlatis, prout eam exponunt poſtillantes. Nam Dominus multa dixit in parabolis; volens B. Petrus ſcire, an iſtæ parabolæ tangerent omnes generaliter, vel Apoſtolos ſpecialiter, quærit, dicens: *Domine ad nos dicis hanc parabolam an ad omnes?* Et reſpondet, quòd ad eos tantùm, & ad loca eorum tenentes. vnde ſubdit: *Quem conſtituit Dominus ſuper*

Alb. in 12. cap. Lucæ.

familiam ſuam, vt det illis? Albertus non extraneis, ſed illis, id eſt, ſibi commiſſis, quibus debet principaliter intēdere quilibet prælatus, iuxta illud 1. Tim. 5. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non gerit, fidem negauit, & eſt infidelis deterior.* Hinc eſt, quod Dominus dicit Ioannis 10. *Proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit, & oues illum ſequuntur.* hinc eſt etiam quod Paulus dicit Act. 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus S. rectores & Epiſcopos,* quaſi diceret, illis ſpecialiter tenemini, qui regimini veſtro ſunt cōmiſſi. hæc Albertus. Cui alludit gloſſa Bedę. vobis qui diſpēſatores eſtis inſtituti, hoc miniſterium ſpecialiter commiſi de cuſtodia & præparatione, vt & alios & vos præparetis in aduentum iudicis. Et Hugo ibidem, Dominus cōſtituit ſeruum *ſuper familiam ſuam*, id eſt, Eccleſiā, *vt det illis*, id eſt, ſuis, quibus tenetur magis quàm alienis; ſibi enim dicitur Prou. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui.*

1. Tim. 5. Ioan. 10. Act. 20. Beda. Hugo. Prou. 27.

Ad 5. obiec. Prædica verbum. 2. Tim. 4.

Quintò ad illud 2. Tim. 4. *Prædica verbum*, Reſpondeo vt ſuprà, qui Timotheus fuit Epiſcopus Corinthiorum, ideò B. Apoſtolus oſtendit ſibi quid ſit officium Epiſcopi dicens: *prædica verbum*, ſcilicet in tua plebe, quia illuc te miſi, & non alibi.

Ad obiec. ex veteri Teſtam. Eſai. 58. Eſai. 40. Eſai. 6.

Tunc ad auctoritates veteris teſtamenti adduxiſtis, Primò illud Eſai. 58. *Clama ne ceſſes*, & quadrageſimo: *Vox dicentis clama.* & ibidem; *ſuper montem excelſum, &c.* Reſpondeo, quòd iſtud præceptum Iſaiam ſolum obligat, & ipſe tenebatur hoc facere, quia ſe ſponte obtulit; dum Dominus ait, *quem mittam?* ait ille: *Ecce ego mitto me.* Iſaiæ ſexto. Nec exemplum eius omnes presbyteros obligat, quia ipſe presbyter non fuit, cùm eſſet de ſemine regio, ſed presbyteri erant de tribu Leui. Sed contra hoc aſſumpſit dicens: *Et ſi quis dicat, hoc fuiſſe tantùm Prophetis præceptum, audiat Apoſtolum ad Roma. 15. dicentem: Quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Et Iacobi 5. Exemplum accipite fratres exitus mali & longanimitatis laboris & patientiæ, Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini.*

Rom. 15. Iacob. 5.

Reſpondeo, quòd ex hoc non habetis, quòd præcepta data Prophetis, obligent diaconos & ſacerdotes noui Teſtamenti, ſub præcepto, prædicare verbum Dei, nec dicunt hoc Apoſtoli allegati, ſed S. Paulus dicit ſic: *Ad noſtram doctrinā ſcripta ſunt.* Sed quæ eſt doctrina? ſubdit, *vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Per patientiam ſcripturarum, id eſt, per exempla patientiæ in patribus oſtenſa, quę reperiuntur in Scriptura ſancta. Spem retributionis æternæ concipiamus nos accepturos ſecundùm gloſſam, & ad hoc ſonant verba beati Iacobi allegata, vbi ſic præmittitur: *Patientes ergo eſtote Fratres vſque ad aduentum Domini. Ecce agricola expectat fructum pretioſum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum.* Poſt ſubdit, quod allegaſtis, & cōcludit: *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. ſufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, &c.* Eccè quod docent nos patiētiam ſeruare in aduerſis, & nihil ad propoſitum eſt. Illa autem auctoritas, *Super montem excelſum aſcende.* probat directè contrarium eius quod intenditis, ſcilicet non eſſe præceptum Domini, quòd ſinguli presbyteri debeant prædicare, niſi mittantur in ſpeciali. quod oſtendens Apoſtolus ait ad Roman. 10. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt, quàm ſpecioſi ſuper montes pedes euangelizantium pacem!* vbi ſecundùm expoſitionem almæ matris meæ vniuerſitatis Colonienſis notanter dicit, pedes, vt denotet ordinem prædicandi auctoritatis, quæ effluere debet & prouenire à ſuperioribus. vel dico, quòd ad ſolos prælatos curatos ſe extendit, de quibus B. Gregorius iam exponit in paſtorali, cap. 15.

Eſai. 40. Rom. 10. Eſai. 52.

Greg. in 2. paſt. par. 2. c. 3. & 4. Ezech. 3. & 33.

Adduxiſtis etiam Ezechielem in capitulis 3. & 33. dicentem: *Fili hominis ſpeculatorem dedi te, & ſanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram.* Reſpondeo, quòd ſpeculator populi propriè eſt Epiſcopus eius. vnde dicit B. Iſidorus de ſummo bono, lib. 3. cap. 35. *Speculatores cæci omnes, id eſt, imperiti Epiſcopi, non valentes reſiſtendo malis, plebes commiſſas per verbum doctrinæ defendere.* hæc ille. Quod oſtendens etiam de curatis B. Gregorius in gloſſa ait: *Prædicatorem ſpeculatorem vocat, cui enim aliena cura committitur, ſpeculator dicitur, vt in mētis altitudine ſedeat. & vocabulum nominis ex virtute actionis trahat.* Item illud Leuit. 10. *Habeatis ſcientiam diſcernere, &c. & doceatis filios Iſraël.* gloſſa exponit de curatis, dicens: *Sacerdotum eſt docere, & ſubiectos inſtruere.* vltimò illud Deuter. 31. *Leges verba legis huius coram omni Iſraël.* Reſpondeo, quòd illa auctoritas non probat, quòd omnibus Sacerdotibus conueniat ſub præcepto Domini prędicare, quia illa verba dixit Moyſes tantùm Ioſue, quem ſibi Dominus ſubſtituit, qui eſſet dux populi in terram promiſſionis, & ſic legeret verba legis populis, vt ſeruarent ne occiderentur ante ingreſſum in terram promiſſionis. & ſic patet ſolutio ad auctoritates quas adduxiſtis cōtra Corollarium meæ concluſionis.

Iſidorus. Gregor. in Ezech. homil. 11. Leuit. 10. Gloſ. interlin. ibid. Deut. 31.

Ad obiec. ex ſcriptis patrum. Ad 1. diſt. 43. ſit rector. c. 1. Greg. p. 2. ſui paſtoralis. c. 4. Ad 2. Auguſtin.

Ad auctoritates Sanctorum quas adduxiſtis, reſpondeo. Ad primam, quę eſt B. Gregorij diſt. 43. ſit rector. illa ſoluit ſeipſam, quia loquitur de rectoribus, id eſt curatis, & concludendo vobiſcum, quòd illi debent prædicare ſibi commiſſis. vnde dicit: ſit rector. & cōtinuè nominat paſtores in eodem cap. & quidquid dicit de ſacerdotibus, ipſemet de paſtoribus & rectoribus intelligi oſtendit. Ad ſecundam, quæ eſt B. Auguſtini in Prologo ſermonum, dicentis: quòd ſacerdotes præeſſe non debent, qui prædicare neſciunt, nec alij tacere debent, quod ſciunt, etiamſi non præſint. Reſpondeo, dubito, B. Auguſtinum ita dixiſſe; tamen dico, nequaquam eſt mens B. Auguſt. quòd velit aliquem ſacerdotem non curatū, abſq; miſſione ſpeciali à Deo vel prælato, prædicare, quę etiā probari poſſit eſſe alicui commiſſa, prout ipſemet probat, ſcribens contra epiſt. fundamenti, c. 3. dicens, quòd quicunq; vult prædicare, primò & ante omnia de eius Apoſtolatu eſt inquirendū, dicens: *Videamus quid me doceat Manichæus, & potiſſimùm illum librum cōſideremus, quem fundamenti epiſtolam dicitis, vbi totum penè continetur, quod creditis, certè ſic incipit: Manichæus Apoſtolus Ieſu Chriſti prouidentia Dei patris. hæc ſūt ſalubria verba, de perenni ac viuo fonte. Iam patienter quæſo attendite, quid quæram. Non credo iſtum eſſe Apoſtolum Chriſti, quæſo ne ſuccenſeatis, & maledicere incipiatis, noſtis enim me ſtatuiſſe nihil à vobis prolatum temerè credere. Quæro igitur quis ſit iſte Manichæus, reſpondetis Apoſtolus Ieſu Chriſti, non credo. iam quid dicas, aut quid facias non habebis, promittebas enim ſcientiam veritatis, & nunc quod neſcio, cogis vt credam.* Et infrà: *Quod ſi in Euangelio aliquid apertiſſimum de Manichæi Apoſtolatu inuenire potueris,*

Aug. cōtr. ep. fundamenti, c. 3. tom. 6.

tueris,

tueris, infirmabis mihi Catholicorum auctoritatem, qui iubent vt tibi non credam, qua infirmata iam nec Euangelium credere potero, quia niſi per illos illi credideram, ita nihil apud me valebit quidquid inde protuleris. & infrà: *illi enim ſcilicet Euangelio, credens, non inuenio quomodo poſſum etiam tibi credere, Apoſtolorum enim nomina, quæ ibi leguntur, non inter ſe continent nomen Manichæi. In loco autem Iudæ, qui ſucceſſerit, in Actibus Apoſt. legitur.* hæc ille. Conſtat autem quòd presbyteri ex ſpeciali cōmiſſione nō miſſi ad prędicandū non ſunt pro Apoſtolis veris acceptādi, ergo nequaquam de mente B. Auguſtini, quòd qui curam nō habent, prædicare debeant abſque vocatione ſpeciali. intelligere ergo oportet ſua : erba, iam dicta, & ad Oroſium in fine libri, ſcilicet quod qui non præſunt presbyteri, debēt diſponere cū prælato ſe mitti, & ſic prædicare populo ſi videtur congruum prælato. vnde quod dicit in auctoritate, *debent*, non eſt debitum neceſſitatis, ſed congruitatis, quam diſtinctionem S. Thom. ponit in pluribus locis, ſcilicet in 4. ſent. diſt. 5. de miniſtris baptiſmi, art. 2. ad 1. art. Et 3. part. q. 74. art. 5. ad 3. quia non obligantur, niſi prælato videatur cōgruere. Sic B. Apoſtolus adhuc Saulus, acceſſit ad principem Sacerdotum, & petijt ab eo literas in Damaſcum, vt admitteretur contra diſcipulos domini, Act. 8. Ad tertiam, quę eſt B. Hieronymini, ſuper illo textu Ezech. 3. *dicente me ad impium*, loquitur de curatis, qa dicit, *prædicare tenetur ſacerdos*, ſed probatum eſt ſuprà ex beato Thoma & Alberto, quòd nullus tenetur prædicare, niſi curatus. vnde oſtēdebatur diſtinctio inter presbyteros curatos & non curatos. Vel loquitur de eo, cui hoc Dominus vel prælatus præcipit, ſicut Prophetæ, fecit. oſtenſum autem eſt, quod non eſt præceptum Domini, ſacerdotes nō curatos prædicare. Ad quartam, quæ eſt Iſidori, de ſummo bono, lib. 3. cap. 56. *Sacerdotes damnabantur, ſi peccantes non erudiant.* Reſpondeo, quòd ad literam loquitur de curatis prelatis, vnde ſubdit circa medium capituli: *Nonnulli præſules gregis quoſdam pro peccato à communione eijciunt, vt pœniteant, ſed quali ſorte viuere debeant ad melius exhortando, non viſitant.* & circa finem capituli dicit: *Notandum ab omni Pontifice vehementer, quòd tanto cautius agat, quanto durius à Chriſto formidet iudicari.* Pro quo & ſequentibus ſciendum, quòd antiqui doctores ſæpè pro eodem ponunt, iſtos terminos Epiſcopus, præſul, rector, & ſacerdos ſeu presbyter, ſicut iſte hic facit in eodem cap. quia antiquitus pro eodē cenſebantur quò ad vocabulum, licèt non quò ad gradum, & ſtatum, prout notat Iſidorus ſeptimo Etymologiarum, exponens viginti duo nomina Eccleſiæ miniſtrorum, & 21. diſt. *Cleros*. Nec pro tunc erant multi presbyteri, niſi Epiſcopi, & curati ſeculares, clerici vocabantur Monachi, de quibus loquitur tota cauſſa 12. q. 1. oſtendit enim ibi, quòd hoc nomine Epiſcopus ſignificat Patriarchas, Sacerdotes Archiepiſcopos, & metropolitanos, illud nomen Sacerdos ſignificabat Imperatores, Reges, Epiſcopos, & Presbyteros, quia & Reges erant Pontifices & Sacerdotes. Vnde dicit Imperatores Romanorum Pontifices dictos, quorum rationes & diuerſitates exponit ibidem, ita in propoſito, auctoritates ſanctorum eoſdem terminos, ſæpè pro eodem ſumunt, & ſic non poſſunt trahi purè ad ſacerdotes præſentis temporis, ſed pro ſacerdotibus Epiſcopi & curati plebani accipiuntur. Ad quintam quæ eſt Chryſoſtomi homilia 44. *Sacerdotes niſi omnem veritatem manifeſtauerint populo, dabunt rationem in die iudicij*, poſſem reſpondere vt prius, tamen reſpondeo, quòd *omnem veritatem*, facit diſtributionē accommodam, & non vniuerſalem diſtributionem, quia nullus eſt Sacerdos, qui ſciat omnem veritatem. Sic etiam gloſſa dicit ſuper illo: *Spiritus ſanctus docebit omnem veritatem*, id eſt, neceſſariam ad ſalutem. Tamen vltra hoc dico, quòd manifeſtare ſit per admonitionem fraternam, etſi non ſemper per prædicationē publicam. Hanc diſtinctionem innuit gloſſa 1. Cor. 12. vbi dicit Apoſtolus: *Sermo meus, & prædicatio mea non fuit in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis. Sermo*, inquit gloſſa, *dicitur, qui fiebat in priuato, prædicatio in publico.* Ad ſextam, quæ eſt B. Gregorij, diſt. 43. Epheſ. Reſpondeo, quòd illa modicum facit ad rem, quia Paulus oſtendit ſe feciſſe, quod ſibi præceptum fuit, ſcilicet denunciare Epheſijs omne conſilium Dei, ita & quilibet, cui ſic præceptum eſt, tenetur facere. Ad ſeptimam, quæ eſt beati Gregorij homilia 17. *Nos qui ex oblationibus viuimus fidelium.* loquitur de paſtoribus, ſicut ipſe e-

S. Tho. 4. diſt. 5. q. 2. ar. 2. ad 1. 3. q. 64. ar. 5. ad 3.

Act. 8.

Ad 3. Hier. in 3. ca. Ezech.

Ad 4. Iſidorus.

Pro eodē ſumūtur ſæpè Epiſcopus, Prę ſul, rector Sacerdos, presbyter. Iſid. li. 7. etym. c. 12. diſt. 21. c. cleros. 12. q. 1.

Ad 5. Chryſ. ho. 44. in Math. in ope. imperfec. tom. 2.

Ioan. 16.

1. Cor. 2.

Lyran.

Ad 6. Gregor. lib. 2. epiſt. 33. Act. 20.

Ad 7. Grego. ho. 17.

rat paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, ideò dicit; nos. Ad o
quæ eſt B. Auguſtini in lib. contra Manichæos loq
curatis, vnde dicit: *Qui electus ab Eccleſia miniſterium*
zandi & baptizandi renuerit. & infrà: *Qui autem curan*
dorum refugit aliorum, &c. Ad nonam 43. diſt. *Diſpe*
nobis cœleſtis ſeminis iniuncta. loquitur de Epiſcopis, qu
nobis, ita ex Concilio Carthaginenſi quarto. Ad de
Epiſcopus nullam rei familiaris ad ſe cauſſam reuocet, ſed v
orationi, & prædicationis verbo tantummodò vacet. exp
Epiſcopis loquitur. Ad vndecimam, ex Concilio T
in c. ignorantia, diſtinct. 38. *Sciant Sacerdotes ſcriptur*
& canones, vt omne opus eorum in prædicatione & doctri
ſtat, loquitur ad literam de curatis, quod probatur
ter: primò per verba ibidem expreſſa, quæ ſunt: *Ignor*
ximè vitanda eſt in Sacerdotibus, qui docendi officium in p
ſceperunt: & conſtat, quòd illi ſunt curati. Inſuper per
lum immediatè ſequens, quod loquitur de plebanis,
quod dum ad ſuas parochias ordinantur, debent reci
brum officialem, id eſt, officiorum. Et ita apparet, q
ctoritates ſunt competenter & veraciter ſolutæ.

Ex præmiſſis ſequitur Corollariū tertium, ſcilice
non eſt præceptum diaconibus à Domino, ex vi diac
officij, prædicare populis verbum Dei, cuius oppoſit
ſuit dominus proponēs. Patet ex omnibus his, quæ p
ſa ſunt ad probandum hoc, presbyteris nō eſſe præc
multò minus diaconibus. Præterea ſecundò illud
diaconibus pręceptum, quod exequi non debent abſ
miſſione ſpeciali, quia nec presbytero, vt probatu
concluſionis deductione, ergo diacono non eſt pr
præceptum à Domino, nec ſibi prædicare licet, niſi
ſe miſſum à Deo, vel eius ſufficienti prælato. Tertiò
ex doctoribus ſic deducitur. Illud quod ſolis ſacerdo
prælatis conuenit, regulariter hoc non eſt præceptu
nibus, ſed neque licet eis abſq; auctoritate ſuperioris
de actu prædicationis verbi Dei, quod regulariter nu
uenit, niſi tantùm ſacerdotibus, & Epiſcopis, vt patet
adijcimus. hoc ergo officium nec præceptum eſt, n
gruit regulariter diaconibus, & hoc in c. perlectis, di
Quartò dicit Hugucius, quòd diaconibus nunquam
prædicare, niſi cùm ad officium prædicandi à Sacer
fuerant inuitati vel rogati, ſic enim & non aliter pot
conus prædicare licitè, diſt. 92. in ſancta, & c. diaconu
q. 1. ſicut enim. Quintò, idem expreſsè dicit D. Vvil
Pariſienſ. in ſuo ſacramentali de ſacramento ordinis
diacono non conuenit prædicare ex officio, eo quo
conſecratur, ſibi in porrectione Euangelij, non dicit
cipe poteſtatem prædicandi, ſed, *accipe poteſtatem leg*
angelium, pro viuis & mortuis. Sextò ſic, beatus Thoma
ſtinctione 6. dicit, quòd diacono non licet prædica
benè baptizatum inſtruere, quia ſolius presbyteri &
pi actus eſt prædicare. Septimò ſic, beatus Dionyſius
to capitulo Eccleſiaſticæ hierarchiæ; diſtinguit diac
presbytero, eo quod diaconi eſt purgare ante bapt
catechizando, presbyterorum illuminare baptizan
Epiſcoporum poſt baptiſmum perficere prędicando
firmando. ergo prædicare non conuenit diacono ex
vel præcepto.

Per hæc reſpondeo ad ea, quæ in contrarium a
ſcilicet auctoritatem Iſidori, & habetur 25. diſt. perle
per Magiſtrum in 4. diſtinct. 24. vbi dicitur: *Sicut le*
vetus teſtamentum, ita diaconibus nouum prædicare præcep
Ad hoc reſpondeo primò ſecundùm Hugucionem il
quod intelligitur cùm diaconus à Sacerdote rogatur
uitatur, vt iam dictum eſt. Secundò, ſecundùm
cum Botz, & habetur de hæreticis, libro 6. ca. cùm ex
cto. dicentem, quòd diaconus non poteſt prædicar
ex delegatione. Tertiò, ſecundùm Ioannem Te
cum in gloſſa cap. adijcimus. dicit, quòd prædicare
tur pro legere publicè, & hæc eſt veriſſima reſp
quia diacono eſt præceptum publicè legere Euang
Hoc idem affirmat Laurentius diſtinctione 92. in
dicens: *Hoc intellige ex delegatione, aliàs ſolius Presby*
ficium eſt, prædicare. Vel, inquit, *hic prædicationem*
lectionem Euangelicam. Idem loco tertio aſſerit V

Durant. in rationali diuin. lib. 2. cap. ſeu rubr. 9.

mus Duranti in rationali diuinorum, in capitulo dę diacono, vbi de diacono dicit, quòd præceptum eſt ſibi prædicare, id eſt, legere Euangelium publicè. Et nota, ſi ſic tunc lectores haberent prædicare vetus, diaconi nouum teſtamentum, & ſic officium prædicationis eſſet multùm commune, & reputationis modicæ, & diuiſum quò ad materiam prædicandorum.

Corol. 4. Cõgruum eſt multos eſſe Miſsã celebrãtes etſi non ſint tot prędicatores.

EX iſto ſequitur quartò, quod valde congruum eſt, multos eſſe miſſantes, vel Miſſam celebrantes, etiamſi non tot ſint populo prædicantes, probatur multipliciter. Primò, quia prædicatio eſt pro loco & tempore moderanda, & intermittenda. Sed Miſſa eſt quotidie continuanda. ergò propoſitio vera. Conſequentia nota. & probatur maior, quia dicit beatus Gregorius in quadam homilia: *Diſpenſanda eſt prædicatio pro loco, tempore, & auditorum capacitate, quæ ſi rara fuerit, non ſufficit, ſi aſſidua, vileſcit, nec multis ſermonibus opus eſt, ſed efficacibus*, ait Seneca epiſtola 38. Inſuper Saluator noſter triginta tribus annis in hoc mundo fuit, & tantùm prædicauit tribus, triginta annis tacens: Et ad minorem accedamus, quæ probatur primò ex doctrina communi, quæ eſt ſancti Thomæ 4. diſtinct. 13. & Innocentij in libro de Miſſa, dicentis: quòd Miſſa debet eſſe in Eccleſia quotidiè quintuplici ratione. 1. quia oportet ſemper paratam eſſe medicinam contra quotidiana peccata. 2. vt lignum vitæ ſemper ſit in medio paradiſi. 3. vt nobis Chriſtus quotidie vniatur ſacramentaliter, & nos ei ſpiritualiter. 4. vt ſit apud nos iugis memoria Dominicæ paſſionis. 5. vt vero agno loco typici quotidiè vtamur, quem Iudæi ad veſperam conuertendi eſurient, famem patientes vt canes, ſecundùm Pſalmiſtam.

Gregor.

Senec. epiſt. 38.

Miſſa debet celebrari quotidie.

S. Tho. 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. q. 3.

2.

Pſalm. 58.

Secundò, hoc ſtatutum eſt propter hæreſum eliminationem, dicitur namque in rationali diuinorum libro 4. cap. 1. quòd dum hæreſes in diœceſi Moguntina pullularent, ſcilicet, qui Trinitatem impugnarent, ex inſtitutione Alcuini Magiſtri Caroli Magni, Bonifacij Archiepiſcopi Maguntinenſis rogatu, ſtatuentis prima feria de Trinitate dicebatur Miſſa. ſecunda de ſapientia, tertia feria de Spiritu ſancto, quarta de Charitate, quinta de Angelis, ſexta de ſancta Cruce, ſeptima de beata Virgine. Ceſſante cauſſa illa, ceſſauit & effectus. hæc ibi.

Hinc eſt, quòd propter deuotionis reuerentiam, & Sacramenti neceſſitatem plures Sacerdotes ſolent plures Miſſas in eodem die celebrare, ſicut de S. Leone papa legitur, quòd eandem Miſſam ſepties, aliquando nouies celebrauit, vt dicit Minatenſis, vbi priùs.

Minatẽſis lib. 4. c. 1.

3. Tertiò hoc eſt, vt ſicut in Veteri teſtamẽto fuit ſacrificium, ita in nouo panem accipiamus quotidianum.

4. Quartò, propter multitudinem Sacerdotum, quorum maior eſt numerus, qui habent Miſſas celebrare, quàm prælatorum qui habent prædicare.

5. Quintò ratione populi, quia populo iam fundato in fide, maior eſt neceſſitas prouidendi de eo, quo negligentiæ quotidianæ purgantur, gratiæ augentur, & virtutes roborantur, ad quod eſt virtus Miſſæ. Non ſic de prædicatione. ergò, &c.

Ad obiectionem.

Ad ea, quæ in contrarium adducta ſunt. primò ſic: Chriſtus tantùm ſemel Miſſauit, & pluries prædicauit. Ergò vultis ad minus concludere. quòd ſi Sacerdos vult ſæpè celebrare, debet etiam ſæpè prædicare: Reſpondeo, negando conſequentiam, tum primò, quia ſi omnes presbyteri quotidiè celebrarent Miſſam, adhibitis debitis circumſtantijs, eſſet valde laudabile, ſed ſi omnes quotidie prædicarent, eſſet confuſibile. tum ſecundò, quia Chriſtus non inſtituit hoc Sacramentum propter ſeipſum, ſed propter perfectionem viatorum, vt qui manducarent eum, haberent vitam æternam. Ioan. 6. ergo non oportuit eum toties celebrare, ſicut prædicare. Ideò dicit Apoſtolus ad Hebræos decimo: *Vna oblatione conſummauit ſanctificatos in ſempiternum*: & ideò quia homo quotidie indiget ſalutifera eius virtute, poteſt quotidie laudabiliter illud ſacramentum accedere, ideò dicit Dominus Luc. 11. vbi docet petere panem quotidianum, & beatus Auguſtinus dicit in expoſitione in libro de verbis Domini: *Si quotidie acceperis hoc Sacramentum, quotidie tibi eſt hodie, tibi hodie eſt Chriſtus, tibi quotidie reſurgit, hodie enim eſt, quando Chriſtus reſurgit*. hæc ille, prout dicit S. Thomas in 3. parte. q. 80. art. 1. Tum tertiò, finis etſi ſit primum in intentione, eſt tamen vltimum in conſecutione. Euchariſtia autẽ eſt finis ad quem omnia ſacramenta ordinantur, ſecundùm beatũ Dionyſ. ſed prædicatio Chriſti fuit diſpoſitio fideliũ ad credendum, & ad dignè ſuſcipiendum hoc diuiniſſimũ Sacramentum: ergo licuit ſępè prędicare pro credentium prędicatione, tantùm ſemel miſſare, ſicut licèt finis ſit vnicus, tamen media ad eundem finem ſæpè ſunt plura. Tum quartò, quia Miſſa ſuo modo tam plena eſt myſterijs, ſicut ſol atomis, mare guttis, firmamentum ſtellis, & ſicut cœlum empyreum Angelis, oportuit præcedere multas diſpoſitiones prædicationum ad finaliter credendum tantum myſteriũ, quod per vnicam celebrationem Chriſti eſt inſtitutum. Tum quintò, quia Miſſam quam Chriſtus celebrauit in memoriale ſuæ paſſionis inſtituit, ſed tantùm ſemel mori debuit, ergo ſufficienter egit, & tantùm ſemel celebrauit, ſed habuit in multis locis prędicare, & multa documenta in credendo, agendo, cauendo, gliſcendo, timendoq; tradere, quæ nõ potuit vnico actu expedire. ergo decuit pluries eum prædicare, & tantùm ſemel miſſare.

Ioan. 6.

Hebr. 10.

Luc. c. 11.

Auguſ. de verbis Domini, ſermone 28. tom. 10.

Ad 2. obiectionem.

Secundò ſic arguit dominus proponens. Inter omnia ſacerdotis officia, poſt vitæ iuſtitiam, plus eſt laudanda prędicatio, quia longè extenſius prodeſt, ergo diligẽtior, vel ęquè diligens debet eſſe ſacerdos ad prędicandum, ſicut ad miſſandum. Reſpondeo quod antecedẽs eſt declarandum, vt patet ex dictis, quia actus miſſandi præceptus eſt omnib9 ſacerdotibus etiam ſæpè fieri, addita cõmoditate, Domino dicente: *Hoc facite, &c. quotieſcunq; feceritis, &c.* Luc. 22. vbi vox, quotieſcunq; importat multitudinẽ miſſationis. etiã actus prædicationis nõ eſt omnibus præceptus à Domino. Ergo, laudabilius eſt ſacerdotes non curatos ſatisfacere præcepto domini celebrando, ad quod ſunt obligati, quàm prętermiſſis miſſationibus, prędicando ad quod non ſunt aſtricti. Inſuper 2. quia miſſare eſt actus ordinis ſacerdotalis, quem ſinguli habent ex charactere ſacerdotali, ſed prædicare eſt actus purè iuriſdictionis non coërcitiuæ, vt prædictum eſt, magis enim aſtringitur Sacerdos ad id, quod ſibi conuenit ex vi ordinis ſacerdotalis, quàm ad id quod ſibi nõ conuenit, niſi ſuperueniat commiſſio iuriſdictionis. Sciendum tamen, quòd in caſu fortè eſſet laudabilius prædicare ei, qui habet auctoritatẽ, quàm miſſare, ſcilicet ſi eſſet populus infirmus vel infidelis, deficiens in his, quæ credere vel agere tenerentur, tum, ſi talis ſacerdos ſibi vtrumq; facere nõ poſſet, potiùs eſſet ei prędicandum, quàm miſſandũ, & tunc diceretur prædicare eſſe melius, quàm miſſare, non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſtante tali conditione. Et ſic ſecundum quid, cederet perfectius minus perfecto, ſcilicet in ordine ad talem populum infirmũ & ægrotantem, ſicut vinum licèt in ſe ſit melius, quã aqua, tamen aqua melior eſt febricitanti. Verumtamen vt cõmuniter actus miſſandi non repugnat actui prædicandi, imò ſimul ſtant, & vnus ordinatur ad alium, ſicut prędicatio ordinatur ad hoc, vt populus deuotius præparetur ad audiẽdum Miſſam. In cuius ſignum prædicatio ſæpè ſolet fieri infrà Miſſam ante eleuationem. Sed ſecundùm communem formam prædicatio non eſt præſtantior his quæ ſunt ad finem, ſed prædicatio eſt ad finem miſſationis, ſcilicet vt celebrantes deuotius agant, & aſtantes intimius conſequantur ei9 fructum. Vnde ſecundùm S. Thomam tertia parte, quæſtione 79. art. 2. ad 2. effectus ſacrificij in quolibet homine participantur ſecundùm diſpoſitionem, ſicut & cuiuſlibet virtutis actiuæ. nam actus actiuorum ſunt in patiente benè diſpoſito, ad quam bonam diſpoſitionẽ operatur prædicatio. Certum etiam eſt, quòd miſſatio frequentata ſeu quotidiana eſt vniuerſali Eccleſiæ neceſſarior, quàm prædicatio quotidiana, attẽta iam vulgata doctrina fidei. Ex quo ſequitur quòd iſta argumentatio non valet. Chriſtus pluries prædicauit, & tantùm ſemel miſſauit. ergo ſalubrius eſt prędicare quàm miſſare. Nam in ſimili forma non ſequitur, Chriſtus ſæpè manducauit, ſæpè orauit, ſæpè cubauit, ergo melius eſt orare, manducare, cubare, quàm prædicare vel miſſare. non ſequitur iterum: Chriſtus ſæpè prædicauit, & tantùm ſemel crucifixus eſt. ergo vtilior eſt eius prædicatio, quàm paſſio. quia non arguitur ſemper perfectio ex hoc, quod aliquid multiplicatur in ſua ſpecie magis per indiuidua, quàm aliud. imò magis arguit imperfectionẽ, eò quod huiuſmodi multiplicatio indiuiduorũ ſuper quadam defectibilitate ſiue indigentia fundatur, quia ſicut ſpecies nõ poteſt perpetuari in

In caſu ali quo laudabilius eſt prædicare quã miſſare.

S. Tho p. 3. q. 79. art. 2. ad 2. ſimile quod habet.

vno indiuiduo, ſed apparet perpetuitatem in multis ſibi ſuccedentibus, ſic in corruptibilibus eſt huiuſmodi multiplicatio, quæ tamen non eſt in æternis. Inſuper media ordinata in finem vltimum, quę ſe habent ratione vtilis, multiplicantur, ſed finis vltimus, qui habet rationem honeſti, non multiplicatur, vt clarum eſt, quia potior eſt conditio finis vltimi, qui nõ multiplicatur per indiuidua, quàm conditio mediorum, quæ multiplicantur. Ergo, &c.

Corol. 5. Congruit cultui diuino in Eccleſijs, vt ſit rationalis altariũ multiplicatio.

Eſt iſto ſequitur Corollarium aliud, ſcilicet quintum. Congruit cultui diuino in eccleſijs, vt ſit rationalis altarium multiplicatio. Cùm enim ſecundùm dominum VVilhelmum Pariſienſem in ſuo ſacramentali, tanta ſit neceſſitas Miſſationis, quòd ſine illo ſacrificio non eſſet ſufficienter prouiſum fideli populo, nec cultui diuino, hinc vt dicit ſanctus Thom. 2. 2. q. 85. art. 2. ad tertium: *Templa & altaria Sanctis erigimus, non quod ipſos, ſed ſolùm Deum, qui nobis & ipſis Deus eſt, honoremus, vt dicit beatus Auguſtinus lib. 8. de ciuitate Dei. Vnde Sacerdos ſuper altari offerens ſacrificium, nõ dicit, offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo de illorum victorijs gratias agimus, & nos ad imitationem eorum incitamur.* hæc S. Thomas. Hæc autem altaria ſic ad Dei cultum erigere Patres veteres nos docuerunt. Nam Noë primus, deinde Abraham, Iſaac & Iacob, altaria ædificaſſe leguntur, qui non aliud niſi lapides erecti intelliguntur, ſuper quos ſacrificia mactabant, quæ ſuppoſito igne diuino cremabantur. Moyſes etiam fecit altare de lignis Sethim, & dicitur altare Thymiamatis, quod veſtiuit auro puriſſimo, prout dicitur Exod. 25. 27. 30. cap. & 1. Macha. 4. Iudas Machabæus, & fratres eius, & vniuerſa Eccleſia ſtatuerũt, vt dies dedicationis altaris ab anno in annum, per dies octo celebretur. hinc in Pſalmo dicitur: *Conſtituite diem ſolennem in condenſis vſque ad cornu altaris*, vt videlicet in diebus feſtis adeò conueniat populus ad Eccleſiam, quòd fiat condenſatio, id eſt, compreſſio vſque ad cornu altaris, ita quòd Eccleſia impleatur populo & clero, ideò trãſlatio Hebraica habet, in congregationibus, & tranſlatio Romana habet, in confrequẽtationibus, videlicet populi Chriſtiani, ſecundùm expoſitionem de Lyra. Vnde beatus Gregorius 9. Moralium, moraliter, *ſolennem namque diem Domino in confrequentationibus conſtituit, quiſquis ſe aſiduè in eius deſiderio affligit, qui nimirùm ſolennitatis dies vſq; ad altaris cornu tendi præcipitur: quia tamdiu neceſſe eſt, vt quiſque ſe afficiat: quouſq; ad superni ſacrificij altitudinem, id eſt, gaudia pertingat æterna.* hæc ille. Salomon quoque legitur 3. Regum 7. capit. Altare aureum fabricauit. Ab his ergo antiquis Patribus altaria modernorum ſumpſerunt exordium. Nempe altare & ara, quæ aliquoties indifferenter inueniuntur. Intereſt tamen, nam altare, quaſi alta res, vel alta ara dicitur, in quo Sacerdotes incenſum adolebant: Ara verò, quaſi area, id eſt, plana, de ardore dicitur, quia in ea ſacrificia ardebant. Porrò triplici ex cauſa hæc altaria conſecrantur. Primò ad Sacramentum in ipſis offerendum, iuxta quod Geneſ. 8. dicitur: *Aedificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* hoc autem Sacramentum eſt corpus & ſanguis Chriſti, quod in memoriam paſſionis Chriſti immolamus, iuxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* Secundò ad nomen Dei ibi inuocãdum, vnde Geneſ. 12. *Aedificauit altare Abraham Domino, & inuocauit ibi nomen Domini qui apparuit ei.* hæc autem inuocatio, quæ fit ſuper altare, propriè dicitur Miſſa, ex eo, quod cœleſtis miſſus, ſcilicet Chriſtus à Patre, qui ipſam hoſtiam, & per eandem à nobis Patri mittitur, vt pro nobis intercedat. Tertiò, ad cantandum Miſſas in eo. vnde Eccleſ. 47. *Dedit illi contra inimicos potentiam, & ſtare fecit cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit modos.* Ex quibus apparet, quòd obiectio domini proponentis nulla eſt, vbi allegat contra pluralitatem altarium illud Oſeæ 8. *Multiplicauit Effraym ſuper altaria ad peccandum.* nec illud Amos 3. *Viſitabo ſuper altaria Bethel.* & Oſeæ 10. *Tribulus aſcendit ſuper aras eorum.* quia illa dicta ſunt contra eos, qui ædificabant altaria idolis, & immolauerunt dæmonijs, & non Deo, Dijs quos ignorabant, vt dicitur Deuteronomij 32. Nos autem non ſic, ſed ſoli Deo vero, & Sanctis eius in gloriam ipſius, quoniam *mirabilis Deus in Sanctis ſuis*, dicitur Pſalmo vltimo, de quibus Pſalmiſta dicit in plurali: *Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus*, Pſalmo octogeſimo tertio, vbi dicit beatus Augu-

S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 2. ad 3.
Aug. de ciuit. Dei, li. 8. c. vlt.
Exod. 25. 27. 30.
1. Mach. 4.
Pſalm. 117.
Greg. 9. Mora. c. 21
Triplici de cauſa altaria conſtruuntur.
Gen. 8.
Luc. 22.
Gen. 12.
Eccl. 47.
Oſeæ 8.
Amos 3.
Oſeæ 10.
Deut. 32.
Pſal. 150.
Pſalm. 83.

ſtinus ſuper illo: *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætif*
iuuentutem meam. Eſt quoddam altare ſublime, inuiſibile, quò
cedit iniuſtus, ad illud altare ſolus accedit, qui ad iſtud viſibi
rus accedit, illuc inuenient vitam ſuam, qui in iſto diſcernit c
ſuam. & Gloſſa ait: *Notandum, quod ad altare Miſſam cele*
rus, Sacerdos aſcendens, ait: Introibo ad altare Dei, deſider
& amore ſuperioris & inuiſibilis altaris hoc viſibile adire m
deſtia debet, æterna non caduca petiturus, vt Chriſti celſitudi
militate ſequatur, qui ſic iſtud altare exponit, dicens: Ad Dei
licet introibo: qui lætificat iuuentutem meam; accedo enim n
vetuſtate, tunc aſtabo gaudens in nouitate. hæc ibi. *ſic ergo*
munus tuum ad altare. Matth. 5.

Sextum Corollarium. Cuicunq; ex cauſa rationab
pa prohibet actum prædicationis, vel Epiſcopus loci ſ
tentia excommunicationis tenentur obedire, ſi nõ vu
nam illam incurrere. Pro iſta declaratione hic ſunt n
da tria. 1. quòd licet Papæ, Epiſcopo loci, vel Prælatis p
bere, ne quilibet ſacerdos prædicet in locis ſibi comm
vel diacono indiſtinctè. 2. quòd iniuſtè excommunica
quando debent obedire, & ſententiam multùm tim
quòd talis excommunicatio iam lata non meretur di
tenſa, ſed verè & obligatoriè impenſa, ſi prædicatio e
ſa rationabili alicui fuerit prohibita, patet 1. quia tot
domini proponentis cur illi hoc non poſſint, eſt, quia
byteri & diaconi obligantur prædicare ex præcepto D
ipſi non poſſunt contra præceptum Dei, igitur in tali p
ptione non eſt eis obediendum. Et audiſtis ex præhab
non eſt præceptum taliter, ergo illa ratio nulla. Et pro
corollarium, quia licèt illud Papæ & Epiſcopis circa o
prædicationis, quod licuit Chriſto ſtatuere & prohibe
practicare in ſe & ſuis diſcipulis, ideò enim dicuntur v
Chriſti in terris, ſed Chriſtus in ſe ipſo practicauit,
quamuis Sacerdos eſſet à primo conceptionis ſuæ inſ
tamẽ à prædicatione trigiñta annis abſtinuit. Inſuper i
Apoſtolis ſtatim dum eos miſit, circa loca, imò maxi
partem mundi, eis interdixit, dicens: *In viam gentium n*
ritis. & 72. diſcipulis reſtrinxit, ne prædicarent niſi ir
vbi ipſe erat venturus, prætereà & Apoſtolos, quos in t
mundum miſit, adhuc ad certos dies prædicare prohi
dicens: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Si
ter Apoſtolus Paulus volens prędicare Romanis, tand
tiochenis, prohibitus eſt à Spiritu ſancto. Si ergo tam
Chriſtus & Spiritus ſanctus iſtos prohibuit, ne prædic
quando & vbi vellent, cur nõ Papa ita de presbyteris &
conibus facere poſſet? Et hæc de primo. Secundò, Pap
Epiſcopus poteſt illud promulgare, quod dudum ſtat
& ſeruatum eſt ab vniuerſali Eccleſia Dei, ſed vniue
Eccleſia ſtatuit reſtrictionem prædicantium à princ
ſcilicet in Concilijs Nicæno, Carthaginenſi, Roman
multis alijs, vt patet 71. & 72. diſtinctionibus. ergo ſ
hoc ad practicam ponitur, non eſt rebellandum: dictu
enim, quod ibi præcipitur ſub ſententia excommunic
nis, non admittendos presbyteros alienos in Eccleſijs
que ſufficienti teſtimonio, & licentia ſui Epiſcopi. T
ſic in proprijs terminis. Illud ponit Innocentius Terti
acceptauit Eccleſia Dei vniuerſalis, ſcilicet, quod o
prohibiti, vel non miſſi auctoritate ſummi pontificis, a
piſcopi loci, non poſſunt prædicare ſub pœna excomn
cationis, & alijs remedijs, vt patet ibi, *quia verò, de hær*
cùm ex iniuncto. Aut ergo Eccleſia Dei tanto tempore à C
cilio Nicæno, vſque nunc licitè accepit illa ſtatuta, aut
ſi ſic, habebo propoſitum, ſi non, ergo interim vniue
Eccleſia ſtetit in errore, quod eſt contra Euangelium
tæ inferni non præualebunt aduerſus eam. iterum: *Ego vob*
ſum vſque ad conſummationem ſeculi. &, *Ego rogaui pro te,*
deficiat fides tua.

Ad auctoritates, quas in oppoſitum inducit, prima e
dæ ſuper iſto: *Inuenietis aſinam*, dicentis, quòd hic docto
præcipitur non deſiſtere à prædicatione. Reſpondeo, c
loquitur de Doctoribus Eccleſiæ, & hi ſunt, qui ad præ
tionis officium ſunt inſtituti, ſemper præſuppoſita auc
tate legitima. Nam Doctores præcipuum tenent ordi
in Eccleſia, & ſic Doctores intelliguntur Prælati mag
c. ex iniuncto: in illa auctoritate nõ nominantur presb
aut diaconi, ſed ſoli doctores, vnde nõ probat propoſi

Ad Hieronymũ ad Ruſticũ Epiſcopum Narbonẽ. diſt. 95. Ecce ego. c. 6. Ad Anaclet. epiſt. 1. diſt. 43. ſcimus. c. 5.

Ad aliam Hieronymi ad Ruſticum, dico quòd loquitur de Epiſcopis, qui prohibuerunt inuidia diabolica permoti, curatos in præſentia eorum prædicare proprijs populis ſibi cõmiſſis, & hoc non licuit, vt patet diſt. 95. *Ecce ego.* nec hoc fecerunt congruitate, ſed, inuidia ſimulante, dicitur ibidem. Tertia eſt Anacleti 43. diſtinct. *ſcimus.* vbi dicitur, quòd doctores non debent tempore perſecutionis ſubtrahere verbũm. dico quod loquitur ad literam de curatis, vnde dicit Rubrica eiuſdem capituli, *verba prædicationis Prælati ſuis perſecutoribus non ſubtrahant.* idem dicit gloſſa ibidem, quia in iſtis auctoritatibus ſcilicet Bedæ & Anacleti immediatè iam expreſſis, & ſæpè pariformiter in dictis doctorum fit mentio de Doctoribus. Reſpond. quòd loquuntur aut de Doctoribus curatis, & ſic eſt plana res, talibus enim conuenit prædicare nec fugere perſecutionis tempore. Aut de non curatis, & ſic eſt duplex opinio: vna, quòd Doctoribus ſacræ Theologiæ conuenit vbiq; prædicare, ratione auctoritatis doctoralis, quia ſic licentiantur, auctoritate Papæ. ſicut & Epiſcopus in tota diœceſi, & hoc vult Auguſt. de Ancona in lib. de Eccleſ. poteſtate, q. 64. & hoc videtur prætendere decretal. de hæret. *cùm ex iniuncto.* dicens, quòd doctoris ordo eſt præcipuus in Eccleſia Dei. vnde prædicationis officium nullus ſibi debet vſurpare, niſi miſſus, ex quo ſequi videtur, quòd in tantùm ſint doctores priuilegiati, quòd ſint actu miſſi, & ideò glo. in c. ſcimus, diſt. 43. comparare eos videtur vel ſaltem connumerare Prælatis, qui tacere non debent, ſed prædicare tempore perſecutionis, & illius opinionis vidētur fuiſſe illi doctores per proponentem allegati. ſed eſt alia opinio his contraria S. Thomæ in lib. contra Impugnantes religionem, & domini Patriarchæ de Palude in lib. de Eccleſ. poteſt. dicentis, quòd ex doctorali gradu nõ habent doctores poſſe prædicare vbilibet, niſi de bono placito curatoris ſingulariter obtentæ, ideò auctoritates illæ nõ ligant. Et q̃d eſt tot libros voluiſſe, & Doctores allegaſſe, cùm, etſi omnes doctores mundi aliter, vel taliter ſenſiſſent, ſola Eccleſiæ auctoritas, quę toties hanc materiam decidit, quę hanc concluſionẽ, quòd licet prædicare diacono vel presbytero abſque licentia ſuperioris ſedis Apoſtolicæ, aut prælati loci, & quòd ipſi hoc prohibere non poſſent licitè, ſub pœna excõmunicationis ſententetiæ condemnauit, vt oſtenſum eſt, ſufficeret ad compellendum quemlibet Catholicum, ad credendum eius oppoſitum. Sic enim B. Hieron. poſtquam lõgo tractu diſputauit contra Luciferianum, concluſit: *poteram hoc vnico ſole, omnium diſputationum tuarum riuulos exſiccare.* de auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ loquẽs, ita & nos credamus, ita quæſo ſingulos, determinationem Eccleſiæ clariorem ſole accipite, ſicq; omnium doctorũ, qui tamen ſua dicta eiuſdem ſolis eradiationi expoſuerunt exſiccanda, corripienda, & emendanda intelligite.

Auguſ. de Ancona. de eccl. poteſtate. q. 64. art. 6.

diſt. 43 ſcimus, c. 3.

Thom. cõtra impug. relig. c. 6. Pet. de Palude de eccleſ. poteſtate, ar. 6.

Hiero. aduerſ. Luciferianum.

Sentẽtia à ſuo iudice lata, etiã iniuſta formidanda. 11. q. 3. ſi quis. c. 28.

Quantum ad ſecundum, ſciendum, quòd ſententia iniuſtè lata dummodò à ſuo iudice fiat, ſemper eſt formidoloſè timenda, & hoc niſi eius ſententia errorem inducat, vel peccatum mortale afferat, tunc enim nec timenda eſſet, nec tenenda. Et ſic probatur propoſitio primò ex 8. Synodo 11. q. 3. *Si quis frater aut palàm aut abſconſè fuerit locutus, cum excommunicato, aut iunctus conuentione, ſtatim cum eo excõmunicationis contrahat pœnam.* Et Vrbanus Papa ibid. *Quibus Epiſcopi non communicant, & quos eiecerint, non recipiatis; valdè enim timenda eſt ſententia Epiſcopi, licèt iniuſtè liget.* hinc ex Concil. 4. Carthag. dicitur ibidem: *Clericus qui Epiſcopi diſtrictionem circa ſe putat iniuſtam, recurrat ad Synodum.* Ioan. inſuper Chryſ. ſuper epiſt. Pauli ad Hebr. c. 2. *Vincula eccleſiaſtica non ſunt contemnenda non enim homo, ſed Chriſtus eſt, qui ligat, qui hanc poteſtatem dedit, & dignos facit homines tanta honoris.* & hoc eſt q̃ dicit B. Gregor. in principio, *Sententia paſtoris ſiue iuſta fuerit, ſiue iniuſta, timenda eſt,* gloſſ. *niſi in duobus caſibus. ſcilicet cùm ſententia eſt poſt appellationem lata, & cùm continet intolerabilem errorem,* extr. de ſent. exc. c. per tuas. Tertium caſum apponũt quidam, cùm pro indebitis exactionibus aliquis excommunicatur, extr. de exceſſ. prælat. *cùm ad quorundam.* vnde dicũt communiter doctores, quòd ideò excõmunicatio etiam iniuſta eſt timenda & ſeruanda, quia non nocet innocenti, ſed purgat eũ, & ſic licèt iudex iniuſtè agat, iſte tñ iuſtè patitur, etiamſi non ſeruaretur, fortè ille contemptus tamen, iniuſtã faceret iuſtam. per talem aũt excommunicationem iniuſtã non tollitur charitas, ſed ſolùm excluditur homo à communione Eccleſiæ, & à ſuffragijs Eccleſiæ quæ ita Prælati ſubtrahere poſſent, vt dicit venerabilis Auguſt. de Ancona, in lib. de Eccleſ. poteſtate, q. 27. hoc ei conſulendum eſt, vt ſuſtineat executionem patienter, humiliter, & deuotè, & quod præſentet ſe excommunicatori, offerens canonicam ſatisfactionem, ſi in aliquo offendit, & ſic inſtanter petat abſolutionem. ſi ita fecerit, erit ei ad meritum, aliàs ſi contemneret, peccaret mortaliter, de ſen. excom. c. per tuas. vel poteſt querimoniari contra iniuſtum excommunicatorem coram ſuo ſuperiori, vt allegatum eſt.

11. q. 3. quibus. c. 27. 11. q. 3. clericus. c. 30. 11. q. 3. nemo. c. 31. Chry. homil. 4. in ep. ad Heb. Greg. homil. 26. in Euang. 11. q. 3. ſententia. c. 1. de ſen. ex com. per tuas. c. 11. De exceſſ. prælat. cũ ad quorũdam. c. 7.

Auguſ. de Ancon. de eccleſ. poteſt. q. 27. art. 3.

Sententia Eccleſiæ prohibens quibuſdã prædicationem, nõ eſt prætenſa, ſed veraciter impenſa.

Quantum ad tertium, ſi Eccleſia vniuerſalis prohiberet Sacerdotes, vbique prædicare, vel Prælati, verbum Dei, non ſit excommunicatio prætenſa, ſed veraciter ordinatione impenſa. probatur. ſicut de Papa in vniuerſo orbe, & Concilio generali, ita ſimiliter dicendum eſt de Epiſcopo in diſtrictu diœceſis ſuæ. In ſeptem cauſis communiter ſecundùm omnem ſcholam Theologorum & Iuriſtarum, non eſt ſententia timenda, nec tenenda. Primò, ſi conferatur à non ſuo iudice. Secundò, ſi feratur à ſuo iudice, ſed excommunicato publicè; nam excommunicatus excommunicare non poteſt. Tertiò, ſi aliquis excommunicetur à delegato contra intentionem delegantis. Quartò, ſi lata eſt ſententia poſt prolatam appellationem. Quintò, ſi feratur à ſuſpenſo à poteſtate iuriſdictionis. Sextò, ſi feratur nulla admonitione præmiſſa, & nullo iuris ordine ſeruato. Septimò, ſi ſententia contineat peccatum mortale, vel aliquid quod ſit contra fidem. Planum eſt autem, quòd nullo iſtorum modorum excommunicatio iſta, qua prohibentur Prædicantes, ne vbique liberè prædicent, quodcunque iſtorum includit; nullus enim poteſt cauſare Eccleſiam vniuerſalem eſſe non ſuum iudicem, vel ſentẽtia excommunicationis eam eſſe ligatam, nec etiam ſententiam eſſe contra intentionem delegantis, nec à iuriſdictione eam per aliquem ſuperiorem eſſe ſuſpenſam, vel iuris ordinem non ſeruatum, cùm Eccleſia in generali Concilio congregata, nullo iuris ordine poſitiuo ligetur, nec poteſt ſententiare errorem, vel aliquid, quod eſt peccatum mortale, vt præfatum eſt ſuperius in declarando, quid ſit verbum inſpiratum, ſcilicet verbum Spiritus ſancti per ſacra generalia Concilia decretum. Pariformiter de Papa & Epiſcopis eſt dicendum, vbi nullus obuiat prædictorum caſuum: ergo ſi talis ſententia excommunicationis profertur contra eos, qui vbique volunt prædicare, Eccleſiaſticam tranquillitatem perturbare, & horrorem ſempiternum in Eccleſia ex hoc ponere, quis dubitat, quin talis ſententia non debeat dici prætenſa, ſed veraciter, & ex obligatione impenſa?

Ancon. vbi ſuprà. Sententia nõ formidanda in 7. caſibus.

Coroll. 7. Sacerdotes domini debent aliquando omittere fidelẽ prędicationẽ propter ſcandalũ peruerſorum.

Corollarium ſeptimum, cuius etiam dedit dominus exponens contrarium. Sacerdotes Domini debent aliquando omittere fidelem verbi prædicationem propter ſcandalum peruerſorum. Pro quò ſciendum, quòd ea, quæ ſunt populo prædicanda, ſunt in triplici differentia. Aut enim ſunt credenda, aut articuli fidei, aut agenda, vt moralia Dei præcepta, vel corrigenda, vt ea, quę ſunt circa informationem bonorum morum. Falſitates ergo & errores, quæ opponuntur credibilibus, & his quæ ſunt de integritate fidei, & ſacrę ſcripturæ, prædicator tacere non debet. tranſgreſſores verò diuinorum mandatorum eodem modo tacendo & non pronunciando eſſe peccata damnoſa, eſt peſtis: in perſona enim talium dicitur Threnorum 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, ſtulta, & non aperiebant iniquitatem tuam*, quia tales ex grauioribus leuiora, quaſi diuina auctoritate, peccantibus nunciant, dicentes bonum malum, & malum bonum, ſicut gloſſa ibidem dicit. ſed quæ ſunt circa morum informationem corrigenda, propter vitationem maioris mali, & ne auditores peiores fiant, quandoq; ſunt diſſimulanda, vt dicit venerabilis Aug. de Ancona, vbi ſuprà. Ex his elicio, quòd in duobus caſibus licitè poteſt prædicator verbi Dei tacere, & non prædicare. Primus eſt ad * prædicandum malum maius, quàm ex ſermone ſuo ſequatur bonum, puta, ſchiſma, vel rebellio contra fidem, vel contra præcepta Dei, aut ſuperioris. non enim licet, vel ſaltem non tenetur prædicator populo prædicare, quem videt finaliter magis quò ad ſingulos * deſeuire, quã ex ſua prædicatione proficere, iuxta illud Matt. 7. *nolite ſanctum dare canibus*, ſecũdùm expoſitionẽ

Thren. 2.

Gloſſ. ead.

* for. ſequendum.

* for. deficere. Matth. 7.

bea-

Aug. de ſerm. Do. in monte li.2. Chry. in eũ locũ ho. 24. 11. q. 3. quãdo ergo. c. 23. Hier. in Amos proph. c. 3. Hier. 15. Matth. 10.

beatorum Auguſtini & Chryſoſtomi ibidem. vnde dicit B. Hieronymus ſuper 12. Prophetas, & aſſumitur, 11. q. 3. *Quando ergo vir Eccleſiaſticus prudens atq; intelligens multas impietates in ea, quæ vocatur domus Dei, eſſe cognouerit, & non ſolum multas, ſed & fortes, & quæ opprimere poſſunt iuſtitiam, & in tantum doctorum rabiem proceſſiſſe, vt accipiant precium in iudicio, & omnia pro muneribus faciant, pauperes quoq; deuitent impertis, & audire contemnant, taceat illo tempore, non det ſanctum canibus, & mittat margaritas ante porcos, qui cõuerſi conculcent eas, & inueniatur tenens eum dicentem, ſolus ſedebam, quia repletus ſum amaritudine.* hæc ille: Hoc etiam Dominus diſcipulos docuit: *In quamcũque domum intraueritis dicite pax huic domui: qui autem non receperit vos, exite de illa ciuitate. etiam puluerem pedum veſtrorũ excutientes.* Item, *ſi perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.*

Aug. l. 3. cont. ep. Parmeniani, c. 2. 23. q. 4. Non põt. c. 32.

vnde B. Auguſt. in lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani, & aſſumitur 23. q. 4. *non poteſt ſalubris eſſe correctio niſi cum ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem cum verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis reſtat, quàm dolor & gemitus.* & infra: *Reuera, ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit diſciplinæ diuinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt, nam conſilia ſeparationis, id eſt, excommunicationis; tunc inania ſunt & pernicioſa atq; ſacrilega, quia impia & ſuperba ſunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animoſos malos.* hæc ille.

Pſal. 38.

Et hoc eſt, quod in Pſalm. Dominus dicit de ſeipſo. *obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis*, ſcilicet, quæ non docuit, quia ſalubrem admonitionem recipere non poterant, qui contentionum ſententiam perquirebant, ſecundum expoſitionem * Iſidori,

Iſidorus. * alter liber Caſſiodorus.

& dolor meus renouatus eſt, ſcilicet, pro contemptu & obſtinatione malorum, ſed renouatus eſt pro damno bonorum, qui amittunt paſtum verbi Dei, ſecundum Hugucionem. hoc etiam de praxi Apoſtolorum exponit B. Aug. ſuper illo Pſalmi

Pſal. 35. Aug. ibid. Eſa. 5.

& veritas tua vſq; ad nubes, dicens, *intelligimus doctores veritatis omnes portantes iſtam carnem caligin oſam, per quos Deus coruſcat miraculis, & tonat præceptis, de quibus dicit Dominus per Iſa. Mandabo nubibus meis ne fluant ſuper eam, videlicet ſuper vineam malam, hoc eſt, plebem Iudaicam, imbrem, id eſt, mandabo Apoſtolis meis, vt deſerant Iudæos, & non Euangeliſent.* hæc ille.

Act. 13.

In cuius figuram ſancti Paulus & Timotheus vetiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia, & tamen volebant in Bithynia, non permiſit eos Spiritus ſanctus, ſed miſit eos ad Macedones, Act. 16.

Act. 16.

Secundus caſus eſt, ſi ſcandalum oriatur ex doctrina prædicantis inter audientes, quod exponit Alexander de Hales in fine ſecundæ partis.

Alexã. ab Ales. p. 2. q. 169. Tho. 2. 2. q. 43. ar. 7.

Si omnes ſcandalizantur, vt dicit ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 43. artic. 7. quod quæ ſunt de neceſſitate ſalutis omitti nõ debent propter cuiuſcunque ſcandalum, ſed in his quæ de neceſſitate non ſunt, dicendum videtur, quod ſcandalum quod ex his oritur, quandoque procedit ex malitia cum ſcilicet, aliqui volunt impedire huiuſmodi ſpiritualia bona, ſcandalũ concitando, & hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, qui de doctrina Domini ſcandalizabantur, quod eſſe contemnendũ Dominus docuit Matth. 15.

Matt. 15.

Quandoque verò ſcandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia, & huiuſmodi eſt ſcã dalum puſillorum propter quod ſunt ſpiritualia opera vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non imminet, quouſq; reddita ratione huiuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autem poſt redditam rationẽ huiuſmodi ſcandalum duret, non videtur niſi ex malicia eſſe, & ſic propter ipſum non ſunt huiuſmodi ſpiritualia opera dimittẽda:

Thom. 4. diſt. 38. q. 4. ar. 2.

vnde idem dicit & in 4. ſentent. diſt. 38. artic. 7. quod licet nũquam ſit falſum docendum, eſt tamen actus docendi aliquãdo licitè differendus propter melius, ſcilicet propter ſcandalum puſillorum præſeruandum cuius rationem reddit ibidem Dominus Patriarcha de Palude dicens, quòd doctrina cum ſit eleemoſyna ſpiritualis, ad ſubleuandam miſeriam alterius, non eſt dimittenda quando creditur, quòd ex ea ſequitur ſpiritualis profectus quando autem talis profectus non ſequitur, ſed magis irritatio audientis, iam non eſt bonum ſpirituale & ideo ſi ad tempus dimittitur propter ſcandalum audientis, non omittitur aliquid, quod protunc habeat rationem ſpiritualis boni. hæc ille.

Pet. de Palu. 4. ſent. diſt. 38. q. 6.

& per hæc ſunt ſoluta, quæ adducit dominus proponens pro parte ſua, quia intelligitur dum ſcandalum naſcitur de his, quæ ad ſalutem audientium ſpectant, ſine quibus ſaluari non poſſent, tunc enim propter ſcandalum peruerſorum non eſt omittendum verbum Dei, vt dictum eſt, non ergo fuit tutum, illam concluſionem ponere abſolute, & ſine neceſſaria diſtinctione.

Vltimum Corollarium dominus proponens dixit: *non ſolum Sacerdotes minores, ſed & Prælati maiores tenentur verbum Dei fideliter annunciare*, ad quod declarandum dico, quod Prælati & Presbyteri tenentur per ſe vel per alios verbum Dei fideliter annunciare, non tamen ita tenentur prædicare, quin in caſibus ſex vel ſeptem ad minus poſſint ſupportari.

Coroll. 8. Prælati & Presbyt. tenentur per ſe vel per alios verbũ Dei fideliter annũciare, nõ tamẽ ita tenẽtur prędicare quĩ ad minus in caſibus aliquot poſſint ſupportari.

Pro quo notandum, quòd in quinque caſibus Prælati maiores poſſunt licitè omittere prædicationem verbi Dei, & per alios ſupplere.

I. Exo. 4.

Primus eſt, ſi ſint impeditæ linguæ, vt patet Exodi 4. de Moyſe, quem Dominus conſtituit ſupremum Prælatum in Synagoga, ait: *Domine non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius.* gloſſa dicit ſecundum Hebræos: *gracilem & tenuem vocem habuit, & neceſſe erat clamoroſa voce vti, quia regio faſtu propè accedere non permittebatur.* Inſuper ibidem Dominus ait: *Aaron frater tuus Leuites. ſcio quod eloquens ſit, ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* vbi gloſſa ſuper illo, *ipſe loquetur pro te*, hic ſubauditur ad populum, & cum dicit ibi, *loquetur ad populum*, indicat in Moyſe principatum, in Aaron miniſterium. Simili de cauſa B. Valerius Epiſcopus beato Vincentio Diacono verbum Dei ad prædicandum commiſit, cuius Vincentij paſſionem ſeu hiſtoriam in Eccleſia legimus, quam quidam beatum Auguſtinum ſcripſiſſe dicunt, vbi ſic dicitur: *Vincentius nobilis genere, ſed fide & religione nobilior, B. Valerij Epiſcopi Diaconus fuit, cui Epiſcopus qui impeditioris erat linguæ, vices ſuas commiſerat, & ipſi orationi & contemplationi vacabat, vnde & ipſe B. Valerij Vincentio ait: iamdudum tibi fili dulciſſime verbi Dei curam commiſeram, & nunc quoq; pro fide quæ aſtamus reſponſa committo.*

II.

Secundus caſus eſt, ſi neſcit linguam populi plenè, ſicut in vita beati Auguſtini dicitur, quam ſcripſit Poſſidonius Calamenſis Epiſcopus, vt ait Caſſidorus libro de illuſtribus viris, dicitur enim ibi quod ſanctus vir Valerius Hipponenſis Epiſcopus ordinauit beatum Auguſtinum in Preſbyterum, vir pius & Deum timens exultabat. & Deo gratias agebat, preces quas frequentiſſimè fudiſſet Deo, exauditas à Domino narrabat, vt ſibi concederetur talis, qui poſſet verbo Dei & doctrina ſalubri Eccleſiam Domini ædificare, cui rei ſe homo natione Græcus, minuſque lingua Latina & literis inſtructus, minus vtilẽ præuidebat. Ideo eodem Preſbytero, ſcilicet B. Auguſtino poteſtatem tradidit coram ſe & Eccleſia Euangelium prædicandi, & frequentiſſimè pertractandi contra vſum quidem & conſuetudinem Affricanarum Eccleſiarum. hæc ibi. ſic enim B. Auguſtinus adhuc viuente Valerio non ſucceſſit, ſed ei acceſſit. Septima, quæſt. 1. *non autem.* 7. q. 1. non aũt. c. 12.

III.

Tertius caſus, ſi ſit infirmus, vel nimis ſenex, tunc enim per ſacerdotes prædicatio & alia opera ſacerdotalia expleri poſſent, ſed pontificialia per Epiſcopos vicinos, non enim propter infirmitatem debet Epiſcopus deponi, ne afflictio afflicto ſuperaddatur, ſed per alios ſuppleri, quæ per eum minimè poſſent perfici, vt probatur auctoritatibus multis ſeptima, quæſt. 1. *ſcripſit mihi*, & ſeqq. cap.

IIII. 7. q. 1. ſcripſit mihi. c. 1. & ſeq. diſt. 90. p totũ & ſtudendum eſt. c. 7. Ibid. c. 11.

Quartus caſus, ſi ad concordãdum diſcordantes laborat, eſt enim officiũ Epiſcopi diſcordantes, tã clericos quàm laicos concordare, vt probatur diſt. 90. per totum, vbi ex Cõcilio Carthaginenſi 4. dicitur: *Studendum eſt Epiſcopis vt diſſidentes fratres ſiue Clericos, ſiue Laicos magis ad pacem, quàm ad iudicium coerceant.* Ibidem dicit Innocentius II. *Præcipimus vt Epiſcopi ad ſolum Deum, & ſalutem populi habentes reſpectum, omni tepiditate ſemota, ad pacem firmiter tenendam, mutuum ſibi conſilium & auxilium præbeãt, nec hoc alicuius odio vel amore prætermittatur. quod ſi quis in hoc Dei opere tepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.* hæc ille.

V. diſt. 84. peruenit. c. 1. diſt. 86. Fratrẽ noſtrũ c. 6. diſt. [illegible] p totum.

Quintus caſus, quando pauperibus ſuis oppreſſis tenetur ſubuenire, & pietatis operibus diuerſis inſiſtere, vbi veriſimile eſt quod maiorem fructum faciant, quàm ſi pro tunc prædicarent, de quibus diſt. 84. *peruenit*, & cap. ſeq. & diſt. 86. vbi ſcribit B. Gregor. Marianum Epiſcopum excitandũ, quod videbatur obdormiuiſſe, & quod patientibus non ſuccurrebat, nec alienam miſeriam, propriam credebat, & diſt.

80. per totum. exhortantur Epiſcopi defendere oppreſſos, & reſiſtere oppreſſionibus omnium ad ſe confugientium.
3. Reg. 5. Idcirco gloſſ. 3. Reg. 5. vbi litera habet, quòd Adoniram erat ſuper huiuſmodi indictionem. *fuerunt enim Salomoni ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabãt, & octoginta millia latomorum in monte, abſq; præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus, numero tria millia & trecenta, præcipientium populo,* dicit: *Adoni-*
Glo. ordinaria ibi. *ram Dominus meus excelſus, hoc eſt, Chriſtus, qui operarijs templi præponitur, vt ordinet quibus menſibus ad operandum exeant, quibus ad curandum domum ſuam redeant, cum prædicatorum mentes familiarium informat, vt diſcernant quando oporteat Eccleſiam ædificare prædicando. vel alia officia præſtando, vel quando ad conſcientiam ſuam examinandum, aut quaſi ad propriam domum inſpiciendam reuerti, vt orationibus & ieiunijs ſuperno inſpectore & viſitatore digna ſit.* Et ſubdit gloſſ. *notandum autem quod pars in monte lapides ſcindebant, pars onera portabant, diuerſa enim ſunt dona ſpiritus, & quidam maiorem docendi, & proteruos arguendi conſtantiam habent, quidam minores ad conſolandos puſillanimes exiſtunt quidam vtraq; virtute præditi ad opus domus Domini conueniunt.* hæc ibi. Ex quo patet, quòd Epiſcopi & Prælati ritè à prædicationis actu ſunt excuſati, dum tamen varijs & arduis pro ſibi commiſſarum ouium & rerum occupantur diſtractionibus.

VI. Sextus, ſi Epiſcopus inſiſtit ſacræ ſcripturæ ſtudio ſeu expoſitioni, vt ex S. Thoma conſtat, quia tunc proficit pluribus, & prædicatores docet alijs prædicare. dicit. n. in quodlibetis, quod licet in caſu neceſſitatis ſalubrius ſit Epiſcopis & doctoribus, relictis proprijs officijs ſaluti animarum particularium intendere, ſed tamen ſimpliciter magis eſt vtile & meritorium ſacræ Theologiæ ſtudio inſiſtere, & circa
S. Thom. quodli. 1. q. 7. ar. 4. doctrinas popularium non intendere. Nam ratio demonſtrat, quòd melius eſt eos erudire de pertinentibus ad ſaluté, qui in ſe, & in alijs perficere poſſunt, quàm his, qui tantùm ſibi proſunt. Inſuper in quolibet artificio videmus quòd ſemper melius habet, qui diſponit de artificio, & dicitur architector, quàm alij qui manu operantur, vnde ipſe etiam maiori precio conducitur. In ædificio autem ſpirituali ſunt quaſi manuales operarij, qui particulariter inſiſtunt curæ animarum, puta Sacramenta miniſtrando, vel aliquid huiuſmodi particulariter operando: ſed quaſi principales artifices ſunt Epiſcopi & Doctores, qui imperant & diſponunt, & docent alios, qualiter operari debeant. Sic ergo ſimpliciter melius eſt docere ſacram ſcripturam, quàm intendere
2. Tim. 2. prædicationi, ſi bona intentione fiat. vnde 2. Tim. 2. *hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere,* & quaſi hos caſus ſimul comprehendit capitulũ *inter cætera*, dicens
De off. iudic. ord. Inter cætera. c. 15. de officio iudicis ordinarij, lib. 1. *inter cætera, quæ ad ſalutem animarum pertinent populi Chriſtiani, pabulum verbi Dei permaximè noſcitur ei perneceſſarium, quia ſicut corpus materiali, ita anima ſpirituali cibo nutritur, eo quod non in ſolo pane viuit homo, ſed*
Matt. 4. *in omni verbo, quod procedit de ore Dei. vnde cũ ſæpe contingat, quod Epiſcopi propter ſuas occupationes multiplices, vel inualitudines corporales, aut hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias, ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis reprobandum eſt omninò, nec de cætero tolerandum, per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maximè per amplas diœceſes & diffuſas: generali conſtitutione ſanximus, vt Epiſcopi viros idoneos, ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone.* & infrà: *Vnde præcipimus tam in cathedralibus, quàm in Eccleſiis cõuentualibus, viros idoneos ordinari. quos Epiſcopi poſſint coadiutores & cooperatores habere, non ſolum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confeſſionibus & pœnitentijs iniungendis, ac cæteris quæ pertinent ad ſalutem animarum.* Ad ea, quæ in oppoſitum allegauit dominus proponens, ſcilicet quod in primitiua Eccleſia tam Apoſtoli, quàm ſeptuaginta duo diſcipuli per ſe prædicabant, & in locum eorum nunc Epiſcopi & inferiores Presbyteri ſucceſſerunt, vt dicit Anacletus, diſt. 21.
diſt. 21. in nouo. c. 2. *in nouo.* Reſpondeo, quod verum eſt, quod in loca eorum ſucceſſerunt, non tamen ſequitur ex hoc, quod ſicut illi perſonaliter per mundum diſcurrerunt, & vbique prædicauerunt, ita & iſti facere teneantur, ſed ſufficit quod in caſibus præſcriptis per alios idoneos ad hoc deputatos fiat, & ita quilibet in ſua diœceſi prouideat, vt patet ex dictis.

EPILOGVS HVIVS LECTIONIS CONCLVſium hic eſt.

VT ſciant volentes quid de præſenti actu ſecum efferant, iſta ex iam dictis eliciuntur. Primum, quòd non 1.
ratione ordinis ſacerdotalis, ſed ratione non coercitiuæ iuriſdictionis, competit pluribus Presbyteris actus publicæ prædicationis. quia officium prædicationis, ſic eſt à ſacerdotio diſtinctum, quod non omnibus Sacerdotibus cõpetit, & etiam alijs, quàm Sacerdotibus cõpetere ex ſpeciali
commiſſione poterit. Secundum, quod non eſt præceptum 2.
Domini, quemlibet Presbyterum liberè prædicare verbum Dei, quia multi ſancti fuerunt, qui tamen nunquam prædicauerunt. nec omnes Presbyteri ſuccedunt Apoſtolis, niſi tantum Epiſcopi, his ſolis præcepit Deus prædicare Euan-
geliũ regni Dei. Tertium decuit Chriſtũ ſæpè prædicare ad 3.
inſtruendũ populũ in credẽdis & in agẽdis, & tãtũ ſemel celebrare ad inſtituendũ hoc myſteriũ in cõmemorationẽ v-
nicæ ſuę paſſionis. Quartũ ſi eſſet populus adhuc infidelis & 4.
conuertendus, fortè ibi eſſet neceſſarior prædicatio, quàm miſſæ celebratio; vbi ambo ſimul fieri nõ poſſent: ſed conſiderata iam fide deuulgata vniuerſalis Eccleſiæ pro ſalute tam viuorum, quàm mortuorum, vtilior eſt Miſſæ celebra
tio, quàm prædicatio. Quintum conuenit diuini cultus au- 5.
gmento, eſſe pluralitatem altarium rationabilem, in ſtatu Eccleſiaſtico, non vt Sanctis vel idolis immolemus, ſed vt
verum Deum glorificemus, & in Sanctis eius laudemus. Se- 6.
xtum vt quicunque non vult ſententiam excommunicationis incurrere, ceſſet velle prædicare vbique, ſi prohibitus ſit à ſufficienti Prælato Eccleſiæ, quia talis ſentẽtia per multa generalia Concilia eſt dictata, nec interim errauit vni-
uerſalis Eccleſia ſancta. Septimum eſt, excommunicationis 7.
ſententia etiam iniuſtè lata eſt timenda, ne ex contemptu
fiat valida. Octauum, propter ſcandalum peruerſorum ſæ- 8.
pè eſt prætermittendum Dei verbum, præſertim in eo, qui
prædicare non eſt obligatus, aut in his, quæ * ſunt de neceſ- * for. non ſunt.
ſitate ſalutis. Nonum, Epiſcopi & Prælati maiores non ſunt
ſic ad prædicandum obligati, quin ex certis cauſis ſint ſępius 9.
rationabiliter ſupportati. Finaliter eſt veritas articuli, ſcilicet, quòd Sacerdotes & Diaconi ſinguli & diſtinctè non debent liberè & ſine impedimento prædicare verbum Dei. Hæc quæſo chariſſimi domini accipite *in corde bono*, per fidem illuminantem credendo, *& optimo*, per gratiam iuſtificantem retinendo, tenendo corde bono, & perficiendo o-
pere, vt fructum reportemus *in patientia*, veræ pacis exiſtẽ- Vide ſup. initio 3. actus.
tia, pacis entis, cum vobis ipſis, pacis ſcientia, cum proximis, pacis encœnia cum Deo & omnibus Sanctis eius. Sic nunc finaliter pacem Chriſti opto vobis, quam obtulit ſuis diſcipulis reſurgẽs ex mortuis in gloria immortalitatis, quã nobis præſtare dignetur, cui omne genu curuatur, qui cum patre & Spiritu ſancto regnat per ſæcula. Amen.

Et quemadmodum in principio, ita nũc in fine hæc præſcripta huius ſacroſanctę Synodi offero correctioni, quemadmodum extra locum Concilij indeſinenter me ſubieci almæ matris meæ vniuerſitatis Colonienſis determinationi & deciſioni.

REPLICA DE PRAEDICATIONE VERBI Dei Henrici Kalteiſen.

REVERENDISSIMI Patres, & Domini præſtantiſſimi, excellentiſſimi Præſules, Doctores eximij, inclyti Regni Bohemiæ, oratores egregij, in Chriſto fratres ſingulariter præcolendi. Etſi iuxta ſacri canonis veritatem
omnia ſuis debent conuenire temporibus. 22. quæſt. 4. *ſi Ec-* 22. q. 4. ſi Eccleſia.
cleſia. nam *omnia tempus habent, & ſuis ſpacijs tranſeunt vniuerſa* Eccl. 3.
ſub ſole. Eccleſ. 3. nihilque ſit tam *Philoſophia cognatum,* quàm *locis & temporibus aptare ſermones*, ait Socrates, teſte Macro-
bio, de conuiuio Saturnalium, libro 7: quia hæc vis adhibẽ- Macrob. in Saturn. lib. 7. c. 1.
da eſt eloquentiæ, vt orator perſonarum temporumque moderator exiſtat, *non enim ſemper & apud omnes eodem modo*
loquendum. Tullius de oratore libro tertio, cum præſens Cic. de orat.
tempus & locus id exigant vt in hoc Concilio ſanctorum, Verba hic male cohærent.
& congregatione, domini oratores regni Bohemiæ, qui iam contra prius per me hic enarratam, Catholicam veritatem

tem;per modum replicæ dubia nonnulla eructarunt in ma-
teria de verbi Dei prædicatione contententur copioſè,ideo
pro omni in generali noſtrum exhortatione aſſumo verb:
Luc. 11. tempori currenti,& materiæ præſenti congrua, Lucæ 11.ex
Euangelio currentis dominicæ exarata, *beati qui audiunt ver-*
Beda. *bum Dei & cuſtodiunt illud*, vbi Beda venerabilis non tantum
modo eam,quæ verbum Dei corporaliter generare merue
rat, ſed & omnes, qui idem verbum ſpirituale auditu fideĩ
concipere,& boni operis cuſtodia, vel in ſuo, vel in proxi-
morum corde parere, & quaſi alere ſtuduerint, aſſerit eſſe
beatos.in quo claret duo eſſe cõgrua auditori verbi Dei ne-
ceſſaria,quorum primum eſt audientia docilis. *Beati qui au-*
Duo neceſſaria auditori verbi Dei. *diunt verbum Dei*. Secundum perſeuerantia finalis, *& cuſto-*
diunt illud. Primò inquam auditori diuini ſermonis con-
gruit obedientia docilis, ſic enim beati, ſcilicet qui audiunt
verbum Dei. Beatum namq; quodlibet membrum ex hoc
dicitur,quando actus ſibi proprius eſt,ſecundum optimum
& perfectum ſtatum virtutis eius, in nullo impeditus: ſic e-
Luc. 10. nim beati dicti ſunt oculi qui viderunt filium Dei,Lucæ 10.
& beatus venter,beataque vbera,quæ ipſum nutriuerunt. I-
Alb. ibid. bidem vndecimo ait D. Albertus Magnus, *& verò beata ſit*
auris,quæ quod foris percipit,& boni operis cuſtodia perficit,S.Tho
mas in gloſſa continua ſic enim, *qui audit verba mea, & facit*
Math.7. *ea,aſſimilabitur viro ſapienti*. Matth. 7. vir inquam ſapiens eſt
Chriſtus,qui ædificat domum ſuam, id eſt, Eccleſiam ſuam
ſupra petram, id eſt, fidei fortitudinem, vir autem ſtultus,
diabolus,eſt,qui ædificat domum ſuam, id eſt, omnes im-
pios,ſuper arenam,id eſt,inconſtantiam infidelitatis,aut ſu
per carnales homines,qui dicuntur arena propter ſterilita
tem,& quia ſibi non cohærent,ſed ſunt per diuerſas opinio-
Chryſ. in opere imperf. ibid. nes diſperſi, & quia ſunt innumerabiles. Exponit S.Chry-
ſoſtomus ibidem,& ſequitur, *diabolo autem ſimilis eſt,qui audit*
verba Dei,& non facit;ea enim quæ audiuntur & non fiunt ſeparata
ſunt & diſperſa,& ideo aſſimulantur arenæ. Sicut autē domus dia-
boli deſtructa eſt per Chriſtum: ita & tales ſuper arenam fundati,
cadunt,& eſt ruina magna ſi quis de fundamento fidei aliquid rui-
næ fuerit paſſus. hæc Chryſoſt. *ſuper arenam* enim, quæ fluida
eſt,& in vnam copulam non poteſt redigi, *omnis hæreticorum*
Hiero. ib. *ſermo ad hoc ædificatur vt corruat*. B.Hieronymus ibid.Eſt ve-
rè magna ruina talis hominis ſecundum omnem dimenſio-
nem magnitudinis.longa,quia in foueam nunc culpæ, tan-
dem in Baratrum cadet gehennæ æternæ, quæ magna eſt,
Lyra. quia irreparabilis, ex commento venerabilis Lyræ. Ruina
eſt enim hæc intelligẽda magna.quia dicturus eſt Dominus
audientibus,& non facientibus: *Ite maledicti in ignem æternũ.*
Rabanus. ſecundum Rabanum,lata,quoniam in fluuijs blandarum &
ſenſui illabentium voluptatum illecebræ ſignificantur,qui-
bus primum fides riuis patentibus immadeſcit, poſt quas
fluuiorum procurſus, id eſt, grauiorum per cupiditatem
motus incurrit,vt exinde tota ventorum vis circumſtanti ĩ
deſæuiat,id eſt, vniuerſus diabolicæ poteſtatis ſpiritus. Hi-
larius ibidem. *Ruina inquam alta, quia totius fidei & omnium*
articulorum colliſiua, qui enim vnicum fidei articulum diſcredit,
nullum ſimpliciter credit, ſed totam fidem abnegauit, adeo
2.2.q.6. art.3. *quod nec habitum fidei retinet informis,aut formatæ fidei*, ait ſan-
ctus Tho.2.2.q.5.art.3. cuius rationem aſſignat, dicens: *ſpe-*
cies cuiuslibet habitus,dependet ex ratione formali obiecti, qua ſub-
lata ſpecies habitus remanere non poteſt. fidei autem ſiue formatæ
aut informis obiectum formale eſt veritas prima, ſecundũ quod ma-
nifeſtatur in ſcripturis ſacris,& doctrina Eccleſiæ,vnde quicunq; nõ
inhæret doctrinæ Eccleſiæ,quæ procedit ex veritate prima in ſcriptu-
ris ſacris manifeſtata,ſicut infallibili diuina regula non habet habi-
tum fidei, ſed ea quæ ſunt fidei,alio modo tenet quam per fidem,ſcil.
per opinationem,ille enim qui inhæret doctrinæ Eccleſiæ, tãquam re-
gulæ infallibili,omnibus aſſentit,quæ eccleſia docet;alioquin ſi de his
quæ Eccleſia docet quæ vult tenet,& quæ non vult,non tenet,non iam
inhæret doctrinæ Eccleſiæ,tanquam regulæ infallibili,ſed propriæ vo-
luntati.hæc S.Doctor. Vnde cõcludit, quod ſicut peccatum
mortale contrariatur charitati, Ita diſcredere vnum articu-
lum, contrariatur fidei. ſed charitas nõ remanet in homine
poſt vnicum peccatum mortale.ergo neq; fides manet poſt-
quam homo vnicum articulum diſcredit. & in fine dicit: *ſic*
eſt de perfectè credere,ſicut de perfectè obedire. Sed ad perfectè o-
bedire Deo,requiritur obſeruantia omnium mandatorum ſuorum,à
quo decidit quicunq; vnum præceptum frangit qui enim in vno offen-
dit factus eſt omnium reus:dicitur Iac. 2. Adiuro igitur vos ſin-
gulos per Deum ſanctum,per Deum viuum, per Deum ve- Iac. 2.
rũ, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per vulnera,& ſan-
guinem Chriſti,quatenus determinationi ſanctæ Eccleſiæ
in credendis & agendis plenè,ſimpliciter & planè vos ſub-
mittatis.ipſa enim eſt regula infallibilis in terris, cuius fides
non deficit.Luc.22. contra quam portæ inferni non præua- Luc. 22.
lebũt,extra quam qui repertus fuerit diluuio æternæ dam- Matt. 16.
nationis peribit,ſicut extra arcam ſalus nulli hominum fuit,
ſicut patet Gen.7. qui aliunde aſcendere conatur, fur eſt &
latro,patibulo & rota infernalibus cruciandus, Ioan.10.ſic- Gen. 7.
ut de contrario beati tunc in ſpe, tandem in re, qui hoc ver- Ioan. 10.
bum Dei audiunt, & faciunt, *non enim auditores legis tantum,*
ſed factores iuſtificabuntur, ad Rom. 2. *Si quis ſermonem meum*
ſeruauerit,mortem non guſtabit in æternum.Ioã. 8. Secundo,cõ- Rom. 2. Ioan.8.
cluſi finaliter,quod auditori verbi Dei congruit, ne dum o-
bedientia docilis vt faciat,ſed etiam perſeuerantia finalis,ne
deficiat,ſed cuſtodiat illud,dicit thema: *Etenim ſeruus tuus*
cuſtodiet ea,in cuſtodiendis illis retributio multa. Pſalm.18. *Cuſto-* Pſal.18.
dit inquam ea non ad tempus, ſi vſq; vltimum vitæ ſpacium, in tali
deuotione verſetur.exponit ibidem Caſſiodorus: *ſic qui ex Deo*
eſt,verba Dei audit,propterea vos non auditis,quia ex Deo non eſtis. Caſſiod.
Ioan.8. *Natura ex Deo,non vitia ex Deo.hoc etiam eis dictum eſt,* Ioan.8.
qui non ſolum peccato vitioſi erant: nam hoc commune erat omni-
bus,ſed etiam præcogniti, quod non fuerunt credituri, ea fide qua
poſſent à peccatorum obligatione liberari. B. Auguſt. ſuper eodẽ. Aug. tract. 42. in Matt.
Sed qui ſunt hi præcogniti,alio nomine præſciti? profectò
hi qui non audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, teſte B.
Bern.in ſermone,qui intitulatur de ſeptuageſima. vbi inter
cætera ſpei noſtræ ſigna oſtendere volens, quis poſſet ſecu- Bern. ſer. 1. de Septuageſima.
rè cõfidere ſe de numero prædeſtinatorum exiſtere,inquit,
ſic porrò inter ea,quæ fiduciam præſtant & materiam ſpei, vnum il-
lud maximum eſt, de quo nunc cepimus loqui, qui eſt ex Deo, verba
Dei audit. Nonnullos ſic interdum audientes inuenies, ac ſi nihil ad
eos pertineat, quæ dicuntur non intrare cor ſuum, non diſcutere
mores ſuos,nõ cogitare ne forte quod audiunt dictum ſit propter eos
magis autem, ſi fortè ſermo Dei viuus & efficax(qui ſuo & non eius
qui loquitur arbitrio fertur vbicunq; voluerit) ſi inquam manifeſtè
aduerſus vitia illa proceſſerit,quibus ſentiunt ſeſe obligatos,diſſimu-
lant & auertunt oculos cordis qualibet ad inuentione palliant vitia,
& ſeducunt miſeri ſeipſos. In his, inquit, *ſalutis ſigna non video,*
magis autem vereor, ne fortè propterea non audiunt verbum Dei,
quia non ſunt ex Deo, hæc Bernardus. Ciues ergo Babylon ex
diabolo ſunt,ciues Ieruſalem ex Deo ſunt. Primi etſi verba
Dei audiunt,non cuſtodiunt.Secundi,ſi audiunt,perfectè &
exactè cuſtodiunt.Et hæc erat vera differentia inter electos
& præſcitos,& ſigna probabilia exiſtunt. Qui enim ex Deo
ſunt ita verbum Dei audiunt, quod per ſigna ſuæ prædeſti Signa prædeſtinationis.
nationis ſigna pandunt, prout ex varijs doctores colligunt,
Primum eſt,ſi viriliter pugnantes tres hoſtes deuincit, car- 1.
nem, mundum, & diabolum, *quod enim natum ex Deo vincit*
mundum. Secundum, ſi in hoc mundo non ciuem ſe manſu- 1.Ioan.5. 2.
rum,ſed hoſpitem viantem conſiderat, ſi diuitiæ affluant,
cor non apponens,ſed de rebus huius mundi quanto minus Pſal.61.
poteſt vtens,ſemper in cælo theſaurizans, vtpote ſe de hoc
mundo nõ eſſe recognoſcens dicẽs cũ Apoſtolo, *non habemus*
manentem ciuitatem,ſed futuram inquirimus. Tertium,ſi ei om- Heb. 13. 3.
nia cooperantur in bonum, proſpera ad timorem, aduerſa
ad amorem, peccata peracta ad humiliationem, vt in pro-
ſperis cautior,in aduerſis patientior,in recordatione pecca-
torum ſuorum in oculis ſuis vilior,in pœnitendo feruẽtior,
in aliorum compaſſione defectuum promptior.Si enim *di-*
ligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum Rom.8.
propoſitum vocati ſunt ſancti, ad Rom. 8. Quartum,ad dicta- 4.
men conſcientiæ recurrere, delicta iuuentutis deplangere,
proprio & aliorũ ſe iudicio ſubmittere, ne fortè rea ſit pec-
cati mortalis, vbi & in quo creditur eſſe iuſta, ſicque à pec-
catis continere, dignos pœnitentiæ fructus agere, & ardua
vitæ opera exercere, quæ ſummariò deducit Bernardus ex
illo 1.Ioan.5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra,ſpiritus, a-* 1.Ioan.5.
qua & ſanguis.Spiritus contribulatus, aqua lamentationis, &
ſanguis amoris,vt intuitu Chriſti ſanguinis contineat à pec-
catis.de his & ſimilibus ibidem B.Bernardus, *quis poteſt dice-* Bern. de S. Clemẽte.
re ego ſum de electis, & ego ſum de prædeſtinatis ad vitam? ego ſum
de numero electorum?reclamante ſcriptura.Neſcit homo,an amore Eccl.9.

vel odio dignus ſit. Certitudinem vtiq; non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis anxietate cruciemur, propter hoc data ſunt ſigna quædam & indicia manifeſta ſanctitatis, vt indubitabile ſit, eum eſſe de numero electorum, in quo illa ſigna permanſerint. hæc ille. Econtrariò, quanquam ciuium Babylonis filiorum præſcitionis multa ſunt ſigna, vtpote, quia cuncta eis temporalia proſperè ſuccedunt, qui ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, ſub flagellis huius mundi nõ ingemiſcere, ſed magis indurari, velut Pharao, cuius induratum cor finaliter perijt, frequens recidiuatio in mortale, ſicut recidiuatio frequẽs infirmorum, ſignificat vicinam mortem, velle contentari de bonis præſentis vitæ, & æterna vita carere: tamen ſingulare ſignum quod homo ex diabolo ſit, id eſt, ad diabolum per finalem impœnitentiam pertineat, eſt, quod in pertinacia alicuius peccati vel erroris perſeuerat, præſertim in ſenio, cum iam non ſit ſpes vitæ ſuæ longæuæ: quibus valde pertimeſcenda eſt ſentẽtia Domini Ioan. 8. *In peccatis veſtris moriemini*, cuius ratio ſubditur: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*. & quæ ſint illa deſideria ſubditur: *Ille enim homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit* vitæ iuſtæ *& veritas in eo non eſt*, ſanæ doctrinæ, ſecundum expoſitionem S. Thomæ ibidem. ſic enim qui à veritate doctrinæ ſeu fidei paulatim decidũt finaliter in peccatis ſuis decedunt, prout illud nomen verum indicat de quo quoties vna litera ſubtrahitur, toties ſignificatio permutatur. Vnde dicitur ſic metricè:

Iob 21.

Ioan. 8.

Quinq; placet rectis ſed quatuor altile figit
Sunt tria pars anni, ſic duo malè ſonant.*

* for. ſed malè bina ſonant.

Senſus eſt, iſta dictio *verum* hãbet quinque literas, & ſua ſignificatio placet rectis. ſed ſi tollatur vltima litera ſcilicet M. reſiduæ literę faciunt veru, quod figit altile. ſi tollatur quarta & quinta, ſcilicet V & M, manet ver, quæ eſt pars anni: ſi tollatur R. cum ſequentibus, non niſi ve relinquitur, in veritate nõ ſtatur, ſed mors in peccatis conſequitur: * Ita ſi per M. memoria. V. veritas. M. maior prælatorum. V. voluntati & imperio reſiſtitur, & recalcitratur, mors rarò bona acquiritur: *qui enim nõ obedierit ſacerdotis imperio, morte moriatur homo ille*. Deut. 17. *Pacem ergo & veritatem diligite, ait Dominus omnipotens*: quod ſi feceritis. Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum, & iuxta thema, beati eritis, ſi verbum Dei quod audieritis, opere & corde cuſtodieritis modo in ſpe, tandem in re, quod nobis concedat clementiſſimus Deus, qui viuit & regnat. Amen.

* In altero libro habetur: vel ſi M. maiorũ prælatorum. V. voluntati & imperio R. reſiſtitur

INprimis circa iſtam concluſionem. *Hoc mandat Chriſtus Ieſus, ergo faciendum: Hoc prohibet Chriſtus Ieſus, ergo non faciendum.* dicit dominus Replicãs, quod ſatis notabile eſt apud ſe, quod circa illam cõſequentiam immorauerim, *æſtimo*, inquit, *quod cogitauerit ipſam eſſe quaſi fundamentum poſitionis meæ.* Sed ego dedi ſibi aliam cauſam in ſcriptis, vtpote, quia talis modus arguendi poſſet cauſa eſſe erroris, & ſeductionis multorum, dicentibus populis eſſe præcepta quæ non ſunt, & non eſſe quæ ſunt, & ſi benè conſidero, hoc eſt totum inter nos ſchiſma, quod vos dicitis communicare populũ ſub vtraq; ſpecie, eſſe præceptum Chriſti, prædicare debere diaconos & Presbyteros eſſe præceptũ Chriſti, aboleri omnia peccata mortalia publica, eſſe mãdatum Chriſti, clerum nõ habere ciuile dominium, eſſe præceptum Chriſti. & neutrũ eorum credo ego eſſe pręceptum Chriſti. Et quia tanta oritura erat inter Chriſti præceptorũ cognitionem diuerſitas, ideo petebat Pſalmiſta, & nos ſecũ petere debemus: *da mihi intellectum vt diſcam mandata tua.* nõ illa decẽ, quæ vtiq; ſciebat, ſed intelligere inter ea quæ videntur eſſe Dei præcepta, & non ſunt, vt ſciamus quæ ſit diſcretio & differentia, ideo, iam licet ſufficienter declaratam, adhuc circa idem reddam triplicem rationem, quarum 1. eſt, quòd non omne verbum Chriſti habens notam ſeu formam præcepti, eſt præcepti Chriſti præceptiuè ſumẽdum. vnde dicit Archidiac. 22. q. 4. *prophetauit*. dicens, *præceptũ Dei eſt in multiplici differentia, quandoq; præcipit factum & voluntatem, vt ibi: diliges Dominum Deum tuum. Quandoq; voluntatem & non factum. vt dum præcepit Abrahæ immolare filium, tamen noluit eum immolari, vbi dicit B. Ambr. ex lib. de Patriarchis: Non enim volebat Dominus à patre immolari filium, nec impleri hoc munus volebat, quia ouem pro filio immolandã obtulit, ſed tẽtauit affectum patris. ſi Dei præcepta præferret filio.*

Pſal. 118.

22. q. 2. ſi quælibet prophetauit.

Amb. l. 1. de patriarcha Abrahã c. 8.

& infra. Non mittas, inquit manum tuam in puerum, nec facias ei quidquam, affectum tuũ inquiſiui, nõ effectum exegi, teneam mentem tuam, ſi etiam filio dilectiſſimo non parceres propter me. 22. q. 2. *non enim. Tertio quandoq; factum, & non voluntatem, vt Exod. 6. præcepit, vt filij Iſrael accõmodarent vaſa aurea & argentea ab AEgyptiis, non tamen voluit per hoc, vt alij exemplum ſumerent ſpoliandi, ait B. Auguſt. in lib. quæſtio. & aſſumitur 14. q. 5. dixit Dominus. Quarto neq; voluntatem, neq; factum, vtpote quãdo aliquid myſticum præcipit, vt ibi, ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, vbi non oculos erui, ſed intentio praua præcipitur. exſcindi præcipit Dominus quandoq; vt inſtruat, vt in cæco quem ſanauit, quandoq; vt tentet, vt hic de præcepto Abrahæ, quandoq; vt impleatur, vt ibi. diliges Dominum Deum tuum.* hæc ille. Hinc etiam alludit eximius ille doctor antiquus generalis ordinis mei Prædicatorum M. Hubertus ſuper illo verbo, *hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus.* in principio regulæ B. Auguſt. dicens, quod quædam reperiuntur in verbis diuinis, quæ habent in ſe modum & intentionem præcepti, vt eſt illud, *hoc eſt præceptum meum vt diligatis vos inuicem.* quædam verò quæ habent præceptum nõ in modo, ſed in intentione, vt eſt illud de ſanatione ſurdi & muti Mar. 7. *præcepit eis ne cuiquam dicerent*. quis enim audiat hoc dicere. quod intẽderet eos Dominus per hæc obligare, per quod peccaſſent mortaliter prædicãdo miraculum, plus & plus, quanto plus & plus præcipiebat, vt tacerent? hęc ille. Et infra dicit. *In Euangelio Mar. 6. dicitur præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum: illud verbum præcipiendi potius importat intentionẽ voluntatis, quàm veritatem præcepti: infra ſcriptura ſacra eodem modo loquitur, & tamen quædam reputantur ſimplices exhortationes, quædam præcepta, ſicut Luc. 6. cum dicitur: ſi quis te percuſſerit ad vnam maxillam, præbe ei alteram, conſilium eſt, & cum dicitur in eodem cap. mutuum date, nihil inde ſperantes, licet ſit idem modus loquendi, tamen eſt præceptum.* hæc ille. Patet ergo tam multipliciter oſtenſum, quod non omne verbum Chriſti habens notam præcepti, habeat voluntatem & intentionem pręcepti. & per conſequens non obligat ad faciẽdum. Ex ſuper abundanti autem item deducitur ex teſtimonijs vtriuſq; teſtamenti. Primo ſic. Nam Gen. 3. Dominus præcepit protoplaſtis, dicens, *creſcite & multiplicamini, & implete terram.* & tamen noluit quemlibet hominem hoc præceptum obligare. ſed ſolum aliquos de multitudine quos tamen non expreſſit in ſpecie, vnde dicit S. Thom. 2. 2. quæſt. 152. art. 2. ad 1. arg. *præceptum habet rationem debiti, ſed dupliciter dicitur aliquid eſſe debitum. vnde modo ita, vt impleatur à quolibet, & hoc debitum ſine peccato præterire non poſſit. Aliud eſt debitum implendum à multitudine: multa enim ſunt multitudini neceſſaria, ad quæ implenda vnus homo nõ ſufficit. ſed implentur à multitudine, dum vnus hoc, alius aliud facit. Præceptum ergo legis naturæ datum homini de comeſtione, neceſſe eſt, quod ab vno quoq; impleatur, alter enim indiuiduum conſeruari non poſſet. ſed præceptum datum de generatione, reſpicit totam multitudinem hominum, cui neceſſarium eſt, non ſolum quod multiplicetur corporaliter, ſed etiã ſpiritualiter proficiat & ideo ſufficienter prouidetur humanæ multitudini ſi quidam generationi carnali operam dent, quidam ſpirituali, ab illa carnali abſtinentes, & contemplationi vacent ad totius humani generis pulchritudinem & ſalutem, ſicut quidam in exercitu caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gladijs decertant. quæ omnia debita ſunt multitudini, ſed per vnum impleri non poſſunt.* hæc ille. Secundò ſic. ſummum & maximum mandatum veteris, & nouæ legis non habet intentionem præcepti eo modo per omnia, quo habet notã præcepti, ergo non obligat ad faciendũ ſecundũ notam præcepti, ſed tantum ſecundum intentionem præcipientis. Aſſumptum probatur ſic: quia illud, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, tota virtute, & ex omnibus viribus tuis*, eſt ſummum præceptum & primum & maximum mandatum Domini, & tamen illud non obligat viatorem aliquem, ſecundum formam quam offert, ergo habeo propoſitum. Et aſſumptum probatur, quia ſecundũ Theologos multos, quorum ſententiam complectitur dominus Petrus de Palude, Patriarcha, tertio ſententiarum, diſtin. 17. q. 3. illud præceptum aliquo modo præcipitur, alio modo conſulitur, & aliquo modo promittitur. Præcipitur enim dupliciter. vno modo, quo ad habitum & præparationem animi, quia charitas parata eſt quantum & quando poteſt ex toto corde deligere. 2. præcipitur quo ad actum, du-

22. q. 2. c. ſi quælibet, 12. non enim.

Exod. 6.

Aug. in li. quæſt. exod. q. 39. 14. q. 5. dixit Dominus, c. 12.

M. Hubertus.

Ioan. 15.

Mar. 7.

Mar. 6.

Luc. 6.

Gen. 3.

Tho. 2. 2. q. 152. ar. 2. ad 1.

Per. de Palude.

Charitas præcipitur

plicitèr: vno modo priuatiuè, vt homo nihil contrahat, nec contrahere animo proponat, quod charitati obuiet, quod eſt ſolum peccatum mortale. Alio modo, quoad actum poſitiuè, quando & quantum eſt neceſſe, aliter non.

Conſulitur.

Secundo modo cóſulitur & hoc quantum ad actum charitatis quantum eſt poſſibile, & debitis circumſtantijs obſeruatis. Non enim ex præcepto tenetur homo quantú poteſt ex toto corde diligere, quia nó tenetur facere omnia bona, quæ poteſt, ſed quanto plura bona fecerit, & Deum plus dilexerit, tanto melius ſibi erit. & quia conſilium datur de meliori, ideo iſto modo eſt cóſilium, ſic etiam illud, *quodcunq́; poteſt manus tua, inſtanter operare*.

Eccl. 9.

Promittitur.

Tertio modo promittitur, ſcil. quoad actum perfectum & non interruptum, ſicut enim eſt in promiſſo etiam nobis, quibus nunc non eſt in præcepto, nec in conſilio, cum ſit nunc nobis impoſſibile, quod tunc erit facile & delectabile, quando nó ceſſabimus noctu dieq́; dicere *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, Iſa. 6. hæc ille.

Iſa. 6.

Ioan. 13.

Dominus noſter per verbum imperatiuum dicit ad Iudam, *quod facis fac citius*, Io. 13. & tamé noluit per hoc præcipere, vt traderet eum Iudæis, aliàs Iudas non peccaſſet, ſed præceptum Domini impleuiſſet. vnde dicit ibid. B. Auguſt. hæc ille. *non præcepit facinus, ſed prædixit Iudæ malum, nobis bonum, non tam in perniciem perfidi ſæuiendo, quam ad ſalutem fidelium feſtinando*. Et Chryſoſt. *hoc enim quod dicit: quod facis, fac citius, non præcipientis eſt, neq́; conſilientis, ſed exprobrantis & oſtendentis, quoniam ipſam nolebat ſuā perditionem impedire*. hæc ille.

D. Tho. in catena Chryſ. in Pſal. 4. & in ho. 13.

Eſt ergo illa forma præcedenda. *Hoc mandat Chriſtus ſub propria nota, & intentione præcepti, ergo hoc eſt faciendum*. Alioquin ſi mandat ſub nota præcepti, & non voluntate ſeu intentione præcepti, non ſemper obligat, vt ex prædictis clarè eſt deductum.

Secunda ratio ad idem eſt propter multiplicationem & æquiuocam acceptionem huius termini *mandare* vel *præcipere*; accipitur enim vno modo, prout mandare vel præcipere idem eſt quod rogare. Sic accipit B. Gregorius 1. quæſt. 1. *filium*, dicens *filium veſtrum mandaſtis ad ſacrum ordinem promoueri*. Gloſ. Archidiaconi. *mandaſtis, id eſt, rogaſtis vel ſupplicaſtis: ſic enim minor mandat maiori*. Vndecima q. 3. *Rogo*, vbi B. Gregorius, *Rogo & moneo, ne quiſquam excōmunicato præſumat communicare*, vbi, *rogo*, ponitur præceptiuè, ſecundum gloſſ. *monemus quos habemus charos* 28. q. 1. *ſic enim*. ſic etiam rogare ponitur pro mandare, & mandare pro rogare, 23. q. 4. Guiliſarius. Alio modo prout mandare idem eſt, quod permittere, diſt. 55. *qui partem digiti volens abſcidit, non admittitur ad ſacros ordines, ſed ſi nolens ſit vel caſu, Canones præcipiunt clericos fieri*, Gloſſa Hugonis & Archidiaconi, præcipiūt, id eſt, permittunt, 31. q. 1. *hac ratione*, vbi dicit Chryſ. & eſt 1. ad Cor. 7. *hac ratione Apoſtoli præceperunt ſecundas adire nuptias propter incontinentiā hominum*, glo. *præceperunt, id eſt, permiſerunt*. diſt. 55. *qui partem* & 1. diſt. *Domino ſancto*. vbi Iſidorus ſcribit ad Maſſanum Epiſcopum, *illos ad priſtinos gradus canones redire præcipiunt, quos pœnitentiæ præceſſit ſatisfactio*. vbi dicit Archidiac. *præcipiunt*, id eſt, permittunt. 33. q. 2. *hoc ipſum*. Tertio modo præcipere ſeu mandare idem eſt, quod conſulere, ſic accipitur 22. quæſt. 1. *non eſt*, vbi dicit B. Auguſt. ſuper epiſt. ad Galat. *non eſt contra præceptum Domini iurare*. Archidiac. *contra præceptum, id eſt, conſilium*, quia illud Matth. 5. *nolite iurare*, eſt propriè conſilium ſecundum Bartholomæum & Laurentium, & tamen B. Auguſtin. vocat illud *præceptum*. Quarto modo præcipere idem eſt, quod tentare, ſicut iubédo ſignificamus, quæ fieri ſæpe nolumus, ſed experimentum obedientiæ quærimus, ſicut de Abraham dictum eſt, vt patet Geneſ. 22. & Richardus de duodecim Patriarchis vigeſima ſecunda *prophetauit*. Quinto modo præcipere idem eſt quod inſtruere, ſicut Chriſtus præcepit cæcis curatis, ne cuiquam dicerent, & ipſi magis & magis miraculum prædicabant, Matth. 9. vbi B. Hilarius: *ſilentium Dominus cæcis imperat, quia Apoſtolorum erat proprium prædicare*. Et B. Hieronymus: *Dominus quidem propter humilitatem fugiens iactantiæ gloriam, hoc præceperat, & illi propter memoriam gratiæ non poſſunt tacere beneficium*. Et B. Gregorius 19. Moralium: *Quærendum autem nobis eſt, quid ſit hoc, quod ipſe omnipotens, cui hoc eſt velle, quod poſſe, & tacere virtutes ſuas voluit, & tamen ab eis qui illuminati ſunt, quaſi inuitus indicatur, niſi quod ſeruis ſuis ſequentibus exemplum dedit, vt ipſi quidem virtutes ſuas occultari deſiderent, & tamen vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti. occultentur ergo ſtudio,*

1. q. 2. Filiū. c. 122.
Greg. l. 4. ep. 3. ſeu c. 74.
1. q. 3. Rog. c. 25.
Gregor. in reg. l. 5. t. 148. 28. q. 1. ſic enim c. 9.
21. q. 4. Guiliſar.
3. 30. diſt. 55. qui partem. c. 6.
31. q. 1. hac ratione. c. 9.
Chryſ. in opere imperf. ho. 32
diſtin. 50. Dom. ſancto. c. 28.
33. q. 2. hoc ipſum. c. 11
22. q. 1. Nō eſt c. 2.
Gen. 22.
27. q. 2. ſi quælibet. §. prophetauit. c. 2.
Matt. 9.
Hilarius.
Hiero. in c. 9. Matt.
Greg. 19. mor. c. 18.

neceſſitate publicentur, & eorum occultatio ſit cuſtodia propria, eorum publicatio ſit vtilitas aliena. hæc ille. Ex præhabitis ſatis patere poteſt, quare dixerim iſtam conſequentiam apud me non valere. Ex quibus etiam ſequitur, quod illud non eſt verú, quod dominus replicans hîc dixit, ſed in ſcriptis mihi non tradidit, ſcilicet quod adductum de Abraham non fuit præceptum, ſed tentatio. Probat per textum, quia dicitur Gen. 22. *Tentauit Deus Abraham*. dico quod fuit præceptum & tentatio ſimul. non obligans, niſi vt prædictum eſt. Namque quod fuerit præceptum, præter ea quæ dicta ſunt, dicit ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 104. artic. 4. ad ſecundum. Ideo etiam dicit textus imperatiuè. *tolle filium tuum. & offer illum*. Tolle & offer ſunt verba præceptiua. De cæcis curatis mecum concordat. Et ſic conſequentiam meam approbat, grates ſibi, quia in hoc ſoluit debitum, & quod dicit nos laborare in æquiuoco, quia ego intelligo de mandato imperfecto, ipſe de perfecto, dubito valdè, quia hoc non probat teſtimonio ſacræ ſcripturæ, iuxta regulam Hieronymi ad Demetriadem, per ipſum adductam contra papæ auctoritatem, *Sacra ſcriptura teſtimonium non habens, eadem facultate contemnitur qua probatur*.

Tho. 2. 2. q. 104. art. 4. ad 2.

CONſequenter arreſtat ſe in conſequentia illa. *Papa mādat hoc, & in lege Domini ſaltem ſe expreſſe non fundat, dummodo contra mandatum Domini non præcipiat, nec contra ſacrorum generalium Conciliorum ſtatuta quædam. ergo hoc eſt faciendum*. Reſpondet: *ſecundum Hieronymum ſcriptura ſacra auctoritatem non habens, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*. *Conſimiliter exemplariter: Papa mandat generandum Concilium transferre ad Bononiam, ergo eſt faciendum*. hæc ille

Hiero. ad Demetriadem.

Ad primum reſpondeo, quòd hoc multum eſt irrationabiliter dictum, quia ſummi Pontificis atque Prælatorum maiorum decreta, conſtitutiones, cæteræque ipſorum ſanctiones, in prædictis iam prænarratis caſibus tanquam leges ex Dei auctoritate deriuatas, debemus venerando atque obediendo ſuſcipere, non illas redarguere, aut humano ſenſu diſcutere, prout alma mater mea vniuerſitas Colonienſis deducit hoc modo. primò ductu naturalis luminis; vnumquodq́ue enim poteſt ea, ad quæ eius poteſtas aut auctoritas ſe extendit, propter quod videmus quod principes ſuper communitates in ſubditos ferunt leges, iura & ſtatuta, cum poteſtate coactiua imponentis ea ſubditis ſeruanda. Cum igitur Chriſti vicarius Papa, & alij rectores ſupplent vicem Chriſti, poteſtatem auctoritatis non amittendo, quamuis forent peccatores. Concluditur clarè quod eorum ordinationibus tanquam à Deo emanantibus, reuerenter ſit obediendum. Cui alludit alia regula formoſa. Nam qui dat principale, dat acceſſorium annexum. Et rurſus alia regula dicit: cuius eſt finis, illius eſt diſponere de medijs ad finem. Cum igitur rectores communitatis inſtituuntur ad pacificandum vitam ſubditorum adinuicem, hoc autem requirit quod eis præfigatur aliqua regula ſeu diſciplina viuendi, contingit autem hoc per conſtitutiones pro legibus latas à rectoribus; eadem igitur neceſſitate, quælibet communitas requirit rectores & leges, ſeu conſtitutiones ab eis latas pro felici vita communitatis.

Præmiſſæ veritati correſpondet illud antea ex Euangelio commemoratum, *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunq́; dixerint vobis facite*. volens Saluator expreſsè, quòd ordinationes ſeu conſtitutiones ſuorum Prælatorum, ſubditi teneantur recipere, & viuendo ſecundum eas conuerſari, tendit etiam ad idem, quod Dominus Petro ait: *Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcunq́; ligaueris ſuper terram, &c. etiam quodcunq́; ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cælis*. Acſi diceret, mandata & ſtatuta, quæ manant ex auctoritate tua, ex eo debent haberi canonica, quia verius emanant ex poteſtate mea, qua in re memoriter eſt attendendum, quod Chriſtus fuit nouæ legis inſtitutor, veterem implens, ceſſauerunt autem legalia & iudicialia, remanentibus præceptis moralibus veteris legis, quæ obligant non ex vi illius legis, ſed ex vi inſcriptionis eorum in cordibus noſtris, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 2. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciūt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*. Dominus ergo cōtinuat moralia præ-

Matt. 23.
Matth. 16.
Rom. 2.

cepta in noua lege, ſuperaddit autem ſacramenta & conſi-
lia, non autem inſtituit aliqua præcepta iudicialia, hoc au-
tem, quia myſterio non vacat, obnixius perpendamus. nam
hoc ipſo nos ſcire voluit, quod Prælatis & Principibus com-
mittit inſtituere tales ordinationes, circa ſuos, prout penſatis
locis & perſonarum conditionibus & alijs circumſtantijs
videntur congruere & expedire. vnde Luc. 10. dicitur, *qui*
Luc. 10. *vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Ex quo planè
Diuinę voluntati repugnăt q decreta Pōtificum reſpuunt. ſequuntur corollarie: diuinæ voluntati illos repugnare qui
decreta, decretales, cæteraſque ordinationes aſpernantes,
tanquam authenticas renuunt recipere & honorare. Nam
auctoritas Prælatorum à Deo eſt, & ſic per idem eſt repelle
re Prælatos, & Dei auctoritatem. 2. eſt, quod nullus poteſt
ſe legitimè ab obedientia Papæ in prædictis caſibus ſubtra-
here, quod patet: nam Saluator Dominus noſter Ieſus Chri-
ſtus per ſuam paſſionem meruit iudiciariam poteſtatem ſu-
per omnem creaturam. iuxta illud Matt. 28. *Data eſt mihi o-*
Matt. 28. *mnis poteſtas in cœlo & in terra.* vnde gloſſa dicit, ſuper illo ver
Pſal. 71. bo Pſalmi: *Dominabitur à mari vſq; ad mare*: id eſt, à quolibet
fine terræ diffundetur, & tam late dilatabitur Eccleſia. Vica
rius autem Chriſti eſt Papa, vnde nullus poteſt ſe ſubtrahe-
re ab obedientia eius de iure, ſicut nullus poteſt ſe de iure
ſubtrahere ab obedientia Dei. Sed ſicut Chriſtus recepit à
Patre ducatum & ſceptrum Eccleſię gentium, ex Iſrael egre-
diens, ſuper omnem poteſtatem & principatum, ſuper om-
ne quodcunque eſt, vt ei genua cuncta curuentur; ſic ipſe
Petro & eius ſucceſſoribus pleniſſimam poteſtatem com-
Cyrillus.* miſit, vt dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in lib. the-
ſaurorum. Tertium eſt, quod Papa etiam apertè malo, in fi-
de tamen firmo, quam diu toleratur ab Eccleſia, eſt obediē
1. Pet. 2. dum, quod probatur, *obedite*, inquit Papa Petrus, *præpoſitis*
veſtris, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis, quam au
ctoritatem dominus Replicans nuper negauit, & per con
ſequens errauit. & probatur propoſitio dupliciter, primo
Glo. interlinearis ibid. auctoritate alia prædicta. Nam ſuper illo ad Rom: 13. *omnis*
anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. dicit gloſſa *poteſtati-*
bus bonis & malis, in eo quod ſublimiores ſunt, obediendum eſt. ſi er-
go obedientia & ſubiectio debetur alicui ratione poteſtatis
ſublimioris, quamdiu durat in Papa talis ſublimior pote-
ſtas, tamdiu debet permanere in omnibus ſubditis, eius ſub-
iectio & obedientia: quamdiu manet cauſa, debet perma
nere effectus. Secundò probatur hoc, ratione. Nam poteſtas
prælationis eſt donum gratiæ gratis datæ, non donum gra-
tiæ gratum facientis. Sed tale donum gratiæ gratis datæ, nō
tollitur in Papa per aliquod peccatum, niſi ſolum per v
num, puta per crimen hæreſis, vt ſuprà dictum eſt: per tale
enim peccatum ſolum Papa deſinit eſſe Papa. Sed per cæte
ra alia peccata, poteſtas prælationis in eo non tollitur, quia
cum ſit donum gratiæ gratis datæ, non tollitur per peccatū
ſi peccato directe non opponitur.

Ad ſecundum reſpondeo, quod ex mea forma non ſe
quitur: *Papa tranſtulit Concilium ad Bononiam, ergo faciendum*
quia addidi directe, *modo contra quadam generalium Conciliorū*
decreta non mandaret, de quorum numero eſt Concilium ſa
crum Conſtantienſe, quod in capitulo *frequens* illam tranſ-
lationem prohibuit. prout clare & late in reſponſione data
per præſens ſacrum generale Concilium primis ambaſiato
ribus Papæ videre poteſtis.

Conſequentur replicans inuehit contra hoc quod dixi,
quod Papa propter admirandæ ſuæ poteſtatis excellentiam
prope Chriſtum attingit, dicens, quod hoc verum eſt, ſicut
Papa ſummā habet in terris iuriſdictionem. diſtat cœlum à terra, & ſicut attingit terra prope cœlum. e
go autem oſtendam meum dictum eſſe verum. Pro quo
ſciendum, quod ex ſcriptis meis non habetur, Papam eſſe æ-
qualis poteſtatis cum Chriſto, ſed quod ſummam in terris
habeat iuriſdictionis poteſtatem. Vnde ſecundum Gram-
maticos, *prope*. eſt aduerbium poſitiuum, comparatur pro
pè, prius, proximè, vt dicit Catholicon. Vnde dico, quod li-
tera, prope, non dicit æqualitatem, nec paritatem, ſed quan
dam appropinquitatem excellentioris ſimilitudinis & iu-
Aug. 12. li. confeſ. c. 8 & ſeq. riſdictionis. Iſto modo dicit beatus Auguſtinus in libro
confeſſionum. *Duo enim feciſti Domine, vnum propè te, ſcilicet*
angelicam creaturam, & aliud prope nihil, ſcilicet materiam ipſam
primam. ſed clarum eſt, quod nec Angelus eſt æqualis Deo,
nec materia nihil. Sed ratione ſimilitudinis & proportionis
maioris dicitur prope Deū Angelus, quia inter omnes crea-
turas Deo ſimilior in participatione ſuæ bonitatis, in eſſe
naturali, & ideo dicit Ezech. *tu ſignaculum ſimilitudinis*, quod Ezech. 28.
exponens dominus Albertus dicit, *ſigillum fundatum*, mate-
ria verò prima, ratione potentialitatis & exſpoliationis a-
ctualitatis dicitur prope nihil. Et ſic bene dixi, quod ideo
Papa prope Chriſtū attingit, quia quidquid poteſtatis, quid-
quid gratiæ ſacramentalis, quidquid diſpēſationis cœleſtis,
à Chriſto capite Eccleſiæ commiſſum eſt, ipſa etiam eccle-
ſia diſperſa, & Papa in fide non errante, totā eſt eius diſpen-
ſationi commiſſum. Pro quo ſciendum, quod Petrus ſucceſ-
ſit Chriſto, non quod ipſe eſſet Chriſtus; ſuccedit enim vnus
papa alteri, & vterque eſt papa, nec vnus altero maior, ſed
Petrus non ſucceſſit Chriſto, quod eſſet æqualis Chriſto in
perſona: Non enim dicimus quòd ſint plures Chriſti, quo-
rum vnus ſuccedat alteri. Nam etſi ſunt, qui dicantur dij ſi- 1. Cor. 8.
ue in cœlo ſiue in terra, ſiquidē ſunt dij multi & dñi multi:
nobis tamen non eſt niſi vnus Deus pater, ex quo omnia, &
nos in illo, & vnus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos
per ipſum, vt dicit Apoſt. 1. ad Cor. 8. Succedit ergò Petrus
CHRISTO, & quilibet alius papa ſuccedit ſibi, vt vica-
rius eius, in officio & poteſtate iuriſdictionis Eccleſiaſticæ,
non in perſona. Ad ſciendum autem quomodo poteſtas pa-
pæ prope Chriſtum attingit, ita quòd ei nulla in terris pote- Poteſtas papę quomodo maior alijs.
ſtas cōparari poteſt, dico quòd triplici maioritate. Poteſtas
papæ maior omni alia auctoritate eccleſiaſtica, eccleſia ſe-
gregata. Et primò maioritate auctoritatis. Dignitate quidē I.
maior eſt poteſtas papæ omni alia, quia ſicut dicit B. Ambr. diſt. 96. Duo ſunt c. 10.
& ponitur nonageſima ſexta diſtinct. *Duo ſunt*, quippe au-
rum non tam precioſius eſt plumbo, quàm regia poteſtate Amb. de ſacerdotali dignitate c. 2.
eſt altior dignitas ſacerdotalis. videmus enim colla regum
& principum ſubmitti genubus Sacerdotum, & ab eis bene-
dici & inungi. Et ſecundum Apoſtolum ad Hebr. 7. abſq; Heb. 7.
vlla contradictione verum eſt, quòd ſemper qui minor eſt
à maiore benedicitur, patet enim hoc per Hugonem de S. Hugo de S. Victore de ſacra par. 2. q. 4.
Victore 2. lib. de Sacram. part. 2. vbi diſtinguit duplicem po-
teſtatem, ſpiritualem & ſecularem, & ſubdit, quantum vita
ſpiritualis dignior eſt quàm terrena, & ſpiritus quàm cor-
pus, tantum ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem, ſiue
ſecularem honore & dignitate præcedit.

Secundò poteſtas papæ eſt maior omni alia poteſtate II.
maioritate cauſalitatis, quia eius poteſtas cauſat omnem a-
liam poteſtatem examinando, confirmando & iudicando.
vnde dicitur 22. diſt. quòd cuiuſlibet ordinis dignitatem & diſt. 22. omnes. c.
poteſtatem Rom. Pontifex habet inſtituere & confirmare:
eius vero poteſtatem ſolus Chriſtus fundauit & confirma-
uit. nullius namque poteſtatis electio temporalis vel ſpiri-
tualis eſt ipſius confirmatio, niſi ſolùm electio ipſius papæ
vel de auctoritate eius.

Tertiò, poteſtas papæ eſt maior omni alia auctoritate, III.
quia nullius imperatoris, regis, vel alterius leges ſeu ſtatuta
alicuius roboris ſeu dignitatis eſſe cenſentur, niſi quantum
ſunt per auctoritatem papæ confirmatæ & approbatæ. vnde diſt. 9. Imperatores.
dicit Auguſt. & ponitur 9. diſt. quòd quicunque legibus im-
peratorum, quæ pro voluntate Dei feruntur obtemperare Aug. ad Bonifac. ep. 50.
non vult, acquirit grande ſupplicium: quicunque autem le-
gibus imperatorum, quæ contra legem & veritatem Dei fe-
runtur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium.
namque tanta eſt auctoritas eccleſiæ & Rom. Pontificis, vt
Aug. dicit contra epiſt. fundamenti, *Ego nunquam crederē Eu-* Aug. con. epi. Fundamenti. c. 5.
angelio ſi non crederem Eccleſia, id eſt, ſi me auctoritas eccleſiæ
non compelleret.

DEhinc vbi dixi, papam ſanctiſſimum & beatiſſimum
etiam in moribus malum, diſtinxi de duplici ſanctita-
te, ſcilicet innocentiæ & ſacramentali, Ego dico ad-
dendo ſpeciem tertiam, quæ trifaria eſt, ſcil. ſtatus, religio-
nis, & æquitatis publicę. De ſanctitate ſtatus dicitur diſt. 40.
non nos. Symmachus Papa, *quis enim ſanctum eſſe dubitet, quem* diſ. 40. Nō nos, c. 1. Sanctitas ſtatus.
apex tantæ auctoritatis attollat? in quo ſi deſunt bona acquiſita per
meritum, ſufficiunt quæ à loci prædeceſſore præſtātur. Aut enim cla-
ros ad hæc faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat. hæc ille. vbi
dicit Archidiaconus, & concordat glo. quòd ſufficit, quoad
ſubditos, eum reputare ſanctum, niſi conſtet de contrario. * alter lib. ad Dom.
vnde non refertur ſanctitas ad *eum, ſed ad æſtimationem
bonorum ſubditorum. De ſecundo, ſcil. ſanctitate Religio-

nis,

Religiõis. Tho.2.2. q.81.art.8.

nis,oſtendit S. Thom.2-2.q.81. art.vlt. quod ſanctitas idem eſt quodammodo quod religio,dicens. *Nomen ſanctitatis duo videtur importare. Vno modo munditiam. & huic ſignificationi competit nomen græcum, dicitur enim agios, quaſi ſine terra. Alio modo importat firmitatem, vnde apud antiquos ſancta dicebantur, quæ legibus erant munita, vt violari non deberent. Vnde & dicitur aliquid eſſe ſancitum,quia eſt lege firmatum. Poteſt etiam ſecundũ Latinos hoc nomẽ. ſanctus ad munditiam pertinere,vt intelligatur ſanctus quaſi ſanguine tinctus, eo quod antiquitus illi qui purificari volebant ſanguine hoſtiæ tingebantur, vt Iſidor. dicit in lib etymolog, & vtraq; ſignificatio competit, vt ſanctitas attribuatur his, qui diuino cultui applicantur. ita quod nõ ſolum homines,ſed etiam templa & vaſa, & alia huiuſmodi ſanctificari dicantur, ex hoc quod diuino cultui applicantur*. hæc ille. De tertio, ſcilicet ſanctitate publicæ iuſtitiæ, dicit Andronicus Peripateticus, vt allegat eum S. Thom.2.2.q. 80. art. 1. inter cætera iuſtitiæ annexa ponit ſanctitatẽ,quia promulgatores iuſtitiæ publicæ, ſancti præſumi debent. ex quibus ſic arguo. Omnis talis præſumi meritò debet ſanctus, qui eſt in ſtatu eccleſiaſticæ dignitatis eleuatus,quoad primũ; qui eſt diuino cultui applicatus,quoad ſecundum;qui eſt miniſter iuſtitię publicę,quoad tertiũ. Sed Papa vt Papa, eſt huiuſmodi in ſummo, cuiuſlibet horũ conſtitutus, ergo ipſe non incongruè dici poteſt ſanctiſſimus, etiamſi ſit in moribus malis, donec non ſit ita iudicatus,ſed ab vniuerſali Eccleſia toleratus.

Iſid.lib.10. c.18.

Publicæ iuſtitiæ. S.Tho.2.2 q.80.art.1.

DEinde, quia dixi, papam eſſe putatum ſanctiſſimum ab officio ſanctificandi, dicit quod auctoritatiuè nemo poteſt ſanctificare,niſi Deus, & eſt conditio Antichriſti. Ego ſanctifico. & dico quod hoc indiget declaratione, quia eſt duplex ſanctificatio, auctoritatiua, ſcilicet, formalis, & illam ſolus Deus cauſat. & ſic verum eſt, quod dicit.

Sãctificatio auhoritatiua, Inſtrumẽtalis.

Alia inſtrumentalis,quæ dicitur ſanctificatio pontificalis, ſeu ſacerdotalis, & illa conuenit iſtis, nec eſt conditio Antichriſti,ita dicere ſacerdotes ſanctificare. Vnde Auguſtinus lib.2.de baptiſmo paruulorum verſus finem, *Catechumenos per ſignum Chriſti, & orationem, manuſq; impoſitionem puto ſanctificari,& quod accipiunt, quamuis non ſit corpus Chriſti, eſt tamen ſanctum,& ſanctius quam cibi quibus alimur, quia ſacramentum eſt*, hæc ille. & loquitur de Eulogijs. & Chryſoſtomus in opere imperfecto,homil. 14. *Laicus Sacerdoti panem offert, vt Sacerdos accipiens ſanctificet, & ei porrigat. quod enim panis eſt, offerentis eſt, quod autem ſanctificatum eſt, beneficium eſt Sacerdotis*. hæcille. Idem Hieronymus ſuper Ezechielem 44. vbi dum de primitijs agit, dicit: *Primitia quoq; ciborum noſtrorum Sacerdotibus offeruntur,vt nihil guſtemus nouarum frugum,niſi Sacerdos ante guſtauerit: Hoc autem facimus, vt reponat Sacerdos benedictionem & oblationem noſtram in domo ſua,ſiue vt ad imprecationem ſuam Dominus benedicat domibus noſtris*. adiungit exclamando de Sacerdotali dignitate. *Grandis dignitas Sacerdotum, &c.* Ex iſtis patet, quod licet vnus ſolus ſit ſanctiſſimus,à quo omnis Sanctitas, & per conſequens omnis actiua ſanctificatio originaliter,à ſanctiſſimo Deo ſit, ergo in iſtis & non in alijs omnibus conformiter, ſicuti eſt vita, veritas, virtus,&c. Tamen per medium ſacerdotij tanquam infra Deum & communem populum conſtitutum,ſanctificationem ita operatur, quòd beneficio Sacerdotis, vt dicit Chryſoſt. creaturæ etiam irrationales ſanctificationem dicuntur capere, & rationales, vt dicit beatus Auguſtinus de Catechumeno, quia magna eſt illa dignitas ſacerdotalis, ſecundum ſanctum Hieronymum,quia per ſigna,& verba & orationes conſimiles,non eadem ſignificatione, ſed inſtrumentali,operari poſſunt alij ſicut ipſi. Si ergò opponens benè proſpexiſſet conſequenter, qualiter ipſi Ieſu Chriſti vicario attribuo ſanctificationis officium,non fuiſſet opus tãtis ſuperfluis verbis,probando,quòd ſit conditio Antichriſti,dicere aliquem ſacerdotem ſiue Prælatum: Ego ſanctifico. Nam ſanctificatio poteſt alicui attribui dupliciter: Vno modo auctoritatiuè, & illa eſt propria Deo, ſecundùm illud Exodi 31. *Ego Dominus qui ſanctifico vos.* & iſto modo attribuere ſanctificationem alicui puro homini, in quantacũque dignitate conſtituto eſt conditio Antichriſti. Alio modo ſanctificare conuenit alicui inſtrumentaliter, ſiue miniſterialiter, & hoc modo conuenit Sacerdotibus & Prælatis

Auguſt.de peccatorũ meritis & remiſſione.l.2.c.26

Chryſ.in opere imperf.ho.14

Hiero. in 44.c.Ezechiel.

Exod.31.

ſanctificationis officium,& hoc in ſacramentorum diſpenſatione, quia Sacramenta ſunt vaſa ſanctificationis. hac ratione dicuntur Sacerdotes,quaſi ſacra dantes in Sacramentorum diſpenſatione,ad ſanctificationem animæ. Sic attribuere Prælatis & Sacerdotibus ſanctificationis officium,nõ eſt conditio ſeu opus Antichriſti,ſed negare id eſt opus Antichriſti, veriſſimi inimici Chriſti, quia ſuis conceſſam miniſtris negat poteſtatem. Vbi notãdum, quòd ſanctus Thomas in 4. diſtinctione artic.2. loquendo, quomodo competat miniſtris eccleſiæ cooperari CHRISTO in miniſterio ſanctificationis animarum ponendo quatuor modos cooperandi alicui agendi, dicit circa quartum modum, qui eſt, vt diſponens materiam ad effectum principalis agentis ſuſcipiendum,dicit ſic: quòd ſic diſponere contingit dupliciter, vel ex opere operante ſiue docendo ſiue merendo,& ſic homines cooperantur Deo in peccatorum remiſſione. *Dei*, inquit Apoſtolus, *coadiutores ſumus*, vel ex opere operato, ſic qui confert Sacramenta, quæ diſponunt ad gratiam per quam ſit remiſſio peccatorum. Et hæc eſt cooperatio miniſterij, quæ miniſtris Eccleſiæ competit, de quib⁹ 1.Cor. 4. *nos ſic exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum*. ratione iſtius ſanctificationis dicit Chryſoſtomus lib. 3. de dignitate ſacerdotali, *per iſtos Sacerdotes Chriſtum induimus per ipſos Dei filio coniungimur, per ipſos membra beati ipſius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis nõ ſolũ reuerendi magis quàm iudices aut Reges, ſed & magis erunt honorabiles quàm parentes.* hæc ille.

1.Cor.3.

1.Cor.4.

Chryſ. de Sacerdot. l.3.c.4.

ET propter iſta minus benè proſpecta infert Dominus Replicans, dicens,quòd propter iſta excellentia poteſtati attributa, ſequuntur apud ſimplices, imò & aliquando apud doctos multa inconuenientia, vt inordinatos reſpectus, obedientia inordinata, protractio vſque ad oſcula pedum beatorum. Non ſic faciebat Petrus verus Chriſti vicarius, &c. Reſpondeo, quòd illa reuerentia, quæ fit ſummo Pontifici, non eſt inordinata, ſed ſuæ poteſtati excellentiæ condigna. Dicit enim ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtio. 80. articulo 1. quòd triplex eſt virtus iuſtitiæ, ſcilicet Religio, quæ debetur Deo, Pietas, quæ debetur patriæ & parentibus, & Obſeruantia, per quam, vt Tullius dicit, homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu & honere dignantur. & de hac obſeruantia dicit ipſe ibidem quæſtio. 102. articulo 2. quòd honbr ſemper debetur alicui propter aliquam excellẽtiam vel ſuperioritatem, imò dicit ſi prælati ſunt, non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, ſed propter excellentiam dignitatis, ſecundum quam ſunt Dei miniſtri & etiam eis honoratur tota communitas, cui præſunt. Ex quo elicio, quòd cum ſecundum Tullium, honor eſt exhibitio reuerentiæ in teſtimonium virtutis; Iſtud autem contingit dupliciter fieri, primò in teſtimonium virtutis ſuæ propriæ,& gratia ſuæ bonitatis & ſanctitatis. Secundò in teſtimonium virtutis Chriſti & gratia Chriſti, cuius vicarius exiſtit, iuxta illud 1. Cor. 4. *ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti*, quãdiu eſt vicarius & quãdiu nõ deſinit eſſe papa, dato ꝙ ſit apertè mal⁹, honor papalis ſibi ſubtrahẽdus non eſt. In cuius fortè figuram, ante ſuam paſſionem permiſit Dominus in domo Phariſæi, Mariam Magdalenam oſculari pedes eius, & poſt reſurrectionem, vt mulieres accederent & tenerent pedes eius, vnde in ſignum quod papa non ſibi, ſed Chriſto, illum honorem attribuit, crucem ſupra pedem in ſandalib⁹ gerit, quaſi non ſuos pedes, ſed in honorem crucifixi, cuius locum in terris tenet, crucem illam oſculandã, offerat. Et quid mirum, ſi hoc ſit ſummo Pont. in horem Chriſti, cum etiã fiat quibuſdam regibus in recognitionem temporalis dominij? hinc de S. Policarpo dicitur libr. 4. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, c. 13. *Polycarpus non ſolum ab Apoſtolis eruditus eſt, cum his qui Dominum viderant, ſed ab Apoſtolis ipſis ordinatus Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopus*. de eodem, ibidem dicitur, quod cum martyrizari debuit exteriori detracto indumẽto ac cingulo reſoluto calciamenta quoque pedibus tentabat educere, quæ nunquam niſi à religioſis quibuſque fide ac deuotione ſemetipſos inuicem præuenientibus reſolui cõſueuerant. ita namq; in omni etiã reliqua vita ſua venerabiliter ab omnibus colebatur. Nec eſt æſtimandum, quod papa filium tantæ obedientiæ in oſculo pedum detineat, quia more pijſſimi Patri

Reuerẽtia quæ exhibetur Põtifici non eſt inordinata.

Tho. 22. q.80.

S.Tho.2.2 q.102.a.2. & 3.

1.Cor.4.

Euſeb. in hiſt. Eccl. l.4.c.13. & 14.

..oſculum manes ſeu maxillæ ſubitò ſuſcipit. Nec obeſt, quod de Petro obijcit, quia Petrus non ideo, quod honor ille non ſibi deberetur, ſed quia cum Petrus & alij Apoſtoli facerent multa miracula, credebantur Dij ab aliquibus gentibus, ſicut patet Actorum 14. de Paulo & Barnaba, vbi facto miraculo circa claudum quendam, turbæ clamantes eos eſſe Deos, volebant eis thurificare; & ideo hac ratione non permittebāt ſe debito etiam honore venerari. Et ne in propoſito de Petro aliqui ſic ſenſiſſent. Vnde dicit gloſſa ſuper verbo *adorauit eum ſic adorauit vt Deum*, quæ fuit imperitia non nequitia. non enim eum Angelus hoc docuit, ſed doctorem eſſe Petrum, ideo dicebat Cornelio: *ſurge: nam & ego ipſe homo ſum.*

Act. 14.

Act. 10.

IN eadem materia inuehendo contra quod dixi, *Concilia generalia dicit ſancta & ſanctiſſima. Etiam ibi dico*, inquit, *dato quod ſit aliquod generale Concilium, & omnes perſonæ inibi exiſtentes ſint non ſanctæ, vnde debeo ſcire, quod Spiritus ſanctus illi Concilio infallibiliter aſſiſtat, cum dicitur Sap. 1. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ fugiet fictum?* Sed ſi benè recolo, dixit in iſto publico auditorio: *non poſſum videre. quomodo Spiritus ſanctus aſſiſtat illis, &c.* Ad quod dico, nota quod iſte caſus non ſubiacet humanis iudicijs, quia nemo ſcit, an amore vel odio dignus ſit: imò eſſet iudicium crudele, opinari ſingulos eſſe malos in ſpiritu ſancto congregatos, quia Dominus vſque adhuc reſeruauit ſibi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ſua coram Baal, ad Rom. 11. vnde dico quantū ad materiam in ſe, quòd Concilium generale legitimè congregatū in neceſſarijs ad credendum ad ſalutem deficere non poteſt, etiamſi Prælati ſunt mali, quod probatur ſic: Deus & natura non deficiunt in neceſſarijs, ſed ſaluti humani generis non videretur ſufficiēter prouiſum, ſi Cōcilia generalia poſſent deficere in his, quæ ſūt de neceſſitate ſalutis. Ergò huiuſmodi Concilia in his quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, deficere nō poſſunt. Conſequētia videtur nota. Maior patet primò per omnes Philoſophos, qui hanc pro maxima reputant in naturalibus; per diuinam etiam prouidentiam circa genus humanum prouidentem poteſt oſtendi, quia propter hoc collata ſunt ſacramenta, ſacra ſcriptura diuinitus eſt reuelata, verbum eſt incarnatum. Etiam minor patet, quia pro ſalute humani generis oportet eſſe aliquam regulam inobliquabilem & indefectibilem ſeu indeuiabilem, ad quam genus humanum habeat recurſum in credendis, quia *ſine fide*, vt dicit Apoſtolus, *impoſſibile* eſt placere Deo, aliàs non eſſet eidem ſufficiēter prouiſum ab optimo legiſlatore Chriſto. ſed nullus particularis homo eſt huiuſmodi ſufficiēs regula, vt nō poſſit in fide errare, vt etiam * Papa aliquando fecit. Ergo oportet dicere, quòd habeatur recurſus ad Eccleſiā vniuerſalem, aut ad Conciliū generale. Cùm ergò eccleſia vniuerſalis, non poſſit in vnum congregari ſecūdum ſeipſam propter eius amplitudinem per totū vniuerſum, ſequitur, quòd huiuſmodi regula, ad quam habetur recurſus in neceſſitate fidei, eſt Concilium generale legitimè congregatum, Eccleſiam vniuerſalem repræſentans. Ergò ſequitur quod Concilium generale in his quę ſunt de neceſſitate ſalutis errare nō poteſt. Pro cuius intellectu notandum eſt, ex culpa originali, & ex excellentia credendorum, credenda tranſcendunt humanam facultatem, ideò requiritur ſupernaturalis concurſus ad eorum reuelationem. & licet in ſcriptura contineantur, non tamen euidēter & ſufficienter pro quolibet. ideò prouiſum eſt de tertio medio, ſcil. facere exterius quod in ſe eſt, ſecundum illas Patrum traditiones in celebrationibus Conciliorum generalium. Ex quibus poteſt deduci, quod in Concilio congregati non ſunt propriè qui loquuntur. Spiritus enim ſanctus loquitur in eis. in his, quæ determinantur in fide. Nam ex quo prouiſum eſt ſufficienter poſita exteriori forma, Spiritus S. reſiduum operatur, ex ſpeciali enim prouidentia Dei, quam habet de ſalute hominum, videtur inferendum, quod ſi forma ad extra ſeruetur, Spiritus ſanctus habebit ſuam efficaciam, veritatem reuelādi. Quantumcunque enim miniſtri eſſent inepti, tamen malitia non tolleret efficaciam Spiritus ſancti, quia poteſt eſſe organum Spiritus ſancti, ſicut proportionabiliter aſina Balaam locuta eſt, impropriè, quia magis Spiritus ſanctus locutus eſt, & quemadmodum Balaam. Num. 22. & 23. vocatus à Balac, vt malediceret populo, cui Deus benedixit, & ipſe benedixit, licet coactus, ita in Concilio generali in malis & iniquis Prælatis, malè viuentibus Spiritus S. loqueretur veritatem, hoc fundatur vt dictum eſt, id eſt, prudentia Dei de neceſſarijs, de noſtro fine conſequendo, quod non eſſet, niſi in Concilio generali infallibilis daretur auctoritas, non obſtante miniſtrorum malitia, imò cum Balac audiuit quod Balaam benediceret populo Dei, ait: *Quid eſt quod agis? quia vt malediceres vocaui te.* Reſpondit: *non poſſum aliud loqui niſi quod iuſſit Dominus*, ita ſimiliter vbi agitur de inſtructione populi, quantumcunque inualeſceret malitia Prælatorum, poſſum dicere cum Balaam, *Non poſſum dicere, niſi quod Dominus iuſſerit.* iterum ſecundo reſpondit Balaam, *benedictionem prohibere non valeo. Non eſt*, inquit, *Deus, vt homo, vt mentiatur.* Non autem eſt, vt videtur, quod Deus ſpecialiori modo regat Eccleſiam ſuam, quàm ante incarnationem populum ſuum rexit. Ideo dixit Matt. vlt. *vobiſcum ſum omnibus diebus ad conſummationem ſeculi.* & eiuſdem 16. *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, hoc eſt, Eccleſiam, quam Concilium generale repræſentat. imò Chriſtus, poſt aduentum ſuum in carnem, cum Sacerdotes ſynagogæ mali eſſent, & generatio praua & adultera vocarentur, nihilominus dicit turbis, *omnia quæcunq; vobis dixerint. facite.* Ex quo euidenter concludi poteſt, quod ea, quæ Sacerdotes ſeu Prælati nouæ legis in Concilio generali congregati, poſt publicationem Euangelij dicunt, in his quæ ſunt fidei, & de neceſſitate ſalutis, tenēda ſunt. cum amplius ſint illuminati, & ſpecialius eis Spiritus ſanctus aſſiſtat, quam Sacerdotibus ſynagogæ. Et ad hoc deſeruiunt omnes expoſitiones, quas replicans adduxit, ſuper illo, *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*, vt patet eas intuenti. & iterum ſolutiones illarum auctoritatū: *qui vos audit, me audit*, & aliarum per me adductarum. quia concedit eas de Concilijs generalibus etiam intelligi, licet etiam de fidelibus alijs in nomine Domini congregatis poſſint exponi. Et tamen propriè & antonomaſticè de Concilijs generalibus iſta eſſe intelligenda; ſanctorum auctoritatibus oſtenditur. Sicut enim ait B. Celeſtinus in epiſtola ad ſynodum Epheſinam tranſmiſſa, vt refert Iſidorus in libro Conciliorum: *Spiritus ſancti indicat præſentiam congregatio Sacerdotum. Certum eſt enim, quod legimus, quia nec poteſt veritas ipſa mentiri, cuius in Euangelio iſta eſt ſententia: vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum, quod cum ita ſit, nam nec huic tam breui numero Spiritus deeſt. quanto magis eum nunc intereſſe credamus, quando in vnum conuenit tota turba ſanctorum? ſanctum namq; eſt pro debita veneratione Concilium, in quo vtiq; nunc Apoſtolorum frequentiſſima illius, quam legimus congregationis aſpicienda reuerentia eſt.* & idem Iſidorus in eodem libro, in geſtis tertiæ Synodi Toletanæ in epiſtola ſeu confeſſione Reccaredi Regis, inquit, *valdè neceſſarium eſſe perſpexi beatitudinem veſtram in vnum conuenire, habens ſententiæ Dominicæ fidem, quæ dicit: vbi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi ero in medio eorum. Credo enim beatam ſanctæ Trinitatis diuinitatem, huic ſacro intereſſe Concilio, & ideo tanquam ante conſpectum Dei in medio veſtri fidem meam protuli.* Ex quo patet quod beatus Papa Celeſtinus eam reuerentiam habendam eſſe dicit congregationi Concilij, quæ debetur collegio Apoſtolorum, vtpote in cuius medio ipſe CHRISTVS aſſiſtat, ſanctus Spiritus, & ipſa Trinitas tota. hinc eſt quod beatus Hieronymus comparat Concilij auctoritatem ſoli, vt ſicut ſol ſuo ardore humores riuulorum deſiccat, ita ſacrum Concilium ſua auctoritate omnem contrariam ſuperat argumentationem: inquit enim in fine diſputationis contra Luciferianum. *Poteram omnes tuarum diſputationum riuulos vno Eccleſiæ ſole ſiccare.* De auctoritate Concilij generalis loquens. Ad auctoritatem ſapientiæ. *Spiritus ſanctus non habitat in corpore ſubdito peccato.* Reſpondeo ſecundum ſanctum Thomam, in quæſtione de veritate, quæſt. 12. artic. 5. quod ſapientia ſe confert in anima dupliciter.

Primo modo, vt ipſamet Dei ſapientia inhabitet, & ſic hominem ſanctum faciat & Dei amicum. Secundo modo ſolum quantum ad effectum, & ſic non oportet, quod ſanctum faciat vel Dei amicum, & ſic confert ſe in mentes malorum, quos Prophetas conſtituit. Albertus 4. ſentent. diſt. 19. vbi Magiſter dicit: *Quidam putant hanc poteſtatem tantum illis eſſe conceſſam, qui doctrinam & vitam Apoſtolorum ſeruāt.*

Sap. 1.

Eccl. 9.

Rom. 11. & 3. Reg. c. 19.

Hebr. 11.

* Falſum eſt, ſi de papa, vt Papa eſt, intelligit. Papa in vt Papa nō eſt perſona gloſ... Si vero illorū ſententiam ſequitur, q papā Concilio ſubijciunt, falsā ſententiam ſequitur, q retinat Bellarm. lib. 4 de Pont. c. 2. & ſeq. & l. 2. de Cōcil. c. 13. & ſeqq.

Num. 22. & 23.

Matt. 28.

Matt. 16.

Matt. 23.

Celeſtin. epiſt. 7.

Matt. 18.

Ioh. ...

Hiero. aduerſus Luciferianū.

Thom. de veritate, q. 12. art. 5. ad 5.

Albertus.

dicit

dicit Albertus. *Iſti ſunt illi hæretici qui vocantur Cathari.* & cum pro eis arguit, *in maleuolam animam non introibit ſapientia*, dicit quod intelligi tur iſta auctoritas quantum ad inhabitantem gratiam, & non ad comparationem gratis datæ.

FInaliter circa iſtam materiā ſic aſſumitur, vbi ego dixi, quòd illud non eſt verè dictum: *verbum Dei eſt tantæ perfectionis, quod nihil poſſet eis addi vel ſubtrahi. dico*, inquit, *ſi iſtud non eſt verè dictum, nec illud Deut. 4. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neq; auferetis ex eo.*

Deut. 4.

Reſpondeo negando illā conditionalem, quòd antecedens eſt verum, & conſequens falſum. Quod antecedens ſit verum illud ſcil. non eſſe verè dictum, quod verbis Dei nihil licet addi vel ſubtrahi, patet, quia ſecundum B. Auguſt. in lib. de vera religio. c. 16. in his quæ ſunt fidei, talis eſt regula ſeruanda, quòd falſa & damnanda ſemper ſunt reſpuēda, vera autem & approbata ſemper ſunt tenenda, dubia autem tam diu credēda ſunt, quamdiu aliquid doceat ratio, niſi contrarium aliquod præcipiat ſanctæ matris eccleſiæ auctoritas.

Aug. de vera religione, c. 10. ſimile quid habet.

Poſſe ergò Papam, eccleſiā vel ſanctos Doctores, aliquid addere ſuper illa quæ ſunt fidei, dupliciter poteſt intelligi. vno modo, quantum ad dubij interpretationem vel determinationem. Alio modo, quantum ad occultorum & implicitorum explicationem: Vtroque autem modo poteſt addi ſcripturæ ſacræ licitè ſuper ea, quæ ſunt fidei. Nam ſi aliqua ſunt dubia, & obſcura in fide, ad prædictos pertinet interpretari. poſt quorum præſertim Papæ vel generalis Concilij determinationem, hæreticum eſſet, pertinaciter contrarium aſſerere. vnde dicit Innocent. & 23. q. 1. *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt ſui nominis & honoris auctorem referre debere.*

23. q. 1. quoties. c. 12.

Ad eandem auctoritatem ſpectat implicita & occulta in fide pro temporum ætate cōgruentia explicare & declarare vt patet quòd inferiores eccleſiæ filij implicitè & occultè credebāt, poſtmodū explicitè & publicè profiteātur. Quod aūt conſequens ſit falſum, patet, quia dicit ſcripturā eſſe falſam, & dicta Doctoris quæ adducit, adducit idem ex alio, quia ſacra ſcriptura promittit præmia exponentibus eam, dicens Eccl. 24. *qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Eccl. 24.

ſed replicans eiſdem Doctoribus debitam credulitatem ſubtrahit, vbicunque ſibi placet, vt patet ex ſuis reſponſis. Ergò non ſequitur ſi verba ſua ſunt falſa, quòd ergò verba ſcripturæ ſacræ ſunt falſa. Ad auctoritates ergò dico. ad primam Deut. 4. *non addetis ad verbum quod loquor, nec auferatis.* dicit gl. *docet normam æquitatis, & omnem hæreſim percutit, vetat enim rectæ doctrinæ aliquid praua intentionis addere, vel aliquid veritatis ſubtrahere: Via enim regia incedendū eſt non ad dexteram vel ſiniſtram quia recta via Domini, & iuſti ambulabunt in eis* & nihilominus de Lyra inquit: *Conſiderandum eſt hic, quod hic prohibetur additio deprauans intellectum legis, nō autem additio declarans aut elucidans, ſecundum quod ſcribitur Eccl. 24. qui elucidant me, vitam ſempiternam habebunt.*

Deut. 4.
Glo. ordinaria ibi.
Oſeæ 14.
Lyra ibid.

ſimiliter ſuper illo: *ſermo Dei ignitus* dicit gl. *vt hæretici qui corrumpunt ſcripturas, ne eis conuincantur.* Et B. Hieronymus ibid *ne corrumpas eloquia ſacrarum ſcripturarum, ſicut quidam hæretici, ne conuincerentur feciſſe noſcuntur.* Et Lyra: *ne addas quidquā quod ſit eis contrarium potes tamen & meritoriè addere illa, quæ faciunt ad verbum Domini elucidandum.*

Eccl. 24.
Hier. ibid.
Glo. interlinearis ibid.

Similiter ſuper dicta Ioan. Apoc. vlt. dicit glo. *quia quoſdam ſciebat in Aſia eſſe, qui pro ſuis erroribus fouendis, aliquid adderent, vel minuerent ſupponit excommunicationem.* Et Lyra ibidem. *ſi quis oppoſuerit, id eſt, diſcrepantia, ſicut faciebant hæretici, qui tempore illo addebant diſcrepantia à veritate Euangelij & aliqua diminuebant de eius veritate dicentes Chriſtum ante Mariam non fuiſſe; per hoc tamen non excluditur, quin poſſent aliqua addi licitè, quæ faciunt ad declarationem ſacræ ſcripturæ. Et ſic fecerunt doctores ſancti.* hæc ille. Nō eſt ergo veriſimile, ſi ſancti crediſſent, ſe peccaſſe, quod ſanctis laboribus exponi ſcripturam intendiſſent.

Glo. ordinaria ibi.
Lyra ibid.

Circa ſecundum notabile, vbi dixi, prælatos malos & bonos magnificè ratione officij honorandos, & præſertim cauſas ſeptem adduxi. Quo ad tertiū, vbi dixi ideò quia ipſi ſoli habent auctoritatem ligandi, & ſoluendi à peccatis, ſecundum illud Matt. 18: *quodcunq; ligaueris ſuper terrā*, &c. cōtra hanc arguit replicans: *Non ſoli Sacerdotes habent auctoritatem ligandi & ſoluendi à peccatis, igitur, &c.* Videte quęſo, quomodo oſtendit ſe auctoritates S. ſcripturæ intelligere aliter, quā Chriſtus ſuis diſcipulis innotuit.

Matth. 18.

Ego enim allegaui illam auctoritatem Matt. 18. *Quodcunq; ligaueris ſuper terrā, erit ligatum & in cœlis*: quam auctoritatem ſaluator non voluit de B. Trinitate intelligi, quia eam numero Apoſtolorū non comparauit, ſed nec de laicis diſponentibus ſe per cōtritionem, ſed tātum de Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus per ſacri ordinis ſacerdotalis ſuſceptionem. Dico ergò, quòd illa conſequentia nil valet. Trinitas habet auctoritatem abſoluendi à peccatis actiuè, ergò non ſoli Sacerdotes, quia eſt æquiuocatio in terminis, vt patet ex dictis, nouit enim omnis qui me intellexit, quod intellexi de auctoritate quam habēt ſoli Sacerdotes, qui ſunt homines conſecrati per ordinationem Epiſcoporū; nō de Trinitate vel Chriſto homine. Dico ergò aliqua: Primū eſt, quòd ſoli Sacerdotes habēt auctoritatem clauium in foro pœnitentię, de qua loquitur in propoſito, teſte B. Ambroſio, vbi ait ſuper verbo prædicto. *hoc ius*, ſcil. ligandi & ſoluendi, *Sacerdotibus eſt conceſſum*: vnde S. Tho. in 4. ſent. diſt. 19. q. 1. dicit, quòd introitus in cœlū per dimiſſionem peccati vocatur clauis ordinis, & hanc ſoli ſacerdotes habent, quia ipſi ſoli ordinantur pro populo in his quæ directè ſunt ad Deum, hæc ille.

Ambroſ.
S. Tho. in 4. ſen. diſt. 19. q. 1. ad 3

Secundò dico, quod laici, etſi ſe diſponere poſſunt ad remedium pœnitentię, nullo modo tamen verum eſt, quòd ex hoc habeāt auctoritatem ligandi & ſoluendi diſpoſitiuè, quia iſte eſt periculoſiſſimus modus loquendi. Ideò etiam opponens non audebat eū nominare, qui iſtum modum adinuenit. Nam ex modo loquēdi Doctorum Catholicorum, non habemus niſi triplicē auctoritatem ligandi & ſoluendi, vt poſuit S. Tho. in 4. ſent. diſ. 19. Vna eſt auctoritatis & eſt ſolius Dei, qui propria virtute peccata dimittit. Alia excellentiæ, quàm ſolus Chriſtus habet homo, qui merito excellentiæ ſuæ paſſionis operatus eſt ſalutē noſtram. De qua Apoc. 3. *qui habet clauem, aperit, & nemo claudit.* Tertia eſt miniſterij, & iſtam nō dicitur habere Trinitas increata, cū ſit principale agens, & non inſtrumentale aut miniſteriale remiſſionis peccatorum. nec Chriſtus cum ſit caput eccleſiæ, in quo per excellentiam plenitudinis eſt poteſtas illa. ſed ſoli Sacerdotes, qui miniſtri dicūtur Chriſti, & de talibus loquebar in poſitione mea, iuxta illud Ambroſij: *hoc ius*, ſcilicet ligandi & ſoluendi, *ſolum Sacerdotibus eſt conceſſum.* nuſquam licitè adderetur poteſtas quarta, ſcil. diſpoſitionis, quia quantumcunq; laicus ſe diſponat ad pœnitentiā, tamen ſibi nō conuenit illa auctoritas Chriſti, de qua ego loquebar: *Quodcunq; ligaueritis ſuper terrā, &c.* Matt. 18. quod etiam aſſumpſit: *Chriſtus homo habet auctoritatem dimittendi peccata ergo non ſoli Sacerdotes.* patet ex dictis, quòd nil valet conſequentia, quia alia ratione Chriſtus, & alia Sacerdotes habent auctoritatē ſoluendi & ligandi à peccatis.

S. Tho. ib. ad 2.
Apoc. 3.

Quia, vt dicit S. Thomas, vbi ſuprà, virtus aliquid agēdi eſt, in inſtrumento, & in per ſe agente, nō eodem modo, ſed in per ſe agente perfectius. Poteſtas autem clauium quā habemus nos, & aliorum Sacramentorum virtus eſt inſtrumentalis, ſed in Chriſto eſt, ſicut in per ſe agente ad ſalutem noſtram, per auctoritatem quidem, in quantum eſt Deus, ſed per meritum in quantum eſt homo. Clauis autem de ratione ſua exprimit poteſtatem aperiendi & claudendi, ſiue aliquis aperiat quaſi principale agēs, ſiue quaſi miniſter. & ideo in Chriſto oportet ponere clauē, ſed altero modo, quàm ſit in eius miniſtris. Et ideò dicitur, quòd habet clauē excellentiæ. & tantū de illo.

S. Tho. 4. ſen. diſt. 19 q. 1. art. 3. ad 2.

Aſſumpſit vlterius contra quartam cauſam, vbi dixi Sacerdotes honorandos, eo quòd de eorum orationibus certius eſt, quòd efficaciam pro populo & animabus ſortiātur, ibi dicit, quòd ſi Sacerdotū orationes debeant eſſe efficaces pro populo. primò oportet quòd ipſi Sacerdotes Deo placeant per virtuoſa opera, aliàs ipſum Deū prouocant ad deteriora. Dico quòd hoc eſt ſimpliciter falſum, quia eſt bene congruū, ſed non ſimpliciter vt ſit neceſſariū, quia vt dicit S. Tho. in 4 ſen. diſt. 45. *de ſuffragijs, quæ fiunt per malos*, inquit, *duo poſſunt cōſiderari, primò ipſum opus operatū, ſicut Sacrificiū altaris, & quia noſtra ſacramenta ex ſeipſis efficaciam habent abſq; opere operātis, quā æqualiter explēt, per quoſcunq; fiāt; quantū ad hoc, ſuffragia per malos facta, defunctis proſunt. Alio modo quantū ad opus operās. Et ſic diſtinguendū eſt, quia operatio peccatorū ſuffragia faciētis, poteſt vno modo conſiderari, vt eſt eius, & ſic nullo modo meritoria eſſe poteſt, nec ſibi, nec alijs. Alio modo, quantū eſt alterius, quod dupliciter contingit, vno modo, in quantū peccator*

S. Tho. 4. ſen. diſt. 45. q. 3. art. 3. ad 3.
Quomodo malorū Sacerdotū ſuffragia proſint.

faciens

faciens ſuffragia gerit perſonam totius Eccleſiæ, ſicut Sacerdos dum dicit in Eccleſia exequias mortuorum, & quia ille intelligitur facere cuius nomine vel vice fit, vt patet per Dionyſium in 13. c. eccleſ. Hierarch. a. inde eſt quòd ſuffragia talis Sacerdotis, quamuis ſit peccator, defunctis proſint quaſi ex perſona eccleſiæ facta, cuius ipſe miniſter eſt. Alio modo, quando agit, vt inſtrumentum alterius, opus enim miniſterij eſt magis principalis agentis, vnde quamuis ille qui agit vt inſtrumentum alterius, non ſit in ſtatu merendi, actio tamen eius poteſt eſſe meritoria, ratione principalis agentis. ſicut ſi ſeruus in peccato exiſtens quodcunq; opus miſericordiæ facit ex præcepto Domini charitatem habentis. vnde ſi aliquis in charitate decedens præcipiat ſibi ſuffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa ſuffragia valent defuncto, quamuis illi per quos fiunt, in peccato exiſtant. magis tamen valerent, ſi in charitate eſſent, quia tunc ex duab. partibus opera illa meritoria eſſent. Ad Gregorium in Paſtorali *cũ is qui diſplicet ad intercedẽdum mittitur, animus iudicis ad deteriora prouocatur.* reſpõdet S. Tho. quod quamuis ex parte eius diſplicet oratio peccatoris, nõ ſit accepta, tamen ratione alterius, cuius vice vel imperio agitur, põt eſſe Deo accepta. Et per hunc modum ſoluuntur aliꝫ auctoritates, quia oratio quam Sacerdos facit, ſibi non prodeſt, niſi ſit in charitate, prodeſt tamen alijs, in quãtum eſt miniſter publicus Eccleſiæ. Et ſic patet quàm male dixerit in illa ſua poſitione, quòd oportet Sacerdotem Deo placere per bona opera, ſi debeat exaudiri pro populo.

Gregor.
ibid. ad 2.

Præterea accedens ad propoſitiones, vbi dixi, ſolos curatos ordinariè poſt prælatos maiores, ſcil. Epiſcopos debere prędicare, & religioſos ex voto ſuo profeſſionis, qui ad hoc ſunt aſtricti: dicit quod iſtæ propoſitiones patiuntur inſtãtiam pro tempore quo non erant curati, & quando Eccleſię & parochiæ adhuc non erant diuiſæ. vnde quærit, ſi ſoli Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis, & ſoli curati ſeptuaginta duobus diſcipulis, quorum ſucceſſores ſunt minores Presbyteri & non curati. Pro quorum fundamentali diſcuſſione dico præter ea quæ nuper dixit in ſua replicatione, præſertim cũ vnus ex dominis Bohemis ſupplicauit hoc declarari, & in ſcriptis tradi. Quæro à vobis Domine Vlrice, cum Dñs in vet. teſtamento non inſtituerit, quod expreſsè legatur, niſi Aaron in ſummũ Pont. minores Sacerdotes & Leuitas. Vnde ergò cantores, quos Dauid inſtituit? Vnde etiam illa diſtinctio Sacerdotum, quorum hebdomadatim 72. thurificabant, 1. Paral. 13. Reſpondeo, quòd omnis ſtatus Eccleſiaſticus eſt à Dño noſtro Ieſu Chriſto inſtitutus, teſte Apoſt. ad Eph. 4. *Vnicuiq; data eſt gratia ſecundũ menſurã donationis Chriſti propter quod dicit ſcriptura: Aſcendens in altum dedit dona hominibus.* quæ ſint illa dona, ſubdit: *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam aũt Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores ad conſummationem SS. in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia.* Et eadem ſentent. habetur 1. ad Cor. 12. Ex quo patet quod hæc perfecta & plena diſtinctio maximè in hora aſcenſionis Dñi à Domino inſtituta eſt, vt notant verba præmiſſa allegantia illud Pſal. *Aſcendens in altum dedit dona hominibus*, ex quo iterum ſequitur, quòd diſtinctio & varietas in eccleſia ſtatuum, graduũ & dignitatum; nõ principaliter ex inſtitutione eccleſiæ, aut cuiuſcunque puri hominis auctoritate proceſſit, quare nec eam deſtruere poteſt. Sed diceres, quomodo iſtos ſtatus inſtituit, cũ non niſi Apoſtolos duodecim & ſeptuaginta duos reliquit diſcipulos? reſpondemus ſecundum Gloſſam Innocen. III. *ipſe dedit*, quia ſic aſcendit, vt adimpleret omnia. *omnia*, inquit, *adimpleuit, quia ipſe dedit*, id eſt, gratis inſtituit, nõ eorum meritis, *quoſdam quidem Apoſtolos*, ſcilicet duodecim prædicationis ſuæ vicarios Luc. 6. *elegit*, inquit, *duodecim, quos & Apoſtolos nominauit, quoſdam autem Prophetas*, ſcilicet futura prædicẽtes, ſicut Agabus Act. 21. vel Prophetas, id eſt, Scripturas exponentes, Act. 13. *Erant in Eccleſia quæ erat Antiochia Prophetæ*, id eſt Doctores, *alios verò Euangeliſtas*, id eſt, Euangelij annunciatores, vt ſeptem diaconi, Act. 6. vel etiam Scriptores, vt quatuor Euangeliſtæ. *Ego enim* inquit, *Ieruſalẽ Euangeliſtam dabo.* Eſa. 41. *Alij autem paſtores*, & Doctores, & Epiſcopos, qui paſcant exemplo, & doceant verbo, iuxta illud Ierem. 3. *dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcam vos ſcientia & doctrina.* Et Eſa. 30. *Non faciet vltra auolare à te Doctorem tuum*, vel dico ſecundò, quod ipſe Chriſtus hanc diuerſitatem hierarchicam dedit & inſtituit virtualiter, dum Spiritum ſanctum miſit inuiſibiliter, qui docuit Apoſtolos & eorum ſucceſſores, quæ cuiuſlibet ſtatus Eccleſiaſtici officio cõgruerent, prout ipſe Saluator promiſit Apoſtolis ſuis. *Adhuc*, inquiens, *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*, & ne crederetur eis ſolis datus, ſed etiam poſteris eorum ſucceſſoribus, ait, *ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui docebit vos omnem veritatem, vt ſit vobiſcum in æternum.* Ioan. 15. ſic enim Chriſtus per Prælatos dicitur eccleſiaſticam Hierarchiam inſtituiſſe, teſte Apoſtolo. *& ego ſi quid donaui, in perſona Chriſti vobis donaui*, & hoc eſt quod dicit dominus Patriarcha Petrus de Palude de eccleſiaſtica poteſtate, concluſione 3. Ad tertium argumentum, quòd Chriſtus dedit paſtores dando primum & vniuerſalem paſtorem immediatè dicendo Petro: *paſce oues meas.* Sic etiam dicit B. Auguſt. in libro de cõſenſu Euangeliſtarum, oſtendens Chriſtum Euangelium ſcripſiſſe, & tamen Euangeliſtis commiſerat ſcribere, dicens: *omnibus diſcipulis ſuis per hominem quem aſſumpſit, tanquam membris ſui corporis caput eſt. ita que cum illi ſcripſerunt, quæ ille oſtẽdit & dixit, nequaquam eſt dicendum, quod ipſe non ſcripſerit, quandoquidem membra eius id operata ſunt, quod dictante capite cognouerunt. quidquid enim ille de ſuis dictis & factis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tanquam ſuis manibus, imperauit.* hæc ille. Vnde in perſona prælatorum eccleſiæ dicit Dominus: *qui vos audit me audit*, Luc. 10. cuius rationem ſubdit, Apoſtolus vbi prius, dicens: *ex quo*, ſcil. Chriſto capite eccleſiæ, *totum corpus Eccleſiæ compactum eſt per omnem iuncturam ſubminiſtrationis*, id eſt, per quam communicationem fidelium, vnus communicat & ſubminiſtrat alteri bonum quod habet à Chriſto capite: vnde ſubdit, *ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſcunq;* membri, quia ſecundum gradus membrorum eccleſiæ competunt diuerſis actus diuerſi, maiores ſcilicet & minores, ſicut alij actus Epiſcoporum alij ſacerdotũ, alij Religioſorum, & ſic de ſingulis, ſecundum expoſitionem venerabilis de Lyra ibidem, ſicut alia eſt operatio cuiuſlibet membri, alia operatio oculi, alia pedis, & verè per Ieſum Chriſtum hoc eſt totũ; quia augmentum corporis ſui facit, & hoc quantum ad perfectũ eorum qui iam ſunt de corpore, ipſe dico, tendens in ædificationem ſui, ſecundum quod Chriſtus accipitur pro capite cum membris, & hoc quantum ad illos, qui ſunt de corpore eccleſiæ, prout dicit Innocentius ibidem. 2. ſupponendum, quod præmiſſa officiorum varietas regitiua, ſit hierarchica diſpoſitio ſiue ſubordinatio, & vna ſit Papalis auctoritas ſuprema, ex præinſtitutione, & non tantum humana, ſed diuina auctoritate, iuxta illud Ioã. 20. *paſce oues meas*, vnde licet Apoſtolus dicat, *dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas*, non nominando papalem eminentiam, ſingulariter tamen præſuppoſuit id per Chriſtum expreſsè factum, vnde ad inferendum illud quod dictum eſt, præmiſit. *vnicuiq; noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, q. d. quòd vni plus, & alteri minus donatum eſt cum vni supremũ regimen Eccleſiaſticũ ſit commiſſum, ideò dicit idẽ Apoſt. 2. Cor. 10. *Non immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus*, vbi gl. dicit: *Vſurpans ſibi regimen animarum, ſine commiſſione Chriſti, aut ſui vicarij, vel poteſtatẽ ſibi commiſſam vltra terminum ſibi præfixum extendens, non ſecundum menſuram regulæ, ſed immenſum gloriantur.* hæc ibi. Ex præmiſſis infertur, ꝙ ſecundum ſtatum Apoſtolicum, ſingulariter tria genera Eccleſiaſticorũ ipſis Apoſtolis ſuccedere dinoſcuntur, ſ. Cardinales, epiſcopi, Religioſi. Pro quo ſciendũ, ꝙ Apoſtoli poſſunt tripliciter cõſiderari. vno modo, prout fuerunt Chriſti aſſeſſores, ante ſuã aſcenſionẽ; Alio modo, prout facti ſunt paſtores diſperſi, per mundũ prædicantes 3. modo à vocationis eorũ principio, vſq; ad finẽ, iuxta modũ perfectionis & conuerſationis. 1. inquã conſiderari poſſunt Apoſtoli, vt fuerũt Chriſti aſſeſſores primò, & poſtea B. Petro aſſederũt, vt domeſtici & familiariſſimi amici & ſecretarij, & hoc modo ſuccedũt eis reuerend. Patres, dñi Cardinales, quaſi domeſtici papæ conſiliari, & aſſeſſores, ſed quantũ ad 2. ſtatũ epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis. & hoc notauit Apoſtolus diſtinguens ſtatus eccleſiæ, quia cum diſtinguit ſtatũ paſtoralẽ, cui incumbit cura animarũ particulariũ, à ſtatu Apoſtolico, ad quem ſpectat regimẽ & ordinatio totius eccleſiæ

Marginal notes (left column): Ephef. 4. — 1. Cor. 12. — Pſal. 67. — Diſtinctio & varietas graduũ & ſtatuũ in Eccleſia à Chriſto profecta. — Innocent. — Act. 21. — Act. 13. — Act. 6. — Eſa. 41. — Ier. 3. — Eſa. 30.

Marginal notes (right column): Ioan. 14. & 16. — 2. Cor. 2. — Paludan. de eccleſ. poteſtate. — Aug. de cõſenſu Euãgeliſtarũ. c. 34. in fine, tom. 4. — Luc. 10. — Eph. 4. — Lyra in 4. c. epiſt. ad Epheſ. — 1. Cor. 10. Gloſſa. — Apoſtolorum ſtatus tripliciter, conſiderantur. — Cardinales ſuccedũt Apoſtolis vt aſſeſſores. Epiſcopi vt prædicatores.

clesiæ generalis,& iuxta hanc ſententiam dicit Archid. 21. diſt. c. *ſacroſancta*, quod Papa debet ſe inter Cardinales annumerare, ratione ſtatus Apoſtolici, in quo ſunt condiuidẽdo cum à ſtatu paſtorali, licet etiam in ſtatu Apoſtolico fuerunt paſtores. Sed ſtatus in ſe ſunt diuerſi, & prius fuerunt in ſtatu Apoſtolico per Chriſtum inſtituti, quàm in paſtorali per Petrum, quia ante paſſionem omnes duodecim fuerunt Apoſtoli, ſed poſt paſſionem inſtitutus eſt Petrus à Chriſto omnium paſtor, & tunc ſtatus paſtoralis eſt ordinatus, cum Apoſtolicus ſtatus ante fuiſſet. Petrus ergò & ſui ſucceſſores vtrumque retinent ſtatum, ſed Cardinales Apoſtolicum duntaxat, & ita diuerſitas inter nunc vocatos Cardinales & Epiſcopos, qui in ſtatu Apoſtolico vario modo ſuccedunt Apoſtolis, notatur in gloſſa 1. ad Cor. 3. ſuper illud fidelibus dictum, *omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo*, qui erat Epiſcopus eorum, *ſiue Cephas*, id eſt, Petrus, qui omnibus maior erat. Ex quo ſequuntur aliqua.

22. diſt. ſacroſanctæ c. 2.

1. Cor. 3. Gloſſ. interlineatis.

I. Primum, quod ad ſtatum Cardinalium, tanquam ad ſtatum Apoſtolicum, primò pertinet vna cum Papa, regimen & ordinatio totius Eccleſiæ. Nam ſicut perfectio ſtatus Epiſcopalis in hoc conſiſtit, ſecundùm S. Thomam, 2. 2. quòd quis ex voluntaria obligatione ſe obligat ad hoc quod curam proximorum gerat, & ſaluti eorum inſiſtat, videlicet eorum, qui ſuo Epiſcopali regimini ſpecialiter ſunt commiſſi: Ita perfectio ſtatus Cardinalatus in hoc conſiſtit, quòd ex charitate ſe obligat, vt cum capite ſuo Chriſti vicario, generaliter fidẽ & Chriſtianitatem vſque ad ſanguinis effuſionem defendãt, in cuius ſignum capellum rubeum portare dicuntur.

Tho. 2. 2. q. 184. art. 7. ad 1.

II. Sequitur ſecundò, quòd Cardinales ſunt in ſtatu perfectionis altioris, quàm ſit generaliter ſtatus paſtoralis, quia inferiores paſtores tenentur ſe exponere pro grege particulari; ſed Cardinales tenentur ſe exponere pro eccleſia vniuerſali, quod eſt perfectius, quia bonum quanto communius, tanto diuinius, vt dicit Philoſophus.

III. Tertiò ſequitur ex eodem, quod ad ſedem Apoſtolicam ſcilicet Papam & Cardinales, præ cæteris ſedibus particularibus pertinet declaratio veritatum neceſſariarum aut vtilium ad ſalutem, ſiue quantum ad fidem, ſiue quantum ad vtile regimen Eccleſię militantis, quia in hoc ſuccedunt Petro & cæteris Apoſtolis, quantum ad ſtatum Apoſtolicum primitiuum, de quo dictum eſt: *Euntes docete omnes gentes*. Matt. vlt. Si verò obijcitur, quòd Cardinales Diaconi non ſuccedunt Apoſtolis, cum omnes fuerint Presbyteri; Reſpondetur, quòd licet non ſuccedunt in ordine Preſbyteratus, tamen ſuccedunt in ordine diaconatus, & nihilominus ſuccedunt eis, quantum ad ordinem hierarchicum Cardinalatus, ad intellectum ſuperius declaratũ, vnde quãtum ad hoc, Cardinales Diaconi non ſolum iure prædicto, ſed etiam laudabili & approbata conſuetudine iam præſcripta, præcedunt Epiſcopos, licet ordo Epiſcopalis dignior ſit ordine diaconatus. ſicut v.g. Archidiaconus, licet non ſit Presbyter, tamẽ præeſt pluribus Presbyteris ſuo Archidiaconatus ordini hierarchico ſubiectis 25. diſt. perlectis. Et ſic Cardinales etiam non Epiſcopi præcedunt Epiſcopos, quia comparantur ſenatoribus, qui erãt primi poſt Imperatorẽ, & dicebantur Patres conſcripti. De hoc per Archidiac. de offic. leg. c. 1. lib. 6.

Matt. 28.

Cardinales nõ Epiſcopi præcedunt Epiſcopos.

25. diſt. perlectis.

De off. le. c. 1. lib. 6.

Quantum ad ſecundum ſtatum Apoſtolorum, pro vt diuiſi ſunt à Petro per vniuerſum mundum, ſuccedunt eis propriè Epiſcopi cum omnibus his, qui ſub hoc nomine, Epiſcopus, dignoſcitur comprehendi, de quo dicit Rabanus lib. ſuo de natur. rerum: *Ordo*, inquit, *Epiſcoporum quadripartitus eſt, id eſt, in Patriarchas, Archiepiſcopos. Metropolitanos atq; Epiſcopos. Patriarcha græca lingua interpretatur ſummus Patrũ, quia primum, id eſt, Apoſtolicum retinet locum, & ideò quod ſummo honore fungitur, tali nomine cenſetur, ſicut Romanus Antioch. Alexãdrin. Archiepiſc. græco vocabulo dicitur, quod ſit ſummus Epiſcoporũ, tenet enim vicem Apoſtolicam & præſidet tam metropolitanis, quã Epiſcopis cæteris. metropolitani autem à menſura ciuitatum vocati ſunt. ſingulis enim prouincijs præeminent quorum auctoritati & doctrinæ cæteri ſacerdotes ſubiecti, ſine quibus reliquis Epiſcopis nihil agere licet ſolicitudo enim totius prouinciæ ipſis cõmiſſa eſt. Omnes autem ſuperius deſignati ordines, vno eodemq; vocabulo Epiſcopi nominantur. ſed ideo priuato nomine quidam vtuntur, propter diſtinctionem poteſtatum, quam ſingulariter acceperunt. Patriarcha pater Principum, ἄρχων enim Princeps. Archiepiſc. Princeps Epiſcoporum. ſicut metropolitanus à menſura ciuitatum.* hęc ille. Sed notat D. opponens vnam clauſulam, quam dicit me prętermiſiſſe, in c. *decretis*, vbi dicitur quod talis diſtinctio eſt ſumpta à vana gentilitate, quod voluit notari. Reſpõdeo, quòd nomina iſta flamines & archiflamines, Eccleſia in gentilitate reperit; ſed gradus eis correſpondentes B. Petrus & Apoſtoli à Chriſto acceperunt. & ideo nomina permanſerunt, & in diſtinctionem Eccleſiaſticæ dignitatis ceſſerunt, vel cum S. Thoma, vbi arguit in 4. diſt. 24. ritus eccleſiæ nõ debet magis conformari ritui gentilium, quàm ritui Iudæorum, ergò, reſpondet quòd ritus Iudæorum non erat diffuſus in diuerſis regnis & prouincijs, ſed tantum in vna gente, & ideò non oportebat, quòd ſub eò, qui habebat poteſtatem principalẽ alij Pontifices diſtinguerentur, ſed eccleſiæ ritus, ſicut & gẽtilium, per diuerſas nationes diffunditur, & ideo oportuit, quòd quantum ad hoc magis gentilium ritui, quàm Iudæorum, ſtatus eccleſiæ cõformetur. vnde licet ordo iſte Eccleſiaſticus quoad diſtinctionem graduũ prælationis, ſit ritui conformis gentilium, nõ ſequitur quod ſit malus aut vanus, aut non à Deo inſtitutus. quoniam Eccleſia cõſtituta eſt ex vtroq; pariete, ſcilicet gentilitatis & Iudæorum. ita ritus Eccleſiæ modò capitur ex cõformitate vnius, modò alterius, prout dicit Hugo lib. 2. de Sacram. par. 3. c. 4. hæc ille. Et hi ordines à B. Petro & ſanctis Apoſtolis effluxerũt. prout teſtatur etiam B. Clemens, ſecundum quod etiam allegat Hugo, vbi prius, & habetur in lib. illius, in princ. q ſolet inſcribi decreta Pontificum. Dicit enim ſic: *In illis ciuitatibus, in quibus apud Ethnicos primi flamines eorum atq; primi legis Doctores erant, Epiſcoporum primates poni, vel Patriarchas ordinauit qui reliquorum Epiſcoporum iudicia, & maiora, quoties neceſſe foret negotia, in fide agitarent ſecundum Domini voluntatem, ſicut ſancti conſtituerunt Apoſtoli, & ita vt ne quis iniuſtè periclitaretur, definirẽt. In illis autem ciuitatibus, in quibus dudum apud prædictos erãt Ethnicos Archiflamines, quos tamen minoris ducebãt, quàm memoratos Primates, Archiepiſcopos inſtitui præcepit, qui nõ tantum primatum, ſed Archiepiſcoporum nomine fruerentur.* hæc ille. Ex quo patet, quod Apoſtolis hi gradus ſuccedunt, quoad ſtatum eorum.

Rabs. lib. de inſtitu. cleric. c. 5. ſimilia habet.

Metropolis mater ciuitatũ.

diſt. 21. c. Decretis.

Tho. 4. ſent. diſt. 24. q. 3. ar. 2. ad 2.

Hugo lib. 2. ſacra. p. 3. c. 4.

Epiſt. 1. Clementis.

Quantum ad tertium ſtatum Apoſtolorum, ſcil. perfectioris conuerſationis, eis ſuccedunt Religioſi. vnde dicitur 16. q. 1. *ex auctoritate* quòd Monachi Apoſtolorum figuram tenent, & hoc quãtum ad propriorum renunciationem, vt exponit gloſ. Pro quo ſciendum, quod repræſentare ſtatum Chriſti & Apoſtolorũ põt intelligi dupliciter: vno modo eſſentialiter, & ſic omnes qui obligant ſe ad perfectionis opera, ſecundum tria vota eſſentialia, reprę ſentant Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum. ſcribitur enim Num. 6. quod oẽs Nazaręi, qui volebant ſe domino cõſecrare, voto ſe aſtringebant ad perfecta opera. Quantum ergò ad hoc, ꝙ omnes religioſi voto ſe obligant, aſtringentes ſe ad opera ſupererogationis, ſecundum illa tria eſſentialia vota, eſſentialiter repræſentant Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum, cum Apoſtoli prius vocati fuerint ad ſtatum religionis, ſecundum illa tria vota, ſicut de voto Apoſtolorũ infra dicetur. Nam mox vocati ad Chriſtum, *relictis omnibus, ſecuti ſunt eum*. Matt. 4. Super quo verbo dicit Chryſoſt. *tria ſunt quæ relinquere debent venientes ad Chriſtũ. Primò ſubſtantias mũdiales, quæ per nauem intelliguntur. Secundò operationes carnales, quæ per rete intelliguntur. Tertiò, reuerentias paternales, quæ per patrem intelliguntur.* hæc ille. Secundo inſtrumentaliter, & ſic ſecundum diuerſum modum viuendi in voluntaria paupertate, diuerſimodè religioſi Chriſti & Apoſtolorum perfectionis ſtatum repræſentant. Pro quo ſciendum, quòd ad perfectionis ſtatum multa requiruntur. formaliter quidem neceſſaria eſt charitatis perfectio; efficienter verò trium votorum principalium perpetua obligatio; inſtrumentaliter corporalis in vigilijs & ieiunijs exercitatio & regularis obſeruatio. Eſſentialiter autem Chriſti & Apoſtolorum in modo viuendi imitatio. Quantum ergò ad charitatis perfectionem Epiſcopi ſunt in perfectiori ſtatu cæteris alijs. Requirit enim põtificalis ſtatus charitatem perfectam iam acquiſitam, non acquirendam. Quantum verò ad trium votorum principalium perpetuam obligationem, omnes religioſi, qui ad illa ſe obligant, ſunt æqualiter in perfectionis ſtatu: Quantum autem ad corporalem exercitationem Mo-

Religioſi perfectione cõuerſationis. 16. q. 1. ex auctoritate. c. 24.

Stat⁹ Chriſti repræſentatus eſſentialiter.

Num. 6.

Matt. 4. Chryſ. in opere imperf.

Inſtrumentaliter.

*alius lib. arctiori modo.

nachi & profeſſores regulæ beati Benedicti, * arctiorem viuendi modum perfectionis ſtatum requirunt, quàm alij. Sed quantum ad modum viuendi Chriſti & Apoſtolorum imitationem religioſi mendicantes magis ſequuntur illum modum viuendi, quàm alij, cum in communi poſſeſſiones non habeant, nec in ſpeciali, ſed ſolum de his, quæ quotidiè offeruntur à Chriſti fidelibus, in victu & veſtitu neceſſaria recipiant. Quemadmodum Chriſtus cum ſuis diſcipulis nunc mendicando, nunc neceſſaria oblata recipiendo. Ex quo patet, quòd Religiones non ſunt inſtitutæ à puro homine, quantum ad vota eſſentialia, in quibus conſiſtit omnis religionis perfectio, ſed præſupponuntur illa vota eſſe inſtituta à Chriſto, in ipſa Apoſtolorum vocatione, ſed ſolum quantum ad quædam accidentalia, puta quantum ad habitum & ordinationem regulæ, vel inſtitutionem, quæ ſic firmitatem habent, non niſi cum approbatione Eccleſiæ. Hoc addito, quòd certarum religionum habitus non eſt humanitus inuentus, ſed de cœlo oſtenſus & datus, quemadmodum beatiſſima virgo habitum ordinis mei Prædicatorum oſtendit Magiſtro * Rainaldo, ipſum curãdo mirabiliter à ſua infirmitate, ad preces beati Dominici, & ex tunc eũ habitum, quem videtis, ordo acceptauit, quem non homo, ſed beatiſſima virgo Maria nobis cõtulit, cum habitum Canonicorum regularium fratres noſtri baiularent, vt patet ex legenda B. Dominici. Ex quo patet, quòd eccleſiaſtica Hierarchia ſuccedit Apoſtolis; ſcilicet Cardinales vt aſſiſtẽtes, Epiſcopi vt miniſtrantes, & Religioſi vt perfectionis vitam imitantes.

* Reinhardo.

72. diſcipuli in triplici habitudine conſiderantur.

Aliud genus à Chriſto inſtitutorum eſt 72. diſcipuli, & hi etiam poſſunt in triplici habitudine conſiderari. Primò vt miſſi à Chriſto ad prædicandum ante ſuam paſſionem. Secundò vt miſſi ab Apoſtolis poſt Chriſti aſcenſionem. Tertiò vt diaconi per quorundam ex eis ordinationem. Nã in primo ſtatu ſuccedunt eis Presbyteri curati. in ſecundo quoad aliquid Presbyteri alij. in tertio Archidiaconi iudices & cæteri Clerici. Primo inquam, ſi conſiderantur 72. diſcipuli, vt à Chriſto miſſi ad prædicandum in omnem locum, quo erat ipſe venturus, & non alibi, repræſentant ſtatum & figuram curatorum Presbyterorum, qui ſic ſunt ad vnam plebem ſeu Parochiam limitati, quòd præſunt illic, & non alibi, & ſic declaraui in prima poſitione mea ſuper illo cõplexo *à Sacerdotibus Domini*, notando, quod ſoli curati ſuccederent in prædicatione ordinaria 72. diſcipulis Domini, quia illi ſoli ſunt Presbyteri ſecũdi ordinis, aut minoris ordinis appellati, vt ibidem ſufficiẽter deductum eſt. Expreſſius declarat dominus Patriarcha Petrus de Palude in lib. de Eccleſiaſt. poteſtate, concluſ. 3. Sed ſecundo modo prout ab Apoſtolis fuerunt miſſi, conſiderantur quoad duplicem actum. Primus eſt ſuper corpus Chriſti verum, quia creduntur multi ex eis fuiſſe ordinati in Presbyteros, licet in ſcriptura canonica non reperiatur. Secundus actus quoad corpus Chriſti myſticum in quantum ab Apoſtolis receperunt auctoritatem exequendi poteſtatem clauium, & in vtroque actu ſuccedunt eis curati. ſed in primo tantùm ſacerdotes alij, quia vt dictũ eſt in alia poſitione ex S. Thoma, principalis actus ſacerdotij, qui eſt conſecrare ſuper corpus Chriſti verum, omnibus ſacerdotibus conuenit, ſed ſecundarius actus ſacerdotij, qui eſt Chriſti corpus miſtycum non conuenit niſi curatis. Conſiderando autem eos tertio modo prout quidam fuerunt ex eis facti diaconi, vt Stephanus Archidiaconus, ſic eis ſuccedunt Clerici conſimilium nominũ & inferiores Prælati ſeu Clerici, quemadmodũ de hoc ſcribunt doctores antiqui multi, ſufficit tamẽ ad præſens, quòd in Concilio Chalcedonen. ſtatutum eſt, vt aliqui Presbyteri ordinari poſſint. ſi in martyrio prouiſi fuerint diſt. 70. *Neminem* vbi dicit glo. quod *martyrium*, vocatur, vbi repoſitæ ſunt reliquiæ martyrum, & cõſtat ſatis, quod illi fuiſſent malè illuc limitati, ſi fuiſſent ad prædicandum vbique obligati. Et ita nõ ſucceſſerunt 72. niſi in actu principali, qui eſt actus celebrationis officij ſuper corpus Chriſti verum.

ſuprà

Palludan*

diſt. 70. neminẽ, c. 1.

Duo corrigenda à replicãte.

Præmiſſam deductionem latius præſertim in hoc vltimo puncto declaraſſem, niſi infirmitate grauatus fuiſſem, ea tamen quæ tacta ſunt in poſitione dominorum Bohemorũ, dixi, quia ex his corrigere poſſunt & debẽt inter multa puncta per dominum Replicãtem hæc duo, primum vbi dixit, quòd non habemus expreſsè in ſcriptura Canonica, quòd Chriſtus inſtituerit Petrum ſummum Pontificem Apoſtolorum. Secundum quòd ibidem dixit in ſtatu Eccleſiæ primitiuæ non fuiſſe, niſi tantum duos gradus, ſcil. diaconatus, & presbyteratus. eo quod idem erat in primitiua Eccleſia Sacerdos & Epiſcopus. Et quanquam hæc duo ſunt oſtẽſa expreſſè eſſe falſa immediatè ſuperius, tamen pro maiori euidentia de 1. ſciẽdum, quòd Petrus à Chriſto poſitus eſt ſuper Apoſtolos, tanquam Princeps & Prælatus eorum, quod ex ſcriptura Canonica patet, vbi Dominus ait Petro, *paſce oues meas*, vbi dicit Chryſoſt. *Eximius enim Apoſtolorum erat Petrus, & os diſcipulorum & vertex collegij vnde & negatione deleta, committit ei Prælationem fratrum, & negationem quidem ei nõ exprobrat, ſed dicit, ſi diligis, præſide fratribus.* Idem Chryſoſt. ſuper Actus Apoſt. ait: *Petrus à filio ſuper omnes qui filij ſunt, poteſtatem accipit non vt Moyſes in gente vna ſed in vniuerſo orbe.* Et ita patet, quod ſoli Petro dictum eſt illud verbum, *paſce oues meas*, & ita benè ego addidi literam *ſoli* licet in textu Euangelij non habeatur, nec addidi, vt verba textus, ſed vt doctores exponere ſolent verba eadem. Ad idem beatus Bernardus ad Eugenium inquit: *quæ ſub te ſunt, quæ ſint illa, ſi quæras certè orbem exeundum eſt ei, qui fortè vellet explorare, quæ nõ pertinent ad tuam curam.* Et paulò antè. *itaq; tu & hæres, & orbis hæreditas.* & ſuprà: *Indagemus quis ſis, videlicet quam perſonam in Eccleſia Dei geras. Es enim Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum:* & infrà: *tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidam & alij cœli ianitores, & gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quantò differentius vtrúq; præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges. ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti ſunt, nec modo ouium, ſed & paſtorum, tu vnus omnium ouium paſtor. Vnde id probare quæris? Ex verbo Domini, cui enim non dico Epiſcoporum, ſed Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè tota commiſſa ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas, quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regni? oues meas, inquit, cui non planum nõ deſignaſſe aliquas, ſed deſignaſſe omnes?* & reliqua quæ ibi ſequuntur. Ad propoſitum.

Prius Petrũ à Chriſto poſitũ ſuper Apoſtolos.

Chryſoſt. in Mat. & Ioan. 21. Petrus vertex & os Apoſtolorum, Chryſoſt. Bern. 3. conſi.

lib. 2. conſideratio-num.

Ad ea, vbi Replicans volens oſtendere propoſitum ſuũ, arguit, primò ex Canone *in nouo*, diſt. 21. vbi dicit, quòd omnes Apoſtoli fuerunt pares, quia parem honorem & poteſtatem à Domino receperunt. Reſpondeo quod verum eſt de poteſtate ordinis ſacerdotalis primò, & epiſcopalis tandem, quæ non recipit maius & minus, ſed non eſt verum de poteſtate iuriſdictionis, vt declaratum eſt etiam nunc, & in mea poſitione ex multis Doctoribus. & per hoc ſunt ſolutæ auctoritates aliæ, quas adducit quia Dominus omnibus ſimul dixit: *hoc facite in meam commemorationem*, loquitur de poteſtate ordinis. Similiter: *Accipite Spiritum ſanctum*. Sed quia dixit Dominus Replicans, quòd illud, *paſce oues meas*, non fuit dictum ſoli Petro, ſed ſibi in perſona aliorum: In oppoſitum oportet oſtendere veritatem. Nam textus ſibi ſoli oſtendit dictum. *dixit Ieſus Petro. Simon Ioannis diligis me plus his? paſce oues meas*: & quòd ſoli Petro dictum ſit illud verbum *paſce oues meas*, & per hoc Petrus ſit cõſtitutus ſummus Pontifex totius Eccleſiæ, patet per ſubſequentia: dicit enim ſuper eodem verbo beatus Cyrillus Epiſcopus Alex. *vt membra maneamus in capite noſtro Apoſtolico throno, Romanorũ Pontifice, à quo noſtrum eſt quærere, quid tenere, & quid credere debeamus, ipſum venerantes, ipſum rogantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehẽdere, corrigere ſtatuere, diſponere, ſoluere, & ligare, loco illius, qui ipſum ædificat, & nulli alij, quod ſuũ eſt plenũ, ſed ipſi ſoli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam Domino Ieſu Chriſto obediunt.* hæc ille. ſuper eodem Ioannis vlt. dicit Theophylact. *finito prandio commiſſionem ouium mundi. Petro commendat, non alijs, vnde dicitur: cum ergò prandidiſſent dicit Simoni Petro Ieſus: Simon diligis me plus his? paſce oues meas; tanquam non eſſet vbi oſtenderet Petrus amorẽ ſuum Chriſto, niſi eſſet paſtor fidelis ſub principe omnium paſtorum* hæc ille. Nicolaus de Lyra, *dixit Simoni Petro, volens ei beneficium ſpeciale conferre, Simon Ioannis diligis me plus his? paſce oues meas.* hæc ille. Sanctus Thomas dicit ſic: *paſce oues meas, vt ſic nõ poſſet dici Chriſtianus, qui dicit, ſe non eſſe ſub cura paſtoris iſtius, ſcilicet Petri, iuxta illud Ezech. 39. Paſtor vnus erat omnium noſtrum. Et Oſee 1. Ponent ſibi caput vnum. Petro autem hoc officium congrue omnibus intermiſſis commiſit, quia ſecundum Chryſoſtomũ, eximius Apoſtolorum erat, os Diſcipulorum, & vertex collegij.* hæc ille,

diſt. 21. In nouo, c. 2.

Ioan. 21.

Cyrillus.

In Catena S. Thom.

S. Tho. in 21. c. Ioã. lect. 3.

Io. Chryſ. in 21. c. Io.

ille. Gorra: *Sed quæritur cùm alij diſcipuli circumſtarent, qui Dominum diligebant, propter quod à ſolo Petro quæſitum eſt de dilectione? Ratio vna eſt*, inquit, *quia ſibi erat cura gregis ſpecialiter cõmittenda inter alios, ideò ab eo ſpecialiter de dilectione quæritur.* Allegat Chryſoſtomum, vt iam dictum eſt.

S. Th. contra gentes li. 4. c. 76.

Item S. Thom. contra gentiles lib. 4. cap. 76. *Quia dominus corporalem præſentiam Eccleſiæ erat ſubtracturus, oportuit vt alicui committeret, qui loco ſui vniuerſalis Eccleſiæ gereret curam, hinc eſt quod Petro dixit ante aſcenſionem, Paſce oues meas. Ioan. vltim. & ante paſsionem: Et tu iterum conuerſus confirma fratres tuos, Luc. 22. & ei ſoli promiſit, Tibi dabo claues regni cælorum, Matth. 16. vt oſtenderet, quomodo poteſtas Eccleſiæ per eum ad alios eſſet deriuanda ad conſeruandam Eccleſiæ vnitatem.* hæc ille.

Nõ idem eſſe Epiſcopum & Sacerdotem

Quam reprehenſibile autem ſit ſecundum, eo magis debeo enarrare, quo ſperabam replicantem prouidentiorem fuiſſe, dicere enim quòd in Eccleſia primitiua, idem fuerit Epiſcopus & Sacerdos, fuit hæreſis Arianorum, vt dicit B. Auguſt. lib. de hæreſibus, ca. 53. qui Arius, quia deſideratum Epiſcopatum adipiſci non potuit, vilipendendo Epiſcopatum, tandem dixit presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni. vnde dicit S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 6. ad 1. quod ſecundùm nomen olim presbyteri & Epiſcopi non ſemper diſtinguebantur, quia ſæpè pro eodem in ſacra Scriptura ſumuntur. ſed ſecundùm rem ſemper fuit inter eos diſtinctio, etiam tempore Apoſtolorum. Ad hoc aũt quod allegat Apoſtolum, & Magiſtr. ſentẽt. reſpondeo, quòd Apoſtolus allegat regulam epiſcopalem dicens 1. Timot. 3. *Si quis deſiderat Epiſcopatum, bonum opus deſiderat. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* & de Diaconis poſteà loquitur, de presbyteris mẽtionem non facit. non ideò factum eſt, quod idem fuerit tunc presbyter & Epiſcopus, ſed quia illa doctrina, quam ſoli tradidit Epiſcopo, etiam conuenit & presbytero. vnde dicit Chryſoſt. ibidem hom. 11. in expoſitione eiuſdẽ textus, ſic diſputans de Epiſcopis, & deſignans eos, dicens: *Quæ quidem habere, à quibus autem abſtinere oportet, & ordinem Presbyterorum dimittens, ad diaconos tranſiliuit, quia vtiq; quoniã non multum medium eſt; etenim hi ſacerdotes miniſterium ſuſceperunt, & præſidentiam Eccleſiæ, & quæ de Epiſcopis dixit, hæc & Presbyteris conueniunt; in thronizatione enim ſola ſuper eos aſcenderunt, & hoc ſolùm videtur ſuperabundare Presbyteris.* hęc Chryſoſt. ad idem inquit Haymo: *Quare tacuit de presbyteris? ideò, quia in ordinatione Epiſcopali comprehenduntur Presbyteri. Omnis enim Epiſcopus Presbyter eſt, & tamen non omnis Presbyter Epiſcopus eſt.* hæc ille. & quòd nullo modo fuerit mens alia Apoſtoli, quàm quod alterius gradus eſſent presbyteri & Epiſcopi, patet ibid. c. 4. dicentem: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt. q̃ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij.* Quem ergo credis hîc Apoſtolum dixiſſe presbyterũ, nunquid ſimplicem Sacerdotem? non ita, ſed presbyterum ibi dixit Epiſcopum, vnde Chryſ. in expoſitione hom. 3. ibid. *Cum impoſitione manuum Presbyterij. non de Presbyteris, ſed Epiſcopis dixit. non enim Presbyteri Epiſcopum vtique inthroniſabant.* hæc ille. Ecce quòd ſimplices presbyteri non conuenienter inthroniſaſſent, id eſt, conſecraſſent Epiſcopum. Fuerunt ergo diſtincti ab Epiſcopis presbyteri, etiam tempore Apoſtoli, ſicut & ſuprà dictũ eſt de Patriarchis, Presbyteris, &c. Quod etiam ille allegat Hieronymum diſt. 95. olim. nihil pro eo eſt, quia non dicit Hieron. quòd non eſſet diſtinctio inter Epiſcopum & Presbyterum, etiam quando communi conſilio ſacerdotum actum eſt, quòd vnus præeſſet omnibus, quia nihilominus hoc iubẽte Domino factum eſt, & nõminus Epiſcopi ſuper Presbyteros extiterunt. vnde ibidem Hier. in epiſt. ad Euagrium: *Nam & Alexandriæ Marcus Euangeliſta vſq; ad Heraclam & Dionyſium Presbyteri vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocabant, quem nominabant Epiſcopum, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant ex ſe quem induſtrium nouerint, & Archidiaconum nuncuparent.* hæc ille. & aſſumitur diſt. 93. in c. legimus. Et dicit ibidem Hiero. ſuper Iſaiam hom. 2. ſuper illo textu: *In die illa exeunt quinq; ciuitates in terra Aegypti. Porrò qui ab aduentu Chriſti & Romano imperio prophetiam differunt, quinq; ciuitates vel legem Domini, q̃ in Alexandria interpretata eſt, vel quinq; Eccleſiæ ordines, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, fideles catechumenos ſentiunt.* hæc ille. Quod autem idem dicit Hier. diſt. 93. legimus. *idem Sacerdotem eſſe & Epiſcopum.* intelligendum ſecundùm nuncupationem, non ſecundùm rem, vt exponit Hugutio & Archidiac. ibidem. Vnde Iſidorus in lib. officiorum de ſtatu clericali, cap. 9. de Sacerdotibus ſcribit, quòd Moyſes figuram Chriſti in veteri teſtamento gerebat, & verè per omnia Chriſti, quoniam fuit ſimilitudo mediatoris Dei, qui eſt inter Deũ & hominem Ieſus Chriſtus, qui eſt verus Dux populorum, verus princeps Sacerdotum, & dominus Pontificum, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Aaron ſummus Sacerdos, qui primus in lege ſacerdotale nomen accepit, primus qui pontificali ſtola indutus victimas obtulit. Et infrà: *Quo loco contemplari oportet Aaron ſummum Sacerdotem Epiſcopum fuiſſe. & etiam filios eius Presbyterorum figuras præmonſtraſſe. Fuerunt enim filij Aaron & ipſi Sacerdotes, quibus meritò aſtare debuiſſent Leuitæ ſicut ſummo Sacerdoti*, hæc ibi. & capitulo ſeptimo dicit *Presbyterorum ordo exordium aſſumpſit à filijs Aaron, vt dictum eſt, qui enim Sacerdotes vocantur in veteri teſtamento, illi ſunt, qui nunc appellantur Presbyteri, & qui nuncupantur Principes Sacerdotum, nunc Epiſcopi nominantur.* hæc ibidem. Nam Paulus Apoſtolus eoſdem presbyteros, vt verè Sacerdotes, ſub nomine Epiſcoporum ita aſſeuerat loquens ad Titum: *Huius*, inquit, *rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates, Presbyteros, quemadmodùm ego tibi diſpoſui, ſi quis ſine crimine eſt, oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Qua ſententia oſtendit etiam presbyteros ſub Epiſcoporum nomine taxari. Vnde ad Timotheum de ordinatione Epiſcopi & diaconi ſcribens, de Presbyteris omninò tacuit, quia eos in Epiſcoporum nomine comprehendit. Secundus enim, & penè primo coniunctus eſt gradus, ſicut & ad Philippenſes Epiſcopis & Diaconibus ſcribit, cùm vna ciuitas plures Epiſcopos habere non poſſit. Et in Actibus Apoſtolorum Presbyteros eccleſiæ, Hieroſolymã iturus congregauit, quibus inter cætera ait: *Videte gregẽ, in quo vos Spiritus ſanctus Epiſcopos ordinauit.* Vnde etiam tales in Eccleſia presbyteros conſtituendos eſſe, ſicut Epiſcopos, & Apoſtolus ad Titum loquitur, & canones ipſi teſtantur. Ex quo patet, quòd ab initio ſacerdotij legalis, vſque nunc ſemper fuit diſtinctio Epiſcopi à presbytero, licèt ſæpè eõdem vocabulo cenſerentur propter propinquitatem, quam habent in auctoritate, quia Epiſcopus excedit presbyterum tantùm iuriſdictionis dignitate. Ad Magiſtrum ſententiarum in quarto diſt. 24. capitulo penultimo dico, quòd nũquam fuit ſuæ mentis aſſerere tantùm duos gradus fuiſſe in primitiua eccleſia, ita quod Presbyter & Sacerdos eſſent idem, vt replicans videtur eum intelligere, ſed in eodem capitulo dicit eos diſtinctos: *Ipſi enim*, inquit, *in ſingulis ciuitatibus Epiſcopos & presbyteros ordinauerunt*, ſed loquitur ibi de ſacris ordinibus, dicens: quòd in Eccleſia primitiua tantùm iſti duo dicebantur ſacri, ſcilicet diaconatus & presbyteratus. Subdiaconatum eſſe ordinem ſacrum poſteà Eccleſia inſtituit, vbi dicit S. Thom. ꝙ licèt oẽs ordines ſint ſacri, ſpecialiter tamen iſti duo dicuntur ordines ſacri, q̃a iſti duo habẽt actũ ſuper ipſũ ſacramentũ. Subdiaconus verò ſuper vaſa tantùm. Ex iſto patet, quòd malè reſpondit Replicans, dum de diſtinctione ſtatus Hierarchici in lege æterna diſtincti ſub Hierarchia triplici, dicit: *Sic dico, prout ex præhabitis patet, iſta ſimilitudo patitur inſtantiam, cùm Eccleſia militans ſolos duos gradus habebat, vt dicit Magiſter in quarto. Item cùm idem erat Presbyter, qui & Epiſcopus, vt dicit Hieron. Et quando in locum 72. diſcipulorum ſuccreuerunt minores Sacerdotes.* hæc ille.

Et quia iſtam materiam continuando, magis eluceſcet veritas. Ideò notandum, quòd quia ego dixi ex parabola Euangelica: per duos in agro, Prælatos, per duos in lecto, Religioſos, per duos in mola, Seculares intelligendos. Ipſe dicit hanc expoſitionem ſecundùm alios non eſſe de mente Chriſti. Sed per duos in agro intelligi ſtatum dominorum ſæcularium, per duos in lecto Spirituales, vt eſt Clerus Chriſti, in mola, fideles Laicos, videtur etiam contra Religioſos inuehere, vbi dixi, quod ad lectum pertinet, qui in clauſtris vacat, dicit enim Paulum in lecto contemplationis quieuiſſe, & tamen diſcurrendo mundum conuertiſſe, & *vtinam omnes*, inquit, *Religioſi facerent, & liberè prædicarent.* Circa quod inprimis notandum, quod ipſe nullum allegat Doctorem, ſed in genere dicit, ſecundùm alios, & quicunq; ſint illi, non eſt adæquata comparatio. Sed B. Auguſtinus, qui multo me-

Aug. de hær. c. 53.
S. Th. 2. 2. q. 184. art. 6. ad 1.
1. Tim. 3.
Chry. ho. 11. in 1. ep. ad Timo. cap. 3.
Intronizatione, χειροτονία manuum impoſitione, ordinatione.
Haymo. 1. Tim. 4.
Chry. ibi. hom. 13.
diſt. 95. olim. c. 5.
Hier. ad Euagr. ep. 85. tom. 2.
diſ. 93. legimus. c. 23.
Hieron. Gloſ. ord. Hie. in ep. ad Tit. c. 1.
Iſid. lib. 2. cap. 5.
Iſid. lib. 2. cap. 7.
Tit. 1.
Act. 20.
Ad magiſtr. ſent.
Non eſt vera hæc ſententia.

lius nouit mentem Chriſti, quàm quicunque alij innominabiles nouelli, ſententiam meam approbat, dicens in expoſitione Pſalm. 132. de tribus enim iſtis generibus dictum eſt: *Duo in agro, vnus aſſumetur, & alter relinquetur, duo in lecto, & duo in mola, alter aſſumetur, alter relinquetur.* quam auctoritatem vt perfectius intelligatis, & perſequi Religioſos deſiſtatis, audite quid præmittit beatus Auguſtinus ſuper Pſalmo: *Ecce quàm bonum*, dicens, *hoc primùm conſideremus, vtrùm de omnibus Chriſtianis dictum ſit, ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. An aliqui ſunt certi atque perfecti, qui habitant in vnum, nec ad omnes pertineat iſta benedictio, ſed ad quoſdam, à quibus tamen deſcendat ad cæteros. Iſta enim verba Pſalterij, iſte dulcis ſonus, iſta ſuauis melodia, tam in cantico, quàm in intellectu, etiam monaſteria peperit. ad hunc ſonum excitati ſunt fratres qui habitare concupierant in vnum. Iſte verſus fuit tuba ipſorum, ſonuit per orbem terrarum, & qui diuiſi erant, congregati ſunt in vnū.* & infrà: *Vnde illi 120. qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini, & aſcenſionem eius in cœlum, & ipſi primùm habitauerunt in vnum. ipſi primùm audierunt, ſed non ſoli audierunt. venit enim ad poſteros iſta charitatis exultatio, & votum Deo. Vouetur enim aliquid Deo, vt dictum eſt, vouete & reddite Domino Deo veſtro.* & infrà: *Ex voce huius Pſalmi appellati ſunt & Monachi, ne quis vobis de iſto nomine inſultet Catholicis.* & infrà: *Veruntamen chariſſimi ſunt & Monachi, qui falſi ſunt, & nos nouimus tales, ſed non perit fraternitas pia propter eos, qui profitentur, quod non ſunt. tam ſunt enim Monachi falſi, quàm Clerici falſi, & fideles falſi, omnia iſta tria genera, quæ aliquando vobis commendauimus, habent bonos ſuos, habent malos ſuos. De iſtis dictum eſt, duo in agro, duo in lecto, in agro ſunt, qui gubernant Eccleſiam, in lecto autem eos intelligi voluit, qui amauerunt quietem, non miſcentes ſe turbis, non tumultui generis humani, in otio ſeruientes Deo, & tamen inde vnus aſſumetur, alter relinquitur, &c.* hæc ibi. Idem perfectius dicit libro 2. quæſtionum ſuper Euangelia, quæſt. 44. dicens: *tria hominum genera hæc videntur ſignificari. Vnum eorum, qui in agro quaſi erant, qui ſunt Prælati, qui præſidendo laborant. Alterum eorū: qui otium & quietem eligunt, neq; negotijs Eccleſiaſticis ſunt occupati, quæ illorum quies, latino nomine ſignata eſt. Alterum eorum qui in plebibus conſtituti, reguntur à Doctoribus agentes ea, quæ ſunt huius ſæculi, quos & fœminarum nomine ſignauit, quia conſilijs, vt dixi, præpoſitorum regi eas expedit, & molentes dixit, propter temporalium negotiorum orbem atque circuitum, quas tamen in vnum molentes dixit, in quantum de ipſis rebus & negotijs ſuis præbent vſibus Eccleſiæ. Tertium eorum qui operantur in Eccleſiæ miniſterio, tanquam agro Dei. In his ergo tribus generibus bina ſunt rurſus genera hominum, hi in ſingulis, & pro robore viarum ſuarum diſcernuntur, cùm enim omnes ad Eccleſiæ membra pertinere videantur, adueniente tamen tentatione tribulationis, & ex illis qui ſunt in negotijs ſeculi, & ex illis qui Deo miniſtrāt in Eccleſia, & ex alijs in clauſtro, aliqui manent, aliqui cadunt, qui permanet aſſumetur, & alius relinquetur; non quaſi de hominibus dictum eſt, ſed de duobus generibus affectionum in ſingulis generibus trium profeſſionum.* hæc ille. Ecce quod ſanctus Pater ille non potuit laicos in agro, quaſi primum locum teneant in Eccleſia Dei, ſed in molendino, quia ſtatus infimus eſt Eccleſiaſticæ hierarchiæ, nec ponit clericos in lecto, ſed religioſos, & ſic de ſingulis. Ad idem in eodem cap. 44. dicit de concordando, ſcilicet Pſalterium cum cithara, id eſt, legem veterem cum noua. *Ad illa*, inquit, *tria genera, quæ aſſumentur, arbitror etiam pertinere illa tria nomina virorum iuſtorum, quos ſolos liberandos Ezechiel Propheta pronunciat, Noe, Iob, & Daniel. Videtur enim Noe pertinere ad eos, per quos Eccleſia regitur, ſicut per illum in aquis arca gubernata eſt, quæ figuram geſtabat Eccleſiæ, Daniel autem, qui elegit cœlibem vitam, id eſt, nuptias terrenas contempſit, vt ſicut dicit Apoſtolus ſine ſolicitudine viueret, cogitans, quæ ſunt Dei, genus eorum ſignificat, qui ſunt & in otio, ſed fortiſſimi tamen in tentationibus, vt poſſint aſſumi. Iob autem, quia & vxorem habuit, & filios, & amplas terrenarum rerum copias. Ad illud genus pertinet, cui molendinum deputatum eſt; ſed tamen vt ſint fortiſſimi in tentationibus, vt ille fuit, non enim aliter aſſumi poterunt. nec puto alia eſſe genera hominum, quibus conſtet Eccleſia, quàm iſta tria, habentia binas differentias propter aſſumptionem & relictionem, quamuis in ſingulis multæ ſtudiorum voluntatumq; diuerſitates, ad concordiam tamen, vnitatemq; concurrentes poſſunt inueniri* hæc Auguſtinus. Concordat B. Gregorius de diſtinctione aſſumendorum & liberandorum in Eccleſia, & ordinum diſtinctione, lib. 31. Moralium, & concordat cum tribus viris Ezechielis iam nominatis, lib. 1. Moralium, vbi tractat iſtum textum: *Nati ſunt Iob ſeptem filij, &c.* Et quia licèt dominus Replicans in ſcriptis non dederit, ſic tamen recolo de mendicantibus dixit, quod illi fratres in lecto non vacarent, eo quòd mendicando diſcurrerent. Reſpondeo, quòd hoc argumentum eſt voluntarium, non charitatiuum. Nam & Chriſtus cum Apoſtolis & diſcipulis ad lectum contemplationis attinebant, quia omnem perfectionis ſtatum exercebant, & tamē per mundum diſcurrebant, nunc prædicando, nunc mendicando, ſecundùm quod Deo fuit placitum. Item non ſequitur, Religioſi non ſunt ſemper in clauſtro, ibi continuè contemplando, dico, quòd non ſufficit, quòd illuc pertineāt ad votum prælati exeuntes, redeant. Sic enim dicitur, quòd Epiſcopus tenetur Eccleſiam ſuam ſine intermiſſione docere, 7. quæſt. 1. vbi dicit Archidiaconus ſuper verbo, ſine intermiſſione, quòd aliquid benè dicitur fieri ſine intermiſſione, licèt medius actus interueniat, vt ff. de verb. oblig. continuus. vnde ſi teſtator decem legauerit vxori ſuæ, ſi cum filio moraretur continua mora, non requiritur, vt per ſingula momenta cū eo moretur, de cond. & demonſt. l. ſi quis ita. Ad hæc extra, Rex pacificus, in princ. quotidie. ibi exponitur quotidie, id eſt, aſſiduè. vnde dicit: *Argumentum eſt ex his, quòd hoc teſtimonium valet. ſemper iſte exercuit ibi ſpiritualia vel quotidie, & tamē quandoq; fuit abſens. Sicut cauſa ſtillicidij perpetua eſt, & tamen non cadit ſemper. ff. de verb. ſign. prædiorum foramen, extr. de cler. non reſident. ex parte ſecundùm Vincentium.* hæc ibi, & in c. peruenit. 7. q. 1. dicit, quòd verbum, reſidens, non eſt amare intelligendum, ita vt nunquam inde diſcedat, & quod ſemper vigilet. ff. de edict. lib. de ed. ſi quid venditor. Sicut ergo hi dicuntur reſidere, & docere, licèt aliquando abſint, ita Religioſi ſemper cenſentur eſſe in clauſtris, & in lecto contemplationis, licèt aliquando alia faciant. Ad hoc autem, quod in ſcriptis mihi tradidit, dicens: *Quod autem dicit: Religioſi vacant in clauſtris, videtur in oppoſitum venire Paulus, qui quamuis fuerit in lecto contemplationis, non tamen in clauſtris vacabat, ſed per mundum diſcurrens gerebat ſollicitudinem omnium Eccleſiarū.* & infrà: *Vtinam verè Religioſi habiles & idonei à vacatione in clauſtris exirent, & verbum Dei liberè annunciarent, cùm meſſis quidem multa, operarij autem pauci.* Reſpondeo, quòd Paulus non debuit ſtare in clauſtro quietis; quia ad hoc fuit à Domino electus, & publicè vocatus, miraculorum gratia dotatus, vt portaret nomen Domini coram gentibus, & regibus, & certè ſi ita eſſent vocati religioſi ſinguli, meritò exirent prędicare verbum Dei. ſed quia iuxta dictamen multorum Religioſorum, melius vobis eſſet domine Vlrice, clauſtra alicuius arctæ religionis intrare quàm in ſæculo perdurare, & contra præceptum Dei & Apoſtolorum, praxin vniuerſalis Eccleſiæ, ſine licentia, contra prohibitionem ſuperiorum prædicare, ibiq; in pane arcto, & aqua breui præterita peccata deplangere, & plangenda iterum non committere: ideò opto & ego quatenus relictis omnibus religionem ingredi velitis, vt ſpectaculum Dei mundo & Angelis exiſtatis.

Quantum ad tertium notabile ſuper verbo, *debet*, poſuit differentiam inter pręceptum & conſilium, quia dixit li. *debet*, capiendum præceptiuè, vbi dum ego impugnaſſem deſcriptionem ſuam conſilij, quòd eſſet doctrina ſpecialis, obligans ſub pœna peccati venialis, oſtēdi multipliciter, quòd conſilia Euangelica, vt conſilia ſunt, nullum obligant ſub pœna cuiuſcunq; peccati, quibus Replicans, ſi mentē docilem adhibuiſſet, contentari debuiſſet: pro vlteriori tamen eius informatione ſciendum, quòd Doctores communiter ſcribentes, circa diſt. 47. primi ſententiarum, duplex eſt Dei voluntas, ſcil. ſigni & beneplaciti; Voluntas beneplaciti reſpicit præcepta. Signi quandoq; præcepta, quandoq; conſilia, vtraque tamen voluntas reſpicit bonum, per modū complacentiæ, hoc modo, ſcil. quòd voluntas Dei antecedens ſigni, quæ eſt voluntas conſilij, differenti ratione reſpicit ad bonum cum voluntate Dei antecedente; quæ eſt præcepti, quarum tamen vtraque reſpicit bonum per modum complacentiæ. Voluntas antecedens ſigni, quæ eſt conſilij, reſpicit ſic bonum per modum complacentiæ, ita tamen, quod oppoſitum non diſplicet. hinc ſecundùm Bonauenturā conſilium, quod eſt bonum ſupererogatum, non habet malum directè oppoſitum. Et hinc eſt, quòd conſilium non habet

In Pſal. 132. Auguſt.

Aug. li. 2. ſuper Euang. q. 44. Supra in probatione articul. per legem diuinam, conſid. 3.

Ibid. c. 44.

1. Cor. 7.

Greg. 32. mora. c. 19

Greg. li. 1. mora. c. [illegible]

Sine intermiſſione, non continuā moram ſignificat. 7. q. 1. ſicut vir, c. 45.

7. q. 1. peruenit. c. 10

Act. 9.

Duplex Dei voluntas, ſigni & beneplaciti.

De pręcepto & conſilio.

ſignum oppoſitum, ſicut habet præceptum, non enim eſt reperire, quod habeat per modum diſplicentię, ita quod oppoſitum diſpliceat. hinc ſecundùm Doctores communiter ponitur donum Spiritus, quod eſt donum conſilij, donum regitiuum in his, ad quę non tenemur. In his, ad quę tenemur, nō oportet conſiliari. hinc dn̄s Bonauentura in ſuo Breuiloquio ponit duplicem rectitudinem in faciendo bonum, ſcil. neceſſitatis & perfectionis, quæ eſt in ſupererogando vltra debitum. illud etiam expreſsè declarat S. Thom. 1. 2. q. 108. art. dicens, quòd hæc eſt differentia inter præceptum & conſilium, quod præceptum importat neceſſitatem. Conſilium autem eſt in optione, & eſt de his quę per melius & expeditius poteſt homo conſequi finem ſuum, qui eſt beatitudo æterna. Et in ſumma contra gentiles, lib. 3. cap. 130. dicit, quòd conſilia dicuntur diuinæ legis admonitiones, nō præcepta, in quantum ſuadetur homini, vt propter meliora minus bona prætermittat. Ad quod poteſt adduci iſta manuductio palpabilis. Nam cùm ſit quędā politia inter Deum & hominem, dicente Propheta: *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius*. Sicut in politia humana, quæ eſt ad diuina exemplificata, videtis eſſe aliquas leges exterminatiuas, ſub pœna capitis aut mortis, quæ capitales aut mortales nominantur, quæ ſanciuntur proprio vocabuli nomine præcepti. Alias videtis eſſe minores, ſub pœna minori, ſcilicet, quæ non eſt exterminatiua, quæ dicitur pœna ciuilis, & poſſunt nominari huiuſmodi leges ordinationes ſiue mandata. Et tertiò quaſdam conſultationes, quibus contrahuntur, qui ſunt de politia ad faciendum, ſi libeat, opus excellentiæ, quòd ſi velint & fecerint, præmiabuntur glorioſè: Si autem non fecerint, nullo modo puniuntur, neq; illa non factio eis aliquo modo imputabitur ad pœnam quamcunq;. clarumq; iſtud, habenti oculum conſiderationis apertum. Sic in propoſito non repugnat, immò rationabiliſſimè iuxta prędicta ponūtur in lege diuina, leges Dei præceptiuæ, vt ſunt præcepta, contra quæ eſt ſolum peccatum mortale, inducens mortem ęternam. & hic eſt modus communis loquendi Doctorum, Thomæ, Bonauenturæ, Alexandri de Halis, & aliorum, qui dicunt, veniale non obuiare diuino præcepto, ſicut non dicitur, etiam veniale fieri contra conſcientiā, ſed præter præceptum, & præter conſcientiam. Aliæ autem dici poſſunt leges per quas à nobis exigit Deus, ſi volumus vitare reatum pœnæ, non tantùm æternę, ſed etiam offenſam Dei quamlibet, aut non retardari à vita æterna, non temporaliter non puniri, ita quòd exorbitatio ab hac latitudine legum, conſtituit peccatum veniale tantùm, & poſſunt vocari huiuſmodi leges, mandata, ſtatuta, ſeu ordinationes, quibus ratio trahitur ad hoc, vt ſit peruigil, vt nec venialibus diſrumpatur, vel à venialibus inficiatur: & ſic ad mortale diſponatur. Et tertio præter huiuſmodi ponitur conſilium, quod ſi quis adimplet, accumulat ſibi præmium. Si autem non adimpleret, dummodò aliunde non declinaret, nullam pœnam incurreret. Et iſto modo dicit Magiſter Ioan. Gerſon in tractatu ſuo de ſeptem lectionibus, quòd inter præceptum & conſilium eſt dare medium propriè loquendo, in iſta materia, quod patet ex dictis clariſſimè. Dico ergo ſecurè, quòd nullus obligatur ad conſiliorum obſeruantiam, niſi qui vouit ea, & qui vouit, tenetur adimplere. Etiam alia conſilia, quæ non vouit, non tenetur ſub quacunq; pœna, ſed tantùm illa, quæ eſt regulæ, & ſtatutis illorum annexa, vt patet per beatū Thom. 2. 2. q. 186. art. 2. qui quęrit ex intentione, vtrùm religioſi teneantur ad omnia conſilia, & probat cōcluſionem quam tenet, ſcilicet quod non eſt, & arguit ſic: *Ad ea quæ ſunt ſupererogationis, non tenetur aliquis, niſi ex propria obligatione. Sed non quilibet Religioſus obligat ſe ad omnia, ſed aliqua determinata, quidam ad hoc, quidam ad alia, nō ergo omnes tenentur ad omnia.* Et ad tertium argumētum dicit, quòd quædam conſilia ſūt, quæ ſi prætermitterentur, tota vita hominis implicaretur negotiationibus ſecularibus, putà ſi aliquis haberet proprium, vel matrimonio vteretur, aut aliquid huiuſmodi faceret, quod pertinet ad eſſentialia religionis vota. Et ideò ad omnia illa conſilia obſeruanda Religioſi tenentur. Sunt aūt quædam alia conſilia de quibuſdam particularibus moralibus actibus, quæ prætermitti poſſunt, abſque hoc, quod vita hominis ſecularibus actibus impletur. vnde non oportet, q̄ ad omnia talia Religioſi teneantur. hæc ibi. Et ad huius confirmationem ego adduxi auctoritates S. Auguſtini 14. q. 1. quod debetur. Archidiaconi, Hugonis, S. Thomæ, ad quas nihil mihi reſpondit. Item multas rōnes, ſcil. de effectibus peccati venialis. & quòd peccatum veniale non dimittitur, donec actu & voluntate deſeratur, & ſi conſilia non ſeruare eſſet peccatum veniale, vel pœna peccati venialis, nunquam eſſet homo ſine peccato veniali, niſi actu ac voluntate inciperet ſeruare conſilia, nihil reſpondit, & benè fecit, quia cōſentire debet. Ad aliqua reſpondit, ſed nihil ſoluit.

Bonauentura in breuiloq. c. 9.
S. Th. 1. 2. q. 108. a. 4.
Th. contr. gentiles, l. 3. cap. 130.
Pſalm. 94.
Gerſon de vita ſpirituali, c. 5.
Gerſon de vita ſpirituali, lectione 5.
Th. 2. 2. q. 186. art. 2.
14. q. 1. q̄ debet, c. 2.
Aug. li. 19. cont. Fauſtum, c. 25.

Et primò, ad hoc quòd conſilium de dilectione inimicorum vocaui conſilium, dicit quòd Saluator mandatum illud vocauit minimum, dixi pro tūc, quod aliquo modo eſt præceptum, ſcil. quò ad affectum, alio modo eſt conſilium, ſcil. quò ad effectum: arguit contra; quòd etiam eſt præceptum in caſu neceſſitatis, fame morientem paſcere etiam ſi ſit inimicus. Non eſt contra me, quia conſilium in caſu neceſſitatis eſt pręceptum. Ego non loquor hoc modo in propoſito, & notum eſt non proteruienti.

Ad aliud, vbi argui, quòd ſi nō obſeruantia conſiliorum induceret pœnam venialis peccati, homines ignoranter incurrerent magnam retardationem à vita beata, quia tot pœnas venialium adducerent, cùm pœnitentiarij hic nullam pœnam iniungerent, vt homines de hoc pœniterent, quod conſilia non ſeruant. Reſpondit, *non ſequitur, nam peccata diuerſis modis dimittuntur in præſenti vita*. Ego autem dixi, quòd peccata venialia nunquam dimittuntur in præſenti vita, niſi actu & voluntate deſerantur; ſed communitas omnium hominum ferè nunquam actu proponit, velle ſeruare conſilia. Ergo illa non obſeruantia conſiliorum nunquam dimittitur eis in præſenti vita. Sed ſecundùm vos tali non obſeruātiæ correſpondet pœna peccati venialis, ergo illa pœna nunquam dimittitur in pręſenti vita, ſed reſeruatur ad purgatorium.

Ad illud, negat mihi illam: *Illud quod eſt in pura voluntate hominis, non obligat hominem ad pœnam*, quia dicit, *mandata Dei ſunt in pura voluntate hominis, & tamen hominem obligant*. Ego & quilibet beneuolus, non omninò obtuſus, concipere poteſt, accipiendo illud *eſſe in pura voluntate hominis*, quod ſi fiat, benè facit, ſi non, nulla pœna incurritur: ſic dicunt doctores eſſe conſilia in pura hominis voluntate, ita quòd ſi ea fecerit præmium acquiret. Si non, pœnam nullam incurrit. Ipſe autem æquiuocando trahit ad hoc, quod ſtet in libertate hominis abſolutè facere, vel non facere. Dico ergo quòd pręcepta aliter ſunt in hominis libertate, quia ita proponit Deus homini præcepta vt eligat vitam ſi fecerit ea, vel mortem, ſi nō fecerit. Non ſic eſt de conſilijs, vt dictū eſt. Ergo tales euaſiones in materia fidei adducere dignū eſt rèprehenſione, &c.

Vltimò reſpondit ad id, vbi argui: *Nemo obligatur ad conſiliorum obſeruantiam ſub quacunq; pœna, niſi qui vouit ea*: dicit quod hoc non eſt verum, quia Apoſtoli obligantur ad conſiliorum Chriſti obſeruantiam, nec tamen vouerunt conſilia obſeruare eo modo, quo fratres mendicantes. Reſpondeo, quòd quomodo profeſſi ſint Apoſtoli, neſcio, niſi [illegible] veri mendicantes, & omnium mendicantium Patres & prædeceſſores. vbi dico, quòd diſtinguendum primum, quòd Apoſtoli fuerunt mendicantes, & hoc, quia tanta paupertas fuit eis præcepta, quòd ſine pera & alijs incederent, præſertim poſt Chriſti aſcenſionem in prædicationis officio diſcurrendo inter æmulos, & planum eſt quòd imperioſè non poterant præcipere, vt darentur eis neceſſaria, ergo tunc ſaltem æſtimo, quòd neceſſario victus humiliter mendicabāt. Vnde ad idem multa alia adducit Auguſtinus de Ancona, de Eccleſiaſtica poteſtate q. 89. art. 4. vnde Theophyl. Luc. 10. ſuper illo verbo: *In eadem domo manete edentes quæ apud eos ſunt*, dicit, *vide ergo qualiter diſcipulos mendicare inſtituit, & pro pretio eos habere nutrimentum voluit*, imò dicit, *adeò mendicos mittit, quòd neque peram ipſos vult portare, neq; aliquid quibus indigerent*, ſecundùm quod Apoſtoli voto ſe Religionis conſilia quædam aſtrinxerunt. dicit enim B. Auguſtinus de ciuit. Dei: *Dixerant potentes illi, ſcilicet Apoſtoli, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? hoc votum potentiſſimi vouerant; ſed vnde hoc eis vouent, niſi ab illo, de quo hic continuò dictum eſt: Dans votum vouenti.* hæc ille. Idem B. Hieronymus contra Iouinianum, dicit Apoſtolos vouiſſe perpetuam cōtinentiam, eo quòd Dominus meus eis diceret: *Amen dico vobis,*

Auguſt. de Ancona, de poteſt. Eccleſ. q. 89. art. 4.
Theoph. in 10. c. Lucæ.
Aug. de ciuit. Dei, li. 17. c. 4.
Hier. con. Iouin. ep. 50. ad Pammach. c. 8. & lib. 15. in Eſai. c. 56.

bis, quicunq; domum, aut agrum, aut vxorem; &c. dicit etiam de voto Apoſtolorum clarius, Auguſtinus de Ancona q.90.artic.4.& q.84.art.1.

Auguſ. de Ancona, de poteſt. Eccleſ. q. 90. art. 4.

. Reſtat nunc reſpondere ad ſophiſmata, quæ pro ſe induxit. Ad Armachanum dico, quòd in nullo obligat ad ſibi credendum, quia ſuſpectus eſt in multis dictis ſuis. Dico ſecundò, quòd ipſe loquitur ſatis cautè, quia dicit, quòd diſcipuli Domini non poterant tranſgredi conſilia Chriſti ſine veniali delicto. De alijs dicit, *ſancti Patres non ſanxerunt, vt ſemper ſeruarentur conſilia in facto, ſed in prompto animo, vt cùm expedire videbitur, ſeruetur in facto*. Et Armachanus ſecundò adducit ſanctum Thomam, de quo miror cùm nihil faciat ad propoſitum, nec loquitur ibi verbum de conſilijs. Tunc facit rationes quatuor: Prima eſt hæc: *Omne conſilium Chriſti obſeruatum affert præmium, non obſeruatum, affert damnum.* Probat per ſanctum Thomam 4. de veritate ſacræ Theologiæ, libro quarto dicente: *Conſilium affert præmium, non ſeruatum verò adducit ſupplicium.* Reſpondeo negando cõſequentiam, ad obligationem dico quòd liber non eſt ſancti Thomæ, ſed vt creditur Vlrici de Argentina, & notate quæſo, quàm periculosè iſte allegat Doctores, quia omninò non habetur ibi, quod iſte dicit, ſic: *conſilium obſeruatum præmium affert, præceptum, ſi non ſeruatur, adducit ſupplicium.* hæc ille. Alibi ſic: *conſilium ſeruatum affert præmium, non ſeruatum non affert ſuppliciũ.* & ſic eſt pro me.

Argumenta aduerſarij 4.

In comp. Theol. li. 5. c. 68.

2\. Secundò ſic arguit: *Omne illud quod obligat ad reddendum rationem in die iudicij, obligat ſub aliqua pœna. Sed aliquod conſiliũ Chriſti eſt huiuſmodi.* putà conſilium de compeſcentia verborum otioſorum, vt dicit, quod ſanctus Thomas in libro prędicto cap. 70. dicit, illud eſſe conſilium, dicens ſic: quod 7. conſilium eſt compeſcentia verborũ otioſorum. Dico quòd compeſcentia verborum otioſorum non eſt conſilium, nec eſt præceptum, ſed eſt mandatum, cuius tranſgreſſio eſt peccatum veniale, ſicuti præcepti tranſgreſſio eſt peccatum mortale. Ad auctoritatem dico, quòd iterum malè imponit. Non enim dicit Doctor, ſeptimum conſilium eſſe illam compeſcentiam verborum otioſorum. Sed dicit ſic: *Septimum conſilium eſt de ſimplicitate verborum*, vt ibi, *ſit ſermo veſter eſt, eſt, non, non*, cuius ſenſus eſt, ſi affirmatio vel negatio eſt in ore, ſic etiam in corde, & loquitur conſequenter de nõ iurare omninò. & non dicit verbum de compeſcentia illa. Et ſuprà modum miror, quòd audetis ita libros falsè allegare, peruertere, & truncare. vtiq; falſarius monetæ comburẽdus eſt, multò magis falſarius ſacræ ſcripturæ; ſed vos habetis ſaluumconductum, & ſic proficiat vobis.

3\. Tertiò arguit ſic: Quidquid eſt Chriſtiano pura iuſtitia ſeruandum, eſt ſub aliqua pœna: Sed conſilia ſunt huiuſmodi, igitur, &c. Nego Minorem, quia pura iuſtitia dicit debitum, quod rigor iuſtitiæ requirit ſub aliqua pœna. ſed conſilia vt conſilia ſunt, à Chriſto non ſunt, ſic de rigore iuſtitiæ promulgata, quòd ſi Chriſtianus ea non ſeruauerit, aliquam pœnam incurrat, vt dictum eſt, & quando probat, dicens, quòd Chriſtus non poteſt niſi puram iuſtitiam conſulere Chriſtiano, nego illam: nam Chriſtus & de facto cõſuluit opera ſupererogationis, & illa non ſunt puræ iuſtitiæ, vt dictum eſt, ergo, &c.

Quartò arguit ſic: Omnis Chriſtianus debet Deo amplius ſeruire atque perfectius, quàm facit de facto, & poteſt conſulere perfectius ſeruitium. ergo, &c. Diſtinguo Maiorem, quia eſt duplex debitum, ſcilicet neceſſitatis, & ſupererogationis. Loquendo de debito neceſſitatis, quod obligat ipſum ad culpam, ego nego, quia debito neceſſitatis multi facerent tantùm, quantum obligãtur; debito perfectionis nemo aſtringitur, niſi qui voto obligatur. vnde dicit S. Thomas 2.2. q. 186. art. 2. ad 2. *Sicut diligere Deum ex toto corde tenemur omnes, eſt tamen aliqua perfectionis totalitas quæ ſine peccato prætermitti non poteſt, aliqua autem quæ ſine peccato prætermittitur, dum tamen deſit contemptus. Ita etiam omnes tam Religioſi, quàm ſeculares tenentur aliqualiter facere, quidquid operari boni poſſunt; omnibus enim cõmuniter dicitur Eccleſ. 19. quidquid poteſt manus tua, inſtanter operare. Eſt tamen aliquis modus huius præcepti implendi, quo peccatum vitatur, ſi ſcilicet homo faciat quod poteſt ſecundum quod requirit conditio ſui ſtatus, dummodò contemptus non adſit agendi meliora, per quem animus firmatur contra profectum ſpiritualem.* hæc ille.

Tho. 2.2. q. 186. art. 2. ad 2.

Eccleſ. 19.

Et quia concluſionem meam principalem probaui ſecũ
dùm formam iudicis condicti, ipſe Replicans volens appa
rere, quaſi aliquid corraſerit circa meas auctoritates, quar
nullam reputo ſolutam: I. ſic argui ex lege æterna, proban
do per tria inconuenientia, quæ ſequerentur ex deordina
tione illa, qua quilibet Sacerdos vel diaconus prædicaret
Primum erat, quia perturbarẽt hierarchicum ordinem ta
diuinitùs regulatum, quia nec de primo gradu illuminato
rum, ſcil. Papæ, nec de 2. qui ſunt Epiſcopi, nec de 3. qui ſu
plebani exiſtentes, officium cuiuſlibet vſurparent. 3. fuit,
ſi liceret eis vbiq; prædicare, eadem ratione & confeſſion
audire, Sacramenta miniſtrare, quemlibet Epiſcopum vb
que conſecrare, & ſic nulla eſt iuriſdictio in Eccleſia. Ad h
nihil reſpondit, & ideò ſtant in ſuo robore. 2. fuit hæc, qu
tales volentes vbique prædicare, cauſarent turbationem
venirent ſimul tres, quatuor, vel duodecim ad eandem E
cleſiam, quilibet vellet prædicare, nullus vellet alteri ced
re. Reſpondit, quòd adhuc non vidit horrorem, ſed hæc
ſoluunt, quia non argui, quid vos videritis, vel non vide
tis, ſed quod ita fieri ſit poſſibile. Et dicit aduerſarius, ſi 6.
8. fratres de ordine mendicantium poſſunt ſe compati in
ſu ſimili. cur non Sacerdotes Domini? Reſpondeo id qu
ideò primi ſe compatiuntur, & non ſecundi, quia Religi
non dicunt nec credunt, ſe obligari ad prædicãdum ex pr
cepto Domini. Et inſuper nullo modo prædicare attent
ſine beneuolo conſenſu Prælati & etiam plebani. Sed 3. q
ipſi habent ordinem in prędicando, diſtribuendo dies, &
na deputatur Prædicatoribus, alia Minoribus, alia Augu
nenſibus, & cæteris. Tales autem rationes non ſunt in
presbyteros & diaconos ac clericos illos, quia illi diceren
ex præcepto Chriſti prædicare debere, nec obediret pro
benti, cùm magis oporteat Deo quàm hominibus placer

Reprobaui per Hieremiam, qui erat Sacerdos in vt
matris ſanctificatus, & tamen mandatus à Domino, ad
ſe excuſauit. Reſpondit aduerſarius, dicens: *Nihil aliud vu
niſi quod cum magno timore debeat ſacerdos officium prædica
à Deo etiam oblatum, accept*[illegible]. Sed hoc non ſoluit argume
meum, quia nõ argui iuxta veſtrum videre, ſed quid vid
ebeatis, oſtendi vobis per illud, quod ibi vobis dicit S. T
de omnibus presbyteris & alijs: *non miſſi ſunt audiendi pro
præſumptam auctoritatem.* Ad hoc nihil reſpondet.

Tertiò argui ex lege Euangelica: poſtquam Saluator
ſit diſcipulos, ait illis: *Rogate dominum meſſis, vt mittat op
rios.* vbi dixi ex Archidiacono, quòd ideò vult rogari, vt
dat, quòd omnis prædicans à ſuperiori ſuam debet ad
ſionem accipere. In nouo. diſt in. 21. Reſpondet ad hoc,
rius ſatis eſt dictum. Rogo vbi? non reperio ſuperius nec i
rius ſatis eſſe dictum, per quod ſolutum ſit tam fundam
le argumentum.

Quartò argui de Ioanne Baptiſta Sacerdote ſanctiſſi
qui non prędicat, niſi de nouo auctorizatus, dum factu
verbum Dei ſuper eum in deſerto, dicit: *Verum eſt, nullu
bet ſe ingerere niſi miſſus à Deo per internam inſpirationem, ve
hominis auctorizationem.* Quæro à vobis, an vos ſitis miſſi
quo iſtorum modorum? non ſecundo modo, quia no
ſtenditis per canonica monumenta, nec primo modo,
non apportatis diuini inſtinctus ſigna, quæ expreſſi per
gum proceſſum ſuperius. ergo, &c. Iterum ex reſponſ
gui ſic: Nullus ad prædicandum debet ſe inge[illegible]e, niſi m
à Deo, per internam inſpirationem, vel per hominis au
rizationem; ſed multi diaconi & presbyteri ſunt, qui nõ
tuntur, & fortè nunquam mittentur, nec vos ipſi, per
inſpirationem, aut hominis auctorizationem. Ergo tal
nunquam licebit ſe ingerere ad prædicandum. tamen e
pręceptum à Domino ſecundùm vos, ergo tales non fa
do præceptum Domini damnabuntur. conformiter ſe
dùm vos, Sacerdotes & Diaconi debent prædicare, qui
præceptum Domini, & quia illam poteſtatem acceperu
ſua conſecratione, ergo ad hoc, quod prædicent, nec ind
diuina inſpiratione, nec hominis auctorizatione. Erg
feciſtis in illa reſponſione.

Quintò argui ex ſcriptura canonica, 1. Timot. 2. *Hæc
menda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* d
*Concedo, quòd prædicatio commenda eſt his, qui idonei ſunt, n
ſiàs eſſent ad Sacerdotium admittendi.* Dico, quòd argumẽ

me

meum non eſt ſolutum, quia multi admittuntur ad Sacerdotium ritè & legitimè, qui non ſunt apti ad prædicandum, ſcilicet in his tribus, vita, ſcientia, & facundia. Vitam omnes debent habere bonam. Quò ad ſcientiam, declarat diffuſè, quia multi Sancti Patres Sacerdotes fuerunt, qui prædicare neſcierunt, & quòd minor ſcientia requiritur in his, qui ordinantur extra curam, quàm in illis, qui ad curam animarũ applicantur. Quò ad facundiam, certum eſt, multi ſunt peritiſſimi viri, qui non ſunt facundi ad prędicandũ, abſit, quòd illi deberent omnes à Sacerdotio excludi. Sic enim B. Valerius fuit Epiſcopus Hipponenſis, & nihilominus tantæ impeditionis linguæ, quod B. Vincentio prædicationem verbi Dei commiſit, nec per ſe prædicauit.

Supr. loco cit. arg 2.

Sextò argui de beato Paulo, qui 2. Cor. 10. de ſeipſo dicit: ***Non enim gloriabimur in immenſum, neq; ſuperextendimus nos in Euangelio Chriſti.*** Ad hoc nihil reſpondit, niſi quod gloſſauit illum textum, per longum, & tamen finaliter ſtat iſtud argumentum: Apoſtolus fuit Sacerdos, & cum hoc generaliter & ſpecialiter miſſus, & noluit tamen ſe ſuperextendere, & hoc eſt quod dicit Gloſſa, ***Non enim gloriabimur in immenſum, id eſt vltra menſuram noſtram, quod illi faciunt, qui vſurpando ſibi curam non commiſſam gloriantur vltra menſuram,*** nec iuuat, quod dicit de Lyra ita recipiendum, quòd Apoſtolus per verba intendit ſe non eſſe comparandum pſeudoapoſtolis, quia de Lyra ſic exponit, vt ego ſic in ſcriptis tradidi. Similiter Innocentius III. & gloſſa ordinaria, dicens: ***Superextendere eſt vltra quàm conceditur extendere.*** Et ſic patet, quòd nulli licet ſe in officio prædicationis ſuperextendere. Ergo non poteſt quilibet vbique prædicare liberè.

Sup. prob. art 4. in 2. deductione cóclus.

Septimò argui de praxi Chriſti, qui cùm eſſet Pontifex & Sacerdos, noluit tamen prædicare niſi in 30. anno, & niſi prius auctorizatus voce Patris, & Spiritus ſancti viſibili ſuſceptione. Reſpondit, ***quod ex iſto non video aliud, quàm quòd Sacerdos ſit maturæ ætatis, & Spiritu ſancto inſtigatus ad prædicandum.*** certum dixi, & dico quod illud videre debueratis, ſcil. quòd iſta duo non faciunt ad prædicandum, quia matura ætas annorum multis adeſt, quibus ſcientia, facundia & vita deeſt. inſtinctus Spiritus ſancti incertus eſt, niſi aſſumit ſigna, per quę Spiritus ſancti approbetur præſentia. Ego autem hic alia video. primũ eſt, quòd prædicator verbi Dei debet eſſe maturæ ætatis, ſecundùm quod licèt ſit diuinitùs inſpiratus, & actu Sacerdos, ſicut Chriſtus fuit Spiritu ſancto repletus. Adhuc non debet prædicationis officium aſſumere, niſi auctorizetur & mittatur à ſuperiori. Ideò Chriſtus licèt eſſet Sacerdos ſanctiſſimus, non tamen incœpit officiũ prædicationis, niſi à Patre & Spiritu ſancto ſenſibiliter auctorizatus. Et ſi quis diceret ſe adeò auctorizatũ, probet per ſcri-

Ioan. 5.

pturam, vt Chriſtus Ioan. 5. dicens: ***Scrutamini Scripturas, illæ teſtimonium perhibent de me,*** aut per miraculũ, vt Chriſtus Ioã.

Ioan. 10.

10. ***Si mihi non creditis, operibus credite.*** Inſuper quęro, an Chriſtus peccauit nõ prædicando ante 30. annum, aut non? ſi nõ, ergo non fuit ſibi præceptum, nec per cõſequens alijs: ſi ſic, ergo non fuit Deus, cùm Deus peccare non poſſit. Ideò ſciẽdum, quod eſt triplex ætas in homine conſideranda, vna reſpectu ætatis, ſiue annoſitatis, ſicut notum eſt omnibus. Et quantum ad hanc, expedit & decet, vt cui ex officio incumbit ante ætatem maturam non præſumat publicè prædicare, exemplo Chriſti, prout in articulo deductum eſt. Sed iſta ad prædicandum non ſufficit. Vnde ſecunda eſt ſenectus vel ætas reſpectu conuerſionis alicuius, & ita dicũtur iuuenes vel nouitij, qui licèt ſint annoſi, ſunt tamen à ſæculo recenter cõuerſi, ſicut quondam dicebantur neophyti, qui ad fidem nouiter confluxerant. Senes verò, qui diutius conuerſi, vel longius in ſpirituali vita conuerſati. Et ſimiliter hoc modo, ſi iuuenes vel neophyti non debent prędicare, multò minus qui erroribus obſtinati nondum à cognitione veræ fidei ſunt reducti. vnde Apoſtolus prohibet neophytum ordinari, &

Senectus triplex. 1. 2.

Deut. 15. Hebr. 5.

Moyſes prohibet arare in primogenitis boum, & tõdere primogenitum ouium, de quibus Apoſtolus ad Hebr. 5. ***Etenim cùm deberetis Magiſtri eſſe propter tempus, rurſus indigetis vt vos doceamini, quæ ſunt elementa exordij ſermonum Dei, et facti eſtis quibus lac opus ſit.*** Eſt ergo tertia ſenectus, ſcilicet interioris hominis confirmatio & ſtabilitio in bono, iuxta ordinem hierarchicæ diſpoſitionis, quæ ſola ſufficit ad officium prædicationis, & hanc docuit in prætacta praxi, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. vnde B. Bernardus ſuper illo Luc. 3. ***Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite,*** dicit ſic, ***quamdiu virtus & Dei ſapientia, quaſi infirmus aliquis aut incipiens latet in populo? quamdiu nobilis rex, & rex cœli, fabri filium te patere & appellari pariter, & putari. Etenim Lucas teſtatur, quoniam adhuc filius Ioſeph putabaris: O humilitas, virtus Chriſti, quantum confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis? parum aliquid ſcio, vel magis mihi ſcire videor, & iam ſilere non poſſum, impudenter me, & imprudenter me ingerens & oſtentans. promptus ad loquendum, velox ad docendum. & Chriſtus cùm tanto tempore ſilebat, cùm ſeipſum abſcondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? quid timeret ab inani gloria, qui eſt vera gloria Patris? vtiq; timebat, ſed non ſibi. Nobis timebat ab illa, quibus nouerat eſſe timendum, nos inſtruebat. Tacebat ore, ſed inſtruebat opere, & quod poſt docuit verbo, iam clamauit exemplo, diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*** hæc ille. & ne quilibet ſe ad talem ſenectutem ſtatim ingerat, ſed electionem ſeu approbationẽ prælati expectet; Ideò beatus Ambr. ſuper Pſalmo: ***Beati immaculati,*** ſuper verſu: ***in quo corrigit adoleſcentior viã ſuam.*** pertractans multa quæ ad præſentẽ ſenectutem requirũtur, dicit etiam illud quod dixit ad Moyſen, vt ſibi ſeniores eligeret, quos ipſe noſceret eſſe ſeniores. ***Et nunc, inquit, quibus hoc Spiritu Dei committitur officij, vt eligãt Seniores viros, eligunt ſine dubio inter ſeniores iuuenem corrigentem viam in cuſtodia verbi Dei.*** hæc ille. Iſta ſunt & ſimilia, quæ docet nos praxis Chriſti. illo nõ obſtante, quòd dominus Replicans dicit, ſe nihil aliud videre, quàm ſua dicta.

AD octauum, vbi Dominus dixit Matth. 15. ***Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël,*** nõ dicit niſi ex Lyra, quod egomet dixi, ſcilicet perſonaliter prædicando Iudæis, tunc Chriſtus fuit Sacerdos ſummus, & tamen negat ſe per totum mundum perſonaliter miſſum. Ergo neque diaconus, neque ſimplex Sacerdos debet ſe putare vbique miſſum, ita quod liberè libertetur vbique ſeminare Dei verbum, cùm omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio. Item vbi diaconus vel Sacerdos habet libertatem prædicandi, ibi habet præceptum prædicandi, ſecùndùm vos, ſed habet libertatem vbiq;. ergo habet præceptum.

AD nonum, vbi argui, quòd Saluator noſter conſecrauit Apoſtolos ſuos in presbyteros in cęna, & poſt hoc ſcil. in die ſuæ glorioſiſſimæ reſurrectionis dedit Apoſtolis auctoritatem prædicandi, dicens: ***Sicut miſit me viuẽs pater, & ego mitto vos.*** ergo auctoritate conſecrationis ſacerdotalis illam non habebant. dicit ex Lyra, mitto, id eſt, mittam, ſalua reuerentia Lyræ, ſecundùm ſententiam S. Thom. tunc miſit actu eos, quia dicit ibi quòd ibi Dominus Apoſtolis iniungit Apoſtolicum officium. Apoſtolus enim idẽ eſt quod miſſus, dicens, ***ſicut miſit me pater, & ego mitto vos.*** cui alludit B. Gregorius dicens ibidem: ***id eſt ex charitate, qua me pater diligit, & ego vos diligo, cùm inter ſcandala perſecutorum vos mitto, qua me charitate pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit.*** & B. Auguſtinus: ***æqualem autem Patri Filium nouimus. Sed hic verba Mediatoris agnoſcimus, medium quippe ſe oſtẽdit, dicendo: Ille me, & ego vos.*** quibus concordat Doctor Gorra, dicens: ***id eſt, ſicut ego à me ipſo non veni, ſed miſſus ſum, ſic ego mitto vos, dans vobis auctoritatem. Vnde ad Roman. 10. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Et Iſai. in cap 6 petiuit hanc auctoritatem, dicens: Ecce ego mitto me. E contra de malis Prophetis Hierem. 23. Currebant, & ego non mittebam, non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.*** hæc ille. Ecce quot Doctores concurrunt ad ſententiam meam, ſcilicet quod in die Paſchę per illa verba, dedit eis poteſtatem prædicandi, ergo non habebant eam prius, per conſecrationem ſacerdòtalem in cœna præcedenti factam. Et dicit dominus Replicans, iſtud non eſſe factum in die paſchæ, text⁹ dicit, quod factũ eſt ipſo die reſurrectionis, licèt ſerò eſſet, & fores fuiſſẽt clauſę. Neſcio q̃d hoc intẽdit, niſi ꝙ textum malè intelligit, qui dicit, ***ipſo die reſurrectionis erant diſcipuli ſimul in vnum congregati propter metum Iudæorum, & cùm eſſet ſero, & fores eſſent clauſæ, venit Ieſus & ſtetit in medio eorum, dicens: Pax vobis, & oſtendit eis manus & pedes.*** Ex quo patet, quòd adhuc dies erat, quia non legitur, quòd luminaria accendiſſent, vt manus & pedes eius viderent. ***& tũc iterum ait illis: Pax vobis, ſicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos.*** hæc ibi, &c.

Supr. loco cit. arg. 2. Luc. 24.

AD decimum, vbi ex illo Luc. vltimo: *Ecce ego mitto promiſſum Patris in vos, vos autem ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* dicit hoc eſſe contra me, quia dixi eos eſſe miſſos in die aſcenſionis, & tamen ſecundùm eum non eſſet contra me, quia ipſe exponit ex Lyra, *Ecce ego mitto*, id eſt, mittam. & neſcio quid velit per hoc. Nam verum dixi, quòd in die aſcenſionis ſint miſſi, & tamen prohibiti ad certos dies, vt quieſcerent, donec virtute ex alto inducerentur. Vnde dico, quòd ſancti Apoſtoli tribus vicibus ad prædicandum leguntur miſſi. Primò, antequam eſſent Sacerdotes, vt in ſola Iudæa prædicarent. Secundò in die Paſchæ, ſcilicet reſurrectionis Dominicæ, quando iam ante triduum fuerunt conſecrati in Sacerdotes, tunc fuit eis commiſſa prædicandi poteſtas, & quaſi quædam declaratio per Chriſtum facta, quòd aliqui eſſent venturi, qui abſque commiſſione legitima vſurparent ſibi prædicationem verbi, ratione gradus ſacerdotij, oſtendens, hoc non eſſe verum, ſed ſuprà Sacerdotium requiri ſpecialem miſſionem, ideò iterum miſit eos, dicens: *Sicut miſit me viuens pater, &c.* Et quia adhuc poterant eſſe dubij, vbi deberent prædicare, quia in prima miſſione prohibuit, ne alibi quàm in ſola Iudæa prædicarent. Ideò tertiò miſit eos declarando, quòd non in ſola Iudæa, ſed in toto orbe eſſet Euangelium publicandum per eos, dicens in hora aſcenſionis: *Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Tribus vicibus Apoſtoli ad prædicandum miſſi.

Sup. prob. in prob. 3. ex praxi Apoſtolorum.

AD vndecimum de praxi Apoſtolorum adduxi ad ſpeciales praxes, 1. Petri, 2. Pauli, 3. Timothei, 4. Marci. Ad omnia hæc nihil reſpondit, & optime fecit, quia in veritate euadere potuit. quin concedere concluſionem per me intentam oportuit, prout praxes illæ clariſſimè adducunt. Quò ad praxin generalem Apoſtolorum, vbi honori beati Petri detraxit. Timeo & certifico eum, quòd ſi non reſipiſcat, Petrus claues continebit, nec ſibi ianuam regni aperiet. dixit enim primò, quòd non habetur ex ſcriptura canonica, Petrum fuiſſe ſummum Pontificem à Chriſto inſtitutum, cuius contrarium latiſſimè eſt heri deductum. dixit 2. quòd ego addidi de proprio, li. *ſoli*, dicens, *ſoli Petro dictum eſt: paſce oues meas, tibi dabo claues*, ego dico verum eſt, quòd Euangeliſtæ addunt, *ſoli*, primum verbum ſoli Petro dictum eſt, ſecundum ſibi ſoli excellenter; Quò ad illud, *paſce oues meas*, dicit S. Tho. quòd hoc Petro in tanta ſingularitate conuenit, quod Chriſtianus dici non poteſt, qui ſe ad obedientiam ſummi Pontificis ſubtrahit. Quò ad 2. dicit Rabanus, *quia enim regem cœlorum maiori deuotione præ cæteris confeſſus eſt meritò præ cæteris, collatis clauibus regni cœleſtis donatus eſt.* Et valdè notandum quod dicit Origenes, quòd Petro dicit Dominus: *Quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* ſed omnibus dicit: *Quodcunq; ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo. Ad ſignandum*, inquit, *priuatum & principatum in Petro ſuper omnes.* Petrum etiam omnibus præfecit, dum ait, *paſce oues meas*, ait B. Auguſt. de quæſt. veteris & noui teſtamenti, q. 20. cap. 17. videte iam, an ſine cauſa addiderim, ſoli, licèt non ſit verbum textus.

Thomas.

Rabanus. S. Th. in cit.

Origen. Matth. 16.

Auguſt. in quæſt. noui teſtam. cap. 75.

Suntà in 3. prob. concluſionis ex praxi Apoſt. circa finem. Matth. 9.

AD duodecimum, vbi argui de praxi ſeptuaginta duorum diſcipulorum, nihil ad propoſitum reſpōdit mihi, quia exponit illum textum, *Rogate dominum meſſis*, totaliter de miſſione facta per Chriſtū perſonaliter in principio vocationis ſeptuaginta duorum diſcipulorum, quod ego non nego. ſed argumentum meum iſtud fuit in ſententia. licèt ſeptuaginta duo à Chriſto miſſi fuerunt ante eius paſſionem, tamen poſt eius glorioſiſſimam aſcēſionem nullibi prædicabant, niſi quo eos Apoſtoli miſerunt, ergo quantum ex praxi illa, nullus noſtrum habet facultatem alicubi prædicandi, niſi vbi mittitur auctoritate Apoſtolorum, id eſt, prælatorum Eccleſiæ. Antecedens probaui ex c. in nouo. quòd Apoſtoli videntes meſſem multam, & operarios paucos, *rogauerunt dominum meſſis*, & ſequitur: *& ipſi elegerunt ſeptuaginta duo. & miſerunt eos ad prædicandum.* hæc ibi. Confirmaui ex Euſebio. Iſta ergo ratio ſtet in alto. Quærit ibi vbi ſeptuaginta duo facti ſunt ſacerdotes? Reſpondeo cum Petro de Palude, quòd hoc in ſcripturis canonicis non reperitur, niſi quod ſeptem facti ſunt Diaconi, & Matthias in locū Iudæ ſucceſſit, & ſimilia, &c.

diſt. 21. in nouo, c. 2. Luc. 10.

AD tredecimum de praxi primitiuæ Eccleſiæ ſimplic ter nihil reſpondit, & optimè tacuit, quia in verita euadere non potuit. Oſtendi enim quod primus Pa poſt Petrum beatus Clemens, prohibet omnibus Sacerdo bus ne quidquam agere audeant, in cuiuſcunque presbyte parochia, abſq; plebani conſenſu. Et beatus Dionyſius at buit prædicationem Epiſcopo propriè & antonomaſtic diſtinguens tres actus hierarchicos, ſecundùm tres grad Eccleſiaſticos, ſcilicet purgare diacono per exorciſatione illuminare presbytero, per baptizationem: proficere Epiſ po, per confirmationem & prędicationem, iuxta declarati nem per me nuper factam.

Progrediendo ad auctoritates ſanctorum Doctorum, ſpondit tantùm ad tres, cùm ego adduxiſſem octo. Primò Ambroſium, qui dicit in ſententia cætera. *Rectores & cæ officia diſtincta ſunt, ne ſi vnus poſſet omnia, vileſcerent ſingula.* ſpondit, quòd hoc ideò eſt, quia aliud officium presbyte aliud diaconi; ſed hic nihil eſt ad mentem Ambroſij, quia tera loquitur de prædicatione & baptizatione, quæ fueru dicit, ſingulis conceſſæ in principio, ſed fundata Eccleſia cit, ſi nunc vnus ſingula faceret, omnia vileſcerent.

Ad auctoritatem Gregorij in capitulo ſcriptum eſt 6. 3. allegat gloſſ. & non ſine vſura comportauit eam, nō en habet gloſſ. quæ propriè gloſſ. dicitur decreti, ſeu appara Ioan. niſi quòd Epiſcopus in aliena diœceſi publicè præ care, tanquam ius habens in populis illis, nō poteſt, ſed p tranſeundo ſine ſolemnitate poteſt eos monere ad bonu ſicut & monachus & quilibet alius, ſecundùm quoſdam men poteſt prędicare, non tamen concitando turbam. 15 Et nota quod ipſe ibi interpoſuit, & addidit etiam ſolen ter, vt hic, tamen non concitando turbas. 16. q. 1. placuit, tera, *ſolenniter*, non habetur in gloſſ. imò gloſſ. habet: *ſine ſolemnitate poteſt eos monere.*

Ad tertiam, quæ eſt beati Bernardi, dicentis: *Monacho phyto, & non miſſo, non licet prædicare.* Reſpondit: *Concedo, q non miſſo, nō licet prædicare, niſi ex ſpeciali miſſione*, ſed multi m nachi ſunt Diaconi & Presbyteri: ergo non licet Diac & presbytero prædicare abſque ſpeciali miſſione. Ex c ceſſo ſic. Non miſſo prædicare nō licet, ſed nulli diaconi presbyteri niſi curati, ſunt miſſi, ſicut & aliqui Religioſi. go nullis talibus niſi curatis licet prædicare abſq; noua m ſione. Sed dicis, quòd oēs Presbyteri & Diaconi ſunt m Quæro à quo? aut à Deo, aut ab homine. Si à Deo; opo hoc probare, ſiue fiat illa miſſio per reuelationem man ſtam, ſiue per inſpirationem occultam. Sic enim docet B. annes: *probate ſpiritus, an ex Deo ſint, & nolite omni ſpiritui cre re:* Sic enim quilibet poſſet dici, etiam hæreticus, laicus mulier, quòd ſint miſſi à Deo. ſi ab homine, oportet què le ſit prælatus Eccleſiæ illius, vbi prædicare intēdis, cùm n lus Vngarus habeat licentiare ad prædicandum in Ang nec econuerſò, ſed tantùm ſunt duo genera prælatorum, poſſunt dare licentiam prædicandi alijs, ſcil. Papa & Epiſ pus loci illius, vbi prædicare intendis. Nam plebanus nō teſt licentiare ad prædicandum in ſua parochia generali niſi tantum approbatos viros, ſcil. ſacræ Theologiæ pro ſores, & ſimiles, vt dicunt Franciſcus Zabarella, Heinr Voyt, & multi Iuriſtæ, c. cùm ex iniun. de hæret. ergo li centia Papæ vel Epiſcopi loci tales dicuntur non miſſi, habent poſſe prædicare verbum Dei. hæc ibi.

Hinc reſpondet ad Concilia generalia, quæ adduxi, & mò ad c. cùm ex iniuncto. dicit concludendo ſic: *Patet ex prædictis, quòd ſicut non eſt cauſa ſufficiens ad probandum, ille Sacerdos vel Diaconus ad prædicandum à Deo eſt miſſus, qu cit miracula, ſed confiteri veritatem facere iuſtitiam, mundum temnere, gloriam ſpernere, opprobria ſuſtinere humiliter, Sacer & Diacono teſtimonium eſt ſufficiens, vt habens legis Dei notiti prædicare liberè Ieſu Chriſti Euangelium, quia ſic eſt à Deo mi & illa eſt miſſio, de qua ad Rom. 10. quomodo prædicabunt, niſi ſantur?* hæc ille. Ecce iā palàm locutus eſt, & erroris fuit ſpiritū euomuit, & quod vſq; huc ſemꝑ palliauit, nunc texit, dixit enim: *oportet prædicantem eſſe miſſum.* Sed iam ditis quod dicit: *Sufficit oſtenſio bonorum operum ad illius miſſ efficaciam, nec alia miſſio Prælati requiritur.* Sic enim exponi poſtolum, vt audiſtis. Sed inſto. Contra iſtam concluſi bimembrem pono duplicem concluſionem: Prima eſt c

prim

1. *Sufficiunt miracula ad probandam miſſioné extraordinariam.* primam partem, ſecunda contra ſecundam partem. prima eſt iſta. *Cauſa ſufficiens ad probãdum quod ille Diaconus vel Sacerdos eſt miſſus à Deo ad prædicãdum, quia facit miracula.* probatur multipliciter. primò ſic. Illa eſt cauſa ſufficiẽs ſe ad probandum à Deo miſſum, quam D .s dedit Moyſi quærenti: *quod ſignum oſtendis mihi, vt ſi dixerint Pharao aut filij Iſrael, nõ miſit te Dominus*, aliâs Dñs inſufficienter miſiſſet Moyſen, ſi cauſa probationis fuiſſet inſufficiens. Sed Dominus non oſtendit ſibi aliã cauſam, ob quã tenerentur Pharao & filij Iſrael ſibi credere ipſum à Deo miſſum, quàm virtutẽ miraculorũ, conuertendo virgã in colubrũ, & ecõuersò. Ergo iſta eſt adhuc ſufficientiſſima ad probãdum ſe miſſum à Deo ad prædicandum, facere miracula.
2. 2. ſic: Illa eſt ad eundẽ finem cauſa ſufficiens, quã Dñs aſſignauit ſuis diſcipulis ad cõfirmationem ſuæ prędicationis, qa nõ miſit eos inſufficiẽter. Sed ipſe Dñs nõ dedit aliã cauſam diſcipulis, dum irent ad prędicandum, cur vbique admitti deberent, niſi quia miracula facerent, vnde illos mittens ad prædicandum ait, Matt. Luc. 10. *infirmos curate, leproſos mundate, dæmonia eijcite*, Matth. & Luc. 10. ergo facere miracula eſt illius probationis cauſa ſufficiens.
3. 3. ſic: Illa cauſa eſt ſufficiens, quam Dominus in ſua praxi aſſignauit Iudæis ad probandum veritatem ſuæ miſſions, quia ipſe omnia benefacit. Sed ipſe aſſignauit eis illam cauſam, ſcilicet, operationem miraculorum ſuorum, dicens: Ioan. 10. 14. 15. *Si mihi non creditis, operibus credite. Et ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ioan. 10. quæ de operibus miraculorum, expreſsè exponit S. Thomas. De Lyra, & alij. Ergo facere miracula eſt ſufficiens cauſa ad probandum, ſe miſſum à Deo ad prædicandum. Quartò ſic: Illa eſt ſufficiens cauſa, qua beatus Paulus probauit, ſe & Petrum à Deo miſſos ad prædicandum. Sed hoc virtute miraculorum. Ergo, &c. Maior patet ad Galat. 2. vbi dicit, *qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* vbi dicit Tho. ibid. ſanctus Thomas. *Sed poſſet aliquis dicere Paulo: vnde conſtat nobis, quòd tibi ſit commiſſum Euangelium à Deo inter gentes? Reſpondit Paulus, per operationem Chriſti in me. Sicut enim patet, quod Petrus accepit Euangelium à Chriſto propter miracula, quæ fecit Chriſtus per eum. Ita patet, quòd ego ſcilicet Paulus ab ipſo Chriſto accepi etiam propter miracula, quæ operatus eſt in me*, hæc ille. Vnde & idem probat ſuum Apoſtolatum, dicens: 2. Cor. 12. Hiero. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt inter vos, in omni patientia, in ſignis & prodigijs, & virtutibus*, hoc eſt, *patientia in moribus, & prodigia in ſignis.* prout exponit B. Hieronymus. Similem ſententiam poſui prius. Sed nihil mihi eſt reſpõſum ad illa, & benè, quia concludunt neceſſariò, nedum quòd facere miracula ſit ſufficiens cauſa, ſed & quòd illa ſint neceſſaria, niſi adducatur teſtimonium ex ſcriptura. Et hoc vult c. *cùm ex iniuncto, de hæret.* vt patet intuenti. Sed contra hoc auiſat dominus opponens, dicens, quòd in fine mundi diſcipuli Antichriſti magis quàm Chriſtiani miracula facient, prout Matt. 24. Matt. 24. patet. Reſpondeo, quòd mirabilia, quæ fient tempore Antichriſti, ſunt reſpuenda, quia non ſunt vera miracula, & cum hoc iam ex ſcriptura canonica auiſata eſt Eccleſia, quòd non ſunt miracula vera, vnde nec Chriſtus, nec Apoſtolus vocat opera Antichriſti miracula, ſed ſigna & 2. Theſſ. 2. Tho. 2. 2. q. 178. ar. 1. ad 2. prodigia. vnde dicit ad Theſſ. 2. quòd aduentus Antichriſti erit ſecundùm operationem ſathanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, vnde dicit S. Thomas 2. 2. Aug. 2. de ciuit. Dei, c. 19. quæſt. 178. ex beato Auguſtino 2. de ciuitate Dei, quòd illa ſigna mendacij dicuntur ſigna vera, quia faciunt veras res, ſicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas, & ſerpentes veros, non autem habebunt rationem veri miraculi, quia fient virtute dæmonum & naturalium cauſarum ad hominum deceptionem, ſed operatio miraculorum, quæ attribuitur gratiæ gratis datæ, fit in virtute diuina ad hominum vtilitatem. 1. q. 1. teneamus, c. 56. Secundò arguit ſic: *mali faciunt miracula, 1. q. 1. Teneamus. Ergo facere miracula non eſt ſufficiens cauſa.* Reſpondeo, quòd duplices ſunt mali, aut qui malè viuunt, aut qui malè docẽt. Aug. trac. 13. ad 3. c. 10. S. Tho. 2. 2. q. 178. ar. 2. ad 3. Dico ergo cum S. Thoma vbi prius, articulo ſecundo ad tertium argumentum, quòd miracula ſemper ſunt vera teſtimonia eius, propter quod fiunt, vnde ſicut hi, qui malè viuunt, nunquàm faciunt miracula in teſtimonium ſuæ ſanctitatis, ſed ſi quandoque Deus miracula per eos facit, eſt in teſtimonium virtutis diuini nominis quod inuocãt, aut teſtimonium virtutis Sacramentorum, quæ applicant ſeu exhibent: ita qui falſa docent, nunquàm poſſunt facere miracula, in teſtimonium veritatis illius falſæ doctrinæ: ſecùs quis etiam malè viuat, & benè doceat, talis enim ſæpè miracula facit, non in teſtimonium ſuæ ſanctitatis, quam non habet, ſed in teſtimonium ſuę verę doctrinę, quam docet, hoc tam clarè docet Dominus Marci 9. vbi poſtquàm dixiſſent diſcipuli, *Domine, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum.* ait Dominus illis, *nolite prohibere eum*, & ſubdit tamen dicens: *Nemo eſt qui facit virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me.*

Contra ſecundam partem ſuæ concluſionis ſit iſta propoſitio. *ſicut cauſa ſufficiens eſt facere miracula ad probandum, miſſum à Deo ad prædicandum, ita non ſufficit facere quæcunq; perfectionis & ſanctitatis opera ad ſufficienter ſe probandum miſſum Deo ad prædicandum, hoc addito, niſi adducat ſpeciale de ſe ſcripturæ ſacræ teſtimonium.* Probatur dupliciter, primo modo ſic quia talia opera ſunt ſæpè apparentia extrinſecùs, & nõ exiſtentia intrinſecùs, ſicut Dominus ait hypocritis Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Sic & vos foris quidem patetis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* & pſeudoapoſtoli ſe in Apoſtolos Chriſti transformãt, ſicut Angelus Sathanæ in Angelum lucis, 2. Cor. 11. ideo Dominus admonet nos, dicens. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autẽ ſunt lupi rapaces.* Matt. 7. & hoc quia licèt Dominus noſter eſſet ſanctiſſimus in omni operatione ſanctitatis, docuit tamen non ſufficere illa opera ad hoc, vt Iudæi crederent eum miſſum à Deo eis in legiſlatorem, ſed direxit eos, ſuper & præter omnia opera ſuæ ſanctitatis, ad opera miraculorum, dicens, *ſi mihi non creditis, operibus credite*, vt dictum eſt. Similiter & Apoſtoli erant ſanctiſſimorum operum, & tamen probant ſuam miſſionem per miracula. Sed contra hoc adducit dominus Replicans auctoritates dicens, quòd probatio ſanctitatis non eſt ſigna facere, ſed iuſtè viuere, & ſic de ſingulis. Ad ea ſimul reſpondeo, quò auctoritates ſicut ſtant, veriſſimæ ſunt. Ego enim concedo, quòd facere miracula non eſt ſemper ſignum ſanctitatis illius qui facit, ſed dico, quòd facere miracula ad probandum ſe eſſe miſſum à Deo ad prædicandum, eſt ſignum ſufficiẽtis probationis. vnde aliud eſt eſſe hominem Dei ſeu virum bonum, aliud eſt, eſſe prædicatorem aptum. Qui ergo benè viuit, oſtendit ſe eſſe à Deo alijs in exemplũ, ſed non probat per hoc ſe miſſum ad prædicandum ſine licentia Prælatorum, niſi oſtendat ſuæ miſſionis miraculum. Sed contra hoc aſſumit ſic: *Si hæc requirerentur vniuerſaliter, tunc maximè deberet dubitari de Patribus huius Concilij ſacerdotibus, quòd ſint à Deo miſſi, cùm nullum adhuc viderim operari miraculum, vel habere ſuper hoc teſtimonium ſcripturæ ſacræ ſpeciale, vltra alios Sacerdotes*, reſpõdeo, quòd Patres huius Concilij ſacri non indigẽt facere miracula, quia nullus eorum iactat ſe inuiſibiliter eſſe miſſum à Deo, ita quòd velit prædicare, nõ habita licentia, imò reclamante, & ſub ſententia excõmunicationis prohibente Prælato cuiuſlibet eorum. Sed vos qui dicitis, vos licentia Prælatorum nõ indigere & poſſe vbique etiã Prælatis cõtradicentibus ad vitam meliorẽ tranſire, ſcil. prædicare, vos tenemini miraculis, vel ſcripturæ teſtimonio oſtẽdere, quòd illã poteſtatem habetis à Deo, ita dicit c. *cùm ex iniuncto.* 2. qui horum Patrum Reuerendiſſ. doctrinã & fidem à Deo eſſe, approbat vniuerſalis Eccleſia Spiritu ſancto edocta, qui docet eam omnem veritatem, ſecundùm promiſſionem Dñi noſtri Ieſu Chriſti, pariformiter ſummus Pontifex vicarius eius vnicus in terris, cui Dominus in perſona Eccleſię ait. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, & iterum: *tu es Petrus, & ſuper hanc Petrã ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* & iterum: *Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationẽ ſæculi.* & iterũ: *Ego rogabo Patrẽ et aliũ paraclitum dabit vobis Spiritũ veritatis, vt ſit vobiſcum in æternum.* 3. quia qui noua prædicat & inſolita, prout vos facitis Bohemi, tenetur illam nouã doctrinã comprobare nouis ſignis, quia Saluator noſter vt primò miſit Apoſtolos ad prædicãdum nouã doctrinã, ſcil. de regno Dei, dedit eis ſimul cum hoc poteſtatẽ ſuper omnia dęmonia eijciẽdi, & vt lãnguores curarẽt. Matt. & Luc. 10. vbi dicit Beda lib. 3. cap. 3. ſuper Lucam. *Conceſſa primùm poteſtate ſignorum,*

miſit prædicare regnum Dei, vt promiſſorum magnitudinis atteſtare-tur magnitudo factorum, fidemq́; verbis daret virtus oſtenſa, & noua facerent, qui noua prædicarent. hæc ille. Si dicis, non eſt iam
Iſidorus. tempus faciendi miracula, quia dicit Iſidorus lib. 1. de ſummo bono, cap. vigeſimo quinto: *Antequàm Antechriſtus appareat, virtutes ab Eccleſia ceſſabunt*. Reſpondeo quòd iam ceſſarunt miracula, non ideò, vt qui vult, prędicet & dicat, ſe miſſum à Deo, & hoc ſufficiat, nec miraculo probare debeatis, ſed ideò, quia fides Catholica eſt plenè fundata, nec eget
Greg. ho. 29. probatione noua, & hoc eſt quod dicit beatus Gregorius ſecunda parte homiliarum, homil. nona, *vt fides credentium creſceret miraculis fuit nutrienda: quia nos cum arbuſta plantamus, tamdiù aquam ſuperfundimus, quouſq́; ea in terra coaluiſſe videamus, quaſi radicem fixerit, à rigando ceſſamus*. hęc ille. & hęc de materia miraculorum.

CONSEQVENTER de literis commendatitijs dicit, quòd inuentæ ſunt propter malos. Reſpódeo, quod vtiq; hoc verum eſt, quod propter Pſeudoapoſtolos, dicit glo. 2. Cor. 3. ſuper illud: *Numquid commendatitijs egemus literis, ſicut quidam*, ſcilicet qui ſunt Pſeudoapoſtoli? Reſpondit S. Thomas in libro de cótra impugnantes Religionem, propè finẽ: Propriè duo ſunt genera hominum, ſcilicet non miſſi prædicantes, & falſa docentes, de quibus ambobus ſimul Dominus ait 23. *Non mittebam eos, & ipſi currebant*, quo ad primum. *Non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant*. Quo ad ſecundum. Iſti ſunt qui tenentur habere literas commendatitias, qui prædicare volunt inuitis Prælatis. Ad id quod dicitur
Act. 13. Actorum decimotertio, quòd Paulus & Barnabas ſedebant in templo, & Principes miſerunt ad eos, an haberent ver-
Lira ibid. bum exhortationis ad plebem, dicit Lyra, quòd ex hoc eorum prædicatio efficacior reddebatur, quòd ſe non ingeſſe-
Glo. ord. ibi. runt ad prædicandum, ſed rogati fuerunt, gloſſa dicit: *ſedent quaſi audituri legem, non quaſi prædicaturi, ecce humilitatis exem-*
Glo. interl. ib. *plum*. dicit gloſſa. *dicũt Principes ad Apoſtolos: Si habetis verbum exhortationis? non dicunt, prædicationis vel lectionis*. hæc ibi. Non debent ergo Diaconi vel Presbyteri prædicare, niſi inuita-
7. q. 1. Epiſcopi, c. 38. ti ad ſermocinandum. 7. q. 1. *Epiſcopi*. Ad textum quem ad-
19. q. 2. Duæ. c. 2. ducit 19. c. 2. *Duæ*. qui dicit, quòd propter criminoſos literæ commendatitiæ inuentæ ſunt. Si gloſſam legiſſetis, tacuiſſetis, quia dicit gloſſa ſic: *Licèt propter criminoſos fuerit conſtitutio data, extenditur tamen etiam ad non criminoſos, quia nullus recipitur ſine commendatitijs literis. Etenim quod ſtatuitur propter cauſam impulſiuam, cauſa ceſſante non ideo ceſſat conſtitutio, ſicut dicitur. ff. de dona. l. 2. §. vlt.* hæc gloſ. Quod autem concludit Replicans ex eodem textu, dicens: *Ex iſto Canone 19. q. 2. Duæ. ſequitur tertiò, quòd quiſquis ſpiritu Dei ducitur. Epiſcopo cõtradicenti, ad meliorem vitam poteſt tranſire. Ex quo patet etiam, quòd Diaconus vel Sacerdos diſpoſitus ad prædicandum, & ductus Spiritu Dei liberè Chriſti Euangelium abſq́; licentia Prælati ſpeciali poteſt prædicare, patet*, inquit, *quia bonum eſt Diaconum vel Presbyterum, vel Sacerdotem benè viuere, melius benè viuere & vtiliter prædicare, ergo poterit de prædicationis otio, in laborem, & ſic tranſire ad vitam meliorem*. Ecce iterum palàm loquitur, & prouerbia obijcit, & ſic dico duo. Primum, quòd Spiritu ſancto ductus poteſt ingredi Religionem, nolente Epiſcopo. Secundò, quod hoc eſt omninò falſum, quod ex hoc, inquit, patet, quod etiam Sacerdos vel Diaconus diſpoſitus ad prædicandum ductus Spiritu Dei, abſque licentia Epiſcopi liberè poſſit prædicare Euangelium Chriſti. Nam dico pro concluſione, quod quicunque Spiritu Dei agitur, nunquàm contra voluntatem Prælati, vel ſine licentia Prælati, agit in ſua Eccleſia vel diœceſi, quia Spiritus ſanctus non eſt arrogans, importunus, aut inobedientię magiſter, ſed potiùs mi-
Sap. 7. tis, manſuetus, humilis, vt patet Sap. 7. vnde ſecurè dico, quòd quicunque à Deo ad prædicandum mittitur, ſe Prælato præſentare tenetur maximè, ſi requiſitus fuerit à Pręlato, vt approbationẽ eius accipiat, & obediẽtię virtutẽ oſtendat. vnde in c. *cùm ex iniuncto* dicitur: *Si tamè de hac inuiſibili miſſione conſtaret*, ex quo concluditur, quòd qui aſſerit illam inuiſibilem miſſionem, tenetur eam probare, & cognitio talium de iure, & conſuetudine, ſpectat fieri coram Papa, vel Epiſcopo loci, ſecundùm illa quæ habentur & notantur in
c. venerabili. de teſta. 51. Itẽ c. *venerabili*, de teſt. & in c. 1. de reliquijs & veneratione Sanctorum, & ſic tenetur ſe prǽſentare Prælato, etiam ſi ſit miſ-

ſus à Deo miſſione inuiſibili, & probare eam modis præ-
ctis, & dico maximè ſi requiſitus fuerit. 1. propter Paulũ, q
ſe Petro non ſtatim præſentauit, ſed diù poſt vocatione
& hoc quia à Chriſto vocatus, nec à Petro requiſit, prop
certitudinem miraculorũ, quæ fecit Dominus propter Pa
lum, & propter S. Equitium Abbatem, qui miſſus à Deo p
Angelum tandẽ requiſitus per Prælatũ, ſubitò ei parere v
luit, niſi Dñs miraculorum euidentia præueniſſet, vt pa
lib. 1. dialogorum, c. 4. & probatur propoſitio multiplicit
primò per B. Auguſtinum in fine ad Oroſium dicente
illum cognoſce miſſum à Deo, quem non paucorum hominum ad
tio eligit, ſed illum, quem vita & mores optimi, & Apoſtolicorũ e
minatio commendat Sacerdotum, hæc ille. Ecce quomodo n
ſufficit ſe dicere miſſum à Deo, ex moribus optimis, ſed
requiritur Apoſtolicorum Sacerdotum, & Prælatorum e
minatio. 2. dicit gl. hoc de offi. ordi. c. *inter cætera*. quòd r
li licet prædicare, niſi mittatur auctoritate Epiſcoporũ,
Apoſtolicæ ſedis. de hæret. c. *excommunicamus*. §. *quia v*
hæc ibi. Si nulli, ergo nec ei, qui ſe dicit à Spiritu ſancto
ſpiratum, præſertim ſi requiſitus fuerit à Prælato. 3. dici
Bern. vt allegatum eſt de inſtinctionib. *ea cogitatio, quæ p*
ca videtur, nec ad vitia trahit apertè tunc diuinam à Deo n
eſſe. ſi pacifica ſit ſi Prælati tui atq́; ſpiritualium fratrum approb
iudicio: quoniam non facit Dominus verbum, quòd non reuelat
ſeruis ſuis. propter hoc Paulus mittitur ad Ananiam, ſic C
nelius dirigitur ad Petrum. ſic Eunuchus inſtruitur per P
lippum, vt approbationem & iudicium Prælati, & viro
ſpiritualiũ requirere doceremur, ſicut de eo plenius in c
tionibus Patrum habetur. 4. hoc dicit Zabarella de hære
excõmunicamus. ſuper verbo, *vſurpare*, dicẽs, *qui*, inquit, *p*
cat ſine licentia, dicitur vſurpare. & talis eſt, qui probatur
miſſus, vel qui non habet auctoritatem à Papa, vel ab Ep
po loci, vel qui miſſionem non cóprobat per operatio
miraculi, vel ſcripturæ teſtimonium, ita quòd ſit miſſus eo
do, quo ſcriptura præcepit, ſecũdùm Innoc. & dicit Hoſ
tis, quòd in hac re tam ardua, nó credetur ipſius iurame
tum quia ſolius, tum quia in re propria. 4. q. 3. de teſt.
& hoc eſt quod communiter volunt canones, quòd nu
cet prædicare in diœceſi cuiuſcunq; Epiſcopi, ſine eius
tia. 16. q. 1. *cunctis fidelibus*, & ſummo opere omnibus Pre
teris & Diaconibus, & reliquis clericis attendendum
nihil abſq; Epiſcopi propria licentia agant, nó vtiq; m
ſine eius iuſſu quiſq; Presbyterorum in ſua parochia
non baptizet, neq; quicquã abſq; eius permiſſu faciat.
ibi. Vnde dico, quòd talis à Deo miſſus tenetur ſe Præ
inſinuare, & ab eo licentiã petere. quòd ſi miſſio eſſet oc
ta, tenetur eam probare per miracula vel ſcripturã ſed ſi
nifeſta, & magnificè probata eſſet, & Prælatus malitioſè
let eum licentiare, fortè ſufficeret licentia diuina.

Poſt hæc aggreditur reſponſiones meas, vbi inter
ta reſumptione indigna, dicit primò, quòd vbi ego di
eſſe ſimile de pane materiali, & ſpirituali. Quia in eleem
na materiali non ſequuntur pericula apud ſuſcipientes,
in pane verbi, quòd ſpargerent hæretici. dicit hoc non
vniuerſaliter verum, ſed & ex ſuperflua eleemoſyna, q
Clerus recipit, omne malum in Clero ſubſecutũ eſt, &
merat multa multa vitia. Dico. hoc eſt omninò dubiun
in cœlo orta ſunt ſchiſmata, vbi iſta temporalia nó fue
Et hodiè pauperiores ſunt deteriores. Iure certum eſt, q
diuitiæ ſunt organa ad virtutem, ſecundùm Philoſop
primo Ethicor. & ſunt multis materia benè operandi.
cit etiam, quòd malè argui, deſcendendo de vno ſtatu
lium, ſic ſcilicet ſecundùm eum ſequeretur, vbi arguit,
dare eleemoſynam corporalem ſine licentia, ergo & ſpiritualem
licet prædicare. Sequetur. *Licet Laico dare eleemoſynam cor*
lem, ergo & celebrare Miſſam, cùm Miſſa ſit eleemoſyna ſpiri
& ipſemet ibi deſcendit, de ſtatu vno in alium. Poſui
alias ſimilitudines, quas dimiſit intactas. Poſteà ad te
ſolutionem dicit, quod, vbi dixi, eſſe diſſimilia, genera
lios carnis, & ſpiritus. quia generare filios carnales
principalis finis matrimonij: Sed principalis finis Sace
tij * omninò eſſet generare filios Dei per prædicatio
ſed magis conficere corpus Chriſti verum. Dicit ho
contra factum & dictum Chriſti, Lucæ 4. *Quia & in al*
uitatibus oportet me euangelizare. vbi habetur ibi, quòd

cipalis actus Sacerdotij non ſit ſuper corpus Chriſti verum. Ad ſimiles fabulas multas, ineptum iudicaui reſpondere, ne obtunderem aures veſtras, Patres reuerendiſſimi.

Suprà corol.1.

Circa primum corollarium, vbi dixi, nõ quilibet Sacerdos Domini habet facultatem prædicandi virtute Sacerdotij, allegaui ſex Doctores. nihil reſpondit, niſi tantùm in effectu ad propoſitum, cõtra iſtud ſcilicet, arguit ſic: *Cuicunq; Papa committit officium prædicandi, ille habet ex eodem. Ergo cui Deus committit officium prædicandi, ille habet ex eodem.* Verum eſt. ſed oſtendat, quòd Deus commiſerit officium illud, & credemus ei, vt dicit c. *Cùm ex iniuncto*, de hæret.

Sup. coroll.2.

Circa ſecundum corollarium, quod probaui ſex rationibus, nihil reſpondit, niſi ad illam, vbi ego probando dixi, quòd non eſſet præceptum Domini, prædicare Presbyteros ſingulos, dicit, quòd neget Maiorem, ſcilicet illud: *Non eſt præceptum homini, à quo ſe licitè excuſare poteſt*: quia dicit, eleemoſynam eſſe præceptum, à qua excuſentur multi. Dico, quòd eleemoſyna nulli eſt præcepta, pro tunc, dum ab eius impenſione poteſt licitè excuſari. Eſt enim præceptum affirmatiuum, non obligans, niſi pro hic & nunc. Conſequenter ibi ego reſpondendo dixi, quod illud præceptum Domini: *Ite in orbem vniuerſum*, non obligabat vniuerſos Apoſtolos, vt quilibet eorum iret in totũ mundum, & in quemlibet angulum orbis, quia nullus eorũ hoc fecit, dicit quod iſtud eſt cõtra illud Acto.10. *Nobis præcepit Deus prædicare populo*, &c. Nego hoc, quia nõ dicit; præcepit cuilibet noſtrûm ſigillatim prædicare in quolibet angulo mundi, licè diſperſi ita prædicabant, quòd in omnem terram exiuit ſonus eorum. Ad illam autem: *Fidelis ſeruus & prudens*, dixi, quod dicta eſt de Prælatis, qui ſunt conſtituti ſuper familiam Domini; Replicans dixit, quòd etiam alij Presbyteri debent habere curam de familia Domini, iuxta illud Eccl.17. *Vnicuiq; mandauit Deus de proximo ſuo.* Reſpondet beatus Thomas quodlibetico 12.q.18.ar.29. Quòd Deus nõ præcipit cuilibet curare de proximo per publicam prædicationem, ſed priuatam admonitionem: Adducit Chryſoſt. contra: *Nam Sacerdos debitor eſt, vt veritatem quam audit à Deo, liberè prædicet*, 11.q.3.*nolite*. Reſpondeo quòd ſenſus textus eſt, quod vbi periculum fidei imminet, & confeſſio requirit, tenetur Sacerdos ſicut & laicus veritatem Dei confiteri, & ſi propter timorem mortis, veritatem non cõfiteretur, peccaret. Ad auctoritatem Iſaiæ, *clama ne ceſſes*. dixi, quòd Iſaiæ ſoli præceptum. dicit quòd nõ, quia ſecundùm Lyram, intelligitur de Chriſto ad literam, & illa vox dicentis *clama*, extenditur ad Ioan. Baptiſtam. Reſpondeo, quod non eſt inconueniens ad eundem textum habere plures ſenſus literales, ſicut Lyra exponit illam auctoritatem ad Hebræos 10. *& ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium*. 2. Reg. 7. de Salomone & de Chriſto. tamẽ literaliter principalius de Iſaia dicta ſunt, vt patet ex nuda hiſtoria textus, contra vos, qui audebatis dicere, quomodo obligaret omnes.

Act.10.

Eccl.17. S.Thom. quodl.12. q.18.ar.29.

11.q.3. nolite, c.86. Auctor operis imperfecti, hom.25. Eſai.58.

POſt hoc adducit auctoritates tres, quarum ſenſus eſt, quòd Sacerdotes inſtituuntur ad prædicãdum, & ad interpretandum legem. Reſpondeo primò, quòd ſæpè in dictis ſanctorũ, Sacerdos pro Epiſcopo ponitur, & pro curato, de quibus cõmuniter intelliguntur iſtę auctoritates, ſicut patet in c. *ſit rector.* vbi B. Gregorius dicit, *præconis officiũ ſuſcipit quiſquis ad ſacerdotium accedit.* vbi ad literam loquitur de rectorib⁹ & paſtoribus ſub nomine Sacerdotis, ita in propoſito. Secundò dico cum D. Gulielmo Pariſienſi in ſuo ſacramentali capitulo de ſacro ordine, quod Sacerdotum officium fuit ſemper prædicare, iuxta illud Malach.2. *labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam, & legem de manu eius requirant.* & infrà dicit, quòd Sacerdos modicam auctoritaté docendi habet, quia datur eis cum ſola cura animarum, tanquàm annexum. Ex tũc enim tenetur docere populum ſibi cõmiſſum. nunquã tamẽ dicitur eis in ſua ordinatione, *ita docete, & prædicate*, docere enim & prædicare eſt ſpeciale officium Epiſcoporum, quod in conſecrationibus ſuis eis dicitur. *Ite prædicate populis*, hæc ille. Et per hoc ſoluuntur duo motiua Domini Replicantis ſuperius poſita, quia dicit, *ſiue cum charactere, ſiue aliter, hoc ſcio quod Sacerdos habet poteſtatẽ prædicandi*, & probat primò ſic, quia ſi non, cur cãtaretur in eorum ordinatione, *Ite in orbem?* Ad hoc dico, quòd ego quæſiui à multis Epiſcopis præſentibus & abſentibus, quia dicunt ſe illud non facere decãtari. Inſuper nec in rationali diuinorum reperitur quidquam de iſto, & ita non eſt eſſentiale officij. Dico ſecundò, quòd quia in aliquib⁹ Eccleſijs iſta verba decantantur, hoc fit in fine, quando totum officium eſt finitum, & Presbyteri iam ſegregantur ad ſe exuendum. Tunc cantãt Clerici: *Ite in orbem*, &c. Et tunc dico duo. Primum quòd iſta deuotio eſt purè cæremonialis, & nõ habet vllã efficaciam admittendi eos ad prædicandum, ſecundùm quod iſta decantatio non mittit Presbyteros; eo quòd illi qui cantant, non habent auctoritatẽ mittendi eos, nec Epiſcopus poteſt mittere niſi per diœceſin ſuam, vt dicunt Doctores circa c. *cùm ex iniuncto*, de hær. Arguit 2. ſic, quia in pontificali dicitur: *Oportet Epiſcopum benedicere, præeſſe, & prædicare.* dico vt prius quod ibi oſtenditur, quod ſit officiũ Sacerdotis. Sed illius officij executio nõ datur, niſi dum cura ſibi cõmittitur, aut aliunde executio impertiatur. Vnde dicitur 24.q.1.*miramur*, quod aliud eſt poteſtas officij, aliud eſt executio. in pleriſq; eſt vnũ ſine altero, vt in Monachis, qui habent officiũ ſed nõ executionem, niſi ex ſpeciali cõmiſſione: ita dicitur in c. *adijcimus*. Ecce quòd ſinguli Sacerdotes in ſua dedicatione presbyteratus baptizãdi & prędicandi poteſtatẽ accipiũt, ſed executionẽ illius poteſtatis non habent, niſi ad talia aſſumantur, ſicut agens naturale potentiam habet agendi, ſed non habet executionem illius potentiæ, niſi habeat materiã ſibi miniſtratam, vt applicat de prædicatione S. Thomas quodlibetico duodecimo, quæſtione decima octaua, art.29. vt prædictum eſt, &c.

CIRCA tertium corollariũ de Diaconibus dicit, quòd mea propoſitio nõ fuit contraria ſuæ, & ego dixi tunc, quòd ſic: quia licèt nõ dicat in cõcluſione de præcepto, tamen exponit ly. *debet*, capi præceptiuè, dicit me truncaſſe gloſſam. *Inſaniа*. dico, quòd verba ſuperflua caueo, recepi quòd deſeruirent mihi, omiſi quo non indigerem, & tamen poſuit contrarium eius quod poſui, ſi nõ in concluſione, tamen in declaratione. Adhuc pro mea cõccluſione ſtant, pro me adducta; quia allegaui ſeptem rationes, & nõ reſpondit mihi ad vltimam, & loco illius adduco VVilhelmum de monte Lauduno qui dicit in Rubrica de ordine Diaconatus, quòd officium Diaconi eſt prædicare, id eſt, legere recitando Euangelium & Epiſtolam, quæ ſunt de nouo teſtamento. Et ſubdit, *nec intelligas quo prædicare verbum Dei eis licet ratione huius ordinis, quia ſolùm Magiſtris in Theologia, ſeu Epiſcopis, & alijs, qui ad hoc officium, ſcilicet prædicandi propter curam animarum electi ſunt, his licet*. hæc ille. Sed abſit, vt Dionyſius diuiniſſimus accedat, quaſi Diacono officium prædicationis aſſcribat, nequaquàm. dicit enim dominus Albertus ibidem ſic, poſt verba Dionyſij, quòd Dionyſius dicit, quòd iſta communia erant in cõſummatiuis orationibus, ſcilicet quibus conſecrabantur Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, & iſta eſſe communia. primum eſt, quòd ſignantur ſigno crucis. Secundum, quòd recitantur ab Epiſcopo ex nomine, quòd ad talem ordinem aſſumantur. Tertium, quòd oſculantur omnes *Sancti, qui adſunt. Quartum, quòd quilibet horum ab Epiſcopo conſecratur. Primum notatur ibidem *ſignaculum cruciforme*, id eſt, in modum crucis. Secũdum ibi: *prædicatio*, id eſt, recitatio ex nomine, quòd ad talem ordinẽ aſſumantur. quia Epiſcopus dicebat * ſignanter, Ille de Sacerdotibus in Epiſcopum diuina eum prouehente gratia aſſumetur. Et ſimiliter de alijs. Tertium ibi: *ſalutatio*, id eſt, oſculatio, & hic erat ritus conſecrationis in primitiua Eccleſia: vnus Epiſcopus poterat Epiſcopum conſecrare. hæc ille. Ex quibus patet, replicantem non intellexiſſe Dionyſium. Prædicatio enim dicitur ibi paſſiuè pro recitatione publica ex nomine. Et quia dicit, me truncaſſe gloſſã, oſtendam ipſum truncaſſe illam partem gloſſæ, quæ totam ſuam glo. *excitat. Verbum enim ipſe ceſſauit, ſequitur & ſic in ſede Apoſtolica. Ex quo quidam dicunt in Romana Eccleſia, & de Cardinalibus hoc ſtatutum ſeruandum. hic verò intelligit generaliter eſſe prohibitum, cùm ad legendum Euangelium ſint inſtituti, quod patet ex illo verbo, quod dicit, *infra miſſarũ ſolennia.* hæc ibi, vt dicit gloſſa quod nullo modo eſt dicẽdum, Diaconi officium eſſe prædicare publicè, ſed legere Euangelium, quod notat textus qui ſequitur in eodẽ cap.

Gregor.2. par. paſtoralis c. 4. diſt.43. ſit rector. c.1. Guliel. Pariſienſis.

dicens:

dicens. *Quia de re præſenti decreto conſtituto vt in ſede hac ſanctæ altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumq́; Euãgelicæ lectionis officium infra miſſarum ſolemnia exſoluant.* hæc ibi. Nota, dicit, quòd ſolùm lectionis Euangelicæ officium exoluant, quòd prius dixit *prædicare*, & ſic ipſe truncauit textum cum gloſſa ſatis præiudicialiter. patet ergo, quòd niſi Diaconi ſint curati, non conuenit eis abſque licentia ſpeciali prædicare. Sed dicit Replicans, *miranda res. ſi officium Diaconi non eſt niſi legere Euangelium, cur eius officium eſt tam periculoſum, vt dicit Auguſt. diſt. 40. Ante omnia.* Reſpondeo, quod non ideo dicitur periculoſum, quia habet legere Euangelium, ſed quia Diaconus habet in omnibus aſſiſtere Presbytero, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur in ſacramentis Chriſti, ſcilicet in Chriſmate, in patena & calice, & ſic de ſingulis, vt patet in c. *perlectis*. diſt. 25. & in c. *cleros*. diſt. 21. ſicut in Sacerdotibus conſecratio, ita in Diacono miniſterij diſpenſatio. Et cùm periculoſum ſit gerere officium Sacerdotij propter ſacrum ordinem quem habet, vt caſtè viuat, bonã vitam ducat, & Sacramẽta dignè tractet, ſic & omnia illa extinguuntur in Diacono, & tamen multi ſunt Presbyteri, qui non tenentur prædicare, nihilominùs officium eorũ eſt periculoſum propter ordinis eminentiam, & eorum, quæ ad ordinem requiruntur presbyteralem, ſic & in Diacono.

diſt. 40. ante om. c. 7. Aug. ad Valerium, [illegible] diſt. 25. [illegible] diſt. 21. cleros. c. 1.

Sup. cor. 4. CIRCA quartum corollarium ponit, vt dicit, mihi oppoſitum, ſcilicet quod cõgruit valdè multos eſſe prædicantes, etiamſi non tot ſint populo miſſantes. Non eſt mihi oppoſitum, quia ſtant ſimul, quod in caſu congruit multos eſſe prædicantes, in caſu multos miſſantes, ſimul ambo haberi non poſſunt. dixi enim ſic inter cætera; Sciendum tamen, quòd in caſu fortè eſſet laudabilius prædicare ei, qui habet auctoritatem, quàm miſſare, ſcilicet ſi eſſet populus infirmus & infidelis in his, quæ credere vel agere monentur. Tunc ſi talis Sacerdos ſimul vtrumq; facere nõ poſſet, potiùs eſſet ei prædicandum, quàm miſſandum. Et tunc diceretur prædicare eſſe meliùs, quàm miſſare, non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſtante tali conditione. & ſic ſecundum quid cederet perfectiùs minus perfecto, ſcilicet in ordine ad talem populum infirmum & ægrotantem, ſicut bonum vinum licèt de ſe ſit melius quàm aqua, tamen aqua melior eſt febricitanti. Veruntamen communiter actus miſſandi non repugnat actui prædicandi, imò ſimul ſtant, & vnus ordinatur ad alium, ſicut prædicatio ordinatur ad hoc, vt populus deuotiùs præparetur ad audiendum Miſſam, in cuius ſignum prædicatio ſolet communiter fieri ante eleuationem, ſcilicet poſt Euangelium. ſed populo iam benè conuerſo, dixi, vtilius eſt ſæpè miſſare, & interdum prædicare, quàm quotidiè prædicare, & raro miſſare. Quod autem inter cætera dicit, quòd negligẽtiæ Chriſtiani populi plus purgantur per alia, quàm per miſſarum conſuetudinalem auditionem, puta per eleemoſynarum largitionẽ, verbi Dei deuotã auditionem, euchariſtię cõmunionem. dico quod hoc aliquando fallit, quòd plus purgantur per iſta, quã per miſſarum auditionem, quia ſæpè cum maiori deuotione & diſpoſitione audit Miſſam, quã faceret alia illa, vel alterum ex his. & ſic percipit effectum ſpiritualis cõmunionis & incorporationis corporis Chriſti. vnde nõ ſolùm Sacerdos, ſed & circũſtantes dicuntur *cõmunicantes*, ideo licèt ipſe ſolus communicet, tamen in plurali orat, dicens, *purificent nos quæſumus Domine Sacramenta quæ ſumpſimus.* Ad rationes in contrarium adductas. Ad 1. *illud plus congruit populo, cuius exemplũ Chriſtus, Apoſtoli, & primitiua Eccleſia in ſe plus oſtendunt, ſed illi plus prædicãrunt, quàm miſſãrunt. ergo, &c.* Reſpn. quoad Chriſtum, non ſequitur, Chriſtus pluries prædicauit, & tãtùm ſemel miſſauit, ergo vtilius eſt prædicare, quàm miſſare, quia vt prædixi, Chriſtus tantùm ſemel paſſus eſt, & pluries prædicauit, & tamen eius paſſio vtilior eſt quàm eius prædicatio; nõ enim quod pluries fit, de eo melius eſt, ſed imperfectius, vt declaraui. Ad Apoſtolos & Eccleſiam primitiuã, An illi ſæpiùs prædicauerint vel celebrauerint, neſcio, credo quod quotidiè celebrauerunt, nã fideles quotidiè cõmunicauerunt. de conſ. diſt. 2. *peracta*. ergo & Apoſto. nec eſt veriſimile quòd Apoſtoli induxiſſent populũ ad quotidiè cõmunicandum, niſi hoc etiã exemplo oſtẽdiſſent, & ipſi miſſando celebraſſent, vnde erãt perſeuerãtes in oratione, & fractione panis.

De cõſec. diſt. 2. Peracta, c. 10.

Ad ſecundã, vbi arguit, *illud valdè cõgruit populo quod eſt pabulum digmoris partis hominis. ſed hoc eſt verbũ Dei.* Reſpondeo, quòd nõ minus eſt pabulum animæ auditio Miſſæ, per quã homo incorporatur Chriſto, vt dictũ eſt. Ad tertiam: *Illud plus congruit populo. per quod plures cõuertuntur ad fidẽ. ſed tale eſt prædicatio, ergo &c.* Reſpõdeo, quòd in caſu, vbi populus indigeret cõuerti, & Sacerdos non poſſet vtrumq; ſimul facere, celebrare, & prædicare, potiùs eſſet prædicandum, quàm celebrãdum. Ad quartum. *Illud plus cõgruit populo per quã generantur in filios Dei, ſed hoc eſt prædicatio.* Reſpondeo, quòd vbi populus eſſet extra fidem, & ſic non eſſent filij Dei, iuxta illud Ioannis 1. *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, vtilior eſſet prædicatio. Sed dum ſunt filij Dei per fidẽ, vt nunc eſt populus in fide fundatus, vtilior eſt celebratio. Dico etiam quòd miſſatio in hoc excedit prædicationẽ, quia prædicatio tantùm conuertit viues, celebratio Miſſæ etiam adiuuat defunctos. In pleriſque tamen prædicatio & miſſatio ſe habent adinuicem, vt excedentia & exceſſa. Ad quintum. *Illud plus congruit populo, cuius executionem Dominus ſtrictius præcepit fieri, ſed hoc fuit prædicatio.* Reſpondeo, quod Dominus non minus præcepit Apoſtolis Miſſas celebrare, quàm prædicare, Nam ſicut præcepit dicẽs, *euntes prædicate*, ita præcepit, *hoc facite in meam commemorationem.* tamẽ comparationibus omiſſis, tenemus cum B. Auguſtino, q. 1. *interrogo.* quod non minus eſt verbum Dei, quàm corpus Chriſti ſecundùm gloſſam hoc modo, quod plures conuertit, & facit compungi hominem, vt omnia peccata per verbum Chriſti quãdoq; tollantur. Sed per corpus Chriſti venialia tantùm tolluntur, vt de conſec. diſt. 2. c. *iteratur*, & c. *quotidiè*, hæc ille. Tamen inter omnia grata Deo Patri, gratiſſimum eſt ſacrum Miſſę officium, nihil enim in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Ieſu Chriſti. de conſecrat. diſt. 2. *nihil.*

Ioann. 1. — 1. q. 1. interrogo, c. 94. — de conſec. diſt. 2. iteratur c. 7[illegible] — de conſec. diſt. 2. quotidiè. — de cõſ. diſt. 2. nihil.

Sup. cor. 5. CIRCA quintum corollarium inter cætera diffamatoria dicit de templis & altaribus, *ſic putant enim cæci duces cum cæco populo, quod verus Dei cultus & honor, aut Sanctorũ laus conſiſtat in ampla templorum ſtructura, aut in altarium ſplendida multitudine, &c.* Pro certo dico, quod non mirum, ſi populus audiens talia prædicare Sacerdotes, frangit templa, euertit altaria, deſtruitq́; Sancta. Verè ita eſt, ſicut dominus Replicans dicit in vno corollario, cauſæ ruinæ populi ſunt maximè ſacerdotes mali, præſertim hæretici peſſimi, præambuli Antichriſti, qui quidquid Chriſti nomine cõſecratum eſt, Antichriſti more demoliri conantur, & in tantis ſacrilegijs, cùm quid agam, ego ignoro, hoc mihi reſidui eſt, ad omnipotentem oculos erigere cordis, & clamantem exaudiet me, ſecundùm magnam gloriam ſuam, orantem illud Pſalmiſtæ: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum, improperium ipſorũ, quod exprobrauerunt tibi Domine, nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ confitebimur in ſæculum, Amen.*

Pſal. 78.

Sup. cor. 6. CIRCA ſextum corollarium: *Cuicunq; ex cauſa rationali Papa prohiberet officium prædicandi ſub excõmunicationis ſententia, ille teneretur obedire.* Probaui ex praxi Chriſti, & ſuorũ Apoſtolorum ex Cõcilio Niceno, Carthaginenſi, & alijs, ex c. *cum ex iniuncto.* & ſententialiter concluſi, quomodo vnicõ ſole, id eſt, Eccleſię vniuerſalis auctoritate, omnia ſuarum diſputationum allegata, poteram exſiccare, ſicut B. Hieron. poſt longam diſputationem dixit ad Luciferianũ. Reſponſionem nullã reportaui, & optimè, quia ſpero quòd conſentiat veritati à me irrefragabiliter probatæ.

S. Hieron. cõtra Luciferianos.

Sup. cor. 7. IN ſeptimo corollario meo mihi condeſcendit, & ſe correxit, quia primò poſuit, quod propter ſcãdalum peruerſorum non eſſet omittenda prædicatio. Nunc declarat ſe, dicens, *ſicut ego poſui, quod non ſimpliciter, ſed aliquando poſſunt ad tempus propter ſcandalum puſillorum.* hoc ego conceſſi, & ſcripturis multis probaui. Tamen quia non obſtante illa declaratione, probat primã concluſionem tripliciter. Ego reſpondendo ad 1. articulum: *Nullum præceptum Domini propter ſcandalum peruerſorum eſt omittẽdum, ſed fidelis prædicatio verbi Dei eſt præceptum Domini, ergo, &c.* Reſp. quòd in tali caſu, vbi, vt dixi

dixi in prima poſitione, omnes ſcadalizantur de prædicatione, non eſt præceptum Domini prædicare, imò eſt præceptum eius pro tunc tacere, iuxta illud Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus*, ſecũdùm expoſitionem beatorum. Chryſoſt. & Auguſt. Ad 2. *Oblatio venerabilis ſacri Eucharistiæ non eſt omittenda propter ſcandalum peruerſorum. ergo nec prædicatio.* Reſpon. quod in caſu vbi celebrans ſcandalizaret aliquem, vtpotè, vt ſi eſſet publicus concubinarius, vel ſimili crimine notorio conuictus, deberet prius à celebratione abſtinere, quàm in ſcandalizatione celebrare. Ad 3. *Pabulum fidelium non eſt omittendum propter ſcandalum peruerſorum, ſed prædicare eſt huiuſmodi.* Reſp. quòd in caſu ſcandali prædicatio nõ eſt pabulum ſcandalizatorum, vt deduxi in poſitione aliâs, ex Petro de Palude.

Sup. in cor. 8. IN corollario octauo increpat me, quod dixi, Prælatos & Epiſcopos poſſe per ſe vel per alios in certis caſibus ſatisfacere officio prædicationis, vbi ipſe vult, quòd per ſe teneantur. & dicit, quod non æſtimat me aliud velle, niſi Prælatos liberare vel excuſare à fideli verbi Dei annunciatione. Reſp. quod nunquàm mentis meæ fuit hoc, ſed ſuſpicionem ſuam euomuit. Sæpè enim dixi, officium Epiſcoporum eſſe prædicare verbum Dei, ſed intendo illud quod dicitur libro tertio de offic. ord. cap. *inter cætera, quæ ad ſalutem animarum ſpectant populi Chriſtiani, pabulum verbi Dei maximè noſcitur ei neceſſarium, quia ſicut corpus materiali, ita anima ſpirituali cibo nutritur, eo quòd non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Vnde cùm ſæpè contingat quòd Epiſcopi propter ſuas occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, aut hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias (ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis reprobandum eſt omninò, nec de cætero tolerandum) per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maximè per amplas diœceſes & diffuſas generali conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi viros idoneos ad ſancta prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone.* hæc ibi. Ibi enim comprehenduntur penè caſus quos poſui, in quibus pro loco & tempore iuxta negotiorum concurrentium varietatem, poſſunt Prælati prædicationis officio per alios prouidere. De offic. iud. ord. inter cætera c. 15.

Hæc ſunt, quæ ego frater Henricus Kalteiſen, ordinis fratrum Prædicatorum, ſacræ Theologiæ Profeſſor, ac prauitatis hæreticæ inquiſitor, vobis Bohemis conſcripſi, pro veſtra reductione ad vnitatem ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ, pro veſtra eruditione iuxta mihi miniſtrata in 3. artic. ſcilicet de verbi Dei libera prædicatione. Hæc audiſtis, quæſo corde credatis, & ore confiteamini, vt fructum æternæ beatitudinis conſequi mereamimini, iuxta thema in huius replicæ principio aſſumptum, ſcilicet *beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Præſcripta autem ſingula huic ſacroſanctæ generali Synodo Baſileenſi offero corrigenda, cuius iudicio me ſubijcio per omnia.

Terminata fuit hæc replica, in præſentia ſacri Concilij & Bohemorum recitata. 1433. in hebdomade pœnoſa, celerrimè & abruptè collecta propter nimiam feſtinantiam Bohemorum ad recedendum. Ideo propitium requirit correctorem.

Et ſic eſt finis huius materiæ, videlicet articuli tertij. Deus glorioſus ſit benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO, IOANNIS DE POLEMAR, ARCHIDIACONI BARCINONENSIS, APOSTOLICI PALATII CAVSARVM Auditoris.

QVA

In Concilio Baſileenſi anno 1433. per dies tres refutauit quartum articulum Bohemorum,

DE

CIVILI DOMINIO CLERICORVM,

QVEM

PROPOSVIT PER TRIDVVM

PETRVS RAYNE ANGLVS.

Nunc primùm ex codicibus m. ſ. edita

AB

HENRICO CANISIO NOVIOMAGO SS. CANONVM PROFESSORE INGOLSTADII.

Et huic Tomo Conciliorum adiuncta.

DEVS in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Pſal. 69.

Excelſus ille Propheta Dauid, de quo ſcriptum nouimus, Deum dixiſſe, quòd inuenerit hominem ſecundùm cor ſuum, ſic ſuę humilitati omnium virtutum ſolido fundamẽto fixus ſtabat, vt nihil de ſuis viribus ingeniove præſumeret, ſed tanquàm in ſe deficiens, diuinum ad ſe poſcebat adiutorium feſtinare, & velut imbecillis infans, qui etſi manu teneatur à matre, nihil ſui corpuſculi fragilitati confiſus, dum gremio eius toto corpore non inhæret, matrem inclamitat, & palpitando tremens inhęrere feſtinat. Sic inculcata petitione Deum in adiutorium eius intendere, & ipſum Deum ad adiuuandum ſe feſtinare depoſcit. Hanc Prophetæ, Deoque accepti viri vocem Sancta mater Eccleſia per omnes dies in ſingulis diuinorum officiorum exordijs laudabili more exhibendam aſſumit. Nec immeritò ad diuinas laudes accedens, Dei auxilium deprecatur. Sciens quòd aduerſarius noſter, qui iuxta beati Petri doctrinam, circuit, quærens quem deuoret, tunc infremit vehementiùs, tunc inſtantiùs ſuas molitur inſidias, cum diuinis obſequijs appropinquare nos cernit. hinc Sapiens ait, *fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2. cap. 1. Reg. 13. Pſal. 88. Act. 13. 1. Pet. 4. Eccl. 2.

At ego hominum minimus aggreſſurus hoc tam grande negotium, matris meæ morem ſeruabo, vt pro diuini auxilij imploratione ipſam propheticã accipiam vocem; Etſi in dictandis precibus apud Iudices ſolemus patronorũ iamdudum approbatorum inſequi formas, quantò magis apud Dei maieſtatem in offerendis precibus, vti decet verbis eorum, quos Deo placuiſſe cognouimus, quam maximè quæ ab Eccleſia ſancta Catholica Spiritus ſancti magiſterio docta, ſunt in quotidiano vſu recepta? Iam iam igitur ſanctum Dauid, ſanctamque matrem Eccleſiam imitans, ad te Deus meus, mundi creator, & prudentiſſime gubernator tota cordis intentione, cum fiducia plena recurrens poſtulo atque dico, *Deus in adiutorium meum intende, &c.* Da Domine mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſeruus ſum ego, & filius ancillæ tuæ Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ, da mihi in apertione oris mei ſermonem cum fiducia, & vt notam facere cunctis valeam huius articuli veritatem. Et tu glorioſiſſima Dei genitrix virgo Maria, vosque omnes ciues Ieruſalem ciuitatis ſupernæ tam anglici ſpiritus quàm humani, me ſupplico veſtris precibuus adiuuare, Silueſter, Gregori, Thoma, Cantuarienſis, cæteriq; ſancti Põtifices, qui in Eccleſia Dei, Sap. 9.

poſtquàm

Digitized by Google

poſtquàm temporalibus affluit mirabiliter coruſcatis, vos in veſtra cauſa interpello, aſſiſtite mihi, gloriam veſtram defendi depoſco, veſtrûm quoque omnium, qui præſentes adeſtis deuotæ orationis ſuffragia pro me fieri poſtulo, atq; vt pro omnibus communiter exoremus, dicentes: *adaperiat Dominus cor veſtrum in lege ſua, et in præceptis ſuis, & faciat pacem in diebus noſtris, Amen.* (2.Mach.1.)

REVERENDISSIMI in Chriſto Patres, Illuſtriſſime Princeps, ac reuerendi in Chriſto Patres in Eccleſia Dei prælatione fungentes Doctores atq; Magiſtri, cæteriq; viri perſpicui, qui de vniuerſis Chriſtiani orbis nationib⁹ in hoc loco diuinæ benedictionis in Spiritu ſancto cõgregati eſtis, ad celebrandum vniuerſalis Eccleſiæ ritè congregatum generale Conciliũ, non indignè ferant veſtræ reuerẽtiæ humili ſupplicatione depoſco, nec vitio temerariæ præſumptionis aſcribant, ſi ex tanta doctiſſimorum virorum copia ego cunctis inferior, hoc tam grande negotium aggredi auſus ſum. In eo namque ſtudio in quo nutritus fui *minori affert cõſtitutio primum locum, vt difficiliora maioribus reſeruentur, propterea, qui primũ locum vendicat, non præſumptuoſus, ſed magis humilis reputatur. hac lege fretus, hoc mihi licere putaui. Ego igitur ſi placuerit, primò dicam, & vos denuò corrigetis, quoniam hoc eſt mẽtis meæ firma ſententia, quòd omnia dicta mea ſanctæ matris Eccleſiæ, & huius ſacri Concilij ipſam repræſentantis, correctioni ſint & determinationi ſubiecta. Nec mirum, ſi ego ſciolus hoc dico, cũ doctiſſimi ac ſanctiſſimi Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, cæteriq; Doctores ipſius ſanctæ matris Eccleſiæ determinationi ſubiecerint dicta ſua. Ego igitur corrigi & emendari ſum paratus, ſi quid forſan proferã minus rectè, imò & ex tunc haberi volo pro non dicto.

(*alterum exemplar: iuniori.)

Eſt & in alio mentis meæ intentio declaranda, quod nihil intendo dicere in iniuriam, contumeliam, vel offenſam dominorum Ambaſiatorum incliti Regni Bohemiæ hic præſentium, ſed cum eorum bona pace. quod ſi fortè inaduertenter aliquid dixero, quod in eorum iniuriam vel offenſam videatur ſonare, quod nullaten⁹ me facturum puto, cùm non ſit ex meo animo, haberi poſtulo pro non dicto, quoniam teſtis mihi eſt Deus, quòd nullatenus eos offendere, nec exaſperare cupio, ſed placare. A vobis dominis ambaſiatoribus poſtulo gratam & benignam pariter & attentam audientiam accommodari ſermonibus meis, quoniam in veritate loqui intẽdo, & ex charitate, per quam pro veſtra ſalute pariter & honore nõ ſolùm mea, ſed meipſum impendere ſum paratus. Det nobis omnipotens DEVS per ſuam clementiam, ſuppliciter poſtulo, idem ſapere, & in vnanimitate & charitate ſuæ maieſtati acceptabiliter famulari. Amen.

Iam ad diſputandum articuli materiam appropinquans, ne velut ruſticus & agreſtis hoſpes illotis manibus ad diuinam menſam accedam, breuem præfationem decreui præmittere, non peregrinam, ſed vtique pertractandæ materiæ ſatis conſonam. pro cuius fundamento ſuſcipio verbum ex Euangelio his diebus ſæpiùs recitato. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael.* Luc.2.cap. (Luc. 2.) Expaueſcit anima mea, nimioque terrore concutitur audiens verba Prophetæ huius, de cuius veritate dubitare non licet, cui tale ab Euãgelio teſtimonium perhibetur, quod erat *homo iuſtus & timoratus, expectans redemptionẽ Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo.* Quid dicis ſancte Propheta? de quo hic loqueris? *Ecce hic poſitus eſt*, &c. Planè de Ieſu ad matrem eius Euangeliſta pictum oſtendit. Quid hoc, nõnne Angelus, qui eius conceptum ad Ioſeph nunciare venit, dixit, quòd *ipſe ſaluũ faceret populũ ſuum à peccatis eorũ?* Matth.1. (Matt.1.) Nõnne & tu expectans ipſe eras redemptionis Iſrael? & ad aſpectum eius, tanquàm redemptionem vidiſſes Iſrael, exultaſti, & benedixiſti Dominum, dicens? *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Si ergo ipſe eſt ſalutare Dei, ſi eſt lumen ad reuelationem gentium, & gloria plebis Iſrael, quomodo nunc dicis? *Ecce hic poſitus eſt in ruinam?* Si dixiſſes: Ecce hic poſitus eſt ad ruinam gentium, & reſurrectionem Iſrael, dixiſſes quòd ſperabant Iudæi. Sed vtrumque dicis in Iſrael. Iſrael populus Dei erat. ergo in populo Dei vtrunque contingit, quod alijs erat in reſurrectionem, alijs in ruinam. Quid hoc? tabeſcere feciſti velut araneam animam meam. Sed & fruſtrà conturbatur homo, quoniam verba Prophetæ mentiri nõ poſſunt, & myſterio (Pſal.38.) magno nõ carent: videamus, ſi ſuggerente Spiritu ſancto aliquid capere ex eis poſſumus. Ieſus ſalutare eſt, Ieſus lumen eſt, quomodò ſaluat? quomodò illuminat? vtriq; per ſermonem ſuum, quia verbum eius erat lux, ex ſe illuminans omnem hominem, ſed nõ omnis homo eſt illuminatus ex eo, non luminis, ſed viſus defectu. Vnde Origenes, *Sicut enim* (Origenes.) *lux, etſi oculos debiles turbet, lux eſt, hoc modo Saluator perſeuerat, & ſi plurimi corruant, neq; eſt eius officium deſtructio, ſed eorum veſania. Quamobrem non ſolùm ex ſalute bonorum, ſed etiã ex malorum diſſipatione virtus eius oſtenditur. Nam ſol quia multum radiat, propterea viſus debiles præcipuè turbat.* Et Chryſoſtomus: (Chryſoſt.) *Attende autẽ diſtinctionis exquiſitam prolationem, præparatio quippe ſalutis dicitur coram omni populo, ſed caſus & ſubleuatio pluriũ. diuinum enim propoſitum eſt ſalus ſingulorum: Caſus autem & ſubleuatio conſiſtit in plurium intentione credentium & non credentium.* Iam vt opinor videre incipimus quomodo ipſe Ieſus, qui pro ſalute hominum venit in mundum, poſitus eſt in aliorum ruinam, & aliorum reſurrectionem, in Iſrael, ſed (1.Cor.10.) non verè Iſrael. In Iſrael, ſecundùm carnem, ſed nõ in Iſrael ſecundùm Spiritum. hoc idem Euangelicis teſtimonijs comprobemus. Idem ipſe Chriſtus dixit, Ioannis 5. *Venit hora &* (Ioan.5.) *nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audient, viuent.* Ecce quomodo in reſurrectionem multorum non omnium, quoniam qui audient viuent, *audient*, id eſt, obedient, *audient* aure cordis, multi enim audierunt aure corporum, qui non habuerunt vitam, prout Auguſtinus expo- (Aug. tract. 19. in Ioã. c.5.) nens hunc paſſum, ait. Addatur aliud teſtimonium ex Euangelio Ioannis 9. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui* (Ioan.9.) *non vident, videant, qui vident, cæci fiant.* Sic ergo in aliorum reſurrectionem, & aliorum ruinam. Addamus & tertium, vt (1.Ioan.5.) tria ſint quæ teſtimonium dent, iuxta canonicam Ioannis. Et iſtam materiam clariùs legimus in Euangelio, Ioannis 6. (Ioan.6.) quod cùm Chriſtus dixiſſet, *niſi manducaueritis*, &c. multi diſcipulorum dicentes, *durus eſt hic ſermo*, & abierunt retrò, & remanſerunt cum Ieſu duodecim. Ecce ſermo Dei, qui lux eſt vera, non ſolùm in Iſrael, ſed in Chriſti diſcipulis alijs in vitam fuit, alijs in ruinam. vnde Auguſtinus ſuper Pſalmo (De conſ. diſt.2. prima hæreſis c.44.) 54. Et habetur de conſec. diſt.2. *Prima quidem hæreſis in diſcipulis Chriſti velut à duritia ſermonis eius facta eſt. Cùm enim diceret: niſi quis manducauerit, &c. illi non intelligentes dixerunt adinuicem, durus eſt hic ſermo, & ſeparauerunt ſe ab illo, remanſit cum duodecim, inſtruxit eos. Spiritus eſt, inquit, qui viuificat, caro nihil prodeſt. verba quæ locutus ſum ad vos, Spiritus & vita ſunt. Intellexiſtis ſpiritualiter, Spiritus, & vita ſunt. Intellexiſtis carnaliter, etiam ſic illa Spiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt, &c.* Et ſic prima hæreſis à ſermone Chriſti occaſionaliter orta eſt propter illorum malam intelligentiam. ſic & vniuerſæ hæreſes, quæ ab initio naſcentis Eccleſiæ ortæ ſunt, ex hoc proceſſerunt. Exemplificemus de aliquibus. Fue- (Capocratiani.) runt quidam hæretici vocati Capocratiani, qui ex Euange- (Luc.2.) lio Luc.2. *Cùm inducerent Ieſum parentes eius*, falſum ſuſcipientes intellectum, dixerunt Chriſtum hominem tantum fuiſſe, & de vtroque ſexu progenitum. contra illum articulum (Cerinthiani.) fidei, *Natus ex Maria virgine.* Fuerunt & alij vocati Cerinthiani, qui ex eo, quod dixerat, *Non veni ſoluere legem*, dixerunt (Math.5.) circumciſionem eſſe ſeruandam. Contra illud Apoſtoli (Galat.5.) ad Galatas 5. *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis prodeſt.* (Apoſtolici.) Fuerunt & alij qui ſe nominabant Apoſtolicos, quia dicebant ſe Apoſtolicam vitam ſeruare, & neminem poſſe ſaluari, qui proprium poſſideret, propter illud verbum Chri- (Luc.14.) ſti. *Niſi quis renunciauerit omnia quæ poſſidet, &c.* horum ſectator fuit Manichæus, & etiam Iulianus apoſtata, qui ſub hoc colore Chriſtianos ſuis facultatibus ſpoliabat. Fuerunt & (Adamiani.) Adamiani, qui ex illo verbo Chriſti, *Niſi efficiamini ſicut par-* (Math.18.) *uulus iſte, &c.* dicebant, quod ad ſtatum primæ innocentiæ oportebat redire, & ideo nudi orabant. Audiui aliquando in Bohemia aliquam ſectam his ſimilem fuiſſe, quæ tamen exſufflata & deleta fuit. Deo gratias. Fuerunt & alij vocati (Antropomorphitæ.) Antropomorphitę qui propterea, quia legimus in ſacra ſcriptura, *dextera Dei fecit virtutem, & terra ſcabellum pedum eius,* (Pſal.117.)

& alia

Eſai.66. Ioan.4. Heraclionitæ.

& alia ſimilia, credebant Deum habere humana mẽbra, contra illud Ioãnis 4. *Deus Spiritus eſt.* fuerunt Heraclionitæ, dicentes omnia conſilia perfectionis data à Chriſto in Euangelio eſſe obligatoria omnium Chriſtianorum, Monachos tantùm recipiebant, & coniugia reſpuebãt. Fuerunt & Donatiſtæ, qui ex eo quod Chriſtus dixit, *Pater maior me eſt*, denegant Filium ſecundùm diuinitatem, æqualem eſſe Patri, contra quos in Symbolo dicitur, *æqualis Patri ſecundùm diuinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem.* fuerunt & quidã, qui ex eo quod Chriſtus dixit Apoſtolis, *nolite portare neq; perã &c. neq; calceamenta.* nudis pedibus ambulabant, omnes calceatos damnebant. fuerũt & qui propter verbum Iacobi omninò nolebãt iurare, quidam etiã licita iuramẽta reſpuebant. fuerunt & qui propter verbum Chriſti, *Si quis reliquerit patrem & matrem, vxorem filios, &c.* relinquebant vxores, filios etiã paruulos non curabant alere, neq; parentes etiam debiles, contra quos in Gangrenſi Concilio multa decreta facta fuerunt, quæ habẽtur trigeſima diſtinctione: *Si qui filij.* & multis. Et hæc cauſa exempli dicta ſufficiant. Nam multæ aliæ hæreticorum ſectæ, Deo permittente, in Chriſtiano populo ortæ ſunt, de quibus Iſidorus 8. lib. etymol. & habetur 24. quæ ferè omnes ex ſacra ſcriptura, non tamen benè intellecta, ſe fundamentũ accipere crediderunt. Vnde Chryſoſtomus de laudibus Pauli, homilia quarta: *Omnes hæreſes,* inquit, *prædicant Chriſtum, ſed non omnes ſanè prædicant atq; legitimè.* Nunc autem Auguſtinum audiamus & eius cõſilium diligenti animo perpendamus, ſerm. 18. ſuper illud Ioãnis 5. *Non poteſt filius quicquam à ſe facere, &c.* ſic inquit: *Neq; enim nata ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitãtia, niſi dum ſcriptura bona intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur. Itaq; chariſsimi cautè hoc audire debemus, ad quæ capienda paruuli ſumus, & corde pio, & cum tremore, ſicut ſcriptum eſt, hanc tenentes regulam ſanctitatis, vt quod ſecundùm fidem, qua imbuti ſumus, intelligere valuerimus, tanquàm de cibo gaudeamus, quod autem ſecundùm ſanam regulã intelligere nõ potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiã differamus, hoc eſt, vt etiãſi quid ſit, neſcimus, bonum tamen & verum eſſe, minimè dubitemus.* O ſacrum & memorandum documentum, illorum præſumptionẽ confundens, qui quicquid eorum intellectus nõ ceperit, reprobant & cõdemnant. Nam ſic conſulit Auguſtinus, *Sed etiam ſi neſcimus,* inquit, *bonum & verum minimè dubitemus.* magna ergò reuerentia ſcriptura ſacra ſuſcipiẽda eſt, & eius vera intelligentia eſt cum diligentia flagitanda.

Ioan.14. Luc.10. Nudipedes. Matt.19. Marc.16. diſt.30. § qui filij. c. 1.2. & ſeq. 24. q.3. Quidẽ autem. c.39. Iſido. l.8. etymo. c.5. Chryſoſt. Aug. trac. 18. in Ioã. c.5.

Nam nõ in verborum folijs eſt Euãgelium, ſed in radice rationis. Vnde Hieronymus in Epiſtola ad Galatas, & eſt in decretis 1. quæſt. 1. *Marcion & Baſilides, & cæteræ hæreticorum peſtes non habent Dei Euangelium: quia non habent Spiritum ſanctum, ſine quo humanum fit Euangelium quod docetur. Nec putemus in verbis ſcripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, nõ in ſermonum folijs, ſed in radice rationis.* Et ad hoc propoſitũ Caſſianus in ſecunda collatione Abbatis Sereni iuxta principium, cùm dixit, quòd ſacra ſcriptura eſt ager fertilis, in quo ſunt aliqua, quæ ad literã paſtum habent, ſicut illud: *Audi Iſrael Deus tuus vnus eſt*, dicit quòd etiam aliqua ſunt, quæ niſi allegorica explanatione extenuata fuerint, & ſpiritualis ignis examinatione mollita, nullo modo ad ſalutarem interioris hominis cibum, ſine corruptionis *labe peruenient, magisq; ex eorum perceptione læſio quàm vtilitas ſubſequetur, vt eſt illud: *Sint lumbi veſtri præcincti. Et, qui non habet gladium, vendat tunicã, & emat. Et, qui non accipit crucem, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Quod quidam diſtrictiſſimi Monachorum, habentes quidem zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, ſimpliciter intelligentes, fecerunt ſibi cruces ligneas, eaſque iugiter humeris circumferentes, non ædificationem, ſed riſum cunctis videntibus intulerunt. Et idem in prima collatione Abbatis Moyſi ſub parabola de trapezita, cuius ſtudium eſt, ne in moneta decipiatur, *agnoſcite,* inquit, *nos hæc ſpiritualiter obſeruare debere, ſub huius nominis exemplo demonſtrat primum, vt quicquid cordibus noſtris irrepſerit, vel ſi quod vobis dogma fuerit intromiſſum: vtrùm nam ſit diuino illo & cæleſtis ſpiritus igne purgatum, an ad Iudaicam ſuperſtitionem pertinens, ſeu de ſæcularis Philoſophiæ tumore deſcendens, in ſuperficie tantùm præferat pietatem, diligentiſſimè perſcrutemur, quòd ita poterimus implere, ſi illud Apoſtolicũ*

Hier. in epiſt. ad Galat. c.1. 1.q.1. Marcion & Baſilides c. 64. Caſſianus colla. 8. quæ eſt Sereni ſecũda. Deut.6. *exẽplar impreſſũ habet clade. Luc.12. Luc.22. Matt.10. Caſſia. collat.1. c.20.

fecerimus. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpi
Deo ſint. quo genere quoſdam dicit fuiſſe deceptos
ſubiungit. *Secundò ſollicitè nos explorare conuenit, ne a*
ſimo ſcripturarũ, praua interpretatio coaptata, metalli p
nos fallat. In quo etiã eſt, quòd Domino Saluatori callidiſ
bolus velut homini ſimplici, tentauit imponere, dum ea qu
liter ſunt ſuper iuſtorũ intelligẽda perſonis, maleuola inte
ne corrumpens, etiã ſpecialiter huic, qui Angelorũ cuſtodi
bat, adaptare conatur, dicens, mitte te deorſum. Angelis
mãdauit Deus de te, ne offendas ad lapidẽ pedem tuum. p
licet eloquia ſcripturarũ callida aſſumptione cõuertens, &
rium ſenſum noxiumq; detorquens, vt imaginem tyrãnici v
colore nobis auri fallentis obijciat. & infrà. *quæ cùm ſint n*
ti profeſſioniq; cõtraria, tamen velamine quodã miſericor
ligionis obtecta, facilè imperitos, incautoſq; decipiunt, im
nim numiſmata veri Regis, quia videntur ad præſens plena
ſed nõ ſunt à legitimis monetarijs, id eſt, Catholicis & pr
tribus figurata, nec de Cardinali ac publica colationis eorũ
officina, ſed furtim fraude dæmonum fabricata, non ſine d
imperitis quibuſq; ac ignorantibus ingeruntur. & infrà. *Eri*
ceſſaria nobis iſta diſcretio, vt primũ nos materia auri veri
fallentiſq; non lateat. Secundò, vt has cogitationes, quam
opera pietatis, tanquàm adulterina numiſmata, & para
reprobemus, vtpotè quæ falſam imaginem Regis nõ legitim
cõtineant, velut illa, quæ in auro precioſiſſimo ſcripturarũ,
hæretico ſenſu, nõ veri Regis, ſed tyranni præferunt vultum
diſcernentes refutare poſſimus. Attendamus obſecro, &
iugiter habeamus huius ſancti Patris ſapiẽtiſſimum
qui ſub ſimilitudine de moneta, falſam nos doce
doctrinam. Etenim ſicut ipſe declarat, moneta falſa
quæ de nõ bono metallo fabricata eſt, ſiue quæ nõ h
ram imaginem, quia nõ eſt fabricata in publica offi
eſt pariformiter in doctrina. Omnis doctrina f
ſiue ſit, quæ ex ſacra Scriptura non eſt accepta,
ex ſacra ſcriptura verba ſuſcipiat, ſed non eſt
ſu, quem Spiritus ſanctus flagitat, applicata. Sicut
fecerit, quando dicebat Chriſto, *mitte te deorſum, ſcr*
enim, Angelis ſuis, &c. Auctoritatẽ ſcripturæ aſſumeb
ſenſu ſophiſtico atq; falſo. Et ſicut timens decipi in
volenſq; ſibi benè cauere, non vult recipere moneta
de publica officina. Sic fidelis Chriſtianus, qui tutè v
gi in doctrina ſana, nullam ſuſcipiat, niſi quã in pu
ficina publicè & generaliter in Eccleſia Dei videt f
approbari, ſicut enim B. Auguſtinus ait, *omnis Cath*
curus partem eam deteſtatur, cui Eccleſiam vniuerſalem A
ſedibus roboratam, non communicare cognoſcit. Vnde Hi
ſuper illo verbo Pauli ad Galat. cap. 2. *contuli cum illi*
oſtendit ſe non habuiſſe ſecuritatem Euangelij, niſi auctori
tri & aliorum roboratum eſſet, id eſt, niſi deduxiſſet i
publicam officinam. Si ergo Paulus oſtendit ſe non
ſecuritatem Euãgelij, niſi deduxiſſet ipſum ad publi
ficinam, ad concilium Eccleſiæ, quis audiret doctri
quam ſuſcipere, aut docere, quam non approbaueri
Dei Eccleſia? Et ad idem eſt Auguſtinus contra Fa
Apoſtolus enim Paulus, poſt Chriſti aſcenſionem de cœlo voc
cum Apoſtolis communicaret, & cum eis Euangelium conf
eiuſdẽ ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omninò non cõm
& hæc ponuntur per gloſſam in loco præallegato. I
tur recolligendo prædicta, cùm ſermo diuinus, iux
thematis præſumpti, poſitus ſit in ruinam, & reſur
multorum in Iſrael, in reſurrectionem ſcilicet ſanè
gentium, & in ruinam peruerſum ſenſum capiẽtiu
dem, vt ſuprà deductum eſt, ſobriè & humiliter ſu
bet, neque ſtatim quod prima ſignificatione verbo
quid ſonare videtur, illi ſenſui adhærendum eſt, q
non in verborum folijs, ſed in radice rationis conſi
angelium, vt Hieronymus dicit, & eſt ſuprà allega
Omneſque hæretici, & diabolus etiam, pro ſe allega
pturam, vt prædictum fuit. Sed conſulendi ſunt m
quid ſenſerint Patres Spiritu ſancto pleni, non inni
priæ prudentiæ contra Salomonis doctrinam. Sup
verbo Hieronymus inquit, *innitens prudentiæ tuæ. P*
ſuæ innititur qui ea, quæ ſibi agenda vel dicenda videntur,
decretis Patrum. Sed potiſſimè ſtandum eſt determi
ſanctæ matris Eccleſiæ, cui Hieronymus, Auguſtinus

Doctores ſua dicta ſubmittunt, & à qua illorum pendet au-
ctoritas. vnde enim eſt, quòd dicta Hieronymi, Auguſtini,
& talium auctoritatem habent, niſi quia ſunt ab Eccleſia ap-
probata? ſicut legitur 15. diſt. *Sancta Romana.* Si igitur Docto-
res ſua dicta determinationi Eccleſiæ ſubmiſerunt, & vt au-
ctoritatem habeant, ab illa ſumpſerũt, quis eius audebit ſen-
tentiæ refragari? Si quis ergò optat ſacræ ſcripturæ profun-
diſſimum pelagus transfretare, in naui Eccleſiæ hoc tutus fa-
ciat, aliàs infallibiliter demergetur. Oremus ergo Deũ om-
nipotentem, vt mentibus noſtris Spiritus ſancti gratia in-
fundatur, quæ doceat nos omnem veritatem, quatenùs ſer-
mo diuinus in ſcriptura ſacra reuelatus, non ſit nobis in rui-
nam, ſed in reſurrectionem, ad ipſius omnipotentis gloriã,
atque laudem, & ſalutem animarum noſtrarum totiusque
populi Chriſtiani. Amen.

Dignum reor hic dicere, quòd cùm iuxta præordinationem diuinam Eccleſia ſancta Catholica infantiæ ſuæ tempore, vſque ad præfinitum tempus à patre diras tyrannorum perſecutiones paſſa fuiſſet, adeò vt ſicut Iſidorus ait 5. etymol. cap. 16. perſecutione feruente docendarum plebium facultas minimè daretur, ſed Chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſſet. Tandem Conſtantino Principe miraculosè à lepræ morbo ſanato, & per beatum Siluestrum baptizato, in virilis ætatis robur euaſit, tunc, vt idem Iſidorus ait, & habetur 15. diſtinctione, c. *canones.* inceperunt ſacra Concilia celebrari. Nicænum primo, in quo ſancti Patres, iuxta fidem Euangelicam & Apoſtolicam, ſecundum poſt Apoſtolos fidei ſymbolum ediderunt. quod ideo in publica Miſſa altis vocibus cantat Eccleſia, vt oſtendat ex tunc, omni trepidatione ſecluſa, fidei Catholicæ proclamationem Eccleſiam generaliter accepiſſe, deinde alia tria principalia Concilia, & alia ſubſequentia, à quibus omnis Eccleſiæ decor & pulchritudo edocta eſt, eoque tempore tanquàm completis prophetijs, quæ de gloria & potentia Eccleſiæ ſcripta erant, ſicut illa: *& nunc Reges intelligite, &c.* Et illud: *ſpeciei domus diuidere ſpolia.* & illa: *Adorabunt eum omnes Reges, &c.* Eccleſia, quæ dudum velut imbecillis tantum rogare & inuitare poterat, auctoritatem & poteſtatem accepit, etiam compellendi. Sicut Auguſtinus ſcribit Donato. Et habetur 23. q. 4. *diſplicet,* iuxta finem ſic dicit: *Non attendit, quia tunc primùm Eccleſia nouello germine pullulabat, nondumq; in ea completa fuerat illa prophetia: adorabunt eum omnes Reges terræ, quod vtiq; quantò magis impletur, tantò maiore vtitur Eccleſia poteſtate, vt non ſolùm inuitet, ſed etiam cogat ad bonum. hoc tunc Dominus ſignificare volens: qui quamuis habet magnam poteſtatem, prius tamen elegit commendare humilitatem, & hoc in illa conuiuij ſimilitudine, ſatis euidenter oſtendit, vbi miſit Dominus ad inuitatos, & venire noluerunt, & ait ſeruo, Exi citò in vicos & plateas ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc, & ait Domino ſeruus, factum eſt vt imperaſti, & adhuc locus eſt, & ait Dominus ſeruo, Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Vide nunc, quemadmodum de his, qui prius venerunt, dictum eſt, Introduc eos, nunc dictum eſt, Compelle, ita ſignificata ſunt Eccleſiæ primordia, adhuc creſcentis, vt eſſent vires etiam compellendi.* Hæc Auguſtinus. Ex tunc quidem per diuerſa donaria tam dicti Conſtantini, quàm aliorum fidelium Principum, aucta eſt Eccleſia Dei in temporalibus bonis ampla poſſeſſione, non quidem, quin iam antè Eccleſia temporalia bona habuiſſet, vt inferiùs deducetur, ſed quia ex tunc ampliſſimè magnificata eſt. Et quàm diù principiũ ſæcularium ad Eccleſiam fuit, eritq; deuotio, & inter illas duas poteſtates, Eccleſiaſticã ſcilicet & ſæcularem, Eccleſiam & imperium. fuit, eritve vnitas & cõcordia, fuit & erit quoq; orbi trãquillitas, & felicitatis decor. Ideoque humani generis inimicus, cuius propriũ eſt vnitati & charitati aduerſari, & Chriſtiani populi profectibus obſiſtere, ſæpè niſus eſt ſuperſeminare zizaniam, & ſubortis diſcordijs inter has duas poteſtates, inſurrexerunt homines acuti ingenio, ſed non in bonum, quorum aliqui prouocati, quia nõ poterant in Eccleſia promotiones quas optauerũt obtinerere, vel quia diſtricti fuerant, vel correcti, alij alijs paſſionibus impulſi, diſputare inceperunt & aſſerere, quòd Eccleſia non poterat bona temporalia poſſidere vel habere, maximè ciuile dominium, ſed nec defuerunt, qui ſententiam omninò cõtrariam affirmârunt, dicentes, non ſolùm Eccleſiam poſſe licitè poſſidere & habere bona temporalia, & ciuile dominium, ſed etiam Papam tanquàm Chriſti Vicarium, qui vniuerſorum eſt Dominus, omnium ciuilium dominiorum eſſe primum adminiſtratorẽ, imò & Dominũ, eo modo, quo dominia hominibus ſub Deo competunt. Et ad hoc poſſem allegare magnam copiã Doctorum, ſic tenentium, ſuisq; ſcriptis & [illegible] ctatibus hoc firmantium. Fuit quoq; quidam Cancellarius Pariſienſis, qui ſic initiat ſuum tractatum: *Interdum contingit quod vitare volens vnum errorem, incidit in contrarium, &c.* & poſitis aliquibus exemplis, ſic ſubiungit: *modo conſimili circa poteſtatem Pontificum veritas medium ponit, inter illos duos errores. Nam error VValdenſium fuit, ſucceſſoribus Apoſtolorum, videlicet Papæ & Prælatis Eccleſiaſticis repugnare dominiũ in temporalibus, nec eis licere habere diuitias temporales:* & poſita alia contraria iam ſuperiùs memorata opinione, ſubiungit, *inter has opiniones contrarias, quarum primam erroneam omnes putant, puto quòd veritas mediũ ponit, ſcilicet quod Prælatis Eccleſiæ non repugnat habere dominium in temporalibus, & iuriſdictionem, contra primam opinionem erroneam. nec tamen eis debetur per ſe ratione ſtatus ſui, & ratione quia ſunt vicarij Chriſti, & Apoſtolorum ſucceſſores, ſed eis poſſunt conuenire ex conceſſione Principum.* hæc ille.

Diuerſæ opiniones de dominio tẽporali, an poſſit cõpetere perſonis Eccleſiaſticis.

Ego quidem inter has opiniones quid ſentire valeam, vt tamen præmiſſis proteſtationibus & bona pace loquar, niſi quòd prima opinio, ſcilicet, quòd Eccleſiæ nõ liceat habere diuitias temporales, quam præſcriptus Doctor dicit ab omnibus erroneam reputatam, & nõnulli aſſerunt fuiſſe cõdemnatam in Concilio generali, de quo in c. *excommunicamus.* de hæreticis, introducta ſit, & defenſa ab his, qui ſub colore cuiuſdam palliatæ honeſtatis, tanquàm prætendentes optare Eccleſiæ ſanctitatem, ipſam deſtruere vellent. Vnde Hieronymus in minori Breuiario ſuper illo verbo Pſalmi, *vt deſtruas inimicum & vltorem,* ſic inquit, *inimicum & defenſorem hæreticum, qui tum nequitia ſua impugnat Eccleſiam, eam tamen defendere aſſimulat.* Et Auguſtinus ſuper eodem, *quem niſi hæreticum. Nam ipſe eſt inimicus & defenſor, qui fidem Chriſtianam cùm impugnat, videtur defendere.* Vnde Gregorius 23. moralium. *Sæpè hæretici per hoc quod eſſe hominibus deſpicabiles ſolent, cùm à cunctis ferè gentibus ſanctam Eccleſiam venerari conſpiciunt; opinionem eius quibus valent obtrectationibus lacerare contendunt, dicentes: idcirco illi cuncta tẽporalia ſuppetunt, quia ei præmia æternorum munerum ſubtrahuntur. Quorum vocibus Heliu obuiat, dicens: Ne fortè dicatis, Inuenimus ſapientiam, Deus proiecit eum, non homo. ac ſi arrogantes intra ſanctam Eccleſiam, ſed tamen fideles cõtra hæreticos dicant, per hoc quod ſanctã Eccleſiam in honore hominum florere temporaliter cernitis, proiectam à Domino nõ credatis. Scit enim redemptor eius & in hoc itinere ſolatia venienti tribuere, & peruenienti ad æternam patriam ſuperna præmia reſeruare. Incaſſum igitur dicitis, quòd Deus eam, non homo proiecerit, cùm venerari eam à cunctis ferè hominibus videtis: quia ſic ei terrenæ gloriæ adiumẽtum tribuitur, vt per hoc multiplicius etiam ad cæleſtia ſubuehatur.* ſic Gregorius. De alijs autem opinionibus, ſiue de omninò contraria, ſiue de illa, quam ipſe dictus Doctor ponit mediam, mihi dicere non eſt opus. Satis mihi eſt falſam opinionem refellere, & quòd Eccleſiæ bona temporalia habere & poſſidere liceat, demonſtrare. Hunc ergo ordinem, Deo propitiante tenebo. Primò rationes in contrarium factas ſoluere & enodare curabo. Secundò licèt primum ſufficeret, tamen nihilominùs quaſi ex ſuperabundãti veritatem, quæ eſt, ſcilicet quòd Eccleſiæ & Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis licitum ſit habere & poſſidere bona temporalia, firmiſſimis demonſtrabo documentis. Hæc quæ præmiſi, dante Domino, credo me ſic luculentiùs agere, ſi paſſim inſequar veſtigia Magiſtri Petri, qui hunc articulum propoſuit, eiusque ſcripta, quæ obtulit, in quo prætęrire nolo. quod cùm in medijs propoſitorũ ſit vacuus, vt clarè Deo propitio deducetur; in principio tamen & in fine plurimum loquitur rigidè & Eccleſiaſtico ſtatui detrahendo, & ea quę in ipſis principio & fine loquitur, relinquit penitùs ſine aliquo fundamento. Dicit in principio, quod intranquillitatis & diſcordiæ mundi cauſa eſt dominatio Cleri, ſuper bonis immobilibus ſeu mobilibus huius vitæ, & ad hoc dictum nullam probationem adducit.

Modus procedendi.

Ego autem è contrario dico, quod ad trãquillitatem & pacem orbis multũ proficit potentia & dominatus Eccleſiæ; niſi enim Eccleſia haberet potentiam, tanta eſſet indiſcipli-

natio

Margin notes: Iſidorus 5. etymo. c. 16. — diſt. 15. canones. c. 1. — Pſal. 2. Pſal. 67. Pſal. 71. — 23. q. 4. diſplicet, c. 38. Aug. Donato Preſbytero epiſt. 204. — Luc. 14. — c. excommunicamus, de hæret. lib. 5. tit. 7. c. 13. — Hier. in Pſal. 8. — Aug. ibid. — Greg. 23. moralium. — Iob. 32.

natio, & arrogantia hominum ſuperborum, volentium inniti opinionibus proprijs, quòd niſi eſſet magna potentia Eccleſiæ ad comprimendos eos, quotidiè hæreſes pullularent & recreſcerent. hoc vnuſquiſque volens aduertere, per ſeipſum intelligere poteſt. quoniam varietates opinionum cum capitoſitate & pertinacia non deſunt, ſed per timorem comprimuntur, & poteſt hoc apertè cognoſci ex eo quod erat antequàm Eccleſia hanc potentiam haberet, prout patet ex dictis Iſidori iā ſuperiùs allegatis, quod ante illa tempora Conſtantini iam non erat facultas docendarum plebū, cùm Chriſtianitas in diuerſas hæreſes ſciſſa eſſet: etiam ex dicto Auguſtini ſuperiùs allegato, poſſem & adhuc multa alia deducere, quæ dimitto, ne efficiar nimis longus.

Concluſi aduerſarij.

Ponit demùm concluſionem ſuam ſub his terminis: *Secularis poſſeſſio, ſicut & ciuile dominium iure diuino & humano, Doctorum ſanctorum ſentētijs, & ratione efficaci, tempore legis gratia prohibetur Clero Chriſti.*

Deinde ad declarandum terminos, facit vnam diſtinctionem de poſſeſſione, & ponit deſcriptionem poſſeſſionis, quam ponit glo. ſuper l.1.ff. de acq. poſſ. Quæ dicta per eum poſſem multipliciter impugnare, ſed non curo cōtentiones verborum. Scio quod illam deſcriptionē ponit gloſſa prædicta, & quod diuiditur poſſeſſio in has tres ſpecies: ciuilem tantùm, naturalem tātùm, & naturalem & ciuilem, & illam quam ponit ipſe dicit ſecularem, nō eſt in C. nec in ff. nec in toto corpore iuris, & tamē eam vult fulcire ex quadam gloſſa c. licet. de off. ord. Clarè patet, quod non facit ad propoſitum. videamus textum & glo. textus dicit. *Licet tam circa viros Religioſos quā Clericos ſeculares.* Diſtinguit hic duas ſpecies Clericorū, ſeu eccleſiaſticorum hominū, alios Religioſos, alios ſæculares Clericos. Gloſſa exponit quid ſit dicere *Clericos ſeculares*, & dicit quòd Clerici ſæculares dicuntur, qui poſſunt habere propriū, ſicut & laici, cùm Religioſi hoc non poſſint: Sic & Hoſtienſis in c.1. de ſum. Trin. ſuper verbo *communem*, dicit, quod ſicut Deus creauit naturam ſpiritualem, corporalem, & hominem, cuius eſt mixta natura, vt ibi textus, ita genus Clericorum permixtam vitam ducit inter laicos & Religioſos. Quæ quidem allegata gloſſa facit ad hoc, quòd dicatur ſæcularis poſſeſſio, nō eſt ſpecies ſæcularis poſſeſſionis, imò omnis poſſeſſio in hac vita eſt ſæcularis, quia ſæculare idem eſt quod temporale, vt dicit glo. ſuper Epiſtola ad Hebræos 9. ſuper illo verbo *ſanctum ſæculare*, id eſt, temporale. Benè ſcio differentiam inter res ſpirituales & temporales, & temporalia poſſidentur, vt ipſemet dixit. Certè audeo dicere, quod competenter mihi nota eſt materia poſſeſſionis. Nam ſcio me repetiiſſe in ciuitate Barchinonæ, c. cauſam quæ, de præſcript. vbi aderāt plus quàm quinquaginta Doctores & Licentiati in iure, & ibi latiſſimè examinaſſe deſcriptionem & diuiſionem poſſeſſionis. Et demùm quando debui aſſumi ad officium auditoris Palatij Apoſtolici repetiſſe, c. cùm dilectus de cauſa poſſeſſ. & proprie. cui quantum conueniat hæc materia, norunt omnes iuriſperiti, tamen ego neſcio intelligere, quid dicat ex diſpoſitione terminorum. Scio etiam quod interdum poſſeſſio capitur pro re poſſeſſa. ff. de verb. ſign. l. interdum. & ita ſæpè capitur in ſacra ſcriptura, ſicut. Gen. 13. quod *erat poſſeſſio eorum multa*. Et in Euāgelio Matth. c. 19. de iuuene qui *habebat poſſeſſiones multas*. quas textus ipſe allegat & applicat ad deſcriptionem poſſeſſionis ſuprà memoratæ, ad quam nihil faciunt, ſalua gratia allegantis.

c. licet. de off. ord. l. 1. tit. 31. c. 12.

Gloſſ. ad Hebr. 9.

c. cauſam quæ de p̄ſcript. lib. 2. tit. 26. c. 7.

c. cùm dilectus de cauſa poſſeſſionis & proprietatis, lib. 2 tit. 12. c. 6.

Gen. 13.

Matt. 19.

Relinquamus iſta, & relinquamus alias ſuperſtitiōes, quas facit de dominio pro declaratione termini poſiti in concluſione, *ciuile dominium*, quod etiam ad bona mobilia & immobilia iuxta ſuum conceptum applicari non poteſt. quoniam in bonis mobilibus habetur ab hominibus priuatum dominium, & non ciuile, quorum bonorum dominia vt plurimùm acquiruntur iure gentium, quod eſt ius naturale. Et valdè pauci modi ſunt acquirendi dominia de iure ciuili l. ex hoc iure. ff. de iuſtit. & iure. ff. de acq. rer. domin. l.1. & ibi gloſſa enumerat aliquos paucos modos, quibus dominia acquiruntur de iure ciuili. Et videamus ad intellectum, quid poteſt velle dicere, & occurrunt mihi iſta duo. Primò quod Clerici non poſſunt habere proprium, ſed poſſunt habere omnia in communi, & hoc videtur dicere quarta ſuppoſitio ſi legatur. Sed neſcio ſi hoc ipſe ſen-

tit, cùm, ſicut audio, eius vitę contradicat, nec cred
adueniret ſibi bona hęreditas patris, vel alicuius co
nei vel amici, portaret eam in communi cum fratr
naſterij Sclauorum in Praga, cum quibus viuit. Se
quod etiam in cōmuni nō poſſunt habere & poſſi
mobilia & imōbilia. Sed & hoc videtur cōtrariare
tæ ſuppoſitioni, vbi dicit, quod habent in cōmuni.
mè contrariatur contentis in ſchedula additiua v
ta, in qua, vt mihi videtur videns ſe deficere in pr
bus eorum, quæ præmiſerat, ipſa deſtruit & nouam
introducit, ſine alicuius probationis fulcimēto. E
dico, quòd Clerici non Religioſi, ſeu qui voto ad
obligârunt, licitè poſſunt habere & poſſidere bon
ralia, hæreditates paternas, aut aliorum, ſi eis relin
& alia bona iuſtè acquiſita, traditione, donatione,
vel alicuius liciti contractus, vel arte licita. Item
cleſia poteſt habere & poſſidere bona temporalia
& immobilia, domos, prædia, villas, caſtra, oppida,
tes, & in eis habere priuatum & ciuile dominiu
quæ in contrarium dicta ſunt, minimè obſtant, q
ſpondeatur per ordinem. Et primò allegantur auc
veteris teſtamenti, Numer. 18. & aliæ, in quibus
quod dixit Dominus de tribu Leui, quod in terra
poſſiderent, neque haberent partem inter eos. Et ſupe
auctoritatibus radicaliter fundatur prima & ſecu
de rationibus, quæ in fine poſt allegationes auct
ſubiunguntur.

Ad hæc omnia reſpondeo; quod ſicut dicit Mag
nauentura ſuper 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 1. artic. 3. S
Chriſti non tam fuit figura Sacerdotium Aaron, q
Melchiſedech, ſecundùm quod dicitur ad Hebr. 7.
& Sacerdos, ſic & Chriſtus. Et quamuis honorem
recuſauerit, & ipſe pauper vixerit, tamen propter ſ
ciſſimam benignitatem, ad hoc alios non artauit. v
latenùs eſt credendum, ſtatum vniuerſalis Eccle
rogi quàm diſponat Spiritus ſanctus. Hæc omnia
Bonauentura. Cùm ergo Sacerdotium Chriſti
dùm ordinem Melchiſedech, ſicut Apoſtolus ait, ni
ſi ſacerdotes poſſideant temporalia, ſicut Melchiſe
erat Rex Salem, & nihilominùs Sacerdos altiſſimi.
Sed nolo eſſe hac reſponſione contentus, pro par
allegati ſunt quinque textus veteris Teſtamenti, q
tur ſonare, quòd Leuitæ nihil debebant poſſider
promiſſionis, ſed habere decimas, & primitias, &
nes, pro ſuſtentatione ſua. Et ego allegabo quinde
tus, quòd Leuitæ habuerunt & poſſidebant bona m
immobilia, ſeruos, domos, prædia & oppida, & ci
Sed ante volo præmittere, quod in tempore ante le
communiter Doctores dicunt, primogeniti fueru
dotes, & præ alijs dominium, & hæreditatem hab
Vnde Gen. 27. dixit Iſaac ad Iacob: *Eſto dominus fra
rum*, quia prima erat benedictio primogeniti, & G
Ruben fortitudo mea, primus in donis, & maior in imper
exponit Hieronymus in gloſſa de Sacerdotio mai
ditate, & imperio ſuper fratres, quæ habuiſſet, niſi a
ſet cubile patris ſui Abraham. Etiam fuit Sacerdos,
bat Chryſoſtomus ſuper Matth. 1. Et quàm diues f
ſcimus. De Melchiſedech iam dictum eſt, & ſic pat
in populo Dei Sacerdotes fuerunt opulentiſſimi.

Veniamus ad tempus legis veteris, & ſequamur
primo. Leuit. 25. *Aedes Leuitarum quæ in vrbibus ſunt, ſe
ſunt redimi, ſi redempta non fuerunt, in Iubileo reuertent
minos, quia domus vrbium Leuitarum ſunt pro poſſeſſionib
lios Iſrael. Suburbana autem eorum non veneant, quia poſ
piterna eſt.* Item Leuit. 27. *Homo ſi vouerit domum ſua
ctificauerit Domino.* & infrà. *ſi agrum poſſeſſionis ſuæ v
conſecrauerit Domino, &c.* & infrà: *ſi noluerit redimere,
cuilibet fuerit venundatus, vltra eum, qui vouerit, redimer
terit; quia cùm iubilei venerit dies, ſanctificatus erit Do
poſſeſſio conſecrata ad ius pertinet Sacerdotum.* & infrà
*quod conſecratum fuerit Domino, ſiue homo ſiue animal,
ſanctorum erit Domino.* Item Num. 35. *Locutus eſt Do
Moyſen, præcipe filijs Iſrael, vt dent Leuitis de poſſeſſionib
bes, ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum, &*
31. Cùm Iſrael viciſſet Madianitas, & de eis tuliſſet

ſpolia,iuſſit dari Eleazaro vnam animam de quingétis, tam
ex hominibus, quàm ex bobus, aſinis, & ouibus, & Leuitis
quinquageſimú caput hominum,boum,& aſinorum,& cun
ctorum animantium,ex media parte filiorum Iſrael. Item,
Deut.18. Deuter.18.de cæteris Leuitis volentibus miniſtrare dicitur,
partem ciborum eandem accipient, quam cæteri,excepto eo,quod in
quod in vrbe ſua ex paterna ei ſucceſſione debetur. Item Ioſue 21.
Ioſu.21. dederunt Leuitis filijs Iſrael de poſſeſſionibus ſuis,iuxta im
perium Domini,ciuitates & ſuburbana eorum,& ibi ſcribi-
tur,quomodo quælibet tribus dedit certas ciuitates, alia de-
cem,alia tredecim,alia quatordecim,&c. Et in fine ſubiun-
git : *Itaq; ciuitates vniuerſæ Leuitarum in medio poſſeſſionis filio-*
rum Iſrael quadraginta duo,cum ſuburbanis ſuis, ſingulaper fami-
lias diſtributa, & prætereà ſex refugij, & ſic erant 48.
3.Reg.2. Item 3.Reg.2. Salomon ait ad Abiathar Sacerdotem,*vade in*
Anathot ad agrum tuum,& ſic Sacerdos habebat agrum. Item
2.Par.11. 2.Paralip.11. Roboam Dei cultum tenente, & Ieroboam i-
dololatriam inducente dicitur , *Sacerdotes venerũt ad Roboam*
relinquentes ſuburbana,& poſſeſſiones ſuas. Ecce quot poſſeſſio-
nes habebant Sacerdotes? Item Ieremias Propheta ſanctifi-
catus in vtero Sacerdos,emit agrum, ſoluit precium, ſtipu-
Hier.32. lationes fecit,& ſibi fieri inſtrumentum Ierem.32.cap. Item
Hier.37. de eodem trigeſimo ſeptimo capite : *Cùm ergo receſſiſſet exer-*
citus Chaldæorum ab Ieruſalem,egreſſus eſt Ieremias,vt iret in ter-
ram Beniamin,& diuideret ibi poſſeſſionem in conſpectu ciuium. Itẽ
1.Eſd.2. primi Eſdre ſecundo de redeuntibus à Sacerdotibus à capti-
uitate ſic dicitur : *Habitauerunt ergo Sacerdotes & Leuitæ,& ia-*
nitores et cantores in vrbibus ſuis,vnuſquiſq; Iſrael in ciuitatib⁹ ſuis.
1.Mach.9. Item,certum eſt,Ionathan fuiſſe Sacerdotem , ex 1.Macha-
12.10. bæorum,& ducem & principem ad bellandum : ibidem 9.
& ſummum Sacerdotem,ibidem 12.qui habuit amplas poſ-
ſeſſiones.vnde in fine decimi capitis dicitur : *Addidit adhuc*
ſcilicet Alexander Rex glorificare Ionathan, & miſit ei fibulam au
ream,ſicut eſt cõſuetudo dari cognatis Regum,& dedit ei Accharon
(nomen eſt ciuitatis) *& omnes fines eius in poſſeſſionem.* Item
1.Mach.11. ibidem 11.Demetrius Rex prædicta cõfirmauit Ionathæ, &
maiora addidit. *fecit Ionathæ Rex ſicut fecerunt ei qui ante eum*
fuerant,& exaltauit eum in conſpectu omnium amicorum eius , &
ſtatuit ei principatum Sacerdotij, & quæcunq; alia habuit,primo pre
cioſa,& fecit eum principẽ amicorum. Item ibidem : *Scripſit Rex*
Antiochus adoleſcens Ionathæ dicens,conſtituo tibi Sacerdotium,&
conſtituo te ſuper quatuor ciuitates,vt ſis de amicis Regis . & miſit
ei vaſa aurea in miniſterium , & dedit ei poteſtatem bibendi in au-
ro,& eſſe in purpura, & habere fibulam au- cam & Simeonem fra-
trem eius conſtituit ducem in terminis Tyri, vſq; ad fines Aegypti. de
Sacerdotibus omnia iſta dicta ſunt.

Sed de Iuda Machabæo & alijs principatum & poten-
tiam liber Machabæorum oſtendit , & ſic ſunt quatuorde-
cim auctoritates veteris teſtamẽti. addatur vna de nouo te-
Act.4. ſtamento,quantum pertinet ad vetus. Actor.4. *Ioſeph qui co-*
gnominabatur Barſabas Leuites , Cyprius genere, vendidit agrum,
hic erat Leuita ſecundùm Magiſtrum hiſtoriæ ſcholaſticæ,
& Nicolaum de Lyra, habebat tamen agrum quem vendi-
dit.& ſic habeo quindecim auctoritates cõtra quinque,quæ
vincere debent ; nam æqualis roboris & fortitudinis ſunt,
cùm ſint ex textu Bibliæ.Sed in ſacra ſcriptura nulla eſt con-
trarietas.quid ergo? videamus verum ipſius intellectum,ne
ſermo ad corticem literæ intellectus ſit nobis in ruinam.
Textus per me adducti ad plurimum faciunt teſtimonium
de facto. Quid ergo? fuit violata lex illa data per Deum? ab-
ſit.Sed videamus ipſius verum & planum intellectum. Ego
dicam valdè planè , Dominus dedit 12.tribub⁹ Iſrael terram
promiſſionis , iſta terra erat diuidenda inter tribus per par-
tes ſeu hæreditates ſeparatas,vt verbi gratia,tribus Zabulon
habebit Bauariam , tribus Nephthalim Franconiam, tribus
Beniamin,Auſtriam,& ſic de alijs.ita ſunt diſtincti & limi-
tati fines tribuum in Canone Bibliæ. Tribus autem Leuiti-
ca,cùm eſſet ſacerdotalis , non habebat eſſe ſeparata, ſed de-
bebat ſeruire in ſanctuario ad vtilitatem omniũ tribuum.
Et ideo non habebat ſortem ſeu hæreditatem ad partem,ſi-
cut vna tribus ex alijs, ſed habebat plus quàm aliqua tribus,
quia cùm eſſent 12.tribus,ſibi non pertineret niſi 12.pars, &
habuit decimam omnium , & vltra decimam, primitias , &
oblationes,vota, ſacrificia,redemptiones , & emendas, do-
mos,ſuburbia. Ecce quantam opulentiam habebant illi Sa-
cerdotes,vtiq; vix credo,quod vel ſaltem in paucis locis,Sa-
cerdotes noſtri habeant maiorem opulentiam, & ita eſt in-
tellectus illarum auctoritatum,quod non habuit ſortem. Si
enim Deus faceret tantam gratiam Germanicæ nationi,
quòd acquirerent terram illam ſanctam,& demùm deberẽt
ſibi diuidere per partes & nationes ſeparatas, certum terri-
torium Bauaris,certum Auſtralibus,certũ Bohemis,& non
darent Sacerdotibus ſortem vel hæreditatem ad partem,ſed
cum omnibus partibus haberent in vnaquaque. habebant
enim illi Sacerdotes,ſicut dictum eſt mobilia & immobilia,
domos,& prædia , in quibus habebant verum dominium,
quia poterant illa vendere,& alienare,quæ non poteſt face-
re,niſi dominus. Quid autem poſſent vendere & alienare,
patet per illam auctoritatem Ieremiæ 32. & Actor. 4. Ec- Hier. 32.
cleſia hodiè in temporalibus bonis non habet aliud,niſi ob- Act.4.
lata à fidelibus,ſi quis obtulit Eccleſiæ domum,vel agrum,
caſtrum aut oppidũ. Sic & illi habuiſſent ſi oblata fuiſſent,
quæ erat lex Domini,vt ſuprà eſt allegatum Leuit.vigeſimo
ſeptimo : *Si vouerit domum ſuam.* Sed fortè dicet,ſed non ha-
bebant ciuile dominium,dico,textus non dicit , Non habe-
bant ciuile dominium , ſed nihil aliud, quàm decimas &
primitias poſſidebunt. In nullo illorum textuum ſit men-
tio de ciuili dominio. Prætereà dixi , & verum dixi, quod
ciuile dominium non eſt applicabile ad bona mobilia &
immobilia : Sed dicam , quid eſt ciuile dominium, de quo
fortè loqui nolunt , licèt non expreſſerint illud , de quo di-
citur,quod Imperator eſt Dominus illius ciuitatis, vel mũ-
di , de quo per Doctores in l.Benè à Zenone.C. de quad.
præſcr.& in c.conuenior,23.q.8.Sed non eſt dominus illius
domus, vel illius,quia imò illi priuati , vel domini domo-
rum,& prædiorum ſunt. Sed eſt quoddã vniuerſale domi-
nium quod magis propriè dicitur poteſtas de publico, ſeu
iuriſdictio,cuius deſcriptio habetur per gloſſ. in l.1.ff.de iu-
riſdict. Sed certè tale dominium in populo Iſrael à princi-
pio nullus habebat,niſi ſolus Deus. Ideo quando noluerunt
habere Regẽ,dixit ad Samuelem, *Non te abiecerunt,ſed me,ne*
regnarem ſuper eos,1.Reg.8. Imò & Leuit.25.dicit,*Terra quo-* 1.Reg.8.
que non vendetur in perpetuum, quia mea eſt,& vos aduenæ & co- Leuit.25.
loni eſtis. Huius autẽ dominij ſeu iuriſdictionis adminiſtra-
tionem & exercitium habuerunt domini Sacerdotes. Pri
mùm Moyſes,qui erat Sacerdos. Vnde Pſalmiſta: *Moyſes &* Pſal.98.
Aaron in Sacerdotibus eius. & idem dux & rector populi Iſrael.
Deinde tempore iudicum, qui regebant Iſrael, fuerunt iudi-
ces plures de tribu Leui, ſicut Heli & Samuel , qui fuit
de tribu Leui , vt ait Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ .
Et Auguſtinus in quæſtionibus veteris teſtamenti tractan- Aug. in
do illud, quomodo Helcana , pater Samuelis decimas offe- q.veteris
rebat,cùm eſſet Leuita? & ibi ad noſtrum propoſitum dicit, teſtamen-
quod quia accipiebant vxores de alijs tribubus , ſicut Ioiada ti, q.46.
ſacerdos duxit filiam Regis Ioram , & ſic habebãt poſſeſſio- tom.4.
nes vxorum. Tandem ſupremum iudicium erat Sacerdo-
tum,dicente Domino Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud* Deut.17.
te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem,lepram
& non lepram,cauſam & cauſam, & iudicium inter portas, videris
verba variari , ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus
Deus tuus,veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis , & ad iudicem,
qui fuerit illo tempore , quæresq; ab eis , qui iudicabunt tibi iudicij
veritatem, & facies quæcunq; dixerint tibi, qui præſunt loco quem
elegit Dominus. & infrà:*qui autẽ ſuperbierit,nolens obedire Sacer-*
dotis Imperio,qui eo tẽpore miniſtrauerit Domino Deo tuo,ex decre
to iudicis,morietur ille homo. Poſteà verò venerunt Reges, in-
fra quorum tempus non legimus quempiam præter Reges
habuiſſe dominiũ alicuius ciuitatis, oppidi vel caſtri. Si ne-
mo habebat,non mirũ,ſi Sacerdotes nõ habebant.Eſt nam-
que mos in aliquib⁹ Regionibus , ſicut audio eſſe in Africa,
quòd ſolus Rex habeat dominium ciuitatũ, oppidorum,ca-
ſtrorũ & villarum. Sed poſteà temporibus Macchabæorũ,
nónne Matthathias , Ionathas, Iudas Machabæus, & fratres
eius Sacerdotes ſimul fuerunt & Principes, vt hiſtoria Ma-
chabæorũ liquidè atteſtatur,& ſic habuerũt ciuile dominiũ.

Iam venio ad auctoritates noui teſtamẽti , & primo lo- Ad auctoritates noui teſtamenti.
co allegantur quatuor auctoritates ordine ſucceſſiuo, quæ
ſalua bona gratia allegantis valdè parùm faciunt. Prima eſt
de vocatione Petri & Andreæ. Alia de vocatione Matthæi. Act. Matt.4.
In quibus magna vocantis virtus , & obedientia vocatorum Matth.9.

meritò

meritò commendatur. Sed cùm non habeant notam pręcepti, neque prohibitionis, non poteſt ex eis argumentari ad licitum vel illicitum, ſed ad laudabiliter imitandū, perſonarum, rerum & temporū circumſtātijs adhibitis ſicut decet.

Ad 2. Matth. 5.

Allegatur ſecundo loco illud Matth. 5. *Si quis te percuſſerit in vnam maxillam*, quæ nihil ad propoſitum facit. Et illa. *qui tecum vult in iudicio contendere, & tollere tunicam*, quæ ſic ad literam capta, & quod ad ſolos Clericos dictum eſſet, poſſet induci contra allegantem, nam conſtaret, quòd Clerici poſſunt habere bona. Sed ſicut omnis Doctorum ſententia habet, hæc præcepta in præparatione cordis habenda ſunt, in exteriori autē operatione id potiùs agendum eſt, quod proximi ſalutari conueniat. Vnde Auguſt. ait in ſerm. de puero Centurionis, & habetur 23. quæſt. 1. *paratus debet eſſe homo iuſtus & pius, patienter eorum malitiā ſuſtinere, quos bonos fieri quærit*. & infrà: *Iſta præcepta magis ſunt ad præparationem cordis, quæ intus eſt, quàm ad opus quod in aperto fit, vt teneatur in ſecreto, animi patientia cum beneuolentia, in manifeſto autem id fiat, quod eis prodeſſe videtur, quibus benè velle debemus. hinc liquido oſtenditur, quod ipſe Dominus Ieſus exemplum ſingulare patientiæ, cùm percuteretur in faciem, reſpondit, ſi malè locutus ſum, &c. Nequaquàm igitur præceptū ſuum, ſi verba inſpiciamus, impleuit*, & reliqua per eum ibi ſcripta. vbi etiam hoc confirmat ex Paulo, de quo Actor. 23. quòd percuſſus in maxillam, non præbuit aliam, ſed dixit, *percutiet te Deus, paries dealbate*.

Aug. de puero centurionis 23. q. 1. Paratus. c. 2.

Act. 23.

Ad 3. Matth. 8. Matth. 19.

Tertiò allegatur illud quod Chriſtus dixit, *vulpes foueas habent*. Ad hoc & ad id quod ſexto loco allegatur: *Si vis perfectus eſſe*. Et id quod Apoſtoli dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia*. Et quod 10. loco allegatur ex Luca: *Vende omnia quæ habes*. reſpondere opus non eſſet, quia omnis homo ſcit illa non ad Apoſtolos tātùm dicta, immò ad literam dicta fuerunt non Apoſtolis, ſed Scribæ & iuueni illi. Item non obligamur omnia agere, quæ Chriſtus. Nam licèt omnis Chriſti actio ſit noſtra inſtructio, non tamen ſemper ad neceſſariam imitationem, aliàs oporteret nos omnes crucifigi. Et ex ſe textus oſtendit neceſſitatem non habere, cùm ad conſequendum vitam æternam ſufficienter præmiſit, *ſerua mandata*. Et ſubiunxit, *ſi vis perfectus eſſe*. Nec tamen quiſquam intelligat, illud neceſſarium eſſe ad perfectionem Euangelicā, cùm, vt Apoſtolus teſtatur ad Coloſſ. 3. Charitas ſit *vinculum perfectionis*. Sed quod illud eſt quoddam inſtrumentum accommodum, tanquàm remouens illud, quod poſſet eſſe impeditiuum. eſſentiale autē perfectionis cōſiſtit in hoc quod dicit, *ſequere me*, non greſſibus corporis, ſed affectibus, vt hic dicit S. Thomas 2. 2. q. 85. artic. 6. & in multis alijs, & communiter omnes Doctores.

Luc. 18.

Coloſſ. 3.

Tho. 2. 2. q. 184. ar. 1.

Ad 4. 5. 7. & 8.

Ad quartam iam reſponſum eſt. Veniamus ad quintam, & ſimul cum iſta accipio ſeptimam & octauam, quia idem dictum Chriſti eſt, ſed à tribus Euāgeliſtis recitatum, vt Auguſtinus deducit de conſenſu Euangeliorum. Et quia hæc videntur vrgere, inſiſtendum eſt circa ipſas, quia de iſtis ſolet fieri magnum feſtum. Et nunc obſecro, omnes memores eſſe noſtræ præfationis, ne ſermo Dei ad corticem literæ ſit nobis in ruinam. Et ne efficiamur Chriſti falſi teſtes, ſicut illi, qui dixerunt Chriſtum dixiſſe, *poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud*. Et vtique exiſtens in templo Salomonis, cùm eieciſſet ementes & vendentes, & peteretur ab eo ſignum, dixit, *ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Iudæi intellexerunt de templo illo, in quo erat, ipſe autem loquebatur de templo corporis ſui, prout Ioānes verus eius teſtis & interpres atteſtatur. Sed vt ſimus idonei miniſtri teſtamenti, ſicut dixit Paulus 2. Cor. 3. *Non litera, ſed ſpiritu, quia litera occidit. ſpiritus autem viuificat*.

Aug. de conſenſu l. 2. Euangeliſtarū, c. 30.

Matt. 26.

Ioan. 2.

2. Cor. 3.

Et primò ſciendum eſt, quòd per hunc modum loquendi *nolite* vel *noli* non ſemper inducitur prohibitio, vt contra faciens peccet, ſed eſt ſæpè quædam exhortatio vel confortatio. Graue nimis eſſet, ſi vbicunque in ſacra ſcriptura talis inuenitur locutio, prohibitionem induceret ſuper expreſſa ad ſenſum grammaticalem, Lucæ quinto, pręcepit ne cui dicerent, Marci decimo de libello repudij. Scriptum eſt in Euangelio Lucæ decimoquarto: *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, aut fratres, aut cognatos*. Nunquid eſt intelligēdum ex hoc prohibitum inuitare amicos? Vnde Beda, vt Thomas allegauit in gloſſa: *fratres igitur & amicos, & diuites, alterutrum conuiuia celebrare, nō quaſi ſcelus interdicit, ſed ſicut cætera neceſſitatis humanæ cōmercia ad promerendum vitæ cœleſtis præmia * modicum valere*. Iterum ſcriptum eſt Matth. 10. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt*, nunquid propterea eſt abijciēdus omnis timor eorum, qui poſſunt corpus occidere? certè non, ſed hoc eſt intelligendum, ne propter timorē corporis iuſtitiā deſeramus. Item: *nolite ſolliciti eſſe quid manducaturi eſtis, neq; ſolliciti eſſe de craſtino*. Nūquid eſt propterea ſic abijcienda omninò ſolicitudo victus & veſtitus, pro futuro tempore? certè non. Vnde Auguſtinus in lib. 2. de ſermone Domini. *Vehementer cauendum eſt, ne forè cùm viderimus aliquē ſeruum Dei prouidere, ne iſta neceſſaria deſint, vel ſibi, vel his, quorum cura ſibi commiſſa eſt, iudicemus eum contra præceptum Domini facere, & de craſtino ſollicitum eſſe. Nam ipſe Dominus cui miniſtrabant Angeli propter exemplum, ne quis poſteà ſcandalum pateretur, cùm aliquē ſeruorum eius animaduertiſſet iſta neceſſaria procurare, loculos habere dignatus eſt, quibus portabatur pecunia, vnde vſibus neceſſarijs quidquid opus fuiſſet, præberetur. hac prouidentia alij Apoſtoli, Paulus & Barnabas præceperunt collectas fieri in vſus Sanctorum qui erant in Ieruſalem*. hæc Auguſtinus. Hoc de collectis habetur Actor. 11. ad Rom. 15. & ipſe Paulus pro futuro ſuo itinere talem prouidētiam habuit, & ipſe oſtendit 2. Cor. 9. Et ad Philipp. 4. Iterum cùm Chriſtus dixit. *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*, numquid hæc prohibitio fuit magis confortatio quædam, ne timorem aut ſolicitudinem formidoloſam haberent? ſic in propoſito. Iterū quomodo Chriſtus dixit Lucæ 6. *nolite iudicare*. Nunquid prohibuit omne iudicium? abſit. Iterum cùm Apoſtolus Iacobus dixit: *nolite iurare*. nunquid propter hoc debet omne iuramentum cenſeri prohibitum? abſit. Tandem cùm Paulus dixit Timotheo: *noli aquam bibere*. Peccauit Timotheus, poſteà quando aquam bibit? In huiuſmodi locutionibus attendenda ſunt plura. perſona loquens, cui loquitur, res de qua, quo dicendi genere, & qua de cauſa. Quoniam vt inquit Hilarius, *intelligentia verborum ex dicendi cauſis eſt aſſumenda, & mens dicentis magis eſt attendenda, quàm verba*. Hac vna regula præſuppoſita infallibili, quæ trahitur ex Auguſtino tertio de doctrina Chriſtiana, cuius libri principalis intentio eſt inſtruere nos ad intelligendam ſacram ſcripturam. Regula eſt iſta. Quod quando ſcriptura ſaluari non poteſt in ſenſu terminorum grammaticaliter acceptorum, tropica ſeu figuratiua locutio eſt; Solet enim ſcriptura tropicè ſeu parabolicè loqui, ponens interdum cauſam pro effectu, vel effectum pro cauſa: vel rem pro vitio vel virtute, quæ vt communiter, vel vt plurimum ſolet conſequi ad eam, v. g. dixit Chriſtus Matth. 5. *Quicunq; dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Certè ibi cordis rancorem ad apertam contumeliam proſilientem intellexit, alioqui reus fuiſſet gehennæ ignis Paulus quando dixit Galatis, O inſenſati Galatæ. Vnde Auguſtinus lib. 21. de Ciuitate Dei, iuxta finem: *Non dicit fratri ſuo, fatue, qui cùm hoc dicit, non ipſi fraternitati, ſed peccato eius infenſus eſt*. Iterum aliud exemplum. Chriſtus dixit Matthæi vigeſimo quarto: *Nolite vocari Rabbi*. Item dixit ibidem, *Patrem nolite vocari in terra*. Certè non hæc nomina nec officia prohibere intellexit, ſed ambitionem ſuperioritatis & excellentiæ, quæ talia officia & nomina vt communiter conſequi ſolent. Vnde Auguſtinus ſuper Pſalmo, *Attendite popule meus*. coram Patribus, &c. dicit. *Paulus ſenior dicit, non vt confundam vos hæc ſcribo, ſed vt filios meos chariſſimos moneo, cùm ſciret vtique à Domino dictum, Ne vobis dicatis patrem in terra, quod non ideo dictum eſt, vt vocabulum honoris humani de loquendi conſuetudine tolleretur, ſed ne gratia Dei qua in vitam æternam regeneramur, naturæ vel poteſtati, vel etiam ſanctitati cuiuſquam hominis tribueretur*. Ecce quomodo Auguſtinus docet nos intelligere verba Chriſti in ſenſu intrinſeco, non grammaticali, vt dicamus, quòd quicunque aliquem vocat patrem, peccet, nec quicunque vult vocari Rabbi, quod idem eſt, quod Magiſter, alioqui peccaret Magiſter Petrus Anglicus, qui benè vult vocari Magiſter. & multi alij quotidiè peccaremus. Nunc autem oſtendēdum eſt, quòd ipſæ auctoritates ſaluari nō poſſunt, primò ex hoc quod Euangeliſtæ ſibi inuicem contradicere videntur. Cùm Matthæus & Lucas dicunt, *neq; virgam*, Marcus autem dicat, *niſi virgam*, & ſic duo negare videntur, alter videtur concedere. Vnde oportet quòd figuratiuè loquātur. prout Auguſtinus dicit in de cōſenſu Euangeliſtarum. Item

Verbum, Noli aut nolite, nō ſem pro prohibitionē ſonat.

Luc. 5. Marc. 10. Luc. 14.

S. Thomas care. & Beda.

text impreſſus habet nihil.

Matt. 10.

Matt. 6.

Aug. l. 2. de ſer. Domini in mōte paulò vltra medium.

Acto. 11. Rom. 15. 2. Cor. 9. Philip. 4. Matt. 10.

Luc. 6.

Iaco. 5.

1. Tim. 5.

Hilarius.

Aug. de doctr.

Aug. lib. 21. de ciuit. Dei, c. 27.

Matt. 24.

Auguſt. in Pſal. 77. 1. Cor. 4.

Matt. 10. Luc. 10. Marc. 6. Aug. l. 2. de conſ. Euāg. c. 30

quod nec Chriſtus nec Apoſtoli hanc doctrinam ſeruârunt, patet, nam Chriſtus habebat loculos, in quibus portabantur pecuniæ ad emendum neceſſaria Ioannis 13. cap. ſuper quo
Ioan. 13. Aug. trac. 62. in Ioã. Auguſtinus in homilia 62. *Habebat ergo Dominus loculos à fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſsitatibus & alijs indigentibus tribuebat, tunc primùm Eccleſiaſtica pecunia forma eſt inſtituta, vt intelligeremus, quod præcepit non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, vt nihil pecunia ſeruaretur à Sanctis, ſed ne Deo pro iſta ſeruiatur, & propter inopiæ timorem, iuſtitia deſeratur*. Hæc Auguſtinus. Hoc idem patet ex illo Euangelij
Ioan. 4. Ioannis quarto, quando Ieſus loquebatur cum Samaritana, quod Apoſtoli ibant in ciuitatem cibos emere. Et Marci 6.
Marc. 6. dixerunt diſcipuli, *euntes emamus pro denarijs panes, & demus ei*. Nec CHRISTVS intrans ciuitatem, interrogabat, &c. Nec intrabat quamcunque domum, & ibi manebat, ſed recipiebat cōuiuia, & à ſanctis mulieribus ſibi miniſtrabatur. Item panem ſecum detulerunt Petrus & Andreas quando
Ioan. 21. iuerunt piſcari, Ioannis vltimo. Item non legimus quòd Apoſtoli ſeruauerunt illam clauſulam, vt intrantes ciuitatem peterent, quis in ea dignus eſſet, & ibi manerent. Sed de Paulo legimus in communi legenda, & in hiſtoria ſcholaſtica, quod conduxit domum Romæ, & ipſe recepit ſtipendium ſeu ſubſidium ab alijs Eccleſijs, de quib⁹ viuebat apud
2. Cor. 11. Philip. 4. Corinthios 2. Corinth. 11. ad Philippen. 4. *Scitis autem vos Philippenſes quando profectus ſum à Macedonia, nulla mecum Eccleſia communicauit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli, quia Theſſalonicam ſemel & bis in vſum mihi miſiſtis*. Circa iſta veriſimile eſt, quòd in pecuniam mittebantur, & ab eo cōſeruabantur, ſed vtcunque ſit, ſiue pecunia, ſiue æs, ſiue panis, ſiue veſtimentum, omnia eſſent contra prohibitionem, ſi prohibitio eſſet. Et collectæ miſſæ in Ieruſalem, de quibus
Act. 11. Rom. 15. Act. 12. Act. 11. & ad Roman. 15. cōtra prohibitionem eſſent, ſi prohibitio eſſet. Et Petrus calceamenta habebat, quomodo Angelus dixit ei, *calcia te caligis tuis*. Actor. 12. cùm tamen textus Euangelij dicat, *neq; calciamenta*, & ſic omnes deberemus ire diſcalciati, tamen neminem video diſcalciatum, ſed omnes calciati ambulamus. Sed & Sixtus & Laurentius, qui theſauros habebant Eccleſiæ, Nicolaus & Ambroſius, & multi Sancti tranſgreſſi fuiſſent, quæ nullatenùs ſunt dicenda. Videamus ergo verum intellectum, quoniam ad literam iuxta ſenſum grammaticalem ſtare non poſſunt, niſi dicamus, quòd fuit non præceptum ſed documentum vtile, pro illa miſſione, qua miſſi fuerunt ad poplum Iudæorum prædicare pœnitentiam, & quòd appropinquabat regnum Dei, ita dicit
Aug. contra Adamantium Manichæi diſcipulũ. Auguſtinus in libro contra Adamantium, diſcipulum Manichæi, hoc non fuit præceptum ſed documentum vtile pro illo tempore, & hoc eſt de mente Chryſoſtomi, prout dicit ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 185. diſtin. 2. artic. 6. in cor. ad
Chryſ. ſuper illa verba: Salutate Priſcã, habetur immediatè poſt Epiſt. ad Ro. S. Tho. 2. 2. q. 185. ad 2. ſecundum articulum. Pro cuius declaratione eſt ſciendum & docendum, quòd Apoſtoli bis fuerunt à Chriſto miſſi, primò tantùm ad Iudæos prædicare, quod appropinquabat regnum cœlorum, & pro hac illam legem acceperunt. Secundò fuerunt miſſi poſt reſurrectionem à Chriſto in vniuerſum mundum prędicare Euangelium omni creaturæ, & hæc miſſio fuit libera, nec coarctata terminis terrarum, ſicut prima, nec ceremonialibus illis limitata, ſed in lege perfectæ libertatis; ſicut dixit Iacobus capite primo, & hoc ſatis oſtenditur, quia dicit Auguſtinus ſecundo libro de doctrina Chriſtiana: *Illi credentium, qui fuerunt ex Iudæis, ſeruârunt illam communem vitam, quia erant legalibus honoribus aſſueti. Alij autem qui de gentibus conuerſi fuerunt, talem viuendi modum non ſeruauerunt*. Illa ergo prima miſsio cum ſuis regulis præterijt. Nec iam prædicamus, quòd appropinquat regnũ cœlorum. Sed in ſecunda miſſion ſuccedimus ad prędicandum Euangelium omni creaturæ.

Vel dicamus ad mentem loquentis magis attendentes, quòd magis conſortatio quàm prohibitio fuit, & demonſtratio facultatis & poteſtatis, vt nō timerent ſine ſacculo & pera ire ad prædicandum, ſed omnem anxietatem & ſolicitudinem deponerent. & hic eſt communis modus loquendi. Si enim aliquis noſtrûm mitteret ſeruum ſuum, & ſciret quòd in via nil ſibi deficeret, quia vel alius ſocius, omnia neceſſaria ſecum ferret pro ambobus, vel irent per domos amicorũ, vbi eis nil deficeret, diceret illi? Noli portare panẽ neq; vinum. Sic ergo volebat eos carere omni ſolicitudine, temporalium, & omnem timorem expellere, augereque fiduciam. Et hoc eſt de mente Chryſoſtomi, prout eum alle-
Chryſ. in 10. c. Matt. gat S. Thomas in gloſſa continua ſuper Matth. 10. vbi inter alia ſic dicit *ab omni eos ſoluens ſolicitudine, vt vna ſola detineãtur cura, quæ eſt doctrinæ, à qua etiam eos ſoluit, dicens, neq; ſoliciti ſitis quid loquamini*. Et alia dicit, quæ hic longum eſſet recitare, ſed poterimus in libro videre. Hoc etiam eſt de conſenſu Euangeliſtarum. De mente Auguſtini vbi ſic dicit, *vnde*
Aug. de conſenſu Euangeliſtarum vbi ſupra. *ſatis oſtenditur, cur eos hoc poßidere aut ferre noluerit, nõ quòd neceſſaria non ſint ſuſtentationi huius vitæ, ſed quia eos ſic mittebat, vt eis hæc deberi demonſtraret*, & reliqua quæ lõgum eſſet hic ſcribere, videre poterimus in libro.

Et tandem vt his finem imponam cum gloſſa ordinaria, *radicem omnium malorum auaritiã de eorum pectorib. voluit amputare, ipſam intendens per aurum, argentum, æs, &c. quæ auaritiæ ſolent eſſe materia*. Sicut & prædixi de illis auctoritatib⁹: *Nolite vocari Rabbi. & nolite patrem vocare*. & in hoc concordant multorum Doctorum ſententiæ, quas ex gloſſa S. Thomæ poterimus videre. Sic in illo Deuter. 17. *Cùm electus*
Deut. 17. *fuerit Rex, non multiplicabit equos*, &c. intelligendum eſt non ſimpliciter, ſed ad pompam & ſuperfluitatem, alias peccâſſet in hoc Dauid tam commendatus à Domino, qui certè multiplicauit equos, & familiam ampliauit. Sicut ergo ibi ſub illis verbis, non abſoluta illarum rerum prohibitio intelligenda eſt, ſed ad pompam & ſuperfluitatem, vt ibi dicit Lyra, ſic & hic auaritia prohibetur, quæ vtique, etſi in omnibus hominibus reprehendenda ſit, eſt in Sacerdotibus
Ambro. in c. 10. Luc. deteſtanda. Huic ſenſui concordat Ambroſius, ſicut allegat Thomas ſuper illud Lucæ *Dominus poſt*, &c. qui volunt adhuc deriuare tractatum, vt ſpiritualem tantummodò locus iſte formare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuiſſe, non ſolùm poteſtate reiecta, contemptisq; diuitijs, ſed etiam carnis illecebris abdicatis, & Theophylactus quidam etiam Apoſtolos nō portare peram aut baculum, aut duas tunicas, ſic intelligunt, vt non theſaurizent.

Ad 6. & 11. Venio conſequenter ad ſextam, & huic coniungo 11. quia ſimiles ſunt, vna eſt Marci, alia Lucæ, de illo, *ſi vis perfectus eſſe*. ad quod iam dictum eſt ſuprà, non Apoſtolis, ſed illi iuueni fuiſſe dictum. Etſi dicatur, quòd Prælatis competit eſſe perfectos, dixi & dico quod illud: *Vende*, &c. non eſt eſſentiale perfectionis, ſed inſtrumentum ſine quo benè poteſt eſſe perfectio. Patet de Abraham, de quo dictum eſt Gen.
Gen. 17. 17. *Ambula coram me, & eſto perfectus*. De Iob, Tobia, & multis alijs, de quibus infrà dicetur. Cùm autem ſubiungitur,
Matt. 19. Mar. 10. Luc. 18. *Facilius eſt camelum per foramen acus intraire, quàm diuitem intrare regnum cœlorum*. hoc generaliter ad omnes pertinet tam Clericos quàm Laicos. Quomodo autem hoc intelligatur, ipſemet Chriſtus declarauit Marci 10. Nam cùm dixiſſet, *quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt*, & diſcipuli obſtupuiſſent, quaſi declarando rurſus ait, *filioli, quàm difficile eſt confidentes in pecunijs intrare in regnum Dei?* Ecce de quo diuite loquitur, qui ſpem ſuam in pecunijs ſuis ponit. Vnde Auguſtinus ſuper Pſalmo, *Quid gloriaris in malitia*,
Aug. in Pſal. 51. Matt. 19. &c. *Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum. Quando Dominus noſter Ieſus Chriſtus abeunte illi à ſe diuiti contriſtato dixerat, Vende omnia, &c. & magnam deſperationem diuitibus prænunciârat, vt diceret facilius poſſe camelum per foramen acus intrare, quàm diuitem in regnum cœlorum. Nõnne continuò diſcipuli contriſtati ſunt, dicentes apud ſemetipſos, quiſnam poterit ſaluari? diuites paucos attendebãt, latebat eos tanta pauperũ multitudo, nõ ſibi poterãt dicere, ſi difficile eſt, imò impoßibile, vt intrent diuites in regnum cœlorũ, ſicut impoſſibile eſt vt intret camelus per foramẽ acus: Omnes pauperes intrant in regnũ cœlorum, diuites ſoli excludũtur? Quot ſunt enim diuites? at verò pauperum innumerabilia millia, Nõ enim tunicas inſpecturi ſumus in regnũ cœlorum, ſed veſtis cuiq; fulgor iuſtitiæ deputabitur. Sunt ergo pauperes æquales Angelis Dei, induti ſtolis immortalitatis fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris ſui. Quid nobis eſt de diuitibus paucis ſolicitos eſſe atq; laborare? non hos ſenſerunt Apoſtoli. Sed cùm Dominus hoc dixiſſet, facilius eſt camelum, &c. illi apud ſe dicentes, quiſnam poterit ſaluari? Quid attenderunt? nõ facultates, ſed cupiditates: viderunt enim ipſos etiã pauperes, etſi non habentes pecuniam, habere tamen auaritiam, & vt [illegible] noueratis, non pecuniã in diuite, ſed auaritiã condẽnari, Aduertite [illegible] dico, reſpicis illũ diuitẽ ſtãtẽ iuxta te, et fortè in illo eſt pecunia, & n[illegible]*

eſt

eſt auaritia, in te non eſt pecunia, ſed eſt auaritia, pauper vlceroſus, ærumnoſus, linctus à canibus, non habens opem, nō habens eſcam, non habens fortè ipſam veſtem, ablatus eſt ab Angelis in ſinu Abrahæ, eia tu pauper gaudes modò. Nunquid nam tibi & vlcera optanda ſunt? Nonne patrimonium tuum ſanitas eſt? Non eſt in hoc Lazaro meritum paupertatis, ſed pietatis. Nam diues qui ſublatus eſt, non vides quo ſublatus ſit? Quis eſt ſublatus ab Angelis? pauper ærumnoſus & vlceroſus. quo ſublatus eſt? in ſinum Abrahæ. lege Scripturas, & inuenies diuitem Abraham, & noueris, quia diuitia non puniuntur. habebat Abraham multum auri & argenti, pecorum, familiæ; diues erat, & in ſinum eius pauper Lazarus ſublatus eſt, & in ſinum diuitis pauper recipitur, an potius ambo Deo diuites, ambo cupiditate pauperes? Quid ergo culpat Scriptura? non dixit, Ecce homo qui fuit diues, ſed ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, non quia habuit diuitias, ſed quia in ipſis ſperauit, & in Deo non ſperauit: ideò damnatur, ideò punitur, ideò mouetur de tabernaculo tanquam motus ille terrenus, ſicut puluis quem proijcit ventus à facie terræ; ideò exſtirpatur radix eius de terra viuentium. Numquid huic ſimiles ſunt diuites, de quibus Paulus loquitur, 1.Tim.6. *Præcipe diuitibus huius ſæculi nōn ſuperbè ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo.* & infrà: *denique, illis quid præcipit? Diuites ſint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, & ſi facilè tribuerint, ſi communicauerint non habenti, intrabunt per foramen acus? intrabunt planè. Nam & pro illis ipſe camelus intrauit, ipſe enim prior intrauit, quem ſicut camelum nemo ſarcina paſſionis oneraret, niſi ipſe ſe in terram deponeret, & ipſe hoc dixit, quod hominibus impoſſibile eſt, Deo facile eſt.* & Pſal.143. infrà: *Os eorum locutum eſt vanitatem, &c. neque clamor in plateis eorum. Denique quid in illis reprehenditur? Non quia iſta habuerunt, nam & boni habent iſta, hoc intendite. Sed quid, ne paſſim diuites reprehendatis, & rurſum, ne de paupertate & egeſtate præſumatis. in quo ergo iſti notantur? Quia beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Hæc omnia Auguſtinus. Et ad hoc di- Chry. ſup. Matth.19. ctum Chryſoſtomus ſuper Matt. 19. quod allegat Magiſter Petrus, Chryſoſt. ſic dicit: *Non pecunijs detrahens, ſed eis qui detinentur ab ipſis.*

Ad 8. & 12. Septima fuit coniuncta cum quinta, & vtrique ſimul reſponſum. Venio ad octauam, cui & duodecimam cōiungo, quia & eadem auctoritas eſt à duobus Euangeliſtis recitata, quarum ſolutio ſatis liquet ex originali Chryſoſtomi, quē Matth.20. Marc.10. Luc.22. Magiſter Petrus allegat: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, non contenti regere ſubditos ſuos, violenter eis dominari nituntur, inter vos autem, qui eſtis mei, non erunt hæc.* Ecce quòd intendit reprobare tyrannicum dominium, & oſtendere quod prælatio Eccleſiaſtica debet eſſe iuſta & caritatiua, ad modum paſtoratus cum ſolicitudine, pro vtilitate omniū, miniſtrando eis ad animarum ſalutem, & hoc eſt, quod Petrus Apoſtolus ait, 1.Pet.5. 1.Pet.5. quæ auctoritas in loco finali per Magiſtrum Petrum poſita eſt: *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Domini, &c. non dominantes in Clero, ſed forma facti gregis.* Sed Gloſſ. ord. aduertendum eſt, quod ibi eſt vna gloſſa, quæ ſic dicit: *Paſcite non ſolùm verbo & exemplo, ſed corporali ſubſidio.* ex qua apparet, quòd Prælati eccleſiæ de bonis temporalibus debent tātùm habere, quod ſufficiat pro eorū vitæ neceſſarijs, & poſſint etiam ſubditis & pauperibus in neceſſitatibus ſubuenire, quod in ſuo loco latius Deo propitio declarabitur.

Ad 9. Nona fuit coniuncta cum quinta & ſeptima, & ſimul vtriſque reſponſum, & hoc quantum ad illud Luc.9. Luc.9. *Nihil tuleritis, &c.* Luc. 14. Ad id autem quod ſubiungit ex Luca cap. 14. *Qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus, & ſi non odit patrem & matrem, &c.* Dico quod iſta non pertinent ad Clericos tantùm, ſed ad quemlibet Chriſtianū dicta ſunt, quia accipitur ſic Chriſti diſcipulatus. Veruntamen ad quoſcunq; referatur, quomodo hoc intelligendum Gloſſ. ord. ſit, gloſſa ibi declarat, dicens, quod omnibus mundanis renunciant, quia ita eis licitè vtuntur quæ poſſident, vt tamen mente tendant ad æterna. veritas huius gloſſæ patet ex conſequenti, vbi dicit, qui non odit patrem & matrem, &c. quæ non poſſunt intelligi de actuali odio, ſed quod illa diuino a- Greg. homil.37. mori non præferat, vt clarè deducit Gregorius in homilia ſuper illo Euangelio. hoc etiam patet. nam Lazarus & Maria & Martha non renunciauerant facultatibus, & tamen erant diſcipuli Chriſti. Item Nicodemus princeps Iudæorū, & Ioſeph ab Arimathia diues erat, & diſcipulus Chriſti, de Rabanus. quo Rabanus ſuper Matth.27. *Magnæ dignitatis fuit apud ſæculum, ſed maioris meriti apud Deum, quia non erat diues diuitiarum amore, ſed tantummodò poſſeſſione, ideò diuites non excluduntur à diſcipulatu Saluatoris. Iſte autem diues erat & diſcipulus, quia nec pecuniæ amator, ſed diſtributor:* hæc Rabanus. Legitur etiam Act.21. quòd Paulus hoſpitatus fuit in domo Philippi Euan- Act.21. geliſtæ, qui habuit quatuor filias, & ſic non renunciauerit omnibus, & tamen erat Euangeliſta, id eſt, prædicator Euangelij. vnde Beda ſic dicit: Beda. *Omnium fidelium eſt renunciare omnibus quæ poſſident, hoc eſt ſic tenere ea, quæ mundi ſunt, vt tamen per ea non teneantur in mundo, habere rem temporalem in vſum, æternā in deſiderio, ſic terrena gerere, vt tamen tota mente ad cœleſtia tendant.* Ideò venio ad decimam, quæ eſt: Ad 10. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* quæ vtrique ſtatui pertinet, *Nemo poteſt ſeruire Deo & Mammonæ*, neque Clericus, neque laicus. Et ego talem abuſum in homine excuſare neſcirem, quod ſeruiat ipſe diuitijs, ſed vtatur debitè illis. & tunc nō Mammonæ, ſed Deo ſeruit ipſe, & mammonam ſibi ſubijcit, & etiam Deo ſeruire facit. Vtiq; Deo ſeruit prælatus Eccleſiæ, qui res Eccleſiæ debitè adminiſtrat, & fideliter, quorum eſt procurator non De donat. Dominus, prout etiam Magiſter Petrus allegat. Ext. de do- frat. lib. 3. nat. frat. Et Auguſt. & habetur 23.q.7. quod autem. Si autem tit.24. priuatim q̄ nobis ſufficiant poſſidemus, nō illa ſunt noſtra, 23.q.7. q. ſed pauperum, quorum procurationem quodammodò ge- autem.,.3. rimus, & hanc etiam Mag. Petrus allegat Cor.14. Aug. ep.50 ad Bonif.

Reliquæ auctoritates quæ inducuntur, parum vrgere videntur, quapropter illas omitto cauſa abbreuiandi. Si autem alicui vel aliquibus earum velint inſiſtere, deſignent illas, & ego Deo propitio ſatisfaciam, & etiam ex infra dicendis ſatis patebit reſponſio.

Venio igitur ad originalia Doctorum, quæ cùm ſint multa & longa, per ſingula reſpondere tempus longiſſimum occuparet. Sed ego breuius quo potero complectar eadem ad omnia ſimul quaſdam generales reſponſiones dando, ad aliquas verò illarum, quæ magis vrgere videntur, ſpecialia dabo reſponſa.

Inprimis nonnulla ipſorum de religioſis loquuntur, licèt Mag. Petrus extra ſcriptum extulerit vocem ſuam, dicēs: *Non dicant hæc loqui de Monachis, quia Monachi nondum erant.* Ad quod ego habeo dicere, quòd dixiſſe legimus Auguſt. 23. 23. queſt.7 q.7. quod autem: quod autē *Vſque adeò calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant quam ſint inter ſe contraria, quæ loquuntur.* Non- De Monachis. ne ipſemet allegat Dionyſium de Eccleſiaſt. hierarchia, c.6. dicentem, Monachos eſſe de ſtatu eorum, qui perficiuntur? Sed Dionyſius fuit diſcipulus Pauli, & contemporarius Apoſtolorum. Vnde clarè liquet, quòd in principio naſcentis Eccleſiæ fuerunt Monachi, cœnobitæ dico, viuentes in congregatione; Nam prout Caſſianus recitat lib. 2. & hiſtoria Caſſianus Eccleſiaſtica lib.2. ante finem. Euſeb. l.2. c.15.16. Beatus Marcus Euangeliſta apud Alexandriam Monachorum vitam inſtituit. Et in legēda B. Marci legitur, quòd fundauit Monaſterium ſanctimonialium fœminarum.

Nemo ergo detrahat Religionibus, quæ à tempore Apoſtolorum, & ab ipſis Apoſtolis & Chriſti diſcipulis ſumpſerunt originem & initium, & vtique plurimùm Dei Eccleſiam illuſtrârunt. Magna pars Doctorum Eccleſiæ fuerunt Religioſi. Ecce Auguſtinus, Hieronymus, & Gregorius de quatuor principalibus Doctoribus tres fuerunt Religioſi, his addimus Chryſoſtomum, Magiſtrum, Gratianum, qui compilauit volumen decretorum. Rabanum, Bedam, Hugonem, Richardum de ſancto Victore, Anſelmum, Nicolaū de Lyra, ſanctum Bernardum, Thomam de Aquino, Albertum, Bonauenturam, Petrum de Tarantaſio, Scotum, & plures alios, qui Eccleſiam Dei ſuis illuſtrârunt ſcripturis. Vtinam omnes tales æmulationes ceſſarent, & omnes vnanimiter curaremus agere, quæ Chriſti ſunt, tanquam diuerſa mēbra vnius corporis. Nam ſicut dicit Apoſtolus, ſicut in v- 1.Cor.12. no corpore diuerſa ſunt membra, ita in vna Eccleſia diuerſi ſtatus, omnes ad decorem & vtilitatem Eccleſiæ. Et licèt in Religioſis multa ſint hoc tempore, quæ reformatione indigent, ſicut & in cæteris ſtatibus, tamen nihilominùs multùm illuminant Eccleſiam prædicationibus & doctrinis. Et nemo prudens in caliginoſo loco exiſtens, lucernam extinguit, non benè ſibi lucentem, ſed habentem ſuccum ſeu ſcoriam, curat aptare, quo melius poteſt. Nam melius eſt, quòd aliquantulum turbidè luceat, quam ſibi penitus eſſet

extincta,& hoc volo incidenter non ſine cauſa dixiſſe.

Secundò volo notare, quòd talia, qualia de Prælatis Eccleſiaſticis dicta ſunt, ego volo oſtendere de priuatis & principibus laicis eſſe ſcripta. Et primò occurrit Deut. 17. *Cùm electus fuerit Rex, non multiplicabit equos*. ſi ſic ad literam capiédum eſſet, debuiſſet ire Saul poſt aſinas, ſicut quando fuit aſſumptus in regem, & Dauid de poſt fœtantes. Deinde illud Eccleſ. 32. *Rectorem te conſtituerunt, eſto vnus quaſi ex illis*. Et Prouerb. fin. ca. *Noli dare vinum Regibus*. apud Hermogenem antiquum Philoſophum legitur: *Signum perfectionis eſt in rege abſtinentia à pecunia & poſſeſſionibus*. Et Ariſtoteles ad Alexandrum: *Declina conatus beſtialium voluptatum, & deſiderium diuitiarum, verè iſtud eſt verecundia, iſtud in præſumptionem mergit*. Et idem 9. Ethicorum: *Verum eſt de ſtudioſo, & amicorum gratia multa agere & pati, & ſi oporteat mori, proijcit enim & pecunias & honores, & totaliter circa pugnabilia bona, procurans ſibi ipſi bonum virtutis*. Et Valerius libro quarto, capite tertio: *Magna cura præcipuoq́; ſtudio referendum eſt, quantoperè libidinis & auaritiæ furori ſimiles impetus ab illuſtrium virorum pectoribus conſilio & ratione ſemoti ſunt*. quod ibi multis illuſtrium virorũ exemplis confirmat. Et Tullius primo de officijs: *Capeſſentibus rem publicam nihilominus quàm Philoſophis, haud ſcio an magis etiam & magnificentia & deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum*. Ecce quid dicit? quòd non minus, imò magis quàm Philoſophis adhibendus eſt contemptus rerum temporalium capeſſentibus rempublicam. Et Seneca: *Nemo alius Deo dignus eſt, quàm qui opes contemnit*. Multa dicta Philoſophorũ poſſent adduci, niſi timerem eſſe prolixus. Nemo tamen indignum reputet Philoſophos allegari, quoniam imitatione dignus beatus Baſilius vtile eſſe valdè dicit eorum commemorare ſententias: quoniam dum apud eos magna & ardua præcepta legimus, Euangelica leuius ferimus, & facilius perpendimus, quod per multa exempla declarat, mihi autem vnum occurrit noſtro conforme propoſito. Seneca epiſtola 10. ad Lucillum ad finem: *Satis diu cum Baijs litigauimus, nunquam ſatis cum vitijs, quæ oro perſequere ſine modo, ſine fine. nam illis quoq; nec finis eſt, nec modus, proijce quæcunque cor tuum laniãt, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis euellendum erat*. Nonne iam leuius audiuimus à Chriſto illud Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te*, cùm audiuimus Philoſophum in exaggerationem vitiorum in tantùm proſiluiſſe, vt dixerit cor etiam euellendum?

Deut. 17.
Eccleſ. 32.
Prouer. 31.
Ariſt. in Eth. ad Nicomachũ, li. 9. c. 8.
Val. Max. lib. 4. c. 3.
Cic. de offic. lib. 1. circa med.
Baſil. de legendis libris gentilium.
Sen. ep. 10.
Matt. 18.

Iam veniamus ad noſtra, quę ſunt maioris auctoritatis & dignitatis. Et primò occurrit illud Luc. 14. vbi ſic legitur: *Ibant autem turbæ multæ cum eo, & conuerſus dixit ad illos. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus, & qui nõ baiulat crucem ſuam, & ſequitur me, non poteſt eſſe meus diſcipulus*. Et in eodem capitulo: *Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Quod Beda dicit omnibus Chriſtianis eſſe dictum, dicens: *Omnium fidelium eſt renunciare omnibus quæ poſſident*, vt ſuprà allegatum eſt. & iterum Matth. 10. *qui non accipit crucẽ ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. hęc non ad Clericos tantùm, ſed ad omnes generaliter dicta ſunt.

Sed addamus aliqua originalia dicta Sanctorum Doctorum, & primò volo capere de horto ipſius Magiſtri, vt apud eum & ſuos minus dubia ſint. Aug. in lib. de opere Monachorum: *Si huius terrenæ reipublicæ antiqui principes præclariſſimorum literatorum ſuorum eloquio prædicari ſolent, quod rem cõmunem vniuerſi populi ſuæ ciuitatis, priuatis ſuis rebus ſic anteponebant, vt quidam eorum Africæ domita triumphator, quid nubenti filiæ daret non haberet, niſi ex Senatuſconſulto de publico dotaretur; quo animo eſſe debet in rem ſuam publicã ciuis ciuitatis Ieruſalem?* Allegat etiam Auguſtinus in lib. de contemptu mundi. Et notate titulum libri, in ipſo libro Auguſtinus ſic dicit: *Si nulla gloria vana non eſſet, ſi diuitiæ terrenæ vera bona eſſent, non earũ poſſeſſoribus imprecaretur Dominus, væ vobis diuitibus*. & reliqua. tota illa auctoritas hoc facit. Et ad hoc propoſitum, de informandis qui veniunt ad baptiſmum, facit illa auctoritas Dionyſij, quam Magiſt. Petrus allegat: *Sed non eſt ſummè cõtrarijs ſimul participandum, &c.* Et ſi attendamus interpretationem huius nominis, Chriſtianus, ſicut de nomine clericus arguitur, & abrenunciationem, quæ fit ante baptiſmum diabolo & omnibus põpis eius, & quid ſignificent vnctiones, de quibus in c. 1. de ſacra vnct. & cætera quæ fiunt in baptiſmo. Et veſtis candida, quæ traditur, de qua Rabanus: *Poſt baptiſmum traditur Chriſtiano veſtis candida, quæ ſignificat innocentiam, & puritatem Chriſtianorum, quam poſt ablatas veteres maculas, ſtudio ſanctæ cõuerſationis immaculatam conſeruare debet*. de conſ. diſt. 4. vbi multi textus ad hoc. Si ex his omnibus volumus argumentari, ſicut ex nomine clerici, & cerimonijs ordinũ, profectò grandia argumenta diſtrictionis Chriſtianæ Religionis accipiemus. Accedat finaliter quod Aug. ſcribit in libello de conflictu vitiorum, c. de auaritia, loquitur de bonis tẽporalibus, & dicit ſic: *iſta nec apud homines ſeculares ſine periculo vel offenſa procurantur, quia quanto magis quiſq; habere cuperit, tanto amplius habere concupiſcit, fitq; vt modum in cõcupiſcendo nõ habeat, dum innumeris huius ſeculi curis deſeruire feſtinat. vt enim ait Scriptura: Auarus pecunia nunquam implebitur. quæ nimirùm, quam ſit deteſtanda, Paulus indicat, dicens: Et auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus. Quamq́; ſit noxia, idem exponit, dicens: Qui volũt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa, et nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionẽ. Quam ſit deteſtanda, ſapiens denunciat, dicens: Auaro nihil eſt ſcęleſtius. quàm ſit noxia, Iacobus aperit dicens: Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs, quæ aduenerunt vobis, diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, aurum veſtrum et argentum veſtrum æruginauit. Et ærugo eorum in teſtimonium erit vobis, & mãducabit carnes veſtras ſicut ignis. Sed nec Redemptor noſter præterire voluit cupiditatis malum, quàm noxium ſit, ait enim, difficile qui pecunias habent, regnum cælorum intrabunt. Et rurſum, facilius eſt camelum per foramen acus trãſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*. hæc Auguſtinus. Et poſt hæc ſequitur: *Si ſecularibus viris eſt pernicioſa cupiditatis induſtria, quantò magis illis periculoſior, qui habitu & conuerſatione iam ſeculares eſſe deſierunt, qui totum quod viuunt Domino Deo deuouerunt, &c.* quæ Magiſter Petrus allegat, & de voto obligatis loquitur, vt ſequentia demonſtrant. Sed & nonne generaliter diuitias ſpinas eſſe Chriſtus dixit, & ſuffocare verbum Dei? Super quo Hieronymus eleganter adiunxit: *Fallacia diuitiarum ſuffocat verbum. blandæ enim ſunt diuitiæ aliud agentes, aliud pollicentes, lubrica eſt earum poſſeſſio, dum hic illucq; circumferunt, & inſtabili gradu vel habentes deſerunt, vel non habentes reficiunt. vnde & Dominus diuites aſſerit difficile intrare in regnum cælorum, ſuffocãtibus diuitijs verbum Dei, & vigorem virtutum emollientibus*. Multa alia poſſem ad hoc propoſitum ducere, quæ per ſacrã ſcripturam ſanctoſq; Doctores, ſcripta & dicta ſunt, quæ diuitias deteſtantur, & exaggerando materiam, duras videntur proferre ſententias. Sed vtiq; in omnibus his non eſt intelligendum ipſas cenſere abijciendas eſſe diuitias. Sicut Seneca dixit poſt illud præallegatum. *Item nemo alius dignus Deo eſt, niſi qui contemnit diuitias*. Subiunxit: *quarum poſſeſſionem tibi non interdico, ſed efficere volo, vt illas intrepidè poſſideas, quod vno conſequeris modo, ſi illas tanquam exituras ſemper aſpexeris, ſi te ſine illis beatè victurum ſperaueris*. Perſuadeat tibi hoc idem, qui maiori auctoritate eſt Dauid Propheta: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*, non dicit abijcite, ſed nolite cor apponere. Vnde Hieronymus ad Saluinam: *Nec diuiti obſunt opes, ſi eis benè vtatur. Nec pauperem egeſtas commendabiliorem facit, ſi inter ſordes & inopiam peccata non caueat*. Et Gregorius decimo Moralium, capitulo vigeſimo octauo. *Sunt nonnulli quos cenſus & bona temporalia per timorem non eleuat, ſed per miſericordiæ opera exaltat. Et ſunt nonnulli, qui dum ſe terrenis opibus abundare conſpiciunt, veras Dei diuitias non requirunt, atq; æternam patriam non amant, quia hoc ſibi ſufficere putant, quod rebus temporalibus fulciuntur. Non enim eſt cenſus in crimine*. Et Auguſtinus primo de ciuitate Dei, cap. decimo. *Cùm Apoſtolus dicat: Qui volunt diuites fieri, &c. profectò in diuitijs cupiditatem reprehendit, non facultatem, quam præcepit alibi, dicens: Præcipe diuitibus huius mundi, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui nobis omnia præſtat ad fruendum abundè. Benè faciant diuites, ſint in operibus bonis facilè tribuant, communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum futurum, vt apprehendant veram vitam*. & Auguſtinus idem ſuper Pſalmo: *Quid gloriaris, &c. Ecce homo*, dicit, prout ſuprà latius allegatum eſt, *quòd Apoſtoli cùm audierunt, facilius eſt camelum, &c. & cùm ipſi pauperes eſſent facultatibus, & in mundo maior ſit multitudo pauperum, quã diuitum, & contriſtati dixerunt, quis poterit ſaluari? Quid attenderunt ad literam? non facultates, ſed cupiditates. Viderunt etiam*

Auguſ. de opere Monachorũ, c. 25. to. 3.
Aug. in li. de cõtemptu mundi, ca. 5.
Dionyſi. Areop.
De conſe. diſt. 4. poſt baptiſm. ca. 91.
Rabanus de inſt. cleri. li. 1. c. 29.
Aug. de conflictu vitiorum & virtutum, cap. 16.
1. Tim. 6.
Eccleſ. 10.
Iacob. 5.
Matth.
Hiero. in … ca. Matth.
In excerptis è libris Senec. pagi. Rom. … edi.
Pſal. 6…
Hiero. ad Saluinam
Greg. 10. Mora. c. 28.
Auguſ. de ciuit. Dei, lib. 1. c. 10.
Auguſt. in Pſalm. 51. Supr. ad 6. & 11. not.

ipſos pauperes, etſi non habentes pecuniam, habere tamē auaritiam. Et vt noueritis non pecuniam in diuite, ſed auaritiam condemnari. & infrà: *Vt noueris, quia diuitiæ non puniuntur, habebat Abraham multum auri & argenti, pecorum, familiæ, diues erat, & in eius ſinum Lazarus pauper ſublatus eſt.* & infrà: *Deniq; quid in illis reprehenditur? Non quia iſta habuerũt; nam & boni iſta habent: Sed quid? hoc intendite, ne paſsim diuites reprehendatis. & rurſus, ne de paupertate & egeſtate præſumatis, Si enim non eſt præſumendum de diuitijs, quanto magis non eſt præſumendum de paupertate, ſed de Deo viuo. In quo ergo iſta notantur? quia beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Ideò filij alieni.* Hoc ergo in ſumma reprobatur. ponere beatitudinem in diuitijs, hoc reprobatur cupido ſeu auaritia. Nam & ſicut ſanctus Doctor dicit in ſumma contra gentiles, libro 3. cap. 133. *Paupertas de ſe non eſt bona, niſi in quantum liberat ab illis, propter quæ homo impeditur à profectu virtutum.*

S. Th. cõt. gentiles, l. 3. c. 133.

Concludo igitur ex allegatis omnibus nõ probari, quòd Eccleſiæ non liceat habere bona temporalia in communi, imò hoc approbauit praxis Chriſti & Apoſtolorum. Et ipſe M. Petrus ad hoc allegat duas auctoritates Auguſtini. vna eſt de conflictu vitiorum, vbi dicit: *A Sanctis & Religioſis plura habenda ſunt vt melius ab ipſis, quàm à popularibus erogentur pauperibus Chriſti.* Et ego conſentio, ſed à Prælatis, non autem ſubiectis. Alia, Si pauperes comparticipes ſumus. Et hoc eſſe licitum, multis auctoritatibus inferius comprobabo. Sed nec etiam obſtat ad hoc, quod dixi, quòd Clerici, imò Epiſcopi poſſunt habere proprium patrimonium, quia de hoc extat ſententia canonis Apoſtolorum, 12. quæſtione 1. *Sint manifeſtè res propriæ Epiſcopi, & res dominicæ, vt poteſtatẽ habeat de proprijs moriens Epiſcopus, ſi voluerit, & cui voluerit, relinquere.* hoc etiam ſatis indicat doctrina Apoſtolica. Nam cùm tunc poſſent habere & filios, quos in omni caſtitate nutrire debebat Epiſcopus, ipſosq; iubeat Apoſtolus hoſpitales eſſe, ſatis coniecturatur, quòd in bonis ſuis Epiſcopus, & quilibet Clericus remanebat. Et hoc etiam patet ex illo Act. 21. *Et intrantes domum Philippi Euangeliſtæ, qui erat vnus de ſeptem, manſimus apud eum, huic erant quatuor filiæ virgines.* Et propterea ſtatuit Apoſtolorum Concilium inuentarium fieri ſeparatim, de bonis Eccleſiæ, & de bonis Epiſcopi, ne confunderentur per mutuam commixtionem, ſed appareret quid eſſet proprium Epiſcopi, quid Eccleſiæ. Et ſic apparet, quod ex tempore Apoſtolorum iam Eccleſia habebat bona, & nihilominùs Epiſcopus cum bonis ſuis remanebat.

Aug. de cõflictu vitiorum & virtutum.

12. q. 1. ſint manifeſtè ca. 21.

Act. 21.

Nec obſtant allegatæ auctoritates Auguſtini, Hieronymi & aliorũ, qui ex interpretatione nominis arguentes hoc videntur innuere. Nam primò de Auguſtino conſtat, quod ipſe dicit, ſe primò diſpoſuiſſe non velle habere clericum, niſi renunciaret omnibus, & eſſet ſine proprio, ſed poſteà mutaſſe ſententiam, ſic dicit: *Certè ego ſum, qui ſtatueram nullum ordinare clericum, niſi qui mecum vellet manere.* & infrà: *Ecce in cõſpectu Dei & veſtro muto conſilium, qui voluerint habere proprium, maneant vbi volunt, & vbi poſſunt, non eis auferœ clericatum.* 12. q. 1. de Hieronymo etiam ipſe ſcribens ad Damaſum Papam. 1. q. 2. ſic ait: *Clericos illos conuenit Eccleſiæ ſtipendijs ſuſtentari, quibus parentum aut propinquorum nulla ſuffragantur bona.* Ecce ergo quod Clerici poſſunt habere proprium. & ad hoc concordat c. ſequens, & eſt Proſperi: *Paſtor Eccleſiæ his quibus ſua ſufficiunt, &c.* Nec propter hoc quod Clerici propriũ habent, minus de ſorte Domini ſunt, nec dominum in partẽ ſeu hæreditatem habere deſinunt, quia non in illo quod poſſident, beatitudinem ſuam ponunt, ſed in Deo; nec illud pro hæreditate habent ſed Deum, & ad eius obſequium illa bona cõuertunt; nec propterea, quia habent bona temporalia, non poſſunt dicere, *Dominus pars hæreditatis meæ*, quoniã & Dauid, quia illa primo dixit, ciuitates caſtra & regnum obtinebat.

1. q. 12. certè. c. 18. Auguſt. in ſerm. 2. de communi vita clericorum.

1. q. 2. Clericos. c. 6.

Multa poſſem ad horum probationem deducere, ſed gratia breuitatis omitto, maximè, quoniam & hoc iam confitẽtur in ſchedula vltimo data, vbi dicunt, quòd vſus bonorum temporalium eſt ipſi Clero licitus, reſecata omni ſuperfluitate & abundantia vitioſa. Et hoc ego dico, quoniam nõ laudo, ſed reprobo ſuperfluitatem vitioſam, & confiteor, quòd Clerici de bonis Eccleſiæ non debent theſaurizare, ad ditandum pauperes conſanguineos, vel affines, ſed recepta ſufficientia pro neceſſarijs perſonæ, domus, & familiæ, &c. hoſpitibus cum charitate & decenter ſuſcipiendis, ſecundum conditionem & ſtatum perſonæ, reſiduum debent vel in vtilitatem Eccleſię, vel pauperibus erogare, & ſi de bonis Eccleſiæ libidinosè viuant, lautè vel crapulosè, aut pro pompa ſuperfluitatem vitioſam faciunt expenſarum, multipliciter delinquunt, quia rem illicitam faciunt, quod eſt commune etiam laicis, ſed in Clericis grauius. Et qui ad exemplum aliorum dati ſunt, malè agendo, ſicut Gregorius inquit: *Tot mortibus digni ſunt, quot populo vitiorum exempla tranſmittunt.* Item, quia quod pauperum eſt, malè in illicitis expendendo quaſi rapinam committunt, de quo coram Deo diſtrictam dabunt rationem. Sicque non eſt illicita poſſeſſio, ſed abuſus. vſus verò modeſtus laudabilis. in quo menſura certa præſcribi non poteſt, ſed conſideratis qualitatibus perſonarum, conditione patriæ & gentium natura adminiſtrationis, & alijs huiuſmodi generis familiarum, & modus expenſarum moderandus eſt. Nam oportet quod ſecundùm naturã præſidentiæ vel officij pauciores vel plures miniſtros habere debeant. Et ſic ſæpè errat intuẽtium iudicium, reputantium aliquem prælatum nimiam habere familiam. Et in veritate loquor, quòd mihi hoc contigit, quod cum cuidam bono viro, mecum conferenti viſum eſt, quòd quidam prælatus excederet in familia, ego dixi, vultis vos, & ego calculemus, quis eſſet competens numerus? & fecimus rationem, & reperimus nihil eſſe ſuperfluum, & ipſe congratulatus fuit mihi, dicens, verè mihi valde placet hoc ſic diſcuſſiſſe, quoniam in me ipſo ſcandalizatus eram, & nunc cognoſco quòd nil ſuperfluum eſt. Facilè in his erramus, quia aliorum neceſſitates aut non benè ſcimus, aut non benè aduertimus; fateor autem quòd plurimùm cauere debent prælati & principes à pomposa & inutilium familiarum ſequela. Nam ex hoc eis creſcit paupertas, & multæ anguſtiæ, multaque oriuntur grauamina ſubditorum. poteſt etiam eſſe vſus, non tantùm laudabilis, ſed multum meritorius & fructuoſus, quoniam Clericus videlicet bona Eccleſiæ diligit, & vtiliter adminiſtrat, & in ſeipſo magna parcitate ſeruata, largas eleemoſynas facit, ſicut ego ſcio, & vidi aliquos per Dei gratiam, nolo commendare viuentes, ſed de mortuis infra plurima exẽpla ſubiungam. Ad prædicta benè facit 1. q. 2. c. ſacerdos. quod Magiſter Petrus allegat, vbi textus: *Sacerdos cui diſpenſationis cura commiſſa eſt, non ſolùm ſine cupiditate, ſed cum laude pietatis accipit à populo diſpenſanda.* & eſt dictum Proſperi, cui concordat verbum Auguſtini 23. q. 7. c. quemadmodùm, iuxta fin. *non dominandi cupiditate, ſed benè vtendi pietate poſſideant.*

Gregori9. Superfluitas & pompa in omnibus a clero vitãda.

Ab inutili9 expẽſis Prælatorũ & Principũ oriũtur grauamina ſubditorum.

1. q. 2. ſacerdos. c. 9.

23. q. 7. quẽadmodũ. ca. 4.

Neque hęc ſolicitudo, quæ pro his fideliter adminiſtrandis habetur, ſecularis dicenda eſt, ſed Eccleſiaſtica. Proſper in vita contemplatiua: *Poſſeſſiones quas oblatas à populo ſuſcepiũt Sacerdotes, iam non ſunt res mundi credendæ, ſed Dei.* nec eſt reprobanda, ſed laudanda in Prælatis & his, quibus ex natura officij vel adminiſtrationis, cui præſident, competit. Nam vita prælatorum Eccleſiæ non eſt ſimpliciter contemplatiua, ſed iuxta eſt actiua & contemplatiua, exemplo Moyſi, qui nunc aſcendebat in montem ad orandum, nunc deſcendebat ad populum gubernandum. Ideò ſacrorum canonum cenſuit auctoritas, quòd is, qui aſſumendus eſt in Epiſcopũ, debet eſſe in ſpiritualibus & temporalibus prouidus & circumſpectus. 39. diſt. in prin. & c. Petrus Diaconus. Et hęc sũt verba B. Gregorij: *Talis in regiminis debet arce conſtitui, qui non ſolùm de ſalute animarum, verum etiam extrinſeca ſubiectorum vtilitate & cautela ſciat eſſe ſolicitus.* & Gloſſa ſuper illo verbo: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Domini. non ſolùm verbo & exemplo, ſed & temporalium ſubſidio.* & credo illa gloſſa fuit excepta ex dictis Gregorij ex paſtorali ca. 7. vbi ſic ait: *Nõnulli gregis quidem curam ſuſcipiunt, ſed ſic ſibimet vacare ad ſpiritualia appetunt vt rebus exterioribus nullatenus occupentur, qui cùm curare temporalia funditus negligunt; ſubditorũ neceſſitatibus minimè occurrũt, quorũ nimirùm prædicatio plerunq; deſpicitur; quia dum delinquentium facta corripiunt, ſed tamen eis neceſſaria præſentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur.* Et hoc latè proſequens inducit dictam auctoritatem Petri: Et dicit hanc paſtionem nõ tantùm cordis, ſed corporis. poſteà tamen ſubiungit: nõ debet per hanc ſolicitudinem temporalium ſe ſic totum impendere, vt ſpiritualia derelinquat, dicens: *Solicitudo ergo quæ ſubiectis exterius impenditur; ſub certa neceſſe eſt menſura teneatur. vnde per Ezechielem dicitur: Sacerdotes caput ſuũ non radant, neq; comã nutriant: ſed tondentes attondeant capita ſua. Sacerdotes*

Proſper de vita contẽpl. l. 2. c. 16.

39. diſt. Petrus diaconus.

Greg. lib. 2. ep. 40.

Gl. 1. Pet. 5. Gregor. in paſto. l. 2. cap. 7.

namq; irte vocati ſunt: qui vt ſacrum ducatum præbeant fidelibus, præſunt. Capilli verò in capite exteriores ſunt cogitationes in mente, qui dum ſuper cerebrum inſenſibiliter oriuntur, curas præſentis vitæ deſignant. Quia igitur cuncti qui præſunt habere quidem ſolicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, Sacerdotes rectè caput prohibentur radere, & comam nutrire, vt cogitationes carnis de vita ſubditorum, nec à ſe penitus amputent, nec rurſus ad creſcendum nimis relaxent. vbi & benè dicitur, tondentes tondeant capita ſua, vt videlicet cura temporalis ſolicitudinis, & quantum neceſſe eſt videant; & tamen reſecentur citius, ne immoderatius excreſcant. dum igitur per adminiſtrationis exteriorū prouidentiam, corporum vita protegitur, & rurſus per moderatam cordis intentionem non impeditur, Capilli in capite Sacerdotis, & ſeruātur vt cutem cooperiant, & reſecantur, ne oculos claudant. hęc Gregorius. Ex præmiſſis clarè liquet, prælatos Eccleſiaſticos debere eſſe, non tantùm contemplatiuos, ſed & actiuos in ſpiritualibus, & temporalibus prouidos & circumſpectos, & pro ſpiritualium intentione curam & ſolicitudinem temporaliū non abijcere, ſed ad vtrunq; ſe aptè & decēter aptare. Et prælatus ſic viuens nó propter hoc dicendus eſt habere contrarias vitas, & contrarios effectus, vt proponens in rationibus quas in fine ſubiungit, videtur innuere, quoniam omnia hęc ordinantur ad vnum finem, videlicet ad curam gregis ſibi commiſſi, vt patet ex præinſerta auctoritate Gregorij. Ad eandem ſententiam pertinet dictum Gregorij 6. Moraliū, c.25. vbi ſic ait: *Neque perfectus prædicator eſt, qui propter contemplationis ſtudium operanda negligit: vel propter operationis inſtantiam contemplanda poſtponit.* & hanc ſententiam ibi latè proſequitur. & infrà: *Sæpè qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus preſſi ceciderunt. Et ſæpè occupati dum benè humanis vſibus viuerent, gladio ſua quietis extincti ſunt. Hinc namq; eſt, quòd nonnulli inquieti ſpiritus, dum plus exquirunt contemplando, quàm capiunt, vſque ad peruerſa dogmata erumpunt, & dum veritatis diſcipuli eſſe humiliter negligunt, magiſtri errorum fiunt.* Nūc etiam audiamus Iſidorum, docentem nos non ſcandalizari, ſi aliqui prælati temporaliū ſolicitudini totaliter dati ſunt, quoniam hoc à Dei ordinatione procedit ad vtilitatem eccleſię.

Gregor. 6. Moral. ca. 25. & 26.

Iſidorus.

Ita Iſidorus inquit de ſummo bono, lib. 3. cap. 39. *Prouidentia plerumque diuini conſilij ordinantur præpoſiti mundana & exteriora ſectantes, vt temporalibus rebus totaliter ſe impendant, vt ſpirituales quietiorem vitam contemplationis exerceant, quia dura ſunt quietè viuere volentibus ſarcina curarum temporalium prouidet ſæpè Deus curis deditos ſecularibus, ad ſuſceptionem regiminis, vt dum hi exteriora ſine tædio procurent, ſpirituales viri rebus interioribus ſine impedimento rerum terrenarum deſeruiant. Dei ergo ordinem accuſent quo inſtituuntur, qui Epiſcopos cōdemnant, dum minus ſpiritualia, ſed magis terrena ſectantur. Ex diuini enim tabernaculi diſpoſitione ob iniurias mundi ferendas, & turbines, quoſdam inſtituit Epiſcopos ſecularibus curis inſiſtentes, vt hi qui interius ſuperna deſiderant, nullo terreno obſiſtente negotio, liberius in hoc quod amant, intendant.* hæc Iſidorus. Malitia etenim tēporum & audacia & proteruitas hominum malignorum hoc exigit, vt prælati non tantùm ſine peccato, ſed etiam meritoriè has temporalium curas exerceant, pro fide, vel etiam rebus Eccleſiæ defendendis, prout infrà patebit auctoritatibus & exemplis B. Gregorij, & aliorum, & miraculo oſtenſo in altero Gregorio, de quo infrà. Et ſic breuiter me expedio de omnibus originalibus dictis doctorum, ad quæ omnia clarè patet reſponſio ex prædictis, vt vnuſquiſque per ſe poterit applicare: nam ad ſingula ſigillatim reſpondere, nimis fuiſſet prolixum. Si autem Magiſter Petrus petet ad aliquod ſpeciale reſponſum, deſignabitur illud, de Deo propitio ſufficiens ſubreſponſio dabitur.

Cùm autem in ſchedula vltimò data dicit: dominium autem Ciuile ipſi Clero Chriſti non congruit, aut conuenit, ſed nec licet ipſi in perſona propria ciuiliter dominari. Si intendit quod Clericus in perſona propria nō debet iudicium ſanguinis exercere, fateor, poteſt tamen habere, & Clericus non religioſus, de proprio patrimonio, & in adminiſtratione pro Eccleſia ciuile dominium Caſtrorum, villarum, oppidorum, ciuitatum, in quibus tale iudicium per laicos officiales faciet exercere, prout ait Hugo de Sacramentis, ſecunda parte, & eſt allegata per Magiſtrum Petrum, & rectè probat contra ipſum. Nam ibi ad literam ſic habetur: *Notandum tamen quod principes terreni in terrenis poſſeſſionibus quas in ſubiectis, vel ſine ſubiectis poſſident Eccleſiæ, aliquando concedunt ſolam vtilitatem, aliquando vtilitatem & poteſtatem; vtilitatem ſine poteſtate concedunt, quando fructum poſſeſſionis ad vſum Eccleſiæ trāſferri decernunt, ſed poteſtatem iuſtitiæ exercendæ in ipſa poſſeſſione ad eius ditionem tranſire nō permittunt. Aliquādo & vtilitatem & poteſtatem ſimul tribuunt. Vbi tamen aduertendum eſt, quod Eccleſia licèt fructum terrenæ poſſeſſionis ad vſum recipiat, poteſtatem tamen exercendæ iuſtitiæ per Eccleſiaſticas perſonas, aut iudicia ſecularia exercere non poteſt; poteſt tamen miniſtros habere laicas perſonas, per quas iura & iudicia ad terrenam poteſtatem pertinentia, ſecundùm tenorem legum, & debitam iuris terreni exerceant.* Ecce quàm manifeſtè iſta auctoritas per Magiſtrum Petrum allegata oſtendit, Eccleſiaſticas perſonas poſſe habere ciuile dominiū, & dat modum iuriſdictionis exercendæ. Principes enim Catholici & domini temporales pro Dei gloria, & ſuarum remedio animarum contulerunt Eccleſijs multa pretioſa donaria, Caſtra, villes, oppida, & ciuitates, transferendo in Eccleſiam interdum ſolam vtilitatem fructuum, interdum poteſtatem & iuriſdictionem, quod eſt ciuile dominium. & in hoc completa fuit prophetia eximij prophetarum Dauid in Pſalmo, *Exurgat Deus.* Quem quidem Pſalmum Nicolaus de Lyra literalis expoſitor, recitato prius ſenſu Iudæorum volentium illum intelligere de exitu Iſraēl de Aegypto, cùm dicit illum nimis inuolutum, & coaptari plenè non poſſe ex auctoritate Pauli ad Epheſ. 4. qui huiuſmodi Pſalmi verſū *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dona dedit hominibus.* applicat ad dona Spiritus ſancti miſſa in corpus Eccleſiæ, dicit verum Pſalmi ſenſum eſſe, de Eccleſia Catholica Chriſtianorū, poſt Chriſti paſſionē, & ad hunc ſenſum exponit totum Pſalm. & ſuper verſ. *ſpeciei domus diuidere ſpolia*, ita dixit Lyra, *quod Principes & potentes conuerſi ad fidem dederūt Eccleſiæ pretioſa donaria, ex quibus ornata eſt Eccleſia, vt patet in pluribus hiſtorijs & legendis Sanctorū. Et hoc quod dicitur ſpeciei domus diuidere ſpolia, hoc eſt ꝙ dicitur, ad ſpeciem & decorem domus Dei, q̄ eſt Eccleſia, pertinet diuidere ſpolia, hoc eſt, diuerſis Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis diuidere prædicta donaria. cōſequenter oſtēdit, qualiter talibus temporalibus vtendū ſit, cùm dicitur, ſi dormiatis, &c. Ad cuius intelligentiā eſt ſciendum, quod κλῆρος græcè idē eſt, quod ſors, columba aūt hic accipitur pro Eccleſia, quæ columba frequēter nominatur in Canticis: pennæ aūt ſunt virtutes, eā ad cœleſtia eleuantes: dicit igitur, ſi dormiatis, id eſt, quieſcatis inter medios cleros, id eſt, inter ſtatus Eccleſiæ, ſcil. militantis & triumphantis, ꝙ ſit, quādo ſic vtuntur homines bonis præſentis vitæ, vt non amittant æterna, ſed magis acquirāt, diuitiæ enim ſicut impedimēta ſunt reprobis, ita probis ſunt adiumenta virtutis.* hæc omnia Nic. de Lyra.

Pſalm. 67.

Epheſ. 4.

Pſalm. 67. Nicol. de Lyra.

Hugo de S. Victore de Sacramen. lib. 2. par. 2. c. 7.

Cùm enim ciuile dominium ſit res commerciabilis, vt eſt communis Doct. ſententia in l. imperium, & l. more maiorum. ff. de iur. om. iud. & ſępè venduntur caſtra, villæ, oppida & Baroniæ, quid igitur prohibet, quòd laicus habens tale ciuile dominium, titulo donationis legati, vel hęreditatis, vel alio legitimo titulo in Eccleſiā trāſferre nō poſſit? Dicit Magiſter Petrus, quòd tali dominio rerum communitas repugnare videtur. Et ad hoc allegat dictum Armachani, & alia, ad quod fortè aliud quæſiuiſſem reſponſum, niſi hoc in promptu occurriſſet, tam clarū, celebre & famoſum, quòd Reſpublica Romanorum à Senatu recta magnum habuit ciuile dominium, & multæ habent hodie ciuitates ciuilia dominia, ergo non repugnat communitati habere ciuile dominium. Sed ex hoc clare liquet, quòd nec illa ratio valet, *Prælatus Eccleſiæ non poteſt exercere in propria perſona temporalem iuriſdictionem, ergo Eccleſia non poteſt illam habere.* Nam & ſenatores aut conſules Romę non poterant exercere iuriſdictionem in prouincijs, in perſona propria, ſed dabant præſides prouinciarum. Scio quòd ciuitates Barchinonenſes habent villas & caſtra, nec tamen conſules ciuitatis poſſent ibi iuriſdictionem exercere, ſed creatur ibi officialis, qui iuriſdictionem exercet.

Iam nil reſtat ex dictis ex aduerſo, niſi finis ſchedulæ vltimo datæ, vbi ſic habetur: *Inſuper circa prædictum punctum tenemus, quòd ad tantum poteſt iniquitas regnare in Clero, quòd in defectu ſpiritualis propoſiti liceret brachio ſeculari auferre bona tēporalia a viris Eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus.* Quę propoſitio eſt multùm confusè poſita, & abſq; aliqua declaratione vel probatione. Et ideò poſſet eadem facilitate contemni, qua ponitur, ſed nolo eā præterire, quin circa ipſam,

A clero habitualiter delinquente ſecundum Huſſitas, poſſunt auferri ſecularibus

Licitũ eſſe Eccleſię & Eccleſiaſticis perſonis habere temporalia.

Deo propitio, enucleem veritatem. Sed iſtud puto facilius & luculentius agere, cùm, ſicut præmiſi in principio, Eccleſiæ & Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis licitum eſſe habere & poſſidere bona temporalia, mobilia & immobilia, & ciuilia dominia firmiſſimis documentis monſtrabo. Ideò hæc præmittam.

Ad quod probandum quadruplici medio vti intendo, vt ſicut in quatuor Euangeliſtarum teſtimonijs Euangelica doctrina fundatur, ſic in quatuor fundamentis veritas iſta firma conſiſtat.

I. Ratio. 28. q. 1. iam nunc. c. 8. Auguſ. ad Pollent. l. 1. de adult. coni. c. 13. & 14.

Et primò ſic: Illud conſtat eſſe licitum, quod nulla eſt lege prohibitũ, ita dicit Auguſtinus ad Pollentium 28. quæſt. 1. iam nunc. Sed hoc nulla lege prohibetur: igitur eſt licitum. Ratio eſt in forma. Maior eſt nota de ſe, & eſt Auguſtini, vt ſuprà, Minoris probatio non incumbit mihi, ſed aſſerenti cõtrarium, qui dicit hoc prohibitum, prohibitionem oſtendat. Nam ad ea, quæ allegata ſunt, ſufficienter reſponſum eſt.

II. Ratio.

Secundò ſicut illud eſt licitum, imò & debitum, quòd diuina ordinatione & beneplacito factum eſt, ſed dotatio & glorificatio Eccleſiæ in potentia & dominio temporali, diuina ordinatione & beneplacito, hoc tempore, ſcilicet à Silueſtro, & citra facta eſt, ſicut ipſe Deus ante promulgauerat per Prophetas. Igitur. Maior eſt nota. ad probandum Minorem affero tria teſtimonia Prophetarum. Primum eximij Prophetæ Dauid in Pſalmo: *Exurgat Deus*, qui Pſalmus pertinet ad glorificationem Eccleſiæ, poſt Chriſti paſſionem, vt probat Nicolaus de Lyra ex auctoritate Pauli, vt prędictum eſt, qui Propheta Dauid hoc prophetauit, vbi dixit: *ſpeciei domus diuidere ſpolia*, id eſt, donaria à principibus & potentibus Eccleſię data, inter Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas diſtribuere. Inter alias magnas gratias & glorificationes Eccleſiæ hanc temporalium bonorum amplificationem futurã prænunciauit Propheta.

Eſai. 52. Lyra in c. 52. Eſai. Rom. 10.

Secundum teſtimonium eſt Eſaiæ 52. *Conſurge, conſurge induere fortitudine tua Syon, induere veſtimentis gloria tua Ieruſalem ciuitas ſancta*. Nicolaus de Lyra primò ex auctoritate Pauli, qui allegat quod infrà ſequitur: *Quam pulchri pedes annunciantis & prædicantis pacem?* dicit hoc caput loqui de Eccleſia poſt Chriſti paſſionem. Et dicit quòd in hoc capite remouetur tertium impedimentum liberationis factæ per Chriſtũ, quantum ad incredulos, quod prouenit ex contemptu humilitatis Chriſti, oſtendendo, quòd humilitas Chriſti fuit diſpoſitio ad gloriam, ſecundùm quod dicitur ad Philip. 2. *humiliauit ſemetipſum, &c. propter quod exaltauit Deus illum, &c.* non ſolùm poſt mortem fuit glorificatus, ſed etiam ante in operibus miraculoſis ad declarationem ſuæ deitatis, propter quod Chriſtus petens, *glorifica me Pater*, Ioannis 12. audiuit: *glorificaui, & iterum glorificabo*. glorificaui te miraculis, iterum te glorificabo per gloriam. Et ſic eſt in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia; quia poſt depreſſiones eius per Iudæos & tyrannos eleuata eſt in magna gloria, etiam temporaliter, & in ipſis depreſſionibus ſpecialiter in receptiõe Spiritus ſancti, & miraculis, quæ fiebant per Apoſtolos, & alios Sanctos, & ſic circa primum Propheta alloquitur Eccleſiam primitiuam. *Conſurge, conſurge* ad opera virtutum, *induere fortitudine* ad tolerandum conſtanter perſecutiones; ſed poſt perſecutiones ſecuta eſt pax & honor, ideò ſubditur: *induere veſtimentis gloria tua*. & hoc fuit impletum tempore Conſtãtini, qui pacem Eccleſię per totum Romanum orbem dedit, & mirabiliter eam honorauit. & infrà: *Sede Ieruſalem in ſede honoris*, quod tunc fuit impletum, quando Roma, quæ erat caput mundi, facta eſt ſedes Summi Pontificis, ſede Imperiali tranſlata ad Conſtantinopolim. Ecce quomodo Nicolaus de Lyra expoſitor generalis Bibliæ hanc prophetiam Iſaiæ declarat.

Philip. 2.

Eſai. 60. Lyra ibid.

Tertium teſtimonium eſt Iſaiæ ſexageſimo, quod capitulum Nicolaus de Lyra oſtendit intelligendum eſſe de Eccleſia, dicens: quòd ſicut in præcedenti capitulo deſcripta eſt ſalus Chriſti, ita in hoc deſcribitur magnitudo huius ſalutis. Primò ex parte materię recipientis, & ſubiungit, quòd primò ponitur proſperitas militantis Eccleſiæ, ad fidelium multiplicationem. Secundò ex Eccleſiarum ædificatione. Tertiò ex bonorum aſſecutione. Et ſic declarat & exponit totum capitulum, & ſuper verbo textus, *fortitudo gentium* dicit, id eſt, Imperium Romanum *venerit tibi*. quod impletum fuit tempore Conſtantini, & infrà: *inundatio camelorum*, & dicit, *Conſtãtinus Imperator & multi alij potentes exemplo eius animati, diuitias multas miſerunt ſuper talia animalia ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſia, & pauperum Chriſtianorum, & ædificationes Eccleſiarum*. & infrà: *& ædificabunt*. hic deſcribitur proſperitas Eccleſiæ in Eccleſiarum ędificatione, *muros tuos*, id eſt, Eccleſias, & hoc patet impletum à tempore Conſtantini. & infrà: *In indignatione mea percuſſi te*, quia Eccleſia primitiua fuit multùm afflicta à tyrannis, quod ſecundùm iudiciũ humanum videbatur procedere ex indignatione Dei, licèt fuerit ad probationem: ſcriptura ſæpè habet talem modum loquendi. Et ſequitur: *In reconciliatione mea miſertus ſum tui*, dans tibi pacem, ampliationem & honorem tempore Conſtantini. & ideò ſubditur: *& aperientur portæ tuæ iugiter*, quia Eccleſias prius clauſas præcepit aperiri, & per imperium ſuũ nouas ædificari, & ſequitur in textu, *& venient ad te filij eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*, dicit Lyra, hic deſcribitur proſperitas Eccleſiæ, quantum ad conſecutionem honoris. & infrà ſequitur in textu, *ponam te in ſuperbiam ſeculorum*, id eſt, in gloriam & honorem, ita quòd ſuperbia non ſonat hic in vitium, ſed honoris exceſſum, & ſequitur in textu, *& ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis*, id eſt, ab eis accipies nutrimentum. ſicut videmus impletum in dotatione Eccleſiæ de bonis principum. & ſequitur in textu: *pro ære afferam aurum*, quia in primitiua Eccleſia fuerunt calices & alia vtenſilia eccleſiæ de materiæ parùm pretioſa. poſteà facta ſunt de auro, argento, & de lapidibus pretioſis. & ſic habemus tria teſtimonia Prophetarum, quibus apparet ſic à Deo fuiſſe ordinatum, & per Prophetas pronũciatum, & de iſta temporali exaltatione Eccleſiæ facta per Conſtantinum in perſona B. Sylueſtri, in figura præceſſit in Ionatha ſummo Sacerdote, cui Alexander contulit coronam auream, & poteſtatem bibendi in auro, & eſſe in purpura, 1. Mach. 11. 1. Mach. 11.

Miniſtrauit mihi Dominus 4. teſtimonium ex Prophetis, vt in quadrato numero velut Euangelica ſtructura huius articuli probatio ſedeat, & eſt ex prophetia Dauid in Pſalm. 103. Quem Pſalmum Auguſt. exponit de Eccleſia, vnde in verſu: *Super montes ſtabunt aquæ*, dicit, *Sic propterea dixit, quia Eccleſiam futuram in diluuio perſecutionum voluit intelligi, fuit enim tempus aliquando, quo terram Dei, Eccleſiam Dei cooperuerunt aquæ perſequentium, & ita cooperuerunt, vt non apparerent nec ipſi magni, qui ſunt mõtes*. & infrà: *fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei, quia cor regum in manu Dei, deflexit quo voluit, iuſſit per eos pacem dari Chriſtianis, eminuit & eminuit auctoritas Apoſtolica*. Et infra cùm multa dixiſſet hoc propoſitũ continuando, quæ omnia inſerere longũ eſſet. Tandem ſuper verbo: *Cedri libani quas plantauit illic paſſeres nidificabunt*. Sic inquit Aug. *Etenim cedri libani, nobiles & diuites & excelſi huius ſeculi, quoniã cum timore audiunt, beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, attẽdunt res ſuas, villas ſuas, & oẽs ſuperfluas copias, quibus videntur excelſi, & præbent illas ſeruis Dei, dãt agros, dant hortos, ædificant Eccleſias, & Monaſteria, colligunt paſſeres nidificantes*. Sũt ergo quidam ſpirituales nidificantes in cedris libani, i. ſerui Dei.

Pſal. 103. Auguſ. in Pſal. 103.

Pſalm. 40.

III. Ratio.

Tertiò illud debet licitum reputari quod à viris diuinarum literarum doctiſſimis, vitaq; & Religione ſanctiſſimis pro licito habitum & factum eſt. ſed hoc eſt huiuſmodi, ergo, &c. hoc argumentum eſt in hac propria materia viri religioſiſſimi Proſperi, cuius ſcripta inter canonicas ſcripturas habentur, prout dicit Gregorius 15. ſancta. hoc argumentum eſt 12. q. 1. *Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri*. vbi recitato exemplo Paulini concludit, quo facto ſatis oſtendit, ſine impedimento perfectionis poſſe Eccleſiæ facultates, quæ ſunt profectò communes, poſſideri. Ad probationem etiam aſſumptæ Maioris eſt textus Hieronymi 37. diſt. qui de menſa, vbi ex facto Sidrac, Miſac, & Abdenago; probat non eſſe licitum facere quod illi fecerunt. Ad idem text. in c. Lugdunenſis. 9. quæſt. 2. Ad probationem Minoris licèt poſſem probare, quòd ante tempora Sylueſtri iam Eccleſia habuerat prædia & poſſeſſiones tempore Vrbani I. qui præſedit Anno Domini CC. XXIII. Item temporibus Pontiani, Antheris, Fabiani, Cornelij Lucij, Stephani, Sixti, Dionyſij, Felicis, Marcelli, Euſebij, & Melchiadis, Romanorũ pontificum, qui pręceſſerunt Sylueſtrum: & theſauros, ſicut Sixtus,

diſt. 15. ſancta Romana, ca. 3. 12. q. 1. expedit, c. 3. Proſper de vita contẽplatiua. lib. 2. c. 9. diſt. 37. qui de menſa, cap. 11. Dan. 1. 9. q. 2. Lugdunenſis, ca. 10.

quos Laurentius inſtante perſecutione, pauperibus erogauit, habuerunt, & ciuile dominium, ſicut mihi ſcriptum datum eſt, quòd Philippus dominus Pannoniæ dedit Laureacenſi Archiepiſcopo, qui tunc erat Metropolitanus, villas & prædia in Auſtria, quæ nũc tenet Pataujenſis eccleſia. de hoc Philippo ſcribit Gotfridus in Pantheon:

Suſcipit Imperium, populo plaudente, Philippus,
Iſte poſt Cæſar voluit cognoſcere Chriſtum,
Qui dedit Eccleſiis prædia multa ſuis.

Sed quia de Ciuili dominio maius fit feſtum, de his qui præſederunt Eccleſijs, habentibus magna dominia Ciuilia, eſt loquendum. Et primò de ſede Romana, incipiam à B. Syluestro, de cuius ſanctitate & doctrina victis Iudæorum ſatrapis, fidei Catholicæ exaltatio teſtimonium præbet. Sub hoc Nicænum primum ſacrum & venerandum Concilium fuit, & poſt dotationem Eccleſiæ, ex quo ſatis auctorizatur factum Conſtantini, quoniam ſi illicitum fuiſſet, reprobaſſet hoc tam celebre Concilium. Sed & habeo teſtimonium beati Ambroſij, de obitu Theodoſij Imperatoris, dicentis: Conſtantinum magni meriti apud Deum, quia primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hęreditatem fidei & deuotionis principibus dereliquit. Et Iſidorus noſter Hiſpanus idẽ in ſuis Chronicis atteſtatur. Et Græci qui tunc erant Catholici ipſum Conſtantinum catalogo Sanctorum annumerant, & feſtum de eo cum ſolennitate agunt 21. Maij. Poſteà dicam de ſancto Marco, ſub quo fuit celebrata * ſancta Synodus Nicæna, & claruerunt eius tempore & poſt, ſanctus Athanaſius, Euſebius, Nicolaus, & Hilarius, & Ioãnes Chryſoſtomus. Item ſanctus Leo Papa, qui fuit X L I I I. poſt ſanctum Petrum. Item Felix Secundus, qui Martyrio coronatus eſt. Item Damaſus Primus, ſub quo Synodus Conſtantinopolitana 1.0. Patrum, cui Hieronymus illam ſcripſit epiſtolam: *Quoniam vetus Oriens inter ſe furore colliſus indeciſam domini tunicam deſuper textam minutatim per fruſtra decerpit.* Etiam petens ab eo ſuæ fidei confeſſionem approbari. & alias multas epiſtolas. Item * Cyriacus qui cum vndecim millibus virginibus in Colonia martyrio coronatus eſt. Item ſanctus Symmachus Papa, de cuius vita & miraculis Vincentius in hiſtoriali libro 23. cap. 1. & 2. Item ſanctus Ioannes Papa, de quo in eodem Vincentio eodem libro cap. trigeſimo tertio. Item ſanctus Agapitus eodem libro cap. 61. Item ſanctus Gregorius vnus de quatuor Doctoribus Eccleſiæ, cuius ſanctitas & doctrina nota eſt. Item ſanctus Martinus, de quo Vincentius eod. lib. 23. cap. 84. Item ſanctus Stephanus Papa, de quo idem Vincentius eod. lib. c. 167. Item Honorius Papa mirę pietatis fuit, cuius tunica dęmoniacus quidam indutus fuit, & liberatus eſt. Item ſanctus Seuerinus benignus amator Cleri & pauperum, & poſſeſſiones Eccleſiarum ampliauit. Item Ioannes Quartus theſauris Eccleſię diſtractis multa millia hominum per Hiſtriam & Dalmatiam redemit. Item ſanctus Martinus Tudertinus, cuius feſtum celebratur craſtino S. Martini Turonenſis. Eugenius primus, hic omnibus benignus & amabilis, maximæque ſanctitatis. Agatho dum quendam leproſum oſcularetur, mundatus eſt. Ioannes natione Græcus, hic martyrio coronatus eſt, Paulus mitiſſimus & miſericors, nocte cum paucis familiaribus ibat viſitandum pauperes & infirmos, & eis miniſtrando. Leo Quartus multæ patientię, multęq; humilitatis, fecit mirabilia in vita ſua, cuius feſtum celebratur decimoſeptimo Calendas Auguſti. Nicolaus poſt hunc vir fuit ſanctiſſimus, cui poſt Magnum Gregorium vix in ſede Romana ſimilis. Omnes prædicti fuerunt in ſede Romana poſt dotationem Eccleſiæ viri ſancti, approbatæ ſanctitatis, fuerunt & plures alij virtutibus & ſcientia clari, ſicut Innocentius Tertius, qui tam reuerẽter allegatur in tractatu de Miſſa & alijs operibus. Petrus de Tarantaſio, dictus Innocentius Quintus, Doctor clariſſimus, & multi alij, quos nominare longum eſſet. Volui ſolùm prædictos exprimere, qui ſancti intitulantur, alijs multis omiſſis. Sed hoc vnum nolo omittere, quia ad propoſitum valdè facit, quod narrat Vincentius in hiſtoriali libro vigeſimo quinto, capite 25. de Gregorio V I. qui magna ſtudia & labores impendit ad recuperentem temporalia bona Eccleſiæ à tyrannis occupata, & cùm nec hortationibus, nec cenſuris poſſet hoc efficere, vi armorum hoc fecit, vnde Cardinales eum, virum ſanguinarium, dicentes: cùm infirmitate decumberet, de qua deceſſit, dicebant eum non debere ſepeliri in Eccleſia ſancti Petri cum alijs Pontificibus, quod cùm ipſe intellexit, vocauit Cardinales, & habito cum eis colloquio, tandem dixit: *Quoniam noſtra & veſtra rationes falli poſſunt, committamus omnia diuino examini. corpus meum anteceſſorum meorum more compoſitum ante ianuas Eccleſiæ ſiſtite, & firmentur ianuæ ſeris & repagulis, ſi Dominus voluerit, vt ingrediar, applaudatis miraculo; ſi minus, de cadauere meo faciatis ſicut vobis placuerit:* ſic factum eſt. Mox enim vt corpus eius ante portas Eccleſiæ ſeris obcluſas poſitum eſt, turbo ingens diuinitùs emiſſus repagulorum obſtacula diſrupit, & ipſas valuas vehementi impetu patefactas, ad parietem cum magno fragore impulit. Et hæc dicta ſunt de Romanis pontificibus. Poſſem per alias mundi Eccleſias Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ & Angliæ colligere magnum numerum ſanctorum Epiſcoporum, qui præfuerunt Eccleſijs habentibus magnam temporalitatem & ciuilia dominia. Sed nolo pro præſenti, niſi de his circumuicinis & cognitis, & etiam non de omnibus loqui, incipiam ab Eccleſia Moguntina. Ecce ſanctus Bonifacius qui tantæ fuit auctoritatis, quod tempore ſuo dicebatur Apoſtolorum tempora rediſſe, hic ſua prædicatione multas prouincias illuſtrauit. In eadem Eccleſia ſanctus Lullus Confeſſor. Item Rabanus magnus Doctor quotidie allegatur. Item in eadem Moguntina Eccleſia Bardo Archiepiſcopus. in eadem VVilligiſus. In Eccleſia Treuerenſi, quam Helena mater Conſtantini, quæ de Treuera fuit oriunda, pluribus dotauit reliquijs, & bonis temporalibus, adijciendo primæ dotationi, fuerunt nonaginta nouem Archiepiſcopi vſque ad dominum Ottonem vltimò defunctum, ex quibus vigintiquinque ſunt Sancti, vt habetur in Calendario Archiepiſcopi Baldvvini, quod in ipſa Eccleſia ſeruatur. In Eccleſia Colonienſi beatus Seuerinus, qui multis claruit, & claret miraculis. Item ſanctus Remedius, item ſanctus Cunibertus, item ſanctus Haymo, Agiolfus martyr, item Euergiſilus martyr, item Heribertus, omnes iſti fuerunt ſancti Archiepiſcopi Colonienſes. In Eccleſia Leodienſi, quæ opulentiſſima in temporalibus eſt, ſanctus Maternus, ſanctus Hubertus, ſanctus Theodardus, ſanctus Seruatius, ſanctus Lambertus martyr, ſanctus Geregiſilus, Epiſcopi omnes. Item in Eccleſia Laureacenſi fuit ſanctus Maximianus, à ſancto Sixto conſecratus Epiſcopus circa annum Domini CC. XXIII. qui patrimonium dictæ Eccleſiæ contulit, quod nunc Anaſum dicitur, cum omnibus vicinis oppidis & iudicijs ſecularibus, quæ manent vſque ad præſens in Auſtria, & obtinet illa Pataujenſis Eccleſia. Item ſanctus Adalbertus Eccleſiam Pragenſem magnificè dotatam feliciter rexit pluribus annis. Item ſanctus Procopius opulentiſſimum Monaſterium in Bohemia habuit, cuius poſſeſſiones inquietantes diuinam interdum vltionẽ in ſe experti ſunt. Item ſanctus Guolfgangus in Ratisbona. Item ſanctus Corbinianus Friſingenſis Epiſcopus prædia pro eadem Eccleſia hodie nota comparauit. Item ſanctus Vdalricus Auguſtenſis Eccleſiam opulentam prædijs & ciuilibus dominijs rexit. Item ſanctus Conradus Conſtantienſis Epiſcopus. Item ſanctus Virgilius Eccleſiam Saltzburgenſem dominijs dotauit. Fuit quoque ſanctus Virgilius Epiſcopus Tridentinæ Eccleſiæ, ciuili dominio opulentæ. Prætermittendum non eſt de ſancto Staniſlao, Cracouienſi Epiſcopo, qui paſſus controuerſiam ſuper villa Eccleſiæ, à ſepulchro eum, qui ante per triennium mortuus fuerat, reſuſcitatum, ad iudicium duxit in teſtem. Poſſem ſine fallo, ſi benè quæſiuiſſem, etiam multo plures reperiſſe ſanctos Epiſcopos & Abbates qui præfuerunt Eccleſijs & monaſterijs habentibus temporalia & ciuilia dominia. Exhorrent vtique piæ aures audire in dubitationem deduci, an licitum ſit, quòd à tanta Sanctorum multitudine per tanta curricula temporum pro licito habitum fuit, practicatum & obſeruatum.

Vide Pet. Merſæũ in ſuo Epiſc. catalogo, & Anton. Monchiacenum de Miſſa.

IV. Ratio.

Quartò idem ſic probo. Illud indubiè licitum eſt, quod eſt auctoritate canonum Apoſtolorum & ſacrorum generalium Conciliorum approbatum; Iſtud eſt huiuſmodi, igitur, &c. Maior eſt manifeſta, quoniam omnis fidei noſtræ, & Chriſtianæ diſciplinæ doctrina ab ipſis Apoſtolis & à ſacris generalibus Cõcilijs, & eorũ auctoritate habetur, quòd

haec

hæc, quæ legimus, ſunt Euangelia Chriſti vera, quod ſymbolum fidei factum fuerit ab Apoſtolis, vnde habemus niſi à ſacris Concilijs & approbatione Eccleſiæ? ipſa enim quantum ad fidem & mores pertinet pro neceſſitate ſalutis errare non poſſunt. Sicut Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius, & omnes Doctores confitentur & tenent. Imò Auguſtinus dicit: *Euangelio non crederem, niſi me auctoritas Eccleſiæ moueret.* Nunquam enim legitur ab aliquo Concilio ritè congregato aliquid, pertinens ad fidem vel mores ordinandos, erroneè determinatum fuiſſe, propter aſſiſtentiam ſpiritus ſancti regentis ipſa Concilia. ad probandum minorem habeo primò ex canonibus Apoſtolorum 12. q. 1. *Sint manifeſtè res propriæ epiſcopi, ſi tamen habeat proprias, & manifeſtè res dominicæ.* Ecce duplex patrimonium in poteſtate Epiſcopi, propriũ, & dominicum. Item ea cau. & q. *præcipimus vt in poteſtate ſua res Eccleſiæ Epiſcopus habeat.* ſi enim animæ hominum precioſę illi ſunt creditæ, multo magis oportet eum curam de pecunijs gerere. His addere libet decretum Pij Papæ, qui longè ante Silueſtrum fuit, Anno ſcilicet Domini CLIII. vbi ſic legitur. *Prædia diuinis vſibus tradita, quidam humanis applicant vſibus, & Deo noſtro, cui tradita ſunt, ſubtrahunt, vt ſibi inſeruiant. Quapropter ab omnibus illius vſurpationis contumelia depellenda eſt, ne prædia vſibus ſecretorum cœleſtium dicata à quibuſdam irruentibus vexentur: quod ſi quis præſumpſerit, vt ſacrilegus iudicetur.* Veniat & auctoritas ſancti Vrbani, qui etiam longè præceſſit Silueſtrum, cauſſamque & originẽ, quare & quando Eccleſia prædia & poſſeſſiones habere incepit, ediſſerit, dicens: *Videntes autem ſummi Sacerdotes, & alij atque Leuitæ & reliqui fideles plus vtilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates & agros, quos vendebant, Eccleſijs, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent, eo quod ex ſumptibus eorum tam præſentibus quàm futuris temporibus, plura & elegantiora poſſent miniſtrare fidelibus, communem vitam ducentib. quàm ex precio ipſorum; cœperunt prædia & agros, quos vendere ſolebãt, matricibus Eccleſijs tradere, & ex ſumptibus eorum viuere. Ipſa verò res in ditione ſingularum parochiarum, Epiſcoporum (qui locũ tenent Apoſtolorum) erant, & ſunt vſque ad huc, & futuris ſemper debent eſſe temporibus; quibus Epiſcopi & fideles diſpenſatores eorum omnibus communi vita degere volentibus, miniſtrare cuncta neceſſaria debent, prout melius poterunt, vt nemo in eis egens inueniatur; ipſa enim res fidelium oblationes appellantur, quæ Domino à fidelibus offeruntur. Memoratis ergo augmentationibus ac cultibus in tantum Eccleſiæ, quibus Epiſcopi præſident, Domino adminiculante, creuerunt, & tantis maxima pars earum abundat rebus, vt nullus in eis communem vitam ducens, ſit indigens; Sed omnia neceſſaria ab Epiſcopo ſuiſque percipiat; ideo ſi aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus, qui hæc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur.* hæc Vrbanus. Finis autem iſte refertur ad c. *attendendum* infra allegatum. Et de illa damnatione hic loquuntur decreta vndecim Conciliorum. Primum ſequendo ordinem voluminis decretorum in c. *Benè quidem.* 96. diſt. Secundum Martini Papæ, 12. q. 1. *manifeſta.* Tertium Antiocheni, ea cauſa, & q. *Epiſcopus.* Quartum Eugenij apud Romam, ea cauſa, & q. *nulli Epiſcoporum.* Quintum in octaua Synodo vniuerſali, ea cauſa, & q. *Apoſtolicos.* & c. *non licet.* Sextum in Concilio Leonis Papæ IV. ea cauſa. & q. 2. *monemus.* Septimum Vrbani Papæ ea cauſa, & q. *de laicis.* Octauum Innocentij III. de re. non alien. *cum laicis.* Nonum Concilij Lateranenſis de teſta. c. *cum in officijs.* Decimum Gregorij X in generali Concilio Lugdunenſi, c. *hoc conſultiſſimo.* eod. tit. libr. 6. Vndecimum in Concilio generali Viennenſi. clem. prima[a] eod. titul. In omnibus iſtis generalibus Concilijs pro conſeruandis, regendis, & in manu tenendis bonis temporalibus decreta ſunt facta. Quid tandem dicam, vt materiæ Conciliorum generalium finem imponã? Primum illud Nicænum Concilium, in quo ſymbolum fidei conditum fuit, quod in miſſa cantatur, poſt dotationem Eccleſiæ factum eſt. Et deinde omnia alia Concilia, quorum decretis & ordinationibus regitur Eccleſia Catholica, & quicquid ordinationis, decoris, & normæ, & finaliter quidquid boni habemus in Chriſtiana Religione, totum pullulauit ab eo tempore, quo Eccleſia dotata fuit. Nam eo tempore antequam per doctrinam beatiſſimi Sylueſtri Conſtantinus ad fidem conuerſus fuiſſet, docendarum plebium facultas non erat, ſed in varios errores erat ſciſſa Chriſtianitas, & omnia ferè confuſa & perdita erant, prout Iſidorus dicit, vt ſupra allegatum eſt, & ex hiſtoriographis vnicuique legenti palam eſt.

Aug. cont. Epiſt. Manichæi, quam vocant, fundamenti.

12. q. 1. c. 11. 12. q. 1. ca. 24.

12. q. 2. c. 5. Pius Papa ep. 2.

Vrbanus Papa ep. vnica. 12. q. 1. c. 16.

1. diſt. 96. c. 1. Symmachus in Synodo Romana.
2. 12. q 1. c. 20. ex Cõcilio Martini.
3. 12. q 1. c. 23. ex Concil. Antiocheno.
4. 12. q 1. c. 27. ex Cõcil. Rom.
5. 12. q. 2. c. 13 ex Cõ. 8
6. 12. q. 2. c. 18. ex Conc Leonis Pap. 4
7. 12. q. 2. c. 46. ex Conc. Vrbani Pap. Aluernia celebrato.
8. de rebus Eccleſiæ non alienandis. c. 11. ex Cõc. generali ſub Innoc.
9. 9. de teſtam. ca. 7. ex Conc. Later. ſub

Vtique ab inimico humani generis hæc ſuggeſtio eſt, qui vellet Eccleſiam ad illum ſtatũ deducere, vt liberè poſſet Chriſtianum populum laniare. Bene facit fabula de tractatu inter lupum & paſtorem. Dixit lupus paſtori, quare vis expendere panes tuos ad ſuſtinendum canes, qui nihil laborant, ſed tota die dormiunt? Et dixit paſtor, ad defenſionem ouium, ne tu deuores. Reſpõdit lupus, & ego hoc facio propter canes, quia moleſtum mihi eſt quòd illi non laborent, & tu eos paſcas: ideo cupio mihi de tuis ouibus paſtum. Sed non des illis ad comedendum, & ego non accipiam, laboremus omnes ad quærendum victum. dixit paſtor, placet mihi: paſtore non dante panem canibus, canes mortui fuerunt, tũc lupus liberè potuit inuadere gregem. Ita diabolus vellet hoc ſuggerere, vt depauperata Eccleſia non eſſent niſi Clerici pauci, miſeri, & ignorantes.

Superius etiam allegatis velim adducere decreta aliorum Conciliorum, quæ etſi generalia non fuerint, tamen ab Eccleſia generaliter recipiuntur, & ius commune faciunt, quia in corpore iuris ſunt clauſa. Venire poterunt decretum Agathẽſis Concilij 12. q. 1. Epiſcopi de rebus. [a] cauſa, & q. 2. *ſtatuimus* & c. *ſi quis de Clericis.* & tribus. cap. ſequentibus. [b] Item ex Concilio Ilerdenſi, ea cauſa. & q. *hac huius placiti.* [c] Item ex Concilio Toletano quarto ea cauſa, & q. *Etſi illi.* Item ex Concilio [d] Aurelianenſi, ea cauſa & q. *ſi quis de Clericis,* & c. ſequenti. [e] Itẽ ex Synodo Ancyrana, ea cauſa, & q. *Si qua* de rebus. [f] Item ex Concilio Mediomatricis, ea cauſa, & q. *precaria.* Item ex Concilio [g] Africano ea cauſa, & q. c. *non habenti,* & c. *placuit.* Item ex VIII. Concilio Toletano, ea cauſa & q. [h] *ſæpè fit.* Item ex Concilio Toletano XI. ea cauſa, q. 3. [i] *quicunque.* Item ex Concilio Hiſpalenſi, ea cauſa, q. 5. [k] *fixum.* Item ex Concilio Pariſienſi 23. q. 8. c. [l] *ſecundum canonicam auctoritatem.* Item ex Cõcilio Lugdunenſi de reb. Eccl. non alienandis. [m] c. 1. & 2. Item ex Concilio apud [n] Siluan. eo. t. *nulli liceat alienare rem immobilem Eccleſiæ.* & ſic vltra illorum vndecim generalium Conciliorum per me prius allegatorum, habemus auctoritates quatuordecim Conciliorum, quas ego ſic perfunctoriè quærendo collegi, vtique multò plures me crederem inuenire, ſi temporis oportunitate accuratius quæſiuiſſem. & ſic habeo pro me duos Canones Apoſtolorum, decreta Pij & Vrbani, qui præceſſerunt Silueſtrum, vndecim decreta generalium Conciliorum, & quatuordecim decreta aliorum Conciliorum, quæ ab Eccleſia generaliter ſunt recepta.

In calce huius poſitionis recolligere volo breuiſſimè duodecim Doctores magnæ auctoritatis in lege Dei veraciſſimè ſe fundantes, qui hanc meam ſententiam confirmabunt. Primus ſit religioſiſſimus Proſper, qui, vt ſuprà allegatum eſt, dicit, *Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri, &c.* Secundus Gregor. Nazianzenus Magiſter B. Hieronymi, conquerens de perſecutoribus ſuis, dicebat. *Si hinc ab altari excludor, aſtabo illi altari, de quo Dauid: Introibo ad altare Dei,* &c. & infra. *Nunquid de cœleſti illa Ieruſalẽ nos poterunt fugare? facultatibus defraudabunt? quibus? meis? facilius alas, quibus nunquam indutus ſum, abſcindent. Si autem Eccleſiaſticu, hoc vtique eſt, pro quo eſt omnis pugna, pro quo omne certamen.* Hæc ille. Habebat ergò Eccleſia facultates.

Nunc veniant quatuor principales Doctores Eccleſiæ. Primò Ambroſius, qui Eccleſiæ Mediolanenſis prædijs opulentæ præfuit, & dixit: *Aurum habet Eccleſia,* &c. vt de facultatibus Eccleſiæ in diuerſos pios vſus prudenter & ſagaciter adminiſtrandis, non effundendis oſtendit, in libro de officijs, vnde ſumpta ſunt cap. in decretis, octogeſima ſexta, diſtinct. *non ſatis,* & 12. quæſtione 2. *Aurum Eccleſia habet.* Et in libello de obitu

[a] 12. q. 1. c. 19. ex Con. Agathenſi. ex eodem. 12. q. 2. c. 13. & tribus ſeqq.
[b] Ibidem ex Concilio Ilerdenſi. c. 38.
[c] Ibidem. c. 39.
[d] Ibidem. c. 4. & ſeq.
[e] ibidem. ex Conc. Ancyrano. c. 41.
[f] ibidem. ex Conc. Mediom. c. 44.
[g] ibidem ex Conc. African. c. 50.
[h] ibid. c. 72. ex Conc. Toletan. VI.
[i] ibidem q. 3. c. 2. ex Conc. Toletan. VIII.
[k] ibidem q. 5. ex Conc. Hiſpal.
[l] 23 q. 8. c. 24. ex Conc. Pariſ.
[m] ex Conc. Lugdun. ſupra de rebus Eccl. non aliena.
[n] c. 5. ex Conc. apud Syluanen.

obitu fratris, oſtendit ſe patrimonium habere indiuiſum in fratre ſuo Satyro, quod & competens fuiſſe oſtendit, cũ *& certè non erat pauper opibus, ſed pauper ſpiritu.* Benè pro- nt prædicta cap. *Conuenior*, vigeſima tertia, quæſtione o- ua.

Huic ſuccedat Hieronymus, qui in Epiſtola ad Dama- m Papam dicit: *Clericos illos conuenit ſtipendijs Eccleſiæ ſuſten- ri, quibus propria vel parentum minimè ſuffragantur.* Iam ſupra egatum eſt. Et ſic oſtendit facultates habere, & Clericos ſſe proprium poſſidere.

De Auguſtino autem tam à Magiſtro Petro, quàm à me ura dicta hoc probantia inducta ſunt, ſed etiam delectat me c vnum addere, ex homilia ſexta ſuper Ioannem, vbi mul- ad hoc pertinentia, ſed partem breuem accipio, hæc vide- cet verba: *Columba Eccleſia eſt, quid clamas? non deuor animus llas, columba illas habet. Quæratur quæ ſit columba, & ipſa ha- eat. Nam noſtis fratres mei, quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini, & ſi s non noſtis, & putatis me gaudere in poſſeßione villarum, Deus no- t.*

Claudat hunc quaternarium numerum ſanctiſſimus Gre orius Papa, qui Eccleſiæ Romanæ præfuit, ciuitates & am- liſſima dominia obtinenti, cuius ampliſſimum patrimoniũ uam ſollicitè prudenterque rexerit, in regiſtro eius inſertæ piſtolæ manifeſtant. Nunc Petrum ad regendam Siciliam miſit, nunc ſcribit vt à colonis cenſus non exigatur antequam otuerint fructus vendere. Nunc de præparandis nauibus & frumentis ad vrbem de inſula Siciliç transferendis curam ge- rit, ne in vrbe tritici fiat cariſtia. Nunc etiam principi militiæ defendenti patrimonium Eccleſiæ à tyrannis, exhortatorias literas mittit. Et alia plura huiuſmodi ex ipſo colliguntur re- giſtro, quæ differere longum eſſet. Sed hæ ſollicitudines atq; curæ eum non impediebant, quominus prædicationi verbi inſtaret, prout homiliæ, quæ leguntur, oſtendunt, atque ſa- crarum ſcripturarum expoſitionibus ſtudijs incumberet, mo ralium hoc probant volumina, & ſcripta ſuper Ezechielem: *Cum tamen penè*, inquit, *obſidio vrbi & barbaricus enſis ciuium iã ceruicibus immineret*; quod ex ipſius libri ſerie colligitur eui- denter.

Habemus ſex. Veniat nunc venerandæ memoriæ noſter Hiſpanus Iſidorus, cuius dictũ ex tertio libro de ſummo bo- no iam ſuperius eſt inſertum, nec illum repeto, nec alium ad- do, breuitatis amator.

Octauo loco ſuccedat ille deuotiſſimus crucis Chriſti cõ- templator Bonauentura ſuper quarto ſententiarum, diſtin- ctione 24. quæſtione prima, art. 4. vbi latè hanc materiã pro- ſequitur.

Nonus erit Doctor ſanctus in diuerſis locis, ſed ſignan- ter ſecunda ſecundæ, quæſtione cẽteſima & octogeſima quin- ta, articulo ſexto, & ſeptimo. Et in ſumma contra gentiles, li- bro tertio, capitulo centeſimo trigeſimo primo.

Decimo veniat Nicolaus de Lyra, quem ſuper expoſi- tione trium Prophetiarum ſuperius iam audiſtis, quam aper- tè declarat hanc ſublimationem Eccleſiæ in gloria & poten- tia temporali, tanquam ex diuina ordinatione procedentem, à Prophetis Dauid & Iſaia prænunciatam fuiſſe.

Vndecimum locum teneat venerabilis Gratianus, qui in §. *ecce* 23. q. 8. ſic inquit: *Porro alij ſunt*, loquitur de Epiſcopis, *qui prædia, villas, caſtella, & ciuitates poßident, ex quibus Cæſari debent tributa, niſi imperiali benignitate immunitatem huiuſmodi promeruerint.*

Claudat numerum duodenarium Hugo memorandus, quem ad hunc locum propterea reſeruaui, quia Magiſter Pe- rus illius dictum, non tamen mihi incognitum contulit, quo il apertius dici poteſt, cùm dicat, Eccleſiam ciuilia dominia abere poſſe, iura, redditus, & vtilitates, iuriſdictiones, tamen Prælatus non in perſona propria, ſed per ſeculares miniſtros aciet exercere. Poſſem & plures Doctores etiam allegare, ſed uodenarius numerus mihi placuit ſacro Apoſtolorum col- egio conſecratus.

Cum igitur ex præmiſſis ſole clarius innoteſcat, clericos, qui ad hoc votum ſe non aſtrinxerunt, licitè propria patri- nonia poſſidere, & Eccleſiam poſſe habere bona mobilia, & mmobilia, priuata dominia, & ciuilia, quomodo per ſecu- are brachium, ſiue per laicos, à viris Eccleſiaſticis poſſunt auferri, etiamſi fuerint delinquentes? talis ſiquidem aſſertio praxi & doctrinæ Chriſti manifeſtè contradicit. Nunquid tempore Chriſti erant peſſimi Sacerdotes, vitijs & ſceleribus inuoluti, habitualiter delinquentes, vt domum Dei facerent ſpeluncam latronum, & ex patre diabolo eos eſſe, & opera pa- tris eorum facere Chriſtus aſſereret? Poſſunt vix eſſe nequio- res Sacerdotes, magis ſcelerati atque ſacrilegi his qui in mor- tem vnigeniti Dei filij conſpirarunt, non tamen eis quamdiu eorum durauit Sacerdotium, aut emolumenta, aut honorem, aut obedientiam à populo ſubtrahi Chriſtus conſuluit, non vtique, imò eis præſtari & exhiberi mandauit. Vnde cum mundaſſet leproſum, ait illi, *vade, oſtende te Sacerdotibus, & of- fer munus.* Matth. 8. & Luc. 5. Et iterum decem leproſis ab eo mundatis, dixit, *ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Ecce honorem honorem & emolumentum non auferri, ſed exhiberi præce- pit. Denuo cum, ſicut dicit Chryſoſtomus, & recitat Tho- mas in gloſſa continua, Sacerdotum incorrigibilem condi- tionem oſtendiſſet in capite præcedenti; de ipſorum tamen obedientia generalem protulit ſententiam, dicens, *ſuper ca- thedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. omnia quæcunque di- xerint vobis, ſeruate & facite*, Matthæi 23. Vnde Martyr beatiſ- ſimus Cyprianus ſic inquit, dicens, *Dominus noſter Ieſus Chri- ſtus Rex & Iudex, & Deus noſter, vſque ad paßionis diem ſeruauit honorem Pontificibus & Sacerdotibus: quamuis illi nec timorem Dei nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Nam cum leproſum mundaſſet, dixit illi: vade, & oſtende te Sacerdotibus, & offer donum; humilitate ea, qua nos quoque humiles eſſe docuit, Sacerdotem adhuc appel- labat, quem ſciebat eſſe ſacrilegum.* Item idem Cyprianus cum de nequitia Epiſcoporum ſui temporis queſtus eſſet, dicens: *Epiſcopi plurimi, quos & hortamento oportet eſſe cæteris, & exem- plo, diuina procuratione contempta, procurationes rerum ſecularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas prouincias obeer- rantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari, eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubuenire, habere argentum largiter velle, fun- dos inſidioſos fraudibus rapere, vſuris multiplicibus fœnus augere.* nihilominus talium contemptorem vocat hoſtem altaris, ſa- crificio Chriſti rebellem, perfidè perfidum, pro religione ſa- crilegum, filium impium, fratrem inimicum, prout hæc po- nit Auguſt. in de Baptiſmo contra Donat. Cæterum nonne tales Apoſtolica ferit ſententia, dicens: *quis es tu, qui ſeruum iu- dicas alienum? ſeruus domino ſuo ſtat aut cadit*, ad Rom. 14. Cle- rici ſerui Domini Dei ſunt, & ſeculares nil iuris aut poteſtatis in eos habent. Extant de hoc tam legum, quàm canonum ſan- ctiones in Pariſiẽſi Concilio, *nullus iudicum clericum, aut etiam iuniores Eccleſiæ, per ſe diſtringere aut condemnare præſumat.* & in multis alijs iuribus tam canonicis, quàm ciuilibus, quæ cum ſint notiſſima, inſerere prætermitto, optimiſque rationibus pridem Magiſter Ægidius hoc fundauit. ergo etiamſi facino- roſi ſint clerici, à laicis puniri non poſſunt. Qui enim in faci- noroſum animaduertit, non habens in eum iuriſdictionem, grauiſſimè peccat: vnde Auguſt. in de ciu. Dei, & habetur 23. qu. 8. *Quicunque percutit malos in eo quod mali ſunt, & habet cau- ſam interfectionis, miniſter Dei eſt. Qui verò ſine aliqua publica ad- miniſtratione maleficum, furem, ſacrilegum, adulterum, & periu- rum, vel quemlibet criminoſum interfecerit, aut trucidauerit, vel membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur, & tanto acrius, quanto non ſibi à Deo conceſſam poteſtatem abuſiuè vſurpare non ti- muit.* Nota hæc vltima verba: *grauem quidem Deo facit offensã, & regalia & præeminentiam damnabiliter vſurpat, qui non habens ad hoc commiſſum ſibi à Deo officiũ, aliena peccata punire præſumit.* hoc ipſum eſſe contra legem Dei ex ſcriptura ſacra volo alio teſtimonio confirmare. Scriptum eſt Ezech 33. Eccleſiaſtico- rum Prælatorum officium ſub ſpeculatoris nomine, quia de- bent populis peccatorum pericula nunciare. Et ſequitur, *quod ſi non nunciauerit, & inde aliquis mortuus fuerit, dicit Dominus, ſan- guinem eius de manu ſpeculatoris requiram*, & ſequitur: *non popu- lus terræ, ſed ego.* Nota verba *non populus, ſed ego, &c.* Ideo Gre- gorius 25. moral. c. 21. *quia rectores habent iudicem ſuum, magna cautela ſubditorum eſt, non temerè iudicare vitam regentium. Ne- que enim fruſtra per ſemetipſum Dominus æs nummulariorum effu- dit, & cathedras vendentium columbas euertit, nimirum ſignifi- cans, quia per Magiſtros quidem iudicat vitam plebium, ſed per ſe- metipſum facta examinat Magiſtrorum.* Nonnullis videtur in iſto Ioanne VVicleff, huius aſſertionis principe intueri alterum Symonem Beniamitam, qui cum deſiderium ſuæ

Matt. 8. Luc. 5.

23. q. 8. c.

cupiditatis in Ieruſalem non potuiſſet implere, per medium Appollonij apud Regem agere ſtuduit, vt templi theſaurum arriperet, provt ſcribitur 2. Machabæorum, ca. 3. ſic iſte, quia, vt dicitur, epiſcopatum Vigornienſem non obtinuit, & alia ſuæ voluntatis deſideria non valuit adimplere, contra ſpolia & theſauros templi, principum & ſecularium hominũ ſtuduit animos incitare. Sed quid Heliodoro ad hanc exequendam nequitiam transmiſſo contigerit, vt opinor omnes noſtis, qualiter in templo proſtratus fuerit, grauiterque percuſſus, vt in ſella geſtatoria ductus ſit mutus, & de omni ſalute deſperatus. Cum hoc autem Heliodoro diuina clementia miſericorditer actum eſt, vt hic corriperetur, ne in alio ſeculo damnationem haberet. non ſic cum omnibus agitur, ſed interdum Deus permittit ſuas eis explere malitias, quo in æterna damnatione grauius puniantur. Cum enim res, quæ templo Dei offeruntur, moriantur mundo, prout lex Dei habet Leuit. vltimo, & efficiantur ſancta ſanctorum, vt ibidem, quoniam domini Dei ſunt, cuius procuratores Eccleſiaſtici ſunt, vt ſupra dictum eſt, propter culpas procuratorum res Domini vſurpare, ratio nulla conſentit, ſed cum alienæ rei vſurpatio furtum ſit, & contra præceptum Dei in decalogo dicentis, *nõ furtum facies*, res Eccleſiæ vſurpare ſacrilegum eſt. Augu. ſuper Ioan. hom. 41. *Ecce fur eſt Iudas, & ne contemnas fur ſacrilegus, non qualiscunq; fur: fur loculorum, ſed dominicorum; loculorum ſed ſacrorum.* Si crimina diſcernuntur in foro qualiſcunq; furti & peculatus, peculatus enim dicitur furtum de Republica, & non ſic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ, quanto vehementius iudicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit vndecunque tollere, h. e. de Eccleſia tollere, qui aliquid de Eccleſia furatur. Inde perdito comparatur. Vnde Pius Papa, qui fuit Anno D. 153. ſic inquit: *Prædia diuinis vſibus tradita quidam humanis applicãt vſibus, & Deo noſtro, cui tradita ſunt, ſubtrahunt, & ſibi appropriant. Quapropter ab omnibus illius vſurpationis contumelia depellenda eſt, vt prædia vſibus cæleſtium ſecretorum dicata, à quibuſdam irruentibus vexentur, quod ſi quis præſumpſerit, vt ſacrilegus iudicetur.* Vnde Vrbanus Papa, qui ante Silueſtrum fuit, ſic ſuo decreto loquitur 17. q. 4. *Attendendum eſt nobis omnibus, ne prædia vſibus ſecretorum cæleſtium dedicata, à quibuſdam irruentibus vexentur: quod ſi quis fecerit, poſt debitam vltionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos iure promenda eſt, perpetua damnetur infamia.* Et hoc idem patet per multos canones, ea cauſa, & quæſtione. Item ex decreto Symmachi Papæ, 12. q. 2. *Indignè quidem ad altare Dei properare permittitur, qui res Eccleſiaſticas audet inuadere, aut iniuſtè poſſidere, aut iniuſta & iniqua defenſione in eis perdurare.* & infrà: *Valdè enim iniquum eſt, & ingens ſacrilegium, vt quæcunq; vel pro remedio peccatorum, vel pro ſalute animarum, aut requie ſuorum vnusquiſq; venerabili Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his quibus maximè ſeruare conuenit, id eſt, Chriſtianis & Deum timentibus hominibus, & ſuper omnia à principibus, & primis regionum, in aliud transferri vel conuerti permittatur. propterea qui hæc non præuiderit, & aliter quã ſcriptum eſt, prædia Eccleſiæ tradita petierit, vel acceperit aut poſſederit, niſi ſe citò correxerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, &c.* Sunt & alia capitula plura, quæ gratia breuitatis omitto.

Mach 3. c. 4.

Inuaſores bonorum Eccleſiaſt. puniuntur

Leuit. 27.

Aug tra. 21. 50. in Ioan.

Pius ep. 2. 17. q. 4. c. 12

7. q. 4. c. 3.

12. q. 2. c. 12

Sed aduerſus hæc forſitan diabolica tentatio ſuggereret, hoc verum, cum Sacerdotes benè ipſis rebus Eccleſiæ vtebantur; ſecus, vbi ex ipſis rebus Eccleſiaſticis malè viuunt. quod iam ſuperius apertè confutatum eſt. Sed adhuc libet duo dicta beati Auguſtini aduerſus hanc tentationem diabolicam allegare, qui ſic in homilia inquit 14. q. 5. *Fortè aliquis hoc ſecum cogitat, & dicit, multi ſunt Chriſtiani diuites, auari, cupidi, non habebo peccatum, ſi ſuum illis abſtulero, & pauperibus dedero: inde enim illi nihil boni agunt. mercedem habere potero, ſi ego eleemoſynas dedero; ſed huiuſmodi cogitatio diaboli calliditate ſuggeritur. Nam etiamſi totum tribuat pauperibus, quod abſtulerit, addit potius peccatum, quam minuit.* Et idem Auguſtinus ea cauſa & quæſtione: *Neque enim ſi agris iniquè ac perperam inuaſis, ita quiſq; vtatur, vt ex eorum fructibus largas eleemoſynas faciat, ideo rapinam iuſtificat, neque ſi alius ruri paterno vel iuſtè quæſito, auarus incumbat, ideo culpanda eſt iuris regula, qua poſſeſſor legitimus factus eſt, nec tyrannicæ factionis peruerſitas laudabilis erat, ſi regia clementia tyrannus ſubditos tractet, nec vituperabilis ordo regiæ poteſtatis, ſi rex crudelitate tyrannica ſæuiat. Aliud eſt namque iniuſta poteſtate iniuſtè velle vti, aliud eſt iuſta poteſtate iniuſte velle vti.* Propellenda eſt vtique talis aſſertio, quòd propter Clericorum vitia, licitum laicis ſit ad Chriſti patrimonium manus apponere. Et facile poſſet præbere aditum ad ſimile aſſerẽdum de regibus, principibus, & alijs dominis temporalibus, nec deſiuere, qui hoc ſimili modo aſſerere iam præſumpſerint, quod eſſe fomitem ſcandalorum, & ſeditionum & ſubuerſionis totius humanæ politiæ cunctis intellectu vigentibus palam eſt. Obſecro igitur quemlibet fidelem dicens verba Eccleſiaſtici vigeſimo octauo: *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito oſtium & ſeras auribus tuis.*

Aug l. 50. homiliarũ homil. 7. 14. q. 5. c. 3.

Aug de bono coniug. 14. q. 5. c. 9.

Eccl

Hoc vnum in fine actus huius notandum decreui, quod per omnes ætates mundi ſemper in populo Dei, niſi perſecutione diuinæ legis inſtante, Sacerdotes in magna reuerentia & honore fuerunt, & bonorum opulentia. Tempore ſiquidem legis naturæ primogeniti, qui & Sacerdotes erant, in honore & hæreditate prærogatiuam præ cæteris habebant fratribus. In lege Moſaica decimas, primitias, oblationes, ſacrificia, vota, & redemptiones, & vltra hæc ciuitates & ſuburbana, vt ſuperius dictum eſt. In primitiua Eccleſia omnia ponebantur ad pedes Apoſtolorum, & ipſi diſtribuebant omnibus. Venit demum perſecutio, & tunc conſonum rationi erat, vt potior pars perſecutionis eos contingeret, qui Chriſtianæ militiæ principes erant. Sed demum pace data Eccleſiæ, Chriſtiani Principes, fideleſque populi Chriſti ſacerdotibus honorem & reuerentiam & temporalium opulentiam contulerunt. hæc pro communi vtilitate à Deo ſic ordinata ſunt, vt ſuperius eſt probatum.

Concludam igitur cum beato Leone 25. quæſtione prima. *Quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter ſunt inſtituta, nulla commutatione varientur; nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa. Sed manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres, nemo iniuſtè alienum vſurpet, ſed intra fines proprios atque legitimos, prout quiſq; valuerit, in latitudine ſe exerceat charitatis.* Nemo deformationem morum & rerum turbinem aſcribat temporalibus Eccleſiæ bonis. Nam & vbi magna eſt paupertas, deformitas morum, & turbatio non minor eſt, vt in aliquibus partibus Apuliæ, & in Inſulis Sardiniæ & Corſicæ, vbi Clerus pauperrimus, ignarus & deformatiſſimus eſt. fuerunt quoque cum multa opulentia viri ſanctiſſimi, moreſque optimi, vt patet ex prædictis; ſed vtique omnium malorum horum cauſa potiſſima eſt, perdita diſciplina, patres depulerunt virgas ad corrigendum filios, obliti conſilij Salomonis, Magiſtri non habent ferulas, nec Abbates in capitulo diſciplinas, Prælati dominique temporales non corripiunt niſi Burſas, de morum diſciplina in nullo ſtatu cura habetur, omnia licentiata ſunt, verecundia perdita, obediẽtia verò abiecta, laſciuia, libidines, & voluptates omnia poſſident, libereque vagantur, dum pullulantia vitia falce correptionis minimè reſecantur. In tanta peſſimorum morum colluuione, & veteri perdita diſciplina, non mirum ſi ea, quæ ad bonum & malum deflecti valent, ſicut temporalia bona ſunt, retorquentur ad malum, cum etiam ea, quæ de ſuâ natura ſunt optima, ipſum dico Euchariſtiæ digniſſimum ſacramentum reprobis cedat in malum. Inſtauretur igitur morum diſciplina, mores reformentur, & tunc cognoſcemus apertè plurimum vtile fore populo Chriſtiano, Eccleſiam Dei bonis temporalibus abundare, quia eis à bonis non niſi benè & laudabiliter vti continget. Sunt namque neceſſitates plures in populo Chriſtiano, quibus ſi, vt debitum eſt, de bonis Eccleſiæ ſubueniretur, non ſuperfluitatem noxiam, ſed fructuoſam eſſe bonorum opulentiam, in Eccleſia palàm eſſet. Quot Chriſtianorum centena inter infideles captiui tenentur, pro quorum redemptione vaſa ſacra conflaſſe & vendidiſſe beatus Ambroſius gloriatur, ac vt ſupra memoraui Ioannem Papam Quartum diſtractis theſauris Eccleſiæ multos per Hyſtriam & Dalmatiam redemiſſe. Deſunt puellæ thoro maturæ, quas parentes pauperes maritare non valent? In quibus ſicut Beatum Nicolaum feciſſe legimus, eſſent poma aurea conferenda. Sunt & millia pauperum & infirmorum, ſunt & multa pauperum iuuenum habilia ingentia, ſi haberent vnde poſſent in literarum ſtudio profectum facere. Poſſem & multa alia huiuſmodi memorare opera pietatis, quibus eſt de bonis Eccle-

25. q. Leo

Pro

S. Ar offic Sup. rati. tifici benti domi ciuili

quia per illa habeo cõmoda poſſeſſionis, quæ à iure data ſunt. Ipſe habeat ſuam ſecularem poſſeſſionem, & ſicut inquit Poëta: Si tradit peregrinis imaginibus artem ſubtilis ſubtile eſt ipſe ſolus adoret, imò & ſatis mihi eſt habere dominium, quia proprietas trahit ad ſe poſſeſſionem, iuribus vulgaribus.

VEniamus igitur ad ciuile dominium, & dein 8. notabili huius poſitionis ſecundæ, quod dominium capit ſuum eſſe, & per conſequens ſpeciem & differentiam vel à ſubiecto vel à fundamento, vel ab obiecto, & ſic ex quolibet horum trium capi poteſt diuiſio dominij in ſuas ſpecies & partes alias ſubiectiuas. vnde cum tres ſint materies rationalium naturarũ, patet quod communiter eſt dare tres modos dominij, vt aliud eſt naturale, aliud Euangelicum, & aliud humanum. hęc Magiſter Petrus. Videtis Patres & Domini, quòd in hac prima diuiſione, quæ ſumitur à ſubiecto, non ponit ciuile dominium. procedamus vltra. ſic dicit iterum: *Secundum fundamentum dominij variantur ſuæ ſpecies, ſpecialiter in homine: nam ſicut aliud eſt ius naturale, aliud ius Euangelicum, & aliud ius humanũ: Conſequenter aliquod eſt dominium naturale, aliquod Euangelicum, vt eſt dominium charitatis ſiue vicarium, quando quis in nomine Chriſti accipit ab alio miniſterium: Et aliquod eſt dominium coactum, quod variatur ſecundum varietatem legum, & iurium ipſum fundamentum.* hæc Magiſter Petrus. Videtis quomodo hic accipit diuiſionem dominij ſecundum varietatem iurium, à quibus ipſa dominia ſuſcipiunt fundamentum, immò omnes iuriſtæ faciunt, quòd accipiendo ius ciuilè ſtrictè modo pauciſſima dominia poſſent dici ciuilia. Nam fundamenta dominiorum ſunt plurimum de iure gentium, & pauciſſimi modi acquirendi dominium ſunt de iure ciuili, prout hoc apud Iuriſtas eſt vulgatiſſimum, & patet ex toto titulorum diſcurſu de acqu. re. do. Et inſti. de rer. diu. Sed accipiamus latiſſimè ius ciuile pro tota latitudine iuris humani, & ita videtur accipere Magiſter Petrus in tertio membro ſuæ diſtinctionis, & iſtud eſt dominium, per quod dicimus, hoc meum, hoc tuũ; & hoc eſt inſtitutum occaſione peccati originalis, quia ſi permanſiſſet illa originalis iuſtitia, nemo dixiſſet, hoc meũ, hoc tuum, ſed corrupta originali iuſtitia, expediens valde fuit, diſtinguere rerum dominia, quia vt dicit lex, communio ſolet excitare diſcordias *ff. de leg. 2. l. cum pater. §. dulciſſimis.* & alia lex. *naturale vitium eſt negligi, quod communiter poſſidetur. C. quomodo & quando quarta pars, in volumine l. 2. cum alijs legibus concordantibus.* Quod ſi omnia eſſent communia, quot guloſi eſſent in mundo, pigri & inertes, & quot diſſenſiones & iurgia? Et de hoc domino datur illa deſcriptio, quod eſt dominium occaſione peccati humanitus inſtitutum, incommunicabile ſimul ex æquo multis dominis, ſed abdicabile ſeruata iuſtitia: ita dixit Magiſter Petrus. Alij dicunt, ſeruata, vel non ſeruata charitate, quia * tum hoc dominium infundetur in charitatẽ, etiam amiſſa charitate nõ perditur. Vide S. Thom. 2. 2. q. 66. ar. 2. Sed in hac diuerſitate non inſiſto, quia credo, quod Magiſter Petrus idem fecit, niſi vellet tenere illum errorem, quem ab aliquibus audio teneri, quod quicunque peccat mortaliter, perdit dominia bonorum ſuorum, & ſic Rex regnum, Princeps principatum, miles caſtrum, ciuis dominium, prædia, &c. quod Magiſt. Petrum ſentire non credo. Nunc omnes intelligite, quòd omne dominium, quod habẽt homines in bonis fortunæ, de quo in iudicijs agunt & contractibus, dominium ciuile eſt. hoc modo ciuile, cum cuilibet competat talis aſſignata deſcriptio. Nam omne tale fundamẽtum accipit à iure humano inſtituto occaſione peccati, & eſt optima conſequentia à definitione ad definitum.

[margin: *for. cum hoc dominium non [...]endetur. [...]Tho. 2. 2. [q.] 66. ar. 2.]

Cancellarius Pariſienſis in tractatu de Eccleſia, vltima cõſideratione vltra medium, deſcribit dominium ſic: *Dominium eſt poteſtas propinqua aſſumendi res alias, vel vt alias, in ſui facultatem vel in vſum licitum, ſecundum iura vel leges rationabiliter inſtitutas.*

[margin: [G]erſon de poteſt. Eccl. conſideratione [...]. Domi[n]ium quid [...]]

Probare iam volo, breuiter concluſionem Magiſtri Petri eſſe falſam. Et arguo ſic: Ciuile dominium Clero Chriſti tẽpore legis gratiæ eſt licitum, ergo concluſio falſa. Conſequentia nota, quia concluſio ſua dicit, quod eſt prohibitum. Antecedens meum dicit, quod eſt licitum. Licitum & prohibitum repugnant, quod eſt prohibitum non eſt licitum. ita ipſe conceſſit 2. quinterno 2. poſitionis, charta 5. & eſt cunctis manifeſtum. Sed ad probandum antecedens allego Auguſtinum ſuper Ioan. homilia 6. iuxta finem, vbi contra Donatiſtas loquens, ſic ait: *modo deficientes vbique, quid vobis proponunt? non inuenientes quid dicant? villas noſtras tulerunt, fundos noſtros tulerunt, proferant teſtamenta hominum. Ecce Gaius eis donauit fundum Eccleſiæ, cui præerat Fauſtinus. cuius Epiſcopus erat Fauſtinus? Eccleſiæ, quid eſt Eccleſia? Eccleſiæ, dixi, cui præerat Fauſtinus. Sed non Eccleſiæ præerat Fauſtinus; parti præerat. Columba autem Eccleſia eſt. quid clamas? nõ deuorauimus villas, columba illas habet, quæratur quæ ſit columba, & ipſa habeat. Nam noſtis fratres mei quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini. & ſi vos non noſcitis, & putatis me gaudere in poſſeſſione villarum, Deus nouit, ipſe ſcit, quid ego de villis ſentiam, vel quid ipſe ſufferã. nouit gemitus meos, ſi mihi aliquid de columba impertiri dignatus eſt. Ecce ſunt villæ. Quo iure defendis villas? diuino an humano? reſpondeant. Diuinum ius in ſcripturis habemus, humanũ ius in legib. regum. vnde quiſq; poſſidet quod poſſidet? nonne iure humano? nam iure diuino Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, pauperes & diuites. Deus de vno limo fecit & pauperes & diuites, vna terra ſupportat. Iure tamen humano dicis, hæc villa mea eſt, hæc domus mea, &c. hic ſeruus meus eſt, &c. iure ergo humano.* hæc Auguſtin. Ex quo dicto duo patent: Primò quod Eccleſia habet fundos & villas; Secũdò quòd omne dominium horum bonorum, quæ dicuntur bona fortunæ, à iure humano eſt, *vnde quiſq; poſſidet, quod poſſidet? nõne iure humano?* Habet ergo Eccleſia dominium iure humano inſtitutum, &c. Ergo ciuile dominium. à definitione ad definitum.

Veniat alius textus, quem allegat Magiſter Petrus: dicit primo quinterno, charta quinta, quod loquitur de ciuili dominio. In declaratione enim definitionis ciuilis dominij, ſuper ſecunda particula ita dicit. *Ideò Auguſtinus diſtinguendo inter ciuile dominium, & dominium ſecundum differentiam communitabilitatis & incommutabilitatis, ex perfectione in eſſe diuino, ſubdita humano dominio vt ciuili. Quis, inquit auarus, &c.* Ipſe Magiſter Petrus poſuit partem, ego ponam aliam. Nam habetur in decretis 23. q. 7. ita Auguſt. inquit: *Quod autem nobis obijciunt, quod res eorum concupiſcamus, & auferamus, vt inã Catholici ſint, & non ſolum qui dicunt ſua, ſed etiam noſtra in pace & charitate nobiſcum poſſideant. vſq; adeo autem calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant, quam ſint inter ſe contraria quæ loquuntur. Ipſi certe dicunt, & inuidioſiſſimè ſibi conqueri videntur, quod eos in noſtra communione violento legum imperio coarctamus; hoc itaque nullo modo faceremus, ſi eorum res poſſidere vellemus.* & ſequitur tunc particula, quam Magiſter Petrus allegat. *Quis auarus quærit compoſſeſſorem? quis dominandi cupiditate inflatus, vel faſtu dominationis elatus deſiderat habere conſortem?* & ſequitur: *Ipſos certè attendant, quondam ſuos, iam ſocios noſtros, & fraterna nobis dilectione coniunctos, quemadmodum ſua teneant non ſolum quæ habebant, ſed etiam noſtra, quæ non habebant.* Hæc Auguſt. ſi de ciuili dominio hic textus loquitur, prout & Magiſter Petrus ex ſua allegatione conſequentiatur ciuile dominium non eſſe prohibitum Clero Chriſti.

[margin: 23. q. [7.] Aug. ad [...] faciu[nt]]

Nunc ſicut dixit Hiero. contra Luciferianum diſputans, videam ſi omnes diſputationum riuulos poſſem vnico ſole Eccleſiæ ſiccare. Et allegauit quintum canonem Chalcedon. Concilij. Et ego profero canonem Apoſtolorum 12. q. 1. *ſint manifeſtæ res propriæ Epiſcopi, ſi tamen habeat proprias, & manifeſtæ dominicæ, vt poteſtatem habeat, de proprijs rebus moriens Epiſcopus ſicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere.* Ecc duplex patrimonium, vnum Eccleſiæ, aliud proprium. Ergo non ſolum Clerici, ſed etiam Epiſcopi poſſunt habere propriũ. Vtique ſi prohibitum eſſet Clero Chriſti, ſi Clerici expropriетarij eſſe* haberent neceſſariò, non feciſſent Apoſtoli tale decretum; Sed B. Hieronymo ad exſiccandum omnes diſputationum riuulos ſatis eſſe videbatur allegare vnum canonem Concilij Chalcedonenſis; mihi autem cum iſto nouo homine non ſufficiunt canones Apoſtolorum, Pij & Vrbani ſanctorũ antiquiſſimorum Põtificum decreta, vndecim Conciliorum generalium, & quatuordecim aliorum. Dicet forſan ipſe, quid te occupas recapitulando iſtas auctoritates? Iam dixi tibi in tertio notabili, quod per illam diſtinctionem de ciuili dominio materialiter, vel formaliter intellecto, concordari poſſunt iſta, & quod ego in materia propoſita, vbi fit mentio de Cleri dominio, proſequor intentum de dominio Cleri ciuili formaliter intellecto. Et iterũ charta ſeptima, volens fulcire rationes meas de Melchiſed. qui fuit Rex & Sacerdos, & de primogenitis in lege naturæ, cum non inueniat quo euadere

[margin: 12. q[.1.]]

[margin: *for. [ha]beret]

dere poſſit, niſi per rimulam illam, dicit: *non videntur contradicere articulo à me propoſito*, charta octaua. intelligo de poſſeſſione ſeculari, & dominio ciuili formaliter intellecto. Et tandem ſecundo quinterno, charta 5. recitat concluſionem meã ſub his verbis. *Quod Eccleſiæ Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis licitum eſt habere & poſſidere bona temporalia, mobilia & immobilia, & ciuilia dominia.* Et dicit quod iſta concluſio articulo per ipſum poſito apud benè intelligentes non obuiat. Videte quomodo non obuiat? articulus eius dicit, quòd ciuile dominium eſt prohibitum Clero; mea autem concluſio dicit, quod licitum eſt quoad ciuilia dominia. ſuus articulus dicit prohibitum, mea concluſio dicit licitum, & vtraque de ciuili dominio. Sed dicit ipſe: *Propterea dico apud benè intelligentes, quia tua concluſio loquitur de materialiter intellecto, ſcil. quod habet obiectum dominabile, puta domos, prædia, villas, caſtra, & ciuitates, & ita loquuntur omnes probationes per te inductæ, ego autem loquor de ciuili dominio formaliter intellecto.* & quid intelligat per hoc, quod dicit formaliter intellecto, declarat, dum nititur reſpõdere ad illud argumentum meum, vbi argui ex hoc quod ciuile dominium eſt res cõmerciabilis, & dicit ſic 2. quint. charta 4. *In quibus rebus aduerſarius innuit ciuile dominium eſſe rem cõmerciabilem, quod non nego, ſed ciuile dominium formaliter intellectum, de ſubiecto in ſubiectum migrare non poſſe videtur. Et vt ſuppono, dicens, dominus auditor pro illa habitudine præfecti ad ſubſeruiens non daret duas hallenſes, vbi pro dominio materialiter intellecto, ac palpabili, de quo ipſe præcipuè videtur loqui, aliquot florenorum centena dare minimè denegaret. Et vt puto, ſi diſtinctionem ciuilis dominij materialiter intellecti, & etiam formaliter, veraciter conciperet, contra articulum per me propoſitum non ita ardenter et laborioſè, quamuis, vt ſupponitur, cum detrimento ſuæ animæ, laboraret. Sed quia punctã tangis ſubtilem, &c.* hæc Magiſter Petrus. In quibus verbis animam meam condemnat. ſed quid mirũ, ſi hoc agit, qui de Doctorib⁹ iuris Canonici loqui taliter non veretur, ſecundo quinterno, charta quarta. *inter omnes cæcitates Doctorũ Iuris Canonici, hæc eſt ſtultiſſima.* & iterum, *quicquid Doctores canonici ſomniauerint.* Si autem Magiſter Petrus tanti ſit, quod eius Intellectus præferri debeat Doctoribus iuris Canonici, ad intelligendum canones, & omnes cæci ſint, & ipſe ſolus videat, vos iudicate, videbitiſq; etiam per lectionem textus, quando textus ille, de quo loquitur, non poteſt aliter intelligi, quàm omnes Doctores Canonum intelligunt. Et cũ dicit me cum detrimento animæ laborare. Nam cum ipſe nitatur *caliginem effundere ante oculos populorum*, vt Hieron. verbis vtar; ego laboro flatu diuinę veritatis illam expellere. vidiſtis quanta effudit ad obtenebrandum oculos populorum, quæ videtur inducere, quod Clero non licet aliquid habere, ſed debent Clerici viuere more Apoſtolorũ, in altiſſima paupertate, & tamen omnia illa reſtringit ad ciuile dominiũ formaliter intellectum, quod non eſt tranſmigrabile de ſubiecto in ſubiectum, pro quo dicit eſſe verum in hoc quod ego non darem tres hallenſes, nec quiſquam alius daret, quia fruſtra daret pro illo, quod ab alio in ipſum tranſire non poteſt. Videte quid parturiuit mons iſte, vel verius inflatura terræ, ſicut ille Poeta inquit: *Iam mons parturijt, & erit tandem filius mus.*

Videte quid ex omnibus iſtis intendat? Dominium ciuile formaliter intellectum. quod non valet tres hallenſes, hoc dicit eſſe prohibitũ Clero Chriſti. Videretur vobis pulchrũ negotium, quod ego quotidiè clamarem contra aliquem iudicem, dicens, *Iſte iudex non operatur iuſta*, & cum concitaſſem populum contra eum, & expuliſſem eum ab officio, & aliquis mecum veniret, dicens, *quomodo nunc tu dixiſti, iſte iudex non operatur iuſta, ecce, iſtam & iſtam ſententias, quas ipſe tulit, iuſta ſunt, quia ſecundum iura promulgata:* reſponderem ego, *verũ eſt, quod iuſta operatur materialiter, ſed non formaliter.* Et ita ego intelligam, & dixi verum, quia ſicut dicunt Doctores, multi operantur iuſta materialiter, & nõ formaliter, quia ille dicitur operari formaliter iuſta, qui operatur ex habitu virtutis iuſtitiæ, modò fortè ſunt pauci qui operentur ex habitu formato, vtinam ex diſpoſitione operarentur iuſta. Quæ autem ſit differentia inter diſpoſitionem & habitum, tritum eſt, quia habitus eſt radicata qualitas, de difficili mobilis à ſubiecto. Vnde ille qui operatur ex habitu, operatur valdè faciliter, imò vt dicit Philoſophus in 5. Ethicorũ, valde difficile eſt habens habitum iuſtitiæ ad iniuſtitiam habere declinare. Videretur vobis etiam pulchrum, ſi ego irem ad plateam, vbi venderetur panis, & dicerem, *videte hos panes, populus qui eſt in hac ciuitate non comedet eos*, & poſtea in craſtinum diceretur mihi, *falſum dixiſti mihi, quia panes iam manducati ſunt.* Ego reſponderem, *dixi quia ego intelligebam formaliter, non ſunt formaliter manducati, quia forma eſt mutata, quia non comederunt eos integros & rotundos.* Quæ præſtigiationes ſunt iſtæ? quæ faſcinationes? quæ cura populis eſt de veſtris formalitatibus, & de veſtris habitudinibus? hoc autem curandum eſt, vt vnuſquiſque in ea vocatione, qua vocatus eſt, maneat, iuxta doctrinam Apoſtoli Chriſti. Et vt S. Leo dicit, *manentibus terminis, quos* 1. Cor. 7. *conſtituerunt Patres: ne quis alienũ vſurpet, ſed infra fines proprios* Leo. *atque legitimos, prout quiſq; valuerit, in latitudine ſe exerceat charitatis.* Oſtenſum eſt per Dei gratiã de poſitione Magiſtri Petri, quam vacua ſit & inanis, ſed volo probare, quod omninò eſt falſa, & nolo relinquere ſibi illud formale, licet non valet tres hallenſes, vt dictum eſt. Et ponamus ſic: homo laicus habens dominium vel prædium, aut vt comprehendamus ciuile dominium, prout diſtinguitur contra priuatum, accipiẽdo diſtinctionem ex parte obiecti dominabilis, & ſic communitèr accipitur à Iuriſtis, prout eſt poteſtas de publico cum poteſtate iuriſdicendi. Ponamus quod ſit Baro, Comes, vel Rex, & rebus ſuis, prædio, caſtro, vel regno non alienatis, efficitur Epiſcopus, tunc arguo ſic: Iſte eſt dominus iſtius regni, ergo habet ciuile dominium formaliter intellectum, accipiendo pro illa habitudine dominantis ad dominabile. Conſequentia patet ex natura terminorum correlatiuorum. Nam iſta eſt bona conſequentia; Iſte eſt pater iſtius, ergo habet illam habitudinem relatiuam, quę eſt patris ad filium. non dico, iſte habet filium, quia tũc poſſet materialiter intelligi, quia habet vnum ſeruum qui eſt filius alterius; ſed dico, iſte eſt pater illius, ergo inter iſtum & illum eſt habitudo relatiua; quæ eſt patris ad filium. Sic Dominus eſt in prædicamẽto ad aliquid, quia dominium, vt Magiſter Petrus intelligit, formaliter eſt habitudo dominantis ad dominabile. ergò hæc conſequentia eſt bona. iſte eſt dominus iſtius rei. ergo habet iſtam habitudinem dominantis ad iſtud dominabile. Non dico, iſtud habet iſtud dominabile, quia benè poſſunt habere aliquod dominabile, vt cuſtos, vſuarius vel cõductor, qui non habet proprietatem; licet Magiſter Petrus contrarium dicat, quod an verum ſit, omnes iuriſtæ ſciunt, ſi conductor dicitur proprietarius. ſed relinquamus hoc: non dico ergo, iſte habet iſtam rem, ſed dico, iſte eſt dominus iſtius rei, ergo habet illam habitudinem dominantis ad dominabile. Iam ſatis declarata eſt conſequentia; ſed antecedens probatur per canonem Apoſtolorum præallegatum, vbi tex. *poteſtatem habebat de proprijs rebus moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quibus voluerit relinquere.* Item in Concilio Agathenſi de rebus proprijs poteſt teſtari Epiſcopus.

Nunc poſt tres annos veniant duæ leges in teſtimoniũ. autenti. *licentiam.* C. de Epiſcopis & Clericis. *Licentiam habeat Epiſcopus quæcunque ante Epiſcopatũ probatus fuerit habuiſſe, & quæcunq; poſt Epiſcopatum iure cognationis vſq; ad quartum gradũ, ad eum peruenerint, ad quos voluerit vltima voluntate tranſmittere.* Item in alia auctoritate ſtatim ſequenti: *Presbyteros aũt & diaconos & ſubdiaconos, & cantores, lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere ſub poteſtatis pœna præcipimus ad ſimilitudinẽ caſtrenſium peculiorum, & donare ſecundum leges & teſtari, licet ſub parentum ſint poteſtate.* Cõſtat ergo quòd Epiſcopi & alij Clerici non ſunt expropriatarij, ſed licitè habent res proprias, de quibus poſſunt pro ſua voluntate diſponere, donare, & in teſtamentis relinquere, & alios de ipſis dominos facere. hoc non facit, niſi Dominus ciuili dominio, ſicut ex deſcriptione ciuilis dominij, per ipſum data, lucidum eſt videre. Et ſic Antecedens eſt probatum, quod ille Epiſcopus vel Clericus eſt Dominus illius rei. Ergo habet ciuile dominiũ formaliter intellectum. Conſequẽtia ſuperius probata eſt. Sed fortè diceret ipſe nũc, Ego non nego Clericis dominiũ ſuorũ patrimoniorũ, quæ habent ex ſucceſſione paterna. Et ſi Rex Angliæ efficeretur Clericus in ſacris, vel Epiſc. remaneret rex, ſicut & nunc eſt. Sed de bonis Eccleſiæ loquor, in quib⁹ dico, quod Clerici non habẽt ciuile dominium formaliter intellectũ. O bone Deus, nec dixi ego, nec aliquis doctus in iure canon. quod Epiſcopi vel alij clerici ſint dñi rerũ Eccleſiaſt. Nonne aperta ſunt verba canonũ 12. q. 1. *Res Eccleſiæ nõ quaſi ꝓpria, ſed vt cõmunes & Dño oblatæ* 12. q. 1. c. 16.

iſt. 5. h.

cum ſummo timore non in alios, quam in præfatos vſus ſunt fideliter diſpenſanda. Numquid & ego in primo actu in ſolutione ad nonam auctoritatem noui teſtamenti, ita dixi, *vt ique Deo ſeruit Prælatus, qui res Eccleſiæ fideliter adminiſtrat, quorum eſt procurator, non Dominus.* prout etiam M. Petrus allegat, de dona. c. *fraternitatem.* Et Auguſt. ad Bonifac *ſi priuatum poßidemus quod nobis ſufficiat, non illa noſtra ſunt, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem in nobis vſurpatione damnabili vindicamus.* non ergò habent Prælati dominium rei Eccleſiæ, non ipſorum ſunt dominia propriè loquendo, ſed ſunt miniſtratores. Dicuntur tamen propter ipſam adminiſtrationem domini & dominari, quia ſunt adminiſtratores & diſpenſatores. Sicut & de Ioſeph dicit ſcriptura, quod erat Dominus vniuerſæ domus Pharaonis, Gen. 45. & in Pſalmo 104. *Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſsionis ſuæ.* Habent ergo Clerici in bonis Eccleſiæ non dominium, ſed adminiſtrationem, vt iterum dixi, iuxta finem primi actus legatur. Ex quibus patet quid ſentiam de bonis eccleſiæ, & quomodo cupiam ipſa fideliter adminiſtrari, ne in diſtricto Dei iudicio reperiantur culpabiles. nec eſt opus per Magiſtrum Petrum adduci Doctorum dicta ad hoc, quia & ego multa plura legi documenta ſanctorum, qualiter Prælati & alij Clerici debent bona Eccleſiæ diſpenſare. Sed dum iſta ſeminat, fortè aliud prætendit obumbrare, videlicet merita Prælatorum Eccleſiæ, vnde caueat, ne incidat in illam ſententiam Ambroſij 3. de officijs. *Si quis non obediat Epiſcopo, ſeſe extollere & exaltare deſiderans, quærens etiam obumbrare merita epiſcopi, ſimulata affectione doctrinæ, aut humilitatis, aut miſericordiæ, is à vero deuius ſuperbit*

De donationibus c. fraternitatum l. 5. tit 24 c. 1. Aug. ep. 50. ad Bonifacium. 12 q 1. c. 28. Gen 45. Pſal. 104. Ambr. de officijs l. 2 c. 24.

Dixit denuo Magiſter Petrus in ſecunda die ſuæ replicationis ſic. *Domini temporales poſſunt auferre bona temporalia ab Eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus. Suadetur ſic. Reges veteris teſtamenti auferebant bona temporalia ad nutum diuinum ab Eccleſiaſticis delinquentibus. Igitur & reges noui teſtamenti poſſunt ſimiliter facere ad nutum diuinum habitualiter delinquentibus Sacerdotibus nouæ legis.* Animaduertite ſupplico pulchram concluſionem domini proponentis, &c. & non dicit *licitè* vel *de iure*, ſed ſolum dicit. *poſſunt*, & ego dico, quòd non ſolum à delinquentibus, ſed etiam à Sanctis, videlicet in Totila Rege Gothorum, Iuliano Apoſtata, de Regibus, & Dominis temporalibus, quæ ſunt in illa terra, quæ olim fuit Chriſtianorũ, nunc eſt infidelium. Deinde dicit, *Suadetur ſic*, non dicit probatur, quia vidit, quod non habet probationis efficaciam, ſed videamus vim ſuaſionis. *Reges veteris teſtamenti*, &c. quomodo benè probat concluſio ſua dicit ſimpliciter probatio habet ad nutum Dei, & ego dico, quod diuino nutu non ſolum Reges à Clericis poſſunt bona auferre, ſed quilibet homo ab alio homine. patet, quia non facit furtum, qui Deo iubente miniſterium præbet. ita dicit Auguſtinus in libro quæſtionũ exodi, & habetur 14. q. 5. *dixit Dominus.* Et hoc modo populus excuſatur à furto, quando Ægyptiorum bona aſportauit, eſſet bona iſta conſequẽtia, populus Iſrael petijt commodari ſibi à vicinis vaſa aurea, & argentea, & illa ſecũ aſportauit: Ergò licitum eſt accommodata ſecum portare. Licitum fuit Samſoni ſe ipſum interficere. Ergo licitum eſt ſeipſum interficere. Videam Auguſtinum de ciuitate Dei libro primo, capite 27. Norunt omnes qui ſacræ ſcripturæ aliqualem habent peritiã, quod ex his quæ ad nutum Dei fiunt, non accipitur argumentum. Vnde Beda ſuper actus Apoſtolorum, & habetur 26. q. 1. *Non exemplo Matthiæ, vel quod Ionas propheta ſorte deprehenſus ſit, indifferenter ſortibus eſt credendum, cum priuilegia ſingulorum, vt Hieronymus ait, communem legem omninò facere non poſſint.*

14. q. 5. Dixit Dominus. c. 12. Aug. de ciuit. Dei. l. 1. c. 21. 26. 29. 26. q. 2. nõ ſtatim. c. 2. Hier. ſupra 1. c Ioan. & ibidem. Non exemplo c. 4

Sed non eſt prætereundum, quod licet Deus multoties puniat peccata non modo per legitimas poteſtates, ſed etiam per alienigenas gentes Dei iuſſu excitatas, ſententia eſt Ambroſij, & habetur 23. q. 5. *remittuntur.* ſicut ſæpè propter diuinæ maieſtatis offenſam ſubactus eſt populus Iudæorum, vt ex diſcurſu librorum Iudicum, Regum, Paralipo. & Machabæorum, liquidum eſſe videtur: tamen non ſemper talia fiunt ſine peccato ab his, à quibus fiunt, vt patet de Senacherib & Antiocho, qui propter peccata populi Iſraelitici ipſum populum captiuarunt & afflixerunt, & ipſi à Deo grauiſſimè ſunt puniti. Nam de Senacherib ab Angelo exterminatore occiſi ſunt centum & octoginta quinque de exercitu eius vna nocte, & ipſe fugit, & interfectus fuit à filijs ſuis. 4. Reg. 19. Antiochus verò cum Dei nutu multum afflixiſſet populum Iſrael propter ipſius populi peccata, tandemque dira plaga percuſſus crudeli morte vitam ſuam finiuit, 2. Mach. 9. ca. legitur Interdum enim Deus populum ſuum peccantem per malos homines punit, ſicut patet ex hiſtorijs prætactis. Et vt Auguſtinus dicit 1. de ciuitate Dei c. 9. *Interdum flagellantur boni cum malis, non quia ſimul agunt malam vitam, ſed quia ſimul amant temporalem vitam.* Et ſic ſolent Principes facere, qui de malis hominibus faciunt lictores, ita Deus de malis hominibus, & de diabolis facit miniſtros iuſtitiæ ſuæ. Sed tamen diaboli exequendo diuinam iuſtitiam, non merentur, neque lictor qui cauſa cupiditatis implet miniſterium iuſtitiæ. vnde Auguſtinus in quæſtionibus Exod. 23. q. 5. *Cum miniſter iudicis occidit eum, quem iudex iuſsit occidi, profectò ſi id ſponte facit, homicida eſt, etſi enim occidit quem ſcit à iudice debere occidi.* ad hoc ergò quod ex nutu Dei poſſit accipi argumentum ad id, quod communi lege eſt illicitum, primò oportet, quòd vt verbis Augu. vtar, 1. de ciu. Dei, c. 26. *Deum ſe id iubere, ſine vllis ambagibus intimet*, ne ſit fortè diabolica ſuggeſtio, quia angelus Sathanæ interdũ ſe transfigurat in Angelum lucis. Secundò vt id exequatur ſolo affectu exequendi diuinam iuſtitiam, *abſit ab animo*, (vt Auguſtini verbis vtar contra Manichæos, & habetur 23. q. 1.) *quid culpatur nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, implacabilitas, feritas rebellandi, libido dominandi*, & ſi qua ſunt ſimilia, quæ corrumpunt animum, & protrahunt à puritate zeli iuſtitiæ ad cupiditatis affectum, vel alterius animi paſſionis, quod quam ſit difficile, cuncti penſate. Ideo difficile eſt etiam iuſta bella agere; nam etſi iuſtitia ſit, forſan non erit in animo, aut deficiet in modo. Ad probandum ſuum Antecedẽs allegauit, quòd Salomon dixit 3. Reg. 2. ad Abiathar Sacerdotem, qui adhæſit Adoniæ fratri Salomonis, vt Adonias eſſet Rex, *vir mortis es. ſed non interficiam te, ſed vade in Anathot, &c.* Item de Rege Nabuchodonoſor, qui habuit poteſtatem à Deo ducendi populum Iſrael cum Sacerdotibus & Leuitis in captiuitatẽ Babylonicam. Videte quam ſit propria hæc allegatio. Deinde ad idem allegat quarto regum duodecimo, quòd Ioas Rex Iuda deuotiſſimus ſecundum prudentiam Dei tulit omnia conſecrata de templo, miſitque Azaheli Regi, vt recederet à Ieruſalem. Allegat vlterius 4. Reg. 18. de Ezechia, qui ſimiliter fecit. Item de Dauid qui comedit panes propoſitionis. Ad iſta omnia alia ſolutione opus non eſt, quam illa, quam ipſa ſecum afferunt, ipſemet allegat, quod iſta nutu Dei facta fuerũt, & ideo ex eis non accipitur argumentum, vt ſuperius dictum eſt. Sed præterire non volo intactum, quod aliam poteſtatem exercebant Reges in illo templo, & ſacerdotio carnali, & figuratiuo veteris legis, quàm Chriſtianis principibus liceat exercere in templo & Sacerdotio nouæ legis. Quia ſacerdotium Chriſti præcellit ſacerdotio Aaronico. in triplici. n. excellentia plurimum eminet. primò quia illud ab Aaron, iſtud incepit à CHRISTO, & ſic illud à ſeruo, iſtud à filio Dei. Secundo quia illius Sacrificia erant pecora, iſtius ipſe DEI filius eſt ſacrificium, & Deo Patri hoſtia. Tertiò quia illi Sacerdotes ligare non poterant vel abſoluere; Iſtis datæ ſunt claues regni cœlorum; & dictum eſt ab ipſa increata veritate: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolueris*, &c. quis iam non videt his conſideratis, quanta ſit differentia inter Sacerdotes nouæ legis, & Sacerdotes veteris legis? & quam alta iſti illis præemineant excellentia dignitatis? quanquam parenter omne claudicet argumentum, quod de ſubiectione illorum, trahatur ad iſtos. Benè per Dei gratiam noſcunt Catholici Principes; quod in Clericos niſi quantum ab Eccleſia eis conceditur iuriſdictionem non habent. 11. q. 1. *ſacerdotibus*. legatur totum ibi de Cõſtantino. Sed ipſi Principes, Chriſti Sacerdotibus in ſpiritualibus ſunt ſubiecti. Vnde ille Valentinianus inclytus Imperator Mediolanenſi Eccleſiæ dixiſſe legitur: *talem in Pontificali Sede conſtituere procurate, vti & nos à quibus hoc gubernatur imperium, ſincerè noſtra capita ſubmittamus, & eius monita, cum tanquã homines delinquerimus, ſuſcipiamus, neceſſariò velut medicamenta curantis.* Et quoniam, licet non fuerim præſens, extitit mihi relatum, quod pridem M. Egidius circa iſtam materiam multa pulchra diſſeruit. Hæc pro præſenti dixiſſe ſufficiant.

23. q. 5. remittuntur c. 49. amb. l. 2. de Caim & Abel. c. 4. 4 Reg 19. & 25. 2. Mach. 9.

Denuò Magiſter Petrus arguit d. c. *ſi tributum.* 11. q. 1. Sunt verba beati Ambroſij. *Si tributum petit Imperator, poteſtatem*

habet agrorum vendic andorum, tollat eos ſi libitum eſt. Imperatori non dono, ſed non nego vtique. Si Magiſter Petrus fuiſſet tam bonus decretiſta; quod ſine præſumptionis nota poſſet dicere, quòd Doctores Canoniſtæ fuerunt cæci, & non intellexerũt Canonum textus. Si ipſe aduertiſſent ad gloſſam, credo quod abſtinuiſſet ab illo argumento. Nam gloſſa ita dicit ſuper verbo, *poteſtatem de facto, non de iure. Nam ſiue auctoritate principis, ſiue alterius quis detinet res Eccleſiæ, ſacrilegus eſt.* Dicet ipſe nunc fortè in cogitatione ſua, quid ad me de gloſſa? quia ipſe pro nihilo habet omnes gloſſas & dicta Sanctorum. ſed non paruipendat, quoniam gl. illa tantum probat, quod dicitur per tex. in cap. *quiſquis*. 12. q. 2. & 16. q. 1. *in canonibus*. qui textus hoc apertiſſimè probat. dicit enim textus *in canonibus, &c. valde iniquum & ingens ſacrilegium eſt, quæcumq; vel pro remedio peccatorum, vel ſalute aut requie animarum ſuarum, vnuſquiſque venerabili Eccleſiæ cõtulerit, aut certè reliquerit, ab his, à quibus maxime ſeruari conuenit, id eſt, Chriſtianis & Deum timentibus hominibus, & præcipuè à principibus & primis regionum in aliud transferri vel conuerti. Generaliter verò quicunque res Eccleſiæ confiſcare aut impetere vel peruadere periculoſa ſua infeſtatione præſumpſerit, &c. Similiter & qui res Eccleſiæ iuſſu vel largitione principũ, vel quorũdam potentum, aut quadam inuaſione, aut tyrannica poteſtate retinuerint, & filijs vel hæredibus ſuis, vt à quibuſdam iam factum audiuimus, quaſi hæreditarias reliquerint; niſi citò res Dei, admoniti à Pontifice agnita veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur.* Potuiſſet etiam gloſſa illa allegare plures alias auctoritates, quæ hoc probant. gloſſ. in dicto cap. *in canonibus*. allegat multas concordantias. Præterea ſcienti intentionem illius capituli, veritas gloſſ. ſatis eſt manifeſta.

12. q. 2. c. 19 item ibid. c. 4. 16 q. 1. c. 57.

Contendebat beatus Ambroſius cum miniſtris Imperatoris, qui Baſilicam tradi hæreticis iuſſu Imperatoris beatum vrgebant Ambroſium, vnde ipſe dicebat: *Si tributum petit Imperator, &c.* Et etiam poſtea *Si patrimonium petat, inuadite, ſi corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? &c.* Communis habet locutio, quãdo quis cum petitore contendit dicere, *Vultis mihi tollere mea? benè poteſtis*. Non quòd intelligat licitè & de iure, ſed de facto. Et ita gloſſam illam communis modus loquendi veram eſſe oſtendit.

Ambr. l. 5. ep ſtolarũ ep 33.

Arguit de c. *ex his*. 12. q. 1. quæ ſunt verba Gratiani & ideo non faciunt ius, ſed nolo declinare ipſum; verum namque eſt, quòd clericus habens Feudum à Rege in re feudali ſubeſt Regi ſecundum legem feudi. Et hoc non nego, ſed materia eſt ſpecialis, teneat terminos ſuos, nec extendatur vlterius.

12. q. 1. c. 24.

Arguit præterea de c. ſi q. fin. vbi text. *Patet Simoniacos velut primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus eſſe deputandos, & ſi commoniti non reſipuerint, ab exteris etiam poteſtatibus opprimendos.* Antequam ad ſolutionem veniam, notandum eſt, quod non eſt verum ſimpliciter, quod omnis Simoniacus ſit hæreticus. Sed vt dicunt Doctores communiter, & Archidiaconus recitat in roſario in cap. *fertur*. 1. q. 1. Simon magus, à quo dicitur Simonia, fuit hæreticus, & eius diſcipuli dicti ſunt Simoniaci, & iſti erant veri hæretici. Et propterea dicit textus in dicto ca. *fertur Simoniaca hæreſis, quæ prima contra Dei Eccleſiam diabolica ſupplantatione ſubrepſit, &c.* Ita quicunque crederet pertinaciter Spiritus ſancti gratiam poſſe emi pecunia, hæreticus eſſet. Illi verò qui hoc non credentes, ſed cupiditate permoti, ſtudent emere & vendere ſpiritualia, non ſunt hæretici, quia hæreſis de ſua ratione formali habet, habere errorem in intellectu, circa credibilia fidei, & pertinaciam in voluntate, & iſta deficiunt in talibus, quia nõ deficiunt errantes circa credibile, ſed affectu deprauato cupiditate, ſtudent emere vel vendere ſpiritualia. & ideò non ſunt hæretici, ſed grauiſſimè peccant, & in grandi periculo animæ ſuæ viuunt, nec fructus beneficiorum ſimoniacè adeptorum ſuos faciunt, ſed ad reſtitutionem tenentur, nec ſaluari poſſunt, ſi non renunciant beneficijs ſimoniacè acquiſitis. Nunc ad ſolutionem illius argumenti, & c. *principes*. 23. q. 5. dico, prout doctores communiter dicunt in c. *etſi Clerici*. de iudic. in c. *vt fama*. de ſent. excom. diſt. 3. caſus ſunt ſpeciales in quibus laicis poteſtatibus à iure conceditur poteſtas in Clericos: & vt breuiter me expediam, ſecularis poteſtas in Clericum non degradatum & traditum non habet poteſtatem, niſi ab Eccleſia in ſubſidium inuocata. & ita loquuntur illa c. quare de illis ad alios caſus arguendum non eſt. Sed argumentum quod accipit ex c. *principes*, rogo aduertatis quam formalem conſequentiam facit, *licet ſecularibus poteſtatibus facere coercitionem Clericorum per aliquam ſpeciem terrentis diſciplinæ. Ablatio temporalium eſt ſpecies terrentis diſciplinæ: igitur, &c.* Aliquis homo currit. ergò iſte homo currit. Mihi licet aliquid facere in perſonam propter ipſum vtilare, eſt aliquid facere: Igitur, &c.

23. q. 5. c. 20 in c. etſi Clerici de iudicijs &. 2. lit. 1. c. 4. in c. vt famæ. de ex com. lib. 5. t. 39. c. 35.

Poſt hoc arguit ſic: *Omne quod debet efficere poteſtatiuè finem aliquem per rationabilem commenſurationem mediorum ad ipſum; poteſt licitè vti poteſtatiuè ſubtractione exceſſus & additione defectus ipſorum mediorum, ſecundum quod congruit propter ipſam commenſurationem faciendam; cum ergo ſeculares domini debeant poteſtatiuè efficere neceſſariam ſuſtentationem Cleri per rationalem commenſurationem temporalium, quæ tenentur conferre Clero Chriſti, ſequitur quod poſſunt licitè vti poteſtatiuè ſubtractione & additione ipſorum temporalium, ſecundum quod congruit propter ipſam commenſurationem rationabiliter faciendam.* ita dicit; nec Maiorem nec Minorem probat, ſed totum ſine fundamento reliquit, ſine fundamento cadat. Dico primò quod argumentum deficit, quoniam bona Eccleſiarum non ſunt ſolum propter ſuſtentationem Cleri, ſed ipſa facta, reſiduum debet in pios vſus conuerti; vt in primo actu latiſſimè dixi. Præterea ſi ll. *poteſtatiuè* determinat actum commenſurationis, prout veriſimiliter facit, neganda eſt Minor, qui poteſtas talis commẽſurandi, cum remotione ſuperfluorum, non eſt apud ſeculares poteſtates, & neſcio ſi ipſi concederent ſe teneri ad conferendum ſuſtentationem Clero, vnde populus teneretur, vnde Eccleſia non haberet, ſed grauè nimis eſſet eis. vnde benè prouidit diuina prouidentia, quod dedit Eccleſiæ vnde viuant Clerici, & etiam faciant eleemoſynas populo, & non habent grauare populum.

Deinde arguit ſic: *Clericis licet ſubtrahere ſacramenta Eccleſiæ laicis delinquentibus: igitur laicis licet ſubtrahere temporalia poteſtatiuè à Clericis habitualiter delinquẽtibus.* Iſta eſt vna pulchra conſequentia. neſcio ſi in Oxonia vel Cantabrigia fiunt tales conſequentiæ. benè ſcio quod non admitterentur. ſic ſequeretur à ſimili: Regi licet denegare iuriſdictionem ſuam ſubdito ſuo propter delictum, quia, vt ſciunt Iuriſtæ, eſt vna ſpecies coercitionis, & de leuiorib. ergò & ſubdito licet denegare obedientiam Regi propter delictum; habet tamen omnis diuini iuris regula, quod ſuperior in inferiorem habet iuriſdictionis poteſtatem, & non è contra.

Denique arguit ſic: æque poteſtatiuè poteſt ſtipendians ſubtrahere ſuum ſtipendium ab indignis operarijs, ſicut poteſt dignis ea conferre; cum ergò temporalia ſint ſtipendia laicorum, ſequitur, &c. videte quoniam benè facit argumentum in forma, benè accipit medium, prædicatum in minori, ſub ſubiecto maioris; haberet dicere: ſed laici ſunt ſtipendiantes Clericos: & tunc minor eſt falſa, quia non ſunt ſtipendiãtes. benè poſſet dicere, quod ſunt ſoluentes ea, de quibus ſtipendia Clericis præſtantur. Et ſic ſimiliter argui poſſet, quod liceret ruſticis, ſubtrahere ſtipendia, quæ præſtantur militibus. Deinde arguit. quòd rectificatio facillima Clericorum eſſet per ſubtractionem temporalium, & medicina debet dari per quã aptius ſanetur infirmus, &c. Iſta argumenta petunt fundamẽtum. Oportet primò probare, quod rectificatio Clericorum & medicinæ exhibitio pertineret ad laicos, & tunc eſſet bonũ quærere, quomodo aptius fieri, aliàs fruſtra conſultat de medijs, ad quem non pertinet finis. Cum ergo probatum non ſit, quod laicis hoc pertineat, imò per me contrarium ſuperius eſt deductum, & ſic deficit argumentatio ſine fundamento conſtructa.

Vlterius arguit ex c. *quicunque*. 17. q. fin. Vbi Auguſtinus recitat factum laudabile Aurelij Epiſcopi, quod cum quidam non habens filios, omnia bona ſua, vſufructu retento, donaſſet Eccleſiæ, poſtea habuit filios, Aurelius reſtituit ſibi bona. Quid ad propoſitum? vtique nihil; ſed vt Magiſter Petrus qui eſt magnus iuriſta, Doctores omnes canonum cæcos reputans, aliquid de iure addiſcat, debet ſcire, quòd cum quis non habens filios, donauit omnia bona ſua, filius naſcens poſtea habet ius ad reuocandam donationem illam, per tit. de inoffic. dona. Sed an in totum, ſed ſolum in legitimam, eſt quæſtio inter Doctores: aliqui tenent quod in totum, aliqui quod tãtum pro legitima, decebat autem ſanctum Epiſcopũ partem benigniorem accipere, & qui illa eſſet in pios vſus erogaturus, voluit pietate paterna conſulere filijs eius, quem vnum fecerat ſecum vinculum charitatis.

17. q. 4. c. 43.

De-

Demum facit quandam ſuppoſitionem, quod Clerus enormiter peccaret, ſi vellet interficere reum, armis acceptis militaret, ſpoliaret gentes, ſtupraret virgines, tunc non eſſet remedium, &c. Eſſet remedium, & remedia quæ ſcientibus iura, & etiam vtentibus ratione, facile eſt reperire, ſed non illud, vſurpare Eccleſiæ bona, quia delictum perſonæ in damnum Eccleſiæ redundare non debet. Et cum, vt dictum eſt, Prælati Eccleſiæ bonorum Eccleſiæ ſint procuratores, non Domini; propter delictum procuratoris inuadere bona Domini, non eſt iuſtum.

Arguit deinceps ſic: quidquid Clerus à brachio ſeculari debet exigere, quod adiuuet eum ad tuendum & defendendū bona Eccleſiæ, & etiam ad ſubminiſtrandum. Non autem debet exigere, quòd bona Eccleſiæ laici ſibi ſubripiant, & vſurpent. Et auctoritas quam allegat Actorum ſexto, quod dixerunt Apoſtoli. *Non eſt bonum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*, videte quomodo bene facit pro ipſo, an potius faciat contra. Nunquid dixerunt Apoſtoli laicis? ſubripite iſta bona, quæ ad pedes noſtros offeruntur, quia eorum adminiſtratio impedit nos à prædicatione verbi Dei? An potius conſtituerunt diaconos, qui illud exercere fecerunt? Ita Prælati Eccleſiarum Apoſtolos imitando, non dicunt laicis: ſubripite iſta bona, ſed cōſtituunt officiarios & miniſtros, qui illud miniſterium impleant. Et ad idem tendit confirmatio, quæ ſubſequitur, & etiam argumentum eius finale, & eadem ſolutione depelluntur, licet multa ibi ſermocinetur, quæ deberet primò ipſe facere, poſtea docere.

Denuo arguit ex illo, priuilegium *meretur amittere, &c.* Et dicit dotationem Eccleſiæ eſſe priuilegium. Ad hoc multa poſſent dici, tamen illud ſit brocordicum, & multas habeat limitationes, ſed hoc ſufficit ꝓ præſenti, quòd quando priuilegium confertur in non ſubditum, poteſt per concedentem non reuocari. præterea dotatio Eccleſiæ non habet naturam priuilegij, ſed eſt ex donationibus vel vltimis voluntatibus, quæ in dominio alicuius tranſlata ſunt, per ſucceſſores illorū non reuocantur, quantumcunque illi, qui tales res habent, eis abutantur: quare tale ius vel actio illis ſucceſſoribus nullo iure competit.

Arguit demum de correctione Euangelica, quæ quomodo faciat ad propoſitum, benè videtis: finis namque illius, ſecundum Euangelium, eſt: *dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus & publicanus.* Tandem facit vnum argumentum, hoc habens in effectu, quòd ſicut licitum ſit auferre gladium de manu phrenetici, ne ſe interficiat, ita licitum eſt auferre bona temporalia à Clerico, qui abutendo interficit animam ſuam. Iſta comparatio quàm ſit efficax, omnibus habentibus oculos eſt manifeſtum: vnicuique enim licitum eſt auferre gladium de manu phrenetici, ne ipſo abutatur. ergo vnicuique licitum eſt auferre bona cuiuſque ab eis abutentib⁹. Si hoc concederetur, quanta occaſio ſpoliandi alios præberetur, quantaque ſeditionis & turbationis occaſio? Non ita cōſuluit Auguſtinus, ſed dicit, *fortè aliquis cogitat, &c.* eſt in primo actu, & habetur 14. q. 5. c. *neque enim ſi agris.*

14. q. 5. c. 9. Aug. de bono coniugali c. 14. Supra in fine primi actus.

Poſt hæc ad rationes meas nititur reſpondere, & vt quantum illę reſponſiones valeant, cunctis ſit notum, legam vtraſque. totus effect⁹ ſolutionū eſt, quòd omnes auctoritates per me introductæ loquuntur de Clericis non delinquentib. habitualiter, ſed manifeſtum eſt, quòd non procedunt, quia auctoritates meæ loquuntur de nequiſſimis Sacerdotibus, & habitualiter delinquentibus, qui domum Dei fecerunt ſpelunca̅ latronum, & in mortem Chriſti Dei filij conſpirarunt, & de Epiſcopis, qui cathedra relicta, plebe deſerta, aucupabant nundinas negotiationum & vſuris inſeruiebant, vt ex earum lectione lucidum eſt videre.

Vltimatè ſic ſubiungit. Videtur quod Chriſtus ſubtractionem temporalium à Sacerdotibus prophetauit, & pro ſuo tempore huiuſmodi ſubtractio eſt implenda. dicitur Matth. 24. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* id eſt, ipſum templum, ſecundum Lyram, quia per Romanos fuit deſtructum, nec reædificabitur amplius. hæc Lyra. Item Matt. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei.* ſuper quo Lyra, id eſt regimen Eccleſiæ, alias regnum, *& dabitur genti facienti fructum eius*, id eſt, Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus. hæc Lyra. Videte manifeſtam calumniam, ſcripturas, quæ loquuntur apertè de Iudæis, dicit eſſe prophetias de Clero, & ad ſui confuſionem ipſemet offert expoſitionem Lyræ, licet ex textu Euangelij ſatis ſit clarum. dicit, *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, id eſt, templum, quia per Romanos fuit deſtructum. Quales ſunt iſtæ probationes, tales ſunt omnes aliæ, quas adducit calumnioſè ſophiſticè, extortè, & puræ cauillationes. Repeto igitur admonitionem illam ex verbis Sapientis Eccleſiaſtici 28. dicens cuilibet Chriſtiano: *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito oſtium, & ſeras auribus tuis, &c.*

Matt. 24.

Matt. 21.

Et ſic eſt finis quarti articuli. DEO gratias.

FINIS Fragmentor. Concilij Baſileenſis.

NOTAE in Concilium Baſileenſe.

Cauſa Cōcilii.

Concilium.] *Hæc ſynodus à Martino V. eius nominis Pontifice indicta, ope & auxilio Sigiſmundi adhuc Regis, ex præſcripto Conſtãtienſis Concilij congregata fuit, eo fine, vt in ea de moribus fidelium reformandis & Curia Romanorum in melius mutanda ageretur, & Bohemorum motus, turbæ, ſeditiones & hæreſes componerentur. Præſidem concilij inſtituerat Iulianum Cæſarinum S.R.E. Cardinalem ſedisq. Apoſtolicæ legatum. Poſt obitum Martini Eugenius Papa prædeceſſoris ſui inſtitutum ſecutus, idem Concilium confirmauit, & vt inchoaretur, præd. Iuliano ſeriò demandauit. Cumque maxima Prælatorum multitudo ex vniuerſo orbe Latino Baſileam in dies ſingulos confluerет, atque 14. Kal. Auguſti, Anno 1431. initio Pontificatus Eugenij ſynodus inchoata eſſet, multa de reformatione Romanæ Eccleſiæ in ea tractari cœpta fuere. Qua in re dum illi ſub ſpecie reformandæ Reip. Chriſt. pleraq; Rom. Eccleſiæ priuilegia, eaque inprimis quæ maxime neceſſaria erant, omnino tollere & antiquare ſtuderent; Eugenius Papa legato ſedis Apoſtolicæ reuocato, Cōcilium, cuius inchoationem antea approbauerat, diſſoluit, & Ferrariam tranſtulit, ea præcipue de cauſa, quod Græci de vnione cum Romanis incunda acturi, eũ locum delegiſſent. Quam ob cauſam, quæ circa Concilij inchoati continuationem, Eugenij Papæ iudicium & depoſitionem, acta fuerunt, & pluribus ſeſſionibus geſta, infra ſummatim deſcribuntur.*

In hoc Concilio, auctore Gaguin. li. 10. edita eſt Pragmatica ſanctio; apud Bituriges à Carolo ſeptimo Nonis Iulij Anno 1438. probata, & in Senatu Pariſienſi tertio Idus publicata.

Quid actum in Concilio.

Nouiſſimam illam reformationem Ordinis S. Benedicti in eadē hac Baſileenſi ſynodo confirmatam eſſe teſtatur Paulus Langius in Chron. Citizenſi his verbis: Inſuper reformatio illa nouiſſima ordinis D. patris noſtri Benedicti, quæ nunc temporis in Saxonia, monaſterio vt dictum eſt Cluſę primum exorta, & ſecundario in Burſfeldia tranſpleta radices altius figens propagines que ſuas per Germaniam paulatim dilatans, & hinc à loco propaginis Burſfeldienſis appellata eſt, in eodem Concilio (quēadmodum clarè in prologo diurnorum noſtrorum ordinarij continetur) & confirmata & approbata fuerat. Præſidente eodem Concilio Domino Iuliano S. Romanæ Eccleſiæ tituli S. Sabinæ Diacono Cardinale, &c.

Quid eſt Bohemis actum.

Quid Bohemi per Sigiſmundum Imperatorem, perq́; ſynodicas literas patrum Baſileenſis Concilij ad ſynodum vocati egerint, quoſue articulos Concilio propoſuerint, à quibus ijdem orationibus deſuper habitis refutati fuerint, quaque deinceps ratione cum Sigiſmundo legatiſue à Concilio deputatis tranſigentes, ſeſe moribus ac ritibus eccleſiæ conformauerint, certaque Compactata (vt vocant) inierint, refertur apud Aeneam Syluium de hiſt. Bohem. cap. 49. & 50. copioſe vero hæc omnia deſcribuntur in fragmentis quibuſdam, De vocatione Bohemorum ad Concilium Baſileenſe, *& ibidem hinc inde Actitatis. Quæ ab eodem Aenea Syluio (vt videtur) ſcripta, excuſa reperiuntur poſt caput 50. Aeneæ Syluij in hiſto. Bohemica illius editionis, quæ cum reliquis Bohemicarum rerum ſcriptoribus ex Bibliotheca Marquardi Freheri prodijt anno 1602.*

Quatuor illas orationes quibus à Iohanne Raguſino, Aegidio Carlerio, Henrico Kaltenſen. *& Ioanne Polemario, ad quatuor Bohemorum articulos reſponſum eſt, quaſque Henricus Caniſius in lucem emiſit, ex eius antiq. Lection. acceptas, ad finem Appendicis ſubiungi curaui. Poſt pacem in conuentu apud Iglauiam oppidum compoſitam, vigore factæ promiſſionis, Bohemi legationem miſerunt ad Concilium, quæ libello ſupplice patribus Concilij oblato (quem infra ad*

legatis fragmentis inuenies) petiuit Bohemorũ ſubditis licentiam dari communionem ſub vtraque ſpecie ſumendi, alijſque porrigendi. Ex reſponſionibus quæ prædicto fragmento ſubiunguntur non ſatis liquet, an quod petebant circa communionem impetrauerint. Ex hiſtoria Bohem. apud Sylnium cap. 52. conſtat, in prædicto conuentu promiſſum eſſe Bohemis, in omnibus præterquam in communione ritibus Eccleſiæ ſe conformantibus, quod poſt editam hac de re Concilij definitionem, ſint obtenturi licentiam ſub conditionibus ibidem recenſitis porrigendi communionem Laicis ſub vtraque ſpecie panis & vini, modo illud per legationem ſibi concedi poſtulauerint. Conuenta inter legatos Synodales & Bohemos edita, quæ apud Sylnium præd. loco recenſentur iſta ſunt. Bohemis ac Morauis Eccleſiaſticam vnitatem, pacemque complectentibus, ſeque in ceteris omnibus, præterquam in vſu communionis vtriuſque ſpeciei, vniuerſalis Eccleſiæ fidei ritu conformantibus, auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ ſub duplici ſpecie panis ſcilicet ac vini, his qui conſueuiſſent diuinæ Euchariſtiæ communicare licebit: an id vero ex præcepto Dei fieri debeat, generale Concilium Baſileæ congregatum definiet, & quod vtilitati fidelium ſalutique congruat, lege in perpetuum valitura conſtituet. Quo facto, ſi perſeuerauerint Bohemi in eiuſmodi communionis deſiderio, idque miſſa legatione petierint, ſacer conuentus Bohemiæ ac Morauiæ ſacerdotibus communicandi ſub vtraque ſpecie perſonas ſibi ſubiectas & in annis diſcretionis conſtitutas, & qui id reuerenter poſtulauerint, libertatem impartietur: ea conditione adiecta, vt inter communicandum plebem publice inſtruant, non ſub ſpecie panis carnem Chriſti tantum nec ſub ſpecie vini ſolum ſanguinem, ſed ſub qualibet ſpecie totum & integrum contineri Chriſtum. *Hæc Sylnius de calicis promiſſione facta, quem per diſpenſationem re ipſa conceſſum & indultum eſſe ea conditione, ne diuerſum vſum velut erroneum improbarent, neque ſe ab Eccleſia Catholica in cæteris ritibus & dogmatibus ſeiungerent, teſtatur Chronic. lib. 21. Polyd.*

Quæ conceſsio eſt Bohemis data.

Vſus calicis quâ conditione Bohemis conceſſus.

Baſileenſe.] *Sic dictum à Baſilea, quo in loco hæc ſynodus per vndecim annos celebrata fuit, vt prima & vltima ſeſsio eiuſdem Concilij atteſtantur. Eſt autem Baſilea auctore, Adr. Rom. in ſuo paruo theat. vrbium* vulgò 𝔅𝔞𝔰𝔢𝔩, ſita ad fluuium Virſum & Rhenum. Nomen Baſileæ varij variè deducunt. Beatus Rhenanus à traiectu, quem Gallicâ lingua Pas vocant, originem traxiſſe exiſtimat, vt ſit dicta Baſilea, quaſi Paſſilea; Aliquibus *Auguſta Rauracorum* dicitur. In hac ciuitate inſignis eſt viarum mundicies atque amœnitas, ijs præſertim, quibus à tergo eſt viridarium D. Petri, & Prædicatorum cœnobium, amplas areas & hortos ampliſſimos habentibus, & quæ Rhenum aſpectant. Templorum ſatis magnus eſt numerus. Diuiditur in duas ciuitates, vna eſt ex parte Galliæ, vocaturque Baſilæa magna, eſtque antiqua ciuitas Epiſcopalis. Altera Baſilæa minor ex parte Germaniæ. Coniungitur vtraque ciuitas ponte vltra Rhenum conſtructo. Hanc ciuitatem Anno M. CCCC. LX. Pius Pontifex Academia ornauit, cuius primus Rector fuit electus eiuſdem anni die 4. April. iſq; Georgius 𝔳𝔬𝔫 𝔄𝔫𝔡𝔢𝔩𝔞𝔴 Præpoſitus Baſileenſis. Illuſtrat eam ciuitatem hodie Typographorum ſolertia.

Baſilea Vrbs.

Inchoatum fuerat Concilium Senis, ſed iuſtis de cauſis iſthinc per Martinum V. tranſlatum, Baſileæ vſque ad annum Domini 1442. continuatum eſt & abſolutum. Decreto Conſtantienſis Concilij ſtatutũ fuerat, vt Papiæ celebraretur, quæ de cauſa vero illud Martinus V. iſthinc Senas; atque iterum Senis Baſileam transferre voluerit, Chronicon Germ. his verbis enarrat. Aduenerat iam tempus conueniendi ad Concilium Papiæ celebrandum; ſed cum peſtilẽti conſtitutione inficeretur Papienſe cœlum, placuit Pontifici Concilium transferre Senas: cumque illuc ex multis nationib. conuenirent, multi quidem ex largitionibus promiſſis contra Martinum moliebãtur, vt de Pontificatu deijceretur; quod vbi animaduertit Pontifex, ſtatim concilij conuentum diſſoluit, & ne quis calumniari poſſet pontificem ſibi timere, ſtatuit poſt ſeptem annos ſynodum generalem celebrandam, eique Concilio locum deputauit Baſileam. *Paulus Langius in Chron. Citizenſi Lauſannæ Anno Domini 1448. prauia obſidione vrbis diſſolutum & diſsipatum fuiſſe, atque ex glorioſo principio humilem finem conſecutum eſſe ſcribit. Idem indicatur in Bulla Nicolai V. quæ ad finem ſeſsionis 45. addita reperitur, ibi tamen nihil aliud actum fuiſſe inuenitur, quam quod interceſſione Friderici Imper. Felix V. Antipapa creatus ad pacem Eccleſiæ conciliandam, acta Baſileenſis Concilij improbanda pſeudopontificatum reſignauerit, eaque de cauſa pacis & vnitatis gratia approbauerit, quæ de beneficijs in Concilio Baſileenſi conſtituta fuerant.*

Oecumenicum.] *Oecumenicum fuiſſe nemo negauerit, quod auctoritate Pontificis indictum, ſub præſidio Iuliani Cardinalis continuatum eſt eo vſque, donec illicita poteſtate vſurpata, in pontificem Romanum omni iudicio & ſubiectioni coactimatur e diuino exemptũ iudicium ſuum ipſi conuerterent, & Pontifex legatum ſuum omneſque alios Epiſcopos auocaret. Quando vero poſt horum diſceſſum, Synodus ſub præſidio Cardinalis eiuſdem Arelatenſis continuata, inuitoque pontifice protogata eſt, non tantum Oecumenicum, ſed etiam legitimum Concilium eſſe deſijt.*

Oecumenicum fuit.

Ex parte reprobatum &c.] *Hanc Synodum auctoritate legitima reprobatam eſſe conſtat ex ſeſsione vndecima Concilij Lateranenſis infra ſub Leone X. celebrati; Vbi* Conciliabulum Schiſmaticum, ſeditioſum & nullius prorſus autoritatis non immerito *appellatur. Nam eo tempore, quo Concilium in Pontificem ſententiam pronunciare auſum eſt, non erat in Concilio legatus Pontificis, omneſq; præcipui Epiſcopi diſceſſerant, & quidam Cardinalis Arelatenſis munus præſidendi ſibi aſſumpſerat: Et quia Epiſcopi pauciſſimi erãt, introduxerunt in ſynodum ingentem multitudinẽ presbyterorum, ita vt contra omnem formam Conciliorum, non Epiſcoporum ſed presbyterorum ſynodus eſſet. Deinde eodem tempore agebatur Florentiæ Concilium alterum, in quo præſidebat Summus Pontifex, & cum eo ſedebant Epiſcopi Latini & Græci ſine comparatione plures, quam eſſent Baſileenſes, & vna cum Epiſcopis aderat Imperator Græcorum, & legatus Imperatoris Latinorum, vt nullo modo dubitari poſſet, vtrum ex duobus eſſet verum Concilium Eccleſiæ generale.*

Quibus quotuè de cauſis reprobatum.

Tertio. Deus quoque ſententiam ſuam dicere volens tam horribili peſte Baſileam tunc affligebat, vt maior pars eorum patrum, qui ibi erant, vel extincti vel ſecedere coacti fuerint. Quæ omnia refert Aeneas Sylnius in hiſtoria Concilij Baſileenſis, cui ipſe interfuit.

Quarto. Patres Concilij eos, qui miſſi erant ab Eugenio 4. vt Cõcilio præſiderent, iuxta morem Conciliorum Vniuerſalium recipere noluerunt.

Quinto. Quia nulla decreta Concilij vnanimi conſenſu concluſa fuerunt: tum quia multi prælati & doctores vtriuſque iuris eiuſmodi Decretis reſtiterunt: tum etiam quia in fraudem legatorum, quos à Caſtellæ & Angliæ Regibus miſſos in itinere eſſe, atque ſynodo iam appropinquare cognouerant, Seſsione 18. feſtinabant definire illud, cui dictos legatos nolle aſſentiri ſciebant.

Dixi, (Hanc ſynodum ex parte tantum reprobatam eſſe,) *quia cum Felix V. Antipapa ſchiſmaticus ad vnitatem & concordiam Eccleſiæ componẽdam, hortatu Friderici tertij Imperatoris pſeudopontificatum reſignaſſet, actaque omnia Baſileenſis Conciliabuli ſuo ipſius iudicio quaſi improbaſſet, Nicolaus V. pacis gratia approbauit eas conſtitutiones, quæ de beneficijs Eccleſiaſticis edicta ac promulgata fuerunt: reliqua omnia quæ aliorum Conciliorum decretis & conſtitutionibus non ſunt definita, iudicio eiuſdem Nicolai ſententiã prædeceſſoris ſui Eugenij hac in re imitantis reiecta & improbata fuerunt. Viderit ergo Paulus Langius, qua ratione errorum maculas huic ſynodo inuſtas abſtergere nitatur.*

Quæ acta Concilii Baſileenſis approbata fuerunt.

De auctoritate Concilij.] *vide quæ de hac controuerſia dixi ſupra in Notis Concilij Piſani I. tempore Alexandri V. Quæ ratione autem hæc circa Eugenij depoſitionem geſta fuerint, ſummatim ſingulas ſeſsiones compendioſe deſcribendo breuiter meo more enarrabo.*

Anno Domini 1431. die 23. Iulij inchoatum eſt Concilium. Septima Decẽbris in Eccleſia S. Leonardi conuenientes decreuerunt primã ſeſsionem celebrandam eſſe die Veneris, 14. Decembris in Eccleſia Baſileenſi primaria. Quod cum per publicas litteras valuis Eccleſiæ affixas ſingulis intimaſſent, omneſque ad Concilium conuocari ſolitos præſentes mandaſſent, tempore ſtatuto prædicti Patres conuenerunt, primamque ſeſsionem inchoarunt: quã cum præſes Concilij habita oratiuncula omnes Epiſcopos ſui officij memores reddidiſſet, in præſentia legatorum Regis Sigiſmundi, & Amadæi Ducis Sabaudiæ, lectum eſt decretum Conſtantienſe de celebrandis poſt lapſum quinquennij aut ſeptennij generalibus Concilijs. Addita eſt lectio bullarum Martini V. & Eugenij, quibus Baſileam pro loco Concilij deſignarunt, cum Senis inchoatum, ex iuſtis cauſis iſthinc transferri oporteret, neque ibidem continuari poſſet.

Primæ ſeſsionis acta ſummatim recenſita.

His ita peractis monentur Patres Concilij, vt fidei Chriſtianæ propaganda, pacis procuranda, moribuſq; reformandis ſedulam operã impendant, de rebus in ſynodo peragendis domi ſecum diu multumque cogi-

quæ cogitent; cogitataque libere proferant. Deinde conſtitutum fuit, quo modo, quoue geſtu ſinguli ſe habere debeant: quod dignioribus nihil præiudicij generare debeat, ſi vel loco inconuenienti ſederint: vel ordine præpoſtero ſententiam ſuam dixerint. Ne vero illi, qui ad Concilium conuocati ſunt, vlla ratione impedirentur, eodem priuilegio donati ſunt, quo Patres Concilij Conſtantienſis, quos ſub pœna excõmunicationis ſoli Pontifici reſeruata, non modo non ſpoliare aliiſue iniurijs afficere; ſed neque per viam arreſti alibi detinere aut impedire licebat. Similis pœna conſtituta fuit in eos, qui vel verbis vel factis, palam vel occulte, per ſe vel per alios Concilium impedire, turbare aut diſſoluere conati fuerint. Inſuper decretum eſt, vt qui totius Eccleſiæ cauſa Concilio interſunt, fructus beneficiorum ſuorum plene & perfecte percipiant. Ad extremum ordinati fuerunt Notarij, inſpectores Notariorum, Concilij promotores, & ſedium ordinatores, à quibus dum ſinguli inſtrumenta Actorũ petiſſent, finita fuit ſeſſio 1.

Seſſio 2. Anno 1432. 15. Kal. Martij habita eſt ſeſſio II. cuius initio declaratum fuit, hanc ſynodum Baſileæ legitime congregatã fuiſſe: poſtea confirmantur Decreta Concilij Conſtantienſis de auctoritate Concilij Oecumenici, eiuſque poteſtate ac iuriſdictione ſuper Romano Pontifice, de Epiſcoporum acceſſu non impediendo; quodque ſine licentia nemo ante finem Concilij diſcedere debeat. &c.

Seſſio 3. Epitome. 29. Aprilis anni 1432. ſeſſione tertiâ iudicarunt ad extirpandam Huſſitarum hæreſin, motuſq́; bellicos in Bohemia ſedandos, ipſius Eugenij Papæ præſentiam neceſſariam eſſe. Quam rem dum Patres Concilij molirentur, ex ſiniſtra informatione motum fuit, Pontificem diſſolutionem Concilij attentare. Quod ne fieret, per oratores certos à ſe deputatos rogarunt.

Seſſio 4. Quarta ſeſſione, quæ celebrata fuit anno 1432. 12. Kalend. Iulij conceſſus eſt ſaluus conductus omnibus ad Concilium vocatis, vel in eodem cõtrouerſos de fide articulos proponere volentibus. Vocatis verò ad Concilium Cardinalibus inhibetur, ne ſede vacante nouam electionem alibi quam in ſacri Concilij loco aggrediantur, Papæ autẽ inſinuatur, ne extra locum Concilij vllos Cardinales creare, vel à Concilio eoſdem auocare præſumat.

Seſſio 5. Seſſione quinta quæ habita eſt in vigilia S. Laurentij, Iudices, Auditores, procuratores & præcognitores, Notarij aliique Officiarij conſtituti ſunt cum eo mandato, ne vllius cauſæ iudicium vltra tres menſes protrahant, neue præſentes in Concilio ad curiam Romanam, vel aliò auocari patiantur.

Seſſio 6. Anno 1432. Sabbathi 6. Septembris Sexta habita fuit ſeſſio, in qua promotores Concilij Magiſter Nicolaus Amici & Hugo Berardi, Eugenij IV. contumaciam accuſarunt; quòd Concilij prætenſam diſſolutionem non reuocaſſet, nec citatus per ſe vel legatos comparuiſſet. Tarentinus & Coloſſenſis Archiepiſcopi, Epiſcopus Magalonenſis & Antonius de S. Vito aliique pro Romano Pontifice interuenientes, Iudicis incompetentis exceptionem, iudicijque illius, quo Pontificis cauſa agitaretur, nullitatem allegarunt. Pro Cardinalibus vero ad iudicium ſynodale vocatis allegata eſt iuſta cauſa abſentiæ. Interpoſito itaque decreto cauſa inquiſitio duobus Epiſcopis demandata fuit.

Seſſio 7. Seſſione 7. habita anno 1432. 6. Nouembris terminus intrandi conclauis ad eligendum nouum Pontificem eſt prorogatus: Cardinalibus vero contumaciter emanentibus pœna priuationis impoſita fuit.

Seſſio 8. Seſſione 8. cum Eugenius 4. decreto ſeſſionis 3. non obtemperaret, ſub obteſtatione diuini iudicij, & per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti monitus eſt ſecundo, vt infra 60. dies prætenſam diſſolutionem & conuocationem congregationis ſub nomine Concilij generalis publicè reuocet; Cõcilio adſiſtat, & reliqua prioris decreti adimpleat. Quod ſi non faciat, futurum decernitur, vt ſine vlteriore citatione contra eum procedatur, omnes eiuſdem promotiones, & ordinationes Eccleſiaſticæ à tempore contemptæ paritionis factæ caſſentur. Cardinales ſub pœna amiſſionis omnium beneficiorum ad Cõcilium citantur, iiſque vt à curia Romana recedant, mandatur. Præter Baſileenſe nullum aliud Concilium haberi permittitur; cæteræ congregationes ſchiſmatica conuenticula vocantur. Bononiam euntes Eccleſiaſtici ſub nomine generalis Concilij excommunicantur, & beneficijs ipſo facto priuantur. Statuitur, ne beneficia eorum, qui Concilio interſunt, per Pontificem conferri poſſint. Alienatio, infeudatio & impignoratio bonorum Eccleſiaſticorum interdicitur.

Seſſio 9. Anno 1433. 22 Ianuarij habita eſt ſeſſio IX. qua Concilium recipitur, illique proceſſus, quos de regni Ducatibus & dominijs adimendis Eugenius Papa Sigiſmundo Imperatori, VVilhelmo Bauariæ Duci, aliiſque Concilio adhærentibus intentarat, annullantur & reſcinduntur.

Seſſio 10. Seſſione 10. quæ habita eſt anno 1433. 19. Februarij, poſt extenſionem & ampliationem Decreti illius ſeſſionis 8. de beneficijs eorum, qui Concilio interſunt non conferendis, Eugenij quarti contumacia eſt accuſata, quod prætenſam huius Cõcilij diſſolutionem non reuocarit, quodque tempore ſtatuto neque per ſe neque per legatos comparuerit; ſed etiamnum in contumacia perſeueret. Quare petitum eſt, eundem Papam velut contumacem damnari, diemque & locum ad hunc actum exercendum decerni. His auditis decretum eſt, vt Vticenſis & Nouarienſis Epiſcopi per litteras valuis Eccleſiæ affixas inquirãt, anne Eugenius IV. aut alius aliquis ſubſtitutus adeſſet, qui eius nomine coram ſynodo comparere vellet. Nemine comparente, deputati ſunt, qui Actis contra Eugenium habitis diligenter perlectis, ea de re in Concilio ſtatum cauſæ referant, ac deinceps prævia deliberatione in cauſa eiuſdem definitiue pronunciari poſſit.

Seſſio 11. Seſſio 11. in Eccleſia maiori Baſileenſi 27. Aprilis anno 1433 celebrata eſt. In hac ſtatutum eſt primo, quod Romanus Pontifex per ſe vel legatos communi Cardinalium conſenſu eligendos Concilijs Generalibus cum omnibus perſonis Eccleſiaſticis, quæ de iure tenentur ſub pœna ſuſpenſionis & depoſitionis intereſſe debet. Secundo conſtitutum eſt, quod Pontifex nemini ne quidem Cardinali acceſſum ad Concilium prohibere poſſit; quodque ad Concilium accedere volentibus licentiam impartiri teneatur, Concilium prorogare, congregatum diſſoluere, aut de loco in locum ſine Concilij expreſſo conſenſu transferre non poſſit. Tertio ſtatutum eſt, ne hoc præſens Concilium Baſileenſe citra expreſſum omnium conſenſum diſſoluatur. De modo celebrandi Concilij in Conſt. Synodo definito additum fuit, vt electores Papæ ante conclaui ingreſſum iurent, quod ſi quis eorum electus fuerit, hæc decreta ſeruare velit. et ſeſſ. 39. Conſtant.

Seſſio 12. Seſſio 12. habita eſt 14. Martij anni 1433. in qua Eugenij IV. contumacia iterum eſt accuſata, quod nec tot oratorum rationibus, nec totius Concilij precibus, nec Sigiſmundi Imperatoris crebris legationibus motus concilio intereſſe dignaretur. Qua de cauſa patres Concilij in eum varia conuicia ſparſerunt, vtpote qui nihil intenderet aliud, quã vt Eccleſiam peſſundet, ſibi vero ſuiſque ſucceſſoribus ius acquirat nõ ſolum ritum ſacrorum Conciliorum abrogandi & ea pro libito diſſoluendi, verum etiam Decreta promulgata abolendi. Et quanquam poſt exſpectationem ſeſqui anni vererentur, ne frequentior dilatio Pontifici conceſſa fiduciam bonæ actionis generaret, ideoq́; iam ſententiam definitiuam in eum pronunciare parati eſſent; tamen ad inſtantiã D. Imperatoris tertiã dilationem concedentes ipſum Eugeniũ IV. citarunt & orarunt, vt diſſolutionem reuocet, Decreta facta approbet, legitime inchoatum & continuatum declaret, atque ita Concilio adhæreat, & huic decreto intra ſexaginta dies obtemperet: Quod ſi non faceret, contumax & ab omni adminiſtratione Pontificatus ſuſpenderetur, omneſque ſubditi ab eius obedientia, fidelitate & iuramento abſoluerentur. De electionibus hac ſeſſione conſtitutum eſt, vt prælati canonice eligantur ſine vllis, quas vocant, reſeruationibus. Nemo niſi ætate legitima, moribus grauis & doctrina præditus, in ſacris ordinibus conſtitutus, & iuxta ſanctiones canonicas idoneus Epiſcopus eligatur: nullæ interceſſiones admittantur. Pontifex pro confirmatione electionis nihil penitus recipiat. Notarijs detur ſalarium non quod prælaturæ aut beneficio; ſed tantum quod æquiualens ſit & reſpondeat laboribus & operis in ſcripturam impenſis.

Seſſio 13. Seſſio 13. habita eſt anno 1433. Veneris 11. Septembris in Eccleſia maiore Baſileenſi. In qua poſt accuſatam contumaciam Eugenij Papæ, quod infra 66. dies Concilio non adhæſerit, & decreto ſatisfacere neglexerit, promotores Concilij vrſerunt, vt in pœnas in decreto contentas Pontifex condemnetur. Imperator per legatum proprium, ſimulq́; per Guilielmum Ducem Bauariæ ſynodi protectorẽ rurſus inſtat pro dilatione 30. dierum. Idem fecit magiſter ciuium aliique nonnulli nomine Concilij & ciuitatis Baſileenſis, promittentes, nunquam deinceps pro dilatione quicquã acturos. His de rebus legati ſedis Apoſtolicæ per famam informati acceſſerunt ad ſynodum, allegantes præfixum terminum ſexaginta dierum necdum elapſum; ideoque contra Pontificem nihil decernendum eſſe. Præſes generalis Concilij, legatos male eſſe informatos reſpondit, petijtque declarari, num Papa Concilio per ſe vel per legatos ſuos adhærere velit. Cui interrogationi dum nihil reſponderetur, prorogata eſt dilatio triginta dierum, quæ in gratiã Imperatoris iterum conceſſa fuit. Dimiſſis ſedis Apoſtolicæ legatis per decretum ſynodale omnia contra Patres vel quoſcunque alios in Concilio præſentes facta irritantur, læſi in integrum reſtituuntur, occupanteſq́; beneficia eorum qui in Concilio interſunt excommunicantur.

Seſſio 14. Anno 1433. ſeptimo Idus Nouemb. habita eſt 14. ſeſſio, in qua terminus ſexaginta dierũ Eugenio iam pridẽ conceſſus prorogatur, eique formula certa adhæſionis à Concilio præſcribitur: qua comparituru Acta ſynodalia confirmet, & quicquid ipſe contra ſynodum eiuſq́; per-

ſonas

ſonas dixit vel cõſtituit, caſſum, & irritũ pronunciet. Eaq; occaſione
futurũ promittitur, vt oẽs ſe ad oſcula pedũ Eugenij ſubmittãt, illũq;
tanquam vnicum legitimũ Petri vicarium agnoſcant & venerẽtur.

Seſſio.15. Seſſio 15. celebrata eſt in Eccleſia maiori Baſileenſi anno 1433.
ſexto Kal. Decemb. Hãc ſtatutum eſt vel potius renouatum, vt in qua-
libet diœceſi adminimum ſemel in anno, idq; octaua Reſurrectionis
Domini, vel alia die ſecundum conſuetudinem diœceſium per Diœce-
ſanum in propria perſona (niſi canonicũ fuerit impedimentum) vel p
vicariũ ad hoc idoneum celebretur aliqua ſynodus diœceſana, quæ ad
minimum biduo vel triduo duret, niſi Epiſcopis aliter viſum fuerit:
quâque hoc ſedulò procuretur, vt Plebani ad diligentem animarum
curam agendam admoneantur ſtatuta prouincialia & Synodalia le-
gantur, in vitam & mores à Diœceſano ſolerter inquiratur, ſimonia,
vſura, concubinatus, fornicationes aliique exceſſus corrigantur; alie-
nationes rerum Eccleſiaſticarum caſſentur: clericorum abuſus tol-
lantur: clauſura monialium ſtringãtur: in ingreſſu ad religionem ni-
[illegible] exigatur: cõtra hæreſes, ſortilegia, incãtationes ſedulo & acriter
animaduertatur: viſitatores diœceſis inſtituãtur, qui p annũ diœce-
ſin luſtrãtes ſynodalia vbiq; obſeruari, non emẽdata ad proximã ſy-
nodum deferri, & delinquẽtes debite puniri procurent. Eadẽ ſeſſione
cõſtituitur, vt à fine generalis Cõcilij infra biennũ & deinde ad mi-
nus ſemel quolibet triennio in loco tuto celebretur Conciliũ prouinci-
ale, cui Archiepiſcop. cũ ſuffraganeis cæteriſq; Prælatis ſub pœna ſuſpẽ-
ſionis intereſſe teneatur, in quo iſtius admoneãtur Epiſcopi, vt ordines
& beneficia canonicè conferãt, bona Eccleſiæ vſui illicito nõ applicẽt,
ſuiq; officij rationem reddãt. Metropolitanus vero tanquã omniũ pa-
ter monebitur, vt à vitijs deſiſtat, miſſis interim illius exceſſib. ad Rom.
Pontificem, ſi qua in re deliquerit. Ex ortas prouinciæ lites ſynodo pro-
uinciali ſopire contendat, & ad futurum generale concilium mittẽ-
das perſonas idoneas cum ſufficienti prouiſione deſignet. Ad monaſte-
ria quod attinet, mandatum eſt, vt monachi & religioſi omnes tria
ſubſtantialia profeſſionis vota diligentiſſimè obſeruent.

Seſſio.16. Seſſio 16. celebrata eſt ipſis Nonis Februarij anni 1434. In hâc
Eugenius per literas poſtulatis ſynodi ſatisfecit, Concilium Baſileenſe
ab initio legitime continuatum fuiſſe & proſequi debere: diſſolutionẽ
acſi nulla fuiſſet, irritam pronunciat, ipſumq; Concilium cum omni
deuotione & fauore adiuturum ſpondet: literas in palatio Apoſtolico
in præiudicium Concilij promulgatas: proceſſus cenſurarum, priuatio-
num & ſuſpenſionum caſſat & reuocat: læſos in integrum reſtitui
mandat.

Per ſecundam bullam nullum & irritum eſſe declarat, quod Pa-
tres Concilij contradicente Pontifice, quaſi ſine ipſo generalis Concilij
poteſtatem haberent, ſtatuere & ſancire præſumpſerint; citationes,
proceſſus & ſententias contra Papam, iura & libertatem ſedis Apo-
ſtolicæ & Cardinales emiſerint, creationes officialium, collationes
beneficiorum nullas eſſe decreuerint, omnibus ne pareant ſub graui
pœna præceperint.

Tertia bulla Decretum ſeſſionis duodecimæ de adhærendo infra
60. dies Concilio & mandato Cardinalibus dato non parendi ſub pœ-
na priuationis, nullum & inane eſſe declarat ex defectu poteſtatis, &
exinde quoq; proceſſus & collationes in vim Decreti factas & dein-
ceps futuras, friuolas eſſe decernit, mandatque ſub pœna excom-
municationis, ne vllum clericum Romanam curiam ſequentem in ſua
poſſeſſione turbent. Quartas literas ſuo ſcitu confectas eſſe negat, ex-
cuſans ſe, quòd quicquid hactenus conceſſum eſt, illud ſcandali & ſchiſ-
matis euitandi cauſa fecerit, quodq; Eccleſiam turbare noluerit, nec
Concilium diſſoluere: ſed ad euulſionem hæreticorum & reformatio-
nem abuſuum initio pontificatus per Iulianum S. Angeli Diaconum
Cardinalem Baſileæ ſynodum celebrari iuſſerit: cumque Iulianus po-
ſtea locum minus idoneum eſſe perſcripſiſſet, ipſũ Concilium non diſ-
ſoluiſſe: ſed Baſileam cum Bononia commutaſſe optauerit, ideo quod
octo penè menſibus poſt terminum præfixum, nec Doctores vlli, paucíq;
Prælati cum tribus tantum Epiſcopis adfuiſſent, quodque Auſtriæ &
Burgundiæ Duces bello inter ſe contenderent.

Eugenius declarat ſe ſynodali decreto non eſſe ſubiectũ. Ad conſtitutionem Conſtantienſis Concilij de ſynodo vniuerſali
non interrumpenda reſpondit eam nihil de temporis prorogatione e-
didiſſe, nihilq; hac in re cõſtituiſſe, quòd ſucceſſores Põtifices obligare po-
tuerit: vtpote qui ſynodalib. decretis excepti illis nõ aliter obedire te-
neantur, niſi bonũ publicæ pacis vel Eccleſiæ id iure natura poſtulet
maximè quia leges Concilij poſitiuæ ſint, quibus Papa Concilio ſupe-
rior obligari non poſſit. His addit, quod illi ſine iuſto Præſide vniuerſa-
lem Eccleſiam repræſentare nequiuerint, adeoque poſt diſſolutionẽ
Concilij factam citra conſenſum Pontificis illi non tam Concilium
quam Conciliabulum celebrauerint. Quamobrem ſe nequaquam in-
duci poſſe, imo vitam ſe potius amiſſurum eſſe declarat, quam vt præ-
[illegible] Acta approbet, contentumque fore vt Concilium deinceps fiat &
hactenus fuerit, & ad finem producatur, modo ipſi Patres omnia at-
tentata contra Pontificem & ſedem Apoſtolicam reuocent, legatoſq;
Papæ velut Præſides ſummoſque Concilij Iudices agnoſcant.

Eadem ſeſſione, die Sabbati 24. Aprilis anni 1434. continuata
hoc impium decretum pronunciarunt, quod Oratores Papæ conſtitu-
tutionem Concilij Conſtantienſis, quâ Pontifex Concilij poteſtati co-
actiuæ ſubijcitur, iurato confirmare & approbare teneantur.

Seſſio. 17. Seſſione 17. quæ habita eſt Baſileæ in Eccleſia maiori ſexto Kal.
Maij anno 1434. Sigiſmundus Imperator coronatus cum plurimis Du-
cibus centumque Prælatis mitras albas in capite geſtantibus interfu-
it. In hac poſt quinque legatos Pontificis Concilij præſides, adempta
illis omni iuriſdictione coactiuã admiſſos, actum eſt de modo procedẽ-
di: nimirum quod feria ſexta ſit conueniendum, præſidiſque abſentiã
Prælatus in ordine ſubſequens adimplere debeat.

Seſſio.18. Seſſione 18. habita ſexto Kal. Iulij repetitur decretum Concilij
Conſtantienſis, quo declaratum eſt generale Concilium poteſtatem
immediate à Deo habere talem, cui Papa etiam in negotijs fidem mo-
reſue Eccleſiæ concernentibus obtemperare teneatur.

Seſſio.19. Seſſionis 19. anno 1434. 7. Idus Septẽb. celebratæ initio actum eſt
de modis vnionis inter Græcos & Latinos ineunda. Placuit vt ſi Ba-
ſileam adduci non poſſent, alius aliquis locus maritimis oris vicinus e-
ligeretur; quodque ſumptus & impenſas Græcis ex Oriente aduehen-
dis neceſſarias Latini præparare debeant, ſintque parati Patres huius
Concilij poſt menſem vnum ab aduentu Græcorum Baſilea recedere,
& ad eum locum accedere, quem Patriarcha & Imperator Conſtã-
tinopolitanus eligendum duxerint.

Præter hæc ordinatum eſt hac ſeſſione, vt Diœceſani locis, vbi Iu-
dæi morantur, eruditos conſtituant viros, quorum doctrina infideles
poſſint errores ſuos agnoſcere, & authoritate ad verbi prædicationẽ
audiendam compelli. Item renouata ſunt omnia illa decreta anterio-
rum Conciliorum, quibus Chriſtianis communicationes cum Iudæis
in fide, moribus, victu, potu & in commercijs interdicuntur. Qua de
cauſa conſtitutum eſt, vt habitum & locum habitationis ſeparatum
habeant. Baptizatis Iudæis conceſſum eſt, vt ea quæ fœnore acquiſi-
uerunt, retinere poſſint. Pauperibus ex eleemoſynis Eccleſiæ prouide-
ri mandatur, ſimulque conuerſis omnibus præcipitur, ne cæremonias
vſurpent.

Seſſio.20. Seſſione 20. anno 1435. 11. Kal. Febr. publici concubinarij à perce-
ptione fructuum tribus menſibus ſuſpenduntur, & ſi concubinam ſta-
tuto tempore non dimiſerint, omnibus beneficijs priuantur. Illi vero
publici concubinarij eſſe definiuntur, qui vel confeſſione propria, vel e-
uidentia facti tales ſunt, vel qui ſaltem mulierem de incontinentia
ſuſpectam monitis non dimittunt. Ne tales pecuniaria mulcta puniã-
tur, ſub anathemate interdicitur. Filijs inde ex concubinatu natis a-
pud patrem habitare non permittitur. Laici ſimiliter vt concubina-
tu abſtineant, ſerio monentur. De vitandis excommunicatis hic repe-
ritur, quod Conſtant. Synodus hac de re iam ante ſalubriter conſti-
tuerat.

Seſſio.21. Seſſio 21. habita eſt anno 1435. Iouis 9. Iunij: Annata pro be-
neficiorum collatione & electionum confirmatione dari ſolita velut
ſimoniaca reprehenduntur: Triennalem beneficij poſſeſſorem non
eſſe turbandum decernitur. Ad horas canonicas tractim & debita
grauitate cantandas bene conſtitutum eſt, vt clerici tunica talari &
ſuperpellicijs mundis vltra medias tibias longis, ſine confabulationib.
choro interſint. In Matutinis poſt Venite: in miſſa poſt vltimum Kyrie:
in reliquis horis poſt primum pſalmum chorum ingreſſus, vel non ad-
mittatur, vel ſaltẽ velut abſens habeatur: præſentia ad ſingulas ho-
ras diſtribuãtur, additũq;, vt priuatim horas legentes, eaſdem claro
ac diſtincte legant: vt vagantes per Eccleſiam totius diei præſentia ca-
reant, vt ſymbolum Nicænum integrè cantatur, ſacerdotes nullo de-
bito ſe obſtringant: nulli actus capitulares citra neceſſitatem fe-
ſtis diebus habeantur: Laruales & theatrales illi ioci, qui in feſto
Innocentium vſurpari ſolebant, ab Eccleſia arceantur.

Seſſio.22. Seſſione 22. Anno 1435. Idibus Octobris condemnantur hæ-
reſes F. Auguſtini de Roma, qui docebat Chriſtum quotidie peccare:
non omnes fideles iuſtificatos eſſe membra Chriſti: per vinculum cha-
ritatis ſolius neminem Chriſti membrum effici. Vide quæ de eius
ſcriptis refert Poſſeuinus in apparatu ſacro, verbo, Auguſti-
nus de Roma.

Seſſio.23. Seſſione 23. 8. Kalend. Aprilis Anno 1436 ſanctiones de Romani
Pontificis electione innouantur; nimirum, vt decima poſt obitum die
conclaue cum Spiritus S. inuocatione Cardinales ingrediantur, duos
dũtaxat famulos ſecũ aſſumãt: cæremoniarũ cauſa clerici duo, quorũ

vnus ſit

vnus ſit notarius, accedant. Camerarius reliquos excludat; omnia victualia præter medica à cubiculis amoueantur. Cibaria ſingulis diebus perquirantur, nulla epiſtola admittantur. Cardinales digniorem ſe electurum ante ſcrutinium iurent. ante ſex completa ſcrutinia nullus fiat acceſſus. Electus in Papam teneatur conſentire, profeſſionem fidei emittere, omniumq; generalium Conciliorum obſeruantiam polliceri: ſchiſmata tollere, libertatem Eccleſiaſticam iuuare, curiam ſuam reformare, Eccleſiæ ditiones fideliter gubernare, nulla in re quæſtum, ſed charitatem intendere.

Eadem ſeſſione ſtatutum eſt, ne Pontifex conſanguineum vel affinem vſq; ad tertium gradum Ducem, Marchionem, feudatarium, vel emphyteutam vrbis, vel etiam prouinciarum præſidem cõſtituat, ne conſtitutum Cardinales approbent, omniaq; Cardinalium conſilio gubernet. De numero & qualitate Cardinalium eligendorum hac ſeſſione conſtitutum eſt, vt tantùm 24. eligantur huiuſmodi, qui in ſcientia & moribus rerumq; experientia ſint excellentes, ætate maturi & graues, licentiam vel doctoratum in iure vel Theologia habentes: neue electi ſint conſanguinei Pontificis vel aliorum Cardinalium, nullaq; irregularitate præditi.

Seſſio 24. Seſſione 24. an. 1436. 8. Calend. Maij celebrata, promiſſio legatorum, qui pro vnione cum Græcis ineunda Conſtantinopolim miſſi erant, acceptatur, approbatur, ratificatur, tempusq; pacta complendi ad annum prorogatur. Saluus conductus Græcorum Imperatori, Patriarchæ aliiſq; 700. perſonis offertur, licet vnio non fieret. Cumque per auream bullam imperator Græcorum, & per plumbeam Patriarcha Conſtantinopolitanus ſe ad aliquem locorum acceſſuros promiſiſſent, pro impetrandis neceſſarijs hanc in rem impenſis promulgatæ & conceſſæ ſunt plenariæ indulgentiæ ijs, qui in hunc finem tantum, quantum quiſque integra ſeptimana familiæ ſuſtentandæ impendit, contribuerent.

Seſſio 25. Seſſione 25. quæ habita fuit anno 1437. Nonis Maij. de loco futuri Oecumenici Concilij ſtatutum eſt, quo vel Baſileæ, vel Auenione, vel in Sabaudia Græci, cuiuſcunque ſint eminentiæ, teneantur conuenire. Pro ſumptibus alendorum Orientalium, omnibus Eccleſiaſticis, exemptis & non exemptis, decimæ impoſitæ fuerunt.

Seſſio 26. Seſſio 26. an. 1437. pridie Calend. Auguſt. celebrata fuit, quâ Eugenium Papam inſimulant, quaſi nulla exhortatione ad morum emendationem, abuſuum correctionem trahi potuerit, electioni bonorum paſtorum aſſenſum non præbuerit, beneficia ſimoniacè contulerit, Concilio Baſileenſi non adhæſerit, bonos expulerit, pro grauis pecunia dignitates contulerit, ſynodalia priorum Pontificum decreta reuocârit, à Concilio legatos ſolicitârit, Cardinalium conſilia reſpuerit, diſpenſatione ſibi credita abutatur. patrimonium Petri perdiderit & diminuerit, ſubſidia in conductionem Græcorum conferenda per multiplicatas in contrarium indulgentias impediuerit, iuramentum præſtitum non ſeruauerit. Quare eum vna cum Cardinalibus iterum citarunt.

Seſſio 27. Seſſione 27. habita anno 1437. 6. Kalend. Octob. abſenti à Concilio Pontifici Cardinalium electionem interdicunt, eas quas ante fecerat, caſſas & irritas eſſe pronunciant, & quidem nominatim eam, quâ Eugenius Cardinalitia dignitati mancipauerat Patriarcham Alexandrinum. Bullam eiuſdem Eugenij, quâ Florentiam vel Vtinum pro loco Concilij futuri deſignauerant, nullam eſſe decernunt. Cumq; pro vnione Græcorũ cum Latinis proſequenda impenſas contuliſſent, metuerentq; ne hac de cauſa Pontifex ciuitatem Aueniionem cum comitatu Venayſino & dominijs ſibi adiacentibus aut venderet aut oppignoraret, alienationem eius omninò prohibent.

Seſſio 28. Seſſio 28. habita eſt Mart. 1. Octobris an. 1437. In hac promotores Concilij monitorium & citationem contra Eugenium reproduxerunt in Originali, eundemque contumacem declarari petierunt, quod in termino peremptoriè præfixo non comparuiſſet. Qui exinde per duos Epiſcopos ter alta voce citatus, ex ambone declaratus eſt abſens, ideoque contra eundem vlterioribus procedendum eſſe.

Seſſio 29. Seſſione 29. an. 1437. 4. Idus Octob. celebrata, cauſæ, ob quas Pontifex Baſileam œcumenico Concilio deſtinatam reiecerit, refutantur. Auenionem commodiorem eſſe Baſilea vel Sabaudia negatur. Diſſidij cauſa in Pontificem reijcitur. per Concilium Baſileenſe libertatem eſſe violatam negatur. Cumq; Eugenius Concilium Ferrariam transferre cogitaret, eoq; Conſtantienſis Concilij decreta infringeret, illiuſq; iudicem ſe cõſtitueret, approbationem factam reuocaret, decretũ Baſileenſe vilipenderet; declarat ſynodus prætenſam Concilij diſſolutionẽ & translationem Ferrariã cũ cenſuris irritas & inanes eſſe, præcipitq; Eugenio vt infra 4. menſes cum vera ſatiſfactione ſub pœna ſuſpenſionis & depoſitionis conatibus deſiſtat. Omnes bullas transferendi Concilij caſſat: Ferrariam adeuntes & Eugenij mandato obtemperantes excommunicat.

Seſſio 30. Seſſio 30. habita eſt 10. Calend. Ianuarij an. 1437. quâ decernitur, quod laici & clerici non ſacerdotes communicare ſub vtraque ſpecie non aſtringuntur, quodq; Eccleſia poteſtatem habeat ordinandi modum quendam, iuxta quem non conficientes Euchariſtiam ſumere debeant. Addit certa fide tenendum eſſe, quod ſub ſpecie panis non tantùm caro, & ſub ſpecie vini non ſanguis tantum; ſed ſub qualibet ſpecie Chriſtus totus contineatur. Conſuetudinem laudabilem à Patribus introductam diutiſſimè obſeruatam, à doctoribus eximijs commendatam pro lege habendam eſſe; neque deinceps vlli hominum licere eam vel reprobare, vel ſine auctoritate Eccleſiæ immutare.

Seſſio 31. Seſſione 31. 9. Calend. Februarij. an. 1438. de cauſis litigantium ſtatutum eſt, vt qui itinere quatuor dierum Roma diſtant, agitentur illo loco vbi exortæ ſunt. appellationes friuolæ ad ſedem Apoſtolicam interpoſitæ reijciantur, introductaq; appellatio ad euitandos ſumptus partium in loco committatur. Cùm apud Concilium indictum Ferrariæ cauſæ agitentur, voluit ſynodus cauſas quaſcunque pendentes & cõmiſſas, perq; appellationem ad ſedem Apoſtolicam deuolutas apud hanc ſynodum tractari. Eadem ſeſſione de beneficiorum collationibus conſtitutum eſt, ne Pontifex Romanus vlli deinceps quacunque ex cauſa expectatiuas, quas vocant, concedat. Reſeruationes particulares, quæcunque in poſterum annullantur, beneficia non niſi doctis & literatis conferantur, eo ordine & modo, quo in Conciliabulo præſcribitur. Poſt hæc Eugenius velut contumax ab omni adminiſtratione Pontificatus in ſpiritualibus & temporalibus ſuſpenditur, eandem ad Concilium deuolutam eſſe decernitur. Reges alijq; laici monentur: Eccleſiaſticis ſub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis mandatur, vt ea durante ſuſpenſione ipſi Eugenio non obediant.

Seſſionis 32. acta. Seſſio 32. habita fuit an. 1438. 9. Calend. Aprilis. In qua priori loco pro futura celebranda ſynodo deſignato, duæ pluresve partes ſynodi firmiter inhærent: illudq; Concilium, quod ab Eugenio Ferrariæ celebrandum indictum fuerat, cum ipſo Eugenio cæteriſque omnibus qui intereſſent, excommunicatur.

Seſſio 33. Seſſio 33. celebrata fuit an. 1439. 17. Calend. Iunij, in qua ad oſtendendum quod ſynodus immediatam à Chriſto poteſtatem habeat tres aſſertiones, quas veritates fidei perperã nominant, poſuit haſce: 1. Concilium eſt ſupra Papam & quemlibet alterum. 2. Quòd Papa non poſſit Concilium legitimè congregatum ſine eius conſenſu, vel pro ſua auctoritate diſſoluere, aut in aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre. 3. Qui prædictas aſſertiones pertinaciter impugnat, hæreticus eſto.

Seſſio 34. Seſſione 34. habita an. 1439. 9. Calend. Iulij. vigore Conſtantienſis Concilij ſeſſ. 4. & 5. quo placitis Concilij refragantes & obedire nolentes, ad condignas pœnas condemnantur; Synodus Eugenium tanquam contumacem, præceptis Eccleſiæ inobedientem, violatorem canonum ſynodalium, vnitatis Eccleſiæ perturbatorem, ſimoniacum, periurum, incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide deuium, iurium & bonorum Eccleſiæ perditorem à Pontificatu depoſitum declarat, inhibenſque eine deinceps talem ſe gerat, Chriſtianos omnes ab eius fidelitate & obedientia abſoluit, omnibus ſub pœnis hæreſeos, & omnium beneficiorum dignitatumq; priuationis obedientiam vetare interdicens.

Seſſio 35. Seſſione 35. 6. Idus Iulij anno 1439. iuxta tenorem ſynodalis ſupra promulgati decernitur, quod non niſi potiſſimorum Patrum votis conſentientibus Concilium diſſolui poſſit aut debeat, quodque poſt ſexageſimum depoſitionis diem ad noui Pontificis electionem procedi debeat.

Seſſio 36. Seſſione 36. an. 1439. 15. Calend. Octobr. celebrata declarauit, ſententiam eam, quæ tuetur, quod B. Virgo præueniente & operante gratia Dei ſingulari, originali peccato obnoxia non fuerit, piam, ſanctam, cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & S. literis conſonam, ideoq; tenendam eſſe. Vt feſtum conceptionis B. Virginis deinceps 6. Idus Decemb. conueniente honore celebretur, indulgentiæ in eum finem promulgantur.

Seſſio 37. Seſſione 37. quæ an. 1439. 9. Calend. Nouemb. habita eſt, ad futuram Pontificis electionem ſtabiliendam conſtitutum eſt; ne ſede vacante, aliter quàm per Concilium Pontifex eligatur, quodq; ante ſexageſimum diem vacantis ſedis ad electionem procedi non debeat, habeaturque ille Pontifex, quem duæ partes ſuffragantium & voventium Electorum Cardinalium elegerint. Eadem ſeſſione conſtitutum eſt, vt omnes Electores Euchariſtiam ſumant, & deinde ante ingreſſum conclauis iuramentum ſecundùm decretum ſeſſ. 23.

ueniat. De electo ſtatuitur, vt in præſentia Notarij & decem teſtiū infra diem naturalem conſentiat: ſin minus, electio irrita ſit: priuſquam graue quid incipiat vel tractet, in loco Concilij coronetur: ſe Catholicum ſemper fore, concilia generalia obſeruaturum, pro hæreſibus exſtirpandis diligenter laboraturum, Conciliumq́; inchoatum continuaturum promittat.

eſſio 38. *Seſſione 38. anno 1439. 3. Calend. Nouemb. celebrata, ſynodus carpit Eugenium, quod edito Florentia libello tranſlationem prætenſam & conuenticulum (vt vocant) Ferrarienſe defendat, quodq́; ſynodum Baſileenſem & decreta Conſtantienſis Concilij in malignum ſenſum traxiſſe dicat, tres veritates ſupra recenſitas inanes pronunciet, nec tamen aperiat, quo ſenſu eaſdem approbet. ipſum verò libellum, quo Patres Baſileenſis Concilij Eugenium debitis Eccleſiaſticis cenſuris perſtringit, ſynodus omnibus collegijs & vniuerſitatibus laicis & Eccleſiaſticis interdicit, neve eundem publicent, aut eidem credant ſeu faueant, cenſuris damnationis vel reprobationis in eo cōtentis (quas nullas declarat) obediant vel moueantur, ſeuerè præcipit. Statuit etiam ſynodus hac ſeſſione, vt defunctis Eccleſiarum & collegiorum Prælatis, abſentes non exſpectentur, quiq́; plurium quàm duarum dierum itinere abſunt, ad electionem nō vocentur, niſi aliud alibi peculiari ſtatuto & conſuetudine receptum fuerit. Ad futuram noui Pontificis electionem iuxta decretum ſeſſionis 37. ſupra enarratum, conſtituta ſunt triginta duæ diuerſarum nationum perſonæ, quæ vna cum Notarijs alijsq́; miniſtris ad electionem legitimè proſequendam neceſſarijs proxima ſeſſione conclaue ingrederentur.*

ſſio 39. *Seſſio 39. habita eſt an. 1439. 11. Calend. Decemb. In hac illi 32. viri, qui præcedente ſeſſione ad noui Pontificis electionem deputati fuerant, poſt inuocationem Spiritus S. conclaue ingreſſi ſeptima die, quintoque ſcrutinio Amadæum Ducem Sabaudiæ, qui in ſolitudine Repub. iam diu continenter vixerat, iuxta ſacros canones in Pontificem Romanum elegerunt, eamq́; factam electionem Patres Concilij approbarunt & confirmarunt.*

eſſio 40. *Seſſio 40. an 1440. 4. Calend. Martij celebrata fuit, in qua dum ſynodus Ludouicum Cardinalem S. Cæciliæ, aliosq́; Epiſcopos & Abbates cum Ioanne Comite in Thierſtein ad electū Amadæum pro Pontificatu ſuſcipiendo ablegaſſet, eumq́; magnis precibus ad conſentiendum & acceptandum induxiſſet, poſt inſignia pontificatus illi collata, & iuramentum ab eodem præſtitum, factam electionem publicarūt, impoſito illi nomine Felicis V. eundem pro vero Pontifice agnoſcendū; eidemq́; ſub cenſuris ſuſpenſionis, priuationis & excommunicationis obediendum eſſe decreuerunt, annullatis & caſſatis ijs omnibus, quæ Eugenius IV. contradixiſſet vel edidiſſet.*

eſſio 41. *Seſſio 41. celebrata eſt an. 1440. 10. Calend. Auguſt. In hac ſynodus calumnias, conuicia, aliaq́; iniurioſa ſcripta contra Felicem V. cæterosq́; huius Concilij Patres publicata & euulgata, vna cum inſertis comminationibus pœnarum, nulla & irrita eſſe declarat. Omnibus verò cuiuscunque ſtatus, ordinis, dignitatis vel conditionis fuerint, eadem ſynodus præcipit ſub omnibus cenſuris, ne hos libellos iniurioſos accepteut, prædicent, publicent, defendant, iisve quouis pacto conſentiant aut obediant; aut iſtorum libellorum prætextu vllius beneficia occupare vel impetrare, aut quicquam in eorum præiudicium facere præſumant.*

eſſio 42. *Seſſione 42. anno 1440. pridie Non. Auguſt. decernitur decimas omnium Eccleſiaſticorum prouentuum cuiuſcunq; nominis fuerint, Felici Papæ eiusq́; collectoribus pro noua prouiſione ſuſpenſionis & interdicti perſoluendas eſſe, non obſtantibus vllis priuilegijs vel conſtitutionibus. Si tamen aliqua ratio ſe grauatam allegat, moderationi Felicis V. Synodus omnia committit. Statuitur etiam, quod dicta decima ſemel tantum quolibet anno exigātur, quodq́; Germaniæ beneficia, quorum redditus quinque marcas argenti annuatim non excedunt, his non includantur. Collectoribus mandatur, ne quicquam vltra ſtatutas quintas vel decimas exigant, vel pro ſuo labore petāt: ſed ſalario ex camera Felicis illis aſſignando ſint contenti, moderateq́; in exigendis decimis agant, ne ornamenta Eccleſiæ vendantur. Item ne perſonæ ſolutionem negligentes, & exinde excommunicationem incurrentes, Romam vel ad curiam venire teneantur.*

Seſſio 43. *Seſſione 43. an 1441. Calend. Iulij conſtituitur, vt ad turbas Eccleſiæ ſedandas, pacemq́; & vnionem fidelium interceſſione D. Virginis impetrandam, debita ſolennitate feſtum viſitationis B. Virginis celebretur 6 Non. Iulij. Qui matutinis proceſſionibus, concioni, Miſſæ officio, Primis aut ſecundis veſperis interfuerint, pro quolibet officiorum centum dierum indulgentijs donantur.*

Seſſio 44. *Anno 1442. 5. Idus Auguſti habita eſt ſeſſio 44. qua illi qui Concilio interfuerant, eaq́; de cauſa ad inſtantiam nonnullorum apud Eugenium Pontificem ſuis beneficijs ſpoliati erant, in integrum reſtituuntur, violentiq́; detentores expelluntur & deijciuntur ea conditione, vt niſi ante præfixum terminum poſſeſſionem beneficiorum vel ipſi detentores euacuent, vel etiam ipſa collegia euacuari non procurent, graues cenſuras incurrant: de perceptis fructibus cum priore iniuſto poſſeſſore tranſigi & componi mandatur, conceditur q́; ad extremum, vt contra inobedientes & contumaces brachium ſæculare imploretur.*

Anno 1442. 17. Calend. Iunij habita eſt ſeſſio vltima, qua ad Concilio Conſtantienſi & Baſileenſi obtemperandum, pro loco futuri concilij nominatur Lugdunum vrbs Galliæ, vbi grauiſſimas ob cauſas poſt triennium ab hoc die computādum generale Concilium celebretur. Omnibus Cardinalibus, Patriarchis, Prælatis, alijsq́; intereſſe debentibus præcipitur, vt ſtatuto tempore accedant. Felici V. conceſſum eſt, vt ſtatutum terminum abbreuiare poſſit. Circa finem declaratur, quod Patres non intendant Baſileenſe hoc Concilium diſſoluere; ſed potius continuare & abſoluere, ſi modo Reſpublica Baſileenſis ſecuritatem hucuſque Concilio conceſſam ſeruauerit illæſam. Quod ſi verò impedimentum aliquod inciderit, pro continuatione huius Concilij nominatur ciuitas Lauſanna prouinciæ Biſuntinæ, qui eſt locus ad generale Concilium celebrandum aptiſſimus & maximè idoneus. Quid ibidem geſtum fuerit, & quando, ex bulla Nicolai V. quæ huic ſeſſioni in actis ſubiungitur, dixi ſupra verbo Baſileenſe. Seſſio 45.

Inchoatum anno 1431. &c.] *Conſtat euidenter ex actis Concilij. Sunt qui aliter ſentiunt, ſed fortaſſe acta ſynodalia vel non viderunt, vel non accuratè inſpexerunt.*

Finis Notar. in Concil. Baſileenſe.

CONCILIABVLVM BITVRIGENSE PRO APPROBATIONE PRAGMATICÆ ſanctionis in Gallia celebratum, anno Domini 1438. tempore Eugenij Papæ IV.

NOTÆ.

Conciliabulum.] *De cauſa actisve huius Cōciliabuli apud Bituriges in Gallia celebrati, quod vna cum actis Baſileenſis Concilij Eugenius Papa IV. Nicolaus V. Pius II. & Leo X. in Concilio Latera. ſeſſ. 11. reprobarunt, Gaguin. lib. 10. ita ſcribit:* Apud Baſileam Eugenij IV. Rom. Pontificis aſſenſu congregato Concilio, ij quibus Eccleſiaſticam tueri dignitatem mandatum erat, leges communi omnium ſententia ritè digeſtas ſanxerunt, quas à Carolo admitti, miſſis eius rei cauſa oratoribus petierunt: *Legum hæc capita fuere.* Cauſa & acta Conciliabuli.

1. Romanus Pontifex quoquo decennio generalem ſynodum, loco quem volet, poſthac congregato. Si negligens erit poteſtas, eſto patribus id deſignandi. Conuocati Concilij locum niſi neceſſum erit, Pontifex non mutato. Pragmatica ſanctio vnde deſumpta.

2. Baſileenſis concionis Concilij auctoritas & ipſius decretorum conſtantia perpetua eſto; quæ nemo vnquam nec ipſe Romanus Pontifex tollere, infirmare, aut transferre præſumito, *&c. 40. ſequentes ex actis Concilij Baſileenſis deſumpta.*

Poſt ſingulas conſtitutiones enarratas, quæ nihil aliud ſunt quàm breuia ſummaria ſeſſionum præcipuarum Baſileenſis Conciliabuli, Gaguinus prædicto loco hæc ſubiungit: Hæc cùm Carolus ſatis enucleata digeſtaque comperiſſet, indicto apud Bituriges Concilio, pragmaticam (quam vocant) ſanctionem tulit; eamque in Parlamenti ſenatu promulgari mandat anno Chriſtianæ ſalutis 438. ſupra milleſimum Nonis Iulij. Quam Regiam auctoritate Baſileenſis ſynodi factam conſtitutionem, qui deinceps fuère Romani Pontifices, non ſecus ac pernicioſam hæreſim execrati ſunt, quod eam nemo Pontificum diſſoluto Baſileenſi conuentu probauerit. *Hæc Gaguinus.*

[a] CONCILIVM [b] FLORENTINVM [c] OECVMENICVM [d] DECIMVMSEXTVM APPROBATVM CXLI. EPISCOporum contra errores Græcorum Anno Domini 1438. Ferrariæ inchoatum: Anno autem 1439. finitum, tempore Eugenij Papæ Quarti, & Alberti Imperatoris.

ACTA GENERALIS DECIMÆſexta Synodi, è Græco in Latinum traducta, interprete Bartholomæo Abramo Cretenſi, præſule Arienſi.

An. dom. 1438.

ANNO Domini noſtri Ieſu Chriſti M. quadringenteſimo trigeſimooctauo, die verò 4. menſ. Martij, pontificatus Eugenij Papæ IV. anno ſeptimo, Ioannes Palæologus sereniſſimus Cóſtantinopolitanus Imperator, ad celebrandam * decimamſextam œcumenicá ſynodum, ad Francolinum Ferrariæ vicum triremibus inuectus eſt. Quò ſtatim Nicolaus ipſius Ferrariæ marchio, vnà cum ſuis prętantioribus ciuibus, ac pontificibus omnibus, qui cum ſummo Pontifice Imperatorem ipſum Ferrarię expectabant, obuiam prodijt, ac ipſum equo inſidentem, vnà cum ſedis Romanę legato, qui cum Imperatore Conſtantinopoli venerat, ad vrbem & palatium, vbi ab ipſo ſummo Pontifice, omnibuſque Cardinalibus expectabatur, magna pompa deduxit. Quem cùm ſummus Pontifex iam aduentare ſenſiſſet, ſurrexit, & lento gradu inambulare cœpit, ac ipſum paulò procul à ſede ſua excepit, & volentem genu flectere, minimè permiſit, ſed ſtantem amplexus fuit, ac ei dexteram oſculandam dedit, ipſumque à ſiniſtra proximum ſibi conſedere voluit. Poſteà verò Imperator ſurrexit, ac ſua in ſede ſtans, à ſingulis ampliſſimis Cardinalibus honorificentiſſimè fuit ſalutatus. Habitoque in conſeſſu cum ſummo Pontifice breui ſecretoque colloquio, vterque ſurrexit. Et Pontifex ſummus in eodem palatio, vbi habitabat, remanſit. Imperator verò ad aliud ornatiſſimum pompa eadem iuit. Porrò autem quatuor poſt dies Ioſephus ſanctiſſimus Cóſtantinopolitanus Patriarcha cum maiori parte ſuorum Pontificum, (nam cæteri cum Imperatore fuére) cymbis multis ornatiſſimiſque, Venetijs Ferrariam aduenit. Cui quidem è cymba exeunti quatuor ampliſſimi Cardinales, & ipſe marchio, necnon ad 25. Occidentalis Eccleſiæ præſules obuiam iére, ac ipſum equitem mediumque inter duos ampliſſimos Cardinales, magna etiam pompa ad palatium comitati fuére: vbi pontifex ſummus ſtans in ſua ſede, ipſum amplexus, & in gena oſculatus eſt. Ipſis deinde conſedentibus, Orientales antiſtites dexteram ſimul & genam ſummi Pontificis, cæterorum verò Græcorum alij dexteram, alij pedem tantùm oſculati fuére. Qua quidem ſalutatione facta, Pontifex ſummus in cubiculum ſe recepit: Patriarcha verò, eodem quo venerat ordine ac pompa, domum ſibi pacatiſſimam venit. Proxima verò Dominica, quindecim Græci ſacerdotes domi Imperatoris iuſſu eius Miſſam ſolenniter celebrarunt. Vbi etiam marchio cum ſuis ciuibus adfuit, & panem benedictum per Patriarchæ dexteram, more Græcorum, accepit, atque libauit. Nonnullis deinde pòſt diebus Imperator à ſummo Pontifice contendere cœpit, vt quemadmodum ei promiſerat, non ſolùm Pontifices & Abbates, verumetiam reges & duces, ac cæteros Chriſtianorum principes ad ſynodum conuocaret. Quod quidem tametſi ſummo Pontifici propter ipſorum principum diſcordias factu difficile videbatur, vt ad ſynodum conuenirent, ſe tamen operam daturum promiſit, vt principes ipſi conuocarentur. Continuoque nuncios & literas ad eos miſit, vt intra menſes quatuor vel ipſi adeſſent, vel ſuos vicarios mitterent. Porrò autem poſt aliquot dies tam Græcis quàm Latinis maius operæprecium viſum fuit, vt edicto publico ſynodus conuocaretur, hac conditione, vt niſi principes ipſi venirent, vel ſuos nuncios mitterent, ſynodus tamen ipſa celebraretur, ac in ea de quibuſdam dogmatibus ageretur, & ſiue Græcorum & Latinorum coniunctio fieret, ſiue non, adhuc tamen ſynodus ſumma pace dimitteretur. Dum autem hæc geruntur, quæſitum fuit, quonam ordine ſedes in ſynodo diſponi deberent, qua de re non mediocris inter eos controuerſia fuit orta. Nam ſummo Pontifici videbatur conueniens eſſe, vt Imperator ac Patriarcha cum ſuis hominibus à ſiniſtra templi parte, & occidentales Pontifices à dextera, ipſe verò in capite medius inter vtranque partem ſederet. At Imperator dicebat locum ipſum ſibi potiùs quàm ſummo Pontifici conuenire. Poſt longos autem * diſcrepationes, lectis cæterarum ſynodorum geſtis, omnes in vnam ſententiam iuére, vt ſummus Pontifex ac omnis Occidentalis Eccleſia à dextra templi parte, Imperator autem cum Orientali Eccleſia è regione à parte altera conſederet. Igitur in baſilica diuo Georgio conſecrata, à dextra parte apud maius altare pontificia ſedes, & proxima ei, paulò tamen inferior, Romanorum, vel (vt Græci dicebant) Germanorũ Imperatoris ſedes diſpoſita fuit, quæ ſemper propter eius abſentiam vacua ſterit. Apud autem ipſam ampliſſimorum Cardinalium, deinde Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Occidentalis Eccleſiæ, qui ad centum & quinquaginta præter protonotarios & Abbates ac alios clericos, qui multò plures fuêre, locus ordinatus fuit: è regione verò ſummi Pontificis, vt paulò antè dictum eſt, Conſtantinopolitani Imperatoris eminens quidem vt Pontificia, & illi proxima à ſiniſtra, paulò tamen inferior, Patriarchalis ſedes collocata fuit. Et apud eam eodem ordine, legatorum trium cæterorum Patriarcharum, deinde aliorum * Orientalium patrum, ex quib. duo ex Iberia venère, ſedes fuerunt diſpoſitæ. Nam à dextris ipſius Imperatoris, Demetrius Deſpotus frater eius, infimo gradu ſubſedit. Ante verò maius altare aliud altare fuit erectum; ac ſuper eo inter beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli capita, ſanctorum Euangeliorum liber, ac ante ipſum duo accenſa candelabra fuére poſita. Quibus ita diſpoſitis, ac omnibus præparatis, ad diem 9. menſis Aprilis, quæ quidem feria quarta maioris hebdomadæ fuit, cardinales ac omnes antiſtites veſtibus ſacris induti, vnà cum ſummo Pontifice ac Imperatore templum illud introiére, ac ſuis in locis, abſente, ob valetudinem, Patriarcha, paululùm conſedère, deindeque ſurrexêre, ſummuſque Pontifex orare cœpit: quibuſdam denique pſalmis, hymnis, ac precibus hinc inde decantatis, omnes iterum conſedere iuſſit, vt conſentiente Imperatore, abſentis Patriarchæ conſenſus, & ſuum edictum ex ſuggeſtu recitarentur. Itaque Scriba quidam alta voce conſenſum ipſum in hac forma perlegit:

Octauam corruptè habet textum.

for. *diſceptationes,

*al. Occidentalium

CONSENSVS PATRIARCHÆ CONſtantinopolitani, vt œcumenica ſynodus Ferrariæ celebraretur.

IN nomine ſanctiſſimæ vitæque principij Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritusſancti, duo Chriſti membra, Latinorum videlicet & Græcorum, ad ſanctam & œcumenicam ſynodum conuocandam, hodiè conuenerunt, ita vt beatiſſimus ac ſummus Pontifex, & ſancta Romana Eccleſia ex vna, & ſereniſſimus Imperator cum tota Orientali Eccleſia ex altera parte concordes ſint, vt hic Ferrariæ in D. Georgij templo, in loco ſanè tutiſſimo, generale Concilium celebretur, edicentes, vt infra 4. menſium ſpatium ab hoc die connumerandorum, omnes Chriſtiani, qui conuenire velint, præſertim reges & principes, ac omnes Pontifices, & cæteri clerici, qui Baſileam vel Romam ad celebrandum Concilium profecti iam ſint, vel in poſterum proficiſci velint, huc debeant conuenire. Qui verò venire neglexerit, niſi huius futura decreta Concilia ſuſceperit, ac probauerit, anathema eſto. Doctores autem, vel alicuius dignitatis homines, niſi conuenerint, vel ſuos vicarios miſerint, vel ſaltem literis ipſa eadem futura decreta laudauerint, & approbauerint, anathemate ſint deuincti. Quæ quidem pœna, ſummi Pontificis iuſſu, de regibus & ducibus, ac cæteris Chriſtianorum principibus intelligi quoque debeat. His tamen liceat, ſi voluerint locum alium nominare, vbi ſynodus hæc celebretur: ita tamen, vt ipſa ſynodus de tali loco conſiderare ac decernere valeat. Datum Ferrariæ, an. 1438. die verò 9. menſ. Aprilis.

Poſt hæc Pontificis ſummi decretum à præſule Graden. Latinè, à Dorotheo verò Mitylenen. Græcè fuit recitatum in hoc tenore.

Decretum ſummi Pontificis.

EVgenius ſeruus ſeruorum Dei, ad æternã rei memoriam. Magnas omnipotenti Deo gratias oportet nos agere, qui antiquarum ſuarum miſericordiarum non immemor, Eccleſiam ſuam continuò reddit ampliorem. Quam quidem etſi laborare, multiſque tempeſtatibus fluctuare permittit, nunquam tamen ſubmergi patitur, verùm à fluctibus & magnis æſtibus maris reſeruat, & pro ſuo erga genus humanum amore, inter multos & varios caſus & calamitates, virentem ſemper fouet, ac magis vigentem reddit. Ecce enim Orientales & Occidentales populi iamdiu inter ſe diſſidentes atque diſiuncti, ad pacem atque coniunctionem conuenire feſtinant. Quippe qui diſcordes iam & inimici, tandem poſt multos annos, fauente Deo, ex quo omne datum bonum, ſanctæ coniunctionis deſiderio affecti, in hunc conuenêre locum. (Iacob. 1.) Noſtræ igitur ſeruitutis ac totius Eccleſiæ opera eſt, & eſſe credimus, tentare pro viribus, vt hæc principia tam felicia, ſtudio noſtro ita felicem exitum conſequantur, vt Dei gratiæ cooperatores eſſe, dicique mereamur. Cùm itaque dilectiſſimus filius noſter Ioannes Palæologus Conſtantinopolitanus Imperator, vnà cum pijſſimo fratre noſtro Ioſepho patriarcha Conſtantinopolitano, necnon cæterorum patriarcharum legatis, ac multis ampliſſimis metropolitis & Epiſcopis, ac alijs ordinibus Eccleſiaſticis & viris nobilibus, ad octauam diem proximi menſis Februarij Venetias aduenerit, nobis id, quod alijs etiam ex locis antea fecerat, continuò literis ſuis ſignificauit, ſe quibuſdam de cauſis non alienis à ratione, Baſileam, vbi ſynodus celebranda erat, ire non poſſe, idque his, qui ibi iam eſſent, ſcripſiſſe, notumque feciſſe: volens propterea & contendens, vt ipſa ſynodus huc Ferrariam transferretur, & hic tam pium negocium concluderetur. Nos igitur, quibus ſancta Chriſtianorum coniunctio cordi mirũ in modum eſt, quique ipſam celerrimè conficere cupimus, decretum Baſileen. Cõcilij de celebrando generali Concilio, Græcis volentibus promulgatum ac editum, & à nobis poſteà Bononiæ, præſentibus ipſius Imperatoris ac patriarchæ oratoribus, ſuſceptum & approbatum, quæque ad præſens ſanctæ cõiunctionis negocium ſpectent, pro noſtra ſeruitute volentes exequi, vt debemus, ac cupientes ipſum ad concluſionem perducere, omni modo & forma, quibus poſſumus & debemus, præſentibus & conſentientibus Imperatore ac patriarcha, & cæteris hic ad celebrandam ſynodum congregatis, notum facimus & declaramus, prædictam ſynodum hic Ferrariæ, qui quidẽ locus liber & tutus eſt, celebrandã eſſe, & ſic ab omnib. exiſtimari ac dici debere, ſperantes hic abſque diſcordia & contentione, aliave mœſtitia, ſed potiùs amore ſummo diuinam ipſam pacem, & cætera ſancta opera, pro quibus ſynodus conuocatur, tractari, Deoque placato ac fauente, feliciter cõfici poſſe. Datum Ferrariæ, die 9. menſis Aprilis, an. 1438. pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Quo quidem decreto recitato, vnus ex Latinis, & alter ex Græcis ſurrexit, & quiſque ſuos interrogauit, an eis placerent, quæ recitata fuêre. Qui cùm eadem ſibi placere reſpondiſſent, partium ambarum conſenſum literis mandârunt, ac, Deo peractis gratijs, diſceſſerunt. Elapſis autem diebus paſchalibus, Occidentalis Eccleſia, ne tempus fruſtrà contereretur, incepit contendere, vt priuatim de Spiritusſancti proceſſione leuiter agerent, donec qui eſſent venturi, conuenirent. Orientali verò Eccleſia reſpondente, alienum eſſe à ratione, vt abſentibus his, qui Baſileam ad celebrandam ſynodum iam conuenerant, quicquam tractaretur, poſt multam contentionem decreuerunt de Purgatorio ac alijs quibuſdam Eccleſiaſticis quæſtiunculis diſputare, donec tempus ſynodi celebrandæ veniret. Itaque Latini duos ampliſſimos Cardinales, & duos Archiepiſcopos, & duos Epiſcopos, & duos Abbates, & duos Monachos, & duos Notarios: Græci verò, pontifices ſex, & duos abbates, & duos cruceſignatos, ac duos notarios elegerunt, qui bis hebdomada quaque ad diui Franciſci templum ad diſputandum conuenirent. Qui cùm ad diem 4. menſis Iunij conueniſſent, Latini quæſtionem de Purgatorio propoſuerunt, ac ita dixerunt:

Quæſtio de Purgatorio.

NOs ignem, Patres ampliſſimi, in hoc mundo credimus eſſe, quo quidem animæ peccatis leuioribus, vel (vt vulgò dicitur) venialibus obnoxiæ, coadiuuante Eccleſia, ſacerdotum precibus, Miſſis, ac eleëmoſynis expiantur. (Latini.) Nam ſanctorum & iuſtorum animas in cœlo eſſe, ac Trinitati aſſiſtere, ſuam denique felicitatem conſecutas eſſe, nemo dubitat. Animas verò eorum, qui ſine pœnitudine mortem obierint, in inferno vnà cum Iuda pœnas æternas luere profitemur, ita vt tria mortuorum loca ſimpliciter ſint. Vnus quidem ſanctorum, quod cœlum creditur eſſe. Alter delinquentium, qui ſunt inferi. Qui verò confeſſi, ſacratiſſimum Chriſti corpus abſque tamen pœnæ præuia ſatisfactione, ſumunt, continuoque moriuntur, hi dubio procul in ſupradicto igne, quod Purgatorium appellari ſolet, purgantur. (1. Cor. 3.) De quo quidem igne Paulus ad Corinthios ſcribit: Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Et paulò infrà: Ipſe autem ſaluabitur, ſic tamen quaſi per ignem. Hæc Latini. Græci autem ita reſponderunt:

(Græci) Quæcunque Patres ampliſſimi protuliſtis atque citaſtis, Orientalis Eccleſia profitetur, quamuis inter Græcos & Latinos parua ſit differentia: Veſtram ergò ſententiam literis tradite, quod ipſi quoque facturi ſumus, vt in quonam à vobis differamus, palàm fiat.

Quæ cùm audiſſent Latini, magno affecti gaudio, gratias Deo egerunt, & datis literis, diſceſſerunt. Ad 14. autem diem eiuſdem menſis iterum conuenerunt. Et Græci, Pauli dictum longè aliter expoſuerunt, ac ſuam expoſitionem ita literis mandârunt:

(Græci.) Paulus ad Corinthios ſcribens, Patres Ampliſ. Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamentum hoc aurum, argentum (1. Cor. 3.) lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam & reliqua, hominum vitam & opera intellexit, videlicet, an prauæ ſtudioſæve ſint, ita, vt cuius opera in igne combuſta permanſerint, is bonus cenſeatur, ac operum ſuorum mercedem accipiat: cuius autem opus arſerit, id eſt, cuius opera friuola fuerint combuſta, ipſe detrimentum patietur, hoc eſt, damnabitur, & ſaluus erit, ſic tamen, quaſi per ignem, id eſt, in igne ſemper ſaluabitur, in eo luens pœnas æternas, ita vt ignis ipſe, de quo Paulus loquitur, non purgatorius, verùm æternum ſupplicium ſit, de quo etiam inquit Euangeliſta, Diſcedite à me ma- (Matt. 25.)

ledicti in ignem æternum. Nam ipſi Purgatorium, non ignem, ſed obſcurum quendam locum, ac laborum plenum eſſe cenſemus, in quo quidem exiſtentes animæ, lumine diuino priuantur, donec coadiuuante Eccleſia (vt ſuprà dictum eſt) expientur ac liberentur. Sic ergo ſentimus de Purgatorio. Sed in alio quoque differre videmur: ipſi namque tenemus, obnoxias animas & grauioribus ac (vt dicitur) mortalibus peccatis affectas, non ſatis perfectè in præſentia mulctari. Sed poſteaquàm cum ſuis corporibus reſurrexerint, fore, vt perfectiſſimas pœnas pro ſuis delictis luant, quemadmodum etiam iuſtorum & ſanctorum accidit animabus: quippe quę bono quodam imperfectè fruantur: poſt verò ſuam reſurrectionem felicitatem ſibi debitam conſequentur, vt Paulus inquit: Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem. vos autem non ita ſentire videmini. Idcircò veſtram (ſi lubet) ſententiam dicite.

Latini. Nos animas delinquentes, abſque corporibus ſuis, Patres ampliſſimi, non perfectè puniri, vt ipſi quoque tenetis, credimus: ita vt in hoc benè conueniamus: iuſtorum autem ac ſanctorum animas, quatenus animæ ſunt, perfectam ſuam felicitatem aſſecutas eſſe cenſemus: ita tamen, vt aliam cum ſuis corporibus perfectionem expectent, qua quidem perpetuò fruantur.

Græci Tum Græcorum alij cum Latinis, alij contrà (vt ſuprà dictum eſt) ſentientes, partes in duas diuiſi fuére, quorum omnium ſententijs hinc indè literis traditis, conuentum ſoluerunt. Deinde ad 25. & 27. diem menſis eiuſdem iterum conue-

for.*ipſa nerunt, ac * eademmet repetierunt. Nam Latini dictum Apoſtoli ſic exponebant:

Latini. 1.Cor.3. Nos quamplurimis alijs authoritatibus, Patres Ampl. adducimur, vt credamus illud Apoſtoli, Saluus erit quaſi per ignem, pro Purgatorio, non autem pro igne perpetuo, capi

Pſal.11. debere, iuxta illud Prophetæ: Salua me Domini, quoniam

Pſ.79. defecit ſanctus. Et alibi: Salua ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te. Et, Domine Deus virtutum, conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Petrus autem timens ne

Matt.14. ſubmergeretur, dixit: Domine, ſalua me. Chriſtus verò extendens manum, accepit & ſaluauit ipſum. Et, Salua Deus populum tuum. Verbum ergò, ſaluare, Patres Amp. ſemper ad bonam partem accipitur, niſi huius oppoſitum demonſtretis.

Græci. Græci verò tergiuerſantes, ſe ſuas ſententias literis daturos, reſponderunt. Nolebant enim ſuam ſententiam explicare. Sed ita leuiter diſputabant, vt tempus protraherent, donec frequens ſynodus conueniret. Ad 21. verò diem menſis Iulij, Imperatoris iuſſu patriarchæ domum conuenére, vt decernerent, quidnam Latinis de quæſtione ſecunda reſpondere deberent, vbi diuerſa (vt pauloantè dictum eſt) ſentire viſi fuerunt. Tandem poſt multa, Imperatore ac Patriarcha præſente, omnes in eam ſententiam iuerunt, iuſtorum ac ſanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen cum ſuis corporibus, cùm reſurrexerint fruituras: cùm etiam vt ſol vel lumen reſplendeant, quemadmodum Ieſus Chriſtus

Matt.17. Dominus noſter in Thabor monte reſplenduit. Dum autem hæc agerentur, terror magnus Græcos inuaſit. Nam morbus quidam vehementiſſimus Ferrariam affligere cœpit, ita vt mortem ferè ſubitam Ferrarienſes obirent: quo magis etiam Græci territi fuére, quòd morbo eodem Dionyſius præſtantiſſimus ille Sardenſis præſul, non ſine Græcorum omnium luctu obijt. Dei tamen benignitate nemo alius ex Græcis, tum mortuus fuit. Porrò autem iam menſibus quatuor elapſis, vrgebant Græci, vt ſynodus celebrari, ſeſſioneſque fieri inciperentur, tametſi nemo eorum, quos expectarent, conuenerat. Quibus quidem Græcis ſummus Pontifex æquo animo ſatisfecit, dicens: Vbi ego & Imperator ac patriarcha ſumus, ibi Chriſtianorum omnium ſynodus eſſe creditur: præſentibus præſertim cæterorum patriarcharum legatis, noſtriſque cardinalibus. Timebant autem Græci multitudinem Latinorum, propterea quod ſuas ſententias ſuffragijs declarare ſolebant. Hoc tamen metu ſolutis Græcis, vt non ſuffragijs vterentur, verùm quiſque ſuam ſententiam proferret, communi omnium ſententia fuit decretum, vt ſeſſiones inciperet celebrare, ac in primis de duabus quæſtionibus agere: an fas ſit, diuino ſymbolo quicquam addere, & an additio iam facta, Ex Filioque, pia ſit. Porrò autem, quoniam ſummus Pontifex laborabat podagra, & ad baſilicam, vbi ſynodi locus (vt ſuprà dictum eſt) paratus fuerat, nequaquam ire volebat: idcircò decretum ab ipſa ſynodo fuit, vt in ſacello palatij, vbi ſummus pontifex habitabat, ſeſſiones celebrarentur, & octaua die mėnſis Octob. inciperent. In eo igitur loco non aliter quàm in cathedrali Eccleſia, ſedes fuére diſpoſitæ: quarum equidem ordinem, breuitati ſtudens, non repetam: ſilentio tamen neutiquam præteribo, duces, marchiones, comites, equites, ac ciuitatum cùm ariſtocraticarum, tum democraticarum oratores, antè ſummi pontificis & Romanorum Imperatoris ſedem ſubſediſſe. E regione autem apud patriarcham, trium œcumenicorum patriarcharum legatos paulo inferiùs, reliquos deinde pontifices Græcos conſediſſe, cruce ſignatos verò, & reliquos Græcos nobiles, à dextra Imperatoris verſus ſacrarium ſubſediſſe. Nam Demetrius Deſpotus Imperatoris frater, prope dexteram eius, multo tamen eò inferiùs conſedit. Sedem autem patriarchæ, quamuis pontificiæ Imperatoriæque ſedis, quæ quidem æqualiter eminentes fuére, paulò inferior fuerit, ſimili tamen ornatu decoratam fuiſſe. Patriarcharum verò legatos, fuiſſe Antonium Heracleenſem, & Gregorium venerandum, ac magnum confeſſorem pro Alexandreo, & Marcum Epheſium, & Iſidorum Rutenum pro Antiocheno, Doſitheum verò Monembaſienſem, ac Dionyſium Sardenſem, qui mortem obijt, pro Hieroſolymitano. Cæterorum autem Græcorum pontificum, & aliorum clericorum nomina hic prætereo, quandoquidem ipſa in vnionis literis ſubſcribam. Antè verò maius altare, quod (vt ſuprà dictum eſt) diſpoſitum fuit, à Latinorum parte ſex eorum doctores, à parte autem altera ſex alij ex Græcis conſederunt, qui quidem ad diſputandum à ſuis ſelecti fuére, videlicet ex Græcis Marcus Epheſius, & Iſidorus Rutenus, & Beſſarion Nicænus, & Theodorus Xanthopolus cognomento Sideropha, magnus ſacriſta, & Silueſter Balſamorum, magnus bibliothecarius, ac Georgius Gemiſtus. Ex Latinis autem Nicolaus tituli ſanctæ Crucis presbyter Cardinalis, & Iulianus Cæſarinus tituli ſanctæ Sabinæ, item presbyter Cardinalis, & Andreas Archiepiſcopus Coloſſenſis, & Foroliuienſis antiſtes, ac duo Monachi in Theologia præclari. Quibus omnibus ex ordine (vt prædictum eſt) conſedentibus, Latini pro ſua in Græcos beneuolentia concesſerunt ipſis, vt primi exordirentur. Beſſarion itaque facundiſſimus orator, impetrata priùs ab Imperatore ac patriarcha facultate dicendi, Græcam luculentiſſimam orationem habuit.

Die Mercurij octauo menſis Octobris, Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimooctauo, Seſſio prima Ferrariæ.

EX BESSARIONIS TVNC ARchiepiſcopi Nicæni, deinde verò S.R.E. Cardinalis oratio, in Oecumino 16. Concilio Ferrariæ habita, eodem Bartholomæo antiſtite interprete.

Natantes in rebus arduis operam non modò cùm ex eorum animam ſententia rerum ipſarum exitum aſſecuti ſunt, verùm etiam cùm res ipſas aggrediuntur, ac in earundem initijs verſantur, magnam capiunt voluptatem, cuiuſuis enim rei principium non parùm poſſe, forſan neceſſe eſt. Idque propterea totius facti dimidium, communi doctorum ſententia eſſe dicitur, quòd ſi quiſpiam quicquam inceperit, faciliùs finem eius conſequatur, quàm prorſus homines pigri rem ipſam auſpicentur. Porrò autem noſtrum diuini huiuſce muneris principium, alijs cuiuſuis rei principijs multò magis conducere poſſe ſperandum, ac exitum bonum portendere credendum eſt. Id quidem diuinæ credentibus promiſſioni, Deum ipſum nobiſcum eſſe, quo quidem præſente, nequicquam nobis deſperandum eſt: hoc autem ab his eſt cenſendum, qui ex rebus præteritis magnam de futuris faciunt coniecturam. Membra enim Eccleſiæ tam diu ita diſiuncta fuére, vt non modò conuenire, verumetiam coniunctionis nomen ſen-

tire, mirum in modum abhorrerent, ac potiùs eligerent, in proprio incommodo permanere. Nunc autem ea de tanto affecta deſiderio ſunt, vt tametſi multæ res ipſis ſint impedimento, remotis nihilominùs omnibus, ſummo ſtudio in conficiendam pacem incumbant. Quis igitur hæc non cenſeat diuino numini adſcribenda? Quis deinde non ſperet ex his magnum commodum poſſe conſequi? Hæc igitur dies iucunda & læta eſt, & nobis conuenit exultare, ac in ſpiritu gaudere. Nam illuſtrium rerum exitus, illuſtria ſolent habere principia, vberrimarumque frugum multæ primitiæ ſunt. Machinationes iam & inſidiæ, ac doli, quibus noſter hoſtis acerrimus nos ita complicuit, vt amici fratreſque, immò vnius ipſius capitis membra parteſque, necnon illius paſtoris grex, inter nos certaremus, diſſolui & explicari ac derui videntur incipere. Ipſa verò ſeiuncta confractaque membra, coniungi* atque vniri, & vno ac eodem angulo fulciri cupiunt atque contendunt. Propterea que hi patres vnanimes, parique ſtudio frequentes huc conuenére, non planè curantes quauis in cauſa victores euadere magis, quàm victi ſuccumbere: quandoquidem ſi eo animo eſſent, Chriſti diſcipuli, probive viri non cenſerentur, verùm homines ſeditioſi, ac ſibi ſuiſque voluptatibus tantummodò indulgentes, maximo ſanè veritatis cognoſcendæ deſiderio ſunt affecti, etiam ſi cedere debeant. Nam ſine veritate nullo pacto victoriam vellent conſequi. Quapropter neceſſe eſt, vt veritas omnibus pateat, ac cæteris rebus præſtet & dominetur, & ſe perturbantes conculcet, atque cunctorum mortalium inſideat animis. Mendacium autem cum his,* qui ab ipſo dependent malis, procul ab hominibus latitet: & ijs tantum dominetur ac imperet, à quibus vt parens colitur, quique (ipſo duce) omnia dicunt & audent. Quis, obſecro, quicquam aliud huius noſtri muneris ſimile proferre, vel præteritorum aliquid præſentibus his rebus æquiparare poterit? Recedant igitur vetera, & noua ſint omnia: Omnes exultemus ac gaudeamus in ſpiritu, omnes Seruatori hymnum canamus, & pro his rebus gratias ei agamus, eundemque religioſiſſimè imploremus, vt exitum initij huiuſmodi congruum concedat. Porrò autem oportet, vt quiſque noſtrûm, quæ ad huiuſmodi finem pertineant, & ſacræ Eccleſiarum coniunctioni expediant, pro ſuis viribus conferat. Sanè omnia ſunt tentanda atque tractanda, nil prorſus omittendum, non ſtudio, non diligentia, non officio, non denique laboribus eſt deficiendum. Repetendum præterea nobis memoria eſt, non tantùm oportere Deum ipſum precari, verùmetiam ei miniſtrare: non enim omnia ab eo nobis ſperanda eſſent, niſi ipſi quoque inſudaremus. Namque noſtris precibus prorſus contrarium videretur, ſi Dei auxilium implorantes, nil dignum operaremur, quare id agere ac nobis auxilio eſſe deberet: Quod ſi fecerimus, nobis profectò fauebit, ac ſeſe benigniorem, alacrioremque fautorem ad finem vſque præſtabit.

*quæ

Ad Deum Patrem.

Seruator Deus, vtinam fiat, vt in eam diem viuamus, ac diem triumphalem & celebrem hymnum tibi cantemus, atque à te vno eodemque patre cuſtoditi, idem tibi melos canamus, ac vna eademque harmonia coniuncti, ſub te ſolo capite viuamus, ſpiremus, moueamur, ac illud idem vnumque velle & nolle ſentiendo ac proferendo, vnum ſimus.

Ad Chriſtum.

Chriſte rex omnium, te ipſum ſolum regem noſtrum eſſe volumus ac obteſtamur, qui te ipſum pro nobis reis & obnoxijs redemptionis precium dediſti, tuoque precioſiſſimo ſanguine à tyranno nos redemiſti & eripuiſti. Fac igitur vt vnum tuum ouile ſimus, ac ne patiare, vt tui cùm ſimus omnes, diſiuncti inter nos diſſideamus, neque decertantibus nobis te ducem præbeas, nec denique parti decertare volenti faueas: verùm vtrique ſimul parti auxilio ſis, quandoquidem pro vtraque parte te ipſum tradidiſti, effuſoque tuo ſanguine partem vtramque redemiſti. Nobis obſecro communiter annue, communemque nobis te præbeas adiutorem, ac nos proportione quadam in [illegible], relatione verò ac habitudine inter nos diſpoſitos, ad teipſum vnum eundemque noſtrum inſtitutum finem adducito, neutiquam permittendo, vt inter nos diuiſi atque ſeiuncti maneamus. Ex eo namque neceſſariò id acciderit, vt ſimul cum cæteris mortalibus tanto ac tali fruſtraremur fine.

Ad Spiritum Sanctum.

Sancte ſpiritus, gratiarũ fons, ſpiritus ſapientiæ & intellectus ac timoris Dei, de quo & cum quo hoc Eccleſiarum certamen propoſitum eſt: vtinam ſuperba mente nos liberes, ac Dei timorem noſtrûm omnium animis ingeras, nobiſque prudentiam ac ſapientiam largiare, & nobiſcum certamen hoc, quod pro te gerimus, iniens, veritatem ipſam omnibus patefacias, quia non modo veritatis ſpiritus es & appellaris, verumetiam ad te ſpectat, ſecundùm veram & nunquam fallacem illius veritatis vocem, omnem nobis veritatem oſtendere.

Ioan. 16.

Ad Trinitatem.

Deus trinitas, quæ cuncta ineffabiliter prouides, producis, contines, regis atque gubernas, tuum opus eſt homo, poſt cuncta alia in lucem creatum, quod cùm omnibus viſibilibus præſtet, illud etiam eximium, ac abs te regale priuilegium habuit, vt præparatis ſuiſque præordinatis commodis ad vitam prodiret, cui quidem ſæpè, quinimmò ſemper corporea hæc, & præſentis vitæ rationi conducibilia, necdum ea, quæ ad optimum animi ſtatum pertineant, proſpicis. Cuius præcipuum bonum eſt veritas, ac circa lætalia non decipi, quod ſanè rerum omnium, quas habemus, vel in poſterum habere poterimus, optimum ac diuinum eſſe cenſetur. Nobis ergò concedas poſſe veritatem agnoſcere, cognitamque complecti. Et ſi in aliquo, in his præſertim, quæ de te facimus, verbis quicquam committimus, nobis indulgeas: quandoquidem ipſa non modò incomprehenſibilis ac imperſcrutabilis es, verumetiam plura eorum, quæ à diuina tua emanant imagine, abſtruſa valdè, vmbræque ſimilima, & vt ſimilitudines quædam exiſtunt. Noſtris precibus quæſumus annue, ac viam, quæ ad te ſolum verum Deum dirigit greſſum, nobis te ducem ſequi volentibus oſtende, ac quemadmodum ipſa ex tribus conſiſtens perſonis, tali ternario numero non obſtante, vnicam ſubſtantiam & naturam contines: ita etiam nos, tametſi multi, diuerſorumque generum, immò iam authore maligno hoſte, variæ opinionis ac fidei ſumus, hanc iſtam tamen differentiam è medio noſtri tollas, & ita facias, vt vnam fidem colentes, vnam ſententiam habeamus, non generum noſtrorum diuerſitate, vel noſtrorum corporum numero ac multitudine obſiſtente, quo minùs vnum in te prorſus ſimus, ac illud idem de te ſentiamus. Sed de precibus hactenus.

Ad patres.

De vobis autem patres ampliſſ. quid dicam, qui ſacram hanc ſynodum celebratis, qui tantæ rei eſtis authores, qui plurimum elaboratis, qui multa ſæpenumerò vota effudiſtis, vt diem hunc videretis, quippe qui dies futurarum clariſſimarum rerum nuncius, ac earundem initium, exituſque præco præclarus eſt? Quis igitur vobis ſatis dignè benedicere poterit, voſque ſatis laudare decenter, qui iam laborum veſtrorum fructus pullulare germinareque conſpiciatis?

Ad ſummũ Pontificem.

Pater beate, nunc beatus exiſtis verè, ac citra dubio procul beatior, cùm Dei benignitate ad huius diuini muneris exitum peruenerimus, ad quem Deus ipſe nos duxerit, à quo quidem (ſi Eccleſias eius coniunxeris) ampliſſima tibi præmia proponuntur. Præclarum profectò facinus erit, ſi ad finem perſeueraueris, & ſcandalis ac offendiculis è medio ſublatis, pacem ac coniunctionem Eccleſiarum confeceris, vtpotè qui vehementi zelo, cura eximia, longis denique vigilijs ac cogitationibus, Chriſti filios terrarum vndique congregaueris, iampridem cogitantes, vt illuſtrata veritate, fraternè ſpiritualiterque coniungantur, idemque velint ac ſentiant. Quæ, pater ſanctiſſime, quis obſecro poterit inficiari? quæ quidem cunctis mortalibus patent, & quorum ego ac omnes hi patres teſtes ſumus. Oportet igitur te finem ipſum adſpicere, ac quæcunque ad Deum ſpectant, ita prouidere, diſponere, conficere, ſit quam nunc ex his capimus voluptatem, eadem proſequendo vires augeat, ac multo magis aucta, prope finem vltimam tandem attingat lineam. Si namque principia hæc, & exordia ſunt præclara, exitum his congruum qualem fore putas? Quibus profectò benedictionibus dignus fuerit, quantum laudem & honorem ſuſcipiet, quot denique merebitur laureolas is, qui, cùm tot mortalium excuſationes abſtulerit, quàmplurima etiam alia impedimenta in futurum euertet? Qua in re, pater ſanctiſſime, filium Imperatorem adiutorem habebis, te quoad opus fuerit conſecuturum, vtpotè qui pius, religioſus, vehemenſque Chriſticola eſt, quique cùm pluribus virtutibus præditus ſit, in Deo tamen colendo, & pro religione piè certando, plurimum excellit, & qui quamuis confectus ætate ſit, coniungendarum tamen Eccleſiarum deſiderio ſemper affectus, ſummo ſtudio quærit opportunitatem, prudentia verò proſpicit & amplectitur omnia, quæ ad hanc rem opus ſint, quique ad hoc tantum taleque bonum adſpiciens, ac ei vehementer

incumbens, pericula omnia adijt: & ocium paruipendens maximos maris æſtus, ac in cœlum ſublatos fluctus nequaquam extimuit, vitam denique ſuam ſimul cum patria maximo rerum diſcrimini obiecit, vt CHRISTO deſeruiens, Eccleſiæ pacem conficiat, cuius ſeſe miniſtrum, nedum acerrimum defenſorem, obtulit. Prætereà perbeate pater, pius ac ſacer Patriarcha tibi pari ſtudio præſto eſt, qui licèt ad extremam iam peruenerit ſenectutem, confectoque corpore ſit, eius tamen animus ſemper multis præditus bonis viget, feruetque ac magno afficitur deſiderio, votaque plurima edit, vt ſibi liceat tibi in hoc diuino munere inſeruire, cuius gratia his rebus quæ modò fiunt, mirum in modum oblectatur, ſimulque labores libentiſſimè ſuſtinet, vt præclarum hoc facinus ad optimum exitum perducatur, quo ſine ne viuere quidem vellet. Ampliùs beatiſſime pater, omnes hi patres ampliſſimi in hac tibi prouincia auxilio erunt: quippe qui nil aliud magis deſiderant, quàm hunc optatiſſimum finem aſſequi, ad quem quidem omnes ſpectamus, atque ipſius deſiderio vehementer affecti ſumus, & cuius cauſa huc de longinquo ſpatio frequentes conuenimus, ac in extera terra moramur, cùm alij è media terra Græciæ, alij ex vltimis ſeptentrionalibus, alij verò ex Orientalibus, ſubſolaniſque regionibus, ad hanc Italiæ plagam nauigauerimus.

Tot igitur ac tantorum hominum ſtudium ne vincat hoſtis malignus, nequaquam fiat, ô Seruator ac omnipotens Deus, vt tot clariſſimorum virorum conuentus, cura eximia, longo tempore, ſummo labore, maximo denique ſtudio conuocatus, ſuo voto, ſpeque fruſtretur. Non enim id eſſet ſapientum ac diuinorum virorum, nec eorum qui ſuos ſermones in iudicio diſponunt. *[Pſal. 111.]* Alios igitur is hoſtis inuadat, & aliorum hominum victoria gaudeat. Nos autem nullo pacto vexet. *[Ephe. 6.]* Ipſi ſpiritualibus armis veſtiamur, vt ei pro viribus obſiſtamus. Ipſi iuſtitiæ loricam, ſpirituſque galeam induamur, ac duce verbo Dei, in noſtros irruamus hoſtes: quocunque nos illud duxerit, ibi finem imponamus; & nulla contra Deum arrogantia & ſuperbia, vanaque mente in certaminibus noſtris vtentes, ſed Deum ipſum præ oculis habentes, ad eundem ipſum Deum feſtinemus. Porrò autem fit, vt nonnulli benè ſuccumbere malint, quàm ſemper vincere malè, vt non ſolùm bonum ſit vincere, verumetiam quandoque vinci, ſeruata tamen ſemper boni ratione ac menſura, non magis in victore quàm in victo. Et ſi quiſpiam forſan dixerit, ſemper vincere magis expedire, quemadmodum etiam cuiuis magis conducit, aliquo ſeipſum afficere bono, quàm alijs benefacere: & audire melius eſt, quàm alijs rem aliquam patefacere: necnon aliquem non errare, quàm quo minùs alij errore ducantur, agere. *[Ad Imperatorem.]* Inuictiſſime Imperator, in cardine iam res eſt, quodque iam diu deſiderabas, adeſt. Deum ergò glorifica & extolle, cuius hoc opus eſt, vtpotè qui id tibi venire fecit in mentem, ac vt eius deſiderio caperère, necnon eodem authore, res ad hunc ſtatum peruenit. Si igitur pro rebus peractis maximas ipſi Deo gratias habebimus, pro futuris verò eidem ex corde preces effundemus, rem profectò dignam nobis, necnon præſenti noſtro muneri neceſſariam faciemus: quinimmò miſericordiam ab ipſo conſequemur, ſi de præteritis quidem non ingrati, in poſterum verò nos, ac totum ipſum negocium ad eundem Deum referentes, *[Pſal. 54.]* & omnem ſpem curamque noſtram in ipſo reponentes, noſtris precibus dignos nos oſtenderimus, qui quidem Deus diuino nos ac cæleſti cibo nutriet, abſque quo nemo viuere poteſt. Vt ergò nunc vſque feciſti, cùm eum obteſtando, & auxilium eius implorando, tum per te ipſum quæ opus eſſent, conficiendo, ita etiam in futurum, quo magis ad exitum appropinquamus, eo alacriorem, promptioremque te oſtende, in hoc negocium incumbendo, die noctuque vigilando, quouſque ad perfectum finem peruenias, atque curis & cogitationibus animum tuum leues. Et quoniam natura comparatum eſſe videtur, vt ea quæ vi mouentur, ſuique motus cauſam extrinſecus habent: cùm prope metam ſint, tardiùs* cientur, *[* cieantur]* quàm illa, quibus eiuſmodi cauſa intrinſeca eſt, quæ cùm propiùs vident metam, eo fieri videntur velociora: idcircò tu, qui in his bonis rebus verſaris, quorum caput Eccleſiarum coniunctio eſt, quique ab intrinſeco ac naturali motu moueris, caue obſecro, ne illud accidat tibi, vt in finem tardior euadas. Sed ipſum tuum optatiſſimum finem pro viribus tuis aſſequere, quandoquidem bona omnia bonum ſibi rebus omnibus finem conciliant. Ergò tu factus ſemper alacrior, nos etiam cùm adhortatione, tum ſummo tuo imperio diligentiores reddas. Beatiſſimum autem patrem noſtrum, quia ſenex ac inualidus eſt, ætati & eius valetudini priùs conſulens, vt hæc omnia memoria repetat, cùm ipſum exhortando, tum etiam tuam ei operam nauando, excita. Tantum enim ac talem hortatorem reuerebitur, quem nactus non lentum, vnà cum ſacro Patriarcha noſtro, necnon ampliſſimis his S.R.E. Cardinalibus, cæteriſque præſentibus reuerendis patribus, duce Deo, finem his rebus imponet, quem vtinam aſſequamur, ac lætiores, ſpiritalique gaudio pleniùs affecti, beatiſſimo patri laudem, tuo verò ſacro imperio ſummam habemus honorem, extollentes, ac maximis vos laudibus efferentes. Sanctiſſimus autem Patriarcha, & horum ſanctorum patrum conuentus, vtinam poſteaquàm Deó dignum hymnum cantauerint, vobis etiam laureolam orationibus ſuis contexant: mihi denique reliquum vtinam ſit extremum id oneris ſubire, vt ſimul omnes comuni laude extollam, ac meo munere magno honore afficiam: ita vt mea extrema & communi oratione, quod equidem vehementiſſimè cupio, vos ſub vno eodemque Deo, ac vero noſtroque Domino exiſtentes, exornem, quod quidem ſummum eorum creditur eſſe, quæ Deo afferre poſſumus & debemus, cui gloria conuenit in æternum.

Cùm autem Beſſarion peroraſſet, ſynodus ſancta decreuit, vt ſeſſio dimitteretur, & ad vndecimum diem menſis eiuſdem ſeſſio ſecunda celebraretur.

Seſſio Secunda.

SEſſio ſecunda Ferrariæ die ſabbati vndecimo menſis Octobris celebrata, in qua reuerendus Pater Andreas Coloſſenſis orationem copioſiſſimam habuit, qua quidem in omnibus Beſſarionem imitatus, in primis beatiſſimum patrem, deinde ſereniſſimum Imperatorem, ac ſanctiſſimum Patriarcham, totam denique ſynodum laudauit, & benedixit. Cùm autem iam adueſperaſceret, ſeſſio dimiſſa fuit, decreto, vt ad diem martis ſequentem tertia ſeſſio conueniret. Interea quæſitum priuatim inter ipſos diſputatores fuit, quiſnam primus negocium aggredi, & quonam genere diſputandi vti, & de qua quæſtione agere priùs deberet. Poſt multa verò placuit eis, vt Græci priùs exordirentur, & argumentis breuibus, vt aſſolent dialectica vterentur: & an diuino ſymbolo quicquam liceat addere, priùs agerent.

Die martis decimoquarto menſis Octobris, tertia ſeſſio Ferrariæ.

TErtia igitur ſeſſione congregata, Marcus Epheſius præclarus Theologus, Imperatoris ac Patriarchæ iuſſu, negocium ipſum aggreſſus, pro Græcis ſermonem hunc habuit: *[De Marco Epheſio, vide Notas Conc. octaui, verbo approbatum. MAR.]*

Quoniam omnipotentis DEI benignitate huc frequentes conuenimus, vt ſummo ſtudio Eccleſias coniungamus, ac ſummam pacem, quod quidem opus diuinum eſt, conficiamus: idcircò ſummoperè conuenit, vt noſtris in diſputationibus ac omnibus controuerſijs mutua noſtra beneuolentia ſemper ſeruetur. Et ſi nobis contigerit aliquid proferre, quod veſtras offenderit aures, id opinionum ac rationum noſtrarum varietati aſcribatis: quandoquidem amicitia vera ex hominum vultu magis quàm ex verbis, percipi creditur. Scire autem vos patres ampliſſimi velimus, nos de ſymboli additione verba eſſe facturos, quòd neque vera, neque prorſus conueniens ſit, quam ſanè conſtat noſtri ſchiſmatis ac diſſidij præcipuam cauſam fuiſſe. Siquidem igitur vobis placet, rem nunc aggrediemur: ſin minùs, in ſeſſionem ſequẽtem differatur. Videtur autem nobis ſic ſemper fieri oportere, vt quod ſequentibus ſeſſionibus tractaturi

ſimus, id priùs omnibus pateat, vt parati ad diſſerendum veniamus. Tum Andreas præſul Coloſſenſis pro Romana Eccleſia ita reſpondit:

AND. Nos quidem à vobis mutuò diligi, ac vobiſcum Deum eſſe cenſemus: propterea ſi quicquam prolatum fuerit, (vt à vobis dictum prudenter eſt) quod cuipiam diſplicuerit, id vitio nemini vertendum, ſed noſtræ potiùs diſputationis naturæ concedendum eſt. Operæprecium autem eſt, vt ad ſingulas interrogationes non ambiguis & obſcuris, verùm apertis & claris orationibus viciſſim reſpondeamus. Quoniam verò ex nobis quæſiſtis, cur Romana Eccleſia additionem ad ſymbolum fecerit: idcircò quid ipſe ſentiam, paucis reſpondebo, meam tamen reſponſionem nolim nunc vt perfectam ſuſcipiatis, ſed conſultis priùs patribus his, aliàs accuratiùs reſpondebo.

MAR. Reſponſione aliqua, pater reuerende, præſertim tua, quam nobis pollicitus es, nequaquam in præſentia indigemus. Nondum enim in medium protulimus ea, quæ ad hanc rem pertinerent: ex ipſorum igitur patrum ſententia, ſuo loco (vt à te dictum eſt) reſpondebis.

AND. Dixi equidem, pater reuerende, nolle me reſponſionem meam tanquam perfectam admitti: puto tamen quàm maximè conuenire, vt, ne beatiſſimus ſacræ ſedis huiuſce præſidens necnon mitiſſimus Imperator ac Patriarcha ſanctiſſimus, cæterique præſentes patres, hinc hodiè (vt ita dixerim) ieiuni habeant: ipſe nonnulla, prout tempus hoc mihi videtur concedere, verba nunc faciam, maturiùs tamen in poſterum reſponſurus.

MAR. Additionis veſtræ rationem quærentes, vt hi, qui cauſas agunt in foro, actores eſſe videmur. Idcircò nobis viſum eſt petijſſe, ſi veſtro commodo poſſit fieri, hanc noſtram accuſationem audire, vt nobis rem ipſam nunc aggredi concederetis, veſtram deinde reſponſionem libenti animo audituris.

AND. De his igitur hactenus, & proferas quodcunque libuerit. Nos autem ſuo loco ſigillatim ad omnia reſpondebimus.

MAR. Tum idem Marcus præſul Epheſius, impetrata priùs ab Imperatore & Patriarcha dicendi copia, ita exorſus eſt: Ieſus Chriſtus Deus noſter ſuam proſpiciens mortem, Patres ampliſſ. ſuis diſcipulis dixit: Pacem meam do vobis, pacẽ meam relinquo vobis. (Ioan. 14.) Quæ quidem verba teſtamentum ipſius conuenienter appellare ſolemus, quo eis veram ac optimam hæreditatem reliquit, quæ cùm Chriſti propria eſſet, meam ideò protulit: pro qua nil aliud ab ipſis petierat, quàm vt ſeſe mutuò diligerent: ita vt certa conditione, non autem liberè, ipſa frui deberent hæreditate. Quidam enim veteres homines certa conditione ſua bona ligare ſolebant: qua quidem nequaquam ſeruata, hæredes ilicò exhæredabantur. Haud aliter ergò Seruator noſter Teſtamentum ſuum ſignauit, ita vt ſi eius diſcipuli vel hæredes mutuam inter ſe beneuolentiam non ſeruaſſent, eadẽ ipſa hæreditate, hoc eſt, pace Chriſti, priuarentur. Cuius quidem pacis ac mutuæ illorum beneuolentiæ gratia, Seruator noſter multa bona verba ijſdem ſuis auditoribus fecit, modò inquiens: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem: modò autem ita, Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. (Ioan. 15. Ioan. 16.) A quorum quidem altero bono, id eſt, à mutua erga ſororem ſuam Orientalem Eccleſiam beneuolentia Romana Eccleſia iam defecerat, dogmaque ſibi proprium finxerat, ac ſibi perpetuò conſeruauerat, quod neque literis ſacris relictum, neque ab vniuerſalibus Concilijs celebratum, neque à maioribus noſtris ſuſceptum & probatum fuerat. Idque propterea ſoluendæ noſtræ amicitiæ cauſam, ſimultatumque noſtrarum initium, dubio procul fuiſſe conſtat. Vt igitur ex ipſo dogmate inimicitiæ diſcordiæque inter nos conſecutæ ſunt, ita quoque Romana Eccleſia benignitate Dei pacem vehementer deſiderans, eam vt faciliùs conficiat, ab amicitia ipſa facere aggreſſa eſt, quam pariter Eccleſia noſtra cupiens, huc quàm celerrimè venit: ſperans, cooperante Deo, vt ſumma pax hinc ſequatur, ac ſimultates diſſenſioneſque noſtræ cauſis remotis tollantur, quemadmodum aduerſis valetudinibus ſolet contingere: hæc quidem vera medendi ratio videtur eſſe. Vos igitur enixè rogamus, ac vehementer à vobis contendimus, velitis vt nobis id temporis redeat, in quo coniuncti ſumma pace fueramus, idem ſemper volentes & ſentientes. Et quemadmodum ad pacem nobiſcum reconciliandam, qua quàm longiſſimo temporis interuallo fuimus priuati, à vobis benignè ſumus conuocati: ita etiam non * committatis, quin nobiſcum ac cum maioribus noſtris, qui in ſeptem vniuerſalibus illius Concilijs claruerunt, in vnam eandemque ſententiam conueniatis, quorum inprimis definitiones & decreta nobis ſunt recitanda, vt ipſas inter ſe concordes ac valdè conuenientes, non ſolùm in ordine, verùm etiam in ſententijs fuiſſe, luce clariùs oſtendamus. Sic enim hoc noſtrum generale Concilium eo cætera concilia facilius, vt par eſt, * mirabitur. A recitandis ergò decretis eiuſmodi debemus incipere: tum ea, quam modò diximus, ratione: tum etiam, vt patrum ſanctorum precibus hoc noſtrum munus meliùs agatur, ac eorundem ſententijs & authoritatibus pro noſtris fundamentis vtamur.

*omittatis

Mirum ab iſto omitti vel Conſtantinopolitanam octauam.

*imitabitur.

AND. Orationem veſtram, patres Ampliſſ. quæ quinque nobis in patres diſtributa videtur eſſe, benè credimus percepiſſe. In prima namque de vno Chriſti Domini noſtri verbo ſubtiliter Epheſius pater diſſeruit, quanam ratione ſuis diſcipulis pacem ſuam Chriſtus ipſe reliquerit: ex qua quidem noſtra amicitia naſcitur, ac deinde ex ea pax ſumma conſequitur. In altera verò parte probare conatus eſt, Romanam Eccleſiam amicitiam veſtram nihili feciſſe: ob idque pacem, quam à Chriſto (vt ſuprà dictum eſt) habuimus, diſſolui neceſſe fuiſſe. Nam in parte tertia demonſtrauit, vos ad noſtras controuerſias diſſoluendas, pacemque reconciliandam, ab eadem Romana Eccleſia rogatos, frequentes huc conueniſſe. In quarta deinde parte declarauit, nulla ratione fieri poſſe, vt pax inter nos componatur, niſi prius ſchiſmatis & diſſidij noſtri cauſa penitus tollatur, quemadmodum ægris corporibus ſolet euenire, quæ tunc benè ſanantur, cùm radices ægritudinis euelluntur. In vltima denique parte concluſit, operæprecium eſſe, vt decreta Maiorum noſtrorum inſpiciamus, ac in primis eadem recitentur: vt hoc etiam ſacrum Concilium cætera rebus in omnibus imitetur ac conſectetur, & de hoc noſtro negocio meliùs argumentari poſſimus. Ad quæ omnia, Patres Ampliſſimi, quandoquidem ad fidem noſtram plurimum attinent, ac magna indigent conſideratione, ſeſſione ſequenti accuratiùs reſpondebimus: nonnulla tamen in præſentia verba faciemus, quæ nobis modò ſcitu digna videntur. Namque vobis notiſſimum eſt, noſtram in vos beneuolentiam ſemper firmam validamque fuiſſe & eſſe: quæ quoniam à Deo optimo maximo dependet, qui nos in primis dilexit, quique optimus amicitiæ veræ author, ac perfectiſſimus finis exiſtit, idcircò amicitia ipſa in eius Eccleſia à nobis colitur & ſeruatur. Qua de re neſcio equidem Patres Ampliſſimi, cur nullam feceritis mentionem. Miror autem vehementer, quòd vos lateat, ipſam Romanam Eccleſiam, ortæ iam plurimæ in Orientali Eccleſia hæreſi, tum literis & legatis, cum cæteris opportunis remedijs quibus potuit, ſe prouidè ac diligenter oppoſuiſſe, ſibique Eccleſiæ auxilio ſemper fuiſſe. Nonne Nicæno Concilio Silueſter ille pontifex ſummus interfuit? Num cæteris in Concilijs generalibus, pontificibus ſummis abſentibus, eorum legati defuerunt? (Scil. per legatos.) Si ergò Conſtantinopolitani Imperatores pari ſtudio, mutuiſque officijs Romano Pontifici quandoque fuerant auxilio, mirari profectò deberet nemo. Credo equidem Patres Ampliſſ. exploratum vobis eſſe, ſummos omnes pontifices, orta tali controuerſia ac diſcordia, pacem ſemper deſideraſſe, eique vehementer incubuiſſe. Imperatores etiam ipſos ac cæteros Orientales principes, vt pacem componerent, ac ipſis (vt par eſſet) obedirent, rogare & obſecrare non deſtitiſſe. Rogo autem vos, me patiamini quandoque liberiùs loqui, etiam ſi quicquam protulero, quod veſtras offenderit aures. Nam ſi (vt aſſeritis) verum eſſet, nos à veſtra pace diſceſſiſſe, quando eam à nobis repetiſtis? quando legatos ad renouandam ipſam ad nos miſiſtis? Sed venio ad tertiam ſimul & quartam partem: Meridiana profectò luce clarius eſt, id quod vos nequaquam inficiari poteſtis, Romanam Eccleſiam concordiam valdè deſiderare. Nonne ſummus hic Pontifex pro pace conficienda multam pecuniam erogauit? Nonne legatos ad vos hac de cauſa ſæpenumerò miſit? Siquidem igitur amicitiam noſtram, quam modò velle videmini, anteà quoque voluiſſetis, eam proculdubiò, vt nunc, facilè habuiſſetis. Quid? Nonne Gregorius ſum-

mus

In Concilio Lugdun. Græca Eccleſia, Romanæ fuit reconciliata.

mus Pontifex, ad celebrandum Lugdunenſe Concilium, nuncios ad Conſtantinum Imperatorem, atque ad alios Orientales principes miſerat, quando etiam rem ipſam concordi pace compoſuit? Non igitur Romanam Eccleſiam pacis recuſandæ incuſare veſtro iure poteſtis, cùm ab ipſa pax ſemper ſumma religione ſit culta, quæ in poſterum etiam eius pro dignitate ſeruabitur. Sed de his hactenus. Ad extremam autem orationis veſtræ partem reſpondeo, non inconueniens fore, ſi maiorum noſtrorum decreta Græcè Latineq́ue recitabuntur. Etſi non inſcius ſum, ad quæſtionem noſtram ea neutiquam attinere, cùm diuino Euãgelio, ſupremum obtinenti locum ac dignitatem, in primis nobis ſit innitendum. In medium igitur afferatis, quicquid vobis videbitur, quod quidem ipſi libenter ac attentè audiemus, ſperantes ex eo facilè fieri poſſe, vt etiam vos reſponſionem noſtram benignè auſcultetis.

MAR. Tametſi verum eſt, pater reuerende, Romanam Eccleſiam orientali ſemper hæreſi obſtitiſſe, temporibuſq́ue perturbatis fidei noſtræ auxilio magno fuiſſe, id tamen ad argumenta noſtra ſoluenda minimè pertinere videtur. Nam antè huiuſmodi ſchiſma & diſſidium noſtrum, mutuam inter nos beneuolentiam pacemq́ue ſummam fuiſſe conſtat. Orto autem ſchiſmate, proh dolor, etſi Romani Pontifices ad Orientalem Eccleſiam literas ſæpiſſimè ſcripſerint, legatos & nuncios miſerint, ipſam exhortantes, vt à Romana Eccleſia non diſſideret: id tamen, non ſublata ſchiſmatis cauſa, vt de valetudinum cauſis ſuperiùs dictum eſt, haudquaquam fieri potuit. Cuius quidem ſchiſmatis cauſam, acceſſionem ſymboli fuiſſe diximus. Neque igitur amicitia, quæ ante hoc noſtrum diſſidium inter nos mutua fuerat, neque ea veſtra in nos beneuolentia, talis diſcordiæ cauſa permanente, cuius vos veri authores fuiſtis, memoria repetenda eſt, quòd nulla eius ratio haberi debere videtur. Verùm nobis redeat tempus illud, in quo coniuncti fueramus: quod quidem nullo pacto benè fieri poterit, niſi priùs eiuſdem diſſidij cauſam radicitùs euellatis. Definitiones autem & decreta aliarum omnium ſynodorum recitanda nobis videntur, vt hæc noſtra ſynodus non ſolùm ab illis non diſcrepare, verùm etiam ipſas in omnibus imitari velle videatur, quoniam nos firmiter credimus, maiores noſtros nil prorſus ſilentio præterijſſe, quod ad noſtrum fidei ſymbolum ſpectet, additionemq́ue veſtram neutiquam ipſi ſymbolo defuiſſe, ac idem nulla prorſus caſtigatione indiguiſſe, ob idq́ue patres ipſos omnibus præcepiſſe, ne cui ſymbolum aliud ſuſcipere, vel ei quippiam addere, aut quicquã ab ipſo auferre liceret, non ignorantes, ſe, quod opus eſſet, ſanxiſſe. Additio igitur veſtra ſchiſmatis cauſa fuiſſe videtur.

AND. Oratio tua, reuerende pater, ex quatuor partibus conſtare videtur. In prima dixiſti, meam orationem fuiſſe veram, haudquaquam tamen ad rem attinentem, ſummoſq́ue pontifices vehementer incubuiſſe, vt pax inter nos reconciliaretur, ſchiſmatis tamen cauſam tollere noluiſſe. In ſecunda verò parte probare conatus es, fieri facilè poſſe, vt cognita vel ablata ipſius ſchiſmatis ratione, pax ſumma ſtatim conſequeretur. Nam in tertia voluiſti, vt generalium Conciliorum decreta in primis recitarentur, vt illa ſectari, imitariq́ue velle videamur. In extrema denique protuliſti, nil ab ipſis Concilijs omiſſum fuiſſe, ita vt aliqua ſit opus additione.

MAR. Non equidem protuli, pater reuerende, fieri facilè poſſe, vt ſi veſtrum dogma verum eſſe cognoſceretur, Eccleſiæ ſtatim coniungerentur: ſed ſi additio ipſa tolleretur, pax ilicò ſumma fieret. Namque tametſi fortè contigerit, vt tale dogma verum eſſe declaretur, id tamen nullo pacto ſuſcipere poterimus, cùm à maioribus noſtris nulla nobis facultas relicta fuerit, vt ſacro ſymbolo quicquam apponere, vel ab ipſo adimere valeamus. Qua quidem in re tota noſtra controuerſia conſiſtit, ac in ea ſe vertit cardo.

AND. Conſtat, patres Ampliſſimi, ſummos Pontifices additionis huius rationem, quam ſchiſmatis diſſidijq́; noſtri cauſam appellatis, tunc etiam literis mandâſſe, cùm ad pacem & concordiam veſtram repetendam legatos ad vos miſerant. Siquidem igitur Orientalis Eccleſia, in primiſque quatuor patriarchæ, quos etiam ſummam pontificiam facultatem habere creditis, Romanam Eccleſiam in hoc dogmate erraſſe, ac talem additionem ſine vlla ratione facultateq́ue feciſſe, ſummo ſtudio voluerant oſtendere, aut iam ſatis oſtenderant: cur, obſecro, noſtra huiuſcemodi lis adhuc ſub iudice eſt? An quòd nil contra nos probare potuerint? Id equidem vobis concedo, fieri potuiſſe, vt tot Conſtantinopolitani Imperatores, tot patriarchæ, tot alij prudentiſſimi viri, ipſam eandem additionem haud rectè factam fuiſſe crediderint: quia tamen id numquam nobis oſtendere potuerunt, idcircò deleta minimè fuit. Itaque Romanam Eccleſiam immeritò accuſatis. Porrò autem, quoniam ab illorum Conciliorum definitionibus & decretis nos creditis prohiberi, quo minùs quicquam agere valeamus, idcircò pluribus ac firmis argumentis oſtendere vobis intendimus, quodcunque ſequens generale Concilium fuerit, eiuſdem fore dignitatis ac authoritatis, qua cætera alia Concilia generalia prędita fuerant, ad ea videlicet facienda, quæ ad Eccleſiam ſpectent. Sed velim nobis reſpondeatis, ſi talis additio vera eſt, cur non iure fieri debuiſſet? aut quid obſtet, quo minùs, id quod verum eſſe conſtaret, ſymbolo apponi deberet?

MAR. Idipſum obſtat, Patres ampliſſimi, quòd nefas eſt: nam multa quoque alia bona & vera videntur eſſe, quæ tamen noſtræ religionis ſymbolo nequaquam nobis addere licet, cuius rei ex eo poſſumus facere coniecturam, quòd maiores noſtri non omne, quod neceſſarium fuerat, eidem ſymbolo addiderunt, ſed pro exigua temporis opportunitate hactenus.

AND. Quoniam mihi videor, Patres Ampl. attentè auſcultari, ideò hæc duo vobis quàm breuiſſimè probare recipio. Primùm, nullam eſſe factam à nobis additionem: deinde, licèt facta ſit, eam fieri neceſſariò debuiſſe. Verùm negocium hoc in ſeſſionem ſequentem differatur. Tum ſynodus ſancta decreuit, vt die proximo quarta ſeſſio fieret. Quo decreto, ſeſſio dimiſſa fuit.

Die Mercurij decimoquinto menſis Octobris, Seſſio quarta Ferrariæ.

AND. SI beatiſſimo Patri noſtro, ac sereniſſimo Imperatori, necnon ſanctiſſimo patriarchæ placuerit, quæ ſeſſione proxima volebam oſtendere, ea nunc libenter aggrediar.

MAR. Nos qui priùs dicere cœpimus, pater reuerende, proſequi quoque debemus.

AND. Miror equidem vehementer, pater reuerende, cur talia verba proferas, cùm ſeſſione ſuperiore nobis attentè audientibus, de additione ipſa longam orationem habueris.

MAR. Dixi equidem maiorum noſtrorum decreta in primis eſſe recitanda, quod, cùm ſeſſione ſuperiore fieri commodè nõ potuerit, nunc ideò peragendum putamus.

AND. Non ignoratis, Patres Amplif. quæſtionem à vobis eſſe propoſitam, ſatiſq́ue dictum, ac deniq; petitum, vt ipſi reſponderemus: quod quidem ob temporis anguſtiam in hanc ſeſſionem fuit dilatum. Non igitur mirari deſinimus, cur id nũc fieri non permittatis. Non enim à definitionibus patrum recitandis rem aggredi debemus. Tum Beſſarion Nicænus Archiepiſcopus pro Græcis ita reſpondit:

BESS. Verùm an falſum quippiam dicatur, præſtantiſſimi patres, non ab audiente, verùm ab eo, qui profert ipſum, præcipuè dependet: nam priuſquàm aliquid dicatur, id verum ne ſit an falſum, dijudicandum non eſt. Oportet igitur vt priùs quiſque, quicquid voluerit, in medium proferat: deinde verò audientes, orationem eſſe probandam, aut penitus refellendam, decernant. Neceſſarium ergò nobis videtur, vt ea primi proferamus, quæ ad rem noſtram ſpectare credimus. Quibus deinde intellectis, ipſi reſpondeatis. Latet autem me, cur nobis rem priùs aggredi non concedatis: ſed mirabundi tot contra nos argumentis vtamini, cùm ipſi benignitate Dei nullam vobis dederimus anſam, quare meritò mirari poſſetis: vos tamẽ voce, non autem animo, mirari putamus. At ipſi contrà, quippe qui, quamuis de vobis quandoq; magnam capiamus admirationem, tacemus tamen. Porrò autem hæc diſputandi ratio, qua vtimini, quòd longa fiat oratione, neutiquã nobis placet. Hac nanq; via nunquã ad

concluſionem aliquam perueniemus. Operæpretium igitur eſt, nos non perpetua & prolixa oratione, ſed dialecticè congredi, breuibus quærendo, breuibuſque reſpondendo. Cumque fuerit opus, breuiùs viciſſim contradicendo: ſic enim agendo, finem faciliùs aſſequemur. Porrò autem quoniam noſtrum eſt, quæſtionem vobis proponere, ac ſimul argumentari: propterea cùm id ipſi fecerimus, tunc iure veſtro reſpondebitis. Namque ſi nondum noſtras rationes audiuiſtis, quonam (obſecro) pacto ad eas benè poteritis reſpondere?

IVL. Tum Iulianus ſanctæ Sabinæ Cardinalis pro Romana Eccleſia ita reſpondit: Reuerendi Nicæni præſulis oratio, patres ampliſſimi, mihi mirum in modum placet, vt breuibus diſſeratur, & quauis propoſita quæſtione, ipſius quoque ratio explicetur ac declaretur, & ei concluſioni acquieſcamus, quæ pluribus placuerit, quamque maior pars noſtrum probârit. Namque ſi nobiſipſis conſtare, ac in eadem ſententia permanere nolimus, nil boni prorſus egerimus. Si quidem igitur pater Epheſius propoſuerat, Romanam Eccleſiam cauſam ſchiſmatis fuiſſe, ac quæſtionem ipſam, de qua ſumus dicturi, patefecerat, & Coloſſenſem antiſtitem prouocauerat, vt tunc, vel ſeſſione ſequenti reſponderet, conueniens mihi videtur eſſe, vt Coloſſenſis ipſi reſpondeat, deinde cuiuis concedi ad proferendum quicquid libuerit.

Hic Iulianus, relictis Baſileenſibus, rediit ad Eugenium ſicut & perplures alij.

BESS. Ita profectò ſentimus ac volumus, Patres ampliſſimi, vt attentè vos audiamus. Poſtea tamen quàm rationes noſtras in medium protulerimus, vt pater Epheſius dixiſſe videtur: quippe qui nobis promiſit, ſe tum aut ſequenti ſeſſione habiturum orationem, ac deindè vos reſpondentes benignè auditurum.

AND. Quoniam, Patres ampliſſimi ad ea, quæ nuper dixiſtis, quæ quidem mihi tria fuiſſe, viſa ſunt, accuratè non poteram reſpondere, idcircò rogo vos mihi concedatis, vt de eiſdem nunc agam. Tum Iſidorus præſul Rhutenus pro Græcis dixit ita:

RHVT. Equidem expediam quàm breuiſſimè, quòd veritas ipſa paucis faciliùs illuſtratur: nobis, vt primi dicamus, patres ampliſſimi conceſſiſtis. Nos autem hanc propoſuimus quæſtionem, nullam additionem ſymbolo fieri debuiſſe. Nobis ergò permittite concluſionem eiuſmodi demonſtrare. Deinde verò reſpondebitis, quandoquidem de procœmijs ſatis.

AND. Orationi veſtræ, Patres Ampliſſimi, quam tribus in partibus diſtributam fuiſſe ſuperiùs protuli, velim reſpondere, ac in primis Ariſtotelica authoritate probatæ quæſtioni, quia eſt, (ſic enim dialectici eam ſolent appellare) quam quidem ſeſſione proxima propoſuiſtis, vos cauſam ac rationem ſimul reddidiſſe: namque dixiſtis additionem illam ſchiſmatis cauſam fuiſſe, ac Romanam Eccleſiam rei huiuſce cauſa multos legatos ad Orientalem Eccleſiam miſiſſe: fieri autem non potuiſſe, vt manente ipſius ſchiſmatis cauſa, pax fieret. Hæc profectò mihi videtur orationis veſtrę ſumma fuiſſe. Ego autem (pace veſtra dixerim) non ſolùm ex Nouo veterique Teſtamento, verumetiam maiorum noſtrorum decretis, ac firmis argumentis vobis promitto probare clariſſimè, Romanam Eccleſiam nullam ad ſymbolum acceſſionem feciſſe, quæ ei licere non videretur: ſed quam vos additionem vocatis, eam explanationem, dilucidationemque quandam eſſe, ipſamque ab eadem Romana Eccleſia iure fieri potuiſſe, ac deniq; Romanam ipſam Eccleſiam non minùs addere quædam, quàm obſcura illuſtrare, clarioraque reddere, ſummam facultatem habere.

BES. An licèt, pater reuerende, quauis in controuerſia confirmationibus vti?

AN. BES. Quid ni? Si quidem igitur nobis conceſſiſtis, vt rationibus noſtris vteremur, nos autem nullam adhuc earum tetigimus, cur obſecro non permittitis, vt ipſas nunc afferamus? An vultis, vt noſtram cauſam abſque confirmatione relinquamus?

ANDR. Dixi equidem, à beatiſſimo patre noſtro ampliſſimiſque patribus iſtis cõceſſum vobis fuiſſe, vt quicquid libuerit proferatis, noſtra priùs audita reſponſione, quam à nobis ſeſſione proxima contendiſtis, ad ea, quæ tunc in medium protuliſtis.

BES. Nequaquàm debetis aſſerere, ſimpliciter vobis cõceſſum fuiſſe, vt nobis reſponderetis, cùm certa conditione id vobis fuerit datum, poſteaquàm videlicet ea nos attulerimus, quæ nobis viderentur ad noſtrum negocium pertinere. Quandoquidem ipſi firmiter credimus, nil addere ſymbolo licere, ſanctorum patrum authoritatibus innitentes: quippè qui non modò nouas ſententias, verùmetiam dictiones, aut alia verba ſymbolo addere prohibuerant. Quod cùm alia ratione demonſtrare non valeamus, niſi eorundem ſanctorum patrum decretis, idcircò neceſſe nobis videtur, ab eiſdem decretis exordiri: quibus deinde recitatis, vobis erit reſpondendi facultas.

AND. Eadem ipſa, Patres ampliſſimi, ſæpiſſimè repetiſtis. Ad probandum autem, falſam eſſe veſtram concluſionem, haud ſanè magnum negocium eſt, quòd tria nobis incommoda ex ea conſequerentur: quòd omnes homines rei eſſent culpæque obnoxij, ac ipſimet ſancti patres anathemate eſſent deuincti, quodque quàm maximum incommodum noſtra religio pateretur, ſi nulla declarandi facultas Eccleſiæ derelicta fuiſſet.

IOAN. Tum quidem magiſter Ioannes prouincialis, pro Romana Eccleſia ſermonem hunc habuit: Magno affecti deſiderio, ſummoque ſtudio, patres ampliſſimi, huc frequentes conuenimus, vt Dei benignitate controuerſia noſtra tollatur: eodem igitur animo, ac amicè rem iſtam nos tractare oportet. Nam in Canticorum canticis ſcriptum eſt, Pacem ſponſam Chriſti veram eſſe. Nobis itaque conuenit, vt mutua beneuolentia agamus, ac noſtris in actionibus optimũ ordinem ſeruemus. Ordo enim apud Doctorem Auguſtinum, eſt parium ac diſparium rerum ſua cuique tribuens diſpoſitio. Quandoquidem igitur orationem vos habuiſtis, reliquum eſt, vt reſponſionem noſtram audiatis. Vos enim non ignorare putamus, duo genera quæſtionum apud Ariſtotelem eſſe: Alterum quidem ſimplex, alterum verò quod à dialecticis, propter quid, ſolet appellari. Quo ſanè genere ſi quiſpiam quicquam quęſierit, eiuſdem etiam quæſtionis cauſam reddere ſimul tenetur, deinde reſponſionem auſcultare. Sin autem ſimplici illo quæſierit, ſanè nulla reddita ratione, reſponſionem ſtatim debet audire. Cùm igitur vos illo modo ſimplici vſi fueritis, iure nunc noſtro vobis reſpondere debemus.

Cant. 8.

BES. De amicitia, reuerende pater eleganter diſſeruiſti, quòd noſtris in diſputationibus ſit ſemper ſeruanda. Quod cùm omnes idem ſentiamus ac velimus, & de hoc ſatis multa diximus, de tam clara re non ampliùs dicere debemus. Ordo quoque nobis ſeruandus eſt: ſed de his ſatis. Quòd autem de duobus quæſtionum generibus mentionem feciſti, equidem tibi reſpondeo, quòd ſi quæſtio noſtra ſimplex fuiſſet propoſita, proculdubiò vobis nunc dicere conueniret. Verùm quoniam altero interrogandi genere vſi ſumus, quærentes cur, quod fieri non liceret, commiſeritis, ipſius idcircò, non licere, rationem & cauſam nos priùs afferre oſtendereq; debemus, quàm reſpõſionem veſtram auſcultemus, qui quidem ordo conueniens eſſe videtur.

IVL. Beatiſſimi Patris noſtri, ac horum omnium patrum iuſſu, Imperator ſereniſſime, vobis dico nos iam crediidiſſe, fore vt præſuli Coloſſenſi, qui modò paratus ad cauſam additionis reddendam venit copiam dicendi concederitis, vt vos ipſe vehementer rogauit. Quoniam autem precibus eius non acquieſcitis, ac plurimùm conuenit, vt ſumma pace ſeſſionem ſoluamus, quemadmodum etiam huc conuenimus, idcircò ſummus Pontifex iubet, vt hic nil ampliùs hodiè fiat. Verùm ad diſputandum electi, priuatim agant.

IMP. Surgamus ergò, ſi lubet, ac accuratè diſpiciamus, an ſit honeſtum, pacique noſtræ congruum, vt priuatim diſputemus. Dimiſſa igitur ſeſſione, Patriarchæ domum frequentes conuenimus, ibique poſt multas inter Latinos ac Græcos diſceptationes, à Græcis decretum fuit, vt nil ampliùs ageretur, niſi priùs ſanctorum patrum decreta, diuinumque ſymbolum recitaretur. Quæ quidem ſententia, Latinis ipſam comprobantibus, vicit. Sequenti autem ſeſſione, quicquid Græci voluerant, Græcè fuit recitatum, interprete Nicolao Secundino Cretenſi, in vtraque lingua erudititiſſimo.

Quæ omnia duo ſcribæ Græci, totidemq; Latini præſentes, literis mandabant.

Die Iouis decimoſexto Octobris, quinta Seſsio Ferrariæ.

MAR. QVOD ipſi concupiuimus, pater beatiſſime, id tu pro tua ſumma humanitate nobis conceſſiſti, vt ſanctarum œcumenicarum ſynodorum definitiones & decreta in medium afferrentur: tum, vt earum ordinem imitemur: (ſingula enim concilia, maiorum ſuorum acta recitare ſolebant, ipſáque Catholicæ fidei fundamenta ponebant) tum, vt patrum illorum ſenſus, ac eorundem mutuus conſenſus & conuenientia, ergáque ſuorum maiorum religionem pietas ac obſeruantia nobis pateſiat: tum denique, vt eorundem ipſorum patrum ſanctorum ad DEVM preces, nobis in hoc noſtro munere auxilio ſint. Libri igitur hi (ſi vobis placet) legantur.

IVL. Sanctiſſimi patris noſtri ac horum ampliſſimorum patrum iuſſu, patres ampliſſ. vobis honeſtum eſſe pronuncio, vt heſternus noſter conſenſus ſeruari firmiter debeat. Vobis enim conceſſum eſt, vt hæc decreta legantur, etſi Coloſſenſis præſul ad reſpondendum Epheſio ſeſſione proxima paratus acceſſerit. Vt lubet igitur faciatis, hac tamen conditione, vt non videantur poſthac decreta talia requirentibus ac contendentibus nobis recitata fuiſſe.

MAR. Eam tantùm decretorum partem, ampl. patres, intendimus recitare, quæ nobis videatur ad noſtrum negocium ſpectare. Porrò autem quoniam de diuinis primi ac alterius Concilij dogmatibus nil aliud reperitur, niſi duæ tantùm noſtræ fidei expoſitiones, hoc eſt, duo ſymbola, quæ tamen pro vno à cæteris concilijs ſuſcepta fuerant: idcircò à recitandis tertij concilij geſtis auſpicandum nobis cenſemus, à quo quidem diuinum illud Nicænum ſymbolum fuerat illuſtratum, ac in libro geſtorum eius nonnulla ſecundi concilij decreta ſcripta ſunt. Quod profectò concilium tertium, vt ipſum ſymbolum immutabile perpetuò permaneret, decreuerat. Vos ergò rogamus, tot ac tantorum patrum ſanctorum voces, noſtraſque rationes & argumenta, quæ ſumus in medium allaturi, benignè ac attentè audiatis. Quandoquidem vobis probare promittimus, Chriſtianorum omnium vnam eſſe Catholicam fidem, ad quam acceſſionem aliquam fieri, aut quicquam ab ea non liceat auferri. In primis ergò Nicænum ſymbolum, à trecentis decem & octo patribus Nicææ celebratum, recitetur.

Symb. editum in Côc. Nic. Credimus in vnum Deum omnipotentem, viſibilium omnium & inuiſibilium factorem, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, ex patre, id eſt, ex ſubſtantia patris natum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt, quæ in cælo, quæque in terra. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus & homo factus, ac paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cælos, & ad dexteram patris ſedet, & venturus eſt iudicare viuos & mortuos: & in ſanctum Spiritum. Proferentes autem filium Dei aliquando, & anteaquàm naſceretur, non fuiſſe, & ex nihilo factum, aut ex alia hypoſtaſi vel ſubſtantia, aut mutabilem vel alterabilem eſſe, ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia anathematizat. Quo quidem ſymbolo P. amp. in tertio concilio recitato, Neſtorianorum etiam hæreticum ſymbolum perlectum & improbatum fuiſſe conſtat. Legatur etiam eiuſdem concilij definitio, vt idem Nicænum ſymbolum immutabile ac immobile permaneret, neminique fas eſſet, aliam fidem in poſterum proferre. His igitur lectis, ſynodus ſancta determinat & definit, vt fidem aliam ab ea, quam ſancti patres in Nicæno Concilio, ſancto Spiritu congregati ſanxerant, proferre aut conſcribere, aut componere liceat nemini. Qui verò auſi fuerint aliam fidem componere, aut eos docere, qui ad veritatis viam, vel à Iudæis, aut hæreticis, aut gentilibus venerint, ij ſi clerici fuerint, priuentur: ſi verò laici, anathematizentur.

Tertium Conciliũ. Hic duo nobis ampl. Patres, in dubium ſunt vocanda: cur tertium Concilium inhibuerit, vt ſymbolum Nicænum neutiquàm mutari deberet, duo verò priora concilia nullam pro ſeipſis inhibitionem decreuerint. Non enim memoriæ proditum eſt, aut Nicænum pro ſuo, aut Conſtantinopolitanum Concilium pro Nicæno ſuove ſymbolo interdixiſſe. Et cur tertium idem concilium, nulla de ſecundo ſymbolo mentione facta, primi tantùm meminerit, ac pro eo ſanxerit? Ad primam quidem ambiguitatem, ex ipſius rei natura ſumentes argumentum reſpondemus, quòd alienum eſſet à ratione, ac nimis arrogans & ineptum, ſi duo illa prima concilia ſuis pro ſymbolis ita terminaſſent, ac poſterioribus ſuis interdixiſſent, vt eiſdem ſymbolis quicquam addere, aut ab ipſis nemo auferre poſſet. Tertium autem concilium, cuius profectò authores priorum conciliorum patribus neque numero pauciores, neq; dignitate aut virtute fuerant inferiores, côuenienter feciſſe creditur, maiorum ſuorũ ſymbola ita probaſſe ac obſignaſſe, vt ſemper immutabilia permanerent, ab Euangelio ſancto Apoſtolorumq; authoritate, ab vniuerſo deniq; teſtamento capiens exemplum, quo planè nemini fuerat interdictum, quo minùs quiſque ſyllabam aliquam addere aut auferre poſſet. Poſteriores tamen ſtrictiſſimè prohibuerant, vt nulli Chriſtiano id liceret committere: vtpotè qui voluiſſent, vt honor maximus ſanctis Apoſtolis à cunctis mortalibus haberetur. Eiuſdem igitur tertij concilij authoritate poſteriores adducti, primis illis duobus ſymbolis parem honorem (vt paulò infrà probabimus) communi ſententia tribuerunt: ita vt ambo ipſa ſymbola pro vno accepta, ſemper immutabilia permanerent. Item alia ratione eandem ipſam quæſtionem diſſoluere poſſumus, ab eius accidentibus argumentum ſumentes. Inter nanque primum Concilium, à quo diuinum illud Nicænum ſymbolum fuerat editum, ac ſecundum, non parum ſanè temporis interceſſerat. In quo quidem temporis interuallo ferè triginta alia ſymbola à particularibus & priuatis concilijs prodita fuére. Quæ tametſi non ab illo primo differrent, quia tamen verbum, conſubſtantialem, auferebãt, ob idq; Chriſticolarum plurimos ad hæſitandum de fide cogebant, idcircò ſecundum concilium œcumenica præditum dignitate, proptereaq; particularibus illis concilijs longè excellentius ac validius, diuinam contra ſancti ſpiritus inimicos rationem, accuratiùs explicauit & illuſtrauit, & ad euertẽdum hæreticum Apollinarij dogma, verbo huic, incarnatus, illud, ex ſpiritu ſancto & Maria Virgine, addidit. haud tamen poſterioribus interdixit, quo minùs Chriſtianum dogma dilucidiùs explanarent, volens vt eadem ipſa declarandi facultas in Dei Eccleſia perpetuò permaneret. Quam quidem opportunitatem Neſtoriani hæretici nacti, diuinum illud Nicęnum ſymbolum trãsformarunt, & ei diuerſa impiaq; dogmata addiderunt, ac ſuum hæreticum ſymbolum ediderunt, quod veluti veram eximiamq; doctrinam hi, qui ad baptiſma veniebant, ediſcerent. Quo quidem multos poſt annos in tertio Concilio recitato, decretum fuit, vt in futurum mutandi Nicæni ſymboli facultatem haberet nemo, vtpotè quod à Conſtantinopolitano ſymbolo nequaquam in aliquo diſcreparet, quandoquidem hoc in illo potentia videbatur incluſum, ita vt ambo pro vno (vt prædictum eſt) haberentur. Quam ergò idem tertium Concilium addendi auferendique poteſtatem haberet, eam omnem ſibi & poſterioribus abſtulit: vt re ipſa ſtatim id declarauit. Nam verbum θεοτόκον, hoc eſt, Deiparam, vel Dei genitricem, quod tunc aduerſus Neſtorianam hæreſim eſſe demonſtrauit, Nicæno ſymbolo noluit addere, quamuis ad dogma de Seruatoris noſtri incarnatione, quàm maximè neceſſarium fuiſſet. Nunc venio ad alteram quæſtionem. Multis profectò fortiſſimis conſtat argumentis, duo illa priora ſymbola ab omnibus Concilijs generalibus pro vno ſuſcepta fuiſſe, præſertim à tertio, vtpotè quod prius cæteris Concilijs, vtrumque vidit atque probauit. Et quamuis toto orbe terrarum ſimul ambo celebrarentur, de primo tamen ſymbolo tertium, cæteraque Concilia mentionem fecêre: cùm pro ipſius primi concilij authoritate & exiſtimatione, quòd maiore patrum numero celebratum fuerat, quodque veluti cæterorum conciliorum fundamentum haberetur: tum etiam, quòd eodem ipſo Nicęno ſymbolo Chriſtianorum plures, quique denuò baptizabantur, frequentiùs vterentur: tum denique, quòd alterum (vt ſæpenumerò dictum eſt) à primo poteſtate continebatur. Prætereà vt boni oratores ſolent in toto rebus vſitatis magis inniti, ita etiam Concilium tertium, quo ſymbolo magis homines vti videbat,

bat,

bat,pro eo tantùm decreuit atque prohibuit: cùm præſertim ſecundum ſymbolum, expoſitio primi, non autem ipſius aliqua mutatio fuerit. Scio equidem vos non ignorare præſtantiſſimi Patres, in hoc de tertio Concilio libro multas beati Cyrilli literas ſcriptas eſſe: quippe qui Cœleſtini ſanctiſſimi ſummi Pontificis eidem Concilio legatus ac vicarius præfuit.

Cyrillus. Pars igitur tantùm literarum earum, quas ad Ioannem Antiochenum præſulem ſcripſit, quarum inſcriptio eſt pro vnione, quæque incipiunt ita, Gaudeant Angeli,(ſi lubet) recitetur. Nequaquam(inquit) tolerabimus, vt definita præſcriptaque fides, aut Nicænum ſymbolum ab aliquo immutetur: nullam nobis vel alijs mortalibus facultatem concedentes, vt aliquam eius dictionem mutare, aut vnam ſyllabam præterire valeant. Huius enim ſententiæ recordamur, Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui, vtpotè qui non ex ſeſe, verùm Dei patris ſpiritu afflati loquerentur, qui ex eo procedit, non autem alienus à filio ſecundùm ſubſtantiæ rationem exiſtit, & reliqua. Sancti Cyrilli ſententiam amp. Patres, intellexiſtis, ſibi ſimul cæteriſque mortalibus inhibentis, vt ne literam quidem diuino ſymbolo poſſent addere. Quæ deinde ſancti Cyrilli literæ poſt illud diuinum ſymbolum à generali quarto Concilio pro noſtræ fidei fundamento ſuſceptæ fuère. Ad cuius Concilij definitionem nunc venimus, qua quidem vtrunque ſymbolum explanatum, ac pro vno fuerat habitum: inhibendo ſimul, vt nemini fas eſſet ipſum immutare. Quæ (ſi lubet) definitio recitetur.

Prou.22.

Quartum Concilii. Sancta generalis ſynodus, benignitate Dei ac religioſiſſimorum optimorumque Chriſticolarum Valentiniani ac Martiani Imperatorum Auguſtorum auſpicijs in Chalcedonenſi metropoli Bithynienſis diœceſis, in ſanctæ ac triumphantis martyris Euphemiæ baſilica celebrata, ita decernit: Dominus & Deus noſter Ieſus Chriſtus, ad ſuorum diſcipulorum fidem in ſe confirmandam, dixit eis: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: vt nemo Chriſtianorum à reliquis Chriſti fidelibus pijs in dogmatibus differret, ſed omnes vnam eandemque veritatem ſentirent. Quoniam autem callidiſſimus hoſtis in veris optimiſque ſermonibus zizania ſemper ſeminat, ac noui ſemper aliquid in veritatem molitur, idcircò idem Chriſtus Dominus noſter pro ſua erga genus humanum benignitate prouidit, vt ij piiſſimi Imperatores Eccleſiarum vndique rectores conuocarent; vt ipſo Chriſto coadiuuante, omnem erroris ignorationiſque notam ab eius ouili depellerent, ac veritatis germinibus grex eiuſdem pingueſceret. Quod ecce iam communi omnium ſententia confectum eſſe videtur. Falſa namque dogmata ſunt expulſa, & firma validaque maiorum noſtrorum religio, nobis diuinum illud trecentorum illorum decem & octo patrum ſymbolum prædicantibus, ac centum quinquaginta patres alios, qui Conſtantinopolitano Concilio ſymbolum idem ſuſceperant, ſumma laude extollentibus, reſplendet. Quapropter Epheſini ſancti Concilii ſequentes veſtigia, cui Cœleſtini ſanctiſſimi Romanorum Pontificis tempore, Cyrillus Alexandrinus & Ioannes Antiochenus antiſtites præerant, necnon fidei noſtræ normam & canones diligentiſſimè obſeruantes, definimus ac terminamus, veræ ac immaculatæ noſtræ fidei expoſitionem, hoc eſt, diuinum illud Nicænum ſymbolum magni Cōſtantini Imperatoris tempore celebratùm, ſemper debere ſplendeſcere, ac eorundem centum & quinquaginta patrum decreta, firma & valida eſſe, quippe qui ad hæreſim euertendam, noſtram autem Catholicam atque Apoſtolicam fidem confirmandam, ſecundum Concilium Conſtantinopoli celebrarunt. Quartum etiam generale concilium, patres optimi, vtrunque ſymbolum pro vno ſolo ſuſceperat, id non ignorans, ad perfectiſſimam veritatis intelligentiam ſingulum per ſe ſatisfacere. Rei autem perfectiſſimæ nil prorſus deeſſe creditur. Sed reliquum eiuſdem diffinitionis legatur. Igitur ad veram(inquit) noſtræ religionis notionem ſymbolum hoc ſalutiferum, ac diuinæ ſapientiæ gratiæque plenum, perfectiſſimum eſſe decernimus, quod patris & filij ac ſancti Spiritus perfectionem nos edocet, & incarnationem Domini Chriſti fidelibus patefacit. Et infrà: Vt hæc ergo diligentiſſimè accuratiſſimeque concludamus ac obſignemus, idcircò ſancta generalis ſynodus definit, atque determinat, vt aliam fidem conſcribere, aut componere, aut ſentire, aut docere liceat nemini. Qui verò quippiam tale commiſerint, aut aliud * commentum ſymbolum ex gentilibus, vel Iudæis, aut hæreticis ad noſtram religionem venientibus, tradere fuerint auſi, ſi clerici, priuentur, laici verò, anathemate notentur: Sed de quarto concilio hactenus. De quinto autem generali Concilio particula ſermonis Ioannis Conſtantinopolitani præſulis in primis recitetur. Propterea, inquit, vt noſtræ fidei fundamentum, iuxta ſanctorum patrum decreta, ſacrorumque normam, Domini ac ſeruatoris noſtri benignitate firmiſſimum maneat, ſummo ſtudio incubuimus. Quid enim ab eo piè poterit tolli? ſpe ducti, ea ratione Eccleſias inter ſe diſſidentes facilè coniungi poſſe, ita vt Chriſti fideles ab ineptis verbis abſtineant, mentem autem ſuam diuino ſymbolo, quo baptizati ſumus, adhibeant. Quod quidem Nicæna ſynodus ſancti ſpiritus gratia memoriæ prodidit, Conſtantinopolitana verò ſuſcepit, Epheſina probauit, Chalcedonenſis denique obſignauit. Quam ſanè noſtram piam religionem quis vnquam ratione aliqua poterit euertere, quæ malè credentium excuſationem aufert? Hanc igitur firmam & validam complectentes religionem, omni vanitate, atque malitia vacui, ne dubitemus ſanctam conſubſtantialem Trinitatem ſimul extollere, ac ipſam ita celebrare: Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, & cætera. Qui quidem patres totum ſymbolū celebrârunt, quemadmodum Eccleſia in præſentia vtitur. Legatur etiam pars hæc literarum Vigilij Romani Pōtificis, quas ad Eutychium Conſtantinopolitanū præſulem ſcripſerat. † Idcircò vnioni ſtudētes, veſtræ(inquit) Apoſtolicæ ſanctæ ſedi ſignificamus, notumque facimus, nos noſtram fidē ſemper tenuiſſe, tenereque, quam cùm à Deo optimo maximo ſeruatoreque noſtro Ieſu Chriſto ſancti eius Apoſtoli accepiſſent, eam vniuerſo mundo prædicarunt, ac ipſam deinde maiores noſtri, præſertim ij qui quatuor generalia Concilia celebrauerant, illuſtrarunt. Quæ quidem omnia cunctis in rebus ipſi quoque complectimur. Nicænum à trecentum decem & octo patribus celebratum, qui ſanctum ſymbolum, quod noſtræ religionis doctrina creditur eſſe, primi expoſuerāt, ac Arij Arianorumque inſaniam anathematizauerant, necnon Conſtantinopolitanum Concilium comprobamus, quod eandem ipſam doctrinam dilucidauerat, ac diuinam ſancti ſpiritus rationem illuminauerat, & Macedonij contra ſancti ſpiritus proceſſionem hæreſim, ac Apollinarium impium, eorumq; ſectam damnauerat. Epheſinum præterea ſuſcipimus, quod quidē maiores ſuos ſecutum, impium Neſtorium, eiuſque ſceleſtiſſima dogmata & ſectam improbauerat. Quartum denique Concilium, à ſexcentis & triginta ſanctiſſimis patribus celebratum, laudibus ſummis extollimus, quod, ſuſcepto Nicæno ſymbolo, definiuerat, vt qui aliud ſymbolum docuiſſent, aut expoſuiſſent, aut Eccleſijs ſanctis tradidiſſent, anathemati ſubiacerent. Nunc obſecro, patres ampliſſimi, ſexti generalis Concilij decretum attentè, vt hucuſque feciſtis, audiatis. Sacrum generale ac illuſtre conciliū, Dei gratia & religioſiſſimi Conſtantini Imperatoris auſpicijs in hac à Deo ſeruata, & terrarum omnium Imperatrice, regiaque ciuitate Conſtantinopolitana, nouaque Roma, in ſacri palatij conclaui, Trullus vulgò nuncupato, celebratum, ita decernit: Dei patris vnigenitus, & verbum, quod noſtri ſimilis, ſine tamen peccato, factus eſt homo, Chriſtus verus Deus noſter, Euangelica voce palàm ita locutus eſt: Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Item: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. qua quidem diuina voce ac doctrina, mitiſſimus Imperator adductus, vtpotè qui ſe veræ noſtræ fidei ducem, nedum impietatis inimicum acerrimum eſſe profitetur, hoc ſacrum generale concilium conuocauit, ac Eccleſias huc conuenire iuſſit. Quod quidem Concilium in effugandis impietatis tenebris, multò antè obortis, ſanctis verò patribus recta confectandis, omnia exacta Concilia imitatur: Nicænum videlicet, in Arium mentis inopem, celebratum: & Conſtantinopolitanum, quod Macedonium ſancti Spiritus hoſtem, & Apollinarium impium damnauit: necnon Epheſinum, contra Neſtorium, qui cum Iudæis ſentiret, conuocatum: & Chalcedonen. quod Eutychen ac Dioſcorum, homines maxima Dei ira affectos, damnauit. Quintum denique, in hac ipſa regia ciuitate celebratum, quod Theodorum Mopſueſtienſem, Originem, Didymum, Euagrium, & quædam Theo-

Ioan.14.

Marginal notes (right column): for.* commentum · Quintum Concilii. · † Verba, quæ citat, ſunt ex epiſt. Eutychij ad Vigil. & repetita epiſt. Vigilij ad Eutychiū, vt conſtat in collatione prima V. ſynodi, vbi plenè habentur hic locus & magis conſentanee Græco adducto in Florentino concil. Græco. · Sextum Concilii. · Ioan.8. · Ioan.14.

doriti opuſcula contra duodecim ſancti Cyrilli capita, necnon & epiſtolam Ibæ inſcriptam, quam Iba ad Marin Perſen ſcripſerat, condemnauit. Hoc igitur Concilium cæteris innitens, diuina omnia dogmata renouat, & impias opiniones refellit. Nicænum autem ſymbolum libenti animo ſuſcipit, approbat, obſignat, quemadmodum ab ipſis quoque Concilijs ad omnem hæreſim Chriſtianorum animas inquinantem, euertendam, ſuſceptum probatumque fuerat. Legatur nunc pars hæc literarum, quas Agathon Romanus pontifex ad Conſtantinopolitanum Imperatorem ſcripſerat. Quæcunq; à ſanctis (inquit) maioribus noſtris, necnon à quinq; ſacris concilijs canonicè, puro corde, ſumma religione & fide, ac ſine ambiguitate decreta fuerant, ea ipſi quoque dubio procul ſeruamus, huic vni ſummo ſtudio incumbentes, vt nil prorſus eorum minuatur, aut mutetur, aut quicquam ipſis addatur, verùm omnia in verbis atque ſententijs eadem permaneant. Et alibi: Conſtanti animo ſumus, inquit, vt decreta à catholica & Apoſtolica ſede nobiſcum pro fide tradita, ſeruemus atque colamus, credentes in vnum Deum patrem omnipotentem, & reliqua.

Iſte Græcꝰ nō niſi 7. recipit Synodos, 8. cur nō recipiat, cauſam infra reddit, parū firmā.

Nunc venio ad ſeptimum & vltimum generale concilium, & dū eius definitio recitetur, obſecro vos, attentè audiatis.

Sancta generalis ac illuſtris ſynodus, Dei gratia & religioſiſſimorum Chriſtianorum Conſtantini & Irenæ matris eius Imperatorum noſtrorum auſpicijs in clara ciuitate Nicæna, quę Bithynienſis metropolis exiſtit, in ſanctæ Sophię baſilica ſecundo celebrata, cunctas catholicæ Eccleſiæ definitiones ſequēdo, iubet ita: Chriſtus Dominus noſter, qui nobis notionis ſuæ lumen largitus eſt, quiq; nos idolorum inſania & tenebris liberauit, vt ſua ſancta catholica atque apoſtolica Eccleſia ſine ſorde maculaque ſeruaretur, ſuis ſanctis apoſtolis id ſe velle declarans, dixit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. (Matth. 28.) Quæ quidem promiſſionis verba, non ſolùm illis, verùm etiam nobis, qui per eos in ipſum credimus, facta fuiſſe putantur. At nonnulli ab illo noſtro acerrimo hoſte elati, munus eiuſmodi nihili pendentes, à recto tramite deuiarunt, & dū catholicæ Eccleſiæ decretis ſeſe opponunt, in veritatis intelligentiam peccant, & iuxta illud dictum: Axem aratri in errorem impulerant, ob idque nullos collegerunt fructus. Namque cùm ſancti homines cenſerentur, non eſſent tamen, diuinum ritum atque ordinatum euertere auſi fuerunt. Quibus Deus per Prophetam inquit: Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meam. (Hier. 12.) Impios enim homines, qui ſuo ingenio non mediocriter confiderent, ſecuti, ſanctam Dei Eccleſiam Chriſto Deo noſtro conuenientem damnauerant, ac nullam inter pietatem impietatemque differentiam facientes, Domini ac ſanctorum eius imagines, idolorum ac diabolorum ſigna credunt eſſe. Idcirco Chriſtus Dominus Deus noſter, quandoquidem à tanta taliq́ue pernicie ſuos peſſum iri nō patitur, omnes terrarum vndique præſules vt conuenirent, præuidit, vt non ſine diuino zelo à Deo afflatorum ac fideliſſimorum Imperatorum noſtrorum Conſtantini & Irenæ, diuinæ catholicæ Eccleſiæ traditiones communi ſententia obſignarentur atque ſeruarentur. Rebus igitur omnibus perſpectis diligentiſſimè, ac veram rationem ſequentes, nil addimus, neque tollimus. Verùm omnia catholicæ Eccleſiæ decreta, quam diligentiſſimè ſeruanda cenſemus, necnon ſex ſancta illa Concilia generalia, in primis clariſſimum illud Nicænum, ac alterum in regia à Deo* ſeruata ciuitate Conſtantinopolitana celebratum, imitantes, credimus in vnum Deum patrem omnipotentem, & reliqua, & infrà: Omnes credimus, ita ſentimus, ita prudentes ac ſcientes cōſcribimus: hæc eſt Apoſtolorum, ſanctorum patrum, omnium denique benè credentium fides, quæ vniuerſum orbem terrarum firmauit. Cumque Deum vnum in Trinitate adoremus, neceſſe eſt etiam venerandas eius imagines excolamus: qui verò nō ita ſentiunt, ſint anathema, & ab Eccleſia expellantur. Ipſi namque veteres Eccleſiæ catholicæ ſanctiones ſuſcipimus, ac maiorum noſtrorum decreta ſeruamus: qui verò quicquam addiderint, aut ab his, quæ ab ipſa Eccleſia tradita ſunt, abſtulerint, anathemati ſint adſtricti. Legatur etiam hæc particula inſcripta de anathematibus, quàm ſolet Orientalis Eccleſia quotannis celebrare: Qui eccleſiaſticas, inquit, ſanctiones literis traditas, aut aliter memoriæ proditas, reprobat, anathema eſto.

*conſeruanda

Lecta ſeptimi generalis Concilij definitione, Latini quēdam vetuſtiſſimum librum in medium attulere: in quo quidem eadem ipſa definitio, ſanctumque ſpiritum ex patre filioque procedere, ſcriptum erat: qua de re non mediocris contentio in illa ſeſſione fuit orta. Nam Latini librum ipſum vetuſtiſſimum oſtentabant: ac vehementer elati, eum cum Græcorum libro conferebant: tentantes ex patrum ſubſcriptionibus rebuſque alijs, eorundem librorum conuenientiam demonſtrare. Quos cùm in omnibus, ipſa tantùm acceſſione excepta, conuenire vidiſſent, viſi ſunt mirum in modum admirari, Græci verò ob temporis anguſtiam nil ad id reſpondere: veruntamen Latinis contendentibus, vt ipſa eadem definitio cum additione eiuſmodi recitaretur, benignè conceſſere. Deinde pater Epheſius orationem proſecutus fuit, dicens: Maiorum noſtrorum ſententias, patres ampliſſimi, quas vel in concilijs cōmuni conſenſu promulgaſſent, aut Conciliorum legati pro fide ſua declaraſſent, aut mutuis literis, priuatiſve commētarijs memoriæ prodidiſſent, intellexiſtis. Quæ quidem literæ ac cōmentaria, & ſi priuatorum doctorum fuerant, pro conſultis tamen conciliorum, communibuſque ſententijs habita ſuſceptaque fuēre. Ipſi ergo, qui noſtros maiores plurimum veremur, quique eorum decreta colimus, ac ipſorum execrationes timemus, acceſſionem ad ſymbolum factam ſuſcipere nolumus. Opportunum autem eſſe videtur, vt accuſationi ac rationibus noſtris (ſi lubet) reſpondeatis: quandoquidem ſatis eſt nobis, Conciliorum omnium canones & definitiones, ac ipſorum rationes in præſentia recitaſſe. Namque veſtra priùs ad hæc audita reſponſione, aliorum quoque ſanctorum patrum authoritates ac ſententias ad noſtram cauſam confirmandam afferemus, quas vel publicè profitentes, vel quid quiſque de noſtra religione ſentiret, literis mandantes, memoriæ prodiderunt. Vos autem patres ampliſſimi, rogamus, nobis diſtinctè ac per capita dialecticorum more reſpondere velitis: vt ipſi rationes veſtras facilius memoria repetentes, his commodius ac dilucidius reſpondere poſſimus: quandoquidē vos ignorare non credimus, nos neque memoria valere, neque componendi, diuidendiq; rationem benè ſcire, neque profiteri ad quamuis nobis propoſitam quæſtionem poſſe dicere. Verum nobis ſimplicitas & modeſtia ſemper ineſt, vt quod à ratione non abſonum ſit, id libenter ſuſcipiamus, oppoſitum autem eius ingenuè abijciamus.

Vetuſt[us] codex, [ha]bet add[i]tionē, filioq[ue].

Septimi cōcilij ſymbolum ſereniſſime Imperator, quod modò fecimus recitari, in vetuſtiſſimo volumine ſcriptum eſt, ita vt nemo* poterit ſuſpicari corruptum fuiſſe, cùm præſertim quidam hiſtoricus noſter, antiquus quidem ac literatus, inter alia id quoque teſtetur, hoc ipſum ſymbolum in ſeptimo concilio recitatum fuiſſe. Tali propterea ſymbolo cum hac additione vel declaratione, EX FILIOQVE, non mediocrem tribuimus authoritatem. Porrò autem, quoniam velle videmini, vt nos breuibus ac ſigillatim reſpondeamus, idcirco conabimur vobis pro viribus ſatiſfacere. Verùm vt id faciliùs aſſequamur, quod forſitan cauſa fuerit, cur vos quoque clarè reſpondere valeatis: operæprecium eſt, vt quæcunque modò recitata, ſcriptaque ſunt, ea ſimul conferamus. Quibus quidem memoria repetitis, eorumque perſpecta conuenientia, ſequenti ſeſſione ad omnia faciliùs reſpondebimus. Tum iubente ſynodo, ad diē vigeſimam menſis eiuſdem ſeſſio fuit dilata.

IVL.

for. * pe[r] fit

Die Lunæ vigeſima menſis Octobris, Sexta ſeſſio Ferrariæ.

IVL. Ca[r]dinalis.

NVdiuſtertius, patres ampliſſimi, cùm vna priuatim ageremus, id, quod à nobis ſæpiſſimè dictum fuerat, communi ſententia repetiuimus, nos ad veritatem ſumma pace inueſtigandam, huc conueniſſe. In hanc igitur rem ſummo ſtudio mutuiſque officijs debemus incumbere, & alteri alteris eſſe grati. Qua quidem ſpe ducti, vobis eos libros libenter præſtare promiſimus, quos ſanctiſſimus pontifex haberet. Aſſerentibus autem vobis pari ſtudio velle nos proſequi, reuerendum Epheſium ac Nicænum rogauimus,

mus, vt librum veſtrum de octauo Concilio per horam nobis mutuò darent. At illi noſtro deſiderio ſatisfacere noluerunt. Siquidem igitur ipſum hunc attuliſtis, benè euenit: ſin minus, antea quàm quippiam agatur, vt afferatur iubete.

MAR. Id quod vobis promiſimus, patres ampliſſimi, libenter ſatisfaciemus. Verùm interea nequaquam impediri debemus, quo minus negocium noſtrum proſequamur, præſertim cùm nobis videatur non expedire, ita librum ipſum vobis concedere, vt eo prorſus priuati ſimus. Præterea, Concilium illud inter generalia connumerandum nõ eſt, quandoquidem non modò non ſuſceptum, verumetiam antiquatum fuiſſe conſtat. Ioannis enim & Adriani ſummorum pontificum tempore conuocatum fuit, ac Photium Conſtantinopolitanum antiſtitem condemnauit. Is deinde Ioannes aliud concilium habuit, quod item appellauit octauum, quod acta ipſius Concilij, quod vos octauum fuiſſe dicitis, improbauit, Photiumq́ue reſtituit. Cuius quidem Ioannis pro Photio literæ, memoriæ proditæ ſunt, & adhuc extant. In quo planè concilio inter alia fuerat decretum, vt hęc eadem ſymboli additio tolleretur, quod vos nõ ignorare putamus. Si quidem igitur ipſius concilij acta reprobata videntur, non eſt congruum rationi, vt de his aliqua mentio fiat, cùm alterum octauum concilium ſequi potius deberemus. Propterea tempore ex * eo Conſtantinopolitana Eccleſia hucuſque ſolet ita celebrari: Quæcunque in ſanctos patriarchas Ignatium & Photium ſcripta vel dicta ſint, anathema eſto.

Octauam Syn. qua reſtituti ſunt Ignatius, cur non recipiant Græci.
Vid. Not. Concilij Octaui & Pſeudooctaui.

* eo in

Vide Baron. ann. 886. n. 19.

IVL. Cardinalis. Hoc metu vos libero, præſtantiſſimi patres; nam nil de ipſo Concilio recitabitur. Sed quoniam in eo volumine nõnulla ſexti ſeptimiq́ue concilij acta ſunt ſcripta, idcirco ea videre vellemus: nam de octauo Concilio nobis curæ non eſt.

MAR. Hac ergo conditione vobis hoc volumen libenter concedimus: abſonum enim eſſet à ratione, poſtpoſitis cõcilijs generalibus, priuati conuentus rationem habere. Sed de his hactenus.

AND. Ex veſtra lõga oratione, patres ampliſſimi, ad quam equidem reſponſurus ſum, quatuor equidem collegimus capita. Initio namque ſymbola vel (vt rectius loquar) ſymbolum, deinde generalium conciliorum decreta, tertiò Cyrilli, Vigilij, Agathonis, Cœleſtiniq; literas recitaſtis. Poſtremò autem protuliſtis, vos tot tamq́ue clariſſimos patres ita vereri, ac eorundem execrationes pertimeſcere, vt quicquam ipſorum dictis vel addere, vel ab eis auferre vehementer abhorreatis. Velim autem vos non ignorare, patres optimi, quam vos acceſſionem & incrementum ſymboli appellare ſoletis, eam nos expoſitionem ac dilucidationẽ eſſe credere, qua quidem ratione à Romana Eccleſia in ſymbolo celebratur, etſi prima orationis parte conati fuiſtis oſtẽdere, additionem ipſam ab ipſa Romana Eccleſia factã fuiſſe. Nam in ſecũda dixiſtis, nemini ratione aliqua fas eſſe, quicquam diuino ſymbolo addere: ex tertia verò parte creditis demonſtraſſe, incrementum illud, falſum ac inconueniens eſſe. Ex quibus omnibus quartum illud caput conſequebatur, vos ſanctorum patrum execrationes veritos, acceſſionẽ huiuſmodi nunquam ſuſcepturos eſſe. Hæc vos in ſumma. Ipſi autem contra probabimus, quam vos acceſſionẽ & cumulum nuncupatis, eam potiùs diuini ſymboli explanationẽ ac declarationem eſſe. Deinde, nobis interdictũ nõ eſſe, quo minus expoſitiones huiuſmodi facere valeamus. Tertiò, declarationem ipſam verã & congruam eſſe. Poſtremò, plurimis ac fortiſſimis argumentis demonſtrabimus, cuiuis veritati Chriſtianos omnes acquieſcere debere. Nũc venio ad primum. Et quoniam in qualibet quæſtione abſolutas ac intelligibiles rationes deſiderare videmini, idcirco vobiſcũ dialecticè agam. Rogo autem vos, me attentè audiatis. Nulla expoſitio vel dilucidatio alicuius artis, aut ſcientiæ, debet additio appellari, ſed verbum, Ex Filioqve, in verbo, Ex Patre, concluditur, eiuſq; dilucidatio eſt, ergo verbum illud nulla ratione poteſt additio nũcupari. Porrò autẽ quoniam ſyllogiſmum hunc, quòd perfectus eſt, ac dialectico Canone factus, inficiari debetis minimè: ideo reliquum eſt, vt propoſitionem eius vtrãq; veram eſſe probemus, quarũ primam maiorem, alteram verò minorem dialecticorum more nominabimus. Maiorem autem ſic demonſtrandam putamus: Omnis additio vel augmentũ ex rebus extraneis fit, vt omnis ſchola philoſophorum tenet, præſertim Ariſtotelis, qui in De generatione ac interitu libro inquit, Adueniente aliquo fit augmẽtum. Si quidem igitur omnis additio ex rebus extraneis fit, expoſitio verò atq; dilucidatio ab intrinſecis, ac ijs, quæ in eadem ipſa re inſunt, ſole clarius ſequitur, cuiuſuis ſcientiæ expoſitionem ex rebus his factã, quæ in eiuſdem ſcientiæ ſubiecta materia ſint, additionẽ vel augmentum neutiquam appellari debere. Nanq; ſi nullam inter expoſitionem & additionem differentiã poſuerimus, multa profectò nobis acciderint incommoda. ſacris enim literis additio facta fuiſſe videretur, & ad Nicænum ſymbolum ſecunda ſynodus acceſſionem feciſſe cenſeretur, quam tamen conſtat fuiſſe profeſſam, quæcunq; protulerat, à ſuis maioribus accepiſſe, quemadmodum etiam Gregorius cognomento Theologus, qui in eadem ſecũda ſynodo affuit, ad Clidonium ſcribens, inquit: Nos fidei patrum ſanctorũ, qui ad Arianam hæreſim euertendam Nicænam ſynodum celebrauerant, nil vnquam antepoſuimus, neque quippiam poſſumus præferre. Verùm eiuſdem fidei ſumus, ac ſemper erimus, addẽtes tantùm id, quod de ſancto Spiritu ideo imperfectè prolatum fuiſſet, quòd antehac nunquam in controuerſiam fuerat vocatum, an Pater & Filius ac Sanctus ſpiritus vna diuinitas ſit, ipſumq́; ſpiritũ Deum eſſe, nos oporteat credere. Ex ex his verbis, præſtantiſſ. patres, credere debemus, quamplurima fuiſſe à ſecundo Concilio declarata, quæ tamẽ minimè diceremus additiones fuiſſe. Nam in Nicæno Symbolo, Viſibilium omnium & inuiſibilium: &, filium natum ante omnia ſecula: &, in Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem, neutiquam erant ſcripta; quæ licet ab ipſo Concilio, ſymbolo fuerint addita, non tamen propterea putauit acceſſionem nouam ad ſymbolum ipſum feciſſe, vt is beatus Gregorius teſtatur, q. nil aliud ſentire profitetur, quàm quod Nicæna ſynodus edidiſſet. Quinimmo ſi diligenter vultis attendere, vobis notiſſimum fiet, nullum generale Concilium, poſt primum, celebratum fuiſſe, quod quicquam Nicęno ſymbolo non addiderit, aut non ademerit ab eodem. Alterum enim Concilium, illud Nicæni ſymboli, Ex Svbstantia Patris, prorſus abſtulerat. Quartum verò Conciliũ, totum hoc, Natvm ex patre, id est, ex svbstantia patris, in, consvbstantialem patri secvndvm divinitatem, nobis avtem secvndvm hvmanitatem, mutauerat, vt Eutychis hæreſim euerteret. Apparet igitur manifeſtè, cuiuſpiam rei declarationem non eſſe additionem: quod item ex ipſius reuerendi patris Epheſij oratione probare volumus, quippe qui reſpondens huic à ſe propoſitæ quæſtioni, cur tertium concilium de Nicæno tantùm ſymbolo mẽtionem fecerit, de altero verò minimè, dixit, quòd ambo illa ſymbola vnum eſſent, nec in aliquo differrent. Syllabæ igitur & dictiones, quæ Nicæno ſymbolo videntur appoſitæ, nullam ad illud fecerunt acceſſionem, propterea quòd eundem ſymboli ſeruauerunt ſenſum. Maior ergo noſtri ſyllogiſmi propoſitio, benè probata videtur, nullã videlicet declarationem eſſe additionem. Reliquum autem eſt, vt minorem etiam demonſtremus, quod quidem maioris negocij eſt, ac maiori conſideratione indiget, verbũ, Ex filioqve, non quidem additionem, verùm expoſitionem eſſe. Neceſſe eſt enim, qui profitẽtur ſanctum Spiritum ex patre procedere, filium ſimul intelligant, ad quod quidem probãdum, non niſi veſtrorum ſanctorum doctorum authoritatibus innitar, quibus quidẽ clariſſimè demonſtrabo, quemadmodum ex patre, ita etiam ex filio Spiritum ſanctum procedere. Beatus enim Cyrillus exponens hoc dictum Ioãnis, Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, inquit: Cum Dei & Patris bonorum eſſentialium filius particeps ſit, eadem etiam ratione ſpiritum habet, quemadmodum pater eundem habere percipitur, non quidem aduentitium aut extraneum, (inſipientis enim, immo vt melius dicam, inſani hominis eſſet ſic credere) ſed quemadmodũ quiſque noſtrum, ſuum ſpiritum continet, ac ipſum ex viſceribus ſuis emittit. Propterea ſeruator noſter corporaliter ſpiritum flauit, vt oſtenderet, quemadmodũ ſpiritus ex ore humano corporaliter exit, ſic etiã ipſum ex diuina ſubſtantia,

S. Gregorius Theologus.

Cyrillus. Ioan. 14.

Ioan. 20.

tia,

tia, vt Deo conuenit, profluere. Quibus verbis Cyrillus videtur concludere, quoniã ſi patris omnia bona filius ſecundum ſuam naturam & ſubſtantiam habet, id etiam habeat, neceſſe eſſe, vt inſtar patris ſpiritũ emittat, manentibus perſonarum proprietatibus. Vnde ſequitur, filium ſic ſe habere ad ſpiritum, quemadmodum etiam pater. Ne autem quiſquã crederet, non de ipſo ſpiritu, verùm de quodã ſpirituali chariſmate vel gratia doctorem ipſum ſenſiſſe, dictum hoc

Ioan. 20.

Seruatoris noſtri perpendat: Accipite Spiritum ſanctum. Porrò autem, quoniam in ſymbolo ſpiritus vnam triũ perſonarũ ſignificat, neceſſe eſt, procedat ex filio, quemadmodum etiam patre. Sed forſan aliquis dixerit, ſermonẽ ipſum de Spiritu, ambiguum eſſe, ita vt non ſpiritus perſonã ſignificet. At nos ad oſtendendum huius oppoſitum, Magnum

Baſilius.

Baſilium adducemus teſtem, qui vos docebit, Patrem & Filium ac ſanctum Spiritum ſic ſe habere, vt neque pater ſine

Rom. 8.

filio & ſpiritu, neque filius abſq; ſpiritu poſſit intelligi. Qui ſpiritum (inquit) intelligit, ipſum & eum, cuius eſt Spiritus, ſimulq́; filium mente concipit: qui autẽ hunc percepit, ſanè Spiritum nõ ſeiunxit. Verùm conſequenter ſecundum ordinem, coniunctim autem ſecũdum naturam ipſas tres perſonas intelligens, veram aſſequutus eſt fidem. Porrò autem, quoniam Spiritus Chriſti eſt, & ex eo, vt inquit Apoſtolus: ideo quemadmodum ſi quis alterum extremũ alicuius catenæ traxerit, proculdubiò catenam totam attraheret, ſic etiã patrem ſimul & filium per eundem Spiritum traheret. Et ſi quis filium tenet, altera quidem patrem, ſanctum aũt Spiritum altera parte tenebit. Fieri enim non poteſt, vt in eis ſeiunctionem aut diuiſionem intelligas eſſe, vt filium ſine patre, vel ſpiritum ſeiunctum à filio, & reliqua. ita patres ampliſſimi, diuinæ perſonæ ſe habere creduntur, vt qui vnam intelligit, alias quoq; percipere neceſſe habeat. Ex quo planè conſequitur, vt qui patrem intelligit Spiritum ſanctum producere, is quoq; neceſſariò credat, eũdem ſpiritũ à filio produci. Ne autem oratio noſtra incredibilis videatur, eun-

S. Baſilius

dem ipſum Baſilium attentè audiatis, qui filium probat habere quæcunq; pater habere creditur, hoc excepto, filium non eſſe patrem. Patrem (inquit) & filium protuli. Has mihi tene proprietates: filius ergo manens in eſſe filij, & quatenus filius eſt, omnia eſt quæ pater, iuxta hoc noſtri Domini

Ioan. 17.

dictum: Et mea omnia tua, & tua mea ſunt. Imaginis enim omnia, rei ſunt exiſtentis. & cætera. Sermo Baſilij, patres optimi, plurimum noſtræ ſententiæ cõuenit. Ergo patri ſimul & filio cõmune eſſe videtur, Spiritum ſanctum producere. Multas quoq; alias rationes afferre poterimus, quibus notiſſimum fieret, quoniam ſpiritus ex patre procedere creditur, neceſſe eſſe intelligi, eundem ſpiritum ex filio quoque procedere. ſed de his hactenus. Importunum enim videtur, hac de re in præſentia diſputare. Sequenti igitur ſeſſione de hoc accuratius forſan agemus. Verùm Deus optimus maximus vtinam talem controuerſiam è medio noſtri tollat, ita vt in poſterum haudquaquã nobis ſit opus de hac re verba facere. Sed redeo vnde digreſſus ſum, nullam factam fuiſſe dicebam additionem, quandoquidem declaratio nulla ratione poteſt additio nominari, quę minor noſtri ſyllogiſmi propoſitio fuerat: ad quam quidem probandam, oportebat etiam declarare id quod ſcitu facile eſt, ſpiritum ex filióque produci. Quod ergo ſymbolo appoſitum eſſe dicitur, id nõ additio, ſed potiùs quædam ſymboli expoſitio ac explicatio eſt. Nunc venio ad ſecundam partem, qua quidem probare promiſimus, quicquid ſit illud, ſiue acceſſio, vt vobis: ſiue declaratio, vt nobis videtur, id quo minus fieri poſſet, nunquam fuiſſe prohibitum. Namque ſi id eſſet augmentum, dubio procul foris veniſſet, & extraneum eſſet. Cùm autem multas ſyllabas & dictiones vtrique teſtamento, nedum ſanctorum patrum decretis ſynodorumq́ue definitionibus, appoſitas fuiſſe conſtet (Deo fauente probabimus:) ſequitur, nobis non interdictum fuiſſe nec eſſe, additiones eiuſmodi facere: quod ſanè ſi quis negauerit, is nullo pacto poterit effugere, quin ſemel concedat, maiores noſtros, qui ſymbolo ac maiorum ſuorũ dictis addiderant, aliquid ſub

Paulus Galat. 1.

anathemate eſſe. Præterea Paulꝰ ait: Si quis vobis aliud, præterquam puod tradidi vobis; euangelizatus fuerit, anathema ſit: ad eius tamen ſcripta acceſſiones non paucæ factæ fuerant. Multa etiam Nicæna ſynodus Apoſtolorum ſymbolo addidit, multa, ſecunda, Nicæno, multa denique protulit Epheſina, de quibus neque prima, neque ſecunda mentionem fecerat. Vetitum igitur illis videtur fuiſſe, ſymbolo noui quicquam apponere: declarare autem, minimè. nam ipſi ferè omnes anathemate deuincti eſſemus. Præterea idẽ

2. Cor. 3.

Apoſtolus ad Corinthios inquit: Litera quidem occidit, ſpiritus autem viuificat: quos quidem corinthios incuſabat, ꝙ accuratius ſcripturæ, quàm opus eſſet, inniterentur. Non ergo ea debemus inſpicere, quæ videantur occidere, in quo Iudæi vehementiſſimè peccant, quippe qui mentem à ſcriptura non efferunt, quod à noſtris doctoribus mirũ in modum repræhenditur, quorum primus beatus Gregorius Theologus inquit: De nominibus non certabimus, ſi rem eandem ſignificent. Veſter item Gregorius cognomento Doctor: Parum, inquit, curo de dictionibus: non enim ſolum in verbis, verum etiam in rebus apud Gregoriũ Theologum pietas conſiſtit.

Gregoriꝰ Theologus.
Gregoriꝰ Palamas.

Porrò autem oratio noſtra de dogmate ac de re ipſa fieri videtur, in qua quidem ſi conuenerimus, haud quaquam in dictionibus diſcrepabimus. Siquidem igitur tantus doctor de dictionibus non curauit, nobis profectò multo minus de eiſdem eſſe curæ deberet: ſed ſuo loco diligenter tractabimus, an concilia prohibuerint, vt dictionum huiuſmodi nulla prorſus additio fieret. Satis enim nobis in præſentia fuerit, ſi conſtiterit, cur literarum ac ſyllabarum acceſſio refellenda non ſit. qua in re hoc manifeſto vtar exemplo: nam ipſi ſymbolum Latinè proferimus, vos autem Græcè, alij verò lingua ſua: ſed quoniam idem omnes ſentimus, ideo nullũ ex eo incõueniens poteſt accidere. Verum dialectico argumẽto agamus, quod etiam bonis literis mediocriter eruditis patet. Omnes ſcientiæ ἀξιώματα propria, hoc eſt, pronunciata, vel (vt dialecticè loquar) principia vel dignitates habent, quæ tametſi multa poteſtate contineant, ac in ſeipſis ſua facultate plures concluſiones includant, eas tamen doctores ſyllogiſmis, inductionibus, exemplis, quouis denique argumentorum genere demonſtrare ac explicare ſolent, propterea tamen nemo proferret ſcientiam eorum diuerſam eſſe. Teſtis eſt Ariſtoteles in ſuis poſterioribus analyticis. Siquidem igitur & ipſi principia theologicaſq́; dignitates habemus, quibus in ratione diuina innitimur atque credimus, ex his proculdubiò demonſtrare poterimus, ſanctum ſpiritum ex filioque procedere. Id ergo quod Romana Eccleſia profitetur, patet additionem non eſſe. Ampliùs oſtendere poſſumus, additiones huiuſmodi poſſe fieri. Nam Paulus inquit: Vnus Domi-

Epheſ. 4.

nus, vna fides, vnũ baptiſma, vnus Deus & pater omnium. Ergo & vna Eccleſia. Vtrum autem & vna dignitas, an non? ſed de hoc alias. Eadem igitur Eccleſia diuerſis temporibus, ac vrgente neceſſitate, acceſſiones facere poterat. Quæ quidem facultas nunquam poterit auferri. Noſter enim Seruator inquit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad

Matth. 28.

conſummationem ſeculi. Quæ quidem oratio nequaquam ſignificat, vt Deꝰ nobiſcũ ſimpliciter ſit, ac nos ſimpliciter regat. Sic enim lapidibus & plantis, ac omnibus animàtibus ſemper ineſt, ac ſimpliciter ipſa gubernat. verũ ſemper nobiſcum creditur eſſe, nos ſua gratia vnaq́; religione ac fide coniungendo, quod proculdubio in ijs membris videre nõ eſt, quæ diuerſa fide ſeiuncta ſunt. libera igitur Eccleſia videtur eſſe. Pręterea ſi veſtra opinio vera eſſet, magnum diſcrimen incurrerent Chriſtiani, ac magnum incommodum ipſis accidere facilè poſſet. Nam ſi aliquando emerſerit hæreſis, Eccleſia ſeſe non poſſet ei opponere. Secundum tamẽ concilium acceſſionem facere cœpit, hanc excuſationem afferẽdo, vt, ſi fieri poſſet, firmam & illæſam Eccleſiam ſemper eſſe, ſanè nulla eſſet opus additione. Sed quoniam quãdoque videtur periclitari, idcirco neceſſe erat acceſſionem ad Nicænum ſymbolum facere, vt ipſi quoque aſſerimus Romanæ Eccleſiæ cõtigiſſe. At ei fuerat interdictum. Hoc equidem oſtendatis velim, cùm à maioribus noſtris nil aliud prohibitum fuiſſe cõſtet, quàm vt nemini liceret diuerſam fidem proferre, aut componere, literiſve mandare, vt in Epheſini concilij actis (vt benè noſtis) videtur, quòd cæteræ quoque ſynodi conſectantes, ſimili modo prohibuere, ſanctique doctores, qui de ſyllabis & dictionibus priuatim fecerant mentionem, ad illud idem concilium ſe retulerant. Poſteriores denique omnes ipſius tertij cõcilij pro-

hibitionem eadem ratione ſuſceperant, ne cui diuino ſymbolo diuerſas dictiones aliam fidem ſignificantes, liceret apponere. Neceſſe eſt igitur, verba omnia ad eundem ſenſum referri, eoſque, qui ſyllabarum & dictionum meminerant, idem intellexiſſe, vt hę dictiones eſſent fugiēdæ, quæ diuerſam fidem ſignificarent. Quemadmodum enim diuerſus à noſtra religione ſenſus, vehementer eſt reijciendus: ita etiam verba fidem aliam ſignificantia, refellenda ſunt. Patet igitur, prohibitionem ipſam neutiquam contra nos facere, quodq́ue vos additionem, nos verò declarationem appellamus, id rem vnam eandemq́ue fidem ſignificare, & ad eandem ſpectare. vnde liquet, nos nequaquam eſſe ſub anathemate. Alia quoque, præſtantiſſimi patres, ad hanc rem plurimum pertinentia dicere poſſemus, quæ ex quarti concilij actis collegimus. verùm opportunum eſt vt ſurgamus. Tum ſynodus decreuit, vt ad diem proximi ſabbati ſeſſio prorogaretur.

Die ſabbati XXV. Octobris. ſeptima ſeſſio Ferrariæ.

D. TVA venia & gratia, pater beatiſſime, necnon mitiſſimi Imperatoris ac ſanctiſſimi patriarchæ iuſſu, orationem noſtram, quam proxima ſeſſione habuimus, proſequemur. Qua quidem oratione duo credimus oſtendiſſe, ſpiritum ex filioque procedere, quemadmodum Romana Eccleſia profitetur, additionem non eſſe: ac nunquam interdictum fuiſſe, quo minùs acceſſiones huiuſmodi ab Eccleſia fierent. Reliquum autē nobis erat, duo altera demonſtrare, quæ tunc probare promiſimus, additionē ipſam valdè conuenientem, nedum veram eſſe, ac plurimum oportere, vt à Chriſtianis omnibus excolatur: etſi ſanctiſſimus ac ſummus pontifex, ac hi præſtantiſſimi patres, vnum tātum ſufficere crederent, vt demonſtraremus acceſſionem ipſam veram & congruam eſſe. Veritas enim perpendenda eſt. quandoquidem ipſa cognita, eius contraria facilimè diſſoluuntur, vt Ariſtoteles noſter teſtatur: quia omnia vero conſonant, falſo autē (inquit) citò diſſonat verum. conueniens igitur eſſet ipſius argumenti veritatem oſtendere, quod eo modo facilius vobis ſuaderetis, id Romanæ eccleſiæ dubio procul facere licuiſſe: ad quod quidem probādum cùm publicis & priuatis orationibus, tum certis libellis nos ſæpenumerò prouocaſtis, ea præſertim oratione qua pater Epheſi* ex nobis quæſiuit, cur Romana Eccleſia acceſſionē ad ſymbolum fecerit. His ergo patribus gratiſſimum fieret, ſi veritas hæc eluceſceret. Namque cùm in dubium vocari non poſſit, declarationem ipſam à maioribus noſtris fuiſſe factam: & ne fortè quiſpiam ambigeret, an tali eſſet opus declaratione, idcirco nobis (vt ſuprà dictum eſt) videbatur operæprecium, eiuſce rei veritatem oſtendere & aggredi, ex quo etiam crederetis, ipſam à Romana Eccleſia conuenienter, maxima præſertim vrgente neceſſitate, additam ſymbolo fuiſſe. Veſtra autem argumenta, quæ priuatim inter vos ferebantur, vt nunc nobis relatum eſt, facilè poſſent refelli, quibus oſtendere credebatis, nos à ratione propoſita diuertiſſe, ac nulla reſpōſione ad veſtram orationem facta, ad valdè impertinētia veniſſe. Quorum neutrum, patres ampliſſ. credimus commiſiſſe. Si namq; vos (vt libuit) peroraſtis, à ratione non fuerat abſonum, ſi ipſi quoque ad libitum noſtrum reſpondiſſemus, cùm præſertim oratio noſtra nequaquam inepta videretur: ſed neq; (pace veſtra dixerim) impertinens fuerat. Nam etiam is, qui cauſam dicit in foro, aut in academia ſibi propoſitis argumentis reſpondet, quandoque ſolet diuertere, & aliquam concluſionem probare: cuius deinde veritate percepta, ad propoſitum reuerti: ita tamen, vt de iuribus petentis neutiquam minuatur. Sed ideo vobis videtur, nos nequaquam ad propoſitum reſpondiſſe, quòd nondum ad tertiam partem venimus. Quærentibus enim vobis, an nobis licuerit diuino ſymbolo quicquā addere, aut verbum eius aliquod declarare, necne, id nos proculdubio facere poſſe profeſſi fuimus. Sed cùm aliam huius rationem afferre non poſſemus, idcirco noſtram ipſam declarationem, veram ac neceſſariam eſſe volebamus oſtendere: Quod planè caput orationis noſtræ tertium futurum fuerat. De quo quidem non eſſet ab re (vt paulò ante dictum eſt) accuratius diſputare. Sed quoniam id grauiter ferre videmini, ac nobis enunciaſtis vos ad id minimè reſponſuros eſſe, idcirco vt hac etiam in re vobis gratiſſimum faciamus, parte illa poſtpoſita, nonnulla alia proferemus, quibus & habita noſtra oratio explanabitur, quæq́ue ad ea, quæ ſuo loco probauimus, neceſſaria fuerint: ita vt omnes intelligant, nos ad propoſitū reſpōdere, & an iuſtam in nos inuehendi cauſam habeatis. Vt autem noſtra oratio plana & intelligibilis ſit, ex his ipſis noſtrum ſumemus exordium, quæ modò vos recitaſtis. Initio Nicænum ſymbolum protuliſtis: quod cur feceritis, non ipſi videmus, quandoquidem id videtur nulla nobis ratione obſtare, neque noſtræ ſententiæ contrarium eſſe. Noſtra enim controuerſia eſt, an ſanctus ſpiritus quemadmodum ex patre, ita etiam ex filio procedat: & an Romanæ Eccleſiæ hoc declarare licuerit. Symbolum autem ipſum tametſi ſanctiſſimum ſit, ad propoſitū tamen neutiquā ſpectare videtur. Nū illud ipſi non credimus? Num à nobis nō ſuſcipitur? nō approbatur, nō excolitur, nō celebratur? Num denique nobis idē & vobis commune non eſt? At pater Epheſius dixerat, ſecundum & tertium concilium definiſſe, ſymbolum illud immutabile manere debere. Hoc etiam ipſi fatemur, non ita tamen, vt idem clarius ac lucidius reddi, ſi opus eſſet, non poſſet, ſed quæ ad eius veritatem ſpectarent, ea ſemper immota manerent. Nam quemadmodum ſcientiarum principia, omnia ſua poſteriora potentia continent, ac in ſeipſis includunt: ita etiam Nicænum ſymbolum, Chriſtianorum doctrinam & fidem in ſeipſo implicitam continere, includereq; cenſetur. Illud enim, IN FILIVM EX PATRE NATVM, in Arium hæreticum celebratum fuerat. Sanctum autem ſpiritum Deum eſſe, in Macedonium & Eunomiū. Filium verò fuiſſe incarnatum & genitum, aduerſus Neſtorium. Immò ſi quis omnia diligenter perpenderit, nullā prorſus præteritam inueniet hæreſim, vel futuram excogitabit, quæ non eiuſdem Nicæni ſymboli facultate diruta fuerit, vel quæ deſtrui non poſſit. Siquidem igitur ſymbolum hoc pro noſtræ fidei fundamento celebratum fuerat, neceſſe eſt immutabile maneat, principiorum cæterarum ſcientiarum inſtar: quibus datis atque conceſſis, immotiſque permanentibus, multas concluſiones doctores probare ſolent. Patet ergo, cur Romanam Eccleſiam ex ipſo ſymbolo neutiquam accuſare poteſtis, quod vna cū tertij Cōcilij definitione velim iterum recitetur. Audiſtis, ampliſſimi patres interdictū ipſius Concilij vtraq; lingua perlectum: quo planè nil aliud prohibetur, niſi vt diuerſa fides componi, vel literis mandari, aut ab aliquo proferri nō poſſit, quorum nihil ipſi benignitate Dei commiſimus: quandoquidem paulo antè probauimus, vnius ac eiuſdem eſſe religionis, profiteri ſanctum ſpiritum ex filio, quemadmodum ex patre, procedere: quòd expoſitio, explanatio, declaratio, dilucidatio, id deniq; genus alia, additiones non ſunt, cùm diuerſam fidem nequaquam ſignificent. Conſtat ergo clariſſimè, interdictum illud minimè contra nos facere. Sed ad Cyrilli literas veniamus, quas ad Ioānem Antiochenum præſulem ſcripſerat: quæ (ſi placet) iterum recitentur. Ipſius tertij Concilij authores, Patres ampliſſimi, præſertim idem ipſe Cyrillus, qui eidem pręfuerat, ad eius definitionē ac interdictum ſe referentes, priuatim cōſcripſerant. Siquidem igitur patres hi de fide tantùm diuerſa, non autem de verbis curabant, in dubium vocari non debet,* quia literæ *quin
quoq; Cyrilli non eundem habeant ſenſum, vt ſingulas earundem literarum particulas accuratè conſideranti patet. Nullam (inquit) vel nobis vel mortalibus alijs facultatem concedimus, vt aliquam ſymboli dictionem mutare, aut vnam ſyllabam præterire valeant, quorum neutrum in ſanctum ſymbolum nos commiſiſſe videmur. Hæ ergo literæ in aliquo nobis non obſtant. Præterea ſcitu dignum eſſe exiſtimo, cūctas eiuſcemodi definitiones & decreta, præſertim illud, de quo paulo ſuperius dicebamus, poſt conciliorū decreta ſcriptum fuiſſe. Ergo quemadmodum cogente neceſſitate, his non obſtātibus interdictis licebat Eccleſia declarare, diuinaq; dogmata illuſtriora reddere, ac ipſa Chriſtianos docere; ita etiam ſi quædam ſymboli particula à Romana Eccleſia fuerat explanata, id vitio vertendum nō eſt: neque quicquam contra definitiones & prohibitionem ip-

ſam commiſſum fuiſſe videtur. Amplius, pater Epheſius vocauit in controuerſiam, cur tertia ſynodus de prima tantũ fecerat mentionem, de ſecunda verò minimè: qui deinde ſibijpſi rectè ſubtiliterque viſus eſt reſpondiſſe, quòd vtrunque earundem ſynodorum ſymbolum pro vno ſolo dijudicabatur, quòd ſenſum vnum habebant, etſi quibuſdam in verbis differre plurimum viderentur. Quam quidẽ reſponſionem ipſi ſuſcipimus, ac ei noſtra in controuerſia innitimur: parique ratione credimus hoc noſtrum ſymbolum diuerſis vocabulis vnam eandemque fidem ſignificare. Hoc igitur tertij concilij interdictum haud contra nos facere videtur. Sed Chalcedonenſe quoque legatur decretum.

IVL. Cardinalis. In Chalcedonenſi concilio, patres optimi, Nicænum primò, deinde Conſtantinopolitanum ſymbolum fuit recitatum. poſteà verò concilium ipſum decreuit, hoc ſymbolum ad perfectam noſtræ fidei notionem ſufficere: vltimò autem inſtar tertij concilij interdixit, vt aliam fidẽ proferret nemo.

ANDR. Etſi huiuſmodi definitio, & interdictum, pręſtantiſſimi patres, nequaquã contra nos facit, tamẽ vt id oẽs clariùs intelligant, nonnullas afferam rationes. Nam illuſtriſſima ſynodus illa decreuerat, Conſtantinopolitanũ ſymbolũ ad incarnationis Dei filij dilucidationem, ac noſtram fidem ſufficere: quia tamen verbis clariſſimis non conſtabat, idcirco nonnulla ei verba addiderat, nonnulla etiam ab ipſo (vt patet) abſtulerat: propterea tamen fidem ipſam mutaſſe, aut prorſus aliam feciſſe non creditur. Interdicta igitur ipſa facta fuiſſe cenſemus, ne cui ſenſum ipſius ſymboli mutare liceret: non autem, quo minus Eccleſia ſymbolum ipſum in poſterũ exponere, dilucidareque poſſet. Sed velim à vobis amp. patres doceri, an ſacratiſſimum Euãgelium perfectiſſimam noſtræ religionis doctrinam præ ſe ferat. Equidẽ vos aliud nil puto pro veſtra ſumma pietate reſponſuros, quam conſummatiſſimam fidei noſtræ ſciẽtiam in ipſo cõcluſam eſſe, licèt quamplurimi Græcorum ac Latinorum doctores, illud, necnon Apoſtolorum ſymbolũ explanauerint ac declarauerint. Hæc igitur patris Epheſij ſentẽtia vera videtur eſſe, totam ſacram ſcripturam ita noſtris à maioribus fuiſſe probatam & obſignatam, vt addere vel ab ea quicquam auferre fas nemini ſit. Propterea que dicebat, idẽ quoque nobis de ſymbolo credendum eſſe. Euangeliſtas autem noluiſſe, quin aliquis eorum ſcriptis addere poſſet: ſed ipſorum fuiſſe ſententiæ, vt talis inhibendi facultas ſuis poſterioribus deferretur: necnon ſecundum concilium ipſorum Euangeliſtarum veſtigia ſequutum, nequaquam interdicere voluiſſe. Hæc (pace veſtra dixerim) in pagina
Galat. 1. ſacra non extant. Immò Paulus ad Gal. inquit: Si quis vobis
Apoc. 22. euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Et Ioannes in Apocalyp. Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ. Omnes ergo doctores ſancti potuerant interdicere, ne cui liceret acceſſionem ad eorum ſcripta facere: poſteriores tamen ſcripturam ſanctam clariorem neceſſariò reddidere. Nam quoniam Arius profitebatur DEI filium creaturam, alteriuſque ſubſtantiæ à patris ſubſtantia eſſe, ſcilicet his verbis ſeruatoris inni-
Ioan. 14. tens, Pater maior me eſt: ideo doctores hac adducti neceſſitate, quanam ratione patre filius minor eſſet, declarauere: vt in poſterum accidere poterit. Sanctum enim ſpiritum, Deum ac dominum & viuificantem profitemur, & qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur: ipſum tamen cæli & terrę factorem eſſe, neutiquam in ſymbolo celebramus. Ergo ſi noua hæreſi quæreretur, cur ſanctus ſpiritus, inſtar patris & filij, factor cœli terræque non celebretur, nonne tum nobis neceſſe fuerit, vt conuocata Eccleſia quæſtionem huiuſmodi diſſoluamus, ac veritatem ipſam prædicemus, ſanctum videlicet ſpiritũ ita cœli & terræ factorem eſſe, quemadmodum pater & filius? Eccleſia igitur neque à tertia, neque à quarta, neque cæteris à ſynodis ita præſcriptis legibus interdicta videtur eſſe, vt cogente neceſſitate ambigua declarare non valeat. Sed quartæ ſynodi definitio iterum (ſi lubet) recitetur.

Ecce, patres ampliſſimi, quã clariſſimè patet, quidnã in hac quæſtione dicendum ſit. Synodus enim quarta decreuerat, ne cui liceret in poſterum aliam fidem aut diuerſum ſymbolum cõponere vel proferre, quorũ neutrum ipſi gratia Dei commiſimus. Sed verbum illud, ſi ſuffeciſſet, diligẽtius rogo perpendite. Non enim ſynodus dixerat, ſufficit: ita vt oratio ipſa ſic intelligi debeat, ſi nulla hæreſis emerſiſſet, Nicænum ſymbolũ dubio procul ſatisfeciſſet. Sed quoniam plurima inſurrexerat hęreſis, ideo neceſſe fuerat vt diuerſis temporibus, fide tamen ſymboloque non mutato, diuerſæ fierent expoſitiones. Symbolum autem fuiſſe perfectum, quemadmodum pater Epheſius protulit, ob idque nulla indiguiſſe additione, ratione duplici poteſt intelligi: vel quantum ad veritatem & fidem, vel quantum ad notionem pertineat. Ea igitur ratione ita ſymbolum fuiſſe perfectum, vt ei non eſſet opus acceſſione, fatemur: ob plurimam tamen hæreſim ortam, neceſſe fuerat, vt accuratiori expoſitione perfectiorique explanatiòne ſymbolum ipſum dilucidaretur. Rerum profectò neceſſitatem ac varios temporum * curſus patres ampliſſimi, conſiderare debetis. Homines enim mortales cùm ſint, omniaque futura neutiquã perſpicere poſſint, neceſſe eſt, eadem ſemper Eccleſia maneat, eademque dignitate prædita ſit: vt vſque ad ſæculi finem contradicentibus ſe opponat, ipſoſque redarguat, & refellat. His igitur fortiſſimis patet argumentis, nullum obſtare decretum, quo minus Eccleſia valeat dubia & obſcura exponere ac dilucidare. Prætereà poſt ſymbolum & decreta ſancita, definitiones traditæ fuerãt: quòd ſi valdè eſſet ignotum, quid pro religione ac bonis moribus eſſet in poſterũ declarandum: Proptereaque ſæpiſſimè aliæ atque aliæ definitiones poſteritati traduntur. Sanctorum igitur patrũ decreta ita præſinita videntur eſſe, vt quemadmodum diuerſa denuò definitio traditur, ita etiam explanatio ipſi conueniens poſſit fieri. Porrò autem ipſi quoque concedimus, quod pater Epheſius protulit, nulli fas eſſe aliud ſymbolũ tradere: ea tamen ratione, qua præſul ipſe dicebat, Conſtantinopolitanum à Nicæno neutiquam diſcrepare, etſi plures illud ſyllabas ac dictiones habeat, huic verò multa vel addita, vel ab eodem ablata fuerint.

* caſus

IVL. Card. Seſſione proxima, patres optimi, verbum, SI SVFFECISSET, ac totam ipſam orationem non accuratè expoſuiſtis. Verùm, quod quæſtionem noſtram facilè ſoluerit, prætermiſiſtis. Nam Chalcedonenſe Concilium inquit, [nil addentes vel auferentes, ſed Sanctum ſpiritum eſſe Dominum declarantes, & reliqua.] Qui quidem ſermo erat in eos, qui ſacræ paginæ innitentes, contra Sanctum ſpiritum diſſerebant. Ex his itaque verbis quæ vos ſilentio præterijſtis, luce clariùs patet, ipſam noſtram declarationem, EX FILIOQVE, talem nõ eſſe acceſſionem, qualem Conciliorum decretis prohiberi cenſemus, quemadmodũ Beatus Thomas in lib. contra Græcos hanc eandem quæſtionẽ diſſoluit. Sed ex quinti Concilij actis, Ioannis Cõſtantinopolitani præſulis ſermo recitetur.

AND. Orationem noſtram, patres ampliſſ. ex quinti Concilij ſentẽtia, veram eſſe probabimus: [vt Chriſti fideles (inquit ipſe Ioannes) ab ineptis verbis abſtineant, mentem autem ſuam diuino ſymbolo, quo baptizati ſumus, adhibeant, quod quidem Nicæna ſynodus Sancti ſpiritus gratia memoriæ prodidit, & reliqua.] A cæteris tamen concilijs magna verborum mutatio eidẽ ſymbolo facta fuiſſe videtur, quam tamen ipſi declarationem eſſe dicimus: quandoquidem eorum, quæ ad fidem pertineant, nulla prorſus in eo apparet mutatio. Non ergo Romana Eccleſia diuino ſymbolo quicquam addiderat, neque in poſterum addet. Sed Vigilij litteræ iterum legantur.

Summus is Pontifex, patres ampliſſimi, declarans, quid de religione ſentiret, id quod ipſi quoque credimus ac profitemur, memoriæ prodidit, vt aliam doctrinam & fidẽ aut diuerſum ſymbolum nemo profiteri deberet, ſed tantum illud, quod Nicæna ſynodus piè tradidit, Conſtantinopolitana verò ampliauit, ac Epheſina illuſtrauit. Idem igitur cum Vigilio volumus, idemque ſentimus, qui nil prorſus decreuiſſe videtur, quod non ipſi quoq; profiteamur, ſummoque ſtudio proſequamur.

IVL. Car. Harum litterarum vna particula, patres optimi, noſtrã quæſtionem diſſoluet [Epheſinam (inquit) ſuſcipimus ſynodum, quæ maiores ſuos ſequuta, Neſtorium impium ac

eius ſceleſtiſſima dogmata ſectamque damnauerat [Si quidem igitur ea ratione Neſtorius fuerat damnatus, ſequitur, vt hi, qui ea omnia quæ in ſymbolo ſunt incluſa, profitentur, nequaquam debeant condemnari : verùm hi tantùm, qui à ſymbolo diuerſa ſentiant : quandoquidem diuerſitas dogmatum ſolummodo prohibetur. Sed ſextæ ſynodi decretum iterum recitetur.

Recitatū eſt.

Nicænum ecce ſymbolum in primis ſuſceperat, dein Epheſinum, poſteà vero decreuerat, poſtremò autē interdixerat. Vnde veſtra ex ſententia ſequeretur, eos, qui ipſius ſynodi decretis, nedū qui ſymbolo addiderint, prophanos eſſe.

MAR. Breuitati ſtudētes ipſi, definitiones huiuſmodi recitare noluimus.

IVL. Car. At plurimum ad nos ſpectare vidētur. Nemo enim crederet eos ſub anathemate eſſe, qui eiuſcemodi definitionū fuerant authores, quæ non in ſymbolo celebrantur. Sed magna inter hos libros diſcrepantia eſſe videtur. Nam in Conſtantinopolitano ſymbolo, quod ab Epheſina & Chalcedonenſi ſynodo conſtat citatum fuiſſe, neque Devm de Deo, neque De Cælis, legitur in hoc libro. Operæprecium igitur eſt, hoc in vetuſtioribus libris inſpicere. Eſtne ita reuerende pater, an non?

MAR. Ipſi ſanè ſymbolum celebramus, quod ſcripturæ relictum fuerat. Si autem inter vos talis controuerſia eſt, vos videritis.

IVL. Car. Hic non eſt ſcriptum, De Cælis. In margine autem ita legitur: Nota Græcos qui celebrant, De Cælis.

RVTH. Num vos, De Cælis non celebratis?

IVL. Car. Id ipſi celebrare ſolemus.

RVTH. Ergo conuenimus, quemadmodum in noſtris libris eſt ſcriptum. Vnde autem veſtra hæc ambiguitas orta fuerit, ignoramus. Siquidem igitur ſic ab omnibus celebratur, quemadmodum in noſtris vetuſtiſſimis libris legitur, nullā ipſi tenemur reddere rationem, cur in libris veſtris diſcrepantia ſit.

IVL. Car. Hæc ideo protuli, vt oſtenderem id addi ſymbolo potuiſſe, quod non eſſet alienum à ratione : vt conſtat, poſt Epheſinum interdictum, acceſſionem congruam ad ſymbolum factam fuiſſe.

AND. Sed neque ex ſextæ ſynodi inhibitione, præſtantiſſimi patres, poteſtis nos meritò incuſare : quandoquidem ipſa ſynodus de alia tātum fide, diuerſoque ſymbolo ſentiebat. Ipſi verò (vt ſuprà multis ac fortiſſimis argumentis probauimus) non aliam fidem colimus, neque diuerſum ſymbolum celebramus. Nūc ad Agathonis litteras veniamus: quas iterum, obſecro, recitetis.

Sententia noſtra, patres ampliſsimi, literis his confirmatur. [Huic vni ſummo ſtudio (inquit) incumbentes, vt nil prorſus eorum minuatur aut mutetur, aut quicquam ipſis addatur, verùm omnia in verbis atque ſententijs eadem permaneant.] Et infrà : [Conſtanti animo ſumus, vt decreta à Catholica, & Apoſtolica ſede nobiſcum pro fide tradita, ſeruemus atque colamus.] Satis eſt ergo, vt in ſententijs, hoc eſt, in ſignificatione & intelligentia, rata maneant, iuxta illud Apoſtoli: Corde creditur ad iuſtitiam. Fides autem non ſolum in mente, verùm etiam in confeſsione conſiſtit, quæ quidem non niſi verbis fieri poteſt. Porrò quoniam apud Ariſtotelem, voces ſunt earum, quæ ſunt in anima, paſſionum notæ, animorū videlicet affectus ſignificantes: idcirco quid quiſque profiteatur, intelligi benè non poterit, niſi verba menti conueniant, vt exemplari exemplum. Benè ergo credimus non licere, verba rationi contraria, vel diuerſam ſignificantia fidem, apponere ſymbolo. Paulò verò ſuprà probauimus, declarationem ad perfectam intelligentiam pertinentem, nō eſſe vetitam. Agathon igitur ſummus pontifex, verba diuerſam tantum fidem ſignificantia prohibuerat. — Rom. 10.

IVL. Car. In Agathonis ſymbolo, patres optimi, nonnulla ſunt verba, quæ Conſtantinopolitano ſymbolo, multis alijs ablatis, is addiderat. Nam abſtulit quidem hæc, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, & ex patre natum ante omnia ſæcula: nec non, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum. Hæc aūt addidit, quæ in cælo* & in terra. Quæ quidem verborum acceſſio, declaratio potiùs quàm additio debet nuncupari: quæ declaratio (vt ſæpè ac ſæpiùs dictum eſt) nullis præſcriptis legibus prohibetur. Siquidem igitur Agathoni licuerat Conſtantinopolitano ſymbolo non minus addere, quàm ab eo verba plurima auferre, non tamen propterea ipſum accuſatis, cur nos paruæ huius additionis, ex filio, quæ verum ſignificat, tam vehementer arguitis?

for.* & quæ

ANDR. Probitas ergo & innocentia noſtra ex his quæ diximus, explorata eſt, ac nos immeritò à vobis incuſari. Nunc autē ad ſeptimam ſynodum venimus, cuius in primis ſymbolum recitetur.

IVL. Car. Maxima librorum noſtrorum diſcrepātia videtur eſſe. Nam in noſtro vetuſtiſſimo ſcriptum eſt, Ex Filioqve, in veſtro autem minimè. Sed de hoc aliàs.

AND. Symboli particulam, Ex Filioqve, à ſeptimo generali Concilio conſtat celebratam fuiſſe : ſed hoc aliàs accuratiùs perſcrutabimur. Symbolum autem dixiſtis, à maioribus noſtris ita probatum & obſignatū fuiſſe, vt nulla ratione mutari liceat, quemadmodum ex eo cognoſci poteſt, quòd verbum θεοτόκος, id eſt, Deipara, in ſymbolo neutiquam celebratur. De qua cum eſſet Neſtorij temporibus vocatum in dubium, an mater Dei nominari deberet, necne, habita diligenti conſideratione, Concilium definiuit, vt vera Dei mater appellaretur, quod tamen ſymbolo (vt dicitis) nolens addere, decreuit, vt in actis eius cōſcriberetur, poſteritatique traderetur. Quæ omnia, patres ampliſſimi, concedimus, ac vera fatemur eſſe. Sed ideo neceſſe nequaquam fuiſſe, vt verbum illud ſymbolo adderetur, quòd pluribus alijs ſymboli verbis cognoſcitur, Mariam Virginem Dei genitricem eſſe. Nam ex patre natum, & cōſubſtantialem patri, (filius enim Deus eſt, quemadmodum etiam pater) ampliùs & incarnatus, & homo factus : omnia hæc in ſymbolo celebrata, proculdubiò Deum & hominem natū eſſe ſignificant. Præterea, tametſi definitiones & ſymbolum in aliquo differunt, in pluribus tamen conueniunt. Nam differre quidem videntur, quòd plura eorum, quæ ad fidem pertineant, à definitionibus, quàm à ſymbolo continentur, (de quibus in præſentia dicere non eſt opus, nam multa volumina decretis eiuſmodi plena ſunt) conueniunt autem, quòd ſimul ad noſtram ſpectant religionem. Propterea noſtri maiores ipſius ſymboli ac decretorum omnium authores, pro cunctis ſimiliter interdixerant, vt ſymbolum pariter & decreta, vim eandem habere oſtenderent. Vnde euenit, vt eorundem ſymboli ac decretorum præuaricatores, in quibuſdam conuentibus anathemate fuerint deuincti, non tamen propterea Chriſti fidelibus viſum fuit, fidem in aliquo diminutam fuiſſe. Virginem autem Dei genitricē fuiſſe, tantundem eſt in definitionibus fuiſſe repoſitum, ac ſi in ſymbolo celebratum fuiſſet. Quod tamen ſi patres ij facere voluiſſent, his quas ſuprà duximus, rationibus proculdubio potuiſſent, quemadmodum poſteriores ſynodi multa ſymbolo verba addiderunt, quæ non ita, vt verbum, Dei Genitrix, neceſſaria fuiſſe videntur. Illis enim ſynodis exploratu fuerat, quæ de ſeruatore noſtro in Nicæno ſymbolo celebrantur, quàm maximè ſatisfacere.

IVL. Car. In hoc valde diſſentire videmur, ſi omnia poſt primum concilia generalia, verbum, Deiparam, addere ſymbolo voluiſſent, vtrum potuiſſent, an non. Et ſi Chalcedonenſe Cōcilium, quod materiam hanc tractauerat, id feciſſet, an prophanum fuiſſet, Reſpondeat ergo pater Epheſius, reſpondeat, inquam, ac firmet, vel deneget.

IMP. Non neceſſarium eſſe videtur, vt ad hoc ſolum reſpondeat, verum tota intellecta oratione, vobis ad omnia reſpondebitur.

IVL. Car. Videre videor mentem veſtram, patres ampliſſimi. Creditis enim ſanctos Chalcedonenſis Concilij authores, fuiſſe prophanos, ſi verbum, Deiparam, ſymbolo addidiſſent. At ſi ſynodorum dignitatis rationem habere volumus, eādem cunctis facultatem fuiſſe credemus. Sin autem ipſarū authorum numerum conſiderare velimus, in Epheſina ſanè 200. in Chalcedonenſi verò 600. & 30. patres fuiſſe cōſtat, qua quidem ratione hæc illa dignior, maioriſque poteſtatis fuiſſe videretur.

AND. Satis nobis videtur, patres ampliſſimi, veſtris quæſtionibus reſpondiſſe, ipſaſq; diſſoluiſſe. Nam ſymbola, & de-

creta, diuinaque dogmata, necnon ſanctorum literæ, quas in medium protuliſtis, in hoc conuenire videtur, quòd cũcta ſignificant, nemini Chriſti fideli licere diuino ſymbolo fidem aliam addere, literisve mandare, aut quouis modo proferre, quandoquidem patres hi de verbis nihil curauerant. Ipſi autem demonſtrauimus Romanam Eccleſiam, neque nominibus, neque verbis, neque aliqua ratione diuerſam fidem poſteritati prodidiſſe. Patet etiam illud, Ex FILIOQ; quod ipſa Romana eccleſia ſolet in ſymbolo celebrare, nequaquam fuiſſe vetitum. Sequitur caput vltimũ, explicare, ac multis argumentis probare, Romanæ eccleſiæ licuiſſe particulam ipſam dilucidare prædicareque, cũ præſertim ſanctorum patrum ſentẽtia mota, magnorum principum authoritate adducta, magna denique neceſſitate coacta fuerit. Proptereaque maiores noſtri huic ſententiæ facillimè acquieuerant, quemadmodum vos, qui proborum parentum probi filij eſſe cenſemini, facere ac ſentire nobiſcum deberetis. Sed nunc ſanctorũ doctorum authoritates in medium afferamus, ac in primis Auguſtini illuſtriſſimi Latinorũ Doctoris, quem quia ſynodus conſecrauit, quippe qui multis in locis, præſertim in libro de Trinitate, Sanctumſpiritum ex patre filioq; procedere, ſcriptum reliquerat. Idem etiam clariſſimus doctor Ambroſius literis mandauerat. Idem Gregor. noſter teſtatur. Hilarius etiã (quem Magnum appellare ſoletis) eandem ſententiam in libro de Trinitate reliquerat. Quorum omniũ doctorum ſententiã ſi diligenter perpẽderitis, proculdubiò cognoſcetis Romanam Eccleſiam nil abſoni, nil incongrui, nil denique quod cum ſanctorum patrum dogmatibus pugnet, profiteri. Sed vt veritas meliùs illuſtretur, nonnullos etiam veſtrorũ Doctorum teſtemur. Nam Magnus Baſilius in epiſtola ad canonicas, naturalem patris & filij, ſanctiq; ſpiritus ordinem deſcripſit. Spiritusſ. (inquit) patri quidem & filio cõnumeratur, cũ ſupra omnem creaturã ſit, ordine verò tertius eſt, vt Euangeliſta nos docet, Dño dicente: Euntes in vniuerſum mundum, baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti. Qui aũt eum præponit filio, aut ſuperiorem patre dicit, hic contradicit Dei traditioni, & alienus à ſana fide eſt, quam accepit. *laudationis formam non ſeruans. Et poſt pauca: Quare ſi quis hunc ordinẽ peruertit, ipſam perſonarum exiſtentiã & totam fidem inficiatur. Beatus item Gregorius magni Baſilij frater, ac in dignitate & doctrina ipſo nequaquã inferior, inquit, filiũ immediatè ex patre eſſe, idq; ipſius filij proprium eſſe. Athanaſius etiã: Qualẽ ordinem (inquit) & naturam filius habet ad patrem, talem ordinem & naturã ſpiritus habet ad filium. Sed ad eundẽ Baſilium redeamus, qui Zachariæ illud, aurea lãpas, exponẽs: Quemadmodum (inquit) pater naturaliter ac eſſentialiter Sanctum ſpiritum habet, ita etiã filius eundem Sanctũ ſpiritum habet. Beatus quoque Ioannes Chryſoſtomus ſuper Ioanne Euangeliſta: Omnia (inquit) filius eſt, quæ & pater, hoc & excepto, quòd ille quidẽ eſt genitor, hic aũt natus. Sunt etiam alij Orientales doctores, qui hanc ſentẽtiam memoriæ prodidere, de quibus ſuo loco dicemus. Nunc aũt quandoquidem tota noſtra difficultas videtur eſſe in verbi, procedere, vi percipienda, idcirco nonnullos veſtros doctores in mediũ producemus, cõplures verò alios ad aliud tempus ſeruabimus, qui oẽs profeſſi fuerant, Sanctumſpiritũ ex filioque procedere, In primis igitur Simeon Metaphraſtes veſtris in eccleſijs celeberrimus accedat, qui in B. Dionyſij vita inquit: Terminum corporeæ peregrinationis accipit, & quæ ſpiritus ſunt, ſpiritualiaq; exercet, ac in cælos Chriſtus meus aſcendit, ad paternamq; ſedem reuertitur, & ſpiritum qui ex ipſo procedit, diſcipulis ſuis demittit, vt ipſi gentem infidam regant. Ex huius ſancti ſententia, præſtantiſſimi patres, apparet, ſpiritum ex filioque procedere, quemadmodum Romana Eccleſia profitetur, verum eſſe. Quam enim apud Græcos genitiuus caſus vim habet, eandẽ apud Latinos ablatiuus ſibi vendicare videtur. Anaſtaſius etiam de monte Sina veniat, qui in ſermone de noſtris veris dogmatibus inquit: Ex corporis proprietate ac membrorũ analogia ſimilitudineque capientes exemplum, diuinarum perſonarum relationem, mutuamque dependentiam cõpræhendimus. Sic enim ſpiritus oris eius, hoc eſt, Dei, Sanctusſpiritus nominatur, cùm os vnigeniti ſit. Rurſus: Spiritus qui ex ipſo procedit, & mittitur, nõ ſolum ex patre, verum etiam ex filio. Legatur & Theodoriti dictum, ac ad ipſum Cyrilli reſpõſio. Sed accedat magnus ille veſter doctor Epiphanius, qui ſuper his dictis, Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, dicit ita: Si ergo à Patre procedit, & de meo accipiet, dicit Dominus, quemadmodum nemo patrem nouit niſi filius, & nemo filium niſi pater: ita equidem proferre audeo, vt ſpiritum nemo nouerit, niſi pater & filius, à quo procedit & accipit. Hæ ſunt doctorum veſtrorũ ſententiæ, pluribus alijs omiſſis, de quibus in præſentia mentionem facere nolumus, quibus Romana Eccleſia innixa, non putat quicquam aliud celebrare, quàm quod ſancti Conciliorum generalium authores, ac eorundem poſteriores, nobis tradiderant, maior pars quorum, vt Anaſtaſius & Maximus teſtantur, in ipſis Concilijs fuerat: ergo verum eſt, Ex FILIOQ; proferre, idque neceſſario additum, quemadmodum Orientalis eccleſiæ patres hæreticorũ importunitate coacti, multas ſymbolo particulas declarauerant. Namque Neſtoriana ſecta in Orientali Eccleſia prędicabat, Sanctum ſpiritũ, neque ex filio eſſe, neque ab eo eſſe accipere, vt ex Neſtorij ſymbolo patet. Theodoritus quoque ab eo ipſius Neſtorij conſcius, illud Pauli: Spiritus filij, declarans, dicebat ibidem Sanctum ſpiritũ nõ accipere eſſe à filio. Propterea Cyrillus literis mãdauit, Sanctum ſpiritum eſſe per filium, ac filij eſſe, & ab ipſo profluere: quam profectò ſententiam non dixiſſet, niſi coactus fuiſſet hæreticorum ipſorum opinionem euertere, quemadmodum etiam Romanæ Eccleſiæ contigit. Nam maximo in Gallia & in Hiſpanijs ſchiſmate imminente, cùm iam ex filioque, paſſim celebraretur, Romano pontifici fuit neceſſe, in multorũ Occidentalium amplæ dignitatis magnique conſilij patrũ conuentu, addito Ex FILIOQ; ſymbolũ magis illuſtrare, nequaquam ſanè putanti quicquam indigni committere, quippe qui non fuerat neſcius, cõuentus multos ante primam Nicænam ſynodum celebratos fuiſſe, initio Antiochiæ contra Paulum Samoſatenum, deinde Ancyræ aduerſus eos, qui reuertentes ad fidem, à qua tormentorum metu defecerant, recipere recuſarent. Poſtea verò Neocæſareæ, quos tamen conuentus oẽs ſynodus ipſa Nicæna cõprobauit, nõnullos eiuſdem Neocæſareenſ. cõuentus de ſeptem diaconibus actis exceptis, quæ cùm probãda non eſſent, refellit. Conuentum etiã Sardenſem, Occidentalem poſtea nuncupatum, Conſtantini temporibus celebratum, ſynodus ſecunda ſuſcepit: ad quem cum 70. patres Orientalis Eccleſiæ conuenissent, in ipſum intrare noluerant, quòd patres Occidentales Paulum & Athanaſium excludere noluerunt, qui quidem patres, Nicænæ tum ſynodi geſta ab omnibus Chriſtianis ſuſcipi ac excoli debere, decreuerunt. Quod quidem decretum ſecunda deinde ſynodus ſine vlla controuerſia confirmauit. Sed rem altius repętamus. Imperante Conſtantino, Magni Conſtantini filio, Conſtantius frater eius cum Arianis hæreticis conſpirabat; maximo ſanè deſiderio affectus, ipſius Nicænæ ſynodi acta reſcindere, ipſamque piam doctrinã fundıtus euertere: quæ ſummus pontifex ægrè ferens, Imperatori ſcripſit; is autem Conſtantio fratri ſuo minatus eſt, ſe ei bellum acerrimũ illaturum, niſi à tali propoſito receſſiſſet. Proptereà Sardenſe ipſum particulare Concilium fuit celebratũ, quod in tertio ſecundæ ſynodi canone, Occidentale (vt ſuprà dictum eſt) nuncupatur. In quo ſancitum fuit, trecentorum decem & octo patrum fidem in prima ſynodo traditam, veram & ſanctam fuiſſe, atque ab omnibus Chriſtifidelibus complectendam & excolendam. Quam deinde ſanctionem ipſa ſecunda ſynodus approbauit, vt in hoc Græco de Eccleſiaſtica hiſtoria volumine legitur.

D. Augu. D. Ambr. D Greg. D. Hilarius. D. Baſili⁹. Mat. 16. Matt. 28. *baptizationis Gregor. Nyſ. D. Athanaſius. Zach. 4. D. Ioan. Chryſoſt. Simeon Metaphraſtes. Theodoritus. S. Epiphanius. Ioan. 16. Matt. 11. Gal. 4. Ex filioq; Symbolo inſertum, in magno Concilio Occidentali. Conſtantij legendum perſpicuè eſt ex hiſtoria, vel Cõſtãtini intellige iunioris.

IMP. Quiſnam eſt author huius voluminis?

ANDR. Hermeus.

IMP. Eſt ne rationi congruum, vt in ſynodo hiſtoriæ innitamur?

AND. Ad cognoſcendum res geſtas, sereniſſime Imperator, hiſtoria vti debemus. Nam & euangeliũ, ac vetus ſacra ſcriptura, inſtar hiſtoriæ, poſteritati tradita fuerat.

IMP. Hiſtoriam illam in noſtra religione debemus ſuſcipere, quam maiores noſtri probauerunt, aliam verò minimè.

ANDR. De Romanorum, aut Græcorum, aut regũ bello hiſto-

ria,mitiſſime Imperator,in ſynodo nequaquam vti debemus. Sed cum hiſtoria hæc Eccleſiaſtica mera ſit, in qua cuncta omnium ſynodorum acta, & patrum ſanctorum definitiones & canones explicantur,cur ei credendum non eſt,cùm præſertim in veſtro Græco, nedum in noſtro volumine,res eædem narrentur? Sed (vt lubet)humaniſſime Imperator,omiſſis his,vnde digreſſi ſumus,reuertamur. Vt noſtræ fidei veritas,patres ampliſſimi,dicebamus, magis illuceſceret,magna præſertim vrgēte neceſſitate, Romanam Eccleſiam hac vera particula ex filioque ſuperaddita, ſymbolum declaraſſe ac dilucidaſſe. Sed ſi quis quæret,cur ad id cæteras Eccleſias conuocare noluerit,ingenuè reſpondebimus,incertum nobis eſſe,an non fuerint conuocatæ. Deinde Romanam Eccleſiam ad conuocandas ipſas, nequaquā obſtrictam fuiſſe. Nobis namque notiſſimum eſt, veteres illas ſynodos diuerſo patrum numero fuiſſe celebratas. Primam videlicet trecentorum decem & octo,alteram 100.& 50. tertiam 200. quartam verò 630. & quæ quandoque pauciores patres decreuerant,ea ſine controuerſia à cunctis ſuſcepta fuiſſe,vt ſeptimæ ſynodo contigiſſe conſtat. Cui poſteaquam Conſtantinus Imperator ſe litteris excuſauerat, cur plures præſules nō cōuenerint,nec ipſe adeſſe potuerit, quòd magnis negotijs fuerat impeditus, eā magna veneratione ſuſcepit,ac eius acta probauit. Siquidē igitur tot Occidentales antiſtites præſente ſummo pontifice,cui ad celebrandum Concilium ſumma facultas ſuit, & eſt, vt veſtri quoque doctores teſtantur, Concilio cel.brato ſymbolum declarauerant,nihil referre videtur, ſi nōnulli præſules abfuerunt. Accedat aūt Stephanus doctor veſter, ac teſtetur iniuſſu ſummi pontificis ſynodum celebrari nō poſſe. Qui cum vidiſſet quoſdā Conſtantinopoli congregatos,magno affectos Concilij conuocandi deſiderio, eos vehemētiſſimè increpauerat,dicens: Quonam pacto iniuſſu ſummi Pontificis,ac eius abſente vicario,Concilium conuocare celebrareque poteſtis? Veniat & B.Cyrillus,qui Cœleſtini vicarius (vt prædictum eſt)Epheſinæ ſynodo præfuit,ad quam cùm Ioannes Antiochenus præſul ſeriùs veniſſet, Cyrillum increpauit,quòd ſe ſuiſque ſocijs abſentibus, eam iam cœperit celebrare,proptereaque volebat eius acta reſcindere. Cui Cyrillus reſpondit, ſatis ei fore conſultum,ſi in ſynodum introduceretur, ipſi autem non licere acta ſynodi reprobare,ita vt quæ ante ipſius Ioannis aduentum acta fuerant,firma validaque permanſiſſent. Ergo nec vobis conuenit, patres ampliſſimi,Romanam Eccleſiam incuſare, quòd incōſultis vobis ſymbolum declarauerit. Præterea cur à Romana Eccleſia conuocari deberetis, ſi non inſcij quemadmodum iam diu ſymbolum celebraret ac prædicaret, non ſolū ei contradicere noluiſtis,verumetiam longum tempus cum ipſa coniuncti fuiſtis? Ex quo quidem facimus coniecturam, vos ob eiuſcemodi ſymboli declarationem haud in nos commotos fuiſſe, neque à nobis ſeiunctos. Propterea S.Maximus dicere ſolebat,Romanam Eccleſiam ab Orientali immeritò accuſari. Cuius litteræ ad Marinum ſcriptæ leguntur. Quibus quidem Græcè recitatis,atq; à Coloſſenſi præſule Latinè expoſitis, Nicolaus Græcorum interpres, habita dicendi facultate,dixit ita:

Synodos iniuſſu Ro. pōtificis non celebranda.

NICOL. Non bene pater reuerende interpretatus hoc dictum es,dicens,Sanctum Maximum litteris mandaſſe,Græcos vnicum Sancti ſpiritus principiū cognouiſſe. Non enim ex his literis hic ſenſus elicitur, verùm Græcos filium Sancti ſpiritus cauſam neutiquam facere, quòd vnicam filij ſanctique Spiritus cauſam patrem nouerant.

ANDR. Tum præſul Coloſſenſis: De his,inquit, ſuo loco dicemus,quando etiam demonſtrabimus ſanctum ipſum hanc intelligētiam habuiſſe. Porrò autem ſit ſatis nobis,probaſſe,beatum Maximum putaſſe Romanam Eccleſiam iniuſtè incuſari. Sed videamus & aliud dictum eius.

NICOL. Tum Nicolaus: Noueritis, inquit,patres ampliſſimi,dictum hoc nō fuiſſe Maximi, ſed ab alio ſcriptum poſt ſchiſma fuiſſe.

ANDR. Tum Coloſſenſis: De his inquit, alias accuratiùs agemus. Nunc autem ex his hanc habemus cō luſionem,ſummum illum pontificem ſextæ ſynodi tempore fuiſſe, vt eis ſcriptis cognoſcitur, quando etiam ſymbolum cum particula,ex filioque,non ignorantibus vobis,Romana Eccleſia celebrabat. Nequaquam ergo proferre debetis, id inſcientibus vobis additum fuiſſe. Ampliùs ex ſeptimę ſynodi actis apparet,particulam ipſam tunc probatam, ſuſceptamq; fuiſſe. Conſtat namque ſynodum ipſam nullā de Nicæno Cōſtantinopolitanoque ſymbolo mētionem feciſſe, quemadmodum fecerant priores: propterea quia cunctis iam fidelibus notum fuerat,vtrunque ſimul pro vnico ſuſcipiendū, ac nullam de ſymbolo cōtrouerſiam eſſe. Præterea ex Tharaſij Conſtantinopolitani præſulis literis, in tertia eiuſdem ſynodi ſeſſione ſcriptis,apparet, ſanctum ſpiritum ex patre per filium procedere,quod idem eſſe probabimus, ex filioque. Siquidem igitur ſoli Tharaſio id egiſſe licuerat, cur nō Romano pontifici cum tot Occidentalium patrum Concilio licebit? Præterea vetuſtiſſimum ſeptimæ ſynodi librum habemus, in quo planè Sanctum ſpiritum ex filioque procedere ſcriptum eſt, vt multis etiam alijs annalibus conſtat, argumentiſq; plurimis ipſi demōſtrare poſſemus. Sed quoniam ſeſſione proxima octaui Concilij, meminiſtis, ideo quædam nobis ad ea priùs dicenda ſunt, quæ nobis tunc obieciſtis. Photius namque Romanæ Eccleſiæ inimicus acerrimus,nullam de ſymboli additione faciens mentionem,in Nicolaum ac Adrianum ſummos pontifices literis inuectus eſt plurimum. Qui cùm in eos meliorem inuehendi materiam habere non potuiſſet, quàm ipſos præuaricatores legis, anathemateque notatos eſſe probare, id tamē nequaquam feciſſet: argumēto maximo eſt, Romanā Eccleſiam à vobis immeritò accuſari. Amplius Romana Eccleſia,ſummuſq; pontifex ab eodem ipſo Concilio, ſciente quonam modo ſymbolum celebrarent,& prædicarēt, ſummoperè laudantur,ac Photius ipſe pro Ignatio condemnatur. Hormiſda præterea ſummus pontifex, qui ante Quintum Concilium Iuſtiniani Imperatoris tempore fuerat, quaſdā literas ſcripſit,quas Ioannes Conſtantinopolitanus præſul, ac cæteri Orientales eiuſdem temporis præſules, æquo animo ſuſcepere,quamuis in eis clariſſimè ſcriptum fuiſſet, ſanctū Spiritum ex filioque procedere. Cur igitur Patres ampliſsimi, additionē ipſam diſiunctionis ac diſſidij noſtri cauſam fuiſſe aſſeueratis, nolentes,ea manente nobiſcū iungi? Sed neq; verum,rationique conſonū eſſe videtur, octauū illud Concilium antiquatum fuiſſe,cùm neq; Romanus pōtifex, neque vicarius eius in illo vltimo conuentu, quod pauloantè octauum Concilium nuncupaſtis,adfuerit. Si enim adfuiſſet,in eius annalibus procul dubio ſcriptū fuiſſet, quandoquidem omnia Romanorū pontificum geſta, etiā nō nimis neceſſaria,memoriæ diligentiſſimè tradi ſolent. Præterea,ſi conuentus ipſe Ioannē ſummo pōtificatu priuauerat, ac ſimul interdixerat,vt hæc ſymboli particula non ampliùs celebraretur,cur Romanus tū pontifex non idem in ſua Eccleſia ſtatuit? Cur deinde vobis cū prophanis anathemateq; deuinctis conſuetudo fuit? Cur deniq; tot ſummis pontificibus in hoc etiam,quemadmodū pluribus alijs in rebus feciſtis,nequaquam contradixiſtis? Ex quibus ſequitur,vt vel ipſo conuentus celebratus non fuerit, vel hac de re nullam prorſus fecerit memoriā. Hæc ergo particula, Ex FILIOque,patres optimi,neq; additio eſt,neq; vnquam prohibita fuerat,ſed explanatio,ac nō aliena à ratione dilucidatio eſt, vtpote quæ à noſtræ fidei veritate, ac ipſius rei neceſſitate, necnon Romani pontificis facultate multorum deniq; prǽſulum authoritate cauſam habuiſſet. Quam cum vos tolerando, ac tot annos tacendo, minimeque contradicendo confirmaſſe videamini,cur nunc contra nos commouemini? Si alia ratione adducti, noſtram amicitiam fugitis, eam nobis obſecro patefacite. Namque qui Sanctum ſpiritum ex ſolo patre procedere diceret,is planè ſanctorum patrum ſententiæ ac veræ fidei contradiceret. Duorum enim alterum incommodum neceſſe eſſet incurrat, vt vel in diuinis perſonis non naturalem ordinem eſſe credat,aut filium ſanctumque ſpiritum,patris creaturas eſſe. In quem quidem errorem Arius & * Eutychius ac Macedonius inciderunt. Quem cùm Romana Eccleſia clarè vidiſſet, Occidentalium patrum conſilio,ſummaque ſapientia diuinum ſymbolum declarauerat. Vt autem vobis pateat,ſolam hanc Petri ſedem noſtræ fidei declarandæ facultatem habere, contra quā portæ inferi,hoc eſt,hæreſes, neutiquam præualebunt, quemadmodum hucuſque minimè præualere potuerunt, hæc

In 8. Synodo generali, Sp.S. ex Filioq; procedere ſcriptum eſt.

* Eutyches.

ſola Græca legatur authoritas, quæ inſcribitur epiſtola ſuper ſermone de fide, tametſi plures alias Græcas authoritates ad hanc rem pertinentes habeamus, præſertim beati Cyrilli theſauros, in quibus Romani pōtificis facultas & dignitas plurimum reſplendet. Sed hæc hactenùs in præſentia. Silentio autem præterire nolim, Romanam Eccleſiam, cuius humeris incumbit veritatem reddere clariorem, hanc quoque veritatem, Ex Filioq́; neceſſariò ſuſcepiſſe. Quæ quidem ſi non implicitè vel explicitè ſuſcepta fuerit, ſeruari poterit nemo. Si quidem igitur, patres optimi, orationi noſtræ velitis (vt par eſt) acquieſcere, nō alia re opus fuerit, niſi vt clauſis ac poſtpoſitis libris, omnes VERITATEM amplectamur, ac in DEI Eccleſia coniungamur.

IVL. Car. AGATH. Quoniam, reuerendi patres, AGATHONIS literis vehementer inniti videmini, idcirco nonnulla proferre velim, quæ Coloſſenſis reſponſionem confirment, ac ipſam clariorem reddant. Sed priùs hæ literæ perlegantur. Si veritatem (inquit) ſilentio præteribo, quam verbis his, Paſce oues meas, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos, iuſſus ſum præſtare volentibus: quando nobis neceſſe eſt Chriſtianos ea docere, quæ ad veram fidem pertineant. & infrà, tota catholica Chriſtianorum, generaliaq́; concilia, eius, hoc eſt, Romani pontificis doctrinam fideliter amplexata, necnon ſancti omnes doctores ipſius Eccleſię lumina, eiuſdem doctrinam ſequentes, & reliqua. Cùm ergo quippiam agitur de fide, neceſſe eſt Romano pontifici ambigua declarare, eademq́ue prædicare: ſynodis verò totiq́ue Eccleſiæ doctrinam eius ſuſcipere: quemadmodum ex his ipſis Agathonis literis habemus, quas ſexta ſynodus ſuſcepiſſe videtur. Sed hæc hactenus. Et ſi lubet, ſurgamus, cumq́ue vobis viſum fuerit, ſeſſionem aliam celebremus. Tum ſancta ſynodus iuſſit, vt ad primam diem menſis Nouembris ſeſſio fieret.

Ioan. 21. Luc. 22.

Die Sabbati Prima menſis Nouembris, octaua ſeſſio Ferrariæ.

BESSAR. ORationem veſtram, patres ampliſſimi, æquo animo audiuimus, cui modò nos reſponſuros, oportet etiam vos mutua beneuolentia auſcultetis, ita vt dictio noſtra mutuo habeatur amore: noſterq́ue ſenſus ſic explicetur, vt ad ſanctam eccleſiarum vnionem omnes adſpicere videamur, agentes ea, quæ oporteat agere: refellentes verò, quæ ad ipſum noſtrum finem pertinere non videantur, vt non ipſis magis indulgere, quàm vniuerſalis Eccleſiæ commodo velle conſulere cenſeamur. Ipſi quidem vobis promittimus non vllum verbum proferre, vel patienter auſcultare, quod inhoneſtum eſſet, vel ſimultatem inter nos aliquam poſſet parere, credentes idem vos velle, idemq́ue ſentire. Sed dum hæc agimus, attendite obſecro. Sermonem noſtrum, patres ampliſſimi, partes in quatuor diuiſiſtis, ac nonnullas rationes pro parte qualibet attuliſtis, quibus creditis nos innixos, eiuſmodi ſententiam habuiſſe. Vnde poſteà euenit, vt nobis contradicere cupiētes, ea demonſtrare aggreſſi fueritis, quæ neutiquam ad rem attinere viderentur. Initio namque concluſiones quatuor, oſtendere promiſiſtis. Primò, EX FILIOQVE, particulam, non additionem, verùm declarationem, ac ſymboli dilucidationem eſſe. Secundò, Romanam Eccleſiam facultatem habere declarationes eiuſmodi faciendi. Tertiò, particulam ipſam ex Eccleſiæ doctorum ſententia veram eſſe. Poſtremò, cognita huiuſmodi veritate, Chriſticolas oēs ipſam ſuſcipere, prorſuſq́; conſectari debere. Porrò autem longa oratione de duabus primis partibus per vos habita, de alijs duabus ſeſſione præterita verba facere promiſiſtis. Rurſus ad ſecundam redeuntes partem, de ea dixiſtis plurimum, quinimmò veſtra tota ferè oratio in ipſa verſata fuerat, vt ſcilicet probaretis, Romanæ Eccleſiæ licere obſcura declarare, ac eiuſmodi declarationem diuino ſymbolo addere, quæ cùm modeſtiſſimè ageretis, à nemine noſtrum interpellati fuiſtis. Ad extremum autem protuliſtis, & ſi valdè cōueniens eſſet, reliquas duas partes oſtendere: nobis tamen volētes facere gratum, nolle quicquam de eis proferre, pro quo quidem veſtro in nos officio vobis magnas agimus gratias, licet in eo non minus vobiſipſis, quam nobis ſatisfeceritis, quòd de omnibus partibus latè diſſeruiſtis. Nos autem non omnem veſtram orationem forſan ad rem pertinere, breuibus amiceq́ue vobis demonſtrare promittimus, ab extrema parte ſermonis veſtri ſumentes exordium, de qua profectò plurimum dixiſtis, tametſi paulo antè de ea nihil proferre promittebatis. Porrò etiam ipſi concedimus veritatem, commune bonum atque omnibus mortalibus conducibile eſſe, ita vt qui mentis ſit compos, contra ipſam quicquam agere proferreue minimè debeat, ſed modis omnibus eam inueſtigare, ac inuentam ſectari, præq́ue oculis ſemper habere. Non ergò nos laborare oportet, vt quæ omnibus ſunt notiſſima, ea tractemus ac demonſtremus. Veritas enim ſimplex exiſtit, ac non multis indiget argumentis. parte igitur ipſa poſtpoſita, ad primam ſimul & tertiam veniamus. De quibus profectò multa dixiſtis, etſi de tertia parte (vt pauloantè dictum eſt) nil velle dicere videbamini. Sed neque de ipſis nunc agere nobis opus eſſe videtur: verùm cùm ipſius dogmatis veritatem, de qua præcipuè agimus, velimus inquirere, an ſanctus ſpiritus ex filioq́ue procedat, tunc de eiſdem duabus partibus diffuſius diſſeremus. Reliquum igitur eſt, vt ad ſecundam tantummodò partem in præſentia reſpondeamus, an Romanæ Eccleſiæ liceat declarare, ac eiuſmodi declarationes in ſymbolo celebrare. Nequaquam enim poſſe fieri credimus, ſimul de omnibus his partibus diſputare, ac ſimul in omnibus conuenire: verùm ab vna in aliam venire, ac ſic de omnibus agere, neceſſe nobis videtur. Oportet autem ab ea parte incipere, quæ prior cæteris ſecundum naturam exiſtit. Nam niſi probare poteritis, Romanam eccleſiam addendi facultatem habere, quid obſecro vobis proderit demonſtraſſe, ſanctum ſpiritum ex filioq́; procedere, veram declarationem eſſe? nil prorſus. propterea quod licèt id clariſſimè oſtendatis, ipſi tamen vobis reſpondebimus, tametſi verum ſit, ſymbolo tamen apponi nefas eſſe, quando etiam multa alia vera ſunt, quorum nullam factam ad ſymbolum fuiſſe videmus acceſſionem. Tota igitur noſtra controuerſia, in ſecunda parte conſiſtit, propterea de ipſa noſtram orationem præcipuè habebimus: in primis leuiter perſtringentes, quæ fuerant à vobis prolata, vt his quæ perperam dicta fuerint, in aliud tempus dilatis, de eis tantùm in præſentia diſſeramus, quæ nobis videantur ad propoſitum pertinere. Dignum autem admiratione non fuerit, ſi ad veſtram prolixam orationem longa vtamur reſponſione, in hoc præſertim initio: nam in poſterum erit neceſſe breuibus agamus, interrogando mutuoq́ue reſpondendo, quouſque ad concluſionem aliquam peruenerimus. Pro viribus tamen in præſentia quoque breuitati ſtudebimus. Sat eſſet profectò (vt pauloantè dictū eſt) de ſecunda tantùm quæſtione diſſerere, de qua præcipuè agitur: verùm vt noſtra oratio vberior habeatur, omiſſis ſuperfluis, de prima etiam nonnulla perſtringemus, quæ non aliena à propoſito videantur. Magno igitur vos affecti deſiderio, particulam Ex Filioq́; demonſtrare diuini ſymboli declarationem eſſe, quod quidem ſermonis veſtri primum caput fuiſſe diximus, quodam ſyllogiſmo fuiſtis vſi: de cuius ſecunda propoſitione, argumentiſq́; veſtris eam (vt creditis) confirmantibus, nobis in præſentia diſputandum non eſt. Rationibus verò, quas ad primam eiuſdem ſyllogiſmi propoſitionem probandam attuliſtis, quæ ad rem ſpectare videntur, breuibus reſpondebimus. Quam quidem propoſitionem in primis quodam ſyllogiſmo confirmaſſe putatis, deinde cæterorum generalium Conciliorum exemplo, quippe quæ nonnulla obſcura ſymboli verba explanauerant ac declarauerant: poſtremò, ex quodam patris Epheſij ſermone. Ad ſyllogiſmum igitur ipſum veniamus, cui dum reſpondeo, rogo attendite. Omnis additio è rebus, dicitis, extraneis fit, declaratio verò ab intimis: ex quibus nullam declarationem, additionem eſſe infertis. Quæ quidem prima propoſitio ſimpliciter concedatur, licet eam, quo ad noſtram materiam ſpectet, inficiari verè poſſimus. Secundam verò communiter veram eſſe negamus: fieri namq; poteſt, vt aliqua declaratio ab intrinſecis ac intimis fiat: omnis autē minimè. Immò declaratio forſan quæque, præſertim hæc de qua agimus, quæ theologica eſt, ad extraneum quadam ratione refertur, ac ab ipſo depēdet, quod primæ maioriſq́ue propoſitionis rationem habet, ita

vt ma-

vt maior ipſa veſtri ſyllogiſmi propoſitio ab illa contineatur, ac ab ea ſecundum locum obtineat, quæque potius contineri, quam continere credatur. Exempli cauſa, ſanctum ſpiritum ex patre procedere cõmuniter proferre ſolemus: quæ quidem oratio ex verbis intrinſecas res ſignificantibus conſtat. volentes autem eundem probare ſpiritum ex filioque procedere, hanc orationem extraneam ſumitis, patris omnia, filij eſſe: ex qua deinde hanc infertis concluſionem, ſpiritum ipſum ex filioq; procedere: quam, declarationem appellare ſoletis. Cuius quidem concluſionis ſecunda propoſitio extrinſecus à ſua priori dependet: quæ (vt paulo antè protulimus) ab extraneo vim habere videtur. Non igitur verũ communiter eſt, quamuis declarationẽ ex verbis res intimas ſignificantibus, ſemper fieri. Nam etſi nonnulla pars declarationis ab intrinſecis fit, maiori tamen ex parte ab intrinſecis conſtituitur: quod ab axiomate, hoc eſt, pronunciato, vel (vt dialectici dicunt) dignitate, aut ſaltem ab aliqua extranea dictione dependet. Qui ergo ſanctũ ſpiritũ ex filioque procedere dicit, is ſymbolum forſan declarat, eidem nihilominus quicquam dubio procul videtur apponere. Talis igitur declaratio, additio eſt. Præterea verbum, Ex Filioq; augmento vel rei auctæ diuerſa ratione ſimile eſt. Nam augmentatio (vt Ariſtoteles inquit) ita fit ab extraneo, vt id ſimile eſſe oporteat. Nam vt veſtro vtar exemplo, tametſi nutrimentum extraneum ſit, id tamen ſimile eſſe neceſſe eſt. Quoduis enim, quod alitur, à ſuo ſimili nutritur. Ergo cũ additio duas habeat in ſeſe rationes, alterã quidem vt ab extrinſecis, alterã verò vt ex ſimilibus fiat: additio, Ex Filioq;, vtramq; rationẽ habere videtur. Intrinſeca namque ſimiliſq; iuxta vos eſt, quòd rem eandẽ ſignificat. Extrinſeca verò atque diſſimilis, tũ quod dicto extranea atque diſſimilis eſt: tum etiã quod extrinſecus & dignitate quadam probatur, ac ab hac (vt eſt ſupradictũ) depẽdet. Cùm igitur, Ex Filioq;, additio ſit, & additiones fieri, cõſtet vetitũ eſſe: ſequitur, particulam ipſam, prohibitam eſſe, quamuis forſan declaratio ſit. Sed de ſyllogiſmo hactenus. Porrò aũt reliquis argumentis, quibus eandẽ ipſam primã propoſitionem confirmaſtis, perpetua oratione reſponderemus, niſi eiſdem ipſis ad ſecundã partem probandam vſi fueritis. Ne igitur eadem bis repetamus, ad eam nũc veniamus, ſimulque veſtras ipſas rationes ſoluamus. Quam quidẽ ſecundã partem, ſcilicet fas eſſe, ſymbolo declarationes apponere, quatuor rationibus probaſſe videmini. Primò, cũctarum ſynodorum exemplo, quæ noſtram fidem declarauerant, quibuſdam deinde pronunciationibus à ſymbolo differentibus. Tertiò, principiorum ſcientiarum exemplo, quæ quidem principia videntur in ſeſe ea omnia poteſtate includere, quæ in eiſdem tractantur ſcientijs. Poſtremò quod quoniam vna eademque dignitate ſemper Eccleſiam fulgere neceſſe eſt, idcirco eandem facultatem Eccleſiam ipſam ſemper habere oporteat. Hæc vos. Ipſi autem credimus, patres ampliſſimi, nunquam licuiſſe, neque fore vt liceat, vt diuerſum dogma intrinſecis veriſq; rationibus declaretur. Quæ verò à noſtræ fidei principijs continentur, ea ſolum lucidiora reddere, nobis fas eſſe. Nam maioribus noſtris non ſolum declarandi, verumetiam declarationes ſuas diuino ſymbolo addendi, ſumma facultas fuiſſe creditur. Quæ deinde vetita fuerant, ne cui ſymbolo quicquã addere liceret: declarandi tamẽ poteſtas in Dei Eccleſia permãſerat, ſemperque manebit. Nam duo illa prima generalia Concilia, maxima dignitate facultateque prædita fuerant. Poſtea verò, quoniam nonnulli impij ſymbolum ſæpè mutuando, peruerſaque dogmata non ſine maxima Chriſticolarum pernicie ingerendo, ea facultate abutebantur: idcircò tertia ſynodus videns facultatem eiuſmodi perniciei potius, quàm commodo mortalibus eſſe foreque, ita ſymbolũ obſignauit, vt nemo ei quicquã addere poſſet, quòd ex eo nullum prorſus incommodum Chriſtianis accideret. Quonam, obſecro, pacto id ipſis contingere poterit, cùm eadem ipſa profiteantur, quæ diui patres docuerãt? Aut quis Chriſtianus, qui compos mentis fuerit, ipſorum patrum decreta imperfectionis incuſauerit? Contra ex facultate mutandi ſymboli, pernicies magna profectò conſequeretur, data quandoq; mutandorum verborũ occaſione. An aũt tertia

Cyrill⁹. ſynodus interdixerit, litteris multis, præſertim B. Cyrilli ad Acacium Melitineñ. præſulem ſcriptis, apparet. Sancta (inquit) ſynodus Epheſi celebrata, neceſſariò prouidit, vt alia fidei expoſitio Dei eccleſijs neutiquam ingereretur: præter eam, quã beatiſſimi patres noſtri ſancto afflati ſpiritu definierant. In quibus quidem litteris multa notatu digna videntur. Sed tria tantũ (ſi lubet) perpendamus. Primum, tertiam ſynodũ primam inhibuiſſe, quod verbũ, Prouidit, ſignificat. Deinde verbum, Neceſſario. Poſtremum, aliam fidei expoſitionem fuiſſe vetitam. Præterea memoria dignum eſt, ab vniuerſali Eccleſia interdictum fuiſſe, quod hæc verba ſignificant, vt Dei eccleſijs nõ ingereretur. Quæ omnia, patres ampliſſimi, conſideremus oportet, præſertim quod ex primo ſequi videtur. Conſtat enim, tertiam ſynodum primum quippiam vetuiſſe, duas verò priores iamprìdem interdixiſſe, ne quis cõtraria dogmata proderet. Ergo ſequitur, ſynodum ipſam aliud ab eo, quod iam vetitũ fuerat, prohibuiſſe. Quod ipſi credimus eſſe, ne verborum mutatio vel additio ſymbolo fieret. Quod quidem decretũ ab vniuerſali eccleſia (vt ſuprà dictũ eſt) factum fuerat: quippe quæ, nõ quid hic vel ille profiteretur, ſed ne, ꝙ cõmuniter in eccleſijs celebraretur, & in quo baptizaremur, mutaretur, curauit. Et non ſolũ alijs, verumetiã ſibijpſi interdixit. Quod planè patet ex eo, ꝙ verbũ, Deiparã, diuino ſymbolo noluerit addere. Nã etſi in ipſo includeretur, ac valde neceſſarium eſſet, vt eidẽ apponeretur, tñ poſterioribus exemplo ſe voluit eſſe, ſuũ decretũ re ipſa confirmando: quamuis (vt prædictum eſt) propter impij Neſtorij dogmata, magna neceſſitas vrgeret, vt ſymbolo nomen illud apponeretur, cùm præſertim ab eo potentia contineretur. Nam hæc, filiũ eſſe conſubſtantialem patri, ac ipſum de cælis deſcendiſſe, & incarnatũ de ſpiritu ſancto ex Maria Virgine fuiſſe, Deum ipſum ex ſancta Virgine natũ eſſe ſignificãt. Ergo nomẽ hoc, Dei Genitrix, etſi ſymboli declaratio eſſe poterat, haud tñ additum fuerat. Sed quiſpiam forſan diceret, id ideo additum non fuiſſe, ꝙ à ſymbolo clarè contineretur. At alia quoque cõplura fuerant, quæ quamuis à ſymbolo non tam clarè continerentur, ea tamen poſteaquã declarata fuerant, ſynodi ſymbolo neutiquam addiderunt. Nam neq; filij Dei cum aſſumpta natura noſtra ſecundum hypoſtaſin vnionem, de qua tertium generale Concilium, neque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum duas poſt ipſam vnionẽ naturas inconfuſas ſeruaſſe, de quo quartũ: neque duas voluntates, operationeſque duas habuiſſe, de quo ſextum tractauerat, diuino ſymbolo addidêre, quamuis ea omnia diuinæ ſcripturæ pluribus in locis non clarè ſcripta fuerint. Neque igitur, quæ non à ſymbolo manifeſtè continentur, eidem addita fuiſſe videntur, neque quæ clariora eſſent, tertia ſynodus ipſi ſymbolo appoſuerat. Nulla ergo ratione quicquã licet apponere ſymbolo, quod quidem cætera poſt tertium Concilia generalia ſumma cum veneratione ſeruauerunt. Si qua tamen vobis ambiguitas in ſeptimi Concilij libro videtur eſſe, eam ſuo loco diffuſiùs declarabimus, & ipſum Cõcilium cætera fuiſſe ſequutũ probabimus. Quod tantum abfuit vt ſymbolo quicquam apponeret, vt cũ cætera Concilia declarationes ſuas, cum his quæ declarabant, conuenienter ſolerent conſcribere, eaque ſimul cum declarationibus memoriæ tradere, ipſi ſoli conuenientius viſum fuerit, intacta primitiua ſcriptura, ſuas eiuſmodi declarationes litteris ſeparatim mandare. Licèt nonnulli doctores, præſertim hi, quibus ante tertium Concilium declarandi facultas fuerat, quadam adducti neceſſitate, diuerſa ratione ſuis declarationibus vſi fuerint, cùm præſertim nondum fuerit interdictum, Hoc autem Pauli dictum, Si quis vobis aliud præterquã quod tradidi vobis, euangelizatus fuerit, anathema ſit, neq; cõtra Maiores noſtros, neq; prorſus in nos facere videtur, quandoquidẽ Paulus aliam fidẽ tradi vetuerat, maiores verò noſtri fidem diuerſam nequaquã docuerant. Qui quidem Pauli ſermo in oẽs, qui declarandi facultatẽ habent, vel in poſterum habere crediderint, verus eſt. Propoſitũ aũt noſtrum partim ſimile, partim diſſimile videtur eſſe, pro ea interdicendi neceſſitate, quã tum fuiſſe probauimus. Quòd aũt dicitis, beatum Gregoriũ ſanctorũ primi generalis Cõcilij patrũ fidei, nil voluiſſe vel potuiſſe præferre, nõ nil tñ de ſancto ſpiritu declaraſſe, quòd ſibi dictum obſcurè fuiſſe videretur, vobis

Summa tertium Conciliorum Generalium.

Gal. 1.

reſpondemus, eum nõ aliam fidem expoſuiſſe, quamuis declarandi facultatem haberet, quòd in ea ſynodo eſſet, quam conſtat ante prohibitionẽ fuiſſe. His igitur authoritatibus, quæ ante tertiã ſynodũ proditæ fuerant, nequaquã poteſtis inniti. Si qua verò ſynodus poſt ipſam, ſymbolo dictionẽ vel ſyllabam aliquam addiderat, id obſecro nobis oſtendite. Quòd ſi profectò nobis probabitis, abſq; vlla cõtrouerſia in veſtram ſententiam ibimus. Sed id certè nunquam probare poteritis. Cuncta enim ipſarum ſynodorum acta, meridiana luce ſunt clariora: poſteriorumq́ue patrum ſententiæ, actis ipſis quam maximè conſonæ videntur: quippe qui quamuis abſtruſa quamplurima dicta neceſſario declarauerint, nil tamen prorſus diuino ſymbolo appoſuerant, ſed rectam rationem inuenerant, qua quæ opus eſſent, benè conficerent, ſimulq́ue maiorum ſuorum religionem intacto ſacro ſymbolo, ſed verba tantum eis ambigua exponentes, ſumma cũ veneratione ſeruarent. Ex quo quidem nullum vnquam Chriſtianis incommodum accidere poterit, quod ipſi valdè timere videmini. Vna igitur ac eadem ratione maiores noſtri fidem dilucidãtes, magno Chriſtianis commodo fuerunt, & ſymbolum non tangẽtes, maiorum ſuorum terminos minimè tranſgreſſi videntur eſſe. Quod autem idem magnus in Theologia Gregorius litteris mandauit, nullam ſyllabarum dictionumve rationẽ habere, id planè nihil ad propoſitum pertinet. Ipſe enim de dictionibus illis loquutus eſt, quæ rem vnam ſignificent, quæq́ue de vno eodemq́ue ſubiecto prædicentur; quemadmodum ſunt hypoſtaſes, perſonæ, proprietates, de quibus is loquebatur, quę quidem rem vnã ita ſignificant, vt bis duo, ſunt quatuor: necnon vt veſtis, pallium & indumentum: quod à noſtro propoſito alienum eſſe videtur. Alia eſt enim patris perſona, alia verò filij: ita vt ſpiritum ex patre procedere, aut ex patre filioq́ue, diuerſa prorſus ſignificẽt: vt ſuo loco diffuſiùs diſputabimus, cùm interrogãdo mutuoq́ue reſpondendo, breuibus agemus. Nunc ad aliud argumentum veſtrum veniemus, quod ex ſymbolo diuerſis Chriſtianorum linguis, idem tamen ſignificantibus prolato, ſumitis: aſſerentes, nobis de dictionibus illis curæ non eſſe debere, quæ rem vnam ſignificent. De quo quidẽ argumento, etſi paulò ante, cùm de prima parte ageremus, mentionem aliquam fecimus, nunc tamen pleniùs dicimus illud, ſanctum ſpiritum ex patre filioq́ue procedere, non ſolum dictiones diuerſas eſſe, verumetiam res diuerſas ſignificare. Nam vnaquæque oratio vnum habet ſignificatum. Spiritum autem ex patre procedere, oratio vna eſt: ex patre verò, filioq́ue, duæ, quæ licet vna tantum dicatur coniunctione, duas tamen orationes negatiuè contrarias continet: alteram quidẽ veſtra noſtraq́ue ſententia falſam, alteram verò (vt noſtra fert opinio) veram. Vocibus ergo diuerſis eandem vel diuerſas res ſignificare, non eſt idem. Si namq́ue nos Græco, vos autem Latino ſermone protulerimus, bona dies, ob id profectò nequaquam diſſentiremus: rem enim vnam ſignificaremus: proptereaq́ue coniuncti eſſemus, quemadmodum ante additionem huiuſmodi fuimus. Nunc verò non ſolum à vobis Romanis differamus neceſſe eſt, verumetiam ab ipſis noſtris hominibus longè diſſentiremus, ſi tale peccatum committerẽt. Sed ponamus orationem ipſam rem vnam ſignificare, haud tamen propterea non interdicto tenemini, quo quidem omnis additio vetita eſt. Præterea cuiuſuis ſcientiæ, dicitis, principia, ea omnia, continent, quæ in ipſis ſcientijs tractãtur. Et quoniam fides noſtra, ſcientia theologica eſt, eius idcirco principijs dogma veſtrum verum eſſe probare poteſtis: Quod quidem nobis ſi probaueritis, gratias vobis agemus, ipſum tamen propterea fidei noſtræ principijs forſan nequaquam addiderim, cùm inconueniens ſit quicquam principijs addere, noſtris præſertim, propter tertij Concilij interdictum. Principiũ enim, & ea, quæ poſt principiũ ſunt, in multis, imò forſan in omnibus, inter ſe differunt: quandoquidem illud commune eſt, hæc verò particularia: necnon ex illo ſolent fieri demõſtrationes, hęc autem demonſtrantur: Illud denique prima ſyllogiſmi propoſitio eſt, hæc verò concluſiones. Quonam igitur pacto commune fiet particulare? vel demonſtrationis principium, concluſio demonſtratumq́ue fiet? Neceſſe eſt igitur poſteriora à principijs ſuis contineantur, non autem ipſis addantur, præſertim ſi, quod interdictum, vt in re, de qua agimus, interceſſerit: tunc enim nulla prorſus fieri poſſet additio. Vnde euenit, vt tametſi cõplura vera ſint in theologia, eius tamen principijs ea nequaquã addita fuerint. Cuncta namq; diuina dogmata ex ſacræ ſcripturæ fonte hauriuntur, quæ fidei noſtræ principium ac magnũ fundamentum exiſtit: cui quidem nil hucuſque prorſus eſt additum, neque vnquam à nobis dum liberi erimus, neque ab alijs Chriſtianis, vt credimus, addetur. Siquidem igitur diuinum ſymbolum in Dei Eccleſia principiũ eſſe cenſemus, nil ei prorſus addendum eſt. Ipſam autem Eccleſiam, vnam eandemq́ue ſemper eſſe, ac vna eademq́ue facultate præditam eſſe debere concedimus: ita tamen, vt ſanctorum patrum decreta ſeruet, ipſaq́ue pro diuinis vocibus reputet. Synodi namq́ue diuerſæ, rationibus diuerſis adductæ, varijs temporibus celebratæ fuere: quæ quidem ad vnum eundemq́ue finem, hoc eſt, ad hominum ſalutem tendentes, diuerſas res pro temporum conditione tractarunt, ac de diſſimilibus rebus leges diſſimiles promulgarunt. Leges igitur ipſas poſteriores ſynodi ſeruare, quæq́ue ab illis neceſſario definita fuerant, neutiquam præterire debent. Sic enim magis vnam ac eandem facultatem Eccleſia ſemper habebit: ſin minus, ipſa ſeipſam deſtrueret, ſponteq́ue ſua corrueret. Quod quidem igitur à Maioribus noſtris prohibitum fuerit, id poſteriores cauere debent. Contra, quia illi non interdixerant, ne cui liceret expoſitiones ſuas extra primitiuam ſcripturam reponere, idcirco ſacram ſcripturam ita nos exponere poſſumus, quemadmodum ipſam Agathon, Cyrillus, Sophronius, multiq́ue alij explanauerant: quippe qui, quæ ſibi clariora reddere licebat, priuatis ea commentarijs explicauerant. Porrò autem nobis curandum non eſt, quid quiſque eorum dixerit aut ſcripſerit, cùm præſertim ipſorum ſenſus perfectus fuiſſe credatur. Cuiuis ergo communia dogmata ſeruãti, licet ſuam, vt ſentit, fidem exponere: de communi autem dogmate, diuinove ſymbolo ferre legem, fas eſſe nemini credimus. Qua quidem ratione B. Agathon multiq́ue præſules, ac alij minore dignitate prędit doctores, populos fidem docuerunt, quod minimè nobis videtur obſtare. Sed hæc hactenus. Quemadmodum autem vos, patres ampliſſimi, de eiſdem rebus bis diſſeruiſtis, & ſi de ipſis ab initio luculentam orationem habueritis: ita nos etiam de quibus multa modo fecimus verba, ea paucis repetere volumus, tum quod in ſuperiore ſermone noſtro potentia concluduntur, tum etiam quod tempus anguſtum eſt. Tota veſtra oratio, Patres ampliſſimi, in decem vel plures partes diſtribui poteſt: quas ipſi repetentes, ac ea prætereuntes ſilentio, quæ ad propoſitum nequaquam ſpectare videntur, tantum decem ipſis partibus quam breuiſſimè reſpondebimus. Initio admirati fuiſtis, quòd ſymbolũ Nicænum recitauerimus. Ipſi verò vobis iterum reſpondemus, id ideo recitatum à nobis fuiſſe, vt vobis oſtẽderemus, pro duarum illarum primarum ſynodorum amplitudine, in tertia ſynodo in primis citatum, ac ipſarum duarum ſynodorum ſymbola pro vno tantum ſuſcepta fuiſſe, ipſamq́ue tertiam ſynodum ſimul interdixiſſe, ne cui liceret in poſterum ei quicquam apponere.

Greg. heol.

IVL. Caſ. Creditiſne, primæ ſecundæq́ue ſynodi ſymbola, in tertia recitata fuiſſe?

MAR. Secundum ſymbolum lectum fuiſſe non diximus, ſed ipſum à primo potentia contineri, vt fortiſſimis argumentis ſupra probauimus.

BESS. Deinde prohibitionem ad fidem tantum, non autem ad dictiones vel ſyllabas referri debere dixiſtis: ad quod quidem, omnium ſynodorum decretis ac definitionibus innitentes, oratione longa reſpondere poſſemus, in quibus planè decretis, de ſymbolo ac interdicto particularis mentio fit. Verùm res ipſa nobis ipſarum ſynodorum ſenſum clariſſimè patefacit, quippe quæ, quamuis ſæpiſſimè aliqua cogerentur neceſſitate, nil tamen prorſus diuino ſymbolo voluerant addere. Sed hactenus de ſecunda parte. Nam in tertia de ſcientiarum principijs mentionem feciſtis, quibus etiam ipſi reſpondemus, id duplici ratione verum non eſſe, quod ex ipſis principijs oſtendere volebatis. Altera quidem, quod omnibus principijs à natura conceſſum eſt, vt quatenus alicuius ſcientiæ principia ſunt, in eadem fieri cõclu

ſiones

ſiones non poſſint. Altera verò, quòd vſu euenit, vt ipſis theologiæ principijs, in quibus verſamur, nullus poſt tertiam ſynodum doctor quicquam addiderit: quamuis ea, quę declarauerant, ab eiſdem continerentur principijs.

Bene eſſet, Patres ampliſſimi, vt noſtras orationes ſcriptas haberetis. Sic enim ſeruato earum ordine, melius ipſis reſponderetis.

Nos ordinem veſtrarum orationum ſeruare putamus, ea tamen diſponendarum orationis partium facultate, qua vos in diſſerendo vſi fuiſtis.

Id ſanè fieri poteſt: at tertium vel quartum nominare locum, longè aliter quàm à nobis prolatum fuerat, non licet.

Nullum equidem orationis veſtræ locum priuatim citaui, ſed tertio vel quarto ſimpliciter protuli. Sic eſto.

Vnde ergo digreſſi fuimus, redeamus. Concluſiones nõ paucas à ſanctis patribus ex fidei noſtræ principijs demonſtratas fuiſſe, dicebamus: quas hi principijs ipſis, aut ſacræ ſcripturæ noluerant addere. Nam illud, CONSVBSTANTIALEM PATRI, AC IN SPIRITVM SANCTVM DOMINVM ET VIVIFICANTEM, multaque alia, quæ quamuis paruæ ſint dictiones, atque à ſacra ſcriptura contentæ, principijs tamen nequaquam appoſitæ fuerant. Aut igitur hæc etiam ſcripturæ ſacræ ſunt apponenda, aut ſymbolo prorſus addendum. Quod quidem ipſorum ſanctorũ patrum ſententia, eadem præditum eſt authoritate, qua ſacra fulget ſcriptura. Omnium aũt ſynodorũ acta poſt tertiam, ad ipſam tertiam, vt rectam normam, referri debere, non imus inficias: non ita tamen, quemadmodũ dicitis, vt ipſius acta, cęterarũ ſint expoſitiones. Namq; quo pacto fieri poſſet, vt poſteriora prioribus explanentur, cũ eius oppoſitum verum ſit? Siquidem igitur poſteriores doctores, pręſertim B. Cyrillus, qui Romani pontificis vicarius tertiæ ſynodo præfuit, necnon poſt ipſum B. Agathon, eius ſynodi acta poſteritati clariora reddiderant, ſequitur, vt ij, eorundẽ actorũ expoſitores meritò appellandi ſint. Quid enim ipſorum litteris clarius? Scitu præterea dignum eſt, vt non ſolũ poſteriorum Doctorũ verba, ad eiuſdem tertiæ ſynodi dicta, verumetiam eorundem ſenſum ad ipſius intelligẽtiam referri oporteat, ita vt qua mẽte ipſa ſynodus interdixerat, eadem etiam cæteræ prohibuiſſe putentur. Mens autẽ ipſi fuerat, ſyllabarum etiam acceſſionem vetare, vt is B. Cyrillus ſuis literis declarauit. Neceſſariò (inquit) ſynodus interdictum hoc fecerat, ergo cæteras etiam ſynodos ad eundem finem aſpicientes interdixiſſe credendum, vt re ipſa demõſtraſſe videtur: quippe quæ quicquam addere ſymbolo noluiſſent, ac ſimul interdixiſſent, ne cui liceret, cùm non ſine magna Chriſtianorum pernicie fieri poſſet, alia cõponere ſymbola. Quòd autem creditis, hoc ſancti Cyrilli dictum, NON TOLERABIMVS VT AB ALIQVO FIDES MVTETVR, & reliqua, nequaquam ſignificare, ne cui liceret ſymbolo quicquam apponere, ſeſſione ſequenti vobis reſpondebimus, in qua etiam perorabimus: ad illud enim noſtra feſtinat oratio, vt breuibus interrogationibus ac reſpõſionibus agere incipiamus. Mihi aũt eſt, vt conuenimus, cũ vno ex his ampliſſimis patribus diſſerẽdum. Sed hæc hactenus. Ad ſequentem verò ſeſſionem, fauente Deo, accingamur. Tum ſancta ſynodus iuſſit, vt ad diem ſequentis martis ſeſſio prorogaretur. quo decreto, ſeſſio dimiſſa fuit.

Die Martis 4. Nouembris, nona ſeſſio Ferrariæ.

SS. MAiori ex parte, præſtantiſſimi patres, orationi veſtræ pro viribus reſpondiſſe credimus. Ob temporis autem breuitatem, nonnulla penitùs prætermiſimus, nonnulla verò paucis tetigimus, quibus nunc breui reſpondere intendimus. Quæ quidem ſunt hæc, ſi benè memoria tenemus. Primum, fidem mutare, vt B. Cyrillus inquit, aliud quiddam ſignificare, quàm quippiam declarare. Alterum, interdictum poſt decreta factum fuiſſe. Tertium, beatum Agathonem eas dictiones prohibuiſſe, quæ res à fide diuerſas ſignificarent. Quartum, eundem ipſum diuinum hominem, dum ſuam fidem exponeret, ſymbolo quædam addidiſſe, quædam verò ab eodem abſtuliſſe. Quintum, minimè fuiſſe neceſſariũ, vt verbum, DEIPARA, ipſi ſymbolo adderetur. Poſtremò, ſanctam Romanam eccleſiam ſanctorũ vocibus motam, magnaque neceſſitate coactam, additionẽ eiuſmodi ſuo iure feciſſe. Ad quæ quidem (quemadmodum diximus) paucis reſpondebimus, ne tempus fruſtra conteramus: quemadmodum ſeſſionibus ſuperioribus nobis accidit, cùm præſertim longas orationes habere, neque cõueniens ſit, neque (vt mihi videtur) ad propoſitum pertinẽs. Hoc enim pacto nunquam ad concluſionẽ poterimus peruenire: breuibus igitur (vt lubet) agamus. Partem primam, patres ampliſſimi, falſam eſſe cenſemus. Is enim Cyrillus inquit, Nequaquam tolerabimus & reliqua: quod deinde re ipſa declaraſſe videtur, quippe qui nil prorſus apponens ſymbolo, eiuſdem verba non pauca explanauerit. De interdictis autem poſt definitiones editis, quæ quidem pars altera fuerat, is ipſe Cyrillus inquit: Neque quicquam defi- S. Cyrill.
nitionibus licet addere, ſi ſint declarationes, quòd ad declarationem nulla fieri debet acceſſio. Id igitur nobis non obſtat: namque tertiæ ſynodi patres oratione perpetua de ſingulis ſymboli partibus mentionem fecere. Sed hæc & alia ad propoſitum pertinentia, ſuo loco forſan diffuſiùs perſcrutabimur. Nunc ad tertiã partem veniamus, in qua beati Agathonis fuiſſe ſententiam dicebatis, vt fides verbis, nedum intelligentia ſeruari deberet, cùm ipſi firmiter teneamus, quoduis genus additionis ab ipſo fuiſſe vetitum, vt ex verbis eius percipitur. Summo ſtudio (inquit) incumbẽtes, vt nil prorſus eorum, hoc eſt, decretorũ, minuatur aut mutetur, aut quicquam ipſis addatur, verùm omnia in verbis atque intelligentia eadem permaneant. Si quidẽ igitur ſanctus is iudicauerat, à verborum additione, ſenſuſque maiorum noſtrorum mutatione cauendum eſſe, patet quod nos ſentimus, id eius ſententiæ magis conuenire. Et ſi (quemadmodum ſupra diximus) nihil ad propoſitũ attinet, ſi in exponenda ſua religione ſymbolo quicquam addiderit, vel ab eodem ademerit: propriam enim expoſitionem cuiuſque nunquam Eccleſia vetuit, neque vetabit, ne quiſque videlicet doctor, quid ſentiat de fide, proferre, literiſve mandare valeat: communem verò doctrinam tradi, vel iam traditæ ſyllabam aliquam à quoquam mutari poſſe, prohibuit: proptereaq; ſanctus ipſe doctor verbo, MVTATVR, vſus fuerat. Cuiuis igitur communia dogmata colenti, ſua licet, vt nouit, exponere. Sed de tertia ſimul & quarta parte hactenus. Porrò autem cur quintam protuleritis partem, ipſi nõ videmus. Si namque verbum DEIPARA, neceſſarium non fuiſſet, nullam prorſus de eo mentionem fieri, ac in actis ſynodi ſcribi oportuiſſet: ſin autem conueniens (vt creditur) ac dignum fuerat declaratione, cùm ſymbolo nõ fuerit additum, patet argumentum noſtrum verum eſſe. An autem Romana Eccleſia ſanctorum vocibus mota fuerit, necne, in poſterum Deo fauente conſiderabimus. An verò vrgente neceſſitate ſymbolo potuerit addere, credimus, ipſam quauis neceſſitate cogente id minimè facere debuiſſe. Non enim neceſſitas vos excuſat, cùm in decretis ipſis ſcriptum non ſit, vrgente neceſſitate id fieri poſſe. Sed de huiuſmodi neceſſitate ſuo loco forſan agemus. De poteſtate verò Romanæ Eccleſiæ plurimum diceremus, niſi aliud ageremus. Non enim inſcij ſumus, quæ ſit ipſius facultas ac prærogatiua. Sciatis tamen, velimus, addendi ſymbolo facultatem nõ ſolum Romanæ, verumetiam vniuerſali Eccleſiæ, generalique ſynodo interdictam fuiſſe. Si quidem igitur Romana Eccleſia quauis facultate prædita ſit, vniuerſali tamẽ Eccleſia, quam generalis ſynodus præ ſe fert, inferior eſt: ſi eiuſcemodi facultatem ab vniuerſali Eccleſia tollimus, multo magis ipſam à Romana Eccleſia tollendam putamus: tollimus inquam, non noſtra authoritate, verùm maiorum noſtrorum decretis. Sed hæc hactenus. Quæ quidem non idcirco protulimus, quòd nobis omnia viderentur ad propoſitum attinere, verùm vt veſtræ orationi omni ex parte reſponderemus. Si lubet ergo, ad rem ipſam paucis veniamus, quidque maiores noſtri hac in re ſenſerint, exactè cõſideremus. Nos enim credimus, in vniuerſum ipſos interdixiſſe, ita vt ne ſyllabam quidem vnam ſymbolo liceat addere, vt ex eorundem actis (quemadmodum ſæpiſſimè dictum eſt) clariſſimè conſtat. Vt igitur breuibus agamus, ex vobis quærimus,

Vide infrà decretũ huius ſynodi de poteſtate ſedis Apoſtolicæ. &c.

mus, an ſanctorum patrum interdictum ad ſymbolum, vel ad aliud referatur. Hæc Beſſarion vir præſtantiſſimus.

AND. Andreas autem Coloſſenſis præſul volens reſpondere, longum de ſpiritus ſancti proceſſione ſermonem habuit. Cui cùm ad propoſitum Græcis ſpectare non videretur, aures præbere, nedum ipſum litteris mandare, noluerant, quemadmodum de multis alijs ſuperuacaneis verbis facere ſolebant. Sancta verò ſynodus iuſſit, vt ſeſſio ſolueretur, & ad diem proximi ſabbati conueniret.

Die Sabbati 8. Nouembris, decima ſeſſio Ferrariæ.

IOAN. Beatiſſimi patris iuſſu, Patres ampliſſ. veſtris orationibus reſpondebimus ab his tribus exordientes, quæ in procemij ſpeciem protuliſtis. Non eſt nobis (dicitis) diſputandum, vt videamur viciſſe, verùm vt veritatem inueniamus, ac ipſam in lucem proferamus. Quam quidem veſtram opinionem probamus atque ſuſcipimus, ac vt veritatem ipſam aſſequamur, vehementer incumbimus, beati Hieronymi ſententiæ innitentes: [Nunquam errat, inquit, qui ſequitur veritatem, præſertim fidei noſtræ, quæ mortales locorum diſtantia & lingua moribusque plurimum inter ſe differentes, cõponit & congregat, vt ſimul conueniant:] vt magnus etiam Dionyſius in de diuinis nominibus lib. teſtatur. [Hæc ratio (inquit) eſt ſimplex, & exiſtens exiſtentis veritas, circa quam, ſicut mundam & non erroneam totorum cognitionem, diuina fides eſt, quæ eſt manens credẽtium collocatio, quæ iſtos collocat in veritate,] & reliqua. Siquidem igitur eo deſiderio ſumus affecti, vt ſanctam Dei Eccleſiam coniungamus, in hoc vehementer debemus incumbere. Quod quidem vt aſſequamur, maxima cura & diligentia ſummoque ſtudio nobis opus eſſe videtur. Nobis deinde conuenire dixiſtis, vt quantum ſubiecta materia patitur, humanitatem ſeruemus, vt omni ex parte mutua beneuolentia videamur eſſe affecti. [Pſal. 4.] Qua de re magna equidem afficior lætitia, quòd vna cũ Propheta dicere poſſum: Dediſti lætitiam in corde meo. [2. Tim. 2.] Nam (vt beatus Paulus inquit) [ſeruum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docilem,] & reliqua. Poſtremò, id (quod valdè videre cupio) nunciaſtis, vt interrogationes reſponſionesque noſtræ breues habeantur: quod quidem non alienum à ratione videtur eſſe, quòd ſermo breuis facilius intelligitur, memoriæque mandatur. Non tamen propterea breuitati ſtudendum eſt ita, vt noſtra oratio ſit obſcura. Rogo igitur vos patres ampliſſ. ne duo à me repugnantia ſimul contendatis, vt breui oratione, id quod fieri benè non poteſt, ad veſtram prolixam reſpondeam. Porrò autem vobis promitto, ſeruato veſtri ſermonis ordine, ad quamlibet eius partem quàm potero breuiſſimè reſpondere, partim concedendo, partim autem denegando, noſtræ tamen eiuſmodi denegationis congruas rationes reddendo: partim etiam declarando, quædam verò leuiter tangendo, ita vt ad omnes orationis veſtræ partes per capita reſpondendo, vobis ſatisfacere ſperem. Ad rem igitur ipſam, Ieſu Chriſto Domino noſtro fauente, veniamus. Initio, præſt. Patres, verum protuliſtis, veſtras nobis aures benignè ſemper præſtitiſſe, non igitur ad hoc reſpondebimus. Deinde particulam, Ex FILIOQVE, additionem extraneam eſſe, proptereaque non ſine ratione prohibitam. Præterea, quamuis huiuſmodi dogma verum eſſet, id tamen diuino ſymbolo neutiquam addi debuiſſe: cùm etiam multæ aliæ ſymboli declarationes factæ fuerint, quarum nulla videtur eidem appoſita, propterea quia id fieri non liceret. Amplius, nonnullis rationibus probaſſe putatis, omne genus additionis fuiſſe vetitum: ex quo etiã ſequebatur, particulam ipſam fuiſſe prohibitam. Quæ cũ ageretis, Coloſſenſis ſyllogiſmum ſubtiliter repetentes, his quæ vobis ad propoſitum viderentur ſpectare, reſpondiſtis, de reliquis verò ſuo loco differere promiſiſtis. Qui quidem ſyllogiſmus talis fuerat: Omnis additio ex rebus extraneis fit, declaratio verò tali modo non fit, ergo declaratio non eſt additio. Cuius profectò ſyllogiſmi veritatem, quoniam grauiſſimus ſubtiliſſimusque Theologus Coloſſenſ. præſul optimè demonſtrauit, idcirco eo poſtpoſito, ad explicandum id veniamus, de quo ſuprà diximus, vos vehementer ambigere, an videlicet illud, [ex filioque] ſit additio vetita. Quã quidem particulam, ſanctorum authoritatibus innitentes, ac fortiſſimis argumentis adducti, cenſemus additionẽ nõ eſſe, nec vlla ratione prohibitam. Quòd autẽ ſimpliciter nõ ſit additio, patet, cùm ex nouo teſtamẽto, quod à veteri poteſtate continebatur: tum etiam ex noſtræ fidei articulorum declaratione, quæ varijs temporibus facta fuerat, de quo quidem in nouo teſtamento B. Auguſtinus in Fauſtum inquit: [Chriſtus non venit ſoluere legem, ſed adimplere: non ita, vt quæ legi deerant, ipſa eidem adderentur, verùm vt fierent, quę ſcripta erant, quemadmodum ipſius Chriſti verba teſtantur: Quippe qui non dixit, Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec addantur quæ deerant: ſed, donec omnia fiant.] [Matth. 5.] Item in libr. de catechizandis rudibus inquit: [In teſtamento veteri eſt occultatio noui, in teſtamento nouo eſt manifeſtatio veteris.] In quæſtionibus autem veteris ac noui teſtamenti, [ſenſus enim legis ad ſalutem (inquit) hominis pertinet,] iuxta illud: Oculum pro oculo & infrà, [Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo. [Matth. 5.] Vnde Ezechiel ait, quaſi ſit rota in medio rotæ.] [Ezech. 1.] Quod dictum à Gregorio ſic exponitur: [Vetus teſtamentum in nouo.] qui etiam alio loco. [Quod lex (inquit) iubet, & prophetæ ſeruant & Euangelium, id etiam Apoſtoli in vniuerſo prædicant mundo.] Præterea ex huius dicti expoſitione, [Non veni ſoluere legẽ,] apparet, euangelium legis veteris eſſe declarationem. [Matth. 5.] Sequitur ergo, declarationem non eſſe ſimpliciter ac propriè ſecundum ſenſum additionem. Si enim apud Auguſtinum tot noui teſtamenti myſteria, idcirco ſecundum intelligentiam additiones non appellantur, quòd à veteri lege continerentur: nil mirum, ſi qua etiam ipſorum myſteriorum declaratio ac illuſtratio non ſit ſimpliciter, & quo ad eorundem ſignificata, verè additio, ſed potius implicatæ rei explicatio. Quod etiam patet (vt paulo antè dictum eſt) ex multa fidei articulorum declaratione. Propterea idem ipſe beatus Auguſtinus inquit: [Tempora prætereunt, non autem fides.] Eadem enim præteritorum, poſteriorumque patrum fides exiſtit. Nã & præteriti patres, ac ipſorũ poſteriores dicebant: Benedictus, qui venit in nomine Dñi. [Matt. 21.] facta tamen fuit articulorum multiplicatio, necnon implicatorũ verborum explicatio, ac infinita decreta. Vnde apparet, Patres am. pro noſtra fide & ſalute poſt Abrahæ tempora maiorem ambiguorum declarationem factam fuiſſe, quàm ipſius temporibus, cui quidem fuerat ab angelo nunciatum: [Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.] [Gen. 22.] Eſaias præterea hanc protulit declarationem: [Ecce virgo concipiet] [Eſa. 7.] ſed angelus multo quidem maiorem, qui virgini cõceptionis ſuæ modum quærenti, reſpondit: [Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.] Eadem igitur ratione articulus de ſancto ſpiritu diuerſis temporibus fuerat illuſtratus. [Luc. 1.] Apoſtoli namque ſic ipſum celebrarunt, [Credo in ſpiritum ſanctum.] Concilia verò generalia, QVI EX PATRE PROCEDIT, addiderant: non tamen propterea nouus articulus poſteritati proditus credebatur fuiſſe, verùm is, qui iam fuerat, magis declaratus dilucidatusque redditus putabatur. Pari ratione, qui particulam, [ex filioque,] addiderant, non nouum articulum celebraſſe, ſed eundẽ ipſum clariorem reddidiſſe* putarunt. [* putãtur.] Quod quidem additionis genus cenſemus non eſſe vetitum. Apud namque Bonauenturam in Theologia clariſſimum, triplex genus additionis litteris traditum eſt. Vnum, cùm id quod additur, ei, cui apponitur, oppoſitum eſt. Alterum, quod non oppoſitum, ſed tãtum diuerſum ab illo cui apponitur, fuerit. Tertium, cùm vtrunque congruum ſit. Quorum quidem primum genus hæreticum, ac prorſus alienum exiſtit à fide, vt ſi quis DEVM patrem protulerit genitum, filium verò ingenitum, ſanctum autem ſpiritum à nullo procedentem. Altero verò genere inepti homines vti ſolent. Nam ſummæ ineptitudinis eſt, inſolita verba & à ſacris litteris aliena proferre, vt ſi quiſpiam Deum patrẽ appellauerit geometram, filium aſtronomum, ſanctum autẽ ſpiritum arithmeticum, quæ licet à veritate non diſcrepent, quandoquidem quæuis diuina perſona cuncta cognoſcit ac poteſt, ta-

men quoniam eiuſmodi ſermo, neque in ſacris literis, neq; in ſanctorum ſcripturis legitur, ideo ineptis hominibus adſcribi ſolet. Tertium autem genus, quo Deum patrem omnipotentem, æternum, filium verò conſubſtantialem, ſanctum autem ſpiritum, ſpiratum procedentemq́ue dicimus eſſe, pium & catholicum eſt, noſtraq́ue religionis doctrinam declarans: idcirco duo illa additionum genera, (Apoc.22.) pœna grauiſſima prohibentur, iuxta illud Apocalypſis: [Si quis appoſuerit ad hæc, apponet illi Dominus plagas ſcriptas in libro iſto.] Genus verò tertium tantùm abeſt ab interdicto, vt qui eo vtantur, à ſeruatore noſtro præmijs afficiantur ampliſſimis, vt Sententiarum magiſter in proœmio ſuo teſtatur. Siquidem igitur additio, de qua agimus, non ex oppoſitis diuerſiſve conſtat, ſequitur ipſam non eſſe vetitam, cùm præſertim illa, [ex filioque.] particula, valdè cōueniens ac congrua ſit. Apoſtoli namque ſancti cùm ſanctum ſpiritum celebrarent, non ipſum ex patre procedere proferebant: quod cùm ab ipſo Apoſtolorum ſymbolo poteſtate contineretur, eiq; quammaximè conueniret, ſancti poſteriores patres ad euertendos impios hæreticorum errores, id ipſi ſymbolo appoſuerunt, ac ipſum ſpiritum ex patre procedere declarauerunt. Quod cùm adhuc modo quodam ambiguum eſſe videretur, idcirco, ex filioq́ue, particulam alij poſteriores patres addidere, ipſumq́ue ſymbolum clariſſimum reddidere, proferentes, ſanctum ſpiritum [ex patre filioq́ue procedere. [Sed dum in hac materia plurimum inſiſto, demonſtrans particulam ipſam, conſonam veramq́ue ſymboli declarationem eſſe, vobis forſan videor extra propoſitum agere. Cùm igitur vobis libuerit, prolixius ac ſubtilius hanc quæſtionem tractabimus. ita volenti veritatem agnoſcere palàm fiet, declarationem eiuſmodi nequaquam fuiſſe prohibitam. Nunc autem ad illam veniamus partem, quæ caput quæſtionis noſtræ videtur eſſe, & de qua vehementer ambigitis, an ne ſyllabam quidē ſymbolo liceat addere. Nā quatuor illa repetere nolumus, quæ vos breuiſſimè protuliſtis, quandoquidem nobis videtur magis operæprecium eſſe, ipſam controuerſiæ noſtræ radicem diſcutere, pro qua quatuor ipſa dixiſtis. Nam primo interdicti cauſam declaraſtis. Deinde vno vſi fuiſtis argumento. Tertiò quandam beati Cyrilli ſententiam vſurpaſtis. Poſtremò, à conuenientibus innixi loco, rationem hāc protuliſtis, valdè conueniens ac dignum memoria fuiſſe, facultatem ipſam addendi ſymbolo, vtpotè nō modò Chriſtianis inutilem, verū etiam pernicioſam, ab Eccleſia prorſus abſtuliſſe. Nam maiores noſtri naſcentis fidei noſtræ temporibus ſummam (vt dicitis) facultatem habebant, vt quę à ſacra ſcriptura obſcurè continerentur, ea declararent, ac ſymbolo vel alij ſcripturæ, excepta ſolummodò ſacra, apponerent, & ipſis arbitratu ſuo vterentur: quæ deinde facultas à poſterioribus ex parte fuit diminuta, ita vt poſſent tamen ambigua declarare, dilucidioraque reddere, diuino tamen ſymbolo nil addere poſſe. Quod ipſi (pace veſtra dixerimus) falſum credimus eſſe, primis illis patribus abſque generali Concilio licuiſſe communi ſymbolo quicquam addere. Nam S. Thomas teſtatur, nunquam ſymbolum extra ſynodum declaratū fuiſſe, de eo ſymbolo loquens, quod vulgò in eccleſia celebratur. Hoc igitur iacto fundamento, quatuor illa capita leuiter perſtringamus, quibus veſtrum propoſitum probare conati fuiſtis. Primùm enim dixiſtis, maiores noſtros vſque ad ſecūdam ſynodum addendi ſymbolo poteſtatem habuiſſe: ſed cum ipſa facultate nonnulli non ſine ſua pernicie abuti inceperint, ſymbolum tranſformantes, ac impia dogmata docentes & prædicantes, tertium idcirco generale concilium videns facultatem ipſam damno magno potiùs, quàm commodo, Chriſticolis fore, eam penitus abſtuliſſe. Nos autem ad hoc reſpondemus, falſum eſſe, cuiuis ante tertium concilium licuiſſe ſymbolo quicquam apponere, niſi ea fortaſſis licētia, quam quidam hęretici ſibi vendicaſſent, quam quidem ſolam ab ipſo concilio, verbis his, ne cui liceret ſymbolo quippiam addere, circunſcriptam interdictamq́; credimus eſſe. Deinde protuliſtis, addendi facultate ablata, nullum Chriſtianis incommodum accidere poſſe, ac nullum compotem mentis, ob decretum eiuſcemodi meritò dicere poſſe religionem noſtram imperfectam eſſe: contrà, fieri facilè poſſe, vt pro eadem facultate cuiuis conceſſa, catholica eccleſia aliquo afficiatur incommodo: Ipſi verò (pace veſtra dixerimus) argumentum hoc claudicare cenſemus, vt ſuo loco probabimus. Immò etiam cæteris duabus poſtpoſitis partibus, ad fundamentum ipſum veniamus, quo quidem euerſo, cætera facilè ruent. Omiſſis ergo corticibus, medullam ipſam tangamus. Quod quidem ſperamus conſequi, ſi legiſlatoris verba non nimis curantes, mentem eius accuratè conſiderabimus. Id autem fuerat tertium generale cōcilium, quod id tantùm vetuiſſe putatur, quod fidem contrariam pareret, vt Bonauentura teſtatur: qui, prima patrum, inquit, interdicti ſententia nequaquam ad alios attinet, niſi ad fidei noſtræ oppugnatores, & eos, qui ſymboli dictiones mutando, vel ei quicquam addendo, eccleſiam ſtudent euertere. Addendi verò facultate nunquam eccleſiæ fuerat interdictum, neq; interdicetur in poſterum, dummodò legitimo imperio, præſenteq́ue principe, qui facultatem vniuerſalis eccleſiæ habeat, ad euertendos hæreticorum errores, conueniat. Quis obſecro, tum vocaret in controuerſiam, an eccleſia, cogēte neceſſitate, ne Chriſti fideles, circà diuina myſteria in aliquam hæreſim caderent, partem aliquam ſymboli fidei congruam declarare poſſit, necne? Nemo profectò. Qua igitur ratione illud, CONFITEOR VNVM BAPTISMA, ipſi ſymbolo fuerat additum, eadem etiam ratione, id eſt, pro animarum ſalute, EX FILIOQVE particulam, noſtri maiores addiderant. Et quemadmodum illud, ET INCARNATVS EST DE SPIRITV SANCTO EX MARIA VIRGINE, addidere: ita etiam, ipſam Dei genitricem fuiſſe, ipſis, ſi voluiſſent, ſymbolo licebat apponere. Verùm facultatem eiuſmodi non vnam tantùm perſonam vel particularem eccleſiam, habere concedimus: Interdictum igitur illud tantùm ad priuatos homines, ac contra fidem loquentes, refertur. Propterea (inquit ipſe Bonauentura) patres illi non ſic interdixerant, vt viam eccleſiæ in futurum præcluderent, quo minus ei liceret eadem vti facultate, ſi Dei benignitate meliora præuiderit. Et infrà: Eorū (inquit) ſententia fugienda eſt, qui credunt patres illos opinionis huius fuiſſe. Vt autem credatis, patres ampl. nos benè cum illis ſentire, nonnulla ſynodorum acta, præſertim tertiæ, necnon quaſdam patrum ſanctorum literas tempeſtatibus illis ſcriptas, afferemus. Quæ dum facimus, rogamus vos, diligenter attendite. Frequenti tertia ſynodo, patres ampliſſimi, conuocatus Neſtorius, accedere recuſauit: tunc ipſa Nicænum ſymbolum (vt moris erat) recitauit, vt quæ verba fidei conuenirent, probarentur, diſſona verò eijcerentur. Vndè patet, ſynodum ipſam voluiſſe, non fidem maiorem ſuorum religioni congruam prohibendam eſſe, verum verba diſcrepantia, & ab ipſa fide diuerſa, quemadmodum hæc eiuſdē ſynodi verba ſignificare videntur, NEMINI LICEAT ALIAM A NICÆNA FIDEM PROFERRE. Nicæna autem ſymbolo recitato, Cyrilli literæ ad ipſum Neſtorium ſcriptæ in medium prolatæ fuere, quibus idem Cyrillus quædam ipſius ſymboli verba repetens, demonſtrabat, Chriſtum Deum & hominem vna tantùm hypoſtaſi ex Maria Virgine genitum, ipſamq́ue veram DEI genitricem eſſe, dicens ſe ſacræ innitendo ſcripturæ ita ſentire. Quibus quidem literis recitatis, quæ ita incipiebant, [Non vereor me veræ fidei Nicænive ſymboli præuaricatorem eſſe,] Cyrillus ipſe ſynodum interrogauit, an quę de (S.Cyril.) ſymbolo Nicæno literis mandauerit, vera eſſent. Cui ſynodus ipſa reſpondit: [Nil vani aut ſuperuacanei, verum cuncta congruè Cyrillus edidit: quæque Nicæna ſynodus paucis decreuerat, is ſuis literis explanauit ac illuſtrauit.] Quæ quidem literæ plurimum luminis præbent, ita vt edicta Nicæna ex his clariſſimè poſſint intelligi. Synodus igitur ipſa profeſſa fuit, Cyrilli literas eadem ipſa ſignificare, quæ à ſymbolo Nicæno continerentur. Poſt hæc literæ quoque Neſtorij ad Cyrillum ſcriptæ, perlectæ fuerunt, quibus ſacram vſurpando ſcripturam, Mariam Virginem non Dei genitricem eſſe, ſignificabat. His igitur literis Neſtorij recitatis, iterum Cyrillus ſynodum ipſam interrogauit, quid de ipſis ſentiret, an Nicænorum patrum religioni conuenirent. Synodus autem ſic reſpondit: [Nequaquam conſonæ ſunt, ſed veram fidem oppugnant, quando quidem Cyrilli & Nicęnorum patrum fidei quàm maximè contrariæ ſunt.

Idcirco vera fides Neſtorium anathemate notat, quippe qui impia dogmata nefariamque communionem poſteritati conatur tradere.] Quibus patet, Patres ampliſſ. quanam mente tertia ſynodus interdixerit, ne cui liceret eam fidem proferre, quę contra Nicænam, hoc eſt, à vera fide aliena, eſſet: ita vt interdictum eiuſmodi, veræ fidei diſcrepantiam & contrarietatem, non autem declarationem ipſi fidei conſonantem, ſignificet atque vetet. Quod quidem Cyrillus ipſe teſtatur, qui Nicænum ſymbolum candidius reddidit. Teſtes ſunt & ipſius tertij concilij literæ ad Imperatores pro fide ſcriptæ, quibus acta recolendo ſua, inter cætera memoratu digna declarat, Cyrilli ſe literas, ſanctorum patrum dogmati conſonantes, ac nulla ex parte ab Apoſtolorum & ipſorum patrum fide alienas comperiſſe, Neſtorij verò dogmata eiuſdem fidei contraria depræhendiſſe. Poſteà Cæleſtini literæ, quas ad ipſum Neſtorium ſcripſerat, recitatæ fuêre, quæ ſic incipiebant, [Quibuſdam diebus citra,] & infrà: [Quis vnquam,] inquit, [non fuerit anathemate dignus, qui ſymbolo quicquam addiderit, aut ademerit, cum fides nobis ab Apoſtolis tradita, neque additione, neque imminutione indigeat? Veſtris enim in libris legimus cũ quã maxima pœna affici debere, qui vel addiderit, vel quicquã abſtulerit.] & reliqua. Scitu præterea dignum eſt, ante ſynodum Epheſinam addendi quippiam Apoſtolorum ſymbolo, vel ab ipſo facultatem auferendi, graui pœna vetitam fuiſſe, vt in extrema earundem literarum parte legere eſt. Eidem tamen ſymbolo appoſita multa fuêre, atque ab eo ablata. Interdictum igitur illud, cui vos mirum in modum innitimini, contra nos minimè facere videtur. Ampliùs, Cæleſtinus Neſtorium repræhenderat, quòd à ſymbolo verbum, DEIPARAM, auferendum cenſuerit. Qui quidem Cæleſtinus Apoſtolorum ſymbolum intelligebat, quorum omnium vnica ratio fuit: quod neque Nicæna, neque prima Conſtantinopolitana, neque cæteræ ſynodi contra rationem fideique veritatem ſymbolo quicquam addiderant, aut ab eo deduxerant, Neſtorius autem contra. Ergo tum quiſque vel addere, vel auferre meritò vetatur, cùm contra rationem ac veram religionem id faciat: vndè tota noſtra controuerſia facilè ſoluitur. Nam Romana Eccleſia, non vt Conſtantinopolitanum ſymbolum & fidem ipſam euerteret, EX FILIOQVE, particulam addidit. Verùm vt noſtri maiores idcirco Nicænum Conſtantinopolitanumque ſymbolum idem eſſe, idemque ſignificare decreuerant, quòd altero audito, ſtatim alterum intelligebatur, licet in verbis differrent: ita etiam Romana eccleſia profitetur, vtrunque ſymbolum noſtrum rem eandem ſignificare, ſibique propterea licuiſſe ipſum declarare, quòd ea particula nequaquam aliena videretur à fide, cùm ipſi valdè conueniat, ac ad eundem ſenſum pertineat, necnon ipſius identitatem ſignificet, & declaret, licet in voce differant. Præterea, vt alia multa memoria digna, hæc etiã ab ipſo Cæleſtino literis tradita fuerant. [Catholica] (inquit) Eccleſia contradicit, quo minus ab Apoſtolorum ſymbolo auferatur, beatam Mariam Dei genitricem fuiſſe, quod noſtram ſalutem annunciat, ac ab ipſo ſymbolo potentia continetur.] Patet igitur, neutiquam licuiſſe, ab Apoſtolorum ſymbolo quicquam dimouere: tamen illud, DESCENDIT AD INFEROS, ablatum eſſe videmus, licet Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, verum ſit, atque à maioribus noſtris conceſſum. Quoniam autem Neſtorius (vt ſupra dictum eſt) contendebat, virginem Deum non genuiſſe: idcirco Cæleſtinus ipſe literis eiſdem mandauerat, vt niſi decem dierum ſpatio Neſtorius à tali ſe reuocauerit hæreſi, eccleſiæque catholicæ dogma prædicauerit, non ignoraret ſe ab eadem eccleſia excludendum eſſe. Sunt & aliæ rationes, patres ampliſſimi, ad propoſitum attinentes. Verùm noſtra feſtinat oratio ad probandum, quod ſupra diximus, argumentum veſtrum claudicare. Vndè multum forſan vagauit oratio, haud tamen extra propoſitum. Sed hactenus in præſentia. Quibus dictis, ſynodus ſancta decreuit, vt ſeſſio ipſa ſolueretur, & ad diem ſequentem martis congregaretur.

(.·.)

Die XI. Nouembris, ſeßio XI. Ferrariæ.

IVL. Car. VTraque ex parte, patres ampliſſimi, copioſè, ſcitè ac ſubtiliter dictum eſt, veſtras tamen orationes forſan non niſi ſummi theologi, viriq; doctiſſimi percipere poterant. Idcirco eam equidem orationem ad propoſitum pertinentem habebo, quam docti pariter & mediocriter eruditi ſine ambiguitate intelligent, quaque (ni fallor) controuerſiam noſtram ad exitum perducemus. Attendite igitur, obſecro. Namque poſthac per capita breuibuſque nos agere oportebit. Si ſic ergo fieri vobis videtur, rem ipſam aggrediar: ſin minus, voluntati veſtræ acquieſcam.

IMPERA. Dicat cardinalis.

IVL. Car. Attingam quidem patres ampliſſimi, quæſtionis noſtræ radicem. Nam tota noſtra controuerſia in Epheſinæ ſynodi interdicto conſiſtit, in his videlicet verbis: [Nemini liceat proferre, conſcribere, componere,] & reliquis. Quæ quidem verba nos credimus hoc ſolùm ſignificare, vt fas ſit nulli, Nicænorum patrum fidei contrarium proferre. Vos autem longè aliter ſentire videmini, vt non ſolùm ad aliam, oppoſitamque fidem, verumetiam ad quamuis declarationem, ac cuiuſuis generis additionem, interdictum ipſum debeat referri, propterea nullam prorſus ſymboli dilucidationem fieri debuiſſe. Dicere autem ſolent legiſperiti, fieri non poſſe, vt quiſquam benè legem intelligat, niſi totam perſpexerit. Neceſſe eſt igitur, ea quoque diligenter conſideremus, quæ interdictum ipſum præceſſerant. Legitur in actis tertiæ ſynodi quoſdam Anaſtaſium & Photium Neſtorianos hæreticos, neſcio quem Iacobum ad ſuam hæreſim mortalibus prædicandam miſiſſe: (Ex actis Synodi Epheſinæ 1.) qui quidem aliud fidei ſymbolum, vel (vt quidam Chariſius in ipſa ſynodo præſens dicebat) impietatis ſymbolum prædicans, ac eundem ipſum Chariſium impietatis incuſans, quamplurimos Chriſtianos deceperat. Propterea Chariſius, vt ſe orthodoxon, id eſt, rectè ſe de fide ſentientem probaret, in primis ſymbolum ſuum, deinde Neſtorianum in eadem ſynodo recitauit, quod quidem Chariſij ſymbolum, neque Nicænum, neque Conſtantinopolitanum fuiſſe conſtabat. Poſtremo vehementer conqueſtus, quòd à Neſtorianis communione ſibi fuerat interdictum, Credo (inquit) in vnum DEVM, & reliqua. Quod autem nonnulli profitentur, ipſe inficior, CHRISTVM videlicet quandoque non fuiſſe. Poſuerat tamen in ſuo ſymbolo, ſpiritum eſſe conſubſtantialem patri & filio, quod in neutro duorum illorum ſymbolorum ſcriptum fuerat. Quibus quidem Chariſij & Neſtorianorum ſymbolis recitatis, ſancta ſynodus ipſa decreuit, ne cui liceret fidem aliam proferre aut docere, ſimulque confictum illud Neſtorianorum ſymbolũ, nulla prorſus de ipſius Chariſij ſymbolo mentione facta, damnauit. Siquidem igitur mentis eiuſdem Concilij fuiſſet, quamcunque aliam à Nicæna profeſſionem vetare, ita vt nõ aliud niſi tantùm Nicænum ſymbolum, verbis eiſdem celebraretur, dubio procul Chariſij etiam expoſitionem ac ſymbolum antiquaſſet, reprobaſſetque: Sed quoniam verum ac pium fuerat, idcirco ſynodus ipſum noluit antiquare. Quæ omnia profectò nobis argumento maximo ſunt, decretum illud, ad fidem religioni Nicænorum patrum oppoſitam, referri debere, ita vt ipſius decreti vis, ex his (vt mihi videtur) clariſſimè pateat. Ampliùs, eadem ipſa ſynodus, P. amp. quæ, ne cui quicquam liceret proferre, aut literis mandare, prohibuerat, ſimul quoque decreuit, vt nulla alia, præter Nicænorum patrum fidem, teneretur. Siquidem igitur à me requiſiti, an Deum, æternum eſſe credatis, mihi reſpõdebitis, ita: quæro, an ſub anathemate fueritis, quod verba illa à ſymbolo Nicęno minimè continentur. Infinita ſunt vera, patres amp. quæ credimus & profitemur, ab ipſo tamen ſymbolo non contenta. Sed hæc hactenus. Porrò autem certis perſonis (vt dicitis) licere ambigua declarare, catholicæ verò eccleſiæ minimè, longè mihi alienum à ratione, ac ipſi interdicto contrarium eſſe videtur. Nam in eius principio legitur, ne cui liceret, & reliqua. In fine verò epiſcopis & clericis, ac ſecularibus in vniuerſum interdicitur. De quibus ſecularib⁹ ideo facta

mentio fuit, quòd Græcis mos fuerat, vt nō niſi clerici ſymbolum in eccleſijs cātarent. Patet igitur interdictum ipſum neminem excludere, omneſq; ferè Chriſtianos anathemate notatos eſſe, ſi ſynodus ipſa quoduis expoſitionis genus (vt creditis) prohibuerat. Ampliùs notatu dignum eſt, Agathonis literas quas (vt ſupra dictum eſt) ad ſynodum miſerat, non ab ipſo ſolo, ſed ab Occidentali eccleſia ſcriptas fuiſſe. Ipſe namq; literis eiuſdem teſtatur, eas* vna cùm centū ac 25. Occidentalis eccleſiæ præſulibus conſcripſiſſe, ſubſignaſſeque. Præterea præſtantiſſimus Nicænus, volens ad id reſpondere, quod Coloſſenſis præſul attulerat, vrgente videlicet neceſſitate Romanam eccleſiam declaraſſe, nullam neceſſitatem protulit interdicto fuiſſe exceptam, neq; vllam prorſus mentionem de ea factam. Quam quidem reſponſionem in vos retorquentes dicimus, quoniam in prohibitione illa nullius perſonæ ratio haberi videtur: idcirco ipſam vna ratione de cunctis hominibus debere intelligi, ita vt nulla ratione cuiquam ſymbolum exponere liceat: quod tamen conſtat à multis expoſitum fuiſſe. Ampliùs, eadem ipſa tertia ſynodus nullam de Conſtantinopolitano ſymbolo mentionem feciſſe videtur. Aut igitur, quia tātùm Nicænum ſymbolum à poſterioribus in eccleſia celebrari voluerat, & ſic ipſi delinquimus, qui potiùs illud quàm Nicænum celebrare ſolemus: aut eius quoque ſymboli fuerat recordata, ſed tanquam alterius ſymboli contrarium, obidq́ue non dignum celebritate ipſum poſtpoſuerat, quod quidem nequaquam credendum eſt: aut vtrunque pro vno eodemq́ue putauerat, quòd eandem veritatem & fidem vtrunque ſignificat, quamuis multis in verbis differrent. Siquidem igitur verum eſt, Conſtantinopolitanum (vt dicitis) ſymbolum à Nicæno potentia contineri: ac altero intellecto, ſtatim alterum ſubintelligi: ac ideo illud nequaquam fuiſſe vetitum, quòd eandem veritatem declarabat, magis ſane conuenit, vt credamus interdictum ipſum ad fidem diuerſam, & à veritate diſſonam referri debere. Item luce clarius eſt, cuncta ſynodorum decreta ſancti ſpiritus gratia fieri, ac ipſum pariter in omnibus eſſe. Cùm autem ſextum etiam generale concilium edixiſſet, ne cui fas eſſet ſanctiones eius euertere, ac aliam ſapere fidem, & reliqua: palàm eſt, idem concilium, vel ſpiritum ſanctum pro eo, interpretatum fuiſſe, declaraſſeq́ue quonam modo decretum tertiæ ſynodi deberet intelligi, ne cui liceret aliam fidē proferre, hoc eſt, quæ veram religionem euerteret: ideoq́ue nequaquam prohibuit, quo minus ad veritatis intelligentiam expoſitiones fieri deberent. Præterea cùm de quibuſdam alicuius legis verbis dubitamus, ipſius legislatoris ſenſum inſpicere, accurateq́ue debemus perpendere, qui quidem vel ex eiuſdem legis exordio, vel verbis alijs conſequentibus haberi ſolet. Porrò tertiæ ſynodi procemiū hoc conſtat fuiſſe, cùm patres conueniſſent, ſymbolū Nicænum perlegerant, vt ſermones extraneos cum eo conferrent, quiq; ipſi ſymbolo conſonarent, eos ſuſciperent, oppoſitos autem reijcerent. Mens igitur ipſius legiſlatoris, hoc eſt, Epheſinæ ſynodi, quæ non ad verba, ſed ad ſcripturæ ſacræ ſignificationem inſpiciebat, nulla alia fuerat, quàm vt fidem aliam, vel expoſitionem fidem veram deſtruentem, vetaret: vt ex Cyrilli literis apparet, qui Nicæno ſymbolo recitato, protulit: Nos patrum confeſſionem, ac ipſorum intelligentiam ſectantes, veram fidem exponimus. Septima quoque ſynodus, Veram, inquit, rationem diligentiſſimè ſequentes: & infrà, Veram fidem quæ non facit errare ſectantes, Nicænæ fidei nihil addimus, & reliqua. Ipſa nihilominus ſynodus decretum pro imaginibus addidit. Apparet igitur legiſlatorem ipſum voluiſſe, vt veritas ſemper prædicaretur, ac nulla ratione taceretur. Vnum poſtremò mihi venit in mentem, quod controuerſiæ noſtræ ſimilimū eſſe videtur. Sed anteaquam veniam ad ipſum, vnum aliud in medium proferam, quo quidem faciliùs primum illud intelligemus. Attendite igitur, obſecro: Chalcedonenſe concilium ita protulit, Leo pontifex à quibuſdam grauiter incuſatur ſymbolum aliud feciſſe, ac aliter fidem expoſuiſſe quàm per Nicænos patres liceret. Ne autem in poſterum quiſquam talem in eum afferat accuſationem, ac ipſum repræhendat, ſynodus hæc in eos, qui contra veritatem inſurgerent, reſpondet atque declarat, Leonem ipſum in exponenda, declarandaq́ue fide nil contra prohibitionem commiſiſſe: quandoquidem naſcentibus nouis erroribus, noua diuerſaque medicamina ſanctis à patribus exhiberi debent. Nam etſi fides à patribus prodita ſatisfaciat, quia tamen plurimi veram eius ſignificationem conantur euertere, idcirco conuenit fidem ipſam exponere, magiſque declarare. Nam ſi, prout eſt, pariter ab omnibus coleretur, nulla re alia opus eſſet, niſi tantùm Nicænorum patrum fidem excolere. Sed cùm à recta via quamplurimi deerrent, ac per anfractus, id eſt, per viam falſitatis ac erroris vadant, ideò nobis neceſſe eſt, veritatis viam oſtendere &c. Plura etiam id genus alia Patres amp. ſynodus ipſa protulerat, quæ ad propoſitum attinent. Verùm ad id noſtra feſtinat oratio, quod paulo antè poſtremum mihi dicendum eſſe promiſi. Quidam enim Flauianus (vt noſtis) in Conſtantinopolitana ſynodo Eutychen condemnauit: deinde ſynodo Epheſi ſecundò conuocata, quam poſteà conſtat reprobatam fuiſſe, quod quidam Dioſcorus legatus ei tyrannicè præfuit, is Eutyches ibi præſens, magno affectus deſiderio excuſandi ſe atque vlciſcendi, Nicęnum ſymbolum de verbo ad verbum profeſſus fuit, ac ita protulit: Hæc eſt patrum fides, in qua viuere moriq́ue volo. Quam quidem prima ſynodus Epheſina probauerat, ſimulq́ue decreuerat, vt aliam nemo proferre, vel ei quicquam apponere, vel ab eadem auferre poſſet. Eam itaque fidem, dicebat ipſe, profiteor, Flauianum autem peccare denuncio, quippe qui profiteretur Chriſtum ex duabus ac in duabus ſimul naturis eſſe, quod à Nicæno ſymbolo neutiquam continetur. Veritatem igitur ipſam, quo mi[illegible] declararetur, ac Nicæno ſymbolo adderetur, Eutyches prohibere volebat, ita vt verborum etiam additionem non admittere videretur. Quidam autē Euſebius exclamauit, Mentiris Eutyches, dicens; nam hoc quod dicis, nulla lex prohibet. Dioſcorus verò reſpondit: Cur ita dicis Euſebi, cùm hic duo Epheſinæ ſynodi volumina habeamus, in quibus legitur, nemini licere Nicęno ſymbolo quicquam addere? Tacebat autem ipſa ſynodus, Euſebijq; ſententiam tacitè videbatur ſuſcipere. At tyrannus Dioſcorus Euſebium ipſum ac Flauianum, vt Epheſinæ legis præuaricatores, damnare, ac* eorum epiſcopatibus priuare contendit, dicens ſynodum Epheſinam decreuiſſe, vt qui fidem aliam proferret, vel adderet, vel auferret, ſi præſul fuerit, epiſcopatu priuaretur. Patres autem ipſius concilij, & ſi præſente Dioſcoro, voluntati eius acquieſcere viderentur, poſteà tamen abſoluto Flauiano & Euſebio à Chalcedonenſi concilio, magno gaudio affecti fuere. Porrò autem Dioſcoro præſente, protulerant, Flauianum & Euſebium meritò condemnari debere, ac ipſos pontificali dignitate indignos eſſe, vtpotè qui contra Epheſinum interdictum auſi fuerint ſymbolo quicquam apponere, quod Nicæna ſynodus prodidit, Epheſina verò probauit, atque ſuſcepit, ſimulq́ue prohibuit, ne cui liceret ipſi quippiam addere, vel ab eodem auferre, decernens, vt ſi quiſquam præſul tale commiſerit facinus, epiſcopatu priuaretur. Cùm autē hæc in Chalcedonenſi ſynodo recitata fuerint, decretum ab ipſa ſynodo eſt, Dioſcorum anathemate notatum eſſe, vtpotè qui contra Flauianum ac Euſebium malè iudicauerit, ac eos iniquè damnauerit. Propterea que ſententiam eius antiquandam eſſe, quòd Flauianus nil prorſus contra Nicænam vel Epheſinam ſynodum commiſerit. Nam etſi Chriſtum duas habere naturas in Nicæno ſymbolo neutiquam legitur, ab ipſo tamen ſymbolo potentia continetur. Vndè non ſequitur, addentem quippiam, aut declarantem, condemnari debere, dummodò vera, catholicęq́ue fidei conſona proferat. Videtur mihi. P. amp. exemplum melius proferri non poſſe, quod ad propoſitum attineat, quàm quod de Flauiano protulimus, ita vt eo facilè adducar, vt credam interdictum illud, ne cui liceret, & reliqua, ad eos tantùm referri, qui fidē aliam à vera tenerent, quiq; ſcripturam ſacram aut Nicænū ſymbolum immutarent. Quibus equidem argumentis puto controuerſiam noſtram ſolutam eſſe: ſin minus, vellem à vobis doceri, cur ita credendum non ſit. Si quidē igitur Romana Eccleſia profitetur, neq; ad ſacram ſcripturam, neque ad Nicænum ſymbolum, neq; ad alicuius ſynodi definitionem, falſam aliquā acceſſionem fieri poſſe, ita vt in hoc vobiſcū conueniat, operæpreciū eſt, huiuſcemodi quæſtione

*vnà

poſtpoſita, nos ad eam venire, vtrum ſanctus ſpiritus ex filioq; procedat, necne. Nam ſi nobis probabitis ipſum ex filio nequaquam procedere, tum additionem ſymbolo factã eſſe fatebimur, ipſamq; Romanæ Eccleſię minimè facere licuiſſe: ſin minus, tunc vos oportebit concedere, fas ipſi fuiſſe, ſymbolum dilucidaſſe clariusq; reddidiſſe: quo quidem pacto pax inter nos facilimè fieret. Hæc beatiſſimi patris dominiq; noſtri, necnon ſereniſſimi Imperatoris, ac horum omnium præſtãtiſſimorum patrum iuſſu, pro viribus dixi.

BESS. Quanquàm orationes vtraque ex parte habitæ, tua præſertim ampliſſime cardinalis, mihiq; quàm maximè colende, luculentiſſima fuerit, ac ad propoſitum pertinens, rem enim ipſam, dictu mirabile, tetigiſti, nihilque eorum quæ opus eſſent, præteriſti: mutua tamen beneuolentia nunc, ſi commodè fieri poſſet, vobis reſponderemus, ac probaremus, plura eorum, quæ protuliſtis, pro noſtra cauſa facere. Verùm opportunum eſſe videtur, vt ſeſſio dimittatur. Nam non niſi veſtris orationibus priùs memoria diligentiſſimè repetitis, vobis benè reſpondere poterimus. Si libet ergo, Dei benignitate ſurgamus. Quod quidem ſanctæ ſynodo placuit, iubenti, vt ad proximum ſabbatum ſeſſio prorogaretur.

Die Sabbati decimaquinta Nouembris, Seſſio duodecima Ferrariæ.

MAR. NON altercandi, neque ſermonum noſtrorum viciſſim refellendorum cauſa, patres ampliſſ. huc frequentes conuenimus. Sic enim hi ſolent agere, qui potiùs oſtentationis & iactantiæ, quàm inquirendæ veritatis gratia contendunt. Verùm vt de quibus ambigeremus, ea diligentiſſimè ac cum ſumma pace, mutuaque beneuolentia ſimul ita tractaremus & conſideraremus, vt pari ſtudio concluſionem veram conſequeremur: breui ergo, & non luculenta oratione, ſed his ſolùm innixi, quæ vos cõcedere videbamini, primùm præſtantiſſimo cardinali, deinde reuerendo Ioanni benignitate Dei reſpondebimus. Cuius quidem cardinalis oratio, vt ad propoſitum ſpectans,, ac non inepta, ita etiam plana, clara & elegans fuerat. Proptereaque ipſi hunc honorem habebimus, vt nil eorum, quæ per capita dixerat, indiſcuſſum prætereamus. Nam ſi omni eius orationis parti reſpondere velimus, ſermoni profectò noſtro nũ hodie modus dabitur. Porrò autem ipſum obſecro, vt ſi fortè fuerit à me requiſitus, mihi ſtatim reſpondeat, ac velit vel mecum ſentire, vel mihi paucis contradicere. Nam ego cum eo, non autem in ipſum, eius argumenta perpendere velim: quippe qui, cùm veritas patefiet, (noui equidem ipſius naturam & ingenium) maiorem capiet voluptatem, quàm ſi eius argumenta ſuſciperentur. Vnde ſanè poterit euenire, vt ſi vir ipſe ſapientiſſimus pro veritate fuerit redargutus, maiori me beneuolentia proſequatur, iuxta illius ſapientis ſententiam: Argue ſapientem, & diliget te. (Prouerb. 9.) Porrò ei quoque ſuo iure conceditur, me interpellare: nam æquo animo feram, ſi ab eo fuero requiſitus, cuiuſuis dicti mei reddere rationem, necnon ſi me corripiet & corriget, cùm ſibi videbitur quicquam me falſi protuliſſe. Nam ſi non contradicentibus vobis quicquam protulero, id verum eſſe, nullaque demonſtratione in poſterum indigere cenſebimus: quam quidem conditionem poſthac ſeruare debemus. Primùm autem eiuſdem præſtantiſſimi cardinalis argumẽtum hoc fuerat: Quidam Chariſius libello, quem contra Neſtorianos tertiæ ſynodo dederat, ſuæ fidei declarationem mandauit, multum quidem diuerſam ab ea, quæ à Nicænis patribus tradita fuerat, quæ tamen Chariſij expoſitio ab ipſa ſynodo antiquata non fuit. Ergo non omnem fidem in vniuerſum, verum tantùm contrariam, vetitam fuiſſe credendum eſt. Ita dixiſti, an non?

IVL. Car. Oratio tua, pater reuerende, me magno gaudio affecit, de cuius exordio nil equidem proferam: ſed beati Petri doctrinam ſequens, ad omnem tuam petitionem libentiſſimè pro viribus reſpondebo. Velim autem aliquem ex his doctiſſimis viris interroges, qui tibi melius reſponderet. Verùm ſi mecum agere mauis, tibi libenter obtemperabo. Et quoniam (vt ſæpius dictum eſt) ad inquirẽdam veritatem huc conuenimus, non equidem erubeſcam, ſi quiſquam veſtrum errores meos notauerit, ac correxerit: quinimmò pro tali eius erga me beneficio, Deo optimo maximo gratias habebo. Hac tibi tamen conditione, reuerende pater, tecum agam, vt ſi nõ benè tuis argumentis reſpondero, patres hi tibi ſatisfaciant: & ſi falſi quicquam protulero, ſoli mihi aſſcribatur. Mihi præterea perplacet, te mihi libenti animo reſpõſurum, quoties fueris à me requiſitus. Porrò autem mihi videtur nunc opus non eſſe, vt ex me quicquã requiras, quando planè clareq; dixeram, ac oratio mea literis tradita eſt. Verùm ſi tibi fuerit gratum, tuis petitionibus reſpondebo. Sed priùs velim mihi proferas, an ſatis dixerim. Nam ſi tibi videtur, ſatis me non feciſſe, dicam amplius.

MAR. Non alia indigemus reſponſione, præſtãtiſſime pater, niſi vt proferas, vtrum orationem tuam benè memoriterque perceperim, necne: id quod profectò breuibus facere poteris.

IMP. Ampliſſimo cardinali patres hi moleſti videntur eſſe. Siquidem igitur vobis placet, alij pro eo reſpondeant. Sin minus, fiat vt lubet.

MAR. Velimus patres ampliſſimi, quemadmodum ipſi paucis interrogabimus, ita vos etiam breuibus reſpondeatis.

IVL. Cardinalis. Nil aliud equidem ex te, pater reuerende, requiro, quàm vt intelligam, an tibi placeat, omiſſis interrogationibus, lecta tantùm oratione mea, contra eam argumentari. Nam ſi hoc non lubet, tibi libenter obtemperabo. Quæ autem de Chariſio ſeſſione proxima protuli, breuibus repetam. Chariſius catholicam ſuæ fidei declarationem literis traditam, tertiæ ſynodo dedit: deinde Neſtorianum ſymbolum recitatum, ipſa ſynodus reprobauit, Chariſij verò declarationem minimè. Quam item dubio procul antiquaſſet, ſi is Chariſius declarandi facultatem non habuiſſet, vtpotè quę cum ſymbolo Nicæno in verbis paucis conueniret. Ita memini me dixiſſe, niſi aliter tibi videtur.

MAR. Fateor, ampliſſime pater, expoſitionem Chariſij ſecundum ſenſum fuiſſe catholicam, ſecundum autem verba minimè. Multum enim fuerat à Nicæni ſymboli verbis diuerſa. Propterea credendum eſt, expoſitionem ipſam non vt catholicam, verum tanquam à fide catholica depẽdentem, Chariſio priuatim ac ſigillatim ab ipſa ſynodo probatam fuiſſe: Itane res ſe habet, an non?

IVL. Cardinalis. Tibi quidem pater reuerende, concedo, ipſam Chariſij declarationem ſecũdum intelligentiam fuiſſe catholicam, vel à fide catholica (vt aſſeris) dependentem, licet in verbis à ſymbolo Nicæno plurimum differret. Eam autem ipſe catholicam fidem appello, quæ vera ſit. Sed quoniam in hoc conuenimus, ipſius videlicet Chariſij declarationem catholicæ fidei congruam fuiſſe, necnon ab ipſa dependentem, idcircò vlterius ex te quæro, vtrum eiuſmodi declaratio ab eadem ſynodo ſuſcepta fuerit, necne.

MAR. Vt propriam & particularẽ, Chariſij expoſitionem ſuſceptam fuiſſe concedimus: non autem, vt ea in vniuerſum celebraretur.

IVL. Cardinalis. Immò quoniam vera declaratio fuerat, idcirco eam ſynodus ipſa ſuſcepit.

MAR. Satis de interrogationibus, amp. patres, & ad argumentum ipſum veniamus. Chariſius tribus de cauſis Neſtorianos in ſynodo incuſauerat. Prima, quòd hi ſuũ hæreticum ſymbolum, veluti communem ac veram doctrinam, hæreticos ad veram religionem reuertẽtes docebant. Quod quidem facinus ad Nicænæ ſynodi ac eius ſymboli iniuriam committebant. Altera, quòd falſa multa impiaque dogmata prædicabant, ob idque fidem ipſorum Chariſius infidelitatem potiùs, quam fidem, appellandã cenſebat. Poſtrema, quia videbat ſeipſum ab his tanquam hæreticum odio haberi ac perſequi, fidemq; ſuam impiam reputari, propterea operæprecium eſſe ſibi putauit, quid de fide ſentiret, exponere, vt oſtenderet ſeſe cum Nicænis patribus idem ſapere. Qui quidẽ benè feciſſe videtur, vt ab hæreticis prouocatus, in eorum impia dogmata inueheretur, cùm præſertim non fuerit interdictum, ne cuius liceret ſuam fidem exponere, ac vt viſum ſibi fuerit declarare, non ita tamen, vt cõmuniter à cunctis Chriſtianis celebraretur: verum, vt quid quiſq;

de fide ſentiret; oſtenderet. Cuius igitur (vt prædictum eſt) ſuam fidem licebat exponere, præſertim Chariſio [illegible]m interdictum illud nondum fuerit editum. Ideoque plurimi Eccleſiarum antiſtites varijs temporibus ſuam declarantes fidem diuerſis vocabulis vſi fuêre.

Quemadmodum, vt tu pater ampliſſ. protuliſti, beatus Agathon fecit. Qui cùm fidem ſuam vna cum ſuis præſulibus expoſuiſſent, eam ad ſextam ſynodum miſit. Beatus item Sophronius ante ipſum Agathonem ad Hieroſolymitanum patriarchatum promotus, quid de fide ſentiret, ad Conſtantinopolitanum antiſtitem ſcripſerat: cuius deinde literæ in eadem ſexta ſynodo recitatæ fuêre. Vndè vſu venit, vt omnes communiter præſules ſuæ profeſſionis expoſitionem literis tradentes, quas ſynodicas appellare ſolebant eas, inter ſe darent. Vt nunc vſque patriarchæ tres faciunt, qui ad patriarchatum promoti, ſtatim ſuis literis Conſtantinopolitanum certiorem reddere ſolent, quid quiſque ipſorum de noſtra religione ſentiat, ita vt, quod ab illis fidei naſcentis temporibus cœperat, nunc vſque vigeat. Ipſius ergo Chariſij expoſitio non fuit à ſynodo antiquata, quòd non ita literis mandata fuerit, vt à poſterioribus pro ſymbolo in vniuerſum celebraretur, verum (vt ſæpiſſimè dictum eſt) vt ex ipſa pia fides Chariſij pateſieret: quod quidem declarandi genus nequaquam vetitum fuiſſe concedimus, niſi aliter ipſi creditis. Cur autem non ita ſit, ex vobis ſcire deſidero. Huic igitur quæſtioni (ſi lubet) reſpondeas.

IVL. Cardinalis. Tribus de cauſis inquis reuerende pater, ab ipſa ſynodo Neſtorianorum ſymbolum, non autem Chariſij, antiquatum fuiſſe. Prima, quòd ipſum inſtar Nicæni ſymboli celebrandum ediderint. Altera, quòd in eo multa falſa dogmata ſcripta fuerint. Tertia, quòd ipſum Chariſium odio non mediocri proſequerentur, quòd ab eorum dogmate, vehementiſſimè abhorreret. At ego priuſquam vobis reſpondeam, nonnulla in medium proferam, quæ literis mandata fuêre. Cùm quidam homines (inquit ipſa ſynodus) conſpiraſſent, vt ſpreto Nicæno ſymbolo, vulgum deciperent, falſum ſymbolum tradidere, & reliqua. Non ergo alia de cauſa ſynodus Neſtorianum ſymbolum antiquaſſe videtur, niſi quòd nefanda dogmata in eo cōtinebantur. Siquidem igitur pium fuiſſet, ipſum ſynodus ſuſcepiſſet. Prima igitur cauſa, quam profertis, cur ſymbolum illud reprobatum fuerit, falſa videtur. Alteram verò rationem concedimus: ſed tertia inconueniens nobis apparet, ita vt primam & tertiam, falſam eſſe putemus: Adduci enim ad credendum non poſſum, Neſtorianum ſymbolum ex eo reprobatum fuiſſe, quòd Neſtoriani Chariſium inſectabantur, acſi ſcilicet id ſynodus valdè curaſſe: ſed potiùs putare debem⁹, ſynodum ipſam plurimum curaſſet, ne falſa dogmata in vero ſymbolo ſcriberentur. Hîc autem, pater reuerende, dixiſti, ſynodum ipſam nunquam prohibuiſſe, ne cui liceret priuatas expoſitiones literis dare, dummodò à vera fide aliena non ſint, quemadmodum Agathon, Sophroniuſque fecere, qui quid de fide ſentirent, impunè literis tradidere. Ipſe verò quæro ex te, an is Agathon & Sophronius in explananda fide ſua, quicquam in interdictum ipſum commiſerint.

MAR. Minimè. Non enim addiderant ſymbolo, Et quoniam de religione ſua priuatim conſcripſerant, idcircò interdicto Epheſino non ſubiacent. Diximus enim ſupra, neminem vetitum eſſe ne fidem explicet ſuam: quandoquidem tantùm fuerat interdictum, vt nemo propriam expoſitionem pro ſymbolo celebrari velit, aut ſymbolo quippiam addat.

IVL. Cardinalis. Gaudio te credere, reuerende pater, Agathonem & Sophronium ac Chariſium in ſua fide dilucidanda interdictū ipſum neutiquam fuiſſe præuaricatos: nunc ad id, quod ex me quęſiuiſti, libenter reſpondeo; Chariſium ſuum ſymbolum, quod verum ac catholicæ fidei congruum fuiſſe creditur, non ita tradidiſſe poſteritati, vt id eccleſia communiter celebraret, (Non enim ad eum ſpectabat, populum docere, aut communis fidei normam prodere) verum vt ſuum tantùm dogma manifeſtaret. Mihi autem ſatis eſt, fuiſſe probatum, Chariſium ipſum nil in interdictum illud commiſiſſe. Vnde ſequitur, neque catholicæ eccleſiæ, neq; rectori eius, docendi populi facultatem habenti, ab vniuerſali eccleſia fuiſſe vetitum, ne ſibi liceat ſymbolo quippiam addere.

MAR. Ex tua oratione, pater amp. id tantùm habetur, idcirco Chariſium condemnatum à ſynodo non fuiſſe, quòd nil dignum pœna commiſerit: nequaquam tamen ex eo conſequi, Epheſinum concilium mutandi ſymboli facultatē volentibus permiſiſſe, quòd Chariſij ſymbolum neutiquam antiquauerat. Tuum igitur argumentum deſtructum eſſe videtur. Vtrum autem Eccleſia catholica ea ſit prædita facultate, vt commune ſymbolum immutare, trānsformareque valeat, necne, in poſterum ſuo loco (fauente Deo) conſiderabimus. Nunc autem ex te ſcire velim, an quod Chariſio facere non licuerit, id Neſtorianis, ſi de fide benè ſenſiſſent, facere licuiſſet. Nam paulò ſuprà mihi viſus es protuliſſe, ſi hi fuiſſent catholici, ipſis etiam fas fuiſſe, Nicæno poſtpoſito ſymbolo, aliud eius loco in baptiſmate tradere.

IVL. Cardinalis. Duo mihi dixiſſe videris, pater reuerende, quorum primum prætermittendum nō eſt, immutandi ſymboli facultatem Epheſino interdicto cuiuis hominum fuiſſe vetitam; eodem tamen interdicto nequaquam fuiſſe prohibitum, ne cui liceret profeſſionem ſuam literis tradere.

MAR. Dummodò vera ſit, communeque ſymbolum nō tranſmutet.

IVL. Cardinalis. Sufficit nobis, probatum eſſe, ſynodum Epheſinam nequaquam interdixiſſe, ne cui ſuam fidem verbis à ſymbolo diuerſis declarare liceret. Sed antea quàm ad reſpōdendum his veniamus, hæc ipſius ſynodi verba accuratiùs perpendamus. Nemini fidem (inquit) aliam proferre aut conſcribere liceat, & reliqua. Quæ quidem ita videris exponere, vt verbis alijs quiſquam ſymbolum explanare non valeat, etiam ſi laicus, nedum ſi clericus, fuerit. Vndè profectò maxima dictorum tuorum inter ſe repugnantia ſequitur. Nam ex vna parte concedis, quęuis ſuam fidem quibuſuis verbis exponere poſſe: ex alia verò videtur interdictum illud ad laicos vſque protendi. Quòd ideo tibi quidem incommodum accidit, quòd ipſa verba ponis ad aliam ſimpliciter fidem referri. Quæ ſi credideris (vt ego expoſui) fidem tantùm religionis noſtræ contrariam ſignificare, nullum prorſus incommodū incurriſſes. Præterea non ita ſynodus iuſſit, vt liceat nemini vel publicè, vel priuatim, vel ſimul, vel diſiunctim addere, ſeu proferre: verum ſimpliciter ac in vniuerſum interdixit, vt nemini liceat, & reliqua. Patet etiam ex eiuſdem ſynodi prooemio, interdictum illud non niſi ad oppoſitam fidem referri. Cùm patres (inquit) cōueniſſent, ſymbolum Nicænum perlegerunt, vt ſermones extraneos cum eo conferrent, quique ipſi ſymbolo conſonarent, eos ſuſciperent, oppoſitos verò reijcerent. Decretum igitur ſynodi verbis his reſpondere debet, vt verba, quæ fidei noſtræ conuenirent, ea tantum ſuſciperentur, contraria verò reijcerentur. Per aliam ergo fidem, tantùm contrariam pugnántemque ipſa ſynodus intellexerat. De his ergo me, velim interroges, an ipſa poſſim oſtendere. Verū ne videar tuis quæſtionibus reſpondere nolle, ipſis modò libentiſſimè reſpondebo. Chariſium (inquis) idcirco fuiſſe laude affectum à ſynodo, quòd nō habens facultatem aliud ſymbolum componendi, nequaquam aliud compoſuerat. Qua quidem ratione meum argumentum credis fuiſſe deſtructum, dicens Neſtorianos propterea fuiſſe damnatos, quòd aliud ſymbolum celebrandum ediderint. Nam ſi verum ipſum quoque fuiſſet, hi nunquam à ſynodo fuiſſent damnati. Cui equidē ſententiæ acquieſco, vt ſi Neſtorianum ſymbolum fuiſſet catholicum, ipſum etiam inſtar Chariſij, Agathonis, atque Sophronij ſymbolorum, ſuſceptum fuiſſet: Sed quoniam contraria dogmata continebat, ideo fuit antiquatum.

MAR. Neſtorianum ſymbolum, pater amp. longè alia ratione fuerat editum, quàm Chariſij; Agathonis, atque Sophronij ſymbola. Illud namq; his, qui ab hæreſi ad fidem reuertebantur, pro Nicæno ſymbolo tanquam cōmunis doctrina, traditum fuerat: hæc verò non ita, vt per ipſa baptiſma celebraretur, poſteritati fuêre prodita. Vndè non ſequitur, vt vna omnium eademq; ratio ſit. Nam illud, etiam ſi catholicum fuiſſet, meritò tamen ſynodus adhuc ipſum antiquaſſet: hæc autem cum non pro ſymbolis cōmuniter celebran-

dis,

dis,verum vt expoſitiones atque ſentẽtiæ propriæ,ſcripturæ relictæ fuerint,idcirco reprobata non ſunt. Patet igitur falſum eſſe,quod profiteris,Neſtorianos(ſcilicet) immutãdi ſymboli facultatem habuiſſe, ſi rectè de fide ſenſiſſent, necnon Chariſium,ac cæteros Nicęnum ſymbolum neutiquam tetigiſſe.

IVL. Car. Sanè mihi videris, R. P. oppoſitum veritatis proferre. Nam ipſe Chariſius in ſuæ fidei expoſitione vel ſymbolo, Nicænum ſimul & Conſtantinopolitanum mutauerat, dicens: Et in Spiritum ſanctum paracletum, ſpiritum veritatis,conſubſtantialem patri & filio: quæ quidem verba in ipſis ſymbolis non leguntur.. Porrò quoniam in tuis ſermonis exordio protuliſti,argumentum illud conceſſum nobis putatum iri,cui non fuiſſet reſponſum: ideo nõ ſimul omnibus,verùm ſingulis repetitis,ad omnia reſpondebo.Dico igitur,idq; profiteor, quod nulla inter Neſtorianorum atque Chariſij,ac Sophronij, Tharaſijq; ſymbola differentia fuiſſet,ſi Neſtorianum veritatem in ſe contineret. Tu autem pater reuerende, non deberes legem ipſam exponere aliter quàm poſſet intelligi. Nam (vt ſæpiſſimè dictum eſt) idcirco ſynodus Neſtorianum ſymbolum antiquauerat, quòd in ſe multa dogmata nefanda concluderet. Hanc ergo perpende ſententiam. Nam equidem interdictum fuiſſe puto,ne cui homini priuato liceret,eccleſiæ catholicæ celebrandum quippiam tradere, quod aliam (hoc eſt, oppoſitam) fidem ſignificaret. Ne autem eidem Eccleſiæ ab homine priuato verum ſymbolum ita traderetur, vt ipſo cuncti Chriſticolæ vterentur, non ipſo eodem interdicto, verum alia ratione,fuiſſe vetitum cenſeo. Quandoquidem minimè conueniret,vt Eccleſia mortalibus obediret,qui nullam ab ea facultatem haberent,cùm præſertim omnibus in reb' diuinis,particulares Eccleſiæ communem ſectari debeant.

MAR. Eadem ipſa mihi videris repetere, atq; in eiſdem amp.P. verſari,ſcilicet catholicam Eccleſiam ea facultate præditam eſſe,vt ſymbolum immutare, ac ipſum particularibus Eccleſijs celebrandum tradere valeat. Ad hoc autem nondum clariùs reſpondiſti, verum ſi Neſtoriani benè de fide ſenſiſſent,ſuum ſymbolum iure ſuo prodere potuiſſent, necne. Huic ergo quæſtioni (ſi lubet) apertius reſpondeas, vt tandem ipſam concludamus.

IVL. Car. Satis mihi videtur ad propoſitum reſpondiſſe.

MAR. Ex te requiro pater amp. verum Neſtorianis licuerit ſuũ ſymbolum ita tradere celebrandum, vt homines ipſo in ſacro baptiſmate vterentur,an non? Nam Chariſij ac cæterorum fidei expoſitiones,nõ ſanè fuerant ſymbola,neq; ſymbola nuncupata,neque denique pro ſymbolis à ſynodo ita ſuſcepta,vt per ipſa baptiſma fieret.

IVL. Car. Fateor equidem nemini licere proprium ſymbolum ita proferre,vt cõmuniter in Eccleſia celebretur. Neſtorianos autem ipſos potuiſſe ſymbolum verũ exponere, ac ipſo vti, idemq; proferre ac ſapere,nõ eo inficias.Sin autem protuli, etiam ſi ſymbolum ipſorum, Nicænũ ſymbolum oppugnaret,me falſum dixiſſe confiteor. Teneo tamen memoria me tantũmodò protuliſſe,fas ipſis fuiſſe ſymbolũ verũ ꝓferre.

MAR. Neſtoriani ſuum ſymbolum communiter celebrandum tradiderant,volentes,vt qui ad fidem reuerterentur ab hæreſi,Nicæno poſtpoſito ſymbolo, illo tantùm baptizarentur. Num igitur ipſis id agere licuiſſet,ſi ſymbolum ipſum fuiſſet catholicum?

IVL. Car. Etſi prolixè clareque mihi videor reſpondiſſe, tamen vt tibi pro viribus ſatisfaciam,repeto, Neſtorianos proculdubiò potuiſſe ſymbolum ſuum proferre, dummodò verum fuiſſet: eodem tamen communiter in Eccleſijs vti,nequaquam ipſis licuiſſe.

MAR. Id eſt,pater amp. quod equidem volebã concludere, non alia videlicet de cauſa Neſtorianos fuiſſe damnatos,quàm quòd ſuum ſymbolum pro communi doctrina Nicæni ſymboli loco celebrãdum tradiderint: quod tamen quoniam videbantur ſuo iure facere potuiſſe, quod nondum interdictum illud editum fuerat,idcirco ſynodus Epheſina legem (vt ſuprà dictum eſt) promulgauit, vt in futurum neque Neſtoriani,neq; quiſquam cæterorum mortalium facultatem, vel (vt meliùs dicam) licentiam ipſam haberet. Quam quidem conſtat plurimorum falſorum dogmatum cauſam fuiſſe, ita vt auſim dicere, vt ſynodus ipſa nunquam interdictum eiuſmodi edidiſſet. ſi Neſtoriani licentiam ipſam non habuiſſent, qua quidẽ nefanda dogmata ſeminarent. Sed prudentiſſima ſynodus incommoda futura proſpiciens,in vniuerſum prohibuit,ne cui liceret,aliam à Nicænorum patrum fide docere, non inſcia (vt ſæpenumerò dictum eſt) immutandi ſymboli licentiam, falſorum dogmatum cauſam fuiſſe,foreq;. Patet etiam ex ipſius ſynodi ſumma facultate,qua prædita fuerat, ſuæ mentis fuiſſe,vt aliam fidei expoſitionem ac ſymbolum nemo auderet componere. Quam quidem cõcluſionem tuis ex dictis, vt quoddam conſequens, vel (vt ita dixeram) corollarium expreſſimus, niſi aliter tibi videtur, quod velim ex te cognoſcere. Tibine magis, R.P. an Epheſinæ diffinitioni credendum eſt? **IVL. Car.**

MAR. Nos ſanè ſynodo tribuimus plurimum, cumque quicquam vocamus in dubium, decretis ac expoſitoribus eius magis concedimus, quàm nobiſipſis indulgeamus. Porrò autem B. Cyrillus ad Ioannem & Acacium Melitineñ. ſcribens,definitionem ipſam explanat, lucidioremque reddit. Eiuſdem ergo Cyrilli expoſitionem diligenter conſideremus,ac ipſum in omnibus imitemur: quo quidem melior interpres inueniri poterit nemo,niſi tu* ita ſentias. fo.* ita nõ

IVL. Car. Idcirco equidem ex te P.R. quæſiui,cui nos magis oporteat credere, quòd ipſa tertia ſynodus decreti ſui reddidit rationem, dicens quoniam Neſtorianum ſymbolum peruerſa contrariaque dogmata continebat.

MAR. Nequaquam res ſic ſeſe habuit, vt cauſa illa ſymbolum ipſum fuerit antiquatum.

IVL. Car. Sancta tertia ſynodus P. amp. Neſtorij expoſitionem, hoc eſt,dogmata nefanda damnauit: quod item ex verbis Chariſij apparet,qui cùm incuſaret Neſtorianos,ita ꝓtulit: [Hi Nicæno ſymbolo ſpreto, infidelitatis ſymbolũ protulerunt.] Præterea Cyrilli Neſtoriano ſymbolo ac literis in ſynodo recitatis,eã interrogauit, an ipſi vera viderentur ea quę in his ſcripta eſſent. Quã quidẽ ſynodũ reſpondiſſe conſtat,ea omnia falſa eſſe, ipſaq; propterea ſtatim reprobauit. Quod autẽ Cyrillo R.P. idcirco magis credendũ exiſtimes, quòd ſummi pontificis vicarius & legatus in eadem ſynodo fuerat,tibi ipſe aſſentior. Cuius quidem literæ non ſolùm meam ſententiam non impugnant, verumetiam ipſam mirum in modum confirmare videntur: quarum ſenſum ſi benè perpenderis,ſatis tibi fuerit exploratum,ipſum per aliam fidem contrariam tantùm intellexiſſe. Cuius quidem rei ex eo quoque potes capere rationem,nam is Cyrillus, literis ad Ioannem Antiochenum miſſis, quibus cuidam epiſtolæ Neſtorij reſpondebat multa reliquerat, quæ in Nicæno ſymbolo non expreſsè leguntur. Quæ quidem tamen, quandoquidem a veritate non fuerant aliena, idcirco dixiſſe creditur, NIL ADDIMVS NEQVE AVFERIMVS. Ergo quo minus ex ipſis literis nequaquam percipere poſſimus, hoc eſſe puto, vt cùm ſymboli vera ſeruatur intelligentia,tum neque additio, neque ablatio fieri cenſeatur. Literæ autem ipſius Cyrilli ad Acacium ſcriptę,non ſolùm non contra nos ſunt, ſed etiam à nobis eſſe videntur: quãdoquidem ex his patet, quonam modo intelligi debeat illud,addere nõ licere:ita vt qui quicquã exponit atq; declarat,non noui quicquam apponere,verum idem ipſum dilucidare,clariuſq; reddere cenſeatur.

MAR. Num Cyrillus non prohibuerat,ne verbis extraneis declarationes eiuſmodi fierent?

IVL. Cardinalis. Qui expoſitionẽ eiuſcemodi fecerit,is nil ſanè noui protulerit,neq; propterea cenſeretur diuinum ſymbolum immutaſſe,verum quæ clara fuiſſent, illuſtriora magiſq; perceptibilia reddidiſſe. Quod aliud argumentum hoc,obſecro,fortius poterit excogitari? Quod cùm proximè,loquẽte Nicæno præſule, quærens inuenire nequaquam potuerim,id deinde mihi,ne me falſum eſſe putaretis, diligenter inueſtiganti occurrit: quo proculdubiò noſtra controuerſia ſoluitur. Nam Cyrillus ipſe literis ad quendam Neſtorij auditorem ſcriptis,quæ quidem ſic incipiebant, [Res quidem:] declarationem hanc (de qua agimus) additionem non eſſe demonſtrat. Quibus quidem literis in ſynodo recitatis, Cyrillus ipſam interrogauit.

MAR. De quibus (obſecro) Cyrilli literis mentionem facis?

IVL. Car. De his,quas contra Neſtorium ſcripſerat. Synodum (inquã) Cyrillus interrogauit, an Nicænæ ſynodo cõſonantes

eſſent. Frequens autem ſynodus reſpondit, eas quammaximè congruas eſſe, quòd his veritas magis pateat, quodque à ſymbolo Nicæno paucis ac obſcurè contineretur, id prolixius atque clarius redditum ſit. Vndè ſynodus ipſa concluſit, Cyrillum ipſum eadem cum ſynodo Nicæna ſentire, ac eundem nil prorſus innouaſſe. Si quidem igitur Cyrilli verba fidem aliam, hoc eſt, Nicæni ſymboli contrariam, ſignificaſſent, is proculdubiò legis tranſgreſſor præuaricatorque fuiſſet. Sed quoniam authoritati Cyrilli vehementer innitimur, idcirco expoſitionem eius in medium proferamus, quam de ſymbolo fecerat, qua quidem cognoſcere poſſumus, quid illa ſynodus cum interdicto ſuo voluerit. Sancta [ſynodus (inquit) Epheſi (Deo annuente) celebrata, ſanctam in Neſtorium ac eos, qui vana cum ipſo ſentirent, vel in futurum ſenſerint, & in eos qui vanitates eiuſmodi proferre aut literis mãdare fuerint auſi, ſententiam promulgauit, paritérq; damnauit.] Ex literis his amp. P. clariſſimè patet, cur Neſtorius ac eius ſecta condemnata fuerit: & illud, fidem aliam, cõtrariam fidem ſignificare, quemadmodum Neſtorij fides fuerat: & ideo Neſtorianum ſymbolum antiquatum fuiſſe, quòd talia dogmata contineret, qualia Neſtorius ipſe videbatur ſentire. Quam quidem ſententiam, licet tuæ contraria ſit, tu tamen vir prudentia & ſapientia præditus, ex literis ipſis percipies, ſi eas diligẽter inſpexeris: ex quibus quidem tibi fieret notum, Epheſinam ſynodum nil aliud, quàm fidem fidei veræ contrariam, vetuiſſe. Rogo igitur te atq; obſecro, pater reuerende, ne tot ac tantos auditores ſermonibus ita friuolis, vt vel à pueris poſſint refelli, detineas. Verùm ſi vobis etiam, quemadmodum nobis videtur conducere, omiſſa huiuſmodi cõtrouerſia, ad principem illam veniamus, de qua quidem longam orationem, non tamen alienam à ratione, ſperamus habere: ſin autem in hac eadem quæſtione adhuc malitis perſiſtere, per menſem, nedum per diem, tibi paratus ſum reſpõdere; quamuis animi dolore afficiar, quòd tempus vanè conteritur.

MAR. Sermones noſtros neque inutiles, neque de paruis rebus habitos, neque denique tales, vt vel à pueris (vt dicis pater amp.) poſſint diſſolui, verum valdè cõuenientes, ac ad propoſitum pertinentes fuiſſe putamus: quandoquidem diuorum patrum ſententias expoſuimus, credentes, tametſi veſtrum eiuſmodi dogma verum forſitan fuerit, ipſum tamen diuino ſymbolo nequaquam addendum eſſe. Conuenientiùs ergo, maioriq; veneratione dignum, ac ipſius rei naturam cõſequens eſſe videtur, vt omiſſa illa, de qua velles agere quæſtione, hanc priùs concludamus. Scias igitur velim, nos veritatis huius inueſtigationem nolle priùs relinquere, quàm communi ſententia ad cõcluſionem aliquam peruenerimus: quandoquidẽ (vt ſuprà dictum eſt) nos aſſerimus, & ita ſentimus (prout oſtendere facilè poſſumus) dogma illud (de quo ſuo loco cõſiderabimus) quãuis fuerit cognitũ verum eſſe, alibi tamen quàm in ſymbolo ſcribendum eſſe, quemadmodũ cõcilia generalia feciſſe cõſtat. Ab ipſo igitur ſymbolo dimouendum eſſe cenſemus, vt cunctorum Chriſtianorum cõiunctio fiat, qui ex ea cauſa iam diu diſſident.

VL. Cardinalis. Rebus omnibus pater reuerende, quibus humanum genus fruatur, tempus expetibilius eſt. Proptereaq; sereniſſimus Imperator ſæpiſſimè protulit, id conterendum fruſtrà non eſſe. Quandoquidem ergo ſermonibus & ſcripturis ſatis de hac re egimus, voſque, qui ſapiẽtes ac magno ingenio præditi eſtis, iam agnouiſſe cenſemini, rei huiuſmodi veritatem & rationem non amplius in dubium vocari debere, idcirco ad aliam controuerſiam veniamus. Cur autem eiuſmodi quæſtionem in medium, pater reuerende, protuleris, haudquaquã intelligo: niſi forſan id feceris, quod oratores egregij faciũt, quippe qui, cùm aliquã cauſam volunt agere, à facilioribus incipere ſoleant. Qua quidem ratione tu quoque forſan adductus, ac non inſcius te magno certamine certaturum eſſe, priùs armatura leui nobiſcum agere voluiſti. At quoniam huiuſce cauſæ veritatem perdiu inueſtigauim⁹, ita vt in præſentia luce clariùs pateat, tametſi ſemper vobis fuerit nota, veruntamẽ vt vobis fieret exploratũ, (quonam pacto Latini homines reſpõdere ſcirent, ideo de nobis periculum facere voluiſtis) idcirco vos rogo, vt tandẽ ad maiorem illam quæſtionem veniamus. Nam ſi nobis (vt ſuprà diximus) demonſtrabitis, ſanctũ ſpiritum ex filio nequaquam procedere, vobis ilico cõcedemus, id nulla ratione à Romana Eccleſia apponi ſymbolo potuiſſe. Sin autem illud non poteritis aſſequi, ſed eius oppoſitum vobis probabitur, nullam amplius inter nos cõtrouerſiam fore cenſeo. Porrò autem per me nunquam ſtabit, quo minus quæſtionem illam, quoad vobis libuerit, proſequamur: dummodò diſputationis huiuſmodi auditores non tædeat. Nam equidem ad omnes quas propoſueris quæſtiones libentiſſimè reſpondebo: ſed magis forſitan expediret, vt ſtatis diebus de principe illa quæſtione verba facturi conueniremus. Interea vero extraordinariè congregati, hanc etiam quæſtionem tractaremus, niſi tu pater reuerende, malis in hac eadẽ materia verſando, ex me quicquam aliud quęrere, qua in re tibi libentiſſimè reſpondebo: quandoquidem tecum veluti cum patre meo magna cum* declaratione diſſero. Sed antequam de aliqua re me interroges, ad id quod ſæpenumerò repetiſti, interdictum videlicet nullum ante tertiam ſynodum fuiſſe, reſpondebo. De quo equidem longè aliter ſentio: ideo non abs re eſſet, vt vos, patres amp. hanc etiam ambiguitatem audiretis, de qua in ſermone, quem literis tradidi, nullam prorſus feceram mentionem. Argumentum, cui mirum in modum inniti videmini, cur ſymbolo quicquam addi non liceat, ex Cyrilli literis ſumitis, cuius tamen verba ſi iuxta mentem eius accuratiùs perpenderitis, non de verborum additione, verum de alia fide Cyrillum ipſum intellexiſſe videbitis. Porrò licet concedamus vobis, eum noluiſſe ſymbolo quippiam apponi poſſe, id tamẽ nobis nequaquam videtur obſtare: quandoquidem ſcripturæ ſacræ fuerat innixus, in qua legitur ita: [Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui,] vtpotè qui non ex ſeſe, verum Dei patris ſpiritu afflati, loquerentur. Quoniam ergo non ſancti patres, verum ſanctus ſpiritus loquebatur, ideo Cyrillo videbatur, nil addendum aut auferendum eſſe. Quæ quidem verba longè ante Chriſti aduentum, nedum ante tertiam ſynodum, fuerant prolata. Propterea B. Cæleſtinus hæc literis tradidit, [Quis vnquam non dignus anathemate fuerit iudicatus, qui fidei catholicæ quicquam addiderit, vel ab eadem ademerit?] Credere autem non debemus, literis Apoſtolicis quippiam additum, vel ab ipſis ablatum fuiſſe, quandoquidem noſtris ex legibus graui pœna mulctantur, qui literas eiuſmodi transformauerint. Quas quidem literas Cœleſtini, ante tertiam ſynodum fuiſſe conſtat, quibus tamen ipſe prohibuit, ne fidei catholicę quippiam adderetur, vel ab ipſa auferretur. Duos igitur teſtes contra tuam ſententiam attuli: ſed quoniam in ore duorum vel trium ſtat omne verbum, idcirco tertium quoq; producã. Deut. 19. Matth. 18 Septima nanq; ſynodus inquit: [Eccleſiæ catholicæ traditiones neque diminutionem, neque vllam acceſſionem ſuſcipere poſſunt. Magna igitur afficiẽdi ſunt pœna, qui quicquam abſtulerint, vel addiderint: ac execrandus eſt ille, qui negligit veritatem agnoſcere, ac antiquos patrum ſuorum terminos tranſgreditur.] Synodus ipſa eiſdem ſacræ ſcripturæ verbis innitens, inquit: Qui terminos antiquos, & reliqua: quod quidem his ſolet accidere, qui veritatem non curant cognoſcere. Vnde ſequitur, eum terminorum eſſe tranſgreſſorem, qui fidem à ſuis patribus traditam, neutiquam amplexatur. Ergo qui eam declarat, ſuorum patrum fines nequaquam egreditur, neque quicquam ei vel addit, vel aufert, quandoquidem apud Cyrillũ interdictum illud, tantùm in eos qui contra maiorum ſuorum decreta loquerentur, editum fuerat, quod ſanctus Spiritus veritatis eſt ſpiritus: & qui eam profitetur, ipſam etiam excolere creditur, ac intra terminos eſt. Contrà, qui vanus & mendax eſt, is proculdubio ſancti Spiritus fines tranſgreditur, & patrum fidei quippiam addere, vel ab eadem auferre putatur. Igitur ex ſacra ſcriptura clariſſimè patet, vt qui veritatem agnoſcere nolit, is addere quicquam vel auferre credatur. Porrò quoniam ſæpiſſimè protuliſtis, prohibitionem ipſam à tertia ſynodo vel per eam à ſancto Spiritu promulgatam fuiſſe, idcirco reuerende pater, ex te quæro, vtrum nobis credendum ſit, Nicænam ſynodum maiorum ſuorum terminos tranſgreſſam fuiſſe, an non. Planè ſi credimus mutationem verborum, nedum intelligentiæ, fuiſſe prohibitam, neceſſe eſt vt credamus, Nicænam quoque ſynodum anathemate deuinctam eſſe, vtpotè quæ

*delectatione

nonnulla verba (quemadmodum ſuperius dictum eſt) ab Apoſtolorum ſymbolo abſtulerit: necnon ſecundam ſynodum anathemati ſubiacere, quę poſt illam teſtamenti veteris prohibitionem, Nicæno ſymbolo verba multa addiderit. Sed quoniam patres ij veritatem protulerant, idcirco eadem, non autem aliena vel contraria, cum maioribus ſuis ſenſiſſe creduntur. Falſum eſt ergo, proferre poſteriores ſynodos vetitas fuiſſe, ne ſymbolo quicquam addere poſſent. Ampliùs in hoc Græco volumine, quod nobis Conſtantinopoli miſſum fuit, Nicænum & Conſtantinopolitanum ſymbolum (prout vulgò celebratur) deſcripta ſunt: in alio verò libro, qui quingentorum annorum & vltra creditur eſſe, abſq; DE CÆLIS, AC SECVNDVM SCRIPTVRAS, Conſtantinopolitanum ſymbolum legitur, licet in alio libro, qui Longobardorum literis ſcriptus eſſe videtur, ſymbolum idem cum eiſdem verbis legatur. Volumen autem veſtrum, in quo quarti generalis concilij acta ſcripta ſunt, nõ niſi trecentorum annorum creditur eſſe. Vt igitur pater Epheſie, neutiquam in nos * inuehemini, licet DEVM DE DEO, in noſtro volumine ſcriptum ſit, cùm in veſtro non extet: ita quoq; nos incuſare non deberetis, quòd verbum vnum addidimus ſymbolo. Ad omnia quæ pauloante dixiſti. P. amp. reſpondendi tempus non eſt, quandoquidẽ longa indigent reſponſione. Quædam enim ex nobis quæſiuiſti, ſimulq; contendiſti, vt ea vobis cõcederemus: quod planè noſtræ non eſſet exiſtimationis, quando poſſumus ad omnia reſpondere ac veritatẽ ipſam attingere. De his igitur, ac de hoc veſtro volumine ſuo loco dicemus. Quòd autem Romanam Eccleſiam ſummumque pontificem adſpiciens protuliſti, catholicam Eccleſiam ac eius principem commune ſymbolum reformare poſſe, idcirco toties hæc à te repetita, præterire non poſſumus indiſcuſſa. De hac igitur quæſtione ſequenti ſeſſione, ſi vobis videbitur, diſputabimus, argumentaque plurima & fortiſſima pro noſtra cauſa afferemus. Sed quoniam vehementer ambigimus, ne ſermones huiuſmodi aures veſtras offendant: ideo, ſi vobis videbitur protuli.

MAR.

locus obſcurus.

IVL. Cardinalis.

Inter alia capita, P. amp. in quibus Græci Latiniq; differunt, eſt id, quod de Romanæ Eccleſiæ facultate in dubium Græci vocant, quoniã tamen nunc agimus, an ſanctus ſpiritus ex filioq; procedat, qui quidem fidei articulus eſt, idcirco non conuenit has quæſtiones confundere. Proptereaque in oratione, quam ſcripturę traditam vobis dedi, me de facultate Romanæ Eccleſiæ tunc nil eſſe dicturum protuli, putans fuiſſe conueniens, vt in aliud tempus differatur. Suo igitur loco P. R. in eiuſcemodi controuerſia, vt decet liberũ hominem, quicquid volueris, in medium proferes, in quo ſanctiſſ. domino noſtro pontifici maximo nulla profectò fiet iniuria: quippe qui non alia de cauſa præſens eſt, niſi vt veritas illuſtretur. Cuius quidẽ ſummi pontificis, Eccleſięq; Romanæ facultas, tum ex Euangelio, tum etiam ex ſanctis Concilijs generalibus benignitate Dei patet clariſſimè. Si quidem igitur quæſtio, vtrum liceat addere ſymbolo, necne, ab illa quęſtione longè aliena videtur eſſe, ſanè non conuenit ambas has contemplationes ſimul (vt ſuprà dixi) confundere. Rogo igitur vos, atque obſecro, vt ad quæſtionem de ſancti ſpiritus proceſſione veniamus, quandoquidem ſi hac in re conuenerimus, mihi equidẽ perſuadeo fore facile, vt in cæteris quoque conueniamus. His dictis, ſeſſio fuit dimiſſa, & ad alium diem dilata. Elapſis verò nõnullis diebus, ſummus pontifex iuſſit, vt ad diem vigeſimumſeptimum menſis eiuſdem iterum conueniret.

Die Iouis vigeſimaſeptima Nouembris, Seſſio decimatertia Ferrariæ.

FRequenti ſynodo ducis Burgundiæ oratores in ſeſſionem hanc introducti fuère, ex quibus quatuor pręſules, & vnus diaconus, & duo equites fuerunt, qui ſalutato de more ſummo põtifice, Imperatore verò nequaquam, (nam patriarcha valetudine aduerſa detentus non aderat) conſedere, ſummoque pontifici literas dedere. Quibus quidem Latinè recitatis, & à Græcis non intellectis, ſeſſio fuit dimiſſa. At Imperator ægrè tulit vehementiſſimè, quod nõ fuerit ſalutatus, aſſerens ſe magna iniuria fuiſſe affectum: & niſi ſequenti ſeſſione ab oratoribus ipſis pro ſua dignitate ſalutaretur, ſe nunquam amplius in ſeſſionem venturum, quinimmò fore, vt ſynodus dimitteretur. Patriarcha verò tametſi plurimũ ęgrotaret, tamen per nuncios egit, vt ſummi pontificis nuncij Imperatorem rogarent, vt à ſynodi celebratione nequaquam deſiſteret, promittentes ei, vt ab oratoribus ipſis ſeſſione ſequenti imperatorio more ſalutaretur. Quapropter ipſo conſentiente, ſummus pontifex iuſſit, vt ad diem quartã menſis Decembris ſeſſio cõuocaretur.

Die Iouis quarta menſis Decembris, ſeſſio decimaquarta Ferrariæ.

HAc frequenti ſeſſione, abſente tamen patriarcha, Imperatorem ipſi legati ſalutauere, non ita vt ipſum deceret. Id tamen ęquo animo tulit, ac iuſſit, vt diſſertores electi negocium proſequerentur. Epheſius autem volens cardinali reſpondere, dixit ſe velle breuibus, ac per Sic & Non, diſputare, quandoquidem Latini videbãtur ei prolixis orationibus vti, vt eloquentiſſimi viderentur. Deinde de Chariſio protulit, exemplũ illud ad Latinos non pertinere. Quibus & alijs ab Epheſio dictis, Iulianus cardinalis vir ſummo ingenio memoriaque profunda præditus, ita prolixè reſpondit, vt dicendo dies ipſum defecerit: & ſeſſio fuit dimiſſa, decreto, vt triduo poſt conueniret.

Die Lunæ decimaoctaua menſis Decembris, ſeſſio 15. Ferrariæ.

EPheſius Imperatoris iuſſu longam orationem habuit, volens oſtendere, ne ſyllabam quidem addere ſymbolo licere. Quæ quidem oratio ita vagata eſt, vt omnes ſibi facilè ſuaderent, ei neminem reſponſurum eſſe. At Iulianus eloquentiſſimus, qui loquente Epheſio, ne verbum quidem protulerat, orationem eius ordine ſummo memoriterque repetit, ac in duas de triginta partes diſtribuit, volens partim philoſophando, partim ſacram ſcripturam citando, ac dialecticis argumentorum locis vtendo probare, Latinos minimè peccauiſſe, quamuis addiderint ſymbolo. Contra Epheſius magno affectus deſiderio, quæſtionem eiuſmodi ad extremum tandem perducere, ac clariùs demonſtrare, nullam verborum acceſſionem ad ſymbolum fieri licuiſſe, Iuliani ſermonem in octo partes diuiſit. Et in prima quidẽ probauit, Chariſij ſymbolum haudquaquam fuiſſe commune, in altera verò de Neſtorij ſymbolo mentionem nullam fieri debuiſſe: nam in tertia pœnarũ vim in interdicto contentarum oſtendit, in quarta verò pœnas ipſas ſingulariter, non autem communiter in delinquentes editas fuiſſe demonſtrauit. Nam in tribus ſequentibus partibus Cyrilli literas & Agathonis expoſuit, ac probauit, quidnam ipſi docuerint. In extrema denique parte additionem ipſam abſque ſynodo nequaquam fieri potuiſſe docuit, in hunc poſtremò modum perorauit:

Symbolum illud, præſtantiſſimi patres, quod vt optimũ depoſitum à patribus noſtris in noſtra Imperatrice ciuitate ſuſcepiſtis, à vobis tale repetimus, quale vobis fuerat traditum. Nonne quiſque depoſitum ſibi creditum reddere tenetur? Patrium igitur depoſitum nobis (vt dictum eſt) reſtituite. Quod quia perfectum eſt, idcirco diminutione vel additione nõ indiget. Qui quidem patres noſtri eos reprobauere proculdubio, qui contra ſymbolum ipſum quicquã innouaſſent: alios verò pœna grauiſſima affecere, qui aliud ſymbolum feciſſent. Quòd ſi vnius ſolæ dictionis additio parũ refert, ac parua de ea ratio debet haberi: ablata igitur, parum vel nihil prorſus, nocebit, immò certè plurimum prodeſſet: nam ea ratione cuncti Chriſticolæ dubio procul coniungerentur. Contra magnum ac indignum facinus eſſet, ſi talis additio toleretur, ob idque magna ratio de hac re debet haberi? Non igitur ipſi peccauimus, qui rem hãc plurimi facimus. Amplius, ſi talis additio imprudenter fuerat facta, nunc quoq; prudentiùs nobis conſuleretur, ſi ipſam auferretis: ſic enim amicos vobis coniunctiſſimos faceretis, qui veſtram mutuam amicitiam magni facerent & excolerent. Vos igitur, ô patres & fratres ac reuerendi domini noſtri, vt ſępenumerò fecimus, ita etiã nũc per viſcera Domini MAR.

noſtri

noſtri Ieſu Chriſti, qui nos peccatores ac perditos mortales dilexit, & animam ſuam pro nobis dedit, rogamus, ac obſecramus, vt pacem optimam & ſummam inter nos, ſanctoſque patres noſtros coniunctionem faciamus, qua quidem tum fuimus coniuncti, cùm idem omnes volebamus ac ſentiebamus, & nullum inter nos diſſidium erat. Coniungamur obſecro tanquam fratres. Veneremur maiores noſtros, definitionibus ac decretis ipſorum honorem plurimum habeamus, eorundem minas & pœnas vereamur. Ipſorum denique traditiones ſeruemus, cuſtodiamus, exoſculamus, vt vno corde ac ore, patris & filij ſanctiq; ſpiritus nomen digniſſimum celebremus, glorificemus nũc & ſemper & in ſecula ſeculorum, Amen.

IVL. Cardinalis. Iulianus autem cardinalis ampliſſimus, à diſputatione nolens deſiſtere, ſententiam ſuam vehementiſſimè defendens, poſt multa protulit, pro ſingulis decem argumentis, quæ ſibi fuiſſent propoſita, ſe decem millia redditurum. Deficiente autem die, ſeſſio fuit dimiſſa. Tum Græci tam præſules, quàm cæteri omnes tædio affecti, de ſuo in patriã reditu, infecta re, cogitare cœperunt, dicentes: In vanum tempus conterimus, quandoquidem nec à Latinis nos, nec à nobis ipſi ſuaderi poſſent. At Imperator magnanimus animos ipſorum cunctando reſtituit. Porrò volentibus Græcis diſputationi facere modum, Latini mirum in modum incumbebant, vt in ſeſſionibus de ipſo dogmate ageretur, aſſerentes de quæſtione prima iam ſatis dictum fuiſſe, ac ſe nolle ampliùs quærere, cur illud, EX FILIOQVE, ſymbolo fuerit additum. Nam cùm fieri non poſſit, vt quod iam factum probatumque fuerit, prius tollatur, quàm oſtendatur à Græcis impium eſſe: operæprecium eſſe dicebant, vt in poſterum de ipſo dogmate agerent: quod quidem ſi impium eſſe cõſtaret, ilico tolleretur: ſin autem receptum eſſet, minimè ſe eſſe incuſandos. Hæc Iulianus doctiſſimus. Contra verò dicebat Epheſius: Tollatur à ſymbolo, proprioque termino circunſcribatur, quemadmodum de multis verbis conſtat factum fuiſſe. At Iulianus vehementius inſtans, dicebat: Inquiratur (pater) veritas, inquiratur, & ſi verbum illud impium eſſe dignoſceretur, neque in ſymbolo ſtabit, neq; in alio loco (vt dicis) circunſcribetur: impia enim nulla ratione proferri debent, pia verò quouis in loco nedum in ſymbolo, ſtare poſſunt. Interea Imperator ægrotauit, ſimulq; Patriarcha aduerſa valetudine iam pridem domi tenebatur. Poſt autẽ dies 16. vix potuit Imperatoris domum lectica venire, quo biduo pòſt Græci quoque præſules conuenere. Ad quos Imperator fuit ita loquutus:

IMP. Noſtra relicta patria, patres optimi, pro Eccleſiarum cõiunctione non ſine magno periculo huc frequentes conuenimus: & vos quidem antiſtites pro veſtrarum Eccleſiarum ſecuritate, Laici verò tum pro veſtra pia religione, tum etiam pro poſteris veſtris ſoliciti eſtis, ob idq; onus hoc libenter ſubijſtis. Ego autem ſolùm, vt à Deo gratiam conſequar, id quod etiam ad vos pertinet, vehementer laboro, quippe qui filios vel heredes non habens, nec dignitate maiore affici cupiens, pro generis noſtri ſalute plura quàm cæteri (vt videtis) onera ſuſtineo. Operæprecium igitur eſt multis de cauſis, præſertim vt cum Latinis coniuncti, noſtram in patriam, magno affecti honore, potiùs quàm dedecore, hinc diſiuncti proficiſcamur: operæprecium (inquam) eſt, vt ſummo ſtudio in vnionem Eccleſiarum incumbamus.

Quo quidem ſermone audito, Græci quanam ratione de dogmate ipſo agẽdum eſſet, inter ipſos locuti ſunt. Tandem viſum eſt ipſis, vt duodecim præſules ex ſuis ſeligerent, qui cum totidem Latinis de ſancti ſpiritus proceſſione priuatim diſſererent: quodq; benignitate Dei ab ipſis probatum eſſet, id omnes ſuſciperent. Nolebant enim cum Latinis oratione perpetua publicè contendere.

Dum autem hæc agerentur, à ſummo pontifice Græcis fuit nunciatum, ob peſtem ſynodum eſſe Florentiam transferendam. Quod etſi quammaximè Græcorum cõuentum turbaſſet, poſt multas tamen altercationes, quas quidem ſilentio præterij, quòd ad rem neutiquàm pertinerent, videntes Imperatori ac patriarchæ non nimium diſplicere ſynodum ipſam transferri, ſummi pontificis voluntati his conditionibus acquieuerunt, vt ſummus pontifex menſium octo ſubſidium Conſtantinopolim mitteret: ipſis autẽ Græcis, & quinque menſium victum & commeatum Florentiam vſque tribueret, ac pro his omnibus (vt vulgò dicitur) bancum ibidem aſſignaret, necnõ vltra Florentiam nequaquam proficiſcerentur, verum ibidem ſynodus quatuor menſium ſpatio terminaretur, ac Græcis omnibus eſſet facultas illinc, cùm ſibi viſum fuerit, diſcedendi. Quibus quidem conditionibus à ſummo pontifice pro eius pietate acceptis, in cathedrali eccleſia extrema ſeſſio Ferrariæ celebrata fuit. In qua quidem nil aliud factũ eſt; niſi vt ſummi pontificis decretum de transferenda Florentiam ſynodo recitatum fuerit. Non autem conſtat, in quo die talis ſeſſio celebrata fuerit, cùm tãtùm reperiatur, die vndecima menſis Ianuarij Græcos pecunias pro eorum commeatu, necnon nouendecim millia ducatorum pro Conſtantinopolitano ſubſidio à ſummo põtifice accepiſſe, die verò 16. ſummum pontificem Ferraria diſceſſiſſe.

Seſſio 16. vltima Ferraria.

Frequenti ſeſſione, patriarcha tantùm ob valetudinem eius abſente, Neapolitanus antiſtes Miſſam ſolenniter celebrauit. Qua quidem finita, litanijſque decantatis, Gradenſis præſul Latinè, Mitylenẽ. autem Græcè, conſentiente Imperatore, ſummi pontificis decretum omnibus cardinalibus & præſulibus pontificaliter (vt moris eſt) indutis, ex ſuggeſtu recitauit. Cuius tenor hic fuit: Decretum Summi Pontificis de ſynodo transferenda.

Eugenius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Generale concilium Ferrarię conuocatum fuerat. Quod quidem etſi noſtræ ſententiæ fuerit ibidem conficere, terminareq;, tamen ferueſcente peſte, præſertim in hyeme, ex quo credẽdum eſſet in vere quoq; futuram eſſe, illud iuxta leges noſtras Ferraria Florentiam transferre volumus. Quę quidem ciuitas libera & pacifica & aëre ſaluberrimo eſt.

Poſt autem dies paucos ſummus pontifex vna cum cardinalibus præſulibuſque Latinis, primus Florentiam proficiſcitur, qui cum equo inſidens egrederetur, Nicolaus Ferrariæ marchio, equi ſummi pontificis lora tenens, pedeſter vna cum ſuo filio Ferraria exiuit. Poſtridiè autem patriarcha cum antiſtitibus Græcis ſecutus fuit. Cui Florentiam appropinquanti, cardinales duo ac triginta præſules obuiam venere, honoreque magno in ciuitatem ipſum introduxere. Triduo verò pòſt Imperator etiam venit, qui à Florentinis pompa magna honorificentiſſimeque, vt Imperatorem deceret, ſuſceptus fuit. Nam Florentiæ rectores & domini, nobiliſſimo ac honorato quoque comitem ſe præbente, pedeſtres ipſum ad portam ciuitatis in conſpectu cardinalium & præſulum omnium exceperunt, ac domum deduxerunt. Tempus autem carniſpriuij erat, in quo multa variaque ſpectacula prope domum eius Florentina reſpublica honorificentiſſimè celebrauit. Primo verò quadrageſimæ die Græci præſules ipſius Imperatoris iuſſu in domo eius congregati, ac interrogati, quidnam vellent agere, dixerunt ſe ad celebrandas ſeſſiones paratos eſſe, tametſi magis expediret, vt per ſelectos doctores priuatim, ne tumultus fieret, ageretur. Quòd cùm ſummus pontifex intellexiſſet, iuſſit vt ad diem vigeſimumſextum Februarij menſis in ſuo palatio ſeſſio fieret, vbi frequenti ſeſſione ac ordine de more ſeruato, Iulianus cardinalis primus omnium ſermonem hunc habuit:

Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono, die Iouis vigeſimaſexta menſis Februarij ſeſſio prima, (ordine verò decimaſeptima) Florentia celebrata fuit.

Quoniam Imperator mitiſſime ac vos ampliſſimi & pientiſſimi patres, de numero ſum illorum, qui ad diſſerendum vobiſcum electi fuerant, idcirco mihi beatiſſ. ac ſummus pontifex iuſſit, vt hæc vobis pauca verba faciam. IVL. Ca

Breui

Breui ergo ac nuda vtar oratione, quandoquidem diuina res, de qua agitur, opere magis quàm verbis indigere videtur: Quamplurimi profectò ſermones vtraq; ex parte ſunt habiti, in quibus temporis multum contriuimus: nunc autem res in cardine eſt. nam ſereniſſ. Imperator ſanctiſſimo domino noſtro nuperrimè nunciauit, operæprecium ſibi videri, vt paucis ac priuatim agamus. Ergo in Domini noſtri Ieſu Chriſti nomine rem ipſam aggrediamur. Porrò autem quoniam cùm de transferenda ſynodo Ferrariæ tractaremus, sereniſſimus Imperator, necnon ſanctiſſ. patriarcha magno affecti deſiderio videbantur eſſe, vt inter nos coniunctio fieret, quod planè ſummo pontifici perplacebat: (valdè enim intereſt ſua, vt huiuſmodi controuerſia ad finem celerrimè perducatur: quod quidem fieri commodè non poſſet, niſi ſeſſiones ſæpiſſimè celebrentur) idcirco ſanctiſſimus ipſe pontifex vellet, (ſi lubet) vt vel ſingulis quibuſcunque diebus, vel ſaltem ſingula quaque hebdomada ſeſſiones ipſas frequentes celebremus, & quæuis ſeſſio non minus tribus horis continuis habeatur, etiam ſi ſereniſſimus Imperator ac patriarcha ſanctiſſimus abſentes à ſeſſionibus ob valetudinem fuerint.

IMP. Magis ampliſ. pater expediret, vt anteaquàm ad differendum conueniremus, aliquot ex noſtris ac veſtris doctoribus ſeligeremus, qui priuatim agerent, ac noſtræ coniunctionis modum inuenirent. Et ſi nil proficerent, tum communiter in ſeſſionibus diſputaremus, quemadmodum probi viri aliqua de re contendentes facere ſolent, qui conſultis priùs amicis communibus, ſi ſuas controuerſias componere nequeant, ad iudices deueniunt. Non aliter igitur nobis faciendum eſſe putamus. Cui quidem ſententiæ ſummus pontifex acquieſcere videbatur, vt modus coniunctionis priuatim inueniretur. Iulianus autem cardinalis ita reſpondit:

VL. Cardinalis. Cùm patres ampliſſimi, ſereniſſ. Imperator primus ſententiam hîc & Ferrariæ dixerit, vt priuatim rem ageremus, idcirco ſummus pontifex adductus ſpe ſereniſſimum ipſum Imperatorem vnionis eiuſmodi modum poſſe faciliùs excogitare, credit ipſi quam maximè conuenire, vt is modum ipſum inueniat, nobiſq; patefaciat, vt ipſi quoq; de eo pauliſper conſideremus. Credo equidem aſſequutum fuiſſe id, quod vobis promiſeram, me, quemadmodum beatiſſimus pater noſter iuſſerat mihi, breui ac nuda oratione dixiſſe.

IMP. Quod iam præſtantiſſimo cardinali, ſi me non interpellaſſet, dicere volebam, id modò proferam, dein eius orationi reſpondebo. Ipſi quidem plurimum diſſeruimus, plurimæque orationes vltrò citroque ſunt habitæ, quæ ad quæſtionem de additione ipſa ſpectare viderentur, & quamuis alia plura fortioraque argumenta proferre potuiſſemus, cùm tamen cardinalis ipſe multique probatiſſimi præſules conuenientius eſſe dixiſſent, quod ſanctiſſimus pater à me priuatim contenderat, vt omiſſa illa quęſtione, ad aliam veniremus, tum etiam quòd ipſi breuitati vehementiſſimè ſtudemus, idcirco nunc volumus ad aliam quæſtionem venire, ita tamen vt cùm ad primam regredi voluerimus, nobis liceat. Quod quidem vobis prædicimus, ne vnquam forſan diceretis, ab illa cauſa nos prorſus cecidiſſe. Fateor autem me primum omnium protuliſſe, priuatim priùs nobis agendum eſſe: verùm nil nunc nobis venit in mentem, quod ad componendam pacem proponeremus. Nobis ergo pater ampliſſ. gratiſſimum faceretis, ſi quicquam in medium afferretis, quod ad concordiam huiuſmodi pertineret. Videmur enim videre, vos aliquid tale dicturos eſſe. Dicant igitur alij quicquid velint, nos etenim hæc dixiſſe voluimus. Cardinales autem antiſtiteſque Latini ad ſummum pontificem acceſſere, ſimulq; collocuti fuêre, deinde Iulianus cardinalis ita reſpondit:

VL. Cardinalis. Sereniſſime Imperator, ſanctiſſimi Domini noſtri iuſſu, ac horum præſtantiſſimorum patrum conſilio elegantiſſimæ tuæ orationi paucis reſpondebo, quam profectò benè percepimus. Nam ſatis dictum fuiſſe dixiſti, an liceret ſymbolo quicquam apponere. Præterea licet argumenta veſtra fortiſſima, & à ratione minimè aliena fuerint, vos tamen multo plura fortioraque afferre potuiſſe, niſi ego à vobis ſæpiſſimè contendiſſem, vt eiuſmodi quæſtione poſtpoſita, ad alteram, an ſanctus ſpiritus ex filioque procedat, veniremus, quemadmodum etiam patri beatiſſimo conueniens eſſe videbatur. Vt igitur nobis gratiſſimum faceres, nobis cõcedere videbare, vt hac de re diſſereremus, hac tamen cõditione, vt vobis cùm viſum fuerit, liceret ad quæſtionem primam redire, quandoquidem ab ipſa nequaquam diſceſſiſtis. Ad quæ pater ampliſſ. breuiter à me repetita, breuiſſimè quam potero, reſpondebimus. Porrò autem ipſi videre non poſſumus, quidnam veſtris in cordibus habeatis, quaſque alias rationes afferre potuiſſetis: quandoquidem nobis videtur, quæſtionem illam ita explicaſſe, vt ampliùs ambigendum de ea non ſit, id quod vos etiam tenetis, vt credimus. Fieri enim non poteſt, vt vos qui ſummo ingenio, maximaque rerum ſcientia præditi eſtis, argumenta noſtra firmiſſima & inuicta eſſe, nequaquam intellexeritis. Sed neque non inſcij eſtis, vos ſemper facultatem reſpondendi noſtris rationibus habuiſſe, ita vt ſi quicquam aliud in nos afferre potuiſſetis, id proculdubio tanto decurſo tempore, ex quo veſtra refellimus argumenta, protuliſſetis. Siquidem igitur rationes noſtras ſilentio præterijſtis, credimus vos ipſas refellere neutiquam potuiſſe, neque alias rationes ad quæſtionem ipſam ſpectantes (vt dicitis) habuiſſe. Quid enim vobis fuit impedimento, quo minus nobis reſponderetis, niſi quòd argumenta noſtra vobis firmiſſima viſa fuerint? Propterea beatiſſ. pater noſter dicebat valdè conducere, vt ad alteram quæſtionem veniremus, cui cùm videretur noſtram cauſam ita illuſtratam fuiſſe, vt nulla prorſus alia indigeret conſideratione, idcirco ferebat ægrè, videre tempus in caſſum produci, quandoquidem diſputationes de rebus tantùm ambiguis debent fieri. Hac igitur de cauſa, pater ampliſſime, patrum horum ſententia ex vobis ipſe contendi, vt ad aliam controuerſiam veniremus, videntes clariſſimè quæſtionem primam Apoſtolorum authoritate, ſynodorum decretis, ſanctorum doctorum ſententia perfectiſſimè ſolutam fuiſſe. Si quidem igitur, ne beatiſſimi quidem patris rogatu ab ipſa cauſa decedere voluiſtis, priuſquam multæ fierent diſputationes: idcirco nequaquam conuenit, vt ſine concluſione, infectaque re ad aliam veniamus. Sed melius eſſe videtur, vt ſi quid argumentorum adhuc vobis reliquum ſit, id etiam in medium afferatis: quandoquidem omnia pater beatiſſimus, necnon hi præſtantiſſimi patres attenti auſcultabunt, ſpe adducti, ea quoque benignitate Dei facilè poſſe diſſoluere. Quòd autem tibi, ſereniſſime Imperator, in mentem non venit, neque prorſus excogitaſti, quonam pacto conueniremus, ob idque dicis conducere, vt ipſi modum ipſum inueniamus, ac in medium proferamus: reſpondeo, iam ſatis de hoc dictum eſſe, cùm ipſe dicenti tibi fore commodius, vt priuatim ageremus, contradixerim, quòd magis expediret per ſeſſiones ac publicè agere. Si autem hæc noſtra ſententia tibi non placet, putanti priuatam collocutionem magis expedire, idque veſtri põtifices volunt: ſanè non alienum eſſet à ratione, ſi primi quoque noſtræ coniunctionis modum in medium afferretis, quemadmodum ipſi proculdubiò faceremus, ſi ſententiam illam primi dixiſſemus.

IMP. Ad ea, quæ de omittenda prima quæſtione, ac altera capienda dixeram, vos minimè reſponſuros putabam: quãdo quidem iam inter nos conuenit, vt ad aliam veniremus. Miror autem vehementer, cur nos quæſtionem illam prorſus reliquiſſe credatis, cùm nondum ipſam (vt noſtis) terminauerimus. Nanq; ſi nobis id contigiſſet, ſatis iam dictum eſſe protuliſſemus, & nulla alia opus eſſe diſputatione. Ad alterã igitur quæſtionem, vt inter nos cõuenit, veniamus, hac tamẽ (vt dixi) conditione, vt ad primam cum viſum fuerit, liceat nobis reuerti, à qua quidem nũquam ipſi diſceſſimus, neq; prorſus diſcedendum putamus. Sed neque vnquam conueniens eſſe protuli, vt ipſi ſoli noſtræ coniunctionis modum inueſtigemus, ac nulla neceſſitate coacti, ſoli in eam rem incumbamus, ſed vobiſcum ſimul de ea conſiderandum putaui. Siquidem igitur quicquam aliquis in præſẽtia teneat, quod ad propoſitum ſpectat, id in medium proferat. Si minus, poſteaquam quiſq; priuatim, ac per ſeſe de hac re melius cogitauerit, in ſeſſione ſuam ſententiam dicat, quo quidem modo ſperandum nobis eſſet, noſtræ contro-

uerſiæ finem,vt mihi videtur,faciliùs poſſe facere,ita tamē,
vt,ſi hac non ſucceſſerit,per ſeſſiones agere poſſimus.
Car. Ne de me,ſereniſſime Imperator,in poſterum admirere,
nonnulla paucis repetam. Non equidem protuli quæſtio-
nem illam communi ſententia terminatam fuiſſe,ſed incō-
ueniens eſſe,ad eandem reuerti,de qua conſtat ſatis dictum
fuiſſe,ac uos ad argumenta noſtra fortiſſima Ferrariæ reſpō-
dere minimè potuiſſe.Dixi quoq;,vt veſtri proferrēt,vt lu-
bet : nā ipſi benignitate Dei ad reſpondendū parati fuimus.
Magis enim cōducere videbatur de quęſtione illa diſſerere,
quouſque communi ſententia finiretur, quàm, poſteàquā
de altera cœperimus diſputare,omiſſa ipſa ad primam redi-
re. Ad te autem, ſereniſſime ac prudentiſſime Imperator,
præcipuè ſpectare videtur, quemadmodum iuſſu ſanctiſſi-
mi patris,ac horum ampliſſimorum patrum ſuperiùs pro-
tuli, vt diligenti conſideratione coniunctionis eiuſmodi
modū,quodq; magis expediens ſit, ſolus excogites,quem-
admodum etiā,vt priuatim agere deberemus, ſolus ipſe ꝓ-
poſuiſti. Porrò quoniam in extremum expoſtulaſti,vt ipſi
etiam hanc ipſam rem pēſitemus ac examinemus, quod tu,
quidnam agendum eſſet,nondum excogitaſti:idcirco patri
beatiſſ.cunctiſque nobis videtur operæprecium eſſe,vt hoc
negocium in ſeſſionem ſequētem differatur,vt tunc accin-
cti meliuſq; parati conueniatis, & quid agendum ſit profe-
ratis.Quod quidē iure veſtro debetis facere. Namq; volen-
tibus nobis per ſeſſiones ac publicè diſputare,te autem ſere-
niſſ.Imperator contendente, priuatim nobiſcum agere,ad
te ſpectare videtur,vnionis etiam modum excogitare.

IMP. Si ad totam tuam orationē reſpondere vellemus, noſtra
profectò diſputatio fieret infinita. Vt igitur dictioni noſtrę
modum faciamus,id quod ſæpiſſimè diximus, paucis repe-
tamus,neceſſe videlicet eſſe,vt,quod inter nos conuenit,ad
quæſtionem alteram veniamus, hac tamen conditione, vt
ad primam,ſi nobis placuerit,redire valeamus.Interea verò
ſi vobis ita videtur, vt vnionis modum communiter inqui-
ramus,nobis etiam placet.

IVL.Car. Vos de tali modo videritis : ipſi verò ad ea,quæ opus fue-
rint,reſpondebimus. Quibus peractis, ſeſſio fuit dimiſſa.
Græcis autem, qua ratione coniunctionis eiuſmodi viam
inuenirent,non mediocre negocium videbatur. Domum
igitur patriarchæ frequentes conuenerunt, vt quidnam ſe-
quenti ſeſſione de vnione proferrent in medium, inter eos
cōſulerent. Cùm autem quid agerent aut proferrent,neſci-
rent,Imperatorem rogarunt,vt à ſummo pōtifice impetra-
ret,vt his,quos ex ſuis ſeligerent, cum totidem Latinis pri-
uatim agerent,ea ratione adducti, fore vt modum ipſum
benignitate Dei excogitarent. Cui quidem ſententiæ Impe-
rator acquieſcens,voluit,vt ſtatim diſputatores ipſos ſelige-
rent,qui cum Latinis diſputarent. Selectis autem trium pa-
triarcharum vicarijs,videlicet Antonio Heraclienſ. Grego-
rio confeſſore,Marco Epheſio,Iſidoro Rutheno,Doſitheo
Monenbaſienſ. Beſſarione Niceno, ac Dorotheo Mityle-
nenſ.hiſq; ſummo pontifici nunciatis, ipſe ſe velle reſpon-
dit,vt per ſeſſiones ac per electos (vt moris eſſet) ageretur,
quandoquidem coniunctionis modum (vt Græci promi-
ſerant) neutiquam inuenere. Conuocata igitur ſeſſione,ab-
ſentibus ob valetudinem Imperatore ac patriarcha, Ioānes
ille in philoſophia & dialectica præclariſſimus, pro Latinis
ita dixit :

Die Lunæ ſecunda menſis Martij,
ſeſſio 18. Florentiæ.

IOAN. BEatiſſimi patris iuſſu,patres amp. de ſancti ſpiritus pro-
ceſſione verba facturus ſum , quæ quidem plurimum
ad fidem ſpectare videntur, & de quibus (vt in primo de
Trinitate capite Auguſtinus inquit) maxima cum venera-
tione loqui debemus. Rogo igitur vos atque obſecro, me
attentè audiatis. Velim autem,ſi quid ambigui aut alieni à
ratione imprudens protulero, in primis ab eodem ipſo pa-
tre ſanctiſſimo,qui beatiſſimi Petri ſedem tenens,piam re-
ligionem excolit atque defendit, deinde à vobis in theolo-
gia clariſſimis, corrigi ac emendari. Porrò autem non de-
bemus de verbis diſſerere, atque in ipſis verſari,ſed veram
dictorum intelligentiam ac veritatem ipſam exactè per-
pendere : ſpe adducti, vt quemadmodum Dei filius nobis Ioan.16.
veritatem promiſerat, ita etiam is, à quo mens mortalium
illuſtratur,ſua benignitate faciet, vt veritatem ipſam perci-
piamus,ac rebus in omnibus proficiamus. Deus enim ipſe,
qui voluit, in hoc generali concilio de ſancti ſpiritus pro-
ceſſione agamus, nobis per eundem ſanctum ſpiritum du-
bio procul præſtabit, vt mutua inter nos beneuolentia, &
ſeruato eccleſiarum decore,quęſtionis eiuſmodi veritas de-
monſtretur & declaretur,ita vt tali veritate ſine controuer-
ſia cognita, quemadmodū vnus eſt Dominus ac vna fides,
vt Paulus inquit,ita nos multi vnum in fide ac in Chriſto ſi- Ephes.4.
mus. In primis autem nobis memoria repetendum eſt id,
quod ſereniſſimi Imperatoris arbitratu inter nos Ferrariæ
conuenit,ne longas orationes habeamus, verùm per argu-
menta & authoritates paucis agamus, ſpe adducti,ea ratio-
ne concluſionem aliquam faciliùs aſſequi poſſe. Cui qui-
dem ſententiæ cùm omnes acquieueritis, ſanctiſſimus do-
minus noſter,vt ipſi ſereniſſimo Imperatori & vobis faceret
gratum,ipſam ſuſcepit,operæprecium eſſe putans,eiuſmo-
di diſputandi ratione in poſterum vti. Quoniam autem
beatus Auguſtinus in primo libro de ciuitate Dei, Quis,
inquit,diſceptandi finis erit, & loquendi modus,ſi reſpon-
dendum eſſe reſpondentibus exiſtimemus ? idcirco,patres
amp. conueniens eſſet, vt ſanctorum patrum ſcripturis at-
que ſententijs,quas ſancta complectitur Eccleſia,innitere-
mur,ac ipſis veluti decretis ac legibus vteremur: ita vt ne-
mini noſtrum liceret eas inficiari, quemadmodum à maio-
ribus noſtris nobis traditum eſt, præſertim ab Agathone
ſummo pontifice,qui ad Conſtantinopolitanum Impera-
torem & ſextam ſynodum ita ſcripſit : Quorundam ſan- S. Agatho Papa.
ctorum patrum authoritates, quas ſancta & Apoſtolica Ec-
cleſia ſuſceperat,ipſas cum libris, legatis noſtris dedimus,vt
ipſis ſolis innitentes, ſereniſſimorum ac Chriſtianiſſ. Impe-
ratorum auxilio,quæ opus eſſent conficerent. Chalcedo-
nenſe quoque concilium in ſermone ad Martianum Impe-
ratorem ſcripto, qui ſic incipiebat. Id tuam Imperatoriam S. Leo Papa.
maieſtatem deceret, plurimum : (ſermo enim erat de Leo-
nis epiſtola ad Flauianum ſcripta) Non oportet, inquit,de
Romanæ Eccleſiæ præſidentibus admirari, ac epiſtolam il-
lam impietatis accuſare,priuſquam inueniatis, eam cum ſa-
cris ſcripturis neutiquam conuenire,ac à patrum ſententia
alienam eſſe. Et infrà. Vt nullam amplius excuſationem af-
ferre valeant,qui homini Apoſtolico detrahunt, ac ipſum
iniuria afficiunt,& reliqua. Ex his ergo,patres amp. quæ
pauca ex multis excerpſimus, quod ſuprà dixi, probatum
eſt,nos ſanctorum patrum ſententijs inniti debere : quo
quidem anticipato & poſito,ad rem veniamus. Porrò quo-
niam in quauis quæſtione nomen rei, de qua agitur, præ-
noſci debet, ac noſtra quæſtio eſt de ſancti ſpiritus proceſ-
ſione,idcirco quærendum in primis ex vobis eſt, quidnam
proceſſio ſignificet : & an in diuinis perſonis, prout in re-
bus humanis,intelligi debeat. Iuxta namque diuini Dio-
nyſij doctrinam in de diuinis nominibus libro, Deum ip-
ſum à rebus creatis appellare ſolemus : verbum autem,pro-
ceſſio,in ſacra ſcriptura non ſolùm de ſpiritu, verumetiam
de filio dicitur,hęc ambobus adſcribitur : quemadmodum
Ioannes Euangeliſta teſtatur, de filio dicens : Exiui à patre: Ioan.16.
de ſancto autem ſpiritu, Qui * ex patre procedit. Hæc vo- Ioan.15.
lui,dixiſſe, non inſcius, opus eſſe vt hæc nobis ſint nota,&
in omnibus ſeſſionibus mentionem de his faciamus.

MAR. Omiſſis ſuperuacaneis, Patres amp. quæ reuerendus hic
pater in ſui ſermonis exordio protulit, quandoquidem in
his non differimus, ad eius interrogationem ſolummodò
reſpondebo. Verbum proceſſio,aliter quidem in rebus hu-
manis,aliter verò in diuinis perſonis ſignificat. Et quamuis
duabus diuinis perſonis conueniat, iuxta tamen ſcripturam
ſacrā ac omnes ſanctos doctores, & exactam rationē theo-
logiæ,ſancti ſpiritus proceſſionem præcipuè creditur ſigni-
ficare : cuius quidem ſancti ſpiritus eſſentialis proceſſio,à
filij proceſſione eodem ipſo verbo differre videtur, ob id-
q́ue proceſſio filij,generatio nuncupatur:ſpiritus verò,prę-
cipuè magiſq; propriè proceſſio nominatur. Multa namq;
nomina ſunt,quæ res alias propriè, alias verò communiter
ſignificant. Propterea non eſt admiratione dignum, ſi ver-
bum proceſſio, apud ſcripturam ſacram filio etiam aſcri-
batur.

batur. Exiui autem à patre, non idem eſt cum verbo, procedere, ſed aliud ſignificare videtur. Ideoque ſpiritus ſancti proceſſio, ineffabilis & carens nomine, à Theologis nominatur: quòd filij proceſſionem, hoc eſt, generationem, minus obſcurè quàm ſpiritus proceſſionem percipimus. Propterea beatus Ioannes Damaſcenus de ſpiritus proceſſione ita ſcriptum reliquit: Alia ratio eſſentiæ huius eſt ineffabilis quidem, ac innominabilis alia inquam à filij generatione. (Ioan. 16.)

Hactenus ad tuam interrogationem.

IOAN. Ex tua reſponſione P. reueren. capita tria collegimus. Primum, proceſſionem filio ſpirituíque communionem eſſe, quatenus ex patre procedant: alterum, proceſſionem ipſam magis propriè ad ſpiritum, quàm ad filium pertinere, ob idque verbi proceſſionem, id eſt, generationem magis quam ſpiritus proceſſionem, nobis notam eſſe: poſtremum, eandem ipſam proceſſionem, eſſentialem & ſubſtantialem eſſe. Nunc de tertio capite ex te quæro: Cùm in diuinis perſonis nil aliud ſit, niſi eſſentia & proprietas atque relatio, quidnam hæc verba ſignificent: Proceſſio eſt eſſentia in diuina perſona, num eſſentiam ſignificat vel proprietatem ab altero accipere? Proceſſio nanque videtur eſſe via ab vno in aliud, & eſſentialis exiſtit, quæ quidem à patre accipitur. Et quoniam ipſi credimus accipere eſſentiam, & ex filio eſſe, idem ſignificare, idcirco velim ex te ſcire, an vos etiã ita ſentiatis.

MAR. Eam intelligo proceſſionem eſſe, qua ſanctus ſpiritus à patre accipit eſſe, ac illud totum, quo eſt quoq;, propriè ſanctus ſpiritus nuncupatur.

IOAN. Magno equidem gaudio afficior, quòd hanc ex te concluſionem habuerim, ſanctum ſpiritum ex patre accipere eſſe, ac, ex ipſo procedere, idem ſignificare. Nam ſi ſanctus ſpiritus à quo eſſe accipit, ex eodem quoque procedit: accipit autem eſſe ex filioque, ergo ex filioque neceſſariò procedit, iuxta præcipuam ac propriam proceſſionis ſignificantiam, quam ipſi paulò antè conceſſiſſe videmini. Poſſumus autem quàm plurimis teſtibus demonſtrare, ſanctum ſpiritum à filio eſſe accipere.

MAR. Vnde obſecro id habetis? Nos enim hoc nõ cõcedimus.

IOAN. Videor videre, P. amp. quod quæro, facilè poſſe concludere. Nam ſanctum ſpiritum ex filio eſſe, ac ab ipſo eſſe accipere, ex ſancti Epiphanij dictis oſtenditur: quippe qui in ſermone * angyroto nuncupato, à Græco in Latinum ab Ambroſio verſo, loquens de Deo patre, inquit. Ita filium dico eum, qui ex ipſo eſt: ſanctum autem ſpiritum, qui ex vtroque eſt. Si quidem igitur ſanctus ſpiritus apud Epiphanium ex vtroque eſt, ſequitur ipſum ex vtroq; habere eſſe. Amplius idem Epiphan. in eod. ſerm. inquit. Quemadmodũ nemo nouit patrẽ niſi filius, nec filiũ niſi pater: item dicere audeo, nec ſanctum ſpiritũ niſi pater & filius, à quo accipit, & procedit, neque patrem & filiũ niſi ſpiritus ſanctus, qui verè glorificat, docens omnia, qui quidem eſt à patre & filio. Ex his igitur Epiphanij dictis apparet, ex patre & filio ſpiritum accipere eſſe, & ex patre filioque accipere, idem ſignificare: vnde ſequimur, ſanctum ſpiritum à patre & filio accipere eſſe.

(* ſoc. Ancorato S. Ambr.) (S. Epipha. Matt. 11.)

MAR. Id non probaſti, P. reuerende, quod nobis fuiſti pollicitus, ſcilicet ſanctum ſpiritum à filio accipere eſſe, quandoquidem nullam ſanctorum authoritatem ad oſtendendum illud attuliſti, neque ſancti Epiphanij verba videntur illud concludere. Non enim ſequitur neceſſarium, ſi ſanctus ſpiritus ex patre filioque eſt, vt ab ipſis etiam habeat eſſe, quandoquidem quicquam ex alio eſſe, multis modis accipitur, ita vt minimè neceſſe ſit, vt omne quod ex alio ſit, ab ipſo etiã eſſe habeat. Epiphanij ergo dictum, non ſolùm non ad tuam ſententiã pertinere, verumetiam tibi plurimùm obſtare videtur. Non enim inquit, ſanctus ſpiritus à filio eſſe accipit: verùm ſimpliciter, accipit. Quam quidem ſententiam ex hoc Euangelio habuit, De meo accipiet, & annunciabit vobis. Porrò autẽ ſi ſanctus Epiphanius ſenſiſſet, vt vos ipſum interpretamini, ita profectò dixiſſet: Nemo nouit patrem & filium, niſi ſpiritus ſanctus à quibus procedit, & à quibus accipit: quo quidem locutionis modo verbum PROCEDIT, ad illud ACCIPIT retuliſſet: ſed cùm duo illa verba pronomine ſimul ac præpoſitione ſeiunxerit, dicens, à quo procedit, & à quo accipit, dubio procul ſenſiſſe videtur, verba ipſa res diuerſas ſignificare: illud quidem eſſentiam ſancti ſpiritus, quam ex patre creditur habere, hoc autem eiuſdem ſancti ſpiritus cum patre filioque conuenientiam atque coniunctionem, qua ſpiritus ipſe diſcipulis ea enunciat, quæ quidem ipſos à filio ediſcere oportet. Quam mihi ſententiam à Cyrillo atque Ioanne Chryſoſtomo ſumpſi. Nam hic illud, DE MEO ACCIPIET, declarans: De mea inquit, intelligentia, qua dictis meis cõuenientia nunciabit. Ille autem in Theſauris inquit. Non enim filius ſuam patriſque differentiam declarare volens, dixit: De meo accipiet, & annunciabit vobis: verùm quòd ſanctus ſpiritus verbis eius vteretur, qui quidem quoniam eiuſdem naturæ ac ſubſtantiæ cum filio eſt, idcirco æquè ac ipſe filius operatur ac loquitur. Si quidem igitur illud, De meo accipiet, & annunciabit vobis, iuxta ſanctos ipſos, tantum ad verba filij refertur: ſequitur ex eo, nos minimè credere debere, ſanctum ſpiritum à filio accipere eſſe. (Ioan. 16.)

IOAN. Orationem tuam P. R. benè percepimus, qua quidem probare volebas, longè me aliter Epiphanij dictum expoſuiſſe, quàm ipſe ſenſiſſet: ego autem in eadem opinione perſiſtens, eodem ipſo dicto probabo, ſanctum ſpiritum à patre & filio accipere eſſe. Fieri enim non poteſt, neq; mente concipi, vt vna res ab alia ſit, niſi ab eadem accipiat eſſe, qualecunque fuerit illud eſſe. Quoniam autem res creatæ, apud Dionyſium in De diuinis nominibus libro, à Deo ſunt, vt ipſi quoque fatemur, quæro ex te, vtrùm intelligendum ſit ita, vt à Deo eſſe accipiant, necne.

MAR. Ita prorſus, ſed communiter verum non eſt, vt cùm quicquàm ab alio eſſe dicatur, neceſſe ſit intelligere, ab eodẽ etiam accipiat eſſe.

IOAN. Credis ne res creatas à Deo habere eſſe.

MAR. Credo equidem, Ideo enim creatæ res nuncupantur, quòd earum Deus cauſa eſt.

IOAN. Quoniam autem res creatæ, à Deo differenter accipiunt eſſe idcirco etiam differenter à Dei ſubſtantia appellantur. Verùm Epiphanius ſimpliciter inquit, Spiritus à filio eſt: quod quidem verbum EST, quia infert eſſe: quid aliud, obſecro, poteſt ex eo inferri? Si quidem igitur credendum non eſt, eſſe ſpiritus, ab eſſe fili differre: neceſſe eſt vt credamus, ſanctum ſpiritum illud idem eſſe habere à filio, quod à patre habere creditur, vt verbum Epiphanij, EST, manifeſtè ſignificat.

MAR. Legatur (ſi lubet) idem Epiphanij dictum, tametſi patres ampliſſ. authoritas hæc corrupta videtur eſſe, vobis nihilominus eadem ipſa ſatisfacere poſſumus, dicentes verbũ EST, ſcriptum in ea non eſſe. Sanctum enim Spiritum (inquit) qui ex vtroque, abſque verbo, EST.

IOAN. Ita dicere audeo (inquit Epiphanius) nec ſanctum ſpiritum nouit aliquis niſi pater & filius, à quo procedit, & à quo accipit. Verbum ergo, PROCEDIT, ad patrem refertur: illud autem, ACCIPIT, ad filium. Deinde declarans, quidnam illa duo verba ſignificent, inquit: Neque patrem & filium, niſi ſpiritus ſanctus, qui verè glorificat, docens omnia, qui quidem eſt à patre & filio. Infert igitur Epiphanius, ſanctum ſpiritum à filio eſſe. Porrò autem in diuinis, EST & ESSE, ſunt idem: ac ESSE, ſignificatur per EST: vndè planè ſequitur, ſpiritum à filio habere eſſe, quemadmodum à patre. Nanque ſi ſanctus Epiphanius non ita ſenſiſſet, profectò dixiſſet: ſanctus ſpiritus rerum creatarum inſtar, à patre & filio habet eſſe. Præterea in eodem ſermone inquit: Sanctus ſpiritus ingenitus, non factus, non frater, non auus, à patris filijque ſubſtantia. Credere ergo neceſſe eſt, ſanctum ſpiritum à filio habere eſſe.

MAR. Dicere mihi videris, P. R. quoniam ſanctus ſpiritus ex patre filioq; ſimpliciter dicitur, idcirco etiam ipſum ex eiſdem habere eſſe: ergo neceſſe eſt ita ſentias, vt ſpiritus ex patre, hoc eſt, ex hypoſtaſi vel perſona patris ſit, ſimiliter etiam ex filio, id eſt, ex perſona filij: vndè euenit, vt ſanctus ſpiritus ex duabus perſonis ſit, niſi tu aliter ſentias.

IOAN. Sanctum Spiritum nos dicentes ex patre procedere, patrem ipſum percipimus, ac ipſum conſideramus, quatenùs vna diuina perſona eſt: non ſecus, ex filio proferentes, ex ipſius perſona procedere, mente concipimus. cùm autem vtroque ſpiritum ipſum procedere dicimus, proceſſionem eiuſmodi ab vno ſolo principio fieri credimus, quando (Proceſſio à patre, & filio vt ab vno principio.)

quidem ex patre filioque communiter ſit.

MAR. Si, cùm ſpiritus ſanctus ex patre procedere dicitur, patris perſonam intelligis, ſimiliter filij perſonam cùm ex filio: cùm autem ex vtroque dicatur, quid aliud (obſecro) poteris intelligere, quàm ex vtriuſque perſona? Ponamus autem id verum ac neceſſarium eſſe, vt cùm ſpiritus ex patre procedere dicatur, ex eius perſona intelligatur, vt videamus (ſi lubet) an idem quoque de filio, ac de vtroque credendum ſit: cùm ſpiritum ex filio dicimus, aut ex patre & filio, ex filij, vel patris ſimul & filij perſonis nos oporteat credere, an alio modo.

IOAN. Cùm ex patre, dicimus, ex ipſius perſona intelligimus: ſimiliter etiam cùm ex filio, quandoquidem patris & filij eadem ſubſtantia creditur eſſe. Emittere autem, ita patris & filij eſt, vt ab vno principio ſpiritus ſanctus credatur procedere.

MAR. Melius (obſecro) perpendamus, vtrùm ſi ſanctus ſpiritus ex patre filioque credatur procedere, ex ipſorum perſonis neceſſe ſit intelligere, necne.

IOAN. Non opus eſt in præſentia diſputare, an ſanctus ſpiritus ex patre, aut ex filio, aut ex vtroque procedat: ſed nobis prius diligenter conſiderandum eſt, an ſi cum aliquid ab aliquo eſſe dicatur, neceſſe ſit intelligere, idem eius quoque ſubſtantiam habere.

MAR. Dediſti nobis, P. reuerende, ſanctum ſpiritum ex perſona patris procedere, quandoquidem ex patre dicitur eſſe. Porrò quid ex hoc ſequatur, accuratè conſideremus.

S. Baſil. Magnus Baſilius in Eunomium, de ſancti ſpiritus proceſſione loquens, inquit: Generat Deus, non vt homo, generat autem verè: & natum ex ſe ſpiritum emitti per os, non quale eſt hominum: quandoquidem Dei os, non eſt corporeum: ex ipſo autem ſpiritus, & non aliundè. Siquidem igitur ſpiritum ex ipſo, id eſt, ex patre dicentes eſſe, ex eius perſona intelligamus neceſſe eſt, Baſilius autem inquit ex ipſo eſſe, & non aliundè, ſequitur, ſanctum ſpiritum ex ſola patris perſona eſſe.

IOAN. Magnus Baſilius in tertio contra Eunomium libro, ſcriptum reliquit, ſanctum ſpiritum ex filio eſſe, quod quidem eſt huius oppoſitum, quod modò protuliſti, ſpiritum non eſſe aliundè. Illud autem, emittit ſpiritum per os, & reliqua, ſimilitudine quadam ab eo dictum fuiſſe concedimus. Apud enim ſacram ſcripturam, verbum Dei os dicitur, &

Pſal. 32. verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius. Talis ergo loquendi modus, in ſcriptura ſacra videtur, ad quam nos ſemper debemus adſpicere, non quod illa in Deo corporea ſint. Verba ergo ſcripturæ ſacræ, necnon ipſius Baſilij, ad propoſitum facere videntur. Tum Colloſſenſis antiſtes, Baſilij ac Epiphanij dictum recitauit.

MAR. His in poſterum reſpondebimus, nunc autem ad propoſitum, redeuntes, quæro ex te pater reuerende, quidnam illud Baſilij ſignificet, Generat pater: & paulò infra, Ex ipſo ſpiritus, & non aliundè: vtrùm eius perſona ſit generâs, an ipſius ſubſtantia: & vtrum ex perſona ſua, an ex ſua ſubſtantia ſpiritum ſanctum emittat. Rogo te, pater reuerende, vt his quæſtionibus reſpondeas.

IOAN. Nondum pater reuerende, ad propoſitum reſpondiſti. In hoc enim erat controuerſia noſtra, vtrùm dicentes ſpiritum à filio eſſe, vt Epiphanius inquit, neceſſe ſit intelligere eundê ſpiritum à filio habere eſſe, necne. Huic ergo quæſtioni prius reſpondeas, deinde nos ad veſtras libentiſſimè reſpondebimus. Nanque ſeipſum magnus Baſilius expoſuerat, dicens: Spiritus à filio habet & accipit, de quibus ſuo loco diffuſius dicemus. Quonam igitur modo Epiphanij dictum intelligi debeat, nobis (rogo) declares, deinde ad alia veniemus.

MAR. Tametſi, P. reuerende, ſanctum ſpiritum à filio habere eſſe, ſancti Epiphanij authoritate valdè fuiſti conatus oſtendere, patet tamen te nihil probaſſe. Non enim Epiphanius ipſe protulit ſanctum ſpiritũ à filio habere eſſe, verùm ſimpliciter ac ſine verbo, Eſt, ab vtroque, hoc eſt, à patre & filio, vt ipſe aſſeris: propterea quæſiui ex te, an cùm ſpiritum ex patre procedere dicimus, ex eius perſona neceſſe nobis ſit intelligere: Tu verò affirmans ita credi debere ſanctum Epiphanium fuiſti teſtatus. Poſtea mutata oratione ad magnum Baſilium venimus, vbi equidem ex te quæſiui, an illud, Ex ipſo, ex perſona patris deberet intelligi, vt ex ſimilibus ſimilia fierent clariora. Idcirco, vt quæſtionem huiuſmodi concludamus, quæ ſupradiximus repetentes, iterum quærimus, an dicentes ſpiritum ex patre procedere, patris perſonam intelligant. Huic ergo quæſtioni prius reſpondeas, deinde verò, ſi aliam contrariam authoritatem in medio adferre poteris, alias de ea conſiderabimus.

IOAN. Ita credimus, quemadmodum ſupra diximus, illud, EX IPSO, perſonam patris ſignificare.

MAR. Magnus autem Baſilius dixit, ſanctum ſpiritum ex ipſo, hoc eſt, ex patre, vel (vt dicitis) ex perſona patris: deinde addidit, non autem aliundè, id eſt, non ex alia perſona, niſi ex perſona patris, procedere: ergo ſequitur, ſanctum ſpiritum ex ſolo patre eſſe.

IOAN. Magnus Baſilius, reuerende pater, in Eunomium profitentem, ſanctum ſpiritum creaturam eſſe, ideo dixit ex ipſo, & non aliundè, vt declararet ipſum ſpiritum ex patris eſſe ſubſtantia & natura, non autem aliundè, hoc eſt, non alterius eſſe ſubſtantiæ vel naturæ. Nunc ergo ad Epiphanium redeamus, teſtantem ſanctum ſpiritum à filio eſſe: & quæro ex te, an accipere à patre, & ex patre eſſe, idem ſignificent. Fieri autem non poteſt, vt non idem ſignificent. Porrò ſpiritum ex patre filioque accipere eſſe duabus authoritatibus paulò antè probauimus: quarum prima Epiphanij fuerat: proferentis ſanctum ſpiritum ingenitum, non factum, non fratrem, non auum, à patris filijque ſubſtantia. A patre autem eſſe, & patris eſſentiam accipere, idem ſunt, vt paulò ſupra probauimus: altera verò Magni Baſilij, aſſerentis clariſſimè, ſanctum ſpiritum accipere eſſe à filio.

MAR. Sumis, vt à nobis conceſſum, Pater reuerende, ſanctum ſpiritum accipere eſſe à filio, quod quidem neque Epiphanius dixerat, neque ipſi conceſſimus, nec à vobis oſtenſum eſt, immò Magni Baſilij auctoritate oppoſitum huius probauimus, ad quem iterum (ſi lubet) veniamus: Nanque cuius contrarium paulò antè dixiſti, id modò ſentire videris. Magnus (inquis) Baſilius inuectus Eunomium, aſſerentem ſanctum ſpiritum creaturam eſſe, ſcriptum reliquit, ipſum ex patre, hoc eſt, ex ſubſtantia naturaque patris, non autem aliundè, hoc eſt, non alia ex ſubſtantia & natura, creaturarum inſtar, eſſe: itane, P. R. ſentis, an vt ſuperius protuliſti?

BAS. Illud EX IPSO, paternam perſonam ſignificare, paulò antè, Pater Reueren. dicebas: modò autem protuliſti, per idem EX IPSO, patris eſſentiam & naturam debere nos intelligere.

IOAN. Eſſe & eſſentia patris, idem ſunt: idcirco Pater reuer. qui ex patre dicit, patris etiam eſſentiam intelligere debet. Præpoſitio autem ex, proceſſionem à principio conſubſtantiali ſignificat: ſpiritus verò non ex ſeipſo, ſed ex alio eſt. Et cum dicimus ſpiritum à filio eſſe, ab alio eſſe ſentimus: ſiquidem igitur non ex ſeipſo ſpiritus eſt, ſed ex alio, à quonam ſit, perpendamus. Quod quidem Magnus Baſilius explanat atque declarat, cuius ſententiam debemus ſuſcipere. Spiritus (inquit) ex ipſo eſt. Epiphanius autem ſcriptum reliquit, ſpiritum ex patris filijque ſubſtantia eſſe. Siquidem igitur ſpiritus à patre & filio habet eſſe, neceſſe eſt vt ab ipſis accipiat. Quam quidem ſententiam hi ſancti doctores ex hoc Euangelico dicto, De meo accipiet, habuere. ſed hæc accuratiùs in futurum conſiderabimus. Ioan. 16.

MAR. Vt illud Magni Baſilij dictum magis dilucidetur, quæro ex te, Pater reueren. an diuina ſubſtantia & perſona ſint idem, ac verbo ex patre, patriſque ſimul ſubſtantiam ſignificent, vel ſecundum doctores inter ſe differant.

IOAN. Diuina ſubſtantia & perſona, Pater reueren. re quidem ſunt idem, ſecundum autem modum intellectionis noſtræ differre videntur: Nam perſona ex ſubſtantia proprietatibuſque conſiſtit, quæ tametſi ratione ac ſecundum noſtram intelligentiam (vt ſupra dictum eſt) differant, ipſa tamen ſubſtantia cum perſonis communicat, proprietates verò nequaquam communicabiles ſunt. Quod quidem ex relationis vi creditur euenire, quemadmodum etiam doctores veſtri præſertim ſanctus Gregorius Theologus in Epiphaniæ ſermone tenet. Nam ſi proprietas communicabiles eſſet, proprietas non eſſet proprietas. Vt igitur perſonæ diffe-

næ differant inter ſe, neceſſe eſt vt hypoſtaſticæ perſonaleſque proprietates incommunicabiles ſint. Propterea doctores inquiunt, nil niſi principij habitudo eſt. In qua quidem hæc duo conſiderantur, à quo aliquid, & ad quod aliquid, ob idque pater & filius ſunt, quòd pater principium eſt, filius autem ex principio, in quo quidem nequaquam communicant, cùm cæteris in rebus inter ſe dubio procul communicent, vt Epiphanius de tali principij vel principali habitudine, qua ſubſtant perſonæ, ſenſiſſe creditur, cui quidem non aliud, quàm à quo aliquid, & ad quod aliquid conuenit. Siquidem igitur diuina omnia, proprietatibus perſonarum exceptis, inter ſe excommunicabilia ſunt: ſequitur, cùm quippiam ex aliquo credimus eſſe, neceſſe eſſe, intelligamus, ipſum ab eodem etiam accipere eſſe. Patet igitur id, de quo ambigere videbamini. Reliquum autem eſt, vt ipſi quoque Baſilij dictum exponatis: quod, vos obſecro, faciatis.

Mar. Quemadmodum diuina ſubſtantia & perſona differant inter ſe, non opus eſt in præſentia dicere, cùm præſertim in hoc minimè forſan differamus. Conſtat enim, ipſas differre ſimpliciter, vt commune differt à proprio, vt magnus Baſilius ad ſuum fratrem Gregorium ſcribit, & quemadmodum (vt vtar exemplo vulgari) humana ſubſtantia à perſona ſua differre videtur, vt vos quoque ſentire cenſeo. Sed ad dictum Baſilij redeamus: Generat (inquit) Deus, non vt homo, generat autem verè: & natum ex ipſo ſpiritum, emittit per os. Velim, mihi declares Pater reuerende, quid hæc verba ſignificent, vtrum pater ex ſua ſubſtantia, an ex ſua perſona generet.

Ioan. Dixi equidem, Pater reuerende, filium ex patre, ac ex patris ſubſtantia generari, idem ſignificare: ita tamen, vt perſona ſit producens & generans: principium autem, quo ipſa perſona generet, ſi id, quod ſolum communicabile eſt. Pater ergo generatiuum principium eſt, & ſuppoſitum quoddam ſignificat: diuina vera ſubſtantia, quæ cum patre realiter idem ſunt, non quidem generat, ſed eſt principium, quo generatio, fit, quandoquidem ſuppoſitum nullum ſignificat. Porrò autem actiones, iuxta omnem philoſophorum ſcholam, ſuppoſitorum eſſe videntur, vt in hominum genere fieri videmus. Quamuis enim hic homo (hoc eſt, perſona vel ſuppoſitum) generet, eius tamen ſubſtantia. generationis eiuſmodi principium eſt, quandoquidem actiones ſuppoſitorum (vt diximus) ſunt: quæ quidem ſubſtantia vel eſſentia in homine, cum ſit humanitas, humanæ generationis principium exiſtit, quo generat homo. Vnde euenit, vt homo cum filio non communicet, quòd filius quatenus filius eſt, neutiquam generat, verum ipſa natura cum filio in eadem ſpecie communicare videtur. Natura igitur humana, communicabilis eſt: perſona verò vel homo hic, operatur. Non aliter profectò de diuinis perſonis intelligere poſſumus. Nam patris perſona, ſuppoſitum eſt atque generans: diuina vero natura, generatiuum principium, quo pater filium generat: qui quidem pater ſuam perſonam filio nequaquam communicat, cũ tantùm eius ſubſtantia & natura (vt ſupra dictum eſt) communicabilis ſit. Quæ cum vna numero ſit, idcirco non ea ratione communis dicitur eſſe, qua eſt humanitas, ſed rationẽ tantùm habet communis, quatenus cõmunicabilis eſt, quæ quidem cauſa eſt, cur alius à patre, vt à principio naſci credatur, quòd à diuina patris ſubſtantia naſcitur, in vnaquaque tamen perſona: identitate reali manente. Sola nanque relatio, quam principalem habitudinem ſuperius nominauimus, apud omnes tam Græcos quàm Latinos doctores, diuina proceſſione perſonas multiplicat: cui etiam duo illa, à quo, & ad quod, de quibus eſt ſuprà dictũ, conueniunt. Siquidem igitur relationes huiuſmodi perſonas multiplicant, ita vt non vlla alia ratione, quam vi relationis, pater à filio, ac vna perſona ab alia differant, quemquidem in modum, ſpiritus etiam ab alio eſt: neceſſe eſt, iuxta omnes ſupradictos doctores, ſic intelligere, vt idcirco perſona hæc id eſt ſpiritus, dicatur accipere atque eſſe, quod ab alio eſt. Propterea Magnus Baſilius ac Epiphanius aſſerunt, ſanctum ſpiritum accipere eſſe à filio, ac procedere, idem eſſe. Conſtat igitur principalis ratio, Pater reuerende, cur ab alio ſpiritus eſſe dicatur. Nunc ad aliud Magni Baſilij dictum veniamus, quod vos in medium protuliſtis. Cui cùm vehementer inniti videamini, idcirco totum perlegamus, vt ipſum ſecundum Latinorum doctrinam, ac ipſius Baſilij mentem, interpretemur ac exponamus: quippe qui, vt ſanctum ſpiritum ex patre, non autem aliundè, hoc eſt, non ex alia ſubſtantia, demonſtraret eſſe, in Eunomium ſcribit ita: [Sed tu tanquã infidelis blaſphemas, qui cũ ſpiritus ſancti proceſſio ex Deo generatio nuncupata non fuerit, idcirco nec oris Dei ſpiritũ eſſe credis, ſed opus manuũ Dei, ita vt humanis vtens exemplis, diuina dogmata, quæ ſeipſis conſtant, & ab alio non dependent, euertas, cum ſacram ſcripturam veneratione atque religione audire, ac eius dicta ſumma pietate deberes ſuſcipere. Generat Deus non vt homo, generat autem verè: ac gentium ex ſe, enunciat verbum non humanum, emittit autem verbum ex ſe verè. Emittit ſpiritum per os, non humanitus: quandoquidem Dei os, humanum non eſt: ex ipſo autem ſpiritus, & non aliundè.] Cùm pater amp. ſpiritum eſſe creatum hæretici profiterentur, idcirco Magnus Baſilius ipſum ex Dei ſubſtantia, non autem aliundè, protulit eſſe. Deinde ſubiungit: [Operatur Deus non humanis manibus. operatur autem, non ex ſe res creatas producens, ſed agendo, eas facit ſubſiſtere: quemadmodum etiam homo ſuis manibus operando, opus ex ſe nõ producit. Non dimoueas diuinorum rationes. Spiritus nec filius eſt, nec creatura. Non de filio quæras, curnam ſpiritus non dicatur: neque de ſpiritu, curnam filius non ſit, non denique ſpiritũ creaturam eſſe blaſphemes. Filius Dei fructus, ſanctus ex ſancto, æternus ex æterno, ſancti ſpiritus dator, ad ſubſtantiam formationemque creaturæ.] Ex his patet, præſtantiſſ. patres, illud, non aliundè, non alia ex ſubſtantia, ſignificare, ſanctumque ſpiritum, ſanctum fructum ex ſancto, ac æternum ex æterno eſſe. Vndè ſequitur, ſi ſancti ſpiritus dator eſt Filius, neceſſe eſſe, vt etiam ex filio idem ſpiritus ſit. Proptereà ſanctus Athanaſius in tertio libro in Arianos, de filio ſcribens, inquit: [Ipſe ſpiritum dat, & quæcunque ſpiritus habet à verbo habet.] Luce igitur clarius eſt, ſanctum ſpiritum à filio habere eſſe. Si enim quæcunque ſpiritus habet, à filio eſſe dicuntur: ſequitur, vt eſſe quoque à filio habeat, vt Athanaſius inquit, ipſe ſpiritum dat, ac ſpiritus dator exiſtit. Siquidem igitur ex his patet, ſanctum ſpiritum ex filio eſſe, palam ſequitur, vt ex filioque procedat, de quo tota noſtra quæſtio eſt. Non equidem auderem vos, patres amp. tot tantoſque doctores aſpicere, niſi eſſe ita, firmiter crederem.

Hæc cùm Ioannes dixiſſet, Coloſſenſis præſul ſancti Epiphanij expoſitionem ſuper hoc euangelico dicto. [Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis] recitauit.

Inſpicite diligenter, patres amp. Epiphanij authoritatem, in qua verbum, eſt quod hic pater reuerendus pronũciat, dicens, ſpiritus ex patre ac filio eſt, ſcriptum non eſſe videtur. Iuxta ergo ſanctorum patrum Theologiam, intelligere poſſumus ac debemus, ſpiritum ex patre procedere, hoc eſt, eſſentiam patris habere: filio autem dari, ac ab his ſuſcipi, qui credunt in ipſum. Qua quidem expoſitione nobis dictum illud non obſtat, neque quicquam ex ipſo in nos poſſetis concludere.

Vſu venit, pater amp. vt doctores, nominibus poſitis, quandoque verbum omittant, cum neceſſarium ſubintelligatur, vt in hoc dicto, à quo aliquid, & ad quod aliquid, feciſſe videntur, vbi verbum, eſt, non expreſſerunt. Quemadmodùm etiam Epiphanius ipſe in eodem ſermone paulò ſupra inquit; [Filium dico, qui ex ipſo eſt: ſanctum autem ſpiritum, qui ex vtroque.] In qua quidem oratione verbũ, eſt, dubio procul ſubintelligitur. Verbum igitur, eſt, in hac quoque oratione, ſpiritus à patre & filio, ſubintelligi debet, quod etiam hac ratione probabo: In ipſis duabus orationibus, vel (vt dialecticè loquar) propoſitionibus verbum, EST, neceſſariò ſubintelligitur. Nam propoſitiones eiuſmodi proprietatem à principio inferunt. Et quemadmodũ nõ eſt proceſſio reſpectu termini à quo, ita & in propoſitionib⁹ ipſis. Et quoniam habitudo terminũ à quo, infert: ideò terminum etiam ad quem, neceſſe eſt inferat. Modus autem proceſſionis ſancti Spiritus eſt, vt ſubiectum per ipſam proceſſionem accipiat eſſe.

Tametſi vobis, præſtantiſſimi patres, forſan concederemus, vt in hac, quam tractamus, Theologia verbum, EST, ſubintelligatur, quamuis expreſſum non ſit, (poteſt enim hic locus aliter etiam, vt ſuprà diximus, explanari) non eſt tamen neceſſe, vt illud EX PATRE vel EX PATRE FILIOQVE, paternam perſonam, aut perſonas duas ſignificet: quandoquidem ex ipſo ſermone non aliquam diſiunctionem vel differentiam, qua filius ex patre, vel ſanctus ſpiritus ex patre filioque habeat eſſe intelligere poſſumus: verũ potiùs coniunctioné, qua patri filius, ac ſpiritus patri & filio cõſubſtantialis exiſtit, (vt à doctoribus traditũ eſt) ſpiritũ S. ex patre filioque, id eſt, ex ipſorum ſubſtantia eſſe: quandoquidem eiuſdem naturæ cum patre filioque piè creditur eſſe, proptereaque ſanctus Cyrillus inquit: [Sanctus ſpiritus ex patris filijque ſubſtantia eſt.] Sed redeamus vnde ſumus digreſſi, ne Magni Baſilij authoritatem indiſcuſſam tranſeamus, quam bene nondum explicaſti, neque ad ipſam dilucidè reſpondiſti. Ex ipſo, inquit, hoc eſt, ex patre, ſpiritus eſt, & non aliundè. Si quidem igitur illud EX PATRE, ex patris perſona, vt inquis, ſignificat: neceſſe eſt, illud quoque, non aliundè, nõ ex alia perſona ſignificet. Sin autem vtrunque ad ſubſtantiam debeat referri, ita vt illud EX PATRE, ex ſubſtantia patris: non autem aliundè, non alia ex ſubſtãtia, ſignificet: quandoquidem ipſa ſubſtantia perſonis tribus communis eſt, ac ſanctus ſpiritus patri & filio conſubſtantialis ac connaturalis exiſtit: ſequitur, vt tam illud, EX PATRE PROCEDERE, (quod paſſim legitur in ſcriptura ſacra) quàm illud Epiphanij, EX VTROQVE ad patris, filijq; ſubſtantiam referri debeat. Non igitur eſt credẽdum, quod ipſe modò dicebas, vt in diuinis, quod ex ſubſtantia dicitur eſſe, idem ſit ex perſonis. Ideò ergo ſanctus ſpiritus ex patre filioque dicitur eſſe, quod ipſis conſubſtantialis (vt eſt ſuprà dictum) exiſtit.

Ex tua oratione, pater reuerende, duas habui concluſiones: vt tametſi nobis concederetis verbum, eſt, ſubintelligi, minimè tamen ex eo conſequatur, vt eſſe ſpiritus, ex perſona ſit: cuius tamen oppoſitum, reuerende pater, innitens Magni Baſilij authoritati, paulò antè dixiſti. Qui quidem Magnus Baſilius, ſi ſic ſenſiſſet, vt à vobis exponitur, ſibi ipſi nequaquam conſtaret, ſed valdè contrarius eſſet, ac duo ſimul oppoſita literis mandaſſet: quandoquidem modò inquit, ex patre, & non aliundè: modò autem, ſpiritum ſanctum ex filio eſſe. Propoſitam igitur ipſius Baſilij authoritatem, in primis diligenter debemus perpendere: id deinde, quod ex ipſa conſequi videatur. His dictis, ſeſſio miſſa fuit, ſancta ſynodo decernente, vt ad diem Iouis proximam cõueniret.

Die Iouis 5. menſis Martij ſeſſio 19. Florentiæ.

SVPERIORE ſeſſione, patres ampliſſimi, Magni Baſilij authoritatem, quam in medium protuliſtis, proferentibus vobis illud, NON ALIVNDE, non alia ex perſona, ſignificare: nobis autem, non alia, quàm ex diuina ſubſtantia, implicatam & indiſcuſſam reliquimus. Porrò autem Magnus ipſe Baſilius in Eunomium ſcribens ſanctum ſpiritum ex filio habere eſſe, ſi per illud NON ALIVNDE, non ex alia perſona, vt dicitis, intellexiſſet, duo ſimul contraria literis proculdubiò mandauiſſet: quod de tanto doctore abſurdum eſſe aſſerere, quandoquidem tales doctores maximum noſtrum fidei fundamentum exiſtunt. Cuius Magni Baſilij vetuſtiſſimum librum vnà cum duabus expoſitionibus vidimus, ac vnum eius dictũ ad propoſitum valdè pertinens fideliter in Latinum cõuerti curauimus. *Talem ergo ac tantum teſtem, & antiquiſſimum doctorem, coram tot doctiſſimis patribus Latinè prius, vel (ſi vobis magis expedit) Græcè recitetur: [Præterquam quòd,] inquit, [ſpiritus non appellatur filius, quonam pacto humana exempla,] & reliqua? Ex quibus patet, Magnum Baſilium credidiſſe, ſanctum ſpiritum ex filio habere eſſe. In ſequenti verò capite, quod incipit ita: [Niſi quis dicat ſpiritum ex Deo,] eandem ipſam infert concluſionem, quod quidem caput, quoniam rationi plurimum conſonat, ac ad propoſitũ pertinet, idcirco puto te illud accuratè vidiſſe, totũ igitur recitetur.

MAR. Hæc, pater reuerende, ad propoſitum minimè ſpectant, quandoquidem verba confundis, cùm vnumquodque ſeparatim proferre deberes. Quod cùm in exponendo Epiphanio nequaquam feceris, eius ſentẽtiam confudiſti, obſcurãque reddidiſti. Quæ igitur protuliſti, ea repetentes, accuratius contemplemur. Illud (inquis) Baſilij, EX IPSO, ET NON ALIVNDE, non quidem ex patris perſona, & non ex alia, verùm ex patris, ac non ex alterius ſubſtantia & natura, ſignificare: ita vt ipſum, NON ALIVNDE, ad non aliam ſubſtantiam referri debeat, quòd ſanctus ſpiritus eſſet creatura, vt Eunomius aſſerebat. Quam quidem nos expoſitionem ſuſcipientes, illud etiam, ſpiritum ex patre vel filio, vel ex vtroque, non ex patris vel filij, vel ex amborum perſonis, verùm ex ipſorum ſubſtãtia eſſe, ſignificare ſentimus: ita vt illa verba ſignificent, ſanctum ſpiritum patri & filio conſubſtantialem eſſe, nõ autem ex alia natura, vt creatura. Quamquidem expoſitionem Theologi ratiocinantes benè demonſtraſſe videntur, cùm ſi (quemadmodum ipſi creditis) illa verba voluiſſent, exponere, non tam profectò vehementer in demonſtrando elaboraſſent.

IOAN. Videor mihi, P. R. duas ex ſermone tuo habuiſſe cõcluſiones: alteram, minimè me ex Baſilij mẽte dicere debuiſſe, ſanctum ſpiritum ex patre ac filio eſſe, cùm id ex dictis eius neutiquam poſſit haberi: alteram verò Baſilium ipſum huius fuiſſe ſententiæ, vt ſanctus ſpiritus non niſi ex patris filijque ſubſtantia ſit, ita vt ex ipſa ſubſtantia ſanctus ſpiritus intelligatur produci.

MAR. Item velim nonnihil, P. R. proferre, deinde te reſpondere. Magno namq; Baſilio, intendenti hæreticorum euertere dogma, credentium, ſpiritum ſanctum non ex patris filijq ue ſubſtantia eſſe, non opus erat probare, à quonam ſanctus ſpiritus haberet eſſe, cùm etiam ipſi crederent Deum ſpiritus cauſam eſſe, quandoquidem mortales omnes à Deo cuncta fatentur eſſe, neq; ſpiritus idem ex cuiuſnam ſit perſona: quoniam ex Euangelio pater, ipſum ex patre procedere. Verùm Magnus ipſe Baſilius, ad oſtendendum ſanctũ ſpiritum ita eſſe ex Dei ſubſtantia, quemadmodum etiam filius, protulit ipſum ex patre, non autem aliundè, eſſe.

IOAN. Volebat (inquis) primùm, P. R. Magnus Baſilius aduerſus hæreticos demonſtrare, ſanctum ſpiritum patri filioq; conſubſtantialem eſſe: deinde non erat ipſi neceſſe probare, an pater vel filius cauſa ſancti ſpiritus ſit: in extremum autem protuliſti, eundem ipſum Magnum Baſilium oſtendiſſe, S. ſpiritum ex patris, & non ex alia, ſubſtantia eſſe, ego autem primam partem affirmans, in qua quidem conuenimus, ſecundæ nequaquàm aſſentior: quandoquidem eius, quod ipſa ſeſſione dixiſti, contraria videtur eſſe. Tunc enim illud, NON ALIVNDE, pro NON ALIA EX PERSONA, fuiſſe poſitum aſſerebas: nunc autem ALIVNDE, ad Dei ſubſtãtiam & naturam debere referri, immemor ipſius Baſilij in eodem loco dicti, SPIRITVM EMITTIT PER OS. Idcirco quæro ex te, pater reuerende, vtrùm hæc verba ſignificent ſpiritum ſanctum ex patre, an ex filio mitti. Nanque quodcunque dederis, ſancti ſpiritus cauſam proculdubiò aſſignabis. Sanctum autem ſpiritum ex patris ſubſtantia eſſe, id quod in parte tertia protuliſti, ipſi etiam profitemur: quandoquidem patris filijque ſubſtantia, vna eademq; numero eſt: ſanctus verò ſpiritus, creatura phantaſmave minimè creditur eſſe, ita vt ex patre, non autem ex filio ſit. Ergo quemadmodum ſpiritus à Deo accipit quicquid ſit Dei, hoc eſt, ſubſtantiam eius: ita quoque neceſſe eſt, à filio accipiat, quicquid filij ſit, id eſt, ſubſtantiam eius. Omiſſa igitur prima parte, in qua (vt dictum eſt) conuenimus, quidnam de duabus alijs ſentias, obſecro, nobis declares.

MAR. Tuam equidem expoſitionem, reuerende pater, vt noſtræ ſententiæ conſonam, eadem ſeſſione ſuſcipiens, te corã tot ampliſſimis patribus in cõtraria incidiſſe probaui. nanque requiſitus, an illud EX PATRE, ex patris perſona, ſignificaret, ita eſſe dixiſti. Deinde Magnum Baſilium attuli, aſſerentem ſpiritum ex patre, ac non aliundè eſſe, teque ipſi ſententiæ innitentem fateri coegi, hæc etiam verba ad patris ſolam perſonam referri, ita vt in exponendis ipſis duobus dictis tibi conſtare viderere. Poſteà verò, mutata oratione, ipſam ſecundam Baſilij authoritatẽ ita expoſuiſti, vt illud EX PATRE, NON AVTEM ALIVNDE, ex patris ſub-

ſtantia, non autem ex alia, ſignificaret: quamquidem expoſitionem ſuſcipientes, neutiquàm ſimul pugnantia, vt aſſeritis, protulimus. Verùm quidnam ex ipſa ſequeretur, patefecimus. Nanque clariſſimè ſequebatur, vt illud etiam Epiphanij, SANCTVM AVTEM SPIRITVM, QVI EX VTROQVE, non neceſſariò ad patris filijque perſonas, verùm ad ipſorum ſubſtantiam & naturam referri: quandoquidem Sanctus ſpiritus patri & filio conſubſtantialis creditur eſſe, quemadmodum etiam ipſi ob vnitatem, & (vt ita dicam) identitatem noſtræ ſubſtantiæ non ex eiſdem perſonis, verùm ex vna ſubſtantia conſiſtere dicimur,
Gen. 37. vt apud ſacram ſcripturam, Iudas de Ioſeph loquens, inquit: [Caro enim & frater noſter eſt.] Pater autem, fratres non eandem perſonam habere, verùm eiuſdem eſſe ſubſtantiæ ac naturæ.

IOAN. Quæ ſeſſione proxima protuli, pater reuerende, quanam videlicet ratione ſpiritus ex patris ſubſtantia & perſona ſit, hi præſtantiſſimi patres optimè percepiſſe videntur: quibus etiam exploratum eſt, Sanctum ſpiritum non ex alia perſona eſſe. Ad propoſitum ergo veniamus, ſic enim forſan nos Spiritus ſanctus coniunget. Porrò licet tibi ex noſtris expoſitionibus eam ſuſcipere, quæ tibi magis placuerit. Nanque quancunque nobis dederis, ipſam ſine controuerſia defendemus: quandoquidem extrema tua oratio vera fuit. Ergo ponatur id, quod tibi magis placere videtur, vt illud, NON ALIVNDE, non alia ex ſubſtantia, ſignificet: in quo quidem quoniam Dei benignitate conuenimus, idcirco ad tertiam partem veniamus.

MAR. Cùm altera de parte ageremus, ipſum, NON ALIVNDE, non alia quàm ex patris ſubſtantia, ſignificare volebas. Eſt ne ita?

IOAN. Ita prorſus.

MAR. Præterea ſi quidem (inquis) Sanctus ſpiritus ex patris ſubſtantia dicitur eſſe, neceſſe eſt, credere ipſum ex filij quoque ſubſtantia eſſe: quandoquidem patris filijque ſubſtantia, vna eademque numero eſt, ita vt videaris profiteri, patris filijque ſubſtantiam, Sancti ſpiritus cauſam eſſe.

IOAN. Non ita dico. Hæc igitur repetamus.

MAR. Quando ſpiritum ex patre dicimus eſſe, patris filijque ſubſtantiam debemus percipere, ex qua ſanctus ipſe ſpiritus eſſe habeat. Itane credis?

IOAN. Non ita planè ſentimus.

MAR. Quando ſpiritum ex patris filijque ſubſtantia eſſe audimus, eiuſdem ſpiritus cauſam neceſſariò intelligimus. An non ita vobis videtur?

IOAN. Proferentes Pater reuerende, Sanctum ſpiritum ex patris filijque ſubſtantia eſſe, ipſum ex cauſa eſſe neceſſariò intelligimus, quam quidem doctores noſtri principium appellare ſolent. Porrò autē quū Baſilius loquens de S. ſpiritus cauſa, inquit, ſpirit9 ex ore eſt: idcirco quæſiui ex te, verùm ex patris, an ex ore filij intellexerit, quandoquidē quod proferimus, id etiam nos ſentire oportet. Ex Euangelio autem latè patet, Spiritum ſanctum ex patre, hoc eſt, ex eius ſubſtantia procedere. Siquidem igitur ex patre procedit, ex ipſo etiam accipit, vt ſupra probatum eſt. Et quemadmodum ſpiritus à patre ſubſtantiam accipit, quod eſt idem à filio eſſe, ita etiam à filio accipit, cùm patris filijque ſubſtantia vna ſit exemplum autem de Ioſeph, ad propoſitum ſpectat minimè.

MAR. Magnum Baſilium, ac Euangelium ſimul miſſum in præſentia faciamus: tu verò pater reuerende, clarius lucidiuſque mihi reſpondeas, an profitentes Sanctum ſpiritum ex patris filijque ſubſtantia eſſe, ex ipſorum quoque perſonis eundem ſpiritum eſſe, credere debeamus.

IOAN. Quod quæris, pater reuerende, id eſt, quod ſeſſione proxima demonſtraui, videlicet iuxta omnem philoſophorum ſcholam, actiones eſſe ſuppoſitorum. Nonne ita tibi videtur?

MAR. An ita ſit, pater reuerende, nolo in præſentia reſpondere: tu autem mihi, velim, reſpondeas: deinde verò libenti animo tibi ad omnia reſpondebitur.

IOAN. Iacob in hoc mundo, pater reuerende, ſuppoſitum vnum eſt. Superius autem diximus, diuinam ſubſtantiam non generare, neque ſpirare: quandoquidem eiuſmodi generatio atque ſpiratio ad perſonas ſolummodò: vnde ſequitur, vt patris perſona, non autem ſubſtantia, generationis ſpirationiſque cauſa ſit. Porrò autem quoniam ipſa patris perſona in generando filio ſubſtantiam ei communicat, idcircò iuxta doctores filius ex patris, Spiritus autem ex patris filijque ſubſtantia dicitur eſſe, vt perſonarum ſeruetur diſiunctio: in quibus oppugnantia relatiua non eſt, qua ſunt vnum re cum ſubſtantia. Quanam igitur ratione Spiritus ex patris filijque ſubſtantia eſſe habeat, ex his patet.

MAR. Tua equidem verba, pater reuerende, componere, ſimulque nequeo, vtpotè quæ mihi videantur plurimum inter ſe oppugnantia. Nam quandoque profers Spiritum ex patris filijque ſubſtantia eſſe, quæ vna eademque numero creditur eſſe: quandoque verò, mutata ſententia, dicis ſubſtantiam ipſam per ſe apud Doctores, perſonarum non eſſe cauſam.

AND. Benè ſciteque pater hic reuerendus loquutus eſt, tuque pater præſtantiſſimè acutiſſimè reſpondiſti. At in genere rum æquiuocatione ac ambiguitate verſari videmini. Nam in communi tum Græcorum, tum Latinorum doctorum Theologia multum differt, ſimpliciter proferre diuinam ſubſtantiam, vel patris filijque ſubſtantiam: haud quaquam tamen eo putare debetis, vt re differant, quandoquidem ſola ratione ac intelligentia differre creduntur. Doctores igitur ipſi diuinam ſubſtantiam ſimpliciter proferentes, patris & filij ſanctique ſpiritus commune quoddam intelligunt: ſubſtantiam verò patris dicentes, patris perſonam mente concipiunt.

MAR. Id, pater reuerende, quandoque, non autem ſemper ac neceſſariò contingere creditur.

INF. Duobus ſimul præſertim inter ſe contradicentibus, noſtri doctores reſpondere non poſſunt.

IOAN. Vt exemplum Iacob, pater reuerende, fiat clarius, licet mihi de eo ſatis dixiſſe videar, verba tamen nonnulla ad idem ſpectantia proferam. Nam Iacob humanum ſuppoſitum eſt, cuius quidem ſubſtantia & natura, hoc eſt, humanitas, communicabilis eſt non tamen generans, ſed qua Ioſeph à Iacob generatur, quæque Ioſeph ipſi communicatur. Quanam igitur ratione oratio hæc intelligi debeat, Ioſeph eſt à natura Iacob, ex his patet. Ioſeph enim à Iacob ſuppoſito, per ipſius Iacob naturam vt per principium, quod quidem communicabile eſt, generatur, quandoquidem actiones ſunt ſuppoſitorum, vt ſæpenumerò dictum eſt. Fieri autem non poteſt, vt ipſius Iacob ſubſtantia, à Ioſeph ſubſtantia diſiuncta non ſit. Exempli tamen cauſa eadem eſſe ponatur. Porrò autem quoniam diuina generatio, infinita & imperceptibilis eſt, idcirco dicimus patrem perſona ſubſiſtere, quæ quidem eſt ſuppoſitum generans: generatio autem actio eſt, quæ ſuppoſito ſolùm cognoſcitur: patris verò ſubſtantia principium eſt, per quod generat pater, quodque per generationem filio tradit atque communicat, & ab eo ſuſcipitur & communicatur, quemadmodum Iacob humanitati & naturæ contigit, quam Ioſeph à generante ſuppoſito ſuſcepit. Verùm diuina ſubſtantia omnium ſubſtantiarum excellentiſſima eſt, quæ cum ſit vna eademque numero in patre ſimul & filio ac Sancto ſpiritu, ita vt in nullo alio differant, niſi quòd pater eſt pater, & filius eſt filius: ſapientiam quoque Dei, necnon benignitatem & potentiam eius, communicabilem eſſe credimus, quandoquidem idem ſunt. Quoniam autem diuina ſubſtantia nomen abſtractum exiſtit, idcirco generatio ei non poteſt aſſcribi. Nanque cùm vna numero ſit, ſi quidem generare poſſet, proculdubio in diuinis eſſet diſiunctio: quandoquidem non ſe ipſam, verum quicquam aliud generaret, propterea communi Doctorum ſententia diuina ſubſtantia nequaquàm generat. Vnde ſequitur verum eſſe, id quod ſæpiſſimè protuli, vt cùm ſpiritum ex patris ſubſtantia eſſe audiamus, neceſſe ſit, ex ſuppoſito intelligamus, ſimiliter etiam cùm ex filio. Vt veritatem igitur aſſequamur, ad illud dictum Baſilij redeamus, quandoquidem nil aliud agimus niſi vt veritatem inueſtigemus.

MAR. Ex ſermone tuo, Pater reuerende, vt puto, concluditur, patris filijque ſubſtantiam, quæ vna eademque numero eſt, Sancti ſpiritus principium eſſe, (quo ſanè nomine videris vti ſæ-

vt ſæpiſſimè) quod pater & filius ſua communi ſubſtantia & natura, Spiritum ſanctum producunt. Siquidem igitur ex patris ac filij ſubſtantia, vt ex cauſa, ſpiritum eſſe credis, nunc etiam neceſſe eſt, vt intelligamus patris filijque ſubſtantiam, principium & cauſam eſſe?

Principium equidem bipartitus fui.

Credis ne modo quodam, patris filijque ſubſtantiam principium & cauſam eſſe?

Quid ni?

Ergo ſequitur, ſubſtantiam Sancti ſpiritus, ex communi patri filioque principio, cauſatam eſſe.

Ex communi quidem principio, à patre filioque Spiritui ſancto.

Si quidem communem patri filioque ſubſtantiam, ſancti ſpiritus cauſam vel principium quo, dicis eſſe: quid obſecro, cur Sancti ſpiritus ſubſtantia cauſata non ſit?

Non planè ſequitur.

Cur obſecro?

Cur? quia id quod fit in humanis, tantùm ab agente ſuppoſito fit, ita vt falſum ſit proferre hoc humanum ſuppoſitum ab humana natura productum eſſe, quandoquidem apud noſtros Theologos humanitas abſtractum nomen eſt, ac ſuppoſitum nullum ſignificat. Iacob ergo vel homo, ſuppoſitum hoc quod ſubſtat, ſignificans, humanitate ſua ſuppoſitum aliud producit.

Itane etiam de diuinis poſſumus proferre?

Quidni?

Ex eo tamen non ſequitur, pater reuerende, vt ſanctus ſpiritus ex ſubſtantia ſit, & ſpiretur, vel ex patris ſubſtantia generetur, vel ex ſubſtantia filij ſpiretur, vel procedat.

Memini me, Pater reuerende, dixiſſe, ſanctis patribus in generalibus ſynodis morem fuiſſe, vt anteà quàm quicquam de fide ſancirent, maiorum ſuorum ſententias viderent, ac ipſis ſummopere inniterentur: quem quidem vſum me ſeruare volentem, ac dicta ſanctorum in medium proferre incipientem, interpellaſtis, ac Magnum Baſilium attuliſtis, de quo ſatis, quandoquidem orationes noſtras omnes hi P. videntur intellexiſſe: ad alias ergo ſanctorum ſententias veniamus.

At nondum quicquam ex illis concluſimus.

At equidem tibi, pater reuerende gratum facerem, animo libenti conceſſi, vt tot verba in hac materia haberentur. Non eſt igitur alienum à ratione, vt ipſe quoque concedas, vt alias patrum ſanctorum ſententias videamus. nam ſic ad concluſionem facilius perueniemus.

De his paulò poſt. Nanque nondum videmus, Pater reuerende, quænam concluſio tuis ex verbis haberi poſſit. In humano genere ſuppoſitum hoc (inquis) ac alio ſuppoſito, id eſt, hic homo per naturam communem ab alio fit: & falſum eſſet proferri, hominem ab humanitate fieri: ſiquidem igitur ita quoque de diuinis perſonis credendum eſt, vt falſum ſit dicere, diuinam perſonam à communi diuina ſubſtantia eſſe, quandoquidem ipſa ſubſtantia, ſuppoſitum per ſe ſubſiſtens nequaquam ſignificat, à quo aliud ſuppoſitum fieri dicatur: ſequitur, nos nullam cauſam intelligere poſſe, quando ſpiritum ex patre filioque dicimus eſſe, quandoquidem diuinæ ſubſtantiæ non eſt (vt inquis) generare aut producere, quemadmodum de natura humana dici ſolet.

Volo equidem tibi, reuerende Pater, oſtendere, dicentibus quicquam ab aliquo eſſe, neceſſe eſſe, intelligere illud ex perſona eſſe. Magnus nanque Baſilius in 3. contra Eunomium libro inquit: [Cur enim neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt ſpiritus, natura quoque ipſum tertium eſſe? Dignitate nanque ipſum ſecundum à filio, cùm ab ipſo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa cauſa dependeat, pietatis ratio tradit.] Siquidem igitur ad Baſilium, cui doctores omnes plurimum tribuunt, ſpiritus à filio habet eſſe, ac ab ipſo eſt vt à cauſa, nobiſque ſupra conceſſum fuerat, ACCIPERE, AC ESSE, idem iuxta doctores ſignificare: neceſſariò ſequitur, vt idem ſpiritus à filio quoque procedat. Porrò quantæ authoritatis ac exiſtimationis in Sancti ſpiritus materia Baſilius fuerit, Chalcedonenſis ſynodus ad Martianum ſcribens, teſtatur: [Hic Magnus (inquit) Baſilius miniſter gratiæ.] Et infra, [Hic doctrinam de ſancto ſpiritu illuſtrauit.] Siquidem igitur Sancti patres tantum in ſancti ſpiritus materia Baſilio tribuere, ipſe verò in ea clariſſimè ſcripſit, neceſſe mihi videtur, vt ipſi, totaque Eccleſia, patres ipſos ſequentes, eundem Magnum Baſilium ſuſcipiamus ac amplexemur, eiuſque ſcriptis acquieſcamus: cuius quidem vetuſtiſſimus liber hic eſt, quem (ſi lubet) legatis.

Hoc Magni Baſilij dictum, Pater reuerende, ſuo loco conſiderabimus. Nunc autem concludamus, quidnam ex illo tuo ſermone ſequatur. M.

Quinimò, reuerende pater, huic authoritati primò reſpondeas, quæ quidem ſola controuerſiam noſtram diſſoluet. M.

Communem patri filioque ſubſtantiam Pater reuerende, quæ vna eademque numero creditur eſſe, Sancti ſpiritus cauſam & principium eſſe dicis, quo planè ſpiritus ex patre procedit: vndè ſequitur manifeſtè, ſubſtantiam Sancti ſpiritus cauſatam eſſe, ac duas ſubſtantias inter ſe, ſecundum cauſam & cauſatam oppoſitas, in ſacratiſſima Trinitate exiſtere, quod quidem à Chriſtiana Theologia longè alienum, & à nullo vnquam doctore memoriæ proditum eſt: quippe qui diuinam ſubſtantiam neque generare, neque producere, neque patrem vel filium per communem ſibi ſubſtantiam, vt vos dicitis, verùm per ſubſtantiam vel hypoſtaticam proprietatem, generare vel producere profitentur. Hoc igitur inconueniens ex tuis verbis ſequi videtur, quæ (ſi lubet) diligentius contemplemur, vel his in aliud tempus dilatis, nunc ad Baſilium veniamus. M

Quoniam non me benè videris intellexiſſe, reuerende Pater, idcirco quæ paulò antè protuli, ea clariora reddam. ergo diligenter attende. Subſtantia duobus modis à doctoribus ſolet intelligi: vno quidem, pro rei ratione, quæ diffinitionem, quod quid eſſe rei ſignificantem, vel alio nomine, entitatem atque naturam rei ſignificat: altero verò modo ſubſtantia pro ſuppoſito capitur, quemadmodum Ariſtoteles in 5. Metaphyſicæ libro, iuxta omnium doctorum expoſitionem, dicere videtur: quod quidem ſuppoſitum, in prædicamentali ſubſtantiæ linea, ſpeciebus atque generibus apud Porphyrium ſubſtat, vt Socrates atque Plato: quæ alio quoque nomine, hypoſtaſis vel exiſtentia, vel res naturæ ſolet appellari. Io

In genere autem humano eadem ſubſtantia perſonam ſignificat, quandoquidem perſona dicitur eſſe natura rationis capax, incommunicabilis exiſtentia, ita vt in rationali ſpecie ſubſtantia pro ſuppoſito accepta, exiſtentiam atque perſonam apud omnes illos doctores ſignificet, qui in Arium ac Macedonium conſcripſerunt, quorum ille filium creaturam, non autem ex patris ſubſtantia, hic verò ſpiritum neque ex patris, neque ex filij ſubſtantia dicebat eſſe. Pater ergo, cùm ſit rationalis naturæ ſubſtantia, ſuppoſitum vel exiſtentia vel perſona dubio procul appellari debet. Porrò, quoniam generare ſic verè conuenit perſonæ patris, quemadmodum eſt, verum proferre, ſubſtantiam hanc huic ſubſtantiæ conuenire: ſequitur, vt ipſa ſubſtantia eadem ſit patri ac paternitati, nullaque ratione communicabilis. Vnde euenit, vt quoniam proprietates incommunicabiles ſunt, idcirco doctores noſtri SVBSTANTIA non pro patris perſona, ſed pro natura patris vtâtur, quemadmodum in hominis diffinitione ſubſtantia capitur, ita vt in hac oratione, Spiritus ex patris ſubſtantia eſt, ſubſtantiam, id eſt, entitatem ipſam inſitam patri, doctores intelligant. Subſtantia ergo cùm vna ratione ſuppoſitum, vel (vt ſuprà dictum eſt) in diuinis hypoſtaſim, vel perſonam ſignificet, [illegible] Spiritus ex patris ſubſtantia dicitur eſſe: ſubſtantia planè talis nunquàm à doctoribus noſtris pro ſuppoſito vel exiſtentia ſuppoſiti accipitur, quandoquidem ea ratione incommunicabilis eſt. Verùm altera capitur ratione, quemadmodum diffinitio ſubſtantiam rei ſignificat, quæ natura vel entitas (vt ſuprà dictum eſt) appellatur. Cùm ergo doctores noſtri pronunciant, Sanctum ſpiritum ex patris filijque ſubſtantia eſſe, per ſubſtantiam ipſam non exiſtentiam patris, verùm naturam eius intelligunt, quæ quidem eſt in patre, ac in ſeipſa, quemadmodum & pater. Patris verò nomen ſubſtantiam habitudinemque ſignificat,

per

per quam hæc exiſtentia vel hoc ſuppoſitum, ab alio differat. Hæc ergò communis ſubſtantia, quam in patre protulimus eſſe, cauſa eſt & principium, quod per generationem communicatur. Porrò pater generat, filiumque producit, ſubſtantia tamen hæc filio nequaquam communicatur, in quo quidem ſolent homines ſæpiſſimè decipi. Cum enim dicimus patris ſubſtantiam filio communicari, non id aſſerimus verum eſſe, quatenus pater filium generet, quandoquidem filius etiam generaret. Proptereaque dicere ſolemus, nec ipſum ESSE communicari, quia filius quoque neceſſariò (vt paulò antè dictum eſt) generaret. Hæc autem ſubſtantia (vt ita dixerim) abſolutè ſimpliciterque conſiderata, quæ generandi poteſtas eſt, principium eſt quo vel per quod, quod quidem à patre filio communicatur & traditur, non tamen ſecundum abſolutam eius conſiderationem. In generatione autem filij, omnia patris communicantur: quandoquidem principium eſſe communicabile, filiationi ſe non opponit. Pater ergo cùm generet, per eandẽ ipſam ſubſtantiam, quæ principium eſt quo vel per quod, id etiam cum filio communicat, vt is etiam Sancti ſpiritus principium ſit, quandoquidem Spiritus ſancti principium in patre eſſe, habitudini proprietati ve filij nequaquam opponitur? propterea tamen non ſequitur, vt hæc ſubſtantia ſecundum ſuum eſſe commune ac abſolutum, principium ſit per quod. Secundum igitur eiuſmodi conſiderationem, potentia producens vocatur, filioque communicatur, qua quidem ratione non ſequitur, vt eadem ſubſtantia, cauſa ſit atque cauſata. Hanc nobis doctrinam, pater reuerende, doctores omnes tradiderant, orationes has exponentes. Filius eſt ex ſubſtantia patris, & Sanctus ſpiritus ex patris filijque ſubſtantia. Quam quidem doctrinam ſi etiam ipſi ſequimini, profectò nunquàm errabitis. Sed hactenus. Seſſione verò ſequenti, de his diffuſius dicam, tu autem (ſi lubet) reſpondeas.

IVL. Car. Quæſtionem tuam pater Epheſie, prouincialis pater ſcitè diſſoluiſſe videtur.

MAR. Nos iuxta primæ ſynodi Theologiam ac eius ſymbolum reuerende Pater, illud EX PATRE, id eſt, ex patris ſubſtantia natum, nil aliud ſignificare putamus, quàm EX PATRIS PERSONA, hoc eſt, ex patris ſubſtantia, eiuſque proprietatibus. Nónne tibi quoque videtur ita, vt perſona ſubſtantia nominetur? an quicquam aliud præter hoc?

Nónne dixi, pater reuerende, duo eſſe ſubſtãtiarum genera: alterum, quatenus tribus perſonis natura communis exiſtit: alterum verò, cùm vna cum exiſtentibus proprietatibus conſideratur, qua quidem ratione hypoſtaſis & perſona nuncupatur? Illud ergo quod in Nicæno ſymbolo celebratur, EX PATRE, id eſt, ex patris ſubſtantia natum: neceſſe eſt EX HYPOSTASI PATRIS ſignificet: quod aliud quoque genus ſubſtantiæ, præter illa duo, videtur eſſe, doctores tamen ſubſtantiæ nomine, duobus tantum modis vtuntur. Nam primum illud, quod ſupra protuli, nõ aliter à Latinis quam pro hypoſtaſi capitur, ita vt meritò nemo nos poſſit accuſare, tria ſubſtantiæ genera profiteri: quãdoquidem filium eſſe conſubſtantialem patri, id quod prima Nicæna ſynodus declarauerat, ipſamque ſubſtantiam, per quam filius patri conſubſtantialis exiſtit, tribus perſonis communem eſſe: ac illud EX PATRIS SVBSTANTIA, principium quo vel per quod, non autem GENERANS ſignificare, firmiter tenemus.

MAR. Subſtantia, per quam (inquis) Pater & Filius eſt, tribus perſonis communis exiſtit: num ergo verum eſt dicere, ſanctum ſpiritum ex trium perſonarum ſubſtantia hypoſtaticè procedere? quandoquidem paulò antè viſus es protuliſſe, Sanctum ſpiritum ex communi patri filioque ſubſtantia dependere.

IOAN. Num, cùm EX PATRE profertis, præpoſitio EX, differentiam vel diſiunctionem inter ſubſtãtias aliquam apud vos ſignificat?

MAR. Ita profectò.

IOAN. Realemne, an ſecundum rationem?

MAR. Perſonarum diſiunctio, pater reuerende ſecundum noſtram intelligentiam conſideratur, non autem inter ſe, verùm hypoſtaſis quæque realiter.

BES. Tametſi Pater reuerende, ſecundum noſtram intelligẽtiam inter ſe diuinæ perſonæ differunt, ſuis tamen proprietatibus re ſubſtant.

IOAN. Hic quæro ex te, Pater reuerende, an proprietates cum perſona ſint idem.

BES. Secundum quidem rem & ſubiectum idem eſſe creduntur, ratione verò differre.

IOAN. In patre quidem, P. reuer. paternitas eſt ac ſubſtantia, tribus diuinis perſonis communis: patris verò perſona non niſi ratione ab ipſa paternitate ſubſtantiaque differt, cùm ab alijs duabus perſonis re quoque differat. Siquidem igitur in patre paternitas ac ſubſtantia eſt, quanam (obſecro) ratione pater generat? Et vtrum ſuppoſitum eſt? paternitaſne, an ſubſtantia? an vtraque.

MAR. Subſtantia eſt, P. R. id quod patri communicatur, per ipſam tamen nequaquam filio pater communicatur, verùm per ſuam proprietatem, quæ quidem paternitas eſt, ad filiumque refertur, atque principium eſt, non tamen tribus perſonis commune.

IOAN. Immò ſubſtantia eſt, P. R. id quod filio communicatur, quandoquidem in patris perſona (vt paulò antè dictum eſt) nil aliud quàm ſubſtãtia & paternitas eſt. Ergo ſuppoſitum, nõ vt proprietas, communicabile eſt. Nam cùm ſuppoſitum & ſubſtantia vnum ſint, neceſſe eſt vt nõ alia ratione, quam per ipſam communem ſubſtantiam, pater ipſe communicabilis ſit.

MAR. Quòd pater R. protuli, ita debet intelligi, vt communis ſubſtantia per quam pater cum filio communicatur, quæq; vna eademq; numero creditur eſſe, in Patrẽ, & filium ac ſanctum ſpiritum ſecundum noſtram intelligẽtiam distribuatur. Proptereaque diſiunctim proferre ſolemus patris ſubſtantiam, filij ſubſtantiam, Sancti ſpiritus ſubſtantiam, intelligentes propriam vnius cuiuſuis hypoſtaſim. Quid autẽ ex his concludere velles, quàm citò proferas.

IOAN. Ex tuo ſermone P. R. contrarium eius, quod ſuperius protuliſti, concluditur. Cùm nanque ſubſtantia in tribus perſonis exiſtit, ex tua planè ſententia ſequeretur, vt patris ſubſtantia, quæ filio ſanctoque ſpiritui communicabilis eſt, ratione tantum, non autem re, communicet: quod in noſtra religione quàm maximum inconueniens eſſe videtur, quãdoquidem ipſam tribus diuinis perſonis re ipſa communicari, nobis eſt profitendum. Nam ſi ſingula quæque perſona dependet à cauſa, ſequeretur vt perſonæ ratione ſolummodò differat: quod impium eſſet crederet.

MAR. Non equidem protuli, P. R. diuinas perſonas ratione tantum differre, ſed quoniam vnaquæque perſona vnà cum ſubſtantia intelligitur, idcirco ſeparantes hæc, ſubſtantiam ipſam mente concipimus. Quo quidem modo hypoſtaſim filij ex patris hypoſtaſi demonſtramus, ac diuinas perſonas percipimus, nequaquam ſanè credentes, ipſa ratione tantùm differre.

MAR. Id neque nos profitemur.

IOAN. Quæro ergo ex te, P. R. quanam ratione patris & filij ſanctique ſpiritus ſubſtantiam intelligas.

MAR. Nónne dixi vobis, patres amp. quemadmodum doctores noſtri ratione triplici ſubſtantiam diuinam intelligant, videlicet pro ſubſtantia & entitate ac exiſtentia? Quanuis autem tres ſunt hypoſtaſes & perſonæ re inuicem differentes, eas tamen vnicum Deum & opificem vniuerſi credimus eſſe, perſonam verò ex diuina ſubſtantia proprietateque conſtare, ita vt perſona nil aliud niſi ſubſtantia & proprietas ſit: quæ quidem ſubſtantia & proprietas, licet vnum re ipſa ſint, & per ſuas proprietates re inter ſe differant, quandoquidem ad aliquid ſunt, ipſas tamen ſecundum ſubſtantiam Deum vnum eſſe fatemur.

IVL. Car. Iam quatuor horarum ſpatium elapſum eſt, ſit igitur in præſentia ſatis. Tum ſynodus ſancta decreuit, vt poſtridiè conuenirent.

Die Sabbati 7. menſis Martij ſeſſio 20. Florentiæ.

MAR. VT quæſtionem propoſitam, patres amp. tandem concluderemus, eam accuratius contemplari volebamus: ſed quũ cuiuſdã magni Baſilij dicti bis aut ter meminiſtis, ipſi plurimum innitentes, acſi ad veſtram ſententiã pertineret, idcirco quæſtione illa in aliud tempus dilata, ad

m Baſilium veniamus, qui (ſi lubet) iterū recitetur. [Cur
n (inquit) neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt
ſtus, natura quoque ipſum tertium eſſe? Dignitate nan-
ipſum ſecundum à filio, cùm ab ipſo eſſe habeat, & ab i-
accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa depen-
t cauſa, pietatis ratio tradit.] Hic locus, patres amp. men-
ſus ac corruptus eſſe videtur. Quinque enim vel ſex tan-
n libri Conſtantinopoli extant, quos in hoc loco mēdo-
credimus eſſe, cùm qui ſani ſint, plùs quàm mille habean-
: quibus ipſi propter eorum vetuſtatem & copiam magis
dimus, cùm præſertim ad ipſius doctoris mentem, vt ex
nſequentibus eiuſdem verbis apparet, hi noſtri libri face-
videantur. Quemadmodum igitur diuinum ſymbolum
ditionem paſſum conſtat fuiſſe, ita quoque credendum
, libros hos in hoc loco ab aliquo, qui dogma veſtrum
taretur, corruptos fuiſſe. Quod vobis quoque patebit, ſi
ſtrum vetuſtiſſimum librum diligentiùs inſpexeritis
rba ſequentia cum antecedentibus conferentes, ac omnia
nul ad ſenſum Baſilij applicantes: in quo quidem noſtro
ro, non ita, vt in veſtro, legere eſt.

Duo mihi, P. R. dixiſſe videris, te ſermone perpetuo
æſtionem illam, de qua nuper multa fecimus verba, libé-
imè concludere voluiſſe. Verùm vt nobis facias gratum,
ipſam in aliud tempus transferentem, ad magnum Baſiliū
nobis iam requiſitum venire velle: id quod profectò no-
s gratiſſimum eſt: quandoquidem operæprecium eſt, ac
urimum cōuenit, vt à patrum ſanctorum teſtimonio, no-
æ diſputationis ſumamus exordium: quorum authoritas
ud nos non mediocris eſſe debet, ac ipſos vt noſtros du-
es ſectari, ac in omnibus imitari debemus. Deinde dixiſti,
oſtrum hunc librum in hoc loco corruptum eſſe, quemad-
modum etiam accidit ſymbolo: cui certam additionē factā
fuiſſe videm⁹. Ad quę tibi P. R. reſpódeo, ita clarè ac copio-
e in illa materia hinc inde fuiſſe dictū, vt mihiipſi ſuadeā nil
lanius, apertius, fortiuſq; noſtris argumentis fieri potuiſſe:
il denique fuiſſe omiſſum, quod ad ipſam quæſtionem
pectaret. Verùm ſi adhuc ambigis, putans non ſatis dictum
uiſſe, hac (de qua modò agimus) quæſtione in extremum
riùs adducta, ad illam (ſi tibi videbitur) reuertemur. Nam
e hoc Baſilij libro, quem in hoc loco mendoſum & corru-
tum eſſe dixiſti, reſpondemus ipſum à Nicolao Secundino
Cretenſi viro optimo doctiſſimoque nuper huc Conſtan-
inopoli allatum fuiſſe. Qui quidem liber conſtat ex mem-
rana, & ſexcētorum annorum videtur eſſe. cùm diſſidium
& controuerſia noſtra nondum fuerat orta. Præterea locus
& litera hæc talibus punctis & lineis diſpoſita eſt, vt nulla
prorſus ex ordine talis corruptionis ſuſpicio poſſit haberi.
Hic igitur liber corruptus non eſt, præſertim à Romanis, à
quibus nunquam antehac viſus fuerat: quandoquidem non
obliteratio, non macula, non denique diuerſa manus in hoc
libro depræhenditur. Præterea ex vetuſtiſſimarum veſtra-
rum ſynodorum actis apparet, corrumpendorum librorū
vitium & malignitatem (pace veſtra dixerim) apud vos à
noſtræ * regionis hoſtibus ortam fuiſſe, vt Cyrillus literis
ad Ioannem Antiochenum antiſtitem miſſis, quæ ſic inci-
piunt, Gaudeant cæli: quaſque Chalcedonen. ſynodus ſuſce-
pit, teſtatur. [Si quis, inquit, legiſlatorum verba vera euer-
tit, mea quoque dicta, vt ſibi placet, tranſmutat &c. Tua er-
go pietas non miretur, quandoquidem (vt optimè nouit)
generis cuiuſuis hæretici ex à Deo ſpirata ſcriptura, erroris
ſui cauſam capientes, quæ per Sanctum ſpiritum benè prola
ta ſunt, malignitate ſua corrumpunt,] & reliqua. In quibus
quidem literis Athanaſij dedit exemplum, oſtendens eius e-
piſtolam, ad Epictetum datam, corruptam fuiſſe. Præterea
Cyrillus idem ad Acacium ſcripſit, cuius quidem literæ fue-
runt inſcriptæ, Mutua locutio: [Si quæ literis (inquit) man-
daueram, ſic à nonnullis in medium proferuntur, vt credant
me corū, quæ in Epheſina ſynodo celebrauimus, pœnituiſ-
ſe, id etiam derideatur. Dei nanque benignitate ſane men-
tis ſumus, ac à recta ratione neutiquam aberrauimus.] Ex
quibus meridiana lùce clarius apparet, ſanctum Cyrillum
in Epheſina ſynodo, ac ſemper alias vnius ſententiæ fuiſſe.
Præterea in eiſdem literis de quodam Meſenenſi præſule fa-
cit mentionem, à quo quidem interrogatus, an ipſe quoque
ſentiret idem quod Athanaſius ad Epictetum ſcripſerat, re-
ſpondit, ſi ſanas & non mendoſas Athanaſij literas haberes,
ipſis equidem acquieſcerem, ac eadem cum Atahanaſio ſen-
tirem. Viſis deinde ipſius Athanaſij literis, quas Cyrillus ſa-
tis apparuit, omnes alias eiuſdem exempli literas, quæ toto
ferè in Oriente fuerant, mendoſas fuiſſe: idcircò Meſenus
ipſe pontifex veras ipſas Athanaſij literas ſtatim exſcripſit,
ac ad Ioannem Antiochenum antiſtitem miſit. Ergo ratio-
ni congruum eſt. & ita credimus hunc Baſilij librum fuiſſe,
antequam de Spirituſſancti proceſſione quæſtio inter nos
oriretur. Qua deinde exorta, (quanuis ab ipſo ferè religio-
nis noſtræ principio hæc controuerſia fuerit) authores no-
ſtri ſchiſmatis, in corrumpendum hunc locum incubuiſſe:
verùm Spirituſſancti benignitate librum hunc Conſtanti-
nopoli fuiſſe ſeruatum, ne ab impijs ipſis corrumperetur:
qua quidem ratione adducimur, vt credamus hanc Magni
Baſilij authoritatem nequaquam mendoſam eſſe. Siquidem
igitur ad veritatem inueſtigandam, ac pro communi bono
mutua beneuolentia huc frequētes conuenimus, operæpre-
cium eſt, vt libros noſtros, qui vetuſtiores fuerint, confera-
mus, (de re profectò non mediocri agitur) vt ex ſequentiū
ad præcedentia connexu, quidnam ipſe Baſilius ſenſerit, fa-
cilius cgnoſcamus. Sed pro euitando odio hactenus.

Nonnullos libros, P. amp. cum hac additione Conſtan- MAR.
tinopoli extare, paulò antè protulimus: nil mirum igitur, ſi
vnus ex ipſis huc fuerit allatus. Quos quidē libros ipſi ſim-
plicitate noſtra vtentes, ac veritate confiſi, extare ſinimus:
quanuis eos facilimè, quod perpauci fuerint, delere prorſus
potuiſſemus: ex quibus hunc veſtrum librum ab aliquo, qui
in illa regione vobiſcum ſentiret, exſcriptum fuiſſe credi-
mus. Quod quidem admiratione dignum non eſt, cùm hic
etiam quamplurimi veſtri ſint homines, qui maiorum no-
ſtrorum ſequentes veſtigia, pium dogma noſtrorum ſectē-
tur: non autem imus inficias, codices multos in terris no-
ſtris ab hæreticis, qui vana dogmata in Dei eccleſia introdu-
cere voluiſſent, ſæpiſſimè corruptos fuiſſe: idcirco autho-
ritatibus, quas modò citaſti, ęquo animo aſſentimur Verùm
ea vos non ignorare exiſtimo, quæ Zoſimi ſummi pontifi-
cis tempore acta fuerant. Qui cùm ad Carthaginenſe Con-
cilium ſcripſiſſet, Nicænæque ſynodi decretum miſiſſet,
Romanum pontificem œcumenicum appellandum, Con-
cilium illud reſpondit, ſe prius velle ipſius ſynodi acta,
quæ vel Alexandriæ apud Cyrillum, vel Conſtantinopoli
apud Proclum eſſent, diligenter inſpicere: quandoquidem
apud acta ipſius Nicęni Concilij decretum eiuſmodi nó ex-
tabat: quibus deinde Nicæni Concilij geſtis ab Alexandria
miſſis, diligēter inſpectis, ipſoque decreto nequaquā inuen-
to, idem Carthaginenſe Conciliū Zoſimo reſpondit, ſe tale
nomen ipſi nolle tribuere, quod à generali ſynodo decretū
minimè fuerit. Nónne vides, P. R. ſummum pontificem, de-
cretum falſum, & non in ſynodo promulgatum, ad tantum
Concilium pro re tam magna miſiſſe? Non igitur tam vehe-
menter debetis mirari, ſi quidam etiam ex noſtris homini-
bus vel nouum dogma volentes defendere, vel quod ita ſi-
bi temerè viſum fuerat, aliquos libros corruperint. Cùm i-
gitur noſtrorum librorum vetuſtas & copia, tum etiam id
ipſum, quòd nos huiuſmodi libros mendoſos extare per-
miſimus, cùm ipſos (vt ſuprà dictum eſt) facilè delere po-
tuiſſemus, nobis victoriam dat, ac nos corrumpendorum
voluminum authores non eſſe demonſtrat: veritati nanque
confiſi, ac multis alijs ipſius Magni Baſilij authoritatibus in-
nixi, additionem ipſam verbis Baſilij factam paruifecimus.
Nō ergo nobis proprium eſt, vt inquis, libros corrumpere,
ſed Baſilij ſententia in noſtro libro legatur. [Qui verò (in-
quit) illi ſancti ſint, & in quibus ſermonibus doctrinam
fecerunt, non poteſt dicere: Fueritne vnquam homo ſic
audax, qui diuinorum dogmatum innouationes induceret?
Cur enim neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt ſpiri-
tus, natura quoque ipſum tertium eſſe? dignitate nanque
ipſum ſecundum à filio, pietatis ratio forſan tradit.] Magnus
Baſilius, præſtantiſſ. patres Eunomium accuſans, quòd te-
merè dogma nouum inſtrueret, diſputationis cauſa conce-
dit, ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium à filio
eſſe: deinde concludit, non tamen propterea neceſſe eſſe
ſpiritum natura quoque tertium eſſe: dignitate nanque ip-
ſum ſecundum à filio pietatis ratio forſan tradit. Sic in no-

ſtro

ſtro quam vetuſtiſſimo libro ſcriptum eſt, vt videtis, & ſic præcedentibus conſequentia conſonant. Non enim Baſilius ſuſcipit ſpiritum ſanctum ordine ac dignitate tertium eſſe, neque id aliquos doctores literis mãdaſſe fatetur: quinimmo etiam ſi ſic ſit, negat tamen prorſus ex eo conſequi, ſpiritum natura quoque tertium eſſe. Cur igitur magnus ipſe Baſilius rationem hanc reddidiſſet, dignitate ipſum ſecundum à filio, cùm ab ipſo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa dependeat cauſa? Et cur eas cauſas reddidiſſet, quas antea non ſuſceperat? Additio igitur ipſa neque præcedenti ſermoni conuenit, neque magni Baſilij menti conſonat. Contrà vt in noſtro ſcriptum eſt libro, ſequentia prioribus conuenientius cõnectuntur. Nam verbum illud FORSAN, Baſilius protulit, quòd ipſam orationem diſputationis cauſa (vt ſuprà dictum eſt) concedebat: propterea inferius inquit, quorſum hæc oratio? quod non omninò, ſi quid ordine ac dignitate ſecundum aut tertium eſt, id & naturam tertiam habet. Nam quemadmodum angelorum alius princeps, alius ſubditus, & tamen omnes Angeli natura ſunt, & in dignitate quædam diuerſitas, in natura verò communitas eſt, & reliqua. ſic in noſtro libro legere eſt: immò etiam in veſtro quadam cum hæſitatione ſcriptum eſſe videtur. Si dignitate (inquit) ac ordine tertius eſt ſpiritus: cur igitur magnus Baſilius illud ſubiunxiſſet, cùm ab ipſo eſſe habeat: ſi diſputationis cauſa (vt ſæpenumerò dictum eſt) ſanctum ſpiritum tertium eſſe, ſecundum verò à filio dederit, id putans alienum à ſanctorum eſſe doctrina: Porrò autem, vt melius intelligatis ipſum Baſilium non huius fuiſſe ſententiæ, ſanctum ſpiritum ex filio procedere, ac ab ipſo eſſe habere, idem ipſe Baſilius afferatur,
S. Baſil. qui quidem ſuis literis ad fratrem ſuum Gregorium de ſubſtantiæ hypoſtaſiſque differentia ſcriptis, quidnam de ſancti ſpiritus proceſſione ſenſerit, luce clarius explicauit: [Sanctus] (inquit) [ſpiritus, à quo cuncta bona in mundum emanant, quique filio adaptatur, & ſimul cum ipſo percipitur, à cauſa verò paterna habet eſſe dependens, & procedit, id notionis per proprietatis hypoſtaſim habet, vt poſt filiũ & cum ipſo noſcatur, ac ex patre ſubſtet: filius autem, qui ex patre procedentem ſpiritum, per ipſum & cum ipſo cognoſcit, ac ſolus vnigenitus ex ingenito lumine, reſplendet, nullam ſecundum propriam notionem, communionem habet cum patre, aut cum ſancto ſpiritu, verùm ſupradictis ſignis cognoſcitur.] His verbis P. amp. magnus Baſilius ſentire videtur, ſanctum ſpiritum ex ſolo patre habere eſſe. Sanctus (inquit) ſpiritus filio adaptatur, hoc eſt, poſt filium ordinatur atque diſponitur. Cuius deinde cauſam volens reddere, non ſanè dixit, quod ex ipſo procedit, vel quod ex ipſo eſſe habet, vt in authoritate, cui vos innitimini, habetur: verùm ſubiunxit, quod ſimul cum ipſo percipitur, videlicet à patre. Poſtea ſermonem figura diſtinguens, inquit: A cauſa verò paterna habet eſſe dependens, vnde quoque procedit. Videſne P. reueren. quemadmodum patri, veluti cauſæ, magnus Baſilius tribuit, vt ſanctus ſpiritus ex ipſo dependeat? Non autem credere debemus, eundem Baſilium ſibiipſi contradixiſſe. Orationis nanque partitio non patitur, vt idem filio quoque tribuatur, quandoquidem hoc notionis eius dedit ſignum, vt ſimul cum ipſo percipiatur. Deindè ſubiungit: Filius autem, qui ex patre procedentem ſpiritum per ipſum, & cum ipſo cognoſcit. Non autem dicit, mittit, ſed cognoſcit ſpiritum ex patre procedẽtem, hoc eſt, ſecum ipſum manifeſtat. Poſtremò dicens, ac ſolus vnigenitus ex ingenito patre reſplẽdet, nullam ſecundum propriam notionem communionem habet cum patre, & reliqua, declarat filium nullam habere communionem cum patre, vt ſanctum ſpiritum mittat: quandoquidem id patri ſoli adſcribitur, quemadmodum & filio ſoli tribuitur, vt his ſolis ſignis noſcatur, quod ſolus vnigenitus ex ingenito lumine reſplendet, quodque per ipſum & cum ipſo ſpiritum ſanctum cognoſcat. Siquidem igitur filius his, non autem alijs, ſignis cognoſcitur: palàm ſequitur, vt in mittendo ſpiritu, cum patre nequaquam communicet, verùm ipſi patri proprium ſit, vt ſanctum ſpiritum mittat.

Ioan. Longam orationem habuiſti, P. R. cùm breuis forſan fieri potuiſſet. Volentibus enim veritatem attingere, quæ quidem vel parua indiget illuſtratione, non niſi ſanctorum ſententijs ac authoritatibus opus eſt. Ad duo ergo, quæ cõtra Magni Baſilij authoritatem ex noſtri codicis lectione dixiſti, paucis reſpondebo. Credendum eſt, inquis, aliquem eorum, qui quondam nobiſcum ſentirent, locum hunc corrupiſſe. Quod quidem falſum eſſe deprætendimus, quòd cùm hic liber exſcriberetur, nulla prorſus inter Græcos & Latinos controuerſia fuerit. Nunquam autem affirmarem patres qui ſunt, aut qui fuerant, tale facinus commiſiſſe: quandoquidem firmiter credimus, à primis noſtri diſſidij authoribus, veſtros libros fuiſſe corruptos, ſiue Græci, ſiue Latini fuerint illi, quippe qui dogma veſtrum ſequentes, nõ ipſum defendere potuiſſent, niſi veros Baſilij libros corrupiſſent, quos contra ſe facere viderent.

Nunc venio ad Zoſimum ſummum pontificem, in quem nullum vnquam teſtem fide dignum poſſeris producere, cum equidem contra vos binas Cyrilli literas protulerim, ex quibus vnas Chalcedonenſis ſynodus ſuſcepit. Aut ergo tales teſtes contra tantum pontificem debebas producere, aut in ipſum ſine teſtibus neutiquam inuehi: quandoquidem minimè conuenit ex te crimina talia contra eum proferre, ſed vetuſtiſſimas ac humaniſſimas Iulij Liberijque ſummorum pontificum literas, P. reuen. benè memoria tenere deberes, quas Iulianus præſtantiſſimus ſanctæ Sabinæ Cardinalis vobis oſtendit, quibus patet, B. Athanaſium (cùm ab Antiocheno Concilio damnatus fuerit, ac eundem Concilium ipſum vehementer perſequeretur) ad Felicem, Marcum, Iulium, Liberiumque, qui ſequentibus temporibus Romani pontifices fuere, ſcripſiſſe, ac eoſdem * obſecratum fuiſſe, vt acta Nicenæ ſynodi, quæ perfecta & non mendoſa Romæ in bibliotheca extarent, ad ipſum mitterent: quandoquidem omnia, quæ in Orientali eccleſia extarent, ab Arianis corrupta fuerant. Cui quidem Athanaſio, ſummi pontifices ipſi reſpondere, ſe acta illa, quæ Græcè Latineque ſcripta, ipſorumquemet Nicænorum patrum manibus ſubſcripta, & eorundem ſigillis obſignata à ſummis pontificibus ſumma veneratione ſeruarentur, nolle mittere: ſe tamen ipſi Athanaſio nonnullos exſcriptos canones daturos, qui ad rem eius facere viderentur. Deindè cùm Athanaſius ab ipſo Anthiocheno Concilio ad Romanam ſedem prouocaſſet, hæreticis eiſdem obijcientibus, id non iure fieri potuiſſe, Liberius ipſe ad Athanaſium, Nicenum decretum de prouocando ad Romanam Eccleſiã exſcriptum miſit: quod deinde is Athanaſius acerrimè ſe contra hæreticos defendit. Iulius autem ipſius Antiocheni Concilij authores literis acriter reprehendit, quòd abſque ſedis Apoſtolicæ authoritate conuocare ſynodum auſi fuerint, oſtendens illis ex Nicenæ ſynodi decreto, nullam vnquam ſynodum ſine Romani pontificis authoritate celebrandam eſſe. Cur ergo P. reueren. Zoſimum accuſas immeritò, ipſum ad Carthaginenſe Concilium, falſum Nicenæ ſynodi canonem miſiſſe, cùm illud idem Concilium, quos ex oriente canones acceperat, omnes corruptos ac falſos eſſe cognouerit? vt multis ſanctorum authoritatibus, quorum vetuſtiſſimos libros habemus, patet. Nil mirum autem, P. reueren. ſi in exponendis magni Baſilij verbis in multa incommoda incurriſti: quandoquidem (vt philoſophi dicunt) paruus error in principio, magnus in extremum efficitur, quod quidem accidiſſe tibi videtur, quod malè Baſilium ipſum expoſuiſti. Ad veritatem igitur cognoſcendam operæprecium eſt, tantùm de duobus differere, quæ modò viſus es protuliſſe, an pater ſolus ſancti ſpiritus cauſa ſit, tametſi ſpiritus filio adaptari dicatur: & an ſpiritus eundem ordinem & naturam ad filium non habeat, quem quidem filius ad patrem habere creditur. Porrò autem vt hæc diſſoluamus, neceſſe mihi videtur, vt ex te quæram, quænam differentia ſit, inter aliquid alicui adaptari, & aliquid ab aliquo eſſe habere vel dependere: quandoquidẽ nobis videtur, vt quod ab aliquo perfectibile eſt, idem poſt illud diſponatur: quodq; huiuſmodi eſt, idem ab aliqua cauſa dependeat, non tamen propterea profitemur diuinas perſonas perfectibiles eſſe: id nãq; noſtri doctores minimè dixere. Filium autem credimus principium ex principio, ac Deum de Deo eſſe, quandoquidẽ pater principium eſt. Magnum etiam ipſum Baſiliũ non ſolũ in hoc, verumetiã multis alijs in locis oſtẽdiſſe, ſanctum ſpiritum eodem ad filium

Athanaſius condemnat.

for. * obſecraſſe, vt

ordine ſe habere, quo filius ad patrem diſponitur, ac ſe habet. Qualis autem eiuſmodi diſpoſitio ac ordo ſit, velim ad mentem Baſilij exponas.

Nullam equidem de Zoſimo mentionem feciſſem, P. reuerend. niſi meum de eo ſermonem verum eſſe, poſſem oſtendere. Sed quoniam noſtros libros ad hanc rem pertinentes Conſtantinopoli reliquimus, non inſcij, vnum ex illis apud vos eſſe, ex quo vobis ipſius Zoſimi acta nota credimus eſſe, idcirco de his hactenus.

Quem librum inquis?

De omnium Conciliorum actis.

Apud nos, P. reuerend. nullum librum inuenies, quo quidem pateat, Zoſimum ipſum ad Carthaginenſe Concilium pro ſe falſum ſcripſiſſe. Sed miſſa hæc faciamus, quandoquidem alia indigent conſideratione.

Placet nobis ad aliud venire, quandoquidem in præſentia de Zoſimo non opus eſt diſputare.

Igitur ad exponendum Baſilium, ſi lubet, redeas.

Magnus ipſe Baſilius, Pater amp. illud, FILIO SPIRITVS ADAPTATVR, exponens inquit: Qui poſt filium & cum ipſo percipitur. Quæ nanque connumerantur, non poſſunt vno verbo proferri atque diſponi: verum neceſſe eſt, vt alterum poſt alterum proferatur ac numeretur. Siquidem igitur ſpiritus adaptari filio dicitur, fieri profectò non poteſt, vt aliter intelligatur, quàm quod poſt filium diſponatur, non ita tamen, vt ab eo tanquam à cauſa eſſe habeat, ac dependeat. Propterea Baſilius ipſe ſubiunxit, qui poſt filium & cum ipſo percipitur. Tu autem P. reuer. Vndè habes, vt quod alicui adaptetur, ac poſt ipſum diſponatur, id etiam ſit neceſſe, vt ab eodem eſſe habeat, & dependeat? Nobis ſanè non alia opus eſt expoſitione, quandoquidem is Baſilius ſeipſum expoſuiſſe videtur, qui verbi adaptatur, cauſam ilico reddit, dicens, quòd ſimul cum ipſo percipitur.

Siquidem igitur P. Reueren. illud, filio ſpiritus adaptatur, à te ſic exponitur, vt ſpiritus ad filium diſponatur ac ordinetur, quæro ex te, an ipſa diſpoſitio, ſanctique ſpiritus ad filium ordo, ſit cauſa extrinſeca, an principium à quo.

Non equidem protuli, ſpiritum ad filium, verùm poſt filium, diſponi. Neceſſe eſt enim, vt in diuinis ordo numerandi ſeruetur: ita vt filius poſt patrem, ſpiritus verò poſt filium numeretur.

Talem igitur enumerationis ordinem, tantùm vocalem eſſe putas, ita vt re ipſa nullus in diuinis ſit ordo?

Neceſſe eſt, P. reueren. vt diuinæ perſonæ quoquo modo diſpo[...]ant. Nam enumerari non poſſent, niſi quidam inter ipſas ordo ſeruaretur, qui quidem modo quodam realis eſt, vt idem Magnus Baſilius demonſtrat: dum dicit, [ſolus vnigenitus ex ingenito lumine reſplendet,] vbi filij ad patrem diſpoſitionem ac ordinem oſtendit. Vndè ſanè neceſſariò euenit, vt ſanctus ſpiritus tertius in ordine numeretur, ne ad filium ordinatus, vel filio (vt ſuprà dictum eſt) adaptatus, ad patrem verò immediatè relatus, ipſe quoque filius eſſe videretur. Quoniam igitur ſanctus ſpiritus poſt patrem cum filio continuò numeratur, idcircò tertius à patre diſponitur atque collocatur, quod quidem ſolum diſpoſitionis & ordinis genus in diuinis creditur eſſe, cùm aliud apud Theologos nequaquam inueniatur.

Ex Magni Baſilij ſententia, Pater reueren. profiteris inter filium ac ſanctum ſpiritum ordinem eſſe naturæ. Vtrùm igitur inter patrem & filium idem eſt ordo, an aliud diſpoſitionis ordiniſve genus inter ipſos exiſtit? quandoquidem mihi ſentire videris, illud ADAPTARI, atque DISPONI, cauſam non ſignificare. Porrò quoniam inter patrem & filium ordo naturæ re ipſa dicitur eſſe, certam ſignificans dependentiam, idcirco neceſſe eſt ſentiamus, filium à patre, vt à cauſa, re dependere. Vnde euenit, vt quoniam inter filium & ſanctum ſpiritum idem ordo naturæ creditur eſſe, ideo neceſſe ſit, filium ſancti ſpiritus cauſam eſſe, quemadmodum Magnus Baſilius in eodem contra Eunomium lib. teſtatur: vbi probat ſpiritum eiuſdem eſſe naturæ cum patre & filio, quamuis ordine ac dignitate ſecundus à filio ſit, [quemadmodum (inquit) filius ordine quidem à patre ſecundus eſt, quoniam ab illo: & dignitate, quoniam origo & cauſa exiſtendi pater ipſi eſt: & quoniam per ipſum acceſſus & adductio ad Deum patrem, natura verò nullo modo ſecundus, quòd in vtroque vna Deitas eſt, ita etiam ſanctus ſpiritus, etſi dignitate ac ordine ſecundus à filio eſt, non tamen veriſimiliter alienæ ipſum eſſe naturæ, inde conſequitur.] Quibus verbis probatum eſt ſanctum ſpiritum eundem ordinem ad filium habere, quem filius ad patrem habere creditur. Quod Angelorum exemplo idem Baſilius oſtendit continuò. [Angeli omnes (inquit) vt appellationis vnius, ſic eiuſdem ſunt naturæ inter ſe: attamen alij ipſorum gentibus præpoſiti ſunt, alij verò ſidelium ſingulos conſequuntur. Quanto autem gens vni viro præponenda eſt, tanto maiorē neceſſe eſt angeli, qui gentis principatum habeat, eſſe dignitatem, dignitate eorum, quibus ſingulorum tutela commiſſa eſt. Et infrà: Quorſum hæc oratio? quòd non omninò, inquit, ſi quod ordine ac dignitate ſecundum aut tertium eſt, id & naturam alteram habet. Nam quemadmodum Angelorum alius princeps, alius ſubditus, & tamen omnes Angeli natura ſunt, & in dignitate quædam diuerſitas, in natura verò communitas eſt, etenim ſtella ſtellæ præſtat in gloria, & natura ſtellarum omnium vna: & manſiones multæ apud patrem, id eſt, dignitatum diuerſitates, glorificatorum verò vna natura: ſic profectò & ſpiritus ſanctus dignitate quidem & ordine ſecundus eſt. Accepimus enim ipſum tertium à patre & filio numeratum, cum ipſe Dominus in traditione ſalutaris baptiſmatis, ordinem tradiderit, his verbis: Euntes: baptizate in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: in natura autem, tertium à filio ac patre deiectum ſpiritum, nullibi audiuimus.] Hæc Magnus Baſilius. Qui quidem nil aliud in ipſo tertio in Eunomium libro concludere voluit, quàm ſanctum ſpiritum eiuſdem eſſe naturæ cum patre ac filio, quamuis in ordine ac dignitate tertius ſit, quod quidem Angelorum exemplo, multiſque rationibus clarè probaſſe videtur.

Inter patrem & filium, P. amp. quatenus ex patre filius habet eſſe, ac ad ipſum immediatè refertur, naturalis eſt ordo. Quæ quidem ſola cauſa eſt, cur ſanctus ſpiritus neceſſariò tertius numeretur: ob idque Magnus Baſilius de patre filioq; loquendo, verbo adaptatur, vel diſponitur, nequaquā vtitur, neque filium patri adaptari, vel poſt ipſum diſponi dicit: Verùm ipſum ſecundum eſſe à patre, quòd ab ipſo eſſe habeat: ſanctum autem ſpiritum filio dicit adaptari, hoc eſt, poſt ipſum (vt dictum eſt ſuprà) diſponi: quod quidem ideo euenit, vt ſanctus ſpiritus tertius collocetur, quòd filius neceſſariò præcognoſcitur, quoniam ad patrem immediatè refertur. Quòd ſi Magnus Baſilius crediidiſſet, eundem ordinem inter filium ac ſanctum ſpiritum eſſe, quem inter patrē & filium eſſe nouerat, ita vt ſi ea ratione ſpiritum ſecundū à filio, qua filium ſecundum à patre percepiſſet, nequaquam profectò Eunomium inſequutus fuiſſet, neque ipſum dixiſſet ſanctorum doctrinam falsò citaſſe, cùm diceret ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe. Ex quo quidem patet, ipſum Baſilium nō ſuſcipere ſanctum ſpiritum dignitate ſecundum à filio eſſe, verùm illud ex hypotheſi diſputationiſque gratia (vt ſuprà dictum eſt) dare.

In ambiguo verſamur, P. amp. propterea diffinitionibus vti debemus. Nam inter filium ſanctumque ſpiritum ordo naturæ dicitur eſſe, ac illud verbum, diſponitur, ordinem naturæ ſignificat. Idcirco nos diligenter debemus diſpicere, quonam pacto ordinem ipſum naturæ percipiamus: quandoquidem ex veſtro libro probauimus, ſanctum ſpiritum eundem ordinem ad filium habere, quo quidem filius à patre diſponitur. Sed vt nos sereniſſimus Imperator melius intelligat, hanc rem altiùs repetam. Nam omnes Theologi philoſophos imitantes, diffinitionibus in earum propria ſignificatione vtuntur. Quòd ſi qua ambiguitas eſſet in eis, omnis ipſorum Doctorum ſcientia rueret. Propterea veſter Ariſtoteles (quem equidem inuitus teſtor) in v. Metaphyſicæ lib. in capitulo de natura, quotnam modis natura poſſit intelligi, demonſtrans: Natura verò, inquit, dicitur vno quidem modo naſcentium generatio: altero verò, ex quo generatur primò quod naſcitur, qui quidem ſecundus modus ordinem generationis ſignificat, vt ea quæ generantur, ab ipſa ſubſtantia fiant: quo

quo ſanè generationis ſignificato, Baſilius, Athanaſius, Auguſtinus, ac omnes alij doctores, tam Græci quam Latini fuerunt vſi, tenentes generationis ordinem vnius perſonæ ab alia, ordinem eſſe naturæ: ita vt neque Baſilius, neque cæteri doctores in ambiguo fuerint verſati, credentes proceſſionis ordinem nil aliud eſſe, quàm vnius perſonæ ab alia proceſſionem, quemadmodum Ariſtoteles naturam altero modo (vt ſupra dictum eſt) diffiniuit. Siquidem igitur ordo naturæ Sancti ſpiritus ad filium eſt, neceſſe eſt, vt Sanctus ſpiritus à filio eſſe habeat, id quod Baſilius ſenſiſſe videtur: qua quidem in re, tota noſtra controuerſia eſt.

MAR. Anteaquam de tali ordine, R. P. agamus, illa Baſilij ſententia nobis diligentiſſimè conſideranda eſt. Dic ergo mihi, credisne Magnum Baſilium huius fuiſſe ſententiæ, Sanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe nec ne?

IOAN. Ita prorſus, quemadmodum filius ſecundus à patre dicitur.

MAR. At idem etiam Eunomius aſſerebat.

IOAN. Cùm hanc ſententiam Eunomius, R. P. ex ſacra pagina ſuſcepiſſet ex ea concludere volebat, Sanctum ſpiritum natura quoque tertium eſſe. Non igitur Eunomium Magnus Baſilius reprehendebat, quòd illius eſſet ſententiæ, cùm dubio procul in ea conuenirent: verùm quòd ex ipſa volebat inferre, Sanctum ſpiritum natura quoque tertium eſſe: id quod (vt dicit Baſilius) nequaquam indè conſequitur.

MAR. Veritatem igitur Eunomius aſſerebat, Sanctum ſpiritum ordine dignitateque tertium eſſe?

IOAN. Cur non?

MAR. Siquidem igitur ea in re cum Baſilio ſentiebat, quænam eius ſententia fuerit, accuratè diſpiciamus. Nonne in veſtro prædicto libro ſcriptum eſt ita: Eunomius ſanctorum ſimulat conſeruare doctrinam, & tacet eos qui ipſam tradiderant?

IOAN. Simulat (inquit) ſanctorum ſeruare doctrinam, qui quidem (vt dicit Baſilius) credebant Sanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe. Ex quo Eunomius inferebat, eundem ſpiritum natura quoque tertium eſſe. A ſanctis enim (ait) didiciſſe, ordine ac dignitate tertium eſſe ſpiritum: à ſe autem ipſo crediſiſſe, natura quoque tertium eſſe.

MAR. Non ita, P. R. Baſilius dicit, ſed Eunomius ſimulat ſanctorum doctrinam ſeruare, qui Sanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe dicebant. Qui verò illi ſancti ſint, & quibus ſermonibus doctrinam fecerint, non poteſt dicere.

IOAN. Illud verbum, SIMVLAT, P. R. ad Eunomij concluſionem refertur, quam ex ſanctorum doctrina diſſimulabat inferre. Nam ſancti dicentes Sanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, nequaquam credebant ipſum quoque tertium eſſe, quod tamen ex ipſorum poſitione Eunomius ſimulabat inferri poſſe. Quæ quidem Eunomij verba, quoniam clara ſunt, idcirco nulla indigent expoſitione. Nam ſi Baſilio viſum fuiſſet, falſum eſſe, Sanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe: huic etiam ſententiæ clarè contradixiſſet, quemadmodum argumentis fortiſſimis ac Angelorum exemplo, Spiritum natura tertiū eſſe oppugnauit.

MAR. Si ſanctorum ac Magni Baſilij, reuerend. P. hæc fuiſſet opinio, Sanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, nequaquam profectò protuliſſet, Eunomius ſimulat ſanctorum doctrinam ſeruare: ſed potius clarè teſtatus fuiſſet, in hoc Eunomium benè ſenſiſſe. Porrò quoniam Magnus Baſilius non credebat ſententiam illam veram, & aliquorum ſanctorum eſſe, idcirco dixit, ſimulat ſanctorum doctrinam ſeruare. Et paulò infrà Eunomium reprehendit, quòd quinam illi doctores fuerint, non expreſſerit. Et paulò inferiùs: [Fueritne vnquam homo ſic audax, inquit, qui diuinorum dogmatum innouationes induceret?] Authorem nouorum dogmatum, ac audacem, P. ampl. Baſilius Eunomium nominat, quòd ea proferebat, quæ nemo vnquam ſanctorum dixerit, quandoquidem Baſilio non conſtabat, quinam ſancti huius ſententiæ fuerint, ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe. Tuæ igitur partes ſunt, P. reueren. probare ſanctos aliquos hanc ſententiam habuiſſe: nam ipſi credimus demonſtraſſe, Magnum Baſilium in ea opinione cum Eunomio neutiquam conuenire, ſed potius ipſam oppugnaſſe. Num in veſtro quoque libro non ita legitur?

IOAN. Quoniam inficiaris, P. reueren. Magnum Baſilium credidiſſe Sanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, idcirco de hoc acuratius contemplemur, ac Athanaſium authorem digniſſimum videamus, cuius fidem Cyrillus profitebatur excolere. Qui quidem Athanaſius in dialogo, quem in ſynodo Nicœna in Arium habuit, ac quibuſdam ſuis literis ita dicit: [Si quidem ſpiritus ex patris filijque ſubſtantia non eſt, cur filius cùm ſanctum baptiſma ſuis diſcipulis traderet, de eo fecit mentionem, dicens: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti?] Matt. 28. Præterea, quoniam in ſacro ſymbolo de tribus perſonis mentio fit, idcirco Athanaſius ipſe ad Serapionem ſcribens, ſpiritum ex patris filijque ſubſtantia dicit eſſe. [Spiritus] (inquit) [à filio accipit iuxta Domini vocem, De meo accipiet, & annunciabit vobis. Ioan. 16. De filio autem, In nomine patris veni. Ioan. 14. De paracleto verò, Spiritus ſanctus, quem mittet pater in meo nomine. Ioan. 5. Si quidem igitur (inquit Athanaſius) talem ordinem & naturam ſpiritus habet ad filium, qualem filius ad patrem, quonam pacto is, qui ſpiritum creaturam eſſe credit, idem quoque de filio non neceſſariò crederet?] Athanaſij ergo ſententia clara eſt, qualem ordinem filius habet ad patrem, talem ſpiritum habere ad filium: ita vt ex prima eius authoritate appareat, ſpiritum perſonam tertiam eſſe: ac ex altera, ſpiritus ad filium ordo: ex vtraque verò, ſpiritum à filio accipere. Quonam autem ordine ſpiritus à filio eſſe accipiat, veſtrum eſt declarare, quandoquidem non oportet magno Athanaſio obijcere. Sed de his in præſentia ſatis. Sequenti verò ſeſſione ex ipſo Magno Baſilio eandem ſententiam luce clarius demonſtrabimus. Quibus dictis, ſeſſio fuit dimiſſa, & ad diem martis prorogata.

Die martis 10. menſis Martij ſeſſio 21.
Florentiæ.

MAR. SESSIONE proxima, P. amp. Magni Baſilij ſententiam accuratè cōſiderantes, ac ipſius librorum diſcrepantiam inſpicientes, ex vobis quæſiuimus, an Baſilius ipſe crediderit ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertiū eſſe. Quod quidem affirmantibus vobis, ſtatim aliā propoſuimus quæſtionem, in dubiumque vocauimus, vtrùm opinio Eunomij ex doctrina ſanctorum fuerit, necne. Quod cum etiam nobis dederitis, Magnum Baſilium contra vos manifeſtè citauimus. [Sanctorum, inquit, ſimulat conſeruare doctrinā,] non autem, inquit, conſeruat. Deinde reprehendens Eunomium, dicit: [Qui verò illi ſancti ſint, & in quibus ſermonibus doctrinam fecerunt, non poteſt dicere. S. Baſil. Fueritne vnquam homo ſic audax, qui diuinorum dogmatum innouationes induceret?] Quamuis igitur filius ordine ac dignitate ſecundus à patre eſt, quòd ab ipſo eſt: non tamen * & Magni Baſilij dictis concluditur, ſanctum etiam ſpiritum ordine dignitateque ſecundum à filio eſſe, ac ab ipſo veluti à cauſa eſſe habere, quandoquidem ipſe Baſilius hanc ſententiam nequaquam ſuſcepiſſe videtur. Vos ergo verborum diſcrepantiam benè conſiderantes, deprehendenteſque * notham acceſſionem ad ſermonem Baſilij fuiſſe factam, quippe qui cum Eunomio neutiquam ſentiens, Sanctum ſpiritum ſecundum à filio eſſe, cur ſit ſecundus, nullam reddiderit cauſam: verborum, inquam, diſcrepantiam benè conſiderantes, omiſſo Baſilio, ad magnum Athanaſium confugiſtis, oſtendendum Sanctum ſpiritum ordine dignitateque tertium eſſe. Cuius quidem Athanaſij duas authoritates citaſtis quarum prima fuerat hæc: [Sanctus ſpiritus ordine tertius,] abſque verbo, EST: altera verò, [Sanctum ſpiritum eundem ordinem & naturam ad filium habere, qualem filius ad patrem habere creditur.] Quibus verbis probaſſe putatis, Sanctum ſpiritum dignitate quoque tertium eſſe. Nos autem, præſtantiſſimi patres, profitemur Sanctum ſpiritum in trinitate tertium eſſe, vt ſeruator noſter baptiſma tradens pronunciauit: dignitate verò tertium eſſe, nequaquam aſſerimus, de vobis mirum in modum

* ſine. ex
* nouam vel adulterinam.

modum admirantes, qui quod à ſanctis doctoribus ne ſcriptum quidem fuerit, id vt datum ac à nobis conceſſum ſumatis, quemadmodum alias feciſtis ſæpiſſimè. Nam huic omitis, quemadmodum alias feciſtis ſæpiſſimè. Nam huic rationi, SPIRITVS à PATRE & FILIO, à qua quidem verbum, EST, abeſt, ipſum apponitis: huic verò, ſpiritus à filio accipit, accipere eſſe, additis, ita vt quæ adhuc vocantur in dubium, & ſub iudice ſunt ea pro claris atque probatis, ſumatis: quod quidem demonſtrandi genus deterrimum & inutiliſſimum eſſe conſtat, quodq; principij petitio à dialecticis nuncupatur. Nunc venio ad alteram Athanaſij authoritatem, in qua nobis accuratè conſiderandum eſt, cur & ad quos homines ſermonem ipſum Athanaſius magnus habuerit. Eum enim oportet, vt Cyrillus in tertia ſynodo protulit, qui ſermonibus in diuinis verſatur, perſonarum & temporum ac omnium cauſarum rationem habere, & cur quæque verba prolata fuerint, quo quidem pacto quiſque cuiuſque verbi, Sancti Spiritus bonitate, rationem congruam facilè reddere poterit. Nam glorioſiſſimus Athanaſius in acerrimos ſanctiſpiritus inimicos, qui filium eiuſdem dignitatis atque ſubſtantiæ cum patre profitentes eſſe, Sanctum ſpiritum minorem eis, ac poſt ipſos dicerent, quòd ipſum inter creaturas connumerarent, ad oſtendendum ipſum quoq; conſubſtantialem, eiuſdemque dignitatis cum patre ac filio eſſe, eo quo cæteri Doctores argumento fortiſſimo fuit vſus, ſanctum videlicet ſpiritum eiuſdem ordinis & voluntatis ac operationis cum patre & filio eſſe, quemadmodum ad Serapionem epiſcopum ſcribens:

Ioan. 3. filius quidem, inquit, à patre mittitur: [ſic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.

Ioan. 16. Filius autem mittit ſpiritum: ſi enim (inquit) ego abiero, mittam eum ad vos.] Et filius quidem patrem clarificat,

Ioan. 17. [Ego] (inquit) [te clarificaui.] Spiritus autem clarificat fi-

Ioan. 16. lium. [Ille enim] (inquit) [me clarificabit.] Amplius, filius

Ioan. 8. quidem dicit, [quæ audiui à patre, hæc loquor in mundo.]

Ioan. 16. Spiritus verò ex filio accipit: [De meo] (inquit) [accipiet,

Ioan. 5. & annunciabit vobis.] Et filius in patris nomine venit. De

Ioan. 14. Spiritu autem dicit, [quem mittit pater in nomine meo.] Siquidem igitur talem ordinem & naturam ſpiritus habet ad filium, qualem filius ad patrem: quonam pacto is, qui ſpiritum dicit creaturam eſſe, idem quoque de filio non neceſſariò credet? Quibus verbis, P. amp. Doctor ipſe non perſonarum diſtinctionem, neque vnde exiſtendi cauſam haberet, ſed earundem potiùs vnitatem & coniunctionem ac cõſubſtantialitatem probaſſe videtur, ex eo quòd analogia proportioneque quadam eiuſdem ſunt voluntatis ac operationis. Non enim inquit filium à patre habere eſſe, ſpiritũ autem à filio: neque patrem generare filium, ſpiritum verò à filio mitti. Nanque ſi ſic Athanaſius protuliſſet, talis profectò ſermo ad veſtram ſententiam faceret. Verùm bonitatem patris ex operibus filij, & bonitatem eius ex operibus Sancti ſpiritus, proportione quadam (vt ſupra dictum eſt) demonſtrauit. Ex eo enim, quòd filius à patre, & ſpiritus à filio mittitur, patris bonitas (vt inquit Gregorius) compræhenditur, ita vt ipſa miſſio ſit bonitas patris, & Sanctiſpiritus miſſio, bonitas filij ſit putanda. Illud autem, filius quidem patrem, filium verò ſpiritus glorificat, operationum proportionem, & voluntatis eorũ identitatem ſignificat. Etenim quoniam filius iamdiu cognito patre, mundo apparuit, deinde verò Sanctuſſpiritus palam

Ioan. 8. ſe fecit: idcircò ne ἀντίθεοι, hoc eſt, aduerſus Deum eſſe viderentur, filius quidem patrem, ſpiritus autem filium clarificare dicitur, & quæ tacuerat, filius diſcipulis reuelauit. [Quæ

Ioan. 16. audiui à patre, hæc] (inquit) [loquor in mundo.] Spiritus verò à filio accipit, quemadmodum ſcripturæ relictum eſt, [De meo accipiet, & annunciabit vobis.] Ex quibus quidem verbis credere debemus, Sanctumſpiritum à filio ſermonem accipere, ac ipſum diſcipulis nunciare. Spiritus er-

Ioan. 5.

Ioan. 14. go non accipit eſſe à filio, vt P. R. ſentire videris. Deinde filius de ſe loquens inquit: [In patris nomine veni.] De ſpiritu verò dicit, [Quem mittet pater in meo nomine,] vt voluntatis identitatem, & operationum ſuarum analogiam (vt ſæpè ſæpiùs dictum eſt) declararet. Propterea q; magnus Athanaſius illud protulit, talem ordinem & naturam ſpiritum ad filium habere, qualem filius ad patrem: hoc eſt, ita ſpiritus cum filio diſponitur, & ei conſubſtantialis exiſtit, quemadmodum filius patri. [Quonam igitur] (inquit) [pacto is, qui ſpiritum creaturam dicit, idem quoque de filio non neceſſariò credet?] ſtante videlicet ipſorum voluntatis ſubſtantiæque vnitate, necnon eorundem operationum analogia. Sic magnus Athanaſius, P. amp. debet exponi. quippe qui non perſonarum diſtinctionem, verum ipſarum coniunctionem ac earundem ſubſtantiæ vnitatem (vt ſupra diximus) oſtendere voluit. Hæc igitur Athanaſi authoritas, P. R. longè aliter, quàm ſperares, expoſita eſt: atque ita, vt ad dogma veſtrum nequaquam facere videatur. An autem de Sancti ſpiritus proceſſione. ita vt ipſi creditis, ſenſerit, & an filius Sancti ſpiritus cauſa ſit, necne, alia eiuſdem Athanaſij authoritate poſſet intelligi, quippe qui in ſermone de filij ac ſpiritus æterna eſſentia, diuinarum perſonarum diſiunctionem edocens, ſolum patrem, diuinitatis fontem ac ingenitum nominauit, ac ſi ſolum ipſum dixiſſet genitorem ac mittentem eſſe: non igitur ſentiebat filium, Sancti ſpiritus cauſam eſſe, ſed diuinitatis fontem, patrem ſolum eſſe credebat. [Diſiungimur] (inquit) & ab ijs, qui Iudæos ſecuti, cùm Deum de Deo negant, Chriſtianorum fidem euertentes, vnum Deum vt Iudæi profitentur, non quòd ſolus ingenitus & ſolus fons diuinitatis eſt pater, idcirco Deum ipſum pronunciant, ſed quòd non genitor filij & abſque fructu viui verbi.] Si quidem igitur ſolus fons diuinitatis, ac ſolus ingenitus, pater eſt: ſequitur, vt ſolus filij genitor, ac ſolus ſpiritum mittens exiſtat. Non igitur apud Athanaſium filius Sanctiſpiritus cauſa eſt, & ab ipſo ſpiritus eſſe habet. Hæc nunc ad tuam orationem. Ioan.

Hæc via, P. R. qua quidem ad veritatem illuſtrandam progrederis, tenebras potius obducit, quàm (quod omnes ſummoperè cupimus) lucem afferat. Nec id ſanè principio noſtræ diſputationis inter nos conuenit, vt tam longis orationibus vteremur. Verùm vt breuibus vltrò citroque habitis argumentis atque reſponſionibus, paucis rem ipſam concluderemus: te tamen longam habentem orationem, verbaque duo per horam exponentem, hi præſtantiſſimi patres audiendo iam feſſi ſunt, & vt mihi videtur, nil aliud de tuo ſermone intellexerunt, quàm id, in quo me valdè repræhendiſti, quòd verbum EST. Athanaſij verbis addiderim, vt ſæpenumerò facere ſoleo. nam alteram ipſius Athanaſij authoritatem, ſanctum videlicet ſpiritum, talem ordinem & naturam ad filium habere, qualem is ad patrem habere creditur, malè explanaſti: qui autem ſermonem aliquem exponit malè, is nunquam benè reſpondere poteſt: deinde ad materiam de temporali perſonarum proceſſione, veniſti, in qua neceſſariò concludere poſſumus, ſpiritum ſanctum ex filio etiam ab æterno procedere, ex eo quod ab eodem temporaliter procedere, creditur. In qua quidem materia tibi paucis reſpondebo, quanuis de ea nullam modò mentionem facere debebas, quandoquidem ad propoſitum neutiquam ſpectare videtur. Sed anteaquàm aliud proferam, ex te P. R. ſcire velim, an ita protuleris cùm filius patrem dicitur audire, verba eius audit, quandoquidem auditus ad verba refertur, & ita dictum Euangelij, De meo accipiet & annunciabit vobis, vt inquis, debet intelligi: ex quo quidem, ſanctum ſpiritum à filio habere eſſe, minimè ſequitur. itane ſentis, an non? Ioan. 16.

Quid ni? nam & magnus Athanaſius euangelium ipſum ſic exponit. Ma R.

Ex hoc, P. R. ſecundùm veſtros & noſtros ſanctos doctores, Deo fauente, probabimus, ſanctum ſpiritum à filio æternum eſſe ſuſcipere. Sed anteaquam ad demonſtrandum hoc veniamus, orationi tuæ breuibus reſpondebo. Nam ſeſſione proxima ex me quæſiuiſti, an ex Magni Baſilij ſententia ſentirem, ſanctum ſpiritum ordine dignitateque tertium eſſe: deinde me, hanc eius fuiſſe ſententiam, aſſerentem interrogaſti, an alij quoque ſancti Doctores fuerint idem ſentientes: me verò reſpondente multos ſanctos huius fuiſſe ſententiæ; continuò ad oſtendendum oppoſitum, Magni Baſilij authoritatem expoſuiſti, quemadmodum etiam modò feciſti, ita dicens in ſumma: Eunomius ſanctorum ſimulabat conſeruare doctrinam, ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe: qui verò illi ſancti ſint, & in quibus ſermonibus doctrinam fecerunt, non poteſt dicere: idcirco Magnus Baſilius, vtpotè qui non ſenti-

ret aliquos ſanctos eiuſce fuiſſe ſententiæ, inquit: Fuerit ne vnquam homo ſic audax, & reliqua? Credis igitur ex mente Baſilij, neminem ſanctum eius opinionis fuiſſe, quòd Eunomius ipſos citare neſciuerit. Hanc expoſitionem tuam, Pater reuerende, volui repetiſſe, vt hi P. ampliſ. ſolutionem eius, quam afferam, facilius intelligant. Nos Magni Baſilij librum habemus, quem non mendoſum, ſed fide dignum eſſe putamus cuius quidem rei ex eo facimus coniecturam, quòd cum Nitylenenſis præſulis vetuſtiſſimo libro, quemadmodum ij teſtari poſſunt, qui vtrunque diligenter perlegerant, in omnibus conuenit: qui quidem liber, ſi lubet, in medium afferatur.

MAR. IOAN. Hi libri eadem manu exſcripti videntur eſſe.

Tria vobis Pater ampliſſ. demonſtrare volo. Primum alia Baſilij authoritate ſanctum ſpiritum à filio accipere eſſe: alterum, quanto dedecori Baſilio Magno futurum fuiſſet, ſi * ſcripturæ reliquiſſet, ita vt in veſtro legitur libro, & quemadmodum talem tantumque virum, ac in Dei Eccleſia, vt Chalcedonenſis ſynodus teſtatur, maximæ authoritatis, exponitis: vltimò, ex præcedentibus ac conſequentibus verbis eius oſtendam, ipſum non aliter ſenſiſſe, quam in noſtro libro ſcriptum videtur. In explicandis autem his tribus capitibus, Pater ampliſſ. non ero mutus, neque mea vagabit oratio, ſpe adductus, ſancti ſpiritus (de quo agitur) bonitate, vos non mediocrem per nos ab ipſo gratiam conſecuturos, quo quidem Magnus Baſilius plenus, non potuiſſet in tanta materia, de qua agimus, diuerſis in locis diuerſa conſcribere: quandoquidem ſancti doctores in his, quæ ad fidem ſpectarent, ſibi ipſis conſtare, nullibique contraria ſcripſiſſe creduntur. Nuper ergo cùm eſſem in ampliſſimi ſanctæ Sabinæ cardinalis domo, Ambroſio eius fratre præſente, egregio literarum Græcarum interprete, Meonardus Aretinus litterarum Græcarum profeſſor eruditiſſimus, ac huius ciuitatis illuſtriſſimus Scriba, vel (vt vulgò dicitur) cancellarius, vetuſtiſſimum quoddam volumen Græcum nobis attulit, in quo quidé quærentibus nobis quandã epiſtolam, fortè fortuna ſermo quidam Baſilij de ſancto ſpiritu occurrit: quem ego ſperans tùm videre * miraculum, (credebam etenim, id quod fuerat, Magnum Baſilium ſancti ſpiritus plenum, in ipſo ſermone claram aliquam & manifeſtam ſententiam reliquiſſe) eiuſdem ampliſſimmi cardinalis iuſſu perlegi: quo quidem perlecto, maximas ipſi ſancto ſpiritui gratias egimus, quòd nobis euenit ex ſententia, vt quod à Chriſtianis in hac materia celebrari debeat, id ex eodem ipſo ſermone cognouimus. [Vnum quidem patrem, inquit, vnum filium, vnum ſpiritum ſanctum, iuxta diuinam traditionem, profitendum nobis eſt: non autem duos patres, neque duos filios, quandoquidem ſpiritus, neque filius eſt, neque nuncupatur: non enim à ſpiritu accipimus aliqua, quemadmodum à filio ſpiritus: ſed eo ad nos veniente, noſque ſanctificante, diuinitatis hæreditatem ſuſcipimus, necnon hæreditatis æternæ præmium, ac æternorum bonorum primitias. Hæc ſunt, quæ nos à ſpiritu accipimus, quæque nobis creata fuere, atque à ſancto ſpiritu cauſata.] Siquidem igitur Pater ampliſſ. iuxta Baſilium, non ita nos à ſpiritu accipimus, quemadmodũ à filio ſpiritus, non autem à ſpiritu creaturas accipimus, ſequitur, vt quod is à filio accipit, diuinum ſit: quandoquidem quæque res, vel diuina vel creata creditur eſſe. Quæ autem ſint illa, quæ nos à ſpiritu ſuſcipimus, Baſilius ipſe declarat, videlicet diuinitatis hæreditatem, ac hæreditatis æternæ præmium. Scriptum eſt enim, Ego dixi, dij eſtis. Nam facti filij cohæredes, dij poſſumus appellari, & hæreditatis æternæ ac æternorum bonorum participes efficimur. Qua quidem ratione Baſilius ipſe ſententiam improborum euertit, quòd illud eſſe, quod ſpiritus accipit, creatorum bonorum cauſa eſt. Nunc venio ad ſecundum, & luce clarius demonſtrabo, Magno Baſilio non mediocri dedecori fore, ſi ſic intelligatur, quemadmodum à patre Epheſio exponitur: quod quidem, vtranque noſtram expoſitionem diligentiſſimè conferentibus, palam fiet. Id igitur (vt lubet) agamus. Nam in noſtro libro ſcriptum eſt ita: [Cur enim neceſſe eſt, ſi ordine ac dignitate tertius eſt ſpiritus, natura quoque ipſum tertium eſſe?] in veſtro autem ita: [Cur enim neceſſe eſt, ſi ordine ac dignitate ſecundus eſt ſanctus ſpiritus, natura quoque ipſum ſecundum eſſe?] In noſtro ergo libro tertius, in veſtro autem ſecundus, ſanctus ſpiritus ponitur.

Immò in noſtro quoque lib. tertius legitur.

MAR. IOAN. Deinde in noſtro hæc verba ſequuntur: [Dignitate nanque ipſum ſecundum à filio, cùm ab ipſo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa cauſa dependeat pietatis ratio tradit: natura verò tertia vti, nec à diuinis ſcripturis docti ſumus, nec à dictis poteſt conſequenter ratiocinari.] In veſtro autem libro legitur ita: Dignitate nanque ipſum ſecundum à filio, tradit forſan ratio pietatis: vbi verbum FORSAN, ambiguam reddit orationem, & Magnum illum Baſilium dubitaſſe demonſtrat. Deinde in veſtro libro ſic legitur: Natura verò tertia vti, nec à diuinis ſcripturis docti ſumus, nec à dictis poteſt conſequenter raciocinari vbi nonnulla verba deeſſe videntur. Deinde Baſilius prædictorum reddit rationem, vt in vtroque libro legere eſt. nam inquit: [Quemadmodum filius ordine quidem à patre ſecundus eſt, quoniam ab illo: & dignitate, quoniam origo atque cauſa exiſtendi pater ipſi eſt, & quoniam per ipſum acceſſus & adductio ad Deum patrem: natura verò, nullo modo ſecundus, quoniam in vtroque vna eſt Deitas.] Poſteà in noſtro libro hæc verba ſequuntur, quæ in veſtro neutiquam extãnt: [Ita videlicet ſanctus ſpiritus & ſi dignitate & ordine ſecundus à filio eſt, non tamen veriſimiliter alienæ ipſum eſſe naturæ indè conſequitur.] In his ergo quæ de filio Baſilius loquitur, benè conuenimus: vbi verò de ſpiritu mentionem facit liber veſter deficere, ac mendoſus eſſe videtur. Quis enim ambigit, * an verbum illud FORSAN, non ſit Baſilij, ac contra tanti viri exiſtimationem poſitum? Nam id ſemper potius eſſe debet, ex quo quippiam demonſtratur? quandoquidem (vt dialectici dicunt) ex ambiguis & abſtruſis nil prorſus poteſt dilucidari, cum à notioribus ad minus nota procedere, natura nobis inſitum ſit, qui quidem demonſtrandi modus à ſapientibus approbatur. Nam Eunomius ita ratiocinabatur: Quoniam ſpiritus dignitate tertius eſt, vt ex ſcripturis ſacris habetur: idcirco ſequitur, ipſum natura quoque tertium eſſe. Cuius quidem argumenti illationem & conſequentiam Baſilius volens euertere, pluribus exemplis ſcripturæ ſacræ demonſtrat, dicens Angelorum alios primos, alios ſecundos alios ordine dignitateque tertios eſſe: non tamen ex eo conſequi, natura quoque tertios eſſe. Siquidem igitur ipſe Baſilius verbo FORSAN, fuiſſet vſus, argumentum eius in Eunomium, quod clarum eſſe debebat, valdè fuiſſet ambiguum. At inconueniens eſſe videtur, tali tantoque viro tantam inurere notam, de quo Chalcedonenſis ſynodus teſtatur, ipſum exactiſſimam accuratiſſimamque tradidiſſe doctrinam. Porrò quàm exactiſſimam de ſancto ſpiritu nobis ſcientiam tradidiſſet: ſi verbo FORSAN, vſus fuiſſet? Illud ergo FORSAN quod Magni Baſilij ſenſum corrumpit, ex libris eius deleri penitus debet. Præterea is Magnus Baſilius in eodem ſermone clariſſimè dicit, ſanctum ſpiritum à filio accipere. Quod autem accipit, id profectò non creaturam, vt nos, verùm (vt ſupra dictum eſt) diuinum eſſe neceſſe eſt. Etenim quidnam aliud, obſecro, ſanctus ſpiritus in ipſa Trinitate à filio accipit, quandoquidem, quod accepit, vel accipit, vel in futurum accipiet, id æternaliter habet. Et filij auditus à patre, ac eius notio, idem ſunt. Et diuinorum intelligentia, & eſſe ipſorũ, idem eſſe creduntur. Necnon illud, à patre audire, nil aliud apud Latinos & Græcos eſt, (vt probabo) quam ex patre ſubſtantiam capere. Quod ergo ſpiritus à filio accipit, id notio & eſſe diuinaque ſubſtantia eſt. Cur igitur eſt cenſendum, Magnum Baſilium in ſermone de ſancto ſpiritu, quem in eius celeberrimo die habuit, abſque aliqua hæſitatione dixiſſe, ſpiritum à filio accipere: alio verò loco, eundem ipſum Baſilium de eodem ſpiritu, quo plenus fuiſſe creditur, illud FORSAN, tam in conſtanti ſententia protuliſſe? Veræ nanque ſententia ab hominibus ſanctis, ſacris literis traditæ fuerant: quibus innitens Baſilius, in Eunomium vehementer inuehebatur. Sed venio ad tertium illud, quod ab initio vobis probare promiſeram, vt ex præcedentium & conſequen-

Margin notes: * ſcriptũ (beside "ſi * ſcripturæ reliquiſſet"); S. Baſil. (beside "ſtianis in hac materia"); al. &c. (beside "delicet diuinitatis hæreditatem"); For * quin (beside "an verbum illud FORSAN"); * quod (beside "Nam id ſemper")

...m verborum Baſilij nexu cognoſcatis, cuiuſnam ſenten... fuerit. Nam clariſſimè patet, verbis his, Forſan pieta... ratio tradit: orationem hanc, quæ ſubſequitur, Ita videtur & ſanctus ſpiritus etſi dignitate & ordine ſecundus à filio eſt, non tamen veriſimiliter alienæ ipſum eſſe naturæ, ...de conſequitur, oppoſitam eſſe: quandoquidem ſimpliciter ac ſine ambiguitate à Baſilio fuerat prolata, etſi quidam fallaces homines ex eius ſententia inferebant, ſpiritum ſanctum natura quoque tertium eſſe. Ex his igitur Baſilij verbis, Non enim à ſpiritu accipimus aliqua, quemadmodum à filio ſpiritus, cùm nil aliud præter diuinam naturam poſſit accipere. necnon ex alia eiuſdem Baſilij authoritate palàm fit, verbum illud FORSAN, ipſius Baſilij neutiquam eſſe, quandoquidem ſibiipſi conſtare non videretur, quod ei magno dedecori eſſet. ſiquidem igitur accipere eſſe, ac procedere, idem ſignificant, & ſpiritus à filio accipit, vt probatum eſt, ſpiritus ergo ex filioque procedit. Sed vt magni Baſilij ſententia fiat clarior, verba eius in tertio contra Eunomium libro altius repetam: Vix tandem (inquit) blaſphemijs in vnigenitum ſaturatus ad ſpiritum ſanctum tranſijt, totique ſuæ conſentanea voluntati de ipſo etiam diſſerit, ſic ſcribens: [Cùm verò hæc nobis de vnigenito ſufficiant, reliquum eſt vt de paracleto quoque dicamus: nec opiniones inexquiſitas multorum ſequemur, ſed ſanctorum in omnibus doctrinam conſeruabimus: à quibus cùm dignitate ac ordine tertium ipſum didicerimus, tertium quoque natura eſſe credidimus.] Hæc Eunomius arrogans & ſuperbus, qui (vt Baſilius conſequenter dicit,) [quòd non putat oportere in ſimplici & ſyncera fide multorum permanere, ſed artificioſis quibuſdam cauillatorijs rationibus ad id, quod ſibi videtur, veritatem rurſus commutare, ſatis verbis ſuis oſtendit. Cùm enim contemnat opinionem multorum, qui Spiritum ſanctum glorificant, ſanctorum ſimulat conſeruare doctrinam, & tacet eos qui ſibi ipſam tradiderunt. Nam ex eorum ſcripturis cognoſceremus, an hæc illatio & (vt ita dixerim) conſequentia, ex ipſorum ſententia fuerit, ſi ordine ac dignitate tertius eſt, ſpiritus, ipſum natura quoque tertium eſſe.] Magnus ergo Baſilius in Eunomium inuehitur, quòd ipſorum ſanctorum libros non citaſſet, ex quorum ſententia inferebat ſanctum ſpiritum natura quoque tertium eſſe, quorum quidem ſanctorum authoritatem Baſilius approbabat, ſanctum ſpiritum (vt ſuprà dicitur) tertium eſſe: verùm ipſam Eunomij conſequentiam reprobat, ſpiritum natura quoq; tertiũ eſſe. Proptereaq; paulo inferius Angelorũ exemplum dat, dicens, aliũ principẽ, alium ſubditum, omnes tamen vnius eſſe naturæ. Deinde de ſpiritu inquit: [Sic profectò & ſpiritus ſanctus dignitate quidem & ordine ſecundus eſt. Accepimus enim ipſum tertium à patre & filio numeratum, cùm ipſe Dominus in traditione ſalutaris baptiſmatis ordinem tradiderit his verbis: Euntes baptizate in nomine patris & filij, & Spiritus ſancti. in natura autem tertia à filio ac patre deiectum ſpiritum, nullibi audiuimus.] Poſtea ſuam ſententiam argumento confirmat, dicens: [Cùm enim duæ res dicantur, deitas & creatura, dominatus ac ſeruitus, ſanctificans & quæ ſanctificatur, qua in parte ſpiritum ordinabimus? in his, quæ ſanctificantur? at ipſemet ſanctificatio eſt.] Et infra: [Non ergo ipſum principalem naturæ ſpiritum, fas eſt nobis conſeruum dicere, nec creaturis connumerare eum, qui in diuina & beata Trinitate connumeratur.] Vnde patet P. A. ſanctum ſpiritum non creaturis, ſed ipſi diuinitati connumerandum eſſe: quandoquidem quæque res, vel diuina vel creatura creditur eſſe. In qua quidem diuinitate, magnus Baſilius Spiritum ſanctum ordine ac dignitate tertium eſſe crediderat, quippe qui paulò antè protulerat, filium à patre ſecundum ordinẽ quidem, quoniam ab illo: dignitate verò, quoniam origo & cauſa eſſendi, pater eſt: ſanctum autem ſpiritum, à filio ſecundum: hic verò extra creaturas, ipſum connumerat, quæ quidem (inquit) à communicatione, quam cum illo habent, qui natura ſanctus eſt, ſanctificationem habent: ſpiritus autem natura ſanctitas eſt, illis verò participatione ineſt. Siquidem igitur ſanctus ſpiritus tertius eſt, nec eſſe eſt à filium, cauſam & principium eius eſſe per diuinæ naturæ participationem. Quandoquidem (vt quàm ſæpiſſimè protuli) inter diuinas perſonas ordo, ab vno in aliud eſſe creditur, quo quidem vna perſona ex alia ſubſtantiam & eſſe ac ordinem accipit. Vnde euenit, vt quoniam nobis conceſſum eſt, ACCIPERE & ESSE idem ſignificare: ſpiritus, qui à filio habet eſſe, ab ipſo quoq; procedat. Alias quoq; Baſilij authoritates, P. A. poſſem afferre, ad oſtendendum, ſanctum ſpiritum à filio eſſe atque procedere, necnon ad eaſdem duas eiuſdem Baſilij authoritates luce clarius explanandas: verùm maius operæprecium mihi videtur, vt ad Athanaſium veniamus: quem quidem ſi benè, P. R. expoſuiſſes, intellexiſſes melius ipſum, qui in Apologia ſua in Arium dicit: [Si ſanctus ſpiritus ex patris filijque ſubſtantia non eſt, cur Dei filius in ſymbolo ſanctificationis ipſum connumeràſſet, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.] Igitur ex Athanaſio patet, ſi ſanctus ſpiritus ex patris filijque ſubſtantia non eſſet, nulla prorſus ratione in ſanctificationis ſymbolo connumeraretur. Porrò, vos Græci domini, noſtis, quod à vobis ſymbolum dicitur, id à Latinis compoſitionem vel ſignum nuncupari, iuxta beatum Clementem, qui poſt ſanctum Petrum ad beatum Iacobum ſcribens, inquit: Apoſtoli congregati ſymbolum fecere, quod quidnam ſignificet, exponens dicit: quod quidem ideò compoſitio ac ſignum dicitur, quod ij quandam compoſitionem confecerant, ex qua quod creditur, demonſtratur. Propterea, patres optimi, ſanctificationis ſymbolum ab Athanaſio nominatur, quod baptiſmatiſmatis charactere ac ſigno, Chriſtianis à non Chriſticola differre creditur. Ergo paulò antè vobis probaui clariſſimè, ita ſanctum ſpiritum ex filij ſubſtantia habere eſſe, quemadmodum filius ex patris. Nunc autem Athanaſius inquit, Si ſanctus ſpiritus à filio non haberet eſſe, cum ipſo non connumeraretur. Porrò autem, P. R. quoniam ſeſſione proxima reſpondens mihi dixiſti, me hinc inde ſumere authoritates neutiquam ad rem pertinentes, quemadmodum in beati Epiphanij authoritatibus feceram, quibus quidem ab re verbum EST, apponebam, idcirco ad Epiphanium ipſum venire volo. Et quoniam complures interpretes docti ac in philoſophia præclari, præſertim ſereniſſimus Imperator hic adſunt: ideò non alijs teſtibus opus eſt ad probandum, an verbum EST, in ipſis Epiphanij dictis ſubintelligi debeat. quod non equidem primus, verùm Ambroſius appoſuerat, dicens ita: [Filium Epiphanius dicit, qui ex ipſo: ſanctum autem ſpiritum, qui ex vtroque,] quæ quidem Epiphanij authoritas prima fuerat. De qua iterum ex vobis quæro, an hæ duæ præpoſitiones EX, verbum EST, neceſſariò includant? Nam ipſe multis in Ambroſij expoſitionibus talem modum loquendi comperio, vt mos eſt Græcis, qui cum verbum neceſſario intelligitur, illud non exprimunt: quemadmodùm etiam Baſilius fecerat, qui dicens ſpiritum ordine dignitateque tertium verbum omiſerat, quod neceſſariò intelligitur. Altera verò Epiphanij authoritas fuit hæc: [Neque filium nouit quis, niſi ſpiritus ſanctus, qui verè clarificat & docet omnia, qui ex patre filioque:] vbi verbum EST, deeſt, ipſum tamen ſubintelligitur. Rogo igitur te, Pater R. ne in poſterum oratione morali, vel verbis quandoque mores ſignificantibus, vti velis, quandoquidem ex ipſis nil firmi poterimus aſſequi. Et ne me in eo amplius reprehendas, quòd quæ verba neceſſario ſubintelligantur, ea exprimo. Ad ſecundam autem Athanaſij authoritatem breuibus reſpondeo, ex ea nobis credendum, ſi diligenter ipſam perpenderimus, ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe. [Talem (inquit) ordinem & naturam ſanctus ſpiritus habet ad filium, qualem filius ad patrem.] Quonam igitur pacto, qui ſpiritum dicit creaturam eſſe, idem quoque de filio non neceſſario credet? Hoc eſt, ob ipſorum ordinis ſimilitudinem. Ordine nanque naturæ, iuxta philoſophos & Theologos, vt alias demonſtraui quippiam ex aliquo generatur, ac ex vna perſona producitur altera. Porrò autem non debemus in Theologia rerum diffinitionibus aliter vti, quàm ipſæ ſignificent, quamque à doctoribus accipi ſoleant. Siquidem igitur ordo naturæ, proceſſionis eſt ordo, per quam vna res ab alia naturam accipit, quæ quidem natura, principium eſt quo vel per quod, vt Damaſcenus etiam inquit: ſequitur, generationem eſſe ordinem naturæ, non

S Athanaſius.

Matt. 28.

velut

velut generantis, verùm quo generans generat, quod quidem principium communicabile eſt.

MAR. Ne mutes dictiones, Pater reuerende. Aliud enim eſt dicere, ordinem & naturam: aliud verò, ordinis naturam.

IOAN. Ordo ſecundum naturam, reuerende Pater, & ordo naturæ, idem ſignificant, quemadmodum de perſona, ex qua fit aliud, dici poteſt, ſi relationem principij habeat, quod quidem ſecundum naturam communicatur. Vnde ſequitur, ſanctum ſpiritum ordine ac natura ſecundum poſt filium eſſe, & ab eodem eſſe accipere, ac conſequenter ab ipſo procedere. Sed hæc hactenus. Nam de temporanea ſancti ſpiritus proceſſione ſuo loco dicemus, quandoquidem alterius eſt conſiderationis.

IMP. Operæprecium eſſe noſtis, Pater ampliſſ. vt breuibus diſputetis: vos autem tam longam habuiſtis orationem, vt antea dies defecturus videatur, quàm noſtri reſpondere ſufficiant Quibus dictis, ſeſſio miſſa fuit, & ad diem ſabbati dilata.

Die Sabbati 14. menſis Martij, ſeſſio 22. Florentia.

MAR. SI ad omnes orationis tuæ partes oratione perpetua reſpondere velim, hic dies mihi Pater reuerende, ad dicendum nequaquam ſufficeret. Quoniam igitur ſermones prolixi, nobis inutiles ſæpiſſimè viſi fuerunt: idcirco ſingulam quanque orationis tuæ partem memoria (vt potero) repetendo, ad ipſas ſigillatim paucis reſpondebo, te interrogando, ac ex te rationes quærendo, & tibi cùm fuerit opus, reddendo. Quoniam autem Pater reuerende, dixiſti, nos primam Athanaſij authoritatem non benè intellexiſſe, quandoquidem ipſam malè expoſuimus, ideo noſtræ reſponſionis exordium ab ea ſumemus.

IOAN. Vt diſputatio noſtra, Pater reuerende, iuxta prioris noſtri ſermonis ordinem habeatur, à Magno Baſilio debes incipere, deinde ad Athanaſium venire.

MAR. Quoniam ſeſſione proxima, Pater reuerende magni Athanaſij authoritas recitata & expoſita fuit à te, idcirco mihi videtur, vt eandem prius explanemus, clarioremque reddamus, poſteà verò ad Magnum Baſilium veniamus.

IOAN. Vt ordine bono Pater reuerẽde, hac in re procedamus, agendum eſt nobis, vt dixi: ſin minus, inter nos confuſio poterit exoriri. Nam in ſuperiore ſeſſione primò ex me quæſiuiſti, an crederem Magnum Baſilium huius fuiſſe ſententiæ, ac vnà cum ſanctis ſuis maioribus ſenſiſſe, ſanctum ſpiritum ordine dignitateque tertium eſſe, deinde verbis eius à te explanatis, continuò ad Athanaſium veniſti. Ego verò, vt eodem ordine tibi reſponderem, eandem Baſilij authoritatem prius expoſui ac eius aliam ſimul attuli, & ex præcedentium cum conſequentibus eiuſdem Baſilij verborum nexu, mentem ipſius dilucidaui, necnon ex tua expoſitione Magnum ipſum Baſilium incõueniens ſequi, demonſtraui: in extremum autem, ad Magnum Athanaſium veni. Ne igitur orationes noſtræ confundantur, idem nobis ordo ſeruandus eſt cùm præſertim beatiſſimus dominus noſter ſereniſſimo Imperatori, ac nobis omnibus id contendentibus benignè conceſſerit, vt ſingulis argumentis atque orationis partibus reſpondentes, eouſque diſputationem noſtram trahamus quouſq; controuerſiæ noſtræ modum inueniamus. Ad primam igitur Magni Baſilij authoritatem, prius reſpondere debes.

MAR. Volebam equidem reueren. P. eodem ordine quo proximè ſum loquutus, adhuc in præſentia tecum agere, ac inprimis oſtendere magni Athanaſij authoritatem ad noſtrã magis ſententiam, quam ad veſtram, facere. Verùm quando tibi videtur, vt tui ſermonis ordinem ſequar, in hoc etiam morem geram tibi, & à Baſilij authoritate incipiam. Primò, tribus argumentis probare conatus es, librum veſtrum mendoſum non eſſe, quem ipſi dubio procul corruptum eſſe putamus. Quorum quidem argumentorum primum fuit, quòd idem Baſilius alio etiam in loco teſtatur, ſanctum ſpiritum à filio eſſe habere: alterum, quòd contra eius eſſet exiſtimationem, (qui doctor egregius, admiratione que valdè dignus exiſtit) ſi de diuinis dogmatibus hæſitans, verbo FORSAN, vſus fuiſſet, ac non ſine ambiguitate ſuam ſententiam literis mandaſſet. Poſtremò, ex nexu verborum ipſius Baſilij iudicatis, veſtrum librum incorruptum noſtrum autem mendoſum eſſe, ſanctumque ſpiritum ordine dignitateq; tertium eſſe. Sed antequam vobis reſpondeamus, hæc Baſilij authoritas recitetur. [Vnum (inquit) patrem, vnum filium, vnum ſpiritum ſanctum eſſe, iuxta diuinam traditionem profitendum nobis eſt, non autem duos patres, neque duos filios: quandoquidem ſanctus ſpiritus filius non eſt, neque nominatur.] Et reliqua. In quibus verbis, P. Amp. non legitur, neque ex ipſis neceſſariò poteſt inferri, ſanctum Spiritum à filio eſſe accipere. nam illud, [Nõ enim à Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum à filio Spiritus:] ſic debet exponi, nos non à Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum à filio accipimus Spiritum. Nam Spiritus apud Græcos neutri generis eſt. Et illud quemadmodũ à filio ſpiritus, ꝙ vos pro nominatiuo caſu accipitis, nos accuſatiuum credimus eſſe: quæ quidem expoſitio, noſtræ ſententiæ ac verbis ipſius Baſilij, necnon eiuſdem menti quàm maximè conuenire videtur, vt ſtatim monſtrabimus. Nam ſancti ſpiritus inimici, hac diſiuncta oratione vtentes, contra Chriſtifideles ſic argumentari ſolebant: Si ſpiritus ex patre genitus eſt, ecce duo filij: ſin autem ex filio, ecce duo patres, hoc eſt, pater & filius. Aduerſus quos hæreticos magnus Baſilius inquit: Vnum patrem, vnum filium, vnum Spiritum ſanctum, iuxta diuinam traditionem profitendũ nobis eſt. Nam ſanctus ſpiritus quamuis ex patre procedat, nõ tamen filius eſt, neq; ex ipſo, vt filius, natus. propterea inquit: Non autẽ duos patres, neque duos filios, quandoquidẽ ſanctus ſpiritus filius non eſt, neq; nominatur. Porrò autem patet, nos à filio ſpiritum ſanctum accipere, id eſt, adoptionis ſpiritum. nam filij ſecundum ſui naturam proprium eſt, nos per ſpiritum adoptare, vt Paulus ad Galatas ſcribit: [Quoniam autẽ eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamãtem, Abba pater.] Galat. 4. Siquidem igitur ſpiritum a[illegible]ionis à filio accipientes, à patre dicimur adoptari, à ſpi[illegible]erò nil aliud pręter ſpiritum ipſum accipimus, quemadmodum à filio ſpiritum ipſum, qui ab ipſo alio eſt: ſequitur, ſanctũ ſpiritum non eſſe filium, propterea nec à ſacris literis filius nominatur. Hoc ergo ſenſu magnus Baſilius protulit, ſpiritum nõ eſſe filium, quòd à ſpiritu non accipimus aliqua, alium ab ipſo ſecundùm eius perſonã, ſed ipſum ſpiritum ad nos venientem & nos ſanctificantẽ, ac nobis ſua chariſmata donaq; largientem ſuſcipimus, vt Apoſtolus inquit: [Hęc autem omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidẽs ſingulis prout vult.] 1. Cor. 12. Ipſe verò vnde habeas pater reuerende, ſpiritum à filio eſſe accipere, non video, cùm ex his quæ longa oratione recitauimus, Baſilij verbis neutiquam inferri videatur.

IOAN. Quamuis longam orationem, reuerende pater, in exponendo Baſilio habuiſti, rem tamen ipſam neutiquam tetigiſti, præterquam quòd in fine ex me quæſiuiſti, vnde illam expoſitionem habuerim. Ego autem tibi reſpondeo, verba hæc, vnum patrem, vnum filium, & reliqua, non abſolutè, ſed definitè ac determinatè prolata fuiſſe. Proptereà, paulò inferiùs inquit: Non enim à ſpiritu accipimus aliqua, quemadmodum à filio ſpiritus, quæ quidem comparatio eſt.

MAR. At non ita nobis videtur.

IOAN. Vt ſi quis (verbi gratia) dixerit, nemo de ſereniſſimi Imperatoris ſubditis, ab eo quicquam accipiet, quemadmodum eorum aliquis, quos in conſilium ſummus pontifex adhibet, ab ipſo accipiet. In qua quidem oratione, QVEMADMODVM non poteſt intelligi, vt illud, eorum aliquis quos in concilium adhibet, ſit caſus accuſatiui: ita quoque neceſſe eſt, vt illud, à FILIO SPIRITVS, nominatiui ſit caſus.

MAR. Res ita, vt dicis, Pater reuerende, ſe haberet, ſi ſic ſcriptum eſſet, quemadmodum à filio Spiritus accipit. Verum cùm Spiritus (vt ſæpè ſæpiùs dictum eſt) accuſatiui ſit caſus, ea, quam ipſe dicis comparationem, à mente Baſilij aliena videtur eſſe, quemadmodum ipſum exponis, nos ſcilicet à ſpiritu non accipere aliqua, quemadmodum à filio Spiritus. Nam ipſo volens oſtendere Spiritum non eſſe filium, verbis his vſus fuit. Quæ quidem ſi ad mentem ipſius Baſilij conferas, nos ipſum melius explanare cognoſces. Id-

ó Magnus Baſilius inquit, ſanctus ſpiritus non eſt filius, ne nominatur, quòd ipſum à filio non accipimus, qui ab erſonaliter differt, à ſpiritu autem non accipimus ali quæ ab ipſo differrent, quemadmodum is ſpiritus alius lio eſt. Deinde ſequitur, ſed ipſum ſpiritum ad nos venié nos ſanctificátem, & nobis ſua charisinata largientem, elicet communionem diuinitatis, filijque cohæreditaté, eliqua id genus dona ſuſcipimus. Sic ergo Magnus Baſi debet exponi. Nam expoſitio hæc, eius ſententiæ me conuenit.

Non accipimus (inquis) à ſpiritu aliqua, quæ ab ipſo dif nt.

Non ea differre intelligo, quemadmodum ſpiritus à fi alius exiſtit.

Velim equidem huic veſtræ ſententiæ obijcere, vpotè ræ ſcripturæ, ac ipſi veritati contrariæ.

Cur obſecro, cùm is doctor id ſentiat?

Quæro ex te P. R. an ſancti ſpiritus dona, ſint ab eis do s diuerſa, quæ nobis tribuit?

Non ea ratione ſunt alia, vt per ſeſe proprijſque perſo s ſubſiſtant, quemadmodum filius ac ſanctus ſpiritus per ſe ſubſiſtere creditur.

Non equidem quæro, an ſancti ſpiritus dona, eo modo nt eadem vel diuerſa.

Sunt ſanè diuerſa, non tamen per ſeſe ſubſiſtentia.

Quanuis ſpiritus dona ſuſcipiamus, ea tamen per ſe non bſiſtunt.

At paulo antè proferebatis, ipſa diuerſa eſſe à ſpiritu uemadmodum ipſe diuerſus à filio creditur eſſe.

Eandem ipſam ſententiam illa Baſilij authoritate con irmare poſſumus.

Quæro ex te, R. P. vtrum ſpiritus à filio datus, creator it, an creatura. Nã quæuis res, creator creditur eſſe vel crea ura. Po[...] autem ipſi credimus ſanctum ſpiritum creatoré eſſe, o[...]erò eius creata. vtrum (inquam) is ſanctus ſpi itus, que[...] Deus per Ieſum Christum in nos infundit ab ndè, ſit creatura necne. Obmutuit pater Epheſius. Itera[m] peto, P. R. an ſancti ſpiritus gratiæ, vna cum ipſo ac eius per ſona, Chriſticulis largiantur necne: & an ſint eædem cum his, quæ ab hominibus ſuſcipiuntur. Videns autem Impera tor Epheſium reſpondere nolle, ac timens, ne ſermo ad aliã quæſtionem tranſiret, Græcique cogerentur de creatore ac creatura differere, iuſſit ne amplius de quæſtione huiuſmo di verba facerent. Latinis autem eadem repetentibus, ita re ſpondit:

Hæc ad propoſitum, P. amp. nequaquam ſpectare vide tur, neque ab huiuſcemodi quæſtione noſtrum dependet negocium: de quo ſolo, non autem alia de re, quæ forſan cauſa futuræ nobis controuerſiæ fuerit, inter nos agere con uenit.

At operæprecium eſſet sereniſſ. Imperator, vt hęc etiam quæſtio diſſolueretur.

Illa Baſilij authoritas, P. A. longè aliter à nobis, quàm à vobis exponitur. Siquidem igitur ex ambiguis ac obſcuris, nil neceſſariò poteſt concludi, ſequitur vos nihil ex ipſis o ſtendere poſſe. Quanuis autem authoritas ipſa ſic etiam poſſet exponi, quemadmodum vobis videtur, à ſpiritu non accipimus aliqua, quemadmodum à filio ſpiritus accipit, li cet talis expoſitio prioribus verbis Baſilij nequaquam con ueniat, quia tamen ex eo non infertur, filium ſpiritus cau ſam eſſe. idcircò ipſa omiſſa, ad aliam veniamus.

Ex beati Cyrilli literis, P. amp. quæ ſic incipiunt, Serua tore noſtro clarè loquente, docemur, nos non ſolùm accu ratè verba perpendere, verumetiam doctoris mentem dili genter inſpicere debere. Siquidem igitur authoritates ſan ctorum in medium proferentes, ipſarum ſenſum exactè non explicare, diſpicereque vellemus, contra ſanè Cyrilli canonem ageremus. At ipſi qui profitemur ipſam Cyrilli ſententiam & legem ſeruare, illam Baſilij authoritatem me ridiana luce clariorem eſſe tenemus, de qua tantum hi meri tò poſſunt ambigere, qui eam exponunt malè, vt vobis cre dimus contigiſſe. Qui cùm ipſam non benè intelligatis, in multa inciditis incõmoda, ac facitis eandé ipſam authoritaté oppoſita ſimul includere, proferentes, quemadmodũ à ſpiri tu accipimus aliqua, ita etiam à filio ſpiritus, quod contra o mnes doctores videtur eſſe: quandoquidem ſpiritum acci pientes à filio, ſpiritus etiam dona ſuſcipimus, necnon ea dem dona ſuſcipientes ſpiritum etiam ipſum vnà cum eius donis accipimus. Quemadmodùm Paulus Apoſtolus in quit: Charitas autem Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Siquidem igitur acci pientes à filio ſpiritum, ſpiritus etiam dona (vt eſt ſuprà di ctum) accipimus, & ipſa dona ſuſcipientes, ſpiritum etiam ipſum ſuſcipimus. Et magnus Baſilius inquit: A ſpiritu non accipim[us] aliqua, quemadmodũ à filio Spiritus: vbi profectò, quia quandá accipiendi diuerſitaté is doctor intellexiſſe vi detur, neceſſe eſt vt ſpiritus nominatiui, nõ aũt accuſatiui ſit caſus. Latinorũ itaq; patrũ expoſitio, vera & clara eſt, vt non accipiamus à ſpiritu aliqua, quemadmodum à filio ſpiritus accipit. nam ipſa dona (vt ipſi etiam paulò ante dixiſtis) à ſpiritu ſunt ſeiuncta, & quod ſpiritus à filio accipit, diui num idemque cum ipſo ſpiritu creditur eſſe, quandoqui dem creatura non eſt: ſua verò dona, quæ nobis largitur, proculdubiò creaturæ ſunt. Neceſſe eſt ergo, hanc magni Baſilij authoritatem exponi ſic & intelligi. Rom. 5.

Nos non inficiamur, P. amp. hanc veſtram expoſitioné poſſe ſtare ac veram eſſe, cùm omnes in hoc conueniamus, fieri non poſſe, vt abſque ſpiritu nos eius dona acceperimus, quandoquidem ſingula eorum cum eodem ſpiritu ſuſcipi mus, quòd totus ſpiritus in ſuis ſingulis donis exiſtit. Quæ quidem verba tametſi vera ſint, adhuc tamen expoſitio no ſtra, vera poteſt eſſe: quandoquidem à ſpiritu non per ſeſe ſubſiſtentia ſuſcipimus, quemadmodum à filio ſpiritum ac cipimus. Quæ quidem expoſitio præcedentibus Baſilij ver bis conſona magis videtur. Quæ omnia, P. amp. quanuis ve riſimilia ſint, nequaquam tamen ex ipſis conſequitur, ſan ctum Spiritum à filio eſſe accipere, ſed nos ab ipſo ſpiritu creaturas ſuſcipere. Hæc ergo P. R. melius demonſtrato, de quibus inter nos controuerſia eſt. MAR.

Vt tibi pater Epheſius morem gereret, huic quæſtioni P. R. reſpondit. Verùm in poſterum ne verbum quidem de ea faciet, quandoquidem non tot de cauſis huc conueni mus. IMP.

Hæc expoſitio, P. A. vera eſt, vt ſpiritus nominatiui ſit caſus. Nam hæc oratio, à filio ſpiritum accipimus, nos ſpiri tum vnà cum eius donis accipere ſignificat, vt ait Apoſto lus: Dilectio Dei poſita eſt in cordibus noſtris, hoc eſt, ideo, quòd filius dat nobis ſpiritum. Accipere igitur à filio ſpiri tum, nil aliud ſignificare videtur, quàm (vt paulò antè di ctum eſt) ſpiritum cum eius donis accipere: quæ quidem donorum acceptio nil aliud eſt, quàm, quod idem Baſilius in eodem loco declarat, videlicet diuinitatis communicatio, & bonorum participatio, ac pignus hæreditatis æternæ, quæ o mnia (vt Baſilius inquit) à ſpiritu accipimus. Quæ igitur à ſpiritu accipere credimus, his eodem donis ipſis eſſe viden tur, quæ nobis filius elargitur per ſpiritum. At magnus Ba ſilius, non enim (inquit) à ſpiritu accipimus aliqua, quem admodum à filio ſpiritus: quæ quidem, ſi SPIRITVS, ca ſus eſſet accuſatiui, eſſent eadem. Verùm maxima differentia debet eſſe inter ea, quæ ſpiritus à filio accipit, quæque ipſi à ſpiritu accipimus: quandoquidem principium in Theolo gia notiſſimum eſt, id quod ipſe Baſilius in eodem loco ci tat, duo tantùm genera rerum exiſtere, id eſt, creatorem & creaturam: porrò dona, quæ ſpiritus nobis largitur creatu ræ ſunt & ſeiuncta: ſpiritus verò ſanctus, creator. Vnde ſe quitur, ſi non à ſpiritu accipimus aliqua, quemadmodum à filio ſpiritus, vt id, quod ſpiritus à filio accipit, diuinitas ſit. Tua igitur expoſitio nulla ratione menti Baſilij conuenit. Hæc Ioannes. Nolente autem Epheſio quicquam de hoc amplius proferre, Imperator ſic dixit. IOAN. Rom. 5.

De propoſita quæſtione, neceſſe eſt, in præſentia diſpu tetis, de hac verò forſan alias. IMP.

Equidem te, sereniſſime Imperator, ſapientiſſimum ac ingenioſiſſimum eſſe puto, mihiq; perſuadeo, te veritatem huiuſce rei cognoſcere, ac ipſum Baſilium aliter exponi non poſſe. Siquidem igitur tibi lubet, vt finem his ponamus, ſatis tibi libentiſſimè faciemus. IOAN.

Si qua dubitatio eſt, Pater Reuerende, viderint audi tores. IVL. CAR.

Ita quoque nobis videtur. IMP.

Dominus

IVL. CAR. Dominus Prouincialis, Patres ampliſſ. Baſilij authoritatem quàm optimè declarauit, ita vt aliter exponi non poſſit, vt omnibus exploratum eſt: idcirco (ſi vobis placet) ad alia veniamus.

IMP. De hac quæſtione ſuo loco conſiderabimus.

IOAN. Quoniam he his ſatis eſt dictum, ideo ſi beatiſſimo ſummo Pontifici & ſereniſſimo Imperatori videtur, orationem noſtram ad alia transferemus.

MAR. Quoniam authoritas ipſa videtur ambigua, & vtraque ex parte variè intellecta. idcirco ad alterum orationis tuæ caput, ſi lubet, veniamus.

IOAN. Nos autem profitemur ipſam ſatis ſuperque expoſuiſſe, ac dilucidaſſe.

MAR. Fieri non poteſt, Patres ampliſſimi, vt ſpiritum in loco tertio diſponamus & numeremus. nam in diuinis perſonis non ſunt, primum, ſecundum, tertium: neque vnum, duo, tria, verùm vnum & vnum & vnum, & vna ſubſtantia. Siquidem igitur generare producereque, nó naturalia & propria, ſed hypoſtatica ſunt: ſequitur, ſi ſanctus Spiritus ex patre filioque producitur, vt ex duabus perſonis producatur, quæ duæ cauſæ ac duo principia eſſent.

IOAN. Nequaquam, pater reuerende, nequaqum. Non enim duo principia, duaſve cauſas in diuinis, verùm vnicum tantùm principium & cauſam profitemur. Nam pater vt pater, ad filium refertur: filij enim eſt pater. Similiter filius vt filius, ad patrem: patris nanque filius eſt, quo quidem non exiſtente, pater eſſe non poterit: quandoquidem relatiua ſunt. At ſanctus ſpiritus neque ad patrem, neque ad filium, quatenus pater & filius ſunt, per ſe poteſt referri. Eſt ne ita, an non?

MAR. Quid ni?

IOAN. Porrò ſpiritus vt ſpiritus, ad ſpirantem refertur. Spirantes verò ſunt, pater ſimul & filius, cum ſine vlla controuerſia ſpiritus patris filijque dicatur eſſe: qui quidem vna eademque ſpiratione, facultateque productiua, Spiritum ſanctum ſpirant atque producunt. Quæ quidem potentia facultaſque productiua, cum vna eademque numero ſit, patris præcipuè creditur eſſe, à quo etiam filius accipit ipſam. Qua ratione P. ampliſſ. dicere ſolemus patrem & filium, vnicum ſpiritus ſancti principium & cauſam eſſe.

MAR. Fierine poteſt, pater reuerende, vt * duæ perſonæ vna ſit cauſa? Nimirum perſonæ coniungi non poſſunt, alioquin verum eſſet Sabellij dogma.

* duarum perſonarum

IOAN. Si me patienter & æquo animo auſcultaueris, me pater reuerende facilè intelliges. Nam vnicam cauſam, vnicumve principium, patrem in diuinis eſſe profitemur, filij quidem per generationem, ſpiritus autem per proceſſionem. Porrò, quoniam pater in generando filio ſine tempore ſpiritum ſiul producit, idcirco filius ex patre accipit eſſe, ac ſimul ſpiritum ſanctum producere, non ex ſeſe, ſed ab illo, à quo etiam habet eſſe. Qua quidem ratione (vt ſupra diximus) pater præcipuè ſimpliciterque ſancti ſpiritus cauſa eſt. Non igitur in diuinis duo principia ſunt, propterea quia quæcunque filius habet, ad patrem referuntur.

MAR. De his hactenus. Nunc ad ſecundam partem veniamus. Liber (inquis) veſter incorruptus eſt, noſtri verò ex eo mendoſi creduntur eſſe, quòd non conuenit credere Magnum Baſilium in ſancti Spiritus Theologia dubitaſſe, ac verbo FORSAN, vſum fuiſſe, dicentem, Forſan pietatis ratio tradit. Ipſi autem tibi reſpondemus, hanc magnam Baſilij ſententiam non fuiſſe, neque aliquos ſanctos id literis mandaſſe, quod Eunomius proferebat, ſanctum videlicet ſpiritum ordine dignitateque tertium eſſe, vt ex ipſius Baſilij verbis apparet: [Sanctorum, inquit, ſimulat conſeruare doctrinam.] Et Infrà: [Qui verò illi ſancti ſint, & in quibus ſermonibus doctrinam fecerunt, non poteſt dicere: Fueritne vnquam homo ſic audax, qui diuinorum dogmatum innouationes induceret?] nullos profectò ſanctus Eunomius poterat citare, qui talem ſententiam habuiſſent. Nam Magnum Athanaſium nequaquam ſanctum eſſe credebat, & ante ipſum neminem ſanctum Doctorem fuiſſe conſtat, qui illam ſententiam habuiſſet. Neque igitur Eunomius oſtendere poterat, eam fuiſſe ſanctorum doctrinam, neque ipſam Baſilius ſuſcepiſſe videtur. Porrò quoniam Eunomius ſcripturæ ſacræ potuiſſet inniti, in qua Seruator noſter inquit: [Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti:] (Matt. 28.) ex quibus verbis quiſquam forſan credere poſſet, ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, idcirco Magnus Baſilius id diſputationis cauſa ſuſcipiens, ac ex hypotheſi ſumens, inquit, ſanctum Spiritum dignitate ſecundum eſſe à filio, forſan pietatis ratio tradit: pietatis quidem rationem appellans eam, quam ex ſancto Euangelio habemus, ita vt hoc modo Magnum Baſilium exponentes, credere debeamus ipſum in hoc hæſitaſſe, an ratione pietatis, hoc eſt, ex ſacra ſcriptura haberetur, ſanctum ſpiritum dignitate quoque tertium eſſe: propterea inquit, cur enim neceſſe eſt, & ſi dignitate & ordine tertius eſt, natura quoque ipſum tertium eſſe? ita & illud FORSAN, ad id debeat referri, quod ex ſacra Scriptura non clarè patet, ſanctum videlicet ſpiritum dignitate tertium eſſe. Ne autem quiſquam crederet, ſanctum Spiritum ex eo dignitate tertium eſſe, quòd ordine tertius eſt, ideo Magnus idem Baſilius (vt in noſtro libro benè ſcriptum eſt) poſt Angelorum exemplum inquit: [Sic profectò & Spiritus ſanctus dignitate quidem & ordine ſecundus eſt, vt aiunt: accepimus enim ipſum tertium à patre & filio numeratum,] & reliqua. Cui ſoli Euangelicæ authoritati, patres ampliſſimi, Eunomius innitebatur, quandoquidem ſanctorum aliam non habebat, qua ſuam ſententiam tueretur.

Quod quidem Euangelicum dictum Baſilius (vt ſæpenumerò dictum eſt) dans Eunomio eo modo interpretandum, verbo FORSAN vſus fuit. ac ſi ſic dicere voluiſſet: Eunomius Euangelio forſan innititur, quod forſan dicit ſanctum ſpiritum dignitate tertium eſſe: non tamen inde conſequitur, ipſum natura quoque tertium eſſe. Qui quidem Baſilius, cum vocaret in dubium, an ſanctus ſpiritus dignitate tertius ſit, idcirco in eodem ipſo ſermone ſic inquit: Non tamen alienæ ipſum eſſe naturæ inde conſequitur, quanquam concedendum non ſit. Quæ quidem particula, QVANQVAM CONCEDENDVM NON SIT, in veſtro libro nequaquã habetur. Non igitur Magno Baſilio dedecori vel turpitudini creditur eſſe, ſi in eo ſermone, quem non affirmans, ſed ex hypotheſi ſumens, verbo FORSAN, protulerit. Sic ergo Baſilium, noſtris libris, qui quamplurimi ſunt, acquieſcentes, exponimus ac intelligimus.

IOAN. Vt veritas libri noſtri, ac ſimul veſtrorum falſitas appareat, Pat. ampliſſ. fierique non poſſe, vt aliqua ratione ex veſtris huiuſmodi libris veritas habeatur, tres omnes Baſilij in Eunomium libros, ſecundum Ambroſij expoſitionem, diligenter examinaui: ex quo quidem benè cognoui, in quibuſnam differamus. Quæ dum explico, attendite, obſecro. In noſtro quidem libro ſcriptum eſt ita: [Dignitate nanque ipſum ſecundum à filio, cum ab ipſo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omnino ab illa cauſa dependeat, pietatis ratio tradit: natura verò tria vtl.] & reliqua. In veſtro autem ita: [Dignitate nanque ipſum ſecundum eſſe à filio, forſan pietatis ratio tradit, natura verò tertia vtl,] & cætera, vbi multorum verborum defectus patet clariſſimè. Præterea Baſilius volens probare, ſpiritum ita ſeſe habere ad filium, quemadmodum filius ad patrem, his verbis vtitur: [Nam quemadmodum filius ordine quidem à patre ſecundus eſt, quoniam ab illo: & dignitate, quoniam origo atque cauſa eſſendi pater ipſi eſt, & quoniam per ipſum acceſſus & deductio ad Deum patrem: natura verò nullo modo ſecundus, quoniam in vtroque vna eſt deitas: ita videlicet & ſanctus ſpiritus, etſi dignitate & ordine ſecundus à filio eſt, non tamen veriſimiliter alienæ ipſum eſſe naturæ indè conſequitur.] Hæc in noſtro volumine. In quibus quidem verbis nulla eſt ambiguitas vel conditio, ſed ſimplex ac mera comparatio vel ſimilitudo. Vos tamen his verbis hoc additis, QVANQVAM CONCEDENDVM NON EST: & facitis, vt argumentum & ratio tanti viri, ſit ambigua & conditionalis. Sed eſt alia quoque magna noſtrorum codicum diſſonantia. Nam magnus ipſe Baſilius, poſt Angelorum ac ſiderum exemplum, * eandem veram, ſimplicem, ac ſine ambiguitate aliquave conditione, certam cõcluſionem infert, ſanctum ſpiritum dignitate & ordine tertium eſſe, quam quidem pieta-

for. * tandem.

is ratione, cui inniti maximè videtur, demonſtrat. [Accepimus enim (inquit) tertium à patre & filio numeratum, cum ipſe dominus in traditione ſalutaris baptiſmatis ordinem tradiderit his verbis: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti.] Quæ ſanè verba Baſilius pietatis vocat rationē. Quibus verbis opinionē ſuam (vt dictum eſt ſupra) fulciens, S. ſpiritum dignitate & ordine tertium eſſe oſtendit, quæ omnia ſequentium cum præcedentibus nexu valdè conſonant. Nam Angelorum exemplum pro vero ac abſoluto ſuſcipiens, ſic ex eo argumentatur. [Quemadmodum angelorum alius princeps, alius ſubtus, & tamen omnes Angeli natura ſunt, & in dignitate quędam diuerſitas, in natura verò communitas eſt, ſic profectò & ſpiritus ſanctus, &c.] In quo quidem argumento, quod in prima propoſitione videtur, accipere, id ſimplex, abſolutum, definitum, ac ſine aliqua conditione aut hæſitatione videtur eſſe: ergo neceſſe eſt, vt id quod ex eo conſequitur, certum & non ambiguum ſit, quemadmodum ex noſtri codicis lectione habetur. At in veſtro verbum hoc, VT AIVNT, additū eſt, ita vt Magnus Baſilius non ex certa ſcientia, verùm dubitanter eam ſententiam habuiſſe videatur. Videre videor, P. A. verba Baſilij, vt in veſtro noſtroq; codice ſcripta ſunt, memoriter repetiſſe. Verùm, ſi qua in parte defecerim, eam tu reuerende pater explana, quandoquidem mihi videtur, non alijs in Baſilij verbis nos differre. Vt autem veritas magis pateat, ne in exponendis ipſis patienter conſtanterque perſiſtamus. Nam in ipſis vertitur cardo, cùm eiſdem, iactis pro fundamentis, Magnus Baſilius in Eunomium diſputat, quæ quidem verba ſi eſſent ambigua, nil prorſus oſtendere poſſent. Quæro igitur ex te, reuerende pater, id quod ſeſſione proxima ex me petijſti, vtrùm ex hac Baſilij authoritate ſentias, Magnū Baſilium credidiſſe aliquos ſanctos fuiſſe, qui credidiſſent, literiſque mandaſſent, ſanctū ſpiritum ordine dignitateque tertium eſſe, necne?

Equidem pater reuerende, neque Baſilium id ſenſiſſe, neque ipſum credidiſſe, hanc fuiſſe ſanctorum ſententiam, neq; denique aſſenſum fuiſſe Eunomio, proferenti ſententiam ipſam à ſanctis, ſibi fuiſſe traditam, cenſeo, vt ex ipſius Baſilij verbis apparet.

Vt Magnum Baſilium, pater reuerende, hoc ſacrum concilium intelligat optime, ab initio tertij in Eunomium libri, vſque ad eam partem, CVR ENIM NECESSE EST: omnia verba Baſilij repetens, ipſum explanabo, quandoquidem ipſe non pauca præterijſti. [Vix tandem (inquit) blaſphemijs in vnigenitum ſaturatus, ad ſpiritum S. tranſijt, totique ſuæ conſentanea voluntati de ipſo etiam diſſerit:] id eſt, cùm nil à ſanctis habuiſſet. Deinde verba Eunomij repetit. [Cùm verò (inquit) hæc nobis de vnigenito ſufficiant, reliquum eſt, vt de paracleto quoque dicamus. Nec opiniones non exquiſitas multorum ſequemur, ſed ſanctorum in omnibus doctrinam conſeruabimus, à quibus cùm dignitate ac ordine tertium ipſum didicerimus, tertium quoque natura eſſe credidimus.] Hæc Eunomius. In quo quidē ſermone Magnus Baſilius tria verba in primis notare videtur. Primum illud, nec opiniones non exquiſitas multorum ſequemur. Secundum illud, ſed ſanctorum in omnibus doctrinam conſeruabimus. Poſtremum illud à quibus cùm dignitate ac ordine, & reliqua. Quibus omnibus eodem ordine contradicit, ita dicens: Quod igitur non putat oportere in ſimplici ac ſyncera fide multorum permanere, ſed artificioſis quibuſdam ac cauillatorijs rationibus ad id, quod ſibi videtur, veritatem rurſus commutare. Eunomium igitur repræhendit, quòd multorum fidem deſpicere videbatur, qua ſpiritum ſanctum glorificarent. Ex quibus quidem verbis apparet, Eunomium bene nouiſſe, quinam hi fuerint, qui eam de ſpiritu ſancto opinionem habuerint: quos tamen Eunomius nihili faciens, [ſanctorum ſimulat conſeruare doctrinam, & tacet eos,] (inquit Baſilius) [quemadmodum in ſermonibus ſuis de filio fecerat.] Et infra: [Qui verò illi ſancti ſint, & in quibus ſermonibus.] Et paulò infrà: [Cur enim neceſſe eſt,] & reliqua. Quæro igitur ex te, reuerende pater, an ipſe Magnus Baſilius multorum illorū ſententiam nouerit, quos Eunomius ſectari noluerat? & an artificioſa & cauillatoria Eunomij ſciuerit argumenta, quibus veritatem euertere cupiebat? Credo equidem, Patres amp. Baſilio hæc omnia explorata fuiſſe, necnon quinam hi ſancti fuerint, quos Eunomius proferre non poterat.

Eunomius, pater reuerende, multorum opinionem de ſancto ſpiritu eam eſſe intelligebat, quam multitudo Chriſtianorum ex traditione baptiſmatis ſalutaris conceperat: Ex eo enim quòd ſanctus ſpiritus cum patre & filio diſponitur atque numeratur, piè quoque Chriſtiani crediderant, ſpiritum ſanctum eiuſdem eſſe naturæ. Ma.

Benè igitur Athanaſius, ac cæteri ſentiebant? Io.

Ipſi etiam credebant cum pluribus. M.

Eunomij autem artificioſos ac ſophiſticos ſermones, quos putas fuiſſe? Io.

Quia multorum ſpernebat opinionem, quodque ſanctorum doctrinam ſimulabat ſeruare, quos nequaquā proferre, nominareque potuiſſet, (nullos enim tales fuiſſe credendum) quod denique ſanctum ſpiritum ordine dignitateque tertium eſſe concedens, ipſum natura quoque tertium eſſe, artificioſè cauillatorieque ratiocinabatur. Quam quidē concluſionem Baſilius volens euertere, dat non tamen concedit Eunomio, ſpiritum ordine dignitateque tertium eſſe, probans, non tamen ex eo neceſſe eſſe, vt natura quoq; tertius ſit. Patet ergo, Eunomij rationes artificioſas fuiſſe, quibus concludere oſtendereque nitebatur, id quod ex ipſis neceſſario non potuiſſet inferre. M.

Eunomius, P. A. ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertiū eſſe, à ſanctis accepiſſe profitebatur, ratus ex eo ſimpliciter ac ſine controuerſia concludere poſſe, ipſum natura tertium eſſe. Neceſſe enim fuerat ei ad concluſionem ipſam probandam, argumento ſaltem ſophiſtico, apparenterque vero vti, quod quidem fuiſſe creditur, iam quod à ſanctis accepiſſe dicebat. Idcirco Baſilius inquit, [Sanctorum ſimulat conſeruare doctrinam:] non autem dicit, artificioſas & cauillatorias rationes accepit. Patet igitur, Eunomium ex præcedenti verò, concluſionem ſuam oſtendere voluiſſe, ac ipſam veram eſſe putaſſe. Quod quidem Eunomij argumentum ſi benè perceperitis, dubio procul vobis patebit, ipſum concluſionem eam inferre voluiſſe. Cum ſanctis autem illis qui ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe proferrent, ipſe Baſilius ſentiebat, quorum ſententia Eunomio nequaquam opitulabatur, vt ex ea concluſionem ſuam poſſet inferre, ſanctum videlicet ſpiritum natura quoque tertium eſſe. Quandoquidem ſancti, tametſi noti fuerint, quoniam tamen eorum ſententia ad Eunomij rem neutiquam facere videretur, idcirco is Eunomius ipſos (vt inquit Baſilius) nominare non audebat, quos multos eſſe dicens, opiniones eorum non exquiſitas appellabat, qui ſancti ſanctū ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe profitebātur, quos tamen Eunomius paruifaciebat, & nulli alij ſancti fuerant, quos verè poſſet citare. Propterea Baſilius inquit: [Qui verò illi ſancti ſint, & in quibus ſermonibus doctrinam fecerunt, non poteſt dicere.] Quibus quidem Baſilij verbis, pater Epheſie, falsò videris adduci, vt credas ipſum Baſilium neutiquam credidiſſe, ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, nec illos vnquam ſanctos huiuſmodi ſententiam habuiſſe, cum ſi qui fuiſſent, eos (inquis) Eunomius citauiſſet. At ipſi dicim⁹, nōnullos ſanctos noſtros ante ipſum fuiſſe, qui cū eius opinionis fuerint, ſpiritus S. quoq; proceſſionem credebant: Eunomium autem Arianorum ſecta inuolutum, cum ipſis ſanctis ſentire noluiſſe. Nunc redeo ad proximum meum ſermonem, ad quem etiam reſpondiſti. In quo quidem Eunomij verba repetij, vt vos patres ampliſſimi, rem noſtram melius intelligeretis. Magnum dicebam Baſilium volentem Eunomio contradicere, ſuam primò concluſionem ſimpliciter poſuiſſe, ac ipſam deinde (vt ex noſtri codicis lectione videtur) duabus rationibus demonſtraſſe: altera, quòd quemadmodum filius ſe habet ad patrem, ita etiam ſpiritus ad filium: altera verò, Angelorum exemplo, quippe qui verus raciocinandi modus exiſtit, vt ex propoſitionibus, veris ſimplicibus ac abſolutis, veræ, ſimplices & abſolutæ, concluſiones inferantur: quandoquidem canon certus ac non fallax in dialectica eſt, vt ex propoſitionibus veris, falſum inferri non poſſit. Cùm igitur vera & non ambigua magnus Baſilius propoſuerit, con-

cluſio-

cluſionem etiam veram neceſſariò intulit. Differt autem nihil, ſiue illa fuerint argumenta, ſiue authoritates: ſacra nanque ſcriptura & authoritates ſanctorum, verorum argumẽtorum vim habent. Ex veſtri verò libri lectione duo non parua incommoda ſequi videntur. nam ex propoſitionibus veris falſa concluſio ſequitur, & ex ambigua Baſilij propoſitione, vera, non autem ambigua, concluſio habetur. Quod dubio procul fieri non poteſt: nam neceſſaria concluſio, ex dubia propoſitione nequaquam conſequitur. Diſpice igitur obſecro, pater reuerende, quibus in tenebris verſere, in hac iſta tua perſiſtens ſententia. Nam ex his duabus rationibus patet, librum veſtrum in hac parte mendoſum & corruptum eſſe.

Mar. Non equidem arbitror, patres ampliſſimi, neceſſarium eſſe, vt ex ſimplici ac abſoluta oratione concluſio ſimplex & abſoluta ſemper ſequatur: quinimò fieri poſſe exiſtimo, vt quippiam verum ſimpliciter ſit, id tamen quod ex eo infertur, non verum ſimpliciter, ſed ex hypotheſi ac alicuius poſitione verum exiſtat. Quemadmodum Magnus Baſilius ratiocinari videtur, qui Angelorum exemplis, quæ vera ſimpliciter ſunt, non neceſſarium eſſe, diuerſam ipſos naturam habere, demonſtrat, & ſi alius quidem princeps, alius verò ſubditus (vt inquit Baſilius) ſit: quippe qui poſitis angelorum exemplis, datoque ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe, quod Eunomius ab Euangelio habere profitebatur, non tamen neceſſarium eſſe demonſtrat, ſpiritum natura quoque tertium eſſe. Non igitur verum eſt, vt ex ſimpliciter abſoluteque veris, id, quod concluditur, tale ſit.

Ioan. Vt me melius intelligas, reuerende pater, hoc exempli do tibi: Homo currit, ergo mouetur. In quo quidem argumento neceſſe eſt intelligere, non ſolùm hominem ſimpliciter currere, verùm etiam ex conditione, vt ſi homo currit, moueatur.

Mar. Non ita ſe habet. His dictis ſeſſio fuit dimiſſa, ſancta iubente ſynodo, vt die Martis frequens iterum conueniret.

Die Martii xvij. Menſis Martij, ſeſſio 23. Florentiæ.

Mar. NOſtra quidem religio, patres ampliſſimi, non ab hominibus, neque per homines initium habuit, confirmataque fuit, verùm ab ipſo Domino Ieſu Chriſto, quem diſcipulis ſuis clarè & apertè locutum fuiſſe credimus: idcirco verbis ambiguis & obſcuris poſtpoſitis, (licet ea etiam accuratè conſiderata, à nobis magis, quam contra nos faciant) eò noſtram transferamus orationem, vnde rerum omnium canonem nos habere oportet. Porrò autem credendum eſt, Magnum Baſilium nec contra Chriſtum Dominum & eius diſcipulos, nec ipſorum poſteriores, nec ſibi ipſi diſſona ſcripſiſſe, memoriæque prodidiſſe, vt pluribus eiuſdem Baſilij verbis vobis probauimus, ac Dei benignitate, à quo dicendi facultatem habemus, probabimus. Age igitur laudemus diſcipulum à præceptore, ac ſeruum à domino, & eundem ipſum Baſilium in ſuis ſermonibus, non à Domino diſcrepaſſe, verùm ipſum ſecutum fuiſſe, probemus. In primis quidem Deus & verbum, ac primus Theologus & Theologorum omnium doctor, cùm extremo ſermone diſcipulis ſuis illa Theologiæ ſecreta proderet, dixit: [Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.] In quo quidem ſermone, cùm de tribus perſonis mentio fit, tribus etiam verbis vtitur, ſingulis videlicet ad perſonam ſingulam referendis. Nam ſpiritu Ioan. 15. ſancto protulit illud: Cùm autem venerit paracletus: de ſe ipſo patreque. Quem ego mittam vobis à patre: de ſolo autem patre, Qui à patre procedit. Inſpice igitur, obſecro, Pater reuerende, quàm exactiſſimam Theologiam nobis tradiderit. Per illud enim, Cùm venerit, maximam ſpiritus libertatem ac facultatem oſtendit: per illud verò, Quem ego mittam vobis à patre, ſuam & patris beneuolentiam erga ſpiritus ſancti præſentiam, apparitionemque demonſtrauit: D.Greg. Theol. per illud autem, Qui à patre procedit, patrem ſpiritus cauſam eſſe patefecit. Pro quarum duabus primis partibus Gregorius Theologus in ſermone de ſancto ſpiritu, quem in feſto Pentecoſtes habuit, inquit: [Venientem quidem vt liberum miſſum verò nõ vt ἀντίθεον, hoc eſt, contra Deum.] Quoniam enim pater iam diu præcognitus fuerat, ac deinde filius. poſtremò verò ſpiritus ſanctus apparuit: ne quiſquam impius crederet, ipſum alterius exiſtentem naturæ ac voluntatis, aduerſus Deum veniſſe, idcirco à patre & filio mitti dicitur, ita vt illa miſſio, ipſorum beneuolentiam (vt eſt ſupra dictum) ſignificet. Item in alio de ſancto ſpiritu ſermone Theologus idem inquit: [Mittitur quidem œconomicè, venit autem ſua ſponte:] ſancti ſpiritus apparitionem, ob generis humani commodum, œconomiam appellans. Ergo quemadmodum verbum mittere, ad patrem ſimul & filium refertur: venire verò, ad ſpiritum: (ſolus enim ſpiritus venit, minimeque neceſſe eſt intelligere, perſonam aliam cum ipſo veniſſe vel venire) ita quoque credendum eſt, verbum PROCEDERE, ad patrem ita referri, vt ex ipſo ſolo, non autem ex filio, proceſſio fieri intelligatur. Cur etenim de ſancto ſpiritu loquens Dominus, eum ex ſe & patre mitti protulit? de proceſſione verò faciens mentionem, non à nobis dixit, vel ex me patreque procedere, verùm, qui à patre procedit? Quoniam igitur ſpiritus ſancti proceſſio, patris propria eſt: idcirco neceſſe non eſt, vt filius in ea intelligatur, cuius quidem rei teſtis eſt ſæpè nominatus Gregorius, qui de diuinarum perſonarum proprietatibus loquens, inquit: [Propterea noſtri in terminis ſtantes, ingenitum & genitum, & quòd ex patre procedit, proferimus, vt ipſe Deus & verbum dicit.] Siquidem igitur ſancti ſpiritus proprium eſt, non quidem ſimpliciter, ſed ex patre procedere: proprium verò cum eo, cuius eſt proprium, neceſſariò conuertibile eſt, ac eidem æquale: neceſſe eſt, has enunciationes veras eſſe: Quod ſanctus ſpiritus eſt, id ex patre procedit: & quod ex patre procedit, id ſanctus ſpiritus eſt: ita vt ſi quid aliud eſſet, quod ex alio quoque procederet, id ſpiritus ſanctus non ſit: quod palam eſt ſecundum veram rationem conuerſionis. Fieri ergo non poteſt, cùm ſanctus ſpiritus ex patre procedere dicitur, vt ex filioque ſubintelligatur procedere, quam quidem firmiſſimam rationem, ex noſtri ſeruatoris verbis, necnon ex noſtro Theologo habuimus. Nunc ad ipſius noſtri ſeruatoris diſcipulum, & arcanorum eius participem, & cæleſtem hominem, ac vas electionis Paulum veniamus: quidque ipſe de ſancto ſpiritu ac eius eſſentia ſcripſerit ad Corinthios, accuratè conſideremus. [Nos autem] (inquit) 1.Cor. 2. non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex * Deo.] for.* Deo eſt Ne autem quiſpiam crederet Paulum ex filio quoque ſubintellexiſſe, per beati Ioannis Theologi doctrinam inſpiciat, eandem ipſam Pauli Theologiam dilucidantem, ea videlicet ex parte, qua, ſemper Virgine Dei genitrice Maria fauente, magno ac admiratione digno Gregorio arcana Theologiæ aperuit, vt beatus Gregorius Nyſſenus in eius vita teſtatur. Qui quidem ſanctus Ioannes inquit: [Vnus ſpiritus ſanctus ex Deo eſſentiam habens, ac per filium manifeſtatus hominibus,] & reliqua. Vnde clarum eſſe videtur, fieri non poſſe, verbum, EX FILIOQVE, ſubintelligi: nam huic orationi, EX DEO ESSENTIAM HABENS, non illud ſtatim ſubiunxiſſet, AC PER FILIVM MANIFESTATVS HOMINIBVS: qua quidem particula demonſtrauit, ſoli patri proprium eſſe, vt ex ipſo ſanctus ſpiritus eſſe habeat: filio autem, vt per ipſum mortalibus appareat. Audientes ergo ſpiritum ex Deo eſſe, non eſt neceſſe, quinimmò fieri non poteſt, vt EX FILIOQVE ſubintelligant: quandoquidem hæ duæ orationes, ſanctum ſpiritum ex Deo eſſentiam habere, ac per filium manifeſtari, diuerſa ſignificant. Hoc enim filio illud verò patri, dubio procul aſcribitur. Quæ omnia ex literis ſacris habentur. Porrò autem Dionyſius Pauli diſcipulus, ac, eiuſdem ſecretorum & myſteriorum particeps, quidnam in hoc ſentiat, S. Dionyſ. videamus: quippe qui in capitulo, quod inſcribitur, Quæ ſit vnitio & diſcretio in diuinis, inquit: [Eſt autem diſcretio in ſuperſubſtantialibus Theologijs, non quam dixi tantùm, quòd ſecundum ipſam vnitionem immixtè & inconfusè collocatur vnaquæque principalium perſonarum, ſed quòd ea, quæ ſunt ſuperſubſtantialis deiformitatis, non conuertuntur ad ſe inuicem. Solus autem fons ſuperſubſtantialis deitatis eſt pater.] Siquidem igitur ſolus

fons ſuperſtantialis deitatis eſt pater, qua quidem ratione à filio & ſpiritu ſeiungitur: (loquitur autem de perfecta diuinarum perſonarum diſiunctione) ſequitur, vt neque filius neque ſpiritus cum patre, quatenus fons eſt, communicet: alioquin in perſonis ipſis confuſio, nō autem ſeiunctio eſſet [Propterea (inquit) neque coniuncta deſtruere, neque ſubiuncta confundere licet.] Fontis autem ratio nullo pacto refertur ad filium, ob idque ſancti ſpiritus cauſa filius eſſe non poteſt: nam à ſuperſubſtantiali diuinitatis fonte ſpiritus ſanctus ſcaturit. Siquidem igitur ſolus pater diuinitatis fons eſt, quo quidem à filio ſanctoque ſpiritu ſegregatur, ſequitur, vt ſolus etiam mittens ſpiritum ſit. Vnde ſequitur, vt veſtrum dogma ex talis tantique doctoris ſententia, non ſolùm nequaquam probetur, verùm etiam clariſſimè refellatur ac reprobetur. Quam quidem ſententiam magnus etiā Athanaſius in ſermone, qui de æterna filij ſanctique ſpiritus eſſentia inſcribitur, ita teſtatur: [Diſiungimur (inquit) ab ijs, qui Iudæos ſecuti, cùm Deum de Deo negant, vt Chriſtianorum fidem euertant, Deum vnum vt Iudæi profitentur: non quòd ſolus ingenitus ac ſolus diuinitatis * eſt pater, verùm quod ſine filio, ac ſine fructu viuentis verbi exiſtit.] Vbi doctor etiam ipſe, patrem ſolum ingenitum, ac ſolum fontem diuinitatis teſtatur. Vt autem fieri non poteſt, vt eſſe ingenitum, alicui perſonarum communicetur: ita etiam fieri non poteſt, vt fons diuinitatis cum filio communicetur. Vnde ſequitur, vt filius non ſit fons, neque cōſequenter ſancti ſpiritus cauſa. Ecce P. A. quam clarè ſancti doctores in hac veritate conueniant. Sed vniuerſalium quoque cōciliorum ſententias, eandem ipſam veritatem teſtantes, in medium proferam. Nam primum Nicænum ad hæſitantem quendam philoſophum pro Leontio Cæſareen. præſule ſcripſit ita: [ſuſcipe vnam patris diuinitatem, filium ineffabiliter generantis, necnon filij ex eo geniti, ſanctique ſpiritus, qui ex ipſo patre procedit, quique filij proprius eſt, ſecundum Paulum Apoſtolum, qui, ſi quis ſpiritum, inquit, Chriſti non habet, is non eſt eius.] Quæ quidem verba P. A. perpendenda ſunt, ac ipſius ſacræ ſynodi mens accuratè cōſideranda, quæ de ſpiritus ſancti Theologia loquens, videlicet vnde procedat & diuinitatis cauſam habeat, EX PATRE protulit: ne quis forſan putaret, proceſſionem ad filium debere referri, de quo paulò ante fecerat mentionem.

Statutum ordinem mihi, pater reuerende, præterire videris: quandoquidem inter nos conuenit, vt de parte in partem, & de argumento in argumentum progrediamur.

Non equidem ordinem ſtatutum, P. reuerende, peruerto, dum ſtudeo fortiſſimis argumentis oſtendere, noſtrum Magni Baſilij librum non eſſe mendoſum, neque Baſilium ipſum ſibiipſi contradixiſſe.

Superiori ſeſſione, patris ampliſſimi, beatiſſimi patris noſtri, nec non Imperatoris ſereniſſimi iuſſu conuenimus, vt de parte in partem, ac de argumento in argumētum progrederemur: idcirco à Magni Baſilij ſermone, quem pro pentecoſtes celebritate literis mandauit, proximæ noſtræ orationis exordium ſumpſimus, in qua tametſi forſan multus viſus fuerim, nunquam tamen à propoſito ſermo noſter defluxit, ſed in veritatem inueſtigandam vehementer incubuit, quam deinde aſſecutus, ſtatim ad alteram ipſius Baſilij authoritatem in tertio contra Eunomium libro veni: in qua quidem exponenda, longa etiam vſus fui oratione, nihilominus à propoſito nunquam ſermonem meum diuerti. Volenti nanque mihi eam ſententiam patefacere, neceſſe fuit, ipſam clarè exponere, fideliterque interpretari, nunquam tamen (vt ſupra dixi) an eius verbis diſceſſi, qua in re mihi videor aſſecutus fuiſſe, vt ex præcedentium verborum Baſilij expoſitione, ſequentia reddita fuerint clariora. Poſt hæc argumenta duo validiſſima protuli, quibus mihi videor probaſſe, verbum illud FORSAN, neutiquam ſtare poſſe, in qua quidem diſputatione pro magnitudine rei breuior eſſe non potuit. Siquidem igitur reuerende Pater, ordinem eundem ſeruare voluiſſes, profectò contra meam eiuſmodi expoſitionem & argumenta primò dixiſſes. At puto contigiſſe, vt argumenta mea ita tibi valida viſa fuerint, vt ipſa non potens deſtruere, ad aliam materiam veneris: quod mihi profectò vehementer placeret, ſi etiam tu idem affirmares. Porrò ſi ea fugere declinareque cupiebas, ſaltem ad Athanaſij authoritatem venire debebas, quam poſt Baſilium attuli, quæ quidem non minus, ac ipſius Baſilij authoritas, ad rem noſtram ſpectare videtur, Pater reuerende, poſtpoſitis his, ac nullo (vt dictum eſt) ordine ſeruato, alias de ſancti ſpiritus proceſſione quæris authoritates, perindè ac illæ, de quibus agimus, in ſancto Euangelio fundatæ non ſint. Num illa Baſilij ſententia ex his Euangelij verbis, [De meo accipiet, & annunciabit vobis,] non dependet? num in ratione pietatis ac veritatis, quam in traditione baptiſmatis ſeruator noſter protulerat, bene fundata non exiſtit? Immò ſi ſi diligenter pater reuerende proſpexeris, quod in xv. Ioannis Euangeliorum capite dicitur, [qui à patre procedit,] id in ſubſequenti capite, quonam pacto intelligi debeat, ab eodem Ioanne expoſitum clarè reperies, vbi dicit: [Omnia quæcunque habet pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.] Siquidem igitur & authoritates ipſæ, quas citaui, & argumēta noſtra ex ſacra ſcriptura ſunt, magnum profectò inconueniens eſſet, & huic ſacro Concilio non mediocri dedecori, ſi poſtpoſitis ipſis, ac nulla per vos ad argumenta noſtra reſponſione habita, ad eas veniremus authoritates, quas modò protuliſti. At longè aliter mihi mens eſt. Nam ſis in dicendo multus, vt lubet: quandoquidem non ego, ſed ſereniſſimus Imperator tibi legem imponere poteſt: ego tamen diſputationis normam & ordinem ſemper ſeruabo, ita vt nunquam huic tuæ orationi reſpondeam, niſi tu Pater reuerende, ſeruato noſtræ diſputationis ordine, (vt ſupra dictum eſt) nobis prius reſponderis. Quod quidem agendum eſt tibi, ſi nolis tempus vanè conterere. A te igitur vehementer contendo, vt ad argumenta noſtra reſpondeas, ex quibus Magni Baſilij mentem dubio procul percipies, niſi aliter ſanctiſſimus dominus noſter iuſſerit. Sed tertiæ ſynodi authoritatem, quam etiam S. Cyrillus citauit, quanque memini alias ad propoſitum protuliſſe, iterum repetam. [Sanctorum (inquit) patrum profeſſionem rebus in omnibus conſectantes, quam in ipſis, ſpiritu ſancto loquente, habuerant, necnon mentem ipſorum diligenter inueſtigantes, veritatem proferimus.] Qui quidem canon, Pater ampliſſ. nobis debet ſeruari, ac ita ſanctorum authoritates citare debemus, vt conſtanter ac diligenter ipſarum veritatem inueſtigemus.

L Diſputationis ordinem, P. ampliſſ. vt inter nos conuenit, dubio procul ſeruauimus. Porrò, quoniam in exponendis nonnullis magni Baſilij verbis proximam ſuperioremque ſeſſione (vt noſtis) fruſtra contriuimus, ideo ne in ipſis verbis ſemper verſando, ac dicendo & reſpondendo, diſputatio noſtra fiat infinita, maius operæprecium nobis eſt viſum, non obſcuris, ambiguis, & mendoſis libris, verum ſancta ſcriptura, & ſanctorum ſententijs ab omnibus Chriſtianis conceſſis atque receptis, noſtram cauſam agere. Nam eadem ſemper repetētes, nil vnquam profecerimus, cùm præſertim illud verbum FORSAN, non noſtris libris additum fuiſſe clariſſimè probauerimus. Ne autem (vt paulò antè dictum eſt) in eis continuò verſaremur, alias authoritates, quàm maximè Baſilio conſonantes, in medium proferre voluimus, vt etiam ex ipſis appareat, noſtros libros non eſſe mendoſos: quibus deinde repetitis, dialecticè ac ſuo loco, fauente Deo, reſpondere poteritis.

Si patris Epheſij perorationem, præſt. P. audire expectauiſſetis, veſtris etiam argumentis reſpondiſſet: ſed quoniam vos ſemper dicere vultis, nobis verò nunquam opportunitas datur dicendi, idcirco pater Epheſius data occaſione, rationes ſuas nunc intendit afferre.

M Ergo redeamus vndè ſumus digreſſi. Primam ſanctam generalem ſynodum, P. ampliſſ. dicebamus, pro Leontio Cæſareen. antiſtite ad quendam hæſitantem philoſophum N ita ſcripſiſſe: [Suſcipe vnam patris diuinitatem, & reliqua.] Vbi ſcitu dignum eſt, ſanctum ipſum concilium illud EX PATRE protuliſſe, ne quiſquam crederet, verbum EX IPSO, ad filium quoque referri: quandoquidem de eo quoque fecerat mentionem, ac ſi ſic protuliſſet, non ex filio, ſed ex patre ſpiritū S. procedere. Quam etiā ob cauſam illud quoq; ſubiunxerat, QVIQVE FILII PROPRIVS EST perinde ac ſi dixiſſet, tametſi ſpiritus ex filio non procedat, non tamen eſt alienus ab ipſo, quandoquidem conſubſtan-

tiales

tiales exiſtunt. Ad quam quidem intelligentiam Paulus di- Rom. 8.
xiſſe creditur, [ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, is non eſt
eius,] vt B. etiam Cyrillus Theodorito reſpondens, à quo
quidem incuſabatur, ſe credere ſpiritum ſanctum ex filioq; D. Cyrill.
procedere, inquit: [Quanuis S. Spiritus ex Deo & patre pro
cedat, non tamen alienus à filio eſt.] Sed de his aliàs, ſi da
bitur opportunitas, accuratius conſiderabimus. Quibus
quidem cum ſanctis patribus ac ſancta ſynodo magnus et- D. Baſil.
iam Baſilius conuenit, quippe qui 18. c. ad Amphilochium
inquit: [Spiritus Chriſti dicitur, vt eius proprius ſecundum
naturam, hoc eſt, vt conſubſtantialis:] quem ſi Baſilius cre
didiſſet ex filio accipere eſſe, non ipſum, vt eius proprium
ſecundum naturam, verùm vt procedentem, & ex ipſo ha-
bentem eſſe, ac annunciantem, dixiſſet, quæ ſanè verba ma-
gis conſequi viderentur. Qui etiam magnus Baſilius in ſer-
mone contra Sabellium & Eunomium inquit: [Equidem
ſpiritum cum patre, non autem ipſum patrem eſſe noui:
necnon ipſum cum filio accipi, non autem filium nuncupa-
tum: & proprietatem eius ad patrem intelligo, quandoqui-
dem ex patre procedit: ad filium verò, quandoquidem il- Rom. 8.
lud audio, ſi quis ſpiritum Chriſti nō habet, is non eſt eius.]
Inſpicite, obſecro, P. A. hæc verba, quam eius ac aliorum
ſanctorum patrum dictis conſona ſint. Ad patrem, inquit,
quandoquidem ex patre procedit: ad filium verò, quoniam
Apoſt. dicit: Si quis ſpiritum Chriſti non habet, is non eſt Ibidem.
eius, id eſt, ſimpliciter, quia ſecundum eius naturam pro-
prius eſt, (vt paulò ſuprà dictum fuit) non autem quia ex
ipſo procedit. Quid clarius, quid dilucidius hac tanti viri
ſententia poterit eſſe? Diſpicite, obſecro, P. A. pro canone
ſola veritate vtentes, an ei fuiſſet conueniens talia verba me-
moriæ tradere, ſi S. ſpiritum credidiſſet ex filioque procede-
re. Hæc ex prima ſancta generali ſynodo habemus: quibus
profectò conſona magnus idem Baſilius ſenſiſſe videtur,
quæ quidem ſynodus in ſuo ſymbolo ſeruatoris verbis in
nitens, quibus in baptiſmatis traditione fuerat vſus, S. ſpiri-
tum ita cum patre filioq; diſpoſuit, vt poſt patris filijq; theo
logiam, ſermoné ſuú ad illū tranſtulerit. Cuius deinde ſpiri-
tus ſancti theologiā altera generalis ſynodus exponere, quaq;
2. Syn. Cō ratione contra S. Spiritus inimicos cum patre filioque di-
ſtantin. 2. ſponeretur, dilucidare volens, protulit. [Et in S. ſanctum
gen. dominum & viuificantem, qui ex patre procedit, qui cum
patre & filio ſimul adoratur, & conglorificatur.] Vbi ſan-
ctorum illorum intelligentia nobis diligentiſſimè perpen-
denda eſt, vtpotè qui primam illam S. ſpiritus Theologiam,
necnon eiuſdem cum patre filioque diſpoſitionem declara-
uerint, ac eiuſdem diuerſam erga patrem & filium proprie-
tatem docuerint, ac ſi ſic dixiſſent: Et in ſpiritum ſanctum
qui ita cum patre filioque diſponitur, vt ab illo procedere,
ſimul verò cùm filio adorari ac conglorificari credatur, quā-
doquidem conſubſtantialis eiuſdemque dignitatis cum eis
exiſtit. Nam ſi ſancta ſynodus ipſa, S. Spiritum credidiſſet
ex patre filioque procedere: cur, cùm de vtroque ſimul fe-
cerat mentionem, non ita protuliſſet, Qui ex patre filioque
procedit, quique cum ipſis ſimul adoratur & conglorifica-
tur. Nam cum quippiam ad duo refertur, præſertim ſi ab eis
vt à cauſis dependeat, id ita in oratione ſolemus diſponere,
vt vtranque cauſam primo proferamus, deinde communi
ambobus vtamur verbo, quemadmodum hæc duo verba,
SIMVL ADORATVR ET CONGLORIFICATVR,
cauſam vtranque ſignificant. Siquidem igitur S. ſynodus ad
declarandam S. ſpiritus cauſam, nullam de filio mentionem
fecerat, volens autem conſubſtantialitatem eius oſtendere,
filij quoque meminerat: ſequitur, ipſam ſynodum non cre-
didiſſe, ſpiritum ſanctum ex filioque procedere, quādoqui-
dem filium neutiquam tacuiſſet, cum idcirco ea protulerit
omnia, vt Nicænum ſymbolum clarius redderet. An autem
talis Nicæni ſymboli declaratio abſolutiſſima ſit, nō autem
(vt dicitis) imperfecta, ita vt ſynodus illa cauſam vnam ta-
cuerit, ex eo facere poſſumus coniecturam, quòd nulli po-
ſteriori ſynodo declarationem ipſam magis illuſtrare, vel
illud EX filioque, ſymbolo apponere viſum fuerit, ſed po-
tius poſteriores ſynodi prohibuerint, ne cui liceret ipſi ſym-
bolo quippiam addere, ac veſtrū hoc dogma tunc vobis fu-
turum eſſe, diuinaſſent. Cuius quidem ſecundæ ſynodi de-
fenſor, & acerrimus propugnator, necnon eiuſdem ſymbo-
li, quo nos vtimur (vt fertur) compoſitor & cōſcriptor ma-
gnus Gregorius, qui poſteà ob eius Theologiam, in qua præ-
clariſſimus fuerat, Theologus fuit cognominatus, in ſerm.
qui inſcribitur, de nauigat. ex AEgypto, dicit: [Omnia, quæ
pater habet, ſunt etiam filij, excepta cauſalitate.] Vbi patrem
à filio cauſalitate ſeiungit, quemadmodū Dionyſius* fonte. * origine.
Siquidē igitur filius in hoc differt à patre, quòd non eſt cau-
ſa: luce clarius ſequitur, vt neq; mittens, ne Spiritus ſanctus
cauſa ſit. Hæc ille clariſſimus. Doctor palam profeſſus fuit.
Sed tertia quoque ſynodus eandem ipſam ſententiam ha- 3. Syn. ge-
buit, ac re ipſa firmauit: quippe quæ Neſtoriano ſymbolo neral.
recitato, per quendam Chariſium ſacerdotem allato, in
quo quidem continebatur, Spiritum ſanctum non eſſe fi-
lium, neque per filium eſſentiam habere, theologiam ipſam
ſuſceperit, inueniens eam ſanctis patribus conuenire, ac S.
ſcripturæ conſonam eſſe, ita vt neque opinionem ipſam
antiquauerit, neque Neſtorium pro eo damnauerit, tamet-
ſi Neſtorianum ſymbolum ſimpliciter reprobauerit, de-
cernens ita: [Si qui ſymbolum illud crediderint vel docue-
rint, quod Chariſius in medium protulit ac recitauit, in quo
de vnigeniti filij Dei incarnatione, hoc eſt, de turpib⁹ & ob-
ſcœnis Neſtorianis dogmatibus, mentio fit, huius ſanctæ &
œcumenicæ ſynodi ſententiæ ſubiaceant.] vbi patet, P. A.
ſynodum ipſam Neſtorianū de Dei filij, incarnatione do-
gma, nō autem Neſtorij de ſpiritu S. theologiam, damnaſſe.
Vnde fieri poteſt facilior coniectura, tunc temporis cōmu-
nem opinionem fuiſſe, ſpiritum S. ex filio nequaquam pro
cedere, quam quidē ſententiam prima Nicæna ſynodus ha
buit, ipſam deinde tertia ſuſcepit & approbauit. Porrò autē
Cyrillus contra Neſtorium pro S. ſpiritus proceſſione lite
ris mirum in modum inuehens, nonnullis aliquam dedit an
ſam, vt ab eis incuſaretur, quòd ſanctum ſpiritum crederet à
filio eſſentiam habere. Vnde euenit, vt Theodoritus contra
Cyrillum inuectus, ex Orientalium patrum ſententia ſcri- Theodor.
pſerit ita: [Siquidem S. ſpiritum idcirco proprium filij no-
luerant, quòd vnius naturæ ſunt, ac ex patre procedit: id etiā
ipſi profitemur, ac vt piam vocem ſuſcipimus. Sin aūt, quòd
ex filio vel per filium procedit, illum tanquam blaſphemū
impiumq; refellimus, credentes Domino, qui dixit ſpiritū
veritatis, qui ex patre procedit necnon Apoſtolo proferēti,
vos autem non ſpiritum mundi accepiſtis, ſed ſpiritū qui ex Ioan. 15.
Deo & patre.] Cui deinde inuectiuæ Cyrillus, literis ad quē- 1. Cor. 2.
dam Euoptiū antiſtitē ſcriptis, reſpondit, dicens ſe à Theo-
dorito incuſari, ſibiq; pro ipſius Theodoriti odio in ſe, ac
eiuſdem erga Neſtorium beneuolentia, plurimum detrahi.
[Decretum (inquit) accepi, quo de tua pietate certus ſum fa-
ctus, quod quidem dicitur factum eſſe cōtra eos, qui Theo- D. Cyrill.
doritum Cyri, quem τειλόχειον appellari dicebat, anathemate
notant. Quod cum accepiſſem, Deo gratias egi, ac pſalmū il-
lum decantaui: Domine, libera animā meā à labijs iniquis & Pſal. 119.
à lingua doloſa: quandoquidem mihi videor vbique detra-
hi, ac multis de cauſis incuſari, eius præſertim opinionis, pro
qua me blaſphemum appellat.] Cyrillus ergo non eius ſen-
tentiæ fuerat, de qua Theodritus ipſum incuſabat, verùm i-
pſam tenebat opinionem, cui quoq; Theodoritus aſſentie-
bat, dicens ipſam vt piam vocem ſuſcipere, ſanctū videlicet
ſpiritū filij propriū eſſe, id eſt, eius cōnaturalē, ex patre verò
procedentem, quemadmodū Cyrillus ipſe accuſationi ſuæ
reſpondens, affirmat. [Quamuis (inquit) ſpiritus S. ex patre,
procedat, non tamen alienus à filio eſt, vtpotè qui patris ha-
beat omnia.] Vnde patet, P. A. Cyrillū ipſum ea in parte cū
Theodorito conuenire, quam ipſe Theodoritus dicebat, vt
piam vocem ſuſcipere. Facta deinde Cyrilli cū patribus O-
riental. pace, Cyrillus ipſe apud Ioan. Antiochenum præſu-
lem eadē de re ſcripſit, vbi etiam de ſpiritus S. proceſſione,
necnon de ſymbolo non mutando mentionē fecit, dicens:
[Nequaquā tolerabimus, vt definita præſcriptaq; fides, aut
Nicænū ſymbolū ab aliquo immutetur, nullā nobis vel alijs D. Cyrill.
mortalib⁹ facultatē concedentes, vt aliquā eius dictionē mu-
tare, vel vnā ſyllabā præterire valeant. Huius enim ſentētiæ
recordamur, Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos po- Prou. 22.
ſuerunt patres tui, vtpotè qui nō ex ſeſe, verū Dei patris ſpi-
ritu* affecti loquerentur, qui ex eo procedit, nō aūt alienus * afflati.
à filio ſecundū ſubſtantiæ rationem exiſtit.] Ex quibus etiā
patet, in quonam Cyrillus cum Theodorito conueniret:

nam orationem * tuam bipartitam fuiſſe videtur. In prima nanque protulit parte procedit: in altera verò, nou autem alienus à filio ſecundum ſubſtantiæ rationem exiſtit, quemadmodum etiam Theodoritus ipſe (vt eſt ſupra dictum) profitebatur, quas deinde Cyrilli literas Theodoritus vnà cum Orientalibus patribus ſuſcepit, ac tandem agnoſcens Cyrilli de ſancto ſpiritu Theologiam, opinioni ſuæ ſcripturæque ſacræ conſonam eſſe, ad eundem Ioannem ſcripſit ita: [Quæ modò nobis Cyrillus ſcripſit, euangelica honeſtate fulta ſunt. Deum enim perfectum & hominem, Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM appellat, ſanctum autem ſpiritum non ex filio, vel per filium eſſentiam habere, verùm ex patre procedere, dicens ipſum filij proprium eſſe.] Qua quidem veritate perſpecta, quam Cyrillus ipſe ſuis literis tradidit, balbutientium linguarum medicum, ac diſſonantium vocum ad harmoniam moderatorem laudauimus. Videte, obſecro, Pater ampl. quibus in rebus Theodoritus cum Orientalibus patribus conueniebat, aſſerens ſpiritum ſanctum haud ex filio vel per filium eſſentiam habere, verùm ex patre procedere, ac filij proprium, id eſt, conſubſtantialem exiſtere. An autem ij patres ſic ſenſerint, Cyrillus ipſe teſtatur, qui eadem de re ad eundem ipſum Ioannem ſcripſit ita [Veſtris vocibus intellectis, cognitoque, vos vnum Dominum, vnam fidem, vnum denique baptiſma credere, Deum omnium ſeruatorem glorificauimus, magno gaudio affecti, quòd à Deo ſpiratis literis, necnon ſanctorum patrum decretis, noſtra ſimul & veſtra eccleſia conſonam fidem habeat.] In ſua verò expoſitione ſuper Lucam, ſic inquit, [Quemadmodum digitus, à manu non ſeparatus exiſtens, ab ipſa dependet, ac ei inhæret natura: ita quoque ſpiritus ſanctus filio conſubſtantialiter coniungi creditur, quanuis ex Deo patre procedat.] Ac ſi ſic dicere voluiſſe: Spiritus quanuis ex filio non procedat, nec ab ipſo eſſentiam habeat, ſed ex patre, vnius tamen naturæ ſunt, & cum ipſo in eadem natura diſponitur. Quibus quidem fortiſſimis argumentis, patres præſt. probatũ eſt, nos neq; à ſacra ſcriptura, neq; à SS. patrũ & doctorũ noſtrorũ traditionibus aliena ſentire, neq; vllũ noſtrorũ dogmatũ nobis diuinitus traditorũ mutaſſe, vel coinquinaſſe, neque quicquam eis addidiſſe vel ab ipſis abſtuliſſe. Quapropter rogamus vos, pro mutua noſtra beneuolentia velitis nobiſcum, necnon cum ſanctis patribus conuenire, non permittentes, vt hoc dogma veſtrum ab eccleſijs ſuſcipiatur, cùm ea, quæ celebramus, ſatisfaciant, vt omnes eadem credentes ac profitentes, vnanimes & concordes, patrem & filium ac ſanctum ſpiritum glorificemus, cui conuenit omnis honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amẽ.

Conueniens eſt, vt ad extremam quoque prouincialis orationem reſpondeas: quandoquidem, quicquid tibi libuit, protuliſti.

Illud Baſilij, FORSAN, quod in noſtro libro ſcriptum eſt, pater ſanctiſs. abſque aliqua ipſius Baſilij nota, modo quo demonſtrauimus, conueniens eſſe videtur, veſtris friuolis argumentis nequaquam acquieſcentes, quibus noſtrũ librum mendoſum, veſtrum autem incorruptum ac verũ eſſe, conati fuiſtis oſtendere: ad quæ quidem argumenta, ſi ſemper eadem repetentes, reſpondere vellemus, oratio noſtra (vt ſupra diximus) infinita fieret. Omiſſis igitur his, nil amplius habemus, nec volumus proferre, quàm quòd ſæpiſſimè diximus, librum noſtrum non eſſe mendoſum, quemadmodum vetuſtas eius, & magna ſimilium librorum copia, necnon ſequentium verborum cum præcedentibus nexus (vt eſt ſupradictum) teſtatur. Et de his hactenus.

Quoniam pater Epheſiæ, extremum meum ſermonem non bene memoria teneri videris, idcirco vt ſereniſſimo Imperatori, qui tibi iuſſit, vt meis omnibus argumentis reſpondeas, ſatisfacere valeas, partem tantum vnam ipſarum repetam, ſimulque tuam reſponſionem ea tantum in parte, quæ aliqua indiget conſideratione, diſſoluam: quin etiam ſi coram Imperatore mitiſſimo nobis promiſeris veritati, quam tibi probauero, acquieſcere, quæcunque modò in medium protuliſti, maiori ſtudio euertam. Nam initio dixiſti, nos omiſſis iſtiuſmodi libris, qui nobis ambigui videntur eſſe, ad fundamentum (hoc eſt, ad ſcripturam ſacram venire debere. Mihi autem, P. R. eiuſmodi diſſerendi modus inutilis eſſe videtur, ac à doctoribus improbatus, qui mentem authoris inſpicientes, ac conſequentia cum præcedentibus verbis eius cõferentes, verum à falſo ſolent diſcernere: quos quidem doctores & ſapientes, ipſi etiam in hoc negocio imitari debemus plurimum. In primis igitur hoc tibi repetam argumentum: dixi equidem, ſtante illo FORSAN, quod eſt verbum ambiguum, duo maxima ſequi incommoda: primum, vt ex illo Angelorum exemplo, quæ vera neceſſariaque propoſitio eſt, neceſſitatem ex ſacra ſcriptura ſumens, ambigua concluſio ſequeretur: quod quidem magnum inconueniens eſſet. Hoc enim Magnus Baſilius vtitur argumento: Si Angelorum alij ſecundi, alij verò ordine dignitateque tertij ſunt, eos tamen natura quoque tertios eſſe non eſt neceſſe: idem etiam de diuinis perſonis, id eſt, de ſancto ſpiritu, (de eo nanque loquitur) affirmamus. Ex quo quidẽ exemplo ſimpliciter, ac ſine hypotheſi ſumpto, concluſionem veram & ſine aliqua dubitatione infert, ſanctum videlicet ſpiritum, & ſi ordine dignitate tertius ſit, natura tamen tertium non eſſe. Ad quam illationem & conſequentiam veram eſſe probandam, hoc tibi exemplo ſeſſione proxima vſus ſum: Si homo currit, ergo mouetur. Sed aliud etiam exemplum magis ad propoſitum ſpectans afferam, quo B. Auguſt. 15. lib. de Trin. Magnum Baſilium imitatus, vſus fuit, dicens: A quo autem habet filius vt ſit Deus, ab illo habet vtiq;, vt de illo procedat ſpiritus ſanctus. Quod quidem argumentum hypotheticum eſt, in quo nil prorſus ponitur eſſe, neque quicquam ex eo conſequitur vel concluditur, niſi alia propoſitio ex ſacra ſcriptura ſumatur, quæ dubio procul ſubintelligitur, hoc eſt, filium habere à patre, quæcunque pater habeat. Ex qua profectò propoſitione ab euangelio ſumpta, neceſſariò hæc infertur concluſio, filium ex patre habere, vt etiam ex ſe ſpiritũ mittat. Quo quidem argumentandi genere (vt paulò antè dictũ eſt) Auguſtinus vtitur, ita vt argumentum, quod hypotheticum fuerat, euangelica propoſitione ſumpta, non amplius hypotheticum, ſed neceſſarium factum ſit. Quomodò Baſilius etiam ratiocinatur: Ita ſe habent (inquit) diuinæ perſonæ, ſicut Angeli. Siquidem quamuis alij ſecundi, alij aũt ordine ac dignitate tertij ſint, non tamen neceſſe ſit, vt natura quoque tertij exiſtant: quod argumentum hypotheticũ eſſe videtur. Deinde verò ponens Angelos ita neceſſariò ſe habere, ſine vlla conditione concludit idem quoque de diuinis perſonis credendum eſſe: alioquin Indoctiſſimus omniũ Baſilius Magnus fuiſſet, ſi ex præcedentibus concludere voluiſſet id, quod ex ſacra ſcriptura neceſſariò pateat: Vt ergo de angelis, ita quoque de ſpiritu ſancto credendum eſt.

Non equidem protuli, P.R. neque huius ſententiæ ſum, libros noſtros ambiguos eſſe, verùm ne in hoc ſemper verſaremur, id contendentibus vobis cõceſſi, tametſi certus ſim libros veſtros mendoſos eſſe, nec ad Baſilij mentem ſpectãtes, ex eo faciens coniecturam, quod huic noſtro libro mille alij ſunt ſimilimi, qui Conſtantinopoli extant: quod equidem probare recipio tibi, ſi cæteris in controuerſijs noſtris conuenerimus. Porrò vltimæ veſtræ orationi reſpondeo, nil mirum eſſe, ſi Magnus ille Baſilius ex aliquo pro verò dato, licet ambiguum fuerit, quicquam probauerit, vt nos ipſi Ferrariæ fecimus, proferentes, tametſi veſtrum dogma forſan ſit verum, haud tamẽ neceſſe eſſe, ipſum apponere ſymbolo. Sic ergo Baſilius ratiocinabatur: Poſito, non tamen conceſſo, (huic enim opinioni, vt multis argumentis probauimus, contra dixit) ſanctum ſpiritum ordine ac dignitate tertium eſſe. minimè tamen neceſſe eſt, ipſum natura quoque tertium eſſe: quæ quidem figura ἀντιπαράστασις ab oratoribus appellatur. angelorũ (inquit) alius princeps. alius ſubditus, & tamẽ omnes angeli natura ſunt, & ſtella ſtellæ præſtat in gloria, & natura ſtellarum omnium vna, & mãſiones multæ apud patrem, id eſt, dignitatum diuerſitates, glorificatorum verò natura vna. Nõ igitur ex propoſitionibus veris, ambiguam (vt inquis) infert concluſionem, ſed ex ambiguo, ſumpto tamen pro vero, neceſſarium quoddam cõcludit. Miror autem, P. R. te virum doctiſſimũ latuiſſe, nos ex nõnullis ex hypotheſi pro veris ſumptis veritatem neceſſariò demonſtrare poſſe.

Quamplurima, pater Epheſie, nõ autem ad propoſitum pertinentia, mihi protuliſſe videris. Nam ſeſſione proxima

neceſſa-

neceſſarium & admirabilem quæſtionem in medium protulimus: tu verò, infecta re, ad alias quæſtiunculas veniſti. Aut igitur ad propoſitum redeamus, & quæſtionem illam ad exitum perducamus, quemadmodum Imperator mitiſſimus iuſſit, vt vna priùs habita concluſione, ad aliam veniamus. Aut nobis da manus, faſſus nil amplius in hac cauſa habere quod proferas. Quod quidem ſi feceris, gratias tibi magnas habebimus. Vt ergo magis veritas eluceſcat, ad propoſitum redeas. Nam prolixam orationem, quam modò coram tot ampliſſimis auditoribus habuiſti, (Spiritu ſancto fauente) facilè diſſoluere poſſum, necnon ſimul oſtendere, authoritates, quas attuliſti, magis ad noſtram, quam ad veſtram rem facere, ſed velim, vt ipſe prius reſpondeas ad propoſitum.

MAR. Non equidem cuncta, quæ dicta ſunt, benè memoria teneo. Satis tamen mihi dictum eſſe videtur.

IOAN. Ea tibi, P. reueren. libentiſſimè repetam, quorum non recordaris. Noſtra quidem oratio ad Magnum Baſilium fluxit, qui contra Eunomium 3. libro demonſtrauit, vt quemadmodum inter Angelos & ſtellas ac manſiones in domo patris, ordo quidam dignitatis abſque tamen ipſorum naturæ diſcretione creditur eſſe, ita etiã in diuinis perſonis ſit.

1. Cor. 15. Ioan. 14.

MAR. Ergo ex rebus creatis, ac rerum creatarum exemplis, res diuina oſtendere vis.

IOAN. Quid ni? Exempla namque creata res increatas declarant, quandoquidem inpræhenſibiles ſunt, ita vt vix intelligi poſſint, & non niſi rebus humanis, ac aliarum rerum exemplis figurantur.

MAR. At Magnus Baſilius non ita ſenſiſſe videtur. Cur enim (inquit) neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt ſpiritus, ipſum natura quoque tertium eſſe? id eſt, poſito, non tamen conceſſo, ſanctum ſpiritum dignitate ac ordine tertium eſſe, non tamen ex eo ſequitur, ipſum natura quoque tertium eſſe, vt ipſi quoque Ferrariæ dicebamus, poſito, dogma veſtrum verum ac pium eſſe, non tamen licere, ipſum ſymbolo addi. Magnus ergo Baſilius neutiquam profitetur ſanctum ſpiritum ex filio eſſe habere, vel ordine ac dignitate tertium eſſe, quandoqidem ex his Eunomius inferebat ſpiritum ſanctum natura quoque tertium eſſe.

IOAN. Credi non poteſt, Pater ampliſſime, magnum illum doctorẽ contra dialecticis artem ſcriptitaſſe. Nonne hoc argumẽtũ à dialecticis eſt acceptũ: Quicunq; currit, mouetur, ergo mouetur, ſi currit? quo quidem argumentandi modo Baſilius (vt ſupra dictum eſt) vtitur. Porrò quoniam, pater Epheſie, ampliſſimos hos auditores magnam Theologiam docere voluiſti, idcirco, ne fortè ignores, quidnam ipſi de conſubſtantiali Trinitate ſentiamus, de hoc tibi pauca dicam. Nos quidem, qui Apoſtolicam ſedem ſectamur, patrem vnicam filij ſanctique ſpiritus cauſam profitemur eſſe, quæ planè noſtra fides atque religio, ab illo primo Apoſtolorum præconio hucuſque meridiana luce clarior eſt, & ſermo Domini ad Apoſtolorum principem habitus non præterijt, nec vllo vnquam tempore præteribit, nec portæ inferi aduerſus noſtram ipſam fidem præualebunt. Vnde meritò euenit, vt cæteræ Chriſtianorum eccleſiæ huic Romanæ, vt maximo fundamento baſique fulciantur, quandoquidem pia eſt, ac hæreticorum linguam, ne malum loquatur, comprimit, credens firmiſſimè non duas cauſas vel principia, verùm principium vel cauſam vnicam in diuinis perſonis eſſe, ac ſimul anathemate notans eos, qui duas cauſas, duóve principia in ipſis perſonis diuinis eſſe crediderint. Quibus ita peractis, ſeſſio fuit dimiſſa, & hic ſermo Græcis perplacuit, ita vt non mediocri gaudio fuerint affecti, quod Latini patrem vnicam eſſe filij ſanctique Spiritus cauſam, non autem duas, fuerint profeſſi. Paucos verò poſt dies, antiſtites Græci Patriarchæ domum frequentantes conuenerunt, vbi sereniſſimus Imperator orationem hanc habuit.

IP. Non equidem patres ſancti noſtræ profectionis ad Italiam ſolus auctor fui, neque primus ego, ſed Imperator pater meus negocium hoc prius fuit aggreſſus: quippe, qui cum eſſet in Iſthmo * Eudomono, Ioannem huiuſce rei cauſa ad Italiam miſerit. Cuius quidem mei patris Imperatoris ingenium, prudentiam & conſilium noſtris, vtpote qui non ſolum in philoſophia præclarus, verum etiam in exponendis Eccleſiæ dogmatibus ſubtiliſſimus fuerit, apud ille etiam Euthymius patriarcha & magnus Theologus, ac omni virtute præditus fuit. Qui duo tanti, taleſque viri, non ſolùm primi rem hanc excogitàrunt, verum etiam, vt ipſa conficeretur, vehementer conati fuere. At temporum anguſtijs impediri, totum negocium conficiendum mihi reliquerunt, quod dubio procul melius ipſe tractaui. Nam vt hæc ſynodus ſancta celebraretur, non imprudentibus vobis, ac magno ſumptu meo, triremes ad exorandum ſummum Pontificem ad Italiam miſi. Quo deinde vos, meo ſanctique patriarchæ iuſſu, frequentes æquo animo conueniſtis, nil tamen poſt longum tempus profecimus. Recordamini, patres, recordamini, quanto in impiorum diſcrimine noſtram domum dereliquerimus, cui quidem ſi quid acciderit incommodi, proh dolor videre videor, maiorem fore noſtri perſequutionem & calamitatem, illa quæ Diocletiani & Maximiani temporibus facta fuerit, quam conſtat acerrimam fuiſſe. Operæprecium igitur eſt, vt omiſſa diſputatione ac contentione, pacis remedium excogitemus, quod equidem exiſtimo per vos ſtare. Doctor námque Ioannes in ſynodo palàm protulit, Latinos firmiter credere, Deum patrem, vnicam filij ſanctique Spiritus cauſam eſſe, duo verò principia, duaſve cauſas in conſubſtantiali Trinitate profitentes execrari, quã Latinorũ ſententiã literis traditã habui, verbis diligẽter perſpectis, noſtræ cõiunctionis modũ inueniatis. [Hæc Imperator. Græcis aũt, quidnam agendum eſſet, inter ſe conſulentibus, de ſancti Maximi litteris ad Marinium presbyterum Cyprium ſcriptis, mentio facta fuit in hac forma:] Ex ſynodalibus præſentis ſanctiſſimi ſummis pontificis actibus, duo tantum ex tot capitibus hi, qui erant in Baſilea, ſuſceperant, in quorum altero habetur, ſanctum Spiritum ex filioque procedere, in altero verò, Chriſtum Dominum abſque originali peccato, hominem natum fuiſſe. Et ad primum illud caput probandum, Romanorum patrum ſententias, necnon Cyrilli ſuper Ioannem expoſitionem attulerant, non ad demonſtrandum filium ſpiritus cauſam, quandoquidem ipſi quoque patrem ſolum filij ſanctique ſpiritus cauſam eſſe cognouerant, illius quidem ſecundum generationem, huius autem ſecundum proceſſionem: verùm vt per eum quoque ſpiritum ſanctum procedere declararent, ac ea ratione conſubſtantialitatem & immutabilitatem ipſorum oſtenderent. [Quibus literis lectis, ac Latinorum ſcripturis poſtpoſitis, animum ſuum ad contemplandas ipſas Græci cõuerterunt, omnes vnanimes, proferendum fore, vt cum Latinis coniungeretur, ſi literæ ipſæ ab eis quoquæ ſuſciperentur. Tum Imperator, toto Græcorum conuentu ipſoque patriarcha volente, nuncios ad ſummum Pontificem miſit, vt ipſum interrogarent, an is quoque cum Latinorum conuentu ſancti Maximi litteras ſuſcipere, ac ipſis acquieſcere vellet. Cui pontifex ſummus reſpondit, Græcos ſeſſione proxima plurimum dixiſſe, nobiſque promiſiſſe, altera ſeſſione ſe ſuas aures præſtaturos. Aliter ergo fieri non poſſe, niſi prius ſeſſione vocata, Latini reſpondeant. Quæ cùm Imperator audiſſet, iuſſit vt iterum ſeſſio haberetur. Qua quidem conuocata, abſente Marco Epheſio & Heraclien. antiſtibus, Ioan. fuit ita locutus.]

Die Sabbati 21. menſis Martij ſeſſio 24. Florentiæ.

VElim, P. A. patrem Epheſium hic adeſſe, vt ſuorũ argumentorum diſſolutionem audiat. At quoniam (vt creditur) victus abeſt, ideo ad vos meam orationẽ habebo. Ergo vos, obſecro, me attentè audiatis. I

Nil in præſentia dicturi ſumus, quandoquidem non ad diſputandum, verùm vt vobis gratum faceremus, & ne ſeſſiones negligere videremur, conuenimus. proptereaq; pater Epheſius nobiſcum noluit conuenire. Vobis ergo neutiquam reſpondebitur. I

Ex duabus propoſitis quæſtionibus, Pater ampl. neutrã ad concluſionem perduximus, tametſi *Magni Baſilij* authoritates clariſſimæ ſint, quibus patet, ſpiritum ſanctum à filio, quemadmodum etiam à patre, habere eſſe: necnon ipſi profeſſi fuerimus, patrem vnicam filij ſanctique ſpiritus cauſam eſſe, ita tamen, vt filius ſanctum ipſum ſpiritũ à pa- I

tre præ-

tre præcipuè mittat. Quibus quidem Baſilij authoritatibus quoniam pater Epheſius reſpondere noluerit, idcirco poſtpoſitis his, eius tantum extremo ſermoni reſpondebo ab ipſo Seruatore noſtro Ieſu Chriſto ſumẽs exordium, quemadmodum is pater Epheſius fecit. Nam Seruator noſter inquit: Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis, qui à patre procedit: vbi verbum MITTAM, quid aliud, obſecro, ſignificat, quam quod ex aliquo mittitur? qui verò quippiam mittit, is ſuum mittere videtur. & id quod mittitur, ex ipſo dicitur eſſe, vt ſi præfectus prouinciæ quicquam fecerit, is non ex ſe verum Imperatoris iuſſu id feciſſe videtur. Ita etiam filius, qui cùm in generatione à conſubſtantiali patre ſpiritum ſanctum accepiſſet, eandem & paternam facultatem ac naturam habens, eundem ſpiritum mittere creditur, nõ tamen, vt pater, præcipuè: quandoquidem pater ipſe, radix & fons diuinitatis exiſtit, qui cùm ſumma ſubſtantia, nedum indiuiſibilis ſit, à ſubſtantia & hypoſtaſi indiſtinctè percipitur, propterea quia non re, ſed ſola ratione, paterna hypoſtaſis à ſubſtantia ſua ſeiungitur: pater igitur ſubſtantialis hypoſtaſis eſt, filiumque ſubſtantialiter generat, & ipſe ſubſtantialis hypoſtaſis generatur, ita tamen, vt duæ hypoſtaſes vnus Deus ac vnica ſit natura, cum qua ſanctus Spiritus ſimul & indiſtinctè cognoſcitur. Qui cùm neque pater, neque filius, neq; relatiuorum aliquid ſit, tamen vt ſpiritus, ad ſpirãtem refertur. Porrò quoniam apud ſacram ſcripturam ſpiritus patris ac filij eſt, ſequitur, vt ambo ſimul ſpiritum ſpirent. Præterea filius ſecundum diuinitatem ad patrem reſpiciens, dixit: Ego & pater vnum ſumus: &, Ego in patre, & pater in me eſt: &, Qui vidit me, vidit & patrem meum. Duabus igitur perſonis vnica poteſtas ſpirãs & mittens exiſtit, quæ quamuis vnica miſſio & cauſa ſit, à patre tamen (vt dictum eſt ſuprà) præcipuè creditur eſſe, à quo filius eandẽ ipſam facultatem habẽs, vna cum patre principium vnicum eſt, non tamen perſonarum confuſione. Pater enim, pater ac ingenitus eſt: filius verò, filius atque genitus, ita vt inter eos, ſecundum cauſam & cauſatum ordo quidam exiſtat: ſanctus autem Spiritus ad patrem filiumque diſponitur, ne quædam indiſpoſitio vel confuſio in diuinis perſonis exiſtat. Siquidẽ igitur, cùm pater filium generet, cum ipſo ſubſtantiam ſuam communicat, quatenus ei communicabilis ſit, & filius ſic acceptam, Spiritui ſancto communicat, quatenus ipſi quoque communicari poſſit, vnica ſemper ipſa ſubſtantia exiſtente, qua quidem ille generetur, hic verò procedat: ſequitur, patrem vnicum principium & cauſam eſſe, ſanctumque ſpiritum ex vtroque procedere. Præterea dictum à ſanctis patribus eſt, ſanctum ſpiritum per filium natura procedere: vnde ſequitur, ſpiritum ipſum ex patre filioque procedere, quandoquidem PER præpoſitio, vt EX præpoſitio, hac in re ſignificare videtur, vt Leonis, Gregorij Papæ, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, ac aliorũ multorum doctorum authoritatibus clariſſimè patet. Quas cùm Ioannes in medium protuliſſet, & perlegiſſet, ſeſſio fuit dimiſſa decreto ipſius ſynodi, vt ad diem Martis proximum conueniret.

Die Martis 24. menſis Martij, ſeſſio 25. Florentiæ.

NESCIO equidem, Pater ampliſſ. cur pater Epheſius in ſeſſionem venire noluerit, quem profectò vellem adeſſe, vt noſtram ad argumenta ſua reſponſionem audiret. Porrò quoniam abeſt, vos obſecro, me, dum Orientalium ſanctorum ſententias affero, attentè (vt hucuſq; feciſtis) audiatis. Magnus ille Baſilius inquit. [Quemadmodum filius ordine quidem à patre ſecundus eſt, pater enim in baptiſmatis traditione primus diſponitur, dicente Domino: Baptizantes in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, necnon filius dignitate ſecundus eſt, vtpotè qui ſit ex patre, non autem pater ex filio, licet in natura æquales eſſe credantur. ego enim & pater (inquit Dominus) vnum ſumus, itaque ſpiritus ſanctus ordine quidem ſecundus à filio, in eadem baptiſmatis traditione diſponitur, item etiam dignitate, nam Spiritus filij dicitur, quandoq; à filio mittitur. Scriptum eſt enim, Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra. Non autem filius ſancti ſpiritus dicitur, natura verò patri & filio æqualis exiſtit. Quorum enim vna eſt operatio, ipſorum etiam vna eſt natura.] Hæc Baſilius. Sed magnus etiam Epiphanius in medium veniat. [Siquidem (inquit) creditur Chriſtus ex Deo, eſſe vt Deus de Deo, ſic etiam ſanctus ſpiritus ex ambobus eſſe * credendum eſt. Quemadmodum enim nemo nouit patrem niſi filius, ita dicere audeo, nemo filium, niſi ſpiritus, qui ex ambobus procedit.] Magnus autem Cyrillus inquit: [Spiritus ex filio ita profluit, quemadmodum etiam ex patre.] Didymus verò ſapientiſſimus & magnus Athanaſius, ita dicunt: [Siquidem ſpiritus ex patre procedit, & de meo accipiet, & annunciabit vobis, ſequitur, vt ex patre filioque ſit.] Has & plures alias ſanctorum ſententias Ioannes in medium protulit, præſertim binas Cyrilli literas. quarum alteræ incipiunt, [Gaudeant cæli,] alteræ verò, [Domino ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto,] necnon quaſdã Nicænæ ſynodi authoritates, clariſſimè demonſtrãtes ſanctum ſpiritum ex filioque procedere. Rhutenus autẽ præſul pro Græcis dixit ita:

D. Epiph. — * credendus. — Matt. 11. — D. Cyrill. — D. Didy. — D. Athan.

RVTT. Qui ſolus vel in ſtadio currit, vel aliud ſubdit certamẽ, victor dubio procul euadit. Non aliter, P. R. qui nemine cõtradicente ſermocinatur & diſputat, facillimè vincit, vt tibi euenit. Qui cum plurima Theologia fueris vſus, ac ſubtiliſſimam orationem habueris, ſi tibi non reſponderimus, viciſſe videbere. Sed quoniam iam adueſperaſcit, ſequenti ſeſſione tibi non minus ſubtiliter, clareque reſpondebitur.

IMP. Hos libros nobis mutuò date, vt horum ſanctorum dictis diligenter conſideratis, vobis bene reſpondere poſſimus.

IVL. CE. Quæcunque diximus ſereniſſime Imperator, à noſtris ſcribis literis tradita ſunt. Aut igitur ab eis exſcripta inter vos contemplemini, aut ſi vobis commodius fuerit, ad diui Franciſci templum, prope quod habitas, nos selecti priuatim conueniamus, vt ibi noſtris omnibus ſcripturis & libris collatis, veriùs ac clariùs reſpondere valeatis. Cui quidem ſententiæ omnes acquieuere, ſeſſioque dimiſſa fuit.

Poſtridiè autem in illo templo viſis hinc inde ſcripturis & libris, concordiam & pacem benignitate Dei facilè fieri poſſe Græci cognouerant.

PAPA. Summus deinde pontifex patriarchæ rogatu ſeſſiones æquo animo diſtulit, vt inter ſe Græci priuatim conſulerent.

RVTT. Facto autem in patriarchæ domo Græcorum conuentu, Rhutenus verba plurima fecit, operæprecium eſſe demõſtrans, æquo animo cum Latinis coniungi, paceque inita domum redire, potius quàm infecta re, ac abſque ratione turpiter à ſynodo diſcedere.

BES. Tum Beſſarion Rhuteni ſermonem excipiens, ſubtiliſſimè ac magna dicendi arte ſententiam eius confirmauit.

DOSIT. Contra Doſitheus Monembaſien. Num, inquit, dogma noſtrum debemus prodere? Malo equidem mortem obire, quàm cùm Latinis ſentire.

RVTT. Cui Rhutenus: Nec ipſi, inquit, Latini fieri volumus. Verùm ſi patet ſpiritum ex filio procedere, quemadmodum Græci doctores ac Latini ſimul teſtantur, cur non eſt pium, vt ſanctos noſtros ſequentes, cum Romana eccleſia coniungamur?

HERAC. Tum Heraclien. Num, inquit, occidentales doctores ſanctis noſtris doctoribus, ac ſynodorum patribus plures ſunt? qui quidem ſancti noſtri, Spiritum ſanctum ex patre, non autem ex filio procedere, literis mandauerunt.

EPHE. Quem ſermonem Epheſius excipiens, prolixam habuit orationem. in peroratione autem protulit Latinos hæreticos, nedum ſchiſmaticos, eſſe, idque Orientalem eccleſiam toleraſſe, quòd genus ipſorũ maius ac fortius eſſet, propterea que Græcos tot annos ab eis diſiunctos eſſe, quòd hæretici ſunt. Dicebat igitur, ſe cum Latinis neutiquam debere cõiungi, prius quàm additionem illam à ſymbolo prorſus auferant.

BES. Tum Beſſarion, Proferentes igitur, inquit, ſanctum ſpiritum ex filioque procedere, hæretici ſunt?

EPHE. Epheſio verò, Quid ni, reſpondente:

BES. Beſſarion exclamauit, dicens: Deus miſereatur, ergo ſancti, qui hanc ſententiam tradidere, hæretici fuerant? Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem. Psal. 30.

Digitized by Google

quitatem. Nonne clarè vidiſtis, Occidentales ac Orientales doctores ſanctos in hoc neutiquam diſcrepare? quandoquidem idem ſanctus Spiritus omnibus ſanctis æqualiter fuerat loquutus. Conferamus ipſorum ſcripta, vt maximam eorundem conuenientiam clarius videamus.

EPHES. Epheſio deinde proferenti, Quis nouit an libri eorum mendoſi ſint reſpondit:

BES. Quis, obſecro, tam temerè dicere audebit, tot Latinorum ſermones, tot Euangeliorum expoſitiones, abſolutam denique de ſpiritu ſancto Theologiam, ſimul omnem mendoſam & corruptam eſſe? quam quidem ſi veluti mendoſam è libris velimus tollere, tantùm papyrus alba in tot voluminibus remanebit. Tum Græcorum conuentus in duas partes diuiſus fuit: nam altera pacem cum Latinis vehementer deſiderabat, altera verò diſſidij authoribus fauens, ab ea mirum in modum abhorrebat. Cui quoque parti, Græcorum nobilium & laicorum plurimi vehementer fauebant. ſingulis tamen diebus frequẽtes abſque Latinis conueniebant, vt quidnam agerent, Latinisve reſponderent, inter ſe conſulerent.

Patriarch. Feria verò quarta maioris hebdomadæ, iterum congregati, à patriarcha fuerunt interrogati, an aliud dicere vellent.

Heracl. Reſpondente autem Heraclienſi, ſe diuinorum agendorum cauſa conueniſſe.

Mityl. Mitylenenſis præſul dixit: Quinimmò, domine, aut ſanctos ipſos ipſi ſequentes cum Latinis pacem conficiamus, aut infecta re, diſcedamus. Sed ſcire velim, an magnũ Maximum velitis ſuſcipere. Quibus omnibus annuentibus, protulit magni Maximi fuiſſe ſententiam, ſanctum ſpiritum ſubſtantialiter quidem ex patre, ineffabiliter verò per filium procedere. S. Maxim.

Beſſa. Tum Beſſarion ipſam ſententiam quamplurimis ſanctorum authoritatibus, præſertim Magni Tharaſij, longa illuſtrauit oratione.

Patriarcha Patriarcha verò illas ipſas ſanctorum ſententias exſcribi iuſſit, vt accuratius viſis, conuentu ſequenti communi omnium ſententia, concluſio fieret. Poſtridiè autem Rhutenum & Nicænum, necnon duos cruceſignatos, & magnum bibliothecarium, ac magnum Eccleſiaſten, nuncios ad ſummum ô pontificem Græci miſerunt, qui ei nunciarent, ſe nolle amplius cum Latinis diſſerere: quandoquidem diſputatio nil aliud præter contentionem maximam parit, necnon ipſi Latini in reſpondendo nunquam deficiunt, ita vt infinita fieret diſputatio, ſi cum ipſis vellent contendere. In infinito verò verſari, magnum incommodum eſſe: idcirco ſe modum alium coniunctionis vehementer deſiderare, quam quidem vellent à Latinis cognoſcere, quandoquidem Græci * pro viribus dixiſſe, necnon paterno dogmati ſuo à ſeptem ſynodis tradito, acquieſcere dicunt. Nuncij Græcorũ. *ſe pro

PAPA. Quibus quidem nuncijs pontifex ſummus reſpondit, putare ſe Græcos non inſcios eſſe, quonam ſtudio, quo labore, quanto denique ſumptu, hoc in negocium incubuerit, & adhuc incumbat. eos tamen ſemper negligentes fuiſſe, quodque peius eſſe videtur ad diſputandum nobiſcum, vt inter nos conuenit, ipſis curæ non eſſe: idcirco ſe velle, vt ſereniſ. Imp. fraterque ſuus patriarcha, totaque Orientalis Eccleſia, vnam ex his quatuor conditionibus eligant, vt vel Latinorum ex litteris ſacris demonſtrationibus habitis acquieſcant, ita vt profiteantur in poſterum, Spiritum ex patre filioque procedere: quod quanuis luce clarius demonſtratum ſit, ſe * tum velle, ſi adhuc Græci dubitant, magis patefacere, vt ipſis melius ſatisfiat: vel hi, ſi quas alias authoritates habeant, quibus poſſint inniti, eas in medium proferant: vel ſi fortioribus argumentis probare poſſunt, dogma ſuum magis pium eſſe, in certamen deſcendant: vel denique ſeſſione vocata, ſolennique Miſſa celebrata, quiſque Græcorum ſimul & Latinorum iuratus, liberis ſuffragijs ſuam ſententiam dicat, ita vt, quæ ſententia pluribus conſtaret ſuffragijs, ea ſuſcipiatur: nam iuſiurandum inter Chriſtianos non mediocriter valet. ſe *tamẽ

GRAECI. Quæ cùm Græcorum conuentui allata per nuncios ipſos fuiſſent, omnes obmutuerunt, cùm quid ad tam iuſtas conditiones reſpondere poſſent, non haberent. Nam ſanctorum plurimos eſſe dicebant, qui ſanctum ſpiritum ex filioque procedere teſtentur: alios autem ſe citare non poſſe, qui contrarium litteris mandauerint, minimeque credendum eſſe, ſanctos inter ſe contraria protuliſſe, & alijs argumentis ſe probare non poſſe, ſuum dogma magis pium eſſe: quandoquidem tametſi pium eſſe credatur, quod à maioribus ſuis traditum fuerit, non minus tamen pium Latinorum dogma videri, vt potè quod multorum ſanctorum patrum ſententia comprobatum fuerit. In ſacratiſſimi vero Chriſti corpore ac ſanguine iuſiurandum quanuis ſit fugiendum, quòd nulla vnquam alia ſynodus eo fuerit vſa, ipſum tamen honeſtè ſe fugare neutiquam poſſe. Hæc inter ſe Græci.

*Cùm Mitylenñ. antiſtes ad eos * dixerit: Quid inter vos, P.R. contenditis, ac valdè ambigitis? An non videtis (tametſi noſtrum dogma pium) Latinorum tamen additionem pro maiori ſymboli declaratione inuentam, piam & à ſanctis patribus traditam eſſe? & quemadmodum diuinum ſymbolum ex ſcriptura ſacra deprompum fuiſſe, ita etiam illud, EX FILIOQVE, ex eadem ipſa ſacra ſcriptura à Latinis expreſſum eſſe, ita vt vtrunque dogma pijſſimum ſit, quandoquidem vnam fidem, vnam religionem, vnum DEVM in tribus perſonis, & nos, & ipſi firmiter colimus. Non amplius ergo, pater ampliſ. tempus perperam conteremus, verùm cum Dei Eccleſia, duce veritate iungamur, non plura inueſtigemus, hoc tandem reſponſum perbeato ſummo pontifici demus. *for. *Tũ dixit: MITY.

IMP. Cui quidem præſuli cùm nemo contradixiſſet, Imperator reſpondit, Hoc non eſſe quod quæritur, ſed quidnam ad illa quatuor ſummi pontificis quæſita reſpondendum ſit, id nobis diligenter perueſtigandum.

GREGOR. Protoſyn. Cui Gregor. ſic reſpondit: Quid, obſecro ſereniſſime Imperator, ſummo pontifici reſpondere poſſumus? Dicere nanque hæc eſſe falſa, illa verò mendoſa, & hæc nos ignorare, illa verò prorſus inficiari, nobis indignum videtur. Tum Imperator rogatu Græcorum omnium, eoſdem nuncios ad ſummum pontificem remiſit, vt ei reſponderet, Græcis videri quatuor illa quæſita tantum ab vno dependere, vel ad vnum ſolum ſpectare, ſcilicet, vt diſputationibus agatur, quandoquidem vt ambigua dilucidentur, & ſcripturæ exponantur, vt denique iuſiurandum fiat, iudicio opus eſt, quod abſque diſputatione fieri benè non poſſet, à qua Græcos mirum in modum abhorrere, quandoquidem ex ea nil commodi conſequi ſperant. Nam ipſi maiorum ſuorum authoritati acquieſcentes, ſymbolo à ſanctis patribus ac à ſeptem œcumenicis ſynodis tradito, nulla vnquam ratione quicquam apponerent: contra, multorum ſanctorum auctoritatibus Latinos clariſſimè demonſtraſſe, additionem illam veram eſſe, fierique nõ poſſe, vt à ſymbolo dimoueretur, etiamſi Græci vehementiſſimè cupiant. Operæprecium igitur eſſe, vt contentione ſanctorum authoritatibus, diſputatione, denique iureiurando poſtpoſito, beatiſſimus pater, vtraque parte in ſuo dogmate permanente, coniunctionis modum excogitet: ſin minus, infecta re, Græcos à ſynodo diſceſſuros. Quibus ſummo pontifici nunciatis, reſpondit ſe nonnullos cardinales ad Græcorum conuentum miſſurum, vt eis coram Imperatore reſpondeant. IMP. SVM. PON.

BESSA. Intereà Beſſarion luculentiſſimam orationem pro pace in conuentu Græcorum habuit, ac litteris ipſam mandauit. quam in extremo huius libri interpreti mihi diſponere viſum fuit, quoniam ab eodem ipſo Beſſarione poſt nonnullos annos Latinitate dotata fuerit. Triduo autem poſt cardinales tres, necnon antiſtites decem, ac nonnulli monachi præclari theologi, ſummi pontificis iuſſu, ad Græcorũ conuentum domi patriarchæ, præſente Imperatore celebratum, conuenere, vbi Iulianus ille facundiſſimus cardinalis hanc habuit orationem: Non inſcius ſum, P. amp. huc mecum præclaros doctores veniſſe, qui ſanctiſſimi domini noſtri mandata melius quã ego referre poſſent. Veruntamen quoniam ego ſuperioribus etiam ſeſſionibus fuerim locutus, idcirco præſtantiſſimorum horum patrum conſenſu, nunc etiam pro viribus pauca proferam, hac tamen conditione, vt ipſi, quæ imprudens omiſero, ſuppleant. Notum eſt vobis, P. amp. nos Ferrariæ conueniſſe, vt in qualibet hebdomada duas ad minus ſeſſiones celebraremus, quandoquidem viſum eſt nobis operæprecium eſſe, vt noſtra dogmata diſputationibus clara lucidaque reddantur. Cur autem hanc noſtram conditionem ſeruare noli- IVL. CAR.

ſtis, ipſi penitus ignoramus, cùm non ſine magno veſtro noſtroque ſumptu huc, vt veritatem inueſtigemus, conuenerimus: quam quidem non alia via, quàm diſputando, poterimus conſequi. Porrò quatuordecim menſium ſpatio, ideo nihil profecimus, quod in eo longiſſimo tempore, non niſi viginti quinque ſeſſiones celebrauimus, cùm nō minus quatuor quolibet menſe celebrare commodiſſimè potuiſſemus. Vnde patet, negligentia veſtra nos multum temporis contriuiſſe, de quo quidem vehementer dolemus animo. Quapropter rogamus vos, præſtantiſſ. P. velitis ad ſeſſiones venire; quandoquidem hac ſola vna via facilè coniungi poterimus: quinimmo fieri non poteſt, vt ſine diſputatione negocium noſtrum confici poſſit. Satis ſuperque præſtantiſſ. P. dixiſſe videmur. Non enim inter nos cōuenit, vt in infinitum diſputemus. Reliquum igitur eſt, vt noſtræ coniunctionis modum inueſtigemus. Nam vt æger, cùm præualet ægritudo, non autem poſteaquàm conualuerit, vti ſolet diæta: (non enim ſemper prodeſt abſtinere à cibo) ita etiam nobis diſputatio quondam profuit, nunc verò neutiquam conuenit. Verum nos alium modum, quo pacem poſſimus conficere, excogitare oportet.

At nondum nobis ſereniſſime Imp. ſatisfactum fuiſſe videtur, quandoquidem à diſputatione prius deſiſtere non debemus, quam nobis veritas pateat, cum præſertim ipſi multorum ſanctorum attulerimus authoritates, quibus dogma noſtrum pium eſſe probauimus, ac eum non eſſe Chriſtianum, qui ſpiritum ſanctum non crederet ex filioque procedere. Vos autem cum neque nobiſcum ſentire velitis, neque argumenta noſtra refellatis, ſed à diſputatione vehementer abhorrere videamini, tantummodò proferentes, ſatis iam dictum eſſe, quod ſanè nobis inconueniens eſſe videtur. Vos igitur oportet oſtendere, vel nos non benè ſentire, vel ſine aliqua excuſatione ad ſententiam noſtram venire, ac nobiſcum coniūgi, vel ad diſputationis certamen deſcendere, quouſque veritatem ipſam aſſequamur. Nam exemplum tuum ſereniſſ. Imp. à nobis potius eſſe videtur, quandoquidem vt ægroti ſolent vti diæta, ita nos etiam ob ſchiſma noſtrum, quod magnam ęgritudinem eſſe duco, eouſque diſputare debemus, quouſque pacem ineamus: præſertim cum fieri non poſſit, vt alia coniūctionis via inueniatur. Pace verò coniunctioneque noſtra (fauente Deo) confecta, vt ægroti diæta, ita nos diſputatione nequaquam egebimus.

Dico equidem, P. amp. nos amplius vobiſcum diſputare nolle, quandoquidem verbis abundatis, ac vſu dialectices vobis venit, vt nunquam ſuaderi velitis, verum ſemper differere, ad extremum autem vehementiſſimè perorare, ſtatimque conſurgere, ac ſeſſionem dimittere, vt animos auditorum ad veſtram orationem flectatis. Omiſſo igitur multiloquio, viā qua Dei benignitate coniungi poſſimus, excogitemus.

Ipſi profectò ſereniſſ. Imp. non multi prolixiue fuimus, ſed dialectici non obmuteſcere, nec in ſermone deficere ſolēt, quandoquidem argumentis rationibusque ſemper abundant. Qui autem propoſitam quæſtionem veris rationibus ſuſtinere non potens, tacet, diſputationemque fugit, is dare manus deberet, atque à cauſa palàm diſcedere, vt pater Epheſius feciſſe debuerat, quippe qui non habens quid amplius diceret, victus diſceſſit, nolens amplius diſputare, ac ſe victum ingenuè fateri, cui vos quoque aſſentiri videmini. At non ita conuenimus, verùm vt eouſque differeremus, quouſque quæſtionem noſtram ad veram concluſionem perduceremus. Cui quidem ſermoni ſereniſſ. Imp. acquieſcere nolens, ac à diſputatione vehementer abhorrens, iuſſit vt vtraque ex parte decem viri ſeligerentur, qui tantum octies cōuenirent, & viam coniunctionis inueſtigarent: qua non inuenta, ſynodo dimiſſa diſcederent. Poſtridiè verò ad ſummum pontificem iuit, ac ei ſuam ſententiam dixit: quam cum ſummus pontifex approbaſſet, Latini cardinales duos, & duos antiſtites, ac duos doctiſſimos monachos, ac duos alios clericos, Græci autem decem præſules elegere, qui cum ſimul conueniſſent, Græci prius à Latinis quæſiuerūt, an ſancti Maximi literas ſuſcipere vellēt, quibus clariſſimè patet, filium ſpiritus ſancti nō eſſe cauſam.

Quibus Latini reſponderunt, ſe minimè credere, filium principem ſancti ſpiritus cauſam eſſe, ſed patrem vnicam filij ſanctique ſpiritus cauſam profiteri, illius ſecūdum generationem, huius verò ſecundum proceſſionem. Vt autem pateat, vnam eandemque ſubſtantiam ipſorum eſſe, ſanctum ſpiritum per filium procedere, Latinos dicere, qui etiam indiuiſibilitatem eorum ſubſtantiæ ab hypoſtaſibus, profitentur: nam filius ſubſtantialiter patris filius eſt, ſanctus verò ſpiritus ſubſtantialiter patris & filij. Dicebant ergo Latini: Si ſpiritus ſubſtantialiter patris & filij eſt, ſubſtantia verò ab hypoſtaſi ſeiungi non poteſt, neceſſe eſſe, vt ſanctus ſpiritus ex filij etiam hypoſtaſi procedat. Authoritates autem quas Maximus citare videtur, ab Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, ac aliorū ſanctorum doctorum Occidentalium authoritatib. neutiquā eſſe diuerſas, quorum quidem volumina plena ſunt, ſanctum ſpiritum ex patre filioque procedere. Quibus omnibus intellectis, conuentus ipſe dimiſſus fuit. Poſtridiè autem ijdem patres conuenere, Græcique ſancti Tharaſij patriarchæ Conſtantinopolitani authoritates attulere, tenentis ſanctum ſpiritum ex patre per filium procedere, cupientes eo modo ſymbolum celebrantes, cum Latinis coniungi. At illi præpoſitionem Per, longè melius quàm Græci, expoſuere. Contendentibus enim Græcis, Per & ex præpoſitiones diuerſa ſignificare, Latini ſubtiliter reſpondebant dicentes: Si quidem diuerſa ſignificant, neceſſe eſſe, vt in diuinis duæ ſint operationes: altera quidem patris, quæ per ex: altera verò filij, quæ per præpoſitionem per, ſignificetur, quod quam maximum inconueniens eſt. Nolebant ergo Latini prępoſitionem per, ſuſcipere, ne propter ambiguitatem vocabuli, quiſquam impius crederet, præpoſitionem per, organum quoddam ſignificare, inſtar ſcilicet aquæductus, cum ipſi profiterentur ſanctum ſpiritum ex patre filioq;, vt ab vno ſolum principio vnica operatione procedere. Quibus dictis, diſceſſerunt. Et quanuis Græci nollent amplius conuenire, (quid enim dicerent, non habebant) tamen à Latinis coacti, ter *item conuenerunt. Et factum fuit post multa, vt Latini contēdentibus Græcis, ſententiam ſuam litteris mandauerint in hac forma: Quoniam Græci ſuſpicātur nos duo Principia, duasve cauſas in ſancta conſubſtantialique Trinitate profiteri, idcirco hanc habentes ſententiam vel talia profitentes, anathemate notamus: quandoquidem ipſi credimus, patris & filij operationem poteſtatemque mittendi, vnicam ſpiritus ſancti cauſam eſſe, ita vt filius non ſit diuerſum à patre principium, ex quo quidem ſpiritus ſanctus procedat, ac eſſe habeat. Nam patrem vnicam cauſam, & radicem, ac fontem diuinitatis profitemur eſſe: non ita tamen, vt patris & filij ex eo confundamus perſonas, quod operationē ipſorum vnam eſſe credimus, (id enim eſſet impium credere) verum duas patris filijq; perſonas exiſtere, vnam autem operationem, ac eorumdem vnicam poteſtatem mittendi: vnum denique eſſe, quod ex ipſorum ſubſtantia & hypoſtaſi mittitur, profitemur. Idcirco autem diuinum ſymbolum, declaratum ac dilucidatum à maioribus noſtris fuiſſe dicimus, ne quiſquam ambigens, an filius ſpiritus ſancti cauſa ſit, in aliquam incideret hæreſim. Nam credentes ſanctum ſpiritum ex filio nequaquam procedere, neceſſe eſt vt intelligant, ſpiritum ex ſolo patre procedere, ac conſequenter non eſſe filium. Qui autem proferunt ſpiritum ex ſola patris perſona procedere, hi proculdubio ſubſtantiam ab hypoſtaſi ſeparant, & partitionem imaginantur diuinæ ſubſtantiæ, quod à ratione fideque valdè alienum, piè creditur eſſe. Quibus quidem litteris à Græcis perlectis, eas vario ſenſu intellexerunt. Nam alij dicebant, Latinos, filium ſpiritus ſancti cauſam eſſe, clariſſimè credere, & cum Græcis neutiquam conuenire: alij verò, Latinos ipſos duo principia, duasue cauſas Trinitati aſſcribere: alij deniq;, qui ingenioſiores haberentur, mirum in modum contendebant, vt ipſæ litteræ diligentius inſpicerentur. Latini autem, audita tanta Græcorum inter ſe controuerſia, alias ad eos literas miſerunt in hoc tenore: Quoniam Gręci nos calumniantur, ac nobis obijciunt, duo principia vel duas cauſas in ſancta & conſubſtantiali Trinitate ponere, idcirco profeſſionem noſtram his litteris mandamus: Credimus in vnum Deum patrem, & in vnum filium vnigenitum & ex patre natum, & in vnum ſpiritum ſanctum, ex patre quidem habentem eſſentiam, quemadmodum etiam filius: verum ex filioq; procedentem, quandoquidem patrem vnicam filij ſanctiq; ſpiritus cauſam profitemur, illius quidem per generationem, huius verò per proceſſionem. Porrò autem, ac identitatē coniunctionēq; diuinæ ſubſtantiæ diſtribuere, ac ipſam eādem ſubſtantiā re, nō aūt ſola ratione, ab hypoſtaſib. & perſonis differre, credere videamur: necnō ne quiſpiā credēdo ſan-

* iterum.

Latini.

Græci

Latini

ctum

ctum ſpiritum ex ſolo patre procedere, tres in partes vnicam illam diuinam ſubſtantiam diuidi mente concipiat, idcircò verbum, Ex Filioqve, neceſſarium in ſymbolo duximus eſſe, profitentes ſanctum ſpiritum ex patre filioque, tanquam ab vnico principio, procedere. Quas quidem literas cùm Græci biduum diligentiſſimè contemplati fuiſſent, nolentes vlla ratione concedere filium ſancti ſpiritus cauſam eſſe, vix ipſi quoq; ſententiam ſuam literis hac forma traditam ad Latinos requiſiti miſére.

Græci

Cùm Latini profiteantur, patrem vnicam filij ſanctique ſpiritus cauſam eſſe, ac à nobis contendant, vt noſtram ſententiam, quidque in hac re ſentiamus, noſtris literis declaremus, idcircò patrem filij ſanctiq; ſpiritus fontem & radicem, filium verò & ſanctum ſpiritum, ſecundùm primam œcumenicam ſynodum, & magnum Baſilium & Cyrillum, diuina germina profitemur eſſe, necnõ ſpiritum à filio ſcaturire, hauriri, prodi, emitti, ac profundi.

Latini.

Quas quidem literas ad Latinos hac conditione Græci miſerunt, vt ipſas cùm voluiſſent, exponere poſſent. At Latini literis ipſis nequaquam acquieuére, proferentes ſe verborum ipſorum expoſitionem vehementer deſiderare: quandoquidem verbum Scatvrire, in actis ipſius primæ ſynodi, Havriri verò & Profvndi, in nonnullorum ſanctorum commentarijs legitur. quid autem talia verba ſignificẽt, (vt pauloantè dictum eſt) ſe ſcire cupere: quia vulgò ferebantur eiuſmodi verba, ſecundam ac temporalem miſſionẽ ſignificare: ſe autem credere, ſanctos patres de vna tantùm ſancti ſpiritus miſſione literis mandaſſe, ac ipſam ſpiritus à filio effuſionem, ſecundam non eſſe. Et quamuis temporalis etiam ſancti ſpiritus miſſio ad homines ſit, ſe tamen primam illam inueſtigare, qua quidem filius ſancti Spiritus cauſa creditur eſſe. Nam qua ratione ſanctus & hypoſtaticus ſpiritus à filio ſcaturiret, niſi ab ipſo haberet eſſe? vel quonam modo apud Cyrillum, ab eodem filio, vt à Deo patre proflueret, ſi non ab ipſo dependeret? Dicebant ergò Latini ſe cum Græcis in hoc ſentire: verùm vt omnis ambiguitas tolleretur, & ne quiſquã in poſterum opinetur, miſſionem ipſam de qua agitur, in ſimpliciſſima diuinitate ſecundam eſſe, idcircò declarationem, quam ſuprà dixerant, à Græcis ipſis deſiderare.

Græci.

Quæ cùm Græci audiuiſſent, magno animi dolore affecti, quòd ea ratione modum rei facere non poſſent, proferebant magnum ſe facinus cõtra trium legatorum patriarcharum, videlicet Heracleen. Epheſij, & Monembaſien. necnon ex alijs antiſtitibus Anchialen. ac ex clericis magni bibliothecarij, ac *Protecdici ſententiam commiſiſſe, quòd literas ipſas ad Latinos ſcripſiſſent, ſeque nil aliud poſſe facere, quandoquidem Latini ſanctorum authoritatibus acquieſcere nolunt, ideoque operæprecium eſſe ad patriam, infecta re, remeare.

*Locus obſcurus for. * Dofithei*

IMP.

Quæ cùm ſereniſſ. Imper. intellexiſſet, eorum ſocordiam exprobrauit, ob quam ſibi videbatur ipſis malè actum fuiſſe, ac ſtatim ad ſummum Pontificem iuit, ipſique ſignificauit, quæ inter ſuos antiſtites proferrentur.

PAPA

Cui Pontifex ſummus ita reſpondit: Nos, Imperator fili, ſæpè ſæpiùs à vobis contendimus, vt diſputando veritatem inueſtigaremus: deinde inquirentibus vobis, quidnam de ſumma Trinitate ſentiremus, bis ad vos ſcripſimus. Quod cùm vobis nequaquam placuerit, quaſdam nobis ſanctorum authoritates miſiſtis: quæ quoniam nobis ambiguæ viderentur, vos enixè rogauimus, vt ipſas clariores redderetis. Vobis autem id facere recuſantibus, quid amplius poterimus facere?

IMP.

Non equidem, pater beatiſſime, Græcorum conuentui dominor, neq; vellem ipſum tyrannicè cogere, vt vobiſcum pacem componat. Qui cùm clariſſimas ſuæ profeſſionis literas ad vos libenti animo miſerit, neſcio cur alia opus ſit expoſitione. Nam Scatvrire, Profvndi, Havriri, & reliqua illa vocabula, filium cauſam eſſe ſignificant, tametſi noſter conuentus, ne tumultus ob ignorantiam vulgi fieret, ea clariùs explicare non audeat.

IVL. Cardinalis.

Siquidem igitur vobis credentibus filium ſancti Spiritus cauſam eſſe, non ſolùm non contradicimus, verumetiam cum verbis illis coniungi volumus: quidnam aliud, obſecro, à nobis deſideratis? Quoniam Imperator ſereniſſime, conuentus veſter videtur credere, verba Scatvrire, Havriri, atque Profvndi, ſecundam quãdam & temporalem miſſionem ſignificare, idcircò vehementer deſideramus, vt veſtram ſententiam literis veſtris clarius exponatis: quandoquidem ipſi ſentimus Cyrillum his verbis oſtendere voluiſſe, ſpiritum ſanctum ex patre filioq; eſſentialiter eſſe, necnon ex filio, ſicut ex patre, procedere.

IMP. GRÆCI

Quæ omnia ſereniſſ. Imper. conuentui ſuo retulit. Qui equidem ea grauiter ferẽs, poſt aliquot dies eoſdem illos nuncios ad ſummum Pontificem remiſit, eum obſecraturos, vt huius rei tandem faceret finem.

PAPA

Qui ſummus Pontifex ſtatim eoſdem ipſos tres cardinales ad conuentum Græcorum miſit, ipſum rogaturos, vt ſuas exponeret literas, præſertim quonam modo illam præpoſitionem Per intelligeret, cùm apud Latinos quatuor res videatur ſignificare, videlicet inſtrumentum vt ſerram, & materiam vt domum, & tranſitum, vt aquæductum, ac naturaliter ſubſtantialiterque, quemadmodum Spiritus ſanctus per filium mitti creditur.

IMP.

Quæ cùm Græcis nunciata fuerunt, Imperator cardinalibus ipſius reſpondit, ſuos antiſtites aliud nolle conſcribere vel proferre, ſe tamen maximo deſiderio affici, necnon paratos eſſe cum Latinis coniungi: ſin minus, propediem à ſynodo diſceſſuros. Hæc & alia verba ſimilia Imperator proxima quoque die cardinalibus ipſis eandem expoſitionem enixè petentibus protulit. Deinde verò ad ſummum Pontificem accerſitus iuit.

PAPA

Cui ſummus Pontifex ita dixit: Cùm tuum ad coniungendas Eccleſias magnum ſtudium, Imperator fili, viderem, magno equidem gaudio afficiebar, ita vt æquo animo labores ac non mediocres ſumptus ferrem: nunc autem contrà videns tuorum hominum in tali tantaque re ſocordiam & pigritiam, animi dolore afficior, ac ſimul vehementer admiror, vndenam hæc tam ſubita, tantaque rerum mutatio ſit, cùm mihi profectò videantur abſque conſona ratione ab Eccleſiarum coniunctione mirum in modum abhorrere, ita vt videar operam & oleum (vt vulgò dicitur) perdere. Porrò autem ſcire velim, quod vnquam fuerit opus, in quo vobis non ſatisfecerimus? vel quid à vobis contenderimus, quod fieri non poſſit? Aut igitur noſtram piam profeſſionem ſuſcipite, ac excolite: aut veſtras literas, quas nuper ad nos miſiſtis, nobis reddito clariores, quo quidem pacto facilimè coniungemur. an quicquam prohibet, quo neutrum horum poſſit fieri?

IMP.

Iuſta petis. P. ſanct. vt noſtras literas exponamus, clarioreſque reddamus. Verùm nonnulli præſules noſtri, Latinorum petitionem credentes congruam rationi non eſſe, nolunt ei acquieſcere: difficileque eis videtur, dogma maiorum ſuorum tam ſubitò dimittere, cùm ſemper crediderint, Latinorum fuiſſe ſententiam, Spiritum ſanctum duas ſubſtantiales cauſas habere, proptereaq; noluerint illud, Ex Filioqve ſuſcipientes, vobiſcum pacem componere. Nobis ergò neceſſe eſt, vt patrias leges moreſq; ſeruemus. Ego verò qui conuentui noſtro (vt pauloantè dixi) non impero, ipſum tyrannicè cogere nolo, vt quicquam præter eius volũtatem dicat vel agat, ita vt in hoc quod à me, pater beatiſſime, petis, minimè tibi ſatisfacere valeam.

PAPA

Veſter ergò conuentus veniat, vt mihi reſpondeat, vt mihi & tibi Imperatori plurimum conuenit.

IMP.

[Tum iuſſu Imperatoris, abſente tamen ipſo ac patriarcha, Græci omnes antiſtites ad ſummum Pontificem venere. Quem cum cardinalibus nouem ac pluribus præſulibus offendére. Vbi conſidentibus omnibus, is ſummus Pontifex orationem hanc habuit:]

PAPA

Nequaquam, fratres prudentiſſimi Orientalis Eccleſiæ conſiliarij, terrenarum & caducarum rerum, aut noſtri commodi cauſa, verùm ſpiritu ſancto afflati, vt Dei Eccleſias coniungamus, non ſine magno labore diuinum hoc opus libenter aggreſſi ſumus. Qua quidem in re quantum laboris ſuſcepimus, ac indies ſuſcipiamus, vobis notiſſimum eſſe putamus. Quod profectò æquo animo ferebamus, dum crederemus, vos etiam in hanc rem vehementer incumbere, videntes multa vos terra marique paſſos, ad coniungendas ipſas Dei Eccleſias feſtinantes huc conueniſſe. Nunc autem taciti nobiſcum conſiderantes, voſipſos negligentes & hac in re pigros factos eſſe, vehementer miramur, ac veſtri plurimum miſeremur, etiam non inſcij vos & patria, & neceſſarijs ac veſtris commodis carere, necnon Eccleſias veſtras non mediocriter pati, magno animi dolore afficimur, præſertim benè proſpicientes, ſi noſtras Eccleſias, ob negligentiam & contumaciam veſtram neutiquam coniunxerimus, quanta mala futura ſint. Vt autem (fratres) dogma noſtrum pium eſſe de-

nſtraretur, frequentes fieri ſeſſiones, ac inter nos diſputa-
nes ab initio ſtudio ſummo curauimus. At vos ita rem
nper voluiſtis differre, vt dum eſſemus Ferrariæ, non am-
ns quàm ſedecim ſeſſiones fuerint celebratæ. Quòd qui-
n licèt ægrè ferremus, tamen ad ſanctam pacem proſpici-
tes, rebus in omnibus, quas à nobis petijſtis, vobis libentiſ-
mè ſatisfecimus. Communi deinde ſententia ſynodum huc
anſtulimus, vbi ſanè nunquam deſtitimus, quin ex mutuis
nditionibus, quas Ferrariæ accepimus, vos ad diſputãdum
rtaremur, ac huius rei cauſa, quãdoque increparemus. Nam
conuenimus, vt tres ſingula quaque hebdomada ſeſſiones
lebraremus, etiam ſi ſummus Pontifex, vel Imperator vel
triarcha, vel quiſquam ex electis diſputatoribus detentus
letudine, à ſeſſione abeſſet: & ſi feſtum, aliudve impedi-
entum contingeret, proxima die ſeſſio haberetur, vt nulla
tione vlla vnquam ſeſſio poſſet impediri. At vos vix no-
m alijs ſeſſionibus hic Florentiæ celebratis, vt priuati con-
ntus fierent contendiſtis, ſperantes eo modo noſtræ con-
nctionis viam inuenire. Qua etiam in re tametſi vobis in-
lſerimus, nihil tamen ob ſocordiam veſtram profecimus,
iandoquidem contendentibus vobis cognoſcere, quidnam
e Spiritus ſancti proceſſione ſentiremus, binas literas ſcripſi-
nus, quod forſan pro Romanæ Eccleſiæ dignitate fieri non
ebebat. Quanto enim honore ac obſeruantia Orientalis Ec-
eſia Romanam ſemper fuerit proſecuta, vos ſcire credimus.
Deinde nobis quoque volentibus intelligere, quidnam ipſi
e eadem proceſſione ſentiretis, literas nobis multùm ambi-
uas & obſcuras ſcripſiſtis. Poſtremò, plurimùm requiſiti at-
ue rogati, vt eas exponeretis, clarioreſque redderetis, nobis
tisfacere noluiſtis, ita vt ipſas intelligere nõ poſſimus. Quid
gitur faciamus, neſcimus. Videmur autem videre, non ſine
mnium noſtrum incommodo & dedecore, nos (quod abſit)
emper diſiunctos fore, quod quidem quo animo creditis
Occidentales principes audituros eſſe? ac nos quanto animi
lolore afficiendos? Vos verò quanta mœſtitia veſtram ad
patriam redituros: Contrà, piè coniunctis Eccleſijs, & prin-
cipes ipſi nobiſcum vehementiſſimè gaudebunt, & omnes vo
bis auxilio erunt, ita vt non ſolùm Chriſtiani, qui ſub Imperij
veſtri ditione ſunt, verumetiam illi, qui ſub impio tyran-
no & Chriſti nominis hoſte degunt, animo leuentur. Roga-
mus itaque vos fratres, per Domini noſtri Ieſu Chriſti præ-
ceptum, ne velitis Dei Eccleſias diſiunctas ſemper manere,
verùm ipſis coniunctis Deum ſimul glorificemus: quando-
quidem Eccleſiarum coniunctio animabus noſtris ſaluti, no-
bis verò non mediocri fuerit honori, ac eam dubio procul
corporei ac incorporei acerrimi noſtri hoſtes, nobiſcum an-
gelis gaudentibus, vehementer timebunt, ita vt non minùs in
cælo quàm in terra non mediocre gaudium ſit futurum. O-
ratio tua, pater ſanctiſſime, vera nobis videtur eſſe: ſed quo-
niam magnæ res magna indigent conſideratione, idcircò in
hoc longiſſimo tempore, in primis sereniſſimus Imperator
conſilio & prudentia, deinde nos tum publicis, tum priuatis
diſputationibus, diligentiſſimaque perueſtigatione, in Ec-
cleſiarum coniunctionem mirum in modum incubuimus,
ita vt totos hos quatuor annos, ex quo negocium hoc tracta-
re cœpimus, plurimùm laborauerimus. nil mirum autem eſt,
ſi pro magnitudine rei nihil ferè confecerimus: quandoqui-
dem (vt pauloantè diximus) longa opus eſt contemplatione.
[Quibus dictis, Græci ad patriarcham venére, ac ei omnia re-
tulère. Ipſe verò, ſic contendentibus pluribus, Rhutenum &
Nicænum & Lacedæmonien. ac Mitylenen. antiſtites ad Im-
peratorem miſit, vt ei nunciarent, conuentum Græcorum,
patriarcha duce, cum Latinis coniungi velle: ideoque roga-
rent ipſum vt pacem conficeret: ſin minùs, inuito eo, antiſti-
tes ſuos eam confecturos. Quæ cùm Imperator audiſſet, ti-
mens ne ſui homines in ipſum conſpirarent, cogitare cœpit,
quonam pacto pacem cum Latinis iniret. Die verò ſequenti
in Græcorum conuentu domi patriarchæ facto, hæc habuit
verba:] Non alia de cauſa, pontifices optimi, ad hanc venimus
regionem, niſi vt Eccleſias coniungamus, & non pro alia re
tot labores pertulimus, quàm noſtræ Eccleſiæ dignitatis ac
amplitudinis cauſa. Sed ecce iam menſis 15. agitur, ex quo pa-
tria & commodis noſtris priuati, in Italia ſumus, & nihil pro-
fecimus. Porrò mihi videtur diſiunctio ac noſtrum à Latinis
diſſidium, pernicioſiſſimum eſſe: coniunctio verò atque pia concordia, nobis valdè conducere poſſe. Ideò duo nobis oppoſita, vtpotè mala damniferaque, fugienda ſunt: alterum, ne ſine ratione cum Latinis iungamur: alterum autem, ne impiè ab eiſdem diſſideamus. Ergò diligenter debetis conſiderare, quidnam nobis magis conducere poſſit, ac in primis, quãtum calamitatis talis diſcordia nobis afferre poſſet. Mementote ergò, patres optimi, vt patriæ noſtræ Conſtantinopolitanæ auxilio ſitis, quæ quidem ſola Chriſtianorum refugium, ſpes ac ſeruatrix in Oriente relicta eſt. Conſulite, obſecro, incolumitati ac ſaluti eius: dicite ſententias neque animabus, neq; corporibus pernicioſas: Pia quidem & non abſque ratione Eccleſiarum coniunctio, nobis valdè conducet: earundem verò diſiunctio, contrà: ſed animarum noſtrarum ſalute omnia debent metiri. Cauendum igitur, ne, ſi talis cõiunctio pia eſt, eam ſine ratione fugiatis, ita vt tanto talique careamus bono, quandoquidem Eccleſiarum diſiunctio horribilis eſt & dicitur. Si quis autem impedit, quo minùs pia Eccleſiarum pax fieri poſſit, is cum Iuda damnetur. Tum antiſtites omnes vna voce clamârunt: Si quis Eccleſiarum coniunctionem non deſiderat, ſit anathema.

GRÆCI

RHV.

Credo equidem, fratres, vos non ignorare diſſidium & controuerſiam noſtram cum Latinis, multorum malorum cauſam fuiſſe. Occidentalium ergò ac Orientalium ſanctorũ doctorum ſententias accuratè conſideremus: quippe qui videntur inter ſe quàm maximè conuenire, quandoquidem nobis credendum eſt, ipſos à Spiritu S. æqualiter afflatos fuiſſe: ipſis ergò debemus æqualiter credere, niſi aliter vobis videtur.

BESSA.

[Annuentibus autem his omnibus pontificibus, Nicænus prolixiorem habuit orationem, dicens:] Si creditis, P. amp. ſanctos eſſe concordes, cur etiam cum ipſis non creditis ſanctum Spiritum ex patre filioque procedere? Deinde multas attulit authoritates, præſertim Cyrilli ſuper Ioannem, & ex eius theſauris, & ex Epiphanij angyroto: quorum aliæ teſtabantur ſanctum Spiritum ex patre filioque procedere, aliæ ex vtroque, aliæ ipſum ſpiritum à filio habere eſſe, aliæ verò ab eodem profundi & mitti.

MITY.

Quibus quidem Orientalium doctorum ſententijs intellectis, Mitylenen. etiam præſul ſanctos Occidentales doctores citauit, proferentes patrem & filium vnicam ſancti Spiritus cauſam eſſe, patrem tamen præcipuam eſſe cauſam, licèt ſpiritus ex conſubſtantiali quoque filio ſit, ac ex vtroque procedat. [Quibus omnibus ſanctorum ſentẽtijs viſis, pontifices ipſi dixerunt, ſe nunquam aliàs ipſas intellexiſſe, nunc autem eas æquo animo ſuſcipere.]

GRÆCI

IMP.

[Tum Imperator dixit illis:] Si ergò talibus ſententijs acquieſcitis, veſtras ſententias dicite. [Hi verò pontifices ac patriarcha ſimul reſponderunt. Occidentales ſanctos ſectari velle, ac ipſorum doctrinam ſuſcipere, quam quidem neceſsè eſt veram eſſe, cùm ab vno eodemq; ſanctorum ſpiritu æqualiter omnes afflati fuerint. Sequẽti autem die Georgius Scholarius vir doctiſſimus, qui cùm ſacris initiatus non eſſet, in ſynodum venire non poterat, ab Imperatore vocatus, vt quidnam in hac ſentiret materia, proferret, hanc orationem in cõuentu Græcorum habuit.]

GRÆCI

GEOR. SCHOLARIVS

Quid equidem, Imperator optime, de facienda cum Latinis pace ſenſerim, ac ſentiam, ex ſermone, quem nuper ad hos amp. P. ſcripſi, patet, quo quidem ipſos, vt cum Latinis coniungerentur, pacemque componerent, & Reipublicæ Conſtantinopolitanæ auxilium ferrent, pro viribus hortatus fui. Nunc autem duas alias orationes, quas nuper exaraui, tibi conſecro: In quarum altera continetur, quanam ratione pax huiuſmodi fieri debeat, in altera verò non argumentis ac humanis probationib. verùm ex ipſa ſacra ſcriptura, & ſanctorum doctorum ſententijs demonſtratur, ſanctos omnes doctores inter ſe concordes ac conſonos eſſe. Quas quidem duas orationes, ſereniſſ. Imperator, tametſi neque ſapientia, neque ſcientia, neque ingenio præditus ſim, pro meo tamen munere ac gratijs, quas mihi pro illo primo meo ſermone humaniſſimè reddidiſti, quas equidem minimas ſimul & maximas eſſe cenſeo: illud, quòd aliàs maioribus me beneficijs affeciſti: hoc autem, quòd indignus ſum, vt tot ac tantæ mihi gratiæ agantur: pro meo (inquam) munere, ac horum præſtantiſſimorum patrum in me mutua beneuolentia, ſummo ſtudio ac lucubrationibus & longis vigilijs compoſui. Qui-

*ſentiam.

...s planè patet, quidnam ego in hac re * ſententiam, videlicet omnes probos & non contentioſos Chriſtianos, firmiter credere debere, ſanctos doctores (vt paulo antè dictum eſt) quammaximè concordes eſſe, quorum omnium rationem cuique volenti auſcultare paratus ſum reddere. Porrò quoniam tu Imperator diuine, ac omnes hi præſtantiſſ. Patres mihi iubetis, vt ego quoque, quidnam de tali re ſentiam, nunc in medium proferam, idcirco tametſi conuenientius eſſet mihi paci per vos faciendæ acquieſcere, q̃ in ea ſententiam dicere: quãdoquidẽ talem proferre ſententiam ad Eccleſiarum rectores pertinere videtur, tibi tamen imperanti mihi, non autem quod authoritate mea in hac re opus ſit, pro viribus ſatisfaciam. Sed vbi de fide veritatiſque profeſſione agitur, propria vti authoritate ineptiſſimum eſt: nam nec imprudentium quiſquam aliquid crederet, quod non aliqua ratione conſtaret, licet ſola fidei veritate (vt nouimus) Chriſtiani ſeruari, & diuinam gratiam conſequi poſſunt. Sed hæc hactenus. Primum autem Deo optimo maximo, ſereniſſ. Imp. gratias ago, qui veſtrum omnium mentes, ad componendam pacem ſibi gratiſſimam, direxiſſet, quique paſſus nequaquam fuiſſet, vt ſui fideles ſpe tanta fraudarentur, me deinde veſtri ſacri conuentus, quinimmo huius œcumenicæ ſynodi ſententiæ ac futuro decreto ſummitto, quod quidem ſumma veneratione, ac non mediocri gaudio ſuſcipiam & amplectar, ipſique magnum honorem pro viribus tribuam, vtpotè quod non ab hominibus, ſed à DEO eſſe prolatum exiſtimem. Hanc autem ſententiam dico, non quia laicus ſum, ob idque mihi neceſſe eſt diuino tuo Imperio, & œcumenico patriarchæ noſtro, & huic ſancto conuentui, & multo magis generali ſynodo ſemper obedire: neque præterea, quòd in hac materia ſemper huius ſententiæ fuerim, vt cum Latinis coniungeremini, verum & ſi contrariam ſententiam prius habuiſſem, & & quauis dignitate in Dei Eccleſia præditus eſſem, ſapientiaque cæteros mortales præcellerem, adhuc tamen non aliam ſententiam in præſentia dicerem. Demum magno affectus deſiderio, veritatis confeſſione meam linguam expiare, ſanctificareque, vt Chriſti Seruatoris noſtri de me quoque confeſſionem in cælis expectem, quam quidem ipſe, qui veritas eſt, his qui eum coram hominibus profiteantur, promittit, pia mente credo & profiteor ſanctos doctores tam Orientales quàm Occidentales, quos inter ſe conſonos eſſe neceſſe eſt, & quorum alij litteris mandarunt, Sanctum Spiritum ex patre FILIOQVE, alij ex patre per filium procedere vel mitti, vel ex filio, vel ex patre per filium eſſe, alij vel ex filio profundi, quemadmodum ex patre, vel ſubſtantialiter ex vtroque effundi, vel denique ex filio ſcaturire, ac alia id genus ſanctos (inquam) doctores ipſos, ad hanc vnam veritatem adſpexiſſe, ſanctum ipſum Spiritum à patre filioque accipere eſſe, ac ex patre filioque procedere, vt ab vnico principio, atque vno mittente, patremque ſimul & filiũ vnicum Spirit' ſancti principium eſſe, non autem ex eo propterea conſequi, patrem & filium duas cauſas eſſe, neque ipſos inter ſe confundi, quamuis nonnulli ſuſpicentur, huic ſententiæ talia incommoda contingere. Quod ideo ipſis accidit, quod ſententiam ipſam non benè percipiunt. Ego autem credo, Spiritum ſanctum ex patre filioque, vel ex patre per filium, vt ab vnico principio cauſáue procedere, veram ſententiam eſſe, ac ſanctos omnes (quos ſupra diximus) in hoc concordes fuiſſe, quinimmo nequaquam fieri potuiſſe, vt in aliquo diſſentirẽt. Proptereaque duas cauſas in diuinis eſſe credentes, aut patris filijque perſonas confundentes, execrandos, anathemateque notandos cenſeo. Dixit, ac ſtatim è conuentu exiuit.

Mar. 8. Luc 12. Matt. 10.

Græci verò multis Orientalium doctorum ſententijs repetitis, & accuratè conſideratis, patefacta denique veritate, ſententias ſuas hoc modo ac ordine dixerunt. Occidentalium ac Orientalium ſanctorum doctorum ſcripta diligenter auſcultauimus, quorum alia Sanctum Spiritum ex patre filioque, alia verò ex patre per filium procedere teſtantur: quæ quidem omnia tametſi ſignificant idem, nos tamen illud Ex FILIOQVE, poſtponentes, Sanctum ſpiritum ex patre per Filium ab æterno ſubſtantialiterque vt ab vnico principio vel vnica cauſa procedere profitemur, quandoquidem præpoſitio per, in Sanctiſpiritus proceſſione cauſam ſignificat.

Græc. Toſ Patr. Cōſtan.

Hanc equidem ſanctam generalem ſynodum nequaquã cæt... is inferiorem eſſe cenſeo, quarum quædam etiamſi pr... multitudine patrum, aliæ Gregorij & Cyrilli, aliæ verò alio... rum clariſſimorum doctorum authoritate fuerint illuſtre... hanc tamen non minus ipſis piam & ſanctam exiſtimo, nequ... ipſam minori proſequor veneratione, quod in ea diuinior &... difficilior quæſtio tractatur, & viri, qui tantam rem agun... ſancti veneratioeque plurima digni ſunt, præſertim ponti... fex ſummus, ac patriarcha noſter ſanctiſſimus. Cùm igitu... hæc ſynodus talis ac tanta ſit, ego Dei gratia Imperator, eiu... futuræ ſententiæ acquieſcere, quodque decretum ipſa vel ma... ior numerus patrum ediderit, more maiorum meorum, a... pro viribus ſacri Imperij abſque aliqua excuſatione defende... re promitto, tum cauſis antedictis, tum etiam quod mihi ip... ſuadeo, vbi de diuinis dogmatibus in œcumenica ſynodo agi... tur, ſanctam Dei Eccleſiam communi patrum ſententia ne... quaquam errare poſſe. Fieri nanque poteſt, vt vnus, duo, tre... vel plures homines per ſeſe meditantes, ac rẽ aliquam contẽ... plantes aberrent: communem autem Eccleſiam, de qua Do... minus dixit: [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificab... Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſu... eam.] errare non poſſe cenſeo. Alioquin & ſeruatoris noſtr... verba vana eſſent, & noſtra religio peſſundaretur. Quæ qui... maxima incommoda eſſent, credendum potius fieri non po... ſe, vt Eccleſia Dei decipiatur. Neceſſe eſt ergo (vt paulo ant... dictum eſt) Imperatoriam maieſtatem Eccleſiæ decreta de... fendere. Sed velim, ne à Latinis cogamur, vt ſacro ſymbolo... noſtro quicquam apponamus, vel cæremoniarum aliquid i... Eccleſia noſtra mutemus.

Sanctorum Occidentalium ſcripta nobis ſuſcipiend... cenſeo, ſanctumque Spiritum ex filio habere eſſe, necnon pa... trem & filium vnicam ſpiritus cauſam eſſe, credo & profite... or, ac coram Deo & vobis palam dico.

Pòſt autem Beſſarion eandem ſententiam dixit. Verum enimuerò rem altius repetens, plurimis ac fortiſſimis argu... mentis oſtendit, eum Chriſtianum ſeruari non poſſe, qui ſan... ctum ſpiritum ex patre filioque procedere, crederet mini... mè.

Ego ab ineunte ætate litteris & ſermone cum Latini... certabam acerrimè, ipſis ſemper contradicendo, quod mih... duas in ſacratiſſima Trinitate cauſas ponere viderentur, dicẽ... tes filium ſanctique Spiritus cauſam eſſe. Nunc autem in ſy... nodo, dogmate ipſorum accuratè dilucidato, eos longè alite... & non à ratione aliena ſentire cognoui: quandoquidem pro... fitentur patrem, vt pater eſt, filij patrem eſſe: ac filium, quate... nus filius eſt, patris filium eſſe, cùm relatiua & ad aliquid ſint... ſanctum autem Spiritum per ſeſe neq; ad patrem, neque ad fi... lium referri, quatenus pater & filius ſunt, quod ſpiritus per ſ... relatiuum non eſt: ratione verò, qua ſpiritus eſt, ad ſpirant... referri: neminemque proferre debere, patrem & filium ſpirã... tes non eſſe, cùm paſſim legatur ſpiritum patris & filij eſſe, a... in Euangelio ſcriptum ſit, [Ego in patre, & pater in me eſt.... Et, [Qui videt me, videt & patrem meum:] Ergo pater & fi... lius vnica ſpirandi, mittendiue facultate (vt benè Latini di... cunt) ſanctum ſpiritum ſpirant. Quæ cum à ſanctis doctorib... memoriæ tradita diligenter vidiſſem, omnes valdè conſono... & concordes eſſe percepi, quamuis Occidentales magis quàm... Orientales expreſsè clareque litteris ea tradiderint. Nam O... rientales his verbis, PROFVNDI, EMITTI, SCATVRIRE... HAVRIRI, ac alijs id genus vocabulis vſi fuerunt, ſanctum... que Spiritum per filium procedere protulerunt: Occidenta... les vero ſanctum ſpiritum ex patre filioque, tanquam ab vni... co principio procedere, literis clariſſimè mandauere. Quo... rum item ego volens ſequi veſtigia, Sanctum ſpiritum ex pa... tre filioque, vt ab vnico principio, non autem à duabus cauſi... procedere, profiteor: quandoquidem non patrem, vnam: fili... um, alteram Spiritus ſancti cauſam eſſe: ſed patrem vnicam fi... lij ac Spiritus cauſam ab ipſis Latinis prodidici, patremque ſi... mul & filium vnicum ipſius ſpiritus principium eſſe, ita v... cum ſanctum ſpiritum ex patre filioq; procedere celebretur... tanquam ab vnico principio intelligi debeat: quod ita eſſe co... ram Deo & hominibus credo & profiteor.

Tum nonnulli alij patres eandem ſententiam dixere.

Poſt autem aliquot dies facto iterum in Patriarchæ do... mo conuentu, Imperator hæc verba fecit.

P.

Proximis diebus, pontifices opt. multorum ex vobis ſententias intellexi, & . . ram vobis & Patriarcha meam dixi, & iam mihi notiſſimum eſt, maiorem digniorem que partem cum Latinis ſentire, credereque proculdubiò præpoſitiones PER & EX, idem ſignificare, necnon Occidentalium doctorum authoritates ſuſcipiendas, quibus patet clariſſimè, ſanctum Spiritum ex patre filioque procedere. Operæ precium igitur eſt, vt qui proximo conuentu non dixit ſuam ſententiam, eam in præſentia dicat, vt hoc tandem negocium concludamus. Reſpondentibus autem omnibus, valdè conueniens eſſe, vt patriarcha primus ſuam ſententiam dicat, ita is protulit.

ttiar- ɑ Con- tnus.

Ego noſtrum paternum dogma non derelinquam, neque mutabo, ſed in eo quouſq; vixero, permanebo. Sed quoniam Latini non temerè, nec ex ſententia propria, verùm ſanctorū authoritatibus adducti, ſanctum Spiritum ex patre filioque procedere credunt, idcirco eis aſſentior, & cum ipſis coniungor, ac præpoſitionem PER, filium Spiritus ſancti cauſam ſignificare concedo.

ræci.

Tum patres frequentes, præſertim Cyziceñ. & Trapezundeñ. ac Monembaſieñ. & Heracleenſis qui anteà vehementiſſimè repugnabant, eandem ſententiam dixerunt, excepto ſolo Epheſio, qui in eadem permanſit perfidia, ſanctum Spiritum ex filioque nequaquam procedere. Conuentus ergo Græcorum, in hanc ſententiam iuit, ſanctum Spiritum ex patre filioque, vt ab vno principio ac vnica ſubſtantia, vnica ſpiratione, proceſſioneque procedere: per filium verò, tanquam à conſubſtantiali eiuſdemque naturæ. Poſtridiè autem Græci iterum congregati, eandem ipſam ſententiam dixerunt, ac tribus litteris tradiderunt, quarum vnas ſummo pontifici, alteras Imperatori, tertias verò Patriarchæ dedere. Quas cùm ſummus pontifex vidiſſet, magno gaudio affectus, conuocatis extraordinariè tam Græcis quam Latinis pontificibus omnibus, Imperatore tantùm & patriarcha abſentibus, litteras ipſas Græco Latinoque ſermone recitari iuſſit. Quibus quidem perlectis, omnes amplexati, ac inter ſe oboſculati fuere. Tum ſummus pontifex, Cretenſis Archiepiſcopum, & Coronenſis Epiſcopum, ac (neſcio quem) Thomam doctorem ad imperatorem miſit, vt ei pacem eiuſmodi non mediocri omnium gaudio confectam eſſe, nunciarent.

Sequenti verò die Græci à ſummo pontifice requiſiti, vt de ſuis præſulibus quoſdam ad eum mitterent, Rhutenum & Beſſarionem & Trapezundenſis ac Mitylenenſis ad ipſum miſerunt. quibus ita loquutus fuit:

'APA.

Nos ſpiritus ſancti gratia coniuncti ſumus, ac in præcipua quæſtione, de qua vehementer ambigebamus, ita conuenimus, vt nil amplius de ea dicere debeamus. Porrò autem operæprecium eſt, vt de purgatorio igne, & de ſummi pontificis principatu, & de azymo & fermentato pane de diuina deniq; panis tranſmutatione agamus, vt omni ex parte coniunctio noſtra ſit abſoluta, ita vt nulla inter nos controuerſia in poſterum relinquatur.

ræci.

Cui ſummo Pontifici ſtatim hi præſules reſponderunt: Nos, pater ſanctiſſime, nullam adhęc reſpondendi facultatem habemus, tamen ex nobis ipſis proferimus iuſtorum animas perfectam laureolam cælo iam conſequutas eſſe, ac impiorū perpetuas pænas luere, medias verò in Purgatorio eſſe: quod quidem ſiue ignis, ſiue obſcuritas, ſiue turbo, ſiue id genus aliud ſit, non referre. Summum verò pontificem priuilegia ſua meritò habere debere, quæ ante noſtrum diſſidium habuiſſet. Nam de pane, ſiue azymus, ſiue fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodò ex tritico conſtet, & ſacerdos, qui Chriſti ſacratiſſimum corpus conficit, legitimis ſit ſacris initiatus, & vbi Miſſa celebratur, ſacer locus ſit. De panis autem tranſmutatione Latinis quærentibus, cur Græci poſt hæc Dominica verba, Accipite & manducate: ac infra, Bibite ex hoc omnes, quibus profecto verbis ſacramentum confici creditur: hac etiam vtuntur oratione: Et fac panem quidem hunc, honorabile corpus Chriſti tui: quod autem in calice iſto eſt, honorabilem ſanguinem CHRISTI tui, ea ſancto tuo ſpiritu tranſmutante: Reſponderunt, ſe firmiter credere, verbis illis Dominicis ſacramentum fieri, ſed quemadmodum Latini, confecto ſacramento, hac ſolent vti oratione: Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, ita quoque Græcos illa verba proferre ſolere, vt ſanctiſſimum CHRISTI corpus & ſanguis, peccatorum noſtrorum remiſſioni ac noſtris animabus ſaluti fiat.

PAPA.

Quibus quidem quatuor quæſtionibus diſſolutis, ſummus pontifex petijt, vt de diuina panis tranſmutatione, quæ quidem quarta quæſtio fuit, in ſynodo ageretur.

Græci.

At Græci dixerunt, ſe ſine totius Orientalis Eccleſiæ authoritate quæſtionem aliam tractare non poſſe, cùm pro illa tantum de Spiritusſancti proceſſione ſynodus conuocata fuerit, ſe tamen velle Imperatori referre.

Mors ſubita patriar-

Dum autem hęc agerentur, inclinante iam die, increbuit, patriarcham noſtrum mortem ſubitam obijſſe. Accurrimus, ac ipſum mortuum vidimus. Et nobis cauſam tam ſubitæ mortis quærentibus, eius famuli reſponderunt, ipſum poſtquam cœnaſſet, in penetrale domus ſcribendi cauſà (vt ſui moris erat) intraſſe: dum vero ſcriberet, tremore ac animi languore affectum, ſtatim occubuiſſe. Cupientes autem ipſi videre, quidnam tum literis mandaret, has literas iamiam ſcriptas offendimus.

Litteræ patriarchæ.

IOSEPH miſeratione diuina Conſtantinopolis & nouæ Romæ Archiepiſcopus, ac œcumenicus PATRIARCHA.

Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcirco pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam ſententiam his litteris palam facio. Nam quæ Domini Ieſu Chriſti catholica & Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris ſentiam ac celebret, omnia me quoque ſentire, credereque profiteor, ac ipſis plurimum acquieſco. Beatiſſimum autem patrum patrem, ac ſummum pontificem, Romæque veteris Papam, Domini noſtri Ieſu Chriſti vicarium eſſe concedere, atque animarum Purgatorium eſſe non inficior.

Eugenij 4 & ſucceſſorum eius primatus haud paruum teſtimonium.

Datum Florentiæ die octaua menſis Iunij, milleſimo quadringemeſimo trigeſimonono.

Mane autem magna cardinalium & pontificum Florentinorumque pompa, ipſum in ſanctæ Mariæ nouæ templo, ſepulchro condidimus.

Poſtridiè verò ſummus pontifex, conuocatis ad ſe Rhuteno & Nicæno ac Mityleneñ. ſic fuit loquutus:

PAPA.

Magno animi dolore afficimur, tum ob veſtri patriarchæ mortem, tum etiam ipſius noſtræ coniunctionis cauſa, de qua ipſe benè ſentire, ac in eam vehementer incumbere (id quod ipſi planè non agitis) videbatur. Operæprecium autem eſt, quandoquidem præcipuam illam, & ad fidem quàm maximè pertinentem quæſtionem concluſimus, vt de his etiam alijs quæſtiunculis per ſeſſiones agamus, vt noſtra coniunctio firma, ſtabilis, & abſque aliqua controuerſia in poſterum ſit, videlicet de azymo & fermentato pane, de Purgatorio, de ſummi pontificis poteſtate, necnon de diuina panis tranſmutatione, an denique Græci particulam ipſam, Ex FILIOQVE, ſymbolo debeant addere.

Græci.

Quæ cum ipſi pontifices intellexiſſent, ad quatuor ipſas primas quæſtiunculas, vt pridiè, reſponderunt: ad vltimam verò dixerunt ita:] Nos, pater ſanctiſſime, illud Ex FILIOQVE, verum eſſe concedimus, ac ipſum in Occidentali Eccleſia celebrandum permittimus, quandoquidem nobis conſtitit, vrgente neceſſitate ad declarandum diuinum ſymbolum à vobis additum fuiſſe, cùm non diuerſam fidem ſignificet, necnon vtraque ſymbola vnum eſſe: ipſam tamen particulam ſymbolo noſtro apponere nolumus, ſed hac conditione vobiſcum coniungimur.

Hæc Græci, nolentes tamen conſentiente Imperatore, vt de alia quæſtione prȩter illam de Spiritus ſancti proceſſione, in vnionis literis vlla mentio fieret: contendente verò ſummo pontifice, vt etiam de reliquis ageretur, excepta illa de panis tranſmutatione, vt perfectiſſima fieret vnio: cùm præſertim Ferrariæ de Purgatorio benè fuerit dictum: poſt plurimam inter Latinos & Græcos contentionem Imperator iuſſit Latinis, vt dicerent, quidnam de ſummi pontificis poteſtate, necnon de azymo & fermentato pane ſentirent, Tum ſummi pontificis iuſſu Ioannes ille, ac (neſcio quis) frater Ambroſius in Græcorum conuentu multa de quæſtionibus ipſis verba fecerunt. Poſt autem aliquot dies frequenti Græcorum conuentu, in domo Imperatoris Latinis abſentibus facto, poſt plurimam inter Græcos diſputationem lectis Græcorum doctorum de ſummi pontificis poteſtate ſenten-

tijs, definitum fuit, non ſolùm Romanam Eccleſiam de Spiritu ſancti proceſſione piè ſentire, verumetiam ipſi neceſſitate vrgente, iure ſuo particulam illam, ex filioque, ſymbolo apponere licuiſſe: necnon Romanum pontificem primatum in vniuerſum orbem tenere, beatique Petri principis Apoſtolorum ſucceſſorem ac verum vicarium, & totius Eccleſiæ caput, ac omnium Chriſtianorum patrem & doctorem eſſe: ipſiq; ad paſcendam, regendam, & gubernandam vniuerſam Eccleſiam, plenā à Domino noſtro Ieſu Chriſto poteſtatem fuiſſe traditam. Præterea Purgatorium eſſe: & ſiue in azymo ſiue in fermentato pane ſacramentum fieret, minimè referre. Quæ cùm Latinis mirum in modum placuiſſent, ſex præſtantiſſimi viri vtraq; ex parte ſelecti fuere: qui conſultis cæteris patribus, ſanctę coniunctionis literas componerent atq; conſcriberent.

Dum autem hæc agerentur, sereniſſimus Imperator Heracleenſ. & Epheſium, & Rhutenum ac Nicænum ad ſe conuocari iuſſit, eo ſcilicet animo, vt Epheſium hortaretur, vt is etiam in cæterorum patrum ſententiam iret, & cum Latinis coniungeretur. At ille ne verbum quidem voluit audire. Duodecim autem illi ſelecti, in componendis literis ipſis in hoc diſcordes fuerunt. Nam Græci volebant, vt vel de ſummi pontificis nomine nulla prorſus in eis mentio fieret: vel hæc verba in eiſdem literis ſcriberentur, conſentiente ad infraſcripta Imperatore, necnon patriarcharum loca tenentibus, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus. Quibus quidem Græcis ſummus pontifex in hoc etiam humaniſſimè ſatisfecit, vt de Imperatore ac patriarchis, vt vellent, fieret mentio. Demum duodecim illi doctores concordes literas conſcripſerunt, quas cùm ſummus pontifex & Imperator accuratè vidiſſent, iuſſerunt, vt Græcis & Latinis literis in vno eodemque folio deſcriberentur, ita vt à parte dextera Latinè cùm Occidentalium patrum ſubſcriptionibus, ac ſummi pontificis ſigillo, ab altera verò parte Græcè cum Græcorum item ſubſcriptionibus, necnon ipſius Imperatoris ſigillo ſcriptæ eſſent. Quibus quidem omnibus ritè diligenterque peractis, communi partium ambarum conſenſu, ſummus pontifex Imperatore præſente, omnibuſque tam Græcis quàm Latinis præſulibus veſtibus ſacris indutis, in templo ſanctæ Mariæ liberatæ, die Lunæ ſexta mēſis Iulij Miſſam ſolenniter celebrauit. Qua quidem celebrata, ipſæ eædem literæ à Iuliano Cæſarino ſanctæ Sabinæ Cardinali Latinè, à Beſſarione verò Græcè, Dei gratia lectæ, promulgatæque fuere in hac forma.

Sanctæ vnionis literæ.

EVgenius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, conſentiente ad infraſcripta chariſſimo filio noſtro Ioanne Palęologo Romeorum Imperatore illuſtri, & loca tenentibus venerabilium fratrum noſtrorum patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.

Lætentur cœli & exultet terra: ſublatus eſt enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque diuidebat Eccleſiam, & pax atque concordia redijt, illo angulari lapide Chriſto, qui fecit vtraque vnum, vinculo fortiſſimo charitatis & pacis, vnumque iungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante ac continente, poſtque longam mœrororis nebulam & diſſidij diuturni atrā ingratamq; caliginem, ſerenū omnib. vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat & mater Eccleſia, quæ filios ſuos hactenus inuicem diſſidentes, iam videt in vnitatem pacemque rediiſſe: & quæ anteà in eorum ſeparatione amariſſimè flebat, ex ipſorum modò mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbique per orbem, & qui Chriſtiano cenſentur nomine, matri catholicę Eccleſię collætentur. Eccè enim Occidentales Orientaleſque patres, poſt longiſſimum diſſenſionis atque diſcordiæ tempus, ſe maris ac terræ periculis exponentes, omnibuſque ſuperatis laboribus, ad hoc ſacrum œcumenicum Concilium deſiderio ſacratiſſimæ vnionis & antiquæ charitatis reintegrandæ gratia, læti alacreſque conuenerūt, & intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt. Poſt longam enim laborioſamque indaginem, tandem Spiritusſancti clementia, ipſam optatiſſimam ſanctiſſimamque vnionem conſecuti ſunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficijs gratias referre ſufficiat? Quis autem diuinæ miſerationis diuitias non obſtupeſcat? cuiusve ferreum pectus tanta ſupernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt iſta prorſus diuina opera, nō humanæ fragilitatis inuenta, atque ideo eximia cum veneratione ſuſcipienda, & diuinis laudibus proſequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Chriſte fons miſericordiarum, qui tantum boni ſponſæ tuæ catholicæ Eccleſiæ contuliſti, atque in generatione noſtra tuæ pietatis miracula demonſtraſti, vt enarrarent omnes mirabilia tua. Magnum ſiquidem diuinumque munus nobis Deus largitus eſt, oculiſque noſtris vidimus, quod ante nos multi, cū valdè cupierint, adſpicere nequiuerint. Conuenientes enim Latini & Græci in hac ſacroſancta œcumenica ſynodo, magno ſtudio inuicem vſi ſunt, vt inter alia, etiam articulus ille de diuina Spiritus ſancti proceſſione ſumma cum diligentia & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prolatis verò teſtimoniis ex diuinis ſcripturis, plurimiſque authoritatibus ſanctorum doctorum Orientalium & Occidentalium, aliquibus quidē ex patre & filio, quibuſdam verò ex patre per filium procedere dicentibus Spiritum ſanctum & ad eandem intelligentiam adſpicientibus omnibus ſub diuerſis vocabulis, Græci quidem aſſeruerunt, quòd id, quòd dicunt Spiritum ſanctum ex patre procedere, non hac mente proferrent, vt excludant filium, ſed quia eis videbatur (vt aiunt) Latinos aſſerere Spiritum ſanctum ex patre filioque procedere, tanquam ex duobus principijs & duabus ſpirationibus, ideo abſtinuerunt à dicendo quod Spiritus ſanctus ex patre procedat & filio. Latini verò affirmauerunt, non ſe hac mente dicere Spiritum ſanctum ex filioque procedere, vt excludant patrem, quin ſit fons ac principium totius Deitatis, filij ſcilicet & Spiritus ſancti, aut quòd id, quòd Spiritus ſanctus procedit ex filio, filius à patre non habeat, ſiue quòd duo ponant eſſe principia, ſeu duas ſpirationes, ſed vt vnum tantùm aſſerant eſſe principiū, vnicamque ſpirationem Spiritus ſancti, prout hactenus aſſeruerunt: & cùm ex his omnibus vnus & idem eliciatur veritatis ſenſus, tandem in infraſcriptam ſanctam Deo amabilem eodem ſenſu, eademque mente vnionem, vnanimiter concordarunt & conſenſerunt. In nomine igitur ſanctæ Trinitatis, patris & filij & ſpiritus ſancti, hoc ſacro vniuerſali approbante Florentino Concilio diffinimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quia Spiritus ſanctus ex patre & filio ęternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex patre ſimul & filio, & ex vtroque æternaliter tanquam ab vno principio & vnica ſpiratione procedit, declarantes quòd id, quòd ſancti doctores & patres dicunt, ex patre per filium procedere Spiritum ſanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificetur, filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam, ſecundum Latinos verò principium ſubſiſtentiæ ſpiritus ſancti, ſicut & patrem. Et quoniam omnia, quæ patris ſunt, ipſe pater vnigenito filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe patrem, hoc ipſum quòd Spiritus ſanctus procedit ex filio, ipſe filius à patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus eſt. Diffinimus inſuper explicationem verborū illorum FILIOQVE, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter ſymbolo fuiſſe appoſitum. Item, in azymo ſiue fermētato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter confici, ſacerdoteſque in altari ipſum Domini corpus conficere debere, vnumquemque ſcilicet iuxta ſuæ eccleſiæ ſiue Occidentalis ſiue Orientalis conſuetudinem. Item, ſi verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatorijs poſt mortē purgari, & vt à pœnis huiuſmodi releuentur, prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri conſueuerunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta: illorumque animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, (prout ſuperius dictum eſt) ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & vnum, ſicuti eſt, meritorum tamen diuerſitate aliū alio perfectiùs, illorum autem animas, qui in actuali mortali

Decr[etum] Syno[di] Florē[tinæ]

Mate[ria] de az[ymo] & fer[men]tato p[ane]

De Pu[rga]torio.

peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Item, diffinimus ſanctam Apoſtolicam ſedem & Romanum pontificem, in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri principis Apoſtolorum, & verum CHRISTI vicarium, totiusque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur. Renouantes inſuper ordinem traditum in canonibus, cæterorum venerabilium patriarcharũ, vt patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt ſanctiſſimum Romanum pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hieroſolymitanus, ſaluis videlicet priuilegijs omnibus & iuribus eorum. Datum Florentiæ in ſeſſione publica ſynodali, ſolenniter in eccleſia maiori celebrata, anno incarnationis Dominicæ 1439. pridie Nonas Iulij, pontificatus noſtri anno 9.

SVBSCRIPTIONES IMPERATORIS ac Orientalium patrum, qui in ſynodo aderant.

EGo Ioannes Palæologus, fidelis in Chriſto rex & Imperator Romæorum, ſubſcripſi.

Ego Antonius humilis metropolita Heracleen. & *conſiliarius Edeſſenorum, totius Thraciæ & Macedoniæ pontifex, & Philothei ſanctiſſimi patriarchæ, & ſedis Apoſtolicæ Alexandrinæ locum tenens, ſubſcripſi.

*præſidens Ypertimatum, & primus totius Macedoniæ

Ego Gregorius* Protoſingelus confeſſor ſpiritualis, ac ſedis Apoſtolicæ Alexandriæ & eius domini Patriarchæ locum tenens, ſubſcripſi.

*Protoſyncellus

Ego Iſidorus metropolita *Syriæ & totius Rhoſi, ac domini Dorothei Patriarchæ Antiocheni, & eius ſedis Apoſtolicæ locum tenens, ſubſcripſi.

*Gebien. ac totius Ruſſiæ

Ego Doſitheus humilis metropolita Mopſueſtiæ, & *Ioachini ſanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymitani, ac eius Apoſtolicæ ſedis locum tenens, ſubſcripſi.

*Ioachimi

Ego Metrophanes humilis metropolita Cyzici, ac locũ tenens Ancyrenſis, ſubſcripſi.

Ego Dorotheus humilis metropolita Trapezunden. ac locum tenens Cæſareenſis antiſtitis, ſubſcripſi.

Ego Beſſarion diuina miſeratione Archiepiſcopus Nicænus, ac locum tenens Sardenſis præſulis, ſubſcripſi.

Ego Macarius humilis metropolita Nicomediæ, ſubſcripſi.

Ego Ignatius humilis metropolita Toronæ, ac locum tenens *Nicomedien. antiſtitis, me ſubſcripſi.

*Nemeen

Ego Dorotheus humilis metropolita Mitylenen. ac locum tenens Sidenſis pontificis, me ſubſcripſi.

Ego Damianus humilis metropolita Moldoblachienſis, ac locum tenens Sebaſtienſis præſulis, ſubſcripſi.

Ego Ioſeph humilis metropolita Amaſienſis, ſubſcripſi.

Ego *Nathanael humilis metropolita *Coloſſenſis ac inſularum Cycladum, ſubſcripſi.

*Bathanoel *Rhodi

Ego Caliſtus humilis metropolita Driſtenſis, ſubſcripſi.

Ego Gennadius humilis metropolita Gamnenſis, ſubſcr.

Ego Mathæus humilis metropolita Melitenenſis, ſubſcripſi.

Ego Doſitheus humilis metropolita Dramenſis, ſubſcripſi.

Ego Sophronius humilis metropolita Anchialenſis, ſubſcripſi.

Ego Beſſarion Archiepiſcopus Nicenus, mandato ac nomine Emmanuelis diaconi ac magni *ſachelarij, Chryſocuchi vulgò nuncupati, qui eadem nobiſcum ſenſit, ſubſcripſi.

*ſacellarij

Ego Theodorus Zanthopulus, diaconus & magnus *ſacriſta, ſubſcripſi.

*ſcenophylax *magnus eccleſiarchus & Dicæophylax

Ego Michael Balſamorum Archidiaconus, & magnus bibliothecarius, ſubſcripſi.

Ego Siluester Syropulus, diaconus *Eccleſiarches, ac iuris ſeruator, ſubſcripſi.

Ego Gregorius protecdicus diaconus Cappadocus, ſubſcripſi.

Ego Conſtantinus Archipresbyt. ac locum tenens Moldoblachienſis præſulis, ſubſc.

*Ego Eccleſiarches venerandæ manſionis, & ſanctæ Baſilicæ Magnæ lauræ montis Sancti, ac ipſius manſionis locum tenens, ſubſc.

*Moyſes

Ego Athanaſius olim abbas * Circunſpectæ, ſubſcripſi.

*monaſterij Circũſpecti.

Ego Gerontius abbas ſanctæ manſionis Omnipotentis, ſubſcripſi.

Ego Germanus olim abbas S. Blaſij, ſubſcr.

Ego Pachumius confeſſor ac abbas ſancti Pauli, ſubſcripſi.

SVBSCRIPTIONES LATINOrum Patrum.

EGo Antonius Epiſcopus Oſtien. Cardinalis Bononienſ. ſupradictas diffinitiones veras & Catholicas eſſe affirmo, & illis me ſubſcripſi.

Ego Berranda Epiſcopus Portuen. Card. Placentinus, me ſubſcripſi.

Ego Nicolaus tituli ſanctæ Crucis presbyter Cardin. me ſubſcripſi.

Ego Franciſcus tituli S. Clementis presbyter Cardin. me ſubſcripſi.

Ego * Verigloriotus tituli S. Marci presbyter Card. me ſubſcripſi.

*Angelotus

Ego Iulianus tituli ſanctæ Sabinæ presbyter Cardin. me ſubſcripſi.

Ego Proſper S. Georgij ad velum aureum diaconus Car. me ſubſc.

Ego Dominicus S. Mariæ in via lata diaconus Cardin. me ſubſcripſi.

Ego * Baſilius Patriarcha Hieroſolymitanus, me ſubſcripſi.

*Blaſius

Ego Marcus Patriarcha Graden. me ſubſc.

Ego Ioannes Epiſcopus Morinen. illuſtriſſimi Domini Ducis Burgundiæ & Brabantiæ orator, me ſubſc.

Ego Ioannes Epiſcopus Niuernen. eiuſdem domini Ducis orator, me ſubſc.

Ego Bartholomæus Spalaten. me ſubſc.

Ego Fantinus Archiepiſcopus Creten. me ſubſc.

Ego Iulianus Archiepiſcopus Piſanus, me ſubſcr.

Ego Andreas Archiepiſcopus Coloſſen. me ſubſcr.

Ego Nicolaus Archiepiſcopus Capuanus, me ſubſc.

Ego Ludouicus Archiepiſcopus Florentinus, me ſubſcripſi.

Ego Latinus de Vrſinis, Archiepiſcopus Troianus, me ſubſcripſi.

Ego Benedictus Archiepiſcopus * Conſanus, me ſubſcripſi.

*Conſanus

Ego Iacobus Epiſc. Adrien. me ſubſcripſi.

Ego Petrus Epiſc. Paduanus, me ſubſcr.

Ego Daniel Epiſcopus Concordienſis, me ſubſcr.

Ego Antonius Portugalenſis Epiſcopus, me ſubſc.

Ego Bartholomæus epiſc. Valuenſis, me ſubſcripſi.

Ego Thomas Epiſcopus Farenſis, me ſubſcr.

Ego Chriſtophorus Epiſcopus Ariminenſis, me ſubſcripſi.

Ego * Amicus Epiſcopus Aquilenſis, me ſubſcr.

*Præſulinus

Ego Petrus Epiſcopus Dignienſis, me ſubſcr.

Ego Ioannes Epiſc. Ferrarien. me ſubſc.

Ego Valentinus Epiſc. Ortanus, me ſubſc.

Ego Ioannes Epiſc. Arbenſis, me ſubſcr.

Ego Bernotius Epiſc. * Eſculanus, me ſubſcr.

Ego Carolus Senenſis Epiſcopus, me ſubſc.

Ego Andreas Epiſc. Megarenſis, me ſubſcr.

Ego Carolus Epiſcopus olim Mutinenſis, me ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Epiſc. Tyburtinus, me ſubſc.

Ego * Antonius Epiſc. Graſſen. me ſubſc.

*Attholt

Ego Angelus Epiſc. Baren. me ſubſcripſi.

Ego Petrus Epiſc. Anſaren. me ſubſcripſi.

Ego Matthæus Epiſcopus Zapatenſis,me ſubſcripſi.

Ego Angelus de Graſſis Epiſcopus Arianenſis, me ſubſcripſi.

Ego Petrus Epiſcopus Meſſanus,me ſubſcripſi.

Ego Petrus Epiſcopus Cauallicen.me ſubſc.

Ego Antonius Epiſcopus Cæſenaten.me ſubſc.

Ego Donatus Epiſcopus Piſtorien.me ſubſc.

Ego Scipio Epiſcopus Mutinen.me ſubſc.

Ego Chriſtophorus Epiſc.Cortonen.me ſubſc.

Ego Andreas Epiſc.Conſeranen.me ſubſc.

Ego Alexius Epiſc.Cluſinus,me ſubſc.

Ego Gartias Epiſc.Tuden.me ſubſc.

Ego Gregorius Epiſc.Granaten.me ſubſc.

Ego Aimericus Epiſcopus Montis regalis, me ſubſcripſi.

Ego Baptiſta electus & confirmatus Teatinus, me ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Tricaricen.me ſubſcr.

Ego Ioannes electus, & confirmatus Agenen. me ſubſcripſi.

Ego Guilielmus electus & confirmatus Leonen.me ſubſcripſi.

Roſſa-menſis Ego Andreas Epiſc. Roffen.me ſubſc.

Ego Matthæus Epiſc.Cortonien.me ſubſc.

Ego Iulianus electus & confirmatus Citariden. me ſubſcripſi.

Ego Ioannes Epiſc.Canapen.me ſubſc.

Aceſna-tta. Ego Thadæus Epiſc. Aceſtiatien.me ſubſc.

Ego Petrus Archidiac. Trecen. ambaſiator Illuſtriſſimi Ducis Burgundiæ & Brabantiæ,me ſubſc.

Ego Zanonus Epiſcopus Baiocenſis,me ſubſc.

Ego Laurentius Epiſcopus Acherontinus, me ſubſcripſi.

Ego Ludouicus Epiſc.Teruiſinus,me ſubſc.

Ego Ioannes de Mella electus & confirmatus Leonen. me ſubſc.

Ego Guilielmus electus & confirmatus Andegauenſis, me ſubſc.

Ego Ambroſius generalis ordinis Camaldulenſium,me ſubſcripſi.

Ego frater Guilielmus generalis Minorum, me ſubſcripſi.

Ego Girardus frater generalis Auguſtinenſium,me ſubſcripſi.

Ego Placidus generalis Vallis Vmbroſæ,me ſubſc.

Ego Comerius abbas Florentinus,me ſubſc.

*Faleera-ſis Ego Ioannes de Vrſinis abbas *Forſen.me ſubſc.

Ego Antonius abbas S.Caprafij,me ſubſc.

Ego Franciſcus abbas S.Leonardi,me ſubſc.

Ego Fredericus abbas de Borto,me ſubſc.

Ego Georgius Abbas Deſeren.me ſubſc.

Ego Antonius abbas de Alphyllo,me ſubſc.

Ego Bartholomæus Abbas Campaſilonis,me ſubſc.

Ego Sepulchrus Abbas vrbis,me ſubſc.

*Sexto Ego Angelus Abbas de *Seyto,me ſubſc.

Ego Paſchaſius Abbas S.ſepulchri,me ſubſc.

Ego Benedictus Abbas de Coner,me ſubſc.

Ego Iacobus Abbas S.Salmi,me ſubſc.

Ego Aloyſius Abbas S.Pauli,me ſubſc.

Ego Ioannes Abbas de Tyro,me ſubſc.

Ego Daniel Abbas de Tarralino,me ſubſc.

Ego Benedictus Abbas S.Pancratij,me ſubſc.

*Panctiano Ego Franciſcus Abbas Sanctæ Mariæ de *Pariano, me ſubſcripſi.

Ginatiāc Ego Ioannes Gratianus Abbas de *Bipolis, me ſubſcripſi.

Ego Angelus Abbas Sanctæ Mariæ de Piſtorio, me ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Abbas Sancti Modeſti *Recen. me ſubſcripſi.

*Saluatoris de Feu zor Ego Iacobus ſancti *Saluacis de Frame Abbas, me ſubſcripſi.

diœceſis Ego Bertacius Abbas Montis Plani Piſtorien. me ſubſcripſi.

Ego Petrus Abbas S.Felicis de Florentia,me ſubſc.

Ego Nicolaus Abbas S.Mariæ de Diciano,me ſubſc.

Ego Bartholomæus Abbas de Vibona,me ſubſc.

Ego Laurentius Abbas *Culoros,me ſubſc.

Ego Fredericus Abbas S.Pantaleonis,me ſubſc.

Ego Lucas Abbas Stuant.in Alpibus,me ſubſc.

Ego Lucas Abbas Facundus.me ſubſc.

Ego Iacobus Abbas monaſterij S.Petri de Maſſa,me ſub ſcripſi.

Ego Fräciſcus Abbas ſanctorum martyrum Cordubien me ſubſc.

Ego Guilielmus Abbas S. Saluatoris Burdegalen. m ſubſcripſi.

* Ego Georgius Abbas S.Petri de Eugubio,me ſubſc.

Ego Antonius Abbas ſanctorum Saluatoris & Vigilij d Stum,me ſubſc.

Ego Gabriel Abbas Sancti Iacobi de Pontada, me ſub ſcripſi.

Ego Bernardus Abbas S. Mariæ de Marona, me ſub ſcripſi.

Ego Hieronymus Abbas S.Gundæ,me ſubſc.

Ego Dionyſius Abbas S. Mariæ de Sandagien. me ſub ſcripſi.

Ego Maphæus Abbas ſancti *Firmidæ de Verona, m ſubſcripſi.

Ego Timotheus Abbas Sancti Andreæ de Mantua, m ſubſcripſi.

Nemo autem mirari debet,cur plures patrum ſubſcriptio nes non ſint;nam vltima ſeſſione celebrata, multi priuſquàn huiuſmodi ſubſcriptio fieret,diſceſſerũt:cùm præſertim mo in Concilijs minimè fuerit, vt in prioratus ordine conſtituti vel fratres magiſtri, vel iuriſperiti, in decretis ipſorum Con ciliorum ſubſcriberent.

Quibus quidem literis Græcè Latineque (vt ſupra di ctum eſt) recitatis, genu ſimul & dexteram ſummi Pontifi cis,necnon Græci cum Latinis inter ſe,ſumma lætitia oſcula ti ſunt.

Poſt autem dies aliquot Pontifex ſummus, conuocati Græcis,ab eis quæſiuit,cur partem ſacratiſſimi panis in calic cum ſacratiſſimo ſanguine miſceant. Et in magna exodo quando videlicet panis in patena,& vinum in calice de vno in aliud altare vidente populo fertur à ſacerdote, capita ſua re uerenter inclinent, cùm panis ipſe vinumque nondum ſin conſecrati:Et aquam feruentem,non autem frigidam, in cali cem fundant:Et cur antè conſecrationem his verbis vtantur Vnus autem de militibus lancea latus eius aperuit, & ſtatir ſanguis & aqua exiuit.Et paulopòſt,Ecce ſtella venit,& ſteti ſuper pueri caput.Et cur presbyteri, non autem pontifice ſacro chriſmate vtantur,cùm ſoli pontifices eo vti deberent Et mortuos vngant oleo.Et neque pontifices, neque presby teri celebraturi,peccata ſua confiteri ſoleant. Et poſt hæc Do minica verba, Accipite & manducate, hoc eſt enim corpu meum,& reliqua, quibus proculdubiò ſacratiſſimi Chri corpus & ſanguis conſicitur,his quoque verbis vtantur:Et fa quidem panem hunc, honorabile corpus Chriſti tui : quo autem in calice iſto eſt, honorabilem ſanguinem CHRI STI tui,ea ſancto tuo ſpiritu tranſmutante : Amen,Amen Amen.

Et cur matrimonia ſeparent, cùm Dominus noſter præ ceperit,eos diſiungendos non eſſe, quos Deus coniunxeri Cur denique ſuum Patriarcham ibidem non eligant,ſed abſ eo diſcedere patiantur. Quas quidem quæſtiunculas præſu Mitylenen.diſſoluiſſe facilè viſus eſt, vltimis duabus excep tis, in quibus cùm ſummo pontifici neutiquam ſatisfeceri ſummus pontifex Imperatorem rogauit,vt doctiores de pon tificibus ſuis ad ipſum mitteret, quippe qui duas ipſas ambi guitates meliùs explicare ſcirent.Imperator autem nolens d talibus quæſtionibus agere,indoctiores ad ſummum pontifi cem miſit, à quibus cùm eadem ipſe ſummus pontifex repe tiſſet, hi reſponderunt ſe nullam habere ad ea reſpondend facultatem,Imperatori tamē ipſa omnia relaturos. Porrò au tem ad diem decimumquartum menſis eiuſdē,pontifex ſum mus Græcis præſulib.ad ſe conuocatis,hæc verba fecit.]Cùn fratres Dei gratia coniuncti ſimus,eademq; gratia caput ego veſtrorum membrorum exiſtam, propterea que conueniat vt quæ ad noſtram piam religionem atque Eccleſiam perti-

neant,

nt,ea vobis patefaciam,ac vos ad ipſa ſeruanda exhorter: ircò vos, & fratres noſtros,& Eccleſiarum rectores ſcire lim, quemadmodum à Romana Eccleſia mirum in mo- m accuſemini,quòd matrimonia ſeparetis, quodq́ue præ- Epheſius rationem non reddat, cur noſtræ communi ſen- ntiæ neutiquam acquieſcens,à nobis diſiungatur, atque diſ- leat,ac ſi ſapientiſſimus omnium eſſet. Nam de Patriarcha ſtro videtur nobis magis operæprecium eſſe, vt hic à vo- s,præſentibus nobis de more veſtro eligatur, quandoqui- m Eccleſia veſtra Patriarcha indiget, ex qua quidem ele- ione non aurum,non argentum, non denique rem aliam crari cupimus,cùm ipſi parati ſimus, vt vobis pecunias(ſi bus fuerit)liberaliter erogemus,ac Patriarcham quem ſuffe- ritis,confirmemus:& quem ipſi noſtri diſſidij tempore ele- rimus,altero per vos ſuffecto,ſtatim deponamus, ita vt in oſterum vnicus patriarcha Conſtantinopolitanus omnia a priuilegia tenens exiſtat, quandoquidem Ecclesiam eſtram multis bonis afficere volumus. Hic veſter Impera- or adeſt,& œcumenica ſynodus eſt, cui ſummus Pontifex ræeſt,hic Orientales dignioreśque præſules adſunt, ex qui- us Patriarcham veſtrum ſine vllo impedimento (vt par eſt) oteſtis eligere. Nam inconueniens ac indecens eſt,vt hinc oſque capite diſcedatis:fieriq́ue iure non poteſt, vt niſi Pa- riarcham veſtrum hic eligeretis, electum à * nobis in poſte- um deponamus. Hæc ſummus Pontifex. [Græci autem re- ponderunt, ſe non ſine legitima cauſa matrimonia ſeparare, c præſulem Epheſium cauſam ſuam dicturum eſſe. Patriar- ham verò noſtrum extra Cõſtantinopolim noſtro iure neu- iquam eligi poſſe,cùm Græcis ſemper mos fuerit, in ſua Ec- leſia Patriarcham ſufficere, ſimulq́ue conſecrare, quarum quidem cæremoniarum & conſuetudinis Imperator noſter non inſcius,nequaquam nobis permittet, vt hic electionem huiuſmodi faciamus. Quæ cùm ſummus Pontifex ægrè audi- uiſſet,ſe verbis humaniſſimis excuſauit, & ipſos dimiſit. Die autem viceſimoprimo ſelecti omnes Imperatoris in domo congregati, quinque vnionis eiuſmodi literas patrum om- nium ſubſcriptionibus, ſummiq́ue Pontificis ac Imperatoris ſigillis munitas,Græcè Latineq́ue exſcripsêre, quarum vnas Latinis,alteras Græcis, tres verò alias trium Patriarcharum legatis dedêre. Quo quidem pacto finis octaui Generalis Concilij factus eſt. Dum autem hæc gerebantur, Armeniorũ Patriarchæ legati,viri ſanè virtute plurima præditi, ad ſyno- dum ipſam venerunt, & ſummum Pontificem venerati fue- runt necnon Imperatorem ſalutauerunt, dicentes ſe ſuamq́ue Eccleſiam cum Catholica coniungi, ac ipſum ſynodi decre- tum piè ſeruare velle, qui quidem benigniſſimè ſuſcepti ve- hementiſſimeq́ue laudati, ac magno honore affecti, vnà cum Græcis Florentia diſceſſerunt.

Finis Generalis octauæ ſynodi Florentinæ.

MAGNI BASILII
CONTRA EVNOMIVM, DE SPIritu ſancto Liber Tertius, interprete Georgio Trapezuntio Cretenſi.

VIx tandem blaſphemijs in vnigenitum ſaturatus, ad Spiritum ſanctum tranſijt, totiq́ue ſuæ conſentanea voluntati de ipſo etiam dixit, ſic ſcribens: Cùm verò hæc nobis de vnigenito ſufficiant, reliquum eſt, vt de paracleto quoque dicamus: nec opiniones non exquiſitas multorum ſequemur, ſed ſanctorum in omnibus doctrinam conſeruabimus, à quibus cùm dignitate ac ordine tertium ipſum didicerimus, tertium quoque natura eſſe credidimus. Quòd igitur non putat, oportere in ſimplici ac ſyncera fide multorum permanere, ſed artificioſis quibuſdam ac cauillatorijs rationibus ad id, quod ſibi videtur, veritatem rurſus commutare, ſatis verbis ſuis oſtendit: cùm enim contemnat opinionem multorum, qua Spiritum ſanctum glorificant, ſanctorum ſimulat conſeruare doctrinam, & tacet eos, qui ſibi ipſam tradiderunt, nunc etiam ea ipſa faciens, quæ, cùm de vnigenito haberet orationem, facere demonſtratus eſt. Deinde ait, à ſanctis didiciſſe, ordine ac dignitate tertium eſſe ſpiritum, à ſe autem ipſo crediſſe, natura quoque tertium eſſe: qui verò illi ſancti ſint, & in quibus ſermonibus doctrinam fecerunt, non poteſt dicere. Fuitne vnquam homo ſic audax, qui diuinorum dogmatum innouationes induceret? Cur enim neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus, natura quoque ipſum tertium eſſe? dignitate namque ipſum ſecundum à filio, cùm ab ipſo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omninò ab illa cauſa dependeat, pietatis ratio tradit: natura verò tertia vti, nec à diuinis ſcripturis docti ſumus, nec à dictis poſſibile eſt conſequenter ratiocinari.

Spiritus ſanctus à filio eſſe habet, ſecundùm D. Baſil.

Nam quemadmodum filius ordine quidem à patre ſecundus eſt, quoniam ab illo: & dignitate, quoniam origo atque cauſa eſſendi, pater ipſi eſt, & quoniam per ipſum acceſſus & adductio ad Deum patrem, natura verò nullo modo ſecundus, quoniam in vtroque vna eſt Deitas: ita videlicet & Spiritusſanctus, etſi dignitate & ordine ſecundus à filio eſt, non tamen veriſimiliter alienæ ipſum eſſe naturæ, inde conſequetur. Quod inde patet: angeli omnes vt appellationis vnius, ſic eiuſdem etiam ſunt naturæ inter ſe: attamen alij ipſorum gentibus præpoſiti ſunt, alij verò fidelium ſingulos conſequuntur: quanto autem gens vni viro præponenda eſt, tanto maiorem neceſſe eſt angeli, qui gentis principatum habeat, eſſe dignitatem dignitate eorum, quibus ſingulorum tutela commiſſa eſt.

De Angelis, ſingulis gentib. & ſingulis hominib. attributis.

Quòd verò ſingulis fidelium adeſt Angelus, vt pædagogus quidam & paſtor ad vitam dirigendam, nemo contradicet, qui verborum Domini recordatur, dicentis: Ne contemnatis vnũ ex his puſillis. Dico enim vobis, quoniam Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Et Pſalmiſta dicit: Immittet angelos in circuitu timentium eum. &, Angelus, qui eruit me à iuuentute mea. & quæcunque talia.

Matt. 18.
Pſal. 33.

Quòd verò rurſus ſunt quidam Angeli vniuerſarum gentium præpoſiti, Moſes nos per canticum docuit: Quando diuidebat altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum ſuorum.

Deut. 32.

Et ſapiens Daniel in viſione Angeli audiuit eum dicentem, quòd princeps regni Perſarum reſtitit mihi 21. diebus, & ecce Michaël vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum, & ego remanſi ibi iuxta regem Perſarum. Et poſt pauca idem dicit: Et princeps Græcorum veniebat.

Dan. 10.

Verumetiam princeps exercitus, Imperator copiarum Domini dicitur, qui Ieſu Naue in Iordane manifeſtatus eſt.

Ioſue 5.

Et rurſus legiones quædam Angelorum dicuntur, Domino diſcipulis dicẽte: An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi mihi pluſquàm duodecim legiones Angelorum? Princeps igitur exercitus Angelorum, qui in legionibus ordinati ſunt, palàm, quòd aliorum princeps eſt. quorſum hæc oratio? quod non omninò ſi quid ordine ac dignitate ſecundum aut tertium eſt, id & naturam alteram habet. nam quemadmodùm Angelorum alius princeps, aſſus ſubditus, & tamen omnes Angeli natura ſunt, & in dignitate quædam diuerſitas, in natura verò communitas eſt: (etenim ſtella ſtellæ præſtat in gloria, & natura ſtellarum omnium vna: & manſiones multæ apud patrem, id eſt, dignitatum diuerſitates: glorificatorum verò natura vna) ſic profectò & Spiritus ſanctus dignitate quidem * & ordine ſecundus eſt.

Matt. 26.
1. Cor. 15.
Ioan. 14.
**ordine tertius*

Accepimus enim ipſum tertium à patre & filio numeratũ, cùm ipſe Dominus in traditione ſalutaris baptiſmi ordinem tradiderit his verbis: Euntes, baptizate in nomine Patris, & filij, & Spiritus S.

Matt. 28.

In natura autem tertium à filio ac patre deiectum ſpiritum, nullibi audiuimus. Cùm enim duæ res dicantur Deitas & creatura, dominatus ac ſeruitus, ſanctificans & quæ ſanctificatur: quæ natura virtutem poſſidet, & quæ per electionem operatur, qua in parte Spiritum ordinabimus? In his quæ ſanctificantur? at ipſemet ſanctificatio eſt. Sed in his quæ magnis rebus geſtis virtutem adepta ſunt? At bonus natura eſt. Sed in ſeruientibus? at alij ſunt * adminiſtrantes ſpiritus, qui ad miniſterium mittuntur. Non ergò ipſum principalem natura ſpiritum, fas eſt nobis conſeruum dicere, nec creaturis connumerare eum, qui in diuina & beata Trinitate connumeratur: Principatus enim & poteſtates, & omnis creatura talis, *cùm ex attentione & diligẽtia ſanctificatæ ſint, non

**adminiſtratorij*
** quæ ad obtempe-*

tandum & diligenter quæ commiſſa ſunt curandum, ſanctificatæ ſunt,

iure natura ſanctæ dicerentur. Appetentes enim bonum, ſecundum amoris, quem ad Deum habent, proportionem, ſanctitatis menſura participant. Et ſicuti ferrum, quod in medio igni iacet, ferri naturam non amiſit, vehementi tamen ignis actione ignitum, cùm vniuerſam ignis naturam in ſemetipſum acceperit, & colore & calore & actione ad ignem tranſit: ſic ſanctæ virtutes ex communicatione, quam cum illo habent, qui natura ſanctus eſt, per totam ſuam ſubſiſtentiam receptam iá, & quaſi innatam ſanctificationem habent. Diuerſitas verò ipſis, à Spiritu ſancto hæc eſt, quòd ſpiritus natura ſanctitas eſt, illis verò participatione ineſt ſanctificatio. Quibus autem conſtructum & aliundè bonum præbetur, hæc naturæ ſunt tranſmutabilis. Nec enim aliter Lucifer decidiſſet, qui mane* oritur: nec in terra contritus eſſet, ſi rei peioris natura non eſſet ſuſceptibilis. Quomodo igitur pium creaturis ſpiritum coordinaret, qui tam magno interuallo à creaturis diſſeparatus eſt? Creatura enim nata eſt in virtutis & diuinæ dilectionis præmium ſanctificationem habere, quoniam natura vtitur libera, vt ad vtrúlibet poſſit inclinari, ad electionem ſcilicet boni & peioris: ſpiritus autem ſanctus, fons eſt ſanctificationis: & vt natura ſanctus eſt pater, & natura ſanctus eſt filius, ſic natura Sanctus ſpiritus quoque veritatis. Quapropter præcipua quoque appropriata ſancti appellatione dignus eſt. Quòd ſi ſanctitas ei natura eſt, ſicuti patri etiam & filio, quo pacto tertiæ atque alienæ naturæ eſt? Propter hæc (vt arbitror) & apud Eſaiam Seraphim tertiò ſanctus exclamare conſcripta ſunt, quoniam in tribus hypoſtaſibus naturalis ſanctitas perſpicitur. Non eſt autem hoc nomẽ ſolùm ſanctitatis, cum patre ac filio ſibi commune, ſed ipſa etiam ſpiritus appellatio. Spiritus namque eſt Deus, & adorantes eum, in ſpiritu & veritate adorare oportet. Et propheta inquit, Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus, cui diximus in vmbra alarum tuarum viuemus. Et Apoſtolus appellationem ſpiritus in Dominum refert, cùm dicit: Dominus autem ſpiritus eſt. Ex his omnibus patet, non naturæ alienationem, ſed coniunctionem ad patrem & filium, per communicationem nominum oſtendi. Bonus, Deus & dicitur & eſt: bonus & Spiritus ſanctus, non adſtructam habens bonitatem, ſed natura ſibi innatam. Vel omnium abſurdiſſimum eſſet, natura ſanctum dicere, quod bonitatem natura non habeat, ſed poſteriùs natam, & deforis ſibi allatam. In quo autem dixit Dominus, quòd ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, & ipſe paracletus noſter eſſe oſtenditur. Quare paracleti quoque appellatio, non parùm ad demonſtrationem maieſtatis Spiritus ſancti confert: Ac nomina quidem talia, magnitudinem naturæ oſtendentia, operationes verò Spiritus ſancti quales? Verbo (inquit) Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Vt ergo Deus verbum, creator cœlorum eſt: ſic Spiritus ſanctus firmam ac ſtabilem virtutem cœleſtibus præbet poteſtatibus. Et rurſus Iob: Spiritus Domini qui fecit me, non de creatione, (vt arbitror) ſed de humanæ virtutis perfectione, dicens. Eſaias verò cùm ex perſona Domini loquitur, id eſt, ſecundum humanitatẽ eius; Dominus (inquit) miſit me & ſpiritus eius. Et Pſalmiſta rurſus, per vniuerſa pertranſire ſpiritus virtutem probans: Quò ibo (inquit) à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Beneficentiæ verò ab ipſo ad nos peruenientes, quales & quantæ ſunt? Sicut ipſe Dominus dedit poteſtatem ſuſcipientibus eum, filios Dei fieri, ſic & Spiritus ſanctus ſpiritus adoptionis eſt. Et ſicut magiſter verus Dominus noſter, ſecundum quod dicitur: Vos autem nolite vocare magiſtrum veſtrum in terra, vnus enim magiſter veſter eſt Chriſtus: ſic & Spiritus ſanctus omnes docet, qui in nomine Domini crediderint, vt ab ipſo Domino teſtimonium perhibetur, dicente: Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater meus, ille vos docebit omnia. Et quemadmodum diuidere operationes dignis ſuſceptione operationum pater dicitur, & diuidere miniſtrationes filius in dignitatibus miniſterij, ſic & Spiritus ſanctus diuidere gratias dignis eas ſuſcipere perhibetur. Diuiſiones enim gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, & idem Deus eſt, qui operatur omnia in omnibus.

Eſa. 14.

*oriebatur,

Vide quomodo hic quoque Spiritus ſancti operatio, operationi patris ac filij coordinata eſt. Deinde ex eo etiam quod ſequitur, magis diuinitas naturæ Sancti ſpiritus aperitur. Quod enim ait, Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult, nihil aliud quàm authoris & Domini poteſtatem ipſi atteſtatur. Quapropter in nouo teſtamento prophetæ clamant: Hæc dicit Spiritus ſanctus. Inueſtigatio autem profunditatum DEI, vnde ſpiritui adeſt? Sicut (inquit) nemo ſcit hominum ea, quæ hominis ſunt, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in eo: ſic & ea, quæ ſunt Dei, nullus cognouit niſi ſpiritus Dei. Nam quemadmodum nullus alienus ac peregrinus intrinſecas poteſt animæ cogitationes inſpicere, eodem ſcilicet modo, ſi quis cum Deo communiter eius ſecreta perſpicit, non alienus nec peregrinus ab eo, profunditates iudiciorum ipſius inueſtigare poteſt. Præterea & vita nobis à Deo per Chriſtum in Sancto ſpiritu præbetur.

Viuificat enim Deus, vt ait Paulus: Præcipio tibi coram Deo qui viuificat omnia. Vitam autem præſtat Chriſtus: Oues enim (inquit) meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do illis. Viuificamur autem per ſpiritum, vt inquit Paulus: Qui excitauit Chriſtum è mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum ſanctum in vobis. Verùm hic, qui audet omnia, qui periculum, quod impendet audentibus verbum aliquod blaſphemum in ſpiritum ſanctum emittere, non expaueſcit, expertem ipſum Deitatis cenſet, ſic de eo ſcribens: Tertius & natura & ordine, patris imperio, operatione verò filij ſanctus, tertio loco honoratus, vt primus & maior omnibus, & ſolus talis vnigeniti factura, Deitate ac creatiua potentia carens. Qui hoc dicit, nec Deitatem in nobis eſſe crediſſe videtur, cùm de Deo Ioannes dicat: Ex hoc ſcimus, quòd in nobis eſt, ex ſpiritu quem dedit nobis. Et Apoſtolus: Neſcitis, quòd templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Et rurſus: In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctũ in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu ſancto. Si ergo in nobis DEVS habitare dicitur per ſpiritum, quomodo non eſt aperta impietas, expertem Deitatis ipſum ſpiritum dicere? Et ſi deos nominamus eos, qui per virtutem perfecti ſunt, perfectio autem eſt per ſpiritum, quomodo qui alios efficit deos, derelictus ipſe à Deitate eſt? Non eſt igitur pium, vt in hominibus, ſic & in ſpiritu per participationem & honorem, ac non natura eſſe Deitatem putare. Qui enim gratia diuinus efficitur, mutabilis eſt naturæ, nonnunquam per negligentiam ex bonitate excidentis. Id autem baptiſmi ſalutaris traditioni apertè repugnat.

1 Tim.

Ioan

Rom

Euntes, inquit, baptizate in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Baptiſmus enim eſt ſigillum fidei, fides verò Deitatis confeſſio. Nam credere priùs oportet, ac poſteà baptiſmate deſignari. Baptiſmus verò noſter eſt ſecundum traditionem Domini in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, nulla creatura, nullo ſeruiente, cum patre ac filio connumerato, vt Deitas in Trinitate compleatur. Quod autem extra hanc eſt, totum conſeruum eſt, etiam ſi maximè dignitatum exceſſibus alij alijs in honorem præponantur. Nec mihi rurſus hæc dicta incutias: Si creatura non eſt, ergo genitura vel ingenitus: ſed non ingenitus, vnus enim abſque principio Deus eſt ingenitus: nec genitura: reſtat ergo, creaturam ac facturam ipſum nominari. Verùm ego, ſi cuncta putarem noſtra cognitione poſſe compræhendi, vererer fortè ignorantiam confiteri: ſed quoniam infinita, non ex his ſolùm, quæ in futuro ſeculo præparata ſunt, nec eorum quæ nunc in cælis ſunt, abdita eſſe, verum etiam eorum quæ corpori noſtro inſunt non eſſe veram ac abſque contradictione compræhenſioné, haud ſum neſcius: vt puta de viſu, vtrùm imagines rerum viſibilium ſuſcipientes, ſic obiecta compræhendamus: & quomodo maximorum montium, atque inexpleti ac infiniti maris, & ad hæc cœli ipſius imago, breui menſura pupillæ noſtrę contineatur: an à nobis aliquid emittatur, quo viſibilibus appropinquante, ſic ſenſum de ipſis capiamus: & quid id ſit, & quantũ, vt terræ ac mari ſufficiat explicatum: & ſpatiũ, quod inter terram & cœlũ eſt, pertranſeat, & ad ipſum cœlũ perueniat, tãta celeritate motũ, vt æquali tẽpore circũadiacẽs corpus & ſtellę, quæ in cęlo ſunt, cognoſcãtur, & quid oportet reliqua dicere? ipſas mẽtis motiones, vtrũ creare vel generare nata ſit anima, quis cũ certitudine dicat? Cũ igitur hæc ita ſe habeãt, cur

mirum de ſpiritu quoque ſancto abſque rubore nos ignorantiam confiteri? Reddere tamen oportet ei glorificationem, quæ ſine cõtradictione per teſtimonium ſibi debetur. Quòd enim ſuper creaturam eſt, ſatis nobis, ea, quæ per ſcripturam tradita ſunt, demonſtrant. Verùm quia impoſſibile eſt, ſanctificans cum ſanctificatis, docens cum doctis, reuelans & quæ reuelatione indigent, eiuſdem eſſe naturæ: ac nullus ſic omnino imprudens eſt, vt audeat alium, præter Deum omnium, ingenitum appellare: nec tamen etiam filium, cùm vnus ſit vnigenitus, quid ipſum dicere oportet? ſpiritum ſanctum ſpiritum Dei, ſpiritum veritatis, miſſum à Deo, per filium præbitum, non ſeruum, ſed ſanctum, bonum, principalem, viuificantem, ſpiritum adoptionis, ſpiritum omnia ſcientem quæ Dei ſunt. Sic enim etiam in Trinitate vnitatis ratio conſeruabitur, cùm vnum patrem profiteamur, & vnum filium & vnũ ſpiritum ſanctum. Afferunt verò demonſtrationes, quòd creatura dictus ſit ſpiritus ſanctus, vnam ex propheta dicente: [mos 4. oan. 1.] Qui formans eſt tonitruum, & creans ſpiritum: alteram ex euangelio, quòd omnia per ipſum facta ſunt. Nos autem propheticum dictum, non in ſpiritum ſanctum, ſed in communem hunc flatum, aëris ſcilicet ſpiritum, credimus fieri. Quod inde patet. Non enim dixit, Qui creauit ſpiritum, ſed, creans ſpiritum. Nam ſicut tonitruum non in ſubſiſtentia quadam corporali ſemel creatum eſt, ſed ſemper per voluntatem Dei ad timorem hominum productum, fieri & diſſolui natũ eſt: ſic & ſpiritus nunc quidem fit, cùm aër tanquam fluuius fluit: rurſus verò ceſſat, cùm quod priùs mouebatur, quieſcit, ſecundum voluntatem eius qui omnia ad ſalutem & constructionem totius diſpenſat, vt per omnem creaturam & tonitruis & ventis, ac reliquis operibus Dei creator annuncietur. [mos. 4.] Quapropter poſteaquàm dixit, qui formans eſt tonitruum, & creans ſpiritum, inquit, & annuncians hominibus Chriſtum eius. Sicut enim cœli enarrant gloriam Dei ijs, qui poſſunt ex [ſal. 18.] ipſis de creatoris arte cogitare, ſic & ſoni tonitruum, & ſpirituum motus, creatorem prædicant ſuum. Et fortè hæc prophetia eſt humanitatem Domini ducens, cùm vox è cœlo facta, tonitruum his, qui audierunt, viſa eſt: quam Deus & pater idcirco emiſit, vt per ipſam Chriſtum hominibus annunciaret. Spiritus autem moti, qui mare conturbarunt, deinde ceſ- [ſatt. 8.] ſarunt iuſſu Domini, liquidò etiam ipſi hominibus Chriſtum Dei annunciarunt: At verò, omnia per ipſum facta ſunt, nequaquàm creatum eſſe ſpiritum ſanctum nobis oſtendit, quaſi omnibus ſpiritus connumeretur. Nam ſi vnus eſt ſpiritus ſanctus, & ſolus: quo modo qui vnicæ naturæ eſt, vnà cũ omnibus concipi poteſt? Et nemo putet contemptum eſſe ſubſiſtentiæ, ſi quis neget, quòd ſpiritus creatura ſit. Nam piæ mentis eſt, quæ à ſcripturis ſanctis recitentur, nõ ea temerè de ſpiritu ſancto dicere: credere autem, peritiam & veram cõpræhenſionem, in futuris ſeculis nobis futuram, cùm pertranſie- [x. *viſiõs] rimus hunc per ſpeculum & ænigma veritatis viſum, & *viſionis, quæ ad faciem eſt, dignabimur, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quo cum patri gloria & ſpiritui ſancto nunc & in ſecula.

F I N I S.

BESSARIONIS PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITAni, epiſcopi Tuſculani, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalis, tunc archiepiſcopi Nicæni, oratio in ſynodo Florentina ad Græcos duntaxat habita, poſt plurimas publicasque cum Latinis habitas diſputationes, cum patriarcha & Imperator Græcorum vota ſeorſum à Latinis peterent: quæ inſcribitur Dogmatica, vel de coniunctione, quam idem ipſe Beſſarion è Græca in Latinam poſteà conuertit.

SAcram Eccleſiarum Dei pacem atque concordiam nemo eſt, viri præſtantiſſimi, qui non maximi æſtimet, & loco ſummæ felicitatis eſſe ducat. Ob eam quippe Saluatoris noſtri oratio ad patrem porrigitur, qui cùm pro diſcipulis, & ijs, qui nomine eius vocati ſunt, precaretur: Fac (inquit) pater, vt [Ioan. 17.] vnum ſint, quemadmodum & nos vnum ſumus. Per hanc diuinus amor, quod ſignum diſcipulorum Chriſti eſt, in nos influit: tolluntúrque à nobis inimicitiæ ac diſſenſiones mutuæ, quæ ab hominibus, præſertim Chriſtianis, alieniſſimæ eſſe debent: tolluntur & deriſiones & opprobria, quibus à Chriſti crucis hoſtibus continuè afficimur, qui nos irrident, contemnunt, ac pro nihilo habent, vt Chriſtianos quidem nominatos, & eundem habentes Dominum, veruntamen ita inter nos diuiſos & dogmatibus fidei diſſidentes, vt alij alios pro inimicis atque hoſtibus habeamus. His igitur rationibus alijsque permoti, pacem quidem amamus omnes atque optamus, & concordiam atque vnitatem Chriſtianorum maximi omnes facimus. Quo autem modo à Deo præclarum bonum conſequi poſſimus, & quæ ratio habenda ſit ad ſanctiſſimum opus perficiendum, hic in diuerſis opinionib. ſumus, varijsq́; inter nos ſententijs diſcrepamus. Quapropter de hoc à nobis in præſentia conſiderandum, & quantum ingenioli noſtri vires ſufficient, diſſerendum exiſtimauimus.

DE CAVSIS SCHISMATIS, ET QVOD tametſi ante generale concilium aliqua nobis de noſtra à Latinis diuiſione excuſatio erat, nunc tamen iam celebrato concilio œcumenico, non poſſumus abſque ſcelere diuidi ab eis, niſi eos à veritate deuiare probauerimus.

CAPITVLVM I.

FVit aliquando tempus, quo immaculata Dei ſponſa Eccleſia ſancta, ſumma concordia, tranquilliſſima pace, & intemerata veritate fruebatur, cùm ſcilicet ſimplicitatem ac puritatem euangelicæ doctrinæ maximi omnes faciebamus, ſolis ſacris eloquijs contenti, his inhærentes, his acquieſcentes, in vnum ab his collecti ouile, ſub vno paſtore omnes agen- [Ioan. 10.] tes, eandem vnius audientes vocem: & aut nihil præter ea quę nobis tradita erant, cogitantes, nulla vrgente neceſſitate: aut neceſſitate coacti, & hæreſibus vndique ſcatentibus, vnum in locum vniuerſa Eccleſia congregata, ambiguitates reſcindentes, & declarationes neceſſarias faciẽtes. Poſtquam autem hæreſi quadam, vt Latinos ſæpenumerò dicentes audiuimus, in Occidentali regione vigente, Romanorum præſul pontifex maximus ſua vnius authoritate fretus, aduocata ſynodo generali, particulam illam communi ſymbolo fidei, non cum communi conſenſu aſſcripſit, in multas partes (heu rem miſeram atque acerbam) Chriſti ſacratiſſimum corpus diuiſum eſt: membraq́ue eius, hoc eſt, Chriſtiani homines, aduerſus ſe inuicem arma ceperunt, minimè intelligentes, ſe ſibijpſis hoſtes eſſe, & contra ſeipſos armari, dum ſe à fratribus diuidunt, haud intelligentes quidem, cùm multi ſint inter nos doctrina ac ſapientia præſtantes, quos latere minimè poteſt, quantæ iacturæ cauſa, hæc diſſenſio extiterit, ſed (neſcio quomodo) diuiſi inuicem atque alienati, & præſertim nos à Latinis. Oportere maiores noſtri dixerunt, qui ea tempeſtate fuere, qua oriri hæc diſſenſio cœpit, in rebus fidei dum nulla neceſſitas vrgeat, his acquieſcere, quæ nobis ſacris literis tradita ſunt, in quibus omnis fidei veritas aut planè explicata eſt, aut latens erui haud difficulter poteſt. Quoties verò neceſſitas ingruat, & ſi aliqua oriatur hęreſis, quod imbecillitate humani ingenij ſæpenumerò inter mortales euenit, debere Eccleſiam Dei, vnum in locum congregatam, de rebus dubijs iudicare: ac ſecundum præcepta diuinæ legis & ſanctorum Patrum, quos iam, vt ſacrarum litterarum doctores approbauit, communi omnium conſenſu ſententiam ferre, & per hunc modum fidẽ Chriſtianam augere, obuiam eundo hæreſibus, procul ab Eccleſia Dei eas fugando. Vbique tamen aſſeuerant ijdem maiores noſtri, communiter hæc agi debere: & quæ communia ſunt, communi conſenſu oportere terminari. Per hunc modum ſynodus prima generalis conſubſtantialitatem patris & filij prædicauit, Ario de inæqualitate ipſorum (neſcio quas)

nugas & deliramenta proferente. Per hunc modum ſecunda ſpiritus diuinitatem confeſſa eſt, Macedonio illum creaturis annumerante. Per hunc modum ſubinde vnaquæque ſynodus, quæ poſita in ancipiti fuerunt, pronunciauit, inſtante dũtaxat neceſſitate. Neque enim licere (inquiunt) pace ac tranquillitate fidei vigente, nouas mouere quæſtiones: neque ortis hæreſibus aut tacere, aut ſolum vel cum paucis de his, quæ credi communiter ab omnibus debent, tractare, ſed communi quidem conſenſu hoc fieri oportere, fieri verò duntaxat neceſſitate vrgente. Et quemadmodum generali concilio cõgregato, opus eſſe aiunt, ſummo ſtudio ac cogitatione omnia diſcutere: &, quod ratio tandem obtinuerit, accipere omnes atque amplecti: ita, ſi ante commune iudicium de aliqua re quiſpiam dubitauerit, mota quæſtione, & ab aliquibus determinata, iure id facere, meritoque ab his diuidi, qui abſque communi conſenſu auſi ſunt de rebus communibus iudicium ferre: quandoquidem ipſe communibus rebus & communiter traditis aſſentiatur, illi verò aliquid dicant, quod antequàm communiter diſcutiatur, non parùm in ſe habeat dubitationis. Quas ob res noſtrum plerique aſſerunt, * haud ſine iniuria à Latinorum conſortio abhorrere: quòd non ſit ferendum, vniri nos eis, antequam iudicio vniuerſalis Eccleſiæ, quod recens per eos introductum fuit, ſubijciatur: atque his quidem duplici accuſatione ſuccenſendum exiſtimant. Primò, quòd ignaris & nequaquam aſſentientibus nobis, quicquam in communem Eccleſiam introduxerint: tum, quòd pati nollent generalem ſynodum & antiquis illis ſimilem conuocari. Hæc nos quoque illis ſæpenumerò coram obiecimus, palamque in eos inuecti ſumus. Quibus quid illi reſponderint, quas excuſationes in medium adduxerint, quibus rationibus obiecta purgauerint, latiſſimè omnes intelleximus. Itaque non eſt in præſentia repetendi locus, præſertim cùm noſtra omnis quæſtio minimè in hoc verſetur, vtrum per ſe ſoli, an nobiſcum vnà, particulam illam addiderint: &, licueritne addere, necne, ſed vtrùm verum falſumve ſit, quod additum eſt, hoc in primis conſiderandum à nobis eſſe vniuerſi iudicauimus. Verùm demus in præſentia, non rectè illos feciſſe, quòd ſine totius Eccleſiæ congregatione de rebus grauibus ad fidem Chriſtianam pertinentibus tractarint, quouſque quidem in hac ſententia permanſere, ne aliquod dogma in generali ſynodo propoſitum diſcuteretur, fortaſſis haud iniuria ſuccenſere illis videbamur, & noſtræ aduerſus illos accuſationes, iure optimo defendi poterant. Nunc autem cum huiuſmodi culpa vacent, ſponteque in generalem ſynodum conuenerint, ac omnia ſe facturos affirmarint quæ ratio perſuaſerit, & ipſi ſe omni accuſatione prorſus immunes reddiderint: & nos oportet non mediocre ſtudium cogitationemque adhibere, vt quæ agenda à nobis ſint, cautè prudenterque agamus: ne, quod ante hunc diem obijcere Latinis conſueuimus, in nos recidat, deniqueca accuſatione iudicemur, cuius illos olim reos agebamus. Nam ſi (vt dicere ipſi conſueuimus) nondum aduocata ſynodo generali accuſandi erant Latini, quòd ſuo duntaxat iudicio de re adeò graui credidiſſent: quid ni nos quoque, cùm id, quod quærebamus, factum ſit, omneſque in vnum conuenerimus, magnum ingredi certamen, ingenſque ſubire periculum neceſſe eſt, vt abſque culpa hinc abire poſſimus? Siquidem illi quoque iam rationem reddiderunt eorum, quæ & dicunt & ſentiunt: paſſim etiam ſingulis quibuſque petentibus rationes de his, quæ Eccleſia credit, afferre: & nos ad aliqua quidẽ ex his, quæ dixerunt, quoad fieri potuit, obuiam iuimus: ad plura verò, opportunioraque, & illorum opinionem maximè confirmantia, nihil omnino loquuti ſumus, neque fortaſſis dignum aliquod, quod loqui poſſimus, habemus. Hic igitur recto iudicio & exactiſſima cogitatione opus eſt. Neque enim ſatis erit dicere, nolle vnionem: neque hunc generalis concilij finem eſſe, exiſtimandum eſt: ſed diligenter conſiderandum, quæ dicta à Latinis ſint, quæ nos propoſuerimus: ſcrutandumque, quibus in rebus illi veritati conſentanea dicant, quibus in rebus aberrent, quid nobis dicendum ſit, quid illis audiendum: poſtremò, quomodò vniri poſſimus fratribus, quorum diſiunctio meritò deploranda eſt & illis & nobis, ne voluntatem abſque ratione ſequentes, aut cum iactura noſtra ab illis diuidamur, aut non ſine noſtro detrimẽto illis vniamur.

for. * ſe haud.

Neque enim his, qui ſimpliciter & ſine vlla ratione diſcedendum eſſe aiunt à Latinis, tanquàm longè à veritate aberrantibus, aſſentiendum arbitror: neque his etiam obtemperandum, qui nulla ſuadente ratione, incumbendum dicunt eſſe vnioni. Enimuerò aſſiduo ſtudio, diligentique inueſtigatione veritatis, & exactiſſimo iudicio doctores ſacros tanquam duces ſequi oportet: & per hanc viam, vtpotè quæ ſola tuta ſit, atque omni periculo libera, finem iam diu optatum attingere. Hæc mea eſt de huiuſmodi rebus ſententia: hoc ego, viri clariſſimi, ſentio. Quomodo autem, quibusve medijs finem nobis propoſitum aſſequi poſſimus, ſubinde dicam, Deo fretus, quanquam ingens profectò certamen & non mediocre onus ſubire me intelligo. Verùm ea eſt conditio præſentis rei, vt hominem efflagitet, qui libenter pro veritate periculum ſubeat: nihilque magnum aut dici aut fieri poteſt, niſi quis, quę ſibi vera videantur, forti animo dicat: paratusque ſit calumnias & pericula pati pro defenſione veritatis. Hinc autem exordium ſumam, Dei optimi maximi auxilio fretus.

PROBATIO, QVOD NECESSE EST SANctos doctores, tum Occidentales, tum Orientales, inuicem eſſe concordes.

CAP. 2.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus, cùm diſcipulos ſuos ad prædicandum inter gentes euangelium mitteret: multa, quæ eis euentura erant, prædicens: & inter cætera, quòd ante reges & præſides ſua cauſa ducerentur: Nolite, inquit, cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. manifeſte his verbis ſignificans, quæcunque ab illis dicerentur, ſua eſſe verba & Spiritus ſancti in illis loquentis: quem alibi superuenturum affirmauit, docturumque eos omnem veritatem, vt etiam verba ipſorum, ſpiritu veritatis in eo loquente, veritas & vita eſſent. Atqui verba hæc, nemo eſt qui ambigat, non modo ad primos illos referri ſaluatoris diſcipulos, quibus datum eſt, vt præſentem eum intuerentur, ſed etiam ad paſtores eccleſiarum & doctores cæteros, qui poſt apoſtolos euangelium prædicauere. Hoc enim & ipſe ſaluator probat, cùm inquit: Quæ vobis dico, omnibus dico: & res ipſæ * maniteſtiſſimæ oſtendunt. Siquidem priores cuncti doctores ijſdem claruerunt operationibus & ſignis, quòd diuini verbi prędicatione diuinum verbum non minùs per eos, quàm per apoſtolos ſequentibus ſignis confirmatum fuit: vt palàm omnibus ſit, ipſos quoque ſanctos patres & doctores Chriſtianæ fidei, per ſpiritum ſanctum loquutos fuiſſe: verbaque ipſorũ, ſaluatoris noſtri verba extitiſſe: cùm aduerſus tyrannos & præſides & veritatis hoſtes certauere, ſcripſere, & palàm veritatem prædicauere. Quo ſit, vt neceſſe ſit, eos ſibi inuicem conſentanea dicere: & ratio cogit fateri, nihil ab illis dictum eſſe, quod inuicem repugnet ne minimis quidem in rebus: aliter enim non veritatis magis, quàm mendacij ſpiritus in illis loquutus fuiſſet. Mendacij namque proprium eſt, nec hoc nec illud aſſerere: quemadmodum ſapientis ſignum eſt, ſibi aſſiduè conſtare, nulliſque in rebus à cæteris ſapientibus diſcrepare. Quanto igitur homines ſapientes, ſapientiæ & veritatis Spirit. antecellit: tanto magis neceſſe eſt, eũ ſibijpſi cõſentaneũ eſſe. Et ſi quis forte ſit, qui ſanctos patres & doctores noſtros contraria inuicem dixiſſe exiſtimet, eum profectò cum infidelibus & crucis hoſtibus connumerari fas eſt: qui hinc arguere fidem noſtram conſueuerunt; contrarietates quaſdam & contradictiones ſacrarum literarum inter ſe fingentes: quas tamen nemo pręter ipſos, tales exiſtimat, contra quos vniuerſi doctores certant: eoſque calumniatores eſſe veritatis arguunt, conſentaneam ſibi eſſe vbique ſacram ſcripturam aſſeuerantes. Prætereà cùm nos per hunc modum gentiles, & eos qui extra noſtram Eccleſiam ſunt, arguamus, ignorantiamque eorum compræhendamus, philoſophos ſcilicet, & fidei eorum præcones, in quamplurimis ſibi inuicem contradicentes, oſtendentes: quomodo etiã contra noſipſos ho. ẽ acceptabimus, & noſtros doctores eiuſdem criminis reos eſſe arbitrabimur, niſi & noſtram ipſi ſpõ-

Math. 10.
Ioan. 16.
Marc. 13. * manifeſtiſſimè
Marc. 16.

te noſtra euertere velimus fidem? Sed abſit hoc à Chriſti Eccleſia alumniſque eius. Videmus etiam nunc vniuerſalia cuncta concilia, patreſque in eis congregatos, de dogmatib. propoſitis non humanæ ſapientiæ perſuaſionibus, non artificio verborum, non rationibus naturalibus, non denique ſyllogiſmis vſos fuiſſe, ſed authoritate duntaxat: nudaque ipſa verba ſuperiorum doctorum, qui eos tempore præuenerunt, tanquam rectam regulam, gloriam veritatis ſequutos fuiſſe: & per ea quaſcunque de fide quæſtiones terminaſſe, ſanctorum patrum & veſtigia ſequendo: quare neſcio quid de noſtra fide ſapere liceret, ſi quis concedat poſſe hoc inconueniens patribus imputari. Si enim fidei noſtræ principes non eadem omnes, ſed alij quidem inuicē, alij verò etiam ſibijpſis (ô rem abſurdam) contradicant, fides autem noſtra in illorum rationibus fundetur: inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra, ac magnæ ſtultitiæ eſt, cogitare etiam talia de illis ſpiritu plenis hominibus. Neceſſe eſt enim & propter prædicta & alia plura, conſentanea & ſibijpſis & inuicem, nihilque omnino contrarium non dicere, non ſapere. Dicit etiam de eis beatus Ioannes Syrus, ad Iordanem ſcribens: Sed* eia, quas producunt authoritates conſideremus: cùm paternæ ſint, & eis nullo modo contradicendum ſit. At verò concordes, neque contrarios inuicem, & multò minùs ſibijpſis oppugnantes, decet probare ſanctos patres & doctores noſtros: quorum de fide ſententiam vnicam & indifferentem eſſe, fecit vna ſpiritus ſancti virtus & illuminatio. Hinc apparet, quòd hæreticis calumniantibus ſanctos patres, tanquam non eadem dicentes, aliquoſque eorum ad ſuam prauam opinionē probandam trahentibus: B. Ioannes, neque eos qui videntur hæreticos iuuare, negat, nec tamen eos intelligit prout illi, ſed acceptat quidem eos, conatur autem & ſibiipſis & inuicem conuenientes, probare. Hoc enim doctoris, hoc eſt Chriſtiani officium. Septima item generalis ſynodus, per os ſancti Tharaſij in prima eius actione, in nullos ſanctos patres (inquit) inuenimus diſcordes: ſed cùm omnes eiuſdem ſententiæ ſint, idem quoque prædicant & docent. Et* eadem rurſus in eadem actione: Vbique etenim patres concordes inuicem ſunt, contrarietas verò nulla in eis eſt. Verùm contraria eos dicere putant, qui œconomias & intentionem eorum ignorant. Vide, quòd etiam ſeptimi concilij patres eadem hac de re ſentiunt, & concordes ſibijpſis & inuicem eſſe ſanctos doctores dicentes, eandem etiam rationem aſſignant, quam B. Ioannes. Idem enim ſpiritus (aiunt) in omnibus loquutus eſt: quem ſibijpſi non conſentaneum eſſe, neque cogitare fas eſt. Et longum quidem eſſet enumerare, quemadmodum omnes doctores in tota ſancta ſcriptura hoc ſibi proponunt, apparentes in ea contrarietates concordare, concludere verò manifeſtè per prædicta, fidei noſtræ principes & doctores, quorum doctrinis & illuminati & edocti ſumus: neceſſe eſſe eadem & conſentanea non ſolùm ſibijpſis, ſed non minùs inuicem dicere: tanquàm in idem concurreret hoc non eſſe, & totam fidem euerti: & qui non concederet hoc, nihil ab infidelibus differret. His igitur ita præſuppoſitis, habemus quidem ſanctos doctores eos, qui ex Oriente nobis veritatis fidei lumen illuxerunt, Athanaſium, Baſilium, Gregorios ambos, Cyrillum, Maximum, Tharaſium, cæteramque cohortem eorum. Habemus item eos, qui ab Occidente extinxerunt errorū flammas ſana ſua clariſſimaque doctrina, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, Damaſum, Gregorium, Leonē: qui rugitu ſuo hæreticos omnes deterruerunt, & cæterorum ſanctorum chorum, omnes communes doctores, & patres, & fidei principes, qui multa quidem in hac vita pro veritate paſſi fuerunt, pro eaque mortui ſunt. Veruntamen viuunt, non ſolùm apud Deum in libro vitæ deſcripti, verumetiam apud nos per ea, quæ reliquerūt nobis opera & doctrinas ſuas, quæ pro regulis fidei haberi debent à nobis, æquè ferè atque ſancta ſcriptura veneratæ & creditæ. Faciemus igitur officium noſtrum, & quod à filijs gratis debetur, patribus omnibus quidē aures æquas præbentes, omnibus verò proprium animū ſubijcientes, & ſemina eorum acceptantes. Ad eundem enim finem nos ducent omnes, & eandem nobis fidem prædicabūt, atque confirmabunt, cùm ipſi primò idem inter ſe dicant, tanquam vno & eodem ſpiritu loquuti. Quod hoc modo conſiderandum eſt. Quòd quamuis nulla omnino ſit in doctorum dictis contradictio, ſi tamen aliquid tale ſaltem apparenter eſſet, nos oporteret conari ea concordare, tanquam ſummè neceſſarium fidei noſtræ: & hoc adſtruitur per exempla.

Cap. 3.

Ex patre, dicunt Orientales ſancti doctores, ſanctum procedere ſpiritum, & ex patre per filium. Ex patre & filio, Occidentales eundem procedere aiunt. Idem etiam nonnulli Orientalium aſſeuerant. Quid igitur dicemus? Contrarium hoc eſſe illi? Abſit. Neque enim contraria, neque contradictoria inuicem ſunt, ex patre procedere, & ex patre & filio. Atqui etiam ſi contradictoriè ſermo proferretur, ita vt alios ex patre, non ex filio, alios ex patre & filio dixiſſe: nec tunc auderem dicere ſanctos inuicem cōtradicere, ſed potiùs meipſum accuſarem, tanquam non percipientem illorum intellectum, ſecundum quod à Tharaſio dictum eſt in ſeptima ſynodo, quod ſcilicet eis contrariantur, qui ignorant œconomias & intentionem eorum quam illis contradictionem aut contrarietatem imputarem. Multa habeo huius rei in ipſa ca-
nonica* ſcripta exempla. Pater meus (inquit) maior me eſt. Et *ſcriptum
rurſus: Ego & pater vnum ſumus. Hac quæ maior poſſit vide- Ioan.14.
ri contradictio? Attamen contradicunt veritati, qui hoc con- Ioan.10.
tradictionem putant. Stephanus, cùm eſſet plenus ſpiritu ſan- Act.16.
cto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem
à dextris Dei, Luca in actibus teſte. At Paulus vnà cum Dauid
eum ad dexteram maieſtatis in excelſis ſedere ait. Sedere au- Heb 1.
tem, & non ſedere, (ſtare enim, non ſedere eſt) manifeſta con Pſal.109.
tradictio eſt. Eundem item Stephanum beatus introducit Act 6.
Lucas, Dei & patris vidiſſe gloriam & eius vnigenitum filiū.
At ſanctus Ioannes euangeliſta, Deum nemo vidit vnquam, Ioan. 1.
ab ipſa veritate edoctus, aſſeuerat. Videre autem, & non vi- Ioan.4.
dere Deum, neſcio, ſi cui non eſſe contradictoria videantur.
Vnus euangeliſtarum ſexta hora Dominum crucifixum fuiſ- Ioan 19.
ſe ait, alter clamat, Erat autem hora tertia, & crucifixerunt Marc.15.
eum. Sexta verò, patet quòd* eſt tertia. Tertia verò, & non *videtur
tertia, manifeſta contradictio eſt. Deum patrem cauſam ef- deeſſe, vt
ſe filij & ſpiritus ſancti, palàm prædicant & docent omnes Orientales patres & doctores. at beatus Cyrillus in eis, quæ ad Hermiam ſcribit, vnà cum Occidentalibus patribus non admittit quidem hoc nomen cauſæ in diuinis perſonis. Eūdem autem dicere cauſam, & non cauſam, & præſertim ad idem, nullus eſt qui non concedat contradictoriè dictum fuiſſe. Et quis facilè recenſere poſſet, quot ſunt, quæ cùm contradictoria videantur, piè tamen à doctoribus intellecta ſunt, & ad vnum & eundem ſenſum ab eis referuntur? Quod & nos imitati, etiam ſi de propoſita quæſtione accidiſſet, contraria contradictoriaque dixiſſe ſanctos doctores, nobiipſis potiùs ignorantiæ culpam imputare debemus, quàm illos credere diſcordare: & eos conari reconciliare inter ſe, & quoad poſſit, per omnia concordes oſtendere. Nunc verò dicunt quidem nihil contrarium, conſentanea autem ſibijpſis & inuicem aiunt. Et hoc experientia percipiemus, ſi modo debito eis & eorum doctrina vtamur. Modus autem qualis ſit, audite: & attendite, quàm verus quamque iuſtus ſit.

QVOD AD INTELLIGENTIAM ILLOrum doctorum, qui obſcuriùs loquuti ſunt, vtendum eſt illis patribus, qui apertiùs & clarius loquuntur.

Cap. 4.

Omnis fides & probatio habet quidem aliud, quod demonſtrare proponit: habet verò aliud, per quod probat, quod ſibi proponit. Neq; poteſt idem eſſe quod probat, & quod probatur. Ipſum quidem ſeipſum, aut ipſum aliquid per ſeipſum probare, impoſſibile eſt: ſed cum ex aliquib. conceſſis & omnibus notis, ad aliquod quæſitum procedere oporteat: per ea, quæ manifeſta ſunt, ad incognita [illegible] quæſita eundum eſt: & per notoria probandum, quæ nobis ignotiora ſunt. Hoc verò ita eſt verum, & ab omnibus conceſſum, vt non indigeat pluribus verbis. Et in propoſito igitur, cū proponantur nobis authoritates Doctorum Orientaliū, propo-

nantur verò etiam Occidentalium, ſitque neceſſarium, ſi Chriſtianiſſimum velimus nobis ſeruare, conſentanea omnia omnibus eſſe probare: ſi æquè clara & aperta nobis eorum dicta ſint, neque aliquod dubium ineſt in eis, non eſt opus diſcuſſione ampliùs, inuento quod quæritur. Quòd ſi quid in eis dubij inſit, & aliqua non ita apertè dicta, indigent declaratione maiori, regula prædicta vtendum eſt: aliter enim impoſſibile eſt attingere finem quæſitum, & contrapoſitis vtriſque, à clarioribus ad ea, quæ non ita clara ſunt, comparatis, per clariora etiam intellectum eorum inueſtigare, quæ obſcuriùs dicta ſunt: & hoc modo vna harmonia ex ambabus partibus compoſita, in concordem & conſonantem glorificationem Dei accedere. Et meo quidem iudicio, tum Orientales tum Occidentales patres clarè manifeſteque loquuti ſunt, & veritatem fidei nobis tradiderunt: Et facilè quis poſſet alterius partis authoritatibus vſus, per eas duntaxat propoſitam quæſtionem concludere. Et hoc paulò pòſt (ſi Deus concedet) probabimus. Concedatur tamen, non ita clarè, nec ita expreſſe Orientales loquutos fuiſſe de ſpiritus ſancti ex filio proceſſione, quemadmodum Occidentales: quid igitur faciendum eſt? Nempe nil aliud, niſi cùm Occidẽtales patres apertiſſimè hanc prædicauerint fidem, Orientales quoque putandũ hoc idem dicere: nec oppugnare illis, qui idem de fide ſenſerunt. Qui enim in illis, idem & in his loquutus eſt ſpiritus: & quæ per illos ſubobſcurè, eadem per hos apertè docuit, ob eam, quam ille ſciuit, cauſam, & propter neceſſariam tunc fortaſſis diſpenſationem. At nobis probandum eſt, etiam abſque comparatione ad Occidentales patres, ipſos per ſeipſos Oriẽtales doctores idem cum Occidentalibus de proceſſione ſpiritus ſancti concludentes, & idem, quod illi, ſentientes.

PROPONIT HANC CONCLVSIONEM, ex dictis Orientalium doctorum duntaxat, probare dupliciter: videlicet per præpoſitionem PER, & per Ex, & primò de vi ipſius præpoſitionis PER, diſputat, probans eam cauſam mediantem ſignificare.

CAP. 5.

PRæpoſitionem igitur PER, in omnibus, in quibus accipitur, cauſam ſignificare, nunquamque dici, niſi aliquã mediantem ſuboſtendat cauſam, nemo eſt qui ignoret. Semper enim & in omnibus, quibus hoc ab hoc, per hoc eſſe aut fieri dicitur, illud PER, quod tanquam communicans aut cooperans primo agenti, accipitur. Quemadmodum ſi fabrum per ſerram fabricari dicamus, ſerram quoque cooperari fabro ad ſecandum, intelligimus: & modo ei conuenienti, hoc eſt, inſtrumentaliter ipſam etiam ſecare, nec ſuperuacaneam eam accipi. Per locum etiam, aut per tempus aliquid fuiſſe vel tranſiuiſſe dicere, nil aliud dicere eſt, niſi locum etiam & tempus, aliquam cauſam illorum, quæ tranſiuerint, vel facta fuerint, eſſe. Et locus enim, motus cauſa eſt: ſiquidem omnis motus, in magnitudine & diſtantia eſt: tempus quoque maximè cõfert motui. Omnis enim motus, in tempore: abſque verò motu, nil omnino corporabilium & ſenſibilium fieret. Sine quo autem non fieret aliquid, hoc ſui cauſam habet. In ſyllogiſmis quoque dicere per medium extrema coniungi: patet, quòd per medium tanquam per cauſam. ſecundum motum aut diſcurſum intellectus accidit. Cuius ratio eſt, vt vniuerſaliter de hac præpoſitione tractemus. In omnibus loquutionibus, in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hæc præpoſitio PER, deſignat in cauſali aliquam cauſam ſeu principium illius actus: ſed cùm actio ſit media inter faciens & factum, quandoque illud cauſale, cui adiungitur hæc prępoſitio PER, eſt cauſa actionis, ſecundum quod exit ab agente: & tunc eſt cauſa agenti quòd agat, ſiue ſit cauſa finalis, ſiue formalis, ſiue effectiua, ſiue motiua. In materiali namque cauſa non eſt in vſu accipi: ſed pro ea, Ex, Non enim per ligna & lapides, ſed ex his & his domum eſſe compoſitam dicimus. Cùm igitur propter lucri cupiditatem dicimus artificem operari, finalé ſignificamus cauſam: formalem verò, cùm dicimus, quòd operatur per artem ſuam: motiuam verò, ſi dicatur, quòd operatur per imperium alterius. Quandoque verò dictio cauſalis, cui adiungitur hæc præpoſitio PER, eſt cauſa actionis, ſecundum quod terminatur ad factum, vt cùm dicimus, artifex operatur per martellum. Non enim ſignificatur, quòd martellus ſit cauſa artifici quod agat, ſed quòd ſit cauſa artificiato, vt ab artifice procedat, & quòd hoc ipſum habeat ab artifice. Quæ cùm ita ſe habeant; conſiderandum, quid velit, ſanctos dicere, ex patre per filium procedere ſpiritum ſanctum. Nempe hic etiam dicemus cauſam quandam ſignificare præpoſitionem per, at primarum quidem trium nullum. Nec enim filius patri cauſa eſt, vt ex eo ſpiritus ſanctus procedat, quod vniuerſaliter primæ tres cauſæ poſſunt: ſed econuersò eſt. Nec enim filius cauſa formalis, aut finalis, aut effectiua eſt ſpiritus ſancti cùm effectiua quidem cauſa ad creaturam referatur, nec conueniat ſpiritui: ipſa verò tota beata Trinitas & bonitas eius, creaturarum finalis cauſa ſit, non autem vna perſona alterius: formalis autem, ipſa diuina eſſentia, ſecundum quam filius & ſpiritus ſanctus procedunt: quæ tribus eadem eſt. Reliquum igitur eſt, vt reliquo & quarto modo in re propoſita accipiamus & illum, quo ad fieri poteſt. Hic enim, inquantum terminatur in effectum, cùm ſit actionis cauſa, conuenit huic quæſtioni, cùm dicimus ex patre per filium procedere ſpiritum: inquantùm verò tanquam inſtrumentum intelligatur, valdè diſſimile habet ſignificatum. Non enim vt per inſtrumentum, vel per locum, vel per tempus, aut aliquam cauſam imperfectam, dicimus ſpiritum ſanctum per filium procedere: longè etenim hæc ab illa eius ſumma perfectione, & ſumma ad patrem æqualitate & vnitate abſunt. Nec enim alia potentia numero producit ſpiritum, quàm pater & filius, vt tanquam ſecunda vel inſtrumentalis cauſa accipiatur; ſed cùm eadem & vna in patre & filio productiua potentia ſit, æqualiter ex vtroque procedere dicitur. Nam & ſerra, & homo: eſſet quemadmodum ipſe faber & idem homo: ſicuti pater & filius, idem Deus eſt: ſecaret vtique etiam illa, prout ipſe faber: & quod diceretur per ſerram, nullam imperfectionẽ de ſerra notaret. Nec mirum, ſi in diuinis vtamur imbecillibus & imperfectis verbis & nominibus, cùm aliter non poſſumus. Diuinas enim res per nomina & intentiones quidem conſuetas nobis, manifeſtare conamur. Aliter enim impoſſibile eſt nobis ſenſu viuentibus, de illis loqui. Quod verò prolationi verborum accidit, etiam ſignificatis rebus velle imputare, cauendum ne ſit nefas: multæ enim hoc modo certæque fidei veritates euaneſcẽrent. Etenim vniuerſum quoque ex patre per filium, creatum eſſe dicimus. Nullus tamen eſt ita audax, vt inſtrumentalem & non eandem cum patre cauſam diceret filium, quippe qui eadem vnaque potentia & actione cum patre mundum creauerit. Simili igitur modo etiam de ſpiritus per filium productione, inſtrumentalem quidem cauſam etiam ſolùm cogitare, blaſphemia eſt: cauſam autem, & hanc nõ imperfectam, hoc verò neceſſarium eſt. Imperfectionem etenim huius præpoſitionis PER, longè repellendam: quantum autem perfectionis & pietatis habet, hoc verò acceptandum. Ait enim in octauo ad Amphilochium Beatus Baſilius: Patrem creare per filium, nec imperfectam patris creationem, nec imbecillem filij actionem ſignificat, ſed vnitatem voluntatis eorum manifeſtat: quare hæc vox, PER FILIVM, non minuit effectiuam cauſam, ſed principaliorem cauſam nos refert. Palàm itaque patet, præpoſitionem PER, cauſam ſignificare. Non enim imbecillem (ait) oſtendit filij actionem, ſed cauſam cum ordine. Ad principalem enim (inquit) cauſam nos refert. Semper etenim cum aliquid ex aliquo per aliquem eſſe dicitur, ordo quidam ad illum ex quo, illius per quem, ſignificatur. Ex quo quidem, tanquam principali cauſa: per quem verò, tanquam inſtrumentali accepta vel cõcauſa, quæ præſupponit ſibi illum, qui dicitur ex quo: hunc autem ordinem neceſſe, etiam inter patrem & filium eſſe. Ex patre etenim omnia, quæ patris ſunt, accipit filius & habet: poſtque patrem & ſimul cum eo, ſubitò & immediatè intelligitur filius. Cùm enim filium dicimus, ſubitò in patrem, cuius filius eſt, mente reducimur, & cum patrem dicimus, filiũ ſtatim intelligimus. Hęc autem maximè præpoſitio PER, poteſt ad principalem cauſam (teſte B. Baſilio) nos reducere. Per filium enim dicentes ſpiritum ſanctum procedere, patrem, ex quo filius hoc habet, cõcipimus: & quod ad alium refert, quæ ſua ſunt. Item Chryſoſtomus etiam illud euangelij exponẽs, Omnia per ipſum facta ſunt: Si enim hic (ait) per eum, dictũ

eſt, nul-

nulla alia de cauſa dictum eſt, niſi ne aliquis ſuſpicetur fi- n ingenitum eſſe. Quare ſecundum hunc etiam doctorē, epoſitio PER, ad natiuitatem ex patre nos remittit: & vt elligamus illinc ei potentiam datam, cùm vniuerſi crean- tum ſpiritus ſancti producendi: & plùs alijs poteſt ſcilicet æpoſitio PER, ordinem filij ad patrem ſignificare, quę ma- mè neceſſaria eſt in Trinitate. Quemadmodum enim ſum- a in eis potentiæ æqualitas eſt, immò potiùs ſumma identi- s, ita nil minùs etiam ſummus eſt ordo, quem ipſa PER ma- mè poteſt (vt probatum eſt) ſignificare. Et de his quidem tis.

AVTHORITATES SANCTORVM DOctorum, qui hac præpoſitione PER, vtuntur: & probatio quòd cauſam ſignificat.

CAPVT 6.

Dicendum autem, quinam patres Orientales, & quibus in locis, de proceſſione ſpiritus ſancti vſi ſunt ipſa PER, n filio. Primùm itaque diuinus Athanaſ. in ſermone, qui in- ſcribitur, Redargutio ſimultatis Melitij & Euſebij. [Erat au- em impoſſibile, inquit, ſpiritum inter Trinitatem cum glo- ria numerari, ſi non eſſet emanatus ex Deo per filium, ſed per modum creaturæ ex Deo factus, vt autumant.] Animaduer- tendum igitur, quòd de perſona ſpiritus eſt hic ratio, qui vnus n Trinitate eſt: ſed non, vt aliqui dicerent, de quadam non ſubſiſtente gratia; quodq́ue ipſum ſpiritum, qui Trinitatem complet, eſſe ait ex Deo per filium. Eſſe etenim, exiſtere ſignificat clarè, & ipſum ſubſiſtere, & maximè eſſe emanatiuè. Et affirmare, ex Deo per filium eum eſſe emanatiuè, nil aliud eſt dicere, niſi ex Deo per filium ſubſiſtere eum & exiſtere. Dicens verò, ex Deo per filium, non ex patre per filium: vanam arguit aliquorum rationem, qui dicunt ideo eum dixiſſe per filium, quia patrem nominauit, quod relatiuum eſt nomen, & ideo requirit filiū. Haberet enim hoc aliquam rationem, & ſi non ſufficientē, ſi EX PATRE PER FILIVM dixiſſet. Nūc verò non hoc dicit, ſed EX DEO PER FILIVM. Deinde Baſilius, cum quæreret, quare ſpiritus non dicatur filij filius: Non ideo, inquit, quia non eſt ex Deo per filium: ſed vt Trinitas non in multitudinem infinitam incidat, filios ex filijs, vt in hominibus fit, credita propagare. Primò itaque ex ipſamet quæſtione, cùm quærat, cur ſpiritus ſanctus non dicatur filius filij: manifeſtè apparet, non fuiſſe beatum Baſilium huius opinionis, nihil videlicet filium conferre, ad eſſe ſpiritus. Non enim talem quæſtionem mouiſſet: quemadmodum nullus quæreret, quare ſpiritus non ſit pater patris, vel genitor filij. Deinde ex ipſa ſolutione quæſtionis apparet, quod putabat filium cauſam ſpiritus: & hoc per præpoſitionem PER, ſignificare. Cùm enim liceret ei dicere, quod ideo non eſt filius filij, quia nec ex eo, nec per eum eſt, nec eum habet ſuiipſius cauſam, (quænam eſſet ſolutio conuenientior?) hoc quidem non dixit, ſed aliam reddit rationem: Eſt enim, inquit, ex Deo per filium, & hoc negandum non eſt. Quòd ſi hoc cogat, & filium eum filij & eſſe & dici: diceretur (inquit) etiam hoc, niſi hoc inconueniens ſequeretur, quod Trinitas multitudo infinita putaretur. Quòd ſi hoc abſurdum non timeretur, diceretur etiā filius filij. At ſi filius filij diceretur, nullus dubitaret, quod filium etiam haberet ſui cauſam. Igitur etiā cùm dicatur per filium eſſe, filium habet cauſam, ipſe etiam eſſe ait. Quod verbum potiſſimum exiſtentiam & ſubſiſtentiam ſignificat, & eſſe ex Deo per filium, prout ſacer Athanaſius dixit: Nec igitur de gratijs non ſubſiſtentibus eſt ei propoſitum dicere, nec propter relationem per filium dictū eſt, nec præpoſitio PER idem poteſt, quod præpoſitio CVM. Quæ enim ratio eſt, ideo aliquos ſuſpicari filium eum filij poſſe dici & eſſe, quia ex Deo cum filio eſt? Cum igitur nullum de his tribus refugijs ad quæ ſe omnes ſolent referre, his ſanctorum doctorum teſtimonijs relinquatur, neque cōueniat, palàm patet, cauſam hic ſignificare hanc præpoſitionem PER. Idem ex alia eiuſdem authoritate probatur, dicentis: [Ideo quod ex Deo quidem ſpiritus ſit, palàm prædicauit Apoſtolus, dicens: Spiritum, qui ex Deo eſt, accepimus. Et quòd per filium manifeſtatus ſit, apertè oſtenditur, cùm illum filij ſpiritum, quemadmodum etiam Dei nominauerit: Ideo enim dicitur filij ſpiritus, [inquit,] quia per eum manifeſtatus eſt. Cuncti etiam patres Occidentalis communi ſententia, ideo dicunt filij ſpiritum & eſſe & dici, quia ex eo procedit. Idem igitur Occidentales doctores ſignificant, cū dicunt ex filio ſpiritum procedere, quod S. Baſilius, cum dicit, per filium eum manifeſtari. At dicere, ex filio eum procedere, nil aliud ſignificat, niſi quod filius etiā ſit cauſa ſpiritus. Igitur & per filium dicere eum manifeſtari, palam ſignificat, filiū cauſam eſſe ſpiritus ſancti. Quòd ſi hoc, quod dicimus per filium eum manifeſtari, dicat aliquis ſignificare, ad ſenſibilem hunc mundum eius manifeſtationem & temporalem miſſionem, non rectè dicet. Si enim ideo ſpiritus eſt filij ſpiritus, nec æternaliter nec natura, ſed accidentaliter & temporaliter illum habet, ex quo ſcilicet mundo illū manifeſtauit: quod impium eſt etiam cogitare. Effectus enim vt præſupponat cauſam, neceſſe eſt. Quòd autem per filium ſpiritus manifeſtetur, hoc eſt cauſa, vt ſpiritus filij. Si igitur *æternalis
effectus, videlicet quod ſpiritus ſit ſpiritus filij, æternaliter etiam eſt multo magis vt cauſa, videlicet quod per eum manifeſtatus fuerit, æterna & naturalis ſit neceſſe eſt. Aeternaliter autem per eum manifeſtari, quid aliud, niſi quod æternaliter ab eo procedit, ſignificat? Illud etiam quod additur, QVEMADMODVM ET DEI, noſtram expoſitionem corroborat. [Ita enim (ait) dicitur ſpiritus, filij quemadmodum & Dei.] At Dei dicitur ſpiritus, tanquam ex eo procedens. Igitur etiam filij dicitur ſpiritus, tanquam ex eo procedens, ſiue per eum manifeſtatus. Idem enim ambo ſignificare probatū eſt. Hic autem potiſſimum apparet, nullo modo præpoſitionem PER, debere accipi pro CVM. Quòd enim ſit filij ſpiritus, ſignum eſt, inquit, quòd per eum manifeſtatus ſit. Si igitur, PER EVM MANIFESTARI, idem atque CVM EO MANIFESTARI, ſignificaret, cùm nil minùs cum filio ſpiritus, quam cum ſpiritu filius, manifeſtatus ſit, oporteret vt etiam filius ſpiritus diceretur, in ſignum quod cum ſpiritu filius manifeſtatus ſit. At hoc non dicitur, igitur nec cum ſpiritu filius manifeſtatus eſt. Sed hoc mendacium & impium eſt dicere: manifeſtatus eſt etenim cum ſpiritu, non tamen per ſpiritum: Quo fit, vt aliud ſit, per eum manifeſtari: & aliud, quod cum eo manifeſtetur. Sed dicet aliquis: Ideo filius non dicitur ſpiritus, ne pater eius videatur eſſe ſpiritus ſanctus. Filius enim cùm nomen ſit relatiuum, refertur ad patrem. Quare, ſi non timeretur hoc inconueniens, filius etiam ſpiritus diceretur, eo quòd cùm ſpiritu, & ſimul cū ſpiritu, progrediatur ex patre. At, ô vir optime, ſpiritus quoque relatiuum nomen eſt, & ad ſpirantem refertur: & cuius dicitur ſpiritus, ab illo etiam ſpiratur. Quòd enim perſonalia nomina Trinitatis relatiua ſint, nullus ignorat. Perſonale verò nomen ſpiritus eſſe, quod ſanctus ſpiritus dicatur, nemo inficiatur, quemadmodum patris pater, & filij filius. Et neceſſariò relatiuum, quemadmodum & illa: ſiquidem eſſentia non ſunt, nec aliud ſit in diuinis præter eſſentiam & relationes. Quemadmodum igitur filiū, cùm ſit nomen relatiuum, & referatur ad patrem, veremur filium ſpiritus dicere, ne ſpiritus pater eius putaretur: ita & ſpiritus, cùm ſit nomen relatiuum, & neceſſariò ad ſpirantem referatur, ab eo etiam ſpiratur, cuius dicitur ſpiritus eſſe. Vt verò nulla cuiquam excuſatio relinquatur, & clariùs appareat prępoſitio PER, ſignificans cauſam, ſanctus Maximus in medium adeat, qui exponens quid velit illud Zachariæ prophetiæ, Au- Zach. 4.
rea lampas & quod ſupra eam, ſic dicit [Spiritus enim ſanctus, S. Maxim.
quemadmodum natura ſecundum eſſentiam Dei & patris eſt, ita & filij ſecundum eſſentiam eſt, tanquam ex patre eſſentialiter per filium ineffabiliter natum procedens.] Filij enim eſt (inquit) eſſentialiter ſpiritus, non aduentitius & deforis, nec temporaliter illum accipientis: ſed ab æterno eſſentialiter illum habentis, quemadmodum & pater. Cuius ratio eſt, quòd ex patre per eum eſſentialiter procedit. Et attende, quòd vnius & eiuſdem rei rationem reddentes, tam beatus Baſilius quàm ſanctus Maximus, videlicet cur ſpiritus dicitur ſpiritus filij, eandem vterq; reddit. Quia enim ex patre per eum procedit, ideo ſpiritum eius eſſe & dici aſſeuerant. Et quòd ſanct. Maximus PER EVM PROCEDERE inquit, illud beatus Baſilius PER EVM MANIFESTARI dixit: ſignificans, idē poſſe manifeſtari atque procedere. Quòd ſi per eum procedere, per eum eſſe, & exiſtentiam habere, ſignificat: igitur & per eum manifeſtari, per eum eſſe, & exiſtentiam habere, ſignificat.

nificat. Et præpoſitio per, cauſam hic neceſſariò ſignificat, nec vllo modo aliter capi poteſt. At Nyſſenus etiam Gregorius idem pleriſque in locis ait, non ſolùm cùm Trinitatem cauſa & cauſato diſtingui aſſeuerat, ſed etiam in primo ſuorum contra Eunomium librorum, de diſtinctione diuinarũ perſonarum tractans: [Spiritus (inquit) patri coniunctus, ſecundum quod vterque increatus eſt: rurſus ab eo diſtinguitur, eo quod non eſt pater, prout ille eſt: *filij verò, & ſecundũ quod vterque increatus eſt, & ſecundum quod vterque ex primo principio ſuam ſubſiſtentiam habet, coniunctus, diſtinguitur ab eo ſua proprietate, quæ eſt, quòd nec vt vnigenitus ex patre productus eſt, & quòd per ipſum filium ſit manifeſtatus. Et cùm creatura per filium ſit producta, ne quis putet aliquid commune eſſe ſpiritui & creaturæ, propterea quòd dicitur per filium manifeſtatus, immutabilitate & immobilitate à creatura diſtinguitur.] Hic cum manifeſtè de diuina vnione & diſtinctione ſanctus doctor loqueretur, proponit ſibi ſpiritum ſanctum quem ad patrem comparans & filium, *inuenit quæ communia eis & vnientia, quæ verò propria & diſtinguentia ſunt. patri itaque (inquit) coniunctus, ſecundum quod vterque increatus eſt: ac ſi diceret, per abſoluta & eſſentialia, quæ per nomen increati ſignificantur: rurſus ab eo diſtinguitur, eo quòd non eſt pater vt ille eſt. Cùm filio verò commune habens, quòd vterque increatus: & omnia eis abſoluta communia ſint, cùm vna eademque vtriuſque eſſentia ſit, item quòd vterque Deum & patrem ſui principium habet, tamen ab eo his duobus diſtinguitur. Primo, quòd nõ per generationem vt filius, ſed per proceſſionem, videlicet ex patre ſit; ac ſi diceret, per diuerſum ſubſiſtentiæ modum. Secundò, quòd per ipſum filium manifeſtatus ſit. Si igitur, PER EVM, idem ſignificaret, ac, CVM EO, prout aliqui ſomniãt: mirum eſſet profectò, ſi ideo ſpiritus diſtinguatur à filio, quia cum eo manifeſtatur. vnitur enim hoc modo, non diſtinguitur; & coniungitur, non diuiditur. Nec etiam de diuiſione chariſmatum hic loquitur ſanctus doctor, quinimmo de diuinarum perſonarum diſtinctione. Nec quiſquam habet dicere, ſpiritus per filium in mundo manifeſtationem, per hæc verba ſignificari. primò namque cum de diſtinctione perſonarum his ſermo haberetur, quonam modo temporalẽ hanc manifeſtationem æternæ rei cauſam poneret? æternaliter enim filius & ſpiritus ſanctus perſonalibus diſtinguũtur proprietatibus. Neque dici poteſt quod antequam manifeſtaretur mundo ſpiritus, non erant ab inuicem perſonaliter diſtincti. Hoc enim abſurdiſſimum etiam cogitare eſt. Deinde cùm opera in creaturam, communia Trinitati ſint, non magis per filium, quàm per ſeipſum ſpiritus ſanctus manifeſtatus eſt: quinimmò ipſum etiam filium, ſpiritus glorificauit & manifeſtauit, & non minùs patrem eundem etiam filius. Quare cum hac ratione à ſeipſo etiam ſpiritus diſtinguetur, cùm ſeipſum manifeſtauit. item & à patre: filius quoque & à ſeipſo, & à patre, ob eandem rationem. Sed nec de his vnquam hoc dictum eſt, neque de re nobis propoſita, idem dicere conuenit. Quod autem palàm arguit, has rationes vana refugia eſſe, illud eſt, & quod ſpiritum ſanctum volens à creatura diuinus iſte doctor diſtinguere, cùm iam attribuiſſet ſpiritui, per filium manifeſtari: creaturæ, per filium creatam fuiſſe. timens, ne quis propter hoc, quòd ſpiritus & creatura per filium eſſe dicantur, eiuſdem etiam eſſentiæ ſpiritum cum creatura putaret: mutabili & immutabili hæc ab inuicẽ diſtinguit, quòd ſpiritus quidem per filium manifeſtetur, creatura verò per filium ſubſiſtat: hoc commune & idem vtriſque putans, diſtinctionis verò alium reperiens modum, videlicet quod ille quidem immutabilis, illa verò mutabilis ſit. At ſi, cùm dicitur, ſpiritum per filium manifeſtari, non ſignificaretur, quòd filius, ſubſiſtentiæ ſpiritus eſſet cauſa, quemadmodum cùm dicitur, mundum per filium eſſe factum, (hoc enim manifeſtè filium ſignificat cauſam eſſe) facilis eſſet ſpiritus à creatura diſtinctio: Licuiſſet enim dicere, quòd etſi vterque ſit per filium, creatura tamen eſt ex eo tanquam cauſatum, ſpiritus verò non tanquam cauſatum. Nunc autem hoc non dixit. Quod enim ſciebat non eſſe verum, dicere non erat ſuum: ſed alium diſtinctionis modum inuenit, qui ei verus viſus eſt, & qui ſolus inueniri poteſt. Igitur præpoſitio PER, idem poteſt, cùm dicitur, quod ſpiritus per filium manifeſtatur: quod cùm dicimus, creaturam per filium eſſe factam. Sed creaturæ cauſam dicimus & credimus filium, & hoc ſignificat præpoſitio PER. Igitur etiam de ſpiritu* ipſa PER, ſignificat filium cauſam eſſe. Prætereà patet, quod quia hæretici per filiũ fuiſſe factum ſpiritum ſanctum blaſphemabant, eo quòd Euangeliſta dicit, Omnia per ipſum facta ſunt: malè & impiè ſpiritum etiam ſanctum inter omnia connumerantes: ideo ſancti doctores eos oppugnantes, & contra eorum impietatem his vſi verbis, de ſpiritu ſancto per filium eum procedere, & per filium eſſe & manifeſtari dixerunt. Sed hæretici per filium ſanctum fuiſſe ſpiritum S. dicentes, duo hæc concludebant.

Greg. Nyſſ.

*filio

*inuenit

*ipſum

Ioan. 1.

Primò, quod ſpiritum creaturam putabant. Secundò, quod filius cauſa eius eſſet. & hoc *ipſam PER, ſignificare. Igitur ſi vtrumque falſum eſſet, vtrunque doctores oppugnaſſent, quemadmodum & illum à creaturis eximunt: quare nec vnquàm reperies eos vſos de ſpiritu hoc vocabulo, FACTVS EST, tanquam creaturæ appropriato: ita nec præpoſitione PER, vſi fuiſſent vnquàm: ſi, cùm hæretici eam putarent cauſam ſignificare, ipſis non ſolùm falſum, verùm impium hoc viſum eſſet. ita per omnia veritas ipſa ſibijpſi concordat, & manifeſtè cauſam ſignificat PER, cum de aliquibus accipiatur. Hoc idem ex eiuſdem doctoris ad Ablabium oratione probatur. Etenim cùm illic etiam de diuinarum perſonarum diſtinctione tractaret, poſtquàm vniuerſaliter cauſa & cauſato ab inuicem eas diſtinxit, deinde filium à ſpiritu etiam præpoſitione PER, diſtinguit. [Ille quidem eſt (inquies) immediatè à primo, filius videlicet à patre: hic verò (de ſpiritu dicens) per eum, qui immediatè à patre eſt, hoc eſt, per filium & eo diſtinguitur (inquit) ſpiritus à filio, quia per ipſum eſt.] Quaſi diceret, quod cùm ambo à primo ſint, non ſufficienter diſtinguerentur, niſi alter per alterum eſſet. Vt manifeſtè PER, diſtinctionem hinc ſignificaret, & diſtinctionem quæ ab æterno eſt, quæque ſecundum cauſam & cauſatum eſt, cũ anteà dixerit, cauſa & cauſato tantùm ab inuicem diuinas perſonas diſtingui. Quod enim infert, aliam differentiam de filio & ſpiritu ſancto intelligi, non rectè quis putaret aliam ſecundum ſpeciem; contradiceret namque ſibijpſi, ſi cùm anteà cauſa & cauſato tantùm dixerit perſonas diuinas diſtingui, deinde alium modum diſtinctionis ſpecie differentem tradidiſſet. Aliam igitur differentiam ſecundum numerum accipientes, & rectè cum ſancto doctore ſentiemus, & præpoſitionem PER, cum cauſa intelligemus, ita vt nulli ratio relinquatur vel pro CVM, eam accipere, (CVM enim non diſtinguit) vel mundo per filium manifeſtationem ſpiritus, eam ſignificare putare. Hæc enim non eſt ab æterno. Quòd ſi verbum hoc MANIFESTARI, aliquos ſcandalizat, verbum PROCEDERE, tantum ſpiritus ſubſiſtentiæ putantes debere attribui, MANIFESTARI verò ad temporalem proceſſionem, & chariſmatum dationem, & ad mundi manifeſtationem trahentes: eorundem etiam erit, filium mundo dari, vel temporaliter mitti dicere, cùm eum audiant à patre manifeſtari, quod ab omnibus communiter doctoribus dicitur. Beatus etenim Cyrillus ad Valerianum epiſcopum: [Cùm enim quemadmodum pater, (ait,) ita & qui ex eo manifeſtatur, vnigenitus filius natura ſanctus ſit.] Et rurſus idem: [Proprius eſt filij ſpiritus ſanctus, inquit, nõ ſolùm inquantùm verbũ eſt ex patre manifeſtatũ, ſed etiã inquantùm intelligitur homo ſecundum nos factus.] Quòd ſi in his, MANIFESTARI, eſſe & æternam ſubſiſtentiam, & generationem filij ſignificat, quare non idem & de ſpiritu ſancto ſignificaret? Quòd autem & nolentes cogeret concedere idem ſignificare, illud eſt, & quòd etiam de ſpiritu, & eius æterna proceſſione hoc idem dicitur, dicente B. Baſilio de ſpiritu ſancto: (Nil aduentitiũ in ſe habet, ſed æternaliter omnia habet tanquàm ſpiritus Dei, & ex eo manifeſtatus:) ita omnis occaſio tollitur malignari cupientibus. Illud etenim, quod prædictus Gregorius Niſſenus in reuelatione Neocæſareenſis Gregorij, qui miraculis coruſcauit, de ſpiritu dicit, quòd per filium manifeſtatus ſit, addens, videlicet hominibus, nil contra nos facit: ſiquidem hoc, quòd per filium manifeſtatus ſit, ſignificat quidem vtrunque etiam quod per filium ſit hominibus notificatus temporaliter, & quòd per filium æternaliter producatur. ſint verò vtraque vera, in proprijs locis accepta. Omitto namque dicere in præſenti, quòd per filium temporaliter hominibus manifeſtari, præſupponit neceſſariò per filium æter-

*ipſum

S. Cyrillus

D. Baſilius

ter procedere: nec per eũ temporaliter manifeſtaretur,
per eum æternaliter procederet. Alter etiam Gregorius,
zianzenus videlicet , qui à Theologia per excellentiam
cologus cognominatus eſt, quærens, cur & ſpiritus non
ninetur filius, & an ei aliquid deficiat, vt filius ſit: non ei
cquam deficere ait, diuinitati namque deficit nil. Manife-
tionis autem vel relationis ad inuicem diuerſitas, diuerſa
uq; eis attribuit nomina. His verbis, MANIFESTATIO-
s verbum, æternam proceſſionem ſignificare probans,
out etiam ex verbis Nyſſeni Gregorij apparuit, & eandem
j & ſpiritus ſancti ab inuicem diſtinctionem tradens, quã
Nyſſenus Gregorius; quemadmodum enim ille, eò quod
e vt vnigenitus ex patre productus eſt, & quod per ipſum
us ſit manifeſtatus, Spiritum à filio diſtinguit ita & Nazi-
zenus tum manifeſtationis, tum relationis adinuicẽ diuer-
ate, diſtinctionem eorum ponit. Quod ille dixit, non vt v-
genitum eſſe productum, hic manifeſtationis diuerſitatem,
c eſt, diuerſum ſubſiſtentiæ modum: Quod verò Nyſſenus
r filium (ait) manifeſtari, Nazianzenus diuerſitatem rela-
nis adinuicem nominauit. Relationem verò adinuicem
ij & ſpiritus ſancti, neſcio an aliam quiſquam reperiat, præ-
r eam, quæ ſecũdum cauſam & cauſatum ſit, ſecundum quã,
ius quidem ad ſpiritum vt cauſa ſe habeat: Spiritus verò e-
onuersò ad filium, vt cauſatum ad cauſam, & ideo diuerſi-
ndè. Aut oſtendat mihi quiſpiam aliam inter filium & ſpi-
tum ſanctum relationem, ſecundum quam alter ad alterum
fertur; Sed profectò nunquàm reperiet. Etenim ſi quis no-
is illam opponet, quod ſpiritus dicatur ſpiritus filij, primò
uidem iſta relatio & ſecundum ipſum Nyſſenum Grego-
um, & alios omnes doctores non conuertitur. Nec enim fi-
us dicitur etiam ſpiritus, nec huic ad filium ſpiritus relatio-
i, aliqua alia filij ad ſpiritum correſpondet relatio, nec eadẽ,
eque diuerſa ſecundum actionem & paſſionem. Deinde
uod dicatur filij ſpiritus, nihil aliud ſignificat, niſi quòd per
lium manifeſtatus ſit, ſecundum Magnum Baſilium, ſiue
uòd per filium procedat ſecundum Maximum, ſiue quod
x filio procedat ſecundum Occidentales doctores. Hæc e-
im quatuor (vt probatum eſt) æquiualent, videlicet filij ſpi-
itum dici, per filium manifeſtari, per filium procedi, & ex fi-
io procedi. Hæc autem relationem adinuicem cauſæ & cau-
ati ſignificant. Quam Nazianzenus Gregorius audacter aſ-
ſeuerat, & diuinitatis perſonarum filij & ſpiritus diſtinctiuam
eſſe, & cauſam, vt diuerſa nomina habeat, & vnus filius, alter
ſpiritus dicatur. Hæc autem & ipſa ratio atteſtatur: Diuina
enim & ſancta Trinitas non magis vnum, quam tria eſt: illud
eſſentia, hoc perſonis ſiue proprietatibus. vniuntur etenim v-
nà cum diſtinctione, & diſtinguuntur vnà cum vnitate, vt B.
Dionyſius ait: Et quia in quibuſcunque pluribus, in quibus
eſt aliquid commune, eſt etiam aliquid diſtinctiuum, in hac
etiam diuinarum perſonarum Trinitate, quæ ſibi in vnitate
eſſentiæ conueniunt, quærendum eſt illud, quod eas diſting-
uit. & cùm id non ſit eſſentia (in hac enim ſummè conueniũt)
in diuinis autem præter eſſentiam, & relationes, atque diuer-
ſum proceſſuum modum, quem Latini originem nominant,
nil aliud intelligere ſit: relinquitur, vt vel origo, vel relatio,
vel vtrunque diuinas perſonas diſtinguat. Cùm vero relatio
& origo & ſi ſecundum modum intelligendi differunt, (ſi-
quidem origo ſignificatur per modum actus, vt generatio:
relatio verò per modum formæ, vt paternitas) re tamen non
differunt, ideo vtroque quidem modo diſtinguuntur diuinæ
perſonæ, priùs tamen & principaliter ſecundum modum in-
telligendi per relationes, per quas etiam conſtituuntur diui-
næ perſonæ: conſequenter autem per diuerſum proceſſuum
modum, ſiue per originem. Non enim generare & genitum
eſſe, quod originis eſt, conſtituit principaliter perſonam: ſed
paternitas & filiatio, ſiue patrem & filium eſſe, quod relationis
eſt. Sed quia relatio & origo idem ſunt re, & relatio conſe-
quitur originem, ideo vtroque quidem modo diſtinguun-
tur diuinæ perſonæ, ſed principaliùs relatione ſiue proprieta-
tibus.

Quare non immeritò Theologi & doctores noſtri filiũ
à ſpiritu diſtinguentes, dupliciter eos diſtinguunt, ab imper-
fectiori modo ad perfectiorem procedentes diſtinctionem:
quæ per diuerſum proceſſuum modum fit, diuerſum mani-
feſtationis modum nominantes: illam verò quæ fit per rela-
tiones, Nyſſenus quidem Gregorius per filium manifeſtari,
Nazianzenus verò diuerſitatem relationum adinuicem ap-
pellans.

Patet ergo, quòd hæc relationum diuerſitas, relationis
diſtinctio eſt, & relatiuè filius ad ſpiritum, & ad filium ſpiri-
tus refertur. Et cùm filius, prout filius, non referatur ad ſpiri-
tum, (non enim dicitur filius ſpiritus) reſtat vt referatur ad
ſpiritum tanquam ſpirans, cùm ſpiritus etiam referatur ad fi-
lium tanquam ſpiritus. Spiritus enim ſpiranti, & paſſiua ſpi-
ratio actiuæ ſpirationi correſpondet. Spiritus verò & ſpiritus
filij, multis in locis ſacræ ſcripturæ dicitur, & ſpiratio eius.
[Hic enim ſpiritus,] ſacer Athanaſius ait, [ſpiratio eſt filij.]
Cùm igitur ad filium ſpiritus, & tanquàm ſpiratio, & tãquam
ſpiritus referatur, filius quoque tamquàm ſpirans referetur
ad ſpiritum. At cùm longum ſit omnes allegare doctores, qui
per filium, ex patre ſpiritum ſpirari dixerunt, ſufficiat vnum
& vltimum in medium adducere, & quidnam de hac ille ſen- S. Ioan. Damaſcenus.
tiat, conſiderare. Ioãnes igitur Damaſcenus de patre loquẽs,
[ipſe quidem eſt (ait) intellectus verbi abyſſus, verbi genitor,
& per verbum manifeſtatiui ſpiritus ſpirator:] Et rurſus: Spi-
ritus verò ſanctus, manifeſtatiua occultæ diuinitatis potentia
patris, ex patre per filium procedens eſt. Certè ſuperuaca-
neum eſt, velle, quæ apertè dicta ſunt, declarare. Procedens
enim eſt, (inquit) quod palàm ipſum eſſe & ſubſiſtentiam ſpi-
ritus ſignificat, magis quàm aliquod aliud nomen, præſertim
ſecundum noſtros, qui hoc nomen ſolum ſubſiſtentiæ ſpiri-
tus appropriant. Cùm igitur per filium eum procedere dicat,
per filium eum ſubſiſtentiam habere ſignificat: & per hoc ex-
cludit Theodoriti errorem, negantis per filium ſubſiſtere
ſpiritum ſanctum, ita vt nullum nobis inde relinquatur ſubſi-
dium, ſi Theodorito hæc coram generali Epheſino Concilio
dicente, ſacrum Concilium tacuerit, qui putamus pro nobis
hoc facere, quaſi Concilium tacendo verbis Theodoriti con- Theodoritus aliquando male ſenſit de ſpiritu ſancto.
ſenſerit. Nam cùm Theodoritus vtrunque negaſſet, nec ex fi-
lio, nec per filium ſubſiſtere ſpiritum ſanctum aſſerens, ex di-
ctis tamen horum ſanctorum, & ſi non ambo, alterum ſaltẽ,
videlicet quod per filium ſubſiſtat, palam probatum eſt, cum
omnes doctores, & non minùs, qui poſt Theodoritum fue-
runt, ex patre per filium procedere ſpiritum ſanctum, clara
voce prædicerent. Tum Ioannes Damaſcenus & Maximus,
viri vti doctiſſimi, ita etiam ſanctiſſimi, tota item generalis
ſeptima ſynodus per S. Tharaſium patriarcham Conſtanti-
nopolitanum, credere dicentem in ſpiritum ſanctum, qui ex
patre per filium procedit, Deus quoque ipſe eſſe cognoſcitur.
Alij verò ex Deo per filium eſſe, videlicet ſpiritum ex Deo
per verbum, & ex patre per filium procedere, quæ omnia i-
dem atque ſpirari ſignificant, & eſſe, & ſubſiſtentiam habere.
Ex quibus patet, quod Theodoritus errat, quo ad alteram par-
tem ad minus, eam videlicet, qua negat ſpiritum ſubſiſtere
per filium. Patres tamen Cõcilij tacuerunt, eo etiam hanc par-
tem negante, ita vt eorum ſilentium non debeat nobis teſti-
monio eſſe, quod nec ex filio, nec per filium ſpiritus habeat
ſubſiſtentiam. Quòd enim per filium ſubſiſtat, teſtantur, qui
eum per filium procedere dixerunt. Siquidem procedere, et-
iam ſecundum noſtros, ipſum ſubſiſtere ſignificat. Cùm tamẽ
longo poſt Theodoritum tempore fuerint, & audiuerint
quidem eum hæc dicẽtem, ſciuerint autem ſacram ſynodum
ad hæc tacuiſſe, attamen non iudicarunt eum eſſe ſequen-
dum. Theodorito enim & quod ex filio, & quòd per filium
ſubſiſtat ſpiritus, negante, beatus Ioannes Damaſcenus, quòd
ex filio, ipſe quoque negat: qua verò ratione, paulò poſt ex-
plicabimus. Quòd autem per filium procedat, id eſt, ſubſiſtat
hoc vt verum ponit. Quòd ſi quis illud nobis opponat, Solus
pater eſt cauſa, Ioanne Damaſceno authore: item quod Ma-
ximus in epiſt. ad Marinum de Romanis ait, quod ſcilicet nõ
ponant filium cauſam ſpiritus eſſe, quæ ad hæc Latini dicunt,
ego non dicam, quod ſcilicet nec illud Damaſceni omnib. in
eius libris inueniatur, quodque epiſtola Maximi non eſt eius,
cùm nec vbiq;, nec in antiquioribus codicibus, nec inter ope-
ra eius inueniatur, quodq; nonnulli noſtrorum etiam eã non
eſſe ſuam putant: hæc (inquam) non dicam, ſed concedam hęc
illorum eſſe doctorum & verba & ſententias. Dixiſſe tamen
eos hæc ego dicam, ne quis principalem cauſam ſpiritus putet
filium, quaſi non à patre cœperit, vt per eum ſpiritus ſanctus
procedat. Communis enim linguæ Græcorum vſus, cum per

præpo-

præpoſitionem Ex, principalem ſignificat cauſam, & Damaſcenum coegit, non ex filio, ſed per filium dicere procedere ſpiritum ſanctum: & Maximum, quod à Romanis dicitur ex filio procedere, idem ſignificare ſentire, acſi dicerent, per filium procedere. Quanquam enim (ait) ex filio ſpiritum ſanctũ prodire Romani aſſerant, præpoſitio autem Ex, principalem ſignificet cauſam, non tamen ideo quia dicunt vt talem cauſã ſignificent filium eſſe. Damaſcenus etiam, Ex filio quidẽ ſpiritus (inquit) minimè eſt, per filium autem conceditur. Solus nanq; pater eſt cauſa talis, videlicet qualem ipſa Ex, ſignificat. Quare talem quidem cauſam negant filium eſſe: præpoſitionem autem Pᴇʀ, attribuunt filio, per quam ſimul eum cum patre cauſam ſiue principium ſpiritus ſancti eſſe*ſignificatur. Quia enim (inquit Maximus) per eum prodit ſpiritus ſanctus (id eſt, vt alibi dicit idem Doctor, quia per eũ procedit) ideò à Romanis ex filio prodire dicitur: & Damaſcenus, Ex patre per filium procedit, quæ omnia apertè filium etiam ſignificãt cauſam ſiue principium eſſe, & tale principium, qualis eſt pater, cùm nil imperfectum apud filium ſit, quanquàm nõ principalem, nec propriam: ob hoc enim cauẽtes, negant filiũ cauſam eſſe. Et quia omnia, quæcunq; filius habet, à patrę habet, & ad eum omnia referuntur: quemadmodum & ſanctus Baſil. in octauo ad Amphilochium capitulo ait, ideo inquit Dominus ad patrem: Mea [omnia tua ſunt, quia] ad eum principium creaturarum refertur. Et Nazianzenus in ſermone ad Ægyptios: [Deus, inquit, tribus in maximis conſiſtit: cauſa, creatore, & perficiente: patre videlicet filio, & ſpiritu ſancto.] Hæc autem dicebat, non quia omnino negabat, filium & ſpiritum ſanctum eſſe principium ſiue cauſam creaturarũ, (hoc enim impium eſt dicere) ſed quia patrem ſolum ſimpliciter & principaliter cauſam eſſe ſciebat, & ab eo filium & ſpiritum ſanctum habere, quicquid habent. Quæ ergo reſponſio ſuffeciſſet contra quoſcunque, qui ex his verbis doctoris, non filium, nec ſpiritum, ſed patrem ponentis cauſam creaturarum, malignè arguere volentes, totaliter negarent filium & ſpiritũ ſanctum cauſam eſſe creaturarum: ipſa eadẽ illis ſufficiet, qui filium non eſſe cauſam ſpiritus ponunt. Eadem enim ratione & Damaſcenus, cùm diceret ſpiritum nõ eſſe ex filio, addidit: Solus enim pater cauſa eſt. Et Maximus dicens de Romanis, quòd ex filio aſſererent ſpiritum prodire: Non tamen eum cauſam ponunt, ait, cùm ſcirent quidem qualem cauſam ſignificet Ex: talem autem filium eſſe, minimè concederent: quippe qui omnia, quæ habet, à patre accipit, qui ſolus prima & principalis cauſa eſt, qualem ipſa Ex ſignificat, cùm ipſe quidem à ſeipſo omnia habeat, filius verò à patre. Et ideo non prima nec principalis cauſa eſt, eſt tamen cauſa, ſiue principium ſpiritus vnum & idem cum patre, nec quiſquam hoc omnino negare poterit, per eum, audiens doctores dicentes, ſpiritum ſanctum procedere. Si enim per filium procedere, prodire, & eſſe, ipſi quoque aduerſarij, non valentes apertè veritati contradicere, concedunt idem ſignificare, ac ſi diceretur per filium habere ſubſiſtentiam: hoc aũt dicentes doctores, nec manifeſtationem ſpiritus ad hunc ſenſibilem mũdum ſignificant, nec de gratijs & donis ſpiritus, ſed de ipſa hypoſtaſi ſpiritus & eius æterna manatione & exiſtentia loquuntur: nec iſta præpoſitio Pᴇʀ, idem quod præpoſitio Cᴠᴍ (vt probauimus) ſignificat, ad quæ refugere ſolent aduerſarij: quid aliud relinquitur, niſi vt Pᴇʀ, ſignificet cauſam ſiue principium? Cùm enim per filium dicant doctores ſpiritum ſanctum eſſe, & exiſtẽtiam habere, cumq; ipſa Pᴇʀ, non poſſit ꝓ Cᴠᴍ intelligi: ſuam vim exprimit vtiq;, & cauſam ſemper ſignificat, cùm iam probatum ſit, cauſam ſemper ſignificare, in quibus accipitur. Quòd autem ipſa Pᴇʀ, nullũ trium prædictorum hic ſignificat, & ex epiſtola Maximi ad Marinum prædicta, & ex ipſo Damaſceno palam probatur, qui ipſam Ex, mutant in Pᴇʀ, & de ipſa perſona ſpiritus & eius æterna exiſtentia loquuntur. Quantum igitur conueniunt Ex & Cᴠᴍ, tantum Pᴇʀ & Cᴠᴍ, conuenire poſſunt, quod & per Theodoritum maximè probatur. Cùm enim ille diceret, ſpiritum non habere exiſtentiam per filium, cum filione intelligebat? Ergo palam mentiebatur, nec decet nos niti Cõcilij ſilentio. Etenim ſpiritus cum filio ſimul eſt, & ex patre ſimul emanant. An æquiuocam hanc dictionem Pᴇʀ, ille putans, vt aliquando idem quod Cᴠᴍ, aliquãdo ſe* ipſam Pᴇʀ ſignificaret, per filium negat ſpiritum eſſe? At oportuiſſet vel ipſum, vel Concilium hanc æquiuocationem diſtinguere, & diſtinguere, & docere, de quo ſignificato diceret, prout omnes ſolent doctores: ſed nec idem Pᴇʀ, cum filio, ille putabat poſſe intelligi, cùm diceretur, per filium negãs ſpiritum habere exiſtentiam, cauſam ſignificare, hanc præpoſitionem putabat. Palam itaque his omnibus patet, ſe*ipſam in productis *ipſum. auctoritatibus Pᴇʀ, ſignificare, & quod ſuum eſt, per ſe cauſamq; manifeſtè ſignificare, & hanc Theodoritũ negare, hãc cæteros ſanctos doctores audacter profiteri. Sed ne rurſus ad illa conſueta refugia te recipias, ideo dicens per filium prodire ſpiritum, dictum fuiſſe, vt coniunctio, connexio, & identitas ſubſtantiæ eorum ſignificetur. Primò nãq; hic prodire, ꝓ procedere capitur. Ipſe enim idem Maximus, qui in epiſtola ad Marinum, Pʀᴏᴅɪʀᴇ ait: in expoſitione ad Zachariam, Pʀᴏᴄᴇᴅᴇʀᴇ inquit. idẽ Damaſcenus, idẽ ſeptima ſynodus ait: ꝓcedere verò, ſubſiſtentiã habere ſignificat: & per filiũ ꝓcedere, per filiũ ſubſiſtẽtiã habere proculdubio ſignificat. hoc aũt eſſe non poterit, niſi & filius ſubſiſtentię ſpiritus principium ſit. Deinde non quia nos dicimus ſpiritum prodire per filium, ideo aut eſt, aut manifeſtatur ſubſtantiæ identitas, (non enim per nos, neque per noſtrum dicendi modum, diuina eſſentia diuinis vnitur, aut identificatur perſonis) ſed quia eſt eſſentiæ identitas, ideo prodire dicitur, & prodit per filium ſpiritus. Hoc autem Latini etiam dicunt. Quia enim eadem eſt eſſentia patri & filio, aiunt: & omnia patris filius etiam habet, præterquam quod non ſit pater: ideo etiam hoc eum habere aſſeuerant, quod ex eo, vel per eum ſpiritus procedat. Hoc idem quoq; B. Cyrillus in quinto ad Hermiam probat, dicens S. Cyril. [Cuiuſnam proprium eſſe ſpiritum dicemus? Verũ ſolius Dei & patris? an etiam filij an & diſiunctim, vniuſq; & ſimul amborum, tanquãm vnum ex patre per filium propter identitatem eſſentiæ?] Ad quæ reſpõdet Hermias: [Ita mihi videtur.] At doctor ad eum: [Rectè quidem. Propter identitatem eſſentiæ (inquit) patris & filij, amborum ſpiritus eſt, & ex patre procedit per filium.] Quod quid aliud vult, niſi quòd propter identitatem eſſentiæ filij & patris, & per filium ſpiritus procedit, & eius ſpiritus eſt, quemadmodum & patris? Hoc autem Latini etiam concedunt. Præterea identitas eſſentiæ patris cum filio & ſpiritu, ac filij cum patre, & ſpiritu, tum pręcipuè probatur, cùm ad inuicem vt principium, & id quod à principio, ſe habeat. Inquantum enim tales, & maximè inuicẽ communicarent, & maximè ad inuicem diſtinguerentur. Qui modus cùm intelligi ſimul poſſit, meritò in diuinis omnibus alijs diſtinguendi vel vniendi modis præponitur. Quemadmodum enim in illis rebus diuinis, & vna cum vnitate diſtinctio, & cum diſtinctione ſumma vnitas eſt: ita neceſſe eſt, nos etiam talem vnionis modum illic intelligere, qui non minus etiam diſtinctionem, & quæ vnionem in ſe habeat: talis verò ſola principij, & eius quod à principio, relatio eſt. Quare ſi quos audiamus doctores dicentes, propter conſubſtantialitatem dictum fuiſſe, per filium ſpiritum procedere: propter principij, & eius quod à principio, relationem eos dixiſſe putemus, per filium dici procedere Spiritum ſanctum, & ob nullam aliam rationem, cùm iſtam conſubſtantialitatem potiſſimum principij, & eius quod à principio, relatio probet. Cuius vnà cum alijs Magnus quoque Baſilius teſtis eſt, in epiſtola S. Baſil. ad Canonicas hæc dicẽs. [Cum enim pater lumen ſine principio eſt, filius quoque lumen, ſed natum, lumen tamen vterque: meritò conſubſtantialem eum dicent, vt naturæ identitatem ſignificent. Non enim, quæ germana ſunt, conſubſtantialia dicuntur, vt quidem putãt: ſed cum cauſa, & quod à cauſa ſubſiſtentiam habet, eiuſdem naturæ ſint, tunc conſubſtantialia dicuntur.] Rurſus idem in ſermone contra Sabellium & Arianos, de patre dicens & filio: [Non enim eos (inquit) germanos dicimus, ſed patrem profitemur & filium: identitas autem eſſentię in eis eſt, quia filius ex patre.] Si igitur propter conſubſtantialitatem dictus eſt per filium ſpiritus, cauſa verò & cauſatum, cũm eiuſdem naturæ ſint, conſubſtantialia ſunt, vt ait Baſilius: manifeſtè patet, propter relationem cauſæ & cauſati, ſiue principij & eius quod à principio eſt, per filium procedere ſpiritum dictum fuiſſe.

AVTHORITATES DOCTORVM, IN quibus Spiritus ſanctus ex filio, & ex ambobus dicitur eſſe, prodire, & profluere: quodque non gratia ſpiritus non ſubſiſtens, ſed ipſa perſona ſpiritus dicitur prodire, profluere, emanare &c. à filio.

Cap. VII.

Sed iam per ipſa ſola manifeſtiſſimè probatum eſt, Orientales doctores, filium principium ſpiritus eſſe, palam profiteri. Probandum autẽ, nonnullos eorum præpoſitione quoque Ex, non minus vſos fuiſſe de filio in ſubſiſtentia ſpiritus. Illos itaque, quorum teſtimonia calumniam patiuntur, tanquam non eorum, vel non ita per eos edita, ſanctum videlicet Athanaſium, Baſilium, Gregorium Nyſſenum, omittendos duxi, nec illorum authoritatibus vtendum, qui pleriſque in locis ipſam Per, probant æquiualere ipſi Ex, in Theologia: hi verò quaſi omnes aut maior pars ſanctorum doctorũ eſt. Cyrillum autem duntaxat & Epiphanium producendum duxi, qui cæteris apertius & magis vbique operum ſuorum, præpoſitione Ex, vſi ſunt: quorum quanta qualiſque authoritas in Eccleſia Dei ſit, certaminaque eorum contra infideles & hæreſes, nemo eſt quem lateat. Producam verò non omnia eorum teſtimonia, (nec enim facile eſt) ſed aliqua pauca, fugiens verborum prolixitatem. Beatus itaque Cyrillus in expoſitione prophetæ Iohelis, ſupra illam authoritatem, Effundã à ſpiritu meo, ſic ait. [Inquantum etenim Deus ex Deo ſecundum naturam filius eſt, cùm natus ſit ex Deo & patre, proprius eius & in eo & ex eo ſpiritus eſt, quemadmodum & de ipſo Deo & patre intelligitur:] & ex eo eſt, inquit, & ita ex eo, quemadmodum de ipſo Deo & patre intelligitur, omne dubium quærentibus cauſam tollens. Idem rurſus in ſermone ad Theodoſium Imperatorem: [Baptizantem, inquit, Ieſum in Igne & Spiritu ſancto, non alienum baptizãtis effudiſſe ſpiritum ſeruiliter, & inſtrumentaliter, ſed tanquam Deum ſecundum naturam cum authoritate ſumma, qui ex eo & proprius eius eſt.] Et iterum in Theſauris: [Legem igitur cum ferat CHRISTVS, ita condit eam, tanquam in eo & ex eo ſit ſpiritus eius.] Et rurſus: [Nullam igitur naturæ differentiam Filij & Spiritus ſancti Paulus nouit, ſed tanquam ex eo & in eo naturaliter ſit, Dominico nomine eum vocat.] Et animaduerte, quod ideo dicit Paulum appellaſſe ſpiritum Dominum, quod filij nomẽ eſt, quia ex filio eſt. Cauſarum enim nomina, cauſatis ſolemus imponere. Item in expoſitione noni anathematiſmi. [Homo factus, inquit, vnigenitus Dei filius, non minus permanſit Deus, omnia habens quæcunque & pater, præterquàm quòd non ſit pater, & proprium habens, qui ex eo, & in eo inſitus eſt Spiritus ſanctus.] Quod ſi quis rurſus opponat, quæ à Theodorito in hunc anathematiſmum dicta ſunt, primò quidem ſciat, quæcunque Theodoritus cõtra Cyrillum ſcripſit, omnia reprobata, & anathemati tradita ab omnibus ſequentibus ſanctis Concilijs fuiſſe, ita vt non deceat ex maledictis & iam reprobatis arguere. Deinde ſatis iam de hoc per nos dictum eſt, quando etſi non in vtroque, in altero tamen eum mentitum fuiſſe probauimus, cùm ipſe quidem, quod per filium ſpiritus habeat ſubſiſtentiam, negaret: nos autem teſtimonijs doctorum probauerimus verum eſſe, ita vt nõ debeamus ſilentio ſacri Concilij niti, & inde arguere, quòd Theodoritus ſcripſiſſet Spiritum ſanctum nec ex filio, nec per filium ſubſiſtentiam habere, & Concilium his auditis tacuerit, nec eum redarguerit, ideo tacuit, quia eum vera dixiſſe ſciebat. Ecce etenim probatum quidem eſt, Spiritum ſanctum per filium ſubſiſtentiam habere. Synodus verò non ſolùm de altero, videlicet quòd non ex filio habeat ſubſiſtentiam, tacuit, ſed etiam de altera parte, hoc eſt, quòd nec per filium procedat, quod tamen palam falſum eſt. Quemadmodum enim hoc ſilentio præterierit, cùm tamen falſum ſit, ita etiam reliquum, videlicet quod nec ex filio ſubſiſtentiam habeat, cum ipſum quoque falſum ſit. Hæc igitur & in ſuperioribus diximus, & nunc illius noni anathematiſmi, contra quẽ Theodoritus ſcribens illa dixit, ipſius Cyrilli expoſitionem induximus, ſe ipſum & ſuam mentem exponentis, & contra maledicta Theodoriti replicantis. Non decet igitur, omiſſo illo, alium quærere verborum Cyrilli expoſitorem, & præſertim acerrimum eius hoſtem. Quare autem Cyrillus ſpiritum dixerat proprium filij, in nono anathematiſmo, quod Theodoritus carpſit, ipſe exponens, quia dicit, [ex eo eſt,] conueniens in hoc Occidentalibus patribus. Et illi enim ſpiritum dicunt filij, & propriũ filij, tanquam ex eo procedentem. Præterea ex reſponſione Cyrilli ad Theodoritum, idem probare poſſumus, ſi quis ſine contentione audiat. [Procedit quidem (inquit) Spiritus ſanctus ex Deo patre ſecundum verba ſaluatoris, non tamen eſt alienus à filio: omnia nanque cum patre habet.] Et hoc ipſemet docuit, dicens de Spiritu ſancto: [Omnia quæcunque habet pater, mea ſunt: ideo dixi vobis, Ex meo accipiet, & annunciabit vobis. Nam etſi à patre (inquit) procedere Spiritum ſanctum ſaluator dixit, non minus tamen eſt etiam filij. Eſt autem filij, quemadmodùm & patris.] Superius nanque dixit: [Erat nanque & eſt ſpiritus eius, ſicuti & patris: & non magis patris, minus filij, ſed ſimiliter amborum.] Hoc verò nil aliud eſt, niſi quemadmodum eſt ſpiritus patris, tanquam ex eo procedens, ita ſcilicet etiam filij eſt, tanquam ex eo & per eum procedens.

Ioan. 16.

Et hoc ſignificat cùm in teſtimonium huius rei accipiat, quòd filius omnia habeat quæ & pater, & addat, quòd de hoc ſpiritu dixerat DOMINVS. Poſtremò idem probat per illam authoritatem, quòd ex eo, id eſt, filio accipiat ſpiritus. Hoc enim & ſanctus Epiphanius, (vt paulò poſt oſtendetur) pro eo quod ex eo procedat, accipit. Ipſe quoque beatus Cyrillus in expoſitione ſuper Ioannem, ipſam authoritatem exponens, ſic inquit. [Accipere enim ſpiritum dicimus ex patre & filio ea, quæ illorum ſunt, non tanquam aliquando quidem non habentem inſitam in eis ſapientiam & potentiam. Cùm autem intelligatur habere, tunc vix habentem, ſemper etenim ſapiens & potens eſt Spiritus: immò verò ipſa ſapientia & potentia eſt, non participatione, ſed naturaliter.] Si igitur id quod ſpiritus ex filio accipit, ſapientia & potentia eſt, hæc verò nõ aliquando quidem habet, aliquando verò non, ſemper nanque talis eſt, natura, non participatione, ſemperque à filio ea accipit, quæ cũ non habeat participatione, natura eius ſunt: quod hinc colligitur, quis ignorat? Et meritò hæc beatus dicit Cyrillus, qui in pleriſque alijs locis manifeſtè ex filio, ſicuti ex patre, procedere dicit Spiritum ſanctum. In epiſtola nanque ad Neſtorium: [Et ſi eſt, inquit, ſpiritus in propria hypoſtaſi, prout ſpiritus eſt, non filius, non eſt tamen ab eo alienus, profluit autem ex eo, ſicuti & ex Deo & patre.] Ne quis autem hoc verbum PROFLVERE, de ſecunda & temporali proceſſione putet hic fuiſſe dictum: primò quidem ſciat, quod non eſt hic ſermo de diſtributione donorum & chariſmatum ſpiritus, ſed de ipſa eius hypoſtaſi: Deinde hoc PROFLVERE, ſemper reperies apud hunc doctorem pro PROCEDERE, accipi. Etenim tum in expoſitione ſymboli, [profluit quidem, inquit, hoc eſt, procedit:] tum in ſexto ad Hermiam, & ſpiritum quidem veritatis eum nominat, profluere autem ex ipſo aſſerit patre: tum etiam pleriſque alijs in locis idem dicit. Illud quoque quod dicit, [ſicuti ex Deo & patre,] non ſuperfluit. Nil enim ille ſupernacaneum, ſed omnia cum magno pondere dicit, & ita vult, ſpiritum eſſe filij, prout eſt patris: & ita profluere, prodire, & emanare à filio, prout à patre, & nullo modo aliter. Ideo in ſermone ad Theodoſium Imperatorem, de hoc loquens, & volens probare ita eſſe filij ſpiritum, prout patris: & ita ex filio nobis emanare eum, prout ex patre: [Non ex menſura (inquit ſecundum Ioannem) dat ſpiritum filius, ſed ipſe eum ex ſeipſo emittit, quemadmodum & ipſe pater. Quare beatus Paulus, omni in hoc differentia poſtpoſita, nũc quidem Deo & patri illum attribuit, nunc rurſus filio.] Infert deinde Pauli verba, quibus æquè filij eſſe ſpiritus, ſicuti & patris, probatur. Nulla enim differentia eſt, filij ſpiritum; vel patris dici. omnem enim in hoc differentiam Paulus poſtponit. At patris dicitur ſpiritus, tanquam ex eo procedens: ergo eodem modo filij quoque dicitur ſpiritus. Præterea in ſuperioribus ſatis diſſeruimus, quomodo dicitur ſpiritus filij ſecundum Doctores; ſecundum enim Baſilium, tanquam per filium manifeſtatus: ſecundum Maximum, tanquam ex fi-

S. Cyril.

Ioan. 3.

Rom. 8.
1. Cor. 3.
Gal. 4.
Phil. 1.

lio procedens:ſecundum patres Occidentales, tanquam ex filio procedens. Nec igitur Cyrillus alia ratione dixiſſet, ſpiritum filij eſſe & filij proprium, quam alij idem cum eo ſapientes doctores dixerũt, tanquam ex filio ſcilicet, ſiue ꝑ filium, procedentem. Nil enim intereſt, EX FILIO, vel PER FILIVM dicere. Etenim ipſe quoque nunc ponit EX, nunc eam mutat in PER, tanquam ambæ verè dici poſſint. Vnde in eis, quæ ad Palladium in forma dialogi ſcribit: [Mutabilis verò minimè, inquit, eſt Spiritus. Nam ſi mutabilitati ſubiaceret, ipſi diuinæ naturæ iſte defectus aſſcriberetur. Siquidem Dei & patris, necnon & filij eſt, qui eſſentialiter ex vtroque, ſcilicet ex patre per filium, profluit ſpiritus.] Item in quinto ad Hermiam, reddens cauſam, cur ſpiritus, filij dicatũ ſpiritus. Cuiuſnam, inquit, proprium dicimus eſſe Spiritum ſanctum? Vtrum ſolius Dei & patris? An etiam filij? An & diſiunctim vtriuſque & ſimul amborum, tanquam vnum ex patre per filium propter identitatem eſſentiæ?] Proprium itaque filij ipſe quoque ſpiritum dicit, quia per filium eſt. Per filium autem eſt propter identitatem eſſentiæ, patris videlicet & filij. At propter eandem ipſam, omnia etiam patris ſunt filij, præterquam quòd non ſit pater. Ita ſibi ipſi per omnia conſona dicit ſanctus hic doctor. Vnum etenim & eundem ſpiritum ex patre per filium eſſe, vna & eadem ſpiratione ſiue proceſſione: & ideo illum eorum proprium ait eſſe, quia ex patre per filium eſt, hoc autem propter identitatem eſſentiæ. Vt autem clarius omnis eorum arguatur calumnia, qui contra ſanam doctoris ſententiam, autumant eum ex filio dixiſſe dona ſpiritus mitti, non ipſam eius hypoſtaſim ſiue perſonam, ipſe rurſus adſit, hanc falſam eorum arguens opinionem, & ſeipſum exponens, quidnam ſit, quod ait, per filium ſiue ex filio profluere, prodire, emanare, ſcaturire: & ſimpliciter quod in ſanctificationem in hunc mundum ab eo mittitur. Ait etenim in ſeptimo ad Hermiam.

Idem.

[Inhabitantem enim ſibi & inſitum quis haberet eum, qui natura & vere DEVS eſt, (de filio dicens) cum ſpiritum accipiat, qui non alienus & eſſentia diſiunctus ab eo eſt, ſed qui ex eo, & in eo, & eius proprius eſt, & æquè atque ille. DOMINVS eſt?] Et poſt pauca: [Mitit autem nobis è cælo paracletum, per quem & in quo nobiſcum eſt, & in nobis inhabitat: non alienum in nobis affluens, ſed qui eſſentiæ ſuæ & patris ſui proprius eſt ſpiritus.] Quod autem hæc de ſubſtantia ſpiritus, non chariſmatibus non ſubſiſtentibus, ait, omnibus patet. Idem rurſus in eodem: [Qui verò nobis diuinam inſculpſit imaginem, & ſimilitudinem cuiuſdam ſigilli, ſupremam nobis pulchritudinem imponit, nonne ſpiritus eſt? (Ita inquit Hermias:)

Idem.

Non tamen vt Deus, verum vt diuinæ gratiæ miniſter.] Et Cyrillus: [Non igitur ipſe ſpiritus nobis, ſed eius per eum gratia nobis imprimitur.] Hermias: [Ita videtur.] Cyrillus: [Ergo neceſſarium eſſet, imaginem gratiæ, non Dei, vocatum fuiſſe hominem.]

Idem.

Poſt hæc conſequenter per omnia probans, quod hypoſtaſis ſiue perſona ſpiritus, ipſe ſcilicet vnus in Trinitate, Deus erat, qui diuinam nobis in prima hominis plaſmatione impreſſit imaginem, non gratia non ſubſiſtens: ſecundam item plaſmatis reparationem, per ſalutarem diſcipulis inſufflationem factam, per eundem Spiritum ſanctum factam fuiſſe ponit. Dicebat etenim: Quo, anteaquam eſſet, modo factus fuerit homo, per ſanctum videlicet ſpiritum hypoſtaticum Deum, eodem rurſus, deperdita ſanctificatione, eum reparari. [Si enim (inquit) gratia ſpiritus ab eius ſubſtantia diſiuncta eſſet, cur beatus quidem Moſes, homine ad eſſe producto, non dixerat: Sufflauit creator omnium gratiam per ſpiritum vitæ?

Gen. 2. Ioan. 20. f * miniſterium.

CHRISTVS verò nobis: Accipite gratiam per * myſterium ſpiritus? Sed illic quidem dictum eſt, ſpiritus vitæ (vita etenim, veræ diuinitatis natura eſt) hic verò per ſaluatorem Spiritus ſanctus, ipſum proculdubio ſpiritum credentium animabus emittentem.] Hæc aperta ſunt rei propoſitæ teſtimonia. Apertius tamen in ſequentibus dirimit illam opinionem, qua quidam putant, non ſubſiſtentem nobis gratiam mitti, & per eam nos ſanctificari. Ait etenim:

Idem.

[Templa veri Dei, necnon dij & vocamur & ſumus. Qua de cauſa quæras ab aduerſarijs: ſi gratiæ participamus nuda & non ſubſiſtente? An non ita ſe veritas habet.

1 Cor. 3. & 6. Pſal. 81.

Templa namque exiſtentis & ſubſiſtentis ſpiritus ſumus.] Sed ex eis quidem, quæ ad Hermiam ſcribit, cum multa ſunt, (quæ qui volet, illinc ſibi eliget) hæc ſola ſufficiant, cũ apertè probent illud, quod nobis propoſitum erat. Ex plurimis aũt, quæ in expoſitione ſuper Ioannem idem doctor elegantiſſimè dixit, illud nos adducemus ſolùm, quod ſuper illã authoritatem dicit, Qui non ex ſanguinibus, &c.

Ioan. 1.

Ait enim: [Si Deus ex Deo ſecundum naturam eſt ſpiritus: quo & per fidẽ in Chriſto participamus, dij nos etiam efficimur, tanquam iã in nobiſipſis habentes Deum, ſecundum illud: Inhabitabo & inambulabo in eis.

2. Cor. 6.

Quo namque modo templa DEI eſſemus niſi ſpiritus natura Deus eſſet?] Sed beatiſ. quidẽ Cyrillus hæc & his ſimilia dicit: audiẽdum aũt ẽt alios, quid de eadem re dicãt. Magnus itaq; Baſilius conſona prædicto doctori dicens, tum ſpiritum homini à principio ſufflatum, tũ à ſaluatore diſcipulis datum, ipſam hypoſtaſim ſpiritus fuiſſe aſſerat contra Eunomium, in capitulo, cui titulus, Quòd ſpiritus diuina natura eſt: [Spiritus nanque, inquiens, viuenti verbo ad creandũ adiunctus, viuens potentia diuina natura, ineffabilis ex ore ineffabili manifeſtata, ineffabiliter per ſufflationem ad hominẽ miſſa, & ſecundum corporalem à Chriſto monſtratam figuram rurſus ab eo per ſufflationem reddita: conuenire namq; decet creationi nouam reparationem. Conuenientiam autem figurauit, ſufflans, qui non eſt alius præter illum, quia à principio ſufflauit, ſed idem, per quem Deus ſufflauit, tunc quidẽ cum anima, nunc verò in animam.] Ita hic quoque doctor ipſum eũdem ſpiritum ait emiſiſſe diſcipulis Ieſum, qui ipſi & patri tanquam creator connumeratus & coniunctus eſt. Hoc autem patet, quod ipſa hypoſtaſis ſpiritus eſt. Igitur ipſa hypoſtaſis ſpiritus & primam plaſmationem hominis per illam diuinam ſufflationem creauit, & diſcipulis poſtea data eſt, & per eos credentibus. Et hæc eſt, quæ à patre per filium, & ex filio profluit & emanat, quemadmodum etiam Nicæna prima ſynodus in quodam loco de ſpiritu dicit, [Quòd procedit quidem à patre, proprius autem filij eſt, & ex eo emanat.] Ipſum enim eundem, qui ex patre procedit, ex filio emanare aiunt ij patres. Et * quod dico, patres, ipſe ſaluator dicta iſtorũ omnium approbans, illum eundem pollicetur ſe diſcipulis miſſurum, qui à patre procedit, & non eſſe alium, qui à patre procedit, alium quem ipſe mittet.

for. * quid dico fratres

[Cum venerit (inquit) paracletus, quem ego mittam vobis, ſpiritus veritatis, qui à patre procedit.]

Ioan. 15.

Hoc enim ipſi quoque Grammatici hoc modo conſtruerent:

Cum venerit ſpiritus, qui à patre procedit, quem ego mittam vobis: vt manifeſtum ſit, ipſum, id eſt, filium miſſurum, quod & à patre procedit. Si igitur perſona ſpiritus à patre procedit, eadem etiam à filio mittitur. Quòd ſi gratiam filius non ſubſiſtentem mittit, à patre etiam non perſona, ſed gratia procedit. Sed hoc cùm ſtultum, tum impium eſt dicere. Cùm enim de vno & eodem ſubiecto, videlicet ſpiritus, duo quędam prædicantur, procedere ſcilicet & mitti, eodem modo accipiendum ſubiectum de vtroque prædicato. Si igitur hypoſtaſim ſpiritus procedere intelligimus, eandem etiam mitti intelligere debemus. aliter enim dicere abſque ratione, nullam probationem adducendo, & procedere quidem, hypoſtaſi ſpiritus attribuere: mitti verò, gratiæ non ſubſiſtenti, hoc riduculum, irrationabile, & voluntarium, & quod nullus concedit. Mittitur igitur ex filio ipſa ſpiritus hypoſtaſis, quæ & à patre procedit, quemadmodum ab ipſis Euangelij verbis, & à doctoribus probatum eſt. Quare ſi mitti, ſi emanare, ſi prodire, ſi profluere, ſi ſcaturire, ſi oriri ſpiritum à filio audiamus, diuinam eius hypoſtaſim intelligere neceſſe eſt: diuinam autem ſpiritus hypoſtaſim ex filio profluere, vel emanare, & reliqua, quonam alio modo poſſibile eſt, niſi filius cauſa ſiue principium ipſius ſubſiſtentiæ ſpiritus ſit? Sed ea, quæ Cyrillus de proceſſione ipſius perſonæ Spiritus ſancti ex patre & filio dicit, hæc & his ſimilia ſunt. Cæterum audiamus ſanctum Epiphanium, in eius angyroto ſermone ita dicentem:

S. Epiph.

[Spiritus ſanctus ex patre & filio, tertius nominatione.] & rurſus: [Vterque habitat in iuſto homine, Chriſtus & ſpiritus eius. Quod ſi Chriſtus ex patre creditur Deus ex Deo, ſpiritus quoque ex ipſo, Vel ex vtroque quemadmodum ait CHRISTVS, qui ex patre procedit, & hic ex meo accipiet.]

Ioan. 16.

Et patet, quod hic doctor non de diſtributione chariſmatum, de diuinis autem perſonis & ſubſiſtentia eorum loquitur. in teſtimonium verò & probationem, quod ſpiritus ex filio quoque procedit, illam authoritatem adducit: Ex meo accipiet, docens, vt cum audia-

mus

nus in Euangelijs Dominum dicentem de ſpiritu, quod ex eo accipiet, ita intelligamus, acſi diceret, ex eo procedere Spiritum ſanctum. Idem in eiſdem: [Sed dicet quiſpiam, Ergo duos filios eſſe dicimus? Et quomodo eſt vnigenitus? At quiſnam es tu, qui contradicis Deo? Si enim filium nominat, qui ex patre eſt, ſpiritum verò ſanctum, qui ex vtroque,] & cætera. Et iterum: [Spiritus ſanctus, ſpiritus veritatis eſt, tertium lumen à patre & filio.] Et rurſus: [Quemadmodum enim nemo nouit patrem niſi filius, nec filium niſi pater: ita dicere audeo, nec ſpiritum niſi pater & filius, à quo procedit, & à quo accipit. (ſed aduerte, quod in ſuperioribus accipere pro procedere poſuit) neque filium & patrem, niſi Spiritus ſanct⁹, qui verè glorificat, qui omnia docet, qui ex patre & filio.] Quid his apertius, quid clarius dici poteſt? Nonne palam iſti doctores filium quoque cauſam ſiue principium Spiritus ponunt? Nonne docent ex eo quoque ipſum procedere? Quid igitur? Claudemusne aures noſtras his authoritatibus, & teſtimonijs ſanctorum tam multis, tam apertis, tam diuinis, tam conſonis inuicem & veritati, & obſtinato corde contra hæc contendemus? At hoc non ſapientum, non bonorum hominum proprium eſt, & eorum, qui diſpenſatores verbi & myſteriorum Chriſti & eſſe, & videri velint.

QVOD ETIAM OCCIDENTALES Doctores idem apertè dicunt, quod Orientales, prout ex eorum authoritatibus nobis per Latinos datis, clarè apparet intuentibus.

Cap. VIII.

EGo quidem paucis, quoad potui, multis omiſſis, quod pollicitus ſum, perfeciſſe puto. Probaui nanque ſufficienter, nullo doctorum Occidentalium vſus, ipſos ſcilicet patres noſtros & doctores Orientales, filium quoque cauſam ſiue principium eſſe ſpiritus, ſenſiſſe, & per omnia inuicem conuenientes & concordes, & partim ex patre per filium, partim ex patre & filio procedere Spiritum ſanctum, & ſapere & docere. Veſtrum autem eſt, vt eis doctoribus, & quidem rectis, Latinis & ſacroſanctæ Romanę Eccleſiæ vniamini, cùm eadem, quæ & patres & doctores noſtri, crediderint. Neque putetis aut ipſos, aut patres eorum noſtros, Occidentales videlicet ſanctos, contraria Orientalibus patribus dixiſſe. Minimè, minimè ita eſt. Et appoſuiſſem vobis authoritates & teſtimonia etiam illorum ad perſuadendum vobis, & eorum cum Orientalibus concordiam probandam, niſi vos omnes ſcirē & ſciuiſſe, & audiuiſſe eas, cum Latini produxerint. Ad hæc cùm oratio noſtra prolixior fuerit, non ſunt alia addenda. Præterea licebit cuique cum voluerit, eas & videre & legere, cùm ſint apud nos à Latinis datæ. Hoc autem ſolum ad veſtrã reducendum memoriam putaui, quòd omnes patres Occidentales, vt Hilarius, Hieronymus, Damaſus, Auguſtinus, Ambroſius, magnus Leo, Gregorius, & cæteri multi, quã clarè, quàm apertè vna mente, vna voce vbique operum ſuorum, non vno aut duobus membris & articulis, ſed pluribus verbis prolixis ſermonibus & probationibus ex patre & filio procedere Spiritum ſanctum affirmant, & ita ex filio, ſicut ex patre, & principium ſpiritus filium eſſe, ſicut ipſe pater, & vnũ & idem eius principium eſſe patrem & filium ſimul, non duo principia: quæ omnia mente voluentes, & Orientalium doctorum dictis comparantes, qui ex patre per filium, & ex patre & filio procedere dicunt Spiritum ſanctum, item ex filio & ex vtroque eſſe, neceſſariò eos concordes inuicem reperiemus, & eadem de eodem ſentientes in omnibus. Et ſuperiores enim rationes, quas de concordia & quidem neceſſaria doctorum adduximus, cogunt nos credere eos conſentientes inuicem & eadē de hac diuina proceſſione Spiritus ſancti ſentientes, quemadmodum etiam de alijs dogmatibus fidei. Et nunc ipſi Orientales per ſeipſos eadem cum Occidentalibus dicere ſatis probati ſunt, vt nemo negare poſſit amplius eorum ſummam concordiam. Atqui etſi nullo modo patres Orientales attribuerent filio, eſſe principium ſpiritus, cum tamen nullibi aliquis neget expreſſe proceſſionem ſpiritus ex filio nemo* eſſe, qui auderet eos dicere Occidentalibus patrib. dixiſſe contraria. *Eſt qui. Nunc verò cum non ſolum non negent, ſed apertiſſimè ēt dicant, per filium & ex filio procedere ſpiritũ, audebimusne dicere, non eos conuenire & concordare cum Occidentalibus? At nemo nos commendabit, immò verò nemo eſt, quin nos audaciæ, temeritatis, ſtultitiæ accuſet. Scire autem hoc etiam debetis, quod aut nullo modo acceptanda ſunt, quæ reperiuntur opera ſanctorum doctorum Occidentalium: aut ſi hæc acceptabimus, vt faciendum eſt, oportet etiam, quæ de hoc articulo dicũt, & acceptare & credere. Tã enim multis in locis operum eorum, immò verò in omnibus ſparſa ſunt: tantaque & talis eſt continuatio & ſequentia præcedentium ad ea quæ ſequuntur, vt non poſſit aliquis de his aliquid ſuſpicari. Si quis enim hanc concluſionem, & rationes eam probantes, ex operibus eorum adimat, nil amplius reſtat, nec ſenſum aliquem reddunt, quæ remanent: ita connexa, ita conglutinata & coniuncta cætera omnia cum hoc dogmate ſunt.

EPILOGATIO ET REPETITIO prædictorum, & ſolutio friuolæ reſponſionis, qua quidam ad authoritates Occidentalium reſpondent. & exhortatio ad vnionem.

Cap. IX.

SEd de dogmate quidem, quæ breuiter dicenda erant, dicta ſunt, nec quicquam vlterius addendum eſt. Rogo autem, poſco, peto, & ſupplex oro vos omnes, patres optimi, ſacer conuentus, animarum paſtores, duces cæcorum, eruditores inſipientium, vt his omnibus cõſideratis, & benè penſatis, illam feratis ſententiam, quæ tantæ rei conuenit, quæque perpetuam vobis famam, gloriam & ſalutem pariat. Repetatis enim memoria primò, quod non erit nobis decæterò excuſatio eadem, quæ prius, cur à talibus fratribus diuidamur, & hoſtes velimus eſſe Latinis tam multis, tam ſapientibus, tam doctis omni virtute præditis, nõ ſolum illa quæ animum ornat, ſed etiam ea quæ ad corpus & temporales res attinet: quodq; quemadmodum ante generale Concilium congregatum facilior noſtra excuſatio erat, ita poſt hoc grauis noſtra excuſatio erit, ſi non habuerimus dicere cauſam tali diuiſione dignam. Deinde non fugiant vos, quæ de neceſſaria doctorum concordia dicta ſunt, nec aliter nos dicere poſſe, dum Chriſtiani eſſe, & principia fidei ſaluare velimus: quodque patres Occidentales apertiſſimè, ex Patre & Filio Spiritum ſanctum procedere, aſſeuerãt, & filium eſſe eius principiũ, prout patet: Oriẽtales quoq; hoc idẽ dicere, partim ex patre per filiũ, partim ex patre & filio, & ex vtroq; procedere, & ex filio eſſe ipſũ dicentes, cũq; hæc dicant, Occidentalib. cõuenire, & eadẽ nõ ſolũ ſententia, verumetiam verbis dicere, tanquã vno & eodẽ ſpiritu eos illuminante locuti. Demum, quam ſolam nobis ad ea quæ Latini dicunt, relictam reſponſionem video, cum ipſi quoque nullam eſſe iudicaueritis, immò verò rem puerilẽ & omninò ridiculam, conſulamus nobiſipſis, quæ vtilia ſunt, & vniri Latinis conemur, ſi ea quæ placita ſunt Deo, facere velimus. Aut .n. non acceptandi ſunt ſancti doctores, nec dictis eorum acquieſcẽdum: aut acceptandi quidẽ, & acquieſcẽdum dictis eorum, non tamẽ omnibus, cùm ipſi quoq; tanquam homines, in quibuſdam errare potuerint: aut quod reliquum & tertium eſt, nec in aliquẽ inciderunt errorẽ, & cũctis eorum verbis acquieſcẽdum. Hæc tum, quæ Latini produxerunt, tanquam illorum ſanctorum teſtimonia, non ex eorum mẽte procedunt, nec eorum ſentẽtiæ ſunt, ſed Latinorum horum fictiones, additiones, & appoſitiones, manu mẽteq; aliena libris ſanctorum inſcripta: At primorum duorum neutrũ certè ſcio, nec vos approbatis, niſi quis omnia fidei noſtræ fundamenta, Eccleſię myſteria, omnẽ veritatẽ euertere veliti: reliquum verò & tertium, manifeſta ſtultitia, apertiſſima ignauia eſt, ſi tot libros, tot eorum opera doctorum, tot eorum labores, tot volumina, præſertim antiquiſſima manu, nonnulla eorum conſcripta, & per totum orbem terrarum ſparſa & multiplicata, per ipſum item ſequentium ad præcedentia cõ-

nexũ & conuenientiã, ipſam veritatẽ luce clariꝰ oſtendentia, temerario auſu corrupta, mutata, & ſuperaddita eſſe dicemus, maximè cum videmus ipſos quoque noſtros etiam antiquiores, & qui in ipſis principijs huius acerrimi diſſidij fuerunt, facientes quidem mentionem authoritatum doctorum Occidentalium, nil tamen contra eas habentes, quod dicerent ratione dignum. Quo fit, vt nullo modo quis eas putare debeat corruptas fuiſſe, ſiquidem in ipſo etiam contentionis principio eodem modo inſcriptum libris erat potiſſimum, cum nec extent apud nos alia eorum doctorum antiqua volumina lingua Latina ſcripta, ad quæ, facta cõparatiõne, poſſemus depræhendere eorum corruptionem. Quæ omnia cum animaduertamus & mente repetamus, non eligamus quæ peiora ſunt, nec contra noſipſos ſententiã feramus, nolimus nec noſipſos, nec nationem noſtram prodere, primò quidem auertẽtes à veritate, & oculos, ne videant lumen, claudentes: deinde ipſimet propria ſponte contra noſipſos omne genus malorũ accumulantes, & multipliciter totam noſtram nationem offendentes. Quis enim ignorat, quæ etiam temporalia mala ex hac diuiſione nos ſecutura ſunt? quę infortunia? quodq́; communem hoſtem & inimicũ nobis Turcarum principem robuſtiorem contra nos ipſos efficiemus? in periculoq́; ſunt, vt omnino ferè pereant, quicunq; ritum noſtrũ ſequuntur Chriſtiani, nomenq́; Chriſti illic totaliter deleatur. Et enumeraſſem, & deploraſſem omnes particularius, quæ futuræ ſunt nationi noſtræ calamitates, quæ cunctis noſtris hominibus, qui in inſulis, qui vbiq; terrarum, qui Orientem, qui Septentrionem, qui Occidentem inhabitant, nobiſcumq́; in ritu conueniunt, non dico ſolum, quæ ad corporalia, reſque temporales attinent, (non enim tanti eſſent extimandæ) verumetiam quę ad animam & integritatem fidei pertinet; cum omnes ſimpliciter, aut maior eorum pars, partim ſpontè, partim vi, periclitentur aberrare à fide, relinquere Deum, & erroribus infidelium cõſentire. Narraſſem hæc (inquam) omnia, niſi vos alloquerer, qui omnia melius me noſtis. Quis enim neſcit, quod ſolum nobis relictum refugium erat Latinorum amicitia & vnio cum eis futura, hac re ſperantibus & noſipſos tueri poſſe, & hoſtes deuincere, quodq́; hoc ſolum hoſtem deterrebat, & eius contra nos furorem refrenabat, qua re ſi nunc priuabimur, quò fugiemꝰ? quinã noſtrę calamitatis finis erit? quis malorum exitus? Et ſi errare quidem Latinos, & à veritate auertere depręhendiſſemus, nec ipſe profecto vobis cõſuluiſſem, eis ita ſe habentibus vniri, temporalium amiſſione deterritos, & maioris præſentia, quam futura, corporũ, quam animarum liberationem facere hortatus fuiſſem: imnò vero & ipſe omnia quæcunque acerba potius ſuſtinuiſſem, & vobis, vt paſſi fuiſſetis, conſuluiſſem, quam cum eis vniri non rectè ſapientibus. Nunc verò timendum eſt, & quidẽ vehementer, ne corporis quoq; exitium vna cum animi interitu etiam eligamus: ſi quidem quæ vera, quæ pia ſunt, & nil erroneum Latinis ſapientibus, quemadmodum patres eorum & noſtri, Occidentales videlicet doctores, ac Orientalibus communibus patrib. eadem & conſentanea dicentibus, nos proprio noſtro malo abſque vlla ratione ab eis diuidi vellemus. Quod enim ipſi Occidentales patres ſequuntur, vos quoq; dicetis. Quod autẽ illi eadẽ cum Orientalibus ſapiant, hac in oratione breuiter & ſufficienter probatum eſt, ita vt omnib. manifeſtum ſit, Latinos omnes tum Occidentales, tum Orientales patres ſequi: communes vtriſq; doctores & patres ſunt. Qua igitur ratione à talibus viris diſſidebimus? Quam excuſationem afferre poterimus, cur eis conuenire nolimus? Quæ nobis relinquetur apud Deum reſponſio, quare à fratribus diuiſi fuerimus, quos vt vniret, & ad vnum ouile redigeret, ipſe deſcendit de cœlis, incarnatus, & crucifixus eſt? Quæ noſtra defenſio erit apud poſteros noſtros? immò vero apud præſentes homines noſtros? Neſcio enim, an aliqua noſtra poſteritas erit de tam magna tam graui calamitate, tot periculis, quæ eis inferimus. Non patiamur hæc, patres optimi. Non habeamus hanc ſententiã, non ita malè nobis ipſis cõſulamus & noſtris. Nolimus lupi pro paſtoribus illis fieri, qui ad nos reſpiciunt: Non eos prodamus hoſtibus, in animarum & corporum ſimul interitum. Ego enim (& ſint mihi hæc verba in perpetuũ teſtimonium toti nationi, cunctiſq; Chriſtianis) nunquam huius ſentẽtiæ ero, nec vnquam prodam corpora, animas, fidẽ, ciuitates, patrum ſepulchra, libertatem, & omnia ſimul, quæ omnia inuenio ſecutura ſchiſma, & noſtram à Latinis abſq; aliqua ratione diuiſionem. Quænam digna cauſa eſt, ob quã tot & tã horrenda eligamus pericula? Oro autem & rogo, vt etiam vos vel oẽs, vel maior pars veſtrũ, eadẽ quæ ego, de his reb. ſentiat, & benè cõmuni vtilitati conſulat. Quod ſi nolueritis, ego quidẽ ſummum Deũ, & vos omnes præſentes, & cũctos poſteros noſtros teſtor, quò ſinè paſſione & fraude, quę vera, quę iuſta, q̃ vtilia, quæ conducentia nobis & noſtræ ſaluti mihi viſa ſunt, à principio vſq; ad hunc diẽ non ceſſaui dicere, non omiſi cõſulere, nec timore deterritus (ne quis me Latinis affectũ putet) tacui, nec propriã ſecuritatẽ cõmuni vtilitati prępoſui: ſed me & mea omnia Deo commendans, & eius diuinæ voluntati ſubijciens, qui totã mihi vitam ab ineunte ætate melius, quã optaſſem, direxit atq; rexit, cõmune bonum mihi, vt finem, propoſui: & ad hoc ſolum reſpiciẽs, & feci & dixi, quæcumq; vel feci vel dixi, ſimul & fidei veritatẽ, quoad potui, & corporalem ſalutem vt noſtri adipiſcantur, conatus. Vos verò, cùm libera ſit vobis voluntas, quodcunq; agẽdum videatur, id agatis. Vincant aũt nutu diuino ẽt apud vos, quæ meliora & ſaniora ſunt. Quod ſi (quod abſit) peior ſententia ſuperabit, hoc tamen omne genus humanum, omnis ætas, omnis ordo atque conditio ſciat (proteſtandum enim rurſus eſt) ꝙ innocens ego ſum ab hoc malo, hoc acerbo ſchiſmate: nec huius vnquã ſententiæ fui, nec ſum, præter omnẽ rationẽ à Latinis diuidi. Nec enim mihi perſuadeo, nõ rectè & verè de fide eos ſapere, & eadem, quæ ſanctos doctores, tũ Orientales, tũ Occidentales, non credere eos. Nec ignoro, quæ hinc nos & noſtram rempub. ſequẽtur pericula, quæ calamitates, quæ excidia. Sed præuidi, prædixi, & ne fiant, quoad potui, prouidi. Quod proficere non potui, non* mei dicentis, ſed audientium culpa eſt.

Beſſarionis excuſatio.

for. *meis.

Beſſarionis eiuſdem declaratio aliquorum, quæ in dicta oratione dogmatica continentur, quæ Græcis notiſſima, Latinis ignota ſunt.

NOtandum primò, quod ſancti doctores Orientales etiam in diuinis vtuntur nomine CAVSAE & CAVSATI, largo modo. Non quidem, vt limitationem & dependentiam importat, ſed prout productionem & emanationem à principio, eius quod eſt à principio, ſignificat: & ideo me etiã ad Græcos loquentem, his nominibus vſum fuiſſe. Cæterum, quia ad quaſdam oppoſitiones Græcorum reſpondeo breuiter, tamen non declaratis primò eorum oppoſitionibus, ſed ad tacitam quæſtionem reſpondens, eo quia ad Græcos loquebar, quibus illa nota erant; ſciendum, quod cùm doctores dicant Spiritum ſanctum ex patre per filium procedere, vel profluere, & cætera ſimilia: & ex hoc appareat, filium quoq; ſpiritus principium eſſe, quod contra eos facit: his quatuor euaſionibus hanc veritatem euadere conantur. Primò nãque, cùm rariſſimè dicant doctores, Spiritum ſanctum ex patre ꝑ filium procedere, ſæpiſſimè vero mitti, profluere, prodire, emare, ſcaturire, oriri, & huiuſmodi: fecerunt ſibi hanc voluntariam diſtinctionem, quòd videlicet verbum PROCEDERE, duntaxat ſignificaret hypoſtaticam & perſonalem Spiritus ſancti emanationem: cætera verò vocabula, chariſmatum & donorum eiuſdem in nos diſtributionem, & temporalem in mundum eius miſſionem, quam etiam per filium fieri concedunt. Secundò dicunt, quòd ideò dicitur ex patre per filium, non quia filius eſt principium Spiritus ſancti, ſed quia pater & filius ſunt nomina relatiua: (alterum verò relatiuorum non poteſt dici, quin intelligatur alterum) ideo dicendo EX PATRE, neceſſe eſt, etiam filium nominare, propter vim ipſius relationis. Tertio, conſubſtantialitatẽ patris & filij cauſam eſſe aiunt, vt ex patre per filium ſpiritus eſſe dicatur. Cum enim eiuſdem ſubſtantiæ ſint pater & filius, neceſſariò, cum dicitur, ex parte: oportet, quod dicatur etiã, ex filio.

Quartò, quia nonnunquam, rariſſimè tamen & apud poetas, quibus ob anguſtiam metri licet metaphoricè & abuſiuè vocabulis vti, præpoſitionem PER, aliquando repererunt idem ſignificare, quod præpoſitio CVM: dicunt, Spiritum ſanctum ideo dici ex patre

per filium

r filium procedere, quia ex patre cum filio ſimul procedit: his modis omnes illas authoritates exponũt, ſiue peruertũt. æc nos ex ipſamet authoritatum ſententia, & rationibus ve-Timis confutauimus, probantes hæc non poſſe conſiſtere, c opinionibus & verbis ſanctorum conuenire, prout ex ip-; verbis clarius videtur. Præterea ſciendum eſt, quod in ter-o œcumenico Concilio ſanctus Cyrillus cõtra Neſtorium, ; eius hæreſim inter alia multa, quæ ſapientiſſimè ſcripſit, uodecim etiam capitula edidit contra hæreticos Neſtorij rticulos, quæ anathematiſmos appellauit, eo quòd in eis er-ores illius anathematizat, quorum in nono contra Neſtorij rrorem, qui blaſphemabat filium Dei purum hominem eſ-:, Spiritus ſancti gratia per participationem ſanctificatum, i-lem ſanctus Cyrillus Spiritum ſanctum, ſpiritum filij & pro-rium filij eſſe dicit. Poſt hæc quidam Theodoritus Cyri Epi-copus, vir quidem literatiſſimus, humanæ tamen fragilitati ubiectus, ſuperueniens in ſynodum ſerò cum Patriarcha An-iocheno Ioanne, cùm reperiſſent iam Neſtorium condem-atum, & pro demeritis ſuis ſede Patriarchali Conſtantino-olitana priuatum, indignati, quòd eis non expectatis conclu-um fuerit, defenſionem Neſtorij ſuſceperunt. Theodoritus gitur, tanquam vir doctiſſimus, contra duodecim anathema-iſmos Cyrilli alia duodecim capitula edidit, quorum in no-no, vbi ſanctus Cyrillus Spiritum ſanctum filij & proprium filij dicit eſſe, his verbis ait: Quòd ſi Cyrillus Spiritum ſanctũ proprium filij dicit, tanquam conſubſtantialem ei, hoc verũ acceptamus: quòd ſi tanquam ex filio, vel per filium eſſe, & exiſtentiam habentem, hoc vt blaſphemiam eijcimus. Adhæc totum œcumenicum Concilium tertium tacuit, nec increpa-uit Theodoritum tanquam malè dicentem. Cyrillus tamen ad ea reſpondit, omniaque ſua capitula alijs duodecim nouis capitulis ita denuò exponit, vt ſententia eius etſi non nimis a-pertis verbis, clare tamen pro nobis eſſe appareat. Hoc maxi-mè Græcos oblectat, in c potiſſimùm confidunt, hoc pro maximo & inſolubili argumento putant, quòd Theodorito negante ſpiritum ex filio, vel per filium, habere eſſe & ſubſiſtentiam, concilium totum tacuerit, nec eum mendacij & erroris redarguerit, Cyrillus quoque non ita apertè (vt pu-tant) reſponderit, cum tamen ſciant Theodoritum propterea condemnatum, & ab Eccleſia multis annis eiectum fuiſſe. Ad hæc igitur tanquam notiſſima Græcis, non ea latius explican-do, vt in oratione videtur, reſpondetur. Sed nemo de Theo-dorito viro doctiſſimo doleat; ſuum enim recognouit erro-rem, & in quarto Chalcedonenſi generali Cõcilio (ſuperuixit nanque ad illud vſque tempus) palàm eum confeſſus, à ſancta ſynodo, tanquam honorabile membrum Eccleſiæ, ſuſceptus & reſtitutus fuit.

DECRETVM EVGENII PAPAE IIII

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob, omnes qui vbique nomine cenſemini Chriſtiano. Eccè enim iterum recordatus Dominus miſericordiæ ſuæ, alium diſſidij lapidem nõgentis & amplius inueteratum annis, de Eccleſia ſua auferre dignatus eſt: & qui facit concordiam in ſublimibus, & per quem in terra pax eſt hominibus bonæ voluntatis, optatiſſimam Armenorum vnionem ſua ineffabili miſeratione conceſſit benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Intuens namque pijſſimus Dominus Eccleſiam ſuam, modo ab his qui foris ſunt, modò ab his qui infra, non paruis agitari turbinibus, vt inter ipſas reſpirare anguſtias, & ad reſiſtendum fortior aſſurgere valeat, multis eam quotidiè modis conſolari & roborare dignatur. Nam & pridem magnam illam Græcorum vnionem, multas longè lateque continentium nationes & linguas, hodiè verò hanc ipſam Armenici populi, qui per Septentrionem & Orientem in magna copia diffuſus eſt, in eodem fidei & charitatis vinculo cum ſede Apoſtolica ſtabiliuit. Hæc profecto tam magna & mira ſunt diuinæ pietatis beneficia, vt non ſolùm pro vtroque, ſed ne quidem, pro altero ſatis dignas ſuæ maieſtati referre gratias poſſit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur, vno eodemque tam breui tempore, duo ſic præclara, & tot ſeculis deſiderata opera, in hoc ſacro Concilio fuiſſe tam feliciter conſummata? verè à Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Pſal. 117.
Quomodo enim hominum prudentia vel induſtria, niſi gratia Dei & cœpiſſet & perfeciſſet, has tantas & tales res explere potuiſſet? Laudemus iugiter & toto corde benedicamus Dominum, qui fecit mirabilia magna ſolus, ipſique pſallamus pſalm. 135.
ſpiritu, pſallamus & mente, oreque & opere, quantum ſinit humana fragilitas. Pro tantiſque muneribus gratias agamus, orantes & obſecrantes, vt quemadmodum ipſi Græci atque Armeni vnum cum Eccleſia Romana effecti ſunt, ita fiant & cæteræ nationes præſertim Chriſti charactere inſignitæ, & totus denique populus Chriſtianus, omnibus odijs belliſque extinctis, mutua inuicem pace & fraterna charitate quieſcat & gaudeat. Ipſos autem Armenos magnis laudum præconijs dignos eſſe, meritò cenſemus. Vt primum enim à nobis ad ſynodum accerſiti ſunt, tanquam Eccleſiaſticæ auidi vnitatis, ſpectabiles, deuotos, & doctos oratores ſuos cum ſufficienti mandato, de ſuſcipiendo videlicet quicquid Spiritus ſanctus hanc ſanctam ſynodum illuſtrauerit, ex remotiſſimis regionibus per multos labores, mariſque pericula ad nos & hoc ſacrum Concilium deſtinarunt: Nos vero tota mente, vt noſtrum paſtorale decebat officium, cupientes tam ſanctum perficere opus, ſæpe cum ipſis oratoribus de hac ſancta vnione contulimus: & ne vel parua * hinc ſanctæ rei dilatio fieret, deputauimus de omni ſtatu huius ſacri Concilij viros, iuris diuini & humani doctiſſimos, qui cum omni cura, ſtudioque & diligentia, rem iſtam cum ipſis pertractarunt oratoribus, ab eis accuratè, inquirentes eorum fidem tam circa diuinæ vnitatem eſſentiæ & diuinarum perſonarum Trinitatem, quã Domini noſtri Ieſu Chriſti humanitatem, & ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, & alia ad fidem Orthodoxam & ritus vniuerſalis Eccleſia pertinentia. Multis itaque adhibitis diſputationibus, collocutionibus, & tractatibus, poſtque non mediocrem teſtimoniorum inſpectionem, quæ ex ſanctis Eccleſiæ patribus & doctoribus deducta ſunt, & earum, de quibus agebatur, rerum diſcuſſionem, tandem expedire iudicauimus, ne vlla in futurum de fidei veritate apud ipſos Armenos hæſitatio eſſe valeat, atque idem per omnia ſapiant cum ſede Apoſtolica, vnioque ipſa ſtabilis & & perpetua ſine vllo ſcrupulo perſeueret, vt ſub quodam breui compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam ſuper præmiſſis Romana profitetur Eccleſia, per hoc decretum, ſacro hoc approbante Florentino Concilio, ipſis oratoribus ad hoc etiam conſentientibus, traderemus.

In primis ergo damus eis ſanctum ſymbolum, à centum quinquaginta Epiſcopis in œcumenico Conſtantinopolitano Concilio editum, cum illa additione, FILIOQVE, ipſi ſymbolo declarandæ veritatis gratia, & vrgente neceſſitate, licitè & rationabiliter appoſita, cuius talis eſt tenor: Credo in vnum DEVM, &c. hoc autem ſanctum ſymbolum, ſicut apud Latinos mos eſt, ita decernimus per omnes Armenorum Eccleſias intra Miſſarum ſolennia, ſingulis ſaltem Dominicis diebus & maioribus feſtiuitatibus, decantari vel legi.

Secundo tradimus eis diffinitionem quarti vniuerſalis Concilij Chalcedonenſis, in quinto poſtea & ſexto vniuerſalibus Concilijs renouatam de duabus naturis in vna Chriſti perſona, cuius tenor talis eſt: Sufficeret quidem ſapiens hoc & ſalutare diuinæ gratiæ ſymbolum ad plenam cognitionem ac confirmationem pietatis. De patre enim & filio & Spiritu ſancto perfectionem docet, & Domini humanationem fideliter accipientibus repræſentat. Sed quoniam hi qui conantur reprobare prædicationem veritatis per proprias hæreſes, nouas voces genuerunt, & hi quidem præſumentes corrumpere myſterium diſpenſationis Domini, quę propter nos facta eſt: alij verò introducentes confuſionem permixtionemque; & ſtultè confingentes vnam eſſe naturam carnis & Deitatis, & portentosè dicentes paſſibilem vnigeniti diuinam naturam: ob hoc volens claudere illis omnem machinationem contra

veritatem, præſens nunc ſancta & magna atque vniuerſalis ſynodus, prædicationem hanc docens ab initio immobilē, decreuit ante omnia fidem trecentorum decem & octo ſanctorum patrum manere irrecuſabilem: & poſteriore tempore propter illos quidem qui pugnant aduerſus Spiritum ſanctum, corroborat doctrinam de ſubſtantia ſpiritus traditam, à patribus centum quinquaginta apud Conſtantinopolim congregatis, quam illi omnibus notam fecerunt: nō quaſi inferentes, quòd aliquid minus eſſet in præcedentibus, ſed eorum intellectum de Spiritu ſancto ſcripturarum teſtimonijs declarantes, aduerſus eos qui dominationē eius reſpuere tentauerunt.

Propter illos autem qui moliuntur corrumpere diſpenſationis myſterium, & impudenter delirant, dicentes purum hominem eſſe illum, qui ex ſancta Maria Virgine natus eſt, ſuſcepit epiſtolas ſynodicas beati Cyrilli quondam pręſulis Eccleſiæ Alexandrinæ ad Neſtorium & ad Orientales, congruas exiſtentes ad conuincendas Neſtorij veſanias, & ad interpretationem eorum qui ſalutaris ſymboli mentem pio zelo noſſe deſiderant. Quibus etiam conſequentiſſimè epiſtolam coaptauit magnæ & ſenioris vrbis Romæ præſulis beatiſſimi ac ſanctiſſimi Leonis Papæ, quæ ſcripta eſt ad ſanctæ memoriæ Archiepiſcopum Flauianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, vtpotè congruentem illius magni Petri confeſſioni, & exiſtentē nobis quandam columnam communem aduerſus praua dogmata, & ad confirmationem rectorum dogmatum. His namque qui in duos filios diſpenſationis diuinæ myſterium diſcerpere nituntur, obſiſtit: & illos qui paſſibilem Deitatem vnigeniti auſi ſunt dicere, à ſacro cœtu expellit: & his qui in duabus naturis Chriſti temperamentum aut confuſionem exquirunt, reſiſtit: & eos qui dicunt, ſerui formam quam ex nobis aſſumpſit, cœleſtem eſſe aut alterius alicuius ſubſtantiæ, vt dementes abigit: & qui duas quidem ante vnitionem naturas Domini fabulantur, vnam verò poſt vnitionem confingunt, anathematizat. Sequentes igitur ſanctos patres, vnum eundemque confiteri filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eundem perfectū in Deitate, eundem perfectum in humanitate, DEVM verè & hominem verè, eundem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem patri ſecundùm Deitatem, & conſubſtantialem nobis eundem ſecundùm humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato, ante ſecula quidem de patre genitum ſecundùm Deitatem, in nouiſſimis autem diebus eundem propter nos & propter ſalutem noſtram ex Maria virgine Dei genitrice ſecundùm humanitatem, vnum eundemque Chriſtum verum filium Dominum vnigenitū in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiuiſè, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublata differentia naturarum propter vnitionem, magiſque ſalua proprietate vtriuſque naturę, & in vnam perſonam atq; ſubſiſtentiam concurrenté, nō in duas perſonas partium ſiue diuiſum, ſed vnū & eundem filium vnigenitum Deum verum Dominum IESVM Chriſtum, ſicut antè Prophetæ de eo, & ipſe nos Ieſus Chriſtus erudiuit, & ſanctorum patrum nobis tradidit ſymbolum.

Tertiò, diffinitionem de duabus voluntatibus, duabuſque Chriſti operationibus in prædicto ſexto Concilio promulgatum, cuius tenor talis eſt: Sufficeret quidem, & reliqua, quæ in ipſa diffinitione Concilij Chalcedonenſ. ſuperiùs enarrata, ſequuntur vſque ad finem, poſt quem ſequitur in hunc modum: Et duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiuiſè, inconuertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſè, ſecundùm ſanctorum patrum doctrinam adæquè prædicamus; & duas naturales voluntates non contrarias, iuxta quod impij aſſeruerunt hæretici, ſed ſequentem humanam eius voluntatem, & non reſiſtentem vel reluctantem, ſed potiùs & ſubiectam diuinæ eius atque omnipotenti voluntati, Oportebat enim carnis voluntatem moueri, ſubijci verò voluntati diuinæ, iuxtà ſapientiſſimū Athanaſium. Sicut enim eius caro, Dei verbi dicitur & eſt; ita & naturalis carnis eius voluntas, propria Dei verbi dicitur & eſt, ſicut ipſe ait: Quia deſcendi de cœlo, non vt faciā voluntatem meam, ſed eius qui miſit me, patris: ſuam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis eius. Nam & caro propria eius facta eſt. quemadmodùm enim ſanctiſſima atque immaculata animata eius caro, deificata eſt, nō eſt perempta, ſed in proprio * ſui ſtatu & ratione permanſit: ita & humana eius voluntas deificata eſt, non eſt perempta: ſaluata eſt autem magis, ſecundùm Deiloquum Gregorium dicentem: Nam velle illius * qui in Saluatore intelligitur, non eſt contrarium Deo: deificatum eſt totum, duas enim naturales operationes indiuiſè, inconuertibiliter, inconfuſè, inſeparabiliter in eodem domino Ieſu Chriſto vero Deo * modò glorificamus, hoc eſt diuinam operationem & humanam operationem ſecundùm diuinorum prædicatorem Leonem apertiſſimè aſſerentem: Agit enim vtraque forma cum alterius communione quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante quod verbi, & carne exequēte quod carnis: nec enim in quoquā vnam dabimus naturalem operationē Dei & creaturæ, vt neque quod creatum eſt, in diuinam educamus eſſentiam: neq; quod eximium eſt diuinæ naturæ, ad cōpetentē creaturis locum deijciamus. Vnius enim & eiuſdem tam miracula, quamq; paſſiones cognoſcimus, ſecundùm aliud & aliud eorum ex quibus eſt naturis, & in quibus habet eſſe, ſicut admirabilis inquit Cyrillus. Vndiq; igitur inconfuſum atque indiuiſum conſeruantes vnum ſanctæ Trinitatis, breui voce cuncta proferimus: & poſt incarnationem, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum eſſe credentes, aſſerimus duas eius eſſe naturas, in vna eius radiante ſubſiſtentia, in qua tam miracula quamq; paſſiones per omnem ſui diſpenſationem conuerſatus; non per phantaſiam, ſed veraciter hæc demonſtrauit, ob naturalem differentiam in eadem vna ſubſiſtentia cognoſcendam, dum vtraque natura cum alterius communione indiuiſè & inconfuſè propria vellet atq; operaretur: iuxtà quam rationem, & duas naturales voluntates & operationes confitemur, ad ſalutem humanam conuenienter in eo concurrentes.

* ſuo
* quod

Quartò, quoniam hactenus ipſi Armeni præter has tres, Nicænam, Conſtantinopolitanam & Epheſinam primam, ſynodos, nullas alias vniuerſales poſteà celebratas, nec ipſum beatiſſimum huius ſanctæ ſedis antiſtitem Leonem, cuius authoritate ipſa Chalcedonenſis ſynodus extitit congregata, ſuſceperunt, aſſerentes eiſdem fuiſſe ſuggeſtum; tam ſynodum ipſam Chalcedonenſ. quàm memoratū Leonem, ſecundùm damnatam Neſtorij hęreſim diffinitionem feciſſe: inſtruximus eos & declarauimus, huiuſmodi falſam fuiſſe ſuggeſtionem, ipſamque ſynodum Chalcedonenſem, & beatiſſimum Leonem ſanctè & rectè veritatem de duabus in vna perſona Chriſti naturis ſuperiùs deſcriptam definiuiſſe, contra impia Neſtorij & Eutychis dogmata: iniunximuſque, vt ipſum beatiſſimum Leonem, qui veræ fidei colūna fuit, & in omni ſanctitate & doctrina refertus, tanquam ſanctum & in Catalogo ſanctorum meritò deſcriptū, de cæterò reputent & venerentur, atque non ſolùm dictas tres ſynodos, ſed & omnes alias vniuerſales auctoritate Romani pontificis legitimè celebratas, ſicut & cęteri fideles reuerenter ſuſcipiant.

Quintò, Eccleſiaſticorum ſacramentorum veritatem, pro ipſorum Armenorum tam præſentium quàm futurorū faciliori doctrina, ſub hac breuiſſima redigimus formula: Nouæ legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multùm à ſacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non cauſabant gratiam; ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc verò noſtra & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt. Horum quinque prima, ad ſpiritualem vniuſcuiuſque hominis in ſe ipſo perfectionem: duo vltima, ad totius Eccleſiæ regimen multiplicationemq; ordinata ſunt. Per baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur, per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem & roborati, nutrimur diuina Euchariſtiæ alimonia. Quòd ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur, ſpiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per extremam vnctionem; per Ordinem verò Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter, per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona mini-

Septē Eccleſiæ Sacramenta.

Ioan. 6.

ſtri conferentis ſacramẽtum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquod deſit, non perficitur ſacramentum. Inter hæc ſacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum, à cæteris diſtinctiuum imprimunt in anima indelebile. Vnde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Primum omnium ſacramentorum locum tenet ſanctũ Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis ianua eſt. per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cùm per primum hominem mors introierit in vniuerſos, niſi ex aqua & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus (inquit veritas) in regnum cœlorum introire. Materia huius ſacramenti, eſt aqua vera & naturalis: nec refert, frigida ſit an calida. Forma autem eſt: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritusſancti. Non tamen negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis ſeruus Chriſti in nomine Patris & Filij & Spiritusſancti: Vel, Baptizetur manibus meis talis, in nomine Patris & Filij & Spiritusſancti, verum perficiatur Baptiſma: quoniam cùm principalis cauſa, ex qua baptiſmus virtutem habet, ſit ſancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit miniſter qui tradit exterius ſacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, cùm ſanctæ Trinitatis inuocatione perficitur ſacramentum. Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſolùm ſacerdos vel diaconus, ſed etiam laicus vel mulier, imò etiam paganus & hæreticus, baptizare poteſt, dummodò formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia. Huius ſacramenti effectus, eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoq; pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda eſt ſatisfactio. ſed morientes, antequam culpam aliquã committant, ſtatim ad regnum cœlorum, & Dei viſionem perueniunt.

Secundum ſacramentum eſt Confirmatio, cuius materia eſt, chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt: Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filij & Spiritusſancti. Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus. Et cùm cæteras vnctiones ſimplex ſacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quòd per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant, quemadmodùm Actuum Apoſtolorum lectio manifeſtat. Cùm enim audiſſent (inquit) Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro eis, vt acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili & vrgente admodùm cauſa, ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe confirmationis ſacramentum. Effectus autem huius ſacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, vt videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Ideoque in fronte, vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè crucem eius, qui Iudæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, ſecũdùm Apoſtolum, propter quod ſigno crucis ſignatur.

Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideò admiſcetur, quoniam iuxta teſtimonia ſanctorum Patrum & doctorum Eccleſiæ pridem in diſputatione exhibita, creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe ſacramentum. Deinde, quia conuenit Dominicæ paſſionis repræſentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa Quintus à beato Petro: In ſacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolennia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum, in ſacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrunque permixtum: quia vtrunque, id eſt, ſanguis & aqua, ex latere Chriſti profluxiſſe legitur. Tum etiam quod conuenit ad ſignificandum huius ſacramenti effectum, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignificat, ſecundùm illud Apocalypſis: Aquæ multæ populi multi. Et Iulius Papa ſecundus poſt beatum Sylueſtrum, ait: Calix Dominicus iuxta canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cùm in calice vinum & aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & fidelium plebs ei in quem credit, copulatur & iungitur. Cùm ergo tam ſancta Romana Eccleſia à beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo edocta, quàm reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſeruauerint, & & modò ſeruent, inconueniens admodùm videtur, vt alia quæuis regio ab hac vniuerſali & rationabili diſcrepet obſeruantia.

Apoc. 17.

De conſ. diſt. 2. Cũ omne crimen.

Decernimus igitur, vt etiam ipſi Armeni ſe cum vniuerſo orbe Chriſtiano conforment, eorumque ſacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ (prout dictum eſt) admiſceant vino. Forma huius ſacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit ſacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit ſacramentum. Nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertuntur: ita tamen, quòd totus Chriſtus cõtinetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini, ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Huius ſacramenti effectus, quem in anima operatur dignè ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius vnitur: conſequens eſt, quòd per hoc ſacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quò ad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando & delectando, ſacramentum hoc quò ad vitam operatur ſpiritualem, in quo (vt inquit Vrbanus Papa) gratam Saluatoris noſtri recenſemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutũ & gratiarum proficimus incrementum.

Vrban. 4. in bulla inſtitutionis feſti corporis Chriſti.

Pœnitentia

Quartum ſacramentum, eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, vt doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cæterò. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinent, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundùm arbitrium ſacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, ieiunium & eleẽmoſynã. Forma huius ſacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, cùm dicit: Ego te abſoluo, &c. Miniſter huius ſacramẽti eſt ſacerdos, habens authoritatem abſoluendi vel ordinariam, vel ex cõmiſſione ſuperioris. Effectus huius ſacramenti, eſt abſolutio à peccatis.

Extrema vnctio.

Quintum ſacramentum eſt extrema Vnctio, cuius materia eſt oleum oliuæ per Epiſcopum benedictum. Hoc ſacramentum niſi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet: qui in his locis vngendus eſt: in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedib⁹ propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidẽ vigentem. Forma huius ſacramẽti eſt hæc: Per iſtam vnctionem & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi DOMINVS, quicquid per viſum, &c. deliquiſti, videtur deeſſe. Et ſimiliter in alijs membris. Miniſter verò huius ſacramenti eſt ſacerdos: Effectus verò eſt mentis ſanatio, & inquantum autem expedit, ipſius etiam corporis. De hoc ſacramento inquit beatus Iacobus Apoſtolus: Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſię, vt orent ſuper eum, vnguentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.

Iacob. 5.

Ordo.

Sextum ſacramentum eſt, Ordinis, cuius materia eſt illud, per cuius traditionem confertur Ordo, ſicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenę cum pane porrectionem, Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem, ſubdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de alijs per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma ſacerdotij talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis & mortuis, In nomine Patris & Filij & Spiritusſancti. & ſic de aliorum ordinum formis, prout in pontificali Romano latè continetur. Ordinarius miniſter huius ſacramenti, eſt Epiſcopus. Effectus, augmentum gratiæ, vt quis ſit idoneus miniſter.

Matrimonium.

Ephes. 5.

Septimum eſt ſacramentum Matrimonij, quod eſt ſignum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundùm Apoſtolum dicentem: Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Cauſa efficiens matrimonij, regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus. Aſſignatur autem triplex bonum matrimonij. Primum eſt proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum eſt fides, quam vnus coniugum alteri ſeruare debet. Tertium indiuiſibilitas matrimonij, propter hoc quod ſignificat indiuiſibilem coniunctionem Chriſti & Eccleſię, quamuis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cùm matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum ſit.

Sextò, compendioſam illam fidei regulam, per beatiſſimum Athanaſium editam, ipſis prębemus oratoribus, cuius tenor talis eſt: Quicunq; vult ſaluus eſſe, &c.

Septimò, decretum vnionis cum Græcis conſummatæ pridem in hoc ſacro Oecumenico Floretino Concilio promulgatum, cuius tenor talis eſt: Eugenius, &c. Lætentur cœli, &c.

Octauò, cùm inter alia ſit etiam cum ipſis Armenis diſputatum, quibus diebus feſtiuitates Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, Natiuitatis beati Ioannis Baptiſtę, & conſequenter Natiuitatis & Circunciſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac Præſentationis eiuſdem in templo, ſeu Purificationis beatæ virginis Mariæ celebrari debeant, latiſque dilucidè veritas patefacta fuerit, tam ſanctorum patrum teſtimonijs, quàm conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, & omnium aliarum vniuerſaliter apud Latinos & Græcos: ne igitur in tantis celebritatibus diſpar ſit Chriſtianorum ritus, vnde perturbandæ charitatis occaſio poſſit oriri, decernimus tanquam veritati & rationi conſentaneum, & iuxta totius reliqui orbis obſeruantiam, vt ipſi etiam Armeni feſtum Annunciationis beatæ Mariæ, die viceſimaquinta Martij; Natiuitatis beati Ioannis Baptiſtæ viceſimaquarta Iunij; Natiuitatis verò ſecundùm carnem Saluatoris noſtri, vigeſimaquinta Decembris; Circunciſionis eiuſdem, primo Ianuarij; Epiphaniæ ſexto eiuſdem Ianuarij; Præſentationis Domini in templo, ſeu Purificationis Dei Genitricis, ſecunda Februarij debeant ſolenniter celebrare. His omnibus explicatis, prædicti Armenorum oratores nomine ſuo & ſui Patriarchæ & omnium Armenorum, hoc ſaluberrimum ſynodale decretū cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & ſtatutis, omnemq; doctrinam in ipſa deſcriptam, necnon quicquid tenet & docet ſancta ſedes Apoſtolica & Romana Eccleſia, cum omni deuotione & obedientia acceptant, ſuſcipiunt, & amplectuntur. Illos quoq; doctores & ſanctos patres, quos Eccleſia Romana approbat, ipſi reuerenter ſuſcipiunt: quaſcunque verò perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia damnat & reprobat, ipſi pro reprobatis & damnatis habent, profitentes, tanquam veri obedientiæ filij, nomine quo ſupra, ipſius ſedis Apoſtolicæ ordinationibus & iuſſionibus fideliter obtéperare. Datum Florentię in publica ſeſſione ſynodali ſolenniter in Eccleſia maiori celebrata, Anno domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, x. Calend. Decembr. Pontificatus noſtri anno nono.

Armeni redeūt ad Eccleſiæ vnionem.

FINIS.

LITERA DOMINI ARCHIEPISCOPI Hieroſolymitani, ad Papam Eugenium Quartum.

Sanctiſſimo ac beatiſſimo noſtro domino Eugenio Papa, beatitudinis veſtræ filius Eſaias Epiſcopus Hieroſolymitanus. Beatiſſime in Chriſto pater & ſanctiſſime domine, poſt debitam, deuotam, ac humilem recommendationem, ad deuota pedum oſcula beatorum, Breuia duo ſanctitatis veſtræ humiliter ſuſcepit circa materiam ſanctiſſimæ vnionis Armeniorum generis cum Romana Eccleſia communi omnium matre, cuius throno beatitudo veſtra, annuente Domino, dedicata eſt. Quibus reuerenter reſpondeo, quòd ſicut anno præterito contuli cum venerabili viro Chriſtophoro Garatono ſecretario & nuncio ſanctitatis veſtræ, nihil mihi dulcius eſſe poſſet, quàm diebus meis * tam ſingularem, Deoque gratiſſimam intueri poſſe, cùm ad ſalutem animarum, communeque bonum noſtrum pertineat. Et ita etiam nunc præfato Chriſtophoro in materia prædicta idem dixi, ſicut ipſe pedibus ſanctitatis veſtræ diffuſiùs narrare poterit. Verùm vt ipſe ſcit, literas beatitudinis veſtræ directas reuerendiſſimo patri Catholico Patriarchæ noſtro per ſufficientem nuncium miſi, easque de Latino in Armenicum transferre feci, vt ipſi reuerendiſſimo Patriarchæ clarius, quæ anteà eidem ſcripſeram, innoteſcere poſſint. Spero enim, fauente Domino, & omnibus ſanctis eius, quòd celerem reſponſionem ſuſcipiam, cum optima eius diſpoſitione ad Dei tam ſingulare opus. Cùm verò cognoſcam bonitate, clementia & munere S. V. erga genus noſtrum, rem ipſam, quæ tanto tempore ſilentio deducta eſt, facilè ad optatum finem deduci poſſe. Venit nunc huius Imperatoris * ordine ipſe Chriſtophorus ad conſpectum beatitudinis veſtræ, cui nonnulla S. V. ſignificanda impoſui. Verùm (vt exiſtimo) citò rediturus eſt pro apparatu vnionis ſanctiſſimæ, quæ cum hoc Imperatore nouiter per eum, veſtræ beatitudinis nomine, concluſa eſt. Cùm enim redierit, poterit verſus reuerendiſſimum Patriarcham noſtrum, ſicut ordo datus eſt, accedere. Et ego ſecum vnum ex presbyteris meis mittam, cum quo poterit omnia diligenter circa vnionis noſtræ materiam tractare atque perficere, ſecundùm quod à beatitudine veſtra habuerit in mandatis. Noſque omnes ſemper & benè diſpoſiti erimus, vt tam vtiliſſimum Dei opus finem ſortiri valeat. Sanctitati veſtrę me & meos humiliter commendo. Ex Conſtantinopoli die prima Nouembr. M.CCCC.XXXIIII.

* rem, videtur deeſſe.

For * ordinatione.

NOTAE IN CONCILIVM FLOrentinum.

Concilium.] *Hæc ſacroſancta ſynodus ab Eugenio Quarto Papa eius nominis indicta, rogatu Orientalis Imperatoris celebrata fuit. Qua occaſione autem illud acciderit, Laonicus Chalcocondylas rerum Turcicarum libro primo his verbis enarrat:* Romani & eorum pontifex Maximus, nullam prorſus occaſionem omittentes legatos miſerunt ad Græcos, vt conuenientes in vnum, Conciliumque celebrantes, concordiam, quantum ad Chriſtianam religionem attinet, inter ſeſe conglutinarent. At Græci cum plurimis annis aduerſus Romanos contentiones mouiſſent, noluerunt patrium religionis ſuæ cultum perturbari. Tandem Ioannes Palæologus Græcorum rex, aſſumptis Byzantij Epiſcopis & Græcorum doctis, ad colloquium venit cum pontifice Romano Eugenio Quarto. Tandem Græci pariter & Romani in religionis negotio conſenſerunt. *Eadem ſcribit infra libro ſexto his verbis:* Græcorum Rex legatos ire iubet ad Romanum Pontificem Eugenium nomine, petentes vt Concilium celebraretur, quo inter vtroſque religionis contentionem decenter componerent. Tentabat eo modo Occidentalium animos, num plurimi facerent concordiam conſtabiliri cum Græcis in religionis controuerſia. Legati in Germaniam venêre. Ea tempeſtate Germani Baſileæ erant congregati diſſidentes ſententijs contra Eugenium pontificem, quem reprobantes, creârunt pontificem nomine Felicem, virum inter ipſos inprimis ſpectatæ probitatis. *Hæc de occaſione & cauſa congregãdi Concilij* Chalcocondylas.

Hæc ſynodus ab Eugenio indicta.

Cauſa & occaſio indictæ ſynodi, quæ?

Ne verò Græcos ipſos non domeſtica conſcientia; ſed ſociorum hortatione ad hanc cum Romana Eccleſia concordiam ineundam actos putaremus, perpendendum eſt quod Ioſephus Patriarcha onſtantinopolitanus cùm eſſet ſolus, ac horam mortis ſuæ, quæ etm ſubitanea erat, præſentiret, id quod habetur ſupra Seſſione vltiia huius Concilij Florentini ſcriptum reliquit: Quoniam ad exremum vitæ meæ perueni, idcircò pro meo munere dilotis filijs benignitate Dei meam ſententiam his literis paım facio. Nam quæ Domini IESV CHRISTI Catholica : Apoſtolica Eccleſia Romæ veteris ſentiat ac celebret, nia me quoque ſentire credereque profiteor, ac ipſis pluimùm acquieſco. Beatiſſimum autem Patrum patrem, ac ummum pontificem, Romæque veteris Papam, Domini oſtri Ieſu Chriſti vicarium eſſe concedere, atque animariı urgatorium eſſe non inficior. *Hæc Ioſephus Patriarcha de cauſa etita vnionis, & congregandi Concilij.*

Eugenius Græcorum petitioni meritò magnoq; cum gaudio acuieſcens, diſſoluto Baſileenſi Concilio, quo priuilegia Romanæ Eclesiæ diuino iure conceſſa impugnabantur, Synodum indixit, lomq; conueniendi aptiſſimum, oris maritimis vicinum deſignauit, Ferrariam nimirùm, quo loco omnes præfixo tempore conuenirent. Quomodo aduentantes Græcos Pontifex Ferrariæ exceperit, prædilo libro ſexto Chalcocondylas ita deſcribit: Ambo igitur pontifices (*Eugenius nimirùm, & contra eum electus Antipapa ſchiſmaticus Felix V.*) triremes inſtruunt, & Ioannem Byzantij regem accerſebant. Vterque enim ſub ſe Concilium agitari, & religionis controuerſiam, quæ cum Græcis interceſſerat, finiri volebat. Cùm ab vtroq; veniſſent triremes, rex quidem benignis verbis & placidè Concilij Baſileenſis legationem dimittebat: dicens, ſe cum Romanis & Venetis, & cum reliqua Italia iam ante collocutum, qui omnes ſe Romam proficiſci iubeant. Aſſumens itaque Byzantij ſacerdotes, & Græcorum ſapientiſſimos & doctiſſimos, nauigabat in Italiam. Cùm veniſſet ad Venetos, inde ſoluens ferebatur Ferrariam, vbi morari Pontificem Eugenium acceperat.

Quid verò in ipſo Concilio Florentino, poſtquam finem illius inter Eugenium Papam, Græcorum Imperatorem, alióſue Latinorum & Græcorum Epiſcopos, actum fuerit, idem Laonicus Chalcocondylas prædicto libro ſexto pergit recenſere his verbis: Huc cùm perueniſſent Græci, multa diu egêre cum pontifice in religionis negotio, volentes id ad optimum deducere finem. Poſtremò eò ventum eſt, vt inter ſe conſentirent, & concordiam inter ſe conglutinarent. Itaque in hanc ſententiam euntes, decreuerunt in poſterum nihil in religionis negotio innouare. Et, vt iſta rata manerent, ſcriptis & ſanctorum obteſtatione ſanxerunt, ſe deinceps vnanimes in religionis negotio fore. Hinc Romanus pontifex allegit in Cardinalium ordinem (qui primus apud pontificem eſt) viros duos Græcorum nobiliſſimos, eoſque ſibi familiaritate iunxit. Vocantur enim Cardinales, quaſi religionis duces & antiſtites. Hos enim honore ſibi proximos triginta eligit Pontifex, iiſque ſocijs & conſiliarijs vtitur. Suppeditat his reditus ſufficientes, aſſignans iiſdem regiones, vnde opes ſufficientes accipiant. Hic quidem minores, alius maiores acquirit opes, ſecundùm regiones quas ſinguli ſortiuntur.

In horum igitur album retulit Pontifex viros duos Græcorum, Beſſarionem Trapezuntium Nicææ epiſcopum, & Iſidorum Sarmatiæ (quæ & Ruſſia) epiſcopum. Nam horum opera plurimùm adiutus eſt in concordia tum Græcis ineunda. De Beſſarione quæ accepi, diligenter annotabo. Beſſarion tanto erat inſtructus à natura intellectu, vt præſtantiſſimos Græcorum non dico æquaret, verùm ſuperaret. Iudicio in re qualibet plurimùm pollebat. Græcarum Latinarumque literarum tanta peritia huic viro inerat, vt facilè eruditionis palmam inter omnes caperet. Nicolaus, qui Eugenio ſucceſſit, virum hunc coluit plurimùm. Quapropter Bononiæ vrbi opulentæ eum præfecit, vt eam tutaretur.

Ad eandem hanc ſacroſanctam ſynodum Armeni, *inquit Nauclerus in Chronic.* ex India miſerunt Oratores ſuos, poſtulantes & ſupplicantes inſtrui, & erudiri in his quæ ſunt fidei, à Romana Eccleſia, & vniri cum ea in charitate Chriſti, qui examinati, in paucis reperti ſunt diſſentire à Catholica fide, & in illis ſubiecerunt ſe correctioni Apoſtolicæ ſedis quæ de conſilio Prælatorum decreuit, eos ritibus ſuis qui non ſunt contra veritatem fidei, permittendos, vt & Græcis licèt diſſimiles ſint à moribus Latinæ Eccleſiæ. Quibus verò à fide vera diſcrepabant, his prohiberi debere, vt quòd ſacramentum Confirmationis non habebant in vſu conferendi illi nationi, declarato iis, quod illud ſicut cætera ſacramenta debeant accipere, credere & conferre: & aliqua alia quibus acquieuerunt. *Hæc Nauclerus.*

Quid verò inter ipſos & Romanam Eccleſiam tranſactum fuerit, inuenies infra in bulla Eugenij Papæ, quæ poſt orationem Beſſarionis excuſa eſt.

Locus Cōcilij.

Florentinum.] *Hæc ſacroſancta ſynodus cœpta eſt celebrari Ferrariæ, inde poſt habitas ſexdecim ſeſſiones, ob peſtem quotidie grauius ingraueſcentem, tranſlata eſt Florentiam, ibiq; nouem ſeſſionibus celebratis, finita & abſoluta fuit anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimonono, pridie nonas Iulij, cùm anno vno & tribus ferè menſibus duraſſet.*

Ferrariæ deſcriptio.

Adrianus Roman. in ſuo paruo theatro vrbium, Ferrariam deſcribens, ait: Ferraria ſita eſt ad Padum, eſtque vna ex famatiſſimis ciuitatibus Italiæ, ornata pulcherrimis palatijs, nobilitate ditiſſima. Academia hîc eſt, quam concurrentiæ cauſa cum Bononienſibus conſtituit Fredericus II. Paucis annis elapſis multos paſſa eſt terræmotus.

Florentiæ deſcriptio.

Idem de Florentina vrbe agens, ſcribit iſta: Florentia nomen quibuſdam habere creditur à flore, quod videlicet in medio Hetruriæ inſtar floris campi ſedeat. Sicuti etiam longo tempore pro inſignibus vtitur Lilio. Vel dicitur Fluentia, cùm ſita ſit ad fluuium Arnum. Aliqui exiſtimant olim dictam Arminam. Sita eſt ſub cœli plaga benigna, cum aëre perfectiſſimo. Antiquitus colonia fuit Iani, auctæ poſteà ruinis Phæſularum: Sicuti Roma ex ruinis Albæ longæ. Hanc ciuitatem è tyrannide Longobardorum eripuit Carolus Magnus: poſteà ſemper fuit libera, vſque ad tempora Caroli Quinti, qui eam victam in gratiam Clementis Septimi dedit eius cognato Alexandro Medices, hactenusq; ciuitas Mediceis ducibus Hetruriæ paruit. Ciuitas hodie eſt Hetruriæ totius Metropolis amœniſſ. loco ſita. Ab Oriēte & Septentrione collibus amœniſſimis, & vndiq; fructiferis arboribus veſtitis cincta, medij theatri inſtar. Occid. latere mediam in planiciem incedit, videturque ferè vmbilicum Italiæ tenere: Nobiliſſimis ædificijs cùm diuino cultui, tum ciuium vſui paratis nitet. *De eadē Chalcocondylas libro 6. ait:* Florentia, Italiæ vrbs opulentiſſima eſt, ciueſque ad agriculturam & mercaturam extrudit. Hi intelligentia reliquos excellere videntur; optimeque efficitur quicquid viri iſti fuerint aggreſſi. Reſpublica hoc modo adminiſtratur. Eſt in ea conſilium quingentorum virorum, qui de ciuitatis rebus conſultant, de bello, de pace, de legatis ſententiam ferūtes. Habent viros duos * peregrinos, quos accerſentes plurimùm venerantur. Vnum criminum capitalium iudicē conſtituunt, alterum reliquas vrbis controuerſias, &c.

* eos prætores ſiue poteſtates vocant.

Quo loco ſeſſiones Ferrariæ habitæ fuerint, apud Acta Concilij initio ſeſſionis primæ dictum inuenies.

Oecumenic. Conciliū fuiſſe probatur.

Oecumenicum.] *Nulli dubium eſſe poteſt Oecumenicam, & vniuerſalem eſſe ſynodum, cui Iulianus ſedis Apoſtolicæ legatus præſedit, cuiq; non tantùm Ioſephus Conſtantinopolitanus; verùm etiam alij Orientales tres Patriarchæ per ſuos vicarios interfuerunt, & ſubſcripſerunt.*

Quotum fuerit Cōcilium Oecumenicum.

Decimumſextum.] *Quanquam Laurentius Surius in præfatiuncula quadam ad Lectorem, quam infra ſubiungam, falſam illam octauæ ſynodi inſcriptionem, à Bartholomæo Abramo Cretenſi actis ſynodalibus præfixam, metu neſcio cuius temeritatis auferre & abolere noluerit; Ego tamen aliorum virorum, quos ſuprà in Notis ad Concilium Oecumenicum octauum allegaui, hortatu animatus, non tantùm ex titulo; verùm etiam ex ipſis actis ſynodalibus pro voce, octaua, decimamſextam ſubſtituendam eſſe putaui.*

Cur Florētinum inſcribatur.

Et quanquam Ferrariæ decem priores ſeſſiones habitæ fuerint, tamen Florentinum potius, quàm Ferrarienſe inſcribendum eſſe iudicaui, propterea inprimis, quod ſub hoc titulo communiter à ſcriptoribus citetur & nominetur.

Ne quis præfationes quas Bartholomæus Abramus Cretenſis, & Laurentius Surius huic Concilio præpoſuerunt, deſiderare poſſit, voluimus eas hoc loco curioſis Lectori exhibere. Abrahami Cretenſis præfatio iſta eſt.

BENEDICTO DE ACCOLITIS RAVENNATI ARCHIEPISCOPO,

Bartholomæus Abramus Cretenſis, Præſul Arienſis Salutem dicit.

VIII. Synodus rectius dicitur habita Conſtantinopoli, qua reſtitutus eſt ſedi ſuæ Ignatius.

COGITANTI mihi præſul humaniſſime, quoniam pacto tibi ſacrarum literarum ſtudioſiſſimo, ac omni virtute prædito, pro tuis in me maximis meritis aliqua ex parte gratias referre poſſem, tu ſanè longè aliud molienti, quaſi obuiam prodijſti: vtque generalis octaui Concilij, iampridem Florentiæ habiti, acta è Græco in Latinum ſermonem verterem, mandaſti: quæ quidem neſcio, qua de cauſa Latinitate donata non extent, cùm memoriæ proditum ſit, duos ſcribas Græcos, totidemque Latinos, qui eidem interſuère Concilio, ea ipſa Græcis Latinisque literis diligentiſſimè conſcripſiſſe. Sed id alij viderint. mihi autem Græco homini, literiſque Latinis non ſatis erudito, onus tantum ſubijſſe, non mediocris negotij viſum fuit, præſertim non inſcio, multa ſcientiarum genera in ipſis actis diſſeminata eſſe, quæ niſi quis mediocriter ſaltem calluerit, acta ipſa nequaquam intelligere, nedum Latinis benè tradere poſſit. Quis enim ſummam in ipſis Theologiam deſiderabit? Vbi primò ſubtiliſſimè diſputatur, an purgatorium ſit. Et, quidnam ſit? Et, an animæ ſanctorum felicitatem ſuam abſque corporibus ſuis aſſecutæ ſint: deinde, an poſteriores Oecumenicæ ſynodi, priorum actis quicquam addere, vel ab eis auferre poſſint: &, an Romanæ Eccleſiæ abſque generali ſynodo particulam illam, EX FILIOQVE, ſymbolo licuerit addere: quod quidem & ipſi facere licuiſſe, necnon ad Romanum pontificem ritè pertinere, ambigua in fide, abſtruſaque declarare, ac Oecumenicam ſynodum iniuſſu eiuſdem Romani pontificis celebrari non poſſe: Romanam denique Eccleſiam, caput & principem cæterarum Eccleſiarum exiſtere, probatum ac ſuſceptum ab ipſa ſynodo eſt. Vbi prætereà perquàm ſubtiliſſimè diſputatur, an ſanctus Spiritus ex Patre, nulla facta de Filio mentione, vt Græci, vel ex Patre Filioque (vt Eccleſia Romana aſſeuerabat) procedat. Poſtremò, an Græcis liceat pane fermentato ſacrificare. Prætereà, quis vel naturalem philoſophiam, vel Metaphyſicam in eiſdem actis deſiderabit, in quibus de Dei filij generatione, de diuinarum perſonarum diſtinctione, ac ipſarum relatione ſubſiſtentiaque acutiſſimè pertractatur? Quis denique ſine Dialectices ac Rhetorices arte luculentiſſimas illas rationes benè percipere poſſet, quas & Iulianus ille Cardinalis ampliſſimus, ex nobiliſſima Cæſarinorum familia ortus, pro Romana Eccleſia, & Beſſarion tunc Nicænus Archiepiſcopus, quem deinde ob diuinum eius ingenium, multiplicemque doctrinam, Eugenius Quartus Pontifex Maximus, ampliſſimorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium collegio conſenſu omnium cooptauit, in eodem ipſo Concilio habuere. Tantam ergo prouinciam aggredi meus animus mirum in modum extimeſcebat. Verùm quid facerem, cùm niſi tibi ſaltem obſequio ſatisfeciſſem, acerbam mihi vitam viuere viderer? Hinc factum eſt, antiſtes humaniſſime, vt iuſſa tua, quibus apud me nil eſt validius, animum meum impulerint, vt audacia quadam rem tantam meis viribus imparem ſim aggreſſus: qua tamen in re ſummo ſtudio, vel potius Spiritusſancti (de quo agebatur) benignitate, mihi videor effeciſſe, vt quamuis elegans ſtylus ab elegantiſſimo ingenio tuo deſiderari poſſit, quæ tamen literis non minùs barbarè, quàm confusè relicta fuerant, ita vt vix intelligi poſſent, ea fideliter explicauerim, ac dilucidè literis Latinis (quantùm Græco homini licuit) mandauerim, vt quiſque vel mediocriter bonis literis eruditus, acta ipſa ſine vlla difficultate intelligere poſſit.

Multa quoque ſuperuacanea, & nihil ad hanc diuinam rem facientia, volens prudenſque præterij, ne lectoribus faſtidio eſſent. Nam Græci ſcribæ ludos ſingulos & honores qui Conſtantinopolitanum Imperatorem, primò magnificentiſſimi Veneti, deinde Ferrariæ prudentiſſimus ille Marchio, poſtremò nobiliſſimi Florentini proſequuti fuerint, teſtatos literis reliquerunt, & actibus diuini Concilij ineptiſſimè inſeruerunt. His igitur, atque nonnullis priuatis ipſorum Græcorum inter ſe diſceptationibus & controuerſijs, ad rem neutiquam pertinentibus (vt prædictum eſt) prætermiſſis, publicas tantùm eorum cum Latinis diſputationes & controuerſias, fideliter ac verè de verbo (vt tutè vtriuſque linguæ ſtudioſiſſimus, æquus iudex poteris eſſe) è Græco in Latinum ſermonem conuerti. Necnon tertium magni Baſilij in Eunomium de Spiritusſancti proceſſione ſermonem, olim à Georgio Trapezuntio Cretenſi conuerſum, quo ſynodus ipſa vehementer innixa fuit, & quandam ipſius Beſſarionis orationem, ab eodem dogmaticam nuncupatam, ac eiuſdem nominis epiſtolam, quas ipſemet poſt multos annos in Latinum traduxerat, vt ipſa eadem acta clariſſima redderentur, huic operi addidi. In quo quidem doctiſſime pontifex, & tuum erga ſacras literas ſtudium ſummoperè laudabitur, quòd diuinum hoc opus obliuioni iam traditum, te authore in lucem prodierit, & ſumma mea in te obſeruantia, cæteris quoque mortalibus innoteſcet, quòd, te iubente, oneris tantum ſubierim, ac te efflagitante, ad metam vſque peruenerim. Rogo igitur te, vt meas huiuſmodi lucubrationes, qualeſcunque ſint, tuis auſpicijs inceptas atque confectas, ac tuo nomini conſecratas, ſuſcipere, amplecti, fouereque non dedigneris. Vale.

Præfatiuncula quam R. P. Laurentius Surius hiſce ſynodalibus præfixerat, iſta eſt quæ ſequitur.

Lectori candido F. Laurentius Surius.

QVID Græcis in mentem venerit, vt hanc Synodum Florentinam, octauam nuncuparent, docti viri admirantur. Poterat aboleri numerus ille, ſed ne id temeritati tribueretur, relinquere illum maluimus, contenti admonuiſſe Lectorem, non rectè dici octauam, quam aliquot aliæ inſignes Synodi generales poſt alteram Nicææ habitã, quæ ſeptima numeratur, anteceſſerint. Vale.

Approbatum.] *Auctoritate nimirùm Eugenij Papæ, aliorúmque pontificum, vt videre eſt in bullis duabus Eugenij, quæ actis Synodalibus inſerta leguntur.* — Approbatum fuit.

Centum quadraginta & vnius Epiſcoporum.] *Horum nomina infra ſubſcripta reperiuntur. Huic Concilio ipſe pontifex Eugenius præſto fuit; Cùm vix vnum Orientalium Conciliorum dari poſſit, cui pontifex in perſona propria interfuerit. Patrum conſeſſus idem hic qui in primo Oecumenico obſeruatus eſt: in medio conſtitutus fuit codex Euangeliorum, quem intuentes, Chriſtum, iuxta datam promiſſionem, ſibi præſentem eſſe meminiſſent.* — Numerus Epiſcoporum.

Contra errores Græcorum.] *Quod nimirùm de proceſſione Spiritus ſancti, de Purgatorio, de beatorum fœlicitate, de primatu Romanæ Eccleſiæ, alijsue nonnullis fidei dogmatibus, ritibus ac ceremonijs hactenus docuerant. Quæ diſputationes de Purgatorio, & de Spiritus ſancti proceſſione, de additione vocis, FILIOQVE, ad Symbolum facta, inter eos habitæ, quóue fructu abſolutæ fuerint, indicabit ſubſequens Seſſionum ſynodalium compendioſa deſcriptio, quam hoc loco ſubiunctam & expreſſam habes.* — Qui quoue Græcorum extiterit?

ANNO milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo 4. Martij, Ioannes Palæologus, Ioſephus Patriarcha Ferrariam appulerunt: quos dum Pontifex vnà cum Cardinalibus debito honore excepiſſet, conſilio Græcorum Pontifex omnes Epiſcopos & Principes ad Synodum inuitauit. De ordine & conſeſſu poſt mediocrem diſceptatiunculam conuenit inter eos, vt idem ordo qui in reliquis Concilijs Oecumenicis ſeruatus eſt, hic etiam obſeruaretur. Sedibus ergo eo ordine collocatis, & ſacro codice Euangeliorum in medio conſeſſus poſito. Ferrariæ in templo S. Georgij 9. Aprilis conuenerunt: ibique de celebranda Synodo inprimis Patriarcha Conſtantinopolitani, & poſteà Romani Pontificis decretum recitari mandarunt. Quibus abſolutis, omniumque conſenſu approbatis, referunt Occidentales ad lucrum temporis faciendum vtile videri, ſi medio tempore, quod iis abſentibus præfixum erat, priuatim de Spiritus ſancti proceſſione — Seſſionis primæ acta.

mmunicarent. Quod cùm Græci propter Baſileenſium abſentiam ıcere recuſarent, hoc tandem vtrinque placuit, vt intereà temporis e purgatorio priuata collatio habeatur. Deputatis vtrinq; collatobus & duobus Notarijs, qualibet hebdomade bis in templo ſanj Franciſci conuenerunt. Prima collatio habita eſt 4. Iunij. In hac atini teſtimonio ſancti Pauli 1. ad Corint. cap. 3. aſſerebant, dari loim quendam, quo animæ fidelium cum reatu leuioris peccati, vel eam pœna decedentes per ignem purgantur & ſaluantur. Cumq́; racı de igne æterno locum Apoſtoli exponerent ſic; ipſe damtus per ignem ſaluabitur, ſiue in igne ſemper ſaluus erit, c non conſumetur, replicârunt Latini id nulla ratione affirmari ſſe, quoniam Paulus vtitur verbo (Saluabitur) quod vt ex Scripturæ demonſtrârunt, nunquam aliter quàm in bonam partem accipi onſueuit. Cumq́; in ſanctorum beatitudine conueniſſent omnes, inruente peſte accelerata ſunt ſeſſiones, conuentq́; vt ſequente ſeſſıoe ageretur, an vox iſta, FILIOQVE, licitè & piè ſymbolo ſuperddita fuerit. Propter podagricū morbum pontificis, conuenerunt in alatio eiuſdē pōtificis, ſedibuſq́; ordine quo ſuprà locatis, vtrinq; ſex ſignati ſunt, qui quæſtiones ſuprà deſignatas impugnent & defenant. Cumq́; primæ ſeſſionis, quæ habita fuit die Mercurij octano enſis Octobris anni 1438. initium factum eſſet, è Græcis Beſſarion rimus orationem habuit, qua ſacroſanctam Trinitatem totamq́; ynodum laudauit.

Secunda ſeſſione, quæ habita eſt Ferrariæ 11. Octobris, Andreas Coloſſenſis Archiepiſcopus, & Latinorum diſputator conſtitutus, habuit eiuſdem planè argumenti orationem, qua abſoluta, conuentum ſt, vt Græci diſputationem exordirentur, Dialecticè argumena proponerent, de ea inprimis quæſtione; an Symbolo quicquam addere liceat?

Tertia ſeſſione celebrata 14. Octobris, Marcus Epheſius captata & impetrata Patrum beneuolentia, oſtendit, Chriſtum pacem Eccleſiæ reliquiſſe velut hæreditatē, eamq́; à Rom. Eccleſia eſſe contētam. Orientales rogatu Occidentalium ad pacem reconciliandam acceſſiſſe, pacem non niſi ſchiſmate ſublato componi poſſe, adeoq́; neceſſarium videri, vt decreta ſeptem Conciliorum Oecumenicorum (cur octauæ ſynodi nulla mentio fiat, ſuprà dixi) in hoc Patrum conſeſſu publicè recitentur. Quibus cùm Andreas Coloſſ. iterū reſpondiſſet, dixiſſetq́; Romana Eccleſia nihil pace & concordia gratius extitiſſe, eamq́; nullum vnquam ſubſidium ad hæreſes profligandas Græcis denegaſſe; Concilijs Orientalibus omnibus Romanos Pontifices per ſe, vel per legatos ſuos interfuiſſe, pacem & concordiam non tantùm per literas; ſed etiam per legatos expetiuiſſe, Marcus Epheſius ea quæ dixerat Andreas vera quidem, ſed in pertinentia eſſe conceſſit; cùm Pontifices cauſam ſchiſmatis, factam nimirùm additionem ad Symbolum auferre noluerint, quam ſi ſuſtuliſſent, ſtatim pax & concordia ſubſecuta fuiſſet. Quæ cùm Andreas iterum redarguiſſet, dixiſſetq́; antiquam illam eſſe Conſtantinopolitanorum accuſationem, dicentium erraſſe Romanam Eccleſiam, quòd vocem, FILIOQVE, propria auctoritate addidiſſet ad Symbolum, cui nihil præter ea quæ à Patribus antiquis olim conſtituta ſunt, adijci deberet, deniq; circa finem cōcludendo allegaſſet, nullam additionē ab Eccleſia factam eſſe, eamq́; ſi qua facta foret neceſſariò fieri debuiſſe, finita eſt ſeſſio tertia.

Quarta Seſſio inchoata eſt 15. Octobris, quæ cum vtrimque diu agitatum fuiſſet, vtra pars ſuam prius aſſertionem confirmaret, placuit omnium conſenſu, vt finita ſeſſione quarta priuatim conueniatur, & de re propoſita diſputetur. Poſt multas igitur diſceptationes Græcorum & Latinorum priuatim inſtitutas, vnanimi conſenſu decretum eſt, vt nihil amplius agatur deinceps, niſi prius ſanctorum Patrum decreta, & diuinum Symbolum recitata fuerint.

Quinta ſeſſione 16. Octobris celebrata, recitatum eſt Symbolum Nicænum, ſubiuncta eſt lectio Symboli Epheſini, quo prohibetur, ne quis aliam fidem à Nicæno Concilio ſcribat aut profiteatur, idq́; ea intentione factum eſt ab illis, vt oſtenderent illicitam eſſe & ſacro Epheſino Concilio contrariam additionem, quam Latini ad Symbolum vocem, FILIOQVE, addiderunt. In quem finem etiam quædam teſtimonia Cyrilli, & quarti Chalcedonenſis Concilij Symbolum recitari mandârunt, in cuius fine iſta habentur: Sancta generalis Synodus definit atque determinat, vt aliam fidem conſcribere aut componere, aut docere liceat nemini. Qui verò quippiam tale commiſerint, aut aliud commentitium Symbolum ex gentilibus vel Iudæis aut hæreticis ad noſtrā religionem venientibus tradere auſi fuerint, ſi clerici, priuentur: laici verò anathemate notentur.

Ad eiuſdem aſſertionis confirmationem, ex quinto Concilio partem ſermonis Ioannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, & literas Vigilij Papæ: ex ſexto Concilio decretum cum quadam Epiſtola Agathonis: ex ſeptima Oecumenica ſynodo Nicæna definitionem fidei ibidem promulgatam adduxerunt. Cumq́; Latini quendam vetuſtiſſimum codicem, in quo ſcriptum erat, ſanctum Spiritum ex Patre Filioq́ue procedere, magna cum admiratione in medium attuliſſent, lectaq́; eiuſdem fidei definitione codicem authenticum eſſe oſtendiſſent, Marcus Epheſius ex recitatis ſupradictorum Conciliorum, Pontificum & Epiſcoporum de fide ſententijs concluſit, nullam additionem ad Symbolum appoſitam recipiendam eſſe, conceſſa interim Latinis ad hæc reſpondendi facultate.

Seſſionis [...] deſcriptio

Sexta ſeſſione, cum octaui Oecumenici Concilij volumen Iulianus à Græcis, prout priuatim promiſerāt, ſibi cōmodato dari petiuiſſet, eoq́; dumaxat fine impetraſſet, vt exinde aliorum Conciliorum definitiones recitaret, nihil verò ex octaua ſynodo, quam Græci ſchiſmatici reprobabant, adduceret, atque paulò poſt quam codice prædicto vſus fuiſſet, eundem redderet, Andreas Coloſſenſis Epiſcopus Marci Epheſij aſſertionem ſupra recenſitam impugnaturus, quatuor aſſertiones ponit, quarum duas hac, reliquas ſequente ſeſſione demonſtrauit.

I. Aſſertio Coloſſ.

Prior eiuſdem Andreæ aſſertio hæc eſt: acceſſio vocis, Filioq́;, quam Græci additionē appellant, expoſitio eſt nominanda, eamq́; hoc ſyllogiſmo dialectico breuiter confirmat more. Nulla expoſitio vel dilucidatio alicuius artis aut ſcientiæ debet additio appellari; ſed acceſſio vocis, Filioq́; eſt expoſitio vocis, ex Patre. ergo acceſſio vocis, Filioq́;, non debet appellari additio. Maiorem probat hac ratione: Omnis additio fit per extranea: quia expoſitiones ex intrinſecis rei principijs deducuntur & inferuntur. ergo nulla expoſitio eſt vel nominari poteſt additio. Eandem maiorem confirmat abſurdorum quorundam illatione, quòd ſi nulla inter expoſitionem & additionem differentia conſtituatur, neceſſum ſit fateri omnia poſteriora Concilia illegitima eſſe: quia ipſius Gregorij Theologi teſtimonio, ipſaq́; rei euidentia conſtet, plura contineri in Symbolis & fidei definitionibus poſteriorum Conciliorum, quæ in Nicæno Concilio nequaquam ſcripta reperiuntur. Imò eiuſdem Marci Epheſij confeſſione probat, quòd non omnis expoſitio ſit additio cenſenda, cùm ipſe liberè profiteatur. Nicænum & Conſtantinopolitanum vnum eſſe ſymbolum; quia vnum eundemq́; ſymboli ſenſum ſeruârunt, etiāſi verbis diſcrepent. Minorē primi ſyllogiſmi hoc argumento cōfirmat. Spiritus S. procedit ex Patre, vt conceditis, ergò etiam ex Filio, quia auctoritate Scripturæ, & SS. Patrum teſtimonio, omnia bona eſſentialia patris ſunt bona filij, iuxta illud Ioan. 17. Mea omnia tua, & tua mea ſunt.

Aſſertio. Coloſſen. Epiſcopi.

Secunda aſſertio quam hac eadem ſeſſione contra Græcos demōſtrauit idem Andreas Coloſſ. Epiſcopus, iſta eſt: Additiones eiuſmodi per quas exponitur fides, non ſunt interdictæ. probat eā, quia huiuſmodi additiones per Nicænū Apoſtolico: per Epheſinū & Chalcedonenſe Nicæno acceſſère. Cùm itaq; dictu abſurdum videatur, ſanctiſſimos illos Patres omnes anathematis ſententiam incurriſſe, abſurdiſſimum quoq; fuerit nouiſſimi temporis Eccleſiam ijs liminibus circumſcribere, vt ad fidem magis perſpicuè explicandam, & nouas hæreſes impugnandas, ne vnum Iota Symbolo fidei adijcere liceat. Addit auctoritate S. Apoſtoli 2. ad Corinth. cap. 3. literam occidere, ſpiritum viuificare, ideoq́; exemplo Gregorij Nazianzeni ſcriptoris Græci, non tam literæ, quàm ſenſui literali ſtandum videri. Præterea non eſt illicitum, inquit, Græcis græcè: Latinis latinè vnum idémque Symbolum recitare: ergò neque illicitum eſt diuerſis verbis idem exponere, modò nihil fidei contrarium addatur.

Tertiò, ſicut non eſt illicitum ex principio philoſophico latentes in eo concluſiones alias atque alias deducere; ita non poteſt videri alienum à fide, ſi quis ex principio Theologico contentam obſcurius in ea concluſionem euidenter eliciat.

Quartò, quòd licuit paſtoribus Eccleſiæ primitiuæ, Apoſtolis nimirùm, idem non eſt inconceſſum noſtri & poſteriorum ſeculorum ordinarijs paſtoribus, quia Chriſtus promiſit, ſe omni tempore vſq; ad mūdi conſummationem Eccleſiæ affuturum. Licuiſſe autem Apoſtolo ex generalibus fidei principijs alia dogmata inferre & exponere, probat eiuſdem teſtimonio ad Epheſ. c. 4. vbi cùm dixiſſet: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, intulit alibi, ergo & vna Eccleſia.

Quintò & vltimò ait, ſi non liceret per expoſitionem aliquid ad dogmata fidei ſuperaddere, nulla ratione hæreſes impugnari & extirpari poſſent. Quare cùm hac de cauſa Conſtantinopolitanum

Nicano, & poſteriora Concilia prioribus ſidei formulis aliquid per expoſitionem adiecerint, concludit contra Græcos nulla ratione interdictas eſſe huiuſmodi additiones ſyllabarum aut vocum, per quas fides non deſtruitur, ſed contra hæreſes defenditur, & acrius propugnatur, nulloq́; modo probari poſſe Latinam Eccleſiam hac de cauſa anathematis ſententiam incurriſſe.

Seſſio 7.

Septima Seſsio celebrata eſt 25. Octobris. Hæc reliqua duo capita iſta congruam fuiſſe illam vocis Filioque *additionem, eamq́; ab omnibus fidelibus recipiendam eſſe, libenter quidem initio ſtatim proſecutus fuiſſet; ſed impediuerant Græci qui priuatim nō ſatis aptè ſuſtinuerant, nihil iſta ad ſuæ aſſertionis refutationem pertinere. Quare poſtpoſitis duorum iſtorum capitū probationibus, hac Seſsione Græcorum rationes ſuprà ſeſsione allatas inprimis refutauit, Nicæni Cōcilij recitationem nihil obſtare dixit, vtpote quod in eo de proceſſione Spiritus ſancti ex Filio nihil explicitè contineatur, implicitè verò non tantùm Arrij, verumetiam Macedonij & Neſtorij hæreſim impugnet.*

Reſpōdetur rationibus & argumentis ab Epheſio allatis.

Ad auctoritatem Concilij Epheſini, ſicut etiam Epiſtolam Cyrilli reſpondit, per ea nihil aliud prohiberi, quàm vt diuerſa fides noua non componatur, ſcribatur aut proferatur. Cùm itaq; vnum religionis ſit, credere ſpiritum ſanctū procedere ex Filio, quē ex Patre procedere profitemur, per hoc nihil dogmatis noui ad fidem additur, ſed tantùm obſcurior articulus fidei explicatur: Similiter reſpondit ad verba Definitionis fidei in Concilio Chalcedonenſi promulgatæ, videlicet interdictam eſſe immutationem ſenſus, non verborum quibus dogmata implicita magis exponūtur; eamq́; ſuam reſponſionem hoc ſimili illuſtrauit: Sacroſanctum Euangelium perfectiſsimam doctrinam fidei noſtræ continet; & tamen Græcis & Latinis Patribus & Doctoribus illud exponere licuit: immò cùm Arius ex illo Scripturæ Pater maior me eſt, *concluderet Dei Filium creaturam eſſe; non tantùm licitum, ſed & neceſſarium erat, vt Patres Concilij declararent, qua ratione Pater maior Filio, quave eidem æqualis eſſet. Eadem eſt neceſsitas quoties noua exoritur hæreſis.*

Ad id, quod dicebat Epheſius ſymbolum perfectum eſſe, adeoq́; nihil illi addi debuiſſe, reſpondit illud fuiſſe perfectum quoad veritatem & fidem; non autem quoad notionem. Omnia dogmata fidei in ſymbolo explicitè vel implicitè continentur; vt verò ea quæ implicitè continentur, omnibus fidelibus innoteſcant, opus eſt dilucida expoſitione & explanatione. Similiter reſponſum eſt ad verba Quinti Concilij & Epiſtolam Vigilij. Reſponſuris ad Sexti Cōcilij definitionem, orta eſt quædam cōtrouerſia de varietate lectionis. Nam Sexti Concilij acta, quæ proferebātur à Latinis habebant, Deum de Deo, & de cœlis, *quæ apud Acta Concilij Conſtantienſis, Epheſini & Chalcedonenſis non reperiuntur. Vnde Latini Græcos confutârunt, non eſſe alienum à ratione, vt poſt Epheſinum & Chalcedonenſe Concilium Conſtantinopolitano ſymbolo aliqua vox, quæ fidei non aduerſatur, addita fuerit. Poſtquàm ergò Andreas & Iulius Cardinalis oſtendiſſent, definitionem Sexti Concilij multò minus, quàm literas Agathonis Papæ huic expoſitioni Latinorum obſtare, formulam fidei in Nicæno Concilio ſecundo recitatam pro ſe allegarunt, vtpote cùm in ea apertis verbis contineatur Spiritum ſanctum à* Patre Filioque *procedere. Ad id verò, cur in Chalcedonenſi Concilo Patres prohibuerint verbum* Deiparam *ad Symbolum apponi, reſpondet id factum eſſe ideò, quia non erat neceſſaria additio eius vocis, quæ pluribus alijs Symboli verbis apertè continebatur, vel ſaltem ſatis expreſſè intelligebatur. His peractis conclusit Andreas nihil aliud à Græcis probatum eſſe, quàm quòd diuino ſymbolo nouam fidem addere non liceat.*

Poſt hæc tranſit ad probationem quarti capitis ſupradicti, quòd nimirum Romana Eccleſia eandem particulam explicitè ad ſymbolum addere licuerit, ideo, quòd Spiritum ſanctum ex Patre Filioque *procedere cum S. Auguſtino, Gregorio, Hilario, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Athanaſio omnes ferè Patres doceant: idemq́; plures hiſtorici ſcribant & apertè profiteantur.*

Hac de cauſa cùm Imperator dubitaret, num in Synodo hiſtorijs ſtandum eſſet? Andreas reſpōdit, Eccleſiaſticis hiſtorijs iure meritoq́; fidem haberi. Quo dicto pergit probare quod cœperat, nimirum licitè & conuenienter à Rom. Eccleſia particulā Ex Filioque, *declarationis cauſa ſymbolo additam fuiſſe etiamſi eadē ſine Græcis, quod illi omiſſum accuſabant, huius rei cauſa Concilium congregaſſet.*

Romana Eccleſia licitè addidit ad ſymbolū vocem Filioque.

Nam ſicut nullum Cōcilium, Græcis auctoribus atteſtantibus, ratum eſt & approbatum, quod citra conſenſum ſedis Apoſtolicæ celebratum eſt maximè ſi Oecumenicum fuerit; ita ecōtrà firmum & ſtabile ait eſſe ſynodale decretum, quod auctoritate Apoſtolica congregatum eſt, & approbatum: ſiue Orientales & Occidentales ſimul, ſiue etiam alterutri tantùm Epiſcopi plures, aut pauciores interfuiſſent. Pontificis enim auctoritas abſentium ſupplet poteſtatem, vt conſtat teſtimonio Stephani Doctoris Græci. Vbi eos, qui iniuſſu Pontificis, aut eius vicarij Concilium celebrare volebāt, vehementer increpat. Inde cùm intuliſſet Andreas Romanam Eccleſiam minimè argui poſſe, quòd Græcis inconſultis Symbolum ſic declarârit, idq́; ſancti Maximi auctoritate, aſſerentis Romanam Eccleſiam immeritò ab Orientalibus accuſare comprobaret, Nicolaus, Græcorum interpres aſſerebat, dictum illud apud ſanctum Maximum ſuppoſititium eſſe; Andreas verò illo poſito non conceſſo reſpondit optimè demonſtratum eſſe, quòd nequaquàm Græcis ignorātibus Romana Eccleſia controuerſam particulam Filioque *Synodo appoſuerit, vtpote cuius non tantùm in ſexta Oecumenica; verumetiam in ſeptima Nicæna Synodo expreſſa mentio inueniatur.*

Addit Tharaſium Conſtantinopolitanum Patriarcham act. 3. in Concilio Nicæno ſecūdo profeſſum fuiſſe Spiritum ſanctum ex Patre per Filium, id eſt, ex Filio procedere. Quòd ſi à Tharaſio rectè factum aſſeratur, cur non idem Romana Eccleſia licuerit? Repetit deinde, quod ſuprà dixerat, apud Acta Concilij Nicæni Secundi expreſsè legi, quòd Spiritus ſanctus ex Patre Filioque *procedat.*

Poſt hæc certiſsimo ait argumento indicare & oſtendere innocentiā Romanæ Eccleſiæ illud, quòd Photius eiuſdem Eccleſiæ acerrimus inimicus, nullam de additione ad Symbolum facta mentionem habens, Nicolao & Hadriano nihil aliud obiecerit, quàm quòd præuaricatores eſſent anathemate condemnati, quodq́; tempore Iuſtiniani Imperatoris Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus eam Epiſtolam Hormiſdæ ſuſcepiſſet, qua ille Spiritum ſanctum à Patre Filioque *procedentem confiteretur. Octauam Oecumenicam Synodum, quod Epheſius aiebat, ſubſequente Concilio Oecumenico aliquo legitimo reprobatam, atq; in eodem Ioannem Romanum Pontificem abdicatum, hancq́; partem à Symbolo relegatam fuiſſe negat, eo fretus argumento, quod cum ſummis Pontificibus & Romana Eccleſia illi decreto nequaquàm obtemperantibus hucuſq; communicauerint. His dictis concluſit, quod hactenus probauerat explanationem illam Symboli à Romana Eccleſia licitè & neceſſariò peractam eſſe. Iulianus ad confirmandum ea, quæ Coleſſenſis de poteſtate Romani Pontificis circa fidei declarationem produxerat, literas Agathonis Papæ legi mandauit, quibus expreſsis verbis indicatur, quòd Romani Pontificis ſit ambigua fidei dogmata explicare, atq; explicata tueri ac defendere.*

Octaua Seſsione quæ habita eſt Kalend. Nouemb. Beſſarion Nicænus Orator facundiſsimus partes Græcorum defenſurus, ea quæ precedētibus Seſsionibus duabus copioſè diſſeruerat, repetit, & poſtquàm ad ſingula capita quatuor generatim negādo & inficiando reſpondiſſet, redit ad primum; reſumptoq́; toto ſyllogiſmo illo, quē ſuprà enarraui, reſpondet maiorē conceſſa minore negando: nimirū quòd nulla expoſitio ab extraneis principijs deſumi poſsit. Imò inquit, hæc expoſitio de qua controuertitur, ab extraneis deſumpta eſt. Cum illa enunciatio, omnia bona eſſentialia Patris ſunt Filij, huic concluſioni, ergo Spiritus ſanctus ex Filio procedit, ſit planè extrinſeca; maximè ideò, quòd vox Filioq; *non tantùm extranea, verumetiā Patri re ſignificata ſimilis: voce autē diſsimilis ſit. Quiſquis igitur ea ratione per appoſitionem vocis* Filioq; *Symbolū declarat, ille eidē ſymbolo contrà prohibitionē Epheſini Concilij additionem apponit. Ad reliquas probationes quatuor, quibus Coloſſenſis cōfirmabat licitū & neceſſariū eſſe, vt ſymbolo declarationis quadā apponantur, reſpondit declarationes fidei ſemper cōceſſas fuiſſe, atq; etiamnum concedi, imò verò etiam Patribus Nicæni & Conſtantinopolitani Concilij licuiſſe, vt fidem declaratā ſymbolo adijcerent: ſed cum eorū exemplo poſteriores abuterentur, variaq́; fidei formulæ cōſcriberentur, ſacroſancta ſynodus Epheſina definiuit, licere quidē controuerſos fidei articulos explicare & interpretari: factā verò explicationē nequaquā ſymbolo ſuperaddere licere. Hanc ſuam ille reſponſionem confirmabat duplici ratione. Quarum prior eſt: Epheſina Synodus additionem prohibuit diuerſam ab illa, quæ interdicta fuerat duab. anterioribus. Quare cùm illæ mandauerint, ne quid contra fidē à ſe traditā & expoſitā adderetur, haud dubio tertia ſynodo Epheſina interdictū erat, ne ſimpliciter vlla vocū mutatio vel additio ad ſymbolum adijceretur.*

Poſterior ratio eſt, Epheſina ſynodus vocem Deiparam, quanuis pro fidei dogmate contra Neſtorium explicando neceſſaria eſſet, pluribuſq́; verbis ſymboli implicita contineretur, ſuperaddere recuſauit. Præterea ea, quæ de duabus naturis in Chriſti perſona inconfusè exiſtentibus, duarumq́; voluntatum operationibus

Nicæno, & poſteriora Concilia prioribus fidei formulis aliquid per expoſitionem adiecerint, concludit contra Græcos nulla ratione interdictas eſſe huiuſmodi additiones ſyllabarum aut vocum, per quas fides non deſtruitur, ſed contra hæreſes defenditur, & acrius propugnatur, nulloq; modo probari poſſe Latinam Eccleſiam hac de cauſa anathematis ſententiam incurriſſe.

Seſſio 7.

Septima Seſſio celebrata eſt 25. Octobris. Hæc reliqua duo capita iſta congruam fuiſſe illam vocis Filioque additionem, eamq; ab omnibus fidelibus recipiendam eſſe, libenter quidem initio ſtatim proſecutus fuiſſet; ſed impediuerant Græci qui priuatim nō ſatis aptè effutiuerant, nihil iſta ad ſuæ aſſertionis refutationem pertinere. Quare poſtpoſitis duorum iſtorum capitū probationibus, hac Seſſione Græcorum rationes ſuprà ſeſſione allatas inprimis refutauit, Nicæni Cōcilij recitationem nihil obſtare dixit, vtpote quod in eo de proceſſione Spiritus ſancti ex Filio nihil explicitè contineatur, implicitè verò non tantùm Arrij, verumetiam Macedonij & Neſtorij hæreſim impugnet. Ad auctoritatem Concilij Epheſini, ſicut etiam Epiſtolam Cyrilli reſpondit, per ea nihil aliud prohiberi, quàm vt diuerſa fides noua non componatur, ſcribatur aut proferatur. Cùm itaq; verum religionis ſit, credere ſpiritum ſanctū procedere ex Filio, qui ex Patre procedere profitemur, per hoc nihil dogmatis noui ad fidem additur, ſed tantùm obſcurior articulus fidei explicatur: Similiter reſpondit ad verba Definitionis fidei in Concilio Chalcedonenſi promulgatæ, videlicet interdictam eſſe immutationem ſenſus, non verborum quibus dogmata implicita magis exponūtur; eamq; ſuam reſponſionem hoc ſimili illuſtrauit: Sacroſanctum Euangelium perfectiſſimam doctrinam fidei noſtræ continet; & tamen Græcis & Latinis Patribus & Doctoribus illud exponere licuit: imò cùm Arrius ex illo Scripturæ Pater maior me eſt, concluderet Dei Filium creaturam eſſe; non tantùm licitum, ſed & neceſſarium erat, vt Patres Concilij declararent, qua ratione Pater maior Filio, quave eidem æqualis eſſet. Eadem eſt neceſſitas quoties noua exoritur hæreſis.

Reſpōdetur rationibus & argumentis ab Epheſio allatis.

Ad id, quod dicebat Epheſius ſymbolum perfectum eſſe, adeoq; nihil illi addi debuiſſe, reſpondit illud fuiſſe perfectum quoad veritatem & fidem; non autem quoad notionem. Omnia dogmata fidei in ſymbolo explicitè vel implicitè continentur; vt verò ea quæ implicitè continentur, omnibus fidelibus innoteſcant, opus eſt dilucida expoſitione & explanatione. Similiter reſponſum eſt ad verba Quinti Concilij & Epiſtolam Vigilij. Reſponſuris ad Sexti Cōcilij definitionem, orta eſt quædam cōtrouerſia de varietate lectionis. Nam Sexti Concilij acta, quæ proferebātur à Latinis habebant, Deum de Deo, & de cœlis, quæ apud Acta Concilij Conſtantienſis, Epheſini & Chalcedonenſis non reperiuntur. Vnde Latini Græcos confutàrunt, non eſſe alienum à ratione, vt poſt Epheſinum & Chalcedonenſe Concilium Conſtantinopolitano ſymbolo aliqua vox, quæ fidei non aduerſatur, addita fuerit. Poſtquàm ergò Andreas & Iulius Cardinalis oſtendiſſent, definitionem Sexti Concilij multò minus, quàm literas Agathonis Papæ huic expoſitioni Latinorum obſtare, formulam fidei in Nicæno Concilio ſecundo recitatam pro ſe allegarunt, vtpote cùm in ea apertis verbis contineatur Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere. Ad id verò, cur in Chalcedonenſi Concilio Patres prohibuerint verbum Deiparam ad Symbolum apponi, reſpondet id factum eſſe ideò, quia non erat neceſſaria additio eius vocis, quæ pluribus alijs Symboli verbis apertè continebatur, vel ſaltem ſatis expreſſè intelligebatur. His peractis conclufit Andreas nihil aliud à Græcis probatum eſſe, quàm quòd diuino ſymbolo nouam fidem addere non liceat.

Poſt hæc tranſit ad probationem quarti capitis ſupradicti, quòd nimirum Romana Eccleſia eandem particulam explicitè ad ſymbolum addere licuerit, ideo, quòd Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere cum S. Auguſtino, Gregorio, Hilario, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Athanaſio omnes ferè Patres doceant: idemq; plures hiſtorici ſcribant & apertè profiteantur.

Hac de cauſa cùm Imperator dubitaret, num in Synodo hiſtorijs ſtandum eſſet? Andreas reſpōdit, Eccleſiaſticis hiſtorijs iure meritoq; fidem haberi. Quo dicto pergit probare quod cœperat, nimirum licitè & conuenienter à Rom. Eccleſia particulā Ex Filioque, declarationis cauſa ſymbolo additam fuiſſe etiamſi eadē ſine Græcis, quod illi omiſſum accuſabant, huius rei cauſa Concilium congregaſſet. Nam ſicut nullum Cōcilium, Græcis auctoribus atteſtantibus, ratum eſt & approbatum, quod citra conſenſum ſedis Apoſtolicæ celebratum eſt, maximè ſi Oecumenicum fuerit; ita ecōtrà firmum & ſtabile ait eſſe ſynodale decretum, quod auctoritate Apoſtolica congregatum eſt, & approbatum: ſiue Orientales & Occidentales ſimul, ſiue etiam alterutri tantùm Epiſcopi plures, aut pauciores interfuiſſent. Pontificis enim auctoritas abſentium ſupplet poteſtatem, vt conſtat teſtimonio Stephani Doctoris Græci. Vbi eos, qui iniuſſu Pontificis, aut eius vicarij Concilium celebrare volebāt, vehementer increpat. Inde cùm intuliſſet Andreas Romanam Eccleſiam minimè argui poſſe, quòd Græcis inconſultis Symbolum ſic declarârit, idq; ſancti Maximi auctoritate, aſſerentis Romanam Eccleſiam immeritò ab Orientalibus accuſare comprobaret, Nicolaus, Græcorum interpres aſſerebat, dictum illud apud ſanctum Maximum ſuppoſititium eſſe; Andreas verò illo poſito non conceſſo reſpondit optimè demonſtratum eſſe, quòd nequaquàm Græcis ignorātibus Romana Eccleſia controuerſam particulam Filioque Synodo appoſuerit, vtpote cuius non tantùm in ſexta Oecumenica; verumetiam in ſeptima Nicæna Synodo expreſſa mentio inueniatur.

Romana Eccleſia licitè addidit ad ſymbolū vocem Filioque.

Addit Tharaſium Conſtantinopolitanum Patriarcham act. 3. in Concilio Nicæno ſecūdo profeſſum fuiſſe Spiritum ſanctum ex Patre per Filium, id eſt, ex Filio procedere. Quòd ſi à Tharaſio rectè factum aſſeratur, cur non idem Romana Eccleſia licuerit? Repetit deinde, quod ſuprà dixerat, apud Acta Concilij Nicæni Secundi expreſſè legi, quòd Spiritus ſanctus ex Patre Filioque procedat.

Poſt hæc certiſſimo ait argumento indicare & oſtendere innocentiā Romanæ Eccleſiæ illud, quòd Photius eiuſdem Eccleſiæ acerrimus inimicus, nullam de additione ad Symbolum facta mentionem habens, Nicolao & Hadriano nihil aliud obiecerit, quàm quòd prævaricatores eſſent anathemate condemnati, quodq; tempore Iuſtiniani Imperatoris Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus eam Epiſtolam Hormiſdæ ſuſcepiſſet, qua ille Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedentem confitetur. Octauam Oecumenicam Synodum, quod Epheſius aiebat, ſubſequente Concilio Oecumenico aliquo legitimo reprobatam, atq; in eodem Ioannem Romanum Pontificem abdicatum, hancq; partem à Symbolo relegatam fuiſſe negat eo fretus argumento, quod cum ſummis Pontificibus & Romana Eccleſia illi decreto nequaquàm obtemperantibus hucuſq; communicauerint; His dictis concluſit, quod hactenus probauerat explanationem illam Symboli à Romana Eccleſia licitè & neceſſariò peractam eſſe. Iulianus ad confirmandum ea, quæ Coloſſenſis de poteſtate Romani Pontificis circa fidei declarationem produxerat, literas Agathonis Papæ legi mandauit, quibus expreſſis verbis indicatur, quòd Romani Pontificis ſit ambigua fidei dogmata explicare, atq; explicata tueri ac defendere.

Octaua Seſſione quæ habita eſt Kalend. Nouemb. Beſſarion Nicænus Orator facundiſſimus partes Græcorum defenſurus, ex quæ præcedētibus Seſſionibus duabus copioſè diſſeruerat, repetit, & poſtquàm ad ſingula capita quatuor generatim negādo & inficiando reſpondiſſet, redit ad primum; reſumptoq; toto ſyllogiſmo illo, quē ſuprà enarraui, reſpondet maiorē conceſſa minore negando: nimirū quòd nulla expoſitio ab extraneis principijs deſumi poſſit. Imò inquit, hæc expoſitio de qua controuertitur ab extraneis deſumpta eſt. Cum illa enunciatio, omnia bona eſſentialia Patris ſunt Filij. huic concluſioni, ergo Spiritus ſanctus ex Filio procedit, ſit planè extrinſeca; maximè ideò, quòd vox Filioq; non tantùm extranea, verumetiā Patri re ſignificata ſimilis; voce autē diſſimilis ſit. Quiſquis igitur ea ratione per appoſitionem vocis Filioq; Symbolū declarat, ille eidē ſymbolo contrà prohibitionē Epheſini Concilij additionem apponit. Ad reliquas probationes quatuor, quibus Coloſſenſis cōfirmabat licitū & neceſſariū eſſe, vt ſymbolo declarationis quadā apponantur, reſpondit declarationes fidei ſemper cōceſſas fuiſſe, atq; etiamnum concedi, imò verò etiam Patribus Nicæni & Conſtantinopolitani Concilij licuiſſe, vt fidem declaratā ſymbolo adijcerent: ſed cum eorū exemplo poſteriores abuterentur, variæq; fidei formulæ cōſcriberentur, ſacroſancta ſynodus Epheſina definiuit, licere quidē controuerſos fidei articulos explicare & interpretari: factā verò explicationē nequaquā ſymbolo ſuperaddere licere. Hanc ſuam ille reſponſionem confirmabat duplici ratione. Quarum prior eſt: Epheſina Synodus additionem prohibuit diuerſam ab illa, quæ interdicta fuerat duab. anterioribus. Quare cùm illæ mandauerint, ne quid contra fidē à ſe traditā & expoſitā adderetur, haud dubiè tertia ſynodo Epheſina interdictū erat, ne ſimpliciter vlla vocū mutatio vel additio ad ſymbolum adijceretur.

Seſſionis 8. deſcriptio.

Quæ Beſſarion ad argumenta Andreæ Coloſſ. reſpōdet.

Poſterior ratio eſt, Epheſina ſynodus vocem Deiparam, quam tamen pro fidei dogmate contra Neſtorium explicando neceſſaria eſſet, plurimiq; verbis ſymboli implicitè contineretur, ſuperaddere recuſauit. Præterea ea, quæ de duabus naturis in Chriſti perſona inconfusè exiſtentibus, duarumq; voluntatum operationibus

ra Neſtorium, Eurycheten & Monothelitas, Epheſino, Chalcedo ſi & ſexto Oecumenico Cōcilio fidei expoſitiones ſunt, quæ in ipſo bolo implicitè cōtinentur: & tamen nihil horum ad publicā fidei feſſionem Nicænam ſuperadditum fuit.

Ad auctoritatem Gregorij, aliorumq́; Patrum reſpondet, eos m declaraſſe, nequaquàm vero ſuo additamento auxiſſe. Si qui nen id ante prohibitionem Epheſinæ Synodi fecerunt, nullum per ſuæ aſſertioni præiudicium generari.

His dictis ſubmittens ſeſe in controuerſiæ deciſionem ait, quòd ſi ... probauerint poſt Epheſinum Concilium aliquā dictionem vel labam ſymbolo ſuperadditam fuiſſe, parati ſint ipſi in Latinorum ntentiam deſcendere. Ad Gregorium cognomento Theologum, ſyllabarum dictionumq́; rationem non eſſe habendam aſſerentem reſpondit, illum locutum eſſe de vocibus ſynonimis, quales ſunt perſona hypoſtaſis: veſtis & indumentum: hic verò controuerti de vocibus atre & Filio diuerſum planè ſignificantibus.

Ad id quod allegabat Andreas vnumq́; idemq́; ſymbolum licitè æco & latino idiomate efferri & cantari, adeoq́; nō illicitè Latinos ofiteri Spiritum ſanctū Ex Patre Filioq́; procedentē, vtpote quæ ces duæ ſunt vnum Spiritus ſancti principium ſignificantes; reſpondit verum eſſe antecedens, quia voces illæ ſint ſigna eiuſdem : conſequens autem ſuo iudicio falſum eſſe, quia Pater & Filius voces diuerſæ ſunt, resq́; planè diuerſas ſignificāt. Addit, etiamſi m vnam ſignificarent, nequaquā propter prohibitionem ſynodo inrendas fuiſſe.

Ad id quod de principijs eorumve conſequentijs è principio deductis allegatum eſt, reſpondit inprimis gratum fore ſi probetur, conſequentem concluſionem ex prædicto principio verè & rectè inferri ...ſe ... quanquàm id probatum foret; tamen eam doctrinam ſymbolo non magis eſſe aſcribendam contendit, quā demonſtratiua conlo ... eſt addenda eiuſdem demonſtratiui ſyllogiſmi principijs. Adſicut nequaquàm ex ſacra ſcriptura deductas fidei cōſequentias ipſi ſcripturæ inſerere licet; ita ſymbolo, quod eſt vnum ex Theologi... principijs nequaquàm addere licere eam expoſitionem, quæ ex eiuſdem verbis eſt illata. Eccleſiam, quod ſuprà dicebatur, vnam & eandem, pariq́; poteſtate præditam ſemper fuiſſe fatetur, cum ea tamen limitatione, quod anteriorum Conciliorum decreta obſeruare & non euertere debeat. Nam ſi aliter ageret, ſeipſam deſtrueret. Addit, quia de exponendis fidei articulis ab Eccleſia nulla facta eſſet prohibitio non minus cuilibet fidelium, quam Agathoni Cyrillo aut Sophronio ſacræ Scripturæ interpretationem eſſe cōceſſam. Ad extremum contra reſponſiones Andreæ Coloſſenſis ad argumenta Marci Epheſij ſeſſ. ſuperiori factas replicauit: Inprimis Nicænæ Synodi ſymbolum fuiſſe recitatum, quia vnum idemq́; cenſetur cum Conſtantinopolitano, cui ne deinceps aliquid apponeretur in Epheſino Concilio interdictum fuit. Secundò ait, vocum & ſyllabarum rationem non eſſe admodum curandam, ſi poſt factam prohibitionem ad ſymbolum non addantur.

Seſſio nona celebrata eſt Ferrariæ 4. Nouebris, in qua Beſſarion ad ſex puncta ab Andrea ſuperiore ſeſſione allata reſpondit. Ad primum reſpondens dicebat falſum eſſe illud Cyrilli, quòd fidem euitare & fidem declarare diuerſa ſignificent. Ad ſecundum dixit, etiāſi interdictū poſt decreta promulgatum fuiſſet, nihilominus ipſum tenere, cum Patres tertiæ Synodi de ſingulis ſymboli partibus diſſeruerint.

Ad tertium & quartum, ait Agathonem Pontificē dictiones eas tātùm prohibuiſſe, quæ res à fide diuerſas ſignificant, eundemq́; virū ſanctiſſimum ad fidem ſuā exponendā ſymbolo quędā addidiſſe, quędam detraxiſſe negat; ſed potius quoduis additionis genus prohibens Decreta in nullo immutari, augeri vel minui; omniaq́; in verbis & intelligentia eadem relinqui voluiſſe. Exponere tamen ſymboli partes haud vetuiſſe, ne Doctoribus materia laborandi deeſſet; ſed communem tradi doctrinam vel traditā ſyllabam aliquam mutari prohibuiſſe; ac proptereà ſtudioſè verbo Mutatur vſum eſſe.

Ad quintum, reſpondit vocē Deipara, ad ſymbolum declarandū neceſſariā fuiſſe quia actis ſynodi inſerta habetur. Cumq́; eadē etiā ſi ad declarandam fidem neceſſaria foret, auctoritate Cōcilij ſymbolo addita nō fuerit, argumētum ſuum verum eſſe & benè cōtra additionem illicitè factam procedere concludit.

Ad ſextum reſpondet falſum eſſe, quod Romana Eccleſia ſanctorū Patrum vocibus mota, aut neceſſitate coacta, eam additionem iure ſuo fecerit: imò nulla neceſſitate cogente eam id facere potuiſſe, vrgebat, cùm Decreta Synodi nullo caſu neceſſitatis id fieri poſſe concedant, etiamſi ſedis Romanæ prærogatiuæ nihil adimatur.

Quibus abſolutis prædictus Beſſarion quæſiuit, quomodo SS. Patrum interdictum intelligerent, an ad ſymbolum vel aliud referret. Ad quod Præſul Coloſſenſis volens reſpondere, longam de proceſſione Spiritus ſancti orationem habuit. Quā ad propoſitum ſpectare negantes, neq; calamum neq; aures eidem præbuêre.

Seſſio X.

Seſſio X. celebrata eſt Ferrariæ die Sabbathi 8. Nouembris. In hac repetitis ijs quæ ſuprà geſta fuerant, Ioannes prouincialis Latinorum diſputator oſtēdit, additionem illam particularum, ex Filioq́; nulla ratione prohibitam, ſed potius licitam eſſe declarationem: tum quòd Euangelium legis veteris ſit declaratio, etiamſi poteſtate à vetere contineatur; tum etiam quòd Eccleſia omni tempore controuerſias circa fidem exortas hactenus definiuerit, & obſcura expoſuerit.

Tria genera additionis ſunt, quorum tertiū licitum eſſe probat.

Vt oſtendat huiuſmodi additionem vetitam non eſſe, additionis tria genera diſtinguit: Quorum primum eſt, cùm additamentum rei additæ opponitur; Vt ſi Deum Patrem quis dixerit eſſe genitum: Alterum, quod à re cui opponitur tantùm, diuerſum eſt: Vt ſi Deum Patrem quis dixerit Geometram. Tertium, cùm vtrumq; eſt congruum: Vt ſi Flius dicatur Patri conſubſtantialis.

Primum genus additionis hæreticum; Secundum ineptum: Tertium, pium & Religionis declarandæ vtiliſſimum eſſe ait. Cùm igitur illa particula Ex Patre in Apoſtolorum ſymbolo poteſtate primùm contenta, ad retundendos Hæreticos à Patribus Conſtantinopolitani primi Concilij addita, adhuc quodammodò ambigua videretur, particulam Ex Filioque poſterioris ſæculi Patres Symbolo appoſuerunt, vt totum illum articulum clariſſimè explicarent.

Quod verò aiebat Beſſarion primitiuæ Eccleſiæ Patres Scripturæ declarandæ, ſymboliq́; augendi habuiſſe poteſtatem, quæ poſterioris ſæculi Eccleſiæ propter abuſum adempta fuit, Ioannes omninò negauit: quoniam interdicto Conciliorum Epheſini & Chalcedonenſis illi duntaxat contineantur & includantur, qui addendo vel mutando Eccleſiam euertere ſtudent: Addidit Eccleſiæ legitimè conuocatæ nunquàm addendi facultatem præreptam eſſe, vbi hæreſeos periculum & neceſſitas ipſa eandem requirunt.

Concludit igitur, Romanam Eccleſiam particulam Ex Filioq́; non addidiſſe, vt Symbolum Conſtantinopolitanum fidemq́; ipſam euerteret: ſed vt Nicænum & Conſtantinopolitanum idem eſſe, idemq́; ſignificare declararet.

Seſſionis 11. deſcriptio.

Seſſio XI. habita Ferrariæ vndecimo Nouembr. In ea Iulianus Cardinalis pro parte Romanæ Eccleſiæ in gratiam ſimplicium ſuperiora clarius explicat & repetit, primosq́; interdicti auctores Anaſtaſium & Photium, Neſtorianos hæreticos fuiſſe dicit, qui aliud ſymbolum fidei proferentes, & Iacobum quendam ad hæreſin diſſeminandam emittentes plurimos deceperunt. Econtrà verò Chariſium, vt ſe orthodoxum probaret, imprimis ſymbolum ſuum, quod neq; Nicænum, neq; Conſtantinopolitanum eſſe conſtabat, cùm Spiritum Patri & Filio conſubſtantialem poſuiſſet, in publica Synodo recitaſſe oſtendit; ac tum demùm ſynodali Decreto ſanxiſſe, ne cui aliam fidem proferre aut docere liceret; ſimulq́; confictum illud Neſtorianorum Symbolum, nulla prorſus Chariſij mentione facta condemnaſſe.

Vnde, ſi mens Concilij fuiſſet, quamcunq; aliam à Nicæna fidei profeſſionem interdicere, Chariſij quoq; Symbolum & expoſitio hic damnata fuiſſet. Synodus enim contraria ſcriptis vel verbis proferre vetuit; expoſitionem nequaquàm interdixit, cùm & aliâs Deum æternum, infinitaq; alia credere, anathema foret, quæ ſub Symbolo non continentur, omnesq́; ferè Chriſtiani anathemate notarentur, ſi Synodus quoduis expoſitionis genus prohibuiſſet.

Dehinc literas Agathonis ad Synodum miſſas, non ab ipſo ſolo; ſed ab Occidentali Eccleſia, Synodo 125. occidentalium Præſulum conuocata, ſcriptas fuiſſe cenſet.

Beſſarioni reſpondens ait, quòd ſi nullo caſu neceſſitatis liceret Symbolum exponere, Patres Concilij Conſtantinopolitani primi, & ſexti Oecumenici grauiter deliquiſſent; quòd illi ad Nicænum Concilium plurima addidiſſent, hi verò ſuas quas ediderant conſtitutiones tamen euerti prohibuiſſent. Contrà verò vt probet additionem declarationis cauſa factam non eſſe illicitam, duplici vſus eſt exemplo; Altero Leonis Papæ: altero autem Flauiani Conſtantinopolitani Epiſcopi.

Non omnem additionē ad Symbolū factā, illicitam eſſe firmiſſimo argumento probatur.

Qui cùm in Concilio Chalcedonenſi accuſati fuiſſent, quaſi contra prohibitionem Synodi Epheſinæ egiſſent eo ipſo, quòd noua fidei dogmata explicatius docerent, & contra Hæreſiarchas defenderent, auctoritate eiuſdem Concilij Chalcedonēſis iuſtè meritoq́; abſoluti fuerunt, vtpotè qui ſuo additamento nō tam Symbolum euertiſſent, quàm diſtinctius contra hæreſes propoſuiſſent. Quare ſi talem declarationem Symbolo alicui nouo addentes Leo & Flauianus,

auctore-

auctoritate Chalcedonenſis Concilij non ſunt condemnati, euidentiſſimo argumento concluditur, quòd Epheſina Synodus non omnem additionem quæ fit exponendo & declarando; ſed eam duntaxat, quæ fidei dogmata euertit, ſua conſtitutione prohibuerit.

Seſſionis 12. deſcriptio. Seſſione XII. Veneris xv. Nouembris celebrata, Marcus Epheſius tres ob cauſas Neſtorianos in Synodo damnatos & à Chariſio accuſatos aſſerit. Quarũ prima eſt, quòd ſuum ſymbolũ ad inſtar Nicæni docuerint. Secunda, quòd in eo dogmata falſa multa extiterint. Tertia, quòd Neſtoriani Chariſium grauiſſimo odio perſequentes, quia ab illorum hæreſi defeciſſet, illi neceſſitatem impoſuerint, vt fidem ſuam exponeret, ſeq; Nicæno Concilio aſſentiri declararet. Quod factum Chariſij non modò non fuit illicitum: ſed etiam plurimorum Patrum exemplo comprobatum.

Ad hæc Iulianus reſpondens, ſecundam cauſam concedit, primam & tertiam inficiatur; Acceptatq; quod de Sophronij Agathonis Papæ expoſitionibus fidei, tempore ſexti Concilij licitè factis ingerit. Quæſitus deinde Marcus vtrùm Agatho Sophronius & Chariſius qui pro fide explananda ſcripſerunt, interdicto ſubiacerent? Reſpondit, quòd in ipſum interdictum nihil commiſerint. Vnde Iulianus inferens dicebat, ſi Chariſius hac in re nihil contra interdictum fecit, nequaquàm Romano Pontifici vniuerſalis Eccleſiæ curam gerenti illicitum erit aliquid ſuperaddere, quod ad fidem explanandam pertinet, addiditq;, ſi Neſtorianum Symbolum Catholicum fuiſſet, inſtar illius quod Chariſius & Agatho conſcripſerant, ſuſcipiendum fuiſſe.

Quærentiq; iterum Marco an Neſtoriani ſuum ſymbolum ita tradere potuerint, vt baptizandi illud profiteri deberent? Iulianus reſpondit, nemini hominum licere ſic proprium ſymbolum proferre, vt omnis Eccleſia ad id celebrandum teneatur, conceditq; Neſtorianos potuiſſe verum ſymbolum exponere, eo vti, idemq; proferre ac ſapere; quatenus verum fuiſſet: at communiter eodem in Concilijs vti, nequaquàm licuiſſe. Cumq; Marcus Epheſius illud ſuo inſtituto fauere dixiſſet, nimirùm ideò damnatos eſſe Neſtorianos, quòd ſuum ſymbolum velut Nicænum obtruſiſſent, ideoq; omnis deinceps augendi, immutandi, vel etiam explanandi licentia adempta eſſet, idq; auctoritate Cyrilli probare conatus fuiſſet, Iulianus illi contradicens aiebat Cyrillum pro ſua ſententia ſtare, ſiquidem per aliam fidem intelligat duntaxat fidem contrariam, expoſitiones fidei admittat; contrarias additiones expreſſè prohibeat. In cuius rei confirmationem iuſſu Cardinalis Iuliani recitata eſt expoſitio fidei à Cyrillo conſcripta, qua de Neſtorianis illud apertè profitetur, eos non alia de cauſa, quàm quòd fidem Nicæno ſymbolo contrariam docuiſſent, condemnatos eſſe.

His peractis, ijſq; quæ de additione vel explanatione facienda vel omittenda ſuperioribus ſeſſionibus dicta fuerunt, breuiter repetitis, inſtitit Iulianus, vt his deinceps omiſſis ad principalem quæſtionem de Spiritus ſancti proceſſione tranſeatur, an nimirum Spiritus ſanctus à Patre tantùm, vel à Patre ſimul & Filio procedat. Nam illâ controuerſia compoſita facilè futurum promittebat, vt de poteſtate addendi conueniretur.

Seſſio 13. Seſſio XIII. habita eſt 27. Nouembris, in qua cùm Oratores Ducis Burgundiæ in ſynodalem conceſſum intromiſſi, Põtificem duntaxat debito more ſalutaſſent, offenſus hac de cauſa Imperator Ferraria diſceſſiſſet, ſi non proxima ſeſſione ijdem Oratores Imperatorem debito honore & cultu proſecuti fuiſſent.

Seſſio 14. Seſſione XIIII. quarto die menſis Decembris celebrata Oratores ad Synodum intromiſſi Imperatorem ſalutârunt. Epheſius allegans Chariſij exemplum, impertinenter adductum eſſe, petijt vt omiſſis prolixioribus ſermonibus ſimpliciter res proponatur, & ad quæſtionem per affirmationem aut negationem ſimpliciter reſpõdeatur, Iulianus tam prolixa oratione contradixit, vt ferè dies potius quàm oratio dicentem deficeret.

Seſſione 15. de proceſſione Spiritus ſancti, ex Filio cœptum eſt agi. Seſſione XV. quæ habita eſt 18. Decembris, orationem de nulla additione ad ſymbolum facienda prolixiorem ab Epheſio recitatã, magna omnium admiratione Iulianus reſumpſit, & in 28. partes diſtributam refutauit. Cumq; Epheſius Iuliani: Iulianus viciſſim Epheſij orationem ad radium vſq; reſumpſiſſet & refelliſſet, ne Synodus ſine fructu diſſolueratur, egit Iulianus vt oſtenderent Græci impium eſſe dogma Latinorum de proceſſione Spiritus ſancti. Quod ſi facerent, futurum aiebat, vt nõ tantùm è ſymbolo vox Filioque; verumetiam vndequaq; eximeratur. Cumq; Epheſius prius vocem Filioque à ſymbolo relegandam inſtitiſſet, Imperator interlocutus obtinuit, vt controuerſia de additione vocis Filioque omiſſa, de proceſſione Spiritus ſancti agatur, idq; teneatur, quòd duodecim præſulibus vtrinq; hanc ad rem deputatis, hac de cauſa priuato colloquio ſtaturis viſum fuerit.

Seſſione XVI. Decretum de ſacroſancta Synodo ob peſtem ingraueſcentem Ferraria, Florentiam transferenda, recitatum eſt & approbatum ſub illa conditione, vt Pontifex Orientalibus de alimentis & vitæ neceſſarijs interim prouideat. Quod cùm ille futurum in ſe recepiſſet, Pontificem vnà cum Cardinalibus & Latinis Præſulibus præeuntem, Imperator cum Patriarcha, alijsve Orientalibus ſubſecutus eſt, magnoq; honore ab ijſdem exceptus fuit.

Seſſio XVII. habita eſt Florentia anno Domini 1439. vigeſimo ſexto Februarij, qua poſt diuturnum dialogiſmum Iuliani Cardinalis & Imperatoris concluſum eſt, vt Græci interſe priuatim conferãt de modo ineundæ cõcordiæ & vnionis, eamq; proxima ſeſſione in medium adferãt: cumq; Imperator vellet priuatos deligi diſputatores, qui de proceſſione Spiritus ſancti cum Latinis diſputarent, idq; Pontifici diſpliceret, indicta eſt Seſſio 18.

Seſſio XVIII. quæ ſecundo Martij habita eſt Florentia anno 1439. In hac Ioannes Latinorum orator prælocutus dixit, principio ſacram Scripturam in eo ſenſu accipiendam eſſe, quo ſancti Patres eam ſemper acceperunt. Quod cùm dixiſſet, ipſumq; nomen proceſſionis æquiuocum eſſet, pluraq; in Scriptura ſignificaret, petiuit qua acceptione Græci illam vocem in diuinis accipiendam eſſe ſentirent? Reſpondit Epheſius illam vocari in diuinis proceſſionem ſolo Spiritui ſancto appropriatam, qua Spiritus ſanctus accipit eſſe ex Patre. Quo reſponſo habito, Ioannes ſic contra Epheſium eſt ratiocinatus. Ex quo Spiritus ſanctus accipit eſſe, ab eodem ſecundùm tuam reſponſionem procedit. Ex Filio Spiritus ſanctus accipit eſſe, ergo ex Filio Spiritus ſanctus procedit. Minorem ab Epheſio negatã probauit imprimis auctoritate S. Epiphanij, qui in ſermone Ancorato profitetur, Spiritum ſanctũ ex vtroq; eſſe, & cõſequenter ab vtroq; procedere: paulò pòſt idem cõfirmat teſtimonio Baſilij. Addit eundem ex vtroq; tanquàm ex vno principio procedere. Cumq; Epheſius hæc non tam ſolueret, quàm contrà argumentando declinaret, obijceretq; illud Baſilij: Ex ipſo, nimirùm Patre, autem Spiritus, & nõ aliunde, reſpondit Ioannes Baſilium iſta contra Eugenium profitentem Spiritum ſanctum creaturam eſſe, protuliſſe, ſenſumq; verborum hunc eſſe, non aliunde, id eſt, non eſt alterius ſubſtantiæ vel naturæ. His dictis vrſit reſpõſionem ad auctoritatẽ Epiphanij & Baſilij: quærentiq; Epheſio, an diuina ſubſtantia & perſona idem ſint? & an Patris perſona vel potius eius ſubſtantia generet? Reſpondit ad primã quæſtionem, perſonam & ſubſtantiã non re, ſed ratione diſtingui. Ad ſecundam dixit, Perſonã eſſe Principium quod generat; quia actiones iuxta Philoſophorum ſententiam ſuppoſitorum eſſe dicuntur: naturam verò ſiuè ſubſtantiam eſſe Principium, quo Pater generat Filium. Cumq; his dictis iterum vrſiſſet reſponſionem ad auctoritatem Epiphanij, & Epheſius reſpondiſſet, verbum Eſt apud Epiphanium non inueniri, ille contrà euidenter demonſtrauit, neceſſariò ſubintelligi debere. Idq; Epheſius paulò poſt confeſſus, exegit meliorem teſtimonij illius, quod ex Baſilio produxerat interpretationem. Vrgebat enim particulã hanc non aliunde exponendã eſſe de perſona Filij. Nam ſi de natura & ſubſtantia explicari deberet, etiam præcedens dictio Ex Patre non de perſona; ſed de natura Patris explicãda eſſet. Quo poſito addit non rectè inferri ex Epiphanio, Spiritus ſanctus procedit ab vtroq;, id eſt vtriuſq; natura, aut etiam ex vtriuſq; perſona; ſed potius ideò dicitur ex vtroq; procedere, quia vtriq; eſt conſubſtãtialis. His dictis & à Ioanne repetitis finita eſt ſeſſio 18.

Seſſio XIX. celebrata eſt Florentia quinta Martij anno 1439. in qua Ioannes expoſitionem Baſilij ab Epheſio allatam inconuenientem eſſe probauit eo argumento, quod idem Baſilius aduerſus Eunomium ſcribens dicat, Spiritum ſanctum ex Filio eſſe habere; adeoq; ſecundùm ea, quæ ſuprà dicta ſunt, ex Filio procedere, & conſequenter (quod credi non poteſt) duo contraria ſcripſiſſe, ſi particula non aliunde de perſona Filij accipienda foret. Cumq; hac de cauſa Baſilium recitari mandâſſet, Epheſius tria dixit. Primo Baſiliũ contra hæreticos demonſtrare ſanctũ Spiritum Patri Filioq; conſubſtantialẽ eſſe. Secundo non fuiſſe illi neceſſarium, an Pater vel Filius ſit cauſa Spiritus ſancti. Tertio eundem oſtendiſſe, Spiritum ſanctum ex Patris, & non ex alia ſubſtantia eſſe. Ad hæc reſpondens Ioannes primam partem concedit, reliqua probari petit. Cumq; ille ex conceſſis à parte aduerſa ſuam ſententiam probare fruſtrà conaretur, quæſiuit tandem an bona ſit iſta illatio, Spiritus ſanctus eſt ex ſubſtantia Patris & Filij, ergo ex vtriuſque perſona procedit? Reſpondit Ioãnes, quòd ſuprà dixerat, actiones eſſe ſuppoſitorum. cùm ergò Pater non aliter quàm generando communicet ſubſtantiã ſuã Filio, ſpirando autem communicet eandem ſubſtantiam Spiritui ſancto,

Patrem

rem & Filium vnum eſſe principium ſpirationis : quia inter Pa- m & Filium, quatenùs ſpirant Spiritum ſanctum nulla eſt rela- a oppoſitio. Ad exemplum Iacobi Ioſephum generantis reſpondit id longè diuerſum eſſe; quia natura per generationem humanam iumicata, non eſt eadem numero in generante & genito: in diuinis ò eadem numero natura cõmunicatur à Patre per generationem lio, à Patre & Filio per ſpirationem Spiritui ſancto. Cumq; hinc heſius quæſiuiſſet, an & qua ratione Pater & Filius cauſa Spiritus ncti dici poſſent, & Ioãnes alia teſtimonia Patrum pro ſua ſenten- confirmanda adferre voluiſſet, petiuit qua ratione dixerit, Spi- um ſanctum à communi natura Patris & Filij procedere, cùm fa- atur in humanis falſum eſſe, filium à natura abſtractè ſumpta pro- ui? Iſta occaſione Ioannes reſpondens dixit nomen ſubſtantiæ du- citer accipi, vno modo pro natura: altero modo pro hypoſtaſi ſub- entia & perſonalitate. hac diſtinctione præmiſſa ſubtiliſſimè & do- ſimè oſtendit, qua ratione Spiritus ſanctus ex ſubſtantia Patris Filij dicatur procedere.

Seſſio X X. habita eſt 7. Martij. Iuſſu Epheſii locus Baſilij, vbi it de ordine inter Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum lectus t: quem ipſe ab aliquo Latinorum ſententiam tuente corruptum ebat, idq; collatione librorum oſtendere paratus erat. Ioannes ntra corruptelam negauit, idq; ex collatione anteriorum & bſequentium verborum, aliorumq; codicum demonſtrari optabat: ræciq; peculiare eſſe probabat, quod ad hæreſes ſuas confirman- as Codices corrupiſſent. Contrà Marcus Epheſius dicebat id à La- s corruptum eſſe, quod Ioannes paulò poſt negauit; cùm tempore lo, quo ſcriptus erat iſte Codex nulla inter Græcos & Latinos con- ouerſia fuerit. Verius igitur eſſe, inquit, quòd cùm Græci Schiſ- atici errorem ſuum defendere non poſſent, niſi Baſilium multis locis corrupiſſent, huius corruptelæ auctores extitiſſe.

Secundò dicebat Marcus Zozimum Põtificem ad Carthaginenſe Concilium ſcripſiſſe, & per quoddã Nicænæ Synodi decretum demon- raſſe Romanum Pontificem Oecumenicũ appellandum eſſe: factaq; nquiſitione nihil tale apud Acta Concilij Niceni inuentum eſſe. oannes optimè reſpondit Epheſio, Acta Nicæni Concilij in Oriente b hæreticis corrupta, deprauata & mutilata extitiſſe, prout ex lite s Athanaſij ad Iulium Liberium, aliosve Pontifices ſcriptis cõſtare it. adeoq; mirum non eſſe, quòd Orientales Canones quoſdã Nicæ- i Concilij à Pontificibus allegatos ignorauerint.

Poſt hæc tranſierunt ad explicationem huius apud Baſilium lo- i. Filio Spiritus adaptatur: quem à Marco de ordine tantum ma- lè expoſitum eſſe, Ioannes doctiſſimè demonſtrauit: circa finem oſten- dit, quod negauerat Epheſius, Baſilium credidiſſe, Spiritũ ſanctum ordine ac dignitate tertium eſſe.

Seſſione X X I. Epheſius prolixiore oratione, quam inter ipſos conuenerat, primò Ioannem Seſſione præceden. de Baſilij doctrina differentem reprehendit, quod ad teſtimonium quoddam pro expli- catione Baſilij allatum, verbum Eſt addidiſſet. Deinde teſtimo- nium illud Athanaſij: talem ordinem & naturam Spiritus habet ad filium, qualem Filius ad Patrem, malè, vt Ioannes oſtendit, explicauit. Tertiò de temporali perſonarum proceſſione ſiue miſſione agens, conceſſit Spiritum ſanctum etiam à Filio tem- poraliter miſſum. Inde cùm Ioannes concluſiſſet, Spiritum ſan- ctum etiam æternaliter à Filio procedere, tria deinceps demon- ſtrauit. Primùm, auctoritate Baſilij Spiritum ſanctum à Filio eſſe accipere. Secundò magno vitio verti ipſi Baſilio, ſi ſupra allatum teſtimonium legatur & exponatur, ſicut habebat Codex Græcorum. Tertiò eundem Baſilium de Spiritu ſancto nõ aliter ſenſiſſe, quàm in Codice Latinorum ſcriptum erat.

Seſſione X X I I. Florentiæ celebrata, Sabbati 14. Martij Epheſius explicationem auctoritatis ex D. Baſilio petitæ refutat. Ioannes enim Prouincialis verba Baſilij hæc: Non enim à Spiritu accipimus aliqua, quemadmodum à Filio Spiritus, ſic expli- cauerat Spiritus diuinitatẽ à Filio & conſequenter eſſe accipit, quale nos non accipimus. Negat eam explicationem Epheſius ea de cauſa, quòd Grammaticis præceptis repugnet.

Hac deinceps controuerſia omiſſa Epheſius intulit, ſi Spiritus procedit ex Patre & Filio, ergo Pater & Filius ſunt duo diuerſa principia & cauſa Spiritus ſancti, quod dictu abſurdum eſt. Re- ſpondet Ioannes conſequentiam negando, cùm Spiritus ſanctus re- feratur ad Patrem non quatenus pater eſt, neque ad filium, quate- nus eſt Filius; ſed ad vtrumque quatenus ſunt ſpiratores. Quare cum vnica potentia ſpirandi ſpirent & producãt Spiritum ſanctum, neceſſum eſſe fateri, Patrem & filium ſpirationis vnicum principium conſtituere.

Poſt hæc cõfirmauit id, quod præcedente Seſſione attigerat, Græ- corum Codicem corruptũ eſſe, quia non conueniret credere Baſilium circa ſancti Spiritus proceſſionem dubitaſſe, ac verbo Forſan in hoc dicto: Forſan pietatis ratio tradit, vſum fuiſſe. Cumq; illud dupli- ci argumento confirmaſſet, ad diſtinctius enarrandum, quid Baſilius de natura Spiritus ſancti ſenſerit, & quare contra Eunomium hære- ticum ſcribens Baſilius dixerit de eo, Sanctorum ſimulat con- ſeruare doctrinam, maximam partem libri tertij exponit.

Seſſione X X I I I. quæ celebrata fuit, 19. Martij, anno 1439. Seſſio 23.
Epheſius replicauit, Baſilium nequaquam de Spiritus ſancti proceſ- ſione illud, quod Latini profitentur, ſenſiſſe: cùm ſi id credidiſſet, contra ſacræ Scripturæ teſtimonium, ſanctorumq; Patrum doctri- nam & Conciliorum generalium conſtitutionem & definitiones ſcripſiſſet, quòd nullam omninò fidem meretur. Nam ſcriptura Ioannis 15. apertè profitetur Spiritum ſanctum à Patre procedere. Gregorius cognomento Theologus exponens illud Pauli: Nos non ſpiritum mundi accepimus; ſed Spiritum qui ex Deo eſt, inquit, Vnus Spiritus ſanctus ex Deo eſſentiam habens, ac per Fi- 1. Cor. 2.
lium manifeſtatur hominibus. Ex quibus infert Spiritum ſanctum à Patre duntaxat, & non à Filio procedere. Confirmat eam expoſitionem auctoritate Dionyſij & Athanaſij, qui ſolum Pa- trẽ fontem ſuperſubſtãtialis deitatis appellant. ergo, inquit, Filius nõ poteſt eſſe fons deitatis. Deniq; idem ex Nicæni Concilij epiſtola pro Leontio Cæſareenſi Epiſcopo ſcripta confirmat. Cumq; interlo- quendo dixiſſet Ioannes, Marcum prolixitate ſua conditiones ſuprà poſitas excedere, idq; Marcus planè negaſſet, permiſſum eſt Epheſio ſuam quam cœperat, proſequi probationem. Allatis igitur pro ſua ſententia Nicæni, Conſtantinopolitani I. & Epheſini Concilij au- ctoritatibus, ijſq; auctoritate Baſilij, Gregorij Nazianzeni, Cyrilli, & Theodoreti apparenter confirmatis, concluſit Spiritum ſan- ctum ex Patre duntaxat procedere. Iuſſus reſpondere ad argumen- ta Ioannis, ſuam, quam de non corruptis Græcorum Codicibus ſu- prà aliquoties attulerat ſententiam, ad nauſeam vſque repetiuit. Cumq; idem argumenta alia memoria ſibi excidiſſe allegaret, à Ioanne, quæ præcedente Seſſione prolixiùs diſſeruerat, breuiter re- petita fuerunt.

His abſolutis Imperator impenſis & periculis, quibus ſe ſuumq; imperium pacis gratia ad Synodum accedens expoſuerat, comme- moratis, Patres Concilij ſeriò admonuit, vt poſtpoſitis diſputationi- bus de modo ineundæ pacis & concordiæ vtrinq; cogitetur. Græci ea conditione Imperatori obtemperare parati erant, ſi epiſtolam Ma- ximi ad Marinum Presbyterum ſcriptam Latini ſuſciperent. Sum- mus Pontifex eadẽ de cauſa interpellatus reſpondit, nõ prius de pa- ce & concordia tranſigendum, quàm Græci poſt habitam prolixio- rem orationem, vt promiſerãt, Latinorum reſponſionem audiuiſſent. Qua de cauſa Imperator ſequentem Seſſionem vigeſimamquartam, 21. Martij celebrandam indixit.

Quæ prædicto tempore Florentiæ inſtituta, Ioannes ad probatio- Seſſio 24.
nes Epheſij, quem præſentem exoptabat, reſponſurus, prætermiſſo primo argumento illius ex cap. 15. Ioãnis deſumpto, & ad quod Seſ- ſione præcedente reſponderat, eundem locum in Græcos detor- quens oſtendit Spiritum ſanctum ex Filio procedere: tum quòd Spi- ritus ſanctus à Filio mitteretur: tum etiam quòd omnes ferè Patres apertis verbis teſtarentur, Spiritum ſanctum ex Patre per Filium: vel ex vtroq; procedere, ipſamq; particulã Per idem ſignificare, quod Ex, præpoſitio denotat.

Seſſione X X V. & vltima, quæ habita eſt 24. Martij, anno Chri- Seſſio 25.
ſti 1439. Ioannes alio teſtimonio Baſilij, Epiphanij, Athanaſij, Dydi- mi & Cyrilli doctrinam Latinorum de proceſſione Spiritus ſancti iterum confirmauit. Quæ cùm dixiſſet; Græciq; inſtituta hac de re priuata collatione, ea omnia veritati conſona eſſe, cognouiſſent, Græcis omnibus priuatim in templo ſancti Franciſci conuenientibus Græci cõuicti petũt vniri cũ Latinis.
vnico Epheſio excepto, viſum eſt, cum Romanis ineundam eſſe pa- cem, vnionem & concordiam: ideò inprimis, quòd tot Sancti Patres doctrinam de proceſſione Spiritus ſancti ex Filio procedentis profite- rentur. Cumq; Epheſius obijceret, omnes fortaſſe Codices hac in re corruptos eſſe, dixiſſetq; contra eundem Beſſarion Nicænus, iſta ra- tione futurum, vt ſublatis, quæ vt ille putabat, mendis, ſola papyrus relinqueretur, vnanimi conſenſu miſſis ad Pontificem internuncijs Modus vnionis à Pontifice præſcriptus.
pacem & concordiam contrahi, modumq; ineundæ vnionis à Roma- nis Pontificibus præſcribi petierunt.

Qui dum ijs optionem dediſſet, vt vel teſtimonijs Patrum pro no- ſtra ſententia allatis acquieſcerent, vel ipſi his refutatis alios ad- ferrent, vel de ſui dogmatis pietate maiore contendentes, illud ha- bitis deſuper Seſſionibus probarent: vel id, quod ſinguli præuio iura-

mente

nento dixiſſent, ratum ac definitum haberent. Additis hiſce conditionibus, Græci ferè omnes ſua cauſa diffidentes concluſerant Latinorum ſententiæ accedendum eſſe. Renunciatum eſt per Imperatorem Pontifici, diſplicere omnibus ſuis diſputationes & contentiones, optari à ſingulis vt de modo coniunctionis agatur, cumq; in finem vtrinq; certa perſona deſignentur, alioqui ſe iamiam ad abeundum paratos eſſe.

Reſpondit Pontifex mittendos eſſe Cardinales, qui in priuato conuentu corã Imperatore reſpõſum referãt. Intereà dũ hæc vtrinq; fierent, iamq; conuentus cõgregatus eſſet, Beſſarion habuit illam orationem de pace ineunda, quæ ob ſui prolixitatem actis poſtpoſita inuenitur. Qua abſoluta Iulianus pro ſummo Pontifice reſponſurus dixit, culpa Græcorum leges & pacta conuentionum nõ ſeruantium paucas habitas fuiſſe diſputationes: Sentire igitur Pontificem, vt quia res commodè aliter quàm per diſputationem finiri non poſſet, neq; ſuis teſtimonijs hactenus reſponſum eſſet, diſputationes & ſeſſiones renouentur. Cumq; Imperator diſputationes ceſſari: Iulianus eaſdem renouari iterum atq; iterum repetiuiſſent, placuit tandem quod ſuggeſſerat Imperator, vt vtrinq; decem collatores inſtituerentur, qui ſi octies congreſſi non conuenirent, ſinguli diſſoluto Concilio abirent. Primo conuentu Latini expoſuerunt, quid de proceſſione Spiritus ſancti ex Filio ſentirent & crederent, illudq; argumentis ſuprà poſitis breuiter confirmârunt. Secundo Græci auctoritate Tharaſij confirmantes Spiritum ex Patre per Filium procedere, dixerũt: Per & Ex diuerſum ſignificare. Latini verò illud nequaquàm admiſerunt, vtpote quòd iſta ratione ſequeretur abſurdum hoc, duas eſſe in diuinis operationes.

Tertium congreſſum Græci, cùm nihil haberent quod reſponderent, ſubterfugerunt: coacti tandem à Latinis conuenerunt ea lege, vt Latini ſcripto declararent, quid de Spiritus ſancti proceſſione, ſiue proceſſionis principio ſentirent. Quod cùm illi duabus formulis hac de re conſcriptis præſtitiſſent, petiuerunt idem à Græcis fieri. Obtemperârunt petitioni eorum Græci, ſcripſerunt formulam qua profitebãtur, Spiritũ à Filio ſcaturire, hauriri, prodi, emitti & profundi. *Acceptã fidei formulã Latini declarari petiuerunt, quia de tẽporali miſſione præd. verba accipi poterant, quanquã alij Patres de æterna Spiritus ſancti proceſſione eadem accepiſſent. Græci recuſârunt. Imperator Latinis ſatisfactum putans Pontificem adijt, & Latinorum ſocordiam accuſauit. Pontifex reſpondit iuſtum eſſe, vt ſuam quam ſcripſerant fidei formulam explicarent, cum particula* Per *quatuor ſignificata habeat, &* ſcaturire *ac* hauriri *de temporali miſſione & æterna proceſſione Spiritus accipi poſſint. Cumq; hac de re diù inter Pontificem & Imperatorem actum eſſet, dixiſſetq; Imperator ſuos grauatè à ſententia anteceſſorum ſuorum diſcedere poſſe, neq; ſe conuentum ſuum tyrannicè cogere velle, iuſſit Pontifex totum Græcorum conuentum ad ſe vocare, quo præſente orationem recitauit paulò longiorem, quæ res Ferrariæ & Florentiæ geſtas, ſumptus huic rei à ſe impenſos, affectumq; pro pace ineunda ſemper exhibitum pluribus commemorauit: ac eundem perorans rogauit, vt omni pertinacia ſepoſita ad pacem, vnionem & concordiam promptiores efficiantur, ſuamq; quam ediderant fidei profeſſionem, ad euitandas ambiguitates & tollendas obſcuritates declararent. Quæ cùm Græci ſuo Patriarchæ Ioſepho retuliſſent, ille Imperatori nunciauit, ſe pacem & concordiam deſiderare, & cum Romana Eccleſia coniungi velle etiamſi Imperator contradiceret: ideoq; rogare vt optatam ſibi, totiq; Græcorum conuentui concordiam ipſe promoueat.*

Hoc nuncio Imperator plurimùm perterritus & conſternatus, oratione ad Epiſcopos habita perſuaſit concordiam ineundã eſſe, tum quia concordia vtilis, diſcordia verò incommoda ſimul & inhoneſta eſſet. Quæ cùm Imperator dixiſſet, Græcorum Epiſcopi omnes vnà cum Patriarcha, præter vnum Marcum Epheſium, alij ſcripto, alij voce publicè profeſſi ſunt, Latinorum ſententiam veram eſſe, ſanctorum Patrum doctrinam eſſe, adeoq; Chriſtianum nõ eſſe, dignumq; anathemate videri, qui contrarium ſentiret vel crederet. Cumq; hæc Pontifici nunciata eſſent, egiſſetq; vt de proceſſione Spiritus ſancti nobiſcum gratia Dei conuenientes, quid de purgatorio, animabus beatorum, primatu Pontificis, de azymo & fermentato pane, deq; diuina panis tranſmutatione ſentirent, ſcripto aut voce profiterentur; eaq; occaſione Epiſcopi dixiſſent, ſe purgatorium admittere, animas Sanctorum perfectam aureolam in cœlis iam conſecutas eſſe, Pontificis Romani poteſtatem vniuerſalem ſuper omnes Eccleſias agnoſcere: de panis verò tranſubſtantiatione ſuorum ſententia in[illegible]ſſent, eademq; occaſione Ioſephus Patriarcha ſubitanea morte functus paulò ante obitum ſcripſiſſet, ſe omnia credere quæ Romana Eccleſia credit, ac docet, Romanumq; Pontificem Chriſti vicarium agnoſcere, purgatorium non inficiari, inſtitit Romanus Pontifex & impetrauit, vt prævia conſultatione, ſcripturarum, & ſanctorum Patrum inquiſitione, etiam in reliquis (fidei cõtrouerſijs Latinorum ſententiæ accederent; nimirùm quòd crederent & profiterentur Romanam Eccleſiam de proceſſione Spiritus ſancti non tantùm piè ſentire, verùm etiam licitè & conuenientiſſimè particulam illam Filioque *ad Symbolum addidiſſe; Romanum Pontificem in Eccleſia primatum tenere, verumq; Petri ſucceſſorem eſſe; purgatoriũ exiſtere, parumq; referre ſiue in azymo, ſiue in fermentato pane ſacramentum Euchariſtiæ conſecraretur.*

His ita peractis à duodecim viris vtrinq; deputatis, quæ extant vnionis literæ græcè ſimul & latinè conſcriptæ, omniumq; eorum qui Concilio interfuerant ſubſcriptionibus approbatæ fuerunt. Peracto ſolenniter per ſummum Pontificem ſacro, eædem literæ per Iulianum Cardinalem primùm latinè: deinde verò per Beſſarionem græcè in Eccleſia magno omnium gaudio lectæ & promulgatæ fuerunt. Poſtquàm ergo Græci genu dextramq; Pontificis exoſculati fuiſſent, quæſiuit Pontifex, cur matrimonia ſepararent, alijsq; ritibus quàm Romana Eccleſia in conſecratione vterentur, item cur nõ etiam Patriarcham Romæ eligerent; ipſiq; reſpondiſſent, ſe priora illa non ſine cauſa docere ac facere, Patriarcham alibi quàm Conſtantinopoli non eligere, quia id ſit præter conſuetudinem & priuilegia Conſt: Eccleſiæ, dimiſſi ſunt.

Dumq; hæc agerentur Armenorum Patriarchæ legati ad Synodum venerunt, præuiaq; Pontificis veneratione & Imperatoris debita ſalutatione dixerunt, ſe ſuamq; Eccleſiam cum Catholica coniungi, atq; ipſum Synodi decretum piè ſeruare velle. Quod cum magno omnium gaudio acceptum eſſet, legati ijdem magno honore affecti vnà cum Græcis Florentia diſceſſerunt anno Domini 1439. circa diem menſis Iulij vigeſimum ſecundum vel tertium. Poſt orationem Beſſarionis circa finem extat epiſtola quædam Eugenij Papæ de vnione Armenorum & Græcorum cum Latinis inita, quæq; hoc eodem anno menſe Nouembri in quadam publica Seſſione Synodali Florentiæ data & ſcripta habetur.

Vnde neceſſariò colligitur Græcos & Armenos hucuſq; Florentiæ permanſiſſe; vel quod probabilius eſt, eandẽ Synodum poſt abitũ Græcorum & Armenorum aliquot ſeſſionibus, quarum acta nulla extant continuatam: vel ſaltem aliam quandam ab hac Oecumenica Synodo diuerſam, eodem anno 1439. decimo Kalend. Decembris, quo die ſcripta habetur, prædicta Eugenij ſynodica Epiſtola celebratã fuiſſe. Hæc quæ ex præced. Seſſionibus excerpta ſummatim recenſui, ex Antonino qui Concilio præſens interfuit hic adſcribenda eſſe putaui, idq; Lectori gratum fore iudicaui. verba illius hæc ſunt:

CVM Eugenius Bononiæ in curia reſideret: Græci patriarcha ſcilicet & imperator eorum cùm proceribus imperij ipſius tractare cœperunt per oratores cum eo de concordia & vnione facienda eorum cum Latinis, vt vnum eſſet ouile, & vnus paſtor. Ad quod efficiendum poſtulabat Concilium generale celebrari, in quo præſente Romano Pontifice, & Patriarcha Conſtantinopolitano, ac imperatore ſuo, per Doctores vtriuſque partis diſceptaretur rationibus, quid tenendum reſpuendumve foret de veritate Chriſtianæ religionis. Quibus annuit ſummus antiſtes.

Vnde ex Conſtantinopoli præfati Patriarcha, & imperator cum fratre ſuo, & magno comitatu numero ferè quingentorum ſe mouentes Venetias applicuêre. Ibi percipientes Concilium generale Baſileæ congregatum diſſentire ab Eugenio, aliquandiu ſubſederunt animo ſuſpenſi, de loco acceſſus ſui: nec enim congregati Baſileæ poſt diſſolutionem & irritationem factam Concilij per Eugenium deſiſtebant à proſecutione incœpti: ſed ſolliciti inuitabant Græcos Baſileam ad Concilium id accedere. Præualuit tamen authoritas Eugenij cum ſuaſionibus plurimorum, vt ad præſentiam ſuam ſe conferrent.

Et vt ſatisfaceret petitioni eorum Concilium generale indictum eſt, & publicatum Ferrariæ celebrandum, quo ipſe Eugenius cum ſua curia è Bononia profectus eſt: & venientibus Græcis Epiſcopis, & alijs prælatis, qui haberi poterant, in breui vocatis, cœpit materia agitari de proceſſione Spiritus ſancti: quem à Patre & Filio procedere Latina fatetur Eccleſia, Græca negabat. Verùm quia peſtis

erraria coepit inuadere, translatum eſſet concilium ſentientibus cunctis Florentiam. Et cùm Eugenius eo tenere ſtatuiſſet, inſidiæ ei in via paratæ ſunt ad capiendum eum. Sed detectis eis declinauit à via recta, alteram inſuetam aſſumens, & periculum euadens. Florentiam ingreſſus ſummo cum honore, & gaudio ſuſcipitur locatus in eccleſia prædicatorum. Paulò poſt ſecutus eſt eum patriarcha & Imperator Conſtantinopolitani cum Doctoribus ſuis & proceribus, cum magna ſolemnitate in vrbem ingreſſi, & honorabiliter collocati in diuerſis manſionibus. Patriarcha verò Conſtantinopolitanus plenus dierum, paulò poſt in fide Romanæ Eccleſiæ migrauit è ſæculo, ſepultus in eccleſia S. Mariæ nouellæ.

Conuenientibus igitur Latinis & Græcis die ſtatuta, in loco determinato reſidentiæ, Papæ in conuentu prædicatorum, publico conſiſtorio, loca vnicuique decentia omnes ſortiti ſunt. Et Pontifex ſummus in throno eminentiori ornato reſedit, facie verſa ad orientem iuxta quem reuerendiſſimi Domini Cardinales à dextris & ſiniſtris diſtincti paulò inferiùs. Imperatori verò Græcorum ſedes parata eſt decora, econtrà pontificem in aliquali diſtantia, vultu conuerſo ad occidentem.

Doctores Latini diſputantes in latere per tranſuerſum, ſedes acceperunt verſi ad meridiem. Græci verò magiſtri conſidebant verſi ad aquilonem: cæteri circumdantes plurimi aliqui ſteterunt, aliqui in Domini terra ſubſtratis tapetis ſe locauerunt. Et ex Latinis quidem aſſumpti ſunt quatuor, duo Epiſcopi, vnus Coloſſenſis ordinis prædicatorum in Theologia Doctor egregius, & vtriuſque idiomatis peritiſſimus, alter ordinis minorum doctiſſimus, & duo alij, Abbas generalis Camaldulenſis vtriuſque linguæ peritus, Dominus Ambroſius, & magiſter Ioannes de monte nigro, profundus theologus, ordinis prædicatorum prouincialis Longobardiæ.

Et in capite eorum reſidebat Dominus Iulianus Cardinalis ſancti Angeli, qui nuper venerat ex Baſilea dimiſſo conciliabulo. Ex Græcis epiſcopus Nicenus, & epiſcopus Epheſinus: & quidam alij. Arguens autem in ea diſputatione fuit magiſter Ioannes de monte nigro præfatus ſolus & reſponſalis Epheſinus ſolus. Vt autem omnes intelligerent eum arguens idiomate latino vtebatur, & reſponſalis Græco: medius autem conſtitutus eſt vtriuſque linguæ peritiſſimus quidam, qui promptiſſimè fideliſſimè, & eloquenter verba latina arguentis referret in Græco reſponſali, & verba Græca eius Interpretaretur in Latino.

Poſt aliquas propheticas & ſubtiles rationes, & reſponſiones inductas, placuit partibus procedere per locum ab authoritate qui eſt potiſſimus in theologica facultate. Inductæ ſunt authoritates multorum Doctorum græcè ſcribentium, vt Anaſtaſij, Cyrilli, Dydimi, Chryſoſtomi: & maximè magni Baſilij, qui habetur apud eos in magna veneratione ſanctitatis, & doctrinæ qui in libro ad Eunomium de Spiritu ſancto expreſsè aſſerit Spiritum ſanctum procedere non ſolùm à Patre, ſed à Filio. Et cùm reſponſalis iam non haberet quid diceret, ſubterfugium quæſiuit negans hoc Baſilium in eo libro ſcripſiſſe, ſed mendosè interpretatum cùm in codicibus ſuis græcè ſcriptis ſecum delatis hoc minimè reperiretur.

Adducti ſunt plures codices Baſilij ad Eunomium græcè exarati, quorum aliqui erant apud Græcos: alij penes Latinos noſtros Græci ſermonis peritos. Et cùm in noſtris & aliquibus Græcorum de Conſtantinopoli adductis liquidè haberetur Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere: deprehenſa eſt malitia Græcorum, quod ſcilicet corruperant ſcripta Baſilij, filium ſubtrahendo in ipſa proceſſione.

Et cùm Imperator Græcorum diceret in partibus ſuis plurimos haberi tales libros Baſilij græcè ſic continentes, & illis paucis tunc in medium adductis non ſtandum, reſpondit Dominus Cardinalis diſputationi præpoſitus. Domine imperator cùm decreueritis ad certamen venire, oportuit magnificentiam veſtram arma veſtra vobiſcum adducere, non in certamine ipſa expectare. Sicque Græci confutati fuêre, & deuicti. Huic diſputationi præſens fui. Sed & alijs diebus conuenientes in diſputatione, demùm conuicti, errorem ſuum confeſſi ſunt, & ad emendationem parati, & ad vnionem ac incorporationem cum Romana Eccleſia diſpoſiti Apoſtolicæ ſedi ſe ſubijcientes.

Ille tamen Epheſinus acerrimus diſputator permanens in perfidia ſua, cum alijs ad veritatem fidei reuerti noluit. Verùm ad patriam rediens cùm Cardinalis Venetus deſtinatus legatus in regionem illam, Conſtantinopoli moram traheret, & in eius ſocietate eſſet venerabilis Epiſcopus Coronenſis, Dominus Bartholomeus de Florētia ſacræ Theologiæ profeſſor egregius & Græci idiomatis non ignarus, placuit eidem Imperatori Græcorum, & proceribus eius, vt fieret publica concertatio inter Epiſcopum Epheſinum præfatum & Coronenſem Epiſcopum, iam fama ibi celebrem. Quo facto Epheſinus præfatus iterum ab eo ſuperatus & confuſus eſt, & tanta ex eo abſorptus triſtitia, vt intra paucos dies expirauerit cum ſua perfidia.

Item §. ſeq. hæc.

ET eo anno ſcilicet 1439. in die Dominica menſis Iulij, celebrata eſt ſolennis miſſa in Eccleſia maiori Florentiæ, Et præſentibus Eugenio Papa cum Cardinalibus, & alijs multis Epiſcopis & Abbatibus, ac etiam imperatore Græcorum cum alijs Græcis, & Dominis prioribus Florentinorum cum vexillifero, & maximo populo ibi congregato cum ingenti gaudio, facta eſt dicta reconciliatio Conſtantinopolitanæ cum eccleſia Romana, & confeſſio fidei ſecundùm ſymbolum, quod cantatur in Eccleſijs Latinis per Græcos, & ſuper his facta declaratio fidei tenendæ ab omnibus fidelibus Latinis & Græcis, quæ ſic incipit. Extat ſuprà.

Et poſt recitatam Epiſtolam Eugenij, hæc ſubiungit.

ERRABANT Græci in tribus cōmuniter. Primò quòd Spiritus ſanctus procederet à Patre, ſed non à Filio. Secundò quod nō erat purgatorium poſt hanc vitam. Tertiò, quòd Eccleſia orientalis & Conſtantinopolitana non eſſet ſub Eccleſia Romana, nec patriarcha Conſtātinopolitanus eſſet inferior Romano Pontifice. Horum quodlibet eſt hæreticum. In alijs ritibus ſuis, qui non important hæreſim (licèt rationabiliores ſint ritus Eccleſiæ occidētalis ſeu Romanæ) fuerunt permiſſi manere, ſicut, quòd celebrēt in fermentato, quòd baptizent in alia forma quam nos videlicet Baptizetur ſeruus Dei. N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Amen. Item quòd ordinati in ſacris, vtantur matrimonio contracto ante ſuſceptionem ipſorum ordinum ſacrorum. Item quòd nutriant Barbam. Item quia dent ſacramentum Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie omnibus etiam paruulis, & multa alia. Tres Græcorum errores, quorum duos ſequitur Proteſtantes tertiò minimè.

Inſuper & Armeni, & aliqui ex India miſerunt oratores ſuos Florentiam ad Dominum Eugeniū, poſtulantes & ſupplicantes inſtrui, & erudiri in ijs, quæ ſunt fidei à Romana Eccleſia, & vniri cùm ea in caritate Chriſti. Qui examinati in paucis reperti ſunt diſſentire à catholica fide, & in illis ſubiecerunt ſe correctioni Apoſtolicæ ſedis. Quæ de concilio prælatorum decreuit in ritibus ſuis, qui non ſunt contra veritatem fidei permitti, ſicut & Græci, licèt diſſimiles ſint à moribus Latinæ Eccleſiæ. In aliquibus verò, quæ à fide vera diſcrepabant, prohiberi, vt quòd ſacramentum confirmationis non habebant in vſu conferendi illi nationi, declarato eis, quòd illi ſicut & cætera ſacraria deberent accipere, credere, & conferre, & aliqua alia, quæ nunc non occurrunt menti. Quibus determinationibus acquieuerunt. Armeni cum Romana Eccleſia concordant. vide Concilium.

Quibus

Quibus honoribus Eugenius Papa poſt finem Concilij Beſſarionem affecerit, ex Chalcocondyla recitaui ſupra, verbo Concilium.

Tempus Concilij. Anno Domini.] *Quo tempore Concilium habitum & inchoatum fuerit, & quamdiu durauerit, ex ijs quæ ſupra ſummatim dixi, euidenter conſtat.*

NOTÆ quædam in Concilium Florentinum ex apparatu Sacro Poſſeuini deſumptæ.

In hac, inquit Poſſeuinus, vt obſeruauit Ioan. Paulus Comitolus noſter, mendo ſiue Amanuenſis, ſiue typographi, ſiue alicuius malè affecti Græci, in ea propoſitione, quæ ſic habet: προβάλλει καὶ αὐτὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐχ ὑπαρκτικῶς ὡς ὁ πατήρ. hoc eſt. *Emittit & ipſe Spiritum ſanctum non ſubſiſtenter, ſicut Pater.* cùm eſſet legendum ἀρχικῶς, ſiue ἀρχοειδῶς. Vt ſenſus eſſet Orthodoxus, nempè. *Et ipſe Filius Spiritum ſanctum emittit non principaliter ſicut Pater.*

Rationes autem cur ita dicendum ſit, hæ ſunt. Primò, quod nuſquam vſurpari poteſt ὑπαρκτικῶς pro ἀρχικῶς, ſiue ἀρχοειδῶς. Secundò, quòd in Seſſione 24. eiuſdem Concilij penè ad finem ipſe Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, vſus eſt eodem verbo ἀρχικῶς, in eadem re. καὶ ἡμεῖς (inquit) μίαν αἰτίαν ὁμολογοῦντες τοῦ υἱοῦ, καὶ πνεύματος τὸν πατέρα, ὡς ἀρχικῶς ὁ υἱὸς παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύοντι πνεῦμα τὸ ἅγιον. hoc eſt. *Et nos cauſam vnam profitentes Patrem Filij, & Spiritus, tanquam principatiuè Filius à Patre emittens Spiritum ſanctum.* Tertiò, cùm in prima propoſitione Ioannis illa ſint verba, κατὰ τὸν ἀκολουθίας λόγον, hoc eſt, *ſecundùm rationem conſequentiæ,* idipſum poſteriore efferretur apertius. huic enim propoſitioni ὁ υἱὸς ἐστὶν ἀρχικῶς ἐκπορεύων τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παρὰ τοῦ πατρός, *Filius principatiuè emittit Spiritum ſanctum,* hæc altera propoſitio conſequēs eſt, ἀποφατική. Igitur filius ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ ἀρχικῶς προβάλλει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. hoc eſt. *Igitur Filius à ſemetipſo principaliter non emittit Spiritum ſanctum.*

At quoniam non defuêre, qui putarunt ὕπαρξιν idem eſſe quod ἀρχήν, id eſt, *ſubſiſtentiam* eſſe idem quod *principium,* ſciendum eſt eos valdè fuiſſe deceptos. Porrò coniectura illorum è verbis ducta eſt proximè ſuperioris ſeſſionis, quæ ita habent. προβάλλει καὶ αὐτὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐχ ὑπαρκτικῶς ὡς ὁ πατήρ, αὐτὸς γὰρ ἐστὶ ῥίζα, καὶ πηγὴ τῆς θεότητος. hoc eſt. *Emittit & ipſe Spiritum ſanctum non hyparcticè, ſicut Pater: ipſe enim eſt radix, & fons Deitatis.* At eiuſmodi coniectura nulla eſt, cùm nuſquam inueniatur ὕπαρξις, hoc eſt, ſubſiſtentia pro principio, ſiue origine. Beſſario Card. vir & Græcus, & qui Florentino Concilio interfuit, in oratione περὶ τῆς ἑνώσεως, De vnione, nunquam ea voce vſus eſt. Quin & Ferrariæ, vbi Symbolum Nicænum defendit, nunquam id vſurpauit. Gennadius verò de Spiritus ſancti proceſſione diſſerens aduerſus Græcos in principio. διακρίνεται (inquit) πάλιν δυσὶ τούτοις τῷ μή τε μονογενῶς ὡς υἱός, ἀλλ' ἐκπορευτῶς δηλαδὴ ὑποστῆναι· τοῦτο δ' ἐστὶ τῷ διαφόρῳ τῆς ὑπάρξεως τρόπῳ, καὶ ἐν τῷ δι' αὐτοῦ πεφηνέναι. hoc eſt. *Rurſus duabus his rebus diſtinguitur, & quia non vnigenitè ſicut filius, ſed proceßiuè, id eſt diuerſo ſubſiſtentiæ modo ſubſiſtit, & quia per filium manifeſtatus eſt.* Idem Damaſcenus de Orthodoxa fide primo libro, cap. 10. ſecundùm Græcam capitum diuiſionem.

At cùm ex alijs Concilij eiuſdem locis, quid ſit ὕπαρξις conſtet, tum ex ijs verbis, quæ Latini protulerunt, καὶ οὐ λέγομεν ὅτι ἐκπορεύεται κἂν τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡς ἐξ ἄλλης ἀρχῆς, ἢ αἰτίας, οὐδὲ ὡς τὴν ὕπαρξιν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ πνεύματος· μίαν γὰρ καὶ ἐχομεν τὸν πατέρα αἰτίαν, καὶ ῥίζαν, καὶ πηγὴν τῆς θεότητος· ἀλλ' οὐδὲ λέγομεν ἐν πρόσωπον τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ διά τε λέγειν μίαν ἐνέργειαν. τοῦτο γὰρ ἐστιν ἄτοπον. ἀλλὰ λέγομεν δύο ὑποστάσεις, καὶ μίαν ἐνέργειαν, καὶ μίαν προβλητικὴν δύναμιν, καὶ τὸ προβαλλόμενον ἐκ τῆς οὐσίας, καὶ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρός, καὶ υἱοῦ hoc eſt. neq; dicimus, *quamuis à filio procedat Spiritus S. tanquam ab alio principio, vel cauſſa, procedere, neque filium tanquam ſubſiſtentiam habentem ſpiritus. Vnam enim cauſſam, & radicem, & fontem Deitatis agnoſcimus Patrem. Sed neque dicimus perſonam eſſe vnam Patris, & Filij, quia vnam dicimus operationem, id enim eſt abſurdum. Sed dicimus duas hypoſtaſes, & vnam operationem, & vnam ſpiratiuam poteſtatem, & vnum ſpiratum ex eſſentia, & hypoſtaſi Patris & Filij.* Sic Latini.

Quo autem clarius tota res liqueat, dicimus Patrem, & Filium, vnicū eſſe Spiritus ſancti principium, propter vnam operationem, vnamque poteſtatem ſpiratiuam, ſeu facultatem emittendi Spiritum ſanctum. Alterum eſt, Patrem eſſe abſolutè fontē, & radicē Diuinitatis. Si ergo Latini dicūt Patrem, & Filium vnicum eſſe principium, & cauſam Spiritus ſancti, quomodo ſtatim non aſſerunt filium eſſe principium, ſeu originem Spiritus ſancti? Neque enim idem eſt eſſe fontem Diuinitatis ſimpliciter, & fontem Diuinitatis in perſona Spiritus ſancti, ſeu fontem Spiritus ſancti. Nam eſſe fontem ſimpliciter Deitatis, proprium eſt Patris tantum. Eſſe verò fontem Diuinitatis πνευστικῶς, id eſt, ſpiratiuè communicatæ Spiritui ſancto, eſt commune Patri, & Filio. Quare nullo modo negari poteſt, quin Filius ſit fons, & origo Spiritus ſancti: quamuis abſolutè non ſit origo Deitatis, cum non ſit Diuinitatis origo, vt ea eſt in ſemetipſo, cuius ſolus Pater, à quo per generationem illam habet Filius, caput eſt, atque principium.

Verum enimuerò eſt animaduertendū, quāuis Filius principium ſit vnum, atque idem cum Patre, Spiritus ſancti, nihilominus rectè negari, filium emittere ἀρχικῶς, hoc eſt, emittere à ſe; filius enim emittit à Patre, quia à Patre accipit, & ſuam hypoſtaſim, & emittendi poteſtatem.

Quòd autem in hoc eodem Concilio dicitur filium non eſſe προκαταρκτικὴν αἰτίαν Spiritus ſancti, neminem ſolicitum habere debet, quamuis eo verbo virum grauem magnoperè viderim fuiſſe commotum, qui προκαταρκτικὴν, &, ὑπαρκτικὴν αἰτίαν idem eſſe ſuſpicaretur, in quo hallucinabatur quàm maximè, cùm non modò apud Galenum, cæteroſque Medicos cauſſa morbi procatarctica cauſſa ſit, vt ita loquar, initialis, atque originalis, verum etiam apud eos, qui in rerum Diuinarum explicatione verſantur. Sentiunt igitur viri ſapiētes αἰτίαν προκαταρκτικὴν ἀρχικὴν, καὶ ἀρχοειδῆ eſſe eandem, quemadmodum intelligimus tum ex Beſſarionis Oratione pag. 193. verſu 18. à primo, & quinto à poſtremo, & ex Gennadio capite primo περὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου, & ex Damaſceno in primo libro De fide Orthodoxa c. 11. qui omnem cauſſam procatarcticam adſcribūt Patri. Et Gennadius in Diſputatione, de proceſſione Spiritus ſancti pag. 300. interpretās illa verba ἐξ οὗ τὰ πάντα, δι' οὗ τὰ πάντα, ἐν ᾧ τὰ πάντα, hoc eſt. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* præpoſitionem illam, *Ex,* ait ſignificare in Patre αἰτίαν προκαταρκτικὴν; Præpoſitionem, *Per,* in Filio δημιουργικὴν, id eſt *effectricem.* Præpoſitionem, *In,* ſignificare in Spiritu ſancto τελειωτικὴν, hoc eſt, *perfectricem.*

Quòd ſi quis ex Seſſione Concilij Florentini vigeſimaquinta, obijciat id quod Imperator dixit his verbis, οὕτω γὰρ ἐδόξαζον οἱ πατέρες ἡμῶν, αἰτίας ὑπαρκτικὰς δύο λέγειν τοὺς λατίνους τοῦ ἁγίου πνεύματος. hoc eſt. *Sic enim Patres noſtri opinabantur duas cauſas hyparcticas Latinos dicere Spiritus ſancti.* Reſpondendum eſt ei, cùm in Græcorum mentibus inſediſſet penitus, duo principia Spiritus ſancti à Latinis conſtitui, propterea in ea oratione Imperatoris duas cauſas hyparcticas idem eſſe, ac ſi dixiſſet duas cauſas principales, ſiue originales, ſiue initiales. Quod ſanè ita non eſt. Primò, quoniam vox ὑπαρκτικὸς nunquam ſumi poteſt pro principali ſiue originali. Deinde quia Græci Concilij interpres Abramus Cretenſis Præſul Arienſis, locum illum Imperatoris interpretans reddidit Latinè, *duas ſubſtantiales cauſſas.* Præterea quoniam Imperator qui philoſophiæ præceptis erat apprimè imbutus, rectè inferebat ex duobus principijs duas cauſas ſubſtantiales. Cùm enim nomen principij ſignificetur tanquam ſimplex eſſentia, preſertim in Diuinis: qui illic conſtituit duo principia, fateri illic cogitur duas eſſentias, & duas cauſſas eſſentiales. Id quod prorſus reſpuit Chriſtianarum aurium ſenſus. Cùm enim Concilia, & Patres Orthodoxi nunquam dixerint duas in Diuinis cauſas, vel principia; profectò nefarium eſſet dicere duas eſſe cauſas ſubſtantiales. Nam qui dicit duas ſubſtātiales, idem duas dicit neceſſariò cauſas: contra quod omnia concilia, & Patres loquuntur, ac docent.

Ceterùm, ne quis reſtet ambigendi locus de notione iſtius vocis ὑπαρκτικὸς, ſiue ὕπαρξις, loca omnia huc afferam, in quibus cùm de proceſſione Spiritus ſancti Florentiæ diſputaretur, de illa actum eſt. Ter igitur in 18. Seſſione, quæ prima fuit de Spiritus ſancti eſſentiali Proceſſione, vſurpata fuit. Primū à Marco Epheſio, qui nomina Proceſſionis aiebat diſtingui,

mpè ſubſtantialem Spiritus ſancti emanationem ab emanatione filij; καὶ ταύτῃ τῷ ὀνόματι διαστέλλεται τοῦ πνεύματος ἡ ὑπαρκτικὴ πρόοδος τῆς τοῦ υἱοῦ ἀποστολῆς. *Et hoc nomine* (nomen dicit Proceſſionem) *diſtinguitur ſubſtantialis Spiritus emanatio à filij emanatione.* Secundò in eadem Seſſione ſemel, & iterum à Ioanne, qui ex reſpōſione Marci Epheſij ait ſe collegiſſe ἐκπόρευσιν λέγεσθαι ὑπαρκτικὴν καὶ οὐσιώδη, hoc eſt, *in Diuinis dici eſſentialem, & ſubſtantialem.*

Deinde à Latinis vrgentibus Græcos in Seſſione 25. ἡμεῖς θέλομεν ἐξηγεῖσθαι κατὰ τὸν νοῦν τῶν ἁγίων τῶν λεγόντων ταῦτα, τὴν ὑπαρκτικὴν αἰτίαν διδόντων τῷ υἱῷ σὺν τῷ πατρί hoc eſt. *nos requirimus ex ſenſu Sanctorum, qui ea verba pronunciarunt ſubſtantialem cauſſam filio cum Patre tribuentium.* Qui locus planè repugnat alteri illi, quem ſuprà diximus eſſe corruptum. Quid enim fieri poteſt diſtinctius, quàm vt Latini libenter Græcis tribuant in Concilio generali filium non emittere hyparcticè Spiritum ſanctum, & ab iiſdem premi Græcos, vt fateantur filium eſſe cauſſam hyparcticam Spiritus ſancti?

Vſus item eſt Romanus Pont. eodem vocabulo in ſanciendo proceſſionis dogmate in eadem Seſſione. Cunctis enim Chriſtianis neceſſitatem imponit hanc fidei veritatem credendi, τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν, καὶ τὸ ὑπαρκτικὸν εἶναι αὐτοῦ ἔχειν ἐκ τοῦ πατρὸς ἅμα καὶ τοῦ υἱοῦ, hoc eſt. *Eſſentiam ſuam, & ſui eſſe ſubſtātiam habere à Patre ſimul, & Filio.*

Denique eadem vox eſt vſurpata eodem in loco Imperatoris, quem indicauimus; quem non ſecus quàm alios debemus interpretari, ne dicere cogamur homonymo, & ancipiti vocabulo Romanum Pontificem vſum eſſe in certa fidei veritate decernenda, & ne ſtultitiæ Patres, qui in eo Concilio diſputarunt, coarguamus, qui in tanta rei diſquiſitione vocabulum ambiguum nunquam diſtinxerunt, in quo non ſolùm contra Philoſophorum, & Dialecticorum diſciplinam grauiter peccaſſent, qui docent nomen ambiguum, & multiplex antè diſtinguendum eſſe, quàm de re diſputetur. Deinde etiam tum de ſuis laboribus, atque vigilijs, tum de cunctis Decretis malè meriti eſſent, qui vſurpatione ancipitis vocabuli improbis aliquorum ingenijs, malitioſa verbi interpretatione tam facilem cauſſam ludificandi omnia attuliſſent.

Mendosè igitur in ſuperiori illa propoſitione, quam huic Tractationi præfiximus legitur, ὑπαρκτικῶς, cùm item Græcus codex Præſulis Arienſis habuerit ἀρχικῶς, ſiue ἀρχοειδῶς Abramus enim Cretenſis Græci Concilij interpres, aduerbium ἀρχικῶς, & ἀρχοειδῶς ſemper eodem modo ſit interpretatus: nunquam autem ſit interpretatus nomen ὑπαρκτικὸν *præcipuum*, vel *principalem*, neceſſariò conficitur in eius codice fuiſſe ἀρχικῶς, ſiue ἀρχοειδῶς, at nullo modo extitiſſe ὑπαρκτικῶς. *Hæc Poſſeuin.*

REFORMATIONES
CLERI DIOECESIS LEODIENſis an. Dom. M. CCCC. XLVI. tempore Eugenij IV. Papæ per R. P. D. Ioannem Epiſcopum Leodienſem factæ, &c Et per capitulum maius Leodienſe ſigillatæ, ac per Nicolaum V. approbatæ.

VNIVERSIS præſentia ſtatuta viſuris ſeu audituris, Ioannes Dei gratia Epiſcopus Leodienſis, ſalutē in Domino ſynceram. Quamuis bonæ memoriæ Adulphus Epiſcopus Leodienſis prædeceſſor noſter, ad extirpandum officiariorum curiæ noſtræ, necnon curialium venerabilium virorum, præpoſiti, capituli, *archiepiſcoporum noſtrorum Leodien. ipſas curias ſequentium abuſus & exceſſus, quædam vtilia ſtatuta condiderit, quædam ſcilicet anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimoſeptimo, menſis Septembris die vigeſimaoctaua, quædam autem anno eodem, ſed menſis Octobris die ſeptima: Alia quædam anno à Natiuitate eiuſdem Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimotertio, menſis Iulij die nona: & illa mandauerit ſub certis pœnis in eiſdem adiectis inuiolabiliter obſeruari: Illa tamen vſquequaque obſeruata non ſunt, vnde grauamina ſunt addita noſtris ſubditis grauiora. Ideò eorundem ſubditorum incommodis obuiare volentes, illa ſtatuta & alia ſynodalia per prædeceſſores noſtros edita, ac per nos nouiter cum aliquibus additionibus innouata, Saluis tamen infraſcriptis ſtatutis, de dicti noſtri capituli conſilio & conſenſu, innouamus & de nouo confirmamus, præcipientes, authoritate noſtra diſtrictiùs & in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis in illis expreſſis diligentiùs ab omnibus obſeruari. Quædam autem conſideratione venerabilium maioris & ſecundariarum Eccleſiarum noſtrarum Leodienſium, capitulorum ac cleri noſtrarum ciuitatis & diœceſis Leodiēſis de memorati noſtri Capituli maioris conſilio & conſenſu, ſtatuentes.

In primis ſiquidem ſtatuimus, quòd licentia teſtandi alicui presbytero ſeu beneficiato per literas ſub ſigillo officialitatis curiæ Leodienſis conceſſa, non expiret per ceſſum vel deceſſum illius Epiſcopi, cuius tempore conceſſa fuit, ſed perpetuò ſit firma & valida.

Item ſi contingit ſigilliferum vel officialem foraneum apponere manus ad bona mobilia alicuius presbyteri vel alterius beneficiati, ab inteſtato ſeu abſque licentia teſtandi defuncti, conficiatur de illis bonis ſtatim & fideliter Inuentarium, & quod exequijs & debitis ſolutis ſupercreuerit, cedat diſpoſitioni noſtræ conuerten. prout nobis viſum fuerit expedire.

Item quòd decætero pro abſentia infra feſtum S. Ægidij petenda non recipiatur vltra quàm viceſimus denarius valoris annui beneficiorum, deductis realibus oneribus. Et vt de beneficij, de quo abſentia petetur, vero valore notitia, rectore petente, certiùs habeatur: volumus notitiam eandem iuramēto rectorum & virorum fidedignorum coram illo, à quo petetur abſentia, vel certo commiſſario in loco beneficij ad hoc dando, & nullatenùs dari denegando, docere poſſe & debere. Prouiſo in hoc, quod dicto ſemel officiali vel ſigillifero Leodienſi modo præmiſſo, ſeu archidiacono, ſuove vicario, nō arctetur talis docens, abſque legitima cauſa valorem eundem ſecundariò deducere vel docere. Sed vterque prælatorum prædictorum ſit contentus documento coram altero ipſorum fideliter facto, niſi fructus beneficij huiuſmodi augmententur vel diminuantur. Quodque pro Placet, cuiuſcunque beneficij curati quanticunque valoris, vltra vnum ſcutum vetus: Beneficij verò non curati, vltra quatuor groſſos veteres, quales ſubſcribuntur, decætero nō recipiantur quouis modo. Volumus tamen & mandamus, pro Placet ipſorum beneficiorum, minus recipi ſecundùm fructuum tenuitatem.

Item in abſentia pro Placet etiam coniunctim pro regiſtrationibus tam per ſigilliferum noſtrum, quàm archidiaconos Eccleſiæ noſtræ Leodien. non recipiātur amodò vltra quam duo groſſi antiqui, quorum duodecim valebunt florenum Rhenenſem & vnum dimidium ſtuferum bonum. Quales etiam groſſos ſolui volumus in abſentia & regiſtrationibus, & quòd nihil quoad abſentes capiatur ſeu recipiatur abuſiuè.

Item, quia diaconi, ſeu vicedecani & capitula ſecundariarum Eccleſiarum noſtrarum Leodien. hactenùs plura onera, vexationes & labores nobiſcum, & cum venerabili capitulo noſtro Leodien. pro libertate Eccleſiaſtica ſeruanda & pro reſiſtentia iniuriarum, oppreſſionum & grauaminum, quæ (proh dolor) clero noſtro tam infra ciuitatem, quàm extra, diuerſimodè & pluries retroactis temporibus obuenerunt, & indies obueniunt, ſubire habuerunt & habent, dum talia vel ſimilia occurrunt: idcircò ipſis dominis decanis ſeu vicedecanis & capitulis ſecundariarum Eccleſiarum noſtrarū Leodien. prætactarum, gratioſè indulgentes, ordinamus & ſtatuimus, vt in anteà nullus ſigillifer noſter pro tempore, aut aliquis archidiaconorum ſiue vicarius eorundem, decanus ſeu vicedecanus Chriſtianitatum ſeu conciliorum quorumcunque, aut alius prælatus quicunque noſtrarum ciuitatis & diœceſis Leodien. alicui canonico præbendato noſtrarum Eccleſiarum ſecundariarum Leodien. prætactarum, & reſidenti in eiſdem ſeu aliqua ipſarū, & extra eaſdem beneficiū vel offi-

clum, ſeu beneficia vel officia noſtræ diœceſis, curatum vel non curatum, aut curata vel non curata obtinenti, licentiam abeſſendi, fructuſq; ad nos vel noſtram diſpoſitionem, & ad prælatos prædictos ſeu aliquem ipſorũ ratione abſentiæ huiuſmodi ſpectantes, leuandi & habendi ac faciendi illis vel illis laudabiliter in diuinis deſeruire deneget. Sed concedere debeat vnicuique canonico reſidenti, vt præfertur, petenti & competentem taxam iuxta artic. ſiue punctum prætactum, de 20. denario ſingulis annis infra & ante feſtum B. Lamberti martyris offerenti: hortantes omnes & ſingulos decanos ſeu vicedecanos, & cap. omnium & ſingularum Eccleſiarum noſtrarum collegiatarum, extra ciuitatem Leodien. & infra diœceſim noſtram conſiſtentium, vt ipſi & eorum ſinguli ſe fauorabiliter in præmiſſis cum canonicis reſidentes in aliqua ſecundariarum Eccleſ. noſtrarum prętactarum ſe conforment. Et abſentiam nulli ipſorum prælatorum & canonicorum reſidentium illam petenti denegent: ſcituri, quod ſi facere recuſauerint, quod abſit, non gaudebunt neque fruentur noſtris præſentibus ordinationibus ſiue ſtatutis.

Item inhibemus, ne decæterò fructus beneficiorum, in quibus rectores eorum perſonaliter reſident, ſub ficto colore, quaſi ipſi ſint abſentes, aliquatenùs arreſtentur. Nec etiam eorum rectoribus qui abſentes ſunt cum licentia ſuorũ prælatorum, huiuſmodi licentiam dare deben. dum beneficia huiuſmodi aliàs laudabiliter officientur, prout debent. Quodque ſi forſan ſcienter vel ignoranter ſecùs contigerit attentari, comperta veritate, ſummariè iudex ſine aliqua difficultate arreſtum tollat. Et ſi forſan contra talem rectorem vel eius procuratorem aut alium habentem cauſam ab eo, occaſione huiuſmodi arreſti quomodolibet fuerit pro contumacia, vel aliàs proceſſum ad excommunicationem, ſuſpenſionem vel interdictum, abſolutio ſine difficultate impendatur. Et pro reuocatione arreſti atque abſolutione huiuſmodi, & pro ſigno ſiue pro ſigillo nihil recipiatur. Sed literæ ſuper huiuſmodi reuocatione ſeu abſolutione confectæ, gratis per notarios ad alia deputatos ſignẽtur, & per eos ad quos ſpectet ſigillare, gratis ſigillentur. Et inſuper ſi contingat collectorẽ fructuum vel beneficiorum abſentis vel procuratorem negociorum curiæ propter iniuſtum arreſtum vel iniuſtam cenſuram huiuſmodi condemnari in expenſis, præcipimus illas ſtatim ſolui, vel in iudicio deponi ad opus illius, cui eædem expenſę ſic adiudicatæ fuerint.

Item ſtatuimus, vt nullus collector fructuum beneficiorum, quorum rectores ſine licentia ſunt abſentes, admittatur ad exercendum huiuſmodi officium in iudicio vel extra, niſi priùs iurauerit, quòd non procurabit aliquos fructus aliquorum beneficiorum, in quibus rectores eorum perſonaliter reſident, ſub ficto colore prædicto aliquatenùs arreſtari: niſi priùs illo rectore debitè in propria perſona vel in loco beneficij vocato, iudex ad arreſtationem huiuſmodi ex aliqua rationabili cauſa, quam in huiuſmodi decreto exprimi volumus, iudicialiter decreuerit, procedẽdum. Et etiam niſi idem collector iurauerit, quod beneficijs curatis & nõ curatis, quorum fructus colligere ſibi commiſſum eſt, ſeu committetur, debitè & laudabiliter faciat deſeruiri. Et quod ſoluet iura eorum, & onera etiam realia ſupportabit. Et quòd ſi bona eorundem propter ſuum defectum diminuantur, ipſe damnum plenariè reſarciet abſq; fraude.

Item ſtatuimus, quod ſi licentia abeſſendi præcedat arreſtationem antedictam, collector fructuum prædictorum pro arreſtatione, ſeu pro literis nihil percipiet. Si verò licentia huiuſmodi arreſtationem ſubſequatur, tunc per hoc volumus arreſtum eſſe ſublatum. Et collector ſi præſens ſit, vel ſubcollector duos duntaxat groſſos percipiet: alioquin ſi abſens fuerit, ad opus eius, ſigillifero vel vicario archidiaconi, qui arreſtum poſuit, pro arreſtatione ſeu pro literis nihil percipiet, dummodò tantundem expoſuit, & arreſtum non fuerit præmaturè poſitum, in promptu ſolui præcipimus. Sed ſi propter loci diſtantiam plus meruerit, hoc ſit in arbitrio iudicis.

Item de ſynodo celebranda, & de exceſſibus ſynodalibus ac examinatione & inſtitutione procuratorum fiſcalium, necnon de ſalario & ſcripturis ſententiariorum, articulatorum, copiatorum, notariorum, procuratorum quorumcunque, fiſcalium & non fiſcalium, curias noſtras & aliorum prælatorum frequentantium, necnon de his qui cedere volunt bonis propter paupertatem, ſeruetur & fiat, prout in ſtatutis ſynodalibus aut curiæ Leodien. necnon modificationibus tempore bonæ memoriæ domini Adulphi quondam Epiſcopi Leodienſis factis, atq; prout in pace Tongren. & aliundè ordinatum eſt & prouiſum, ſaluo quòd articulator non debeat contra vnam perſonam ſuper diuerſis exceſſibus facere diuerſos, ſiue plures proceſſus, niſi iudex ex ſpeciali cauſa decreuerit hoc eſſe faciendum. Et ſtet contentus pro reſponſionibus & iuramento ad articulos, ſi in eiſdem ſit vnicus dumtaxat exceſſus, ſalario, prout illis prouiſum eſt in ſtatutis & alijs prætactis. Et ſi fuerint plures exceſſus in eiſdem articulis, ſit contentus recipere & habere, prout iudex iuxta quantitatem ſcripturarum reſponſionum ad eoſdem decreuerit recipiendum fore vel ſoluendum.

Item ſi citatus ex officio ad curiam noſtram Leodienſem vel alicuius archidiaconorum, reſpõſurus ſuper exceſſu quocunque, fuerit propter ſuam contumaciam excommunicatus, ſtatuimus vt huiuſmodi contumax decæterò vltra ſummam ſeu valorem ſex groſſorum Turonenſium: Si verò presbyter, 12. groſſorum, pro ſua contumacia non plectetur. Si verò quis ad cuiuſcunq; inſtantiam per annum & ampliùs excommunicationis ſententiam animo ſuſtinuerit indurato, Arbitrio iudicis plectetur. Et eo mediante, cuilibet tali ſua abſolutio gratis ſignetur, & pro duobus groſſis, prout de illis prouiſum eſt ſigilletur. Et idem volumus obſeruare per quoſcunq; iudices noſtræ diœceſis, etiam authoritate Apoſtolica fungentes.

Item ſtatuimus, quòd pro ſententia diffinitiua ſeu interlocutoria, negocio finem imponente, ſignanda & ſigillanda non recipiatur vltra vigeſimum denarium condemnationis vel abſolutionis. Pro interlocutoria autem ſignanda & ſigillanda, quæ vim non habet diffinitiuę ſententiæ, non recipiantur vltra duo groſſi.

Item circa procuratores negociorum ſtatuimus, quòd decæterò non ſint in curia noſtri officialis, niſi quindecim procuratores negociorum curiæ eiuſdem, præter collectores. Et quòd in qualibet curiarum præpoſiti & archidiaconorum, non ſit niſi vnus. Et ſint illi probi, diſcreti & fideles, Latinum congruè loqui ſcientes, non presbyteri, Tabelliones publici, notariatus officium in aliqua curiarum prædictarum exercentes, infames, homicidæ, publici adulteri, manifeſti vſurarij vel laici, & collectores fructuum beneficiorum vacantium vel abſentium, ſint presbyteri, aut bonæ fidei homines.

Item ſtatuimus, quòd nullus eorum ſit ſigillifer, archidiaconus vel notarius illius curiæ, cuius ipſe eſt negociorum procurator ordinatus, ſed ſint in ſingulis curijs ſingula officia diſtincta. Et ſit vnuſquiſq; contentus ſuo officio.

Item cùm in literis abſentiæ ab aliquo beneficio per officialem noſtrum & archidiaconos concedendæ exprimitur perſona illi deſeruitura, cum clauſula, vnà cum alio vel alijs beneficijs, Nolumus quòd talis deſeruitor pro licentia huiuſmodi quicquam ſoluat, ex quo in hoc caſu eſt ei licentia ad hoc conceſſa.

Item ſtatuimus, quòd nullus decæterò citetur ad curiam Leodien. ſeu archidiaconorum, ſuper ſuis exceſſibus reſponſurus, niſi cum citatorio mittantur etiam articuli continentes exceſſus huiuſmodi, vel ſaltem, niſi in ipſo citatorio exceſſus ſint taliter expreſſi, quòd citatus poſſit plenè inſtrui, ſuper quibus ipſe in iudicio conuenitur.

Item inhibemus, ne citatus aliquis authoritate ordinaria, vel noſtri conſeruatoris Apoſtolici, ad ciuitatem Leodien. pro ſua cauſa agenda, vel defendenda, ac legitimè proſequenda veniens, vel indè recedens, aut in ea domicilium ſouens, & iuri ſtare paratus, decæterò recipiatur, vel incarceretur, aut in carcere detineatur, niſi crimen in iure confeſſus, aut in crimine compræhenſus fuerit ſeu de eo conuictus. Et ſi contingat aliquem talem vel quemcunq; alium, in crimine non deprænhenſum, non conuictum detineri, illi dentur articuli celeriter & expeditè: quod niſi factum fuerit, volumus & mandamus incontinenti ſub cautione, quam iudex decreuerit, emitti. Et prohibemus ne aliquis in diœceſi Leodien. beneficiatus, & in ſuo beneficio reſidens, pro quocunque crimine ſibi impoſito capiatur, vel etiam fructus ſui beneficij arreſten-

arreſtentur, niſi (vt præmittitur) conuictus, aut ſaltem deſuper priùs debitè citatus fuerit, ac comparere & iuri ſtare non curauerit, vel de eius fuga veriſimiliter timeatur, aut crimen huiuſmodi executionem in perſonam requireret.

Item quòd decætero executiones literarum monitoriarum, quæ impetrantur ſuper contumacia iudicato vel recognito, teneantur iudici qui illas conceſſit, modum & formam, atque diem & horam ſuæ executionis vnà cum ſpeciali deſignatione perſonarum, in quas huiuſmodi literas ſunt executi, reſcribere in fine earundem literarum, vel per transfixam, ſuamque reſcriptionem ſigillo proprio & noto, quo vti conſueuerunt, communire.

Item iuri communi & prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis & ordinationibus innitentes, diſtrictè prohibemus, ne pro reſignatione beneficiorum admittenda, & pro inſtitutione & admiſſione ad beneficia, quicquam recipiatur, etiam quocunque colore quæſito. Nihilominus tamen pro ſcriptura, ſigno & ſigillo trium proclamationum, antè inſtitutionem ſeu admiſſionem fieri conſuetorum, ſex groſſi. Et pro inſtitutione ſeu admiſſione, ſcriptura, ſigno & ſigillo, duodecim groſſi. Et pro audientia vnus groſſus, recipi poterunt, & non vltra: Per quæ tamen non intendimus tollere ius quæſitum per antiquitatem temporis, archidiaconis & prælatis alijs, habentibus compoſitionem de octaua parte fructuum beneficij vel officij, ad quod quis admittitur, ſecundùm tamen verum valorem dicti beneficij vel officij tempore admiſſionis huiuſmodi: neque infringere conſuetudinem laudabilem archidiaconorum & prælatorum, minus pro præmiſſis aut aliquo præmiſſorum recipere conſuetorum. Quam præcipimus in ſuo ſtatu irrefragabiliter obſeruari.

Item circa viſitationes, quas archidiaconi faciunt per ſe vel ſuos vicarios, ſtatuimus quòd ipſi viſitatores in his taliter ſe habeant, quòd nihil contra canonicas ſanctiones, ſiue ſynodales cõſtitutiones aliquatenùs faciant, ſeu fieri etiam permittant: ſed his duntaxat, quæ eis licita ſunt, ſint contenti: nihil penitùs curialitatis, ſeu procurationis nomine, à prouiſionibus menſæ ſancti Spiritus, aut fabricæ, altaeariſticis appendicijs non ſeparatis, ſeu filiabus, Eccleſiarum capellis, aut etiam hoſpitalibus, recipiendo. Et quod vt meliùs obſeruetur, volumus viſitatores Apoſtolica fortitan authoritate committendos, ad hoc per eorum adſtringi iuramenta, in capitulo noſtro Leodien. præſtanda. Et ſi ſecùs in aliquo fieri contigerit, volumus hoc nobis, aut dicto capitulo noſtro maiori fideliter & quantocyus nunciari, vt quod reparandum fuerit, debitè reparetur. Et vlterius, quòd deinceps viſitationes per procuratores nequaquam admittantur vel fiant etiam authoritate Apoſtolica, niſi mandata ſiue literæ Apoſtolicæ debite obtinendæ priùs per nos Epiſcopum præfatum & noſtrum venerabile capitulum, aut ſaltem per ipſum noſtrum capitulum, viſæ, examinatæ & admiſſæ fuerint ſufficienter & deliberatè.

Item ſi contingat reum de exceſſu aliquo, propter quem fuerit ex officio vel ad inſtantiam partis tractus in cauſam, componere ante litis conteſtationem, vel poſtquam antequam in cauſa ſit iuratum, nullus notarius in cauſa huiuſmodi ſiue procurator aliquid ab eodem reo, ſuoque procuratore exigere præſumat ratione alicuius iuramenti, quod nondum in ipſa cauſa præſtitum eſt, videlicet vt non recipiat notarius aliquid pro iuramento calumniæ vel alio iuramento, quod non fuit in cauſa præſtitum. Nec ſuper articulatis aduerſus eum, pœnitentiam recipere vel componere volentem ad iurandum compellat. Si tamen aliqua de articulatis aduerſus eum pœnitentiam petens vel compoſitionem, negauerit: intentionis noſtræ eſt, quòd reſpondeat medio iuramento calumniæ antè pœnitentiam iniungendam vel compoſitionem fiendam.

Item quia nimis indiſcretè quàmplures literas quæ dicuntur ſtatutorum, & potiſſimè per quas mandatur ceſſari à diuinis, percepimus à curia noſtra Leodien. emanaſſe: ſtatuimus, quòd decæterò literæ quæ dicuntur ſtatutorum, & potiſſimè per quas mandatur ceſſari à diuinis, dictentur per aliquem, ſeu aliquos noſtræ curiæ prædictæ, expertum ſeu expertos, practicum ſeu practicos, & ſigneto Officialitatis per noſtrum officialem, ſi rationabiles & iure vel ſtatuto benè fundatæ ſint, in ipſarum capite muniantur, priuſquàm ſigillentur.

Item ſtatuimus, quòd ſi canonicè intranti & pacificè poſſidenti per biennium authoritate Apoſtolica legati vel ordinaria beneficium Eccleſiaſticum quodcunque litem in futurũ ſuper eodem beneficio moueri contingat, fructus eiuſdem beneficij nullatenùs ex eo capite, quòd beneficium eſt litigioſum, vel quòd occaſione beneficij lis moueatur, illi ſubtrahantur vel arreſtentur. Sed eo caſu ipſe illos perciperet cum ea integritate, qua eos perciperet, ſi ſuper huiuſmodi beneficio vel eius occaſione lis mota non eſſet, niſi ſubtractionem vel arreſtationem huiuſmodi, mediante iudicis competentis iudiciali decreto, ex aliqua rationabili cauſa fieri contingat. Volumus autem quòd tali poſſeſſori, cui ſuper beneficio lis eſt mota, non denegetur abſentia, ſi ex legitima cauſa ſe voluerit abſentare.

Item ſtatuimus, vt nullus decæterò fiat officialis noſtri, ſeu alicuius archidiaconorũ prædictorum officialis foraneus, niſi ſit presbyter vel clericus vitæ laudabilis & honeſtæ conuerſationis, qui officium huiuſmodi exerceat laudabiliter & honeſtè. Et in quolibet Concilio non ſit niſi vnus officialis foraneus, & vnus archidiaconus foraneus Concilijs Geldrenſibus propter ſui latitudinem, necnon Tongrenſibus, Traiecten. & ſancti Trudonis, propter idiomatum diuerſitatem, duntaxat exceptis.

Item quia cognouimus quoſdam clericos ſeu officiales foraneos, aliquando ſuper matrimonijs ſeu ſponſalibus contractis partes contra huiuſmodi matrimonium ſeu ſponſalia opponentes concordaſſe, & aliquando compoſitionem cum illis iniſſe, & pecunias ea de cauſa recepiſſe: vt decæterò periculis animarum obuietur, inhibemus omnibus noſtris ſubditis, ne ſuper oppoſitionibus factis contra matrimonium ſeu ſponſalia contractum ſeu contracta, concordiam aliquam faciant ſeu tractent, componive ſeu concordari ſiue tractari procurẽt. Ne etiam aliquis huiuſmodi compoſitionibus, concordijs, tractatibus intereſſe præſumat. Sed ſuper huiuſmodi matrimonijs, ſponſalibus & oppoſitionibus expectetur ſententia iudicis competentis.

Item inhibemus, ne litem in aliqua curiarum prædictarũ habendam in ciuitate Leodienſi ad cauſam ipſam procuratorem legitimè conſtitutum vel ſubſtitutum, aliquis citare ſeu citari facere præſumat ad aliquem actum, ſeu ad aliquos actus dictæ cauſæ, niſi de ſpeciali & expreſſo mandato iudicis ex aliqua rationabili cauſa hoc proceſſerit.

Item etiam inhibemus, ne in aliqua cauſa Notarius aliquis reſponſiones faciendas * ad propoſitiones ſiue teſtes producendos audiat, recipiat, vel examinet extra curiam noſtram, niſi iudex cauſæ illi præſenti vel abſenti notario hoc expreſſè commiſerit.

Item prohibemus, quòd nequaquam vni presbytero committatur deſeruitura duarum Eccleſiarum parochialium non condependentium abſque euidenti neceſſitate. Et ſi contingat ex tali neceſſitate vni presbytero deſeruituram talium duarum Eccleſiarum parochialium committi, nolumus tamen, quòd tales presbyter bis celebret in die abſque noſtra licentia ſpeciali, cùm id in iure prohibeatur. Habẽtes autem plura beneficia, & illis ſimul deſeruientes, propterea non vexentur, nec quicquam ab eis exigatur vel recipiatur, dummodò oneri ipſorum poſſint ſatisfacere, & ſatisfaciant cum effectu.

Item quòd curato reſidenti in cura ſua, & obtento Placet coadiutoris, ſi medio tempore deceſſerit, teſtamẽto per eum condito de licentia noſtra illud non expiret per mortem dicti curati: ſed durabit vſq; feſtum B. Ioannis Baptiſtæ, mortẽ prædictam immediatè ſubſequens.

Item ſimiliter de curato abſente, de noſtra & aliorum prælatorum licentia, & teſtamento per eum de eadem noſtra licentia condito, Placet pro deſeruitore ſuo obtentum, per mortem eiuſdem abſentis curati non expiret, ſed durabit, vt ſuprà.

Item volumus, ſtatuimus & ordinamus, quòd nemini petenti licentiam, fructus ſui altaris competentes non habenti, ponendi & conuertendi in augmẽtum huiuſmodi ſui beneficij vel altaris, per noſtrũ officialẽ & ſigilliferũ aut archidiaconos ſeu vicarios ſuos prędictos denegetur. Prouiſo, quòd fru-

ctus leuans in augmentum conuertens, ipſi altari faciat debitè in diuinis deſeruiri. Et poſt lapſum temporis ſibi ad hoc indulti computum inde reddere teneatur. Et Placet deſeruitoris, ſibi in hac parte gratis concedatur.

Item ſi contingat deinceps aliquem presbyterum curatū, vel alium quemcumque beneficiatum propter executionem mandatorum Eccleſiaſticorum minas & metū ſuſtinere, propter quas non audet in beneficio aut loco reſidere, volumus & mādamus tali presbytero licentiam abeſſendi ab huiuſmodi ſuo beneficio gratis concedi, metu ipſo durante. Et nihilominus per iudicem, à quo mandata emanauerunt, ſibi de expēſis neceſſarijs, honeſtate ſeruata, pro eodem tempore debitè prouideri.

Item inhibemus, ne decætero aliquis ſit iudex & ſigillifer noſter, ſeu vicarius & componens in eadem curia ſimul & ſemel. Quodq; nullus coniugatus ſit officialis aut ſigillifer noſter, vicariuſve alicuius archidiaconorum, aut iudex alicuius curiarum prædictarum.

Item inhibemus, ne decani Chriſtianitatum ſub colore viſitationis ficto vel illius remiſſione, recipiant de ſuis quartis capellis pecunias annuas, niſi perſonaliter viſitauerint & cum effectu. Et tunc ſtent contenti quarta parte illius, quod archidiaconis pro * integræ Eccleſiæ viſitatione debetur. Et idem volumus obſeruari in ſolutione obſonij & cathedratici ipſarum quartarum Cappellarum, dictis decanis facienda. Et nihilominùs reſideāt ipſi decani quilibet in ſuo Concilio, niſi fuerit officialis, ſigillifer, aut Protonotarius noſter, aut locum tenens alterius eorundem. Saluiſque priuilegijs Apoſtolicis, vel niſi cum eis per nos, aut noſtros ſuperiores fuerit diſpenſatum.

Item ſtatuimus, vt ijdem decani rurales in ſolutione abſentiarum & Placet, de ſuis quartis capellis, ac etiam in proclamatione & admiſſione ad eaſdem, & octaua parte fructuum ſint contenti, & illis vtantur ſicut ſigillifer & archidiaconi.

Item prohibemus, ne ſigillifer noſter Leodienſis, aut aliquis alius, pro delibatione ſacri chriſmatis, olei ſacri, aut olei infirmorum in ciuitate noſtra Leodien. decanis Chriſtianitatum noſtræ diœceſis in hebdomada pœnitentiali delibari ſolitorum, neque ipſi decani pro miniſtratione huiuſmodi ſacramentorum confratribus ſuorum Conciliorum facienda quicquam recipiant vel exigant, contra vel prẹter tenorem ſtatutorum ſynodalium, ſed abſque extorſione alicuius pecuniæ, ſiue ſub colore expenſarum, aut aliàs quocunque, illa expeditè deliberent, cùm ad hoc ex debito ſuorum officiorum obligentur.

Item prohibemus, ne huiuſmodi ſacramenta detineantur per noſtrum ſigilliferum, aut quemcumq; alium, neq; etiam eorum delibatio denegetur alicui propter deportationem aut executionem quorumcumq; mandatorum Eccleſiaſticorum abſq; decreto noſtri officialis ſpeciali.

Item quamquam archidiaconi & decani Chriſtianitatum audientiam & cognitionem cauſarum coram eis intentarum committere valeant, tamen vt ipſi ſuperioris iuriſdictionem & authoritatem non defraudent, inhibemus ne deciſionem & diffinitiuam ſententiam ipſarum committere præſumant quoquo modo. Et ſimiliter inhibemus officiali curiæ noſtræ Leodienſis, ne cauſas per viam appellationis ad eum deuolutas, aliquatenùs committere præſumat. Et ne cauſas alias per viam ſimplicis querelæ coram eo intentatas, vltra ſemel committere præſumat decidendas.

Item in factis præſentationū ad ſacros ordines ſtatuimus & ordinamus, quòd pro præſentatione ad quemlibet ſacrum ordinem, non recipiantur vltrà, niſi ſex groſſi, quales præſcribuntur in quarto pūcto, ſiue articulo, ab initio computando, pro ſcriptura, ſigno & ſigillo in vniuerſo.

Item ſtatuimus, quòd decæterò curatus reſcribens ſuis temporibus decanis, ſeu vicedecanis alterius conciliorum noſtræ diœceſis, prout moris eſt, debet ſemel dumtaxat in anno, & non ampliùs, reſcribere nomina & cognomina beneficiorum curatorum & non curatorum, ac officiorum infra parochiam ſuam conſiſtentium, vnà cum annuo valore beneficiorum vel officiorum huiuſmodi iuxta communem extimationem, vel prout meliùs ſciuerit, ac nominibus ac cognominibus rectorum eorundem reſidentium atque abſentium ab eiſdem, & deſeruitorum eorumdem, & excommunicatorum per annum & ampliùs. Et item ſic reſcribens, non debet ex officio citari ſuper vlteriori reſcriptione facienda.

Idem ſtatuimus & ordinamus, quòd nullus presbyter ſuper incontinentijs citetur, niſi mulier nominata in citatorio, cum qua dicitur incontinens, ſit primò ad ſanctam Synodum prouocata. volumus tamen, quòd in euentum, in quem ſynodus in loco domicilij eiuſdem mulieris non fuerit celebrata, vel talis mulier per dolum, fraudem, ſiue timorem ſcabinorum ſynodalium ſit neglecta, & in ſynodo non prouocata, & de hoc procurator fiſcalis inquirere voluerit, hoc licitè facere poterit.

Item quia parum eſt, ſtatuta condere, niſi debitis pœnis vallentur, ſtatuimus & ordinamus, quòd omnes officiales, ſigilliferi, notarij, procuratores negociorum dictarum curiarum & clerici foranei qui nunc ſunt vel erunt, hæc ſtatuta pro poſſe ſuo & bona fide, quantum in eis erit, obſeruent. Si quis autem officialis, ſigillifer, aut notarius, aut clericus foraneus officialis noſtri vel archidiaconorum prædictorum, aut procurator quicunq; ſcienter dicta, ſtatuta, vel eorum aliqua prẹſumpſerit violare, volumus & ordinamus, quòd talis ſuſpendatur ab exercitio officij ad ſex menſes & vltra, prout ſuo iudici in ea parte videbitur expedire. Et aliàs arbitrio iudicis eiuſdem puniatur, prout hoc meruerit proteruitas delinquentis.

Item præcipimus omnibus iudicibus, ſigilliferis, officialibus, Aduocatis, procuratoribus negociorum dictarum curiarum, clericis foraneis officialis noſtri & archidiaconorum necnon decanis conciliorum prædictorum, aut eorum vicegerentibus ſub pœna excommunicationis, quòd quilibet ipſorum, infra menſem poſt præſentium publicationem, copiā ſtatutorum ipſorum habeat, ne ſuper illis ignorantiam aliquam valeat allegare. Et quòd ipſi decani, vel eorum vicegerentes rectoribus Eccleſiarum ſui concilij ea publicent, & ipſi rectores eorum copiam recipiant quantociùs poterunt. Et ſi aliquos violatores ſeu tranſgreſſores eorūdem ſtatutorum, vel aliquos falſarios vel abuſores literarum Apoſtolicarum vel delegatorum iudicum, ſeu curiæ officialis noſtri capituli, vel archidiaconorum prædictorum, vel ſuper hoc diffamatum ſciuerint, inuenerint, vel perceperint, illorum nomina vel exceſſus officiali noſtro, prout ſtatuta ſynodalia præcipiunt, denuncient vel reſcribant. Verùm quoniam omnia præmiſſa per nos ordinata & ſtatuta ſunt dumtaxat propter abuſus repellendos, & in melius reformandos, non intendimus per ea iuriſdictionibus noſtris per nos & per noſtros officiales curiæ noſtræ iuratos, aut archidiaconorum Eccleſiæ noſtræ Leodien. & aliorum prælatorum in aliquo derogare, Saluis ſemper ordinationibus & ſtatutis noſtris ſupraſcriptis, in ſuo robore permanſuris. In quorum omnium teſtimonium, ſigillum noſtrum vnà cum ſigillo dicti noſtri capituli appoſuimus.

Et nos capitulum Leodien. prædictum, in ſignum conſilij & conſenſus noſtri ſuper & in præmiſſis datorum, & vt ſtatuta & alia præmiſſa robur obtineant perpetuæ firmitatis, ſigillum noſtrum vnà cum ſigillo dicti reuerendi patris domini Epiſcopi Leodien. prædicti, his literis ſeu ſtatutis duximus apponendum. Datum Anno à Natiuitate Domini 1446. Menſis Iunij die 4.

Et ſunt prædictæ reformationes confirmatæ per S.D.N. Nicolaum Papam V. Anno Incarnationis Dominicæ 1451. decimoſeptimo Calen. Nouemb. Pontificatus ſui Anno 5.

NICOLAVS V. PONT.

NICOLAVS, Thomas antea Lucanus, patre Medico natus, Pridie Non. Mart. anno 1447. eſt electus, cùm antea Cardinales rogaſſet, vt Eccleſiæ Dei maturius conſulerent. Nicolai nomen, ad memoriam Nicolai Cardinalis Albergatti, de ſe optime meriti, ſumpſit. Eodem anno Epiſcopus, Cardinalis, Pontifex creatus fuit. Incidit eius Pontificatus in maximos Italiæ tumultus, grauiſſimoſque caſus. Quapropter, Romæ, ſupplicationibus primum decretis, quas & ipſe pedes celebrauit, in varias prouincias Legatos mitit, quib. diu fruſtratis, tandem poſt diuturnas, miſerrimaſque clades, pacem ab Alphonſo Rege, Venetis, Florentinis, Sfortia, alijſque, qui mutuis armis decertabant, conſecutus eſt, exceptis Genuenſibus cum Alphonſo pugnantibus. Anno 1449. ſex Cardinales creauit. Cum Friderico egit, vt eiuſdem opera Antipapa abdicaret, quem deinde Nicolaus, vt gratiam aliquam repẽderet, & Cardinalem & Legatum Germaniæ creauit. Anno Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo incidit Iubileum, quod prope infinito ciuium, exterorumque conuentu ſumma religione celebratum eſt, Pontifice diligenter curante, ne quid in vrbe neceſſarium deſideraretur. Vrbem firmiſſimis munitionibus auxit, quod Imperatorem poſtero anno cum vxore aduenturum intellexerat, qui, veniens, accepta Imperij corona, rebus pacatis, diſceſſit. Deprehenſi ſunt coniurati in Pontificem, eorum Duce Stephano Porcario, ijque omnes ſuſpenſi. Interim Nicolaus ſatis elaborauerat, vt Cõſtantinopolitanos à Turcis obſeſſos liberaret, dum ij ad Catholicam fidem, vt polliciti fuerant in Concilio Florentino, reuerterentur. Verùm Turcarum vis, atque potentia mira celeritate vrbem, & imperium omne oppreſſit, adeò, vt omnia Pontificis tã facta, quàm cogitata anteuerterit: quæ audita, Pontificis animum ita perculerũt, vt, præter podagram, qua aſſidue cruciabatur, febris quoque acceſſerit, qua ſublatus eſt, & in Vaticanum delatus. anno Domini 1455. 9. Kalend. April. cùm ſediſſet annos 8. & dies 19. Vir commendatiſſimus præcipua laude, qua cum in omne virorum genus ſe beneficum, ac liberalem, tum maximè in eruditos viros præſtitit, quorum ingenia nõ acutè nimium & ſubtilius exquiſiuit, ſed beneficijs, alijſque muneribus vltro oblatis aluit, & prouexit, eorumque induſtria per omnem Europam veterum libros, qui iam interciderant, conquiſiuit, qua inquiſitione Quintilianus, M. Cœlius Apicius, Porphyrio in Horatium ſcriptor egregius, qui diu obliti tenebris deſtituerant, in lucem prodierunt. Tot præterea Baſilicas, & ædificia, quot ſuperiorum aliquis Pontificum, reſtituit. Ingentem pecuniarum vim pauperum maximeq; nobilium eleemoſynis, & calamitoſis virginibus dotandis impendit. Nullum vnquam, aut curiale officium, aut Sacerdotium venale habuit; ſummæ vt liberalitati, ita religioni, iuſtitiæ, clementiæ, paci operam dedit. Ad iracundiam, vt ſuſcipiendam procliuior, ita ad deponendam fuit: nec ſolum iracundus, ſed aliquantulum formidoloſus habebatur. At leues hæ maculæ, veluti næui quidam, decori magis, & ornamento cæteris virtutibus interlucebant.

CONCILIVM TVRONENSE PRO REFORmandis moribus Eccleſiæ celebratum Andegaui in Gallia an. Dom. 1448. tempore Nicolai Pap. V.

NOTA.

De hac ſynodo Poſſeuinus in apparatu ſacro, hæc:

Turonenſe Concilium Prouinciale, ann. 1448. Nicolai autem Quinti ann. 2. celebratum eſt Andegaui Io. Archiepiſcopo Turonenſi præſide. Adfuêre Coepiſcopi ſeu Suffraganei, Petrus Sammachouienſis. Ioan. Cenomanenſis. Guilielmus Nanetenſis. Robertus Redonenſis, cæteriq; tam Epiſcopi, quàm Abbates per Procuratores. Summam autem, ſiue Compendium huius Concilij miſit ad me Pariſijs vir doctiſſimus Franciſcus Feuardentius, Theologus, Ord. Franciſcani, de quo nos plura in verbo, Franciſcus Feuardentius. Ea verò eſt ſequens:

Cap. 1. Quilibet Sacerdos ſingulis diebus non ſolemnibus dicat Officium mortuorum, ad minus cum tribus Lectionibus, maximè cùm pro fidelibus Defunctis celebrabit: quia ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.

Cap. 2. Diſtributiones quotidianæ, & anniuerſariæ in Eccleſijs Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, pro intereſſentibus perſonaliter Horis, & Anniuerſarijs, non dentur abſentibus, ita quod qui non laborat non manducet.

Cap. 3. Nullus canonicus, aut alia perſona Eccleſiaſtica in diuerſis Eccleſijs pro eadem hora diſtributiones recipiat.

Cap. 4. Præſentes horis Canonicis ſilentium teneant. Lectionibus diligenter intendant. Orationes deuotè audiant; nec bini, & bini in choro horas ipſas dicere præſumant.

Cap. 5. Ludos noxios, & ſcandaloſos omnibus quidem ſed clericis præſertim prohibemus.

Cap. 6. Prædicatores cuiuſcumque gradus vel conditionis exiſtant non in erectis ad hanc rem theatris, ſed locis Deo dicatis, cum omni reuerentia & humilitate Verbum Diuinum annuntient. Nec Sacerdotes niſi in locis conſecratis Miſſas celebrent.

Cap. 8. Prohibemus, ne Abbates, aut Priores Conuentuales ſupra ſe Abbates nõ habentes, qui de priuilegio, vel cõſuetudine bona Prioratuum vacantium ab eiſdem dependentium ad ſe pertinere aſſerunt, totaliter vtenſilibus, & bonis alijs mobilibus denudent.

Cap. 9. Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, de iure, aut conſuetudine Eccleſias viſitantes, ſi non debitè viſitauerint, nihil percipiant, cùm ferendum minimè ſit, vt temporalia metat, qui ſpiritualia non ſeminat, & potius quàm quæ Chriſti ſunt, ſua quærat.

Cap. 10. Prohibemus ne aliquis cuiuſcumq; ſtatus, vel conditionis exiſtat, teneat concubinam: contrarium facientes ſui vbi ſuperioris auctoritate canonicè moniti fuerint, excõmunicentur.

Cap. 11. Prohibemus ne quis ſententiam excommunicationis latam per iudicem, occultam teneat, ſed ipſam infra menſem à tempore, quo lata fuit, faciat publicare.

Cap. 12. Quia per clandeſtina matrimonia à Sanctis patribus non ſine cauſa, & meritò prohibita, multa mala eueniunt, prohibemus ne quis presbyter ſecularis, aut regularis de cætero talia matrimonia celebrare, aut ſolemnizare præſumat ſub pœna excommunicationis.

Cap. 13. Inſultationes, clamores, ſonos, & alios tumultus fieri ſolitos, in ſecundis, vel tertijs quorundam nuptijs, quos Chariuarium vulgò appellant, propter multa, & grauia inconuenientia, quæ inde ſequuntur, fieri omninò prohibemus, ſub excommunicationis ſententia, & alia pœna arbitraria.

Cap. 14. Excommunicantur Inuaſores, Raptores, Deprædatores, Occupatores ſuo nomine, vel alieno perſonarum Eccleſiaſticarum, rerum ſuarum, ſeu locorum religioſorum. Item qui domibus, vel locis Eccleſiaſticis poſuerint comeſtores. Et quia facientes, & conſentientes pari pœna conſtringuntur, Receptatores, defenſores inuaſorum, & qui ad præmiſſa dederint conſilium, vel fauorem, publicè vel occultè, eiſdem pœnis mulctentur. Et poſt mortem niſi ipſi, vel eorum hæredes ſatisfecerint de præmiſſis, Eccleſiaſtica careant ſepultura.

Cap. 15. Comprobatur Statutum Reuerendiſſ. Simonis S.R.E. tituli S. Cæciliæ Cardinalis in Francia Legati, quo ſententiam excommunicationis eos incurrere decreuit, qui quomodocumque nuntios, baiuloſque Sententiarum, aut Executorum Eccleſiaſticorum Iudicum hac occaſione capere, detinere, occultare, carceri mãcipare, aut quod grauius eſt, interficere tentauerint.

Cap. 16. Prohibemus ne ignotæ Sanctorum aliquorum reliquiæ quæſtus gratia per noſtram prouinciam deferantur. Cōtrarium facientes per locorum Ordinarios diſtrictè compeſcantur.

Cap. 17. Statuimus vt à modo Indulgentiæ per Sedem Apoſtolicam conceſſæ, vel concedendæ, per Rectorem, aut alium prouidum, honeſtum, & eruditum virū per Loci Diœceſanum, ſeu eius Vicarium deputandum publicentur, & populo exponantur.

CONCILIVM LVGDVNENSE PRO SCHISMATE INTER NICOLAUM PAPAM & FELICEM ANTIPAPAM TOLLENDO, CONGREGATUM ANNO DOMINI 1449. TEMPORE NICOLAI PAPÆ.

NOTÆ.

Concilium.] *De hac ſynodo ita Genebrard. lib. 4. ſuæ Chronol. Anno 1449. Concilium Gallicanum Lugduni celebratum, iuſſu Caroli Regis ad tollendum ſchiſma inter Nicolaum & Felicem, qui rogatus à Concilio & Friderico III. Imper. liberè ceſſit Pontificatu. Vnde vulgò de eo ferebatur carmen:*

Lux fulſit mundo, ceſſit Felix Nicolao. *Ioan. le Maire.*

CALIXTVS III. PONT.

Calixtus III. quādo Pontifex factus?

CALIXTVS, Alphonſus Borgia anteà vocatus, vir, & Cæſarei, & Pontificij iuris conſultiſſimus, Alphonſi Regis conſilio, & ſecretis adhibitus. Cùm de pace inter Eugenium, & Alphonſum Regem ageretur, ſe maximè id curante, purpuræ dignitatem oblatam recuſauit, nec prius accepit, quam rem inchoatam ex animi ſententia perfeciſſet. Cardinalis tituli SS. Quatuor coronatorum creatus eſt. Deniq; an. Dom. 1455. 6. Idus Aprilis Calixti nomine Pont. renuntiatus, ſtatim Turcis bellū indicens, quod multó antea vouerat, viros per vniuerſam Europam miſit; qui ſacra prædicatione animos omnium ad hoc tam præclarum bellum inflammarent. Itaque ſedecim triremibus fabricatis, & vndique coactis auxilijs, claſſem, Duce Patriarcha Aquileienſi, in maritimas Aſiæ oras immiſit. Magna contentio Romæ exorta inter Vrſinorum factionem, & Comitem Anguillariæ, cui fauebant Columnenſes, Pontificis auctoritate ſedata eſt. B. Vincentium Hiſpanum, Emundum Anglum, inter ſanctos adſcripſit. Palumbaram Sabellis reſtituit, quæ ab eiſdem ad Eccleſiam defecerat. Cùm per aliquot dies formidabilis Cometes viſus eſſet; ſupplicationes decreuit, ad iram Dei auertendam, & vt ictu quodam Campanæ ad meridiem, qui mos adhuc ſeruatur, fideles ad Deum conuerſi ſuos ardentibus precibus iuuarent, qui cum Turcis dimicabant. Senenſes armis Piccinini pene oppreſſos subleuauit. Nouem Cardinales, quorum duos nepotes, & Æneam Piccolomineum; quem deinde ſucceſſorem habuit, elegit. Mortuo dehinc Alphonſo, quia nullus legitimus hæres ſupererat, Regnum Neapolitanum Eccleſiæ repetijt: & quidem Ferdinando repugnanti magnas attuliſſet difficultates; niſi mors interceſſiſſet. Obijt octuagenario maior, & ſepultus eſt in Sacrario Baſilicæ S. Petri, Anno Domini 1457. octauo Idus Auguſti, cùm ſediſſet annos duos, menſes quatuor. Ita Pius II. in Epiſt. ad Pariſienſem Academiam. Onuphrius verò ſcribit illum anno 1458. deceſſiſſe; atque adeò tribus annis ſedem Apoſtolicam tenuiſſe. Hic arctiſſimam ſocietatem inijt cum Perſarum, Armenorum, Tartarorum Regibus, à quib. & Legationes accepit, & eos viciſſim in Turcas concitauit. In pauperes liberaliſſimum; victu continentiſſimum fuiſſe tradunt. Facilem cuiuis ad ſe aditum præbebat: eaque integritate, vt neque Cardinalis, neque Epiſcopus beneficium vllum in commendationem vnquam acceperit, Valentina tantùm Eccleſiā contentus. Ædem S. Priſcæ, Vrbis mœnia reſarciuit, nec varijs occupationibus circumuentus diuinarum & humanarum rerum ſtudia intermiſit. Officium celebritatis Transfigurationis compoſuit, & ea ratione, qua Corporis Domini dies celebratur, agi voluit. Alphonſum inimiciorem habuit, quod is Epiſcopatus pro ijs petebat, in quibus aliquid ad huius muneris dignitatem deſiderabatur. Non poſſum præterire eam vocem, quam quotidie vſurpabat: *Nulli dubium eſt, quin Apoſtolica ſedes ſit omnium Eccleſiarum parens; à cuius nos regulis deflectere indecorum eſt.* Hæc ex Maſo.

Turcis bello infeſtauit.

PIVS II. PONT.

Pius quādo Pontifex factus?

PIVS, Æneas Piccolhomineus antea vocatus, communi omnium conſenſu Pontifex renuntiatur, Friderico III. imperante, Anno Dom. 1457. vel ſecundùm Onuphrium 1458. decimoquarto Kalen. Septemb. Hic, cùm adoleſcentiorem ætatem ſuam politioribus literis inſtituiſſet, breui ſibi quàm maximas eloquentiæ, ac poëſis, Etruſcæ, Latinæque copias comparauit. Hinc rerum maximarū vſus, & actiones edoctus, atque vſus familiaritate, domeſticoque contubernio Dominici Cardinalis Capranici, viri omni æuo memorandi, cum eodem in Concilium Baſilienſe honorificentiſſime receptus eſt, ex quo octo Legationibus functus eſt. Cumque ob eam cauſam Fridericum Imperatorem adijſſet; ei ita gratus & iucundus fuit, vt & à ſecretis adſciuerit, & poëtarum laurea donarit, atque eiuſdem nomine nouem alias Legationes confecerit. Calixtus virum, cuius virtutes vnice colebat, Cardinalem creauit. Mortuo Calixto, cùm de ſucceſſore quæreretur, & Cardinales Beſſarionem Cardinalem Græcum ſuffragarentur, eos ab hoc eligendo Alanus Cardinalis Auenionenſis auertit; quod indecorum videretur Græcum euehere, quaſi Roma viris ſapientiſſimis, doctiſſimiſque, careret. Pontifex igitur primum belli incendium à Piccinino in Vmbria excitatum ſuppreſſit, Aſiſium, & Nuceram recuperauit. Mantuæ Conuentum Regum & Principum indixit; quo & ipſe accedens multis & Principibus, & Legatis præſentibus, de bello in Turcas ſuſcipiendo conſtitutum eſt. Pius, Romam reuerſus, Viterbium ſe recepit, & ab Eccleſiaſticæ ditionis finibus tyrannos quoſdam exterminauit. Regnum Neapolitanum Ferdinando confirmauit, & Latinum Cardinalem Vrſinum eo miſit; qui eundem Regem coronaret; quem etiam in clade illa, qua apud Sarnum afflictus eſt; adiuuit, qua ope is regnum tutatus eſt. Sigiſmundum Malateſtam, & cenſuris & armis cohibuit. Fœdus inijt cum Rege Vngariæ, Burgundiæ Duce, Venetiſque, pro bello Orientis, pro quo & ipſe, in varias regiones tendens, magnos labores tulit. Regem Boëmiæ citari iuſſit. Epiſcopum Maguntinum, non recte de fide ſentientem dignitate ſpoliauit. Sigiſmundum Auſtriæ Ducem, anathemate damnauit, quòd Cardinalem quendam in vincula conieciſſet. Lodouico Galliæ Regi de Eccleſiaſtica libertate detrahenti audacter reſtitit. Borſium Mutinæ Ducem acriter interminatus eſt, quod rebus Galliæ, & Sigiſmundi Malateſtæ velut Eccleſiæ hoſtis faueret. Affinitatem cum Ferdinando Rege contraxit. B. Catharinam Senenſem inter Sanctas retulit. Romæ, Senis, & alijs pleriſque locis multa eleganter magnificeq; extruxit. Corſinianum ciuitatem appellari voluit, & de ſuo nomine Pientiam dixit. Obijt Anconæ, febri abſumptus, ſeptimo Kalend. Septemb. Anno Domini 1464. decimaquinta Auguſti, cùm ſediſſet annos ſex, menſes vndecim, & dies 27. Corpus Romam delatum, apud S. Petrum conditum eſt. Pius multa ingenij ſui monumenta edidit, Dialogos, Epiſtolas, Orationes diuerſis perſonis, Boëmorum hiſtoriam, Commentarios de ſuis rebus duodecim libris complexus eſt, Epigrammata, variaque poëmatum genera lepide & acutè ſcripſit. quo ſtudio ita delectatus eſt,

Pij II. virtus & doctrina qualis?

Catharinam Senenſem canonizauit.

ꝫ eſt, vt poëtæ nomen etiam in ſuis ipſe ſcriptionibus vſurparet: vt conſtat ex epiſtola quadam ad parentem data, cui inſcriptum eſt: *Æneas Siluius Poeta genitori ſuo Siluio Salutem.* Auri, diuitiarumque contemptor fuit: adeò vt cùm oblati ei eſſent theſauri à Calixto relicto, videre recuſans dixerit: *Auferte hæc, citius eum expendemus, quam alij congeſſerint.* Eius virtutes à Platina immenſæ propemodum enumerantur. Id verò nullatenus prætermittendum, quod generoſa quadam indole ignoſcebat, neque vnquam in eos animaduertit, quorum in ſe maledicta aliqua accepiſſet.

PII PAPÆ II. BVLLA

RETRACTATIONVM OMNIVM, dudum per eum in minoribus adhuc agentem, pro Concilio Baſileen. & contra Eugenium ſummum Pontificem ſcriptorum.

PIus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs, Rectori & Vniuerſitati ſcholæ Colonienſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In minoribus agentes nondum ſacris ordinibus initiati, cùm Baſileę inter eos verſaremur, qui ſe generale concilium facere, & vniuerſalem Eccleſiam repræſentare aiebant, Dialogorum quendam libellum ad vos ſcripſimus, in quo de authoritate Concilij generalis, ac de geſtis Baſileenſium, & Eugenij Papæ contradictione, ea probauimus vel damnauimus, quæ probanda vel damnanda cenſuimus: quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnauimus: nihil mentiti ſumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus. Exiſtimauimus benè agere, & recta incedere via: nec mentis noſtræ aliud erat obiectum, quàm publica vtilitas, & amor veri. Sed quis non errat mortalis? Sapiētem inquiunt philoſophi nunquam errare, verum eſt. At quis ſapiens, niſi bonus? quis bonus, niſi ſolus Deus? Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, inquit propheta regius. Declinauimus & nos ab vtero matris, errauimus in inuio, & non in via, ambulauimus in tenebris, & procul à vera luce receſſimus: nec nobis tantùm errauimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbentes cæci, cum illis in foueam recidimus. forſitan & aliquos ex vobis ſcripta noſtra decepére, & deuia deduxerunt: quorum ſanguinem ſi de manibus noſtris requiſierit Dominus, non habemus quod reſpondere poſſimus, niſi nos, vt homines, peccauiſſe, qui arbitrantes rectum iter oſtendere, obliquum monſtrauimus, in miſericordia tantùm Dei ſpes noſtra ſita eſt, quæ ſuper omnia opera eius elucet. Sed haudquaquàm ſatis fuerit diuinam miſericordiam implorare, & dicere, Parce Domine, parce peccatis noſtris, niſi pro viribus vulnera, quæ inflixímus, veritate curare annitamur: & ſicut eſt in fabulis, Sagitta, quæ vulnerauit, afferat opem: ſiue vt canit Eccleſia, Medelam inde ferat, hoſtis vnde læſerat. Mortem quidam priùs ſibi conſciuerint, quàm videri velint aliquando malè ſenſiſſe: & nonnulli ne vel ad horam videantur erráſſe, ſemper errant, & dum vel minimam tolerare honoris iacturam nequeunt, totum abijciunt, & perpetua notātur infamia, & in peſſimas prolabuntur hæreſes: qui ne appareant inconſtantes, pertinaces efficiuntur. ſuperbiſſimi hoc agunt, qui videri dij, non homines, volunt, quales Conſtantiæ combuſti ſunt noſtra ætate in magno cōuentu Hieronymus & Ioannes hæreſiarchæ. Nos homines ſumus, & vt homines errauimus: neque imus inficias, multa quæ diximus, ſcripſimus, egimus, damnari poſſe, verùm non vt Arius, Eutyches, Macedonius, aut Neſtorius, & alia blaſphemorum turba, ex animo damnatam viam elegimus, ſeducti peccauimus, vt Paulus, & ignoráter perſecuti fuimus Eccleſiam Dei, & Romanam primamq; ſedē. Propter quod proſtrati antè oculos diuinæ pietatis, ſupplices oramus: Delicta iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris, &c. Psal.24. Pudet erroris, pęnitet malè feciſſe, & malè dictorum ſcriptorumque vehementer pœnitet: plus ſcripto quàm facto nocuimus. Sed quid agamus? ſcriptum & ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum. Non ſunt in poteſtate noſtra ſcripta, quæ multas inciderunt in manus, & vulgò leguntur. vtinam latuiſſent, quæ ſunt edita. Nam ſi futuro in ſeculo manſerint, & aut in malignas mentes inciderint, aut incautas, fortaſsè ſcandalum parient. Qui hæc ſcripſit, inquient, in B. tandem Petri cathedra ſedit, & Chriſti ſaluatoris vicariatum geſſit: ita ſcripſit Æneas, qui poſtea ſummum Pontificatum adeptus, Pius II. appellatus eſt, nec inuenitur mutaſſe propoſitum. qui eum elegerunt, & in ſummo Apoſtolatus vertice collocarūt, ab ijs ſcripta eius approbata videntur. Verendum eſt, ne talia noſtris aliquando ſucceſſoribus obijciantur, & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pij, atque ab ea ſede authoritatem vendicent, aduerſus quam ignoranter latrauerunt. Cogimur igitur, dilecti filij, B. Auguſtinum imitari, qui, cùm aliqua in ſuis voluminibus erronea inſeruiſſet, retractationes edidit. Humilis & probatiſſimi vir ingenij, qui ſuas ineptias verecundè confiteri ac corrigere, quàm impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus: confitebimur ingenuè ignorantias noſtras, ne per ea, quæ ſcripſimus iuuenes, error irrepat, qui poſſit in futurum Apoſtolicam ſanctam ſedem oppugnare. nam ſi quem decuit vnquam Romani primiq; throni eminentiam & gloriam defendere ac extollere, nos illi ſumus, quos ſine vllis meritis pius & miſericors Deus ſola diſpenſatione ſua ad B. Petri ſolium, & dilectiſſimi filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti vicariatum euocauit. Quibus ex reb. dilectiones veſtras hortamur, & in Domino commonemus, ne prioribus illis ſcriptis inhæreatis, aut fidem vllam præſtetis, quæ ſupremam Apoſtolicæ ſedis authoritatem quouis pacto elidunt, aut aliquid adſtruunt, quod ſacroſancta Romana non amplectitur Eccleſia. Suadete omnibus, vt id ſolium præ cæteris venerentur, in quo ſaluator Dominus ſuos vicarios collocauit, & quod B. Apoſtoli Petrus & Paulus ſuo ſanguine dicauerunt. ne putetis diuinam prouidentiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum, quæ creauit, inordinatam reliquiſſe militantem Eccleſiam: quæ cùm ſit ſponſa Chriſti, profectò à Deo eſt, & ordinem habet, dicente Apoſtolo, quæ ſunt, à Deo ordinata eſſe. Rom.13. Requirit autem ordo, vt inferiora à ſuperioribus gubernentur, & ad vnum tandem perueniatur tanquam principem & moderatorem cunctorum, quæ infra ſe ſunt. Sicut grues vnam ſequuntur, & in apibus vnus rex: ita & in Eccleſia militanti, quæ inſtar triumphantis habet, vnus eſt omniū moderator & arbiter, IESV CHRISTI vicarius: à quo, tanquam capite, omnis in ſubiecta membra poteſtas & authoritas deriuatur, quę à Chriſto Domino Deo noſtro ſine medio in ipſum influit. Nec profectò in alium, tamquam ſui exercitus ducē, ſupremā auctoritatē Chriſtus principaliter deriuaſſet, quàm in ſuum vicarium, qui primus fuit Petrus, cui commiſſam nouimus Dominici gregis curam: nec duos pluresſve Petros Euangeliſtæ commemorant, nec duos aut plures inſtituit Dominus, qui ſuum locum tamquam capita tenerent æqualia: ſed vnum conſtituit, vt verticem ac ducem, & paſtorem vniuerſi gregis, Simonem Petrum, dicens. Tu es Petrus, Matt.16. & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terrā, erit ligatum & in cælo: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo. Et paſce oues meas. Quæ nulli alteri Ioan.21. ſeorſum dicta leguntur, niſi Petro, vt in Petro vnitas & ſumma continerentur authoritas: nec alius à petra dictus eſt Petrus, niſi Simon, vt intelligeremus vnicum eſſe veræ & ſolidæ petræ, id eſt Chriſti, (vt Paulus exponit) locum tenentem, Si- 1.Cor.10. monem Petrum, qui ſolus pro Domino in periculo conſtituto exemit gladium. Petrus igitur, & ſucceſſores eius Romani Pontifices primatum in Eccleſia tenuerunt, & nos hodie quamuis indigni, ſola Domini voluntate digni tenemus, & quicunq; Romanæ ſecundùm canonicas ſanctiones præficitur Eccleſię, quamprimùm electus eſt in ſacro collegio, ſupremam à Deo poteſtatem ſine medio conſequitur, & per ordinem in omnem diffundit Eccleſiam, cuius peccata diuino iudicio punienda relinquuntur. Si quid aduerſus hanc doctrinam inueneritis aut in dialogis, aut in epiſtolis noſtris, quæ plures à nobis ſunt editæ, aut in alijs opuſculis noſtris, (multa

enim

enim ſcripſimus adhuc iuuenes) reſpuite atque contemnite. ſequimini quæ nunc dicimus, & ſeni magis quàm iuueni credite, nec priuatum hominem pluris facite, quàm Pontificem. Æneam reijcite, Pium recipite: Illud gentile nomen parentes indidére naſcenti: hoc Chriſtianum in Apoſtolatu ſuſcepimus. Dicent fortaſſe aliqui, cum Pontificatu hanc nobis opinionem aduenisse, & cùm dignitate mutatam eſſe ſententiam. Haud ita eſt, longè aliter actum. Audite filij conuerſationem noſtram: breuis narratio erit, quæ vobis, quantùm ad rem attinet, veritatem aperiet, & obiectioni faciet ſatis. Anno ſalutis primo & trigeſimo ſupra milleſimũ quadringenteſimum cum Dominico * Capranica, quem Martinus Quintus in ſecreto conſiſtorio Cardinalem creauerat, Eugenius IV. ſpreuerat, Baſileam petiuimus, ibíque Concilium inchoatum inuenimus, verùm ab Eugenio reuocatum, quamuis congregati noluerant obedire, aſſerentes iam inceptum Concilium ſine conſenſu patrum, qui conueniſſent, haudquaquam potuiſſe diſſolui. Iulianus aderat ſancti Angeli Cardinalis, natione Romanus, moribus & doctrina conſpicuus. Is cùm cæteris præſtaret, audita Eugenij reuocatione, præſidentiam dimiſit, tamquam ſummo Pontifici vellet obedire: ſed cùm augeſceret in dies (Eugenio vel inuito) concilium, & multi ex diuerſis regionibus Epiſcopi, & Regum legati aduentarent, Cardinales quoq; ex Romana curia profugi in dies nonnulli concurrerent, præſidentiam reſumpſit, & authoritatem concilij mirum in modum extollens, eminentiam primæ ſedis ſupprimere cœpit. Venientes Eugenij legatos, & poteſtatem Romanorum præſulum magnificantes apparenter confutauit: & eſſet facundiſſimus, facilè perſuaſit auditoribus quæ cupiebat. Cardinales ex vrbe profecti, Eugenio infenſi, vitam eius moreſq; carpebant: accedebant in horas cateruatim noui curiales, qui (vt eſt omnis multitudo maledica, & inimica principi) Eugenij nomen modis omnibus lacerabant. Nos, qui ex patria iuuenes, non ex vrbe illuc migraueramus, & noua tum primùm auis ex Senenſi gymnaſio euolaueramus, rudes & inexperti vera eſſe arbitrabamur quæcunque dicebantur. nec putabamus mentiri alios, qui neſciremus ipſi mentiri: atque vt eſt innatum homini, tetra & horrenda crimina odio habebamus, nec Eugenium diligere poteramus, quem tot tantiq; teſtes indignum Pontificio dicerent. Aderant legati Pariſienſis ſcholæ, cuius eſt fama percelebris: affuerunt & aliquando veſtri & aliorum ſtudiorum Germanicæ nationis oratores: & vno cuncti ore concilij generalis authoritatem ad cœlum efferebant: de poteſtate Romani Pontificis pauci erant, qui loqui præſumerent: omnes, qui publicè loquebantur, prurientes auribus multitudini applaudebant. Acceſſit & ipſius Eugenij conſenſus, qui diſſolutionem concilij à ſe factam reuocauit, & progreſſum eius approbauit, cùm reconciliata ſynodus Eugenio videretur, & pax Eccleſiæ data. Præterita enim omnia per ſuas literas concilij patres Eugenio ſeſe remiſſuros, & pedes eius tamquam beati Petri exoſculaturos promiſerant, ſi reuocata diſſolutione, concilio curſum permitteret, atque illi cohæreret. Nouæ interceſſére diſcordiæ, tum alijs de rebus, tum potiſſimè ſuper translatione Concilij Græcorum cauſa in alium locum. Eugenius in Italia non ſine ratione Concilium petebat: popularitas ſynodalis tranſire mõtes horrebat, & in Auinione, aut in Sabaudia locum deſiderabat. Adiuerunt per id temporis duo viri ex Italia Baſileenſe Concilium, Nicolaus Panormitanus Archiepiſcopus, & Ludouicus Pontanus Apoſtolicæ ſedis notarius, Alphonſi Magni regis oratores, qui, velut duo orbis ſydera, ceu Pontificij iuris, & totius ciuilis ſapientiæ duo præcipua lumina & clariſſima, cenſebantur. Hi dictis ſcriptiſque Concilij geſta probabant, Eugenij facta damnabant: nec erat qui aut vellet, aut auderet dicta eorum refellere. Quid ageremus? audire potuimus, non diſcere? [Rude nimis ingenium eſt, quòd per ſingulos dies audita & inculcata non capit.] Quales magiſtri ſunt, tales diſcipuli euadere ſolent. Paucos inuenias Ariſtoteles, qui Platonica nôrint deſtruere dogmata. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, inquit Dominus: nec nos magiſtrum potuimus ſuperare. (ue. 6.) Iulianus nobis, & Nicolaus, & Ludouicus, & alij complures fuére magiſtri, ſchola Baſileenſis conuentus, in quo rarò aliquis Eugenij cauſam defendit. Aduerſus Concilij dignitatem mutire aliquid, crimen hæreſis fuit. Vna omnium vox Concilium Eugenio præferebat: de ſedis Apoſtolicæ præcellentia, aut ſilentium, aut contemptus: Concilium, concilium cuncta ſonabant. Didicimus ergò quæ audiuimus, & poſt aliquot annos exiſtimantes nos aliquid eſſe, diximus, vt eſt apud Satyricum, *Semper ego auditor tantùm? nunquam reponam?* Puduit ſemper diſcipulum agere, ſubtraximus ferulæ manum, cœpimus loqui, & magiſtri perſonã induimus. Scripſimus epiſtolas & opuſcula. hoc omnibus paſſim datur: docti & indocti ſcribunt: & quæ ſcripſit ipſe nemo contemnit, niſi editionis feruorem tempus extinxerit: Nobis placebant ſcripta noſtra more poëtarum, qui poëmata ſua tanquam filios amant. Nec Baſileæ quemquam inueniebamus, qui ea damnaret: probant enim ſimilia ſimiles: applaudebamus nobis ipſis, & in editionibus noſtris gloriabamur. & quamquam poſteà Eugenius Concilium in Italiam trãſtulerit, & cum Græcis Ferrariæ, ac demum Florentiæ conuenerit: quanquam Iulianus ſancti Angeli, & Ioannes ſancti Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defeciſſent: quamquã pauciſſimi in fide Baſileen. remanſiſſent: noluimus tamen credere, exiſtimantes cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent, & cùm nihil haberemus, quod nobis auferri poſſet, perſeuerandum putauimus, ne partem, quæ verior nobis apparebat, relinquentes, detrimentum animæ faceremus. Manſimus igitur Baſileæ, quoad Eugenio, vt credidimus, iuſto iudicio depoſito Amadeus Sabaudien. ſuffectus eſt, & Felix quintus appellatus: quem nõ vt idolum, quod erat, ſed tamquam verum Chriſti vicarium venerati fuimus, nihil ad hęc ſiniſtri putantes interceſſiſſe. At cùm Fridericus Romanorum Rex Aquiſgrani coronatus, domum repetens, Baſilea * tranſitum feciſſet: rogatuſq; Felicem illic præſentem accedere, nullo pacto perſuaderi potuiſſet, vt honorem ei tãquam Rom. Pontifici, exhiberet, aut publicè cum eo verba miſceret: tum primùm conſiderauimus poſſibile eſſe, quòd partem erroneam ſequeremur, quando Rex, Imperator Romanorum futurus, in tanto negocio dubius eſſet, & ad Eugenium inclinaret magis multùm, & ſæpè inter nos ipſos cogitauimus, quis eſſet modus inueniendi verum. Nunquam enim volentes errauimus. Rogati in familiam Friderici tranſire non renuimus. Erat tunc ille cum tota ferè Germania neutralis. Concilium Baſileæ dicebant eſſe Germani, & idolum eius reſpuebant, Eugenium Chriſti vicarium appellabant, & Concilium ab eo celebratũ recuſabant: nec Eugenio, nec Baſileenſibus plenè obediebant. Placuit ad neutrales tranſire, vt verum apud eos liberius audiremus, & ſi recedendum eſſet ab vno extremorũ, per aliquod medium tranſiremus ad alterum, & eorum iudicium ſpectaremus, qui non eſſent affecti cauſæ. Manſimus in aula Friderici pluribus annis, illic varias audiuimus opiniones. Neutralitatem idcirco Teutones induerant, vt cõcordia facilius inueniretur, non ex conſilio Solonis, [qui tumultuante ciuitate extorrem fecit eum, qui ſine parte remanſit.] Multa inter neutrales didicimus, quæ nos antea latebant: Eugenium falsò de multis accuſatum inuenimus: Cardinales, qui Baſileam venerant, ob priuatas inimicitias bono & ſancto viro notã inurere voluiſſe: qui tamen cuncti poſtea ad eum redierunt, & veniam errati petierunt. Fortè per id tempus Iulianus ſancti Angeli Cardinalis, cuius ſupra meminimus, ex Vngaria, quæ ſibi decreta contra Turcas fuerat prouincia, [Flauianum] venit, (quæ hodiè Vienna dicitur) præcipuum Auſtriæ columen ſæpe cum eo ſermonem pro veteri conſuetudine miſcuimus, ſępe de rebus Baſileenſibus diſputauimus. tuebamur antiquam ſententiam: ille nouam defendebat. extollebamus generalis Concilij authoritatem: ille Apoſtolicæ ſedis poteſtatem magnoperè collaudabat. dicebamus Concilium Baſileenſe iure perſeueraſſe, quamuis Eugenius præſidentes reuocaſſet, & hoc eius factum accuſabamus: ille diſſolutum ſeu translatũ ritè Concilium affirmabat, & Baſileenſium opera multis modis deteſtabatur, Baſileæque non Synodum Eccleſiæ, ſed Sathanæ, & miniſtrorum eius ſynagogam remanſiſſe dicebat. [Diutina fuit inter nos concertatio,] verùm modeſta & charitate plena: ad extremum cùm ſuis ſcriptis, dictiſq; Cardinalem vinceremus, premeremuſque vehementer, ſubridens ille, Tu, inquit, Ænea tabellis obſignatis agis mecum: & quoniam aliquando ſenſimus vt dicis, idcircò & hodiè idem putas debere ſentire, & addictos priori ſententiæ cenſes. [verum propterea nos ſumus liberi, quia mutare ſententiam vſq; ad mor-

tem

tem poſſumus.] cur enim non liceat omni tempore, relicto
falſo, verum amplecti? Fateor, me dixiſſe & ſcripſiſſe, quæ re-
fers, verùm à vero remotum erraſſe: at tu, qui, vt ais, me do-
ctore Baſileenſibus credere adductus es, errantem olim ſecta-
tus es, cur modò non ſequeris recta monentem? Præſumpſi
de meipſo, dum eſſem Baſileæ, nimis, quamuis decepi & cre-
dens prodeſſe, nocui. In medio Eccleſiæ docens quæ non di-
dici, cæcus erraui, & in tenebris ambulaui, reliqui tandèm Ec-
cleſiam malignantium, & cum impijs ſedere recuſaui. Reue-
lauit Dominus oculos meos, & conſideraui mirabilia de lege
ſua: cognoui priorem errorem, & quantum à vero procul
abijſſent Baſileenſes, planè intellexi, adij Romanam curiam,
& Eugenio, cui fuiſſem rebellis, ſubmiſi ceruicem: à quo mi-
ſericordiam conſecutus, ad vnionem Græcorum nauaui o-
peram, & illis Romanæ Eccleſiæ reconciliatis, aduerſus im-
pios Turcas legationem accepi. Caſtigans caſtigauit me Do-
minus, & morti non tradidit me, ſed humiliatum exaltauit:
quia cognito in errore non perſeueraui, ſed mox in viam re-
dij, & ex magiſtro factus diſcipulus, ex magno paruus, expur-
gato veteri fermento, nouum hominem indui, & veræ ma-
tris lacte nutritus, ad fontem veri perueni, quem ſancti do-
ctores oſtendunt Græci & Latini, quorum vna vox eſt, ſal-
uari non poſſe, qui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non tenet vni-
tatem, omneſq; illas virtutes mancas eſſe ei, qui ſummo Pont.
obedire recuſat: quamuis in ſacco & cinere iacens, dies & no-
ctes ieiunet, & oret, & in cæteris videatur legem implere:
quia melior eſt obedientia, quàm victimæ, & omnis anima
poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta eſt, & Romanum præſu-
lem in Eccleſiæ vertice conſtitutum eſſe conſtat, à quo nul-
lam ex ouibus Chriſti exemptam nouimus. Ego ad ouile re-
dij, qui diu errraueram extra caulas, & paſtoris Eugenij vocem
audiui: tu ſi ſapias, idem facies. hæſerunt pectori noſtro verba
* viri, quæ ſæpè ad nos repetijt non ſine charitate ardenti, &
amore ſingulari. Intereà ex diuerſis regionibus homines do-
ctiſſimi Cæſarem adierunt, quibuſcum placidos de eiſdem
rebus miſcuimus ſermones ſemper ad verum intenti, cuius eſt
natura hominis auida. Multum profuit nobis Ioannes Cara-
uaialis Apoſtolici palatij auditor, natione Hiſpanus, qui Iu-
liano defuncto, in titulo Cardinalatus ac legatione ſucceſſit:
quocum ſępè de Concilio Baſileenſium amicè diſputauimus.
Nemo doctus ad Imperatorem venit, quem de his rebus in
colloquium non adduceremus. Cumque Cæſar ad vnionem
Eccleſiæ procurandam in Nurimberga ſuæ nationis conuen-
tum inſtituiſſet, decreuiſſetque ſummum Pontificem adhor-
tari, vt Conſtantiæ nouum Concilium indiceret, legatumque
mitteret, ac Baſileenſes pariter induceret, vt eò ſe transfer-
rent, vt pax Eccleſiæ redderetur: primi Baſileenſes recuſauê-
re. Quod audiens Thomas Aſſelbachius ex Germanis inſignis
Theologus, Nunc, inquit, ſcio Baſileenſes Spiritum ſanctum
non habere ductorem, quando tam æquam Imperatoris le-
gem effugiunt. Idem multi alij dixêre viri doctiſſimi, & opi-
nione ſanctitatis illuſtres. Quibus conſideratis, caligo tandèm
ab oculis noſtris cecidit, quæ velut aranearum tela, verum
cernere impediebat. Recognouimus errorem noſtrum, veni-
mus Romam, Baſileen. dogma reiecimus, Eugenio Pontifici
maximo caput ſubmiſimus, & reconciliati Eccleſiæ Romanæ
doctrinam eius imbuimus, & illud Hieronymi diximus, Ego
nullum, primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id
eſt, cathedræ Petri communione conſocior. Super illam fun-
datam Eccleſiam ſcio quicunque extra hanc domum agnum
Dominicum comederit, profanus eſt: ſi quis in arca Noë non
fuerit, peribit regnante diluuio. Eramuſque adhuc plenè lai-
ci, quando ad Eugenij obedientiam rediuimus. Ex Baſilea cle-
ricali tantùm charactere inſigniti receſſimus, nec vnquam ſa-
cros imbuimus ordines, niſi poſt veritatem cognitam, Baſi-
lileen. cæcitate relicta. In Auſtria minores ordines, ad ſubdia-
conatum, & diaconatum recepimus: in Vrbe ad presbytera-
tum peruenimus. Hæc eſt conuerſatio noſtra: per hos gradus
è tenebris ad lucem migrauimus, ad quam rem non parùm
luminis nobis attulit Thomas * Saracenus Theologicæ ſapi-
entiæ celebratus ac acutiſſimus interpres, qui poſtea in ſum-
mo collocatus Apoſtolatu, Nicolai V. nomen accepit. His au-
thoribus vnam Eccleſiã Catholicam & Apoſtolicam eſſe di-
dicimus matrem omnium fidelium, extra quam non inueni-
tur ſalus, ſponſam Chriſti immaculatam, in qua omnes, qui
militant, finem ſibi proponunt vitam æternam. Idcircò enim
in Eccleſia militanti laborant homines, & cum dæmonibus
tanquam hoſtibus pugnant, vt pacem tandem aſſequantur, &
cum Ieſu magiſtro ac legifero ſuo in cæleſti Ieruſalem trium-
phare ac regnare poſſint. Hic finis Chriſtiano proponitur,
huc omnes Eccleſiæ militantis conatus, omnes leges, omnes
regulæ tendunt. & quoniã Eccleſia quidam exercitus eſt Deo Cant. 6.
militans, terribilis vt caſtrorum acies ordinata dicitur: vni
proculdubiò Imperatori ſubiecta, ad cuius nutum cuncta re-
feruntur. Cumque pius ac max. & opt. Deus in ſuo ſanguine
fundauerit Eccleſiam, eamque voluerit ad finem vſque ſeculi
perdurare: quis non dixerit in ea id regimen inſtitutum eſſe,
quod optimum cenſeretur? At verò inter genera guberna-
tionum communis philoſophorum ſententia eſt, præſtare
monarchiam: & Romani, quorum toto micuit orbe dignitas,
quamuis eiectis regibus duos annuos conſules elegerunt, &
modò tribunos addidêre, modò alios magiſtratus inuenêre:
In aduerſis tamen caſibus, belliſque grauioribus ad vnum ali-
quem recurrerunt, virtute & authoritate præſtantem, quem
Dictatorem appellauerunt, cuius dicto non liceret aduerſa-
ri. & quanquam Dictaturam ab initio temporaneam inſtitue-
runt, in Iulio tamen & ſucceſſoribus eius perpetua effecta eſt.
Nec vnquam Romana res admirabilior aut celſior fuit,
quàm ſub Auguſto Cæſare, quando iam clauſis Iani portis
totus ferè orbis ſub vnius hominis gubernatione quieuit.
Quo tempore natus mundi Saluator monarchicum regimen
cæteris prætuliſſe videtur gubernationibus. Idem pro-
bat totius ferè orbis conſuetudo, cuius maximam partem gu-
bernant reges, ſiue Chriſtianos intueamur, ſiue Barbaros.
Et quamuis ciuitates aliquot reperiantur, quæ cùm maximè
ſeruiant, liberas ſeſe vocitant, ſine rege viuentes, non poſſunt
tamen effugere, quin vnum præferant alijs, eiq; tanquam ca-
piti pro tempore obediant. Quid plura? cæleſtis aula nos ad-
monet. quid illa pulchrius? quid ordinatius? quid maius aut
durabilius? quid melius aut beatius? quamuis in ea & Angelo-
rum diuerſi ſint ordines, & ſanctorum ſpirituum innumera-
biles chori, vnus eſt tamen omnium rex æternus Deus, qui
condidit vniuerſa, & nihil negligit eorum, quæ condidit. cu-
ius filius vnigenitus Chriſtus Ieſus cùm pro noſtra ſalute ve-
niſſet in hunc mundum; ſeruili accepta forma, Eccleſiam, de
qua loquimur, in cruce patiens, ſuo ſanguine acquiſiuit, & in
ea vſque in diem aſcenſionis corporaliter præſedit, & tan-
quam dux verus & imperator, cuncta in finem ſuum direxit.
At cùm aſcendiſſet in cælum, eum indubitanter ſui gregis pa- Ioan. 21.
ſtorem reliquit, cui dixerat, Paſce oues meas, &, Tibi dabo Matt. 16.
claues regni cælorum. Neque enim dixit, & non fecit, qui ſo-
lus eſt verax. Grex Chriſti, Eccleſia eſt. Paſtor primus ipſe Ioan. 10.
Chriſtus fuit, & paſtor bonus, qui poſuit animam ſuam pro
ouibus ſuis. Secundus paſtor Petrus extitit, ab ipſo Domino
inſtitutus, atque omni poteſtate donatus, quæ ad benè regen-
dum commiſſas oues neceſſaria ducitur, alioqui Chriſtus, qui
ſapientia patris eſt, & omninò ſapiẽter egit, Eccleſiæ ſuæ haud
ſufficienter prouidiſſet, quod eſt ne[illegible]arium aſſerere. & quam-
uis plures per orbem Eccleſiæ inſtitutæ fuerint, & plures Epi-
ſcopi, id eſt, plures greges, & ouilia plura, & paſtores plures:
omnes tamen ſub vno paſtore, & in vno grege, atq; ouili con-
tinebantur, ſicut & hodiè continent[illegible]: quia vnus eſt Chriſti
thalamus, vna ſponſa, vnum ouile, & vnus paſtor, & omnium
Epiſcoporum vnus Epiſcopus Rom[illegible]nus præſul, beati Petri
ſucceſſor, & Ieſu Chriſti vicarius. Petrus enim in Antiochia
primùm ſedit, deinde Romam venit, vnde cùm perſecutio-
nem fugiens, vellet abire, à Domino prohibitus eſt, & hic glo-
rioſo martyrio vitam finiuit, ſucceſſore Clemente * ſubſtitu- * inſtituto
to, atq; ita in hanc vſq; diem ſeruatũ eſt, vt qui Romæ ſederit
antiſtes ritè inſtitutus per legitimum electionis tramitem,
tanquam Aaron vocatus à Domino, hunc omnes Chriſtianæ
plebes, omnes populi, omnes reges, omnes clerici, omnes E-
piſcopi tanquam Ieſu Chriſti vicarium, & B. Petri ſucceſſo-
rem, vniuerſalis Eccleſiæ caput ac rectorem & ducem vene-
rati ſint. Inter quos plurimi pro Chriſti nomine * aſperrimos * acerrimos
perpeſſi cruciatus, & morte mulctati, coronam martyrij ſuſce-
perunt: plurimi confeſſores egregij, vita, moribus, & doctri-
na fulgentes, quamuis ſine ſanguinis effuſione, non tamen ſi-
ne periculis & labore, ac voluntate parata pro conſeruanda
ſacri Euangelij authoritate moriendi, ad cæleſtem gloriam

peruenêre: vt Gregorij, Damaſi, Leones, Innocentij, Bonifacij, Benedicti, & alia nomina, inter quæ tertius claruit Eugenius, ex monaſterio ſancti Anaſtaſij ad ſummũ ſacerdotium euocatus, ad quem diuus Bernardus monachorum pater, non minus doctrinæ fulgore, quàm vitæ ſanctimonia illuſtris, inter multa, huiuſmodi verba conſcripſit: Indagemus, inquit, adhuc diligẽtiùs quid ſis, quam geras videlicet perſonam pro tempore in Eccleſia Dei. Tu es ſacerdos magnus, tu ſummus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt & alij quidem cœli ianitores, & gregum paſtores, ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius vtrunque præ illis nomen hæreditaſti. Habent illi aſſignatos ſibi greges, ſinguli ſingulos: tibi vniuerſi crediti vni ſumus. Nec modò ouium, ſed & paſtorum tu vnus omnium paſtor. Hæc Bernardus ad Eugenium III. ſcribit, cui ſupremam & omnimodam in Eccleſia poteſtatem concedit. Quod ille de tertio teſtatur Eugenio, hoc nos de quarto, & omnibus alijs Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis eſt authoritas. Liquet igitur, vnum in Eccleſia caput eſſe, & vnum principem: quia pax populi ex vno rectore dependet, & pluralitas principum diſcordiam parit. (Ioan. 14.) Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in vltimo teſtamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendauit. dedit ergò & regimen pacis amicum, id eſt, monarchicum, ſub beato Petro & ſucceſſoribus eius adminiſtrari cuncta præcipiens, clauibus illi commiſſis, & cura gregis demandata. Hæc nos de Romani Pontificis authoritate & poteſtate ſentimus, cui & congregare generalia concilia, & diſſoluere datum eſt: qui etſi filius eſt propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur: & * ſicuti filiationis cauſa venerari debet Eccleſiam, tanquam matrem: ita & prælationis cauſa * præfertur ei, vt paſtor gregi, princeps populo, rector familiæ. (*ſicut patet regenerationis cauſam. *præeſt) Cùm his & generalis Concilij authoritatem & poteſtatem complectimur, quemadmodum & æuo noſtro Conſtantiæ, dum ibi fuit Synodus vniuerſalis, declaratum definitumque eſt. Veneramur enim Conſtantien. Concilium, & cuncta, quæ præceſſerunt, à Romanis Pontificibus noſtris * præceſſoribus approbata, inter quæ nullum inuenimus vnquam fuiſſe ratum, quod ſtante Romano indubitato præſule, abſque ipſius authoritate conuenerit: (*prædeceſſoribus) quia non eſt corpus Eccleſiæ ſine capite, & omnis ex capite defluit in membra poteſtas. Hæc noſtra ſententia eſt, filij, hæc credimus & profitemur: hæc iam ſenes, & in Apoſtolatus apice cõſtituti, pro veritate aſſerimus: ſi quæ vel vobis, vel alijs conſcripſimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnent, illa, tanquam erronea, & iuuenilis animi parùm penſate iudicia, reuocamus atq; omnino reſpuimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, 6. Kalen. Maias, 1463.

Pij Papæ II. Bullæ retractationum omnium dudum per eum, in minoribus adhuc agentem pro Concilio Baſileen. & contra Eugenium IV. ſummum Pont. ſcriptorum

Finis.

CONVENTVM ILLVM MANTVANVM, QVO

auctore Pio Pontifice in præſentia plurimorum Regum, Principum, vel legatorum actum eſt de bello contra Turcas ſuſcipiendo, recentiores Concilium eſſe voluerũt: ſed immeritò; tum quod vix vnus Epiſcopus interfuiſſe legatur; tum etiam quod Platina & Chalcondylas vnius temporis ſcriptores, non aliter quam conuentum appellent. Non dubito, quin Genebrard. in poſteriore editione ſuæ Chronologiæ hac de cauſa ſuſtulerit Concilium Mantuanum, quod in priore editione ſub Pio II. collocatum inuenitur.

PAVLVS II. PONT.

PAVLVS, nobili genere ortus, Petrus cognomento Barbus antea vocatus, ab Eugenio auunculo per varios honorum gradus ad Cardinalatum euectus, Pio mortuo, pridie Kal. Septembris Pontifex creatur, Friderico III Imperante. (Quando Pontifex factus?) Abbreuiatores, vt vocant, à Pio in Curiam adſcitos, officio priuauit, inter quos Platina, quod inſolentius epiſtola quadam factum redarguiſſet, in cuſtodiam detruſus eſt. (Platina cura Paulo incarceratus?) Paulus Canonicos in Baſilica Lateranenſi collocatos, & à Calixto eiectos, reſtituit. Legatos ad Principes miſit, eoſque licet fruſtra cohortatus eſt ad bellum inferendum Turcis, qui vniuerſa iam Epiro in poteſtatem redacta, in Illyricum irruptionem faciebant. Regis Fernandi copijs adiutus, Deiphobum & Franciſcum Anguillariæ oppreſſit, eoſque tanquam Eccleſiæ hoſtes nouem Caſtellis ſpoliauit. Hinc ad cõtentionem venit cum Fernando Rege, quod is ob officium præſtitum Pontifici plures ſibi annuos cenſus remitti poſtulabat. Epiſcopum Conchenſem Mediolanum miſit, qui vrbem illam erga Galeatium Franciſci Sfortiæ nuper mortui filium in fide cõtineret. Magnum Rhodiorum militum Magiſtrum Romam vocauit, vt eius rem penè labentem adiuuaret. Quo Romę mortuo, Carolum Vrſinum in eius locum ſubrogauit. Poſt diuturna bellorum diſſidia, multos Italiæ Principatus inter ſe cõciliauit. Hinc ad hilaritatem declinans, veterum imitatione populo ludos, & ſpectacula edidit, epulumque dedit. Fridericum Cæſarem, Romam ex voto venientem, apparatiſſime ſuſcepit. Idem Borſo præſtitit, quem Ferrariæ Ducem creauerat. Vngaros, & Germanos in Georgium Boemiæ Regem perfidum hominem cõmouit, ex quo Regia omnino domus deleta eſt. In Tolphæ dominos bellum ſuſcepit: quo infeliciter geſto, oppidum decem & ſeptem millibus aureorũ mercatus eſt. Obijt apoplexiæ morbo, anno Domini 1471. octauo Kal. Auguſti; cum ſediſſet annos ſex, menſes decem & dies viginti ſex. Hic Cardinalibus purpuratas veſtes, & quidem ornatiores dedit. Ædes ad S. Marcum, & Vaticanas magnificentiſſimas ædificauit Cardinalibus & Epiſcopis tenuioris fortunę: Virginibus, viduis, valetudinarijs opem liberaliter præſtitit. Annonæ curam ſollicitiorem geſſit, pretioſiſſimis gemmis mirum in modum oblectatus eſt. Paululum difficilis in agendo habitus, grauiter in flagitioſos animaduertit, ſuos audaces nimium, & inſolentes nõ tulit. Floruit ea tempeſtate Dionyſius Carthuſianus, tot excellentium librorum auctor: de quo illud aliquando teſtimonium protulit Eugenius: Lætetur mater Eccleſia, quæ talem habet filium. De Platina, qui vitam Pauli II. animo hoſtili & offenſo magis, quam hiſtoricè deſcribit, rectè illud à quodam Papienſi ſcriptum exiſtimamus: *Platinæ quidem quis non ignoſcat ſi ſit iratus?*

SIXTVS IV. PONT.

SIXTVS, ex nobili gente Ruuerea oriundus, & Franciſcus antea nominatus, patriam relinquens, venit Patauium, ibiq; per vigintiquinque annos moratus, à Paulo II. Beſſarionis Nicen. Card. rogatu ex ordinis Minorum generali miniſtro Cardinalis factus, (Sixtus quando Papa factus?) poſt obitum Pauli creatus eſt Pontifex Maximus, An. Dom. 1471. quinto Id. Auguſt. tempore Frederici III. Imp. Cardinales quatuor Legatos delegit: quorum tres ad Reges Galliæ, Vngariæ, & Aragonię miſit, vt ad pacem eos cohortarẽtur: quartum poſt fœdus cum Fernãdo Rege & Venetis initum, maritima claſſe in Turcas armauit. Sed vterq; conatus irritus cecidit. Dehinc vt quorundam tyrannorum Vmbriæ audaciam comprimeret, Fernandi Regis auxiliaribus copijs, Federicum, antea Mõtisfeltrij Comitem, deinde à ſe grãdiori nomine Vrbini Ducẽ appellatum, præfecit, quibus & Iulianũ nepotem Cardinalem præpoſuit. Perſecutus eſt Laurentium, & Iulianum Mediceos fratres:

x quo bellum intulit Florentinis. Inita ſocietate cum Venetis, & Roberto Malateſta exercitus ſui Duce creato, Calabriæ Ducem prælio fudit. Conciliato ſibi Rege Neapolis, arma in Columnenſes vertit. A Venetorum amicitia ſe ſubtrahens, ſacris interdixit, & aduerſus eos cum alijs Principibus ſocietatem inijt. Liberale hoſpitium præbuit Palæologo Peloponneſi Domino, Deſpotæ Epiri, Reginis Cypri ac Boſſinę, qui, Turcarum armis profugi, patrijſque bonis ſpoliati, ſeſe omnes eo contulerant. Idem quoque officium exhibuit Chriſtierno Danorum Regi, qui pari honore Sixtum proſecutus eſt, eique in cubiculum redeunti, exeuntiq́; ſemper adfuit, lauantique manus peluim prębuit. Idem quoque præſtitit Fernando, Ducibuſque Calabriæ & Saxoniæ, qui Romam pietatis ſtudio venerant. Cenſus Fernando remiſit, dum tamen quotannis loco cenſus equum egregiè inſtructum, phaleratumq́; perſolueret. B. Bonauenturam in Sanctorũ Catalogũ retulit. Feſtis ſolemnibus etiam diem Conceptionis, Præſentationis B. Virginis, S. Annæ, Ioſephi, & Franciſci adſcripſit. Annum Iubilei ad 25. annum redegit. Cauit edicto, ne porphyretici lapides, neve marmorei ad profanos vſus è templis tollerentur. Vt Franciſcani, & Dominicani pacificè viuerent, decreuit de Conceptione Virginis quamlibet aduerſantium opinionum ſine hæreſis vitio ſuſtineri poſſe. Catholici Regis nomen Ferdinando, & Iſabellæ tribuit, officiumq́; Inquiſitionis in Hiſpania collocauit. Petrum affinem Cardinalem S. Sixti creauit. Hieronymo Forum Liuij dedit, Antonio Ordelaſo ademptum; & effecit, vt Dux Inſubrum Catharinam naturalem filiam, & Imolam ei in dotem daret. Sed infelicem habuit exitum vitæ. Occiſus quippè eſt domi ſuæ in oculis Catharinæ vxoris. Sixtus, ad ornatum elegantiamq́; conuerſus, vrbē pulcherrimis, elegantiſſimiſq́; operib. excolere cœpit, vias lateritias ſternere, eaq́; loca reformare, quæ tenebricoſa, aut humida nimium, aut deformem ciuitatem, aut inſalubrem reddebant, pontem ſui nominis extruere, aquæ Virginis ductum corriuare, celeberrimam Vaticani bibliothecam libris vndique conquiſitis erigere. Ingens Eccleſiæ propugnator, generoſæ indolis, liberalis, excelſi animi fuit. Primus venalia habuit Curiæ officia, & noua ad lucrum excogitauit. Nonnulla conſcripſit, quæ apud eruditos viros in pretio ſunt. Obijt ſeptuagenarius, podagra, alijſque curis vexatus, & ſepultus eſt in Vaticano, Anno Domini 1484. pridie Idus Auguſti, cùm ſediſſet annos 13. & dies 4.

Candido Lectori, F. Laurentius Surius.

HOC loco adſcribenda putauimus, quæ Sixtus IV. Pontifex maximus de Conceptione ſacratiſsimæ Virginis Mariæ promulgauit & ſanxit, quemadmodum in Extrauagantibus lib. 3. tit. De reliquijs & veneratione ſanctorum leguntur, propterea quòd Synodus Tridentina Sixti huius ſententiam ſecuta eſt. verba ſynodi eius hæc ſunt Seſſ 5. Declarat tamen hæc ipſa S. Synodus, nõ eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, ſed obſeruandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eo conſtitutionibus contentis, quas innouat. Hæc Synodus. Ipſius igitur Sixti Pontificis, ne longiùs ea Lector petere cogaris, verba ſubijcimus, & primò quidem de feſti Conceptionis celebratione, deinde de pœnis in eo conſtitutis, qui Conceptionem ipſam oppugnant.

(∴)

SIXTI IV. PONTIFICIS MAXIMI DECRETUM de Feſto Conceptionis immaculatæ Virginis Mariæ.

CVM præexcelſa meritorum, inſignia, quibus Regina cœlorum, virgo Dei genitrix glorioſa, ſedibus prælata æthereis, ſideribus quaſi ſtella matutina perrutilans, deuotæ conſiderationis indagine perſcrutamur, & infra pectoris arcana reuoluimus, quòd ipſa, vtpotè via miſericordiæ, mater gratiæ, & pietatis amica, humani generis conſolatrix, pro ſalute fidelium, qui delictorum onere grauantur, ſedula oratrix & peruigil ad regem quem genuit, intercedit: dignum, quin potiùs debitum reputamus, vniuerſos Chriſti fideles, vt omnipotenti Deo, (cuius prouidentia eiuſdem Virginis humilitatem ab æterno reſpiciens, pro concilianda ſuo authori humana natura, lapſu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam ſui vnigeniti habitaculum ſancti Spiritus pręparatione conſtituit, ex qua carnem noſtrę mortalitatis pro redemptione populi ſui aſſumeret, & immaculata Virgo nihilominùs poſt partum remaneret:) de ipſius immaculatæ Virginis mira conceptione gratias & laudes referant, & inſtituta propterea in Eccleſia Dei Miſſas & alia diuina officia dicant, & illis interſint, indulgentijs & peccatorum remiſſionibus inuitare, vt exinde fiant eiuſdem Virginis meritis & interceſſione diuinæ gratiæ aptiores. Hac igitur conſideratione inducti, eiuſdem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, authoritate Apoſtolica hac in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus, quòd omnes & ſinguli Chriſti fideles vtriuſq; ſexus, qui Miſſam & officium Conceptionis eiuſdem Virginis glorioſæ, iuxta piam, deuotam & laudabilem ordinationem dilecti filij magiſtri Leonardi de Nogarolis clerici Veronenſis, notarii noſtri: & quæ deſuper à nobis emanauit, Miſſæ & officij huiuſmodi inſtitutionem, in die feſtiuitatis Conceptionis eiuſdem Virginis Mariæ, & per octauas eius deuotè celebrauerint & dixerint, aut illis Horis canonicis interfuerint: quotis id fecerint, eandem prorſus Indulgentiam & peccatorũ remiſſionem conſequantur, quam iuxta felicis recordationis Vrbani IV. in Concilio Viennenſi * approbatæ, ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones conſequantur illi, qui Miſſam, & horas Canonicas in feſto Corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti à primis Veſperis & per illius octauas iuxta Romanæ Eccleſiæ conſtitutionem celebrant, dicunt, aut Miſſæ officio & horis huiuſmodi interſunt, præſentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1476. Calen. Martij, Pontificatus noſtri anno 6.

EIVSDEM SIXTI DECRETUM aliud de eadem Conceptione Virginis Matris.

GRAVE nimis gerimus & moleſtum, cùm ſiniſtra nobis de quibuſdam Eccleſiaſticis perſonis referũtur. Sed in eorum, qui ad euangelizandum verbum Dei ſunt deputati, exceſſibus prædicando commiſſis, eo grauiùs prouocamur, quo illi periculoſiùs remanent incorrecti: cùm facilè deleri nequeant, qui multorum cordib. ſic publicè prædicando diffuſiùs & damnabiliùs imprimuntur errores. Sanè cùm ſancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ conceptione publicè feſtum ſolenniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit, nonnulli, vt accepimus, diuerſorum ordinum prędicatores, in ſuis ſermonibus ad populum publicè per diuerſas ciuitates & terras affirmare hactenùs non erubuerunt, & quotidiè prædicare non ceſſant, omnes illos, qui tenent aut aſſerũt eandem glorioſam & immaculatam Dei genitricem abſque originalis peccati

macula

by Google

macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos: eiuſdem immaculatæ conceptionis officium celebrâtes, audienteſque ſermones illorum, qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare grauiter: ſed & pra fatis prædicationibus non contenti, cõfectos ſuper his ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum aſſertionibus & prædicationibus non leuia ſcandala in mẽtibus fidelium exorta ſunt, & maiora meritò exoriri formidantur indies. Nos igitur huiuſmodi temerarijs auſibus ac peruerſis aſſertionibus ac ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſunt, quantum nobis ex alto conceditur, obuiare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione & certa ſcientia, huiuſmodi aſſertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos qui crederent aut tenerent eâdem Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hereſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: aut huiuſmodi officium conceptionis celebrantes, ſeu huiuſmodi ſermones audiẽtes, alicuius peccati reatum incurrere, vtpotè falſas & erroneas, & à veritate penitùs alienas, editoſque deſuper libros prædictos id continentes, quo ad hoc, authoritate Apoſtolica tenore præſentium reprobamus & damnamus: ac motu, ſcientia, & authoritate prædictis ſtatuimus & ordinamus, ꝙ prædicatores verbi Dei, & quicunque alij, cuiuſcunque ſtatus, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cæterò auſu temerario præſumpſerint in eorũ ſermonibus ad populum, ſeu alias quomodolibet affirmare, huiuſmodi ſic per nos improbatas & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros p[illegible] veris legere, tenere vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint: excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua ab alio quàm a Romano pontifice (niſi in mortis articulo) nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Item motu, ſcientia & authoritate ſimilibus, ſimili pœnæ ac cenſuræ ſubijcientes eos, qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum ſit à Romana Eccleſia & Apoſtolica ſede deciſum: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcunque, quibus cõmuniter vel diuiſim à ſede Apoſtolica indultum exiſtat, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam ac expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Et ne de præmiſſis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus, quòd locorum ordinarij requiſiti, præſentes literas in eccleſijs, conſiſtentibus in eorum ciuitatibus & ſuarum diœceſum locis inſignibus, dum maior ibi multitudo populi ad diuina conuenerit, ſermonibus ad populum mandent & faciant publicari. Præterea quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula loca, in quibus expediens fuerit, deferre: etiam volumus, & dicta authoritate decernimus, quòd earundem literarum tranſumpto, manu publici notarij confecto, & authentico alicuius prælati eccleſiaſtici ſigillo munito, vbique ſtetur, prout ſtaretur eiſdem originalibus literis ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reprobationis damnationis, ſtatuti, ordinationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1483. pridiè nonas Septemb. pontificatus noſtri anno 13.

CONCILIVM TOLETANVM IN OPPIDO QVOdam Hiſpaniæ de Aranda, ad reformandos cleri populique mores celebratum, Anno Do. MCCCCLXXIII. tempore Sixti Papæ IV.

CONSTITVTIONES REVERENDISSIMI in Chriſto Patris ac Domini Alfonſi Carillo Archiepiſcopi Toletani, editæ in Prouinciali Concilio per eum in oppido de Aranda cum ſuis ſuffraganeis celebrato.

QVONIAM à naſcentis origine mũdi ea ipſa humana conditio decliua ad malum fuiſſe dignoſcitur, lex ideo prodita eſt, quæ mortaliũ deuios motus ſua virtute reprimeret, ipſoſq; ſuo dirigeret conditori: ſed quia adhuc ipſa nouas ſemper conatur edere formas, quibus quæque ſanctio etiam maturo digeſta conſilio nõ ſufficit prouidere, ex quo morum ſubuerſio in clero & populo frequẽter obrepit, fuiſſe noſcitur ſaluberrima ſuperiorum auctoritas, quæ nouatum promulgationibus legum, mortalium nouis machinationibus indies occurrat, ac prouidi cultoris ſarculo extirpet vitia, virtutes inſerat, moreſq; reformet. Hoc ſanè cælitus edocti intuẽtes canonum cõditores, prouidè decreuerunt, ſacroſancta ipſa prouincialia Cõcilia per Metropolitanos Antiſtites cum eorum ſuffraganeis annis ſingulis celebranda. Sed proh dolor generis inimicus humani tot calamitatum preſſuris, totque turbationibus, & ærumnis vniuerſam repleuit Hiſpaniam, vt tam pium, ſanctumque opus efficere ac longiſſimi[illegible]itra temporibus anterioribus noſtris, & nobis penitus ſit adempta facultas, ita vt eadem ſacra Concilia, illorumq; auctoritates penè obducere videatur obliuio in Eccleſiæ iacturam non modicam & fidelium animarum. Nunc ergo nos quem licet immeritum in Patriarchali Toletana ſede, ac in vniuerſis Hiſpaniarum prouincijs Diuina dignatio prætulit in Primatem, ampliſſima ipſa ſolicitudinis pars humeris noſtris impoſita, qua nedum ſuper ſuas oues, ſed ſuper illarũ paſtores ab ipſo Domino, cuius iudicia imperſcrutabilia ſunt, nos conſpicimus conſtitutum. Sæpenumero pulſauit cor noſtrum inter huius mundi preſſuras, quibus pro tuenda iuſtitia & republica dirigenda temporum cauſante malitia inceſſanter vrgemur id modicum otij, quo negotiorum moles nos reſpirare cõcedit, altiſſimo dedicare, vt in eius vineæ cultura pręſertim circa præmiſſa totũ id, quod ſit poſſibile peragamus, in ipſo non ab re fiduciam obtinentes, qui etiam in medijs fluctibus quemadmodum eſt pollicitus, ſponſam ſuam non deſeret prædilectam, diſſidiorumque vepribus ac vitiorum tribulis amputatis, fructus dulcis ſubſcendet, quo in cõſortio illorum, quorũ vices gerimus, fruamur in excelſis. Hęc igitur Redemptoris noſtri poſtulato ſuffragio effectui mâcipantes, Nos Alfonſus Carillo miſeratione Diuina Archiepiſcopus Toletanus. Hiſpaniarum Primas, ac regnorũ Caſtellæ maior Cancellarius, Reuerẽdos in Chriſto patres dominos Epiſcopos Cõprouinciales & ſuffraganeos noſtros, ac noſtrûm, & eorũ Capitula, illorumque venerabiles procuratores ad oppidum hoc de Aranda noſtræ prouinciæ & Oxomen. Diocœſ. per noſtras patentes literas fecimus conuocari, & vna cum eiſdem ſuffraganeis, ac in ſuorum Capitulorum præſentia prædictorum ſuper morũ reformatione, alijſque Dei cultum & ſalutem tangentibus animarũ, & Concilium prouinciale deliberauimus celebrare. In eo conſtitutiones edidimus infraſcriptas, die videlicet 5. menſis Decemb. de Anno Domini 1473. quo die Concilium præfatum extitit terminatum.

Quòd Archiepiſcopi prouincialia in biennio, & Epiſcopi ſynodalia annuatim ſaltem concilia celebrent.

CAndor æternæ lucis Chriſtus Ieſus, qui Eccleſiam ſuam noua ſemper prole fœcundat, ſanctorum Patrum & Antiſtitum corda ſplendore ſuæ gratiæ clementer illuſtrauit, eoſque in domo Domini ideo Diuina poteſtas cæteris præferre ab alto decreuit, vt ab eis ſalutaria prodeant ſtatuta, quibus velut vberrimis fontibus tota terra irrogata Redemptori noſtro reddat fructum ſuum. Quia verò ſacrorum canonum inſtitutis ſancitũ nouimus ab antiquo, per Metropolitanos Antiſtites cum ſuis ſuffraganeis prouincialia Concilia annis ſingulis debere celebrari, nos pari ratione ſacro approbãte Concilio ſtatuimus, vt eidem Metropolitani cum ſuffraganeis ſuis, per ſe vel per alios, quatenus de iure conceditur, ipſis legitime impeditis Concilium prouinciale loco & tempore opportunis ſaltem in biẽnio, & epiſcopi noſtri in ſuis diœceſ. ſynodale annuatim celebrent, & ſi hoc negligenter omiſerint, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ ſint ſuſpenſi, donec negligentiam ſuam Archiepiſcopus prouincialia, & Epiſcopi ſynodalia concilia celebrãdo purgauerint; adijcientes quod Epiſcopi qui vocati per Metropolitanum ad eadem Concilia venire neglexerint, niſi canonico, euidenti & ineuitabili impedimento fuerint præpediti, eo ipſo ſimiliter ab ingreſſu Eccleſiæ per tres mẽſes ſint ſuſpẽſi, & nihilominus ſic impediti, vt præmittitur, procuratores ſuos ſuffi. iẽtes & inſtructos ad ea quę in Concilio expedienda erunt, & cum quibus de impedimẽto huiuſmodi fidem & probationem indubiam faciant, mittere teneantur: alias ipſo facto eandem ſuſpenſionem & ducentorum florenorum pœnam incurrant expenſis Concilij applicandam.

Quòd Rectores Eccleſiarum habeant in ſcriptis articulos fidei &c. & publicent populo.

ARma militiæ noſtræ aduerſus ſpirituales nequitias maximè conſiſtunt in fide, hæc enim lapis angularis eſt, & fundamentum totius noſtri operis. Ideoque volentes æternam ſalutem adipiſci, oportet de fide & moribus eſſe eruditum. Quapropter vniuerſis ac ſingulis parochialiũ Eccleſiarum Rectoribus per noſtram prouinciã vbilibet conſtitutis ſacro approbante Concilio præcipimus, vt de cætero habeant in ſcriptis articulos fidei, & præcepta Decalogi, Eccleſiæ ſacramenta, ſpecies vitiorum & virtutum, & diebus Dominicis à Septuageſima vſque ad Dominicã in paſſione excluſiuè, ſolenniter in ſuis eccleſijs publicent ipſa, & publicari faciant. Clerici vero contrarium facientes duorũ regalium pro qualibet Dominica quã prætermiſerint, pœnam incurrant, medietatem huius pœnæ ſequẽti Concilio, medietatẽ verò fabricæ illius eccleſiæ in qua publicatio debuiſſet fieri, irremiſſibiliter applicandam.

Quòd non promoueantur ad ſacros ordines non ſcientes loqui latinaliter.

AGri Dominici cultura non eſt indignis operarijs cõmittenda, ſed illi duntaxat conducendi ſunt in domo Domini, qui ſecundum Apoſtolum ſciant quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundũ, & inter leprã & non lepram diſcernere nouerint. Ideoque ſacro approbãte Conc. ſtatuimus nullum ad ſacros ordines de cætero promouendum, niſi ſciat latinaliter loqui. Quia tamen plerunque cõtingit, ob defectum, negligẽtiam, vel dolum eorum, quibus ab Epiſcopis ordinum examinatio committitur, quod indocti & omninò ignari, tam iuris diſpoſitione quàm earundem conſtitutionum tenore alijque indigni vt digni & idonei prædictis Epiſcopis præſentantur, ſicque per eos ad ſacros ordines promouẽtur. Nos religionis noſtræ adytum peruigili cura cuſtodire volentes epiſcopos per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti hortamur, & in virtute obedientiæ monemus, quatenus ſi prędictorum ordinum celebrationi, & promouẽdorum ad ſacros ordines examini perſonaliter non adfuerint, duos ſaltem viros idoneos ſcientia & moribus approbatos deputent, quibus officium examinationis pariter committãt, iniungendo eiſdẽ ſub excommunicationis pœnæ, vt onus hoc ſibi creditum fideliter exequantur, nec quicquam dolo, prece, negligentia, munere vel alias indebitè agant. Prælati autem ſacrũ ordinem per ſe ipſos contra prædictam prohibitionem non ſcientes loqui latinaliter conferentes, præter pœnas à iure ſtatutas, à quorumcunque ſacrorum ordinũ, quos tali contulerint, ipſumque indignè promotũ ab executione ſuſcepti ordinis: examinatores verò in præmiſſis culpabiles ab officio & beneficio per annum nouerint ſe ſuſpẽſos, niſi ex cauſa rationabili, & multũ neceſſaria, vt in dicta conſtitutione cõtinetur, cum eiſdem promotis prælati viderint diſpenſandum.

Quòd non admittantur clerici aliarum diœceſium ſine litteris commendatitijs.

VT non vituperetur miniſterium noſtrum, melius eſt in domum Dei paucos miniſtros idoneos adire, quã plures & indignos. Quoniam aũt plerunque contingit, vt clerici aliarum diœceſum excommunicati quidam, ſuſpenſi, vel interdicti, ſeu alias inhabiles propriam patriã deſerentes in noſtras ſe transferunt regiones, ibique incogniti Diuina officia celebrare nituntur: Nos fidelium ſaluti animarum vbi maius vertitur periculum, conſulere volentes, vniuerſis ac ſingulis Archiepiſcopis, Vicarijs, Rectoribus, Capellanis, clericiſque curatis, & non curatis per noſtram prouinciam vbilibet cõſtitutis noſtro approbãte Conc. præcipimus, ne de cętero huiuſmodi clericos ad ſanctę matris eccleſiæ ſacramentorum adminiſtrationem recipiant, aut in ſuis eccleſijs miniſtrare permittant, noſtra vel epiſcoporum in quorum diœceſi moram traxerint nõ obtenta atq; edocta commendationis licentia: ſi verò ſecus fecerint, triginta regalium pœnam eo ipſo incurrant, dimidium fabricæ ſuarum eccleſiarum, dimidium verò pro expenſis futuri ſequentis concilij applicandam.

Quòd Prælati non incedant publicè ſine roqueto, nec induantur ſericis veſtibus, nec calcient ſotulares albos, & quod ad menſam ipſorum legantur ſacra ſcriptura.

GLorioſum ſacroſanctę Eccleſię corpus ab æterna Dei Patris prouidentia admirabiliter ordinatum, nullã iure in ſe deformitatem continere debet. Nos verò qui Prælationis infula licet immeriti nutu Diuino altius euecti ſumus, tanto honeſtatis & vitæ fama inter alios prælucere tenemur velut ſydera in firmamẽto cæli, quãto maiora ſumpſimus de manu Domini, quatenus & membra per bona opera ſuo capiti correſpondeant. Quia igitur per exteriorẽ habitum, qui qualiſue interior Prælatorum ornatus eſſe debeat ſignificatur, prædeceſſorum noſtrorum hortamenta ſectantes ſtatuimus ſacro appro. Conc. vt Archiepiſcopi & Epiſcopi veſte linea ſuperiori vulgariter, roquete nuncupata, in publico ſemper vtantur. Sericas verò veſtes qualeſcunque, aut breuitate notãdas, necnon ſotulares albos ipſis præſentium tenore prohibemus. Contrarium verò facientes viginti florenorum aureorum pœnã qualibet vice ipſo facto incurrant, dimidietatem ipſius pœnæ fabricæ ipſarũ eccleſiarum: dimidietatem verò pro expenſis Concilij ſequentis irremiſſibiliter applicandam. In menſa vero Prælatorum omnimoda ſeruetur honeſtas, & ſacræ ſcripturæ legantur, ita videlicet vt fauces ſumant cibum, & aures eſuriant verbum DEI.

Quod

Quòd non induantur clerici veſtibus ſericis rubeis vel viridibus, nec calcient ſotulares albos vel borſegnis albos vel rubeos niſi cum nigris deſuper ſotularibus.

CÆterum ne clerici poſtquam in ſacris ordinibus fuerint cõſtituti, aut beneficiati extiterint, ſericum prætequã ab interiori futura chlamidis, aut capuciolorũ quæ quæ vulgariter forratæ appellantur, nec rubeas ſeu claras virides veſtes induere, aut caligas eiuſdẽ coloris ſeu ſotulares albos vel borſegnis albos, vel rubeos, niſi cum nigris deſuper ſotularibus duntaxat calciare de cætero præſumant, ſacro appr. Conc. præſentis conſtitutionis tenore prohibemus. Clerici autem contrarium faciẽtes, ſi in Metropolitana aut cathedralibus eccleſijs beneficiati fuerint, per decem dies qualibet vice eo ipſo portione ſua mulctentur. Alij verò clerici extra prædictas eccleſias beneficiati duorum florenorum pœnam qualibet vice irremiſſibilem incurrãt: dimidietatem fabricæ illius eccleſię in qua beneficiati exiſtũt, dimidietatem verò pro teſte ſynodali hoc exequente applicantes. Si tamẽ beneficiati nõ fuerint, vnius floreni pro teſte prædicto pœna puniãtur. Decani nihilominus & alij ad quos id pertinet, ſi mulctationem prædictam remiſerint, quoquo modo, ipſo facto à diuinis per mẽſam qualibet vice, nouerint ſe ſuſpenſos.

Quòd obſeruentur dies Dominici & feſtiui.

CÆleſtis Hierarchiæ Rex, qui ſua mundum ineffabili prouidentia plaſmauit, ita quidẽ actus noſtros in beneplacito ſuo direxit ſanctæ maieſtatis, vt & laboris & requiei dies non immeritò deſtinaret. In illis enim Dei populus in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo: in his fatiſcentia membra à ſeruili opere detracta Deo offerre curaret. Ea propter nos prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhęrẽtes, ſacro appr. Conc. diebus Dominicis & feſtiuis ab omni ſeruili opere fideles quieſcere iubemus, nec liceat cuiquã ruſticalia ſeu artificialia opera exercere, aut agros colere, niſi vrgente neceſſitate, vel euidenti pietatis cauſa, & hoc de licentia ſui ſacerdotis. Infideles verò præfatis diebus officijs ſuis publicè non vtantur. Contrarium verò facientes per Iudices, officiales, vel alios ad quós ſpectat legitimè puniantur; qui ſi negligentes in hoc fuerint, grauiter puniantur, ſi verò dolo vel pretio contrarium permiſerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

Quod clerici non induantur luctuoſis veſtibus.

Locus obſcurus.

QVamuis omnis gloria * aſpira, cum ad æternam ſalutem ab intus eſſe debeat, verum quia militamus illi, cum quo omnis pulchritudo agri eſt, vilibus veſtibus vti non debemus. abſurdum ergo & reprehenſibilem quorundam clericorum abuſum, qui lugubres & luctuoſas veſtes induunt, & flebiliores quam ſuæ congruit honeſtati, ex eo ſe reddunt, quia parentes, conſanguineiq́; eorum & amici corruptibilẽ carnis noſtræ molem deponentes ad æternam patriam de præſentis exilij miſeria conuolarũt, penitus abolere volentes, cũ & ſecundum ſententiã ore benedicto prolatam: Qui credit in Chriſtum, etiã ſi mortuus fuerit, viuit, præſentis conſtitutionis ſerie ſacro app. Conc. ſtatuimus, vt vlterius luctuoſas veſtes induere clerici in ſacris ordinibus conſtituti vel beneficiati noſtrę prouinciæ nõ audeãt. Contrarium verò facientes eo ipſo à perceptione fructuum ſuorum beneficiorum per tres menſes qualibet vice ſint ſuſpẽſi, medietatem prædictorum fructuum pro expenſis ſequẽtis Concilij, medietatem verò pro teſte ſynodali eos accuſante applicandam. Epiſcopi aũt & alij Prælati præmiſſa obſeruare teneantur, & ſi contra fecerint, 20. florenorũ pœnã, pro qualibet vice eo ipſo incurrant Conc. ſeq. applicandã.

Proceſſus qui debet fieri contra clericos qui publicè tenent concubinam.

TRiſtiſſimo impellimur animo recenſere turpis conditionis fœdiſſimum ſcelus, quo & clerici in conſpectu populi contemptibiles reddũtur, iramq́ue Diuinæ vltionis ſibi theſaurizant, & reuerendiſſimum illud ſereniſſimumq́; Chriſti corpus omnem mundi pulchritudinem excellens, ſacerdos pollutis manibus (proh pudor) tractare nõ formidat, dicente Domino: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, & alibi: Mundamini qui fertis vaſa Dei. Ideoq́; prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærentes S. A. C. ſtatuimus, vt quicunque clerici in ſacris ordinibus conſtituti, ſeu beneficiati, ſi poſt duos mẽſes poſtquam ſuper hoc moniti, aut requiſiti fuerint, nominatim concubinam ſeu concubinas publicè tenuerint, vel dimiſſam ſeu aliam admiſerint, ſi beneficiati exiſtant, tertia parte fructuum beneficiorum omniũ, quæ pro illo tempore obtinuerint, ipſo facto penitus ſit priuati. Si verò per alios duos menſes, duos prædictos immediatè ſequentes in eodẽ crimine continuauerint vitam fœdam; alia tertia parte fructuũ nouerint ſe priuatos. Quòd ſi fortè, Dei timore contempto, per alios duos menſes poſt quatuor partes immediatè ſequentes in peccato perſtiterint memorato, reliqua tertia parte fructuũ ipſos priuamus omnimode. Antedictas verò partes fructuum, & ipſarũ quãlibet in cathedralibus & collegiatis eccleſijs, quo ad bona quæ de cõmuni menſa fuerint, ad communẽ menſam Capituli: aliæ verò pro expenſis ſequentis Concilij: & in parochialibus eccleſijs medietatem fabricæ earum, alterã verò medietatẽ pręducto Conc. applicãdam. Quod ſi fortè nec adhuc ad cor redierint, ſed præſens noſtrũ contemnentes mandatum, ſe oſtenderint tam execrandæ turpitudinis amatores, ſuis prælatis prædictis, & ipſorum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub animarum ſuarum periculo diſtrictè præcipimus & mãdamus, quod infra quatuor mẽſes à ſupradictis ſex menſibus numerandos, tranſgreſſores prædictos qui concubinas non dimiſerint, eaſdem vlterius non admiſſuri, nec aliam aliquã recepturi, omninò beneficijs ſuis priuent, ipſosq́; in limo peccatorum tam fixos, donec ſe correxerint, & poſtea per quinque menſes inhabiles eſſe denuncient ad ſuperiores ordines, & ad quæcunq; eccleſiaſtica beneficia obtinenda. Volumus etiã, quod ſi quis de prædictis poſtquã beneficio ſeu beneficijs priuatus fuerit, modo prædicto manus rapaces addictorum beneficiorum fructus, ſeu ad aliquam eius partem, incurrant excommunicationis ſententiam ipſo facto, à qua non poſſit abſolui, niſi de ſic occupatis reſtitutione integra, & beneficiorũ quibus priuatus fuerit vt præmittitur, dimiſſione plenaria prius factis. Verùm quia peccata inulta non vult dimittere Dominus vltionum, ſtatuimus dicto approb. Conc. quod clerici non beneficiati, tam ſacerdotes quàm diaconi, & ſubdiaconi ſeu inferiores clerici, qui non erubeſcunt concubinas publicè detinere, ſi ſacerdos fuerit, Capellaniam perpetuam vel temporalem tenere vel habere non poſſit, & vſq; ad vnum annum, poſtquam ſe de prædicto peccato plenè correxerit, ad obtinendum eccleſiaſticum beneficium ſit inhabilis & indignus. Diaconi & ſubdiaconi, ac minores clerici vſque ad annum poſt correctionem iam dictam ſint ad ſuperiores ordines inhabiles, & ad quæcunque beneficia eccleſiaſtica obtinẽdum. Si verò adhuc incorrigibiles extiterint, procedatur per alia iuris remedia cõtra ipſos; & quia maiori culpæ iuſto Dei iudicio maior debetur & pœna: ſtatuimus, vt quicunque in tam profundum peccatorũ deuenerint, quòd publicè concubinam, ſeu concubinas detineant infideles, aut moniales, ſi beneficiati fuerint per duos menſes à die publicationis huius conſtitutionis in cathedralibus eccleſijs faciendæ ipſo facto priuati ſint beneficijs obtentis, cuiuſcunque conditionis beneficia ipſa exiſtant, & reddantur inhabiles ad beneficia quæcunque obtinẽda. Si verò beneficiati non fuerint, ad ſuſcipiendos ſacros ordines, & ad obtinẽda beneficia ſint penitus inhabiles & indigni, ac tam beneficiati, quàm non beneficiati, qui eas ſic detinere præſumpſerint, per ſuos Prælatos, per biennium ad minus in carcere detrudantur, quibus per diœceſanos pœnæ graues aliæ, prout diſcretioni ſuæ videbitur, imponãtur. Si tamen hi clerici ad cor redeũtes verè pœnituerint de peccato, concedimus quod ipſorum diœceſani cum eis poſt biennium duntaxat à ſua correctione numerandum poſſint, quo ad ordines & ſimplicia beneficia miſericorditer diſpenſare. Volumus inſuper & mandamus quatenus Prælati

i omnes & ſinguli in ſuis diœceſ. per viros probos & ti-
entes Deum diligenter inquiſitionem quotiens expedi-
viderint, faciant; qui, quot, quales, & vbi fuerint præmiſ-
crimina committentes, atque ad pœnas ſuprapoſitas in
ſos exequendas inſurgant viriliter vt domus Dei ſtre-
ii zelatores. & tam ipſi clerici in publico concubinatu de-
dentes, quàm ipſæ concubinæ eccleſiaſtica careant ſepul-
ıra. Volumus inſuper quod collatio cuiuſcunq; beneficij
ćta clerico qui tempore collationis ſibi factæ, aut per du-
s menſes ante vel poſt fuit, eſt, aut fuerit publicus concu-
inarius, ſit nulla: & quod collatores beneficiorum in lite-
s collationum hoc apponi faciant expreſſe: ſi tamẽ, quod
Deus auertat, ſacri Epiſcopi, prælati concubinas publicè te-
uerint, tam diu à fructuum ſuarũ dignitatum perceptio-
e ſint ſuſpenſi, donec eas realiter dimiſerint.

Quòd non ſcienti loqui latinaliter non conferantur parochiales Eccleſiæ nec canonicatus & dignitates.

CVm in conſtitutione noſtra quæ incipit: Agri Dominici, cõtineatur, nullũ ad ſacros ordines promouendum niſi latinaliter ſciat loqui, id etiam ſumma obſeruantia cauendum eſt in collationibus parochialium eccleſiarũ. Nam cum ars artium ſit regimen animarum, pari ratione ſacro appr. Conc. ſtatuimus, nullum de parochiali Eccleſia debere prouideri niſi ſaltem latinaliter ſciat loqui. Attendentes etiam, quod quanto creſcit dona, tantum etiam rationes creſcunt donorum eandem conſtitutionem ad canonicos tam Metropolitanarum, quàm cathedralium noſtræ prouinciæ Eccleſiarum, & ad maiores poſt canonicatus earundem eccleſiarum dignitates extendi tenore præſentium eodem approbante Conc. volumus & inhibemus, niſi ex cauſa multum euidenti & neceſſaria cum ipſis canonicis & dignitatibus Prælati viderint diſpenſandum.

Quòd clerici non ludant ad taxillos.

CEdit in opprobrium noſtræ religionis, quod miniſtri Eccleſiæ, adeò vitam degere inhoneſtam non verentur, vt etiam otium amplectentes in vilipendium ſui ordinis ſe immiſceant ludis inhoneſtis. ex quibus quanta periuria, ſcandala, homicidia, & mala ſequuntur, nemo ſanæ mentis ignorat. Volentes ergo paterno cõſilio, vbi diſcordiarum materiam obrepere ſentimus, diſpendijs obuiare futuris, ludum taxillorum publicè vel occultè vniuerſis clericis in ſacris ordinibus conſtitutis, ſiue etiam beneficiatis noſtræ prouinciæ ſacro approb. Conc. prohibemus. Contrarium verò facientes triginta regalium qualibet vice pœnam incurrant, medietatem fabricæ ſuarum eccleſiarum, medietatem verò expenſis ſequentis Concilij applicandam.

Quòd Epiſcopi ter, & ſacerdotes quater ſaltem in anno celebrent.

MAgna mentis amaritudine referimus, quod nonnulli noſtræ prouinciæ clerici in Preſbyteratus ordine conſtituti Sacramentum Euchariſtiæ, in quo ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur, poſt ſuſceptum ſacerdotalẽ ordinem, prout tenentur, in animarum ſuarum periculum & Diuini cultus detrimentum celebrare contemnunt. Ideo ſacro appr. Conc. ſtatuimus, vt clerici per noſtrã prouinciam conſtituti cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis ſeu conditionis exiſtant, poſtquam Preſbyteratus ordinem aſcenderint, quater in anno miſſam deuotè per ſe ſaltẽ celebrẽt, niſi de conſilio ſui Prælati duxerint abſtinendum. Contrarium verò facientes triginta regalium qualibet vice pœnam incurrant, concilio ſequenti & ſynodali teſti æqualiter applicandam. Hortamur præterea noſtræ prouinciæ Prælatos ob reuerentiam Ieſu Chriſti, vt ter in anno ad minus celebrent. Si verò ſecus egerint, grauiter in ſequenti Conc. arguantur.

Quòd nulli prædicent ſine licentia prælatorum, & quod quæſtores legant duntaxat literas quas ſibi conceſſerint Diœceſani, nihilq́ aliud proponant.

PRædicationis officium quod animarum pabulum eſt ſpirituale, illis duntaxat eſt commendandum, qui non ambitione temporalis ſubſtantiæ, ſed animarum zelo intẽdant & profectui. Verùm quia Prælatorum (vt ita dicamus) incuria plures religioſi & clerici, ac alij nõnulli per Eccleſias laxatis habenis diſcurrunt, & plebibus varia & ridiculoſa exponunt, & gratias concedunt innumeras pro exigua quãtitate, quas nec immenſa Diuinæ largitatis clemẽtia, nec ſacra ſummi Pont. auctoritas conſueuit erogare in noſtræ religionis vilipendium & fidelium periculũ animarum: Nos hoſtiles calliditates & aſtutias in Domino præcludere cupientes, ſacro appr. Conc. ſtatuimus, ne de cætero quicunque prædicatores tam religioſi quàm ſæculares per noſtrã prouinciam gratia prædicationis officium exercendi diſcurrere audeant quomodolibet noſtra & Epiſcoporum, in quorum diœceſi moram traxerint, non obtenta & edocta licẽtia. Quæſtores verò qui ſæpè non quæ Ieſu Chriſti, ſed quę ſua ſunt quærunt, & ſi bullas apoſtolicas, aut gratiarum cõceſſiones aſſerant ſe habere, nihilominus teneantur eas diœceſano diuulgandas præſentare; qui poſtquam illas examinauerit, continentiam & veritatem ipſarum bullarũ ſeu indulgentiarum plenè deductam per literas ſuas eiſdem quæſtoribus ſuis exhiberi curabit. Idemque quæſtores ſola lectione huiuſmodi litterarum per Rectores Eccleſiarũ, vbi eos declinare contigerit, contenti, nihil aliud verbotenus vel ſcriptis per ſe, vel per alios proponere audeant, cùm & prædicta inſtructio ſatis ſufficiens ſit ad fidelium animos pio operi inducendum. Prælati verò qui contra præſentis conſtitutionis tenorem prædicationis licentiam contulerint, per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & officiales ſeu vicarij eorundem in præmiſſis delinquentes per annum ab officio ipſo facto ſint ſuſpenſi. Quæſtores nihilominus contrarium facientes per tres menſes de mandato diœceſani in carcerem detrudantur, & ſic ablata duplicata reſtituant fabricæ eccleſiarum & cameræ Prælati æqualiter applicanda. Rectores præterea Eccleſiarum id obſeruare teneantur, & hanc noſtram conſtitutionem in tabula patenti & præcedenti in ſuis eccleſijs teneant, ne quiſquam ignorantię præſidium ſibi paret. Qui ſi ſecus egerint, triginta regaliũ pœnam vt præmittitur, diuidendam eo ipſo incurrant.

Quòd clerici in minoribus deferant tonſuram vnius regalis, & habitum congruentem, alioquin perdant priuilegium, & quod literæ ordinum præſententur coram diœceſanis.

VT qui ſuſceptæ ſuæ profeſſionis habitum dedignantur, priuilegijs gaudeant ſibi conceſſis, noſtri iuris auctoritas, nec ordo exigit rationis. Fruſtra namque auxilium legis inuocat, qui committit in legem. Quia verò ſæpe contingit, vt clerici in minoribus conſtituti tam coniugati quã non cõiugati, prætextu ſuorum clericatuũ grauia & enormia committunt, quæ in animarum ſuarum periculum & eiuſdem ordinis opprobrium cedunt: Nos volentes cauere, ne fauore eccleſiaſticæ libertatis quidquam illicitum attentetur, quod vel Diuinam offendat maieſtatem vel ſcandalum inducere poſſit, recolendæ memoriæ Petri de Luna Cardinalis & Legati veſtigijs inhærentes ſacro appr. Conc. ſtatuimus, vt de cætero prædicti clerici tam coniugati quã non coniugati tonſuram quãtitatis vnius regalis & veſtem ſuperiorem non virgatam neque partitam, ad medietatem tibiæ vel ferè declinantem deferant congruentem. Non autem deferentes huiuſmodi habitum, ſi cõiugati fuerint, eo ipſo: ſi verò non coniugati, & exceſſiuis & enormibus ſe ingeſſerint, & ea frequentauerint, priuilegium omninò amittant clericale. Hortamur præterea vniuerſos Epiſcopos in virtute ſanctæ obediẽtiæ, noſtriſq; & eorum officialibus, vicarijs & loca tenentibus quibuſcunque per noſtram prouinciam

uinciam vbilibet conſtitutis ſub excommunicationis pœna diſtrictè præter pœnas à iure ſtatutas præcipiendo mandamus, vt prædictos clericos criminaliter vt præfertur, delinquentes ad curiam eccleſiaſticam propter priuilegium clericale per ſæculares iudices remiſſos debita animaduerſione, prout qualitas exegerit, puniant & caſtigent, impunitos verò non relaxent, abſoluant vel abire permittant. Promotores verò & fiſcales, qui ad accuſandum huiuſmodi clericos iura aut prælati monita præponunt, ſi malitioſè ab accuſando ſe ſubtraxerint vel negligēter fecerint, aut quidquam dolo omiſerint quo minus huiuſmodi executio tolli ſeu impediri poſſit, ſaltem vel differri, eo ipſo ab officio ſuo ſint priuati, alias arbitrio ſuperiorum puniēdi. Prælati præterea noſtræ prouinciæ infra tres mēſes à die præſentis publicationis teneantur facere coram ſe præſentari literas minorum ordinum huiuſmodi clericorum, nihil exigētes pro præſentatione ipſarum, præterquam vnum morapetinum pro notario pro cuiuſlibet tituli præſentatione.

Quòd clerici in ſacris ordinibus conſtituti aut beneficiati non viuant cum dominis temporalibus ad auxilia armorum præſtanda.

VT dignè ambulemus in vocatione qua vocati ſumus, non ſolum morum & vitæ alios præcellere debemus honeſtate, ſed etiam & eccleſiæ libertatem tueri debemus. Abſurdum nempè & noſtræ religioni diſpar & incongruum videtur, vt regale genus ſacerdotum cum temporalibus dominis militariter viuendo in eorum ſeruitutē redigatur. Ideoq́ue ſacrorum Patrum veſtigijs inhærendo noſtro appr. Conc. hortamur vniuerſos & ſingulos noſtræ prouinciæ epiſcopos ob reuerentiā & honorem ſuarū Pontificialium dignitatum; cæterisq́ue Eccleſiæ in ſacris ordinibus conſtitutis aut beneficiatis diſtrictè præcipimus, ne cum dominis ſæcularibus cuiuſcunque gradus, ſtatus, ordinis ſeu conditionis exiſtant, exceptis regia maieſtate & regiis perſonis vitam militarem ad auxilia armorum præſtanda ducere audeant diſſolutam, ſeu ab eis terras, ſtipendia, & ſalaria vel pecunias quaſcunque vt armis per ſe vel per alios deſeruiant cum equitum ſeu peditum gētibus, quomodolibet exigere vel leuare præſumant. Qui ſi ſecus egerint, tamdiu ab officio & beneficio ſint ſuſpenſi, donec abſque omni ſimulatiōe & fictione à prædictis realiter ceſſauerint; fructibus beneficiorum ſuorum medio tempore prouenientium Concilio ſequenti applicandis.

Quod non fiant nuptiæ, nec carnales commixtiones, nec ſolemnitates tempore à iure vetito.

CVm ſecundum legitimas ſanctiones non ſit dubium eos in legem committere, qui verba legis amplexi cōtra eius nituntur voluntatem, & quia tempore, quo ſacrorū canonum decretis nuptiarū celebratio interdicitur & carnalis copula prohibetur, nonnullos laicos nubere ac carnaliter commiſceri, ac proinde conuiuia publica, ſtrepitus & choreas facere, parentes quoque & amicos inuitare, & cum hiſtrionibus & ioculatoribus ſolemniter nuptias celebrare, & ad eccleſias ſic incidere plerunque contingit: Nos contendentes quod vera ſacrorum canonum intentio fuit, non tam Eccleſiæ ſolennitates & nuptiales benedictiones quàm carnales commixtiones prohibere, pernicioſam conſuetudinem huiuſmodi diuellere cupientes, ſacro approb. Conc. commixtiones prædictas, ſtrepitus, choreas, ioculationes & alias ſolemnitates ac conuiuia, temporibus quibus ſolemnia eccleſiæ interdicuntur, & ceſſant nuptiales benedictiones, fieri de cætero prohibemus, ſtatuentes, vt qui cōtuentes vt qui contra huiuſmodi noſtræ conſtitutionis tenorem nupſerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, & nihilominus clerici qui præfatis nubentibus miſſas dixerint, decem florenorum pœna puniantur. Hanc autem noſtram conſtitutionem qualibet prima Dominica Aduentus & Quadrageſimę à Rectoribus parochialium eccleſiarum in ſuis eccleſijs dum populus ad diuina conuenerit ſub decem regalium pœna, qualibet Dominica quā prætermiſerint publicari mandamus, prædictis pœnis Conc. & ſynodali teſti applicandis æqualiter.

Quòd qui clandeſtinè contraxerint, niſi minus quinque teſtes adfuerint, excommunicationis ſententiam incurrant.

VT iurgiorum materia & dubietatis occaſio tollatur, quæ nonnunquam ex clandeſtinis deſponſationibus ſolent euenire, ſacrorum canonum inſtitutis proinde noſcitur inſtitutum, ſponſalia publicè in facie Eccleſiæ coram populo ſolenniter celebrari. Nos verò iuxta canonicas ſanctiones, ſacro appr. Conc. deſponſationes clandeſtinas huiuſmodi vel occultas fieri omninò de cætero prohibemus, ſtatuentes, vt qui ſponſalia huiuſmodi clandeſtina contrahere præſumpſerit, niſi ad minus quinque teſtes ibidem adfuerint, per quos dum opus fuerit ſponſalia prædicta probentur, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant, & eiſdem contrahentibus nuptiales benedictiones, tamdiu denegentur, donec à ſententia prædicta abſolutionis beneficium aſſequantur. Clerici verò qui tali clādeſtinæ deſponſationi interfuerint, præterquam ſi quinque teſtes adfuerint, aut ſic deſponſatis benedictiones contulerint nuptiales, eo ipſo ab officio & beneficio per tres menſes ſint ſuſpenſi; medietatem fructuum ipſo tempore de beneficio ſeu beneficijs ſuis prouenientium fabricis eccleſiarum, medietatem verò expenſis ſequentis Concilij applicandis.

Quòd qui violenter occupauerint poſſeſſiones beneficiorum, ſint excommunicati ipſo facto.

QVoniam nonnulli terrarum Domini, & eorum locatenentes, necnon clerici & laici, alijq́ue inferioris fortunæ viri veræ ſalutis immemores, nedum ſuis cōtenti metis manus ſuas extendere ad iniquitatem non formidant, eccleſias, Dei timore neglecto, vt poſſeſſiones beneficiorū pro tempore vacantium, ſeu vacare expectantium obtineant, indebitè occupant, detinent, & incaſtellāt, ipſasq́; poſſeſſiones more venalium rerum vendunt, & ſuper ipſis indebitè paciſcuntur, ex quo plurima ſcandala, homicidia, & alia damna prodire ſentimus, ſed & Diuina officia & eccleſiaſtica ſacramenta impediūtur. Nos pernicioſam hanc corruptelam penitus delere volentes, ſacro appr. Conc. ſtatuimus, ne de cætero prædictas eccleſias quiſpiā tam laici quā clerici cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, ſeu conditionis exiſtant, incaſtellare, munire, vel quouis quæſito colore per ſe, vel per alios directè vel indirectè occupare, aut poſſeſſiones vendere vel emere, aut ſuper ipſis illicitè componere, vel paciſci, vel de manu & poſſe incaſtellantium ſeu occupātium recipere præſumant. Contrarium verò facientes tam occupatores, incaſtellatores, venditores illicitiq́; compoſitores huiuſmodi, etiā prætextu gratiarū, expectatiuarum & quarumlibet collationum, quàm qui ipſis ad hoc auxilium, conſilium, vel fauorē dederint, vt præmittitur; ſententiam excōmunicationis & 50. florenorum pœnam propter iniuriam eccleſiæ illatam quilibet ipſorum qualibet vice ipſo facto incurrant. In eccleſijs verò ſic occupatis durante occupatione huiuſmodi clerici ſub eadē excōmunicationis pœna ceſſent à Diuinis. Acceptātes aūt, vt præfertur, delinquētes ea vice, iure, ſi quod habebāt, ad ipſa beneficia, ſint ipſo facto priuati. Demum ſi conſilio, auxilio, mandato vel fauore dominorum temporalium quorumcunq́; vel eorum loca tenentiū quocunque nomine cenſeātur, occupatio, incaſtellatio, munitio, venditio, ſeu compoſitio huiuſmodi fieri contingat, vltra ſententias, & pœnas iam dictas terræ ipſorum tamdiu eccleſiaſtico ſupponantur interdicto, donec debita præcedente ſatisfactione ab occupatione prædicta deſiſtentes, & de pœnis prædictis aliasq́ue ſatisfacientes arbitrio prælati relaxētur. dimidietatem verò prædictorū florenorum cameræ noſtræ, & epiſcoporum in quorum dicœceſi

iœceſi prædicta fieri contigerint, dimidietatem verò exenſis ſequentis Concilij applicandam.

Quòd non fiant in eccleſiis repræſentationes inhoneſtæ dum Diuina aguntur.

AB Eccleſia, vbi Redemptor noſter Ieſus, in cuius nomine omne genu flectitur, iugiter pro nobis immoatur, turpitudo quæq; meritò eſt abolenda. Quia verò quiiam tam in Metropolitanis, quàm in cathedralibus & alijs eccleſijs noſtræ prouinciæ conſuetudo inoleuit, vt videlicet in feſtis Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctorũ Stephani, Ioannis, & Innocentium, alijsque certis diebus feſtiuis, etiam in ſolennitatibus Miſſarum nouarum dum Diuina aguntur, ludi theatrales, laruæ, monſtra, ſpectacula; necnon quamplurima inhoneſta & diuerſa figmenta in eccleſijs introducuntur: tumultuationes quoq; & turpia carmina & deriſorij ſermones dicuntur; adeo quod Diuinum officium impediunt, & populum reddunt indeuotum: Nos hanc corruptelam ſacro appr. Conc. reuocantes, huiuſmodi laruas, ludos, monſtra, ſpectacula, figmenta & tumultuationes fieri: carmina quoque turpia, & ſermones illicitos dici, tam in Metropolitanis quàm cathedralibus cęteriſq; noſtræ prouinciæ eccleſijs dum diuina celebrantur, præſentiũ ſerie omnino prohibemus. ſtatuentes nihilominus, vt clerici, qui præmiſſa ludibria & inhoneſta figmenta officijs diuinis immiſcuerint, aut immiſceri permiſerint, ſi in præfatis Metropolitanis ſeu cathedralibus eccleſijs beneficiati extiterint, eo ipſo per menſem portionibus ſuis mulctentur; ſi verò in parochialibus fuerint beneficiati, triginta; & ſi beneficiati non fuerint, quindecim regalium pœnam incurrant, fabricis eccleſiarum & teſti ſynodali æqualiter applicandam. Per hoc tamen honeſtas repræſentationes & deuotas, quæ populum ad deuotionem mouent, tam in præfatis diebus, quàm in alijs non intendimus prohibere.

Quod decedentes in duello careant eccleſiaſtica ſepultura, & non dicantur pro eis diuina, nec recipiantur oblationes.

PRæterea, quoniam ſuadente pacis inimico, & bellorum ſatore, qui vineam Domini exterminare nititur, lites & contentiones inter nonnullos laicos ac etiam clericos obrepere ſolent, per quæ ad inuicem ſe diffidiant, & bella aggrediuntur, ex illiſque temere hinc inde certantium homicidia ſequuntur; & ſi hæc ipſa duella de iure aliaſque regiæ maieſtatis prohibitione interdicta ſint: Nos tamẽ animaduertentes, quòd fratrum in fratres excidio in Diuinæ maieſtatis offenſam & euidens vergitur periculum animarum: ſanctorum Patrum veſtigijs inhærentes ſacro appro. Conc. ſtatuimus, vt qui in pugna, certamine, torneamento huiuſmodi deceſſerint, aut à pugna vulnerati euaſerint, adeò q; poſtea ex eo ipſo ab hac luce migrare cõtigerit, etiam ſi ante obitum receperint pœnitentiæ ſacramentum, eccleſiaſtica ipſo facto careant ſepultura, & diuina officia pro ipſis nõ dicantur, nec oblationes admittantur. Clerici verò eos ſepelientes per ſex menſes ab officio & beneficio ſint ſuſpenſi. fructibus verò medio tempore prouenientibus à beneficijs huiuſmodi fabricæ eccleſiarum ſuarum & Cõcilio ſequenti æqualiter applicandis.

Quòd prohibentes tracturas decimarum &c. ſint excommunicati.

QVoniam non ſumus filij ancillę, ſed liberæ, quia mater noſtra Ieruſalem libera eſt, & ab omni ſeruitute penitus exempta, libertatem noſtram tueri tenemur. In quibuſdam tamen terrarum partibus adeo quorundam magnatum, potentum, procerum, & Dominorum temporalium, vtriuſque ſexus, communitatum quoque, iuſticiariorum, & aliorum laicorum cupiditas excreuit, vt nedũ quod redditus, decimæ, iura prælatis & clero debita non recuperentur, recipiantur, arrendentur, exigantur & leuentur, diuerſimodè prohibent; ſed etiam bladi, annonæ, vini, olei, leguminum, armentorum, pecorum, pecudum, & aliorum terræ fructuum tam decimarum quàm primiciarum tracturas, exitus, reditus, necnon tranſitus à loco in locum vetant & interdicunt in Eccleſiaſticæ libertatis derogationem, iacturam, & detrimentum: Nos attendẽtes, quòd Domini eſt terra, & plenitudo eius, & ipſe in ſignum & recognitionem dominij de terræ frugibus decimas & primicias ſibi pro ſuis miniſtris qui habitant in domo ſua integras reſeruauit, & quod non licet laicos contra Regis Regum ſanctionem decimas, & primitias Chriſto dedicatas ſibi ipſis vendicare, vel quomodolibet detinere; ſtatuimus ſacro approbante Conc. ne de cætero magiſtri ordinum, Duces, Marchiones, Comites, magnates, potentes, Communitates, Vniuerſitates, iuſtitiarij, caſtellani, officiales, rectores laici vtriuſque ſexus, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ vel conditionis exiſtant, & quacunque præfulgent dignitate ſeu auctoritate fungantur, tractus, ductus, exitus, reditus, ingreſſus & regreſſus fructuum quorumcũque ad prædictas decimas & primitias ſpectantium de iure ſeu cõſuetudine, per ſe vel per alios, publicè vel occultè, directè vel indirectè, aut quouis quæſito colore impediant, ſeu impediri faciant, quo minus nos prælati noſtræ prouinciæ eccleſiæ Decani & Capitula, & aliæ eccleſiaſticæ perſonæ, & fructuum prædictorum arrendatores poſſint & valeant de ipſis libere vti & gaudere. Contrarium verò facientes, ſi Magiſtri, Duces, Marchiones & Comites fuerint, & infra quindecim dies poſtquam eandem prohibitionem fecerint, aut fieri iuſſerint nõ reuocauerint, & liberè fructus, decimas, atque primitias & alios eccleſiaſticos redditus huiuſmodi ab eorum dominijs & diſtrictibus extrahi nõ permiſerint, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant; eademque ſententia cæteri inferiores prædicti in præmiſſis culpabiles etiam innodentur, ſi infra ſex dies ab eadem publicatione vt præmittitur, numerandos, reuocationem & liberam permiſſionem pręfatis non fecerint, realiter & cum effectu, terræque ipſorum Dominorum & magnatum, & loca vbi huiuſmodi prohibitiones fieri contigerit, tamdiu eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto, donec à præmiſſis deſiſtentes & arbitrio Prælati ſatisfacientes, beneficium abſolutionis & interdicti relaxationem obtinere mereantur.

Quòd raptores careant Eccleſiaſtica ſepultura.

RAptores, quos Diuinus timor à malo non reuocat, tẽporali ſaltem pœna meritò ſunt puniendi. Ideoque ſacro appr. Conc. ſtatuimus, vt tales ſcelerati quamdiu ab hac luce migrauerint, eccleſiaſtica careãt ſepultura: ſi verò fuerint ſepulti, exhumentur, etiam ſi huiuſmodi raptores ante obitum pœnitentiæ ſacramentum receperint, & de rapinis ſatisfecerint: nec pro eis diuina dicantur, aut oblationes admittantur, adijcientes nihilominus, quòd famoſi aut publici raptores vltra pœnas prædictas ipſo iure ſint inteſtabiles, nec ex teſtamento capere poſſint, filijque eorum ſint inhabiles ad beneficia eccleſiaſtica obtinenda. Clerici verò hanc noſtram conſtitutionem infringentes, quinque florenorũ pœnam incurrant pro expenſis Concilij, alias & ſuperioris arbitrio puniendi.

Quòd excommunicatus in vna diœceſi euitetur in alijs.

QVia vna & eadem eſt ſancta mater eccleſia, ſtatuimus ſacro approbante Conc. vt ſi ſuper fractione, violatione aut derogatione libertatis ſeu immunitatis eccleſiæ & bonorum immobilium eccleſiarum occupatione, prælatus ſeu officiales vel vicarij aliquem excõmunicauerint, & voluerint quod huiuſmodi excommunicatio in alijs diœc. obſeruetur, tunc epiſcopi qui per eum fuerint requiſiti, receptis literis ſuis illas pro plena probatione, quãtum ad hoc habentes nulla partis allegatione vel exceptione admiſſa teneantur excommunicationem prædictam in ſuis diœceſ. obſeruare, & obſeruari facere & publicari: ſi tamen decreue-

rit ad interdictum procedere qualecunque tale ſit interdictum, & voluerit quod alij prælati illud obſeruent, vt puta quia delinquens declinat ad eorum diœceſ. vel habet in eiſdem terras, dominia, vel diſtrictus, tunc prælatus vel Iudex ſeu officialis teneatur mittere, ad conuiciniorem epiſcopũ vel Metropolitanum proceſſum huiuſmodi ſuo & duorum peritorum nominibus roboratum, qui conſtito ſibi de legalitate proceſſus, ſimpliciter & de plano abſque citatione ſeu audientia partis, literas ſuas teſtimoniales exinde impẽdant. Quo facto omnes prælati ſuper hoc requiſiti teneantur interdicta huiuſmodi in ſuis diœceſ. iuxta formam proceſſus obſeruare, & obſeruari facere.

Quòd ciuitas, vel villa de qua clerici fuerint expulſi, ſubiaceant interdicto.

SAnctorum Patrum ſtatuta proclamant laicis diſponendi de rebus eccleſiaſticis nullam eſſe attributam poteſtatem, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi. In tantum tamen laicorum audacia inoleuit, quod in alienam meſſem falcem ſuam mittere non formident, taliaque præſumunt per quę eccleſiaſtica violatur libertas. Nã vt efficax rerum mater experientia manifeſtat, nõnulli domini temporales, iuſticiarij, Rectores, ciuitates vel communitates banniunt, & expellunt de ciuitatibus, villis & terris ſuis, & in quibus curam gubernationis exercent clericos in Metropolitanis, cathedralibus & alijs eccleſijs dignitates & beneficia obtinentes, & alijs ingreſſum, & aditum ſuarum eccleſiarum interdicunt in diuini cultus detrimentum, & eccleſiaſticæ libertatis derogationem. Ideo ſacro approbãte Conc. ſtatuimus, vt nullus ſęcularis dominus, temporalis cuiuſcunque ſtatus aut dignitatis ſeu conditionis exiſtat, iuſtitiarius, rector ciuitatis, vel cõmunitas, ſeu curam gubernationis exercens, vel quiuis clericus expellat vel banniat clericos ſupradictos, vel venientibus aditum liberum deneget, quo minus in illis eccleſijs poſſint deſeruire. Si verò cõtra prædicta vel eorum aliquod attentatum fuerit, propter explentium, bannientium, vel eam admittentium culpam, ciuitas vel villa, in qua contra factum fuerit, ipſo facto ſit interdicta; & tamdiu in ea interdictum ſeruetur, donec expulſus vel bannitus fuerit reſtitutus, & veniens admiſſus, & de iniuria & damnis læſo plenè fuerit ſatisfactum.

Quòd ordines gratiosè concedantur.

ORdinum collatio gratiosè à ſanctis epiſcopis eſt concedenda, cùm præcipuè ordo ſit ſacramentum ſpirituale. Præcipimus igitur vniuerſis epiſcopis noſtræ prouincię, vt pro conferendis ordinibus quibuſcunque nihil penitus ante vel poſt, ſeu cum ijdem ordines celebrant, exigant ſeu recipiant, nec ianitores, barbitonſores & alios officiales quicquam exigere ſeu leuare permittant, etiam pro ſigillo & cera, ſed gratis & liberaliter impendant. Notarij verò pro literis ordinum & reuerendis decem dũtaxat morabetinos recipere debeant. & ſi contra fecerint, quod receperint duplicatum, reſtituant ſequenti Conc. applicandum.

Quòd pœna ſupradicta contra beneficiatos habeant locum etiam in Rectoribus & dignitatibus.

AD tollendas ambiguitates ſacro approbante Conc. declaramus, pœnas contra beneficiatos indictas locũ ſibi etiam vindicare in obtinentibus parochiales Eccleſias, & dignitates quaſcunque etiam maiores poſt Pontificales.

Quòd Epiſcopi in ſuis diœceſ. abſoluant à cenſuris prædictis.

COncedimus vniuerſis Epiſcopis noſtræ prouinciæ ſacro appr. Conc. vt à ſententijs & cenſuris in præſentibus noſtris conſtitutionibus latis & promulgatis, ſinguli eorum in ſuis diœceſ. ſatisfactione debita præcedenti, poſſint & valeant innodatos abſoluere, idq; nos in noſtra diœceſ. modo prædicto facere valeamus.

Quòd hæ conſtitutiones infra duos menſes publicentur, & deinde poſt XL. dies obligent.

RVrſus Coepiſcopis noſtris in virtute obedientiæ diſtrictè iubemus, vt infra duos menſes à die harum noſtrarum conſtitutionum præſentis publicationis immediatè numerandos, ipſas teneantur in ſuis diœceſ. in ſynodis, ſi eas celebrauerint, aliàs in Eccleſijs cathedralibus publicari facere. Et nihilominus in capitibus Archipreſbyteratus vocatis Rectoribus, verùm poſt quadraginta dies à die huiuſmodi publicationis immediate computandos, volumus & decernimus, ſacro approbante Conc. vt hæ noſtræ conſtitutiones ligent, & ad ſui veram obſeruantiam omnes & ſingulos, prout in eiſdem continetur, arctent & obligent.

Quòd ponantur teſtes ſynodales in qualibet diœceſ. per prælatos &c.

SAncitum nouimus ſanctorum Patrũ inſtitutis in prouinciali Conc. per ſingulas Metropolitani & ſuffraganeorum diœceſes ſynodales teſtes fore deputandos, qui diligenter inquirant, quæ corrigenda & reformanda viderint per eos in ſequenti Conci. nuncianda. Nos verò ſtatuta eadem ſaluberrima reputantes, ſacro app. Conc. ſtatuimus, vt per nos & ſuffraganeos noſtros viri prouidi, fideles & honeſti deputentur vltra prouinciales teſtes per nos & coepiſcopos noſtros in concilijs deſignandos, qui ſine iudiciali cognitione ſollicitè inquirant per eaſdem diœceſes, quę viderint corrigenda & reformanda, eaque fideliter diœceſanis denuncient, qui per promotores & procuratores ſuos fiſcales, ipſa petere, proſequi, & exequi teneantur, & nihilominus illa verbo, vel ſcriptis in forma authentica, & ſub virtute iuramenti referant, & denuncient, recipientes primitus ab eiſdem teſtibus & promotoribus quod in officij prædicti executione fideliter ſe habebunt corporale iuramẽtum. Si verò (quod abſit) præfati teſtes & promotores fiſcales in inueſtiganda veritate eorum, quæ ſibi committuntur, dolo vel malitia, à denunciatione, executioneque prædictis ceſſauerint, quoquo modo, aut pœnarum prædictarum quidquam remiſerint, aut ſuper ipſis compoſitionem vel pactum fecerint, quo minus prædictæ conſtitutiones debitum ſortiantur effectum, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, aliàs arbitrio Concilij puniendi. Nos præterea & noſtræ prouinciæ Epiſcopi pœnas pecuniales ſuperius impoſitas à delinquentibus exigi & leuare facere, ipſaſque fideli cuſtodia ſequenti Concilio reſeruare, præter illas quæ iuxta diſpoſitionem prædictarum conſtitutionum fabricis ſeu ſynodalibus teſtibus applicatæ ſunt, quas ipſis eccleſijs & teſtibus integrè & plenariè perſolui faciemus, & facient teneamur & teneantur. Publicatæ fuerunt hæ conſtitutiones in prædicto oppido de Aranda die, menſe, & anno quibus ſupra, præſentibus ibidem Reuerendis dominis Ioanne Arias Epiſcopo Segobienſi, & Didaco de Mendoza epiſcopo Palentinenſ. necnon Didaco Gundiſalui Canonico Giennenſ. procuratore epiſcopi Giennenſ. & Nunio Aluari cantori Conchenſi procuratore epiſcopi Cõchenſis, & Ioanne Gundiſalui de Auila in Decretis Baccalaureo procuratore Epiſcopi Oxomenſis, & Nunio Gundiſalui Capellano maiori & procuratore Eccleſiæ Seguntinẽſis & alijs pluribus Epiſcopis & procuratoribus, qui huic publicationi in Eccleſia ſancti Ioannis eiuſdem oppidi voluerunt intereſſe.

A. Archiepiſcopus Toletanus. De mandato Reuerendiſſimi Domini mei Archiepiſcopi Petrus de Ponte eiuſdem D. Secretarius.

NOTÆ.

Concilium.] *Acta huius & quarundam aliarum Synodorum Hiſpanicarum, quas ſupra ſuis locis inſeruimus, ex archiuo Conchenſi exſcripſit in Hiſpania Valerius Serenius Belga Anno Dom. 1565. adiditq́;, eadem in Archiuo Toletano haberi. Quæ occaſione eadem ad noſtras manus deuenerint, ſupra diuerſis in locis indicaui. Synodum tractemus, vt puto, nullibi excuſam, moribusq́; reformandis aptiſsimã, necnon Hiſpanicæ fidei ac religionis notam & indicem, huic editioni omnino inſerendam eſſe putaui. Tu verò lector amice eadem vtere fruere.*

INNOCENTIVS VIII. PONT.

INNOCENTIVS, antea Io. Baptiſta cognomento Cybo vocatus, patre Aarone, Equite aurato, Sacri Imperialis Palatij Comite, Neapolitano Prorege & Romano Senatore natus, poſt varios honorum gradus à Sixto Quarto Cardinalis creatus eſt, eoq́ue defuncto ſurrogatus eſt in Pontificatu, Anno Dom. 1484. Quarto Kalend. Septembris, Friderico III. Imp. Ad Principatum veterem illam morum facilitatem, humanitatemq́ue attulit, quam in priuata vita retinuerat. Principes Chriſtianos, ſæpius iteratis nuncijs, ad concordiam, ac proinde ad expeditionem Turcicam hortatus eſt. Subdito ſibi magiſtratui ſerio præcepit, vt iuſtitiam omnes rectè, ac maturè adminiſtrarent. Ad Friderici III. inſtantiã S. Leopoldum Ducem Auſtriacum, in Sanctorum numerum ac canonem retulit. Ferdinandum Regem Hiſpaniæ, ob non ſolutionem debiti cẽſus, iure regni ſpoliaſſet: niſi metu belli, quod à Florẽtinis, & Duce Mediolani Fernandi ſocijs imminebat, ad concordiam redijſſet. Hoc Pontifice Zizimus frater Regis Turcarum à Rhodijs captus, Romam adductus fuit. Innocentius, ad res domeſticas pacandas conuerſus, vrbanos motus ciuium compeſcuit, & Columnnẽſes cum Vrſinis; Marganos, cum gente Sancta crucia pacauit. Sicarios, & graſſatores ſuſtulit, & in eorum fautores, aliosq́ue Curiæ officia perperam adminiſtrantes grauiter animaduertit: Annonam auxit, Boccalinum Auximorum tyrannum, Ducis Mediolanenſis auxilio perdomuit. Porticus atque hortos ædis Vaticanæ, Tribunal Eccleſiæ Lateranenſis, Diaconiam S. Mariæ in via lata reſtituit. Eodem anno partem Dominicæ Crucis reperit: ſacram illam cuſpidem, qua Chriſti Domini latus perfoſſum eſt, à Turcarum Rege dono accepit. Procero corpore, & pleno decoris erat, Regiamq́ue formam à proauis, veluti hæreditariam acceperat. Deerat illi quod non ſatis proſpera valetudine vteretur. Nã biennio antequam decedere, in Extaſim ex morbo incidẽs horis ferè viginti ſine arteriarum motu immobilis permanſit. Eadem ægritudine oppreſſus interijt, octauo Cal. Sextilis, circiter horam quintam noctis, anno Domi. 1492. cum ſediſſet annos ſeptem, menſes decem & dies 27. & ſepultus eſt in Vaticano.

ALEXANDER VI. PONT.

ALEXANDER, Rodericus Borgia antea vocatus, Calixti Papæ tertij ex ſorore nepos. Hic cum Bononiæ ciuili, & Pontificio iuri operam dediſſet, Romam à Calixto vocatus, admodum adoleſcens primũ Epiſcopus Valentinus, mox Cardinalis, & Vicecancellarius creatus fuit. Pontificatum adeptus eſt, tempore Maximiliani Imp. anno Dom. 1492. tertio Idus Auguſti. Duo præclara illius ætatis lumina, Angelus Politianus, qui Senenſium nomine orationem habuit, & Iaſon Maynus ſummæ exiſtimationis Iuriſconſultus, ſtatim poſt electionem miſſi ſunt, ad obedientiæ & ſalutationis munus obeundum. Initium Pontificatus à pietate deſumpſit. Quoſdam enim ſtatim conſtituit, qui arceres aſſiduè adirẽt & viſitarẽt. Cardinalẽ ex ſorore nepotem ſuum ablegauit Neapolim, vt Alfonſum II. Neapolis Regẽ ex more coronaret. Cum Carolo Octauo Francorum Rege, qui Regnum Neapolitanũ armis repetiturus in Italiã venerat, fœdus inijt; verebatur enim ne vis illa externa quæ tanto impetu ferebatur, aliquid ſibi mali portenderet. Cumq́ue idem Carolus poſt Zizimũ Turcarũ Regis fratrem abductum, regno potitus Neapolit. eſſet, Alexander rupto fœdere, cum alijs Regib. & Principibus contra eum conſpirauit. Toto Pontificatu tres & quadraginta Cardinales creauit, è quibus duodeuiginti Hiſpani erãt. Filium habuit Cæſarem Borgiam, quẽ ex Epiſcopo Cardinalẽ, & pòſt Ducem Valentinum creauit. Quas ille rapinas, cædes potẽtiorum, & euerſiones vrbium molitus fuerit, Iouius accuratè deſcribit. De quo hoc eſt memoratu digniſſimum, quod cum in exitium opulentiorũ Cardinalium prandiũ inſtituiſſet, is qui pocula miniſtrabat, merum veneno medicatũ, per errorem patri filioq; propinauerit, atque ita Patri Pontifici qui ſeptuageſimum agebat annũ, & venenum plenius hauſerat, violẽtam mortem intulerit, Anno Domi. 1503. 15. Kal. Sept. cum ſediſſet annos vndecim & dies octo. Sepultus eſt in ſacrario S. Petri.

PIVS III. PONT.

PIVS III. antea Franciſcus Piccolomineus appellatus, Pij II. ex ſorore nepos, factus eſt Pontifex 10. Kal. Octob. anno Chriſti Redemptoris 1503. tempore Maximiliani Imp. Cęſar Dux Valentinus à morbo illo quem ex ſumptione veneni contraxerat liberatus, coacto duodecim millium armatorũ agmine, Conclaue quo Patres ad futuri Põtificis Comitia habẽda congregati erant, obſederat; verum populi ſeditione, & Gallorum atque Hiſpanorum interceſſione, Vrbe exceſſit. Cumq́ue paulò poſt, ad deoſculandos noui Pontificis pedes redijſſet, Vrſini illum armis adorti ſunt, poſtq́ue magnã cædem vtrinque commiſſam, Valẽtinus iuſſu Pontificis, viuus in arcẽ Æliam perducitur. Ex ſæuiſſimo vlcere, quod non ſine ſuſpicione ſuper illiti veneni, crus exederat, Pontifex ætatis annum agens quartum & ſexageſimum, interijt, 15. Cal. Nouemb. & ſepultus eſt prope auunculum, in Vaticano, cum ſediſſet dies tantum viginti ſex.

IVLIVS II. PONT.

IVLIVS, antea Iulianus de Ruere nominatus, Sixti IV. ex fratre nepos, Epiſcopus Carpentoractenſis, & Cardinalis S. Petri ad Vincula, contra Alexandri Pontificis cõſilium defuncto Pio III. ſurrogatus eſt 3. Kal. Nou. anno Dom. 1503. tẽpore Maximiliani Imp. Dixerat enim adhuc viuens Alexander, ab eo eſſe cauendũ; vt olim Sylla à malè præcincto puero Iulio Cæſare. Valentinũ Ducẽ, quem Pius cuſtodię mancipauerat, ea conditione dimiſit, vt Cæſenæ & Fori Liuij Caſtra Eccleſiæ redderet. Dimiſſus pro ſuo merito in Hiſpania glande traiectus occubuit. Neptem ex ſorore Marco Antonio Columnæ deſponſauit. Cumq́ue ad reſtituendũ ſtatum Eccleſiaſticum animũ conuertiſſet, Ioannem Bentiuolũ Bononiæ violentum inuaſorẽ fugauit, initoq́ue cũ Principibus Chriſtianis fœdere cõtra Venetos, qui latam in ſe anathematis ſententiã ob Arimini & Rauẽnæ iniquam detentionẽ parum curantes, exercitum mouit, eoſq́ue fœliciter ſubegit. Ducem Ferrariæ propter occupatas Salinas excõmunicatum bello profligauit. Mutinam atque Mirandulam Gallico præſidio munitam expugnauit. Cumq́ue ea de cauſa ſchiſmatici quidam Cardinales Conciliabulum Piſanum indixiſſent, atque ad illud Iulium Pontificẽ velut periurũ citari procuraſſent, eiuſdẽ Iulij auctoritate congregata eſt Romæ in Laterano vniuerſalis & Oecumenica ſynodus, qua actis prædicti Piſani Conciliabuli

Iul.º quo-do Pontifex factus

Iulius quę bella geſſit

Conciliabulũ Piſanum.

annullatis & reprobatis Rex Galliæ & Florentini vna cum ſchiſmaticis Cardinalibus dira anathematis ſententia perculſi fuerũt. In hac rerum perturbatione contra Gallos ab Hiſpaniæ & Angliæ Regib. auxiliũ & ſubſidiũ implorauit & obtinuit. Venetorum & Heluetiorum copijs auxiliaribus fretus, omnem Galliarum exercitum Italiæ finibus eiecit. Maximilianum Sfortiam Ducatui Mediolanenſi reſtituit. Bononiam à Bentiuolis occupatam recuperauit. Et vt plura vno verbo dicam, libertatis Eccleſiaſticæ tam erat ſtudioſus, vt frequenter diceret, indignũ eſſe Leuitas ſeruire, quos cæteris imperare oporteret. Veri amantiſſimum fuiſſe, fatebatur inimicus illius Alexander ſextus, cuius metu vrbis aditu abſtinebat. Multis periculis, plurimiſque laboribus fractus, obijt Romæ 9. Kalē. Martij, anno Chriſti 1513. cum ſediſſet annos nouem, menſes tres, dies viginti & vnum. Diuerſis vicibus viginti octo Cardinales creauit.

Iulius libertatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſim'

Obitus Iulij.

CONCILIABVLVM TVRONENSE, CONTRA IVLIum Pontificem in Gallia celebratum, Anno Domini 1510.

NOTÆ.

Cauſa & acta Conciliabuli.

Conciliabulũ.] *De rebus in hac ſynodo geſtis Genebrardus li. 4. Chronol. iſta refert.* Concilium Gallicanum Turonenſe omnium Epiſcoporum Galliæ, & plurimorum Doctorum tã Theologiæ quàm iuris Canonici pro Rege Franciæ contra Pontificem Romanum. In quo decretum eſt, vt mitterẽtur ad Pontificem legati, qui cum eo de pace agerent, vel ſi ipſos nollet audire, cum prouocarent ad conuocandum generale Concilium. *Hæc ex Chronic. Franc. Eiuſdem Conciliabuli mentio habetur in mandato Maximiliani Imperatoris, quod recitatur infra in actis Lateranenſis Concilij ſeſſione 3.*

CONCILIABVLVM PISANVM OECVMENICVM, ET REprobatum, contra Iulium Papam indictum & congregatum, Anno Domini 1511. tempore ipſius Iulij Papæ, & Maximiliani Imp.

NOTÆ.

Conciliabulum à ſchiſmaticis Cardinalibus indictum.

Conciliabulum.] *Cum Iulius Pontifex iurato promiſiſſet, ſe infra biennium ſuæ ordinationis, vniuerſale Cõcilium celebraturum, illudq; iuſtè impeditus non præſtitiſſet, Bernardinus Caruaial, Guilielmus Brizonet, Renatus de Pria, Fredericus de S. Seuerino, (vt cõſtat ex ſeſſ. 3. Cõcil. Later.) alijq; Cardinales hæretici & ſchiſmatici,* conuenientes vt locuſtæ, *inquit Iulius Papa in bulla Indictionis Concilij Lateranenſis quæ extat ſeſſ. 1.* acephali aggreſſi ſunt ſine Romani Pontificis auctoritate Oecumenicum generale atque vniuerſale Concilium conuocare, locum Concilij & tempus indicere, & valuis Eccleſiarum, ac alijs publicis locis, indictionem huiuſmodi affigere. Noſque ac venerabiles fratres noſtros eiuſdem S.R.E. Cardinales vocare & requirere, vt per nos vel alios ad huiuſmodi eorum Conciliũ accedere vellemus, non formidarunt. *Ne verò hæc iniuſtè & per tyrannidem agere viderentur*, aſſerebant, *ſubiungens ibidem ait Iulius Papa,* decennium poſt vltimũ Vniuerſale Conciliũ contra conſtitutionẽ Conſtantienſis Concilij iam dudũ effluxiſſe, & nos illud conuocare neglexiſſe, maximè cũ iurauiſſemus & vouiſſemus illud p[illegible]ennium à creatione noſtra tenere, tempuſque pro ho[illegible] interpellare, neque credendum fore noſtra auctoritate & voluntate Concilium futurum. Et cum de grauibus criminibus notorijs durantibus vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizantibus in capite agendum foret, ad ſummum Pontificem Concilij congregationem non attinere, ſed ſecũdo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæſerunt, conuocationem Concilij ſpectare. *Hac de cauſa indicit Conciliabuli Iulius Papa in Bulla; addens eoſdem ad tegendam facti ſui turpitudinem, omnia mandata ſua ſub nomine Maximiliani Imp. & Ludouici Regis Francorum promulgaſſe: ipſis vero Regi & Imp. nihil hac de re cõſtitiſſe.*

Cõtra Iulium Põtificẽ cur indixerint

Maximiliano Imp. inſcio Põtif. vocatus.

Præter ea quæ de citatu Pontifice & Cardinalibus quibuſdam ſupra diximus, ad acta Conciliabuli ſpectare videntur, quæ Surius anno 1511. enarrat his verbis: Porro cum ea temeritas ad horrendum ſchiſma ſpectare videretur, Iulius Põtifex datis ad eos literis monuit perbenignè, vt ad pacem & vnitat[illegible] Eccleſiæ ſe reciperent: alioquin fore, vt vel inuitus in ipſos animaduerteret. Ea admonitio tres Cardinales permouit vt cum Pontifice in gratiam redire maturarent, quos Pontifex liberaliter & clementer accepit: in alios, cum nollent ad ſanitatem redire, grauem ſanè tulit ſentẽtiam, qua illorum audacia nonnihil contuſa eſt. Sed tamen cum Regis Gallorum fruerentur patrocinio, in ſentẽtia permanſerunt. Monitus Gallus à Pontifice, vti ne eos foueret diutius, nõ magnopere curauit. Itaque à Pontifice excommunicatus eſt. Non lõgè aberat ab hac fictione Maximilianus Cæſar, grauiter commotus in Pontificem, quod non bona fide à ſe receſſiſſet, & cum Venetis fœdus percuſſiſſet: ſed vir grauis & prudens admonitus à bonis viris, ſeſe collegit, & celeriter ab hac temeritate diſceſſit. *Hæc Surius. Eadem ſummatim Onuphrius in vita Iulij his verbis:* Galli ſucceſſu rerum elati, Cæſare & Cardinalibus qui à Pontifice deſciuerãt auctoribus, Põtificem ad Concilium, quod ad Kalendas Septembris Piſis futurum eſſet, citant. Papa cum omnem operam dediſſet, vt recepta Bononia, Piſanoque Concilio dimiſſo, pacem cũ Francorum Rege faceret, illumque victoria inſolentem & obſtinatiſſimè recuſantem animaduertiſſet, quo Piſanum Conciliabulum tolleret, Antonij de Monte conſilio Romæ Laterani Concilium generale indixit. &c. Onuphrius. *Hac pſeudoſynodo in vniuerſo regno Franciæ decimarum impoſitiones factas eſſe, indicat Iulius Papa in Bulla 3. ſeſſionis Concilij Lateran.*

Acta Concilij quæ

Locus Conciliabuli

De loco Conciliabuli iſta Surius. Conuenerunt aliquot Epiſcopi ex Gallijs & Inſubribus. Primo Piſis, vbi cum parum tuti ſibi viderẽtur, inde abiere Mediolanum: verum nec ibi ſatis ſuis rebus fidentes, Lugdunum ſeſe tranſtulerunt, vbi etiam aliquot ſeſſiones habitæ ſunt. *Eadem expreſſis verbis cõtinentur in prædicta bulla ſeſſionis tertiæ. Onuphrius in Iulio ait, Florentinos in Concilio Lateranenſi damnatos eſſe ideo, quod Concilio locum Piſis conceſſiſſet. Reprobatum eſſe conuentum ſchiſmaticorũ, teſtantur Acta Concilij Lateranenſis ſeſſione ſecunda & tertia; necnon Bulla indictionis Iulij Papæ, quæ cum omnia quæ à ſchiſmaticis ſibi obijciebantur falſa, vel malè accepta eſſe euidenter demonſtraſſet, sim[illegible] tam oſtendit omnia Acta huius Conciliabuli ipſo iure nulla, adeoq; meritò reprobata eſſe. Primum, quod ſolius Põtificis Romani ſit generalia Concilia indicere. Secundo, quod trimeſtre tempus ad comparendum præfixum non fuerit ſatis longum. Tertiò, quod Piſana ciuitas quatuordecim prope annorum bellis exhauſta, non ſatis aptum vniuerſalis Concilij congregandi locum præbere potuerit. Quartò denique, quod ipſe verum & vniuerſale Concilium apud Lateranum in vrbe habendum de fratrum ſuorum conſilio & aſſenſu conuocauerit. Videant igitur fautores ſchiſmaticorum, qua ratione hunc conuentum malignantium defendant, atque Pontificem omni planè culpa hac in re carentem incuſent.*

An & cur fuerit reprobatũ

Auctor appendicis ad Gregor. tax.

CONCILIVM LATERANENSE V. OECVMENICVM, ET VNIVERSALE DECIMVMSEPTIMVM APPROBATVM, CENTVM ET quatuordecim Epiſcoporum contra Piſanum I. Conciliabulum & Turcos, pro reformatione Eccleſiæ ſub Iulio Papæ II. Anno Domini 1512. inchoatum, & tempore Leonis Papæ X. Anno 1517. abſolutum.

SVMMARIVM SIVE RVBRICA SACRI LATERANENSIS Concilij, quod fuit inchoatum ſub Iulio II. Pont. Max. die 10. menſis Maij Anni 1511. & terminatum die 16. Martij Anni 1518. ſub Leone X. Pont. Max.

SACRVM *Lateranenſe Concilium 12. habet ſeßiones: Ante primam narratur, quibus de cauſis Iulius II. Pont. Max. prorogat Concilium, aliàs per S. ſuã indictum: Deinde quo ordine & comitatu præfatus Iulius die tertia Maij, anni 1512. ingreditur baſilicam Lateranenſem, qualiter Miſſa ſolenniter per reuerendiſſ. in Chriſto patrem & D.D. Raphaelem epiſcopũ Oſtienſem, Cardinalem S. Georgij, S.R.E. camerarium, ſacriq; collegij cardinalium Decanum, cantaturq; Euangeliũ per reuerendiſſ. in Chriſto patrem & D.D. Ludouicum S. Mariæ in Coſmedin diaconum cardinalem de Aragonia. Deinde reuerend. in Chriſto pater & D.D. Alexãder S. Euſtachij diaconus Cardinalis de Farneſio, nomine pontificis propter ſuæ S. indiſpoſitionem legit ſchedulam hortatoriam ad huiuſmodi Concilium perficiendum. Qua lecta, ſanctitas ſua declarat primam ſeßionem inchoari debere die Lunæ 10. Maij. Poſtremò habetur oratio ornatißima per R.P.D. Aegidium Auguſtinianæ religionis Generalem.*

Prima igitur ſeßio inchoatur die prædicta 10. Maij. Miſſa celebratur per reuerend. in Chriſto patrem & D.D. Dominicũ epiſcopũ Portuenſ. S. Marci Card. Grimanum. Sermo ornatus habetur per R.P.D. Bernardũ Archiepiſcopũ Spalaten. ponuntur nomina & tituli reueren. Card. patriarcharum, Archiepiſcoporũ, epiſcoporum, prælatorũ, principum & oratorũ, ac aliorum magnificorũ virorum. Deinde cantantur Litaniæ: fiunt orationes. Pontifex ſumpto themate, Conuenitis in vnum patres &c. hortatur ſynodũ ad Eccleſiæ reformationem, & ſchiſmatis extinctionem, pacem inter Chriſtianos principes componendam, & expeditionem contra infideles conficien. Deinde incipit hymnũ, Veni creator. Quo per capellæ apoſtolicæ cantores abſoluto, reuerend. D.D. Card. Farneſius legit ſchedulam, ſiue bullam indictionis eiuſdem ſacri Lateranenſ. Concilij.

Tenor bullæ indictionis Concilij, ſub dat. Romæ 1511. 1[illegible] Calend. Auguſti. inchoandi die Lunæ 19. menſis Aprilis anni 1512.

Executio dictæ bullæ per tres curſores facta die 25. Iulij anni prædicti 1511.

Tenor alterius bullæ prorogationis dicti Concilij, ſub dat. Romæ 1512. 15. Cal. Maij, lecta per eundem reuerend. Cardinalem Farneſium in ipſo ſacro Lateranen. Cõcilio, quæ prorogatio eſt vſque ad Cal. Maij anni prædicti 1512.

Tenor breuis alterius prorogationis, lecti per ſuprà nominatum reuerend. D. Cardinalem Farneſiũ ſub dat. 29. Aprilis eiuſdem anni 1512. quæ prorogatio eſt vſque ad diem 3. Maij anni ſupradicti.

Eadem die 3. Maij Concilium congregatur in quo Miſſa celebrari, orationes fieri pro diuino ſuffragio implorando mandãtur: ordines in Concilio ſeruandi, & decreta ſtatuuntur. Aduocati, procuratores, notarij, cuſtodes, votorum ſcrutatores eliguntur, locorũ aſſignatores & loca quæq; in ordine ſuo aßignanda conſtituuntur.

Tenor orationis habitæ per reuerend. D. Bernardum Zane Archiepiſcopum Spalatenſ. qua prima ſeßio terminatur.

SECVNDA *ſeßio incipit die Lunæ 17. Maij, anni 1512. in qua primum deſcribuntur nomina & tituli reueren. Cardinaliũ, patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum prælatorũ, necnon excellẽtißimorum oratorum diuerſorum principum, multorumque illuſtrium dominorum & magnificorum virorum.*

Miſſa per reuerendiſſ. D.D. Thomam tituli S. Martini in montibus presbyterum Cardinalem Strigonien. celebratur, habeturq; oratio per reuerendum patrem dominum Thomam Caietanum ordinis Prædicatorum generalem.

Dominus Balthaſar Tuerdus ſanctiſſ. domini noſtri ſecretarius, legit mandatum illuſt. regis Angliæ: & Dominus Thomas Phædra Cõcilij ſecretarius, legit mandatum catholici regis Hiſpaniarum in perſonam magnifici oratoris domini Hieronymi Vich.

Tenor mandati præfati catholici regis.

Dicuntur orationes, fiunt Litaniæ: reuer. Cardinales præſtant obedientiam pontifici, per quem poſtea inchoatur hymnus, Veni creator &c. & per cantores finitur.

Reuerendus pater dominus Archiepiſcopus Spalaten. legit bullam ſub dat. 16. Calen. Iunij, pontificatus Iulij anno 9. in qua Piſanum conciliabulum damnatur, omniaq; in illo confecta annullantur & irritantur. Lateran. quoque Concilium & quæcunque in eo, benè geſta eſſe confirmãtur. Dãtur vota, & publica fieri inſtrumẽta mandãtur.

Per quamplures reuerend. prælatos exhibentur mandata aliorum prælatorum.

Propter aduentum reueren. epiſcopi Gurcen. locumtenentis ſereniſſ. Imperatoris, facta fuit prorogatio tertiæ ſeßionis Lateran. Cõcilij vſque ad tertiam menſis Decemb. diem.

Tenor prorogationis prædictæ, & affixio ſchedulæ per Bartholomæum de Mantua, S.D.N. curſorem.

Tenor orationis habitæ per reuerend. patrem D. Thomam Caietanum ordinis Prædicatorum generalem.

TERTIA *ſeßio fit die Lunæ 3. Decembris anni prædicti 1512. in qua deſcribuntur in primis reuerendiſſ. Cardinales in ordine, & alij prælati ac illuſt. domini, & cæteri excell. viri, vt ſuprà.*

Miſſa celebratur per reuerend. D.D. Marcum epiſcopũ Preneſt. Card. Senogallien. & dicitur Euangelium, Ego ſum paſtor &c per reuerend. D.D. Ludouicum S. Mariæ in Coſmedin cardinalem, de Aragonia cantantur Litaniæ, orationes, & hymnus, Veni creator &c. & habetur oratio per reuerend. D. Alexium epiſcopum Melfiten.

Legitur mandatum ſereniſſ. Imper. Maximiliani per D. Thomã Phædrã Concilij ſecretarium, in perſonam reueren. epiſcopi Gurcen. ſub dat. prima Septemb. 1512.

Tenor mandati ſupradicti ſereniſſ. Imperatoris.

Legitur ſchedula per præfatum reuer. epiſcopum Gurcen. in qua auocat nomine eiuſdem Imperatoris omnia acta in conciliabulo Piſano, adhæretq; Lateran. Concilio, & nomine præfati Imperatoris præſtat obedientiam pontifici.

Affixio ſchedulæ, & citatio facta per Petrum Menguar, ſanctiß. domini noſtri curſorem.

Reuerendus pater D. Petrus Gryphus Epiſcopus Forlinienſ. legit bullam tertiæ ſeßionis, in qua iterum reprobantur omnia & ſingula per Cardinales ſchiſmaticos actitata tam in Tranſalpinis quàm Ciſalpinis locis, excepto ducatu Britanniæ: reuocantur quoque conceſſa per ſedem Apoſtolicam in eiſdem locis, & fit indictio quartæ ſeßionis fiendæ decima die Decembris anni prædicti.

Dantur vota, incipitur hymnus, Te Deũ laudamus &c. per Põt. & finitur per cantores. Dein pontifex cum reuerend. Cardinalibus, omniq; comitiua reuertitur ad palatium Apoſtolicum.

Tenor orationis habitæ per ſupranominatum Epiſcopum Melfitenſ.

QVARTA *ſeßio [illegible] die Veneris decima Decemb. eo ordine reuerend. Cardinalium, & prælatorum, aliorumq; dominorum, quo ſupradictum eſt. Miſſa celebratur per reuerend. D.D. Nicolaũ tituli S. Priſcæ presbyterum cardinalem de Fliſco: & Euangelium*

cantatur

cantatur per reuerend. D.D. Marcum & Maria in porticu diaconũ Card. de Cornelijs.

Præſtatur à prælatis obedientia pontifici, fiuntq́; ſolitæ ceremoniæ vt ſuprà. habetur oratio per reuerend. D. Marcellum nobilẽ Venetum Apoſtolicum prothonotarium: legiturq́; mandatum illuſt. ducis Venetiarum per D. Thomam Phædram prædictum, in perſonam magnifici D. Franciſci Foſcari oratoris Venetiarum.

Tenor prædicti mandati illuſt. ducis Venetiarum, ſub dat. decima Aprilis 1512.

Per eundem D. Thomam Phædram leguntur literæ clariſſ. memoriæ Ludouici regis Franciæ directæ aliàs Fel. Record. Pio Papæ II. ſuper reuocatione pragmaticæ ſanctionis.

Tenor dictarum litterarum ſub dat. vigeſimaſeptima Nouembris 1461.

D. Melchior de Bardeſſinis habet orationem in Concilio de reuocanda prædicta pragmatica: & pontifex ſacro approbante Concilio, decernit, monitorium & citationem fiendam pro huiuſmodi reuocatione ſub termino 60. dierum.

Tenor monitorij de reuocanda dicta pragmatica, ſub dat. 1512.

Reuerendus pater D. Alexander Epiſcopus Alexandrinus, de mãdato pontificis legit bullã, in qua pragmatica reuocatur: & geſta per conciliabulum Piſanum ſuper eadem, annullãtur. Dein quinta ſeſſio indicitur fienda die 16. Februa. 1513.

Tenor prædictæ bullæ ſub dat. 1512. quarto Idus Decemb.

Dantur vota, citantur abſentes, vt ad Concilium accedant: & quamplures reuerendi epiſcopi procuratorio nomine exhibent mandata aliorũ prælatorum. fiunt inſtrumenta, cãtatur hymnus, Te Deũ laudamus &c. Deinde Pontifex cũ reuerendiſſ. Cardinalibus & cæteris prælatis equitat ad palatium apoſtolicum in Vaticano.

Tenor orationis habitæ in quarta ſeſſione per reuerendũ D. Marcellum prædictum.

QVINTA ſeſſio celebratur abſente ſanctiſſ. D. N. Iulio II. põtifice maximo propter ſuæ ſanctitatis ægritudinem, præſidente reuerend. D.D. Raphaele de Riario epiſcopo Oſtienſ. S.R.E. camerario, die 16. Februarij, in qua notantur nomina & tituli reuerend. Cardinalium, & aliorum prælatorum in ordine, vt ſuprà.

Reuerend. pater D. Alphonſus patriarcha Antiochenus celebrat Miſſam. D. Antonius de Piperno capellæ apoſtolicæ diaconus, cantat Euangelium: habeturq́; oratio per reuerendum D.D. Archiepiſcopum Sipontinum.

Magnificus D. Bonus de Franciſchis, orator magnificæ communitatis ciuitatis Lucen. exhibet mandatum ſuæ communitatis, quod legitur per ſupradictum D. Thomam Phædram.

Tenor mandati prædicti eiuſdem communitatis Lucenſ. ſub dat. 8. Februarij 1513.

Per reuerend. patrem D. Scaramuzam Epiſcopum Cumanum, legitur bulla innouationis & confirmationis conſtitutionis contra ſimoniacam prauitatem, in electione Romani pontificis non committendam.

Tenor bullæ conſtitutionis prædictæ, ſub dat. quartodecimo Cal. Martij 1512.

Dantur vota ab omnibus, exceptis quinque. Deinde præfatus reuerend. D. Scaramuza epiſcopus Cumanus legit ſchedulam, in qua commemorantur acta contra pragmaticam: & indicitur, ſextã ſeſſionem inchoari debere die 11. Aprilis 1513.

Tenor ſchedulæ prædictæ ſub dat. decimoquarto Calend. Martij 1513.

Dantur vota ab omnibus ſuper dicta ſchedula. Poſteà ex mandato reuerend. præſidentis citantur abſentes ad valuas Concilij, accuſatur eorum contumacia, fiunt inſtrumenta.

Producuntur mandata reuerend. D. patriarchæ Venetiarum & electi D. Hieronymi Cremonenſ. per R.D.D. Dominicum epiſcopum Portuenſ. Cardinalem Grimanum, necnon quam plura alia à diuerſis prælatis, procuratorio nomine aliorum prælatorũ abſentium, qui non poſſunt intereſſe huiuſmodi Concilio.

Tenor orationis habitæ per reuerendum patrem & D.D. Ioannẽ Mariam de Monte Archiepiſcopum Sipontinum, in qua prius laudatur inſtitutio Conciliorum, & quòd Iulius II. pontifex maximus indixerit conciliũ Lateranenſe, ſuadenturq́; patres Concilij, ad reſtituendam iuſtitiam, pacẽ, vnitatem: quæ tria diuina munera, hominum & temporum iniuria deleta videntur.

[Margin: ...ic factus / ...poſteà / ...ſ. Iuli- / ...III.]

M.D.XIII. indictione prima, die Lunæ 21. Februa. Fel. Re. Iulius concedit naturæ, Romæ apud S. Petrum in Palatio Apoſtolico: & de more pontificum exequiæ celebrantur.

Die Veneris quarta Martij, 1513. collegium reuerend. Cardinalium ingreditur cõclaue poſt celebrationẽ Miſſæ de Spiritu ſancto ad altare S. Andreæ, in baſilica SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

Die Veneris 11. Martij, reuerend. D.D. Ioannes Cardinalis de Medicis in conclaui ab omnibus Cardinalibus, nemine diſcrepante, ad ſummi apoſtolatus apicem canonicè eligitur, vocaturq́; Leo X. & die Sabbati decimanona menſis prædicti, adſtante collegio reuerendiſſimorum Cardinalium & aliorum prælatorum, per reuerend. D. Alexandrum Cardinalem Farneſium coronatur & inthronizatur.

M.D.XIII. 10. Aprilis publicãtur literæ prorogationis ſextæ ſeſſionis per Ioan. Dominicum de Fidelibus, ſanctiſſ. domini noſtri curſorẽ, vſque ad diem 27. eiuſdem menſis anni prædicti.

[Margin: Iſte I... / neriu... / fica f... / Paul...]

Die 11. dicti menſis, Leo X. Pont. Max. aſſociatur ab vniuerſo collegio reuerendiſſ. Cardinalium & aliorum prælatorum ac tota curia Romana ad baſilicam S. Ioannis Laterani.

SEXTA ſeſſio fit die 27. prædicti menſis Aprilis anni præteriti 1513. in eadem Lateranenſi baſilica, præſidẽte ſanctiſſ. D. N. Leone X. in qua primò ponuntur nomina reuerendiſſ. Cardinalium prælatorũ & illuſtrium dominorum ordine quo ſuprà.

Celebratur Miſſa per reuerend. D.D. Franciſcum epiſcopum Sabinenſ. Cardinalẽ Volaterranũ. Habeturq́; oratio per reuerend. D. Simonem epiſcopũ Modruſien. Cantãtur Litaniæ. Dicitur Euangeliũ per reuerend. D. Alphonſum diaconũ Cardinalẽ S. Theodori Petrucium. Hymnus incipitur, Veni creator. Pontifex ſumpto themate, Paſtoralis officij &c. hortatoriam habet orationem ad continuandum Concilium, donec fiat vniuerſalis concordia & pax inter Chriſtianos.

Dominus Thomas Phædra ſecretarius concilij legit mandatum illuſt. communitatis Florentinæ in perſonam magnifici domini Iacobi Saluiati, poniturq́; tenor mandati ſub dat. trigeſima menſis Decembris 1512.

Dominus Marius de Peruſchis Concilij procurator, reproducit monitorium executum contra profitentes pragmaticam tenoris prout ſupra, & accuſat eorum contumacias.

Reuerend. pater D. Robertus Archiepiſcopus Rheginus, de mãdato ſanctiſſ. D. noſtri legit ſchedulã die 27. Aprilis 1513. in qua ſanctitas ſua facit ſaluum conductũ veniendi, morandi, conſulendi, redeundi quibuſcunque ad Concilium venire volentibus & debentibus, exceptis ſchiſmaticis, & alijs à iure communi prohibitis duntaxat. Hortatur etiam principes, vt liberum tranſitum illis concedant: prorogatq́; ſeptimam ſeſſionem fiendam 10. Calend. Iunij proximè futuri. Dantur vota, & fiunt inſtrumenta. Poſteà nonnulli procuratores producunt mandata nomine aliquorum prælatorum ad intereſſendum huiuſmodi Concilio.

Congregatio prælatorum in Lateranenſ. palatio pro rebus Concilij. Electio quoque vigintiquatuor prælatorum, qui adſint cum reueren. Cardinalib. in his, quæ pertractanda ſunt coram pontifice.

Affixio & tenor prorogationis literarum ſeptimæ ſeſſionis vſque ad 15. Calen. Iulij 1513.

Die tertia Iunij anni prædicti fit diuiſio prælatorum, deputatorum ad diuerſa negotia obeunda: & eorundem nomina, tituli, & cognomina ſcribuntur.

Tenor orationis factæ per reuer. D. Simonem Modruſienſ. epiſcopum in ſexta ſeſſione.

SEPTIMA ſeſſio tenetur die Veneris 17. Iunij 1513. in qua primum notantur nomina & tituli reuerend. Cardinalium & aliorum prælatorum &c. per ordinem vt ſuprà.

Celebratur Miſſa voce ſubmiſſa per reue. patrem D. Gabrielem Archiepiſcopũ Dyrrhachienſ. Habetur ſermo per dominũ Balthaſarẽ del Rio Apoſtolicum protonotarium, & reuerend. D. Petri Cardinalis Arboren. ſecretarium. Litaniæ & orationes dicũtur. Benedicitur per pontificem ſynodus, vt moris eſt. Deinde reuerend. D.D. Alexander Cardinalis Farneſius cãtat Euangelium. Quo finito, oratores Poloniæ producunt mandatum ſereniſſ. domini Sigiſmundi, quod per D. Thomam Phædram, aſcenſo ambone legitur.

Tenor mandati ſuprà ſcripti regis Poloniæ, ſub dat. Poznaniæ, 19. Aprilis 1513.

Reuerendus D. Marinus Carraciolus exhibet mandatum ducis Mediolani, legiturq́; per eundem dominum Thomam Phædram.

Tenor mandati ducis prædicti ſub dat. Papiæ, nona Maij 1513.

Reuerendus D. Alexander Archidiaconus Mantuan. dat mandatum illuſtr. marchionis Mantuæ, quod legitur per ſupradictum dominum Thomam Phædram.

Tenor mandati ſuprà ſcripti marchionis Mantuæ ſub dat. Mantuæ, 12. Iunij 1513.

Reuerend. D. Laurentius de Medezeldri producit mandatum

illuſ. dominorum Stanislai & Ioannis ducum Maxouiæ, & legitur per eundem dominum Thomam Phadram.

Tenor mandati ſupradictorum dominorum ſub dat. Ezicchonouu, 28 Februarij 1513.

Idem Thomas legit ſchedulam ſubſcriptam per D. Bernardinū Caruaial, & Fredericum de S. Seuerino olim Cardinales, ſuper materia abiurationis ſchiſmatis, & vnionis Eccleſiæ, & confeſſionis erroris ipſorum, & veniæ petitionis.

Tenor ſchedulæ lectæ de mandato ſanctiſſ. domini noſtri per reuerendiſſ. patrē D. Pompeium de Columna epiſcopū Rheatinū, in qua octaua ſeſſio vſq; ad 16. Calen. Decemb. fienda prorogatur.

Tenor alterius ſchedulæ, in qua prædicta prorogatio octauæ ſeſſionis fiendæ 16. Calend. Decemb. extenſa, vſque ad diem Veneris 17. Calend. Ianuarij, iterum prorogatur ad diem Lunæ, 14. Calen. præfati menſis Ianuarij.

Reuerēdus D. Balthaſar de Rio prothonotarius apoſtolicus ornatum habet ſermonem in Concilio, ſumpto themate: Nihil impoſſibile erit vobis, Matthæi decimoſeptimo. & ſic ſeptima ſeſſio terminatur.

OCTAVA ſeſſio incipit in Eccleſia Lateranen. die Lunæ prædicti menſis Decembris in præſentia ſanctiſſ. D. N. Leonis & multorum reuerendiſſ. Cardinalium patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, Generalium religionum, oratorum, principum & illuſt. dominorum, aliorumq; dignorum virorum.

Miſſa ſubmiſſa voce dicitur per reuerend. patrem D. Gabrielem Archiepiſcopum Dyrrhachienſ. habeturq; oratio per D. Io. Baptiſtam de Gargijs militem Hieroſolymitanum: fiunt orationes, cantantur Litaniæ, & hymnus, Veni Sancte ſpiritus: præſtatur obedientia: fiuntque ſolitæ cærimoniæ: Diciturq; Euangelium per reuerendiſſ. D. D. Marcum Cardinalem de Cornelijs.

Reuerendus epiſcopus Maſilienſ. & magnificus D. Ludouicus de Solier, oratores regis Chriſtianiſſimi, dederunt mandatum nomine eiuſdem regis, & petierunt prorogari terminum ſupradictum ad allegandum ſuper pragmaticam.

Obligatio ſupradictorum oratorum nomine Chriſtianiſ. regis, de qua fuit rogatus reuerendus D. Petrus Bembus, S. D. N. ſecretarius cum ratificatione præfati regis, ſub dat. vigeſimaſexta Octob. 1513. & regni eius 16.

Tenor mandati Chriſtianiſſimi regis.

Reuerendus pater D. Marinus Carraciolus orator Ducis Mediolani opponit oratori Chriſtianiſſ. regis, quòd non debeat in mandato inſcribi titulus Ducis Mediolani, attento quod dictus rex vſurpauerat ducatum illum. &c.

Tenor mandati illuſt. marchionis Brandeburgenſis electoris Imperij, lecti per præfatum D. Thomam Phadram.

Alterius mandati tenor illuſt. marchionis Montiſferrati, lecti pariter ad eundem dominum Thomam Phadram.

D. Marius de Peruſchis procurator Cōcilij, proponit ſupplicationem ſanctiſſ. D. N. contra regios officiales prouinciæ, Prouinciæ, vſurpantes iuriſdictionem & libertatem S. Romanæ Eccleſiæ.

Die Lunæ 19. Decemb. S. D. N. ſacro approbante Concilio, mādat decerni monitoriū pœnale contra prædictas perſonas in prædicta ſupplicatione inſertas, ſpatio trium menſium exequendum per edictum in Auinionenſi, Nicienſi, * Vintimilienſi ciuitatibus.

Reuerendus pater D. Ioānes Archiepiſcopus Gneznenſ. regis Poloniæ orator legit ſchedulam Pontif. in qua damnatur omnis aſſertio contraria veritati Chriſtianæ fidei illuminatæ, mandatq; publicari in principio ſtudij quarumcunque vniuerſitatum, & obſeruari quoſdam canones per S. ſuam conſtitutos.

Dantur vota ſuper prædictos canones ab omnibus, præterquam à reuerendis epiſcopo * Bergomenſ. & Generali ord. prædicatorum, qui circa duo reſpectiuè contradixere.

Tenor bullæ per reuerendum patrem Ioan. * Vincentium Archiepiſcopum Senenſ. lectæ, & per Concilium approbatæ, in qua tractatur de pace inter Chriſtianos principes componenda, & Bohemos à fide diſſentientes reducendo, ac nona ſeſſione fienda die nona Aprilis 1514.

Alterius bullæ tenor lectæ per reuerend. patrem D. Ioan. Franciſcum archiepiſcopum Taurinen. ſuper reformatione: & ſic octaua ſeſſio finitur.

Affiguntur diuerſæ ſchedulæ de mandato S. D. N. per Ioan. An. curſorem in acie Campi Floræ, & valuis baſilicæ Apoſtolorum, audiētiæ pub. S. Io Lateranenſ. & cancellariæ apoſtolicæ, monentes quoſcūque ad proponendum materias tractandas in Concilio, audiendas per deputatos &c.

Tenor prorogationis nonæ ſeſſionis vſque ad 5. diem Maij proximè futuri anni 1514. pontificatus verò anno ſecundo.

Die 29. Aprilis fit congregatio in palatio Apoſtolico in Capella maiori, in qua fuerunt S. D. N. & omnes Cardinales & alij prælati ſoliti, excepto R. D. D. Bernardo Card. S. Crucis, qui ob aduerſam corporis valetudinem non potuit intereſſe, in qua diuerſa à diuerſis dicuntur, tandem ſanctiſſimus dominus noſter mandat dari copiā bullæ, & tempus deliberandi.

Die 30. Aprilis omnes in congregatione conuenti, ſunt concordes ſuper his, quæ proponi debent in nona ſeſſione.

Oratio habetur per D. Baptiſtam Gargiā Senenſ. Equitem Hieroſolymitanum, quam dedicat reuerend. D. D. Fabricio Caretto magiſtro Rhodiorum magno.

Tenor orationis præfatæ per eundem equitem, qua octaua ſeſſio clauditur.

NONA ſeſſio celebratur in Eccleſia Lateran. die Veneris 5. mēſis Maij anni 1514. in qua primò ponuntur nomina reuerendiſſ. Card. & aliorum prælatorū ac illuſt. virorum, prout in alijs poſita ſunt.

Celebratur Miſſa de Spiritu ſancto ſubmiſſa voce per R. D. Gabrielem Archiepiſcopum Dyrrhachien. habeturq; oratio per R. P. D. Antonium Puccium. Dicuntur Litaniæ, & orationes conſuetæ ſunt, benediciturq; ſynodus per Pontificem, cantatur euangelium per reuerendiſſ. D. D. Ludouicum Card. de Aragonia. Deinde oratores regis Luſitaniæ præſentant mandatum nomine ipſius regis, quod legitur per D. Thomam Phadram ſupradictum.

Tenor mandati ſupradicti ſub dat. duodecimo Calend. Nouemb. 1512.

Procurator Fiſci & Concilij accuſat contumaciam prælatorum Gallicorum non venientium ad Concilium. Ex aduerſo epiſcopus Maſſilienſis orator Chriſtianiſſimi regis, excuſat eos inſtrumentu & literis facientibus fidem de eorum legitimo impedimento.

Tenor literarum excuſationis prælatorum Gallicæ nationis, qui renunciant congregationi Piſanæ, & adhærent Concilio Lateranenſi.

Tenor literarum Concilij Sabaudiæ, directarū prælatis Gallicis.

Tenor literarum prælatorum Gallicæ nationis ſummo pontifici directarum, quibus narrant ducem Mediolani Genuæ impediſſe, quare Romam venire non potuerunt, & petunt ſibi veniam dari, Ex aduerſo dominus Hieronymus Moronus orator prædicti ducis Mediolani, excuſat principem ſuum. Poſtremò ſanctiſſ. pontifex abſoluit eoſdem prælatos, & prorogat eis terminum veniendi ad Concilium.

Tenor bullæ per R. Epiſcopum Maſilienſ. ſuprà ambonem lecta, qua pontifex hortatur principes Chriſtianos ad pacē inter eos componendam, vt fieri poſſet expeditio contra fidei Chriſtianæ hoſtes: & ordinat nonnullas orationes dici debere inter Miſſarum ſolemnia, & alias preces à cunctis Chriſti fidelibus fundendas cum propoſitione indulgentiæ centum dierum pro orthodoxæ fidei exaltatione, & inimicorum eius deſtructione, dat quoque ſaluum conductum omnibus ad Concilium Lateranenſ. venire volentibus, & hortatur cæteros principes, vt tuto pertranſire & redire illos dimittant. ſub dat. 1514. tertio Nonas Maij.

Comprobantur omnia in dicta bulla contenta, ab omnibus in Cōcilio aſſiſtentibus, nemine diſcrepante.

Tenor bullæ reformationis curiæ, lecta in ambone per R. P. D. Vincentium Archiepiſcopum Neapolitanum: in qua multa & diuerſa ad reformationem Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum prælatorum, reliquorumq; religioſorum tam in curia Romana quàm extra continentur, ſub dat. 1514. tertio Nonas Maij.

Indictio decimæ ſeſſionis ad Calend. Decemb. 1514.

Dantur vota ab omnibus, exceptis nonnullis, quibus pontifex opportunè reſpondit. Incipitur hymnus per S. ſuam. Quo finito per cantores, finitur nona ſeſſio, & omnes in Concilio exiſtentes aſſociant Pont. in Vaticano.

Tenor orationis luculentiſſimæ habitæ per reuerend. D. Antoniū Puccium Apoſtolicæ cameræ ſeptemuirum, in nona ſeſſione.

Die 26. Nouembris 1514. S. D. N. de conſilio reuerendiſſ. Cardinaliū prorogat decimā ſeſſionem inchoandam 23. Martij anni 1515.

Alia prorogatio decimæ ſeſſionis de eorundem reuerendiſſimorum cōſilio à die præfata 23. Martij vſque ad diem 4. Maij anni prædicti 1515.

Tenor ſaluiconductus ducis Genuæ, quod fuit per curſorē S. D. N. præſentatū oratoribus regis Chriſtianiſſimi ſub dat. 22. Martij 1515. cum recognitione ipſius, & intimatione.

M. D. XV. Die 2. menſis Maij manſit congregatio reuerendiſſimorum Card. & aliorum prælatorum in palatio Apoſtolico, coram

quibus

quibus in præſentia S.D.N. leguntur ſchedulæ per D. Thomam Phædram; proponendæ in decima ſeſſione: quæ ab omnibus fuerunt votata & approbata.

Decima ſeſſio incipit 4. Maij 1515. in Eccleſia Lateranenſ. & primò inſcribuntur nomina reuerendiſſ. Cardi. Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, principum oratorum, & aliorum dominorum, prout in præpoſitis ſeſſionibus.

Miſſa celebratur per reuerend. Archiepiſcopum Gneznenſ. regis Poloniæ oratorem: & habetur oratio per R.P.D. Stephanum Archiepiſcopum Patracenſ. cantatur euangelium per reuerend. D.D. Card.
Matth. 22. *Farneſium ſecundum Matthæum, quod incipit, Dixit Ieſus parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum homini regi &c. fiuntq; orationes conſuetæ. Deinde oratores illuſtr. Ducis Sabaudiæ deducunt mandatum nomine prædicti ducis. Quo per D. Thomam Phædram lecto, per ipſoſq; oratores oſculatis pedibus S.D.N. & præſtita per eos obedientia exeunt, & clauditur Concilium.*

Tenor bullæ, lectæ per R.P.D. Bernardum Epiſcopum Adrienſ. in ambone, in qua tractatur de reformatione Montis pietatis, ſub dat. 1515. 4. Nonas Maij, quæ omnibus placet, præterquam R.D. Ieremiæ Archiepiſcopo Tranenſ. qui dicit præfatos Montes pietatis plus eſſe damnoſos, quàm vtiles.

Tenor ſchedulæ, ſiue bullæ lectæ, in ambone per R.P. Bernardum Epiſcopum Taruiſinum, contra exemptos, in qua etiam continentur nonnulla, eccleſiaſticam libertatem & dignitatem epiſcopalem concernentia ſub dat. 1515. 4. Nonas Maij: quæ omnibus placent, excepto præfato Archiepiſcopo Tranenſ.

Alterius ſchedulæ tenor ſuper impreſſione librorum, lectæ per R.P.D. Franciſcum epiſcopum Nametenſ. ſub data prædicta, quæ placet omnibus, niſi reuerendo P.D. Alexio Epiſcopo Melfitano.

*Caſtelli *Alia ſchedula lecta in ambone per R.P.D. Petrum Epiſcopum * Caſtellæ maris, ſuper præfixione termini contra profitentes pragmaticam ſanctionem, & ſuper indictione vndecimæ ſeſſionis.*

Reſpondet orator regis Chriſtianiſſ. in excuſationem prælatorum Gallicorum, & dat literas nomine Loys de Soliers oratoris eiuſdem Chriſtianiſſ. Reſponſio pont. eidem oratori: & vota, quæ ab omnibus dantur, excepto Epiſcopo Potenſ. qui non vellet dari terminum profitentibus pragmaticam.

Procurator Concilij accuſat contumaciam abſentium à Concilio, & Pontifex aſſentit, & declarat, niſi ad primam comparerent.

Dantur circa decem & octo mandata à diuerſis R. prælatis, nomine aliquorum prælatorum Concilio non intereſſentium: poſteà cãtato hymno vt ſuprà, ſanctiſſ. dominus noſter equitauit in Vaticano, aſſociantibus cunctis in Concilio exiſtentibus.

Tenor orationis facundiſſimæ per R.P.D. Stephanum Archiepiſcopum Patracenſ. & Epiſcopum Torcellan. in Concilio habita, cuius
Pſal. 47. *thema eſt: Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.*

Tenor mandati illuſtriſ. ducis Sabaudiæ producti per reuerendiſſ. Card. S. Praxedis nomine ipſius ducis, ſub dat. quarta Maij, 1515.

Tenor inſtrumenti dati per oratorem regis Franciæ ſub dat. 1514. 25. Nouembris, alias regiſtrati in actis Concilij, quod de nouo procurator ipſius Concilij petit in eiſdem actis regiſtrari.

Pontifex abſoluit perſonas in dicto inſtrumento deſcriptas, quatenus infra quatuor menſes ratificent omnia in inſtrumento cõtenta.

Inſtrumẽta, ratificationes, & approbationes ſupradictarum perſonarum cum neceſſarijs authenticatis cum alijs diuerſis ſchedulis.

M.D.XVI. die 15. Decembris fit congregatio reuerendiſſ. Card. & aliorum prælatorum in palatio Apoſtolico coram S.D.N. pro diſcutiendis & examinandis ſchedulis in vndecima ſeſſione legendis. Inſcribunturq; nomina in eadem congregatione exiſtentium.

Legitur ſchedula per D. Andream Piperarium Concilij ſecretarium de mandato reuerend. Card. quæ continentur concordata inter S.D.N. & regem Francorum. Qua perlecta, dantur vota ab omnibus, exceptis nonnullis reuerendis Epiſcopis.

Alia ſchedula legitur per eundem D. Andream abrogationis pragmaticæ ſanctionis. Item alia ſuper ijs, quæ debent obſeruare prædicatores verbi Dei, & ſuper quibus præſtantur vota, nemine diſcrepante.

Per eundem legitur alia ſchedula continens priuilegia religioſorum. Dantur vota ab omnibus. Sed Signenſ. Cumanus, Brumatenſ. Cerusenſ. Senogallienſ. Ferentin. Soranus, & Polignianenſ. Epiſcopi vellent, quòd excluderetur approbatio priuilegiorum. Tenores autẽ ſupradictarum ſchedularũ inſeruntur in vndecima ſeſſione ſequente.

Vndecima ſeſſio inchoatur 19. Decembr. 1516. in qua primò notantur nomina reuerend. D. Card. & aliorum prælatorum, prout in præmiſsis actum eſt. Celebratur Miſſa per R.D. Gabrielem Archiepiſcopum Dyrrhachienſ. cantatur euangelium per reuerendiſſ. S. Mariæ in Via lata D. Marcum diac. Cardinalem, quod incipit, Sedente Ieſu Matth. 24.
ſuper montem Oliueti. Incipitur hymnus, Veni creator, per S.D.N. & dicuntur orationes conſuetæ: quibus peractis, orator Patriarchæ Maronitarum Montis Libani, præſentat & legit mandatum in lingua Chaldæa ſeu Arabica, quod poſteà in lingua Latina interpretatum, legitur à prædicto D. Andrea Piperario.

Tenor præfati mandati.

Obedientia per dictos oratores Maronitarum, præſtatur ſanctiſſ. pontifici, ſuper qua petuntur inſtrumenta huiuſmodi obedientiæ per procuratorem fiſcalem.

Tenor ſchedulæ circa modum prædicandi ſuper ambonem, lecta à R.P.D. Io. Epiſcopo Reualienſ. Oratore marchionis Brandeburgenſ. ſub dat. 1516. 14. Calend. Ianuarij: ſupra quam dantur vota nemine diſcrepante.

Tenor bullæ lectæ à R.P.D. Epiſcopo Iſernienſ. quæ continet cõcordata inter pontificem & Chriſtianiſsimum Francorum regem ſuper pragmatica, cum mãdato in eadem bulla inſerto, ſub dat. ſupradicta.

Dantur vota ſuper dicta bulla ab omnibus, præterquam à reuerẽdis patribus Epiſcopis, Lucerino, Brumatenſ. Caſtellæmaris, Chienſ. Tecdonenſ. Aſculano, qui in nonnullis reſpectiuè diſſentiunt.

Schedula ſiue tenor ſuper abrogatione pragmaticæ ſanctionis, lecta per R.P. Epiſcopum Canallicenſ. ſub dat. prædicta, ab omnibus votata.

*Reuerend. pater D. Epiſcopus * Sibinicenſ. aſcenſo ambone, legit ſchedulam ſuper religioſos & eorum priuilegia, ſub dat. 1516. 19. Decembr. ſuper qua nonnulli Epiſcopi in aliquibus reſpectiuè diſſenſere.* *Seboniceñ.

Idem reuerendus Epiſcopus indicit duodecimam ſeſſionem fiẽdam 6. nonas Martij 1517. Poſteà dantur mandata à diuerſis prælatis nomine aliorum prælatorum. Deindè aguntur gratiæ Deo, & ſanctiſſ. dominus noſter cum omni comitiua reuertitur ad ſacrum palatium Apoſtolicum in Vaticano, & ſic vndecima ſeſſio terminatur.

Tenor prorogationis 12. ſeſſionis cum executione per curſores in locis conſuetis facta, videlicet à ſexto Nonas Martij 1517. vſque ad 16. Calend. Aprilis eiuſdem anni.

*Fit congregatio nonnullorum reuerend. Cardinalium & reuerend. prælatorum coram pontifice in ſuperiori capella palatij Apoſtolici die 13. Martij 1517. in qua vnuſquiſque ſedet in loco ordinato à reuerendiſſ. Cardinalibus ibidem exiſtentibus, eo quia fuit prius differentia inter oratorem regis catholici & Patriarcham Aquilegienſ. de * antecedentia. Piperarius Concilij ſecretarius de mandato eorundem reuerend. Cardinalium, legit tres ſchedulas, quarum prima* *antecedendo.
ſuper extenſione Paulinæ non placuit: in alijs duabus, vna de punitione inuadentium domos Cardinalium, altera de impoſitione decimarum ac abſolutione Concilij, reſpectiuè diſſenſerunt reuerendi Epiſcopi Salamantin. Adrienſ. Budenſ. Imolenſ.

Duodecima & vltima ſeſſio inchoatur die 16. Martij 1517. in qua primò ponuntur nomina reuerendiſſ. Cardinalium & aliorum prælatorum, ac illuſt. dominorum in ordine, prout in ſupradictis ſcriptum eſt.

Miſſa celebratur per reuerend. Card. S. crucis. Fit oratio per reuerendum Epiſcopum Iſernienſ. cantatur euangelium per reuerend. S. Mariæ in porticu Cardinalem, quod incipit: Aſcendens Ieſus in Matth. 9.
nauiculam: cantantur orationes & Letania, ſicut in alijs ſcriptum eſt. Deinde Piperarius prædicti Concilij ſecretarius, aſcenſo ambone, legit literas ſereniſſimi Imperatoris ad Pont.

Tenor literarum prædictarum ſub dat. vltima Februarij 1517.

*Legitur ſchedula contra inuadentes domos Cardinalium per reuerend. Epiſcopum * Militenſ. quæ in aliquibus corrigitur propter diuerſitatem opinionum.*

Tenor ſchedulæ prædictæ correctæ, ſub dat. decimoſeptimo Calen. Aprilis, 1516.

Patriarcha Aquilegienſ. legit ſchedulam impoſitionis decimarum & abſolutionis Concilij. Tenor autem ſchedulæ ſub dat. prædicta.

Dantur vota ab omnibus ferè ſuper eadem ſchedula, exceptis reuerend. Epiſcopis infraſcriptis, qui variè diſſentiunt, & procurator fiſcalis petit omnium geſtorum inſtrumenta. Deinde reuerendiſſ. dominus Card. Farneſius alta voce dicens, Domini, Ite in pace, cantato hymno, Te Deum &c. S.D.N. omnibus comitantibus equitat ad palatium Apoſtolicum, & ſic 12. & vltima ſeſſio finitur, vnaq; præſens Concilium ſoluitur. In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, qui nos in pace cuſtodiat. Amen.

Tenor orationis habitæ per reuerendum Epiſcopum Iſernienſ. in fine Concilij.

FINIS.

ACTA SACRI GENERALIS LATERANENSIS CONCILII II.

Ad omnipotentis Dei gloriam, fidei catholicæ exaltationem, ſchiſmatis extirpationem, & in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen.

In his ſcriptis continentur ordinationes, ſtatuta, conſtitutiones, decreta & alia acta & geſta in ſacroſancto generali Lateran. Concilio, præſidente ſanctiſſimo in Chriſto patre & D. N. D. Iulio diuina prouidentia Papa Secundo, recollecta, & in publicam formam redacta per nos protonotarios, notarios & ſcribas infraſcriptos, ad id per eundem ſanct.ſſimum dominũ noſtrum Papam, ipſo approbante Concilio, deputatos.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.
Anno à natiuitate eiuſdẽ 1512. Indictione 15. Die
verò Lunæ, tertia menſis Maij, qui fuit dies inuẽ-
tionis S. Crucis, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris &
domini noſtri, D. Iulij diuina prouidentia Papæ II. anno
nono, præfatus ſanctiſſ. dominus noſter Papa, qui aliàs in-
dixerat Concilium generale in alma vrbe, in Eccleſia Late-
raneñ. die Lunæ, 19. menſis Aprilis præteriti inchoandum
& celebrandum, & deindè propter certum conflictum ha-
bitum apud Rauennam ciuitatem Romandiolæ inter mili-
tes ſuæ ſanctitatis & S. Romanæ Eccleſiæ & regis catholici
ex vna, & exercitum Ludouici regis Francorum, & præten-
ſos ſchiſmaticos adhærentes conciliabulo Piſano ſeu con-
uenticulo ſatanæ ex alia parte, in quo conflictu fuerunt in-
terfecta multa hominum millia, & inter cæteros dominus
de Fuſſo, magnus magiſter Capitaneus regis Franciæ, &
plures alij diuerſi duces & barones & proceres Gallorum &
Hiſpanorum, & capti reuerendiſſ. D. Ioannes Card. de *
Medicis Apoſtolicæ ſedis legatus, & Fabricius Columna, &
alij plures, & dicta ciuitas Eccleſiæ miſerabiliter à Gallis di-
repta, inchoationem huiuſmodi vſque ad Calend. Maij e-
iuſdem anni prorogauit, & demum ex eadem cauſa ad ſu-
pradictum diem Lunæ tertium ſupradicti menſis Maij ite-
rum prorogauit, prout in literis Apoſtolicis, quarum teno-
res infra acta primæ ſeſſionis inſeruntur, plenius cõtinetur.

Volens idem ſanctiſſimus D. N. D. Iulius Secundus pon-
tifex maximus inchoare dictum Concilium generale ex plu-
ribus & varijs, grauiſſimis & vrgentiſſimis cauſis, ſtatum v-
niuerſalis Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis, ac pernicioſiſſimi
ſchiſmatis extinctionem concernentibus, vt in literis indi-
ctionis Concilij latiùs continetur, indictum, cùm die præ-
cedenti ex palatio Apoſtolico lectica vectus ob ſui corpo-
ris indiſpoſitionem in pontificali apparatu & comitiua om-
nium reuerendiſſ. dominorum Cardinalium, Patriarcha-
rum, Primatum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Proto-
notariorum, abbatum, & vniuerſa curia, & cuſtodia mili-
tum Rhodianorum cruce ſignatorum, & conſuetis cære-
monijs, vt moris eſt, in dictæ baſilicæ Lateranenſis ædibus
diuertiſſet, & hoſpitaſſet & pernoctaſſet, conſtitutus dicta
tertia die de manè in præfata baſilica Lateranenſi, celebra-
ta priùs in maiori altari Miſſa per reuerẽdiſſimum in Chri-
ſto patrem & dominum, D. Raphaelem Epiſcopum Oſti-
enſem, Cardinalem Sancti Georgij vulgariter nuncupa-
tum, S.R.E. camerarium, & collegij ſacri Card. decanum, ac
facto ſermone Latino per reuerendum patrem & magi-
ſtrum fratrem Ægidium de Viterbio, ſacræ theologiæ pro-
feſſorem ac ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini Priorem
Generalem, ac verbi Dei prædicatorem celeberrimum, cu-
ius tenor in fine præſentis actus & ſolennitatis initij ſacri
Lateranenſis Concilij ponetur. Facta etiam priùs proceſ-
ſione per eundem ſanctiſſimum D. N. reuerendiſſimos
Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos ac
Abbates, necnon alios viros, qui de iure ſeu conſuetudine
ad Concilium generale venire conſueuerunt, intrauerunt
ornati pluuialibus, planetis, & dalmaticis iuxta ordinis qua-
litatem & mitris, locum in medio prædictæ Lateranenſis
Eccleſiæ pro celebratione Concilij huiuſmodi paratum,
cum ſuis ſubſellijs, tabellis, clauſuris, altaribus, pontifica-
li cathedra, ornamentis, & ordinibus, quæ in huiuſmodi
ſacrorum Conciliorum celebrationibus ſeruari & fieri con-
ſueuiſſe reperiuntur. In quo cantatis Litanijs & alijs de-
uotis orationibus, & hymno, Veni creator ſpiritus &c. de
more in principio celebrationis Conciliorum à ſanctis pa-
tribus & S.R.E. legi & decantari ſolitis & conſuetis, capel-
la cantorum incipiente, Saluum me fac Deus, quoniam in- Pſal. 68.
trauerunt aquæ vſque ad animam meam &c. & inuocata
Spiritus ſancti gratia, ac exhibita per omnes Cardinales &
prælatos præfatos ſanctiſſimo domino noſtro obedientia
& reuerentia conſueta, in paramentis ordinatè & conue-
nienter, cantatoq́ue Euangelio per reuerendiſſimum in
Chriſto patrem dominum Ludouicum ſanctæ Mariæ in
Coſmedin diaconum Card. de Aragonia vulgariter nuncu-
patum, incipiente, Deſignauit Dominus & alios ſeptuagin- Luc. 10.
taduos &c. Reuerendiſſi. in Chriſto pater dominus Ale-
xander ſancti Euſtachij diaconus Card. de Farneſio vulga-
riter nuncupatus, ſtans in thalamo eminenti, vbi dictus do-
minus noſter Papa ſedebat, legit ſchedulam tenoris infra-
ſcripti, nomine ſuæ ſanctitatis, propter indiſpoſitionem ſui
corporis impediti videlicet.

IN dicto per nos hoc ſacro Lateraũ. Concilio, de quo,
cùm in minoribus eſſemus, ſæpenumerò cogitauimus, &
ad ſummi Apoſtolatus apicem vocati: omnino nobis cele-
brandum propoſuimus, dum ante ipſius inchoationem
bella inter Chriſtianos vigentia ſedare, & oues perditas ad
ouile Dominicum reducere intendimus, repentè inteſtina
hæreſis, inſidiante ſatana bonorum operum perturbatore,
domum Dei, quam decet ſanctitudo, inuaſit. Ne igitur Pſal. 92.
contagioſa peſtis latiùs ſerperet, & Chriſti gregem nobis
commiſſum ſenſim inficeret, Paſtorali officio iugiter inui-
gilantes, vocemq́ue Eſaiæ animo repetentes: Ini conſili- Eſa. 16.
um, coge Concilium: diutiùs cunctandum fore non duxi-
mus: conuenimus itaque venerabiles fratres, voſq́ue dilecti
filij, hodierna ſolenni die in hac Lateraũ. baſilica, vt in Spi- Rom. 13.
ritu ſancto congregati, viam veritatis eligamus, & abijcien-
tes opera tenebrarum, induamur arma lucis. Vos igitur
hortamur in Domino, vt illum præ oculis habentes, qui Ioan. 14.
eſt via veritas & vita, in medium liberè conſulatis, Deo ma-
gis quàm hominibus placere ſtudentes. Speramus enim
Domino cooperante in hac ſacra Lateraũ. ſynodo ſentes ac
vepres ab agro Domini penitus extirpare, deprauatos mo-
res ad meliorem frugem redigere, pacem inter Chriſtianos
principes componere, denique expeditionem aduerſus ho-
ſtes fidei inter ſe diſſidentes decernere, vt in hoc vexillo ſa-
lutiferæ crucis, quæ huic ſacro Concilio auſpicatiſſimum
dedit initium, antiqui hoſtis inſidias ſuperare valeamus.

Qua lecta, ſanctiſſ. D. N. approbaũ. ſacro Concilio, Con-
cilium ſacrum Lateraũ. inchoare decreuit: & declarauit pri-
mam ſeſſionem incipere die decima Maij futura, quæ erat
dies Lunæ proximè ventura.

Iacobus Sadoletus Petro Bembo S.P.D.

HAbes Bembe, orationem Ægydij Viterbienſis, quam
tanta ope expetiuiſti, dignam illam quidem propter
elegantiam quæ ab ijs potiſſimum legatur, qui iudicare ali-
quid de præſtantibus ingenijs poſſunt: ſed & alijs quoque
commendationibus prælucentem, tum quòd magna au-
thoritate Lateraũ. principia Concilij auſpicata eſt, quod à
Iulio II. Pont. Max. paulo antè inſtitutum, S. Chriſtianæ
Reipubl. optamus fore ſalutare: tum quod ab eo viro eſt,
quem ego & tu ſæpè ſoliti ſumus in ſermonibus noſtris cla-
riſſimum huius ſeculi, tanquam obſcuraſcentis, lumen ap-
pellare. Et quidem quæ in communibus hominum ſen-
ſibus poſita ſunt, ea nemo eſt, qui in Ægidio ſumma eſſe
non agnoſcat. Sumus enim experti pluries illam huius
viri mulcentem omnium aures atque animos eximiam e-
loquentiam: vernacula quidem lingua Hetruſcorum, quæ

illi patria eſt, abundantem: ſed ex vberrimis & Græcæ & Latinæ eruditionis fontibus deductam. Magno enim hic ſtudio theologiæ ac philoſophiæ altiſſimis artibus comites literas politiores adiunxit. Ergo illa in ſacris concionibus diuina ſemper & admiranda, flectere arbitrio ſuo hominum mentes, refrenare incitatas, languentes accendere, vel inflammare potius ad virtutis, iuſtitiæ, temperantiæ ſtudium, ſummi Dei venerationem, ſanctæ religionis obſeruantiam, nouit. Nec verò quicquam interfuit, illo dicente, inter doctos homines & idiotas: non ſenex ab adoleſcente, vir à muliere, Princeps ab infimo homine potuit dignoſci: ſed omnes pariter vidimus præcipites ferri impetu animos audientium, quocunque eos oratori impellere libuiſſet. Tanta vis orationis, tantum flumen lectiſſimorum verborum, pondus optimarum ſententiarum ex eo ferebatur. Ex quo, quod ſemper euenire cernimus, iam planè intelligimus neceſſitate euenire, non caſu, vt quotieſcunque dicturus eſt, concurſus maximi omnibus ex locis audiendi cauſa fiant. Sed nos hæc popularia cum multis, illa ſecretiora cum paucis cognoſcimus. Soleo enim mirari te Bembe, vehementerque probare iudicium tuum, cùm ita dicas: Humanitatem ipſam, & eas artes, quæ humanitatis propriæ & affines ſunt, ſi malo hominum fato amiſſæ intereant, ab hoc vno homine exprimi & repræſentari poſſe, nec adumbrata in eo ſimulacra, ſed totam effigiem virtutis agnoſci. Quòd verò addis, grandiorem tibi etiam in cubiculo videri Ægydium quàm in pulpito, vbi certè eſt maximus, facilè tibi aſſentior. Sed hæc alias. Nunc orationem leges, de qua teſtatum eſſe apud omnes volo, quicũq; eam in manus ſument, redempturos eos nó Hectorem, ſed Hectoris corpus: quod ipſum tamen tanti precij eſt, vt iure optimo rependi auro queat. Certè non aderit calor ille & vis in dicendo oratoria, ſpirituſque ζωῆς (vt aiunt) φωνῆς, [viuę vocis] quo tantùm potuit Ægydius, vt omnium adſtantium animos primum ſuauiſſimè demulſerit, deiñ ad extremum vehementiſſimè commouerit. Verùm quid opus hæc ad te ſcribere, qui amore quidem & beneuolentia erga Ægydium mihi par, iudicio omnibus antecellis? Ego, quod egi, vt elucubratio optimi & religioſiſſimi viri non lateret in tenebris ſuppreſſa, ſedin populum exiret, ſpero me bonis omnibus gratũ feciſſe: tibi quidem certè ſcio. Vale.

ORATIO PRIMA SYNODI LATERAnenſis, habita per Ægydium Viterbienſem, Auguſtiniani ordinis generalem.

NEminem hoc loco non mirari exiſtimo, cum tot in vrbe viri ſint grauiter copioſeq; dicendi facultate clariſſimi, cur ipſe vnus, qui cum luminibus his nulla ſim ratione comparandus: & pro roſtris appaream, & in tanta præſertim re, tantoque conſeſſu, quo ſpectatius ſacratiuſque nihil habet terrarum orbis, audeam verba facere. Dicam ſanè aliquid interceſſiſſe, quamobrem ego non virtute vlla alijs præpoſitus, ſed quadam ſuperiorum, tum temporum tum actionum ratione, & tanquam à cauſa ipſa inuitatus videar, qui primus hoc conflictu telum iaciam, & ſacroſancti Lateranenſis Concilij auſpicia capiam. Nam cùm annis ab hinc circiter viginti, quantum in me fuit, & perexiguæ vires tulere, euangelia populis interpretatus ſim, prophetarum vaticinia aperuerim, Ioannis Apocalypſim de ſucceſſu Eccleſiæ, vniuerſæ fermè Italiæ enarrauerim, ac ſæpenumerò affirmauerim, eos qui tunc audiebant, ingentes Eccleſiæ & agitationes, & clades viſuros, illiuſque emendationem aliquando conſpecturos: nunc par eſſe viſum eſt, vt qui hæc dixerat ventura, idem veniſſe teſtetur: & qui toties exclamauerat, Videbunt oculi mei ſalutaria tempora: iam tandem exclamet, Viderunt oculi mei ſalutare ſanctumque principium expectatæ inſtaurationis. Modò adſis orbis inſtaurator, diuini parentis proles, ſeruator ſoſpitatorq; mortalium: deſque vim mihi dicendi, oratione commouendi: patribus, non verbis, ſed ipſa re, veri, ſancti, exacti Concilij celebrandi, extirpandi vitia, virtutes excitandi, vulpes, quæ ad ſanctam demoliendam vineam hac tempeſtate ſcatent, capiendi: ac denique collapſam religionem, in veterem puritatem, in antiquam lucem, in natiuum ſplendorem, atque in ſuos fontes* reuocari. [*reuocandi] Dicam itaque de ſynodo, & quàm Eccleſiæ commoda ſemper ſit, & quàm noſtris temporibus neceſſaria: præfatus, oraculorum ſtylum me inuertere non auſurum eſſe, ſed integra (vt legi ſolent) verba atque orationes vſurpaturum: tum quòd homines per ſacra immutari fas eſt, non ſacra per homines: tum quòd ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, ſimplex ſermo veritatis eſt. Atque à principio partitio illa in mentem venit, rerum alias diuinas eſſe, cæleſtes alias, alias humanas. Diuinæ quippe, quòd ſunt motus ac mutationis expertes, emendatione non egent: cæleſtes verò atque humanæ, agitationi obnoxiæ, inſtaurationem deſiderant. Nam Luna, cùm ad ſolis commercia venerit, Sol cùm à cancro in brumam deſcenderit, quaſi magno mortalium diſpendio, damna ab integro reponunt: coguntúrque præſcribente natura, lucis iacturam rependere: & quicquid cadendo abſtulerint, aſcendendo mortalibus reſtituere. Quòd ſi cęleſtia ſiderum itinera, quanquam perpetua, immortalia, ſempiterna, redeunt tamen, reſtituunturque: quidnam tertium hoc faciet rerum genus, vtpotè fluxum, caducum, mortale? profectò aut interitu citò pereat neceſſe eſt, aut continua innouatione reficiatur. Quod enim eſt cibus corporibus, vt viuant: quod genitura generibus, vt perpetua ſint: id præſtat humanis animis ſua pro tẽpore emendatio, cultura, diſciplina: quamque abſque ciborum alimentis animantia diu viuere, tam humanæ animæ, tam Eccleſia abſque cura ſynodorum probè agere non poteſt. Ac quemadmodum, ſi pratis imbres, ſi hortulis riuos, ſi agris cultum, ſi vineis putationem, ſi denique viuentibus alimenta ſubduxeris, illa areſcent breui, ſylueſcentque, hæc viuere deſinent atque emorientur: ita fermè poſt Conſtantini tempora, quæ vt ſacris rebus multum adiecere ſplendoris & ornamenti, ita morum & vitæ ſeueritatem non parum eneruarunt, quoties à ſynodis habendis ceſſatum eſt, toties vidimus diuinam ſponſam à ſponſo derelictam: illudque Euangelij factum, quod heri recitabatur: Iam modicum, & hon videbitis me. [Ioan. 16.] Vidimus Chriſtum in nauicula obdormientem: vidimus ventorum rabiem, hæreticorum furorem in candida veritatis vela irruentem: vidimus malas cupiditates, diram auri atq; habendi ſitim: vidimus perditam malorum audaciam aduerſus iura, authoritatem, maieſtatem Eccleſiæ ſæuientem: vidimus (inquam) vim, rapinas, adulteria, inceſtus, omnem deniq; ſcelerum peſtem ita ſacra profanaq; miſcere omnia, ita in ſanctam nauiculã impetum facere, vt penè ſcelerum fluctibus illa latus dederit, ac propè merſa & peſſundata ſit. Rurſus cũ eo monente ſpiritu, cui hodie ſupplicationes decretæ ſunt, patres ad ſynodum confugerunt, quamprimùm emendauere, compoſuereque omnia, ventis turbinibuſque imperauere, & quaſi in tutiſſimum portum delati, impetum rationi, iniuriam iuſtitiæ, vitia virtuti, tempeſtates ac fluctus ſerenitati, trãquillitatique cedere compulerunt, hymnumq; cecinerunt ſancto ſpiritui, piſcatorum maris, atque aquarum Deo, Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: [Cant. 8.] & illud, Iam hyems tranſijt, imber abijt & receſſit, ſurge amica mea. [Cant. 2.] Iacet enim ſponſa, vt hyeme frondes arborum: ſurgit, reuireſcitque ſynodorum ſtudio, vt ſyluæ veris tempore reuocato ſole frondeſcunt ad Solis redeuntis radios, & fœcundi ſpirant zephyri, & læta plantaria germinant ad ſynodorum lumen, & diuini ſpiritus flant auræ, & emortui Eccleſię oculi reuiuiſcunt, ac recipiunt lucem, vbi pars altera impletur oraculi: Iterùm modicum, & videbitis me: [Ioan. 16.] quod quidem nihil aliud ſibi vult, niſi quod Sancti ſpiritus lux, quæ ſynodis omiſſis extinguitur, tanquam excuſſus à ſilice nouus ignis, iterum accenditur & recuperatur in ſynodis. Ad hæc Paulus Apoſtolorum decus, cùm ſalutis caput oſtenderet, Abſq; fide (inquit) Deo placere nullo modo poſſumus: [Heb. 11.] atqui ſine ſynodis ſtare non poteſt fides: abſq; ſynodis igitur ſalui eſſe non poſſumus. Verùm quod ratione dicimus, vt etiam experimento probemus, cogitandum nobis eſt, tres eſſe credendarum rerum radices, è quibus vniuerſa Eccleſię fides manat. Prima diuinæ naturæ vnitas eſt. Altera, eadem in natura parentis, ſobolis, amoris, feliciſſima Trinitas, Tertia in Virginis vtero prolis diuinæ conceptio. In quibus veluti in altiſſimis apicibus, ac ſanctiſſ. montibus & reliquæ

fidei partes nouem, & pietas vniuerſa fundata eſt. Funda-
menta enim eius in montibus ſanctis. Vnitas nempe mons
Pſal. 86. Dei nuncupatur, quod in vna dantaxat Dei eſſentia ſit at-
que natura: & vt v: itatem illam non ſolitariam, non ſteri-
lem, ſed vberrim: fœcunditate præditam cogitemus, ideo
mons pinguis adijcitur. Corpus verò in virgine verbo iun-
ctum, montem coagulatum vocat vates. Hæc ita tripartita
Pſal. 67. Eſa. 5. illa vinea eſt, ſuper vertices montium ſita, quam & futuram
Hier. 2. cecinere oracula, & præſentem euangelia indicauere. Sed
Matth. 20 & 21. iam perierat vinea: nam (vt teſtis eſt Dauid) illam aper è ſyl-
Pſal. 79. ua depopulatus erat, illam tumor philoſophiæ vaſtauerat.
Arius primum montem auellere conatus eſt, qui vnitatem
diſcerpſit. Sabellius ſecundum, qui perſonas confudit. Pho-
tinus tertium, qui partum Virgineum impura temeritate
labefactauit. Tres veluti impijſſimi gigantes, qui gloriæ cu-
piditate de rerum nouarum ſtudio illecti, montes loco mo-
uere auſi ſunt, vt viam ſibi facerent ad cælum oppugnan-
dum, reſcindendumque. Et erant iam voti compotes: nam
quæ ipſi philoſophia perſuadebant, armis ea recipi princi-
pes imperabant. Philoſophia nos argumentis vrgebat, ar-
ma collatis ſignis oppugnabant. Illa præſtigijs, hæc vi fidem
euertere conabantur. Illa inuertere, quæ credebantur: hæc
eos qui credebant, perdere contendebant: illa in pietatem
& animas, hæc in corpora vitamque ſæuiebant. Quid face-
ret diuina ſponſa iamiam peritura? Quò ſe verteret? quò
confugeret? Cuius fidem, cuius opem, cuius auxilium im-
ploraret? Exhorreſcebat tempeſtas, nauicula mergebatur.
Denique (ne multis morer) nulla effugiendi, nulla euaden-
di euenta via eſt, niſi Nicæna ſynodus, vbi Syluestro ad cla-
uum ſedenti, & iamiam naufragium facienti, à cælo ſeſe o-
Matth. 14. ſtendens Deus, Modicæ (inquit) fidei, quare dubitaſti? Ac
ſtatim diuinis fulminibus & fidei montes reſtituit, & gigan
tum temeritatem diſiecit, vbi erepta puella experimento
didicit, cùm quicquam ſibi aduerſi imminere videat, nul-
lum omnino præſidium ad ſe vel tuendam firmius, vel libe-
randam accommodatius, vel vindicandam efficacius habe-
re, quam ſynodum, qua ſola fit, vt nullæ aquæ eccleſiæ cha-
ritatem extinguant, vtq; diuinus ſpiritus in noſtris animis
manſionem efficiat, qui vnicus velut aquarum victor, tem-
Geneſ. 1. peſtatumque potens, teſte Moſe fertur ſuper aquas. Iam ve-
rò quod de fide dixi, quæ vtique nulla eſſet, ſi ſynodi inſti-
tutio non fuiſſet: idem fermè de temperantia, iuſtitia, ſapi-
entia, cæteriſque virtutibus exiſtimari velim. Omnes enim
deſidiam pro labore, ocium pro negocio, voluptatem pro
ſolicitudine expetimus. Verum cũ animaduertimus quan-
doque fore, quod in ſynodis fit, vt cenſus habeatur, vt mo-
rum & vitæ exploretur ratio, vt improbi deprehendantur,
indicentur, plectantur: contra, probi alliciantur, foueau-
tur, attollantur, incredibiles ſtimuli appetẽdæ virtutis inij-
ciuntur, vt homines colligant ſeſe, vt meliora deliberent, vt
ad vitia relinquenda, & ad virtutem capeſſendam accendan
tur: nihilque non honeſtum, nihil non magnificum moli-
antur. Illud, illud ſynodi diſcerniculum fuit, vnde velut ex
equo Troiano, tot clariſſima ingeniorum lumina emicue-
re. Illa virtutum approbatio, illa deteſtatio vitiorum, Baſi-
lios, Chryſoſtomos, Damaſcenos Græciæ, Hieronymos,
Ambroſios, Auguſtinos, Gregorios Italiæ peperit, qui cum
magna ſimilium turba, bone Deus, quos libros, quæ ſcri-
pta, quæ monumenta, quod doctrinarum, quod diſciplina-
rum, quod diuini vel auri vel argenti genus in Chriſtianum
ærarium non congeſſerunt? Rem prætereo (niſi tempus
obſiſteret) minimè prætereundam de eccleſiarũ rectoribus,
de paſtoribus populorum, in quibus quidem vniuerſa rei
Chriſtianæ ſita eſt & ſumma, & ſalus. Vt enim inferior hic
mundus cæli tum motu, tum lumine regitur, ita Chriſtianę
gentes à rectoribus ſuis velut à cæleſtibus paſtoribus guber-
nantur: qui ſi boni futuri ſint, neceſſe eſt vt & lumine diſci-
plinarum fulgentes, alios doceant, & motum ſanctarum a-
ctionum exercentes, quæ docuerint, ipſi in primis & maxi-
Luc. 12. mè agendo præeant. Hæc duo illa ſunt, quę & docuit paſto-
rum princeps Chriſtus, cùm & lucernas ardentes geſtare ad
clarè inſtituendum, & ad ſanctè agendum præcinctos eſſe
iuſſit, ſimul ipſe mirificè exercuit, cùm & lux mundi, & diui-
ni patris ſapiẽtia fuerit, & ſanctus ſanctorum appellatus ſit,
quòd probos omnes vitæ ſanctimonia anteceſſerit, atque

eas ob res: Ego, inquit, ſum paſtor bonus. Quòd verò ob Ioan. 10.
vtrunque bonum ſe dixerit, teſtatur euangeliſta: qui cœpiſ- Actor. 1.
ſe cum ſcribit tum facere, tum docere. Quin & duodecim il- Pſal. 44.
li duces, qui ſuper omnem terram conſtituti ſunt princi-
pes, Spiritus afflati numine completique, ita vtranque cæli
vim ſunt aſſecuti, vt etiam cæli appellationem promerue-
rint, vt vulgatiſſimum iactatur oraculum: Cæli enarrant Pſal. 18.
gloriam Dei. Quo monemur, eorum rectorum celebran-
dam eſſe gloriam, qui cæli tum lucem ſapientia, tum con-
uerſationis ſanctimonia imitati conſecutique ſunt. Huius
itaque rei, quæ omnium longè maxima eſt, quanta cura ſy-
nodis fuerit, hiſtoria memorat. Nam qui præſtanti doctri-
næ ſanctum vitæ inſtitutum adiunxerint, à ſynodorum pa-
tribus ex vniuerſo terrarum orbe conquiſiti, euecti, exor-
natique ſunt, ſumma cum eligentium laude, eccleſiarũ fru-
ctu, commodo, lætitia, plauſu populorum. Quid illud om-
nium grauiſſimum ac periculoſiſſimũ loquar, quod nemo
tempeſtate noſtra non deplorat? iniurias Principum dico,
legionum inſolentiam, armatorum minas. Quid enim mi-
ſerius vel audiri, vel cogitari poteſt, quàm vt cæli terrarum-
que regina Eccleſia, aut vi ſeruire, aut manus dare, aut craſ-
ſantium tela pertimeſcere cogatur? Quæ quidem peſtis ad-
eò ſerpit hoc tempore, adeò inſurgit, adeò inualeſcit, vt om
nis illa Eccleſiæ authoritas, atq; à Deo tradita libertas, euer-
ſa, profligata, & planè extincta eſſe videatur. Quam ob rem
caue, Iuli ſecunde Pont. maxime, caue, credas vllum morta-
lium quicquam melius, ſalubriuſve cogitaſſe vnquam, quã
ipſe ſpiritu ſancto monente cogitaueris in ſynodo inſtitu-
enda, cuius quidem nulli Reges, nulli Principes poſſunt vel
decreta contemnere, vel iuſſa negligere, vel authoritatem
detrectare. Si qui enim fortè Pontificem ipſum per ſe iner-
mem paruipendere auſi ſunt, ſynodi authoritate, Princi-
pumque & nationum conſenſu ac ſtudijs inſtructum, me-
tuere ac vereri conſueuerunt. Nam ſi ſynodorum res geſtas
repetamus, nihil illis potentius, nihil maius, nihil minutius
eſſe intelligemus. Synodo namque in Ioannem Hiſpanum,
& Alphonſum Luſitanum, Rodulphum Imp. deſignat Gre-
gorius X. ſynodo Martinus IIII. in Petrum Aragonenſem
animaduertit. Synodo VIII. Bonifacius in Philippum regẽ
decernit. Synodo & olim Gregorius alter, & patrum me-
moria Eugenius Græcam Eccleſiam Latinæ coniungit. Sy-
nodo in Fredericum Imperatorem agit & IIII. Innocẽtius,
& Gregorius VIII. Quin in hac eadem æde omnium prin-
cipe, & quæ vincere ſemper hoſtes ſolita eſt, vinci nũquam;
non niſi Synodo, & ſecundus Innocentius aduerſarios deie-
cit, & tertius Alexander Victorem ſocioſque ſuperauit: &
tertius Innocentius Othonem imperio ſubmouit, & Marti-
nus V. hoſtilia tyrannorum arma diſſipauit: & (ne omnia
perſequar) quicquid laude, quiquid gloria dignum à Mel-
chiadis ætate in Eccleſia geſtum eſt, aut ad hoſtem arcen-
dum, aut ad rempublicam componendam, id omne de ſy-
nodis originem ſumpſit, & proinde ſynodis referendum
acceptum eſt. Quid enim aliud ſancta ſynodus eſt, niſi ma-
lorum metus, proborum ſpes, errorum eiectio, ſeges & re-
ſtitutio virtutum, qua dæmonum fallacia vincitur, ſenſus
illecebræ auferuntur, ratio amiſſam arcem recipit, terris è
cælo iuſtitia reſtituitur? Redit ſiquidem ad mortales Deus.
Nam ſi dixerit, Vbi duo vel tres meo nomine conuenerint, Matth. 18.
ad eos venio, interq; eos ſum: quanto huc libentiùs ſe con-
feret, quò non duo tantùm vel tres, ſed tot Eccleſiæ capita
proficiſcuntur? Nam ſi angelos Ioannes appellat eccleſia- Apoc. 2. &
rum paſtores, quid eſt quod vel votis petere, vel precibus à 3.
Deo conſequi non poſſit tanta ſimul frequentia Angelo-
rum? Hîc Eua ab exilio reuocatur, hîc ſerpentis caput talo Geneſ. 15.
premitur puellæ ſanctioris: Abraham educitur è Chaldæo- Geneſ. 16.
rum terris, Agar ancilla obtemperat dominæ: fœdus cum Geneſ. 17.
Deo rurſus feritur: animorũ circuncisio introducitur. Hîc
ſcalam figens Patriarcharum pater, & in cælum aditum pan Geneſ. 28.
dit, Deo iungitur in paleſtræ ludo, & à vinculo Deo accipit Geneſ. 32.
nomen. Hîc populi velut in ſolicitudine fame oppreſſi, di- Pſal. 77.
uinitus ſuppetias impetrant, cæli angelorumque panem re- Num. 20.
cipiunt, & ſuauitate veſcuntur cæleſtium epularum. Hîc for. ſtra Moſis
cùm hominum pectora tanquã ſaxea euaſerint, Moſis vir- Matth. 13.
ga percuſſa, aquarum fontes effundunt: hîc theſaurus in a- Matth. 13.
gro abditus effoditur, margarita emitur, lampades accen- Matth. 25. Mar. 4.

duntur,

duntur, ſemen in bonam ſeritur terram, ſinapis granũ ſurgit in arborem & feraci oleæ oleaſter inſeritur. O beata itaque illa tempora, quæ ſynodus ſuſceperunt: hæc ſtulta, ſi non agnouerint: miſera, ſi non amiſerint: Et quoniam vetera ſynodorum commoda ſtrictim attigimus, nunc quàm breuiſſimè noſtra delibemus.

Math. 13. Rom. 11.

Appello ergo te, Iuli II. Pont. Max. ſummus ille te appellat Deus, qui ſuam te gerere in terris vicem voluit, qui è tanto iampridem ſenatu te vnum delegit, qui nonam vſque in annum Eccleſiæ ſuæ te ſponſum defendit, qui & bonam cogitãdo mentem, & magnam agendo facultatem dedit, quãtam nulli maiorum vnquam præſtitit, vt ſcilicet prædones abigeres, vias purgares, ſeditiones tolleres, domi templum, omnium quæ vſquam viſa ſunt, magnificentiſſimum excitares: militiæ, (quod nemo antehac potuit) Eccleſiæ arma magnis regibus metuenda faceres: vt deniq; imperium propagares, vt Ariminum, Fauentiam, Rauennam, & alia permulta recuperares. Quæ & ſi eripere tibi hoſtis poteſt: quin tamen primus Pontificum hæc omnia geſſeris, efficere non poteſt. Magnorum enim Principum virtus non ex caſu, aut ex euentu, ſed ex cõſilijs actionibuſq; cenſenda eſt. Nunc rebus geſtis hæc duo deerant, vt ſynodum vocares, & communi Chriſtianorum hoſti bellum indiceres: & quæ ab initio ſemper cogitaſti, ſpõdiſti, decreuiſti: iam Deo, iam Chriſtiano gregi, iam tuæ præſtes tum pietati, tum fidei. Ac ſcias, te bonos omnes in magnam ſpem erexiſſe, quippe qui bellorum & malorum temporum iniuria, ad hæc differenda coactus quidem fueris: ad negligenda verò & deſerenda non minis, non telis, nõ cladibus adduci potueris, quin animam ea conſtantia firmaueris, vt hi fluctus, hæ aquæ quanquam multę, firmam tamẽ charitatem tuam extinguere non potuerint. Ille itaq; idem Deus, qui præter hæc omnia, quæ ad animum excitandum enumeraui, immortalia beneficia, his ſuperioribus annis tũ Bononiæ, tum Romæ, cùm etiam intra ædes tuas extinctus habereris, in vitam reuocauit, & ad hæc maxima opera gerenda reſeruauit, vt & ipſe Deus extincto Pontifici manifeſtiſſimo miraculo, & Põtifex extinctæ Eccleſiæ ſanctiſſima ſynodo vitam reſtitueret, atque vna cum reuiuiſcente pontifice, etiam Eccleſia moribus reuiuiſceret. Ille (inquam) Deus petit mandatq;, vt duo illa animo volutes, cures, peragas, & (quẽadmodũ propheta iubet) deſtruas, euellas, eruas errores, luxũ, vitia: inſtituas, ædifices, plantes moderationẽ, virtutem, ſanctimoniam.

Hier. 1.

Ad hęc verò agenda, cùm alia permulta, tum præcipuè amiſſus exercitus excitare nos debet: quod equidem putem diuina prouidentia factum, quo armis Eccleſię alienis freti crederemus, vt ad noſtra redeũtes, victores euaderemus. Noſtra autem arma ſunt ietas, religio, probitas, ſupplicationes, vota, lorica fidei, atque arma lucis, vt Apoſtoli verbis vtar.

Rom. 13. Ephes. 6.

Ad quæ ſi ſynodi opera redibimus, vt armis non noſtris inferiores aliquo hoſte fuimus, ita noſtris erimus omne hoſte ſuperiores. Veniat (quæſo) in mentem Moſis bellum, quod aduerſus Amalech Regem geſſit.

Exod. 17.

Videbis populum Deo charum, gladijs fidentẽ, vinci ſemper: contra, ſemper vincere precibus ſupplicantem.

Ibidem

Ioſue exercitum in præliũ ducebat, Aaron ſacerdos cum Hur ac Moſe montem aſcendebant. illi armato corpore ferebantur in hoſtem, hi Deum purgato animo precabantur: illi enſibus, hi votis agebant: illi ferro, hi pietate pugnabant. Vidimus vtraque arma, militiæ ſcilicet ac religionis. Sed iam, quæ noſtra ſint, Deo rem oſtendente, cognoſcamus.

Ibidem

Dum Moſes (inquit) manus attollebat, noſter vincebat exercitus: dum manus remittebat, exercitus inclinabat.

Ibidem

Ac (ne caſu id factum ſuſpicemur) in calce ſermonis illius ſcribitur, aduerſus Amalech, hoc eſt, in Eccleſiæ hoſtem, Dei manum ac bellũ eſſe in generatione & generationem. Quibus quidem verbis monet Deus, vtranque generationem atque vtranque Eccleſiam, & Moſis & Chriſti, militiæ armis vinci, pietatis ſtudio vincere: ſuperari telis decertando, ſacra faciendo ſuperare. Freta initio ſuis armis Eccleſia, Africã cepit, Europam obtinuit, Aſiam occupauit, non vi, non bello, nõ ferro, ſed religionis actionibus, & ſanctitatis opinione per vniuerſum orbem Chriſtiana ſigna circuntulit. At vbi ſponſa, quæ tunc vndique vocabatur, accerſebatur, expetebatur in veſtitu deaurato, aureum paludamentum ardentis ſpiritus, ferreis Aiacis inſani armis commutauit: Imperium, duodecim ducum partum ſanguine, amiſit: Aſiam & Hieruſalem perdidit, Africam Ægyptumque relinquere coacta eſt: Europæ, cum Byzantino Imperio & Græcia, bonam eripi ſibi partem vidit. Vox Dei eſt, dicentis, laſſis Moſis manibus, votis precibuſq; ceſſantib⁹, Ioſue vinci, vincere Amalech: ita & nos vidimus, cùm religio vota ferro commutauit, toto ferè orbe pulſam, eiectam, exploſam Eccleſiam, aucto in immẽſum Mahumete: qui, niſi ferro relicto, rurſum in pietatis ſinũ ad aras & Dei puluinaria redeamus, creſcet indies magis, ſubiget Imperio omnia, orbem vniuerſum noſtræ impietatis vltor impijſſimus occupabit. Video, video, niſi vel hoc Concilio, vel alia ratione noſtris moribus modum imponamus, niſi noſtram humanarum rerum cupiditatem, malorum fontem, cedere diuinarum amori compel[illegible]us, actum de rep. eſſe Chriſtiana, actum de religione, actum de pietate, actum eſſe de ijs ipſis opibus, quas patres Diuino cultu aucto peperere, nos contra, neglecto, amiſſuri ſumus. Hæ enim ita ex extrema pauperie peruenere ad ſummum, vt non ita multo pòſt interituræ eſſe videantur: ac niſi receptui canamus, niſi rationibus noſtris conſulamus, inſula illa ditiſſima, cuius ad ornãda ſacerdotis tempora vſus fuit, vix ad operiẽda inueniatur. Audite Diuinas voces vndique ſonantes, vndique ſynodum, pacem, ſanctam illam expeditionem efflagitantes. Quando enim vita noſtra mollior? quando ambitio petulantior? quando cupiditas inflammatior? quando peccandi licentia impudentior? quando audacia aduerſus pietatem loquendi, diſputandi, ſcribendi aut frequentior, aut ſecurior fuit? quando in populis rerum ſacrarum, quando ſacramentorum, quando & clauium, & ſanctorum præceptorum non modò negligentia, ſed & contemptus maior? quando apertiùs religio & fides noſtra ludibrio (vel tenui plebeculę) fuit? quãdo (proh dolor) ſchiſma in Eccleſia pernicioſius? quando bellum pericoloſius? quando hoſtis potentior? quando exercitus truculentior? quando obiter monſtra, portenta, prodigia tum cæli minitantis, tum terræ expaueſcentis, aut crebriora, aut horribiliora apparuere? quando (heu fletus me impedit) cædes, quando clades, aut poſt Brixiana, vel poſteà, Rauennate cruentior? quando (inquam) vllus inter infauſtos dies, quam ſanctiſſima illa reſurgentis Chriſti lux, aut luctuoſior, aut calamitoſior, illuxit? Quæ quidem omnia (niſi ferrei ſimus) quidnam aliud quàm cælitus miſſæ voces ſunt? Voces namque Dei, vti Proclus ait, facta ſunt, de quo vno aiũt oracula, quòd dixit, & facta ſunt. Et in arcanis Hebræorum legimus, decem dictis, quæ in Geneſi leguntur, orbem vniuerſum eſſe conditum. Voces igitur ſunt, quæ fieri cernimus, voces monentis Dei ac pręcipientis, vt ſynodum habeas, vt Eccleſiam emendes, vt vtriuſque hominis bellum tollas, vt ſponſæ tuæ vndique laceſſitæ pacem vtranque reſtituas, vt gladios auertas, vrbis & Italiæ iugulis imminentes, vt noſtram frenes viuendi licentiam, Eccleſiæ viſcera maioribus vulneribus ferientem. Non enim multi refert, quantum agri poſſideamus, ſed quàm iuſti, quàm pij, quàm diuinarum rerum ſtudioſi ſimus: vt denique poſt tot mala, tot incommoda, tot calamitates, principem Chriſtum audias, Petro poſteriſque ſynodum oſtendentem, vt vnicam omnium malorum medicinam, ſingularem periclitantis nauiculæ portum, ſolam reipub. confirmandæ rationem: Tu (inquit) Petre aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. I

Audis Petre? audis Paule? Audiſtis auguſtiſſima ſemper capita, tutela ac præſidium vrbis Romæ? Auditis, in quem malorum cumulum Eccleſia veſtro fundata ſanguine, deducta ſit? Videtis acies vtrinq; profligatas? Videtis cædes? videtis clades? videtis campos occiſorum aceruis opertos? videtis terram hoc anno plus cruoris hauſiſſe, quàm pluuiæ? minus imbriũ bibiſſe, quàm ſanguinis? Videtis tantum occubuiſſe Chriſtiani roboris, quantum fuerat ad fidei hoſtem debellãdum ſatis? nihil nobis niſi exitium, nihil niſi interitum ſupereſſe? Ferte opem, iuuate, ſuccurrite, & quam de Iudæorum & Tyrannorum faucibus eruiſtis Eccleſiam, nunc domeſticis cladibus occumbentem eripite. Orat populus, viri, fœminæque, omnis ætas, omnis ſexus, omnis orbis: rogant patres, obſecrat ſenatus, obteſtatur ipſe denique ſupplex pontifex, vt ſe, vt Eccleſiam, vt vrbem Romam, hęc templa, has aras, hæc ſacra, hæc veſtra ipſorum capita ſerue-

is: ac ſynodum Lateranenſem, hodiè ante ora veſtra à Iulio ſecundo Pont.Max.indictam, quod fauſtum, felix, fortunatumque ſit nobis, Eccleſiæ veſtrę, totique reipub.Chriſtianę, in orbis terrę certiſſimam ſalutem ſancti ſpiritus numine firmetis: curetiſque & pacari Chriſtianos Principes, & in publicum Chriſti hoſtem Maumethem, noſtrorum Regum arma conuerti, atque his fluctibus, his tempeſtatibus, his aquis, non modò non extingui Eccleſiæ charitatem, ſed almæ crucis meritis, & diuini ſpiritus ductu, quibus iunctim hodiè ſacra fiunt, ablui potiùs ab omnibus conceptis maculis, & in antiquum ſplendorem munditiamque reſtitui.

DIXI.

Habita fuit oratio in æde Lateranenſ. quinto Nonas Maias 1512.

SESSIO I.

Die lunæ decima menſis Maij, anno, indictione, & pontificatu, de quibus ſuprà, congregata fuit ſacra & vniuerſalis ſynodus in baſilica Lateranen. præſidente præfato ſanctiſſimo D.N. Iulio, celebrata Miſſa de ſpiritu ſancto per reuerendiſſ. in Chriſto patrem D.Dominicum Epiſcopum Portuenſem, Cardinalem Grimanum ſeu ſancti Marci vulgariter nuncupatum, habitus ſermo per reuerendum patrem D.Bernardum Archiepiſcopum Spalaten. Interfuêre infraſcripti reuerendiſſ. D.Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, epiſcopi, Abbates, Magiſtri generales ordinum, Oratores principum, & alij Illuſtriſſimi domini, videlicet:

EPISCOPI CARDINALES.

Reuerendiſſ. D.Raphael Oſtien.
Reuerendiſſ. D.Dominicus Portuenſis.
Reuerendiſſ. D.Iacobus Albanenſis.
Reuerendiſſ. D.Marcus Prænestinus.

PRESBYTERI CARDINALES.

Reuerendiſſ. D.Thomas tituli ſancti Martini in montibus, Strigonienſis.
Reuerendiſſ. D. Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſ. D.Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Nanneten.
Reuerendiſſ. D.Chriſtophorus tituli ſanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerendiſſ. D. Antonius tituli ſancti Vitalis, Sipontinen.
Reuerendiſſ. D.Petrus tituli ſancti Euſebij, Anconitan.
Reuerendiſſ. D. Achilles tituli ſancti Sixti, Bononien.
Reuerendiſſ. D. Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de * Saulis.

DIACONI CARDINALES.

Reuerendiſſ. D.Alexander ſancti Euſtachij Farneſius.
Reuerendiſſ. D.Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſ. D.Alphonſus ſancti Theodori, Senen.

PATRIARCHÆ ET ASSIſtentes papæ.

Reuerendus pater D.Cæſar Alexandrinus.
Reuerend.P.D.Alphonſus Antiochenus.
Reuerend.P.D.Stephanus Patracen. & Torcellanenſis.
Reuerend.P.D.Vincentius Neapolitan.
Reuerend.P.D.Franciſcus Iadren.
Reuerend.P.D.Fredericus Salernitan.
Reuerend.P.D.Gabriel Dyrrhachien.
Reuerend.P.D.Orlandus Nazarenus.
Reuerend.P.D.Franciſcus Vincentinus.
Reuerend.P.D.Franciſcus Sueſſanus.
Reuerend.P.D.Iulianus Agrigentin.
Reuerend.P.D.Ferdinandus Caietanus.
Reuerend.P.D.Laurentius Aſculanus epiſcopus, Vicecamerarius & gubernator Vrbis.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerendus P.D.Franciſcus Conſan.
Reuerend.P.D.Ioannes Iacobus Baren.
Reuerend.P.D.Ioannes Vincentius Senen.
Reuerend.P.D.Aldronandinus Nicoſien.
Reuerend.P.D.Bernardus Spalaten.
Reuerend.P.D.Antonius Auinionen.
Reuerend.P.D.Hieronymus Antibaren.
Reuerend.P.D.Mauricius Tuanien.
Reuerend.P.D.Ieremias Trancn.
Reuerend.P.D.Andreas * Noboniaſien.

EPISCOPI.

Reuerendus P.D.Alexius Melphitan.
Reuerend.P.D.Ioſue Eſculan.
Reuerendus P.D.Iacobus Potentin.
Reuerend.P.D.Ioannes Baptiſta Cauallicen.
Reuerendus P.Galeſius * Beluncn.
Reuerendus.P.D.Albertinus Piſaurien.
Reuerendus P.D.Octauianus Viterbien.
Reuerendus P.D.Ioannes Antonius Calinen.
Reuerend.P.D.Franciſcus Ortanus.
Reuerend.P.D.Latinus Veſtanus.
Reuerendus P.D.Ioannes Aquilanus.
Reuerendus P.D.Galatius * Sarcinen.
Reuerendus P.D.Iacobus Signinus.
Reuerend.P.D.Altobellus Polen.
Reuerend.P.D.Andreas Militen.
Reuerend.P.D.Iacobus Paphen.
Reuerend.P.D.Simon Ariminen.
Reuerend.P.D.Bernardus Taruiſinus.
Reuerend.P.D.Ludouicus Tricaricen.
Reuerend.P.D.Thomas Ceruien.
Reuerend.P.D.Ioannes Baptiſta * Maranenſ.
Reuerend.P.D.Franciſcus Milopotamienſ.
Reuerend.P.D.Raphael * Capitranenſ.
Reuerend.P.D.Franciſcus Biſignianenſ.
Reuerend.P.D.Matthæus * Vmbriacenſ.
Reuerend.P.D.Ferdinandus Balneoregienſ.
Reuerend.P.D.Petrus * Vrgellenſ.
Reuerend.P.D.Benedictus Chienſ.
Reuerend.P.D.Bernardinus Caſtrenſ.
Reuerend.P.D.Petrus Caſtelli maris.
Reuerend.P.D.Aloiſius Interamnenſ.
Reuerend.P.D.Guilielmus Cortonenſ.
Reuerend.P.D.Nicolaus Neocaſtrenſ.
Reuerend.P.D.Ioannes Tudenſ.
Reuerend.P.D.Vincentius * Naulenſ.
Reuerend.P.D.Michael Monopolitan.
Reuerend.P.D.Dominicus Aquenſis.
Reuerend.P.D.Giſbertus Rapollan.
Reuerend.P.D.Ioannes Bobienſ.
Reuerend.P.D.Georgius Callenſ.
Reuerend.P.D.Ludouicus * Signenſ.
Reuerend.P.D.Iacobus * Marſicanus.
Reuerend.P.D.Lambertus Venuſinus.
Reuerend.P.D.Simon Modruſienſis.
Reuerend.P.D.Ioannes Antonius Anglonenſ.
Reuerend.P.D.Zacharias Terracinenſis.
Reuerend.P.D.Ioannes Franciſcus Nolan.
Reuerend.P.D.Corradus Aſtunenſ.
Reuerend.P.D.Hieronymus * Inſulenſ.
Reuerend.P.D.Michael * Mordauienſ.

Digitized by Google

Reuerendus P. D. Ioannes Arianenſ.
Vgolin Reuerend. P. D.* Hugolinus Licienſ.
Reuerend. P. D. Dominicus Lucerin.
Reuerend. P. D. Hieronymus Aretin.
Reuerend. P. D. Bernardus Soranus.
Reuerend. P. D. Tranquillus Ferentin.

ABBATES.

Reuerendus P. D. Antonius abbas monaſterij ſancti Galgani ordinis Ciſtertienſ. Vulteranenſ. diœceſis.
Reuerendus P. D. Floremõdus abbas monaſterij ſancti Gregorij de Vrbe, ordinis ſancti Benedicti.

MAGISTRI GENErales ordinum.

Magiſter Thomas Generalis ordinis Prædicatorum.
Magiſter Gemetius Generalis ordinis Minorum.
Magiſter Ægidius Generalis ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini.
Magiſter Bernardus Generalis ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo.

SENATOR VRBIS.

Magnificus dominus Petrus de Starcelupis Florentin.

ORATORES.

Magnificus Dominus Hieronymus Vich, orator Catholicorum regis & reginæ Hiſpaniarum.
Magnificus dominus Franciſcus Foſcarus eques, orator ſereniſſimi & illuſtriſſimi dominij Venetorum.
Magnificus dominus Antonius de Strozis, orator Florentinorum.

ILLVSTRISSIMI DOMINI temporales.

Illuſtriſſ. dominus Iulius de Vrſinis.
Illuſtriſſ. D. Marcus Antonius de Columna.
Illuſtriſſ. dominus Nicolaus de Ruuere.
Illuſtriſſ. dominus Franciottus de Vrſinis.
Dominus Fabricius de Careto, procurator ordinis S. Ioannis Hieroſolymitan.
Dominus Sixtus de Ruuere prior vrbis, Miles ordinis S. Ioannis Hieroſolymitan.
Dominus Petrus Grimanus, Prior de Vngaria, Miles ordinis S. Ioannis Hieroſolymitan.

Deinde præſentibus ſupradictis & alijs doctoribus & magiſtris, cantatiſque litanijs & alijs orationibus cum genuflexionibus, benedictaque ſynodo per ſanctiſſ. D. N. iuxta morem & laudabilem conſuetudinem in ſacris concilijs ſeruari ſolitam, & quampluribus deuotis orationibus, ac cantato Euangelio per Reuerendiſſ. dominum Ludouicum S. Mariæ in Coſmedin diaconum Cardinalem de Aragonia, quod incipit: Ego ſum paſtor bonus, idem D. N. Iulius Papa habuit orationem, ſumpto themate: Conueniſtis in vnum patres, &c. Et allocutus eſt ſynodum, exhortans omnes ad meditandum & ſolerter inſiſtendum ſuper ordinandis, quæ ad Eccleſiæ pacem & ſtatum pertinent, ac ſchiſmatis extinctionem, & dictę Eccleſiæ reformationem, ac cõtra infideles per Chriſtianos principes expeditionem, pacemque inter eos componendam. Facta itaque exhortatione, magna cum grauitate & charitate quibus Rom. Pontifex decebat, idem ſanctiſſ. D. noſter incepit hymnum, Veni creator ſpiritus &c. Quo abſoluto per cantores, Reuerendiſſ. D. Alexander S. Euſtachij diaconus Cardinalis, de Farneſio vulgariter nuncupatus, ſtans in thalamo eminenti iuxta locum, vbi præfatus ſanctiſſimus D. N. ſedebat, alta & intelligibili voce legit quandam ſchedulam, Cuius tenor eſt talis:

SCHEDVLA PRIMA.

BVLLA INDICTIONIS SACRI GENERALIS Concilij Lateranen.

Iulius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Intendentes executioni eorum quæ anno præterito & præſenti pro celebratione generalis concilij, in hac Lateranenſ. baſilica tenendi, & proximis diebus inchoati, per noſtras intimationis & prorogationis literas denuntiari, & peruulgari fecimus, quarum tenor ſubſequitur, videlicet:

IVLIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, martyrum, ſanguine conſecratæ, magiſtræ fidei, veritatis alumnæ, omnium errorum expertis, vnicæ & immaculatæ, diuina inſtitutione, ſanctorum authoritatibus conciliorum, canonumque omnium teſtimonio, eccleſiarum cunctarum primatum tenentis, fidelium matris, regimini ſuperna diſpoſitione præſidentis, circa religionis Chriſtianæ puritatem, ipſiuſque vnitatem, pacem & tranquillitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput, Chriſtum videlicet, cuius vices in terris gerimus, principaliter tendit, diuiſionem ouilis nobis ex alto commiſſi, in illoque ſchiſma, per quod Eccleſia ſcindi & ſcandalizari, grexq; Dominicus nobis creditus turbari quoquo modo poſſit, quantum cum Deo poſſumus prohibentes, ac damna & ſcandala, quæ exindè euenire poſſent, eneruantes, ac palmites futuros infructuoſos ſuccidere, & quoſcunq; aliter quàm per oſtium ad ouile ingredi cupientes, ac à via Domini, poſtquã illam ſemel cognouerant, retrocedentes, ad ſemitam veritatis reducere, vulpeculaſq; ex vinea eiuſdem domini per miniſterium ſummi apoſtolatus etiam expellere deſiderantes; de opportunæ prouiſionis remedio prouidemus, aliaq; ordinamus & mandamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè nõ ſine graui animi noſtri moleſtia percepimus, quòd quidam S. R. E. Cardinal. qui nobiſcum, dum verſus ciuitatem noſtra Bononienſ. pro recuperatione nonnullarum terrarum S. R. E. etiam vna cum noſtra curia perſonaliter accederemus, pro recuperandis terris huiuſmodi venire ſimulauerant, ex noſtra licentia ab vrbe recedentes, Florentiam diuerterunt, ibique ſe continuerunt, etiam poſtquàm nos eos per dilectum filium noſtrum Franciſcum tituli S. Clementis preſbyterum Cardinalem, tunc in minoribus conſtitutum epiſcopum Concordienſ. Datarium noſtrum, per literas noſtras ad nos tunc Bononiæ exiſtentes, vocari feceramus, licet ſe venturos obtuliſſent, nihilominus ſatore zizaniæ ſeminante, per quem morum ſubuerſio in clero & populo frequenter obrepit, tanquam membra inſana ſine cauſa legitima à ſuo capite recedentes, armis ſatellitibuſque ſtipati, immò in ſeipſis armis aſſumptis, & pro ſacerdotalibus veſtibus thoracem induti, & gladijs armati, Papiam ſe contulerunt. Quò cùm perueniſſent, ſtimulo conſcientiæ (vt credimus) agitati, per internuncios perque Regiorum oratorum interceſſiones reditum ad nos poſtularunt. & pro deſertionis venia ſupplicarunt, quam benignè obtulimus. Sed ipſi, qui nobis ex officio tanquam conſultores aſſiſtere, neque ſine licẽtia nobis & noſtræ curiæ veluti corporis membra adeſſe debuiſſent, auſi tamen ſunt os in cælum & ſpiritum blaſphemiæ, & cum Lucifero ſedem ad Aquilonem ponere, altitudinem nubium tranſcendere, vt ſe ſimiles Altiſſimo conſtituant, Pontificalem authoritatem noſtram ſibijpſis aſcribere ſatagentes, conuenientes vt locuſtæ,

ephali, aggreſſi ſunt ſine Roman. Pont. authoritate œcu- enicum generale atque vniuerſale Concilium conuoca- ;locum concilij & tempus indicere, & valuis eccleſiarum alijs publicis locis per publica inſtrumenta etiam falſa, idictionem huiuſmodi affigere & publicare, eiſdemque iſtrumentis falſis publicè atque impudenter vti, quoſdam .R.E. Card. ſui propoſiti ſocios in eorum prætenſo edicto ilſo declarando, qui tamen & publicis & priuatis ſcriptu- is eorum proprijs manibus ſcriptis, ſe illis in huiuſmodi ropoſito neque verbo neque ſcripto vnquam iunxiſſe, eu quomodolibet conſenſiſſe proteſtati ſunt, noſq; ac ve- erabiles fratres noſtros eiuſdem S.R.E. Card. ac alios tunc xpreſſos, vocare & requirere, vt per nos vel alios ad huiuſ- nodi eorum concilium accedere vellemus, non formida- unt, aſſerentes decennium poſt vltimum vniuerſale con- ilium, etiam contra conſtitutionem concilij Conſtantieñ. quæ incipit, Frequens, iam dudum effluxiſſe, & nos illud onuocare neglexiſſe, maximè cum iurauiſſemus, & vouiſ- ſemus illud poſt biennium à creatione noſtra tenere, tem- puſque pro homine interpellare, neq; credendum fore no- tra authoritate & voluntate Concilium futurum: & cùm de grauibus criminibus notorijs durantibus, vniuerſalem Eccleſiam ſcandalizantibus in capite agendũ foret, ad ſummum Pontificem concilij congregationem non attinere, ſed ſecundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæſerunt, conuocationem concilij ſpectare. Ac vt huiuſmodi eorum conuocationem, & conuenticulum honeſtare viderentur, eiſque authoritatem adijcere, hoc idem ferè per omnia, per quoſdam aſſertos procuratores chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorũ Maximiliani Rom. Imperatoris electi, & Ludouici Francorum regis Chriſtianiſſ. principum, ſub eiſdem datis, modo & forma, & ſimilib⁹ ſchedulis, præter tamen voluntatem & mentem dictorum principum (vt rationabiliter credi debet) fieri & publicari procurauerunt, & ordinauerunt. Sed hæc vt falſa, ficta, commẽtitiaq; ſunt, & nõ ex zelo charitatis & religionis, ſed odij fomite & inimicitiæ procedentia, ita omnibus Principibus, necnõ Chriſti fidelibus cupimus nota fieri. Quis enim tanti erroris particeps eſt, qui nos de negligentia erga cõuocationem concilij redarguere poſſit, cùm nihil nobis per vltimos vndecim annos, quibus cardinalatus officio functi ſumus, magis cordi fuerit, quam celebrari videre generale concilium, & eccleſiæ Romanæ ſtatum in melius reformari? Quid enim felicis recordationis Alexandro ſexto Romanorum Pontifici prædeceſſori noſtro, magis nos odioſos fecit, niſi ſtudium & cura generalis cõcilij celebrandi? Quid nos terra marîq; iactauit, cùm nobis idem Alexander prędeceſſor eſſet infenſus? Quid toties Alpes tranſcẽdere trãſalpinas, Gallias peragrare per æſtus, niues & glacies compulit, niſi quod nitebamur, vt à Romano pontifice concilium indiceretur, conuocaretur, & celebraretur? Nota recenſemus, & Principibus Chriſtianis apertiſſima, immò illis ipſis, qui nos & fratrum noſtrorum Collegium criminantur, dudum pleneq; comperta. Quare ſi anteactæ vitæ ratio apud prudentes de præſenti & futuro vitę rationem facit, nulla ſubeſt ratio cur dicti Cardinales, qui à nobis receſſerunt, deſperent nos facturos, quod tam longo tempore, tam ardenter, & non ſine vitæ diſcrimine fieri deſiderauimus & ſtuduimus. Aperiant oculos cordis, & odij obſtacula reſecent, & cogitent, qua voce, quibus oculis, qua facie promiſerimus (vt dicunt) in noſtra ad Pontificatum aſſumptione, iurauerimus & vouerimus generale celebrare Concilium: quoniam noſtræ promiſſioni interfuerunt. Certè palpabunt, nos non ſola voce, non ſimulatè, ſed in cordis ſimplici veritate id egiſſe, quod prædicant. Quòd ſi ea, quæ diximus, attẽdere nolunt, examinent & inſpiciant omne ſtudium in pontificatu noſtro circa præmiſſa. Nónne omnes principes Chriſtianos, qui ad obedientiam ex more præſtandam miſerunt oratores, admonuimus de celebrando generali concilio, deque expeditione in perfidos Turcas conciliariter decernenda, aſſumenda, & proſequenda? Nónne primo Pontificatus noſtri toto biennio Chriſtianos potẽtatus pacare ſtuduimus, vt conciliatis animis concilium iniretur? Quid vltrà facere debuimus, aut potuimus ad reſtituendam Eccleſiæ pacem, quod omiſerimus? Nouit ipſe Cardinalis, qui edicti ſeu indictionis huiuſmodi, & contentorum in ea ſe aurigam profitetur, & * claui moderatorem prædicat, quid à nobis habuerit in mandatis, cùm ad Romanorum Imperatorem electum per vniuerſam Germaniam illum noſtrum & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ legatum miſimus: cõmunicet illa fratribus ſuis, qui cum illo ſentire videntur, proferat monita in ſcriptis illi tradita. certo certius & luce meridiana clarius erit, hanc indictionis deſperationem de celebrando à nobis concilio, nedum leuem & inanem, ſed falſam, irrationabilem, impoſſibilemq; fuiſſe. Nulla noſtra culpa, neq; S.R.E. Cardinalium, dilata eſt generalis Concilij indictio, conuocatio, & celebratio. Diſtulit hæc infelicitas temporum, quæ ſub eodem Alexandro prædeceſſore noſtro vexare cœpit Italiam, & adhuc vexare non ceſſat, & inſtans neceſſitas recuperandi terras & iura eiuſdem Romanæ Eccleſiæ. Nam propoſitum noſtrum ſemper ad Concilij celebrationem promptiſſimum atque intentiſſimum fuit. Quare ſpiritum diffidentiæ deponant, & ita huiuſmodi calumniæ authores, reuerſi ad cor, mordere deſinant paſtorem & patrem animarũ ſuarum. Deſinant etiam calumniari fratres ſuos eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales. Quòd ſi tam ardenter illis cordi eſt, ſe caput & authores generalis concilij conſtituere, quid ad hanc rem facto opus ſit, priùs diſcant: reuoluant ſanctorum patrum & Romanorum vitas pontificum, & antiquum morem indicendi & conuocandi & celebrandi Concilium: traditiones & leges ſuper his editas à patribus, inſpiciant: videbunt huiuſmodi Concilia à ſolis Romanis Pontificibus eſſe indicta, & aliter indicta, rata non fuiſſe. Quod verò attinet ad conſtitutionem concilij Conſtantieñ. quæ incipit, Frequens huiuſmodi, ea ad octuaginta annos ſeruata non fuit: & ſi ſeruata fuiſſet, teſte pię memoriæ Eugenio Papa IIII. etiã prædeceſſore noſtro, ac ſacrorum canonum ſanctionibus, ex cauſis prædictis licuit nobis tranſgredi. & quod fortius eſt, ſtante legitimo impedimento, de quo ſuprà, eam locum non habere, certo certius eſt. Votum autem & iuramentum quod ex prædictis cauſis de iure nobis tranſgredi licuiſſet, tranſgreſſi non ſumus: quandoquidem legitimo impedimento detenti, non potuimus obſeruare, & quia votum & iuramentum, quantum ad hanc materiam attinet, in foro conſcientiæ verſantur, de æquitate canonica purgatio moræ ſemper admittitur. Deſinant nobis & fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus negligentiam impingere, quæ (vt præmittitur) nulla fuit, & ſi qua fuiſſet, ipſis cum Alexandro prædeceſſore præfato & nobiſcum manentibus, multo magis imputari poſſet. Quòd autem docentes iuxta Prophetam, linguas Hier. 9.
ſuas loqui mendacium, & contra diuinum præceptum aduerſus Principẽ populi ſui maledicentes, confingunt in nos Exod. 20.
crimina, & ea quidem (vt aſſerunt) durantia, grauiſſima, notoria, ſcandalizantiaque vniuerſalem Eccleſiam, dicuntque propterea negligentibus alijs S. R. E. Cardinalibus, ad eos deuolutam concilij congregandi facultatem, nõ miramur: quoniam teſte Hieronymo, ſchiſmatici, cùm dubitant cauſas ſuas damnari, in contumelias proſiliunt. Dicant prædicti, nomine tantùm Cardinales, Dathan & Abiron, Acaciumque & Dioſcorum repræſentantes, tenebrarum filij, nunquid ſummo Pontifici ſpectet & pertineat congregare Concilium, etiam ſi de ſua cauſa agatur? legant vltra antiquos geſta Conſtantieñ. concilij, in quibus ſe potiſſimum fundant, vt ex eis, tanquam Iudæi ex proprijs codicibus, confundantur; reperient, Ioannem Papam XXIII. de cuius potiſſimum cauſa agebatur, concilium Conſtantieñ. huiuſmodi indixiſſe. Cùm ergò Concilium prædictum congregare parati ſumus, ſatis conſtat, doloſas eorum linguas lucatas fuiſſe mendacium. Sed ſi hæc omnia ceſſarent, ſtantibus impedimentis prædictis, in qua negligẽtia dici poſſunt eſſe fratres noſtri S.R.E. Cardinales huiuſmodi, non requiſiti ad Concilium cõgregandum, ita vt ad pauciſſimos, Ro. Pontifici eorum culpa ambitioneq; infenſos, ſchiſmaticos, ac extra domum Dei poſitos, potuerit poteſtas vniuerſalis Eccleſiæ deuolui, immò potiùs ab eis vſurpari. Adijciamus ergò nunc huiuſmodi poteſtatis abuſum oſtendere, trium menſium & quatuordecim dierum ab eis tempus in ſuo (vt volunt) edicto ſeu conuocatione aſſignatum, & ad œcumenicũ Concilium congregandũ, hoc tam breui tem-

* clauium

poris

poris ſpatio, poterit nationibus Chriſtianis à Mediolano remotiſſimis legitimè innotuiſſe? Poteruntne, ſi innotuiſſet in termino, diœceſanas & metropolitanas ſynodos conuocare, celebrare, & perficere? Poteruntne, qui venturi decernerentur, ad tantum iter neceſſaria conquiſiuiſſe? Poterunt principes, accedere volentes, populis ſibi ſubditis & ſtatus ſui ſecuritati* bonæ conſuluiſſe? Poterunt, quos mittere decreuerint, procuratores aut oratores plenè informatos mittere? Vix curſor expeditus, trium meritum & ſemi ſpatio ire & redire poſſet ſine ſarcinis, vndè & quo ipſi graues viros & multa ſecum impedimenta trahentes, ſine quibus venire non poſſunt, putant, immò decernunt, accedere poſſe & oportere. Quare ſi nihil aliud, indictionem Concilij, quam attentarunt, in tempore præfixo accedendi impoſſibilitas ipſa penitus eneruat: Sed poſſibile fuerit, & aliqua ratione decretum. hoc ipſum Concilij tempus loci ratio, indictionem ipſam nullam facit locus. Locus concilij, cōmodus eſſe debet & tutus. Quis ignorat, (quod dolenter dicimus) vrbem Piſas prope 14. continuos annos obſeſſam duriſſimè fuiſſe, & ad eam deſolationem bello redactam, vt rariſſimæ domus integris parietibus in illa conſiſtant, & ferè nullæ ſint, quæ contignationibus & ſolarijs muniantur? Habitarentne ibi S.R.E. Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, abbates, principes ſeculares, vel oratores eorum, communitatum item nuncij? Habitarentne doctores celeberrimi tam diuini iuris quam humani, ruinoſas domos, ciuitatemq́ue penitus deſolatam pro celebrando œcumenico concilio? Nūquam talibus in locis ſcriptum eſt, Concilium generale fuiſſe celebratum. Reuoluantur omnes Conciliorum œcumenicorum hiſtoriæ: apparebit patribus noſtris ſanctis ſanè & prudentibus viris, pro celebrando Concilio ante omnia cordi fuiſſe, eligere ciuitatem amplam, ædificijs accommodatam, ſalubris aëris, fertilis, ſoli conuehendis commeatibus facilem, quæ omnia ſi Piſis adeſſe quiſpiam affirmauerit, ruinæ ciuitatis, ædificiorum rudera, villarum & vinearum euerſiones redarguant ſic dicentem. Hæc tamē ſi Piſis eſſent integra, vt non ſunt, nec affirmari poſſunt ſine impudentia: quomodo eſt ad Piſas tutus acceſſus, vel in ea manſio, cùm omnis Tuſcia arma nunc tractet, & nos pro paſtorali, quod gerimus officio nil magis premat, quam Florentinos & Senenſes, inter quos tremit bellum, ne ſe armis inuicem impetant, continere? Fidem de re hac facere poſſunt plerique Chriſtiani principes, à nobis ſæpius & inſtantius requiſiti, ſuam per literas & nuncios authoritatem & gratiam interponere, ſi inter ſe hi populi pacem habere noluerint, per inducias ſaltem ab armis abſtineant. Igitur cùm, ex præmiſſis & alijs etiam notiſſimis cauſis, acceſſus ad Piſas, vel ibi manſio ſecura habenda veriſimiliter credi non poſſit, cùm ciuitas, ipſa deſolatione, habitationibus pro Concilio non ſit fulta, cùm ager vaſtitate ſit deſolatus, cùm tempus in edicto ſeu indictione præfixum ſufficere non poſſit, & terminus aſſignatus ab illis, tempori, pro generali Concilio celebrando dari ſolito, non reſpondeat, cùm inſuper indicentes nulla ſint authoritate ſuffulti, & ſi quam habere poſſent, illa vt decuit & fieri oportuit, immò debuit, non ſint vſi, cùm edictum ipſum ſeu conuocatio de falſitate ſe conuincant: Nos conſiderantes, quanta cū difficultate & temporis diuturnitate prædeceſſores noſtri præfati in eorum Cōcilijs celebratis, priſcas hæreſes & ſchiſmata, etiam aliquādo Imperiali maieſtate adiuuante ſuſtulerunt, quodq́ue illa in totum extinguere nequiuerunt, cùm eorum aliqua (quod dolentes referimus) vſque ad hodiernum diem in ſua pertinacia perdurent, quamq́ue calamitoſa fuerint prælatis & omnibus Chriſti fidelibus ſchiſmatum tempora, ſupradicta omnia, tanquam pernicioſiſſima ſchiſmatum atque errorum ſeminaria, quæ aliquamdiu conniuentibus oculis tolerauimus, expectātes eorum ad cor reuerſionem, ob Chriſti charitatem zelumq́ue domus ſuæ diſſimulare vlterius non valemus, timentes nobis improperari illud * Ieremiæ, Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſraël. verentes etiam, ne figmenta erroreſq́ue prædicti Chriſti fidelium minus eruditorum mentes aliquo infidelitatis laqueo inuoluant, apud quos ſæpè (vt inquit Origenes in Cantica) Pulchriora videntur mendaciorum ſophiſmata, quàm documenta veritatis: & ne error, cui non reſiſtitur, approbari videatur, & veritas Deiq; cauſa, & iura indefenſa opprimantur, habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris eiuſdem S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorundem Cardinalium conſilio & vnanimi conſenſu, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prædictas indictionem, conuocationem & publicationem aſſertas, ſchiſmaticæ conuenticulæ, ſynagogæ ſatanæ, & Eccleſiæ malignantium, per Dathan & Abiron authores ſchiſmatum, eorumq́ue ſocios, & alias ſupradictas procuratorio nomine dictorum chariſſimorum filiorum noſtrorum Maximiliani Imperatoris Romanorum electi, & Ludouici Francorum regis Chriſtianiſſimi, illuſtriū principum, factas, indictas & publicatas, omniaq́ue & ſingula in eis & qualibet earum contenta, & indè ſecuta quæcunque, quorum tenores, acſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro ſufficienter expreſſis & inſertis haberi volumus, tanquam à non habentibus facultatem, & ex minus legitimis cauſis, ac incongruis terminis & loco, nulla, irrita & inania, non legitimè, ad ſcindendum & ſcandalizandum vniuerſalis Eccleſiæ vnitatem, facta, ne cancerosus morbus inualeſcat, reprobamus, reuocamus, caſſamus, irritamus & annullamus, reuocataq́ue, irrita, caſſa, reprobata, & annullata haberi volumus, ac (prout ſunt) nullius roboris vel momenti fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus. Diſtrictiùs ſub excommunicationis, anathematis & maledictionis æternæ, ac dignitatum & beneficiorum eccleſiaſticorū quorumcunque, ſecularium vel regularium, feudorum, indultorum, priuilegiorum, conceſſionum, facultatum & gratiarum priuationum ipſo facto, infamiæ, & alijs in vniuerſalē Eccleſiam ſcandalizantes, & ſchiſma in ea diſcordiamq́; ſuſcitantes, eiſq́; conſilium, auxilium vel fauorem præſtantes, tam à iure quàm aliàs promulgatis & indictis pœnis inhibemus. Necnō eiſdem Cardinalibus, qui à nobis receſſerunt, (vt præfertur) ac omnibus & ſingulis cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, qualitatis, conditionis, præeminentiæ, authoritatis, & nobilitatis exiſtentibus, & quacunque eccleſiaſtica etiam cardinalatus, Patriarchali, * Prouinciali, archiepiſcopali, epiſcopali, abbatiali, ſeu ſeculari, regali, reginali, ac etiam Imperiali, ac alijs dignitatibus & præeminentijs fulgentibus. & quos ab omni vinculo iuramenti, conuentionis, obligationis & promiſſionis, per eos forſan factarum, propterea abſoluimus & liberamus, ac abſolutos & liberatos fore nunciamus, ne indictionibus, publicationibus, & conuocationibus prędictis, omnibuſq́ue alijs & ſingulis, vel eorum aliquo per reprobos, aut alios præfatos, vel eorum aliquem (vt præfertur) factis, directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè, ſeu quouis quæſito colore adhęreant, accedant, interſint, obediant, aſſiſtant, conſilium, auxilium vel fauorem præſtent, aut quomodolibet intendant, vt peſſima * facta ſuis erroribus confuſa tanquam nebula diſſoluantur, etiam inhibemus. Omniaq́ue & ſingula, ciuitates, terras & loca quæcunque ad quæ peruerſa Concilia, ſeu potiùs conciliabula, ſchiſmaticas conuenticulas, ſynagogas ac eccleſias malignantium huiuſmodi indicentes, & eis adhærentes, obedientiam, conſilium, auxilium, vel fauorem aliquem (vt præfertur) præſtantes, & eorum quemlibet declinare contigerit: & in quibus Concilia ſeu conciliabula, aut eccleſias malignantium huiuſmodi celebrari, vel coadunari, & congregari contigerit, eccleſiaſtico ſubijcimus interdicto. Et nihilominùs bonam intentionem noſtram exequi volentes, vt antiquæ hæreſes, quæ in diuerſis Chriſtianorum partibus nondum extinctę ſunt, & peſſimū nouiter pullulans ſchiſma extinguantur, reformationiq́ue morum tam eccleſiaſticorum quàm ſecularium perſonarum, quæ de iure vel conſuetudine, reformationi vel determinationi Concilij ſubijciuntur, bellorumq́; imminentium ſeditioni conſulatur, vnicuique quod ſuum eſt reddatur, iuſtitia & pax ſe inuicem oſculentur, Chriſtique fideles in pace & vnitate, in Dei nomine, non ex paſſionum priuatarum fomite, quæ (vt ex geſtis diuerſorum conciliorum apparet) peſſimos effectus parere conſueuit, congregati, ad faciendum expeditionem contra infideles iam regnum Siciliæ infeſtantes, meliora ac nobiliora loca Chriſtianorum occupantes, præſertim Hieruſalem ma-

*benè

Ezech. 13.

trem noſtram antiquam & ex antiqua Chriſtianorum negligentia deperditá, faciliùs & promptius intendant, IN NOMINE ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti, authoritate omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, qua in terris fungimur, de ſimili eorundem fratrum conſilio & aſſenſu, œcumenicum, vniuerſale ac generale Concilium in alma vrbe noſtra communi omnium patria, loco aptiſſimo & tutiſſimo, apud Lateranum, vbi plurima cōcilia per antiquos & patres noſtros habita fuerunt, & altiſſimus Petri ſedem collocari voluit, literatorumq; & peritorum numerus copioſus habetur, poſt feſtū reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti proximè futurum inchoandum, anno Domini 1512. die Lunæ, 19. menſis Aprilis, quæ erit feria 2. poſt octauam eiuſdē reſurrectionis celebrandum, &, vt ſequitur, authore Domino finiendum, nunciamus, conuocamus, ſtatuimus, indicimus & ordinamus, licet nos non lateat, hanc nouem menſium præfixionem pro ſacro concilio generali celebrando, ex tot longinquis mundi partibus venturis fortaſſis non ſufficere, & de breuitate notari poſſe ad tantam rem peragendam, præſertim cùm à ſanctis patribus Romanis pontificibus prędeceſſoribus noſtris aſſignato tēpori ad ſimilia generalia Concilia congreganda non reſpondeat, qui nunquam minus quàm annum ad hoc inchoandum aſſignaſſe reperiuntur. Sed quia ad Chriſtianiſſimum regem prædictum, & quoſdā alios Principes de inchoando generali concilio in tempore præſentibus inſerto, literas dedimus: & inſuper, ne volentibus nos & venerabiles fratres noſtros eiuſdem S.R.E. Cardinales calumniari, anſam daremus, ſi longius tempus ſtatuiſſemus, viſum eſt nobis hunc terminum aſſignare. Inſuper præfatis & alijs venerabilibus fratribus, Patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, monaſteriorum abbatibus & prælatis, præſertim ſub vinculo iuramenti ad viſitandum certis temporibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli, etiam tempore ſuę promotionis adſtrictis & obligatis, nō obſtantibus quibuſuis conceſſionibus, priuilegijs, & indultis, eis, eorūq; eccleſijs, monaſterijs & beneficijs per dictos prædeceſſores noſtros aut nos conceſſis, confirmatis & innouatis, quę pro expreſſis habētes, ex certa ſcientia & plenitudine præmiſſis, caſſamus, irritamus & annullamus. Omnibuſq; alijs eccleſiaſticis, vel ſecularibus, etiam regibus & principibus, cęteriſq; perſonis, quæ de iure vel conſuetudine in cōgregationibus generalium Conciliorum ſolent interuenire, ceſſante legitimo impedimento, de quo legitimè docere teneantur, per ſe vel alios idoneos nuncios, procuratores, vel oratores, legitima mādata habentes, ſub excōmunicationis, alijſq; de iure vel cōſuetudine, aut alias non accedentibus ad generale cōcilium indictum pœnis, mandamus vt ad ipſum concilium Lateraneñ. accedere, & vſq; ad dicti Concilij concluſionē & diſſolutionē per nos vel authoritate noſtra fiēdam, in dicta vrbe morari debeant: Necnon chariſſimos in Chriſto noſtros & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ filios Maximilianū Romañ. Imperatorem electum prædictum, cęteroſq; Chriſtianorum illuſt. reges, duces, marchiones, comites & alios nobiles in virtute ſanctæ obedientiæ rogamus, hortamur & monemus, vt opem & operam adhibeant efficaces, quòd omnes & ſingulæ, tam eccleſiaſticæ quàm ſeculares perſonæ, in eorum regnis, ducatibus & dominijs cōſiſteñ. quæ in generalibus concilijs de iure vel conſuetudine intereſſe conſueuerunt, ad cōcilium Lateraneñ. huiuſmodi, ceſſante impedimento prædicto, accedant, poſtpoſitis odijs, conciliatis in ſpiritu ſancto, non autem paſſionibus repleti, veramque domum Dei facientes, & his quæ ad Dei laudem, Eccleſiæ exaltationē, vnitatē & reformationem, ſchiſmatum verò & hæreſum totalem extirpationem, fideliumq; prædictorum pacem & ſalutem concernunt, charitate muniti intendant. Et ne ad tantum laudabile & neceſſarium opus accedere debentes, aliquibus de cauſis ſeu figmentis ab acceſſu ad dictū concilium Lateraneñ. quomodolibet retrahantur, omnibus & ſingulis in congregationibus cōciliorum generalium adeſſe ſolitis, & ad dictum concilium Lateranenſe venientibus, eorumque ſeruitoribus & familiaribus cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, conditionis vel nobilitatis exiſtentibus, eccleſiaſticis & ſecularibus, pro ſe & bonis eorum quibuſcunque, per ciuitates, terras, & loca terreſtria maritima dictæ Romanæ Eccleſiæ ſubiecta, ad concilium Lateranenſe ad vrbem huiuſmodi veniendi, & in ea morandi & liberè conſiſtendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, etiā poſt quatuor menſes poſt dicti concilij Lateranenſis concluſionem & diſſolutionem, liberum, tutum, & ſecurum ſaluum conductum, ac plenam & omnimodam ſecuritatem de concilio & poteſtate præmiſſis, damus & concedimus, alioſque ſaluos conductus & ſecuritates habere cupientibus dare pollicemur, eoſq; benignè & charitatiuè tractabim⁹ & ſuſcipiemus. Mandantes ſub indignationis noſtræ & alijs arbitrio noſtro infligendis pœnis, omnibus & ſingulis gentibus noſtris armigeris, equeſtribus & pedeſtribus, ac arcium noſtrarum Caſtellanis, ciuitatū terrarumq; & locorum dictæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectorum Legatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Locatenentibus, Poteſtatibus, Officialibus & vaſallis, vt, nō obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, legib⁹ Imperialibus, ſtatutis quoque & conſuetudinibus municipalibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, aut quauis alia firmitate roboratis, quæ ſaluo conductui & ſecuritati præmiſſis in aliquo derogare, ſeu illos quomodolibet impedire poſſent, etiam ſi talia forent, de quibus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, non autem per generales clauſulas id importantes, mentio ſeu quęuis alia expreſſio habenda foret,* illarum omnium tenores præſentibus, acſi de verbo ad verbum inſererentur, pro expreſſis habentes, venientes ad Conciliū Lateranenſe huiuſmodi liberè, tutè & ſecurè tranſire, morari & recedere permittant, & permitti faciant, ne tantū* taleq; laudabile & neceſſarium Concilium Lateranenſe diſtrahatur, & vt ad illud venientes, tutè & in pacis tranquillitate viuere, dicere & expedire valeant, quæ omnipotentis Dei honorem concernent, totiuſq; Eccleſiæ ſanctæ ſtatum: Decernentes nihilominus irritum & inane, quicquid contra indictionem concilij Lateraneñ. per nos* indictam huiuſmodi, ſeu ad impedimentum, pręiudicium aut dilationem eiuſdē, per ſchiſmaticam* conuenticulam & eccleſiam malignantium prædictas, ſeu quemuis aliū, quauis authoritate, quouis ingenio aut quæſito colore, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Inſuper, vt præmiſſa omnia & ſingula ad omnium, ad quos ſpectat, notitiam & cognitionem deueniant, omniumq;, quæ in præſentibus literis continentur, certa & indubitata notitia habeatur, nulluſque præmiſſorum ignorantiam iuſtè prætēdere poſſit, nec ſe legitimè excuſare, cùm etiam ad intimādum aliquibus perſonaliter in præſentibus literis compræhenſis, tutus nō pateat acceſſus, literas prædictas: volumus & decernimus, præſentes literas noſtras, per aliquos curiæ noſtræ curſores vel notarios publicos, in baſilica principis Apoſtolorum & Eccleſia Lateranēſi, hora diuinorum, dum ibi multitudo populi ad diuina audiendum conuenire & congregari conſueuit, publicè ac alta & intelligibili voce legi & publicari, & dictarū eccleſiarum portis ſiue valuis, & in acie Campifloræ & Cancellariæ Apoſtolicæ affigi, & ibidem per aliquod temporis ſpatium dimitti debere, vt ad ſingulorum notitiam publicamq; notionem deuenire poſſit: Tranſumptiſq; illarum, manu publicorum notariorum factis vel ſubſcriptis, ſigilloq; alicuius prælati munitis, fidem indubiam adhiberi. Omneſq; & ſingulos in illis compræhenſos, & ad quos pertinet, perindè arctari & conſtringi ac teneri & obligari ad obſeruantiam omnium & ſingulorum in eis contentorum, cuiuſcunque gradus & dignitatis exiſtant eccleſiaſticæ vel mūdanæ, poſt lapſum vnius integri menſis à data pręſentium numerandi, in omnibus & per omnia, & perinde acſi perſonaliter & in propria perſona intimatæ fuiſſent, & eis perſonaliter præſentatæ, præſentiū tenore decernimus, ſtatuimus & declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reprobationis, reuocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, declarationis, abſolutionis, liberationis, inhibitionis, interdicti, nunciationis, conuocationis, ſtatuti, indictionis, ordinationis, conceſſionis, mandati, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno

*illorum

fon. * [illegible]

fo. * [illegible]

incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo vndecimo, quintodecimo Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno 8.

Sigiſmundus
D. de Comitibus.

Ego Iulius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

DOMINVS MIHI ADIVTOR, NON TIMEBO QVID FACIAT MIHI HOMO.

S. Petrus, S. Paulus,
Iulius Papa II.

Ego Raphael epiſcopus Oſtienſ. Card. S. Georgij, Camerarius ſubſcripſi.

Ego Dominicus epiſcopus Portueñ. Card. S. Marci, ſubſcripſi.

Ego Iacobus epiſcopus Albaneñ. Card. Arboreñ. ſubſcripſi.

CARDINALES PRESBYTERI.

Ego Nicolaus Cardinal. tituli ſanctæ Priſcæ, ſubſcripſi.

Ego F. Cardinal. de Claromonte manu propria

Ego Marcus tituli ſanctæ Mariæ Tranſtiberim, Card. Senogallieñ.

Ego Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ presbyter Cardinal. Nanneteñ.

Ego Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ presbyter Card. ſubſcripſi.

Ego Chriſtophorus tituli ſanctæ Praxedis presbyter Card. ſubſcripſi.

Ego Sixtus tituli ſancti Petri ad vincula presbyter Card. Viceceanc. ſubſcripſi.

Ego Chriſtophorus Eboraceñ. tituli ſancti Petri & Mar. presbyter Card. ſubſcripſi.

Ego Antonius tituli ſancti Vitalis presbyter Cardinal. ſubſcripſi.

Ego Petrus tituli ſancti Euſebij presbyter Cardinal. ſubſcripſi.

Ego Achilles tituli ſancti Sixti presbyter Card. Bononienſ. ſubſcripſi.

Ego F. tituli ſancti Clementis presbyter Card. ſubſcripſi.

DIACONI CARDINALES.

Hic poſteà fit Leo 10. Hic verò Paulus 3.

Ego Ioãnes ſanctæ Mariæ in Dominica diac. Card. de* Medicis, manu propria ſubſcripſi.

Ego Alexander ſancti Euſtachij diac. Card. de Farneſio manu propria ſubſcripſi.

Ego Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmoedin diac. Cardin. de Aragonia, manu propria ſubſcripſi.

*Cornelien.

Ego Marcus ſanctæ Mariæ in Porticu diac. Card. * Cornelius, manu propria ſubſcripſi.

Ego B. ſancti Hadriani diac. Card. ſubſcripſi.

Ego Alphonſus S. Theodori diac. Cardinal. Petrucius ſubſcripſi.

*dictarum literarum apoſtolicarũ infraſcripta verba erant.

A tergo verò * dictæ Bullæ erant verba executionis & publicationis, & intimationis dictæ bullæ per tres curſores infraſcriptos, facta ſub hac forma, videlicet:

Anno à natiuitate Domini 1511. indictione decimaquarta, die verò Veneris, vigeſimaquinta menſis Iulij, Pontificatus S. D. N. Iulij diuina prouidentia Papæ ſecundi anno octauo, retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ conuocationis Concilij generalis, publicatæ & affixę fuerunt in valuis ſancti Iacobi Hiſpaniorum de vrbe, dum celebrabantur diuina, vbi magna multitudo conuenerat tam curialium, quàm Officialium & Romanorum propter feſtum ſolenne, quod in eadem Eccleſia celebrabatur. Eadem die in veſperis, dum celebrabantur diuina, publicata & affixa fuit in valuis Principis Apoſtolorum de vrbe. Die verò ſequenti ſabbati, retroſcriptam bullam in Baſilica Principis Apoſtolorum de vrbe, hora Miſſæ, dum celebrabantur diuina, & multitudo copioſa aſſiſteret, ego Petrus Mengiuar præfati D. N. Papæ curſor, alta & intelligibili voce coram omni populo dictam bullam de verbo ad verbum legi, lectamque ad valuas dictæ baſilicæ affiximus, & per ſpatium vnius horæ affixam dimiſimus. Eadem die dictam bullam publicauimus, & affiximus in valuis Cancellariæ Apoſtolicæ, & affixam dimiſimus durante cancellaria. Eodem die in eccleſia ſancti Ioannis in Laterañ. hora veſperarum, dum celebrabantur Diuina, ego Petrus Mengiuar S. D. N. Papæ curſor, dictam bullam alta & intelligibili voce legi, lectamque ad valuas dictæ Eccleſiæ affiximus & publicauimus, & per ſpatium vnius horæ affixam dimiſimus. Eadem die retroſcriptam bullam publicauimus, & affixam dimiſimus per ſpatium duarum horarum in acie Campiſlore, vt moris eſt. Per nos Honofrium Baleſtarium, Petrum Mengiuar, & Ioannem Bernardi, præfati domini noſtri Papæ curſores. Et ita fidem facimus, & manibus proprijs ſcripſimus, & ſubſcripſimus.

Ita eſt, Honofrius Baleſtarij curſor.
Ita eſt, Petrus Mengiuar curſor.
Ita eſt, Ioannes Bernardi curſor.

Deinde prælibatus S. D. N. dominus Iulius Papa ſecundus, prorogauit Concilium generale huiuſmodi ad certum alium terminum vt in literis Apoſtolicis deſuper confectis pleniùs continetur, quarum tenor ſequitur, & eſt talis:

BVLLA PROROGATIONIS concilij generalis.

IVlius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Inſcrutabilis diuinæ prouidentiæ altitudo ad hoc nos maximæ poteſtatis deſuper plenitudine tradita, ſuper vniuerſum gregem Dominicum præſulem conſtituit, vt ad remouendum atque extirpandum de agro Domini vepres, ex quibus poſſent Eccleſiæ ſuæ ſanctæ & Chriſtianę reipublicæ diſſenſiones & ſcandala prouenire, cura & ſolicitudine aſſidua ac peruigili intendamus, & vt ea congruo tempore, & ſine alicuius incommodo & periculo expediri valeant, oportunè prouideamus. Nuper ſiquidem cupientes generale Concilium in alma vrbe noſtra apud Lateraũ. vbi plurima Concilia habita fuerunt, iuxta deliberationem & ordinationem per nos de fratrũ noſtrorum S. R. E. Card. conſilio & aſſenſu factam, die Lunę decimanona pręſentis menſis Aprilis, quæ erit feria 2. poſt octauam feſti reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti proximè præteriti, authore Domino celebrare, vt illa in eo ſtatuerentur & fierent, quæ cederent ad laudem Dei, & Eccleſiæ exaltationem, vnitatem & reformationem, ac ſchiſmatum & hæreſum totalem extirpationem, fideliumq́ue pacem & ſalutem, ac bonum publicum Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, huiuſmodi venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, monaſteriorum Abbatibus, & prælatis, omnibuſq́ue alijs eccleſiaſticis, vel ſecularibus, etiam Regibus & Principibus, cæteriſq; perſonis, quæ de iure vel conſuetudine in congregationibus generalium Conciliorum ſolent interuenire, ceſſante legitimo impedimento, de quo legitimè docere tenerentur per ſe vel alios idoneos nuncios, procuratores, vel Oratores legitima mandata habentes, ſub excommunicationis, alijſq́ue de iure vel conſuetudine, aut aliàs, non accedentibus ad generale Concilium inductum infligi ſolitis pœnis, mandauimus, vt ad ipſum Concilium Lateraneñ. accedere, & vſque ad dicti Concilij concluſionem & diſſolutionem, per nos vel authoritate noſtra faciendam, in dicta vrbe morari deberent. Necnon chariſſimos in Chriſto filios noſtros & eiuſdem Rom. Eccleſię filios, Maximilianum in Roman. Imperatorem electum, cæteroſq́ue Chriſtianorum reges, Illuſtres, Duces, Marchiones, Comites, & alios nobiles in virtute ſanctæ obedientiæ rogauimus, hortati fuimus & monuimus, vt opem & operam adhiberent efficacẽ, quòd omnes & ſingulæ tam eccleſiaſticæ, quàm ſeculares perſonæ, in eorum regnis, ducatibus & dominijs conſiſtentes, quæ in generalibus Concilijs de iure vel conſuetudine intereſſe conſueuerunt, ad Concilium Lateraneñ. huiuſmodi, ceſſante impedimento prædicto, accederent, prout in noſtris indè confectis literis pleniùs continetur, ac locũ apud Lateranum pro Concilio huiuſmodi habendo præparauimus, & pro reformatione prędicta ſtatuẽda, puro corde & recta volũtate

adim-

dimplere proponimus, ac ex literis chariſſimorum in Chri-
ſto filiorum noſtrorum Ferdinandi Aragoniæ & Siciliæ, ac
Henrici Angliæ, & aliorum regum illuſtrium, aliorumque
Principũ nobis conſtet, Epiſcopos & alios prælatos regno-
rum & dominiorum ſuorum , ad concilium per nos indi-
ctum venire, & in itinere eſſe. Verùm proper conflictum a-
pud ciuitatem noſtram Rauennam Romandiolæ prouin-
ciæ nuper habitum, vbi magna hominum ſtrages ſecuta fu-
it, cùm non ſolùm rei militari operam dantes, ſed etiam in-
colæ & habitatores illarum partium ad prædam intenti exi-
ſtant, & propterea etiam prælati & alij ad concilium huiuſ-
modi venientes, ſine magno incommodo & vitæ diſcrimi-
ne, per ciuitates & loca Romandiolæ, & illis circumuicina
tranſire non valeant, viarumq; itinera tuta non ſint, ac pro-
xima dies Lunæ, qua concilium per nos indictũ huiuſmodi
inchoari, ac prælati & cæteri huiuſmodi concilio intereſſe
debebant, inſtarę noſcatur, ipſiq; prælati adhuc non vene-
runt, & * propterea præmiſſa remorari aliquamdiu cogan-
tur. Nos igitur Archiepiſcoporum & epiſcoporum, ac alia-
rum perſonarum ad cõcilium huiuſmodi accedentium, pe-
riculis obuiare, & eorum commodo prouidere volentes, ha
bita ſuper his cum præfatis venerabilibus fratribus noſtris
matura deliberatione, & ipſorum cõmuni conſilio & aſſen-
ſu, tempus concilij celebrandi huiuſmodi ad hoc, vt Archi-
epiſcopi, Epiſcopi, & prælati, ac Abbates, & alij ad cõcilium
huiuſmodi accedentes , & in itinere exiſtentes, inchoando
concilio intereſſe poſſint, ad Kalendas Maias proximè futu-
ras authoritate Apoſtolica tenore præſentiũ prorogamus,
non obſtantibus præmiſſis , ac alijs conſtitutionibus & or-
dinationibus Apoſtolicis , cæteriſq; contrarijs quibuſcun-
que. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam no-
ſtræ volũtatis & prorogationis infringere, vel ei auſu teme-
rario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,
indignationem omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri & Pau-
li Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romę
apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ mil-
leſimo quingenteſimo duodecimo, quintodecimo Kalen-
das Maij, Pontificatus noſtri anno nono.

ALIA PROROGATIO SESSIONIS.

Succeſſiuè verò idem D. N. Papa ad alium certum terminum concilium prædictum prorogandum duxit, & prorogauit, prout in Breui Apoſtolico deſuper confecto pleniùs continetur, cuius quidem tenor ad verbum de verbo ſequitur, & eſt talis:

IVlius Papa ſecundus, ad futuram rei memoriam Romañ. Pontifex Dominici gregis ſupremus ſibi diſpoſitione commiſſi curam agere ſtudens, ea, quæ pro vniuerſalis Eccleſiæ reformatione, & eiuſdem gregis vtilitate, ac catholicæ fidei & reipublicæ Chriſtianæ exaltatione certo præfixo tempore fieri ordinauerat , nonnunquam ad aliud breue tempus, ſubſiſtente cauſa, libẽter prorogat & extendit. Nuper ſiquidem cupientes generale concilium in alma vrbe noſtra apud Lateranũ, vbi plurima concilia habita fuerunt, iuxta deliberationem & ordinationem per nos de fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilium & aſſenſu factã, die Lunæ 19. præſentis menſis Aprilis, quæ fuit feria ſecunda, poſt octauam feſti reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti proximè præteriti, authore Domino celebrare, vt illa in eo ſtatuerentur & fierent, quę cederent ad laudẽ Dei, & Eccleſiæ exaltationem, vnitatem & reformationem, ac ſchiſmatum & hæreſum totalem extirpationem, fideliumque pacem & ſalutem, ac bonum publicum Eccleſię ſanctę, huiuſmodi venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, monaſteriorum Abbatibus, & prælatis, omnibuſque alijs eccleſiaſticis vel ſecularibus, etiam Regibus & Principibus, cæteriſque perſonis, quæ de iure vel conſuetudine in congregationibus generalium conciliorum ſolent interuenire, ceſſante legitimo impedimento, de quo legitimè docere tenerentur per ſe vel alios idoneos nuncios, procuratores vel oratores legitima mãdata habentes, ſub excõmunicationis alijſq; de iure vel conſuetudine, aut aliàs, non accedentibus ad generale cõcilium indictum infligi ſolitis pœnis, per quaſdam mandauimus, vt ad ipſum conciliũ Lateranenſe accedere, ac vſq; ad dicti concilij concluſionem & diſſolutionem, per nos vel authoritate noſtra faciendã, in dicta vrbe morari deberent: Necnon chariſſimos in Chriſto filios noſtros & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ filios, Maximilianũ in Romanum Imperatorem electum, cæteroſque Chriſtianorum reges illuſtres, Duces, Marchiones, Comites, & alios nobiles in virtute ſanctæ obedientiæ rogauimus, hortati fuimus, & monuimus, vt opem & operã adhiberent efficaces, quòd omnes & ſingulæ, tam eccleſiaſticę quàm ſeculares perſonę, in eorum regnis, ducatibus & dominijs conſiſtentes, quæ in generalibus concilijs de iure vel conſuetudine intereſſe conſueuerunt, ad concilium Lateranenſe huiuſmodi, ceſſante impedimento prædicto, accederent, ac locum apud Lateranum pro concilio huiuſmodi habendo præparauerimus, ac pro reformatione prædicta ſtatuẽda puro corde & recta volũtate adimplere prępoſuerimus, ac chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Ferdinandi Aragonum & vtriuſque Siciliæ, ac Henrici Angliæ, & aliorum regum illuſtriũ literis intelligeremus, Epiſcopos & alios prælatos Regnorũ & dominiorũ ſuorũ, ad Concilium per nos indictum huiuſmodi venire, & in itinere eſſe, ac propter conflictum apud ciuitatem noſtrã Rauennę Romandiolæ prouinciæ nuper habitum, vbi magna hominum ſtrages ſecuta fuit, nõ ſolùm rei militari operam dantes, verum etiam incolæ & habitatores illarum partium ad prædam intenti exiſterent, & propterea prælati & alij ad concilium huiuſmodi venientes, ſine magno incommodo & diſcrimine tranſire non valerent, viarumq; itinera tuta non eſſent, ac dies Lunæ, in qua concilium per nos indictũ huiuſmodi inchoari, ac prælati & cæteri huiuſmodi cõcilio intereſſe debebant, inſtare noſceretur, ipſique prælati tunc non veniſſent, & propterea remorari cogerentur: nos habita ſuper his cũ præfatis venerabilibus fratribus noſtris matura deliberatione, ac de ipſorum cõmuni conſilio & aſſenſu, per alias noſtras literas tempus Concilij celebrãdi huiuſmodi, ad hoc, vt Archiepiſcopi, Epiſcopi & prælati, & Abbates, & alij ad conciliũ huiuſmodi accedentes, & in itinere huiuſmodi exiſtentes, inchoando cõcilio intereſſe poſſent, ad Kalend. Maij proximè futuras prorogauimus, prout in ſingulis noſtris literis pleniùs continetur. Cùm autem terminus prorogationis huiuſmodi inſtare noſcatur, & cauſæ prorogationis huiuſmodi non ſolùm non ceſſauerunt, verum etiam noui incendij, quod prope vrbem exoriri inceperat, & indies magis augeri formidabatur, extinctioni ſumma diligentia operam dare ſtuduerimus: nos itaq; habita ſuper his cum præfatis venerabilibus fratribus noſtris matura deliberatione, ac de ipſorum conſilio & aſſenſu, cõcilijs celebrandi tempus prorogatum huiuſmodi (vt præfertur) ad feſtum inuentionis ſanctæ Crucis, quod erit tertia Maij proximè futuri, authoritate Apoſtolica tenore pręſentium prorogamus pariter & extendimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die vigeſimanona Aprilis 1512. Pontificatus noſtri anno 9.

Poſtmodum verò lectis ſupradictis bullis, idem Reuerẽdiſſimus dominus Alexander proſecutus eſt eandem ſchedulam tenoris infraſcripti:

Statuto itaq; tempore congregati per Dei gratiã, vna cũ venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & noſtra curia, præſignato in loco Lateranẽſis ipſius baſilicæ, de ſacræ ſynodi huius conſilio, publicæ fideliũ paci, Catholicæ fidei* prorogationi, & reformationi vniuerſalis Eccleſiæ, necnõ hæreticæ prauitatis nuper exortæ extirpationi intendentes, quia non ſatis in re tam ardua & ponderoſa per ſe cõſilia humana ſufficiunt, niſi diuinum adſit auxiliũ, ab ipſo per orationes & cultum Dei ſumentes initium, hoc ſacro generali approbante cõcilio ſtatuimus, vt hac ipſa die* ſpeciali ad hoc cõſtituta, celebretur Miſſa, quemadmodũ eſt per Dei gratiã celebrata: quã etiam iuſſimus, & in hac & in ſingulis alijs collegiatis, tã ſecularib9 quã regularibus vrbis Romæ eccleſijs, ſemel in hebdomada, videlicet feria 2. ſacro hoc durante Concilio, celebrari. Vtque

for.* propagationi

* ſpeciali

feruen-

ſacri Concilij celebrationi fideles aſſiſtant, ampliori ſe gratię munere ſentientes refectos, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, videlicet ſacerdotibus eaſdem Miſſas celebrantibus, pro ſingulis Miſſis annos tres, intereſſentib. verò duos, de iniunctis eis pœnitentijs in Domino relaxamus in forma Eccleſiæ conſueta. Ad cuius Miſſæ etiam celebrationem hortamur venerabiles fratres noſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, necnon Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, cæteroſque in ſacerdotali ordine conſtitutos, vt & ipſi, ad impetrandum Diuinum auxilium, cum deuotione ſingulis ſeptimanis prædictā Miſſam celebrēt ſemel, quibus celebrantibus & celebrationi intereſſentibus ſimiles gratias largimur. Hortamur in Domino etiam omnes & ſingulos, qui Chriſti nomine cenſentur, vt ad conſequendum inceptæ rei proſperum ſucceſſum & optatam conſummationem diligenter precibus, orationibus, ieiunijs, eleemoſynis, alijſque pijs operibus velint inſiſtere, vt Deus, noſtra & ipſorum humilitate placatus, dignetur felicem exitum huic ſacræ congregationi concedere. Inſuper quia veterum Conciliorum & patrum ſanctorum inſtituta nos monent, vt à cōcernentibus catholicam fidem ſacra incipiatur ſynodus, & ſeruandam eſſe laudabilem conſuetudinem cenſeamus, attendentes, talia propter eorum arduitatem & pondus, diligentiā & ſpatium temporis capax exigere, hortamur omnes & ſingulos literarum peritiam habentes, quibus huic ſacro generali Concilio intereſſe continget, vt diligenter ſecum & cum alijs illa cogitent atque tractent, quæ eis videbuntur ad hanc rem vtilia & oportuna, & cum primum commodè poterunt, illa ad noſtram huiuſque ſacræ ſynodi notitiam referant, vt tempore opportuno terminari poſſint, quæ tenenda vel repudianda pro vtilitate & ipſius Catholicæ fidei incremento videbuntur. Hortamur propterea congregatos hic omnes alioſque ad ſynodum hanc ſacram venturos, vt cogitare diligenter velint, deinde proponere ea, per quæ poſſit etiam congregatio Catholicorum ad debitam reformationem & tranquillitatem optatam Deo iuuante perduci. Noſtręque intentionis & mentis eſt, vt omnes hac cauſa congregati, cùm omnimoda libertate dicere, conſulere, & facere omnia & ſingula quæ ad præmiſſa putauerint pertinere, poſſint & valeāt, iuxta aliorum conciliorum antiquorum conſuetudinem. Vt autem notus ſit omnibus modus, qui in ſacræ huius ſynodi proceſſu erit ſeruandus, tam quo ad ea, quæ dicenda terminādaque erunt, quam quo ad conſeſſum & geſtum, iuxta tenorē canonis Toletañ. erit hic norma notata.

Tolet. 11. c. 1.

In loco benedictionis conſidentes ſacerdotes DOMINI, nullis debent aut indiſcretis vocibus perſtrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari, nullis etiam vanis fabulis & riſibus agi, & (quod deterius eſt) obſtinatis diſceptationibus tumultuoſas voces effundere. Si quis enim (vt ait Apoſtolus) religioſum ſe putat, non refrenans linguam ſuam, ſed cor ſuum ſeducens, huius vana eſt religio. Cultum enim ſuum iuſtitia perdit, quando ſilentia iudicij obſtrepentium turba confundit, dicente propheta: Erit enim cultus iuſtitiæ, ſilentium. Debet ergo, quicquid aut conſidentium conſultationibus agitur, aut à cauſantium parte proponitur, ſic mitiſſima verborum relatione proferri, vt nec contentioſis vocibus audientiam turbent, nec iudicum vigorem de tumultu eneruent. Quicunque ergo in conuentu Concilij hæc quæ pręmiſſa ſunt violanda crediderit, & contra hæc interdicta aut tumultu, aut contumelijs, vel riſibus Concilium conturbauerit, iuxta legis diuinæ edictum, quo præcipitur, Eijce deriſorem, & exibit cum eo iurgium: cum omni dedecore de conſeſſione abſtractus, à communi cœtu ſecedat, & trium dierū excommunicationis ſententiam perferat. Quoniam verò cōmuniter contingere poteſt, quod aliqui ex conſidentibus non erunt in ſedibus debitis collocati, eodem ſacro approbante Concilio decernimus, quòd ex ſeſſione huiuſmodi nulli Eccleſiaſticæ vel ſeculari perſonæ præiudiciū generetur. Quia etiam ad proſecutionem huius generalis Concilij, miniſtri & officiales idonei requiruntur, hoc eodem ſacro approbante Concilio, infraſcriptos ſpectatæ fidei ſufficientesque viros ad ipſa miniſteria deputauimus, videlicet: In primis dilectum filium nobilem virum Conſtantinum Conunatum Macedoniæ Ducem, Achaiæ principem generalem Concilij cuſtodē, conſeruatores almæ vrbis, & officiales Romanos loci ipſius Concilij. Milites autem Hieroſolymitanos, perſonæ noſtræ curam habere volumus. Item dilectos filios Nicolaum Lipamanum, Frāciſcum Spinulam, Alphonſum de Lerma, & Paulum de *Ceſis, notarios noſtros, qui videndi omnes ſcripturas, quæ in eodem concilio fient, curam habeant ſpecialem, ita quòd concorditer & ordinatè fiant, ſicut decens eſt, & omnibus ordinatis in præfato Concilio ſe ſubſcribant. Necnon dilectos filios magiſtrum Benedictum Trulleti, Bernardum Sculteti, Bernardinum de Conteras, Franciſcum de Atauantis, præfati Concilij notarios & ſcribas, qui notarijs ſupradictis ſubalternent. Item dilectos filios Thomam Phædram bibliothecæ noſtræ præfectum, & Bartholomæum Saliceтū eiuſdem Concilij ſecretarios: necnon dilectos filios Iacobū Simonetam cauſarum ſacri palatij auditorem, Hieronymum de Genutijs Apoſtolicæ cameræ auditorem, Aluarottum de Aluarottis literarum Apoſtolicarum abbreuiatorem ex maiori parco. Manilium Rabbum acolythum capellæ noſtræ, ſcrutatores votorum. Quorum duo ex vna, alij verò ex altera præfati concilij parte vota ſcrutentur, & cum ipſis duo ex eiſdem notarijs, & duo ex ſcribis ſupradictis in votorū ſcrutatione ſemper debent intereſſe. Dilectos filios Paulum Plancam, Iuſtinum de Carolijs fiſcalem, Angelum de * Ceſis, Ioannem Baptiſtam de Senis, Melchiorem de Bardaſinis aduocatos, Marianum de Cuccinis fiſcalem, Thomam Regis, & Bernardum Mocharum procuratores. Locorum autem aſſignatores, Paridem de Graſſis, & Baltaſſarem Nicolai Viterbienſem, magiſtros cæremoniarum volumus * loca aſſignare debentibus in Concilio ſedere. Si qua verò legenda occurrerint ſeſſione ſequenti, venerabilem fratrem Archiepiſcopum Spalatenſis ei muneri deputamus.

Lecta itaque ſchedula huiuſmodi, idem Reuerendiſſimus Dominus Alexander petijt ab omnibus, ſi placebant eis contenta in ſchedula, & omnes annuerunt, quòd ſic, nemine diſcrepante. Deinde infraſcripti officiales in ſupradicta ſchedula contenti, ad pedes præfati ſanctiſſimi domini noſtri, tactis ſacroſanctis ſcripturis, præſtiterunt corporale iuramentum, & quilibet eorum præſtitit, de fideliter exercendo officia eis commiſſa videlicet: Reuerendus pater dominus Alphonſus de Lerma, & Paulus de Ceſis protonotarij Apoſtolici de numero: Dominus Aluarottus de Aluarottis, litterarum Apoſtolicarum de maiori parco abbreuiator: Excellentes iuris vtriuſque doctores, domini Paulus de Planca, Iuſtinus de Carolijs, Angelus de Cęſis, Ioannes Baptiſta de Senis, & Melchior de Bardaſinis aduocati: Dominus Bernardus Mocharus, & Thomas Regis, procuratores: domini Bernardus Sculteti, & Bernardinus de Conteras ſcribæ: Excellens iuris vtriuſque doctor Dominus Paulus de Capozuchijs, & nobiles Domini Iacobus de *Fragapanibus, & Petrus de Pauli de Vechis, vrbis almæ conſeruatores: & dominus Fabricius de Carreto, Sixtus de Ruuere, Petrus Grimanus, Priores & milites ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani. Et deinde idem ſanctiſſimus Dominus noſter Iulius, commiſit reuerend. domino Raphaeli Epiſcopo Oſtienſis. Cardina. ſancti Georgij. S.R.E. camerario, vt reciperet, & iurare faceret officiales abſentes in prędicta ſchedula contentos, præſentibus magiſtris cærimoniarum &c.

Et hæc fuerunt pro prima ſeſſione.

Inſuper idem reuerendiſſimus dominus Alexander Cardinalis, de mandato præfati domini ſtatuit, & pronunciauit ſecundam ſeſſionem fieri debere die Lunæ ſequentis hebdomadæ, quæ erit decimaſeptima huius menſis, in qua tractabitur de annulatione geſtorum in conuenticulo ſatanæ, & Cōciliabulo Mediolanenſis ſeu Piſano ſuper quo cogitare deberent. Super quibus omnibus & ſingulis magiſter Thomas Regis procurator, fieri petijt per protonatarios & notarios ad hoc deputatos, publicum & publica, inſtrumentum & inſtrumenta.

Tenor verò ſermonis & orationis habitæ per Reuerend. P.D. Archiepiſcopum Spalatenſem, præſente S.D.N. & reliquis patribus concilij in habitu conſueto prælatorum, videlicet, cum pluuiali ſericeo & mitra, aſcenſo ambone conſueto, ſequitur & eſt talis.

[Margin notes: "Tolet. 11. c. 1." / "5. q. 4. In loco." / "Iacob 1." / "Eſa. 32." / "Pro. 22." / "for. * eſſe. & loca." / "* Fregepanibus."]

THomas Niger canonicus Archipresbyter & vicarius Spalatenſis doctiſſimo & integerrimo M. Marulo nobili Spalateñ. S.

Cùm vrbem Romam ſanctorumque reliquias ex voto inuiſere ſtatuiſſem, eo tunc temporis euocatum ad concilium Lateranenſe Bernardum Zane Archipræſulem noſtrum Spalatenſ. operæpretium viſum eſt comitari. Quo cum longo poſtliminio tandem perueniſſem, peragratis omnibus penè ſanctorum ſacellis, eorumque ſacris reliquijs ex Chriſtianorum inſtituto adoratis, contigit, interfuiſſe orationi ab eodẽ Archipræſule noſtro luculentiſſimè peroratæ coram Max. Pont. Iulio II. cæteriſque patribus ex induſtria in Lateraneñ. Eccleſiæ ſynodo ad id in prima ſeſſione congregatis. Quam quidem orationem M. Marule, amicorum doctorumque virorum *rariſſime, ad te præcipuè mittere viſum eſt, vt cui tu, in illo tuo præclaro opere de imitatione Chriſti, eruditionis atque ingenij laudem tribuiſti ſingularem, dignumque cenſuiſti, cui ipſum opus præcipuè dedicares, eius nunc non minus commendes erga rempublicam Chriſtianam ſtudium atque curam, cum perſpexeris, qualibus ipſe argumentis, quanta animi verborumque concitatione totus in eo ſit, vt bella inter Chriſtianos principes exorta ſedentur, vt vnuſquiſque ſuis limitibus contineatur, vt hæreſis ſchiſmataque extirpentur, vt pax reddatur Eccleſiæ, ac tandem aduerſus communes fidelium perſecutores Turcas, communia Chriſtianorum arma ſumantur. Talia tu cum legeris, putabis illum non in auditorio ac frequenti conſeſſu celeberrimorum virorum verba facere, ſed in acie totum verſari, arma tractare, buccina militari concrepare: tam acer eſt in dicendo, tam vehemens in exhortando, tam efficax in ſuadendo, vt omiſſa actione, pronunciationem vehementiamque verborum Demoſthenis Æſchiniſque, ſua verba trutinantium, crederes. Quod nequaquàm auderem adſtruere, niſi & orationi prius peroratæ, quã penè demandatæ, ipſe interfuiſſem, & ab omnibus ferè, qui interſuere, commendatiſſimam cognouiſſem. Nam & tunc totius penè ſacratiſſimi theatri applauſu eſt excepta, & poſteà omnium (qui eam legerunt ſeu audierunt) rotundo ore celebrata, ac doctiſſimi cuiuſque ſententia commendata. Magiſque eius eloquij venuſtatem vehementiamque admirantur, qui philoſophiæ inſuper & Theologiæ peritiſſimum eũ eſſe non ignorant. Rarum enim eſt, vt quis ad tam ingenuas tantæque difficultatis artes, etiam rhetoricen examuſſim adiecerit. Illud etiam nõ in vltimis Archipræſulis noſtri laudibus computandum cenſeo, vt qui in Eccleſia ſua metropolitana, in prædicatione annunciationeque diuini verbi, per totam penè Quadrageſimam indeſeſſo gradu, ac veluti quodam continuato virtutum pariete, à nullius ordinis religioniſque profeſſore ſe paſſus eſt ſuperari, in orando etiam eiſdem profeſſoribus præferri meritò & debuit, & meruit, cùm prælatorum, non monachorum, id præcipuè ſit muneris. ſed quibus mores quoque hominis, ſicut nobis, liquido innoteſcunt, nihil in eo deſiderari aiunt, vel quod ad eruditionem, vel quod ad vitam pertineat. Idem te de ipſo iam pridem ſentire non dubito. Eo etiam magis in eo tantas fortunæ dotes mirandas cenſeo, quod & nobilitate præcipua ſplendeſcens, & opibus non immodicis pollens, in gremio luxuriantis fortunæ molliter educatus, literas non eſt aſpernatus, nec eruditos eruditorumque conſuetudinem faſtidienter illuſit. nam bona mens bonaque fortuna rarenter copulantur. Quotus enim quiſque ex globo nobilium eloquentiæ ſtudet? quotuſquiſq; aut eruditus eſt, aut eruditionis aſſertor? econtrariò compluſculos videas, (de nobilibus opulentioribusque loquor) qui vbi occeperint adoleſcenturire, ſe totos dedant dedicentque belluinis voluptatibus, quibus literatorium gymnaſium carcer eſt, doctrina ſupplicium, qui ſpretores ſunt ſtudiorum oſores ſtudioſorum. At Archipræſul noſter in ampliſſimis (vti prædixi) fortunarum bonis conſtitutus, præcipuo Veneti ſenatus genere præfulgens, ſtemmata ſuorum tum ſummorum Pontificum, tum Cardinalium Patriarcharumque, affatim numerans, à teneris (vt Græci aiunt) vnguiculis ad hanc vſque ætatem, litterarum ſtudia ſcienter amplexus eſt, datque iugiter operam, vt natalium ſuorum ſplendor eruditione magis illuſtretur, quàm genere. Veruntamen, vt reuertamur vnde digreſſi ſumus, cùm orationem, quam mittimus, mi Marce, perlegeris, quod intra te fortaſſe tacitus ſentis, etiam verbis ſcriptisque in publicum ſecurus dabis: delectabitque te ab eo plurimum amari, quem plurimum laudas: immò qui iam multorum ore celebratur vbique & extollitur, adeò vt nemo ſit qui dubitet, ex oratione ſuaſuque ſuo Pont. Max. Iulium compoſitis Eccleſiæ rebus, & his quæ per tyrannos erant occupata, reparatis, continuò expeditionem indicturum in Turcas, omneſque Chriſtianorum principes, qui ad hanc vſque diem dormitauerunt, ſimul & dormierunt, veluti ex ſomno Endymionis excitaturum, conuocaturumque ad eam perficiendam, vt qui Chriſtiano nomini tam infenſi infeſtique ſunt, ipſius Chriſti vicarij inuictiſſimi auſpicijs profligentur. Etenim ſi nemo priorum Pontificum æquè, ac iſte, ac iſte, magnas res aut aggreſſus ſit, aut feliciſſimè geſſerit, cur non ſperemus ipſo duce & hoc futurum? Oremus igitur, vt qui Pont. Max. Iulio ſecundo tantæ gerendæ rei contulit voluntatem, non deneget facultatem. Cæterum felix Spalatina ciuitas patria noſtra, cui Bernardus Zane contigit Archipræſul, qualem & habere iucũdiſſimum eſt, & habuiſſe glorioſum. Vale ex Vrbe, quinto idus Maias, 1512.

*latiſſ.

BERNARDI ZANE VENETI PATRIcij, Artium doctoris & ſacræ Theologiæ magiſtri, Archipræſulis Spalaten. oratio habita in prima ſeſſione Concilij Lateranen. præſente Iulio ſecundo Pont. Optimo Max.

SOlent hi, qui coram ſingulis Principibus priuatiſque conſeſſibus orationem habent, beatiſſ. ac ſacratiſſ. Pontif. Max. Iuli, loci, temporis & perſonarum rationem, venerandumque conſpectum in ſui excuſationem adducere, ſi minus concinnè minuſue eleganter verba facerent, ſeu in media oratione deficerent. Ego verò qui coram te, hoc eſt, coram totius orbis principe & vero Chriſti vicario, in excelſiſſimo humani generis faſtigio poſito, coram tot ſapientiſſ. Pont. tot doctiſſ. prælatis & magiſtris, tot tantiſque principibus, ac (vnico verbo verum fatear) coram toto terrarum orbe ſum verba facturus, non dicam (vt fieri ſolet) quò me vertam, ſed quo animo, quibus viribus, quo dicendi genere, qua demum memoria tantum oneris ſuſtinere, ad finemque perducere valeam, neſcio. Ad loci, temporis & perſonarum rationem, grauitatem, rariſſimum auguſtiſſimumque conſpectum, accedit rei, de qua dicturus ſum, magnitudo, amplitudo & dignitas maxima.

Non enim vnum dicendi genus ſeſe mihi offert, ſed omnia ſimul: non de vnius perſonæ dignitate vel ſtatu, non de vnius prouinciæ conſeruatione, non de terrarum orbe tantũ, ſed de diuinis humaniſque rebus, de rerum omniũ Principe & moderatore Deo Opt. Max. de eius vicario ſummo ſanctiſſ. Pont. de vtraque Eccleſia militante & triumphante, de eius firmiſſimis Cardinalibus, de Principibus, de cœlo & terra denique ſum verba facturus. Quæ omnia, ſicuti ardua ſunt, impoſſibiliaque videntur vni, quamuis conſummatiſſimo ad pronunciandum ac perorãdum, ita me recreat, & reficit ſumma benignitas S. T. ſacratiſſ. Pont. qui vtpotè humaniſſ. munificentiſſimuſque non tam oblatum officium, quàm animũ, quo offertur, inſpicis & perpendis. Suſcepi igitur à S. T. demandatum munus ea mente, eo animo, vt ſi ad optatum finem perducere non valuero, intueatur ſaltem T. beatitudo animi mei promptitudinem, deſiderium, voluntatem. Ignoſcent præterea omnes hi ſapientiſſ. patres, ſi ego præ cæteris, ad munus hoc difficillimum ſubeundum, ab eadem T. Beat. ſelectus fuerim, quandoquidem id non inconſultò euenit. S. enim T. non tam viri doctrinam & eruditionem, qua hi omnes facilè præſtant, quàm ſumma dignitate, vtpote metropolitica, ſummorumque Põt. affinitate inſignitum, & T. S. ab ineunte pueritia ſummo ſtudio, obſeruantia & deuotione

obnoxium prælegit. Verùm quia inſtabile, inſolidum, & caducum eſt fundamentum, quod ſupra firmam petram iactum non fuerit, ideo à diuinis auſpicabimur, nec dimittendo patrem, filiumque diuinum, *S.S. amborum nexum, ſummiſſa ac reuerenda voce inuocabimus: Veni creator ſpiritus, mentes tuorum viſita, imple ſuperna patris & filij gratia, quæ tu creaſti pectora, Amen. Salomonis verba, initium orationis meæ aptum idoneumque mihi propono, Beatiſſime ac Sacratiſſime Pontifex Maxime, dicentis: Ad hoc facta eſt domus tua, vt reſpicias orationem ſerui tui, & audias preces, quas fundit famulus tuus corã te, & aperias oculos tuos ſuper domum iſtam diebus ac noctibus, ſuper locum, in quo pollicitus es vt inuocaretur nomen tuum, & exaudires orationem, quam ſeruus tuus orat in eo: Exaudi, inquam, orationem meam, immò noſtram, ſumme Deus, æterna veritas, vera charitas, & chara æternitas, vniuerſi mens: qui, quicquid videmus, & quicquid non videmus, exiſtens, per immenſas mundi partes vniuerſamque naturam commeans, omnibus animantibus vitam præſtas: orbem vniuerſum, quem condidiſti, ſumma ac ineffabili prouidentia aſſiduè gubernas, & ita gubernas, vt excellentiori quodam modo nos, hoc eſt, rationalem creaturam, quam cætera ames & conſerues. Quam quidem amoris & protectionis præſtantiam, ſacratiſſ. Pont. in tribus potiſſimum licet intueri: Primò equidem nos propter noſmet, cætera verò non propter ſeipſa, ſed ob rerum naturas & ſpecies conſeruandas, amat & tuetur.

item tam.

1.6.

Secundò ita nobis conſulit, vt noſmetipſos nobiſmet permittat. cætera verò ab ipſo ſummo rerum principio reguntur, in fineſque proprios diriguntur.

Tertiò demum cætera omnia ad nos, nos item ad ſeipſos decreuit & ordinauit, tanquam ad finem, quietem, perpetuamque noſtram felicitatem, quam baptizatis credentibusque repromiſit, teſtibus Marco & Ioanne. Baptizatis equidem, ob ſacramentum ab ipſo in Iordane inſtitutum, vt veterum macularum ſordibus ablutis, nouum hominem indueremus in CHRISTO IESV DOMINO noſtro, teſtante Apoſtolo: ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ: Credentibus verò, vt per duodecim articulorum, decemque præceptorum, ac ineffabilis incompræhenſibiliſque Vnitatis & Trinitatis diuinæ fidem, tanquam religionis ſanctiſſimæ fundamentum & veritatis vinculum, ad veram ſempiternamque vitam certiſſimè deduceremur, eodem Apoſtolo conſtantiſſimè aſſeuerante, fide aptata eſſe ſecula verbo Dei, ſine fide impoſſibile eſſe Deo placere. Oportet enim accedentem ad Deum credere quia eſt. Cuius quidẽ fidei noſtræ præſtantiam, excellentiam, dignitatem & veritatem probare nec poſſum, nec debeo, non equidem poſſum, quia ſupra humanam rationem, vtpotè diuinitus reuelata, conſiſtit. Non debeo, quia nimis elatus, nimiſque mihi de me promittens profectò iudicarer, ſi id probare conarer, quod tot doctiſſimi & ſanctiſſimi patres per tot annorum curricula firmiſſimè aſſeuerârunt. Quod item firmiſſimè tenet S. T. pater beatiſſime, tanquam caput & Dominus, tenent & hi ſapientiſſ. patres, Chriſtianiſſimi Reges & Principes, & reſpub. noſtra Veneta, quæ ſanguine & vita propria, nedum opibus & diuitijs, per octoginta fermè annos contra immaniſſimos Turcas fidem ipſam facilè comprobauit, quam demum firmiſſimè tenet magna orbis terrarum pars. Sed duo ſilentio præterire nõ poſſum, quæ eandam fidẽ noſtram fulciunt & muniunt: alterum, tot doctiſſimorum & ſanctiſſimorum patrum conuerſio, qui inanes fabulas fallaceſque ritus, quibus iam aſſueti & aſtricti tenebantur, non dimiſiſſent, niſi eandem fidem noſtram certam, indubitatam, & diuinam inſpexiſſent. Et vt cæteros dimittam, ne modum excedat oratio, proponite vobis, patres, Paulum Apoſtolorum Principem electionis vas, humanarum & diuinarum rerum ſcientiſſ. quem Chriſtianam religionem mirificè inſequentem vnica de cœlo vox (vt teſtatur Actuum cap. 9.) ad Chriſtum deduxit. Ipſe quoque teſtatur, ſe vſque ad tertium cœlum, id eſt, vſque ad ipſam ineffabilem Trinitatem intuitiuè contemplandam, raptum extitiſſe, vt & ipſius Trinitatis, & omnium inde pendentium fidem firmiſſimè ſtabiliret. Proponite & vobis Auguſtinum Africanum Tagaſtenſi vrbe oriundum, qui Chriſtianæ religionis oppugnator acerrimus, Ambroſium doctiſſimum Mediolani Antiſtitem interens diſputantem, ſacrum baptiſma ſuſcepit è manibus eius, dicentis, Te Deum laudamus: ipſoque Auguſtino reſpondente, Te Dominum confitemur. Quem benè & optimè confeſſus eſt in mille & pluribus excellentiſſ. & eminentiſſ. voluminibus, & potiſſimum in libris Trinitatis, de fide ad Petrum, & Retractationũ. Accedit & alterũ non minoris efficaciæ argumentũ: Poſt Chriſti veri Domini, Dei, mediatoris, reparatoris & redẽptoris noſtri natiuitatẽ, paſſionẽ, reſurrectionẽ & aſcenſionem, vbi priſca illa inania & vaniſſima omnia, reſpõſa & oracula? vbi idolorum templa? vbi vaniſſimi ritus? vbi ſacris initiati vel potius prophanis dehoneſtati ſacerdotes? Non hæc omnia iam in viſceribus totius humani generis inſita & ſtabilita, non (inquam) hæc omnia tam facile credere potuiſſent, niſi firmiſſimæ, conſtantiſſimæ, ac indubitatiſſimæ veritati, hoc eſt, orthodoxæ fidei, Catholicæ & Apoſtolicæ diſciplinæ, cuius tu ſacratiſſime Pont. in terris vicarius & caput exiſtis, ac vnà cum ſacris cardinalibus, Pontificibus, ſacerdotibus, Catholiciſque Principibus ipſam Chriſti Eccleſiam militantem conſtituis. Sicut enim humanum corpus ex capite multiſque membris conficitur ad diuerſa naturæ munera obeunda, ita & Eccleſia militans ex te ſanctiſſime Pont. tanquã capite, cæteriſque Chriſticolis tanquam membris integratur, teſtante Apoſtolo: Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in CHRISTO. Et alibi: Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, ita Chriſtus vnus eſt, & in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus. Huius autem corporis & Eccleſiæ ſub Chriſti vexillo militantis poteſtas, libera ampliſſimaque iuriſdictio & habenæ, T. S. ſacratiſſ. Pont. ſunt demandatæ, non quidem per internuncios, ſiue prophetas, ſeu Apoſtolos, vel ſanctos alios, ſed ab ipſa prima veritate Ieſu Chriſto vero Domino & Deo noſtro, dicente Petro, & in eo omnibus ſummis Pont. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris, erit ſolutũ. Et iterũ: Paſce agnos meos, paſce oues meas. Sed quis paſtus ſuauior, quis amabilior, quis decentior à tua ſanctitate, ſacratiſſ. Pont. in membra & ſubditos tuos põt prouenire, quam vnitas in credendo, credulitas in amando, amor in amplectendo, amplexus in perficiendo, perfectio in contemplando Catholica, Apoſtolica, diuina & ſanctiſſima inſtituta, quibus iurgia remouebuntur, bella ſedabuntur, ſeditiones, proditiones, periuria, ſacrilegia, homicidia, vſuræ, luxuriæ, adulteria, cæteraque deteſtanda humani generis ficinora euellentur, deſtruentur, & in pacem, fidem, conſtantiam, fortitudinem, modeſtiam, temperantiam, liberalitatem, iuſtitiam, cæteraſque animi & corporis virtutes commutabuntur? Hic eſt (inquam) paſtus ille, qui nos vera Chriſti membra, non ſubditititia: vigoroſa, non inania: recta non obliqua efficiet: qui demum nos de militante deducet ad triumphantem Eccleſiam, quam beatiſſimi nos tam corpore quàm animis, in beatiſſima illa & Chriſti benedicti veri Dei noſtri intuitiua viſione conſtituimus, vbi felici æternitate, & æterna felicitate perfruemur. Verum pater Sanctiſſime, duo ſunt, quæ nos in militante Eccleſia potiſſimum perturbant, & à triumphante retrahunt, & deuiant: alterum, Dominandi cupiditas, luxuria, & ambitio: alterum, & id pernicioſiſſimum; hæreſis, infidelitaſque. Vtriq; debet S. tua, debemus & nos omnes totis viribus, toto mentis affectu occurrere, ne vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus deturpetur, dehoneſtetur, confundatur. Priori quidem optimè conſultum erit, ſi Concilium iſtud, quo (te præſente, pater beatiſſime) nihil eſt maius in terris, decreuerit, imperauerit, ſanxerit, vt omnes Principes finibus ſuis contenti, megis vltra non progrediantur: vti poſſident, poſſideãt, caſtra, oppida, vrbes, regiones, quarum poſſeſſionem ipſa temporum diuturnitas, nullo interim reclamante, propriam fecit. Quæ verò vi, ſæuiſſimis & iniuſtiſſimis armis in oculis maximè tuæ Sanctitatis diripuere, dilaniauere, reddant, reſtituant. Sic dominandi cupiditas ceſſabit, ſic ſanguis innoxius puerorum & innocentum non effundetur. Sic virginum, matronarum pudicarum, (& proh ſcelus) etiam Deo dedicatarum honos, pudor, virginitas non corrumpetur, non violabitur, non poſtergabitur.

1.

locus mutilus.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Matt. 16.

Iohan. 21.

Sic incendia, rapinæ, & violentiæ ceſſabunt. Sic denique Chriſtianus Chriſtiano, fidelis fideli, frater fratri non ſuccenſebit, non comminabitur, non inſidiabitur. Hæc ſunt, beatiſ. pe ſacratiſ. Pontifex, ampliſſimi & ſapientiſſimi patres, quæ vobis, celeberrimo auguſtiſſimoque conſeſſui veſtro ſupplicant, quæ à vobis auxilium expoſtulant, quæ quotidie ſine intermiſſione proclamant: Succurre pater ſanctiſſime, ſuccurre orthodoxa & Apoſtolica fides, ſuccurre (inquam) miſeris, adiuua puſillanimes, reſoue debiles. Detineret me profectò iſtarum calamitatum prolixior commemoratio, niſi in dicendo mihi modus habendus eſſet: tum, ne tanta tua audiendi facilitate viderer abuti, Pater beatiſſime: tum, quia his maiora potioraque me expectant & vocant, quæ pauciſſimis breuiſſimiſque abſoluam. Officit nobis deinde alterum, & nos, vniuerſalemque Eccleſiam magnoperè perturbat hæreſis infidelitaſque. Hæreſis ab electione dicta, teſte diuo Hieronymo, plures inducit ad eligendam diſciplinam, quam meliorem exiſtimāt, Catholicam & Apoſtolicam dimittentes, diuerſos errores ſeminantes, ſchiſma interponentes: quod quàm pernicioſum & deteſtabile reperiatur, authoritate, exemplis, ac ratione facilè comprobatur. Teſtis itaque eſt Auguſtinus, inquiens: Non dubito catechumenum Catholicum, diuina charitate flagrantem, hæretico baptizato anteponere. Teſtis eſt & diuus Bernardus, aſſerens, plus nocere falſum catholicum, quàm ſi verus appareat hæreticus. Teſtis demum eſt doctiſſimus & ſanctiſſimus prædeceſſor T. S. diuus Leo, dicens: Quid autem iniquius eſt, quam impia ſapere, & ſapientioribus doctioribuſque non credere? In hanc autem inſipientiam cadunt, qui cum ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad propheticas voces, Apoſtolicas litteras, Euangelicas authoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt, & ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuerunt. Perlege Apoſtolum ad Corinth. Sciſſuras eſſe inter vos non laudo. Et infra: Deus temperauit corpus, vt non ſit ſchiſma iu corpore, ſed in idipſum pro inuicem ſolicita ſint membra. Et ad Timotheum. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domni noſtri Ieſu Chriſti, ſuperbus eſt, nihil ſciens, & languens circa quæſtiones & verborum pugnas. Et infra: Prophana & vaniloquia deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit. Deinceps, Vanas & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites. Secundo loco, exempla magis mouentia ſeſe nobis offerunt. Innocentius itaque tertius Ottoni quarto, à ſe primitus coronato, & de ſe, deque Romanis ac vniuerſalis Eccleſia peſſime merito, Imperium abſtulit. Honorius item tertius Fredericum ſecundum, Eccleſiaſtica diuinaque inſtituta peruertentem, anathemate notatum, imperiali dignitate priuauit. Innocentius deinde quartus Fredericum* tertium, ob eius inſidias ac Pōtificum perſecutionem, Siciliæ Apuliæque Regno, ac Imperio exauthorauit. Boniſacius Octauus Petro & Iacobo Columnen. Cardinalatum, Philippo Gallorum regnum ademit. Ioannes demum vigeſimus ſecundus, Ludouicum Bauariæ Ducem, Eccleſiæ rebellem ac ſchiſmaticum declarauit, ſicuti ſuæ ſanctitatis originales plūbatæ literæ ad prædeceſſorem meum Spalateñ. Archipræſulem, ac penes me exiſtentes, apertiſſimè demonſtrāt. Plurima alia ſchiſmatis ac (qui pœnas luerunt) ſchiſmaticorum deteſtabilia exempla præterire me cogit ratio, quæ tertium ſibi locū vendicauit. Schiſma igitur ab animorum ſciſſura, quæ obduratas mentes auerſoſque animos ab vniuerſalis Eccleſiæ vnitate ſciungit, appellari, nemo eſt qui ambigat. Vnitas verò ipſa nos, hoc eſt, Chriſticolas omnes in Apoſtolica atq; Catholica Eccleſia, Eccleſiamque ipſam Catholicam & Apoſtolicā in nobis ſpirituali quodam dilectionis vinculo vnit, coniungit, confirmat. Ipſam autem Eccleſiæ vnitatem ſacri doctores in duobus conſiſtere affirmârunt: primò, in membrorum Eccleſiæ, id eſt, fidelium adinuicem commixtione: ſecundo, in eorundem ordine ad vnum caput, Chriſti ſcilicet vicarium, S. T. ſanctiſſime Iuli, iuxta Apoſtoli dictum ad Coloſſeñ. Inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput. Indè meritò infertur, neceſſarioq; concluditur, ſchiſmaticos illos appellari, qui ſummo Pont. ſubeſſe, membriſq; Eccleſiæ ſubiectis communicare recuſat, renuunt, inficiantur. Et quia iure humano atq; diuino ſancitum eſt, per ea quenque puniri debere, per quæ peccat, ideo ſchiſmaticorū peccato duplici duplex pœna debet infligi: Altera, quia à fidelium cōmunione ſe abdicârunt, meritò excōicari, id eſt, eſſe extra fidelium conſuetudinē declarari debent: altera verò, quia Eccleſiæ capiti, hoc eſt, tuæ Sanctitati ſubdi recuſant, omni Apoſtolico priuilegio [illegible] Pontificio priuari promerentur. Quare, ſacratiſ. Pont. ſapientiſſ. patres, perſequimini, euellite, de medio auferte hæreticos ac ſchiſmaticos: manifeſtos, manifeſta, acri & ſeueriſſima punitione: occultos, ſolerti, vigilanti ac diligentiſſima indagatione, ne eueniat, quod teſtatur diuus Hieronymus: (& Deus auertat) Arius in Alexandria vna ſcintilla fuit: ſed quomodo ſtatim oppreſſus non eſt, eius flamma per totum orbem * populata eſt. *propagata.
Reſecandæ denique ſunt putridę carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus maſſa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant. Infidelitatis poſtremò tres ſunt ſpecies, teſte diuo Thoma: (& vt eius verbis vtar) Paganorum, quæ grauis eſt: Iudæorum, quæ grauior: hæreticorum, quæ grauiſſima. Cùm hæreticos præmiſerim ac deliberauerim, Iudæoſ dimittam, qui Apoſtolicis & prædeceſſorū T. S. Gregorij, Alexandri, Clementis & Innocentij decretis in ſua obſtinatione viuere permittūtur, in atteſtationē noſtræ veriſſimę redemptionis, in perpetuā erroris ſui deteſtationē, in exemplū deniq; accerrimæ punitionis. Et quia ad id, quod magis vrget, & me, immò oēs plurimum mouet, orationis noſtrę finis ſe conuertit: dimittā plures Barbaras nationes, quæ ſua ac parentū ſuorū culpa, Chriſtum verum Deum & redēptorē noſtrū ignorantes, varios nefandoſq; ritus ſeruant. Dimittam Orientales ferè oēs, qui potius ferinis quā humanis morib. vitā ducunt: & ad id, ꝙ ceruicib. noſtris imminet, me conuertam. Sed equidem ſine maximo dolore, ſine ſingultibus, ſine lachrymis nec memorari, nec cogitare, nedum exprimere valeo immaniſſimā Turcarum rabiem & potētiam. Hi (vt optimè nouit S. T. noſtis & vos, patres ampliſ.) à centum octoginta fermè annis, hoc eſt, ab Ottomanno primo vſq; ad* Pacietem præſentem vndecimum eorum Principem, magnā Aſiæ partem, & eā potiorem, occupauere. fort.* Baiazetem.
Deinde Europæ non minorem, cū maxima Chriſtiani cruoris effuſione, vſurpârūt, dilaniârūt, lacerârunt, duobus Imperijs & duodecim Regnis vſurpatis, & ꝙ formidabile eſt, Imperium ſuū Dalmatiam & Liburniā vſq; dilatauere, à quo quidē loco ad vrbes T. S. Picētinas vnius noctis ſpatio cōmodiſſime poſſunt transfretari, effrenata gens, immaniſſima, Chriſtiano nomini inimiciſſima. Suo. n. ſordidiſſ. Mahumeto obſequiū maximū ſe præſtare putat, Chriſtianos inſequendo, dilaniando, occidendo. Et ne recenſeā calamitates ab eiſdem retroactis tēporib. nobis illatas, vtpotè vobis omnib. notas, cōſiderate, Patres, præſentes ærumnas Chriſti fideliū, in quos Turcę crudeliſſimè deſæuiūt: filios à complexu parentum, infantes à matrum vberibus eripiunt, vxores in virorum conſpectu violāt, virgines à matrum amplexu in hoſtilem libidinem rapiunt, ſenes parentes tanquam inutiles in filiorū oculis trucidant, iuuenes ſicuti boues aratro iūgunt, & terrā vomere vertere cogūt. Sed ꝙ plurib. opus eſt? Nulla in eis reperitur fœminei ſexus reuerentia, nulla puerilis ætatis pietas, nulla ſenectutis miſeratio. Hæc à me, ſacratiſ. Pōt. ſapientiſ. patres, non tanquam audita vel lecta, ſed çertè viſa, ſunt repetita. Vidi ego oculis proprijs, vidi (inquam) eos vſq; ad ſuburbia Archipræſulatus mei Spalateñ. & illius miſerrimæ vrbis Spalati, depopulantes omnia, igni ferroq; deuaſtantes, & in miſerabilē captiuitatem vtriuſq; ſexus filios S. T. & meos abducentes. Viderunt & hęc in vrbibus ſuis duodecim ſuffraganei eiuſdem S. T. & mei. Adeſt & locupletiſſimus teſtis ampliſſimus totius Vngariæ primas Archipræſul Strigonieñ. qui proximis his elapſis diebus, intellecta immaniſſima eorundē inuaſione in noſtrates, Dalmatiæ, Illyriæ, Croatiæ, Pannoniæ, immò totius religionis Chriſtianæ ſtatum amariſſimè deploratus eſt. Sæpè, pater ſanctiſſime, & ſæpius ego (ô me miſerum & infelicem) diuinis officijs aſſiſtens, coactus ſum cappam indumentaque Pontificia dimittere, arma ſumere, ad vrbis portas percurrere, afflictū populum Spalateñ. tua Apoſtolica benignitate mihi demandatū, ſolari, animare, & aduerſus ſanguinem noſtrum ſitientes aſſurgere. Miſerere itaq;, Sanctiſſime pater & domine, filiorū & ſeruorum tuorum, affer opem tam dura ferentibus, redime de miſerabili ſeruitute, quos Chriſtus benedictus ſuo precioſiſſimo ſanguine à perpetua morte liberauit. Miſeremini, & vos patres ampliſſimi, nec vos tutos idcirco exiſtimetis,

quia manſionem fortaſſe procul à Turcis ſortiti eſtis. Nemo etiam tam remotus eſt, quin reperiri queat. Si vicinum, qui ante vos proximus eſt igni, in periculo dimiſeritis, dimiſſi eritis & vos à vicinis, qui retro habitant. Tales nos eſſe oportet in alios, quales illos erga nos cupimus inuenire. Nolite Germani Gallorum auxilia ſperare, niſi & vos Vngaris, nec vos Galli Hiſpanorum, niſi Germanis opem auferatis. Qua enim mẽſura menſi eritis, eadem remetietur & vobis. Nec putet S.T. Pater beatiſ. voſque patres ampliſſ. Turcas eſſe inſuperabiles. Vinci poſſunt, & ſæpius victi ſunt. Multitudinem, qua potiſſimum vincunt, inermẽ ducunt, confiſi perniciſſimis equis. Adde plurimos eorum ſubditos eſſe Chriſtianos, Chriſtianamq; religionem ardenter amplecti, qui anhelanti ore S.T. aduentum, auxilium, redemptionem, & è miſerabili ſeruitute liberationem expectant. Scio ego, & certiſſimè mihi promitto, (modo cæteri Principes non deficiant, prout deficere non debent, ſi veri ſunt Chriſtiani, vt cupiunt appellari) S.T. non deerit, quin tanto imminenti periculo & præſentaneo morbo occurrat. Noui enim ego, immò totus orbis nouit, ſacratiſſ. Pont. animi tui fidem, fortitudinem, ſapientiam, liberalitatem, magnitudinem, qua tum in cæteris, tum in Dei Eccleſia Catholica & Apoſtolica defendenda, augenda & cõſeruanda ſemper vſus es. In hoc etiam defenſionis genere quàm neceſſario, ſcio & certiſſimè vobis promitto, ſapientiſſimi patres, quod SS. non maximus labor fidem, non formidoloſum periculum, fortitudinem, non denique expectata (quod abſit) egeſtas liberalitatem extinguere poterit, quin ſanctitas ſua humani generis maximam partem fide redimat, fidei inimicos fortitudine expellat, Chriſti Eccleſiam liberalitate amplificet. Quare pientiſſime & miſericordiſſime Deus, de excelſo ſancto tuo anguſtias noſtras aſpice. Noſti enim, quod præter nominis tui gloriam, & Dominici gregis ſalutem, nil aliud quærit vox noſtra. Memento Domine Ieſu Chriſte, quod diuo Petro & ſucceſſoribus eius Regni cœlorum claues tradidiſti. Eccè adeſt diui Petri ſucceſſor Iulius, authoritate non minor, vicarius tuus. Reſpice ad preces S.S. & noſtras, & exaudi nos de excelſo ſolio tuo. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, propter gloriam nomi[illegible] tui, & propicius eſto peccatis noſtris propter nomen tuu[illegible]ice benignis oculis ſuper populum tuum. Da felicem cu[illegible] cœptis noſtris, vt tandem, reformata, aucta & ſtabilita Eccleſia tua, maieſtati tuæ laudes glorioſè cantem⁹, tibi perpetuò ſeruiamus, & omnis terra, vna cum vicario tuo, patre & Domino noſtro Iulio, ſummo ſanctiſſimoque Pont. adoret te, & nomini tuo pſallat in ſecula ſeculorum, Amen.

SESSIO II.

Die Lunæ, ſeptima ſupradicti menſis Maij, fuit 2. ſeſſio in ſupradicto loco. In qua fuerunt præſentes infra ſcripti Reuerendiſſ. Domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Magiſtri, Generales ordinum, oratores principum, & alij illuſt. domini videlicet:

EPISCOPI CARDINALES.

Reuerendiſſ. D. Raphael Oſtieñ.
Reuerendiſſ. D. Dominicus Portuenſis.
Reuerendiſſ. D. Iacobus Albanenſis.
Reuerendiſſ. D. Marcus Prænestinus.

PRESBYTERI CARDINALES.

Reuerendiſſ. D. Thomas tituli ſancti Martini in montibus, Strigonienſis.
Reuerendiſſimus D. Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſimus D. Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Nannetenſis.
Reuerendiſſimus D. Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agenenſis.
Reuerendiſſimus D. Chriſtophorus tituli ſanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerendiſſimus D. Antonius tituli ſancti Vitalis, Sipontinenſis.
Reuerendiſſimus D. Petrus tituli ſancti Euſebij, Anconitanenſis.
Reuerendiſſimus D. Achilles tituli ſancti Sixti, Bononienſis.
Reuerendiſſimus D. Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de* Saulis.

DIACONI CARDINALES.

Reuerendiſſimus D. Alexander ſancti Euſtachij, Farneſius.
Reuerendiſſimus D. Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin. de Aragonia.
Reuerendiſſimus D. Alphonſus ſancti Theodori, Senenſis.

PATRIARCHÆ ET ASSIſtentes Papæ.

Reuerendus P.D. Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus P.D. Alphonſus Antiochenus.
Reuerendus P.D. Stephanus Patracenſis & Torcellanenſis.
Reuerendus P.D. Vincentius Neapolitañ.
Reuerendus P.D. Franciſcus Iadreñ.
Reuerendus P.D. Fridericus Salernitañ.
Reuerendus P.D. Gabriel Dyrrhacieñ.
Reuerendus P.D. Orlandus Nazarenus.
Reuerendus P.D. Franciſcus Vincentinus.
Reuerendus P.D. Franciſcus Sueſſanus.
Reuerendus P.D. Iulianus Cibo Agrigentiñ.
Reuerendus P.D. Ferdinandus Caietanus.
Reuerendus P.D. Laurentius Aſculanus epiſcopus, Vicecamerarius & gubernator Vrbis.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerendus P.D. Franciſcus Conſan.
Reuerendus P.D. Ioannes Iacobus Barenſis.
Reuerendus P.D. Ioannes Vincentius Senenſis.
Reuerendus P.D. Aldrouandinus Nicoſieñ.
Reuerendus P.D. Bernardus Spalaten.
Reuerendus P.D. Antonius Auionen.
Reuerendus P.D. Hieronymus Antibaren.
Reuerendus P.D. Mauricius Tuanien.
Reuerendus P.D. Hieremias Tranenſis.
Reuerendus P.D. Andreas* Noboniaſienſis.

EPISCOPI.

Reuerendus P.D. Iacobus Potentin.
Reuerendus P.D. Ioannes Baptiſta Cauallicenſis.
Reuerendus P.D. Galeſius* Bellunen.
Reuerendus P.D. Albertinus Piſaurienſis.
Reuerendus P.D. Octauianus Viterbienſis.
Reuerendus P.D. Ioannes Antonius Calinen.
Reuerendus P.D. Franciſcus Ortanus.
Reuerendus P.D. Latinus Veſtanus.
Reuerendus P.D. Ioannes Aquilanus.
Reuerendus P.D. Galaſius* Sarcinnateñ. *Saſei-uen.
Reuerendus P.D. Iacobus* Signinus. *Saſſenaten.
Reuerendus P.D. Altobellus Poleñ. *Signen.
Reuerendus P.D. Andreas Militeñ.
Reuerendus P.D. Iacobus Papheñ.
Reuerendus P.D. Simon Arimin.
Reuerendus P.D. Bernardus* Teruiſinus. *Taruiſinus.
Reuerendus P.D. Ludouicus Tricaricen.
Reuerendus P.D. Alexius * Malaſitenſis. * Melſitanus.

Reuerendus P.D. Ioſue Eſculañ.
Reuerendus P.D. Thomas Ceruieñ.
Reuerendus P.D. Ioan. Baptiſta* Maraneñ.
Reuerendus P.D. Franciſcus Miſoporamieñ.
Reuerendus P.D. Raphael* Capritaneñ.
Reuerendus P.D. Franciſcus Biſignianeñ.
Reuerendus P.D. Matthæus* Vmbriaceñ.
Reuerendus P.D. Ferdinandus Balneoregieñ.
Reuerendus P.D. Petrus* Vrgelleñ.
Reuerendus P.D. Benedictus Chieñ.
Reuerendus P.D. Bernardinus Caſtreñ.
Reuerendus P.D. Petrus Caſtelli maris.
Reuerendus P.D. Aloiſius Interamneñ.
Reuerendus P.D. Guillelmus Cortoneñ.
Reuerendus P.D. Nicolaus Neocaſtreñ.
Reuerendus P.D. Ioannes Tudeñ.
Reuerendus P.D. Vnicentius* Nauleñ.
Reuerendus P.D. Michael Monopolitañ.
Reuerendus P.D. Dominicus Aqueñ.
Reuerendus P.D. Gisbertus Rapollañ.
Reuerendus P.D. Ioannes Bobieñ.
Reuerendus P.D. Georgius Callen.
Reuerendus P.D. Iacobus Marſicanus.
Reuerendus P.D. Lambertus Venuſinus.
Reuerendus P.D. Simon Modruſien.
Reuerendus P.D. Ioannes Antonius Anglonen.
Reuerendus P.D. Zacharias Terracinen.
Reuerendus P.D. Ioannes Franciſcus Nolan.
Reuerendus P.D. Corradus Aſtunen.
Reuerendus P.D. Hieronymus* Inſuleñ.
Reuerendus P.D. Michael* Mordauieñ.
Reuerendus P.D.* Guilhelmus Licien.

*Guilinus *Hugolinus *Vgolinus Lycieñ.

Reuerendus P.D. Dominicus Lucirin.
Reuerendus P.D. Hieronymus Aretin.
Reuerendus P.D. Bernardus Soranus.
Reuerendus P.D. Tranquillus Ferentin.
Reuerendus P.D. Carolus Montis regalis.
Reuerendus P.D. Silueſter Wigonien.
Reuerendus P.D. Gaſpar ſanctæ Iuſtæ.
Reuerendus P.D. Marcus* Vngentinus.
Reuerendus P.D. Ferdinandus Scalen.
Reuerendus P.D. Antonius Vrbinaten.
Reuerendus P.D. Raphael Groſſetanus.
Reuerendus P.D. Matthæus* Birecten.
Reuerendus P.D. Petrus Narnieñ.
Reuerendus P.D. Iacobus ciuitatis ducalis.

ABBATES.

Reuerendus P.D. Antonius abbas monaſterij ſancti Galgani ordinis Ciſtercie P. Vulterane P. diœceſis.
Reuerendus P.D. Guilhelmus abbas monaſterij beatæ Mariæ Britonis.

MAGISTRI GENERALES ordinum.

Magiſter Thomas Caietanus, Generalis ordinis Prædicatorum.
Magiſter Demetrius, ordinis Minorum Vicarius.
Magiſter Ægidius, Generalis ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini.
Magiſter Bernardus, Vicarius ordinis B. Mariæ de monte Carmelo.

SENATOR VRBIS.

Magnificus Dominus Petrus de Stacclupis Florentin.

ORATORES.

Magnificus Dominus Hieronymus Vich, orator Catholici Regis & Reginæ Hiſpaniarum.
Magnificus Dominus Franciſcus Foſcarus eques, orator ſereniſſimi ducis & illuſtriſſimi domini Venetorum.
Magnificus Dominus Antonius de Stroxis, orator Florentinorum.

ILLVSTR. DOMINI temporales.

Conſtantinus dux Macedoniæ.
Illuſtriſ. D. Fridericus marchio Mantuan.
Illuſtriſ. D. Iulius de Vrſinis.
Dominus Fabricius de Carreto, procurator ordinis S. Ioannis Hieroſolymitanen.
Dominus Sixtus de Ruuere Prior vrbis, Miles ordinis S. Ionis Hieroſolymitan.
Dominus Petrus Grimanus, Prior de Vngaria, Miles ordinis S. Ioan. Hieroſolymitan.
Excellens iuris vtriuſque doctor D. Paulus de Capozuchijs, & nobiles domini Iacobus de Fragapanibus, & Petrus Pauli de Vechis, vrbis almæ conſeruatores.

Celebrata Miſſa per reuerendiſſ. in Chriſto Patrem Dominum Thomam tituli ſancti Martini in Montibus, presbyterum Cardinalem, facta oratione per reuerend. P.D. Thomam Caietanum ordinis Prædicatorum priorem generalẽ, aſcendit ambonem Dominus Balthaſar Tuerdus, Domini noſtri Papæ ſecretarius, & legit quoddam mandatum illuſtr. Henrici regis Angliæ de confœderatione cum eodem ſanctiſſ. D.N. Papa. quo perlecto, R. pater D. Thomas Phædrap præfectus bibliothecæ ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, ac Concilij ſecretarius, aſſcendit ambonem, & legit quoddam mandatum Catholici Ferdinandi regis Aragonum, in perſonam magnifici domini Hieronymi de Vich, ad intereſſendũ & incorporandum ac vniendum ſe concilio Lateranenſ. cuius tenor talis eſt:

MANDATVM REGIS Hiſpaniæ.

FErdinandus Dei gratia rex Aragonum, Siciliæ citra & vltra ...rum, Hieruſalem, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, ...rſicæ, comes Barchinoniæ, Dux Athenarum & Neopatriæ, comes Roſſilionis & Ceritaniæ, marchio Oriſtani & Gotiani, necnon adminiſtrator & gubernator regnorũ Caſtellæ, Legionis, Granatæ &c. pro sereniſſima & potentiſſima Regina Ioanna filia noſtra chariſſima, cuius perſonæ & bonorum curam gerimus: Vniuerſis & ſingulis præſentium ſeriem inſpecturis motum facimus, quod licet nos cùm primũ intelleximus, ſanctiſſimum ac beatiſſimũ dominũ noſtrũ Iuliũ diuina prouidentia Papã ſecum, pro defendenda S.R.E. indiuiſibili vnitate, ſchiſmatũ hæreſumq; pullulatione ſecanda, morũ vniuerſali reformatione, & ſanctiſſima cõtra infideles & ſacroſanctæ fidei Catholicæ hoſtes* obeũda, conciliũ Lateranen. conuocaſſe propoſuerimus, & tota mente ac totis viribus noſtræ præfatæ Eccleſiæ & ſummi Pontificis monitionibus facere ſatis: multo tamen acrius ſolicitati ſumus, poſteaquam venerabilis & dilectus noſter vtriuſq; iuris Doct. Guillelmus Cacador cauſarum ſacri palatij auditor, & eiuſdẽ ſanctitatis capellanus, & nuncius ad hoc ſpecialiter deſtinat⁹, ad nos & alios Chriſtianos Principes miſſus, publicè atque palam inſinuauit dicti ſacri Lateranen. cõcilij conuocationẽ, & ſchiſmatici Piſani continuationem, eſſe Eccleſiæ vnicæ Rom. ſciſſuram, & nauiculæ Petri fluctuationem, quid in cauſa tam ardua prouidendum ſit: quandoquidem tuitionem & propugnationem Eccleſiæ, licet requiſiti, ſpontè tamen & grauiter ſuſcepimus, ne Dei optimi Max. honorem negligere videremur. Profitemur enim nos filium eiuſdem S.R.E. matris noſtræ deditiſſimum, proque eius honore atque ſtatu animam ponere paratiſſimum. Cùm igitur præfata ſacroſancta Romana Eccleſia innitatur tam ſanctum, tam ſalubre atq; laudabile propoſitum proſequi atque perficere, vt* ſedes Catholica non modo conſeruetur & manuteneatur, ſed etiam augeatur, & Mahumetana ſecta eneruetur, cuius rei nos impulſores atque effectores Deo authore ſemper extitimus, operæprecium arbitramur, vt ea omnia pro portione nos cõtingente, præparemus, quæ dicto ſacro Lateranen. concilio con-

conſentanea & opportuna fore videantur. Quapropter fidem, conſtantiam, ſagacitatem, atque agibilium experimentũ veſtri magnifici & dilecti conſiliarij Hieronymi de Vich, noſtri in Romana curia oratoris haud paruifacientes, non tamen in præiudicium, nouationem, ſeu derogationem quarũuis poteſtatum, per nos vobis hactenus tributarum, ſed illis potius addendo & accreſcendo, eis quidem melioribus, validioribus & efficacioribus via, modo, iure & cauſa, quibus facere poſſimus & debemus, facimus, conſtituimus, creamus, deputamus, & ſolenniter ordinamus, noſtrum & dictæ sereniſſimæ Ioannæ Reginæ filiæ noſtræ chariſſimæ verum, certum, legitimum & indubitatum procuratorem, factorem, negociorumque infraſcriptorum geſtorum, ac nuncium ſpecialem & generalem, ita quòd ſpecialitas generalitati non deroget, nec econtra, videlicet vos eundem Hieronymum de Vich oratorem noſtrum, licèt abſentem tãquam præſentem ad intereſſendum videlicet, conſentiendum, diſſentiendum, proteſtandum, ac fieri requirendum, pro nobis dictis nominibus, proque dicta ſereniſſ. Regina Ioanna filia noſtra chariſſima, regniſque atque dominijs & populis ditioni vtriuſq; noſtrum ſubiectis, omnia & ſingula, quæ præparationi celebrationis dicti ſacri Lateranen. concilij opportuna, ſuffragantia, conducibilia & conuenientia ſint, & ſine quibus illud cõmodè celebrari non poſſet, necnon dicti ſchiſmatici, pernicioſi Piſani conciliabuli impeditiua, refragrantia, & ad nullitatem in eo attentatorum, ſeu attentandorum tendentia, ne illud longiùs procedat, ſed tanquam iniuria, perperam & iniquè congregatum, diſſoluatur & euaneſcat, & pernicioſiſſimum ſchiſma fugetur & tollatur; comparendumque atque intereſſendum, dum tempus affuerit, eiſdem nominibus in dicto ſacro Lateranen. concilio, & in omnibus actis & proceſſu eiuſdem, ibique obedientiam debitam præfato beatiſſimo domino noſtro Papæ toties, quoties opportunum fuerit, præſtandum & recenſendum, confitendumque atque recognoſcendum, eundem dominum Iulium Papam ſecundum, eſſe verum, vnicum, canonicũ & indubitandum Pontificem, & Dominici gregis paſtorem. & in eodem ſacro Lateranen. concilio dicendum, proponendum, tractandum, vouendumque dictis nominibus & vtrouis eorum, omnia & quæcunque inchoationi, celebrationi, continuationi & concluſioni dicti ſacri Lateranen. concilij, & quæ in eo proponentur & tractabuntur, vnioniq́ue & indiuiduitati dictæ S.R.E. matris noſtræ membrorum eius, necnon morum vniuerſali reformationi, & dicti pernicioſiſſimi ſchiſmatis nullitati & extinctioni, fideique augmento, ſanctiſſimæ atque Catholicæ ligæ nuper initæ conſeruationi & implemento, atque præfatæ (iamdiu eſt) à nobis optatæ, inceptæque in hoſtes eiuſdem fidei expeditioni neceſſaria, ſeu etiam opportuna, & ſine quibus ea commodè fieri, ſeu perfici nequirent. Et quoniam multa eorũ veriſimiliter indies occurrere poſſunt, quæ nobis ad præſens minimè occurrunt, exprimi & ſpecificari ad validitatem actorum ſeu agendorum neceſſaria, & ſine quorum expreſſione fortè de iure non tenerent, de quibus ſi notitiam informationemque haberemus, ea omnia exprimere non omitteremus, prouidere volentes, ne ipſa expreſſio per nos præſentibus non facta, vllum incommodum tantæ rei propter loci diſtantiam pareret, ſeu cauſaret, vobis poteſtatem tribuimus, ea omnia huic noſtro mandato dictis nominibus & vtrouis eorum, de peritorum conſilio addendi, exprimendique per quoſcunque notarios atque tabelliones, inde per vos requirendos, ſecundum eorum ſtylum adijcienda, annotanda, ſeu extendenda, iuxta occurrentium qualitatem, & exigentiã negociorum & rerum, de quibus ſuprà: quæ omnia & ſingula per vos (vt præfertur) extendenda & declaranda, illam vim, illudque robur habere volumus, quam haberẽt, ſi per nos extenſa & declarata præſentibus extitiſſent, & pro omnibus & ſingulis ſupradictis quæcunque iuramenta de ſecreto ſeruando, & alia nomine noſtro & in animam noſtram præſtandi & ſubeundi, omniaque & quæcunque inſtrumenta neceſſaria & opportuna cum pactis, pactionibus, ſtipulationibus bonorũ noſtrorum, & dictæ sereniſſimæ Reginæ filiæ noſtræ chariſſimæ, obligationibus, renunciationibus, iuramentis, clauſulis & cautelis neceſſarijs, vtilibus, ſeu etiam opportunis faciendi & ſeruandi, ſeu concedendi generaliter, & omnia alia peragẽdi, quæ in prædictis & circa prædicta neceſſaria & vtilia ſint, ſeu etiam opportuna, etiam ſi talia forent, quæ mãdatum ſpecialius exigerent, quàm præſentibus eſt inſertum, & ſine quibus ea fieri nequirent, quæ nos, dictis nominibus faceremus, ſeu facere poſſemus, ſi adeſſemus. Nos enim ſupradictis nominibus & vtrouis eorum nomine, in & ſuper prædictis omnibus & ſingulis, cum ſuis inciden. dependentibus & emergentibus, annexis & connexis, committimus atque conferimus vobis eidem procuratori, nuncio & oratori noſtro plenarias vices noſtras, cum omnimoda & indefectura facultate, ratũ, gratum, validum atque firmum perpetuò habituri quibus ſuprà nominibus, totum id, & quicquid & quantum in prædictis, & circa ea & quodlibet eorundem procuratum & actum fuerit, ſiue geſtum, & nunquam reuocaturi, ſub bonorum & iurium noſtrorum & dictæ sereniſſ. Reginæ Ioannæ filiæ noſtræ chariſſimæ reſpectiuè omnium hypotheca, & ſub omnis iuris & facti renunciatione ad hæc neceſſaria, pariter & cautela. In quorum fidem & teſtimonium præſentes fieri iuſſimus, manu propria ſubſignatas, ſigilloque noſtro impendente munitas. Datum Burgis, die 2. menſis Decemb. Anno à natiuitate Domini 1511.

Yo el Rey

Dominus Rex mandáuit mihi
Michaeli Perez Daluiacan.

Quo perlecto, dictis orationibus & litanijs more ſolito, præſtitaque ſolita & conſueta obedientia per Cardinales & prælatos ſanctiſſimo domino noſtro Papæ, & benedicto Cõcilio, cantatoque Euangelio per reuerendiſſimum dominum Ludouicum S. Mariæ in Coſmedin diaconum Cardinalem de Aragonia, quod incipit: Attendite à falſis prophetis, idem Sanctiſſimus dominus noſter incepit hymnum, Veni creator &c. Quo finito per cantores, Reuerend. pater dominus Bernardus archiepiſcopus Spalaten. aſcendit ambonem, & legit quandam ſchedulam tenoris infraſcripti. Matth. 7.

BVLLA SECVNDÆ SESSIONIS ſacri generalis concilij Lateranenſis.

IVlius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante concilio, cùm inchoatam huius ſacri Lateranen. cõcilij celebrationem, ad Dei laudem, vniuerſalis Eccleſiæ pacem, fidelium vnionem, ſchiſmatum & hæreſum euerſionem, morum reformationem, ac contra perfidos fidei hoſtes expeditionem, Altiſſimi dextera aſſiſtẽte proſequi intendamus, vt omnium ſchiſmaticorum & pacis hoſtium, latrantium canum ora obtundantur, vniuerſique Chriſti fideles valeant à tam peſtifero & venenoſo contagio ſe immaculatos ſeruare, in hac præſenti ſecunda ſeſſione in ſpiritu ſancto legitimè congregata, indictionis, conuocationis, & publicationis ſchiſmaticæ* conuenticulæ, & aſſerti conciliabuli Piſani, ad ſcindendum & ſcandalizandum Eccleſiæ præfatæ vnionem emanatarum citationum, monitionũ, decretorum, abſolutionum, ſentẽtiarum, actorum, legatorum, creationum, obedientiarum, ſubtractionum, aſſertarum cenſurarum, appoſitionum, ipſiuſque conciliabuli translationi ad Mediolanum vel Vercellen. ciuitates, aut alia loca quæcunque, omniumque & ſingulorum in dicto conciliabulo geſtorum & concluſorum reprobationes, damnationes, reuocationes, caſſationes, irritationes & annullationes, per nos habita cum venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, & de eorundem fratrum conſilio & vnanimi conſenſu, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, per diuerſas noſtras literas reſpectiuè, præſertim ſub data 15. Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno octauo, ac tertio Nonas Decembris, & Idibus Aprilis eiuſdem Pontificatus anno nono editas, factas & emanatas, literaſque ipſas cum decretis, declarationibus, inhibitionibus, mandatis, hortationibus, monitionibus, interdictorum eccleſiaſticorum appoſitionibus, & alijs ſententijs, cenſuris & pœnis, tam à canonicis ſanctionibus quam à nobis, maximè in literis indictionis huius ſacri vniuerſalis concilij, ac omnibus & ſingulis alijs clauſulis in dictis literis contentis, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis haberi volumus, licèt vt firma & valida, nulla alia confirmatione aut approbatione egerẽt, ad abundantiorem cautelam & veritatis manifeſtationem,

Digitized by Google

hoc ſacro approbante Concilio, confirmamus, approbamus & innouamus, illaque inuiolabiliter obſeruari volumus, ſtatuimus & ordinamus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem. Necnon conciliabulum præfatum, illiusque translationem, ac omnia & ſingula per ipſum conciliabulum, illique aſſiſtentes, adhærentes, fautores & conſentientes, directè vel indirectè, quomodocunque & qualitercunque à die indictionis ipſius Cōciliabuli, vſque in præſentem diem acta facta, & geſta & prolata, ac in poſterum gerenda, agenda, facienda & proferenda, etjam ſi talia ſint vel fuerint, de quibus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac indiuidua mentio habenda foret, illorum tenores & qualitates etiã pro expreſſis, habentes, vt alia adulterina, & à veritate deuiantia Concilia, & in eis geſta, à iure ſacriſque canonibus damnata & reprobata fuerunt, dãnamus & reprobamus, ac prout ſunt, nulla, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti fuiſſe & eſſe nunciamus, & quatenus opus ſit, caſſamus, irritamus & annullamus, ac pro caſſis, irritis & annullatis haberi volumus. Et nihilominùs hoc ſacrum Concilium œcumenicum iuſtè, rationabiliter, ac ex veris & legitimis cauſis, irriteque & rectè indictum celebrari inceptum, omniaque & ſingula, quæ in eo facta & geſta ſunt, & decæterò fient ac gerentur, iuſta, rationabilia, firma & valida fore, ac idem robur, eandemque vim, poteſtatem, authoritatem & firmitatem habere & obtinere, quæ alia concilia generalia, præſertim Lateranen. à ſacris canonibus approbata, habent & obtinent, hoc eodem ſacro Concilio approbante, decernimus & declaramus. Inſuperque temporum diſpoſitione, æſtiuisque caloribus inſtantibus, vt commoditati & valetudini prælatorũ conſulatur, vltramontanique & trans mare exiſtentes, qui hactenùs ad hoc ſacrum Concilium venire non potuerunt, expectentur, propterque alias iuſtas & rationabiles cauſas præfato ſacro Concilio notas, & ab eo approbatas, tertiam ſeſſionem continuationis celebrationis concilij præfati, tertio nonas Nouemb. proximè futuri faciendam, hoc præfato ſacro concilio ſimiliter approbante, indicimus. Omnibusque & ſingulis prælatis, & alijs in eodem Concilio* tunc exiſten. à Romana curia recedendi, & pro eorum voluntate, vbi eis placuerit morandi, dummodò dicta 3. Non. Nouembr. in præfato concilio Lateranen. (ceſſante legitimo impedimento, de quo clarè conſtet, ſub pœnarum in literis indictionis ipſius Concilij & canonicis ſanctionibus contra non accedentes ad Concilia indictarum incurſu) præſentes exiſtant, licentiam & facultatem, præfato ſacro Concilio etiam approbante, concedimus & indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, innouationis, ſtatuti, ordinationis, ſuppletionis, damnationis, reprobationis, nunciationis, caſſationis, irritationis, annullationis, voluntatis, decreti, declarationis, indictionis, conceſſionis & indulti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri & Pauli apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione in Lateranen. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, ann. incarnationis Dominicæ 1512. ſextodecimo Kalend. Iunij, Pontificatus noſtri anno nono.

Poſtmodum idem Reuerend. pater D. Bernard. Archiepiſcopus petijt ab omnibus, an placeant paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Qui reſponderunt, & quilibet eorũ reſpondit, placere contenta in ſchedula. Super quibus omnibus magiſter Bernardus Mochatus, procurator Concilij, petijt fieri per protonotarios & notarios ad hoc deputatos, publicum & publica, inſtrumentum ſeu inſtrumenta.

Deinde reuerend. pater dominus Vincentius Carapha Archiepiſcopus Neapolitanus, procurator reuerend. P. D. Donati Epiſcopi* Niſelitani, ad intereſſendum ſacro Concilio, dedit quoddam mandatum, ſubſcriptum per dominũ Iacobum Andream Parlatum ciuem Neapolitan. notarium curiæ Archiepiſcopalis Neapolitan. Et venerabilis vir dominus Franciſcus Infart, ſolicitator literarum Apoſtolicarum, dedit mandatum reuerendi patris domini Petri de Coſta Epiſcopi Portugalen. diœceſis* publicum notarium, in quo ipſe dominus Franciſcus principaliter nominatur ad intereſſendum ſacro Concilio. Et reuerend. pater dominus Ioannes Baptiſta Epiſcopus Cauallicen. procurator reuerend. P. D. Hieronymi Palauicini Epiſcopi Alerien. dedit mandatum eiuſdem, ad intereſſendum dicto Concilio, ſubſcriptum per dominũ Luchinum de Belganderio, & Balauic laicum Marianen. publicum notarium, & ſigillatum ſigillo præfati Epiſcopi Alerien. Ac reuerend. P. D. Giſbertus Epiſcopus Rapolan. dedit mandatum procurationis reuerend. P. D. Ioannis Baptiſtæ Epiſcopi* Phanen. ſubſcriptum per dominum Malateſtam Thomaſinum publicum notarium, & ſigillatum ſigillo dicti Epiſcopi. Et venerabilis vir dominus Petrus Perini, aſſertus procurator reuerend. P. D. Aymonis Epiſcopi Lauſanen. dedit mandatum eiuſdem ad intereſſendum Concilio, ſubſcriptũ per dominum Perret, & ſigillatum ſigillo dicti domini Epiſcopi. Et reuerendiſſ. in Chriſto pater & dominus, D. Achilles tituli ſancti Sixti presbyter Cardinal. Bonon. vulgariter nuncupatus, dedit mandatum R. D. Ioannis de Scluſa abbatis Præmonſtraten. vt totius ordinis iudicis ſuperioris & reformatoris generalis, ſubſcriptum per dominum Ioannem Ray canonicum eccleſiæ collegiatæ S. Quintini, de S. Quintino Nouiomen. diœceſis publicum notarium.

Anno à natiuitate Domini 1512. Indictione 15. Pontificatus præfati ſanctiſſimi domini noſtri Iulij Papæ Secundi anno nono, die vltima menſis Octobris, per diſcretum virum Bartholomæum de Mantua, præfati ſanctiſſimi domini noſtri Papæ curſorem, affixæ fuerunt & publicatæ in Baſilicarũ Principis Apoſtolorum de vrbe, & S. Ioannis Lateranen. valuis ſeu portis, necnon cancellariæ Apoſtolicæ, & acie Campiſloræ certæ literæ prorogationis tertiæ ſeſſionis propter aduentum reuerendiſſ. & illuſtriſſ. domini Matthæi electi Gurcen. ſereniſſimi Maximiliani electi Imperatoris locum tenen. vſque ad 3. diem menſis Decemb. proximè futuri, prout in eiſdem literis continetur, quarum tenor ſequitur.

PROROGATIO SESSIOnis propter aduentum Gurceñ.

IVlius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Cupientes ingenti deſiderio ad omnipotentis Dei gloriam, plurimorumque optimorum operum perfectionem, alias inchoatam ſacri Lateranẽ. Concilij celebrationem proſequi, in ſecunda ſeſſione in Spiritu ſancto legitimè congregata, vt temporum in diſpoſitione, æſtiuiſque caloribus inſtantibus, commoditati & valetudini prælatorum opportunè conſuleretur, vltramontanique & trans mare exiſtentes, qui eatenùs ad Concilium huiuſmodi venire non poterant, expectarentur: propterque alias iuſtas & rationabiles cauſas dicto Concilio notas, & ab eo approbatas, tertiam ſeſſionem continuationis celebrationis præfatæ, tertio Non. Nouemb. proximè futuri faciendam, ſub data 16. Kalendas Iunij, pontificatus noſtri anno nono, indiximus: ſperantes tunc Deo duce, ac Chriſtianorum Regum & principum ope, Italicis & exteris rebus pacatis, prælatos præfatos tutis itineribus cum quiete ad ipſum Concilium venturos, nullumque aliud impedimentum ineſſe, quo minùs tertia ſeſſio huiuſmodi die (vt præfertur) indicta haberi potuiſſet. Cũ autem ſatore zizaniæ inſtigante, & nonnullorum malignitate, qui Chriſtianorum nomen in vanum recipere non formidant, bella atrocia tam in Italia quàm extra eam viguerunt & vigeant: dictiq; prælati Germani, Hiſpani, Anglici, Poloni & alij, propter hoſtium pericula tutè adhuc accedere non potuerint, nuperrimeque venerabilis frater noſter Matthæus Epiſcopus Gurceñ. chariſſimi in Chriſto filij noſtri Maximiliani Romanorum regis in Imperatorem electi, in tota Italia locum tenens generalis, & ad nos orator deſtinatus, prope vrbem ad illam venturus ſit, cum quo multa* grauia importantia & magni ponderis, ſtatum & quietem Eccleſiæ, principum Chriſtianorum & Italiæ concernentia, præſertim de pace inter ipſum Maximilianum regem & dilectum filium Leonardum Lauredanum Venetorum Ducem, quæ nobis cordi eſt, componenda, agenda ſint: ex quorum concluſione vniuerſalem pacem, aliaque innumerabilia bona ex eorum authoritate* intermiſſione verò grauiora prioribus ſcandala, damnaque intolerabilia futura: *dilationẽ indictę ſeſſionis ad paucos dies: *nedum præiudicium, ſed vtilitatem allaturam arbitramur: idcirco vt ſine perturbatione aliqua continuationi celebrationis tam celeberrimi & neceſſarij Concilij inſiſtere valea-

Concilij inſiſtere valeamus, prælatiſque & oratoribus Principum ad dictum ſacrum Concilium venturis, in itinere exiſtentibus (vt accepimus) aliqua vlterior dilatio concedatur, dictusq; venerabilis frater Matthæus epiſcopus Gurcen. Cæſareæ maieſtatis locum tenens & Orator, circa diem ipſam celebrationis tertiæ ſeſſionis, & fortè ipſa die vel ſequenti almam vrbem eſt ingreſſurus, & de noſtro mandato ob perſonam, quam gerit & repræſentat, honorificè excipiendus ſit, & cum ſolitis cæremonijs & curiæ Romanæ comitiua aſſociandus, & ad nos deducendus, qui cum omni celeritate deſiderare videtur expeditionem negociorum ſibi commiſſorum, vt infra paucos dies ex vrbe recedere poſſit, habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione matura, expreſſis, alijsque iuſtis & rationabilibus cauſis vrgentibus, de eorundem Cardinalium conſilio vnanimique conſenſu, tertiam ſeſſioné. continuationem, celebrationem Concilij præfati ad tertium Nonas Decemb. ſimiliter proximè futuri, cæteriſque in indictione Concilij & in ſecunda ſeſſione præfatis contentis, firmis manentibus, prorogamus, & indicibus præmiſſis, cæteriſque contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. prout ſemper deſiderauimus, feliciter incepimus, & Domino adiuuante omninò perficere intendimus.

Placet, & publicetur.

Anno à natiuitate Domini 1512. Indictione 15. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Iulij diuina prouidentia Papæ ſecundi anno nono, vltima menſis Octobris, præſentes ſupraſcriptæ literæ ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, prout in eiſdem continetur, affixæ & publicatæ fuerunt in baſilicarum Principis Apoſtolorum de vrbe, & ſancti Ioannis Lateranen. valuis ſeu portis, necnon cancellariæ Apoſtolicæ in acie Campiſloræ, & ſic affixas per longum temporis ſpatium dimiſit, copiam earundem literarum in locis ſupraſcriptis affixi, & affixã dimiſi, per me Bartholomæũ de Mantua, ſanctiſſimi domini noſtri Papæ curſorem.

REVEREND. IN CHRISTO PATRI ET Domino, domino Thomæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli Sancti Martini in Montibus presbytero Car. Strigonien. Procurator ordinis Prædicatorum ſeruus ſalutem dicit.

AD 17. Kalendas Iunij, qui dies ſecundam Concilij ſeſſionem in æde præbuit Lateranen. cùm alia habuimus [illegible] ſolennis & Sacratiſſ. lucis grata monumenta, tum illud maximum, quòd tu eodem die ac loco Romæ tum primùm diuinas res publicè peregiſti, magna quidem apud Deum (vt credimus) ob tuam virtutem gratia, ſed non minore apud homines ob virtutis opinionem laude & exiſtimatione. Quanquam enim tuum nomen vbique apud omnes probatum & clarum, Romæ tamen apud bonos & graues clariſſimum certè & probatiſſ. eſt. Eo itaque die, quo de rerum ſumma grauiter conſtituendum erat, Conciliumque ipſum, patrum ſententia, in aliud tempus differendum, cùm ritè à te & ſanctè myſteria ſanctiſſ. celebrata eſſent, tum pulpitum (vt ſcis) aſcendit meus & totius prædicantium ordinis Generalis magiſter, vir tum religione & doctrina ſingulari, tum præſtanti excellentia animi atque ingenij. Quod quidem quaſi geometricã quandam videtur habuiſſe rationem: vt ille ſui ordinis primus, ſecundæ ſeſſionis orationem pronunciauerit, tu ſecundi ordinis in ſenatu Princeps, primis in hac vrbe myſterijs publicè fueris initiatus. Verùm cùm hæc ipſa oratio diues optimarum ſententiarum & luculenta, digna à ſummo Pont. iudicaretur, quæ in acta referretur, multique illam boni viri quotidie efflagitarent, operæprecium fore duxi, ſi ego qui Prædicatorum ordinis hic res curo, eandem orationem, priuſquam ab alijs legeretur, tibi potiſſimùm dedicarem. Feci igitur, & perquàm libenter feci, vt & illa tui nominis inſcriptione illuſtrata, maiore authoritate in publicum prodiret, tantique viri præſidio eſſet munitior, & meæ erga te obſeruantiæ & venerationis magnitudo hoc primo teſtimonio tibi innoteſceret. Sed & aptum viſum eſt, cùm illius diei cæremonias coniunctim egiſſetis, vt non ſeparatim in ora hominum perueniretis, quanquàm tua virtus & authoritas multo maiorib. & grauioribus rebus celebritatẽ promerita eſt. Scimus enim, tuus in vrbem aduentus quãtam ſpem lætitiamque bonis omnibus attulerit, qui pacem quidem & ſalutem continuè optãt, bellum autẽ diuturnum & inteſtum coguntur ſuſtinere. Subit namque multos, qui virtutes amant, qui tuo exemplo crudelia bella abhorrent, qui Chriſtianæ fidei infidelibus armis infeſtiſſimi ſunt, ſubit illos (puto) faſtidium incredibile, cùm videant huiuſce temporis ſcelera & ruinas. Quis enim nõ ſtomachetur, vacare Chriſtianos inteſtinis diſſenſionibus, pace toties attentata, nunquã verò firmata, elapſamq; è manibus fuiſſe occaſionem retinendæ Aphricæ, Græciæ atque Aſiæ in libertatem & religionem vindicandæ. Ad quam Chriſtianorum vecordiam, ne fortè putemus Deum dormitare, omitto reliqua, quæ domeſtica ſunt: ecce nuper Turcarum rex ſenex inualidus, & Imperio & pecunia & exercitibus ceſſit, præter omnium opinionem, filio ætate tertio, iuueni ferociſſimo, & Chriſtiani ſanguinis appetentiſſimo, qui magno donatiuo conciliatis ſibi militum animis, additiſque ad fœdus ſuũ Scythicis nationibus, nihil non auſurus breui timetur. *Baiazetes is fuit, quẽ paulò pòſt Selymus eius filius & ſucceſſor veneno extinxit.* Iure hoc quidem optimo factum eſt, vt Chriſtiani, qui oblatam occaſionem iuſtitię atque laudis contempſerunt, quique nuper recuperatam ferè Aphricam, totam iterum canibus illis abripiendam deuorandamque obijciunt. Iuſte (inquam) factum eſt, vt ij quandoque de præſenti ſuo Imperio trepidare cogantur, qui Imperium Chriſti nec amplificare ſtudent, nec defendere: quin illud potius & vitijs oppugnare, & labefactare diſſenſionibus non verentur. Sed de ijs ſatis. Melius enim longe tu, quàm ego aut quiſquam, hæc noſti & cogitaſti, quippe qui à puero acceptas contra Turcas inimicitias, & ab incunabulis ſuſceptam ſacratiſſ. fidei tutelam & defenſionem, adhuc perpetuam retinuiſti. Proptereaque in hanc vrbem veniſti, vt pacatis vniuerſis, non ſolum ijs partibus, quæ fidei ſunt, conſuleres, ſed etiam illis, quæ infidelitatem & diſcordiam alunt, vehementiſſimè te opponeres. Sed redeo ad orationem, quæ mihi cùm doctiſſima videtur eſſe, tum ita largiter ampla, vt non tantùm quæ præſentis Concilij ſunt, ſed omnium Conciliorum vim, authoritatem, rationemq; amplexa videatur. Quam cũ tua amplitudo benigno vultu acceperit, exiſtimabimus magnum & illi ornamentum, & noſtro ordini vniuerſo ex tua beneuolentia acceſſiſſe. Vale.

ORATIO REVEREND.

PATRIS FRATRIS THOMAE DE Vio Caietani, ſacræ Theologiæ profeſſ. ac totius ordinis Prædicatorum Generalis magiſtri, habita Romæ in ſecunda ſeſſione Concilij Lateranen. 17. Kal. Iunij, 1512.

CVm animaduertam, IVLII II. Pont. Max. reliquas omnes eccleſiaſt. reip. conſuetudines actioneſque, ſingulas eſſe ſingulis Eccleſiæ partibus accommodatas, generales verò ſynodos vniuerſalem Eccleſiam penitùs reſpicere, eamque tanquam finem ſibi proprium attendere: exiſtimaui me facturum rem & vtilem & omnibus gratam, ſi hodierno die primùm de Eccleſia ipſa, deinde de ſynodis huius temporis, illarumque differentia ac diuerſitate dicerem. Sed cùm ijs diebus ex hoc loco viri doctiſſimi, qui hoc oratorio munere magna cum laude perfuncti ſunt, de ijs fere rebus verba grauiter ſapienterque fecerint, ego, qui ingenio illis & doctrina inferior ſum, quo meis viribus minùs confido, Pater ſancte, eo humiliùs atque propenſiùs tuam humanitatem & clementiam mihi propitiam eſſe, & ſummiſsè oro, & ſuppliciter peto. Sed quoniam nihil eſt, quod homo de ſemetipſo ſine auxilio opeque diuina poſſit polliceri, ad glorioſam ipſam Virginem Dei matrem primũ conuertam orationem meam.

AVE MARIA &c.

CVm dilectus Chriſti diſcipulus & Euangeliſta, multa nobis ex prophetica illa myſticaque viſione nunciare *In Apoc.*

inſtituiſ-

Digitized by Google

ſtituiſſet, de Deo, de agno, de Dei agniqúe gloria, deq; ven-ris, prætèritiſque temporibus ac rebus diuinitùs retulit, at-ıe is etiam Chriſtianam remp. & Eccleſiam contemplatus, hunc modum ipſe, aut per ipſum potiùs Sanctus ſpiritus cutus eſt: Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam de-endentem de cœlo. Magna profectò & diuina, maximoque ſuper, atque omnem humanæ rationis terminum exuperā-ı Ioannes vidit. Vidi (inquit) ciuitatem, vidi ſanctam, vidi Hieruſalem, vidi illam nouam ac de cœlo deſcendentē. Quæ t iſta ciuitas, quam Ioannes vidit? Quæ eſt iſta, quam magi-er diſcipulo, Chriſtus Apoſtolo, Spiritus ſanctus Euangeli-æ ac vati figuris & allegorijs reuelauit? Certè ciuitas hæc, hriſtianæ reipub. vrbs eſt, quæ non vallo aliquo terreno, nō ıduco murorum mœniumque ambitu cincta eſt, ſed multi-ıdine copiaque innumerabili clauſa eſt ac permunita. Quan-uam enim huius mundanæ ſapientiæ antiſtites, certo quodā præſcripto ciuium numero ciuitates conſtitui oportere ar-itrati ſint, nimiamque & nimis latè diffuſam multitudinem bmouerint, neque inter centies centena millia (vt ipſi aiūt) ommercium fieri poſſe vllum exiſtimauerint, ſolùm tamen Chriſtianū genus tanta, tāq; mirabilia Deo optimo maximo, ognationis, neceſſitudinis, ſocietatiſq; copula deuinctū, ac oniunctum eſt, vt in vnitate maximā multitudinem, vnius rbis ambitu ſpatium ampliſſ. in vna denique ciuitate totum errarum orbem complectatur. Nam cùm in condenda & cō-ſtituenda qualibet ciuitate, duo in primis requirantur: Pri-num, vt partibus ſuis omnibus ipſa conſtituatur reſpubl. de-nde, vt eæ partes inter ſeſe ciuili amicitia quadam & conſen-ione conſpirent: licet cognoſcere, quomodò priuatis publi-ciſque rebus, ambabus ijs partibus noſtra hæc Chriſtiana ci-iitas excellat. Quòd enim ea partes omnes perfectiſſ. reipubl. habeat atque contineat, ea in primis ſacra, quę Sacramenta appellamus, oſtendunt, quæ tantæ ſunt efficaciæ & virtutis, partim, vt hominum generationes matrimonio propagent: partim, Deo filios baptiſmate vt gignant, tum, vt genitos communicatione corporis Chriſti alant & vegetent: deinde, diuina chriſmatis virtute corroborent: vbi corroborauerint, poteſtate atque authoritate eccleſiaſticis ordinibus augeāt: mox aliquo errore lapſos, confeſſione reſtituant, & poſtremò, humanis culpis ab'uendis, ſancti olei vnctione perungant. Præter hæc autem diuina & præclara munera, multa habet alia hæc ciuitas cumulatiſſimè. Habet namque Apoſtolos, habet Euāgeliſtas, habet Prophetas, habet Paſtores, Doctores, Martyres, habet ſermones ſcientiæ, ſermones ſapientiæ, genera linguarum, interpretationes ſermonum, diſcretionem ſpirituum, gratiam ſanitatum, fidem, vaticinia, miracula, & eam cælum claudendi, ruſumque aperiendi poteſtatem, vt quicquid in terris ligauerit, quicquid ſoluerit denique, id continuò in cælo diſſolutum vel ligatum ſit. Et quanquam hæc magna maximaque ſint, ſatis tamen non fuit, tot tantaque Eccleſiam habuiſſe, niſi & Angelorum reuelationes, illuminationes, defenſioneſque habuiſſet. Quibus omnibus, actionis noſtræ contemplationiſque ſtudia non tueri modò, ac defendere, ſed propenſius etiam & augere, & ornare, & perficere conatur. Ciuitas igitur hæc diuina, illis reipublicæ partibus illuſtratur, quibus nulla vnquam alia vel melioribus vel ornatioribus illuſtrata eſt. Quòd autem ciues ipſi arctius in hac, copulatiuſque quàm in ciuili alia communitate deuinciantur, vel hinc patet manifeſtè, quòd ij non iam ciues ſunt aut aduenę, ſed ciues ſanctorum, ſed domeſtici Dei, ſed membra Chriſti, & ita vnius eiuſdemque myſtici corporis membra, vt alij alijs & membra ſint, & quemadmodum ſunt, mutua ſeſe communicatione ac ſocietate confoueant. Cùm igitur hæc ciuitas ex perfectiſſimæ reipublicæ partibus perfectiſſimis conſtituatur, ipſiuſque ciues interiore & cognatiore, quàm omnes alię ſocietates, genere colligentur: patet certè hanc vrbem alijs eſſe digniorem, perfectiorem, excellentiorem, ipſamque præſtare omnibus honore, decore, & quod maximum eſt, humana beatitudine ac felicitate. Quamquam enim cuiuſuis ciuitatis proprium eſſe videatur, ſufficienter ex ſe, beneque ac beatè viuere, nulla tamen alia niſi hæc noſtra, hoc ipſum habere cumulatè ac largiter poteſt, ſed ne imitari quidem. In alijs nanque finis ciuilis amicitiæ & ſocietatis eſt, optima inter ſe hominum coniunctio: in hac vero noſtra, in qua hæredes Dei omnes, cohæredes autem Chriſti ſunt, ad Deum ipſum, vt proprium Chriſtiani generis finem, cuncta referuntur. Hæc cum ita ſint, rectè Chriſti Eccleſia, non tam ciuitas ab Apoſtolo Chriſti, quam ciuitas ſancta à viro ſanctiſſimo commemoratur. Id autem, patres, vt nunc vos alloquar, mox extrema oratione ad hunc ſummū Pontificem caput omniū reuerſurus, id (inquam) patres, qua & ego quoque ratione demonſtrauero, quæſo intelligite. Sanctitas ipſa, vt à diffinitione incipiamus, vtique Dionyſio Areopagitæ placet, immaculata, libera, perfectaque munditia eſt. Proinde tametſi hoc ſummis antiquorum noſtrorumq; rationibus firmatum ſit, in Deo vniuerſorū authore & gubernatore omnium rerum naturas, excellentias, dignitateſq; conſiſtere, Deus tamen ipſe præ ijs omnibus propriam ita ſibi vendicat ſanctitatem, vt et ſummi philoſophi, Dei ſubſtantiam munditia & ſanctitate definirēt. Nam quum inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, ſempiternā quoque eius virtutem ac diuinitatem intellectu conſpicerent, (Rom. 1.) vellentq; Dei naturam & volūtatem, ac quicquid in Deo eſt, vnica alijſq; rebus incommunicabili proprietate exprimere, non virtutis quidem, non diuinitatis, aut reliquis tantæ maieſtati conſentaneis nominibus vſi ſunt, ſed munditiæ & ſanctitatis ſignificationibus. Solam enim deitatis ſubſtantiam, à totius potentiæ macula & labe liberam remotamque eſſe perpendentes, illamque ob id eſſe dicentes actum purum, eandē certè ipſam diffinitione hac mundiſſimam eſſe ſanctiſſimamque dixerunt. Nec mirum, ſi talis tantaque ſanctitas tantum in mentibus hominum & numinis habuit & maieſtatis; quandoquidem intelligentijs etiam beatis, quas Angelos dicimus, (Eſa. 6.) hymnum carmenque Deo proprium conſtituat. Angeli nanque atque Archangeli, Cherubin quoque & Seraphin, repetitis ingeminatiſque vocibus, ſanctus, ſanctus, ſanctus, proclamant. Quo fit, vt Dei quoque ciuitatem, in qua magnus Dominus eſt, deceat ſanctitudo. (Pſal. 92.) Atque hanc partem, quæ paucis demonſtrari poteſt, breuiſſime oſtendam. Omnibus rebus tū natura tum arte conſtitutis, hoc principio attributum ingeneratumque eſt, vt cùm aliæ alijs iungendæ ſint, pari mutuaque diſpoſitione ac ſimilitudine conueniant. Hoc ipſæ formæ, ſecundum materiæ recipientis merita diſtributæ, teſtantur. Hoc ad propria peculiariaque munera obeunda aptæ, appoſitæque noſtrorum membrorum habitudines, manifeſtant. Denique hoc confirmant innatæ materijs ipſis (vt ita dicam) patientiæ, quibus ipſæ res, hominum artificio ſubiectę obtemperant. Hæc namque omnia & reliqua id genus, ſiue natura ſiue arte componenda ſint, niſi primùm amica inter ſe conſenſione conueniant, componi coniungive non poſſunt. Cùm igitur ſanctitas & munditia propria Deo ſit, illiq; conueniat maximè, cumque coniungendas res ipſas, habiles inter ſeſe ad coniunctionem eſſe oporteat, nemini dubium eſt, puto, eccleſiaſticam ciuitatem, quæ Deo coniunctiſſima eſt, puram, mundam, ſanctam, immaculatamque exiſtere. Veritate etenim prima, qua confirmatur, ac in qua fundatur, & errorum omnium expers pura mēte perſeuerat, & dilectione perpetua, qua ipſa in Chriſto, & Chriſtus in ipſa manet, vſque ad ſeculi conſummationem, ab omni vitiorum ſorde & contagione remota eſt, atque ita virtute bonitateque perficitur ac vallatur, vt neq; mors, neque vita, neq; inſtantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia illam poſſit à Chriſti amore ſeparare. (Rom. 8.) Rectè igitur ciuitas hæc noſtra, quādoquidem omnium cæleſtium virtutum præcipua à Deo pollet ſanctitate, omnibus ea cæteris mundi dignitatibus, poteſtatibus, imperijs antecellit. Satis eſſe arbitror huius ciuitatis demonſtratam ſanctitatem, quæ ciuitas, quia ſancta eſt, iure optimo à Sancto Spiritu nomen illi impoſitum eſt præclariſſimum. Is enim hanc ſanctam ciuitatem, Hieruſalem appellauit. Quod profecto nomen ob hanc cauſam adepta eſt, quod Hieruſalem non modo pacem ipſam, ſed ea etiam, quæ paci ſunt, innuere, ſanctorum interpretatione tradatur. Tria igitur in hoc ſunt. Nam & hoc Hieruſalē atq; pacis optimum eſt, & id verum huius ciuitatis nomen, & poſtremò huic ciuitati ita propriū, vt nulli præterea alteri verè cōuenire poſſit. Optimū certè eſt. Nā optima res pax eſt, adeoq; magna & diuina, vt vniuerſa creatura hāc appetere, & perquàm deſiderare videatur. Cùm enim pax ipſa (Auguſt. teſte) trāquillitas ordinis ſit, & tranquillitas ordinis tunc ſit, cū ſecluſis contrarijs quibuſq; ordo conquieſcit: conſtat res omneis, ſi quidē naturaliter fines ſuos appetant, & impedientia cuncta ſubmouere con-

tendant,

tendant, pacem appetere, paciſque & quietis fructus, vt adipiſcantur, ſumma ope laborare. Quod autem Hieruſalem, paciſque nomen, verum noſtræ ciuitatis nomen ſit, is teſtis bonus eſt, qui dixit: Et factus eſt in pace locus eius, Dei ſcilicet, qui & huiuſce vrbis fines pacem poſuit: & tantam in ea voluit propagari abundantiã pacis, vt ciues ipſi non modò cũ Deo, Psal. 75. Psal. 147. pacis authore & Principe, nõ modò inter ſe oẽs pacem haberent, ſed ſinguli etiam pacis tranquillitatiſque abundantia, & intelligendo in veritate, & appetendo in ipſa bonitate cõquieſcerent. Ea verò pax, hæc vrbs Hieruſalem, hoc ſanctiſſimũ Dei hominumque domicilium, non quidem impiorum hominum eſt, qui quomodò non verba bona ſectantur, ita nec veram pacem inquirunt: ſed illorum eſt, patres, qui pacifici ſunt, Psal. 57. qui pacis domum vnanimes inhabitant, qui pacem his qui propè, & his qui longè ſunt, annunciant: Matt. 10. qui his, ad quos diuertunt, pacem deferunt, & cùm hoſpitio recepti non ſunt, redeuntem ad ſe pacem ipſi recipiunt. Psal. 121. Illorum eſt hæc ſanctiſſima Hieruſalem, quæ ex viuis lapidibus conſtruitur, de qua Dauid loquitur, & cuius portarum ſeræ ac clauſtra à Domino confortantur. Hæc eſt illa Hieruſalem, patres, in qua (ſicut paulo antè inter diuinas res perlectum eſt) Rex pacifi- Ioan. 14. cus pacem relinquit nobis, pacem ſuam dat nobis: ſed nõ quomodo huius mundi homines dant, ipſe dat nobis. Ij enim pacem dant, vt moleſtia careant. Sed pax ibi vera nõ eſt, vbi nec vera concordia eſt: nec corda hominum coniuncta, ſed diſiuncta ſunt. Ea autem pax, quam Chriſtus dat, & quæ in teſtamento pacis & in Hieruſalem inuenitur, ea eſt, patres, amoris vinculum, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, cõſortium diuinitatis. Philip. 4. Quis vnquam vidit vel audiuit talia? Quid fuit vnquàm tam ſingulare, tam nouum, tam inuſitatum? Pax Chriſti non modò corda noſtra & noſtras intelligentias cuſtodit, ſed omnem etiam & humanum & Angelicum ſenſum exuperat, omniſque homo ſanctus vocatur, qui ſcriptus, & qui relictus, & qui reſiduus fuerit in Hieruſalem. Hanc itaq; præclaram in mutatione mundi rerum nouitatem videns Ioannes, ciuitatem hanc non ſolùm ſanctam, non ſolùm Hieruſalem, ſed nouam etiam Hieruſalem, Matt. 13. Apoc. 21. Spiritu ſancto dictante, appellauit. Noua eſt enim. Nam qui in throno ſedebat, & qui de theſauro ſuo noua & vetera profert, noua in ea fecit omnia.

Fecit namque, vt neque langueſceret aut veteraſceret vnquàm, neque ſenio conficeretur. Ex quo fit, vt hæc longè ſit origine, dignitate, atque authoritate eminẽtior Hebræorum ſynagoga, quæ per antiquæ legis vetuſtatem conſumpta, cultum & notitiam veri olimque promiſſi Dei filij, ſolita pertinacia atque animi obſtinatione repudiauit. Nam cùm in ſynagoga ipſa in hodiernum vſque diem vetus homo ſit, vetus lex, vetus fermentum, priſtina conuerſatio: in noſtra certè hac noua Hieruſalem omnia noua ſunt, nouum cor, noua lex, nouus homo, noua conſperſio. Quæ enim maior nouitas eſſe poteſt, quàm Deum hominem eſſe, & rurſus hominem Deũ, eundemque verum Deum ac hominem clauis confixum, ſpinis coronatum, & innumeris affectum contumelijs, non alijs ipſum armis quàm cruce, quàm morte, quàm vulneribus infernum viciſſe, cælos aſcendiſſe, ad patris dexteram conſediſſe, propterque ſuum nomen ac legem trucidatos, & gloria & honore & felicitate perpetua affeciſſe? Quid, quòd illius diſcipuli rudes, pauperes, abiecti, obſcurique homines, cùm vniuerſus ferè terrarum orbis ignorantiæ tenebris inuolueretur, & erroribus, ac ſuperſtitionibus, ſceleribuſque obtemperaret tot atque tantis, vt dæmones omnium gentium dominarentur, ac ſummoperè ab hominibus colerentur: hunc tamen ipſum mundum immũdum, ij Chriſti diſcipuli, ij ex infima plebe viri contra ſynagogæ pontifices, contra mundi Imperatores, contra humani generis hoſtes, contra leges, conſuetudines, opiniones non armis, non opibus, non vi aut ferro vicerunt, ſed fide tantùm, ſpe, & charitate ſuperarunt, purgauerunt, illuminarunt? Tam autem propria eſt noſtræ Eccleſiæ diuina atque ſempiterna nouitas hæc, vt nulla hominũ ætas fuerit, nulla vnquàm ciuitas aut reſpublica quæ non ab hac Chriſtiana Eccleſia cuncta acceperit, quæ filiorum Dei adoptionis perpetuæ exiſtunt. Nam vt à diuo Thoma præclarè ſcribitur, ſummum illud Dei beneficium, quod noſtri gratiam appellant, & quo Dei filij efficimur, id adeò noui teſtamenti eſt, vt à mundi creatione ſancti ſanctæque omnes, quatenùs naturæ diuinæ participes fuerunt, eatenùs ſub nouo teſtamento comprehendantur, ad quod veteris omnia ſunt referenda. Verùm cùm hoc fieri nequiuerit, vt excellens hæc diuini humaniq; conſortij nouitas ex terra terreniſque rebus oriretur: (quod enim natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt) par certè & conſentaneum ra- tioni fuit, vt de cœlo ciuitas hæc ſancta & noua Hieruſalem deſcenderet. Deſcendit nanque de cœlo vrbs hæc noua, cuius fundamenta nec in poetarũ figmentis, nec in humanæ ſapientiæ perſuaſibilibus verbis, neq; in cuiuſuis mortalis, aut creatæ volũtatis appetitu, ſeu opinione iacta ſunt: ſed quæ in mõtibus ſanctis, hoc eſt, in Patriarcharum figuris, in Propheta[rum] teſtimonijs, in præconijs apoſtolorum, in ſupplicijs martyrum, in admirandis Chriſti operibus, & ſanctorum proborũque hominum purgatiſſimis mentibus, in virtutis denique & ſpiritus oſtenſione inconcuſſa ac firma perſeuerant. Deſcendit autem de cœlo, non greſſibus corporis, ſed imitatione ac ſimilitudine. Illius nanque exemplo, quæ in cœlis eſt, reipub. beatiſſimæ, huius, quæ in terris eſt, regimen conſtituit Devs, vt illud non penes omnes aut multos, ſed penes vnum Chriſti vicarium & Dominici gregis paſtorem conſiſtat. Nam ſicut in Hieruſalem illa, quæ in cœlis eſt, matre noſtra vnus tantùm dominus eſt Ieſus Chriſtus: ita in hac Hieruſalem illius filia, quæ Chriſti ſanguine irrigata, & matris eſt illuſtrata ſplẽdoribus, vnus tantùm Princeps eſt, vicarius Chriſti & Pont. maximus, cui omnes deſcendentis Hieruſalem ciues & incolæ, non ſolùm vt ſeparatim ſinguli, ſed etiam vt ſimul vniuerſi obedire debent: quemadmodum qui in ſuperna ſunt Hieruſalem ſancti, cùm ſingulatim, tum vniuersè, diuiſimque ac ſimul omnes vni omnium creatori ſubſunt, parent, obtemperant. Vt verò præclariſſima hæc ſunt. At dicet fortè quis: Cùm ijs temporibus duæ nobis Eccleſiæ & duæ ſynodi proponantur, vna Romana, Piſana altera, vtrùm ambæ de cœlo deſcenderunt? Alteram enim earum tantummodò deſcendiſſe neceſſe eſt, ſiquidem Chriſti ſpõſa vna eſt. Sinite me hoc in loco, patres, reſpirare pauliſper: nam quid à vobis in hac re conſtituendum ſit, paucis dicam. Quinque Chriſti Eccleſiæ conditiones nobis (vti audiſtis) ſanctus Euangeliſta propoſuit. Illam enim in primis eſſe ciuitatẽ, deinde ſanctam Hieruſalem pòſt, tum nouam eſſe, & de cœlo poſtremò deſcendiſſe affirmauit. Illam igitur ſynodum & in terris Eccleſiam militantem, quam de cœlo credimus deſcendiſſe, conſentaneam eſſe præſcriptis conditionibus, & in cœlo triumphantis Eccleſiæ formulis, proculdubiò reperiemus. Eam verò, quæ à ſupernorum imitatione prolapſa in præceps, ab illis deflectit viam, non vtiq; de cœlo deſcendiſſe, quin potiùs ab inferis aſcendiſſe iudicabimus. Hoc quando ita ſe habet, non deſcẽdit de cœlo, patres, Piſana nuper patrum illorum eccleſia, non deſcendit de cœlo infauſtus vbique & inuiſus cœtus: nõ tantum è cœlo facinus, non deſcendit, inquã, ſed ruit. Quamobrem? Quia non obſeruat ea quæ cœli ſunt, nõ imitatur quæ cœlorum Regni eſſe traduntur. At quare hoc rurſus? Quia prorſus aliena eſt à reuelatis Apoſtolo conditionibus. Vt autem eas congruo ordine percurramus, quis veſtrum putabit, patres, illum conuentum, qui vnius tantummodò nationis eſt, ſi tamen vnius eſt, & non dimidiatæ, vel nullius potiùs gẽtis legitima coitio, quis putabit illum vniuerſam coëgiſſe Synodum eius ciuitatis, ad quam fortitudo gentium venit, ad quam multitudo maris conuertitur, ad quam omnes per circuitum orbis terrarum congregantur, cuius minimus in mille eſt, & paruulus in gentem fortiſſimam? Esai. 60.

Tantum enim abeſt, vt eccleſia illa Piſana vera Dei ciuitas ſit, quantum abeſt, vt ſancta & legitima ſit: tantumque recedit à candore ſanctitatis, quantum ad errorum ſordes accedit. Accedit autem plus tanto, quanto magis & Petrum Eccleſiæ, & Papam Concilio, & ſuo conciliabulo ſummum, verum, certumque Chriſti vicarium ſubijcere conatur. Quod tamen nil aliud eſt, mea ſententia, quàm naturæ ipſius rationiſque ordinem peruertere, & filios patri, & membra capiti, paſtorique ipſi ſuarum greges ouium præficere. Sed & illud perſpicuum eſt, Hieruſalem nomen illi eccleſiæ nequaquam conuenire, propterea quòd nec pacem habet, nec ordinis tranquillitatem, quodque tam excellentem, Eccleſiæ ordinem ſubuertere connititur, vtpotè quæ contra Romanam Eccleſiam togata armataque bella commouerit, quæque

d quoſcunque diuerterit, non modo pacem illis non attule-
t, ſed ſpem omnem pacis funditùs euerterit. Quę ſingulatim
mnia commemorarem, niſi intelligerem, nimio etiam plus
uàm vellem, eſſe manifeſta. Non igitur Piſarum ſynodus,
ynodus Hieruſalem eſt, ſed ciuitas ac turris Babel potiùs,
uæ in terra Sennaar confuſionem fecit, & concordiam ædi-
icantium diiiecit. At dicent nonnulli: Saltem vna ex multis,
& quarta ex quinque præſcriptis conditionibus Piſano cœ-
ui conueniet, nouitas ſcilicet. Quid enim tam nouum & inu-
ſitatum ac mirabile eſt, quã eſſe, qui conentur efficere, vt mi-
es duci, filius patri, domino ſeruus imperet, oues paſtori, de-
nique pedes & cetera membra capiti? Fateor equidem & ego
quoque noua hæc eſſe, ſed tamen aliena prorſus ab illa ſempi-
ernæ ſanctiſſimæque ciuitatis nouitate. Multum enim inter
hanc illamque intereſt nouitatem. Nomen vtriſque commu-
ne eſt, ſed res & ſignificatio diuerſa. Hæc enim Hieruſalem
nouitas, à Spiritu ſancto eſt, & æterna eſt. At illam Piſanam v-
nica tantùm obedientia & Eccleſiæ pars tunc effecit; cũ ſchiſ-
matis illius tempore tres ita maximi Pontifices habebantur,
vt nullus eorum aut certus quidem, aut abſque ambiguitate
verus Petri ſucceſſor exiſtimaretur. Hæc itaque nunc Piſana
nouitas, Conſtantiæ tunc ortum habuit, & euanuit: Baſileæ
repullulauit, & exploſa eſt: atque ijs etiam temporibus, ſi vos
viri eritis, interibit, quemadmodum ſub Eugenio 4. ſummo
maximæ huiuſce ſedis Pontifice repreſſa eſt. Neque enim de
cœlo deſcendit, atque ob id diuturna non eſt: neque vnius
principatum amplectitur, qui & in illa triumphante Eccleſia
eſt, & hanc militantem conſeruat, quemque Synodus Piſana
amplecti deberet, ſi è cœlo deſcendiſſet, & nunquàm multi-
tudinis regimini (vti facit) inniti. Longè igitur ab hac Chriſti,
Piſarum eccleſia diſcrepat. Hæc enim fidelium eſt, illa cauil-
lantium: hæc domeſticorum Dei, illa aberrantium: hæc Chri-
ſtianorum hominum, illa verò eorum, qui Chriſti veſtẽ con-
ſcindere, & à myſtico Chriſti corpore myſtica Chriſti mem-
bra ſeiungere non verentur. Habetis, patres, quid de Piſana
ſynodo communiter locutus ſum. Hoc enim vniuerſi totis
deuotiſque animis deprecamur. Aſſequetur autem hoc, te vo-
lente, teque imperante, ſi tu ipſe, pater ſancte, omnipotentis
Dei, cuius vices in terris non ſolum honore dignitatis, ſed et-
iam ſtudio voluntatis gerere debes, ſi ipſius Dei potentiam,
perfectionem, ſapientiamque imitaberis. Atqui vt in primis
potentiam imiteris, accingere pater ſancte gladio tuo, tuo
(inquam) accingere, binos enim habes, vnum tibi, reliquiſque
huius mundi Principibus communem, alterum tibi propriũ,
atq; ita tuum, vt illum alius nemo niſi à te habere poſſit. Hoc
itaq; gladio tuo, qui eccleſiaſticæ poteſtatis eſt, accingere po-
tentiſſime, & accingere ſuper femur tuum, id eſt, ſuper vni-
uerſas humani generis poteſtates. Cumque accinctus fueris,
tum intende contra errores, contra hæreſes, contra diſſenſio-
nes, denique contra inferni portas, errorum, hæreſum & diſ-
ſenſionum authores. Nec intende ſolùm, ſed etiam procede,
& regna. Procede in primis, & proſperè procede, gẽtes quæ
bella volunt, diſſipando: tum regna ſacerdos & Rex, quæ pa-
cis ſunt cogitando, inquirendo, perſequendo. Is namq; idem,
quem imitari debes, & Rex regum eſt, paciſque Princeps &
Dominus dominantium, Rexque pacificus. Hanc autẽ ſum-
mam potentiam tuam diuina perfectio comitetur. Perfectio
hæc, miſericordia eſt, qua pater ille cœleſtis & perfectus ſo-
lem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, pluitque ſuper iu-
ſtos ac peccatores. Nam ſi tanta vbique miſericordia præſta-
bis, vt non modò amicos, ſed inimicos etiam ac hoſtes ad tui
nominis reuerentiam, ad Apoſtolicæ ſedis cultum, ad Chriſti
Eccleſiæ vnitatem, ad huius Concilij manifeſtam proceſſio-
nem venire compellas, rectè, pater ſancte, Dei perfectionem
imitaberis humano more. Nulla enim de virtutibus omnibus
nec admirabilior nec excellentior miſericordia eſt, nulla ma-
gis principi propria, nulla potentiæ ſummæ cognata magis
atque amica eſt. Hæc te præ regibus terræ excellentiſſimum,
hæc te vniuerſis populis adorandum, Deoque inſuper te &
gratum, & amicum, & ſimilimum reddet. Verùm cùm mul-
tos multarum nationum gentiumque viros clariſſimos, per
Dei tuamque miſericordiam, ad hanc ſynodum venturos ac-
ceſſuroſque exiſtimemus, vna ſe tibi ad hanc rem offert diui-
na ſapientia, quæ à fine ad finem fortiter attingit, & diſponit
omnia ſuauiter. Huius nuper exemplo à fine ad finem tum at-
tigiſti fortiter, pater ſancte, cùm indicto Concilio hoc atq; inchoato, vniuerſos ad benè de Chriſtiana republica ſperandum excitaſti. Diſpones autem ſuauiter, prouidendo ſapienter, ne vocati à te, iuſtè queri poſſint, ſe, vt par erat, in retanta expectatos nõ fuiſſe. Quare poſtquam hodierno die (quod bonum, fauſtum, felixque ſit) de ſingulis, quæ ad huiuſce ſanctiſſimæ ſynodi conſeruationem & ſtatum ſpectare* videbuntur, conſtitutum fuerit, tum de ijs quoque conſtituatur nationibus, quæ quũ intellexerint Romæ & à Romano pontifice Concilium ſynodumque haberi, & deſiderari ſe atque expectari, cunctæ proculdubiò nobiſcum vnà ad Chriſtianæ religionis diſciplinam, ad Apoſtolicæ authoritatis maieſtatem, ad communem fidelis populi ſalutem, ad labentium rerum reſtitutionem, ad totius præterea Eccleſiæ defenſionem & rem conuertentur. Sic namque hoc ſacroſanctum Concilium in cœlum aſſcendet, cum Catholica Eccleſia, quam refert, & quam Ioannes ciuitatem eſſe ſanctam, eſſe Hieruſalem, nouamque eſſe, atque de cœlo deſcendiſſe, contemplatus eſt. Dixi.

SESSIO III.

In hac ſeſſione reuerendus & illuſt. dominus Matthæus Epiſcopus Gurcen. & Princeps Imperij, dedit mandatum inuictiſſimi principis Maximiliani electi Imperatoris.

ANNO & indictione quibus ſupra, pontificatus præfati ſanctiſſimi domini noſtri, Domini IVLII Papæ II. Anno 10. die verò veneris tertia menſis Decembr. fuit celebrata 3. ſeſſio Concilij generalis in baſilica Lateranen. præſente præfato ſanctiſſimo domino noſtro. In qua fuerunt præſentes reuerendiſſ. domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Magiſtri Generales ordinũ, Oratores principum, & alij illuſtr. domini, videlicet:

EPISCOPI CARDINALES.

Reuerendiſſimus dominus Raphael Oſtien.
Reuerend. D. Dominicus Portuen.
Reuerend. D. Iacobus Albanen.
Reuerend. D. Franciſcus Sabinen.
Reuerend. D. Marcus Præneſtinus.

PRESBYTERI CARDINALES.

Reuerend. D. Thomas tituli S. Martini in montibus, Strigonien.
Reuerend. D. Nicolaus tituli S. Priſcæ, de Fliſco.
Reuerend. D. Robertus tituli S. Anaſtaſiæ, Nanneten.
Reuerend. D. Leonardus tituli S. Suſannæ Agennen.
Reuerend. D. Chriſtophorus tituli ſanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerend. D. Antonius tituli ſancti Vitalis, Sipontin.
Reuerend. D. Petrus tituli S. Euſebij, Anconitan.
Reuerend. D. Achilles tituli S. Sixti Bononien.
Reuerend. D. Bandinellus tituli S. Sabinæ, de Saulis.

DIACONI CARDINALES.

Reuerend. D. Alexander ſancti Euſtachij, Farneſius.
Reuerend. D. Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſ. D. Marcus ſanctæ Mariæ in Porticu de Cornelijs.

PATRIARCHÆ ET ASSISTENTES PAPAE.

Reuerend. pater D. Cæſar Alexandrinus.

Reuerend.pater D.Alphonſus Antiochenus
Reuerend.pater D.Stephanus Patracen.& Torcellan.
Reuerend.pater D.Bernardus Spalaten.
Reuerend.pater D.Vincentius Neapolitan.
Reuerend.pater D.Fredericus Salernitan.
Reuerend.pater D.Gabriel Dyrrhachien.
Reuerend.pater D.Franciſcus Iadren.
Reuerend.pater D.Franciſcus Vincentinus.
Reuerend.pater D.Iulianus Agrigentin.
Reuerend.pater D.Franciſcus Sueſſanus.
Reuerend.pater D.Ferdinandus Caietanus.
Reuerend.pater D.Hercules Auguſten.epiſc.& illuſt.domini ducis Sabaudiæ orator.
Reuerend.pater D. Laurentius Montis regalis epiſcopus, & gubernator Vrbis.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerend.P.D.Ieremias Tranen.
Reuerend.pater D.Franciſcus Conſan.
Reuerend.pater D.Aldronandinus Nicoſien.
Reuerend.P.D.Rainaldus Raguſin.
Reuerend.P.D.Andreas* Noboniaſien.
Reuerend.pater D.Robertus Rheginus.
Reuerend.P.D.Georgius Nazarenus.
Reuerend.pater D.Ioannes Maria Sipontin.

EPISCOPI.

Reuerend.P.D.Lucas Fulginaten.
Reuerend.P.D.Silueſter Wigornieñ.
Reuerend.P.D.Iacobus Potentin.
Reuerend.pater D.Andreas Militen.
Reueren.P.D.Franciſcus Spoletan.
Reuerend.P.D. Guillelmus Cortonen.
Reuerend.P.D.Baſilius Tudertin.
Reuerend.P.D.Bertrandus Adrien.
Reuerend.P.D.Dominicus Lucerin.
Reuerend.P.D.Alexius Melfitan.
Reuerend.P.D.Ferdinand. Balneoregien.
Reuerend.P.D.Benedictus Chien.
Reuerend.P.D.Petrus*Vrgellen.
Reuerend.P.D.Ioannes Tuden.
Reuerend.P.D.Alexander Alexandrinus.
Reueren.P.D.Franciſcus Biſignianen.
Reuerend.P.D. Gisbertus Rapollan.
Reuerend.P.D.Simon Modruſien.
Reuerend.P.D.*Corradus Aſtunen.
Reuerend.P.D.Antonius Iacobus Camerinen.
Reuerend.P.D.Bartholomæus Montis viridis.
Reuerend.P.D.Lambertus Venuſinus.
Reuerend.P.D.Ioannes Antonius Anglionen.
Reuerend.P.D.Ioannes Arianen.
Reuerend.P.D.Baptiſta Aquinaten.
Reuerend.P.D.Antonius Vrbinaten.
Reuerend.P.D.Hieronym. Aretin.
Reuerend.P.D.Bernardus Soranus.
Reuerend.P.D.Nicolaus*Pergamen.
Reuerend.P.D.Ioannes Eluen.
Reuerend.P.D. Auguſtinus Sagonen.
Reuerend.P.D.Ludouicus*Sinien.
Reuerend.P.D.Hieronym.Aſculan.
Reuerend.pater D.Petrus Foroliuien.
Reuerend.P.D.Lucas*Guardien.
Reuerend.pater D.Andreas Anſaren.
Reuerend.P.Hieronymus*Inſulen.
Reuerend.P.D.Latinus Veſtanus.
Reuerend.P.D.Andreas Litteren.
Reuerend.P.D.Ludouicus Tricaricē.
Reuerend.P.D.Ioannes Anton.Calinen.
Reuerend.pater D.Hieronymus Nicien.
Reuerend.pater D.Ioannes*Bobien.
Reuerend.P.D.Bernardinus Policaſtren.
Reuerend.pater D.Dominicus Imolen.
Reuerend.pater D.Vincent. Belicen.

Reuerend.pater D.Bartholomæus*Agien. for. *Agtien.
Reuerend.pater D.Paulus Lectorien.
Reueren.P.D. Albertinus Piſaurien.
Reuerend.P.D.Petrus Narnien.
Reuerend.P.D.Ioannes Baptiſta*Maranen. *Moraneu.
Reuerend.P.D.Andreas Alben.
Reuerend.pater D.Scaramuza Cumanus.
Reuerend.P.D.Vincentius*Naulen. *Noladiſſanuen.
Reuerend.pater D. Bernardinus Caſtren.
Reuerend.P.D.Matthæus*Vmbriacen. *Vmbriaticen.
Reuerend.P.D.Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerend.pater D.Hugo*Regien.
Reuerend.pater D.Iacobus Fauentin.
Reuerend.pater D.Galeſius*Bellunen.
Reuerend.pater D.Iulianus Vulteran.
Reuerend.pater D.Hieronymus*Bidrien. *Budinen
Reuerend.pater D.Marinus Ceneten.
Reuerend.pater D.Ioannes Baptiſta Cauallicen.
Reuerend.P.D.Octauianus Viterbien.
Reuerend.P.D.Franciſcus Ortanus.
Reuerend. pater D.Iacobus ciuitatis ducalis.
Reuerend.pater D.Ioannes Aquilanus.
Reuerend.pater D.Aloiſius Parentin.
Reuerend.pater D.Albertus*Valuen. *Viloen
Reuerend.pater D.Iacobus Paphen.
Reuerend.pater D.Simon Ariminen.
Reuerend.pater D.Bernardus Taruiſinus.

ABBATES.

Reuerend.pater D.Floremundus, abbas monaſterij S. Greg. de Vrbe,ordinis S.Benedicti.
Reuerend. pater D. Guillelmus abbas Monaſterij B. Mariæ Briton.

MAGISTRI GENERALES ordinum.

Magiſt.Thomas,Gñalis ord.Prædicatorum.
Magiſter Ægidius,Gñalis ord.Eremitarum.
Magiſt.Bernardinus, vicarius Carmelitarum. for. *locũ tenens.
Magiſter Angelus B.Mariæ Seruorum.

LOCVM TENENS MAXIMIL.

Reuerend.& illuſt.D.Matthæus Epiſcopus Gurcen.sereniſſ. domini Maximil.electi Imp.*

ORATORES ET SENATOR vrbis.

Illuſtr.D.Albertus de Carpi,dicti Maximiliani Orator.
Magnificus dominus Petrus de Starcelupis Florentin.ſenator vrbis.
Magnificus D.Hieronym.Vich, orator Catholici regis Hiſpaniarum.
Magnifici D.Iacobus de Saluiatis,& Matthæus de Strozis,dominij Floren.ac Parmen.Oratores.

ILLVSTR. DOMINI temporales.

Illuſt.D.Fredericus Marchio Mantuan.
Dominus Nicolaus de Ruuere.
Illuſtr.dominus Iulius de Vrſinis,& alij illuſt.domini de Vrſinis.

Celebrata Miſſa per Reuerendiſſ.dominum Marcum Epiſcopum Præneſtin.Card.Senogallien.& facta oratione per reuerend.patrem dominum Alexium Epiſcopum Melfiten. cantatis litanijs & alijs orationibus,& cantato Hymno, Veni creator ſpiritus, vt moris eſt, cantatoque Euangelio per reuerend.dominum Ludouicum S.Mariæ in Coſmedin diaconum Card.de Aragonia,quod incipit, Ego ſum paſtor bonus &c.reuerend.D.Thomas Phædra ſecretarius Concilij aſcendit ambonem, & legit quoddam mandatum procurationis ſereniſſ.& inuictiſſimi Principis Maximiliani electi Imperatoris,

toris, datum per ſupradictum dominum Matthęum Gurcen. Epiſcopū, locum. tenen. Cuius tenor ſequitur, & eſt talis.

MANDATVM MAXIMILIANI.

MAximilianus diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Palatinus Hannoniæ &c. Recognoſcimus, & tenore præſentium notum eſſe volumus vniuerſis, cùm in præſentiarum nos deſtinamus in Italiam & ad vrbem, venerabilem Matthæum Epiſcopum Gurcen. Principem, conſiliarium, & locum tenentem noſtrum generalem in Italia, deuotum ac dilectum, pro quibuſdam rebus noſtris ibi faciendis: Idcircò nos de eius dexteritate, ingenio, atque rerum gerendarum peritia plurimùm confiſi, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac animo deliberato fecimus, conſtituimus, creauimus & ordinauimus, ac tenore præſentium facimus, conſtituimus, creamus, & ſolenniter ordinamus præfatum Gurcen. Principem, & locumtenen. noſtrum procuratorem, actorem, ac negociorum noſtrorum geſtorē ſpecialem, omni meliori modo, via, iure & forma & ordine, quibus meliùs & validiùs de iure poſſumus & debemus, ad cōparendum pro nobis & nomine noſtro in ſynodo ſeu Concilio Lateranen. ſuperiori, per ſanctiſſimum in Chriſto patrem & D. Dominum IVLIVM II. ſacroſanctæ Rom. ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummum Pontificem dominum noſtrū ſanctiſſimum, de conſenſu ſacri reuerendiſſ. dominorū Card. collegij indicto & denunciato, & illud approbandum & proſequendum, & ſi & inquantum opus foret, illud ad alium locum & aliud tempus transferendum, etiam ex toto tollendū, & extinguendum, necnon reuocandum, annullandum & irritandum, & penitùs delendum omnia & ſingula ea, quæ per eccleſiam Gallicanam in ciuitate Turonis eodem anno ſuperiori fuerunt acta, concluſa & deliberata, & ſimiliter ad reuocandum omnia & ſingula mandata & procuratoria, ſi qua à nobis emanauerunt pro indictione Concilij Piſani, quod nónulli Cardinales tunc indixerant, & idem Concilium Piſanum penitùs tollendum & extinguendum. Dantes & concedentes eidem Gurcen. Principi, locum tenenti & procuratori noſtro, plenam & amplam poteſtatem gerendi & exercendi omnia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna, iuxta dexteritatem ſuam, prout magis videbitur expedire, necnon ad faciendum omnia alia & ſingula, quæ verus & legitimus & indubitatus procurator, liberam & generalem facultatem habens, circa præmiſſa facere poſſet, & quæ noſmet facere poſſemus, ſi præmiſſis perſonaliter intereſſemus, etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale: ponentes dictum procuratorem noſtrum, quo ad præmiſſa, *totaliter in locum noſtrum. Inſuper promittētes in verbo noſtro Cæſareo, & ſub bona fide noſtra, nos gratum & ratum habituros, quicquid per præfatū Principem locumtenen. & procuratorem noſtrum, in præmiſſis & circa ea cū omnibus ſuis dependētibus, emergentibus & connexis, actū, dictum, tranſactum, concordatum ſeu concluſum fuerit, & nullo vnquam tempore contrauenire directè vel indirectè, aut quouis exquiſito colore vel cauſa, de iure vel de facto, etiam ſi de iure poſſemus. Supplentes præthereà omnes & ſingulos defectus tam iuris quàm facti, qui in præmiſſis aliquo modo poterunt euenire: Promittentes quoque, vt ſi fortè mandatum iſtud ad aliqua per ſupradictum procuratorem noſtrum tractanda & concludenda ſufficiens nō foret, quod nos omnia & ſingula huiuſmodi tractata, & per ſupradictum procuratorem noſtrum ſic concluſa, rata, grata & firma habebimus & obſeruabimus, harum teſtimonio literarū, ſigilli noſtri appenſione roboratarum. Datum in ciuitate noſtra Imperiali Colonia, die prima menſis Septembr. Anno Domini 1512. Regnorum noſtrorum Roman. 27. Hungariæ verò 23.

Per Regem.
Ad mandatum Cæſareæ maieſtatis proprium.

Quo perlecto, ſurrexit præfatus reuerend. & illuſt. dominus Matthæus, & legit quandam ſchedulam manu propria ſcriptam, cuius tenor eſt talis:

SCEDVLA LECTA PER Gurcenſem.

EGo vigore dicti mandati Cęſareæ Maieſtatis clementiſſ. & inuictiſſimi Principis, ad abolendum omne ſchiſma, quod in Eccleſia Dei oriri poſſet, & etiam pro executione capitulorum concluſorum coram ſanctiſſimo D. N. reuoco quodcunque mandatum qualitercunque conceſſum conciliabulo Piſano, & procuratores quoſcunque, qui in dicto conciliabulo interuenerunt, & omnia acta & agenda per illud conciliabulum, quæ declaro irrita & nulla nomine præfatæ Cæſareæ Maieſtatis, & adhæreo ſacro & canonico Lateranen. Concilio, Eccleſiam vniuerſalem repræſentanti, ritè & legitimè congregato. Declaro etiam, maieſtatem Cæſaream nūquam dediſſe mandatum ad præfatum conciliabulum.

Et declaratione facta, præfatus dominus Matthæus Gurzen. acceſſit cum ea, qua decuit, reuerentia ad præfatum S. D. N. & deoſculatus eſt pedes eiuſdem ſanctiſſimi domini noſtri, comitante eum dicto illuſtri domino Alberto de Carpi, pręfatæ Cæſareæ maieſtatis Oratore. Quibus peractis, magiſter Marianus de Cuccinis, procurator fiſci & præfati Concilij procurator, petijt à protonotarijs & notarijs Concilij publicum & publica fieri, inſtrumentum & inſtrumenta de omnibus ſupradictis &c.

Deinde diſcretus vir Petrus Mengiuar ſanctiſſimi D. N. curſor, retulit coram præfato S. D. N. ſe, inſtante præfato magiſtro Mariano de Cuccinis procuratore, ad portas ipſius Concilij citaſſe & monuiſſe omnes & ſingulos prælatos, & alios tam Eccleſiaſticos quàm ſeculares, qui in Concilio intereſſe conſueuerunt, vt comparerent ad intereſſendum ſacroſancto Concilio. Reſponſione facta, idem magiſter Marianus accuſauit eorum contumaciam. Demum reuerend. pater dominus Petrus Gryſus epiſcopus Foroliuien. aſcendit ambonem, & legit quandam ſchedulam tenoris infraſcripti.

BVLLA TERTIAE SESSIONIS ſacri Generalis Concilij Lateranenſis.

IVLIVS epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sacro approbante Concilio ad illius, cuius perfecta ſunt opera, laudem & gloriam, ſacrum Lateranenſe Concilium proſequentes, in hac tertia seſſione Spiritu ſancto fauente legitimè congregata, quam aliàs tertio Non. Nouembris proximè præteriti faciendam in ſecunda ſeſſione indixeramus, & deinde de venerabilium fratrum noſtrorū S. R. E. Car. conſilio vnanimique aſſenſu, in hodiernum diem tenendam, ex certis tunc expreſſis & aliis legitimis cauſis, prorogauimus & indiximus, eodem ſacro Concilio prorogationem & indictionem huiuſmodi ex cauſis præfatis ſibi notis approbante, poſt felicem fauſtamque chariſſimi in Chriſto filij noſtri Maximiliani Roman. Imperatoris electi ſemper Auguſti, huic Sacroſancto Lateranen. Concilio veram adhæſionem & ſynceram vnionem, omnia & ſingula per damnationis alumnos Bernardinum Caruaial, Guillelmum Brizonet, Renatum de Pria, & Fredericum de ſancto Seuerino olim Cardin. eorumque fautores, adhærentes, complices & ſequaces, ſchiſmaticos, hæreticos, & in ſuam ac aliorum perniciem debacchantes, vnitatem ſanctæ matris Eccleſiæ ſcindere ſatagentes, in conciliabulo Piſano, Mediolani, Lugduni, vel alibi, quæcunque, quotcunque, & qualiacunque fuerint, etiam decimarum impoſitiones in vniuerſo regno Franciæ per eos factas, quorum tenores & qualitates, ac ſi præſentibus de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales infererentur, pro expreſſis haberi volumus, vſque in præſentem diem acta, geſta & facta, conſcripta & publicata ſeu ordinata, & in futurum forſitan gerenda, quamuis ſint nulla, irrita & inania, & à nobis, præfato Concilio ſacro approbante, damnata & reprobata fuerint, potiori pro cautela dānationi & reprobationi huiuſmodi inhærendo, eodem ſacro Concilio approbante, damnamus, reprobamus & deteſtamur, illaq; nulla, irrita & inania, nulliuſq; roboris, efficaciæ, effectus vel momēti fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus.

Necnon literas noſtras, per quas (propter receptiones, fauores, adhærentiam & auxilium, per regem Fran-

cia &

ciæ,& nonnullos alios Regni Franciæ prælatos,officiales, nobiles & barones ſchiſmaticis & hæreticis in dicti conciliabuli Piſani damnati & reprobati proſecutione notoriè præſtita) Regnum Franciæ,& præſertim Lugdunum, ducatu Britanniæ excepto,ſub data videlicet,Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo duodecimo Idibus Auguſti, Pontificatus noſtri anno nono, de fratrum prædictorum conſilio, Eccleſiaſtico ſubiecimus interdicto,nundinasque Lugduni fieri ſolitas, in Lugduno extunc decæterò fieri inhibuimus: dictasque nundinas in ciuitate Gebennen.faciendas tranſtulimus,cum decretis,declarationibus,inhibitionibus,omnibusque & ſingulis in eis contentis clauſulis,ſimiliter ſacro Concilio prædicto de illis plenariam notitiam habente ac approbante,innouamus: Regnumque præfatum, (vt præfertur)illiusque ciuitates,terras, oppida,& loca quæcunque huiuſmodi interdicto ſubijcimus, ipſas nundinas ex Lugduno in ciuitatem præfatam Gebennē. faciendas transferimus. Et vt ſacrum hoc Lateranen.Concilium ad finem vberrimæ fertilitatis deducatur, aliaque plura & grauia in hoc ſacro Lateranen. Concilio tractanda & diſcutienda,veniant ad Dei omnipotentis laudem & Eccleſiæ vniuerſalis exaltationem, quartam ſeſſionem continuationis celebrationis ipſius,quarto Idus præſentis menſis Decembr. faciendam,ſacro Concilio præfato omnia approbante, indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā noſtræ proſecutionis, voluntatis,damnationis, reprobationis, deteſtationis,decreti,declarationis, innouationis,interdicti, translationis & indictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione,in Lateranen. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata,ann.incarnationis Dominicæ 1512.tertio Non.Decemb. Pontificatus noſtri anno 10.

D.de Comitibus.

Qua quidem ſchedula(vt præmittitur)perlecta,idem reuerend.pater Petrus Epiſcopus petijt,an placerent paternitatibus ſuis contenta in dicta ſchedula. Et omnes & ſinguli reſponderunt,placere contenta in dicta ſchedula. Fuit inſuper indicta quarta ſeſſio quarto idus præſentis menſis.Et hæc fuerunt pro tertia ſeſſione. Super quibus idem magiſter Marianus de Cuccinis procurator petijt inſtrumentum & inſtrumenta &c.Et incepto per ſanctiſſimum D.N.glorioſo hymno,Te Deum Laudamus,& capella proſequen.& vſque ad finem perducto,ſanctiſſimus D.N.cum Cardin.& alijs prælatis receſſit,& venit ad ſanctum Petrum in palatium Apoſtolicum in Vaticano.

IVLIO HVIVS NOMINIS SECVNDO Pontifici Max. Alexius Epiſcopus Melſitanus affectiſſ.famulus, S.P.D.perpetuamq; felicitatem.

NOn me præterit,ſapientiſſ. Pont. parum pij minusque grati erga Deum animi eſſe,quicquam ex iis,quæ nobis contingunt, alij cuipiam,quàm illi eiusque abſtruſo iudicio tribuere. Propterea quæ fortunam & fatum appellant, aut nulla eſſe,aut ſi qua ſunt,ego quidem illi ſubijci ſentio:tantúque ſideribus tribuo,quantum eſt,quod nihil ex eius potentia detrahere poſſit. Veruntamen & D.Auguſtinum,diuinarum humanarumque rerum interpretem eminentiſſimum, cauſas fortuitas non eſſe nullas,ſed latentes aſſerere,& mihi plurima & grauiſſima infortunia ab ipſis ferè ſtatim incunabulis accidiſſe,eoque grauiora, quo præter omnem ſpem opinionemque incidere, ſat ſcio. Quibus illud quoque tanto magis annumerauerim,quanto nihil ego enixiùs curo,quā ne quid à me vel dicatur,vel fiat,quod tibi non placeat. Iuſſus itaque à te, vt in tertia tui ſacri apud Lateranum Concilij ſeſſione concionarer,nec ignarus maxima vocis & laterum, & eadem vel minori fortaſſe diſciplinarum inopia laborare,nihil horum, quo rem euitarem,cauſatus ſum, temerarium & non minùs ſtolidum arbitratus, quicquam de ijs tuo præcepto opponere,quæ tibi quoque noua eſſe viderentur.Prætereo, quæ poſtea ſuaſere,vt rem iam præparatam & intermiſſam ſententia mutata reſumerem,quod & hæc ex ipſa oratione facilè percipere poteris, & epiſtolæ ad diem ipſius concionis properandum eſt.Fuit hic tertio Nonas Decembris, cùm ſol longiſſimè à nobis recedens,& nos obliquus reſpiciens,dum paruam hemiſphærij noſtri partem ambit, dies breuiſſimos reddit. Cumque ad ea,quæ in ſynodo agenda erant, vix totus ſuffecturus videretur,res vel potiùs neceſſitas ita tulit, vt eodem ante omnia Lateranum tibi è Vaticano eundum eſſet.Per properandi igitur curam magna ex parte ſomno excuſſo, nos ferè antelucanos præſtolandi proſequendique tui gratia Vaticanum deduxit:vbi antequàm exires,tanta vis imbris procelloſi inhorruit, vt diuturnam ſerenitatem, quæ nobis ocioſis præceſſerat,iter facturis reſarcire velle ſibi videretur. Exiſti tamen,quæ tua conſtantia eſt, & procella pauliſper ceſſante, totum ferè iter pluuioſum perfecimus.Itaque membra, quæ natura tegi non patitur,aqua, vento & anni tempore gelida, cætera veſtibus prælongis & madefactis grauata erant. His maximè impeditos, mulis deſcendentes cœnum excepit, ex cœno ſitibundos,famelicos,feſſos,madidos, implicitos, cœnulentos & ſomnolentos,ædes vaſtiſſima nulla teſtudine,ſed tignis tecta,& crebris tranſennis,per quas magnæ naues trāſmitti poſſent,patentiſſima:eadem multitudinis hominum & murmuris, ſtrepitus ac lamentorum ex incommodis orientium,algorisq; plena.Sic affecto miſero mihi,& innata (quod dixi) vocis & corporis imbecillitate laboranti,à tot incōmodis circunuento, vento, imbre & procella crepitantibus, & murmure,tecto & tranſennis templi verba intercepturis,cōcionandum erat.Inſuper ſuggeſtum aſcendi, ſicut e regione tranſennarum altiſſimarum ac latiſſimarum,ſic à te,ad quem labores meos & verba direxeram, longè, iuſſu quidem tuo, ante inceptam ſynodum poſitū, quo magis multitudinis auditui,quàm tuo,conſuleretur.Omitto,quòd quidam ad ſuū commodum cunctá trahentes, ita tunc quoque ad reddendum Deo & iuſtitiæ debitum,ſe difficiles durosque præſtitere,vt ſicut te,multosque ex patribus per totam ferè ſeſſionem ſolicitos,ac ſuſpenſos tenuere, ita me quoque in actionis medio*turbabundi viderentur.Super his mitra caput, parū eius hyberna infula tecti capax,ſic angebat, vt magis nuperrimè ſimul omnes in itinere ſub imbre ad Lateranum, quàm ego tunc ſub illa ad orationis calcem properarem.Sed ſicut quondam toti Græciæ belli,ita tunc mihi huius mali Paris cauſa erat. His ergo tot ſimul factum eſt,quorum vel vnum ſuppetijſſet,vt nec tu, nec pars maxima ſacri ſenatus & patrum audire me quiuerit. Quamobrem hæc mihi poſteà ſingula memoria repetenti, nec dijudicare queunti quis minùs fecerim ſatis,illisne,quibus ita me affectum & properantem locus audire permiſit,an quibus id ex parte vel omnino negauit:expedire viſum eſt, magnis etiam viris id ſuadentibus & amicis flagitantibus,vt inſtitutum tranſgrederer, & orationem impreſſoribus darem, quo & omnibus qui affuerant,hac ſaltem ratione facerem ſatis, & longè pluribus tacendo prodeſſem, quàm dicendo profueram.Si tamen ea ſit, vt quod eius initio maximè optaui,aliquibus conferre poſſit. Tua beatitudo,ſi id ei cumulus & magnitudo cogitationum ac rerum agendarum permiſerit,ita leget, vt omnem fructum laborum meorum in eo maximè verſari exiſtimet, vt à te vno probentur.

for.*turbati.

ALEXII EPISCOPI MELFITANI ORATIO, quam habuit in tertia ſeſſione ſacri Lateranenſis Concilij,iuſſu IVLII II. Pont.Max.

MAximè vellem, atque optarem à Domino Ieſu Chriſto,in cuius nomine(vt par eſt credere)te duce, beatiſſime pater,hic ſacer ſenatus, præclarus Procæſar, inſignes reguli,Cæſaris,regum,& aliorum Principum oratores,ornatiſſimi præſules,& cæteri,qui adſunt humaniſſimi viri, huc hodiè conuenere,vt eadem ſynceritate pietateque mentis qua ego erga beatitudinem tuam, vniuerſam Eccleſiam,& horum ſingulos ſum verba facturus, omnes præſentes atque abſentes,quibus celebrandæ ſynodi onus incumbit, rem tam ſalubrem & perneceſſariam agendam ſuſcipiant, ſuo tempore agant,& ad finem perducant. Mihi verò poſt annos octo & quadra-

tized by Google

quadraginta, quibus maxima ex parte in huc aulica luce, in ſa-
cro tuo, aliorumque ſummorum Pontificum, & veſtro, Pa-
tres, mihi iucundo venerandoque conſpectu verſatus con-
ſenui, huius ſaltem ſuſcepti hodiè muneris labor optatum pa-
riat fructum, vt ſacroſanctæ matri ac alumnæ Eccleſiæ, ſi non
omnino, (neque enim tanti me facio) vel aliqua ex parte con-
ducat. Et quoniam, vbi facto opus eſt, compertum habeo,
parùm verba proficere : & ſicut rectam valetudinem non
conferri, ita nec res magnas ſolis verbis confici poſſe: præci-
puè verò ratione, & eius miniſtris mente ac lingua, nos à cæ-
teris animantibus differre: ſed his tãtis naturæ bonis ita quoſ-
dam abuti, vt rarò admodum vtantur concordia mentis &
linguæ, ſed plerunque aliud habent in ore, aliud in corde,
quæ ferè ſola ſunt inſtrumenta conſilij: hoc autem morbo v-
bique, ſed præſertim in ſynodo, re omnium, quæ ad religio-
nem & præſentem futuramque ſalutem hominum pertinent,
maxima, cum ingenti diſcrimine vtriuſque ſalutis laborari:
me denique in tanti morbi, tamque magnæ rei, & imbecilli-
tatis meæ cogitatione penè deficere. Summus ille artifex
mentium illuſtrator & author inuocetur, qui & extinctas eas
accendit, & accenſas inflammat, & ab illis ora diſſonare non
patitur, quique in igneis linguis apparuit, & ora infantium fe-
cit diſerta. Veni creator ſpiritus, mentes tuorum viſita, im-
ple ſuperna gratia, quæ [illegible] creaſti pectora. Vtinam tuos, Do-
mine, vtinam tuos tuæque gratiæ capaces nos reddas. Hoc
ergo duce, quod ipſe concedat, quàm breuiùs mihi fieri po-
terit, de Concilio deque Eccleſia diſſerendum eſt. Et primò
altiùs earum primæua figura & origine repetitis, mixtim et-
iam incremento, maieſtate, poteſtateque oſtenſis, necnon v-
tilitate & cõmodo, quæ ex eis humano generi proueniunt, ex
parte enumeratis, poſtremò, mutatæ à me ſententiæ reddita
ratione, dicendi faciam finem. Per hæc enim, etſi pro rei ma-
gnitudine pauciſſima parumque ornata, opitulante illo, qui
& publicè ab omnibus, & priuatim à me inuocatus eſt, ſiue ra-
tionibus, ſiue exemplis, ſiue authoritatibus innitendum pro-
cedendumque in ſynodo fuerit, rectè omnia conſuli, & con-
ſulta rectiùs decerni, & decreta rectiſſimè executioni man-
dari, quàm facilimè poterunt. Cùm Redemptor & Legifer
noſter hominem, paruum mundum, collapſum erigere ac
inſtaurare cum ſuis Patre & Spiritu ſtatuiſſet, nec in opere di-
ſcedere à prima eius productione, cui etiam totam Trinita-
tem affuiſſe, per verbum, FACIAMVS, perſpicuum eſt, cùm
in cæteris rebus, quantumuis bonis, multis ac magnis crean-
dis, DIXIT, ET VIDIT, de eo ſingulariter à Moſe pro-
feratur: quod & in Iordane amni, per ſacri ac ſalutiferi lauacri
inſtitutionem, & in patefacienda, pro capacitate viſurorum,
gloria ſua ſuper montem Thabor tribus, & non pauciori-
bus, diſcipulis, qui eum comitabantur, & paſſim per totam le-
gis traditionem, & demum in corroborandis inſtruendiſque
diſcipulis per Spiritum ſanctum, in eius nomine à Patre miſ-
ſum, pleniùs declarauit: rediturus ad patrem, & à terrenis ad
cœleſtia corpore tranſcenſurus, ita duodecim diſcipulos (&
orando patrem, Fac, inquiens, Pater, vt hi vnum ſint, ſicut &
nos vnum ſumus: & eos monendo, In hoc, inquiens, ſcient om
nes, vos meos eſſe diſcipulos, ſi vos mutuò dilexeritis) inſti-
tutos reliquit, vt capiti, quod in primis ſuas vices gerere vo-
luit, reliqui vti membra connexi, per toties repetitum præ-
ceptum mutuæ charitatis & pacis, vnum corpus comple-
rent.

Et quod vas electionis Paulus ait, Singuli eius membra &
aliorum alij, vt vnius corporis partes forent: quod etiam à
duobus & ſeptuaginta pariter ab illo electis, & ab alijs, qui ad
fidem vndique quotidiè confluebant: Multitudinis (inquit
Lucas) erat cor vnum & anima vna, & à poſteris per traditio-
nem vtriuſque ordinis, & curam eorum, qui illis ſucceſſere,
quam diligentiſſimè obſeruatum fuiſſe, omnibus, qui hiſto-
rias euoluerint, pleniſſimè conſtat. Et deinde per inauditam
& incredibilem conſtantiam & fortitudinem eorum aliorũ-
que Martyrum, & victorias de ſæuiſſimis tortoribus partas,
religione longè lateque per totum orbem diffuſa, & Eccleſijs
pro conditione locorum & temporum ſuper regiones vel
prouincias conſtitutis, & eiſdem præter mandatum exem-
plumque Principis, naturæ quoque ratione edoctis, res om-
nes diſiunctas per ſe imbecilliores fieri: coniunctas verò, va-
lidiores: ſingulæ ſuæ ſaluti diuturnitatique conſulentes, id ip-
ſum ſedulò ſeruare curarunt, dum annis ferè ſingulis capite
citiùs cum ſuis membris in locum omnibus tutum & cõmo-
dum coeuntibus, quæ corripi emendarique oporteret, accu-
ratiùs penſitata atque diſcuſſa, ad incrementum omnia, con-
ſeruationemque religionis, publicam honeſtatem, bonos
mores, animarumque ſalutem redigebantur. Interdum etiã,
cùm res exigeret, ſua cuique iura quaſi municipalia, pro ſalu-
te proprij gregis & commodo ſtatuebant. De rebus verò
ponderoſis & dubijs ſummum caput, vt communis omnium
magiſter & doctor, conſulebatur. Quo fiebat, vt ſi quando
hæreſis vel alia res grauis & pernicioſi exempli alicubi orire-
tur, præſertim quæ religionem & publicè leges offenderet, ad
illam eueſtigio reprimendam, patres vndique, præcipuè ta-
men probatiſſimi, eruditiſſimi, ac integerrimi quique accer-
ſebantur, & ad locum tempuſque aptum, & à capite delectum
& ab ipſis approbatum, conueniebant. Vbi non minùs arden-
tiſſima dilectione in Deum, quam mutua inter ſe & erga pro-
ximum, quod eſt vniuerſum genus humanum, charitate om-
nia ſimul proſpicientes, & ſingula ſedulò ſcrutantes & pon-
derantes, vt, quæ ad omnes pertinerent, ab omnibus recipe-
rentur vel eliminarentur, quæ infringenda dijudicaſſent, pro
irritis & inanibus: quæ verò probanda, pro venerandis ſan-
ctiſque ab omnibus habebantur: & ita eorum conſultis atque
decretis publicè ab orbe vniuerſo parebatur, vt vel ſi plures
mundi (ſententia Democriti) eſſent, eorum iuſſis obtempe-
raturi viderentur. Hac ratione ſacræ ſynodi malis erant me-
tus, bonis ſpes, vitijs pœna, virtutibus præmium, laboribus
quies, ſtudijs fomes, incrementum iuſtitiæ. Hac ratione tur-
bulentiſſimæ, ſeditioſiſſimæ, ac pernicioſiſſimæ hæreſes ex-
tinctæ deletæque fuere, & fide ſacroſanctaque religione enu-
cleata & explicata, earumque capitibus & articulis ſtabilitis,
mundus, expulſis errorum tenebris, eam aliquamdiu totus
retinuit, in qua nunc breuis eius angulus luce ambulat verita-
tis. Hac ratione tot ſacri & ſaluberrimi canones, duces præ-
ſtantiſſimi ad benè beateque viuendum, & ad temporaneam
comparandum, æternamque ſalutem promerendum, per ip-
ſas ſynodos ſanciti conſcriptique fuere, quibus non minor fi-
des & authoritas, quam ipſis Euangelijs attributa eſt: & quo-
rum, ſi quæ à nobis ratio curave haberetur, ad has ſordes fœ-
ditatemque morum, ad quas per eorum contemptum & con-
ciliorum intermiſſionẽ deuenimus, non vtiq; deuentum fuiſ-
ſet. Hac ratione Vrbanus Pont. huius nominis ſecundus, ſy-
nodo habita, totum ferè Occidentem exciuit, & numeroſiſſi-
mæ ac potentiſſimæ expeditionis illius author factus, Antio-
chiam & Hieruſalem præclara Eccleſiæ membra, & alias inſi-
gnes vrbes & Regna cum ingenti gloria recepit. Et poſt eum,
ne amitterentur, Paſchalis & Gelaſius Pont. ſupplementis,
commeatu & pecunia exercitui in Aſia ſubueniri fecere, &
Caliſtus huius nominis ſecundus, noningentorum patrum,
qua nullus ante & poſt eum frequentior eſt vſquam, in hoc i-
pſo Lateranen. ad idem opus ſynodum habuit, vbi tu quoq;
beatiſſ. pater, huius & aliorum exemplo, & recto (vt par eſt
credere) animo, hanc edixiſti, quod bonum, fauſtum, felixq;
tibi, vniuerſæ Eccleſiæ, & nobis omnibus ſit, & ad eundem
per illos mouearis effectum. Hac ratione cùm alij, tum Inno-
centius hoc nomine tertius, qui etiam Laterani ad hoc ipſum
quingentorum paulo minùs patrum concilio interfuit &
præſedit, tanta authoritate fuere, vt Imperatorem, & Reges
Galliarum, Hiſpaniarum, & Neapolis ad idem properandum
compulerint. Hac præterea ratione Imperatores pedibus nu-
dis, non breui ſpatio per niues curſim ante mœnia procum-
bentes, & alij ad pedes Pontificum inermium certè, ac ſola
innocentia munitorum prouoluti, eorum veniam precaban-
tur. Macti virtute & verè felices Pontifices, quibus tantũ vl-
trò à ſummis etiã Principib. venerationis & verecundiæ pen-
debatur: feliciores Principes, qui in perſonis hominum tantũ
Deo timoris cultuſq; exhibere non hæſitabant. Feliciſſimi &
hi & illi, qui depoſitis odijs, ſic ad mutuam dilectionem con-
uertebantur, vt alterorum alteri quamlibentiſſimè onera fer-
rent, quo lex Redemptoris per vtroſq; adimpleretur, quique
non ex potentia licentiam, ſed contrà ex licentia potentiã pen-
ſitabant: nec quod ſibi placeret, ſed quod omnibus expediret:
quodq; deceret, nõ ꝙ liceret proſpicientes, anteponebãt. De-
niq; qui ex maiorib. nõ eos, quos & ipſi ante gerẽdũ magiſtra-
tũ & oẽs boni vituperarẽt & reprobarẽt, ſed quos ſcirẽt omni

laude

laude commendationeque dignos, imitandos ſibi & ſuperandos pro viribus proponebant. Sed quid ego his ſideribus immoror, quæ quamuis per ſe micarent, magna ex parte ab alijs lumen mutuata fuere, & non ad illas fulgentiſſimas ſtellas recurro, qui ita perpetuò vixere, ita varijs modis pro fide, proque Eccleſia certauere, ita denique toti Deo dediti, gratiam eius promeruere, vt facilè affirmauerim, multa illum propter eorum merita ſuamque patientiam ſuſtinere, quæ per ſuā iuſtitiam nequaquam ſuſtinuiſſet? Quis enim qui eorum facta vel dicta vel ſcripta ſcrutari voluerit, non inueniet vel primos illos tres & triginta à Petro Melchiadem vſq; vno tenore & viuendi ſumma cum temperantia, & gerendi magiſtratum ſumma cum ſapientia, & ſubeundi quæuis pericula pro fide proque Eccleſia ſumma cum fortitudine, denique migrandi à temporanea vita ad æternam ſumma cum alacritate & gaudio, ita certaſſe aduerſus Romanum Imperium, & reliquas orbis terrarum nationes & vires, vt non modò illis inuitis & impugnantibus Eccleſiam, pro qua certabant, ſuo ſanguine ſolidauerint, dilatauerint & extulerint, ſed ita ipſos quoque hoſtes orbis domitores & armis inſuperabiles deuicerint, vt ſibi corona victoriæ, cęlique regno per martyrium comparatis, illos illorumque ſucceſſores Eccleſiæ iugo æternum ſubegerint? vel ſubſequutos à Silueſtro ad ſplendidiſſimum ſidus Gregorium Gordiani, totidem quidem numero, quamuis alio rerum curſu tenoreque certandi, perſequutione Eccleſiæ per Chriſtianos Principes in fauorem protectionemque conuerſa, ita & præcepta ſui Principis ſeruantes, & exempla maiorum ſequentes, dignitati incrementoque religionis & Eccleſiæ conſuluiſſe, vt ipſi quoque omnes, ſicut priores, iure optimo in diuorũ numerum ſint relati. Tantum prætereà pietate, ingenio, diſciplina, moderatione, & omni virtutis genere valuiſſe, vt cùm ipſi, tum eorum imitatione poſteri quoque immaniſſima hominum monſtra vel potiùs ſæuiſſimas feras, Gotthos, Vandalos, Longobardos, & alios huiuſmodi, eorumque Reges vſque adeò leniuerint, vt ex truculentiſſimis cicures manſuetoſque reddiderint: denique labore, inedia, ſiti, vigilijs, continentia, ſtudio iuſtitiæ, & illiciti abſtinentia lucri, hanc, quam videmus, amplitudinem & opulentiam nobis comparauiſſe, per quas delicijs quotidiè magis inuoluimur, & opibus penè inſanimus. O felix ſeculum, quod illos viros non morbum (vt alias) rebus Eccleſiæ, ſed eius morbis & periculis præſentaneum remedium attuliſti. O te Eccleſiam tui ſponſi gratia plus quam prudentiſſimam, quæ ita tuis primordijs conſuluiſti, vt tales tunc, non quales poſteà multis temporibus experta es, rectores defenſoreſque haberes. O* ſolum tunc certè beatiſſimum, quam reuerenter te intueor, oſculariqueg eſtio, quod illos & tuliſti, & aluiſti, & magna ex parte produxiſti. Poſtremò quis eſt, qui hoc etiam in cogitatione auctæ vel conſeruatæ, cùm in Occidente tum in Oriente, Eccleſiæ non perpenderit, ita vtramque partem patres earum inſtituiſſe, vt ſi quando fortè inter ſe diſſentirent, acuendi potiùs ingenia ſtudio, & perficiendi fidei perſpicuitatem, quam peruertendæ cauſa veritatis, tunc quoq(modeſtiori quadam æmulatione vtraque abſtineret à vitijs, & bonis moribus inhæreret, & ambæ pariter ad religionis conuerſationem proficerent? quod* quando tunc valeret, donec præſtari potuit, ſatis & Roma olim deleta Carthagine, & ab annis aliquot Occidentalis Eccleſia, Orientali collapſa, ſicut experta eſt, ita mẽbra eius, q̃ rectè viũnt & ſentiũt, non ſero pœniteret. Digna profectò res q̃ à multis accuratiùs cogitetur, & ante omnes à te, beatiſſime pater, qui mancam & imperfectam felicitatem tuam putare propterea ſæpè viſus es, quod earum vtrique pariter totique orbi, quod tuæ ſanctæ ſedi datum eſt, non ſimul præſideres. Eat nunc quiſpiam, & Zoroaſtrem vel Triſmegiſthum, vel Phoroneũ, vel Piſiſtratum, vel Lycurgum, vel Solonem, vel Numam Pompilium, vel alios, non dicam cum legifero redemptoreque noſtro, ſed vel cum ipſis ſeruis eius, præſertim quos dixi ſex & ſexaginta, conferat: quos ille ita partitus eſt, vt æqua portione & plus quam miranda ratione, & primi confitendæ tuendæque veritatis paſcendarumque ouium curam martyrio, & ſecundi eadem cura voluntatem martyrij terminarent, & alterutri ſuo numero annos eius temporales æquarent, vel alijs Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ luminibus anteponat, qui vltra lucẽ veritatis, vita etiam, moribus, inſtitutis, ſcriptis & præceptis

tema

xcus ob-
uros
ʒnim

longiſſimè illos excelluere, & demum tantum authoritatis & ipſi conſequuti, & ſucceſſoribus imperciti ſunt, vt non præcepto vel imperio, ſed nutui eorum ſubijci, omnes felicitatis loco haberent. Multa grauiter & copioſè præco Chriſti egregius, eruditiſſimus vir Aegidius Viterbien. de ratione conciliorum, deque accepto detrimento per intermiſſionem, & vtilitate per frequentationem eorum conſequenda, diſſeruit prima oratione, qua hoc ſacrum eſt auſpicatus Concilium: aliquanto plura Thomas Caietanus, philoſophicæ ac Theologicæ rationis vti peritiſſimus, ita diſceptator acerrimus, de triumphante ac militante, deque Piſana (vt ipſe appellat) Eccleſia. Non paucis etiam prę̨ſul Spalatenſis, diſciplinarũ, quas dixi, non vulgaris profeſſor, ſua cum Turcis prælia pro defenſione communis tecum gregis inita deſcripſit, Beatiſſime pater. Ego quoque perbenignè à te iuſſus, vt idem onus ſubirem, & humaniſſimè monitus, ne his mihi præuijs factis longiſſimo cederem interuallo, pro viribus multa de ſynodis earumque definitione, appellatione, origine, cauſis, numero, conatu & fine, multa de prauis ſectis ſiue hæreſibus, multa de Apoſtolis, de Martyribus, & de ſingulis diuorum ordinibus, de comparatione bonorum piorumque ſacerdotum cum diuinis ſpiritibus, de Silueſtro Pont. de Conſtantino principe, de prima ſynodo & eius 318. patribus, omnibus in diuorũ numerum relatis, & de reliquis vniuerſalibus ſynodis ſingulatim, & alijs memoria dignis, multa diſtinctè de vniuerſa triumphante ac militante Eccleſia, deque lœtifera ſibi & alijs turba Piſana, malis conſilijs & artibus nixa, & in caput ſuum more gigantum, conſpirationis furijs ac inſidijs agitata, & à te quam prudentiſſimè per veri ac legitimi concilij edictionem, conſula & eneruata: vbi de te quoque non pauca, ſeruato tamen modo, ne laco natu , & in concilio conſtitutus, Principi, & meo, & viuo, & præſenti, ac de me benemerito, aſſentari viderer. Poſt hæc de præſentis ſynodi ratione pro curſu noſtrarum rerum ac temporum, in quo, cum ad leuamen fortaſſis aliarum multarũ & ingentium Chriſtiani nominis cladium, hoc ſaltem Deus conceſſerit, quod hæreſibus, quæ vt plurimùm cauſæ Conciliorum fuere, nec publicè nec impunè laboramus, reliquum foret decernere, vt inſtaurationi ac propagationi religionis in hoc perangusto Europæ angulo per diſcordias & ignauiam coarctatæ, magna virium parte incumberetur. Sed quoniam tanto operi fruſtrà inſiſteremus, niſi priùs Deus iratus nobis placaretur, qui in tanta corruptione morum & bellorum, ac ſimultatum culpa conſtitutis placari non poſſet, & propterea multis & acriter in mores, & pleraque flagitiorum & ſcelerum, præcipuè tamen in pernicioſam ambitionem, peſtiferam omnium rerum venalitatem & luxum intolerabilem, & innumera deteſtanda quæſtus & nefanda libidinis genera, & execrandas luſiones diebus ſacratiſſimis, earumque comites blaſphemias non ferendas inuecturus, male etiam conſilia, mutuas fraudes, & cupiditatẽ rerum alienarum, ex quibus diſcordias & bella inteſtina oriri, fouerique; conſtat, & ſæuiſſimas Chriſtianorum inter ſe trucidationes, ac tanti effuſi ſanguinis, cuius dimidio minùs ad profligandum communem hoſtem ſuppetijſſet, cauſas deteſtaturus, & idcircò de morum corruptione & culparum inhibitione, de tollendis vndiq; diſcordijs, & pace vbiq; inferenda, deque ſalutifera in communem Chriſtiani nominis hoſtem expeditione, & eius in præſentiarum occaſione non pauca, poſtremò te in primis, tuorum verborum non immemor, & deinde Imperatorem & reges ſingulatim ac nominatim, & alios principes & populos Chriſtianos, ad illam (quòd ſperabam nonnullos eorum affuturos) hortaturus: multa (inquã de his) & quæ ad ea pertinent, iam literis & memoriæ mandata, dicẽda, & tribus vix horis abſoluenda paraui. Sed vbi animaduerti, quam parum vel Ægidij mei, paucis vel nullis eorum, qui ad Concilium expectabantur, ſuperuenientibus, verba profecerint, vel Thomæ: Eccleſia, & ſi nunc egregiè per te renouata, in meliori ſpe conſtituta, maximè Cæſare in tuum ſanctum fœdus recepto, tunc certè adhuc fluctuante: vel Spalatenſis, peruersè non in Turcas, ſed inter Chriſtianos bellis ſeruentibus: concidi prę indignatione (fateor) animo, etiam hoc ex parte vel tuæ ſorti, pro Maieſtatis celſitudine & felicitatis immenſitate, vel meæ, pro exilitatis humilitate, vel vt rectiùs dicam, temporis & hominum peruerſitati adſcribens, quod cum tamdiu tamque vehementer Concilium inuoca-

nt & cuperent, nunc inceptum, etiam vocati & iuſſi, poſt-
ɔnunt: multorum dierum ac noctium labore vigilijſque ab-
ſtis, valereque ad tempus vel perpetuò iuſſis, ne loco præ-
ij, riſum, vt ad tempus minùs pertinentes, reportarẽt, quod
l abſentes non parua ex parte pertinebat oratio: mutata ſen-
ntia, his paucis apud te, coram ſacro ſenatu & his patribus a-
ndum putaui, cuius & poteſtatem ſupremam, & computa-
cum alijs, numerum 120. explere, & authoritatem & ſapien-
am in quacunque re maximam noui, & voluntatem ad om-
a, quæ in concilio agenda, tractanda, complendaque ſunt,
ropenſiorem eſſe par eſt. Quòd ſi id minùs ex voto, & tua
el aliorum ſententia ceſſerit, & quod initio pollicitus ſum,
repetenda primæua figura vel origine conciliorum & Ec-
leſiæ, & earum incremento, maieſtate, poteſtateque decla-
andis, vtilitate etiam & commodo, quas omnibus conferũt,
ecenſendis, denique in reddenda mutatæ ſententiæ ratione,
arùm fortaſſe fecerim ſatis, in primis à tua beatitudine, &
leinde à cæteris omnibus veniam peto. Et vt in eo meritò
leſinam, à quo incepi, tu ſancte Spiritus adſis, & ita meis faue-
o votis ac precibus, vt quæ tibi grata, ſummo Pontifici, vni-
erſæ Eccleſiæ, & cum ſuis Principibus toti generi Chriſtia-
no, & dignitati Concilij profutura ſunt, ipſi Pontifici & his
patribus decernenda inſpires. Qui cum patre & filio in vnita-
te perfecta viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen. Dixi.

SESSIO IV.

ANNO à natiuitate Domini 1512. indictione 15. Pont. S.D.N. Iulij diuina prouidentia Papæ ſecundi anno 10. die verò Veneris, 10. ſupra dicti menſis Decembr. fuit celebrata quarta ſeſſio in Eccleſia Lateranen. de vrbe, præſente & præſidente præfato ſanctiſſimo D.N. Iulio in loco cõſueto. Et fuit celebrata Miſſa Spiritus ſancti per reuerendiſſ. in Chriſto patrem & dominum, dominum Nicolaum tituli S. Priſcæ presbyterum Card. de Fliſco vulgariter nuncupatum. Fuerunt præſentes infraſcripti reuerendiſſ. domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & epiſcopi, ac abbates, & magiſtri ordinum, oratores Principum, & alij illuſtriſſ. domini, videlicet:

EPISCOPI CARDINALES.

Reuerend. D. Raphael Oſtien.
S. Romanæ Eccleſiæ Camerarius.
Reuerend. D. Dominicus Portuen.
Reuerend. D. Iacobus Albanen.
Reuerend. D. Marcus Præneſtiuus.

PRESBYTERI CARDINALES.

Reuerend. D. Thomas tituli S. Martini in montibus, Strigonien.
Reuerendiſſ. Domin. Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſim. D. Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Nanneten.
Reuerendiſſim. D. Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennen.
Reuerend. D. Sixtus S. Petri ad Vincula, S.R.E. Vicecancellarius.
Reuerendiſſ. Do. Chriſtophorus tituli ſanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerendiſſim. Dom. Antonius tituli ſancti Vitalis, Sipontiñ.
Reuerendiſſim. Dom. Petrus tituli ſancti Euſebij, Anconitañ.
Reuerend. D. Achilles tituli ſancti Sixti, Bononien.
Reuerendiſſim. Dom. Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de Saulis.

DIACONI CARDINALES.

Reuerend. D. Alexander S. Euſtachij, Farneſius.
Reuerend. D. Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſ. D. Marcus ſanctæ Mariæ in Porticu, de Cornelijs.
Reuerend. D. Alphonſus S. Theodori.

PATRIARCHÆ ET ASSISTENTES PAPAE.

Reuerendus pater D. Cæſar Alexandrinus.
Reuerend. pater D. Alphonſus Antiochenus
Reuerend. pater D. Bernardus Spalaten.
Reuerend. pater D. Vincentius Neapolitan.
Reuerend. pater D. Fredericus Salernitan.
Reuerend. pater D. Gabriel Dyrrhachien.
Reuerend. pater D. Franciſcus Iadren.
Reuerend. pater D. Franciſcus Vicentinus.
Reuerend. pater D. Iulianus Agrigentin.
Reuerend. pater D. Franciſcus Sueſſanus.
Reuerend. pater D. Ferdinandus Caietanus.
Reuerend. pater D. Laurentius Montis regalis epiſcopus, & gubernator Vrbis.
Reuerend. pater D. Hercules Auguſten. epiſc. & illuſt. domini ducis Sabaudiæ orator.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerend. pater D. Iulius Corinthien.
Reuerend. pater D. Franciſcus Conſan.
Reuerend. pater D. Ioannes Vicentius Senen.
Reuerend. pater D. Aldronandinus Nicoſien.
Reuerend. P.D. Ieremias Tranẽ.
Reuerend. P.D. Rainaldus Raguſin.
Reuerend. P.D. Andreas* Noboniaſien.
Reuerend. P.D. Petrus Arboren.
Reuerend. pater D. Robertus Rheginus.
Reuerend. P.D. Georgius Nazarenus.
Reuerend. pater D. Ioannes Maria Sipontin.

EPISCOPI.

Reuerend. P.D. Lucas Fulginaten.
Reuerend. P.D. Ferdinandus Balneoregien.
Reuerend. P.D. Iacobus Potentin.
Reuerend. P.D. Hieronymus* Biduanen. *Budinen. *Buden.
Reuerend. P.D. Andreas Alben.
Reuerend. P.D. Bernardus Taruiſinus.
Reuerend. P.D. Simon Ariminen.
Reuerend. P.D. Iacobus Paphen.
Reuerend. P.D. Albertus* Valuen. *Vilues.
Reuerend. P.D. Aloiſius Parentin.
Reuerend. P.D. Ioannes Aquilanus.
Reuerend. P.D. Iacobus ciuitatis ducalis.
Reuerend. P.D. Franciſcus Ortanus.
Reuerend. P.D. Octauianus Viterbien.
Reuerend. P.D. Bertrandus Adrien.
Reuerend. P.D. Albertinus Piſaurien.
Reuerend. P.D. Paulus* Lectoren. *Ioecoñ. *Luctoré.
Reueren. P.D. Marinus Ceneten.
Reuerend. P.D. Galeſius* Bellunen. *Belunen
Reuerend. P.D. Iacobus Fauentin.
Reuerend. P.D. Hieronymus* Inſulen. *Ilcinen.
Reuerend. P.D. Dominicus Lucerin.
Reuerend. P.D. Ioannes Baptiſta Cauallicen.
Reuerend. P.D. Iulianus Vulteran.
Reuerend. P.D. Ioannes Antonius Anglionen.
Reuerend. P.D. Franciſcus Biſignianen.
Reuerend. P.D. Ioannes Baptiſta* Maranen. *Monasté.
Reuerend. P.D. Giſbertus Rapollan.
Reueren. P.D. Bartholomæus Montis viridis.
Reueren. P.D. Antonius Iacobus Camerinen.

Reuerendus P.D.Simon Modruſien.
Reuerendus P.D. Lambertus Venuſinus.
Reuerendus P.D. Dominicus Imolen.
Reuerendus P.D.Ludouicus*Sinien.
Reuerendus P.D.Matthæus * Vmbriacen.
Reuerendus P.D. Antonius Vrbinaten.
Reuerendus P.D. Ioannes Franciſcus Nolan.
Reuerendus P.D. Hieronymus Aretin.
Reuerendus P.D. Bernardus Soranus.
Reuerendus P.D. Nicolaus*Pergamen.
Reuerendus P.D. Ioannes Elnean.
Reuerendus P.D. Alexius Melfitan.
Reuerendus P.D. Andreas Militeñ.
Reuerendus P.D.Scaramuza Cumanus.
Reuerendus P.D. Alexander Alexandrinus.
Reuerendus P.D. Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerendus P.D. Ioannes Tuden.
Reuerendus P.D. Benedictus Chien.
Reuerendus P.D.*Bernardus Caſtren.
Reuerendus P.D. Bernardus * Policaſtren.
Reuerendus P.D. Hieronymus Nicien.
Reuerendus P.D. Ioannes Antonius Calinen.
Reuerendus P.D. Vincentius*Naulen.
Reuerendus P.D.Philippus*Adiacen.
Reuerendus P.D.Hugo*Reginen.
Reuerendus P.D.Latinus Veſtanus.
Reuerendus P.D. Auguſtinus Sagonen.
Reuerendus P.D.Petrus Narnien.
Reuerendus P.D.Franciſcus Spoletan.
Reuerendus P.D. Antonius Auximan.
Reuerendus P.D. Baſilius Tudertin.
Reuerendus P.D.Franciſcus*Millopotrinen.
Reuerendus P.D.Corradus Aſtunen.
Reuerendus P.D.Ferdinandus Scalen.
Reuerendus P.D.Claudius Belicen.
Reuerendus P.D.Guillelmus Cortonen.
Reuerendus P.D.Ludouicus Tricaricen.
Reuerendus P.D.Andreas Anſaren.
Reuerendus P.D.Hieronymus Aſculan.
Reuerendus P.D.Ioannes * Bobien.
Reuerendus P.D.Lucas * Guardien.
Reuerendus P.D. Petrus Foroliuien.

ABBATES.

Reuerendus P.D. Antonius abbas ſancti Galgani Vulteran. diœceſis.
Reuerendus P.D.Guilhemus abbas monaſterij beatæ Mariæ Briton.
Reuerendus P.D.Floremundus, abbas monaſterij S. Georgij de vrbe, ordinis S.Benedicti.
Reuerendus P.D.Georgius Gannen, Merſeburgeñ. diœceſis.

MAGISTRI GENERALES ordinum.

Magiſter Thomas Generalis ordinis Prædicatorum.
Magiſter Ægidius, Generalis ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini.
Magiſter Bernardinus, Vicarius Carmelitarum.
Magiſter Angelus B. Mariæ Seruorum.

ORATORES ET SENATOR VRBIS.

Illuſtriſſimus Dominus Albertus de Carpi, dicti Maximiliani Orator.
Magnificus D.Petrus de Starcelupis Florentin. ſenator vrbis.
Magnificus Dominus Hieronymus Vich, orator Catholici Regis Hiſpaniarum.
Magnificus D.Iacobus de Saluiatis, & Matthæus de Strozis Dominij Floreñ. Oratores.
Ac etiam fuerunt præſentes tres Oratores dominorum Heluetior um.

ILLVSTR. DOMINI temporales.

Illuſtriſ. D.Fridericus marchio Mantuan.
Dominus Nicolaus de Ruuere.
Illuſtriſ. D.Iulius de Vrſinis.
Dominus Octauianus Palauicinis.
Illuſtr. D.Franciottus de Vrſinis.
Dominus Chriſtophorus de Palauicinis.
Dominus Stephanus de Comitibus.

Fuerunt etiam præſentes quamplures Reuerendi domini protonotarij Apoſtolici, auditores cauſarum ſacri palatij, & cleri; camer. ac alij magiſtri in Theologia, & doctores diuerſarum profeſſionum, clerici & laici.

Fuit habita oratio per Reuerend. patrem D.Chriſtophorum Marcellum nobilem Venetum, ſedis Apoſtolicæ notarium, & artium doctorem, cuius tenor in fine præſentis ſeſſionis deſcribitur. Et cantatis orationibus, conſuetis litanijs, & benedicta ſacra ſynodo per Pont. & alijs ſolitis Conciliorum cæremonijs, præſtitaque ab omnibus prælatis ſanctiſſimo domino noſtro conſueta obedientia, ſanctiſſimus D. N. incepit hymnum, Veni ſancte ſpiritus. & Reuerendiſſ. in Chriſto pater D.Marcus S.Mariæ in Porticu diaconus Card. de Cornelijs vulgariter nuncupatus, legit Euangelium ſecundum Matthæum, quod incipit, Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuũ. Deinde ſecretarius magnifici domini Franciſci Foſcari equitis Oratoris illuſtr. dominij. Venetorum, dedit quoddam mãdatum dicti dominij Venetorum, nomine dicti magnifici domini Franciſci; in quo idem dominus Franciſcus eſt conſtitutus procurator ad intereſſendum ſacroſancto concilio Lateranen. & idem ſecretarius excuſauit eundem dominum oratorem, quia non intereſſe poterat ſeſſioni propter corporis alterationem. Conſequenter idem ſanctiſſimus dominus noſter dedit dictum mandatum reuerend. patri Domino Thomæ Phædræ ſecretario Concilij, mandans eidem, vt illud legeret in ambone. Qui dictus dominus Thomas aſcendit ambonem, & legit dictum mandatum tenoris infraſcripti alta voce & ab omnibus audienda.

MANDATVM VENETORVM.

LEonardus * Lauredanus Dei gratia dux Venetiarum &c. Cùm ſanctiſſimus & beatiſſimus in Chriſto pater & Dominus noſter dominus Iulius, digna Dei prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex maximus diuino afflatus numine, pro ſuo paſtorali officio, (vt verum decet in terris Chriſti Vicarium) & ad extinguendum hæreſes, tollendumq; peſſimum exortum ſchiſma, ac reprimendam eorum temerariam audaciam, qui diabolico ſpiritu inducti, tunicam inconſutilem Domini noſtri IESV Chriſti diſcindere & dilacerare conantur, & denique pro bono pacis omnium Chriſtianorum celebrare decreuerit, & iã indixerit generale & vniuerſale concilium in Laterano, noſque inter alios Chriſtianos principes & potentatus eiuſmodi ſancto operi adeſſe paterna charitate ſit hortatus, ſedulam adhibuimus operam, vt ſtatus noſtri viri Eccleſiaſtici & ſeculares, doctrina, religione & moribus præſtantes, qui rei conducere poſſent, ſeſe Romam conferrent. Et ne vlla in re à ſumma deuotione, reuerentia, cultu & obſeruantia noſtra erga ſacroſanctam ſedem Apoſtolicam, & eundem Sanctiſſimum Dominum noſtrum deeſſe videamur, cũ perſonaliter intereſſe nequeamus, vices noſtras demandauimus, & tenore præſentium omni meliori modo, via, iure & forma, quibus magis, melius & validius de iure vel de facto à nobis fieri poteſt & debet, demandamus nobili & dilectiſſimo patricio Veneto Franciſco Foſcaro equiti, Oratori noſtro Romæ agenti, vt ſacroſancto Concilio Lateranen. noſtro nomine interſit, aſſiſtat, & ea omnia præſtet & peragat, quæ à nobis quoquo modo adhiberi poſſent, aut incumberent ad honorem, decus, dignitatem, tutelam & conſeruationem, amplitudinemque & exaltationem perſonæ eiuſdem ſanctiſſimi domini noſtri Iulij ſecũdi ſummi Pontificis, necnon ſanctæ Ro. Eccleſiæ, ac vniuerſalis venerandi Lateran. Cõcilij antedicti, cum ampla authoritate, poteſtate, facultate atq; arbitrio, à nobis cũ cõſilijs noſtris ſibi tributis & impertitis, & ad omnia & ſingula in tã

gio, religioſo & ſalutari negocio, qualia & quantumcunque fuerint tractanda, peragenda, promittenda, iureiurãdo firmanda, præſtanda, executioni mandanda & adimplenda, quæ nobis Venetoque dominio poſſent competere, vel deberent tam de iure quàm de conſuetudine, non ſecus acſi nosipſi cum dominio & ſenatu noſtro coram perſonaliter ageremus, faceremus & adimpleremus, promittentes omnia & ſingula ab eodem oratore noſtro, quo ſupra nomine, tam verbo quam ſcripto, in præmiſſis & circa præmiſſa pertractanda, concludenda & firmanda approbaturos nos eſſe, rataque & grata in perpetuum habituros. In, quorum fidem & teſtimonium præſentes literas noſtras in hac patenti forma fieri iuſſimus, & noſtri ſoliti ſigilli, quo in ſimilibus vtimur, appenſione muniri. Datum in noſtro ducali palatio, die 10. Aprilis, Indict. 15. 1512.

Quo perlecto, idem ſanctiſſimus dominus noſter mandauit eidem domino Thomæ ſecretario, vt legeret quaſdam literas claræ memoriæ Ludouici regis Francorum 11. ſigillo eiuſdem ſigillatas, directas fe. re. Pio papæ ſecundo, ſuper reuocatione pragmaticæ ſanctionis, qui Dominus Phædra in eodem ambone legit dictas literas alta & intelligibili voce, cuius tenor talis eſt:

LITERÆ LVDOVICI REGIS Franciæ abrogationis Pragmaticæ ſanctionis.

LVdouicus Dei gratia Francorum rex, tibi ſanctiſſimo ac beatiſſimo patri noſtro Pio Papæ ſecundo obedientiam filialem & plenos deuotionis affectus. Deum ſolum ſcientes, cuius prouidentia benè conſulitur rebus humanis, meliusque regna & vrbes religione * angi atque defendi, quàm armis & mœnibus, te vicarium Dei viuentis ea veneratione proſequimur, vt ſacra præſertim in Eccleſiaſticis rebus tua merita, veluti vocem paſtoris audire, illiſque parere prompta mente velimus. Quapropter, beatiſſime pater, etſi conſtitutio quædam in regno noſtro, quam pragmaticam vocant, magno prælatorum conuentu, magna temporis deliberatione concluſa fuerit, & iam callum obducens, quietum propè fixerit ſtatum, tu tamen tuis ad nos literis illam à Regno noſtro auferri, explodi, abrogarique flagitas. Nobis quoque dilectus, & fidelis conſiliarius noſter Ioannes Epiſcopus Attrebatenſis, quem cum poteſtate Legati de latere ad hoc noſtrum Regnũ miſiſti, commemorauit ea, ad quæ per ipſum tibi noſtro nomine pollicenda, vouenda, expromittenda, nos antequam regnum ſuſcepiſſemus, religionis in ſe ritus quidam deduxerat. Nos noſtra promiſſa exequi, accedente moderatrice rerum Eccleſiaſticarum tua authoritate ſtudemus ac volumus, & id quidem tanto volumus animo propenſiori, quãto nobis Regnum Franciæ florens & bello vacuum tuetur Deus & protegit. Omnib. itaq; victimis potiorem obedientiam intelligẽtes aſſenſi ſumus his, quæ tuo nomine nobis aperta ſunt, ipſam ſcilicet pragmaticam ſanctionem, tibi tuæque ſedis eſſe infenſam, vtpotè quæ in ſeditione & ſchiſmaticis tempore, atque per ſeditionem, ſectionis à tua ſede figuram, mota ſit: & quæ, dum tibi, à quo ſacræ leges oriuntur & manant, quantam libet eripit authoritatem, omne ius & omnem legem diſſoluit. Illud enim exoritur, quod idem conſiliarius in nomine tuę ſanctitatis adſtruxit, vt dum per pragmaticam ſanctionem ipſam ſummam in Eccleſia tuæ ſanctitatis authoritas minuitur, dum prælatis in regno noſtro quoddam licentiæ templum præſtruitur, dum congruens vnitas ad alia Regna conformitaſq; tolli videtur, abroganda ſit ipſa pragmatica, tollendaq; à Regno noſtro, quippe quæ aduerſus tuam ſedem, omnium Eccleſiarum * matronam, ab inferioribus prælatis lata ſit, tanquam vt ſcriptura loquitur: Quomodo ſi eleuetur virga contra leuantem ſe, aut baculus, qui vtique lignum eſt: quicquid, Beatiſſime pater, licet plerique docti homines confutare niterẽtur atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare ſanctionem ipſam, te tamen principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem ſacrorum, te Dominici gregis paſtorem profitemur & ſcimus, teque iubentem ſequimur, tibi & beatiſſimi Petri cathedræ conſentimus, & [illegible]gimur. Itaque, ſicut mandaſti, pragmaticam ipſam à regno noſtro, noſtroque Viennenſi delphinatu, & omni ditione noſtra per præſentes pellimus, deijcimus, ſtirpitusque abrogamus, & quam qualemue ante pragmaticæ ipſius editionem, circa Eccleſiarum, beneficiorũ, aliarumque rerum ſpiritualium diſpoſitionem, cenſuram, moderationem in regno noſtro, omnique ditione noſtra, tui prædeceſſores Martinus Quintus & Eugenius Quartus Romani Pontifices habebant & exercebant, talem eandemq; noſtro adiutorio beatiſſimo Petro, tibique ipſius ſucceſſori reddimus, præſtamus & reſtituimus, cum ſummo imperio, cũ iudicio libero, cum poteſtate non coarctata. Tu enim, cum ſcias, quid authoritate diuinitus tibi tradita poſſis, quas pro regni noſtri & Eccleſiarum in eo tranquillitate poſtulabimus, non negliges res neceſſarias: poterisque ſemper, quod opportunum fuerit, iudicare. Vtere igitur deinceps in regno noſtro poteſtate tua, vt voles, atque illam exerce. Nam vt hominum membra nulla contentione, capite vno, atque vna mente ducuntur, ſic tuis ſacris decretis Eccleſiæ prælati in Regno noſtro & Delphinatu conſonantiam & obedientiam plenam refundent. Quòd ſi fortè obnitentur aliqui, aut reclamabunt, nos in verbo Regio pollicemur tuæ beatitudini, atq; promittimus exequi facere tua mandata, omni appellationis aut oppoſitionis obſtaculo prorſus excluſo, eoſque, qui tibi contumaces fuerint, pro tuo iuſſu comprimemus & refrenabimus. Datæ Turonis ſub magno ſigillo noſtro die 27. menſis Nouemb. Anno Domini 1461. & regni noſtri primo.

Poſtmodum verò excellens doctor Dominus Melchior de Bardaſſinis aduocatus concilij, habuit orationem multum ornatam & luculentam ſuper reprobatione pragmaticæ ſanctionis, petens illam reuocari & annullari, ac decerni monitorium contra prælatos, capitula, conuentus, Principes Franciæ, præſidentes parlamentorum, & alios ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, vt comparere deberent ad allegandum, quare dicta pragmatica reuocari non debet. Et illud idẽ petijt Dominus Marianus de Cuccinis procurator fiſci & ſacri concilij procurator. Et ſanctiſſ. Dominus noſter, ſacro approbante concilio, decreuit monitorium & citationem ſub termino 60. dierum tenoris infraſcripti.

MONITORIVM CONTRA Pragmaticam & eius aſſertores.

IVlius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Licet ſacrorum canonum inſtituta ſanctorum patrum & Rom. Pont. prædeceſſorum noſtrorum, & in generalibus legitimis concilijs pro defenſione Eccleſiaſticæ libertatis, dignitatisq; ſedis Apoſtolicæ tuitione, conſultiſſima deliberatione ſancita, inuiolabiliter ab omnibus cuſtodiri oporteat, ipſorumque decreta veluti diuina inſpiratione edita, immutabilia cẽſeantur, Romanus tamen Pontifex, qui regis æterni, rerumq; & iurium omnium cõditoris locum licet imparibus meritis tenet in terris, cum huiuſmodi decreta ſaluberrima & honeſta, hominum in calliditate & ambitione vergi conſpiciat in abuſum, & humanas traditiones Chriſti legibus anteferri, vt Eccleſiæ indemnitati & libertati opportunè ſubueniat, & præſumptam curet deponere malitiam peruerſorum, eorumque conatibus occurrat: interdum cogitur abuſiones & humanas traditiones huiuſmodi, nullas & inualidas declarare & abrogare, prout temporum & locorum qualitate penſata, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem diſplicenter per nos pluries accepto, per multa temporum ſpatia per nonnullos prælatos Gallicæ nationis, & nobiles laicos, ac alios illis fauentes, præſertim cuiuſdam ſanctionis prætextu, quam ipſi Pragmaticam vocant, Apoſtolicæ ſedi, ſanctæque Rom. vniuerſalis Eccleſiæ capiti, libertati & authoritati enormiter detractum, canonibuſque præfatis derogatum fuiſſe, rem adeò pernicioſam in Dei offenſam, & Eccleſiæ præfatæ vilipendium & euidens detrimentum, amplius ferre nequeuntes, cùm ſanctio ipſa ab omni ad id poteſtate carentibus, nullorumque Rom. Pont. aut generalium legitimorum conciliorum authoritate facta, ſed quodam abuſu tantum in illis partibus introducta & obſeruata fuerit, illaque cum in contentis nulla & inualida merito declarari & abrogari debeat, quam etiam claræ memoriæ Ludouicus II. Francorum rex abrogauit, vt in eius patentibus literis deſuper confectis plenius continetur, ſacro

Lateraneñ. Concilio approbante in quarta Seſſione, declarationis & abrogationis per nos faciendarum, huiuſmodi negocium & diſcuſſionem venerabilium fratrum noſtrorum Romanæ Eccleſię præfatæ Cardinalium, & aliorum pręlatorum congregationibus in Lateraneñ. ſala ſuperiori, quatenus opus foret, faciendis, relationemque diſcuſſionis nobis & Lateraneñ. Concilio præfato faciendam commiſimus, Gallicoſque pręlatos, capitula Eccleſiarum & monaſteriorum, parlamenta & laicos illis fauentes, cuiuſcunq; dignitatis, etiam ſi Regalis exiſterent, ſanctione præfata abutentes ſeu illam approbantes, omneſque & ſingulos alios ſua communiter diuiſim intereſſe putantes, per edictum publicum, cùm ad partes illas tutus non pateret acceſſus, in Mediolaneñ. Aſten. & Papienſ. Eccleſiarum valuis affigendum, moneri & citari infra certum competentem terminũ præfigendum, ad comparendum coram nobis & Concilio præfato, cauſaſq; dicendas, quare ſanctio pręfata, illiuſque corruptela & abuſio in concernentibus authoritatem, dignitatem & vnitatẽ Eccleſiæ Romanæ præfatæ & Apoſtolicæ ſedis, canonumq; prædictorum & Eccleſiaſticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari, decerni & abrogari non deberet: illoſque ſic monitos & citatos, arctari & teneri, ac ſi perſonaliter moniti & citati fuiſſent, ſtatuimus & ordinamus, ac quintam Seſſionẽ 14. Kalendas Martij, quæ erit quarta feria poſt primam Dominicam quadrageſimæ proximè futuræ, faciendam, eodem ſacro Lateranenſ. Concilio approbante, indiximus. Nos igitur, quorum intereſt, ne indefenſę libertatis Eccleſiaſticæ ratio in extremo iudicio à nobis requiri poſſit, & peruerſorum & ambitioſorum proteruia diutius conualeſcat, declarationis, abrogationis & diſcuſſionis negocium, monitionis & citationis ſtatutum & decretum huiuſmodi debitæ executioni demandare, omnes & ſingulos Gallicos prælatos, capitula ſeu conuentus, parlamenta & laicos illis fauentes, cuiuſcunque dignitatis, etiam ſi Regalis extiterint, ſanctione præfata abutentes ſeu illam approbantes, omneſq; alios & ſingulos ſua cõmuniter vel diuiſim intereſſe putãtes, vt ꝑfertur, ex certa noſtra ſciẽtia authoritate Apoſtolica tenore præſentium, primò, ſecundò, tertiò, & peremptoriè citamus, monemus & requirimus, quatenus infra ſexaginta dierum ſpatium, à die præſentium in locis ſupradictis affictionis numerandum, quorum viginti pro primo, alios viginti pro ſecũdo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino monitione canonica aſſignamus, ad comparendum coram nobis & Concilio Lateranen. præfato, cauſaſque dicendas quare ſanctio præfata, illiuſque corruptela & abuſio in concernentibus authoritatem, dignitatem ac vnitatem Eccleſiæ Romanæ & ſedis, canonumque & Eccleſiaſticæ libertatis prædictorum violationem, nulla & inualida declarari, decerni & abrogari non debeat. Quo termino aſſignato, ſiue comparere ſic moniti & citati curauerint, ſiue non, ad executionem negocij, decreti, abrogationis & ſtatuti prædictorum, illorumque & aliorum in præmiſſis neceſſariorum, prout iuſtum fuerit, eodem ſacro Lateranenſ. Concilio approbante, procedemus. Et cùm pro citationibus & monitionibus huiuſmodi ad partes illas tutus non pateat acceſſus, ne præfati ſic moniti & citati, alijque, quos præſentes literæ contingunt, valeant de præmiſſis ignorantiam allegare, & prætextu ignorantiæ huiuſmodi aliquod velamen excuſationis aſſumant, volumus literas ipſas in valuis prædictis iuxta decretum & ſtatutũ huiuſmodi affigi, & ipſam affixionem publicari. Decernentes etiam, quod earundem literarum publicatio ſic facta, perinde eoſdem ſic monitos & citatos arctet, ac ſi literæ ipſę die affixionis & publicationis huiuſmodi, eis perſonaliter lectæ & inſinuatæ forent, cùm non ſit veriſimilis coniectura, quod ea, quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcunque, ſeu ſi monitis & citatis prædictis, vel quibuſuis alijs communiter vel diuiſim à dicta ſede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ citationis, monitionis, requiſitionis, aſſignationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorũ eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione, in Lateraneñ. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ 1512.

Deinde excluſis à loco concilij omnibus alijs non habentibus voces diffinitiuas, exceptis oratoribus Principum, & baronibus & pluribus principalibus ordinum, & porta Concilij clauſa, ſanctiſſimo domino noſtro cum Cardinalibus & alijs prælatis in pluuialibus & caſulis & dalmaticis mitratis exiſtentibus, prout eſt conſuetum, reuerend. pater dominus Alexander Epiſcopus Alexandrinus, de mandato ſuæ ſanctitatis aſcendit ambonem, & legit ſchedulam ſeu bullam tenoris infraſcripti.

BVLLA SECVNDA SESSIONIS IIII. ſacri Generalis Concilij Lateranenſis.

Iulius Epiſcopus ſeru⁹ ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante concilio. Saluti gregis nobis deſuper commiſſi, morum reformationi, defenſionique Eccleſiaſticæ libertatis, ac fidei Catholicæ tranquillitati & augmẽto, paternis & ſolicitis ſtudijs intendentes, ad omnipotentis Dei & indiuiduæ Trinitatis laudem & gloriam, ſacro hoc approbante concilio, literas noſtras à nobis dudum emanatas, eidem concilio notas, per quas Romanæ curiæ officiales & illorum exactiones generaliter reformauimus, approbamus & innouamus, illaſque, quas per nonnullos poſteà tunc expreſſos ad fidelium vtilitatem iuxta intentionem noſtram declarari mandauimus, per præfatos expreſſos, & cum illis alios diuerſarum nationum prælatos, nunc in præfato concilio præſentes deputandos, omnibus, quę iudicium humanum peruertere poſſent, ceſſantibus, vt iuſtum & æquum fuerit, particulariter declarari, & declarationes ipſas, in alijs ſeſſionibus nobis in hoc ſacro Concilio referendas, & ab eodem Concilio approbandas, vt debitè exequantur, præcipimus & mandamus. Inſuper cum iam per multa temporum ſpatia per nonnullos prælatos Gallicæ nationis, & nobiles laicos, ac alios illis fauentes, præſertim cuiuſdam ſanctionis prætextu, quam ipſi Pragmaticam vocant, Apoſtolicæ ſedi, ſanctæque Romanæ vniuerſalis Eccleſiæ capiti, libertati & authoritati enormiter detractum, ſacriſque canonibus derogatum fuerit: nos rẽ adeò pernicioſam in Dei offenſam, & Eccleſiæ præfatæ vilipendium & euidens detrimentum, amplius ferre nequeũtes, cum ſancto ipſa ab omni ad id legitima poteſtate carentibus, nullorumque ſummorum Pontificum aut generalium legitimorum conciliorum authoritate facta, ſed quodam abuſu tãtùm in illis partibus introducta & obſeruata fuerit, illaque cum in ea contentis nulla & inualida meritò declarari, & abrogari debeat, quam etiam claræ memoriæ Ludouicus 11. Francorum rex abrogauit, vt in eius patentibus literis deſuper confectis plenius continetur. Declarationis igitur & abrogationis per nos faciendarum, huiuſmodi negocium & diſcuſſionem venerabilium fratrum noſtrorum Eccleſiæ præfatæ Card. & aliorum pręlatorum congregationibus, quas in Lateraneñ. ſala ſuperiori, quatenus opus fuerit, facient, relationemque diſcuſſorum in prima aut alijs ſeſſionibus, prout commodè fieri poterit, nobis & ſacro Concilio faciendam, eodẽ ſacro cõcilio approbante, cõmittimuas, Gallicoſq; pręlatos, capitula Eccleſiarum & monaſteriorum, parlamenta & laicos illis fauentes, cuiuſcunq; dignitatis, etiam ſi regalis exiſterent, ſanctione præfata abutentes ſeu illã approbantes, oẽſque & ſingulos alios ſua cõmuniter vel diuiſim intereſſe putantes, per edictum publicum, cùm ad partes illas tutus non pateat acceſſus in Mediolaneñ. Aſteñ. & Papieñ. Eccleſiarum valuis affigendum, moneri & citari infra certum competentem terminum pręfigendum, ad comparendum coram nobis & Concilio præfato, cauſaſque dicendum, quare ſanctio præfata, illiuſq; corruptela & abuſio in concernentibus authoritatem, dignitatem, & vnitatem Eccleſiæ Romanæ & Apoſtolicæ ſedis, ſacrorumq; canonum & Eccleſiaſticæ libertatis violatione, nulla & inualida declarari, decerni & abrogari non debeat: illoſque ſic monitos & citatos, arctari & teneri, ac ſi perſonaliter moniti & citati fuiſſent, ſtatuimus & decernimus. Vlterius omnes & ſingulas prouiſiones, collatione-

beneficiorum Eccleſiaſticorum, confirmationes electionum & poſtulationum, conceſſionum gratias, mandata & indulta quæcunque, tam gratiam, quam iuſtitiam, ſeu mixtim concernentia, cuiuſcunque tenoris exiſtant, quæ præſentibus pro expreſſis haberi volumus, per ſynagogam vel conciliabulum Piſanum, illiusque ſchiſmaticos adhærentes, authoritate & dignitatibus omnibus carentes, facta & conceſſa, quanuis ſint nulla & inualida, pro potiori tamen cautela, nulla & irrita, nulliuſque roboris vel momenti eſſe, omneſque & ſingulos cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, nobilitatis, ordinis cõditionis exiſtentes, quibus conceſſa fuerunt, aut quorum commodum, vtilitatem ſeu honorem quomodolibet reſpiciunt, nullos eorum fructus, redditus & prouentus ſuos facere, vel hactenus feciſſe, ſed ad illorum reſtitutionem, & ipſorum beneficiorum & aliorum præmiſſorum conceſſorum dimiſſionem teneri, & niſi beneficia ipſa & alia eis conceſſa, infra duos menſes à data præſentium computandos, realiter & omnino dimiſerint, etiã alijs beneficijs Eccleſiaſticis, quæ iuſto titulo poſſident, eo ipſo priuatos exiſtere, dicto ſacro approbante concilio, decernimus. Fructus quoque, redditus, & prouentus huiuſmodi, ac quaſuis pecunias decimarum per dictum conciliabulum impoſitarum, exactos & exigendos, expeditioni contra infideles faciendæ applicamus. Vt autem declaratio reformationis, & nullitatis ſanctionis prædictæ, aliaque gerenda maturè exequi, & prælati ad ſacrum concilium huiuſmodi venturi, quorum aliquos iam iter ad veniendum aripuiſſe accepimus, cõmodè venire poſſint, quintam ſeſſionẽ 14. Kalend. Martij. quæ erit quarta feria poſt primam Dominicam Quadrageſimæ proximè futuræ faciendam, præfato ſacro concilio approbante, indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam noſtræ approbationis, innouationis, præcepti, mãdati, cõmiſſionis, monitionis, citationis, ordinationis, decreti, applicationis & indictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione in Lateraneñ. ſacroſancta baſilica ſolẽniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ 1512. quarto Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno decimo.

Ia. Queſtemberg.

Qua perlecta, idem reuerendus pater Dominus Alexander Epiſcopus petijt à patribus exiſtentibus in concilio, an placerent reuerend. paternitatibus ſuis contenta in ſchedula ſeu bulla. Et immediatè ſcrutatores votorum, vnà cum protonotarijs & notarijs iuerunt ad recipiendum vota patrum. Et omnes, poſt ſanctiſſimum dominum noſtrum, qui reſpõdit per verbum, Placet, reſponderunt, placere eis contenta in ſchedula.

Poſtmodum verò de mandato præfati ſanctiſſimi Domini noſtri, ad inſtantiam Domini Mariani de Cuccinis procuratoris, diſcreti viri Domini Petrus Mengiuar, & Ioannes Bernardi præfati domini noſtri curſores, ad portas Concilij alta & intelligibili voce citârunt omnes intereſſe debentes tã de iure quàm de conſuetudine Concilio, & vocauerunt eos, vt accederent ad intereſſendum Concilio, ad euitandum pœnas contentas in iure & bullis indictionis contra non venientes ad concilium. Relatione facta, idem Dominus Marianus accuſauit contumaciam abſentium, & petijt decerni citationẽ contra eos, ad videndum ſe declarari in proxima ſeſſione, & ſanctiſſimus dominus nihil reſpondit.

Alexius. Deinde reuerend. pater Dominus* Alexander Epiſcopus Melfitañ. procurator reuerend. patris domini Raphaelis Epiſcopi Malfiẽñ. ad intereſſendum concilio, & eum excuſando, dedit quoddam mandatum ſubſcriptum per diſcretũ virum Guillelmum de Voys clericum Cenomaneñ. Apoſtolica authoritate notarium. Et reuerend. dominus Rodericus Ioannis, Abbas beatæ Mariæ de Tauoica Tudeñ. diœceſis, procurator reuerend. patris domini Henrici Epiſcopi Septeñ.* primus* Aphricanus, dedit mandatum dicti Epiſcopi ſubſcriptum propria manu & eius proprio ſigillo ſigillatum. Poſtmodum verò venerabilis vir DOMINVS Ioannes Roderici de Tapia, portionarius Eccleſiæ Cordubenſ. procurator reuerend. patris domini Gometij de Toleto Epiſcopi Placentinenſ. dedit quoddam mandatum dicti Epiſcopi, ſubſcriptum per diſcretum virum dominum Ferdinandum de Toro clericum Placentinæ diœceſis, publicum Apoſtolica authoritate notarium, ad intereſſendum cõcilio, & eundem dominum Epiſcopum excuſandum. Deinde ſupradictus Dominus Marianus procurator concilij, petijt de omnibus & ſingulis actis & geſtis in ſupradicta ſeſſione inſtrumentum & inſtrumenta. Et fuit indicta 5. ſeſſio 14. Kalendas Martij proxime futuri. Et hæc fuerunt pro quarta ſeſſione. Qua abſoluta, ſanctiſſimus dominus noſter volẽs Deo gratias de geſtis reddere, incepit cantare hymnum exultationis, Te Deum laudamus, capella proſequente vſque ad finem. Quo finito, ſua ſanctitas, cum Cardinalibus & prælatis excũtibus de loco Concilij, equitauit ad palatium ſancti Petri in Vaticano.

Hæc fuit vltima ſeſſio in qua interuenit perſonaliter ſanctiſſimus dominus noſter Iulius ſecundus, qui etiam tunc infirmabatur aliqualiter, adeò quod cauſante graui ægritudine & creſcente, in quinta ſeſſione tenta tempore ſuo, non potuerit perſonaliter intereſſe.

CHRISTOPHORI MARCELLI IN quarta Lateranenſis Concilij ſeſſione habita oratio.

SI quis ante miratus ſit, beatiſſime pater, quòd ad laudatiſſimum hoc dicendi munus admiſſus quiſpiam non ſatis dignus apparuit, hoc tempore mirandum potius eſſe videtur, quum me, neque aliàs hoc genere laudis functum, neque (de more) candidatum, videat hunc aſcendiſſe locum, hanc prouinciam tanto cum animo ſuſcepiſſe. Sed profecto non eſt, cur mirari debeat, ſi tuam inſpiciat pietatem, ſi meam in te obſeruantiam, tuæque in me gratiæ conquirendæ ſeruandæque ſtudium recognoſcat. Iuſſiſti tu, Pater ſancte, & parui: hoc munere me dignum efficere voluiſti, & contemnere nolui, ſed animo libenti ſuſcepi, ad quod alioquin me nulla cauſa, nullum iudicium, nulla ſententia compellere potuiſſet. Idque vnum me mãgis inter alia recreat, quod ea de re dicturus ſum, ſola cuius amplitudine quæuis facilè ſplendere poteſt oratio. Dicendum eſt enim de officio Principis, quo ſuam rectè ciuitatem componat, regat, inſtituat. Dicendum (inquam) his temporibus, quibus ſanctiſſima *Chriſti reſpublica varia ciuium confuſione viſa eſt maximè perturbari. Neque ita mihi dicendum, Pater ſancte, vt te moneam quicquam aut doceã, quod vſque modo non egeris: ſed ex his quæ dixero, quiſque probitatem tuam, vires, ingenium, optimeque adminiſtratũ Imperium magis ac magis intelligat, ad bene beateque viuendum animetur, deformitatem abijciat, conſuetudinem mutet, tibi optimo maximoque Principi læto inſeruiat animo. Quod vtinam (te duce) aſſequi valeamus, vt maiores laudes, quàm vel quiſque meruerit antè, vel mente concipere poſſumus, ſub tuo tibi cumulatiſſimè contingant Imperio. Dicam igitur tuis fretus auſpicijs, ſacratiſſ. Pont. Si qua vlla in re quod non ambigo, ſed in multis defecero, ſic veniam dabis, vt omnes ſat eſſe ſciant, me tua in primis authoritate ſuffultum, in re magna dixiſſe quicquam, ſed longè melius voluiſſe. Quum rerumpublicarum ea præſtantiſſima ſit, vt philoſophi atteſtãtur omnes, quæ ab vno tantum Principe & ciuili peritia prædito, & bonis moribus inſtituto regitur, duas præcipuas eius partes inuenio: quarum altera ad virtutes & iudicium pertinet, altera ad rerum agendarum neceſſitatem, quam Imperatoriam vocant. Si enim Princeps ciuitatem ſuam benè inſtitutam, ciueſque in ea ad bene agendum promptos eſſe voluerit, ipſe prius tanquam ſpeculum, in quo bonarum actionum imagines ſplendeant, virtutes ſequatur, amplectatur & præferat, operæpræcium eſt. Nanque ſemper ad Principum mores omnis ciuitas, omniſque reſpublica componi ſolet, in quos omnium vertuntur oculi, alliciuntur animi, ſuoque non amplius, ſed eorum arbitrio & conſuetudine viuunt. Itaque enim quum Principi tanquam præſtantiſſimo chariores fieri, inuicemque præſtare natiuo quodam inſtinctu percupiant, illum pro viribus imitari ſtudent, eius veſtigia ſequi, atque ita mores imbibere, vt nihil aliud agere, nihil excogitare penitus videantur. Inde viſi ſunt ciues pro duce forti fortes maxima ſubire pericula, morteque ipſam oppetere indè abſtinẽtes fieri,

*Chriſtiana.

Monarchiæ imperium optimum.

iuſti

iuſti, modeſti, cauti, liberales, magnanimi, cæteriſque virtutibus prædici, & tanquam ab vnico eorum Sole ſuum quiſque ſplendorem accipere. Quid de vitijs dicam? Quum natura ſemper ad malum prona, pro ſenſuum voluptatibus, quibus negotium commune habemus cum feris, ſi malè agendi ciues in Principe amplum & manifeſtum habent exemplum, citius ad eius imitationē accedunt, currunt, aduolant, immò ipſum facilè exuperant. Hinc apertæ tyrannides, inhoneſta lucra, corruptiones, rapinæ, ambitiones, DEI contemptus, ciuitatum mutationes, rerum publicarum iacturæ, hinc ſæuitiæ, variaquè tormentorum genera, ſtupra, inceſtus, ſacrilegia, & mille mortes quotidiè inſpiciuntur. Virtutis autem imitatio, etſi difficilior alijs videatur, quum tamen ad rationis ſtimulos & ignes aduertimus, nulla eſt magis delectabilis, nulla dulcior, nulla ſuauior: qua non tantùm opus, (vt in pleriſquè alijs) ſed etiā eius authorē ſuſcipimus & laudamus. Ex quo ſapiens illud Antiſthenis, Iſmeniam optimum fuiſſe tibicinem, ſed nequam hominem aſſerentis. Nam ſi probus foret, non eſſet vtiquè tibicen. Neque vllus vnquam ingenuꝰ vehementer etiam admiratus Iouem, aut Iunonem inſpiciens, Phidias, aut Polycletus fieri concupiuit. Atque ideò virtus in cunctis per ſe amabilis & honorabilis, ſed in Principe velut in maxime ingenuo, præcipuè commendatur, ſine qua nihil probum, nihil ſanctum, nihil egregium fieri, excogitari ve poteſt. Sed quoniam virtutum omnium fons & origo eſt amandi virtus, qua Deum optimum maximum noſcimus, colimus & veneramur, qua bonitatem eius, pulchritudinem, potentiam, maieſtatem, rerumq́ue omnium ab eo exitū gradatim, noſquemetipſos aduertimus, conſpicimus, & amamus, præ cęteris eſt in principe collocanda. Hac enim religioſus fiet & optimus, hac optimè ſuam ciuitatem cuſtodiet, Deo & hominibus gratus. Longè nanq; melius amore, quàm metu ciuitatis imperium continetur. Metus plerunq; odium affert. Id autem publici boni deſpectum & priuati ſtudium parit, ex quo ſeditiones, rixæ, diſcordiæ, & rerumpublicarum euerſiones denique exoriuntur. At quum ciues à principe ſe amari perſpexerint in ſententiam vnam coibunt omnes, rem illi gratam facere, inſeruire, muneraque ſibi impoſita exequi ardentiſſimè procurabunt, & veluti facibus quibusdam accenſi, nihil erit tam arduum, tam noxium atque difficile, quod libenti non expediant animo, quantumuis terribilis præ oculis eorum adſtaret interitus. Tot ſunt hac in re maiorum noſtrorum exempla, qui pro patria, pro virtute, pro gloria, niſi diuino quodam ardore correpti, nunquam occubuiſſent. Tot in ſanctiſſima Chriſti familia Martyrum teſtimonia, qui acerrimos cruciatus, extremaque vitæ ſupplicia hac amandi virtute, tanquam aliarum omnium radice, perpeſſi ſunt, quod enumerare non poſſumus. Hæc eſt illa virtus quæ infima ſupremis coniungit, quæ diuina omnia & humana cōplectitur: omnia perficit, omnia firmat, omnia ſubſiſtere facit. Hac mūdus ipſe productus, ſupernæ creatæ mentes. Hac totius vniuerſi quàm admirabilis ordo concluditur: quæ naturæ ſunt, omnia ex immenſa illa obſcuritate & confuſione in lucem ordinemq́ue redacta, immò & lux ipſa, quam inquiunt è cælo in terram Prometheum detuliſſe, omniſque & vitæ & ſapientiæ ſplendor indè proceſſit. Hæc denique virtus, immò virtutum omnium parens, eo magis eſt terreno Principe digna, quo Deus ipſe mundum ſuo iure gubernat. Hanc ſi perfectè calluerit Princeps, tenore vno, velut ab Herculeo lapide, pendentes virtutes alias aſſequetur: ictibus fortunæ reſiſtet: cum ea certabit, & vincet: nihil nimio amore vel odio, nimia lætitia vel dolore, ſpe vel deſiderio proſequetur: ſed optimè ex vtroque contrario compoſitam, & ad medium redactam, in ſeipſo pariet harmoniam. Quam mox in ciuitate diffundet, voluptates abijciet, aſpernabitur opes, omnem ambitum ac inanē gloriam propulſabit: omnia illi ad vota ſuccedēt, optimè imperabit, ſuumque felix augebit, auctumq́ue perpetuò conſeruabit Imperium. Sed ad Imperatoriam artem, quæ principi magis eſt propria, iam conuenit vt accedamus. Imperatoriam artem veluti principi ſummè neceſſariam, ita aliarum omnium præſtantiſſimam credimus. Si enim in hoc diſtat Princeps à ciue, quod regit & imperat, hic verò regitur & gubernatur, vtriſque eædem aut dignitate pares artes eſſe non poſſunt.

Charitas virtutum fons.

Ars Imperatoria.

Quæ Principis ergo præſtantior, quum tam varia tamque multiplicia in ciuitate ſpectet officia, tot artes, quas liberales & mechanicas vocant, tot magiſtratus, cæremonias, ritus ac humanæ vitæ conſuetudines, quæ à Principis regimine pendent, eſt vtique difficilis cognitu, ſed difficilior comparatu, ideoq́ue in pauciſſimis ſemper inuenta. Neque ex omnibus artibus quandam vnam conflari poſſe cenſendum, quæ conueniat Principi, ſed eam eſſe, qua vir bonus & ſapiens cum ratione rempublicam adminiſtrat ad ſubditorum ſalutem. Quæ vero pro varia temporum expectatione in republica debeat agere princeps, vt paulò altius repetamus, ſunt de ferēdis legibus, de opibus, de bello & pace, de locorum & regionum cuſtodia, & de his, quæ ad communem populi conuentum faciunt, pertractare, conſulere, deliberare. At quoniam quandoq́ue non eſt ea Regis prudentia, quæ vniuerſos valeat ſupplere defectus: neque talis Rex ipſe in ciuitatibus naſcitur, authore Platone, qualis inter apum examina ſtatim à principio cæteras antecellens exoritur: plurium conſilio in ſtatuēdis legibus, alijſq́ue rebus agendis vtatur neceſſe eſt. Ita nanque multorum ſententia confirmata magis, & laudabilior, & gratior, & acceptior cunctis afficitur. Neque inde Principi authoritatis quicquam adimitur, ſed eius virtus, probitas, ſanctitas, amplius eluceſcit. Ad ferendas autem leges, non ex ſuo tantum capite, ſed etiam à maioribus traditas, conuenit, vt Princeps accipiat: vtiles admittat, ſuperfluas deleat, ſuperſtitioſas abijciat: quæ rectæ rationi conſonant, obſeruandas inſtituat. Diuina profectò hæc eſt legum peritia, & adeo mortalibus neceſſaria, vt ſine ipſa in cœtu viuere quidve ad publicum vitæ bonum conferat, agnoſcere nequeant: vel ſi noſcant, id ſemper nequaqum velint, aut poſſint, eo quod ad priuatam commoditatem natura eos mortalis ſemper impellit. Atque ideo ars omnis, omnis multitudo, omne officiū, magiſtratus omnis, priuatumque omne & publicum regimē legibus indiget, & domus, & ciuitas, & reſpublica, & præfecturæ, & exercitus, & cuiuſque denique ſingulatim hominis vita. Sine legibus fluctuant omnia, omnia titubant, & in perturbatione ſunt poſita. His ſublatis æquitas aufertur, iuſtitia perit, religio tollitur, negligitur ratio, mens offuſcatur, vileſcit animus, amicitiæ corruunt, odia inſurgunt, omnis rectè viuendi modus, omne denique bonum amittitur, & ruit in præceps. Diuina ſiquidem & humana, cœleſtia & terrena, animātia & vitæ carentia, & quæcunque in vniuerſo conſiſtunt, legibus indigent, legibus diſponuntur: legibus affectiones, vires, habitus, actiones, officia numerantur.

Leges omnibus neceſſariæ.

Neque traditas tantum leges princeps debet accipere, ſed pro temporis mutatione alia condere. Et in primis, quæ ad animum pertinent, ad religionem, ad mores, ad vitæ conſuetudinem, ad concordiam, ad animi tranquillitatem, ad benè beatèque viuendi rationem inſpicere: hinc benè merentibus pręmia, fauores, largitiones, beneficia, magiſtratus: demerētibus mulctas, caſtigationes, correctiones, exilia, depreſſiōes impendere: eoſque tanquam putrida Reipublicæ membra adurere, abſcindere, amputare, ne totū corpus inficiant. Quocirca toties frequētiſſimæ ſynodi, & œcumenica (ex toto ferè terrarum orbe conuocatis patribus) ſunt hinc inde celebratą concilia, ſanctiſſimæ confirmatæ leges, inſtitutiones mutatæ, hæreſes abiectæ, caſtigati errores, difficultates ſolutæ, veritas probata, ſeditiones extinctæ, concordia reſtituta, vna monſtrata fides, vna religio, vnus princeps, qui ſummam in terris habeat poteſtatem. Taceo, quæ tanquam Euangelia quatuor venerari debemus. Taceo à Victore Pontifice Alexandrinum conuocatum concilium, à Dionyſio Antiochenum, ab Innocentio Lugdunenſe prius, & recentius à Gregorio quingentorum patrum numero celebratum, vbi Conſtantinopolitani Patriarchæ & Palæologi Imperatoris præſentia, poſt tertium decimum Orientalis Eccleſiæ ab Occidentali receſſum, vnio reſtituta fuit, ſponteque ſua nonnulli ex ferociſſimis Scytharum gentibus ſacri lauacri felicia inſignia ſuſcepere.

Sileo, quibus alia Græcorum & aliorum pernicioſiſſima extincta ſunt ſchiſmata. Prætereo, quæ regibus & Principibus ſilētium, legesq; impoſuerūt & frena. Ea deniq; in vniuerſum omitto, quib. pro reformāda Eccleſia, pro negligēdis delicijs, abijcienda pōpa, faſtu, luxu, mollitie, omniq; extinguēda libidine, ſanctiſſ. inſtituta ſunt edita. Quæ ſi recenſere proponerē

animo,

animo, nedum vobis in dicendo, patres, ſed mihi ipſi in connumerando deficerem. Id vnú præterire non poſſum, quod vbi ſanctiſſimum hoc pro nouandis legibus ac ſedanda ſeditione, à te noſtro omnium patre Iulio ſecundo Pontifice maximo, apud Lateranum fuit conuocatum Concilium, hiſque diebus, quibus haberi debebat, de totius Eccleſiæ ſumma actú eſſe videbatur, quando audita eſt cruentiſſima illa & nunquã ſatis deplorata Rauennæ clades, quando nudatis enſibus hoſtes cuiuſque iugulo imminere accerrimi videbantur, quando præſidium omne, omnis ſpes ſubſidij ſublata erat: illiſmet (inquam) diebus viſi ſunt hoſtes effugere, fuſi fugatique, nullum habere, qui eos caperet, Italiæ locum: omnes animi vires & imperium ſtatim reſtitui. Credo equidem, Pater ſancte, quod Deus optimus maximus per te pacificam Eccleſiæ reſtitutionem, ac ſæuiſſimi ſchiſmatis extinctionem excupiens, tantum à nobis auertere decreuit incendium. O felix Lateranenſe Concilium, ô ſanctiſſima concio, cui diuinus cœtus & multitudo reſpondet in cœlis, vbi vna pietas viget, vnus amor, vna felicitas. Sed longè quidem felicius atque beatius, ſi quando (te duce) dabitur, vt reſtituta quiete, reſtitutis moribus, reſtituta Eccleſia, in ſumma animi tranquillitate viuamus. De opibus prætereà, de bello & pace debet agere Princeps, eo quòd, ſi nullæ ſint opes, ciuitatem tutari non poteſt, neque bellum indicere, neque pacem ſeruare, neque ſeipſum intra mœnia cuſtodire. Illæ nanque ſunt opes, ſine quibus neque publica neque priuata agitur vita. Quum enim communia nuſquam ſint omnia, ſed quiſque arte ſua & ingenio viuat, quum domus, familiæ, agri, prædia, vrbes, oppida, arces, reſpublicæ, Imperia, totuſque terrarum orbis ſit in partes diuiſus, & commutatio neceſſaria, & cunctis habendi & dominandi ſit innata libido: opes habeamus oportet, vt hinc bellum, indè pacem, hinc victus, annonam, commeatus, indè munitiones, arma, viros, equos, mœnia, propugnacula, muros, aggeres, vallà, tormenta, aliaque inſtrumẽta bellica comparare, erigere, ſeruare & cuſtodire poſſimus. Inde vectigalia, fiſci, æraria, ſolutiones, cenſus, penſiones, tributa ſunt (vt decet) à Principe inſtituenda. Bellum verò ſic ſemper agendum, vt nunquam niſi iuſtum ſuſcipiatur, illiuſque tantum cauſa, vt ſcilicet in pace viuamus. Pax enim eſt animi quies, pax vita, pax humana felicitas. A pace amicitiæ, ſocietates, fœdera, affinitates, cognationes, coniugia, procreationes, liberi, virtus, religio, & rerum publicarum incrementa procedunt. Iuſtum autem id bellum appellandum exiſtimo, ad quod vel inuiti, vt noſipſos noſtrumque defendamus Imperium, trahimur, vel ſponte, vt quæ quandoq; noſtra fuerint, capiamus, aggrediamur. Publicas enim iniurias, publica detrimenta, vſurpationes iniuſtas, violẽta dominia Princeps æquo animo ferre non debet: ſed totis viribus, quæ ſua ſunt, ſeruare, arrepta armis recipere, potiuſque velle mori, quam turpiter & cum ignominia viuere. Quid enim deterius viro priuato, nedum Principi, quàm ignauia vel metu, torpore, ſuccumbere, & ſeipſum deſpicere? Quid pulchrius, quid glorioſius atque præſtantius, quam pro patria, pro iuſtitia, pro libertate certare, mortemque ipſam, ſi oporteret, oppetere? Quemadmodum tu, pater ſancte, in tam iuſtiſſimo aduerſus potentiſſimos hoſtes ſuſcepto bello ita geſſiſti, vt ardentiſſimos æſtus, acerbiſſima frigora, noctes inſomnes, aduerſas valetudines, omnia vitæ incommoda, & ferè mortem ipſam nõ tantum intrepidè tuleris, ſed quaſi ſponte tua obieris. Vnde prius, largiſſima opum effuſione ingenti comparato exercitu, & Bononiæ ſalus apparuit, & pulſis nouiſſimè ab Italiæ finibus hoſtibus, omnem gloriam, omnem immortalitatem, quã nullus vnquam Pontifex aſſequi potuit, tibi meritò vendicaſti; Rhegiumque, Parmam, Placentiam tuo ſacratiſſimo Imperio ſubdidiſti. Ex quo omnis Italiæ locus, omnis populus, omnis ciuitas, omnis reſpublica, omnes denique priuatim & publicè gaudent, iubilant, exultant. Teque omnis æui, omnium ſeculorũ, omniũ gentium Principem & caput appellant. Sed longè melius in poſterum appellabunt, habebuntque, ſi hac tua felicitate, fine tandem armis impoſito, in pace ſint omnia cõſtituta. Quæ verò ad regionum cuſtodiam & communem populi conuentum faciunt, iam temporis anguſtia præterimus. Quum igitur tantæ reipublicæ vnicus atque ſupremus Princeps fueris inſtitutus, beatiſſime Pontifex, cui ſumma data poteſtas, ad diuinum iniunctum imperium, tuum eſt, quemadmodum oppreſſam armis erexiſti, amplificaſti, ita moribus deprauatam Eccleſiam reformare, corrigere, illuſtrare. In tanta nanque peccandi licentia conſtituti ſumus, vt (paucis quibuſdam exceptis) nullus ſit, qui virtutibus non officiat omnibus, qui leges neque minimas quidem obſeruet. Omnia improbitas & intemperantia complet & occupat, omnia à recto æquitatis & iuſtitiæ tramite deuiant, in obliquũ tendunt, neque vllus eſt, qui ad ſeipſum, ad cor ſuum, mentẽque reſpiciat. Quiſq; commoditatem ſuam priuatamq; vtilitatem prætendit. Ipſa verò reſpublica, ipſa Eccleſia derelinquitur, & derelicta conqueritur, & languet, & plorat. Eam nanque, à nonnullis integritatem eius lacerare volentibus, angi vidimus, & mirum in modum cruciari. Quam etiam penitus laceraſſent, niſi tuis viribus obſtitiſſes, inuictiſſime Pontifex. Videmus multiformem centaurorum ſatyrorumque choream, qui reipublicæ huius formam quotidiè immutant, alterant, atque perturbant, qui ſeditiones parant, fouent, enutriunt. Videmus ſimulatores vndique, ſophiſtarumque ſophiſtas, quos Dominus in Euangelio rapaces lupos appellat, Matt. 7.
qui ouium veſtimentis induti, quibuſdã pietatis & religionis præſtigijs mortales cunctos illudunt. In quib. omnis impietas & libido viget, ambitio, liuor, rapacitas, tumor, ſæuitia dominatur. Videmus altera ex parte rabidiſſimos leones & Chriſtiani nominis hoſtes, qui quotidiè Chriſtianas vires imminuunt, qui terra marique latiſſimum iactant Imperium. Quos niſi diuino & præpotenti quodam numine adiuti, (vt tu quoque inhias, magnanime Pont.) quandoque oppreſſuri eſſent, die vna profectò videremus paſſim per campos Italiæ ſpatiari, igneque omnia ac ferro vaſtari. Hinc meritò conqueri poteſt Eccleſia, & tanquam omnium mater, obortis lachrymis exclamare: Filios enutriui, ipſi autem ſpreuerunt me. Væ mi- Eſa. 1
hi miſeræ & infelici, ex quo dignitatis culmine iniquorum manibus detracta ſum? quo pacto meus mutatus color, offuſcatus nitor, cœleſtis pulchritudo terrenis ſordibus inquinata? His lamentationibus & querimonijs ad tuos ſanctiſſimos deuoluta pedes, in hunc modum opem humiliter implorare videtur: Terras & Maria circuiui, & nullum præter te IVLI Pontifex beatiſſime, qui me magis diligeret, dignitatemque meam & ſalutem magis curaret, inueni. Tua ſub ditione defenſa ſum, protecta, mirum in modum aucta. Tuis viribus & authoritate inteſtini ceſſerunt hoſtes, ſeditioſa turba receſſit, à tyrannide liberata Italia. Ad te igitur ſupplex tanquam ad verum Principem, protectorem, Petrum, & ſponſum accedo, quem oro, obſecro & obteſtor, ſi, quæ corporis ſunt, & temporanea iura reſpiciunt, armis curaſti: nunc, quæ ad cuiuſque animum pertinent, non armis, ſed ſanctiſſimis legibus cura. Id nanque longè facilius agere poteris, quàm quę hactenus egiſti. Cura (inquam) Pater beatiſſime, vt ſponſæ tuæ forma, decorque redeat & pulchritudo. Cura, vt grex tibi commiſſus, optimis ac ſpiritalibus alimentis alatur & viuat. Cura, vt valetudo hæc, quæ totum terrarum orbem inuaſit, abſcedat. Cura, vt fluctuanti nauiculæ, in alto à diris agitatæ ventis, ſalutis portus illuceat. Cura, ne fruges, cuius es cultor, præ nimia ariditate ſiceſcat. Cura, vt ouile vnum fiat, quod modò eſt in partes diuiſum. Cura denique, vt ſalutem, quam dediſti nobis, & vitam & ſpiritum non amittamus. Tu enim Paſtor, tu medicus, tu medicus, tu gubernator, tu cultor, tu denique alter Deus in terris. Aduerte igitur, clementiſſime Pater, ſi ſponſam tibi deditiſſimam amas, ſi iuſtitiam, pietatem, modeſtiã, aliaſque virtutes amplecteris, ſi velut es optimus ac præſtantiſſimus Princeps, ita Principis artem & officium optimè calles, aduerte (inquam) & prouide, vt hac in tua republica virtutes colantur, foueantur, maximoque ſint habitæ precio, vitia expellantur, extinguantur, & tanquam pernicioſiſſimæ peſtes abſiſtant. Aduerte & prouide, vt in ea concordia vigeat, diſcordia recedat, pax ſubeat, pax vera, pax ſancta, pax communis & perpetuis temporibus duratura, vt iuſtitiæ oſculo & veritatis coniugio confirmata, ſuper vniuerſam terram vberrimos cœleſtis benignitatis pariat fructus, ne fortè, ſi ſecus fiat, velut ex quibuſdam paruis igniculis, maiores, & ſæuiores indè, immò maximæ & ſanctiſſimæ belli flammæ conſurgant. Quos igitur in tui obſequium admiſiſti, pientiſſime Pater, retine, foue, confirma: Quos reſpuiſti, congrega, redige, ſerua, vt in vera Chriſti familia verus Chriſtus inhabitet, vna ſit mens, vnus animus, vna voluntas. Communes au-

tem & Chriſtiani nominis hoſtes vexa, turba, confringe. Fideliſſimos & benemeritos ſuſcipe, amplectere, adiuua, malignos abige, ſeditioſos propelle, doloſos ac fœdifragos diſijce, perde, confunde. Si denuò opus eſt armis, in eos armis & potentiſſimis vtere: ſin autem, ſola authoritate procede. Ad hoc enim is tibi à Deo conceſſus eſt Principatus, vt totius Chriſtianæ reipublicæ dignitas, ſalus, vita, libertas, omn aque fortunæ bona, tuæ ſapientiæ & poteſtati ſint credita. Ad hoc Lateranenſe Concilium conuocaſti: ad hoc curæ tuæ, ſolicitudines, labores, & ſtudia fuere ſemper intenta: ad hoc reſpiciunt omnium mortalium vota. Hoc expectant omnes, & apertis faucibus operam tuam implorant. Ita nanque optimo virtutum moderamine per te contexta atque compoſita huius reipublicæ tela, reſtituetur tibi hæreditas tua, quam exiens aper de ſylua, toties vorare prætendit. Redibunt aurea ſecula, tunque flante ſpiritu effluent aquæ, irroratione tua terra pingueſcet.

SESSIO V.

Hæc notabilis & memoranda propter confirmationem bullæ factæ in materia electionis Rom. Pontif. canonicè faciendæ.

Quinta ſeſſio tenta & celebrata, abſente domino noſtro IVLIO II. Pont. maximo propter ægritudinem, præſidente reuerendiſſ. in Chriſto patre Domino Raphaele Epiſcopo Oſtienſ. ſanctæ Rom. Eccleſiæ Camer. Cardin. S. Georgij nuncupato.

ANNO à natiuitate Domini 1513. Indictione prima, die verò Mercurij, decima ſexta menſis Februarij, fuit celebrata quinta ſeſſio in Eccleſia Lateran. in loco ſolito. In qua propter corporis alterationem & aduerſam valetudinem S.D.N. IVLII Diuina prouidentia Papæ Secundi, fuit præſidens in præfata ſeſſione reuerendiſſ. in Chriſto pater & Dominus, Dominus Raphael Epiſcopus Oſtienſ. Cardinalis ſancti Georgij vulgariter nuncupatus, S.R.E. camerarius. In qua fuerunt præſentes infraſcripti reuerendiſſ. domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Generales Ordinum, & principum Oratores, ac illuſt. Domini, & quamplures alij in diuerſis facultatibus doctores & magiſtri, videlicet reuerendiſſimi in Chriſto patres & Domini, Domini

EPISCOPI CARDINALES.

Reuerendiſſimus Dominus Raphael Oſtień. prædictus præſidens.
Reuerendiſſ. D. Dominicus Portuenſis.
Reuerendiſſ. D. Iacobus Albanenſis.
Reuerendiſſ. D. Marcus Præneſtinus.
Reuerendiſſ. D. Franciſcus Sabinen.

PRESBYTERI CARDINALES.

Reuerendiſſ. D. Thomas tituli ſancti Martini in montibus, Strigonienſis.
Reuerendiſſimus D. Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſimus D. Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Nanneten.
Reuerendiſſimus D. Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agenen.
Reuerendiſſimus D. Chriſtophorus tituli ſanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerendiſſimus D. Antonius tituli ſancti Vitalis, Sipontin.
Reuerendiſſimus D. Petrus tituli ſancti Euſebij, Anconitan.
Reuerendiſſimus D. Achilles tituli ſancti Sixti, Bononien.
Reuerendiſſimus D. Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de Saulis.

DIACONI CARDINALES.

Reuerendiſſimus D. Alexander ſancti Euſtachij, Farneſius.
Reuerendiſſimus D. Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerend. D. Marcus S. Mariæ in Porticu, de Cornelijs.
Reuerend. D. Sigiſmundus ſanctæ Mariæ nouæ.
Reuerendiſſimus D. Alphonſus ſancti Theodori, Seneń.

PATRIARCHÆ.

Reuerendus P. D. Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus P. D. Alphonſus Antiochenus.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerend. pater D. Iulius Corinthień.
Reuerend. pater D. Franciſcus Conſań.
Reuerend. pater D. Aldronandinus Nicoſien.
Reuerend. pater D. Bernardus Spalatiń.
Reuerend. pater D. Hieronymus Antibaren.
Reuerend. pater Vincentius Neapolitan.
Reuerend. pater D. Franciſcus Iadren.
Reuerend. pater D. Fredericus Salernitan.
Reuerend. pater D. Gabriel Dyrrhachien.
Reuerend. pater D. Ieremias Tranen.
Reuerend. pater D. Rainaldus Ragutin.
Reuerend. pater D. Andreas *Noboniaſien.
Reuerend. pater D. Petrus Arboreń.
Reuerend. pater D. Robertus Rheginus.
Reuerend. pater D. Georgius Nazarenus.
Reuerend. pater D. Ioannes Maria Sipontiń.

EPISCOPI.

Reuerendus P. D. Bernardus *Teruiſinus. Taruiſinus.
Reuerendus P. D. Simon Arimineń.
Reuerendus P. D. Iacobus Paphen.
Reuerendus P. D. Albertus *Valuen.
Reuerendus P. D. Silueſter Wigornien.
Reuerendus P. D. Iacobus ciuitatis ducalis.
Reuerendus P. D. Ioannes Aquilanus.
Reuerendus P. D. Franciſcus Vincentius.
Reuerendus P. D. Octauianus Viterbień.
Reuerendus P. D. Franciſcus Ortanus.
Reuerendus P. D. Iulianus Agrigentiń.
Reuerendus P. D. Ioannes Baptiſta Caualliceń.
Reuerend. P. D. Bertrandus Adrien.
Reuerendus P. D. Paulus Lectoreń.
Reuerendus P. D. Marinus Ceneten.
Reuerendus P. D. Hieronymus *Bidrianen. * Budueń. *Budinea. *Biduaben.
Reuerendus P. D. Iulianus Vulteran.
Reuerendus P. D. Iacobus Fauentin.
Reuerendus P. D. Antonius Vrbinaten.
Reuerendus P. D. Dominicus Lucerin.
Reuerendus P. D. Vincentius Naulen.
Reuerendus P. D. Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerend. P. D. Ferdinand. Balneoregien.
Reuerendus P. D. Ioannes Tuden.
Reuerendus P. D. Franciſcus Sueſſanus.
Reuerendus P. D. Andreas Militeń.
Reuerendus P. D. Franciſcus Biſignianen.
Reuerendus P. D. Ioannes Baptiſta Brumaten.
Reuerendus P. D. Petrus Caſtelli maris.
Reuerendus P. D. Giſbertus Rapollan.
Reuerendus P. D. Ioannes Franciſcus Nolan.
Reuerendus P. D. Hieronymus Aretin.
Reuerendus P. D. Gabriel Caluen.
Reuerendus P. D. Nicolaus *Pergamen. *Bergomeń.
Reuerendus P. D. Ioannes Elneen.
Reuerendus P. D. Ioannes *Acerran. *Acerren. *acernen.
Reuerendus P. D. Matthæus * Vmbriacen. *Vmbriaticen.
Reuerendus P. D. Benedictus Chien.
Reuerendus P. D. Bernardus Caſtren.

Reuerendus P.D. Bernardus* Policaſtren.
Reuerendus P.D. Alexander Alexandrinus.
Reuerendus P.D.*Galeſius Vilueñ.

Hic legendum vel Albertus Viluenſ. vel Gelaſius Belunenſis, ſi tamen certi quidquam in tanta propriorum nominum confuſione haberi poteſt.

Reuerendus P.D. Ioannes* Bobien.
Reuerendus P.D. Baptiſta Aquinaten.
Reuerendus P.D. Franciſcus Spoletan.
Reuerendus P.D. Baſilius Tudertin.
Reuerendus P.D.*Corradus Aſtunen.
Reuerendus P.D. Ioannes Antonius Anglionen.
Reuerendus P.D. Ludouicus*Sinien.
Reuerendus P.D. Simon Modruſieñ.
Reuerendus P.D. Ludouicus Tricaricen.
Reuerendus P.D. Latinus Veſtanus.
Reuerendus P.D. Andreas*Litereñ.
Reuerendus P.D. Philippus*Adriacen.
Reuerendus P.D. Lucas*Guardien.
Reuerendus P.D. Auguſtinus Sagonen.
Reuerendus P.D. Petrus Narnien.
Reuerendus P.D. Petrus Foroliuien.
Reuerendus P.D. Hieronymus Aſculañ.
Reuerendus P.D.*Andreas Anſaren.
Reuerendus P.D. Zacharias Terracinen.
Reuerendus P.D. Dominicus Imolen.
Reuerendus P.D. Hieronymus*Inſulen.
Reuerendus P.D. Scaramuza Cumanus.
Reuerendus P.D. Chriſtophorus*Polignianeñ.

ABBATES.

Reuerendus Pat. D. Baſilius Abbas & Generalis Vallis vmbroſæ.
Reuerendus Pater D. Floremundus, Sancti Gregorij de vrbe.
Reuerendus P.D. Polydorus ſancti Eutychij Spoletañ. diœceſis.
Reuerendus P.D. Antonius ſancti Galgani Vulteran. diœceſis.
Reuerendus P.D. Guilhemus abbas monaſterij beatæ Mariæ Briton.

MAGISTRI GENERALES ordinum.

Magiſter Ægidius, Generalis ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini.
Magiſter Thomas ordinis Prædicatorum.
Magiſter Bernardinus ordinis Carmelitarum.
Magiſter Timotheus ordinis Minorum.

ORATORES.

Illuſt. Dominus Albertus de Carpi, sereniſſimi Maximiliani Romanorum Regis Orator.
Magnificus Dominus Hieronymus Vich, Illuſtriſſ. & Catholici Ferdinandi regis Aragonum, & Caſteilæ gubernatoris.
Magnificus Dominus Franciſcus Foſcarus Illuſt. Dominij Venetorum orator.
Nobilis Dominus Bonus de Franciſchis, communitatis Luceñ. orator.

ILLVSTR. DOMINI TEMPOrales & ſenator vrbis.

Illuſtr. D. Fridericus marchio Mantuan.
Magnificus Dominus Iulius Storciatus ſenator vrbis.
Dominus Hieronymus Benzon, vnus ex vrbis conſeruatoribus.
Illuſtr. D. Iulius de Vrſinis.
Illuſt. Dominus Iacobus de Sabellis.
Et alij quamplurimi domini & milites ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitañ.

Fuit celebrata Miſſa Spiritus ſancti per reuerend. patrem dominum Alphonſum Patriarcham Antiochenum in altari exiſtente in loco Concilij, quod fuit mutatum propter abſentiam Papæ & verſum verſus reuerendiſſimos dominos Cardinales & prælatos Concilij. Et facta oratione per reuerendum patrem dominum Ioannem Mariam Archiepiſcopum Sipótiñ. cuius tenor in fine præſentis ſeſſionis inferetur, reuerendiſſ. dominus Raphael Epiſcopus Oſtienſ. præſidens, acceſſit ad altare, & ibidem indutus ornamentis pontificalibus, ſedens ante altare, habens dorſum ad altare, & faciem verſus Concilium, incepit hymnum, Veni creator Spiritus. Et cantatis litanijs & alijs deuotis orationibus conſuetis cantari, & cantato euangelio per Dominum Antonium de Piperno, diaconum capellæ ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, quod eſt ſecundum Ioannem, & incipit, Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium &c. nobilis dominus Bonus de Franciſchis orator communitatis Luceñ. dedit mandatum communitatis ſuæ præſidenti Concilij ad intereſſendum Concilio. Et ſtatim ſupradictus reuerendiſſ. Dominus Epiſcopus Oſtienſis tradidit illud reuerend. patri Domino Thomæ Phædræ ſecretario Concilij. Qui aſcendit ambonem, & illud legit tenoris infraſcripti. Ioan. 10.

MANDATVM LVCENSIVM.

CVm ſit, quod beatiſſimus & ſanctiſſimus dominus noſter Iulius ſumma Dei prouidentia ſacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex optimus maximus, ad extinguendum hæreſes, abolendumque pernicioſum ac deteſtabile exortum ſchiſma, & pro bono pacis vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ, celebrari iam firma ſententia ſua decreuerit, indixeritq́ generale & vniuerſale Concilium in Laterano, noſque vt alios Chriſti fideles, ad interueniendum huiuſmodi Concilio ſua in nos paterna charitate ſit hortatus, ideo nos auʒiani & vexillifer iuſtitiæ populi & communis Luceñ. vtpote qui vniuerſam poteſtatem & imperium noſtræ ciuitatis & populi repræſentamus, iuxta formam ſtatutorum communis, cũ perſonaliter intereſſe nequeamus, ſicuti noſtri præcipui eſſet officij & deſiderij, vices noſtras tenore præſentium noſtrarũ patentium literarum, quas poteſtatem publici ſolennis, & authentici inſtrumenti habere volumus, omni meliori modo, via, iure & forma, quibus magis melius & validius tam de iure, quàm de facto & conſuetudine à nobis fieri poteſt & debet demandauimus, & demandamus præſtantiſſimo Iur. Vtr. cõſulto, domino Bono de Franciſchis, ciui & Oratori noſtro dilectiſſimo Romæ agenti, vt huiuſmodi ſacroſancto Concilio noſtro & ciuitatis noſtræ Luceñ. populique vniuerſi nomine interſit, & aſſiſtat cum reliquis potentatuum Chriſtianorum legatis, qui etiam ibi aderunt, ea omnia & ſingula præſtando & peragendo, quæ à nobis quoquo modo adhiberi & præſtari poſſent, ad honorem, decus, ornamentum, amplitudinem, exaltationem & conſeruationem præfati ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Iulij Secundi Pontificis Maximi, necnõ S.R.E. ac vniuerſalis ipſius ſacroſancti Lateranenſ. Concilij cum ampliſſima authoritate & omnimoda poteſtate, facultate, balia & arbitrio nobis in hac parte attributis iuxta formam ſtatutorum decretorum, & ordinamentorum noſtri communis, ad omnia & ſingula in tam pio & ſacroſancto Concilio, qualia & quantumcunque fuerint tractanda, peragenda, promittenda, iureiurando firmanda, præſtanda, adimplenda, perficienda tam de iure, quam de facto, & ex conſuetudine, & non ſecus, acſi nos ipſi coram perſonaliter ageremus, faceremus & adimpleremus, promittentes omnia & ſingula à præfato noſtro Oratore nomine quo ſupra, tam verbo quam ſcripto in præmiſſis, & circa præmiſſa tractanda, peragenda, concludenda, & firmanda nos eſſe approbaturos, rataque & grata in perpetuum & omni tempore habituros. In quorum quidem omnium & ſingulorum fidem, robur & teſtimonium, has noſtras præſentes literas in patenti forma tam viuæ vocis oraculo, quã dato & obtento inter nos partito ad buxulas & palloctas, ac ſeruatis ſeruãdis, fieri & ſigillari

lari iuſſimus noſtri ſoliti & maioris ſigilli diui Martini impreſſione. Datum in noſtro Luceñ. palatio, anno Domini 1513. indictione prima, die verò Octaua menſis Februarij.

Io. nobilis Cancellarius de mandato ſcripſi.

Quo perlecto, excluſiſque de more alijs non habentibus voces diffinitiuas, exceptis Oratoribus Principum, & Baronibus, & alijs Prioribus prælatis in ſuis ſubſellijs exiſtentibus mitratis, clauſoque Concilio & portis, reuerendus pater Dominus Scaramuzi Epiſcopus Cumañ. aſcendit ambonem, & legit quandam bullam tenoris ſequentis.

BVLLA INNOVATIONIS ET CONfirmationis conſtitutionis contra Simoniacam prauitatem, in electione pontificis non committendam.

IVlius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Si ſummus rerum opifex terrarum cœlique ſator, ſua ineffabili prouidētia Ro. Pontificem in cathedra præeminentiæ paſtoralis Chriſtiano generi præeſſe voluit, vt ſanctam Ro. vniuerſalem Eccleſiam ſynceris corde & opere gubernaret, fideliumque omnium profectibus ſolicitis ſtudijs intenderet, decens & ſalutare reputamus, vt in electione præfati pontificis, in quem, vt puritatis & candoris ſpeculum fideles ipſi intuentur, omnis labes, omniſque illius ſuſpicio abſit, taleſque ad tanti faſtigij gradū aſſumantur, qui ritè & rectè & canonicè ingreſſi, modo & ordine conuenientibus nauiculæ Petri gubernacula ſuſtineant, taleſque exiſtant, in tanto dignitatis culmine conſtituti, qui bonis & rectis ſolatio, magis autem formidini ſint, & eorum exemplo cæteri fideles ad benè operandum inſtruantur, & ad viam ſalutis dirigantur, & ea quæ propterea per nos ſtatuta & ordinata fuerunt pro rei magnitudine & grauitate, per ſacrū generale Concilium approbentur & innouentur, & approbata & innouata communiantur, vt eo firmius perdurent, & tenacius obſeruentur, & aduerſus diaboli multiplices inſidias defendantur, quo fuerint dicta authoritate ſæpius circunſulta. Dudum ſiquidem à nobis magnis & vrgentibus cauſis, magnaque & matura diſcuſſione & deliberatione, cum doctiſſimis & grauiſſimis viris etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus præcedentibus & præhabitis, emanarunt literæ tenoris ſubſequentis.

CONSTITVTIO INSERTA.

IVlius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cùm tam diuino quàm humano iure in ſpiritualibus præcipuè deteſtabiliter Simoniæ ſit labes prohibita, & longè magis in electione Romani pontificis vicarij IESV Chriſti Domini noſtri abominabilis ſit, vniuerſali Eccleſiæ pernicioſa: nos, qui regimini eiuſdem vniuerſalis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, authore Domino præſidemus, cupientes, quantum cum Deo poſſumus, in pręmiſſis pro tantę rei neceſſitate ac periculi magnitudine (vt tenemur) in poſterum ſalubriter prouidere, de fratrum noſtrorum ſanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalium conſilio & vnanimi conſenſu, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, Apoſtolica authoritate, & de poteſtatis noſtræ plenitudine ſtatuimus, ordinamus, decernimus & diffinimus, quod ſi (quod Deus pro ſua clementia & in omnes bonitate auertat) contigerit, poſtquam nos vel ſucceſſores noſtros ſucceſſiuè ipſe Deus ab huiuſmodi vniuerſalis Eccleſiæ regimine abſoluerit, humani generis inimico procurante, & ambitione vel cupiditate ad hoc inclinante ſeu impellente, electione Romani Pont. ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo, ſeu aliquibus de cœtu Card. quomodolibet votum dantibus, per Simoniacam hæreſim in dando, promittendo vel recipiendo pecunias, bona cuiuſque generis, caſtra, officia vel beneficia, ſeu promiſſiones & obligationes, cōmiſſam per ſe vel alium, ſeu alios quomodocumque & qualitercunque etiam in duarum partium, vel omnium Cardinalium vnanimi concordia quomodolibet, etiā per viam aſſumptionis vnanimiter, nemine diſcrepante, etiam ſine ſcrutinio factæ, celebrari vel fieri, non ſolum huiuſmodi electio vel aſſumptio eo ipſo nulla exiſtat, & nullam eidem ſic electo vel aſſumpto adminiſtrandi in ſpiritualibus & temporalibus facultatem tribuat, ſed etiam contra dictum ſic electum vel aſſumptum, de Simoniaca labe à quocunque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, opponi & excipi poſſit, ſicut de vera & indubitata hæreſi, ita quod à nullo pro Roman. Pontifice habeatur, quinimmò ipſe ſic electus, à priori ſuo Cardinalatus & alio quocunque honore, Eccleſijs cathedralibus, etiā metropolitanis & patriarchalibus, monaſterijs, dignitatibus, & alijs quibuſcunque beneficijs & penſionibus, quæ tunc obtinebat in titulum vel in commendam, aut aliâs quomodocunque, eo ipſo abſque alia declaratione priuatus exiſtat: & idem electus, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus, & tanquam Simon magus & hæreſiarcha, & ad prædicta omnia & ſingula perpetuò inhabilis habeatur & ſit. Nec huiuſmodi Simoniaca electio per ſubſequentem ipſius inthronizationem, ſeu temporis curſum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem ſeu obedientiam, vllo vnquam tempore conualeſcat. Liceatque omnibus & ſingulis Cardinalibus, etiam illis, qui huic Simoniacæ electioni ſeu aſſumptioni conſenſerint, etiam poſt inthronizationem & adorationem ſeu obedientiam, ac etiam vniuerſo clero, populo Rom. necnon ſubditis, & ſancti Angeli de vrbe, ac quarumuis aliarum Roman. Eccleſiæ arcium præfectis, caſtellanis, capitaneis, & alijs officialibus, quocunque homagio ſeu iuramento, vel cautione præſtitis nō obſtante, à talis electi, etiam inthronizati obedientia & deuotione, impunè & quandocunque diſcedere, (ipſis fidei Roman. Eccleſiæ & obedientiæ futuri Roman. Pont. canonicè intrantis, nihilominus adſtrictis permanentibus) & eum vt magum, ethnicū, publicanum, & hæreſiarcham euitare. Ad cuius quoque confuſionem poſſint Cardinales, qui præfatæ electioni ſe opponere voluerint, ſi præſumpſerit ſe regimini vniuerſalis Eccleſiæ prætextu talis electionis ingerere, auxilium brachij ſecularis contra eum implorare. Nec tales ab eius obedientia diſcedentes, tanquam tunicæ Domini ſciſſores, aliquarum propter dictum diſceſſum, pœnarum ſeu cenſurarum vltioni ſubiaceant. Cardinales verò, qui cum ſic Simoniacè elegerint, à ſuis ordinibus & etiam Cardinalatus titulis & honore, ac quibuſcunque Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, Epiſcopalibus, & alijs prælaturis, ac dignitatibus & beneficijs, quæ in titulum vel commendam tunc obtinebant, vel in quibus ſeu ad quæ ius tunc habebant, abſque alia declaratione priuati exiſtant, niſi ab illo penitus & cum effectu diſceſſerint, & reliquis Cardinalibus, qui huiuſmodi Simoniæ non conſenſerint, infra terminum octo dierum, poſtquam fuerint ab eis requiſiti perſonaliter, (ſi fieri poterit, aliâs per edictum publicum) ſe abſque fictione vel fraude vniuerint & coniunxerint. Et tunc, ſi præfatis alijs Cardinalibus ſe vniuerint & coniunxerint, in priſtinum ſtatum: & ad priſtinos honores & dignitates, etiam Cardinalatus, ac Eccleſias & beneficia, quibus prędicti erant, & quæ obtinebant, reintegrati, rehabilitati, ac reſtituti & repoſiti, ab huiuſmodi Simoniæ labe, & cenſuris ac pœnis Eccleſiaſticis quibuſcunque abſoluti eo ipſo exiſtant. Mediatores verò, proxenetæ, trapezitæ tam clerici quàm laici cuiuſcunque dignitatis, qualitatis & ordinis fuerint, etiam Patriarchali, Archiepiſcopali, ſiue Epiſcopali, vel alia ſeculari, mundana ſiue Eccleſiaſtica dignitate præditi, etiam quorumcunque Regum & Principum Oratores vel nuncij, huius Simoniacæ electionis participes, ſint omnibus ſuis Eccleſijs, beneficijs, prælaturis & feudis, ac alijs quibuſcunque honoribus & bonis eo ipſo priuati; & ad ſimilia inhabiles, ac etiam actiuè & paſſiuè inteſtabiles, & eorum bona ipſo facto; ad inſtar reorū criminum læſæ maieſtatis, Fiſco Apoſtolicæ ſedis applicentur, deuoluanturque, ſi prædicti delinquentes Eccleſiaſtici fuerint, vt aliâs Romanæ Eccleſiæ ſubditi. Bona verò & feuda taliter delinquentium, non ſubditorum ſecularium in partibus exiſtentia, fiſco ſecularis principis & in cuius territorio bona ſita fuerint, ipſo facto ſimiliter applicentur. Ita tamen, quod ſi infra tres menſes, à die, quo notum fuerit illos Simoniam cōmiſiſſe, vel participaſſe, principes dicta bona fiſco ſuo actualiter non applicauerint, ex tunc illa fiſco Eccleſiæ Romanæ applicata cenſeantur, & ſint eo ipſo, abſque aliqua ſimiliter declaratione. Promiſſiones quoque & obligationes, ſiue ſponſiones, propterea quandocunque, etiam ante tempus dictæ electionis, etiam extra perſonas Cardinalium per quoſcunque alios quomodocunque factæ cum quauis inexcogita-

bili ſolennitate & forma, etiam iuratæ, conditionales ſiue euentuales, & in forma excommiſſarum ex quacunque cauſa etiam depoſiti, mutui, cambij, confeſſionis de receptis, donationis, arrendamenti vel venditionis, permutationis, vel alterius cuiuſcunque contractus, etiam in ampliori forma cameræ Apoſtolicæ factæ, ſint nullæ & inualidæ, & ad agendũ inefficaces, nullusque illarum vigore cogi vel conſtringi poſſit in iudicio vel extra, liceatque omnibus ab illis impunè, abſque aliquo metu ſine periurij nota recedere. Et inſuper liceat Cardinalibus, qui electioni prædictę Simoniacę interfuerint, & à præfato ſic electo diſceſſerint, adhibitis ſecum alijs Cardinalibus, etiam illis, qui huiuſmodi Simoniacæ electioni cõſenſerunt, & poſteà eiſdem Cardinalibus in dicta Simonia nõ complicibus ſe vniuerint, ſi ſe cum eiſdem vnire voluerint, alioquin ſine eis, ad alterius nihilominus pontificis electionem, non expectata alia ſententia declaratoria Simoniacæ electionis huiuſmodi, eadem tamen præſente noſtra conſtitutione ſemper in ſuo robore permanente, liberè aliâs tamen canonicè deuenire, & Concilium etiam generale indicere, & conuocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & præcipuè fel. rec. Alexãdri Papæ 3 quæ incipit, Licet de euitanda diſcordia, & aliorum Romanorum pontificum prædeceſſorum noſtrorum etiam in Concilijs Generalibus editis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque inhibentibus. Poſtremò omnibus & ſingulis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui pro tempore erunt, & eorum ſacro Collegio, ne Apoſtolica ſede vacante, prædictis contrauenire, vel contra præmiſſa vel aliquod præmiſſorum ſtatuere, diſponere, ordinare, vel aliquo modo facere ſeu attentare præſumant quocunque exquiſito colore vel cauſa, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam ipſo facto incurrant, & à qua non niſi per Ro. Pont. canonicè electum abſolui poſſint, niſi in mortis articulo præcipimus: decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his vel aliquo præmiſſorum à quoquàm ſcienter vel ignoranter, etiam per nos contigerit attentari. Vt autem præſentis conſtitutionis, decreti, ſtatuti, ordinationis, ac inhibitionis noſtræ huiuſmodi tenor ad omnium notitiam deducatur, volumus, præſentes litteras noſtras in valuis Baſilicę principis Apoſtolorum, necnon cancellariæ, ac in acie Campiflore affigi, nec aliam earundẽ literarum publicationis ſolennitatem requiri aut expectari debere, ſed huiuſmodi affixionẽ pro ſolenni publicatione & perpetuo robore ſufficere. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrorum cõſtitutionis, ordinationis, ſtatuti, decreti, diffinitionis, applicationis, appropriationis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petum anno incarnationis Dominicę 1505. 19. Kal. Febr. pontificatus noſtri anno 3.

Quæ litteræ deindè, pro ipſarum ſubſiſtentia firmiori & notorietate, dum Bononiæ cum noſtra curia eſſemus de menſe Octobris, pontificatus noſtri anno 7. in conſiſtorio noſtro ſecreto, etiam venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Ro. Eccleſiæ Card. & aliquibus prælatis noſtris domeſticis, lectę & publicatæ & approbatæ, & demum in quinterno cancellariæ deſcriptæ & annotatæ, & in audientia contradictarum, ac alijs locis publicis dictæ ciuitatis, & poſtremò Romæ in locis deſignatis ſolenniter publicatæ extiterunt, & eorum exemplaria ad omnes ferè Chriſtianos principes tranſmiſſa. Nos inſuper attendentes, quanti ponderis, quantique exitij Chriſti vicariorum in terris adulterinæ electiones eſſent, quantumque detrimenti Chriſtianæ religioni afferre poſſent, præſertim his difficillimis temporibus, quibus diuerſimodè vexatur Chriſtiana religio vniuerſa, volentes ſatanæ dolis & inſidijs, humanæque præſumptioni & ambitioni, quãtùm nobis permittitur, obuiare, vt literæ prædictæ eo magis obſeruentur, quo clarius conſtiterit, eas matura & ſalubri deliberatione dicti ſacri Concilij approbatas & innouatas, qua ſtatutæ & ordinatæ fuerunt, licet ad ſui ſubſiſtẽtiam & validitatem alia probatione non indigerent, ſed ad abundantiorem cautelam, & ad tollendam omnem doli ac malitiæ cauſam malè cogitantibus, & tam ſaluberrimæ conſtitutioni contrauenire ſatagentibus, vt eo tenacius obſeruentur, & difficilius tollantur, quo tantorum patrum fuerint approbatione munitæ, litteras prędictas cum omnibus & ſingulis ſtatutis, ordinationibus, decretis, diffinitionibus, pœnis, inhibitionibus, alijſque omnib. & ſingulis clauſulis in eis contentis, ſacro hoc Lateranen̄. Cõcilio approbante, authoritate & poteſtatis plenitudine præfatis approbamus & innouamus, eaſque inuiolabiliter & irrefragabiliter obſeruari & cuſtodiri mandamus, roburque perpetuę firmitatis obtinere, ac Cardinales, mediatores, oratores, nuncios, & alios in dictis literis contentos, ad ipſarum litterarum, & omnium & ſingulorum in eis expreſſorum obſeruationem, ſub cenſuris & pœnis, & alijs in eis contentis, iuxta earundem litterarum tenorem & formam teneri, & obligatos fore decernimus & declaramus, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ approbationis, innouationis, mandati, decreti & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ in baſilica Lateranen̄. in ſacta ſeſſione, anno Domini 1512. 14. Kal. Martij, pontificatus noſtri anno 10.

Bal. Tuerdus.
Ia. Queſtemberg.

Qua perlecta, idem reuerend. pater petijt, an placerent paternitatibus patrum ibidem exiſtentium contenta in bulla. Et immediatè ſcrutatores votorum vnà cum protonotarijs & notarijs receperunt vota. & omnibus ferè habentibus vocem diffinitiuam, placuerunt ſimpliciter contenta in bulla, præter infraſcriptos quinque, qui votãrunt, & reſpõderunt vt infrà, videlicet. R. D. Ioan. Dominicus Epiſcopus Terdonen̄. qui noluit dare votum, quia dixit ſe non eſſe benè informatum. R. D. Benedicto epiſc. Chien̄. placuit diſpoſitio ſchedulæ, ſed non forma. R. D. Bernardus epiſcopus Caſtren̄. dixit, pœnas contentas in ſupradicta ſchedula eſſe modificandas. R. D. Scaramuzæ epiſcopo Cumano placuit de manifeſta Simonia, de occulta non, niſi declaratione prius facta per generale Concilium. R. D. Alexandro Epiſcopo Alexandrino placuit, quatenus Simonia ſit notoria facti permanentis, vel procederet declaratio generalis Cõcilij, vel ab omnibus vel duabus partibus Cardinalium opponeretur de Simonia. Succeſſiuè idem reuerend. pater Dominus Scaramuza epiſcopus Cuman̄. legit aliam ſchedulam tenoris infraſcripti.

ALIA SCHEDVLA.

IVlius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Inter alia neceſſaria & fructuoſa opera in ſacro Lateran̄. Concilio, pacis authore fauente, peragenda, in quarta illius ſeſſione literas noſtras, per quas Ro. curię officiales & illorũ exactiones generaliter reformauimus, per nonnullos alios deputatos & deputandos particulariter declarare, & declaratiões ipſas in alijs ſeſſionib. nobis in eodem Concilio referre, & ab ipſo Concilio approbari præcepimus & mandauimus, necnõ negocium & diſcuſſionem declarationis, nullitatis, inualiditatis, & abrogationis aſſertæ ſanctionis pragmaticæ in partibus Gallicanis, nulla legitima authoritate, ſed contra Eccleſiaſticam libertatem, in ſanctæ ſedis vilipendium, abuſu Gallicorum prælatorum, & aliorum laicorum eis fauentium introductæ, venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium, & aliorum prælatorum congregationibus, relationemque diſcuſſorum in prima aut alijs ſeſſionibus, prout commodè fieri poſſet, nobis & Concilio præfato faciendam, Concilio huiuſmodi approbãte commiſimus, Gallicoſque prælatos, capitula Eccleſiarum, & monaſteriorum parlamenta, & laicos illis fauentes, & dicta ſanctione abutentes, omneſque & ſingulos alios in præmiſſis ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, per edictum publicum (cum ad partes illas tutus non pateat acceſſus) in Mediolanen̄. Aſten̄. & Papien̄. eccleſiarum valuis affigendũ, moneri, citari infra certum competentem terminum præfi-

gendum, ad comparendum coram nobis & dicto Concilio, cauſaſque dicendum, quare ſanctio præſata, illiuſque corruptela & abuſio in concernentibus authoritatem Rom. Eccleſię & ſacrorum canonum, ac Eccleſiaſticæ libertatis violationē, nulla & inualida declarari & abrogari nō deberet, ſtatuimus & decreuim⁹. Cùm aūt particularis declaratio officialiū fieri & referri, citatioq; & monitio cōtra prælatos Gallicos, & alios illis fauētes, & ſua intereſſe putātes, decretæ & executæ, reproduci haĉtenus non potuerint, & tempus ad comparendū præfixum nondum lapſum extiterit, noſque notoria aduerſa valetudine impediti, iuxta deſiderium cordis noſtri in ipſo Concilio perſonaliter intereſſe non poſſimus, cupiamusque particularem reformationem, & citatione ac monitione huiuſmodi reproductis, diſcuſſionem abrogationis & declarationis prædictarum, earumque relationes maturè & accuratè fieri, ac priſtina noſtra valetudine reſtituta, quam pius & miſericors Dominus ſua ſolita clementia concedere nobis dignetur, per nos ipſos debitum Apoſtolicæ ſeruitutis in ipſo Concilio exequi, eodem ſacro Concilio approbantę, ſextam ſeſſionem tertio idus Aprilis proximè ſequentis faciendam indicimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrorum præcepti, mandati, commiſſionis, ſtatuti, decreti & indictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi ſacroſancta Baſilica ſolenniter celebrata, Anno incarnationis Dominicæ 1512. 14. Kal. Martij, Pontificatus noſtri anno decimo.

Qua perlecta, idem reuerendus pater petijt, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula, & omnes, nemine penitus diſcrepante, dixerunt, placere contenta in ſchedula.

Poſtmodum Dominus Marianus procurator fiſci & Concilij petijt, & obtinuit à reuerendiſſimo domino præſidente citationem ad portam Concilij, contra abſentes intereſſe debentes ipſi ſacro Concilio. Et deinde facta citatione & relatione, accuſauit contumaciam abſentium, & petijt contra eos declarari pœnas & cenſuras decretas contra non uenientes ad ſacrum Concilium: ſuper quibus omnibus petijt inſtrumentum & inſtrumenta.

DEinde reuerendiſſimus in Chriſto pater & Dominus, Dominus Dominicus Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Grimanus nuncupatus, procurator reuerendi patris domini Antonij Contareni Patriarchæ Venetiarum, dedit eius mandatum ad excuſandum eundem & nomine eius intereſſendum, ſubſcriptum per dominum Ioannem Franciſcum à puteo publicum notarium, & eius ſigillo ſigillatum. Ac etiam dictus reuerendiſſimus Dominus Cardinalis procurator reuerendi patris domini Hieronymi Taruiſini electi Cremonenſis, ad excuſandum eundem electum, ac ad intereſſendum nomine eius ſacro Lateranenſi Concilio, dedit duo mandata ipſius electi publica, & vnum ſubſcriptum per diſcretum virū Iacobum Faſolum de Venetijs, eiuſdem electi ſigillo ſigillatum, & aliud ſubſcriptum tantùm per eundem Iacobum Faſolum publicum notarium. Et reuerendus pater dominus Hieronymus Epiſcopus * Biduanenſis, procurator reuerendi patris domini Iacobi de Petrucijs Epiſcopi * Larinenſis, dedit mandatum ad excuſandum eundem Iacobum Epiſcopum, & nomine eius intereſſendum, ſubſcriptum per diſcretum virū Loyſium Granara de Neapoli, publicum Apoſtolica authoritate notarium. Et reuerendiſſimus in Chriſto pater & Dominus, Dominus Antonius tituli ſancti Vitalis presbyter Cardinalis procurator reuerend. patris Domini Chriſtophori de Spiritibus electi Cæſenatenſis, ad excuſandum & intereſſendum Concilio dedit eius mandatum, ſubſcriptum per Dominum Petrum Paulum Ludouici publicum notarium. Et reuerendus Dominus Paris de Graſſis, ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ magiſter cæremoniarum, procurator reuerend. patris Domini * Fi. Rouarella Archiepiſcopi Rauennatenſis, docuit de eius mandato legitimo ad excuſandum & intereſſendum Concilio, ſubſcriptum per Dominum Antonium Garuphum Britonenſem, publicum notariū. Ac reuerendus

* Budinē.
* Alatnē.

dominus Andreas Sanna canonicus * Vſulenſis, procurator reuerend. patris domini Ioannis Sannæ Epiſcopi * Vſulenſis, docuit de eius mandato ad intereſſendum & excuſandum, & erat ſubſcriptum per dominum Ioannem Ordium publicū notarium. Deinde reuerendus pater dominus Galeſius Epiſcopus * Beluneñ. procurator reuerendi patris domini Angeli de Ripantibus de Eſio Epiſcopi Eſini, dedit eius mādatum, ſubſcriptum per dominum Antonium Franciſcum Ser Angeli de Eſio publicum notarium. Et reuerendus pater Dominus Laurentius de Fliſco, epiſcopus Montis regalis, procurator reuerēdi patris domini Bonifacij Ferrier epiſcopi Iporigieñ. docuit de eius legitimo mandato, ſubſcriptum per diſcretum virum Iacobum de * Peritis de Baergoro publicum notarium. Et etiam dedit mandatum reuerend. patris domini Auguſtini electi Vercelleñ. ſubſcriptum per Dominum Paulum Petri de Maſæis publicum notarium, ad excuſandum eoſdem reuerendos dominos Bonifacium & Auguſtinum, ac eorum nominibus intereſſendum ſacro Concilio. Succeſſiuè reuerendiſſ. in Chriſto pater & Dominus, Dominus Petrus tit. S. Euſebij presbyter Card. Anconitanus nuncupatus, procurator reuerend. patris Domini Coſmæ Pacij Archiepiſcopi Florentini, volens docere de eius mandato, dedit legitimū ſubſcriptum per Dominum Laurentium Andreæ de Ciobis publicum notarium. Et reuerendus pater D. Vincentius Archiepiſcopus Neapolitañ. procurator reuerend. patris D. Iuliani epiſcopi Rubeñ. ad excuſandum & nomine eius intereſſendum, dedit mandatum eiuſdem, ſubſcriptum per diſcretū virum D. Ioannem Andream Florentiñ. de Neapoli publicū notarium. Et reuerend. D. Manilius Acolytus ſanctiſſ. Domini noſtri, procurator reuerend. patris domini Pauli Argoliceñ. ad excuſandum & intereſſendum Concilio, dedit mandatum, ſubſcriptum per Dominum Cataneum de Lipis publicum notarium. Et reuerend. pater Dominus Iacobus Epiſcopus Papheñ. procurator reuerend. patris domini Bartholomæi epiſcopi Montis viridis, ad excuſandum & intereſſendum dedit mādatum, ſubſcriptum ꝑ dominum Laurentium Franciſci de Bonnicontijs ciuem Romanum, de regione mōtium publicum notarium. Et demum reuerend. D. Stanislaus de Aualziuo decretorum doctor, canonic⁹ * Noladislanueñ. dedit mandatum reuerendi patris D. Vincentij epiſcopi * Noladislanueñ. ad excuſandum & intereſſendū eius nomine in ſacro Laterañ. Concilio, ſubſcriptum per Dominum Matthiam Bernardi de Oſſineza publicum notarium clericum Placentinæ diœceſis. Quibus peractis, indicta fuit ſeſſio ſexta tertio Aprilis proximè futuri. Et hæc fuerunt pro quinta ſeſſione.

* Vſellen.
* Belluné.
* Nalten.

Finis quintæ ſeſſionis tempore vitæ Iulij ſecundi expeditę, eo abſente, propter ægritudinē, ex qua quatriduo poſt obijt.

Tenbr verò ſermonis & orationis, habitæ in dicta ſeſſione per reuerendum patrem dominum Ioannem Mariam de mōte Archiepiſcopum Sipontiñ. ſequitur & eſt talis:

Hic Ioannes Maria fit poſtea 1550. Iulius III.

IN PRIMA ORATIONIS PARTE laudatur inſtitutio Conciliorum, & ſummus Pontifex Iulius, quod Lateranenſe Concilium indixerit. In ſecunda ſuadentur patres ad reſtituendam iuſtitiam, vnitatem, pacem, quæ tria diuina munera, & hominum & temporum iniuria deleta videbantur.

PRiuſquam in hoc celeberrimo Chriſtiani orbis conuentu verba facere incipiam, vt ea dicenti mihi, vobiſque audientibus facultas diuinitus infundatur, qua & ego ad communem Chriſtianæ Reipub. ſalutem dignitatemque pertinentia facile recenſeam, & vos liberè decernatis, laudabili maiorum noſtrorum monente inſtituto ſanctiſſimi Spiritus, cuius numine ſalutaris hæc ſummo ſtudio celebratur Synodus, opem ac præſidium humilimè imploro.

Tametſi loci huius ornatiſſimi dignitas, & rei digniſſimæ (de qua mihi dicendum eſt) amplitudo, veſtrique ampliſſimi conſpectus maieſtas, patres ſapientiſſimi, ab hoc demandato dicendi munere me deterrebant, non tamen inuitus, ſed læto potius hilarique animo maiorum imperio parui, ſi nihil aliud, hoc certè ſperans me aſſequuturum laudis, quod indignus non fuerim iudicatus, cuius orationi grauiſſima veſtrum omniũ præſentia intereſſet. Suadebar præterea, & magnoperè cõfirmabar Iulij Pontificis, veſtro ac tantorum virorum erga Rempublicam Chriſtianam ſingulari & penè incredibili ſtudio, quod præ ſe quiſque ferre viſus eſt mihi, cùm anteà ſemper, tum verò quoties ad hanc ſacroſanctam conuentum eſt Conſtantinianam fidem. Cunctos enim noſtræ religionis ac fidei inſtaurandæ, confirmandæ, amplificandæ, acerrimo inflammari deſiderio p erſpiciebam: vndè facilè adducebar vt crederem, me de his rebus (quæ vniuerſo Chriſtianorum cœtui conſulerent atque proſpicerent) dicentem vos attentè benigneque audituros. Nam quæ maximè ad Chriſtiani generis vtilitatem, dignitatem, authoritatem pertineant, ſtatui quantùm temporis anguſtia conceſſerit, hodierna oratione complecti. Adeſtote igitur animis, voſque ipſos mihi æquos benignoſque iudices præbete. Ego in id præcipuè incumbam, vt niſi compoſita rerum varietate, audientium auribus iocunditatem, delectationemque attulero, ſatietatem quidem ac moleſtiam, inculta verborum prolixitate minimè ſim allaturus.

Cum autem ad illuſtrandam & propagandam, nedum cõſeruandam ac tuendam, noſtram fidem religionemque, ſynodum hoc tempore ſapienter inſtitutam luce clarius appareat, primùm de ſaluberrima eius inſtitutione dicemus, vbi ſingularem pontificis Iulij prudentiam atque incredibilem animi celſitudinem attingi æquo animo patiamini. Quæ deinde pro Chriſtianæ Reipublicæ robore, ſplendore, amplitudine decernenda potiſſimum videtur, quo breuius fieri poterit perſtringam. Sanctiſſimæ igitur huius Lateranenſis ſynodi inſtitutionem cum alia plurima mirificè commendant, ſummiſq; in cælum laudibus extollunt, tum illud in primis, quòd nil niſi ex omni patre perfectum, iuſtum, optimum, & Chriſtianæ Reipublicæ oportunum maximeque fructuoſum, ſapientiſſimorum patrum, ac præſtantium omni virtutum & diſciplinarum genere hominum conſilio (quorum lectiſſima huiuſce templi ſubſellia ornari frequẽtia intuemur) ſtatui decernique poſſe cenſetur, quippe quod plurimarum ciuitatum, gentium, nationum periculis atque euentis (vel ab ipſa terrarum orbis origine) compertum & exploratum eſt. Floruiſſe in Græcia Athenienſes, viguiſſe Lacedæmonios, claruiſſe Corinthios accepimus, quàm diu integerrimorum conſilia domi militiæque valuiſſent. Nihil enim (quod ad mores, ad inſtituta, ad leges, ad delectum habendum, ad aciem inſtruendam, ad conferendam pugnam ſpectaret) niſi exquiſitis plurimorum ſententijs, iiſdem in ciuitatibus gerebatur. Nec ab re quidem apud Homerum Agamemnon ille plures ſibi dari diutiſſimo ad TROIAM bello Neſtoris, quam Achillis ſimiles exoptabat, quorum alteri lacertis & viribus, alteri conſilijs ac ſententijs præſtarent. Quid, quod hanc ipſam vrbem, ſummum Imperij Principatum, non abſque ſapientiſſimorum hominum conſilio adeptam, cunctis terrarum gentibus nationibusque priuatim ac publicè agendi normam legemque præſcripſiſſe conſtat? Recolite ſingulas regum actiones, contemplamini poſt liberam ciuitatem vniuerſa conſulum, tribunorum, decemuirorum, aliorumque magiſtratuum geſta. Euoluite cuncta Cæſarum monumenta. Quidnam aliud, obſecro, niſi prudentium conſilia, regnum peperiſſe, Remp. conſtituiſſe, Imperium, potentiamque auxiſſe comperietis? Sed quid in re Chriſtiano nomini oportuna, ſeu potius neceſſaria, vbi non de vnius alteriusve Reipublicæ ac prouinciæ ſalute, libertate, dignitate, ſed de ſanctiſſima Chriſti fide, orthodoxa religione, de Chriſtianorum omnium quiete agitur, Græcorum Romanorumue diutius immoramur exemplis, cùm longè melior conſultandi ratio, præſtantior conſilij norma, exactius ſapientiſſimorum hominũ iudicium, maiorique diligentia perpenſum, vel hoc ipſo in loco, vel alibi gentium religionem noſtram aſſeruerit, defenderit, amplificârit? Complectimini cogitatione (ſi placet) Romanorum pontificum ad noſtram hanc tempeſtatem labores, difficultates, pericula, tot tantarumque rerum diſcrimina. Quidnam aliud magis præſentaneum ad perferendas multiplices gentilium, hæreticorum, ſchiſmaticorum, improborum denique ac perditorum omnium agitationes atque procellas, ad euitãdas ſyrtes & cautes, ad portenta & monſtra conculcanda, ip viſum fuiſſe remedium inuenietis, quàm vt vniuerſos patres ad ſe conuocarent, quorum conſilio Apoſtolicæ ratis curſum in medijs fluctibus dirigerent, remis vndas perſtringerẽt, attollerent vela, ancoras iacerent, clauum tenerent, portum denique ipſum celerrimè aduentarent, lætiſſimè contingerẽt, ſecuriſſimè potirentur? Itaque celebrent alij præclariſſimarum rerum à Iulio pontifice geſtarum magnitudinem, varietatem, numerum: commendent plurimi admirandam in profanis ſacriſque ædificijs magnificentiam, perpetuam plerique omnes felicitatem extollant: ego verò ſingularem illius prudentiam, incredibilemque animi firmitatem admirari nunquam ſatis potero, quod in ſumma totius Italiæ conſternatione, in perditiſſima nõnullorum audacia nefariaque ambitione, in extrema potentiſſimi hoſtium exercitus immanitate intrepidus, interritus, inconcuſſuſque, (vt tantorum patrum conſilio, ne dicam authoritate atque opera, vteretur) ſaluberrimam ſynodum (quod noſtrorum temporum pontifices in maiori omnium quiete, & Chriſtianorum principum obedientia, minorique hoſtium formidine aggredi non ſunt auſi) Chriſtiano orbi indixerit: indictam, nulla clade, nulla iactura deterritus, inſtituerit: inſtitutam, nulla corporis atque animi moleſtia, nulla aliter ſentientium ſuaſu abſtractus, ſic Deo fauente in hunc diem gerit, vt profanam omnem contumaciam abolere, ſacrilegam dominandi libidinem cohibere, truculẽtam rapiendi licentiam refrenare, deteſtabiles & Chriſtianæ reipublicæ pernicioſas ac peſtiferas in occupanda ſacratiſſima Petri ſede largitiones in perpetuum delere, adoleſcentes, nedum pullulantes hæreticorum ac ſchiſmaticorum ſegetes radicitus extirpare: ridiculam denique, impiam, ac nefariam Mahumetis ſectam funditus euertere atque exterminare ſibi proponat. Quare fit, vt non ſanè obſcuriorem illum ex tam præclara ſynodi inſtitutione laudem omninò reportaturum confidamus, quam veteres ij maiores eius reportarunt, qui innumeras Arij, Photini, Sabellij, Ebionitarum, Macedonij, Eudoxij, Neſtorij, Pelagianorum, Eutychianorum, Dioſcori, Theodori, Gregorij, Macarij, Monothelitarum, Acephalorũ ac cæterorũ omnium hæreſes de medio ſuſtulerunt. Quandoquidẽ cùm virtutes cęteras, tum vel in primis tria hęc optima ac propè Diuina munera (quæ & temporum & hominum iniuria ſunt penè deleta) ſummam iuſtitiam, inſeparabilem vnitatem, communem inter Chriſtianos pacem, eius reſtitutum iri ſapientia, ac veſtro, patres, conſilio non deſperamus. De quibus ſi me (vt cœpiſtis) breuiter diſſerentem benignè attenteque audietis: & ego dicendo, & vos audiendo vberrimam (vt puto) frugem colligemus. Eſt igitur iuſtitia præ cęteris inſtauranda, reſtituenda, illuſtranda: quippe quæ virtutum omnium fons atque origo, & mortale genus Deo optimo maximo conciliat, & humanam ſocietatem arctiſſimo neceſſitudinis vinculo coniungit. Vt enim Deum immortalem, authorẽ, parentem, moderatoremque noſtrum, à quo bonorum omnium origo & cauſa eſt, à quo nobis eſſentia, motus, intellectus, contemplatio, actioq; tributa, ſtudioſè colamus, piè veneremur, humilimè adoremus, vt eum nobis propicium faciamus, vt pro cumulatiſſimis in nos beneficijs memoriam gratiamque non diſſimulemus, vt mentem ei ſanam, innocentem animum, vitam probam, voluntatem rectam, caſtam, integrã præbeamus, vt religionem cultumque ſacrorum minimè cõtemnamus, ipſa nos docet monetque iuſtitia. Ea etiam, cùm natus ſit homo ſociabilis, quippe qui in tanta rerũ naturæ copia, quæ vſui ſunt, ſupra cætera animalia inopia laborat, alienæque opis indiget, ac propterea neceſſitate impellente, vt arbitrati quidam ſunt, cœtum amat & ciuitates colit, ſola facit, vt ipſa ſocietas & coniunctio retineri poſſit. Nam quid patrię, parentibus, propinquis, amicis, ciuibus peregrinis, quid item magiſtratibus profanis ac ſacris, quid principibus debeamus, quid ſequi, quidue declinare, quid vel cõmendare vel improbare iure oporteat, nobis ante oculos proponit.

Nempe vt æquitatem, fidem, beneficentiam, pietatem, ſeueritatem, integritatemq; complectamur: ſuperbiam

biam,perfidiam,auaritiam,ſæuitiam,laſciuiam,ambitionem
fugiamus,nos excitat atque inflammat. Quapropter hanc pri
mùm omnium,patres,reſtituite virtutem : huius luce,quæ
penitùs extincta eſt, Chriſtianum orbem illuſtrate: hanc di-
ligendam ijs iubete,qui iudicant terras: hanc ſeruandam ſta-
tuite Chriſtianis principibus. Enimuerò eam eſſe virtutem,
quæ ſua cuique diſtribuit, Auguſtinus, Bernard. Ambroſius,
ſanctiſſimarumque legum authores diffinierunt. Porrò igi-
tur inſpiciendum eſt,an quiſque, quod ſuum eſt,poſſideat,an
quis alienum occupatũ detineat. Sed hoc loco ſinite me præ-
terire,non dico Italiæ, verùm(quod longè miſerrimum eſt)
totius Europæ calamitates,quæ tantæ ſunt , vt eas cogitatio-
ne,nedum oratione perlequi, vix ſine lachrymis queam. Quẽ
enim eſſe dicam tam obtuſo pectore,corde ſic immani, mo-
ribus tam efferatis , cuius animus tot ſedium atque agrorum
occupationes,tot vrbium,oppidorum, locorumq; omnium
euerſiones ac direptiones,tot furta,tot rapinas,tot ſacrilegia
meminiſſe,non perhorreſcat? Teſtes eſtis vos miſerrimæ ci-
uitates,quę nulla à vobis patrata culpa,in viſceribus veſtris a-
trociſſimos hoſtes pertuliſtis, quæ in gremio parentum in-
fantes trucidari,matronas,innoxios imbelleſque ſenes inter-
fici,rapi ſacratiſſimas virgines,ornatiſſima tẽpla ſpoliari,om-
niaque & flagitiorum & facinorum genera perpetrari con-
ſpexiſtis, quibus vel ipſos Turcas Chriſtiani nominis hoſtes
abſtinuiſſe nonnunquam audiuimus. Quod ſi (vt nonnulli
prædicant)finxere quondam Poetæ, poſt Saturni tempora,
cùm ſenſiſſent iuſtitiam à rebus humanis abeſſe, offenſam vi-
tijs hominum receſſiſſe à terra,in cælumque migraſſe, & ad
Iouis regnum ſe contuliſſe,bone Deus, quas nugas,quas fabel-
las,quas fallacias, excogitaturos eos fuiſſe arbitramur, ſi no-
ſtrorum temporum ſcelera, ſi flagitia, ſi facinora , ſi abie-
ctum Chriſtianæ religionis cultum, ſi veſanam domi-
nandi libidinem , ſi nefandam rapiendi licentiam , ſi in-
auditam in ijs impietatem, ſæuitiam , ambitionem, quos
pietatis, charitatis, integritatiſque exempla eſſe oportebat,
conſpicarentur? Quas ob res expergiſcimini, patres, vt cœ-
piſtis , expergiſcimini : & quando non niſi pro refor-
manda confirmandaque Chriſtiana Republica in hunc ipſum
locum conueniſtis, ſic eam reformandam confirmandamq;
vobis proponite, vt iuſtitiam in primis, virtutum reliquarũ
principem ac reginam,tum inſeparabilem Chriſtiano orbi v-
nitatem,pacemque, ſummis bonorum omnium votis ac ſtu-
dijs expetitam. dicente pſalmographo, Iuſtitia & pax oſculatę
ſunt,tandem aliquando reſtituatis. Neque enim ſeruari iuſti-
tia facilè poteſt, niſi & iuſtitiæ vnitas , & vnitati concordia
copuletur. Diligenter idcircò videndum eſt,patres ampliſſi-
mi, vt eam Chriſtiani retineant vnitatem , quam vniuerſas
multitudines, cunctos cœtus, omnes mortalium ſocietates
retinere cernimus. Nam ſi in primis quodcunque libuerit vel
regnum, vel ciuitatem, vel domum quamuis priuatam inſpi-
ciamus,nihil horum ſtare ac diu permanere poſſe, abſque ea,
de qua dudum verba facere aggreſſi ſum⁹, vnitate, luce clarius
apparebit. Ruat enim illud atque euertatur regnum neceſſe
eſt,quod non vniformi regis ac eorum,qui reguntur, volun-
tate gubernatur: exoriantur ac inualeſcant in ea ciuitate ciui-
les diſcordiæ, inteſtina bella, odia ſempiterna, in qua Reipub.
curam gerentium in vnum ſententiæ non conueniunt. Dila-
batur breui ac diſſoluatur res familiaris , quamuis magna &
ampla, niſi in vnam patrisfamilias domeſticique voluntatem
concurrant , id quod Euangelij verba illa locupletiſſimè te-
ſtantur: Omne regnum diuiſum contra ſe, deſolabitur: & om
nis ciuitas, vel domus diuiſa contra ſe, non ſtabit. Ipſas dein-
de hominum actiones, quarum aliæ bello ad Rempub. armis
tuendam, aliæ pace, mercium ac cæterarum rerum humano
vſui oportunarum commutatione alendam ſpectant, ſi no-
bis proponere ante oculos velimus: nec victoriam parari, ni-
ſi vexilla ſequendi, ſeruandi ordines, ad tubæ ſignum ſeſe in-
ſtruendi, conſerendi manum, pedem referendi, cæteraque id
genus moliendi ac perferendi omnia, vna inſit militibus Im-
peratoribuſque voluntas. Nec nauim vllam, niſi & guberna-
tor, & nautæ inuicem conſentiant, & alius alij in iudicio at-
que opera nequaquam aduerſetur, ad certum vnquàm perue-
nire portum comperiemus. Poſtremò, ſi noſtrum hoc huma-
num contemplemur corpus, optimam prudentiſſimamq; re-
rum artificem naturam, cùm in eo fabricando complures ac
diuerſas partes ad varia ſtudia & miniſteria(vtpotè oculos ad
videndum, ad audiendum aures, pedes ad incedendum) for-
maſſet, vnam cæteris omnibus præfeciſſe, cuius citatu ac nutu
cunctæ moueantur, ſeque ad agendum tolerandumve quip-
piam in eius ipſius conforment volũtate, perſpiciemus. Quæ
cùm ita ſint, quonam pacto perpetuum Chriſti regnum vn-
dique telis laceſſitum vigere, æternam beatorum Rempubli-
cam diuerſis factionibus diſſipatam florere, domum Dei
ſanctiſſimam ſibi diſſidentem conſtare, cœleſtem angelorum
militiam inter ſe digladiantem eminere, ſalutarem Apoſto-
lorum nauim, diuerſis remigum & magiſtri conatibus agita-
tam, contineri, redemptoris noſtri membra ſciſſa, ſeparata,
diſcerpta, ab vnitate diſtracta, ſtare ac permanere vel mini-
mo temporis ſpatio arbitrabimur? Summa igitur ampliſſ. pa-
tres, vnitate, ſumma voluntatum animorumque concordia
eſt opus, cum præſertim ea nobis Diuinis & præceptis & ex-
emplis tantoperè inſinuetur. Omitto id, quod inquit Pro- Pſal. 85.
pheta in Pſalmis: Deus habitare facit vnanimes in domo. Sub-
ticeo agnum Exodi in figura Chriſti occiſum, atque in vna Exod. 12.
domo comedi iuſſum. Prætereo mandatum fuiſſe Raab, in
qua Eccleſia præformabatur, vt parentes, fratres, totamque Ioſ. 2.
familiam in domum ſuam colligeret ad ſeipſam: tranſeo ver-
ba illa, noſtra hac tempeſtate ſæpiùs repetita, Vnum ſumus e- Ioan. 10.
go & pater, & erit vnus grex & vnus paſtor : relinquo ſuppli-
cium de ijs Diuinitus ſumptum, qui ſibi aduerſus Aaron legi- Num. 16.
timum ſacerdotem ſacrificandi licentiam arrogauerant: om-
nia denique Diuina præcepta atque exempla prætermitto.
Quid enim eorum vllum adducam, cùm nihil aliud ſacrarum
literarum contineant monimenta, quàm vnum eſſe Devm, Matth. 16.
vnum Chriſtum, vnam Eccleſiam, vnam fidem, vnam cathe-
dram, ſuper firmiſſimam petram Domini voce fundatam?
Cumque id nos vel maximè, vt inquit Auguſtinus, ad vnita-
tem cohortari debeat , quòd ex vno duntaxat homine vni-
uerſum gigni voluit humanum genus altiſſimus, vt quanto-
perè vnitatem in pluribus diligeret, nobis apertiſſimè decla-
raret. Hanc igitur primùm omnium inducite, hanc cuſtodite,
hanc excolite, compoſiti in eodem ſenſu, vt Paulus apoſtolus Phil. 2.
inquit, & in eadem ſententia ſuſtinentes inuicem in dilectio- Ephe. 4.
ne, ſatagentes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione pa-
cis.

Pax itaque vnitati coniungenda, aggreganda, copulanda
eſt. Tanta eſt enim inter vtramque neceſſitudo ac ſocietas, vt
cùm arctiſſimo & firmiſſimo colligatæ ſint vinculo, diſſolui
earum vna, quin & altera diſſoluatur, ac ſeruari vna, quin ſer-
uetur & altera, nullo modo poſſit. Quapropter extinctis bel-
lorum flammis, quæ totũ inflammarunt ac incenderunt Chri
ſtianum orbem, ſacroſanctæ Reipublicæ rebus compoſitis,
cum iuſtitia pariter atque vnitate excitanda atque vrgenda
pax eſt. De qua, cùm latiſſimus dicendi campus occurrat, nec
temporis anguſtia, nec veſtra, patres, cæterorumque pręſtan-
tium virorum benignitas atque humanitas longiorem expe-
tat orationem, plura non dicam. Siquidem ea, quæ ad Chri-
ſtiani generis vtilitatem, dignitatem, authoritatem, ſaluber-
rima hac ſynodo decernenda maximè videntur, breuiter ac-
cepiſtis: quæ ſi vos veſtris conſilijs, veſtris(inquam) ſuffragijs
reſtituenda, ſeruanda, confirmanda ſtatuitis, non dico ſan-
ctiſſimam hanc vrbem veram Pontificum ſedem, ſed orbem
vniuerſum, maximam atque perpetuam frugem perceptu-
ram ſperate. Idque vt ſummi pontificis votis, ac ſtudijs veſtrũ
omnium, ac bonorum principum optatis reſpondeat, ſupre-
mum cœli numen his precibus obteſtabor: Te æterne olym-
pi regnator Chriſte, cuius ditione atque imperio cuncta cœ-
leſtia terrenaque gubernantur, qui tuam à Nerone, Domitia-
no, Traiano, M. Antonino, & L. Aurelio Commodo, Seuero,
Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano haud
paſſus es exterminari religionem ac fidem, qui Eccleſiam tuã,
tot procellis hæreticorum ac ſchiſmaticorum agitatam , in
medijs ſubmergi nequaquam pertuliſti fluctibus, te(inquam)
inuocamus, tuum imploramus numen, tuam oramus clemen-
tiam. Reſpice vicarium tuum ſanctiſſimum, & Eccleſiæ tuæ
paſtorem ſolertiſſimum, corpore licèt ægro, animo tamen
firmiſſimo. Reſpice vigilantiſſimum ſenatum, reſpice cũctos
hos patres, reſpice noſtros principes, reſpice familiam tuam
vniuerſam. Vides impia tyrannorum pectora aduerſus iuſti-
tiam, carnis improbos ac nefarios in leges iuraque inſurgẽtes,

ſpectas habere conuenticulum perditæ factionis ad ſcinden-
dam ac dirimendam tunicam tuam inconſutilem, vnitatem-
quę ab Eccleſia tua reijciendam. Perſpicis tuorum robore
tot inteſtinis bellis perculſo, noſtriſq; debilitatis ac penè con
fectis viribus, inſtaurantem ſe ad pugnam hoſtem, parantem
ſe ad victimam noſtri ſanguinis. Tolle (vt cœpiſti) ſecures,
tolle gladios. Sit finis ac terminus bellorum, ſit fas, reuiuiſcē-
te iuſtitia, conſeruata vnitate, dulciſſimos optatæ pacis fru-
ctus colligere. Pacem à te Chriſte expetimus, pacem à te cle-
mentiſſime Deus efflagitamus, Da illam Domine diebus no-
ſtris, quia non eſt alius, qui pugnet pro nobis, niſi tu Domine
Deus noſter. Aut ſi bella gerenda ſunt, ſi acies inſtruendæ, ſi
vulnera perferenda, ſi id noſtrorum expoſcunt vitiorũ pœ-
næ, ſi noſtra pianda ſunt delicta ſanguine, aduerſus Turcas
nominis tui hoſtes (quod & ſanctiſſimus Vicarius ipſe tuus, &
nos omni ſemper ſtudio concupiuimus) bella geramus: pro
tua fide, pro religione, pro aris ac focis dimicantes, pœnas no-
ſtrorum criminum luamus: tua effundamus cauſa ſanguinem,
quo tuo tandem vniuerſus inſeruiat orbis Imperio, tuam cũ-
cti religionem ac fidem aſſerant, agnoſcant, profiteantur, vt
ſuo quodammodo iure alacriter ac iucundè canere id poſſit
eccleſia: In omnem terram propagatum eſt imperium eo-
rum, & in fines orbis terræ religio eorum. DIXI.

OBITVS IVLII II. PONT. MAXIM.

Anno à natiuitate Domini. 1513. Indictione prima, die
verò Lunæ, 21. menſis Februarij, fe. re. D. Iulius Papa II. ſicut
altiſſimo placuit, Romæ apud S. Petrum in Palatio Apoſtoli-
co ab hac luce migrauit, & viam vniuerſę carnis ingreſſus eſt,
& ſic Apoſtolica ſedes vacauit, & fuerunt celebratæ exequiæ
eius iuxta ritum & conſuetudinem antiquitùs obſeruatam.

Die verò Veneris 4.ᵃ menſis Martij ſupradicti anni 1513.
reuerendiſſ. in Chriſto patres & domini, Domini ſacroſan-
ctæ Rom. Eccleſiæ Card. in vnum pro electione ſummi pon
tificis facienda, poſt celebrationem Miſſæ Spiritus ſancti in
baſilica principis Apoſtolorum in altari S. Andreæ, concla-
ue, quod in Palatio S. Petri in Capella ſuperiori, Capella Six-
ti vulgariter nuncupata, factum fuerat, intrauerunt, & quili-
bet eorum intrauit, & clauſum fuit conclaue ad celebrandum
canonicam legitimamque electionem Romani futuri Ponti-
ficis iuxta canonicas ſanctiones.

LEO PAPA DECIMVS
LATERANENSE Concilium.

IN Dei Omnipotentis nomine, Amen. Sequuntur geſta
eiuſdem ſacri Lateranenſis Concilij in Spiritu ſancto le-
gitimè congregati, ſub Leone decimo Pontifice Maximo
continuati, & celebrati cum eiſdem ſolennitatibus & cæ-
remonijs & officialibus, in principio dicti Concilij deputatis
& nominatis.

Die autem Veneris vndecima ſupradicti menſis Martij,
reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, Dominus Io-
annes de Medicibus, ſanctæ Mariæ in Dominica ſanctæ Ro-
manæ Eccleſiæ diaconus Cardinalis, de Medicibus vulgari-
ter nuncupatus, Romæ in conclaui ſupradicto, per reueren-
diſſimos Dominos Cardinales ſancti Spiritus infuſione af-
flante, nemine diſcrepante, nulloque contradicente, concor-
diter & vnanimiter & purè ad ſummi Apoſtolatus apicem
ritè & legitimè ac canonicè electus & aſſumptus extitit, nec-
non Dominus Leo Papa Decimus nuncupatus, atque hono-
rificè (vt decuit) de dicto palatio ad baſilicam principis Apo-
ſtolorum de vrbe ductus, inibique ad altare maius eiuſdem
cum cantico, Te Deum laudamus, cum maxima lætitia & ſo-
lemnitate poſitus & inthronizatus.

Die verò Sabbati decima nona ſupradicti menſis Mar-
tij, præfatus ſanctiſſimus in Chriſto pater & dominus no-
ſter, Dominus LEO diuina prouidentia Papa decimus, per
reuerendiſſimos in Chriſto patres & dominos, Dominos ſa-
croſanctæ R. E. Card. diuino officio Miſſæ, ſolennitatibus in
talibus fieri ſolitis in Eccleſia ſancti Petri peractis, ante por-
ticum & introitum dictæ baſilicæ, videlicet ſupra ſcalã mar-
moream, in qua conſtructum fuerat quoddam tabernacu-
lum ornatum, ſiue ſolium eleuatum pro dicti Domini Leo-
nis Papæ decimi coronatione, agenda per reuerendiſſimum
in Chriſto patrem & dominum, Dominum Alexandrum
ſancti Euſtachij diaconum cardinalem, de Farneſio vulgari-
ter nuncupatum, in cæterorum Dominorum Cardinalium,
Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Præla-
torum, Clerique, atque populi præſentia extitit honorificè
atque ſolenniter, vt decuit, & ſummo pontifici congruit,
triplici diademate & corona coronatus & inthronizatus,
cum magno totius Curiæ & Romani populi plauſu & læti-
tia.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo de-
cimo tertio, Indictione prima, die verò Dominica, decima
menſis Aprilis, fuerunt publicatæ & affixæ per Ioannem Do-
minicum de fidelibus, ſanctiſſimi Domini noſtri curſorem
quædam literæ prorogationis ſextæ ſeſſionis tenoris infra-
ſcripti.

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad ſanctæ Roma-
næ vniuerſalis Eccleſiæ regimen, meritis quanquam im-
paribus, diuina diſpoſitione vocati, inter omnia peragenda,
quæ tantę molis onus requirunt, illud in primis expetendum
videtur, vt ijs, quæ ad omnipotentis Dei laudem, Eccleſiæ-
que præfatæ vnitatem & exaltationem, ac fidelium omnium
profectum tendunt, omni conatu totiſque viribus ſalubriter
intendamus. Cùm itaque felicis recordationis Iulius Papa
Secundus prædeceſſor noſter, vt ſtatus Eccleſiæ præfatæ in
melius reformaretur, ſacrum ac generale Lateranenſ. Conci-
lium de venerabilium fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, Ec-
cleſiæ præfatæ Cardinalium, de quorum numero tunc era-
mus, conſilio & aſſenſu conuocauerit & indixerit, illudque
deinde celebrare inceperit, & in eo plures vſque ad quintam
Seſſiones, incluſiuè tenuerit, ſextamque ſeſſionem tertio Idus
præſentis mẽſis faciendam indixerit, prout in literis ſeu ſche-
dulis dicti Iulij prædeceſſoris deſuper confectis, plenius con-
tinetur: nos qui etiam tunc in minoribus conſtituti, Conci-
lium præfatum celebrari ſummoperè cupiebamus, & domi-
no Iulio prædeceſſore (ſicut Domino placuit) rebus huma-
nis exempto, illius ſucceſſores effecti, non minùs corde tene-
mus dicti Concilij celebrationem, vſque ad perfectionem
cauſarum, propter quas indictum fuit, continuare & ad finem
perducere, conciliumque huiuſmodi vſque ad illius debitum
finem & complementum, proſequi velle nunciamus. Verùm
cùm præfatus Iulius prædeceſſor, eodem Concilio appro-
bante, negocium & diſcuſſionem declarationis, nullitatis &
inualiditatis ac abrogationis aſſertæ pragmaticæ ſanctionis,
in partibus Gallicanis quodam abuſu introductæ, Apoſtoli-
cæ ſedi, Eccleſiaſticæ authoritati, & ſacris canonibus dero-
gantis, dictis fratribus, & aliorum prælatorum congregatio-
nibus, relationemque diſcuſſorum in eodem Concilio fa-
ciendam commiſerit, Gallicoſque prælatos, capitula Eccle-
ſiarum & monaſteriorum, Parlamenta & laicos illis fauentes,
cuiuſcunque dignitatis etiam Regalis exiſtentes, omneſque
& ſingulos alios, ſua communiter vel diuiſim intereſſe pu-
tantes, per edictum publicum, cùm ad partes illas tutus non
pateret acceſſus, in certis locis tunc expreſſis, moneri & cita-
ri infra certum terminum præfigendum, ad comparendum
coram Iulio prædeceſſore & Concilio præfatis, cauſaſque
dicendum, quare ſanctio ipſa in concernentibus authorita-
tem prædictam, & eccleſiaſticæ libertatis violationem,
nulla & inualida declarari, & abrogari non debere decre-
uerit: citatioque prædictorum Gallicorum capitulorum,
Parlamentorum & laicorum præfatorum, cum termino
competenti ad comparendum eis aſſignato, duodecimo
Calendas Martij proximè præteriti executa fuerit, dieſ-
que comparitionis citatorum & monitorum huiuſmodi nõ
niſi quarto decimo Calendas Maij proximè futuri veniat,
vt ſic citati & moniti, in dicta ſexta ſeſſione tenenda com-

parere,

parere, ſuaſque rationes allegare poſſint: cumque etiam dicta die tertio Idus præſentis menſis, ſolennis proceſſio noſtræ aſſumptionis ad Eccleſiam Lateranenſ. iuxta morem aliorum prædeceſſorum noſtrorum fieret, difficilimumque eſſet eadem die ſeſſionem & proceſſionem huiuſmodi celebrare, ac ex alijs iuſtis & rationabilibus cauſis, noſtrum & dictorum fratrum animos mouentibus, de conſilio & aſſenſu prædictis, ſextam ſeſſionem præfatam, quinto Calendas Maij proximè futuri, quæ erit die Mercurij vigeſima ſeptima præſentis mẽſis Aprilis, qua cauſæ huiuſmodi ceſſabunt, ac citati & moniti præfati comparere, & allegationes audiri, vel vera contumacia accuſari poterunt, prorogamus, illamque ipſa die quinto Calendas Menſis huiuſmodi faciendam indicimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ prorogationis & indictionis infringere, vel ei auſu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimotertio, 4. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.

PLACET.

Executio & publicatio ſupraſcriptarum literarum prorogationis, ſequitur & eſt talis:

Die decima menſis Aprilis præſentes ſupraſcriptæ literæ, affixæ & publicatæ fuerunt in valuis principis Apoſtolorum de vrbe, in valuis Eccleſiæ ſancti Ioannis Lateranenſis, in valuis cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campifloræ, vt moris eſt, per me Ioannem Dominicum de Fidelibus curſorem.

Alia executio & publicatio earundem literarum prorogationis, eſt talis:

Die verò vndecima menſis Aprilis, affixæ & publicatæ fuerunt in valuis baſilicæ ſancti Ioannis Lateranenſis, dum ibidem gentium multitudo propter acceſſum ſanctiſſimi Domini noſtri, Domini Leonis Papæ X. congregata erat, per Ioannem Dominicum de Fidelibus curſorem.

Die verò Lunæ XI. ſupradicti menſis Aprilis poſt diuinum officium in baſilica S. Petri principis Apoſtolorum peractum, ante horam prandij, ſanctiſſ. in Chriſto pater & dominus noſter, Dominus LEO Diuina prouidentia Papa Decimo diademate Pontificali coronatus ſolẽniter cum maximis mirificiſque triumphis, honeſtate, reuerentia & honore decentibus, per reuerendiſſ. in Chriſto patres & dominos, dominos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates cum albis mitris, atque pluuialibus ornatos, necnon perplures illuſtres Duces & Barones, nobileſque Romanos atque cæterarum nationum homines, de dicta baſilica S. Petri ad baſilicam S. Ioannis Lateranenſis, pro nonnullis cæremonijs ibidem faciendis, laudabiliter aſſociatus extitit.

SEXTA SESSIO, ET PRIMA TEMPORE SANctiſſimi domini noſtri, domini Leonis Pap. X.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Anno à natiuitate eiuſdem milleſimo quingenteſimo decimotertio, Indictione prima, die vero Mercurij, vigeſima ſeptima menſis Aprilis, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, Domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi, anno primo, ſacra & vniuerſali ſynodo in baſilica Lateranenſi congregata, fuit celebrata ſeſſio, præſidente præfato ſanctiſſimo domino noſtro. Et fuerunt præſentes infraſcripti reuerẽdiſſimi Domini Cardinales, Patriarchæ, & Archiepiſcopi, ac reuerendi patres domini Epiſcopi, Abbates, & oratores principum, Illuſtres Domini & alij quàm plures doctores & magiſtri & equites ac nobiles, in primis reuerendiſſ. Domini

EPISCOPI CARDINALES.

Reuerend. D. Raphael Oſtien.
Reuerend. D. Dominicus Portuen.
Reuerend. D. Iacobus Albanen.
Reuerend. D. Marcus Præneſtinus.
Reuerend. D. Franciſcus Sabinen.

PRESBYTERI CARDINALES.

Reuerend. D. Thomas tituli ſancti Martini in montib. Strigonien.
Reuerend. Dom. Franciſcus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli.
Reuerend. D. Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerend. D. Hadrianus tituli ſancti Chryſogoni.
Reuerend. Dominus Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Nanneten.
Reuerend. D. Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennen.
Reuerend. D. Carolus tituli S. Cæciliæ.
Reuerend. D. Antonius tituli S. Vitalis, Sipontin.
Reuerend. D. Matthæus tituli S. Potentianæ.
Reuerend. D. Petrus tituli ſancti Euſebij, Anconitan.
Reuerend. D. Achilles tituli S. Sixti, Bononien.
Reuerend. D. Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de Saulis.

DIACONI CARDINALES.

Reuerend. D. Alexander S. Euſtachij, Farneſius.
Reuerend. D. Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſ. D. Marcus ſanctæ Mariæ in porticu de Cornelijs.
Reuerend. D. Sigiſmundus S. Mariæ nouæ.
Reuerendus D. Alphonſus S. Theodori.

PATRIARCHÆ ET ASSISTENTES PAPAE.

Reuerendus P. D. Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus P. D. Alphonſus Antiochenus.
Reuerendus P. D. Franciſcus Conſanus.
Reuerendus P. D. Ioannes Vincentius Senen.
Reuerendus P. D. Robertus Rheginus.
Reuerendus P. D. Fredericus Salernitan.
Reuerendus P. D. Gabriel Dyrrhachien.
Reuerendus P. D. Ioannes Baptiſta Caualliccen.
Reuerendus P. D. Scaramuza Cumanus.
Reuerendus P. D. Pompeius Reatinus.
Reuerendus P. D. Ioannes Franciſcus Taurinenſ.
Reuerendus P. D. Bernardus* Teruiſinus Epiſcopus, & Gubernator vrbis. *Taruiſinus
Reuerendus P. D. Hercules Epiſcopus Auguſtenſis, orator Sabaudiæ.
Reuerendus P. D. Bertrandus Epiſcopus Adrien. & orator Ducis Ferrariæ.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerendus P. D. Stephanus Patracen.
Reuerendus P. D. Iulius Corinthien.
Reuerendus P. D. Aldronandinus Nicoſien.
Reuerendus P. D. Bernardus Spalaten.
Reuerendus P. D. Vincentius Neapolitan.
Reuerendus P. D. Hieremias Tranen.
Reuerendus P. D. Orlandus Auinionen.
Reuerendus P. D. Rainaldus Raguſin.
Reuerendus P. D. Andreas* Noboniaſien. *Monembaſien.
Reuerendus P. D. Petrus Arboren.
Reuerend. P. D. Giſbertus Surrentin.
Reuerend. P. D. Georgius Nazarenus.
Reuerend. P. D. Iulius Florentin.

EPISCOPI.

Reuerend. P. D. Iacobus Pontentin.

Reuerend.

Genocius Reuerend. pater D. *Genocius Troian.
Reuerendus P. D. Simon Arimineñ.
Reuerendus P. D. Iacobus Paphen.
Reuerendus P. D. Albertus *Valuen.
Motaen. Reuerendus P. D. Ioannes Baptiſta *Maranen.
Reuerend. pater D. Bartholomæus Iuſtinopolitanus.
Reuerend. pater D. Aloyſius Interamnen.
Reuerendus P. D. Ioannes Aquilanus.
Reuerend. pater D. Ioannes Petrus Theatin.
Reuerend. pater D. Iacobus ciuitatis ducalis.
Reuerendus P. D. Marinus Ceneten.
Reuerendus P. D. Iacobus Fauentin.
Budinen. Reuerendus P. D. Hieronymus *Biduanen.
Reuerendus P. D. Dominicus Lucerin.
Reuerendus P. D. Ioannes *Sibinicen.
Sebonicen. Reuerend. P. D. Alexius Melphitanus.
Reuerend. P. D. Franciſcus Spoletan.
Reuerendus P. D. Andreas Militeñ.
Reuerendus P. D. Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerendus P. D. Franciſcus Sueſſanus.
Reuerend. P. D. Petrus Vrgellen.
Reuerend. P. D. Hugo Rhegin.
Bellunē. Reuerend. P. D. Galeſius *Belunen.
Reuerendus P. D. Ioannes Antonius Calinen.
Reuerend. P. Alexander Alexandrinus.
Reuerendus P. D. Iulianus Agrigentiñ.
Reuerend. P. D. Bernardinus *Polycaſtren.
Reuerendus P. D. Ioſue Eſculan.
Reuerendus P. D. *Marius *Vgentinus.
Marcus. Reuerend. P. D. Petrus Narnien.
Ogentius Reuerendus pater Dominus Ioannes Franciſcus Spigacenſ.
Lauellē. Reuerend. P. D. Andreas *Litren.
Auellaen. Reuerend. P. D. Simon Modruſien.
Reuerendus P. D. Ioannes Franciſcus *Lauellineñ.
Inſulen. Reuerend. P. D. Hieronymus *Ilcinen.
Oſtunen. Reuerend. P. D. Conradus *Aſtunen.
Scabonius Reuerend. P. D. *Scribonius Imolen.
Reuerendus P. D. Iulianus Vulteran.
Reuerend. P. D. Hugolinus Licien.
Reuerendus P. D. Antonius Vrbinaten.
Reuerend. P. D. Bernardus Soranus.
Reuerendus P. D. Nicolaus *Pergamen.
Bergonen. Reuerend. P. D. Paris Piſaurien.
Reuerend. P. D. Andreas Anſaren.
Acernen. Reuerend. P. D. Ioannes *Acerranen.
Callinen Reuerendus P. D. Thomas *Callen.
Caliacen Reuerend. pater D. Albertus Sebaſten.
Reuerendus P. D. Vincentius *Caiacianus.
Caiacen. Reuerend. P. D. Hieronymus Aſculan.
Reuerend. P. D. Iacobus Signen.
Vmbriaticen. Reuerend. P. D. Matthæus *Vmbriacen.
Reuerendus P. D. Franciſcus Biſignianen.
Reuerend. P. D. Benedictus Chien.
Reuerend. P. D. Latinus Veſtanus.
Tribunien. Reuerendus P. D. Ioannes *Tribunienſis.
Reuerend. P. D. Ludouicus Tricaricenſis.
Reuerendus P. D. Petrus Caſtelli maris.
Reuerend. P. D. Claudius Belicenſis.
Lectorien. Reuerend. P. D. Paulus *Lectorenſis.
Reuerend. P. D. Theſeus *Racanatenſis.
Maceraten. Reuerendus P. D. Ioannes Elnen.

ABBATES.

Reuerend. P. D. Antonius S. Galgani.
Reuerend. P. D. Ioannes S. Sebaſtiani extra vrbem.

ORATORES.

Illuſtris D. Albertus de Carpi, sereniſſimi Maximiliani Romanorum Regis Orator.

Magnificus dominus Hieronymus Vich, Illuſtr. & Catholici Ferdinandi regis Aragonum, & Caſtellæ gubernatoris Orator.

Magnificus dominus Franciſcus Foſcarus, Illuſtriſſ. Dominij Venetorum Orator.

Reuerendus pater Dominus protonotarius Marinus Charatius, illuſtr. Domini Maximiliani ducis Mediolanenſis orator.

Dominus Iacobus Saluiati & Franciſcus Victorius, dominij Florentinorum Oratores.

Illuſtr. Dominus Ludouicus Comes Petiliani.

SENATOR VRBIS ET conſeruatores.

Illuſtr. Dominus Iulius Senator vrbis.

Dominus Hieronymus Venzo, & dominus Stephanus Carbon.

Celebrata itaque Miſſa per reuerendiſſimum dominum Franciſcum Epiſcopum Sabinenſem, Cardinalem Vulteranum, & habita oratione per reuerendum patrem dominum Simonem Epiſcopum Modruſienſem, cuius tenor in fine præſentis ſeſſionis deſcribitur, cantatiſque Litanijs & Euangelio per reuerendiſſimum dominum Alphonſum ſancti Theodori diaconum Cardinalem, quod incipit, Cùm eſſet ſerò die illa vna ſabbatorum, &c. ſanctiſſimus dominus noſter Papa incepit hymnum, Veni creator ſpiritus &c. Quo finito, idem ſanctiſſimus dominus noſter habuit orationem, & incipit, Paſtoralis officij &c. exhortando patres exiſtentes in Concilio, ad cogitandum ea, quæ viderint pro Republica Chriſtiana expedire. Et etiam dixit intentionis ſuæ ſanctitatis eſſe, continuare Concilium, donec fiat vniuerſalis concordia & pax inter Chriſtianos. Finita huiuſmodi oratione, ſupradictus magnificus dominus Iacobus Saluiati Orator Florentinorum, præſentauit mandatum præfato Domino noſtro nomine dicti dominij ad intereſſendum Concilio. Et immediatè idem dominus noſter dedit illud reuerend. patri domino Thomæ Phædræ legendum in ambone. Qui aſcendit ambonem, & legit tenoris infraſcripti.

MANDATVM FLOREN-tinorum.

IN Nomine Dei, Amen: Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti ab eius ſalutifera incarnatione 1513. Indictione prima, die verò quarta menſis Aprilis, tempore Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini, domini Leonis diuina prouidentia Papæ Decimi, cum ſuperioribus menſibus, die videlicet trigeſima menſis Decembris, 1513. ſacroſancto Concilio Lateranen. per ſe. me. Iulium Pontificem maximum indicto & celebrato, intereſſe atque adhærere ſummoperè cuperemus, vt veros Chriſtianos decet, mãdauimus tribus legatis noſtris tunc, ac etiam ad præſens Romæ degentibus, Iacobo videlicet Saluiato, Matthæo Strozæ, ac Franciſco Victori, nobilibus ciuibus noſtris & cuilibet ipſorum in ſolidum, vt noſtro nomine tali muneri atque officio in tali Concilio intereſſent, atq; adhærerent, vt de tali mandato per nos facto & celebrato, publicum conſtat documentum infraſcripti tenoris & exempli.

IN Dei nomine, Amen. Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti ab eius ſalutifera incarnatione 1513. Indictione prima, die verò trigeſima menſis Decembr. tempore Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini, D. Iulij diuina prouidentia Papæ Secundi: Proſpexit tandem Deus noſter de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram adſpexit. (Pſal. 101.) Fluctuante enim Chriſtiana nauicula & periclitante, ne ictibus mergeretur vndarum immanium & peſſimarum, dies tandem illuxit, quo ventorum rabie ſedato, & placatis poſitiſque procellis, ſalutare nauis repererit portum Chriſti, qui cùm in terris homo factus verſaretur ſalutem mundo illaturus, nulli rei magis incubuit, nihil præ ſe tulit vberius, quàm vt pacem procuraret, ſuis pacem relinqueret. Neq; à nobis poſtmodum diſceſſurus quicquam dulcius mandauit diſcipulis, quàm vt pacem colerent, paci ſtuderent, pacem rebus in omnibus amplexarentur. Neque id mirum. Quid enim pace ſanctius, quid iucundius, quid vel nomine ipſo pacis ſuauius? Hæc enim bonos

nutrit,

nutrit, diſperſos cogit, noxia quæque tollit, & ſalutem perennem non parat modò, ſed præſtat. Hac vna re motus ſanctiſſimus ac beatiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter, Dominus Iulius diuina prouidentia Papa Secundus, & Catholicæ Eccleſiæ Pont. Max. verus & indubitatus Chriſti vicarius, Petri ſucceſſor, cùm videret Chriſtianam pacem atque vnitatem diſcindi atque dilacerari, plures in vinea Domini Sabaoth hæreſes pullulare, apros de ſylua imminere, vineã ipſam iamiam profanaturos atque exterminaturos, ſchiſma inter Chriſtianos ſerpere, mortiferumque & abominandum, lupos complures ouium pellibus amictos, Dominicum gregem inuadere, occurrendum protinùs imminenti malo, atq; exterminandum tam immane facinus duxit. Ideoque de conſenſu ſacroſancti reuerendiſſimorum Cardinalium collegij, Concilium ſuperiore anno indixit legitimum ſacroſanctum Romæ apud ſanctam Lateranenſem Eccleſiam, ad quã Chriſtiani omnes conuenirent, ab eo vocati in communem defenſionem Chriſtianę Reipublicæ, & eorum animaduerſionem, qui tunicam inconſutilem atque vnicam Domini noſtri Ieſu Chriſti diſcindere, in parteſque varias diſtrahere moliuntur. Cumque Florentinæ Reipublicę, inter Chriſtianas primarias Reſpublicas non poſtremæ, ad Conciliumque huiuſmodi vocatæ, partes ſuas tueri, neque communi rei deeſſe conueniat, obſequendum votis vocationique ſanctiſſimi domini noſtri Papæ ſtatuit, vt Chriſtianos principes decet. Idcirco cũ reſp. ipſa coram intereſſe Lateran. ſacroſancto Concilio non poſſit, communem cæterorum vſum ſecuta, vicarios ſuos tali muneri deſtinandos decreuit. Quapropter nos Priores libertatis, & Vexillifer iuſtitiæ populi Florentini de Balia, vnà cũ Concilio noſtro Baliæ, omnibus modis, quibus magis, meliùs & validius potuimus ac poſſumus, ſtatutorum ac legum noſtræ reipublicæ more ſeruato, facimus, conſtituimus, creamus & ſolenniter ordinamus procuratores noſtros & noſtræ reipublicæ, ac vices noſtras ac Reipubl. ipſius noſtræ demandamus nobilibus ciuibus noſtris Iacobo Saluiato Ioannis filio, Matthæo Strozæ Laurentij filio, & Franciſco Victori Petri filio, oratoribus noſtris apud ſummum Pontificem Romę degentibus, quibus omnibus ſimul, & vnicuique ipſorum ſeiunctim & ſeparatim, noſtras noſtræque Reip. vices mandauimus atque mandamus, vt ſacroſancto Concilio Lateranen. prædicto, noſtro nomine interſint, adſiſtant, adhæreãt, præſtent & tranſigant, quæ à nobis noſtraque Republic. præſtari, exhiberi ac tranſigi quoquo modo poſſint in decus, honorẽ, dignitatem, amplitudinemque præfati ſacroſancti Concilij Lateranen. & exaltationem eiuſdem S. D. N. Iulij II. Pont. Max. & ſanctæ Rom. Eccleſiæ Catholicæ antedictæ, dantes eiſdem Oratoribus noſtris, & eorum cuilibet ampliſſimam authoritatem, poteſtatem atque arbitrium ad omnia & ſingula in prædictis & circa prædicta, videlicet, quæ in tam pio, & ſalutari, ac religioſo negocio tractanda, peragenda, promittẽda, præſtanda, & executioni mandanda, atque adimplenda forent, quæ nos cum præfato noſtro Concilio Baliæ ex forma ſtatutorum ac legum Reipubl. noſtræ quoquo modo facere, tractare, promittere, præſtare, ac executioni mandare, atque adimplere poſſemus ac poſſumus, & quæ nos ipſi facere poſſemus, ſi præſentes præfato ſacroſancto Cõcilio intereſſemus, promittentes omnia & ſingula à præfatis oratoribus noſtris vel altero ipſorum, facta, geſta, promiſſa, præſtitaque in præmiſſis & circa præmiſſa nos approbaturos eſſe, rataque & grata in perpetuum habituros, decernentes præſens noſtrũ mandatum vires habiturum & duraturum, donec præfati oratores noſtri vel ipſorum quilibet, in præfata legatione permanſerit apud præfatum S. D. N. Iulium Pont. Maxi. In quorum omnium fidem & teſtimonium præſens mandatum fieri iuſſimus & publicari in forma noſtræ Reipub. conſueta. Datum in palatio noſtro, die quo ſuprà.

Ego Antonius olim ſer. Anaſtaſij, ſer Amerigi de Veſpuccis, Imperiali authoritate iudex ordinarius, notariuſque publicus & ciuis Florentinus, necnon cancellarius extractus officiorum populi & communis Florentiæ, prædictis omnibus & ſingulis, dum ſic agebantur, interfui: eaque rogatus ſcribere, ſcripſi rogatus & publicaui, & in hanc publicam formam redegi, & alijs magis arduis negocijs occupatus, alij mihi fido ſcribendum commiſi. Et quia cum meo originali concordare inueni, ideo in fidem præmiſſorum me ſubſcripſi, & ſolito mei ſigno ſignaui. Nunc autem eodem Iulio Pontifice Maxi. ab humanis ſubtracto, & in legitimum eius locum ac ſanctæ ſedis Apoſtolicæ ſucceſſorem diuina prouidentia ſuffecto ſanctiſſimo ac beatiſſimo D. N. D. Leone X. Pont. Maxim. vero Chriſti vicario, ac Petri legitimo ſucceſſore, qui idem ſacroſanctum Lateranenſe Concilium in Chriſtianæ Reipubl. ſanctificationem ac decus proſequi & celebrare pro ſua diuina clementia deſtinat, ita nobis ſignificantibus præfatis legatis, præfati ſanctiſſimi D. noſtri nomine non viſum eſt, vt cõmuni Chriſtianorum cauſæ, tam ſanctæ, tam Diuinæ, quantum in nobis eſt, deſimus: idcirco notum ſingulis atque vniuerſis eſſe volumus, quibus intereſt, aut quomodolibet intereſſe poſſet, ſi qua in re per præfati felicis recordatio. Iulij Pontificis obitum, eidem mãdato noſtro ſubtractum, aut aliqua in parte diminutum quomodolibet ſit, aut eſſe per quenquam putaretur, id nos omnemq; Rempublicam noſtram huius inſtrumenti noſtri ſerie penitus ſupplere, inſtaurare & ſufficere. Volumuſque eiuſmodi mandatum omni dubitatione ſemota, in ſuo robore penitùs perſtare & remanere, eoſdemque legatos noſtros & quemlibet eorum, eadem facultate, authoritate & poteſtate frui debere & poſſe, qua frui debebant ac poterant, dum præfatus fel. me. Iulius pontifex maximus in humanis ageret, decernentes præſens noſtrum mandatum vires habere ac durare debere, donec præfati oratores noſtri vel ipſorum quilibet in præfata legatione permanſerit apud præfatum ſanctiſſ. dominum noſtrum, dominum Leonem Decimum Pontificem Maximum. In quorum omnium fidem ac teſtimonium, præſens fieri iuſſimus inſtrumentum, eundemque Antonium Veſpuccium ſecretarium noſtrum, notariumque publicum, de prædictis vnum ſeu plura, prout opus fuerit, conficere inſtrumenta. Datum in palatio noſtro, die quo ſuprà.

Ego idem Antonius olim ſer Anaſtaſij, ſer Amerigi de Veſpuccis, Imperiali authoritate iudex ordinarius notariuſq; publicus & ciuis Florentinus, necnon cancellarius extractus officiorum populi & communis Florentiæ. prædictis omnibus & ſingulis dũ ſic agebantur, interfui: eaq; rogatus ſcribere ſcripſi, rogaui & publicaui, & in hanc publicam formam redegi. Et alijs magis arduis negocijs occupatus, alij mihi fido ſcribere commiſi. Et quia cum meo originali concordare inueni, ideo in fidem præmiſſorum me ſubſcripſi, & ſolito mei ſigno ſignaui.

Deinde dominus Marius de Peruſchis procurator Concilij, reproduxit bullam ſeu monitorium contra profitentes pragmaticam, tenoris prout ſuprà continetur, dans eius executionem, à tergo videlicet:

Anno à natiuitate Domini 1513. Indictione prima, pontificatus ſanctiſſimi domini Iulij Diuina prouidentia Papæ Secundi anno decimo, die verò quintadecima menſis Februar. præſentes retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ præfati ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, fuerunt affixæ & publicatæ in metropolitana Mediolanenſi, & in cathedrali Papienſi die decimaſexta, ac cathedrali Aſtenſi die decimaoctaua menſis Februarij, affixæ & publicatæ in valuis ſeu portis, & ibidem per lõgum temporis ſpatium dimiſſæ, vt ab omnibus ibidem ſtantibus legi & intelligi poſſent. Deinde copiæ earundem literarum ibidem affixæ, dimiſſæ fuerunt in ſignum veræ publicationis earundem literarum prædictarum, per me Franciſcum Vaca, ſanctiſſimi domini noſtri Papæ curſorem, & dictus dominus Marius procurator accuſauit eorum contumaciam prælatorum & aliorum intereſſe debẽtium ſacro Concilio huiuſmodi, & non intereſſentium, petens decerni citationem contra eoſdem, & ſanctiſſimus dominus noſter nihil reſpondit. Demum excluſis alijs non habentibus vocem diffinitiuam, exceptis oratoribus & Baronibus ac prælatis, & clauſis portis dicti Concilij, vt moris eſt, ſanctiſſimo domino noſtro Leone decimo, cum cæteris prælatis, ſacris veſtibus indutis & mitratis, in ſuis locis conſidentibus, Reuerendus pater dominus Robertus Archiepiſcopus Rhegin. aſcendit ambonem, & legit ſchedulam tenoris infraſcripti, de mandato dicti ſanctiſſimi domini noſtri.

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Superna illius ordinatione, qui cœleſtia & terreſtria omnipotentis prouidẽtia

moderа-

moderatur, ſanctæ ſuæ vniuerſali Eccleſiæ licèt immeriti præſidentes, inter multiplices curas, quibus aſſiduè angimur, doctoris gentium ſalubri ſanctiſſimaque doctrina moniti, ad ea maximè aciem noſtræ mentis conuertimus, per quæ in Eccleſia ipſa perpetua vnitas & charitas inuiolata perdurent, grexque nobis commiſſus, rectis tramitibus in viam ſalutis procedat, ac Chriſticolarum nomen & precioſæ crucis ſignum, in quo fideles ſaluati ſunt, infidelibus depulſis, dextera Dei aſſiſtente, latiùs diffundatur. Sanè poſtquàm felicis recordationis Iulius Papa Secundus prædeceſſor noſter, ſacrum generale Lateranenſe Concilium, de venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. cardinalium, de quorum numero tunc eramus, conſilio & aſſenſu, laudabiliter, legitimè, & ex rationabilibus cauſis Spiritu ſancto cooperante, & in eo quinque ſeſſiones tenuerat, ſextamque ſeſſionem tertio Idus præſentis menſis faciendam indixerat, nos dicto prædeceſſore de medio ſublato, extunc expreſſis & alijs cauſis noſtrum & dictorū fratrum animum mouentibus, ſextam ſeſſionem huiuſmodi, de eorundem fratrum conſilio & aſſenſu, vſque in hodiernum prorogauimus. Cùm autem in minoribus conſtitutis ſemper nobis inſitum cordi fuerit, generale Concilium (vtpotè agri Dominici culturam præcipuam) celebrari videndi, nunc ad Apoſtolatus apicem aſſumpti, honeſto vtilique deſiderio noſtro, debitum ex iniuncto nobis curæ Paſtoralis officio acceſſiſſe conſpicientes, rem hanc ardentiori voto & tota animi alacritate ſuſcepimus. Itaque prorogationem huiuſmodi per nos factam, approbante eodem ſacro Lateranenſi Concilio, approbamus, ac Concilium, vſque ad perfectionem cauſarū, propter quas indictum extitit, & præſertim, vt inter Principes & potentatus Chriſtianos bellis atrocibus pacatis, hoſtilibuſque armis depoſitis, vniuerſalis & firma pax componi valeat, pro qua indefeſſa ſolicitudine, nihil pro tam ſalubri bono intactum relinquendo, omnes conatus noſtros adhibere intendimus, proſequi & fine debito terminare velle, noſtrique incommutabilis animi & intentionis fore & eſſe declaramus, vt ijs, quæ ad Dei laudem, Eccleſiæq; præfatæ exaltationem, ac Chriſti fidelium concordiam pertinent, peractis, ſancta ac neceſſaria expeditio contra catholicæ fidei hoſtes fieri, feliciterque ex illis (altiſſimo fauente) triumphari poſſit. Vt autem ad tantum perutile Concilium accedere debentes ab acceſſu huiuſmodi quomodolibet non retrahantur, omnibus & ſingulis, ad celebrationem Concilij præfati per dictum Iulium prædeceſſorem conuocatis, aut in congregationibus Cōciliorum generalium, de iure vel conſuetudine intereſſe debentibus, præſertim Gallicæ nationis, & ad dictum Concilium Lateranenſe venientibus, (ſchiſmaticis, & alijs quibuſcunque, de iure communi vel ſpeciali, per ſententiam ſeu literas Apoſtolicas prædeceſſorum noſtrorum, vel ſedis Apoſtolicæ prohibitis, duntaxat exceptis) venientiumque ſeruitoribus & familiaribus, cuiuſcunque ſtatus, gradus, conditionis vel nobilitatis exiſtentibus, eccleſiaſticis & ſecularibus, pro ſe & eorum bonis quibuſcunque, non obſtantibus quibuſuis cenſurarum, & pœnarum eccleſiaſticarum & ſecularium adiectionibus, cōtra eos, ex quibuſuis cauſis, à iure, vel per ſedem præfatam, ſub quibuſuis verborum formis & clauſulis generaliter promulgatis, & quas generaliter incurrerunt, per ciuitates, terras, & loca terreſtria & maritima Romanæ Eccleſiæ præfatæ ſubiecta, ad Concilium Lateranenſe ad vrbem huiuſmodi veniendi, & in ea morandi, & liberè conſulendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, liberum, tutum, plenum & omnimodum ſaluum conductum, cum plena, libera, tuta & omnimoda ſecuritate, atque in vera & infallibili fide Pontificia, approbante ſacro Cōcilio præfato, harum ſerie damus & concedimus. Et nihilominùs omnes & ſingulos Reges, Principes & potentatus Chriſtianos per literas noſtras hortabimur, monebimus & requiremus, vt pro ſummi Dei & Apoſtolicæ ſedis reuerētia, venientes ad ſacrum Lateranenſe Concilium huiuſmodi, directè vel indirectè, quomodolibet in perſona, vel bonis nō moleſtent, ſeu moleſtari faciant, ſed eos liberè, ſecurè & quietè venire permittant. Cæterùm pro exequenda celebratione ipſius Concilij, ſeptimam ſeſſionem decimo Calendas Iunij proximè futuri faciendam indicimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, declarationis, continuationis, proſequutionis, cōceſſionis, monitionis, & requiſitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, Anno incarnationis Dominicæ 1513. quinto Calend. Maij, Pontificatus noſtri anno primo.

Die Mercurij vigeſima ſeptima Aprilis, milleſimo quingenteſimo tertiodecimo. Lecta per reuerendum dominum Robertum Archiepiſcopum Rhegin.

Qua perlecta, petijt idem Reuerend. dominus Archiepiſcopus, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et omnes reſponderunt, placere contenta in ſchedula. Et fuit indicta ſeptima ſeſſio decimo Calen. Iunij. Super quibus omnibus & ſingulis præfatus dominus Marius procurator petijt inſtrumentum & inſtrumenta.

Demum reuerendus pater dominus Carolus Orpheus ſedis Apoſtolicæ notarius, dedit mandatum reuerendi patris domini Pauli Zanæ Epiſcopi Brixien. & inſtrumentum excuſationis illius. Et reuerend. pater dominus Franciſcus Inſert, literarum Apoſtolicarum ſolicitator, dedit mandatum reuerendi patris domini Georgij epiſcopi Colimbrien. Et reuerend. pater dominus Bernardus Archiepiſcopus Spalaten. dedit mandatum reuerendi patris domini Octauiani epiſcopi Viterbien. & dominus Iacobus Gerteuuitz dedit mandatum reuerend. patris domini Ioannis Epiſcopi Miſnenſis, ad intereſſendum Concilio huiuſmodi.

CONGREGATIO PRÆLATORVM in Lateranenſi palatio pro rebus Concilij.

Anno à natiuitate Domini 1513. Indictione prima, die verò Veneris, decimaquarta menſis Maij, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis Papæ decimi anno primo, poſt meridiem, in baſilica Lateran. in aula qua itur ad ſancta ſanctorum, vulgariter nuncupata aula Concilij, fuit congregatio prælatorum exiſten. in vrbe. Et fuerunt præſentes Cardinales Generales ordinū, videlicet:

Reuerendiſſ. Dominus Raphael Epiſcopus Oſtienſis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ camerarius, Cardinalis ſancti Georgij nuncupatus.

Reuerendiſſ. Dominus Thomas S. Martini in montib. presbyter Cardinalis, Strigonienſis nuncupatus.

Reuerendiſſ. Dominus Alexander S. Euſtachij diaconus Cardinalis, de Farneſio nuncupatus.

Inſuper fuerunt præſentes octuaginta & ſeptem Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi. Fuitq; propoſitum per præfatum reuerendiſſimum Raphaelem Epiſcopum Oſtien. etiam de mandato ſanctiſſimi domini noſtri, quòd difficile foret, pro ſingulo negocio tractando in Concilio congregare omnes prælatos: ideo ſequendo ordinem & modum aliorum Conciliorum, paternitates ſuæ eligerent aliquos prælatos graues & doctos, qui eſſent vnà cum reuerendiſſimis Cardinalibus ad pertractandum coram ſanctiſſimo domino noſtro ea, quæ in ſeſſionibus Conciliaribus eſſent proponenda. Et ita prælati ibidem exiſtentes dixerunt fore honeſtum & rationi conſonum. Et ad electionem prælatorum deputandorū proceſſerunt, mediantibus fabis albis & nigris, ſeu cum fabis albis & nigris, & ita elegerunt viginti quatuor prælatos, videlicet:

Reuerendiſſ. dominum Bernardum Epiſcopum Teruiſin. gubernatorem vrbis.
Archiepiſcopum Senen.
Epiſcopum Terdonen.
Epiſcopum* Biduanen.
Archiepiſcop. Salernitan.
Archiepiſcopum Florent.
Epiſcopum Cuman.
Archiepiſcopum Tranen.
Epiſcopum Fauentin.
Epiſcopum Militen.
Epiſcopum Caſtelli maris.
Epiſcopum Signen.
Epiſcopum Morduſien.
Epiſcopum Alexandrinum.

*Budinen

Epiſco-

Epiſcopum Caualliceñ.
Archiepiſcopum Rheginum.
Archiepiſcopum Spalateñ.
Epiſcopum * Reliſiñ.
Epiſcopum Iuſtinopolitañ.
Archiepiſcopum Nazarenum.
Epiſcopum * Inſuleñ.
Epiſcopum Vrbinateñ.
Epiſcopum Anglioneñ.
Epiſcopum Taurineñ.

* Ilcinen.

PROROGATIO SEPTImæ Seſſionis.

Deinde die vigeſima ſupradicti menſis Maij, diſcretus vir Dominus Enrardus Duuiuer, præfati ſanctiſsimi domini noſtri curſor, retulit ſe affixiſſe literas prorogationis ſeptimæ Seſsionis tenoris infraſcripti:

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Prouidentia ſedis Apoſtolicæ plurimùm circumſpecta, nonnunquam ea, quæ certis tunc ſuadentibus cauſis & rationibus, ſtatutis temporibus facere diſpoſuit, ex alijs non minùs ponderandis rationibus & cauſis, in aliud tempus in melius cõmutat & prorogat, prout id in Domino videt ſalubriter expedire. Cùm itaque in ſexta ſeſſione ſacri Lateranen. Concilij ſolenniter celebrata, in qua nos Concilium proſequi, & fine debito terminare velle, eodem ſacro Concilio approbante nunciauimus, ſeptimam ſeſſionem Concilij præfati decimo Calend. Iunij proximè futuri faciendam indixerimus, & certis ſuperuenientibus legitimis cauſis, præſertim quia propter temporis anguſtiam materiæ in dicta ſeſſione proponendæ prælatis deputatis & alijs generaliter intereſſe in dicta ſeſſione debentibus, notificari non potuerunt: aduentus quoque venerabilis fratris Ioannis Archiepiſcopi Gneznen. Primatis Poloniæ, chariſſimi in Chriſto filij noſtri Sigiſmundi Poloniæ regis oratoris, ad præſtandum nobis dicti regis nomine obedientiam, & adhærendũ ac ſe incorporandũ nomine totius Polonicæ nationis ſacro Lateranen. Cõcilio, ad vrbẽ de proximo expectatur, qui dictæ ſeptimæ ſeſſioni, quæ vltima erit antè Calend. Octobr. proximè venturi, intereſſe cupit: alijſque cauſis, nobis & venerabilibus fratrib. noſtris S.R.E. Card. notis, ſeptima ſeſſio decimo Calend. huiuſmodi commodè celebrari non poſſit, ſatiuſque viſum ſit, eam ad aliquot paucos dies poſt decimum Calend. præfatas celebrandam prorogare: Nos vrgentibus rationibus moti, de fratrum prædictorum conſilio & vnanimi aſſenſu, ſeptimam ſeſſionem prædictam ad x v. Calend. Iulij, quæ erit vj. feria prorogamus, & ipſam x v. Calend. Iulij, faciendam indicimus. Data Romæ in palatio Apoſtolico, die x x. menſis Maij, 1513. Pontificatus noſtri anno I.

PLACET.

Anno à natiuitate Domini 1513. Indictione prima, die verò tertia menſis Iunij, ſanctiſſimus dominus noſter diuiſit ſupradictos prælatos deputatos per congregationem, vt aliqui eorum tractarent ea, quæ ſpectant ad pacem vniuerſalem componendam inter principes Chriſtianos, & etiam quæ ſpectant extirpationi ſchiſmatis: & alij ad tractandum ea, quæ ſpectant ad fidem: & ſuper reformatione & abolitione pragmaticæ ſanctionis. Et etiam ſanctitas ſua vltra prælatos deputatos per congregationem, addidit alios, qui intereſſe deberent congregationibus particularibus faciendis, ac etiam addidit Generales ordinum. Deputati fuerunt tales & primo:

DEPVTATIO PRO REBVS PACIS VNIuerſalis componendæ inter Principes Chriſtianos, & pro extirpatione ſchiſmatis, eſt de infrà ſcriptis, videlicet:

Reuerendiſſ. Dominus Vulterañ.
Reuerendiſſ. Dominus Strigonieñ.
Reuerendiſſ. D. Surrentinus.
Reuerendiſſ. Dominus de Fliſco.
Reuerendiſſ. D. ſancti Chryſogoni.
Reuerendiſſ. Dominus de Finario.
Reuerendiſſ. Dominus de Farneſio.
Reuerendiſſ. Dominus Mantuañ.

PRÆLATI HIS ADIVNGENDI, ſunt infraſcripti electi per vniuerſos prælatos Concilij.

Reuerendiſſ. Dominus Gubernator Epiſc. Teruiſinus.
Reuerend. Dominus Terdoneñ.
Reuerend. Dominus Biſignieñ.
Reuerend. Dominus Salernitañ.
Reuerend. Dominus Florentiñ.
Reuerend. Dominus Cumañ.
Reuerend. Dominus Theatinus.
Reuerend. Dominus Fauentiñ.

ADDITI PER SANCTISSIMVM DOminum noſtrum, de his, qui non interfuerunt congregationi tempore electionis:

Reuerend. Dominus Archiepiſcopus Gnezneñ. orator Poloniæ.
Reuerend. Dominus Epiſc. Rheatiñ.
Reuerend. Dominus Generalis Auguſt. eremitarum.
Reuerend. Dominus Generalis Seruorum.

DEPVTATIO PRO GENERALI REformatione Curiæ & officialium eſt de inſcriptis.

Reuerendiſſ. Dominus Camerarius.
Reuerendiſſ. Dominus Senogallieñ.
Reuerendiſſ. Dominus Agenneñ.
Reuerendiſſ. Dominus Eboraceñ.
Reuerendiſſ. Dominus ſancti Vitalis.
Reuerendiſſ. Dominus Seduneñ.
Reuerendiſſ. Dominus Aragoneñ.
Reuerendiſſ. Dominus de Cornelijs.

PRÆLATI HIS ADIVNGENDI, ſunt infraſcripti, electi per vniuerſos prælatos Concilij.

Reuerend. Dominus Seneñ.
Reuerend. Dominus * Militeñ.
Reuerend. Dominus Caſtelli maris.
Reuerend. Dominus Signinus.
Reuerend. Dominus Modruſienſ.
Reuerend. Dominus Alexandrinus.
Reuerend. Dominus Caualliceñ.
Reuerend. Dominus * Rhegiñ.

ADDITI PER SANCTISSIMVM DOminum noſtrum de his, qui non interfuerunt congregationi tempore electionis.

Reuerend. D. Dominicus Luceriñ.
Reuerend. Dominus Epiſcopus Auguſteñ. Orator Sabaudiæ.

Digitized by Google

Reuerend. D. Generalis Carmelitarum.
Reuerend. D. Generalis Camalduleñ.

DEPVTATIO SVPER MATERIA pragmaticæ & rebus fidem tangentibus, eſt de infraſcriptis.

Reuerend. Dominus Grimanus.
Reuerend. Dominus Arboreñ.
Reuerend. Dominus Nanneteñ.
Reuerend. Dominus Vicecancellarius.
Reuerend. Dominus S. Euſtachij.
Reuerend. Dominus Bononieñ.
Reuerend. Dominus de Saulis.
Reuerend. Dominus de Petrucijs.

PRÆLATI HIS ADIVNGENDI, ſunt infraſcripti, electi per vniuerſos prælatos Concilij.

Reuerendiſſ. Dominus Spalateñ.
Reuerendiſſ. Dominus Raguſiñ.
Reuerendiſſ. Dominus Iuſtinopolitañ.
Reuerendiſſ. Dominus Nazareth.
Reuerendiſſ. Dominus * Ilcineñ.
Reuerendiſſ. Dominus Vrbinateñ.
Reuerendiſſ. Dominus Angloneñ.
Reuerendiſſ. Dominus Taurineñ.

ADDITI PER SANCTISSIMVM DOminum noſtrum de his, qui non interfuerunt congregationi tempore electionis.

Reuerend. Dominus † Sibiniceñ.
Reuerend. Dominus Melfitañ.
Reuerend. pater Generalis Prædicatorum.
Reuerend. pater Generalis Minorum.
Ita placet, & deputamus.

Deinde ſupradicti deputati diuerſis vicibus conuenerunt in vnum, tractantes & cõſulentes in tribus diuerſis locis, prout fuerunt deputati, de rebus pacis, fidei, & reformationis, in Palatio tamen Apoſtolico diuerſis Cameris, ſiue aulis, & locis, vbi ſteterunt ad plures horas qualibet vice clauſi, ad diſcutiendum & examinandum materias proponendas in ſacro Lateranenſi Concilio & ſequentibus ſeſſionibus tenendis & celebrandis. Quæ poſtmodum in dictis ſeſſionibus poſt longam & maturam diſcuſſionem expeditæ fuerunt, vt infrà apparebit.

SIMON BEGNIVS EPISCOPVS MOdruſieñ. Bernardino de * Frangepanibus, Modruſiæ, &c. Comiti ſalutem.

CONſtitueram omnino, princeps Illuſtris, orationem hanc nõ edere, vtpotè quæ ſilentio potius premi, quàm in hominum exire notitiam mereatur: Ne ſi quid fauoris aut gratiæ (dũ recitaretur paulò ante) conſecuta eſt, totũ id nunc, ſua in lucem prodeundi temeritate diſpereat, cùm præſertim nullo eruditi laudatoris elogio muniatur, nulloſue commendationis titulos præ ſe ferat. Noſti verò tu, qui non ſuccisiuis modò temporibus, ſed inter arma, inter gladios ipſos ſcribis aliquid ſemper aut transfers, quantum referat, audiatur oratio an legatur, & in cuius aurem veniat, à quo probetur. Verùm mea hæc (vt ingenuè fatear) non oſtenſioni, ſed fidei & veritati innititur. Malui enim communes calamitates aperta oratione, nudis verbis & excuſſo (vt dicitur) ſinu denudare, quàm exquiſitis verbis aut emẽtitis locis rem ipſam per ſe veriſſimam inumbrare. Cum doctis actum eſt, quorum animis probè inſinuari poſſet habita oratio. Et qui veritatem dicit, iuxta illud ſapientis, non laborat. Nam & miſerabiles huiuſmodi conciones plus interim efficaciæ obtinẽt, & magis mouent, ſi res ipſæ, de quibus agitur, iiſdem quibus concludantur terminis, & eadem illa qua ſunt facie, ſine cultu, ſine affectatis (vt aiũt) cincinnis exhibeantur: Si quid verò noſtra hac profecerimus oratione, tu & noſtri omnes, imò Eccleſia omnis intelliget. Ego certè nihil dubito, Leonem Pont. noſtrum Max. in quo æqua ſemper fuit bonitati liberalitas, prudentiæ charitas, integritati magnanimitas, & hunc etiã Sacroſanctum Cardinalium ſenatum, non nos, nõ noſtros tantùm, pro quibus etiam ſaluator noſter humanitatem ſubijt, & paſſus eſt, (haud deſpiciendam gregis Dominici partem) ſed Chriſtianam rempublic. omnem, hancque Apoſtolicam ſedem, hæc templa, has aras, hos penates, hæc ſacra, hanc prouinciarum Principem & orbis caput vrbem Romam, ſeque adeo & ſalutem propriam conſeruaturos. Vel ſi nil magis hac induſtria conſecutus ero, id ſaltem efficiam, vt officij me mei nullo vnquam tempore pœnitentia ſubeat, quin & vera prædixerim, & neceſſarium remediũ pro virili implorauerim. Quod (etiam ſi debito euentu deſtituatur) & tibi, & noſtris, qui animum in re hac expendere ſtatuent, & mihi etiam ipſi fiet ſatis. Vale.

ORATIO PER SIMONEM BEGNIVM Epiſcopum Modruſieñ. in ſexta Seſſione Lateranenſ. Synodi habita.

NEMO vnquam extitit, Pater beatiſſime, voſque patres ampliſſimi, qui ſua virtute, ſuo ingenio niſus noſtrum hoc cœlum tranſcendere potuerit: quandoquidem comparare tantùm arte aut induſtria nunquam poſſumus, vt vndè noſtra culpa decidimus, noſtra eodem virtute reſileamus. Quòd ſi cui datum eſt aliquãdo, datum eſt autem multis, felicitatem illam, quæ cæteras omnes immenſitate æternitateque ſuperat, adipiſci, veritatis eum pater attraxit. Hæc namque vna eſt ad beatitudinem via, ipſa eſt principium, ipſa finis. Hanc, qui proprijs viribus confidunt, relinquentes, non fermè ſecùs, quàm Thaletem illum Aſianum decidiſſe referunt, in errorum damnationiſque foueas prolabuntur. Haud aliter certè à veritate ipſa & diuini iudicij ſpeculo facies ſuas auerterunt, qui loquentes in dolo verba pacifica, innumeras ferè Eccleſiæ calamitates intulerunt. Quarum cauſa œcumenicum illud primum omnium & innumerabilium bonorum ſeminarium, apud Nicæam Bithyniæ vrbem, & alia alibi multa Concilia coacta & celebrata eſſe legimus. Ego verò in hac Lateranenſis Concilij continuatione verba facturus, tametſi leue dicendi munus ſuſcepiſſe me arbitror, quippe qui certus ſim, vos & officij veſtri memores & dignitatis, tales vos Chriſtianæ religioni exhibituros, quales temporum & rerum (de quibus agendum eſt) ratio ac magnitudo eſſe iubet: cum hac tamen præfatione dicam, Patres, vt ſi quid, quod dicendum à me fuiſſet, omiſero, (tanta eſt huius prouinciæ difficultas) veniam me ab omnibus impetraturum ſperem. Vos verò, ſi (quę veſtræ partes ſunt) labenti Eccleſiæ non ſuccurreritis, quid ſpei, quid ſubſidij reliquum ſit, iudicate. Itaque de promiſſa totiès Eccleſiæ reformatione, deque ſanctiſſima contra Turcas expeditione, quàm breuiſſimè dicturus, à veritate illa opem atque auxilium imploràbo, quæ locuturus nobis coram regibus & præſidibus Spiritusſancti facũdiam pollicetur. Tu igitur Domine, qui os hominis feciſti, qui mutum, ſurdum, videntem, & cæcum fabricatus es, pone cuſtodiam ori meo & oſtium circumſtantiæ labijs meis, vt quæ tuo nomine digna ſint, quæ Leoni Pontifici noſtro maximo, hiſque patribus ac dominis, & vniuerſæ Eccleſiæ ſalutaria fuerint, perſtringere valeam. Quando ita conſtitutum eſt à natura, vt omnia orta occidant, plurimùm certè debemus maioribus noſtris, qui cùm perpetuò eſſe non poſſent, vſque adeo nobis proſpexerunt, vt, niſi qui omnem exuit humanitatem, rerum geſtarum memoria & præſentem vitam corrigere, & futuram etiam rectè ducere ſua ſponte vnuſquiſque poſſit, ac valeat. Cuius etiam rei gratia ſtatuariam & ſculpturæ & picturę artes ſagaciſſima mortalitas adinuenit, vt qui literarum notitiam nõ habẽt, inſpectis magnorum virorum imaginibus, ad benè viuendum excitentur: tum etiam, vt maiores natu, pręclara illorum geſta à generatione in generationem proferant & promittant. Nobis verò maiorum noſtrorum ſtudio atque vigilijs tantoperè conſultum eſt, nobis ex Euangelicæ legis inſtitutioni-

Exod. 4.
Pſal. 140.

Digitized by Google

tutionibus, & Chriſti legiſlatoris noſtri actionibus, totius vita norma ita præſcripta eſt, vt illinc veluti ex archetypo quodam & exemplari, quid fugere, quidve ſequi debeat, vnuſquiſque depromere poſſit, ſimulque, qualem ſe ſibi, & qualem alteri exhibere teneatur, apertiſſimè ſciat. Et ſicut pro honore, pro potentia, pro imperio, pro republica animarum prodigos, & extrema quæque perpeſſos fuiſſe nonnullos refert antiquitas: ita nos quoque pro Chriſtiani nominis honore, animas noſtras odiſſe debemus in hoc mundo, pro Chriſtiana fide nihil arduum, nihil terribile expaueſcentes, pro Chriſtianæ religionis imperio agrum Dominicum excolere, vitia extirpare, virtutes ſerere debemus. In hac verò Chriſtiana republica corruptelas omnes tamquam boni ciues explodamus, errata corrigamus, inſtituta quæ malorum ſtudijs in diſſuetudinem abierunt, ad communem bonorum vſum reuocemus, pacem amemus, amicitias celebremus: Et tales denique nos, qui tanquam luminaria in mundo lucere debemus & exhibeamus, vt qui in Eccleſia Dei ſunt, noſtra bona opera velut è ſpeculo videant, quæ ſequantur. Illis verò, qui cogente neceſſitate auxilium à nobis implorant, charitatis viſcera oſtendamus, ne ſi præmiſſorum rationem non habuerimus, lupi & impudici (iuxta Auguſtini ſententiam) iudicemur. Sed dicturus iam de his quæ facere nos oportet, rem altiùs aliquantulum repetam, vt recentitis aliquorum malorum oppreſſionibus, quanta nos deinceps etiam incōmoda maneant, ſi veſtro ſtudio, veſtra prudentia illis non occurratur, cognoſcatis, inſpiciatis, attingatis. Gregorio vndecimo, cui ob reſtitutam Italiæ Romanam curiam, plurimùm debemus, Romæ vita functo, Vrbanus ſextus legitimè ſucceſſit. Quòd cùm Cardinales Galli incuſarent, Clemētem ſeptimum deligunt: demúque illi Cardinales in demortui Clementis locum, Benedictum 13. ſubſtituunt. Vrbano Bonifacius eo nomine nonus, Bonifacio Innocentius ſeptimus, Innocentio Gregorius duodecimus ſuccedunt. Abdicatiſque deinde in Piſano Concilio, communi omnium Cardinalium conſenſu, Gregorio & Benedicto, quòd promiſſis non ſtetiſſent, Alexander quintus eligitur: In cuius poſteà locum Iohannes vigeſimustertius ſufficitur. Et ita per quadraginta fermè annos, multis varijſque incommodis afflicta Eccleſia, octo legitimos, mixtimque pſeudopontifices habuit. Eoque ventum erat, vt cùm velum templi Dei trifariam ſciſſum, Eccleſiam Catholicam protegere, ac circumfouere nequiret, ſchiſmaticis ipſis longè lateque debacchandi occaſionem præbuit ea peſtis, noſtris verò in nosipſos, & noſtra viſcera deſæuiendi fomitem ſubminiſtrauit, non tamen ſine ſuſpicione, quòd illorum temporum Pontifices, qui bella extinguere, diſcordias tollere debuiſſent, ſuſcitarent ea potiùs atque enutrirent. Quibus rebus quaſi in præceps itum eſt. Et niſi Deus optimus maximus lucernam illam de domo Dauid, internecioni nunquam demandandam promiſiſſet, quid de nobis nunc eſſet, arbitrari facilè poteſtis patres ampliſſimi. Quare, cum nemo eſſet, qui languenti Eccleſiæ opem ferret, recordatus Deus verbi ſui, Auguſtiſſimi illius tunc Romanorū & Vngariæ: nunc candidiſſimam animam Sigiſmundi regis ſpiritum ſuſcitauit. Qui tanquam prudentiſſimus Samſon, & fortiſſimus viorum, Gedeon temporum magis quàm commoditatis ſuæ habuit rationem. Sed quid tanto principe dignius? quid omnipotenti Deo gratius? quid, quod vniuerſæ eccleſiæ ex vſu magis eſſet, facere potuiſſet? Et cum dignitatis ſuæ ratio, & rerum neceſſitas ita expoſceret, nulla eum itinerum laborumue difficultas dehortari, aut ab optimo vnquàm propoſito deducere valuit: ita vt non prius conquieuerit, quàm tribus illis, qui de pontificatu contendebant, abdicatis deiectiſq́, huic ſanctæ ſedi legitimum pontificem, pacemque pluſquàm aurum deſiderabilem dederit. Martinus quintus is fuit, vnicum (mea ſententia) & præſentaneum tantis malis remedium, ante cuius ad vrbem aduentum, vniuerſæ Eccleſiæ pax reſtituta eſt. Quieuimus tunc aliquandiu, periclitati ſumus iterum. rebus enim ſic (vt diximus) foris compoſitis, & Martino vita functo, omnis belli moles in Eugenium recidit. Qui poſt amiſſas nōnullas vrbes & oppida, poſt ſuſcitatū in vrbe tumultum, fuga ſaluti ſuæ conſuluit. Superuenienteque Baſileenſis Concilij tempore, cùm tollere illud fruſtra tentaſſet (quantus eſt cenſuræ metus, quanta Concilij authoritas) Bononiam primò id tranſtulit, Baſileæ deinde idipſum approbauit: rurſum Ferrariam, & demum Florentiam conuocauit. Baſileenſis tamen conuentus patres, contra ſanctiſſimæ Nicænæ ſynodi decreta, præter Rom. pont. ſententiam & authoritatem, Concilium licet acephali conuocantes & proſequentes, (vt hoc quoque cæteris illius congregationis malis adnumerauerim) abdicato Eugenio * Amadeū Sabaudiæ Ducem ſuffecêre. *Amedeū Quod tametſi temerè factum, Eccleſiæ tamen plurimum obfuit. Nam & tripliciter ſciſſa tunc eſt, & longo poſt tempore ad veram vnitatem reduci vix potuit, renaſcētibus ſemper alijs & alijs nouis ac grauiſſimis bellis, quæ tanti boni effectum impediebant. Eugenio tunc & Nicolao poſtea Italiam fruſtra placare conantibus. Effecit tamen id demum Nicolaus, vbi Amadeus (de quo dixi) pontificatu ſeipſum abdicauit, ſumma Chriſtianorum omnium lætitia & exultatione. Sed interrupit tantum gaudium Conſtantinopolis & Peræ expugnatio, in qua Conſtantinopolitanus Imperator obtruncatus eſt, & quod reliquum nobis erat Orientalis roboris ac ſplendoris, amiſimus, amiſſis antea dudum Hieroſolymis, Antiochia & Alexandria, tribus Eccleſiæ Catholicæ munitiſſimis arcibus. Adnitente deinde Calixti tertij Pontificis Legato, compluribuſq́; cruce ſignatis Taurinum Vngari defenderit, multis hoſtium trucidatis. Et capta etiam ingenti præda, quam noſtris paulò poſt diſſentionibus & ſocordia, cum omni vſura rependimus, amiſſo Trapezuntis imperio cum tota Pontica regione & * Boſinæ regno cum bona Illyrici parte. *Boſnæ Recuperaſſet hæc omnia Pius ſecundus, prudentia & charitate in Chriſtianos nulli prædeceſſorum Pontificum poſtponendus, ſi, dum in conuentu Mantuæ celebrato hæc meditatur, omnis ferè Italia inteſtinis odijs & bellis caruiſſet: ſed tota omnino recuperationis ſpes intempeſtiua tanti Pontificis morte ſublata fuit. Et ita, noſtra cauſa, tantum bonum noſtris (vt diximus) malis impeditum hucuſq́; ſæpius extitit, ſerpēte magis indies, & Chriſtianam ditionem occupante vicino iam & potentiſſimo hoſte. Ad noſtros redeo, qui diuina ira perciti, poſt amiſſam Eubœam, & magnam Græciæ atque Epiri partem, maiora bella parare, maiora odij & diſcordiarum domi militiæque ſemina iacere, accedente ad hoc Boemorum regis perfidi, & in apertam iam hæreſim prolabentis, ſcelerataq́; & vrbi vicina opinione. Quæ demum omnia, aut maiori ex parte, Pauli II. ſapientiſſimi Pontificis ſuaſu & prudentia ſublata ſunt. Carptim hæc attigi patres, vt quæ ſupra meos annos accidere, reminiſcamini: quæ vero mea ætate geſta ſunt, neminem ex vobis eſſe arbitror, qui non ſicut ego & melius me, omnia norit. Quis eſt.n. ad quem illius nunquā ſatis deploratæ cladis, quam ante hos viginti annos in Illyrico accepimus, fama nō peruenerit? Quis eſt, qui pulcherrimas & ditiſſimas Oriētis atq́; Epiri ciuitates, ex corde & oculis Chriſtianorū à Turcis nuper erutas, nō deplorauerit? omitto cōbuſtas naues, amiſſas triremes, deſideratū ſæpius noſtri nominis robur. Quis eſt præterea, qui Iadrenſem agrū quinquies eodē anno Turcarum rabie vaſtatum, & ferro ac flammis deſolatum neſciat? Scardona celeberrimi olim conuentus ciuitas, oppugnata ſæpius hoc etiam anno, & quod nuperrimè vidimus, amiſſis prope eam 4. oppidis, ipſa Dei magis quam hominum præſidio defenſa eſt. At in Eccleſia Modruſien. cui ego licet indignus, nunc præſum, continuas excurſiones fieri, villas incēſas, caſtra expugnata, & intra hos duos menſes duo vi capta & diruta, abductaque eſſe, proh dolor, plus quam duo millia Chriſtianorum, quis eſt, qui non audierit iam, ingemuerit iam, niſi nos hic in vrbe, qui conniuemus, obaudimus, diſſimulamus? Prætereo reliquam Adriatici maris orā, Dalmatiamque omnem, quæ & aſſiduis incurſionibus vel eo maximè infeſtatur, quòd quicquid in ea equitum, aut peditū roboris erat, ad Italicos tumultus euocatum eſt, niſi tamen aſſiduis Venetorum vigilijs & validiſſima ſemper claſſe defenderemini: tum etiam niſi bellicoſi eſſent Dalmatæ, rupto iamdiu eo obice, refractis illis clauſtris repaguliſque, Turcas in Italiam coram vidiſſetis. Quid de Vngaris dicam, quibus tantus ineſt pro Chriſti nomine pugnandi feruor, vt quantumuis pauci, cum magno Turcarum numero congredi non vereantur? Quid de Polonis, quorum ita ſpectata eſt in vniuerſos Chriſti hoſtes ſtrenuitas, vt ab armis in Turcas, Tartaros, Ruſſos, Valacchos & alios eiuſcemodi Barbaros exercendis nunquam reſpirent? Horum præſidio & quibuſdam quaſi propugnaculis ſi careretis, experiremini profectò, quid Tur-

rum rabies, quid immanitas eſſet. Experiremini certè, quā-
m ſagittis valeant hoſtes hi, de quibus diximus. Videretis
oculdubio & ſentiretis, quam longè volent, quàm acutè
r forent, & quàm auidè Chriſtianum ſanguinem ſitiant, qui
uinum bibunt. Illud certè ſatis conſtat, profligatos ſæpius à
cem annis Vngarorum exercitus, & intra hos ſex menſes
inque fortiſſima eorū caſtra à Turcis in Illyrico eſſe expu-
ata, & quod illis commune eſt, vna cum incolis abſumpta.
ferrea Chriſtianorum pectora, ô immites Chriſtianos, qui
æc non videant, non audiant, non credant. Vnius olim Ca-
nis ſententia, & Africanæ ficus pro concione oſtenſæ, ſena-
m populumq; Romanum ad delendam Carthaginem im-
ulit: nos amiſſa ſæpiùs Aſia, Africa, & magna iam Europæ
ortio, continuæque Chriſtianorum cædes & lachrymæ nil
nouēt: nos vicinior, potentior, crudelior hoſtis nihil deter-
et. Sunt hic complures ex noſtris, qui poſt amiſſas paulò an-
ò vxores cum liberis & fortunis omnibus, ad me miſeri con-
ugerunt, conſilium & auxilium implorantes. Poſſem ego
uoq; vobis hodiè, patres, hoc eodem in loco recentia & ſan-
uinolenta adhuc iſtorum vulnera oſtendere. Sed quouſque
am patiemini tam vicinum hoſtem? Quamdiu eum, vt cla-
os in oculis & lanceas in lateribus, feretis? An expectatis,
lum parata & deducta iam ingens claſſis Rhodum occupet,
ut Italiam depopuletur? Vereor profectò, vereor, & futu-
rum certo certius credite, Patres, ne breui apud vos cœnent,
(niſi prouideatur) qui, cum quibus diximus, iam pranſi ſunt.
Multa reticeo, quæ quoniam noſtra ætas vidit & paſſa, (ne al-
ta vulnera recrudeſcant) nō recenſere ſatius exiſtimo. Vnum
hoc certè nullo pacto prætermittere poſſum, longè feliciores
illos Italis, cæteriſque Chriſtiani orbis nationibus exiſtiman-
dos, qui pro fide contra infideles perfidoſque pugnant: pro
ſanctiſſima religione, contra fœdiſſimam ſectam ſanguinem
fundunt: pro DEO optimo maximo contra turpiſſimum
Maumetum corpora telis obijciunt, mortem oppetunt. Iſti
contra, quid pro paucorum potentia, pro priuatis odijs, pro
ſimultatibus fecerint, dicat Brixia, exponat Rauenna, referat
Hetruria, ediſſerat calamitates ſuas Ciſalpina Gallia, Gallia
item tranſalpina, Flaminia, Liguria. Citetur Liris teſtis victo-
riæ, inſpiciantur vrbana ſepulchra, recenſeatur Hiſpania, in-
terrogetur Britannia. Quid dicam magis? Perluſtretur Euro-
pa, audiemus profectò ſanguinem clamātem de terra, & vo-
ces occiſorum dicentium: Vindica Domine, vindica Domi-
ne, vindica Domine ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt. Et
quod deteſtabile omnino dixerim, parum eſt, Italicum cruo-
rem Italica manu fundi, niſi exteris etiam gentibus haurien-
dus præbeatur. Poſſem ad hæc de pernicioſiſſima illa Hy-
drunti inuaſione, deque continuis noſtri nominis hoſtium
per Tyrrhenum mare excurſionibus, (ni temporis anguſtia
concluderer) multa dicere. Sed dicemus de his omnibus la-
tius, cum pacatis Italiæ rebus, (hanc enim omnium, quæ nunc
vigent, bellorum arcem eſſe iudico) ſanctiſſimæ expeditio-
nis tempus aduenerit. Nunc verò quod reliquum iam eſt, vt
commodius à me dici, & fieri à vobis poſtmodum poſſit, o-
peræprecium exiſtimaui, ſi de Eccleſia Catholica aliquid
(quantum tamen temporis breuitate dabitur) in medium ad-
duxero. Illud enim neceſſarium in primis ſemper fore duxi,
vt fidei noſtræ caput, Romana ſcilicet Eccleſia, componatur
ante omnia, inſtauretur, reformetur. Nam ſicut grauiſſimus
eſt morbus, qui à capite diffunditur: ita optima eſt valetudo,
quæ ab optimo capite, tanquam à ſaluberrimo fonte, inter
cætera membra defluit & corriuatur. Vidimus iam, quæ ma-
iorum noſtrorum, quæ noſtra ætate acciderint. Et hæc fer-
mè omnia, aut maiorem eorum partem, noſtra cauſa, noſtris
(vt diximus) malis perpeſſi ſumus. Tædet verò, pigetque, fi-
dem, pietatem, religionem noſtris temporibus ita tepuiſſe &
penè dixerim, contabuiſſe videri, vt vix earum vlla veſtigia
ſint reliqua. Et in nobis, quo tempore Eccleſia ab hæretico-
rum perſequutionibus vacua, ſumma pace & libertate frui-
tur, tantoperè fidem ac feruorem maiorum noſtrorum ani-
mis inſitū refrixiſſe, vt cum Hieremia verè dicere poſſimus:
1. Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius, Innocentiæ ſcilicet
& caſtitatis Principes eius facti ſunt, vt arietes, hoſtes ingreſſi
ſunt ſanctuaria eius. Eccleſias polluerunt, virgines eius & iu-
uenes in captiuitatem abierunt. Sacerdotes & ſenes ſpreue-
runt Deum. Non eſt lex, non eſt mandatum, iudicia peruer-

tuntur. Hæccine eſt illa Ieruſalem, ciuitas perfecti decoris, &
gaudium vniuerſi orbis? Hæccine illa filia Sion, ſponſa Chri-
ſti, quæ vna eſſe debet? Noſtri vero (tanquam mendax illa
fœmina, quæ diuidi puerum petebat) diuiſerunt eam ſæpius,
diſciderunt, dilaniauerunt. Hæccine eſt illa filia Sion ſoror 3.Reg.3.
Chriſti, quam maiores noſtri commendatam ſibi pro viribus
defenderunt, proprij ſanguinis effuſione incorruptam con-
ſeruauerunt, ieiunijs, lachrymis, orationibus auxerunt? Nos Apoc.5.
contra quibus artib. maiorem iam eius partem amiſerimus,
ſilentio inuoluā. Et de minima iſta, quæ ſupererat adhuc por-
tione, nihil dicam, patres. Ponam digitum ſuper os meum,
dijudicet ſeipſum vnuſquiſque, & quæ afflictus animo & pro
veritate dixi, æquis auribus accipite, æquo animo ferte, &
communem omnium vtilitatem apertis (vt dicitur) oculis
proſpicite. Sed ne fleueris filia Sion, quia ecce venit Leo de
tribu Iuda, radix Dauid, Ecce ſuſcitauit tibi Deus ſaluato-
rem, qui ſaluabit te de manibus vaſtantium, & populum Dei
de manu perſequentium liberabit. Te, Leo beatiſſime, ſal-
uatorem expectauimus, te liberatorem venturum ſperaui-
mus. Ad te pro acceptis cladibus, pro perperam geſtis gemen-
tes, pro malorum fine, & futuræ ſpe victoriæ læti & hilares
clamamus: Impugna impugnantes nos. Appræhende ſcutum Pſal.34.
& gladium, & exurge in adiutorium noſtrum. Conclude ad-
uerſus eos qui nos perſequuntur, & tabernaculum ſpōſæ tuæ,
quod manus impiorum polluerunt, vindica, vt ſicut Chri-
ſtianus populus te ſolum & verum Pontificem veneratur, ita
& Chriſtiani nominis hoſtes te religioſiſſimum metuant, te
potentiſſimum contremiſcant. Da hoc, Pater beatiſſime, Iu-
lij prædeceſſoris tui & parentis optimi ſanctiſſimæ memo-
riæ, da perpetuæ quieti, vt ſicut lætatur iam te ſucceſſore, ſicut
gaudet, iam te, indictum à ſe, Concilium proſequi & celebra-
re, ita & conceptam animo Eccleſiæ vnionem, eiuſq́ue refor-
mationem, & ſanctiſſimam contra Turcas expeditionem, te
omni deſiderio expetere, totis viribus complecti videat &
lætetur. Vos verò patres ampliſſimi, (ingenuè dicam quod
ſentio) niſi certus eſſem, maioribus iam auſpicijs & felici du-
ctu eius ſponſi, quem Deus nuper Eccleſiæ ſuæ ſtabili fide iu-
gauit, daturos ſedulo operam, vt reſpublica noſtra in his, qui-
bus conſtituti ſumus periculis, veſtra cura, veſtro ſtudio, ve-
ſtra prudentia nihil detrimenti capiat, ſalua ſit, liberetur: vi-
derer profectò iam nunc videre domos noſtras deſeri, nos
pro mācipijs duci, trahi, diſcerpi, & in nos, qualia ſæpè antea-
ctis temporibus, contumeliarum omnium & ſcelerum fieri
exempla. Vos ego omnes appello, patres, qui ædificati ſupra
fundamentum Apoſtolorum, ſederis ſuper ſedes duodecim
iudicantes, illud pro viribus adnitimini, vt interiores & do-
meſticæ primum diſcordię vaſtationeſque tollantur. Et iux- Matth.16.
ta legislatoris noſtri ſententiam, portæ inferi, id eſt, inferiores
mundi poteſtates, aduerſus Romanam Eccleſiam, quæ ſum-
ma eſt & ſuprema, non præualeant. Quibus ſublatis, tum de-
mum cum apertis hoſtibus agendum cenſeo. Serpentem ve-
rò ſæuiſſimi ſchiſmatis hydram, charitatis igne & paſtoralis
officij aduſtione extinguite, exiccate: ne, quæ nunc parua eſt
ſcintilla, maximum paulò pòſt incendium ſuſcitet: vnaque ſit
ſponſa Chriſti, vna amica eius, vna dilecta. Si quid præterea
in hac vniuerſi orbis ſpecula vel incontinentium licentia ho-
neſtati detraxit, vel ſi temporum malignitas æquitatis ac iu-
ſtitiæ (quæ humanarum diuinarumq; rerum fundamentum
eſt & conſeruatrix) lumen offendit, huius ſanctæ Synodi iu-
dicio emendetur, quæ charitatis clypeo, poteſtatis mucrone,
miſericordiæq; ac ſeueritatis libra bonos foueat, malos com-
peſcat, & (maiorum more) fortia confirmet, debilitata inſtau-
ret, iniuſta in æquitatis gyrum reducat, vt non quæ ſua ſunt,
ſed quæ Ieſu Chriſti, quæſiuiſſe merito commēdetur. Cum-
que reſtitutam ſibi integritatis ſuæ ſpeciem ac decorem ſan-
cta Romana Eccleſia viderit, & filijs ſuis ipſa glorietur, & nos
tantæ parentis gloria indigni minimè comprobemur. Pacem
verò non cum hoſtibus, prout hactenus factum eſt, ſed cum
noſtris habeamus. Bellum illis & arma inferamus, cum his
beneficijs certemus, & de recuperandis, quæ noſtra ſunt, con-
tendamus. Et cùm ad amorem qui rerum omnium cauſa eſt,
& ad pacem atque concordiam nati ſimus, pacem amplecta-
mur, pacem amemus, pacem celebremus, vt rempublicam
noſtram Chriſtianam in priſtinam maieſtatem reſtituere,
eamque qualis eſſe debet, poſteris noſtris relinquere poſſi-

mus

mus. Illis præterea, qui ſeruitutis iugum apud ſæuiſſimos Turcas iamdiu ſuſtinent, & redemptionis expectationem ferre vlterius nequeunt, vel benigni alicuius ſideris ſalutares igniculos oſtendamus, ne quod multorum annorum patientia promeruiſſent, noſtra id culpa vel negligentia amittere videantur. Illis denique, qui hoſtium ipſorum faucibus expoſiti ad quinquageſimum annum, iam abducuntur, diripiuntur, vulnerantur, cædi demum aſſiduæ & excidio patent, & quorum quaſi deuotionis fiducia, in vtranque aurem hucuſque dormiuimus, erogemus aliquid, impartiamur aliquid, vt refecti aliquantulum, viriliter agant, confidant, & ſint robuſti, ne fortè rupto eo obice, ſublataque media belli mora, hoſtilitatis impetus (quod flexis genibus deprecemur) nos quoque in præceps trahat. Mundemus tamen prius domos noſtras, interiores inquam, quæ non fumo, non puluere, ſed malis cogitationibus ſordidantur: exteriores quoque prudenter diſponamus. Commodiſſimè enim reipublicæ rector ac moderator efficitur, qui ſuorum prius extiterit. An fortè arbitramini, patres ampliſſimi, eum Eccleſiam Dei benè diſpoſiturum, & diligentem fore de alieno, qui de ſuo negligens eſt? qui domum ſuam diſpenſare neſcit? Et cùm in ſocietatem Ie-
1.Cor.1. ſu Chriſti vocati ſimus, non ſint in nobis contentiones neque
1.Cor.11. ſciſſuræ, quarum conſuetudinē Eccleſia Dei habere non debet, ſed vnanimes ſemper idipſum omnes intendamus, quod conſtruat & ædificet in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ita demum deformata reformabuntur, dubij ſperabunt, nutantes confirmabuntur, fides exaltabitur, iuſtitia vigebit, pietas co-
Eſaiæ 62. letur, religio ſtabit, hoſtes propellentur, aurea pax reuocabi-
Zach. 9. tur, dicemuſque cùm Eſaia & cantabimus: Exulta ſatis filia Sion, quia ecce Saluator tuus veniet tibi. Dixi.

SEPTIMA SESSIO.

IN nomine Domini, Amen, Anno à natiuitate Domini 1513. Indictione prima, die verò Veneris decima ſeptima menſis Iunij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno primo, fuit celebrata ſeptima Seſſio Concilij generalis Lateraneñ. in Eccleſia Lateraneñ. præſente & præſidente præfato ſanctiſſimo domino noſtro Papa. Fueruntque præſentes infraſcripti Reuerend. domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates, Oratores principum & illuſtres domini, ac quamplurimi doctores & nobiles, & primo.

EPISCOPI CARDINALES.

Reuerendiſſ. D. Raphael. Oſtieñ.
Reuerendiſſ. D. Dominicus. Portueñ.
Reuerendiſſ. D. Iacobus Albaneñ.
Reuerendiſſ. D. Marcus Præneſtinus.
Reuerendiſſ. D. Franciſcus Sabineñ.

PRESBYTERI CARDINALES.

Reuerendiſſ. D. Thomas tituli S. Martini in Montibus, Strigonieñ.
Reuerendiſſ. D. Franciſcus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli, Surrentiñ.
Reuerendiſſ. D. Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſ. D. Hadrianus tituli S. Chryſogoni.
Reuerendiſſ. D. Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Nanneteñ.
Reuerendiſſ. D. Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Ageneñ.
Reuerendiſſ. D. Carolus tituli S. Cæciliæ.
Reuerendiſſ. Chriſtophorus S. Praxedis.
Reuerendiſſ. D. Antonius tituli S. Vitalis, Sipontiñ.
Reuerendus D. Petrus tituli S. Euſebij, Anconitañ.
Reuerendiſſ. Dom. Achilles tituli ſancti Sixti, Bononieñ.
Reuerendiſſ. Dom. Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de Saulis.

DIACONI CARDINALES.

Reuerendiſſ. Dominus Alexander ſancti Euſtachij, Farneſius.
Reuerendiſſ. D. Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſ. D. Marcus ſanctæ Mariæ in porticu, de Cornelijs.
Reuerendiſſimus Dominus Sigiſmundus ſanctæ Mariæ nouæ.
Reuerendiſſ. D. Alphonſus S. Theodori.

PATRIARCHÆ ET ASSISTENTES Papæ, & Oratores.

Reuerend. Pater D. Cæſar Alexandrinus.
Reuerend. Pater D. Franciſcus Sueſſanus.
Reuerend. P. D. Ioannes Vincentius Seneñ.
Reuerend. P. D. Iulius Florentiñ.
Reuerend. P. D. Gabriel Dyrrachieñ.
Reuerend. P. D. Scaramuza Cumanus.
Reuerend. P. D. Pompeius Reatinus.
Reuerend. P. D. Ioannes Franciſcus Tauriñ.
Reuerend. P. D. Bernardus * Teruiſinus Epiſcop. & Gubernator vrbis.
Reuerend. P. D. Siluester Wigornienſis Epiſcopus, Orator Regis Angliæ.
Reuerend. P. D. Ioannes Gnezneñ. Archiepiſcopus, orator regis Poloniæ.
Reuerend. P. D. Hercules Epiſcop. Auguſtenſis, Orator Sabaudiæ.
Reuerend. P. D. Bertrandus Epiſcopus Adrieñ. & orator Ducis Ferrariæ.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerend. P. D. Iulius Corinthieñ.
Reuerend. P. D. Aldronandinus Nicoſieñ.
Reuerend. P. D. Bernardus Spalateñ.
Reuerend. P. D. Vincentius Neapolitañ.
Reuerend. P. D. Hieremias Traneñ.
Reuerend. P. D. Ioannes Matthæus S. Seuerinæ.
Reuerend. P. D. Orlandus Auinioneñ.
Reuerend. P. D. Rainaldus Raguſiñ.
Reuerend. P. D. Andreas * Monembaſieñ. * Noboſiaſien.
Reuerend. P. D. Petrus Arboreñ.
Reuerend. P. D. Georgius Nazarenus.
Reuerend. P. D. Stephanus Gabriel Bareñ.

EPISCOPI.

Reuerend. P. D. Simon Arimineñ.
Reuerend. P. D. Iacobus Papheñ.
Reuerend. P. D. Albertus * Valuenſis. * Vitrien.
Reuerend. P. D. Bartholomeus Iuſtinopolitañ.
Reuerend. P. Dom. Raynaldus ſancti Angeli de Lombardia.
Reuerend. P. D. Ioannes Aquilanus.
Reuerend. P. D. Ioannes Petrus Theatiñ.
Reuerend. P. D. Franciſcus Vincentiñ.
Reuerend. P. D. Iacobus Potentiñ.
Reuerend. P. D. Hieronymus * Bidaneñ. * Budinen. * Bodrinen.
Reuerend. P. D. Marinus Ceneteñ.
Reuerend. P. D. Iulianus Vulterañ.
Reuerend. P. D. Iacobus Fauentinus.
Reuerend. P. D. Dominicus Luceriñ.
Reuerend. P. D. Andreas * Anſareñ. * Anſaren.
Reuerend. P. D. Ioannes * Sibiniceñ. * Sebonicen.
Reuerend. P. D. Nicolaus * Bergomeñ. * Pergamen.
Reuerend. P. D. Paris Piſaurieñ.
Reuerend. P. D. Alexius Melfitañ.
Reuerend. P. D. Ioſue Eſculanus.

Reuerend. P.D. Vincentius * Othiacen.
Reuerend. P.D. Franciſcus Spoletan.
Reuerend. P.D. Andreas Militen.
Reuerend. P.D. Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerend. P.D. Franciſcus Bilignian.
Reuerend. P.D. Petrus Caſtelli maris.
Reuerend. P.D. Ioannes Baptiſta * Marmen.
Reuerend. P.D. Bonifacius Iporigien.
Reuerend. P.D. Iulianus Agrigentin.
Reuerend. P.D. Zacharias Terracinen.
Reuerend. P.D. Gisbertus Rapollanen.
Reuerend. P.D. Hieronymus * Ilcinenſis.
Reuerend. P.D. Bernardus Soranus.
Reuerend. P.D. Tranquillus * Ferentinus.
Reuerend. P.D. Iacobus Marſicanus.
Reuerend. P.D. Matthæus * Vmbriacenſis.
Reuerend P.D. Antonius Vrbinatenſis.
Reuerend. P.D. Petrus Foroliuienſis.
Reuerend. F.D. * Marius Vgentinus.
Reuerend. P.D. Hugolinus Licien.
Reuerend. P.D. Albertus Sebaſtenſis.
Reuerend. P.D. Iacobus Signen.
Reuerend. P.D. Marcus Senogallienſis.
Reuerend. P.D. Baptiſta Aquinatenſis.
Reuerend. P.D. Petrus Narnienſis.
Reuerend. P.D. Petrus * Vrgellenſis.
Reuerend. P.D. Latinus Veſtanus.
Reuerend. P.D. Ioannes Antonius Anglonen.
Reuerend. P.D. Benedictus * Chienſis.
Reuerend. P.D. Alexander Alexandrinus.
Reuerend. P.D. Galeſius Bellunen.
Reuerend. P.D. Andreas * Literen.
Reuerend. P.D. Ioannes Franciſcus * Lauellinus.
Reuerend. P.D. Hugo Regin.
Reuerend. P.D. Ioannes Antonius Calinen.
Reuerend. P.D. Vicarius * Cayacen.
Reuerend. P.D. * Georgius Belicen.
Reuerend. P.D. Ludouicus Tricaricen.
Reuerend. P.D. * Scabonius Imolen.
Reuerend. P.D. Ioannes * Elnen.
Reuerend. P.D. Hieronymus Aſculan.

ABBATES.

Reuerend. P.D. Floremundus Abbas ſancti Gregorij de vrbe.

Reuerend. P.D. Ioannes Andreas, abbas ſancti Sabaſtiani extra vrbem.

Reuerend. Pater D. Hilarius præceptor ſancti Spiritus de vrbe.

GENERALIS ORDINVM.

Magiſter Ægydius, Generalis ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini.

Magiſter Angelus Generalis ordinis beat. Mariæ Seruorum.

ORATORES.

Illuſtris dominus Albertus de Carpi, orator Maximiliani electi Imperatoris.

Magnificus D. Hieronymus Vich, orator Catholici Ferdinandi Aragonum regis.

Illuſtris dominus Stanislaus de * Oſteroch, orator Regis Poloniæ.

Magnificus Dominus Franciſcus Foſcarus orator Venetorum.

Reuerend. P. D. Marinus Charatius, orator Ducis Mediolanen.

Magnifici domini P. de Bondelmonte, & Iacobus Saluiati, ac Franciſcus Victorius, oratores Florentinorum.

Reuerendus dominus Alexander Archidiaconus Mantuan. orator marchionis Mantuæ.

ILLVSTR. DOMINI TEMporales.

Illuſt. Dominus Iulianus de Medicibus, frater germanus ſanctiſſimi D.N.

Illuſt. Dominus Camerini.

Magnificus Dominus Franciſcus Cibo.

Illuſt. D. Marcus Antonius Columna.

Illuſt. D. Franciottus de Vrſinis cum eius filio.

CONSERVATORES vrbis.

Dominus Hieronymus Benzon cum ſocijs.

Fuit celebrata Miſſa ſubmiſſa voce per Reuerend. Patrē Dominum Gabrielem Archiepiſcopum Dyrrachieñ. & habita oratio per D. Balthaſarem del Rio clericum Palentin. protonotarium Apoſtolicum, Reuerendiſſ. Domini Cardinalis Albanenſ. ſecretarium. Cuius tenor in fine præſentis ſeſſionis eſt inſertus. Et cantatis litanijs & alijs deuotis orationibus, & ab eodem ſanctiſſimo D.N. benedicta ſynodo, prout moris eſt, Reuerendiſſ. dominus Alexander S. Euſtachij Diaconus Cardinalis, de Farneſio vulgariter nuncupatus, cantauit Euangelium ſecundum Lucam, quod incipit: Deſignauit Dominus & alios 72. diſcipulos, &c. Quo finito, oratores Poloniæ ſupradicti, præſentarunt mandatum Illuſtriſ. Domini Sigiſmundi regis Poloniæ. Et reuerend. pater D. Thomas Phædra aſcendit ambonem, & legit illud tenoris inſerti, videlicet: Lu

MANDATVM REGIS Poloniæ.

Sigiſmundus Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæque, &c. Dominus & hæres. Notum facimus vniuerſis & ſingulis harum ſeriem inſpecturis, lecturis ſeu audituris, quòd poſteaquam accepimus dominum olim felicisque recordationis Iulium ſecundum, diuina prouidentia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vniuerſalis Eccleſiæ ſummum Pontificem, pro defendenda ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vnitate, & ſanctiſſima contra Catholicæ fidei & crucis Ieſu Chriſti hoſtes expeditione ſuſcipienda, Concilium generale in Laterano indixiſſe, memores officij ac debiti noſtri, quo eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matri noſtræ ſumus adſtricti, pro cuius honore & tranquillo ſtatu omnes vires noſtras effundere ſemper parati ſumus, de certa noſtra ſcientia, ac vniuerſorum Regni ac dominiorum noſtrorum, Principum ſpiritualium & ſecularium, procerum, communitatum ac militiarum conſilio & coaſſenſu, Reuerendum in Chriſto patrem dominum Ioannem Eccleſiæ metropolitan. Gneznen. Archiepiſcopum, & Regni noſtri primatem, & magnificum Stanislaum de Oſtrorog equitem auratum, Paltinatus caſtellanum, noſtros & Regni noſtri conſiliarios ſyncerè dilectos, quos etiam nuper, pijs paterniſque monitis prædicti olim Iulij ſummi Pontificis, ad infraſcripta deſignatos legauerimus, eoſdemque ad ſanctiſſimum in Chriſto Patrem & dominum, dominum Leonem decimum diuina prouidentia eiuſdem ſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummum Pontificem modernum, & ſanctam ſedem Apoſtolicam, ac ſacrum Lateranen. Concilium, ſi & inquantum cœptam proſequutionem habuerit, oratores deſignauimus & deſignamus, & deputamus harum ſerie literarum, dantes illis plenam & omnimodam poteſtatem pro nobis, ac regnis, dominijs, principibus ſpiritualibus & ſecularibus, proceribus, & populis ditioni noſtræ ſubiectis, coram eadem ſanctitate domini noſtri, Domini Leonis decimi Papæ moderni comparendi, ibidemque obedientiam (iuxta maiorum meorum conſuetudinem) præfato ſanctiſſimo Domino noſtro nouo præſtandi, & recognoſcendi eundem ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, eſſe verum, vnicum & indubitatum Pontificem, & Dominici gregis paſtorē, & in ſacro Lateranenſi Concilio dicēdi, proponendi, atq; quæ Regno noſtro opportuna ſunt, petendi, agendi, tractandi omnia & ſingula, quæ ad cele-

brandum

brandum & concludendum ipſum ſacrum Concilium, & quę in eodem proponentur & tractabuntur, necnon ad dictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & membrorum eius vnionem, Chriſtianæque religionis augmentum, atque ad ſanctiſſimam & à nobis deſideratam in eius Chriſtianæ religionis, & Catholicæ fidei hoſtes expeditionem, & quæ ad obedientiam cóſuetam pręſtandam fuerint neceſſaria ſeu opportuna, etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent, magis ſpeciale, quàm præſentibus eſt inſertum: & quæ ipſimet faceremus, ſeu facere poſſemus, ſi p̄ræſentes adeſſemus. Promittentes nos ratum, gratum, validum atque firmum habituros, quicquid in prædictis & quolibet eorum, per dictos noſtros oratores actum & geſtum fuerit. In quorū fidem & teſtimonium præſentes ſcribi, & ſigillo noſtro ſigillari fecimus. Datum Poznaniæ decima menſis Aprilis, anno Domini 1513.

Sigiſmundus Rex ſcripſit.

Quo perlecto, Reuerend. Pater D. Marinus Caracciolus præſentauit mádatum Illuſtriſſimi Domini Maximiliani ducis Mediolaneſi. Et idem Phædra legit in ambone tenoris infraſcripti, videlicet:

MANDATVM DVCIS MEDIOLANI.

MAXIMILIANVS Maria Sfortia, Vicecomes, Dux Mediolani, &c. Papiæ Princeps, Angleriæ Comes, ac Genuæ & Cremonæ dominus. Nemini dubium ſit, quòd ſacroſancta vniuerſalis Synodus, in Deo optimo maximo congregata, vniuerſo Chriſtiano orbi & gregi Dominico, ac etiam Catholicis principibus, eſt admodum proficua & ſalutaris. Nam circa Chriſtianæ religionis indiuiſibilem vnitatem, pacem & tranquillitatem verſatur, pro vniuerſali morum in capite & in membris Eccleſiæ reformatione ac Chriſtianæ fidei augmento, & vt vitia extirpentur, corrigantur exceſſus, & virtutes ſolidè inſerantur. Tendit etiam ad regum & principum inuicem diſſidentium pacificationem & concordiam. Anno ſuperiore fe. re. Iulius ſecundus Lateraneſi. Concilium Inſtituit, & reformandæ Eccleſiæ initium tulit, & normam afferre cœpit, extirpando errores, qui ſurgere in Chriſtianis populis velle videbantur. Dehinc vt Piſanum Cóciliabulum tolleret; & eius pernicioſiſſimi ſchiſmatis extirparet authores, ipſos, & præcipuos eorum ſautores Italia expulit. Quibus expulſis, mihi in primis aditus patuit ad recuperandum paternum & hæreditarium ſtatum Mediolaneſi. Iulio ſecundo ex humanis ſublato, qui tantorum operum author eſſe cœperat, illi ſucceſſor creatus eſt, in quo nec ſapientia maior, nec animi bonitas firmior ad peragendum, quæ inchoata fuerant, deſiderari poſſet. Nuper igitur certior factus ſum, ſanctiſſimum ac beatiſſimum dominum noſtrum, Dominum Leonem diuina prouidentia decimum, Pontificem maximum in Lateranenſi Concilio ſextam Seſſionem celebraſſe, & principes ac populos omnes monuiſſe, & ſtatuiſſe, quæ finiendo Concilio ſuperſunt, & pacando Chriſtiano orbi neceſſaria videntur peragere velle. Res profectò admodum ſalubris, & quæ nullis vnquam laudibus ſatis efferri poſſet. Hæc autem cùm ab omnibus ſint magnifacienda, minimè à me ſine graui nota negligi poſſent. Neque enim vnquam ex animo excidet, occupato parentis mei ſtatu, idipſum quod patria procul vixi, ſereniſſimi Cæſaris beneficio † rectum me vixiſſe, & niſi inter cæteros beatiſſimi Iulij ſecundi arma Gallum hoſtem pepuliſſent, fruſtra à me per hæc tempora parentis mei Principatus deſiderari potuiſſet. Collibens igitur atque omni ſtudio ad Lateranenſe Concilium accedo. Cui niſi impius atque ingratus eſſe velim, deeſſe nuſquam debeo. A ſancta noſtra matre Eccleſia ſeparare me, iniquiſſimū eſſet, præſertim cùm ad idipſum, quod ſum, Apoſtolicæ ſedis & ſanctiſſimæ ligæ, Romanique Cęſaris beneficium eſſe agnoſcam ac fatear. Omnibus igitur meliori modo, via, iure, forma & cauſa, quibus melius, validius & efficacius poſſum, eligo, creo, atq; conſtituo Reuerend. dominum Marinum Carazolū Apoſtolicum pronotarium, conſiliarium & oratorem dilectum meum, verum & certum ac legitimum procuratorem, & mandatarium ac nuncium ſpecialem, vt nomine meo in hoc ſacro Concilio, ac Chriſtiana religione & congregatione interſit, aſſiſtat, ſuffragetur, & in omnibus & ſingulis actis & proceſſibus ea agat, tractet, proponat & concludat, quę pro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reformatione, & pacádis Chriſtiani orbis turbationibus atque incommodis agi, firmari, & concludi oportere cenſebitur. Polliceor autem in verbo veri Principis & cum iuraméto, omnia & ſingula me firma & rata habiturum, quæ per ipſum ad hoc publicum bonum procurata, dicta, acta, geſta aut promiſſa fuerint. In cuius rei fidem & teſtimoniū præſentes fieri iuſſi, & non ſolùm ſigilli mei munimine, verū manus meæ propriæ ſubſcriptione ſtabiliui. Datum Papiæ die nono Maij, 1513.

tectum

Maximilianus.

Quo etiam finito, Reuerend. dominus Alexander Archidiaconus Mantuanus, dedit mádatum Illuſtriſſimi marchionis Mantuæ, & dominus Thomas Phædra legit illud tenoris infraſcripti, videlicet:

MANDATVM MARCHIONIS Mantuæ.

FRANCISCVS Marchio Mantuæ, &c. S. R. E. Confalonerius. Sicuti contingit nobis diuino beneficio Eccleſiæ ſanctæ Dei ſacri corporis eſſe membrum haud ignobile, ſic nobis conuenire intelligimus, præſ[illegible] Eccleſię ſemper inhærere, pro ea & cum ea extrema quæq; pati, & more boni militis, glorioſum ipſius vexillum nuſquam deſerere. Cùm igitur alias ſacrum Lateranenſe Concilium indixerit ſanctæ me. Iulius Papa II. dignitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus, & in primis à nobis ſemper adorandus. Is namque vt erat pientiſſimus, è tenebris & vmbra mortis gratuita redemptione nobis ereptis, ſalutem & dulciſſimam libertatem reſtituit: propter quod immortale meritum, opinamur Deum optimum maximum (precibus noſtris exauditis) retribuiſſe copioſam tibi in cælis mercedem. Quod quidem Concilium beatiſſimus dominus Leo Papa decimus, nuper diuinitus ad Apoſtolatus apicem euectus (quod nobis fauſtum felixq; futurum re ipſa proſpeximus) cum maxima populi Chriſtiani frequētia proſequitur, Licet ſuperioribus diebus ſpeciales oratores Illuſtr. D. Aloyſium * Gonzagam marchionem, & etiam conſanguineum noſtrum chariſſimum, & D. Franciſcum Bonatum iuris vtriuſq; Doct. ciuem noſtrum dilectiſſimum ad eius beatitudinem venerandam adorandamque miſerimus, vt in his etiam, quæ in poſterum occurrere poſſunt, pro virili noſtra integerrimè facere ſatis valeamus, ſpecialem nuncium, procuratorem, & in omnib. & ſingulis, in ampliſſima & validiſſima forma, vices noſtras omnimodas gerentem, facere perſuademur. Harum propterea ſerie omni meliori modo eligimus, conſtituimus, creamus & deputamus noſtrum verum, certum, legitimum & indubitatum procuratorem, & nuncium ſpecialem & generalem, ita quòd ſpecialitas generalitati non deroget, nec contra: & omnimodas vices noſtras gerentem, Reuerendum in Chriſto Archidiaconum Mantuañ. D. Alexandrum Gablonetam iuris vtriuſque doctorem, & oratorem noſtrum chariſſimum. Cuius fidem & nobis inſeruiendi volūtatem, multis annis probauimus, & cognouimus, ad (quantum in nobis eſt) ſacrum Lateranenſ. Concilium per fe. me. ſanctiſſimum Iulium Papam rectè & ritè diuinitus indictū & conuocatum, in omnib. & per omnia, prout & quemadmodum eius beatitudo ſtatuit & ordinauit, laudandū, confirmandum & venerandum, atque debitis temporibus in omnibus actis proceſſibuſque eiuſdem ſacri Lateranen. Concilij comparédum, in ipſoq; debitam audientiam præfato ſanctiſſimo D. N. Leoni, toties quoties fuerit opportunum, præſtādum, & eundem Dominum noſtrum verum, vnicum, & canonicū & indubitatum Pontificē Dominici gregis paſtorem eſſe, quem (& ſi mori oportuerit) nunquā negabimus, confitendum, recéſendum, & recognoſcendum, in ipſoq; ſacro Lateranen. Concilio dicendum, proponédum, tractandum, firmandum, reuocandū, damnandum, laudādum, vouendumq;, & noſtro nomine omnia & quæcunq; celebrationi, continuationi & cōcluſioni dicti ſacri Later. Conc. & quę in eodé pro-

…nentur, tractabuntur, decidentur, vnionique & indiuiſibilitati dictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris noſtræ & membrorum, necnon morum vniuerſali reformationi, fideique augmento neceſſaria ſeu etiam opportuna, & ſine quibus ea commodè fieri, ſeu perfici nequirent, etiamſi ſpeciale, ſingulare, & indiuiduum mandatum exigerent, & maiora eſſent expreſſa. Ita quòd ea omnia, quæ nos ipſi, ſi præſentes eſſemus, omni validiori modo facere poſſemus, cum omnibus clauſulis, iuramentis & obligationibus neceſſarijs, & quibus efficacius fieri poteſt, valeat & ipſe validiſſimè celebrare, & noſtro nomine perficere, & ad cōſilium ſapientis non ſolùm præſens noſtrum mandatum extendere, ſed in omnib. & ſingulis occurrentibus, maioribus etiam expreſſis, addere, & cum clauſulis & obligationibus, prout expedierit, confirmare: quoniam ſuper prædictis omnibus & ſingulis, cum annexis, dependentibus, emergentibus, incidentibus & connexis, omni meliori modo & forma, quibus de iure efficacius fieri poteſt, præfato reuerendo domino Alexandro plenariè vices noſtras committimus, damus & conferimus, promittentes ratum, gratum, validum atque firmum, omni in loco & tempore perpetuo habere, quicquid in prędictis & circa prædicta, & quodlibet eorum per præfatum Dominum Archidiaconum dictum, actum, procuratum, geſtumve fuerit, & in nullo vnquam contra facere vel venire aliqua ratione vel cauſa. Renunciantes omnibus exceptionibus tam iuris quàm facti, & omnia & ſingula bona noſtra tam pręſentia quàm futura, cum præmiſſorum omnium & ſingulorum obſeruantia obligantes. Datum Mantuæ, die 12. Iunij 15[1]3.

Franciſcus Marchio
Mantuæ manu propria.

Statius Gadius Secretarius mandato
ſuo ſubſcripſit.

Quo finito, Reuerend. Laurentius de Med[illegible]eldri, orator Illuſtriſſ. Dominorum Stanislai & Ioannis ducum Mazouiæ, dedit mandatum: & idem Phædra legit illud tenoris infraſcripti, videlicet:

MANDATVM DVCVM MAZOVIÆ.

STanislaus & Ioannes Dei gratia Duces Mazouiæ, Ruſſiæque, &c. Significamus per pręſentes noſtras literas vniuerſis, quibus expedit, quia venerabilem dominum Laurentium de Medzeldri cathedralis Vilneñ. præpoſitum, & parochialis in Vitepſtro Archipresbyterum Eccleſiarum, ſecretarium regium, oratorem, nuncium & procuratorem ſpecialem, ad ſacrum generale Concilium Lateranenſe, per modernum S. D. N. Iulium diuina prouidentia Papam ſecundum, cum ſacro Reuerendiſſ. D. Card. collegio inſtitutum, & ad Kalendas Nouembris translatum, de mente noſtra benè & plenè informatum, iuſſu eiuſdem S. D. N. morem gerentes, deputauimus, deſignauimus, miſimus & conſtituimus, deputamuſque, deſignamus, mittimus & conſtituimus, dantes & concedentes eidem plenam & omnimodam facultatem nomine noſtro in eodem Concilio ſuper ſtatu religionis Chriſtianæ, ac ſanctæ Romanæ vniuerſaliſque Eccleſiæ rebus: etiam ducatus noſtri conſulendi, agendi, differendi & concludēdi, volentes ea omnia, quæ idem nomine noſtro egerit in eodem ſacro conuentu, rata, grata atque firma habere, etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerēt magis ſpeciale. In cuius rei teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus ſubappendi iuſſimus. Datum in ciuitate noſtra * Eziechonouu, 20. Februarij anno Domini 1513.

Quo finito, idem dominus Thomas Phædra legit quandam ſchedulam ſubſcriptam per dominum Bernardinum de Caruaial, & F. de S. Seuerino, olim ſanctæ Rom. Eccleſię Cardinales, ſuper materia abiurationis ſchiſmatis, & vnionis Eccleſiæ, cum conuenientibus verbis & humili erroris confeſſione, & veniæ petitione, tenoris infraſcripti, videlicet:

Tenor huius ſchedulæ non eſt inſertus, quia cum eſſet in manu dicti Thomę ſecretarij, qui poſtmodum defunctus eſt, nunquam potuit reperiri.

Qui domini Bernardinus Caruaial & F. de S. Seuerino, poſtmodum per S. D. N. ſeruatis ſolennitatibus conſuetis, paucis diebus elapſis, in palatio Apoſtolico priſtinæ dignitati in conſiſtorio ſecreto ſolenniter poſt ſchiſmatis abiurationem reſtituti fuerunt, cùm veniſſent prius per aulas palatij Apoſtolici, vbi magna multitudo conuenerat, tanquam priuati clerici & non Cardinales, habitu clericorum ſecularium induti, ſimpliciter coloris violati, & bireto eiuſdem coloris ante pedes ſanctitatis ſuæ coram ſacro ſenatu genuflexi, & ſchiſma in ſolenni forma, intelligibili voce iuxta tenorem certæ ſchedulæ, quam in manibus tenebant, factæ: & realiter abiuraſſent, & veniam humiliter erratorum petiſſent, prioribus veſtibus exuti, habitum cum bireto rubeo Cardinalium conſueto induti per magiſtrum cęremoniarum & ad oſculum pedum & oris per S. ſuam admiſſi, & capello rubeo accepto de manu S. ſuæ, & ad oſculum aliorum Cardinalium recepti, & de ſpeciali gratia ad priorem locum reſtituti fuiſſent, iuxta morem prædeceſſorum ſuorum ſeruari ſolitum [illegible] ſimilibus, prout latius in actis publicis in Canc. Apoſtolica, & apud Secretarios domeſticos Pontificis & Concilij, latius continetur. Deinde lecta ſchedula prædicta, excluſiſq; cæteris de more, non habentibus voces diffinitiuas in Concilio: clauſoque oſtio Concilij, exceptis oratoribus, & baronibus qui remanſerunt, prælatiſque omnibus poſt ſanctiſſimum in ſuis ſubſellijs cum mitris & veſtibus ſacris conſedentibus de more.

Demum reuerendus Pater dominus Pompeius de Columna, Epiſcopus Reatiñ. aſcendit ambonem, & legit quandam ſchedulam tenoris infraſcripti de mandato ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, alta & intelligibili voce, videlicet:

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Meditatio cordis noſtri aſſidua † ſacri Lateranñ. Concilij vigilans & intendens, ad ea potiſſimum vertitur, per quæ prædeceſſores noſtros Roman. Pontifices pro tuitione Eccleſiaſticæ libertatis, deformatorumque præſertim in officijs Apoſtolicæ ſedis reformatione, ac Chriſti fidelium pace & tranquillitate, prouide ſtatui & ordinari incepta, per noſtræ prouiſionis miniſterium, debitum & ſalubrem ſortiantur effectum. Dudum felicis recordationis Iulius Papa ſecundus prędeceſſor noſter, negotium & diſcuſſionem declarationis, nullitatis & abrogationis aſſertæ ſanctionis pragmaticæ in partibus Gallicanis contra libertatem præfatam in dictæ ſedis vilipendium, abuſu Gallicorum prælatorum & nobilium, & aliorum laicorum eis fauentium introductæ, venerabilium fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & aliorum prę̨latorum congregationibus, relationemque diſcuſſorum ſibi & Concilio præfato faciendam, dicto Concilio approbante commiſit, Gallicoſque prælatos, capitula Eccleſiarum & monaſteriorum, parlamenta & laicos illis fauentes, & dicta ſanctione abutentes, omneſque alios & ſingulos in præmiſſis ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes moneri & citari infra certum competentem terminum præfigendum, ad comparendum coram prædeceſſore & Concilio præfatis, cauſaſque dicendum, quare ſanctio præfata, illiuſque corruptela & abuſio, in concernentibus authoritatem dictæ Eccleſiæ ſacrorum canonum & libertatis præfatæ violationem, nulla & inualida declarari & abrogari non deberet, ſtatuit & ordinauit, necnon literas ſuas, per quas Romanæ curiæ officiales, & illorum exactiones generaliter reformauerat, per nonnullos deputatos & deputandos, particulariter declarari, & declarationes ipſas ſibi in eodem Concilio referri præcepit, prout in literis ſeu ſchedulis dicti Iulij prædeceſſoris deſuper confectis plenius continetur. Cùm autem dicto Iulio prædeceſſore in humanis agente, diuerſis impedimentis cauſantibus, citatio exequi & reproduci, ac negocium abrogationis diſcuti, ac reformatio huiuſmodi particulariter, vt intentionis ipſius Iulij prædeceſſoris fuerat, fieri non potuerint, ſed ipſo Iulio prædeceſſore reb. humanis exempto, citatio ipſa legitimè exequuta, in proxima præcedenti ſeſſione per procuratorem fiſcalem noſtrum reproducta, ipſorumque citatorum non comparentium cōtumacia accuſata, & ad vlteriora procedi petitum fuerit, nos, licet totis animi deſiderijs nil magis affectantes, quam præmiſſas & alias cauſas vtiles & neceſſarias,

for. * ſacro Lateranenſ. Concil.

propter

própter quas dictum Concilium indictum extitit, ad debitum finem perducere: tamen, vt maturè & humaniter procederetur, petitioni præfatæ reſponſionem non dedimus, nuncque etiam cum præfato Concilio intelligentes, per citatos & monitos huiuſmodi diuerſa impedimēta allegari, quare in termino eis præfixo comparere, defenſioneſque eorum allegare, & de eorum iure docere non potuerunt, vt omnis iuſtæ excuſationis & querelæ materia eis auferatur, iam libero ſaluo conductu ipſis, & alijs ad Concilium huiuſmodi venire volentibus, in dicta proxima præcedenti ſeſſione conceſſo, Cardinalium aliorumque prælatorum, qui præmiſſa & alias conciliares materias audiant, diſcutiant, auditaque & diſcuſſa in eodem Concilio referant, particulari deputatione per nos facta, etiam vt maiorem noſtram & Concilij præfati erga eos benignitatem ſentiāt, eodem ſacro Concilio approbante, terminum citationis & monitionis huiuſmodi præfixum, vſque ad primam Seſſionem poſt Kalendas Nouembris proximè venturi tenendam prorogauimus: ipſumq; terminum illis non currere, niſi poſt primam ſeſſionem prædictam tenendam, nec in aliquo præiudicare decernimus. Et inſuper cùm vltra Cardinales iam deputatos, nonnullos prælatos per dictum Concilium electos, additis aliquibus ex legitimis cauſis, qui reformationi prædictæ generali intendere debeant, deputauerimus, ſitq; noſtra firma intentio & diſpoſitio, vniuerſalem reformationem, tanquam vtilem & neceſſariam ad Dominici agri purgationem & culturam, omnino proſequi & perficere, Domino diſponente: ſed quia graues querelæ indies contra officialium Romanæ curiæ abuſum & extorſiones, ad nos deferuntur ex diuerſis orbis partibus, dictaq; reformatio iam cœpta tempore fe. re. Iulij ſecundi prædicti prædeceſſoris noſtri fuerit, ſacro approbante Concilio: ideo ad hoc, vt illa citius terminetur, & ea abſoluta, ad alias reformatiois partes deueniri poſſit, & querelæ prædictæ tollantur, quòd Cardinales & prælati per ipſam reformationem deputati, auditis prius & intellectis officialibus præfatis, eorumque iuribus examinatis, reformationem prędictam iuxta tenorem literarum dicti Iulij prædeceſſoris deſuper editarum, & Concilij præfati in tertia ſiue quarta Seſſione determinationem, ac iuxta primæuas officiorum inſtitutiones ſeu antiquas conſuetudines, vſque ad tempora piæ memorię Sixti quarti etiam prædeceſſoris noſtri obſeruatas, vel alias, prout eis videbitur, facere, formaſque & modos, quos officiales ipſi in exigendis taxis, emolumentis regalibus, & prouentibus quibuſcunque ſeruare, & à quibus ſub pœnis in literis ipſius Iulij prædeceſſoris deſuper contentis abſtinere teneantur, particulariter & diſtinctè declarare, & decidere, ac reformationem & deciſionem per eos faciendas, in proxima futura vel alijs ſeſſionibus, quibus commodè id fieri poterit, referre debeant, vt per dictum ſacrum Concilium & nos approbari, & debitæ executioni demandari valeant, & inuiolabiliter obſeruentur, eodem ſacro Concilio approbante, ſtatuimus & ordinauimus. Cæterùm, quia tam ex debito iniuncti nobis deſuper Apoſtolicę ſeruitutis officij, quam vt imminenti & notorio infidelium periculo, ac effuſioni Chriſtiani ſanguinis, qui exigentibus noſtris culpis frequenter indies effunditur, occurratur, & diſſenſiones, quæ inter Chriſtianos Principes vigent, tollantur, cogimur inter reges & principes Chriſtianos totis viribus pacem quærere, cuius componendę vna ex principalioribus congregationibus Concilij præfati cauſa extitit, vt ipſa ſequatur, & inuiolata perduret, & debitæ executioni demandetur, præſertim his temporibus, quibus potentia infidelium & inimicorum fidei creuiſſe dicitur, Concilio præfato approbante, ad reges, principes, & potentatus præfatos, legatos & nuncios pacis, vigiles, doctrina, experientia & probitate inſignes, pro tractanda & componenda vniuerſali pace mittere diſpoſuimus & decreuimus, vtque arma deponant, Domino auxiliante, quantum in nobis eſt pro viribus laborare & operari, Regumque & Principum & potentatuum huiuſmodi oratores, in ipſo Concilio præſentes, pro Apoſtolicæ ſedis reuerentia fideliumque vnione requirimus, vt regibus, Principibus, & potentatibus ſuis reſpectiuè hæc ſignificent, eoſque noſtro nomine hortentur, ad ipſos legatos Apoſtolicos benignè & honorificè tractandum & audiendum, votiſque noſtris tam iuſtis & pijs per eos illis exponendis ſatisfaciendum, quod eos facturos credimus, vt quantocitius fieri poterit, & abſque legitima excuſatione per nos mittendi, legationis munus eis impoſitum ſpontè ſuſcipere, & ſuſceptum viriliter adimplere poſſint, ac patre luminum, à quo omne datum optimum eſt, fauente, pax ipſa tractari & componi, eaque compoſita, ſancta & neceſſaria contra infidelium rabiem, Chriſtianum ſanguinem ſitientium, expeditio fieri valeat, & pro totius Chriſtianitatis ſecuritate & quiete feliciter terminari. acob. 1. Poſtremò, quia iam temporis diſpoſitione calores æſtiui inſtant, prælatorum valetudini, & ad Concilium præfatum venire volentium commoditati conſulentes, alijſque iuſtis & rationabilibus cauſis moti, octauam Seſſionem ſextodecimo Kalendas Decembris, proximè futuri, præfato ſacro Concilio approbante, indicimus faciendam, prælatiſque omnibus & ſingulis, & alijs in eodem Concilio exiſtentibus, à curia præfata recedendi, & vbi eis placuerit, ad eorum libitum commorandi, ita tamen, quòd niſi dicta die ſextodecimo Kalendas Decembris, ceſſante impedimento legitimo, præſentes fuerint, in literis indictionis ipſius Concilij, & canonicis ſanctionibus contra non accedentes ad Concilia contentas pœnas incurrant, præfato ſacro Concilio approbante, licentiam & facultatem concedimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prorogationis, aſſignationis, deputationis, confirmationis, commiſſionis, continuationis, reformationis, deliberationis, monitionis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione in ſacroſancta Lateranēſi baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ 1513. quintodecimo Kal. Iulij. Pontificatus noſtri anno 1.

Ia. Sadoletus.
Ia. Queſtemberg.

Qua perlecta, idem epiſcopus petijt à patribus, an placerent eis contenta in ſchedula. Et omnes reſponderunt, placere contenta in ſchedula, excepto reuerendo Patre Domino Hieremia Archiepiſcopo Tranenſi, qui dixit, non placere dilationem quo ad reformationem, nec etiam quo ad pacem & reuocationem pragmaticæ. Et etiam dixit, quòd cum tractatu reuocationis deberet tractari de prouiſione facienda ſuper cauſis contentis in reuocatione. Et hæc fuerunt pro ſeptima Seſſione. Et fuit indicta octaua Seſſio decimo Kalendas Decembris. Super quibus omnibus & ſingulis dominus Marius de Peruſchis procurator Concilij, petijt inſtrumentum & inſtrumenta.

Deinde anno à natiuitate Domini 1513. Indictione prima, die verò decimaſexta menſis Decembr. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & domini noſtri, Domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi, anno primo, diſcretus vir Bellauilla eiuſdem ſanctiſſimi domini noſtri curſor, in valuis baſilicæ Principis Apoſtolorum, & ſancti Ioannis Lateranenſis, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, publicauit literas ſiue ſchedulam prorogationis octauæ Seſſionis, cuius tenor talis eſt:

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum DEI, octauam Seſſionem ſacri, celeberrimique Laterañ. Concilij, in qua terminum in ſeptima Seſſione præcedente Gallicis prælatis, & eis fauentibus, ſuaque intereſſe putantibus citatis & monitis ad dicendum cauſam, quare ſanctio pragmatica, in concernentibus ſacrorum canonum & libertatis Eccleſiaſticæ violationem, nulla & inualida declarari, & abrogari non deberet, præfixum, & quarum citationis & monitionis exequutio reproducta, & ipſorum citatorum & monitorum contumacia accuſata fuerat, eiſdem citatis & monitis non currere, niſi poſt primam ſeſſionem, nec in aliquo eis præiudicare decreuimus, ac declarationem & deciſionem reformationis officialium, & hæreſum extirpationem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus & prælatis per nos commiſſas, referendas ſtatuimus & ordinauimus: necnon pro vniuerſali pace inter Chriſtianos Principes & potentatus componenda, ad eos legatos & nuncios mittere diſpoſuimus. Regumque, principum, & potentatuum huiuſ-

modi oratores in ipſo Concilio tunc præſentes, vt regibus, principibus, & potentatibus ſuis reſpectiuè id ſignificarent, eoſque noſtro nomine hortarentur, ad ipſos legatos Apoſtolicos benignè & honorificè tractandum & audiendum, votiſque noſtris tam iuſtis & pijs per eos illis exponendis ſatisfaciendum, ad 16. Kalend. Decembr. proximè præteriti faciendam per nos indictam, ex certis legitimis cauſis tunc expreſſis, ad diem Veneris poſt proximum feſtũ ſanctæ Luciæ prorogamus, quæ erit 17. Kalend. Ianuarij, faciendam indiximus: terminumque citatis & monitis præfatis (vt præfertur) præfixum, interim non currere, & in aliquo eis non præiudicare, niſi poſt octauam Seſſionem præfatam, decernimus & declaramus. Cum autem Cardinales & prælati congregationum, quibus fidei & reformationis officialium, & pacis cauſæ huiuſmodi commiſſæ fuerunt, licet omni ſtudio & diligentia circa illarum expeditionem elaborauerint, quia tamen reſolutiones per eos factæ in debitã ſchedulam adhuc reduci non potuerunt, id infra triduum factum eſſe, ac proxima dies Veneris, qua dicta octaua Seſſio per nos indicta, teneri debeat, inſtare noſcatur: Nos igitur ex præmiſſis & alijs cauſis ſuper hoc prouidere volentes, de venerabilium fratrum noſtrorum conſilio & vnanimi conſenſu, octauam Seſſionem & diem Veneris huiuſmodi, ad diem Lunæ proximè futurum prorogamus, & octauam Seſſionẽ ipſam dicta die Lunæ, quæ erit 14 Kalend. Ianuarij, faciendam indicimus, terminumque citatis & monitis præfatis (vt præfert) præfixũ, interim non currere, & in aliquo eis non prȩiudicare, niſi poſt ipſam octauam Seſſionem, decernimus & declaramus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ 1513. Idibus Decemb. Pontificatus noſtri anno primo. Placet.

Deinde die 17. eiuſdem menſis fuit congregatio in capella ſuperiori palatij Apoſtolici omnium trium congregationum, ſuper fide, pace & reformatione, in qua reuerendiſſimi Domini Cardinales & prælati deputati legerũt ſchedulas tres ſuper fide, pace, & reformatione, quæ in octaua Seſſione inſeruntur, & hoc poſt multas congregationes prius factas ſuper huiuſmodi conſultatione.

INVICTISSIMO ET AVGVSTO PRINCIpi Ferdinando Hiſpaniarum ſceptra tenenti, Aragonum, vtriuſque Siciliæ ac Hieruſalem Regi Catholico, Balthaſar del Rio ſcolaſticus Myndonieñ. Apoſtolicæ ſedis pronotarius, poſt debitam mancipij reuerentiam, felicitatem P.D.

ARiſtoteles philoſophantiũ princeps, Inuictiſſime Rex, Calliſtenem ſuum auditorẽ ad magnum Alexandrum cõdiſcipulum mittens, monuiſſe fertur, vt cum eo, aut quàm rariſſimè, aut quam iucundiſſimè loqueretur, quo apud Regias aures vel ſilentio tutior, vel ſermone eſſet acceptior. Xenocrates quoque philoſophus alter, qui nobis multa audire, pauca verò loqui licere, & ea propter duas nobis à natura aures, & os vnum inſitum fuiſſe aiebat, quum maledico quorundam ſermoni ſummo cum ſilentio intereſſet, interrogatus, cur ſolus linguam cohiberet: quia dixiſſe, me, inquit, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam. Graue quidem alterius præceptum, alterius autem præclara ſententia fuit. At ego, quum à ſilentio iocunditatem, à iocunditate veritatem ſæpius procul eſſe conſpexerim, æſtimaui tutius mihi fore, amicum habere Platonem: ſed ſalubrius, dominam & parentem veritatem colere: quia quanto magis veritati præſto ſum, tanto minus à rerũ omnium opificis via & vita ſecedere videor. Quam ob rem, quum in dies & in horas fama crebuerit, atrociorem in præſentiarum hoſtem habere Chriſtianam religionem, quàm ante hac fuerimus experti, quem amicis & affinib. conſanguineis & fratribus, proprio denique ſanguini non peperciſſe intelleximus, nam & binos ex fratre nepotes, & fratrem ipſum (nepotib. prius ſtrangulatis, vt S.D.N. Leoni, & ſacroſancto Cardinalium ſenatui nudiuſtertius per fide dignas literas denunciatum eſt) nuperrimè occidiſſe non expauit, Vngariȩ Regnum mox inuaſurus, cuius iam duo emporia, Regni præcipua antemuralia, igne vaſtauit, quo illinc commodior ſit illi ad nos aditus. Ego verò tanto repentè laceſſitus infelici nuncio, vtriuſque ſpreto philoſophi conſilio, licet alios hac ipſa de re verba feciſſe, & parum aut nihil ad tam ſanctum opus animos allexiſſe compererim, vt quemadmodum duræ cautes aſſiduo lymphæ tenui delapſu perforantur, ita & inconcuſſæ audientium mentes (quibus quæ reipublicæ noſtræ conducunt, quandoq; obaudire mos eſt) repetita toties viuida verborum vi penetrentur, accendantur, incitentur, efflagitatus à maximè venerando antiſtite D. Laurẽtio Puccio Florentino, fe. re. Iulij ſecundi Pont. Max. & in eius locum ſuffecti Leonis ſanctiſſimi à datandis, dictandiſque literis Apoſtolicis obſequentiſſimo mãcipio, & veræ huius Romanæ curiæ præfulgido ſidere, literatorum præſidio, & denique abſque adulationis labe, bonitatis integritatiſque cultore optimo, & de Maieſtate tua optimè merito: qui dũ proximè exacto anno coram vigili paſtore Iulio præfato, de Dominica paſſione ac mortis noſtræ morte me concionantem audiret, de hac ipſa ſanctiſſima in Turcas expeditione orationem aliquando habere me coegit, non potui tandem in tanta rei neceſſitudine rerumque expectatione formidoloſus, non paruiſſe, ac parendo carptim non tetigiſſe nonnulla de te, deque alijs Chriſtianis Principibus, quib. Chriſtianæ reipublicæ tutandæ ampliandæque cura eſt. Inter quos quia eminentiſſimum ſidus ſemper fulſiſti, etiam ſi ad gloriæ tuæ æmulorum perniciem, Maieſt. tuæ aſſentari videar, dum vera loquor, loqui non pudet. Nec puduit pariter aperta voce mutire, & in media vrbis & orbis terrarũ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſacroſancta area propalam bonos extuliſſe, de fide Catholica benè meritos commendaſſe, Chriſtiani nominis hoſtium domitores alijs prætuliſſe, reliquos verò ſibi tantum natos principes, (vt aiebat diuinus ille Plato) ſilentio præterijſſe, clariſque tuis facinoribus intentos ad hanc ſanctiſſimam expeditionem maximè neceſſariam inuitaſſe & & prouocaſſe. Accipe igitur Auguſtiſſ. Princeps ſubditi tibi addictiſſimi, homagijque tibi debiti lucubratiunculam hanc qualemcunque, quam coram tuo & aliorum Principũ ſolio, te abſente, ac ſi præſentem fuerim intuitus, non intempeſtiuè habui. Et quia coram tanto conſeſſu ineptias meas veſanè fortaſſis prodere ſum auſus, nunc in lucem edere Maieſtati etiam tuæ eaſdem temerè, reuerenter tamen dicare non ſum veritus, ſciens in Chriſti negotio præſentaneo morẽ tibi geſſiſſe, & votiuè tibi fuiſſe obſequutum, dum non immeritò ab omnibus rectè ſentientibus, Regum exemplar Chriſtianorum (vt es) & haberis & iudicaris, cuius propterea omnes Dei cauſam, teque cauſæ eiuſdem cauſidicum appellant, tutorem prædicant, & Eccleſiaſticæ colunt libertatis aſſertorem. Orationi igitur noſtræ, quando quid ocij aut curarum vacatio acciderit, Rex ſacratiſſime intende proſperè, procede & regna, nõ iſthic tantùm, ſed in medio illo orbis terrarum & Ioſaphat vmbilico, ibiq;, vbi Chriſtus mortem noſtram moriendo deſtruxit, vbi & vitam reſurgendo reparauit, quò ipſum rurſus ſupremũ iudicem venturum ſperamus, pro acquirenda tua Hieruſalem, pro viſitando Caluariæ loco, pro colendo vitæ noſtræ ſepulchro, pro adorando (iam à Regibus fidei noſtræ primitijs adorato) prȩſepio, caſtrametare, & ſacratam precioſo ſanguine humum Deiferam tuis tentorijs fode. Extenſis autem in Hieroſolymitanis arcibus tuis aquilæferis, alteram altera Hieruſalem facilè conſequeris. Alteram, inquam, cuius non petra ſolidata, ſed lapis angularis eſt Chriſtus, quique in vna crucifixus apparuit, in altera glorioſus manet in ſecula, comitaberis Rex Regem gloriæ, conſtituet te ſupra multa longè maiora, qui in pauca te fidelem & Catholicũ adinuenit. Et denique, ne prolixius vagari videar, quam ipſa rei ſeries expoſcit, tu, qui inter cæteros ſacro chriſmate vnctos Reges ſolus Catholicus (vt non ab re) nuncuparis, fidei Catholicæ ac tuum nomen & ditionem, dum datur occaſio, vt ſolitus es, extende, ampla, dilata, ne (quod Deus auertat) quando diutius oppreſſis Chriſtianis ſuppetias feramus, ſuppetijs præſertim nobis opus ſit, vicino iam hoſte acerrimo perterritis. Vale, Regum optime, diuque viue Regnorum amœnitate feliciſſimus. Romæ ex ædibus Reuerend. D. mei Card. Arboreñ. vndecimo Kalend. Iulij, anno Chriſtianæ ſalutis 1513. Pontif. domini noſtri Leonis Papæ decimi anno primo.

NIHIL IMPOSSIBILE ERIT vobis.

Matth. 17.

MATTHAEI XVII.

Ibidem.

ASCENSVRVS ad ſuperos vnde venerat, ſeruator noſter Ieſus, Beatiſſime Pōtifex, miſſurus pariter athletis ſuis paracletum Spiritum, quo totius orbis accolas aggredi, inuadere & expugnare non formidarent: Si habueritis, inquit, fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. Cuius firma veræ fidei inſtitutoris pollicitatione confiſus, tantorum patrum, qui hoc ipſo in loco ante me verba fecerunt, quorum ego corrigiam calceamenti nedum ſoluere, verum deoſculari videar minus dignus, authoritatem, doctrinam, grauitatem, prægrandes bonarum artium & eloquentiæ torrentes admiratus, nihil de hac omnium celeberrima per glorioſæ memoriæ Iulium ſecundum indicta, nihil de alijs per alios S. tuæ prędeceſſores celebratis ſynodis (quum tot & tanta, tamque luculenter & copioſè dicta ſint) diſſerendum putaui, niſi vt iam tandem vberrimum aliquem fructum, tanti ouium Chriſti ſatagentiſſimi paſtoris, tantarumq́ue ouium fœcundus conſeſſus, ex hoc ſacro Dei ouili, fœcundet, pullulet, pariat, & cōtra immaniſſimos fidei noſtræ hoſtes, contra Chriſtiani ſanguinis ſitibundas feras, contra patrimonium Chriſti tyrannice occupantes, arma lucis induti, Chriſtianorum arma conuertamus. Et licet Modrutienſis præſul in proximè habita ſeſſione, & Lucenſium primò, Florentiñ. deinde reipublicæ, poſtremò ſereniſſimi Poloniæ Regis oratores inſignes in reuerentia tibi & Regis ſui & gentilium tuorum nomine exhibito, de huiuſmodi bello ſuſcipiendo multa ſapientiſſimè diſſeruerint, quia tamē paucis tanta complecti nequiuerunt, quin plura alijs recenſenda reliquerint, vt eo libentius communi Chriſtianorum iacturæ conſulatur, quo inſtantius periculum formidandum eſt: vtque ea omnia (& ſi pluries repetita) balbus ego & hebes, ac ab omni dicendi genere immunis paucis abſoluam, voſq; deſidioſi & ſegnes, iamiam expergiſcentes, non ingrata audire, & audita exequi poſſitis, Gabrielis prece ſolita Deiparæ noſtræ præſidium imploremus: Aue Maria.

Matth. 17.

NIHIL IMPOSSIBILE ERIT vobis.

Num. 22.

VErberabat iam tertio cui inſidebat, aſinam Balaam beatiſſime Chriſtiani gregis animarum protomedice: quia quò vellet herus, nollet aſina, obuij Angeli expaueſcens gladium, iter facere. Aperuit Dominus os aſinæ conquerentis, & contra nutum Dei verberantis Balaæ oculos diuino fulgore luſtrauit, vt quod humano capite erat delicturus in Deum, aſellæ verbis à labris Angeli iuſſa capeſſeret, iubentem adoraret, eiuſque nutui pareret. Quid mirum ergo? Quid qui dudum ante locutus eſt in igne, in rubo, & nunc in aſina, loquatur in me Deus? & ab eo quem rectū reris tramitem, tibi deuiare conſulat, labia mea aperiens, & os meum annunciabit laudem tuam? Reris profectò (ni fallor) verum iter proficiſci, ſi iam reſtituto & aucto beati Petri patrimonio, pacato aliquanto Italiæ tumultu, compoſitis demum Chriſtianorum Principum nōnullis ſimultatibus, daretur Turcarum rabiem exinde frenatum iri. Sed vbi periculum maius intenditur, vt aiebat in ſacro Lugduneñ. Concilio prædeceſſor tuus Gregorius (vt tu) decimus, ibi proculdubio plenius eſſe cōſulendum cenſeo. Inſtat Turcarum gladius faucibus noſtris, & nos eius acumini colla ſubmittimus: obrepit littora, & ad auratos receſſus illecebris educati, comprimimur. Depopulatur oppida, vaſtat agros, graſſatur in compitis, & nos ſegnitie marceſcimus. A proprijs laribus euellimur, retrudimur ad hos, qui extant, ſacros penates. Illi igne, ferro, tormentis in vniuerſam vndequaque Chriſtianam rempublicam: nos in nos ipſos ſæuientes, illis ad noſtrum interitum opitulamur. Nos vt parua tueamur, amittimus magna. Illi, vt maiora ſibi poſteriſque ſuis relinquant hæreditatis monumenta, grandia quæque ſua (ne diſcordia dilabantur) floccifaciunt, & paruipendunt. Ita vt ſi inuictiſſimus ille Ferdinandus, Hiſpaniarum ſceptra feliciter tenens, vitæ vmbratilis amator extitiſſet, tantum Granatæ regnum, & quaſi totam illam Bæthicam prouinciem, in occiduo noſtro octingentis fermè annis à Mauritanis occupatam, in veri Dei cultum ac ditionem ſuam venire minimè coegiſſet: vt quod in Oriente aliorum Principum inertia, orthodoxæ ditioni per infideles abtruncatum eſt, idipſum Catholicus Princeps Catholicæ fidei & ſibi ipſi in Occidente reſtitueret. Reminiſcens diuini verbi, ſi contra fidei hoſtes fide & armis dimicandum erat, nihil formidandum, nihil impoſſibile futurum auſpicabatur. Si his igitur armis contra inermes dimicandum nobis eſt, & nihil impoſſibile erit nobis: aggrediamur nobis debitā prouinciam, amplectamur omnium ſanctiſſimam expeditionem, irruamus in perterritos hoſtes, iam ſectæ ſuæ (ſecundum eorum Prophetiam) finem pertimeſcentes, quæ ſexcentis circiter annis poſt ſalutiferum virginis partum incepiſſe, & ſecundum aſtrorum peritos, breui finienda eſſe perhibetur, in tali aſſerentes ſigno initium habuiſſe, vt diu durare poſſe impoſſibile ſit, aut ſupra naturam magis, ſeu ob peccatorum noſtrorum demerita. Quod ab Aiionoto regis Armeniæ fratre facilè comprobatur, dum in Orientali ſcribēs hiſtoria, eſſe apud Mahumetanos hoſtes indubiam prophetiam, cuius prætextu ad annum milleſimum quingenteſimum à Chriſti ortu, duraturam eorum ſectam, pro comperto aſſeuerat. In iſto obiter centum annorum curriculo, quorum iam tertium cum decimo ſupputamus, deleri radicitus tantam ſuperſtitionem, ſi non negligimus, ſi ocio non torpemus, aut negocio nō diſſidemus, ambigendum non eſt. Lex enim & Prophetæ eorum vſque ad Ioannem * Medicum, qui infecta terrarum orbis membra abſcindet, diruet, & vt Leo rugiens deuorabit, quæ omnia licet aliter ſe haberent, quàm futura prænunciamus, vrget tamen neceſſitas, impellit ratio, cogit & hortatur nos ipſa noſtra iam imminuta reſpublica. Nam ante Euboeæ & Aulonis incendium, dum ſenatus Venetus nobis arx Chriſtiana & propugnaculum extitit, mare illud piratis omnibus & graſſatoribus vacuum audiuimus. Redactis tamen in miſeram Turcarum ſeruitutem Euboea & Aulone, liber eis ad nos patet aditus. Nouit, quæ loquor, ſignifera illa immortalis memoriæ Iulij ſecundi cataphratta quadriremis, ab hoſtibus haud dudum prope Corſicam expilata & direpta. Expertæ ſunt, nec multo poſt, tres aliæ Catholici regis validiſſimæ triremes, & introcluſi Chriſtiani, ſui nominis hoſtium efferatam ſæuitiem. Quarum vexillis (proh dolor) velud piſces hami eſca, cæteros maria ſulcantes Chriſticolas (ni Deus auertat) deglutient, diſcerpent, deuorabunt. Senſit quæ recolo, ſe. re. Sixtus quartus, qui tunc * Fernando Parthenopeo regi, ſacri collegij & ſubditorum Eccleſiæ communi pecunia adiutus, maximo terreſtri exercitu contracto, inſtructa cum Apoſtolico legato muniriſſima claſſe, ſuppetias miſit. Quia traiecto ex Aulone Hadriatico ſinu, & expoſitis in Apuliam haud exiguis militum copijs, tanto impetu * Idruntem eius regionis metropolim oppugnare adortus eſt quidam Mahumeti Ottomanni dux impiger, vt paucis paulò poſt diebus tranſactis, nemine interim ante ſuppetias Sixti ſuccurrente, illam vi ceperit, omnique crudelitatis genere in ea ſit debacchatus, & Archiepiſcopo Pontificalia paramenta induto, cum clero & ciuibus in Eccleſia trucidato, ſacris omnibus profanatis, proſtitutis virginibus, iunioribus cum pueris Byzantium in lugubrem captiuitatem tranſmiſſis, magnam vtrique Siciliæ iacturam, ſed maximum toti Chriſtiano orbi terrorem incuſſit. Nam ſi præter ſuppetias ipſas Eccleſiæ, diuinum auxilium tunc nobis præſto non fuiſſet, quo imperantis Mahumeti mors, & inter filios diſcordia interuenerat, actum erat de his, quæ extant, Europæ anguſtijs: quia formidandum nobis eſſet, quòd illud incendium latius fuerat diffundendum. Sed quos ſuo ipſius precioſo ſanguine mercatus eſt Chriſtus, noluit periclitantibus ſuæ ſubuentionis penitus deeſſe ſubſidium. Taceo quot idem Mahumetes, viuente nunc Turcarum tyranno longe mitior & humanior, à noſtris manibus ſuo imperio, ſuo regno ſubdiderit. Nam præter Pontum, Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pampyliam, Lyciam, Cariam, Lydiam ac Phrygiam regna, prouincias, vrbes inſignes, totum ferè Helleſpontum * adußit. Peram & Mitylenen Ianuenſium Colonias diripuit, Peloponeſſum inuaſit, ipſiſq; Achaiæ, Acarnaniæ, Epiri, maioris Macedoniæ Chriſtianis populis non pepercit. Raxiam pariter & Seruiam prouin-

Exod. 3.
Pſal. 50.

Nota de duratione regni Turcarū prophetiam.

* for Medicem.

* Hydruntem

s,ac quicquid ab Adrianopoli Sauumq; & Danubium amnis interiacet, ſuæ ditioni adſcripſit, & à noſtra abſtulit. Vachi ea propter timore perculſi, pro maiori parte ad ipſum defecerunt. * Boſnam poſtmodum, obrepens velut horrenda tempeſtas, cerbereis faucibus exhauſit vſqueadeò, vt ſenes infantes, quorum ætati indulgendum: fœminas, quarum ſexui naturæ lege parcendum erat: cæteroſq; locorum incolas in plateis concatenatos, ceu boues euiſcerari, mactari, dilaniari canino rictu nefariè iuſſerit. Illinc Sinopem & Trapezundam, vetuſta noſtrorum monumenta maiorum, ſuæ ſeruituti ſubegit. Ipſam denique Bizantium, Conſtantini vrbem auguſtam ſub fide fœderis quieſcentem (ac ſi ab infidelibus fides, ab immaniſſimis pietas, à perfidis hoſtibus vita ſperanda eſſet) machinis & tormétis, extemplo & inopinatè oppreſſam vi cepit, eiuſque vniuerſa plebe venundata, & in atrociſſimam ſeruitutem ſubacta, expugnauit, diripuit, aduſſit. Et vt nobilitatem omnem penitus deleret, ac indigenæ nobiles, Chriſti milites ingenui, ſub ficta libertatis ſpe fruſtrarentur, ſæuus ille canis eoſdem iam libertate donatos, repétè obtruncari præcepit.

Nostra, noſtra (inquam) hæc, non proauorũm, tempeſtate accidiſſe cóperimus: & ſi iamiam per charitatis alumnum, maximeq; reuerendiſſ. Vngariæ Card. quem interea & ſanctiſſimè quidem, pro te ſacroſancta iſta ſede, omnium ſanctiſſimæ legationis officio fungi ſtatuis, imminés Turcarum Imperatoris procella non retunditur & propulſatur, vereor pater beatiſſime, vereor patres ampliſſimi, ne dũ abſenti hinc Vngariæ & Poloniæ calamitati non conſulitur, noſtratũ pręſentaneam formidemus: immò (quod abſit) deploremus, lamentemur, patiamur. Sed quid in externis (vt ita dicam) enarrandis tempus contero? Noſti pater beatiſſime Coclearium oppidum Valentini littoris, Capritanum caſtrum Arborenſis marchionatus, & alia vtriuſque Heſperiæ & inſularum maris noſtri maritima loca, quæ noſtri nominis hoſtes, circunuentores & piratæ, propalam aſſidue depopulantur. Penſita, oro, quãti te, quanti ſacroſanctam iſtam ſedem, quanti faciant cæteros Chriſtianæ reipublicæ primores inteſtinis bellis laborantes, qui noſtri vſque dominij præcordia penetrare non expaueſcunt? Quorum contagioſam peſtem ſi per Africæ fines Ferdinandus noſter nó compeſcuiſſet, irruiſſent enimuerò in nos, & ceu dudum fecerunt, huic ſacræ Lateranenſi baſilicæ, igne ſuppoſito tunc dilapſæ, nunc minimè pepercíſſent. Nouerunt tamen eius potentiæ ſcintillam Melhila, Auranum, * Buſia. Tripolis ciuitates perpulchræ, Mazarquibir, & alij portus celeberrimi, quibus rex ipſe alter Hannibalis annulus, nobis verò noſtri & Romani ſanguinis vindex & vltor eſt. Ladislaum etiam Vngariæ regem sereniſſimum, Chriſtianæ religionis athletam & ducem ſtrenuum (ne ſilentio prætereamus) ſuis tantum Regni primatibus comitatum, innumeram ſæpè hoſtium multitudinem aut profligaſſe, aut dum noſtra ambire ſtudebant, ſua propria reliquiſſe, tergaq; & vitam noſtrorum manibus ſæpius dediſſe, non dubitamus. Emmanuelem pariter Luſitanorum regem, fidei noſtræ ſidus præclarum, Orientis viſcera noſtris à Gadibus vſque ad Auroram & Gangem penetraſſe, fidei expertes vexillo crucis inſigniuiſſe, Paganas gẽtes domuiſſe, in ditionem noſtram venire coegiſſe, nemo noſtrum ambigit. Sigiſmundum prætere a Poloniæ regem, aſſiduum & acerrimum infidelium domitorem, contra Tartaros & alios hoſtes conuicinos dimicantem, maximam reportaſſe victoriam, perennis memoriæ Iulio Secundo, & ſacroſancto huic collegio, cuius tu præcipuus Archidiaconus & colendus collega tunc exiſtebas, denunciatum eſt. Quo in conflictu ſupra 40. hoſtiũ millia cæſa fuiſſe, pro comperto habemus. Et ſi (ô vtinam) iam datum eſſet ſolá tantorum Principum manum, in veros hoſtes conuerti potuiſſe, credidiſſem profectò de te Leo Max. eorundem Regum impenſa illud Prophetici pſalmi dictum, Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum: Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent: Et adorabunt eum omnes reges, & omnes gentes ſeruient ei. Tu verò qui ſummi Dei geris vices in terris, quique Chriſti tunicam, ſciſſuræ iam proximam, inconſutilem (vt erat) prǽſeruaſti, vniuerſaliſque Eccleſiæ Cardinales & Principes (vt olim manus Domini, Apoſtolorum principem à fluctibus, ne mergeretur, erexit) tu quoq; in lachrymarum fluctuoſa valle, ne diſſenſionis turbine obruerentur, erexiſti, euocaſti: oueſque ipſas tuas, vocem tuam audientes, paſtoris boni veſtigia & verba ſequutus, ad te traxiſti: quandoquidem dudum ante oues exiſtens, prædicebas: Cùm exaltatus fuero, omnia traham mecum. Traxiſti, inquam, Domine omnia ad te, quando, quæ aberant ab ouili oues, iam paſtor effectus attrahis, foues, amplexaris, vt villicationis tuæ rationem redditurus, Dei verba dicas Deo: Quos mihi dediſti, non perdidi ex eis quenquam. Attrahe pariter & conuoca religionis noſtræ ſeculares Principes: compone eorum ſimultates: largiantur te duce vnius ſaltem triennij ſanctiſſimas inducias Deo, quæ mediocri amico etiam non efflagitanti darentur, vt rixis tandem particularibus ſedatis, maius & validius copiarum corpus efficiamini: quia nullum robur tam firmum atque ſolidum, quod diuiſum non debilitetur, non cadat, non diſſipetur. Ignis, in ſtipites ſegregatus, extinguitur: domus in lapides diuiſa, corruit: nauis, in tabulas diſciſſa, demergitur: omne regnum in ſeipſum diuiſum, vt aiebat legiſlator noſter, deſolatur: Chriſtianis etiam principibus inter ſe diſſidentibus, prolabitur funditus Chriſtiana religio. & deníque nihil eſt, quod concordia non cóſtet, cadat diſcordia. Pariat ergo concordes animos concors fides, & concordibus membris te ſanctiſſimum amplexantibus caput, expergiſcere in Dei ſubſidium, obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Excita Domine potentiam tuam, & veni. Succurre miſeris exploſis Chriſticolis, qui te præſtolantur. Conſule renatæ labenti religioni, quia omnes amici eius ſpreuerunt eam, & non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius. Audi Dominum, qua te de cauſa in hunc terrarum orbem miſerit, & qua delendæ præſertim Mahumeticæ ſectæ tempeſtate, oues ſuas tibi crediderit. Vt conſolarer (inquit) omnes lugentes Sion, & ponerem conſolationem lugentibus Sion. Tuo nempe gladio fretus, Conuertam (ait) luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos, & lætificabo à dolore. Hac propterea ipſi fide ſecuri, Cóuerte (clamitant) luctum noſtrum in gaudium. Nam viæ Sion lugent, quia non ſunt, qui veniant in eius leuamen, & ipſa oppreſſa eſt amaritudine. Tria enim hoc vno nondum exacto anno, vt hanc conſolationis ſpem iam breui complendá, facilius crederemus & intueremur, operata eſt in te Dei omnipotentia maximi, diue Leo: mirabilem, primum, tuam medijs ab hoſtibus libertatem, non hominum, ſed Dei manu donatam: Deſperatam, alterum, in proprios lares & patriæ amplexus reductionem & receptioné: Reliquum, quod non ab re, nec niſi (vt ego ipſe vidi, vidi, inquam, immeritus: vidi, & qui vidit, teſtimonium perhibuit, & ſcitis patres, quia verum eſt teſtimonium eius) verè diuina prouidentia factum cenſendum eſt, quod te ſacerrimus iſte ſenatus, ex tot tantiſq; patribus, tibi ætate maioribus, meritis & vitæ integritate paribus, iuniorem in ſenem, fratrem & (vt ita dixerim) filium in patrem, collegam in dominum, in Petri ſucceſſorem, in ſummum ſacerdotem, in Chriſti vicariũ elegerint, aſſumpſerint, adorauerint, vt hanc ſcilicet ſanctam prouinciam aſſumeres, aſſumptam proſequereris, & longo ſaltem temporis interuallo longæuus perficeres, perfectam pacares, & Chriſtiano dogmate inſtitueres: ac ceu Leo rex quadrupedum, tu alter Leo, hominum non alter rex tantum, ſed regum rex, & orbis terrarum monarcha effectus, alias oues quas habes, quæ non ſunt de hoc ouili, ad tuum ouile reduceres, alliceres, reuocares. Accingere ergo gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Nam & tu duos gladios habes, ſpiritalem ſcilicet & temporalem; altero igitur euaginato, altero in vaginam repoſito, in hoſtes irrue, quia nihil impoſſibile erit tibi. Vinces profecto, quia vicit Leo. Aggredere certamen gloriæ, vbi qui legitimè certauerit, coronabitur. Diſſolue compedibus mancipatos, aſſere pedicis aſtrictos, aufer vinctis manicas, audi noſtrorũ lugubres vlulatus, excogita miſerandos gemitus. Penſita lachrymarum & ſanguinis profundos torrentes, perpende flebiles ſingultus. Volue tecum animo, quot nefandas ſtrages, quot ſanguinolentas cædes, quot incendia, quot excidia Chriſtianorum, quot Dei noſtri templa incenſa, diruta, prophanata, & ceu proſtibula ſpurcata exiſtima. Miſerere noſtræ Chriſtianæ reipubl. hanc ſacram ſynodum appellantis, vociferantiſque, Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei. Fer illis opem, diſcerpe ergaſtula, vendica captiuos, manumitte concatenatos. Ecce te inuitat rex Propheta:

Ioan. 12

Ioan. 17

Psal.

Thr.

Esa.

Hie.

Th.

Dirum-

Dirumpamus(ait)vincula eorum,& proijciamus à nobis iugum ipſorum : deduc eos ad tuum & Domini iugum ſuaue: quia cadent (cadent enim) à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Et vnum intereà excogita Pontificum feliciſſime : Si nunc atrociſſimæ Turcarum ſiti minimè obſimus', quo in ſtatu nos , quo in ambiguo poſteros noſtros,ad has Europæ rimas compreſſos, ſumus relicturi. Et ſi nihil impoſſibile erit nobis, contra patrimonium Chriſti occupantes,contra fidei noſtrę hoſtes,contra inimicos cru-
3. cis,arma ſumamus. Ad quod etiam electionis vas nos hortatar,dicens : Perſequimini inimicos crucis, quorum finis interitus eſt. Si ergo interitus, audeamus certa Pauli ſponſione ſecuri. Tuque beatiſſime Potifex , quem item ſacroſancta hęc ſynodus appellat,obteſtatur,& in Prophetę verbis proclamat,Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi: cuius ductu & auſpicio Chriſtiana religio reuiuiſcit,nitere, vt te duce,qui bonitate inſignis,ſapientia præcipuus, prouidentia circunſpectus, præpotens armis, authoritate grauis, conſilio & rerum experientia pollens, Chriſtianæ reipub. primus & caput es,ſit vna fides,vnum baptiſma: denique,vt es vnus paſtor,ſit vnum ouile : vt hac orbis machina ſub illius,qui paſtor bonus eſt,bacillo,fide & ditione introducta, quam ipſe mercedē copioſam in cœlis, pro fidei noſtræ retributione ſpopondit, eam ipſi operibus aſſequamur. Dixi.

SESSIO VIII.

IN nomine Domini, Amen. Anno à natiuitate Domini 1513. indictione prima, die verò Lunæ, decimanona menſis Decembris celebrata fuit octaua ſeſſio Concilij generalis in ſacroſancta baſilica Lateranen. præſente & præſidente ſanctiſſimo Domino noſtro LEONE Papa decimo. Et fuerunt præſentes infraſcripti Reuerendiſſimi domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Generales ordinū, Oratores Principum & Illuſtriſſ. domini,ac in ſacra pagina , & vtraque cenſura Doctores celeberrimi, videlicet :

Episcopi Cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Raphael Oſtien.
Reuerend. D.Bernardinus Sabinenſis.
Reuerend.D.Dominicus Portuen.
Reuerend.D.Franciſcus Tiburtinenſis.
Reuerend.D. Marcus Præneſtinus.

Presbyteri Cardinales.

Reuerend.D.Franciſcus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli, Surrentin.
Reuerend.D.Hadrianus tituli S.Chryſogoni.
Reuerend.D.Nicolaus tituli S.Priſcæ,de Fliſco.
Reuerend. D. Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ , Agennen.
Reuerend.D.Carolus tituli S.Cæciliæ.
Reuerend.D.Chriſtophorus S.Praxedis.
Reuerend.D.Antonius tituli S. Vitalis, * Sipontin.
Reuerend.D.Petrus tituli ſancti Euſebij,Anconitan.
Reuerendiſſ. D.Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ , de Saulis.
Reuerend. D.Laurentius tituli ſanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi Cardinales.

Reuerend. D. Fredericus de ſancto Seuerino , ſancti Angeli.
Reuerendiſſ.D. Alexander S.Euſtachij,Farneſius.
Reueuerendiſſ.D.Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſ.D.Marcus ſanctæ Mariæ in porticu, de Cornelijs.
Reuerend.D. Alphonſus S.Theodori.
Reuerend.D.Matthæus S. Angeli,Gurcen.
Reuerend.D.Iulius S.Mariæ * de Nauicula.
Reuerend. D. Innocentius ſanctorum Coſmæ , & Damiani.

Patriarchae et Assistentes Papae, & Oratores.

Reuerend. pater D.Bernardus Epiſcopus Taruiſinus,& vrbis Gubernator.
Reuerend.P.D.Claudius Maſſilien. Epiſcopus,Chriſtianiſſimi Francorum regis Orator.
Reuerend. pater D. Ioannes Gneznen. Archiepiſcopus, Orator regis Poloniæ.
Reuerend.pater D.Bertrandus Epiſcopus Adrien. & orator Ducis Ferrariæ.
Reuerend.pater D.Dominicus Epiſcop⁹ Aquen. Marchionis Montisferrati Orator.
Reuerendus pater D.Cæſar Alexandrinus.
Reuerend.pater D.Alphonſus Antiochenus.
Reuerend.P.D. Robertus Archiepiſ.Rhegin.
Reuerend.pater D.Ioannes Vincentius Senen.
Reuerend.pater D.Gabriel Dyrrhachien.
Reuerend.pater D.Franciſcus Conſanenſis.
Reuerend.pater D.Pompeius Reatin.
Reuerend.pater D.Andreas Militenſis.
Reuerend.P.D.Ioannes Franciſcus Taurinen.
Reuerend.pater D.Ioannes Baptiſta Cauallicen.
Reuerend. pater D.Iulianus Vulteran.
Reuerend.pater D.Dominicus Lucerin.

Archiepiscopi.

Reuerend pater D.Iulius Corinthien.
Reuerend.pater D.Aldronandinus Nicoſien.
Reuerend.pater D.Bernardus Spalaten.
Reuerend.pater D.Vincentius Neapolitan.
Reuerend.pater D.Hieremias Tranen.
Reuerend.pater D.Franciſcus Iadren. *Adrien.
Reuerend.pater D.Orlandus Auinionen.
Reuerend. pater D.Andreas * Monenbaſien. * Noboniaſien.
Reuerend.pater D.Petrus Arboren.
Reuerend.pater D.Georg.Nazianzenus.
Reuerend.pater V.Stephanus Gabriel Baren.

Episcopi.

Reuerend.pater D. Dionyſius Tolonen. *Nouarien.
Reuerend. pater D.Franciſcus Nanneten.
Reuerend.pater D. Lactantius *Suanen. *Nauarren.
Reuerend.pater D.Iacoſius Fauentin. *Suananen.
Reuerend.pater D.Marinus * Ceneten.
Reuerend.pater D.Octauianus Viterbien. *Seniren.
Reuerend.pater D.Iacobus Potentin.
Reuerend.pater D.Franciſcus Vincentin.
Reuerend.pater D.Andreas Anſaren. *Aſſoten.
Reuerend.pater D.Ioannes Aquilanus.
Reuerend.pater D. Bartholomæus Iuſtinopol.
Reuerend.pater D.Albertus * Viluen. * Valuen.
Reuerend.pater D.Ioannes * Sibinicen. * Sebonicen.
Reuerend.pater D. * Hlenotius Troianus. *Iamnotius.
Reuerend.pater D.Petrus * Narnien.
Reuerend.pater D.Ioannes * Sarcinaten. * Marinen.
Reuerend.pater D.Ioannes Tuden.
Reuerend.pater D.Martinus Zarnen. *Sarcinen.
Reuerend.pater D.Ioannes Antonius Calinen.
Reuerend.pater D.Hugo Rhegienſis. *Saſſenaen.
Reuerend.pater D.Aloyſius * Iporienſis. *Parentinen.
Reuerend.pater D.Marinus * Minernienſis.
Reuerend.pater D.Matthæus * Vmblacen. *Menerumen.
Reuerend.pater D.Nicolaus * Pergamen.
Reuerend.pater D.Robertus * Ciuitenſis. *Vmbraicen.
Reuerend.pater D.Iacobus Marſicanus. * Bergomen.
Reuerend.pater D.Chriſtophorus Cæſenaten.
Reuerend. pater D.Theſeus Racanaten. *Ciuitaten.
Reuerend.pater D.Corradus * Oſtanenſis. * Aſtunē.
Reuerend.pater D. Hieronymus * Ilcinenſis. * Inſulen.

Reuerend. pater D. Michael Archenſis.
Reuerend. pater D. Ioannes*Elicen.
Reuerend. pater D. Lambertus Venuſin.
Reuerend. pater D. Antonius Vrbinatenſis.
Reuerend. pater D. Andreas Lauſanen.
Reuerend. pater D. Sixtus*Salutiarum.
Reuerend. pater D. Marcus Senogallienſis.
Reuerend. pater D. Vincentius*Signius.
Reuerend pater D. Tranquillus*Seratinus.
Reuerend pater D. Baptiſta*Vmeren.
Reuerend. pater D. Petrus Paulus*Exin.
Reuerend. pater D. Nicolaus*Corſulenſis.
Reuerend. pater D. Vgolinus Licienſis.
Reuerend. pater D. Hercules Vrbeuetanus.
Reuerend. pater D. Franciſcus Biſignianus.
Reuerend. pater D. Galeſius Bellunen.
Reuerend. pater D. Zacharias*Terraquien.
Reuerend. pater D. Ioannes Antonius Anglonen.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta*Maranen.
Reuerend. pater D. Alexander Alexandrinus.
Reuerend. pater D. Gabriel*Calicen.
Reuerend. pater D. Vincentius Aſquilacen.
Reuerend. pater D. Iacobus Aquinaten.
Reuerend. pater D. Alexius Melfitanus.
Reuerend. pater D. Ioſue Eſculanus.
Reuerend. pater D. Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerend. pater D. Bonifacius Iporienſis, vel, Eporedienſis.
Reuerend. pater D. Petrus Caſtelli maris.
Reuerend. pater D. Marius * Obientin.
Reuerend. pater D. Benedictus Chien.
Reuerend. pater D. Vincentius Caiacien.
Reuerend. pater D. Andreas * Litteren.
Reuerend. pater D. Latinus Veſtan.
Reuerend. pater D. Iulianus Agrigentin.
Reuerend. pater D. Ludouicus Tricaricen.
Reuerend. pater D. Hieronymus Aſculan.

Abbates.

Reuerend. pater D. Blaſius Generalis Vallis vmbroſæ.
Reuerend. pater D. Petrus Camaldulen.
Reuerend. pater D. Zacharias Sebaſten.
Reuerend. pater D. Ioannes ſancti Sebaſtiani extra vrbem.
Reuerend. pater D. Nicolaus S. Gregorij de vrbe.

Generales Ordinvm.

Reuerendus pater D. Hilarius præceptor Sancti Spiritus.
Reuerend. pater D. Thomas Generalis ſancti Dominici.
Reuerend. pater D. Bernardinus S. Franciſci.
Reuerend. pater D. Aegidius Eremitarum ſancti Auguſtini.
Reuerend. pater D. Angelus S. Mariæ Seruorum.

Oratores et Illvstr. domini.

Illuſtr. dominus Maria Sfortia, & illuſtr. dominus Albertus Pius de Carpi, & Antonius Iuba ſereniſſ. Maximiliani electi Imper. oratores.
Magnificus dominus Ludouicus de Solier, Chriſtianiſſimi Regis Franciæ orator.
Magnificus dominus Hieronymus de Vich, Catholici Regis Ferdinandi Aragonum orator.
Magnificus dominus Totus Lupus de lapide Eques, & Benſo de Aluenſchn. & Ioannes Benceluil oratores Illuſtr. domini Ioachim Marchionis Brandeburgen. Electoris Imperij.
Magnificus dominus Petrus Landus, orator Illuſtr. Dominij Venetorum.
Reuerend. pater D. Marinus Charatius protonotarius Apoſtolicus, orator illuſt. domini Maximiliani Sfortiæ Ducis Mediolan.
Oratores dominij Florentinorum.
Magnifici domini *Galeotus de Carreto, & Franciſcus*Pugilla, oratores illuſt. domini marchionis Montisferrati. *Galeo *Carei
Dominus Franciſcus de Guidono, orator Magiſtri Rhodi. *Pugei
Illuſt. dominus Galeatius Sfortia.
Illuſt. dominus Ioánes Ludouicus marchio Pallauicinus, ac quamplures Illuſtr. domini, & Magiſtri ſacrarum literarum, & in vtroque iure Doctores celeberrimi.

Fuit celebrata Miſſa ſubmiſſa voce per Reuerendum patrem D. Gabrielem Archiepiſcopum Dyrrhachien. & habita oratio per D. Ioannem Bapt. de * Gargijs militem ordinis S. Ioannis Hieroſolymitan. quæ in fine præſentis ſeſſionis ponetur. Et cantatis deuotis orationibus ac hymno conſueto, Veni creator Spiritus, & litanijs, ac præſtita obediētia, & alijs cęremonijs ſeruari ſolitis ſeruatis, Reuerendiſſ. in Chriſto pater dominus Marcus Car. de Cornelijs, cātauit Euangelium ſecundùm Matth. quod incipit: Simile factum eſt regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exijt ſeminare &c. Et deinde Reuerend. pater D. Claudius Epiſcopus Maſſilien. & Magnificus dn̄s Ludouicus de Solier, oratores Chriſtianiſſ. Francorum regis, dederunt mandatum ipſius Chriſtianiſſ. Regis, & iuxta illius tenoré adhæſerunt nomine præfati regis ſacro Lateran. Concilio, & reuocauerunt conciliabulum Piſanum, ac petierunt prorogari terminum ad allegādum de iuribus ſuper pragmatica ſanctione. Quo facto, reuerend. P. D. Thomas Phædra, de mandato ſanctiſſimi domini noſtri aſcendit ambonem, & legit prædictum mandatum, cuius tenor talis eſt: *Garg Mat

Mandatvm regis Francorvm.

LVdouicus Dei gratia Francorum rex, dux Mediolani, & dominus Genuæ, Vniuerſis præſentes inſpecturis. Fieri volumus manifeſtum, quòd cùm chariſſimus cōſanguineus noſter Fredericus tituli S. Angeli, ſanctę Romanæ eccleſię diac. Car. de S. Seuerino nuncupatus, & dilecti ac fideles conſiliarij noſtri, magiſtri, Claudius de Seyſello electus Maſſilien. & Ludouicus Forbin dominus de Solerijs, apud ſanctiſſ. dominum noſtrum Papá Leonem decimum in præſentiarum oratores tanquàm procuratores noſtri, & procuratorio nomine certas promiſſiones, obligationes & ſubmiſſiones fecerint præfato ſanctiſſimo domino noſtro per inſtrumentū publicum, manu venerab. viri Petri Bembi pręfati ſanctiſſimi domini noſtri Papæ ſecretarij, & notarij Apoſt. receptum, cuius tenor ſequitur, & eſt talis:

IN nomine Domini, Amen. Vniuerſis præſentes inſpecturis fiat manifeſtum, quòd ſuperioribus annis bo. me. Iulio ſecundo Pōtifice maximo in humanis agente, ſubdolæ falſæque ſuggeſtiones inimicorum atque æmulorum ſereniſſimi & Chriſtianiſſimi Ludouici Francorum regis, apud eundem Iulium vſqueadeò inualuiſſent, quòd illum aduerſus dictum Regem obſequentiſſimum filium, & eccleſiæ primogenitum ex patre, apertum acerrimumq; hoſtem effeciſſent. Et licèt idem rex (quātum fieri potuit) patienti animo dicti Pontificis impetum atque iracundiam tolerare ſtatuiſſet, ſperans aliquando fore, vt ſuæ ſanctitati reconciliaretur, nihilominùs tamen præter opinionem dicti Regis euenit, quòd multi eccleſiaſtici, etiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, alijque doctiſſimi & præſtantiſſimi viri, in ciuitate Piſana, ſub nomine Concilij generalis conuenerint, aſſerentes firmiter, & pluribus coloratisque rationibus perſuadentes, ſe dicti Concilij congregandi multis de cauſis legitimam poteſtatem habere, accedente etiam ad hoc conſenſu & authoritate ſereniſſimi Romani Imperatoris electi, prætenſum Concilium Piſanum indixerint, dictusq; rex ex conſilio plurimorum prælatorum, & aliorum doctiſſimorum virorum eccleſiæ & nationis Gallicanæ, dicto prætenſo Concilio Piſano adhæſerit, prælatosq; qui illud legitime congregatum eſſe arbitrabantur, ad prætenſum Concilium præfatum ire permiſerit, illudque in terris, Regno & dominijs ac ditionib⁹ ſuis cōtinuare paſſus fuerit, & illius decretis prouiſionibus paruerit, & in Regno & dominijs ſuis prædictis

ctis pareri fecerit, nõ quidem vt ſanctæ ſedi Apoſtolicæ aut ſanctæ Rom. Eccleſiæ (quod abſit) maculam aliquã aut ſciſſuram ſchiſmaq; inferret, ſed prædictis Concilijs, ſuaſionibus, adhortationibusq; inductus, præſertim quia cauſæ propriæ, per quas ad id faciendum motus fuit, perſonam eiuſdẽ Iulij Pont. à quo (vt præfertur) prouocatus fuerat, præcipuè concernebant. Cumq; poſtmodùm pręfato Iulio Pont. vita functo, & ſanctiſſimo D.N. Leone decimo in eius locum ad ſummi Apoſtolatus apicem atque vniuerſalis eccleſiæ regimen aſſumpto, intellexerit præfatus Rex ſanctitatem ſuam inſequendo in hac parte geſta præfati Iulij, dictum prætenſum Concilium Piſanum, tanquàm minùs legitimum, & à non habentibus poteſtatem indictum, necnon omnia in eo geſta damnaſſe & improbaſſe, & dictum Concilium Lateranen. tanquàm ritè & legitimè indictum, eiuſq; omnia geſta & decreta approbaſſe, fueritq; poſtmodùm per ſuam ſanctitatẽ, tam per literas in forma Breui, quàm aliàs diuerſimodè paternè admonitus, vt à dicto prætenſo Cõcilio tãquàm minùs ritè, & à non habentibus poteſtatem indicto, recederet, & dicto Lateranen. tanquàm vero, indubitato, vnico, & œcumenico Cocilio adhæreret, ipſeque rex ſolo religionis zelo atque inſtinctu adductus, ſperans deſideratam vniuerſalem Chriſti fidelium pacem auſpicijs præfati ſanctiſſimi D.N. Leonis Papæ decimi præſto affuturam, ac propediem (fauente Domino) vnanimi Chriſtianorum principum & populorum conſenſu, arma in orthodoxæ fidei, communesque hoſtes conuertenda eſſe: conſiderans inſuper, quanti ſit in his & cæteris rebus omnibus ſummi Pontificis authoritas, quam præſertim vitæ munditia atque innocentia comitatur, quæ ſunt in pręfato ſanctiſſimo D.N. perſpicua, paternis ſuæ ſanctitatis monitis & ſuaſionibus abundè permotus, quippe qui illius authoritati & ſentẽtiæ potiùs, quàm alterius cuiuſq; mortalium, ſanctiùs & ſeueriùs ſemper ſtare iudicauit, præſertim vbi ſcandalum eccleſiæ imminet & ſciſſura, pro ſingulari, quam erga præfatum ſanctiſſimum D.N. & ſanctam ſedem Apoſtolicam gerit deuotionem, veſtigia Chriſtianiſſimorum Franciæ Regum prædeceſſorum ſuorum non ſolùm imitari, verùm etiam (ſi fieri poteſt) anteire cupiens, animaduertens, præſertim quòd per mortem præfati Iulij, omnis odij & ſuſpicionis materia eſt extincta, & quòd nonnulli ex prænominatis Card. nec non Imperator electus, qui dictum pręrenſum Concilium Piſanum indixerant, iam illi renunciàrunt, & dicto Lateranenſi adhæſerunt: Hinc eſt, quòd in præſentia pręfati ſanctiſſimi D.N. Leonis Papæ decimi, coram nobis notarijs & teſtibus infraſcriptis perſonaliter conſtituti Reuerendiſſ. in Chriſto dominus Fredericus S. Theodori diaconus Card. de S. Seuẽrino vulgariter nuncupatus, necnon Reuerend. in Chriſto pater dominus Claudius de Seyſſello electus Maſſilien. ac magnificus & generoſus dominus Ludouicus Forbini dominus de Solerijs, pręfati Chriſtianiſſimi Ludouici Francorum Regis procuratores, ad omnia & ſingula infraſcripta peragenda ſpecialiter deputati, conſtantibus literis patentibus dicti Chriſtianiſſimi Regis ſua manu ſubſcriptis, & ſigillo ſuo ſigillatis eiuſdem Regis nomine & mandato, cum ea, qua decuit reuerentia atque humilitate à dicto prætenſo Piſano Concilio penitùs diſceſſerunt, illiq; plenariè renunciauerunt, ac purè, liberè & ſimpliciter ſacroſancto Lateranen. Concilio prædicto, tanquàm vero, vnico & legitimo, adhęſerunt. Et inſuper procuratorio nomine quo ſuprà promiſerũt, quod præfatus Rex Chriſtianiſſim9, nullum deinceps fauorẽ, nullamq; aſſiſtentiam dicto prætenſo Concilio Piſano quo pacto præſtabit, quinimmò quoſcunque in ciuitate Lugduni, aut alibi in regno, terris & dominijs ſuis, ſub nomine dicti prætenſi Concilij Piſani perſiſtentes, infra vnum menſem proximè futurum abire faciet, & pertinaciter reſiſtentes, cuiuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis aut conditionis fuerint, eccleſiaſtici, vel ſecularis, de facto eijciet & expellet, ac pro ſchiſmaticis habebit, & contra eos velut tales, ad omne mandatum præfati ſanctiſſimi D.N. etiam manu armata (ſi opus fuerit) procedet. Et vlteriùs promiſerunt præfati procuratores nomine quo ſuprà, prænominatum Chriſtianiſſimum regem facturum & curaturũ cum effectu, quòd ſex prælati & quatuor doctores ſeu graduati ex honoratioribus, ex numero eorum qui prædicto prætenſo Concilio Piſano interuenerunt, deſtinabuntur ad eundem ſanctiſſimum D.N. Papam nomine dicti prætenſi Concilij Piſani, & cum legitimo mãdato per illud pro tempore repræſentantes, tam eorum, quàm aliorum omniũ, qui dicto Concilio adhæſerunt nomine facto. Qui pręlati & doctores, ſeu graduati infra Kalend. Ianuarij proximè futuri coram ſua ſanctitate perſonaliter comparebunt, dictoq; Cõcilio Piſano, purè & ſimpliciter renunciabunt, illudq; abiurabunt, & veniam atq; abſolutionem à ſua ſanctitate humiliter in forma conuenienti, & ſuæ ſanctitati accepta poſtulabunt & vlteriùs dicto Concilio Lateranen. tanquàm verò, vnico, indubitatoque, tam ſuo quàm aliorum adhærentium prædictorum nomine, adhærebunt, & ſe incorporabunt. Quodq; ſi præmiſſa facta nõ fuerint, præfatus Rex nulli eorum, qui dicto pręrenſo Concilio Piſano interfuerunt, aut fauerunt opem, auxilium, aut fauorem dabit aduerſus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ authoritatem, quinimmò præfati ſanctiſſimi D.N. ſententias, decreta & cenſuras cõtra eos exequi faciet ſuo poſſe, etiam manu forti & armata (ſi opus ſit) abſque vlla ſimulatione vel fraude. Et vlteriùs promiſerunt præfati procuratores, quo ſuprà nomine, quod quamprimùm commodè fieri poterit, venient aliqui prælati & inſignes viri nomine totius eccleſiæ Gallicanę cum ſufficienti mandato, qui dicto Concilio Lateranen. adhærebunt & aſſiſtent, quemadmodum cæteræ nationes. Quæ omnia & ſingula prænominati procuratores promiſerunt ratificari facere per præfatum Chriſtianiſſimum regem in bona & ſufficienti forma, cùm præinſertione præſentis inſtrumenti, de verbo ad verbum, intra 40. dies proximè futuros, ſub obligationibus & ſubmiſſionibus in forma:

Ego Fredericus diaconus Card. S. Angeli de ſancto Seuerino, ita promitto.

Ego Claudius electus Maſſilien. manu propria ita promitto.

Ego Ludouicus de *Solerijs manu propria ita promitto. *Solier

Ego Petrus Bembus clericus Venetiarum, ſanctiſſimi D.N. Papæ ſecretarius, ac publicus Apoſtolica authoritate notarius, quoniam præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, (vt prædictum eſt) in antecubiculo ſanctiſſimi D.N. Papæ, atq; in eius præſentia reuerendiſſimorumq; dominorum Antonij tituli S. Vitalis presbyteri Card. Papien. & Petri tituli S. Euſebij presbyteri Car. Anconitan. & Laurentij Sanctorum quatuor presbyteri Card. de Puccijs, ac Iulij S. Marię in Dominica diaconi Card. de *Medicis, tractarentur & fierent, præſentibus etiam teſtibus ad id vocatis, Philippo Aldimario, Latino de Banaſſais, ac Ioanne Lazaro Pulica, & requiſitis rogatus interfui, eaque ita fieri vidi & audiui, & hoc ipſum publicum inſtrumentum alijs impeditus negotijs, alterius manu ſcriptum confeci, & in hanc publicam formam redegi, ſignumque meum atque nomen in prædictorum fidem appoſui. Anno Domini 1513. indictione prima, die 6. menſis Octob. Pontificatus eiuſdem ſanctiſſ. Domini noſtri anno 1. ſignatum.

*Hunc Iulium ferũt poſteà factum Clementem VII.

Idem B. Hinc eſt, quod nos de dictis promiſſionibus, obligationib9 & ſubmiſſionibus, totoq; tenore dicti inſtrumenti præſentibus inſerti, ad totum informati, ex certa noſtra ſcientia & regia authoritate, omnia & ſingula in dicto inſtrumento cõtenta, harum tenore laudamus, ratificamus & approbamus, illaq; obſeruare & attendere, in nulloq; contrauenire, vel facere aliqua ratione vel cauſa, promittimus bona fide noſtra, & in verbo Regis, ac ſub expreſſa obligatione omnium bonorum noſtrorum præſentium & futurorum. In quorum fidẽ præſentes manu noſtra ſubſcriptas iuſſimus ſigilli noſtri munimine roborari. Datũ Corbeiæ, die 26. menſis Octob. anno Domini 1513. & regni noſtri 16.

LVdouicus Dei gratia Francorum rex, dux Mediolani, dominus Genuæ, vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem. Notum facimus, quòd nos cõfidentes de prudentia, dexteritate, diligentia, & fide chariſſ. & amantiſſ. cõſanguinei Frederici Car. de S. Seuerino, protectoris negotiorum noſtrorum in Ro. curia, & dilectorum ac fidelium conſiliariorum noſtrorum Claudij Epiſcopi Maſſilien. & domini Ludouici de Solerijs, oratorum per nos deſtinatorum ad ſanctiſſ. Papam, eoſdem & quemlibet eorum ex noſtra

ra certa ſcientia & authoritate regia, fecimus & conſtitui-
mus, ac per præſentes facimus & conſtituimus noſtros ve-
os & indubitatos procuratores, generales & ſpeciales, ita ta-
men quòd ſpecialitas generalitati non deroget, nec contrà:
d petẽdum nomine noſtro & eccleſiæ Gallicanæ, pro qua,
uo ad hoc, promittimus, à ſanctiſſimo domino noſtro Pa-
a, & à ſacro Cõcilio Lateranenſi, in ſeſſione, quæ proximè
elebrabitur, (aut aliàs, prout eis videbitur) terminum & di-
ationem competentem pro dicta eccleſia Gallicana, vt in-
tereà poſſint congregari, deputari, & mitti aliqui prælati, &
liæ notabiles perſonæ ad ſe præſentandum in dicto ſacro
Lateranen. Concilio, & ibidem ſuper facto pragmaticæ ſan-
ctionis reſpondendum, conſiderato quòd anteà & in præ-
ſenti propter bella & diſſenſiones, quæ ſunt in Italia, non
fuit, neque tutum eſt ijſdem prælatis & alijs perſonis dictæ
eccleſiæ Gallicanæ, Romam poſſe accedere, & quòd dicta
eccleſia Gallicana cùm in præſentia congregata non ſit, ad
ſe congregandum propter regni magnitudinem, diſtãtiam
diœceſum & habitationum dictorum prælatorum, necnon
propter bella, quæ in limitibus regni noſtri geruntur, indi-
get temporis ſpacio conuenienti. Et inſuper ad requiren-
dum à præfato ſanctiſſimo D.N. Papa. & à ſacro Concilio
Lateranen. prædicto, tam noſtro quàm dictæ eccleſiæ Gal-
licanę nomine, pro qua, promittimus, (vt præfertur) ne vllo
modo velint procedere in facto prædictæ pragmaticæ ſan-
ctionis, dicta eccleſia Gallicana, & noſtris procuratoribus &
deputatis non auditis, & ad petendum & requirendum de
præmiſſis inſtrumentum publicum, loco & tempore pro
futurum & valiturum, prout iuris fuerit. In quorum fidem
præſentes literas manu noſtra ſcripſimus, & ſigilli noſtri
iuſſimus munimine roborari. Datũ Corbeiæ, die 26. Octo-
bris, anno ſalutis 1513. & regni noſtri ſextodecimo.

Loys.

Per regem Robertet.

Quo finito, Reuerend. pater dominus Marinus Caracciolus protonotarius Apoſtolicus, orator illuſt. domini ducis Mediolanen. ſupplicauit ſanctiſſimo D.N. ne permitteret quòd Chriſtianiſſimus rex Francię nominaret ſe ducem Mediolani in mandato, attento, quòd ipſe vſurpauerat ducatum Mediolanẽſem, & dictus dux auxilio ſanctæ ſedis recuperauerat, aliàs proteſtabatur &c. Exaduersò reueren. pater dominus Claudius epiſcopus Maſſilien. dixit illa alio loco & tempore determinari debere. Et tandem Dominus noſter reſpondit, quòd omnia dicta tranſirent ſine præiudicio. Deinde ſupradicti oratores Illuſt. marchionis Brandenburgen. Electoris Imperij, dederunt mandatum, & id reuerendus pater dominus Thomas Phædra legit in ambone, cuius tenor talis eſt:

MANDATVM MARCHIONIS BRANdeburgenſis.

DEI gratia Ioachim marchio Brandenburgẽ. ſacri Romani Imperij archicamerarius, princepsq; Elector, Stetiniæ, Pomeraniæ, Caſſuborum & Sclauorũ dux, Burgrauius Nurenbergẽ. ac Ruſſiæ, princeps, vniuerſis prę ſentes literas inſpecturis, amicabile obſequium, ſalutem, fauorem, & complacendi animum affectuoſum. Ad hoc nos omnipotens Deus in membrum, & *vnum de Catholicę eccleſiæ colũnis, meritis licèt inſufficientibus cõſtituit, vt eius mãdatis ad extremũ parẽre etiã dinoſcamus atq; cupiamus. Cùm igitur fe. re. Iulius Papa Secundus, cuius, & non minùs ſanctiſſimi in Chriſto patris & dñi noſtri D. Leonis moderni Pontificis, laudes tacere nequiuimus, ſacrum Lateranen. Concilium ad Eccleſiæ ſanctæ Dei, ad Chriſtianæ reipub. augmentum, extinctionẽ hæreſis, reformationem morum, ac cõmunem Chriſticolarũ pacem tractandã indixerit, verùm quia pluribus, innumeriſq; negotijs præpediti, ac varia propter itineris diſcrimina, huiuſmodi Concilio perſonaliter ad præſens intereſſe minimè valemus, proptereà præſentibus conſiliarijs & oratoribus noſtris fidelibus nobis dilectis, venerabilibus ac magnificis dominis *Entelvuolffo de lapide equiti aurato, capitaneoq; noſtro, Buſſoni de Alueſtent iuris doctori, ac eccleſiæ Magdeburgen canononico, Blanctenfeldo doctori, Teutonicorumq; ordinis Pruſſię in Rom. curia procuratori generali, coniunctim, & diuiſim, melioribus quibus poſſumus & debemus, modis in mandatis tradidimus atque commiſimus, eos etiam conſtituimus, illiſq; vt noſtris oratoribus in præſentiarum committimus atque mandamus, quatenùs præſenti Lateranen. Concilio, ſanctè & ritè indicto ac conuocato noſtro nomine (quãtum per eos fieri poterit) intereſſe, in illoque comparendo, actus & proceſſus concelebrare, cauſas tractare, omniaq; alia agere ac determinare, quæcunq; celebrationi Lateranen. Concilij interueniunt, proponenturque: necnon quæ neceſſaria & opportuna vniuerſali reformationi, fideique augmento videantur, & ſi ſpeciale mandatum exegerint, & maiora eſſent expreſſis, noſq; ipſi, ſi præſentes eſſemus, validiori modo facere poſſemus, cum omnibus clauſulis, iuramentis, & obligationibus neceſſarijs, & quibus efficaciùs fieri poteſt, valeant. Promittentes ratum, gratum & validum omni in loco & tempore perpetuo habere, quicquid in prædictis & circa prædicta, & quodlibet eorum per præſentes, nominatoſque noſtros conſiliarios & oratores, actum concluſumq; fuerit. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, pręſentes noſtras literas ac conſtitutionis mandatum, ſigilli noſtri appenſione duximus roborandum, ſub anno à natiuitate Domini 1513. penultima die menſis Septembris.

Quo perlecto, magnifici domini oratores marchionis Montisferrati ſuperiùs nominati dederunt mãdatum, quod etiam fuit lectũ per eundem dominum Thomam Phędram in ambone, cuius tenor talis eſt:

MANDATVM MARCHIONIS Montiſferrati.

GVilielmus marchio Montisferrati, ſacri Romani Imperij Princeps, vicariuſq; perpetuus. Cùm pro maiorum noſtrorũ & cuiuſlibet Chriſtiani principis more, Reueren. in Chriſto patrem dominum Dominicum de Sciliuis Epiſcopũ Aquen. ac magnificos dñm *Galeoctum *Galeoti de Carreto, & dñm Franciſcum *Pugellani, I V. Doct. cõſi- *Pugilli liarios & oratores noſtros, ad ſanctiſſimum D.N. Leonem Papã X. pro obedientia & reuerentia ſuæ ſanctitati præſtanda nuper deſtinauerimus, accepimus ſeptimã Laterani Concilij diuinitùs conuocati, vniuerſalem repræſentantis eccleſiam, imminere ſeſſionem. Ne igitur ab Dominico ouili, cuius nõ ſpernendum membrum ſumus, tanquàm vagi aberrare, & incõſutilis veſtis Dñi & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti temerarij & improbi laniatores iudicemur, ipſam in primis vniuerſalẽ ſynodum Lateranen. per ſanctæ memoriæ Iulium II. in Spiritu ſancto legitimè & canonicè congregatam, atq; alias antecedentes ſeſſiones, in quibus de vniuerſalis eccleſiæ & totius reipub. Chriſtianæ bono actum eſt, approbantes, omnibus melioribus modo, via, iure, forma & cauſa, quibus meliùs & efficaciùs de iure facere poſſumus & debemus, vices noſtras Reueren. in Chriſto patri dño Marco tituli S. Mariæ Tranſtiberim presbytero Card. Senogallien. protectori noſtro, necnõ præfatis Reueren. Epiſcopo *Aquen. Dominico ac Galeocto & Franciſco oratoribus noſtris, & cuilibet eorum in ſolidũ, tenore præſentium demandamus, quatenùs inſtanti ſeptimæ ſeſſioni, necnon omnibus & ſingulis deinceps in præfato ſacroſancto Concilio Lateranen. faciendis & peragendis noſtro noĩe aſſiſtant, ſeu alius eorũ aſſiſtat, eaq; omnia & ſingula peragant, ſeu peragat, quæ per nos ipſos exhiberentur & agerentur, ſi pręſentes adeſſemus, & quæ ad dignitatẽ, amplitudinem & exaltationẽ perſonæ ſanctiſſ. domini noſtri Leonis X. Pontificis Maximi, necnõ ſanctæ Rom. eccleſię, ac ſacroſancti Lateranen. Concilij exhibenda meritò eſſe conſpexerint. Dantes & tribuẽtes præfato reuerendiſſ. dño Marco Card. Senogallien. necnõ oratoribus noſtris præfatis, & cuilibet eorum in ſolidum, amplam facultatem, authoritatem & *bailiam, omnia & ſingula ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Chriſtianæ religionis bonum & ſalubrem ſtatum tangentia, in præfato ſacroſancto Lateranen. concilio tractãda & peraganda, approbandi & iurejurãdo (ſi opus fuerit) firmandi noſtro nomine. Promittentes in verbo veri & catholici principis, omnia & ſingula ab eodem D. Marco Card. Senogallien. necnon oratoribus noſtris

ſtris præfatis,ſeu eorum aliquo, noſtro quo ſuprà nomine, tam verbo,quam ſcriptis,in præmiſſis & circa præmiſſa peragenda approbaturos, eaque rata & grata in perpetuum habituros. In quorum fidem & teſtimonium, præſentes noſtras literas fieri, noſtrique ſigilli robore communiri iuſſimus.Datum *Tridini die vndecimo Decemb.1513.

Antonius.

Quo finito,dominus Marius procurator Concilij,dedit quandam ſupplicationem ſanctiſſimo D. N. tenoris infraſcripti, proponens & ſupplicans, prout in ea. Tenor verò ſupplicationis talis eſt:

BEatiſſime pater,licèt prouincia Prouinciæ, illiusq; clerici in quacunque dignitate conſtituti, ac perſonæ ſæculares ſemper ſedi Apoſtolicæ non minùs debitam quàm deuotam obedientiam præſtiterint,illique paruerint, resque & perſonas eccleſiaſticas debita libertate & immunitate frui promiſerint,& in eadem defendere & manutenere conati fuerint: nihilominùs iniquitatis filij,domini Geruaſius de Bellomonte præſidens, Petrus de Braudis,Bertrandus Duranti,Petrus Matthæi, Simon de Trabutijs, Guilielmus de Perrerio, Marcellinus Giuriuand, Elzianus Rollagin, Ioannes*Toruatoris, Antonius de Albis,Stephanus Parilij, necnon reuerend. patres domini Auguſtinus de Grimaldo Epiſcopus Graſſen. ac etiam Epiſcopus Senecen. Franciſcus de Senatro, Toſſantius Corriolis conſiliarij curiæ Regiæ parlamenti dictæ prouinciæ Prouinciæ, necnon adminiſtran. iuſtitiam inter laicos per Chriſtianiſſimum Franciæ regem deputati,parlamentum dictę prouinciæ nuncupatum,Dei timore poſtpoſito, relaxatis debitæ obedientiæ habenis, vt tyrannidem plenariè ſibi in dicta prouincia vſurparent,omnia malè tentare, authoritatem ſedis Apoſtolicæ nedum paruifacere, ſed illam ſibi vendicare, non erubeſcunt. Nam etſi literas à ſanctitate veſtra, ſedeq; Apoſtolica illius authoritate,tam ex gratia,quàm iuſtitiæ debito decretas,promptã & paratam executionẽ habere deceat,prout in eadẽ prouincia per anteà ſemper habuerunt, illi tamen, ne illas quiſquam ſine eorum licentia in ſcriptis obtenta, quam annexam appellant, in eadẽ prouincia exequatur,ſub grauiſſimis pœnis inhibuerũt. Quin etiam requiſiti pluries illam denegant,ſicq; impetrationem literarum Apoſtolicarum eodem modo fruſtrantes, quod profectò nil aliud eſt, niſi in hanc ſanctiſſimam ſedem, ſuperbiam ſatanæ imitando,ceruicem erigere. Et ſicèt ipſis in clericos,reſq; eccleſiaſticas nulla penitùs competebat iuriſdictio, eccleſias tamen per ſe vel alios,ordinarijs inſcijs & irrequiſitis, viſitant, numerum deſeruientiũ in illis pro libito minuunt,augent,fructus pro conficta reparatione eccleſiarum ad ſimplicem requiſitionem ſub ſequeſtro detineri iubẽt, eoſq; fructus manibus eorundem laicorum deponunt,quoſq; ſub hoc conficto colore vſurpant: cauſas ſpirituales & beneficiales,nõ tantùm ſuper poſſeſſorio,ſed etiã ſub poſſeſſorij conficto colore,ſuper titulo audiunt: partes quaſcunque, etiam ſi Epiſcopali ac Cardinalatus præfulgeant dignitate, corã eis (contra omne ius)per fas & nefas litigare cogunt:& ne ad ſedẽ Apoſtolicã recurſum habeant,prohibent: & cõtrafacientes,grauiſſimis pœnis per ſubtractionẽ bonorum temporalium afficiunt. Beneficia vacãtia,etiam ſi alijs canonicè collata fuerint,per ſe vel eorum nepotes, propinquos & amicos occupant,& occupata detinent, ad manus Regias capiunt, annotant:& quos volunt,in eis intrudunt:nec illis,quib⁹ ius in eis vel ad ea competit, propter eorum authoritatem & tyrãnidem,ius ſuum proſequi licet. Quin etiam contra quaſcunq; perſonas,quauis etiã Epiſcopali fulgẽtes dignitate,inquirũt, citant, coram ſe perſonaliter cõparere compellunt, procedunt,mulctant & puniunt:cõputant rationes quarumcunq; perſonarum eccleſiaſticarum, etiã regularium, pro eorum dignitate per ſe, ſeu commiſſarios laicos, reddere & reliqua præſtare coram eiſdẽ laicis cogunt, ordinationeſq; faciunt & indicunt, ſuper modo & forma pſallendi ſeu cantandi in choro,ſuper habitu & modo incedendi: quantitates & ſummas pecuniarum pro dictis cõmiſſionibus à dictis eccleſiaſticis exigũt, & ſub colore reparationis eccleſiarum,cõmiſſarios laicos mandant ad capien. fructus beneficiorum,quos multipliciter diſtrahunt,dilaniãt,& in proprios vſus cõuertunt. Et quod nefariſſimum eſt, in maius eccleſiaſtici ordinis dignitatiſq; Epiſcopalis dedecus & vilipendium,adſtãte populi multitudine,per eorum Procuratorum fiſcalẽ,etiam Epiſcopos coram eis pro tribunali ſedẽtibus, nudato capite ſtantes,de varijs criminib⁹ accuſari,obnigrari,& opprobria prædicare non dubitant, ita quòd omnem ordinarijs locorum iuriſdictionem, authoritatem & obedientiam ſubtraxerunt,& dictæ prouinciæ clerum, in teterrimam ſeruitutẽ ſubegerunt, cùm etiam laicis obediẽtiam eccleſiaſticis perſonis debitam, quauis dignitate ac honore præditis,ſubtrahentibus aſſiſtant,quin potiùs eos in eorum nefando propoſito confouẽt & protegunt,ipſiſq; ordinarijs, ne in clericos vel laicos ſua iuriſdictione vtantur,ſub amiſſione temporalitatis & alijs pœnis inhibent,ac damnatam pragmaticã ſanctionem in eadẽ prouincia impudenter introducere, & obſeruari facere,aliaq; nefandiſſima & deteſtanda,ab omni iure & ratione aliena, facinora indies peragere & perpetrare, ac eorum dãnatas conſtitutiones, ordinationes, ſeu ſtatutã & abuſiones deſuper edere & promulgare ſatagunt, in ſedis Apoſtolicæ notoriũ contẽptum,in grauiſſimum totius cleri dictæ prouincię detrimentum,populorumq; ſcandalum,& aliorum pernicioſiſſimum exẽplum, ſententias, cenſuras & pœnas, tam à iure cõmuni,quàm etiam à ſacris conſtitutionibus per Eugenium IV. & alios Romanos Pontifices ſanctitatis veſtræ prædeceſſores, etiam in die cœnæ Dñi,quotannis publicatis, editis & promulgatis, dãnabiliter incurrẽdo. Et quoniam,pater beatiſſime,præmiſſa ſunt pernicioſiſſimi exempli, & adeò publica & notoria, vt nulla poſſint tergiuerſatiõe celari,nec vllo quouis modo, præſertim hoc ſacro Lateran. imminenti Concilio, conniuentibus oculis ſub ſilentio vlteriùs impunita dimitti & tolerari cõueniant, [illegible]itur ego Marius de Peruſchis veſtræ ſanctitatis & fiſci ſedis Apoſtolicæ procurator, ad cui⁹ officium etiã in præmiſſis animaduertere ſpectat in hoc ſacro Lateranen. Concilio, ad pedes veſtræ ſanctitatis humilis & ſupplex flexis genibus hodie conſtitutus,cum debita reuerentia ſupplico ſanctitati veſtrę,vt illa hoc ſacro Lateran.approbante Cõcilio,in præmiſſis tam publicis & notorijs, & quæ vlteriori probatione non indigent, debitas & conueniẽtes prouiſiones adhibere dignetur, ac contra prænominatos præſidentes & conſiliarios, necnon dños Honoratum Laugerij aduocatum, & N. procuratores fiſcales dictæ curię parlamenti Prouinciæ,clericos & laicos,præſidentes,officiales,& alios forſan in eorũ locũ in dicto parlamẽto deputatos,& deputandos,eorum complices,fautores,adhærentes, etiã maiores,expreſſos [illegible] executione nominãdos, vt oẽs & quaſcunq; [illegible] ordinationes,mandata,decreta, per eos [illegible] quomodolibet, cõtra libertatẽ eccleſiaſticam & canonicas ſanctiones, & ipſorũ Pontificum conſtitutiones, reſq; & perſonas eccleſiaſticas,quouis modo concernẽtes & cõcernentia, factas & editas,penitùs caſſent,irritent & annullent,irritaq; & inania declarent,ordinarioſq;,collegia eccleſiaſtica & monaſteria, ac eccleſiaſticas quaſcũq; perſonas,ſua iuriſdictione,immunitate,libertate ac priuilegijs quibuſcunq;, vti & frui permittãt,ac res quomodolibet directè vel indirectè nõ impediãt. Eccleſiaſq;,monaſteria,& perſonas eccleſiaſticas ad priſtinã poſſeſſionẽ priuilegiorum,iuriũ,iuriſdictionum & bonorũ per eos, vel de eorum mandato ad alterius inſtantiã occupatorum & ablatorũ, cum damnis expenſarũ & intereſſe proprijs expenſis ipſorum realiter reintegrent & reſtituãt,& ab eiuſdẽ damnatę pragmaticę ſanctionis introductione & abuſu,præmiſſiſq; omnib⁹ & ſingulis,& alijs quibuſcunq;,etiã hic non expreſſis, criminibus, tranſgreſſionibus & exceſſibus,cõtra libertatẽ eccleſiaſticam, & in vilipendium ac contemptum ſedis Apoſtolicæ tendentibus in futurum,ac actis cauſæ(ſi opus fuerit)latiùs exprimendis,decæterò penitùs ſe retrahere abſtinere,ac de caſſatione,reuocatione et declaratione huiuſmodi per publica documenta ibidẽ voce præconia bannita; & publicata corã veſtra ſanctitate in hoc ſacro Cõcilio legitimè doceant. Et nihilomin⁹ perſonaliter,& nõ p Procuratorem corã veſtra ſanctitate in hoc ſacro Lateran. Concilio, vel alio iudice p eundem deputando,ad ſe de præmiſſis excuſandũ, & iuri ſtando, ſub maioris excõmunicationis, omnibuſque alijs & ſingulis cenſuris & pœnis à iure communi, & ſacris conſtitutionib⁹ prædictis, editis & promulga-

ulgatis, ac decem millium ducatorum auri pro quolibet, omni beneficiorum eccleſiaſticorum dignitatum eccleſiſticarum, etiam cathedralium, ac inhabilitate ad pręmiſſa alia obtinenda, & quoad laicos, ſub cenſuris & pœnis ec eſiaſticis & pecuniarijs, prædictis ac perpetuæ infamiæ, riuationis feudorum, incapacitatis actuum legitimorum, teſtamenti factione, actiuæ & paſſiuæ inhabilitatis eorũ, cuiuſlibet eorum filiorum, vſq; ad tertiam generationem œnis, monitorium contra eoſdem & alios etiam in execuone nominandos, ſub certo termino per ſanctitatem veram ſtatuendo, ac etiam per edictum publicum exequenum & publicandum. Attento quod etiam notoriè co, ſtat e non tuto acceſſu, decernere & concedere dignemini, & n euentum non paritionis, omnes & ſingulas ſententias & enſuras & pœnas prædictas, eoſdem & quemlibet eorum ncidiſſe & incurriſſe declarare, aggrauare, reaggrauare, ac nterdictum eccleſiaſticum, etiam in omnib⁹ & ſingulis ciitatibus, caſtris, oppidis & locis, in quibus & ad quæ ipſos vel eorum alterum declinare, ſtare vel morari contigerit, lecernere & apponere, ac apponi mandare, vſq; ad inuocaioné brachij ſecularis incluſiuè, procedere ſeu declarari, apponi ac procedi, mandare dignemini. In contrarium facienibus non obſtantibus quibuſcunque, prænarratorum & aiorum latiùs in monitorio decernen. ſpecificãdorum quaitates & circumſtantias omninò pro expreſſis habẽdo, die Lunæ decimanona Decembris, 1513. Et tunc ſanctiſſ. domin⁹ noſter eodem ſacro Lateranen. Concilio approbante, monitorium pœnale, etiam ad perſonaliter comparen. contra perſonas in eadem ſchedula annotatas & deſignatas, ſub pœnis & cenſuris omnib⁹ & ſingulis in eadem ſchedula expreſſis, ac ſub termino trium menſium, & per edictum in Auinionen. Niceen. & Vintimilien. ciuitatibus exequẽdum decreuit atq; conceſſit, & tradi mandauit, Attento quòd idem ſanctiſſimus dominus N. Papa, eodẽ ſacro approbante Concilio, affirmauit ſibi notorium conſtare de contentis & expoſitis in ſchedula prædicta.

Poſtmodum verò excluſis de more, de loco Concilij, omnibus non habentibus voces diffinitiuas, remanentibus in ſuis ſubſellijs prælatis poſt Cardinales mitratis, & ſacris veſtibus indutis in præſentia ſanctiſſimi D.N. reuerendus pater dominus Ioannes Archiepiſcopus Gneznen. orator regis Polonię aſcendit ambonem, & legit quandam ſchedulam ſuper fide tenoris infraſcripti.

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam ſacro approbante Concilio. Apoſtolici regiminis ſolicitudo nos aſſiduè pulſat, vt medendis animarum languoribus, quarũ nos ex alto omnipotens author curam habere voluit, ijs potiſſimum qui inſtantiùs fideles nunc vrgere cernuntur, ſalutifero olei & vini medicamine ad inſtar Samaritani in Euangelio ſolicitam operam impendamus, ne nobis illud Hieremię obijciatur: Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Cùm itaque die-
3. bus noſtris (quod dolẽter referimus) zizaniæ ſeminator, antiquus humani generis hoſtis, nõnullos pernicioſiſſimos errores à fidelibus ſemper exploſos, in agro Dñi ſuperſeminare & augere ſit auſus, de natura præſertim animæ rationalis, ꝙ videlicet mortalis ſit, aut vnica in cunctis hominibus, & nõnulli temerè philoſophãtes, ſecundùm ſaltẽ philoſophiã verum id eſſe aſſeuerent, contra huiuſmodi peſtẽ opportuna remedia adhibere cupientes, hoc ſacro approbãte Concilio dãnamus & reprobamus oẽs aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicã in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cùm illa non ſolùm verè per ſe & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in canone felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri in generali Viennen. Concilio edito continetur, verùm & immortalis, & pro corporũ quibus, infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit. Quod manifeſtè conſtat ex Euãgelio, cùm Dñs
10. ait: Animam autem occidere non poſſunt. Et alibi: Qui odit animam ſuã in hoc mundo, in vitam æternã cuſtodit eam. Et cùm æterna præmia, & æterna ſupplicia pro merito vitæ iudicandis repromittit: aliâs incarnatio, & alia Chriſti myſteria nobis minimè profuiſſent, nec reſurrectio expectanda foret, ac ſancti & iuſti miſerabiliores eſſent (iuxta Apo- 1. Cor.15.
ſtolum) cunctis hominibus. Cumque verum verò minimè contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omninò falſam eſſe diffinimus, & vt aliter dogmatizare non liceat, diſtrictiùs inhibemus: Omneſq; huiuſmodi erroris aſſertionibus inhærentes, veluti damnatiſſimas hæreſes ſeminantes, per omnia vt deteſtabiles & abominabiles hæreticos & infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitãdos & puniendos fore decernimus. Inſuper omnibus & ſingulis philoſophis in vniuerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publicè legentibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, vt cùm philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus à recta fide deuiare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, ſeu explanauerint, quale hoc eſt de animę mortalitate aut vnitate, & mundi æternitate, ac alia huiuſmodi, teneantur eiſdẽ veritatem religionis Chriſtianę omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo pro poſſe docere, ac omni ſtudio huiuſmodi philoſophorũ argumenta, cùm oĩa ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere atq; reſoluere. Et cùm non ſufficiat aliquando tribulorũ radices præſcindere, niſi & ne iterum pullulent, funditùs euellere, ac eorũ ſemina, originaleſq; cauſas, vnde facilè oriuntur, remouere: cùm præcipuè humanæ Philoſophiæ ſtudia diuturniora, quam
Deus ſecundùm verbum Apoſtoli euacuauit, & ſtultam fe- 1. Cor.1
cit, abſq; diuinæ ſapientiæ condimento, & quæ ſine reuelatæ veritatis lumine in errorem quandoq; magis inducunt, quàm in veritatis elucidationẽ: ad tollendã omnem in præmiſſis errandi occaſionem, hac ſalutari conſtitutione ordinamus & ſtatuimus, ne quiſquã decæterò in ſacris ordinib⁹ conſtitutus, ſecularis vel regularis, aut aliâs ad illos à iure arctatus in ſtudijs generalibus, vel alibi publicè audiendo, philoſophiæ, aut Poeſis ſtudijs vltra quinquẽnium poſt grãmaticam ac dialecticã, ſine aliquo ſtudio Theologiæ, aut iuris Pontificij incumbat. Verùm dicto exacto quinquennio, ſi illis ſtudijs inſudare voluerit, liberũ ſit ei, dum tamen ſimul aut ſeorſum, aut Theologiæ, aut ſacris canonibus operã nauauerit, vt in his ſanctis & vtilibus profeſſionibus ſacerdotes Dñi inueniant, vnde infectas philoſophiæ & Poeſis radices purgare & ſanare valeãt. Et hoc canones per ordinarios locorum vbi generalia ſtudia vigent, & rectores vniuerſitatis eorundem ſtudiorum ſingulis annis in principio ſtudij, in virtute ſanctæ obedientiæ publicari mandamus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, reprobationis, diffinitionis, inhibitionis, decreti, ordinationis, ſtatuti & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorũ eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione, in Lateranen ſacroſancta baſilica ſolẽniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ 1513. quartodecimo Kalendas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno primo.

Qua perlecta, petijt an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et oẽs reſponderunt ſimpliciter placere,
excepto reuerendo patre domino Nicolao epiſcopo * Ber- * Pergamen.
gomenſi, qui dixit, quod non placebat ſibi, quòd Theologi imponerent philoſophis diſputantibus de veritate intellectus tanquàm de materia poſita de mente Ariſtotelis, quam ſibi imponit Auerrois, licèt ſecundùm veritatem talis opinio eſt falſa. Et reuerendus pater dominus Thomas Generalis ordinis Prædicatorum, dixit, quod non placet ſecunda pars bullæ, præcipiens philoſophis, vt publicè perſuadendo doceant veritatem fidei.

Deinde reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Archiepiſcopus Senen. aſcẽdit ambonem, & legit quandam ſchedulam ſuper pacem, tenoris infraſcripti.

LEo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futurã rei memoriam ſacro approbante Concilio. Ad omnipotentis & indiuiduæ Trinitatis laudem, & gloriam illius, cuius Iob 25.
vicem in terris gerimus, & qui pacem & concordiam nutrit Ioan.14.
in ſublimibus, pacemq; ipſam è mundo diſcedens, iure quodam hæreditario ſuis reliquit diſcipulis, ſacrum Lateranen. Concilium proſequentes, cùm aliâs inter cætera in ſeptima ꝓxima præcedẽti ſeſſione, vt imminẽti & notorio infideliũ

peri-

periculo, Chriſtianique ſanguinis effuſioni, qui exigentibus noſtris culpis etiam tunc effundiebatur, occurreretur, diſſenſionesque inter Chriſtianos reges & principes & gentes tollerentur, & inter ipſos totis viribus pacem quærere cogeremur, cuius componendæ vna ex principalioribus congregationibus Concilij præfati cauſa extiterat, vt pax ipſa ſequeretur, inuiolataq; perduraret, & debitæ executioni demandaretur, his præſertim temporibus, quibus potentiam infideliū mirum in modū creuiſſe cognoſcebatur, eodem ſacro Concilio approbāte, ad reges principes, potentatusq; prefatos legatos & nūcios pacis, vigiles doctrina ac experientia, probitate inſignes pro tractanda & cōponēda vniuerſali pace mittere diſpoſuimus & decreuimus, vtq; arma deponāt, domino auxiliāte (quantū in nobis eſſet) pro viribus laborare & operari, Regumq;, principū, & potētatuum prędictorū oratores in ipſo concilio tunc pręſentes, pro Apoſtolicę ſedis reuerētia fideliumq; vniōe requiſiuimus, vt Regibus, principibus & potentatibus ſuis ea ſignificarent, eosq; noſtro nomine hortarentur ad ipſos legatos Apoſtolicos benignè & honorificè tractandum & audiendum, votisque noſtris tam iuſtis & pijs per eos illis exponendis ſatisfaciendum. Quod eos facturos nobis perſuadebamus, vt quanto citiùs fieri poſſet, per nos mittendi, legationis munus eis impoſitum alacriter ſuſcipere, ſuſceptumque viriliter implere poſſent, ac patre luminum (à quo omne datum optimum eſt) fauente, pax ipſa tractari atque componi, eaque compoſita, ſancta & neceſſaria contra infidelium rabiem Chriſtiano ſanguine ſatiari anhelantem, expeditio fieri valeret, & pro totius Chriſtianitatis ſecuritate & quiete feliciter terminari. Nosque poſtmodùm pro debito paſtoralis officij, pacem & vnitatem ipſam cum vniuerſo populo Chriſtiano tum maximè eiſdem Regibus, principibus & potentatibus ex intimo cordis affectu optātes, ex quorū diſſenſione diuturniora & grauiora indies Chriſtianæ reipublicæ damna prouenire poſſe formidabatur, ex eorum authoritate, pace & vnitate eidem reipubl. vtiliter & ſalubriter conſultum iri ſperabatur, nuncios noſtros & literas ad præfatos Reges, principes & potentatus inter ſe diſſidentes, hortandos, requirendos, monendosque miſimus, nihilque (quantùm in nobis fuit) obmiſimus tractare ac operari omni noſtro conatu, vt ſemotis quibuſuis diſſidijs atque diſcordijs, vnanimi tandem conſenſu, gratia, & amore ad vniuerſalē pacem, concordiam & vnionem redire vellent, ne vlteriùs per immaniſſimum Turcarum tyrannum ac infideles alios damna Chriſtianis inferrētur, ſed ad reprimendū gentium illarum immanem furorem elatosque conatus accingerentur. Quæ cùm ita ſint, nos cuncta ad optatum finem perduci, omni cogitatione, cura, ſtudio ac ſedulitate affectantes, & dante Domino confidentes, legatos de latere noſtro ſanctæ Romanæ eccleſiæ Card. in conſiſtorio noſtro ſecreto de fratrum noſtrorum conſilio per nos poſtmodùm nominandos, cum authoritate & facultatibus neceſſarijs & opportunis, tanquam angelos pacis pro huiuſmodi Chriſtianorum pace vniuerſali tractanda, componenda, & conducēda, expeditioneq; contra infideles ineunda, eodem ſacro concilio approbante, ad eoſdem Reges, pro eorum regia magnanimitate, & erga Catholicā fidem deuotione, prōpto & alacri animo ad vtrunq; ſanctiſſimum opus pacis expeditioniſque inducendos, pro vniuerſæ reipubl. Chriſtianæ integra atq; perfecta tutela, defenſione & ſalute mittendos & deſtinandos eſſe decernimus. Præterea cùm ex diuturna & multiplici hæreſi Boemorum plurimùm Deus offendatur, & Chriſtianus populus ſcandalizetur, quorū etiam ad veræ fidei lumen atq; concordiam reducendorum prouincia, dilecto filio noſtro Thomæ tituli S. Martini in mōtibus presbytero Car. Strigonieñ. ad Hungariam, & Bohemiam noſtro & Apoſtolicæ ſedis legato, eſt à nobis his proximis diebus plenè demādata, eoſdem tamen hortamur in domino vt vel ad nos & hoc ſacrū Lateran. Conciliū vel ad eūdem Thomā Car. legatum, qui propinquior illis erit, aliquot ex ſuis Oratores, cum ſufficienti mandato deſtinare non negligant, ad tractādum de opportuno remedio, quo errores, quibus diu detinentur, agnoſcāt, & ad verū religionis cultum, & ſanctæ matris eccleſię gremiū deo duce reducātur. Quib⁹ hoc ſacro approbānte Cōcilio veniēdi, eūdi, ſtandi, quouſq; pręmiſſa tractanda durauerint, & poſtmodùm diſcedendi & ad propria redeundi, in fide Pontificia liberum ſaluūm conductū & fidem publicam tenore præſentium concedimus & elargimur, eorumq; votis, quātum cum Deo poterimus, annuemus. Vt aūt hoc ſacrum Lateran. Concilium ad finem vberrimæ ſperatæq; vtilitatis perducatur, alia nanq; plura & grauia in eo tractanda, diſcutiendaq; remaneant, ad omnipotētis Dei laudem & eccleſiæ ſuæ exaltationem, nonam ſeſſionem continuationis celebrationis ipſius ſacri Lateran. Concilij, nono April. 1514. Pontificatus noſtri anno 1. quæ erit 4. feria poſt Dominicam paſſionis, ſacro Concilio approbāte, indicimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, cōceſſionis, elargitionis & indictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romę in publica ſeſſione, in Lateran. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ 1513. quartodecimo Kalend. Ianuar. Pontificatus noſtri anno 1.

Qua perlecta, petijt à patribus, an placerent paternitatibus contenta in ſchedula. Et omnes vnanimiter reſponderunt placere.

Demùm reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus epiſcopus Taurinen. aſcendit ambonem, & legit quandam ſchedulam ſuper reformatione tenoris infraſcripti.

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam ſacro approbante Concilio. In Apoſtolici culminis ſpecula Diuinæ gratiæ munere collocati, nil magis eſſe noſtri officij duximus, quā ſedulò ac diligēter omnia circunſpicere, quæ ad Catholici nobis commiſſi gregis cuſtodiam, incolumitatem, augmentum pertinere poſſent; & in hoc ipſum omnes induſtrię neruos, omnes animi ingenijque vires contulimus. Cùm igitur fe. re. Iulius Papa II. prædeceſſor noſter, vt erat fidelium commodi ſolicitus, & & tutelæ ſtudioſus, tum alijs multis de cauſis, tum quia frequens circa Rom. curiæ officiales querimonia vrgebat, œcumenicum Lateran. Concilium indixiſſet, & deputatis varijs venerabilium fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, & prælatorum inſuper congregationibus, qui de querelis ipſis accuratè inquirerent, & ne curiales interim & alij ad curiam pro gratijs accedentes, nimio expenſarum onere fatigarentur, ſimul vt infamia qua dicti officiales flagrabant, mitigaretur celeri remedio, bullam reformationis edidiſſet, qua illi officiorum ſtatutis cuſtodiendis ſub graui pœna denuò adſtringebātur, nec circa exceſſus ſpecialiter decernere, aut Concilium abſoluere, morte præuentus quiuiſſet: nos eius non minus curæ, quàm officij ſucceſſores, initio ſtatim noſtri pontificatus, & continuare ſynodum, & pacem inter Chriſtianos principes procurare: nec minùs, cùm vniuerſalem reformationem perficere noſtræ mentis ſit, primùm à prædeceſſore ipſo, ſuper officijs prouiſa, nouis fulcire ſubſidijs, & auctis deputationibus exequi non deſtitimus. Enimuerò nulla vehementior cura nos angit, quā vt tribuli, & ſentes ex dominico agro eruantur, & ſi quid eſt, quod eius culturæ officiat, radicitus euellatur atq; extirpetur. Sedula ergo à deputatis relatione habita, & quid à quibus exorbitaretur animaduerſo, vt quæq; vel à decenti & laudabili more, vel à primæua inſtitutione deſciuerant, ad normam retraximus, & ea in vnam reformationis bullā, ſacro approbante Concilio, ſuper hoc editam, ex ordine cōgeſſimus, in eaq; executores, qui ordinata ſeruari cogerent, deputauimus: quam ab officialibus ipſis & cæteris vt quenque tanget, ſine fraude & inuiolabiliter obſeruari, hoc ſacro approbante Concilio mandamus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, à qua, niſi per Roman. Pont. (excepto mortis articulo) abſolui nō poſſint, ita vt vltra hanc, & alias pœnas in bulla illa particulariter expreſſas, contrauenientes officio, in quo deliquerint, ad ſemeſtre tempus ſint eo ipſo ſuſpenſi: Et ſi ſecundò errauerint in eodē officio, ꝙ quātum in ſe fuit, coinquinârunt, perpetuò careant. Qui poſtquam cōſtitutione noſtra ad frugē reducti erunt, inhibito atq; ſublato cōmuni damno ad cæteras reformationis partes procedemus. Et ſi nobis omnipotens pro ſua miſericordia con-

fferit, vt pacem inter Chriſtianos principes compona-us, non noxijs ſolùm ſeminibus extirpandis, ſed & propa-andis Chriſti finibus inſiſtemus, ac ſanctiſſimã contra infi-eles expeditionem, cuius deſiderium aſſiduè noſtro cordi hæret, Deo ipſo rei ſuæ fauente, eorundem fulti præſidijs, ggrediemur. Nulli ergo omninò omninò hominum liceat ancpaginam noſtri mandati infringere, vel ei auſu temera-o contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, in-ignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri ac Pau-Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ in publica ſeſſione in Lateranen. ſacro-ancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Do-minicæ 1415. quartodecimo Kal. Ianuarij, pontificatus no-tri anno primo.

P. Bembus.

D. de Comitibus.

Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis con-enta in ſchedula. Et reſponderunt omnes placere, exceptis reuerendo patre domino Hieremia Archiepiſcopo Tranẽ. qui dixit, quòd non placebat ſibi modus ſchedulæ, & reue-rendo patre domino Iacobo Epiſcopo Potentin. qui dixit quòd placet bulla, ſed vult, quod videantur, reformationes, & reuerendo patre domino Bernardo Archiepiſcopo Spa-atenſ. qui dixit, quòd placet bulla mandati, non tamen re-formationes, audiantur & publicentur, & reuerendis patri-bus dominis Alexio Melfitan. & Paride Piſaurien. Epiſco-pis, qui dixerunt placere eis, dummodò fiat reformatio ge-neralis. Poſtremò verò dominus Marius de Peruſchis pro-curator Concilij, accuſauit contumaciam non comparen-tium. Et petijt ſuper omnibus fieri inſtrumentum & inſtru-menta. Et fuit indicta nona ſeſſio pridie Idus Aprilis, qui e-rit quarta feria poſt dominicam in paſſione. Et hæc fuerunt pro octaua ſeſſione.

Qua finita, & cantato hymno exultationis per capellam ſanctiſſimi, incipiente, Te Deum, &c. ſanctiſſimus dominus noſter cum vniuerſis patribus & curia reuerſus eſt ad pala-tium, & locus Concilij remanſit vacuus.

Anno à natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti 1514. in-dictione ſecunda, die verò decimaquinta menſis Ianuarij, Pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri domini Leonis Pa-pæ decimi anno primo, de mandato præfati ſanctiſſimi do-mini noſtri, fuerunt affixæ & publicatæ in acie Campiflo-ræ, & Baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe, ac audientiæ publicæ, necnon ſancti Ioannis Lateranenſ. & Cancellariæ Apoſtolicæ diuerſæ ſchedulæ tenoris infraſcripti:

De mandato ſanctiſſimi domini noſtri Papæ intime-tur omnibus & ſingulis prælatis, magiſtris, doctoribus, & a-lijs religioſis viris, volentibus dare notitiam rerum & ma-teriarum, proponendarum in ſacro Lateranenſ. Concilio, quæ expedire & conuenire eis videbuntur, vt accedant. re-currantque ad reuerendiſſimos dominos Cardinales tres ex qualibet congregatione trium deputationum antiquiores, qui ad præſens in curia ſeu vrbe ſe continent & ſunt præſen-tes, & eis vel eorum alteri iuxta ſchedularum aliàs impreſſa-rum de dictis deputationibus continentiam & tenorem, di-ctas materias aperiant, & illarum notulas ſeu informatio-nes tradant ad eum finem & effectum, vt illis examinatis & diſcuſſis, illæ commemorationes quæ laudabiles ac bonæ videbuntur, in congregationibus & ſeſſionibus futuris dicti ſacri Concilij proponi poſſint & approbari, ad Dei omni-potentis laudem, & eccleſiæ ſuæ ſanctæ exaltationem.

Die decimaquinta menſis Ianuarij, 1514. ſupraſcriptæ literæ affixæ & publicatę fuerunt in acie Campifloræ, ac ba-ſilicę principis Apoſtolorum de vrbe, & audientiæ publicę, necnon ſancti Ioan. Lateran. & Cancellariæ Apoſtolicę val-uis ſiue portis, dimiſſis ibidem earundem ſupraſcriptarum literarum copijs, affixis per me Ioãnem Antonium ſanctiſ-ſimi domini noſtri Papæ curſorem.

Anno à natiuitate Domini 1514. indictione ſecunda, die verò quarta menſis Aprilis, Pontificatus ſanctiſſimi domi-ni noſtri Leonis Papæ decimi anno ſecundo, fuit publicata in locis publicis ſchedula prorogationis nonæ ſeſſionis, vſ-que ad diem quintam menſis Maij proximè futuri, cuius te-nor talis eſt:

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis & ſin-gulis præſentem ſchedulam inſpecturis. Licèt aliàs in octaua proximè præcedenti ſeſſione, vt ſacrum Latera-nenſe Concilium, in quo plura & grauia, ad omnipotentis Dei laudem, & Rom. Eccleſiæ exaltationem, tractanda diſ-cutiendaque ſupererant, ad finem vberrimæ ſperatæque vti-litatis commodius perducantur, nonam ſeſſionẽ continua-tionis & celebrationis ipſius ſacri Lateranenſis Concilij, eo-dem approbante Concilio, ad Nonas pręſentis menſis Apri-lis indixerimus, tamen cùm dies nonæ ſeſſionis huiuſmodi inſtare noſcatur, & ea quæ in eadem ſeſſione expedienda & ſancienda ſunt, per venerabiles fratres noſtros ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, in pluribus congregationibus corã no-bis habitis, diligenter & maturè (vt par eſt) diſcuſſa fuerint hactenus (vt deſiderabamus) alijs prælatis, qui in dicto Con-cilio votum dari debent, communicari & examinari, ac per-fici & abſolui nequiuerint, volentes nos (ea qua decet digni-tate ac maturitate) in eodem Concilio expediri, nonam ſeſ-ſionẽ prædictam ad tertiam Non. Maij proximè futuri, quæ erit dies quinta dicti menſis Maij, 1514. Pont. noſtri anno 2. de eorundem fratrum noſtrorum conſilio prorogamus, ip-ſamq; nonam ſeſſionem dicta quinta die tenendam ac cele-brandam eſſe omnibus intimamus, præſentemque noſtram ſchedulam in valuis baſilicæ principis Apoſtolorum de vr-be, ac ſacroſanctæ Lateranenſ. eccleſiæ, affigi & publicari mandamus.

Placet, & ita mandamus.

Anno à natiuitate Domini 1514. indictione ſecunda, die verò quarta menſis Aprilis, Pontificatus ſanctiſſimi domi-ni noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno ſecundo, ſupraſcriptæ literæ fuerunt affixæ, & publi-catæ in valuis baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe, ac in valuis ſiue portis baſilicæ ſancti Ioannis Lateranenſ. per me Franciſcum Vaca ſanctiſſimi domini noſtri Papæ cur-ſorem.

Ita eſt, Eurardus * Duuiuer curſorum magiſter.

Deinde die vigeſimanona ſupraſcripti mẽſis Aprilis in locis publicis affixæ & publicatæ fuerunt diuerſæ ſchedulæ tenoris infraſcripti.

De mandato ſpeciali ſanctiſſimi domini noſtri Leonis decimi Pontificis Maximi, Intimatur & mandatur omnibus & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbati-bus & Generalibus, in generali Concilio vocem diffiniti-uam habentibus, in vrbe præſentibus, quatenùs omni exce-ptione & excuſatione remotis, hodie quæ erit vigeſima no-na Aprilis, hora decimanona debeant omnes perſonaliter comparere in palatio Apoſtolico, in capella maiori, vbi te-nebitur generalis congregatio omnium prælatorum pro re-bus ſacrum Lateranenſe Concilium concernentibus, coram ſua ſanctitate, vnà cum reuerendiſſ. dominis ſanctæ Rom. eccleſię Cardinalibus, ſub pœna excommunicationis, quam contrafacientes incurrant, ſi non paruerint.

A. Car. S. Vit.

Anno à natiuitate Domini 1514. indictione ſecunda, die verò vigeſimanona ſupraſcripti menſis Aprilis, Pontifi-catus præfati ſanctiſſimi domini noſtri domini Leonis, di-uina prouidentia Papæ decimi anno ſecundo, præſentes li-teræ fuerunt affixæ in baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe, & cancellariæ Apoſtolicæ, ac officij literarum contra-dictarum valuis ſeu portis, & in acie Campifloræ. Et in quolibet loco ſolito affixæ, dimiſſæ fuerunt per me Eurar-dum * Duuiuier, ſanctiſſimi domini noſtri Papæ ac Rom. curiæ curſorem. * Duiuier

Ita eſt, Io. Diouerit curſor.

Deinde eadem die hora veſperarum fuit congregatio in loco ſuperiùs nominato. Et fuerunt in dicta congregatio-ne ſanctiſſimus dominus noſter, & reuerendiſſimi domini Cardinales præſentes in vrbe, excepto reuerendiſſimo in Chriſto patre domino Bernardo epiſcopo Sabinen. Card. S. Crucis, qui non potuit intereſſe propter corporis alteratio-nem, ac etiam fuerunt præſentes Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi numero ſeptuaginta & nouem, & duo Abbates, & Generales ordinum, habita prius oratione. Et per præfa-tum reuerendum patrem dominum Thomam Phędram de

mandato

mandato ſuæ ſanctitatis, alta & intelligibili voce propoſiti fuit, an placeret paternitatibus ſuis, quòd ſchedula, quæ fuerat eis lecta in alia congregatione particulari, deletis & cancellatis his, quæ concernunt prælatos, proponeretur & publicaretur in proxima nona ſeſſione. Super huiuſmodi propoſitione fuerunt vota particularia, quæ ſequuntur: Primò reuerendus pater dominus Bernardus epiſcopus Taruiſin. Gubernator vrbis dixit, quòd placebant ſibi propoſita per dominum Thomam Phædram. Et idem dixit reuerendus pater dominus Cæſar Patriarcha Alexandrin. Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Archiepiſcopus Senenſ. dixit quòd daretur copia & tempus liberandi. Et ad idem fuerunt omnes ſtantes in eodem ſedili. Reuerendus pater dominus Alexius epiſcopus Melfitan. dixit placere, prout Phædra dixit, dummodò de cæterò detur copia. Et R. dominus Giſbertus epiſcopus Rapollan. dixit quòd differantur, quæ concernunt prælatos, & detur tempus deliberandi. R. D. Franciſcus Nanneten. dixit, quòd detur copia & tempus, & interim ſua ſanctitas videat petitiones prælatorum. R. D. Ludouicus Tricaricen. dixit, quòd detur copia, & tempus ſaltem deputatum. R. D. Thomas Comaclenſ. dixit, quòd differantur ea, quæ concernunt prælatos, & detur copia & tempus. Ad idem fuit R. D. Hieronymus Aſculanus. R. D. Pompeius Reatin. dixit, quòd deleantur, quæ concernunt prælatos, & circa alia contenta in bulla reſeruabat votum in aliud tempus, quando erit melius informatus. R. D. Nicolaus * Pergamen. dixit, quòd ea quæ concernunt prælatos, pertractentur per electos, & expediantur ſimul cum alijs cõtentis in bulla. Et idem fuit R. D. Paris Piſaurien. R. dominus Ioãnes Aquilan. dixit, quòd placebat, prout dixit Phædra. R. D. Maximus Iſernien. dixit quòd placebat, prout dixit Phædra. In reliquis detur copia & tempus. R. D. Ioannes Antonius Anglonen. dixit, quòd placebat, quòd ſuſpenderentur quæ ſpectant ad epiſcopos, donec cum alijs petitiones eorum diſcutiantur & determinentur in ſecunda ſeſſione à proxima. R. D. Ioanni Antonio Callinen. placent contenta in ſchedula, dummodò concernentia epiſcopos examinentur, & deinceps detur copia & tempus, vt melius conſulatur & reſpondeatur. Similiter R. D. Petro Foroliuien. demptis omnibus contentis in bulla, quatenus concernunt epiſcopos & eccleſias. cætera placent. Et ſupplicat ſanctiſſimo domino noſtro, vt habeat prælatos recommendatos. R. D. Lactantius Suanen. dixit, ſe non audiuiſſe, nec legiſſe bullam. Ideo non reſpondit ad idem. R. D. Ioanni Triburien. & R. D. Ioanni Bobien. placuit ſimpliciter prout in bulla. Et ad idem fuerunt duo ſedentes prope eos. R. D. Dominicus Lucerin. dixit, ſe obtemperaturum in omnibus ſanctiſſimo domino noſtro, tamen libenter vellet legere bullã, & prudẽter deliberare. R. D. Ioanni * Sibinicen. placet, quòd in omnibus contentis in ſchedula, & quò ad omnes cuiuſcũque ordinis ſeruetur diſpoſitio iuris communis. R. D. Angelo * Foropopulienſi placet, quod placuit domino noſtro. Supplicat tamen, quòd ſua ſibi tam illicitè & atrociter ablata, reſtitui faciat. Cæteri verò dixerunt, quòd daretur eis copia & tempus deliberandi. Et tandem dominus noſter reſpondit, quòd daretur eis copia & tempus deliberandi.

* Bergomen.

* Sebonicen.

* Bretenoricen.

Et ſic die ſequenti de mane in eodem loco conuenerunt prælati, & ſupradictus dominus Phædra legit eiuſdem ſchedulam, & volentibus habere dedit copiam. Et tandem dicti prælati elegerunt infraſcriptos prælatos, qui vnà cum reuerendiſſ. dominis Card. deputandi per ſanctiſſimũ D. N. deliberarent ſuper ſchedula proponenda in nona ſeſſione. Prælati electi fuerunt infraſcripti, videlicet reuerendi patres & domini Senen. Spalaten. & Rhegin. Archiepiſcopi, & reuerendi patres & domini Melfitan. Reatin. Fauentin. Lucerin. & Foroliuien. epiſcopi.

Deinde dicti prȩlati die ſequenti in aula ſuperiori ipſius palatij conuenerunt cum reuerendiſſimis dominis Cardinalibus, & ibidem conſultârunt & deliberârunt ſuper proponendis in nona ſeſſione, prout in ea inſeruntur, & remanſerunt concordes.

HVMILIS SERVVLVS IOANNES BAPTISTA Gargia Senenſ. Eques Hieroſolymitanus, Illuſtriſsimo Rhodior. principi Fabricio Carreto, ſacræ Hieroſolymitanæ religionis magno Magiſtro S. P. D.

RELIGIONIS noſtræ Hieroſolymitanæ ſtudio atque obſeruantia impulſus, princeps illuſtriſſime, non potui iuſſis tuis, dum admirat⁹ in vrbe ageres, promptiſſimus non obtemperare. Nobilis item vir Philippus Prouanus, vices nunc * in vrbe gerens, adhortatus vehementer eſt, ad idque ab ipſo omne auxilium ac fauor mihi prȩſtitus eſt, vt onus orandi mihi pro religionis noſtræ decore, Lateranenſ. Synodi ſeſſione octaua, adſpirante Leone decimo pontifice maximo, ſubirem. Quod etſi arduum, ac meis humeris impar eſſet, qua tamen potui ſedulitate ac cura abſolui. In quo orandi munere, vt in omnibus noſtræ religionis negotijs Reuerendiſſ. Cardinalis Iulius Medices, noſtri ordinis ingens præſidium, mihi opem fauorem impedit, tanquam is, qui de religione noſtra ſemper eſſe optimè meritus cenſeretur, exiſtimaui hos noſtros qualeſcunque labores, tibi eſſe deſtinandos, vt de his te omnibus, quæ pro religione noſtra in ipſa ſynodo, in qua Chriſtianæ reipublicæ decus ac ſplendor maximè effulſit, recenſuerim, facerẽ certiorẽ. At hoc vnum ingenuè fateor, ſi qñ illius loci amplitudinem, dignitatemque animo voluerem, atque onus iniunctum nobis conſiderarem, totus equidem algebam, & cor atque animus quodam metu perculſus, me ab incepto plurimùm deterrebant. Ac perquam libenter hanc orandi arduã atque difficilem prouinciam detractaſſem, niſi mihi & religioni, & celſitudini tuæ morẽ gerendi incredibilis cupido. Id etiam prȩſtiti, ne inter commilitones viderer prorſus inutilis, qui licèt corpore aliquando ſeruire nequiuerim, at ingenij atque animi opibus, ac quantulocunque valui ingenio, religioni noſtræ non defui. Gaudeoque mirum in modum, ſi quid eiuſdem cauſa facio, nihilque aliquid gratius quàm de religione aliquid mereri. Tuæ etiam præſtantiæ eſſe ſignificandum putaui, quemadmodùm ab ipſo ſummo pontifice cœptum eſt agi, de vnione eccleſiæ eiuſque reformatione, ac de pace inter Chriſtianos principes facienda, & de expeditione aduerſus Turcas ſuſcipienda, & ad hæc omnia ab eodem Leone vehementer incumbitur. Quamobrem ſperandum ab his plurimùm eſt, qui duro ſubſunt Turcarum imperio, atque ab illis pariter, qui Turcis finitimi, eorum ſemper arma formidant, Leone Pontifice Maximo annitente, imminutum iri Turcarum imperium, atque ab eorum immanitate ac barbarie ereptum iri ſaltem populos, quos ſeptuaginta ab hinc annis ſuo adiecerunt Imperio. Quòd ſi in oratione mea vim, vbertatem, atque elegantiam deſideres, ingenij mei tenuitate precor aſcribas. Non equidem ſpe queſtus aut gloriæ ad id muneris obeundum commotus fui, ſed vt re (qua aliquid valerem) me noſtrȩ religioni non incommodum, ac prorſus inutilem exhiberem, cuius ab ineunte ætate obſeruantiſſimus ſemper fui. Tuæ quoque præſtantiæ ante iſtam ad principatum euectionem deditiſſimus fui, ſemperque magnoperè colui ac ſum veneratus, quaſi animus præſagiret, te quandoque hunc tam altum, tamque tuis meritis dignum honorem eſſe aſſecuturũ. Quanto fuerim de hac tua electione gaudio affectus, nullis poſſim cõſequi verbis. Et quo id præ me declararem aliqua in re, libentiſſimè mihi tuo nomine iniunctam ſuſcepi apud Leonem decimum orandi prouinciam: quamque apud illum habui orationem, alteri in Lateranen. Concilio habitæ ſubnectendam curaui, ac ſimul imprimendam, tuęq; celſitudini eſſe tranſmittendam aut deſtinandam cenſui: quamquàm nos minimè prȩterit, hanc talem non eſſe, qualem tuȩ ſingulares diuinęq; virtutes merebantur. Priuilegia autẽ noſtra, indulta, conſtitutionesq; ab alijs pontificibus conceſſa, benigniſſimus Leo X. Pont. Max. humaniſſimè cõfirmauit, atq; magnoperè auxit, perpetuoq; robore muniuit. Supereſt princeps illuſtr. vt ſeruuli tui Ioan. Baptiſtæ ſinceræ mentis atq; animi obſequium, abſolutumq; tanto ingenij diſcrimine ſuſceptum onus ſolita benignitate ſuſcipias, & quæ tuæ exaltationi glorioſiſſimæ, à qua ſemper beneficijs ſum innumeris affectus, deditiſſimus ſemper extiti, quaſi nunc aucto ſeruitutis vinculo, ſub tuo vt præſidio ſim, peto, ac vehementiſ-

for. * tunc

Hunc ſeruntpoſtea Clementem VII fuiſſe.

nentiſſimè precor, tuæq; illuſtr. D. me totum trado atque ddico. Vale. Romæ Kalend. Aprilis 1513.

ORATIO IOANNIS BAPTISTAE GARGIAE Senen. Equitis Hieroſolymitani, habita apud Leonem X. Pont. Max. ac Lateranen. in Concilium ſeſſione octaua, 14. Kal. Ianuarias, 1513.

Veni ſancte ſpiritus, omnium tuo amore corda fidelium cóple, & in me tuæ virtutis ignem accende, vt tam arduum hodie inceptum te adſpirante exequi valeam.

CVM P. B. voſq; Chriſtianæ religionis fulgentiſſima ſidera, onus orandi in hoc tam auguſto conſeſſu mihi, minus experto fuiſſet iniunctum, diu mente reuolui, quàm meis id impar viribus foret. Nam tum ingenij imbecillitas, tenuiſq; dicendi copia mihi ſilétium indicere videbantur, tum coram tanto pontifice, ac ſacroſancta ſynodo Lateranen. verba facturus, verebar ne in dicendo obmuteſcerē. Et id acrius me vexabat, quia idem grauiſſimis ac maximis Oratoribus & philoſophis aliquando eueniſſe cópertum habeo. Quod ergo animo complectens, huius ornatiſſimi & ſacerrimi loci amplitudiné, maieſtatemque meritò expaueſcebam. Sed cùm planè P. S. tuæ ſerenitas frontis, atq; animi benignitas, ſingulariſq; tantorum patrum humanitas me ita recrearet atq; reficeret, vt obire munus mihi delegatum non dubitarem, ad quod huius etiam præcipui temporis obſeruantia me hortabatur: quare audentiori animo hoc tam eminens ſuggeſtum, vnde totus ferè terrarum orbis conſpicitur, aſcendi. Confiſus igitur omnipotentis Dei & intemeratæ virginis, diuique Ioannis Baptiſtæ noſtri fautoris auxilio, tuaq; P. B. me hortante innata clementia, cùm de Chriſti militia, tum de ſancta ſynodo breuibus perſtringam. De Chriſti militia in primis dicere, noſtrū eſt inſtitutum, cui ille operā dat, qui magnæ & ſupernę militiæ cœleſtis eſt cupidus, & Chriſto ſemper hærere deſiderat quiq; illius diuinæ vocis non otioſus auditor eſt. Si quis meus (inquit) miniſter eſt, me ſequatur: & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Chriſtus autē in cœlis eſt, illuc igitur nos curſum dirigere decet. Nemo terrenæ cóſuetudinis, caducęq; dilectionis reminiſcatur: nā qui huic Chriſti militiæ accingitur, non ſibi domū conſtruere, nó poſſeſſiones cóparare debet. Eſcas enim regias habet, & Imperatoris annona fruitur. Manſio aūt in caſtris eſt. Vbi ſi mors Chriſto bellāte contingat, glorioſa eſt. Vincentes enim dona Regalia, & honores quā maximos adipiſcuntur. Et licèt vita in prælijs laborioſa ſit, in pace tamē ſplendida & honorata trāſigitur. Chriſti aūt militū arma, non lorica, nó clypeus, non gladius, ſed pietas, religio, probitas, innocétia, & caſtitas ſunt. Non cedat armatæ mentis conſtantia terroribus inimicorū. nam niſi qs ſtrenuè pugnauerit, nó coronabitur. Nihil aūt eſt nequius, nihil crudelius noſtro hoſte, qui in cœlo bellū, in terris fraudē & odiū inter primos fratres excitauit. Et is in omni noſtro opere, ſua tendit retia. Et ne multis vos remorer, omnia mundi mala, ſua ſūt prauitate cómiſſa. Et cū mens humana varijs huius mundi illecebris deuicta ſit, & laborē fugiat, voluptatē verò ſequatur, prauiſq; reſiſtere deſiderijs ægrè ferat, nos ſic Apoſtolus hortatur: Induite vos armaturā fidei, vt aduerſus diaboli inſidias ſtare poſſitis. Victorē Chriſtum Regem ſequamur, qui nos vult victoriæ ſuę habere participes. Crux illius, noſtra eſt victoria: cuius patibulū noſter eſt triūphus. Terra non nobis patria eſt, ſed cœlū nos ciues & incolas expectat. Vbi hæc vtinam verba Domini audiamus: Euge, inquit, ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Euge, inquam, miles ſtrenue, imitator domini tui & regis ęterni Comes, dignis & optatis remuneraberis præmijs. O ſalutifera & præ omnib⁹ expetēda Chriſti militia, in qua certa & pretioſiſſima ſunt trophæa, quibus tot martyres, ac beati patres cœleſti imperio gloriantur, ac perpetua pace quieſcunt. Licèt paruulus ex collo pēdeat nepos, licèt ſparſo crine & ſciſſis veſtibus vbera mater oſtendat, quibus te nutriuit, licèt in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem. Crudelitas iſta, pietas eſt, & ſiccis oculis ad crucis vexillum euola. Gladium tenet hoſtis, vt nos perimat. Nec de matris lachrymis eſt cogitandum, nec propter patrē, Chriſti militia eſt deſerenda, cui etiam Saluatoris cauſa vitam debemus. Huic Chriſti militiæ Leo X. Pont. Max. à ſummo Deo inuictus vexillifer præfectus fuiſti, tibiq; ille ligandi & ſoluendi poteſtatem dedit. Tu in ſpecula Domini peruigil fortiter adſtans, cuncta in rectum tramitē rediges. Tibi ergo omnium eccleſiarum pręſides, & totius orbis Chriſtiani principes parere affectant. O quàm diuina & ſalutifera fuit hæc tua ad ſummi pontificatus apicē aſſumptio, à quo pro pacando ſtatu Chriſtiani populi, qui tot ſceleribus, rapinis & ſeditionibus permiſcebatur, ad ſalutiferā huius cœptæ ſanctæ ſynodi curam deuentum eſt, cui rei quantum nobiliſſimæ tuæ familiæ Medices nomen conſonū ſit, clarè cóſtat. Tu nanq; optimus paſtor, tu ſalutifer medicus infirmitati Chriſtianæ religionis cęlitùs datus es. Tua enim cura, tua tutela, ſolertia, probitate atq; virtute grex Domini egebat, vt ab imminenti capitali exitio liberaretur, vt priſtinę ſanitati, abs te vero eruditiſſimoq; medico reſtitueretur. Ad quā rem ſola ſynodus hæc erit veluti quoddam Mithridaticū antidotum. In ſynodis * quoniam ſolita plerunq; eſt mater eccleſia ſalubria remedia prouidere, ſi qn̄ nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, implacabilis animus, & feritas rebellandi in populo oriebantur. Nunc impius lucri furor, ac effrenis cupido, iraq; præceps, atq; immanis libido, quæ ſuccenſas agit mentes, honeſtatis fines effregerant, & omnis deniq; ſcelerum labes in mundū irrepſerant. Mores verò & inſtituta maiorum, pro lege tenenda, ſpreta iacebant: præuaricatores diuinarum legū, & eccleſiaſticarum conſuetudinū contemptores, impunè ceruicibus elatis incedebāt. Abuſus verò & deprauata voluntas, vbi ſemel cœperant, indies duriores efficiebantur: & animus ſceleribus adſtrictus, nó facilè ab eis diuelli poterat. Quæ omnia ab hac ſanctiſſima ſynodo ſyncero examine pendentur. O ſaluberrimā medicinam omnib⁹ conſulentē, omnia tumentia comprimentē, omnia tabeſcentia reficientem, omnia ſuperuacanea reſecantē, omniaq; deprauata corrigentē: Hanc reges principeſq; meditabantur, hanc populi oēs efflagitabant, hanc ſenes, iuuenes, cūctique Chriſtiani cupere videbantur, quibus tacitum Deus deſiderium huiuſmodi inſpirabat. Et his omnibus tu ſolus P. B. ſatisfacies, qui hunc tantorum patrum in tui tam fauſto pontificatus initio cœtum hunc in ædē Lateranen. coēgiſti, vbi illa duo Petri & Pauli pretioſiſſima capita repoſita venerantur, quæ hic totius Chriſtianæ reipub. imperium, tribunal & decus poſuerunt. Et cùm ab omnibus ſynodis Lateranen. ſemper ingens ipſi Eccleſiæ adiumētum & vtilitas præſtita ſit, hæc nimirùm in modum rectè proſpiciet, à qua omnis ſua ſalus atq; quies pendet: quæ quantum ſynodali auxilio egeret, nullus eſt qui neſciat. Qua de re P. S. inter ea, quæ abs te præclariſſimè geſta, gerendaq; ſunt, hanc ſanctam ſynodum, rem adeò arduam, & his temporibus opportunam, proſequi perſanctè decreuiſti. Ab hac enim religioſi vrbaniq; mores inſtaurati erunt, & flagitia, quæ diuinum examē notauerit, coërcebuntur, in qua ſola animorum ſynceritas, & religionis amor cuncta penſabit. Quibus ſic geſtis, cœleſtes irę futura temporum felicitate expiatæ videbuntur. Aurea nempe te ætas regnante incipiet, & iuſtitia de cœlo lapſa in terras redibit. Tu literarum virtutumq; omnium exoptatum præſidium diuinitùs datus es, à quo cuiq; ſua pręmia tribuentur. Nunc ſiderū cœleſtis omniū harmonia tibi Chriſti vicario applaudit, & cunctorum hominū pectora incredibili, de tua ſumma felicitate, gaudio perfundūtur, & ſub te paſtore optimo omnis exultat populus, à quo pacē, cōcordiam, & tranquillitatem expectat, quas omnis iam homo optat, cupit, amat, & vult. Et cùm pacis amica ipſa ſit iuſtitia, & ſe innicem oſculentur, ea etiā ſumma in te cōſpicitur. Tu igitur pacis donator, & iuſtitiæ defenſor diceris, à quibus immortalitate donaberis. Quid eſt enim quod principē melius prædicet, quàm quietus populus, concors ſenatus, & tota reſpubl. morum honeſtate inſignita? O pacis dulce nomen, à qua tranquilla libertas, mentis ſerenitas, ſimplicitas cordis, vinculū amoris, & conſortiū charitatis gignitur. Hæc ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos pacat, cunctiſq; eſt placida. Quamobrē Antiſtes Max. voſq; Chriſtianę religionis firmiſſimæ colūnæ, & militiæ Chriſti ſūmi duces, qui in tanta horum temporū expectatione in ſacerrimum hoc tem

plum

plum conuenistis, & fluctuanti ſummis Petri nauiculæ procellis opem tuliſtis, maxima & perenni laude eſtis digni, & cœleſte ſtipendium vobis dabit Deus, ſi hoc tam ſalutiferũ, ſanctumq; Concilium ſanctæ matri Eccleſiæ profuturũ, cui libertatis decorẽ reſtituet, & ſuo populo mores viuendi religioſiùs præcipiet, toto pectore amplectemini, & faciles cœpto operi fauebitis, in quo veſtra erga ipſam eccleſiã bonorum pietas filiorum, & Chriſtianæ reip. ciuium verus amor conſpicietur. Ecce enim nunc tempus, quo corporis otium, mentis ignauia expellenda eſt. Ecce tempus, quo in armorũ cœleſtium, terreſtriumq; meditatione, cordis ſinceritas, animi magnitudo, vireſq; corporis pro repub. Chriſtiana exercendæ ſunt. Verùm cùm hæc militia noſtra D. Ioannis Baptiſtæ, aſſiduis Turcarũ incurſibus ſemper fuerit obuia, & de ipſis quamplurimas iã victorias, meritoſq; triumphos obtinuerit, tum à ſũmis pontificib. tũ à ſanctis Cõcilijs, maximè à cunctis Lateranenſib[9], miris fauoribus & priuilegijs affici, & varijs ſtipendijs cõmilitonibus noſtris conceſſis, multiſq; beneficijs donari meruit, q̃ recenſendo nimis prolixa foret oratio. Itaq; Pater beatiſſime, & tu tantorũ patrum ſplendidiſſime cœtus, qui in hoc templũ conuocatus fuiſti, cui D. ille Ioannes Baptiſta noſtri Saluatoris pręcurſor præſidet, q ſummus patriæ tuę Florentiæ, vrbiſq; Rhodi & Hieroſolymitani ordinis patronus exiſtit, cuiuſq; olim nomine vocari non parũ lætabaris, quemq; ante alios omnes colore conſueuiſti, toto tibi pectore & imis ſenſibus hanc ſuam Rhodienſem religionẽ, & præſtantiſſimũ Rhodiorum principẽ, qui Chriſtianę fidei defenſor eſt acerrimus, cũ toto populo, & hos ſedulò tibi aſtantes noſtros cõmilitones commendamus, vt non ſolùm noſter ordo in ſuis priuilegijs & conſtitutionibus ab hac ſancta ſynodo cõfirmetur, ſed etiã augeatur. Scis enim pater beatiſſime, & tu Lateranenſis ſynode, Rhodon inſulã ab omnibus laudatã atq; opportuniſſimam ſemper ad res gerendas eſſe iudicatam. Nam Rhodos noſtra adiacet Aſię, qua maximè Aſia in mare noſtrũ excurrit: hinc in Syriam & in Aegyptũ commodiſſima eſt nauigatio, hinc in mare Aſiaticum, Helleſpontum, Propontida, ac Pontum cõmodiſſimè ſoluitur, & rebus naualibus atq; claſſicis ea ciuitas ſemper polluit. Quamobrẽ Rhodiorum amicitiã ſemper Romani magni fecerunt, eorumq; ad multa bella vſi sũt opera. Quare arcis ac rei Chriſtianæ propugnaculi curã tibi pontifex Maxime nõ in poſtremis eſſe habendã arbitror, ac danda eſt opera, vt quemadmodũ eam Soli fuiſſe vrbẽ conſecratã tradunt, ac nullo die, quamuis nubilo ac pluuio, Solẽ in ea nõ illuxiſſe: dãda eſt (inquã) opera, vt ea inſula vero Soli, hoc eſt, Chriſto ſẽper ſit ſacra, ac ſemper verũ Solẽ colat, in eaq; ſemper illuceſcat. Tu nos igitur fauore & clementia protegas, quò alacriùs ea pro rep. Chriſtiana cõtra infideles regredi valeat, q rabido & truci animo ſẽper contra Rhodiẽſe præſidiũ inhiant, vt vſq; ſub diui Ioannis Baptiſtę auxilio copiæ Hieroſolymitanæ militiæ, eorumq; crudelibus auſis fortiter reſiſtunt, & feroces animos innumeris prælijs cõpeſcunt. Nam nec principes noſtri, nec commilitones certa vitæ diſcrimina ſubire vnquã recuſant, nec recusârunt, ne illa Chriſtianæ reipublicæ firma Rhodiorum propugnacula in Turcarum ditionem redigerentur. Arx enim illa eſt expultrix ſęuiſſimorum hoſtium, qui ſemper veſtras vrbes & imperia inuadere, & religionem noſtram funditùs euertere ſtudent. Et vt iam per literas præteritis menſibus pater ſanctiſſime tibi illinc à noſtris ſignificatum fuit, Sulthan Selyn ſectæ Mahumetanæ immitem tyrannũ claſſem ingentẽ parauiſſe, & innumeras copias contra Chriſti fideles, & Rhodi inſulæ milites & incolas contraxiſſe, & tantam tormentorũ vim, quantam nullus vnquam, ad id bellum inſtituiſſe exploratum habuimus, qui illinc poſtmodùm ſemotis caſtris aliò contra orthodoxæ fidei cultores impetũ fecerunt, vbi multas clades & vrbium euerſiones inferre conati ſunt. Et nuperrimè cum quieturum eſſe illum ſperaremus, per alteras à noſtris ſanctitati tuæ ſignificatum eſt, in eoſdem belli apparatus ingenti ſtudio, ſummaque celeritate incumbere. Et cùm nihil maiori odio proſequantur, quàm Rhodum, ei multò magis in poſterum timendum eſt, cui nunquã minari deſiſtunt. Neceſſe igitur eſt, vt principibus Chriſtianis acceſſitis, & tuis in ſancta diſperſionibus ſepta collectis, quo vnũ ſit ouile, ſicut vnus eſt paſtor, cui pacificè & quietè præcipias, vt abs te magnanimo duce & vexillifero tua animi ſinceritate, mirabili ſapientia, cęleſtiq; virtute aduerſus hæc infideliũ potentiam bellũ ſuſcipiatur. Expergiſcimini ergo, expergiſcimini tandẽ Chriſtiani principes, & labanti Eccleſiæ auxiliũ afferte, & ſub Leone felicis. paſtore, inuictoq; duce, de bello Turcis inferẽdo in mediũ conſulite, nec vlteriùs patiamini noſtri redemptoris ſepulchrũ, & Conſtantinopolim nouã Romam ſub Turcarũ imperio detineri, & tantam peſtẽ atq; perniciẽ aduerſus Chriſtianos populos diutiùs ſęuire. Sed religionẽ veſtram propriùs reſpiciatis, quã colere & augere, veſtri Imperij & regni intereſt. Cuius rei fidiſſimũ vobis Romanorũ exemplum propono, quorũ reipubl. ſplendor ſemper emicuit, dum religionẽ præ cunctis rebus obſeruârunt. His enim non ſolùm ſeruandæ, ſed etiam amplificandæ religionis ſtudium fuit, quam ſi quis cõtempſiſſet, non immeritas diuinæ vltioni pœnas dabat. Ne miremini igitur, ſi tot infortunia Chriſtianis rebus acciderũt. Rara enim inter principes Chriſtianos concordia hactenus fuit. Qui cùm debuiſſent vnanimes ſalutiferæ cõtrã infideles expeditioni conſulere, & opẽ ferre, bella eis gerere magis placuit, quæ nullos honeſtos meritoſq; triumphoos habitura eſſent, & religionẽ conſeruare atq; defendere contẽpſerunt. Deponite nũc, deponite Chriſtiani principes, hanc tarditatẽ atq; ſegnitiem, & ad vindicandã Chriſtianam rempub. ab atrociſſimorũ hoſtium ſeruitute accuratis, & inſulæ Rhodo opem afferte, quæ (quod Deus auertat) ſi expugnaretur, væh væh Chriſtianis vrbibus & imperijs. Pręſtate igitur auxiliũ. Nam quid magis vos decet, quàm non ſolùm pecunias atq; vires oẽs pro Chriſti nomine & gloria exponere, ſed etiam voſmet deuouere, vt vita frui æterna valeatis? Hac enim cõditione gignimur, vt generati nos Deo iuſta & debita obſequia præbeamus. Viriliter ergo agite probati principes, currite fortiter curſum hunc feliciſſimũ, & certate bonũ certamen, vt æterna præmia cõſequamini. At * P. C. cui Chriſtianæ religionis habenę traditæ ſunt, hęc te cura, hoc te deſiderium tãgat, hæc te victoria, hic te triumphus expectat maxim[9], quod nullo ſęculo aboleri poterit. Magni eñ & ingenij diuini eſt, magna aggredi, atq; ea moliri, quæ nõ minus meriti, q̃ gloriæ ſint paritura. Iacet deſolata Aſia, iacet Africa, iacet Aegyptus, ac bona Europæ pars deſerta, abiecta ſine lege, ſine moribus, ſine vllo Chriſtianæ religionis conſortio. Vbi tot ciuitates, tot populi, tot imperatores, reges, principes, cultu veræ fidei & armorũ vſu pręſtantiſſimi, vbi tot celeberrima Chriſti & ſanctorũ templa, in crudeliſſimã iam Turcarũ & Barbarorũ ditionẽ deuenerunt, à quib[9] acceptas clades, euerſiones, contumeliaſq;, nõ eſt huius temporis recẽſere, cùm iã omnibus notæ ſint atq; teſtatæ, & cùm tot iã annos nihil aliud audiamus, quã excidia alia ſuper alia Chriſtianorũ. Quid quod Tyrrhenũ mare toties infeſtârunt? Et ꝑ pudet referre, ad littora vſq; Romani agri prędatũ venerũt. Sed hæc loca tam efferata, barbara, ſine fide, ſine Deo tandiu in poteſtate infideliũ eſſe, ac nõ tam regi, quã deuaſtari paſſi ſunt principes Chriſtiani, dum quę ſua ſunt quęrunt, nõ quę Ieſu Chriſti: dum quiſq; luxui, ſimultatibus, otio indulget, dum Rom. Pont. toties acclamantem rabidos lupos gregem Domini inuaſiſſe non audiunt. Atqui non tanta eſſet rerum iactura fragiliũ, niſi cum his innumeræ quoq; animæ fideliũ deperirent, quæ partim metu, partim labefactata religione, quaſi plantæ incultæ ſenſim indies deficiunt. Huc Pont. Maxime Leo animũ te decet aduertere, aduerſus horũ rabiem, compoſita inter Chriſtianos pace, conſurgere, exercitũ in ea loca traijcere, illatas ab hoſtibus iniurias vlciſci, ad tantum decus, tantam gloriam ante alios euolare. Crux Chriſti in aciem pro vexillo prodibit, Dux agminis ſui præcedet omnipotens, inſultabitur vndiq; eorum capitibus, tanquàm parieti inclinato & maceriæ depulſæ. Perſequeris & cõprehendes illos, & nõ conuerteris donec deficiant. Sed ſine te Deus miſeri quid ſumus? aut quo recidunt conatus noſtri? Cogitat iam bonus paſtor vicarius tuus, cogitat, inquam, in verã ſanctamq; ſponſæ tuæ vnionẽ, eiuſq; reformationẽ incumbere, & populi tui in angulum redactas ſeruare reliquias, amiſſa recuperare, fines eccleſiæ propagare. At ſcriptum eſt, quòd reprobes cogitationes populorũ, & reprobes conſilia principum. Parentes ergo ad vnum putemus fideles principes, ituros in hoſtes tuos Chriſtianos omnes, paratam pu-

Margin notes: di in- … por- … as. — Vor. * P. B aut P. S. — Pſalm. 32.

emus eſſe claſſem, inſtructam aciem, niſi tu Deus * exercium adiuues, noſtris his cogitationibus, his conſilijs præſens aſſiſtas, adſpires, faueas: niſi denique cuſtodieris ciuitatem, fruſtrà vigilant qui cuſtodiunt eam. Tibi ergo Regi regum & Domino dominantium, preces ſoli fundendæ ſunt. Ne memineris iniquitatum noſtrarum. Exurge, & diſſipentur inimici tui, vindica ſanguinem iuſtorum tuorum, qui effuſus eſt. Erue de manu canum vnicam ſponſam tuam, labanti tuæ religioni porrigito dexteram. Leoni Pont. Max. quem ad paſcendas oues tuas vnum præ omnibus elegiſti, mitte auxilium de ſancto tuo, vt pacatis Chriſtianorum animis, in hoc tam ſanctum, tam neceſſarium, tamq; Eccleſiæ tuæ vtile & expediens opus, toto (vt aiunt) pectore incumbere, illud feliciter abſoluere te duce valeat, qui viuis & regnas in ſecula.

SESSIO NONA.

ANNO à natiuitate Domini 1514. indictione ſecunda, die verò Veneris, quinta menſis Maij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini N. D. Leonis diuina prouidentia Papę decimi anno ſecundo, fuit celebrata nona ſeſſio Generalis Concilij Lateranenſ. in loco ſolito manè hora tertiarum. In qua fuit præſens præfatus ſanctiſſ. D. N. D. Leo Papa X. indutus veſtibus Pontificalibus, ſedés in thalamo conſueto. Fuerunt quoque præſentes infraſcripti D. Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & magiſtri Generales ordinum, & oratores principũ, & quamplures illuſtr. domini, & alij doctores & nobiles in copioſa multitudine.

EPISCOPI CARDINALES.

Reuerendiſſ. dominus Raphael Oſtienſis.
Reuerendiſſ. D. Bernardinus Sabinenſis.
Reuerendiſſ. D. Dominicus Portuenſis.
Reuerendiſſ. D. Iacobus Albanenſis.
Reuerendiſſ. D. Franciſcus Tiburtinenſis.
Reuerendiſſ. D. Marcus Præneſtinus.

PRESBYTERI CARDINALES.

Reuerendiſſ. dominus Franciſcus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli, Surrentin.
Reuerendiſſ. dominus Nicolaus, tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſ. dominus Hadrianus tituli ſancti Chryſogoni.
Reuerendiſſ. dominus Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennenſis.
Reuerendiſſ. dominus Chriſtophorus tituli ſanctæ Praxedis.
Reuerendiſſ. dominus Antonius tituli ſancti Vitalis, * Sipontin.
Reuerendiſſ. dominus Petrus tituli ſancti Euſebij, Anconitan.
Reuerendiſſ. dominus Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de Saulis.
Reuerendiſſ. dominus Laurentius tituli ſanctorum quatuor Coronatorum.

DIACONI CARDINALES.

Reuerendiſſ. dominus Fredericus de ſancto Seuerino, ſancti Angeli.
Reuerendiſſ. dominus Hippolytus ſanctæ Luciæ in Silice.
Reuerendiſſ. dominus Alexander ſancti Euſtachij, Farneſius.
Reuerendiſſ. dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuendiſſ. dominus Marcus ſanctæ Mariæ in via lata, de Cornelijs.
Reuerendiſſ. D. Alphonſus ſancti Theodori.
Reuerendiſſ. D. Matthæus ſancti Angeli, Gurcenſis.
Reuerendiſſ. D. Iulius ſanctæ Mariæ de Nauicula.
Reuerendiſſ. D. Bernardus ſanctæ Mariæ in Porticu.
Reuerendiſſ. dominus Innocentius ſanctorum Coſmæ, & Damiani.

PATRIARCHAE ET ASSISTENTES Papæ, & Oratores.

Reuerendus pater D. Alexandrinus Cæſar.
Reuerend. pater D. Alphonſus Antiochenus.
Reuerend. pater D. Ioannes Vincentius Senen.
Reuerend. pater D. Gabriel Dyrrhachien.
Reuerend. pater D. Robertus Rhegienſis.
Reuerend. pater D. Angelus Turritan.
Reuerend. pater D. Scaramuza Cuman.
Reuerend. pater D. Pompeius Reatin.
Reuerend. pater D. Iulianus Vulteran.
Reuerend. pater D. Dominicus Lucerin.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Caualicen.
Reuerend. pater D. Andreas Militenſis.
Reuerend. pater D. Bernardus epiſcopus Taruiſienſis, vrbis Gubernator.
Reuerend. pater D. Petrus Tergeſtin. ſereniſſ. Maximiliani electi Imperatoris Orator.
Reuerend. pater D. Claudius Maſſilien. epiſcopus, Chriſtianiſſimi Francorum regis Orator.
Reuerend. pater D. Syluester Vuigornienſis epiſcopus, Orator illuſtr. Henrici Regis Angliæ.
Reuerend. pater D. Ioannes Gneznen. Archiepiſcopus, Orator illuſtriſſimi Sigiſmundi Poloniæ Regis.
Reuerend. pater D. Bertrandus Adrien. epiſcopus, illuſtriſſimi domini ducis Ferrariæ Orator.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerend. pater D. Alexander Alexandrinus.
Reuerend. pater D. Stephanus Patracen.
Reuerend. pater D. Iulius Corinthien.
Reuerend. pater D. Aldronandinus Nicoſien.
Reuerend. pater D. Bernardus Spalaten.
Reuerend. pater D. Hieronymus Antibaren.
Reuerend. pater D. Vincentius Neapolitan.
Reuerend. pater D. Franciſcus Iadren.
Reuerend. pater D. Hieremias Tranen.
Reuerend. pater D. Orlandus Auinionen.
Reuerend. pater D. Andreas Monouaſien.
Reuerend. pater D. * Giſbertus Surrentin. * Gilbert.
Reuerend. pater D. Georgius Nazarenus.
Reuerend. pater D. Stephanus Gabriel Baren.
Reuerend. pater D. Fabricius Idrun.

EPISCOPI.

Reuerend. pater D. * Ioannatius Troianus. * Hanc.
Reuerend. pater D. Simon Ariminen.
Reuerend. pater D. Iacobus Paphen.
Reuerend. pater D. Ioannes Aquilanus.
Reuerend. pater D. Franciſcus Vincentin.
Reuerend. pater D. Iacobus Potentin.
Reuerend. pater D. Octauianus Viterbien.
Reuerend. pater D. Thomas * Cumachien. * Comaclen.
Reuerend. pater D. Marinus Ceneten.
Reuerend. pater D. Iacobus Fauentinus.
Reuerend. pater D. Ioannes * Sibinicen. * Schonicen.
Reuerend. pater D. Paris Piſaurien.
Reuerend. pater D. Ioannes * Bodinen. * Bobien.
Reuerend. pater D. Alexius Melfitan.
Reuerend. pater D. Ioſue Eſculanus.
Reuerend. pater D. Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerend. pater D. Vaſinius Placentinus. * Vaſinus
Reuerend. pater D. Franciſcus Biſignian.
Reuerend. pater D. Ferdinandus Balneoregien.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta * Maranen. * Moranen.
Reuerend. pater D. Petrus Caſtelli maris. * Viſnen.
Reuerend. pater D. Alexander * Verbeuctan. * Bergomen.
Reuerend. pater Nicolaus * Pergamen.

Reuerend. pater D. Ioannes Elnen.
Reuerend. pater D. Petrus Foroliuien.
Reuerend. pater D. Lambertus Venuſin.
Reuerend. pater D. Paulus Foroſempronien.
* Polymarcien. Reuerend. pater D. Chriſtophorus * Pollimanen.
* Polignian. Reuerend. pater D. Aloyſius Arben.
Reuerend. pater D. Cæſar Inſulen.
Reuerend. pater D. Gisbertus Rapollan.
Reuerend. pater D. Ioannes Antonius Anglonen.
Reuerend. pater D. Auguſtinus Peruſien.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Phanen.
* Acerranen. Reuerend. pater D. Ioannes * Aſeranen.
* Saluciarum Reuerend. pater D. Sixtus * Salueen.
Reuerend. pater D. Andreas Anſaren.
* Tribunien. Reuerend. pater D. Auguſtinus Tribunen.
* Caraceſ. Reuerend. pater D. Tryphon * Catarenſis.
Reuerend. pater D. Vincentius Signinus.
Reuerend. pater D. Lactantius Suanen.
Reuerend. pater D. Marcus Senogallienſis.
For * Vincetius Caracien. Reuerend. pater D. * Vincius Garacen.
Reuerend. pater D. Marcus Vrgentinen.
For. * Marius Ogentinus. Reuerend. pater D. Ioannes Arianenſis.
Reuerend. pater D. Hieronymus Nicinenſis.
Reuerend. pater D. Hugolinus Lycienſis.
* Rheginen. Reuerend. pater D. Hugo * Rhegienſis.
Reuerend. pater D. Ioannes Antonius Callinen.
Reuerend. pater D. Iacobus Aquinatenſis.
Reuerend. pater D. Tranquillus Ferentinen.
Reuerend. pater D. Petrus Narnienſis.
Reuerend. pater D. Dionyſius Tolonenſis.
Reuerend. pater D. Benedictus Chienſis.
Reuerend. pater D. Iulianus Agrigentinus.
* Terracinen. Reuerend. pater D. Zacharias * Tarachinenſis.
Reuerend. pater D. Baptiſta Pennenſis.
Reuerend. pater D. Ludouicus Tri·aricenſis.
Reuerend. pater D. Antonius Vrbinatenſis.
Reuerend. pater D. Hieronymus Niciẽſis.
Reuerend. pater D. Hieronymus Aſculan.
Reuerend. pater D. Franciſcus Nannetenſis.
* Bretonomen. Reuerend. pater D. Angelus * Britonorienſis.
Reuerend. pater D. Andreas Litterenſis.
* Foropopulien. Reuerend. pater D. Auguſtinus Sagonenſis.
* Racomanus Reuerend. pater D. Dominicus Tabatenſis.
Reuerend. pater D. Ricardus * Venafranus.
* Torcellanus Reuerend. pater D. Hieronymus Aretinus.
* Torſellanus Reuerend. pater D. Nicolaus * Curciolenſis.
* Eſinen. Reuerend. pater D. Petrus Paulus * Exinenſis.
* Iſernię. Reuerend. pater D. Maximus * Iſarnienſis.
* Marſicanus Reuerend. pater D. Iacobus * Marſichan.
Reuerend. pater D. Theſeus Racanatenſis.
* Milopotamien. Reuerend. pater D. Franciſcus * Milopotanen.
Reuerend. pater D. Latinus Veſtanus.
* Spigacen. Reuerend. pater D. Franciſcus * ! pinacenſis.
Reuerend. pater D. Chriſtophorus Cæſenaten.
Vmbriaticen. Reuerend. pater D. Matthæus Vmbriacenſis.
Reuerend. pater Matthias Famaguſtenſis.

Abbates.

Reuerend. pater D. Ioannes ſancti Sebaſtiani extra muros Vrbis.
Reuerend. pater D. Nicolaus S. Gregorij de vrbe.

Generales Ordinvm.

Reuerend. pater D. Petrus Camaldulenſis.
Reuerend. pater D. Thomas Prædicatorum
Reuerend. pater dominus Bernardinus Minorum.
Reuerendus pater dominus Aegidius Eremitarum ſancti Auguſtini.

Oratores, Senator. Illvstr. Domini temporales.

Illuſtriſſ. dominus Sfortia Dux Baren ſ. & ſereniſſimi Maximiliani electi Imperatoris, in Italia locum tenens generalis.
Illuſtr. dominus Albertus Pius de Carpi, Orator Imperatoris.
Magnificus dominus Iacobus ſenator vrbis.
Magnificus dominus Ludouicus Solier, Orator Chriſtianiſſimi regis Franciæ.
Magnificus dominus Hieronymus Vich, Orator Catholici regis Hiſpaniæ.
Magnificus dominus * Triſtandus de Acugna, &
Magnificus dominus Didacus Pacheco, &
Magnificus dominus Ioannes de Farra, illuſtr. regis Portugalliæ oratores.
Magnificus dominus Ioannes Baduer, orator illuſtr. dominij Venetorum.
Magnificus dominus Totus Lupus de lapide Eques, & Benſo de * Aluenſchñ. & Ioannes Benceluil Oratores illuſtriſ. domini Ioachimi Marchionis Brandeburgenſis electoris Imperij.
Magnificus Petrus Landus illuſtr. dominij Venetorum.
Orator Florentinorum.
Reuerendus pater dominus Alexander, Archidiaconus Mantuanus, illuſtriſſ. domini Marchionis Mantuani Orator.
Magnificus dominus Franciſcus de Guidono, Orator Magiſtri Rhodi.
Orator Patriarchæ Hieroſolymitan.
Illuſtr. dominus Ludouicus Comes de Petiliano.
Dominus Antonius de Stunega Prior Caſtellæ, ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani.

Conservatores Vrbis.

Magnificus dominus Euangeliſta Magdalenæ.
Magnificus dominus Marius de Creſcentijs. Et alij quamplures domini eccleſiaſtici & ſeculares, Auditores Rotæ, & Clerici Cameræ, ac in diuerſis facultatibus Doctores.

Fuit celebrata Miſſa de Spiritu ſancto ſubmiſſa voce per reuerendum patrem dominum Gabrielem Archiepiſcopum Dyrrhachien. Et habita oratione per reuerendum patrem dominum Antonium Puccium clericum Cameræ Apoſtolicæ, quę ponetur in fine ſeſſionis iuxta ſtylum aliarum: cantatiſq; Litanijs ac orationibus conſuetis, & benedicta ſynodo per ſanctiſſimum dominum noſtrum, & cantato Euangelio ſecundùm Ioannem per reuerendiſſimum in Chriſto patrem dominum Ludouicum S. Mariæ in Coſmedin, Cardinalem Aragoniæ, quod incipit: Si diligitis me, &c. ſanctiſſimus dominus noſter incepit hymnum, Veni creator ſpiritus, &c. Quo finito, & oratione cantata per præfatum ſanctiſſimum dominum noſtrum, ſupradicti illuſtr. regis Portugalliæ, acceſſerunt ad pedes ſanctitatis ſuæ, & præſentauerunt mandatum præfati illuſtriſſimi regis ad intereſſendum ſacro Concilio. Et idem ſanctiſſimus dominus noſter tradidit illud reuerendo domino Thomæ Phædræ Secretario Concilij. Qui aſcendit ambonem, & legit illud alta & intelligibili voce, cuius tenor talis eſt:

Mandatvm Regis Portugalliæ.

EMANVEL Dei gratia rex Portugalliæ & Algarbiorum citra vltraque mare in Africa, dominus * Guneæ ac Conquiſtæ, nauigationis ac commercij Aethiopiæ, Arabiæ, Perſiæ, atque Indiæ, vniuerſis & ſingulis harũ ſeriem inſpecturis. Notum facimus, quòd confidentes nos plurimùm de fide & induſtria nobilis & inſignis viri Triſtani de Cugna conſiliarij noſtri fideliſſimi, & dilectorum atque egregiorum iuris doctorum Didaci Pacheci, & Ioannis de Farra noſtræ Curiæ Auditorum, quos ad ſanctam ſedem Apoſtolicam ac ſanctiſſimum dominum noſtrum, dominum Leonem decimum, diuina prouidentia S. Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ Pont. Max. cum obedientia oratores deſtinauimus: ipſosq; etiam oratores ac procuratores ad hoc ſacrum Lateranẽſe Concilium, quod ſua ſanctitas continuare,

& proſequi deliberat, deſignamus, deputamus, cõſtituimus, dantes illis plenum mandatũ & omnimodam poteſtatẽ pro nobis, & regnis dominijsq; noſtris, in ipſo ſacro Lateranenſi Concilio dicendi, proponendi, agendi, tractandi omnia & ſingula, quæ ad celebrandũ & concludendum ipſum Concilium, tam quò ad ſanctiſſimam & omnibus Chriſtianis optabilem cõtra Chriſti hoſtes expeditionem, quàm quò ad cætera ad S.R.E. eiusq; membrorum vnionem, & Chriſtianæ religionis, fideiq; Catholicæ augmentum & commodũ ſpectantia, neceſſaria, ſeu opportuna fuerint, etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent ſpecialius: ac deniq; omnia circa hoc faciẽdi, quę vobis viderint expedire, & noſipſi præſentes faceremus promittentes nos gratum, ratum, firmum & validũ habituros, quicquid in prædictis & quolibet eorum per dictos noſtros Oratores actum, factum & geſtũ fuerit, in quorum fidem & teſtimonium præſentes ſcribi, & ſigillo noſtro communiri fecimus, manuq; noſtra ſubſcripſimus. Datum in vrbe noſtra * Vlixbonæ, 12. Kalend. Nouembr. anno Domini 1512.

Deinde dominus Marius de Peruſchijs, fiſci & ſacri Concilij procurator expoſuit præfato ſanctiſſimo domino noſtro, quòd licèt aliàs fuerit decretũ monitorium cõtra prælatos Gallicæ nationis, & alios vtentes quadam pragmatica ſanctione, & fuerit citatio decreta contra eoſdem, vt venirẽt ad allegandum cauſam, quare dicta pragmatica reuocari nõ debet, & fuerit huiuſmodi monitorium ſeu citatio legitima executa, & reproducta, & ſua ſanctitas prorogauerit eiſdem terminum vſq; ad præſentem ſeſſionem, tamen ipſi minimè comparere curãrunt, nec curant, tam ad defendendum dictam pragmaticam, quàm ad intereſſendum ſacro Concilio. Quare contumaciam eorum accuſauit, & accuſat, petẽs procedi contra eos ad declarationem, & decerni proceſſus per affixionem citationum ad valuas Eccleſiæ Lateranenſis. Exaduersò verò reuerend. pater D. Claudius epiſcopus Maſſilienſis, Orator Chriſtianiſſimi Francorum regis, allegauit excuſando dictos prælatos, dicens eos veniſſe vſq; ad montes ſeu Delphinatum, & quia non potuerunt obtinere ſaluum conductum à detentoribus Ducatus Mediolanenſis & dñi Ianuen. ideò non venerunt. Et pro verificatione dictorum, produxit vnum inſtrumentum, & certas literas miſſiuas tenoris infraſcripti, videlicet inſtrumentum.

EXCVSATIO PRAELATOrum Gallicorum.

VNIVERSIS & ſingulis præſentes literas inſpecturis, Guillelmus Coſtæ presbyter in Decretis Baccalaureus, Prior ſeu commendatarius Prioratus ſancti Stephani de Valleloiſia Ebredunenſis diœceſis, & canonicus eccleſiæ collegiatæ S. Saluatoris Montis Peſſulani diœceſis Magalonen. vicarius in ſpiritualibus & temporalibus generalis, Reuerend. patres domini Ludouicus de Mazis, S. ſedis Apoſtolicæ protonotarius, ac præpoſiti, commendatarij Præpoſitatus ſeu cœnobij Vlcien. ordinis S. Auguſtini Taurinenſ. diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternã. Notum facimus, quod in noſtra, notariorumq; ac ſpectabilium & ſcientificorum doctorum & teſtium infraſcriptorum præſentia exiſtentes, & perſonaliter conſtituti coram nobis ſedentibus pro tribunali in cœnobio dicti Præpoſitatus, reuerend. in Chriſto patres & ac domini, domini

EPISCOPI.

Ioannes Lexouienſis.
Antonius Engoliſmenſis.
Franciſcus Ambianenſis.
Ioannes Cabilonen.
Symphorianus Laudunen.

MAGISTRI IN THEOLOGIA.

Ioannes Lelamien.
Antonius Leſcurre.

ARCHIDIACONI.

Ioannes de Fraxino Toloſanen.
Guillelmus de Noſſai Lexouien.

Iurium doctores, Legati, Oratores & procuratores ad ſanctiſſ. in Chriſto patrẽ & D. N. D. Leonem Papam X. & modernum, per nonnullos reuerend. patres, qui in congregatione Piſania interfuerunt, ſuo & aliorum nomine procuratores decreti & deſtinati, expoſuerunt, quòd ſunt ſuprà L x. dies effluxi, quibus huic loco applicuerunt, & plus quã quatuor menſes huic legationi vacãrunt. Veruntamen cùm primùm huic loco applicuerunt, fuẽre à Mazerio præfati S. D. N. Papæ certiores effecti, quòd Maximilianus Sfortia Ducatus Mediolanenſis, detentor, eidem Mazerio breue Apoſtolicum ſibi offerenti, commeatum & ſaluum conductum præfatis oratoribus recuſare non erubuit. Quod intelligentes præfati oratores, * viſi ſunt viam Genuenſium tentare, *nisi*
quibus ſignificatum eſt, illam propter diuiſiones, factiones & bella ipſorum Genuenſium, ac incurſiones vicinorum & confœderatorum præfati Maximiliani, minimè tutam eſſe, nec poſſe illac proficiſci ſine ſuarum diſcrimine & periculo perſonarum, tam ex cauſis pręmiſſis, quàm ex inſidijs ab hoſtibus Chriſtianiſſimi Regis eiuſdem paratis. Quare præfati oratores de præmiſſis omnibus eiuſdem Sanctiſſ. D. N. Papæ nuncio ſuper hoc ſpecialiter deſtinato certificauerunt, & reſponſum à ſua ſanctitate acceperunt per ſuum Breue, Datum Romæ die 17. Februarij, anno Domini 1514. quo cõtinebatur, quòd ſanctitas ſua de ſaluo conductu Maximiliani & Octauiani, nobilium Mediolani & Genuæ detentorũ, eis prouideri faceret, * prout ex literis reuerend. patris do- *donec*
mini Claudij Epiſcopi Maſſilien. Chriſtianiſſ. Ludouici Frãcorum regis oratoris, latiùs certiores redderentur. Inſequendo igitur prædictum mandatum Apoſtolicum, ſuprà viginti dies hîc expectauerunt, nullo ſaluo conductu à dicto Maximiliano recepto, nullaque dictum ſaluum conductum recipiẽdi ſpe data. Quapropter præfati oratores ne mora poſſit eis quomodolibet imputari, ſed vt de eorum obedientia, deq; ipſius Maximiliani contumacia, inobedientia & reluctatione, ipſi ſanctiſſimo Domino appareat curãrunt ſuam præfatam ſanctitatem de omnibus præmiſſis iterum certiorare, & vt apertiùs liqueat, non tantùm de eorum debita diligentia, ſed etiam de bona, quam erga præfatum S. D. N. & ſedem Apoſtolicam gerunt, voluntate, & talem hactenùs fuiſſe, vt ab illius vnitate nunquam voluerint, minuſque in futurum velint vllo pacto diſcedere, ſed illius mãdatis perpetuo obtemperare, neque ſchiſmaticos vnquam fuiſſe, ſed vnam Eccleſiam Catholicam ſub vno pontifice maximo coluiſſe & obſeruaſſe, quicquid ab inimicis veritatis & Chriſtianiſſimi regis & regni exaduersò dictum fuerit. Ipſi, inquam, Oratores non valentes habere optatam præſentiam prædicti S. D. N. (quod dolentes ægrè tulerunt) & hoc propter viarum diſcrimina, & inimicorum Chriſtianiſſimi regis & regni exaduersò inſidias eis paratas, prout ipſis apertiùs conſtitit, tam nomine ſuo quàm procuratorio reuerendiſſ. patrum dominorum Gaſpardi de Turone Valentinen. & Dien. Claudij de longo Vico Matiſconen. & Guiſcardi Hierapolitanen. titulari, & Lugdunen. ſuffraganei epiſcoporum, ac D. Ioannis Arzeleri Iurium doctoris Lugduni exiſtentium, qui quidem prædicti patres interfuerunt prędictę congregationi Piſanæ, prout dixerunt & expoſuerunt, tam nomine ſuo, quàm aliorum reuerend. patrum Archiepiſcoporum, epiſcoporum, & omnium & ſingulorum cuiuſcunque ſtatus, gradus & dignitatis exiſtentium eccleſiaſtici vel tẽporalis, qui in congregatione Piſana interfuerunt, eis adhærentiũ, & adhærere volentiũ, ſub illa meliori forma, qua potuerunt & debuerunt, obtemperando mandatis Apoſtolicis & exhortationibus regijs, ſuos fecerunt & conſtituerũt procuratores legitimos & Oratores, prædictos reueren. patres dominos noſtros ad S. D. N. Papam ſpecialiter & expreſsè ad renunciandum congregationi Piſanæ iam diſſolutæ, & adhærendum Concilio Lateran. necnon ad petendum abſolutionem, quatenus opus eſſet, à præfato ſanctiſſimo domino noſtro, prout latiùs continetur in dicto procuratorio inſtrumento, cuius tenor ob ſui prolixitatem & breuitatis cauſa, hîc non fuit inſertus, quod tamen vidimus & tenuimus. Et publicè coram nobis & prędictis notarijs & teſtibus infra-

infraſcriptis renunciauerunt, & renunciant dictę congregationi, 1514. 11. menſis Ianuarij, Indict. 2. & D.N. Leonis Papę X. anno 1. receptum per Magiſtros Ioánem de Aluerina Lemouicen. & Petrum Queſuel Lexouien. diœceſis notarios Apoſtolicos. Præſati igitur reuerend. patres, & ſpectabiles doctores, legati & Oratores coram nobis pro tribunali ſedentibus, & notarijs teſtibuſque infraſcriptis renunciârunt, & renunciant dictæ congregationi Piſanę iamdudum diſſolutæ, & adhærent, adhærereq; volunt in futurum Concilio Lateranenſi, vt optata reformatio Eccleſiæ, & pax vniuerſæ Chriſtianę religionis, necnon prouiſio neceſſaria contra immaniſſimum Turcam & hoſtes fidei ſubſequantur. Et ſi forſan occaſione dictæ congregationis Piſanæ, & geſtorum in ea, aliquas cenſuras iuris hominis, aut alias quaſcunq; pœnas de iure, aut de facto incurrerint, præſtito priùs debito iuramento de parendo mandatis Eccleſiæ, & ſanctiſſimi D.N. Leonis Papæ decimi, cum illa humilitate, qua poſſunt & debent, vſque ad proſtrationem & pedum oſcula, abſolutionem, qua indigent, ſibi dari, & quamcunq; aliam iuris pœnam ſeu maculam aboleri petierunt, & poſtulauerunt, prout per tenorem præſentium petunt & poſtulant, ac ſi coram ſanctitate ſua præſentes & perſonaliter intereſſent, ſupplicando ſanctitati ſuæ cum illa deuotione qua valent, vt ipſis præfatis oratoribus & alijs quorum legatione funguntur, & qui in dicta congregatione interfuerunt, conſilium, auxilium, opem, fauorem, aut obedientiam præſtiterunt, abſolutionem pro ſua ſolita clementia concedere dignetur, offerentes ſe ſupplices preces Deo effundere, vt regimini ſanctiſſimæ matris Eccleſiæ ſua ſanctitas feliciter & longæuè præeſſe valeat. De quibus omnibus & ſingulis cum quanta maxima inſtantia potuerunt & valuerunt, rogârunt, vt pro iuſtificatione eorũ præfatæ voluntatis & excuſationis, quævis acta prędicta, inquantùm de iure poſſumus, vellemus recipere, pro & nomine eiuſdem ſanctiſſimi domini noſtri, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & de receptis eis actum publicum concedere, quod quidem actum, prout de iure potuimus & debuimus, recepimus, & per notarios publicos in formam publicam redigi fecimus, & eis tradi cõceſſimus & præcepimus. Datum in dicto cœnobio Vlcienſi, ſub ſigillo noſtri Vicariatus, die 17. menſis Martij, anno à natiuitate Domini 1514. Indictio. 2. Pontificatus prælibati ſanctiſſimi domini noſtri Leonis Papæ X. anno 1. præſentibus ad hæc ſpectabilib⁹ viris dominis ac magiſtris, Aluano de Varenijs, Stephano Viuet, iurium doctoribus, Albanẽſis ac Tutellenſis diœceſis, ac Deo deuotis religioſis *Orencio de Bardonethia infirmario, & Marcellino Caſferij Cocreario, canonicis dicti cœnobij, teſtibus * vocatis & rogatis. for. * ad p̄miſſa vocatis.

Et ego Petrus Queſuel presbyter in artibus magiſter, Lexouienſis diœceſis, publicus Apoſtolica authoritate Notarius, quia prædictæ expoſitioni, renunciationi, adhæſioni, iuramenti præſtationi, & abſolutionis petitioni, cæteriſque præmiſſis omnibus & ſingulis dum ſic (vt ſuprà) ſcriberentur, agerentur, dicerentur, & fierent, vnà cum Ioanne Iuſteri publico collega meo, ac pręnominatis teſtibus prę ſens interfui, eaque ſic fieri & * dicere audiui: ideò hoc præſens publicum inſtrumentum manu mea ſcriptum, vnà cum ſigilli Vicariatus dicti domini Vicarij appẽſione ſubſignaui, in fidem & teſtimonium præmiſſorum requiſitus & rogatus. Et approbo in raſura ipſa, ſi qua indigeat ſibi dari, & quamcunque iuris pœnam, ſeu maculam aboleri. for.* dici.

P. Queſuel.

Et ego Ioannes Iuſteri in Delphinatu Taurinenſis diœceſis publicus authoritatibus Apoſtolica, Imperiali & Delphinali Notarius, quia prædictis expoſitioni, renunciationi, adhæſioni, iuramenti pręſtationi, & abſolutionis petitioni, cæteriſq; omnibus & ſingulis, dum ſic (vt ſuprà) ſcriberentur, agerentur, dicerentur & fierent, vnà cum dicto Magiſtro Petro Queſuel notario publico collega meo, ac prænominatis teſtibus, eaq; ſic fieri vidi & audiui, ideò hoc pręſens publicum inſtrumentum manu dicti domini Petri Queſuel ſcriptum, fideliter facta debita collatiõe cum proprio originali vnà cum ſigilli Vicariatus dicti domini vicarij appenſione ſubſignaui, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum veritatis requiſitus & vocatus, approbo in raſura, ſi qua indigeat, ſibi dari, & quamcunque aliam iuris pœnam ſeu maculam aboleri inſtare.

Tenor verò literarum Concilij Sabaudiæ directarum ad prælatos Gallicanos, eſt talis: Et primò ſupraſcriptio talis eſt: Reuerend. patribus & dominis pręſtantiſſimis, dominis Oratoribus Regiæ maieſtatis ad vrbem dominis hon. Et intus tenor eſt talis:

REVEREN. patres & domini hon. ex literis quas ſcribit nobis Magnificus D. Aſtenſis Gubernator, videbunt D. veſtræ, quantum exhortetur aliqualem retardationem vlterioris trãſitus veſtri, donec reſponſum, quod pro voto facere ſperatur, breuiter conſequatur, prout latiùs in eiſdem literis, quas, ne prolixiores ſimus, eiſdem D. veſtris mandamus his introcluſas, quæ pro earum ſolitis prudentijs non niſi rectè prouidebunt & agent, prout melius conſultò eis videbitur. Nos autem ſi quid pro eis valeamus, ad id paratiſſimos offerimus animo quàm libenti. Ex Taurino die vigeſimaſexta Februarij.

Concilium Ducis Sabaudiæ, citra montes Taurinenſes reſidens.

Tenor verò literarum prælatorum Gallicæ nationis, directarum ſanctiſſimo domino noſtro, talis eſt: Et primò in ſupraſcriptione: Sanctiſſimo domino noſtro Leoni Papæ decimo Pontifici maximo. Intus verò: Sanctiſſime pater, cum omni humilitate, reuerentia & honore, vſque ad pedũ oſcula procidentes, Beatitudinis veſtræ perpetuum incrementum à Deo ſuppliciter petimus.

SANCTISSIME pater, ex breui Apoſtolico, quod ad nos mittere S.V. placuit, intelleximus datam eſſe operam ab eadem S.V. cum Maximiliano & Octauiano, Mediolanenſis & Genuenſis * Ducatus detentoribus, vt nobis ſaluum conductum darent. * Ducatuũ Vnde gratias agimus, qua valemus humilitate, eidem S. veſtræ quæ pro innata clementia non niſi tutò & ſecurè ad ſe proficiſci iubet. At verò, ex quo breue Apoſtolicum accepimus, interea, dum ſaluum conductum præſtolamur, dies viginti effluxêre. Cumque iam ante quadraginta lapſi eſſent, dum hic agimus, factum eſt, vt ſexaginta dierum numerum egerimus, quatuor menſium interuallo per agros ac diuerſoria deducti. Beatiſſime pater, cùm Maximilianus S. V. maſſario ſaluum abnuere conductum non veritus ſit: cumq; etiam diuturna nos tenuerit expectatione ſuſpenſos, quo in nos animo ſit, quàm ſuſpecta nobis eſſe debeat profectio noſtra, facilè cognoſcimus. Oramus itaque, & totis animis obſecramus, vt Maximiliani cõtumacia, qui ſpretis ſimul & iterum mandatis veſtris, durum ſe ac renitẽtem præbuit, moram noſtram excuſet, & promptam, quę in nobis eſt, voluntatem parendi, nequaquam obſcuret. Quam vt V.S. certiùs teſtatam relinquamus, actum iudiciale mittimus, coram ordinario iudice ſpeciali huius loci legitimè (vt voluimus) confectum, quale potuiſſemus agere, iuxta procuratoris noſtri facultatem in V.S. præſentia Piſanę congregationi iam diſſolutæ nomine & noſtro, & quorum cauſa procedimus, renunciando & adhærendo ſacro Lateranen. Concilio, Apoſtolicam denique, vtcunq; indigemus, humiliter ac deuotè petendo abſolutionem.

Sanctiſſime pater, ſolitam illam animi veſtri manſuetudinem obnixè imploramus, miſereatur tantorum laborum atque impenſarum. Dignetur expletos ſexaginta dies & amplius in deſerto hoc & vaſta ſolitudine, pœnitentiæ noſtræ loco ſuſcipere, velitque ſacri huius temporis, & imminentis feſti Paſchæ rationem habere, quo diuinis (vt officij noſtri eſt) vacare commodè valeamus, ne commiſſis nobis gregibus diutina abſentia noſtra ſalutis diſpendium ferat. Beatiſſime pater, paratos omni tẽpore ad obſequia S.V. animos offerimus, Diuinam maieſtatem oraturi, vt felicem donet V. S. curſum hic agere, & in cœlis vnà cum omnibus, quos dedit vobis pater, perennem gloriam adipiſci. Ex * Vleijs prope Secuſiam, die 19. Maij. E. S.V. Humilimæ creaturæ & deuoti oratores & Epiſcopi. * Vleijs

I. Cabilonen.
*E. Lexouien. * I.
F. Ambianen.
A. Engoliſmen.
S. Laudunen.

Exaduerſò contra dicta & allegata per præfatum reue- d. patrem D. Claudium Epiſcopum, magnificus domi- , Hieronymus Moron orator Illuſtriſſimi Maximiliani rtiæ Ducis Mediolani dixit, quòd præfatus Illuſtriſſ. D. ıx non negauerat prælatis Gallicæ nationis ſaluum con- . tum, ſed diſtulerat eis dare cauſa deliberandi & conſu- di, Et auditis hinc inde propoſitis, tandem S.D.N. abſol- cem reincidentia prelatos præfatos à cenſuris, ſi quas in- rerant, & prorogauit eiſdem terminum vſque ad proxi- mam ſeſſionem, & interim ſuſpendit cenſuras, & voluit s interim non incurrere, ſed elapſo termino, in priſtinas ıſuras reincidere, & non antè. Poſtmodùm verò excluſis js non habentibus vocem diſſinitiuam in Concilio, à lo- Concilij, exceptis Oratoribus & Baronibus ſuprà deſcri- is, prælatiſque omnibus exiſtentibus in veſtibus & para- entis ſacris in ſubſellijs mitratis ex ordine, poſt reueren- ſſimos dominos Cardinales in præſentia ſanctiſſimi D. . Papæ, præfatus reuerend. pater dominus Claudius epiſ- opus Maſſilienſis aſcendit ambonem, & legit quandã ſche- ulam tenoris infraſcripti:

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam ſacro approbante Concilio. Poſteaquàm ad vniuerſalis Eccleſiæ curam & regimen, licèt tanto o- eri impares, diuina diſpenſatione vocati fuimus, ex ſum- no ſtatim Apoſtolatus apice, tanquam ex vertice montis ion, ea proſpicere ac animo voluere cœpimus, quæ ad ſalu- em, tranquillitatem, ac propagationem ipſius Eccleſię per- inere inprimis videbantur. Cumq; in hanc rem omnẽ no- ſtram curam, cogitationem ac ſtudium, more ſolertis vigi- iſque paſtoris conuerteremus, nihil grauius aut Chriſtianæ Reipublicæ pernicioſiùs, & pio noſtro deſiderio magis ad- erſum bellorum effera rabie comperimus: quæ vſq; adeò raſſata eſt, vt vaſtata penè mutuis cladibus Italia, deforma isq; ac partim euerſis, ęquatis partim ſolo ciuitatibus & ter- ris, concuſſis prouincijs & regnis, in Chriſtianum ſanguinẽ furere ac debacchari non deſinant. Nihil itaque prius, nihil ſtudioſiùs, aut magis ex animo curandum duximus, quã ea bella ſedare, Eccleſiaſticamq; diſciplinã pro viribus ac tem- porum ratione componere, vt placato per vitæ emendatio- nem Deo, dominicum gregem noſtrę fidei commiſſum, cõ- poſitis diſſidijs in vnum cogere & aggregare, vnanimemq; ac pacis & concordiæ vinculo tanquam firmiſſimo glutino vnitum, aduerſus communes hoſtes fidei Chriſtianis ceruicibus imminentes, faciliùs adhortari ac concitare poſſimus. Cuius quidem expeditionis in impios, & crucis Chriſti implacabiles inimicos, hoc vehemens noſtrum deſiderium ita cordi noſtro infixum eſt, vt ſacrum Lateran. Concilium à fel. re. Iulio II. prædeceſſore noſtro indictum ac inchoatũ, eiusque obitu intermiſſum, ea præcipuè cauſa continuare & proſequi decreuerimus, vt in diuerſis ſeſſionibus in eodem ſacro Concilio per nos habitis omnibus patet, vt Chriſtianis principibus, ſeu eorum Oratoribus in eo Concilio congregatis, prælatisq; ex diuerſis mundi partibus eò venientibus, pace inter ipſos Chriſtianos principes compoſita, extirpatisq; (vt par eſt) primò ex Domini agro peſtiferis hæreſũ ſentibus, ea quæ ad ipſam expeditionem contra eoſdem hoſtes neceſſaria ac ad gloriam & exaltationem orthodoxæ fidei, aliarumve rerum conſultationẽ pertinent, maturo conſilio omniumq; aſſenſu decerni feliciter poſſent. Ad quod quidem Concilium ſolenniter indictum, riteq; denunciatũ, & ſi multi ex diuerſis Europæ partibus præclari & omni ſcientia præſtantes viri conuenerint, multi etiam legitimè impediti, mandata in publica forma miſerint, non tamen bellorum ac temporum difficultatibus, quibus loca plurima iã diu hoſtilibus armis obſeſſa fuerunt, ea, quã deſiderabamus, copia & multitudo conuenire potuit. Nihil eſt præterea ꝙ nobis aſcribi poſſit, ſi hactenus (quod forſitan multis neceſſarium videtur) & nos opportunum præ cæteris putamus, Legatos de latere ad reges & principes pro concordia eorundem principum & pace non miſimus. Hac ſanè cauſa id facere deſtitimus. Principes enim ferè omnes ſuis ad nos literis ac nuncijs, Legatos mitti, minimè expedire aut neceſſarium eſſe, ſignificârunt. Circunſpectos nihilominùs ac probatæ fidei viros nuncios noſtros, ac etiam epiſcopali dignitate præditos, ad eos ipſos principes grauiora inter ſe armis ac (quantùm conijci poterat) aſperiora bella molientes, vltrò miſimus. Quorum præcipuè opera effectum eſt, vt pactis iam inter quoſdam principes inducijs, cæteri eas breui approbaturi eſſe credantur. Quare legatos, vti proxima ſeſſione decreuimus, vbi opus & expediens fuerit, pro ſtabili ac perpetua pace inter eos componenda, ac vti anteà propoſuimus, mittere non poſtponemus. Neque interim cum eorundem principum Oratoribus apud nos agentibus, quæ ad rem huiuſmodi pertinent, agere & meditari, neque ipſos etiam principes per noſtros nuncios & literas ad id vrgere & admonere ceſſabimus. Quinetiam vt noſtra pacis conſilia & iuges cogitatus, omnipotens & miſericors Deus promoueat ex alto, ac fidelem plebem æquis ac propitijs magis oculis aſpiciat, & pro cõmuni ſalute ac pace, cõpeſcendaq; nefariorũ Chriſtiani nominis hoſtium ſuperba rabie, eius pijs annuat precibus: vniuerſis & ſingulis Primatibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, necnon eccleſiarũ, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, tamque ſæcularium, quàm quorumuis ordinum regularium Capitulis, Collegijs, Conuentibus, Plebanis, Decanis, Eccleſiarum rectoribus, cæteriſque animarum curam habentibus, Prædicatoribus, Quæſtoribus, ac verbum Dei ad populum pronunciantibus, authoritate Apoſtolica iniungimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenùs intra Miſſarum ſolennia, & dum inter aut extra illa verbum Dei ad populum proponetur, ac in eorum orationibus, quas capitulariter & conuentualiter, aut aliàs in quibuſcunq; congregationibus facient reſpectiuè, pro pace Chriſtianorum, & infidelium confuſione his Collectas habeant ſpeciales, videlicet, Deus à quo ſancta deſideria: Et, Deus in cuius manu ſunt communes poteſtates, & omnia iura regnorum, reſpice in auxilium Chriſtianorum. Et nihilominùs ſuis diœceſanis, & alijs quibuſcunque perſonis vtriuſque ſexus, tam eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, quibus ratione prælaturæ, & alterius cuiuſcunque ſuperioritatis eccleſiaſticæ præſidebunt, iniungant, ac in Domino eos hortentur, quibus Dei verbum ſua aut alterius authoritate proponetur, vt priuatim pro pace (vt præmittitur) Chriſtianorum, & infidelium exterminatione, ad Deum ipſum acglorioſiſſimam eius matrem in oratione Dominica & in Angelica ſalutatione pias preces effundant. Et inſuper quicunque ex ſupradictis apud principes ſæculares cuiuſcunque gradus, præeminentiæ vel dignitatis exiſtant, aut etiam conſiliarios, familiares domeſticos, & Officiarios eorum, necnon apud ciuitatum, oppidorum, vel vniuerſitatum, quorumcunque ſæcularium Magiſtratus, Rectores, Locumtenentes, aut alias vtriuſq; ſexus perſonas eccleſiaſticas vel ſæculares, quas ad pacem vniuerſalẽ aut particularem Principes, Potentatus & Chriſtianus populos, necnon ad expeditionem contra infideles perſuadendam, authoritate & gratia valere putauerint, illos ad huiuſmodi pacem & expeditionem hortentur & inducant. Quos omnes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & per meritum paſſionis vnigeniti eius filij Ieſu Chriſti, quam maximo poſſumus cordis affectu in Domino hortamur, ac pro paſtoralis officij, qua fungimur, authoritate monemus, vt depoſitis priuatis ſimultatibus, apertiſque inimicitijs, ad pacis ſtudia amplectenda, & ad expeditionem prædictam decernendam ſe conuertant. Propterea que omnibus & ſingulis prælatis, principibus & perſonis, tam ſæcularibus quàm eccleſiaſticis, cuiuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis & præeminentiæ, aut conditionis exiſtant, ſub interminatione Diuini iudicij diſtrictiùs inhibemus, ne dictæ paci per nos aut noſtros, ſeu ſedis Apoſtolicæ Legatos vel nuncios, & epiſcopali dignitate præditos (vt præfertur) pro Chriſtianæ Reipublicę defenſione, & fidelium ſalute tractanda, aliquod impedimentum directè vel indirectè, palàm aut occultè interponere quoquo modo præſumant. Sed qui in pace conficienda priuatum aut publicum cum ſuorum principum, ſuarumve ciuitatum, aut rerumpublicarum, quorum quarumve ad eos ratione officij, vel publici alicuius muneris cura ſpectabit, intereſſe prætendant, illud quoad modeſtius tranquilliusve poterunt, proſequentes, pacis nihilominùs partes & ſtudia, quantum in Domino poterunt, amplectantur. Quinetiam ad dictam pacem, & expeditionem contra dictos Chriſtianę fidei

hoſtes

d by C

hoſtes procurandam, & ab ipſo Deo impetrandam, volentes ſpiritualibus donis Chriſti fideles animare, omnibus verè confeſſis & contritis, qui pro ipſa obtinẽda pace ac decernenda expeditione, in Miſſis, Prædicationibus, & alijs diuinis officijs, aut in Collegialibus, conuentualibus, alijsve publicis aut communibus orationibus deuotè ad Deum preces effundant, aut apud principes, conſiliarios, officiarios, rectores, vel alias perſonas ſupradictas, quę ad pacẽ faciendam vel tractandam, & expeditionem in hoſtès inuictæ Crucis (vt præmittitur) decernendam, aliquam authoritatem habere videbuntur, diligentem ac ſolertem operam adhibebunt, quoties id fecerint. Qui verò priuatim ac particulariter pro præmiſſis à Deo conſequendis, deuotas effuderint preces, ſepties in die, ſi toties id fecerint aut ſi minùs, quoties id fecerint, donec pax vniuerſalis, quæ per nos aſſiduè tractatur, inter principes & populos in pręſentiarum armis diſſidentes, confecta ſit, & expeditio contra iufideles noſtris auſpicijs decreta, de omnipotentis Dei miſericordia, ac de beatorum eius Apoſtolorum Petri & Pauli authoritate confiſi, centum dies de iniunctis eis pœnitentijs relaxamus. Mandantes propterеà venerabilibus fratribus Primatibus, Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ad quos præſentes ſeu earum exempla ſub ſigillis authenticis, vel in vrbe, aut alibi fideliter impreſſa peruenerint, quatenùs illas per ſuas prouincias & diœceſes, quanto citiùs poterunt, faciant publicari, ac debitæ executioni demandari. Cæterùm, quod propoſuimus, & toto corde concupiuimus, reformationem interim Eccleſiaſticam, tam Curiæ noſtræ, quàm etiam venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, & aliorum in vrbe commorantium, & alia complura neceſſaria, ſacro approbante Concilio decreuimus, quæ alijs noſtris literis in hac eadem ſeſſione publicandis continebuntur. Et licèt idẽ Iulius prædeceſſor noſter ad huiuſmodi Concilium omnes, qui adeſſe conſueuère, conuocauerit, & vt tutè ac ſecurè venire & accedere poſſent, eis amplum ſaluum conductum dederit: quia tamen hactenùs ob prædicta forſitan impedimẽta complures Prælati, qui venire deberent, adhuc non venerunt, cupientes nos ad grauiora in futura proxima ſeſſione procedere, denuò ipſos ac reges, Duces, Marchiones, Comites, & alios ad Concilia generalia venire aut mittere aſſuetos, qui hactenùs oratores vel mandata legitima non dederint, in Domino hortamur, ac per eiuſdem miſericordiæ viſcera rogamus & monemus, vt quamprimùm poterunt, vel ipſi perſonaliter accedere, vel ſpeciales & idoneos nuncios cum legitimis mandatis ad hoc ſacrum, & Chriſtianæ Reipublicæ perutile futurum Lateranenſe Concilium mittere velint. Venerabilibus autem fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, prælatis, præſertim ſub vinculo iuriſiurandi, ad viſitandum certis, ſtatutiſque temporibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & ad generalia Concilia indicta perſonaliter accedendum, etiam tempore ſuæ promotionis adſtrictis, quorum non comparentium contumacia in diuerſis ſeſſionibus per promotorem dicti Concilij ſæpiùs accuſata extitit, & contra eoſdem petitum procedi, & de incurſu cenſurarum & pœnarum proteſtatum ſolenniter reperitur, non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs, conceſſionibus & indultis, eorumque eccleſijs, monaſterijs & beneficijs, per dictos prædeceſſores noſtros, aut nos conceſſis, confirmatis & innouatis: quæ habentes pro expreſſis, ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis caſſamus, irritamus & annullamus, in virtute ſanctæ obedientiæ iniungimus, ac ſub excommunicatis & periurij, alijſque de iure vel conſuetudine, & præſertim in literis indictionis & publicationis dicti Concilij Lateranen. per ipſum Iulium prædeceſſorem noſtrum indictis, aut alijs non accedentibus ad Concilium ritè indictum pœnis, diſtrictiùs mandamus, vt ad dictum Concilium Lateranenſ. accedere perſonaliter, & vſquequò concluſum, & authoritate noſtra abſolutum fuerit, in vrbe morari debeant, niſi aliqua legitima cauſa impediti fuerint. Et ſi (vt præfertur) modò fuerint impediti, procuratores ſuos ſpeciales cum pleno mandato, ad ea quæ tractanda, agenda & deliberanda erunt, idoneos mittant. Et vt omnis prorſus excuſatio tollatur, neve cuiquam venire debenti prætextus aliquis cuiuſcunque impedimenti relinquatur, præter publicam fidem, quam in indictione huius ſacri Concilij, omnibus, ad id venientibus liquet eſſe conceſſam, hoc eodem approbante Concilio, omnibus & ſingulis in congregationibus Conciliorum generalium adeſſe ſolitis, & ad ipſum Lateranenſ. Concilium venientibus, eorumq; domeſticis familiaribus, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis, vel nobilitatis exiſtant, eccleſiaſticis & ſæcularibus pro ſe & bonis ſuis quibuſcunque per ciuitates, terras & loca, tam maritima, quàm terreſtria, dictæ Romanæ eccleſiæ ſubiecta, ad Concilium Lateranẽſ. ad vrbem veniendi, & in ea liberè commorandi, & pro animi ſententia conſulendi, & ab ea (quoties videbitur) recedendi, & poſt quatuor menſes à dicti Concilij concluſione & diſſolutionẽ liberum, tutum & ſecurum ſaluum conductum, ac plenã & omnimodam ſecuritatẽ authoritate Apoſtolica tenore pręſentium, de conſilio & poteſtate prædicti, damus & concedimus, & impartimur, alioſq; ſaluos conductus & ſecuritates habere cupientibus, dare liberè pollicemur. quo omnes & ſingulos, benignè & charitatiuè tractabimus & ſuſcipiemus. Mandantes omnibus & ſingulis principibus ſæcularibus, quantumcunque grandi dignitate, etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, aut alia quacunq; fulgentibus, & ciuitatum rectoribus, ac ciuibus eorum rempublicam gubernãtibus & regentibus, vt prælatis, & alijs ad dictum Concilium Lateranen. venientibus, ſub diuinæ maieſtatis & indignationis noſtræ incurſu, & pœnis contra impedientes Conciliorum celebrationem, & præſertim dicti Lateranẽſ. Concilij, in iure, ſiue literis præfatæ indictionis per prædeceſſorem noſtrum contentis & appoſitis, liberam licentiam & facultatem, ſaluumq; conductum veniendi & redeundi, & per eorum dominia, terras & loca, per quæ ipſos tranſitum facere oporteat, cum eorum rebus & bonis ac equis, liberum tranſitum & innoxium concedant, omnibus prorſus exceptionibus ſiue excuſationibus ſemotis ac ceſſantibus. Mãdamus inſuper, & iniungimus, vt ſub indignationis noſtræ & alijs arbitrio noſtro infligendis pœnis omnibus & ſingulis gentibus noſtris armigeris, tam pedeſtribus, quàm equeſtribus, eorumq; Ducibus & ductoribus, ac etiam arcium noſtrarũ caſtellanis, ciuitatumque & locorum dictæ Romanæ eccleſiæ ſubiectorum legatis, gubernatoribus, rectoribus, locumtenentibus, poteſtatibus, officialibus & vaſallis, vt quibuſuis conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, legibus Imperialibus, ſtatutiſque & conſuetudinibus municipalibus; etiam iuramento & confirmatione Apoſtolicà aut quauis alia firmitate roboratis non obſtantibus, quę ſaluo conductui & ſecuritati præmiſſis in aliquo derogare, ſeu illa quoquo modo impedire poſſent, etiam ſi talia forent, de quibus ſpecialis & ſpecifica, expreſſa & indiuidua, non autem per generales clauſulas id importãtes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, illorum omnium tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, pro expreſſis habentes, & alijs quibuſcunque, cuiuſcunque gradus, ſtatus, conditionis, & præeminentiæ fuerint, vt ipſos venièntès ad Conciliũ Lateranen. liberè, tutè & ſecurè tranſire, moràri, & recedere permittant, & permitti faciant, ne tam ſanctum, laudabile ac perneceſſarium Concilium, quauis cauſa vel prætextu diſtrahatur, & vt ad illud venientes, tutè ac in pacis tranquillitate, libertateque viuere; dicere & expedire valeant, quæ honorem Dei omnipotentis, ſtatumq; totius Eccleſiæ concernant. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ iniunctionis, inhibitionis, relaxationis, exhortationis, rogationis, monitionis, caſſationis, irritationis, annullationis, donationis, conceſſionis, obligationis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione in Lateranenſ. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ 1514. 3. Non. Maij, Pontificatus noſtri anno 2.

Qua perlecta, petijt à Concilio, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et omnes, nemine penitùs diſcrepante, ac quilibet eorum reſpondit placere contenta in ſchedula. Deinde reuerend. pater dominus Vincentius Archiepiſcopus Neapolitanus aſcendit ambonem, & legit quandam aliam ſchedulam tenoris infraſcripti.

BVLLA REFORMATIONIS CVRIAE.

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam ſacroſancto approbante Concilio. Supernę diſpoſitionis arbitrio, quo cœleſtia pariter & terrena ineffabili prouidentia diſponuntur, in ſublimi B. Petri ſolio Chriſti vnigeniti filij gerentem vices in terris Rom. Pont. decet in primis, pro cura & ſalute dominici gregis ſibi diuinitùs commiſſi, prouidi exercere paſtoris officium. Quare pro dicti paſtoralis officij ſolicitudine, cùm eccleſiaſticam diſciplinam, ac per omnes Chriſti fidelium gradus, benè di recteq́; viuendi regulam, temporum difficultate ac hominū malitia, licentiaq́; & impunitate in deterius ita labi, diffluere, aberrareque longiùs à recta via animaduertimus, vt niſi prouida corrigatur emendatione in varios errores ſecuritate peccandi quotidiè magis incidere, moxq́ue obortis publicè ſcandalis, prorumpere ſit verendum. Cupientes igitur, quatenùs nobis ex alto permittitur, ea iam nimiùm inualeſcentia mala corrigere, ac pleraque in priſtinam ſacrorum canonum obſeruãtiam reducere, ac in melius iuxta ſanctorum patrum inſtituta, dante Domino reformare, eaq́; omnia ſacro approbante Lateranenſi Concilio, à fe. re. Iulio II. prędeceſſore noſtro, inter alia propterea incepto, & per nos continuato ſalubriter moderari: vt ab his ſumamus exordium, quæ pro nunc magis expedire videntur, & quę ſæpè per ſingulas ætates neglecta, magnam Chriſtianę religioni attulêre perniciem, & in Eccleſia Dei maxima ſcandala pepererunt, à promotionibus ſcilicet ad Eccleſiaſticas dignitates conſtituimus exordiri. Cùm piæ me. Alexander Papa III. prædeceſſor noſter etiam in Lateran. Concilio decreuerit, vt ætas, morum grauitas, ac literarū ſcientia in perſonis promouendis in Epiſcopos & Abbates, diligenter inquirantur, nihilq́; magis Dei Eccleſiæ officiat, quàm cùm immeriti aſſumuntur prælati ad regimen eccleſiarum, propterea in promotionibus pręlatorum, quarū à Rom. pontificibus magna ratio haberi debet, eo præſertim, q́ de promptis per eos ad Eccleſias ſeu monaſteria, in extremo iudicio rationem Deo reddituri ſunt, ſtatuimus & ordinamus, vt deinceps perpetuis futuris temporibus, patriarchalibus, Metropolitan. ac cathedralibus eccleſijs, & monaſterijs pro tempore vacantibus, de perſonis (iuxta præfati Alexandri conſtitutioně) ętate matura, grauitate morum, literarumq́; ſcientia præditis, non ad alicuius inſtãtiam, per commendã, & adminiſtrationem ſeu conſeruationě, aut alio quouis modo prouideatur, niſi ratione vtilitatis Eccleſiarũ, prudentiæ, nobilitatis, probitatis, experientiæ, atq; curialitatis antiquæ cũ competenti literatura, & in * ſede Apoſtolica merito, aliter viſum fuerit faciendum. Idemq́; in electis & poſtulatis, quorũ electiones & poſtulationes per ſedem Apoſtolicam admitti conſueuerunt, volumus obſeruari. Et ſi de minoribus ætate 30. annorum, Eccleſijs aut monaſterijs huiuſmodi contigerit prouideri, non diſpenſetur cum eiſdem, vt eccleſijs citra 27. ętatis annum, monaſterijs verò citra 22. prçeſſe valeant. Quinimò vt accuratiùs, diligentiusq́; idoneæ perſonæ promoueãtur, ſtatuimus, vt Cardinalis, cui electionis, poſtulatiõis aut prouiſionis Eccleſiæ ſeu monaſterij relatio committetur, antequam in ſacro conſiſtorio (vt moris eſt) referat commiſſioně examinis ac relationis huiuſmodi ſibi datam, vni cuiuſlibet ordinis antiquiori Cardinali in ipſo conſiſtorio per ſe ipſum, vel ſi ea die, qua ſibi commiſſionis onus iniunctum fuerit, conſiſtorium non fuerit, per ſecretarium ſuum, aut alium quemlibet ex ſuis domeſticis familiaribus notam illã facere debeat, qui tres priores alijs quamprimùm ſui ordinis Card. eam ſignificare teneantur, negotiumq́; electionis, adminiſtrationis, poſtulationisve aut promotionis ſummariè & de plano per ſeipſum dictus relator examinet, & ſi qui contradixerint, his vocatis, idoneos, graues, & fide dignos teſtes, & ſi expediens opusve fuerit alios ex officio aſſumere, proceſſusq́; & iura huiuſmodi relationis, vnà cum dictis teſtium die faciendæ relationis ſecum ad conſiſtorium deferre debeat, neque vllo modo referat, ſi præſens in curia promouendus, maiorě Card. partem anteà non adiuerit, vt quæ à referente collega ſint Card. audituri, oculata fide, quãtum ad perſonam promouendi attinet, cognoſcere poſſint. Promotus verò, eoſdě Cardinales, qui præſentes in curia fuerint, ex antiquo more cõſuetudineq́; laudabili quamprimū viſitare teneatur. Quem quidem morem laudabilemq́; conſuetudinem innouamus, ac inuiolabiliter obſeruari mandamus. Et quoniam epiſcopalem dignitatě tueri illæſam, & ne improborum impugnationibus, aut accuſantium calumnijs paſſim pateat, muniri par eſt: ſtatuimus, vt nullus Epiſcopus aut Abbas, quouis inſtante ac requirente, (niſi ſibi copia & facultas legitimæ defenſionis permittatur) etiam ſi crimina fuerint notoria, diligenterq́; partibus auditis, cauſa plenariè probata fuerit, dignitate priuari valeat. Neve aliquis prælatus inuitus, niſi alijs iuſtis efficacibus rationib⁹ & cauſis trãſferatur iuxta formam ac decretū Concilij Conſtantien. Et quoniam ex commendis monaſteriorum (vt magiſtra rerū experientia ſæpiùs docuit) monaſteria ipſa, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus grauiter læduntur, quippe quorum ædificia, partim commendatariorū negligentia, partim auaritia vel incuria collabuntur, & indies diuinus cultus in his magis diminuitur, paſſimq́; obloquendi materia perſonis præſertim ſæcularibus præbetur, non abſque dignitatis Apoſtolicæ ſedis diminutione, à qua cõmendæ huiuſmodi proficiſcuntur: vt eorum indemnitati ſalubrius conſulatur, volumus ac ſancimus, vt cùm illa per obitum Abbatum, qui illi præerant, vacauerint, nullo pacto cuiquam poſſint commědari, niſi pro conſeruatione autoritatis Apoſtolicę ſedis, & ad occurrendũ malitijs illam impugnantium, pro temporum qualitate aliter nobis de fratrum noſtrorũ conſilio viſum fuerit expedire. Sed de perſona idonea iuxta pręſcriptã conſtitutionem eis ita prouideatur, vt illis idonei Abbates (prout decet) præfuturi ſint. Ea verò monaſteria, quæ commendata fuerint, cùm per eorum ceſſum vel deceſſum, quibus erant cõmendata, cõmendæ huiuſmodi ceſſauerint, Cardinalibus dũtaxat ac perſonis qualificatis & benemeritis cõmendari poſſint: ita tamen, quòd eorũ monaſteriorum cõmendatarij, quibus ea de cæterò commendata fuerint, cuiuſcuis dignitatis, honoris & præeminentiæ exiſtant, etiã ſi Cardinalatus honore & dignitate fungantur, ſi menſam habuerint ſeparatam, ac ſeorſum à menſa conuentuali, quartã ſuæ menſæ partem pro inſtauratione fabricę, ſeu pro ornamentis, veſtibus ac paramentis emendis, ſarciendisq́; aut pauperũ alimonia, aut ſuſtentatione, vt maior exiget, aut ſuadebit neceſſitas, ſi verò menſa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti monaſterij ſibi commendati partem pro ſupradictis oneribus ſupportandis & ſuſtentatione monachorũ, omnibus alijs deductis oneribus, impartiri teneantur. Ac literæ, quæ ſuper monaſteriorũ huiuſmodi commendis expedientur, cùm clauſula hoc ipſum ſpecificè exprimente debeant expediri. Alioqui ſi aliter expediantur, nullius ſint roboris vel momenti. Et quoniã eccleſijs huiuſmodi abſq; aliqua fructuum diminutione prouideri decet, vt tam dignitati præſidentium, quàm Eccleſiarũ & ædificiorum neceſſitati conſulatur, decernimus pariter ac ſtatuimus, vt ſuper earundem Eccleſiarum fructibus penſiones minimè reſeruětur, niſi ex reſignationis cauſa, aut etiam alia quæ in ſecreto noſtro cõſiſtorio iuſta, probabilis & honeſta habita fuerit. Statuimus quoque, vt de cæterò parochiales Eccleſiæ, ac dignitates maiores & principales, aliaque beneficia eccleſiaſtica, quarum fructus, redditus & prouentus ducentorum ducatorũ auri de camera, ſecundùm communem æſtimationě, valorem annuum non conſtituunt vel attingunt, necnon hoſpitalia, leproſariæ, xenodochia cuiuſcunq; valoris, quæ ad pauperum vſum & alimoniam inſtituta ſunt, S.R.E. Cardinales non commendentur, aut alio quouis titulo conferãtur, niſi per obitum familiarium ſuorum vacauerint, quæ illis commendari poſſint, vt illa ad illarum perſonarum ſibi gratarum & idonearum commodum, infra ſex menſes dimittere teneantur, quibus etiam quò ad beneficia, ad quæ haberent regreſſum, prçiudicare non intendimus. Ordinamus etiam, ne Eccleſiarum ac quorumcunque monaſteriorum membra, à ſuo capite (quod eſt abſurdum) abſq; legitima & rationabili cauſa diſiungantur aut ſeparentur. Vniones perpetuæ præterquam in caſibus à iure permiſſis, vel ſine rationabili cauſa, nequaquam fiant. Diſpenſationes autem ad plura incompaſſibilia vltra duo, niſi qualificatis iuxta formã iuris cõmunis, non cõcedantur, niſi ex magna & vrgěti cauſa.

Ex per-

Ex perſonis cuiuſcunq; dignitatis, parochiales Eccleſias & earum perpetuas vicarias, ac dignitates maiores & principales, etiam per viam vnionis vel commendæ ad vitam, vltra quatuor obtinẽtibus, exnunc terminum duorum annorum præfigimus, vt interim quatuor tantùm ex eis retentis, reliquas dimittere teneantur, & beneficia dimittẽda huiuſmodi reſignari valeant in manibus ordinariorum, ad effectum vt de illis prouideatur perſonis per eos nominãdis, quacunque reſeruatione etiam generali, etiam ex qualitatibus reſignantiũ perſonarum reſultante nõ obſtante: quo elapſo termino, niſi dimiſerint, oĩa vacare cenſeãtur, ac poſſint liberè vt vacantia impetrari: talesq; prçtereà retinentes, pœnas extrauagantis execrabilis recolendę memoriæ Ioãnis Papæ 22. etiam prædeceſſoris noſtri incurrãt. Item ſtatuimus, vt ſpeciales reſeruationes quorumcunque beneficiorum, ad cuiuſuis inſtantiam minimè concedantur.

De Cardinalibvs.

Et cùm S.R.E.Card. cæteros omnes in ipſa Eccleſia poſt ſummum Pont. honore ac dignitate præcedant, conueniens ac debitum eſt, vt vitæ munditia ac virtutum ſplendore cunctis præſulgeãt. Quapropter nõ modò hortamur eos ac monemus, verumetiam ſtatuimus & ordinamus, vt decæterò quilibet Cardinaliũ pro tempore exiſtens, iuxta doctrinam
1.Tim.4. Apoſtoli, ita ſobriè, caſtè ac piè viuat, vt non ſolùm à malo,
1.Tim.3. ſed ab omni etiam ſpecie mali abſtinens, coram hominibus
1.Theſſ.5. luceat, Deumq; in primis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac Diuinis officijs, Miſſarumq; celebrationibus intenti, habeantq; capellas ſuas in loco honeſto, prout facere cõſueuerunt. Sitq; eorum domus, familia, mẽſa, ſupellexq;, non faſtu aut pompa, neq; ſuperfluis rebus, neq; aliquo modo reprehenſibilis, ne peccandi, excedendiq; modum licentia inde naſcatur, ſed vt æquum eſt, modeſtiæ & frugalitatis ſpeculum dici mereantur. Illis itaq; ſint contenti, quæ ſacerdotalem præ ſe ferant modeſtiam, ac prælatos & quoſcunq; alios inſignes viros ad Ro. curiam venientes, benignè honorificeq;, tam publicè quàm priuatim, tractent, & apud nos & ſucceſſores noſtros, gratioſè liberaliterq; eorum negotia commendata ſuſcipiant.

Præterea miniſterium indecorum Epiſcoporum, prælatorumq; in domibus non habeant, ne cæteris præeſſe inſtituti, & ſacro charactere inſigniti, in vilia deſcendant miniſteria, paſſimq; paſtoralis officij contemptũ inducant. Eos itaq; quos vel nũc habẽt, vel in poſterũ ſunt habituri, honorificè vt fratres ac iuxta eorũ ſtatus condecentiam tractent.

Cumq; Ro. Pont. cõmuni omnium Chriſti fidelium patri aſſiſtant, perſonarum acceptatores vel aduocatos eos fieri, valdè inconueniens eſt. Proptereà ſtatuimus, ne partialitatem ſuſcipiãt aliquam, neq; principum aut cõmunitatum, vel quorumcunq; aliorum contra quẽquam (niſi quantum Iuſtitia & æquitas poſtulat, eorumq; dignitas & conditio requirit) promotores aut defenſores fiant, ſed à priuata omni paſſione ſeiuncti, ſedãdis & cõponendis inter quoſcunq; litibus omni diligentia vacent incumbantq;: principum & quorumcunq; aliorum, ac præſertim pauperum & religioſorum, iuſta negotia pio promoueant affectu, oppreſſos & iniuſtè grauatos, iuxta vires ſuas & officij debitum, adiuuent.

Tituli ſui loca, ſi præſentes in curia fuerint, perſonaliter: ſi verò abſentes, per vicarium idoneum ſemel ſaltẽ ſingulis annis viſiteat: clericos & populos Eccleſiarum titulo ſuo ſubiectarum, cum diligentia inquirant, vigilentq; circa cultum diuinum, & bona dictarum Eccleſiarum, moreſque in primis & vitam clericorũ & parochianorum ſolerter explorent, eoſq; omnes & ſingulos, ad rectè honeſteq; viuendum paterno moneant affectu.

Pro augmento autem diuini cultus & ſalute animæ ſuæ, quilibet Cardinalis vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat ſuo titulo, quantum ſit ſatis ad presbyterum vnũ commodè ibi ſuſtentandum: vel ſi Eccleſia indigeat reparatione, vel alia ſubuentione, tãtum illi relinquat vel donet, quantum conſcientiæ ſuæ videbitur.

Et cùm minimè deceat, affines & conſanguineos, præſertim benemeritos & ope indigentes, negligere, ſed illis prouidere iuſtum & laudabile ſit, non proptereà tamen vel beneficiorum mulitudine, vel Eccleſiaſticis redditibus ita eos impleri cõuenire arbitramur, vt cæteri damnum ex huiuſmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde ſcandalum naſcatur. Statuimus itaque, vt Eccleſiarum bona temerè non effundant, ſed ea in pijs & ſanctis operibus exponant, quorum cauſa magni & opimi redditus per ſanctos patres ſtatuti & ordinati fuerunt.

Volumus etiam, vt eccleſijs eiſdem Cardinalibus cõmendatis, etiã ſi cathedrales, abbatialesve aut prioratus, vel quæcunq; alia beneficia Eccleſiaſtica fuerint, abſq; omni prorſus excuſatione procurent, ac omni conatu ſuo prouideant debitè inſeruiri cathedralibus, dignos & idoneos vicarios ſeu ſuffraganeos, prout cõſuetudo fuerit, cum digna & competenti mercede apponentes, reliquis autem ſibi cõmendatis Eccleſijs aut monaſterijs de iuſto clericorum vel capellanorum, ſeu religioſorum aut monachorum, Deo ſufficienter & laudabiliter ſeruientium numero prouidentes: ædificia quoque, poſſeſſiones, & ita quæcunq; in ſtatu conueniẽti conſeruent, & diruta inſtaurent, ſicut ad bonorum prælatorum & commendatariorum officium ſpectat.

Statuimus etiam, vt dicti Cardinales circa numerum familiarium, equorumq; ſuis impenſis alendorum, magna vtantur circunſpectione ac diligenti prouidentia, ne maiorẽ numerum, quàm ſua facultas, cõditiove ac dignitas patiatur, habẽtes, luxus ac prodigalitatis vitio notari poſſint: neve rurſus auari, ſordidiq; habeantur, ſi in magnis & amplis redditibus, pauciſſimis victum præbeãt, cùm domus Cardinalium patens hoſpitium, portuſq; ac refugium proborum & doctorum maximè virorum & pauperum nobilium, honeſtarumq; perſonarum eſſe debeat. Sint igitur circa modum & numerum tenendi prudentes, ac de familarium qualitate in primis curioſi, ne ex alienis vitijs turpem ſibi cõtrahant infamiæ notam, vulgoq; obloquendi, calumniandique iuſtas præbeant occaſiones.

Et cùm maximè prouidendum ſit, vt non ſolùm coram Deo, cui primùm placere debemus, ſed etiam coram hominibus opera noſtra probẽtur, vt cæteris exemplo ad imitan- 2.Cor.8.
dum poſſimus eſſe, ordinamus vt quilibet Cardinalis ſe domus ac familię ſuæ optimum rectorem, præfectumq; oſtendat eſſe, tam circa ea, quæ extrinſeca omnibus apparent, quã quæ intus latent abſcondita. Habeat itaq; eorum quiſq; ſacerdotes & Leuitas honeſtis veſtimentis indutos: attenteq; prouideat, ne quis in familia ſua quoquo modo beneficiatus, & in ſacris ordinibus conſtitutus, veſtes portet verſicolores, nec eo habitu vtatur, qui ordini eccleſiaſtico parũ conueniat. Quare in presbyteratus ordine conſtituti, veſtes colorũ, quæ clericis à iure non prohibeantur, deferre debeãt, vſq; ad talos ſaltem demiſſas. Et habẽtes dignitates in cathedralibus, & canonici etiam dictarum cathedralium, ac primã dignitatem in collegiatis habẽtes, & Cardinalium capellani Miſſas celebrantes, caputium deferre in publico teneantur, ſcutiferis verò paulò ſupra talos concedantur.

Parafrenarij, quia in aſſiduo ſunt motu, miniſterioq; funguntur laborioſiore, breuioribus ac magis expeditis veſtibus vti poſſint, etiã ſi fuerint clerici, dummodò in presbyteratus ordine non ſint conſtituti: ita tamen, vt ab honeſtate nõ diſcedant, ſed ita viuant, vt mores Eccleſiaſticis ſuis ordinibus non diſcrepent.

Reliqui verò clerici temperatè ac modeſtè omnia faciãt, & tam ipſi clerici beneficiati, quàm in ſacris ordinibus conſtituti, comam neq; barbam non nutriãt, neq; mulas aut equos cum phaleris, ornamentiſq; ex velluto aut ſerico factis habeant, ſed eiuſmodi rebus ex panno tãtùm aut corio ſimpliciter vtantur.

Si quis autem familiarium prædictorum contrafecerit, aut poſt tres menſes legitima monitione præcedente à præſentium publicatione, huiuſmodi veſtes prohibitas geſtauerit, in excommunicationem incurrat. Si verò infra tres alios menſes non ſe correxerit, à perceptione fructuum ex beneficijs, quæ obtinet, ſuſpenſus intelligatur.

Quòd ſi per alios ſex menſes in huiuſmodi pertinacia obſtinatus permanſerit, legitima ſimiliter monitione præcedente, beneficijs omnibus, quæcunque habet, priuatus ſit & eſſe cenſeatur: eaque ſic vacantia, à ſede Apoſtolica

liberè impetrari valeant. Quę omnia & ſingula in noſtris & cuiuſcunque Rom. Pont. pro tempore exiſtentis familiaribus, & ſimiliter in omnibus alijs clericis beneficiatis, vel in ſacris ordinib⁹ conſtitutis, ac etiam curialibus, locũ habere volumus. Hoc vno tñ excepto, quòd dicti noſtri & Rom. Pont. familiares, rubri coloris veſtimenta geſtare poſſint, ꝓ decentia & cõſuetudine dignitatis pontificalis. ¶ Et quoniã ad Cardinales maximè ſpectat operũ optimorum cura, pro viribꝰ laborabunt ſcire, quę regiones hæreſibus, erroribuſq; ac ſupſtitionibus contra veram & orthodoxam fidẽ infectæ ſint, & vbi diuinorũ mandatorũ Eccleſiaſtica deficiat diſciplina: quiq; Reges ac principes ſeu populi bellis infeſtẽtur, vel infeſtari timeant. Hæc & huiuſmodi ſcire, ac nobis & Romani Pont. pro tẽpore exiſtenti referre operã dabunt, vt opportuna & ſalutaria talibus malis ac peſtibus remedia vigilanti ſtudio excogitari valeant. ¶ Et cùm frequenti ac propè quotidiana experientia notum ſit, prouincijs ac ciuitatibꝰ propter ſuorum legatorum de latere abſentiã multa ſæpiùs cõtingere mala, variaq; non ſine Apoſtolicæ ſedis præiudicio ſcãdala oriri; ſtatuimus & ordinamus, vt nullis Cardinalibus prouincias ac ciuitates legationis titulo obtinentibus, eas ꝑ locum tenentes aut officiales quoſcunq; adminiſtrare liceat, ſed perſonaliter ipſi pro maiori parte temporis adeſſe, atq; eas omni vigilãtia regere & gubernare teneantur. Et qui nunc titulum legationis obtinent, aut pro tempore obtinebunt, ſi in Italia, intra tres mẽſes: ſi extra Italiam, quinq; à die præſentis publicationis ad ſuas prouincias ire, ac maiorem temporis partẽ ibi reſidere teneantur: niſi de noſtro & ſucceſſorum noſtrorum mandato, pro aliquibus grauioribus negotijs in Rom. curia retineãtur, vel ad alia loca, prout neceſſitas poſtulat, mittantur: & tunc in dictis prouincijs ac ciuitatibꝰ vicelegatos, auditores, & locũ tenentes cæteroſq; conſuetos officiales, cum debitis prouiſionibꝰ ac ſalarijs habeant. Qui præmiſſa oĩa & ſingula non ſeruauerit, emolumentis quibuſcunq; legationis careat. Quę quidem propter hoc antiquitùs ordinata & inſtituta fuerunt, vt oportuna legatorũ præſentia populis eſſet ſalutaris, non vt ipſi laborum & curarum penitùs expertes, lucro tantùm ſub legationis titulo inhiarent. Et cùm Card. officium in primis verſetur in frequenti Rom. Pont. aſſiſtentia & Sedis Apoſtolicæ negotijs, propterea ſtatuimus, vt oẽs Card. in Rom. curia reſideãt. Et qui ſunt abſentes, ſi in Italia, intra ſex menſes: ſi extra Italiam, infra annum à die publicationis præſentis conſtitutionis reuertãtur. Alioquin fructus beneficiorum & omnium officiorũ ſuorum emolumẽta amittant, omnibuſq; priuilegijs generaliter & ſpecialiter Cardinalibus cõceſſis, quandiù abſuerint, omninò careant, exceptis tamẽ illis, quos ratione officij ab Apoſtolica Sede iniũcti, vel de Ro. Pont. mandato aut licentia, vel iuſto metu, aut quauis alia legitima cauſa impediẽte, vel ægrotationis abeſſe contingat: priuilegijs, indultis, & immunitatibus, eiſdẽ Cardinalibꝰ conceſſis, & in bulla noſtra ſub data coronationis noſtræ contentis & expreſſis, in ſuo robore nihilominùs permanentibus.

Statuimus inſuper, vt expenſæ funebres Cardinalium, computatis omnibus, M.D. Floren. ſummam excedere nõ debeant, niſi executorum prouidentia, iuſtis allegatis cauſis ac rationibus, plus exponendum eſſe duxerit. Exequię & caſtrum doloris, prima & nona die fiant: infra octauam verò, Miſſæ de more celebrentur.

Pro reuerentia autem Sedis Apoſtolicæ, vtilitateq; & honore cõmuni pontificis & ipſorum Cardinalium, vt ſcandalorũ, quæ naſci poſſent, occaſio tollatur, maiorq; in ſacro ſenatu libertas votorum fiat, liceatque, vt par eſt, Cardinali cuiq; ſecundùm Deum & conſcientiam ſuam, liberè & impunè quodcunq; ſentiat, dicere: ſtatuimus, ne quis Cardinalium vota in conſiſtorio data, & quæcunque ibi geſta aut dicta, quæ in odium, aut præiudicium, aut ſcandalum alicuius redundare poſſint, ſcripto aut verbo, vel quouis alio modo reuelet ſub pœna periurij & inobedientiæ: & quotieſcunq; à nobis & Rom. Pont. pro temopore exiſten. ſpecialiter & expreſſè vltra præmiſſa indictum fuerit ſuper aliqua re ſilentium, ſi quis contrafecerit, vltra dictas pœnas excommunicationem latæ ſententiæ incurat: à qua non poſſit abſolui, niſi à nobis vel præfato Pont. Rom. & cum expreſſione cauſæ, præterquàm in mortis articulo.

REFORMATIONES CVRIAE ET ALIORVM.

Et cùm omnis ætas ab adoleſcentia prona ſit ad malum, & à teneris aſſuefieri ad bonum, magni ſit operis & effectus, ſtatuimus & ordinamus, vt magiſtri ſcholarium & præceptores, pueros ſuos ſiue adoleſcentes nedum in grammatica & rhetorica, ac cæteris huiuſmodi * audire & inſtruere debeant, verùm etiam docere teneantur ea, quæ ad religionẽ pertinent, vt ſunt præcepta diuina, articuli fidei, ſacri hymni & pſalmi, ac ſanctorũ vitę: diebuſq; feſtiuis nihil aliud eos docere poſſint, quàm in rebus ad religionem & bonos mores pertinentibus, eoſq; in illis inſtruere, hortari & cogere, inquantum poſſint, teneãtur, vt nedum ad Miſſas, ſed etiam ad veſperas diuinaq; officia audienda, ad Eccleſias accedant, & ſimiliter ad prædicationes & ſermones audiendos impellant, nihilque contra bonos mores aut quod ad impietatem inducat, eis legere poſſint.

Ad abolendam verò execrabilem blaſphemiam, quæ in maximum diuini nominis, & ſanctorum cõtemptum ſupra modum inualuit, ſtatuimus & ordinamus, vt quicunq; Deo palàm ſeu publicè maledixerit, contumelioſiſq; atq; obſcœnis verbis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vel glorioſam Virginem Mariam eius genitricẽ expreſſè blaſphemauerit, ſi munus publicum iuriſdictionem ve geſſerit, perdat emolumenta trium menſium pro prima & ſecunda vice dicti officij: ſi tertiò deliquerit, illo eo ipſo priuatus exiſtat. Si clericus vel ſacerdos fuerit, eo ipſo quòd de delicto huiuſmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum quæcunque habuerit, fructibus applicãdis, vt infra vnius * anni mulctetur: & hoc ſit pro prima vice, qua blaſphemus ita deliquerit: pro ſecunda verò ſi ita deliquerit, & conuictus (vt præfertur) fuerit, ſi vnicum habuerit beneficium, eo priuetur: ſi autem plura, quòd ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quòd ſi tertiò eius ſceleris arguatur & conuincatur, dignitatibus ac beneficijs omnibus quęcunque habuerit, eo ipſo priuatus exiſtat, ad eaque vlteriùs retinenda inhabilis reddatur, eaq; liberè impetrari & conferri poſſint. Laicus verò blaſphemãs, ſi nobilis fuerit, pœna 25. ducatorum mulctetur: & pro ſecunda vice, L. fabricæ Baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe applicandis: & alijs, vt infrà deducitur: pro tertia verò, nobilitatem perdat. Si verò ignobilis ac plebeius fuerit, in carcerem detrudatur. Quòd ſi vltra duas vices publicè blaſphemãs depręhenſus fuerit, mitra infami per integram diẽ ante fores Eccleſiæ principalis mitratus ſtare cogatur. Si verò pluries in hoc ipſum peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres vel ad triremes damnetur ad iudicis deputati arbitrium. In foro autem conſcientiæ nemo blaſphemiæ reus, abſq; grauiſſima pœnitentia, ſeueri confeſſoris arbitrio iniuncta, poſſit abſolui. Qui verò reliquos ſanctos blaſphemauerit, arbitrio iudicis rationẽ perſonarum habituri, mitiùs aliquanto puniri volumus. Statuimus etiam, vt ſeculares iudices, qui contra tales blaſphemiæ conuictos non animaduerterint, eoſque iuſtis pœnis minimè affecerint, quantum in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxij, eiſdem quoq; pœnis ſubijciantur. Qui verò in illis inquirendis puniendiſque diligentes & ſeueri fuerint, pro qualibet vice decẽ annorum indulgentiam conſequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant. Quicunq; verò blaſphemantem audierint, eum verbis acriter obiurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe continget, eundemq; deferre, vel notificare apud iudicem Eccleſiaſticum, ſeu ſecularem intra triduum debeant. Quòd ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audiuerint, ſinguli eum accuſare teneantur, niſi fortè omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute ſanctæ obedientiæ hortamur & monemus in Domino, vt pro diuini nominis reuerentia & honore, in ſuis dominijs ac terris præmiſſa omnia ſeruari & exactiſſimè exequi mandent ac faciant, vberrimam ab ipſo Deo tam boni ac pij operis mercedẽ habituri, ſimilemq; annorum decẽ indulgentiam ab Apoſtolica ſede conſecuturi cum tertia parte mulctæ, qua dictus blaſphemus plectetur, quoties tale ſcelus puniendũ curauerint. Quam quidẽ indulgentiã, & reliquam tertiã mulctæ partẽ accuſatori, blaſphemi nomen deferenti, ſimiliter cõcedi & aſſignari volumus, alijs pœnis cõtra huiuſmodi blaſphemos per ſacros canones

expreſ-

expreſſis, nihilominùs in ſuo robore manentibus.

Vt clerici præſertim caſtè, continenterq; iuxta canonum præcepta viuant, ſtatuimus, vt contrafacientes acriter ſecundùm canones puniantur. Si quis verò tam laicus, quàm clericus, de crimine, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, conuictus fuerit, pœnis per ſacros canones aut ius ciuile reſpectiuè impoſitis puniatur. Cõcubinarij autem, ſiue laici ſiue clerici fuerint, eorundẽ canonum pœnis mulctentur: neq; ſuperiorum tolerantia, ſeu praua conſuetudo, quæ potiùs corruptela dicenda eſt, à multitudine peccantium, aliave quælibet excuſatio eis aliquo modo ſuffragetur, ſed iuxta iuris cenſuram ſeuerè puniantur.

Coloſſ.3.

At bonum verò & quietum regimen ciuitatum, ac locorum omnium Romanæ Eccleſiæ ſubiectorum conſtitutiones bonæ memoriæ Aegidij Epiſcopi Sabinenſis olim editas innouamus, eaſque inuiolabiliter ſeruari præcipimus & mandamus.

Et vt nefariæ Simoniæ labes ac peſtis nõ ſolùm à Rom. curia, ſed ex omni etiam Chriſtiana ditione in perpetuum eijciatur, conſtitutiones per anteceſſores noſtros etiã in ſacris Concilijs contra huiuſmodi Simoniacos editas innouamus, eaſq; inuiolabiliter ſeruari præcipimus, ac pœnas in eis contentas, pro expreſſis & inſertis haberi, & delinquentes etiam authoritate noſtra affici volumus.

Statuimus quoque & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus ſuos nõ faciat pro rata obmiſſionis recitatiõis officij & temporis, ſed eos tanquã iniuſtè perceptos, in fabricas huiuſmodi beneficiorum vel pauperũ eleemoſynas erogare teneatur. Si verò vltra dictum tempus in ſimili negligentia cõtumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, beneficio ipſe priuetur, cùm propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quo ad hoc, vt beneficio priuari poſſit, qui per 15. dies illud bis ſaltem non dixerit, Deo tamen vltra præmiſſa de dicta omiſſione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis toties ſit quoties contra facere conuincantur.

Et cùm fructuum Eccleſiarum cathedralium & Metropolitanarum, monaſteriorumq; & aliorum quorumcunq; beneficiorũ Eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio & adminiſtratio, ad nos & Rom. Pont. pro tempore exiſtentem, & illos etiã, qui eiuſmodi Eccleſias, monaſteria & beneficia iure & canonicè obtinent, ſolùm pertineant, ſecularesq; principes, omni etiam diuino iure id prohibente, dictis Eccleſijs, monaſterijs, ac beneficijs intromittere ſe nullatenùs debeãt: ſtatuimus & ordinamus, vt fructus, redditus & prouentus Eccleſiarum, monaſteriorum ac beneficiorum, per ſeculares vllos principes, etiã ſi Imperator, Reges, Reginæve, ſeu reſpublicæ vel potẽtatus fuerint, aut per eorum officiales, ſeu iudices etiam Eccleſiaſticos, vel quaſcunque alias perſonas, publicas vel priuatas, de eorundẽ Imperatoris, Regum, Reginarumve ac Principum, rerumq; publicarum, vel potentatuũ mandato, ſequeſtrari occuparive aut modo aliquo detineri, ipſique huiuſmodi Eccleſias, monaſteria ac beneficia obtinentes, ſub prætextu fabricæ inſtaurationiſq; ſine Ro. Pont. pro tempore exiſtentis expreſſa licentia, aut eleemoſynarum, ſeu quouis alio colore aut fuco, impediri non debeant, quo minùs de illis vt anteà liberè ac ſine impedimẽto diſponere valeant. Et ſi ſequeſtrati fuerint, occupative aut detenti, integrè libereq;, ac ſine exceptione vel mora, prælatis ad quos de iure legitimeq; ſpectãt, reſtituantur: de quibus ſi diſſipati nuſquã reperiri poſſint, eorum iuſta ęſtimatione facta, dictis prælatis ſatisfieri volumus per eos, qui dictas ſequeſtrationes, applicatiões, diſſipationeſq; fecerint, aut fieri mãdauerint, ſub pœna excõmunicationis aut interdicti eccleſiaſtici, talium principum terris & dominio eo ipſo incurrendis. Et vt eorum, ac eiſdem ſubiectorum bona vbicunq; reperta, ſi moniti parére noluerint, capi & retineri poſſint. Ipſi verò contrafacientes, tam ſupradictis pœnis, quàm priuationis feudorũ & priuilegiorum, quæ à nobis & Romana vel alijs Eccleſijs nunc & pro tempore obtinuerint, & alijs contra violatores & oppreſſores libertatis Eccleſiaſticæ etiã per extrauagantes & alias conſtitutiones, etiã incognitas, & forſan in vſu non exiſtentes, impoſitis, quarum omnium tenores pro expreſſis & inſertis habẽtes innouamus, ac perpetuum firmitatis robur habère decernimus & declaramus, ac ſecundùm eas per quoſcunq; iudices, etiam ſanctæ Rom. Eccle. Card. ſublata & adepta eis aliter iudicandi declarandiq; poteſtate, ſententiari, iudicari, & interpretari debere volumus atque mandamus.

Et cùm à iure, tam diuino quàm humano, laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, innouamus omnes & ſingulas conſtitutiones fe. re. Bonifacij Papæ VIII. etiã prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Felicis. & Clemẽtis V. quæ incipit, Si quis ſuadente, necnõ quaſcunq; alias Apoſtolicas ſanctiones, in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ, & cõtra eius violatores quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præſumẽtes, in bulla, quæ legitur in cœna Domini, contentis, in ſuo robore permanſuris. Et cùm in Lateranen. pariter & Concilijs Generalibus ſub excõmunicationis pœna prohibitum fuerit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, reſpublicæ, & alij potentatus quicunque regnis, prouincijs, ciuitatibus ac terris quoquo modo præſidentes, collectas, decimas & alia huiuſmodi onera, clericis, prælatis & alijs quibuſcunq; perſonis Eccleſiaſticis imponãt, exigãtq;, neve à ſpontè etiã dantibus & cõſentientibus etiã recipiant: atq; in præmiſſis auxilium, fauorem, cõſilium ve palàm vel occultè præſtantes, in excõmunicationis latæ ſententię pœnam eo ipſo incidant, & ipſæ quoq; reſpublicæ ac cõmunitates & vniuerſitates circa hoc quomodolibet delinquẽtes, Eccleſiaſtico eo ipſo ſubijciãtur interdicto: prælati etiã pręmiſſis abſq; Ro. Pont. expreſſa licentia, vltrò cõſentientes, excõmunicationis & depoſitionis pœnã ipſo facto incurrãt, ſtatuimus & ordinamus, vt decæterò talia pręſumentes, etiã ſi (vt præfertur) qualificati fuerint, vltra ſupradictas pœnas, quas cõtraueniendo eo ipſo incurrere volumus, innouamus, quòd ad oẽs actus legitimos, inhabiles & inteſtabiles habeantur. Et cùm ſecundùm leges ciuiles, & ſacrorum canonũ cenſuras, ſortilegia per inuocationem dæmonum, incãtationes ac diuinationes, ſuperſtitioneſq; prohibitæ ſint: ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, vt clerici, qui in præmiſſis culpabiles inuenti fuerint, arbitrio ſuperiorum infamia notẽtur: ſi verò nõ deſtiterint, deponãtur, atque in monaſterium ad tempus arbitrio ſuperioris perfiniendum detrudantur, beneficijſq; & officijs eccleſiaſticis priuẽtur. Laici verò vtriuſque ſexus, excommunicationis & alijs pœnis iuris, tam ciuilis, quàm canonici, ſubiaceant.

Et omnes ficti Chriſtiani, ac de fide malè ſentientes, cuiuſcunq; generis aut nationis fuerint, necnõ hęretici, ſeu aliqua hæreſis labe polluti, vel Iudaizantes, à Chriſti fidelium cœtu penitùs eliminentur, & à quocunq; loco, & præſertim à Rom. curia expellãtur, ac debita animaduerſione puniantur, ſtatuimus, vt contra eos diligenti inquiſitione vbiq; & in dicta curia maximè, procedatur per iudices per nos deputandos, & eius criminis reos, & legitimè conuictos, debitis pœnis puniri, relapſos verò, abſq; vlla ſpe veniæ aut remiſſionis affici volumus. Et cùm cõſtitutiones & ordinationes noſtræ huiuſmodi, quas pro nunc ordinamus, vitã, mores, Eccleſiaſticamq; diſciplinã concernant, tã officiales noſtros quàm alios, tam in Rom. curia, quàm extra vbiq; locorum cõmorantes imitari cõuenit, illis ligari, eoſq; ad eorũ obſeruationẽ inuiolabiliter teneri volumus atq; decernimus. Et ne conſtitutiones ipſæ alijs cenſuris ac pœnis in cõtrafacientes per antiqua iura & conſtitutiones impoſitis, derogare in aliquo videantur, cùm ad augmentum editę atq; excogitatę fuerint, etiam declaramus, per earum diſpoſitiones ordinationeſq;, nihil prorſus iuri communi, vel decretis aliorum Ro. Pont. vllatenùs derogatum eſſe. Quinimò ſi qua in eis propter peruerſam temporum, aut locorum vel hominum corruptelam, vel abuſum, aut quancunq; aliam cauſam minimè probandã, vigorẽ ſuum amiſerint, ea ex nunc innouamus, confirmamus, & inuiolabiliter obſeruari mandamus. Quas noſtras cõſultiſſimas conſtitutiones, poſt duos mẽſes ab earũ publicatione, ligare debere, etiã decernimus & declaramus: diſtrictiùs inhibẽtes, ne quis eas gloſſare, vel ſuper eis commentaria, interpretationesve facere, abſq; ſpeciali noſtra vel ſedis Apoſtolicæ licentia, præſumat. Si quis autem auſu temerario contrauenerit, excommunicationis latæ

ſententiæ pœnam eo ipſo incurrat. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ſanctionis, reformationis, intentionis, ordinationis, exhortationis, monitionis, præcepti, voluntatis, innouationis, cõſirmationis, mandati, decreti, declarationis, & inhibitionis infringere, vel eo auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotẽtis Dei, ac beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorũ eius, ſe nouerit incurſurum. Datũ Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi ſacroſancta Baſilica ſolenniter celebrata, Anno incarnationis Dominicæ 1514. tertio Nonas Maij, pontificatus noſtri anno ſecundo.

Bulla ſeu ſchedula indictionis decimæ ſeſſionis ſacroſancti Laterani Concilij, lecta per eundẽ Reuerend. patrem D. Archiepiſcopum Neapolitanum in nona ſeſſione.

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futurã rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Vt hoc ſacrum Lateranen. Concilium, ad finem vberrimæ ſperatæque vtilitatis perducatur, poſſintque dicti prælati & alij vocati commodè venire, & perſonaliter adeſſe, vt ſperamus: cumq́; alia plura & grauiora in eo tractãda, diſcutiẽdaq́; remaneãt, ad omnipotẽtis Dei laudem & Eccleſiæ ſuæ exaltationem, decimam ſeſſionem cõtinuationis celebrationis ipſius ſacri Lateranen. Concilij. Cal. Decembr. quæ erit ſexta feria poſt feſtum S. Andreæ Apoſtoli, 1514. Pont. noſtri anno ſecundo, ſacro Concilio approbante, indicimus.

Nulli ergo omninò hominò hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis, deſignationis, voluntatis infringere, vel ei auſu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotẽtis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione, in Lateran. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ 1514. tertio Nonas Maij, Pont. noſtri anno ſecundo.

Qua perlecta, idem Archiepiſcopus petijt à ſanctiſſimo domino noſtro, & à Reuerend. patribus Concilij, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula, ſeu bullis per eum recitatis. Et omnes præter infraſcriptos, qui votârunt prout infrà. reſponderunt placere.

Particulares qui votârunt, primò reuerendus pater, dñs Ieremias Archiepiſcopus Tranen. qui dixit, non placere ea, quæ deuiant à iure, & etiam, quia prouidetur quoad multa non neceſſaria, & generalia omittuntur.

Reuerendus pater dominus Ioannes Staphyleus Epiſcopus *Sibinicen. dixit placere ſibi, quòd in omnibus in ſchedula contentis, quoad omnes cuiuſcunque ordinis, ſeruetur diſpoſitio iuris communis.

Reuerẽdus pater dominus Scaramuza Epiſcopus Cuman. dixit, placere verba, ceſſante metu Cardinalium.

Reuerend. patri domino Gabrieli Archiepiſcopo Dyrrhachien. placẽt omnia, præter cõſtitutiones Aegidij Card. quas ignorat.

Reuerend. patri domino Chriſtophoro Polignianen. nõ placet, quoad reſignationem beneficiorum, ſed quoad cętera ſic.

Reuerend. patri domino Michaeli Monopolitano placent, pręter quoad duo incompatibilia, quia vult, quòd ſint qualificati,

Reuerend. patri domino Benedicto Epiſcopo Chien. placent, præterquàm de incõpatibilibus, reſignandum quoad pręterita, & de accuſandis & repręhendẽdis blaſphemijs in criminalibus.

Deinde ſanctiſſimus dominus noſter auditis votis reſpondit, quòd mutabũtur aliqua verba, ſed nõ mutabitur ſententia: & quòd cõtenta in eis, ſuæ ſanctitati aliàs placent. Super quibus omnibus & ſingulis, dominus Marius de Peruſchis procurator Concilij, petijt inſtrumentũ & inſtrumenta.

Quibus abſolutis, & incepto hymno per ſanctiſſ. dominum noſtrũ Leonem, Te Deum laudamus, &c. ad referendum Deo gratias de bonis operibus expletis, prout eſt de more ſacrorum Conciliorum, & capella cantorum reſpõdente vſque ad finem hymni, fuit diſſoluta ſeſſio. Et ſanctiſſimus dominus noſter cum reuerend. dominis Cardinalibus & prælatis equitãdo acceſſerunt ad palatium S. Petri in Vaticano, aſſociantes ſanctiſſimum dominum noſtrum, vt tenentur. Quo ibi dimiſſo, omnes reuerſi ſunt ad proprias domos & habitationes ad Dei laudem.

LEONI DECIMO PONT. MAX. ANTONIVS Puccius humilimè pedes oſculatus, ſeſe commendat.

PAulò poſt tuam ad ſummi Apoſtolatus apicem gratiſſimam omnibus aſſumptionem, Beatiſſ. pater, ad vrbem profectus, quo Septemuiratus munus, à reuerendiſſimo patruo meo gratia & munificentia tua in me tranſlatum exercerem, nihil ſanè magis optaui, quàm aliquam dari occaſionem, qua ſingularem meæ erga ſanctitatem tuam ſeruitutis affectum, ſi non implere, aliquo ſaltem indicio declarare poſſem. Qua de re ſuperioribus menſibus Beatitudine tua velut æſtuantis deſiderij mei præſaga, per difficile mihi orandi in Lateranen. Concilio munus demandante, licèt impar meis illud humeris viderem, more tamen amantium, non quid vires poſſent ingenij, ſed quantum vis auderet amoris, inſpiciens, quicquid benignè per te fuit iniunctum. prompta mentis hilaritate ſuſcepi, ſuſceptumq́ue hodiè in Auguſtiſſimo Lateranenſi templo coram inclyto ſanctitatis tuæ conſpectu, benigna grataque eius attentione pro viribus præſtiti. Et cùm non ab re fore duxerim, vt quã adſtantibus voce protuleram, eam literis tibi vni, à quo omnium ſalus vnicè pendet, perpetuò dedicarem: Accipe (quæſo) meæ in te obſeruantiæ ac ſeruitutis qualecunque teſtimonium, eo præcipuè animo, vt ſi quid fortè aures, mentemq́; tuam minùs grauiter vel ornatè dictum offenderit, non temeritati, quam cum tanto periculo minimè attentaſſem, ſed flagranti potiùs amori aſcribas, qui (Hieronymo teſte) modum non habet, ordinem neſcit, menſuram ignorat. Si qua verò non tam ex intima Rhetorices officina, quàm præcipuis hauſta Theologis, legentem te oblectauerint, ea obedientiæ meritò tribuas, cùm diuinæ miſericordiæ munere factum ſit, vt quod optaui & volui, aliqua etiam ex parte poſſem. Reliquum ergo mihi eſt, dies noctesq́; clementiſſimum Deum orare, vt ſi dicendo expreſſerim, quæ tu pro pietate in Deum, pro morum diſciplina, paciſque cultu in hac ipſa nona ſeſſione ſacroſancto approbãte Concilio decreuiſti, vbique ab omnibus Chriſti fidelibus ſyncerè ac integerrimè oſeruentur. Vale.

ORATIO HABITA PER REVERENDVM PATREM dominum Antonium Puccium, cameræ Apoſtolicæ clericum, in nona ſacroſancti Lateranen. Concilij ſeſſione, tertio Nonas Maij, 1514.

NVllum tempus vnquàm fuiſſe memini, Pont. Max. patres ampliſſimi, & clariſſimi pręſules, quo magis animum meum cõmotum, affectum, inflammatumq́; ſenſerim, quàm hodiè totũ me apud ſanctitatẽ tuam de vniuerſo Eccleſiæ Dei ſtatu verba facturũ, cõmoueri, afſici, inflammariq́; ſentio. Licèt enim *diuinæ maieſtatis tuæ conſpectus, rutilanti cuius fulgore imbecilles oculi mei caligãt, tot ampliſſimorum patrum cõſeſſus, quorum nemini ingenio vel ſapientia plurimarumq́; rerum peritia mereor cõparari, ipſius deniq; pertractãdæ rei magnitudo, quæ omnem ingenij vbertatẽ, omnẽ dicendi copiam, omne orationis genus excedit, nõ mediocriter me dicere incipientem terreat: recreat tamẽ, recreat, ac ſummoperè animum meum reficit ratio communis boni, quod ex ſacrroſancti ipſius conſeſſus cõſilio atq; decreto vniuerſæ Chriſtianæ fidei, Catholicæq́; Eccleſiæ prouẽturum ſpero, mihiq́; omninò polliceor. Noſter nanq; Deus Ieſus à morte reſurgens, & in altũ aſcendẽs, vt cœleſtia inde dona mortalibus largiretur, ſi Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, à qua corpore diſceſſerat, pro miniſterio exercendo, pro gente illuminãda, pro fide conſummanda, quoſdã conceſſit Apoſtolos, Prophetas aliquos, nonnullos Euãgeliſtas, doctores non paucos, paſtores verò quamplurimos, nimirũ ego velut Simeon alter animo & corpore debeo exultare, qui hodie non virtute propria excitatus, ſed obedientiæ ratione cõpulſus, eò meruerim oraturus accedere, quò pro vniuerſa tandem Eccleſia Dei reformanda ſingulorũ, quos dixi, ſacros, pioſq́; ſucceſſores ac imitatores, & iam frequentes video conueniſſe, & frequentiores propediẽm conuẽturos non dubito. Gaudeo igitur iure optimo, vtq; conceptum à

me

me gaudium vberiori plenitudine compleatur, duo dicturo mihi à Beatitudine tua Pont. Max. bona horum ampliſſimorum patrum venia, concedi flagranter opto, humillimeque depoſco. Primum, vt ſacratiſſimæ Dei ſponſæ (præſenti cuius corpori in melius reformando toto animi inhæres affectu) excellentiam, præcipuas deinde reformandi cauſas, pro mea, quantula ſit, dicẽdi facultate, in medium afferam, quo conceptam animo tuo reformationem, & à nobis optatam diu, vehementiſſimeque ſperatam, omni ſtudio, labore atque conatu proſequi non deſiſtas. Sed antequàm hæc aggrediar, per Angelicã ſalutationem à beatiſſ. Virgine opem ſuppliciter implorabo.

Aue Maria gratia plena &c.

Galat. 4. CVpientibus nobis, beatiſſ. Pater, ſupernæ illius Hieruſalem (quam rectè liberam, communemq́; omnium matrem ſacra teſtatur pagina) excellentiam, admirabilemq́; gloriã & dignitatẽ accuratiùs indagare, tria potiſſimũ cõſideratione, attentioneq́; digna in mentem veniunt: Primum, q gratuita dote à ſponſo præelecta, deinde ſpiritali & indiuidua copula illi cõiuncta, beatiſſima poſtremò ſobole fœcunda mater effecta eſt. Vniuerſo ſiquidem humano genere protoparentum noſtrorũ tranſgreſſione vanitati ſubiecto, eiusq́; rationabili intellectu peccatorũ caligine obſcurato, ac diuinorum ſemitã mandatorum prorſus oblito, impiaq́; cordis ſui deſperatione in omnem impudicitiã, turpitudinem, immunditiã prolapſo, demerſo atq; defixo, ſapientis Dei filius coomnipotenti & coęterno cum patre ſapiẽtię ſuæ lumine in beneplacita paternæ voluntatis diſpẽſatione perſpiciẽs mortales omnes nõ per alium quàm per ſeipſum filium ab æterno Deum, ſed in extremo tempore hominẽ factum, inter Deum patrẽ & homines mediatorẽ futurum, ipſi paternæ maieſtati recõciliari oportere, cœleſtiq́; gratia recreari, ac perẽni demùm cœlorum hæreditate donari, tam inſigne miſericordię ac pietatis & dilectionis erga nos ſacrificium vel in ipſo crucis patibulo offerre no recuſauit. Licèt enim vnicam illam ſpõſam, cui per ſpiritale & caſtiſſimum matrimonium aduenięte temporis plenitudine in odorem ſuauitatis inſolubiliter iungẽdus erat, ita ſordidam atq; inopem conſpicaretur, vt neq; ſordes eius humano more copia rerum delere, neq; forma inopiã excuſare poſſet, nimio tamen humanæ ſalutis ardore flagrans, antequàm è paterno ſinu prodiens, mundum ingrederetur, ad patrem ipſum in
Pſal. 19. throno conuerſus clamauit: Hoſtiam & oblationem noluiſti,
Heb. 10. Holocauſta & pro peccato nõ poſtulaſti, Corpus autem adaptaſti mihi: tũc dixi, Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciã voluntatem tuam. Quam, obſecro, voluntatem ad nos veniens Ieſus Dei filius facturus erat? Illam nẽpè, illã, qua prædeſtinatus adoptionis filios ſanctificauit, cum ſanctiſſimo illo corpore diuinæ ſuæ naturæ inuiſibili Spiritus ſancti artificio, de puriſſima Virginis carne aptato, in araq́; crucis vltrò pro nobis oblato, de ſacratiſſima ipſius corporis aqua ſanguineq; precioſiſſimo, gratuitã dotẽ heu nimis charam, nimiſq́; precioſam, Eccleſiæ ſponſæ ſuæ conſtituit atq; cõfecit. Quo quidem lauacro, profluuioq́; dotali eandẽ ſponſam ab omni labe ita mundauit, omniq́; ſcientiæ ac ſapientiæ theſauro locupletauit, vt omnium meritò pul-
Cant. 2. cherrima atq; ditiſſima prædicari deberet, ſacro illo teſtãte
Prou. 31. eloquio: Sicut lilium inter ſpinas, ita amica mea inter filias. Ac rurſus: Multæ filiæ congregauerunt ſibi diuitias, tu verò ſupergreſſa es vniuerſas. At per quam reputamus ſpiritualẽ copulã, tam ſanctum Chriſti & Eccleſiæ matrimonium conſummatum? per eam profectò, theologorũ iudicio, qua non ſolùm duo per mutam coniunctionem caro vna, ſed vnum
Cant. 2. potiùs in carne vna effecti ſunt, canẽte ſpõſa: Dilectus meus mihi, & ego illi. Id quod ſacrũ diuinumq́; myſterium præclarus ille vniuerſarum gẽtium inſtitutor vas electionis diuinitùs contẽplatus, magnum matrimonij ſacramentum in Chriſto & Eccleſia conſummatum eſſe teſtatus eſt. Quippe
Ephef. 5. qui tãta vnitatis vi, tamq́; indiſſolubili amoris nexu mutuò coniuncti ſunt, ligati, atq; conſtricti, vt non minùs difficilè iudicetur, à latere ſponſi conſortem eius eccleſiam ſegregari, quàm ſit etiam impoſſibile, Chriſtum Ieſum Saluatorem noſtrum, aut hominem ſine Deo interpretari, aut Deũ ſine homine intelligere, cùm vtranq; in ſe naturam pleniſſimè contineat: nec aliquo modo Chriſtus exprimi poſſit, quin Deus pariter atq; homo, idemq́; mediator Dei & hominũ exprimatur. Non eſt igitur mirum, tale tantumq́; matrimonium non modò ſecundùm legem diuortium nullum pati, ſed quod omnem naturæ ordinem, modum, conſilium, inſtitutum, atq; decretum excedit, nec ipſa quidem temporali ſponſi morte dirimi vllo modo potuiſſe. Siquidem morta- Matt. 19.
les matrimonio coniungit Deus, quos licèt homo ſeparare Marc. 10.
nõ poſſit, mors tamen ipſa dirimit atq; diſſoluit. In Chriſti verò Eccleſiæq́; matrimonio coniungitur ipſe Deus, qui vt per ſe incorruptibilis & immortalis exiſtens, ita incorruptibile & immortale matrimoniũ cum ſponſa cõtrahens & cõſummans, inſolubili eius amplexu atq; cõſortio poſt mortẽ magis q̃ in præſenti vita potiꝰ eſt. Quam ſanè mutuam, inſolubilemq́; coniunctionẽ aſcendente Ieſu ad patrem vehementiſſimè admirantes Angeli conclamârunt: Quæ eſt iſta, Cant. 8.
quæ aſcendit *per deſertum delicijs affluẽs, innixa ſuper di- *de deſerto
lectum ſuum? Sed quid mirum, cęleſtẽ ſponſum, ſpecioſum forma præ filijs hominũ, perpetua indiſſolubiliq́; copula cũ ſponſa ſua in terra & in cœlo cõiunctum fuiſſe? cùm mortales oẽs vxoribus ſenio confectis, non alia ferè quàm prolis ſuſceptæ gratia, diuturno earum conſortio delectentur: ipſe verò ex virgineo ac fœcundiſſimo conſortis ſuæ ventre, nõ quidem areſcente vnquàm vel ſeneſcente, ſed viridi ſemper atq; integro permanente, eam ſuſceperit prolem, quæ numero, decore, gloria cæteras ſoboles antecellit. Abrahæ nanque in aliena regione verſanti, cui domeſticè primò de incarnatione Verbi, Spiritus ſancti miniſterio factę ſunt promiſſiones, cœlitùs dictum eſt. Multiplicabo ſemẽ tuum ſup Gen. 22.
numerũ arenæ maris & *ſtellæ cœli, & in ſemine tuo bene- *ſtellas
dicentur oẽs gentes. Quidnã, obſecro, patres tam ampla de futuro Abrahæ ſemine promiſſio innuebat? quid præmonſtrabat? quid pollicebatur, niſi quòd non in pluribus, ſed in vno tantùm ſemine, in ipſo videlicet Dei hominumq́; mediatore Chriſto, & Dei & hominis filio, Deo pariter atq; homine, mortales oẽs diuinæ immortalitatis benedictione replendi erant, cùm per fœcundiſſimum Eccleſiæ partũ, vniuerſum terrarũ orbẽ Deo & patri regenerãdum, prolapſaq́; oĩa ſiue cœleſtia ſiue terrena in integrum reſtituendum, ac ipſas præcipuè gẽtes à recta Dei ſemita alienatas, ſanctorum conſuetudine deſtitutas, ſine ſpe ambulantes, abſq; timore viuentes, & prorſus ſine Deo in mundo hoc temerè vagãtes, illuminãdum, erigendum, ſaluandumq́; properauit, vt meritò dilectus ille diſcipulus, attonita viſione in admirãdum Apoc. 7.
ſuperni Regni lumẽ abſorptus, in diuina illa ſua Apocalypſi cantârit: Vidi turbam magnam, quã dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus & linguis, ſtantes ante thronum. Qua autem pulchritudine, quo decore, qua venuſtate redempti filij, & à ſuperna illa Hieruſalem adhuc peregrini, refulſerint: quis tantæ ingenij perſpicaciæ, tamq́; perſpicuæ vbertatis eloquij vel poſſet mente cõcipere, vel oratione auderet attingere? Ij enim per hoſtiã corporis Chriſti ſemel oblatã in æternũ ſanctificati, nõ vltrà carni & ſanguini indulgere, prætereuntemq́; caduci ſeculi figurã diligere, ac ſecundùm principẽ & poteſtatẽ caliginoſi huius aëris ambulare curãtes, ſed omni prorſus abnegata impietate, ad verum, vberem, ac ſalutarem ſobrietatis, pietatis & iuſtitiæ cul-
tum conuerſi, audire de ſe meruerunt: Fulgebunt iuſti ſicut Matth. 13.
ſol in cõſpectu Dei. Quippe qui diuinis illuſtrati fulgoribꝰ, æternæq́; charitatis ardore ſuccenſi, de virtute in virtutem
ambulando, in virum perfectum ſecundùm menſuram ple- Pſal. 83.
nitudinis ętatis Chriſti, vnanimi zelo euadere cupientes, ma-
gnificati inde & conſummati in opere miniſterij, poſt mi- Ephef. 4.
ſerrimum carnis ſuę habitaculum diſſolutum beatiſſima demùm digni effecti gloria, illud quoq; in cœleſti regno de ſe
dictum audierũt: Beatus populus qui ſcit iubilationem. quo Pſal. 88.
ſanè iubilo ante regium thalamum pſallentes & exultantes,
alterno cantu clamare non ceſſant: Benedictio & charitas & Apoc. 7.
ſapientia & gratiarũ actio, honor & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Hęc illa eſt ſpõſa, beatiſſime Pater, de cuius excellẽtia ac dignitate in ipſo oratiõis principio apud S. tuã pollicitus ſum me verba facturũ. Hæc (inquam) ſpõſa eſt, quæ omniũ mater Eccleſia dicitur, quã ab æterno cœleſtis eius ſponſus vltronea ſanguinis effuſione ſibi prouidit: prouiſam, lateri ſuo indiſſolubiliter copulauit:

copu-

pulatam, innumera, pulcherrima ac feliciſſima prole in
rpetuum propagauit. Quid igitur oneris, quid officij,
iid ſolicitudinis ſanctitati tuæ incumbat, vt hanc ſponſam
o dignitate regere, extollere, decorareque poſſis, etſi non
:rùm ex his, q̃ hactenùs oratione perſtrinxi, menti tuæ in-
otuiſſe arbitror, ſingulis tamen perſpectis cauſis, quibus
l eiuſdem diuinæ ſponſæ regimen, decus atque ſalutem to-
debeas animi ſtudio inhærerere, (quod ſecundo me præ-
iturum obtuleram) tanto quidem id clarius innoteſcet, vt
uantum cæteri ad comparandos honores fortunasque cu-
nulandas, quantum ad ocioſos dies in delitijs conterendos,
uantum plerique ad humana ſtudia exercenda, voluptatesq;
aptandas, quantum ad ipſam animi corporisque requiem
oncedunt temporis, tãtum tute ipſe tibi ad recolendã, per-
uadendam, ac perficiendam totius Eccleſiæ, Chriſtianæq;
eipub. reformationem, ſumendum impendendumq; fore
xiſtimabis. Duæ mihi præcipuè, Beatiſſime pater, in men-
em occurrunt cauſę, quarum vna, vt inceptã Eccleſiæ refor
nationẽ alacri animo perſequaris, inuitat: altera, ni hoc fe-
cris, horrendum in Chriſtianos omnes diuinæ vltionis iu-
licium cõminatur. Cùm hoc igitur vniuerſo generi homi-
num fuerit à natura tributum, ſi qua in familia laus pręcipua
vel animi vel corporis præclarè floruerit, hanc ferè omnes
illius ſtirpis cupidiſſimè æmulari, ea in primis tibi vni Max.
Pont. offertur cauſa, qua vberrimum Eccleſiæ Dei fructum
is allaturus, præſens ſcilicet ſacroſanctũ œcumenicum. Au-
guſtumq; Lateranen. Concilium, maximi illius Principis
Iulij ſecundi prædeceſſoris tui prouidentia, opera, ſolicitu-
dine inchoatum. Vt enim tu Leo Pontifex, diuino numine
annuente, in regale Romanorum Pontificum genus cõſen-
tientibus omnium ſuffragijs adſcitus, totum in rebus agen-
dis eorundem maiorum tuorum conſilium, grauitatem, ſa-
pientiam, prouidentiã, ac iudicium debeas imitari, illius ta-
men ſummi Põtificis, cui egregijs tuis virtutum meritis ſuc-
ceſſiſti, clariſſimũ huius indicti Concilij munus tanto cor-
dis affectu ardorisque ſtudio amplecti ac proſequi debes, vt
velut alter Adrian⁹ Nicolai ſucceſſor, præclari huius mune-
ris author potiùs, quàm imitator, à Chriſtianis omnibus iu-
diceris: cùm præſertim ex ea hora, qua ſaluatore Ieſu in car-
ne glorioſa & immortali ſuper omnes cœlos, obſtupẽtibus
Angelis, ad patris dexterã ſublimato, ſacratiſſimi eius diſci-
puli pro vinea Sabaoth excolenda in Spiritu ſancto congre-
gari cœperunt, nihil tam ſalutare, tamq; magnificum & glo-
rioſum in hanc ipſam omniũ matrem militãtem Eccleſiam
profectum eſſe nouerimus, quàm quod ex ſacroſancta œcu-
menicorum Conciliorũ celebratione, tãquàm ex peculiari
Spirit⁹ ſancti aula omniũ aromatum refertiſſima, diuinitùs
emanauit. Inde enim diſperſæ Dominicæ oues colliguntur,
varij languores ac morbi dignoſcuntur, opportuna languen-
tibus remedia adhibẽtur, veritas totius Chriſtianæ legis ra-
tionali cuiq; mẽti clariùs innoteſcit, ſuauiùs inſinuatur, ve-
riùs perſuadetur, tenaciùs imprimitur. Id quod in Ioſue (ſi quis
diligẽter attenderit) figuratũ percipiet, dum ait: Congregati
ſunt oẽs filij Iſrael in Silo, & fuit illis terra ſubiecta. Propter
quod Pont. Max. ſi à perenni teſtataq; maiorum tuorũ Ro-
manorum Pontificum multiplici virtute nõ te degenerem,
immò verò laudabilis totius eorum vitæ, cõſuetudinis, vir-
tutis atque actionis verum, ſingularemq; imitatorem, ac ex-
preſſorem præſtare magnoperè cupis, iam tui cõſilij eſt, tuæ
ſapientiæ, hoc vnum te decet, hoc (inquam) à tua poteſtate
debetur, vt præclara tot Rom. põtificum geſta, tu vnus imi-
taturus, indictum iam biennio Concilium, ad optatam vſq;
finem ſalubriter, honorificeq; perducas. Id autem vt omni-
nò perficias, ſuauis quoque illa ac periucunda proximæ ſeſ-
ſionis memoria ſuadet, monet, hortatur, impellit, qua incõ-
ſutilis Chriſti tunica in varias forſan (ni Deus occurriſſet)
particulas diſcindenda, in priſtinum ſuum incõſutilem ſta-
tum per te vnũ Leo X. eſt reſtituta. Tunc enim diuinæ mi-
ſericordiæ beneficio, inauditæq; manſuetudinis tuæ merito
factum eſt, vt quorũ ferox anteà Imperiũ timebatur, prom-
ptam obedientiam tui adſpexexerint oculi: quorum aſperæ
cõminationes audiebantur, humiles preces tuæ perceperint
aures: quorum truculenta vulnera formidabantur, libentia
oſcula tui exceperint pedes, quaſi in te vno vero atq; legiti-
mo Chriſti & Dei vicario, propheticũ illud debuerit rurſus
impleri: Adorabunt eum omnes reges terræ, oẽs gentes ſer-
uient ei. Quid eſt, obſecro, reliquum, niſi quòd inuiolabili
Eccleſiæ vnitate procurata atq; cõpoſita, tu Leo fortiſſime
tanquã Dei zelotes, pro domus eius decore atq; ſalute, libe-
riùs cuncta, feruentiùs ſingula, audẽtiùs vniuerſa proſequa-
ris? Iam nemo reclamat, nullus obſiſtit, oẽs ad petram par-
uulos alliſère, vt quæ illis tandem ſalutarem præbeas eſcam,
omnes à te expectant. Quid enim flagrantius nobiſcũ ſimul
optare debent, qui modò erãt in Eccleſia Dei hoſpites atq;
aduenæ, quàm vt nunc fiant cum alijs per morum inſtaura-
tionem ſanctorum ciues & domeſtici Dei, ſuperædificati ſu- Ephe
pra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum in ipſo
[illegible]mo angulari lapide Chriſto Ieſu in quo omnis ædifica-
[illegible] cõſtructa creſcit in templum ſanctum, vtq; omnes pari-
ter in vno ſpiritu ad ipſum Deum & Patrem tendentes, in-
comprehenſibilem eius maieſtatem & gloriam vno ore ce-
lebrare poſſimus? Excitare igitur beatiſſime Pater, excitare
in hoc vnũ præclariſſimum ac ſaluberrimũ Chriſtianæ cen-
ſuræ opus, ipſum amplectere, ipſum ad optatum vſq; finem
proſequere. Vę enim nobis. Quid aũt nobis? Id enim parùm
dixiſſe eſt. Væ (inquã) vniuerſis Chriſti fidelilibus, ſi tam ra-
ram futuri boni occaſionem quod ne quidẽ cogitãdum eſt,
fruſtrà labi permiſeris. At dicet fortaſſe quiſpiam: Iam Ec-
cleſia Dei in integrum fidei, ſpei, charitatiſq; vinculum eſt
reſtituta, Fateor. Iam vniuerſum illius corpus vni capiti, hoc
eſt, tibi ſubditum eſſe cõſpicitur. Et hoc ſumma cum alacri-
tate affirmo. Iam oẽs vnum Deum, vnam fidem, vnum ba-
ptiſma, ipſam deniq; Eccleſiæ vnitatem, extra cuius gremiũ
quis conſtitutus, veniã conſequi peccatorum nullo modo
poteſt, & corde iuſtè credunt, & ore ſalubriter confitentur,
nihil horũ inficior. Sed quid hæc, obſecro, emolumẽti ſunt
allatura, ſi reges, ſi principes Chriſti nobiliſſima Eccleſiæ
mẽbra, temporali adhuc truculentoq; gladio, (heu heu mi-
ſerã noſtram nimiſq; lachrymabilem tempeſtatem) mutuò
vexari, dilaniari, cõfici, ac miſerrimè trucidari nõ deſiſtunt?
Si vniuerſum orbem qua poſſum mente colluſtro, pręcipuè
aũt Italiam, Germaniam, Galliã, Hiſpaniam, Angliamq; po-
tiſſimas eius partes auro, argẽto, diuitijs, populis, armis, ro-
bore, ingenioq; refertas animaduerto. Quid vbiq; gentium
proh dolor comperio, quòd non vehemend me dolore af-
fligat atq; proſternat? Imminentes inuicem hoſtium terro-
res, inuaſiones, incurſiones, impetus, prælia, direptiones, in-
cendia, clades, strageſq; Chriſtianorũ innumeras. Heu eſu-
rienda principum corda, nondum innoxijs Chriſtianorum
viſceribus ſatiata: heu ſitibundam terrã, nondum deferuen-
ti Chriſtiani cruoris gurgite tumefactam: heu cęcam dęmo-
num rabiem, nõdum innumeris fidelium cladibus expletã.
Vſquequò in humanã perniciem anhelatis, æſtuatis, ardetis?
Quingentis Chriſtianorũ millibus vigeſimo ab hinc anno,
cruento gladio atq; proſtratis, adhuc eſuritis? adhuc ſititis,
adhuc inhiatis? En, Pater beatiſſime, qui nihili libentiùs fa-
cere ab ipſo matris vtero didiciſti, quàm parcere inimicis: &
qui tuam victor amari mãſuetudinem quàm virtutem vin-
cendo formidari maluiſti: parce (obſecro) filijs tuis, nõ cor-
ruptibili emptis auro vel argento, ſed precioſo ac viuifico
Chriſti ſanguine è diabolica poteſtate redemptis. Euigila, 12
(quæſo) intende enitere in ſaluberrimum cõponendæ pacis
opus, quo perficiendę, dum per Legatos ac nuncios ſedulam
impartiris operam, vt arma interim conquieſcant, à Chri-
ſtiano ſanguine temperetur, expetẽdæ à cunctis induciæ ſta-
tuãtur, omnem tuam authoritatem decretumq; interpone.
Cùm enim tantis in rebus tam arduiſq; negotijs, Principum
animos nõ minùs opinio famæ, quàm ratio certa ad alterius
vel cõtemptum, vel metum, vel odium, vel amorem ſoleat
cõmouere, optatam hãc ipſam inter Chriſtianos pacem ce-
lerrimè confectum iri ſperandum eſt. Sperandum dixi? im-
mò (vt veriùs loquar) te huiuſmodi peragẽdæ pacis authore
tam caſto, tam pio, tam religioſo conſtantiſſimè affirman-
dum. Quippe cuius celeberrimum nomẽ apud Chriſtianos
Principes tantæ hucuſq; fuit authoritatis & gratiæ, vt quod
tu pro communi omnium quiete, dignitate, ſalute, decreue-
ris, ratum, gratumq; omnes proculdubiò ſi[illegible]bituri. Non
ignari, omnem tibi vni in cœlo & in terra [illegible] tam à Do-
mino poteſtatem, vt non ſpiritalibus ta[illegible]ris, ſed ter-
renis quoque huius ſeculi poteſtatibus in cauſa communis
boni

boni ius dicere non pertimeſcas. Quod tum demũm (vt ad alteram doloris cauſam iam deueniam) feliciſſimè contigerit, ſi hoc potiſſimùm tempore, cùm omnis caro vitã ſuam corrupit, ſimulq́; omnes declinauerunt à recto, nec eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, ad vniuerſam Chriſtianæ religionis cenſuram, quo cœpiſti ardore procedas.

Gen. 6. Pſal. 13. Ro. 3.

O nos ignaros, ô cæcos, ô noſtrimet prorſus oblitos, qui iucundo temporalis pacis ſolatio perfrui volumus, horrendis æterni belli ſupplicijs cruciãdi, qui humanam rabiem ſedari confidimus, iram omnipotentis Dei, ſuum in nos vibrantis gladium, ſubituri. Optas tu, ſumme Pont. immò nihil te magis hoc optare affirmas pacem inter Chriſtianos tuos à Dño impetrare? Internas noſtras vitiorum ſimultates attende, vt his ſedatis, quæ ſunt externa, pace ſuauiſſima perfruantur.

Nam ſi te ad ſecularem in primis hominum ſtatum diligentiſſimè diſcutiendũ conuerteris, quid in eis exiſtimas offenſum iri, niſi impietatem circa diuina fidei noſtræ myſteria, quæ aut curioſè perquirunt, aut leuiter deridẽt, aut ſuperbè contemnunt, blaſphemiam ac deteſtationem aduerſus Deũ horribilem, in ſanctosq́; abominabilem, detractioné in Paſtores ſacros impiam atque nefandam, ſacrarum cenſurarum cõtemptum, ſacrilegia, rerumq́; diuinarum occupationem ac ſurreptionem, auaritiam in cõparandis fœnore opibus damnatis, vix Hebræis permiſſo, turpitdinem in quouis obſcœnitatis genere inauditam, odiũ inextinguibile, ſumendæq́; pro acceptis iniurijs vindictæ flagrantiſſimam cupiditaté, vnde frequentes rixę, quotidiana vulnera, homicidiaq́; crebra proueniunt, extremam deniq; in quouis flagitio ac facinore perpetrando licentiam? Quę quidem omnia tanto acerbiori animũ tuum dolore cõficient, quanto ea in hominibus diuturniora, grauiora, impudentioraq́; eſſe cõſpexeris. Quid ſi in obligatiorem obſeruandæ virtuti & honeſtati religioſorum gradum mentem intenderis, nonne ibi quàm plurima depræhendes, quæ in maximum animarũ fidelium exemplum, & ex eo ſcandalum, vergere dignoſcuntur? Vt enim præcipuã illam doloris cauſam ſilentio pręteream, inter eoſdem ipſos nõ minùs præcepto quàm nomine fratres, quos partim Conuentuales, partim Obſeruãtes trito vocabulo nuncupamus, tam magnum chaos interueniſſe, vt qui Obſeruantum ordine nõ cenſentur, religioſorum numero excludantur, cùm tamen nomen ipſum Conuẽtuale, modò reliquum vitæ reſpondeat, purgatis auribus nil niſi pudicũ, ſanctumq́; repræſentet: quonam mœrore, quo gemitu, quo ſingultu reliquũ ſacrarum religionum ſtatum expreſſero? Si enim vel temporũ malignitate, vel diſſimilitudine voluntatum eò deuentum eſt, vt neceſſariò in Eccleſia Dei cõuentus vnus, vnaq́; obſeruãtia ſit futura, quod ego maximè deploro: cur, quæſo, obſeruãtia ipſa in plures rurſus obſeruantias ſcinditur, diuellitur, ac laceratur? vt dum vno regendo corpori, plura quidẽ capita, quàm vix membra in ipſo corpore ſint regenda, præeſſe cernamus, veluti vnum in plures riuulos deriuatũ flumen faciliùs exiccari contingit, ita omnem ſpiritalẽ eorum profectum nõ mediocriter extenuari timendum eſt, monente Apoſtolo Chriſticolas omnes, eos præcipuè, qui & habitu, & diſciplina in vnum conuenerint, eodem ſenſu, eademq́; ſciẽtia abundare, idipſum dicere, nullam inter eos ſchiſmatis cauſam fouere, vnum deniq; corp⁹ atq; vnum ſpiritum exiſtentes, vnam ſcilicet obedientiam, vnamq́; charitatem profitentes, ad optatum ſupernæ vocationis brauium properare debere. Ex quo fit Pater beatiſſime, vt ſi hodiè ſua diuerſis patrum vexillis fideli cuique merere liceat, ne fortè in vanũ Propheta cantârit. Adſtitit Regina à dextris eius in veſtitu deaurato circundata varietate: illud quidem pro Euangelica diſciplina ſeruanda omninò expediat, vt cuilibet eorum corpori ſuum præſit caput, non autem vni capiti plura ſubinde capita ambitioſè vel monſtruoſè potiùs adſtruantur. Nam ſi ad monaſticum inde ordinem te contuleris, citra primam illam obſeruantiæ conuentusq́; diſſonantiam, ac nonnullas etiam inter Obſeruantes ipſos obediẽtiæ contentiones atque ſciſſuras, ne qua præcipua ignorantiæ, ambitionis, auaritiæ, ac ſolicitudinis temporalis labes, intimis eorum præcordijs medullitùs inhæſerit, etiam atque etiam animaduertendum, inſpiciendumq́; pro tua ſapientia iudicabis. Vt autem de fœmineo, deuotoque ſexu, miſerabilis cuius ſtatus ex conditione viri, qui caput eſt mulieris, attendi poteſt, quæ dicenda ſe offerunt, ex induſtria prætereã: tiam (obſecro) ad eos, qui in ſortem Domini vocati, clericaliq́; inſigniti charactere, præcipuam animarum curam ac ſoliciudinem gerũnt omnem mentem & cogitationem conijcito. Quid enim inde regendis ouibus documenti, quid vtilitatis, quid ſalutis ſperari poſſit, clariùs atque apertiùs conſpicaberis. Heu heu miſeros patres, talia ex ore meo de filijs audituros: ſed me longè miſeriorem, proprijs eadem labijs prolaturum, miſerrimos autem eos, qui & vobis audiendi occaſionem, & mihi dicendi cauſam ſuis operibus præbuẽre. Eò deuenit inſignis noſter clericorum ordo, vt contempto accepabili tempore, tantaque dierum noſtrorum neglecta ſalute, charitatis regnum vſqueadeò deſtruxerimus, cupiditatis verò tyrannidem auxerimus, vt ne pręclaram hanc ipſam militiam noſtram coram Diuina maieſtate dictis factisque mentiamur, & vobis pro veſtræ in nos pietatis officio diligentiſſimè aduertendum, & nobis ex pungenti conſcientię ſtimulo vehementiſſimè ſit timendum. Neque enim modò (vt Auguſtini vtar verbis) mendacium illud eſt, falſa proferre, ſed Epiſcopum ſe aut ſacerdotem, vel clericum profiteri, & contraria huic ordini operari.

Pſal. 44.

1. Cor. 1.

Sacra parumper volumina reuoluere placeat, vetuſta patrum ſcita perſcrutari, omnem deniq; canonum tenoré repetere: nonne clericum adulatoré, impiumq́; proximi proditorem, maledicum, fratriſq́; ſui peruerſum inſimulatoré, inuidum, paciſq́; alienæ ſeditioſum perturbatoré, ambitioſum, ſacrarumq́; dignitatum ſacrilegum vſurpatorem, adulterum, cæterarumq́; obſcœnitatum turpiſſimum perpetratoré, crudelem per ſe, iniuriarumq́; ſuarum ſæuiſſimum vindicatorem, fœneratorem, turpiumq́; lucrorum nefandiſſimum quęſtoré: nonne (inquam) huiuſmodi oẽs clericos, aut ad ſacerdotium nõ promoueri, aut promotos partim ab ordine ſacerdotali deponi, partim verò ſuſpẽdi omninò debere, eorũdem ſacrorum voluminum, ſcitorumq́; patrum, ac priſcorum canonum ſumma authoritate, inuiolabiliq́; decreto didicimus? Quòd ſi eccleſiæ matris noſtrę benignitas, prouidis ſuis conſilijs à tanta priſcorum canonum ſeueritate aliquãtulum nõ temperaſſet, quonã eiuſmodi clerici tempeſtate noſtra confugerent? quò conſciam ſibi tot ſcelerum faciem obuoluerent? cuius opem ac miſericordiam implorare non formidarent? Nam dum omnibus eccleſiæ gradibus ita diſcuſſis, ad vrbem ipſam, quam Babylonem Apoſtolorum Princeps diuino afflatus ſpiritu nũcupauit, aciem mentis cõijcio, eiusq́; incolas paſtores, qui quotidiè per vniuerſum terrarum orbem animarum ſaluti præficiuntur, tantorum cauſam errorum interrogare, contendo: ecce diuinã illam ſponſam Hieruſalem ſupernam, non myſtici ſui corporis ſplendore fulgentem, aut ipſius ſpõſi humanitatis fulgore ſplendẽtem, ſed lugubri indutam veſte, totã ſqualore cõfectam, lachrymisq́; perfuſam, ad infimum ſuum corp⁹, quod hac fidelium vnitate repræſentatur, viſitandũ deſcendere, neſcio quo intuitu videor mihi conſpicere, taliaq́; ad ſacratiſſimos Pontificis pedes ſparſis crinibus prouolutam, multo cum gemitu deplorantem audire: Hæccine ego, ſuauiſſime ſponſe, vnica illa dilecta tua atq; formoſa, quæ iam clamare poſſum, Noli me conſiderare quia fuſca ſum? Hæccine inclyta illa mea celebriſq́; domus, quã penè deſertam, ac ſitu ſqualentem, à nemine video frequentari? Hæccine florida illa vinea, quam vt produceret vuas expectans, eam ſpinas tribulosq́; produxiſſe perſpicio? Vbi ille, iucundiſſime ſponſe, hortus meus irriguus? Vbi lilia mea candentia? Vbi roſæ immarceſſibiles? Nónne hæc oĩa, gloria Libani cũ decore Carmeli à me tranſeunte, euanuẽre? Vbi paſcua gregis mei, quę tãquàm arua deſerti areſacta perluſtro? Vbi paſtores gregis, quos pręeſſe potiùs quàm prodeſſe, diſpergere quàm colligere, mactare quàm ſaluare intelligo? Vbi demũ chariſſimi illi filij, quos genui, quos educaui, quos foui, quos decoraui? Illi autem ſpreuerunt me, & aduerſus me vnã tanquàm paruulam, maternaque verba non habentem, cornua erexẽre. Accurre pater, ſuccurre fili, occurre ſpõſe: ego enim te vt Dei vicarium patrem colo, vt hominem filium diligo, vt eccleſiæ vniuerſæ præpoſitum ſponſum amplector. Miſeremini autem, miſeremini mei vos quoq; amici mei, quia filij dereliquerunt me, & ex chariſſimis meis non eſt qui

1. Pet. 5.

Cant. 1.

Eſa. 5.

Iob. 19.

conſoletur me. Audiſtis, patres, matris veſtræ ſingultus, la-
chrymas conſpexiſtis, vociferationes intellexiſtis, implora-
tionem miſericordiæ, pietatiſq; veſtræ animaduertiſtis. Eia
agite, obſeruádi Antiſtites, vos primò nunc appellare iuuat.
Omnem (quæſo) cogitationé, vigilantiam, conſilium, indu-
ſtriam, operam atq; conatum in hanc ipſam tam neceſſariá,
tamq; ſalubrem morum reformationé intendite, adhibete,
cõfigite ac locate. Quid ſobrietatis, quid decoris, quid pudi-
citiæ, quid hoſpitalitatis, quid ſapiétiæ, quid rectitudinis ac
ſtitiæ de quouis præfacto paſtore optatur, ſperatur, ac præ-
iudicatur: totú id in cęteros Chriſti fideles, & vitæ candore,
& verbo doctrinæ, diuinæ cooperãtis gratiæ largitate tranſ-
fundite, huius præſertim ampliſſimi Senatus fauente conſi
lio, authoritate, decreto. Vos enim iam appello, patres am-
pliſſimi, vos obteſtor, vos imploro, vos (inquam) prouidi
totius Chriſtiani orbis moderatores, diuini Chriſtianę fidei
conſultores, proprij ac ſingulares Rom. Pont. electores, di-
lectiſſimi ſedis Apoſtolicæ filij, amplum Ro. Eccleſiæ gre-
mium latiſſimumq; omnium bonorum perfugium, firmiſ-
ſimi denique terrarum cardines, ſolidiſſimæque columnæ,
quibus vniuerſum noſtræ fidei ædificium ſuffultum atq; fir-
matum, in conſummationem vſq; ſeculi perdurabit immo-
bile. Tantam (obſecro) veſtri ordinis dignitaté perpendite,
ne ſi fortè eam, veſtriq; gregis ſalutem ſinguli neglexeritis,
nobiliſſima cuiuſq; veſtrûm anima ante horrédum Chriſti
tribunal vel inuita cogatur audire: Si ignoras te, ó pulcherri-
ma inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregũ tuo-
rum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorũ. Vt au-
tem dignitatem hanc ipſam veſtram, & animo cognoſcatis
& opere cõprobetis, quod in humanis ſtudijs, quod in reli-
gione q; deniq; in vniuerſo Romano Chriſtianoq; clero, ſa-
lutari ac neceſſaria indigit diſcuſſióe, céſura, inſtitutióe, pul-
lulantiũ, ſcilicet hæreſium extirpatio, morum diſciplina, re-
gularis obedientiæ vnitas, clericalis amictus inſtitutum, ſa-
crorum initiatio, multiiuga ſacerdotiorum collatio, anima-
rum cura, paſtorum præſentia, diœceſum viſitatio, annua
Epiſcopalium ſynodorum congregatio, frequens metropo
litanorum Conciliorum celebratio, hæc omnia diligentia,
conſilio, integritateque veſtra diſcutite, caſtigate, cõponite.
Niſi enim hoc ipſo Concilij tempore, niſi per vos, niſi ſub
tanto animarum noſtrarũ epiſcopo atq; paſtore, & famam
noſtram, quę ferè prorſus amiſſa eſt, recuperárimus, & ſalu-
tem ipſam, quæ ſpe exigua, extremaq; pédet, retinuerimus:
nihil eſt præterea quò cõfugere, aut in quo ſperare poſſim⁹.
Verùm vt alacriori tandé animo ad hanc ipſam morum in-
ſtitutionem ſuſcipiendam ſinguli conuertamur, recordare
(obſecro) Leo ſanctiſſime, recole atq; cõſidera, quàm ineſti-
mabili dotis pretio noſtra ſuperna mater eccleſia ſancta v-
nigenito Dei filio deſponſata, quàm inſolubili copula cũ eo
coniuncta, quá præclara ſobole fœcunda mater effecta ſit.
Contemplare ſingulas vniuerſaſque cauſas, quæ vt pro eo
Eccleſię corpore (quod nos ſumus) inſtituendo ac reforman
do, omnes animi vires intendas, cunctoq; induſtriæ neruos
adhibeas, partim alliciunt & inuitant, partim verò ſtimu-
lant atque impellunt. Tu quidem in celebri & florida ciui
tate natus, ex ſapientiſſimis parétibus ortus, ac eximijs animi
doloribus excellens, & inter eruditiſſimos homines, libera-
liaq; ſtudia nutritus, meritoq;, nondũ puerilibus annis egreſ
ſus, Cardinea dignitate ornatus, inter ſacra arduaq; negotia
diutiſſimè verſatus: tanta præter naturæ bonitatem & rerũ
experientiá ingenij gloria excelluiſti, vt occurréte Romani
Pontificis obitu, ſic aſcenſus tuus ad ſummum iſtum Ponti-
ficatum celebraretur, quòd veluti cætera inter te præclara fa
ma ingenij ſuperabat, ita ingenij famá expectatio tantæ di-
gnitatis, expectationé verò aſſumptio ipſa mirabiliter ſupe-
7. raret, acclamantibus cunctis, à Domino factum eſt iſtud, &
eſt mirabile in oculis noſtris: Dextera Dñi fecit virtutem,
dextera Domini exaltauit te. Ne duriorem autem humeris
tuis conditioné, quàm ferre poſſis, hæc omnia imponere vi-
deantur: ego ille, qui nihil horum ſine magna cura, pietate,
ac reuerentia ſupremæ dignitatis tuæ, ſacroſanctique huius
ampliſſimi ordinis, ac vniuerſi Eccleſiaſtici gradus locutus
ſum, prædico, clamo, denuncio, & ſi per viſcera Ieſu Chriſti
obteſtari te ſemel licet, nunc vtiq; obteſtor: Concitare atq;
exurge: Sion matrem noſtram ſponſamq; tuam circunda,
ipſam complectere, in turribus eius mirabilia Dei enarra,
fidelium corda virtute inſtrue, atque compone. Vrbem pri-
mùm, vt iudicium incipiat à domo Domini: inde orbem
diſciplinæ tuæ cenſura in priſtinũ fidei, ſpei, charitatiſq; cul-
tum reſtitue. Omnia nanq; Chriſtianæ reipub. iura, ſingula
bonorum perfugia, innocentum præſidia, pœnitentum me-
rita, malorum ſupplicia, omnis denique temporum præte-
ritorum memoria, ratio præſentium, ſpes futurorum, vt in
tua hodiè poteſtate, in tua ſententia, in tuo iudicio ſunt po-
ſita atque defixa, ita & per te vnum, ſi partim recuperata,
partim verò fuerint conſeruata, iam pacatè omnia ſe inter
Chriſtianos habebunt. Iam Deo reconciliati, vnanimi con-
ſilio atque ardore in perfidos ac immanes Chriſtiani nomi-
nis hoſtes, bellum & propulſabimus, & aggrediemur. Iam
victricem claſſem & exercitum glorioſum Conſtátinopo-
lim & Hieruſalem verſus, curſu proſpero Deo fauente diri-
gemus, Propheticũ illud memorátes & concinentes: Introi-
bimus in tabernaculũ Dei, adorabimus in loco vbi ſteterũt Pſa
pedes eius. Iam te inuicto nobiſcũ Leone pugnante, vniuer
ſis tandé corporis & animæ hoſtib⁹ debellatis, deuictis, atq;
conſumptis, ſub felici fauſtoq; beatitudinis tuæ vexillo, ſu-
pernam illam Hieruſalem introeũtes, ac ſimul cum ſanctis
Apoſtolis, Prophetis, Euangeliſtis, Doctoribus, atq; paſto-
ribus diuinæ hæreditatis effecti participes, ante regium tha-
lamum decantabimus: Regi ſeculorum immortali & inuiſi-
bili ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Dixi.

Anno à natiuitate Domini 1514. indictione ſecunda, die
verò vigeſimaſexta menſis Nouembris, Põtificatus ſanctiſ-
ſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diui-
na prouidentia Papæ decimi anno ſecũdo, præfatus ſanctiſ-
ſimus dominus noſter ex certis cauſis vrgentiſſimis, & præ-
ſertim, quia ea quæ in decima ſeſſione determinari debent,
non fuerunt adhuc abſoluta per reuerendiſſimos dominos
Cardinales & congregationes prælatorum, in quibus ea di-
ſcutiuntur, ideo de conſilio præfatorum reuerendiſſimorũ
Cardinalium decimam ſeſſionem ad diem Veneris poſt fe-
ſtum S. Benedicti proximè futuri, quæ erit dies vigeſima-
tertia Martij anni ſequentis, prorogauit, prout in ſchedula
prorogationis continetur, quæ legitimè affixa, & per curſo-
res executa fuit.

Anno à natiuitate Domini 1515. indictione tertia, die ve-
rò vigeſimaſecunda menſis Martij, Pontificatus ſanctiſſimi
in Chriſto patris domini noſtri, dñi Leonis diuina proui
dentia Papæ decimi anno tertio, diſcreti viri Fráciſcus Vac-
ca, & Eurardus Duuiuier, præfati ſanctiſſimi dñi noſtri cur-
ſores, in valuis baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe &
Lateranen. eccleſiarum quaſdam literas prorogationis affi-
xerunt & publicauerunt, tenoris infraſcripti:

LEO &c. Licèt aliàs decimam ſeſſionem continuationis
celebrationis ſacri Lateranen. concilij, Kal. Decemb.
in vltima nona ſeſſione ſacro approbante Cõcilio, per
nos indictam, ex certis cauſis tunc expreſſis ad diem Vene-
ris poſt feſtum S. Benedicti proximè præteriti, quæ erit dies
vigeſimatertia Martij præſentis menſis, de fratrum noſtro-
rum cõſilio prorogauerimus, & extenderimus, prorogatáq;
& extenſam eſſe omnibus nunciauerimus: quia tamé ea quæ
in dicta decima ſeſſione determinari debent, matura indi-
gent diſcuſſione, & per congregationes ſanctę Romanę Ec-
cleſiæ Cardinalium & prælatorum in quibus ea diſcutiun-
tur, non fuerunt adhuc abſoluta: eapropter prorogationem
decimæ ſeſſionis huiuſmodi, de ſimili fratrum noſtrorum
conſilio, ad 4. Non. Maij, quæ erit dies quarta menſis Mai
proximè futuri, etiam prorogamus & extendimus, proro-
gatamq; & extenſam etiam omnibus nunciamus.

PLACET. I.

Anno à natiuitate Domini 1515. indictione tertia, die ve-
rò vigeſimaſecunda menſis Martij, Pontificatus ſanctiſſim
domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ de
cimi anno tertio, ſupraſcriptæ literæ fuerunt affixæ & pub
licatæ in valuis baſilicæ principis Apoſtolorum S. Petri de
vrbe, ac in valuis eccleſiæ Lateranen. per me Franciſcum
Vacca ſanctiſſimi domini noſtri Papæ curſorem.

Eurardus Duuiuier ma
giſter curſorum.

Ann.

Anno à natiuitate Domini 1515. indictione 3. die verò viceſima ſexta menſis Aprilis, Pōtificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno tertio, reuerendiſſ in Chriſto pater & dominus, dominus Antonius tituli S. Praxedis presbyter Cardinalis, de Monte vulgariter nuncupatus, nobis notarijs & ſcribis ſacri concilij quaſdam literas ſalui conductus ducis Ianuenſis de mandato præfati ſanctiſſimi Domini noſtri tradidit, mandans nobis, vt eas magnificis oratoribus Chriſtianiſſimi regis Franciæ, traderemus, ſeu tradi faceremus, & eiſdē dicere faceremus de mandato præfati ſanctiſſimi Domini, vt eas prælatis Gallicanæ eccleſiæ mitterent, ad effectum, vt volentes & debentes venire ad ſacrum Concilium, tutè & ſecurè poſſent venire. Quas quidē literas ſalui conductus nos Bernardus Sculteti, & Bernardinus de Contreras notarij & ſcribæ infraſcripti, per duos teſtes recognoſci fecimus, & eaſdē literas ſic recognitas, cum earū recognitione à tergo venerabili viro magiſtro Eurardo Duiuier ſanctiſſimi dñi noſtri Papæ magiſtro curſorum dedimus, vt eas ſupradictis magnificis oratoribus Chriſtianiſſimi regis Franciæ per duos curſores tradi faceret.

Die verò ſabbati vigeſimaoctaua menſis Aprilis eiuſdē anni, diſcreti viri Ioannes Bernardi, & Ioannes Duueti curſores, præfatas literas ſalui conductus ſe magnificis oratoribus Chriſtianiſſimi regis Franciæ præſentaſſe & intimaſſe, ac idem dimiſiſſe, nobis notarijs, prout in ſchedula eorū manibus ſubſcripta, retulerunt.

Tenor autem literarum ſalui conductus, de quo ſuprà ſit mentio, talis eſt:

Octauianus de Campofregoſo, Dei gratia Genuen. dux & populi defenſor.

Literis ſanctiſſimi domini noſtri moniti, harum noſtrarum authoritate damus, concedimus, & impartimur tutum, amplum, validum & generalem ſaluum conductum, omnimodamq́; fidētiam, & liberam facultatē quibuſcunq; prælatis Gallicis & alijs cuiuſuis nationis vocatis à ſummo Pōtifice ad ſacrū Lateranen. concilium, necnō eorum ſeruitorib⁹, equitaturis, bulgijs, valiſijs, bonis & rebus quibuſcūq; tranſeundo p totum territorium & diſtrictum Genuæ, tam mari quàm terra, ibiq; per tranſitū morandi, & pro libito diſcedendi, ac redeundi tutè, liberè & impunè, omniq; impedimēto & moleſtia reali & perſonali ceſſante, penituſque remota, nō obſtantibus aliquibus guerris, odijs, inimicitijs, cōtrouerſijs & differentijs inter nos & cōmune Genuen. ex vna parte, & alios quoſcunq; (ſint qui velint) ex altera, vertētibus, ſeu quæ in poſterum verti poſſent, damnis, prædijs, iniurijs, & offenſionibus cuiuſque Genuen. per quemuis illatis, vel inferendis, repræſalijſq; ſeu repræſaliarum literis cōceſſis, vel cōcedendis, nec alijs obſtātijs quibuſcunq;, etiā ſi talia forent, de quibus oporteret mentionē facere ſpecialem, quæ pro ſpecificatis habeātur. Mandātes quibuſcunque officialibus & ſubditis totius territorij Genuen. tam in mari, quā in terra, vt has noſtri ſalui cōductus literas obſeruent, faciantq; ab omnibus inuiolabiliter obſeruari, ſub pœna indignationis noſtræ. In quorum teſtimoniū præſentes fieri iuſſimus regiſtrari, noſtriq; ſigilli impreſſione muniri. Datum Genuæ in palatio ducali, die 23. Martij. 1515.

Idem Octauianus.
Simon.

Tenor verò recognitionis, talis eſt:

Die Iouis vigeſimaſexta Aprilis 1515. conſtituti in domo dominorum Bartholomæi & Eduardi Doria mercatorum Ianuen. Roman. curiam ſequen. dominus Eduardus præfatus, & dominus Thomas * Pecunia ciues & mercatores Ianuen. medio eorum iuramento recognouerunt, & ſe recognoſcere dixerunt manum & perſonam Illuſt. domini ducis Ianuen. Octauiani de Campofregoſo, manum & perſonam Cancellarij & ſigillum eiuſdem ducis in retroſcriptis literis appoſitum &c. Et dixerunt eſſe illorum, quorum inibi eſſe dicuntur.

[margin: r.* de ...nia.]

Ita eſt. B. de * Contreras.
Ita eſt. B. Sculteti.

Tenor verò intimationis.

Anno à natiuitate Domini 1515. indictione te[...], die verò ſabbati vigeſimaoctaua menſis Aprilis, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno tertio, originales literæ * paſſus præſentatæ & intimatæ ac dimiſſæ fuerunt Illuſtriſſimis dominis de Solier, & Noſtromars, oratoribus Chriſtianiſſimi regis Franciæ, cuius præſens copia extracta & collationata fuit à ſuo proprio originali per nos Ioannem Bernardi, & Ioannem Duueti curſores.

[margin: for. * paſſus.]

Eurardus Duiuier magiſter curſorum.

Anno à natiuitate Domini 1515. indictione tertia, die verò ſecunda menſis Maij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno tertio, fuit congregatio reuerendiſſimorum dominorū Cardinalium, & omnium prælatorum exiſtentiam in curia, & intereſſe volentium in palatio Apoſtolico in ſuperiori capella. In qua interfuit ſanctiſſimus dominus noſter præfatus, & interfuerunt Cardinales numero viginti & vnus, & prælati numero * ſexaginta & ſeptē. Et fuerunt lectæ per reuerendum patrem dominum Thomam Phædram ſecretarium Concilij ſchedulæ proponendæ in proxima ſeſſione. Et fuerūt ab omnibus approbatæ. Et poſt aliqualem & maturam diſcuſſionem ſuper aliquib⁹ ex ipſis, tandem votatæ & approbatæ ad Dei omnipotentis laudem, & eccleſiæ exaltationem.

[margin: * tres * nonaginta.]

SESSIO DECIMA.

Anno à natiuitate Domini 1515. die Veneris 4. mēſis Maij, Indictione tertia, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno 3. fuit celebrata decima ſeſſio ſacroſancti Concilij generalis in Eccleſia Lateranen. in loco ſolito, in qua fuit præfatus ſanctiſſimus Domin⁹ noſter, & fuerunt præſentes infraſcripti reuerend. Cardinales, Patriarchę & Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac principum oratores, ac illuſtres domini & barones, videlicet:

Episcopi Cardinales.

Reuerendiſſ. dominus Raphael Oſtien.
Reuerendiſſ. D. Bernardinus Sabinen.
Reuerendiſſ. D. Dominicus Portuen.
Reuerendiſſ. D. Franciſcus Tiburtinen.
Reuerendiſſ. D. Marcus Præneſtinus.

Presbyteri Cardinales.

Reuerendiſſ. D. Franciſcus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli Surrentin.
Reuerendiſſ. D. Nicolaus tituli S. Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſ. D. Hadrianus tituli S. Chryſogoni.
Reuerendiſſ. D. Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennen.
Reuerendiſſ. D. Antonius S. Praxedis.
Reuerendiſſ. D. Petrus tituli S. Euſebij, Anconitan.
Reuerendiſſ. D. Achilles tituli S. Sixti.
Reuerendiſſ. D. Bandinellus tituli S. Sabinæ, de Saulis.
Reuerendiſſ. Dominus Laurentius titulij ſanctorū quatuor Coronatorum.

Diaconi Cardinales.

Reuerendiſſ. D. Fredericus de S. Seuerino, ſancti Angeli.
Reuerendiſſ. D. Hippolytus S. Luciæ in Silice.
Reuerendiſſ. D. Alexander S. Euſtachij, Farneſius.
Reuerendiſſ. D. Ludouicus S. Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſ. D. Marcus ſanctæ Mariæ in via lata, de Cornelijs.
Reuerendiſſ. D. Alphonſus S. Theodori.
Reuerendiſſ. Iulius S. Mariæ de Nauicul.
Reuerendiſſ. D. Bernardus S. Mariæ in porticu.
Reuerendiſſ. D. Innocentius ſanctorum Coſmæ & Damiani.

Patriarchae et assistentes Papæ Oratores.

Reuerendus pater D. Cæſar patriarcha Alexandrinus.
Reuerend. P. D. Franciſcus Conſanus.
Reuerend. P. D. Ioannes Vincentius Senen.
Reuerend. pater D. Gabriel Dyrrhachien.
Reuerend. pater D. Robertus Rheginus.
Reuerend. pater D. Bernardus Taruiſinus.
Reuerend. pater D. Ioannes Franciſcus Taurinen.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Cauallicen.
Reuerend. pater D. Pompeius Reatinus.
Reuerend. pater D. Andreas Militen.
Reuerend. pater D. Dominicus Lucerin.
Reuerend. pater D. Silueſter Vuigornien. epiſcopus orator Illuſt. regis Angliæ.
Reuerend. pater D. Ioannes archiepiſcopus Gneznen. orator Illuſtriſſ. Sigiſmundi Regis Poloniæ.
Reuerend. pater D. Ludouicus epiſcopus Maurianen. orator ducis Sabaudiæ.
Reuerend. pater D. Bertrandus epiſcopus Adrien. orator ducis Ferrariæ.

Archiepiscopi.

Reuerend. pater D. Stephanus Patracen.
Reuerend. pater D. Vincentius Neapolitan.
Reuerend. pater D. Hieremias Tranen.
Reuerend. pater D. Orlandus Auinionen.
Reuerend. pater D. Andreas*Mononalien.
Reuerend. pater D.*Gilbertus Surrentin.
Reuerend. pater D. Georgius Nazarenus.
Reuerend. pater D. Stephanus Gabriel Baren.
Reuerend. pater D. Andreas Spalaten.
Reuerend. pater D. Franciſcus Turritan.
Reuerend. pater D. Alexander Viennen.
Reuerend. pater D. Anthonius*Athanen.

Episcopi.

Reuerend. pater D. Iannotius Troianus.
Reuerend. pater D. Aloyſius Parentin.
Reuerend. pater D. Bartholomæus Iuſtinopolitan.
Reuerend. pater D. Ioannes Aquilan.
Reuerend. pater D. Iacobus Potentin.
Reuerend. pater D. Octauianus Viterbien.
Reuerend. pater D. Marinus*Teneten.
Reuerend. pater D. Hieronymus*Bondonen.
Reuerend. pater D. Iacobus Fauentin.
Reuerend. pater D. Ioannes*Cibinen.
Reuerend. pater D. Paris Piſaurien.
Reuerend. pater D. Alexius Melfitan.
Reuerend. pater D. Siluius Boianen.
Reuerend. pater D. Marinus*Calinen.
Reuerend. pater D. Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerend. pater D.*Valinus Placentinus.
Reuerend. pater D. Aloyſius Interamnen.
Reuerend. pater D. Franciſcus*Maneten.
Reuerend. pater D.*Marcus Vrgentin.
Reuerend. pater D. Iuſtinianus*Antmerinus.
Reuerend. pater D. Hugo*Rhegien.
Reuerend. pater D. Bartholomæus Montis viridis.
Reuerend. pater D. Aloyſius S. Marci.
Reuerend. pater D. Benedictus Chien.
Reuerend. pater D. Paulus Foroſempronien.
Reuerend. pater D. Christophorus Cæſenaten.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta*Maranen.
Reuerend. pater D. Petrus Caſtelli Maris.
Reuerend. pater D. Hieronymus*Ilcinen.
Reuerend. pater D. Ioannes Antonius Calinen.
Reuerend. pater D. Philippus*Adiaten.
Reuerend. pater D. Theſeus Racanaten.
Reuerend. pater D. Matthæus*Vmbriacen.
Reuerend. pater D.*Scabonius Imolen.
Reuerend. pater D. Gisbertus Rapollan.
Reuerend. P. D. Ioannes*Ariacen.
Reuerend. P. D. Auguſtinus Peruſin.
Reuerend. P. D. Tranquillus Ferentin.
Reuerend. P. D. Ioannes Baptiſta Veueren.
Reuerend. P. D. Ioannes Franciſcus Veſtanus.
Reuerend. P. D. Hercules Vrbeuetan.
Reuerend. P. D. Angelus*Britonorien.
Reuerend. P. D. Vincentius Signinus.
Reuerend. P. D. Petrus Paulus Eſinen.
Reuerend. P. D. Ioannes Baptiſta Anſaren.
Reuerend. P. D. Ioannes Baptiſta Caſertan.
Reuerend. P. D. Auguſtinus*Argien.
Reuerend. P. D.*Martinus Nucerinus.
Reuerend. P. D. Ioannes*Algeren.
Reuerend. P. D. Iacobus Marſicanus.
Reuerend. P. D. Natalis*Veglien.
Reuerend. P. D. Siluius*Comacen.
Reuerend. P. D. Valentinus Pennen.
Reuerend. P. D. Thomas*Leglunen.
Reuerend. P. D. Petrus*Sermen.
Reuerend. P. D. Lactantius Suanen.
Reuerend. P. D. Marcus*Cenoualien.
Reuerend. P. D. Laurentius*Dalamen.
Reuerend. P. D. Sixtus*Salucen.
Reuerend. P. D. Zacharias Terracinen.
Reuerend. P. D. Euangeliſta*Cathacen.
Reuerend. P. D. Iulianus Agrigentin.
Reuerend. P. D. Hieronymus Aſculan.

*Arianē. *Foropopulonien. *Agrien. *Guarrinus *Vrgellē. *Vigilen. *Comaclen. *Lechlingen. *Cenien. *Senogallien. *Dulcinen. *Salutiē. *Cacharen. *Catharinen.

Oratores.

Illuſtr. D. Albertus de Carpi, ſereniſſimi Maximiliani electi Imperatoris Orator.
Magnificus D. Ludouicus de Solier, Chriſtianiſſimi regis Franciæ orator.
Magnificus D. Hieronymus Vich, Catholici regis Hiſpanię orator.
Reuerend. P. D. Michael Brut, Illuſt. regis Portugaliæ orator.
Magnificus D. Marinus Georgius, Dominij Venetorum orator.
Magnificus D. Marinus Charatius, Illuſtr. ducis Mediolanen. orator.
Magnificus D. Franciſcus Victorius, Dominij Florentinorum orator.
Illuſt. D. Ioannes Filbertus de Palude, comes de Iaes, & Reuerend. pater D. Petrus de Baonia, Illuſtr. domini ducis Sabaudiæ oratores.

Senator, Conservatores, Illuſt. domini temporales.

Magnificus D. Iacobus Senator vrbis.
Illuſt. D. Proſper de Columna, dux Caniæ.
Illuſt. D. Marcus Antonius de Columna.
Illuſt. D. Ludouicus de Vrſinis, comes Petiliani.
Illuſt. D. Nicolaus Volſchi, miles Polonus.
Illuſt. D. Laurentius de Satmat.
Illuſt. D. Mutius de Columna.
Illuſt. D. Ioannes Franciſcus de Columna.
Magnificus D. Euangeliſta Magdalenæ, conſeruator vrbis.
Magnificus D. Marius de Creſcentijs, conſeruator vrbis.

Et quàm plures alij nobiles & milites Hieroſolymitan. Celebrata Miſſa per Reuerend. in Chriſto patrem Ioannem archiepiſcopum Gneznen. oratorem regis Polonię, & habita oratione per Reuerend. patrem D. Stephanum archiepiſcopum Patracen. quæ iuxta morem infrà ponetur. Et cantato Euangelio per Reuerendiſſ. D. Alexandrum S. Euſtachij diaconum Card. ſecundùm Matthæum, quod incipit, dixit Ieſus parabolam hâc, ſimile eſt regnum cœlorum homini regis &c. Et cantatis orationibus conſuetis, & hymno, Veni creator, per præfatū ſanctiſſimum dñm noſtrum præſcripti oratores Illuſt. ducis Sabaudiæ dederunt præfato ſanctiſſimo domino noſtro mandatum præfati Illuſt. ducis ad intereſſendum nomine ſuo in ſacroſancto Lateran. cōcilio.

Et

Et idem ſanctiſſimus dedit illud reuerendo patri domino Thomæ Phædræ legendum in ambone. Qui aſcendens amponem, legit illud alta & intelligibili voce. Quo perlecto, bræfati oratores acceſſerunt ad pedes ſanctitatis ſuæ, & genibus flexis, oſculati ſunt beatiſſimos pedes. Deinde excluſis illis qui de more intereſſe non debent, & clauſis portis concilij, reuerend. pater D. Bertrandus epiſcopus Adrien. aſcendit ambonem, & legit ſchedulam ſuper confirmatione montis pietatis. Cuius tenor talis eſt:

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante concilio. Inter multiplices noſtræ ſollicitudinis curas, illam in primis ſuſcipere pro noſtro paſtorali officio debemus, vt quæ ſalubria & laudabilia, ac catholicæ fidei cóſona, & bonis moribꝰ conformia, noſtro tẽpore nõ ſolùm enucleentur, verumetiã ad poſteros propagentur: & quæ materiã ſcandali prębere poſſent, penitùs ſuccidãtur, & radicitùs extirpentur, nec pullulare vſquàm ſinantur, ea in agro Dominico & vinea Domini Sabaoth duntaxat conſeri permittendo, quibꝰ fidelium mentes paſci ſpiritualiter poſſint, eradicatis zizanijs & oleaſtri ſterilitate ſucciſa. Sanè cũ olim inter nonnullos dilectos filios ſacræ Theologiæ Magiſtros, ac iuris vtriuſq; Doctores, controuerſiam quandã non ſine populorum ſcãdalo & murmuratione exortam, & nuper his diebus innouatã eſſe compererimus circa pauperum reuelationem, in mutuis eis publica authoritate faciendis, qui Montes Pietatis vulgò appellantur, quiq; in multis Italiæ ciuitatibus ad ſubueniendũ per huiuſmodi mutuum pauperum inopiæ, ne vſurarũ voragine deglutiantur, à ciuitatum magiſtratibꝰ & alijs Chriſti fidelibꝰ ſunt inſtituti, atq; à ſanctis viris diuini verbi præconibus & laudati, & perſuaſi, ac à nõnullis etiam ſummis Pontificibus prędeceſſoribus noſtris probati & confirmati, ſintne præfati montes à Chriſtiano dogmate diſſonantes, vel non, vtraque parte diuerſimodè ſentiente atq; prædicante. Nonnullis enim magiſtris & doctoribus dicentibꝰ eos montes non eſſe licitos, in quibus aliquid vltra ſortem pro libra, decurſo certo tempore per miniſtros huius montis ab ipſis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab vſurarũ crimine iniuſtitiave, ſeu ab aliqua certi ſpecie mali

Luc.6.

mundos non euadere, cùm Dominus noſter, Luca euangeliſta atteſtante, aperto nos præcepto obſtrinxerit, ne ex dato mutuo quicquam vltra ſortem ſperare debeamus. Ea enim propria eſt vſurarũ interpretatio, quã videlicet ex vſu res, quę nõ germinat, nullo labore, nullo ſumptu, nullove pe-

*fœtusq́

riculo, lucrũ *fœtusq; conquiri ſtudetur. Addebant etiã ijdẽ magiſtri & doctores, in his montibus, neque commutatiuę neq; diſtributiuæ iuſtitiæ fieri ſatis, cùm tamen iuſtitiæ terminos cõtractus huiuſmodi excedere nõ debeant, ſi debeãt approbari: idq; intereà probare nitebantur, quia impenſæ pro huiuſmodi mõtium conſeruatione à pluribus (vt aiunt) debitæ, à ſolis pauperibus, quibus mutuũ datur, extorqueantur: pluraq; interdum vltra neceſſarias & moderatas impenſas, non abſq; ſpecie mali ac incentiuo delinquendi, quibuſdam alijs perſonis (vt inferre videntur) exhibeantur. Alijs verò pluribus magiſtris & doctoribus contrà aſſerentibus, & in multis Italiæ Gymaſijs verbo & ſcriptu conclamanti-

*tanque

bus pro tanto bono, *tanquàm reipublicæ pernece ſſario, modò ratione mutui nihil petatur, neque ſperetur: pro Indemnitate tamen eorundem montium, impenſarum videlicet miniſtrorum eorũdem ac rerum omnium ad illorum neceſſariam conſeruationem pertinentium, abſq; mõtium huiuſmodi lucro, idq; moderatum & neceſſariũ ab his, qui ex huiuſmodi mutuo cõmodum ſuſcipiunt, licitè vltra ſortem exigi & capi poſſe non nihil licere, cùm regula Iuris habeat, quòd qui cõmodum ſentit, onus quoq; ſentire debeat, præſertim ſi Apoſtolica accedat authoritas. Quam quidem ſententiam à fe. re. Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II. Rom. Pontificibus prædeceſſoribus noſtris probatam, à ſanctis quoq; ac Deo deuotis, & in magna ob ſanctitatis opinioné exiſtimatione habitis euangelicę veritatis prædicatoribꝰ prædicatã eſſe oſtendunt. Nos ſuper hoc (prout nobis eſt ex alto cõceſſum) opportunè prouidere volentes, alterius quidé partis, iuſtitiæ zelum, ne vorago aperiretur vſurarum, alterius, pietatis & veritatis amorem, vt pauperibus ſubueniretur: vtriuſque verò partis ſtudium cõmendantes, cùm hæc ad pacem & tranquillitatem totius reipublicæ Chriſtianæ ſpectare videantur, ſacro approbante concilio, declaramus & diffinimus, montes pietatis antedictos per reſpublicas inſtitutos, & authoritate ſedis Apoſtolicæ hactenùs probatos & confirmatos, in quibꝰ pro eorum impenſis & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſeruationem (vt præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, vltra ſortem abſq; lucro eorundem montium recipitur, neque ſpeciem mali præferre, nec peccandi incentiuum præſtare, neque vllo pacto improbari, quinimmò meritorium eſſe, ac laudari & probari debere tale mutuum, & minimè vſurarium putari, licereque illorum pietatem & miſericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentijs à ſancta ſede Apoſtolica eam ob cauſam cóceſſis. Ac deinceps alios etiam ſimiles montes cum Apoſtolicæ ſedis approbatione erigi poſſe: multò tamen perfectius, multoq; ſanctius fore, ſi omninò tales montes gratuiti conſtituerentur, hoc eſt, ſi illos erigentes, aliquos cenſus aſſignarent, quibus ſi non omni, ſaltem vel media ex parte huiuſmodi montium miniſtrorum ſoluantur impenſæ, vt ad leuiorem æris ſoluendi portionem medio hoc pauperes grauari cõtingat, ad quos, cum huiuſmodi cenſus aſſignatione, pro impenſarum ſupportatione erigendos, Chriſti fideles maioribus indulgentijs inuitãdos eſſe decernimus. Omnes autem religioſos & eccleſiaſticas ac ſeculares perſonas, qui contra pręſentis declarationis & ſanctionis formam decæterò prædicare ſeu diſputare verbo vel ſcriptis auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam, priuilegio quocunque non obſtante, incurrere volumus: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, diffinitionis, decreti & excommunicationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateran. ſacroſancta baſilica ſoléniter celebrata, anno Incarnationis Dominicæ 1515. quarto Non. Maij, pontificatus noſtri anno tertio.

Qua perlecta petijt, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et interrogati perſcrutatores votorum reſponderunt placere contenta in ſchedula excepto reuerendo patre domino Hieremia Archiepiſcopo Tranen. qui dixit, non placere, quia didicit per experientiam, quòd præfati montes ſunt plus damnoſi quàm vtiles. Deinde reuerendus pater D. Bernardus epiſcopus Taruiſinus aſcendit ambonem, & legit contra exemptos ſchedulam & alias materias, eccleſiaſticam libertatem & dignitatem epiſcopalem concernentes, cuius tenor talis eſt:

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante concilio. Regimini vniuerſalis Eccleſiæ (diſponente Domino) præſidente, iuxta paſtoralis officij debitum, libenter intendimus vtilitatibus ſubditorum, & ad conſeruandam libertatem eccleſiaſticam & remouenda ſcãdala, ponendam concordiam, & nutriẽdam quietem inter eccleſiarum prælatos & eorum ſubditos, eo propenſiùs Apoſtolicæ ſolicitudinis ſtudium adhibemus, quo diſſenſionem talium fore diſpẽdioſam experimento comprobatur: necnon indulta pariter & priuilegia eiſdem ſubditis in ipſorum prælatorum diſpendium, tam per prædeceſſores noſtros, quã ſedem apoſtolicam conceſſa, ita libenter moderamur, ne exinde ſcãdala procedant, neve ex eis vlli detur materia malignandi, & perſonæ eccleſiaſticæ à bono obedientiæ, necnon diuini perſeuerantia ſeruitij nullatenùs retrahantur. Sanè nuper ad noſtrum relatio fide digna perduxit auditũ, quòd canonici Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium & collegiatarũ eccleſiarũ & alij clerici ſeculares plura præſumunt, quę ipſis infamiam non paruã pariunt, & alijs inferunt læſioné prætextu exemptionis & libertatis à dicta ſede obtẽtę, ordinariorumq; correctiones & ordinationes ſubterfugiunt, ac eorũ forum ſiue iudicium declinant. Nonnulli etiam impunitatem ſuorum

ceſſuum propter priuilegium exemptionis obtinere ſpe-
ntes, exceſſus ipſos cómittere non verentur, quos, niſi per
emptioné, qua gaudent, crederent ſe defendi, nullatenùs
ſſent commiſſuri. Hinc itaq; accidit, vt propter eorum
daciam, qui prætextu priuilegij exemptionis, impunitatem
ceſſuum obtinere confidentes, nonnulla multoties com-
ittant enormia, per quæ plurimum diffamatur eccleſia, &
andala grauia generátur, potiſſimè auté cùm talia per eos,
quos horum ſpectat correctio, incorrecta remaneát, ſeu
i, ad quos ſpectat, illa punire negligunt: Nos volentes, ne
prætextu delicta remaneant impunita, morbo huiuſmo-
neceſſariam adhibere medelam, ſacro approbante conci-
ſtatuimus, vt decæterò illi, quibus exemptorú correctio
punitio à dicta ſede demandata eſt, circa illam vigilanter
tendát, & diligenter officij ſibi cómiſſi debitum exequan-
ur. Et quamprimùm eis, exemptos ipſos deliquiſſe, legiti-
mè conſtiterit, ita eoſdem exemptos delinquentes puniant,
uòd ijdem exempti metu pœnæ à ſuis arceátur inſolentijs,
alij eorum exemplo perterriti, proſilire ad ſimilia meritò
erhorreſcant. Et ſi circa hoc negligentes fuerint, Diœceſa-
i, & alij locorum Ordinarij eoſdem, quibus exemptorum
orrectio huiuſmodi cópetit, perſonaliter ſi illorum copia
& notitia haberi poterit: alioquin, vel ſi nullus in partibus
xemptorum ipſorum certus iudex fuerit, eos quorum ſua
n præmiſſis intereſſe putauerint, per edictum publicú Ca-
thedralium ſeu aliarú eccleſiarum locorú, in quibus exem-
ptorum iudices huiuſmodi reſidere, ſeu nullis eorundé ex-
emptorum iudicibus exiſtétibus, ipſos exemptos deliquiſſe
contigerit, valuis affigendum, moneant, vt ipſi tales exem
ptos delinquentes & criminoſos puniant & caſtigent infra
cópetentem terminum, monentium ipſorum arbitrio mo-
derandum. Et ſi ipſi moniti in hoc negligentes fuerint, & id
adimplere neglexerint, ſeu recuſauerint, tunc, vt in eo, quo
deliquerint, puniantur, cognitione huiuſmodi ea vice ſint
priuati, & ſe non intromittant vllatenùs de eiſdem: ſed diœ-
ceſani & alij locorum ordinarij huiuſmodi, cótra tales exem
ptos delinquétes & criminoſos authoritate noſtra ad inqui-
ſitionem, vel p accuſationem ſine aliquibus tormentis pro-
cedere, & teſtes per ſeipſos examinare poſſint, ac proceſſum
ipſum, qué ratione ſolennitatis iuris, præterq̃ ratione cita-
tionis omiſſæ (dummodò delictú aliàs ritè probatú fuerit)
nullum allegari vel dici poſſe prohibeamus, ſed per eos habi-
tum, clauſum, & eorum ſigillo munitú, ad ſedis apoſtolicæ
examen, ipſorum exéptorum delinquentiú expenſis, etiá in
ipſo proceſſu factis, ad quarum ſolutioné ordinarij ipſi poſ-
ſint eoſdé inquiſitos & accuſatos cópellere, per propriú vel
alium nuncium, quáto citiùs deſtinare procurent, apud ean-
dem ſedem per Rom. Pótificem vel alium, cui duxerit com
mittendum, diligenter examinandum, & ita culpabiles re-
pertos, quòd ad condemnationem vel propter ſufficientia
indicia, propter quæ ad torturá pro veritate exquiréda pro-
cedi valeat, ad ipſos diœceſanos, ſeu ordinarios per eos au-
thoritate noſtra in cauſa inquiſitionis ſeu accuſationis vlte-
riùs legitimè procedendum, & cauſam ipſam, prout iuſtum
fuerit, terminandá remittendum. Notarij autem dictę ſedis.
quorú officium in ipſis primitiuę eccleſię initijs à fe. re. Cle-
mente Papa I. ad ſanctorum geſta perquirenda atq; cóſcri-
benda noſcitur inſtitutum, ad protonotariatus officium aſ-
ſumpti, habitum & * rochetum deferétes, & alij noſtri & di-
ctæ ſedis officiales, actu ſua officia exercentes, tam in ciuili-
bus, quàm in criminalibus ab omni ordinariorum iuriſdi-
ctione ſint exempti. Alij verò notarij habitum protonota-
riatus non deferentes, niſi illum infra trimeſtre, poſt præ-
ſentium publicationem aſſumpſerint, & ipſi ac alij in poſte-
rum aſſumendi, habitum & rochetum huiuſmodi continuè
nó geſtantes, atq; alij noſtri & dictæ ſedis officiales, officia
ſua actu non exercentes, tam in criminalibus quàm in ciui-
libus ratione cauſæ ſummam 25. ducatorum auri de camera
non excedétis duntaxat, eorundem diœceſanorum & ordi
nariorum iuriſdictioni ſubiaceant. In ciuilibus verò cauſis
ſummá huiuſmodi excedentibus, plena gaudeát exemptio-
ne, & à dictorum diœceſanorum & ordinariorum iuriſdi-
ctione penitùs ſint exépti. Dignum quoq; & etiá cógruum
arbitrantes, quòd ex ſanctæ Romanę Eccleſię Cardinalium
familiaribus illi duntaxat priuilegio exemptionis gaudeát,
qui actu domeſtici & continui ſunt cómenſales, vel ab eiſdé
Cardinalibus ad ipſorum exequenda negotia miſſi, vel qui
recreationis cauſa ad tépus à Romana curia abſentes fuerint.
Cæteris verò, etiá familiaritatis literas habentibus, quo mi-
nus coercitioni diœceſanorum & ordinariorum eorúdem
ſubiaceant, familiaritatis huiuſmodi priuilegium nullatenus
ſuffragetur. Et cùm eiſdem diœceſanis, vt monaſteria mo-
nialium ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, in eorú diœ-
ceſibus cóſiſtentia, ſemel in anno viſitare poſſint, p conſti-
tutioné in Concilio Viennenſi editá, quæ incipit, Attenden
tes, plena fuerit data facultas: illá innouamus, ac exemptio-
nibus & priuilegijs quibuſcunq; non obſtantibus, diſtrictè
ſeruari præcipimus & mandamus. Per præmiſſa quoque eiſ-
dem diœceſanis & ordinarijs, caſibus quibus in exemptos à
iure iuriſdictio conceſſa eſt, nullatenùs præiudicium gene-
retur. Exemptiones autem decæterò abſq; rationabili cauſa,
& quorum intereſt, minimè citatis, pro tempore conceſſas,
nullius roboris & momenti eſſe decernimus. Et cùm eccle-
ſiaſticus ordo confundatur, ſi ſua vnicuiq; iuriſdictio non
ſeruetur, ordinariorum iuriſdictioni (quantú cum Deo poſ-
ſumus) fauere, ac litibus finem celeriùs imponi, & litigátium
immoderatis ſumptibus & expenſis parci ſatagentes, ſtatui-
mus & ordinamus, q ſingulæ cauſæ, tam ſpirituales, quàm
ciuiles & mixtæ, ac forum eccleſiaſticú quomodolibet con-
cernentes, & beneficiales dummodò beneficia ipſa genera-
liter reſeruata non fuerint, & ipſorum ſingulorum benefi-
ciorum fructus, redditus & prouentus, 24. ducatorum auri
de camera ſecúdum cómunem extimationem valorem an-
num non excedant, in prima inſtantia extra Rom. curiam,
& in partibus coram ordinarijs locorum duntaxat cognoſci
& terminari, ita q nulli ante diffinitiuam ſententiam liceat
appellare, nec appellatio (ſi fuerit emiſſa) vllatenùs admitti,
niſi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitiuæ, vel à gra
uamine minimè concernente negotium principale, quod p
appellationem à diffinitiua ſentétia reparari non poſſit: niſi
alter collitigátium aduerſarij ſui potentiam meritò perhor-
reſcens, ſeu alia probabili & honeſta cauſa, aliter quàm per
proprium iuramentum ſaltem ſemiplenè probata, corá or
dinario non auderet litigare. Eo enim caſu cauſæ ipſæ, etiam
appellationum, in dicta curia, etiam in prima inſtantia, com
mitti & cognoſci & terminari poſſint. Alioquin appellatio
nes, & illarum etiam aliarum cauſarum huiuſmodi commiſ
ſiones in poſterum, & quicquid inde ſecutum fuerit, nullius
ſint roboris vel momenti. Iudices autem & conſeruatores à
ſede Apoſtolica deputati, ſi in altero iurium graduati non
fuerint, aſſeſſorem partibus non ſuſpectum, ab ipſis partibus
vel earum altera requiſiti, aſſumere, & ſecundùm eius rela-
tionem iudicare teneantur. Et quia ſæpiùs & multiplici rela-
tione percepimus, quáplurimas eccleſias, & illis pręſidentes
epiſcopos, tam citra quàm vltra mótes, vexari in eorum iu-
riſdictionibus, iuribus & dominijs, ac turbari à domicellis,
principibus & nobilibus eorundem, qui ſub colore iuriſpa-
tronatus, quod in beneficijs eccleſiaſticis habere cófingunt,
nullo priuilegio Apoſtolico ſuffulti, ſine ordinariorum col
lationibus & literis, & abſq; aliquo ſaltem colorato titulo
beneficia non ſolùm clericis ſed etiam laicis conferre, ſacer-
dotes & clericos delinquentes ad eorú libitum punire, deci-
mas omniú rerum, ad quarum ſolutionem de iure tenétur,
ad Cathedralium, & alia, quæ legis diœceſanæ & iuriſdictio-
nis ſunt, & ad ipſos Epiſcopos duntaxat pertinent, temerè
auferre, fraudare, vſurpare, ſeu vt præmiſſa fiant, mandare,
ac ipſa & fructus quoſcunque, ne à ciuitatibus, terris & locis
eorum extrahantur, prohibere: feuda, poſſeſſiones & præ-
dia occupare, & indebitè detinere, ſeu ad feuda & bona ip-
ſarum eccleſiarum eis concedendum, ac beneficia eccleſia-
ſtica per eos nominatis conferendum, animis & terroribus
ac alijs vijs indirectis inducere & compellere, & alia quam-
plurima damna, iacturas, & iniurias eccleſijs & earum præ-
latis, ac clericis præfatis referri, non modò permittere, ſed
etiam expreſsè mandare præſumant. Attendentes igitur,
quòd laicis in clericos & perſonas eccleſiaſticas, ac bona ec-
cleſiaſtica non eſt attributa facultas, atque ęquum & iuſtum
eſſe, vt in eos iura inſurgant, quia illa offendere pręſumunt:
necnon conſiderantes, quantum ex his tam noſtro & Apo-
ſtolicæ ſedis honori, quàm perſonarum eccleſiaſticarum

quieto

quieto & proſpero ſtatui, non ſine damnanda pernicie derogetur: *accipientes eos, quos ad obſeruantiam iurium, virtutum pręmia non inducunt, tam adiectarum exaggeratione pœnarum, quàm adijciendarum de nouo formidine à temerarijs auſibus refrenare, omnes & ſingulas conſtitutiones, quæ ſuper decimarum ſolutione, & contra violatores & raptores eccleſiarum, & incendiarios, agrorum depopulatores, & tam S.R.E. Cardinales, quàm venerabiles fratres noſtros epiſcopos, & alias perſonas eccleſiaſticas, ſæculares & regulares capientes, detinentes, & eorum iuriſdictionem & iura quomodolibet indebitè occupantes, aut eos in eorum iuriſdictionis exercitio perturbantes ſeu moleſtantes, eos quoq; ad conferendum beneficia eccleſiaſtica perſonis per eos nominatis, aut aliàs de illis pro eorum libito voluntatis diſponendum, & feuda ac bona eccleſiaſtica in emphyteuſim concedendum, aut aliàs vendendum temerè compellentes, nec non ſtatuta contra libertatem eccleſiaſticam facientes, & ad præmiſſa auxilium, conſilium vel fauoré præſtantes hactenus emanârunt, innouamus. Et cùm ea, nedum iuri contraria, ſed etiam eccleſiaſticæ libertati opprobrioſa ſint quamplurimùm & aduerſa, vt de officio nobis credito dignam Deo poſſimus reddere rationem, affectibus & monitis paternis Imperatoré, reges, principes, duces, marchiones, comites, barones, & quoſcunque alios alterius cuiuſcunque nobilitatis, præeminentiæ, potentiæ ſeu poteſtatis, excellentiæ vel dignitatis exiſtentes, attentè hortamur in Domino, eiſdem in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, vt ipſi conſtitutiones prædictas obſeruét, & faciant à ſuis etiam ſubiectis inuiolabiliter obſeruari, quacunque conſuetudine contraria non obſtante, ſi diuinam offenſam & ſedis Apoſtolicæ debitam vitare voluerint vltionem. Ac collationes de dictis beneficijs ſic factas, nullas & irritas nihilominùs eſſe decernimus: ac illis vtentes, reddantur inhabiles ad alia beneficia eccleſiaſtica obtinenda, donec cum eis ſuper hoc per ſedem prædictam fuerit diſpenſatum. Maturè quoque conſiderantes, quòd poſt Chriſti ad cœlos aſcenſioné, Apoſtoli per ſingulas vrbes & diœceſes epiſcopos diſtribuerint, ſicut ſancta Romana eccleſia per orbem conſtituit, eoſdem epiſcopos in partem ſolicitudinis vocando, onera gradatim diſtribuendo per patriarchas, primates, Archiepiſcopos & epiſcopos: ac ſacris etiam canonibus fuerit diffinitum, per eos pro morum correctione, & controuerſiarum deciſione & determinatione, ac mandatorum Domini obſeruatione, fieri debere Concilium prouinciale, ac ſynodum epiſcopalem, vt deprauata corrigerentur, & illa facere negligentes, canonicis pœnis ſubiacerent: cùm conueniat, nos circa ea quæ rempublicam Chriſtianam concernunt, eſſe intentos, deſiderantes canones ipſos firmiter obſeruari, eiſdé patriarchis, primatibus, Archiepiſcopis & epiſcopis diſtrictè iniungimus, vt de officio eis commiſſo dignam Deo poſſint reddere rationem, canones, Concilia & ſynodos, huiuſmodi fieri mandantes, quocunque priuilegio non obſtante, inuiolabiliter obſeruent, præterquam quò ad Concilium prouinciale, quod de cæterò ſingulis triennijs fieri mandamus, ad illaque etiam exemptos accedere debere decernimus, priuilegio ac conſuetudine quacunq; contraria non obſtantibus. Circa hoc autem negligentes, pœnas in eiſdem canonibus contentas ſe nouerint incurſuros. Et conſtitutione in Concilio Viennenſi edita, quæ inciperet, In pleriſque, vt Pontificiæ dignitatis honor ſeruaretur, ſtatutum fuerit, ne eccleſijs Cathedralibus bonis temporalibus, ſine quibus ſpiritualia diu eſſe non poſſunt, priuatis, ac clero & populo Chriſtiano carentibus, de aliquibus perſonis præſertim religioſis prouideretur, conſtitutionem ipſam innouamus, illamque inuiolabiliter obſeruari debere volumus atq; mandamus, niſi aliqua iuſta cauſa, in conſiſtorio noſtro ſecreto approbanda aliter duxerimus faciendum. Nos enim quicquid contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum contigerit attentari, irritum decernimus & inane, contraria quacunque conſtitutione vel priuilegio non obſtante. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, prohibitionis, præcepti, conſtitutionis, ordinationis, hortationis, iniunctionis, innouationis, voluntatis, mandati & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Data Romæ in publica ſeſſione in Lateranen. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1515. 4. Nonas Maij, Pontificatus noſtri anno tertio.

Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis cõtenta in ſchedula. Et omnes reſponderunt placere, dempto præfato reuerendo patre domino Hieremia Archiepiſcopo Tranenſ. qui dixit, non placere inquantum ſchedula dat ordiné, quòd epiſcopi contra exemptos debeant formare proceſſus, & mittere ad curiam.

Poſtmodùm verò reuerendus pater dñs Franciſcus epiſcopus Nannetenſis aſcendit ambonem, & legit ſchedulam ſuper impreſſione librorum, cuius tenor talis eſt:

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, ad futuram rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Inter ſolicitudines noſtris humeris incumbentes, perpeti cura reuoluimus, vt errantes in viam veritatis reducere, ipſoſq; lucrifacere Deo (ſua nobis cooperante gratia) valeamus. Hoc eſt quod profectò deſideranter exquirimus, ad id noſtræ mentis ſedulò deſtinamus affectum, ac circa illud ſtudioſa diligentia vigilamus. Sanè licèt literarum peritia per librorum lectionem poſſit faciliter obtineri, ac ars imprimẽdi libros temporibus potiſſimùm noſtris, diuino fauente numine, inuenta ſeu aucta & perpolita, plurima mortalibus attulerit commoda, cùm parua impenſa copia librorum maxima habeatur, quibus ingenia ad literarum ſtudia percommodè exerceri, & viri eruditi in omni linguarum genere, præſertim autem Catholici, quibus ſanctam Romanam eccleſiam abundare affectamus, facilè euadere poſſunt, qui etiam infideles ſciant & valeant ſacris inſtitutis inſtruere, fideliumque collegio per doctrinam Chriſtianæ fidei ſalubriter aggregare: quia tamé multorum querela noſtrum & Apoſtolicæ pulſauit auditum, quòd nonnulli huius artis imprimendi magiſtri, in diuerſis mundi partibus libros, tam Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ & Chaldææ linguarum in Latinum in tranſlatos, quàm alios, Latino ac vulgari ſermone editos, errores etiam in fide ac pernicioſa dogmata etiam religioni Chriſtianæ contraria, ac contra famam perſonarum etiam dignitate fulgentium continentes, imprimere, ac publicè vendere præſumunt, ex quorum lectura non ſolùm legentes non ædificantur, ſed in maximos potiùs, tam in fide, quàm in vita & moribus prolabuntur errores, vnde varia ſæpè ſcandala (prout experientia rerum magiſtra docuit) exorta fuerunt, & maiora indies exoriri formidantur. Nos itaque ne id, quod ad Dei gloriam & fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem ſalubriter eſt inuentum, in contrarium conuertatur, ac Chriſti fidelium ſaluti detrimentum pariat, ſuper librorum impreſſione curam noſtram habendam fore duximus, ne de cæterò cum bonis ſeminibus ſpinæ coaleſcant, vel medicinis venena intermiſceantur. Volentes igitur de opportuno ſuper his remedio prouidere, hoc ſacro approbante Concilio, vt negotium impreſſionis librorum huiuſmodi eò proſperetur feliciùs, quò deinceps indago ſolertior diligentiùs & cautiùs adhibeatur, ſtatuimus & ordinamus, quòd de cæterò perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem, ſeu aliam quamcunque ſcripturam, tam in vrbe noſtra, quàm alijs quibuſuis ciuitatibus, & diœceſibus imprimere, ſeu imprimi facere præſumat, niſi prius in Vrbe per vicarium noſtrum, & ſacri palatij magiſtrum, in alijs verò ciuitatibus & diœceſibus per epiſcopum vel alium habentem peritiam ſcientiæ, libri, ſeu ſcripturæ huiuſmodi imprimendæ ab eodem epiſcopo ad id deputandum, ac inquiſitorem hæreticæ prauitatis ciuitatis ſiue diœceſis, in quibus librorum impreſſio huiuſmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria ſubſcriptionem, ſub excommunicationis ſententia gratis, & ſine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem ſecùs præſumpſerit, vltra librorum impreſſorum amiſſionem & illorum publicam combuſtionem, ac centum ducatorum fabricæ Principis Apoſtolorum de Vrbe ſine ſpe remiſſionis ſolutionem, ac anni continui exercitij impreſſionis ſuſpenſionem, excommunicationis ſententia innodatus exiſtat, ac de-

mum ingraueſcente cótumacia taliter per epiſcopum ſuum vel vicarium noſtrum reſpectiuè per omnia iuris remedia caſtigetur, quòd alij eius exemplo ſimilia minimè attentare præſumant.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Data Romę in publica ſeſſione, in Lateranen. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicę 1515. quarto Nonas Maij, Pontificatus noſtri anno tertio.

Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et reſponderunt omnes placere, excepto reuerendo patre domino Alexio epiſcopo Melfitano, qui dixit, placere de nouis operibus, non autem de antiquis.

Deinde reuerendus pater dominus Petrus, epiſcopus Caſtelli maris, aſcendit ambonem, & legit ſchedulam ſuper præfixione termini contra profitentes pragmaticam ſanctionem, & ſuper indictione vndecimæ ſeſſionis, cuius tenor talis eſt:

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, ad futuram rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Cùm inter alia in hoc ſacro Concilio expedienda, quid ſuper ſanctione, per nonnullos pręlatos Gallicæ nationis, tam clericos quàm laicos etiam nobiles, ac alios illis fauentes, quam ipſi pragmaticam vocant, edita, determinandum & declarandum foret, expedire & declarare ſummoperè deſideraremus, prout etiam felicis recordationis Iulius Papa Secundus prædeceſſor noſter huius Concilij indictor deſiderabat, & prælati & alij clerici ac laici præfati, ad comparendum tam coram pręfato Iulio prædeceſſore, quàm nobis pluries citati fuerint, & eorum contumacia in dicto Concilio ſæpiùs allegata, ſeu accuſata extiterit: cumq; poſtmodùm pro parte prælatorum, clericorum, & laicorum etiam nobilium, ac fautorum prædictorum, ad hoc (vt præfertur) legitimè vocatorum, allegatum fuerit, nullum locum, per quem tranſeundum eſſet, vt tutè venire ad comparendum in dicto Concilio poſſent, habere: nos, ne eo prætextu quoquo modo ſe excuſare poſſent, à communitate Ianuenſium, per quorum loca tutè ad Romanam curiam, ad allegandum ea, quæ in huiuſmodi cauſa pragmaticæ allegare voluerint, venire poſſint, amplum ſaluum conductum concedi curauimus, & eiſdem aſſignari. Et ne aliquid ampliùs contra præmiſſa allegare, & iuſtam poſſint prætendere ignorantiam, clericos & laicos etiam nobiles, etiam pręlatos & fautores, clericorumq; ac ſęcularium collegia, ad eorum contumaciam conuincendam, ſacro approbãte Concilio, de nouo pro vltimo & peremptorio termino requirimus & monemus, vt ante Kalendas Octobris proximè futuri, omni excuſatione & dilatione ceſſantibus, legitimè comparere debeant, quem terminum & dilationem huiuſmodi, ex cauſis prædictis ad omnes accuſationes tollendas, ad dictam diem Kalendas Octobris pro vltima & peremptoria dilatione (vt præfertur) prorogamus, & de nouo concedimus & aſſignamus. Quo termino elapſo, ad vlteriora & terminationem dicti negotij etiam diffinitiua ſententia procedetur, eorum contumacia & non comparitione minimè obſtantibus, in prima extunc futura ſeſſione, quam ad hoc & alia quamplura vtilia peragenda, videlicet vndecimam ſeſſionem, quę erit die quartadecima Decemb. poſt feſtum B. Luciæ proximè futurum, præfato ſacro approbante Concilio, indicimus.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrarum requiſitionis, monitionis, prorogationis, cóceſſionis, aſſignationis & indictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationé omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romę in publica ſeſſione, in Lateran. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimoquinto, quarto Nonas Maij, pontificatus noſtri anno tertio.

Qua perlecta, magnificus dominus Ludouicus de Solier, orator Chriſtianiſſimi regis Franciæ acceſſit ad pedes ſanctitatis ſuę, & dixit in excuſatione profitentium pragmaticam ſanctionem, quòd prælati Franciæ fuerunt impediti per inimicos Francorum, non verentes cenſuras contentas in bulla cœnæ Domini, & ideò ſanctitas ſua habuit eos aliàs excuſatos. Cùm igitur de præſenti eodem impedimento detenti ſunt, & non audeant venire, quia inter Delphinatum & Lombardiam eſt periculum, quare pro parte eorum ſupplicatur ſanctitati ſuæ, vt habeat eos nunc excuſatos. Et cùm dabitur eis tutus acceſſus, offerunt ſe venire ad Concilium, & allegare de iuribus ſuis. Et idem magnificus orator dedit ſchedulam tenoris infraſcripti:

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO D. N. PAPAE.

PATER beatiſſime, nouit optimè ſanctitas veſtra, & nos Chriſtianiſſimi regis oratores apud eandem fidem facimus, prælatos eccleſiæ Gallicanæ ad pedes & imperium ſanctitatis veſtræ, & ad ſacrum Concilium venientes, prohibitos fuiſſe, ac impeditos comminationibus, & detectis inſidijs inimicorum regis eiuſdem Chriſtianiſſimi, non verentium cenſuras & pœnas in bulla cœnæ Domini compręhenſas: & ideò iure ac meritò Beatitudo veſtra tunc prælatos illos excuſatos habuit. Non enim citatum legimus quenquam teneri ſe periculis committere maris, latronum, itinerum & inimicorum. Cùm igitur pater beatiſſime, eodẽ notorio impedimento perdurante, maximè inter Delphinatum & Liguriam & Lombardiam, prælati ipſi ad hoc ſacrũ Concilium venire potuerint, non etiam venturi ſint, donec liberè liceat & expeditè, ſupplicatur humiliter pro parte illius Gallicanæ Eccleſiæ, quòd & nunc ſanctitati veſtræ placeat illam, eoſdemque prælatos excuſatos habere: & ita pro ſua prudentia ſolita prouidere, quòd tutus eſſe poſſit acceſſus ac expeditus ad eandem ſanctitatem & ſacrum Concilium: tunc etenim & quamprimùm ad ſanctitatis veſtræ pedes prælati ipſi, aut alij dictæ eccleſiæ nomine venient, imò obtemperaturi eiuſdem imperio, [illegible] ſanctæ ſedis Apoſtolicæ: alioquin per illos non ſtabit, prout nec ſtat, quò minùs adueniant. Cæterùm, pater beatiſſime, pro exoratione Ludouici de Solerijs, oratoris regis Chriſtianiſſimi, qui has offert, ſupplicatur humilimè, vt placeat iubere notarijs omnibus & ſingulis in præſenti Concilio & ſeſſione aſſiſtentibus, quos rogat, quòd de excuſatione huiuſmodi, declaratione, oblatione, vnà cum decreto ſanctitatis veſtræ actum ſumant, & inde inſtrumétum conficiant, eidem oratori expediendum ad eccleſiæ Gallicanæ & aliorum, quorum intereſſe poterit, vberiorem cautelam.

Eiuſdem Sanctitatis veſtræ humilimus
Seruitor, Chriſtianiſſimi Francorum
regis orator Loys de Soliers.

Præfatus ſanctiſſimus dominus noſter reſpondit præfato oratori, quòd ex prouincia Prouinciæ erat facilis & tutus tranſitus per Ianuam, & quòd prouiderat de ſaluo conductu Ianuenſ. & eis mandauerat tradi, & ſi opus eſſet, prouideret de meliori & tutiori ſaluo conductu, & propterea volebat ſanctitas ſua, quòd ſchedula prædicta ſtaret in ſuo robore.

Deinde præfatus reuerendus pater dominus Petrus epiſcopus Caſtelli maris petijt, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et reſponderunt omnes placere, dempto reuerendo domino Iacobo epiſcopo Potentino, qui dixit non placere, quòd detur iſte terminus profitentibus pragmaticam, quia contemnunt bullas, & mandata Apoſtolica.

Demùm dominus Marius de Peruſchis, ſacri Concilij procurator accuſauit contumaciam non intereſſentium, in Concilio intereſſe debentium. Et petijt per ſanctitaté ſuam declarari. Et pręfatus dominus noſter declarauit, niſi ad primam comparerent. Et hæc fuerunt pro decima ſeſſione.

Fuerunt inſuper data mandata infraſcripta per procuratores infraſcriptos, excuſando principales ſuos, videlicet reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus de Ruuere epiſcopus Taurinen. dedit mandatum reuerendi patris domini Ioannis de Sabaudia epiſcopi Gebennenſ. Et venerabilis

vir dominus Humbertus Caneti, dedit mādatum reuerendi patris dn̄i Archiepiſcopi Tarentinenſis. Et dominus * Zudfeldus Vuardemberch dedit mandatum reuerendi patris domini Ioannis epiſcopi Hauelbergenſ. Et reuerendus pater dominus Gisbertus epiſcopus Kapollan. dedit mandatum reuerendi patris domini Ioannis Baptiſtæ epiſcopi Valuen. & Sulmonen. Et reuerendus pater dominus Ioannes Archiepiſcopus Gneznenſ. dedit mandatum reuerendi patris D. Fabiani epiſcopi Narnienſis. Et diſcretus D. Ludouicus Molon clericus Cæſarauguſtan. dedit mandatum reuerendi patris domini Ludouici epiſcopi Ampurien. Et reuerendus pater dominus Bartholomæus epiſcopus Iuſtinopolitanus, dedit mandatum reuerendi patris domini Bernardini epiſcopi Cluggien. Et reuerendus pater dominus Bernardus epiſcopus Taruiſin. dedit mandatum reuerendi patris domini Georgij epiſcopi Nonenſ. Et reuerendus pater dominus (* Sebonicen.) Ioannes epiſcopus Sibinicenſ. dedit mandatum reuerendi patris domini epiſcopi Fanen. & dominus Petrus Raymiardi, dedit mandatum reuerendi patris domini Antonij epi- (* Regen.) ſcopi * Regien. Et reuerend. pater dominus frater Guillelmus de Saluaterra dedit mandatum reuerendi domini Gui- (* Geruntinen.) lelmi epiſcopi * Gerunden. Et dominus * Zutfeldus Vuardemberch, dedit mandatum reuerendi domini Henrici epi- (* Raſceburgen.) ſcopi * Rotheburgenſ. Et reuerendiſſ. in Chriſto pater & dominus, D. Antonius de monte, tituli ſanctæ Praxedis presbyter Cardinalis, dedit quaſdā literas miſſiuas & quoddam mandatum reuerendi patris domini Iacobi Archiepiſcopi Vpſalenſ. ad excuſandum eum in ſacro Lateranenſ. Concilio, & intereſſen. nomine ſuo & ſuæ prouinciæ. Et reuerend. pater dominus Ferdinandus epiſcopus Scalenſ. dedit mandatum reuerendi patris domini Bernardi epiſcopi Sorani. Et reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus D. Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ presbyter Cardinalis, de Fliſco nuncupatus, dedit mandatum reuerendi patris domini Hieronymi epiſcopi * Torcellan. Et reuerendus pater dominus Andreas Archiepiſcopus Spalatenſis, dedit manda- (* Claramonten.) tum reuerendi patris domini Antonij epiſcopi * Calamouen. Et reuerendus pater dominus Ioannes Antonius epiſcopus Calinenſ. dedit mandatum reuerendi patris domini (* Bellunē.) Galleſij epiſcopi * Belunen. Et reuerendus pater dn̄s Petrus Paulus epiſcopus Eſinus, dedit mandatum reuerendi patris domini Antonij Epiſcopi Auximan.

Quibus perlectis, ſanctiſſimus dominus noſter incepit, Te Deum laudamus. Et cantato per capellam cantorum, expletaque decima ſeſſione, præfatus ſanctiſſimus dominus noſter equitauit ad palatium aſſociantibus reuerendiſſimis dominis Cardinalibus, & alijs prælatis & curialibus in copioſo numero.

ORATIO R. P. D. STEPHANI ARCHIEPISCOpi Patracen. & epiſcopi Torcellan. habita in Concilio Lateran. coram Leone X. Pontifice Maximo, in decima ſeſſione dicti Concilij, 4. Maij, 1515.

Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Pſalm. 47.

REM grandem & ſummè difficilem, ac paruitati meæ imparem, P.B. ne obedientię bonum perderem, hodie hoc in loco ampliſſimo, ornatiſſimoque huius ſacroſancti Lateranenſis Concilij, coram tuo iudicio grauiſſimo & tantorum patrum iuſtiſſimo tractandam ſuſcepi. In qua quaſi mei ipſius & ſenectutis ac aduerſæ valetudinis oblitus, zelo tamen fidei Catholicæ & Apoſtolicæ perfuſus, quo anima mea iam diu comeſta fuit, in diſcrimen maximum, decorum actionis meæ poſui, cùm ab hoc genere dicendi per annos plures me abſtinuerim. Et hoc quidem, ſi aſſumptæ propoſitioni, in qua de ſumma omnium rerum agitur, in tanta anguſtia temporis in quo breuitati in dicendo ſatisfaciendum eſſe cenſeo altiſſimo & profundiſſimo ſacramento magnæ & vltimæ reformationis, diuinis myſterijs propoſiti Pſalmi inuoluto, correſpondere non valuero. Nam quis eſt adſtantium ſpeculatorum S. E. etiam ſumma doctrina (vt par eſt) repletus, qui in ſe, & non in Chriſto vi- (fot. * qui) uens, * quo tantæ Pſalmodiæ fracto alabaſtro, in quo opus creationis, myſterium reparationis, ſacramentum reformationis, & vltimæ conſummationis decretum miro ſecreto continentur, non in litera, ſed in Spiritu: non in ſuperficie, ſed in medulla: non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis: non in montibus philoſophantium Gelboe, vbi, Propheta dicente: Ceciderunt fortes Iſraël, ſed in montibus (2. Reg. 1.) ſanctis & æternis, in quibus poſitum eſt fundamentum fundamentorum, ſancti ſanctorum, in odorem tantorum vnguentorum ſuauiſſimum, de quo Apoſtolus: Fundamen- (1. Cor. 3.) tum aliud poteſt nemo ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus: dignè poſſit & valeat mentes adſtantium patrum tantis vnguentis optimis inungere, tum pro cognitione veritatis boni & mali conſilij, tum pro reformatione Eccleſiæ & orbis, ac contra hoſtes fidei expeditione ſummè neceſſaria, vt Chriſti bonus odor Deo fieri (2. Cor. 2.) poſſit? inuenire etiam longa meditatione non valeo. Verùm P. S. in tantorum myſteriorum, quæ latent in litera propoſiti Pſalmi, contemplatione quaſi ecſtatica mente & & corde iam poſitus, profiteor me dicendo hodie nihil aliud ſcire, quàm Chriſtum & hunc pro nobis cruci affixum. (1. Cor. 2.) Ideò cum Apoſtolo libera voce clamabo: Viuo iam, ſed nō (Galat. 2.) ego, viuit verò in me Chriſtus. Non mirum igitur igitur adſtantibus accedat, ſi pro declaratione Pſalmi Dauid, ipſi Dauid, ſcilicet Chriſto, pro ſecunda ſabbati in filijs Core, qui Caluariarum filij in Apoſtolis interpretantur à cuſtodia ſerotina (ſic enim eius titulus eſt) humanæ ſapientiæ verbis inſiſtere non curabo. Sed breuiſſimè ſpiritum vitæ in tanti Pſalmi demonſtratione perquiram non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, prout aliàs conſueui, ſed in oſtenſione tantùm ſpiritus & virtutis, præſertim coram te Leone X. Pontifex Max. quem diuina fauente clementia hoc tempore magnæ reformationis, perſecutioniſque infidelium, canonicè electum exiſtimo, vt ſis Leo in ſede Petri, non ab re decimus, pro Chriſti regno, noſtro tempore, ſi volueris, toto orbe terrarum innouando, aſſumptus! quandoquidem non fruſtra in vltimo decalogi poſitus, Leo decimus vocatus fueris. Et ego quidem iam ſeptuagenarius, cuius cithara verſa eſt in luctum, & organum cum Iob in vo (Iob 30.) cem flentium, in oculis meis abiectus, & omnium ſpeculatorum ſanctæ Eccleſiæ minimus, in decima quoque tanti Concilij ſeſſione, pro myſterijs regis magni enucleandis te iubente oraturus, non fruſtra etiam aſcenderim. Quapropter vt hæc tam diuina, tam excelſa & ſublimia, ac mira, mirandaque, quæ in dicta pſalmodia continentur, & ad præſens humili ſermone meo dicenda veniunt, à ſpiritu Chriſti in quo eſt mihi vita, in dicendo progreſſu orationis digniùs, largiuſq; diſponantur, ipſa virgo beata, Angelorum domina, fons omnium gratiarum, quæ omnes hæreſes interemit, cuius opera magna reformatio, concordia principum, & vera contra infideles expeditio fieri debet, opem ferre dignetur, quòd talia dignè cum profectu audientium dicenda ſuo ore, ſicut in Apoſtolis, ſua facundia, ſicut in doctoribus, & ſua gratia, ſicut in martyribus, electiſque omnibus, ita in nobis pro aſſumpta breuitate copioſè, tam pro vera tanti Concilij concluſione, quàm pro neceſſaria & celeri cōtra hoſtes fidei noſtrę expeditione infundere velit, quòd lumen Chriſti plùs ſolito ad gloriam & honorem tanti Concilij in cordibus auditorum accendi valeat. Cuius auxilium deſuper implorantes humiliter proſtrati, canticum nouum pro nouo ſuffragio cantabimus, dicentes:

Omnium ſplendor, decus & perenne
Virginum lumen, genitrix ſuperni,
Gloria humani generis Maria
Vnica noſtri.
Sola tu virgo dominaris aſtris,
Sola tu terræ, maris atque cœli
Lumen, inceptis faueas, rogamus,
Inclyta noſtris.
Vt queam ſacros reſerare ſenſus,
Qui latent chartis nimiùm ſeueris:
Ingredi & celſæ, duce te, benigna
Mœnia terræ.

Si omnia P.B. quæ pro declaratione propoſiti Pſalmi dicenda ſeſe offerunt, perquirere vellem, longa eſſet oratio.

Quando-

uandoquidem hæc tam altiſſima & profundiſſima pſal-
odia, non ſolùm in ſe opera creationis vniuerſi, myſte-
um reparationis humani generis, pro innouatione ſæculi
ima ſabbati, & ſacramentum magnæ reformationis pro
cunda ſabbati in magno Lateran. noſtro Concilio demõ-
randum, ac decretum vltimæ conſummationis vniuerſi
r finale iudicium miro & ineffabili modo contineat, ve-
m etiam & myſterium incarnationis verbi DEI pro ciui-
te magni Domini in cœlis & in terris ex lapidibus viuis
nſtruenda præ ſe ferre inuenitur, pro qua Rex magnus ab
itio & ante ſæcula præparauerat terram immaculatam, in
ua ædificaret ſibi domum, de qua glorioſè educeret imma-
latam æternam ſponſam, matrem iuſtorum lætantem, &
on minùs in poſterum fidem Catholicam & Apoſtoli-
am ſuam, iuxta decretum Sacroſancti conſiſtorij Trinita-
s & vnitatis diuinæ, pro communi ſalute per orbem vni-
erſum promulgandam eſſe ſtatuerit, tam pro intellectua-
, quàm pro rationali Eccleſia beatificanda, exaltandaque
emporibus præfinitis à patre, in quibus eam toto orbe ter-
arum per ſuos principes conſtituendos ſuper vniuerſam
erram annunciaret & prædicaret, in qua quidem prædica-
ione luce meridiana clariùs oſtenderent, quòd æternitas
CHRISTI, antequàm ex Virgine naſceretur, in myſterio
præmonſtrata ac prædeſtinata eſſet, ita quòd myſterium
non præiudicaret tempori, nec econtrà, quin ipſe ille ſo-
us eſſet, qui ante mundi conſtitutionem, vſque ad conſum-
mationem omnia operaretur, ſecundùm arcanum ſuæ diui-
næ mentis in cœlis & in terris, tam pro natura Angelica,
quàm pro humana, donec in Chriſto Deo omnes vnum fie-
rent, & magnus ipſe Dominus tunc in ciuitate DEI, & in
monte ſancto eius nimium laudabilis inueniretur, tum in
gradibus, tum in domibus ſuis, dum eam carnem, quam ab
æterno prædeſtinauerat, ac pro temporis plenitudine præ-
parauerat, vnione ineffabili, in ſuppoſito verbi aſſumeret
de domo Mariæ ſemper Virginis, dicente Propheta: Deus
in domibus eius cognoſcetur, dum ſuſcipiet eam. De hac er-
go ineffabili ſuſceptione, tum pro prima, tum pro ſecunda
ſabbati, in quibus & ædificatio & reformatio ciuitatis mag-
ni Regis ex monte Sion & lateribus Aquilonis cum exulta-
tione vniuerſæ terræ continetur, quàm breuiſſimè dicemus:
Reliqua verò maiora & profundiora myſteria, in tribus a-
lijs orationibus meis, pro tanto Concilio, à die ſuſcepti one-
ris in dicendo diſpoſitis, legenda relinquam. Et non minùs
breuitatis cauſa in volumine decem librorum, in quibus ab
origine vſq; ad conſummationem vniuerſi, ſpeculum lym-
pidiſſimum militantis Eccleſiæ inſtar triumphantis mirifi-
cè continetur, S.D.N. dedicato, calamo exaranda reſeruabi-
mus. Siquidem & audita modò duriſſima inter duos infide-
les reges pugna, & illorum iniquam intentionem contra
Rempublicam Chriſtianam noſtram ex illorum antè malè
geſtis mecum perpendens, aliam, quam ad præſens recita-
mus, breuiorem orationem humiliori ſtylo non abſq; cau-
ſa diſpoſuimus. Verùm P. S. non minùs nunc quàm tunc,
quando reges terræ malè conuenerunt in vnum, tam primò
contra regnum Iudæorum, quàm ſecundò Chriſtianorum,
vt deſtruerent fidem vnigeniti à patre ſuper terram, Reges
noſtri cœli eccleſiæ & terræ, nunc etiam benè conuenerunt
in hoc ſacroſancto Lateranenſi Concilio in vnum, ad refor-
mationem tum eccleſiæ, tum orbis vniuerſi pro gloria re-
gni Chriſti, & ſuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ & Apoſtolicæ
ſedis exaltatione, ac hoſtium tantæ fidei extirpatione, quæ
per veros ſpirituales venatores de proximo iuxta temporũ
computationem pro ſecunda ſabbati fieri debet in magna &
vltima reformatione, ſicut prima ſabbati ædificatio fuerat
per piſcatores, dicente Hieremia pro ſecunda ſabbati, ſicut
dixerat pro prima de piſcatoribus: Et ecce mittam venato-
res meos, & venabuntur eos de montibus, & de collibus, &
ſpeluncis, & de cauernis terræ. Et ideò Propheta alio in
Pſalmo dixerat: Veritas iam diu de terra Virginis orta eſt,
& iuſtitia de cœlo ad eam, pro ędificatione ciuitatis Dei ma-
gni, in terram proſpexit: quæ non minùs ad præſens pro re-
formatione, innouatione, dilationeq; illius per orbem vni
uerſum reſpicit. Et id quoq; pro noſtro tempore perficere
ſummoperè quærit, feſtinatque, ne fiant noſtra, in perſecu-
tione tum Turcarum, tum Sophi & aliorum impiorũ, peio-
ra prioribus, quòd culpa noſtra, noſtro vtiq; tempore ſtan-
te magno Lateranenſi Concilio diuinitùs, pro tempore ma-
gnæ tribulationis, in ciuitate magni Regis congregato, non
fiat in eo, & ſit illa vera & magna reformatio, pro qua prio-
res pontifices hactenùs ideò laborauerunt in vanum. Quòd
noſtro quoq; tempore rex noſter magnus Chriſtus in Con-
cilio noſtro Lateran. non minùs nimirùm laudabilis pro re-
formatione inueniretur, quàm anteà fuerat pro ædificatio-
ne, quando præſtantiùs ſolito per vniuerſi orbis ſecundam
conuerſionem & obedientiam ſedatis bellis, quæ in orbe
Chriſtiano culpa malorum vigent, hoſtibusq; fidei noſtræ
virtute altiſſimi ſuperatis, & ad noſtram fidem miraculosè
etiam conuerſis, ac Mahumeti ſpurciſſima ſecta vnà cum o-
mnibus alijs vbique terrarum dextera excelſi extincta, ſolus
rex magnus noſter Chriſtus ſedere habeat in monte ſancto Pſalm. 88.
Apoſtolicæ ſedis eius, de qua ſcribitur: Et ſedes eius ſicut ſol
in conſpectu meo ſemper, & id profectò cum exultatione Pſalm. 125.
conuerſionis vniuerſæ terræ, de qua etiam habetur: Venien-
tes autem venient cum exultatione, portantes manipulos Pſalm. 7.
ſuos. Et alibi: Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibra-
bit, & in eo parabit vaſa mortis. Quandoquidem abyſſus, Pſalm. 41.
abyſſus tanti Sacramenti, abyſſum reconciliationis cum
Deo, plus ſolito imminente duriſſima perſecutione domus
Ottomannorum & Sophi, per opera Lateranenſ. Concilij,
agente Leone decimo Pontifice Maximo, inuocat: vt ſit in
vrbe Roma, quæ (Deo præuidente) regnante impiorum ec-
cleſia ſub idololatria caput orbis ideò data fuerat, quòd re-
gnante ſucceſſiuo tempore iuſtorum Eccleſia ſub vera la-
tria multò amplior, glorioſior & præſtantior in magnæ ci-
uitatis reformatione fieret, quàm antea fuerat. Rectè ergo Apoc. 21.
ille dixerat, Vidi ciuitatem ſanctam nouam Hieruſalem de-
ſcendentem de cœlo, à Deo paratam ſicut ſponſam orna-
tam viro ſuo. In hac igitur tali ac tanta ciuitate DEI, ſancta
videlicet Romana Eccleſia, magnus Dominus nimium lau-
dabilis etiam inuenitur, & in monte ſancto Apoſtolicæ ſe-
dis eius pro ſecunda ſabbati, plus ſolito exaltari & magnifi-
cari iure æterno reperitur. Et nimiùm quidem laudari dici-
tur, quoniam quantùm laudari debeat, nec angelica, nec hu-
mana lingua exprimi poſſet, præſertim cùm ipſe ſit magnus Pſal. 146.
Dominus, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt nu-
merus. Qui quidem pro ſua magnitudine, in Concilio im-
piorum laudari non reperitur, quando in talium ore ſua
laus ſordeſcat: non in atrijs ſynagogæ Phariſæorum & hy-
pocritarum, quorum os maledictione plenum eſt: nec in pa-
latijs Regum & Principum, quorum manus plenæ ſunt ſan-
guine & infidelitate: nec deniq; in Babylone philoſophan-
tium de corde ſuo, ac iuris humani peritorum, vbi omnis cõ
fuſio contra veritatem ſanctæ Eccleſiæ adducitur. Sed vbi,
dicit quiſpiam, laudabitur? Dicat Propheta: In ciuitate Dei, Pſalm. 47.
in ſancta vtique immaculata Eccleſia Dei, & quod fortius
& dignius eſt, in monte ſanctæ Apoſtolicæ ſedis eius. De
quo Eſaias: Et erit in nouiſſimis diebus mons præparatus in Eſai. 2.
domo Domini ſuper verticem omnium montium, qui eſt
poteſtas plenitudinis Chriſti eius in ſede Apoſtolica, per
legem immaculatam ſuper omnia regna mundi ſedens, &
confluent ad eum omnes gentes, & adorabunt eum, & di-
cent: Gloria tibi Domine, qui es Deus & homo. Dicente
etiam Ioanne, Rex regum, & Dominus dominantium, per Apoc. 19.
myſterium incarnationis, per opus redemptionis & glo-
riam reſurrectionis: In qua omnia innouaſti, & mundum
Eccleſiæ tuæ ſuper omnes & omnia exaltaſti, & qui eras an-
te mundi conſtitutionem per myſterium ſacramenti in v-
nitate perſonæ vnigenitus à patre. Propter quod dixeras:
Antequam Abraham fieret, ego ſum: quoniam in Chriſto Ioan. 8.
erat æternitas ab initio & ante ſęcula, & in Abraham breui-
tas, in qua Deus homo factus eſt, vt homo in tali breuitate
fieret DEVS, & in mundi plenitudine primogenitus Virgi-
nis matris in terris fieret, qui erat vnigenitus filius DEI
in cœlis, de quo Hieremias: Nouum faciet DOMINVS ſu- Hier. 31.
per terram, fœmina circundabit virum. Quod, commu-
tata forma verborum talium, Plato ipſe, qui à ſacra Hebręo-
rum vera philoſophia & Dei ſcientia lumen habuerat, dixe-
rat: Deum circunrotundum & decurtatum, quando vnige-
nitus Dei filius factus eſt homo. Propter quod Petrus Apo- Matth. 16.
ſtolus, reuelante patre, ei dixerat: Tu es Chriſtus filius Dei
viui,

viui, pro prima ſabbati. In qua prolatione fidem Catholicam & Apoſtolicam, ab æterno patre pro æterno filio ordinatam ad fundamentum Eccleſię, confeſſus eſt. Et nũc quoque, quod ipſe venturus ſit in ſpiritu pro ſecunda ſabbati ad magnam orbis reformationem, non minùs opera ſpiritusſancti & virtute inſinuare reperitur, vt orbis terrarum & vniuerſa quæ cœli ambitu continentur, ad montem ſanctum Apoſtolicæ ſedis eius in vtroq; gladio cum vera obedientia
1. Theſſ. 4. veniant. Et tunc cognoſcat vnuſquiſq; noſtrûm, ſuum vas poſſidere in Dei magna ciuitate ad ſanctificationẽ & honorem per humilitatem ſcientiæ Dei, & non per ſuperbiam humanę ſcientiæ, ad contumeliam & errorem, in quo & Auerroiſtæ in ſcientia diaboli, & Iuriſtæ in ſcientia mundi, & Mahumetiſtæ in ſcientia carnis, extollunt ſe aduerſus ſcientiam Dei ac lumen fidei Catholicæ. Et idcircò à ſpiritu ſancto di-
Eſai. 66. citur: Super quem requieſcam, niſi ſuper humilem & tremẽtem ſermones meos? Siquidem & Spiritusſanctus diſciplinæ
Sap. 1. effugit fictum, nec habitat in corpore ſubdito peccatis. Hinc
Sap. 9. etiam ſcribitur: Vani ſunt omnes ſenſus hominis, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.

Verùm P. S. ſi hæc talis ac tanta ſcientia Dei, in noſtro Lateran. magno Concilio, nunc mundi & diaboli & carnis ſpreta ſcientia, grato animo iam ſuſcipietur, vera & repentina reformatio per totam Eccleſiam, orbemq́; vniuerſum, glorioſè miraculoſeq́; abſque liuore fiet. Et hoc certè, ſi in nouitate vitę depoſitis veteribus pannis, cum veris Iebuſęis corde contrito & humiliato, ad pientiſſimum regem noſtrum Chriſtum accedere curabimus. In qua humiliatione vera cum Chriſto rege magno reconciliatio fiet, ſine qua, nec vnionem principum Chriſtianorum, nec expeditionẽ contra hoſtem potentiſſimum ſummè neceſſariam obtinere valebimus. Quandoquidem cognita magnitudine ipſius
Coloſſ. 3. magni Domini, exuere nos oportet veterem hominem cũ omnibus malis actibus ſuis, in quibus ira Dei contra nos populumq́ue ſuum prouocata iam diu fuit, & nouum hominẽ Chriſtum, in ſanctitate & veritate induere: alioquin peribimus regnante diluuio maximę tribulationis in vinea domini. Siquidem magnus ipſe Dominus vitia, ſcelera & peccata, ac blaſphemias contra Deum, Virginem & ſanctos turpiſſimas, quæ in Romana & vniuerſali Eccleſia, ac populo ſuo Chriſtiano, & orbe vniuerſo perpetrantur, pro ſua iuſtitia ampliùs tolerare non valeat, ne magnitudo ſua ludibrio iri vlteriùs in tanta vniuerſi corruptione habeat, quaſi hæc inferiora ipſe, Qui eſt, neglexerit: nam & ſua negligere non
Pſalm. 23. valet, quoniam Domini eſt terra & plenitudo eius: & neglecto per ſuos miniſtros in terris regimine vniuerſi, in quibus, & ſtatus clericorum & religioſorum ac laicorum, terminos, quos poſuerant ſancti patres, dicente Scriptura: Ne
Prouer. 22. tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt patres tui, tranſgredi non verentur, corrigere, & de medio auferre ſummoperè intendat & quærat. Ideò opera Lateranen. Concilij dignè reformanda veniunt, ne pereamus de via iuſta. At verò adhuc in noſtro ſæculo, patres optimi, multi ſunt legis diuinæ peruerſores, qui non modò præmiſſa fouere, ſed & leges veteris mundi in maligno poſiti, quæ proprio fine carent, contra immaculatam legem Dei ponere ſatagunt, quando tales poteſtatem coactiuam Imperij, præferre Romano Pontifici: & regnum mortis principis tenebrarum, regno Chriſti anteferre: & Imperium puri & mortalis hominis, imperio Dei & immortalis hominis: ac leges maculatas ad animarum perditionem, legi immaculatæ conuertenti animas anteponere conantur. Et ita tales peruerſi, & non conuerſi & inreligioſi, & non, religioſi totius Chriſtianæ fidei decorum, contra magnitudinem magni Domini deturpare
Ioan. 10. non verentur: quaſi Chriſtus bonus paſtor animam ſuam pro ouibus ſuis, in quibus ædificaret ſibi Eccleſiam ſine ruga & macula, in mortem ſolus non poſuerit, & per ſanguinem ſanctorum, ſuper ſe lapidem viuum & angularem, talem dilectam non ædificâſſet. O hypocritarum & perditorum hominum peſſimam conditionem, ô inimicorum fidei perditionem, ô ignorantium, pro ſalute animarum, viam mandatorum DEI. Quis vos ita faſcinauit, quòd inde diuino iudicio rei facti eſtis, quando terminos ſanctorum diuinæque Scripturæ tranſgredientes, iura puri hominis, contra veritatem DEI hominis, & magnitudinem æterni Regis, ac contra ſcientiam Dei extollere adhuc contenditis, & cornua contra ſedem Apoſtolicam erigere per magiſtros erroris non erubeſcitis, vnde tot mala Chriſtianæ religioni non minùs, quàm ex alijs malè geſtis prouenerant? Sed heu heu, quàm calamitoſa erit de proximo talium perditio, & laborantium in Dei ſcientia & obſeruatione mandatorum Dei exaltatio: quoniam de magna Turcarum & infidelium aliorum à tot annis perſecutione, iam rex noſter Chriſtus ad reformationem vniuerſi, ſua magnitudine miro modo educet bonum pro ſecunda ſabbati, ſicut cùm prima ſabbati in maxima perſecutione Romanorum, Regnum cœlorum Romanæ Eccleſiæ in ipſa vrbe adduxerat, vt eſſet in ea gloria omnibus ſanctis eius, qui ſanguinem ſuum fuderant pro firmamento Apoſtolicæ ſedis & ſedentibus canonicè in ea, & non minùs in ſua inſtanti reformatione nunc id futurum exiſtimo. Ideò iam hora eſt, patres Rom. 13.
optimi, hora (inquam) eſt, nos de malo ſomno ſurgere, & magno Domino vigilare, quoniam ipſe eſt, qui noſtro quoque tempore in fremitu ſuæ magnitudinis propter lachrymas Magdalenæ & Marthæ, id eſt, contemplatiuæ, & Ioan. 11.
actiuæ rogãtis Eccleſiæ, Lazarum quatriduanum & iam diu in laſciuia mundi fœtentem, ſuſcitabit pro ſua magnitudine in ſecunda orbis conuerſione demonſtranda, in qua ſtatus clericorũ in Lazaro deſignatus, præ alijs opera Virginis glorioſæ ad vitam contemplatiuam pro 7. ſtatu Eccleſiæ trahetur. Et non minùs religioſorum quatuor rotarũ ſtatus, in filia mortua in domo archiſynagogi demonſtratus, ad primã Marc. 5.
vitam, in qua ſpiritus vitæ erat in rotis, miro modo à mortuis reuocabitur: ſtatus verò laicorum in filio matris viduæ Luc. 7.
extra ciuitatẽ reſuſcitato præfiguratus, vbiq; terrarum multò glorioſiùs quàm alia, ad fidei Catholicę obſeruantiam Apoſtolicæq; doctrinæ quaſi reminiſcẽdo primitias fidei noſtræ vocabitur, & pientiſſimè intra ciuitatẽ Dei ſub matris ſuæ Rom. eccleſiæ obediẽtia adducetur, quòd inde glorioſè toto orbe terrarũ vnum ouile & vnus paſtor vſq; ad ſæculi Ioan. 10.
conſummationẽ, in magnitudine vtiq; ipſius magni dñi fiat. Nam & hanc magnitudinẽ in cœlo empyreo in primo magno generali Concilio intellectualis eccleſiæ pro hoĩs ſuſceptione, in quo magnus dñs ſuo tempore eleuãdus in terra ſuppoſito verbi Dei ad vniuerſi decorũ erat, vt in illo conſtitueret vnã ſanctam eccleſiam, electorum omnium matrẽ & reginam: ſi Lucifer, qui tanti boni Concilij in cęlo diuiſionem fecerat, & primã viam mali Cõcilij inuenerat ſua malitia ſuperbiaq; cum ſuis cohærentibus iuxta legẽ & conditionem eis appoſitam pro ſigno, in quo ipſe habebat ſignaculum ſimilitudinis Dei, ſuſcipere (vt par erat) per verã obedientiam voluiſſet, & æterni Sacerdotis magni ante eùm geniti, Regnum & Imperium ac Hierarchiam, harmoniam & monarchiæ vniuerſorum temperatiſſimum Principatum, æqua mente in magnitudine creatoris ſui & omnium præponderare quęſiuiſſet, & ſe ſupra ſe extollere nõ concupiuiſſet, à tãta magnitudiue Domini, tanquam primus hæreſiarcha ſub anathemate perpetuæ damnationis ad ima deiectus, & extra bonorũ Angelorum Eccleſiam & bonũ Concilium factus, nec donis ſupernaturalibus, in quibus plenus decore erat, ſpoliatus fuiſſet. Hanc magnitudinẽ, ſi Adam ſuaſione mulieris ſerpentina lingua deceptæ, in ſe non concupiuiſſet, donis gratuitis denudatus, ſub maledicto terræ in opere ſuo, extra paradiſum deliciarum eiectus in ſudore vultus ſui non Geneſ. 3.
vixiſſet. Hanc magnitudinem ſi Imperatores & Reges, tum Romanorum, tum aliorum, ſi philoſophi, ſi ſapientes in ſcientia noctis non ignorarent, idola non adoraſſent, Dei potentiam in agendis, ſecundis cauſis non ſuppoſuiſſent, & primas ſex veritates in diuinis Philoſophus non negaſſet: hanc magnitudinem ſi principes ſæculi, ſi populi & Idolorum ſacerdotes cognoſcere voluiſſent, idololatriam contra veram latriam per orbem vniuerſum non prædicaſſent: Babylonem omnium confuſionum & errorum matrem, contra ciuitatem Dei & iſtorum eccleſiam non erexiſſent: nec monarchias ſeptem Luciferi, ſuorumque principum & Imperium puri hominis ſupra regnum & Imperium Chriſti filij DEI viui, extollere falſo titulo non perquiſiuiſſent. Nec minùs ſacerdotes & principes ſynagogę Iudęorum, ſi talem magnitudinẽ domini ſuo grato animo ſuſcipere voluiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, nunquam re-

gno, ſacerdotio, & ciuitate Dei priuati fuiſſent: Nec Imperatores & principes Romani Imperij, qui vbique terrarum in ſanguinem ſanctorum debacchantur, ſi celſitudinem verè magnitudinis in fide Chriſti cognoſcere voluiſſent, in qua ſui principes & miniſtri, ac milites non in potentia armorum & ſæculi fauore, ſed in virtute perfecta, in vita immaculata, in ſignis & miraculis, in ſcientia Dei & doctrina Chriſti, in qua dæmones expellebant, idola deſtruebant, cathedram peſtiferæ doctrinæ deijciebant, & cathedram veræ & Apoſtolicæ doctrinæ ſola operatione perfecta exaltabāt, nunquam vſque ad magni Conſtantini tempora, in quibus ipſe Conſtantinus à diuina gratia afflatus deſuper, cognita æternitate Regis gloriæ & poteſtate in regno ſuæ Eccleſiæ, & ſe poſſeſſorem malæfidei in mundi Principatu poſt reſurrectionem illius ex mortuis aduertens, ſceptrum Imperij orbis & vrbis ac monarchiam vniuerſi, vero & proprio domino & omnium creatori victori Deo, & homini in ſede ſua Romana Silueſtro Pontifici Max. in iure primęuo & naturali Chriſti æterni Sacerdotis ſecundùm ordinem benedicti patris plenè ceſſit, & Chriſtum regem magnum in ſuo vicario per obedientiam adorauit, aliamq́ue ſedem iuſſu illius & conceſſione Apoſtolica quæſiuit, & ſub obedientia ſedis Apoſtolicæ in Byzantio erexit, & contra hoſtes fidei noſtræ ſemper glorioſè pugnauit. Quæ quidem omnia ſic diuinitùs geſta, ſi alij Imperatores cognoſcere & ſuſcipere voluiſſent, nunquam (inquam) tales Imperatores in ſanctorum ſanguine tam crudeliter polluti fuiſſent. Nec minùs etiam poſt Conſtantini tempora, ſi Imperatores, ſi legum Imperialium cultores & conditores, & noſtri etiam temporis illarum profeſſores, talem magnitudinem Regni Chriſti & Saluatoris noſtri Ieſu, æterni Sacerdotis aduertere voluiſſent, omnia temporalia & poteſtatē, tum in diuinis, tum in humanis, ſpreto iugo Chriſti, in ſuis vicarijs ad Imperium trahere non præſumerent. Nec Cæſares electiones Pontificum pro eorum argumento confirmaſſe aſſererent. Nec talia malè geſta, diutiùs ſuo tempore euacuata allegarent. Nec poteſtatem coactiuam & tyrannicam, iteratò ſuper libram, vnicam & ſupremam vicarij Chriſti poteſtatem & ſanctæ Eccleſiæ ponerent. Nec ſola ſpiritualia Pontifici Romano aſcriberent, nec verba Chriſti, dicta ſanctorum & ſacrorum Conciliorum ſummorumq́; pontificum decreta, opera Spiritusſancti edita, ac ſacras ſanctiones obliqua interpretatione aberrantes ab vtero ſacrarum literarum violaſſent. Nec denique noſtris temporibus, ſi cardines orbis, ſi reges tum cœli eccleſię, tum terræ, ſi quatuor rotarū patres & religioſi, ſi Magiſtri & Doctores, ſi Aduocati & Procuratores, ſi iudices & Romanæ curiæ officiales, eccleſiarumq́; rectores, tantam magnitudinem magni Domini & inuiolabilis iuſtitiæ ſuæ ſceptrum, recta, ſimplici ac pura mente, iuxta legis Dei & regularum diuinum intellectum, ſuſcipere vellent, tot enormia & legi immaculatæ contraria, fracto iugo Chriſti, ſine charitate ac Dei timore, plebem Chriſti quaſi panē de-
[Pr]ouer. 22 uorantes, non perpetrarent, & terminos quos poſuerūt ſancti Patres, non tranſirent. Quapropter Bernardus ad Eugenium tanquam ad ſummum Hierarchicum in cœlo eccleſię virum, in quo erat omnis poteſtas ſupra omnes poteſtates tam cœli quàm terræ, rectè ſcripſerat, Tibi data eſt omnis poteſtas, in qua qui totum dicit, nihil excludit. Sed cogita, vtrùm omnia concedere debeas. Quod ſi non debes, ſerua
[Ps]alm. 50. modum, vt iuſtificeris, cùm iudicaris. Et alibi: Vt quid in palatio tuo leges Iuſtinianæ garriunt, & tuæ Chriſtianæ ſilent? in quibus ſi tantùm, patres optimi, leges Chriſti non ſiluiſſent, & præſidentes in Dei eccleſia in regimine eis commiſſo modum in omnibus ſeruaſſent, ſancta eccleſia tantorum hæreticorum hæreſes & ſchiſmata ac impiorum perſequutiones non ſuſtinuiſſet, nec ſceleratam Mahumeti ſectā, nec Ottomannorum & Sophi inſtantem maximam perſecutionem ſubire cogeretur: ſi tamē Dominus ipſe magnus, magnitudinem ſuam contra potentiſſimum hoſtem, ſicut
[*]Eſaia vel [Ez]echiale [lege]ndum. ſub * Eliſeo contra Sennacherib, & Macchabæorum tempore contra Antiochum non appoſuerit, quòd inde virtus fidei ſuæ eluceſcat. Rectè ergo ad nos conuerſa mater no-
[Esa]i. 1. ſtra Eccleſia, voce lugubri dicere poteſt: Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me, vt non ſit in pace adhuc
[Esa]i. 38. amaritudo mea amariſſima. Siquidem & amara fuit tyrannorum in filijs meis occiſio, ſed inde fidei mei amplificatio: & non minùs amarior hæreticorum perſecutio, ſed Catholicæ fidei exaltatio: verùm & iam diù, ſed fortiùs nunc, propter falſam & ſimulatam hypocritarum irreligionem, facta eſt mihi amariſſima, quando talium cauſa, ſpurciſſima ſecta Mahumeti tantùm per orbem creuerit, quę tamen de proximo virtute dexteræ excelſi, & nō humana, extincta erit: vt ſit pro ſeptimo ſtatu in vera pace amaritudo amariſſima, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2.
Quibus quidem ſic ſtantibus, P. S. talibus iam ſpeculationibus tanti Pſalmi poſtpoſitis, ad illas tantùm pro concluſione orationis noſtræ ſummæ & repentinæ, neceſſaria veniamus, in quibus anima mea iam corde & mente immerſa, dolores parturientis Romanæ Eccleſiæ noſtræ & vniuerſalis, tam vehementer in ſe ſuſcepit, quòd contremiſcunt labia, viſcera quatiuntur, oculi lachrymarum flumina deſiderant, lingua calculum ignis Chriſti exoptat, vt circumquaq́ue lingua velociter dicentis diffundere valeat, quanta ſit latitudo, ſubmerſio & periculum imminentis tribulationis, tum Sophi & impiorum hominum, tum Turcarum, in qua Dominus propter ſcelera, vitia & peccata, quæ in regibus tum cœli, tum terræ, ac populo Chriſtiano hoc noſtro tempore vigent, ad noſtri temporis flagellum potentiſſimos fidei noſtræ hoſtes excitauit, & negligentiſſimos principes Chriſtianos pro illius defenſione adhuc multis flagellis à ſomno turpiſſimo excitare non valuit, quandoquidem in maleuolam Sapient. 1.
animam intra ſapientia diuina nequeat, vt fiant noſtra poſteriora peiora prioribus, in quibus ab annis multis populus Chriſtianus Chriſti ſanguine redemptus, ductus eſt captiuus incuria & negligentia prælatorum Eccleſiæ & Principum Chriſtianorum, qui quærentes, quæ etiam ſua non ſunt, quæ Chriſti ſunt, neglexerunt, ac ad præſens fortiùs ſolito negligunt, quandoquidem bella duriſſima ab annis 20. inter ſe exercentes, tantorum bellatorum ſanguinem, tum in Italia, tum extra, ſine pietate fuderunt, presbyteris, religioſis, nobilibus, honeſtisq́; viris, ſanctimonialibus, virginibus, viduis, aliorumq́; vxoribus, pueris & puellis, tam turpiter abuſi fuerunt, quòd nec ſexui, nec ætati, nec religioni, nec eccleſiæ, nec ſacris rebus pepercerunt, ac ſi feræ ſyluarū immaniſſimę, & ſine ratione fuiſſent in membrorum Chriſti conculcatione turpiſſima ſæuientes, & non minùs in extinctione veteranorum militum laborauerunt, in quibus robur exercitus Chriſtianorum contra tantos hoſtes tutiſſimum erat. O miſerrimam populi Chriſtiani conditionem. O ſummis lachrymis deplorādam tot animarum perditionem: O miſeræ Italiæ crudeliſſimam conculcationem, deprædationemq́ue, in quibus latior via, extinctis noſtris præſidijs, hoſtibus fidei noſtræ data eſt. Siquidem tales authores, crudeliſſimiq́ue belli nimia propria cupiditate ducti, Reipublicæ Chriſtianæ defenſionem diſtulerunt, & bella inter Chriſtianos exercentes, ſtragem maximam ſanguinis Chriſtiani dederunt: Et ideò vada (quò ad potuerunt) ad occupandum maiora indies, Turcis & alijs infidelibus apparuerunt. Et eo quidē tempore, in quo ſi Principes Chriſtiani vniti eſſent, facilimè, ſtante talium infidelium duriſſima ſtrage inter ſe, dominia Chriſtianorum occupata recupera-
re poſſent. Propterea Dominus per Eſaiam conqueſtus, dicens: Ideò populus meus ductus eſt captiuus, quoniam non habuit ſcientiam, ſcilicet veræ doctrinæ & immaculatæ vitæ, in qua eccleſiæ paſtores, non paſtores fuerunt tunc, ſed lupi rapaces, prout multis notum eſt. Veruntamen quantò maior erit noſtri cauſa perſecutio, tantò glorioſior erit per conuerſionem omnium, in Chriſto rege noſtro, & nō à nobis liberatio. Et hinc fuit, patres optimi, quòd breui tempore quatuor patriarchales Eccleſiæ, aliæq́; innumerabiles, in quibus Hebræorum & Græcorum eccleſiæ de titulo Crucis abraſæ opera diaboli fuerunt, ac propter illarum hæreſes & rebellionem contra obedientiam ſanctæ ſedis Romanæ, ad manus infidelium deuenerunt. Siquidem & in ſede Romana in ſuo vicario Deus ſibi obedientiam incommutabilem reſeruauerat, inſtar illius, quam in ligno paradiſi Adæ poſuerat, vt imperaret mundo, & ſoli Deo vnicè ſeruiret & obediret, & tantam obedientiam à ſubditis exigeret, quantam ipſe DEO præſtaret. Idcircò aduerſantes obedientiæ ligni ſedis Apoſtolicæ, à Crucis ligno aſſumptæ, dicente

Eſai. 5. Geneſ.

Prophe-

fornicatorem tam abominabilem, coram Corinthijs puniuit Apoſtolus, quia auctoritatem habebat à Domino. Et peccatum erat publicum & ſcandaloſum, neque ex hoc vllum ſequebatur periculum ſchiſmatis in Eccleſia, quod dedit eius corpus vexandum Sathanæ, vt ſpiritus eius ſaluus eſſet.

1. Theſ. 5. Ad rationem primæ Theſſalonicenſ. vlt. Corripite, &c. concedo eam ſimpliciter: loquitur enim Apoſtolus de fraterna correctione.

Epheſ. 6. Ad auctoritatem Apoſtoli, Epheſ. 6. *Et vos patres nolite ad iracundiam, &c.* Iſta ratio eſt de diſciplina patrisfamilias. & concedo eam penitus, nec probat ex hoc, quod omnia peccata ſunt punienda, cùm patres ſolùm ſuper liberos & familiam habeant regimen œconomicũ, & ſuper extraneos nõ, & aliqua poſſibilia peccata ſuæ familiæ ſufficienter punire non poſſunt.

Matt. 18. Ad rationem, Matth. 18. *Qui ſcandalizauerit &c.* poteſt dici, quod illud intelligitur de ſcandalo in fide, quod fit peccato infidelitatis. Nam non tantum dixit Dominus, *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis*, ſed adiunxit, *qui in me credunt*, quaſi diceret: Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, propter fidem, qua in me credunt. Alio modo, quod intelligitur de ſcandalo actiuo generaliter. Et ſic ſecundum Gregor. in paſtorali, & Nicolaum de Gorra, ſenſus eſt, qui ſanctitatis ſpecie, verbo, vel exemplo, cæteros deſtruit, melius (id eſt minus malum) eſſet, vt eum ſub exteriori habitu ad mortem terrena * pœna conſtringeret, quam propter ſacra officia, in culpa ceteris imitabilem, ſe oſtenderet, quia ſi ſolus caderet, tolerabilior eum pœna cruciaret. Qui enim peccat in habitu religioſo, multos lædit malo exemplo. Et ſic illud eſt de ſpeciali peccato, ſcilicet hypocriſis, ex quo non poteſt inferri vniuerſalis concluſio, de propulſione peccatorum. Chryſoſtomus conformiter innuit, quod de ſpeciali peccato hoc intelligitur. Nam dicit: *Si autem comitiũ ſcandalum vocat, ne mireris, multi enim puſillanimes ex eo, quod deſpiciuntur ſcandalizati ſunt.*

Glo. ordinaria in c. 18. Matth.

* Item. impreſſus habet acta.

Chryſoſt. in idẽ ca.

Lucæ 19. Matt. 21. Ad illud, Lucæ 19. *Et ingreſſus in templum, &c.* dico, quod iſta ratio eſt contra facientem. Apparet enim, quod Dominus peccata ſacerdotum per ſe ipſum punire voluit, quæ erant in pecuniæ mutatione, & venditione columbarum. Hæc enim fiebant ad vtilitatem eorum, & ipſorum ordinationem. Propterea dicit Gregorius 25. Moralium: *Neq; enim fruſtra per ſemetipſum Dominus æs nummulariorum fudit, & cathedras vendentium columbas euertit, nimirum, ſignificans, quia per Magiſtros quidem iudicat vitam plebium, ſed per ſemetipſum, facta examinat Magiſtrorum*, vt dictum fuit. Non ergò per inferiores fideles, ſunt prælati puniẽdi, per cohibitionem pœnæ, nec per eos coram alijs reprehendendi, vt dixit proponens, niſi de peccatis infidelitatis, ſchiſmatis, aut malæ doctrinæ directè vergentibus, in nocumentum aliorum fidelium.

Greg. lib. 25. moral. c. 21.

Lucæ 18. Ad illam, Lucæ 18. *Deus autem non faciet. &c.* dico quod illa non probat proproſitum ſuum, quod à quolibet fideli omnia peccata ſunt corrigẽda, caſtigãda, &c. Sed quòd à Deo, quod concedo. ibi enim, ſecundùm Albertum, iſto paſſu, & etiam Nicolaum de Gorra, oſtenditur præeminentia diuinæ iuſtitiæ, ad iudicem iniquum. qui, vt parabola habet, Viduæ diu iuſtitiam diſtulerat. & adhuc, non amore iuſtitiæ, ſed cauſa moleſtiæ vitãdæ, tardè reddiderat. Non ſic verò Deus ſcilicet faciet, &c. & ſic nihil concludit.

Albert. in idem cap.

1. Ioan. 3. Ad illam primæ, Ioan. 3. *Scitis, quia ille apparuit. &c.* dico cum Ægidio de Roma in hoc paſſu, quod tollere peccatũ tripliciter eſt. Primò diminuendo facta, Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Secundò, adiuuando, ne fiant. Tertiò, ducendo ad vitam, vbi omninò fieri non poſſunt. Et in omnibus his modis Chriſtus tollit peccata mundi. Ex duobus primis modis apparet magis oppoſitum proponentis, quàm propoſitum. ex tertio non arguitur ad propoſitũ, quia eſt de Eccleſia triumphante Item dico, quod tollit peccata, quia preciũ pro peccato humani generis ſoluit in cruce, abſtulit peccata, quia legem immaculatam. omne mortale prohibentem inſtituit, tamẽ manifeſtum eſt, quod peccata aliqua permiſit, manſerunt etiam peccata Iudæorum, remanſerunt & Gentium, crucem putantibus Iudæis ſcandalum, & Gentibus ſtultitiam, vt dicit Apoſt. 1. Cor. 1. Similem intellectum habet illud: *In hoc apparet filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.*

1. Cor. 1. 1. Ioan. 3.

Ad illam de epiſtola Iudæ, *Ecce venit Dominus, &c.* dico quod iſtud allegatum loquitur de aduentu Domini ad iudicium, in quo omnia mala tunc punietur. Et hoc ſonat, quod adhortatiuè ſubditur, *hos quidem arguite, illos verò ſaluate de igne rapientes*, hoc eſt, eripientes de igne inferni, in quo ſunt impœnitentes & incorrigibiles. Iterum hoc accipitur ex gl. de Lyra in hoc paſſu.

Ad illam, 2. Cor. 10. *In promptu. &c.* dico cum Petro de Tharantaſio poſt modum Innocentio quarto, quod illud, *vlciſci omnes inobedientiam*, facit diſtributionem pro generibus ſingulorum, ita vt in omni ſtatu minorũ ſcilicet & maiorum, & mediocrium inobedientia in promptu vindicetur; aut in omni modo, ſcilicet cordis, oris, & operis, ſed non habet opponens, quod faciat diſtributionem pro ſingulis generum.

Ad illam, 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura diuinitus, &c.* dico vno modo, quod hæc ratio arguit de correctione in verbo prædicationis, quæ fit per modũ exhortationis, declamationis, aut exprobrationis, quæ quamuis modum correctionis fraternæ excedat, quia fit publicè, tamen ex caritate procedit, aut procedere debet, nec per eam puniuntur in ſpeciali peccato, nec propriè puniuntur, ſed reprobantur, & inſtrũntur, auditores, vt perfecti ſint ad omne opus bonũ. Alio modo, quod loquitur indiſtinctè, de omni vtilitate Scripturæ diuinitus inſpiratæ, & ſic habet gl. ord. cum dicit: *Vtilis eſt ad docendum neſcientes, ad arguendum & conuincendum de malo, negligentes ad corripiendum id eſt, increpandum duriter in malo perſiſtentes ad erudiendum pœnitentes & incipientes diſcere.* Nec hæc expoſitio aliquid arguit contra dicta.

Ad illam, ad Tit. 1. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, &c.* ſequitur, *Sunt enim multi vaniloqui, ſeductores maximè. qui ex circumciſione ſunt, &c.* dico, quod ſecundùm gloſ. decreti diſt. 15. *Nunc autem*, crimen quadrupliciter accipitur, Primo modo largè pro omni delicto, ſiue mortali ſiue veniali, ſiue ex deliberatione, ſiue non, ſicut dicitur in Catone: *Nemo ſine crimine viuit.* Secundo modo, ſtrictè pro omni culpa, ſiue veniali, ſiue mortali, ex deliberatione procedẽte. Tertio modo ſtrictius pro omni culpa mortali, quæ eſt criminalis infamia, de hoc dicit textus: *Crimen eſt querela*, id eſt, *peccatum accuſatione & damnatione dignum*, hoc modo accipitur in textu allegato, Titi 1. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe.* Quale aũt ſit, declaratur diſt. 81. c. Apoſt. Paulus, *Si quis*, ait text. *eſt ſine crimine, vt eſt homicidium, adulterium. & aliqua immunditia fornicationis, furtum fraus, ſacrilegiũ.* Quarto modo ſumitur ſtrictiſſimè, prout vt graue peccatum accuſatione, & damnatione digniſſimum. Sumendo igitur tertio modo, dico, quod omne crimen eſt peccatum mortale, ſed non è contra, ſed ſolum mortale capitale dicitur crimen. Doctores autem alij qui enumerant XI. ſpecies talium, ſcilicet peccatum infidelitatis, peccatum contra naturam, homicidium, crimen læſæ Maieſtatis, ſacrilegium, inceſtus, conſpiratio, adulterium. falſum teſtimonium, ſimonia, vſura. Dicuntur autem iſta eſſe capitalia, quia ſecundùm Doctores inducunt ad damnationem, exilium, vel aliam pœnam, ſecundùm leges ciuiles vel excommunicationem, depoſitionem, vel aliam pœnã ſecundùm leges canonicas. & iura. S. Thomas 2. 2. q. 108. art. 3. recitat ſecundùm Auguſtinum ſequentem Tullium, octo pœnas, quas infligere ſolet lex ciuilis, & ſunt mors, verbera, talio, ſeruitus, vincula, exilium, damnum, ignominia. Et accipiuntur iſtæ octo pœnæ, ſecundùm octo, quæ homo maximè diligit, & in hoc, quod quælibet pœna eſt alicuius, horum priuatiua. Quæ octo ſunt vita, iocũditas, integritas. libertas, expedita operatio, patria bona temporalia, fama. Mors eſt contra vitam, verbera contra iocunditatem, talio, puta oculum, pedem, &c. contra integritatem, ſeruitus contra libertatem, vincula contra expeditam operationem, exiliũ, contra patriam, damnum contra temporalia bona, ignominia contra famam. Sex verò communiter aſſignantur in genere pœnæ iuris canonici, ſuſpenſio, excommunicatio, depoſitio, intruſio, carceratio, verberatio. hæc per digreſſionem dicta ſunt. Dico igitur ad propoſitum, quod auctoritas Apoſtoli vera eſt, *oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*, ſumendo crimẽ tertio modo. Quantum ad illud: *ſunt enim multi inobe-*

*ntes,&c.*dico, quod textus ſoluit ſeipſum. Crimen enim
ductionis & ſubuerſionis eſt valdè graue, & maximè, ſi ſit
fide, vnde non eſt neceſsè in talibus præcedere ſecretam
onitionem, ſed ſi periculum eſt in mora, proceditur ad
enunciationem coram ſuperiori. Et vbi imminet citò pe-
culum, vt dictum eſt, poteſt argui, quo ad talia coram o-
nibus. quia omnes tangit, & maximè in infidelitatis cri-
ine. Ex quo, qui erat ſuperior, deſinit, quo ad hoc eſſe ſu-
erior. De iſtis loquitur Apoſtolus, verum adhuc ſolùm lo-
uitur Tito, ibi Epiſcopo cui ex officio incumbit. Sic ergò
ec de crimine omni, nec omni homine loquuntur alle-
ta.

Ad rationes, Rom. 13. *Si malè feceris time, non enim ſine cau-*
princeps gladium portat,&c. Et infrà 1. Pet. 2. *Subiecti eſtote o-*
m humana creatura propter Deum ſiue Regi, quaſi præcedenti, ſiue
ucibus, quaſi ab eo miſſis,&c. ad Hebr. 12. *Quis enim filius, quem*
on corripit pater? &c. concedo iſtas omninò. Duæ primæ lo-
uuntur de punitione iuſtitiæ ab homine, vt Dei miniſtro.
. de ipſa diuina iuſtitia, qua nunc, vt pater filios caſtigat.
Nam iuxta Prophetam, Pſalm. 44. *Virga directionis, virga re-*
ni tui. Quod verò allegat Gregorium dicentem, quod per
hoc, quod Dominus eiecit dæmonia, & quod conceſſit Di-
ſcipulis hoc facere, ſignat, &c. hoc etiam concedo, ſed eſt
d appoſitum, & non propoſitum proponentis, quia non o-
mnia dæmonia Diſcipuli eijcere potuerunt, patet Matth. 17.
Mar. 9. vbi apparet, quod Diſcipuli dæmonia lunatica non
potuerunt eijcere. Nam & Dominus dicit hoc genus dæmo-
niorum non eijci niſi in oratione & ieiunio, per quod iuxta
multos Doctores, ſignatur peccatum luxuriæ, quod reuera
ſine oratione & ieiunio, vel moderata abſtinentia, difficile
comprimitur. Et quia populus communiter pro magna
parte non inſtat orationi & ieiunio, & hoc rector homo co-
gnoſcit, non punit ſimplex meretricium, ſed tolerat ad ma-
ius malum vitandum.

Ad rationes de praxi Chriſti Apoſtolorum, & primitiuę
Eccleſiæ. Ad iſtam de praxi Chriſti, qui durè clerum & a-
lios arguit, dico, quod Chriſtus clerum arguebat propter
crimen infidelitatis, quia legem veritatis intelligere nole-
bat. Vnde proſtrauit Paulum, & cæcauit, quia perſecutor e-
rat veritatis, quamuis pro crimine infidelitatis, quilibet poſ-
ſit ſuperiorem, ſcilicet, qui fuit ſuperior, arguere publicè, v-
bi tale periculum imminet, quod non patitur dilationem,
non tamen pro peccatis publicis perſonalibus punire per
iudicium iuſtitiæ & auctoritatis, licet poſſet fraterna corre-
ctione ſecretè arguere, ſuperiori, ſcilicet, ſi opus fuerit, de-
nunciando. Dico vltrà, quod non omnia opera Chriſti imi-
tari tenemur. vt declarat Alexander de Hales, in 4. Sunt
nempè tria genera operum Chriſti, quædam potentiæ, vt
miracula, quædam ſapientiæ, vt inſtitutio Euangelicæ legis,
& ſimilia. Quædam bonitatis, & hæc duplicia ſunt, quædam
pietatis, quædam iuſtitiæ punitiuæ. In operibus potentiæ
non vult Deus imitari à nobis, imò Angelus in hoc, quod
in potentia Dominum imitari voluit, peccauit. Nec in ſe-
cundis. nam in hoc Adam peccauit. In tertijs verò vult, quã-
tum ad opera pietatis, Matth. 5. *Eſtote miſericordes, ſicut pater*
veſter miſericors eſt. Non autem, quo ad opera iuſtitiæ puniti-
uæ, niſi quibus commiſſa eſt auctoritas à lege, vel in ſpira-
tione probata per ſacram Scripturam, vel miracula. Ratio
autem, cur niſi habens auctoritatem, debet exercere actus
iuſtitiæ, quia gubernatio eſt opus Dei. Ideò illi ſoli compe-
tit gubernare, cui Deus commiſit: hoc autem tantum per le-
gem, aut voluntatem per reuelationem conſueuit commit-
tere. Summæ ergò religionis eſt imitari, quem colimus
Chriſtum, vt dicit Auguſtinus, quo ad opera bonitatis &
pietatis, quo ad omnes; & iuſtitiæ, quo ad habentes auctori-
tatem. In hoc, quod allegat opponens, Chriſtum puniuiſſe
per temporalium ſubtractionem aliquos, neſcio, ad quem
finem hoc facit. ſi per hoc inducere vellet, quod principes
poſſent temporalia ſubtrahere ab eccleſiaſticis, malè illis
vtentibus, hoc eſſet inſuſtinibile, quia nullã habent iuriſdi-
ctionem in illos, vt ſuprà dictum eſt, & pulchrè declarabit
venerandus Doctor reſponſurus de iſta materia; ſi, quod
ſuperior poteſt ſubditum ſuum per ſubtractionem bo-
norum temporalium interdum punire, hoc concedo. Con-
cedo quod Chriſtus exprobrauit incredulitatem Diſcipu-
lorum, & duritiam cordis. Concedo etiam, quod Angelis
peccantibus non pepercit, ſed tradidit vinculis æternis, &c. Iudas in
vt dicit Iudas Apoſtolus in Canonica ſua. Praxim Apoſto- epiſ. Can.
licam in punitione peccatorum concedo, vt fuit allegatum Act. 5.
de Petro. Actuum 5. & Paulo, Actuum 13. de Elymago, pec- Act. 13.
cata enim iſta, propter quæ puniuerunt, aut punienda decla-
rauerunt, quod dico propter punitionem Ananiæ & Saphi-
ræ, ſecundùm multos, erant grauia & ſcandaloſa, vt patet in
litera. Praxim item Ioannis Baptiſtæ, in reprobatione pec-
catorum per viam prædicationis & Prophetarum. ſed ex
hoc non concluditur, omnia peccata mortalia publica eſſe
punienda, nec omnia puniuerunt. Nam erant multi Pſeudo- 2. Cor. 11.
apoſtoli tempore Pauli, nec legimus per eum aut alios A-
poſtolos eſſe punitos. Galatæ inſenſati non dicuntur nec le- Gal. 3.
guntur fuiſſe puniti per Apoſtolum pœna iuſtitiæ, ſed tan-
tum per prædicationem correpti, ad Galat. 3. Ortum fuit
murmur Græcorum aduerſus Iudæos, quod viduæ eorum
deſpiciebantur in quotidiano miniſterio, Actuum 6. nec il-
lud legitur punitum. Et facilè multa ſimilia reperirẽtur im- Act. 6.
punita propter periculum ſchiſmatis in Eccleſia, aut alia oc-
culta nobis, tamen iuſta ratione. Quod ad praxim primitiuę
Eccleſiæ allegat, quod communitas Corinthi cum ſpiritu
Apoſtoli tradidit Corinthium Sathanę in carnis interitum,
per hoc arguens, quod populus poſſit peccata publica puni-
re, dico, quod ex ſerie textus non habetur, quod communi-
tas Corinthiorum hoc fecerit, ſed Apoſtolus. Nam dicitur 1. Cor. 5.
ſic: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudica-*
ui, vt præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu
Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini Ieſu
tradere huiuſmodi hominem Sathanæ, textus dicit: *iudicaui* non
iudicauimus. Et Nicolaus de Lyra dicit: *Ego quidem habens*
auctoritatem ſuper vos, vbi patet, quod ipſe, qui habebat au-
ctoritatem, iudicauit. Præterea punitio malorum presbyte- Dan. 13.
rorum, de qua Daniel 13. oſtenſa & ſententiata eſt per Da-
nielem auctoritate ſibi à Deo data. Nam ibi dicitur: *Suſcita-*
uit Deus ſpiritum pueri iunioris, cui nomen Daniel: Executio au-
tem per populum, & in veteri lege, multas executiones per
populum legimus in ſpiritualibus caſibus, vt in crimine i- Leuit. 20.
dololatriæ Leuitici 20. Deuteron. 13. & 18. In blaſphemia Deut. 13.
Dei, Leuitici 24. Num. 25. pro violatione Sabati in colligen- & 18.
te ligna illo die, Num. 25. pro inobedientia contumaci fi- Leuit. 24.
liorum ad parentes, Deut. 21. pro violatione virginis deſpõ- Num. 25.
ſatæ, Deut. 22. hanc executionem faciebat populus, ſed au- Deut. 21.
ctoritate legis & iudicum ſententias ferentium ſecundùm Deut. 22.
legem. Ita dicit de Lyra ſuper illo Deuteron. 13. *ſtatim* Deut. 13.
interficies, cum. dicit, *iudicatum fuerit per iudices.* Allegat, quod
populus Iudæorum ab alienigenis, &c. Concedo hoc, ſed
non ideò hoc fecerunt ſine peccato alienigenæ. Nam in ſub-
actione iſta duo conſidera, actionem & intentionem capti-
uantium. Aliquando enim, vt dicit Alexander in ſumma Alex. ab
vtrumque à Deo excitatum eſt, dum vtrumque eſt bonum, Ales 3. p.
ſcilicet captiuatio & intentio captiuantis. Aliquando actio à q. 35. nu. 2.
Deo excitatur, & non intentio, Dum actio bona eſt, quia à art. 2.
Deo volita, ſed intentio mala, quia odio vel ira, aut alia ma-
la paſſione excitata: Aliquando ſiquidem puniuntur pecca-
cata per ſcientes. Aliquando per neſcientes. Exemplum de
ſecundis, vt populus Iudęorum fuit punitus per Senacherib Eſa. 10.
Iſaiæ 10. *væ Aſſur virga furoris mei,* & per Nabuchodonoſor 4. 4. Reg. 25.
Reg. vltimo. Et etiam per Antiochum, 1. Machabæor. 1. 1. Mach. 1.
Exemplum de primis, vt quod peccata Amorræorum fue-
rũt punita per filios Iſrael. Iſti enim ſciebant ſe à Domino
excitatos punire peccata harum nationum. Sed Aſſyrij, &
Rex Babyloniæ, &c. etſi punirent, neſciebant, ſe ex diuino
præcepto punire. Nam filij Iſrael monebantur à Domino,
quo ad punitionem & intentionem punientis, quia hoc fa-
ciebant ex diuino mandato accepto, & vt voluntatem Do-
mini adimplerent. ſed alienigenæ Aſſyrij, & cæteri, vtique
Domino mouente ſubigebant populum Iſrael, ſed non vt
implerent Domini voluntatem, imò ex odio, cupiditate,
aut alia mala intentione hoc faciebant, ideò peccabant. Ita
populus vel ciuitas non habens vſum iuriſdictionis, puniẽ-
do pœnaliter, peccarent, niſi ſuper hoc acciperent à Domi-
no mandatum ſpeciale, & hoc probaret ſacra Scriptura, aut
miraculo, vt ſibi eſſet credendum.

Ad auctoritates Sanctorum. ad primam Auguſtini, ſu-
per

obedient & obtemperabunt, ac facient & exequentur in futurum in omnibus & per omnia, prout in eiſdem literis monitorialibus pleniùs continetur, expreſsè dixit, atq; promiſit, me notario præſente & ſtipulante, &c. prout etiam ipſi principales ſui iam in partibus publicè reuocauerant, caſſauerant, & annullauerant, & alia fecerant (prout in publicis documentis deſuper factis conſtantibus) de quibus fidem facit, ac ea mihi notario infraſcripto conſignauit inſerenda, quorum tenores inferiùs deſcribuntur, Et inſuper eoſdem principales ſuos, & eorum quemlibet in ſolidum virtute dicti mandati & poteſtatis ſibi attributæ quodammodò in q̃n teà ipſi ſui principales & eorum quilibet, quantùm in eis vel eo eſt, omnia & ſingula contenta in dicto monitorio adimplebunt, & præmiſſis omnibus parebunt, & Eccleſiaſticam libertatem non perturbabunt, ſed tanquàm Catholici & obedientes filij ſuæ ſanctitatis mandatis acquieſcent. Et quòd non contrauenient in futurum directè vel indirectè alio quouis quæſito colore. Et eorum, & cuiuſlibet ipſorum bona quæcunque ſpecialiter & expreſſè obligant, & pro eis & eorum quolibet de rato & ratihabitione. Ac ſe acturum & curaturum, quod infra quatuor menſes proximè futuros dicti ſui principales, omnia & ſingula, ſuprà & infrà ſcripta ratificabunt & approbabunt. Et quòd omnia & ſingula in dictis monitorialibus ſemper & perpetuò obſeruabunt & adimplebunt, prout in eiſdem literis continetur & præcipitur, ſolenniter & expreſſè promiſit, me notario infraſcripto tanquam publica & authentica perſona, pro ſancta Romana eccleſia & omnibus alijs quorum intereſt, ſtipulan. & recipien.

Quibus ſic geſtis, præfatus ſanctiſſimus dominus noſter more pij patris, motus benignitate & clémentia, conſiderans & attendens, quòd præfati conſiliarij ad cor reuerſi ſunt, & quòd ſancta ſedes Apoſtolica poſt lapſum cum humilitate ab ea veniam petentibus & recurrentibus ad eam, non conſueuit claudere ſuæ pietatis gremium, etiam ad vniuerſas preces ipſius magnifici domini Ludouici præfatos conſiliarios ſuperiùs nominatos, & eorum ſingulos authoritate Apoſtolica, & ex ſua ſolita clementia præmiſſis viſis & intellectis, exceptis duntaxat his, qui per ſecundum monitorium ad comparendum perſonaliter ſunt adſtricti, à cenſuris & pœnis etiam inhabilitatis, factionis teſtamenti, eorumq́ue poſteritatem & generationes & deſcendentes ab eis, abſoluendos duxit & abſoluit, & facto ſigno ſanctæ crucis in perſonam præfati magnifici domini Ludouici eorum procuratoris, benedixit, & interdictum eccleſiaſticum præmiſſorum occaſione forſan appoſitum, penitùs & omninò relaxauit, eoſq; & eorum quemlibet rehabilitauit, & ab eis & quolibet eorum omnem infamiæ maculam ſiue notam penitùs remouit, ac eos & eorum ſingulos (quatenùs opus ſit) ad priſtinos honores, gradus, dignitates, beneficia & officia reſtituendos duxit, & reſtituit cum reincidentia & ſine aliqua ſuſpenſione, reuocatione, & præiudicio dictarum literarum monitorialium, & proceſſus perinde, ac ſi præſens abſolutio facta non fuiſſet, niſi omnes ſinguli principales prædicti infra dictos quatuor menſes proximè futuros pręmiſſa omnia & ſingula ſic (vt præfertur) ratificauerint & approbauerint.

Ipſi verò ſpectabiles & magnifici domini parendo mandatis & beneplacitis ipſius ſanctiſſimi domini noſtri Papæ, quantùm in eis eſt, & eos tangit, ſeu tangere poterit in futurum communiter & diuiſim omnia & ſingula per dictum ſpectabilem dominum de Solerijs, iuxta mandatum ſibi datum, acta, geſta, promiſſa & procurata, & quę in exemplo ſuperinſerto continentur, omnibus melioribus modo, via, iure & forma, quibus potuerunt & debuerunt, approbârunt, laudârunt, emologârunt, & ratificârunt, laudantq́ue, approbant, emologant & ratificant, promittentes emologationé, approbationem & ratificationem eiuſmodi, ac omnia alia & ſingula ſupradicta, firma & valida habere, tenere & obſeruare, ac nunquam in aliquo contrafacere, dicere, vel venire, per ſe, vel aliam interpoſitam perſonam tacitè vel expreſſè ſub expreſſa hypotheca & obligatione omnium bonorum ſupranominatorum ſpectabilium dominiorum, & cuiuſlibet ipſorum, mobilium & immobilium, præſentium & futurorum, ac ſub omni iuris & facti renunciatione pariter & cautela. Et ita ad ſancta Dei Euangelia per eoſdem ſeriatim tacta, & vnus poſt alium iurârunt, de quibus præmiſſis omnibus fieri & expediri iuſſerunt & voluerũt vnum & plura, publicum & publica, inſtrumentum & inſtrumenta, per me notarium & ſecretarium Regium infraſcriptum. Acta fuerunt hæc omnia in ciuitate Aquenſ. vbi ſuprà, videlicet infra cameram Regij Concilij dictæ curiæ ſupremæ parlamẽti, præſentibus ibidem nobilibus viris magiſtris Guillelmo Morini, Ioanne Malhart, & Antonio Malbequi regijs ſecretarijs & eiuſdem curiæ Grafferijs, teſtibus ad pręmiſſa vocatis & aſſumptis. Et me Ioanne Boycelli ciue Aquen. Regio Secretario & notario publico, & comitatibus prouinciæ & Fortulquerin, terriſq; illis adiacentibus Regia & aliàs vbiq; terrarum Apoſtolica authoritatibus cõſtituto. Qui præmiſſis ratificationi, approbationi & emologationi, promiſſioniq; & obligationi, & alijs ſupradictis vnà cum prænominatis teſtibus præſens fui, eaq́; in notã ſumpſi, legi & publicaui, à qua, ſeu illius originali extenſio, hoc inſtrumentũ publicũ, in hanc publicam formã redactum aliena manu, mihi fideli virtute gratiæ mihi conceſſæ extrahi feci, & inde collatione facta cum eodem extenſo, compertaq́ue conformitate, hîc me ſubſcribens, ſignum meum interpoſui authenticum, in fidem, robur & teſtimonium omnium præmiſſorum.

Anno prædicto, & die vigeſimaſexta menſis ſupradicti Februarij in loco ſupradicto, videlicet infra cameram Concilij in præſentia nobilium Stephani de Gennes commentarienſ. palatij, & Ioannis Draconis Villæ * execratum, meiq; notarij ſecretarij Regij ſuprà & infraſcripti conſtituti, magnifici & ſpectabiles iurium profeſſores domini, Petrus Matthæi dominus de Reneſto Broſſiæ, & Ioannes Toruatiris, dominus de Canilhaco, etiam Regij in dicta curia conſiliarij, certiorati per lecturam præſentis inſtrumenti, de ratificatione, approbatione & emologatione geſtorum & promiſſorum per ſupraſcriptum magnificũ dominum de Solerijs, illam & omnia in huiuſmodi inſtrumento contenta, grata & ratam, rataq; & grata habentes, omnibus melioribus modo, via & forma quibus potuerunt & debuerunt, quantum in eis eſt, & eoſdem coniunctim & diuiſim tangit, ſeu tangere poteſt, ratificârunt, approbârunt & emologàrunt, ratificantq́ue, approbant & emologant ſub illis, & eiſdem promiſſionibus, obligationibus, renunciationibus, & iuramento ſupraſcriptis, ac ſi præſentes in præmiſſis interfuiſſent. Et hanc ratificationem & approbationem iuſſerunt notari, & deſcribi per me dictũ notarium & ſecretarium, hîc me propria manu ſubſignantem.

Boycelli.

Vniuerſis & ſingulis has præſentes teſtimoniales literas inſpecturis, viſuris & audituris. Nos Guillelmus de Cordoano Iurium Licentiatus, ſanctæ Metropolitan. Aquen. Eccleſiæ canonicus, vicariuſq; generalis in ſpiritualibus & temporalibus totius Archiepiſcopatus Aquenſ. Notum facimus & atteſtamur, nobilem virum magiſtrum Ioannem Boycelli ciuem Aquenſ. qui præſens ſiue præcedens inſtrumentum ratificationis ſumpſit, ſubſcripſit & ſubſignauit, fore & eſſe Regium Secretarium, notarium publicum Apoſtolica & regia authoritatibus notum, vtrumq; boni nominis & famæ, ac laudabilis cõuerſationis, ad eumq; tanquam notarium & publicum & perſonam publicam, communem & publicum haberi recurſum & pro tali in tota patria Prouinciæ reputari, ſuis quoq; inſtrumentis & actis publicis, manu & ſigno ſuis roboratis, in iudicio & extra ſtari, & fidem indubiã adhiberi. Et vt præſcriptio inſtrumẽto fides indubia per quoſcunque adhiberi valeat, has præſentes teſtimoniales literas, per Honoratum Parcatoris notarium, & curię Archiepiſcopalis Aquen. ſcribam fieri, ſigilliq́ue eiuſdem curiæ cum manus noſtræ ſubſcriptione fecimus & iuſſimus debita appenſione communiri. Datæ Aquis die 23. menſis Februarij, anno à natiuitate Domini 1515. tertiæ indictionis.

G. de Cordoano vicarius præfatus.

Anno à natiuitatę Domini 1515. indictione tertia, die verò octaua menſis Iulij pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ X. anno 3. reuerendiſſ. in Chriſto pater & dñs, Dominus Antonius tituli S. Praxedis presbyter Card. de mandato

præfati ſanctiſſimi domini noſtri, domini Leonis Papæ decimi, ſibi viuæ vocis oraculo facto, mandauit nobis Bernardo Sculteri, & Bernardino de Contreras, notarijs & ſcribis ſacri Concilij, vt daremus in publica forma magnifico domino Ludouico de Solerijs, Chriſtianiſſimi Francorum regis oratori, inſtrumentum authenticum cuiuſdam proteſtationis per eum factæ in decima ſeſſione, excuſando prælatos Gallicanę nationis, quod quidem inſtrumentum eidem magnifico oratori fuit traditum tenoris infraſcripti.

Vniuerſis & ſingulis præſentis publici inſtrumenti ſeriem inſpecturis, viſuris, lecturis pariter & audituris, notum ſit, quòd anno à natiuitate domini 1515. indictione tertia, die verò veneris quarta menſis Maij, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno tertio, Romæ in Baſilica Lateranen. fuit celebrata decima ſeſſio ſacroſancti generalis Cõcilij Lateran. in qua quidem ſeſſione fuit præfatus ſanctiſſimus dominus noſter. Et poſt multa tractata & acta in pręfata ſeſſione, circa finem reuerendus pater dominus Petrus epiſcopus Caſtelli maris aſcendit ambonem, & legit ſchedulam tenoris ſupraſcripti:

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, prout ſuperiùs.

Qua perlecta, magnificus dominus Ludouicus de Solerijs orator Chriſtianiſſimi Regis Franciæ, acceſſit ad pedes præfati ſanctiſſimi domini noſtri, & dixit, excuſando prælatos Eccleſiæ Gallicanæ profitentes pragmaticam ſanctionem, quòd Prælati Franciæ fuerunt impediti per inimicos Chriſtianiſſimi Regis Francorum, non verentes cenſuras contentas in Bulla Cœnæ Domini, & ideò ſanctitas ſua habuit aliàs excuſatos. Cùm igitur de præſenti eodem impedimento detenti ſint, & non audent venire, quia inter Delphinatum & Lombardiam eſt periculum, quare pro parte eorum ſupplicatur ſanctitati ſuæ, quòd habeat eos nunc excuſatos, & cùm dabitur tutus acceſſus, offerunt venire ad Concilium, & allegare de iuribus ſuis. Facta itaque prædicta excuſatione, idem magnificus orator dedit quandam ſchedulam. Præfatus ſanctiſſimus dominus noſter reſpondit præfato oratori, quòd ex prouincia Prouinciæ erat facilis & tutus tranſitus per Ianuam, & quòd prouiderat de ſaluoconductu Ianuen. & eis mandauerat tradi, & ſi opus eſſet, prouideret de meliori & tutiori ſaluoconductu: tamen volebat ſanctitas ſua, quòd ſchedula ſupradicta ſtaret in ſuo robore.

Tenor autem ſchedulę datæ per oratorem, de qua ſuprà fit mentio, talis eſt:

Sanctiſſimus, &c. prout ſuperiùs.

Super quibus omnibus & ſingulis idem magnificus dominus orator petijt à protonotarijs, notarijs & ſcribis cõcilij inſtrumentum & inſtrumenta. Acta fuerunt hæc in præfata baſilica Lateran. in 10. ſeſſione ſacroſancti Lateran. Concilij generalis ſub anno, indictione, die, menſe, & pontificatu, quibus ſuprà, pręſentibus ibidem reuerendo patre domino Thoma Phædra & Bartholomæo Saliceto Secretarijs, & Franciſco de Actauantis, & Benedicto Trocileti, & Aurelio Amerino notarijs & ſcribis pręfati Concilij, teſtibus ad pręmiſſa vocatis ſpecialiter atq; rogatis.

Et ego Bernardus Sculteri decretorum doctor, Decanus Vuarmien. publicus Apoſtolica & Imperiali authoritatibus Notarius, & ſacri Lateran. generalis Concilij ſcriba deputatus, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic (vt præmittitur) fierent & agerentur, vnà cum prænominatis teſtibus, infraſcripto collega & connotario meo præſens interfui, eaq; omnia & ſingula ſic fieri vidi & audiui, ac in notã ſumpſi. Ideò hoc præſens publicum inſtrumentũ manu alterius fideliter ſcriptum, exinde confeci, ſubſcripſi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, ſignoq; & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignaui & communiui, rogatus & requiſitus in fidẽ teſtimonium omnium & ſingularum pręmiſſorum.

Et ego Bernardinus de Contreras clericus Burgen. Iuris vtriuſq; doctor, publicus Apoſtolica auctoritate notarius, ac ſacri Lateran. Concilij ſcriba, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic (vt præmittitur) fierent & dicerentur, vnà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, ac fieri vidi & audiui, & in notam ſumpſi, ex qua præſens publicum inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum, ſubſcripſi & publicaui, ſignoq; & nomine meo ſolitis ſignaui, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

CONGREGATIO GENERALIS PRO diſcuſſione eorum quæ tractanda ſunt in vndecima Seſſione.

ANNO à natiuitate Domini 1516. indictione quarta, die verò decimaquinta menſis Decembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno quarto, fuit congregatio generalis Prælatorum in palatio Apoſtolico, in ſuperiori capella dicti palatij, pro diſcutiendis & examinandis ſchedulis in 11. ſeſſione legendis. In qua quidem congregatione fuerunt præſentes Reuerendiſſ. domini

CARDINALES.

Reuerendiſſ. D. Dominicus epiſcopus Portuen.
Reuerendiſſ. D. Antonius tituli S. Praxedis.
Reuerendiſſ. D. Petrus ſancti Euſebij.
Reuerendiſſ. D. Laurentius ſanctorum quatuor Coronatorum.
Reuerendiſſ. D. Alexander ſancti Euſtachij.

ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI & Oratores.

Reuerend. pater D. Ioannes, Reualienſis epiſcopus, orator Marchionis Brandenburgen.
Reuerend. pater D. Bertrandus epiſcopus Adrien. orator ducis Ferrariæ.
Reuerend. pater D. Hieronymus Antibaren.
Reuerend. pater D. Gabriel Dyrrachien.
Reuerend. pater D. Hieremias Tranen.
Reuerend. pater D. Ioannes * Tranen. * Arianē.
Reuerend. pater D. Georgius Nazarenus.
Reuerend. pater D. Stephanus Gabriel Baren.
Reuerend. pater D. Andreas Cornelius * Spoletan. * Spalatē.
Reuerend. pater D. Ioannes Theban.
Reuerend. pater D. Marcus * Monobaſien. * Monembaſien.
Reuerend. pater D. Iulianus * Salutiarum. * Salciarum
Reuerend. pater D. Hugolinus Lycien.
Reuerend. pater D. Alexius Melfitan.
Reuerend. pater D. Bernardus Taruiſin.
Reuereud. pater D. Andreas Militen.
Reuerend. pater D. Paulus Poroſempronien.
Reuerend. pater D. Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerend. pater D. Bonifacius Iporegien.
Reuerend. pater D. Benedictus Chien.
Reuerend. pater D. Petrus Caſtelli maris.
Reuerend. pater D. Alexander Hieronymus S. Dominici Inſulæ Hiſpaniarum.
Reuerend. pater D. Scaramuza Cuman.
Reuerend. pater D. Marius Aquinaten.
Reuerend. pater D. Simon Ariminen.
Reuerend. pater D. Iacobus Antonius Sutrinus.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Caſertanus.
Reuerend. pater D. Marchus Senogallien.
Reuerend. pater D. Paris Piſaurien.
Reuerend. pater D. * Scabonius Imolen. * Scribonis
Reuerend. pater D. Bernardus Soranus.
Reuerend. pater D. Petrus * Acceranen. * Accerran.
Reuerend. pater Angelus * Lozanen. * Lauſanen.
Reuerend. pater D. Baltaſſar ciuitatis Caſtellan.
Reuerend. pater D. Bartholomæus Montis viridis.
Reuerend. pater D. Tranquillus Ferentinus.
Reuerend. pater D. Thomas Lechelien.
Reuerend. pater D. Valentinus * Parmen. * Pennen.
Reuerend. pater D. Vincentius Arben.
Reuerend. D. Zacharias Sebaſten.
Reuerend. pater D. Petrus * Lancilinus. * Lauellinus vel Lauellien.
Reuerend. pater D. Paulus * Nimoſien. * Nemauſen.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Gauallicen.
Reuerend. pater D. Maximus Iſernien.
Reuerend. pater D. Thomas Saonen.
Reuerend. pater D. Petrus Paulus Eſin. * Limoliē.

Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Auximanus.
Reuerend. pater D. Guarinus Nucerinus.
Reuerend. pater D. Theſeus * Maceraten. *Racanaten.
Reuerend. pater D. Auguſtinus * Nebien. *Nubien.
Reuerend. pater D. Ioannes Marſicanus.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Valuen.
Reuerend. pater D. Hieronymus * Buduen. *Biduanen.
Reuerend. pater D. Philippus * Primaten. *Budineſ.
Reuerend. pater D. Chriſtophorus * Polimacen. *Brumaten.
Reuerend. pater D. Gisbertus Rapollan.
Reuerend. pater D. Simon Modruſien.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta * Vencien. *Poliguianen.
Reuerend. pater D. Ioannes * Algaren. *Vincentinus.
Reuerend. pater D. Chriſtophorus Cæſenatenſis, ac vallis Vmbroſæ, & S. Dominici, S. Franciſci, S. Auguſtini, & S. Mariæ ſeruorum, ordinum Generales. *Vincen. *Veneté. *Vrgelié.

Quibus omnibus congregatis, & ſedentibus more ſolito, dominus Andreas Piperarius ſecretarius Concilij, de mandato præfatorum reuerendiſſ. Card. legit ſchedulam continenté concordata per S. D. N. cum Chriſtianiſſimo Francorum Rege. Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et omnes reſponderũt ſimpliciter placere, exceptis infraſcriptis, qui dederũt vota particularia, & primò reuerend. dominus Bertrandus epiſcopus Adrien. dixit placere, præſertim quia erant concordata per S. D. N. reuerend. dominus Hieronymus epiſcopus Antibaren. dixit, quod placebant: quia credebat quod proueniebant à Spiritu ſancto. Reuerend. dominus Hieremias Tranen. Archiepiſcopus dixit, quòd licèt in illis concordatis lectis in ſchedula multa eſſent, quæ ſibi diſplicerent, quòd ſint facta & concordata, tamen poſtquàm S. D. N. iam fecerat & dederat bullã, & ſe obligauerat in vim contractus facere approbari per Cõcilium, non deuiabat à voluntate ſanctitatis ſuæ. Et * ſi placebant ea de cauſa. Reuerend. dominus Maximus epiſcopus Iſernienſis dixit placere, quia placuit ſanctiſſimo domino noſtro. Reuerend. dominus Ioannes Dominicus epiſcopus Terdonenſis, dixit, quatenùs tribuunt iuriſdictionem laicis contra Eccleſiaſticos, non placere. *ſic

Deinde præfatus dominus Andreas legit ſchedulam abrogationis pragmaticæ ſanctionis. Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et omnibus vnanimiter & ſimpliciter placuerunt.

Poſtmodùm verò fuit per eundem Andream lecta ſchedula ſuper ijs, quæ debent obſeruare per prædicatores prædicantes verbum Dei. Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et placuerunt omnibus, excepto reuerendo domino Mario epiſcopo Aquinatẽſi, qui ſibi placere dixit, quòd prædicatores prædicent, ſecundùm quod ſpiritus eis inſpirat. Demùm idem dñs Andreas legit ſchedulam concernenté priuilegium religioſorũ. Qua perlecta, petijt, an placerent contenta in ſchedula paternitatibus ſuis. Sed propter diuerſitaté votorum prælatorũ exiſtentium in cõgregatione circa narratiuam & diſpoſitiuam ſchedulæ, viſum fuit præfatis reuerendiſſ. Card. quòd ſchedula aptaretur, & die ſequẽti fieret alia congregatio in eodé loco, & iterũ legeretur ſchedula aptata, & deliberaretur per ea. Die verò 15. ſupradicti menſis Decembr. fuit congregatio in eadem capella. In qua interfuerunt reuerendiſſimi in Chriſto patres & domini, Antonius S. Praxedis, Petrus ſancti Euſebij, & Laurentius ſanctorum quatuor Coronatorũ tituli, S. R. E. presbyteri Card. Prælati verò quadragintaſex, & Generales ordinum, qui in ſupradicta congregatione interfuerunt. Et fuit lecta per ſupradictum D. Andream ſchedula continens priuilegia religioſorum. Qua perlecta, petijt an placerent paternitatibus ſuis. Et reſponderunt omnes placere, hoc tamen addito, quod reuerend. dominus Vincẽtius epiſcopus Signinus dixit, quòd videbatur ſibi quòd narratiua, vbi ponebantur illa verba, quòd epiſcopi fuerunt aſſumpti à Pontifice, debebat poni, quòd fuerunt aſſumpti à Chriſto. Et reuerend. dñs Scaramuza epiſcopus Cumanus dixit, quòd placebant ei cõtenta in ſchedula, dummodò excluderetur approbatio priuilegiorum. & eiuſdem opinionis fuerunt Brumaten. Ceruien. Senogallien. Ferentin. Soranus, & Poliguianen. Schedulæ verò, de quibus ſuprà fit mentio, inſeruntur in infraſcripta vndecima ſeſſione.

SESSIO XI.

IN nomine Domini, Amen. Anno à natiuitate Domini 1516. indictione 4. die verò 19. menſis Decembr. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & D. N. D. Leonis diuina prouidentia Papæ X. anno 4. fuit celebrata 11. ſeſſio in baſilica Lateran. de vrbe, in loco conſueto, præſente præfato S. D. N. Et fuerunt præſentes infraſcripti reuerendiſſimi domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & epiſcopi & Abbates, & magiſtri generales ordinum, oratores principum, & quamplures alij illuſtr. domini, videlicet:

Episcopi Cardinales.

Reuerendiſſ. dominus Raphael Oſtienſis.
Reuerendiſſ. dominus Bernardus Sabinenſis.
Reuerendiſſ. dominus Dominicus Portuen.

Presbyteri Cardinales.

Reuerendiſſ. dominus Franciſcus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli, Surrentin.
Reuerendiſſ. dominus Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſ. dominus Hadrianus tit. S. Chryſogoni.
Reuerendiſſ. dominus Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennenſ.
Reuerendiſſ. dominus Antonius S. Praxedis.
Reuerendiſſ. dominus Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de Saulis.
Reuerendiſſ. dominus Laurentius tituli ſanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi Cardinales.

Reuerendiſſ. dominus Alexander ſancti Euſtachij, Farneſius.
Reuerendiſſ. dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſ. dominus Marcus ſanctæ Mariæ in via lata, de Corneiijs.
Reuerendiſſ. dominus Iulius S. Mariæ de Nauicula.
Reuerendiſſ. dominus Bernardus S. Mariæ in porticu.
Reuerendiſſ. dominus Innocentius ſanctorum Coſmæ, & Damiani.

Patriarchae, Et Assistentes Papæ, & Oratores.

Reuerend. pater D. Cæſar Alexandrinus.
Reuerend. pater D. Ioannes Vincentius Senen.
Reuerend. pater D. Gabriel Dyrrachien.
Reuerend. pater D. Robertus Reginus.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Caualliceń.
Reuerend. pater D. Bernardus Taruiſin.
Reuerend. pater D. Scaramuza Cuman.
Reuerend. pater D. Dominicus Luterin.
Reuerend. pater D. Andreas Militan.
Reuerend. pater D. Ioannes, Reualienſis epiſcopus, orator Marchionis Brandeburgenſ. Electoris Imperij.
Reuerend. pater D. Bertrandus epiſcopus Adrien. orator Illuſtr. ducis Ferrarienſis.

Archiepiscopi Et Episcopi.

Reuerend. pater D. Aldronandinus Nicoſien.
Reuerend. pater D. Hieremias Tranen.
Reuerend. pater D. Georgius Nazarenus.
Reuerend. pater D. Clemens Coloſſen.
Reuerend. pater D. Stephanus Gabriel Baren.
Reuerend. pater D. Andreas Spalaten.
Reuerend. pater D. Alexander Viennenſ.
Reuerend. pater D. Marcus * Monobaſien.
Reuerend. pater D. Ioannes Theban.
Reuerend. pater D. Alexius Melfitan.

Reuerend. pater D. Angelus Lauſanen.
Reuerend. pater D. Bonifacius Iporegien.
Reuerend. pater D. Benedictus Chien.
Reuerend. pater D. Bernardus Soranus.
Reuerend. pater D. Balthaſar ciuitatis Caſtellan.
Reuerend. pater D. Blaſius Theleſinen.
Reuerend. pater D. Chriſtophorus Cæſenaten.
Reuerend. pater D. Chriſtophorus Poligniancn.
Reuerend. pater D. Franciſcus Dignen.
Reuerend. pater D. Guarinus Nucerinus.
Reuerend. pater D. Giſbertus Rapollanus.
Reuerend. pater D. Galeſius Belunen.
Reuerend. pater D. Ioannes Dominicus Terdonen.
Reuerend. pater D. Iacobus Antonius Sutrinus.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Caſertanus.
Reuerend. pater D. Ioannes Baptiſta Auziman.
Reuerend. pater D. Ioannes Vrgellen.
Reuerend. pater D. Gabriel Galluen.
Reuerend. pater D. Iannotius Troianus.
Reuerend. pater D. Hieronymus Aſculanus.
Reuerend. pater D. Maximus Iſernien.
Reuerend. pater D. Marius Aquinaten.
Reuerend. pater D. Marcus Senogallien.
Reuerend. pater D. Matthæus S. Leonis.
Reuerend. pater D. Thomas Saonen.
Reuerend. pater D. Petrus Ceruien.
Reuerend. pater D. Paulus Foroſempronien.
Reuerend. pater D. Petrus Caſtelli maris.
Reuerend. pater D. Paulus * Nimoſien.
Reuerend. pater D. Petrus Paulus Eſin.
Reuerend. pater D. Philippus Brumaten.
Reuerend. pater D. Petrus * Acernen.
Reuerend. pater D. * Racomanus Venafranus.
Reuerend. pater D. Tranquillus Ferentinus.
Reuerend. pater D. Theſeus * Maceranaten.
Reuerend. pater D. Auguſtinus Peruſinus.
Reuerend. pater D. Altobellus Polen.
Reuerend. pater D. Auguſtinus Nobien.
Reuerend. pater D. Simon Ariminen.
Reuerend. pater D. Iacobus Potentinus.
Reuerend. pater D. Ioannes * Sibinicen.
Reuerend. pater D. Paris Piſaurien.
Reuerend. pater D. Iulianus * Salutiarum.

Abbates, Et Generales Ordinum.

Reuerend. pater D. Ioannes ſancti Sebaſtiani extra muros Vrbis Abbas.
Generales vallis Vmbroſæ, S. Franciſci, S. Dominici, & S. Mariæ Seruorum.

Oratores, Et Illvstr. Domini temporales.

Illuſtr. dominus Laurentius de Medicis, nepos pręfati S. D. N. ſecundùm carnem, dux Vrbanitat.
Illuſtr. dominus Albertus de Carpi, Orator inuictiſſimi Imperatoris.
Magnificus D. Hieronymus Vich, Orator Catholici regis Hiſpaniarum.
Magnificus D. Michael de Silua, Orator illuſtr. regis Portugalliæ.
Et quamplures alij nobiles, & milites Hieroſolymitani.

Celebrata Miſſa per Reuerendum dominum Gabrielem Archiepiſcopum Dyrrhachienſem, & cantato per reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, Dominum Marcum ſanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem Euangelio ſecundùm Matthæum, incipiente: Sedente Ieſu ſuper montem Olìueti, &c. ac cantato hymno per ſanctiſſimum dominum noſtrum, incipiente: Veni creator ſpiritus, ac peractis orationibus conſuetis, Oratores Patriarchæ Maronitarum Montis Libani, præſtiterunt obedientiam nomine dicti Patriarchæ ſanctiſſimo Domino noſtro, & præſentauerunt quoddam mandatum in lingua Chaldæa ſeu Arabica. Et præſtita obedientia, vnus dictorum oratorum aſcendit ambonem, & legit dictum mandatum in lingua propria. Deinde reuerend. dominus Andreas ſecretarius Concilij aſcendit ambonem, & legit dictũ mandatum interpretatum in lingua Latina. Cuius tenor ſequitur, & eſt talis:

Mandatvm Patriarchae Maronitarum.

Gratias Deo reuerenter agimus ſub mundiſſimis pedibus patris noſtri ſanctiſſimi Chriſti vicarij & D. noſtri Papæ Leonis decimi, qui vices beati Petri veritatis petræ gerit in terris, ſedetq́; ſuper Apoſtolicam ſedem ipſius ſanctiſſimæ benedictionis ſuper nos, Amen. Cogimur in diuinas laudes erumpere, Deoque, à quo omne bonum, gratiarum actiones indeſinenter agere, qui puriſſimæ S. V. menti illabi dignatus eſt, eamq́; per inſpirationem pulſare, vt nos per ſanctum nuncium ſuum fratrem Ioannem de Potentia viſitaret. Is enim, fratre Franciſco Reatino interprete, & vîam ſalutis nobis oſtendit, & ſancta documenta reliquit: nempè quomodo ſanctum conficiatur chriſma, ex puro videlicet oleo & balſamo, nihilq́ue præter hæc immiſcendum, quo etiam tempore aquis ſalutaribus infantes ablui debeant, & ſacro baptiſmatis fonte renaſci: * non ſitq́ue quadrageſimus poſtulandus dies, ſicuti anteà erroris tenebris inuoluti præſtolari conſueuimus, ſed in octauo, vel etiam ante cùm neceſſitas expoſtulauerit. qua verò ratione iuxta patrum & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtituta, matrimonia contrahantur, quæ eadem impediant: ac ſacri quonã conferantur Ordines, quibus item verbis in conſecratione Dominici corporis ac ſanguinis vti debeamus, & quòd Spiritus ſanctus à patre procedat & filio, ſicut ab vno principio & vnica ſpiratione, & quòd Chriſtianus qui in hac vita ſufficientem de ſuis delictis pœnitentiam non egit, ea functus ad quendam (diuina permittente iuſtitia) ducatur locum, qui purgatorium dicitur, vt ibidem (quouſque dignior ſit cœlum aſcendere) maneat: & quòd ſemel ſaltem in anno noſtra proprio ſacerdoti confiteantur peccata, ſanctiſſimũque Euchariſtiæ ſacramentum in Paſchate ſuſcipiamus D. N. Ieſu Chriſti, qui in ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli natali hoc conſueuerimus adimplere, & vt ſemper & in omnibus Apoſtolicæ ſedis ac S. V. eorumq́; ſucceſſorum ſubmittamur mandatis, præſentibus Archiepiſcopis, epiſcopis, necnon doctoribus noſtris cleri & populi maioribus, & claro nos docuit eloquio, & dulciter inſtruxit. Hæc enim, pater ſancte, & nonnulla alia ab eo inſtituta, noſtrarum ſalutem concernentia animarum, & in Arabico conſcripta ſermone nobis relicta, quibus euitantur peccata, moresq́ue reformantur in melius, prompta obedientia acceptamus, & confitemur, adimplereq́ue ſperamus. Et propterea apprimè in Domino exultauimus, & animi noſtri immodicam ſpiritalem conceperunt lętitiam, Deoq́ue Opt. Max. ac S. V. gratias egimus, fratres hos ſanctos ad nos dirigenti, qui ſalutis iter nobis oſtenderunt, & animas noſtras in Domino recreârunt. Nos verò cum prælibato fratre Ioanne Franciſco quoſdam ex noſtris ad S. V. deſtinamus, ea ducti opinione, vt patrum inſtituta, ac S. R. E. dogmata addiſcant, & cùm edocti fuerint, ad nos docturi alios poſtmodùm redeant. Interea non paruo afficimur tædio, quoniam ad deoſculandũ, adorandumq́; ſanctiſſ. S. V. pedes accedere prohibemur, & quæ mente gerimus, fixis in terram poplitibus proprio ore exprimere ipſi nequimus. Vt autem affectui noſtro ac voto vtcunq; ſatisfaciamus, cum præfato S. V. nuncio fratre Ioãne Franciſco, oratorem noſtrum Acuri Ioſeph cum Helia, ac Helia monacho, ad S. V. deſtinandum decreuimus, vt noſtro ac totius cleri, Maronitarumq́; populi nomine, terram fronte tangẽs, flexiſq́; genibus ſanctiſſ. S. V. & adoret, & deoſculetur, ac S. Apoſtolicæ ſedi coram fratribus veſtris S. R. E. Cardinalibus, S. V. obedientiam pręſtet, & fidelitatem iuret, & quòd veraciter S. ſedis Apoſtolicæ & S. V. ſerui fideles ſumus, dimiſſo capite firmiter proteſtetur, Amen, Amẽ. Quædam verò alia ſupradicto fratri noſtro Ioanni Franciſco reſeruauimus, * quẽ vt S. V. enarret, ſub Dei atteſtatione adſtrin-

for. * nec ſit

* quæ

adſtrinximus, erit enim veluti noſter amabilis frater benedicti monaſterij S. Mariæ de Camibin in monte Libano ſancto, ac totius cleri & Maronitarum populi ad pédes S. V. ſolicitus procurator. Omnia quidem noſtra, & quomodò ſub infidelium deteſtanda ſeruitute, tanquàm omni auxilio orbati, infeliciſſimam vitam ducimus, proprijs oculis ipſe conſpexit. Hoc eſt reſponſum puritatis noſtræ ſanctiſſ. & puriſſimo patri noſtro. Cuius ſanctas benedictiones miſericors Deus ad nos tranſmittat, Amen, Amen, Amen. Scripta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1515. menſis Februarij die 14.

A Tergo.

Præſentabuntur cum Dei gratia in manus ſanctiſſ. D. N. Leonis, qui ſuper ſanctam ſedem Petri Apoſtoli reſidet. pro parte pauperis diſcipuli ſui Petri patriarchæ Maronitarum ex monaſterio Camibin in monte Libano ſerui ſeruorum Dei.

Quo perlecto, dicti oratores acceſſerunt ad ſanctiſſ. D. N. & deoſculati ſunt eius beatiſſimos pedes, præſtantes eidē S. D. N. nomine quo ſuprà debitam obediētiam & reuerentiam. Qua præſtita, D. Marius de Peruſchis procurator concilij, petijt inſtrumentum & inſtrumenta dictę obedientiæ.

Deinde reuerendus pater dominus Ioannes epiſcopus Reualien. orator Marchionis Brandeburgen. electoris imperij, aſcendit ambonem, & legit ſchedulam diſponentem circa modum prædicandi, cuius tenor talis eſt:

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Supernæ maieſtatis præſidio, per cuius ineffabilem prouidentiam cœleſtia ſimul & terrena diriguntur, ſuper gregem Dominicum nobis commiſſum, ſpeculatoris officium (quantum imbecillitati noſtrę cōceditur) exercentes, totaq; mente nobiſcum ipſi reuoluētes, inter alia complura & magna ad nos pertinere, vt munus prędicationis, quòd in eccleſia Dei pręcipuum ac perneceſſarium, magniq; fructus atq; vtilitatis, dummodò rectè & ex ſyncera charitate erga Deum & proximum præcepτisque & exemplis ſanctorum patrum, qui hæc profitentes cum fidei fundatione & propagatione plurimùm eccleſiæ contulerunt, exerceatur: quippe quod redemptor noſter primus fecit, & docuit, & eius præcepto & imitatione duodenus ille Apoſtolorum numerus, quaſi totidem cœli, Dei veri gloriam enarrantes per orbem terrarum, vniuerſum genus humanum, quod ſub peccati iugo vetuſta ſeruitute continebatur, ſenſim ab eorum tenebris educentes, & ad perpetuę ſalutis lucē excitantes, verbum ipſum in omnem terram & in fines orbis terræ, tum ipſi prius, tum deinde ſui ſucceſſores, longè lateque propagauerunt, altiſſimeq; fundârunt, vt qui nunc tantum ſubeunt onus, meminiſſe debeant, creberrimeq; ſecum reuoluere, præter authoris ipſius ac fundatoris Ieſu Chriſti pietiſſimi redemptoris, Petri etiam Pauli cæterorumq; Apoſtolorum & Domini diſcipulorum ſe vices, quoad hoc officiū, ſubire ac ſuſtinere. Sanè fidedignorū relatione percepimus, quòd nōnulli prædicatores noſtris temporibus (quod dolenter referimus) nō attendentes, ſe eorum, quos diximus, & inſuper ſanctorum Eccleſiæ Doctorum, aliorumq; ſacram Theologiam profitentium, qui aſſiſtendo iugiter Chriſtianis, ac ſe falſis prophetis rectam fidem ſubuertere annitentibus opponentes, Eccleſiam militantem illæſam priùs, per ſe talem eam eſſe manifeſtârunt, officium exercere, & non niſi vtilia concurrenti eorū ſermonibus populo ad vitiorum extirpationem, virtutum laudem, animarum deniq; ſalutem fidelium, meditanda & perficienda debere aſſumere, multa tamen & varia cōtra inſtitutiones & exēpla, quę diximus, quandoq; etiā ſcandaloſa populis prædicare, quòd mentem certè noſtram mirum in modum cōmouit, dum nobiſcum ipſi mente voluimus, ꝙ illi officij immemores ſui, in ſuis ſermonibus nō ad vtilitatem audientium, ſed ad ſuā potiùs oſtentationem laborantes, vanis quorundā auribus blandiuntur, qui ad hoc iam deueniſſe apparent, vt verificetur dictum Apoſtoli, ad Timotheum ita ſcribētis: Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidē auditū

Pſal. 18.

Quo tēpo[re] publica[tum] eſt e[dic]tū hoc, [c]œperat iā [...]ū monachus ille, [...] Germaniam ſuis præſtigijs dementare, virus ſuum diffundere, quamquā non certū an adeò, vt ſingularis iam [...]ū Romæ eius notitia eſſet.

2. Tim. 4.

auertent, ad fabulas autem conuertentur: quorum falſa[s]
inanes mentes, prædicantes ipſi præfati, nō modò in recta[m]
veramq; viam reducere minimè ſtudent, ſed illas maiori[bus]
etiam erroribus implicant, dum ſine vlla canonum atteſt[a-]
tione vel reuerentia, immò contra ipſas canonicas ſancti[o-]
nes, ſacræ ſcripturæ ſenſum multifariàm peruertētes, tem[e-]
req; ac perperàm plerunq; interpretantes, contra veritate[m]
prædicare, terroresq; ac minas, multaque mala propediè
affutura, iamque ingruentia, nulla prorſus legitima ratio[ne]
muniti, ſed ſuo duntaxat ſenſui obſequentes comminantu[r,]
repræſentat, adeſſeq; aſſeuerant, plerunque etiam vana qua[e-]
dam & inania, & alia huiuſmodi populis ingerere, & (quo[d]
enormius eſt) ab æternitatis lumine, & ſancti Spiritus a[d-]
monitione aut infuſione, illa ſe habere aſſerere audent.
Cumq; ij ſub confictorum miraculorum mendacijs, vari[os]
errores fraudesq; diſſeminātt, deniq; populos, quos in Eua[n-]
gelica doctrina ſedulò inſtruere, & in vera fide retinere
conſeruare deberent, ſermones ſuos à ſenſu & præceptis v[-]
niuerſalis eccleſiæ retrahentes, à ſacriſque conſtitution[i-]
bus, quas maximè ſequi deberent, deuiantes, auditores ſuo[s]
amouent ac longè faciunt à ſalute. Per hæc nanque & al[ia]
huiuſmodi ſimpliciores homines, vt ad deceptionem pro[-]
cliuiores, à via ſalutis & obedientia Romanæ Eccleſiæ de[-]
uiantes, in errores varios perfacilè inducuntur. Propter[e-]
Gregori⁹ huius muneris peritiſſimus, & feruore charitati[s]
incenſus, prædicatores vehemēter hortatur & monet, vt d[i-]
cturi ad populum, prudentes cautiq; accedant, ne dicen[di]
impetu rapti, verborum erroribus quaſi iaculis audientiu[m]
corda configant, & cùm ſapientes fortaſſe videri deſiderā[t,]
decepti, ſperatæ virtutis cōpagem inſipiētes diſcindant. Sæ[-]
pè nanq; verborum effectus amittitur cum loquacitate im[-]
portuna vel incauta, audientiū corda leuigantur. Et ſanè i[n]
nullo alio rudem ij plebem maiori damno ſcandaloq; aff[i-]
ciunt, quàm cùm vel tacenda prædicant, vel falſa & inutili[a]
docendo, eā in errorem inducunt. Quæ quoniā huic ſacra[e]
religioni diuinitùs inſtitutæ, vt noua & aliena, omninò con[-]
traria eſſe noſcūtur, graui certè accuratoq; ſunt examine di[-]
gna, ne ſcādalū populo Chriſtiano, & ſuorū authorū ac alio[-]
rum animabus interitū pariant. Nos igitur ſanctæ Dei eccle[-]
ſiæ (cui diſponente Dño præſidemus, quæ quidē vna eſt, &
vnum Deum prædicat, colit, ac vnam fidem firmiter & ſin[-]
cerè confitetur, iuxta illud Prophetæ vaticinium, Qui habi[-]
tare facit vnius moris in domo) vniformitatem, quantu[m]
cum Deo poſſumus, poſthabitā reducere, & retentā con[ſer-]
uare, quiq; populo verbum Dei prædicant, tales eſſe cupien[-]
tes, vt eorum prædicatione, Dei eccleſia nullum ſcandalū p[a-]
tiatur, & ſi qui corrigibiles ſunt, ab his, quæ proximis no[-]
ſtriſq; tēporibus prçſumpſerunt, cùm nōnullos eorū pra[e]te[r]
illa quæ diximus, in prædicationibus non viā ampliùs Dñ[i]
in virtute docentes, non Euāgelium (vt deberent) explanan[-]
tes, ſed conficta miracula, & noua ac falſa vaticinia, aliaq; le[-]
uia & ab anilibus fabulis parùm diſtantia, magnumq; ſcādā[-]
lum parientia, nulla deuotionis & authoritatis, (eiuſq; im[-]
probantis ac repellantis hæc) habita ratione, vaſtis clamori[-]
bus imprimere ac ſuadere vbiq; conantes, & ne Pontificali
quidem dignitate fulgentibus, & alijs Eccleſiæ prælatis par[-]
centes, quibus potiùs honorē ac reuerentiam exhibere de[-]
berent, ſed in eorum perſonas ac ſtatum audaciter ac teme[-]
rè inuehi conſueuiſſe, & alia huiuſmodi commiſiſſe conſtat,
in futurum abſtineant, vt tam periculoſum contagioſumq;
malum, ac mortifera peſtis radicitùs euellatur, & areiactum
ita penitùs deleatur, vt nec memoria eius remaneat: ſacro ap[-]
probante Concilio ſtatuimus & ordinamus, vt nullus tam
clericus ſecularis, quàm cuiuſcunque etiam mendicantium
ordinis regularis, aut quiuis alius ad quem facultas prædican[-]
di, tam de iure quàm de cōſuetudine vel priuilegio aut aliàs
pertinet, ad huiuſmodi officium exercendum admittatur,
niſi prius per ſuperiorem ſuum reſpectiuè diligēter exami[-]
natus (in qua re conſcientiam ipſius ſuperioris oneramus) ac
morum honeſtate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, &
vitæ exemplaritate ad illud aptus & idoneus reperiatur, &
hic, quocunq; poſteà prædicaturus acceſſerit, de huiuſmodi
examine & idoneitate ſua per literas authenticas, ſeu aliàs
ſui examinatoris approbatoriſq;, epiſcopis & alijs locorum
ordinarijs fidem legitimè faciat. Mandantes omnibus qui

hoc onus ſuſtinent, quiq; in futurum ſuſtinebunt, vt Euangelicam veritatem & ſanctam ſcripturã iuxta declarationẽ, interpretationem, & *ampliationem doctorum, quos eccleſia vel vſus diuturnus approbauit, legendosq; hactenùs recepit, & in poſterum recipiet, prædicent & explanent: nec quicquam eius proprio ſenſui contrarium, aut diſſonũ adijciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius ſacræ ſcripturæ verbis, & præfatorum doctorum interpretationibus, ritè & ſanè intellectis, non diſcordant. Tempus quoq; præfixum futurorum malorum, vel antichriſti aduentum, aut certum diem iudicij prædicare, vel aſſerere nequaquàm præſumãt, cùm veritas dicat, Non eſſe veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate: ipſoſq; qui hactenꝰ ſimilia aſſerere auſi ſunt, mẽtitos, ac eorum cauſa, reliquorũ etiam rectè prædicantium authoritati non modicum detractum fuiſſe conſtet: inhibentes omnibus & ſingulis clericis ſecularibus vel regularibus præfatis, cæteriſq; cuiuſcunque ſtatus, gradus, & ordinis exiſtant, qui hoc onus aſſument, ne decęterò in ſermonibus ſuis publicis, alia quęq; futura ex literis conſtanter prædicere, nec illa à Spiritu ſancto vel diuina reuelatione ſe habuiſſe affirmare, & alienas inaneſq; diuinationes aſſeuerando, aut alio quocunq; modo tractanda aſſumant, ſed ex diuinæ vocis præcepto Euangelium omni creaturę cum vitiorum deteſtatione, & virtutum cõmendatione enucleent & declarent, & pacem ac dilectionem mutuam à redemptore noſtro tantoperè commendatam, vbique fouentes, non ſcindant veſtem inconſutilem Chriſti, ſed ab epiſcoporum & prælatorum, ac aliorum ſuperiorum, eorumq; ſtatus ſcandaloſa detractione, quos coram vulgo & laicis non modò incautè, ſed etiam intemperanter repræhendunt & mordẽt, & ab eis malè geſtorum expreſſis quandoque nominibus aperta & manifeſta redargutione abſtineant. Deniq; conſtitutionem felicis recordationis Clemẽtis Papæ V. quæ incipit, Religioſi, quam tenore præſentium innouamus & approbamus, inuiolabiliter ab eis obſeruari debere decernimus, vt hac ratione ad vtilitatem populi prędicantes, & cum Domino lucrifacientes, talentum, quod ab illo acceperant. ſuperlucrari, & eiuſdem gratiam & gloriam conſequi mereantur. Cęterùm ſi quibuſdam eorum Dominus futura quędam in Dei eccleſia inſpiratione quapiam reuelauerit. vt per Amos prophetam ipſe promittit, & Paulus Apoſtolus prædicatorum princeps, Spiritum, inquit, nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere, hos aliorum fabuloſorum & mendacium gregi cõnumerari, vel aliter impediri minimè volumus. Extinguitur nanque ipſius gratia Spiritus, Ambroſio teſte, ſi incipientibus loqui feruor contradictione ſopitur: & tunc Spiritui ſancto iniuria certè fieri dicitur. Et qm̃ res magni momẽti eſt, eò ꝙ non de facili credẽdũ ſit omni ſpiritui, ſed ſint probãdi ſpiritꝰ, teſte Apoſtolo, an ex Deo proueniãt: volumus, vt lege ordinaria tales aſſertæ inſpirationes, antequã publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apoſtolicæ ſedis examini reſeruatæ intelligantur. Quòd ſi ſine moræ periculo id fieri non valeret, aut vrgens neceſſitas aliud ſuaderet, tunc eodem ordine ſeruato, ordinario loci notificẽtur, vt illi adhibitis ſecum tribus, aut quatuor doctis & grauibus viris, & huiuſmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt, (ſuper quo eorum conſcientias oneramus) licentiam concedere poſſint. Si qui autem contra præmiſſorum aliquid committere quicquam auſi fuerint, vltra pœnas cõtra tales à iure ſtatutas, excommunicationis etiam ſententiam, à qua nõ niſi à Rom. Pont. pręterquàm in mortis articulo conſtituti, abſolui poſſint, eos incurrere volumus. Et vt eorum exemplo alij attentare ſimilia minimè audeant, eis prædicationis etiam officium interdictum eſſe perpetuò decernimus. Nõ obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus, ac priuilegijs & indultis, & literis Apoſtolicis, ordinibus & perſonis præfatis, etiam in mari magno compræhenſis, ac etiam à nobis forſan approbatis, innouatis, vel etiam de nouo conceſſis, quæ quoad hoc, nolumus eis in aliquo ſuffragari.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, mandati, inhibitionis, innouationis, approbationis, decreti & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateranen. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, Anno Incarnationis Domini 1516. 14. Calendas Ianuarij, Pontificatus noſtri anno 4. *19. Decemb.

Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et omnibus vnanimiter placuerint.

Poſtmodùm verò reuerendus pater D. Maximus epiſcopus Iſernien. aſcendit ambonem, & legit ſchedulam, in qua continentur concordata cum Chriſtianiſſimo rege Francorum. Cuius tenor ſequitur & eſt talis;

LEo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Diuina diſponente clementia, per quam reges regnant, & principes imperant, in eminenti Apoſtolatus ſpecula, & ſuper gentes & regna meritis licèt imparibus conſtituti animo reuoluentes, ꝙ etſi ea, quæ pro ſalubri & quieto regimine Regnorũ, & ad pacem & iuſtitiam populorum perpetua eorundẽ Regnorum ſtabilitate Regibus, præſertim de fide Catholica & de Repub. Chriſtiana & Apoſtolica ſede benemeritis, laudabili, & prouida noſtra ordinatione cũ venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus conceſſa, ac ad effectum huiuſmodi geſta, ſtatuta, ordinata, decreta, facta ve ſunt, plenam roboris obtineant firmitatẽ: illis nihilominùs interdũ, ſacro approbante concilio, noſtrę innouationis & approbationis robur adijcimus, vt eo firmiùs illibata perdurent, quo ſæpiùs erunt noſtra authoritate, ac etiam generalis Concilij præſidio comunita, efficacemq; operam circa eorundẽ conſeruationem libẽter adhibemus, vt reges & ipſorum regnorum perſonæ, conceſſionibus, priuilegijs, ſtatutis & ordinationibus huiuſmodi in Dño plenè gaudẽtes, in pacis & tranquillitatis ac amœnitatis dulcedine conquieſcant & in eorũ ſolita erga eandem ſedem deuotione feruentiùs perſeuerẽt. Nuper ſiquidem, vt Eccleſia ſponſa noſtra in ſancta vnione cõſeruaretur, & per Chriſti fideles ſacris canonibus à Rom. Pont. & ſacris generalibꝰ Concilijs duntaxat editis vteretur, quaſdam Conſtitutiones, quas decæterò loco pragmaticæ ſanctionis & contentorum in ea, in Regno Franciæ *pro bono pacis & cõcordiæ, ac illius communi & publica vtilitate, cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Franciſco Francorũ rege Chriſtiaſſimo, dum Bononiæ cũ noſtra curia eſſemus, tractatas, & cum eiſdem fratribus noſtris diligenter examinatas, & de eorum cõſilio cum præfato Rege concordatas, & per ipſius regis legitimum procuratorem acceptatas, de eorundem fratrum conſilio, & vnanimi cõſenſu ſtatuimus & ordinauimus, prout in noſtris literis deſuper confectis pleniùs continetur, quarum tenor ſequitur, & eſt talis:

Prou. 8.

for. *haberent, d

LEo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Primitiua illa Eccleſia in angulari petra à Saluatore noſtro Ieſu Chriſto fundata, Apoſtolorum pręconijs elata, martyrumq; ſanguine conſecrata & aucta, vbi primùm iuuante Domino per orbem terrarum lacertos mouere cœpit, prouidè attendens, quantũ oneris humeris impoſitũ haberet, quot oues paſcere, quot cuſtodire, ad quot etiã remotiſſima loca oculus intendere oporteret, Diuino quodã conſilio parochias inſtituit, diœceſes diſtinxit, epiſcopos creauit, & metropolitanos præfecit, vt tanquàm membra capiti obſequẽtia, cuncta ſecundùm eius voluntatem ſalubriter in Dño, *& tãquàm riuuli à perenni fonte, Romana videlicet eccleſia, deriuantes, ne angulum quidẽ Dominici agri irrigatũ dimitterẽt. Vnde ſicut alij Rom. Pont. prædeceſſores noſtri ſuo tẽpore omni ſtudio curârunt, vt dicta eccleſia vniretur, & in ſancta vnione ſine ruga & macula cõſeruaretur, & oẽs vepres ab eadẽ eccleſia abolerentur, cui propriũ eſt, Diuina opitulante gratia, virtute colere, & vitia radicitùs extirpare: ita & nos tempore noſtro & præſenti durante Concilio, facere & curare debemus, quę vnioni & cõſeruationi eiuſdẽ eccleſiæ conducere videntur. Eapropter omnes ſpinas, quæ vnioni huiuſmodi obſiſtũt, & ſegetem Domini pullulare nõ ſinunt tollere prorſus & extirpare, ac virtutes in vinea Dñi inſerere ſatagimus. Sanè inter arcana noſtræ mentis reuoluentes, quot tractatus inter piæ me. Piũ II. Sixtũ IV. Innocentiũ VIII. Alexãdrum VI. & Iulium II. Rom. Pont.

for. *peragerent,

præde-

prædeceſſores noſtros, & cla.me. Reges Franciæ Chriſtianiſſ. ſuper abrogatione certæ conſtitutionis in dicto regno Franciæ vigentis, quæ pragmatica vocatur, habiti fuerunt, & licèt Pius II. præfatus, nuncijs ad cla.me. Ludouicū vndecimum Franciç regem Chriſtianiſſ. deſtinatis, tantis eidē perſuaſerit rationibus, vt rex ipſe pragmaticā ſanctionē huiuſmodi, tanquàm in ſeditione & ſchiſmatis tempore natam, ſuis patentibus literis abrogauerit, tamen huiuſmodi abrogatio, nec etiā literæ Apoſtolicæ præfati Sixti ſuper concordata cum Oratoribus præfati regis Ludouici, ad præfatum Sixtū prædeſſorē deſtinatis habita, expeditæ, per prçlatos & pſonas eccleſiaſticas dicti regni receptæ fuerūt, nec ipſi prçlati & perſonæ eccleſiaſticæ illis parere, nec monitis Innocentij & Iulij prædictorum aures præbere, ſed eidē pragmaticæ conſtitutioni inhærere voluerunt. Vnde præfatus Iulius prædeceſſor in prçſenti Concilio Lateran. vniuerſalem eccleſiam repræſentante, per eam legitimè indicto, abrogationis pragmaticç ſanctionis huiuſmodi negotiū, & illius diſcuſſionem venerabiliū fratrum ſuorū Card. de quorū numero tunc eramus, & aliorum prçlatorū congregationibus, relationemq; diſcuſſorum ſibi & eidem Concilio faciendā commiſit, Gallicosq; prælatos, capitula eccleſiārum, & monaſteriorū conuentus, ac Parlamenta & laicos illis fauentes, cuiuſcunq; dignitatis, etiam ſi regalis, exiſterent, ſanctione prædicta vtētes, ſeu illam approbantes, omneſq; & ſingulos alios ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, per edictum publicum, cùm ad partes illas tutus non pateret acceſſus, in certis eccleſijs tunc expreſſis affigēdum, moneri & citari infra certum cōpetentem terminum præfigendum, ad comparendum corā eo in Concilio præfato, cauſaſq; dicendum, quare ſanctio præfata in concernentibus authoritatē, dignitatem, & vnitatem Eccleſię Romanę & Apoſtolicę ſedis, ſacrorumq; Canonum & eccleſiaſticæ libertatis violationē, nulla & inualida declarari, decerni, & abrogari nō deberet. Et cùm ſuper his in forma iuris in præfato Concilio Lateran. procederetur, dictuſq; Iulius prçdeceſſor (ſicut Domino placuit) rebus fuiſſet humanis exemptus, noſq; diuina fauēte clementia ad ſummi Apoſtolatus apicē aſſumpti fuiſſemus, & contra prælatos capitula, conuētus & perſonas huiuſmodi ad nonnullos actus proceſſiſſemus, tandem conſiderantes pacem eſſe vinculum charitatis & ſpiritualem virtutem, qua ſaluamur, dicente Domino: Qui biberit aquam, quam ego dabo ei bibere, non ſitiet in æternum: & quòd in pace cōſiſtat ſalus vniuerſorum, Caſſiodoro teſtante, Omni quippe regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium cuſtoditur: matura deliberatione cognoſcimus, non per nuncios aut legatos noſtros, ſed in præſtatione obediētiæ filialis, quam chariſſimis in Chriſto filius noſter Franciſcus Frācorum rex Chriſtianiſſimus perſonaliter nobis præſtitit, hæc cùm maieſtate ſua coram diſcutere, eumq; paternis hortari monitis, vt ad laudem Dei & ſui honorem, prompto animo libens ac volens dictæ pragmaticæ ſanctioni abrenunciare, & ſecundùm Canones & cōſtitutiones ſanctę Rom. Eccleſię, quēadmodum cæteri Chriſtiani viuere: mandatis Apoſtolicis & prouiſionibus, quæ à ſede Apoſtolica pro tēpore emanarent, parere & obedire vellet: & cùm ex electionib⁹, quæ in eccleſijs Cathedralibus & metropolitanis ac monaſterijs dicti regni, à multis annis citra fiebant, grandia animarum pericula prouenirent, cùm pleræq; per abuſum ſecularis poteſtatis, nonnullæ verò præcedentibus illicitis & Simoniacis pactionib⁹, aliæ particulari amore & ſanguinis affectiōe & nō ſine periurij reatu fierent, cùm electores ipſi, etiā ſi ante electionem ꝑ eos faciendā, magis idoneum, & nō eum, quē promiſſione aut datione alicuius rei temporalis, ſeu prece vel precibus ꝑ ſe vel alium interpoſitis, electionem procurare didiciſſent, eligere ſpontè iurarent, iuramentum huiuſmodi non ſeruarent, ſed contra proprium huiuſmodi iuramētum in animæ ſuæ præiudiciō venirent, vt nobis notoriè cōſtat ex crebris abſolutionibus & rehabilitationibus, à nobis & prædeceſſoribus noſtris petitis & obtentis: Idem Franciſcus rex noſtris paternis monitis, tanquàm verus obedientiæ filius, parere volens, tā bono obedientiæ, in qua magnū meritū verè conſiſtit, q̄ pro cōmuni & publica regni ſui vtilitate, in locū dictæ pragmaticç ſanctionis, & ſingulorū capitulorū in ea contentorum conſtitutiones infraſcriptas inuicē tractatas, & cū fratrib⁹ noſtris S.R.E. Cardinalibus diligenter examinatas, & de eorū conſilio cum præfato rege cōcordatas, ꝑ dilectū filium Rogerium Barnæ regium aduocatum oratorē ſuum, ad hoc ab eodē Franciſco rege ad nos deſtinatum, habētem ad hoc ſpeciale & ſufficiens mandatum, acceptauit, de eorundem fratrum conſilio & vnanimi cōſenſu, ex certa noſtra ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus, ꝙ decæterò perpetuis futuris temporibus loco dictæ pragmaticæ conſtitutionis, ac omnium & ſingulorum capitulorum in ea contentorum, in dicto regno, Delphinatu & Comitatu Dien. ac Valentinen. infraſcriptç obſeruētur conſtitutiones, videlicet ꝙ Cathedralib⁹ & Metropolitanis Eccleſijs in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis nunc & pro tempore, etiam ſi per ceſſionem in manibus noſtris & ſucceſſorum noſtrorū Roman. Pontificum canonicè intrantium ſpontè factam vacantibus, illarū capitula & Canonici, ad electionē ſeu poſtulationem inibi futuri prælati, procedere non poſſint: ſed illarum occurrente huiuſmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore exiſtens, vnum grauē magiſtrum ſeu licentiatum in Theologia, aut in vtroque ſeu in altero iuriū doctorē aut licentiatum, in vniuerſitate famoſa & rigore examinis, & in 27. ſuæ ætatis anno ad minus conſtitutum, & aliàs idoneū, infra ſex menſes à die vacationis Eccleſiarum earundē computandos, nobis & ſucceſſoribus noſtris Rō. Pontificibus ſeu ſedi prædictę nominare, & de perſona ꝑ regem huiuſmodi nominata, per nos & ſucceſſores noſtros ſeu ſedem prædictā prouideri: & ſi cōtingeret, præfatum regem, perſonā taliter non qualificatam, ad dictas Eccleſias ſic vacantes nominare, per nos & ſucceſſores ſeu ſedem huiuſmodi de perſona ſic nominata eiſdē Eccleſijs minimè prouideri debeat, ſed teneatur idē rex infra tres alios menſes, à die recuſationis perſonæ nominatç non qualificatæ, ſolicitatori nominationem nō qualificatā proſequenti, conſiſtorialiter factæ, intimandæ cōputandos, alium ſupradicto modo qualificatū nominare: alioquin, vt diſpendioſæ Eccleſiarum huiuſmodi vacationi celeriter conſulatur, Eccleſiæ tunc ſic vacanti, per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem huiuſmodi de perſona (vt præfertur) qualificata, necnō Eccleſijs per obitum apud ſedem prædictā vacantibus ſemper, nulla dicti Regis præcedente nominatione, liberè prouideri poſſit: decernentes, electiones contra præmiſſa attentatas, ac prouiſiones per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedē huiuſmodi factas nullas & inualidas exiſtere. Cōſanguineis tamē præfati regis, ac perſonis ſublimibus ex cauſa rationabili & legitima, in nominatione & Apoſtolicis literis exprimenda, necnō religioſis mendicantibus reformatis, eminentis ſcientiæ & excellētis doctrinæ, qui iuxta ſui ordinis regularia inſtituta ad gradus huiuſmodi aſſumi non poſſint, ſub prohibitione præmiſſa minimè cōpræhenſis, ſed de eorū ꝑſonis dictis Eccleſijs pro tēpore vacātibus, ad dicti regis nominationem ꝑ nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedē huiuſmodi, liberè prouideri poſſit. Monaſterijs verò, & prioratibus cōuentualibus & verè electiuis, videlicet in quorum electionibus forma capituli, *Quapropter, ſeruari & confirmationes electionum huiuſmodi ſolenniter peti cōſueuerunt, in regno Dei, Delphinatu & Comitatu, huiuſmodi nūc & pro tempore etiā per ſimilem ceſſionem vacantibus, illorū Conuentus ad electionē ſeu poſtulationem Abbatis ſeu Prioris, procedere nō poſſint, ſed idē rex illorū occurrēte huiuſmodi vacatione, religioſum eiuſdē ordinis in ætate 23. annorū ad minus conſtitutū, infra ſimile tempus ſex menſiū, à die vacationis monaſteriorū & prioratuū huiuſmodi computandorum, nobis & ſucceſſorib⁹ noſtris, aut ſedi huiuſmodi noīnare, & de perſona per regē huiuſmodi monaſterio vacāti noīata, per nos & ſucceſſores noſtros, ſed ſedē huiuſmodi prouideri: Prioratus verò, ꝑſonç ad illū per eundē regem nominatç, cōferri debeat. Si verò idē rex presbyterū ſecularē, aut religioſum alteri⁹ ordinis, aut minorē* 23. annorū vel aliàs inhabilem, nobis aut ſucceſſorib⁹ noſtris infra dictum ſemeſtre, ſeu ſedi huiuſmodi nominaret, talis nominatus recuſari, & nullatenùs ſibi prouideri debeat: ſed rex ipſe infra trimeſtre, à die recuſationis ſupradicto modo intimādæ cōputandos, aliū modo ſupradicto qualificatū monaſterio ſeu prioratui tunc vacanti nominare, & de perſona ad mona-

Ioan. 4.

fot. *Quia propter

fot. * 23.

ſterium nominata, illi prouideri: ad prioratum verò nominato, prioratus ipſe per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedē prædictam conferri debeat. Alioquin dictis nouem menſibus effluxis, nulla, ſeu de perſona minus idonea, & modo præmiſſo non qualificata facta nominatione, ac etiam vacantibus apud ſedem prædictam, ſemper etiā nulla dicti regis expectata nominatiōe, per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem prædictam, monaſterijs prouideri: Prioratus verò, perſonis (vt præfertur) qualificatis duntaxat conferri liberè poſſint. Electiones autem & illarum cōfirmationes, necnō prouiſiones, per nos & ſucceſſores noſtros, & ſedem prædictam cōtra præmiſſa pro tēpore factas, nullas, irritas & inanes eſſe decernimus. Per præmiſſa tamē non intendimus in aliquo præiudicare capitulis Eccleſiarum, Conuentibus monaſteriorū & prioratuum, huiuſmodi priuilegia à ſede Apoſtolica proprium eligendi prælatum obtinentium, quominꝰ ad electionem Epiſcoporum ac Abbatum & Priorum, iuxta priuilegia eis conceſſa, liberè procedere poſſint, iuxta formā in eorum priuilegijs contentam, & ſi in eorum priuilegijs forma aliqua expreſſa nō fuerit, tunc cōcilij generalis. Quia propter, ſeruare teneantur, dūmodò de priuilegijs ſibi conceſſis huiuſmodi, per literas Apoſtolicas ſeu alias authenticas ſcripturas docuerint, omni alia ſpecie probationis eis in hoc adempta. Volumus quoq; & ordinamus, quòd in regno Delphinatu, & Comitatu prædictis, decæterò non dentur aliquę gratię expectatiuę ac ſpeciales vel generales reſeruationes ad vacatura beneficia, per nos & ſedem prædictā non fiant: & ſi de facto per importunitatem, aut aliàs à nobis & ſucceſſoribus noſtris & ſede prædicta emanauerint, illas irritas & inanes eſſe decernimus. In cathedralibus tamē, Metropolitanis & collegiatis Eccleſijs, in quarū ſtatutis cauetur expreſſè, ꝙ nullus ibidem dignitatem, perſonatum, adminiſtrationē vel officium obtinere poſſit, niſi in illis actus Canonicus exiſtat, Canonicos ad effectū duntaxat inibi * obtinendum dignitatē, perſonatum, adminiſtrationem vel officium huiuſmodi, & non * conſequendū primam prębendam vacaturā, creare poſſe intendimus. Statuimus inſuper, quòd ordinarius collator in vnaquaq; Cathedrali ac etiā Metropolitana Eccleſia Canonicatum & præbendā theologalem inibi conſiſtentē, conferre teneatur vni magiſtro ſeu licētiato, aut baccalaureo formato in Theologia, qui ꝑ decenniū in vniuerſitate ſtudij generalis priuilegiata ſtuduerit, ac onus reſidētiæ, lecturæ & prædicatiōis actu ſubire voluerit, quiq; bis aut ſemel ad minùs per ſingulas hebdomadas, impedimento ceſſante legitimo, legere debeat, & quoties ipſum in huiuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli per ſubtractionē diſtributionum totius hebdomadæ puniri poſſit, & ſi reſidentiam deſeruerit, de illis alteri prouideri debeat. Et vt liberiùs ſtudio vacare poſſit, etiāſi abſens fuerit à diuinis, habeatur pro præſente, ita vt nihil perdat.

Præfatiq;, ordinarij collatores, ſeu patroni Eccleſiaſtici quicunq; fuerint vltra dictam præbendam theologalem, quam (vt pręfertur) qualificato cōferre teneantur, tertiam partem omnium dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, cæterorumq; beneficiorum eccleſiaſticorum, ad eorum collationem prouiſionem, nominationem, præſentationem ſeu quamuis aliam diſpoſitionem quomodolibet ſpectantium, viris literatis, graduatis, & per vniuerſitates nominatis hoc modo, videlicet primo menſe poſt pręſentium acceptationem, & earundem publicationem præfati ordinarij collatores, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia ad eorum collationem, prouiſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quāuis aliam diſpoſitionem (vt præfertur) ſpectantia graduatis huiuſmodi, qui literas ſuorum graduum cum tempore ſtudij debitè inſinuauerint, conferre teneantur. Beneficia verò, quæ in duobus ſequentibus menſibus vacare contigerit, illa iuxta iuris cōmunis diſpoſitionem perſonis idoneis liberè conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare poſſint. Beneficia autē, quæ in quarto menſe vacare contigerit, viris graduatis per vniuerſitatem nominatis, qui gradus & nominationis literas cum tempore ſtudij debitè inſinuauerint, conferre ſeu præſentare teneantur. Beneficia vero, quæ quinto mēſe & ſexto vacare cōtigerit, ſimili modo perſonis idoneis liberè cōferre, ſeu perſona ad illa præſentare poſſint. Beneficia aūt quæ ſeptimo menſe vacare cōtigerit, graduatis, qui ſimili modo literas gradus cum tempore ſtudij debitè inſinuauerint, conferre teneātur. Beneficia verò, quæ 8. & 9. menſibus vacare cōtigerit, pari modo perſonis idoneis conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare teneātur. Beneficia aūt, quæ mēſe decimo vacare contigerit, graduatis nominatis, qui gradus & nominationis literas cum tempore ſtudij debitè inſinuauerint, per eoſdem ordinarios conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant. Beneficia autem quæ vndecimo & duodecimo menſibus vacare cōtigerit, per eoſem ordinarios perſonis idoneis iuxta iuris communis diſpoſitionem cōferri, ſeu ipſi ad illa pręſentari debeant.

Si quis verò cuiuſcunq; ſtatus, etiam ſi cardinalatus, patriarchalis, archiepiſcopalis, aut pontificalis, vel alterius cuiuſlibet dignitatis contra prædictū ordinem, & qualificationes ſuperiùs ordinata, de dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibꝰ vel officijs, ſeu quibuſuis alijs beneficijs Eccleſiaſticis huiuſmodi, aliter quàm modo præmiſſo diſpoſuerit, diſpoſitiones ipſæ ſint in ipſo iure nullæ: collationeſq; & prouiſiones, ac diſpoſitiones illorum ad immediatum ſuperiorem deuoluantur, qui eiſdem perſonis modo præmiſſo qualificatis prouidere teneatur. Et ſi contrauenerit, ad alium periorē deuoluatur prouiſio & præſentatio huiuſmodi gradatim, donec ad ſedem Apoſtolicā fiat deuolutio. Præterea volumus, quòd collatores ordinarij & patroni Eccleſiaſtici præfati, qui dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ac beneficia, in mēſibus graduatis & nominatis aſſignatis vacantia, illis graduatis ſimplicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos duntaxat præſentare, teneantur, qui per tempus competens in vniuerſitate famoſa ſtuduerint. Tempus autem competens, decennium in magiſtris ſeu licentiatis aut baccalaureis in theologia. Septennium verò, in doctoribus ſeu licentiatis in iure canonico, ciuili, aut medicinis: quinquennium autem, in magiſtris ſeu licentiatis in artibus cum rigore examinis à logicalibus incluſiuè, aut in altiori facultate: Sexēnium autem, in baccalaureis ſimplicibꝰ in theologia: Quinquennium verò, in baccalaureis iuris canonici aut ciuilis, in quibus baccalaureis iuris canonici aut ciuilis, ſi ex vtroque parente nobiles fuerint, triennium eſſe decernimus. Præfatique graduati & nominati, Collatoribus Ordinarijs ſiue patronis Eccleſiaſticis, ſemel ante vacationē beneficij de literis gradus ſeu nominationis, & de præfato tempore ſtudij, per literas parentes vniuerſitatis, in qua ſtuduerint, manu ſcribæ & ſigillo vniuerſitatis ſignatas, fidē facere teneantur. Cùm verò probatio nobilitatis fieri deberet, ad effectū, vt nobiles ipſi gaudere poſſint beneficio minoris tēporis ſtudij, tūc nobilitas ipſa per quatuor teſtes deponentes in iudicio coram iudice ordinario loci, in quo eſt natus ille, de cuius nobilitate ex vtroq; parēte cōſtare debet, etiā in partis abſentia probari poſſit: teneāturq; præfati graduati, tam ſimplices ꝙ nominati, patronis Eccleſiaſticis aut Collatoribus ordinarijs, quibus gradus aut nominationis literas huiuſmodi inſinuare deberent, literas ſuorū gradus & noīationis, certificationis ſtudij, & atteſtationis nobilitatis, duplicatas dare, ac ſingulis annis, tēpore quadrageſimæ, ꝑ ſe vel procuratorē ſuū, Collatoribus, nominatoribꝰ, ſeu patronis eccleſiaſticis, aut eorū vicarijs, eorū noīa & cognomina inſinuare, & eo anno quo præfatā inſinuationē facere omiſerint, beneficiū in vim gradus aut noīationis huiuſmodi petere nō poſſint. Et ſi collatoribus ordinarijs, aut patronis eccleſiaſticis in mēſibus deputatis graduatis ſimplicibꝰ, aut graduatis noīatis, nō eſſet graduatus aut nominatus, qui diligētias præfatas fecerint, collatio ſeu præſentatio per collatorē ſeu patronū Eccleſiaſticū etiā eiſdem menſibus facta alteri, ꝙ graduato vel noīato, non propter hoc irrita cenſeatur, ſi tamen graduatus ſimplex * aut beneficiū poſt inſinuationem gradus aut ominationis, in menſibꝰ eis aſſignatis vacans petierit, & inter ſuā inſinuationem & præfatam requiſitionem non ſuperuenerit quadrageſima, in quàm nomen & cognomen inſinuare debuerit, ad beneficium ſic vacans, eum capacem, ipſumq; illud conſequi poſſe & debere decernimus.

Statuimus quoq; & ordinamus, quòd Collatores ordinarij & patroni Eccleſiaſtici præfati inter graduatos, qui literas gradus cum tempore ſtudij & atteſtatione nobilitatis debitè inſinuauerint, quoad beneficia in menſibus eis

vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Dico tertiò, quod peccatum ſollicitationis ad malum, qua populum commouerent ad peccandum, vel in Deum vel in proximum in irreuerentiam Eccleſiæ, aut inobedientiam principum, tale eſſe publicè populo denunciandum, & coram eo arguendum. Sic ait Dominus, Matt. 16. *Cauete à fermēto Phariſæorum & Saducæorum.* Et idem habetur Marci 8. Et benè *Phariſæorum*, Phariſæi enim interpretantur diuiſi diuidentes vel violenti, aut diſſipantes. Sacerdotes autem ſic ſuadentes populo, eſſent à Deo per peccatum diuiſi, diuiderent populum à Deo ſuo, grauem inferrent iuſtitiæ & veritati violentiam, & diſſiparent profectò Rempublicam, quæ non tam viris conſtat, quàm moribus. Dico quartò, ſi ſacerdotes cōmitterent publicè caſus, pro quibus iuriſdictioni ſeculari, ex conceſſione iuris Canonici ſubijciuntur, illos poſſet prædicator coram iudicibus ipſis aperire, tamē cum proteſtatione de non tenendo ad pœnam ſanguinis. Patet, quia peccata publica licitè poſſunt denunciari ad iudices competentes. Nam ſicut ſuprà ſecundo puncto dictum fuit, remedium adhiberi debet, non ſolùm peccanti, ſed alijs, ne ſcandalizētur, & maximè hoc fit, cum denunciatur peccatum his, qui poſſunt prouidere. Dico quintò, quòd peccata perſonalia alia à præmiſſis, aut ad illa reducibilibus, prælatorum aut ſacerdotum, non videntur in prædicatione coram populo detegenda ſpecialiter, ea referendo ad ſtatum eccleſiaſticum; niſi vt habitum eſt in primo dicto. Actus enim prædicationis ex charitate procedere debet ad emendationem nedum peccantiū, ſed & aſtantium, quibus peccata narrantur. Sic enim faciendo peccantes coram ſubditis ſcandalizarentur, & ſic verecundia eſſet eis ablata. Subditi verò vilitatem ſuperiorum cognoſcentes, eos contemnarent. putando ergò, ſanare vnum aut paucos prædicator læderet plures, ſuperiores ſcilicet & inferiores, debet enim non modò prædicator eſſe vtilis in verbo, ſed & diſcretus eloquio, vt non ſolum praua nullo modo, ſed nec recta quidem nimiò & inordinatè proferantur, quia ſæpè dictorum virtus perditur, cum apud audientium corda loquacitas incauta oportunitate leuigatur: hinc eſt, quod in veſte ſacerdotis erant tintinabula, vt ſonus prædicationis eius audiretur. Erant & illis iuncta mala punica, in quibus vnitas fidelium deſignatur, per quod ſignatur, vt talis ſit prædicatio ſacerdotis, & tam diſcreta, vt non ſcindatur vinculum vnitatis. hæc in ſententia habentur à B. Gregorio, libro 2. paſtoralis ſui, cap. 4. & 43. diſtin. *Si Rector, &c.* Si dicatur, vbi conſcientia & fama ſimul eſſe non poſſunt, præponenda eſt famæ conſcientia, verum eſt, cæteris paribus., ſed conſcientiæ ſuccurrendum eſt poſtpoſita fama recurrendo ad ſuperiorem. Et ita dicunt Doctores, cum oportet procedere ad denunciationem non ad inferiores. Item cum creditur ſeruari vnius conſcientia, ſeruatur & illius propter ſcandalum & populi, quia illum ſuperiorem, aut ſuperiores corrigere non valet, & tamen eos contemnit aliter faciendo, ſcilicet peccata perſonalia publica à præmiſſis, &c. in prædicatione coram populo facta publicè arguendo, & ſpecialiter referendo ad ſtatum Eccleſiaſticum cum improperio, & non modeſtè & ſobriè, ſequuntur iſta inconuenientia.

B. Greg. par. 2. paſtoral. c. 4 diſt. 43. Si rector. c. 1.

Locus intricatus, & vt videtur corruptus.

Reprehēſiones publicas ad ſtatū Eccleſiaſticū peculiariter relatas ſequitur varia inconueniētia.

I. Primum, ſacerdotes infamantur, & fiunt inuerecundi amiſſo ſuo honore, & ſic procliuiores ad mala.
II. Secundum, eorum ſtatus, qui digniſſimus eſt, læditur & coguntur recedere, quaſi ab hominibus.
Eccle. 33. Eccleſ. 33. *Si læſeris eum iniuſtè, in fugam conuertetur.*
III. Tertium, boni propter malos diffamatos ſcandalizantur, & tunc currit pœna contra ſcandalizantes, de quo
Matt. 18. Matth. 18. *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt*, ſtatu ſiquidem ſacerdotij ſælo, bonos in iſto ſtatu ſcandalizari neceſſe eſt.
IIII. Quartum, ſubditi laici contemnunt ſuos paſtores, propter malam eorum vitam palam ipſis prædicatam. Et ſic contemnunt Dominum ſacerdotum Ieſum Chriſtum,
Lucæ 10. Lucæ 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui vos odit, me odit, & qui me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.*
V. Quintum, ſacerdotes fiunt populo odioſi, nam ex contemptu mox ſurgit odium & rācor. vnde
Pſal. 108. Pſalm. 108. *Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt me.*
VI. Sextum, populus paratur per odium ad inobedientiam ad ſuperiores, & irreuerentiam, maximè, quia valdè multi ex illo ſunt clericis infeſti, prout
Clericis laicos lib. dicitur 6. lib. *Clericis laicos oppido infeſtos tradit antiquitas*, vnde ira Domini venit ſuper eos, ſecundùm quòd ſcriptum eſt Danielis 9. *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus receſſimus, & declinauimus à mandatis tuis ac iudicijs, non obediuimus ſeruis tuis, Prophetis, qui locuti ſunt in nomine tuo, regibus noſtris principibus noſtris, patribus noſtris omniq; populo terræ, tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei, ſicut & hodie, &c.* Sacerdotes autem mali, ſi tamen rectè doceant, ſerui Dei dicuntur, & Prophetæ, quia alta, & à cognitione populi longè poſita nunciant. Quod autem inobedientia iſta mala ſit, apparet, quia dicit Dominus de ſacerdotibus in mortem ſuam conſpirantibus, auaris, *quæ dicunt, facite.* Septimum inconueniens eſt, ſubtractio decimarum, oblationum, & aliorum reddituum debitorum ſacerdotibus. Nemo enim inimico in ratione dati vel accepti libenter communicat, & in hoc populus mandatum Dei præuaricatur. Quia Malachiæ 3. ſcriptum eſt: *Inferte omnem decimam in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea*, & Apoſtolicum, quia primæ Corinth. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* quaſi dicat, non eſt. Deuteron. 25. lex dicit: *Non alligabis os bouis triturantis.* Et quod illud propter prælatos & ſacerdotes prædicantes dictum ſit, patet, quia ſequitur: *Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtiq; hæc dicta ſunt?*

Ad vtilitates, quas dicit opponens ſequi ex tali publica prædicatione coram populo, contra clerum, dico, quod & ſi per accidens aliqua vtilitas accederet, per ſe ſequerentur plura mala. Correctio enim illa generalis niſi moderamen maximum, & cautela adeſſet, induceret ex ſe inferiorum ad ſuperiores contemptum, & alia, quæ dicta ſunt. Ideò oſtendens, quomodo ſobriè loquendum eſt de ſuperiorum defectibus, coram inferioribus, vt maneat deuotio eorundem apud illos, dicit Nicolaus Papa: Et habetur 11. diſt. Nolite. *Nolite nos æſtimare facta cuiuſcunq; proximorum noſtrorum, quæ ſunt digna reprehenſione, velle defendere, ſed quod ita velim filios circa ſpiritualem patrem, & diſcipulos erga Magiſtros deuotos eſſe & ſobrios, vt nulla penitus temeritate ad eorū vitam, vt non dicam dijudicandam, ſed nec ſaltem tenuiter reprehendendam proſiliant.* Præterea nō credat prædicator neglexiſſe correctionem ſibi competentem ex officio, dum tamen clero ſufficienter in prædicatione peccata eius annunciauerit. Eſto quòd coram populo non fecerit, quia hoc ſibi non præcipitur, quoniā prædicatori Prophetæ dicit Dominus Iſaiæ 58. *Annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Non dicit, dic domui coram alio peccata eorum, ſed dixit: *domui Iacob peccata eorum.* Item ſpeculatori Ezechieli dicit: *Si tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua, & à via ſua impia, ipſe quidem in impietate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* Non dixit, ſi annunciaueris impio coram populo, &c.

Ad rationes, quibus probat, quod peccata prælatorum & ſacerdotum ſunt coram populo publicè prædicanda. Ad primam, Chriſtus arguit clerum coram turbis, Ioan. 8. dum ait: *Vos ex patre diabolo eſtis. &c.* dico cum Lyra, quòd Chriſtus illum clerum arguit, quia infidelis erat, nam auctorem fidei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum volebat occidere: Et hoc eſt, quod ſubditur in textu allegato, *quia vultis me interficere.* Nec legere coram populo hoc Euangelium, eſt clerum Euangelicum, per prædicationem corrigere, ſed recitare, quomodo Chriſtus clero figurali & turbis prædicabat. Et iſte caſus eſt exceptus per antè. Nec volo dicere, quod vbi eſſet clerus & populus in vnum congregati, quoniam communia vitia vtriuſque ſtatui competentia poſſint debitè reprobari, ſed intētio mea eſt de vitijs perſonalibus & ſpecialibus ſtatui clericali pertinentibus, quòd talia maximè ad illum referendo, non ſunt publicè coram populo denuncianda, niſi modo præmiſſo.

Ad ſecundam, *Apoſtolus præcipit, &c.* dico, quod verum eſt, quod Apoſtolus loquitur Timotheo Epiſcopo, ſed non dicit, prædica coram omnibus ſtatibus vitia cleri, ſed dicit, *prædica verbum, inſta, oportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia,* & ſic arguit ratio ab inſufficienti.

Ad tertiam, *Prophetæ ſancti, ſacerdotes, * ruſtici, &c.* dico, quod Daniel presbyteros occidit, nam illi ſollicitabant ad malum mulieres. Dicitur enim Dan. 13. *Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ timētes loquebātur vobis.* Et ille caſus fuit exceptus

Ite

& ſedem prædictam oſtenſam, cùm ad præſtandam nobis reuerentiam & filialem obedientiam, ad ciuitatem noſtram Bononien. perſonaliter acceſſit, conſentimus, illamque inuiolabiliter obſeruari deſideramus, illam veri contractus & obligationis inter nos & ſedem Apoſtolicam prædictam ex vna, & præfatum Regem & Regnum ſuum ex altera partibus legitimè initi vim & robur obtinere: *ac illi & præſentibus in aliqua ſui parte per quaſcunque literas & gratias, per nos & ſucceſſores noſtros deſuper concedendas, derogari: clauſulamque cum earundem derogatione præſentium latiſſimè extendenda, ac quòd eædem præſentes literæ, & earum tenor pro expreſſis habeãtur in quibuſuis ſupplicationibus pro tempore ſignatis, appoſitam nihil penitùs operari: & illius vigore in literis Apoſtolicis ſuper ipſis ſupplicationibus conficiendis, quicquam, per quod præſentibus, aut alicui particulæ de contentis in eis derogaretur, ſeu derogari videretur, narrari non poſſit: & ſic per quoſcunque iudices & commiſſarios, etiam cauſarum dicti palatij Apoſtolici auditores, & præfatæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, in quibuſuis cauſis ſuper præmiſſis vel eorum aliquo, pro tempore motis, iudicari, diffiniri & ſentẽtiari debere, ſublata eis aliter ſententiandi & diffiniendi omnimoda facultate & authoritate: necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his vel eorum aliquo à quoquam quauis authoritate etiam per nos & ſucceſſores noſtros præfatos, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Volumus autem, quòd ſi præfatus Rex præſentes literas, ac omnia & ſingula in eis contenta, quæ in prima futura ſeſſione præſentis concilij Lateranen. approbari & confirmari facere promiſimus, infra ſex menſes à die approbationis & confirmationis computandos, non approbauerit & ratificauerit, & ea perpetuis futuris temporibus in Regno ſuo, & omnibus alijs locis & dominijs dicti Regni, per omnes prælatos & alias etiã Eccleſiaſticas perſonas, ac curias parlamentorum legi, publicari, iurari & regiſtrari ad inſtar aliarum conſtitutionum Regiarum, & de acceptatione, lectione, publicatione, iuramento & regiſtratione prædictis, infra prædictum tempus per omnium & ſingulorum ſupradictorum patentes literas aut authenticas ſcripturas nobis non tranſmiſerit, aut nuncio noſtro apud ipſum Regem exiſtenti, per eum ad nos deſtinandas nõ conſignauerit, & deinde ſingulis annis etiam legi, prout aliæ ipſius Frãcorum Regis cõſtitutiones & ordinationes, quæ in viridi ſunt obſeruãtia, obſeruari debẽt, inuiolabiliter obſeruari cum effectu nõ fecerit, pręſentes literę & inde ſecuta quęcunq; ſint caſſa & nulla, nulliuſq; roboris vel momẽti. Et cum omniũ, quę in Regno, Delphinatu & Comitatu pręd ictis agãtur, notitiam non habeamus, conſuetudines, ſtatuta, ſeu vſus libertati Eccleſiaſticæ, & authoritati ſedis Apoſtolicæ quomodolibet præiudicantia, ſi qua in Regno, Delphinatu & Comitatu prædictis alijs quàm in præmiſſis exiſtant, non intendimus nobis & eidem ſedi in aliquo præiudicare, ſeu illa tacitè vel expreſsè quomodolibet approbare.

Et nihilominùs præfato Franciſco, & pro temporè exiſtenti Francorum Regi in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenùs per ſe vel alium, ſeu alios in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, præſentes literas ac omnia & ſingula in eis contenta, quando & quoties opus fuerit, publicari, & ea inuiolabiliter obſeruari faciant, contradictores, cuiuſcumque dignitatis & præeminentiæ fuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas & pecuniarias pœnas, aliaque iuris & facti quæuis oportuna remedia, appellatione qualibet omninò poſtpoſita, compeſcẽdo. Non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus cõmuniter vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem. Forma verò ſupradicti mandati Apoſtolici, ſequitur & eſt talis:

Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo N. & dilectis filijs, capitulo, ſingulisque canonicis Eccleſiæ N. ſalutem & Apoſtolicã benedictionem. Vitæ ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, ſuper quibus dilectus filius N. apud nos fide digno commendatur teſtimonio, nos inducunt, vt ſibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc eſt, quod nos cupientes, vt eidem N. iuxta illius, quæ olim per fe. re. Gregorium Papam IX. prædeceſſorem noſtrum ad tunc Epiſcopum Nouiomen. directa extitit, quæ incipit, Mandatum, & aliarum duarum illam immediatè ſequentium decretalium formas, de canonicatu & præbeñ. aut dignitate, perſonatu, adminiſtratione, vel officio veſtræ vel alterius Eccleſiæ, aut alio beneficio, cum cura vel ſine cura, etiam ſi Parochialis Eccleſia, vel eius perpetua vicaria, aut capella, ſiue perpetua capellania ad veſtram collationem, nominationem ſeu præſentationem, & aliam quamcunque diſpoſitionem prouideri poſſit: ac volentes præfato N. meritorum ſuorum intuitu gratiam facere ſpecialem, ipſumque N. à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, necnon omnia & ſingula beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura, quæ præfatus N. etiam ex quibuſuis Apoſtolicis diſpenſationibus obtinet & expectat, ac in quibus & ad quæ ius ſibi quomodolibet competit, quæcunque, quotcunque, & qualiacunque ſint, eorumque fructuum, reddituum & prouen. veros annuos valores & huiuſmodi diſpenſationum tenorem præſentibus pro expreſſis habẽtes, motu proprio, non ad ipſius N. vel alicuius alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed de noſtra mera liberalitate diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs ſi vobis pro alio non ſcripſerimus, qui ſimile mandatum aut ſimilem gratiam proſequatur, canonicatum & præbendam aut dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium veſtræ vel alterius Eccleſiæ aut aliud beneficium Eccleſiaſticum cum cura vel ſine cura, etiam ſi parochialis Eccleſia, vel eius perpetua vicaria, aut capella vel perpetua capellania fuerit, ad veſtram collationem, prouiſionem, præſentationem, nominationem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem pertinens, etiam ſi dignitati, perſonatui, adminiſtrationi, vel officio huiuſmodi cura immineat animarum, dummodò talis dignitas electiua non exiſtat, cum creatione in canonicum veſtræ vel alterius Eccleſiæ, etiam ſi in eo ſtatuto & priuilegio expreſsè caueatur, quòd nulli de dignitate, perſonatu, adminiſtratione vel officio prouideri non poſſit, niſi cum effectu illius Eccleſiæ canonicus exiſtat, canonicatum huiuſmodi Eccleſiæ cum plenitudine iuris canonici, & non obſtan. de certo canonicorũ numero ad effectum huiuſmodi dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium duntaxat obtinen. & non aliàs, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium conferimus, & de illo etiam prouidemus, ſi quenquàm vel quod poſt menſem, poſtquàm præſentes literæ vobis præſentatæ fuerint, extra Romanam curiam vacare contigerit, cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus & pertinentijs ſuis eidem N. conferatis, & de illo aut illa prouideatis, ſeu ipſum ad illum, illam, vel illud præſentetis aut nominetis, ipſumque N. in canonicum & in fratrem veſtræ vel alterius Eccleſiæ, ad effectum tantùm obtinendi dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium huiuſmodi, recipiatis, ſtallum ſibi in choro, & locum in capitulo cum plenitudine iuris canonici aſſignetis, inducentes eundem N. vel procuratorem ſuum eius nomine, in corporalem poſſeſſionem canonicatus & præbendæ, aut dignitatis, perſonatus, adminiſtrationis, vel officij, ſeu beneficij huiuſmodi, iuriumque & pertinen. vniuerſorum prædictorum, defendenteſque inductum, ac facientes N. vel pro eo procuratorem prædictum, ad præbendam aut dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium ſeu beneficium huiuſmodi, quodcunque fuerit, vt moris eſt, admitti, ſibique de illius, vel illorum fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus & obuentionibus vniuerſis integrè reſponderi, non obſtantibus de certo canonicorum numero (vt præfertur) & alijs conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ veſtræ vel alterius Eccleſiæ iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus contrarijs quibuſcunque, aut ſi vobis ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quod ad receptionem vel prouiſionem alicuius minimè teneamini, quodque de canonicatibus & præbendis ſeu dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officijs veſtræ vel alterius Eccleſiæ, aut alijs beneficijs Eccleſiaſticis quibuſcunque, ad veſtram collationem, prouiſionem, pręſen-

tationem,nominationem,ſeu quamuis aliam impoſitionem,
communiter vel diuiſim pertinentibus,nulli valeat prouide-
ri per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam,
ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem:
& qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali,
cuiuſcunque tenoris exiſtant, per quam præſentibus non ex-
preſſam, vel totaliter non inſertam, effectus huiuſmodi gra-
tiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cu-
luſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpe-
cialis, ſeu ſi dictus N. præſens non fuerit ad præſtandum de
obſeruantijs, ſtatutis & conſuetudinibus veſtræ vel alterius
Eccleſiæ ſolitum iuramentum,dummodò in abſentia tua per
procuratorem idoneum, & cùm ad Eccleſiam ipſam acceſſe-
ris,corporaliter illud præſtes. Data &c.

Dilectis filijs N. & N. ac N. officialibus, ſalutem & Apo-
ſtolicam benedictionem. Hodiè cupientes, vt dilecto filio N.
clerico N. diœc. iuxta illius, quæ olim per fe. re. Gregorium
Papam IX. prædeceſſorem noſtrum ad tunc Epiſcopum No-
uiomen. directa extitit, quæ incipit, Mandatum, & aliarum
duarum illam immediatè ſequentium decretalium formas,
de canonicatu & præbenda, aut dignitate, perſonatu, admini-
ſtratione, vel officio Eccleſiæ N. aut alio beneficio Eccleſia-
ſtico cum cura vel ſine cura prouideri poſſet, motu proprio
venerabili fratri noſtro Epiſcopo N. & dilectis filijs, capitu-
lo, ſinguliſque canonicis Eccleſiæ N. per alias noſtras literas
mandauimus, quatenùs ſi eis communiter vel diuiſim pro a-
lio non ſcripſiſſemus, qui ſimile mandatum, aut ſimilem gra-
tiam proſequeretur, eidem N. canonicatum & præbendã, aut
dignitatẽ, perſonatũ, adminiſtrationẽ, vel officiũ, aut benefi-
ciũ Eccleſię N. aut aliud beneficiũ Eccleſiaſticum, ad eorũ col
lationẽ, prouiſionẽ, pręſentationẽ, nominationem ſeu quãuis
aliam diſpoſitionem, communiter vel diuiſim pertinentia, ſi
quemquam vel quod poſt menſem poſt præſentationem ea-
rundem literarum vacare contingeret, cum plenitudine iuris
canonici, ac omnibus iuribus & pertinentijs ſuis, prout ad eos
communiter vel diuiſim pertineret, conferrent & aſſignarẽt,
aut eum ad illa præſentarent, eligerent, nominarent, ſeu de il-
lis prouiderent, prout in eiſdem literis pleniùs continetur.
Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta motu ſi-
mili mandamus, quatenus vos vel duo, aut vnus veſtrum, per
vos, vel alium ſeu alios, ſi Epiſcopus, capitulum & canonici
prædicti canonicatum & præbendam, aut dignitatem, perſo-
natum, adminiſtrationem vel officium, aut beneficium hu-
iuſmodi eidem N. conferre & aſſignare, ac de illis etiam pro-
uidere recuſauerint, ſeu diſtulerint, aut negligentes fuerint,
canonicatum & præbendam, aut dignitatem, perſonatum, ad-
miniſtrationem, vel officium huiuſmodi cum plenitudine iu-
ris canonici, ac omnibus iuribus & pertinentijs ſupradictis ei-
dem N. conferre & aſſignare, necnon eundem N. ad illa (vt
moris eſt) admittere, & in canonicum recipere & in fratrem,
ſtallo ſibi in choro & loco in capitulo aſſignatis, omniaque
& ſingula alia in dictis literis contenta, aliàs iuxta earumdem
continentiam ac formam, in omnibus & per omnia facere &
exequi curetis, contradictores (prout iuſtitia ſuadebit) ad hoc
compeſcendo, non obſtantibus omnibus, quæ in dictis literis
voluimus non obſtare. Datum &c. Pro regularibus autem ſi-
milis forma illis conueniens detur. &c. Nulli ergò omninò
hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinatio-
nis, ſuſpenſionis, adſtrictionis, declarationnis, præcepti, inie-
ctionis, nominationis, innouationis, cõſenſus, decreti, volun-
tatis, promiſſionis & mandati infringere, vel ei auſu temera-
rio contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, in-
dignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pau-
li Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ
apud ſanctum Petrum, An. Incarnationis Dominicæ 1516.
quintodecimo Calendis Septembris, Pontificatus noſtri an-
no quarto.

Nos igitur, vt literæ ipſæ, quæ ob id præcipuè editæ fue-
runt, vt in corpore myſtico, ſancta videlicet Eccleſia, perpe-
tua charitas & pax inuiolata perdurent, & ſi qua membra diſ-
ſentiant, ea commodè ſuo reinſerantur corpori, eo magis ob-
ſeruentur, quo clariùs conſtiterit, ipſas literas ea matura & ſa-
lubri deliberatione à nobis, dicto ſacro Lateran. approbante
Concilio, approbatas & innouatas, qua ſtatutæ & ordinatæ
fuerunt, licèt ad earundem literarum ſubſiſtentiam & validi-
tatem, alia approbatione non indigerent, ad abundantiorem
tamen cautelam, vt eo tenacius obſeruentur, & difficilius tol-
lantur, quo tantorum patrum fuerint maiore approbatione
munitæ, literas prædictas cum omnibus & ſingulis ſtatutis,
ordinationibus, decretis, diffinitionibus, pactis, conuentioni-
bus, promiſſione, voluntate, ac pœnis, inhibitione, alijſque o-
mnibus & ſingulis clauſulis in eis cõtentis, illa præſertim, qua
voluimus, quod ſi præfatus Francorum Rex ſupradictas lite-
ras, ac omnia & ſingula in eis contenta, intra ſex menſes à data
præſentium computandos, nõ approbaret & ratificaret, & ea
perpetuis futuris temporibus in Regno ſuo & alijs locis & do-
minijs dicti Regni, per omnes prælatos & alias Eccleſiaſticas
perſonas, ac curias parlamentorum acceptari, legi, publicari,
iurari & regiſtrari ad inſtar aliarum conſtitutionum Regia-
rum, & de acceptatione, lectione, publicatione, iuramento &
regiſtratione prædictis intra prędictum tempus per omnium
& ſingulorum ſupradictorum patentes literas, aut authenti-
cas ſcripturas nobis nõ tranſmitteret, aut nuncio noſtro apud
ipſum Regem exiſtente, per eum ad nos deſtinãdum non cõ-
ſignaret, & deinde ſingulis annis etiam legi, prout aliæ ipſius
Francorum Regis conſtitutiones & ordinationes, quæ in vi-
ridi ſunt obſeruantia, obſeruari debent, inuiolabiliter obſer-
uari cum effectu non fecerit, literæ ipſæ & indè ſecuta, quæ-
cumque eſſent, caſſa & nulla, nulliuſque roboris vel momen-
ti, ſacro Lateran. Concilio approbante, Apoſtolica authori-
tate & poteſtatis plenitudine approbamus & innouamus, eaſ-
que inuiolabiliter & irrefragabiliter obſeruari & cuſtodiri
mandamus, roburque perpetuæ firmitatis in euentum dicta-
rum approbationis & ratificationis, & nõ aliter, nec alio mo-
do obtinere, omneſque in dictis literis compræhenſos, ad ip-
ſarum literarum ac omnium & ſingulorum in eis expreſſo-
rum obſeruationem, ſub cenſuris & pœnis, ac alijs in eis con-
tentis, iuxta earundem literarum tenorem & formam, teneri
& obligatos eſſe decernimus & declaramus, non obſtantibus
conſtitutionibus illis, quæ in dictis literis voluimus non ob-
ſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Nulli ergò omni-
nò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, in-
nouationis, mandati, decreti, declarationis infringere, vel ei
auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præ-
ſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum
Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Da-
tum Romæ in publica ſeſſione, in Lateranen. ſacroſancta ba-
ſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ
1516. quartodecimo Calend. Ianuarij, Pontificatus noſtri an-
no quarto.

Viſa Ie. Saluius.
Bembus.
A. de Caſtillo.

Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis con-
tenta in ſchedula. Et omnibus placuerunt ſimpliciter, excep-
to reuerendo patre domino Dominico Epiſcopo Lucerino,
qui dixit, quòd placebant ſibi contenta in bulla, dummodò
Galli acceptent bullam reuocationis pragmaticæ ſanctionis.
Et in eodem voto fuit reuerendus pater dominus Philippus
Epiſcopus Brumaten. & etiam reuerend. dominus Petrus E-
piſcopus Caſtelli maris. Reuerendo patri Domino Benedi-
cto Chien. placuerũt omnia, excepto, quòd inquãtum diſpo-
nitur circa reſignationes factas in curia, quòd requiratur cõ-
ſenſus Regis, hoc non placuit. Nec etiam placuit eidem Bene-
dicto, quòd appellationes non admittantur, ſed placeret ei,
quòd appellationes admitterentur. Reuerendo patri domi-
no Ioanni Dominico Terdonen. non placuit cõſuetudo par-
lamẽtorum, quòd habeant iuriſdictionem in perſonas Eccle-
ſiaſticas. Et inquãtum ſubſcripta bulla tribuit iuriſdictionem
ſecularibus in perſonas Eccleſiaſticas, non placet ei. Reueren-
do patri domino Hieronymo Epiſcopo Aſculano placent
contenta in ſchedula, dummodò acceptentur per partes hinc-
indè.

Deinde reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Epi-
ſcopus Cauallicen. aſcendit ambonem, & legit ſchedulam ab-
rogationis pragmaticæ ſanctionis, ſeu corruptelæ, Cuius te-
nor ſequitur & eſt talis.

1. 2 LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Paſtor æternus gregem ſuum vſque ad conſummationem ſeculi numquàm deſerturus, ita Apoſtolo teſte, obediētiam dilexit, vt pro expiando primi parentis inobedientiæ peccato, ſeipſum humiliauerit, factus obediens vſq; ad mortem migraturus verò ex mūdo ad patrē, in ſoliditate petræ, Petrum eiuſq; ſucceſſores vicarios ſuos inſtituit, quibus ex libris * Regum teſtimonio ita obedire neceſſe eſt, vt qui non obedierit, morte moriatur. Et vt alibi legitur, in Eccleſia eſſe non poteſt, qui Romani Pont. cathedram deſerit: quoniam Auguſtino Gregorioque authoribus, ſola obedientia eſt mater cuſtoſque omnium virtutum, ſola fidei meritum poſſidens: ſine qua quiſque infidelis conuincitur, etiam ſi fidelis eſſe videatur. Itaque nos, eodem * Petro docente, ſoliciti eſſe debemus, vt quæ à Rom. Pont. prædeceſſoribus noſtris, præſertim in ſacris Concilijs pro obedientiæ huiuſmodi, authoritatis, libertatiſque Eccleſiaſticæ, & ſedis Apoſtolicæ defenſione, maturè & ex legitimis cauſis inchoata ſunt, noſtris ſtudio, cura & diligentia debitè abſoluantur, & ad optatum finem perducantur: ſimplicium quoque animæ, quarum etiam rationem Deo redditurl ſumus, à dolis & laqueis tenebrarum principis liberentur. Sanè fe. re. Iulius Papa II. prædeceſſor noſter, poſt indictum ex legitimis tunc expreſſis cauſis, de venerabilium fratrum ſuorum S.R.E. Card. de quorum numero tunc eramus, conſilio & aſſenſu, ſacrum Lateran. Conciliū, prouidè cōſiderans cum eodem ſacro Lateranenſ. Concilio, Bituricen. Regni Franciæ corruptelam, quam illi pragmaticam ſanctionē vocant, cum maximo animarum periculo & ſcandalo, ac dignitatis ſedis Apoſtolicæ detrimento & vilipēdio, retroactis temporibus viguiſſe, & adhuc vigere, eiuſdem pragmaticæ ſanctionis negocium, eodem approbante Concilio, diſcutiendum certis tunc nominatim deputatis Cardinalibus & prælatis certæ cōgregationis commiſit. Et quanquam ſanctio præfata ex multis nullitati notoriè ſubiaceret, ſchiſmaque manifeſtum foueret & contineret, & propterea citatione aliqua minimè præcedente, per ſe irrita, nulla & inualida declarari potuiſſet, ex abundanti tamen cautela idem Iulius prædeceſſor Gallicos prælatos, capitula Eccleſiarum & monaſteriorum parlamenta, & laicos illis fauentes, & dicta ſanctione vtentes, omneſque & ſingulos alios in præmiſſis ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, per edictum publicum, cùm ad partes illas tutus tunc non pateret acceſſus, in Mediolanenſis, Aſten. & Papien. Eccleſiarum valuis affigendum, monuit & citauit, vt infrà tunc expreſſum terminum, coram eo & dicto Concilio comparerent, cauſaſque dicerent, quare ſanctio præfata, illiusque corruptela & abuſio in concernentibus authoritatem Rom. Eccleſiæ, & ſacrorum canonum, ac Eccleſiaſticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari non deberet. Cumque dicto Iulio prædeceſſore in humanis agentis, diuerſis impedimentis cauſantibus, citatio exequi & reproduci, ac negocium abrogationis huiuſmodi plenè diſcuti, vt intentio ipſius Iulij prædeceſſoris fuerat, non potuiſſet, ſed eodem Iulio prædeceſſore rebus humanis exempto, citatio ipſa legitimè executa, & per procuratorem fiſcalem ſacri Concilij promotorem reproducta, ipſorumque citatorum non comparentium cōtumacia accuſata, & ad vlteriora procedi petitum fuiſſet: nos, diuina fauente clementia, ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti, omnibus ritè penſatis, petitioni prædictæ ex certis cauſis nullum tunc reſponſum dedimus. Ac deinde cùm per dictos monitos & citatos diuerſa impedimenta allegarentur, quare in termino eis (vt præfertur) præfixo comparere non potuiſſent, vt omnis iuſtæ excuſationis & querelæ occaſio eis auferretur, terminum citationis & monitionis huiuſmodi præfixum, eodem ſacro approbante Concilio, ad alium tunc expreſſum terminum iamdiu effluxum, in diuerſis ſeſſionibus pluriès prorogauimus. Cùm autem moniti & citati prędicti, ſublatis iam omnib. impedimētis, effluxiſq; omnibus terminis, corā nobis & dicto Cōcilio non cōparuerint, nec cōparere curauerint, ad allegandā cauſam, quare ſanctio prædicta nulla declarari non debeat, ita vt excuſationi vltrà locus non ſit, poſſintq; meritò cōtumaces reputari, prout eos exigente iuſtitia reputamus: nos maturè attendentes, pragmaticam ſanctionem, vel potiùs (vt dictum eſt) corruptelam, ſchiſmatis tempore à non habentibus poteſtatem, editam, reliquæ Chriſtianæ Reipublicæ, Eccleſiæque ſanctæ Dei nullatenùs conformem, & à cla. me. Ludouico XI. Francorum Rege Chriſtianiſſimo reuocatam, caſſatam, atque abolitam, authoritatem, libertatem, ac dignitatem dictæ ſedis violare, ac diminuere, facultatemque Rom. Pontificis pro tempore exiſtentis de S.R.E. Card. pro vniuerſali Eccleſia aſſiduè laborantium, virorumque doctorum perſonis, quibus abundat curia, & quorum conſilijs ſedis Apoſtolicæ & Rom. Pontificis atque vniuerſalis Eccleſiæ authoritas & poteſtas conſeruantur, negociaque diriguntur, & in proſpero ſtatu cōfouentur, de Eccleſijs & monaſterijs, eiſdemq; perſonis de reliquis beneficijs Eccleſiaſticis iuxta eorum ſtatus exigentiam prouidendi, penitùs auferre, prælatis verò Eccleſiaſticis illarum partium cauſam præbere, vt ipſi neruum Eccleſiaſticæ diſciplinæ obedientiæ ſanctum frangant & violent, ac contra nos & ſedem prædictam eorum matrem cornua erigant, & eis ad præmiſſa audendum viam aperire, ipſamque notoriè nullatenùs ſubiacere, nulloque niſi alicuius temporis ſeu potiùs tolerantiæ cuiuſdam adminiculo fulciri, & ſi Ro. Pont. prædeceſſores noſtri præfati (prout ipſi ſuo tēpore ſummoperè optare demonſtrârunt) corruptelam & abuſionem huiuſmodi, vel malignitate temporū, vel aliàs illi prouidere, & in totum occurrere non valentes, ſuis temporibus toleraſſe viſi fuerūt, conſiderantes tamen ab ipſius Bituricenſis ſanctionis editione vix annos 70. fluxiſſe, nullumque infra hoc temporis ſpatium præter hoc Lateranen. Concilium legitimè fuiſſe celebratum, in quo cùm (diſponente Domino) conſtituti ſimus, ab eiuſdem improbæ ſanctionis extirpatione & totali annullatione, ſine noſtra & tantorum patrum in præſenti Concilio congregatorum nota, ac noſtræ & dictorum illa vtentium animarum periculo, abſtinere ſeu deſiſtere non poſſe; Auguſtino teſte, iudicamus atque cenſemus. Et ſicut piæ memoriæ Leo Papa I. prædeceſſor noſter; cuius in hoc libenter, quoad poſſumus, veſtigia imitamur, ea quæ in ſecunda Epheſina ſynodo temerè contra iuſtitiam & Catholicam fidem geſta fuerunt, poſtmodum in Chalcedonen. Conc. mandauit ac fecit, pro dictæ fidei firmitate, reuocari: Ita & nos à tam nefariæ ſanctionis & contentorum in ea reuocatione, retrahi aut deſiſtere, ſalua conſcientia ac noſtro & ipſius Eccleſiæ honore, non poſſe aut debere, cenſemus. Nec illud nos mouere debet, quòd ſanctio ipſa & in ea contēta, in Baſileenſi Concilio edita, & ipſo Concilio inſtante, à Bituricen. cōgregatione recepta & acceptata fuerunt, cùm ea omnia poſt trāſlationem eiuſdem Baſileen. Concilij, per Re. me. Eugenium Papam quartum, etiam prædeceſſorem noſtrum factam, à Baſileen. conciliabulo, ſeu potiùs * conuenticula, quæ præſertim poſt huiuſmodi tranſlationem Concilium ampliùs appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cùm etiam ſolum Rom. Pontif. pro tempore exiſtentem, tanquam authoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, trāsferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque canonum decretis; ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtet: quorum aliqua referre placuit, reliqua verò, vtpotè notoria, ſilentio præterire. In Alexandrina enim ſynodo Athanaſio ibidem exiſtente, Felici Ro. Pont. ab eadem ſynodo ſcriptum fuiſſe legimus, Nicænam ſynodum ſtatuiſſe, non debere abſque Rom. Pont. authoritate Concilia celebrari. Neq; nos latet, etiam eundem Leonem Pontificem Epheſinam ſecundam ſynodum ad Chalcedonen. tranſtuliſſe. Martinum etiam Papam V. præſidentibus ſuis in Concilio Senen. poteſtatem transferendi Concilium, nulla conſenſus ipſius Concilij mentione habita, dediſſe. Epheſinam quoque primam ſynodum Cœleſtino, ac Chalcedonen. eidem Leoni, ſextam Agathoni, ſeptimam Hadriano, Octauam Nicolao, octauam etiam Conſtantinopolitan. ſynodum Hadriano Rom. Pont. prædeceſſoribus noſtris maximam reuerentiam exhibuiſſe, eorundemque Pontificum inſtitutionibus & mandatis in ſacris Concilijs per eos editis & factis, reuerenter & humiliter obtemperaſſe. Vnde Damaſus Papa & cæteri Epiſcopi Romę congregati, ſcribentes de Concilio Arıminen. Epiſcopis in Illyrico cōſtitutis, pręiudicium aliquod per numerū Epiſcoporum

Phil. 2.

Deut. 17.

Nota de Concilio Baſileenſi.

Authoritas Rom. Pont. ſupra Concilia.

porum Arimini congregatorum fieri non potuiſſe teſtantur: quandoquidem conſtet, Roman. Pont. cuius ante omnia decebat ſpectari decretum, talibus non præbuiſſe conſenſum: eundemque Leonem Pontificem, vniuerſis Siciliæ Epiſcopis ſcribentem, idem voluiſſe apparet. Conſueueruntque antiquorum Conciliorum patres, pro eorum, quæ in ſuis Concilijs geſta fuerunt, corroboratione à Rom. Pont. ſubſcriptionem, approbationemque humiliter petere & obtinere, prout ex Nicæna & Epheſina ac Chalcedonen. huiuſmodi & 6. Cõſtantinopolitan. & 7. eadem Nicæna, & Ro. ſub Symmacho ſynodis habitis, earumque geſtis, necnon in Aimari libro de ſynodis manifeſtè colligitur, quod etiam nouiſſimè Cõſtantien. patres feciſſe conſtat: quam laudabilem conſuetudinem ſi Bituricen. & Baſileenſes ſecuti fuiſſent, huiuſmodi moleſtia proculdubiò careremus. Cupientes quoque huiuſmodi negocium ad debitum finem perduci, ac tam vigore citationum hactenùs à nobis & præfato Iulio prædeceſſore ex abundanti emanatarum, quàm aliorum præmiſſorum, quæ ita notoria ſunt, vt nulla valeant excuſatione aut tergiuerſatione celari, etiam ex noſtro paſtorali officio procedentes, omneſque & ſingulos tam iuris quàm facti defectus, ſi qui forſan in præmiſſis interuenerint, ſupplentes, ex certa noſtra ſcientia & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eodem ſacro approbante Cõcilio, tenore præſentium præfatam pragmaticam ſanctionem ſeu corruptelam, eiuſq; approbationem quomodolibèt emanatam, omniaque & ſingula decreta, capitula, ſtatuta, conſtitutiones, ſiue ordinationes in eodem quomodolibèt contentas, ſeu etiam inſertas, ac ab alijs priùs editas, necnon conſuetudines, ſtylum, vſus ſiue potiùs *abuſum ex ea in hanc vſque diem quomodolibèt emanatos ſeu obſeruatos, nullius roboris vel momẽti fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus. Necnon ad abundantiorem cautelam eandem Bituricen. ſanctionem ſiue corruptelam, eiuſque approbationem tacitam vel expreſſam, vt præfertur, & in ea cõtenta omnia & ſingula, etiam inſerta quæcumque reuocamus, caſſamus, abrogamus, irritamus, annullamus ac damnamus, & pro infectis, reuocatis caſſatis, abrogatis, irritatis, annullatis, & damnatis haberi volumus, decernimus & declaramus. Et cùm de neceſſitate ſalutis exiſtat, omnes Chriſtifideles Romano Pontifici ſubeſſe, prout diuinæ ſcripturæ & ſanctorum patrum teſtimonio edocemur, ac conſtitutione fe. me. Bonifacij Papæ VII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Vnam ſanctam, declaratur: pro earundem fidelium animarum ſalute, ac Rom. Pontificis & huius ſanctæ ſedis ſuprema authoritate, & Eccleſię ſpõſæ ſuæ vnitate & poteſtate, conſtitutionem ipſam, ſacro præſenti Concilio approbante, innouamus & approbamus, ſine tamen præiudicio declarationis ſanctæ me. Clementis Papæ V. quæ incipit, Meruit. inhibẽtes in virtute ſanctæ obediẽtiæ, ac ſub pœnis & cenſuris infrà dicẽdis, omnib. & ſingulis Chriſtifidelibus, tam laicis quã clericis ſecularibus, & quorumuis ordinum etiam mendicantium regularibus, & alijs quibuſcumque perſonis, cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, etiam S.R.E. Card. Patriarchis, primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & quibuſuis alijs, Eccleſiaſtica vel mundana, vel quauis alia dignitate fulgentibus, omnibuſque alijs & ſingulis prælatis, clericis, capitulis, & conuentibus ſecularibus, & ordinum prædictorum regularibus, etiam monaſteriorum abbatibus, prioribus, ducibus, comitibus, principibus, baronibus, parlamentis, officialibus etiam regijs, iudicibus, aduocatis, Notarijs & tabellionib. Eccleſiaſticis vel ſecularib. & quibuſuis alijs perſonis Eccleſiaſticis regularibus & ſecularibus (vt præfertur) quacunque dignitate fulgentibus, in præfato regno Franciæ, Delphinatu, & vbicunq; prædicta pragmatica directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè vigeret, quomodolibèt exiſtentibus, vel pro tempore futuris, ne decæterò præfata pragmatica ſanctione, ſeu potiùs corruptela, quomodolibèt ex quauis cauſa, tacitè vel expreſsè, directè vel indirectè, aut quouis alio quæſito colore vel ingenio, in quibuſcumque actibus iudicialibus vel extraiudicialibus vti, ſeu etiam eam allegare, vel ſecundùm eam iudicare, aut quoſuis actus iudiciales vel extraiudiciales, ſecundùm dictæ pragmaticæ tenorem vel capitula in ea contenta, per ſe vel alium ſeu alios nullatenùs facere præſumant, aut per alios fieri permittant ſeu mandent, nec præfatam pragmaticam ſanctionem, aut in ea contenta capitula ſeu decreta, vlteriùs in domibus ſuis, aut alijs locis publicis vel priuatis teneant: quinimmò illa ex quibuſuis archiuis etiam regijs, ſeu capitularibus, & locis prædictis, infra ſex menſes à data præſentium computandos, deleant ſeu deleri faciant, ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ, necnon quo ad Eccleſiaſticas & regulares perſonas prædictas, omnium etiam patriarchalium, Metropolitanarum & aliarum Cathedralium Eccleſiarum, monaſteriorum quoque & prioratuum, etiam cõuentualium, & quarumcumq; dignitatum aut beneficiorum Eccleſiaſticorum ſecularium & quorumuis ordinum regularium priuationis & inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda: quo verò ad ſeculares, præfatæ excommunicationis, necnõ amiſſionis quorumcumque feudorum, tam à Romana quàm alia Eccleſia ex quauis cauſa obtẽtorum, ac etiam inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, inhabilitatiſque ad omnes & ſingulos actus legitimos quomodolibèt faciendos, infameſque ac criminis læſæ maieſtatis in iure expreſſis pœnis, eo ipſo & abſque vlteriori declaratione per omnes & ſingulos ſupradictos, ſi (quod abſit) contrafecerint, incurrendis: à quibus vigore cuiuſcumq; facultatis, aut clauſularum etiam in cõfeſſionalibus quibuſuis perſonis ſub quibuſuis verborum formis conceſſis contentarum, niſi à Rom. Pontifice canonicè intrante, vel alio ab eo ad id in ſpecie facultatem habente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui nequeant. Non obſtantibus præmiſſis, necnon cõſtitutionibus & ordinationibus, decretis ac ſtatutis Apoſtolica, ſeu quacumque alia etiam conciliari authoritate quomodolibèt, etiam ex certa ſcientia & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine editis & emanatis, & ſæpiùs innouatis, repetitis, confirmatis & approbatis: quibus illorum omnium & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, ad effectum præmiſſorum, pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſcientia, poteſtate & tenore præmiſſis, ſpecialiter & expreſsè derogamus contrarijs quibuſcumque: Aut ſi communitatibus, vniuerſitatibus, & perſonis ſingulis ſupranominatis, etiam Cardinalibus, patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, marchionibus, & ducibus præfatis, vel quibuſuis alijs, communiter vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut propterea priuari, & inhabiles reddi non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem: & quibuſcumque alijs priuilegijs, indulgentijs & literis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectum earundem impediri valeat quomodolibèt vel differri, & de quibus quorumque tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit, in noſtris literis mentio ſpecialis. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtri ſupplementi, decreti, declarationis, reuocationis, caſſationis, abrogationis, irritationis, annullationis, damnationis, voluntatis, conſtitutionis, innouationis, approbationis, inhibitionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateranen. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ, 1516. quartodecimo Kalend. Ianuarij, Pontificatus noſtri anno quarto.

ibuſum

Viſa Ie. Saluius.

F. De ſancto Ioanne.

Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et omnibus placuerunt ſimpliciter, excepto reuerendo domino Epiſcopo Terdonen. qui dixit, quòd nõ placebat ſibi reuocatio illorum, quæ habuerint originem à Baſileen. & Bituricen. Concilijs, ſeu conuenticulis.

Poſtremò Reuerend. pater dominus Ioannes Epiſcopus *Sibinicen. aſcendit ambonem, & legit ſchedulam diſponentem circa religioſos & eorum priuilegia. Cuius tenor talis eſt:

*Seboni ca.

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbãte Concilio. Dum intra mentis ar-

tis ar-

tis arcana reuoluimus, & diligenti conſideratione penſamus operoſa ſolicitudinis ſtudia, continuoſque labores pro diuini nominis gloria, exaltatione Catholicæ fidei, Eccleſiæ vnitate ſeruanda, & inſtitutione ac ſalute fidelium animarum per epiſcopos eorumque ſuperiores, in diuerſis orbis partibus ac regimen ſuarum Eccleſiarum à ſede Apoſtolica conſtitutos, necnon per fratres diuerſorum ordinum, præſertim mendicantium, indefeſsè & indeſinenter impenſos; tanta ex eorum in vinea Domini fructuoſis operibus & oportunè ac laudabiliter geſtis, cordi noſtro prouenit ſatisfactio, vt ijs quæ ad pacem & quietem inter eos conſeruandam conducere cognoſcimus, omni ſtudio intendamus. Nouimus enim Epiſcopos ipſos in partem ſolicitudinis noſtræ aſſumptos fuiſſe, quorum honor & ſublimitas (teſte Ambroſio) nullis poteſt comparationibus adæquari. Religioſos etiam in agro Dominico pro Chriſtianæ religionis defenſione & ampliatione complura feciſſe, ac vberes fructus protuliſſe, & in dies ſingulos proferre, ita vt eorundem Epiſcoporum ac religioſorum bonis operibus orthodoxam fidem incrementa ſumpſiſſe, & per orbem terrarum vndiq; dilatatam fuiſſe, fidelium nullus ignoret. Et ſicut ipſi ſæpenumerò vigilantiſſima & ſolerti cura ſchiſmata in Dei Eccleſia extinguere, & Eccleſiæ vnitatem reddere, & vt eidem Eccleſiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores ſubire non dubitârunt: ita quoque par eſt, eos inter ſe, noſtris prouiſionibus, pacis vinculo ac fraterna charitate & vnitate coniungi, vt eorum concordi doctrina & mutuis operib. vberiores in Eccleſia Dei fructus proueniant. Sanè cupientes vt iura ſpiritualia, quæ ad Dei laudem & Chriſtifidelium animarum ſalutem pertinent, & quorum exercitium præfatis Epiſcopis & eorum ſuperioribus in ſuis diœceſibus, cùm ipſi in partem ſolicitudinis (vt præfertur) aſſumpti, ac diœceſes diſtinctæ, & cuilibet eorundem Epiſcoporum aſſignatæ fuerunt, commiſſum extitit, vt per ipſos Epiſcopos exerceantur, & ius illa liberè exercendi, quantum fieri poteſt, eis illæſum præſeruetur: & ſi aliqua dictis fratribus mendicantibus in eorundem Epiſcoporum læſionem per Roman. Pontifices prędeceſſores noſtros & ſedem Apoſtolicam conceſſa fuerint, conceſſiones huiuſmodi eiſdem religioſis factas, in ſubſequentibus duximus moderandas, vt ipſi fratres potiùs ab eiſdem Epiſcopis omni cum charitate foueantur, quam aliquo modo moleſtentur & inquietentur. Vna enim eſt regularium & ſecularium, prælatorum & ſubditorum, exemptorũ & non exemptorum vniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſaluatur: eorumq; omniũ vnus dominus, vna fides: & propterea decet eos, qui eiuſdẽ ſunt corporis, vnius etiam eſſe voluntatis. Et ſicut fratres nexu inuicem charitatis adſtricti ſunt, ſic non conuenit alterum in alterius iniuriam ſeu iacturam proſilire, dicente Saluatore: Hoc eſt præceptum meũ, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. (Ioan.15.) Ad conſeruandam inter Epiſcopos & eorum ſuperiores, ac prælatos & fratres huiuſmodi mutuam charitatem & beneuolentiam, diuini quoque cultus augmentum, pacemque & tranquillitatem vniuerſalis Eccleſiæ ſtatus, quod ita demùm fieri poſſe cognoſcimus, ſi vnicuiq; quantum fieri poteſt, ſua iuriſdictio conſeruetur, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus & ordinamus, quòd Epiſcopi & eorum ſuperiores & alij præfati, parochiales Eccleſias ad eoſdem fratres ratione locorum ſuorum legitimè ſpectantes, quoad ea, quæ ad parochianorum curam, & ſacramẽtorum conſeruationem, adminiſtrationemq; pertinent, ſine tamen viſitatorum inſolito grauamine vel impenſa, viſitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, ſi religioſi fuerint, iuxta ipſius ordinis regularia inſtituta intra ſepta regularis loci: ſeculares verò presbyteros & fratres huiuſmodi beneficia obtinentes, liberè tanquam ſuæ iuriſdictioni ſubiectos punire. Ac tam prælati quàm presbyteri ſeculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, Miſſas in Eccleſijs domorum eorũdem deuotionis cauſa celebrare volentes, celebrare poſſint: Ipſiq; fratres tales celebrare volentes, libenter recipere debeant. Ac ab eiſdẽ prælatis ad proceſſiones ſolennes pro tempore faciendas requiſiti, dummodò eorũ loca ſuburbana vltra vnũ milliare à ciuitatib. reſpectiuè nõ ſi..t remota, accedere: necnõ ſuperiores eorũdem fratrum fratres, quod ad audiendas confeſſiones ſubditorum eorũdem prælatorũ pro tẽpore elegerint, eiſdẽ prælatis perſonaliter exhibere ac repræſentare, ſi eos ſibi exhiberi & præſentari petierint: alioquin eorũ vicarijs, dũmodo ad prælatos vltra duas diætas accedere non cogantur, omnino teneantur. Poſſintque illi per eoſdem epiſcopos & prælatos, ſuper ſufficienti literatura & aliqua ſaltem huiuſmodi ſacramenti peritia duntaxat examinari: talibuſque præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis, confitentes conſtitutioni, quæ incipit; Omnis vtriuſque ſexus, quo ad confeſſionem, duntaxat ſatisfeciſſe cenſeantur, ipſique fratres etiam forenſium confeſſiones audire valeant. Laicos tamen & clericos ſeculares, à ſententijs ab homine latis, nullatenus abſoluere poſſint. Euchariſtiæ verò & extremæ vnctionis, aliaque Eccleſiaſtica ſacramenta illis, quorum etiam infirmorum ac decedentium confeſſiones audierint, dicentibus proprium ſacerdotem illa ſibi dare denegaſſe, dare nequeant: niſi denegatio ſine legitima cauſa facta, vicinorũ teſtimonio probata, aut requiſitio coram notario publico facta, doceretur. Eorundem verò fratrum obſequio inſiſtentibus, ſacramenta huiuſmodi nullatenus miniſtrare valeant, niſi illorum durante obſequio. Pacta autem & conuentiones inter eoſdem fratres & prælatos atq; curatos pro tempore inita, valeant, niſi per ſubſequutũ capitulum proximum generale vel prouinciale refutata, ac per eos refutatio huiuſmodi intimata debito tempore fuerint. Parochias autẽ cum cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Eccleſias domorum & locorum eorundem ſuam elegerint ſepulturam, intrare non poſſint, niſi prius præmonito & requiſito * ac recuſante (fot. * ac non) Parochiano presbytero, & tunc ſine eius ac ordinati præiudicio: niſi eiuſdem fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quæ ſit in viridi obſeruantia & cum pacifica poſſeſſione, ſuffragetur. Volentes quoque ſepeliri in habitu eorundem fratrum in clauſtro non degentes, ſed in proprijs domib. habitantes, in eorũ vltima voluntate ſepulturam ſibi liberè eligere poſſint. Quodq; fratres ipſi ad ordines promouendi, per ordinarios de grammatica & ſufficientia examinari, & dummodo competenter reſpondeant, per eoſdem ordinarios liberè admitti, ac nullatenus in eorum Eccleſijs ſeu domibus, aut alijs eorum locis, ab alio quam à diœceſano epiſcopo, vel eius vicario, ſuper hoc cum debita reuerentia requiſito, * & abſque rationabili (fot. * nec) cauſa contradicente, vel ea in diœceſi abſente, ad dictos ordines promoueri debeant. Nec ab alio epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ, vel altaris, aut cœmeterij benedictionem petere, ſeu in Eccleſijs per eas pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum epiſcopum poni facere poſſint, niſi vbi ordinarius bis aut ter cum debitis reuerẽtia & inſtantia requiſitus, ſine legitima cauſa id recuſauerit. Et abſque curatorum cõſenſu ſponſum & ſponſam benedicere nequeant. Et vt debitus honor matrici Eccleſiæ reddatur, tã ipſi fratres quam alij clerici ſeculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ ſedis priuilegio muniti, die ſabbati maioris hebdomadæ, antequã campana Cathedralis vel matricis Eccleſiæ pulſauerit, campanas in Eccleſijs ſuis pulſare minimè poſſint. Contrafacientes, pœnam centum ducatorum incurrant. Cenſuras autem per eoſdem ordinarios latas & promulgatas, ac in matrici Eccleſia ciuitatum, necnon in collegiatis & parochialibus Eccleſijs caſtrorum & oppidorum reſpectiuè ſolenniter publicatas, quando ſuper hoc ab eiſdem ordinarijs requiſiti fuerint, in Eccleſijs domorum ſuarum publicare ac ſeruare: Et vt animarum vtriuſque ſexus Chriſti fidelium ſaluti vberius conſulatur, illos, quorum confeſſiones pro tempore audierint, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis fuerint, ad ſoluendum decimas, ſiue aliam bonorum ſeu fructuum quotam in locis, in quibus decimæ ipſæ aut ſimilia ſolui conſueuerunt, etiam ſub onere conſcientiarum ſuarum monere & hortari, ipſiſque etiam illas ſoluere recuſantibus, abſolutionem denegare, & ſuper hoc requiſiti, id populo etiam publicè prædicare & perſuadere teneantur. Conſeruatores autem eiſdem fratribus pro tempore à ſede Apoſtolica deputandi, doctrina & probitate præſtantes, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti eſſe debeant: & coram eis per eoſdem fratres, quibus dati fuerint, vltra duas Diætas à loco ſuæ ſolitæ habitationis nullus trahi poſſit, priuilegijs ſuper hoc alias eis conceſſis, nullatenus ſuffragantibus. Excommunicati quoque, ordinem Mendicantium profiteri volentes, vbi de intereſſe tertij agetur, abſolui nõ poſſint, niſi præuia ſatisfactione. Procuratores quoque, & negociorum geſtores, ac operarij eorundem fratrum ſeruitijs inſiſtentes, ſententijs excommunicationis promulgatis illaqueati ſint, &

eſſe cenſeantur, ſi illis cauſam dederint, aut dantibus, conſiliũ, auxilium vel fauorem præſtiterint. Fratres autem & ſorores tertij ordinis, necnõ Mantellati, Corrigiati, Pizochatæ, Chordellati, & alij quocunque nomine nuncupati, in proprijs domibus habitantes, ſepulturam, vbi voluerint, eligere valeant: ſed die Paſchatis tantùm Euchariſtiam, necnon extremam vnctionem, cæteraque Eccleſiaſtica ſacramenta, pœnitentiæ duntaxat excepto, à proprio ſacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro ſeculari coram iudicibus ſecularibus conueniri poſſint. Et ne cenſura vileſcat Eccleſiaſtica, & minoris authoritatis interdicti ſententia reputetur, ijdem dicti tertij ordinis, ad diuina audienda in Eccleſijs ſuorum ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, ſi cauſam dederint interdicto, vel cauſam ipſam nutriant ſeu foueant, aut dantibus auxilium, conſilium vel fauorem quoquo modo præſtiterint. Collegialiter autem viuentes, ſeu cum clauſtralibus habitantes, ac mulieres virginalem ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem (expreſſo voto, & ſub dicto habitu) vitam ducentes, priuilegijs, quibus fratres ordinis, cũius tertiæ regulæ habitum geſtant, gaudere debeãt. Omnia etiam ſingula ſupradicta, ad reliquos religioſos ordinum quorumcumque extendi, & per eos etiam ſeruari debere volumus atque decernimus. Saluis tamen in reliquis deſuper non expreſſis, tam Epiſcoporum quàm fratrum & aliorũ religioſorum prædictorum iuribus, quibus per præmiſſa in aliquo præiudicare, ſeu quicquam innouare non intendimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac ſtatutis & conſuetudinibus dictorum ordinum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate roboratis, priuilegijs quoq; & indultis, ac literis Apoſtolicis, contra præmiſſa, ſeu aliquod præmiſſorum eiſdem ordinib. conceſſis, etiã in mari magno contentis, quibus, etiã ſi ad illorum derogationem, de eis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id importãtes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque, decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Eoſdem inſuper fratres in virtute ſanctæ obedientię monemus, vt eoſdem Epiſcopos, loco ſanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita & noſtra ac Apoſtolicæ ſedis reuerentia, congruo honore & conuenienti obſeruantia venerentur: Ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri requirimus, vt fratres ipſos affectu beneuolo proſequentes, charitatiuè tractent, ac benignè foueant: ſeque illis minimè difficiles, ac duros vel moroſos, ſed potiùs faciles, mites, propicios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant, eorumque iura omni cum charitate cuſtodiant atque defendant, vt tam Epiſcopi quàm fratres præfati, quorum opera veluti lucernæ ardentes ſupra montem poſitæ, omnibus Chriſtifidelibus lumen præbere debent, ad Dei laudem, fidei Catholicæ exaltationem, populorumque ſalutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde à largiſſimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium conſequi mereantur. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, voluntatis, derogationis, decreti, monitionis, exhortationis & requiſitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateraneñ. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ 1516. decimonono Decemb. Pontificatus noſtri anno 4.

Qua perlecta, idem Epiſcopus legit indictionem duodecimæ ſeſſionis, videlicet 6. Non. Mart. proximè futuri. Et petijt, an placerent lecta in dictis ſchedulis paternitatibus ſuis. Et fuerunt vota infraſcripta aliqualiter diſcrepantia, *alijs cęteris reſpondentibus per verbum, placet. Nam Reuerend. dominus Iacobus Epiſcopus Potentiñ. dixit, quod non fuerat vocatus nec informatus; & ea de cauſa remittit ſe ad ſanctiſſ. Dominum noſtrum, à quo bona cuncta procedunt.

Cumanus & Taruiſinus dixerunt, quod videbatur eis, quòd eſſet adimenda illa clauſula, ſaluis &c. & quòd poneretur, approbare, vbi dicit, innouare.

Cauellicenſi etiam non placuit illa clauſula, ſaluis, &c.

Melfitañ. dixit, placere ſibi quo ad ea, quæ reſtituuntur ordinarijs, in alio verò ſine præiudicio ordinariorum & ſucceſſorum ſuorum.

* Iporienſi placuerunt, ſine approbatione priuilegiorum. Et in eodem voto fuit * Beluaceñ. [*Iporegieñ. vel Iporedié. *Belluné.]

Terdonenſi placuerunt, exceptis duobus, videlicet de conſeruatoribus, quibus dari deberent aſſeſſores, & ſine approbatione priuilegiorum, quia vnius incluſiô, eſt alterius excluſio.

Cæſenatenſi placuerunt, ſine approbatione priuilegiorum.

Brumatenſi placuerũt, dummodò tollatur clauſula, ſaluis, aut verbum innouare, deponatur, & ponatur, approbare.

* Vincienſi, Ferentino, & Senogallienſi placuerunt, ſine approbatione priuilegiorum fratrum. [* Vincentino * Vicentiñ. vel Venetéñ.]

† Allegarieñ. placuerunt, pro ſe, ſed pro alijs, quibus eſt procurator, dicit ſe nihil velle dicere. [* Aſtoriceñ]

Dignenſi placuerunt, ſine præiudicio Eccleſiæ ſuæ.

Fuerunt inſuper data mandata prælatorum abſentium, & primò reuerendus dominus Zutfeldus VVerdemberg dedit mandatum reuerendi patris domini Henrici Epiſcopi Coronieñ. Et dominus Petrus de Candia, dedit mandatum reuerendi patris domini Auguſtini epiſcopi Graſſeñ. [* Vrgelleñ. vel Algareñ.]

Reuerendus dominus Ioannes Noendôman, dedit mandatum reuerendi patris domini Theodorici epiſcopi Lubeceñ.

Reuerendus dominus Benedictus epiſcopus Chieñ. dedit mandatum reuerendi domini Iacobi epiſcopi Fauentiñ.

Reuerend. dominus Ioannes de * Treda nomine epiſcopi Caietañ. ſiue de Lipari, dedit mandatum reuerendi patris domini Petri epiſcopi * Luceñ. [* Lucéñ.]

Reuerendus dominus Hieronymus epiſcopus Aſculañ. dedit mandatum reuerẽdi domini epiſcopi Ioannis Antonij Calineñ.

Reuerend. dominus Alexius epiſc. Melfitan. dedit mandatum reuerendi domini Iuliani Cibo Epiſcopi Agrigentiñ.

Reuerend. dominus Ioannes epiſcopus * Algarenſ. dedit mandatum reuerẽdi domini Guilelmi epiſcopi Tyraſonen. [* Vrgelleñ.]

Reuerend. dominus Petrus epiſco. Caſtelli maris, dedit mandatum reuerendi domini Franciſci epiſcopi Spoletan.

Reuerend. dominus Cardinalis ſancti Georgij. dedit mãdatum reuerendi domini Alberti Magdeburgenſ. & Moguntin. archiepiſcopi, ac marchionis Brandeburgen.

Reuerend. dominus Ingen vvinckel, dedit mandatum reuerendi domini Frederici epiſcopi Traiecten.

Reuerend. dominus Ioannes Epiſc. * Algareñ. dedit mandatum reuerẽdi domini Petri Conceptionis in inſula Hiſpan. [* Vrgelleñ.]

Reuerend. pater dominus Georgius archiepiſcopus Nazarenus, dedit mandatum reuerendi domini epiſcopi Tribunien. & * Marcharien.

Et dominus Zutfeldus * Noiodeburgenſ. dedit mandatũ pro reuerendo domino Ioanne epiſcopo Hauelbergenſ. [* Marianeñ. * Vvardemberg.]

Et dominus Petrus de Soto, dedit mandatum reuerendi domini Alfonſi archiepiſcopi Compoſtellañ.

Reuerend. dominus Alexius epiſc. Melfitan. præfatus, excuſauit reuerendum dominum Nicolaum epiſcopum * Bergomen.

Reuerend. dominus Ioannes Pels, dedit mandatum reuerendi domini * Meynardi abbatis S. Adalberti in Egmonda, ordinis S. Benedicti Traiectenſ. diœceſis. [* Menard]

Quibus finitis, cantores inceperunt, Te Deum laudamus. Quo finito ſanctiſſimus dominus noſter, comitantibus reuerendiſſimis dominis Cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis & epiſcopis, & alijs prælatis & nobilibus viris, equitãdo redijt ad ſacrum palatium Apoſtolicum in Vaticano.

PROROGATIO SESSIONIS XII.

ANNO à natiuitate Domini 1517. Indictione 5. die verò vigeſimaſeptima menſis Febr. Pontificatus ſanctiſſimi

in Chri-

in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno quarto, præfatus ſanctiſſimus dominus noſter de S.R.E. Cardinalium conſilio duodecimam ſeſſionem ex certis rationabilibus cauſis & legitimis prorogandam duxit, & prorogauit, prout in ſchedula per curſores in baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe, & ſancti Ioannis Lateranen. Eccleſiarum valuis, ac cancellariæ, & audientiæ Apoſtolicæ portis affixa apparuit. Tenor verò ſchedulę & executionis earum, ſequitur & eſt talis:

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, duodecimam ſeſſionem ſpirituſancto fauente legitimè congregandam, quam aliàs 6. Non. Martij proximè futuri faciendam in 11. ſeſſione indixeramus, de venerabilium fratrum noſtrorum. S.R.E. Card. conſilio, vnanimique conſenſu, ex certis rationabilib. & legitimis cauſis, ad decimumſextum diem dicti menſis Martij, quæ erit 16. Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno quarto, prorogamus pariter & extendimus. Data Rom. apud ſanctum Petrum 3. Kalend. Martij, *Pontificatus noſtri* anno quarto.

Fiat.

Tenor executionis ſequitur & eſt talis:

Die 27. Februarij 1517. præſentes literæ fuerunt affixæ ad valuas audientiæ per me Michaëlem de Billeno curſorem.

Anno, menſe, die & pontificatu ſupradictis, præſentes literæ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis ſeu portis baſilicæ principis Apoſtolorum de vrbe, & ſancti Ioannis Lateranen. ac cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in acie Campifloræ per me Michaëlem de Billeno curſorem.

ANno à natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, Indictione quinta, die verò decimatertia menſis Martij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno quarto, fuit congregatio prælatorum in ſuperiori capella palatij Apoſtolici, in qua interfuerunt infraſcripti Reuerendiſſimi domini Cardinales, & reuerendi patres Archiepiſcopi & Epiſcopi. Et quia fuerat differentia in quadam congregatione priuata inter Reuerendum patrem dominum Petrum Epiſcopum Syracuſanum, Catholici Hiſpaniarum Regis oratorem ex vna, & reuerendum patrem dominum * Marinum Patriarcham Aquilegien. ex alia, ſuper anteſedentia, hoc eſt, quis eorum in priori loco ſedere deberet, ex ordinatione reuerendiſſimorum dominorum Cardinalium infraſcriptorum, in hac congregatione prælati ſederunt non ordine cõſueto, ſed vnuſquiſque prout ingrediebatur capellam, ad libitum voluntatis.

* Marium

Reuerendiſſimorum dominorum Cardinalium nomina ſunt hæc:

CARDINALES.

Reuerendiſſ. D. Antonius ſanctæ Praxedis.
Reuerendiſſ. dominus Petrus S. Euſebij, Anconitan.
Reuerendiſſ. dominus Laurentius ſanctorum quatuor Coronatorum.

PATRIARCHÆ, ARCHIEPISCOPI, Epiſcopi, & Oratores.

Reuerend. P. D. Bernardus epiſc. Taruiſinus.
Reuerend. P. D. Dominicus Lucerinus.
Reuerend. P. D. Bertrandus Adrienſ. orator Ducis Ferrariæ.
Reuerend. P. D. Petrus Epiſcopus Syracuſan. orator catholici Regis Hiſpaniarum.
Reuerend. P. D. Stephanus Gabriel archiepiſcopus Baren.
Reuerend. P. D. Ioannes Baptiſta Caualliceñ.
Reuerend. P. D. Amadeus Auguſten.
Reuerend. P. D. Ioannes Vincentius Archiepiſcopus Seneñ.
Reuerend. P. D. Andreas Militeñ.
Reuerend. P. D. Vincentius * Octocieñ. (* Otharẽ. vel Othaneñ.)
Reuerend. P. D. Altobellus Poleñ.
Reuerend. P. D. Hieronymus * Budenſ. (* Biduaneñ vel Budineñ.)
Reuerend. P. D. Gabriel archiepiſ. Dyrrhachieñ.
Reuerend. P. D. Franciſcus Salamantiñ.
Reuerend. P. D. Petrus Ceruienſ.
Reuerend. P. D. Philippus * Brunateñ. (* Brugnateñ.)
Reuerend. P. D. Ioannes Reualieñ.
Reuerend. P. D. Maximus Iſernienſ.
Reuerend. P. D. Georgius archiepiſc. Nazarenus.
Reuerend. P. D. Chriſtophorus Cæſenateñ.
Reuerend. P. D. Ioannes Baptiſta * Vincienſ. (* Veronẽ.)
Reuerend. P. D. Ioannes Dominicus Terdoneñ.
Reuerend. P. D. Gelaſius * Beluneñ. (* Bellunẽ.)
Reuerend. P. D. Ioannes Dominicus archiepiſc. Traloceñ.
* Tarſenſ vel Tarraconen. vel Treueren. vel Tarentinus, vel Strigonien. vel Tharantaſien. vel Turon.
Reuerend. P. D. Simon Ariminenſ.
Reuerend. P. D. Bernardus Soranus.
Reuerend. P. D. Iacobus ciuitatis Ducalis.
Reuerend. P. D. Paulus Foroſemproniẽñ.
Reuerend. P. D. Octauianus Viterbienſ.
Reuerend. P. D. Petrus * Lauelinus. (* Lauellinus)
Reuerend. P. D. Giſbertus Rapollanus.
Reuerend. P. D. Simon Andren.
Reuerend. P. D. Zacharias Sebaſtenſ.
Reuerend. P. D. Auguſtinus * Nebienſ. (* Nubieñ.)
Reuerend. P. D. Franciſcus Dignien.
Reuerend. P. D. Laurentius * Dulcinen. (* Dulchineñ.)
Reuerend. P. D. Ludouicus * Sornen. (* Sarneñ.)
Reuerend. P. D. Valentinus Pennen.
Reuerend. P. D. Auguſtinus Graſſen.
Reuerend. P. D. Archangelus * Auellinenſ. (* Abellineñ.)
Reuerend. P. D. Baltaſar ciuitatis Caſtellen.
Reuerend. P. D. Angelus * Lauzanen. (* Lauſaneñ.)
Reuerend. P. D. Simon Modruſienſ.
Reuerend. P. D. Marcus Monobatienſ.
Reuerend. P. D. Camillus Tiburtinus.
Reuerend. P. D. Guarrinus Nucerinus.
Reuerend. P. D. Theſeus * Maceratenſ. (* Racanateñ.)
Reuerend. P. D. Bartholomæus Montis viridis.
Reuerend. P. D. Tryphon * Catharenſ. (* Catherineñ vel Catharẽ.)
Reuerend. P. D. Vincentius Arbenſ.
Reuerend. P. D. Paulus * Minorienſ. (* Minorẽ. vel Limoleñ.)
Reuerend. P. D. Paris Piſaurienſ.
Reuerend. P. D. Scaramucia * Comenſ. (* Nemauſeñ. * Cuman.)
Reuerend. P. D. Petrus Caſtelli maris.
Reuerend. P. D. Petrus Acernenſ. (* Acerneñ.)
Reuerend. P. D. Baſilius Tudertinus.
Reuerend. P. D. Ioannes Baptiſta Caſertanus.
Reuerend. P. D. Georgius Caſtrenſ.
Reuerend. P. D. Ioannes archiepiſc. Corinthienſ.
Reuerend. P. D. * Scribonius Imolenſ. (* Scabonius)
Reuerend. P. D. Vincentius Signinus.
Reuerend. P. D. Philippus Philadelphienſ.
Reuerend. P. D. Iulianus * Salutiarum. (* Salciranus.)
Reuerend. P. D. Hieremias archiepiſc. Tranenſ.
Reuerend. P. D. Ioannes archiepiſc. Thebanus.
Reuerend. P. D. Marcus Senogallieñ.
Reuerend. P. D. Hippolytus Albenſ.
Necnon ſancti Dominici, ſancti Auguſtini ordinum Generales.

De mandato reuerendiſſimi domini Antonij tituli ſanctę Praxedis presbyteri Cardinalis, de Monte nuncupati, & aliorum Cardinalium ibidem præſentium ſupranominatorum, dominus Andreas Piperarius ſecretarius Concilij legit tres ſchedulas, vnam videlicet ſuper confirmatione & extenſione Paulinæ de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliam verò ſuper punitione inuadentium domos Cardinalium, ac aliam ſuper impoſitione decimarum; ac abſolutione ſacri Lateranẽñ. Concilij.

Quibus perlectis petijt, an placerent contenta in dictis ſchedulis paternitatibus ſuis. Et ſuper ſchedula Paulina fuerũt diuerſæ opiniones, & variæ altercationes, propter quas viſum fuit præfatis reuerendiſſ. dominis Cardinalibus, quòd dicta ſchedula omitteretur, & quòd Paulina remaneret in eodem ſtatu, in quo tunc exiſtebat.

Super Schedula impoſitionis decimarum, & abſolutionis Concilij, fuerunt opiniones infraſcriptæ, videlicet:

Salamantino non placuit, quòd clauderetur Concilium, immò fuit opinionis, quòd de nouo vocentur prælati, ex quo non eſt pax generalis, vt poſſint ſecurè venire. Quoad approbationem geſtorum, dixit, quòd approbat ea, quæ approbauerat: & quo ad decimas, quòd apponatur clauſula in ſchedula, quòd exigantur poſtquàm fuerit indictum bellum contra Turcas.

Adrienſi placuit, excepto, quòd cupiebat, quòd vbi dicit in ſchedula, eſſe relatum à Cardinalibus & prælatis, nulla remanere indiſcuſſa & inexaminata, placeret, quòd adderentur iſta verba, ex deductis ſeu propoſitis.

* Budenſi non placuit, quòd approbentur omnia hactenùs geſta per Concilium. Indinč. ... dua... ä.

Imolenſi non placuit, quòd ſoluatur Concilium cum impoſitione decimarum.

Et ſic poſt varias & diuerſas diſcuſſiones, fuit abſoluta prędicta congregatio.

SESSIO XII.

ANNO à natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, Indictione quinta, die verò decimaſexta menſis Martij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia Papæ decimi anno quarto, fuit celebrata duodecima & vltima ſeſſio ſacroſancti Concilij generalis in Eccleſia Lateranen. in loco ſolito. In qua fuit præſens præfatus ſanctiſſimus dominus noſter. Et fuerunt præſentes infraſcripti reuerendiſſimi domini Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, necnon Principum oratores, & Illuſtres domini & Barones, & alij quàmplurimi Doctores & nobiles, videlicet:

EPISCOPI CARDINALES.

Reuerendiſſ. dominus Raphaël Oſtieñ.
Reuerendiſſ. D. Bernardinus Sabineñ.
Reuerendiſſ. D. Dominicus Portueñ.
Reuerendiſſ. D. Franciſcus Albaneñ.

PRESBYTERI CARDINALES.

Priſca Reuerendiſſ. D. Nicolaus tituli ſanctæ * Luciæ, de Fliſco.
Reuerendiſſ. D. Hadrianus tituli S. Chryſogoni.
Reuerendiſſ. D. Leonardus tituli ſancti Petri ad vincula, Agenneñ.
Reuerendiſſ. D. Antonius S. Praxedis.
Reuerendiſſ. D. Petrus tituli S. Euſebij, Anconitañ.
Reuerendiſſ. D. Achilles tituli S. Sixti.
Reuerendiſſ. D. Bandinellus tituli S. Mariæ in Tranſtiberim, de Saulis.
Reuerendiſſ. D. Laurentius tituli ſanctorum quatuor Coronatorum.

DIACONI CARDINALES.

Reuerend. D. Alexander S. Euſtachij. Farneſius.
Reuerend. D. Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſ. D. Marcus ſanctæ Mariæ in via lata, de Cornelijs.
Reuerendiſſ. D. Iulius S. Mariæ de Nauicula.
Reuerendiſſ. D. Bernardus S. Mariæ in porticu.
Reuerendiſſ. D. Innocentius ſanctorum Coſmæ & Damiani.

PATRIARCHÆ, ET ASSISTENTES Papæ, & Oratores.

Reuerend. P. D. Alphonſus Antiocheñ.
Reuerend. P. D. Cæſar Alexandrinus.
Reuerend. P. D. * Marinus Aquileieñ. *Marin
Reuerend. P. D. Ioannes Vincentius Seneñ.
Reuerend. P. D. Latinus Rhegieñ.
Reuerend. P. D. Gabriel Dyrrhachieñ.
Reuerend. P. D. Bernardus Taruiſinus.
Reuerend. P. D. Franciſcus Salamantiñ.
Reuerend. P. D. Dominicus Luceriñ.
Reuerend. P. D. Vincentius Neapolitan.
Reuerend. P. D. Ioannes Baptiſta Caualliceñ.
Reuerend. P. D. Andreas Militeñ.
Reuerend. P. D. Amadeus Auguſten. Gubernator
Reuerend. P. D. Petrus Epiſcopus Cæſarauguſtañ orator Regis Hiſpaniarum.
Reuerend. P. D. Ioannes Reuaſienſ. Epiſcopus, orator Marchionis Brandeburgenſ.
Reuerend. P. D. * Beltrandus Adrienſ. orator Ferrariæ. *Bertrandus

ARCHIEPISCOPI.

Reuerend. P. D. Aldrorondinus Nicoſienſ.
Reuerend. P. D. Hieronymus Antibarenſ.
Reuerend. P. D. Hieremias Tranenſ.
Reuerend. P. D. Clemens Coloſſenſ.
Reuerend. P. D. Georgius Nazarenus.
Reuerend. P. D. Stephanus Gabriel Barenſ.
Reuerend. P. D. Andreas Spalateñ.
Reuerend. P. D. Alexander Viennenſ.
Reueren. P. D. Marcus * Monobaſieñ. * Monēbaſieñ.
Reuerend. P. D. Ioannes Thebanus.

EPISCOPI.

Reuerend. P. D. Altobellus Polenſ.
Reuerend. P. D. Hieronymus * Buden. * Budinſ.
Reuerend. P. D. Simon Ariminenſ.
Reuerend. P. D. Iacobus Potentin.
Reuerend. P. D. Iacobus ciuit. ducalis.
Reuerend. P. D. Georgius Caſtrenſ.
Reuerend. P. D. Iulianus * Saluciarum. *Salucianus
Reuerend. P. D. Vincentius Signinus.
Reuerend. P. D. Theſeus * Maceratenſ. * Racaneteñ.
Reuerend. P. D. Marcus Senogallienſ.
Reuerend. P. D. Hugolinus Lycienſ.
Reuerend. P. D. * Scabonius Imolenſ. *Scribonius
Reuerend. P. D. Laurentius Dulcinen. * Dulcinieñ.
Reuerend. P. D. Innotius Troianus.
Reuerend. P. D. Paulus Foroſempronieñ.
Reuerend. P. D. Octauianus Viterbienſ.
Reuerend. P. D. Bartholomæus Montis viridis.
Reuerend. P. D. Chriſtophorus * Pollimaneñ. * Polignianeñ.
Reuerend. P. D. Gelaſius * Beluneñ. * Bellunē.
Reuerend. P. D. Maximus Iſernienſ.
Reuerend. P. D. Philippus * Brunateñ. * Brunateñ.
Reuerend. P. D. Hieronymus Aſculanus.
Reuerend. P. D. Petrus Ceruienſ.
Reuerend. P. D. Franciſcus * Dignienſ. * Digneñ.
Reuerend. P. D. Auguſtinus * Nebienſ. * Nubieñ.
Reuerend. P. D. Petrus Paulus * Exiñ. * Eſinus.
Reuerend. P. D. Ioannes Caſertañ.
Reuerend. P. D. Baſilius Tudertinus.
Reuerend. P. D. Iacobus Antonius Sutrinus.
Reuerend. P. D. Baltaſar ciuitatis Caſtellæ.
Reuerend. P. D. Angelus * Lazanenſ. * Lauſaneñ
Reuerend. P. D. Gratianus * Alandrin. * Alatrin.
Reuerend. P. D. Simon Andren.
Reuerend. P. D. Ioannes Baptiſta Auximanus.
Reuerend. P. D. Ioannes Baptiſta * Salmonenſ. * Salmoneñ.
Reuerend. P. D. Hieronymus Aretinus.
Reuerend. P. D. Ludouicus Sarnenſ.

Reuerend.P.D.Petrus* Lauale ñ.
Reuerend.P.D.Zacharias Sebaſteñ.
Reuerend.P.D.Paulus* Nimoſieñ.
Reuerend.P.D.Baſilius Theleſinus.
Reuerend.P.D.Tryphon* Catareñ.
Reuerend.P.D.Vincentius* Octotieñ.
Reuerend.P.D.Bonifacius* Iporieñ.
Reuerend.P.D.Auguſtinus Graſſeñ.
Reuerend.P.D.Benedictus Chieñ.
Reuerend.P.D.Iacobus Marſicanus.
Reuerend.P.D.Chriſtophorus Cæſenateñ.
Reuerend.P.D.Ioannes Baptiſta* Vincieñ.
Reuerend.P.D.Ioannes Baptiſta*Marineñ.
Reuerend.P.D.Petrus Caſtelli maris & *Perſpoletañ.
Reuerend.P.D.Marius Aquinateñ.
Reuerend.P.D.Tranquillus Ferentiñ.
Reuerend.P.D.Auguſtinus Peruſinus.
Reuerend.P.D.Bernardus Soranus.
Reuerend.P.D.Valentinus Penneñ.
Reuerend.P.D.Matthæus S.Leonis.
Reuerend.P.D.Ioannes* Algareñ.
Reuerend.P.D.Hippolytus Albeñ.
Reuerend.P.D.Archangelus* Auelineñ.
Reuerend.P.D.Petrus* Acerneñ.
Reuerend.P.D.Petrus Ioannis Montis*Marini.
Reuerend.P.D.Giſbertus Rapollañ.
Reuerend.P.D.Thomas Saoneñ.

*Lanelleñ. *Lanellinus. *Minoreñ. *Limichonieñ. vel Limoleñ. *Nemauſeñ. *Catherineñ. vel Cathareeñ. *Othaiceñ. vel Othauen. *Eporedieñ. vel Iporieñ. *Veroñe. *Maraneñ. vel Moraneñ. *Vigellé. *Abellineñ. *Acarreñ. *Marani.

ABBATES, ET GENERALES Ordinum.

Generales ordinum Vallis Vmbroſæ,Carmelitarum, ac Minorum,& S.Dominici.
Abbas S.Sebaſtiani,Abbas S.Gregorij.

ORATORES, ET SENAtor Vrbis.

Illuſtr.D.Albertus de Carpi, Maximiliani Romanorum Imper.electi Orator.
Magnificus D.Ioannes Baptiſta Senator vrbis.
Magnificus D.Hieronymus Vich, Orator Catholici Regis Hiſpaniarum.
Magnificus D. Michaël Siluius,orator Regis Portugalliæ.
Magnificus D. Marcus Minius, orator dominij Venetorum.
Reuerendus P.D.Alexander Archidiaconus Mantuanus, orator Marchionis Mantuani.
Magnificus D. Virgilius de Poëtis,orator Bononieñ.

ILLVST. DOMINI TEMporales.

Honoratus Dux* Traiecti.
Illuſt.dominus Franciottus de Vrſinis.

Celebrata Miſſa per Reuerendiſſ. dominum Bernardinum Epiſcopum Sabinen.Cardinalem ſanctæ Crucis,& facta oratione per Reuerendum patrem dominum Maximum Epiſcopum Iſernien.cuius tenor ex more conſueto ponetur in fine ſeſſionis præſentis,& cantato Euangelio ſecundùm Matthæum per Reuerendiſſimum dominum Bernardum ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem,quod incipit, Aſcendens Ieſus in nauiculam,&c. cantatiſque orationibus & litanijs conſuetis, ſanctiſſimus dominus noſter incepit hymnum, Veni creator ſpiritus. Quo finito, dominus Andreas ſecretarius Concilij aſcendit ambonem, & legit quaſdam literas ſereniſſimi domini Maximiliani electi Imperatoris, quarum tenor talis eſt:

BEATISSIME pater,domine reuerend. nũcius beatitudinis V. apud nos reddidit nobis Breue ſanctitatis V. in quo nobis ſignificat Illuſtrē victoriam Turcarum Tyranni aduerſus Sultanum Ægypti dominum: noſque toto animo hortatur,rogat,obteſtatur, vt ſanctam expeditionē aduerſus tam impium Chriſtiani nominis hoſtem ſumere velimus, & vnà cum beatitudine V. illius furorem comprimere,& Chriſtianæ Reip.pariter conſulere. Idque etiam ex relatione præfati nuncij ſui intelleximus,& quo fidei amore, qua pietate optet animam ſuam pro ouibus ſibi cōmiſſis ponere. Quæ quidem res gratiſſima nobis,ſed & moleſtiſſima fuit. Quippè nō potuimus non afflictim dolere Chriſtiano nomini inimiciſſimi tyranni tantam & tam nobilem victoriam:cui, vbi ille, quem optat,finem impoſuerit,ac ſuam ſibi potentiam firmauerit,in quos potiùs aut libentiùs debacchabitur, quàm in miſeros Chriſtianos? Miſeros eos appellamus, qui cùm opibus florentiſſimi ſint, viribus & animi magnitudine egregij: quorum virtuti non Aſia ſolum cederet, ſed & ſi alter terrarum orbis reperiretur: quaſi tamen nullibi locorum diuitiæ extēt, niſi inter ipſos Chriſtianos, nullibi ciuitates, ſeſe inuicèm abſumunt: perfidos autem Chriſti hoſtes, hac & illac victores impunè vagari permittunt, quin &(ſi Deo placet) de ſemet triumphum referre ſinunt: Cæterùm cùm animo noſtro repetimus,quòd nullus Deus fortis eſt, præter Deum noſtrum, nullus porrò alius,qui conuinciat gētes in fortitudine brachij ſui: in eam ſentētiam deuenimus,vt pro certo habeamus, Turcarum victoriam Chriſtianis ſalutarem fore. Voluit enim diuina maieſtas per hanc cæcas Chriſtianorum aliquorum mētes illuminare,& dormientes excitare, ac ianuam pulſare, tempus iam eſſe ex ſomno ſurgere. Quę nobis cogitantibus omnis Rom.13.
mœror ille à nobis recedit,& in lętitiam potiùs vertitur. Speramus enim iam propè futurum, cùm externæ & infidæ gētes agnoſcent Chriſtum Dominum Deum ſuum, neq; Turcarum tanta victoria nobis formidoloſa eſſe debet. Scimus enim quotiès omnipotēs Deus hoſtibus ſuis vires dederit, vt ſuorũ ſcelera ac peccata vlciſceretur. Nouimus etiam, quotiès voluerit fidos numinis ſui cultores parua manu ingentes hoſtium copias fundere. Sperauerunt in eo patres noſtri, ſperauerūt, & Pſal.43.
liberauit eos.* Quaſi tam cæcæ aliquorum mentes erunt, quæ * Qđ ſi
tam certis futuri exitij nuncijs nondum reſipiſcant, non tamē nobis deſperādum erit tali Pontifice, qualem multa ſecula nō tulerunt. Scimus egregias virtutes, inclytas animi dotes beatitudinis V.& nūc cernimus, quo feruore, qua pietate pro commiſſo ſibi grege inſudet. Quę quamquā nobis gratiſſima ſunt, vnum tamen nobis ſummæ admirationi fuit, admirationi ne an potiùs mœrori, quòd ſanctitas V. optat, vt Deus aures noſtras aperiat ad audiendam aliquando veritatis vocem: quaſi verò veritati aures hactenus occluſerimus. Atqui ita de nobis reſpondemus, nos non tam profundo ſomno ſopitos in hanc vſque horam obdormiuiſſe, vt hęc demùm Turcarum victoria nos excitaret, ſed diu antè præuidimus ea, quæ nunc antè oculos habemus, ſanctiſſimæque memoriæ prædeceſſores ſanctitatis V. qui ætate noſtra vixerūt, monuimus, rogauimuſq;, & per viſcera miſericordię Dei obteſtati ſumus, vt Chriſtianę Reip.conſulerent. Quorum aliqui nobiſcum conſenſerunt, ſed tamen ſemper reperti ſunt, qui tam glorioſæ, & tam Deo acceptæ expeditioni inuiderent, & omni nixu nobis aduerſarentur. Quòd ſi illi ijdem ſanctitatis V. prędeceſſores viuerēt, qui ætate noſtra fuêre, redderēt veritatis teſtimonium, & nobiſcum vnà Chriſtianæ Reipubl. tam lugubrem hoſtium victoriam ingemiſcerent, & ſpontè ſua faterētur expeditionem iſtam nō hac tempeſtate magis, quàm ſemper neceſſariam fuiſſe. Verùm Deo Opt.Max. gratias agimus, quòd maieſtas ſua nos potiſſimùm excitare voluit, beatitudine V. eius vicem gerente, & gregem ouium ſuarũ egregiè tutante. Quæ ſi cęptum iter peregerit, duce virtute ſua, nullum diſcrimen, nulla calamitas Chriſtianæ Reipub. ſubeunda, aut pertimeſcenda eſt. Noſque, quoad vita ſupererit, numquam deſeremus tam glorioſam prouinciam, tam neceſſariam, tam ipſi Deo acceptam: ſed opes, vires, ſanguinem noſtrum etiam ad certum exitium pro Chriſti fide conferemus. Non laboret in nobis itaque ſanctitas V. qui à teneris annis, cùm adhuc, quid eſſet bella gerere, per ætatem neſciremus, cùm tamen audiremus, eſſe Turcas, qui CHRISTI religionem negligerent, odiſſent, perſequerentur, eos potiſſimum cùm primùm licuiſſet, radicitùs euertere optabamus. Non laboret in nobis, qui vbi adoleuimus, & militarem artem didicimus, non eam ſcire voluimus ad Chriſtianorum ciuitates occupandas, ſed potiùs ad eas vindicandas è manibus Tyrannorum: non ad fines adimendos, ſed tuendos: non ad eorum dedecus, ſed ad laudem:

non ad perniciem denique, ſed ad cuſtodiam: huiuſque rei teſtes erunt cuncta bella quæ geſſimus ſemper inuiti, ſemper laceſſiti, ſemper coacti. Et nunc cùm videremus beatitudinem V. tot perſuaſionibus nos ad pacem & concordiam cohortari, & ita velle, pro bono Chriſtianitatis flecti nos permiſimus, & conditiones quaſcunque ſuſcepimus, ne mora vlla in nobis eſſet, ne per nos defuiſſe videretur, quin labanti fidei Chriſtianæ opitularemur: neve vnquam vox iuſti corà Deo ſuper nos clamaret. Neque verò nos cohortetur ſanctitas V. qui poſtquàm Imperij ſceptrum ſuſcepimus, ipſi numquam deſtitimus, cum quocunque Pontifice agere, vt ſanctam hanc expeditionem ſuſciperet. Scimus enim eam & neceſſariam, & vtilem, & glorioſam fore. Excitet modo ſe beatitudo V. & Chriſti vexillum erigat, & cum reuerendiſſimis illis patribus iter feliciſſimè aduerſus hoſtes arripiat: nos comitabimur eam, & opes ac vires noſtras omnes conferemus. Neque ætas noſtra, quæ iam celeri gradu ad ſenectutem feſtinat, nos tantillum morabitur: quin ſi mors illa pro Chriſti nomine optatiſſima obtigerit, refulſcere nos ad æternam gloriam ſperamus. Sed quid de nobis dicimus? Nemo tam impudens erit, aut tam Chriſtiano nomini inimicus, qui ſi viderit Dei vicarium cum reuerendiſſimis Cardinalibus bellum in Turcas mouentem, ac met in expeditionem euntem, non omni renunciata merce, etiam ad certam mortem conuolet. Imbecillis nimirùm ſexus, & infirma ætas beatitudinem V. ſequetur. Quare nos itidem rogamus ſanctitatem V. imploramus, obteſtamur, vt prouideat, ne quid detrimenti Chriſtiana reſpublica capiat. Confirmet opinionem, quam omnes de ea conceperunt, ſuccurrat nutanti reipublicæ Chriſtianæ, liberet è faucibus ſæuiſſimorum luporum oues ſibi commiſſas. Neque expectet, quòd Chriſtiani Principes congregentur, (quippe longum illud eſſet, & fortaſſe periculoſum) ſed ſanctitas V. gladio Domini ſuper fœmur potentiſſimum cincta, iter auſpicatiſſimum ingrediatur. Quæ quanto magis ab alijs principibus derelicta erit, tanto erit glorioſior, tantoque magis immenſa Chriſtianorum multitudo confluet, Deo victimas gratias offerri optantium. Nos verò qui aut vbi ſanctitatem V. deſeremus, qui vltrò cupimus hanc fragilem & corruptibilem coronam, quam gerimus, cum illa precioſiſſima & æterna martyrij corona permutare? Neque verò ſubuereatur beatitudo veſtra Turcarum potentiam. Non tot apparatibus, non tanta bellorum copia indigemus. Ipſe namque Deus eſt pro quo certaturi ſumus. Ipſe docebit manus noſtras ad prælium, & ponet vt arcum æreum brachia noſtra. ipſe dabit nobis protectionem ſalutis ſuæ, & dextera eius ſuſcipiet nos. Quòd ſi hæc tam ſancta deliberatio in auras euaneſcat, prout aliæ hactenus fecerunt, neque alia expeditio fiat, tum ſummum illum rerum opificem obteſtamur, per nos non defuiſſe, quin vita & ſanguine noſtro Chriſtianæ reipub. conſulerimus: videbuntq; gentes, & ipſe, cui nihil ignotum eſt Deus, nos nullo alia pro re magis vnquam elaboráſſe. Per quem verò deerit, is ſciat ſe rationem ante tribunal Dei redditurum. Cætera intelliget ſanctitas V. ab Oratore noſtro, cui latiùs ſcribimus. Datum in oppido noſtro Mechliniæ, die vltima menſis Feb. an. Domini milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo. Regnorum noſtrorum Romani triceſimoſecundo, Hungariæ verò viceſimoſeptimo.

Pſal. 17.

Maximilianus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Palatinus &c.

Maximilianus.

Ad mandatum Cæſareæ Maieſtatis proprium

Ia. de Panniſſis.

A tergo.

Sanctiſſimo in CHRISTO Patri & domino, Domino Leoni decimo, diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, domino noſtro reuerendiſſ.

Quo finito reuerendus pater dominus Andreas Epiſcopus Militen. aſcendit ambonem, & legit quandam ſchedulam côtra inuadentes domos Cardinalium. Qua perlecta, petijt an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et reuerendiſſ. domino Franciſco Epiſcopo Albanen. non placuit narratiua, inquantùm narrabantur caſus particulares. Reuerend. domino Antonio Cardinali S. Praxedis placuit, quo ad extêtiones canonum Bonifacij & aliorum Rom. Pontificum, diſponentes contra contemnentes reuerendiſſ. dominos Cardinales, & in eorum res & bona manus violentes imponentes, alia verò non placuerunt. Et in eodem voto fuerunt Petrus tituli S. Euſ.bij, & Hadrianus tituli S. Chryſogoni, & Leonardus S. Petri ad Vincula. Reuerendo patri domino Amadeo Epiſcopo Auguſten. placuit, dummodò extendatur ad prælatos exiſtentes in Eccleſijs eorum, quia patiuntur multas inſidias. Et in eadem opinione fuerunt Baren. Spalaten. Viennen. ac * Monoueſien. Archiepiſcopi, necnô Ariminen. Potentin. & Polen. Epiſcopi. Et propter vota reuerendiſſimorum dominorum Cardinalium ſupradictorum, ſchedula fuit aptata, in hunc, qui ſequitur, modum:

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Temerariorum quorumdam qui S.R.E. Card. præcipuas Catholicæ Eccleſiæ columnas, ea, qua conuenit, reuerentia obſeruare côtemnunt, & in eorum res & bona manus violentas auſu ſacrilego iniicere non verentur, effrenata libido nos admonet & inducit, vt ad eorum audaciam, antequàm longiùs prorepat, comprimêdam, ea quæ à prædeceſſoribus noſtris in dictorum Card. dignitatis conſeruationem prouida ſunt côſideratione ſtatuta, pro illorum obſeruâtia firmiore noſtræ innouationis munimine roboremus, extendamus & ampliemus, prout temporû qualitas exigit, & tam eminêti in Eccleſia Dei dignitate côſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè ab aliquibus citrà temporibus damnabilis quidam in Vrbe inoleuit abuſu, & licentia delinquendi, quo dum Apoſtolica Sede vacante, per Card. in conclaui exiſtêtes, de futuri Rom. Pontificis electione tractatur, ſi qua de vno ex eiſdem Card. quòd in Pontificem ſit electus, vox prodeat, etiam non vera, illius domum vulgus armis aggreditur, & ſuper ea diripienda, cum ipſius Cardinalis conclaue nondum egreſſi familiaribus eam cuſtodientibus vi contendit: & ſi etiam effractis foribus, aut pariete effoſſo, aditus pateat, in prædam omnium bonorum, quæ ibi extant, hoſtiliter corruit, niſi armatorum præſidio defendatur. Nonnullique quandoque reperiuntur, ita temerarij & audaces, vt alijs etiam temporibus prætextu rixarum, domos Cardinalium hoſtiliter & cum armis aggredi non vereantur: in eaque morantes offendere & vulnerare, ex quibus Cardinalatus honori, quibus ſacroſancta militans Eccleſia tamquàm purpureo tota decoratur amictu, non parùm detrahitur, & eorum generatur contemptus, & homicidiorum & aliorum ſcandalorum occaſio exhibetur. Nos igitur huiuſmodi temerarios conatus debita volentes animaduerſione reprimere, ſacro approbante Concilio, fe. re. Honorij tertij & Bonifacij octaui Romanorum Pontificum prędeceſſorum noſtrorum, côtra aliquem dictæ Eccleſiæ Card. hoſtiliter inſequentes, & illis præſentia, conſilio, aut fauore aſſiſtentes, eoſve ſcienter receptantes aut defendentes, & eorum domos & ædes (vt ſuprà) inuadentes, & eorum * poſteros bona, editas côſtitutiones, authoritate Apoſt. tenore præſentium innouamus, decernêtes eas vbiquè debere perpetuis futuris temporib. inuiolabiliter obſeruari. Et nihilominus côſtitutiones eaſdê cum omnib. & ſingulis in eis côtentis cenſuris & pœnis, ad omnes & ſingulas perſonas cuiuſcumq; ſtatus, conditionis & excellentiæ exiſtentes, qui alicuius dictorum Card. domum tam tempore dicti côclauis, etiam ſi in Rom. tunc Pontificem ſit electus, quàm alias quandocumque & ex quacunque cauſa armata manu inuadentes, & in ea violenter aut hoſtiliter aliquid diripientes, aut quemquam ex inibi exiſtentibus vulnerantes, & eorum ſocios, & qui id fieri mandauerint, vel factum eius nomine ratum habuerint, ac ipſis inuaſoribus conſilium in præmiſſis vel fauorem præſtiterint & defenderint, extendimus & ampliamus. Non obſtâtibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcûque. Nulli ergò omninò hominum liceat hâc paginam noſtræ innouationis, decreti, extenſionis & ampliationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis

fer. * d'i poenes.

tentis

tentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateran. ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptimodecimo, Decimoſeptimo Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno quarto.

*Marinus Deinde reuerendus pater dominus *Marinus Patriarcha Aquileien. aſcendit ambonem, & legit ſchedulam impoſitionis decimarum & abſolutionis Concilij. Cuius tenor talis eſt:

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio. Conſtituti iuxta verbum Prophetæ, meritis licèt imparibus, ſuper gentes & regna, officij noſtri debitum decenter exequimur, cùm vniuerſi ſtatus Eccleſiaſtici ac vniuerſalis Eccleſiæ, eorumque negociorum reformationem per nos vtiliter factam innouamus, & pro illius inuiolabili obſeruatione oportuna remedia adhibere, & Eccleſijs Cathedralibus ac etiam metropolitan. ne diutiùs ſuis paſtoribus careant, prouidere cogitamus, ac ad illa curis aſſiduis vigilamus, & operibus intendimus indefeſſis, per quæ Dominicum gregem curæ noſtræ commiſſum, in conſpectu diuinæ maieſtatis acceptum & obſequentem reddere valeamus. Turcas verò & infideles alios, tam in Orientalibus quàm in Meridionalibus partibus cõſiſtentes, qui veri luminis, veræque ſalutis iter pertinaciſſima mentium caligine contemnentes, viuificæ Cruci, in qua Saluator noſter mortem vltrò ſuſcipere voluit, vt mortem noſtram moriendo deſtrueret, ac vitam ſacratiſſimæ vitæ ſuæ ineffabili myſterio repararet, inſidiantes, & hoſtes Deo odibiles, ac Chriſtianæ religionis perſecutores acerrimos ſeſe reddunt, reprimere, ac infeſtiſſimis crebriſque eorum inſultibus, quibus in Chriſtianum ſanguinem crudeliter debacchantur, nõ ſolùm ſpiritualibus, verùm etiam temporalibus muniti præſidijs, poſſimus authore & fauore Domino cõtraire. Sanè cùm Fel. Rec. Iulius Papa ſecundus prædeceſſor noſter, ſacrum generale Lateran. Concilium, de venerabilium fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, cõſilio & aſſenſu, laudabiliter, legitimè, & ex rationabilibus cauſis, ſpiritu ſancto cooperante, conuocaſſet, & in eo 5. ſeſſiones tenuiſſet, ac ſextam ſeſſionem indixiſſet: nos, quibus etiam in minoribus conſtitutis inſitum cordi deſiderium ſemper fuerat, generale Cõcilium, vtpotè agri Dominici culturam præcipuam, celebrari videndi, dicto Iulio prædeceſſore humanis rebus exempto, Diuina fauente clementia ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti, honeſto, vtiliq́ue deſiderio noſtro debitum ex iniuncto nobis curæ paſtoralis officio acceſſiſſe conſpicientes, rem hanc ardentiori voto, & tota animi alacritate ſuſcepimus, ac in dicta ſeſſione illius prorogationem ex tunc expreſſis & alijs cauſis noſtrum & dictorum fratrum animum mouentibus, de eorundem fratrum conſilio & aſſenſu, ad certum tunc expreſſum tempus per nos factæ, approbãte eodem ſacro Lateran. Concilio approbauimus, & Concilium ipſum vſque ad perfectionem cauſarum, propter quas indictum extiterat, & præſertim inter Principes & potẽtatus Chriſtianos bellis atrocibus pacatis, hoſtilibuſque armis depoſitis, vniuerſalis & firma pax componi valeret, pro qua tãquàm pro ſaluberrimo bono, intactum nihil relinquendo, conatus omnes noſtros adhibere intendebamus, proſequi, & fine debito terminare velle: noſtrique incommutabilis animi & intentionis fore & eſſe declarauimus, vt his, quæ ad Dei laudem Eccleſiæq; præfatæ exaltationem, & Chriſti fidelium concordiam pertinent, abſolutis, ſancta & perneceſſaria expeditio contra Catholicæ fidei hoſtes fieri, feliciterque de illis, altiſſimo fauente, triumphari poſſet: & vt ad tam perutile Concilium accedere debentes, ab acceſſu huiuſmodi nullatenùs retrahantur, nullamq; omninò cauſam prætendere poſſent, omnibus & ſingulis ad celebrationem Cõcilij per Iulium prædeceſſorem cõuocatis, & ad dictum Concilium Lateran. venientibus, ipſorumque venientium ſeruitoribus ad Cõcilium Lateran. ad vrbem huiuſmodi veniendi, & in ea liberè commorandi ſaluum cõductum, dicto ſacro Lateran. approbante Concilio, dedimus & conceſſimus, ac Reges & Principes hortati ſumus, vt pro ſedis Apoſtolicæ reuerentia venientes huiuſmodi non moleſtarent, ſed eos liberè venire permitterent: ac ſeptimam ſeſſionem indiximus, in qua cùm nihil magis affectaremus, quàm vt cauſæ vtiles & neceſſariæ, propter quas dictum Concilium Lateran. indictum fuerat, vt deſiderij noſtri erat, ad finem debitum perducerentur, tres Cardinalium aliorumq́ue prælatorum, qui cauſas huiuſmodi & alias conciliares materias audirent & diſcuterent, auditaq́ue & diſcuſſa in eodem Concilio referrent, particulares deputationes fecimus atque mandauimus: quarum quidem deputationum vna, pacis vniuerſalis componendæ inter Reges ac Principes Chriſtianos, quæ vna ex principalioribus congregationis Concilij præfati cauſa fuerat, & ſchiſmatis extirpationis: Altera, generalis reformationis, etiam curiæ: reliqua verò, diſcuſſionis & abrogationis pragmaticæ ſanctionis, & rerum Orthodoxam fidem concernentium, peculiarem curam haberent. Et cùm vnaquæque deputatio, quàmplura vtilia & neceſſaria diligenter examinauerint, & accuratè nobis retulerint, ac per eos diſcuſſa & examinata in alijs quinque ſeſſionibus ſucceſſiuè per nos tentis, ſacro approbante Concilio, per nos fauente Domino abſoluta & terminata fuerint, proculdubiò cognoſcimus, Deum ipſum bonorum datorem pijs noſtris, & non niſi ad commune bonum tendentibus deſiderijs, pro ſua immenſa pietate & miſericordia plurimùm fauiſſe, ac nobis, vt quæ mente noſtra geſſimus, & circa quæ plurimùm laborauimus, videlicet vt Concilium ipſum cauſis, propter quas indictum fuerat, iuxta votum terminatis, feliciter claudi & abſolui poſſet, conceſſiſſe. Chariſſimus namque in Chriſto filius noſter Maximilianus in Imperatorem electus, Iulij prædeceſſoris præfati, noſtro verò tempore Cla. Me. Ludouicus Francorum Rex & cæteri Reges & Principes Chriſtiani ſummo cum omnium gaudio Lateran. Concilio in ſpiritu ſancto legitimè congregato adhæſerunt, ac Piſanum Conciliabulum per quoſdam nullam poteſtatem habentes indictum, & per eundem Iulium prædeceſſorem damnatum, iuxta ipſius Iulij prædeceſſoris ſententiam pro damnato habuerunt, & ſchiſma ex his pullulare cœptum, (quod ſemper dum viguit, quàmplurimas calamitates prælatis alijs Chriſti fidelibus ex diuerſis ſchiſmatum temporibus & alijs generalibus Concilijs hactenus celebratis attuliſſe conſtat) extinctum ac vniuerſalis Eccleſiæ pax & vnio ſecuta extitit: necnon tam Eccleſiaſticarum quàm ſecularium & aliarum perſonarum mores, quantum expedire viſum fuit, reformati: & nonnullæ cauſæ, orthodoxam fidem concernentes, terminatæ: ac nonnullæ aliæ materiæ, in dictis tribus deputationibus Cardinalium & prælatorum diligenter examinatæ & diſcuſſæ, in dicto Concilio ſolerti cura expeditæ & terminatæ fuerunt: nobiſque per Cardinales & prælatos deputationum huiuſmodi pluriès relatum fuit, nulla negotia eis diſcutienda examinandaq́ue remanſiſſe, & à pluribus menſibus citra nulla prorſus de nouo à quoquam ad eos prolata fuiſſe: Epiſcopoſque in partem ſolicitudinis ad curam gregis Dominici nobiſcum perferendam vocatos, ac alios prælatos in dicta vrbe præter ſacrorum Conciliorum conſuetudinem, cùm eorum & Eccleſiarum ſuarum incommodo ac damno diutiùs permanſiſſe.

Itaque ex præmiſſis omnibus, quæ per nos & dictas deputationes in ipſo Concilio expediri deſiderabantur, ſola Regum & Principum pax & animorum concordia reſtare videbatur: pro qua, qualis mens noſtra ſemper fuerit, quantum ve omni ſtudio noſtro circa illam componendam laborauerimus, cunctis literas à nobis emanatas legentibus apertiſſimè conſtare poteſt: nouitq́ue Deus ipſe, qui ſumma eſt omnium rerum lux & veritas, quot precibus, quamq́ue aſſiduis orationibus ab eo petere & implorare nunquam deſtiterimus, vt Chriſtianum gregem, cuius cuſtodiam nobis (licèt immeritis) commiſit, mutuo charitatis feruore accenſum, ad firmam ac perpetuam pacem ineundam pro ſua clementia inducere dignaretur. Et nihilominùs tam nuncijs noſtris, quos apud Maximilianum Imperatorem electum ac eoſdem Reges & Principes habemus, quàm literis, eos multis & efficaciſſimis rationibus, præſertim ſi religioni Chriſtianæ & Catholicæ fidei, in graue periculum ac diſcrimen propter Tyranni Turcarum potentiam nuper dilatatam & auctam deductæ, vt par eſt, cõſulere & prouidere vellent in Domino, cuius cauſa præcipuè agitur, hortati fuimus, ac ex eorũ nunciorum Regumq; & Principum ipſorũ literis percepimus, exhortationes noſtras ſatæ apud eoſdem Reges & Principes authoritatis & efficaciæ

fuiſſe,

ſe, illorumque corda & animos adeò flexiſſe & commo-ſe, vt ferè inter omnes pax tamdiu à nobis pro Reipublicæ riſtianæ vniuerſali bono deſiderata, animo concluſa fue-, & ſi quid ſupereſt, propediem componendum (ipſo Deo ente) ſperetur: quòd mente animoque noſtro ſubindè no-revoluentibus, exultat cor noſtrum in Domino noſtro u Chriſto, ipſique ſuper hoc gratias agimus omnium gra-rum largitori, quòd ipſos ad optatam nobis concordiam duxerit: ac per omnes Chriſti fideles ea ſigna lætitiæ, quæ in milibus fieri conſueuerunt, & gratias Deo agendas, ipſum-ue Deum, vt pax concluſa perduret, rogandum eſſe, cenſe-us. Solùm itaque ſupereſt, vt ſancta ac pernecеſſaria contra fidelium rabiem, Chriſtianum ſanguinem ſitientem, expe-tio capiatur: necnon & omnia & ſingula, quæ in vndecim ſſionibus partim per nos, partim per Iulium prædeceſſo-m huiuſmodi, hactenùs tentis, geſta & facta, potiori pro utela, approbentur & innouentur, ac obſeruari manden-r. Habita igitur ſuper his cum fratribus noſtris & alijs præ-atis matura deliberatione, ſacro approbante Concilio, & o-nia & ſingula in dictis vndecim ſeſſionibus geſta & facta, ac teras deſuper editas, cum omnibus in eis contentis clauſulis, xceptis quibuſdam quæ certis perſonis pro vniuerſalis Ec-leſiæ pace & vnione duximus concedenda, necnon executo-um in illis deputatione Apoſtolica authoritate approbamus & innouamus, illaque perpetuis futuris temporibus inuiola-iliter obſeruari debere decernimus atque mandamus, & il-lorum executores ad illa & in eis contenta obſeruari facien-dum, in Ro. curia gubernatorem almæ vrbis noſtræ, & vica-rium noſtrum pro tempore exiſtentes, ac cameræ Apoſto-licæ generalem auditorem, qui perſonas ſibi reſpectiuè ſubie-ctas, ad id cogere & compellere valeant: extra verò eam, om-nes & ſingulos locorum ordinarios deputamus, inhibentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus & ſin-gulis Chriſti fidelibus, ne in præſenti Concilio geſta & facta ſine noſtra & dictę ſedis licentia ſpeciali, gloſſare aut interpre-tari præſumant. Ac fidei vrgente nos zelo, dictam contra in-fideles expeditionem, per nos & dictum Iulium prædeceſſo-rem, dictis cauſis Conciliaribus expeditis, totiès in dictis ſeſ-ſionibus propoſitam & promiſſam, & cum Oratoribus Regú & Principum apud nos exiſtentibus pluriès communicatam & diſcuſſam, piæ me. Nicolaum Papam V. etiam prædeceſſo-rem noſtrum, qui poſt Conſtantinopolitanæ vrbis calamito-ſum excidium, ad vindicandas Chriſti iniurias & infidelium furorem reprimendum, generalem contra eos expeditionem indixit, & quem ſolerti ſtudio Re. Me. Calixtus tertius, ac Pius ſecundus Rom. Pontifices etiam prædeceſſores noſtri i-mitati fuerunt, imitantes, ad triennium proximè futurum cum facultate per nos, vnà cum eiſdem fratribus noſtris, deci-mas fructuum ex Eccleſijs & monaſterijs, ac alijs beneficijs in vniuerſo orbe conſiſtentibus, imponendi & exigendi ac om-nia & ſingula alia, quæ ad huiuſmodi expeditionem neceſſaria ſunt, & quæ in ſimilibus expeditionibus fieri conſueuerunt, faciendi, ſacro approbante Concilio, ſumendam, faciendam, & proſequendam decernimus. Et vt felicem ſortiatur effe-ctum, pias, humiles, ac deuotas ad omnipotentem Deum pre-ces iugiter fundimus; idemq; omnibus vtriuſque ſexus Chri-ſti fidelibus faciendum mandamus, eoſdem Maximilianum in Imperatorem electum, ac Reges, Principes & potentatus Chriſtianos, quorum virtutem Deus excitare nos iubet, hor-tantes, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri Ieſu Chriſti ob-ſecrantes, perque tremendum eius iudicium obteſtantes, vt ipſi, memores ſe de ipſa Eccleſia Chriſti ſanguine redempta, & per eos etiam propriæ vitæ non parcendo, tuenda & con-ſeruanda rationem reddituros eſſe, omnibus inuicem poſtha-bitis odijs, mutuiſque diſſenſionibus ac ſimultatibus obliuio-ni perpetuæ demandatis, ad defenſionem Chriſtianæ fidei, ſi-cut proprio & neceſſario eorum incumbit officio, fortiter & potenter exurgant: & in tantæ neceſſitatis articulo, prout eo-rum fuerint facultates, prompta auxilia præbere ſtu-deant; eoſdem nihilominùs paterno affectu monentes ac re-quirentes, vt pro ſummi Dei & Apoſtolicæ ſedis reuerentia, pacem per eos initam ſaltem dicta expeditione durante, in-uiolabiliter obſeruare procurent, ne tantum bonum, quod dextera Domini aſſiſtente ſecuturum ſperamus & optamus, aliqua interueniente diſcordia & diſſenſione, valeat impe-diri. Et ne prælati ac alij ad præſens Concilium, quod ferè quinquennium durauit, laboribus & expenſis vlteriùs fati-gentur, & vt eorum Eccleſias viſitare & conſolari poſſint, ac alijs certis rationabilibus & iuſtis cauſis præſens Concilium abſoluimus, & cum benedictione Domini dimittimus, om-nibuſque & ſingulis in eo exiſtentibus ad propria remeandi, ſacro eodem approbante Concilio, licentiam concedimus. Et vt ad propria, aliquibus ſpiritualibus muneribus refecti, cumulatiori gaudio remeare poſſint, illis eorumque familia-ribus plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem & indulgentiam ſemel in vita, & in mortis articulo elargi-mur.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam no-ſtræ approbationis, innouationis, conſtitutionis, mandati, deputationis, inhibitionis, decreti, monitionis, requiſitionis, abſolutionis, dimiſſionis, conceſſionis, & largitionis infrin-gere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc at-tentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incur-ſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione, in Lateranen. ſa-croſancta baſilica ſolenniter celebrata, Anno incarnatio-nis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptimo decimo, decimoſeptimo Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno quinto.

Qua perlecta, petijt, an placerent paternitatibus ſuis con-tenta in ſchedula. Et omnibus placuerunt, exceptis infraſcrip-tis, qui dederunt vota, prout infrà.

Adrienſi placent omnia, excepto, quòd in confirmatione geſtorum per Concilium, placeret illi, quòd ad illa verba, omnia negocia: addantur iſta verba, ex propoſitis: ita quòd ſenſus ſit, quòd omnia negocia ex propoſitis fuerunt expe-dita.

Tranenſi non placuit clauſura Concilij.

Dyrrhachien. quo ad decimas placet, quando erit incepta expeditio contra Turcas.

Salamantino placet quo ad decimas, quando erit ince-pta expeditio: ſed quo ad diſſolutionem Concilij, non pla-cuit.

Teruiſien. placet, quòd confirmentur ea, quæ ſibi pla-cuerunt in alijs: & quo ad decimas, quando erit incepta expe-ditio.

Graſſen. Chien. Montis viridis, Montis Marani placent, quo ad decimas, quando erit incepta expeditio.

Imolenſi non placuit de decimis ſimpliciter.

Ceruien. Licien. Ferentin. Peruſin. Sorano, Maceraten. & Nubien. placent, quo ad decimas, prout Dyrrhachien. & alijs, quando erit incepta expeditio.

Algaren. placet, quo ad decimas, quòd obſeruetur cõſue-tudo antiqua, quando fuit facta expeditio. *Vigilã.

Generali prædicatorum * placet diſſolutio Concilij, in reliquis dixit ſe paratum obedire. for* non placet.

Et ſic collectis votis per ſcrutatores, & facta relatione Sanctiſſimo D.N. venerabilis vir dominus Marius de Peru-ſchis, Procurator ſacri Concilij, petijt inſtrumẽtum & inſtru-menta omnium geſtorum.

Demum reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Alexander ſancti Euſtathij, S.R.E. diaconus Cardi-nalis, alta & intelligibili voce cantauit: Domini, ite in pace. & cantores capellæ domini noſtri, in eodem tono reſpõderunt, Deo gratias. Et cõſequenter inceperunt canticum, Te Deum laudamus. Quo finito, ſanctiſſimus dominus noſter equita-uit, comitantibus reuerendiſſimis dominis Cardinalibus.

Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, & quàmpluribus alijs Illuſt. dominis, & redijt ad palatium Apoſtoli-cum.

(∴)

Maximi Coruini Epiſcopi Iſernienſis, oratio in duodecima ſeßione ſacroſancti Lateranenſ. Concilij dicta 17. Kalendas Aprilis, anno Domini 1517.

SEDENTE LEONE X. PONT. MAX. ANNO V.

CVm ab ineunte ætate, ſanctiſſime pater, ſacri Principes atque Pontifices, ſtatuiſſem eos, qui ob rem Apoſtolicam laborem ocio, communem vtilitatem priuatæ gratiæ, pręclaram mortem caducæ vitæ, non anteferrent, malè de fide Catholica ſentire, & ab hinc fermè triginta annis in omni meæ vitæ ratione, pro huius Imperij fide, dignitate & authoritate, omne meum tempus, ſtudium, laborem, atque induſtriam, etiam aduerſus hoſtes & inimicos, caſtè & integrè impendiſſem: nihilo ſeciùs, ex quo huius ſanctæ ſedis beneficio in hoc ſacrum collegium Pontificum cooptatus ſum, non obſcura res eſt, quot labores, pericula, diſcrimina, iacturas, carceres, calamitates, domi foriſq;, difficilimis huius ſacri Imperij temporibus, eius iuſſu ſubierim. Ex quibus, optimo cuiq; ſatis datur cernere, quanto cum mei capitis periculo, hanc ſanctam ſedem iuuauerim, quanta cũ innocentia inſimulantium inuidiam & ementientium calumniam peruicerim, & quanto meo cum labore viuat mecum ſimul exemplum tum priuatæ, tum publicæ fidei. Nũc quoniam hanc prouinciam in hoc ſacroſancto Lateranenſ. Concilio mihi decreuiſtis, facilè intellexi, neque meorum laborum memoriam apud vos abolendam eſſe, neque veſtram erga me gratiam. Quare vt meo priſtino more, & veſtro obtemperare iudicio, & huic quoque prouincię fructũ afferre videar, ab ipſa Laodiceñ. Concilij ſentẽtia, quæ Pontificem quenq; in omni Concilio de omni re atq; vtilitate totius Catholicæ eccleſiæ dicere voluit oportere, breui & compendioſa dicendi ratione non diſcedam. Itaque cùm in eo genere omnes ingenij vires aut periclitandæ, aut tãquam chordæ intendendæ ſint, & veſtræ aures ita caſtæ & religioſæ haberentur, vt ſi quis ſe illis accommodare velit, non ſolùm eleganter, verum etiam Atticè dicat oportet, omnem meæ orationis aditum, (ſicuti in ſacris fieri conſueuit) diuino numini conſecrare inſtitui. Quapropter te Deum ſolum Regem, te ſolum Dominum, qui in vna ſubſtantia triũ perſonarum, per ſimplicem, ſummam, fontalem & perfectam vnitatem, vnus ſupra omne Concilium, & in omni Concilio, tam præſens, quam verus exiſtis, quem propter beneficia Chriſtianæ reipublicæ, optimum: propter vim atq; potentiam, maximum nominamus, & qui meę fidei laborumque meorum teſtis, ingenij atque concilij adiutor, & orationis ac ditionis author ſemper exiſtis, precor & quæſo, vt ex tui diuini eloquij fonte, hodierna die mihi caſta & religioſa contingat oratio. Verum (quod vitio dari ſolet) ne meæ orationis membra, ab ipſo deprecationis capite abhorrere videantur, dicam breuiter, quàm res tanta dici poteſt, primò de origine & maieſtate Concilij,* dicam de myſterio & beneficio, poſtremò dicam de doctina atque virtute. In quib. oſtendam potiſſimum, quantum Pontifices & ſacerdotes eccleſiæ, & quantum Pontificibus & ſacerdotibus debeat Chriſtiana reſpublica.

[margin: *r.* dein*de*]

Concilij originem (ſicuti ego accepi) à Deo Opt. Max. initium & formã ſumpſiſſe, ſatis conſtat. Nam cùm in principio cælum & terram creaſſet, cælum ipſum in tres Principatus (quos Hierarchias vocant) inſtituit, ac quemlibet Principatum in totidem Angelorũ choros diſtinxit. Quos cùm ipſe Princeps & parens Deus, vnitas prima, lux pura, diuina & infinita creaſſet, eos deiformes ſpiritus, mentes intellectus & intelligentiæ capaces, & quaſi oculos eſſe voluit, qui ad Deum ipſum conuerſi, & ab eo diuinitus exciti, lucem, eſſentiam, vitam, & omnem perfectionem acciperent, & rurſus ita diuini & ſancti ignis imaginem præ ſe ferrent, vt primus principatus (qui in cælo empyreo ſub Trinitatis ſede exiſtit) ſola luce diuinæ vnitatis, nullis interiectis ſpiritibus, ſecundus in cryſtallino eodem fulgore, per primum tranſmiſſo, extimus verò in ſapphireo orbe, quem firmamentum vocant, radijs diuinæ maieſtatis, ex tranſfuſione ſecundi, qui ſecundus * laco ſupremi lumine conſperſus inluſtraretur, & inluſtraret: purgaretur, & purgaret: perficeretur, & perficeret. Hic eſt fons diuinæ lucis, hæc origo atque maieſtas concilij. Cuius quidem concilij cùm ſedem tum regnũ Lucifer (qui vt alij, primæ: vt alij, ſecundæ Hierarchiæ Principatum gerebat) ilicet adfectaret, cælum Trinitatis ſuperbia inuadere voluit. Vndè ingenti cum exercitu, qui fuit ex omni choro Angelorũ, ſubitò tanquã fulgur in terram excuſſus, in monſtrũ deformatus, & in barathrũ detruſus fuit. Cuius occaſu, diuini cõcilij regnum inluſtratum, purgatum, & perfectum eſt. Sed neque ab re dictum fuiſſe velim, Luciferum, fulguris in morem, cecidiſſe. Nam quid aliud ſuperbia eſt, niſi fulgur, cuius furor quanto magis ardere videtur incurſu, tanto magis ſubito occaſu extinguitur? Diuino igitur concilio in hunc modum illuſtrato, ſtatuit Deus, magno quoq; myſterio & beneficio terram (hoc eſt, humanũ genus, quod terra dicitur) illuſtrare, quæ primùm veneno cadentium ſpirituum, mox primi parentis noxa (quandò ſi Angelus non cecidiſſet, homo nõ peccaſſet) corrupta fuerat. Verùm cum omnis calorum virtus, vehiculo lucis ad terram transferatur, Angelorum miniſterio (qui in extimo ſunt orbe, & quibus ſacra myſteria, cæremoniæ, regna, vrbes, mortales curæ ſunt) factũ eſt, vt diuini concilij myſterium & beneficium in terram tranſueherẽtur, quibus poſſent animæ corporibus clauſæ, diuini ſpiritus lumine, vi & gratia per immortalis virtutis participationem (quam cũ angelis habere videntur) in cælum trahi, quando, qui trahuntur ſpiritu, ij filij Dei ſunt, non autem Luciferi exemplo, qui non extolli, ſicuti cæteri Angelorum chori, qui radijs diuinæ gratiæ illuſtrantur, ſed aſſcendere voluit. Demens, & ipſa quoq; ſuperbia dementior, cui tam præclarum munus à Deo collatum fuiſſet, ſi in fide permanſiſſet. Igitur Deus viuo oraculo elegit ſibi Põtifices & ſacerdotes, Moſen & Aaron, qui inter deſerta loca montis Oreb, gregem paſcebant, quorum monitis, ſignis & legibus ab Ægyptiorum tyrãnide liberati ſunt populi, promiſſam in terram ducti, cæleſti rore nutriti, ſubmerſi tyranni, debellati hoſtes, deiecta idolorum ſimulacra, deuorati ab ipſis terræ faucibus ſchiſmatis authores, formati mortaliũ mores, auctus Pontificum & ſacerdotum numerus, conſtituti duces, principatus, conuentus, collegia, ordines, inſtituta ſacra altaria, ſacrificia, deniq; præpotẽti Deo tabernaculum (quod eſſet vnum in populo, & vnum in quolibet mortalium) cõditum eſt. Sed ne ſingulis in figuris meæ narrationis immorari videar, tacebo ipſius montis loca circumadiacentia, ſiccitatem omniũ doctrinarum (in quibus greges domini fruſtrà paſcebãtur) ſignificare: Tacebo Moſen & Aaron à Deo Opt. Max. Pontificalis & ſacerdotalis ordinis ſumpſiſſe originem, cuius ordinis doctrina & beneficio, ſpiritu ſancto authore, à ſeruitute vitiorum liberati populi, & viam rectam ingreſſi, ad promiſſum ſalutis regnum perducerentur. Tacebo etiam ſublata idolorum ſimulacra, diuerſorum tyrannorum prauos animos, malis artibus imbutos, & variarum diſciplinarũ prodigia, & vanitates oſtendere, quæ cùm mortalium vitam & ingenia captiuare aſſueſcerent, Euangelicę veritatis eloquio abolerentur. Aggrediar tamẽ, nõ tranſuerſis locis aut translationibus, vt pleriq; faciunt hallucinatores, ſed veris ſentẽtijs, ab ipſo Moſis & Eſdræ ſecretioris doctrinæ ſenſu depromptis tabernaculi diuinum & neceſſarium opus. Cuius quidem ſi quęris ędificium, totum ſpiritus, totum Eccleſia, totum cælum & Chriſtus eſt. Nam primò, quid ſibi volunt loca illa in eo ſancta, niſi vt pacem & ſanctitatem ſequamur, ſi Deum ipſum videre, ſi placidum & fautorem habere volumus? Quid columnæ argenteæ, niſi Pontifices & ſacerdotes, qui patientia, fide, iuſtitia, pietate, continentia, doctrina & mentis candore, ſtabiles, firmi, nitidi, & præfulgentes ſint, vt ipſi quoque Dei tabernaculum fieri poſſint, quo ſancto impleri ſpiritu, diuino frui eloquio, & alios docere queant, ſi Pontifices, ſi ſacerdotes eſſe volunt? alioqui non columnæ, ſed vmbræ non argenteæ, ſed plumbeæ erunt & obtuſæ. Quid candelabrum ſeptem luminibus diſtinctum, niſi ſeptifarium ſancti ſpiritus lumen? Cuius fulgore Pontificum & ſacerdotum lumina ita noctes & dies accenderentur, vt ſemper vigilare, ſemper inſidias ſatanæ intueri poſſint. Quorum lumbi caſtitate

[margin: Hierarchiæ Angelorum.]

[margin: Lu…]

[margin: Taber…culi ve…ris m…ca inte…pretat…]

præcincti ſpe firmi, bonis exemplis robuſti, manus charitatis & fidei lucernis accenſas prætenderent. Quid alia? Ipſa enim menſa Chriſtus eſt, in qua duodecim panes* propiciationis, [* propo nis.] duodecim ſunt Apoſtoli, qui Ieſu Chriſti virtute atque doctrina imbuti, panem quotidianum Angelorum, panem ſalutis noſtræ, panem euchariſtiæ quo veſcimur, panẽ denique euangelicæ doctrinæ & admirabilis, ac diuini verbi quod audiuimus, obtulerunt. Thuribulum, ſanctorum orationes & mortalium ſupplicationes, quę per ora ſanctorum aſſcendunt ad Deum. Quid illa duo altaria? vnũ incenſi, hoc eſt, odor charitatis & fidei, qui Angelorũ miniſterio fertur ante tribunal, & ante ipſum ſancti & puri agni altare diuinum? alterum victimarum, in quo continentiæ cultro ſuperbiam quaſi taurum, arietem quaſi iracũdiam, hircum ipſam luxuriam, hœdum vitiorum fœditatem, & vitulum quaſi ſaginam omnium voluptatum cupiditatumq́; immolare debemus? Arca teſtamenti, in qua ſecundæ legis tabulæ, hoc eſt, nouum inſtrumentum Euangelicæ veritatis, & Ieſu Chriſti myſteria (quæ in arca eccleſiæ, in arca animorum noſtrorum perpetuò erant permanſura) portendiſſe videtur. Virga Aaron, virga recti, virga regni, virga Pontificum & ſacerdotum, quæ ſancta eſt inſtitutio, ſumma dignitas, & iuſta ac ſuprema iuriſdictio, & quæ non vitiorum vi, non terreo putris dominatus humore, ſed ſuo ingenito virtutis & dignitatis victitat ſucco, & vigore floreſcit diuinitus. Vrna Mannæ auro interclusę, ſubtilis diuini verbi intellectus, & dulcis ſancti eloquij cibus, qui non aurario in plumbo obliquæ & obtortæ diſſimulationis, ſed ipſo puro in auro fidei ſeruatus, Põtificum & ſacerdotum miniſterio, peregrinantibus in hoc vitę curriculo ſenſim exhibetur. Ipſas etiam gemmas, coccum, byſſum, purpuram, hyacinthũ, quorum ornatu, ſæpè Angeli coruſcare videntur: nitorem, munditiam, ſcientiam, charitatem, iuſtitiam, ſpem, fidem, & cæteras virtutes, quas tametſi totius eccleſiæ, tamen Pontificum & ſacerdotum ornatus & indumenta eſſe ſatis conſtat. Vna & altera Cherub, quæ ſupra arcam explicatis alis ſunt poſitæ, ſcientiæ, intelligentiæ & ſapientiæ fulgores, ab illa pura, diuina, & infinita luce per tranſennam eccleſiæ, in animos Pontificum & ſacerdotum tranſmiſſos, accendunt. At verò ſancta ſanctorum quæ ſemel duntaxat intrare fas eſt, cælum ipſum * oſtendere, [* oſten-] vbi in latiſſima & lucidiſſima regia, quam vigor humanę mentis penetrare nequit, perpetua in maieſtate atq; vnitate cum patre & ſpiritu ſancto, Ieſus Chriſtus ſuper Seraphim charitatis igne incendit, ſuper Cherubim intelligẽtiæ ſplendore fulget, ſuper verò thronũ ſedet iudex ſeculorũ. Infelix Iudæa, quæ cùm per tot annos ſediſſet ſuper cathedram Moſis, & ſpiritus ſancti ſacrarium ſæpè extitiſſet, non in Abraham, non in Iſaac, non in Iacob, non in Moſe tabernaculum intellexit: qui cùm per ſanctitatem Deum excoluiſſent, non ex caducis arborum frondibus, ſicuti ſuperſtitioſa & cæca Iudæorum turba quotannis facere cõſueuit, ſed ex virentibus virtutum omnium ramis ita animos formauerunt, vt ſinguli, Dei tabernaculũ & ſpiritus ſancti ſacrarium fierent. Infelix Græcia, quæ olim humanarum rerum arbitra, atq; omnium doctrinarum inuẽtrix, & orbis terrę flos ſemper extitit, vſqueadeò ab hinc cẽtum annis pertinaciter illam caſtam & ſanctam Hilarij, Athanaſij, Chryſoſtomi, Cyrilli, Pamphili, Hierothei, Epiphanij, Baſilij, Gregorij, & aliorum ſanctorum patrum doctrinam deſeruit, vt ea deſerta collapſa ſit religio: qua collabente, ita corruit Imperium, vt hodiè non ſolùm ab illo ſancto tabernaculo abhorrere, verum etiam fidei & doctrinæ ignara videatur. Infeliciane dicam, an ingrata Chriſtianæ reipublicæ regna atq; imperia, quæ nequiſſimorum ſpirituum fallacijs, & ſuperbo tyrannorum dominatu cùm diu captiuata eſſent, ac Ieſu Chriſti myſterio, & Apoſtolorum, Pontificum & ſacerdotum beneficio in tabernaculum recepta fuiſſent, tanta diſcordiæ, cupiditatis, & luxus infelicitate, tanta bonorum ingratitudine tenentur, vt iure, multò infeliciſſima & ingratiſſima dici poſſint? Quid enim in humana natura infelicius, quid miſerius poteſt illo, quẽ nimia inſpiratæ fortunæ aura euexit, quem nimia diuitiarum affluentia impleuit, necdum expleuit, & quem nimia felicitatis opinio corripuit? Quid etiam ingratius, quid deteſtabilius, quam nulla beneficiorũ memoria, ſicuti noſtra tempeſtate omnibus datur cernere, nullis laborum & virtutum meritis tangi, aut nulla eos gratia proſequi, qui vt grati viderentur, ſub ipſo laborũ faſce defeſſi, ſpoliati, vexati, euerſi, afflicti, & necati ſunt, quorum merita non ſolùm perpetuę obliuioni tradita, verum etiam qui viuunt, ab omni honoris aditu aut excluduntur, aut vexantur aſſiduè? Rurſus verò, quid infelicius & ingratius ſimul eſſe videtur, quam nullo virtutis præmio (in quo humana felicitas collocata eſt) adduci, nullo Iudæorum aut Græcorum exemplo vitã in melius inſtituere, ſuper modium voluptatum ſedere, animi vigorem pro fide Catholica non accendere, finitimis & ſocijs arma inferre, Orientis Imperium (quod toties declamatum, acclamatum, & conclamatũ eſt) non vindicare, tot populorum ſeruitutem non reſpicere, corruenti tabernaculo eccleſiæ non occurrere, infelicitatis & ingratitudinis pœnam non expaueſcere, deniq; nulla iuſtitia, nulla pietate, nullo Dei metu permoueri? Atrox eſt enim, ferum & inhumanum, ita ſuis cupiditatibus incubare, ita ſibi indulgere, ita ſui obliuiſci, ita fortunam nõ metiri ſuam, vt aliorum calamitates, labores, iacturas, merita, virtutes, benefacta, aut neglexiſſe, aut toto pectore non excepiſſe videatur. Sed ô ferrea, deuia, & dura tempora, ô cupiditatũ cæcam & diuturnam curam, ô miſeram beneficiorum obliuionem, & ô tenacem, noxiam, atq; ſuperbam ingratitudinis naturam, infinitamq́; duritiem, quæ quanto magis tuarum cupiditatum venenis indulges, tanto magis mortalium odia acuis, vitæ labores exaggeras, animi anxietudinẽ accumulas, pietatis lumen extinguis, atq; vltoris Dei iram, furoremq́; tibi aſſiduè prouocas. Nunc verò de doctrina atq; virtute, quarum tametſi magnus eſt campus, tamen omnia in breuiſſimam arcam à me deducenda erunt. Omnis enim quę à Magis, Chaldæis, Gymnoſophiſtis, Bragmanis, Dryidis, Vatibus, Pythagoricis, & cæteris Philoſophis effluxit ſapientia, tam vana & incerta, quam inanis & ſuperſtitioſa ſemper viſa eſt, & ſicuti in prouerbio, ingenita leuitas & erudita vanitas. Docuit diuino eloquio Moſes Dei diſcipulus, cùm primas veteris diſciplinæ tabulas confregiſſet, ſecundas verò digito Dei viui (hoc eſt, virtute verbi humanati) inſcriptas, in quibus Euangelicæ veritatis myſteria continebantur, in arca teſtamenti, quod Chriſti morte ſancitum eſt, ſeruandas duxiſſet. Docuit Salomon rex, cùm opulẽtiſſimum Dei templum, ad illius ſanctiſſimi tabernaculi exemplum, pro abrogatione veteris ritus & diſciplinæ, ac receptione nouæ & Euangelicæ doctrinæ, à fundamẽtis ædificaſſet: cuius velum, in quo ſancta ſanctorum erant, & tanquam cælum ab alijs partibus diſcludebantur, in morte Chriſti ſciſſum eſt, [Matth.27.] vt diuina myſteria humano generi manifeſta fierent, & vt per altioris Euangelij ſacramentum atq; eius virtutem, tum primùm mortalibus viam, ad illam veram ſapientiam & cæleſte Regnum, patefactam eſſe oſtẽderet. Poſtremò docuit Chriſtus, ſolus magiſter & Pontifex futurorum bonorum, [Heb.9.] cùm templum & tabernaculum non manu factum, ſed maius & perfectius, hoc eſt, ipſum cælum, præ ſe ferret, cuius ſemel non per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium cruorem primus introiuit ſancta ſanctorum, admirabilem, perfectam, ſanctam atq; diuinam ſapientiam & doctrinam, vita, virtute & eloquio docuit & oſtendit, ſuos Pontifices & ſacerdotes in terris conſtituit, diuino igne adflauit, legatos Spiritus ſancti elegit, columnas eccleſiæ effecit, eccleſiam eorum humeris impoſuit, & præcones diuini eloquij eſſe voluit: atq; ſicuti ipſe miſſus à patre ſub legibus fuerat, identidem eos in vniuerſum terrarum orbem, tanquam agnos inter lupos miſit, [Luc.10.] non vt vanam & vacuã Barbarorum, Græcorum, Latinorumve ſapientiam docerent, [Marc.16.] ſed vt omni creaturæ Euangelium, Euangelium dico, Euangelium prædicarent.

Eſt igitur Euangelij inſtrumentum, ſola intelligentia, ſola diſciplina, & ſola, vera, caſta & ſancta ſapientia: cuius non mortalis, ſed ipſe Deus Opt. Max. author, effector, & illuſtrator exiſtit: ex quo quidem Euangelio, omnium doctrinarum, virtutum & rerum diuinarum atq; admirabilium, tanquam ex Oceano, cùm venæ tũ fontes effluxerunt. Quorum ſanctos latices cùm Pontifices & ſacerdotes ebibiſſent, dæmonia & dęmoniorum miniſtros (qui per tyrannidem Catholicæ fidei cultoribus aqua & igni interdixerant)

rant)

rant) eiecerunt: ſerpentes, vitia, ſchiſmata, hæreſes & hæretiſtas, atq; eorum prodigia (quorum venenum terram omnem ſubuerterat) ſuſtulerunt: Linguis loquuti ſunt nouis, cùm Sancti ſpiritus eloquio pleni, mortales ad pœnitẽtiam permouerent, ac diuinę ſapientiæ arcana, tot editis voluminibus, nobis aperirent: Mortiferum poculum impunè biberunt, cùm nullis illecebris, nullis cupiditatibus tacti, per medios venenorum potus, ignes, gladios, aculeos, interitus & mortes, vitam & immortalitatem inuenirent. Denique ſuper ægros manus impoſuerũt, cùm eccleſiam, fidem, atq; religionem, ægras, exanimes, & iam collabentes, ad ſanitatem, vitam, & in ſuam ſedem reſtituerent, corporum ægritudines curarent, ſordes animorum delerent, ac ſolo ſancto & ineffabili Ieſu Chriſti nomine omnes ad ſalutem reducerent. Quorũ illuſtres animæ, rebus ſanctè & feliciter geſtis, ea via, qua Ieſus Chriſtus victor & triumphator ad patrem aſcendit, ſemel duntaxat ſancta ſanctorum ingreſſæ, diuinum templum & tabernaculũ tot varijs ſtellis, tot innumerabilibus luminibus, tot claris ſideribus ita ornarunt, vt eorum fulgoribus aſſiduè ſacroſancta illuſtretur, purgetur, & perficiatur eccleſia. Quapropter te in primis ſanctiſſimum patrem, qui Pontificum & ſacerdotum omnium Pontifex optimus maximus exiſtis, deinde vos ſacros Principes, qui tanquã viuæ leges in ſenatu aſſiduè cõſiſtitis, maximè & quã maximè decet, cùm pro diuini Concilij Maieſtate, tum pro ſacroſanctæ eccleſiæ dignitate, quiete & authoritate hunc ordinẽ ſacrorum Pontificum & ſacerdotum, quos Deus elegit, Ieſus Chriſtus inſtituit, Spiritus ſanctus firmauit, ac veſtra mẽbra, veſtros Angelos, quos ad manũ haberetis, & quos in vniuerſum mitteretis, eſſe voluit: in ſacro ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, cuius onus (vt hoc ſanctum Imperium latè propagarent) ſuppoſitis humeris per tot annos ſuſtinuerunt, labores obierunt, inſectationes, iniurias, pericula, cruces & cruciatus ſubierunt, ob tot meritorũ magnitudinem, ac eorũ ipſorum præcipuam dignitatem, fidẽ, virtutem, doctrinam, conſtantiã, patientiã atq; vigiliã, quibus maximè addicti ſunt, in ea, quam diuini verbi eloquio à Deo acceperunt, gratia, poteſtate, & libertate ſeruare, colere, ornare, honeſtare: vt & ſua ſibi reddatur eccleſia, & vt eccleſiæ dignitas, dignitati authoritas, authoritati Chriſtiana Reſpublica, Chriſtianæ verò reipublicæ, pax, iuſtitia, pietas, & ipſa Ieſu Chriſti ſacra & ſancta inſtitutio reſtituatur.

Dixi.

FINIS.

Explicit Lateranenſ. Concilium, extractum à proprio originali, Romæ per Iacobum Mazochium Romanæ Academiæ Bibliopolam, de mandato ſanctiſſimi Domini noſtri, Domini Leonis Papæ 10. Pontificatus ſui anno octauo, 25. Menſis Octobris. 1520.

Notæ in Concilium Lateranenſe.

Côcilium à quo indictum?

Concilium] *Hanc Synodum auctoritate Iulij Papæ II. indictam & congregatam, Maximilianus auxilio & conſilio promouit. Omnia enim mandata quæ ſub eius nomine à ſchiſmaticis in Conciliabulo Piſano promulgata fuerant, reuocauit atque planè irrita reddidit. Iulius Pontifex Eccleſiaſticæ libertatis defenſor maximus, anno ſecundo poſt ſui electionem, prout iuramenti interpoſitione promiſerat, Oecumenicam ſynodum indixiſſet, ſi non grauiſſimis belli motibus iuſtiſſimè impeditus, huc vſque ad annum pontificatus ſui nonum eiuſdem Concilij congregationem initium differre debuiſſet.*

Qua de cauſa?

Cauſa indicti Concilij apud Acta Synodalia non vno in loco indicantur. Schiſmatis illius, quod Conciliabulo Piſano propagatum fuit, extirpatio; Chriſtianorum Principum inteſtino bello inter ſe mutuo digladiantium optata concordia; Romanæ Curiæ totiuſque Eccleſiæ reformatio; Pragmaticæ ſanctionis abrogatio, & expeditio contra Turcam ſuſcipienda, primariam conuocandi & congregandi Concilij Oecumenici occaſionem dederunt. Vnde ſeſſione prima Iulius Pontifex oratione ad ſynodum habitâ ait: Conueniſtis in vnum patres, &c. Et allocutus eſt ſynodum, exhortans omnes ad meditandum & ſolerter inſiſtendum ſuper ordinandis, quæ ad Eccleſię pacem & ſtatum pertinent, ac ſchiſmatis extinctionem, & dictæ Eccleſiæ reformationem, ac contra infideles per Chriſtianos principes expeditionem, pacemque inter eos componendam.

Hæretici redarguūtur.

Quiſquis ergo hanc ſynodum ea duntaxat primaria intentione à Iulio indictã exiſtimat, vt hoc prætextu iudicium Piſani Conciliabuli declinaret, grauiter aberrat. Cum enim Romanus Pontifex legitimè conſtitutus nulli iudici præterquam Deo ſubiectus ſit, & à nemine, vt Patres Sueſſionenſis Concilij profitentur, iudicari poſſit, licebat eidem iuſtiſſimè eiuſmodi vſurpatũ illegitimum iudicium declinare, etiamſi nulla alia cauſa grauiore impeditus fuiſſet. Quas vero ob cauſas alias Pontifex reprobato & annullato Piſano Conciliabulo hanc Oecumenicã hoc tempore Romæ potius, quã Piſis congregari voluerit, ex bulla Indictionis huius Concilij dixi ſupra in Notis Conciliabuli Piſani.

Quotum Oecumenicum fuerit?

Lateranẽſe quintum] *Hæc Synodus inter Oecumenicas in Eccleſia Lateranẽſi Romæ celebratas numero & ordine quinta eſt. Prouincialium Conciliorum eodem loco ſub diuerſis Pontificibus celebratorum numerus eſt tantus, vt cum nomine Pontificis illius cuius tempore habita fuerunt, conuenientius; quam cum certa numeri nota inſcribantur, citentur & proferantur.*

Oecumenicum.

Oecumenicum] *Præſidium Põtificis, præſentia Patriarcharum Orientaliũ, reſq; grauiſsimæ in Concilio habitæ Oecumenicam ſynodũ eſſe conuincerent, etiamſi Acta ſynodalia nihil iſtius tituli cõtinerent.*

Decimum ſeptimum] *eorum duntaxat quæ auctoritate apoſtolica & conſenſu totius Eccleſiæ confirmata & recepta fuerunt.*

A quo fuerit approbatum?

Approbatum] *Leo Pontifex per bullam quæ continetur in Actis ſynodalibus iſtam ſynodum non tantum approbauit; verumetiam ad maximam eius dignitatem declarandam graui pœna interdixit, ne quiſquam ad decreta, canones, & conſtitutiones ſacroſancti Concilij vllas gloſſas vel interpretationes citra cõſenſum Sedis Apoſtolicæ adijciat. Parebo monitis Eccleſiæ, nihil interpretabor amplius: quicquid deinceps Lector, à me huic editioni alibi appoſitum videris, ſcias eſſe hiſtorias eiuſmodi, quas ex probatiſsimis huius ſæculi ſcriptorib. ſummatim excerptas poſteritati tradendas eſſe putaui.*

Centum & 14.] *Horum omniũ nomina iuxta ordinẽ dignitatis apud Acta ſynodalia diuerſis in locis expreſſa inueniuntur. Sederunt eo ordine, qui in Concilijs Oecumenicis hactenus obſeruari conſueuit.*

Acta Concilij ſummatim enarrãtur.

Cõtra Piſanum] *Quibus de cauſis hæc ſacroſancta Synodus indicta & congregata fuerit, dixi ſupra verbo* Concilium. *Quid verò in yſdem cauſis actum ſit, indicant ſummaria ſeſsionum ſynodicarũ, quæ Actis Concilij, neſcio, à quo præfixa inueniuntur. Quæ cum plurimis in locis præter titulos & inſcriptiones nihil habeant, rerumq; geſtarum & conſtitutionum editarum parum contineant, pergratum fore putaui, ſi argumenta duntaxat ſingularum ſeſsionum, quam poſſum breuiſsimè hoc loco enarrem, eaq; duntaxat hic adijciam, quæ in prædicto ſummario deſiderari videntur.*

Seſſio 1.

Prima Seſsione, quæ habita eſt decima Maij, anno Chriſti 1512. Iulius orationem habuit, qua Patres Concilij ad ſchiſmatis Piſano Conciliabulo propagati extinctionem, Eccleſiæ ſanctæ reformationẽ, Principum Chriſtianorum concordiã & vnionem, expeditionemq; contra infideles ſuſcipiẽdos exhortatus fuit. Qua finita recitata eſt Bulla indicti Concilij, continens cauſas ſupra memoratas, quibus Pontifex iuſtè impeditus, ſynodũ tẽpore quo promiſerat, congregare nõ potuerat.

Seſſio 2.

Seſsione ſecunda, quæ habita fuit 17. Maij eiuſdem anni, legitur Bulla, in qua Piſanũ Conciliabulũ, omniaq; eiuſdẽ Acta condemnantur & reprobantur: Lateranenſe vero Concilium legitimè congregatum eſſe omnium ſuffragio definitur.

Seſſio 3.

Tertia Seſsio habita eſt 3. Decemb. qua per recitationem alterius bullæ Acta eiuſdem Piſani Conciliabuli, omniumq; ſchiſmaticorum Cardinalium tam vltra quam citra Alpes degentium iterum annullantur, reuocatis etiam priuilegijs, quæ à ſede Apoſtolica acceperant.

Seſſio 4.

Quarta Seſsione, decima die Decembris recitata eſt bulla, in qua Pragmatica ſanctio, quæq; eiuſdem cauſa Conciliabulum Piſanum egerat, planè abrogantur atque irrita pronuntiantur.

Seſſio 5.

Anno Redemptoris noſtri 1513. decimo ſexto die menſis Februarij habita eſt Seſsio quinta, cui propter aduerſam Iulij Papæ valetudinem præſedit . . . . . Cardinalis & Oſtienſis Epiſcopus. Poſt lectam bullam de ſimonia in electione Pontificis non committenda, omnium conſenſu definitum eſt, Simoniacam Romani Pontificis electionem planè nullam eſſe, ipſiq; electo nihil iuris vel auctoritatis conferre. Additum fuit, quod non tantum Cardinales ſimoniacè eligentes; verumetiam omnes, qui vel auxilio vel conſilio eandem electionem promouiſſent, canonicas depoſitionis & irregularitatis cẽſuras de facto incurrere debeant. Quam cõſtitutionem ſynodalem dum omnes Epiſcopi quinque tantum exceptis ſuo ſuffragio approbaſſent,

finita eſt ſeſsio quinta. Cumq; bis quinq; ſeſsionibus peractis Iulius Pa-
pa 25. Februarij obijſſet, eiq; poſt interregnum quatuor dierum vnde-
cima Martij anno Domini 1513. Leo, quem vulgo decimum nominant,
in põtificatu ſurrogatus fuiſſet, ſacroſancta ſynodus, quã Iulius inchoa
uerat, Leo cõtinuari, ſextamq; ſeſsionẽ 27. April. celebrari mandauit.
Anno igitur ſupra dicto 1513. vigeſima ſeptima Aprilis habita eſt
ſeſsio ſynodalis ſexta, qua deputati ſunt viginti quatuor prælati, quo-
rum octo cũ Cardinalibus apud Pontificẽ agerent de pace inter Prin-
cipes Chriſtianos cõponẽda, et ſchiſmaticis Cardinalib. planè exſtirpã
dis: reliqui vero partim ꝓ reformãda curia, partim etiã ꝓ fide defẽdẽ
da & pragmatica ſanctione abrogãda apud eundẽ inter ſe cõferrent.
Septima Seſsione, quæ 17. Iunij celebrata fuit, ſub præſidio Leonis
Papæ, lecti ſunt ſupplices libelli Bernardini Carauaial & Frederici
de S. Seuerino ſchiſmaticorum Cardinaliũ, quibus illi abiurato ſchiſ-
mate agnitoq; errore veniã ſibi dari poſtulauerunt. Simplici clericali
habitu induti, & ad pedes pontificis proſtrati, poſt ſolennem ſchiſma-
tis abiurationem priſtinæ dignitati reſtituti fuerunt.
Octaua Seſsione 19. Decemb. definitũ eſt, animam hominis immor-
talem eſſe, atq; in pluribus hominibus non vnam; ſed plures eſſe ani-
mas. Profeſſoribus philoſophiæ ſerio mandatum fuit, vt principia &
Concluſiones, quibus Ethnici à Chriſtiana Philoſophia diſcrepant,
qualia ſunt dogmata de mundi æternitate, de animæ immortalitate
& vnitate, fideliter explicent, veritatem confirment, argumenta
Ethnicorum philoſophorum proponant & diſſoluant. Additum fuit,
ne quis in ſacris ordinibus conſtitutus, vltra quinquennium in philoſo-
phiæ vel poëſios ſtudium incumbat; ſed potius illo exacto ſtudiũ Theo-
logiæ vel iuris Pontificij adiũgat, vt his ſcientijs inſtructus prædictam
philoſophiam cum poëſi ab erroribus expurgare valeat.
Seſsio nona habita eſt anno Domini 1514. quinto Maij ſub præſidio
Leonis Papæ, in qua de ætate, grauitate morum & ſcientia ordinan-
dorum confirmata eſt conſtitutio Concilij Lateranenſis Oecumenici
ſub Innocentio 3. Inſuper decretum fuit, ne quiſquam prælatorũ citra
defenſionem iudicetur, cauſamq; iuſtiſsimam de loco in locum alium
transferatur; nulla deinceps monaſteria commendentur: ſed defun-
cto Abbate ſtatim ad alterius electionem procedatur, vniones perpe-
tuæ tollãtur, plura quam duo beneficia incompatibilia poſsidere nulla
diſpenſatione concedendum eſſe etiam qualificato, niſi magna & vr-
gens cauſa id requirat. Cardinalibus mandatum eſt, ne extra Roma-
nam curiam reſideant. De puerorum diſciplina præceptum eſt, vt non
tãtum bonarum literarum, verum etiam fidei, religionis, bonorumq;
morũ diſciplina informentur. diebus feſtiuis nihil aliud doceatur, quã
quæ ad religionẽ & bonos mores pertinent. Cõſtitutiones anteriores
contra Simoniacos promulgatæ innouantur. Recitationem horarum
canonicarũ vltra ſex menſes ab obtento beneficio omittens, nõ tantũ
pro rata temporis officijq; intermiſsi fructus, quos percepit, tenetur re-
ſtituere; verumetiam ſi pergat vlterius contumaciter omittere offi-
cium, præuia legitima admonitione beneficio priuari debet.
Seſsio decima habita eſt 4. Maij, anno Domini 1515. In qua Mon-
tes pietatis multis in locis vſurpati & à ſede Apoſtolica approbati
laudantur & approbantur, excommunicatis ijs omnibus, qui vel ver-
bo vel ſcripto eoſdem impugnare auſi fuerint. Eadem Seſsione conſti-
tutum fuit, ne ſub excommunicatione vllus deinceps liber nouus in lu
cem emittatur, quin vel per ordinarium loci, vel per inquiſitionẽ hæ-
reticæ prauitatis approbatus fuerit.
Seſsione vndecima, quæ habita fuit anno 1516 die 19. Decemb. edita
eſt conſtitutio de modo prædicandi verbũ Dei, nimirũ ne quis publice
concionari præſumat, qui non præuio examine eſt approbatus; addita
determinatione, quas res è ſuggeſtu publicare liceat, quibuſue ibidem
abſtinere debeat. Circa finem adiecta eſt Decretis conſtitutio de reli-
gioſis eorumque priuilegijs.
Seſsione 12 anno Dom. 1517. decimoſexto Maij celebrata, excom-
municantur quicunq; domos Cardinalium tempore electionis noui
Pontificis inuadunt: abſolutoq; Cõcilio, Leo Pontifex vniuerſa & ſin-
gula quæ ſuperioribus Seſsionibus definita ſunt, confirmauit & appro-
bauit. Hæc ſummatim de reb. in hoc Concilio geſtis.
Anno Domini &c.] *Quæ de tempore celebrati Concilij habet*
inſcriptio, vera eſſe ex præcedentibus cognoſcuntur.

LEO IX. QVEM VVLGO X. NOMINANT.

LEo antea Ioannes appellatus, patre Laurẽtio Me-
dices viro nobiliſſimo, & matre Clarice Vrſina Flo
rẽtię ꝓgnat⁹, annũ agens ętatis trigeſimũ ſeptimũ,
creatus eſt Põtifex quinto Idus Martij An. 1513. tẽpore Ma-
ximiliani Imperatoris, cum in numerũ Cardinalium ab In-
nocẽtio relatus, biennio propter Mediceos omnes à Caro-
lo Regẽ Francorum Florentia expulſos, à patria exulaſſet,
bináq; legatione in Florentia functus fuiſſet. Alfonſus Pe-
trucius Card. admodum adoleſcens Leonis creationem de
more populo Romano nũciaturus, erupit in has voces: *Pon-* Res geſtæ Leonis.
tificem habemus Leonem decimũ, ac viuant vigeãtq; iuniores. Initio
Pontificatus repreſſis atq; extinctis bellorũ incendijs, quib.
orbis ferè vniuerſus conflagrabat, totũ ſe paci componẽdæ
dedit, miſſiſq; ad Principes legatis, pacẽ, tranquillitatemq;
Reip. comparauit. Cardinales à Iulio dignitate ſpoliatos, re-
ſtituit. Synodum ab eodem Laterani inchoatã, & agi, & per-
fici iuſſit. Mutinã ab Imperatore triginta millibus aureorũ
redemit. Sfortiã in Ducatu Mediolanenſi confirmauit. Hel-
uetijs ampla ſtipendia decreuit. Veritus Franciſcũ Regem,
qui nouas adeptus erat Marignani victorias, pacẽ petijt, &
Bononiæ obtinuit. Laurentium nepotem Florentiæ admi-
niſtrãdæ præfecit, Vrbiniq; Ducẽ creauit. Eiecto Senis Bur-
gheſio, & eius fratre Cardinale, Raphaëlem Petrucium do-
minũ conſtituit. Cumq; Rex Selimus Turcarũ bellicoſiſſi-
mus Chriſtianis acriter minaretur, ſolennes ſupplicationes
indixit, quas & ipſe nudis pedibus celebrauit. His abſolutis,
Selimus morte ſublatus eſt. Deprehenſa coniuratione Bur-
gheſiorum, nõ tantum de auctoribus; verũ etiam de omni-
bus qui ſceleris cõſcij fuerant, debitas pœnas ſumpſit. Et vt
numerum Purpuratorum Patrum impleret, triginta Cardi-
nales vna vice creauit. Cumq; poſt obitũ Maximiliani Im-
peratoris, Carolus V. gubernacula imperij capeſſeret, ſeptẽ
millib⁹ aureorũ receptis ſuper lege, quę Reges Neapolitanos
imperij aditu prohibebat, diſpẽſauit. Cũ Carolo fœderatus,
bellum intulit Gallis; ijſq; Mediolano eiectis, Parmã & Pla-
centiã Eccleſiæ recuperauit. B. Franciſcũ de Paula, Franciſ-
co Rege inſtante, inter Sanctos retulit. Huius temporib. an- Lutherus cur & quando hæreſiarcha factus?
no Chriſti 1517. Martinus Ludderus ſiue Lutherus natio-
ne Saxo, patre incubo, vt teſtatur Cochlæus, prognatus, Mo
nachus Auguſtinianus in Germania nouas hæreſes excogi-
tare, & iã ante dãnatas reſuſcitare cœpit, motus inuidia erga
Tetzelliũ Dominicanũ, cui Albertus Mogunt. Archiepiſco
pus indulgẽtias, quas ꝓ Turcica expeditione bona ſua ero-
gantibus Pontifex conceſſerat, in Germania promulgãdas
demandauerat. Habita diſputatione Lipſica inter Eckiũ, Lu
therum & Cariſtadiũ, Lutherus à cõſiliarijs Georgij Prin-
cipis optimi monitus, vt comiter & ſedatè ſe gereret, reſpõ-
dit: *Neq; propter Deũ hæc res cœpta eſt, neq; propter Deum finietur.*
Cũq; poſt multas admonitiones Pontificis non reſipiſceret,
neq; in conuentu Principũ Wormatienſi ad palinodiã can-
tandam induci poſſet, excõmunicatus eſt à Pontifice, ſecu- Lutheri Leo excõmunicatio.
rumq; à ſe dimiſſum Carolus V. velut publicum & notoriũ
hæreſiarcham exſtirpandum eſſe reſcribit. Eodem tempore
apud Heluetios Tigurinos Vlricus Zvvinglius cœpit indul-
gentiarũ prædicatorem, eò à Pontifice miſſum, oppugnare.
Poſt hæc Leo Pontifex mitiſſimus, iuſtitiæ & religionis a-
mantiſſimus, literatorum hominum ſingularis patronus,
qui vrbẽ elegantibus ædificijs exornauit, ſaliſq; vectigal im-
minuit, febricula lẽtiore correptus, exceſſit è vita, an. Dom.
1521. quarto Nonas Decẽb. cũ ſediſſet annos 8. mẽſes totidẽ Leonis Papæ obitus.
& dies viginti: Sepult⁹ eſt apud S. Petrũ, & vacauit ſedes poſt
obitũ eius diebus triginta ſeptem. *Hæc ex Onuph. & Surio.*

BVLLA APOSTOLICA LEONIS PAPAE X. CONTRA errores Martini Lutheri & ſequacium.

LEo Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, ad perpetuã rei Pſal. 73.
memoriã. Exurge Domine & iudica cauſam tuã,
memor eſto improperiorũ tuorũ, eorũ quæ ab in-
ſipientibus fiunt tota die: inclina aurẽ tuã ad preces
noſtras, quoniã ſurrexerunt vulpes quærentes demoliri vi-
neam, cuius tu torcular calcaſti ſolus, & aſſcenſurus ad pa- Ioan. 21.
trem, eius curam, regimen, & adminiſtrationem Petro tan-
quam capiti, & tuo vicario, eiuſq; ſucceſſoribus inſtar tri-
umphantis eccleſiæ commiſiſti. Exterminare nititur eam
aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſcitur eam. Exurge Pe-
tre, & ꝓ paſtorali cura præfata tibi (vt præfertur) diuinitus
demanda-

demandata, intende in cauſam S.R.Eccleſiæ, matris omnium eccleſiarum, ac fidei magiſtræ: quam tu, iubente Deo, 1.Pet. 2. tuo ſanguine conſecraſti: contra quam, ſicut tu præmonere dignatus es, inſurgunt magiſtri mendaces, introducentes ſectas perditionis, ſibi celerem interitum ſuperducentes: quorum lingua ignis eſt, inquietum malum, plena veneno Iacob.3. mortifero: qui zelum amarum habentes & contentiones in cordibus ſuis, gloriantur & mendaces ſunt aduerſus veritatem. Exurge tu quoque quæſumus Paule, qui eam tua doctrina ac pari martyrio illuminaſti atque illuſtraſti. Iam enim ſurgit nouus Porphyrius, quia ſicut ille olim ſanctos Apoſtolos iniuſtè momordit, ita hic ſanctos pōtifices prædeceſſores noſtros contra tuam doctrinam eos non obſecrando, ſed increpando, mordere, lacerare, ac vbi cauſæ ſuæ diffidit, ad conuicia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum (vt inquit Hieronymus) vltimum præſidiū eſt, vt cùm conſpiciant cauſas ſuas damnatum iri, incipiant virus ſerpentis lingua diffundere: & cùm ſe victos conſpi- 1.Cor.11. ciant, ad contumelias proſilire. Nam licet hæreſes eſſe, ad exercitationem fidelium, tu dixeris oportere, eas tamen, ne incrementum accipiant, neve vulpeculæ coaleſcant, in ipſo ortu, te intercedente & adiuuāte, extingui neceſſe eſt. Exurgat denique omnis ſanctorum ac reliqua vniuerſalis eccleſia, cuius vera ſacrarum literarum interpretatione poſthabita, quidam, quorum mentem pater mendacij excæcauit, ex veteri hæreticorum inſtituto, apud ſemetipſos ſapientes, ſcripturas eaſdem aliter quàm Spiritus ſanctus flagitet, proprio duntaxat ſenſu, ambitionis, auræque popularis cauſa, 1.Tim. 4. teſte Apoſtolo, interpretantur, immò verò torquent & adulterant: ita vt iuxta Hieronymum, iam non ſit Euangelium Chriſti, ſed hominis, aut quod peius eſt, diaboli. Exurgat, inquam, præfata Eccleſia ſancta Dei, & vna cum beatiſſimis Apoſtolis præfatis, apud DEVM omnipotentem intercedat, vt purgatis ouium ſuarum erroribus, eliminatiſque à fidelium finibus hæreſibus vniuerſis, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ pacem & vnitatem conſeruare dignetur. Dudum ſiquidem, quod præ animi anguſtia & mœrore exprimere vix poſſumus, fide dignorum relatu ac fama publica referente, ad noſtrum peruenit auditum: immò verò, proh dolor, oculis noſtris vidimus ac legimus multos & varios errores, quoſdam videlicet iam per concilia ac prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones damnatos, hæreſim etiam Græcorum & Bohemicam expreſsè continentes: alios verò reſpectiuè vel hæreticos, vel falſos, vel ſcandaloſos, vel piarum aurium offenſiuos, vel ſimplicium mentium ſeductiuos, à falſis fidei cultoribus, qui per ſuperbam curioſitatem mundi gloriam cupientes, contra Apoſtoli doctrinam plus ſapere volunt, quàm oporteat: quorum garrulitas (vt inquit Hieronymus) ſine ſcripturarum authoritate non haberet fidem, niſi viderentur peruerſam doctrinam etiam diuinis teſtimonijs, malè tamen interpretatis, roborare. A quorum oculis Dei timor receſſit, humani generis hoſte ſuggerente, nouiter ſuſcitatos, & nuper apud quoſdam leuiores in inclyta natione Germanica ſeminatos. Quod eo magis dolemus ibi eueniſſe, quòd eandem nationem & nos, & prædeceſſores noſtri, in viſceribus ſemper geſſerimus charitatis. Nam poſt translatum ex Græcis à Romana Eccleſia in eoſdem Germanos imperium, ijdem prædeceſſores noſtri & nos, eiuſdem Eccleſiæ aduocatos, defenſoreſque ex eis ſemper accepimus, quos quidem Germanos, catholicæ veritatis verè germanos, conſtat hæreſum acerrimos oppugnatores ſemper fuiſſe, cuius rei teſtes ſunt laudabiles illæ conſtitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Eccleſiæ, proque expellendis exterminandiſque ex omni Germania hæreticis, ſub grauiſſimis pœnis etiam amiſſionis terrarum & dominiorum, cōtra receptatores vel nō expellentes olim editæ, & à noſtris prędeceſſoribus confirmatæ: quæ ſi hodiè ſeruarentur, & nos & ipſi vtique hac moleſtia careremus. Teſtis eſt in Cōcilio Conſtantieñ. Huſſitarum ac Wicleffiſtarum, necnon Hieronymi Prageñ. dānata ac punita perfidia. Teſtis eſt toties contra Bohemos Germanorum ſanguis effuſus. Teſtis denique eſt prędictorum errorum ſeu multorum ex eis per Colonieñ. & Louanieñ. vniuerſitates, vtpotè agri Dominici pijſſimas religioſiſſimaſq; cultrices, nō minus docta quā vera ac ſancta confutatio, reprobatio, & damnatio. Multa quoq; alia allegare poſſemus, quæ, ne hiſtoriā texere videamur, prætermittenda cenſuimus. Pro paſtoralis igitur officij diuina gratia nobis iniuncti cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus peſtiferū vlterius tolerare ſeu diſſimulare, ſine Chriſtianę religionis nota atque orthodoxæ fidei iniuria, nullo modo poſſumus. Eorum autem errorum aliquos præſentibus duximus inſerendos, quorum tenor ſequitur & eſt talis:

Hæretica ſententia eſt, ſed vſitata, Sacramenta nouæ legis iuſtificantem gratiam illis dare, qui nō ponunt obicem.

In puero poſt baptiſmum, negare remanens peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.

Fomes peccati, etiam ſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingreſſu cæli.

Imperfecta charitas morituri, fert ſecū neceſſariò magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam Purgatorij, & impedit introitum regni.

Tres eſſe partes pœnitentiæ, contritionem, cōfeſſionem & ſatisfactionem, non eſt fundatum in ſacra ſcriptura, nec in antiquis ſanctis Chriſtianis doctoribus.

Contritio quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuę ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionē æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, hæc contritio facit hypocritam, immò magis peccatorem.

Veriſſimum eſt prouerbium, & omniū doctrina de contritionibus hucuſque data præſtantius, de cæterò non facere, ſumma pœnitentia: optima pœnitentia, noua vita.

Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſſibile eſt, vt omnia mortalia cognoſcas. Vndè in primitiua eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur.

Dum volumus omnia purè cōfiteri, nihil aliud facimus, quam quòd miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum.

Peccata non ſunt vlli remiſſa, niſi remittente ſacerdote, credat ſibi remitti: immò peccatum maneret, niſi remiſſum crederet: non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratię donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

Nullo modo confidas abſolui propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti, Quodcunq; ſolueris &c. Hìc, inquam, cōfide, ſi ſacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus verè eris, quicquid ſit de contritione.

Si per impoſſibile confeſſus nō eſſet contritus, aut ſacerdos non ſeriò, ſed ioco abſolueret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus. In ſacramēto pœnitentiæ ac remiſſione culpæ, non plùs facit Papa aut epiſcopus, quam infimus ſacerdos: immò vbi non eſt ſacerdos, æquè tantum quilibet Chriſtianus, etiam ſi mulier aut puer eſſet. Nullus debet ſacerdoti reſpondere, ſe eſſe contritum, nec ſacerdos requirere. Magnus eſt error eorum qui ad ſacramenta Euchariſtię accedunt, huic innixi, quod ſint confeſſi, quod nō ſint ſibi conſcij alicuius peccati mortalis, quod prēmiſerint orationes ſuas & præparatoria, oēs illi ad iudicium ſibi manducant & bibunt: ſed ſi credant & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros & dignos.

Conſultum videtur, quod eccleſia in communi Concilio ſtatueret laicos ſub vtraque ſpecie communicandos, nec Bohemi communicantes ſub vtraque ſpecie, ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici. Theſauri eccleſiæ, vndè Papa dat indulgentias, non ſunt merita Chriſti & ſanctorum. Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum: & ſunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

Indulgentiæ his qui veraciter eas conſequuntur, nō valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iuſtitiam.

Seducuntur credentes indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus vtiles.

Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolùm publicis criminibus, & propriè conceduntur duris ſolummodò & impatientibus.

Sex generibus hominum indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec vtiles: videlicet mortuis ſeu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui nó commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.

Excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec priuant hominem communibus ſpiritualibus eccleſiæ orationibus.

Docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excommunicationem, quàm timere.

Romanus pontifex Petri ſucceſſor, non eſt Chriſti vicarius ſuper omnes totius mundi eccleſias ab ipſo Chriſto in B. Petro inſtitutus.

Verbum Chriſti ad Petrum, Quodcunq; ſolueris ſuper terram &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipſo Petro.

Certum eſt in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe, ſtatuere articulos fidei, immò nec leges morum ſeu bonorum operum.

Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret: adhuc non eſt peccatum aut hæreſis, contrarium ſentire præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium vniuerſale alterum reprobatum, alterum approbatum.

Via nobis facta eſt enarrandi authoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quicquid verum videtur, ſiue probatum fuerit, ſiue reprobatum à quocunque Concilio.

Aliqui articuli Ioannis Huſs condemnati in Concilio Conſtantien. ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Euangelici, quos nec vniuerſalis eccleſia poſſet damnare.

In omni opere bono iuſtus peccat.

Opus bonum optimè factum, eſt veniale peccatum.

Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem ſpiritus.

Præliari aduerſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos.

Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo: & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter. Purgatorium non poteſt probari ex ſacra ſcriptura, quæ ſit in canone.

Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de eorum ſalute, ſaltem omnes: nec probatum eſt vllis aut rationibus aut ſcripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.

Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quandiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragijs viuentium, minus beantur quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

Prælati eccleſiaſtici & principes ſeculares non malefacerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores, reſpectiuè, quam ſint peſtiferi, quã pernicioſi, quam ſcandaloſi, quam piarum & ſimplicium mentium ſeductiui, quam denique ſint contra omnem charitatem, ac S.R.E. matris omnium fidelium, & magiſtræ fidei reuerentiam, atq; neruum eccleſiaſticæ diſciplinæ, obedientiam ſcilicet quę fons eſt & origo omnium virtutũ, ſine qua facilè vnuſquiſq; infidelis eſſe conuincitur, nemo ſanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmiſſis, vtpotè grauiſſimis, propenſiùs (vt decet) procedere, necnon huiuſmodi peſti, morboque canceroſo, ne in agro dominico tãquam vepris nociua vlteriùs ſerpat, viam præcludere cupientes, habita ſuper prædictis erroribus & eorum ſingulis diligenti trutinatione, diſcuſſione, ac diſtricto examine, maturaq; deliberatione, omnibuſq; ritè penſatis ac ſæpius ventilatis cũ venerabilibus fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, ac regularium ordinum Prioribus ſeu miniſtris generalibus, pluribuſq; alijs ſacræ theologiæ, necnon vtriuſq; iuris profeſſoribus ſiue magiſtris, & quidem peritiſſimis: reperimus eoſdẽ errores, reſpectiuè (vt pręfertur) aut articulos nõ eſſe catholicos, nec tanquam tales eſſe dogmatizandos, ſed contra eccleſiæ catholicæ doctrinam ſiue traditionem, atque * ab ea veram diuinarum ſcripturarum receptam interpetationẽ, cuius authoritati ita acquieſcẽdum cenſuit Auguſtinus, vt dixerit ſe euangelio non fuiſſe crediturum, niſi eccleſiæ Catholicæ interueniſſet authoritas. Nam ex eiſdẽ erroribus, vel eorum aliquo vel aliquibus palam ſequitur, eandem eccleſiam, quæ ſpiritu ſancto regitur, errare & ſemper erraſſe. Quod eſt vtiq; contra illud, quod Chriſtus diſcipulis ſuis in aſſcenſione ſua (vt in ſanctò euãgelio Matthęi legitur) pro- Matth. 28.
miſit, dicens: Ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi. Necnon cõtra ſanctorum patrum determinationes, Conciliorum quoq; & ſummorum põtificum expreſſas ordinationes ſeu canones: quibus nõ obtemperaſſe, omnium hæreſum & ſchiſmatũ, teſte Cypriano, fomes & cauſa ſemper fuit. De eorũdem itaq; venerabilium fratrum noſtrorũ conſilio & aſſenſu, ac omnium & ſingulorum prędictorum matura deliberatione prædicta, authoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorũ Petri & Pauli, & noſtra, præfatos oẽs & ſingulos articulos ſeu errores, tanquã (vt pręmittitur) reſpectiuè hæreticos: aut ſcãdaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſiuos, vel ſimpliciũ mentium ſeductiuos, & veritati catholicæ obuiantes, damnamus, reprobamus, atq; omninò reijcimus, ac pro damnatis, reprobatis & reiectis, ab omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibꝰ haberi debere, harum ſerie decernimus & declaramus: inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub maioris excõmunicationis latæ ſententiæ: necnon quo ad eccleſiaſticas & regulares perſonas epiſcopalium omnium etiam patriarchalium, metropolitanarum, & aliarum cathedralium eccleſiarum, monaſteriorum quoq; & prioratuum etiam cõuentualium, & quarũcunq; dignitatum, aut beneficiorum eccleſiaſticorũ, ſecularium aut quorumuis ordinum regularium, priuationis, & inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinẽda: quo verò ad conuentus, capitula, ſeu domos aut pia loca ſecularium vel regularium, etiam Mendicantium, necnõ vniuerſitatis etiam ſtudiorum generalium, quorumcunque priuilegiorum indultorum à ſede Apoſtolica vel eius legatis, aut alias quomodolibet habitorum vel obtentorum, cuiuſcunque tenoris exiſtant: necnõ nominis & poteſtatis ſtudium generale tenendi, legendi, ac interpretandi quaſuis ſciẽtias & facultates, & inhabilitatis ad illa & alia inpoſterum obtinenda: Prædicationis quoque officij, ac amiſſionis ſtudij generalis, & omnium priuilegiorum eiuſdem. Quo verò ad ſeculares eiuſdem excommunicationis, necnon amiſſionis cuiuſcunq; emphyteoſis ſeu quorũcunq; feudorum tam à Ro. Eccl. quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiã inhabilitatis ad illa & alia in poſterũ obtinenda. Necnon quo ad oẽs & ſingulos ſuperiùs nominatos, inhibitionis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, inhabilitatiſq; ad omnes & ſingulos actꝰ legitimos, infamiæ ac diffidationis, & criminis læſæ maieſtatis, & hæreticorum & fautorũ eorundem in iure expreſſis pœnis, eo ipſo & abſq; vlteriori declaratione per oẽs & ſingulos ſupradictos, ſi (quod abſit) contrafecerint, incurrendis. A quibus vigore cuiuſcunq; facultatis & clauſularũ etiã in confeſſionalibus quibuſuis perſonis, ſub quibuſuis verborum formis contentarum, niſi à Ro. Pont. vel alio ab eo ad id in ſpecie facultatem habente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui nequeant. Omnibus & ſingulis vtriuſq; ſexus Chriſtifidelibus, tam laicis quàm clericis, ſecularibus & quorumuis ordinum regularibus, & alijs quibuſcunque perſonis, cuiuſcunque ſtatus, gradus vel conditionis exiſtant, & quacunq; Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate, etiam S.R.E. Cardinalibus, patriarchis, primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum cathedralium collegiatarum ac inferiorum Eccleſiarũ prælatis, clericis, alijſq; perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus & quorumuis ordinum, etiam Mendicantium regularibus, Abbatibus, prioribus, vel miniſtris generalibus vel particularibus, fratribus ſeu religioſis exemptis: Studiorum quoque vniuerſitatibus ſecularibus & quorumuis ordinum etiam Mendicantium regularibus: necnõ regibus, Imperatoris Electoribus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, cõductoribus, domicillis, omnibuſque officialibus, iudicibus, notarijs, Eccleſiaſticis & ſecularibus communitatibus, vniuerſitatibus, potentatibus, ciuitatibus, caſtris, terris & locis, eorum vel earum ciuibus, habitatoribus & incolis, ac quibuſuis alijs perſonis eccleſiaſticis vel regularibus (vt præfertur)

* ſed ve- a

per

per vniuerſum orbem, vbicunque, præſertim in Alemania
exiſtentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores
aut eorum aliquos, peruerſamque doctrinam huiuſmod.
aſſerere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodo-
libet, publicè vel occultè, quouis quæſito ingenio vel colo
re, tacitè vel expreſſe fauere præſumant. Inſuper, quia erro-
res præfati & plures alij continentur in libellis ſeu ſcriptis
cuiuſdã Martini Luter, dictos libellos & omnia dicti Mar-
tini ſcripta ſeu prædicationes, in Latino vel quocunque a-
lio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores ſeu eorum
aliquis cõtinentur, ſimiliter damnamus, reprobamus, atq;
omninò reijcimus, & pro omninò damnatis, reprobatis, ac
reiectis (vt præfertur) haberi volumus: mandantes in vir-
tute ſanctæ obedientiæ & ſub pœnis prædictis eo ipſo in-
currendis, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifide-
lib' ſuperiùs nominatis, ne huiuſmodi ſcripta, libellos, præ-
dicationes ſeu ſchedulas, vel in eis contenta capitula, erro
res aut articulos ſupradictos continentia legere, aſſerere,
prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſiue defendere,
per ſe vel alium ſeu alios, directè vel indirectè, tacitè vel ex-
preſsè, publicè vel occultè, aut in domibus ſuis, ſiue alijs pu-
blicis vel priuatis locis tenere quoquo modo præſumant:
quinimmò illa ſtatim poſt harum publicationem vbicun-
que fuerint, per ordinarios & alios ſupradictos diligenter
quæſita, publicè & ſolenniter in præſentia cleri & populi,
ſub omnibus & ſingulis ſupradictis pœnis comburant.
Quod verò ad ipſum Martinum attinet, bone Deus, quid
prætermiſimus, quid non fecimus, quid paternæ charitatis
omiſimus, vt eum ab huiuſmodi erroribus reuocaremus?
Poſtquam enim ipſum citauimus, mitius cum eo procede-
re volentes, illum inuitauimus: atque tam per diuerſos tra-
ctatus cum legato noſtro habitos, quàm per literas noſtras,
hortati fuimus, vt à prædictis erroribus diſcederet, aut ad
nos, oblato etiam ſaluo conductu & pecunia ad iter neceſ-
ſaria, ſine metu ſeu timore aliquo, quem perfecta charitas
foras mittere debuit, veniret, ac Saluatoris noſtri Apoſtoli-
que Pauli exemplo, non in occulto, ſed palam & in facie lo-
queretur. Quod ſi feciſſet, pro certo (vt arbitramur) ad cor
reuerſus, errores ſuos cognouiſſet: nec in Ro. curia, quam
tantoperè, vanis maleuolorum rumoribus plùs quàm o-
portuit tribuendo, vituperat, tot reperiſſet errata: docuiſſe-
muſque eum luce clarius, ſanctos Ro. pontifices prædeceſ-
ſores noſtros, quos præter omnem modeſtiam iniuriosè la-
cerat, in ſuis canonibus ſeu conſtitutionibus, quas mordere
ier.8. nititur, nunquam erraſſe: quia iuxta Prophetam, nec in Ga-
laad reſina, nec medicus deeſt. Sed obaudiuit ſemper, & præ-
dicta citatione, omnibuſque & ſingulis ſupradictis ſpretis
venire contempſit, ac vſque in præſentem diem contumax
atque animo indurato, cenſuras vltra annum ſuſtinuit: &
quod deterius eſt, addens mala malis, de citatione huiuſmo-
di notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis pro-
rupit, ad futurum Concilium, contra conſtitutionem Pij 2.
ac Iulij 2. prædeceſſorum noſtrorum, qua cauetur, taliter ap-
pellantes hæreticorum pœna plectendos, (Fruſtrà etiã Con
cilij auxilium implorauit, qui illi ſe non credere palàm pro-
fitetur) ita vt contra ipſum, tanquam de fide notoriè ſuſpe-
ctum, immò verè hæreticum, abſq; vlteriori citatione vel
mora, ad condemnationem & damnationem eius, tãquam
hæretici, ac ad omnium & ſingularum ſupraſcriptarũ pœ-
zech.18. narum & cenſurarum ſeueritatem procedere poſſemus. Ni-
hilominus de eorundem fratrum noſtrorum conſilio, om-
nipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortẽ
peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat: omnium in-
iuriarum hactenus nobis & Apoſtolicæ ſedi illatarum obli-
ti, omni qua poſſumus pietate vti decreuimus, & quantum
in nobis eſt, agere, vt propoſita mãſuetudinis via, ad cor re-
uertatur, & à prædictis recedat erroribus, vt ipſum tãquam
ucæ 15. filium illum prodigum ad gremium Eccleſiæ reuertentem,
benignè recipiamus. Ipſum igitur Martinum & quoſcunq;
ei adhærentes, eiuſque receptatores & fautores, per viſcera
miſericordiæ Dei noſtri, & per aſperſionem ſanguinis Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti, quo & per quem humani generis
redemptio, & S. matris Eccleſiæ ædificatio facta eſt, ex toto
corde hortamur & obſecramus, vt ipſius Eccleſiæ pacem, v-
oan.17. nitatem & veritatem, pro qua ipſe Saluator tam inſtanter o-
rauit ad patrem, turbare deſiſtant, & à prædictis tam perni-
cioſis erroribus prorſus abſtineant: inuenturi apud nos, ſi
effectualiter paruerint, & paruiſſe per legitima documẽta
nos certificauerint, paternę charitatis affectum, & apertum
manſuetudinis & clementiæ fontem. Inhibentes nihilomi-
nus eidem Martino exnũc, vt interim ab omni prædicatio-
ne, ſeu prædicationis officio omninò deſiſtat. Alioquin, vt
ipſum Martinum, ſi fortè iuſtitiæ & virtutis amor à peccato
non retrahat, indulgentiæq; ſpes ad pœnitentiam nõ redu-
cat, pœnarum terror coërceat diſciplinę, eundem Martinũ,
eiuſq; adhærentes, cõplices, fautores, & receptatores tenore
præſentium requirimus & monemus, in virtute ſanctæ obe
dientiæ & ſub prædictis omnibus & ſingulis pœnis, eo ipſo
incurrendis, diſtrictè præcipiendo mandamus, quate-
nus infra 60. dies, quorum 20. pro primo, 20. pro ſe-
cundo, & reliquos 20. dies pro tertio & peremptorio ter-
mino aſſignamus, ab affixione præſentium in locis in-
fraſcriptis, immediatè ſequentes numerandos, ipſe Marti-
nus, cõplices, fautores, adhęrentes, & receptatores prędicti,
à præfatis erroribus, eorumq; prædicatione ac publicatione
& aſſertione, defenſione quoq;, & librorum ſeu ſcripturarũ
editione ſuper eiſdem, ſiue eorum aliquo omninò deſiſtãt,
libroſq; ac ſcripturas omnes & ſingulas, præfatos errores,
ſeu eorum aliquos quomodolibet cõtinentes, comburant,
vel comburi faciant. Ipſe etiã Martinus errores & aſſertio-
nes huiuſmodi omninò reuocet, ac de reuocatione huiuſ-
modi per publica documenta in forma iuris valida, in ma-
nibus duorum prælatorum conſignata, ad nos infra alios
ſimiles 60. dies tranſmittenda, vel per ipſummet (ſi ad nos
venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato pleniſſi-
mo ſaluo conductu, quem exnunc concedimus, deferenda,
nos certiores efficiat, vt de eius vera obedientia nullus du-
bitationis ſcrupulus valeat remanere. Aliàs ſi (quod abſit)
Martinus pręfatus, complices, fautores, adhærentes, & rece-
ptatores prædicti ſecus egerint, ſeu præmiſſa omnia & ſin-
gula infra terminum prædictum cum effectu non adimple-
uerint, Apoſtoli imitantes doctrinam, qui hæreticum ho-
minem, poſt primam & ſecundam correptionem, vitãdum
docuit, exnunc prout extunc, & econuerſo, eundem Marti-
num, complices, adhærentes, fautores, & receptatores præ-
fatos, & eorum quemlibet, tanquã aridos palmites in Chri-
ſto non manentes, ſed doctrinam contrariam Catholicæ fi-
dei inimicam, ſiue ſcandaloſam, ſeu damnatam, in non mo-
dicam offenſam diuinæ maieſtatis, ac vniuerſalis Eccleſię &
fidei Catholicæ detrimentum & ſcandalum dogmatizan-
tes & prædicantes, claues quoq; Eccleſiæ vilipendentes, no-
torios & pertinaces hæreticos eadẽ authoritate fuiſſe & eſſe
declarantes, eoſdem vt tales, harum ſerie condemnamus, &
eos pro talibus haberi ab omnibus vtriuſq; ſexus Chriſtifi-
delibus ſupradictis volumus & mandamus. Eoſq; omnes &
ſingulos omnibus ſupradictis & alijs contra tales à iure in-
flictis pœnis, præſentium tenore ſubijcimus, & eiſdem
irretitos fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus. Inhibemus
præterea ſub omnibus & ſingulis præmiſſis pœnis, eo ipſo
incurrendis, omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus ſuperiùs
nominatis, ne ſcripta, etiam pręfatos errores non continen-
tia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut
condenda vel edenda, ſeu eorum aliqua, tanquam ab homi-
ne orthodoxæ fidei inimico, atque ideò vehementer ſuſpe-
cta, & vt eius memoria omninò deleatur de Chriſtifideliũ
cõſortio, legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, pu-
blicare ſiue defendere per ſe vel alium ſeu alios, directè vel
indirectè, tacitè vel expreſsè, publicè vel occultè, ſeu in do-
mibus ſuis ſiue alijs locis, publicis vel priuatis, tenere quo-
quomodo pręſumant: quinimmò illa cõburant, vt præfer-
tur. Monemus inſuper oẽs & ſingulos Chriſtifideles ſupra-
dictos, ſub eadem excommunicationis latæ ſentẽtiæ pœna,
vt hæreticos prædictos declaratos & condemnatos, manda-
tis noſtris non obtemperantes, poſt lapſum termini ſupra-
dicti euitent, & quantum in eis eſt, euitari faciant, nec cum
eiſdem vel eorum aliquo commercium, aut aliquam con-
uerſationem, ſeu communionem habeant, nec eis neceſſa-
ria miniſtrent. Ad maiorem præterea dicti Martini, ſuorũq;
complicum, fautorum & adhærentium, ac receptatorum
prædictorũ, ſic poſt lapſum termini prædicti declaratorum

hæreticorum & condemnatorum confuſionem, vniuerſis,
& ſingulis vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, Patriarchis, Ar-
chiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarũ,
& aliarum cathedralium, collegiatarum, ac inferiorum Ec-
cleſiarum prælatis, capitulis, alijſque perſonis Eccleſiaſticis,
ſecularibus & quorumuis ordinum etiam Mendicantium
(præſertim eius congregationis, cuius dictus Martinus eſt
profeſſus, & in qua degere vel morari dicitur) regularibus,
exemptis & non exemptis, necnõ vniuerſis & ſingulis prin-
cipibus, quacunque Eccleſiaſtica vel mundana fulgentibus
dignitate, Regibus, Imperatoris Electoribus, ducibus, mar-
chionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, conductori-
bus, domicellis, communitatibus, vniuerſitatibus, poten-
tatibus, ciuitatibus, terris, caſtris, & locis, ſeu eorum habita-
toribus, ciuibus & incolis, omnibusq; alijs & ſingulis ſupra-
dictis, per vniuerſum orbem, præſertim in eadẽ Alemania
conſtitutis mandamus, quatenus ſub prædictis omnibus &
ſingulis pœnis, ipſi vel eorum quilibet, præfatum Martinũ,
complices, adhęrentes, receptantes, & fautores perſonaliter
capiant, & captos ad noſtram inſtantiam retineant, & ad
nos mittant: Reportaturi pro tam bono opere, à nobis &
ſede Apoſtolica remunerationem pręmiumque condignũ:
vel ſaltem eos & eorum quemlibet, de metropolitanis, ca-
thedralibus, collegiatis & alijs Eccleſijs, domibus, monaſte-
rijs, conuentibus, ciuitatibus, dominijs, vniuerſitatibus, cõ-
munitatibus, caſtris, terris ac locis reſpectiuè tam clerici &
regulares, quam laici omnes & ſinguli ſupradicti omninò
expellant. Ciuitates verò, dominia, terras, caſtra, villas, co-
mitatus, fortalicia, oppida, & loca quęcunque vbilibet con
ſiſtentia eorum & earum reſpectiuè: metropolitanas, cathe
drales, collegiatas & alias Eccleſias, monaſteria, prioratus,
domus, conuentus, & loca religioſa vel pia cuiuſcunque or-
dinis, vt præfertur, ad quæ præfatum Martinum, vel aliquẽ
ex prædictis declinare contigerit, quamdiu ibi permanſe-
rint, & triduo poſt receſſum, Eccleſiaſtico ſubijcimus inter-
dicto. Et vt præmiſſa omnibus innoteſcant, mandamus in-
ſuper vniuerſis patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, pa-
triarchalium, metropolitanarum, & aliarum cathedralium
ac collegiatarum Eccleſiarum prælatis, capitulis, alijſq; per-
ſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus & quorumuis ordinum ſu-
pradictorum regularibus, fratribus religioſis, monachis,
exemptis & non exemptis ſupradictis, vbilibet præſertim
in Alemania conſtitutis, quatenus ipſi vel eorum quilibet
ſub ſimilibus cenſuris & pœnis, eo ipſo incurrendis, Marti-
num, omneſque & ſingulos ſupradictos, qui elapſo termi-
no huiuſmodi mandatis, ſeu monitis noſtris nõ paruerint,
in eorum Eccleſijs, Dominicis & alijs feſtiuis diebus, dum
inibi maior populi multitudo ad diuina conuenerit, decla-
ratos hæreticos & condemnatos publicè nuncient, faciant-
que & mandent ab alijs nunciari, & ab omnibus arctiùs eui-
tari. Necnon omnibus Chriſtifidelibus, vt eos euitent, pari
modo ſub prædictis cenſuris & pœnis. Et præſentes literas,
vel earũ tranſſumptum ſub forma infrà ſcripta factum, in
eorum Eccleſijs, monaſterijs, domibus, conuentibus, & alijs
locis, legi, publicari, atque affigi faciant. Excommunicamus
quoque & anathematizamus omnes & ſingulos, cuiuſcun-
que ſtatus, graduſq; conditionis, præeminẽtiæ, dignitatis,
aut excellentiæ fuerint, qui, quo minus præſentes literæ, vel
earum tranſſumpta, copiæ ſeu exemplaria in ſuis terris &
dominijs legi, affigi & publicari poſſint, fecerint: vel quo-
quo modo procurauerint per ſe vel alium ſeu alios, publicè
vel occultè, directè vel indirectè, tacitè vel expreſsè. Poſtre-
mò, quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque
loca differri, in quibus neceſſarium foret: volumus & Apo-
ſtolica authoritate decernimus, quòd earum tranſſumptis
manu publici notarij confectis & ſubſcriptis, vel in alma
vrbe impreſſis, & ſigillo alicuius Eccleſiaſtici prælati muni-
tis, vbique ſtetur & plena fides adhibeatur, prout originali-
bus literis ſtaretur & adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel o-
ſtenſæ. Et ne præfatus Martinus, omneſque alij ſupradicti,
quos præſentes literæ quomodolibet cõcernunt, ignorãti-
am earundem literarum, & in eis contentorum omnium &
ſingulorum prætẽdere valeant, literas ipſas in baſilicæ prin-
cipis Apoſtolorum, & cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Ca-
thedralium Eccleſiarum Brãdeburgenſ. Miſnenſ. & Merſ-
pergenſ. valuis affigi & publicari debere volumus: decer-
nentes, quòd earundem literarum publicatio ſic facta, ſu-
pradictum Martinum, omneſque alios & ſingulos præno-
minatos, quos literæ huiuſmodi quomodolibet concer
nunt, perindè arctent, acſi literæ ipſæ die affixionis & pu-
blicationis huiuſmodi, eis perſonaliter lectæ & intimatæ fo-
rent: quum non ſit veriſimile, quòd ea quæ tam patenter
fiunt, debeant apud eos incognita remanere. Non ob-
ſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis,
ſeu ſi ſupradictis omnibus & ſingulis, vel eorum alicui, aut
quibuſuis alijs à ſede Apoſtolica prædicta, vel ab ea poteſta-
tem habentibus, ſub quauis forma, etiam confeſſionali, &
cum quibuſuis etiam fortiſſimis clauſulis, aut ex quauis cau
ſa ſeu grandi conſideratione, indultum vel conceſſum exi-
ſtat, quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſ-
ſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſ-
ſam, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas gene-
rales id importantes, de indulto huiuſmodi mentionem, e-
iuſdem indulti tenores, cauſas & formas, perindè acſi de
verbo ad verbum inſererentur, ita vt omninò tollantur,
præſentibus pro expreſſis habentes. Nulli ergo omninò
hominum liceat hanc paginam noſtrę damnationis, repro-
bationis, reiectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, vo
luntatis, mandati, hortationis, obſecrationis, requiſitionis,
monitionis, aſſignationis, conceſſionis, condemnationis,
ſubiectionis, excommunicationis & anathematizatio-
nis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis au-
tem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipo-
tentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius,
ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, an-
no incarnat. Dominicæ 1520. 17. Kalend. Iulij, Pontificatus
noſtri anno octauo.

Viſa R. Milaneſius
Albergatus.

ADRIANVS VI. PONTIFEX.

ADRIANVS tenuis ſed honeſtæ fortunæ pa-
rentibus Vltraiecti natus, Louanij ſtudendo
tantum profecerat, vt inter Theologos faci- *Adrianus quando Pontifex factus?*
lè primus haberetur. Qua de cauſſa in Ca-
roli V. præceptorem aſſumptus, atque in Hi-
ſpaniam profectus, ibique Epiſcopus & Cardinalis crea-
tus, poſt vices ibidem Caroli præclare geſtas, tempore eiuſ-
dem Caroli V. Imperatoris anno Domini 1522. quinto
Idus Ianuarij, opera Cardinalis Medices, atque omnium
Cardinalium conſenſu Pontifex electus fuit. Quod cum
illi apud Victoriam vrbem Cantabriæ moranti nuncia-
tum eſſet, Genuam maritimo itinere delatus, à principi-
bus Galliæ ſummo honore viſitatus eſt. Romam ingreſ- *Res geſtæ Adriani.*
ſus octauo Kalend. Octobris in Vaticano coronatus eſt
pompa admodum tenui propter peſtis calamitatem, quæ
tum vrbem peruaſerat. Nomen cum quibuſdam alijs
Pontificibus non immutauit. Amplo & robuſto erat cor-
pore, ſed viuaci ingenio. Nam cum Cardinalis nepoti ſuo
ſacerdotium 70. aureorum annui reditus contuliſſet, va-
caſſetque aliud, cuius prouentus paulò pinguiores eſſent,
vix adduci potuit vt daret illud, ſolitus dicere: Cupere ſe
homines beneficijs dare, non beneficia hominibus.
Ad Rempubl. accedens, ob minimos rerum vſus omnia fe-
rè aliorum arbitrio moderabatur. Bellum intulit Sigiſ-
mundo Malateſtæ, quem Ducis Ferrarienſis atque Vrbini
auxilio fretus Arimino expulit, omniaque aduerſus eos
Duces à Iulio & Leone decreta abrogauit. Cardinalem
Soderinum ob datas aduerſus Pontificem & Carolum lite-
ras, in vincula coniecit. Rhodum tertium iam menſem
grauiſſima obſidione periclitantem cum reſciuiſſet, om-
nes cura & cogitationes in hoc conuertit vt illi ſuccurre-
retur.

reretur. Verum turbato tum rerum ſtatu, ærario profuſo infelici exitu obſidio terminata eſt. Multa quidem, vti erat ardenti zelo accẽſus in Eccleſiæ vtilitatem præſtiturus erat, ſi Godefridos, Tancredos, Balduinos, Robertos ea ætas nacta fuiſſet. Ad clerum reformandũ, corruptoſque vrbis mores ingenij vires conuertit. Sanctum Antoninum Florentinorum Antiſtitem, & S. Bennonem Germanum in Sanctorum cœtum aggregauit. Cum intellexiſſet Franciæ Regem Franciſcum in Italiam cum potenti exercitu aduẽtare, Pontifex Cæſaris partes fulſit, Anglis, Hungaris, Venetis, alijſq; liberis Italię ciuitatibus in fœderis ſocietatem adductis. *Huius temporibus*, inquit Surius, *quoddam mire ridiculum accidit VVittenbergæ. Carolſtadius enim & Melanchton præcipui Lutheri diſcipuli & ſymmiſtæ hauſta occaſione ex ſcriptis Lutheri, ſtudioſis adoleſcentibus perſuaſere, non eſſe dandam operam Philoſophiæ: Platonem, Ariſtotelem, Ciceronẽ & id genus alios non niſi mera ſcripſiſſe commenta & impoſturas, adeoq; libros eorum Vulcano conſecrãdos; vni ſacrorum Bibliorum lectioni vacandum, neque fas eſſe hominem Chriſtianum literis deditam agitare vitam: faciendũ omnibus, quod in Geneſi dictũ eſt, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Et vt ſuam inſaniam ex Lutheri primæuis fontibus ad ſe deriuatam magis proderent, Carolſtadius ex Archidiacono factus eſt agricola VVittenbergenſis. Melanchton in piſtrino artem piſtoriam meditabatur; pleriq; adoleſcentes artium liberalium libris combuſtis mechanica opificia complexi ſunt.* A quo delirio dum Lutherus vtrunque à ſe infatuatum, verſis velis ad mentem ſaniorem reduxiſſet, omnes ille Catholicos Reges ac Principes ſcriptis ſuis calũnioſe traduxit. Adrianus paulò poſt hæc incidit in morbum, ex quo commendata Eccleſia & Chriſtiana Repub. Cardinalibus, diem clauſit extremum 8. Kalend. Octobr. anno Chriſti 1523. cum in Pontificatu ſediſſet annum 1. menſes 6. dieſque totidem. Poſt obitum eius, duos menſes, dieſq; 4. ſedes vacauit. In ſancto Petro ſepult⁹ eſt; hoc elogio exornatus.

Carolſtadij & Melanchtonis delitia quæ.

[illegible] Papæ.

Hadrianus VI. hic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita quam quod imperaret, duxit.

BREVE ADRIANI PAPAE AD INQVISITOrem Comenſem.

Inquiſitoribus Hæreticæ prauitatis datur facultas procedendi contra Incantatores, Sortilegos, Diabolo obedientiã præſtantes, fidẽ abnegantes, &c.

ADRIANVS Epiſcopus &c. Dilecte fili ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dudũ, vti nobis exponi feciſti, per fel. rec. Iulium Papam II. prædeceſſorem noſtrũ, non ſine magna tũc animi ſui diſplicẽtia accepto, quòd per quendam Georgium de Caſali, ordinis fratrum Prædicatorum profeſſorem, & in ciuitate Cremonenſi hæreticæ prauitatis Inquiſitorem deputatũ, in nõnullis Lombardiæ partibus, & præſertim in locis, in quib. dictus Georgius Inquiſitor deputatus erat, repertæ fuerũt quamplures vtriuſq; ſexus perſonæ, propriæ ſalutis immemores, & à fide Catholica deuiantes certam ſectam facientes; fidem, quam in ſacri ſuſceptione baptiſmatis ſuſceperant, abnegãtes, ſanctã crucem pedibus cõculcantes, & opprobria ſuper eã perpetrantes, Eccleſiaſticis & pręſertim Euchariſtiæ ſacramẽtis abutentes, diabolũ in ſuum dominũ & patronũ aſſumẽtes, eiq; obedientiam & reuerentiã exhibentes, & ſuis incantationibus, carminibus, ſortilegijs, alijſq; nefãdis ſuperſtitionibus iumẽta & fructus terræ multipliciter lædentes: aliaq; quãplurima nefãda, exceſſus, & crimina eodẽ diabolo inſtigãte cõmittentes, & perpetrantes, in animarũ ſuarũ periculũ, diuinæ maieſtatis offenſam, pernicioſumq; exemplũ, & ſcandalũ plurimorũ. Contra quas cũ dictus Georgius tunc (vt aſſerebat) in dictis locis ſuę inquiſitioni deputatis, prout ipſius Georgij incũbebat officio, ipſe Georgius ꝓceſſiſſet: nonnulli aũt tã clerici quàm laici illarũ partium, quærentes plus ſapere quã oportet, præmiſſa delicta ad eiuſdẽ Georgij Inquiſitionis officiũ non pertinere temere aſſerentes, præſumentes in populo errores & ſcandala ſeminauerũt: ſicque eũdẽ Georgiũ in populo odioſum reddere, & dicti Georgij officiũ impedire conati fuerunt, prout etiã tũc impediebãt: ita ꝙ propter præmiſſa, pſonæ prædictæ delicta huiuſmodi perpetrantes, remanebant impunitæ, & aliæ eorũ exempl[o] ad ſimilia perpetranda quotidie inducebãtur, in nõ modic[um] fidei opprobriũ, animarũ periculũ, & ſcãdalum plurimorũ. Dictus prædeceſſor volẽs (ne inquiſitionis officij executi[o] quomodolibet retardaretur, & labes hæreticę prauitatis lõgius venena diffunderet) ꝓuidere, dicto Georgio per qual[…] dã ſuas in forma breuis literas cõmiſit & mandauit, quaten⁹ in locis eiuſdẽ Georgij inquiſitioni deputatis, de exceſſibu[s] huiuſmodi cognoſcere, & cõtra quaſcunq; perſonas, cuiuſ[…] cunq; conditionis & præeminẽtię forent, inquiſitionis officiũ exercere & exequi; ipſaſq; perſonas, quas in pręmiſſis culpabiles reperiret, vna cum locorũ ordinariorũ vicarijs, quatenus voluiſſent intereſſe, iuxta dictarũ perſonarum demerita corrigere & punire deberet, ſecundũ modũ cõtra alios hæreticos à iure ex ſacris canonibus ſtatutũ: contradictores quoſcunq; per cenſurã Eccleſiaſticã, & alia iuris opportuna remedia cõpeſcendo. Eos vero qui in præmiſſis, conſiliũ, auxilium, vel fauorẽ præſtarent, præfatus prædeceſſor noſter, eiſdẽ indulgẽtijs vti & gaudere decreuit, quibus crucesignati contra alios hęreticos, ex indulto apoſtolico eis conceſſo, tũc gaudebant & vtebãtur, prout in dictis literis plenius cõtineri dicitur. Et ſicut eadẽ expoſitio ſubiungebat, nõ ſolũ delicta & crimina huiuſmodi contra fidẽ catholicã, & Chriſtianã religionẽ, ſub iuriſdictione inquiſitoris Cremonẽſis cõmittuntur, & perpetrãtur; ſed omnibus alijs locis & diœceſibus ſub iuriſdictione aliorũ inquiſitorum dicti ordinis congregationis Lõbardiæ, indies perpetrantur & cõmittuntur. Et cũ eadẽ ſint delicta, eadẽ ꝓfecto prouiſione & caſtigatione eis eſt earundẽ literarum tenore prouidendũ. Quare tu, ſicut aſſeris, in ciuitate Comẽſi vbi dictæ prauitatis inquiſitor exiſtis, tã tuo, quã omnium aliorũ dictorũ ordinis & congregationis hæreticæ prauitatis inquiſitorũ vbilibet conſiſtentium & deputatorũ nominibus, feciſti nobis humiliter ſupplicari, vt literas prædictas ad vos extẽdere & ampliare, aliaſq; deſuper opportune dignaremur ꝓuidere. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationi inclinati, literas prædictas, cũ omnibus in eis cõtentis clauſulis, in omnibus & per omnia, ꝓut in eiſdẽ literis cõtinetur, ad te & ad alios ordinis & congregationis huiuſmodi inquiſitores, tã in pręſentiarum deputatos, quàm in futurũ perpetuis futuris tẽporibus deputãdos, ac ſi tibi, & cuilibet inquiſitorũ prędictorũ dirigerẽtur, & directę fuiſſent, apoſtolica auctoritate, tenore pręſentiũ extendimus. Ipſaſq; literas tibi & illis, vt pręmittitur, eiſdẽ auctoritate & tenore concedimus. Non obſtantibus omnibus illis, quæ idẽ Iulius prædeceſſor voluit nõ obſtare, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Et quia difficile foret pręſentes literas ad ſingula loca, in quib. de eis fides forſan fuerit faciẽda deferre: volumus & apoſtolica auctoritatę decernimus, ꝙ ipſarũ tranſumptis, manu cuiuſcunq; notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicui⁹ curiæ, ſeu perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio & alibi, vbi opus fuerit, eadẽ prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 20. Iulij, M.D.XXIII. Pontificatus noſtri anno primo.

Euangeliſta.

BREVE D. ADRIANI PAPAE VI. AD Fred. Sax. Ducem aduerſus Luterum.

DILECTE fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Satis & plùs quàm ſatis ſuſtinuimus, dilecte in Chriſto, ſi fortè Dei pietas tuam animã dignetur inuiſere, ac dare pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem, vt reſipiſceres à diaboli laqueis, à quo captiuus detineris. Nouimus te paternè monitum à fe. re. prædeceſſore noſtro, vt à te ſeparares perniciem illam Chriſtianæ religionis Martinum Luterum: & cùm iam toti orbi manifeſtæ eſſent ſceleſtiſſimæ machinationes illius, ſperauimus & te ad cor pœnitens reuerſurum. Sed quoniam expectauimus vuas, & ecce quia fruſtrà conflauit conflator, malitiæ enim tuæ non ſunt cõſumptę: coëgit nos miſeratio tui, coëgit paternus amor, quo te & tibi ſubditos Saxones in Domino ſemper fuimus proſequuti, ſalutaribus & paternis moni-

tis ad-

tis adhuc conuenire, vt vel tandem reſipiſcatis, antequã pla-
nè in vos conueniat, quod mox ſubdit Propheta: Argẽtum
reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos. Et quid
dicemus vobis, quàm quod Galatis ſuis Paulus: O inſenſati,
quis vos faſcinauit veritati non obedire? Currebatis benè.
Interrogate patres veſtros, ac dicent vobis: maiores veſtros,
& annũciabunt vobis. Quod ab ea ætate, quo vno eodemq;
tempore vixere Adrianus Ro. Pont. & Carolus ille Magnus
Imperator, Saxonicę fidei plantatores, ad noſtra vſq; & cha-
riſſimi in Chriſto filij noſtri Caroli tempora, aui & proaui
veſtri, atque adeò Saxones omnes, ſemper habiti eſtis veluti
pacis amatores, fidei propugnatores, & per omnia obedien-
tiæ pacifici filij: taleſq;, vt non immeritò Gregorius V. na-
tione Saxo, olim Rom. Pont. Saxoniæ Ducem in Rom. Im-
peratoris conſtituerit electorem. Quomodo ergò tam citò
mutatus eſt color optimus? Cur tam facilè transferimini ab
eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti, in aliud Euãgelium,
quod non eſt aliud, niſi ſunt quidam, qui vos conturbant,
& volunt conuertere Euangeliũ Chriſti? Quis vineam Do-
mini Sabaoth tam pulchrè plantatam eſt demolitus? Certè
exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus
eſt eam. Sed væ illud à vobis, à domeſticis & amicis, à crucia-
tu præcordiorũ. Obſecramus te fili dilecte in Chriſto, leua
oculos tuos in directum, & vide vbi ſis proſtratus. Conſide-
ra quantam Eccleſiæ Chriſti, tot malis vndiq; circũuallatæ
ac penè oppreſſæ, pro opera qua illi ſubuenire debueras, cla-
dem inſuper intuliſti. Oppugnatur foris ab infeſtiſſimo illo
ac potentiſſimo Chriſtiani nominis hoſte. Diſſident intus
principes Reipub. Chriſtianæ, & in mutuam armati perni-
ciem, cruentiſſimis inter ſe odijs confligtantur; & in frater-
na viſcera ferrũ ſtringunt, vt vix ethnici inter ſe crudelius.
An hæc ita tibi viſa ſunt non ſatis grauia, niſi contritionem
induceres ſuper contritionem, nutriens ac fouens ſerpẽtem
illum in ſinu tuo, qui veneno linguæ ſuę Eccleſiam & terras
infecit adeò, vt nunc peruenerit gladius etiam vſque ad ani-
mam? Quanto autem pluris eſt anima, quàm corpus: tanto
grauius eſt prædictis omnibus horrendum illud & plùs quã
tartareum venenum, quo hæreſum ac ſchiſmatum conta-
gione tot myriades animarum interierunt, intereuntq;. Ita
tibi debemus omnes, quòd nunc paſſim ab vnitate matris
Eccleſiæ recedatur: Quòd auertatur vulgus indoctũ, ac bis
mille præſtigijs ac faſcinationibus retrahatur à fide, quã ſu-
xit ab vbere materno: Quòd baſilicæ ſint ſine plebibꝰ, plebs
ſine ſacerdotibus: ſacerdotes ſine debita reuerentia, & ſine
Chriſto deniq; Chriſtiani: Quòd ſacramenta fidei, nõ ſacra
cenſeantur: Quòd ſanctuarium Chriſti, ſanctum eſſe nege-
tur: quòd dies feſti feſtiuis fruſtrentur ſolennijs: Quòd mo-
riantur homines in peccatis ſuis, rapiantur animæ ad tribu-
nal terrificum, nec pœnitentia reconciliati, nec ſacra cõmu-
nione muniti: Quòd pulcherrimus ille tabernaculi ordo
confuſus ſit, & pro Chriſtiana pace ac tranquillitate ad re-
bellionem, ad rapinas, ad cædes, ad incendia, cum magno ac
manifeſto Chriſtianæ reipub. diſcrimine, veluti claſſico paſ-
ſim excitati. Pro quibus egregijs tuis in Eccleſiã Chriſti me-
ritis, quo te præmio, immò quo non ſupplicio dignũ cenſe-
bimus? At dices fortè, Serpens me decepit. Dignam certè
recepiſti mercedem, qui illũ nutriuiſti in ſinu tuo. Sed itane
ſtultus es ac ſine corde, vt in eis maximè rebus, in quibus er-
rare, damnari eſt: vni homuncioni cooperto peccatis, quã
tot ſanctiſſ. ab initio patribus, qui in lege Dei meditati ſunt
die ac nocte: & quam tot vniuerſalibus Concilijs, aduerſus
quę impudens os illud velut ſepulcrũ patens, ſe aperire non
erubeſcit: ſanctæ deniq; & Catholicæ Eccleſiæ, cuius ritũ,
conſuetudinem & decreta, à temporibus Apoſtolorum ad
nos vſq; inuiolabiliter obſeruata, vnus iſte ſacrilega teme-
ritate damnare præſumit, plùs credere potueris? O cæcam
dementiam, ac plùs quam Iudaicam cæcitatem. At fortaſſis
hoc tibi impoſuit, quòd veterator ille Martinꝰ & eius ſequa-
ces, de capitulis ſcripturarũ viſi ſunt ſua confirmare. Et quis
tandem hæreticorum ita non fecit? An non hæ ſunt veteris
ſerpentis aſtutiæ, qui hac veluti eſca obducto hamo, miſeris
animab. mille technis & verſutijs ſemper eſt inſidiatus: qui-
que, quo angularem infringeret veræ fideli lapidẽ, ac Chri-
ſtianam ſcinderet vnitatem, in ſcripturarum agrum, ſuum
ſeminare ſemen & peruerſam ſcripturarum intelligentiam,
iampridẽ eſt aggreſſus? Cùm itaq; maxima ſemper pars Ec-
cleſiarũ, imperita turba ſit, & vix vnus reperiatur aut alter,
qui ſpiritualibus oculis de ſcripturarum intelligentia dignè
valeat iudicare: ſiquidem librum ſignatum legimus, quẽ ſo-
lus Leo de tribu Iuda dignatus eſt aperire, ac ſoluere ſigna- Apoc. 5.
cula eius: quæ tandem eſt iſta diabolica excæcatio, vni car-
nali homuncioni, ſemper eructanti crapulam & potum,
quã reliquo orbi vniuerſo, quam tot ſpiritualibus patribus,
quorum voluntas ſemper fuit in lege Domini, qui vitæ ſan-
ctimonia, oſtenſione ſpiritus, ac virtute, glorioſo denique
martyrio ſuam doctrinã comprobauerunt, in ſcripturarũ
intelligentia plùs te fidei habere potuiſſe? O cæcitatem no-
uam & inauditam. Vnus apoſtata tibi potuit perſuadere, fe-
felliſſe priores vniuerſos, errare poſteros, & in ſolum ſe &
quos decepit perueniſſe Regnum Dei, perueniſſe totas mi-
ſerationũ Dei diuitias, ac gratiam vniuerſitatis? Et quid nõ Hier. 4.
dicimus cum propheta: Heu, heu, heu Domine: ergone de- 1. Tim. 6.
cepiſti populum tuum? Quin potius, cur non deuitatis (ſe-
cundum Apoſtolicum præceptum) quęſtionibus ac pugnis
verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſ-
phemiæ, ſuſpiciones malæ, cõflictationes hominum mente
corruptorũ, & ſubuertunt corda audientiũ, ex operib. ſuis,
iuxta Dominicã deſignationẽ, ſtuduiſtis cognoſcere filium
prophanum iſtum, qui ad vos venit primùm in veſtimentis
ouium, lupus intrinſecus rapaciſſimus? Siquidem nõ ex fo- Math. 7.
lijs, non ex floribus, ſed ex fructibus arbor cognoſcẽda erat.
An nõ manifeſti ſunt nequiſſimi fructus eius? Siquidem ſa-
crilegus hic aduerſus Deũ, imagines ſacras, atq; adeò ipſam
crucem Chriſti ſceleratis manibus confringere, & pollutis
conculcare pedibus non formidat: cõtra ſacerdotes Dei fu-
rore impio temerariè debacchans, non deſinit laicos, ad la-
uandas ſibi in eorum ſanguine manus, ſedulò concitare: Ec-
cleſiam Chriſti parricidalibus armis oppugnans, hoc agit aſ-
ſiduò, vt ſuffocentur homines in peccatis ſuis: hoc v-
num elaborat, ne diuina miſericordia ſuis ſacramentis, quæ
peccatorum remedia efficacia eſſe voluit vulneratos in Ec-
cleſia ſua curet. Ita enim ea aut ſuſtulit vniuerſa, aut hæreſe-
os ſuæ peſtifero infecit veneno, vt toxicum magis requirat,
quàm animarũ medicinas. Præcepit ſuis, ne indignanti Deo
quis ſatisfaciat: ne ieiunijs, orationibus, lamẽtationib. pec-
cata redimat: ne hoſtia illa placens Deo, corpus & ſanguis
Domini noſtri Ieſu Chriſti, à ſacerdotibus offeratur quoti-
diè pro peccatis noſtris. Vota docet non reddere Domino
Deo ſuo Et cùm ipſe ſit apoſtata, ac profeſſionis ſuæ deſer-
tor, vt plurimos ſui faciat ſimiles, ſãcta illa Deo vaſa pollue-
re non veretur, conſecrataſq; Chriſto Virgines, & vitã mo-
naſticã profeſſas, extrahere à monaſterijs ſuis, & mundo, im-
mò diabolo, quẽ ſemel abiurauerunt, reddere. Quod in ve-
teri lege in vmbraticis ſacerdotibus Dñs non tulit, ꝙ ethni-
ci in idolorũ ſuorũ flaminibus oẽs ſunt abominati, Chriſti
ſacerdotes etiã viliſſimis copulat meretricibus. Sanctos pa-
tres illos, quorũ vita & doctrina illuſtrauit vniuerſum mun-
dum, non ſolùm debito honore nõ proſequitur, ſed multò
quàm Cain ſceleſtius deſpicit, deridet, contẽnit, inſectatur.
Sacroſanctis omnibus vniuerſalibus Concilijs impudenti
ore palàm cõtradicit, ac ſacrilega lingua detrahit: libertatis
ſpecie, licentioſam quandã vitam, nullis conſtrictam legib.
ac verè ferinã, inducere conatur. Vndè & exlex homo, con-
temptor ac violator legum omnium, in tantã erupit mẽtis
veſaniam, vt ſanctiſſimorum patrum decreta & Eccleſiaſti-
cos canones igne publico cõcremare nõ formidarit. Et bre-
uiter Chriſtianam veritatẽ, omnem rerum ordinẽ, pulcher-
rimam deniq; Eccleſiæ faciẽ, à Chriſto, ab Apoſtolis, Apo-
ſtolicisq; viris ac ſanctiſſimis patribus ab initio cõſtitutam,
vnus hic poſt tot centenos annos diſcindere, inuertere, ac
deformare molitur. Quòd ſi nondum ſatis etiam internoſ-
cis, de Chriſtiano magiſterio, an de Antichriſti ſpiritu iſta
proficiſcantur: ſi ita faſcinauit te præſtigiator ille, vt credere
poſſis vnum hunc perfidiſſimum apoſtatam, veluti alterum
Heliſæum habere duplicem ſpiritum Heliæ, aut alterũ eſſe
(quem ſe iactitat) Danielem, in quo ſit ſpiritus amplior &
intelligentia ſcripturarum maior, quàm in omnibus olim
ſanctiſſimis illis doctiſſimiſq; viris, quàm in ſacroſancta Ec-
cleſia Catholica, quid eſt te vno cæcius? Aut ſi iam ex fructi-
bus arborem cognoſcens, in errore perſiſtis tamen, quid te

1. miſerius? Sed eſto: transfiguratus ſit coram te ſatanas ille in
Angelum lucis, & quę manifeſta ſunt opera carnis ac diabo
lica, ſpiritus eſſe: & Chriſti opera, venenata ſua facundia per-
ſuadere potuerit. Nunquid non vbiq; vel hoc ipſo prodidit,
cuiuſnam ſpiritus ſit, quòd omnis eius ſermo amarus eſt, vi-
rulentus, arrogans, ac maledicentiſſimus, nuſquàm non ſca-
tens conuicijs, blaſphemijs, ac ſcommatibus plùs quàm ve
nenatis, aduerſus omne Chriſtianæ pietatis, modeſtię, man-
ſuetudinis ac benignitatis officiū? Nunquid ita docuit Pau-
lus, cuius ſe iactitat ſpiritum habere, cùm nulla eius extet e-
piſtola, quæ non pacem & vnitatem, ac alias id genus virtu-
tes redoleat? An non Romanos ſuos hortatur in Domino,
vt in charitate fraternitatis ſe diligant, inuicē ſectentur quæ
1- ſunt pacis, & quæ ædificationis cuſtodiant? Corinthijs an
non teſtatur, ſe docere in Eccleſijs, Deum, nō diſſenſionis,
ſed pacis Deum eſſe? Et breuiter, nunquid non vbique cla
mat, vbiq; docet Euangelica illa tuba, vt dignè ambulemus
in omni humilitate ac manſuetudine, cum patiētia ſuppor-
tātes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus
in vinculo pacis, vtq; deponamus omnem iram, indigna-
tionem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem? Quo
igitur pacto maledicentiam, amaritudinem, iram, indigna-
tionem, blaſphemiam, inflationē, iactationem, quę ita huic
peculiaria ſunt, vt illa Paulo, ac illius diſcipulis vniuerſis, qui
mitis ac eſt ac humilis corde: non Paulini, nō Chriſtiani, ſed
diabolici ſpiritus eſſe certiſſima indicia, vel cæco non clariſ-
ſimè appareat? Ex verbis illius quomodò non intellexiſti,
Chriſtum in corde ſuo, an verò Antichriſtum haberet, ſecū-
dum quod ipſa veritas in Euangelio ait: Progenies vipera-
rum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? De ab-
undātia enim cordis, os loquitur. Et cùm ſcriptum ſit, quod
maledici regnum Dei non poſſidebunt: Item cùm in Euan-
gelio dicat Dominus, Quicunque dixerit fratri ſuo Racha,
reus erit Concilio: Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehen
næ incendio: illum non eſſe Antichriſti Apoſtolum, cuiquam
obſcurum eſſe poterit? Qui nō modò ſacerdotes Dei, ſed &
principem ſacerdotum Petri ſucceſſorē, Ieſu Chriſti in ter-
ris vicarium, tam nefandis infamibuſq; nominibus, tam in-
auditis contumelijs, conuicijs, ac blaſphemijs, nuſquam nō
lacerat, diſcerpit, & inſectatur, vt ea cōmemorare pudica re-
fugiat lingua, & audire horreant aures caſtæ: Qui Apoſtoli-
cam cathedrā, in qua præſedit caput Apoſtolorum Petrus,
cui præfuerunt tot ſancti Pontifices, quam Eccleſiam prin-
cipalē, vnde ſit exorta vnitas ſacerdotalis, ſanctus ille & glo-
rioſus martyr Cyprianus non dubitat aſſerere, impio ac pe-
ſtilenti ore cathedram peſtilentiæ, Antichriſtianam, diabo-
licam, & ſi quę potuit excogitare nefandiora, toties appella-
re non ceſſat: Qui ſcholas Chriſtianas, quæ tam multos do-
ctiſſimos ſanctiſſimoſq; viros, tam egregias in Eccleſia Dei
columnas nobis protulerunt, impudica lingua ſua, lupana-
ria, Sodomas & Gomorrhas vbiq; vocare non verecunda-
tur: Qui non ſatis habet, omnipotentis Dei ſacerdotes pro-
bris omnibus, conuicijs, cōtumelijs, ac blaſphemijs horren-
dis & inauditis, nunquam non publicè ac priuatim inſecta-
ri, quibuſuis canibus viliores facere, niſi etiam laicos conci-
tet ad lauandas ſibi manus in ſanguine ipſorum: Cum tamē
quāto honore haberi velit ſacerdotes ſuos, maximè autem
principem ſacerdotum, idem ipſe Dominus in Deuterono-
mio teſtatus eſt, dicens: Si difficile & ambiguum apud te iu-
dicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cau-
ſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum intra por-
tas tuas videris verba variari, ſurge & aſcēde ad locū, quem
elegerit Dominus Deus tuus, venieſq; ad ſacerdotes Leuiti-
ci generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quęreſq; ab
eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quæcun-
que dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, &
docuerint te iuxta legem eius, ſequēriſque ſententiam eo-
rum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Qui
autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui
eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis
morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctuſque
populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſu-
perbia. Et Samuel cùm ſperneretur à filijs Iſrael, an nō dicit
Dominus: Nō enim te ſpreuerunt, ſed me, ne regnem ſuper
eos: manifeſtè oſtendens, inuiſibilem ſe contemni, cùm vi-
ſibilem quis ſpernit ſacerdotem? Quare & Moſes murmu- Exod.16.
ranti aduerſus ſe populo reſpondit: Non aduerſus me mur
muraſtis, ſed aduerſus Dominum Deum veſtrum. Quòd ſi
Leuiticos illos ſacerdotes tanta honoris prærogatiua præ
cellere voluerit Dominus, qui exemplari tantùm ac vmbræ
deſeruiebant cæleſtium, in vmbratico illo tabernaculo ſa-
crificiorum officia conſummantes: quo tandem honoris
loco eos haberi voluit, quibus tradidit claues regni cælorū? Matth.16.
tantamq; tribuit poteſtatem, vt quæ ligarent ſuper terram,
ligarentur & in cælis: & quæ ſoluerent ſuper terram, ſoluta
eſſent & in cælis: vtq; quorū ipſi dimitterent peccata, dimiſ-
ſa forent: quorum retinerent, forent & retenta? Qui non
ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed hoſtiam viuā, ſan-
ctam, immaculatam, corpus & ſanguinem Domini noſtri
Ieſu Chriſti offerunt quotidiè pro peccatis noſtris, confici-
unt verbo ſuo ac manibus tractant, & breuiter ſacramenta
omnia, quibus hominibus vita ſaluſq; tribuitur animarū,
ſuis perficiunt orationibus. Quanto, inquam, honore hos
pręcellere voluerit Dominus, quis tandem dubitabit, quod
nec ipſe tacuit in Euangelio, cùm dicit ad eos: Qui vos au- Luc.10.
dit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me
ſpernit, ſpernit & eum qui miſit me? Et quid conſequitur?
Quòd in eundem Chriſtum blaſphemus eſſet & maledicus,
qui ſacerdoti Chriſti blaſphemat aut maledicit. An non hoc
primum mādatum in retributione, Honora patrem & ma-
trem, vt ſis longęuus ſuper terram? Qui autem maledicit pa- Exod.20.
tri aut matri, morte moriatur. Nunquid ad carnales tātum Deut.5.
parentes illud eſt referēdum? Et num minus ad eos qui nos
in Chriſto regenerauerunt, per quos Chriſtiani ſumus, qui
nobis peccata dimittunt, qui cæleſtibus nos paſcunt ſacra-
mentis? Quid ſi peccatores ſunt & mali ſacerdotes? Quid ſi
& parentes? Nunquid propterea eos non honorare, aut eis
maledicere licebit? Nunquid non & Iudas erat inter eos,
quos Dominus miſit ante faciem ſuam, & ad quos dicebat:
Quicunq; nō receperit vos, neq; audierit ſermones veſtros, Luc.10.
exeuntes foras de domo aut ciuitate, excutite puluerem de
pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ So-
domorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciui- Matth.10.
tati. An non præcepit ita Apoſtolus, Obedite præpoſitis ve- Hebr.13.
ſtris, & ſubiacete eis? Quòd ſi malis & peccatoribus non ſit
obediendum, quibus tandem? Quoniam ſi dixerimus, pec-
catum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis
non eſt. Quis es, noli diſcutere paſtorem: Noli te iudicē Dei 1. Ioan.1.
conſtituere & Chriſti. An non ita præcepit Dominus in Eu-
angelio, dicens: Super cathedram Moſis ſederunt ſcribæ &
phariſæi: omnia quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite:
Si quæ autem fecerint malè, facere nolite: manifeſtè ſignifi- Matth.23.
cans, habere eos dignitatem; tametſi vitæ eſſent perditæ.
Nunquid idem Dominus, cùm poſteà tempore paſſionis a-
lapam accepiſſet à ſeruo ſacerdotis, dicenti ſibi: Sic reſpon- Ioan.18.
des pontifici? aduerſus pontificem quicquam dixit contu-
melioſè? quin magis innocentiam ſuam aſſerens & oſten-
dens. Si malè, inquit, locutus ſum, exprobra de malo: ſin be-
nè, quid me cædis? An non & Paulus, cùm cęderetur in Cō-
cilio iuſſu Ananiæ, diceretq; ad eum, Percutiet te Deus pa- Act.23.
ries dealbate: Et tu ſedens iudicas me ſecundum legem, &
contra legem iubes me percuti: Audiens ab adſtantibus, Sic
inſimulas ſacerdotem Dei, maledicendo ipſum, tamen ina-
ne nomen & vmbram quandam ſacerdotis cogitans, expa-
uit? Neſciebam, inquit, fratres, quia princeps eſt ſacerdotū.
Scriptum eſt enim: Principi populi tui non maledices. Quo Exod.22.
magis miramur, quòd ex iſtis diabolici ſpiritus operibus, ve-
luti fructibus nequiſſimis, arborem peſſimam nondum co-
gnouiſtis. Et quis tandem eſt ita hebes animo, vt non videat
quò nunc prorumpant furioſiſſimi conatus iſtius, cùm vt
quiſque eſt facinoroſiſſimus, deſperatiſſimus aut perditiſſi-
mus latro aut homicida, ſub iſtius vexillis ac ſignis conueni-
ant? Eccleſiam iam Chriſti parricidalibus armis ac ſacrilegis
manibus non clàm, ſed palam oppugnantes, cōſecrata Deo
loca, templa & monaſteria exurunt & prophanant: Chriſto
dicatas virgines, ſacerdotes Chriſti & monachos crudeliſſi-
mè perſequuntur, Eccleſiarum bona diripiunt: & breuiter,
rapinis, latrocinijs, cædibus, incēdijs confundunt vniuerſa:
excæcante nimirùm eos iuſto Dei iudicio, & in inſaniā tam
manifeſtam erumpere permittente, vt neminem iam latere

poſſint

poſſint ſceleſtiſſimæ machinationes iſtius. Atq; hi, qui pe-
ſtifera contagione ipſius infectos ſeſe nunc tandem cogno-
uerunt, ſchiſmatico errore depoſito, ac hæretico furore de-
ſerto, vnitatis ac veritatis domiciliũ fidei ſanitate repetunt.
Inter quos, dilecte nobis in Chriſto Ieſu, cùm & te nõ ex po
ſtremis reuerſurum ad ſalutarem matris ſinum ſperaſſem⁹,
quem reuertentem libenter & obuijs excepiſſemus mani-
bus: bona ſpe tãdem noſtra fruſtrati, videmus ſupra petram
indurauiſſe te faciem tuam: videmus perniciem illam ani-
marum Luterum ſub tuo patrocinio latitantem, ſuum ad-
3. huc virus longè lateq; ſpargere. Sed quoniam adhuc potens
eſt Dominus Deus etiam de lapidibus iſtis ſuſcitare filios
Abrahæ, antequã egrediatur vt ignis indignatio eius, & ſuc-
cendatur, nec ſit qui extinguat: ideò te fili dilecte in Chri-
ſto obſecramus per viſcera noſtri redemptoris Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti, per Chriſtianam vnitatem, per patriæ cha-
ritatem, per tuam deniq; ac ipſius tuorumque ſalutem, miſe-
rere Eccleſię Chriſti, & tot iam malorum procellis vndique
exagitatæ ac penè oppreſſæ tua maximè culpa, aliquando
fer opem: miſerere patriæ noſtræ, quæ ſyncerę olim fidei,
eximiæ religionis, ſanctæ ſub iugo Domini ac religioſæ o-
bedientiæ inſigni præcellens gloria, perniciem iſtam reli-
gionis Chriſtianæ, ac fidei ac pietatis publicum hoſtẽ Mar-
tinum, in ſuis ſe peperiſſe ac fouiſſe viſceribus, nunc erubeſ-
cit. Miſerere denique tui ipſius, tuorumq; miſerè ſeducto-
rum Saxonum. Quos, niſi reſipiſcatis, & quidem citò, ma-
net præſens & certa vltio Diuina, quam neq; in hoc ſeculo
effugietis, neq; in futuro. Hæc dicit Dominus Deus: Audi
populę ſtulte, audi princeps qui non habes cor: qui habetis
oculos, & non videtis: aures, & non auditis: Me ergo non
timebitis, & à facie mea non dolebitis? nunquid non audi-
ſtis, quæ fecerim in diebus antiquis? Legite ſcripturas, in
quibus putatis vos vitam æternam habere, & inuenietis,
quàm grauis ſemper fuerit, & quam terribilis Diuina vindi-
cta in illos qui in populo Dei ſchiſmata concitauerunt. Nũ-
16, quid non legiſtis horribilem Diuinam vltionem aduerſus
Dathan & Abiron, quòd multitudinẽ aduerſus Moſen con-
citauiſſent, quos dehiſcens ſub pedibus terra, & aperiens os
ſuum, deglutiuit, & omnia quæ ad eos pertinuerunt, ita vt
deſcenderent viuentes in infernum? Et aduerſus Core, quẽ
eandem ob cauſam cum ducentis & quinquaginta viris cæ-
leſtis flamma deuorauit. Quòd ſi ob durius imperium for-
taſſis, aut quorũdam paſtorum ſeu ignauiam, ſeu malitiam,
3.17. ſchiſmata excitanda putatis: nunquid non ex libro Regum
audiſtis adeò indignatum fuiſſe Dominum aduerſus decem
tribus filiorum Iſraël, & in omne ſemen eorum, vt dimoue-
rit eos, & tradiderit in direptionem, donec projceret eos à
facie ſua? Ob quam tandem culpã, niſi quòd ob durius im-
perium Salomonis, & imprudentius arrogantiuſq; reſpon-
3. 12. ſum Roboam regis Hieruſalem, ſciſſæ fuerunt à tribu Iuda
3. 15. & Beniamin? Quàm præſens ſemper fuerit Dominus vin-
dex ſacerdotibus ſuis, an non Saul ab regio abiectus hono-
1. 26. re, & Ozias Rex Iuda percuſſus lepra, propterea quòd quæ
ſacerdotum erant, cõtra ſacerdotes Domini ſunt auſi vſur-
pare, ſufficienti vobis potuerunt eſſe argumento? Et breui-
ter: An non omnes teſtantur hiſtorię, vniuerſos vltrice Do-
mini manu infelici perijſſe exitu, qui in Chriſtos Domini
ſacrilegas manus inijcere non formidauerunt? Contra au-
tem, felicia omnia & longam illis cõtigiſſe vitam, qui Chri-
ſtum in ſacerdotibus ſuis venerati ſunt? Moueant ergo vos
exempla aliorum, & cogitate quid vobis ſit expectandum,
qui venerabilem Dei chorũ, in manus tentatis tradere pro-
n.16. phanas. Proinde quod Dominus per Moſen præcepit vni-
uerſo populo Iſraël, vt ſepararẽtur à tabernaculis Core, Da-
than & Abiron, nec tangerent quicquam quod ad eos per-
tineret, ne inuoluerentur in peccatis eorum: hoc & vobis,
præcipuè autem tibi dilecte fili, eiuſdem Domini noſtri au-
thoritate pręcipimus & obſecramus & Chriſto Ieſu, vt ſepa-
remini à Martino Lutero, auferatis à vobis petram illã ſcan
dali, neque tangatis quod illius eſt, ne & vos diuina vltio in-
Cor. 5. uoluat ſubitò in peccatis illius. Expurgate quamprimũ fer-
mentum illud, quod reliquam fidei veſtræ maſſam corru-
pit, vt ſitis noua conſperſio, nouaq; creatura. Non dedi-
gneris fili dilecte Paulum imitari, quem ſicut viciſti in Ec-
cleſię Dei perſecutione, tam grauem animarum perniciem
ſub tuo nutriens patrocinio: ita reuerſus ad cor, effice vt o-
mnes intelligant tuam conuerſionem: vtq; qui per te ſunt
ſcandalizati, in te rurſus glorificent Deum. Maximè autem
hoc præſta quamprimùm, vt impurum os illud obſtruatur,
vt capuletur blaſphema lingua, quæ cõtra Deum ac ſanctos
eius loqui non ceſſat, & virus ſuum vndique ſpargit. Et vt Hier. 6.
prophetícis vos verbis admoneamus, ſtate ſuper vias, & vi-
dete ac interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, &
ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.
State, inquam, & doctrinis varijs & peregrinis nolite abdu-
ci. Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, per quã Heb. 13.
ambulauerunt patres veſtri, quam demonſtrauerunt tot
myriades martyrum, docueruntq; tot millia confeſſorum,
& ambulate in ea. Quod ſi à vobis impetrauerimus, ſicut & Luc. 15.
ſyncerè ſperamus, erit quod gaudeamus cum angelis de pec
catore pœnitentiam agente, & perditam ac rurſus inuẽtam
ouem humeris noſtris ad ouile Domini gaudentes repor-
tabimus, paternaque pietate quantum in nobis fuerit, ſto-
lam vobis priſtinam reſtituemus. Quòd ſi dixeritis, Non
ambulabimus: & paternè ſalubriterq; vos monenti reſpon-
debitis, Non audiemus. Ideò audite gentes, dicit Dominus, Hier. 6.
& cognoſcite congregationes, quanta ego faciam eis.

Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Sed & hoc tibi denunciamus in virtute omnipotentis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius in terris vicarius ſumus, nec te in præſenti ſeculo hoc laturum impunè, & in futuro æternę ignis expectare incendium. Viuunt vna Pontifex Adrianus & religioſiſſimus Imperator Carolus, meus chariſſimus in Chriſto filius & alumnus. Cuius tu edictum verè Chriſtianum aduerſus Luteranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, non ſine graui offenſa ac vilipenſione Cæſareæ maieſtatis violare non timuiſti. Non committemus, vt quos olim cum Magno Carolo Adrianus Pontifex in Chriſto genuerunt, nunc Adrianus Pontifex & Imperator Carolus ſub ſchiſmatico ac hæretico tyranno, hæreſum ac ſchiſmatum ſinamus interire contagione. Quare reuertimini ad cor, & reſipiſcite tu tuique miſerè ſeducti Saxones, niſi vtrũque gladium, Apoſtolicum ſimul & Cæſareum, olim velitis experiri.

Scripta Romæ anno Domini M.D.XXII.

VITA CLEMENTIS PAPAE VII.

CLEMENS, cui antea Iulij nomen erat, Iuliani Medicei filius, à Leone patruele primum Archi- Clemens quando Pontifex factus?
epiſcopus Florentinus, mox Cardinalis creatus,
vniuerſæ Reip. curam ſuſcepit. Qua beneadminiſtrata, poſt Adriani mortem, Cardinalibus Columna, & Cornario fauentibus, Pontifex renuntiatus eſt, anno Dom. 1523. decimo quarto Kalend. Decembris, tempore Carol. V. Imp. Tertio Pontificatus anno Iubileum celebrauit. Poſt Borbonij à Gallis defectionem, Clemens Caroli potẽtiam pertimeſcens, inita prius cum Venetis ſocietate, ſeſe mediũ inter vtroſq; conſtituit, & eorum diſſidia componere ſummo ſtudio conatus eſt. Columnenſes ingentibus coactis co-
pijs inſtructi ad Regnum Neapolis pro Carolo cuſtodien- Clemens captus.
dum, adſunt cum Vgone Moncada, ædeſq; Pontificis, nil tale metuentis inuadunt. is fuga arrepta, in Æliam arcem ſe recepit, neq; inde egredi ei licuit, quin Columnenſibus venia promiſſa, exercitum è Gallia Ciſalpina reuocãdum in ſe reciperet. Principibus tamen viris intercedentibus, & Prorege Lanoio conciliante, ad pacem ventum eſt, & Pontifex om-
nẽ exercitũ dimittit. Quod vt ſenſit Borbonius, illico exer- Roma capta.
citum Cæſaris Romã admouet, Vrbem contra fidem publicã capit, & diripit miſerrime: q̃ facinus nemo antea à Gothorũ, & Wandalorum temporibus auſus fuerat. Clemens, in Hadriani Arce diu obſeſſus, ad deditionem compulſus, multoque ære redemptus, Columnenſibus veniam (ſi quid

d eliquiſſent) cõceſſit. Poſt ſeptem menſes liber è cuſtodia, euaſit emẽtito habitu, & in Vrbem veterem perductus eſt: inde rurſus amicitiam, & affinitatem cum Carolo cõtraxit, quem in Italiam profectũ Bononiæ coronauit, cuiuſq; auxilio Florentiam obſedit; receptaque, Alexandrum pronepotem ei Ducem præpoſuit. Henricum Angliæ Regem excommunicauit, quod coniugem ſuam Caroli materteram repudiaſſet. Cum Carolo alijſque Principibus Italiæ, ſex menſium fœdus inijt. Franciſcum Regẽ Maſſiliæ cõuenit, eumque ſibi noua affinitate cõiunxit. Catharinã .n. Medicem pronepté ſuam, Regis Filio natu minori, nuptã dedit. Ad vrbem reuerſus, literas ſalutationis à Dauide Rege Aethiopiæ, longe diſiunctiſſimo, accepit, quibus lectis magnam animo lætitiam cõcepit. Huius temporibus ſecta Lutheranorũ diuiſa eſt in Zvvinglianos, Caroloſtadianos, Lutheranos, & Anabaptiſtas: Habitis in Heluetia, Haſſia & Bohemia conuẽtibus diſputationibus, & colloquijs (vt vocant) ſynodalibus, frequẽter quidem tentatum eſt, vt concordarentur; ſed fruſtra. Thoma Muncero auctore, prætextu libertatis Euangelicæ, exortum eſt bellum Ruſticanum perniciosiſſimum. In Spirẽſibus Comitijs permiſſum fuit, vt in fidei & religionis negotio, nihil deinceps vſque ad Concilium innouetur. Sectarij ſe decreto iſti ſubſcribere non poſſe, proteſtati, ad Cæſarem appellarunt, dictique hac de cauſa Proteſtantes, Confeſſionem ſuæ perfidiæ, à Melanthone Græcè & Latinè conſcriptam, ter quaterue mutatam, in celeberrimis Imperij Comitijs Auguſtæ, anno ſequenti habitis, obtulerunt. Adrianus obijt Anno Domini 1534. Septimo Kalen. Octobris, cum longo, & difficili morbo antea laboraſſet, ſediſſetque annos decem, menſes totidem & dies ſeptem.

CONSTITVTIO AD REMOVENDOS ABVSVS ET ORDINATIO AD CLERI VITAM REFORMANDAM,

per Reuerendiſſ. in Chriſto Patrem & D. D. Laurentium tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, S. Romanæ Eccleſiæ presbyterum Cardinalem Campegium, ad Germaniam &c. de latere legatum, nuper anno Dom. M. D. XXIV. Ratiſponæ edita.

LAVRENTIVS miſeratione Diuina tituli ſanctæ Anaſtaſiæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis, per vniuerſam Germaniam, ac Hungariæ & Bohemiæ, Poloniæque Regna, & quæcunque alia loca ad quę nos declinare cõtigerit, domini noſtri Papæ & Apoſtolicæ ſedis Legatus, ad perpetuam rei memoriam. Ex legationis officio à ſede Apoſtolica nobis commiſſo obligamur, vt circa ſtatum perſonarum Eccleſiaſticarum ſub finibus noſtræ legationis conſiſtentium, in melius reducendum, propenſius cogitemus, vt quæ in eis à ſanctorum patrum decretis & ordinatione deuiare perpendimus, ad debitam reformationis normam dirigentes, eis opem & operam adhibeamus efficaces. Nuper ſiquidem cum ſanctiſſimus dominus noſter Clemens Papa ſeptimus, cùm pro paſtorali ſuo officio, tum pro ea affectione qua inclytam nationem Germanicam paternè proſequitur, intellectis eius fluctuationibus, hæreticorumque impietate indies creſcẽte: Nos ad vniuerſam Germaniam ſuum & Apoſtolicæ ſedis legatum de latere miſerit non aliam ob cauſam, quàm vt tranquillitati prouinciæ & ſaluti animarum, quę periclitantur ob dictam nuper natam impuriſſimam omnis hæreſeos ſentinam, conſulat. Quod onus, licèt humeris noſtris impar, eius tamen præceptis & mandatis obedire, vt tenemur, volentes, freti Chriſti fauore Seruatoris noſtri, cuius negocium agatur, ſubiuimus: nihil hic prorſus noſtris viribus tribuentes, aut prætereà cupientes, quàm quod ad munus hoc feliciter implendum attineat. Cumque aliquot menſium experientia, multa collapſa & præter omnem opinionem difficultatibus plena perpenderimus, cum ſereniſſimo Ferdinando Hiſpaniarum principe, Archiduce Auſtriæ, Imperiali locum tenente generali, communicatis conſilijs, concordi ſententia particularem conuentum in ciuitate Ratiſponæ conuocare decreuimus: in quo vna nobiſcum interfuerunt præfatus ſereniſſimus princeps & archidux, reuerendiſſimus Matthæus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli ſancti Angeli presbyter Cardinalis Archiepiſcopus Saltzburgenſis, ac illuſtriſſimi Guilielmus & Ludouicus Palatini Rheni Duces in ſuperiori & inferiori Bauaria fratres germani, venerabiles in Chriſto patres Bernardus Epiſcopus Tridentinus, Ioannes adminiſtrator Eccleſiæ Ratiſponenſis, Palatinus Rheni Dux Bauariæ, ac nuncij ſiue oratores omnes cum pleno mandato venerabilium in Chriſto patrũ & illuſtriſſimorum principum Vigandi Epiſcopi Bambergenſis, Georgij Epiſcopi Spirenſis Palatini, Wilhelmi Epiſcopi Argentinenſis, Chriſtophori Epiſcopi Auguſtenſis, Hugonis Epiſcopi Conſtantienſis, Chriſtophori Epiſcopi Baſileenſis, Philippi Epiſcopi Friſingenſis, Palatini Rheni Ducis Bauariæ, Erneſti adminiſtratoris Eccleſiæ Patauienſis ac Palatini Rheni Ducis ſuperioris & inferioris Bauariæ, & Sebaſtiani Epiſcopi Brixinenſis. Cum quibus pluribus hincinde in diſcuſſionem allatis, & præcipuè quibus conſilijs, quibuſque modis præfatæ nationi Germanicæ periclitanti conſuleretur, paribus ſententijs receptum fuit, hanc perditiſſimam hæreſim rudi populo plauſibilẽ, ob libertatem illi falsò perſuaſam prætextu Euangelicæ charitatis, nõ paruam habuiſſe occaſionem partim à perditis moribus & vita clericorum, partim ob non diutiùs diſſimulandum ſacrarum ſanctionum, Eccleſiaſticarumque conſtitutionum abuſum, & proinde non parum momenti fore extirpandæ hæreticorum Luteranorum & eorum ſequacium ſectæ, vt clerici ad honeſtatem vitæ moreſque ſuos illos, quos diuus Paulus exigit & præſcribit, debita cenſura reducti, abuſuſque laicos malè offendentes, ſublati fuerint. Itaque habitis maturis deliberationibus, & pijs conſilijs præfatorum Ferdinandi principis, cardinalis, ac ducum, & Epiſcoporum, atque nunciorum ſuorum, infraſcriptos ſalutares aliquot tam neceſſariæ reformationis ſacerdotum, presbyterorum, religioſorum & clericorum modos præſcribere, ſtatuere, ſancire, atque edere neceſſariũ duximus. Quocirca authoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, ſtatuta & ordinationes per nos (vt præfertur) edita ab omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, & alijs perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, ac parochialium Eccleſiarum aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum rectoribus, presbyteris religioſis ac clericis, in vniuerſa Germania reſidentibus, prout eos & eorum quemlibet reſpectiuè tangit, aut tangere poterit in futurum, perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruari volumus, decernentes irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus vniuerſis & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ac alijs perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, necnon Metropolitanarum & aliarũ cathedraliũ Eccleſiarũ canonicis, ipſorumq; Archiepiſcoporũ & Epiſcoporũ officialibus & vicarijs generalibus per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi & eorum quilibet, ſi & poſtquam pro parte illorum quorum intereſt, aut in futurũ intereſſe poterit, fuerint requiſiti, ſtatuta & ordinationes huiuſmodi, & horum ſingula, inuiolabiliter obſeruari faciant, contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas & alia iuris remedia cõpeſcendo, inuocato, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, non obſtante conſtitutione felicis recordationis Bonifacij Papæ octaui, qua cauetur, ne quiuis extra ſuam ciuitatem & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam diætam à fine ſuæ diœceſis ad iudicium euocetur.

eu ne iudices à ſede Apoſtolica vel eius authoritate depu-
ati , extra ciuitatem & diœceſim, in quibus deputati fue-
int,contra quoſcunque procedere, aut alij, vel alijs vices
uas committere præſumant. Et in Concilio generali de
luabus diætis & perſonis, vltra certum numerum ad iudi-
ium non vocandis, & alijs conſtitutionibus & ordinatio-
ibus Apoſtolicis , cæteriſque contrarijs quibuſcunque.
Verùm quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula loca
d quæ expediens fuerit, deferri: volumus & authoritate A-
oſtolica decernimus, quòd tranſumptis præſentium litte-
arum, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius
perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, ea fi-
des adhibeatur, quæ eiſdem originalibus, ſi eſſent exhibitæ
vel oſtenſæ, adhiberetur. Et vt huiuſmodi ſtatuta & ordina-
tiones ad ſingulorum notitiam deducantur, vniuerſis loco-
rum ordinarijs authoritate Apoſtolica præfata in virtute
ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenus ſtatuta & ordina-
tiones huiuſmodi per ſe, vel alium, ſeu alios in eorũ Eccle-
ſijs vel ciuitatibus publicent, ſe publicari faciant, quæ poſt
publicationem ipſam eoſdem quorum intereſt , aut inter-
eſt, aut intereſſe poterit, perinde arctent, ac ſi eis perſonali-
ter intimatæ eſſent, aut intimarentur. Tenor verò ſtatu-
torum & ordinationum prædictarum , ſequitur & eſt
talis:

Cùm potiſſimum anima verbo quod ex ore Dei proce-
dit, viuat : id autem nec paſſim, nec ab omnibus expediat
prædicari, admonente Apoſtolo, qui inquit: Quomodo e-
nim prædicabunt, niſi mittantur? Ideò ſtatuimus & ordi-
nauimus, vt non liceat cuiquam, etiam religionẽ profeſſo,
ac quomodolibet exempto Euangelium docere, niſi ab or-
dinario vel eius vicario, tam moribus quàm doctrina pro-
batus fuerit, facta fide per patentes literas, quæ præter No-
tarij mercedem gratis prorſus concedantur. Miſſi itaq; atq;
probati, Euangelicum negotium tractabũt rectè, ſobriè &
pui è, loca quæque recondita magis & abſtruſa, intellectuq;
difficilia, non ad nouum & adulterinum ſenſum, ſed iuxta
ſanctorum patrum & ab Eccleſia receptorum doctorum,
præcipuè Cypriani, Chryſoſtomi, Ambroſij, Hieronymi,
Auguſtini & Gregorij, exponant & interpretentur. Omni
etiam ope ſtudeãt, ne pro veris ſomnia & aniles fabulas, pro
certis dubia, pro receptis apocrypha, & iamdudum explo-
ſa, damnataque ab orthodoxa Eccleſia, tradant vel depro-
mant. Idque omni modeſtia, ne vnquam eos ad cõuicia in-
iuriaſque delabi contingat, locuſque ille cum populi oſten-
diculo dehoneſtetur. Itaq; ordinarius aliquot excellẽti do-
ctrina præditos conſtituat, qui per diœceſim inquirant, qui
ſint ad Euangelicam doctrinam idonei diſſeminandam,
quique ad impias nouitates & perfidiam aliquam nõ defle-
ctãt, vt remedia adhibeãtur, quo populus rectè inſtituatur
in Chriſtiana lege: & ab ea deficiens, ne ſecum alios trahat,
debitè coerceatur: cultus diuinus obſeruetur: peragaturque
his modis & ritibus, qui per manus ſanctorũ patrum nobis
traditus, & per maiores noſtros obſeruatus eſt in ſacrificio
altaris, officijs defunctorum, canonicis horis, cæteriſque di-
uinis laudibus atque cæremonijs.

Hinc hortamur atq; monemus omnes & ſingulos, qui
ſacris initiati ſunt, vt viuant vitam, quam profeſſio exigit, &
Chriſtus requirit, inquiens: Sic luceat lux veſtra coram ho-
minibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrẽ
veſtrum qui in cælis eſt. Cum veſtitu honeſto incedant, quẽ
Paulus alibi pręſcripſit. Quapropter ſingulari cura intendat
quiſq; prælatus, ne hi quibus præeſt, in ſacris ordinibus cõ-
ſtituti, veſtes varij coloris velut virgatas & fimbriatas defe-
rant, ſed longis atque talaribus vtantur. Nulla arma induãt,
niſi itinerantes: barbam & comam non nutriant, coronam
& tonſuram deferentes, tum ſummoperè curantes, ne quẽ
Laicorum indecẽtia veſtitus offendant, vt ſacris canonibus
cautum eſt.

Inſuper tabernas publicas euitent, niſi eas peregrè pro-
ficiſcentes ingredi oporteat, & tam inibi quàm domi & ali-
bi à crapula & ebrietatibus, omnique ludo à iure prohibito,
blaſphemijs, rixis, ac alijs quibuſcunque exceſſibus & offen-
ſionibus penitus abſtineant. Choreas, ſpectaculaq; & con-
uiuia publica vitent, ne ob luxum, petulantiamque eorum,
nomen Eccleſiaſticum malè audiat.

Cumque ſecundum Apoſtolum, Nemo militans Deo, 4
ſeſe negotijs ſæcularibus implicare debeat : Nemini liceat 2.Tim.2.
contra prouincialia ſtatuta & ſynodalia domi ſuę tabernam
compotandique locum aperire Laicis: quoniam non rarò
ſequi ſolent ebrietatem rixæ, cædes, & multa hoc genus ſce-
lera, quæ ſacerdotalem polluunt dignitatem. Prætereà ne-
gociationibus mercimonijſque more mercatorum ab-
ſtineant.

Sacerdotes* quoque curati, quique vicem eorum refe- 5
runt, ſubditos in remedijs & alijs iuribus parochialibus, vl- *autem
tra ea quæ ſibi de iure debentur, non grauent, vltraq; depo-
ſitionem, eos ad peractiones ſeptimi, triceſimi vel anniuer-
ſarij peragi faciendas nõ cogant, tum præter oblationes fe-
ſtis ſolennibus fieri ſolitas, cùm illa pro arbitrio fieri nõ de-
beant, ab inuitis non exigant.

De ſepultura quoque ac adminiſtratione ſacramento- 6
rũ, alijſq; ſpiritualibus paciſci, aut aliquid ab inuito exigere
nemo poſſit aut debeat, & propter eiuſmodi à parochianis
neglecta, cuiquã non liceat aliquod ſacramentorũ denega-
re: Neque propter debita quempiã ab Eccleſiaſtica ſepultu-
ra prohibere. Parochialia tñ iura, quæ vſus recepit, & debẽ-
tur altari ſeruienti, per prædicta non abrogamus.

Cùm aũt in diœceſibus non ſit eadẽ conſuetudo, & in- 7
ter ſubditos & paſtores multa & varia emergant diſſidia, pa-
ſtoribus quibuſdã plura exigere propẽſis, ſubditis verò ob
penuriã & egeſtatẽ reclamantibus & recuſantibus: ordina-
mus, q quilibet ordinarius infra ſex menſes poſt præſentiũ
publicationẽ, omnibus perpenſis, beneq; & ſufficienter exa-
minatis ſuper prædictis, certam legem ordinationemq; vnà
cum principum aut dominorum ſæcularium conſilio, quos
iſta negocia tangunt, cõſtituat, ne viduæ, pupilli & alij pau-
peres nimium vltra vires iniuſtè grauentur, quòd nos, ſi ne-
glectũ fuerit, ſi in prouincia adfuerimus, vel ſucceſſor no-
ſter, habita de his plena informatione, facturos pollice-
mur, aut rem ipſam ſanctiſſimo domino noſtro relaturi ſu-
mus, qui huic rei proſpiciendæ iudices deputabit.

Conuiuia preſbyterorum, quæ in exequijs & fraterni- 8
tatibus publicè in tabernis hucuſque exhibita ſunt, prorſus
abrogamus, quòd plerunque laicis ſint ſcandalo. ſi autem
conuiuium vel conſuetudo, vel locorum diſtantia exiget,
fiat illud in domo ſacerdotis: honeſteque, nõ ad luxum, ſed
ad neceſſitatem, inſtruatur. Siquidem neque commeſſatio-
ni, neque compotationi vacandum eſt ſacerdotibus, cùm q Phil. 3.
ne audiant, Quorum Deus venter eſt: tum quòd officij eo-
rum eſt, & ſobriè & caſtè pro peccatis Deo dona ſacrificia-
que offerre.

Porrò ne & ipſi videantur pecuniæ aucupium magis, q̃ 9
ſalutis animarum ſtudiũ amplecti, dum laicos grauiora de-
licta confeſſos hincinde remittunt non ſine famæ rerumq;
diſpendio: conſtituimus & ordinamus, vt deinceps quilibet
confeſſor abſoluere poſſit laicos contritos & cõfeſſos à qui-
buſcunque peccatis occultis, quantumcunque grauibus &
enormibus, quæ ordinarij ſuæ authoritati reſeruauerãt, ex-
ceptis duntaxat homicidis, hęreticis, & excommunicatis, ad
Epiſcopum vel eius vicarium mittendis. Quo aũt ad cleri-
cos, nihil, quo ad hoc ſtatutum, intelligatur innouatũ. Pro
condonatione autem & remiſſione peccatorũ, quam abſo-
lutionem vocant, nihil omninò ab inuito exigant.

Statuimus quoque iuxta Apoſtoli ſententiam, quæ di- 10
cit, Nemini citò eſſe manum imponendam : ne cui temerè 1.Tim.5.
cura animarũ committatur. Itaque probetur prius per Epi-
ſcopũ vel eius officialem, etiam religionem profeſſus. Nec
liceat vlli, vicarium Eccleſiæ & plebis ſuæ ſufficere illam ve
locare, ſiue emolumentum, quod abſentiæ nomine recipi-
et, conſtituere ſine authoritate Epiſcopi aut vicarij. Nam cũ 1.Cor.9.
os boui trituranti non ſit alligandum, Epiſcopi vel officia-
lis arbitrio eiuſmodi emolumenta locationum & abſentia-
rum moderanda cenſemus.

Domos quoque, fundoſq; dotales beneficiorũ collap- 11
ſos inſtaurent poſſeſſores, quantũ neceſſitas poſtulauerit,
reparataq; in debita ſtructura conſeruent, & per Archidia-
conos & Decanos rurales, ac alios ad quos de iure vel cõſue-
tudine ſpectat, vbi negligentes fuerint, per ſubtractionem
prouentuum authoritate noſtra arctiùs compellantur.

Expreſsè cauẽtes, ne cura Eccleſiarum beneficiorumq; 12
conce-

concedatur religionem quamcunque profeſſis, etiã exemptis: ꝙ ſi hactenus aliqui admiſſi vel recepti eſſent, niſi de voluntate fauoreq́; ſuperioris ſui legitimisq́ue cauſis conſtiterit, extra ſua monaſteria degere nequaquam ſibi integrum fore putent, quando illos ſic vagos, per ordinarios vel vicarios ad ſuperiores ſuos, per victus denegationẽ aut alia iuris remedia remittendos eſſe iubemus.

Monaſteriorum prælati vnitas Eccleſias habẽtes, prædictos vicarios perpetuos vel ad nutum amouendos, in eiſdem Eccleſijs in poſterũ non conſtituant, niſi prius per ordinarios aut eorũ vicarios, vt idonei & apti, fuerint admiſſi. Eccleſiæ tamen ſuis monaſterijs vnitæ vſqueadeò propinquæ, quòd religioſi earundem curã habituri, ſub religione in monaſterio ſub debitaq́; obedientia ſtare poſſent, modo ſint habiles & idonei, per huiuſmodi religioſos prouideri poſſint. Id quoq; permittimus de monaſterio, quod tam tenue eſt, vt debitam ſuſtentationẽ habere nequeat, volentes religioſos & qualitercunq; exemptos, curata beneficia habentes, ordinario loci eſſe ſubiectos. Cumq́; in Eccleſia Dei magis præſtet, paucos bonos & doctos, quàm plures indoctos & imperitos habere miniſtros, id quod ratio noſtrorũ temporum exigere videtur: idcirco deinceps non initiẽtur ſacris ordinibus, niſi viri morũ vitæ cãdore & doctrina præ cæteris ſpectati, probatiq́ue per teſtimonium examinis ritè ſeruandi.

Quòd attinet ad ordinatos in vrbe vel in alia quacunq; aliena diœceſi, ſancimus, vt & illi ſuarũ ordinationum literas & titulos oſtendant. Et ſimili modo ad diuina peragẽda priùs non admittantur, quàm ab Epiſcopo vel vicario ſeu officiali fuerint ritè admiſſi.

Prætereà, cùm nihil æquè cõueniat omnibus numeris, ac eos eſſe mundos qui vaſa Domini portant, & in ſacrario operantur, quales ſacerdotes conſtituit ipſe Dominus, qui quotidiè ſacroſancta tractant, & in illis verſantur: Igitur volumus, atq; iuxta ſanctiones canonicas feliciter à diuis patribus inſtitutas ſancimus, vt caſtè continenterq́ue viuant: Sacerdotes concubinarij, incontinenterq́ue vitam agentes, Canonum pœnis in ordinem redigantur, nulla conſuetudine eis, nulla conniuentia, immò damnoſa prælatorum negligentia, patrocinante.

Quo verò ad quæſtores, qui vulgò ſtationarij appellantur, ſtatuimus, ne quis quauis authoritate & literarũ occaſione, vel ad prædicandũ, vel ſubſidia eleemoſynasq́ue colligendas ſe ingerat, vtcunq; ſe iactet indulgentijs abundare, niſi prius literæ admiſſionis & approbationis ordinariorũ vel vicariorum ab eo prolatæ fuerint, adſtringentes ipſos ordinarios, vt tales admittant, qui probæ vitę teſtimonium habeant, & de prædicatione ſua, dum opus erit, rationẽ reddere poſſint, eleemoſynis piorumq́ue oblationibus nõ abuſuri per luxum proprium, religione iuſiurandi affirmaturi, ſe nec quotam nec totam colligendi facultatem certa ſumma pecuniarum pactos eſſe. Fratribus tamen mendicantibus integras ſaluasq́; conceſſiones, à ſede Apoſtolica factas, relinquimus.

Et vt paſtor agnoſcat vocem ouis, & illa viciſſim vocem paſtoris audiat, tollaturq́ue omnis vagandi occaſio: ordinamus, quòd preſbyteri peregrini & ignoti, ad Miſſarum ſacrificium non admittantur: nec vltra menſis ſpatium in cõſortio preſbyterorum tolerentur, niſi exhibeant literas admiſſionis alterius ex Archiepiſcopis vel Epiſcopis, in cuius diœceſim ſe tranſtulerint, ac documenta & literas teſtimoniales ſui ordinarij, à cuius diœceſi proximè diſceſſerunt, quibus de eorum ordinibus & honeſtate cõſtet, Ne aliquis incorigibilis poſt perpetratos exceſſus, impunè ad aliã diœceſim tranſeundo euadat.

Vt autem Chriſtifidelium Eleemoſynæ in vſum, pro quo erogantur, vertantur: nõ liceat procuratoribus ſeu vitricis fabricarum, in ſingulis Eccleſijs quicquam de pecuniis ad fabricam prouenientibus, diſtribuere, aut in ædificiorum vel alterius rei vſum diſpenſare ſine rectoris ſcitu, ſed ad armaria fabricę reponantur, vt hactenus ſeruatum eſt, duabus vel tribus clauibus pro loci conſuetudine tenendis: quarum vna ipſi rectori ſeruanda tradatur, obſeruato vſu, in clauibus & rationibus reddendis à principibus & ſuperioribus hactenus recepto.

Statuimus quoque & ordinamus, ne epiſcoporum in Pontificalibus vicarij, in conſecrandis Eccleſijs & altaribus, quod ſacri iubent canones, quicquam omninò exigant, excepta procuratione. Conuenit namq́ue, vt pro qualitate ſtatus ipſorum, Epiſcopi proſpiciant, præſtando præcipuè penſiones ſuper fructibus menſę Epiſcopalis à ſede Apoſtolica conſtitutas, ne aliquid attẽtare habeant in dedecus Epiſcopalis dignitatis.

Nec ab re, imò iuſtis de cauſis adducti, feſtorum multitudinem conſtringendam eſſe duximus: ſtatuentes & ordinantes, vt de cætero Dominica dies, quæ in gloriã Dominicæ reſurrectionis ad nos vſq; à primitiua Eccleſia maximè celebris ſemper habita eſt: Dies quoque natiuitatis Chriſti, ſancti Stephani, Ioannis & Innocentium, Circumciſionis, Epiphaniorum, Paſchæ cum feria ſecunda & tertia duntaxat, Aſſcenſionis, Georgij, Pentecoſtes cum feria ſecunda & tertia dũtaxat, Corporis Chriſti, & præſertim quãtuor Beatæ Virginis, Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Natiuitatis, Natalitia Apoſtolorum, Ioannis Baptiſtæ, Magdalenæ, Laurentij, Dedicationis, Michaelis, omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, & Catharinæ, & per diœceſim Saltzburgenſem feſtiuitates ſancti Ruperti, ſicut hactenus obſeruatæ fuère, celebres quoque & feſti habeantur. In cæteris autem feſtiuitatibus, quacunque ratione vel inſtitutis vel receptis, & quæ ſub præcepto celebrari debeant permittimus, liberumq́; cuique facimus, vt Miſſa audita, ad operas ſuas, quibus ſuam ſuorumq́; alimoniam quærere cogitur, redire poſſit: Feſtis tamen Dedicationum & patronorum principalium, nihil derogantes, quo ad eorũ celebrationem in Cathedrali ſede, ciuitateq́ue ac loco etiam Epiſcopalis reſidentiæ duntaxat.

Cumq́ue in certis locis & diœceſibus inter Paſtores & gregem propter nuptiarum celebritatẽ, quam alij inthronizationẽ, alij ſolennizationem vocare ſolent, multa & iurgia & ſcandala eueniant: declaramus & ſtatuimus, quòd matrimonia in cõſpectu Eccleſiæ poſſint ſolennizari, nullo ab ordinario ad hoc conſenſu petito, aut quapiam re pro ea expoſita, exceptis tamẽ tota quadrageſima, vltima hebdomada aduentus, feſtis Paſchæ, Pentecoſtes & Natiuitatis Dominicæ, cum octauis ac diebus Rogationum. Ieiunia quoq; ab Eccleſia inſtituta, ſub debito obedientiæ ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ in poſterum indici debent omiſſo excommunicationis verbo, ne infirmorum conſcientiæ offendantur, cùm his tẽporibus pietas penè omnis iaceat, ſacerdotibuſq́ue parum deferatur.

Vt igitur extinctus cultus excitetur, populusq́ue nõ fiat indies negligentior: ſtatuimus, vt propter cædem Clericorum, perſona tantum, non autem locus interdicẽdus veniat, niſi cætu concurſuq́ue populari facinus patratum eſſet.

Inhibemus inſuper, ne in poſterum Epiſcopi Clericis legitimis, ab inteſtato decedẽtibus, in patrimonialibus bonis aut induſtria propria acquiſitis, ſuccedere poſſint aut debeant.

Cumq́ue quotidiè ob nouas, immò iam olim damnatas hæreſes, apoſtatarum numerus tam religioſorum, quàm ſacerdotum in immenſum creſcat, quàmplurimis eorũ vxores ducentibus; vt ergo ſacrilegia hæc impunita non remaneant, concedimus quibuſcunque principibus, ſtatibusq́ue poteſtatis ſæcularis, eorumq́ue officialibus facultatem, vt eiuſmodi apoſtatas & ſacrilegos capere poſſint, modo reos ipſos ordinarijs infra tempus debitum tradant & aſſignẽt, abſque aliqua in eos tortura & animaduerſione, debitè puniendos: quibus enixè mandamus, vt omni poſita mora fauoreq́ue, diligentius quàm hactenus factum fuit, iuxta ſacras ſanctiones omninò puniant facinoroſos, adeo quod criminis enormitate expoſtulante, poſſit Epiſcopus, ſeruata forma Capituli primi de hæreticis in Sexto, reũ Curiæ ſęculari relinquere, vel ad perpetui carceris ærumnã damnare. Negligentia aũt ordinariorum ad Apoſtolicam ſedem deducta, Iudices Eccleſiaſtici ab ea deputabuntur, qui conſtito de ordinariorũ negligentia, ad preces principum aliorumq́ue ſæcularium reos maximè hæreſeos meritis pœnis afficient. Quod iam Epiſcoporũ quidam, vt accepimus de beneficiorum penſionibus atque abſentijs decimas exigãt,

cùm ſit in contrariũ iuri, longeque præſtet, malè inductos vſus delere, quàm inuſitatum quid admittere: idcirco deciſmas eiuſmodi vlterius exigi ſoluique interdicimus, vſumque talem qualitercunque receptum caſſantes, caſſatumq; eſſe cenſentes.

Item improbamus, & vt abſonum prorſus reijcimus, ab Epiſcopis medios exigi fructus de beneficijs, quæ vnius ſuſtentationi vix ſufficiunt, vt ſunt quæ non excedunt valorem trigintaduorum Rhenenſium, de quibus in Rom. Curia medij fructus non exiguntur. Quod etiam ab ordinarijs obſeruandum eſſe præcipimus, niſi cõcordatis aliter cautum eſſet, vel honeſta ratione aliquid, ſine tamen repræhẽſibili grauamine, accipiant.

Cæterùm quo maior fiat coniunctio, firmaque magis inter prouinciales ſtabiliatur concordia totius prouinciæ, antiquum morem ſynodorum innouantes, ſtatuimus vt ſingulo triennio poſt Paſcha prouinciale Concilium celebretur.

Ad hæc, cùm beneficia propter officia, iuxta patrum ſanctiones, dari conſueuerint, fierique vix poſſit, vt in tanta præbendatorum caterua non reperiatur, qui officij oblitus horas negligat canonicas: hinc ſtatuentes volumus & ordinamus, vt locorum ordinarij per Archidiaconos & Decanos de huiuſmodi ſacerdotibus negligentibus ſeſe diligenter edoceant, & ſecundum vniuſcuiuſque negligentiam atque deſidiam, fructus perceptos vel in vtilitatem Eccleſiæ, vel in vſum pauperum vertant. Quòd ſi poſt legitimas monitiones & ſimul primam correctionem, in eandem negligentiam, quæ diſſolutæ prorſus mentis indicium eſt, quis relabatur, tum beneficio etiam Eccleſiaſtico priuetur. Collatorique vel patrono de alio idoneo prouidendi aut præſentandi ſit poteſtas.

Sanctionem patrum, qua Eccleſiaſtica ſepultura priuatur, quiſquis non confeſſus, nec Euchariſtiæ Paſchali tempore communionem ſumpſerit: inuiolabiliter obſeruandã eſſe ſtatuimus, ac vbi quem contigerit inopinata morte obire inconfeſſum, ſepultura præfata illum carere non volumus, modo ipſius curato conſtet, vel doceat ille, ipſum ſecundum iam dictam ſanctionem confeſſum eſſe, & ſimul communicatum, aliudque non obſtet canonicum impedimentum.

Ad tollendam execrabilem blaſphemiam diuini nominis ac diuorum, quos temnere fas non eſt: ſtatuimus & ordinamus, vt quicunq; clericus vel ſacerdos Deo palam maledixerit conuicijs contumelijsque, atque adeò obſcœnis verbis inceſſerit Deum & Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, aut nunquam ſatis laudatam matrem eius glorioſam virginem, pari blaſphema lingua impetiuerit, alioſque ſanctos blaſphemauerit, fructuum vel bonorũ priuatione ſeu alijs pœnis pro qualitate blaſphemiæ & delicti plectatur.

Contra Simoniæ labem non diſcedimus à patrum ſanctionibus, iubentes eas ſub pœnis in illis contentis obſeruari.

In ſortilegos, diuinaculos, incantatoreſque clericos, quos tam ſacræ leges quam patrum decreta exectantur, ſtatuimus & ordinamus vt arbitrio ſuperiorũ infamia notentur: ſi qui moniti non deſtiterint, ordine amoueantur: inq; monaſterium ad tempus iuxta arbitrium ſuperioris relegẽtur, beneficijs officijſque ſuis Eccleſiaſticis priuati. Cæteri autem pſeudochriſtiani, de fideque parum probè ſentientes, citra delectum perſonarum, hæretici quoque vel Iudaiſmum referentes, à ſancta congregatione Chriſtianorum procul arceãtur. Contraque eos diligenti inquiſitione procedatur per ordinarios vel eorundem vicarios aut hæreticę prauitatis inquiſitores, vel per iudices à ſede Apoſtolica, vel per nos deputandos, vt non reſipiſcentes, pœnis puniantur debitis.

Prohibemus etiã tam clericis quàm laicis, de ſacroſancta fide temerè, præcipuè inter pocula atque conuiuia, diſceptare: iniungentes ſacerdotibus, vt omni modeſtia vtantur, & peculiariter operam impendant nouo veterique teſtamento legẽdo, vt par eſt, ne per otia in vitia voluptateſq; labantur.

Statuimus & ordinamus, vt quilibet Epiſcopus diligenter prouideat atque in primis id curet, vt vicarij ſiue perpetui, ſiue pro nutu poſiti, competentem viuendi portionem aſſequantur, ne detur eis anſa ſuos ſubditos ob rei familiaris penuriam grauandi. Porrò, quod proximè accedit ad Apoſtolorum inſtitutionem, moremque primitiuæ Eccleſiæ, hortamur, cùm Prælatos, tum reliquos ſacerdotes, vt meminerint pauperum, & eleemoſynis ſtudeant alter alterum vincere.

Sunt item pleraque alia à ſummis Pontificibus, ſacris concilijs, prouincialibuſque & ſynodalibus conſtitutionibus prodita, quæ mirè decent & adornant candorem vitæ clericalis. Necminus obuiant oſtendiculis, quæ Chriſtus paſſim cauenda præcepit, quæ velut ſancta teneri & obſeruari mandamus, tranſgreſſores ſecundũ canones ipſos prædictaſque conſtitutiones puniri volentes.

Inhibenteſque propterea omnibus & ſingulis vicarijs & officialibus, necnon & Archidiaconis & Decanis ruralibus, alijſque ad quos criminum denunciatio correctioque quomodolibet ſpectant, aut quibus id per ordinarios committetur: ne ad exceſſus tranſgreſſioneſque alicuius dictarum conſtitutionum, ſtatutorum & ordinationum noſtrarum, ob pecuniam etiam vltro oblatam, aut alterius rei gratia conniueant, ſed potius ad pœnas de iure vel conſuetudine debitas, contra delinquentes pro delicti qualitate & officij ſui debito procedant. Atque vt ita fiat, quoniam nihil proderit leges condere, niſi ſint qui conditis viuant, mentemque earum exequãtur, vtque refloreat Catholica fides, Eccleſiaſticaque dignitas, hæreſibus radicitus extirpatis, ſuum locum recuperet: idque vix alio medio aptius atque commodiùs fieri poſſit, quàm ſynodis: Itaque priſcum ſynodorum morem renouare cupientes ſtatuimus & ordinamus, vt ſingulo anno ſaltem ſynodus diœceſana oportuno tempore à ſingulis Epiſcopis celebretur cum potioribus prælatis, Decanis Ruralibus, viriſque dignis. In quibus per quartas deſignentur iudices, qui diligenter intendãt, ſi ſtatuta prædicta ac alia per ſynodos de ſcitu Epiſcopi, ſtatuenda, obſeruentur: inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachio ſæculari. Mandantes propterea, vt huius noſtræ conſtitutionis ordinationiſq; ſeries, in præfatis ſynodis tã prouincialibus quàm diœceſanis, in earundem principio diligenter legatur, ne quis in futurum ignorantiã prætexere poſſit. Datum Ratiſponæ à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimoquarto, Nonis Iulij põtificatus præfati domini noſtri Papæ Anno primo.

Viſa. Iul. Flo. Montinus.
D. de Paternina.
G. Prego.

CONCILIVM SENONENSE, PRO REFORMATIONE Eccleſię celebratũ ſub Reuerẽdiſſimo Dn. Antonio à Prato, Tituli S. Anaſtaſiæ presbytero Cardinali, Senonenſi Archiepiſcopo, Galliarum & Germaniæ Primate, necnon Albigienſi Epiſcopo, Franciæ Cancellario, Anno Domini 1528. tempore Clementis Papæ VII.

ANTONIVS miſeratione Diuina, tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſię presbyter Cardinalis, Archiepiſcopus Senonenſis, Galliarũ & Germanię Primas, Albigienſis Epiſcopus, ac Francię Cancellarius: vniuerſis præſens hoc ſcriptum inſpecturis, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus.

Cùm frequens Conciliorum celebratio, agri Dominici præcipua ſit cultura, quę vepres, ſpinas & tribulos hæreſum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem vberrimę fertilitatis adducit: Generalia

autem

autem non facilè poſſint aut ſoleant adunari, quibus ſuboleſcentes errorum fibræ, animaduerſionis tempeſtiuæ ſarculo præcidantur: prouidè admodum à ſanctis patribus inſtitutum eſt, vt metropolitani prouincialia ſubinde Concilia conuocarent: quibus, vna cum ſuis ſuffraganeis, irrepentibus animorum morbis & commiſſæ ſibi plebis contagioni, digna cautione mederentur. Quod etſi ſemper vtique fuerit non ſegniter obſeruandum, ea tamen ſeſe nobis obtulit neceſſitas, vt in tanta curarum noſtrarum mole, nulla dilatione negocium tam ſanctum protrahi pateretur. Siquidem cum grauis & lœtifer morbus affligat corpus ac depaſcit, adhibenda eſt e veſtigio ſalutaris medicina ſine vlla procraſtinatione, quæ propulſato morbo, priſtinā ægroto ſanitatem inſtauret. Et periculoſa tum ſolet eſſe mora, cùm per illum languor exitialis inualeſcit amplius, & valentiores ſumit vires. Quid igitur factitandum, cum extrema quædam animorum peſtis immaniter graſſatur in omnes, & lue ſua mortifera longè lateque debacchatur? Nonne reiecta omni prorogatione, incunctanter occurrendum eſt, & maturè tam peſtilenti malo remedijs ſalutaribus & accōmodis, nè ſi oſcitāter idipſum & lentè agatur, interea tabes illa peſtifera latiùs proſerpat in plures, & diffuſiùs propagetur? Tale autem quiddam noſtra accidiſſe ætate circa fidei & morum corruptelam, vel tacentibus linguis, res ipſa planè loquitur: Adeſſe iam tempora illa periculoſa, de quibus ad Timotheum ſcribit Apoſtolus, ipſa rerum experientia dilucidè comprobat. Tanta enim, Martini Luteri & perditorum quorundam hominum auſpicijs, in orthodoxam fidem peſtis efferbuit, tam grauis Eccleſiæ procella ſuperioribus hiſce diebus incubuit, vt electi (quod eſt apud Matthæum) propemodum viderentur in errorem induci, & dirum concuſſæ Petri nauiculæ naufragium intentari. Nempe eo dementiæ proruperunt Eccleſiæ perduelles, in eam venêre perfrictæ frontis impudentiam, dum extinctarum quondam hæreſum cineres exuſcitant, dum hæreſiarchas ob omni fidelium theatro quondam exploſos, orthodoxis patribus anteponunt, vt ſacroſanctam Cōciliorum authoritatem reſpuant, nullum vel apertiſſimum ſcripturæ locū non deprauent, ſed corruptum atque adulteratum in ſuam vtcunque ſententiam detorqueant. Ne ſerpat itaque latiùs hic cancer, ne quis è commiſſa nobis plebe, vanæ cuiuſdam libertatis prætextu, aut adulterino ſcripturarum fuco deceptus, tam dirum ac peſtilens venenum hauriat: de ſuffraganeorum noſtrorum conſilio Decreta promulgari iuſſimus, quibus exitiale Luteri & cæterorum id genus hæreticorum virus, aliqua ex parte detegatur. Adiectæ ſunt & nonnullæ Conſtitutiones, quibus inſoleſcentes noſtra tempeſtate mores & ſuppullulantes quidam exceſſus comprimantur. Diſciplinæ tamen ordinem ſequuti, à generali primum decreto ſuſceptum fidei negocium inchoamus, ad ſpecialia ſubinde progreſſuri. Datum Pariſijs, Anno Domini 1528. die verò 20. menſis Februarij.

PRÆFATIO.

SCRIBENS Regius Pſaltes de Eccleſia eiuſque aduerſarijs, & vano atque inani eorum conatu: Sæpè, inquit, expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſraël: Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. Quibus ſanè verbis indicat, Eccleſiæ vel à primordijs ſuis hoſtes non defuiſſe: qui atrociter quidem illam impugnarunt, ſed minimè deuicerunt: hoſtiliter quoque exercuerunt, ſed nō pro ſua potuerunt libidine extinguere. Quare cum præpoſuiſſet, Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: mox ſubiunxit, Etenim non potuerunt mihi, quod idem facilè cognoſcet, quiſquis veteres hæreſiarchas & eorū errores paululum diſcuſſerit. Nam à plurimis aduerſarijs oppugnatam Eccleſiā fuiſſe percipiet, ſed ſemper de illis nobiliter triumphaſſe. impugnarunt in primis Eccleſiam in primo ſuæ iuuentutis flore Simoniani, Nicolaitæ, Gnoſtici, Carpocratiani, Chiliaſtæ, Ebionæi, & plerique alij hæretici, qui falsò arbitrati, vafris ſuis argutijs & dolis ſupplantare Eccleſiam, tanquam fumus euanuerunt: Eccleſia autem victrix glorioſaque permanſit. Subſequuti ſunt deinde alij, Eccleſiam inſidioſiùs & occultiùs adorti: qui ſacras literas aliquatenus ſuſcipientes, & nudo earum cortici inhærentes, eius authoritatem non ſolū moliti ſunt imminuere, verùm etiā prorſus eneruare. Huiuſmodi fuerunt, Manichæus, Aerius, Vigilantius, Valdo, Marſilius Patauinus, & Ioannes Wicleſus. At fruſtrà id tentarunt: quandoquidem ſolido fundamento innixa, euerti non potuit. Voluit nempe Deus tantam eſſe Eccleſiæ ſuæ ſtabilitatem & poteſtatem, vt per eam veluti per infallibilē quandam regulam, ad ſalutem mortales dirigerentur. Nam vt ſanctæ ſcripturæ conteſtantur, nulli ad vitam beatam patet aditus, qui Eccleſiam certè non audiat, aut qui ab eius communione excluſus ſit. Nec certè gloriari poſſunt hæretici, quaſi apud illos reſideat Eccleſia Catholica. Nam cum illa ſit vniuerſalis, omneſque fideles complectatur, (alioqui Catholica non eſſet) angulis aut latibulis hæreticorum nequit circumſcribi. Huic accedit, quòd in integritate fidei, Eccleſia Catholica eadem ſemper perſeuerat, nec vllis erroribus coinquinatur. At contra, nefarijs ſuis conuenticulis veluti in famibus proſtibulis, fidem hæretici proſtituere ac violare ſatagunt, dum impiè in ſuis adinuentionibus fornicantur. Præterea, in finem vſque ſæculi, iuxta Chriſti pollicitationem, perduratura eſt Eccleſia Catholica, quod nullis adhuc hæreticorum ſectis contigit. Quare non poteſt apud hæreticos Catholica Eccleſia reſidere, licet ſecus arbitrati ſunt Manichæus, Aerius, Vigilantius, & cæteri prænominati. Quorum pernicioſos errores paulo diffuſiùs explicare conſtituimus, quòd ijdem ſint aut ferè ſimiles illis, qui hac tempeſtate repullulare videntur. Præfatorum itaque hæreſiarcharum primus, fuit non minus impius, quàm rediculus, Manichæus: qui tollens liberum arbitrium, duplicem in homine ſtatuit naturam: alteram bonam, alteram malam: & bonam quidem à Deo, immò de Dei ſubſtantia conditam aſſerit, & eandem ſemper benè agere: malam verò à principe tenebrarum, ſemper malè. Agunt enim iuxta illius ſententiam non liberè & voluntariè, ſed neceſſario & naturaliter: ob idque nihil imputandum putat humanæ voluntati, ſed naturis illis, maximè inter ſe contrarijs. Nec ea in re multum diſtat à Manichæo Luterus. Nam cuncta quę ab homine fiunt, neceſſariò fieri Luterus credit, nec in hominis ſitum poteſtate, vias ſuas bonas facere aut malas. Aufert etiam ipſe, vt Manichęus, liberū arbitrium, licet aliàs ab eo diſſentiat. Manichæus namque humanam ſalutem ponit in operibus bonæ illius naturæ. At Luterus ſola fide & fiducia in Deum eiuſque promiſſa, ſecluſis bonis operibus, homines iuſtificari arbitratur. Errat Manichæus, errat & Luterus. Errauit conſimiliter Pelagius, dum aliud extremū ſecutus, ad vitam beatam comparandam, minimè neceſſariam putat diuinam gratiam: ſed ad id ſufficere cenſet liberum arbitrium, ſi modo adſit diuinæ legis cognitio. Porrò talia deliramenta reſpuens Eccleſia catholica, hęc tria ad ſalutem requiri docet: fidem, bona opera, & diuinam gratiā, neque abſque his patere homini adulto viam ſalutis. Accedentem ſiquidem ad Deum, oportet primum diuinæ gratiæ munere adiutum, credere: deinde bonis operibus intendere: in quibus efficiendis & liberum arbitrium operatur, & gratia: primò tamen & principaliùs, gratia. Quapropter qui hominem benè operari & ſalutem conſequi arbitratur abſque gratia, aut primatum boni operis libero arbitrio aſſcribit, non gratiæ, Pelagianus cenſendus eſt: Qui verò ſaluari hominem exiſtimat, neglectis bonis operibus, à libero arbitrio procedētibus, hic Manichæus eſt & Luteranus. Nā in errorem Manichæi incidit Luterus, dum nimis anxiè & ſcrupuloſè deuitat Pelagium. Metuens namq; liberum arbitrium cum Pelagio nimis efferre, omne bonū opus quod eſt in homine, Deo tribuit & diuinæ gratiæ, nihil prorſus libero arbitrio, ſicque tollens omninò liberum arbitriū Luterus, factus eſt Manichæus, dum refugit eſſe Pelagianus. Debuerat certè Luterus ex Apoſtolo noſſe, ita neceſſariam eſſe diuinam gratiam ad benè operandum, vt cum ea tamē liberum arbitrium, bonum opus efficiat. Teſtis ſiquidem eſt Apoſtolus, diuinam gratiam in ſe vacuam non fuiſſe, cū abundantiùs (inquit) laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Vnde rectè conficitur, ipſum diuinæ gratiæ, vt & reliquos fideles, cooperatum fuiſſe: quos ipſe cohortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiāt: laborem eorū pro-

ncians nequaquam fore vanum, ſi ſic gratia vtantur, vt
n fruſtrà illam videantur ſuſcepiſſe. Vtrunque nimirum
eri connectẽs Apoſtolus, noluit liberum arbitrium otio
rpeſcere cum Manichæo: & arrogantiam deuitans Pela-
j, ſic cooperationem tribuit libero arbitrio, vt ex ſe tamẽ
citra diuinæ gratiæ munus, ſufficere non poſſit ad ſalutẽ.
æc vtique ſententia eſt Eccleſiæ Catholicæ, quam ſemper
atholici doctores tenuerunt: & in oppoſitam partem de-
inantes hæreticos, diuinorum eloquiorũ teſtimonijs con-
ıtarunt & damnarũt, quales (vt præmiſſum eſt) fuerũt Pe-
gius, Manichæus, & hoc tempore Manichæi diſcipulus,
uterus. Atqui Manichæo ſucceſſit Aerius, diſſimili quidẽ
oluntate, ſed ſimili vanitate oppugnans Eccleſiam. Hic
amq́ue carnalem molitus ſtatuere libertatem ſolenniter
ndicta ab Eccleſia nolebat ieiunia ſeruari, ne legi videren-
ur fideles obnoxij. Arbitrabatur enim, ſi ieiunia ab Eccle-
ia conſtituta ſeruarent, aut ſacris eius legibus ac inſtitutis
btemperarent, eos in ſeruitutem redigendos, Chriſtianis
ominibus minus conuenientem. Qua in re liquidò oſten-
dit, quàm ignarus, quamq́ue in Diuinis ſcripturis parũ eſ-
ſet exercitatus. Intelligere ſiquidem debuerat ex apertiſſi-
mis ſacræ ſcripturæ documentis, quòd vera libertas Chri-
ſtianorũ, qua fideles Chriſtus liberauit, non libertas eſt car-
nis, ſed ſpiritus, per quam mortificatur caro cum ſuis cõcu-
piſcentijs, ſpiritus aũt viuificatur. Aduerſatur enim prorſus
libertati ſpiritus libertas carnis, vt præclarè ſub typo Iſaac &
Iſmael, Saræ & Agar, ad Galatas Apoſtolus deducit. Volens
itaque Deo inſpirante Eccleſia hanc ſpiritualem libertatem
Chriſtiana pietate dignam ſtatuere, moderata indixit ieiu-
nia, ac rationabilem ciborum delectũ certis temporibus &
diebus ſapientiſſimè ſanciuit, non hæc (vt volebat inſipi-
ens Aerius) arbitrio relinquens filiorum, quorum vt pia
mater ſalutem affectaret & haberet ſolicitudinem. Noue-
rat enim, ſenſus humaniq́ue cordis cogitationes, prona eſſe
ad malum ab adoleſcentia: nec facilè ex ſe & ſuapte volun-
tate, ad hanc libertatem ſpiritus peruenire poſſe. Tanta au-
tem moderatione, tantaq́ue circumſpectione omnia digeſ-
ſit, vt ijs qui Chriſtiano animo ſunt imbuti, nullus prorſus
iuſtæ querelæ locus relinquatur, atque illa inſtituens, haud-
quaquam nos rurſum in legis Moſaicæ ſeruitutẽ obtrudit:
quæ iam omninò deſijt, ſed in libertatem aſſerit filiorum
Dei. Vnde conſtat quã fallatur Aerius, dum in carnalẽ fide-
les nititur deijcere libertatem. Quamobrem cũ ſua Iſmaeli-
tica aut Agarena, eaq; carnali atque impia libertate, non he-
ri aut nudiuſtertius, ſed ante annos mille damnatus eſt, & cũ
eo ſatanica eiuſmodi libertas funditus eſt euerſa. Quam ni-
hilominus homines impij, his temporibus incaſſum labo-
rant rurſus excitare & erigere: dicentes, nequaquam Eccle-
ſiæ hoc eſſe conceſſum, vt fideles valeat lethiferæ noxæ red-
dere obnoxios, aut ſic ad mortale peccatũ obligare, vt letha-
lẽ noxam præceptorũ eccleſiæ incurrant tranſgreſſores: cũ
tamẽ ex ſacris literis, donatã eſſe à Chriſto Eccleſiæ eiuſmo-
di authoritatem, clare innoteſcat, qui inter ethnicos eos ſa-
nè deputauit, qui præceptis Eccleſiæ non obediunt. Cõtra-
ria autem aſſertio, non catholicorũ eſt, ſed hæreticorũ: qui
hoc vnum præter cætera, ſuorũ habent errorum fundamẽ-
tum. Hoc amplexãtur Aerius, Iouinianus, Lamperius. Huic
adſtipulantur Valdenſes, Wicleſiſtę, Boemi: ex eo fonte oẽs
ferè Luteranæ impietatis blaſphemiæ proficiſcuntur. Nec
mirum, ſi tantoperè huiuſmodi ſententiam probant hære-
tici, & oppoſitam reijciunt: cùm ſciant, ſicut baculo canes,
ita vniuerſa ſuas hæreſes Eccleſiæ repelli authoritate, & ſe,
vt putrida membra, ab eius conſortio reſecari. Sic olim
reiectus eſt delirus Manichæus, & cum carnali ſua libertate
us inſanus Aerius. Reiectus eſt & poſt eos Epicureus Vigilan-
tius, infenſus admodum eccleſiaſticæ pudicitiæ; quãdoqui-
dem immundo ſpiritu agitatus, in tantam prorupit amen-
tiam, vt continentiam hæreſim, pudicitiam dicat libidinis
ſeminarium. Quare ſacram continentiæ legem non fe-
rens, libidini frena permittit, nullos volens ſacris initiari,
qui vxores prius non duxerint: neque ijs credi pudicitiam,
qui cœlibes viuant, quaſi nihil ſit quo homines, diuina gra-
tia adiuti, diſtent à porcis, nihil quo differant à brutis ani-
mantibus, nihil quo à iumentis ſeparentur. Peſſimè certè
de reſtituto à Chriſto humano genere iudicat, qui ita cen-
ſet. Nam qui ita de hominibus ſentit, homines humana
exuit dignitate, & in ſeruilem brutorum deijcit conditio-
nem, vt ſint tanquam equus & mulus, quibus non eſt intel-
lectus. Probanda itaque eſt Latinæ eccleſiæ continentia, vt- Pſal. 31.
potè quæ ſanctitate præfulgeat, libertatemq́ue præſtet Do-
minum ſine impedimento obſecrandi, necnon profectui
eccleſiæ maximè ſit accommoda. Non ab re ergo Eccleſia-
ſtica cenſura repulſa eſt Vigilantij & aſſeclarum eius aſſer-
tio impudentiſſima. Sequentes autem Vigilantium Val- Valdẽſes.
denſes, homines idiotæ & literarum expertes, ordinem hie-
rarchicum Eccleſiæ cõfundunt, perturbant, deſtruũt: libe-
rum cuique eſſe aſſerentes, prædicare & docere verbũ Dei:
nullum ſexus aut ſtatus diſcrimen facientes, ſacerdotes iti-
dem & præſules, cùm primum lœtaliter deliquerint, omni
ſpoliant dignitate ſacerdotij aut epiſcopatus: neque eos tũ
poſſe conſecrare, aut ſacerdotes ordinare aſſeuerant. Præce-
pta inſuper Eccleſiæ paruipendunt, quæ alicuius eſſe mo-
menti minimè credunt. Purgatorium etiam inficiãtur, ne-
que orant pro defunctis: omne rurſus iuramentum illicitũ
arbitrantur, ſimul & iudicium, nihil demum teneri aut agi
volunt, quod nõ fuerit expreſſum in ſanctis ſcripturis: quæ
ſanè aſſertio, aliorum multorum baſis eſt & fundamentum
errorum, cùm tamen per eaſdem ſanctas ſcripturas manife-
ſtè elidatur. Porrò huiuſmodi iſtorum rudium & indocto-
rum inſanos errores diuulgantium, mox reiecta eſt impie-
tas, atque per Eccleſiæ cenſuram reciſa. Poſt hos autẽ igna- Marſilius
ros homines, ſurrexit Marſilius Patauinus: cuius peſtilens Patauin⁹.
liber, quod Defenſorium pacis nuncupatur, in Chriſtiani
populi perniciem, procurantibus Luteranis, nuper excuſus
eſt. Is hoſtiliter Eccleſiã inſectatus, & terrenis principibus
impiè applaudens, omnem prælatis adimit exteriorem iu-
riſdictionem: ea duntaxat excepta, quam ſæcularis largitus
fuerit magiſtratus. Omnes etiam ſacerdotes, ſiue ſimplex
ſacerdos fuerit, ſiue Epiſcopus, Archiepiſcopus, aut etiam
Papa, æqualis ex Chriſti inſtitutione aſſerit eſſe authorita-
tis: quodq́ue alius plus alio authoritate præſtet, id ex gratui-
ta laici principis conceſſione vult prouenire, quod pro ſua
voluntate poſſit reuocare. Verum ex ſacris literis coercitus
eſt delirantis huius hæretici immanis furor: quibus palam
oſtenditur, non ex principum arbitrio dependere Eccleſia-
ſticam poteſtatem, ſed ex iure diuino, quo Eccleſiæ conce-
ditur, leges ad ſalutem condere fidelium, & in rebelles legi-
tima cenſura animaduertere. Iiſdem quoque literis apertè
monſtratur, Eccleſiæ poteſtatem longè alia quauis laica po-
teſtate non modo ſuperiorem eſſe, ſed & digniorem. Cæte-
rum hic Marſilius & cæteri prænominati hæretici, aduerſus
Eccleſiam impiè debacchati, certatim eius aliqua ex parte
nituntur diminuere authoritatem. Nam quod in bonis &
& in malis operibus ſtatuit ſcriptura, tollit Manichæus libe-
rum arbitriũ: ad ſuum nutum reuocat Aerius Eccleſiaſtica
ieiunia: Vigilantio, contra Eccleſiæ decretum, ſacrilegæ Ec-
cleſiaſticorum nuptiæ probantur. Vitijs prælatorum tãto-
perè Valdenſes offenduntur, vt inde eorũ ſtatum damnẽt.
Excellens à Chriſto conceſſa Eccleſiæ poteſtas, grauis eſt
Marſilio, nec illam poteſt ferre. At verò his ſuccedens Lute- Vvicleſus
ranæ ſectæ fons & origo Wicleſus, cuique Luterus per om-
nia fermè conſentit, non aliqua tantum ex parte, vt priores
illi hæretici, ſed radicitus totam Eccleſiæ eneruare authori-
tatem contendit. Is enim non cum vno, aut altero tantum
hæreticorum priorum, commercium habet, ſed cũ ſingu-
lis. Cum Manichæo namq; humanorum actuũ tollit liber-
tatem: cum Aerio, nihili facit præcepta Eccleſiæ. Vigilantiũ
ſecutus, Eccleſiaſticorum pudicitiã proſtituit, terrenis etiã
illos poſſeſſionibus exuens. Paſſim & ab vnoquoque iuxta
hæreſim Valdenſium, prædicandum verbum Dei decernit,
nulla habita ratione prohibitionis ſuperiorum, Marſilij itẽ
dogma probat, ne quis excommunicari poſſit, qui ad ſæcu-
lares iudices prouocarit. Cumq́ue omnibus his conſentiat,
non tamen quieſcit mala mens, nec prauum impiumq́ue
ingenium ſibi ſatisfacit, niſi omnes longè ſuperet impieta-
te, ſeque hoſtem prodat Eccleſiæ, alijs multo infeſtiorem.
Hinc certè quicquid ab Eccleſia Spiritu ſancto ſuggerente
conſtitutum eſt, hoc ille delirus, veluti dæmonio arreptus,
conterere, lacerare, abijcere molitur. Hic eſt qui vniuerſita-
tes aſpernatur & generalia ſtudia, ciuilia Dominia perplexa

reddit

reddit & incerta: Eccleſiaſticis poſſeſſiones adimit, & deci-
mas clericorũ ſubijcit laicis,ipſos bonaque eorũ, laicorum
tribuens iuriſdictioni:religiones & religioſorum abijcit in-
ſtituta,cenſuras Eccleſiæ floccipendit, minimeque curan-
das pronunciat. Quid plura ? Sacrum ille ridet Canonem
Miſſæ, dies feſtos ſanctorum pariter & reliquias tollit,pre-
ces fidelium ad eos dirigi vetat. Horas Canonicas & voca-
les concentus,eos potiſſimum qui in templis alta voce effe-
runtur,ſubſannat. Sanctas etiam in Eccleſia piè ac laudabi-
liter conſtitutas cæremonias,ridet. Nec his contentus eſt,
niſi ſuæ virus perfidiæ, in diuina quoque ſacramenta Eu-
chariſtiæ,Ordinis,Confirmationis,& Pœnitentiæ euomat.
Quamuis autem omnia fermè hæreſum portenta, quæ in-
ducere ſtudet,antequam ipſe naſceretur, falce Eccleſiaſticæ
cenſuræ eſſent præciſa : ne tamen haberet, in quo gloria-
retur incircumciſus Philiſtæus in ſuperbia ſua,exprobrare-
que agminibus Dei viuentis non poſſet, aut in Deum &
Eccleſiam ſponſam ſuam tam execrandas blaſphemias effu-
tire:in celeberrimo illo Conſtantienſi concilio repreſſa eſt
Wiclefi (& in eo, Luteri & ſequacium) tam effrenis & prius
inaudita inſania. Proinde dum reiecta eſt impijſſimi hære-
tici Wiclefi dementia, dum Marſilij, dum Valdenſium,dũ
Vigilantij,dum Aerij,dum denique Manichæi:ſimul etiam
corruit & funditus euerſa eſt temeraria & impudens aſſer-
tio eorum,qui calumnias, blaſphemias,atque hæreſes præ-
ſcriptas tuentur & imitantur. Cuiuſmodi ſunt Luterus,ſe-
quacesque illius,Melanchthon, Carolſtadius, Lambertus,
Zuinglius,Oecolampadius,& cæteri huiuſce coniurationis
execrandæ complices, quos ideo ex nomine citauimus, ne
peſtiferos illorum libros quis legere audeat,ne vipereis do-
gmatibus inficiatur. Quo fit, vt non parũ demiremur,quo-
nam pacto tam impudentes ſint hodiè, aut tam arrogantes
Luterani, vt damnatam Wiclefi damnati viri doctrinam
audeant diſſeminare, eamque probare, prædicare, ſcribere
aut diuulgare non erubeſcant,quam ſemper Eccleſia Spiri-
tuſancto illuſtrata reiecit, reſpuerunt orthodoxi, probati
doctores execrati ſunt: quaſi verò magis ſit paucis, ijſdem-
que temerarijs,errorum ſatoribus credendum, quàm om-
nibus doctoribus, ſanctis martyribus, academijs, Epiſco-
pis,ſummis Pontificibus, generalibus concilijs, quo ſtulti-
tius dici nihil poteſt,aut furioſius. Nam quæ maior ſtulti-
tia,ſi non inſania dicenda eſt potiùs, quàm quod prædam-
natas tot retrò ſæculis hæreſes reuocare conantur,& extin-
ctos execrandarum blaſphemiarum cineres, ſtudent ex in-
feris denuò ſuſcitare? At certè in vanum laborant, cùm ad-
uerſus Chriſtum & Eccleſiam nihil vnquam feliciter atten-
tetur. Quapropter quantumlibet tumultuentur, innume-
ras licet inſipientium huiuſmodi cateruas, in animarum &
corporum perniciem, ad nefariam impietatem tuendam
technis & fraudibus alliciant: quotquot libros ad firman-
dam execrabilem hanc ſectam conſcribant, quantumuis
nugas & calumnias ſuas compoſito fucatoque ſermone ſa-
tagant adumbrare, quantumuis deniq; in Eccleſiæ Catho-
licæ conſpirent exitium,impij tamen eorum conatus in vẽ-
tos tandem effluent & vaneſcent. Zelatur enim Chriſtus ze-
lo magno Eccleſiæ ſponſæ ſuæ integritatem, quæ in fidei &
charitatis potiſſimum ſynceritate conſiſtit,nec paſſurus eſt
aliquando fidem Eccleſiæ iniquis hęreticorum coniuratio-
nibus corrumpi. Ea propter dum eam illi oppugnant,po-
tenti brachio virtutis ſuæ illos repellit, ac vana eorum mo-
limina fruſtratur. Et quemadmodum facilè ſolis calore nix
diſſoluitur,faciliùs longè diuina virtute impiorum conſilia
vixdum exorta diſſipari, & cordis eorum cogitationes diſ-
pergi ſolent. Hoc vtique in Luteranis hodiè videmus im-
pleri, qui quamuis longè ab Eccleſiæ Catholicæ dogmati-
bus abſint, tamen inter ſe admodum diſſident,dum alij v-
num alij aliud tenendum arbitrantur. Ex eis enim nonnulli
ſanctorum imagines deijciunt,alij contra erigunt: quidam
humanas diſciplinas, vt venenum pietatis reprobant, quas
alij,vt apprimè vtiles defendunt: iteratum baptiſmum ab
aliquibus ſuſceptum,alij omninò execrantur. De Euchari-
ſtia inſuper minimè conueniunt. Nam eorum nonnulli,ſo-
lum eſſe ſignum corporis & ſanguinis Chriſti in Euchari-
ſtia,cõtendunt:alij verò veraciter eſſe Chriſti corpus & ſan-
guinem certò profitentur:in hoc tamen à veritate diſſiden-
tes,quòd ſubſtantiam panis & vini cum corpore Chriſti aſ-
ſerunt remanere. Eo etiam veſaniæ deuenerunt eorum nõ-
nulli,vt Spiritum Dei iactantes ſe habere, ſcripturas ſacras
luce clariores aſſirment,omnibus ſacris interpretibus reie-
ctis,quibus tamen plerique alij refragantur. Sunt & alia nõ
pauca,de quibus inter ſe Luterani digladiantur. Hæc autẽ
diſcrepantia planè indicat, quàm à veritate ſint alieni. Ve-
ritas ſi quidem vbique ſibi conſtat,nuſquam diſſidet. Non
enim Spiritus Dei,ſpiritus eſt diſſenſionis. Cùm itaq; in his
quæ ad fidem ſpectant,tam manifeſtariè diſſideant: perſpi-
cuum eſt,eos nullatenus in ſolidæ veritatis radice ſtabiliri.
Eos enim qui ab vnitate Eccleſiæ diſſident, relinquit Deus
in manu conſilij ſui,vt nec ſibijpſis,nec alijs hæreant. Con-
tra verò catholicorum dogmatum inconcuſſam veritatem,
demonſtrat vnus & idem conſenſus:inter quæ nulla vnquã
poterit inueniri diſcordia. Vnde ſatis exploratum eſt,illa à
Deo proficiſci, neque aliquando diſſolutum iri, quantum-
uis ea euertere nitantur, veritatis inimici. At verò Luterana
doctrina,à patre mendacij (qui diſſenſionis ſpiritus eſt) ex-
orta, tandem veluti fœnum exareſcet:nempe vſqueadeò
pudendos, atque execrandos illa continet errores, & tam
malè ſibi cohærentes, vt facilè fugienda appareat & deteſtã-
da. Et quia ſuapte natura talis eſt eiuſmodi doctrina Lute-
ri,ſerpentina quadam malitia laborant (quod dolentes re-
ferimus) Luterani,orthodoxorum procerum libris eam in-
ſerere,quo eorum prætextu facilius ſuſcipiatur. Hinc impi-
is tum præfationibus,tum annotationibus marginibus ad-
iectis,tum ſcholijs,tum iudicibus: lympidiſſimos illos fon-
tes catholicæ pietatis, & antiquorum doctorum libros, vi-
rulento ſulfure damnati ſui erroris inficere moliuntur: ſed
non poteſt aduerſus veritatem præualere falſitas: veritas e-
nim ſuper omnia vincit. Nam cum Deus veritas ſit, & De- 3
um nemo valeat ſuperare, nec veritas certè poterit aliquan-
do vlla hæreticorum verſutia ſupplantari. Quare non eſt,
quod editorum librorum copia glorientur Luterani, tam
enim poteſt nefanda ſcriptorum farrago damnatam impie-
tatem firmare,quàm ſtramineæ ſtipulæ fundamentum do-
mus reddere ſtabilius. Non enim pluris faciunt huiuſmodi 1
libros orthodoxi, quàm puluerem quem proijcit ven-
tus à facie terræ:habituri idem iudicium,tam pro dogmati-
bus quã libris,quod præcedentes hæreſiarchæ, quorum ita
ſunt ſcripta perpetuis tenebris ſepulta,vt ne eorum veſtigia
quidem ſuperſint:quapropter fruſtra laborant, in ſcriben-
dis libris ſuę perfidiæ,aut ſuam veſaniam publicis concioni-
bus prodendo. Nec enim ſtabilientur, ſed peribunt,ſicut
priorum hæreticorum cũ ſuis ſcriptis deſideria,neque con-
tra Eccleſiam Dei præualebunt, quæ glorioſa in ſæcula per-
manebit,de illis (prout & de cæteris hactenus hæreſiarchis)
inſignem relatura triumphum.

GENERALE DECRETVM,

Continens hereſum quæ nunc pullulant, ſpecies: earum deteſtationem, modum iudicandi ac diſcernendi hæreticos ac relapſos, formam & ordinem procedendi contra eoſdem: eorundem etiam acerbas pœnas, ac demum exhortationem ad principes poteſtatesque ſæculares de illis profligandis & exterminandis.

ANTONIVS miſeratione Diuina, tituli ſan-
ctæ Anaſtaſiæ, ſacroſanctæ Romanæ Eccle-
ſiæ preſbyter Cardinalis, Archiepiſcopus
Senonenſis,Galliarum & Germaniæ Primas,
Franciæ cancellarius: vniuerſis præſentes
litteras inſpecturis, ſalutem in eo qui eſt omnium vera
ſalus. Inter cunctas paſtoralis officij ſolicitudines, qui-
bus premimur inceſſanter,illa fortiùs nos angit, vt cunctis
hæreticis de finibus Chriſtianorum expulſis, ſuisque falſis
& virulentis ſcriptis ac peſtilentibus doctrinis, penitus
extirpatis: fides catholica, quæ ſolidæ ſemper fuit ſub-

nixa petræ, integra illibataq; permaneat: ac populus Chriſtianus, noſtræ potiſſimum prouinciæ, in fidei ſynceritate (quolibet obſcuritatis ſemoto velamine) immobilis inuiolatusque perſiſtat. Sanè proſpicientes (quod non ſine graui diſplicentia referimus) inſurrexiſſe nonnullos pſeudochriſtos ac pſeudoprophetas, quorum dux & vexillifer eſt Martinus Luterus, qui à veritate excidentes, nonnullos ac penè infinitos, etiam ſi fieri poſſit, electos (vt eſt apud Matthæum) ad errores inducunt homines: hauddubiè hęreſiarchas faſtuoſos, ſeditioſos, Luciferi na ſuperbia ac rabie lupina erectos: ac demum quales Ap[o]ſtolus ad Timotheum graphicè deſcribit, ſuisque pingit coloribus, & ad amuſſim exprimit. Qui rurſus (vt inquit Petr⁹) ſectas perditas ac dãnatas introducunt, libertatem promittentes, cùm ipſi ſint ſerui corruptionis, in maximam certè Reipublicæ Chriſtianæ perniciem & iacturam: ac tandem niſi citò occurratur, ruinam & euerſionem: vtpotè quos non pudet nouas hæreſes effingere, ſed etiam ſatagunt ac ſtudent veteres, & iam diu per Eccleſiam ſopitas, inſtaurare. Et inter hæc, primum de ſacramentis Eccleſiæ multa perniciosè dogmatizant: affirmantes, laicos & mulierculas æquè, atque presbyteros, poſſe abſoluere. Et quod hactenus fuit inauditum, laicis vt ſacerdotibus, Euchariſtiæ conſecrationem permittunt. Inter ſacerdotes & plebem, nihil intereſſe dicunt: ſed omnes ſacerdotes putant, quicunque ſunt Chriſtiani. In clericis, in ſacris ordinibus conſtitutis, cælibatum non admittunt. Monachis & alijs voto obſtrictis, libertatem laſciuiendi indulgent. Quibus relicto velo & abiecta cuculla, ad ſæculum redeundi facultatem relaxant, & apoſtaſiam permittunt. Romanorum pontificum decreta, decretales epiſtolas, etiam & Canones Conciliares eneruare contendunt. Veteres Eccleſiæ cæremonias, ac receptas tot annis laudabiles conſuetudines, ridiculas cenſent. Et vt ad impietatis cumulum addant, ſacram ſcripturam figere ac refigere non dubitant, ac relicto ſenſu patrum orthodoxorum, vellicare, & ad ſuum ſenſum reprobum contorquere. Conuicijs ſemper & maledicentijs pleni, & non ſolum aceto perfuſi, ſed vbique veneno reſperſi. Articulos inſuper infinitos (quos non magnoperè attinet referre) diſſeminant, aut ſcandaloſos, aut temerarios, aut blaſphemos, aut piarum aurium offenſiuos. Ac tandem ſuper exitiali peſtilentique dogmatum veneno, pleraque alia tam fœda ac malè olentia nauſeabundi euomunt, vt quaſi ex profeſſo habeãt, ſpeciem ac decorem ſanctæ matris Eccleſiæ, non habentis maculam neque rugam, fœdare, ſpurcare, ac contaminare. Veriti ergo, ne hoc veneficum virus, in nobis credito Dominico agro radices ageret, ac velut cancer creſceret in perniciem aliorum: officij noſtri paſtoralis eſſe duximus, vepres huiuſmodi nociuas falce authoritatis eccleſiaſticæ reſecare, & plantulam priuſquam ſuboleſceret, & in plures ſerperet, radicitus euellere. Hinc eſt quòd in hoc noſtro prouinciali concilio, quod ad corrigendos exceſſus & extirpandas hæreſes, iuxta Chalcedonenſ. ac Lateranenſ. concilia, adunatum eſt: ad Dei honorem, fidei orthodoxæ exaltationem, ac ſubditorum noſtrorum pacem, augmentum, & trãquillitatem: duximus habito ſuffraganeorum noſtrorum conſenſu, ac multorum Diuini & humani iuris interpretũ conſilio, his tantis periculis ſalubriter ac celeriter prouidendũ: Antiquos ſcilicet canones (quorum vtique cuſtodes & executores conſtituimur) aut declarantes, aut renouantes, ſeu ex poteſtate nobis cõceſſa, interdum adiectione pœnæ cõmunientes. In primis iuxta ſacrum Lateranenſ. Concilium, excommunicamus & anathematizamus omnem hæreſim, extollentem ſe aduerſus orthodoxam & catholicam Eccleſiam. Vniuerſos inſuper, qui aliter quàm Romana credit & prædicat eccleſia, credere & pertinaciter [a]ſſerere attentant: eiuſmodi Concilij authoritate, velut hæreticos & pertinaces, & à communione fidelium ſeparatos declaramus. Eccleſia quippe vniuerſa, errare non poteſt: vtpotè quæ regitur ſpiritu veritatis, ſecum manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet vſque ad conſummationem ſæculi. Quæ etſi diuerſa, & nonnunquam (quod ſæpiùs neoterici hæretici obijciunt) pugnantia propoſuerit decreta, nihil tamen eſt in tanta decretorũ multitudine, quod fidei orthodoxæ * obuerſetur. Sed ab vno eodemque ſpiritu edocta fuit, vt ita pro conditione temporum ſtatueret, vt viſum fuerit conducibilius: Eiuſdemque concilij authoritate, credentes, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum, excommunicationi ſubiacere decernimus. Suſpectos autem de hæreſi & notatos, poſt vnam aut alteram correptionem, decernimus ab omnibus deuitandos, ſcientes (vt dicit Apoſtolus) quòd ſubuerſi ſunt, & ſuo planè iudicio condemnati. Ac ſubinde dum intelligunt ſe à conſortio hominum ſeparatos, rubore plerunque ſuffuſi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum facilius inclinentur. Damnati de hæreſi, ſi ad vnionem fidei catholicæ redire voluerint, maneant de foro Eccleſiæ, & ad agendam perpetuam pœnitentiam in pane doloris & aqua triſtitiæ, perpetuo carceri deputentur. Damnati de hæreſi, ſi eam abiurare noluerint: ſi laici ſunt, ſtatim ſunt iudicio ſæculari relinquendi. Sed clerici, pręſente poteſtate ſæculari, ſunt à ſuis ordinibus degradandi, & pronunciandum eſt, vt eos ſæcularis iudex in ſuum forum recipiat. Cæterum quia epiſcoporum numerus per ſacros canones ad degradationem requiſitus, non facilè poteſt adunari: concedimus, vt cum ſacerdos aut alius in ſacris ordinibus conſtitutus, fuerit pro crimine hæreſis degradandus: poſſit, accerſitis Abbatibus aliiſque prælatis, ſolus epiſcopus degradare. Qui in hæreſim ſemel abiuratam reciderint, ac velut canes ad vomitum redierint: tanquam palmites aridos in vitæ non manentes, foras mittendos decernimus, & ſæculari iudicio ſine vlla audientia relinquendos. 1 Relapſos autem in hæreſim, iuxta decretum Alexandri IV. declaramus eos, qui in iudicio hæreſim abiurarunt, & poſt committunt in ipſa, licet prius crimen hæreſis non planè contra ipſos probatũ fuiſſet. Inſuper eos, qui in vna ſpecie hæreſis commiſerunt, 2 aut in vno fidei articulo errauerunt, & poſt ſimpliciter vel generaliter hæreſim abiurarunt, ſi ex tunc in aliam ſpeciem hæreſis committunt, velut relapſos in hæreſim decernimus iudicandos. 3 Præterea, is de cuius lapſu in hæreſim ante abiurationem conſtiterit, vel nunc conſtat: ſi poſt illam hæreticos deducat, acceptet, ſiue aſſociet, vel dona ac munera eis mittat, ſeu fauorem eis impendat qui excuſari non poſſit, meritò debet iudicari relapſus: cùm illum ex approbati à ſe erroris conſequentia, non ſit dubium id feciſſe. 4 Nouiſſimè, abiurans in iudicio hæreſim, propter vehemẽtem præſumptionem ſi iteratò labitur, licèt non fuiſſet planè probata, relapſus dicitur. Cæterum relapſis etſi reſipiſcentia nõ profuerit ad euitationem pœnæ temporalis, tamẽ cùm Eccleſia nulli claudat gremium redeunti, non ſunt ipſis relapſis, ſi pœnituerint, & pœnitentiæ ſigna adparuerint, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramenta deneganda. Qui de hæreſi depręhenſi fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi iuxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, innocẽtiam ſuam congrua purgatione monſtrauerint: anathematis gladio feriantur, & vſque ad ſatisfactionem condignam ab omnibus euitentur. Hæreticorum bona tanquam reorum læſæ maieſtatis, ſi laici ſint, fiſco ſæculari applicentur: ſi verò clerici, Eccleſijs à quibus ſtipendia receperint. Confiſcationis autem executio non fiat per iudicem ſæcularem, niſi prius à iudice Eccleſiaſtico ſuper crimine ſentẽtia pronunciata extiterit.

Cæterùm quia intelleximus, per nonnulla loca prouinciæ noſtræ quoſdam (qui in nulla vnquam academia incorporati fuerit, ſed in verba Luteri iurarunt, aut Lutero ſunt nequiores) monopolia illicita facere & occulta conuenticula, necnon cum laicis ſeſe in penetralibus domorũ recipere, & cum idiotis ac mulierculis cõuerſari, de fide catholica diſputare, & non ſecus quã impius Montanus cũ ſuis Priſcilla & Maximilla, ſimplicium animos eludere & faſcinare, inter hæc iactantes ſe habere ſpiritum Domini: Propterea, ne vitia ſub ſpecie virtutum ſubintrent, præcipimus ſuffraganeis noſtris, vt congregationes huiuſmodi occultas & adeò pernicioſas prohibeant, ac tranſgreſſores pœna condigna puniant. Deus enim qui eſt lux vera, & qui illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum, adeò execratur opera tenebrarum, vt Apoſtolos in vniuerſum mundũ prædicaturos miſſurus, præceperit eis apertè: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Rurſus etiã intelleximus, nonnullos Martini Luteri libellos pernicioſos, iampridẽ cũ ſuo

Dicto ca. excõmunicamus, §. credẽtes.

Tit. 3.

Dicto ca. excõmunicamus. ſecundo.

Ca. excõmunicamus. §. dãnati de hære.

15. q. 7. c. ſi qui.

Ca. 1. de hære. in 6.

Relapſi quatuor modis cognoſcuntur.

Ca. ſuper eo. de hę. in 6.

Ca. vergẽtis. de hę.

Ioan. 1.

Marc. 16.

Matt. 10.

authore à ſanctiſſimis Pontificibus Leone Papa & Adriano,
necnon Clemente Papa moderno damnatos:à nõnullis ni-
hilo ſeciùs,timore diuino & pudore humano prorſus abie-
ctis,adhuc euulgari,legi,& circumferri. Propterea prohibe-
mus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne qui
cuiuſcunque conditionis,aut ſtatus exiſtant,prædicti Lute-
ri libellos,aut qui ab eo & ſuis ſequacibus prodijſſe aſſerun-
tur:deinceps comparent,habeant,& circumferant : aut in
Eph. 4. Ca. excõicemus. 1. § quia vero. concionibus publicis ſeu priuatis confabulationibus lau-
dent,approbent,tueantur,aut euulgent. Porrò cum ſecun-
dum Apoſtolum alios dedit Dominus Apoſtolos,alios do-
ctores,alios prophetas:hinc eſt,quòd diſtrictè iuxta ſacrum
generale Lateraneñ. conciliũ prohibemus,ne paſſim liceat
cuiuis,prædicationis officium vſurpare: neque ad prædicã-
dum prodeant,niſi quibus aut à iure,aut à Papa,aut Epiſco-
Rom. 10. po loci,licentia concedetur. Quomodo enim prædicabunt,
niſi mittantur? Et veritas ipſa dicit in Euangelio : Rogate
Matt. 9. Dominum meſſis,vt mittat operarios in meſſem ſuam. Io-
annes quoque Baptiſta,ſpecialis ſuæ miſſionis teſtimonium
Ioan. 1. protulit de ſcriptura,dicens:Ego vox clamantis in deſerto:
Eſaiæ 40. dirigite viam Domini,ſicut dixit Eſaias propheta.

Ordinamus inſuper, quòd ſuffraganei noſtri ſi viderint
Dicto ca. § adijcis. aliqua loca eſſe de hæreſi ſuſpecta : per ſe aut alios idoneos
quam citiùs ad illa accedant, & ab illis de vicinia exigant ſa-
cramentum de prodendis huiuſmodi hæreticis,ac conuen-
Ca. ſtatuta de hæ. in 6. ticula illicita facientibus. Quibus etiã diſtrictè præcipimus,
vt ad hæc exequenda diligenter inuigilẽt,& in negocio hu-
iuſmodi hæreticæ prauitatis, ſummariè & de plano proce-
dant. Et ſi in expurgando huiuſmodi fermento fuerint re-
miſſi aut negligentes, intelligant ſe pœnas incurſuros, quæ
Dicto ca. excõmunicamus. 1. § volumus. Cap. volẽtes. de hæ. in cle. in ſacro generali Lateraneñ. concilio continentur. Pœnas
inſuper reformident, contra inquiſitores in officio delin-
quentes,in ſacro Vienneñ. concilio promulgatas. Conſtitu-
tiones aũt Vrbani V. Clementis V. & Bonifacij VIII. dili-
genter obſeruent ſuffraganei noſtri. Obſecramus aũt per
viſcera miſericordiæ Dei noſtri Chriſtianiſſimum regem
& principem ac dominum noſtrum ſupremum, vt pro ſuo
ſingulari zelo,miroque affectu & incredibili deuotione re-
ligionis Chriſtianæ, à ſuis terris & dominijs vniuerſos hæ-
reticos confeſtim repellat, extermineťque hanc terram &
diram luem hæreticorum,quæ indies magis ac magis pullu-
lat. Res haud dubiè inaudita, cum ab exordio naſcentis ec-
cleſiæ vſque ad hæc nouiſſima tempora, regnum hoc Chri-
Hieronymus. ſtianiſſimum (vt inquit Hieronymus) hæreticorum prodi-
gioſis monſtris caruerit. Proindè principes orthodoxi, ſi
Chriſtiano nomini conſultum eſſe volũt,ſi religionis Chri-
ſtianæ ruinam metuunt : neceſſe eſt in exterminandis pro-
fligandiſque hæreticis omnes ſuos conatus intendant, om-
nem ſuam poteſtatem exerceant. Periculum alioqui eſt,ne
Petri nauicula operiatur fluctibus, ac demergatur in pro-
fundum, nunquam enim ſic vndis iactata eſt Eccleſiæ na-
uis,ſic ventis validis (id eſt,vanis doctrinis) impulſa,ſic vn-
dique procellis agitata. Inde, quod Chriſto in naui dor-
Matt. 8. Ca. excõmunicamus. 1. §. moueantur. de hæreticis. miente apud Matthæum Apoſtoli fecerunt inſtante nau-
fragio,clamemus neceſſe eſt, & dicamus : Domine, ſalua
nos:perimus. Nouiſſimè ordinamus, quòd rectores &
conſules ciuitatum,iuxta ſacrum generale Lateranenſ. Cõ-
cilium corporaliter præſtent ſacramentum, quòd fideliter
& efficaciter eccleſiam in huiuſmodi negocio hæreſis (cùm
fuerint requiſiti) iuxta ſuum officium pro viribus adiuua-
bunt,manuſque porrigent adiutrices. Epiſcopi autem vel
inquiſitores dum in huiuſmodi negocio procedunt,& à ſę-
cularibus iudicibus forſan excommunicatis ſubſidia poſtu-
lant:nullam ex participatione huiuſmodi, excommunica-
tionem incurrant. Præcipimus tandem ſingulis ſuffraga-
neis noſtris, vt hoc noſtrum tam ſalubre, tamque pro con-
ditione temporum neceſſarium ſtatutum, ſuis ſtatutis ſy-
nodalibus adijciant,ac in prima eorum ſynodo faciant pu-
blicari. Datum Pariſijs in prima ſeſſione concilij no-
ſtri,facta apud fratres Eremitas ſancti Au-
guſtini, Anno Domini 1527.
die tertia Fe-
bruarij.

INDEX DECRETORVM FIDEI.

CÆterùm,quia magis ſolẽt ſermones particulares moribus eſſe accommodi,quam vniuerſales : iam ſupereſt,particularia quædam decreta ſuper renaſcentibus nonnullis præfatis erroribus,in medium proferre: Quibus tum per ſanctas ſcripturas, tum per ſacra concilia, traditionem Eccleſiæ, antiquitatis cõſenſum, tum per inconcuſſum Eccleſiæ vſum,& certam eiuſdem authoritatem eiuſmodi elidantur errores. Quorum quidem decretorum index ſubſequitur.

De vnitate & infallibilitate eccleſia. 1
Quòd eccleſia non ſit inuiſibilis. 2
De authoritate ſacrorum conciliorum. 3
Quòd ad Eccleſiam ſpectet determinare,qui libri ſint canonici. 4
Aliqua eſſe firmiter credenda, quæ non continentur expreſsè in ſcriptura. 5
De conſtitutionibus humanis. 6
De ieiunijs eccleſiaſticis. 7
De cælibatu ſacerdotum. 8
De votis & præſertim monaſticis. 9
Quòd ſeptem ſunt ſacramenta eccleſiæ. 10
De ſacrificio Miſſæ. 11
De ſatisfactione,purgatorio,& cõmemoratione defunctorũ. 12
De veneratione ſanctorum. 13
De veneratione ſacrarum imaginum. 14
De libero arbitrio. 15
De fide & operibus. 16
Annotatio aliquot errorum,quondam damnatorum, ſed nũc repullulantium. 17
Exhortatio ad principes Chriſtianos, vt extirpandis hæreticis animum intendant. 18

Indicis decretorum fidei,finis.

DE VNITATE, SANCTITATE ET infallibilitate Eccleſiæ.

DECRETVM I.

SANCTVM fidem & indiſſolubile, viri & Math. 19.
vxoris vinculum. At verò magnum iſtud,in Ephe. 5.
Chriſto & Eccleſia ſacramentum: quam ille
tantopere dilexit, vt ſeipſum traderet pro
ea,quo illam ſanctificaret,mundans eam la-
uacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet ſibi glorioſam, non
habentem maculam neque rugam. Cùm igitur eam ſibi Oſeæ 2.
in fide deſponſauerit, ab eo profectò per infidelitatem, aut
vllum circa mores errorem, non eſt aliquando diuellenda,
nec vllo patietur Chriſtus à ſe diuortio illam ſeparari, cum Matt. 28.
qua ſe futurum ſpopondit vſque ad conſummationẽ ſæcu-
li. Ea quippe non modo ſponſa, ſed & domus illa Dei eſt,
quæ columna eſt & firmamentum veritatis, firmiter ædifi- 1. Tim. 3.
cata,benè fundata ſupra firmã petram. In quam licet deſcẽ-
dat pluuia,irruant venti,inundent flumina : euerti tñ non Matt. 7.
poterit,neq; portæ inferi præualebunt aduerſus eã, aut ali- Math. 16.
quando poterũt illi,qui expugnant illã à iuuentute ſua. Nõ Pſal. 128.
enim dormitabit neq; dormiet, qui cuſtodit eam: Is nimi- Pſal. 120.
rum,qui aſcendẽs in altũ,dedit quoſdam quidẽ Apoſtolos,
quoſdam aũt prophetas, alios verò Euãgeliſtas, alios paſto- Ephe. 4.
res & doctores, ad conſummationem ſanctorum,in opus
miniſterij,in ædificationem corporis Chriſti:donec occur-
ramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in vi-
rum perfectum,in mẽſuram ætatis plenitudinis Chriſti : vt
iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur om-
ni vento doctrinæ,in nequitia hominum,in aſtutia,ad cir-
cumuentionem erroris:ſed maneat nobiſcum in æternum Ioan. 14.
ſpiritus veritatis,& ſanctificet nos in veritate. Ea inquam, Ioan. 17.
tabernaculum illud Dei cũ hominibus,in quo habitabit cũ Apoc. 21.
eis,& ipſi populus eius erunt:& ipſe Deus cum eis, erit eo-
rum Deus. Extra quam,non ſecus, ac quõdam extra arcam 1. Pet. 3.
Noë, nemo ſaluus eſſe poſſit, quin inſurgentibus hæreſum
procellis obruatur. Ea ipſa,vna eſt domus,in qua agnus paſ- Exod. 12.
chalis manducari eſt iuſſus, & extra quam participatio mẽ-
ſę Domini nequaquam poteſt haberi, Eadem quoque,vni-
ca eſt domus Raab, qua concluſi, euadunt exterminium Ioſue 6.

vrbis

vrbis Hiericho, neque ancipitem ſentiunt gladium, in exitium hoſtium fidei & eccleſiæ exertum. Vna igitur ſancta & infallibilis eccleſia, quæ nec à charitate decidere poteſt, nec ab orthodoxa fide deuiare: cuius authoritatem qui in fide & moribus ſecutus non fuerit, quaſi Deũ abnegauerit, (cui gloria in eccleſia & Chriſto Ieſu in omnes generationes) infideli deterior habeatur.

QVOD ECCLESIA NON SIT inuiſibilis.

Decretvm 2.

CVm adeò explorata ſit ex ſcripturis tum vnitas eccleſiæ, tum ſanctitas, vt qui ſecus auſit affirmare, manifeſtę ſtatim impietatis conuincatur: apertiſſimum autem in hæreticos argumentum, & quo minore negocio contundi queãt, ſit eius authoritas: cuius definitiones & decreta, propter ſui claritatem, non facilè ſint cauillis & tergiuerſationibus obnoxia: operæprecium ſe facturos eſſe putauerunt, ſi quam inficiari non poſſunt, dolo tandem & verſutijs eludant. Id quod tum demum aſſequuti fuerint, ſi pro ſententia Luteranorum, inuiſibilis & tota ſpiritualis, ac proindè nobis incognita, credatur eccleſia. Nam quis futurus contentionis modus, vbi prouocatur ad iudicem, qui nec inueniri, nec inuẽtus, internoſci poſſit? Atqui (inquit Chriſtus) ſi te corripientẽ frater tuus non audierit, dic eccleſiæ. Quid autem craſſius, aut quid inutilius fingi poſſit, ſi prorſus occulta ſit & imperueſtigabilis eccleſia, cuius maiores natu admonet Apoſtolus, vniuerſo gregi non quidem inuiſibili attendere, in quo eos ſpiritusſanctus poſuerat epiſcopos ad regendam eccleſiam Dei? Nunquid inuiſibilis illa, à qua pro Petro, cum carcere teneretur, aſſidua fiebat oratio, aut in qua Timotheum conſeruari docet Apoſtolus? Non igitur fide tantum & internis chariſmatibus, ſed cõfeſſione fidei, & externa ac viſibili ſacramentorum participatione cõſtat, ſemperque conſtitit Eccleſia, quæ ab ipſis incunabulis, cõmuni & præſcripta vnius & eiuſdem fidei proteſtatione nõ caruit. Vnũ corpus, inquit Paulus, vnus ſpiritus, vnus Dominus, vna fides. Sed ne ab his inuiſibilibus tantum pendere videretur eccleſia: vnũ, adiecit, baptiſma. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus: ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: omnes in vno ſpiritu potati ſumus. Quiſquis igitur tergiuerſandi ſtudio inuiſibilem & incertis ſedibus errantem dixerit eccleſiam; non hæreſim tantum dixiſſe, ſed hęreſum omnium puteum fodiſſe iudicetur.

DE AVTHORITATE SACRORVM conciliorum.

Decretvm 3.

ABſurdum non ab re videri poſſit, ſi tanto ſtudio veteri ſynagogæ Deus affuit, vt ſi quid in lege difficile vel ambiguum occurreret, quod citra controuerſiam à iudicibus & legiſperitis abſolui non poſſet, deſignato tamen cœtu non carerent, cuius arbitrio res tota finiretur: Eccleſiam autem longè ſynagoga potiorem, ita neceſſarijs deſtituat auxilijs, vt prorſus non habeat, cui ſuborta de fide quæſtione, tutò ſatis inniti poſſit. Proinde cum certa ſit & infallibilis eccleſiæ regula, nec aliquando inuiſibilitatis prætextu tandem eludi queat: ea profectò ſacris generalibus concilijs authoritas derogari non poteſt, quæ proximè vniuerſalem repræſentant Eccleſiam. His enim concilijs ſi ea decernendi quæ ad ſynceritatem fidei, & extirpationem hæreſum, Eccleſiæ reformationem, & morum integritatem pertinẽt, poteſtas adimatur: nihil certum, nihil ſtabile futurum eſt, nihil denique, quo hæreticus ab orthodoxo poſſit internoſci: cùm ille frequenter tum impendio loquacior, tum peruicacior, pluribus (licèt perperam intellectis) ſcripturarum teſtimonijs falsò glorietur. Nec erat, quo veterum quondã hæreticorũ retunderentur inſultus, niſi Eccleſiaſtici proceres Apoſtolorum exemplo concilia celebraſſent, quibus ſancti ſpiritus authoritatem ferocientibus illis & rerum humanarum ſcientia tumentibus, opponerent. Quo ſit, vt ſi conciliorum authoritati, ſub hac temporum calamitate, tantillum depereat: protinus velut ab inferis ſuſcitandæ ſint damnatæ hæreſes, neque defuturi ſint, qui hinc Arrio, inde Neſtorio, cæteriſque id genus peſtibus, palam ſubſcribere non formident. Etſi autem nonnihil quoque laicorum interſit, quid credendum ſit, quid agendum: id tamen ab Apoſtolis (quibus ſuccedunt epiſcopi) legimus obſeruatum, Act. 6. vt ſiue murmuri Græcorum occurrendum foret, ſeu pacanda ſuper legalibus oborta ſeditio: Act. 15. non centurionem, non promiſcuam è plebe multitudinẽ accerſerent, ſed præſentem ſibi ſpiritum ſanctum affirmarent: cuius inſtinctu, quod iuſtum eſſet & æquum, ſanciretur. Quòd ſi vbi duo vel tres in nomine Domini congregantur, Matt. 18. (licèt ſibi ipſis relicti, falli poſſint) continuò tamen in medio eorũ ſit Dominus: quanto magis, vbi ſummus pontifex, cæterique primores eccleſiaſtici conueniunt, vt hæreſibus ſubinde pullulantibus occurrant, & Dominicum agrum ſubortis expurgent zizanijs? Sancta igitur & inuiolabilis eſt ſacrorum conciliorum vniuerſalium authoritas, cui quiſquis pertinacius refragatur, hoſtis fidei iure optimo cenſeri debet.

QVOD AD ECCLESIAM PERTInet determinare, qui libri ſint canonici, & qui non, & ſcripturæ ſenſum interpretari.

Decretvm IV.

MAgna profectò fuit, ſemperque futura eſt ſcripturæ ſacræ authoritas: in qua nihil falſum, nihil ocioſum 2. Pet. 1. eſſe poſſit. 2. Tim. 3. Cùm enim non humana voluntate allata ſit aliquando prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati, loquuti ſint ſancti Dei homines: omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in iuſtitia. At nihilo minus mutilum eſt & prorſus inualidum, ſumptum è ſcripturis argumentum, ſi pro cuiuſuis arbitrio, quod adductum fuerit, ſacrũ aut prophanum, canonicum aut apocryphum habeatur, 2. Pet. 3. vel quod in canonem admiſſum receptumque fuerit, indocti & inſtabiles deprauent ad ſuam ipſorum perditionem, ac paſſim cerdones, ac infimæ plebis homines in eam quã ſemel imbiberint, ſententiam pertinacius detorqueant. Nam quid Tertull. de præſc. hæretic. promouebis, cùm ſi quid defenderis, negetur ex diuerſo, ſi quid negaueris, defendatur? & tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione: nihil conſequeris, niſi bilem de blaſphematione. Nullus quidem tam deploratus quõdam ſurrexit hæreticus, qui non ſuum errorem ſcriptura tueri conaretur: nulla tam abſurda, tam impudens hæreſis, quę non ſacris vtcunque fulciatur eloquijs, ſed corruptis, & à genuino ſenſu deprauatis. Immò verò ſi quis literæ corticem tantum, ſuo fretus ingenio percurrat, ſi penitiſſimos ſenſus cũ Eccleſiaſticis interpretibus non penetret, vix vnquam confutabitur hæreticorum verſutia. Obortis igitur de fide diſſidijs, fruſtrà ſæpè ſcriptura conſulitur, niſi Eccleſiæ certa & infallibilis litem dirimat authoritas, quæ canonicum librũ ab apocrypho, catholicum ſenſum ab hæretico, germanum ab adulterino diſcernat. Ioan. 14. Hac nempe velut internuncia, patrum & ſacrorum conciliorum organis, ſpiritusſanctus docet nos omnia, 1. Tim. 4. Matt. 13. Eſa. 6. & ſuggerit nobis omnia: ſine quorum auſpicijs, qui ſcripturæ ſacræ ſenſum habere ſe iactant, non intelligunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: ſed videntes non vident, & audientes non audiunt. In annumerandis itaque canonicæ ſcripturæ libris, qui præſcriptũ Eccleſiæ vſum & authoritatem non ſequitur, ſacrum Carthaginenſe concilium tertium, Cap. 47. Innocentij & Gelaſij decreta, & denique definitum à ſanctis patribus librorum catalogum reſpuit: Cant. 1. aut in exponendis ſcripturis nõ paſcit hœdos ſuos iuxta tabernacula paſtorum, ſed fodit ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas: & ſpretis orthodoxorum patrum veſtigijs, proprij ſpiritus iudicium ſequitur: is velut ſchiſmaticus, & hæreſum omnium incentor & fautor, à tanta temeritate reprimatur.

ALIQVA ESSE FIRMITER TENENda, quę non continentur expreſsè in ſcriptura ſacra: ſed à Chriſto vel Apoſtolis ipſis, familiari colloquio & quaſi per manus ad nos deuenerunt.

Decretvm 5.

AMpla certè ſcripturæ latitudo, ingens & incomprę-henſibilis profunditas, perniciosum eſt tamen eo errore laborare, vt nihil admittendum putetur, quod non è [Dion. ecl. hier. c. 1.] ſcriptura depromptum ſit. multa quippe à Chriſto ad poſteros, per manus Apoſtolorum ore ad os & familiari colloquod transfuſa ſunt: quæ etſi in ſacra ſcriptura expreſsè cõtineri non videantur, inconcuſsè tamen tenenda veniunt. Nam quod genua flectamus orantes ad orientem, ſed & ſa- [Origen. hom. 5. ſuper Nũ.] croſanctæ Euchariſtiæ percipiendæ ritus, vel eorũ quæ dicuntur in baptiſmo verborũ, geſtorumq́; & ordinum, atq; interrogationum & reſponſionum, quis facilè explicet rationem? Et tamen omnia hæc, operta licet & velata, porta- [Cap. eccleſiaſticarũ. distin.] mus ſuper humeros, atq; ita implemus, vt à magno põtifice Chriſto aut primitiuæ Eccleſiæ proceribus tradita. Ad hæc, vbi quæſo ſcriptũ eſt illud, quod à Chriſto dictum commemorat Apoſtolus, Beatius eſt magis dare, quã accipere? Quis [Act. 20.] ſcripto redegit ea, quæ per dies à reſurrectione quadraginta [Act. 1.] Dominus cum diſcipulis de regno Dei diſſeruit? atque alia id genus multa, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum mundum (iuxta Ioãnem) arbitramur poſſe capere eos, qui [Ioan. 21.] ſcribendi ſunt, libros. A quibus non longè ſunt aliena, Symbolum illud Apoſtolorum, & quòd ſine vnctione non fit confirmationis ſacramentum, & in ſuperbenedicto Miſſæ ſacrificio aqua vino miſceatur, aut fideles viuificæ crucis ſigno frontem communiant: pluraque id genus, quæ velut ex receptione quadam & quaſi per manus, ab Apoſtolis emanarunt. Hinc Paulus non eas tantum traditiones iubet à [Theſſ. 2.] Theſſalonicenſibus obſeruari, quas per epiſtolam, ſed etiã quas per ſermonem didiciſſent. Neque prætermiſiſſe putãdus eſt cætera, quæ circa venerandum Euchariſtiæ ſacramẽtum Corinthijs ſeſe diſpoſiturum, cùm veniſſet, vltrò ſpoponderat. Quorũ plurima licèt à Chriſto fortè non ſint inſtituta, id tñ ratum eſt, quod dictãte ſpiritu ſancto Apoſtoli tradiderũt, veluti quod Chriſtus ipſe tradidit, & in ſui cõ- [Cor. 11. Cy. in ſer. de abl. pedum. Caſſianus li. 11. c. 12.] memorationem fieri præcepit. Oportet itaq; nos authoritati patrum, conſuetudiniq́; maiorum vſque ad tantum tẽpus per tantam annorum ſeriem protelatæ, etiam non perceptara ratione credere, eamq́ue vt antiquitùs tradita eſt, iugi obſeruantia ac reuerentia cuſtodire. Quam ſi quis eo prætextu pertinaciùs reijciat, quòd nõ legitur in ſcripturis ſacris, vt hæreticus & ſchiſmaticus habeatur.

DE CONSTITVTIONIBVS humanis.

Decretvm 6.

[Deut. 17.] SI tanta erat ſynagogæ maieſtas, tanta Leuitici ſacerdotis authoritas, vt qui ſuperbiret, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore Domino miniſtrabat, decreto iudicis moreretur: vt hac animaduerſione auferretur malum de Iſraël, cunctusque populus audiens timeret, & nullus deinceps intumeſceret ſuperbia: qua fronte in eam prorupit hæreticus audaciam, vt quicquid ſcriptura nõ expreſſum, à ſacroſanctis Concilijs & ſummis Eccleſię põtiſicibus ſtatutum ſit, auſu temerario reſpuat & ſubſannet? An non attẽdit verba Chriſti? qui, ne quiſpiam à præſtanda ſcribis & Phariſæis obedientia, ob quantumuis apertam morum [Matt. 23.] impuritatem auocaretur: Omnia, inquit, quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundum autem opera illorũ, nolite facere. & ad ſuos conuerſus, quibus regendam com- [Luc. 10.] mittebat Eccleſiam: Qui vos audit, inquit, me audit: & [Hebr. 13. Epheſ. 6. Rom. 13.] qui vos ſpernit, me ſpernit. Atque id optimo quidem iure. Nam cũ filios patribus, & ſubditos poteſtatibus ſublimioribus oporteat eſſe morigeros, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: nec in ijs tantum quæ iure diuino cauta ſunt, ſed quæ vel ad familiam, aut ad rempublicã pertinent: profectò qui præſunt Eccleſijs, patres ſunt. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, inquit Paulus, ſed nõ multos patres. Ego enim (ait) in Chriſto per Euangelium vos genui. Nec patres tantum ſunt, ſed & in ſibi commiſſos poteſtatem accepere, ſæculari non inferiorẽ in ædificationem quidem, & non in deſtructionem. Quæ omnia cum eſſent priſcis olim patribus perſuaſiſſima, non inueniebatur, qui non vltrò iuſſa capeſſeret, cùm ſynagogæ primores ieiunium aliquod & dies feſtos indicerent: vel Apoſtoli à ſanguine, ſuffocato & idolothytis abſtinendũ eſſe. Quin Paulus hominem contentioſum, legem illam de velandis mulieribus non probantem, quòd ea fortè non inniteretur ſcripturæ, Eccleſiaſtica conſuetudine refellendum cenſuit, quæ contentiones huiuſmodi non admittit. Oportet itaque præpoſitis obedire & ſubiacere eis, qui peruigilant, quaſi rationem pro animabus noſtris reddituri, quicquid inſtituerint, quamuis huius rei certum de ſcripturis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas: cùm hoc facimus quod vniuerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſa ſcripturarum cõmendat authoritas. In omnibus igitur, in quibus nihil certi definiuit ſcriptura, mos populi Dei, & inſtituta maiorum, pro lege habenda ſunt: & ſicut præuaricatores diuinarum legũ, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum, coërcendi.

DE IEIVNIIS ECCLESIASTICIS.

Decretvm 7.

CVm in omnibus Eccleſiaſticis conſtitutionibus, vtilis quædam honeſtas & ſpiritualis profectus incremẽtum eluceſcat: in indicendis tamen ieiunijs inſigniter emicuit, quibus nihil aptius retundendæ carnis petulantiæ potuit inſtitui, cùm id genus dæmoniorum (vt ad ſpiritum, dictum Chriſti referamus) ieiunio tantum & oratione pellatur. Nec ſanè quippiam, exemplo Moſis, promouendæ mentis puritati commodius: aut demum exemplo Niniuitarum, ad impetrandum, aut iram Dei placandam, efficacius ab Eccleſiaſticis quondam præſidibus potuit ordinari. Quæ res Apoſtolos impulit, vt quadrageſimale ieiunium ſanctificarent, quo Chriſtifideles, non tam Moſen, aut Heliam, quàm Chriſtum imitati, totius anni decimam exoluerẽt. Quæ verò à Calixto martyre in quatuor anni partes diſcreta ſunt ieiunia: quarti, quinti, ſeptimi, & decimi menſis legem referunt, ac figuram adimplent. Et velut quædã noſtri temporis primitiæ, ſub illis quatuor anni partibus offeruntur: ea quidem obſeruantia, vt duodenarius dierum numerus, duodecim menſium numero reſpõdeat. Neque diſſimili religione ſtatuta ſunt cætera vigiliarum ieiunia, quo puriores ſacris ſolennitatibus accedamus. Cæterùm quòd ad ciborum delectum attinet, & ſi iam olim exoleuerit vetus illa Moſaicæ legis ſeruitus, quam vmbram futurorum Apoſtolus appellat, nec iam aliquid commune dicendum ſit, aut immundum: nihil tamen ſanctius, nihil vtilius potuit inſtitui, quo pruriens carnis laſciuia frenaretur, quàm vt ieiuniorum & ſtatutis ab eccleſia abſtinentiæ diebus, à carnium eſu temperantes, cibis tantũ aridioribus veſceremur. Neq; profectò minor eſſe debet apud nos ſacroſanctæ matris Eccleſiæ authoritas, quàm apud filios Rechab, morituri patris imperium: qui, ne patris edictum violarent, à vino perpetuò abſtinuerunt. Si quis igitur Aërianorũ huiuſmodi errorem, mille ab hinc annis damnatum, & à Iouiniano, Vigilantio, Valdenſibus, Wicleuo, Huſſitis, ac nouiſſimis iſtis diebus à Lutero & ſequacibus ſuſcitatũ, ſequutus: quadrageſimale ieiunium, non tam terrena cogitatione initiatum, quàm cœleſti maieſtate conſecratum, & cætera Eccleſiaſtica ieiunia, vel præſcriptas à patribus abſtinentias non obſeruauerit, aut non obſeruandas duxerit: ſacrorum conciliorum authoritate, anathema ſit.

(:)

DE CÆLIBATV SACERDOTVM.

DECRETVM 8.

NOn ſatis eſſe, viſum eſt Luteranæ factionis authori-
Apoc. 22. bus, ſi quis in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: niſi Luci-
feriana quadam malitia magnam ſtellarum partem ſecum
traherent: & qui iamdudum impudicitiæ frena laxaſſent,
multò plurimos in ſacrilegos inceſtus & nefanda prodigio-
ſæ libidinis exempla, ſecum præcipites agerent. Vt enim
qui laſciuia diffluebant, plures haberent ſui ſimiles, & coa-
Leuit. 21. ceruata multitudine ſuam vtcunque turpitudinem adum-
brarent, in eam proruperunt audaciam, vt ſacerdotes Euã-
gelicos nulla cælibatus lege teneri velint: ſed contra totius
Eccleſiæ ritum, & præſcriptam ab eius incunabulis conſue-
tudinem, liberas quibuſcunque poſt adeptum ſacerdotium
1. Par. 24. affirment nuptias. Leuiticis quidem ſacerdotibus licita fuê-
Amb. in 1. re coniugia, vtpotè qui paucis tantum diebus ſua vice mini-
ad Ti. c. 3. ſtrarent, & ex ea tantum tribu, iure ſucceſſionis ſacerdotio
fungerentur. Neque voluit orientalis Eccleſia ſuos ea ſeue-
ritate coërceri, vt contractis primum matrimonijs vti non
liceret. At ſacerdotio Chriſti, vtpotè ſublimiori & excellen-
tiori, ſuperinductas aliquando fuiſſe de iure nuptias, exem-
plo caret: & tanquam ab Apoſtolis interdictum, ſecundo
Cap. 2. Carthaginenſi Concilio prohibetur. Neque potuit quic-
Di. 32. ca. quam illo ſanctius inſtitui, quo miniſtri puriores ſacris ac-
Si quis. cedant altaribus, & iugi penè ſacramentorum adminiſtra-
tioni reddantur aptiores: quàm neminem nec ad ſubdiaco-
natum quidem admitti, qui non ſeſe voto perpetuæ caſtita-
1. Reg. 21. tis adſtrinxiſſet. Etenim ſi lege veteri, ij tantum ſanctis pa-
nibus veſcebantur, qui ab vxoribus mundi forent: ſi procul
82. di. cap. à ſuis domibus habitabant, quibus ſua vice ſacrificandum
propoſui- erat, ne coniugum fortè pollurentur amplexibus: ſi qui-
ſti. 1. Cor. 7. bus orandum eſt, à coniugali commercio ſit ad tempus ab-
ſtinendum: ſi denique à viduis, quas ſuis ſumptibus Eccle-
ſia quondam alendas admittebat, continentiæ votum exe-
1. Tim. 5. gerit: iure quidem optimo à ſummis pontificibus & ſanctis
Eccleſiæ concilijs indictum eſt, vt qui ſacris vltro ſeſe ordi-
nibus manciparent, perpetuo cælibatus vinculo necteren-
1. Cor. 7. tur. Nam qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt,
quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus
eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.
Cart. 2. c. 2 Degrauat quippe animum, & ad terrena deijcit vſus matri-
Cart. 5. c. 3 monij: amor liberorum, auarum & ſolicitum reddit. Quiſ-
Tol. 1. c. 4 quis igitur contra ſacrorum conciliorum & patrum decre-
ta, ſacerdotes, diaconos aut ſubdiaconos lege cælibatus non
teneri docuerit, aut liberas illis conceſſerit nuptias: inter
hæreticos, omni tergiuerſatione reiecta, numeretur.

DE VOTIS, ET PRÆSERTIM monaſticis.

DECRETVM 9.

NOn abſimili ſanè verſutia, veritatis inuerſores decli-
nauerunt in verba malitiæ, ad excuſandas excuſatio-
Pſal. 140. nes in peccatis: dum vota perpetua, & in his potiſſimũ mo-
naſtica, non vanitatis tantum, ſed & impietatis accuſant: &
abiecta peſſimo quidem exemplo cuculla, ad ſacrilegas ſe
conuertunt nuptias. Quod infandum apoſtaſiæ genus, hac
vna maximè prætexunt ratione, quaſi vota eiuſcemodi, li-
bertati Chriſtianæ præiudicium afferant, nec ſatis in noſtra
2. Pet. 2. ſit poteſtate iugis illa perpetuaque caſtitas. Atque his ſtro-
phis in deſideria carnis pelliciunt eos, qui paululum effugi-
unt: libertatem eis promittentes, cùm ipſi ſint ſerui corru-
ptionis. At verò nulla maior libertas, quàm cum repreſſa
carnis tyrannide, corpus in obſequium Chriſti trahitur, nec
2. Cor. 3. tam concupiſcentia ducimur, quàm ſpiritu. Nempe vbi ſpi-
Philip. 4. ritus Domini, ibi libertas: neque quicquam eſt, quod non
poſſumus in eo, qui nos confortat Chriſtus: quippe qui nõ
1. Cor. 10. patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed facit cum
Matt. 19. tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. Cuius auxi-
lio freti, inuenti ſunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter
regnum cælorum. Ac proinde certa ſit damnatio vidua-
rum, quæ cum luxuriatæ forent, in Chriſto volebant nube- 1. Tim
re, turpi certè transfugio primam fidem irritam facientes
non quam baptiſmo, qui nuptiarum fœdera, non reſpuit:
ſed iuxta expoſitionem concilij Carthaginenſis, quam per- 27. q.
petuæ caſtitatis profeſſione ſpopondiſſent. Ab hoc autem ſicut
perpetuæ caſtitatis voto qui Chriſtum aliquando dehortã-
tem facit, in eum blaſphemat, & Apoſtolo cõtrarius eſt: qui
palàm nec ſemel tantum ad perpetuæ virginitatis obſeruã- 1. Co
tiam inſtigaſſe legitur. Cæterùm cum Chriſtus apertè ſua- Luc.
deat, vt qui vult perfectus eſſe, abneget ſemetipſum, & tol-
lat crucem ſuam: vadat & vendat omnia quæ habet, & det Matt
pauperibus, ad perpetuæ profectò tum obedientiæ, tũ pau-
pertatis vota cohortatur. Si quis igitur votum aliquod hu- Num
iuſmodi vouerit Domino, etiam ſi perpetuum fuerit: non Deu
faciet irritum verbum ſuum, ſed Deiparæ virginis, Annæ Luc.
Hier
matris Samuelis, & Rechabitarum exemplo, omne quod 1. Re
promiſerit, implebit, neque tardabit reddere, ſed quę ſemel
de labijs ſuis egreſſa fuerint, obſeruabit, & faciet ſicut pro-
miſit Domino: quandoquidem ruina eſt homini, deuo- Prou
tare ſanctos, & poſt vota retractare. Quòd ſi quis ſecus fece-
rit, aut hæretica prauitate corruptus, ſecus facere licitũ eſſe
docuerit: is velut iuris tum diuini, tum naturalis infractor,
nedum ſacroſanctis concilijs iniurius, condigna per ſuos
ſuperiores animaduerſione plectatur.

QVOD SEPTEM SVNT SACRAMENTA, à Chriſto inſtituta: & quod illa conferant gratiam, obicem non ponenti.

DECRETVM 10.

ETsi nihil intentatum reliquit hæreticus, quo Chriſtia-
nam fidem omni parte profligaret: in abnegandis tamẽ
ſacramentis, vipereo dẽte ſacra matris Eccleſiæ viſcera cru-
deliter dilaniat. Et quibus aliquando ſpiritualibus coaluit
incrementis, ea non ingrato tantum, ſed & perfido per ne-
fas auſu conatur abrumpere. Nec enim ſatis eſſe viſum eſt,
ſi ſacramentorum Eccleſiaſticorum numero detraxerit,
dum pleraque ex eis humanum & recens inuentum eſſe di-
cit, niſi tandem omnibus conferendæ gratiæ vim ne-
garet.

DE BAPTISMO.

VErum vt ad ſingula deſcendamus, quàm efficax ſit
baptiſmi ſacramentum, primum innoteſcat. Hoc cer- Zach
tè eſt fons ille patens domui Dauid & habitantibus Hieru- Eze.
ſalem, in ablutionem peccatoris. Hæc aqua munda, cuius 1. Pe
effuſione mundamur ab omnibus inquinamentis & ſpur-
citijs noſtris. Hoc quod nos ſaluos fecit baptiſma, quo de-
nuò naſcimur. Per hoc lauacrum regenerationis & renoua- Ephe
tionis ſpirituſſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum
Chriſtum ſaluatorem noſtrum, iuſtificati gratia ipſius, hæ-
redes ſumus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Hoc aquæ laua- Tit. 3
cro mundat Chriſtus eccleſiam in verbo vitæ, vt eam ſibi
exhibeat glorioſam, non habentem maculam neque rugã. Gala
Quotquot enim baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, Chriſtum Rom
induimus: conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum
in mortem. Cùm igitur ablutio peccatorum, ab inquina-
mentis & ſpurcitijs emundatio, ſalus, renouatio, regenera-
tio ſpirituſſancti, cæteraque id genus, infuſionem gratiæ
palam inſinuent: perſpicuum euadit, baptiſmi ſacramentũ
ſua virtute gratiam conferre.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

POrrò ſacramentum ordinis vel hinc facilè colligi po- 1. Pet
teſt, quòd etſi omnibus adeò commune ſit internum Apoc
illud ſacerdotium, quo exhibemus corpora noſtra hoſtiam Rom
ſanctam, viuentem, Deo placentem, vt priſcis quoque ſub
Moſaica lege patribus conueniret: non protinus tamẽ qui- Exod
libet, diſpenſator miniſteriorum Dei, vel architectus ædifi- 1. Co
cij ſpiritualis habendus eſt. Non continuò, ſi puer aut mu- 1. Co
lier baptiſmum ſuſceperit, legatione pro Chriſto fungitur, 2. Co
1. Co

ſed

[Ephes. 4.] ſed diuiſiones miniſtrationum ſunt: deditque Deus quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam prophetas, alios Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores: ad conſummationē ſanctorum, in opus miniſterij, ad ædificationem corporis Chriſti. [Tit. 1.] Atque eius gratia Titum Cretę reliquit Apoſtolus, vt conſtitueret per ciuitates presbyteros. [1. Cor. 12.] Nam ſi totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus? Denique ſi omnia eſſent vnum membrum, nec eſſet aliquis qui non ſit ſacerdotali ordine inſignitus, vbi corpus? aut quid denique confuſius, quid perturbatius eſſe queat? Quoſdam itaq; Chriſtus ſacerdotes inſtituit, quib. ſui corporis poteſtatem commiſit: [Luc. 22.] Veri quidem, dum inſtituto ſui corporis & ſanguinis ſacramēto: Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. [Ioan. 20.] Myſtici verò, dum poſteaquam in diſcipulos inſufflaſſet, Accipite, inquit, Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. [1. Tim. 4.] [2. Tim. 1.] Quibus palam euadit, in ſuſceptione ordinis conferri gratiam. [1. Tim. 5.] Rectè igitur Timotheum Paulus admonet, vt non negligat gratiam quæ data eſt ei, cum impoſitione manuum presbyterij, ſed eam reſuſcitet potius. Quod ſi pro ſui dignitate quis fecerit, duplici honore dignus habeatur.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

QVIS autem viuificum eſſet neget Euchariſtiæ Sacramentum, quod tam apertis teſtimonijs ſcripturæ comprobatur? [1. Cor. 10.] Calix enim benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & pacis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? [Pſalm. 23.] [Pſalm. 4.] [Zachar. 9.] hic nempe calix ille præclarus inebrians: hoc frumentum, hoc vinum germinans virgines. [1. Cor. 11.] Probet itaque ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice babat. Nam qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. [Ioan. 6.] Caro enim mea (inquit Dominus) verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo. [Ibidem.] Et rurſum: Qui mãducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Quibus hac luce clarius conſtat, hoc ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum non ſolùm gratiam conferre: ſed & alia pleraq; aduerſus hæreticos roborari, quæ de ipſo Catholica tradit Eccleſia: atque adeò quidem, vt poſt tam aperta ſcripturarum oracula, plura conſarcire, ſuperuacuum foret.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

[Matth. 19.] NEC obſcurius quidem Sacramentum confirmationis Chriſtus inſtituit cū paruulis manus imponeret. [Actor. 8.] Quod & ab Apoſtolis legimus promulgatū, cùm ad Samaritas miſerunt Petrum & Ioannem, à quibus illi (licet à Philippo Diacono antea baptizati) per impoſitionem manuum, Spiritum ſanctum acciperent. [Actor. 19.] Quod & ex Actis Apoſtolorum apud Epheſios à Paulo, & ex Dionyſio, Clemente & Fabiano pontificibus, à primitiua quondam Eccleſia legimus obſeruatum. Vnde & nunc Impoſitionis manuum, nunc Confirmationis, appellatum eſt Sacramentum. Baptiſmo ſiquidem regeneramur ad vitam: poſt baptiſmum hoc Sacramēto confirmamur ad pugnam, in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum hoc ſacramento roboramur: [Actor. 8.] cuius conferendi poteſtas, epiſcopis à Chriſto cōceſſa, donum Dei eſt: quod aſſeruit Petrus pecunia poſſideri non poſſe.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

[Hebr. 10.] POENITENTIÆ verò tam neceſſarium eſt Sacramentum, quàm impoſſibile eſt baptiſmum iterari. Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Neque ei qui ſemel tantum paſſus eſt Chriſtus, ſæpius conſepeliri poſſumus per [1. Petr. 3.] [Rom. 6.] [Iacob. 3.] baptiſmum. Cùm igitur in multis offendamus omnes, neque ſit qui poſſit dicere, Mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato, neceſſaria eſt profectò ſecunda poſt naufragium tabula. In qua diſcuſſa diligenter conſcientia, quicquid occurrit Dei offenſiuum, deteſtemur. [Prou. 20.] [S. Hieronymus.] Nam ad pœnitentiam nos adducit benignitas Dei, ſecūdum autem duritiam & impœnitens [Rom. 2.] cor, homo theſaurizat ſibi iram, niſi reſipiſcens ſciat & videat, [Hier. 2.] quàm malum eſt & amarum, reliquiſſe Dominum & non eſſe timorem eius apud ſe. Contra verò, quæ ſecundum Deum [2. Cor. 7.] triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Neq; enim cor contritum & humiliatum deſpicit Deus: [Pſal. 50.] qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, [Pſal. 146.] ſed commouet terram, & cōturbat eam: [Pſal. 59.] tum ſanat contritiones eius, quia commota eſt. Nemo igitur tantum de fide ſua præſumat, nemo adeo pœnitentiam nouam vitam exiſtimet, & non recogitet [Eſa. 47.] annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ.

DE CONFESSIONE.

SED vt vetuſtiſſimum illud, ita veriſſimum: [Prou. 28.] Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Neque ſatis fuerit de peccatis conteri, & ea apud ſeſe Deo confiteri, niſi ſacerdoti quoq; ſacramentali confeſſione detegantur. Ea quippe, nec humanum nec recens inuentum eſſe poteſt, quæ tot & tantis fulcitur ſcripturarum oraculis. Ad hanc enim, præter multas Moſaicæ legis figuras, propius manuduxiſſe videtur, primum ille Chriſti præcurſor: à quo qui baptizabãtur, confitebantur peccata ſua. [Matth. 3.] Tum Chriſtus ipſe, dum ſuſcitatum Lazarum, ab Apoſtolis ſolui iubet: [Ioan. 11.] & ei quem à lepra curauerat, præcipit vt ſeſe ſacerdotibus oſtendat. [Matth. 8.] At tum demum huiuſcemodi confeſſionem inſtituit & præcepit, cùm poſtquam in Apoſtolos inſufflaſſet, Accipite, inquit, Spiritum [Ioan. 20.] ſanctum: Quorū remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Nam quomodo remittet, quæ ſibi cognita non fuerint? aut quo pacto eorum iudex eſſe poterit, quæ prorſus ignota ſint? [S. Hieron. in Eccleſiaſten.] Oportet itaque, quem antiquus ille ſerpens occultè momorderit, abſtruſiſſimum quodque vulnus medico detegere, omnem indigeſtum & virulentum [Sanct. Cyprian. ſermone 5. de lapſis.] humorem (etſi ſtomacho mentis altius inſederit) euomere: pudorem, in ſatisfactionis partem, de ſingulo quouis errato pati: ne, dum occultis peccatorū vinculis ſeſe teneri diſſimu[S. Chryſoſt. ſuper Matth. homilia 5.]lat, horrendæ tandem ſub omnium oculis æternæ damnationis laqueo conſtringatur. Proinde ſtatim ab ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis, ſacer iſte confitendi ritus, de interioribus, nedum de exterioribus tantum, inoleuit: vt tum ex Iacobo, tum ex D. Dionyſij, Alexandri, Vrbani, & Cypriani ſcriptis [Iacob. 5.] [Dionyſius in epiſtola ad Demoph.] manifeſtum euadit. Rectè igitur hanc exomologeſis legem à Chriſto inſtitutam, per Apoſtolos ad nos vſque deductam, & ab vniuerſali Eccleſia inuiolabiliter obſeruatam, à cunctis Chriſti fidelibus ſectandam eſſe: & contrauenientes, authoritate Concilij Conſtantienſis & aliorum complurium damnatos declaramus.

DE EXTREMA VNCTIONE.

[Marc. 6.] AD vnctionis autem extremæ Sacramentum, Chriſtus manuduxiſſe primum videtur, cùm Apoſtoli oleo vngerent multos infirmos, & ſanarentur. Neque enim id ſuo ſenſu, ſed pręceptoris inſtituto, feciſſe putandi ſunt. Sed ne hic noſter vngēdi infirmos ritus, Chriſti præceptum, non tamen ſacramentum, eſſe videretur: [Iacob. 5.] ſi quis infirmatur (inquit Iacobus) in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Quibus liquido conſtat, extremam vnctionem non ægritudinis tantum corporalis medicamētum eſſe, ſed etiam cæterorum ſacramētorum inſtar, remiſſionem peccatorum efficaciter operari: ac proinde nec ab Iacobo quidem fuiſſe inſtitutum, ſed ab eo tantum, cui peculiare eſt, vt [Pſal. 83.] gratiam & gloriam conferre poſſit.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

POSTREMO matrimonium eſſe ſacramentum, abunde ſatis, ſacroſanctæ matris Eccleſiæ tum vſu, tum authoritate comprobatur. [Epheſ. 5.] Hoc quippe ſacramentum, magnum eſt,

in Chriſto quidem & Eccleſia, quo ſanctificatur vir infidelis
per mulierem fidelem, & mulier infidelis per virum fidelem.
Hoc honorabile coniugium, totus immaculatus: in quo non
ſolùm ſaluatur mulier per filiorum generationem, ſed fas eſt
vnicuiq; vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore: per
quod coniuges benedictionem conſequuntur in filijs, nec ha-
bet in eos dæmonium poteſtatem, niſi ita coniugium ſuſci-
piant, vt Deum à ſe & ſua mente excutiant, & ſuæ libidini va-
cent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Qui ne-
gat itaq; matrimonium eſſe ſacramentum, aut deniq; ſeptem
ſacramenta non admittit, inter hæreticos habeatur.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

DECRETVM XI.

QVAM verè à ſapiente dictum eſt, Vir qui errauerit in
1. via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur. Erra-
uit quidem Luterus in via doctrinæ, cùm quicquid agamus,
peccatum eſſe cẽſuit. At tum demum irruit quaſi gigas, & po-
ſuit in cœlum os ſuum: cùm, ne quid noſtrum Deo gratum
eſſe fateretur, ſacroſanctum illud Miſſæ ſacrificium abrogari
voluit, tantoperè nobis neceſſarium, tãtis ſcripturæ teſtimo-
nijs roboratum. Nam ſi omnis pontifex ex hominibus aſſum-
ptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum, vt
offerat dona & ſacrificia pro peccatis: quod tãdem proprium
& peculiare nouæ legis ſacrificium à ſacerdote offerendum
eſſe queat, niſi ſuperbenedictum iſtud corporis & ſanguinis
Chriſti ſymbolum, quod eſu paſchalis agni, manna, cæteriſ-
que propemodum omnibus Moſaicæ legis cæremonijs figu-
ratum eſt? Neque enim lex eſſe poteſt, quæ ſacerdotio careat:
quòd ſi ſacerdotium habet, habet & ſacrificium. Porrò etſi
9. Chriſtus, aſſiduus pro nobis pontifex, non per ſanguinem
09. hircorum aut vitulorũ, ſed per proprium ſanguinem introi-
uit ſemel in ſancta: æterna redemptione inuenta: negari ta-
24. men non poteſt, ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Mel-
chiſedech: ac proinde huius exemplo, ſacrificiũ aliquod ob-
tuliſſe, quod exteriore panis & vini forma, veteri illi Melchi-
ſedech oblationis reſponderet. Erat enim ſacerdos Dei altiſ-
ſimi, quod vtique fecit in ſuprema cœna illa. Nam accepto
22: pane gratias egit, & fregit, deditq; diſcipulis ſuis, dicens: Hoc
eſt corpus meum, quod pro vobis datur, & ab Euangelicis ſa-
em. cerdotibus iugi ſemper obſeruantia præcepit iterari. Hoc
facite, inquit, in meam commemorationem. Hoc enim ho-
locauſtum, hæc victima pro peccato, hæc hoſtia pacifica, hoc
iuge ſacrificium, hæc munda (iuxta Miſſæ nominis hebraici
a 1. rationem) oblatio, quam in omni loco Malachias prædixit
offerendam, cùm repudiatis legis antiquæ cæremonijs, ab or-
tu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſſet nomen Domini in
gentibus. Nihil igitur in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quàm
corpus & ſanguis Chriſti, nulla potior oblatio. Qua in re,
cum vniuerſalis Eccleſiæ ritu, tam apertè conſentiunt Igna-
tius, Irenæus, Cyprianus, Athanaſius, Chryſoſtomus, ac reli-
qui poſteriores, & concilia propè innumera: vt qui contra-
rium ſenſiſſe præſumpſerit, manifeſtam hæreſeos labem in-
currat.

DE SATISFACTIONE, PVRGATO-rio, & commemoratione defun-ctorum.

DECRETVM 12.

VNVM illud videmus in primis hactenùs obſeruatum
ab ijs, qui propagandis hæreſibus animum intenderint,
vt ea ſibi dicenda putent, quæ maximè placitura videantur,
quo prurientes multitudinis aures demulceant, & à ſecretio-
ribus patrum auertant inſtitutis. Hac ratione Mahometica
quondam peſtis inualuit. Hoc aucupio Luterus plures illa-
queat, dum ſimul cum culpa ſemper omnem cuiuſuis pœnæ
temporalis reatum aboleri contendit. Purgatorium tollit, &
quo laicos grauiùs in clericorum odium exaſperet, ſacrificia,
oblationes, & omnes id genus pro defunctis orationes, recens
eſſe ſacerdotum commentum, impudenter aſſeuerat. Præui-
dit enim verſutus artifex, nihil eſſe quod effreni plebeculæ
poſſit eſſe iucundius, quàm ſi facilima prorſus in cœlum præ-
dicetur via, ſi omnis acerbæ illius purgatoriæ pœnæ decutia-
tur metus: ſi quid habeat, quod aliquo tandem prætextu ſa-
cerdotibus impingat. Ne igitur incautus fortè quiſpiam, va-
fris huiuſmodi blanditijs pellectus, errorum ſcopulis illida-
tur: ſacro approbante prouinciali Concilio, firmiter tenendũ
decreuimus, culpa per pœnitentiam abolita, frequenter ſu- Matth. 5.
pereſſe temporalis pœnæ reatum, velut ſuperſtites quaſdam Luc. 3.
peccati reliquias, quæ per dignos pœnitentiæ fructus veniant
expiandæ: adeò, vt iniquitate & culpa peccati dimiſſa, pecca- Num. 14.
tor adhuc pœnæ temporali ſit obnoxius. Hinc murmuranti 2. Reg 12.
aduerſus Dominum Iſraeliticæ plebi, inde Dauid dimiſſam
primùm adulterij noxam ſcriptura commemorat, pro qua
tamen ſubinde pœna temporalis irrogata eſt. Superabundans 1. Petr. 2.
quidem atque exuberans, eſt Chriſti ſatisfactio: cuius pleni- Rom. 6.
tudinem aſſequimur, dum ſicut ſemel tantùm mortuus eſt, ita
ſemel illi conſepelimur per baptiſmum. Peccata verò quæ
poſt baptiſmum commiſſa fuerunt, pœnitentia quidem ex-
piantur, ſed quæ morienti Chriſto non ſemper configuret.
Cùm autem huiuſmodi pœnæ temporalis, aut venialis tan- Matth. 12.
tùm peccati reus, repentè nonnũquam intereat, de omni ver-
bo etiam otioſo rationem redditurus, nec illi pateat aditus in Apoc. 21.
cœleſtem illam Hieruſalem, in quam nihil intrat coinquina-
tum: nec item gehennæ ſubiaceat, quippè qui gratiæ ſit parti- 2. Cor 5.
ceps, ac pœnæ temporalis tantùm debitor: ſit, vt primùm pur-
getur ex ijs quę geſſit in corpore, ſaluus tandèm aliquando fu- 1. Cor. 3.
turus, ſic tamen quaſi per ignem: de ſua ſemper interim ſalute, Matth. 12.
ex remanentibus in eo fide, ſpe & charitate, ſecurus. Neque
enim ex eorum eſt numero, quorum blaſphemia non remit-
titur neque in hoc ſeculo, neque in futuro, quorum ſuperbia Pſal. 73.
aſcendit: ſed eorum potiùs, quos ſub terra Deo laudem accla-
mantes, ſacer Apocalypſis liber commemorat. Sancta igitur Apoc. 5.
& ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis 2. Mac. 12.
ſoluantur. Nec ab re ab Apoſtolis traditum, vt in tremendis Chryſoſt.
& viuificis myſterijs, agatur commemoratio defunctorum.
Sciebant enim, illis indè multum contingere lucrum, vtilita-
tem multam. Cùm igitur tam ſanctum Apoſtolorum inſtitu- Dionyſius
tum, ab initio naſcentis Eccleſiæ, ex ſacro Dionyſio legamus Eccle Hie
obſeruatum, & in Cabilonenſi ac pluribus ſubindè Concilijs ra. cap. 7.
promulgatum: quiſquis Catharorum, Armeniorum, Vuicle- De cõſec.
fi, Bohemorum, Luteri aut Valdenſium exemplo, hos erro- diſt. 2. cap.
res cum ſacro Conſtantienſi Concilio non damnârit, hæreti- viſum.
cæ prauitatis pœnas incurrat.

DE VENERATIONE SANCTORVM.

DECRETVM 13. Pſal. 41.

VT abyſſus abyſſum inuocat, & in aliud ſcelus ex alio la-
bimur: in eam demùm hæreticus incidit inſaniam, vt
qui pijs animabus quæ purgatorio detinentur, ſuffragia viuo-
rum adimit: viciſſim quoque viuos ſanctorum, qui in cœlis
ſunt, defraudet auxilijs: quaſi vel preces noſtras non audiant,
vel noſtris calamitatibus non tangantur: quaſi diuinæ clemẽ-
tiæ deroget, quòd qui Chriſto miniſtrauerit, hoc honore di-
gnus habeatur, vt pro cæteris intercedat. Sed quàm ſit pri-
mum horum non modò veritati, ſed ſcripturis quoque diſ-
ſonum: facilè intelligit, qui beatis peruium eſſe non ignorat o-
mniforme illud diuinitatis ſpeculum, in quo quicquid eorum
interſit, illuceſcat. Etſi neque deſint nobis Angeli, Gabriele Dan. 9.
Danielis, Raphaele Tobiæ haudquaquàm ſegniores, qui no- Tob. 12.
bis ab exordio precum noſtrarum aſſideant, vt illis mox of- Pſal. 67.
ferant, quorum ſuffragium imploramus. Nec pigriùs quàm Apoc. 8.
olim, præueniant principes coniuncti pſallentibus, è quorum
manibus aſſcendat fumus aromatum de orationibus ſancto-
rum. Porrò quòd ad ſecundum attinet, qui fieri poteſt, vt no- 1. Cor 13.
ſtris non afficiantur incommodis, quorum nunquam excidit
charitas, quibus tantum gaudium in cœlo, ſuper vno pecca- Luc. 15.
tore pœnitentiam agente? Abraham, cùm hic diuerſaretur, Gen. 18.
pro ſalute Sodomitarum apud Dominum ſemèl & iterum,
quinimmò & ſæpiùs interpellauit, vt pro certo iuſtorum nu-
mero, qui inter eos reperiretur, toti parceretur ciuitati. An
nunc cùm cœlo glorioſus regnat, vſqueadeò refriguit eius
charitas & imminuta eſt, vt immemor filiorum ſuorum ſa-
ctus, non oret pro ijs, qui in hoc procelloſo mari adhuc con-

Sáctorum communionem in ſymbolo. Rom. 12. Zachar. 1. 2. Mac. 15. Pſalm. 31.

ſtituti, diris iactantur mundi fluctibus? Nec enim à beatorum communione (quorum alter alterius, membra ſumus) poſſumus aliquando ſeparari, quin auctiore nobis charitate conſulant, quàm cùm terrena nobiſcum conuerſatione tenerentur. Hinc Angelus ille Zachariæ, & Hieremias iamdudum in ſinum Abrahæ receptus, multum orant pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate, & pro pœnitentis impietate orabit omnis ſanctus in tempore oportuno. Nihil autem diuinæ benignitati vel omnipotentiæ deperit, quæ ſumma & incompræhenſibili ſapientia, infima quæque per intermedia moderatur & regit: neque minus vnus eſt mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus, ſi iuxta ſacram Aurelianenſis Concilij atq; aliorum complurium inſtitutionem, litanijs ad aliquos ſanctorum conuertamur: Chriſto tamen accepta ferantur omnia: per quem, omne id genus interueniendi munus, cæteraque in humanum genus beneficia, deriuentur. Abſit igitur, vt tanti ſint apud aliquem, hæreticorum præſtigiæ, vt cum Manichæis, Catharis, Bohemis, & Valdenſibus, beatis illis cœleſtis aulæ proceribus (ex quibus, non ſecus ac ex igne ſplendor, odor ex vnguento, noſtra omnium dimanat vtilitas) cultum exhiberi non ſinat: dicata martyribus templa ſubſannet, dies feſtos inſcribi, & eorum (vt aiunt) paſſiones palam in Eccleſia legi, cachinnis inſectetur. Pluris ſit ſacrorum Conciliorum authoritas: quibus ſi quis pertinacius obſtiterit, hunc pœnis in hæreticos à iure ſtatutis, declaramus coercendam.

1. Tim. 2. 1. Concilij Aurel. ca. 13. alias 29. De conſec. diſt. 3. cap rogationes. Baſilius.

DE VENERATIONE SACRORUM IMAGINUM.

DECRETVM 14.

SI tam candide quàm curioſè hæreticus ea loca perluſtraſſet, quibus ſcriptura paſſim ab idolorum & ſimulacrorum cultu reuocat, nequaquam certè tanto ſtrepitu Chriſtianos ab imaginum honore deterreret. Neque enim dum Catholicus quiſpiam ſanctam Chriſti veneratur imaginem, aliquod numen illi ſubeſſe putat, aut quaſi Deum colit: ſed ob recordationem filij Dei, vt in eius amore recaleſcat, cuius imaginem videre deſiderat. Et nos quidem non quaſi ante diuinitatem, ante imaginem proſternimur: ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut paſſum, vel in throno ſedentem, recordamur. Et dum per ipſam picturam quaſi per ſcripturam, ad memoriam filium Dei reducimus: animum noſtrum de reſurrectione lætificat, aut de paſſione mulcet, non maiore quidem idololatriæ periculo, quàm cùm in nomine Ieſu omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Quem enim vocula curſim auribus inſinuat, hunc eundem fidelibus oculis imago ſedulo repræſentat. Accedit & ex imaginibus alia non inferior vtilitas, idoneum videlicet, atque accommodum indoctæ plebi rudimentum: vt cùm ſacratiſſimæ virginis Mariæ, aut ſancti cuiuſquam imago ſeſe offert, ea velut archetypo, ad propoſitæ ſanctitatis imitationem & veram vtcunque pietatem, rudi quadam introductione, ſimplex populus animetur. Et ſepoſita tantiſper diſtractione dum ad vnius imaginis contuitum ſe colligit; vno obtutu ſibi plura proponit, quàm diuturna librorũ euolutione compræhenderet. Non ab re igitur Apoſtoli viuificã Crucem & ſacras erexerunt imagines: quæ quum ab initio naſcentis Eccleſiæ, debita ſemper ab orthodoxis veneratione colerentur, nihil illis à ſacroſanctis quatuor vniuerſalibus Concilijs derogatum eſt. Quin & ab Auguſtino moribundis proponi iubentur, & à Gregorio Magno, tum ad Richaredum, tum ad Secundinum miſſæ leguntur. Et inſurgentibus tandem imaginum euerſoribus, Romani pontifices, Conſtantinus, Gregorius ſecundus, & tertius, Paulus primus, Stephanus tertius, & Adrianus primus, tanta animi conſtantia reſtitêre, vt illi ſeptima tandem apud Niceam ſynodo, concordi patrũ aſſenſu damnarentur: & Carolus ille cognomento Magnus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus, Francfordienſi cõuentu, eiuſdem erroris ſuppreſſerit inſaniam, quã infeliciſſimus quidam Felix in Gallias & Germaniam inuexerat. Quiſquis igitur de Chriſti vel ſanctorum imaginibus aliter ſenſerit, is Chriſto & ſanctis iniurius, cum Valdenſibus peſtiferam hæreſeos labem ſe nouerit incurriſſe.

De conſec. diſt 3. c. perlatũ. Et ca. venerabiles. Gregorius ad Secundinum. Philip. 2. Damaſcenus lib. 4. Auguſtin. lib de viſitatione infirmorum. Carolus Magnus.

DE LIBERO ARBITRIO.

DECRETVM 15.

ETSI nulla penè ſit tam aperta Catholica veritas, nullus tam manifeſtus ſacræ ſcripturæ locus, quem non hæretici ſuis cauillis & tergiuerſationibus eludant: nulla tamen in re tam impudenter, tantaque rei Chriſtianæ iactura debacchati ſunt, quàm in exterminando profligandoq; libero arbitrio. Nam quid Chriſti fidelibus pernicioſius excogitare potuit hoſtis ille veritatis, quàm ſi vel à Pelagio ſeducti, omnia ſine præſidio gratiæ ſibi tumidius arrogent, vel fatiſcenti puſilloque animo, cum Wiclefo, neceſſitati fatiſque committat omnia? Nihil profectò reliquum erit, tum diuinis legibus, tum humanis: nullus conſilijs, [illegible]tioni, nullus precibus, aut obiurgationi, cæteriſque id genus, locus: nulla denique iuſtitia futura eſt, qua quibuſdam pœnæ, quibuſdam conſtituta ſint præmia: ſi pro Wicleſi & Luteranorum ſententia, omnia de neceſſitate eueniant. Prodierat hic error primùm apud gentiles, ſed ſummo omnium conſenſu mox exploſus eſt: adeo, liberum eſſe arbitrium, velut euidenti quodam experimento cognitum, omnium mentibus ſeſe inculcat. Cum igitur reliquerit Deus hominem in manu conſilij ſui, appoſueritque coram eo ignem & aquam, bonum & malum: vt ad quodcunque voluerit, porrigat manum ſuam: nec ab re beatus ille dicatur, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala, & non fecit: quòd ſub eo ſit appetitus eius, & dominetur illius: ac denique percurrenti ſacram ſcripturam paſſim obuium ſit, quòd liberum vtramuis in partem hominis arbitrium aſſeueret: ſatis eſſe viſum eſt ſacro prouinciali Concilio, libertatis huiuſmodi vires & metas exponere. Neque enim liberum arbitrium aſſerentes, diuinam excludimus propterea gratiam: quod illi falſo toties imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perſtringere. Sed iuxta ſacram ſcripturam eo extendimus, vt voluntas humana miſericordiæ præuenientis auxilio ſuffulta, & interiori quodam & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contacta, ſeſe conuertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam ſe præparet, qua tandem accepta ſit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet: cui ſi quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo. Nec denique tale ſit huiuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hieruſalem, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluerit? Fruſtra certè Stephanus Iudæos, duræ ceruicis & incircuncisi cordis argueret, qui ſemper Spiritui ſancto reſiſterent. Fruſtra Paulus Theſſalon. admoneret, ſpiritum ne extinguerẽt, ſi diuinis inſpirationibus homines ineuitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus, ſed in eius odorem currimus: non vi, non vnco raptamur. Prædeſtinat, eligit, vocat, ſed eos demum adultos glorificat, qui in fide & charitate radicati, per bona opera certam ſuam vocationem, electionemque fecerint. Et licet attingat à fine vſque ad finem fortiter, diſponit tamen omnia ſuauiter. Hanc igitur hæreſim, arbitrij libertatem prorſus auferentem, non tam damnamus, quippe quæ iam olim ab Eccleſia & ſacroſanctis Concilijs damnata ſit, quàm communi hominum conceptioni & apertis ſcripturæ teſtimonijs declaramus eſſe contrariam.

Eccleſ. 15. Eccleſ. 31. Gen. 4. Pſal. 58. Iacob 4. Zach. 1. 1. Reg. 17. Amos 5. Apoc. 3. Matth 23. Actor. 7. 1. Theſſ. 5. Cant. 1. 2. Petr. 1. Sap. 8. Concil. Cartha. 4. ca. 1. Sexta Synodo Conſtant. Seſſion. 8.

DE FIDE ET OPERIBVS, MERITO & GRATIA.

DECRETVM 16.

FRequens illud eſt apud imprudentes, & qui non tam animi moderatione, quàm impetu feruntur: vt dũ ab altero vitiorum incautè diffugiunt, in alterum prolabantur. Cuius rei Lutherus fidem facit, qui dum operum fiduciam nimis inſectatur, nihil tandem operibus reliquum facit: atque ita vnius fidei patrocinium ſuſcipit, vt ſolam agnoſcat, opera reijciat & condemnet. Verum ſi rectè perpendantur, quæ pro fide producit de ſcripturis, teſtimonia, reliquas virtutes non excludunt. Quæ verò contra opera citat, ea omnia

vel ad nimiam in operibus fiduciam, vel ad legales cæremo-
nias pertinent. Fide quidem viuimus: & ſine hac, impoſſibile
Abac. 2. Hebr. 11. eſt placere Deo. Si quis nihilominus habuerit omnem fi-
1. Cor. 13. dem, ita vt montes transferat, charitatem autem non habue-
rit, nihil eſt. Fide iuſtificamur: ſed & ſpe ſalui facti ſumus: Et
Rom. 9. dimiſſa ſunt Mariæ Magdalenæ peccata multa, quoniam di-
Rom. 8. Luc. 7. lexit multum, ſi quis enim (dicit Dominus) diligit me, ſermo-
Ioan. 14. nem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ve-
niemus, & manſionem apud eum faciemus. Nunc igitur ma-
nent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior autem horum eſt
1. Cor. 13. charitas, & in viuificando iuſtificandoq́; potior: quandoqui-
dem fides ſine operibus mortua eſt. Tum demum vtilis eſt ad
Iacob. 2. ſalutem, cùm per dilectionem operatur. At charitas non eſt
Galat. 5. ocioſa, ſed per bona opera ſatagit, vt certam vocationem no-
1. Cor. 13. 2. Petr. 1. ſtram electionemq́ue faciat. [illegible] enim auditores legis iuſti
Rom. 2. ſunt apud Deum, ſed factores [illegible] gis iuſtificabuntur, dum ille
reddet vnicuique iuxta opera ſua, dum vnuſquiſque merce-
1. Cor. 3. dem, accipiet ſecundum laborem ſuum. Quandoquidem
omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt refe-
2. Cor. 5. rat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum
ſiue malum. Vbi eos qui à ſiniſtris erunt, nó ſolùm increpabit
Dominus, quia non crediderunt, ſed quia miſericordiæ non
vacarunt. Eos autem qui à dextris erunt, commendabit non
tam à fide, quàm à bonis operibus: opera enim illorũ ſequun-
tur illos. Talibus ſiquidem hoſtijs promeretur Deus, faciet-
Apoc. 14. que tandem omnis miſericordia locum vnicuique, iuxta me-
Hebr. 13. ritum operum ſuorum, non abſoluta condignitate quidem,
(neque enim condignę ſunt paſſiones huius ſeculi ad futuram
Eccle. 16. gloriam quæ reuelabitur in nobis) ſed gratuita magis & libe-
Rom. 8. rali repromiſſione: qua, conuentione facta de denario diur-
no, conduxit operarios in vineam ſuam, qua, inquam, qui ſuf-
Matt. 20. fert tentationem, cùm probatus fuerit, accipiet coronam,
Iacob. 1. 2. Tim. 4. vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, & ei qui fidem
ſeruauerit, certauerit bonum certamen, curſum conſumma-
Luc. 17. uerit, coronam iuſtitiæ reddet in illa die iuſtus ille iudex, qui
Coloſ. 1. nos, etſi ſeruos inutiles, ſua miſericordia dignos facit, in par-
tem ſortis ſanctorum. Non iuſtificat igitur ſola fides, ſed ma-
gis charitas, nec quæuis opera, peccata ſunt: ſed eatenus, adul-
tis ad ſalutem neceſſaria, vt meriti quoque rationem non re-
ſpuant.

Decretorum fidei, finis.

ANNOTATIONES ALIQVOT ERRORUM, iam olim damnatorum, & nunc repullulantium paucis conſtrictæ. 17.

HIs ſanè decretis, poſſent plura alia adiungi, verum nimia huiuſmodi decretorum multiplicatione, orthodoxos lectores grauare metuentes, haudquaquam alia in pręſentia cenſemus adijcienda. Quia tamen plurimæ aliæ ſunt hæreſes, quas aut editis libris, aut publicis prædicationibus, aut familiaribus etiam colloquijs minimè erubeſcunt homines peruerſi hodiè promulgare, peſtilentibus dogmatibus enitentes inficere populum Chriſtianum: generali quadam definitione tales damnatæ doctrinæ aſſertiones operæprecium eſt indicare, quo facilius vitentur. Exploratum nempe eſt, quòd non alia via conuenientius hæreticorum calumniæ, hæreſes atque impietates cauentur, quàm vbi deteguntur & manifeſtantur. Tunc enim omnibus facilè conſtat, quàm vana ſint ac futilia, immò quàm ſtulta & impia eorum dogmata. At verò vt commodius tales errores diſcernantur, certius ſubnectuntur indicibus modo ſequenti.

Error ſanctus Ano. Nuſquam legitur Dei cognomẽ apertè tribui Chriſto, in Apoſtolorum & Euangeliſtarum literis, pręterquam in duobus aut tribus locis.

Error ſancti Macedonio. Audemus Spiritum ſanctum appellare Deum, quod veteres auſi non ſunt.

Chriſtus ſuam mortem deplorari non voluit, ſed adorari: vt quæ ſpontè pro ſalute totius mundi ſuſcipiebatur. Non enim deflenda eſt mors innocentis.

Error Ioã. Hus, dam. A conſortio Eccleſiæ reſecatur, quiſquis admittit crimen lætale.

Eccleſia non conſtat niſi ex bonis.

Primatus ſummi pontificis, non eſt à Chriſto. Non rectè aut piè ab Eccleſia canuntur illæ orationes, Salue Regina miſericordiæ, Regina cœli, Aue maris Stella.

Nouiſſima pars capituli vltimi Euangelij beati Marci, ex apocrypho quopiam Euangelio aſcripta apparet à lectore ſtudioſo.

Indecorum vel ridiculum videtur, quòd idiotæ & mulierculæ pſittaci exemplo, pſalmos ſuos & precationem Dominicam latinè murmurant: quum ipſæ quod ſonent, non intelligant.

Baptizati infantes, cũ veniunt ad annos diſcretionis, ſunt rebaptizandi.

Infantes non ſunt baptizandi.

Baptizati paruuli poſtquam ad pubertatis annos peruenerint, vt in communibus fidei articulis fuerint inſtructi: interrogẽtur, ratum ne habeant quod ſuſceptores nomine illorum polliciti ſunt in baptiſmo. Id ſi non approbent, fortaſſis expediet illos non cogi, ſed ſuo relinqui animo, donec reſipiſcant: nec ad aliam vocari pœnam, niſi vt ab Euchariſtia ſumenda, reliquiſq́ue ſacramentis arceantur. Cæterum nec à ſacris, nec à concionibus excludantur.

Fomes peccati, etiam ſi nullum adſit actuale peccatũ, moratur animam ab ingreſſu cœli.

Iuſtus in omni bono opere peccat.

Omne opus bonum, optimè factum, eſt veniale. Deus obligauit hominem ad impoſſibile, in nono & decimo præceptis, prohibens non concupiſcere: quod qui negat, peſſimè facit: & qui hoc falſum eſſe dicit, pluſquam peſſimè facit.

Hoc eſt mortalium mortaliſſimũ, non credere ſeſe damnabili & mortali peccato eſſe obnoxium coram Deo.

Modus celebrandi Miſſam, quo vtitur Eccleſia Catholica, non eſt conueniens.

Miſſa debet dici lingua vulgari.

Manifeſtus eſt error, Miſſam applicare ſeu offerre pro peccatis, pro ſatisfactionibus, pro defunctis aut quibuſcunque neceſſitatibus ſuis, aut aliorum.

Non eſt dubiũ, vniuerſos hodiè ſacerdotes & Monachos, cum Epiſcopis & omnibus ſuis maioribus, eſſe idololatras: in ſtatu periculoſiſſimo agentes, ob miſſæ ſeu Sacramenti ignorantiam, abuſionem & irriſionem.

Magna eſt fides, cognoſcere Chriſtum corporaliter eſſe, vbi ſacramentaliter eſt. Sed maior eſt, cognoſcere eum abſolutè vbique corporaliter eſſe.

Nihil conducit ad ſuſceptionẽ Euchariſtiæ, ſe præparare per contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem, & alia bona opera.

Non licet inducere homines ad pœnitentiã per timorem gehennæ.

Epiſcopus non poteſt quod non poſſit ſimplex ſacerdos.

Eccleſia nó potuit illegitimare aliquas perſonas, ſic quòd non poſſint contrahere matrimonium.

Humana inſtituta, ſi obſeruas vt humana, nihil te iuuant: ſin vt diuina, mendacium committis.

Lex Euangelica, quo tutiores ſint homines à periurio, damnat omne iuſiurandum: vt iam fas non ſit iurare neque per Deum, neque per cœlum, neque per terram.

Excommunicationes non ſunt timendæ, ſed optandæ.

Qui venialia peccata docent eſſe diſtincta à mortalibus, ad inſaniam perditiſſimè nituntur trahere hominũ conſcientias.

Opera nihil ſunt corã Deo: aut omnia ſunt æqualia, quantum ad meritum attinet.

Meritum tribuere operibus, propemodum cum eis eſt ſentire, qui credunt nos ex operibus iuſtificari poſſe, de quo errore damnantur Iudæi plurimum.

Illi qui habent charitatem, nullis præceptis humanis ſunt ſubiecti.

Habentes charitatem, non tenentur ieiunare, orare, vigilare, aut alia conſimilia bona opera efficere: ſed liberũ eſt illis, facere aut omittere huiuſmodi bona opera, pro ſuo beneplacito.

Indulgentiæ prorſus ſunt abijciendæ.

Fundationes obituũ, ſunt inuentiones diaboli. Eccleſiaſt. non debent gaudere priuilegijs & immunitatib. plus q̃ laici.

Error Cathar orū, Valdenſium, Begardorū, & Huſſitarum.

Non licet Eccleſiaſticis habere bona immobilia.

Deus nõ vult Pſeudoapoſtolos & hæreſiarchas extingui, ſed tolerari, ſi fortè reſipiſcant, & è zizanijs vertantur in triticum. Quòd ſi non reſipiſcant, ſeruentur ſuo iudici, cui pœnas dabunt aliquando.

Error VVicleſi.

Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ: & poſſunt parochiani, propter peccata ſuorum prælatorum, ad libitum ſuum eas auferre.

Error VVicleſi, dānatus in Cōcilio Conſtantienſi Seſſ. 8.

In Eccleſia non debent eſſe varia viuendi genera, quæ religiones appellantur.

Nulli licet, inuitis parentibus, intrare religionem.

Si proximum voco in ius, ſi ei damna procuro: quę neceſſariò vocationem illam prętorialem ſequuntur, ſi etiam tanquam ethnicum omni ſanctorum cõſortio & participatione totius Eccleſiæ, eum priuatum iri obtineo: quomodò non facio iniuriam qui * iuſtitiam peto? quomodo mandatū Dei nõ ſoluo, qui ſanctam inter me & fratrem dilectionis neceſſitudinem violo?

* ſ. iniuſtitiam.

AD PRINCIPES CHRISTIANOS exhortatio, vt elaborent pro hæreticis exterminandis. 18.

PLurimos hactenus errores commemorauimus: ſed non illorum ſufficit commemoratio. Opus namque eſt, quod Chriſtianiſſimi principes ſuppetias ferant, zelo zelantes pro domo Domini exercituum, quæ iuxta Apoſtolum eſt Eccleſia. Poſſet haud dubiè Deus, abſque illis, vniuerſam hæreticorū cohortem conterere ac exterminare: nullius enim creaturæ ſuę eget miniſterio. Vult tamen pro ſua benignitate homines ſibi cooperari: ampla quoq; eos donat mercede, qui ei cooperantur, in ijs præſertim negotijs, quæ ad fidei dinoſcuntur ſpectare integritatē, quemadmodùm multæ indicant hiſtoriæ. Laborarunt olim aduerſus hæreticos ſtrenuè Chriſtianiſſimi principes Conſtantinus, Valentinianus, Theodoſius, Clodoueus, Carolus Magnus, & Ludouicus pater ſancti Ludouici: ſed nunquid præmio defraudati ſunt? minimè certè. Nam apud Deum gratiam inuenerunt, qua nihil in vita eſt expetibilius, & apud homines immortale ſui nominis decus adepti ſunt. Contra verò principes, qui hæreticorum conſuetudine abuſi & eorum deliniti conſortio, impijs erroribus non obſtitere, ſed impenderunt ſubſidium, iram Dei vindicem ſenſere. Diuino ſiquidem fauore deſtituti, in graues ærumnas prolapſi ſunt, miſerabilem vitæ exitum ſortiti. Cuius rei (vt alios taceamus) teſtes ſunt, vel locupletiſſimi, Licinius à Conſtantino deuictus, Iulianus apoſtata, Valens Arianus, Philippicus, Conſtantinus Quintus, & Leo eius filius, ſacrarum imaginum impij euerſores. Hi profectò deteſtandam impietatem conſectati, digna ſuæ perfidiæ reportarunt ſtipendia. Longum eſſet, reliquorum principum qui à fidei ſynceritate deficientes, peſtifero hæreticorum contagio infecti ſunt, miſerias enumerare & calamitates. Longum itidem eſſet, eorū felicitatem & gloriam recenſere, qui fidei catholicæ * inconcuſſæ adhærentes, hæreticos tanquam capitales ſuæ coronæ hoſtes, ad internecionem vſque deleuerunt. Hæc itaque attendentes, pro noſtri officij debito Chriſtianos principes inſtanter rogamus & in Domino exhortamur: ſi ſuæ ſaluti conſulere, ſi ſuæ ditionis iura illibata cuſtodire, ſi in pace & tranquillitate ſubditas ſibi nationes continere exoptant: potenti brachio fidē catholicam tueantur, ac eius hoſtes viriliter ſatagant debellare. Id autem haud factu erit difficile, vbi antiqua Chriſtianiſſimorum principum in hæreticos, eorū libros & fautores edicta inſtaurabuntur. Quæ ſi ſalutari iudiciorū ſeueritate executioni demandentur, nulla prorſus hæreticorū monumenta, nulli libri, nulla ſcripta in ſuis prouincijs reperientur. Maleſanæ item conciones ceſſabunt, necnon & clandeſtina conuenticula: in quibus peregrinos cultus à Chriſtiana pietate degenerantes, inducere ſolent hæretici. Vſque eo effrenis inſuper impiorum audacia retundetur, vt iam orthodoxæ fidei ac Eccleſiæ Catholicæ ſacriſque eius conſtitutionibus, audeat nemo contraire. Hoc profectò noſtrum deſiderium, hęc votorum ſumma, hęc noſtri conatus gloria. Hoc eſt quod tota mēte expoſcimus, & aſſiduis precibus à Domino efflagitamus: ſperantes, dum ſtrenuè Chriſtianiſſimi principes hæreticos debellant, & nos pijs laboribus, ne creditę nobis oues, luporum morſibus trucidentur, prohibituros. Et tum demum donabit nobis Dominus ſua pietate, tantoperè à fidelibus exoptatam atque expetitam pacem & tranquillitatem in hac vita: & poſt huius vitæ decurſum conſummatam felicitatem. At verò quia ſcimus non ſatis eſſe, ad hæc obtinenda fideles adhortari, niſi rebelles conuenienti diſtrictione reprimantur, ſalutari antidoto decreuimus huic negocio prouidere. Authoritate itaque, qua fungimur, omnes in noſtra prouincia conſtitutos, qui tam impia dogmata auſu temerario aſſerere, docere, ſcribere præſumpſerint, his ſcriptis ſentētia excommunicationis innodamus. Necnon & eos, qui illis auxilium, conſilium, aut fauorem quouis modo fuerint impartiti. Sub eadem quoque pœna omnibus nobis ſubditis inhibemus, ne Lutheri libros ſiue Luteranorū quorumcunq; retinere præſumant, qui ad peſtilentem doctrinam promouendam conſcripti ſunt.

1\. Tim. 3.

* inconcuſſè.

INDEX MATERIARVM, IN SEquentibus morum Decretis contentarum, per capitum ordinem digeſtus.

FRequentandas eſſe preces in Eccleſijs, pro tranquillo ſtatu totius Eccleſiæ & regnorum orbis Chriſtiani. Cap. 1

Omnem exactionem indebitam, pro ſacramentorum, aliarumq; rerum diuinarum adminiſtratione, eſſe à viris Eccleſiaſticis ſummoperè deuitandam. 2

Quòd promouendi ad ſacros ordines, exhibeant literas teſtimoniales de ſufficientia ætatis & honeſtate vitæ ſuæ. 3

Neminem ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem eſſe promouendum, niſi ſufficientem exhibeat titulum beneficialem, vel patrimonialem. 4

Quomodo diœceſani examinare debent petentem literas dimiſſorias, antequam illas ipſi concedant. 5

Diligentem etiam inquiſitionem debere fieri à diœceſanis ſuper ætate, moribus & literatura tam promotorum ad ſacerdotium. 6

Promotos in curia Romana ad ſacros ordines, nō eſſe admittendos ad illorum executionem, niſi prius à diœceſanis fuerint examinati. 7

Inſtituendi ad curam animarum, diligenter antè examinentur à diœceſanis, an ſint idonei gerendæ illi prouinciæ. 8

Ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda aſſumantur idonei à diœceſanis, qui ſuo erga Deum & Eccleſiam ritè fungantur officio. 9

Quotidianas diſtributiones ſatis largas & ſufficientes aſſignari debere ijs, qui diuino officio in Eccleſijs celebrando interſunt. 10

Curati reſideant in ſuis Eccleſijs, niſi ſint legitimè excuſati: & populum ſibi commiſſum, diligēter inſtruant documentis fidei & morum. 11

De ijs, quæ curati ſuos ſtudioſè debent admonere parochianos, ad ipſorum ſalutem. 12

De fundationibus antiquis Eccleſiarum accuratè obſeruandis, & ſedulo complendis. 13

In oratorijs priuatis, ſine diœceſani facultate non eſſe celebrandum neque in capellis hoſpitiorum, neglecta Eccleſia parochiali. 14

Die Dominico non celebrentur Miſſæ in capellis, etiam ex fundatione, niſi poſt completam Miſſam parochialem. 15

In Eccleſijs nihil inhoneſtum aut indecens fieri debere, quo diuinum impediatur aut minus reuerenter audiatur officium. 16

Pſalmodia maturè & cum diſtinctione peragatur: ac muſicus cantus, organorumq; modulatio, ad deuotionem excitans, non laſciuiam, in Eccleſijs exhibeatur. 17

De horis canonicis, debitè, reuerenter & honeſtè in Eccleſia decantandis, diſtincto tempore & congruo pulſu. 18

De ijſdem integrè, maturè & deuotè legendis à viris Eccleſiaſticis, ſine aliquo leuitatis aut irreligioſitatis exemplo. 19

De tabula officiariorum in choro ponenda, & tempore ingreſſus in chorum, cùm diuinum celebratur officium. 20

Canonici, cùm primùm recepti fuerint in conſortium capituli, ſuos fructus integrè recipiant, ſine dilatione aut expectatione per aliquot annos. 2

De regulari diſciplina, in victu, veſtitu & moribus, in monaſterijs tam religioſorum quàm monialium, exactè obſeruanda. 2.

De honeſtate morum in vita & habitu à clericis ſeruanda, ſine veſtium precioſarum pompa & luxu. 23

Qualis debet eſſe habitus clericorum, & virorum Eccleſiaſticorum. 24

De honeſtate clericorum obſeruanda in inceſſu, conuerſatione cum laicis, in euitatione chorearum & actionis ludorum ſcenicorum. 25

Incontinentes ſacerdotes & concubinarios, clericos itidem venatores, & negocijs ſecularibus deditos, grauiter eſſe puniendos. 26

Quid agendum, quando prioratus religioſorum aut monialium, non habent prouentus ſufficientes ad plurium in illis locis educationem. 27

De numero monialium, in monaſterijs earum inſtituendo, perpetuaq; ipſarum clauſula vigilanter obſeruanda. 28

De viſitatione & reformatione diligenti hoſpitalium, leproſariarum, & ſimilium domorum facienda per eos, ad quos idipſum legitimè ſpectat, & de gubernatoribus earundem domorum. 29

Confratrias non eſſe de nouo erigendas, niſi ex conſenſu & approbatione diœceſanorum: antiquarum autem ſtatuta & fundationes, vt viſitentur, illis exhiberi debere. 30

De excommunicationibus non concedendis, niſi pro ardua & graui cauſa: neque decernendis pro iniurijs verbalibus, niſi ſint admodum atroces, de quo officiales locorum diiudicent. 31

Diœceſani per ſe, aut vicarios ſuos viſitent frequẽter parochias, in quibus audiunt hæreticos habitare; & ad illorum exterminationem atque extirpationem, pro viribus elaborent. 32

Libri de fide & moribus differentes, non imprimantur amplius, nec alibi impreſſi vendantur: ſine ſpeciali diœceſanorum authoritate & permiſſione, qui eos prius viſitent. 33

Libros lingua vernacula compoſitos, & de fide ac moribus tractantes, legi vulgò nõ debere: niſi à diœceſanis ante viſitati ſint & approbati, atque permiſſi, vt publicè legantur. 34

Non eſſe admittendos quoſcunque ad exercendum prædicationis ad populum, officium, niſi à diœceſanis approbati fuerint & miſſi. 35

Quales eſſe debent verbi diuini prædicatores, & quid potiſſimum prædicare ſtudeant, & quibus vti ſermonibus. 36

Solos illos mendicantes habere poteſtatem abſoluendi, qui antè per ſuos prælatos diœceſanis præſentati fuerint, & per eoſdem commiſſi. 37

Abbates ſacramentũ confirmationis non conferant, nec calicum conſecrationem attendant: niſi diœceſano ante exhibuerint ſpeciale (ſi quod habent) ſuper hoc priuilegium. 38

Cum quanta reuerentia, grauitate, & honeſtate Sacramentum matrimonij eſt ſuſcipiendum. 39

Imagines ſacræ, præcedente Epiſcopi viſitatione, in Eccleſijs collocentur, neque prætextu noui miraculi erigatur capella aut altare nouum, niſi Epiſcopus loci de eo negocio ante definierit. 40

Indicis capitum, decretamorum complectentium, finis.

IN Nomine Domini, Amen. Sequuntur conſtitutiones editæ in ſacro prouinciali Concilio Senonenſi, celebrato Pariſijs per Reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, dominum Antonium, miſeratione diuina & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ gratia, tituli ſanctæ Anaſtaſiæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyterum Cardinalem, Archiepiſcopum Senonenſem, Galliarum & Germaniæ primatem, Franciæ cancellarium, & Reuerendos in Chriſto patres Epiſcopos, ſuffraganeos eiuſdem Reuerendiſſimi patris, videlicet Epiſcopos, Carnotenſem, Pariſienſem, Meldenſem, Antiſſiodorenſem, Trecenſem, Niuernenſem, & Petrum de Stella, vicarium Epiſcopi Aurelianenſis, per eundem Reuerendiſſimum admiſſum, vnà cum clero totius prædictæ prouinciæ, legitimè congregato & euocato, Anno ab incarnatione Domini 1527 die tertia menſis Februarij, qua fuit inchoatum prædictum Concilium, & cõtinua proſecutione deductum vſque ad nonam diem Octobris anni viceſimi octaui ſupra milleſimum & quingenteſimum. Qua quidem die, extrema fuit manus ſupradicto Concilio impoſita.

FREQVENTANDAS ESSE PRECES, ET publicas & priuatas in Eccleſijs, pro tranquillo ſtatu Eccleſiæ Catholicæ & regnorum orbis Chriſtiani.

Cap. I.

PAulus gentium Apoſtolus, cùm Timotheum in primis admonuiſſet, vt à pſeudo Apoſtolis creditam ſibi plebem 1. Tim. 1.
auocaret, qui volentes eſſe legis doctores, non intelligebant quæ loquebantur, neque de quibus affirmabant: protinùs ad mores conuerſus, Obſecro, inquit, primùm omnium fieri 1. Tim. 2.
obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Proinde Paulum imitati, de ſuffraganeorum noſtrorum conſilio & aſſenſu in primis diſtrictè iniungimus, vt per cathedrales, collegiatas, parochiales & alias quaſcunque ipſius noſtræ prouinciæ Eccleſias, fiant preces tam publicè quàm priuatim, quibus auertatur ira Dei, & de peccatis noſtris meritam non ſumat vltionem. Nã ſi precibus locus aliquando affuerit, ſi qua olim orandi neceſſitas inſtitit: ea profectò nobis hac noſtra tempeſtate ſeſe offert, qua atroces aſſiduoſque bellorum tumultus, inter Chriſtianos principes exardeſcere videmus: & nauis Eccleſiæ pluribus ſchiſmatum vndis iactata, vanæ doctrinæ ventis fluctuat. Orandus igitur benigniſſimus Deus, vt qui noſtris iniquitatibus offenſus, hactenus in puppi dormitaſſe videtur, Pſal. 67. Matth. 8.
exurgat, & diſſipentur inimici eius, imperet mari & ventis, ceſſetque tempeſtas: peſtilentes hæreſes indies pullulãtes tollat, falſa amputet dogmata, diſſidentes & exulceratos principum animos conciliet: pacatiſque hæreſum procellis, fatiſcentem Petri naviculam tuta tandem ſtatione recipiat. Sanctiſſimum dominum noſtrum Papam, & ſtatum hierarchicum eccleſiæ in perfecta charitate contineat: & Chriſtianiſſimum regem noſtrum ac ſupremum dominum, incolumem nobis ſeruet, votorumq; compotem efficiat, vt commiſſus illi populus, Deum vnicum pacis authorem agnoſcat, & in agendis illi gratijs totus inhiet & inardeſcat.

OMNEM EXACTIONEM INDEBITAM, pro ſacramentorum aliarumque rerum diuinarum adminiſtratione, eſſe à viris Eccleſiaſticis ſummoperè deuitandam.

Capvt 2.

SAcro hoc approbante Concilio, ſtatuimus & ordinamus, vt omnia ſyncerè, purè & mundè fiant in domo Domini, ſine labe labiſve ſuſpicione, aut ſpecie mali. Ad quod prælati, Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum capitula, archidiaconi, abbates, abbatiſſæ, & aliæ quæcunque perſonæ Eccleſiaſticæ, diligentem gerant curam & ſtudium exercendi, adminiſtrandi, & exequendi onus eis à Domino conceſſum, (ne ſanguis ſubditorum, de manibus eorum requiratur) non quæſtus cauſa & pecuniæ. Ideò ſtatuimus, inquam, & ordinamus, conformiter ad ſacrorum Conciliorum, ſanctorumque patrum decreta, vt manus ſuas illibatas, integras & intactas ſeruent, iuxta iuris communis diſpoſitionem & ordinationem, ab omni exactione abſtinentes, non obſtantibus quibuſcunque iuramentis, ſtatutis & conſuetudinibus introductis, & in futurum introducendis. Irrationabilem illam conſuetudinem iudicantes, qua ad vnam præbendam receptus, ſuorum in dicta præbenda prædeceſſorum non receptorum (à quibus ius non habet, ſed à conferente vel inſtituente) plures receptiones ſoluere compellatur. Prouideant autem diœceſani, ne Eccleſiarum parochialium rectores, matricularij, aut alij quicunque, indebitas exactiones pro ſacramentorum, ſacramentaliumque ac diuinorum adminiſtratione faciant.

Ad vnam receptus præbendam, non ſoluat plures receptiones.

QVOD PROMOVENDI AD SACROS ordines, exhibeant literas teſtimoniales de ſufficientia ætatis, & honeſtate vitæ ſuæ.

CAPVT 3.

ET vt deinde de miniſtris Eccleſiæ prouideamus, ne circa promouendos ad ſacros ordines fraus aliqua committatur: ſacro hoc approbante prouinciali Cócilio, de fratrum noſtrorum ſuffraganeorũ ſententia & conſenſu ſtatuimus, vt promotionis tempore, ordo qui proximè ſequitur, diligenter obſeruetur. Vt quantum attinet ad ætatem & mores, non priùs promoueant diœceſani ſuos ad aliquem ſacrum ordinem, quàm viderint literas teſtimoniales presbyteri parochialis, quæ contineant duorum aut trium teſtium probatorum, non ſuſpectorum, diſpoſitiones iuramento ſolenni firmatas de ſufficientia ætatis promouendi, & de probata & inculpata illius vita. Quo abſoluto, inquirant, ſi promouendus habeat ſciētiam, à iure ad ordinem ſuſcipiendum requiſitam. Neque aliquem ad ſacerdotium promoueant, niſi qui (quantum fragilitas humana patitur) ſciat ea quæ continentur in canone, Quæ ipſis. 38. diſtinctione.

NEMINEM AD SACRVM SVBDIACOnatus ordinem eſſe promouendum, niſi ſufficientem exhibeat titulum beneficialem, vel patrimonialem.

CAPVT 4.

PORRO in graue clericalis ordinis ſcandalum ac dedecus, videmus haud paucos ſacerdotes, nudos ac mẽdicos. Prohibemus itaque, ne aliqui ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem aſſumantur, niſi ſub titulo beneficij viginti librarum Pariſienſium ad minus, vel patrimonij ſimilis valoris. Super quo per vicarios noſtros in noſtra diœceſi, aut in diœceſi ſuffraganeorum noſtrorum, per eoſdem ſuffraganeos eorumve vicarios vel officiales, fiat diligens inquiſitio per teſtes, omni exceptione maiores. Si autem titulus patrimonialis ad eum peruenerit ex ceſſione, aut donatione alterius: ſimiliter inquiratur, an præfatam ſummam poſſit redditus rei ceſſæ repræſentare. Deinde ſuper fraude, ſi qua interuenerit inter cedentem & ceſſionarium, exigatur ſacramentum cedentis ac ceſſionarij. Iurabit autem cedens, ſe donaſſe ſine vlla fictione, aut ſpe in futurum recuperandi: Ceſſionarius autem affirmabit, nullum eſſe inter ſe & cedentẽ, pactum de reſtitutione rerum ceſſarum: ſuæ quo intentionis eſſe, illa retinere, ac quamdiu viuet, illis vti & frui. Prohibemus autem diſtrictè, ne ordinatus ad titulum patrimonialem, eundem vendat, aut alienet ſine permiſſione Epiſcopi ordinantis, donec beneficium, aut patrimonium prætaxati valoris fuerit aſſecutus.

QVOMODO DIOECESANI EXAMINAre debent petentem literas dimiſſorias, antequam illas ipſi concedant.

CAPVT 5.

ET quamuis Epiſcopus originis, beneficij, aut domicilij, non ſolùm ad ordines promouere, ſed etiam literas dimiſſorias ad ipſos ordines concedere poſſit: iniungimus tamen ſuffraganeis noſtris, vt ſi quando literas dimiſſorias ad ſacros ordines indulgere voluerint, ne indigni aſſumantur, obſeruẽt ordinem qui ſequitur: videlicet quòd volentes impetrare literas dimiſſorias, accedant ad diœceſanos: qui ſuper præmiſſis ætate, literatura, moribus, beneficio ſeu patrimonio inquirant, ſeruentque diligenter prædictas ſolennitates, perinde ac ſi in propria ordinare vellet. Ac tunc ſic examinato concedantur literæ dimiſſoriæ: remittatúrque ita examinatus cum literis ipſis: In quibus etiam declaretur prædicta ſolennitas ſic obſeruata, fiatque mentio expreſſa de beneficio aut patrimonio, vt Epiſcopus ad quem ſe conferet ordinandus, eum ſine ſcrupulo promouere & ordinare poſſit. Quòd ſi propter infirmitatem aut aliam cauſam rationabilem, is qui literas dimiſſorias obtinere cupit, nõ poſſit cómodè accedere ad ſuum Epiſcopũ: tunc remittatur ſuper ætate, literatura ac moribus, vt prius, examinandus ad Epiſcopum, cui literæ dimiſſoriæ præſentabuntur, inſeratúrque in illis literis dimiſſorijs clauſula, Super quo conſcientiam tuam oneramus. Proniſo tamen, quòd nunquam concedantur literæ dimiſſoriæ, niſi illi qui habuerit beneficium aut patrimonium prætaxati valoris.

DILIGENTEM ETIAM INQVISITIOnem debere fieri à diœceſanis ſuper ætate, moribus & literatura iam promotorum ad ſacerdotium.

CAPVT 6.

SED quantum attinet ad iam promotos ad ſacerdotium, iniungimus ſuffraganeis noſtris, vt ſuper illis diligentem & accuratam faciant inquiſitionem. Et quos inuenerint promotos ante ætatem legitimam, iuxta iuris diſpoſitionem ab executione ordinum ſuſpẽdant, donec ad ætatem legitimam peruenerint. Et quos vita repræhenſibiles cognouerint, debitè coerceant: Quos inſuper non eſſe literaturæ ſufficientis depræhenderint, ab executione ordinum ſuſpendant, donec in ſcientia quæ ordini eſt requiſita, ad plenum fuerint inſtructi.

PROMOTOS IN CVRIA ROMANA AD ſacros ordines, non eſſe admittendos ad illorum executionem, niſi prius à diœceſanis fuerint examinati.

CAPVT 7.

RVRSVS quia nonnulli, ſuæ ignorantiæ & incapacitatis & delictorum conſcij, fugientes examen ſuorum Epiſcoporum, ſcientes ſe non eſſe ab illis promouendos, ad curiam Romanam confugiunt, etiam abſque literis dimiſſorijs eorundem Epiſcoporum, & in eadem curia ſe faciunt promoueri ad omnes ſacros ordines, per quoſdam aſſerentes ſe eſſe Epiſcopos, & habere à Romano Pontifice authoritatem ordinandi, de quorum poteſtate ac commiſſione non apparet: ſintque ordinati huiuſmodi, promoti extra tempora, ac interdum tribus ſucceſſiuis diebus: Talibus diœceſani non permittant executionem ſuorum ordinum, niſi viſis diligenter eorundem literis: conſtito etiam ſufficienter de poteſtate ordinantium, & eorum commiſſione, eis à Romano pontifice conceſſa. Ad hæc etiam, quòd rurſus examinentur de vita, ſcientia, ætate, ac inquiratur de beneficio ſeu patrimonio. Qui ſi in prædictis aut aliquo præmiſſorũ inuenti fuerint minus ſufficientes, declarentur ſuſpenſi ab executione ordinum modo & forma ſupra declaratis.

INSTITVENDI AD CVRAM ANIMArum, diligenter ante examinentur à diœceſanis, an ſint idonei gerendæ illi prouinciæ.

CAPVT 8.

CÆTERVM quia Eccleſiæ Dei nihil magis officit, quàm quòd indigni præficiantur curæ animarum, & ad aliorum aſſumantur regimen, qui ſeipſos regere non poſſunt: diœceſani ergo ad parochiales Eccleſias non inſtituant præſentatos ab Eccleſiaſticis laicisve patronis, niſi eos prius diligenter examinauerint: neque indignos præficiant, aut incapaces admittant. Quòd ſi qui ſint inſtituti vel prouiſi, etiam per ſedem Apoſtolicam, nihilominus diœceſani eos examinent: & ſi minus idonei fuerint inuenti, ad adminiſtrationem

De honeſtate morum in vita & habitu à clericis ſeruanda, ſine veſtium preciſarum pompa & luxu. 23

Qualis debet eſſe habitus clericorum, & virorum Eccleſiaſticorum. 24

De honeſtate clericorum obſeruanda in inceſſu, conuerſatione cum laicis, in euitatione choreatum & actionis ludorum ſcenicorum. 25

Incontinentes ſacerdotes & concubinarios, clericos itidem venatores, & negocijs ſecularibus deditos, grauiter eſſe puniendos. 26

Quid agendum, quando prioratus religioſorum aut monialium, non habent prouentus ſufficientes ad plurium in illis locis educationem. 27

De numero monialium, in monaſterijs earum inſtituendo, perpetuaq; ipſarum clauſula vigilanter obſeruanda. 28

De viſitatione & reformatione diligenti hoſpitalium, leproſariorum, & ſimilium domorum facienda per eos, ad quos idipſum legitimè ſpectat, & de gubernatoribus earundem domorum. 29

Confratrias non eſſe de nouo erigendas, niſi ex conſenſu & approbatione diœceſanorum: antiquarum autem ſtatuta & fundationes vt viſitentur, illis exhibere debere. 30

De excommunicationibus non concedendis, niſi pro ardua & graui cauſa: neque decernendis pro iniurijs verbalibus, niſi ſint admodum atroces, de quo officiales locorum diiudicent. 31

Diœceſani per ſe, aut vicarios ſuos viſitent frequẽter parochias, in quibus audiunt hæreticos habitare, & ad illorum exterminationem atque extirpationem, pro viribus elaborent. 32

Libri de fide & moribus differentes, non imprimantur amplius, nec alibi impreſſi vendantur: ſine ſpeciali diœceſanorum authoritate & permiſſione, qui eos prius viſitent. 33

Libros lingua vernacula compoſitos, & de fide ac moribus tractantes, legi vulgò nõ debere, niſi à diœceſanis ante viſitati ſint & approbati, atque permiſſi, vt publicè legantur. 34

Non eſſe admittendos quoſcunque ad exercendum prædicationis ad populum, officium, niſi à diœceſanis approbati fuerint & miſſi. 35

Quales eſſe debent verbi diuini prædicatores, & quid potiſſimum prædicare ſtudeant, & quibus vti ſermonibus. 36

Solos illos mendicantes habere poteſtatem abſoluendi, qui antè per ſuos prælatos diœceſanis præſentati fuerint, & per eoſdem commiſſi. 37

Abbates ſacramentũ confirmationis non conferant, nec calicum conſecrationem attendant: niſi diœceſano ante exhibuerint ſpeciale (ſi quod habent) ſuper hoc priuilegium. 38

Cum quanta reuerentia grauitate, & honeſtate Sacramentum matrimonij eſt ſuſcipiendum. 39

Imagines ſacræ præcedente Epiſcopi viſitatione, in Eccleſijs collocentur, neque prætextu noui miraculi erigatur capella aut altare nouum, niſi Epiſcopus loci de eo negocio ante definierit. 40

Indicis capitum, decreta morum complectentium, finis.

IN Nomine Domini, Amen. Sequuntur conſtitutiones editæ in ſacro prouinciali Concilio Senonenſi, celebrato Pariſijs per Reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, dominum Antonium, miſeratione diuina & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ gratia, tituli ſanctæ Anaſtaſiæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyterum Cardinalem, Archiepiſcopum Senonenſem, Galliarum & Germaniæ primatem, Franciæ cancellarium, & Reuerendos in Chriſto patres Epiſcopos, ſuffraganeos eiuſdem Reuerendiſſimi patris, videlicet Epiſcopos, Carnotenſem, Pariſienſem, Meldenſem, Antiſſiodorenſem, Trecenſem, Niuernenſem, & Petrum de Stella, vicarium Epiſcopi Aurelianenſis, per eundem Reuerendiſſimum admiſſum, vnà cum clero totius prædictæ prouinciæ, legitimè congregato & euocato, Anno ab incarnatione Domini 1527 die tertia menſis Februarij, qua fuit inchoatum prædictum Concilium, & cõtinua proſecutione deductum vſque ad nonam diem Octobris anni viceſimi octaui ſupra milleſimum & quingenteſimum. Qua quidem die, extrema fuit manus ſupradicto Concilio impoſita.

FREQVENTANDAS ESSE PRECES, ET publicas & priuatas in Eccleſijs, pro tranquillo ſtatu Eccleſiæ Catholicæ & regnorum orbis Chriſtiani.

CAP. I.

PAulus gentium Apoſtolus, cùm Timotheum in primis admonuiſſet, vt à pſeudo Apoſtolis creditam ſibi plebem auocaret, qui volentes eſſe legis doctores, non intelligebant quæ loquebantur, neque de quibus affirmabant: protinùs ad mores conuerſus, Obſecro inquit, primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Proinde Paulum imitati, de ſuffraganeorum noſtrorum conſilio & aſſenſu in primis diſtrictè iniungimus, vt per cathedrales, collegiatas, parochiales & alias quaſcunque ipſius noſtræ prouinciæ Eccleſias, fiant preces tam publicè quàm priuatim, quibus auertatur ira Dei, & de peccatis noſtris meritam non ſumat vltionem. Nã ſi precibus locus aliquando affuerit, ſi qua olim orandi neceſſitas inſtitit: ea profectò nobis hac noſtra tempeſtate ſeſe offert, qua atroces aſſiduoſque bellorum tumultus, inter Chriſtianos principes exardeſcere videmus: & nauis Eccleſiæ pluribus ſchiſmatum vndis iactata, vanæ doctrinæ ventis fluctuat. Orandus igitur benigniſſimus Deus, vt qui noſtris iniquitatibus offenſus, hactenus in puppi dormitaſſe videtur, exurgat, & diſſipentur inimici eius, imperet mari & ventis, ceſſetque tempeſtas: peſtilentes hæreſes indies pullulãtes tollat, falſa amputet dogmata, diſſidentes & exulceratos principum animos conciliet: pacatiſque hæreſum procellis, fatiſcentem Petri nauiculam tuta tandem ſtatione recipiat. Sanctiſſimum dominum noſtrum Papam, & ſtatum hierarchicum eccleſiæ in perfecta charitate contineat: & Chriſtianiſſimum regem noſtrum ac ſupremum dominum, incolumem nobis ſeruet, votorumq; compotem efficiat, vt commiſſus illi populus, Deum vnicum pacis authorem agnoſcat, & in agendis illi gratijs totus inhiet & inardeſcat.

OMNEM EXACTIONEM INDEBITAM, pro ſacramentorum aliarumque rerum diuinarum adminiſtratione, eſſe à viris Eccleſiaſticis ſummoperè deuitandam.

CAPVT 2.

SAcro hoc approbante Concilio, ſtatuimus & ordinamus, vt omnia ſyncerè, purè & mundè fiant in domo Domini, ſine labe labiſve ſuſpicione, aut ſpecie mali. Ad quod prælati, Eccleſiarum cathedralium & collegiatarum capitula, archidiaconi, abbates, abbatiſſæ, & aliæ quæcunque perſonæ Eccleſiaſticæ, diligentem gerant curam & ſtudium exercendi, adminiſtrandi, & exequendi onus eis à Domino conceſſum, (ne ſanguis ſubditorum, de manibus eorum requiratur) non quæſtus cauſa & pecuniæ. Ideò ſtatuimus, inquam, & ordinamus, conformiter ad ſacrorum Conciliorum, ſanctorumque patrum decreta, vt manus ſuas illibatas, integras & intactas ſeruent, iuxta iuris communis diſpoſitionem & ordinationem, ab omni exactione abſtinentes, non obſtantibus quibuſcunque iuramentis, ſtatutis & conſuetudinibus introductis, & in futurum introducendis. Irrationabilem illam conſuetudinem iudicantes, qua ad vnam præbendam receptus, ſuorum in dicta præbenda prædeceſſorum non receptorum (à quibus ius non habet, ſed à conferente vel inſtituente) plures receptiones ſoluere compellatur. Prouideant autem diœceſani, ne Eccleſiarum parochialium rectores, matricularij, aut alij quicunque, indebitas exactiones pro ſacramentorum, ſacramentaliumque ac diuinorum adminiſtratione faciant.

(:)

QVOD

Digitized by Google

QVOD PROMOVENDI AD SACROS ordines, exhibeant literas teſtimoniales de ſufficientia ætatis, & honeſtate vitæ ſuæ.

CAPVT 3.

ET vt deinde de miniſtris Eccleſiæ prouideamus, ne circa promouendos ad ſacros ordines fraus aliqua committatur: ſacro hoc approbante prouinciali Cōcilio, de fratrum noſtrorum ſuffraganeorũ ſententia & conſenſu ſtatuimus, vt promotionis tempore, ordo qui proximè ſequitur, diligenter obſeruetur. Vt quantum attinet ad ætatem & mores, non priùs promoueant diœceſani ſuos ad aliquem ſacrum ordinem, quàm viderint literas teſtimoniales presbyteri parochialis, quæ contineant duorum aut trium teſtium probatorum, non ſuſpectorum, diſpoſitiones iuramento ſolenni firmatas de ſufficientia ætatis promouendi, & de probata & inculpata illius vita. Quo abſoluto, inquirant, ſi promouendus habeat ſciētiam, à iure ad ordinem ſuſcipiendum requiſitam. Neque aliquem ad ſacerdotium promoueant, niſi qui (quantum fragilitas humana patitur) ſciat ea quæ continentur in canone, Quæ ipſis. 38. diſtinctione.

NEMINEM AD SACRVM SVBDIACONatus ordinem eſſe promouendum, niſi ſufficientem exhibeat titulum beneficialem, vel patrimonialem.

CAPVT 4.

PORRO in graue clericalis ordinis ſcandalum ac dedecus, videmus haud paucos ſacerdotes, nudos ac mēdicos. Prohibemus itaque, ne aliqui ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem aſſumantur, niſi ſub titulo beneficij viginti librarum Pariſienſium ad minus, vel patrimonij ſimilis valoris. Super quo per vicarios noſtros in noſtra diœceſi, aut in diœceſi ſuffraganeorum noſtrorum, per eoſdem ſuffraganeos eorumve vicarios vel officiales, fiat diligens inquiſitio per teſtes, omni exceptione maiores. Si autem titulus patrimonialis ad eum peruenerit ex ceſſione, aut donatione alterius: ſimiliter inquiratur, an præfatam ſummam poſſit redditus rei ceſſæ repræſentare. Deinde ſuper fraude, ſi qua interuenerit inter cedentem & ceſſionarium, exigatur ſacramentum cedentis ac ceſſionarij. Iurabit autem cedens, ſe donaſſe ſine vlla fictione, aut ſpe in futurum recuperandi: Ceſſionarius autem affirmabit, nullum eſſe inter ſe & cedentē, pactum de reſtitutione rerum ceſſarum: ſuæque intentionis eſſe, illa retinere, ac quamdiu viuet, illis vti & frui. Prohibemus autem diſtrictè, ne ordinatus ad titulum patrimonialem, eundem vendat, aut alienet ſine permiſſione Epiſcopi ordinantis, donec beneficium, aut patrimonium prætaxati valoris fuerit aſſecutus.

QVOMODO DIOECESANI EXAMINAre debent petentem literas dimiſſorias, antequam illas ipſi concedant.

CAPVT 5.

ET quamuis Epiſcopus originis, beneficij, aut domicilij, non ſolùm ad ordines promouere, ſed etiam literas dimiſſorias ad ipſos ordines concedere poſſit: iniungimus tamen ſuffraganeis noſtris, vt ſi quando literas dimiſſorias ad ſacros ordines indulgere voluerint, ne indigni aſſumantur, obſeruēt ordinem qui ſequitur: videlicet quòd volentes impetrare literas dimiſſorias, accedant ad diœceſanos: qui ſuper præmiſſis ætate, literatura, moribus, beneficio ſeu patrimonio inquirant, ſeruentque diligenter prædictas ſolennitates, perinde ac ſi in propria ordinare vellēt. Ac tunc ſic examinato concedantur literæ dimiſſoriæ: remittaturque ita examinatus cum literis ipſis: In quibus etiam declaretur prædicta ſolennitas ſic obſeruata, fiatque mentio expreſſa de beneficio aut patrimonio, vt Epiſcopus ad quem ſe conferet ordinandus, eum ſine ſcrupulo promouere & ordinare poſſit. Quòd ſi propter infirmitatem aut aliam cauſam rationabilem, is qui literas dimiſſorias obtinere cupit, nō poſſit cōmodè accedere ad ſuum Epiſcopū: tunc remittatur ſuper ætate, literatura ac moribus, vt prius, examinandus ad Epiſcopum, cui literæ dimiſſoriæ præſentabuntur, inſeraturque in illis literis dimiſſorijs clauſula, Super quo conſcientiam tuam oneramus. Prouiſo tamen, quòd nunquam concedantur literæ dimiſſoriæ, niſi illi qui habuerit beneficium aut patrimonium prætaxati valoris.

DILIGENTEM ETIAM INQVISITIOnem debere fieri à diœceſanis ſuper ætate, moribus & literatura iam promotorum ad ſacerdotium.

CAPVT 6.

SED quantum attinet ad iam promotos ad ſacerdotium, iniungimus ſuffraganeis noſtris, vt ſuper illis diligentem & accuratam faciant inquiſitionem. Et quos inuenerint promotos ante ætatem legitimam, iuxta iuris diſpoſitionem ab executione ordinum ſuſpēdant, donec ad ætatem legitimam peruenerint: Et quos vita repræhenſibiles cognouerint, debitè coerceant: Quos inſuper non eſſe literaturæ ſufficientis depræhenderint, ab executione ordinum ſuſpendant, donec in ſcientia quæ ordini eſt requiſita, ad plenum fuerint inſtructi.

PROMOTOS IN CVRIA ROMANA AD ſacros ordines, non eſſe admittendos ad illorum executionem, niſi prius à diœceſanis fuerint examinati.

CAPVT 7.

RVRSVS quia nonnulli, ſuæ ignorantiæ & incapacitatis & delictorum conſcij, fugientes examen ſuorum Epiſcoporum, ſcientes ſe non eſſe ab illis promouendos, ad curiam Romanam confugiunt, etiam abſque literis dimiſſorijs eorundem Epiſcoporum, & in eadem curia ſe faciunt promoueri ad omnes ſacros ordines, per quoſdam aſſerentes ſe eſſe Epiſcopos, & habere à Romano Pontifice authoritatem ordinandi, de quorum poteſtate ac commiſſione non apparet: ſintque ordinati huiuſmodi, promoti extra tempora, ac interdum tribus ſucceſſiuis diebus: Talibus diœceſani non permittant executionem ſuorum ordinum, niſi viſis diligenter eorundem literis: conſtito etiam ſufficienter de poteſtate ordinantium, & eorum commiſſione, eis à Romano pontifice conceſſa. Ad hæc etiam, quòd rurſus examinentur de vita, ſcientia, ætate, ac inquiratur de beneficio ſeu patrimonio. Qui ſi in prædictis aut aliquo præmiſſorũ inuenti fuerint minus ſufficientes, declarentur ſuſpenſi ab executione ordinum modo & forma ſupra declaratis.

INSTITVENDI AD CVRAM ANIMArum, diligenter ante examinentur à diœceſanis, an ſint idonei gerendæ illi prouinciæ.

CAPVT 8.

CÆTERVM quia Eccleſiæ Dei nihil magis officit, quàm quòd indigni præficiantur curæ animarum, & ad aliorum aſſumantur regimen, qui ſeipſos regere non poſſunt: diœceſani ergo ad parochiales Eccleſias non inſtituant præſentatos ab Eccleſiaſticis laicisve patronis, niſi eos prius diligenter examinauerint: neque indignos præficiant, aut incapaces admittant. Quòd ſi qui ſint inſtituti vel prouiſi, etiam per ſedem Apoſtolicam, nihilominus diœceſani eos examinent: & ſi minus idonei fuerint inuenti, ad adminiſtrationem

beneficij non admittantur, ſed loco eorum per epiſcopos inſtituantur vicarij idonei, quibus congrua portio aſſignetur. Et tamdiu in beneficio adminiſtrent, donec ſic inſtituti aut prouiſi, literaturam ſufficientem aſſecuti fuerint, aut ſint ætatem legitimam adepti.

AD BENEFICIA ECCLESIASTICA OBtinenda, aſſumantur idonei à diœceſanis, qui ſuo erga Deum & Eccleſiam ritè fungantur officio.

Capvt 9.

CVmque graue nimis ſit & abſurdum, quod quidam Eccleſiarum prælati, cùm poſſint viros idoneos ad beneficia Eccleſiaſtica promouere, aſſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec literarum ſufficientia ſuffragatur: carnalitatis ſequentes affectum, non iudicium rationis: vnde quanta Eccleſijs damna proueniant, nemo ſanæ mentis ignorat. Nos ergò volentes huic morbo mederi, præcipimus omnibus & ſingulis collatoribus, vt (prętermiſſis indignis) idoneos aſſumant, qui Deo & Eccleſijs gratum valeant impendere famulatum. Fiatque iuxta ſacrum Lateranenſe Concilium, in prouinciali Concilio diligens inquiſitio, vt qui poſt primam & ſecundam correptionem fuerit repertus culpabilis, à beneficijs conferendis per ipſum prouinciale Concilium ſuſpẽdatur: inſtituta in eodem Concilio perſona prouida & honeſta, quæ ſuſpenſi ſuppleat defectum in beneficijs conferendis.

QVOTIDIANAS DISTRIBVTIONES ſatis largas & ſufficientes, aſſignari debere ijs, qui diuino officio in Eccleſijs celebrando interſunt.

Capvt 10.

AD nos (quod amarius dolendum eſt) peruenit, quòd in multis cathedralibus & collegiatis Eccleſiis huius noſtræ prouinciæ, nullæ ſunt aut vſqueadeò tenues quotidianæ diſtributiones, vt vix tertiam partem groſſorum fructuum aſcendant. In quib. hactenùs inualuit conſuetudo, quòd illarum Eccleſiarum canonici abſentes, per intereſſentiam vnius dici groſſos fructus totius anni percipiant. Ex quibus vagandi materia oritur, cultus diuinus (quem augeri optamus) diminuitur, officium (propter quod, beneficium Eccleſiaſticum datur) omittitur, quibuſdam clericis admodùm ignaris tenui precio conductis, cura diuini officij committitur: quod vnico contextu, non ſeruatis interſtitijs temporum, ab Eccleſia præfixis, per huiuſmodi mercenarios tranſcurrendo & ſyncopando celebratur, vt aliundè ex quæſtu Miſſarum vitam ſibi mendicent. Nos igitur cupientes prædictis occurrere & quantùm poſſumus, aduerſus futura cauere: ſacro approbante Concilio, huiuſmodi conſuetudines tanquam Eccleſijs nociuas, & cultui diuino detrahentes, caſſamus & reuocamus. Hiſque non obſtantibus ſtatuimus, quòd diœceſiani in ſuis diœceſibus dictarum Eccleſiarum canonicos, per iuris remedia, etiam ſuarum præbendarum priuationem, ad ſuas Eccleſias reuocent: dictoſque groſſos fructus, pro maiori parte, in quotidianas diſtributiones conuertant. Et reſidentes & diuino officio actualiter intereſſentes, ſecundum menſuram laborum, plus minuſve capiant emolumenti: ſub obteſtatione diuini iudicij, omnibus præcipientes, vt reſpectu huiuſmodi quotidianarum diſtributionum, iura antiqua ſacrorum Conciliorum & Patrum decreta integrè obſeruari faciant.

tur ona- :on- do.

(:)

CVRATI RESIDEANT IN SVIS ECCLEſijs, niſi ſint legitimè excuſati: & populum ſibi commiſſum diligenter inſtruant documentis fidei & morum.

Capvt 11.

REctores Eccleſiarum (quorum ſingularis eſt electa induſtria) compellantur per ſuffraganeos noſtros, quoad fieri poterit, ad perſonalem reſidentiam: neque cum illis de non reſidendo, niſi cauſa probabili intercedente, diſpenſetur.

Et in Eccleſijs parochialibus per ſingulos dies Dominicos, presbyteri parochiales curati per ſe, aut vicarios eorum, clara voce & intelligibili ac verbis maternis, annuncient decem pręcepta decalogi & articulos fidei. Et ſi qui fuerint presbyteri, quibus non ſupperat doctrina, aut prædicandi gratia, legant & declarent prædicta die Dominica vnum capitulum Ioannis de Gerſon, in opere ſuo tripartito.

DE IIS, QVÆ CVRATI SVOS DEbent admonere parochianos ad ipſorum ſalutem.

Capvt 12.

ADmoneant frequenter curati ſuos parochianos, vt interſint Miſſæ parochiali diebus Dominicis, & feſtis per hebdomadam occurrentibus. Et vt ad omnia illa, quæ per ſingulos dies Dominicos in *pronis præcipiuntur, diligenter attendant. Quòd ſi legitimo ceſſante impedimento, abſque licentia ſui curati, per tres Dominicos neglexerint intereſſe Miſſæ parochiali: denuncient ſtatim promotoribus, vt pro menſura contemptus vel offenſæ puniantur.

Hortentur inſuper ijdem curati eoſdẽ parochianos ſuos, vt frequenter peccata ſua confiteantur, & ſacramentum eucharistiæ percipiant, præſertim in feſtis ſolennibus, & tempore infirmitatis, aut peſtis, aut vbi inſtat periculum mortis: ſeu cùm mare ſunt nauigaturi, aut per diuerſa loca peregrinaturi. Quos etiam commoneant, ne peregrinentur ſine literis teſtimonialibus Chriſtianitatis eorum: quas ijdem curati, per ſe aut eorum vicarios, ſi petantur, liberaliter tradant.

Curati diligenter aduertant, ſi parochiani eorum ad minùs ſemel in anno, ſanctam Eccleſiæ communionem euchariſtiamque percipiant: & communicantium nomina, ſi commodè fieri poteſt, ſcripto redigant.

DE FVNDATIONIBVS ANTIQVIS Eccleſiarum, accuratè obſeruandis & complendis.

Capvt 13.

VOlumus etiam, quod in ſingulis parochialibus Eccleſijs non ſolùm dicatur Miſſa parochialis Dominicis, ſed etiam alijs per hebdomadam diebus diuina officia, ſecundùm primam fundationem ipſius Eccleſiæ, vel illius augmentationem, celebrentur.

Et ne diuinus cultus (quem omninò augeri deſideramus) minuatur, fundatorumve intentio fraudetur: per diœceſanos compellantur omnes & ſinguli rectores eccleſiarum parochialium, capellani, alijque beneficiati, leproſariarum aliarũque domorum adminiſtratores, ad oſtendendas exhibendaſque literas fundationis, inſtitutionis & augmentationis beneficiorum & ſuorum adminiſtrationum: vt omnibus viſis, de diuinis officijs iuxta fundatorum intentionem, quod opportunum fuerit, ab eiſdem diœceſanis ſtatuatur.

Inhibemus capellas de nouo erigi, conſtrui, etiam omninò dirutas reædificari, ſine diœceſanorum licentia & permiſſione. De capellis non temere de nouo erigendis.

IN ORATORIIS PRIVATIS, SINE dioeceſani facultate, non eſſe celebrandum: neque in capellis hoſpitiorum, neglecta Eccleſia parochiali.

CAPVT 14.

NON liceat in oratorijs priuatis, quæ in domibus priuatorum interdum habentur, Miſſas celebrare prætextu diſpenſationis ſedis Apoſtolicæ: niſi priùs viſis ab epiſcopis, recognitis & approbatis dictis literis diſpēſationis: tranſgreſſores autem, per ordinarios locorum pœna condigna plectantur.

Sed quia in diuerſorijs, aut hoſpitijs ſunt interdum capellæ, vbi viatores ac tranſeuntes paſſim celebrari faciunt, neque curant ad Eccleſiam parochialem, vel aliam Eccleſiam accedere: præcipimus ſuffraganeis noſtris, vt inhibeant ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, omnib. & ſingulis presbyteris ſibi ſubditis, ne in hujuſmodi capellis deinceps celebrare attentent. Quia tamen extranei ſacerdotes à celebratione Miſſæ, aut tranſeuntes ab auditione facilè cohiberi non poſſent: idcirco ijdem ſuffraganei noſtri prohibeant ſub pœna excommunicationis vel alia pœna, magiſtris dictorum hoſpitiorum, ſeu diuerſoriorum, quòd non patiantur deinceps in illis capellis celebrari.

DIE DOMINICO NON CELEBRENTVR Miſſæ in capellis, etiam ex fundatione, niſi poſt completam Miſſam parochialem.

CAPVT 15.

ITem ne populus diſtrahatur à Miſſa parochiali, & ab auditione mandatorum Dei & Eccleſiæ: prohibemus, ne in capellis ab antiquo etiam Epiſcoporum authoritate fundatis, aliæ Miſſæ celebrentur, quam illæ, quæ de fundatione extiterint. Et ſi quæ ſint Miſſæ, quæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico, nō dicantur, niſi poſt Miſſam parochialem.

Admonemus inſuper ſuffraganeos noſtros, vt ex cauſis præmiſſis, & præſertim hoc tempore, quo videmus multos adduci ad contemptum præceptorum Eccleſiæ, & miniſtrorum eiuſdem: non facilè admittant fundationes capellarum, quibus ordinatur celebratio Miſſæ Dominico die, ea potiſſimum hora, qua populus vniuerſus cōuenire debet ad audienda diuina, præceptaque Dei & Eccleſiæ.

De altaribus portatilibus non facilè cōſecrandis.

Et vt magis ac magis tollatur occaſio celebrandi Miſſas in locis ac oratorijs priuatis, iniungitur ſuffraganeis noſtris, vt non ſint faciles ad conſecranda altaria portatilia: ſed tunc demum ad ea cōſecranda accedant, cùm intellexerint, ea eſſe requiſita pro Eccleſijs, aut alijs locis, in quibus licitè celebratur. Et per ſuos decanos rurales, alioſve officiarios prouideant, ne prædicta altaria portatilia retineantur in domibus priuatorum.

IN ECCLESIIS NIHIL INHONESTVM, aut indecens fieri debere, quo diuinum impediatur, aut minus reuerenter audiatur officium.

CAPVT 16.

Pſal. 92. Pſal. 75.

CVm autem deceat domum Dei ſanctitudo, vt cultus in pace factus eſt locus, eius cultus ſit cum debita veneratione pacificus: ſit itaque iuxta Gregorij X. Concilium generale Lugdunenſ. ad Eccleſiam humilis & deuotus ingreſſus: ſit in ea, quieta conuerſatio, Deo grata, inſpicientib. placita, quæ conſiderantes non ſolùm inſtruat, ſed & reficiat. Ceſſent in Eccleſijs vniuerſitatum & ſocietatum quarumlibet Concilia, conciones, & publica parlamenta. Ceſſent confabulationes quęlibet: ceſſent vana, & multo fortius fœda & prophana colloquia. Ceſſent poſtremò quæcunque, quæ diuinum poſſunt perturbare officium, aut oculos diuinæ maieſtatis offendere: ne vbi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut depræhendantur peccata committi. Prohibemus idcirco, ne hiſtriones aut mimi intrent Eccleſiam, ad pulſandum tympano, cithara, aut alio inſtrumento muſicali: neque in Eccleſia, aut iuxta Eccleſiam, ſuis pulſent inſtrumentis. Prohibemus inſuper, ne fiat deinceps feſtum fatuorum, aut Innocentium, neque erigatur decanatus patellæ.

Mimi non intrent Eccleſiam ad pulſandum ſuis inſtrumentis.

PSALMODIA MATVRE ET CVM DIſtinctione peragatur: ac muſicus cantus, organorumque modulatio, ad deuotionem excitans, non laſciuiam, in Eccleſia exhibeatur.

CAPVT 17.

ET cùm in Eccleſijs Dei Pſalmodia cantanda pręcipiatur, vt fidelium deuotio excitetur: in hoc nocturnum diurnumque officium & Miſſarum celebritates, aſſiduè clero ac populo, ſub maturo tenore diſtinctaque gradatione cantentur, vt eadem diſtinctione collibeant, & maturitate delectēt. Propterea præcipimus, vt in Eccleſijs ſint muſici cantus diſtincti ac diſcreti, mouētes cor ad deuotionem compunctionemque. Porrò in Eccleſijs prætextu muſici cantus, non ſunt audiendæ publicæ cantilenæ, & laſciuiæ. Neque enim (inquit Hieronymus) in tragœdiarum modum, guttur & fauces medicamine ſunt leniendæ: ne, dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur. Nam vt cantor miniſter Deum moribus ſtimulat, cùm populum vocibus delectat: ita laſciuus animus dum laſciuioribus delectatur modis, eos ſæpè audiens emollitur & frangitur. Curent ergo ſacerdotes & clerici ſic ſuos cantus inſtituere, vt modeſta honeſtaque pſallendi grauitate, placidaque & grata modulatione, ſic audientium aures deliniant, vt prouocent excitentque ad deuotionem, compunctionemque: non ad laſciuiam, cordiſve, aut animi titillationem.

Organorum vſum Eccleſia à patribus ad cultum ſeruitiumque diuinum recepit. Nolumus itaque, quod organicis inſtrumentis reſonet in Eccleſia impudica aut laſciua melodia: ſed ſonus omnino dulcis, qui nihil præter hymnos diuinos & cantica ſpiritualia repræſentet.

Organorum vſus.

DE HORIS CANONICIS, DISTINctè, reuerenter & honeſtè in Eccleſia decantandis.

CAPVT 18.

ET vt in maiorib. Eccleſijs cultus Dei viui ſanctior, iuxta maiorum traditiones in melius reformetur: ſtatuimus, vt in cathedralibus ac collegiatis & conuentualibus Eccleſijs, horis debitis, ſignis congrua pulſatione præmiſſis, laudes Diuinæ per ſingulas horas, non curſim ac feſtinanter, ſed tractim cum pauſa decenti, præſertim in medio cuiuslibet verſiculi Pſalmorum, debitam faciendo inter ſolenne & feriale officium differentiam, reuerenter ab omnibus perſoluantur.

Horas autem canonicas dicturi, cum tunica talari ac ſuperpellicijs mundis & cappis, iuxta temporum diuerſitatem, ingrediantur Eccleſias: caputia, almutias, vel birreta tenentes in capite. Qui cùm in choro fuerint, grauitatem ſeruent, quam locus & officium expoſcunt: non cum alijs confabulantes ſeu colloquentes, aut literas ſeu ſcripturas alias legentes.

De grauitate in choro ſeruanda.

Et cùm pſallendi gratia ibidē conueniant, muta aut clauſa labia tenere non debent: ſed omnes, præſertim qui maiori funguntur honore, in pſalmis, hymnis & canticis. Deo alacriter modulentur.

Cùm dicitur, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, omnes conſurgant. Philip. 2.

Cùm nominatur illud nomen glorioſum Ieſu, in quo omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, omnes caput inclinent.

Nemo ibidem, cùm horæ in communi cantantur, legat vel dicat priuatim officium. Nam non ſolùm officium quo obnoxius eſt choro, ſubtrahit, ſed & alios pſallêtes perturbat.

Super his debitè obſeruandis, alijſq; ad diuini officij proſecutionem ac chori diſciplinam ſpectantibus, decanus & capitulum, vel cui onus incumbit, diligenter inuigilet, hincinde, ne quid inordinatè fiat, circunſpiciens.

Horum autẽ tranſgreſſores, illius horæ, in qua circa prædicta exceſſerint, vel alia maiori, prout tranſgreſſionis grauitas exegerit, plectatur pœna.

DE HORIS CANONICIS, INTEGRE, maturè & deuotè legendis à viris Eccleſiaſticis, ſine aliquo leuitatis aut irreligioſitatis exemplo.

CAPVT 19.

ADmonemus beneficiatos & alios in ſacris ordinibus conſtitutos, qui ad horas canonicas tenentur, vt ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, non in gutture, vel inter dentes ſeu degluttiendo aut ſyncopãdo dictiones, vel colloquia aut riſus intermiſcẽdo: ſed ſiue ſoli, ſiue aſſociati, diurnum nocturnumq; officium reuerenter, verbiſque diſtinctis peragant: ac tali in loco, vnde à deuotione non retrahantur.

Quicunque in Eccleſia beneficiatus, pręſertim de maioribus, diuinorum tempore per Eccleſiam, vel foris circa eam deambulando, aut cum alijs colloquendo viſus fuerit: non ſolùm illius horæ, ſed totius diei diſtributiones ipſo facto amittat. Et ſi ſemel correptus non deſtiterit, per menſem diſtributionibus careat: & ſi pertinacia exegerit, grauiori pœnæ ſubijciatur. Regulares, qui in conuentualibus Eccleſijs circa prædicta exceſſerint, ſuperiorum arbitrio caſtigentur.

DE TABVLA OFFICIARIORVM, IN choro ponenda: & tempore ingreſſus in chorum, cum diuinum celebratur officium.

CAPVT 20.

COnſtituatur tabula in choro, in qua quid per vnumquemque ex canonicis vel alijs beneficiatis, in ſingulis horis per hebdomadam aut maius tempus, cantãdum legendumve ſit, deſcribatur. Qui autem ſecundum quod ibi perſcriptum fuerit, facere per ſe vel alium neglexerit: pro qualibet hora, diſtributiones vnius diei amittat.

Qui in matutinis & veſperis, ante Gloria Patri primi pſalmi, conſimiliter in alijs horis: in Miſſa, ante finem epiſtolę vſque in finem, diuino officio non interfuerit, (niſi fortè neceſſitate cogente, ac petita ac obtenta licentia, diſcedere oporteat) pro illa hora abſens cenſeatur: ſaluis Eccleſiarum conſuetudinibus, ſi quæ fortè circa hæc arctiores exiſtant. Idem obſeruetur in ijs, qui à principio vſque ad finem, in proceſſionibus, non permanſerint. Pro cuius executione deputetur aliquis, onus habens notandi perſonas ſingulas, ſtatuto tempore non cõuenientes, iuramento adſtrictus agere fideliter, & nulli parcere.

Præcipimus etiam conformiter ad ſtatutum præcedentis Concilij, quod in illis Eccleſijs, quibus ſingulis horis certæ diſtributiones ſtatutæ nõ ſunt, omnino etiam de groſſis fructibus (ſi opus ſit) deputentur: vt iuxta menſuram laboris, plus minuſve quiſq; capiat emolumenti. Tollentes prorſus abuſum illum, quo in vna duntaxat hora præſens, totius diei diſtributiones vſurpat. Et illum, quo præpoſiti vel decani & alij officiales, ex hoc ſolo quod officiales ſunt, licet actualiter pro vtilitate Eccleſię non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt.

CANONICI, CVM PRIMVM RECEPTI ſunt in conſortium capituli, ſuos fructus integrè recipiant, ſine dilatione aut expectatione per aliquot annos.

CAPVT 21.

CVm autem (ſecundum Apoſtolum) is qui altari ſeruit, de altari viuere debet: ſtatuimus ad iuris diſpoſitionem, vt omnes & ſinguli canonici Eccleſiarũ cathedralium & collegiatarũ noſtræ prouinciæ, lucrentur & percipiant poſt eorum receptionem & admiſſionem in fratres, groſſos fructus & alios quoſcunque ſuarum præbendarum, perſonaliter reſidendo & deſeruiendo ſuis beneficijs, æqualiter inter ſe diſtribuendo. Niſi ex fundatione eorundem locorum ſpeciali & legitima, ſufficienter probata, prædicti groſſi fructus pro certo tempore alijs Eccleſijs aut pijs vſibus, expreſsè pertineant & deputentur. Damnabilem illam conſuetudinẽ iudicantes, qua in certis Eccleſijs prædicti fructus ad certum tempus, in vtilitatem cedunt iam receptorum: ſiue qua cauetur, vt ad certum tempus ſint de nouo recepti, expectãtes: veram corruptelam & notorium abuſum, tales & ſimiles, declarãtes per hoc præſens noſtrũ ſtatutum. Et quoniam diſpoſitione iuris duo canonici aſſiſtentes epiſcopis, ſeu de familia eorum exiſtẽtes, ſimiliter & alij priuilegiati, debent gaudere groſſis fructib. ſuarum præbendarum: ideo non intendimus eis pręiudicare per hoc præſens ſtatutum, ſed volumus eos illibatos conſeruare in dictis ſuis priuilegijs.

1. Cor. 9.

Dãnatur conſuetudo in aliquibus Eccleſijs inualeſcens.

Diœceſani ſtatim poſt diſſolutum præſens Concilium, diligenter viſitabunt breuiaria, miſſalia, antiphonalia, ac ſanctorũ Legendas. Et quæ deprehenderint in illis ſuperflua, aut non ſatis pro Eccleſiæ dignitate conuenientia, ipſi continuò tollent & reſecabunt: & quę viderint eſſe neceſſaria, adijcient.

De viſitandis per diœceſanos breuiarijs & miſſalibus

DE REGVLARI DISCIPLINA, IN VIctu, veſtitu, & moribus, in monaſterijs tam religioſorum quam monialium, exactè obſeruanda.

CAPVT 22.

FIde dignorum relatio ad noſtrum auditũ perduxit, quantum in multis monaſterijs ſit à primæ inſtitutionis puritate receſſum, ſiquidem illorum cœnobitæ ſic vitam monachalem & regularem reiecerunt, vt & moribus & nomine & habitu, religioſi haberi & nominari vereantur. Quòd ſi in pręmiſſis gubernaculum diſciplinæ contemnatur, hoc ſolum reſtare videmus, vt religio naufragetur. Rebus itaq; in deteriora prolabentibus obuiam ire volentes, ſtatuimus vt abbates, abbatiſſæ, priores, prioriſſę, & alij religioſorũ ſuperiores, quocunq; nomine cenſeantur: ſic ſua monaſteria in cultu diuino, vita & moribus, veſtimentis monachalibus, cibis & potibus reforment, & ſuos religioſos & moniales, ad vitam regularem & monaſticam, ſecundum inſtitutiones ſuorum ordinum & * alias regulares, reducant, quod in eis nihil reperiatur, quod diuinam maieſtatem & ſimplicium animos offendere poſſit. In præmiſſis autem, per diœceſanos in ſuis viſitationibus diligens inquiſitio fiat. Et quæ repererint deformata, reforment, & omnino corrigant: quæ ſuper prædictis facta fuerint, ſequenti Concilio referant. Et ne notorium illum abuſum, quo nonnulli regularem apoſtaſiam incurrendo, ſine habitu regulari etiam in publicũ incedere non erubeſcunt, ſub diſſimulatione pertranſire videamur: ſtatuimus quòd canonici regulares decætero ſuper veſte exteriori togã lineam, tam intra quam extra monaſteriũ, ferre omnino teneantur. Niſi fortè ſuper huiuſmodi toga non deferenda, priuilegium habeant: quod ſuis diœceſanis exhibere infra duos menſes, à die publicationis cõputandos, habeant: Qui viſo priuilegio, ſuper alio habitu patenter diſtincto à veſtimentis clericorum ſecularium, ordinabunt, vt expedire & iuris eſſe videbitur.

* aliàs

De toga linea, ſuperveſtem à canonicis regularibus ferenda.

DE HONESTATE MORVM IN VITA & habitu, à clericis ſeruanda, ſine veſtium precioſarum pompa & luxu.

CAPVT 23.

OMnes clericos, maximè in ſacris conſtitutos, admonitos eſſe volumus: ſe cùm in ſanctorum loco ſint, neceſſitatem benè viuendi, non licentiam peccandi, eſſe aſſecutos.

Idcirco

Math. 5. circo eos hortamur, vt opera ſanctorũ exerceant, luceantque coram hominibus opera eorum, ſintq; verè illud ſal Euangelicum. In miniſterio vigilantes & ſoliciti, plantent, euellant, diſſipent: & cum ſummo ſtudio ædificent, quæ pietatem reſpiciunt. Hier. 1.

Inſuper profeſſionem ſuam probẽt habitu, ſcilicet vt per decentiam habitus extrinſeci, intrinſecam morũ honeſtatem oſtendant. Veſtitus ergo clericorum, maximè in ſacris conſtitutorum, non ſit expectoratus: ſed à collo deſuper vndique clauſus, à manicis, lateribus, & retro.

De veſtibus ſericeis, non deferẽdis à clericis. Cùm elationis habeat calumniam, quicquid propter veuſtatem, non propter neceſſitatem accipitur: & ne bona Eccleſiæ, quæ pauperum ſunt, in faſtum & corporis ornatũ (qui à ſacrato ordine alienus eſſe debet) conuertantur: inhibemus omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis noſtræ prouinciæ, ne veſtimentis exterioribus & ſagis oblongis ſericeis, in publico aut domeſticè vtantur, ſub pœnis arbitrio diœceſanorum imponendis. Non tamen intendimus, Eccleſiaſticis ex ſanguine regio, aut ducali ortis, huiuſmodi veſtimẽtorum ſericeorũ delationem prohibere: quos tamen hortamur, vt in veſtimentis decentiam Eccleſiaſticam obſeruent.

QVALIS DEBET ESSE HABITVS clericorum, & virorum Eccleſiaſticorum.

Capvt 24.

Veſtes ſint talares, non fronciatæ, aut partitæ: nec nimia amplitudine ſuperfluæ, nec plus æquo cõſtrictæ in quibus clericalis ordinis honeſtas & modeſtia, non faſtus iactantia, vel elationis vitium, deprehendatur. Non etiam camiſias geſtent (quod dicunt) fronciatas.

Non pannoſi ſint clerici, aut in veſtibus laceri. Neque enim affectatæ ſordes, aut exquiſitæ deliciæ, laudem pariunt.

Non caligas partitas, aut ſcacatas aſſumant, neq; circa genu diſſutas, non lunatis ſeu cornutis, ac nimis ſe neſtratis, calceis vtantur. Non annullos in digitis deferãt: niſi fortè huiuſmodi ſint, quibus id ad decorem ſuarum dignitatum permittatur.

De honeſtate à clericis ſeruanda, in crinibus & tonſura. Ipſi quoq; clerici, in ſacris præſertim conſtituti, & eorum commenſales, neque comam relaxent, aut barbam nutriant: Sed tonſuram, coronam, ſeu raſuram habeant, ſecundum ordinem ſuum honeſtè raſam.

Denique iuxta Concilium Lateranenſ. pannis rubeis aut viridibus non vtantur: Ab ijs denique abſtineant, quæ in eodem Concilio continentur.

DE HONESTATE CLERICORVM, OBſeruanda in inceſſu, conuerſatione cum laicis, in euitatione chorearum & actionis ludorum ſcenicorum.

Capvt 25.

In inceſſu quoq; honeſtatem exhibeant, vt grauitate itineris, mẽtis maturitatem oſtendant. Incompoſitio enim corporis, riſus diſſolutus, indecens oculorum vagatio, inæqualitatem indicant mentis.

In conuerſatione autem cum laicis, ita ſe habeant, vt neq; ex nimia familiaritate, aut cõuerſatione æquali, reddatur contemptus dignitatis: neque ex nimia auſteritate, faſtu aut pompa ſuperbi, aut plus æquo elati iudicentur.

Qui ludi à clericis ſint vitandi. Neque in publico ludant pila, aut alijs ludis, maximè cum laicis. A ludo alearum, alijſq; qui à ſorte pendent, abſtineant: neque ludentium fautores, ſpectatores, aut teſtes exiſtant.

Non ſe admiſceant choreis publicis, tripudiationibus, aut ſaltationibus: Non turpes, amatorias, aut laſciuas depromant cantilenas, ſeu cantantibus faueant aut adſint.

Non in ſcenam vel hiſtriones prodeant, non comœdias vernaculas agant: non ſpectaculum corporis ſui faciant in publico, priuato ve loco.

Quæ omnia cum omnibus ſacerdotibus ſunt indecora, & ordini clericali multum detrahentia, tum illis præcipuè, quibus animarum cura eſt commiſſa.

INCONTINENTES SACERDOTES, ET concubinarios clericos, itidem venatores & negocijs ſecularibus deditos, grauiter eſſe puniendos.

Capvt 26.

Incontinentes ſacerdotes, & concubinarios clericos, epiſcopi per ſe vel ſuos officiales, ad continentiam & Eccleſiæ regulam remedijs conuenientibus reuocabunt. Salutares pœnas, iuxta ſanctorum Patrum decreta, & ſacrorum ac generalium Conciliorum Canones, in illos (ſi moniti non deſiſtant) exequentur.

Contra clericos venatores, vel negocijs ſecularibus implicitos, ſi à venandi, negociandi ve conſuetudine, moniti non deſiſtant, ad pœnam Aurelianenſ. Concilij & alterius Lateranẽſ. procedetur.

QVID AGENDVM, QVANDO PRIORAtus religioſorum aut monialium, non habent prouentus ſufficientes ad plurium in illis locis educationem.

Capvt 27.

Et cum ſacrum Viennẽſ. Concilium ſtatuerit, vt monachi in ſuis ſibi commiſſis adminiſtrationibus vel prioratibus non præſumant ſoli habitare, ſed ſi prouentus prioratuum vel adminiſtrationum huiuſmodi fortè non ſuppetant, duobus alijs viciniorib. locis, ad eorum monaſteria pertinentibus, vel ipſorum monaſteriorũ officijs, aut inter ſe inuicem, prout erit commodius, cum conſenſu & conſilio abbatum, per locorum ordinarios vniantur: Nos illud Viennen. Concilij tam ſalubre, tamque prouidum ſtatutum, obſeruari præcipimus.

Ad hoc ſtatuimus, quod moniales cuiuſcunq; ordinis exiſtant, morantes in prioratibus, qui non ſunt idonei ad conſouendam reformationem, & conuentum cuſtodiendum, neq; ad id fortè redditus eorum ſuppetere poſſunt: remittantur ad abbatiam ſeu monaſterium, vnde huiuſmodi prioratus depẽdent. Redditus autem prædictorum prioratuum, applicentur abbatiæ vel monaſterio, vbi etiam pro menſura augmenti augeatur numerus religioſarum. Ex ordinatione autem epiſcopi, prouidebitur de ſeruitio competenti in prædicto prioratu celebrando per presbyterum ſecularem: cui de conſenſu religioſarũ, per eundem epiſcopum cõgrua portio aſſignabitur.

Et quoniam ſunt aliqua monaſteria ſita extra prouinciam noſtram, à quibus dependent prioratus, infra limites prouinciæ noſtræ conſtituti: rogamus diœceſanos locorum, vt religioſas illorum prioratuum aduocent ad ſuas abbatias ſeu monaſteria: offerentes, quod nos & ſuffraganei noſtri etiam curabimus modò conſimili, ad abbatias noſtrarum diœceſum reuocare religioſas, exiſtentes in prioratib. extra prouinciam noſtram ſitis, quibus inſufficientes redditus eſſe, nobis conſtiterit. De reuocatione religioſarum, in aliena diœceſi exiſtentium.

DE NVMERO MONIALIVM, IN MOnaſterijs earum inſtituendo: perpetuaque ipſarum clauſura, vigilanter obſeruanda.

Capvt 28.

Item conſtituimus, vt in monaſterijs monialium tot inſtituantur moniales, quot de facultatibus eorundem monaſteriorum (reparationibus Eccleſiæ, clauſuræ, & aliarum regularium domorum, necnon & proceſſuum expenſis, deductis) commodè & ſine penuria ſuſtentari poſſint. A quib. pro ingreſſu, aut receptione, nihil prorſus prætextu conſuetudinis, aut quouis alio quæſito colore, exigatur. Si qua tamen vltra eas in huiuſmodi monaſterijs ſe recipi petat, id non interdicimus, dummodo congruam ſecum afferat penſionem,

qua cum cæteris religioſis numerarijs alatur. Non tamen in locum numerariarum ſuccedat: ſed decedẽtibus numerarijs, aliæ nouæ & pauperes ſurrogentur.

Prouideant etiam epiſcopi, vt illud ſalubre ac frugiferum decretum, incipiens, Periculoſo: in eo præſertim, quod continet de clauſura perpetua monialium: ſeruetur, ac perpetuo cuſtodiatur. Nihil enim magis officit regulari monialium diſciplinæ, ſpiritualique profectui, quam reſeratis clauſtri ſeptis, portiſque pro cuiuſque earum nutu patentibus, frequens & licentioſa extra monaſterium euagatio, & tanquam ruptis obicibus, diſſoluta ac inſolens vltra metas cõuentus eruptio. Siquidem exinde dedecoroſa enaſcitur earum cũ laicis perſonis tam viris quàm mulieribus conuerſatio: & præter cætera ſalutis animarũ detrimenta, ingens in præcipiti pendentis earundem caſtitatis periclitatio.

DE VISITATIONE ET REFORMATIOne diligenti hoſpitalium, leproſariarum, & ſimilium domorum: facienda per eos, ad quos idipſum legitimè ſpectat.

Capvt 29.

CVm autem ea, quæ ad certum vſum pium ſint largitione fidelium deſtinata, non debeant in alium vſum conuerti: præcipimus iuxta Concilium Viennen. Xenodochia, leproſarias, eleemoſynarias, & alia hoſpitalia quocunque nomine cenſeantur, viſitari & reformari per eos, ad quos de iure, ſtatutove in locorum fundatione appoſito, vel ex conſuetudine præſcripta, aut priuilegio ſedis Apoſtolicæ ſpectat & pertinet. Gubernatio verò, viris prouidis & diſcretis ac boni teſtimonij, committatur. Qui inſtar tutorum & curatorum, præſtare iuramenta, ac de locorum ipſorum bonis inuentarium conficere, & ordinarijs ſeu locis illis quibus ſubſunt loca huiuſmodi, vel deputandis ab eis, annis ſingulis de adminiſtratione ſua teneantur reddere rationem: Volentes, quòd hæc in prouiſione ſeu commiſſione, quę fiet de eiſdem hoſpitalibus, exprimantur.

CONFRATRIAS NON ESSE DE NOVO erigendas, niſi ex conſenſu & approbatione diœceſanorum: antiquarum autem ſtatuta & fundationes, illis, vt viſitentur, exhiberi debere.

Capvt 30.

CVm ex multiplicatione confratriarum, ſæpè monopolia oriri cõtingat: & quæ in vſus pios conſumenda ſunt, in crapulam conuerti videantur: ſiquidem dies feſtos confratriarum, non aliter ſe confratres dignè celebrare putant, niſi comeſſationibus & ebrietatibus deſeruiant: Sacro approbante Concilio, ſub pœna excommunicationis inhibemus: ne aliqui, cuiuſcunq; ſtatus extiterint, confratrias erigere & de nouo inſtituere, ſine epiſcoporum expreſſo conſenſu & approbatione, audeant. Antiquas autem, quas per epiſcopos inſtitutas, aut aliter approbatas fuiſſe conſtiterit, toleramus. Omnem baculorum delationem, confratribus & alijs quibuſcunque, tam extra quàm intra Eccleſiam, necnon conuenticulares comeſſationes, maximè diebus feſtis illarum confratriarum, & ex denarijs earundem fiendas ſeu ſoluendas, ſub prædictis pœnis probibentes.

Ordinamus inſuper, quod quantum ad antiquas confratrias attinet, teneantur confratres ſeu procuratores infra ſex menſes à die publicationis pręſentium, afferre diœceſanis eorumve officialibus aut vicarijs, ſtatuta, ſi qua habeant: & eoſdem diœceſanos inſtruere de modo & forma, & quam in eis ſeruant: de quantitate redditũum, & in quos conuertant vſus: vt ſic iuſtitia mediante, quod ſuper his opportunũ fuerit, ſtatuatur, omniaque ad ſobrietatem & modeſtiam reuocentur. Alioquin, elapſis ſex mẽſibus, ad earum annullationem procedatur.

Eiſdem confratribus & alijs, delationem calicum, vaſorum ſacrorum, & capparum Eccleſiaſticarum, prohibemus. Iniungentes de ſuffraganeorum noſtrorum conſenſu, ſacerdotibus & alijs per prouinciam noſtram conſtitutis, ne ipſas deinceps concomitentur, aut illis deſeruiant. Ex nunc autem, iuramenta quæ ſolent præſtari in ingreſſu, omninò reprobamus & caſſamus. Prohibentes, ne deinceps iuramenta ſuper obſeruatione ſtatutorum prædictarum confratriarum, aut præſtentur, aut exigantur. Et etiam vbi confratriæ erunt permiſſæ, volumus quod ab inuitis pro egreſſu nihil exigatur.

De calicib. & capp. Eccleſiæ non deferendis in feſto confratriar. per laicos.

Confratriarũ prouiſores, procuratores, ſeu magiſtri, vel gagiatores eccleſiarum parochialium, teneantur præſtare iuramenta in initio officij ſuſcepti, coram epiſcopis aut eorum officialibus, eliganturque ſingulis annis, mox redditurí de receptis & ſolutis rationem. Et pecuniæ quæ ſupererunt, applicentur per eos vel in vſum reparationis Eccleſiæ, aut curam ſeu alimoniam pauperum, aut alios pios vſus, prout Epiſcopus arbitratus fuerit.

DE EXCOMMVNICATIONIBVS NON concedendis, niſi pro ardua & graui cauſa, neque decernendis pro iniurijs verbalibus, niſi ſint admodum atroces.

Capvt 31.

INſupèr, ne quis per excomunicationem (quam pro præcipuo mucrone Eccleſiæ habet) à fidelium communione ex leui cauſa innodetur: ſacro approbante Concilio prohibemus, quatenùs decæterò nullæ excõmunicationes concedantur, niſi pro graui cauſa: & ea cognita, ſecundùm formam iuris generaleſque monitiones in forma malefactorum, non decernantur pro iniurijs verbalibus, niſi fortè atrocioribus: quarum diſtinctio, arbitrio officialium relinquatur. Quos nihilominus diligenter & diſtrictè monemus, vt omnino caueant ab illarum multiplicatione, ne in vilipendium & contemptum deducantur.

DIOECESANI PER SE AVT VICARIOS ſuos viſitent frequenter parochias, in quibus audiunt hæreticos habitare: & ad illorum exterminationem pro viribus elaborent.

Capvt 32.

STatuimus & præcipimus, vt ad tollendas hæreſes, quæ magis ac magis (quod dolentes referimus) pullulant, diœceſani iuxta ſacrum generale Concilium, aut per ſe aut Archidiaconos ſeu alias honeſtas perſonas, bis in anno, aut ſæpiùs, ſi ita res poſtulauerit, parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeant. Et ibi tres aut plures boni teſtimonij viros, vel etiam vbi opus fuerit, totam viciniam iurare compellant, ſi quos ibidem hæreticos, vel aliqua occulta conuenticula celebrantes, vel à communi cõuerſatione fidelium diſſidentes, ſciuerint: & quos ſciuerint, epiſcopis ſeu eorum officialibus indicare. Qui verò ex his, iuramenti religionem obſtinatione damnabili reſpuentes, iurare fortè noluerint: hoc ipſo tanquam ſuſpecti de hæreſi reputentur, & contra eos tanquam hæreticorum fautores procedatur. Qui autem ſic indicati fuerint, niſi ſe ab obiecto crimine purgauerint, vel ſi poſt purgationem, in priſtinam lapſi fuerint perfidiam, canonicè puniantur.

LIBRI DE FIDE ET MORIBVS differentes, non imprimantur ampliùs, nec alibi impreſſi vendantur, ſine ſpeciali diœceſanorum authoritate & permiſſione.

Cap. 33.

Qvia hæreticorum mos eſt, nō ſolùm ſacram ſcripturam cōuellere, ac relicto vero ſenſu, ad ſuam phātaſiam contorquere: ſed & ſacros libros transferre, & in eiſdem libris ac ſacrorum doctorum, ſcholia quædam & annotationes marginales, ſed deprauatas adijcere, quo eam, quam pollicentur, libertatem ob oculos obtrudant ſimplicium, eoſque fallacibus errorum inuolucris quaſi tenaci viſco inuoluant, & in errorum labyrinthum conijciāt: Inde eſt quod huius ſacri concilij authoritate, ac de conſenſu ſuffraganeorum noſtrorum, prohibemus, ne deinceps per prouinciam noſtram imprimātur libri ſacri aut ſanctorum doctorum, qui vel de fide aut moribus Eccleſiaſticis habeant tractatum, ſine noſtra ſuffraganeorumque noſtrorum per ſuas diœceſes ſpeciali authoritate & permiſſione. Contra facientes, ipſo facto, ſententię excommunicationis ſubiaceant.

Et ſi qui ſint tales libri, ſeu in prouincia, ſeu alibi impreſſi, prohibemus ſub eadem excommunicationis pœna, prædictos libros vendi vel publicari, ſine noſtra (vt priùs) ſuffraganeorumve noſtrorum permiſſione. Adijcientes ſub prædictis pœnis, quod eiſdem libris non adijciātur annotationes marginales quæ hæreſim ſapiant, aut ſcandaloſæ ſint, ac piarum aurium offenſiuæ.

LIBROS LINGVA VERNACVLA compoſitos, de fide & moribus tractantes, legi vulgò non debere, niſi à diœceſanis antè viſitati ſint & approbati.

Cap. 34.

Verùm quia intelleximus libros nonnullos ſcriptos lingua vernacula, impios & ſcandaloſos, per noſtram prouinciam enchiridij more, à quibuſdam circumferri: & à laicis, pueris, ac mulieribus, interdum publicè, aliquando occultè legi: qui etſi fortè incertos habeant authores, nemini tamen dubium eſt, eos ex materia operis, ab hæreticis & perditionis magiſtris prodiiſſe: de fratrum & coepiſcoporum noſtrorum conſilio & conſenſu, præcipimus ſub excommunicationis pœna, omnibus & ſingulis, cuiuſcumque ſtatus, conditionis aut ſexus, vt ſi quos habuerint libros, fidem aut mores concernentes, à viginti annis citra in vulgari ſeu latino ſermone editos, eoſdem ad diœceſanum ſuum confeſtim deferant: vt cùm ab eo aut eius vicarijs & commiſſis viſi fuerint ſedulò & examinati diligenter, eorundem librorum vel interdicatur vel permittatur lectio. Quorum quidem librorum, ſeu iam impreſſorum, ſiue poſthac imprimendorum, ſi lectio permiſſa fuerit, addatur eiſdem libris decretum Epiſcopi, quo ſignificet per ſe aut alios doctos & approbatos viros, ſe ipſum examinationem diligentem feciſſe, ac tunc demùm eorum publicationem permittere. Volumus autem hoc præſens tam vtile tamque ſalubre ſtatutum, per ſingulas parochias prouinciæ noſtræ, ter aut quater in anno publicari.

NON ESSE ADMITTENDOS QVOScunque ad exercendum prædicationis ad populum officium, niſi à diœceſanis approbati fuerint & miſſi.

Cap. 35.

Inuidens ſemper humanæ ſaluti zizaniorum ſator diabolus, quod in agrum Dominicum per ſe directè non poteſt, id nonnunquā per ſuos quos poſſidet cupiditatis igne ſuccenſos exquiſitis modis efficere conatur. Siquidem dum nōnulli prædicatores, quæſtores, vel falſo nonnunquam ſimulatæ religionis habitu ſubintrant, prædicationis officium circumuentis parochialibus presbyteris vſurpant, nouas doctrinas & ſæpenumerò hæreſes apud rudem plebeculam diſſemināt. Et beneuolentiam vulgi captantes, adminiſtratoribus Eccleſiaſticis, quam ſecularibus detrahunt, ſubditos ſuis ioribus rebelles & penitus inobedientes reddunt: plan fingentes, deſtruunt, ſeditiones excitant, ſcandala immittunt. Et dum quem venantur, quæſtum fuerint aſſequuti, continuò recedentes, anxias ſuorum auditorum animas, promiſſæ ſibi ſalutis ſpe vacuas, ſed & varijs expoſitas periculis, relinquunt errorum laqueis multiplicibus inuolutas. Nos ergo talibus viam (quantum cum Deo poſſumus) præcludere cupientes, præcipimus omnibus & ſingulis ſuffraganeis noſtris, ne vllos (cuiuſcunq; ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant) prædicatores, quæſtores, religioſos ſeu ſeculares, extraneos ſiue diœceſanos, quauis occaſione ſeu cauſa, ad officium prædicationis in Eccleſijs per ſuas diœceſes conſtitutis, permittant, tolerentve: niſi ab ipſis ſuffraganeis, eorumve vicarijs approbati, & ad hoc nominatim miſſi extiterint. Quomodo enim, ſecundum Apoſtolum, prædicabunt, niſi mittantur? Et veritas ipſa dicit in Euangelio: Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Proinde ſuffraganei noſtri nullos ad prędicandum mittant, niſi viros ętate maturos, moribus graues, & in ſacris literis ſufficienter eruditos. Rom. 10. Matt. 9.

Eoſdem etiam ſuffraganeos admonemus, vt ſi per ſe aut alios probos ac delectos viros prædicare voluerint, Euangelium Chriſti ſyncerè populo annuncient & prædicent. Imitentur veſtigia Chriſti, præcipientis Apoſtolicis viris: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Et iterum: Docete omnes gentes, ſeruare quæcunque mandaui vobis. Ceſſent in ſanctis illis cōcionibus, prophanarum legum minimè neceſſariarum citationes: poëtarumq; authoritates ſuperuacanæ, ſubtilium quæſtionum & plerumque futilium inanes allegationes. A ridiculis etiam, hiſtrionicisque ſermonibus abſtineant. Quæ materia fidelibus prædicanda. Matt. 16. Matt. 28.

QVALES ESSE DEBENT DIVINI verbi prædicatores, & quid potiſſimùm prædicare debeant, & quibus vti ſermonibus.

Cap. 36.

Sint prædicatores, iuxta Gregorium, in verbo diſcreti: ne vel tacenda proferant, vel dicenda reticeant. Prædicent rurſus ſacrum Euangelium: innitantur interpretationibus ſacrorum doctorum. Inſtruant populum ad obſeruationem præceptorum Dei, vt fidem inconcuſsè teneant: atque omnibus mandatis Dei & Eccleſiæ pareant, nec ab eiuſdem Eccleſiæ decretis & ſanctionibus deuient. Gregori.

Sint etiam prædicatorum ſermones, caſti & examinati, ad amorem Dei populum trahentes, deteſtentur vitia concionatores verbi diuini, alliciantque auditores ad amplexus virtutum. Habeant præ oculis pro ſcopo honorem Dei & profectum animarum: nihil ad gloriam & oſtentationem faciant: non quæſtui ſint intenti, aut vindictæ appetentes.

Quòd ſi ſecùs fecerint, aut ſi populum more ſcurrarum viliſſimorum, dum ridiculas & aniles fabulas recitant, ad riſus cachinnationeſque excitauerint aut (quod deterius eſt) ſi prælatis Eccleſiæ, principibus, ſacerdotibuſque detraxerint, ac tandem populum ab obedientia ſuperiorum retraxerint: eundemque à ſolutione decimarum ac aliorum, ad quæ iure diuino & poſitiuo ſunt omnes obſtricti, abalienauerint: Nos volumus tales, tam ineptos & pernicioſos concionatores, ab officio prædicationis ſuſpendi, & à ſuis ſuperioribus, pro modo & menſura exceſſus, acriter puniri. Per præſens tamen ſtatutum, non intendimus derogare Clementinæ, Dudum. De prohibendis & puniendis ineptis prædicatoribus.

SOLOS ILLOS MENDICANTES HAbere poteſtatem abſoluendi, qui antè per ſuos prælatos diœceſanis præſentati fuerint, & per eos commiſſi.

Cap. 37.

NOs præterea cupientes animarum periculis (quantum cum Deo poſſumus) conſulere, volumus omnes & ſingulos intelligere, quod illi ſoli mendicantes habent poteſtatem abſoluendi, qui primùm per ſuos prouinciales, cuſtodes, miniſtros, priores, guardianos: alioſve eorundem mendicantium prælatos, electi fuerint tanquàm ſufficientes & idonei, vita probati, diſcreti, modeſti, atque periti: inde ſuffraganeis noſtris, in ſuis diœceſibus per præfatos mendicantium prælatos præſentati, qui ab eiſdem Epiſcopis ad audiendas confeſſiones ſint commiſſi. Qui ſic electi, præſentati, deputati, ſeu commiſſi, iuxta canones conciliares, & Romanorum Pontificum decreta, confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè audire poſſunt, imponere pœnitẽtias ſalutares, & beneficium abſolutionis impendere. Declaramus autem, non competere mendicantibus ſic deputatis & commiſſis, in abſoluendo ampliorem poteſtatem, quàm curatis vel párochialibus ſacerdotibus eſt à iure conceſſa: niſi forſan eis Eccleſiarum prælati, vberiorem in hac parte gratiam, ſpecialiter duxerint faciendam. Guardianos autem, cuſtodes, & alios fratrum mẽdicantium præfectos, hortamur in Domino, vt in Eccleſiarum ſuorum conuentuum loco ad legẽdum aptiore, chartam præſentatorum ſuorum nomina continentem ſtatuant: quatenus qui volent mendicantibus confiteri, videant prius ſi ſint de nominatorum & approbatorum numero, aliàs abſolutos ſe non fore intelligant.

ABBATES SACRAMENTVM CONFIRmationis non conferant, nec calicum conſecrationem attentent, niſi diœceſano antè exhibuerint ſpeciale (ſi quod habent) ſuper hoc priuilegium.

Cap. 38.

QVoniam abbates nonnunquam attentant munus Confirmationis conferre, idque vendicant ex conſuetudine præſcripta ad ſe pertinere: nos attendentes hanc impoſitionem manum, à Chriſto primùm inſtitutam, & ab Apoſtolis receptam, ſolis Epiſcopis (qui Apoſtolorum ſunt ſucceſſores) reſeruatam, cõſuetudinem huiuſmodi (quæ potiùs corruptela dicenda eſt) reprobamus. Quòd ſi qui ſint, qui contendant ſibi competere hanc facultatem ex priuilegio: volumus quod cùm primum fuerint requiſiti à ſuffraganeis noſtris, de priuilegio fidem facere teneantur. Et idem ſtatuimus obſeruãdum, quantum ad illos, qui calicum conſecrationem attentant.

CVM QVANTA REVERENTIA, GRAVItate & honeſtate ſacramentum matrimonij eſt à fidelibus ſuſcipiendum.

Cap. 39.

SAnè cùm matrimonium à Deo rerum omnium conditore, in paradiſo & in ſtatu innocentiæ inſtitutum fuerit, ſitque teſte Apoſtolo ſacramentum: proinde cum magna reuerentia ac deuotione ſuſcipiendum, vtpotè in quo (ſicut & in reliquis ſacramentis) gratia conferatur: prohibemus, ne in ſponſalibus aut nuptiali benedictione fiant riſus, cachinnationes, aut alia ridicula verba enuncientur. Quinimmò moneantur affidati, quatenus ieiuni, contriti, confeſſi, ac cum multa reuerentia, ad hoc ſacramentum accedant. Illum quoque abuſum, qui inualuit in quibuſdam partibus, vt benedictio nuptialis & Miſſa celebrentur ſtatim poſt mediam noctem, tollimus & amputamus: ſtatuentes, quòd talia deinceps nõ fiant, niſi poſt ortum ſolem ac illuceſcentem diem. Siquidem exemplo pernicioſo interdum compertum eſt, ſolennitates huiuſmodi nuptiales ſic in latebris & occulto factas clandeſtinis matrimonijs viam aperuiſſe, & occaſionem dediſſe contemnendi tam excellens ſacramentum, & laſciuias ac ſpurcitias quaſdam committendi.

Sed cum ex clandeſtinis matrimonijs grauia eueniant indiès ſcandala ac pericula, volumus omnes contrahentes, conſulentes, ſcientes, intereſſentes, auxiliantes, & adiuuantes, ſententiæ excommunicationis ipſo facto ſubiacere.

IMAGINES SACRÆ, PRÆCEDENTE Epiſcopi viſitatione in Eccleſijs collocentur: neque prætextu noui miraculi erigatur capella, aut altare nouum, niſi Epiſcopus loci de eo negocio antè definierit, quid ſit tenendum.

Cap. 40.

ET vt nihil ſine diſcretione in Eccleſia Dei fiat; expediẽs & rationabile viſum eſt, proptèr laſciuas imagines & veritati ſcripturæ non conuenientes: ſi in poſterum, præcedente Epiſcopi aut commiſſi eius iudicio & viſitatione, imagines in Eccleſijs collocentur.

Ex multorum fida relatione didicimus, ſimplicem populum aliquando leui aſſertione miraculorum, ad vnum & alterum locum populariter concurriſſe, candelas & alia vota obtuliſſe. Vt igitur credulæ ſimplicitati nobis commiſſæ plebis conſulamus, & nouis impudentibuſque hominum mente corruptorum ad quæſtum occaſionibus obuiemus: ſacro approbante prouinciali Concilio, diſtrictè prohibemus, ne quis poſthac miraculum de nouo factum prætendat: neve intra aut extra Eccleſiam, titulum, capellam, aut altare prætextu noui miraculi erigat, aut populi concurſum in miraculi gratiam & venerationem recipiat: niſi priùs loci Epiſcopus de negocio, quid ſentiendum tenendumque ſit, cauſa cognita, decreuerit.

Decretorum ad mores ſpectantium, finis.

Concilii Postrema Conclvsio.

ET quia parùm eſſet, iura & ſtatuta condere, niſi eſſent, qui ea tuerentur & executioni demandarent: idcircò volumus, ſtatuimus & ordinamus ſub pœnis antè dictis, omnia & ſingula ſupraſcripta, ſic, vt præmittitur, indicto ſacro prouinciali Concilio decreta, ſtatuta & ordinata, per omnes ſuffraganeos, noſtros in ſuis ſynodis intimari & publicari, illaque in futurum inuiolabiliter obſeruari, executionem huiuſmodi pœnarum eiſdem noſtris ſuffraganeis tenore præſentium committentes. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium, præſentes literas, ſeu præſens publicum inſtrumentum, decreta & ſtatuta noſtra in ſe continentes ſiue continens exindè fieri, & per notarios publicos ſubſcriptos, dicti prouincialis Concilij ſcribas ſeu * graffarios, ſignari & publicari, ſigilliique noſtri iuſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum Pariſijs, quoad præmiſſorum concluſionem & definitionem, nobis in eodem Concilio præſidentibus in domo ſolitæ habitationis noſtræ. Sub anno Domini 1528. indictione ſecunda, die verò nona menſis Octobris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Clementis diuina prouidentia Papæ ſeptimi anno quinto.

Actorum & decretorum Prouincialis Concilij Senonenſis, inchoati anno 1527. & conſummati anno 1528. Finis.

VITA PAVLI III.

Paulus quando Pontifex factus.

PAVLVS III. antè Alexander nominatus, natione Romanus ex nobili Farneſiorum familia genitus, optimis diſciplinis Florentiæ inſtructus, multiſque egregijs animi dotibus exornatus, poſt res multas præclarè geſtas, iuxta illud quod dicere ſolebat; *Confectum ſenio melior fortuna ſequetur*, ex Cardinali creatus eſt Pontifex 3. Idus Octob. an. Chriſti 1534. tempore Caroli V. Imp. Initio Pōtificatus præter Alexandrum Farneſium & Guidonem Aſcanium nepotes ſuos, Bembum, Sadoletum alioſque viginti eminentis doctrinæ & ſingularis prudentiæ viros in numerum Cardinalium allegit.

Res geſtæ Pauli Papæ.

Henricum octauum Angliæ Regem, quòd legitima vxore repudiata aliam duxiſſet, multaque alia contra publicam Eccleſiæ pacem & dignitatem perpetraſſet, Regno regijſque inſignijs ſpoliauit. In expeditionem Tunetanam Cæſari duodecim triremes Duce Virginio tranſmiſit. Vt verò ardens ſuum de Rep. Chriſtiana & Cæſare benè merendi deſiderium oſtenderet, vniuerſæ claſſi benedicturus, eique læta ac fauſta precaturus, Centumcellas profectus fuit. Carolum Cæſarem inſigni victoria obtenta ex Africa reuertentem, magna cum gratulatione Romæ excepit, eumque ad pedum ſuorum oſcula admiſit. Eiuſdem Cæſaris rogatu, ad tollenda de religione diſſidia, erroreſq; qui ſenſim vniuerſam Germaniam peruadebant, conuellendos, Concilium Mantuæ anno ſequente 1537. celebrandum indixit: verùm certis de cauſis idem poſtea Vicentiam tranſtulit: Turcis Dalmatiam ferro & flamma vaſtantibus, ſolennes ſupplicationes indixit, quas ipſe nudis pedibus obiuit, miſſiſque ad omnes Principes Legatis rogauit, vt conſociati in capitalem & iuratum Chriſtiani nominis hoſtem arma arriperent. Interea Petrum Laiſium Eccleſiaſtici exercitus Ducem creauit, vrbem mœnibus cinxit, initoque fœdere cum Cæſare & Venetis inſtructiſſimam claſſem contra Turcas infœliciter emiſit. De Carolo & Franciſco Gallorum Reg. conciliandis diu fruſtra laborauit. Romam reuerſus nuptias inter Margaritam Auſtriacam, & Octauium nepotem, quem Camerini Ducem iure beneficiario creauerat, celebrauit: Peruſinos, qui ob auctum ſalinarum vectigal defecerant, armis perdomuit. Cæſari ad Algerianam expeditionem traiecturo apud Lucam occurrit, atque cum eo de celebrando vniuerſali Concilio, alijsq; Reip. Chriſtianæ negotijs communicauit. Quod cùm Pontifex Tridenti celebrandum indixiſſet, ob peſtem graſſantem & ingruentia bella Bononiam tranſtulit. Cumque de pace & concordia inter Carolum Imp. & Franciſcum Gallorum Regem ſæpè fruſtra laboraſſet, tandem huius cauſa publicas ſupplicationes indixit, & quod per ſe non poterat, Dei auxilio adiutus, poſt multorum annorū ſæuiſſima bella tandem impetrauit. Cumque ob cauſas prædictas, Concilium nonnihil diſtractum eſſet, veritus Cæſar ne tardius quàm expediret Concilium religionis negotium abſolueret, quibuſdam negocium dedit cōſcribendæ cuiuſdam formulæ (quæ paſſim dicebatur Interim ſiue Interreligio) qua per Germaniam vſque ad Concilij definitionem vterentur: Miſſam ad ſe concordiæ formulam Pontifex reprobauit. Societatem nominis Ieſu, quæ auctore Ignatio Loyola nobili Hiſpano inſtituta eſt, quæque Oriētales populos conuertit, hæreſim Lutheranam & prope extirpauit, magno totius Eccleſiæ Catholicæ applauſu & emolumento comprobauit & confirmauit. His omnibus ritè peractis obijt 4. Idus Nouembris anno Domini 1549. cùm ſediſſet annos 15. & dies 28. ſepultus eſt in baſilica S. Petri.

Obitus Pauli.

CONCILIVM

COLONIENSE PROVINCIALE auctoritate Hermanni Archiepiſcopi (qui poſtea in hæreſin lapſus eſt) pro reformatione Clericorum, & cæremoniarum Eccleſiæ, celebratum anno Dom. 1536. tempore Pauli Papæ III. & Caroli V. Imp.

INDEX TITVLORVM PRINCIPALIUM ac Capitulorum Concilij prouincialis Colonienſis, anno 1536. celebrati.

PARS PRIMA.

DE MVNERE EPISCOPALI.

Officium Epiſcopi, poſt verbi prædicationem, conſiſtit potiſſimùm in impoſitione manuum, & viſitatione Eccleſiarum.

DE impoſitione manuum, quæ eſt ordinum Eccleſiaſticorum collatio, ac inſtitutio miniſtrorum. Cap. 1.

Ad certum titulum, Eccleſiæ miniſtros canonicè deligendos ordinandoſque. 2

Manum nemini citò imponendam. 3

Humani adfectus & venalitas in beneficijs Eccleſiaſticis, execrabiles. 4

Beneficia Eccleſiaſtica, priuſquàm vacent, nemini promittenda. 5

Dignis tantùm beneficia eſſe conferenda. 6

Idoneos tantùm in prælatos eligendos eſſe. 7

In eligendo, ætas, mores, literatura & ſacer ordo, ſpectanda. 8

Electionem ſynceram eſſe oportere. 9

In confirmatione electionis, quæ expendenda. 10

Per patronos, idoneos præſentari oportere. 11

Quid incumbat archidiaconis. 12

Aliquot abuſus Officialium inter viſitandum corrigendi. 13

Omnes qui de beneficijs diſponunt, ſui officij admonendi. 14

Moderatio patronos laicos reſpiciens. 15

De officio vicariorum in Pontificalibus. 16

Quid Epiſcopis potiſſimùm curandum ſit. 17

De ætate ordinandorum. [illegible]

Teſtimonium vitæ ac doctrinæ per initiandos ſacris, exhibendum. 19

De eruditione ordinandorum inquirendum. 20

Videndum quo affectu ad ordines accedatur. 21

Quanto temporis ſpatio ante maiorum ordinū receptionem initiandi ſe præſentare debeant. Item & quid initiandi tum ſecum allaturi ſint. 22

Quale teſtimonium afferendum. 23

Die Mercurij proxima ante ſuſceptionem ordinum, examinandi qui initientur ſacris. 24

Neminem ab examinatione immunem eſſe oportere. 25

Cuius admonendi ſint pridie ordinationis, initiandi ſacris. 26

In minoribus ordinibus conferendis, quæ cura adhibenda. 27

Ab initiandis nihil exigendum. 28

Literæ dimiſſoriæ nulli temerè concedendæ. 29

Tituli ordinandorum diligenter diſcutiendi. 30

Peregrini clerici quomodo admittendi. 31

Odioſa beneficiorum pluralitas in vna eademq; perſona. 32

Diſpenſationes inſpiciendæ, vt occurratur abuſibus. 33

In reſignationibus ac permutationibus beneficiorum, quæ cura adhibenda. 34

Præſtat paucos eſſe bonos, quàm multos inutiles ſacerdotes. 35

De viſitatione vltimo loco dicendum. 36

PARS SECVNDA.

DE officio priuato ac publico, vitaq́; ac moribus Clericorum generatim. Cap. 1.
Vnde Clerici appellatio deriuata. 2
Clericum ſuo officio intentum eſſe oportere. 3
Duplex Clericorum miniſterium. 4
Biblia à Clericorum manibus nunquam deponenda. 5
De horarijs precibus indiès perlegendis, & reformandis Breuiarijs. 6
Preces quilibet affectu, non facilè nouandum quid in Eccleſiaſtico officio. 7
Quo affectu horarias preces perſoluere oporteat. 8
Summa deuotione Miſſæ ſacrum celebrari oportere. 9
Arguuntur, qui polluta mente ad altare Domini accedunt. 10
Reuidenda Miſſalia ac Breuiaria. 11
Quæ omitti aut decurtari vel organorum vel cantorum concentu haud debeant. 12
Quemadmodum Miſſa legenda. 13
Quid poſt eleuationem Euchariſtiæ agendum. 14
Organorum melodia quemadmodum temperanda. 15
Singulis Dominicis diebus, quæ ipſis peculiaria ſunt, officia dicenda. 16
Confeſſio, Miſſæ præambulum, deuotè recitanda. 17
Cur ſacerdos in altari miniſtrum habeat. 18
Omnis cultus diuinus ſummâ cum veneratione peragendus. 19
De vita ac moribus clericorum. 20
Ob quam cauſam clerici malè audiant, ac puniantur. 21
Præcipuæ cauſæ omnis mali, tres. 22
Ambitionem ac faſtum, Clericali officio maximè repugnare. 23
Omnis luxus Clerico interdictus. 24
Clerico non licere vel cauponem agere, vel tabernas, niſi neceſſitatis cauſa, intrare. 25
Habitus ſeu exterioris corporis cultus modeſtia, à Clericis exigitur. 26
Mali exempli eſt, ſacerdotem ſe venditare in Capellanum delicato laico, aut muliercula. 27
Suſpecta mulierum cohabitatio clericis interdicta. 28
Auaritiam clero execrabilis. 29
Honeſto artificiolo victum quærere Clerico licet. 30
Clerici nè mercatores ſint, multò minus fœneratores. 31
Damnantur clerici ſuperſtitioſi, ſcurræ, curioſi ac leuiculi. 32

PARS III.

DE metropolitanis, cathedralibus & collegiatis Eccleſijs, & in his miniſtrantibus. Cap. 1
De officio Decanorum. 2
De officijs in eiuſmodi Eccleſijs miniſtrantium, generatim. 3
De canonicorum vita & officio. 4
Quemadmodum preces horariæ, aliæq́; diuinæ laudes, decantandæ. 5
Inter ſacra nihil ne cogitandum quidem, quod Dei aut Eccleſiæ oculos offendat. 6
Decani templi ſummi poteſtas in præuaricatores. 7
Quem oporteat eſſe veſtitum miniſtrantium in hiſce Eccleſijs. 8
Decani vndiquaque aduigilabunt. 9
Ante omnia verò, vt Canonici ſacris adſint. 10
Vicarij, vt diuinis laudibus decantandis interſint, adigendi. 11
Ad perſonalem reſidentiam cogendi, quibus hæc per fundationes beneficiorum eſt impoſita. 12
Lucri tantùm cauſa ſacris adeſſe non oportere. 13
Capitula diſciplinæ qualiter obſeruanda. 14
Officium Decani in rebelles. 15
Contentioſi, ad pacem & concordiam per Decanum & Capitulum reuocandi. 16
Pœna aduerſus contentioſos pertinaces. 17
Quo tempore Capitulorum quotidianorum conuentus obſeruandi. 18
Volumina ſtatutorum reuidenda. 19
In Capitulis, à iuramentorum facili exactione temperandum. 20
Inter viſitandum, de moderandis annis, quæ expectantiæ appellantur, videndum. 21
Non oportere, à Canonico recens admiſſo, pecuniam ſtatutariam duplicatam ob anteceſſorem, exigi. 22
Communi neceſſitati Eccleſiæ, communi contributione conſulendum. 23
Tribunalia extra templa collocanda. 24
Optandum, vt deambulationes in hiſce Eccleſijs prohiberi poſſint. 25
Theatrales ludos non inferendos templis. 26
Cuiuſdam abuſus abrogatio. 27
Proceſſionum collegiatarum Eccleſiarum, quæ ad maiorem ſunt, moderatio. 28
De proceſſionibus non abrogatis. 29
Quomodò ad anniuerſaria Epiſcoporum in maiori Eccleſia conueniendum ſit. 30
Minora miniſteria idoneis committenda, ac decenter peragenda. 31

PARS IV.

DE parochijs, ac eorum Vicarijs, alijsq́; verbi miniſtris. Cap. 1
Qui admittendi. 2
Orandus Deus, vt mittat operarios in meſſem ſuam. 3
Vnde dignoſcere oporteat pſeudoeccleſiaſtas. 4
Soli authoritate ordinaria comprobati, ad verbi miniſterium admittendi. 5
Quòd ordinarij verbi miniſtri, ſunt legitimi parochi & illorum vicarij, modò tamen hi examinati priùs, & admiſſi ſint. 6
Fratres mendicantes quatenus admittendi. 7
Quam modeſtiam fratres mendicantes in verbi prædicatione ſeruare oporteat. 8
Non ferendi, qui in iuriſdictiones & poteſtates temerè ad plebem inuehuntur. 9
Abuſus eſt, qui parocho ſuo officio interdicit. 10
Fratres mendicantes his ſynodalibus conſtitutionibus erunt parentes. 11
Decet quoque, vt fratres eatenùs ordinariæ poteſtati ſubijciantur. 12
De ſemel certo loco deſtinatis ac admiſſis, non temerè retrahendis. 13
Qui nulla legitima authoritate innixi, ſe verbi miniſterio ingerunt, vti ſeditioſi comprimendi. 14
Prohibentur omnes apoſtatæ, monachi ignoti, ac peregrini ſpermologi. 15
De Terminarijs, quatenùs admittendi. 16
Priuilegijs fratrum nihil derogatur. 17
Monachorum Eccleſiæ, per ſeculares (vt vocant) presbyteros gubernandæ. 18

PARS V.

DE vita ac moribus parochorum. Cap. 1
Vita & doctrina in parocho conueniat, neceſſarium. 2
Paſtorem, gregis exemplum eſſe oportere. 3
Vitanda parocho inprimis auaritia. 4
Parochi familiam, irreprehenſibilem eſſe debere. 5
Parocho luxus omninò cauendus. 6
Pudicitia ſeruanda parocho. 7
Quæ fugienda parocho, & quæ ſectanda. 8

PARS VI.

DE diſſeminatione verbi. Cap. 1
Quid parocho meditandum. 2
Fidelitas inprimis in parocho requiritur. 3
Quid ſit fidelis verbi diſpenſator. 4
Omnis ſcriptura ad geminam charitatem exigenda. 5
Summa Euangelicæ prædicationis. 6
Parocho cautiſſima ſolicitudine in prædicatione verbi vtendum. 7
Quemadmodum ſermo temperandus. 8
Quid cauendum inter concionandum. 9
Nihil aut fabuloſum, aut ſuſpectum adferendum. 10
Loquacitas vitanda. 11
Quemadmodum parochum aduerſus hæreticos oppugnare oporteat. 12

Digitized by Google

A ſcommatis & conuicijs abſtinendum.
In contentioſis dogmatibus, quomodo docendus populus ſapere. 13
Qualem oporteat eſſe parochum in reprahendendis criminibus. 14
Manifeſta reprahenſio vtriuſque poteſtatis, vitanda. 15
Quomodo corripiendi magiſtratus. 16
Admonendus populus, vt oret pro magiſtratibus. 17
Notantur qui ſecus docent. 18
Summa doctrinæ Chriſtianæ in Enchiridion contrahenda. 19
Enchiridion quæ docebit. 20
Ordo concionandi quem ſimpliciores ſequentur. 21
Sanctorum hiſtoria quatenus attingenda. 22
Allegoriæ quomodò explicandæ. 23
Quomodò finienda concio. 24
Quid recitandum finita concione. 25
Quomodò finita concione, populus excitandus ad orandum pro defunctis. 26

27

PARS VII.

DE adminiſtratione ſacramentorum. Cap. 1
Inſtruendus populus, quid agatur in cuiuslibet ſacramenti exhibitione.
Quid agatur in baptiſmo. 2
Cuius ſint admonendi ſuſceptores infantis. 3
Populus docendus quid velint externa ſigna. 4
Quomodo accedendum ad baptiſmum. 5
Baptiſmus in facie Eccleſiæ peragendus. 6
In Confirmationis exhibitione quid docendum. 7
Quomodò ad ſacramentum Confirmationis accedendum. 8
Cuius ſint admonendi ſuſceptores confirmati. 9
De moderandis donarijs, quæ ſuſceptores infantibus donant. 10
Docendus populus de ſignis externis. 11
De ſacroſancta Euchariſtia. 12
Quid docendus populus in huius ſacramenti miniſtratione. 13
Quibus perſuaſum eſt, vtranque ſpeciem laicum participare oportere, quomodo docendi. 14
De veneratione ſacroſanctæ Euchariſtiæ. 15
Quomodò tantum miraculum in hoc ſacramento fiat, populus docendus. 16
Quomodò admonenda plebs, ad ſumendam Euchariſtiam accedens. 17
Qui ad hoc ſacramentum participandum admittendi. 18
Quatenus alteri quàm ſuo parocho confeſſus, ad Euchariſtiam admittendus. 19
Intra annum ſaltem ſemel communicandum. 20
Quorum admoneri populus, hoc ſacramentum participaturus, maximè debeat. 21
Docendus quoque, cur hoc ſacramentum ſub ſpecie panis & vini inſtitutum ſit. 22
Quomodo ſingulis Dominicis diebus plebs ad audiendam Miſſam ſe præparabit. 23
Docendus populus generatim quid agatur in Miſſa. 24
Corripiendus abuſus eorum, qui ante finitam Miſſam irreuerenter diſcedunt. 25
Docendus populus, quale ſit Miſſæ ſacrificium. 26
Exequiæ ac Miſſæ pro defunctis, quando & cum qua admonitione celebrandæ. 27
Qui ad exequias euocandi. 28
De pœnitentiæ partibus. 29
Prima pœnitentiæ pars contritio, in ſuggeſto ſemper pertractanda. 30
Neminem non ad pœnitentiam inuitari. 31
Presbyter qui à confeſſionibus eſt, qualis eſſe debeat. 32
Quid confitentem docebit presbyter confeſſarius. 33
Remedium pro ratione morbi adhibendum. 34
Nimis anxij quomodò tranquillandi. 35
Moderatio in caſibus reſeruatis. 36
Publica pœnitentia vſui in Eccleſiam reuocandus. 37
Recitata confeſſione, quid agendum per parochum. 38
In matrimonij ſacramento quid agatur. 39
Quemadmodum monendi ſunt, qui matrimonium contrahere affectant. 40
Matrimonium tria complecti. 41
42
Pium votum & in clandeſtinè contrahentes cenſura. 43
Coniunctio coniugum in facie Eccleſiæ peragenda. 44
Peregrinos & ignotos ſine legitimo teſtimonio non coniungendos. 45
In gradibus conſanguinitatis & affinitatis Concilium generale obſeruandum. 46
Ludicra tollenda. 47
De ſacro ordine dictum eſſe prius. 48
Cur adhibeatur extrema vnctio. 49
Quomodò impendenda vnctio extrema. 50
A ſepultura nemo, in communione decedens, repellendus. 51
Quam admonitionem in ſepulturis & exequijs fieri oporteat. 52

PARS VIII.

DE victu parochorum.
Parochis victus neceſſarius ſuppeditandus. Cap. 1
Vicecuratos quos vocant, ex prouentibus Eccleſiæ congruam ſuſtentationem recepturos. 2
Qui Eccleſias vnitas habent, vicarijs perpetuis portionem congruam aſſignare oportere. 3
Vbi redditus non ſuffecerint, quid agendum. 4
Denarius conſuetus, ſed publicatus, pendendus. 5
Laudabilem conſuetudinem Agrippinæ Coloniæ per hæc non abrogari. 6

7

PARS IX.

DE conſtitutionibus ac conſuetudinibus Eccleſiaſticis. Cap. 1
Ieiunia ab Eccleſia indicta, reuerenter obſeruanda. 2
Irriſores Eccleſiaſticorum ieiuniorum refelluntur. 3
Eccleſiæ conſtitutionem, charitati cedere. 4
Quid in ieiunio potiſſimum ſpectandum. 5
Redarguuntur qui quadrageſimæ obſeruationem contemnunt. 6
Litaniæ & rogationes cur inſtitutæ: & quomodo populus admonendus ſit. 7
Proceſſiones intra ſepta Eccleſiarum peragendæ. 8
Admonendus populus, cur feriæ inſtitutæ. 9
In ferijs ſoli Deo vacandum. 10
Dies dedicationis templi extra Coloniam, vno die vbiquè celebrandus, & quomodo ſit admonendus populus. 11
Cur templa & altaria conſecrentur. 12
Populus docendus, quid agatur & ſignificetur in conſecratione templorum & altarium. 13
Cur benedicantur campanæ. 14
Docendus populus, vt ſignatis potiùs quàm ſignis inhæreat. 15
Quicquid in ceremonijs ad abuſum ſpectat, cautè ac diligenter cauendum. 16
Cur reconcilietur templum aut cœmeterium. 17
Quæ pollutio reconciliationem requirat. 18
Quorum ſumptu & expenſis reconciliatio facienda. 19
Immunitatem Eccleſiaſticam in duobus potiſſimùm ſitam eſſe. 20
Quemadmodum fraternitates reformandæ ſint. 21

PARS X.

DE vita ac conuerſatione monaſtica. Cap. 1
Neminem monachiſmi profeſſione temerè alligandum. 2
Admonendi parentes, ne liberos inuitos in monaſterium detrudant. 3
Quo affectu monaſtica vita amplectenda. 4
In monaſterijs habendus, qui doceat legem Domini. 5
Verbi prædicatorem in monaſterijs eſſe oportere. 6
Monachi bonæ indolis, ad Academias mittendi. 7
Moniales non eſſe alligandas, vt nulli quàm ſuo (vt vocant) patri aut præpoſito confiteantur. 8
Mutatam eſſe paulatim faciem monaſteriorum, ac vſurpatum hoſpitij ius ſimul cum acceſſu moderandum. 9
Viſitatio monaſteriorum neceſſaria. 10
Sumptuoſi monialium præpoſiti abrogandi, & frugales œconomi conſtituendi. 11
In monaſterijs monialium, victum ac menſam communem eſſe oportere. 12

præpoſitis ſolitariè commorantibus. 13
ſtatu e domus fratrum Teutonicorum, diui Iannis Baptiſtæ, & Autonitarum. 14
vita & conuerſatione monachorum. 15
monachorum ſtudia atque exercitationes quales eſſe oporteat. 16
monachos vagos ſub cuſtodiam reuocandos. 17
teras priuatas monacho aut monachæ, iniuſſu Abbatis, reſignare non licere. 18
moniſſarum ſecularium mores reformandi. 19

PARS XI.

DE hoſpitalibus & orphanotrophijs, alijsq́; id genus pijs locis. Cap. 1
hoſpitalibus in primis animæ curanda, deinde corpus. 2
hoſpitalia qui recipiendi. 3
hoſpitalia pauperes eius loci, vbi conſtituta ſunt, potiſſimùm recipiendos, maximè contagioſis morbis implicitos. 4
ſendicantibus validis hoſpitalia clauſa, & mendicitatem interdictam eſſe oportere. 5
agiſtrorum hoſpitalium praui affectus damnantur. 6
Quam grauiter peccent, qui ex pauperum victu ſe ditant. 7

PARS XII.

DE ſcholis, typographis, ac bibliopolis. Cap. 1
Scholæ inter viſitandum repurgandæ, ac inſtituendæ. 2
Apud ſingulas Eccleſias habendus vir eruditus, qui clericos eius Eccleſiæ inſtituat. 3
Quibus viro victum ſuppeditabunt. 4
Quemadmodum Academiæ inſtaurari, ac ſtudia ali poſſint. 5
Pium votum ad ſtudia ſubleuanda. 6
Decretalem Honorij tertij, quoad eius fieri poteſt, renouari æquum eſſe. 7
Quid curandum in Academijs. 8
Nihil imprimendum aut vendendum, niſi reuiſum priùs. 9

PARS XIII.

DE iuriſdictione Eccleſiaſtica contentioſa. Cap. 1
Excommunicationis origo & præcipuus vſus. 2
Cur paſſim in omnes inobedientes excommunicationis cenſura diſtringi cœperit. 3
Vſum excommunicationis in publicè criminoſos, in lucem reuocandum. 4
Quid cauendum in decernenda excommunicationis cenſura. 5
Excommunicatos vitandos. 6
Non paſſim contra omnes delatos, per Fiſcales inquirendum. 7
Manifeſti criminoſi pro quæſtu nequaquam ferendi. 8
Clerici grauiſſimorum criminum rei, ſecundùm canonicas ſanctiones puniendi. 9
De teſtamentis inſinuandis, approbandis, ac exequendis. 10
Bona presbyteri ab inteſtato defuncti, in piam cauſam conuertenda. 11
Portio quæ Archiepiſcopo ſoluitur, minimè grauis. 12
Iuramentorum facilis exactio, in iudicijs refrenanda. 13
Formula inquirendi hæreticos, delineanda. 14

PARS XIV.

DE viſitatione ac ſynodis archiepiſcopalibus archidiaconalibuſque. Cap. 1
Quo ordine viſitatio inſtituenda. 2
Quæ vbiquè corrigere oporteat. 3
In primis reformandos eſſe Decanos. 4
Inquietos & prælatis rebelles, corripiendos. 5
In monaſterijs quomodo abuſus percipiendi. 6
In viſitatione parochiarum quid agendum. 7
Habenda concio per viſitatores. 8
Interrogandus Parochus, quo titulo miniſterium gerat. 9
De vita, moribus & doctrina inquirendum. 10
De habitu, tonſura, ac reliquis externis videndum. 11
Num hæreſis quæpiam ſerpat, diligenter inueſtigandum. 12
Num agantur alia, quæ cum Dei & Eccleſiæ inſtitutis pugnent, diſpiciendum. 13
De puerorum inſtitutione, & hoſpitalium cura quærendum. 14
Vitia, quibus aſſueuerint Parochiani, acriter corrigenda ac refrenanda. 15
De officio Parochi inquirendum. 16
Synodus Epiſcopalis anno bis habenda. 17
Quid agendum in ſynodo Epiſcopali. 18
De ſynodis Archidiaconalibus ac ruralibus. 19
Officiales Archidiaconorum & decanos rurales, viros graues eſſe oportere. 20
Synodi archidiaconales antiquitatem quandam præ ſe ferunt. 21
Abuſus in ſynodorum archidiaconalium ac ruralium obſeruatione. 22
Inter viſitandum abuſus corrigendi. 23
Procurationem ſuo officio rectè fungentibus pendi, æquum eſſe. 24

PARS PRIMA.

DE MVNERE EPISCOPALI.

Officium Epiſcopi, poſt verbi prædicationem, conſiſtit potiſſimùm in impoſitione manuum, & viſitatione Eccleſiarum.

EPISCOPI munus in duobus potiſſimùm conſiſtit. Primum, in impoſitione manuum, quæ eſt ordinum Eccleſiaſticorum collatio, ac inſtitutio miniſtrorum. Deinde in viſitatione diœceſeos. Vtrunque beatiſſimus Apoſtolus, ad Titum dilectum filium, Cretæ Epiſcopum ſcribens, complectitur: Huius, inquit, rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Alterum verò idem Apoſtolus, cùm à Mileto diſceſſum maturet, profecturus Hieroſolymam, ac certus quòd ampliùs haud viſurus eſſet faciem eorum omniũ per quos tranſiuit, prędicans regnum Dei, vocatis illò ad ſe ab Epheſo Eccleſiæ presbyteris, Apoſtolica vehementia inculcat, cùm ait: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere Eccleſiam Dei quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Et quoniam ſcio, inquit, quòd intrabũt poſt diſceſſionem meã lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobiſipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe: propterea vigilate. Cui muneri vt ambo illa Apoſtolici ordinis eximia luminaria, nimirum Petrus ac illius collega Paulus, ſatisfacerent: alter tranſiuit & inuiſit vniuerſos, alter perambulauit Syriam & Ciliciam, cõfirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum: nimirum non tantũ verbo, ſed & exemplo Epiſcopos commonentes, vt qui ſpeculatores in Dei Eccleſia conſtituti ſunt ac appellantur, prouinciæ ſibi mandatæ vigilantiſſimè intendant, fidem, conuerſationem, mores & vitam ſingulorum explorent examinentq́; , ac prouideant, ne alicubi quis in ea vocatione, ad quam à Deo vocatus eſt, torpeſcat.

Epiſcopi munus in quib. conſiſt.

Tit. 1.

Act. 20.

Act. 9.

Act. 15.

De impoſitione manuum, quæ eſt ordinum Eccleſiaſticorum collatio, ac inſtitutio miniſtrorum.

CAP. I.

IMpoſitio manuum eſt oſtium, per quod intrant qui Eccleſiarum gubernaculis admouentur. Proinde quia eiuſce modi oſtium diligenter cuſtoditum non eſt, factũ eſt, vt tanta mala quæ ſentimus, agminatim in Eccleſiam Dei irruperint. Huius ianuæ vigilantiſſimi cuſtodes fuerunt Apoſtoli Chriſti, & quotquot ipſis ſucceſſerunt Apoſtolici Epiſcopi. In primis verò diuiniſſimus Paulus, qui dilectiſſimis diſcipulis Timotheo ac Tito, eiuſcemodi cuſtodiæ formulam ex profeſſo præſcribit. Porrò Apoſtoli, cùm eſſet in locum Iudæ proditoris deligendus duodecimus collega, ſtatuerunt duos ex his viris, qui cum ipſis congregati fuerunt in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter eos Dominus Ieſus, probatiſſimos, electionem alterutrius Domino committentes. Ad hæc, cùm eſſent deligendi primi illi Eccleſiæ diaconi: Apoſtoli, conuocata diſcipulorum multitudine, dixerunt: Conſiderate fratres ex vobis viros boni teſtimonij, plenos ſpiritu

1. Tim. 3.
Tit. 1.
Act. 1.

Act. 6.

ſancto

ſancto ac ſapientia, quos cõſtituamus ſuper hoc opus. Atque illi (cùm placuiſſet hic ſermo) coram omni multitudine elegerunt Stephanum, virum plenum fide & ſpiritu ſancto, ac reliquos ſex, quos ſtatuerunt ante cõſpectum Apoſtolorum: qui dein non temerè, ſed orantes, illis impoſuerunt manus. Denique de Barnaba, per Apoſtolos ad Antiochiam deſtinato, refert ſcriptura: Quoniam Apoſtoli miſerunt Barnabam, quòd eſſet vir bonus & plenus ſpiritu ſancto ac fide. Quibus exemplis edocemur, quanta cura ac delectu manus impoſitionem fieri oporteat. Beatus Apoſtolus inter alia Timotheum ſic alloquitur: Commenda, inquit, quæ audiſti à me per multos teſtes, fidelibus, qui & idonei erũt alios docere. Et iterum: Manus nemini citò impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. A qua regula cùm longè lateque diſceſſum ſit, affectibus priuatis ſibi omnia vendicantibus, morbus obortus eſt plurimus, atque ita radicatus, vt vix ſpes medendi relicta ſit. Neque tamen in medijs & exulceratiſſimis morbis, de remedio deſperandum erit, ſed tanto magis de pharmaco idoneo cogitandum prouidendumque.

Act. 11.
2. Tim. 2.
1. Tim. 5.

Ad certum titulum, Eccleſiæ miniſtros canonicè deligendos ordinandosq́.

Cap. II.

Ex con. Lateraſ. ſub Alex. III.

QVoniam verò primitiuæ Eccleſiæ facies, quòd ad inſtitutionem miniſtrorũ attinet, paulatim immutata fuit: nimirum dotatis templis, ſacerdotijſque ac certis ſtipendijs miniſtrantibus cõſtitutis: viſum ſubindè ſanctis Patribus non abſque multa ratione fuit, ne quiſquam ſine certo titulo, qui illi victum neceſſarium ſuppeditaret, ad maiores, quos & ſacros ordines vocamus, ordinaretur: adhibita etiam non leui ſeueritate in Epiſcopos, qui ſecùs facere præſumpſiſſent. Quæ cùm ſic ſe habeant, reformationem ordiri hinc fuerit neceſſe. Videndum itaque in primis eſt, vt collationes Eccleſiaſticorum ſacerdotiorum ſeu beneficiorum, vt electiones, præſentationes, & inſtitutiones clericorum ac miniſtrorum, maximè eorum qui curæ præficiuntur animarum, quæ ſcientia ſcientiarum meritò appellanda eſt, ritè ac canonicè fiant: vtque maximi illi & teterrimi abuſus & vitia, quę in deligendis perſonis Eccleſiaſticis, non vulgari cum detrimento Eccleſiæ ſæpenumerò committuntur, quoad fieri poteſt, tollãtur. Quod tunc demùm futurum eſt, cùm repulſis ac ſubmotis indignis, digni tantùm ac idonei admittentur, qui & velint & poſſint officium (propter quod beneficium datur) gerere & explere. Scriptum eſt enim: Qui non laborat, non manducet.

1. Theſ. 3.

Manum nemini citò imponendam.

Cap. III.

1. Tim. 5. S. Leo ca. miramur. 61. diſ. Ex con. Toleta.

QVamobrem omnibus, qui præficiẽdi Eccleſiaſticis munijs miniſtros poteſtatem habent, illa (quam pauloantè retulimus) Paulina admonitio ſemper ob oculos verſabitur: Manus citò nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. Si enim ad honores mundi, ſine ſuffragio temporis, ſine merito laboris indignũ eſt peruenire, & notari ambitus ſolent, quos probitatis documenta non adiuuant: quàm diligens, & quàm prudens habenda eſt diſpenſatio diuinorum munerum & cæleſtium dignitatum? Certè olim excommunicatione percellebantur, qui Eccleſiaſtica beneficia contuliſſent indignis.

Humani affectus & venalitas in beneficijs Eccleſiaſticis execrabiles.

Cap. IV.

Hier. in Nu. Phili. 2.

NVlla itaque conſanguinitatis ratio, nulla propinquitatis contemplatio, facere debet hoc, vt populi gubernatio, alij quàm meliori tradatur. Ceſſent omnes affectus humani, qui ſua, non quæ Ieſu Chriſti ſunt, quærunt. Maximè verò ſacerdotiorum ac beneficiorum venalitas execranda eſt, quò I qui ſic præficiunt, ac præficiuntur, inter ementes & vendentes columbas, quos Dominus flagello de funiculis facto è templo eiecit, ac menſas nummulariorum & cathedras vendentium columbas euertit, computentur. Si enim is dignus ſacerdotio creditur, cui non actionis merita, ſed præmiorum copia ſuffragatur: reſtat, vt nihil ſibi in Eccleſiaſticis honoribus, grauitas, nihil ſibi defendat induſtria: ſed totum auri prophanus amor obtineat. Et cùm fides ſimul & vita in ſacerdotibus & miniſtris eligenda ſit, quæ tandem vita, & quæ opera ſacerdotis illius erunt, qui honores tanti ſacramenti per præmium conuincitur obtinere?

Matt. 21. Ioan. 2. Marc. 11. Luc. 19.

Beneficia Eccleſiaſtica, priuſquam vacent, nemini promittenda.

Cap. V.

Ex conc. Lateraſ.

CVm olim Conciliari inſtitutione vetitum ſit, ne vlla Eccleſiaſtica miniſteria ſeu beneficia promittantur alicui priuſquam vacent: tum ne quis mortem proximi, in cuius locum & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum, deſiderare videatur: tum quòd turpe ſit, diuinique plenum animaduerſione iudicij, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſæ etiam ſeculares leges condemnare curârunt: idque verò quum nunc paſſim præter omnem perſonarum delectum, deſignatis ex nomine beneficijs, in quæ ſtipulatores ſucceſſuri ſunt, peſſimo exemplo fiat, tollendus abuſus eſt. Idque non aliter, quàm ſecundùm canonicam ordinationem, ne quis ſolicitus ſit, non tam de officio, quàm de beneficio viuentis.

Dignis tantùm beneficia eſſe conferenda.

Cap. VI.

QVi ſacerdotia Eccleſiaſtica pleno (vt aiunt) iure poteſtatem cõferendi habent, alium factæ à ſe manuum impoſitionis diſcuſſorem non expectant. Præcipua ergò illis habenda cura eſt, idque maximè in præficiendis parochis, ne Apoſtolici præcepti præuaricatores ac rei fiant. Quis enim non intelligit, quàm graui culpa ſe obſtringit is, qui in cauſa eſt, vt cæcus cæco ducatum præſtet, nimirum ambobus in foueam delabentibus? Deſpiciunt (inquit Malachias Propheta) nomen Domini, qui cæcum, qui claudum, qui languidum animal ad immolandum offerunt, & propterea grauiter à Domino increpantur. Quis verò cæcum animal offert, niſi qui indoctum in docti locum ordinat: magiſtrumque facit, qui vix diſcipulus eſſe poterat? Claudum verò, qui lucra terrena quærẽtem, locat in dignitate, veluti pedem in diuerſa ponentem? Cui poteſt inferri illud: Vſquequò claudicatis in duas partes? Languidum denique, qui vitioſum pro religioſo habet, quique tardum & pigrum probat patientem.

Matt. 15. Luc. 16. Malac. 1.
Hiero. in Malach.
3. Reg. 18.

Idoneos tantùm in prælatos eligendos eſſe.

Cap. VII.

Ex con. genera. c. ne p defectu. de electio. Ex con. Baſileen. Hieron. Symma. ad Laurẽ. c. uiliſſimus. 1. q. 1. Ex con. Baſileeñ.

SAcris canonibus ſaluberrimè conſtitutum eſt, vt omnes Cathedrales Eccleſiæ, collegia, & conuentus ad dignitates vacantes, ex ſua congregatione idoneos eligant prælatos. Atque eos demum ſacris adminiſtrationibus dignos eſſe exiſtiment, quorum omnis ætas per diſciplinas Eccleſiaſticas cucurriſſet. Iam vt primitiuæ Eccleſiæ cenſura, mitigationem recipiat diſcretionis: is ſaltem aliorum curæ præficiatur, cuius comparatione, grex cæteri meritò dicantur. Quomodo enim fieri poteſt, vt non viliſſimus reputetur, qui eſt honore præſtantior, niſi quoque ſcientia & ſanctitate præcellat? Atque vtinam hic penſitetur, & nautis & nauigio deferendis eandem imminere periclitandi neceſſitatem.

(?)

In eligendo, ætas, mores, literatura & ſacer ordo ſpectanda.

C A P. VIII.

QVapropter electores ſoliciti ſint, vt talem præficiant, qui officio credendo ſatisfacere poſſit, virum ætatis legitimæ, moribus grauem, literarum ſcientia præditum, atque in ſacris ordinibus conſtitutum: ſcientes, ipſis in re tam graui vel dolo vel negligenter agentibus, non minorem, quàm malis illis paſtoribus ac prælatis, quos ipſi præfecerunt, in diſtricto Deo iudicio imminere pœnam. Neq; enim impunè peccatur in Spiritum ſanctum, qui in omni electione vt author inuocatur. Neque inultum permittet Deus, ſi quis iureiurando, quod ſub electionem præſtatur, fruſtrà nomen Domini vſurpauerit. Vt omittamus pœnas canonicas, quæ perperàm eligentes manent.

Electionem ſynceram eſſe oportere.

C A P. IX.

ABſit ergò omnis ſimoniæ prauitas, omnis perſonarum reſpectus. Ceſſent potentiorum preces, quæ minis æquiparantur, omniſque impreſſio: ceſſet ambitio, ac dominandi libido. Ad hæc, procul abſint omnes illicitæ obligationes, quæ ſub electionem aut paulò pòſt, ab eligendo vel electo, haud præter ſimoniæ labem extorquentur. Et procedat de vultu Dei opus ipſius, vt ſ. qui præſtantior eſt omnibus, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, hic eligatur.

In confirmatione electionis, quæ expendenda.

C A P. X.

ELectione facta, Nos & cæteri qui confirmationis munus impendemus, officio noſtro, Deo volente, nō deerimus, diſcuſſuri ſ. diligenter & formam electionis, & electi merita, priuſquàm noſtras imponamus manus.

Per patronos, idoneos præſentari oportere.

C A P. XI.

PAtroni tum Eccleſiaſtici, tum laici, quos hac de re diligenter admoneri curabimus, videbūt vt idoneos (quemadmodum antè diximus) Archidiaconis præſentent. Compertum ſiquidem habemus, quàm hic ſupra modum peccetur. Sunt enim qui tantùm filios ac conſanguineos, ſeu aliter ipſis addictos, citra vllum delectum aut diſcrimen ſcientiæ, morum, ac ætatis, beneficijs Eccleſiaſticis admouent. Sunt qui admoris nomen tantùm relinquunt, cenſum autem atque Eccleſiaſticos redditus, ſibi auſu quodam ſacrilego (nihil minus quàm de Eccleſiaſtico miniſterio cogitantes) vſurpant. Quæ omnia, cùm ſanctorum patrum ſanctionibus damnētur, multorumque malorum in Eccleſia Dei cauſa ſint, poſthac non committi, ſed ſublata penitùs eſſe, ſuamque vim canonicis regulis conſtare, ex animo cupimus.

Quid incumbat Archidiaconis.

C A P. XII.

ARchidiaconi noſtri, ad quorum curam inter alia pertinet, vt noſtro nomine parochias ordinent, ac miniſtros Eccleſiæ ipſis præſentatos ac oblatos inquirant: ſcient ſui muneris eſſe, negligentiā patronorum ſupplere. Cùm enim oculi noſtri ſint, diſpicient, ne quis alioqui indignus, ſub alicuius præſentationis prætextu, irrepat ac admittatur. Nec cōtenti, quòd poſt edicta ter publicata nuſquam compareat, qui præſentationem oppugnet: eorum etiam qui ipſis præſentātur, & ad inſtituendum offerūtur, vitam, mores, & eruditionem accuratè perueſtigabunt: ac niſi comperti illi fuerint, muneri, cui præfici poſtulantur, pares: fore nefas putabunt, ſtultè petentibus aſſentiri. Neque exiſtimabunt id temporis, quod huic examini impendent, perdi: cùm nequaquam poſſit collocari melius, maximè quòd officium eorum, hoc ipſum vt fiat, magnoperè requirat.

Aliquot abuſus officialium, inter viſitandum corrigendi.

C A P. XIII.

ET quoniam ad nos quorundam querela perlatum eſt, nonnullos officiales Archidiaconorum noſtrorum, inueſtituræ nomine plus æquo interdum petere, quoſdam etiam inſtitutionē ipſam petētibus, vel temerè negare, vel ſaltem in longum differre tempus, quamlibet legitima ſit præſentatio, & idoneus is qui præſentatus eſt: Curæ itaque nobis erit, inter viſitandum de his diligenter inquirere, & quæ vitioſa comperientur, Archiepiſcopali authoritate, communicato tamen cum Archidiaconis noſtris (vt par eſt) cōſilio, quoad eius fieri poterit, corrigere.

Omnes qui de beneficijs diſponunt, ſui officij admonendi.

C A P. XIV.

REferre etiam non parum exiſtimamus, omnes qui de ſacerdotijs ſeu beneficijs Eccleſiaſticis, quamcumque diſponendi poteſtatem habent, ſpeciatim ac diligenter admoneri, vt hiſce ſynodaticis canonibus per omnia obtemperēt, niſi in eo ipſo, in quo deliquerint, puniri velint.

Moderatio patronos laicos reſpiciens.

C A P. XV.

ATtamen quod ad patronos laicos attinet, hāc cenſuram eatenùs moderamur, vt ſi Archidiaconi noſtri præſentatos ab eis, quòd inidonei ſunt, inſtituere recuſent, liceat ipſis inutilium loco, alios iterum intra tempus legitimum præſentare, modò tamen dolus abſit.

De officio vicariorum in pontificalibus.

C A P. XVI.

POſteaquàm de illorum officio diximus, qui ſacerdotijs ſeu beneficijs rectores admouent Eccleſiaſticis ordinibus initiandos: reſtat vt de Vicarijs noſtris in pontificalibus, qui huic muneri (in partem ſolicitudinis noſtræ vocati) potiſſimum delegati ſunt, paucis dicamus. Nobis quidem vti cæteris omnibus pontificibus, in Aaronis perſona loquutus eſt Deus: Homo paterfamilias, qui habuerit maculā, non offeret panes Leui. 21. Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius. Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem in corpore, vel hernioſus. Omnis enim qui habuerit maculam, non accedat offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo. Quid per allegoriam ſermo diuinus ſignificare voluerit, maximus ille cæleſtium rerum perueſtigator Paulus, in epiſtolis quas Timotheo ac Tito, ambobus naſcentis Eccleſiæ Epiſcopis inſcripſit, grauiſſimè explicauit. Quum enim mandaſſet, vt per ciuitates presbyteri conſtituerentur, ſtatim ſubiecit, quales ſubſtitui vellet & oporteret. Tit. 1. Oportet (inquit) cōſtituendum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, prudentem, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere. Diaconos ſimiliter pudicos, 1. Tim. 3

non

Digitized by Google

non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſpectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et vt iterum nos officij noſtri commonefaceret, ſubiecit: Et hi probentur primùm, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.

Quid Epiſcopis potiſſimùm curandum ſit.

CAP. XVII.

INcumbit itaque nobis, vt probemus primùm eos qui ordinibus, maximè ſacris, initiari deſiderant. Curæ ergò erit vicarijs noſtris in pontificalibus, manus impoſitionem auſpicaturis, ne hic quid deſit, neve ordines ſacros aliter quàm ſecundùm regulam Euangelicam impartiantur. Vt adiutores in hoc examinationis munere habeant, non repugnamus, modò primæ ſolicitudinis partes apud eos ſint, nec quæ ipſis antè omnia agenda erant, in alios penitùs relegent, interim ipſi de omnibus incerti: per hæc tamen ſuffraganeis noſtris nihil præiudicantes, quô minùs ipſi, quemadmodum videbitur opportunum, de huiuſcemodi examine faciendo diſpiciant. Vt verò ſummatim multa complectamur, diſpicient de ordinandorum ætate, vita, ſcientia & affectu.

De ætate ordinandorum.

CAP. XVIII.

Ex con. Arelat. 3. Ex Vienn. conc. de gener. etc. de ætate & qual. Ex eodem conc. cle. eod. tit. Ex Later.

OLim Diaconi ante 25. Presbyter verò ante 30. ætatis annos non ordinabantur. In Viennenſi verò Concilio ſub Clemente V. ordines ſacri minori etiam ætati conceſſi ſunt: nempe ſubdiaconatus, 18. diaconatus, 20. presbyteratus denique, 25. ætatis annum nato. Num ad antiquos canones regredi referat, futurum Concilium diſpiciet. Nos interim admonemus, Viennenſe Cócilium, tum ex alijs canonibus, tum ex ſeipſo interpretandum: nimirum vt ætas quidem illa ſufficiat, modò tamen cætera quoque, quæ canones plùs quàm ætatem reſpiciunt, haud deſint: nempe literarum ſciétia, & morum grauitas.

Teſtimonium vitæ ac doctrinæ, per initiandos ſacris exhibendum.

CAP. XIX.

DE doctrina, vita, ac moribus, Suffraganeus noſter teſtimonium præceptorum, qui ipſos in literis inſtituerunt docueruntque, eorum quoque, apud quos ſacris initiandus potiorem vitæ partem tranſegit, ac diuerſatus eſt, exigere non omittet, ne manifeſtè crimino ſi irrepant: Idque ad certam formulam, quam delineari curabimus. Dum enim priſcam Eccleſiam reſpicimus, ſummo deſiderio tangimur, priſcos illos ſanctiſſimos mores, non tantùm verbis, ſed & re ipſa in Eccleſiam, quod in nobis eſt, reducendi. Illa certè vetuit, ne Epiſcopus ſine teſtimonio clericorum & plebis, clericos vllos inſtituat. Hinc illæ interrogationes ſolemnes præambulæ: Sunt iuſti? ſunt caſti? atque aliæ ſimiles. Neque fruſtra ſcriptum legimus, quòd quamquam Dominus de conſtituendo Ioſue principe præcepiſſet, eundemque elegiſſet, nihilo ſeciùs tamen conuocari ſynagogam voluiſſe.

Ex 3. Car. Hiero. in Leuit.

De eruditione ordinandorum inquirendum.

CAP. XX.

DE eruditione quoque & ſcientia diſquiret, ne ſtatim à ſtiua ad Eccleſiaſtica munia cófugiatur. Per Prophetam Dominus dixit: Quoniam tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Subſtátia ſiquidem ſacerdotij, ſunt eloquia diuinitùs tradita, vti Dionyſius ille magnus appoſitè dixit. Quæ verò in parochis, quæ in cæteris eruditio requirenda ſit, poſt dicemus.

Oſee 4. Dionyſius

Videndum quo affectu ad ordines accedatur.

CAP. XXI.

QVo denique affectu ac propoſito accedant ordinandi, videndum, accurateq; inueſtigandum eſt: num videlicet Dei cauſa tantùm, an potiùs ſuæ commoditatis gratia ad ordines capeſſendos adſpirent, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. Quid enim eſt ſua quærere, & nó quæ Chriſti ſunt, niſi cùm tales non gratis Deum diligunt, non Deum propter Deum quærunt, temporalia commoda ſequentes, lucris inhiantes, & honores ab hominibus expetentes? Quiſquis ergò talis eſt, non Dei filius, nec ouili Chriſti idoneus paſtor futurus, ſed mercenarius eſt. Vbique Deus hominis intentionem & mentem ſpectat, quam Chriſtus in Euangelio lucernam corporis atque oculum vocat. Qui ſi ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Sin autem fuerit nequam, totum corpus tenebroſum erit. Quare ſi lumen (quod in initiando eſt) tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?

Phil. 2. Au. 8. q. 1. c. ſunt in Eccleſia. Matt. 6.

Quanto temporis ſpatio, ante maiorum ordinum receptionem, initiandi ſe præſentare debeant. Item, & quid initiandi tum ſecum allaturi ſint.

CAP. XXII.

VT autem hic animus Vicarijs noſtris in pontificalibus eo exploratior ſit (neque enim qualicunque aſſertioni ſtatim tutò creditur) operæpretium exiſtimamus, vt qui ad ſacros (quos vocamus maiores) ordines capeſſendos adſpirát, quatuor temporibus, vt vocant, quæ tempus impertitionis eiuſcemodi ordinum proximè præcedunt, Vicarijs noſtris in pontificalibus ſeſe repræſentent, qui eos (quemadmodum diximus) rogabunt, quid eos huc permoueat, an expenderint, quid in hac vocatione præſtare oporteat, an huic vocationi ſe ſentiant poſſe reſpondere: & an ſperent ſe, adiutore Deo, continere poſſe ac velle. Item an affectu carnis huc ducantur, vt videlicet in ocio & ſuauiter viuant, opeſve & honores parent. Admoneantur quoque, vt bene ſeipſos explorent, excutiantque, ne quum ad capiendos ordines reuerſi fuerint, ſpiritum ſanctum fraudent.

Eo ipſo etiam tempore ordinandi, teſtimonium vitæ ac conuerſationis ſecum afferent, vt Vicarij noſtri in pontificalibus, cùm ex reſpóſione, tum vita præcedente colligere poſſint, an admittendi videantur: Et num referat, diligentiùs de vitæ teſtimonio, ante appetens ordinationis tempus, inquirere.

Quale teſtimonium afferendum.

CAP. XXIII.

QVi ciuitatem aut oppidum, ſenatus: quàm verò pagum aut vicum incolit, iudicij eius loci literas ſigillatas, quæ gratis dabuntur, ſecum feret. Quæ ne cuipiam vel per inuidentiam, vel alium minùs ſyncerum affectum denegentur, prohibemus. Alioqui adferens documentum factæ requiſitionis & denegati teſtimonij, nec tamen incuſatus criminis vel defectus, ac idoneus per Vicarios noſtros in pótificalibus repertus, nihilo ſecius admittetur. Qui verò non in oppidis aut pagis, in quibus titulum nacti ac miniſtraturi ſunt, ſed in longinqua regione moram traxerunt, hi canonicis ſatisfaciant inſtitutis.

Die Mercurij proxima ante ſuſceptionem ordinum examinandi, qui initientur ſacris.

CAP. XXIV.

ET vt hęc omnia eo accuratius obſeruétur, viſum nobis eſt vt ordinádi maximè ad ſacerdotij gradum, quod die ſabbatino

batino ex more Eccleſiaſtico fieri ſolet, die Mercurij proximè præcedente, ad noſtras ciuitates, vbi Vicarij noſtri in pontificalibus ordines ipſos ſacros impartient, ſeſe conferant, quò duobus de hinc ſequentibus diebus, videlicet Iouis & Veneris, quos eiuſcemodi diſquiſitioni peragendæ deputamus. Vicarijs noſtris, ipſiſque noſtra authoritate in eo munere adiungendis Theologis, ſe repræſentent, examinationique eorum ſubmittant.

Neminem ab examinatione immunem eſſe oportere.

CAP. XXV.

A Qua quidem neminem excipimus, etſi magiſterij titulum prætexat, niſi quem publicum ſit & vitam integram egiſſe, & ea quæ ordo impertiendus requirit, facilè callere. Quamobrem nedum clerici, qui ſeculares appellantur, ſed & religioſi, cuiuslibet etiam profeſſionis fuerint, hanc cẽſuram experientur.

Cuius admonendi ſint pridè ordinationis initiandi ſacris.

CAP. XXVI.

PRidiè ordinationis admonebit vicarius noſter in pontificalibus iterum omnes, quò ſeſe quiſque diſcutiat, ne officio ſe alliget, cui non poſſit ſatisfacere. Neve mentiatur ſpiritui ſancto, aut impœnitenti corde accurrat, ſed ore cõfeſſus, ac ſpiritu cõtritus, humiliatuſque, poſt perceptam ſacroſanctam Euchariſtiam, Deo totus deditus accedat.

In minoribus ordinibus conferendis, quæ cura adhibenda.

CAP. XXVII.

QVamquam qui minores vocãtur ordines, tam exactam curam non requirant, ſuo tamen modo pro gradu & excellentia ordinis, omnium eorum quæ diximus, ratio habenda eſt. Quid enim indecorum magis, quàm admoueri infantes, qui non intelligant quid agatur, immò ne capiant quidem, quid Clerici nomen, & reliqua minorum ordinum vocabula ſignificent? Quid turpius, quàm quòd penitùs Analphabeti, ac interdum flagitioſi (qui vt legum ciuilium cenſuras ac pœnas eludant, ſeſe impudentiſſimè ingerunt) in maximam Eccleſiaſtici ordinis ignominiam, ſacris initiantur? Qua de re nemo poſthac ordinib. hiſce inſigniendus eſt, niſi quem & vita commendet, & literaturæ ætatiſque ſit, pro ratione ſuſcipiendi ordinis, ſufficientis, ac rectæ ſyncerææque voluntatis. Qui enim in clerum alleguntur, rem profitentur minimè ridiculam, nempe ſe peculiariter in ſortem Domini adſcitos, quibus poſthac omnia terrena ſordeant, ac ſolus Dominus ſors ac pars hæreditatis futurus ſit. Cuius quoque, priuſquàm ordinentur, diligenter admoneri debent.

Ab initiandis nihil exigendum.

CAP. XXVIII.

VT autem Eccleſiaſtici ordines ſumma ſynceritate, omni quæſtus ſuſpicione, omniſque mali ſpecie quàm longiſſimè ſubmota, conferantur: nolumus vt ab initiatis quicquam, vel ſigilli nomine, à vicarijs noſtris in pontificalibus exigatur, ſed tantùm ſcribis earum literarum (quæ *formata appellantur) vnus albus ſoluatur. Nam eos ſumptus, quos antehac vicarius noſter in diœceſi Colonienſi choralium cauſa facere conſueuit, nos deinceps pendemus. Non dubitamus interim Suffraganeos noſtros ſuis vicarijs in pontificalibus ita prouiſuros, ne quis iuſtam querendi cauſam inueniat.

Literæ dimiſſoriæ nulli temerè concedendæ.

CAP. XXIX.

PRohibemus quoque, ne officiales noſtri literas dimiſſorias, quæ vulgò licentiatoria ordinandi vocantur, alicui temere concedant. Illorum enim prætextu, qui ſuæ ruditatis & inſcitiæ ſibi conſcij ſunt, noſtrorum Vicariorum in pontificalibus diſquiſitionem ſubterfugiunt, ac alio demigrant, vbi nullus canonicæ traditionis reſpectus habetur.

Tituli ordinandorum diligenter diſcutiendi.

CAP. 30.

TItuli quoque ordinandorum diſcutiantur. Pleriqueenim inuenti ſunt, qui fictis & emendicatis titulis, ad ſacerdotij dignitatẽ euecti, eandem turpiter proſtituere poſtea coacti ſunt, vendibiles, quandocunque doloſi ſpes refulſerit nummi. Quorum numerum, quòd nihil ferè aliud quam numerus fuit, imminui plurimum referret. Inter hos ſiquidem eſt, qui in plateis mẽdicat infelix clericus, & ſeruili operi mancipatus, publicam depoſcit eleemoſynam: qui eo magis à cunctis deſpicitur, quod miſer ac deſolatus, iuſtè putatur ad hanc ignominiam deueniſſe. Inter hos eſt, qui in diuitum ac nobilium domibus, ſcurram aut mimum aut morionem agit, quem ab officio retrahendum, Carthaginenſe Concilium decernit.

Hiero. ad Ruſt. dia 93. diſt.

Peregrini clerici quomodo admittendi.

CAP. 31.

PEregrini clerici, Romæ aut alibi ordinati, priuſquam de ordinatione ſua ritè adepta, deq; vita, moribus, eruditione ac titulo fidem fecerint, ac commẽdaritias ſuorum epiſcoporum, ſuæque ordinationis literas exhibuerint, repellantur. Quanta enim per hos (qui euagandi licentia abutuntur) ſcandala, animarumq; pericula, & in clero & in populo frequenter eueniant, nemo eſt qui non videat.

Ex Agat. 25. de cle. peregr. o rotu. et 62. 63. di.

Odioſa beneficiorum pluralitas in vna eademq; perſona.

CAP. XXXII.

ODioſa ſemper apud veteres fuit plurium ſacerdotiorum ambitioſa cupiditas neq; ſemel generalibus Concilijs damnata. In Chalcedonenſi enim inter alia cautum eſt, clericum in duabus Eccleſijs conſcribi non oportere, quòd difficile videatur, vt vnus vicem duorum ſuſtineat: & abſurdum, ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia. Id verò in primis noxium eſt, vbi plures parochiæ ſeu dignitates vni presbytero committuntur, quòd ſolus per omnes Eccleſias, nec officium perſoluere, nec rebus earum neceſſariam curam impendere valeat. Quare tam eos qui de ſacerdotijs eiuſcemodi diſponendi poteſtatem habent, quàm qui ea cæca cupiditate ducti ambiunt, commonitos volumus, vt ſuos effectus canonicis inſtitutis ſubmittant. Qui verò diſpenſatione Apoſtolica aduerſus hæc ſe tueri velint, hi viderint, vt cauſam diſpenſationis obtentæ, Deo comprobent. Neque enim ſublimes, atque admodum literatas perſonas ſuo priuilegio nudamus, modò illo rectè & ſecundùm Deum vtantur.

Ex Chal.

Ex Tol. 6. vnio. 1 q. 3.

Ex cõ. g c. de mul ta. de præbend. & digni.

Diſpenſationes inſpiciendæ, vt occurratur abuſibus.

CAP. XXXIII.

QVàm impudenter plerique diplomatis ac diſpenſationibus apud ſedem Apoſtolicam extortis, præter ſummi

Pontifi-

Digitized by Google

Pontificis men'em (qui & vult & debet poteſtate ſibi conceſſa, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem vti) abutatur, nullus eſt qui ignoret. Nō prohibeo (inquit quidam vir pius) diſpenſare, ſed diſſipare. Diſpenſatio quidem credita eſt, ſed hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Quanquam apud illos maxima culpę pars reſideat, qui vel nulla, vel minùs legitima, vel etiam ficta cauſa, ſupplicatorijs precibus inſerta, diſpenſationis tectorium tandem eliciunt, quos apud Deum, qui renes & corda ſcrutatur, omnemq́ue hypocriſim ac fraudem execratur, ſecuros quis dixerit? Nemo tibi (ait idem ille quem iam citauimus) de diſpenſatione Apoſtolica blandiatur, cuius conſcientiam diuina ſententia tenet alligatam. Sed quia pauci ſunt, in quorum conſpectu eſt Deus, pleriq; verò, qui ſacra authoritate pro ſua libidine paſſim abutuntur: fit, vt Lugdunenſis Concilij, ſub Gregorio decimo celebrati, non inſalubre decretum aduerſus inſolentiam eiuſcemodi hominum in vſum reuocare cogamur: quo ſubnixi, cunctis qui talibus diplomatis ſibi blandiuntur, neceſſitatem imponemus literas ſuas nobis exhibendi, viſuris, num ritè impetrauerint, ac rectè impetratis vtantur. Et vt quàm maximè robuſtæ ſint diſpenſationes iſtæ, curabimus tamen, vt menti canonis ac ſummi Pontificis ſatisfiat: videlicet, ne animarum cura in his Eccleſijs, perſonatibus, ſeu dignitatibus, quas ſub hoc prætextu occupant, negligatur, nec beneficia ipſa debitis obſequijs defraudentur.

1 Cor. 10. Ber. ad Eug. 1. Cor. 4. Pſal. 9. Ber ad Rupe. cog. Extr. Lu. c. ord. de offi. ord. lib. 6.

In reſignationibus ac permutationibus beneficiorum, quæ cura adhibenda.

CAP. XXXIV.

POſtremò, quum nobis haud clam ſit, in reſignationibus permutationibuſque beneficiorum multa ancipitia periuria committi ab his, qui frequenter ſubito, ac non præmeditati, aut ipſi, aut per ſuos procuratores (id quod eiuſdē reatus ac culpæ eſt) iureiurando ante manus impoſitionem teſtātur, in huiuſmodi reſignationibus ſeu permutationibus nullam ſimoniæ labem, aut aliam illicitam interueniſſe corruptelam, cùm res crebrò lōgè ſecus habeat, per quod illi grauem in ſe Dei iram proculdubiò prouocant. Maiori ergò cura diligentiorique, quàm antehac fieri conſueuit, peruestigatione præuia, hæc iuramenta recipi conuenit.

Præſtat paucos eſſe bonos, quàm multos inutiles ſacerdotes.

CAP. XXXV.

Clemens.

ET vt cum diuo Clemente hoc caput concludamus, Melius eſt epiſcopo paucos habere ſacerdotes ac Eccleſię miniſtros, qui poſſint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant.

De viſitatione vltimo loco dicendum.

CAP. XXXVI.

DE viſitatione (quæ eſt altera muneris noſtri Epiſcopalis pars) hic dicendi locus non fuerit importunus. Expedientius tamen erit, hanc partem in vltimam harum ſynodalium inſtitutionum claſſem reijcere, quod illic tractetur commodiùs, maiorique cum fructu, nimirum traditis iam atque expoſitis regulis, ad quas oporteat veluti ad amuſſim quandam, viſitationem redigere, ordiri, atque peragere.

PARS SECVNDA.

De officio priuato ac publico, vitaq́, ac moribus Clericorum generatim.

CAPVT PRIMVM.

QVi exactè volet cognoſcere clericorum officium & vitam, is diuum Hieronymum ad Nepotianum, ac cæteros patres non minùs eruditione quàm vitæ ſanctimonia claros (qui de hac re ex profeſſo iuſtis voluminibus ſcripſerunt) perlegat. Sat nobis in præſentiarum erit, carptim quædam delibare, ex quibus Clerici noſtri ſummatim depræhendant, quàm longè lateque à recta ſemita declinauerint, ſubindeque errones ipſi, tam periculoſæ digreſſionis commoniti, pedem in viam mandatorum Domini referant. Quod ab illis pientiſſimus ſimul ac iuſtiſſimus Deus, quum verbo hactenus adhortans, parùm profecerit, innumeris plagis iuſtiſſimè immiſſis commonens, manifeſtò requirit.

Hier. ad Nepot. 1. Cor. 11.

Vnde clerici appellatio deriuata.

CAP. II.

NEminem fugit, vnde clerici appellatio deriuata ſit: nempe à κλῆρος, quod ſortem ſonat. Propterea enim (ſi diuo Hieronymo credimus) Clerici dicuntur, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia ipſe Dominus, ſors (id eſt, pars) eorum eſt. Quia ergò vel ipſi pars Domini ſunt, vel Dominum partem habent, tales ſe exhibere debent, vt & ipſi poſſideant Dominum, & poſſideantur à Domino, quò cum Propheta confidenter dicant: Dominus pars hæreditatis meæ. Non quidem quòd à ſorte Domini laicos ſecludamus, (omnes enim qui Chriſto per baptiſmum & fidem concorporati ſumus, populus acquiſitionis eius ſumus, de quo Propheta dixit: Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius) ſed quod clerici peculiari quadam ratione miniſterio Dei & Eccleſiæ dicati ſint. Omnis quidem multitudo ſanctorum erat, attamen Dominus Tribum Leuiticam ſuo miniſterio peculiariter delegit, quam in terra Iſraël præter primitias, decimas, parteſque immolatorum, ac reliqua quæ ipſis peculiariter lex dedicauit, nihil proprium poſſidere, nec habere partem inter fratres voluit. Dominus enim ipſe eſt hæreditas eius, quam in hoc elegit ex omnibus tribubus, vt ſtet & miniſtret nomini eius. Habet Euangelium ſuam Magdalenam, habet & Martham: & ſecreuit quoſdam Chriſtus, quos dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Breuiter à condito orbe, & ab Eccleſiæ, quæ in Adam cœpit, crepundijs ſemper videntur ex hominibus aſſumpti quidam, cōſtituti pro hominibus in his quæ ſunt ad Deum. Semperq́ue viſum eſt genus humanum à duobus miniſtris Dei optimè regi, quæ ſunt ſacerdotalis authoritas & regia poteſtas. Quibus quam diu inter ſe conuenit, benè actum eſt de repub. Dei, cùm ſecus, omnia in diuerſum repentè mutata ſunt. Ponit ob oculos ſermo diuinus pleraq; exempla huc ſpectantia, perpetuò memorabilia. Sed quid attinet antiqua repetere, cùm noſtri temporis exempla non minùs inſignia, non in aures tantùm, ſed in oculos ipſos influant? quæ nimis abundè docent, quantum malorum in Eccleſiam Dei inuexerit, ſacra prophanis miſcuiſſe.

Hier. ad Nepot. Pſal. 15. Deut. 32. Num. 18. Deut. 18. Luc 10. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Heb. 5. Gela. pōt. ad Anaſt. Aug.

Clericum ſuo officio intentum eſſe oportere.

CAP. III.

OMnis mali ſeminarium, cupiditas ſemper fuit. Nam dum nemo ſuum peragit officium, alienis ſemper intentus: nempe clericus quæ laici, laicus quæ clerici ſunt (vt deteriora ſileamus) vſurpat, fit vt Eccleſiæ harmonia diutiùs conſtare non poſſit. Obteſtatur Paulus Apoſtolus Timotheum, quin potiùs conteſtatur ſimul omnes quotquot erant

1. Tim. 5.

Timo-

Timotheo ſucceſſuri: Tu,inquiens,vigila,in omnibus labora,opus fac Euangeliſtæ,miniſterium tuum imple. Tim.4.

Duplex clericorum miniſterium.

CAP. IV.

CLericis,& inprimis Eccleſiæ presbyteris, duplex miniſterium,diuinis & humanis legibus eſt iniunctum. Alterum, vt in commiſſum ſibi populum, Deum propicium habere cunctis rationibus enitantur: quod non tantùm ſacrificijs ſolennibus efficitur,ſed etiam precibus, quæ à pio corde proficiſcuntur,teſte Iacobo,qui nos ad precandum cohortãs: Orate,inquit,pro inuicem,vt ſaluemini. Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua. Omnibus quidem dictum eſt: Petite, & accipietis. His verò,vt ſemper petant, nec pro ſemetipſis tantùm,ſed & pro tota Eccleſia Dei, vt vincat populus, qui ſub ipſis eſt, hoſtes illos inuiſibiles,impugnantes eos qui volunt piè viuere in Chriſto,vt ſtent ſicut Moſes,leuatis ſemper interioribus animi manibus in cœlum, in confractione, in conſpectu Domini, ad auertendum iram eius, ne diſperdat populum ſuum aſſiduè precantes: deinde vt offerant dona ac ſacrificia pro peccatis,quemadmodum ſcriptũ eſt: Quoniam ſancti erunt Deo ſuo,& non polluent nomen eius. Incenſum enim Domini & panes Dei ſui offerent, & ideò ſancti erunt. Alterũ,vt ſint religionis magiſtri, proindeq; vt in lege Domini meditẽtur die ac nocte, vt iudicia Domini vera,iuſtificata in ſemetipſa,deſiderabilia ſuper aurũ & lapidem precioſum multum,dulciora ſuper mel & fauum, totis præcordijs amplectantur,exquirant,ſcrutenturque. Idque non propria præſumptione aut humano ſenſu,ſed Spiritu ſancto dictante, qui abſcondit hæc à ſapientibus & prudentibus in oculis ſuis & reuelat ea paruulis. Vnde ſcriptum eſt: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam,& legem exquirunt ex ore eius,quia angelus Domini exercituum eſt. Qui in hoc ſecundo munere præſtant,gregi Chriſti paſcendo admouendi ſunt: de quibus ſuo loco dicemus.

Biblia à Clericorum manibus nunquam deponenda.

CAP. V.

HIc ſatis eſt admonuiſſe omnes pariter eccleſiaſticis munijs conſecratos, ipſos precibus ſupplicationibuſque publicis Deo perſoluendis mancipari. Quas vt non tantùm ore murmurent, ſed & corde perſoluant,nunquam à manibus eorum liber Legis(hoc eſt, Biblia)deponatur. Nam vt quæ legunt & canunt,diſcant intelligere,tota vita vix ſuffecerit:ſi tamen quid eſt in literis ſacris,quod totum humanus intellectus aſſequi poſſit, alijs ſubinde diuitiarum fonticulis ex eodem fonte ſemper ſcaturientibus. Hieron.

De horarijs precibus indiès perlegendis,& reformandis Breuiarijs.

CAP. VI.

VEteris ergò inſtituti,quo ſancitum eſt, vt Clerici ſacris initiati,vel ſacerdotijs præſidentes, ſingulis diebus perlegãt horarias preces,quas canonicas appellamus, cauſæ multæ & potiſſimùm eæ,quas iam commemorauimus, videri ſolent. Hic multo iam ex tempore,pio (vt ſpes eſt)animo deſiderauimus repurgari Breuiaria. Nam cùm olim à ſanctiſſimis patribus inſtitutum ſit, vt ſolæ ſcripturæ ſacræ in Eccleſia recitarentur,neſcimus qua incuria acciderit, vt in earum locum ſucceſſerint alia cum his neutiquam comparanda: Atque interim hiſtoriæ ſanctorum, tam incultè ac tam negligenti iudicio conſcriptæ, vt nec authoritatem habere videantur, nec grauitatem. Deo itaque authore, deq; conſilio Capituli noſtri,ac Theologorum,aliorumque piorum virorum,reformationem Breuiariorum meditabimur. In Con. Aphri.

Pro cuiuslibet affectu,non facile nouandũ quid in Eccleſiaſtico officio.

CAP. VII.

SVnt in clero zelum quidem Dei habentes, ſed non ſecundùm ſcientiam, qui priuatis quibuſdam affectibus ducti, vel teſtamento,vel(vt vocant)fundationibus efficiunt, vt noua feſta præter Eccleſiæ authoritatem,ſolenniter ſubinde celebrentur. Quo interim fit, vt preces horariæ,ac reliqua publicè recepta,pro affectu cuiuslibet facilè nouentur, id quod nobis non ſatis probatur. Neque enim errârunt patres,à quorum inſtitutis in dicendis precibus vtinam tam longè diſceſſum non fuiſſet. Quòd ſi hic ſingulorum affectibus indulgebitur,tandem antiquus ritus penitùs euaneſcat. Rom.10.

Quo affectu horarias preces perſoluere oporteat.

CAP. VIII.

NOn ſuffecerit autem,preces iſtas horarias vtcunque pręmurmuràſſe: ſed vt conciliari conſtitutione cautum eſt,presbyter ex intimo affectu, eleuataque mente in ſolum Deum nocturnum hoc diurnumque ſuæ ſeruitutis penſum exoluat. Maledictus enim qui facit opus Domini negligenter. Alioqui in precantes competet: Populus hic labijs me honorat,cor autem eorum longè eſt à me. Quàm maximè verò orantem cauere oportebit, ne[illegible] reſpiciat quàm ad Deum. Quòd ſi externæ gloriæ aucupatione, aut lucri gratia, denique potiùs ex more quàm mente orare inſtituat, pars eius inter hypocritas reputabitur, de quibus Dominus in Euangelio pronunciauit,quod ament in ſynagogis & in angulis platearũ ſtantes orare, vt videantur ab hominibus, proindeque mercedem ſuam receperint. Et alibi ipſis interminans: Vę(inquit) vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum,oratione longa orantes:propter hoc amplius accipietis iudicium. Alibi quidem Dominus ait,oportere ſemper orare,ac nunquam deficere: ſed alia prorſus ratione, quàm precabantur Phariſæi: nempe ſecundùm diui Pauli ſententiam,qui diuini numinis clementiam ſibi conciliare volet orando, oculis interioribus in cælum ſemper intentis orabit ſpiritu,orabit pariter & mente:pſallet ſpiritu, pſallet & mente. quemadmodum de Anna Samuelis matre legimus, quòd multiplicãs preces, coram Domino loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur. Effudit enim animam ſuam in conſpectu Domini. Denique curandum eſt,vt pœnitenti animo ac corde cõtrito humiliatoque,gratiæ Deo dicantur,ac pſallatur. Vt enim diuinus Pſaltes ait,Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas?& ea quæ ſequuntur. Vtque oculi inter orandum ab omni vanitate auertantur.

Ex Conc. Agathen. cum presbyter. Ex eodem conc. general. c. dolentes. de celeb. Miſſæ. Hier. 48. Eſa. 29. Matt. 6. Matt. 23. Luc. 18. 1. Cor. 14. 1. Reg. 1. Pſal. 49.

Summa deuotione Miſſæ ſacrificium celebrari oportere.

CAP. IX.

IAm ſi tanto mentis ardore quælibet preces dicendæ ſunt, quanta putamus deuotione ſacroſanctum Miſſæ miniſterium,in quo Corporis & ſanguinis Dominici ſacramẽta tractantur,conficiunturque,peragendum eſt? Certè grauiter dolemus atque animo inhorreſcimus, vbi videmus paſſim tantis myſterijs indignos,ac conductitios illos ac indignos ſacerdotes,publicis etiam ac manifeſtis criminibus contaminatos, ſeſe(idque irreuerẽter,& interdum magis lucelli ac ſtipis,quàm Dei cauſa)ſacris ingerere, quorum inſtat interitus,& perditio non dormitat. Probet(inquit Paulus)ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat,& de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè,iudicium ſibi manducat & bibit,non dijudicans corpus Domini. Atque ideo(vt ſubdit)inter vos multi infirmi & imbecilles,& dormiũt multi. Nam ſi noſipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. 1. Cor. 11.

Arguuntur, qui polluta mente ad altare Domini accedunt.

CAPVT 10.

TErret, nec immeritò, nos ſermo Dominicus, qui vetat nos ſanctum dare canibus, & margaritas noſtras proijcere ante porcos, quum quoſdam leuiculos ſacerdotes illotis manibus pedibuſque (vt in prouerbio eſt) audacius in hæc ſacratiſſima myſteria, quàm in prophana, irrũpere comperimus. Quales ſunt, qui humano affectu tantùm, & potius ex more, quam deuotionis ardore ad altare accedunt, quorum polluta eſt & mens & conſcientia, quos meritò horrendum Euangelij exemplum (quod Ioannis 13. legimus in hæc verba: Et poſtquam accepiſſet buccellam, introiuit in eum ſatanas. & cætera quæ ſequuntur) ad meliorem vitæ frugem, altioremque tanti myſterij contemplationem reuocaret.

Matt.7.

Reuidenda Miſſalia ac Breuiaria.

CAPVT 11.

PEculiaria Miſſarum argumenta, recens præter veterum inſtitutionem inuenta, etiã patribus diſplicuerunt, quòd tantùm myſterium pro affectu cuiuſlibet tractari non deceat. Proſas indoctas nuperius Miſſalibus cæco quodam iudicio inuectas, prætermittere per nos liceret. Videbimur ergo operæpretium facturi, ſi Miſſalia perinde atq; Breuiaria peruideri curemus, vt amputatis tãtùm ſuperfluis, & quæ ſuperſtitioſius inuecta videri poſſint, ea tantùm, quæ dignitati eccleſiæ & priſcis inſtitutis conſentanea fuerint relinquantur.

Quæ omitti aut decurtari vel organorum vel cantorum concentu haud debeant.

CAPVT 12.

IAM & illud non rectè fit in quibuſdam eccleſijs, vt ob cantorum & organorum concentum, omittantur aut decurtentur ea quæ ſunt præcipua. Cuius generis ſunt, recitatio verborum propheticorum aut Apoſtolicorum, quam epiſtolam vocamus, Symbolum fidei, præfatio, quæ & gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem hæc tota diſtinctiſſimè ac intelligibiliter, vti cætera omnia (ſi tamen non leuis decurtandi cauſa ſubſit) decantentur. Sit quoque cantus quo presbytero reſpondetur, æqualis, nec præcipitatus.

Quemadmodum Miſſa legenda.

CAPVT 13.

QVi legit Miſſam, cum reuerenda modeſtia, clarè, diſtinctè, & excertè legat omnia vſque ad Canonem. vt qui audiendi ſacri cauſa adſtat, quod legitur, intelligat, atque ad pietatem excitetur.

Quid poſt eleuationem Euchariſtiæ agendum.

CAPVT 14.

POſt eleuationem conſecrati corporis ac ſanguinis Dominici, in nõnullis templis canunt Antiphonas pro pace, aut contra peſtilẽtiam & mortalitatem, cùm potius tum videretur ſilendum, & ab omni populo mortis Dominicæ commemoratio habenda, proſtratiſque humi corporibus, animis in cælum erectis, gratiæ agendæ Chriſto redemptori, qui nos ſanguine ſuo lauit, morteque redemit. Cantiones verò illæ contra mortalitem ſeu cladem, aut pro pace, ſatius poſtfinitam Miſſam canantur. Quę vt ad Deum dirigantur, excerptæ ex canonica ſcriptura plus placuerint, quales ſunt Antiphonæ, MEDIA VITA: ac DA PACEM DOMINE, & ſimiles. Sic tamen, vt illis etiam quæglorioſę Virgini matri dicatæ ſunt, ſuus honos ac locus ſeruetur.

Organorum melodia quemadmodum temperanda.

CAPVT 15.

ORganorum melodia in templis ſic adhibebitur, nec laſciuiam magis quàm deuotionem excitet: neve præter hymnos diuinos ac cantica ſpiritualia, quicquam reſonet ac repræſentet.

Singulis Dominicis diebus, quæ ipſis peculiaria ſunt officia, dicenda.

CAPVT 16.

MOs inoleuit non admodum improbandus, vt diebus Dominicis, toto fermè anno officium Miſſæ vel de ſacroſancta Trinitate, vel de Spiritus ſancto dicatur. Nobis ſatius videtur, vt quæ priſca eccleſia ſingulis Dominicis peculiaria fecit, obſeruẽtur. Quòd ſi illorum loco alia vſurpanda erunt, videbitur, quod de reſurrectione Domini eſt, diei Dominico magis conuenire, quòd dies illa potiſſimum reſurrectioni dedicata ſit. Neque ignoramus, non abſque cauſa in Concilio Triburien. conſtitutũ, ne propter Miſſas peculiares, Miſſa, quam de feria vocamus prætermittatur.

De conſ. diſ.3. Sabbato c.2. de ferijs.

Ex conc. Tribur. c. 1 de celeb. Miſſ.

Confeſſio Miſſæ præambulum, deuotè recitanda.

CAPVT 17.

COnfeſſio illa, Miſſæ præambulum, deuotè cum miniſtris vno aut pluribus viciſſim confitentibus, ac ſacerdotis abſolutionem in verbo Chriſti, plena pœnitentis cordis erga Dei pietatem fiducia, recipientibus recitãda. Ad omnes enim ſacro adſtantes ea abſolutio refertur, vt dignè tantis myſterijs valeant intereſſe. Quamobrem dum hæc fiunt, non ſit miniſter accendendis luminaribus, aut alijs mentem auocantibus (quę prius facta oportuit) intentus.

Ex conc. Tolet. c. 11.c. vt illud. de cõſec. diſt.1.

De conſ. diſt.1. hoc quoque.

Cur ſacerdos in altari miniſtrum habeat.

CAPVT 18.

NEc ſine magna ratione in Concilio Toletano conſtitutum fuit, vt habeat quiſque canens Deo atque ſacrificans, poſt ſe vicini ſolaminis adiutorem, vbi temporis, loci, ſiue cleri copia ſuffragatur: idque propter morbos & caſus diuerſos qui occurrere poſſunt quos is qui impleturus officia accedit, ſi aliquo caſu turbatus, vel in terram eliſus fuerit, à tergo ſemper habeat, qui eius vicem & officium intrepidus exequatur. Alijs inſuper canonibus cauetur, ne presbyter niſi duobus teſtibus præſentibus, celebret. Quæ decreta in quam diſſuetudinem abierint, in aperto eſt, nimirum presbyteris frequenter celebrantibus talibus tantùm adhibitis, qui vix ipſi reſpondere, nec quid agatur, ſciant.

Omnis cultus diuinus ſumma cum veneratione peragendus.

CAPVT 19.

IN ſumma cultus diuinus, quem ſacerdos in domo Dei exhibet, debita cum veneratione peragendus eſt, vt & Deo gratus ſit, & inſpicientibus placitus, qui conſiderantes nõ ſolùm inſtruat, ſed & reficiat. Monet ſiquidem diuiniſſimus Paulus, vt omnia noſtra ordinatè ac honeſtè fiant: ac acerrimè increpat Corinthios, quòd irreuerenter conuenirent in vnum ad cœnam Domini manducandam.

Ex conc. Lugd. ſub Greg. x.

1.Cor.14.

1.Cor.11.

by Google

De vita ac moribus Clericorum.

CAPVT 20.

NVnc de vita ac moribus paucis videamus. De vita inſtituenda ſic præcepit Paulus nedum clericis, ſed omnibus Chriſtianis: [Coll. 3.] Mortificate, inquiens, membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam de ore veſtro, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem ſecundū imaginem eius qui creauit illum, qui eſt omnia & in omnibus Chriſtus. Induite verò vos ſicut electi Dei, ſancti & dilectis, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam. Super omnia autem hęc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis, & grati eſtote. Verbū Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes & commonentes voſmetipſos in Pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & patri per ipſum. Non ad oculum ſeruiētes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum. [Coll. 4.] Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus, Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione. Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit cōditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere. [. 5.] Omnis autem ſermo malus, ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus, ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. [.p. 4.] Et nolite contriſtare ſpiritum ſanctum Dei. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus, hominibus. Decæterò, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ: hæc cogitate, & Deus pacis erit vobiſcum.

Ob quam cauſam Clerici male audiant, ac puniantur.

CAPVT 21.

[. vlt.] OLim Clericis hæc Apoſtolica præcepta tenentibus, pax ſuper illos erat: quomodò ergo nō tantùm vinea, [. 6] ſed & vineæ cultores facti ſunt in direptionem? Ecce [zech. 16.] (inquit Ezechiel, ad Hieruſalem verba faciens) hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis & abūdantia, & ocium ipſius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me, & abſtuli eas, ſicut vidiſti.

Præcipuæ cauſæ omnis mali, tres.

CAPVT 22.

PRæcipuæ ergo cauſæ omnis mali, ſunt faſtus, luxus, & auaritia, à quibus Clerici potiſſimum malè audiunt.

Ambitionem ac faſtum clericali officio maximè repugnare.

CAPVT 23.

VT omnem ambitionis radicem Chriſtus diſcipulum [tt. 18.] cordibus eximeret, paruulum in medio illorum ſtatuit, deque primatu certare prohibuit: Qui maior (inquit) eſt in vobis, fiat ſicut iunior: & qui præceſſor eſt, ſicut [c. 22.] miniſtrator. Nam quis maior eſt qui recumbit, an qui miniſtrat? Nónne qui recumbit? Quis verò ignorat clericum in medio eccleſiæ eſſe tanquàm eum qui miniſtrat? Quare meminerimus potiùs officij noſtri quàm dignitatis. Neq; enim ad dominationem vocati ſumus, ſed ad opus. Nō immeritò [cron.] Hieronymus, vt peſtem quandam, fugiendos clericos ait, qui à ſpeluncis domorum paternarum abſtracti, & poſt in eccleſia ſublimati, ac ſacerdotijs ditati, vanæ gloriæ & ſuperbiæ ſtimulis efferuntur.

Omnis luxus clerico interdictus.

CAPVT 24.

BEatus Hieronymus eccleſiæ præfectos, qui luxu ac delicijs affluunt, [Hiero. in Mich. c. 2.] Michæam deſcribere aſſerit, quòd eijciēdi ſint de ſpatioſis domibus, lautiſque conuiuijs, & multo labore conquiſitis epulis, in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. [Matt. 8. 13. 22. 24. 25.] Viuere quidem de altario ſacerdoti licet, luxuriari non permittitur. A crapula itaque & ebrietate, à compotationibus illis ad hauſtus æquales, à luxu, ab alea, ab immoderatis ſumptibus & commeſſationibus, [Ex conc. genera. de vi. & ho. cler. c. A crapula.] Concilium generale clericos reuocat vniuerſos, ſequutum veteris teſtamenti inſtitutum, quo miniſtris templi vinum & ſicera prohibebatur, [Leuit. 10.] ne ebrietate grauarentur corda eorum, & vt ſenſus eorum ſemper vigeret & eſſet tenuis. [Eph. 5.] Et Apoſtolus ait: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini ſpiritu ſancto. [Rom. 13.] Et iterùm: Non in comeſſationibus & ebrietatibus, & quę ſequuntur. [Prou. 20.] Atque alibi Salomon: Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit ſapiens.

Clerico non licere vel cauponem agere, vel tabernas, niſi neceſſitatis cauſa, intrare.

CAPVT 25.

OLim tanta honeſtas deſiderabatur in clero, vt ne nuptialibus quidem cōuiuijs ipſis intereſſe liceret, [Ex Conc. Agath. Laod. c. Carth. vi.] nec immiſceri ſpectaculis ac cœtibus, vbi amatoria cantantur, aut obſcœni motus corporis, choreis & ſaltationibus efferuntur: ne auditus & intuitus ſacris myſterijs deputatus, turpium ſpectaculorum atque verborum contagione pollueretur. Quid, ſi videret eccleſia illa priſca Clericos noſtri temporis tabernarios, taberniſque (quaſi domos non haberent) noctu diuque alligatos? quàm execraretur facinus? [Ex Conc. Viennen.] Poſt hac ergo, non ſolùm nullus ex clero ſordidiſſimum cauponem aut tabernarium agat, ſed ne ad tabernas quidem, niſi neceſſitatis cauſa, diuertat: alioqui pœnæ canonicæ imminent ei, qui ordini ſuo hanc ignominioſam notam inurere tentauerit.

Habitus ſeu exterioris corporis cultus modeſtia, à clericis exigitur.

CAPVT 26.

BEatiſſimus Paulus habitus modeſtiam & in mulieribus [1. Tim. 2.] deſiderat, quem vult verecundum eſſe, non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veſte precioſa, ſed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. [1. Pet. 3.] Itidem Apoſtolus Petrus eas commendat, quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumēti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptabilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Quàm turpis ergo putanda eſt in clericis tanto gradu ſublimioribus, deformiſſima illa ac frequentiſſima noſtræ tempeſtatis habituum variatio, quam ne inferiori quidem vaſculo Apoſtolorum principes permittendam duxerunt? Ex veſte apud homines ſanctimonię opinionem aucupari prohibuit Chriſtus, [Matt. 23.] qui in omnibus operibus noſtris, id quod intus eſt, primum reſpicit, mundarique iubet: deinde, quod deforis eſt, Væ illud horrendum Phariſæis hypocritis interminans, qui vt viderentur ab hominibus iuſti, dilatabant phylacteria ſua, & magnificabant fimbrias, cū eſſent intus pleni rapina & immūditia. Interim tamen euangelium non temerè veſtimentum Ioannis Baptiſtæ, [Matt. 3.] quod illius profeſſioni ac menti reſpondebat, de pilis camelorum contextum celebrat, ac ipſe Chriſtus veſtium [Matt. 11.] molitiem ac leuitatem auerſatur: Eccè, inquiens, qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Quę omnia huc ſpectant,

ſtant, vt velimus clericos præter indictam tonſuram, veſtes quoque ſuo ordini congruentes deferre, quemadmodum olim generali concilio cautum eſt. Pudet ſiquidem nos, cũ videmus prodire clericos, perindè atque ſeculi milites amictos, vel qui ſint vt fœmina compti. Itidem pannoſi clerici ac veſtibus laceri diſplicent. Neq; enim affectatæ ſordes aut exquiſitæ deliciæ laudem pariunt.

Ex Conc. gener. ca. Cler. de vi. & hon cler. Hieron.

Mali exempli eſt, ſacerdotem ſe venditare in Capellanum delicato laico aut muliercula.

CAPVT 27.

MAgna eorum leuitas eſt, in magnam cleri ignominiã redundans, qui ſe laicis atq; adeò delicatis fœminis, ventris cauſa in capellanos (vt appellant) atque ante ambulones venditant. Qui enim debebant eſſe gregis duces, rediguntur in caudam, & ſordidiſſimis quibuſque negocijs alligantur. Proh nefas.

Hieron.

Suſpecta mulierum cohabitatio, clericis interdicta.

CAPVT 28.

NIcæno Concilio neque Epiſcopo, neque presbytero, neque diacono, neque vlli clericorum omnium habere ſecum mulierem extraneam permittitur, niſi fortè mater, aut ſoror, aut auia, vel amita, vel matertera ſit. Nos (ſi tamen hæc tempora tantam ſeueritatem pati non videntur) ſaltem ſuſpectam cohabitantem prohibemus.

Ex Conc. Nicæno. Ex Conc. Mogun.

Auaritia in clero execrabilis.

CAPVT 29.

EX quo in eccleſia Dei auaritia creuit, perijt lex de ſacerdote, & viſio de propheta, quemadmodum diuus Hieronymus ad Ruſticum Narbonen. ait. Nec mirũ, quòd nemo poſſit ſeruire Deo & mammonæ: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: autem vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Vbi est enim theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Habentes autem alimẽta & quibus tegamur, quiſque ſecundùm ſuæ vocationis rationem, his contenti ſumus.

Ezech. 7. Hiero. ad Ruſt. Matt. 6. 1. Tim. 6. Ex Conc. Cartha. c. Cler. vict. n. diſt.

Honeſto artificiolo victum quærere clerico licet.

CAPVT 30.

QVibus non ſuppetit ex ſacerdotio, honeſto artificiolo victum quærant, ſequuti diui Pauli exemplum: Sic tamen, ne ſordidam aliquam artem, ſacerdotio ignominioſam, exerceant.

Act. 18. Eph. 4. 1. Cor. 4. 1. Tim. 2.

Clerici ne mercatores ſint, multò minus fœneratores.

CAPVT 31.

NEmo militans Deo, implicet ſe negocijs ſecularibus, vt ei placeat cui ſe probauit. Quare multa prouidentia olim vetitum eſt, ne clerici vel monachi, mercatores (tacemus fœneratores) ſint lucri cauſa.

Ex Conc. Mogunt. c. ne cle. vel mo. c. ...o. tit.

Damnantur clerici ſuperſtitioſi, ſcurræ, curioſi, ac leuiculi.

CAPVT 32.

REperiuntur qui ſuperſtitioni, diuinationibuſque ac ſortibus dediti ſunt, quos damnamus. Sunt qui ſcurras in conuiuijs diuitum ac potentum agunt, qui quũ malefecerint, gloriantur & exultant in rebus peſſimis: qui digni nõ ſunt, vt clerici appellentur. Sunt curioſi & leuiculi, qui in foris in compitis, in plateis, in vicis obambulant, vagis oculis, effreni lingua, petulante fluiduque inceſſu, & leuitatem animi, impudentiamque mentis oſtendunt: quos auerſamur. Eos verò tantùm & re & nomine clericos reputamus, qui legem Dei die noctuque meditantur, munus ſuſceptum debitè exequuntur, ac vitam agunt ſacerdotio dignam.

Ex conc. ...gat. 7. c. ...iam ſit ...taue. de ...ceſſ. ...e. ...di. c. ...s.

PARS TERTIA.

De Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis eccleſijs & miniſtrantibus.

CAPVT PRIMVM.

QVVM metropolitana ſeu cathedralis Eccleſia ſedes ſit epiſcopi, principemque locum in clero obtineat, nequaquam poſtremum in reformatione locum obtinere debet. Niſi enim ea eccleſia præluceat omnibus, quæ in tota prouincia aut diœceſi conſtitutæ ſunt, fruſtrà intendimus redigere in ordinem eccleſiaſticæ diſciplinæ cæteras.

De officio Decanorum.

CAPVT 2.

POrrò quum collegiatæ eccleſiæ ſecundariæ ſunt poſt cathedrales, & inſtar illarũ (quòd ad ordines miniſtrantium, diuinumque cultum attinet) conſtitutæ, vtrobiq; Decanis curiæ erit, vt clericos ſuos ad obſeruationem piorum rituum prouocent ac reducant, vt ad agendam vitam clericis dignam perpetuò cohortentur ac impellant, vt à negocijs, à tumultibus mundanis reuocent, ne magis ſeculi, quã Chriſti milites videantur, vt comeſſationibus, ebrietatibus, ac omni luxui interdicant, denique vt ſuo officio ſatisfacere compellant.

De officijs in eiuſcemodi eccleſiis miniſtrantium generatim.

CAPVT 3.

SVnt in hiſce eccleſijs diuerſi miniſtrantium gradus: nempe Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Scholaſtici, Cantores, qui & Chori epiſcopi, Theſaurarii, qui & Sacriſtæ ſeu Cuſtodes, Canonici, Vicarij, atque id genus alij. Interpretetur quiſque vocabulum ſuum, & curet eſſe quod dicitur, ſecundùm veterem patrum inſtitutionem ac regulam. Atque eo ſolo fecerint, vt quum noſtræ, tum omnium piorum expectationi magna ex parte reſpondiſſe videãtur.

De Canonicorum vita & officio.

CAPVT 4.

VT de Canonicis dicamus paucis, reſpondeat eorum vita titulo, reſpondeat nomini: ſint reipſa, vt ſunt nomine, Canonici, id eſt, regulares. Neque enim clàm eſt, primam eorum originem monaſticæ diſciplinæ fuiſſe. Imitentur Apoſtolos & naſcentis eccleſiæ miniſtros, quorum erat cor vnum & anima vna, qui quotidiè (vt in actis Apoſtolicis legimus) perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, perſeuerantes in orationibus, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. De tali conuentu Pſaltes dixit: Ecce quam bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Qui & compellens ac prouocans eiuſcemodi conuẽtum, ait: Ecce nunc benedicite Domino, omnis ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Porrò eccleſiæ iſtæ collegiatæ quandam vetuſtatem ſpirant, & eccleſiæ primitiuæ inſtitutum præ ſe ferunt, quòd vel forma ædificiorum oſtẽdit, quæ Canonicos prope templum, in vnum penè habitaculum collocauit, vt procul à promiſcua multitudine ſeparati, diuini pariter laudibus iugiter inſiſterent.

Act. 4. Act. 2. Pſal. 132. Ibidem.

Digitized by Google

Quemadmodum preces horariæ, aliaq́; diuinæ laudes decantandæ.

CAPVT 5.

STatis ergo ac debitis horis laudes diuinæ, non curſim ac feſtinanter, ſed tractim: non truncatè, ſed integrè, diſtinctè, deuotè, reuerenterq́ue ab omnibus decantentur, perſoluanturq́ue. Et quum pſallendi gratia conueniatur ibidé, muta aut clauſa labia nemo tenuerit: ſed pariter, ſenes cum iunioribus, laudent nomen Domini in pſalmis, hymnis & canticis, Deo alacriter modulantes: ſic tamen, ne boatus cõfundat recitationem. Nemo tum, cùm publicè vel preces horariæ, vel Miſſæ ſacrum cantando peraguntur, legat vel dicat priuatim officium: nam is id quo obnoxius eſt, choro ſubtrahit, atque alios vel pſallentes perturbat, vel à pſallendo retrahit. Quem tamen aliud officium eccleſiaſticum, aut publicum alio ſtatim rapiet, vt niſi legens preces horarias, tempeſtiuè abſoluere haud poſſit, hac lege teneri nolumus. Quàm autem à vero aberrant ſeſe non alicuius officij in eccleſia exercendi, ſed quietis & inertiæ tantùm cauſa canonicatus eſſe adeptos: perinde atque ſatis ſit, paucis quibuſdam clericis admodum ignaris, tenui precio conductis, curam diuini officij committi, quod deinde eiuſcemodi mercenarij, non ſeruatis temporum interſtitijs, ſyncopando tranſcurrunt, interim ipſis canonicis tota vita torpentibus?

Inter ſacra nihil ne cogitandum quidem, quod Dei aut eccleſiæ oculos offendat.

CAPVT 6.

LOngè verò abominabile eſt, quòd quidam tum, cùm diuina aguntur, inter ſeſe de rebus prophanis tractant, muſſitationes, colloquia, riſus & cachinnos intermiſcent. Quidam aut in aliquem chori angulum ſe recipientes, de nugis, ne quid grauius dicamus commentantur: aut foris per templum magno cum populi offendiculo deambulantes, oculos pariter & aures ad vnitatem conuertunt, atq; ſacra loca fœdant, poſiti in lapidem offenſionis & petram ſcãdali. Hac lege nullũ excipimus, ſiue claris ſit natalibus prognatus, ſiue plebeius. Quin potius, qui genere præſtant, meminerint ſe illic canonicos agere, & conuerſari non in aulis, ſed in ſcholis virtutum ac eccleſiaſticæ diſciplinæ.

Decani templi ſummi poteſtas in præuaricatores.

CAPVT 7.

FAcimus quoq; decano eccleſiæ noſtræ poteſtatem, perſonas eccleſiaſticas ex alijs collegiatis eccleſijs, interdum magis curioſitate rerum nouarum, quàm deuotionis cauſa ad templum ſummum ſe recipientes, ac inibi, præter omne decretorum, ſæpè etiam eccleſiaſtico habitu non amictas inter laicos ſurſum ac deorſum inambulantes, pœna canonica, nimirum ſuſpenſionis temporariæ, aut maiori etiã pro ratione culpæ coercendi.

Quem oporteat eſſe veſtitum miniſtrantium in hiſce eccleſiis.

CAPVT 8.

DE veſtitu clericorum antè diximus, qui in his tanto debet eſſe decentior, quo ſunt altiori loco, perindeq́ue atque in ſpeculo quodam conſtituti. Sit ergo chorum ingredientibus veſtis talaris, ſint pilei, (quæ bireta vocamus) ſint camiſiæ, ſint deniq; calcei pariter & caligæ tales, in quibus non faſtus, iactantia, elationis vitium, vel mentis leuitas ſed clericalis ordinis honeſtas & modeſtia deprændatur. Siquidem ita ſemper viſum eſt maioribus noſtris, externum habitum, quid intus crepet, deſignare: adeò vt & leges ciuiles iniuriam matronæ, habitu meretricio vtenti, illatam, nõ vindicent: ac canones clericum non alligatum coniugio, habitum ac tonſuram clericales deferentem, poſt tertiã monitionem: clericũ verò coniugatũ ſtatim priuilegio exuant clericali: adeò, vt ſic in maleficijs depræhenſi, animaduerſionem ciuilium magiſtratuum non euadãt. Ne autem poſt hac quiſpiam excuſationem non factæ aut præuiæ monitionis prætexat, hac noſtra ſynodali cõſtitutione omnes (quotquot ſunt in noſtris diœceſibus conſtituti) clericos, qui habitu minus decenti vtuntur, monemus, vt intra tres menſes, quorum ſingulos pro ſingulis dilationibus, tertium verò vti peremptorium terminum præfigimus, habitum qui clericos deceat, reaſſumant: Alioqui ipſo facto, nulla poſthac alia monitione expectanda, in cenſuras ac pœnas conſtitutionũ canonicarum incurſuri.

Decani vndiquaque aduigilabunt.

CAPVT 9.

QVo ergo hæc quæ diximus, repurgentur, ac debitè ſimul cum omnibus alijs ad diuini officij proſecutioné ac chori diſciplinam ſpectantibus obſeruentur, Decanus diligenter inuigilabit, hinc & hinc circunſpiciens, ne quid inordinatè fiat.

Ante omnia verò, vt canonici ſacris adſint.

CAPVT 10.

CVI ante omnia curæ erit, ne quis Canonicorum ſacris abſit, ſed vt qui emolumentum ferre volent, officium quoque ſuum, propter quod beneficium datur, in eccleſia gerant. Aurelianen. Concilio cauetur, clericos qui of- Aurel. 2.
ficio adeſſe contemnunt, eccleſiaſticam diſciplinam arbitrio epiſcopi recepturos. Sed facilè caſtigabitur hic lapſus, ſi negligentes, ſubtractione prouentuum ſeu diſtributionum mulctentur: Quare qui ab epiſtolæ lectione, exinde toti Miſſæ, & à primo, pſalmo, ſingulis horis canonicis integris ac minimè interpellatim, niſi forſan neceſſitate auocante, petitaque ac obtenta licentia, non interfuerit, iuſtum eſt, vt hic illius horæ aut officij ſtipendio in totum careat.

Vicarij, vt diuinis laudibus decantandis interſint, adigendi.

CAPVT 11.

QVI vicarij dicuntur, in quibuſdam collegijs ſe in libertatem quandam potius carnis, quàm ſpiritus vendicare contendunt, nolentes choro, decantandiſque ſimul cum canonicis diuinis laudibus ac ſacris eſſe addicti: ſed hi reſipiſcant, ac incipiant intelligere cur Vicarij dicantur. Superpelliceis, quoque vtantur. Cuius enim vices gerent, niſi canonicis adiutores accedant? Horum nimirum vice, qui vel aduerſa valetudine detenti, vel negocijs neceſſarijs auocati, intereſſe non poſſunt. Cur tandem ſuperpelliceis vtentur, qui chori ſacris ſe mancipatos non agnoſcunt? In ordinem ergo diſciplinæ redigantur, ſuſpenſioniſque pœna, etiam à fructibus, nedum quotidianis illis quæ diſtribuuntur, ſed à groſſis etiam, pro culpæ modo animaduertendum in non parentes.

Ad perſonalem reſidentiam cogendi, quibus hæc per fundationes beneficiorum eſt impoſita.

CAPVT 12.

QVorum fundationes perſonalem reſidentiam requirunt, illi aut ipſi reſideant, aut à prouentuum perceptione ſuſpendantur, & fructus illi in alios pios vſus cõuertantur, niſi qui reipubl. cauſa ex authoritate noſtra abfuerint.

Lucri tantum cauſa ſacris adeſſe non oportere.

CAPVT 13.

VTinam optando à Deo Opt. Max. cõſequi poſſimus, ne quiſquam lucri cauſa diuinis intereſſet, alioqui nõ acceſſurus ſacra, veluti quem nummi magis, quàm Dei amor in templum trahit, quæſtum deitatem eſſe putás: qui, non dubium, ex numero eorum eſt, de quibus Eſaias [Eſa. 1.] dixit: Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Nec multum is abeſt (vti pleriſque doctiſſimis viris placuit) [4. Reg. 5.] abhorrendo cri mine Giezi, qui exiſtimauit diuinum munus pecunia redimendum. Quare viderint clerici noſtri, vt eorum mens & intẽtio tota in Deum referatur, vt cum Dauid confiteantur Deo in directione cordis, ac in labijs ſuis pronunciantes omnia iudicia oris eius. In via etiam teſtimo- [Pſal. 118.] niorum Domini delectentur ſicut in omnibus diuitijs. Optandum, vt pſalmus ille centeſimus decimusoctauus, qui toties non ſine cauſa in eccleſijs replicatur, ore ſimul & correſpondẽte ſingulis verbis mente decantetur. Et cum eodem [Pſal. 53.] Pſalte ex animo dicatur: Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt. Non adi [1. Cor. 9.] [1. Tim. 3.] mit Chriſtus, ſed decernit operãti ſuam mercedem: Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Et: Qui altario deſeruit, de altario & viuet. Sed interim cogitare debet clericus, ſe viuere non non vt edat, ſed edere vt Chriſto viuat, habereque [Matt. 6.] ſemper menti reconditum Chriſti verbum: Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.

Capitula diſciplinæ qualiter obſeruanda.

CAPVT. 14.

CApitula verò diſciplinæ (quæ vocant) multò maiori diligentia obſeruentur, atque hactenus. Id ita fiet, ſi nõ tam prophanæ quam res ſacræ in his tractentur. Si de moribus inquiratur, ſi vita expendatur ſingulorum: & quod olim ſancti patres feciſſe dignoſcuntur, ex temporali oratione interdum commonerentur fratres. Et in primis ad ſacras literas capeſſendas inſtigarentur, atque vt in his optimas horas collocarent, incitarentur, quod hic reperiatur fons vitæ ſca- [Ioan. 4.] turiens, ex quo qui haurit, non ſitit in æternum. Hic theſaurus euangelicus, propter quem oportet vendere vniuerſa, [Matt. 13.] reconditus ſit, ex quo prudens ille paterfamilias profert noua & vetera.

Officium Decani in rebelles.

CAPVT 15.

[Ex Conc. Agat. c. 2.] SI quos Decanus rebelles cernat, ſi diuini cultus atque ſui officij negligentiores, ſi rixoſos, ſi litigioſos, ſi percuſſores, ſi aleatores ſi ſcorta fouentes, aut alijs publicis criminibus irretitos, atque hi fraternam correptionem audire [1. Tim. 5.] recuſauerint, agat in his capitulis quod iubet Paulus: Peccãtes coram omnibus argue: Tum ſi reſipiſcere nolint, arceat à ſacris, prohibeat participare fructus, donec ad meliorem vitæ frugem reuertantur, ſic tamen, vt hic ſeruetur regula a- [1. Theſſ. 5.] poſtolica: Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, patientes eſtote ad omnes, & neque ira, neque odium, neq; [...moc. Pa. Greg ad lau. Im. illa. 11. 3.] rancor vllas ſibi partes vendicet. Nam illa præpoſitorum ſolicitudo eſt vtilis, illa cautela eſt laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor nihil ſibi vendicat. Ira enim ſæpè etiam innocentes ad crimen inducit. Dum enim iuſto amplius iraſcimur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora committimus. Per hæc tamen noſtris, ac eccleſiarum prouinciæ noſtræ priuilegijs ac legititimis conſuetudinibus, & præſertim mori ac cõſuetudini qui in aliquibus eccleſijs eſt, (nempe vt cauſæ diſciplinæ per Diaconos dijudicentur) nihil præiudicamus: modò tamen Diaconi, ad requiſitionem Decani, ſuo officio gnauiter ac ſtrenuè incumbant ac ſatiſfaciant. Quòd ſi Decanus & Capitulum, negligentes, aut eiſdem criminibus irretiti fuerint, ad iuris communis diſpoſitionem redire neceſſe erit.

Contentioſi, ad pacem & concordiam per Decanum & Capitulum reuocandi.

CAPVT 16.

INuidiæ detractioniſque vitium longè omnium peſtilentiſſimum, in collegijs non eſt nouum, quod humani generis hoſtis inter fratres ſerere ſemper conatus eſt, quem admodum de Abel & Cain, de Ioſeph & de fratribus eius le- [Gen. 4.] [Gen. 37.] gimus. Quin parum aberat ab omnium ſanctiſſimo illo collegio, nempe Apoſtolico, niſi pacificator Chriſtus Ieſus in- [Ioan. 13.] terceſſiſſet, ac ſatanam repentè eieciſſet. Hinc ſæpenumero in clero rixæ, iurgia, & iniuriæ naſcuntur. Hinc multæ falſæ criminationes, æmulationes, obtrectationes & delationes oriuntur. Et fit lingua, ordinata in laudem Dei, inquietum malum, plena veneno mortifero. Fit denique, vt in ea qua benedicimus Deum & patrem, in ipſa maledicantur homines, qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſunt, atque ex eodem ore procedat benedictio & maledictio. Non o- [Iac. 3.] portet inquit diuus Iacobus, fratris mei, hæc ita fierit: ſed qui ſapientes & diſciplinati inter vos, oſtendant, ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ. Nam ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, nolite gloriari & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non enim eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens à patre luminum, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio eſt, ibi inconſtantia & omne opus prauũ. Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deindè pacifica, modeſta ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis non iudicans, ſine ſimulatione. Fructus enim iuſtitiæ, in pace ſeminatur facientibus pacem. proinde ſi quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio. Hæc ille.

Pœna aduerſus contentioſos pertinaces.

CAPVT 17.

AGatheſi Concilio conſtitutum eſt, vt quicunque odio aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad pa- [Ex Conc. Agat. c. 31.] cem reuocari nequiuerint, primitus arguantur. Qui ſi inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de eccleſiæ cœtu iuſtiſſima excommunicatione appellantur. Decanus ergo, vbi viderit intercedere inter fratres diſſenſionis materiam, quæ fraternam dirimat charitatem, huius Canonicis authoritate vtatur: ac pro pace ſarcienda conſeruandaque, Capituli ſui conſilium atque auxilium imploret, quod inuicem libenter præſtabunt, cuiuſcunque odio vel amore longè poſtpoſito.

Quo tempore Capitulorum quotidianorum conuentus obſeruandi.

CAPVT 18.

QVotidiani Capitulorum conuentus, aut maturius ſub ſummam Miſſam, aut ſtatim illam poſt ſeruandi ſunt, ne ob illos diuinum officium vel ſuſpẽdatur, vel præcipietur, vel denique ab ipſis Canonicis negligatur. Debet enim Dei cauſa omnibus alijs anteponi.

Volumina ſtatutorum reuidenda.

CAPVT 19.

HAbent ferè quotquot ſunt cathedrales ac collegiatę eccleſiæ, ſuum volumen peculiarium ſtatutorum, quæ interdum pro affectu priuato cuiuſlibet augentur ac creſcunt. Inter hęc reperias quamplura, quæ quæſtũ magis q̃ pietatẽ reſipiãt, & ad inęqualitatẽ potius, q̃ æqualitatẽ faciãt: vnde diſcordia inter fratres (vti fieri ſolet) frequẽter alitur, concordia verò ſcinditur, laceraturque. Et quantumuis ple- [Cap. 1. de iureiur. in 6.] raque inter hæc iniqua reperias adiguntur tamen omnes qui recens admittuntur, vt ad eiuſcemodi ſtatutorum obſeruationem

nem (etiam penitus ignari, quid contineant illa) citra vl-
n delectum iureiurando ſeſe alligent, quum tamen iura-
entum non debeat eſſe iniquitatis vinculum, nec ad igno-
a extendi. Operæprecium itaque nobis videtur, huiuſce
odi ſtatutorum volumina inter viſitandum excutere, &
æ Euangelicæ puritati, atque fraternæ charitati, denique
ſciplinæ eccleſiaſticæ minus conſentanea reperta fuerint,
ſecare: cauereque, ne poſthac vlla noua ſtatuta in eiuſmo-
eccleſijs (niſi tamen noſter acceſſerit calculus) edantur.

In Capitulis, à iuramentorum facili exactione temperandum.

CAPVT 20.

ET quum Chriſtus tanto ſerio iurandi facilitatem prohibuerit, vt niſi neceſſitate veritatis, alioqui periclitan-
dæ, cogamur, omninò non iurare debeamus: coercen-
a eſt illa immoderata in Capitulis iuramentorum exactio,
er quam neceſſe eſt, vt multi in ancipitia periuria corruăt,
uorum non tantum illi qui peierant, ſed & qui cauſam per-
rij temerè exigendo præſtant, rei ſint. Nam Chriſti verbū
ſt: Sit verbum veſtrum, Eſt eſt: non, non: quod amplius eſt,
malo eſt. Et in eccleſiaſtico legimus: Vir multum iurans,
eplebitur iniquitate, & non diſcedet à domo eius plaga. Si
oſipſos dijudicaremus, non vtiquè iudicaremur.

Inter viſitandum de moderandis annis qui expectantia appellantur, videndum.

CAPVT 21.

NVm annos, qui expectantiæ appellantur moderari poſſimus, videbimus inter viſitandum, quando nobis
vel id maximè curæ erit, vt qui recens acceſſerunt Ca-
nonici, aliquot annis de cōſenſu Capitulorum ſuorum, bo-
narum ac potiſſimum ſacrarum literarum ſtudijs, in Acade-
mia aliqua publica & benè Chriſtiana incumbant, vtque tū
ſequantur illos interim redditus præbendarum ſuarum,
quotidianis diſtributionibus tantum exceptis, aut portio e-
iuſcemodi perſonis, iuxta eccleſiarum ſtatuta & conſuetu-
dines aſſignata. Multùm enim refert, viros doctos eſſe in ec-
cleſia Dei, qui veluti ſplendor firmamenti fulgeant, & tan-
quam ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad iuſtitiam
plurimos valeant erudire. Indignum ergo, ſtudio tam fru-
gifero intentos, ac in vinea Domini operantes, diurno de-
nario fraudari, modò tamen teſtimonium exhibeant magi-
ſtrorum, quod totos illos annos rectis operam dederint di-
ſciplinis. Per hæc tamen Canonis inducias, quæ ſe latius por-
rigunt, nolumus coarctare.

Non oportere, à canonico recens admiſſo, pecuniam ſtatutariam duplicatam ob anteceſſorem exegi.

CAPVT 22.

NEc ferendus nobis diutius videtur mos ille irrationabilis, quo ad vnam præbendam receptus, ob ſuos in
eadem præbenda anteceſſores non receptos, (à qui-
bus ius non habet, ſed potius à conferente vel inſtituente)
pecuniam ſtatutariam ſæpius exoluere compellitur. Nec ig-
noramus quoſdam Decanos & capitula in eo eſſe, vt hæc pe-
cuniaria onera (qua recens recepti, contra ſacrorum Cano-
num diſpoſitionem grauantur) indies nouis quibuſdam ad
inuentionibus grauiora, ac tandem importabilia efficiant:
quod penitus improbamus.

Communi neceſſitati eccleſiæ, communi contributione conſolendum.

CAPVT 23.

QVòd ſi fabricæ aut alia neceſſitas eccleſiæ immineat, ſatius eſt, vt quod in communem vertetur vtilitatem,
ex communibus redditibus deſumatur, quàm vt quis
priuatim grauetur. Euāgelicum præceptum eſt, in quo vniuerſa lex conſiſtit & Prophetæ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Ad hanc regulam, veluti ad Lydiū quendam lapidem, omnes actiones ſuas, quum omnes Chriſtianos, tum viros eccleſiaſticos redigere, æquum eſt pariter ac neceſſarium. Mat. 7.

Tribunalia extra templa collocanda.

CAPVT 24.

CVm in quibuſdam noſtris templis iuriſdictionſ eccleſiaſticæ officiales pro tribunali ſedeant, ad quod interdum multo cum tumultu concurritur, delitigaturque: viſum nobis eſt, vt hęc tribunalia foris, intra tamen eccleſiarum pomœria, collocentur. Cordi ſiquidem nobis eſt, vt quæcunque diuinum officium perturbare poſſunt, aut diuinæ maieſtatis oculos offendere, è templis eliminentur: ne, vbi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprædhendantur peccata committi. Ex conc. Lugdu. c. de cel. & immun. eccl. li. 6.

Optandum, vt deambulationes in hiſce eccleſijs prohiberi poſſint.

CAPVT 25.

ATque vtinam commodè deambulationes etiam illas laicorum (qui ad cathedrales ac collegiatas eccleſias ſola rerum nouarum curioſitate ducti confluunt, ibidemque nihil minus, quàm de rebus ſacris: quæ in ſpectantibus illis aguntur, cogitant) ſubmouere poſſimus. Grande equidem putamus piaculum, tam veneranda myſteria, quibus adſtat Deus, & inter quæ Chriſti corpus & ſanguis conficitur, tam irreuerenter haberi. tacemus quòd domus Dei contemnitur, de qua Chriſtus eiecit ementes & vendentes, & non ſinebat vt quis transferret vas per templum, & dicebat docens: Nonne ſcriptum eſt, Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum? Duplici cura hic videbitur opus: tum vt prædicatores verbi Dei ex ſuggeſtis populum ab iſtis deambulationibus ex ſcripturis deterreant, tum vt magiſtratus ciuiles huic rei corrigendæ officium accommodent, cum quibus hac de re agemus. Mat. 21.

Theatrales ludos non inferendos templis.

CAPVT 26.

OLim theatrales quoque ludi & laruarum ludibria inferebantur templis, peſſimo quidem exemplo, adeò vt prouiſione canonica, qua hic deterrimus abuſus aboleretur, opus fuerit: quem ex noſtris diœceſibus iam, vt ſperamus, eiectum gaudemus. Inno. 3. c. cū decorem. de vita & hone. cler.

Cuiuſdam abuſus abrogatio.

CAPVT 27.

IN quibuſdam collegiatis eccleſijs ad ſummum altare, nō ordinarij, ſed mercenarij clerici, presbitero ſacra peragēti, miniſtraturi adiunguntur, qui tamen officio ſuo ſatiſfaciunt minus, quum ab altari ad ſubſellia, ex quibus ſuccinitur, à ſubſellijs rurſus ad altare multum incompoſitè ſubinde diſcurrunt, quod fieri non oportuit, maximè in eccleſijs illis, quæ ordinarijs perſonis abundant, & quorum miniſtri copioſis redditibus ſunt ditati. Nam omnis occaſio contemptus & ſcandali, promiſcuo vulgo adimenda eſt.

Proceſſionum collegiatarum eccleſiarum quæ ad maiorem fiunt, moderatio.

CAPVT 28.

PRoceſſiones eccleſiarum collegiatarum ad ſummum templum, quæ diebus maximè celebribus ac feſtis fiunt, Agath. c. 63. & 64.

procul

proculdubio inſtitutæ ſunt cauſa conueniendi illuc ad Miſſas epiſcopales, deſiderioque recipiendi communionem, vel benedictionem epiſcopalem: iam quum iſti conuentus ſpeciem quidem antiquitatis, & nihil præterea repræſentent, immò pernicioſæ euagationis materiam, & crapulæ occaſionem diebus illis ſacratiſſimis pręſtent, illas nobis eatenus abrogare viſum eſt, vt Collegia in ciuitate noſtra Colonié. in quatuor illis ſummis anni feſtis ac diebus celebribus ſequentibus, quæque in ſuis eccleſijs diuinum officium ſtatis horis reuerenter ſolenniterque concelebrent ac peragant: neque his diebus, niſi quum nos in ſummo templo noſtro præſentes erimus, collegialiter accedant. Nam quantula ſit deuotio Collegiorum quæ tum accedunt, quis Dei cultus ac veneratio, ſatis in aperto eſt. Tacemus, quòd interim apud ipſas collegiatas eccleſias hiſce diebus, maximè inſignibus, ſolenne officium prætermittitur: aut ſi quod dicitur, verius præcipitatur ac truncatur, quàm celebratur.

De proceſsionibus non abrogatis.

Capvt 29.

Reliquas autem proceſſiones more antiquo obſeruari volumus: iubemus tamé, vt clerus ciuitatis noſtræ abuſus qui hactenus irrepſerunt, matura conſultatione præuia, tollere pergat.

Quomodò ad anniuerſaria epiſcoporum in maiori eccleſia conueniendum ſit.

Capvt 30.

Dvm vigiliæ in anniuerſarijs Epiſcoporum in ſummo noſtro templo, conuenientibus illic collegijs, perſoluuntur: inconcinnus, atque adeò ſpecie ipſa non ſatis pius ac deuotus, cantus editur. Quare nobis viſum eſt expedientius, vt collegia ſingula in ſuis templis vigilias haſce deuotè abſoluant, de in eccleſiam noſtram maiorem ad ſacrũ tantùm accedant illic tantiſper facturi moram, donec id cõpleatur, ſingulis interim animum ad Deum ac pias precationes conuerſuris, quemadmodũ ſuperiori articulo diximus.

Minora miniſteria idoneis committenda, ac decenter peragenda.

Capvt 31.

r Conc.
logunt.
c vit. &
o.cler.c.
ó liceat.
r Conc.
gat. ca.
ct.23.di.

Antiquiſſimis Canonibus in pleriſque etiam Cõcilijs ſancitum eſt, ne laici ſecus altare in clericos miniſtrẽt, neve inſacrati miniſtri licentiam habeant ingrediendi in ſacrarium, quod Græci diaconium appellant, neve vaſa dominica contingant. Præterea, ne reliquiæ ſanctorum & veſtimenta eccleſiaſtica, quæ honeſta eſſe decet, niſi tantùm à ſacratis miniſtris attrectentur: adeò, vt ne ſacratis quidem Deo fœminis ac monachabus aut lectoribus, etiam ſacra vaſa vel ſacratas pallas contingere, vel incenſum circa altare præferre licuerit, verùm id ſolis diaconis permiſſum ſit, expreſſim autem laicis vetitum, ne pallas, eccleſiæ vela, ac altaris ornamenta abluant. Neque patres hic ſcripturis deſtituuntur. Iam verò eò ventum eſt, vt quatuor illi minores ordines, nempe oſtiarij, exorciſtæ, pſalmiſtæ ac lectores, nõ temere ab eccleſia inſtituti ac recepti, præter nomen nihil in eccleſia retinuerint, illorumque loco tenues aliquot homines laici, qui per eccleſiæ prælatos minoris compendij gratia ſubrogantur, illorum officij ſeſe ingerant, idque indecorè: quippe nullo penitus clericali habitu amicti, inter quos ſunt, quos appellamus campanarios, quos ad minimum (cereis accendendis, alijſque in choro miniſtrationibus intentos) deceret ſuperpelliceis indui. Ne interim prætereamus ablutionem pallarum, veſtimentorumque altarium: breuiter, ſacrorũ cuſtodiam talibus per cuſtodes ſeu theſaurarios noſtri temporis committi, quos hæc contingentes antiquitas nefarij criminis ſimul cum ſurrogãtibus damnaſſet: quare cautius poſthanc agendum, ne ob talem præſumptionem Dominus iratus, plagam populo, qua ſimul innocens cum nocente inuoluatur, immittat.

PARS QVARTA.

De parochis ac eorum vicarijs, alijſq́; verbi miniſtris.

Capvt Primvm.

Titulus hic cum generalis ſit, in pleroſq́; alios ſcinditur. Primùm enim videndum eſt, qui ad verbi miniſterium & regimen eccleſiarũ admittendi ſint: deinde, de vita ac moribus eorum: poſt, de officio, quod in duobus potiſſimum ſitum eſt, diſſeminatione verbi, & adminiſtratione ſacramentorum. Poſtremò, de ipſorum victu, de quibus ſpeciatim diſpiciemus. Ante omnia tamen lectorem admonitum eſſe volumus, hos eſſe locos, quos eccleſiarum iubar D. Paulus in epiſt. ad Timotheum ac Titum accuratiſſimè tractat. Nam huc illi potiſſimum ſpectant, vt ſciant Timotheus ac Titus, quomodò oporteat eos in domo Dei cõuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viuentis, niſi quòd articulus adminiſtrationis ſacramentorum, & qui de victu eſt, alibi fuſius explicantur. Porrò cùm hæ Paulinæ epiſtolæ merè aureæ ſint, & nulli nõ parocho cognitu in primis neceſſariæ: idcircò ad verbum ædiſcendæ, memoriæ mandãdæ, ac opere cõplendæ erunt. Ex quibus & alijs euangelicis apoſtoliciſque ſcripturis ac patrum ſanctionibus, nos quędam decerpemus, quo dilucidius fiat, in quibus hactenus magno cum reipub. detrimento peccatum, & quid deceterò parochis facto opus ſit.

Qui admittendi.

Capvt 2.

Qvum Chriſtus Ieſus paſtor ille bonus, ac paſtorũ princeps, qui poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis, circuiret omnes ciuitates & caſtella, docens in ſynagogis eorum & prædicans euangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitaté, quum, inquam, is qui venit requirere & ſeruare quod perierat, vidiſſet turbas, miſertus eſt eis, quia erant vexati & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem, dicebatque diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominũ meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

Orandus Deus, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

Capvt 3.

Nvm, queſo, putamus necdum tempeſtiuum eſſe interpellare Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem, ac paſtores, non quoſlibet, ſed ſecundum cor ſuũ, nimirum ouibus miſerè diſſipatis ac balantibus requirẽdis? Quis, niſi in media luce cæcus non præſentiſcat, nos in ea periculoſiſſima tẽpora incidiſſe, in quibus prædictiones Chriſti & apoſtolorum ſcripturæ, omnino atque omni ex parte complentur? Quis enim non videt veniſſe, irrepſiſſeque numeroſa admodum caterua ad nos, falſos illos prophetas in veſtimentis ouium, qui ſint intrinſecus lupi rapaces, qui nõ introierint per oſtium in ouile ouium, ſed aſcenderint aliũdè fures ac latrones? Non enim venerunt, niſi vt furentur & mactent & perdant, quos videntes mercenarij, & qui nõ ſunt paſtores, venientes, fugiunt & dimittunt oues, & lupi rapiũt & diſpergunt eas. Fugit enim mercenarius, quia mercenari eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Poterant direptore iſti ſub exuuio ouino aliquandiu deliteſcere, niſi Chriſtu eos prodidiſſet: Ex fructibus, inquiens, eorum cognoſceti eos, quòd non poſſit arbor bona fructus malos facere, ne arbor mala fructus bonos. Ex fructu enim ſuo vnaquæqu arbor cognoſcitur.

Vnde dignoſcere oporteat pſeudoeccleſiaſtas.

CAPVT 4.

QVos qui velit penitus agnoſcere, is 2. Petri epiſt. legat. c.3. & quæ eiuſdem argumenti eſt, Iudæ Apoſtoli vnicam, & eas potiſſimum diui Pauli epiſtolas, quas ad Timotheum ac Titum quo epiſcopos ſuos præſcripſit, in quibus illos eodem quo Dominus, nomine, appellat lupos rapaces, non parcentes gregi. Ex nobis quidem ſuborituros, ſed peruerſa loquentes, vt abducant diſcipulos poſt ſe, homines ſeipſos amantes, cupidos, elatos, ſuperbos, blaſphemos, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incõtinentes, proteruos, reprobos circa fidem. A fine præcepti, quæ charitas eſt, de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta, toto cælo aberrantes, in vaniloquium conuerſos, ſeductores, proficiẽtes in peius, errantes, & in errorem mittẽtes, magiſtros prurientes auribus, & in fide (quòd bonam conſcientiam repulerint) naufragos, verbis contendentes, ſanis verò ſermonibus & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ, neutiquam acquieſcentes, ſuperbos, languentes circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, ac proinde ad nihil vtiles, niſi ad ſubuerſionem audientium, quorum ſermo vt cancer ſerpit. Nũquid poterat Apoſtolus futurorum conſcius, hoſce pſeudoeccleſiaſtas apertius aut dilucidius deſignare? quos nullus profectò Apelles tam expreſſim ſuis coloribus depingere potuiſſet.

Soli authoritate ordinaria comprobati, ad verbi miniſterium admittendi.

CAPVT 5.

ADuerſus hos pſeudochriſtos & pſeudoprophetas, nõ præmuniuit Chriſtus: Videte, inquit, ne ſeducamini. Multi enim venient in nomine meo, & multos ſeducent, vt in errorem (ſi tamen fieri poteſt) ducantur etiam electi. Nolite ergo ire poſt eos. Vos ergo (vti ſubiocit commonens) videte, Ecce prædixi vobis omnia. Chriſti ergo præceptum, quantum nobis ipſe concedit, ſequentes, quo lupos tam peſtilentes ab ouilibus ac diœceſibus noſtris abigamus, viſum nobis eſt operæprecium fore, antiquos innouare canones, quibus præcipitur, ne vlli ad Verbi miniſterium ſeu prædicationis officium, niſi miſſi, authoritateque ordinaria approbati ſint, admittantur. Quomodò enim (ſecundum Apoſtolum) prædicabunt, niſi mittantur?

Quòd legitimi ordinarij verbi miniſtri ſunt, parochi & illorum vicarij, modò tamen hi examinati prius & admiſſi ſint.

CAPVT 6.

ORdinarij ergo verbi miniſtri, eccleſiarum parochialium legitimi rectores ac parochi ſunto, quos etiam perſonaliter apud eaſdem eccleſias, ſecundum canonicas ſanctiones perpetuò reſidere volumus: niſi tamen eos magna ratio, veluti quòd vel maioris ac publicæ vtilitatis cauſa abſint, quæ & noſtro calculo approbari debet, vel quod ſoli ob parochiæ amplitudinem gubernationi tantæ non ſufficiant, excuſauerit. Tum enim qui per illos delegabuntur vicarij ſeu vicecurati, (modò tamen hi etiam examinati, & tam quòd ad vitæ integritatem, quàm Chriſtianæ eruditionis puritatẽ & zelum attinet, idonei reperti fuerint) noſtro permiſſu eodem officio perfungentur. Qui verò deinceps in vicecuratos aſſumentur, Vicarij noſtri in pontificalibus ac Theologorum ei per nos adiungendorũ: in diœceſibus verò Suffraganeorum noſtrorum, illorum, quibus hoc muneris committendum duxerint, cenſuram (num videlicet obeundo muneri apti ſeu idonei ſint, vel minùs) expectabunt.

Fratres mendicantes quatenus admittendi.

CAPVT 7.

ALiquot retrò ſeculis in eccleſiam recepti ſũt quatuor mendicantium fratrum ordines, quo parochorum in verbi miniſterio cooperarij forent. Quos abſit vt repellamus, ſi tamen intra concilij Viennen. ſub Clemente quinto celebrati, aliarumque canonicarum conſtitutionum cancellos ſe continuerint. Nec antè acceſſerint, quàm per ipſorum prælatos, vt viri inculpatæ vitæ, diſcreti pariter ac modeſti, ac verbi diuini probè gnari, iudicentur, atq; ad hoc munus deligantur: deinde etiam vicarijs noſtris in pontificalibus præſentati, tales inuenti fuerint ac permiſſi. [Ex Conc. Vienen. cle. dudũ, de ſepul.]

Quam modeſtiam fratres mendicantes in Verbi prædicatione ſeruare oporteat.

CAPVT 8.

QVi tamen quum in ſubſidium tantum vocati ſint, ordinarijs eccleſiarum rectoribus moleſti eſſe deſinent, ita videlicet, ne eoſdem (quum ſuo munere fungi ipſimet velint, præoccupent, neve quos in excolenda vinea Domini iuuare debent in concionibus, virulenta ac detractoria lingua carpant, vti nonnulli huius generis ſolent, qui inflati ac incõpoſiti populi auribus demulcẽdis ſtudent, ſuã, non Chriſti, gloriam ambientes: [Ex decr. Pontia. Pont.] Tam ignari omnis eccleſiaſticæ diſciplinæ, vt ignorent parochos, ſi fortè ceciderint, ſuos habere iudices, non ipſos fratres cenſores: multo minus promiſcuam plebem, quam exploratum eſt, multis eccleſiaſticorum virorum amarulentis detractionibus adeò non emendari, vt ſcandalizetur multò magis. Nec audiendi ſunt iſti, ſi ſeruos Dei accuſare ſe diſcant, vt meliores fiant, quum potiùs inuidiæ ſtimulis adulationiſque, quàm charitatis ſtudio agitari conuincantur. [Ex decr. Anacle.] Idipſum vel propria eorum conſcientia atteſtante, quod ſciant nullum vel in ſeculo, ne dicamus in eorum monaſterijs, inueniri, qui velit ſuum ſeruum ab alio, quàm à ſe, iudicari: adeò vt ſi quis ſecus facere præſumpſerit, hunc & multa ſequatur indignatio & vlciſcendi cupiditas. Quin Paulum audiant dicentem: Nolite iudicare inuicem, ſed hoc iudicate magis, ne offendiculũ detis fratri. [Rom. 4.]

Non ferendi, qui in iuriſdictiones & poteſtates temerè ad plebem inuehuntur.

CAPVT 9.

MVltò minus ferendi ſunt, qui, vt auram venẽtur popularem, in iuriſdictiones epiſcopales ac ordines eccleſiaſticorum pariter & ciuilium magiſtratuum inuehentes, temerè vociferantur ad populum: [1. Tim. 1.] non intelligẽtes interdum neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant. Quo nihil aliud efficiunt, quam vt plebem, alioqui ſatis in clerum iritatam, iritatiorem reddant, ac gliſcendi ſeditionum igni oleum ſubminiſtrẽt. Iuriſdictiones ac magiſtratus eſſe oportet. Quod interdum perſonarum, non ordinis ſeu magiſtratus, vitio peccatur, alia prouidentia purgandum eſt, non cæco plebis iudicio expendendum. fraterna correptione opus erat, non accuſatione aut laceratione ex ſuggeſtis. [Matt. 18.] Et vt omnia non ſtatim ad viuum vſque repurgentur, quod fieri vix poteſt, non grauabuntur iſti oculati, in ſe quoque deſcendere, ac ſuos erratus inſpicere, quo tandem æquiores fiant, diuiniſq; iudicijs etiam quædam relinquant. [Ex can. Anaclet.] Si enim omnia (vt ſcitè Anacletus ait) in hoc ſeculo vindicata eſſent, locum diuina iudicia non haberent. Sed de his ſatis.

Abuſus eſt, qui parocho ſuo officio interdicit.

CAPVT 10.

EX his quæ diximus, conſequitur, eum morem, qui alicubi irrepit, penitus irrationabilem, ne dicamus execrabilem abuſum eſſe, quo legitimi eccleſiarum parochi adi-

guntur

Google

guntur iureiurando affirmare, ſeſe in ſuis eccleſijs fratres medicátes ad verbi miniſterium (etiam ſi ipſimet pro ratione ſuſcepti ac concrediti muneris eo fungi velint) perpetuò admiſſuros. Quid enim hoc more aliud agitur, quam vt parocho officium, quo ſe Chriſto & eccleſiæ obſtringit, adimatur, ac in alium relegetur? Id vitij, vt ſpes eſt, curabimus.

Fratres mendicantes his ſynodalibus conſtitutionibus erunt parentes.

CAPVT 11.

AEquum quoque cenſemus, vt qui ex fratribus huic muneri accingi velint, noſtris Vicarijs in pontificalibus ſeriò promittant, ſeſe hiſce ſynodalibus inſtitutis omninò obtemperaturos, quo ſermo Dei purè, ſyncerè, ac ſine offenſione decurrat.

Decet quoque, vt fratres eatenus ordinariæ poteſtati ſubijciantur.

CAPVT 12.

QVi vt ordinariæ noſtræ poteſtati, quòd ad eiuſcemodi functionem attinet, ſubijciantur, & eatenus monaſticæ profeſſionis regulis, obligationibuſque eximantur, nõ decens tantum, ſed & iuſtum putamus.

De ſemel certo loco deſtinatis ac admiſſis, non temerè retrahendis.

CAPVT 13.

QVi verò ſemel præſentati & admiſſi fuerint, vt certo loco hoc miniſterio fungantur, non debebunt temerè ſeu præter noſtrum aſſenſum à ſuſcepto munere retrahi. Nam frequentem perſonarum mutationem, periculoſam putamus: vt interim ſileamus, ſæpè minus idoneum in idonei locum ſubrogari.

Qui nulla legima authoritate innixi, ſe Verbi miniſterio ingerunt, vti ſeditioſi comprimendi.

CAPVT 14.

x Conc. Antioch. 5. EXtra ordinarios parochos, illorumque legitimos cooperarios, nemo deinceps neque ſuggeſtum occupet, neque conuenticulas vel in priuatis domibus vel vicis faciat, aut quouis tandem modo vſurpet. Quòd ſi quis ſecus agere præſumpſerit, & inobediens perturbare eccleſiam Dei (quæ foris eſt) perſeuerauerit, hunc tanquam ſeditioſum corripi oporteat.

Prohibentur omnes apoſtatæ, monachi ignoti, ac peregrini ſpermologi.

CAPVT 15.

QVamobrem prohibemus omnes apoſtatas, monachos ignotos, item iſtos ac peregrinos ſpermologos, quorũ neque doctrina, neque vita vlli perſpecta eſt: eritque proinde curæ ciuilibus magiſtratibus ac præſidibus, vt de his inquirant diligenter: & quos nos proſcripſimus, eos illi cum receptatoribus ipſorum doli mali conſcijs, excedere prouincia compellant: Niſi quid ſeuerius culpa horum præuaricatorum in ipſos ſtatuere poſtulauerit. Iam vt inueniatur quiſpiam (quod abſit) qui aliter quam legitimè parochiã occupauerit, hunc abijci ſtatim oportet, quantumuis plebs, quam corrupit, eum retinere contendat.

x Conc. ardi. 1. & Lao. 13.

De terminarijs, quatenus admittendi.

CAPVT 16.

EX ordine mendicantium, qui oppidatim ſoli commorantur, quos Terminarios appellamus, vitam interdũ agere monachiſmo plurium diſſimilem cognouimus, Proindeque multis eſſe inuiſos: hos potius, quum officio prædicationis ſtatis illis diebus perfuncti eſſent, eleemoſynaſque collegiſſent, ſtatim ad monaſteria ſua regredi, ibidemque quieti operam dare, atque obſeruare ieiunia & orationes iuxta ordinis ſui inſtitutum malumus, quam vitam communem, ne dicamus licentioſam, inter ciuium turmas ducere. Vbi tamen monaſteria ab oppidis aut vicis tam lõgè diſſita fuerint, vt vnius diei itinere repeti non poſſint, nolumus Terminarios iſtos hac lege teneri, modò tamen viri graues & annoſi, vitæ quoque ex omni parte integræ, ac ſanæ doctrinæ comperti fuerint, ac id etiam viſitatione potius quàm conſtitutionibus cauebitur.

Priuilegijs fratrum nihil derogatur.

CAPVT 17.

NOlumus autem per prædicta, priuilegijs, ordinibus fratrum mendicantium rite & legitimè cõceſſis, præiudicare.

Monachorum eccleſiæ, per ſeculares (vt vocant) presbyteros gubernandæ.

CAPVT 18.

EAdem ratione decens eſt, vt monachi, qui parochiales eccleſias cura animarum apud ipſum monaſterium, nõ perſonam, relicta, incorporatas (vt vocant) monaſterijs, perpetuam vitam agere conuenit, ſed per vicarios presbyteros ſeculares, modò haberi poſſint, ad eundem modum quem ſupra diximus, examinandos admittendoſque, gubernari procurent. Quibus etiam de eccleſiæ prouentibus tantum aſſignare obligati erunt, vnde & iura epiſcopalia perſoluere, & congruam ſuſtentationẽ habere poſſint: quod vt fiat, nobis curæ erit. Non tamen tam duri hic erimus, quominus interdum viros monaſticos, quos ſingulari vitæ exẽplo & doctrinæ ſalutaris diſſeminatione inſignes comperiemus, apud eccleſias parochiales relicturi & confirmaturi ſimus.

PARS QVINTA.

De vita ac moribus parochorum.

QVanquam de vita ac moribus clericorum ſupra dixerimus, videtur tamen hic locus poſtulare, vt ſpeciatim aliquid de conuerſatione ac moribus parochorum dicamus, quod horum vita & officium diuo Paulo præcipuè curæ fuerint, adeò vt his rectè ſe habentibus, de reliquis non admodum magnam ſolicitudinem habuiſſe videatur. Nec immeritò: res enim ipſa declarat, ac priſca ſecula meminerunt, quàm tranquilla, quam florens, quam fructificãs, quam denique felix eccleſia fuerit, dum talibus eſſet parochis inſignis, qui euangelicis apoſtoliciſque inſtitutis, ſanctorumque patrum regulis adducti, non tantùm vocabulo, ſed & facto præſtabunt quod dicebantur. Contra verò, in quantos æſtus, tempeſtates, procellas, ac pericula, ob eoſdẽ ſenſim in diuerſum mutatos ac varicantes, eccleſiæ nauicula miſerè cõiecta ſit, nos ſentimus. Ex quibus rurſus emergere quum certo certius non poſſumus, niſi nos (quibus gregem ſuum Chriſtus paſcendum cõmiſit) vias Dñi rectas, à quibus varicãdo excidim⁹, in ambulare pergamus: quid tandẽ aliud conſilij capiendum nobis, quàm vt ſinguli, quales eſſe debemus, tales & ſimus? atque hoc inſigne Chriſti verbum, quod hinc diſcedẽs, Petro ouiculas ſuas committens, poſt tertiam demum

demùm dilectionis ſtipulationem, promiſſionemque, vti vltimum elogium ac memoriale, fideliſſimè diligentiſſimeque inculcauit, & mente & opere teneamus, quod eſt, Paſce agnos meos. Id fecerimus, ſi gregem Chriſti poſt Chriſtum vnicè diligamus, atque eundem tam verbi doctrina, quàm operis exemplo paſcamus, diuinorumque ſacramentorum diſpenſationem tueamur, defendamuſque.

Vita vt doctrina in parocho conueniat, neceſſarium.

CAPVT 2.

VBique fermè, cùm de parochis ſermo incidit, ſcriptura vitam doctrinæ copulat: nimirùm quòd qui vitam agit doctrinæ contrariam, plus exemplo deſtruit, quã ædificet verbo. Oportet enim & fieri ſermonem, non tantùm dici: alioqui competet in parochum, quod Seneca Platoni obiectum fuiſſe refert: Aliter loqueris, aliter viuis. Et quod Chriſtus Phariſæis imputat: Dicunt enim, & non faciunt: Alligant onera importabilia in humeros veſtros, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Apponatur ergo manus ori neceſſe eſt, ne ſit vox quidem vox Iacob, manus autem Eſau. Porrò vox operum fortius ſonat, quam verborum. Intuendus nobis paſtorum princeps eſt, cuius tota vita ſua doctrina eſt, qui cæpit primum facere, poſt docere. Siquidẽ potens opere & ſermone, qui diſcipulos Ioannis, de aduentu Meſſiæ rogantes, ad opera remiſit, dicens: Ite, dicite Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis. Qui denique non ſolum vocat oues ſuas nominatim, ſed & vadit ante eas. Et eum tantùm qui ſic docuerit & fecerit, magnum in regno cælorum fore pollicetur.

Paſtorem, gregis exemplum eſſe oportere.

CAPVT 3.

2. QVare beatiſſimus Paulus Eccleſiæ miniſtrum inſtituturus: Exemplum, inquit, eſto fidelium, in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Itidem ad Tit. 2. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum ſanum, irrepræhenſibile, vt is qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Sal enim terræ & lux mũdi, prædicator euangelij dicitur, & lucerna ſuper candelabrũ poſita, vt luceat omnibus qui in domo ſunt: ſic, vt videant homines opera illius bona, & glorificent Patrem qui in cælis eſt. Quòd ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? ad nihilum enim valet vltrà, niſi vt proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus Apoſtolus itaque hoc præceptum commendat Timotheo, vt militet bonam militiam, habens non
n.1. tantùm fidem, ſed & bonam conſcientiam: quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus tum erant Hymenæus & Alexander, quos tradidit Satanæ, vt diſcant non blaſphemare. Interea verò ex eodem numero omnes hæretici fuere.

Vitanda parocho in primis auaritia.

CAPVT 4.

IAm quę clericis vitanda erunt, ſuprà diximus. Ea ipſa potiſſimum Paulus quàm longiſſimè à parochis eſſe vult, &
m.5. quæ illis oppoſita ſunt, in ipſis quàm maximè elucere.
1.4. Primum ſcilicet, vt abſtineant ab omni auaritia. Hoſpitales enim erunt, non turpis lucri cupidi, non opes, ſed animas venantes, non auri, ſed hominum piſcatores: alioqui ex paſtoribus fient mercenarij, & vertentur in lupos, audientq; Do-
ch.34. minum per Ezechielem exprobrantem: Lac comedebatis, & lanis operiebamini: quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis: quod infirmum fuit, nõ conſolidaſtis, & quod ægrotum erat, non ſanaſtis, quod cõfractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, nõ quæſiuiſtis, ſed cũ auſteritate im-
im.6. perabatis eis, & cum potentia, & cætera quæ ſequuntur. Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueũ diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix quippe omnium malorum, eſt cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu verò ô homo Dei, hæc fuge: ſectare verò iuſtitiam, pietatẽ, fidem, charitatem, patientiam, & manſuetudinem.

Parochi familiam, irrepræhenſibilem eſſe debere.

CAPVT 5.

INterim erit domui ſuæ benè præpoſitus, vt non tantùm ipſe, ſed & ſua familia irreprehenſibilem vitam agat. Qui enim domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodò eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Oportet autem illum & teſtimonium habere ab his qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. 1. Tim. 3.

Parocho luxus omninò cauendus.

CAPVT 6.

DEindè procul abſint parochi ab omni luxu. Sobrium enim vult parochum eſſe Paulus, nec multo vino deditum, ac vino potius ad neceſſitatem, quàm ad voluptatem vtentem, quemadmodum ipſe Timotheo præcipit, 1. Tim. 3.
ne aquã adhuc bibat, ſed modico vino vtatur, propter ſtomachum ſuum & frequentes infirmitates. Neſciat ergo parochi domus commeſſationes crapuloſas, execretur cõpotationes illas, ad æquales hauſtus obligatorias. Sit procul à ſymbolorum (vt vocant) dationibus. Turpiſſimum putet, niſi cauſa neceſſitatis, intrare tabernam, quaſi domum non habeat ad edendum & bibendum. Breuiter, vitet omnia quę paſtoralem authoritatem aut dedecorant, aut imminuunt.

Pudicitia ſeruanda Parocho.

CAPVT 7.

DEteſtetur quoque omnem libidinem. Nam oportet parochũ eſſe pudicũ, 1. Tim. 3. & ſe præbere exẽplum in caſtitate, 1. Tim. 4. ne in eum verè dicatur: Qui alium doces, teipſum non doces: Qui prædicas non furandũ, Rom.2.
furaris: Qui dicis non mœchandum, mœcharis: Qui in lege glorificaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras: per quod blaſphematur nomẽ Dei inter gentes. Quo enim vul- 1. Cor.6.
tu fornicarios cælo excludet cum Paulo, qui huic volutabro Eph.5.
cœni ipſe immerſus eſt? An exiſtimas (inquit ipſe Paulus) ô Gal.5.
homo omnis qui iudicas eos qui talia agũt, & facis ea, quia tu Rom.2.
effugies iudicium Dei? In quo enim iudicas alterũ, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Scimus quippe, quia iudiciũ Dei eſt ſecundũ veritatẽ in eos qui talia agunt.

Quæ fugienda parocho, & quæ ſectanda.

CAPVT 8.

DEniq; Paulus ad Timoth: Iuuenilia, inquit, deſideria 2. Tim.2.
fuge, ſectare verò Iuſtitiam, Fidẽ, Spem, & Charitatẽ, & Pacem cum his qui inuocant Dñm de corde puro. Labora ſicut bonus miles Chriſti. Nemo enim militãs Deo, implicat ſe negocijs ſecularibus, & quæ ſequuntur. In ſumma, ſolicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo, operariũ inconfuſibilẽ, rectè tractantẽ verbũ veritatis. 2. Tim. 2.

PARS SEXTA.

De diſſeminatione verbi.

CAPVT PRIMVM.

HOc miniſterium ſanctiſſimus Apoſt. cæteris omnibus 1. Cor.1.
præfert. Vndè & Corinthijs ſcribens, ait: Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed Euangelizare: cui & cæteri Apo-

ri Apoſtoli adſtipulantur, quum inquiunt: Non eſt æquum Acto. 6.
nos relinquere verbum, & miniſtrare menſis. Quinimò &
Marc. 16. Chriſtus alijs anteponit: Euntes, inquiens, in mundum vniuerſum, prędicate Euangelium omni creaturæ, ac docete o-
Matt. vlt. mnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque manda-
1.Tim. 4. ui vobis. Quamobrem Paulus Timotheum ſuũ excitans, ait. Attende lectioni, attende exhortationi & doctrinæ, noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiã cum impoſitione manuũ presbyterij. Hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis. hoc enim faciens, & teipſum ſaluũ facies, & eos qui te audiunt. Et iterùm: Tu verò vigila, in o-
2.Tim. 4. mnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, prædica verbum inſta opportunè, importunè miniſterium tuum imple.

Quid parocho meditandum.

Capvt 2.

Meditabitur parochus quid ipſi Dominus per Ezech. cap. 33. ac 34. præceperit, parabolaque ſpeculatoris menti infigenda eſt: Speculatorem, inquit, dedi te domui Iſrael. Quòd ſi ſpeculator viderit gladium venientẽ, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritq́; gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpecu-
Iac. 5. latoris requiram. Parochi ſiquidem ſunt, quibus potiſſimũ dictum eſt: Fratres, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuertit quis eum, ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animã eius à mor-
Thren. 4. te. Dura eſt nimis illa Prophetæ lamentatio: Paruuli petierunt panem, & nemo dabit eis. Paſce ergo fame morientem:
Ambroſ. ſi non paueris, occidiſti. At homo ex duabus partibus conſtat, ex carne ſcilicet & ſpiritu. Duplici ergo cibo opus eſt.
Matt. 4. Nam vt ſcriptura ait: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Cibus exterior carnẽ tantùm mortalem reficit, & intrans per os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Panis autem ſpiritus, tam per verbum prædicationis, quàm ſacramẽtaliter in veritate cor-
Ioan. 6. poris & ſanguinis Dominici, in viua fide comeſtus, viuificat, reficit, ac vegitat animam, qui non perit, ſed permanet in vitam æternam: & hunc qui ederit, non morietur in æ-
Heb. 5. ternum, Id quod omnes pij ſciunt ac ſentiunt. Viuus enim ſermo Dei eſt, & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti, ac pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagumq́ue & medullarum.

Fidelitas inprimis in parocho requiritur.

Capvt 3.

1.Cor. 4. Hic iam inter huius cæleſtis panis diſpenſatores quæritur, vt fidelis quis inueniatur. Fidelis, inquam, ſeruus
Matt. 24. & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis eſcam in tempore. Beatus ille ſeruus, quem quum venerit Dominus eius, inuenerit ſic facientem. Sin ſecus veniet Dominus ſerui illius in die quo non ſperat, & hora quam ignorat, & diuidet eum, partemq́ue eius ponet cum hypocritis, vbi erit fletus & ſtridor dentium.

Quis ſit fidelis verbi diſpenſator.

Capvt 4.

1.Ioan. 4. Is autem fidelis eſt diſpenſator, atteſtante diuiniſſimo Io-
Tit. 2. anne, cuius ſcopus vnicus ille Chriſtus eſt, & cuius ſpiritus confitetur Chriſtũ in carne veniſſe: id eſt, vt D. Paulus interpretatur, qui docet apparuiſſe gratiam Dei & Saluatoris noſtri, omnibus hominibus ad erudiẽdum nos, vt abnegantes omnem impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè, iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpẽ, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Qui, inquam, docet eundem Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum hominem factum, vt daret ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Quibus verbis ſanctus Paulus duas in Chriſto naturas, verbi ſcilicet & carnis, indiſſolubili vinculo cohærentes, & vtriuſque naturæ rationem complectitur. Verbi, quatenus erudit nos, docens quæ ſint voluntas patris, quàm facientibus denunciat præmium, præuaricantibus verò pœnam æternam. Carnis verò, quatenus datus & immolatus eſt pro Ioan. 1.
nobis in ara crucis Agnus immaculatus, & victima tollens 1. Pet. 2.
peccata mundi, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius, & eadem cogitatione armemur: quia qui paſſus eſt in carne, deſijt à peccatis, vt iam non deſiderijs ho- 1. Pet. 4.
minum, ſed voluntate Dei, quod reliquum eſt in carne temporis, viuamus. Omnis autem ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniã 1. Ioan. 4.
venit, & iam in mundo eſt.

Omnis ſcriptura ad geminam charitatem exigenda.

Capvt 5.

Is item fidus eſt miniſter verbi, qui omnem ſcripturam ad Chriſtianam exigit Charitatem. Charitas enim Chriſtianiſſimum conſummat, quemadmodùm apud diuum Paulum legimus: Finis præcepti, eſt charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Et eſt potiſſimum illud 1. Tim. 1.
indicium, quo Chriſtiani eſſe comprobamur. In hoc (ait Chriſtus) cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis inuicem. Vnde B. Auguſtinus in libris Ioan. 13. 15
de doctrina Chriſtiana, breuiſſimam methodum ad perueſtigandas, intelligendaſq́ue ſcripturas commonſtrare vo- Aug. de
lens: Quiſquis, inquit, ſcripturas diuinas vel quamlibet earũ doctrina
partem intellexiſſe ſibi videtur, ita vt in illo intellectu non Chriſt. li.
ædificet geminam charitatem Dei & proximi, is nondum 1. c. 36.
intellexit, quod legis ac ſcripturarum ſumma, finis ac plenitudo, ſit dilectio, quæ duobus mandatis comprehenditur: Rom. 13.
nempe, Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex tota virtute tua, & diliges proximum tuum ſicut teipſum. Et quemadmodum vultis Matt. 22.
vt faciant vobis homines ita & vos facite illis. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ. Quicunque er- Matt. 7.
go ad hanc amuſſim doctrinam ſuam attemperat, is nunquã poteſt perniciosè errare.

Summa Euangelicæ prædicationis.

Capvt 6.

Ezechiel verò Propheta ſummam ſuæ prædicationis dominum enarrantem facit, hiſce penè verbis: Viuo ego, dicit Dominus: Nolo mortẽ peccatoris, ſed vt conuer- Ezech. 18.
tatur impius, & viuat. Iuſtitia iuſti nõ liberabit eum, in quacunque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. Quare qui egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque iudicium & iuſtitiam, & in mãdatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquã iniuſtum, vita viuet & nõ morietur. quod Chriſtus breuius complexus: Pœnitentiam, inquit, agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Sed de his alias locupletius. Sufficerit hic vtcunque indicaſſe ſcopum. Math. 4.

Parocho cautiſſima ſolicitudine in prædicatione verbi vtendum.

Capvt 7.

Qvo autem ſolicitius parochus prouinciã, cui admotus eſt, gubernare ſatagat, haud exiſtimabit ſe alicui leui muneri, ſed omnium grauiſſimo ac difficilimo præfectum, tantæ nimirum difficultatis, vt verbi prædicatorem vndequaque abſolutum, vix vnum è millibus reperias. Nõ idem eſt ouium palatum, magna in paſcendis varietas: quod vnam ouiculam nutrit, alteram macerat aut mactat. Culpauerit aliquis auaros, prodigus hinc argumẽtis prodigalitatis ſuæ colliget. Culpauerit pdigos, auarus indè tenacitatis ſuæ excuſationẽ arripiet. Ea eſt hominũ malitia, vt nedũ alia, ſed

& ſanctiſ-

& ſanctiſſimum Dei verbum, pro ſuis quiſque affectibus, ac
ad ſua deſideria cõfouenda potius quam eradicanda, trahat.
Videmus, proh dolor, quemadmodum hac tempeſtate ple-
rique ſacras literas in parabolam ac prouerbium vertant, at-
que ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſumma vi atque
impudentia torqueant, adulterantes verbum Dei. Quare
parochus cautiſſima ſolicitudine agere debet, per gladium
Dei ſecantem à dextris & ſiniſtris, vt medium iter pateat ad
incedendum per viam regiam mandatorum Dei.

Quemadmodum ſermo temperandus.

Capvt 8.

ATtemperandus ſermo, quoad eius fieri poteſt, pro au-
ditorum captu. Alij ſiquidem acri ingenio ac iudicio
ſunt, alij hebetes animo, ac rudi Minerua præditi: qui-
dam attenti, quidam verò deſides: hi rectè ac ſyncerè inſti-
tuti, illi ſeducti ac decepti. Diſcretione ergo maxima opus
eſt. Breuiter, nemo erit, concionator abſolutus, cui præter
vitam exemplarem non adſint omnia quæ ſequuntur, nem-
pe, cognitio ſcripturarum vtriuſque Teſtamenti, ingenium
velox, ſolers atque verſatile, eloquentia vehemens, ſuadibi-
lis & ſuauis: neque interim minus temperata, quam copioſa
prudentia rerum ac perſonarum docendarum, experientia
multiplex, immobilis conſtantia. Deniq; ſpiritus, qui ſi de-
10. erit, reliquis donis parum profecerit. Non enim vos eſtis
qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vo-
bis. Quomodò enim ad æternarum rerum deſideria alios
accendet, qui ipſe totus languet ac friget, nondum ſpiritu cõ-
cepto, qui ex Deo eſt, quem & ipſe Deus dat bonum peten-
tibus ſe? En quam arduum eſt concionandi munus. Nec ta-
men propterea diſſidentia (quæ plerunque multos auertit)
11. deferendum. Ad euangelicãdum miſſi ſunt parochi. Væ er-
go illis, ſi nõ euangelizauerint. Si quis autem eorum ſapien-
tia indiget, ſcrutetur ſcripturas, & poſtulet à Deo, qui dat o-
mnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.

Quid cauendum inter concionandum.

Capvt 9.

CAuebit autem modis omnibus, ne lubricus in docen-
do ſit, huc illucque effluens. Et in primis, ne vento do-
ctrinarum ab eccleſia Catholica non receptarum, ve-
luti nubes ſine aqua circunferatur, ſed formam habebit ſa-
norum verborum, ab eccleſiæ (quæ columna veritatis eſt)
inſtituto nihil diſcrepantium. Tu, inquit Paulus ad Titum,
loquere quæ decent ſanam doctrinam, verbum ſanum &
irrepræhenſibile.

Nihil aut fabuloſum, aut ſuſpectum adferendum.

Capvt 10.

INeptas autem & aniles fabulas deuitabit, qualia nuper e
rant, quæ ex nullis probatis authoribus, ſed potius ſuſpe
ctiſſimis obſcurorum hominum commentis, adfereban
tur exempla: Olim verò genealogiæ interminatæ, quòd ad
pietatem illa nihil fecerint. Exercebit autẽ ſeipſum ad pieta
tem, quòd corporalis exercitatio ad modicum vtilis ſit. Pie-
tas autem ad omnia vtilis, promiſſionem habens vitæ quæ
nunc eſt, & futuræ.

Loquacitas vitanda.

Capvt 11.

NEque minus vitabit prophana & vaniloquia, hoc eſt,
futilem & inanem loquacitatem, qua nonnulli ratio-
cinationibus humanis falſam ſcientiæ opinionem ſibi
venantur. Sic enim ſuum compellat Timotheum Paulus: O
Timothee, depoſitum ſerua, deuitans prophanas vocum
nouitates & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam qui-
dam promittentes, circa fidem exciderunt.

Quemadmodum parochum aduerſus hæreticos pugnare oporteat.

Capvt 12.

PAratos nos eſſe vult Apoſtolus Petrus ad ſatisfactionẽ 1. Pet. 3.
omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe
& fide, ſed cum modeſtia & timore. Neque ergo doceat,
neque intendat his parochus, quæ quæſtiones magis præ-
ſtant, quàm ædificationem quæ eſt ex charitate, 1. Timot. 1.
Et iterum. 2. 2. & 3. Paulus ait: Stultas & ſine diſciplina quæ-
ſtiones & pugnas legis reſpue, ſciens quia generant lites. Ser-
uum autem Domini non oportet litigare. Proindeque vbi
cum hæreticis res eſt, corripiet quidem eos cum modeſtia
qui reſiſtunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam
ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis,
à quo tenentur captiui ad ipſius voluntatem. Quòd ſi non Tit. 3.
profecerit, hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam
correptionem deuitet, ſciens quia ſubuerſus eſt qui eiuſce-
modi eſt, & delinquit, quum ſit proprio iudicio condemna-
tus. Nequaquam autem ad populum verbis contendat: ad 2. Tim. 2.
nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium, me-
mor Apoſtolici ſermonis, quo reijciuntur omnes, qui ſciſſu-
ram quærunt. Si quis enim vult contentioſus eſſe, nos talem 1. Cor. 11.
conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.

A ſcommatis & conuicijs abſtinendum.

Capvt 13.

INter concionandum ergo à ſcommatis, maledictis, ac cõ-
uitijs omninò abſtinendum eſt. Prædicetur purè ac ſyn-
cere Dei verbum, iuxta eccleſiaſticam traditionem, & pa-
trum ab Eccleſia Catholica approbatorum interpretationẽ.
Quæ verò in contentionem vel diſceptationem reuocari Prag. Auguſtana.
poſſunt, penitus ſileantur, quemadmodum quoq; pragma-
tica Auguſten. ſanctione cautum eſt.

In contentioſis dogmatibus, quomodo docendus populus ſapere.

Capvt 14.

IN controuerſis autem & contentioſis, obſcuriſque dog-
matibus, quæ ſacris voluminibus vel vniuerſali eccleſiæ
conſenſu expreſſim deciſa non ſunt, populus priuatim
(maximè cùm exomologeſi ſe purgat, modò grauatam cõ-
ſcientiam in hoc habeat) ita docendus eſt ſapere, atque hac
cautione, profiteri de his ſe credere, ſicut credit Eccleſia.
Hoc enim tutius, quam aſſeuerare, de quo dubites, aut quod
non intelligas.

Qualem oporteat eſſe parochum in reprahendendis criminibus.

Capvt 15.

ERit quoque parochus in repræhendendis criminibus
vehemens atque acer. Conſtitutus eſt enim, vt annun-
ciet populo ſcelera eorum, ſic tamen, vt in ſuggeſto vi-
tia tantum repræhendat, nõ perſonas nominatim perſtrin- 2. Tim. 4.
gat. Argua, inquit Apoſtolus, increpa, obſecra in omni pa-
tientia & doctrina. Vbi perſona arguenda, denunciatione E- Matt. 18.
uangelica vtendum. Si peccauerit in te frater tuus, inquit
Chriſtus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolũ. Quòd
ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Quòd ſi te non au-
dierit, adhibe tecum adhuc vnum aut duos, vt in ore duorũ
vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi eos non au-
dierit, dic eccleſiæ. quòd ſi eccleſiam non audiérit, ſit tibi ſi-
cut ethnicus & publicanus. Sic Paulus Corinthium reſipiſce- 1. Cor. 5.
re nolentem excõmunicauit. Et hic iterum Chriſti doctri-
na & exemplum ſequendum, vt beneuolentia ſeueritatem
vincat, vt paratus ſit parochus dimittere peccanti non mo- Matt. 16.
dò ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties. Et cum Chriſto paratior Ioan. 8.
ſit abſoluendũ adulteram, ad frugẽ melioris vitæ reuertentẽ,
quam

2. Cor. 2. quam ad condemnandum. Quemadmodum Paulus quoque in gratiam recepit Corinthium illum pœnitentem.

Manifeſta reprahenſio vtriuſq; poteſtatis vitanda.

CAPVT 16.

VItanda quoque manifeſta reprahenſio vtriuſque poteſtatis, tam eccleſiaſticæ quàm ciuilis. Neque inuehẽdum in ordinem aliquem aut aliquod ab eccleſia receptum viuendi genus. Omnis enim poteſtas à Deo eſt, & proptereà eatenus honoranda, non inceſſenda. Sequenda præcurſoris Dominici doctrina & exemplum, qui ne milites quidem à ſe repulit, aut vlla contumelia affecit, ſed magis viam rectè viuendi oſtendit. Per eiuſcemodi enim incautã repræhenſionem, plebs ad ſeditionem magis ac rebellionẽ incitatur. Hanc murmur, odium, impatientia, contumacia, proteruia, & detractionis libido comitantur: quin potius docendus populus eſt obedire magiſtratibus, parere præpoſitis ſuis, etiam dyſcolis: ac interim admonendus eſt, vt ſi ſint magiſtratus interdum vitioſi, id euenire, quòd Dominus regnare facit malos & hypocritas propter peccata populi. Omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe: quodque omnis poteſtas à Deo ſit: quòd denique, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtat, niſi tamen poteſtas expreſſim præcipiat, quod eſt contra mandatum Dei, tunc enim oportet plus obedire Deo, quàm hominibus.

Rom. 13. Luc. 3. 1. Pet. 2. Iob 14. Prou. 28. Eſa. 3. Rom. 13. Acto. 5.

Quomodo corripiendi magiſtratus.

CAPVT 17.

IN corripiendis verò magiſtratibus, correctioni quoque fraternæ locus eſt, quemadmodum Ioannes repræhendit Herodem. Sic enim legimus: Dicebat enim Ioannes Herodi, non populo: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Qua ſi nihil promoueas, poſtolanda prouiſio prælatorum ac maiorum magiſtratuum eſt: qui ſi diſſimulent, etiam cõſultum magis, vt vltio remittatur ad Deum, quam vt tantũ ſcandalum indè deterius ſubſequatur.

Marc. 6.

Admonendus populus, vt oret pro magiſtratibus.

CAPVT 18.

EST autem populus frequenter in concionibus, poſt conciones verò ſemper diligentiſſimè commonendus, vt Deum Opt. Max. pro poteſtatibus deprecetur. Volo (inquit gentium magiſter Paulus) vt fiant omnium primũ obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus pro regibus & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum corã ſaluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

1. Tim. 2.

Notantur qui ſecus docent.

CAPVT 19.

SI quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatẽ eſt, doctrinę, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.

1. Tim. 6.

Summa doctrinæ Chriſtianæ in Enchiridion contrahenda.

CAPVT 20.

POrrò cum ſecundùm Euangelicam atque Apoſtolicam doctrinam, quibus decreta patrum ac Conciliorũ, denique pragmatica ſanctio Auguſtana meritò accedunt, in eccleſia Dei ſola canonica ſcriptura ac diuina eloquia, ſecundùm eccleſiaſticam interpretationem ſanctorum patrum ac doctorum, & recitari & prædicari debeant: non abs re videbitur, parochis ſummam Bibliorum pauciſſimis præſcribere, ne alicubi, dum ſcripturæ metas neſciunt, impingant.

2. Conc. ... Prag. Auguſtana.

Enchridion quæ docebit.

CAPVT 21.

ET cùm præcipuè ipſis incumbat, vt plebem erudiant in præceptis Decalogi, articulus fidei, qui ſymbolo Apoſtolico recenſentur, ac eccleſiæ ſacramentis ſimul cum explicatione orationis Dominicę: (Hic eſt enim inchoationis Chriſti ſermo, quo iacitur fundamentum ab operibus mortuis & fidei in Deum) idcircò vt imperitioribus conſulatur, quoddam Enchridion dabimus, in quo breuiſſimè hęc omnia ſecundum ſanam & eccleſiaſticam doctrinam exponentur: ſimul & loci quidam communes, ad omnes omniũ hominum ætates ac ordines commonitorij inſerentur. Veneratio quoque ſanctorum ac reliquiarum. Denique quatenus imaginibus ac picturis vtẽdum docebitur. Nec interim quid ſibi eccleſiaſticæ cæremoniæ, præſertim illæ piæ ac antiquiſſimę velint, & quo conducant, in eodem libello declarare omittemus, idque ſuccinctiſſimè.

Ordo concionandi quem ſimpliciores ſequuntur.

CAPVT 22.

SImpliciores ac minus eruditi concionatores, feſtis quibuſque diebus concione in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis cum imprecatione gratiæ Dei (nempe vt Dominus ſuum ſpiritum verbo addere dignetur) cœpta, initio ambas lectiones, quæ epiſtola ac Euangelium Miſſæ eius diei appellantur, ad verbum denarrabunt. Deinde poſt imploratam diuini numinis clementiam, regrediantur ad vtriuſque lectionis breuem dilucidationem, locos aliquot communes ex vtraque deligẽtes, quibus populus ad vitæ pietatem, charitatemque Dei ac proximi inflammetur. Denunciabunt quoque, quid eccleſia Dei eo die potiſſimum Deum oret ac precetur, quod in precationibus ſeu collectis, quæ poſt canticum Kyrie eleiſon, aut Gloria in excelſis, dicuntur, continetur: ac hortabuntur populum, vt idem pariter intereà dũ ſacra aguntur, Deum oret, ſi non verbotenus, mente tamen.

Aug. lib. de doct. Chriſt. 4. ca. 30.

Sanctorum hiſtoriæ quatenus attingendæ.

CAPVT 23.

SAnctorum hiſtorijs ne nimis diu immorentur: quin potior pars (vti iam diximus) Euangelio detur & epiſtolæ explicandis. Quòd ſi fabuloſa videbitur hiſtoria, ne attingat quidem: ſi veriſimilis, leuiter, eaque decerpat, quæ imitanda videantur. Miracula quoq; ne impudentius iactentur, niſi quæ ſcripturis prodita, aut à non leuibus ſcriptoribus ſumma cum hiſtoriæ fide tradita fuerint.

Allegoriæ quomodo explicandæ.

CAPVT 24.

SI quas allegorias, aut ſenſus ſcripturæ reconditiores, ſpiritualia ſpiritualibus conferentes, adferre velint: has ex receptis eccleſiæ doctoribus, veluti Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, ac ſimilibus comprobatis authoribus deſument.

Quomodo finienda concio.

CAPVT 25.

VBi ad calcem concionis deuentum erit, breui epilogo, quo argumentum ac capita totius concionis renarret, vtatur. Id enim ad captum ac fulciendam memoriam auditorum plurimum fecerit.

ed by Google

Quid recitandum, finita concione.

CAPVT 26.

DEbet quoque, finita concione, decalogus ac ſymbolū fidei & ſuccinctè & exertè recitari. Illa quoque exomologeſis ac publica peccatorum confeſſio, cum imploratione miſericordiæ Dei, purè ac diſtinctè pronunciari, ac moneri populus, vt eiſdem verbis ſacerdotem pronūciantem ſubſequatur: ac deinde recenſeri conſolatoria imprecatio remiſſionis peccatorum, vt populus deiecto, contrito, humiliato animo ac toto corde, cum presbytero accingatur ad myſteriū redemptionis ſuę (quod in altari tractatur) contemplandum, fructumque Dominicæ paſſionis, quæ in altaris myſterio commemoratur repræſentaturque, participandum.

Quomodo finita concione, populus excitandus ad orandum pro defunctis.

CAPVT 27.

CVm multum plerunque temporis, paruō cum fructu teratur in recenſendis ſingulatim defunctorum nominib⁹, vbi viritim pro quolibet exigitur vna oratio Dominica, idque interdum non citra ſuſpicionem vel quæſtus vel ambitionis fiat: nobis potius videbitur, vt populus ad communem pro defunctis orationem piè ac deuotè dicendam accendatur, & hæ genealogiæ intermittātur. Super qua re tamen, quod ad morem ciuitatis noſtræ Colonien. attinet, & cum parochis, & cum Senatu latius agere non omittemus.

PARS SEPTIMA.

De adminiſtratione Sacramentorum,

CAPVT PRIMVM.

ECcleſiæ Catholicæ vſus, ſeptē myſteria (quæ ſacramenta appellantur) obſeruat, veluti ſeptem quædam parata remedia, per quæ Deo viſum eſt peccatis noſtris mederi, ac nobis gratiæ ſuę ſalutaris medicinam (diuerſa tamē ratione) infundere, quæ ſunt, baptiſmus, cōfirmatio, euchariſtia, pœnitentia, extrema vnctio, ordo, & matrimonium. Quæ cur à Chriſto & eccleſia inſtituta ſint, & à veteribus ſacramenta peculiariter appellata: deinde, quæ illorum ſit per gratiam Dei efficacia & virtus, nunc non eſt dicendi locus. Tantùm admonebimus in præſentia parochum, quæ illum circa diſpenſationem ſingulorum obſeruare conueniat.

Inſtruendus populus, quid agatur in cuiuslibet ſacramenti exhibitione.

CAPVT 2.

[g.li de c. Chr.] QVia igitur in ſacramentis aliud videtur, atque aliud agitur: inſtruendus eſt populus in cuiuſlibet exhibitione, quid in huiuſmodi religioſo arcano (id enim ſacramentum ſonat) agatur. Cùm enim in ſacramentis iſtis per ſigna quædam ſenſibilia infundatur inſenſibilis gratia, congruens externis ſignis, excitanda eſt fidelium fides & deuotio in Deum, vt credentes, ac diuinum myſterium intelligentes, ad Dei ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti participandā gratiam accedant. Quod fiet, cum parochus ſub adminiſtrationem cuiuſlibet ſacramenti, ſacra concione populum breuiter admonuerit quid in ea re agatur.

Quid agatur in baptiſmo.

CAPVT 3.

ET vt de ſacro baptiſmo exordium capiamus, docendus eſt populus, quod illic aboleatur vetus homo, remiſſo [Gal. 5.] omni peccato: atq; nouus exoriatur, ab omni labe purgatus per fidem in Chriſtum: quod illic qui baptizatur, lauetur lauacro regenerationis & renouationis Spiritus ſancti [Tit. 3.] in ſanguine Chriſti pro nobis effuſo: quod illic veterem Adam exuimus, ac viciſſim Chriſtum induimus, conſepulti cū [Rom. 6.] illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus: quemadmodum hæc Enchridion latius edocebit.

Cuius ſint admonendi ſuſceptores infantis.

CAPVT 4.

SVſceptores infantis (patrini qui dicuntur) meritò admonentur, quod ipſi ſint, qui Eccleſiæ nomine, & in Eccleſiæ fide Chriſto paruulos offerant per baptiſmum, ac ſe [c. vos ante omnia, de conſe. diſt. 4.] propemodum pro paruulis fideiuſſores conſtituant, nomine paruuli reſpondentes: quem etiam poſtquam adoleuerit, ſymbolum ſimul & orationem Dominicam edocere, atque vitam Chriſto ac profeſſione in baptiſmo facta dignā perpetuò agere, ſaltem vbi id neceſſitas poſcere videbitur, cohortari non omittent. proindeq; malumus illos deligi prouectæ ætatis, quàm impuberis, ne videatur infans infantem offerre, ac ſponſorem ſe Deo pro alio conſtituere, qui quod promittit, non intelligat: ideoque multò minùs, quod non intelligit, docere queat.

Populus docendus, quid velint externa ſigna.

CAPVT 5.

PRæterea docebunt populum quid ſit, quod catechizetur baptizandus: quid reliqua ſolennia, quæ Eccleſia adhiberi voluit, ſignent. videlicet, Cur inſuffletur in faciē baptizandi, cur ſignum crucis & in pectore & in fronte fiat, cur ſal in os detur, cur aures & nares ſputo attingantur, liniantur que, cur iniūctio in pectore & ſcapulis fiat, & cur poſt baptiſmi tinctionem in vertice. Denique, quid ſignificet amictus albus, quo infans ſeu alius baptizatus ſuperinduitur: quæ omnia ſunt myſteriorum plena, quemadmodum Enchiridion declarabit.

Quomodo accedendum ad baptiſmum.

CAPVT 6.

CVm beatiſſimus Apoſtolùs in eccleſia omnia honeſtè [1. Cor. 14.] atque ſecundum ordinem fieri iubeat, debebit baptiſmus ſumma mentis in Deum & in ſacratiſſima quæ aguntur myſteria, intentione & dari & accipi. Quare quicquid hinc ſuſceptores ſeu alios adſtantes auocat, procul tollendum eſt. Accedatur itaque depoſito omni faſtu, humili ſpiritu, ac recta in Deum fiducia, quemadmodum acceſſerunt qui Ieſu paruulos obtulerunt, vt manus eis imponeret. [Matt. 19.] Nam hic renunciatur ſatanæ, omnibus operibus atque omnibus pompis eius. Conueniaturque atq; inter patrinos de nomine infantis, vt potius in baptiſmo ipſo cogitur de lucranda anima Chriſto, quàm de retinendo nomine.

Baptiſmus in facie Eccleſiæ peragendus.

CAPVT 7.

MAgna certè ratione Eccleſiaſticis patribus viſum eſt, vt baptiſmus in conſpectu eccleſiæ in loco ſacro recipiatur, niſi tamē imminens neceſſitas fieri aliud ſuaſerit. Quamobrem diſplicet nobis quòd quidam faſtuoſi templum Domini deſpicientes, ambiunt magis ſuos infantes in domibus priuatim baptizari. Quod deinceps, niſi neceſſitas

idipſum

idipſum exegerit, & cauſæ cognitio præceſſerit, indulgere nolumus.

In confirmationis exhibitione quid docendum.

CAPVT 8.

Act. 8. 19 de conſe. diſt. 5. c. nouiſ. ITidem dum ſacramentũ confirmationis confertur, docebunt Vicarij noſtri in põtificialibus, quid agatur, nempe quòd illic ambiatur gratia Spiritus ſancti, qua confirmatur tyro aduerſus ſatanæ tentationes, roboraturque, vt Rom. 10. quod corde credit ad iuſtitiam, ore quoque palàm confiteatur ad ſalutem. Quamobrem eo communiri ſolet ætas tenera, quæ ad nequitiam procliuior eſt, quàm ad pietatem, vt ea procliuitas minuatur, docilitaſq; ad pietatem augeatur. Ex cano. Vrbani. Omnes fideles (inquit Vrbanus Pontifex Romanus) per manus impoſitionem Epiſcoporum, Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debẽt, vt pleni Chriſtiani inueniantur: quia cum Spiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & conſtantiam roboratur. De ſpiritu ſancto accepimus, vt efficiamur ſpirituales, 1. Cor. 2. quia animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. De ſpiritu ſancto accepimus, vt ſapiamus inter bonum malumque diſcernere, iuſta diligere, iniuſta reſpuere, vt malitiæ ac ſuperbiæ repugnemus, vt luxuriæ & diuerſis illecebris ac fœdis indigniſque cupiditatibus reſiſtamus. De Spiritu ſancto accepimus, vt amore vitæ & gloriæ ardore ſuccenſi, erigere à terrenis mentem ad ſuperna & diuina valeamus. Sed de hoc alibi latiùs.

Quomodo ad ſacramentum Confirmationis accedendum ſit.

CAPVT 9.

Ex Conc. Aurel. c. vt ieiu. de cõſ. diſt. 5. AN expediat imitari conſuetudinem, qua obſeruatur, vt nedum adultis, ſed & infantibus detur cõfirmatio, idque pranſis, hic non definimus: quanquam quod Aurelianen. Concilio ſancitum eſt, nobis magis placuerit, videlicet vt ieiuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, vt moneantur confeſſionem ſacramentalẽ facere priuſquam acceſſerint, quo mundi donum Spiritus ſancti mereantur accipere. Cum enim hoc ſacramentum non ſit neceſſitatis abſolutæ, conuenientius & vtilius dabitur, ſi addatur admonitiuncula. At antequam infans ſupra ſeptimum ætatis annum progreſſus fuerit, parum aut nihil horum quæ aguntur intelliget, ne dicamus, meminerit.

Cuius ſint admonendi ſuſceptores Confirmati.

CAPVT 10.

QVemadmodum in baptiſmo ſuſceptores ſunt, ita his qui confirmandum præſentant, ac coram epiſcopo ſiſtunt: idque non admodum diuerſa ratione, niſi quod quidam etiam dicunt, decens eſſe, vt qui nondum aduerſus Gerſon. carnis, mundi, ac ſatanæ tentationes roborati ſint, per confirmatos iamdudum atque exercitatos ſenſus habentes, quibus fides confirmandi cognita atque explorata ſit, Epiſcopo præſententur. Quamobrem quoque admonendi ſunt iſti officij ſui, curandumque, vt tanti ſacramenti perceptio dignè ac reuerenter peragatur, quemadmodum in primitiua eccleſia obſeruatum legimus.

De moderandis donarijs, quæ ſuſceptores infantibus donant.

CAPVT 11.

QVibuſdam in locis, ambitionis magis quã pietatis cauſa, dum vtrunque tam baptiſmi quàm confirmationis ſacramentum peragitur, hi qui patrini dicuntur, certant, vt alter alterum donariorum precio (quo ſuſcepti ac præſentati pueri donantur) vincant. Prætereà itur ſtatim, maximè poſt baptiſmum, ad comeſſationes, cùm tum maximè comeſſationibus eſſet abſtinendum. Qua de re monendus eſt populus, vt quæ digna ſunt his ſacramentis, tantùm curent. Cætera aut moderentur, aut penitus tollant. Nam nõ offenderimus Deum grauius, quàm cùm illius ſanctiſſima myſteria indignè tractamus.

Docendus populus de ſignis externis.

CAPVT 12.

DOcebit prætereà parochus populũ, quid ſignet chriſma, & cur ex oleo oliuæ ac balſamo conficiatur, quẽadmodum docebit Enchiridion.

De ſacroſancta Euchariſtia.

CAPVT 13.

EVchariſtia, vnicum illum piarum mentium ſolatium ac delicium, hac deploratiſſima tempeſtate, execranda inſania ac abominabili prophanatione hæreticorum, de re tanta quodlibet comminiſcentium, pleriſque quodãmodò in nauſeam vertitur: adeò, vt (quod dolentes referimus) multi nunc ſint, qui non tantùm hunc panem vitæ, qui de Ioan. 6. cælo deſcendit, accipere non deſiderent, ſed & auerſentur, homines ſolo nomine Chriſtiani, re ipſa verò Capernaitis ipſis deteriores etiam quos poſt acceptã notitiam veritatis, voluntariè in filium Dei peccantes, ac corpori Dominico & ſanguini contumeliam inferentes, Heb. 10. terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio (quæ conſumptura eſt aduerſarios) manet.

Quid docendus populus in huius ſacramenti miniſtratione.

CAPVT 14.

DOcendus eſt itaq; populus Chriſtianus certiſſima fide credere, quod in hoc ſacramento ſit verum corpus & verus ſanguis Chriſti Ieſu. Neque enim veritas mẽtitur, quæ apud Matth. Marc. & Lucã, hoc ſacramentum inſtituens ac porrigens, ſimpliſſimè dixit: Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. 1. Cor. 10. Sic docet Paulus Apoſtolus: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et, Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Vnde conſequitur, in Euchariſtia totum eſſe Chriſtum, quanquam ibi ſit ſub ratione cibi & potus. Qui enim tradidit verum corpus & ſanguinem, haud dubiè tradidit viuũ. Quare ſi credimus in ſepulcro diuinam naturam non fuiſſe ſeparatam ab exanimi corpore, quanto magis credemus eam à viuo corpore non eſſe ſeparatam in ſacramento?

Quibus perſuaſum eſt, vtranq; ſpeciem laicum participare oportere, quomodo docendi.

CAPVT 15.

VBi ſunt, quibus contra eccleſiæ cõſuetudinem perſuaſum eſt, oportere laicos participare corpus & ſanguinem Domini ſub vtraq; ſpecie: ibi docebit parochus hos, qui grauatam habent conſcientiam, corpus & ſanguinẽ Domini altera tantùm ſpecie perfectè conſiſtere, adeò vt laicus, qui ſub ſpecie panis communicat, nõ tantùm corpus, ſed & ſanguinem domini non minus recipiat, quàm qui capit ſub vtraq; ſpecie & panis & vini. Ex Conc. Conſtan. Eccleſiam quoq; laicis vnam tantùm ſpeciem dare, quòd pro reuerentia ipſius ſacramenti & ſalute fidelium, eccleſia (cui diſpenſatio ſacramẽtorum Dei commiſſa eſt) ſic viderit expedire. Nam quũ nullatenus ambigendum ſit, ſub ſpecie panis nõ tantùm carnem, nec ſub ſpecie vini ſanguinem tãtum, ſed ſub qualibet ſpecie totum Chriſtum contineri: Matt. 18. cur ſe laicus iudicio eccleſiæ, quam dñs audiri voluit, non ſubmittet? quæ nõ temerè, ſed multis rationibus permota, decreuit ſalubrius eſſe, vt nõ tantùm populus, ſed & ſacerdotes nõ ſacrificantes, Chriſtũ

ſub vna tantum ſpecie, quam ſub duabus perciperent. Quid enim panis viniq; ſpecies aliud ſunt poſt conſecrationem, quàm ſpecies ſacramentales, & accidentia ſine ſubiecto? vt non habeat laicus cur queratur ſibi alteram ſubtrahi ſpeciē, vbi totum quod ſub vtraque ſpecie continetur, integrè acci piat. De qua re alibi latius dicetur.

De veneratione ſacroſanctæ Euchariſtiæ.]

CAPVT 16.

ET quoniam in hoc ſacramento Chriſtus continetur, co hortãdus eſt populus, vt ad hæc myſteria contremiſcēs, quum in celebratione Miſſarum eleuatur hoſtia saluta- ris, ſe reuerenter inclinet, corporeq; humi fuſo, mente ado- ret crucifixum, facturus idem, quum presbyter defert ad in- firmum Euchariſtiam, quam ob id paratam ſemper habere debet, vt quãdo quis infirmatus fuerit, ſtatim eum commu- nicet, ne ſine communione decedat. Quod faciens decenti habitu indutus, hanc ſalutarem hoſtiam palàm ac honorifi- cè ante pectus cum omni reuerentia & timore ferat & refe- rat lumine ſemper præcedente, vt ſigno populus intelligat, illic eum eſſe præſentem, qui eſt candor lucis æternæ. Hæc denique ſacroſancta hoſtia reponatur ſemper in loco ſingu- lari, mundo & ſignato, honorificeque collocata, deuotè ac fideliter conſeruetur.

Quomodo tantum miraculum in hoc ſacramento fiat, populus docendus.

CAPVT 17.

DOcendus item eſt populus, quòd tantùm miraculum in hoc ſacramento virtute Chriſti fiat, non ex merito ſacerdotis, quod & in cæteris ſacramentis obtinet. Nã intra ſanctam eccleſiam Catholicam in myſterio corporis Chriſti, nihil à bono maius, nihil à malo minus, perficitur ſacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo ef- ficitur creatoris, & in virtute ſpiritus ſancti. Si enim in me- rito eſſet ſacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret. Nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt qui per ſpi- ritum ſanctum hanc ſuam efficit carnem, & tranſit vinum in ſanguinem. Sed hoc tantùm intereſt, quòd malus ſacerdos ſibi tantùm nocet, indignè tanta myſteria tractans. Nã quòd ad veritatem corporis Dominici attinet, ita percipit hic, cui dicit Apoſt. Qui manducat indignè, iudicium ſibi mandu- (1. Cor. 11.)
cat, ſicut is, cui dicitur: Qui manducat meum carnem, & bi- (Ioan. 6.)
bit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.

Quomodo admonenda plebs, ad ſumendam Euchariſtiam accedens.

CAPVT 18.

PRæterea inſtituēda plebs eſt, quomodo Euchariſtia ſu- menda ſit. Et in primis admonenda, quàm graue crimen ſit, ad tanti ſacramenti participationem indignè accedere. Nam Apoſt. ait: Quicunque manducauerit panem hunc, & (Cor. 11.)
biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & ſan guinis dñi. Et iterùm hanc horrendam ſententiã congemi- nans: Qui, inquit, manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus dñi. Ideoque (vti ſubijcit) multi inter vos infirmi & imbecilles ſunt, & dor- miunt multi. Quòd ſi noſipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.

Qui ad hoc ſacramentum participandum admittendi.

CAPVT 19.

PRoinde nemo admittendus eſt, niſi eius conſcientia pa- rocho ſit, aut cui poteſtas ſuper hac re legitimè facta eſt, per exomologeſim explorata, & qui pœnitenti ac con- (Ibidem.)
trito corde corpus Domini dijudicãs acceſſerit, quod iubet (Ioan. 13.)
Apoſtolus, quum ait: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: ne cum Iuda, qui cænæ Dominicæ ad iudicium interfuit, locum diabolo præbeat. Mens ergo ab omni affectu peccandi longè abſit. Nam ſi ad- (Auguſt. & quotie. de cõſ. diſ. 2.)
huc habet voluntatem peccãdi, grauatur magis Euchariſtiæ perceptione, quàm purificatur. A contrà, quamuis quis pec- cato mordeatur, ſi tamē pœniteat, & decæterò peccandi vo- luntatem nullam habeat, confidens de domini miſeratione, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus.

Quatenus, alteri quàm ſuo parocho confeſſus, ad Euchariſtiam admittendus.

CAPVT 20.

QVi alteri quàm ſuo parocho confeſſus eſt, is ſi nõ factæ confeſſionis ſuſpectus habeatur, teſtimonium adferet ſe confeſſum eſſe, cuius etiam conſcientiam verus ipſe parochus in principalibus Chriſtianiſmi articulis excutere non omittet. Ac generatim ſinguli parochiani rudiores, an- no ſaltem ſemel, quum adibunt menſam Dominicam, exa- minandi prius in præceptis Domini, articulis fidei, oratione Dominica, ac eccleſiæ ſacramentis, maximè baptiſmi & Eu- chariſtiæ.

Intra annum ſaltem ſemel communicandum.

CAPVT 21.

ET vt cohortandus eſt populus, quò ſæpenumerò com- municet, quemadmodum olim ſingulis diebus Domi- (Ex cõc. general. co- mues, de pœnit. & remiſſ.)
nicis fieri conſueuit: (quod quidem nũc quo minus fiat, per laicos ſtat, quibus nõ debet cœleſtis ille cibus inuitis aut nauſeãtibus obtrudi) ita ad minimum populus ipſe in diſci- plina Eccleſiaſtica retinendus eſt, vt ſaltem toto anno ſemel ab omnibus, qui ad diſcretionis annos perueniſſent, confeſ- (Ex Conc. Toleta. & lib. de cõ- ſec. diſt. 2. omnis homo.)
ſis & contritis, Euchariſtia ſumma cum reuerentia ſuſcipia- tur. Olim qui nõ communicaſſent in anno ſaltem ter, in Pa- ſchali videlicet, Penticoſte, & Natali dñi, inter fideles Ca- tholicos nõ connumerabantur, ſed quum ſenſim omnis pe- nè refrixerit charitas, in hoc quoque Eccleſiaſtica diſcipli- na cœpit eſſe remiſſior.

Quorum admoneri populus, hoc ſacramentum participaturus, maximè debeat.

CAPVT 22.

OMnium autem maximè inſtruēdus eſt populus, vt re- cta fide accedat, ſermoni Domini firmiter credēs, quo (Aug. c. ti- morē, de cõſ. di. 2.)
nos edocet Chriſtus, dicens: Hoc eſt corpus meũ quod (Matt. 26.)
pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationē. Quibus verbis & veritatem ſui corporis adſtruit, & creden- tibus, digneque ſuſcipientibus, remiſſionem peccatorũ pro- mittit, iubens vt hoc faciamus in ſuam commemorationē. Porrò anima quæ fidem habet, & eiuſmodi Chriſti verbis credit, in memoriam Chriſti ſacramentum edit, quum ſecũ recogitat, quemadmodum vnigenitus filius Dei, ob perdi- tum hominem Deo patri reconciliandum, & delendũ quod (Coloſſ. 2.)
contra nos ſcriptum erat, chirographum, de cælo deſcende- rit, ſemetipſum exinaniuerit ac humiliauerit, factus obediēs (Philip. 2. Eph. 2. Ioan. 3.)
patri vſque ad mortem, mortem autem crucis. In quo ma- xima erga nos Dei charitas commendatur, qui vnico filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis à peccati & ſatanæ vinculis redimendis tradidit illum. Talem ergo fidem & af- fectum, Deo ſuggerente, præparare debet in animo ſuo, is qui Euchariſtiam percipit.

Docendus quoq;, cur hoc ſacramentum ſub ſpecie panis & vini inſtitutum ſit.

CAPVT 23.

NEque interim negligendum, ſed perpetuò inculcandũ erit, hoc ſacramentum corporis & ſanguinis Domini- (Aug. in ct. de de- dic. eccl.)
ci ſub ſpecie panis & vini inſtitutum eſſe, vt præter

verita-

veritatem corporis & ſanguinis, quæ in eo continetur & recipitur, quoddam etiam eximium ſignum mutuæ dilectionis & charitatis excitandæ in nobis foret, quemadmodum D. Paulus inquit: Quoniam vnus panis & vnum corpus multi ſumus, q. de vno pane & de vno calice participamus. Quãobrem ab huius conuiuij ſpirituali participatione longè abſunt, qui inuidiæ vel odij veneno infecti, aut iracundiæ furore repleti fuerint. Monendi itaque ſunt qui communicare deſiderãt, vt depoſita omni ſimultate, diligant alterutrum, vti vnius corporis membra, vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro inuicem ſolicita ſint membra.

1. Cor. 10.

Quomodo ſingulis Dominicis diebus plebs ad audiendam Miſſam ſe præparabit.

CAPVT 24.

DOcendus quoque populus, vt qui iuxta antiquum Eccleſiæ ritum, ſingulis Dominicis diebus ad communicandum corpori & ſanguini Dominico non ſe præparat, Miſſæ ſaltem parochiali hiſce, alijſque feſtis diebus interſit, vt tametſi inter ſacrificantẽ & aſſiſtentes non ſit (more illo antiquo) tam frequens ſacramentalis communio, ſit ſaltem ſacræ doctrinæ, piæ exhortationis, laudis & gratiarũ actionis communio, vt ſic quodammodo omnes ſpiritualiter communicent, cum deſiderio etiam ſacramentaliter cõmunicandi. Ne verò populus ab hac Miſſa parochialis & ab auditione verbi Dei diſtrahatur, placuerit nobis, vt ſi quæ ſint aliæ Miſſæ legendæ die Dominico, hæ inchoentur primùm poſt verbi prædicationem finitam, quemadmodum latius viſitatione ſecundùm diuerſorum locorum mores ordinare ſtudebimus.

c. ex hoc attendendũ de cõſec. diſt. 5. Ex Conc. Cath. ca. ſacer. de cõſ. diſt. 1.

Docendus populus generatim, quid agatur in Miſſa.

CAPVT 25.

DOcendus populus generatim, quid agatur in Miſſa, & quibus partibus cõſtet. Conſtat ſiquidem pſalmodia, quem vocamus introitum, inuocatione & glorioſa celebratione ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ in Canticis Kyrie eleiſon, & Gloria in excelſis Deo, peraguntur: precatione ſeu collecta, recitatione verborum Propheticorum aut Apoſtolicorum, quam vocamus Epiſtolam: ſacris Canticis, quæ vocamus Gradualia & Alleluia, & quę ſequntur: lectione Euangelica, ſymboli recitatione, ſeu profeſſione fidei catholicæ: cantico, quod non ſine myſterio Offertorium appellatum eſt: Gratiarum actione, quæ dicta eſt Præfatio: religioſa commemoratione mortis, conſecrationeque corporis & ſanguinis Dominici, quæ fit in Canone. Rurſus, precationibus, inter quas eſt precatio Dominica: ſequitur oſculũ pacis ſymbolum Chriſtianæ charitatis, mox Communio. Rurſus ſacrum Canticum, quod commune appellatur, & precatio. Poſtremo loco ſacerdos totum populum velut in ſuam tutelam receptum, Deo benedictione tradit atque cõmendat, vt perſeueret in affectu pietatis, mutuaque charitate: quorum quum admonetur populus, incipiet nedum credere, ſed & ſentire, quòd in Miſſa nihil non ſit pium ac venerandum.

Corripiendus abuſus eorum, qui ante finitam Miſſam irreuerenter diſcedunt.

CAPVT 26.

COrripiendus verò abuſus eſt, quod quidam poſt aſperſam aquam, & ante Miſſæ introitum, exitum faciunt: quidam, poſt auditum & non intellectum Euãgelium, abeunt: alijque, poſteaquàm ſacerdos dixit, Surſum corda & Gratias agamus. Atqui tunc pręcipuæ populi partes erant, quando ſubmiſſius legente aut tacente ſacerdote, quiſque cũ Deo loquitur. Denique alij ſtatim poſt eleuationem corporis & ſanguinis Dominici, non expectantes pręcipuam Miſſæ partem, quæ eſt communio. Antiquiſſimus ergo Canon populo rememorandus eſt, qui ſic habet: Omnes fideles qui in ſolennitatibus ſacris ad Eccleſiam conueniunt, & ſcripturas Apoſtolorum & Euangelium audiant. Qui autem non perſeuerant in oratione vſquedum Miſſa peragatur, nec ſanctam communionem percipiunt, (quam nos, vt non exigimus quotidiè ſacramentalem, ſaltem ſpiritualem à populo requirimus) velut inquietudines eccleſiæ cõmonentes conuenit communione priuari.

[...]c Conc. [...]gathen. [...] Miſſa. [...] conſ. [...]ſt. 5. & [...]eq. [...]ypria. c. [...]ādo au[...] de cõſ. [...]ſt. 1 c. o[...]nes fi[...]les. de [...]nſ. di. 1.

Docendus populus, quale ſit Miſſæ ſacrificium.

CAPVT 27.

DOcendus item eſt populus, quale ſit Miſſæ ſacrificiũ, nempe repræſatiuum. Semel quidem Chriſtus mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis: ſemel in manifeſtatione ſui corporis, in diſtenſione ſuorum membrorum omnium. Verus Deus & verus homo ſemel tantum in cruce pepẽdit, offerẽs patri ſeipſum hoſtiam viuam & paſſibilem, immortalem, viuorum & mortuorum redemptionis efficacem. Et ſcimus quia Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur. Et tamen quotidiè immolatur in ſacramento, nõ quod toties Chriſtus occidatur, ſed quod illud vnicum ſacrificium myſticis ritibus quotidiè renouetur, quotidianaque recordatione mortis Domini (qua liberati ſumus (in edendo & potãdo carnem & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, hoc ipſum repræſentetur, quod olim factum eſt, facitque oblatio iſta ſacramentalis moneri nos, tanquam videamus præſentem Dominum in cruce. Eficientes ſubinde nobis ex illo fonte inexhauſto gratiam ſalutarem, immolamuſque hoſtiam pro viuis & defunctis, dũ pro illis patrem per filij mortem deprecamur.

Aug. de Trinit. & in Pſal. 20 c. ſemel de cõſ. diſt. 2. & duobus ſeq. q. 1. Pet. 3. Rom. 6.

Exequiæ ac Miſſæ pro defunctis, quando & cum qua admonitione celebrandæ.

CAPVT 28.

EXequias ac Miſſas, quæ pro defunctis peculiariter dicũtur, malumus in alium diem transferri, quàm die Dominico celebrari, niſi tamen plebs diei tranſlatione grauaretur. In quibus etiam ad populum fiat admonitio, declareturque quibus potiſſimum modis, Dei miſericordia pro animabus ambienda ſit: ſic, vt interim admoneantur hi, qui funebres pompas ac Miſſas gloriæ tantùm aucupandæ cauſa inſtituunt, perdere mercedem ſuam. Debet quoq; plebs doceri, pium eſſe, quemadmodum ab Apoſtolorum temporibus, Eccleſia (quæ columna & firmamentum veritatis eſt) & docuit & obſeruauit, pro defunctis Dominum exorare, & eleemoſynas in ſinus pauperum elargiri, atque hæc eis prodeſſe, qui in communione eccleſiæ & ſigno pacis deceſſerũt, & qui cùm viuerent, hæc ſibi vt poſtea poſſent prodeſſe, cooperando meruerunt.

c. nõ æſtima. c. tempus. 23. q. 2. Ex prag. Auguſt. 1. Tim. 3.

Qui ad exequias euocandi.

CAPVT 29.

AD exequias, quæ extra ciuitatem noſtrãm Coloniam celebrantur, non euocandi monachi, nec iſta cohors leuium ac indignorum ſacerdotum. Aut ſi euocẽtur, videndum ipſis ne laſciuiant. Quanquam nobis magis probetur, vt qui volet, pietate ductus, multiplicari pro defuncto preces, is monachos in ſuis monaſterijs, ac clericos ſingulos in ſuis templis permanere ſinat, ibidemque preces ac Miſſas peragere. Quonam enim ſpectat concurſus iſte, interdum quàm par eſt, immodeſtior, quàm ad captandam auram popularem? Cauenda vero ſummoperè poſt exequias delicata conuiuia, crapulæ ac comeſſationes, ne Deus placandus, magis irritetur.

De pœnitentiæ partibus.

CAPVT 30.

IN ſacramento pœnitentię explicando, ac rectè miniſtrãdo, maturitate multa ac diligẽtia opus eſt. Veteres orthodoxi pœnitẽtiæ partes tres nobis tradiderũt, contritionẽ,

donec ipſi publicè peracta pœnitētia ſatisfecerit, de quo fuſius dicemus ſub titulo, de iuriſdictione eccleſiaſtica contentioſa.

Recitata confeſſione, quid agendum per parochum.

CAPVT 39.

PEracta confeſſione, ſub abſolutionem ſacerdos monebit confitentem, vt quod admiſſum eſt, deteſtetur, vt ſic deinceps vitam inſtituat, ne in vllū lęthale crimen poſthac incidat, quemadmodum Chriſtus ad mulierem dixit: Vade, & noli amplius peccare. Vt eum affectum habens, credat, per Dei miſericordiā virtute ſanguinis Chriſti per abſolutionem impartiendam in verbo eius, ſibi remiſſum iri peccata. Iniungat etiam illi fructum dignum pœnitentiæ facere, ac tum denique imponat manum, ac abſoluat confitentem.

Ioan. 8.

In matrimonij ſacramento quid agatur.

CAPVT 40.

DVm matrimonio iungunt parochi virum ac mulierē, docebunt matrimonium inſtitutum eſſe à Deo, confirmatum per Chriſtum, vt Geneſ. 2. & Matth. 19. legimus. Quod ſacramentum ſi quis, ſicut decet, acceperit accedente ſacerdotali precatione, cōfert donum ſpiritus, quo vir diligat vxorem amore caſto, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam mulier viciſſim, propter Chriſtum, amet reuereaturq; virum ſuum vti dominum. Vterque liberos (ſi dentur) ſumma cura inſtituāt ad Chriſtianam pietatem. Copioſam monendi materiam Paulus ad Epheſ. 5. ſubminiſtrat.

Gen. 2. Matt. 19. Eph. 5.

Quemadmodum monendi ſunt, qui matrimonium contrahere affectant.

CAPVT 41.

QVum matrimonium ante lapſum Adæ propter procreandos liberos inſtitutum, ac benedictione Dei firmatum ſit, qua dixit ille: Creſcite & multiplicamini, & replete terram: peculiariter autem homini, Erunt duo in carne vna: Propterea relinquet homo patrem & matrē ſuā, & adhærebit vxori ſuæ. Nec ratio coniunctionis, ſeu benedictio poſt lapſum defecit: ſed tamen quod ſanis potuit eſſe officium, id ægrotis factum etiam ſit remedium, dum vtriuſque ſexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honeſtate nuptiarum, quemadmodum D. Paulus ait: Vnuſquiſque vxorem ſuam habeat propter fornicationem, nimirum vitandam: Monendi ſunt, qui matrimonium contrahere affectant, ne alius affectus ipſos huc rapiat, vt ſit honorabile coniugium ac cubile impollutū. Nam ſi neque ob plebem ſuſcitandam, neque ob fornicationem vitandam, ſed potius diuitiarum aut opum nanciſcendarū, aut alterius rei gratia matrimonium contrahatur: perperam agitur, ac grauiter in ſacramentum peccatur. Hic, quæ Tob. 6. 7. & 8. ſcribuntur, enarrari, proponi, ac doceri conueniet. Vbi locus pulcherrimus eſt, exemplo commonſtrās, quemadmodum bona vxor donum Dei ſit, debitum timenti Dominum, quomodò in timore Dei * apparentibus, non luxuriæ cauſa, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei in ſecula, petenda. Quo pacto coniugij conſcriptione facta, tradenda, quemadmodum etiam conuiuium nuptiale cum laude & benedictione Dei agendum. Deniq; quo modò precandus ſit Deus per coniuges, vt benedictionem ſuam in ipſos, quos coniunxit, impleat. Hæc enim decent ſanctorum filios, qui non debent ita coniungi ſicut gētes quæ ignorant Deum. Eritque horrendum illud exemplum de ſeptem Saræ viris à dęmonio occiſis, replicandum. His nanque (vt Raphael Angelus apud Tobiam ait) qui cōiugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe & ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, in quibus nō eſt intellectus, dæmonium malum dominatur. Quamobrem vehementer comprobamus illum morem, quo matrimonio iungendi, ante eccleſiaſticam coniunctionem, ieiunio ſe præparant, & ſacram Euchariſtiam ſumunt.

Gen. 2. 1. Cor. 7. * legendū videtur, à parentib.

Matrimonium tria complecti.

CAPVT 42.

DOcendi itaque breuiter, matrimonium tria complecti, fidem, prolem & ſacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale, cum altera vel altero concumbatur. In prole, vt amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, religioſè educetur. In ſacramento autem, ne coniugium ſeparetur, neve dimiſſus aut dimiſſa, etiam prolis cauſa alteri coniungatur.

Pium votum & in clandeſtinè contrahentes cenſura.

CAPVT 43.

OPtandum, vt Canon Euariſti Pontificis Cōcilio generali renouetur, tollanturque illa clandeſtina matrimonia, quæ inuitis parentibus ac propinquis, Veneris potius quàm Dei cauſa contrahuntur. Nam quanta ex his clandeſtinis matrimonijs mala ſuboriantur, in aperto eſt. Intereà verò donec eccleſia de hoc proſpiciat, ſi non irrita, prohibita ſaltem ſint, & pœnæ canonicæ, hoc eſt, excommunicationi, contrahentes & qui his ope aut conſilio, adfuerint, ſubiaceant: quam nec tam facilè, niſi eccleſiæ ſatisfiat, tolli admodum expedire nobis videtur. Quantum fieri poteſt, cauebit parochus, ne liberos citra parentum authoritatem coniungat. Quòd ſi parentes negligentes fuerint, aut in admittendo matrimonio iam contracto, rigidiores negatores: admonebit eos, vt liberos maturæ ætatis elocent, neve vinculo iam per eccleſiam indiſſolubili, pertinacius obluctentur.

Coniunctio coniugum in facie eccleſiæ peragenda.

CAPVT 44.

COniunctionem per ſacerdotem cum benedictione ſacerdotali ac precibus, inter Miſſarum ſolennia in templo ſecundum antiquos canones & eccleſiaſticum ritū fieri decernimus. Superbia ac faſtu tumidis qui in priuatis domicilijs malunt, quam in templo, vbi eccleſia conuenit, ac coniungendis benè precatur, copulari, quis non ineptè oppoſuerit illud Paulinum: Num eccleſiam Dei contemnitis? Nec ſacerdos ante quoſlibet coniugio iungat, niſi edictis aut proclamationibus tribus, publicè è ſuggeſto ad populum factis, præcedentibus, ob multas ac varias fraudes euitandas. Contra hæc haud facilè, ſed tantùm vbi ratio admodum neceſſaria, hoc ipſum fieri poſtulauerit, idque non niſi cauſa cognita, diſpenſabitur.

Peregrinos & ignotos, ſine legitimo teſtimonio non coniungendos.

CAPVT 45.

PEregrini & ignoti non coniungantur, niſi legitimis teſtimonijs doceant, ſe vbi antè verſati fuerint, nullis matrimonij vinculis adſtringi, ipſiſque per ſuum parochum licere per alium parochum copulari.

In gradibus conſanguinitatis ac affinitatis, Concilium generale obſeruandum.

CAPVT 46.

QVòd ad gradus conſanguinitatis ac affinitatis attinet, qui matrimonium contrahendum ac contractum dirimunt, decretum Concilij generalis obſeruabitur. Hic ſi parochi in dinumeratione graduum addubitauerint, peritiores conſulent. Vbi Rom. pontifex diſpenſatorio diplomate matrimonium ſecus contractum, approbandum iuſſerit,

Digitized by

ſerit, examinentur cauſæ diligentius, quæ diſpenſationem extorſerunt. Quæ ſi comperiantur aliter, quam narratum eſt, ſe habere, non dubium eſt, diſpenſationem nullius roboris eſſe.

Ludrica tollenda.

CAPVT 47.

LVdicra illa quæ in templis poſt coniunctionem ſacerdotalem fieri conſueuerunt, veluti in pulſando ſponſo, atque alia eiuſdem generis, penitus tollantur. Nam res ſeria, quam Deus ipſe inſtituit, benedixit, inuiolabilemque decreuit, agitur.

De ſacro ordine dictum eſſe priùs.

CAPVT 48.

DE ſacro ordine & quæ ſalutaris gratia hoc ſacramento conferatur, quæ denique in eodem ſacrãmento conferendo obſeruari oporteat: titulo primo, qui de munere epiſcopali eſt, abundè diximus.

Cur adhibeatur extrema unctio.

CAPVT 49.

REſtat extrema vnctio, quæ (quoniam in morte extrema lucta eſt) adhibetur, vt vel conualeſcat ægrotus, ſi Deo ita viſum, vel fide bonaq; ſpe obdormiat in dño.

Quomodo impendenda unctio extrema.

CAPVT 50.

EST autem vnctio impendenda cum expoſitione vnctionis & mandati Apoſtolici, quod ſic habet: Infirmatur aliquis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vnguentes eum oleo in nomine DOMINI, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum DOMINUS: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Poſtremò loco adhibebit parochus admonitionem præparationis ad mortem, quemadmodum Enchiridion docebit.

A ſepultura nemo, in communione decedens, repellendus.

CAPVT 51.

13. 25 QVòd ad ſepulturam attinet, quis poterit negare rem longè pijſſimam eſſe, & in veteri & in noua lege accuratè obſeruatam, vt Chriſtianorum (qui ſpem reſurrectionis habent) corpora non pecudum more diſijciantur, ſed in cœmiterij ſinum recondantur, quod etiam alto myſterio non caret? Ab hac ergo ſepultura nemo Chriſtianus, qui in communione deceſſit eccleſię, arceatur, etſi caſu mortuus fuerit. Quum enim communicabatur viuenti, & mortuo communicandum eſt. Soli verò hæretici, excommunicati, publici latrones, & hi, qui ſibi mortem criminis conſcientia adacti, conſciuerunt, & quos in peccato lætali, nullis pœnitentiæ ſignis præcedẽtibus, deceſſiſſe conſtiterit, prohibeantur.

parte / ſepult.

Quam admonitionem in ſepulturis & exequijs fieri oporteat.

CAPVT 52.

br.11. IN ſepulturis autem & exequijs mortalitatis atque huius calamitoſæ vitæ, admonitio diligens fiat atque excitandi inter alia præſentes, vt recogitent ſibi eodem modo hinc excedendum eſſe, ſeſe in hac terra peregrinos agere, aliam autem inquirere, ad quam ſemper oporteat ſuſpirare. Nam quo pacto ad exorãdam pro defunctis Dei miſericordiam commonendi ſint, ſupra diximus.

PARS OCTAVA.

De victu parochorum.

CAPVT PRIMVM.

SVpereſt vt de victu parochorũ diſpiciamus. Hic in primis, quod Chriſtus docuit, & ſacri canones maximo ſerio præceperũt, præmittendum duximus: nempe vt ſacrãmenta eccleſiaſtica gratis miniſtrentur, dicentes DOMINO Gratis accepiſtis, gratis date. Quamobrem neque pro baptizandis, conſignandiſque fidelibus, neque pro collatione chriſmatis, vel promotionibus graduum, neque alijs ſacramẽtis, diſtribuẽdis precia quælibet vel præmia, niſi quid voluntariè offeratur, recipienda ſunt. Nemininem quoque ad quæſtuoſas exequias cogi, aut pro ſepultura munus aut precium exigi volumus, ſecũdum canonicas ſanctiones cuſtodi interim ac veſpilloni de ſua mercede nihil detrahẽtes.

Ex Conc. Toleta. 11. c. 8. Matt. 10. Ex Conc. Tribur. ac Vaſen. c. in eccleſiaſtico. c. præcipiẽdũ. 13. q. 2.

Parochis victus neceſſarius ſuppeditandus.

CAPVT 2.

AT quum lex diuina præcipiat, non alligandum os boui trituranti, quod vtique non bouum cauſa, ſed propter nos dictum CHRISTVS in Euangelio explicat: Dignus, inquiens, eſt operarius mercede ſua. Ac Paulus toto cap. 8. primæ ad Corinth. confirmat: Quis enim militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis plãtat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Neque enim magnum eſt, ſi qui ſpiritualia ſeminant, carnalia etiam metant. Quamobrem diſpiciendum eſt, vt parochis Euangelij prædicatoribus, certa ac competens ſubminiſtratio victus & veſtitus fiat, idque ad eum modum, ne in adminiſtrandis ſacramentis quippiam exigendo, oneri ſint parochianis, aut cibum vicatim diſcurrendo emendicare cogãtur, quo nihil turpius aut ſordidius.

Deut. 25. Luc. 10. 2. Tim. 5. 1. Cor. 9.

Vicecuratos, quos vocant, ex prouentibus eccleſiæ congruam ſuſtentationem recepturos.

CAPVT 3.

IN primis igitur, qui per vicarios ſeu Vicecuratos eccleſias parochiales regendi poteſtatem à nobis acceperunt, ijſdem vicarijs tantam ex prouentibus Eccleſiæ partem aſſignabunt, qua vitam congruè ſuſtentare poſſint. Quod nos inter viſitandum pro ratione locorum ac parochiarum vt fiat, ordinabimus.

Qui eccleſias vnitas habent. Vicarijs perpetuis portionem congruam aſſignare oportere.

CAPVT 4.

ECcleſiæ cathedrales ac collegiatæ, itidem monachi ſeu religioſi, qui eccleſias parochiales aut ſuis eccleſijs vel monaſterijs vnitas habent, aut regendas alijs committunt, aut præſentãdo committi procurant: adeo interdum omnẽ prouẽtum emungunt, vt reſidui redditus, qui rectoribus eccleſiarum permittuntur, nimis tenues ſint & exiles. Quamobrem noſtræ curæ erit, vt tanta portio rectoribus iſtis aſſignetur, vnde iura epiſcopalia ſoluere, & congruam ſuſtentationem habere poſſint.

De præbẽ. & dignit. lib. 6.

Vbi redditus non ſuffecerint, quid agendum.

CAPVT 5.

VBi verò redditus eccleſiarum non ſuffecerint, iuris conſilium ſequendum putamus, nempe vt duæ vniantur: aut ſi id graue videbitur, ſaltem vna, aut plures etiã vicariæ, quæ ad altaria in eiuſmodi eccleſijs fundatæ ſunt, ipſi eccleſiæ parochiali (vt vocant) incorporẽtur: ſic tamẽ, vt

Ex Vien. conc. clẽ. ſi vna.

quoad

Digitized by Google

quoad fieri poteſt, per parochum officium, ob quod vicarię illæ fundatæ ſunt, minimè negligatur. Porrò decimas potiſſimum parochis ac Eccleſiæ miniſtris deberi, non dubium eſt. Nunc quum illæ paſſim à laicis magna ex parte vſurpentur, neq; facilè ex eorum manibus diuelli poſſint: videndum, num diligenti cohortatione, aut alia via iuri conſentanea, parocho, cui eccleſiæ redditus ad victum nō ſufficiunt, hinc aliquid emendicari poſſit.

Denarius conſuetus, ſed duplicatus pendendus.

Capvt 6.

POſtremo loco iuſtum ac decens putamus, vt ſinguli parochiani denarium illum conſuetum, ſed duplicatum, ſaltē in anno quater, videlicet in feſtis illis maioribus, veluti in Natali Dominico, Paſchate, Pētecoſte, Aſſumptioneque Virginis glorioſæ, id eſt, ſingulis feſtis duos denarios parocho pendant. Neque enim tantillum offerre, vlli onerosum eſſe aut videri poteſt. Quis enim tā ſordidus eſt, qui non æquum putet, modicum quid caduci ac temporalis ſubminiſtrare illi, à quo ſpiritualia ac æterna viciſſim repetit? Certè omnes ſcire debēt, eos qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edere: & qui altario deſeruiunt, cum altario participare. Nam & Dominus ordinauit, his qui Euangeliū annunciant, de Eangelio viuere. Qui ſe vnica ſolutione (quę vno albo rotato fiet) liberare volet, id ipſi liberum eſto. Ne verò parochus aut in contentionem aut ſuſpicionem trahatur, potius hæc pecunia per eccleſiæ œconomos, aut alios probatæ fidei viros colligetur, ac ipſi parocho numerabitur.

1. Cor. 9.

Laudabilem conſuetudinem Agrippinæ Coloniæ per hæc non abrogari.

Capvt 7.

LAudabilem tamen conſuetudinē in ciuitate noſtra Colonien. erga ſanctam eccleſiam, pia deuotione fidelium introductam, per has noſtras ſynodales cōſtitutiones nolumus immutare, donec ipſis parochis intra eandem ciuitatem de ſufficientiori victu fuerit prouiſum.

PARS NONA.

De conſtitutionibus ac conſuetudinibus eccleſiaſticis.

Capvt primvm.

DE conſtitutionibus humanis, ac eccleſiaſticis conſuetudinibus magna in præſentiarum in Eccleſia Dei concertatio eſt, quam eccleſiæ turbatores, vt Eccleſiæ authoritatem euerterent, ad nihilumque redigerent, inuexerunt. At populus hic docendus eſt, ſanctorum patrum regulam ſequi, qui diligenter admonent, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt. Sunt autem illa, quæ nō ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, non vnius generis, quemadmodum D. Auguſt. tradit. Alia enim toto terrarum orbe obſeruantur, à patribus nobis quaſi per manus tradita. Quæ quidem putanda ſunt vel ab ipſis Apoſtolis, vel ex plenarijs Concilijs (quorum eſt in eccleſia ſaluberrima authoritas) commēdata atq; ſtatuta retineri, veluti quòd paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cælum, aduentus ſpiritusſancti, & quadrageſima annua ſolennitate celebrātur, quòd die Veneris à carnibus abſtinetur. Atque alia multa, quæ ab vniuerſis meritò obſeruantur. Alia verò quæ per loca terrarum, regionesque variantur, ſicut eſt, quod alij ieiunant diem mercurij, alij non; alij quotidie communicant corpori & ſanguini Domini, alij certis diebus accipiunt. Et ſi quid aliud huiuſcemodi animaduerti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes. Quod enim neque contra fidem Catholicam, neque contra bonos mores eſſe conuincitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum. Sic diuus Ambroſius Auguſtinum docuit, de hoc altero genere interrogantem: Tu (inquit) ad quamcunque fortè eccleſiam (nimirum in vnitate Catholicæ eccleſiæ permanētem) veneris, eius morem ſerua, ſi quicquam non vis eſſe ſcandalo, ne quenquam tibi. Sed de his, ac quatenus Eccleſiaſticæ iſtæ conſtitutiones obligent, alibi latius dicemus.

Aug. ad Ianuar. e. illa autē. 12. diſt. illa autē 12. diſt.

Ieiunia ab eccleſia indicta, reuerenter obſeruanda.

Capvt 2.

IEiunia ergo ab eccleſia indicta, reuerenter obſeruari volumus, admonenduſque populus cur ſint inſtituta, nempe vt corpus per intemperātiam cibi ac potus luxurians, caſtigetur, in ſeruitutemq; redigatur, quo animus vegetior ac liberior laudibus diuinis inſiſtat, diuinæque voluntati ſeſe attemperet. Magnum certè & generale ieiunium eſt, abſtinere ab omnibus iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus ſeculi. Ad hoc perfectionis qui nondum peruenit, is eccleſiæ indictum huc vocans, haud contemnat.

Aug. in Ioan. c. i. ieiuniū at magnū c. cōſ. diſt

Irriſores Eccleſiaſticorum ieiuniorum refelluntur.

Capvt 3.

QVi eccleſiæ ordinationem irrident: illiſque D. Paulum opponunt, quaſi is ieiunijs Eccleſiaſticis contradicat, grauiſſimam vtrique contumeliam (Apoſtoli doctrinam dedita opera adulterātes) inferunt. Non enim eccleſia, aliquot cibi genus perpetuò interdixit, aut Iudaicum ciborum delectum cōtra Apoſtolicam doctrinam inuexit: quinimò cum Paulo ſemper docuit, doctrinam eſſe dæmoniorū, cibum aliquem immundum iudicare & prohibere, quem Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem, quod ſcilicet omnis creatura Dei bona ſit, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sed potius eccleſia veteris legis ac Apoſtolicorum virorum exempla ſequuta, ieiunia quædam publica certis diebus indixit, iubens tum à carnibus abſtinere, & cibis Aridioribus vti: non quod carnes immundæ ſint, ſed vt luxui temperetur. Qua de re in Gangrenſi Concilio quod non multò poſt Apoſtolorum tempora obſeruatum eſt pari cenſura damnati ſunt, tum hi qui nonnullos cibos carnium illicitos reputārunt, tum illi qui præter neceſſitatē corporalem ſuperbientes, ieiunia communia totius eccleſiæ putauerint contemnenda, perfectam in ſua ſcientia rationem vindicantes, quos anathema eſſe Concilium illud decreuit. Atque alia multa, quæ nunc in contentionem rurſus vocantur, vt ſuccinctè admodum, ita Chriſtianiſſimè Apoſtolico ſpiritu definit.

Coloſſ. 2. 1. Tim. 4. Ex Conc. Gangren.

Eccleſia conſtitutionem, charitati cedere.

Capvt 4.

CVr verò criminentur hoſtes eccleſiæ eius inſtitutum, non videmus, quum ipſa nulli inijciat laqueum, quòd hanc conſtitutionem adeò ligare non velit, vt vel charitati vel neceſſitati minimè cedere debeat. Quinimò liberū facit, quolibet tempore quibuſlibet veſci, modò id vel charitas vel neceſſitas ſuadeat, adhibito tamen vtriuſque medici, ſi præſtò ſint, aut ſaltem alterius, nimirum animę cōſilio.

c. conſili de obſeruat. ieiunij.

Quid in ieiunio potiſſimum ſpectandum.

Capvt 5.

IAm quum in ieiunijs ratio potius indictionis, quàm abſtinentia iſta à carnibus ſpectetur: admonendus eſt populus, quum ieiunandum erit, nō minus ſumptuoſa & prolixa illa piſcium fercula, quàm carnium, vitanda, bellaria itē illa, magis quàm carnes inflammantia.

Digitized by Google

Redarguntur qui Quadrageſimæ obſeruationem contemnunt.

CAPVT 6.

QVadrageſimæ inſtitutio antiquiſſima eſt, à temporibus Apoſtolorum ad nos vſque deducta, cuius violatores pleriſque generalibus Concilijs, præſertim Toletano octauo, acerrimè redarguuntur, religioniq́ue contraire mõſtrantur. Atq; adeò omnes quotquot ſine ineuitabili neceſſitate, ſeu fragilitate, euidentiq; languore, ſeu etiam impoſſibilitate ætatis, diebus Quadrageſimæ eſum carnium attentare præſumpſerint, alienos à ſancta communione decernit, quòd ſacris diebus abſtinentiæ obliti ſint, diſciplinam ac Quadrageſimæ dies (quæ anni totius decimæ putantur, quæ & in oblatione ieiunij Domino conſecrantur) temerariè prophanauerint. Quos verò aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat: non antè prohibita violare præſumant, quàm à ſacerdote permiſſum percipiant.

Litaniæ & Rogationes cur inſtitutæ, & quomodo populus admonendus ſit.

CAPVT 7.

Conc. c.1. LItanias, id eſt, ſupplicationes, ſeu rogationes, indicto triduano ieiunio ante Domini aſcenſionem, patribus placuit celebrari: quibus omnes intereſſe iubentur, vt quemadmodum omnes peccauerunt, ſic & omnes pro venia ſupplicent, omneſque ad Deum corda cum manibus eleuẽt: Quanquam potiſſimum Litaniæ iſtæ principio inſtitutæ ſunt, vt tum populus diuina inſtitutione admonitus, clemẽtiam Dei exoret, quo peſtes, clades, calamitates, fames, bella, & id generis aduerſa, quæ nobis iuſtiſſimo Dei iudicio ob peccata noſtra infliguntur, ac ſub id anni tẽpus, nempe Veris (quum bella emergere atque terræ fructus, qui tum in flore, atque teneri adhuc ſunt, facilè corrumpi ſolent) potiſſimum imminent, auertat & tollat. Vt autem eccleſia fiduciã erga Deum (quam orantes ac petentes habere neceſſe eſt) tum nobis adaugeat, Heliam proponit hominẽ nobis ſimilẽ & paſſibilẽ, qui oratione orauit, vt nõ plueret ſuper terrã, & non pluit annos tres & menſes ſex: & rurſus orauit, & cęlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum. Quòd ſi ſolus Helias petens exauditus eſt, num Chriſtus eccleſiæ ſuæ preces auerſabitur? Hic interim populus docendus eſt, quòd nõ ſolùm quæ animi, ſed & quæ corporis & externa bona ſunt, à Deo omnium authore poſtulare oporteat. Et redarguendi illi, haud ita multo quam gentes, meliores) qui vel fortunæ, vel ſuæ induſtriæ, bona temporalia accepta ferunt. Iac. vlt. 3. Reg. 17.

Proceſſiones intra ſepta Eccleſiarum peragendæ.

CAPVT 8.

QVòd proceſſiones per agros & campos peraguntur, rationem quidem habet, nempe quòd populus oret, vt ſegetes ac fruges terræ à Domino conſeruentur. Verùm vt alia plurima, ita & hic mos hominum malitiam deprauatus eſt, quòd per occaſionẽ talis deambulationis, quæ Deo placando erat inſtituta, pleraque ſcelera committan-. Quamobrem nobis ſatius videtur, vt hæ, aliæque ſupplicationes ac proceſſiones, decætero intra ſepta eccleſiarum religioſè fiant ac vt in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius rei ac temporis conueniens ad populum commonitorius ſermo. Noſtris tamen Suffraganeis liberum relinquimus; vt ipſi in ſuis diœceſibus de hac re, vti mores regionis patientur, diſpiciant. Marc. 11.

Admonendus populus, cur feriæ inſtitutæ.

CAPVT 9.

DIligenter quoque populus admonendus eſt, cur feriæ, & potiſſimum dies Dominicus, qui à temporibus Apoſtolorum in eccleſia Dei ſemper celebris fuit, inſtitutæ ſint. Nempe, vt tum in vnum omnes pariter conuenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoq; ſacrum, & communicandum: Breuiter, ad vacandum Deo ſoli, vt dies illa tantùm orationibus, hymnis, pſalmis, & canticis ſpiritualibus tranſigatur. Hoc enim eſt ſanctificare ſabbatum. Apoc. 1. Exod. 20. Deut. 5.

In ferijs ſoli Deo vacandum.

CAPVT 10.

QVamobrem cupimus, hiſce diebus prohiberi nundinas, claudi caupones, vitari comeſſationes, ebrietates, ſumptus lites, luſus improbos, choreas plenas inſanijs, colloquia praua, cantilenas turpes: Breuiter, omnem luxũ. Nam hiſce & (quæ hæc ferè ſemper conſequuntur) blaſphemijs ac periurijs nomen domini prophanatur, ac ſabbatum (quod nos admonet, vt quieſcamus peruersè agere, & benefacere diſcamus) contaminatur. Eſa. 1.

Dies dedicationis templi extra Coloniam, vno die vbiq; celebrandus, & quomodo ſit admonendus populus.

CAPVT 11.

ET quum in diebus feſtis, qui dedicationi eccleſiarum peculiariter dedicati ſunt, plerunque indigna committantur, adeò vt videatur populus tum potiſſimum comeſſationis, cauſa conuenire: viſum nobis eſt, vt per diœceſes noſtras, vno certo die anni quo eiuſmodi feſtum dedicationis in metropolitana noſtra colitur, in reliquis quoque eccleſijs omnibus, extra ciuitatem noſtram Coloniam Agrippinam conſtitutis, obſeruetur. Nam intra Coloniam ſummo noſtro templo ſuus honos conſtare debet, quod & in alijs oppidis inſignioribus vbi vna cæteris Eccleſijs præeminet, obtinere placuerit: videlicet vt ibi minores eccleſiæ pridiè eius diei, qui dedicationi eccleſiæ ſummæ eius loci conſecratus eſt, aut die dominico proximo præcedente ſuas ſingulæ dedicationes celebrent, obſeruetur. Docendus autem eſt populus, dedicatione templi, ſignificari dedicationem eccleſiæ Catholicæ ac cuiuſlibet hominis Chriſtiani, qua copulatur Deo. Nam vt D. Auguſt. ait: Quotieſcunq; templi feſtiuitatem colimus, ſi fideliter ac diligenter attendimus, & ſanctè & iuſtè viuimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis ſpirituali ædificatione completur. Non enim eſt mentitus, ille, qui dixit: Templum enim Dei ſanctũ eſt, quod eſtis vos. Et iterùm: Neſcitis quia corpora veſtra templum eſt Spiritus ſancti? Auguſt. 1. Cor. 3.

Cur templa & altaria conſecrentur.

CAPVT 12.

EX vetuſtiſſima inſtitutione & more receptum eſt, templa & altaria, & pleraque alia, quibus in templis ad excitandum fidelium animos, diuinum cultum explendum vtimur, conſecrari, ſolennibuſque precibus, ac benedictionibus dedicari Deo, quod in veteri quidem Teſtamento præceptum etiam diuinum habuit, quemadmodum Exod. 31. & 2. Paral. 22. legimus. Vngitur præterea ſecundùm eccleſiaſticam conſuetudinem, quum conſecratur altare, quum dedicatur templum, quum benedicitur calix, idq; non ſolũ ex mãdato veteris legis, verumetiam exemplo B. Syluestri, qui quũ conſecrabat altare, illud chriſmate perungebat. Verùm vnctionis ſacramentum, aliud quidẽ efficit & figurat, tã in nouo quàm in veteri Teſtamẽto. Vnde nõ iudaizat eccleſia, c. Sicut nõ alij. c. Miſſarum ſolennia. c. Eccleſias. de conſ. diſt. 1. c. 1. & fi. de ſac. vn.

Digitized by Google

ſia, quum vnctionis celebrat ſacramentum, ſicut aliqui mentiuntur, qui neque ſcripturas, neque Dei nouère virtutem.

Populus docendus, quid agatur & ſignificetur in conſecratione templorum & altarium.

CAPVT 13.

QVamobrem populus docendus eſt, hic aliud agi, atque aliud ſignificari, quum cõſecratur templum. Funduntur preces DOMINO, vt hũc locum ſibi peculiariter dedicatum eſſe velit, vt diabolum & eius poteſtatem indè penitus expellat, vt omnes qui huc deprecaturi conueniunt ex quacunque tribulatione conſolationis diuinæ beneficia cõſequantur, vt ab omnibus pariter conuenientibus, Deo laudes ſoluãtur, diuinum verbum audiatur, ac Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrentur. Peculiariter altare cõſecratur, vt illic oblatio munda DEO offeratur, hoc eſt, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, quod in memoriam paſſionis dominicæ immolamus. Quòd verò præter preces, adſperſionis etiam atque vnctionis aliarumq́ue rerum ſolemnia adhibentur, myſterij ſecretioris plenum eſt: quod inanimata iſta gratiæ diuinæ ſuſceptiua ſint: ſed quum hæc viſibiliter fiunt, admonetur Chriſtianus, Deum omnia hæc per inuiſibilem virtutem in anima operari, quæ eſt domus Deo dedicanda, vbi fides fundamentum facit, ſpes erigit, & charitas cõſummat. Signat ergo templi dedicatio tam fidelis animæ, quam eccleſiæ cum Chriſto deſponſationem. Ipſa enim eccleſia Catholica ex multis viuis lapidibus adunata, verum Dei templum eſt. Quòd ſi Dei templum ſumus, altare intus habemus. Altare quidem noſtrum, cor noſtrum eſt. In hoc altari fit ſacrificium laudis. Sacrificium enim DEO, ſpiritus contribulationis & cor contritum. In hoc altari fit commemoratio corporis & ſanguinis Chriſti. Hinc preces ad cælũ aſcendunt: ad cor enim reſpicit DEus. Quamobrem niſi omnia quæ in huiuſcemodi conſecratione exterius aguntur, in nobis ſpiritualiter impleantur, parum hinc fructus nobis acceſſerit. Quid enim exterior ablutio vel iniunctio ſine interiori prodeſt?

2.Reg.6. 1.Cor.3.6. Pſal. 50.

Cur benedicantur campanæ.

CAPVT 14.

BEenedicuntur quoque campanæ, vt ſint tubæ eccleſiæ militantis, quibus vocetur populus ad cõueniendum in templum, & audiẽdum verbum DEI: clerus verò ad annunciãdum manè miſericordiam DEI & veritatem eius per noctem, vt per illarum ſonitum fideles inuitẽtur ad preces, & vt creſcat in his deuotio fidei: quanuis etiam patres aliò reſpexerint, videlicet vt dęmones tinnitu campanarũ Chriſtianos ad preces cõcitantium, terreantur, quin potius precibus ipſis territi, abſcedant, illiſq́ue ſubmotis, fruges, mentes & corpora credẽtium ſeruentur, vt procul pellantur hoſtiles exercitus & omnes inſidię inimici, fragor grandinum, procellę turbinum, impetus tempeſtatum & fulgurum temperentur, infeſta tonitrua & ventorum flamina ſuſpendantur, ſpiritus procellarum & aéreæ poteſtates proſternantur. Breuiter, vt audientes confugiant ad ſanctæ matris eccleſiæ gremium, ac ante ſanctę crucis vexillum, cui flectitur omne genu, quemadmodum hæc in ſolenni benedictione campanæ reperies.

Philip.2.

Docendus populus, vt ſignatis potiùs, quàm ſignis inhæreat.

CAPVT 15.

DOcendus eſt ergo populus ab exterioribus iſtis, vt ſignatis potius quàm ſignis inhæreat ac intendat. Quod & in omnibus alijs obtinet cæremonijs, alioqui parum ad pietatem profuturis. Nam qui in exterioribus iſtis conſiſtit, ac non potiùs illis admonetur, vt ad DEum reſpiciat, cõfugiat, ac totam ſuam fiduciam in illum collocet: huic citius externa iſta in ſubuerſionem, quam ædificationem, erunt.

Quicquid in cæremonijs ad abuſum ſpectat, cautè ac diligenter cauendum.

CAPVT 16.

QVamobrem quicquid in eiuſcemodi rebus ad abuſum & ſuperſtitionem ſpectat, & quo populus à DEO ad collocandum in externis iſtis aliquã fiduciam abduci poſſit prohibemus. Quale inter alia eſt, quod ſanctorum imagines cum indulgentijs & impoſitione incertarum reliquiarum dedicantur: quod quidã aqua, ſale, cereis, ac herbis benedictis, in medicãdis, pecoribus ſuperſtitioſius abutuntur. Omnis quidem creatura per verbum, DEI & orationẽ ſanctificatur, quemadmodum D. Paulus teſtatur. Ergo quanto res ſacratior, tanto abuſus eius damnabilior.

c. placet de con diſt.2.

Cur reconcilietur templum aut cœmiterium.

CAPVT 17.

REconciliatur eccleſia aut cœmeterium ob ſeminis emiſſionẽ, peccãdi libidine factam. Itidem ob enormẽ ſanguinis effuſionẽ, dedita opera violenter & iniurioſè commiſſam, ac alijs quibuſdã de cauſis, qui mos ex Leuit. 14. & 15. ſuam originem trahit. Fit autem hæc reconciliatio, non quod templum reuera polluatur. Ecleſia enim, quum ſancta ſit, coinquinari non poteſt: immò ipſius loci ſanctitas, infamiam loci abolet. Sed quum templum locus ſit, vbi delictorum venia poſtulatur, vbi ſalutaris hoſtia pro peccatis immolatur, vbi DEO laudes exoluuntur, vbi tutela réfugij eſſe debet: fit, vt ſcandalum, horror, atque abominatio turpitudinis & peccati ibi commiſſi, propoſitum quoque & voluntas læthaliter delinquentis, in cauſa ſint, vt ſacer locus reconcilietur, idq́ue ad exemplum & terrorem, vt videntes locum ſacrum ſeu inanimatum templum, nullo peccato obnoxium, lauari & purificari: delicti horrorẽ concutiantur, & recogitent quantum pro expiatione delictorum, & viuo Dei templo ſit elaborandum. Sic Chriſtus ementes & vendentes è templo eiecit, flagello facto de funiculis, ipſos acerrimè corripiens, ac dicẽs: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpelũcam latronum. Aliud quidem agens, aliud verò innuens.

Matt. 21. Ioan.2.

Quæ pollutio reconciliationem requirat.

CAPVT 18.

NOn tamẽ omnis pollutio hanc reconciliationem requirit, ſed tantùm publica vel per rei euidentiam, vel ſaltem per famam. Quòd ſi occulta ſit cõtaminatio, quæ etiam baptiſmi ac pœnitentiæ ſacramenta non remoratur: ſolennitas non exigitur, quod ratio reconciliationis in occultis non habeat locum.

Quorum ſumptu & expenſis reconciliatio facienda.

CAPVT 19.

REconciliationem autem eiuſcemodi gratis fieri, ac tãtum itineris ſumptus Vicarijs noſtris in pontificalibus ſuppeditari volumus. Qui quidem ſumptus ex bonis delinquentis deſumentur, modò tamen tantæ illius facultates ſint: ſin ſecùs, parochiani non grauabuntur vel tantillos ſumptus itineris ſuppeditare, ne populus præter culpam ſuã grauetur. Ne verò diutius ob talem pollutionem diuinum ſuſpendatur officium, aut eccleſiaſtica intermittatur ſepultura, Vicarius noſter in põtificalibus ſtatim vt vocatus fuerit â populo, (modo grauioribus rebus id temporis nõ fuerit implicitus) vltro ibit, officium ſuum expleturus.

Immunitatem eccleſiaſticam in duobus potiſsimum ſitam eſſe.

CAPVT 20.

IMmunitas eccleſiaſtica, vetuſtiſſima res eſt, iure pariter diuino ac humano introducta, quæ in duobus potiſſimũ ſita eſt. Primum, vt clerici, illorumq; poſſeſſiones & bona à vectigalibus & tributis, alijſque muneribus laicis libera ſint. Nam (vt de libertate Leuitarum ſileamus) non temerè refert ſcriptura, Pharaonem totam terram Aegypti ſibi tributariam feciſſe, præter terram ſacerdotum & poſſeſſiones quæ à rege traditæ fuerant eis, quas vendere non ſunt compulſi: quin potius ipſis etiam ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, vt legimus Gen. 47. Deindè, ne rei criminis ad eccleſias confugientes, indè violenter extrahantur, exceptis publicis latronibus, qui per induſtriam proximum occiderint, ac nocturnis depopulatoribus agrorum, qui itinera obſident aggreſionum inſidijs. Demq; his, qui ſub immunitatis ſpe in eccleſijs ac cœmeterijs delinquunt. Quòd ſi à confugientibus ad eccleſias paria his commiſſa ſunt crimina, quæ reipublicæ referat puniri, tantiſper ſaltem debet ſecularis poteſtas à manuũ iniectione abſtinere, donec noſtros conſulat Officiales, ne deuenire neceſſe ſit ad cõceſſiones a diuinis & interdicta, quæ viſum eſt anteceſſoribus noſtris, ob violationem eiuſcemodi immunitatis, editis cõſtitutionibus promulgare.

Quemadmodum fraternitates reformandæ ſint.

CAPVT 21.

FRaternitates, quæ vocantur & in honorem aliquorum ſanctorum in eccleſijs fiunt, ſpeciẽ quidem pietatis habent: ſed quales ac tempeſtate ſeruantur, nempe in quibus tam clerici quam laici potiſſimum cõmeſſationibus & ebrietatibus vacant, interdum etiam varijs cõſpirationibus aduerſus poteſtates intenti ſunt, ſi non omninò ſublatas, ſaltem correctas ac reformatas volumus. omninò ſublatas mallemus, ac reditus ſeu cẽſus earundem, vel in vſus pauperum, vel parochi, expendi nobis magis placuerit. At cùm hæ ſodalitates forſan præter publicum offendiculum, ac pauperũ (qui ab eis eleemoſynas ex conſtitutione accipiunt) præiudicium commode tolli non poſſint, videbimus inter vitãdum, vt ſaltem tollantur abuſus, vt prima ſeruetur inſtitutio & examinentur formulę earum & ſtatuta, vt ratio ac calculus ſingulis annis per Prouiſores (vt vocãt) earundem fraternitatum coram parochis eccleſiarum reddatur, vt ſuperextantes fructus ac reditus, in pauperum ſeu eccleſiæ vſum ac vtilitatem conuertantur, aut etiam inde aliquid parocho ad victum decidatur.

PARS DECIMA.

De vita ac conuerſatione monaſtica.

CAPVT PRIMVM.

VIta monaſtica nõ multò poſt Apoſtolorum tempora cœpit, quãquam multis perſuaſum ſit, aliam tum fuiſſe, quàm nunc eſt, monachiſmi rationem. Nemo tamen negauerit, hoc vitæ genus ad perfectionem euangelicã maximè accommodum, modò ſecundum ſanctiſſimam inſtitutionem purè immaculateq; obſeruetur. Quia verò res eſt quam maximè ardua, in carne viuere, & carnis ſtimulis nullum locum dare, diaboliq; mille fraudibus (quibus præſertim ſolitarios aggreditur) feliciter ſemper reſiſtere, idcircò in hoc vitæ genus nemo vel inuitus intrudendus, vel pelliciendus, vel temerè ſuſcipiẽdus, ſed ſumma cura adhibita, poſt diligentiſſimam demum examinationem monachi ac monachæ recipiantur. Quibus ſæpe inculcandum eſt prius Chriſti verbum de Eunuchis, qui ſe caſtrarunt propter regnum cælorum, quum inquit: qui poteſt capere, capiat. Proponenda Sapientis ſententia, quæ habet in hæc verba: Altiora te ne quæſieris, &c. Rememorandum quoque diligentiſſimè, quòd Deo ſtulta & infidelis promiſſio admodum diſpliceat. Breuiter, admonendus eſt omnis ad hanc vitam adſpirans, vt primùm ſe totum excutiat, ne prouinciam ſuſcipiat, cui non ſuffecerint, alioqui parabolæ euangelicæ dicterio notandus, quod cœperit ædificare, & non potuerit conſumare. Maxima autem cautio adhibenda eſt in puellis, propter ſexus fragilitatem: ne vel ob ætatem deſit voluntas, vel metus adſit, aut alius affectus minimè Chriſtianus.

Eccl. 3. Luc. 14.

Neminem monachiſmi profeſsione temerè alligandum.

CAPVT 2.

CErtè ſancti patres admodum fuerunt ſoliciti, vt non niſi voluntario ac ſpontaneo iudicio virginitatis propoſitum atque habitus ſuſciperentur, quod coacta ſeruitia Domino ingrata eſſe dignoſcantur: ſiquidem voluntariè Domino ſacrificandum eſt, & voluntaria oris ſui beneplacita fieri in conſpectu Domini Pſalmographus obſecrat. Quod enim quis non eligit, nec optat: quod nõ optat, nec diligit: quod non diligit, facilè contemnit. Vnde conſequitur, Nullum eſſe bonum, niſi voluntarium: adeò, vt qui alio affectu quàm bonæ voluntatis monachiſmo ſe alligant, magis peccent quàm mereantur. Ambigi enim non poteſt crimen magnum admitti, vbi & propoſitum deſeritur, & conſecratio violatur. Nam ſi humana facta non poſſunt impunè calcari, quis de eis manebit qui corruperint fœdera diuini ſacramenti? De adoleſcentioribus viduis Paulus pronunciauit, quod quum fuerint luxuriatæ, in Chriſto nubere volunt, habẽtes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

C. puellæ, 22. q. 2. ca. præſens, 32. q. 2. Pſal. 18. Cap. 1. de regula. 1. Tim. 5.

Admonendi parentes, ne liberos inuitos in monaſterium detrudant.

CAPVT 3.

ADmonendi quoque erunt parẽtes, ne liberos in monaſterium inuitos detrudãt, quod illos væ longè grauius maneat, quàm Phariſęos, qui circumibant maria & aridam, vt facerent vnum proſelytum, & quum eſſet factus, fiebat filius gehennæ duplo magis quàm ipſi.

Matt. 23.

Quo affectu monaſtica vita amplectenda.

CAPVT 4.

QVi monaſterium ingreditur, alio affectu quam ſimplici amore Dei ductus, veluti vel ſpem vel promiſſionẽ Abbatiam cõſequendi habens, vel in ocio viuere affectans, vel lucris temporalibus inhians, vel honores ab hominibus appetens, quiſquis talis eſt, non Dei filius aut monachus, ſed plane mercenarius eſt, quemadmodum ſuperius nos de clericis etiam dixiſſe meminimus. cui verendum eſt, vt quum volet ingredi nuptias euangelicas, obijciatur illud: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialẽ? Quodque ipſo obmuteſcente, rex ſit præcepturus miniſtris, vt ligatis manibus & pedibus, ipſum in tenebras exteriores mittant, vbi erit fletus & ſtridor dentium.

Auguſt. Matt. 22.

In monaſterijs habendus, qui doceat legem Domini.

CAPVT 5.

HAbendus eſt in virorum monaſterijs vir pius ac doctus, qui doceat monachos, ab adoleſcentia meditari in lege Domini die ac nocte, ad quod munus in monaſterijs monialium, ſanctimonialis cæteris vita & doctrina præſtantior deligatur. Debet autem qui monaſterio pręeſt, ſumma diſcretione vti, maximè erga eos, quos compe-

erit

rerit diuinis literis intentos aut contemplationi deditos, vt ſcilicet tales à ſordidioribus officijs ſinat eſſe immunes.

Verbi prædicatorem in monaſterijs eſſe debere.

CAPVT 6.

IN monaſterijs quoque verbi prædicator erit pius quidem ac eruditus: nam nulla armatura fortior ad reſiſtendum diabolicis inſidijs ac iaculis, quam gladius ille ſpiritus, quod eſt verbũ Dei, quo Chriſtus in deſerto ſolitarius, ieiunijs & orationibus vacans, & nihilo ſeciùs tentationibus expoſitus, retudit omnem diaboli fraudem ac nequitiam. Nihil quoq; potentius illo ad deijciendos, ac viciſſim conſolandos animos noſtros, nihil efficacius ad concitandum mentem in amorem Dei, contemptum mundi, ac omnium quæ in mundo pulchra ac ſpecioſa apparent. Matth. 4.

Monachi bonæ indolis, ad Academias mittendi.

CAPVT 7.

NEQVE nobis diſplicuerit, vt aliquot ex monachis bonę indolis, ad Vniuerſitates publicas & benè Chriſtianas, aliquot annos theologicis ſtudijs operam nauaturi mitterentur: illic tamen non alibi, quàm in monaſterijs ſeu gymnaſijs ſub cura & oculis præceptorum commoraturi, ne bonis ac rectis ſtudijs deſtinati, mores minimè monaſticos imbibant ac contrahant.

Moniales non eſſe alligandas, vt nulli quàm ſuo (vt vocant) patri aut præpoſito confiteantur.

CAPVT 8.

SINT præterea in monaſterijs virginum, præſertim præter Abbates aut præpoſitos, alij conſcientiarum examinatores ac à confeſſionibus. At ſaltem virginibus liberum ſit, bis aut ter in anno alijs (quos elegerint) probis ac doctis viris, de ſuorum (vt vocant) cõſenſu (quem hi interpellati, rationabili cauſa intellecta, nequaquàm negabunt) conſcientias ſuas exomologeſi exponere, exonerareque, ne ſcilicet adigatur monialis renitens, ſemper vni homini delicta confiteri. Debent autem hi qui eiuſcemodi munere in monaſterijs monialium funguntur, eſſe homines vitæ probatiſſimæ, ac morum quàm maximè inculpatorum, eruditi ac ſingularis iudicij, obſeruaturi ea, quę ſuprà, vbi de pœnitentiæ ſacramento tractatum eſt, delibauimus. Cauebit autem is in primis, criminum non confeſſorum rememorationem, ne virgines diſcant quæ priùs neſcierunt. Cauebit præterea, niſi res omninò exegerit, duritiem increpationis, magis intentus ad modeſtiſſimè arguẽdum, & pientiſſimè viciſſim conſolandum. Confeſſiones autem monialium non priuatim audiet, ſed in cæterarũ conſpectu, non tantùm vt omne malum, ſed & omnis mali ſuſpicio omninò ceſſet.

Mutatam eſſe paulatim faciem monaſteriorum, ac viſurpatum hoſpitij ius, ſimul cum acceſſu moderandum.

CAPVT 9.

MOnaſteria, olim virtutum ſcholæ ac pauperum hoſpitalia erant: nunc proh dolor, videmus ea quæ virorum ſunt è ſcholis virtutũ, in diuerſoria militum ac raptorum: quæ verò mulierum ſunt, in pleriſque locis in ſuſpectas de incõtinentia domos (ne quid grauius dicamus) eſſe commutata. Quamobrem diſpiciendum nobis eſt, ne tam paſſim à quibuſuis militibus hoſpitij ius à monaſterijs vi exigatur, & eleemoſynæ pauperibus deputatę, improborum luxu deuorentur, ne ve ad monaſteria virginum acceſſus, toties à ſacris canonibus prohibitus, pateat: Et vt qui deprænhenſi præter hæc fuerint offendiculum aut occaſionem illis labendi ſiue intra ſiue extra monaſteria, dediſſe, dignas pœnas ferant. Cap. 1. de mu. eccl. [...]a. i mo[...]aſt. de vit. & honeſt. cle.

Viſitatio monaſteriorum neceſſaria.

CAPVT 10.

VIſitatione ergo monaſteriorum quàm maximè opus eſſe intelligimus, quam & canones nobis imponunt. In hac verò oportebit omnia ad regulam ordinis monaſtici exigere, nihil nõ ad pietatem & vitæ ſanctimoniam dirigere, & quicquid mali exempli aut improbæ conſuetudinis irrepſit, penitùs tollere ac eradicare. Profecerit quoque hic, examinari regulas, ſtatuta & conſuetudines, tolli ſuperſtitioſa. C. in ſingul. para. Porrò dic. de ſtatu mon.

Sumptuoſi monialium Præpoſiti abrogandi, & frugales œconomi conſtituendi.

CAPVT 11.

HAbent quædam monialium monaſteria ſumptuoſos Præpoſitos, ſub quorum poteſtate quũ omnis bonorum adminiſtratio ſit ipſi de redditib9 monaſticis luxuriantur. Et qui monaſticæ conuerſationis exemplum eſſe debuerant, ad mundi delitias reuoluuntur: faſtidiẽtes interdum ſimilam & mella, interim monialibus ipſis vix millio & cibario pane rugientem ventrem ſaturantibus. Sunt quoque virginum monaſteria, vbi non eſt victus & menſa communis, ſed mos ille (quem ad Corinthios ſcribens Paulus, quanuis in longè ſacratiori conuiuio damnauit) quotidianus, nempè quod vnaquæq; ſuum cibum præſumit ad manducandum: & alia quidem eſurit, alia verò ebria eſt. Quos abuſus tollere neceſſarium putamus, videlicet vt in illorum delicatulorum Prępoſitorum locum, probi œconomi à nobis comprobandi (quorum victus ſit monaſtico ſimilis) ſurrogentur, qui etiam obligati erunt ſingulis annis rationem de receptis ac erogatis integram reddere. Hieron. 1. Cor. 11. C. Oſius, 9. q. 3. ca 9. rel. 17. q. 2.

In monaſterijs monialium victum ac menſam communem eſſe oportere.

CAPVT 12.

ITidem vt moniales victum ac mẽſam communem vbique habeant, & quæ pari ſunt officio deſtinatæ, pari etiã cibo alantur. Quod vt quàm minimè oneroſum ſit, non debebunt plures in monaſterium moniales recipi, quàm congruè poterunt in ſingulis monaſterijs ſuſtentari, de quo nobis priùs legitimam fidem fieri conueniet.

De præpoſitis ſolitariè commorantibus.

CAPVT 13.

DIſplicet etiam nobis, quòd quædam monaſteria quoſdam Præpoſitos habent, qui in Capellis ſolitarij commorantur, quod Lateranenſi Concilio vetitum eſt ac cautũ, vt Epiſcopus Abbates, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam compellat, vt eiuſcemodi Præpoſitos aut Priores ad clauſtrum reuocent, faciantque eccleſijs ipſis ſeu capellis per ſeculares clericos deſeruiri, aut ſaltem alios monachos ipſis adiungant. Ex Lateranen. Concil.

Viſitandæ domus fratrum Teutonicorum; diui Ioannis Baptiſtæ, & Antonitarum.

CAPVT 14.

VIſitandæ quoque in primis & reformandæ erunt domus hoſpitalium militum Teutonicorum, præterea ordinis diui Ioannis Baptiſtæ, ac Antonitarum: atque initio prouidendum, vt in ijſdem domibus cultus diuinus ritè ac debitè peragatur, vt hoſpitalitas pro pauperib9 ſeruetur, vt vita ac conuerſatio regularis ſecundùm inſtitutionẽ primam ac regula (quam illi profeſſi ſunt) illic geratur, vt ab ipſis veſtes ordini ac profeſſioni dignę ac cõuenientes, publicè deferantur: vt comeſſationes, crapulæ, ac omnis luxus prohi-

prohibeatur: vt prædæ illę bonorum mobilium, quæ poſt mortem prælatorum per primores ordinis fieri, ac in exteras regiones deferri, peſſimo omnium exemplo conſueuerunt, amodò nequaquàm fiant. Sed quicquid par ſimonia defuncti prælati coaceruatum ac relictum fuit, vel neceſſarijs vſibus eccleſiæ, aut ſucceſſorum, aut pauperum eius regionis, vbi religioſa iſta domus ſita eſt, applicetur.

De vita & conuerſatione monachorum.

CAPVT 15.

ET vt reuertamur ad monachorum vitam, haud ignorare debent. Concilio Chalcedonen. cautum monachos oportere quieti operam dare, ieiunia & orationes obſeruare, in his locis, in quibus ſe ſemel Deo deuouerunt remanere, nullas eccleſiaſticas ſeu ſeculares actiones tractare, nunquàm ſua monaſteria relinquere, niſi forſan ob ingentes neceſſitates id facere à ſuo epiſcopo iubeātur, ne nomen Domini blaſphemetur. Quare libertas illa perigrinandi ſeu exeundi, prætextu inuiſendi parentes, moderanda ſeu penitùs tollenda erit.

Monachorum ſtudia atque exercitationes quales eſſe oporteat.

CAPVT 16.

MONACHVS & monacha amare debent ſcripturarum ſcientiam, & carnis vitia non amare. Pſalterij librum de manu aut oculis nunquàm deponere, ſemper orare, ſenſu vigilare, vanis cogitationibus aditum præcludere, corpore pariter & animo in Deum tendere, iram patientia vincere. Breuiter nullis animi perturbationibus (quæ ſi inſederint, ad delictum maximum inducunt) locum dare: ſemper aliquid operis facere, vt eos diabolus ſemper inueniat occupatos. Et vt nulla ſint quæ manibus operari liceat, libros tamen ſacros deſcribere ipſis maximè conueniret, vt & manus operetur cibos, & lectione anima ſaturetur. Porrò AEgyptiorum monaſteria hunc morem ſeruaſſe leguntur, vt nullum monachum abſque opere & labore ſuſciperent, non tam propter victus neceſſaria, quàm propter animæ ſalutem, ne pernicioſis cogitationibus vagarentur, neve inſtar fornicantis Iſrael, omni tranſeunti diuaricarent pedes ſuos.

Monachos vagos ſub cuſtodiam reuocandos.

CAPVT 17.

MONACHI qui peruagati fuerunt, vbicunque inuenientur, tanquàm fugaces noſtro auxilio ſub cuſtodia reuocentur. Et ſi qui habitum abiecerint, vt eundem reaſſumant, cogendi.

Literas priuatas monacho, aut monacha, iniuſſu Abbatis reſignare non licere.

CAPVT 18.

VT monachi ſeu monachæ literas nullas vel deſtinare vel recipere audeant, abſque Abbatis ſeu Abbatiſſæ, aut eius qui ipſorum loco monaſterio præeſt, ſcientia ſumma ratione olim conſtitutum eſt, ſed per incuriam abolitum id præſenti conſtitutione innouandum cenſuimus.

Canoniſſarum ſecularium mores reformandi.

CAPVT 19.

POSTREMÒ, vitam, conuerſationem ac mores Canoniſſarum, quæ ſæculares ob id appellantur, quòd perpetuæ caſtitatis ac reliqua vota monaſtica non emittant, reformari omninò ducimus neceſſarium. Nam vitam agūt plus nimio licentioſam, ac plerisque ſcandaloſam. Quę vt in ordinem & eccleſiaſticam quandam diſciplinam, quoad fieri poteſt, reuocentur, nobis quum viſitationem aggrediemur, curandum eſt.

PARS VNDECIMA.

De hoſpitalibus & orphanotrophijs, alijsq́; id genus pijs locis.

CAPVT 1.

NON ſolùm canonicis conſtitutionibus, ſed & Imperialibus ac regalibus inſtitutis antiquitùs pientiſſimè ſancitum eſt, vt habeantur quàm fieri poteſt frequentia in repub. xenodochia, ptochotrophia, Orphanotrophia, Gerontocomia & Brephotrophia, & id genus alia loca pietati conſecrata, in quæ recipiantur peregrini, pauperes, inualidi, ſenes, parētibus orbati, atque inopes liberi, infantes expoſiti, furioſi, leproſi, cōtagioſiq; ac perpetuis morbis obſiti, atq; alię miſerabiles perſonæ: idcirco curæ noſtræ imminebit, vt eiuſcemodi loca, vbi conſtituta ſunt ſarta tecta teneantur. Vbi verò diſſipata ſunt, inſtaurentur, reformenturque. Deniq; vbi necdum conſtituta ſunt, epiſcopali noſtra prouidentia ædificentur, conſtruanturque. Pauperum enim curam nobis Chriſtus præcipuam eſſe voluit, & horū toties meminit diuiniſſimus Paulus Apoſtolus.

Cod. de Epiſco. & Cleric.

Matt. 26. Marth. 14. 2. Cor. 8.

In hoſpitalibus in primis anima curanda, deinde corpus.

CAPVT 2.

HIc ante omnia curandum nobis eſt, vt in domibus iſtis, quæ ad ſalutem animarum pertinent, minimè negligantur, ſed ante omnia de ſacramētorum adminiſtratione, pauperibus, debilibus & ægrotis prouideatur. Ac vbi corporis infirmitas medicum poſtulat, ibi priùs animæ, deinde corporis medicus accerſatur.

In hoſpitalia qui recipiendi.

CAPVT 3.

IN eiuſcemodi autem hoſpitalia, nullæ aliæ quàm eæ, quas diximus, miſerabiles perſonæ, quæ aut morbo, aut debilitate, aut ætate impeditæ, ſuis manibus laborare victumque ac veſtitum ſibi comparare non poſſunt, recipiantur: quas ad eccleſiaſticam diſciplinam canones pertinere, ac noſtris aliorumque piorum hominum largitionibus viſitare, voluerunt.

In hoſpitalia pauperes eius loci, vbi conſtituta ſunt, potiſſimùm recipiendos, maximè contagioſis morbis implicitos.

CAPVT 4.

IN primis autem recipiantur in hæc hoſpitalia perſonæ miſerabiles eius loci, vbi hoſpitalia coſtituta ſunt. Quod ſi rectè curatum fuerit, ſuffecerint penè (niſi tamen fallamur) iam conſtituta hoſpitalia, omnibus verè pauperibus per ſingula oppida ac vicos repertis, vt amodò illis non fuerit neceſſe oſtiatim panem emendicare, aut eos qui lepra, ſeu alio cōtagioſo morbo impliciti ſunt, inter homines adverſari, quod lege diuina, ne fiat, prohibitum legimus. Nec immeritò, quòd ex tali commixtione ac cōuerſatione cum ſanis, infinita pericula ſubſequātur, etiam ex ſolo adſpectu, qui intuentibus horrorem ſolet incutere. Quod ſi leproſis, alijsq; qui ſimilibus morbis impliciti ſunt, hoſpitalium, quibus addicuntur redditus non ſuffecerint, ſatius eſt, vt ipſorum nomine in conuentu eccleſiæ, eleemoſyna per aliquot viros probos ad hoc munus deputandos, colligatur ac præſtetur, atque vt trunci in templis eleemoſynis iſtis colligendis aſſeruandisque erigantur, quàm vt ipſi morboſi eleemoniæ petendę obtentu, aut quocunque alio prætextu conſortijs hominum miſceantur.

Num. 5.

Mendi-

Digitized by Google

Mendicantibus validis hoſpitalia clauſa, & mendicitatem interdictam eſſe oportere.

CAPVT 5.

Codi. de mendic. vali. li. 12. SINT autem mendicantibus validis non ſolùm hoſpitalia clauſa, ſed & publicè ac oſtiatim mendicare penitùs interdictū. Et qui ſecùs agere comperti fuerint, arceantur, ac legalibus noſtriſque conſtitutionibus comprehenſis pœnis ſubdantur. Vtiliùs enim eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus, iuſtitiam negligat: quàm eidem frāgitur, vt ſeductus, iniuſtitiæ acquieſcat.

Magiſtrorum hoſpitalium praui affectus damnantur.

CAPVT 6.

DAmnamus autem abuſum, quo in quibuſdam locis fit, vt neglectis miſeris ac inopibus, quibus hoſpitalia dedicata ſunt: ex priuato affectu magiſtrorū, aut magiſtratuum, qui hoſpitalibus hiſce præſunt, non modò validi, ſed & quibus victus & veſtitus ſuppetit, recipiantur, tantùm quòd illic commodiùs & in otio viuatur: qui certè aliter cenſeri non poſſunt, quàm pauperum deprædatores, raptoreſque, de alieno viuentes, ac velut ex ſanguine pauperum ſaginati. Quos diuus Hieronymus grauiſſimè increpat. Hieron. Qui (inquit) ex bonis parentum & ſuis opibus ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegiū profectò committunt, & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducant & bibunt.

Quàm grauiter peccent, qui ex pauperum victu ſe ditant.

CAPVT 7.

Ioan. 12. VIderint quoque hi magiſtri ac hoſpitalium præſides, ne Iudam imitentur, qui loculos (ex quibus pauperibus diſtribuebatur) ferebat, ac fur erat, ne ſicut ille, ita & ipſi pereant. Nouerint ergo ſe tali muneri addictos, non vt ſui, ſed vt pauperum curam gerant, quos neglexiſſe, occidiſſe eſt: quibus quid ſubtraxiſſe, ſacrilegij inſtar eſt. Et quò vigilantiores in officio ſint, ſingulis annis aut ſæpiùs, magiſtratui eius loci, præſente parocho, rationem de omnibus reddant. Non meum eſt (inquit Proſper) dicere, quantū peccatum eſt eorum qui cibos pauperum ſibi vſurpant, & vnde pauper victurus erat, præſumendo ſuſcipiunt.

PARS DVODECIMA.

De ſcholis, Typographis, ac bibliopolis.

CAPVT 1.

ECCLESIAE reformatio à ſummis pariter & infimis, à capitibus ſimul & paruulis ordienda eſt. Paruuli enim ſunt, qui ſuccreſcentes, in maiorum locum ſubinde decedentium, in reipub. tam eccleſiaſticæ quàm ſecularis administratione ſuccedunt, vt conſequens ſit, ab ipſis prauè ac nequiter inſtitutis, reipub. perniciem imminere. Quamobrem ſummoperè refert, vt pueritia, quæ ſeges eſt omnium rerum publicarum, in timore Domini ac bonis diſciplinis edoceatur. Id quod Dominus præcepit Exod. 13. & Prou. 6. Siquidem ea ætas nullis alijs vſibus accommoda, per id tempus colligere poterit, & ſibi & reip. luculentum fructum. Inprimis autem operępretium nobis videtur, vt clancularij illi magiſtelli, qui in cōuenticulis vicatim docēt, prohibeantur, vtq; gymnaſia illa ac ſcholæ minores, in quibus pueri primis rudimentis imbuuntur, diligenter repurgentur, prę fectis illis didaſcalis, ſeu præceptoribus, nō tam eruditis, quā ſanæ doctrinæ, integræq; ac inculpatæ vitæ viris, idque hac potiſſimùm tempeſtate, qua innumeræ peſtilentes hæreſes totam ferè Germaniam ſummo cum Chriſtianiſmi ac reipublicæ detrimento iuſto Dei iudicio peruadunt, ac velut cācer ſerpunt: quas quum pueri ſemel imbiberint, difficile, imo impoſſibile erit, vt eaſdem penitùs iterum eluāt. Nam,

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu. Horatius.

Scholæ inter viſitandum repurgandæ, ac inſtituendæ.

CAPVT 2.

QVemadmodum verò didaſcali pueros in claſſes digērent, quæ dein ipſis prælegent, tam ad eruditionem, quàm ad vitam Chriſtianam rectè inſtituendam pertinentia, nos inter viſitandum pro ratione cuiuſcunque ſcholæ trademus.

Apud ſingulas eccleſias habendus vir eruditus, qui clericos eius eccleſiæ inſtituat.

CAPVT 3.

OLim conciliari conſtitutione cautum eſt, vt non ſolùm apud quamlibet cathedralem Eccleſiam, ſed & apud alias nimirùm collegiatas, quarum ſufficere poterunt facultates, conſtituatur magiſter idoneus, qui clericos earundem eccleſiarum doceat & inſtituat. c. 1. & c. ga nõnullis, de magiſt. Apud metropolim autem theologum haberi præceptum eſt, qui ſacerdotes ac quoſcunque alios in ſacris literis doceat, & in his præſertim inſtituat, quæ ad curā animarū pertinere dignoſcuntur. Viſum etiam concilio fuit, vt ſingulis magiſtris vnius præbendæ prouentus tantiſper, quoad in docendo perſtiterint, aſſignentur. Cuius quidem ſaluberrimæ conſtitutionis vix veſtigia quædam apud eiuſcemodi Eccleſias reliqua videmus. Nam vt ſcholas ipſas reperias, didaſcalum tamen vix vllum eruditum ac pium repereris, quòd nihil penè ſtipendij (ne dicamus vnius præbēdæ prouentus) illi ſuppeditetur, quod emendatione magna indiget. Neque enim hæc res leuis momenti eſt, à qua totius propemodùm reipub. tum ſalus, tum pernicies dependet.

Qui huic viro victum ſuppeditabunt.

CAPVT 4.

CVrandum itaque, vt ſingula Collegia ludos literarios diligenter inſtituant, eiſque de idoneis ludimagiſtris ac ſumptibus proſpiciant: vbi Collegia nō ſunt, ſenatus & reſpublica idem curet.

Quemadmodum Academiæ inſtaurari, ac ſtudia ali poſſint.

CAPVT 5.

ACademias, ſeu Vniuerſitates publicas per hanc hæreſum colluuiēm perire miſerè cernimus, quas inſtaurari maximè in votis eſt. Id fieri poſſe nobis videtur, ſi modus aliquis inueniatur, quo pauperibus ſcholaſticis ex eccleſiaſticis ſtipendijs aliquid poſſit decidi. Clericos enim illos conuenit eccleſiaſticis ſtipendijs ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla bona ſuffragantur. Quo inſuper profeſſoribus atque his, qui in bonis literis, optimiſque quibuſq; diſciplinis, ac in primis Theologię ſtudijs multùm profeciſſent, ſpes præmij fieret: nam ſpes alit artes.

Pium votum ad ſtudia ſubleuanda.

CAPVT 6.

Cōc. Baſi. ET quanquàm hic articulus à ſummo pontifice potiſſimùm pendere videatur, tamē quod in nobis eſt, cuperemus omnes ordinarios collatores, præſertim parochialium eccleſiarum, huc induci poſſe, vt Academiæ poteſtatem facerent, ſignificandi ſubinde ipſis viros literatos ad regendum Eccleſias eiuſcemodi idoneos, quos ipſi collatores quibuſcunque alijs non idoneis præferrent, ac parochijs quum vacarent, præficere non differrent, modò tamen perſonaliter reſidere non detrectarent. Quòd ſi idem apud collegiatas eccleſias (qui mēſe ordinario canonicatus & præbendas conferunt) obtineri poſſit, non dubium id pleriſque ad ſtudia capeſſenda calcar fore non exiguum.

by Google

Decretalem Honorij tertij, quoad eius fieri poteſt, renouari æquum eſſe.

CAPVT 7.

PRætereà non parùm huc fecerit, ſi Honorij tertij decretalis ſeruetur, nempè vt Canonici eccleſiarum diœceſis noſtræ Colonien. dociles ad ſtudia, potiſſimùm theologiæ, per capitula tranſmitãtur, percepturi toto quinquennio beneficiorum ſuorum fructus, nõ obſtante aliqua contraria conſuetudine vel ſtatuto, quum denario fraudari non debeãt in vinea Domini operantes, de quo dictum eſt partim ſuperiùs. Ex his enim tandem ſpes non vana concipi poſſit, aliquando futurum, vt doctorum copia habeatur, quo veluti ſtellæ valerent plurimos ad iuſtitiam erudire, & temporis ſucceſſu eccleſiam Dei vniuerſalem in vita ac doctrina reformare.

Quid curandum in academijs.

CAPVT 8.

NEque ignoramus multa ac diligenti prouiſione opus eſſe in Academiis, quæ in primis curare neceſſe erit, vt optimi quique libri in ſingulis profeſſionibus ac diſciplinis per doctiſſimos profeſſores ſtatis diebus ac horis vigilantiſſimè prælegantur, enarrenturq́;. Deinde, vt ſcholaſticis viuendi regulæ præſcribãtur, nempè vt bonis diſciplinis vacent, à pompis, cõmeſſationibus, ebrietatibus, aleæ ludis, diſſenſionibus ac rixis abſtineant, vt prodigi eſſe deſinant, ac quiſque ſe ſuo modulo metiatur, vt faſtum omnem ac doctrinæ ſupercilium deponãt. Nec incipiant eſſe magiſtri, priuſquàm fiant diſcipuli. Quot enim ſunt, qui magiſtrorum ac doctorum inſignia ambiunt, ac per ambitũ extorquent, etiam qui nunquàm eam artem quam poſt magiſterium profitentur, vel à limine ſalutârunt? quòd quàm turpe ac indecorum ſit, nemo ignorat.

Nihil imprimendum, aut vendendum, niſi reuiſum priùs.

CAPVT 9.

PRæterea quum per abuſum artis impreſſoriæ, librorũ plurimùm malorum emerſerit, prohibemus, ne vlli Typographi aut Bibliopolæ, quempiã recens editum librum aut chartam vel imprimant, vel venum exponant, vel vendãt publicè vel occultè, niſi hic liber reuiſus, & charta vel ſcripturam vel picturam cõtinens, per noſtros ad hoc deputatos commiſſarios diligenter perſpecta ſit priùs. Quæ & Typographi nomen & cognomen complectantur, atque eam ciuitatem, ſeu oppidum, in quibus excuſſa ſunt, nominatim deſignent. Quæ verò his caruerint, nullo pacto venum exponantur. Porrò Typographi, Bibliopolæ, ac reliqui librorum inſtitores ac geruli, qui huic ordinationi contrauenerint, præter confiſcationem librorum, pœnis etiam legalibus ac pragmaticæ conſtitutioni Auguſtanæ ſubiacebunt. Contra quos in territorijs noſtris Fiſcalis noſter acerrimè inquirere, ac ad iuſtarum pœnarum declarationẽ procedere non omittet.

PARS XIII.

De iuriſdictione Eccleſiaſtica contentioſa.

CAPVT 1.

ANTE annos non admodum multos reformationem iuriſdictionis noſtræ eccleſiaſticæ edi curauimus, per quam ita temperata ac moderata omnia ſperamus, vt nemo de ea iure queri poſſit.

Excommunicationis origo, & præcipuus vſus.

CAPVT 2.

NE autem quiſpiam excommunicationis eccleſiaſticæ originem ignoret, primus excõmunicationis in eccleſia vſus, qualis fuerit, Paulus primæ ad Corinth. quinto manifeſte oſtẽdit, vbi Corinthium publicè cum nouerca fornicantem, tradit ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus fieret in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non tantùm exemplo indicans, ſed & expreſſim iubens, vt qui eiuſcemodi ſunt, è medio eccleſiæ, eijciantur. Si is (inquit) qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſcemodi nec cibum ſumere permitto. Quin ante diſcipulũ ille, qui ſolus verè magiſter eſt Chriſtus, eiuſcemodi excommunicationis vſum Matthęi 18. docuit. Quem optamus in eccleſiam reuocari ac frequentiſſimum eſſe, nempè vt tales publicè ac enormiter peccantes, ne alijs offendiculo ſint, & notati tandem reſipiant, extra communionem ſacramẽtorum ac vitæ communis ponantur, donec ad cor & eccleſiæ gremium reuerſi, ſuum reatum deplorent. Diuus ſanè Paulus grauiſſimè Corinthios increpat, quòd inceſtum illum tantiſper paterentur. (1. Cor. 5.) Omninò (inquit) auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris ſui quis habeat. Et vos inflati eſtis, & non magis luctũ habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrũm, qui hoc opus fecit. Non eſt bona gloriatio veſtra. (Matth. 18.) Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate ergo vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi, & cætera, quæ ſequuntur. Quòd ſi denunciationem Euangelicam (qua nulla res ſalubrior eſſe poteſt, & quæ nobis nõ tantùm facienda ſuadetur, ſed præcipitur) frequentaremus, & Apoſtolica præcepta mordicùs teneremus, rariores profectò in cœtu noſtro haberemus adulteros, raptores, homicidas, & id genus alios publicè criminoſos, propter quos blaſphematur nomen noſtrum inter gentes, & ſcandalizantur multi inter nos infirmiores. (Eſa. 52. Roma. 2.)

Cur paſſim in omnes inobedientes excommunicationis cenſura diſtringi cœperit.

CAPVT 3.

IAmdudum verò cœpit excommunicatio in omnes inobediẽtes diſtringi, quòd quaſi peccatum hariolandi ſit repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. (1. Reg. 15.)

Vſum excommunicationis in publicè criminoſos, in lucem reuocandum.

CAPVT 4.

VSum ergo excommunicationis, præſertim aduerſus publicè criminoſos, in lucem reuocari conuenerit: deinde poſthàc in alijs cauſis excommunicatio tantùm in manifeſte contumaces feratur.

Quid cauendum in decernenda excommunicationis cenſura.

CAPVT 5.

CAuebit autem in primis Iudex, ne hanc, aliasve cenſuras eccleſiaſticas, vel ex iniuſtis, vel ex leuib⁹ cauſis, vel iuris ordine non ſeruato, vel ex odij fomite proferat vnquàm. Quum enim excommunicatio pœna ſit, qua nulla maior eſt in eccleſia: nec ſit excommunicãdus quis, niſi pro peccato lęthali, quòd anathema ſit æternæ mortis damnatio: nec infligenda veniat, niſi his qui aliter corrigi non poſſunt: debebit Iudex non antè excommunicere quempiam, quàm cognouerit, id vel cauſæ grauitatem, vel eius qui extra communionem ponendus eſt, apertam contumaciam, præcepto iuſto acquieſcere nolentis, exigere. (Ex Con. Meldẽn. Aluet. c. nem. o. & ca. nullu ſacer. 11. q. 3. Ex Con. Lug. ca. defen. cõmu. 6. Ex con. Ant. Ca. Atela. B cat.)

Excommunicatos vitandos.

CAPVT 6.

VOlumus autem vt hæc cenſura ab omnibus (iure non tantùm humano, ſed & diuino idipſum poſtulante) timeatur: vtque excommunicati in familiari conuerſatione vitentur, & à nemine recipiantur, quemadmodum antiquiſſima Cõcilia, ſub grauis reatus incurſu idipſum fieri præceperunt.

Non paſſim contra omnes delatos, per Fiſcales inquirendum.

CAPVT 7.

Cap. cùm oporteat, c.inquiſitionem.§. tertiæ dubita.de accuſatio.

PRocuratores noſtri Fiſcales aduerſus neminem inquirant, niſi quem legitima ac frequens grauat infamia, nõ quidem à maleuolis & maledicis, ſed à prouidis & honeſtis, iuſtitiæ zelo commotis, ſuborta: quam ſi non probauerint, condemnentur ipſi, nõ autem inquiſiti, in expenſis. Neque enim ſpeciem aliquam æquitatis habet, quod ab innocentibus abſolutis, quippiam expenſarum nomine extorqueatur: alioqui calumnia & iniuſta diffamatio, mercedem (quod abſit) haberent. Valeant ergò alij maleuoli delatores, depeculatores famæ, ac reipub. peſtes. Neque enim ad petitionem eorum qui libellum infamationis porrigunt, in occulto inquirendum eſt ſuper criminibus in eodem deſcriptis: quum inquiſitio fieri tantùm debeat ſuper illis, de quibus clamores aliqui præceſſerint.

Manifeſtè criminoſi, pro quæſtu nequaquàm ferendi.

CAPVT 8.

NOlumus autem, vt concubinarij, aut alij manifeſtè criminoſi, vllo modo pro quæſtu aut pecuniæ emungendæ cauſa ferantur, tolerenturque: aut vt pœnæ pecuniariæ pro criminibus paſſim imponantur, quòd res mali exempli ſit, crimẽ pecunia redimere, ſed reformationis noſtræ conſtitutio, quæ de officio Sigilliferi poſtrema eſt, ſeruetur. Quòd ſi interdum vel perſonæ delinquentis, vel delicti qualitas pœnã pecuniariam imponi poſtulauerit, hęc in pios tantùm vſus conuertatur, ne magis auaritiæ, quàm correctionis cauſa exacta videatur.

Clerici grauiſſimorum criminum rei, ſecundùm canonicas ſanctiones puniendi.

CAPVT 9.

1.Tim.5.

CLerici in grauiſſimis criminibus depræhenſi, iuxta canonicas ſanctiones puniantur. Expedit enim, vt publicè delinquentes & Eccleſiam Dei ſcandalizantes, publicè quoque arguantur & puniantur. Quamobrem tales vel à nobis depræhenſi, vel extra territoria noſtra per magiſtratus capti, ac nobis iuxta ſanctiones canonicas traditi, dignam ſui ſceleris pœnam recipiẽt. Quod ſi tam graue fuerit, vt degradatione dignum ſit, faciemus ipſos curiæ tradi ſeculari, ne clericali priuilegio gaudeant, quo ſe per flagitia reddiderunt indignos.

De teſtamentis inſinuandis, approbandis, ac exequendis.

CAPVT 10.

Ex Conc. Mog.c.ſi hæred.de teſt.

IN Concilio Moguntino ſancitum eſt, vt hæredibus qui iuſſa teſtatorum non adimpleuerint, ab Epiſcopo loci illius omnis res quæ eis relicta eſt, interdicatur, cum fructibus & emolumentis, vt vota defunctorum adimpleatur. Quamobrẽ procuratores noſtri Fiſcales in diœceſi noſtra Colonien. aduigilabunt, vt Teſtamenta, maximè eccleſiaſticarum perſonarum, priuilegijs Eccleſiæ noſtræ maioris ſaluis, intra anni ſpatium exequutioni mandentur: vtq; intra idem tempus executores teſtamẽtorum legitimum calculum reddant. Quorum etiam teſtamentorum inſinuationem approbationemque intra triginta dies à morte ſacerdotis peti volumus atq; obtineri, niſi rationabilis cauſa longiorem dilationem expoſcat in præmiſſis. Diſpiciet autem Sigillifer noſter, vt ſi quid in quempiam ſtultum, aut iure prohibitum vſum, temerè relictum ſit, in pium conuertatur.

Bona presbyteri ab inteſtato defuncti, in piam cauſam conuertenda.

CAPVT 11.

VBi ſacerdos noſtræ diœceſis Colonien. mortuus eſt inteſtatus, bona ipſius, præter patrimonialia, quæ hæredibus cedunt, deducto ære alieno & funeralibus, in piam cauſam pro defuncti animæ ſalute conuertantur.

Portio quæ Archiepiſcopo ſoluitur, nemini grauis.

CAPVT 12.

Ca. Offic. de teſta.

EA portio quæ nobis vti Archiepiſcopo ſecũdùm rationem bonorum (extra quæ tamen patrimonialia immobilia ſunt) deducto ære alieno, ex more & ſpeciali conuentione cum clero noſtro inita, debetur, nemini grauis eſſe poteſt, quòd maior Epiſcopo ſecundùm canonicas ſanctiones portio, quàm ea eſt, quę ex remiſſione noſtra nobis ſoluitur, debeatur.

Iuramentum facilis exactio, in iudicijs refrenanda.

CAPVT 13.

MVltiplex illa & facilis iuramentorum exactio, quę in iudicijs eccleſiaſticis fit, nobis probari non poteſt. Chriſtus inter perfectionis hortamenta ponit & illud, vt in totum abſtineamus ab omni iureiurãdo. Quo colore ergo conſuetudo nunc paſſim iurantium in omni negotio excuſari poſſit, non videmus, niſi aut grauitate negotij, aut neceſſitate. Crebris iuramentis rarò deeſt periurium, quod grauiſſimè punit Deus. Quamobrem monemus Cauſidicos, ne tam faciles ſint in exigendis malitiæ ac alijs iuramentis. Compertum enim habemus, quoſdam eſſe tam malè Chriſtianos, qui in re tam ſeria ludant, ac iuramẽta interdum exigant, quibus præſtitis credere nolint. Ne dicamus quoſdam eò veſaniæ prolabi, vt iuſiurandum exigant, quòd malint ſuſpicari, præſtando violatũiri, quàm vere reuerenterq; adhiberi. Quo laqueo quis pernicioſior eſſe poteſt? Admonebit igitur Officialis noſter Cauſidicos, atque alios iuramenta exigentes, vt ea quæ iudiciarij proceſſus ſolennitas neceſſariò non requirit, remittant: vtque memores ſint, eandem manere pœnam temerè exigentem, quæ manet fruſtrà præſtantem iuramentum.

Math.5.

Deut.5.

Formula inquirendi hæreticos delineanda.

CAPVT 14.

QVVM hæreſum ac ſchiſmatum in præſentiarum plena ſint omnia, videbimur operæpretium facturi, ſi communicato cum inquiſitoribus Apoſtolicis cõſilio, formulam quandam inquirendi iuri conſentaneam, ac tantum negotium dicentem, minimeq; captioſam, præſcribamus: Quamobrem ea de re noſtris iuriſperitis mandabimus.

PARS XIIII.

De Viſitatione ac ſynodis Epiſcopalibus Archidiaconalibusq;.

CAPVT 1.

QVVM fruſtrà ſint in ciuitate leges, niſi & ſint qui eas exequantur: itidem inſtitutiones canonicas inefficaces & lãguidas eſſe oporteat, niſi ab Epiſcopo & reliquis (quibus ea cura demandata eſt, & quodam modo viua lex ſunt, qui & in Euangelio nuncupantur ſal terræ) mancipentur effectui: idcirco viſitatione per noſtram diœceſim Colonien. opus eſt, quam Deo authore per noſtrum in pontificalibus Vicarium, ac ipſi adiunctos viros iuxta pios ac doctos, quibus plenam dabimus in his ſpiritualibus ac eccleſiaſticis rebus ordinandi poteſtatem, aggrediemur, eodemque adiuuante Deo peragemus.

Math.5.

Quo ordine viſitatio inſtituenda.

CAPVT 2.

EX ſperioribus verò liquet plus ſatis, quo ordine viſitatio inſtituenda ſit. Siquidem in primis ab eccleſijs noſtris metropolitana ac cathedrali inchoandum, dehinc ſingulæ collegiatæ ſimul cum monaſterijs & virorũ & mulierum inuiſendæ: poſt hæc ad parochiales eccleſias omnes, in noſtris ciuitatibus ac diœceſibus cõſtitutas (vbi maxima cura opus erit) tranſeundum: ibi non ſolùm parochi, ſed alij etiam (quotquot ibidem commorátur) ſacerdotes ac clerici aduocandi. Atque interim non prætermittendæ ſcholæ & bibliothecę, vbi illæ reperiũtur: ac poſtremò hoſpitalia pauperum diligenter perluſtranda erunt.

Quæ vbiq; corrigere oporteat.

CAPVT 3.

QVAE verò oporteat vbique ſciſcitari ac inueſtigare, quæ corrigere ac repurgare, quæ ſtatuere ac ordinare, ſuperiores conſtitutiones abundè docent.

In primis reformandos eſſe Decanos.

CAPVT 4.

QVòd ad cathedrales & collegiatas Eccleſias attinet, prima cura erit in reformandis eccleſiarum prælatis, maximè Decanis. Qui ſi cæci fuerint, conſequitur, neceſſariò, vt hi quibus ducatum præſtãt, ſimul in foueam trahantur ac cadant. Quod enim ab illis committitur, facilè ab alijs trahitur in exemplum.

Inquietos & prælatis rebelles, corripiendos.

CAPVT 5.

ET quoniam alicubi tanta eſt cleri diſſolutio, vt prælatis quantumuis bonis ac eruditis, neque ſuus honor, neque authoritas ſeruetur, intendent. Viſitatores noſtri animum, vt inquieti corripiantur. Qui corripi & obedire nolunt, cenſura eccleſiaſtica ſecundum culpæ modum percellantur, donec reſipuerint.

In monaſterijs abuſus quomodo percipiendi.

CAPVT 6.

IN monaſterijs facilè percipientur abuſus, modò regulæ ordinis relegantur, interrogenturque qui illis præſunt, num illis ſcilicet ſimul cum noſtris conſtitutionibus per omnia ſatisfiat.

In viſitatione parochiarum quid agendum.

CAPVT 7.

VBI ad parochias itur, debebit parocho ac populo paucis antè dictus aduentus Viſitatorum ſignificari, quo tum omnes expediti adſint, ac publicæ ſaluti intendant. Denique ea ſacramenta ac munera, quæ per ſolum Epiſcopum adminiſtrantur, expurgati & præparati recipiant.

Habenda concio per Viſitatores.

CAPVT 8.

NEc videbitur inutile, vt Vicarius noſter in pontificalibus, ſeu alius ex Viſitatoribus noſtris Theologus, concionem ad populum habeat, eundemque de omnibus de quibus vtile videbitur, ex diuinis ſcripturis per verbum admoneat.

Interrogandus parochus, quo titulo miniſterium gerat.

CAPVT 9.

INterrogandus deinde Parochus, num ipſe principalis rector ſit, aut Vicarius mercenarius, an ordinaria authoritate admiſſus, necne: vbi Vicarius pręeſt parochię, videndum quo priuilegio abſit parochus principalis.

De vita, moribus, & doctrina inquirendum.

CAPVT 10.

DEinde inueſtigandum de vita, moribus, ac de doctrina, quo pacto verbum diuinum diſſeminet, ac ſacramenta eccleſiaſtica adminiſtret, & num omnia calleat quæ ad officium ſuum ſpectant. Vbi verò minùs fuerit inſtructus, erudiatur maximè in his, quæ ad diſpenſationem eccleſiaſticorum ſacramentorum attinent, pręterim pœnitentiæ. Subinde inquiratur, num in his deſes aut negligens interdum ſit: & num illi neceſſarius & honeſtus victus ſuppetat, ſeu digna ſtipendia exoluãtur. Nam ſi competens victus defecerit, ad eum modum (vti ſuprà diximus) procurandus erit, aut ad nos referendum.

De habitu, tonſura, ac reliquis externis videndum.

CAPVT 11.

VIdendum deinde de eruditione, habitu, tonſura, ac familiari conuerſatione: honeſtas familiæ exploranda, libri quoq; omnes inſpiciendi, qui ſi nothi aut ſuſpecti erunt, auferendi ac tollendi ſunt.

Num hæreſis quæpiam ſerpat, diligenter inueſtigandum.

CAPVT 12.

INſuper inueſtigandum erit diligentiſſimè, num in tota parochia vllus hæreticus aut ſchiſmatic' delitescat, num hæreſis aliqua ſerpat, atque hic apponenda ſecuris ad radicem, vt ſeducti, per verbum Dei in viam veritatis & eccleſiæ vnitatem reducantur. Qui contumaces fuerint, è cœtu cæterorum tollantur.

Num agantur alia, quæ cum Dei & Eccleſiæ inſtitutis pugnent, diſpiciendum.

CAPVT 13.

PRæthereà num in parochia ſuperſtitiones, ſortilegia, diuinationes, atque alia id generis, quibus mentes à Deo viuo per diaboli fraudes ſeducuntur, exerceãtur: num periuria, blaſphemiæ, adulteria, & ſimilia crimina, ob quæ iratus Deus in nos gladium iræ ſuæ vibrat, publicè committantur: num eccleſiaſticæ cenſuræ contemnantur: num ſint qui parocho obedire flocciſaciant, qui ſacramenta Eccleſiæ non participent: item, num feſti dies & ieiunia eccleſiaſtica ritè obſeruentur.

De puerorum inſtitutione, & hoſpitalium cura quærendum.

CAPVT 14.

DEin videndum quo pacto pueri inſtituantur, qui pręterea ſint ſcholis præfecti. Hoſpitalium quoque cura haud prætermittenda.

Vitia quibus aſſueuerint parochiani, acriter corrigenda ac refrenanda.

CAPVT 15.

DE vitijs quibus parochiani vel maximè aſſueuerint, inquiſitio facienda, vt per Viſitatores verbo diuino ab his populus auocetur.

De officio parochi inquirendum.

CAPVT 16.

DEnique expiſcandum, num parochus diuinum officium in Eccleſia canendo, legendoq; ritè gerat, num ſacrũ baptiſma, itidem ſacroſanctam Euchariſtiã cum chriſmate ſecurè ac decẽter cuſtodiat, num veſtes & reliqua ornamenta quibus in diuinis officijs vtimur, mundè aſſer-

uet:

uetinum ipſe aut qui Eccleſiæ prouiſores appellantur, templum fartum tectum curet: num ſacris altaribus ſuus honos impendatur: num ruinis domus parochialis occurrat: num de rebus Eccleſiæ alienationes faciat. Atque his ſimilia, quę viſitatoribus noſtris pro eorum circunſpectione & prudentia facilè occurrent, & ex conſtitutionibus noſtris, quæ vbique pro loci ac perſonarum ratione rememorari debebunt, ſuppeditabuntur.

Synodus epiſcopalis anno bis habenda.

CAPVT 17.

Nicę. c. 5. Anc. c. 20. Cõſtã. c. 3. Chalced. & c. 19. c. ſicut olim de accuſat.

ET quoniam viſitationes iſtæ generales per ſingulas parochias abſque magno ſumptu ſingulis quibusque annis frequentari haud poſſunt, ſaluberrimè ſancitũ eſt in antiquiſſimis canonibus, bis per ſingulos annos in ſingulis prouincijs Concilium fieri: Vt primum ante dies Quadrageſimæ habeatur, videlicet quò omnibus, ſi quæ ſunt, ſimultatibus amputatis, mundum ſolenneque Deo munus poſſit offerri: Secũdum verò agatur ante tempus Autumni, in quo ſi communi omnium conſenſu rationabiliter comprobato, ſecundùm eccleſiaſticam regulam, duo vel tres animoſitate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum ſententia ſacerdotum.

Quid agendum in ſynodo epiſcopali.

CAPVT 18.

IN his ergo Concilijs, anno bis, de his omnibus apud Metropolitanæ, cathedralium, collegiatarum, monaſteriorumq́; prælatos, & præſertim Archidiaconos, ac quos vocamus Decanos rurales, qui vocati ſunt in partem ſolicitudinis Epiſcopalis, per Vicarium noſtrum in pontificalibus, ac officialem diſquiſitio diligens fiat: Et quæ ex illorum iudicio reformatione opus habere comperientur, communi conſilio emendentur.

De ſynodis Archidiaconalibus ac ruralibus.

CAPVT 19.

DEnique Archidiaconi, qui Epiſcoporum oculi dicuntur, ac Decani iſti rurales in ſuis deinceps ſynodis, quę ſancita fuerint, in prouinciali ſeu epiſcopali Concilio publicabunt. Et ad eundem modum (qui in viſitatione pręſcriptus eſt) vitijs extirpandis ac virtutibus inſerendis ſtudeant, criminibus publicis, magis per pœnitentias canonicas, quàm pecuniæ exactione, puniendis intenti.

Officiales Archidiaconorum, & decanos rurales, viros graues eſſe oportere.

CAPVT 20.

QVod vt rectè ac prudenter fiat, Archidiaconis noſtris incumbit, ne vllos inidoneos Officiales aut Decanos rurales deligant aut admittant, ſed ad has functiones viros tantùm aſſumant, cùm doctrina præſtantes, tum vitæ innocentis inculpatæque, qui nullius criminis labe notabiles, officium ſuum irrepræhenſibiliter exequantur.

Synodi Archidiaconales antiquitatem quandam præ ſe ferunt.

CAPVT 21.

Can. 1. de off. Arch.

EX vetuſtiſſima quadam inquirendorum criminum formula relictum eſt, vt Archidiaconi anno biſſextili circumeant, & peccata enormia emendent, quæ ſequitur in hęc verba: In Concilio publico ab Epiſcopo habito primitùs iurare debent de villis ſingulis fideliſſimi quique, liberi & ſerui, tres vel quatuor, ſeu etiam plures, vt rei veritas omninò inquiratur. Iuramentum autem illud huiuſcemodi eſſe debet: Quicquid in villa in qua habitat, veraciter ſciat, vel ſeriò audierit actum contra fidem rectam & Chriſtianitatem Epiſcopum aut eius nuncium, quantùm recordari poſſit & ſcientia ſubminiſtrat, non lateat. Poſt iuramentũ verò Epiſcopus per ſingula numerare debet, quæ priùs iuramento compræhendit, hoc eſt: Si vir, ſuper vxorem ſuam, aliquam clanculò corrupit: Si cum duabus cognatis, ſiue mulier cum duobus propinquis fornicata ſit: Si commatrem ſpirituale aut filiolam ſuam ſtupro violauit: Si qua mulier partum ſuum necauit, vel conceptum quocunque modo excuſſit: Si quis cognatum ſuum voluntate aut caſu occidit, ſeu morbidum fecit, & necdum ad publicam pœnitentiam venit: Si mulier maritum ſuum, aut maritus vxorem ſuam iniquo cõſilio interemit: Si quis virum aut fœminam veneno, aut aliqua alia potione occidit, & qui hoc ſcilicet veneno machinatur: Si ſciat diuinatrices vel augures, etiam illos qui per incredulitatem illas inquirant: Si ſciant meretrices, quia meretrix appellatur, ſi vno contempto, cum alijs fornicatur, licèt nupta non ſit: Si illos etiam ſciant, qui cum excommunicatis communionem habent: Si illos ſciant, qui conuicti ſunt periurium perpetraſſe: Si & illos nouerint, qui loca Deo nõ dicata, contra fidem eccleſiaſticam colunt, & ad Chriſti eccleſias venire contemnunt: Illos etiam ſi ſciant, qui indictũ ieiunium negligunt. Hæc omnia dum Epiſcopus habet recitata, iuratores per iuramentum commoneat, cæteros verò omnes nobiles & ignobiles, per bannum Chriſtianitatis cõſtringat, vt ſupradictas res minimè celent, ac ſi in die iudicij ante tribunal Domini noſtri IESV CHRISTI, rei occultatione præfatarum rerum nefandarum inueniantur. Hoc enim indicet & per bannum conteſtetur, vt nemo per vllius timorem aut fauorem vel etiam amicitiam, præfata reticeat, veraciter ſcita. Neque per odium, neque per inimicitiam vllam quicquam alicui irroget, quod veraciter non poſſit probare. Horum aliqua ſi anteà in præſentia Epiſcopi allata eſſent, eiusq́ue iudicio terminata, poſteà iterata, cõperta fuerint, veluti in initio referantur, & Epiſcopali decreto conſtituantur.

Abuſus in ſynodorum Archidiaconalium ac ruralium obſeruatione.

CAPVT 22.

PRæſcripta quidem formula, quam antiquitatis cauſa retulimus, ſucceſſu temporis in abuſum, quod negare non poſſumus, deducta eſt, quod non fideliſſimi quique, ſed leues delatores, non qui veraciter ſciant, aut ſeriò audiuerint, idq́; à probatis: neque vno tantùm, ſed pluribus, hisque fide dignis, minimeq́; maleuolis, ſed frequentiùs abſq́; omni delectu vel leues, ac futiles, vel inuidi ac rapaces calumniatores, delationi comperiantur adſciti. Quodq́; pro manifeſtis criminibus non canonicæ pœnitentiæ, ſed pecuniariæ potiſſimũ mulctæ à delinquẽtibus fuerint exactæ, permiſſis interim delinquentibus, haud præter graue populi offendiculum, in publica ſcelerum infamia perſeuerare.

Inter viſitandum abuſus corrigendi.

CAPVT 23.

QVæ omnia magna correctione indigent, quam, volentes ac adiuuante Deo, inter viſitandum adhibebimus, nimirùm curaturi, vt viris exploratæ virtutis tantùm hoc officij delegetur.

Procurationem ſuo officio rectè fungentibus pendi, æquum eſſe.

CAPVT 24.

HIs autem qui ſynodo præficiendi ſunt, ſumptus neceſſarios (quam procurationem canones vocant) per parochianos ſuppeditari, iuſtum atque æquum eſt. Ex Conc. Lateran. Ex Conc. general. c. cũ Apoſtolicis, c. pro curatiões, de cenſib.

Cætera, quæ præſentis Concilij decretis compræhenſa non ſunt, (ſunt autem pleraque, non minorem quàm ea quæ correximus, caſtigationem poſtulantia) ea ſecundùm ſacrorum canonum cenſuram, partim in Viſitatione, partim in futuris ſynodis epiſcopalibus, Deo dante, emendare diligenter adnitemur.

Canonum Concilij prouincialis Colonienſis, anno 1536. celebrati, Finis.

CONCILIVM AVGVSTANVM AD REFORMATIONEM CLERI, AVTHORITATE OTTHONIS CARDINAlis, & epiſcopi Auguſtani, celebratum anno Domini 1548. tempore Pauli Papæ III.

ACTA ET STATVTA SYNODI DIOECESANAE AVGVSTENSIS,

Reuerendiſſ. in Chriſto patre & Illuſtriſſ. Principe & domino, D. Otthone S. R. E. TT. ſanctæ Balbinę presbytero Cardinale, & Epiſcopo Auguſtano præſidente, ad diem 12. Nouembr. anni 1548. conuocatæ, & continuo triduo celebratæ.

REVERENDISSIMVS in Chriſto pater & Illuſtriſſ. princeps & dominus, D. Ottho S. R. Eccleſiæ TT. ſanctæ Balbinæ presbyter Cardinalis, & Epiſcopus Auguſtanus, memor communis Eccleſiaſticorum ſacri Romani Imperij ſtatuum conſenſus, inuictiſſimo & potentiſſimo principi & domino, D. Carolo V. Romanorum Imperatori maximo, in proximis comitijs Auguſtanis de reformandis cleri & populi moribus, deformitatibuſq; eccleſiarum tollendis, præſtiti: etſi calamitatū ſuperiorum reliquijs ſanandis apprimè diſtractus, ſummo tamen ſtudio atque labo꞉ acitus eſt, vt & Cęſareæ Maieſtati, cui hanc ſynodorū congregandarum facultatē, Germanorum eccleſiæ, veluti olim Conſtantino Imperatori totus ferè orbis, acceptam ferunt, ſatisfaceret, & quod muneris ſui eſſet, pro viribus adimpleret.

Kalend. igitur Octobr. poſtquam Albigouiam Subalpinam Eccleſiæ ſuæ ditionem proximo biennio miſerè afflictam, præſentia ſua conſolari, conſilio, liberalitate, iureq; dicundo iuuare, atq; paterna ſanè cura & pietate luſtrare cœpiſſet, è Fueſſa oppido epiſtolas citatorias ad Abbates, præpoſitos, decanoſque tam collegiales, quàm rurales ſuæ diœceſis miſit.

Quibus, vt in pauca conferantur, ſanctorum patrum decretis & Baſilien. Concilij authoritate in memoriam reuocata, ſacrique Romani Imperij Electorum principum & ſtatuum eccleſiaſticorum, de conuocandis ſynodis conſenſione commemorata imperat, eoſq; in Domino hortatur, vt ad diem 12. Nouembr. in oppido Dilinga ſynodi initio finiq; adeſſe velint: in primiſq; dent operam ſinguli, vt citationes huiuſmodi in capitulis ſuis ad hoc conuocatis publicentur, ipſaque capitula ſeu collegia Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, aut alijs horum loco comparituris inſtrumēto publico, cuius formulæ ſingulæ ſingulis citationibus additæ fuerunt, poteſtatē faciant, vt eorum etiam voluntate atq; nomine ſynodi huius ſtatuta, quatenùs ea ad quoſque pertinerent, approbare, atq; ipſos obſeruaturos, profiteri legitimè poſſint. Miſſa prætereà fuerunt citatis omnibus exempla formulæ Cæſareanæ reformationis, mandatumque omnibus, vt eam diligenter expenderent: atque ſi quid ex temporum, locorum, aut perſonarum occaſione, vſu vel neceſſitate, addendum moderandumve ipſi iudicaſſent, ad ſynodum referrent: & cùm ſuas, tum collegiorum aut capitulorū ſuorum ſententias inter conſultandum explicarent.

Ad tempus igitur præſcriptum aduenère Abbates, Præpoſiti, Decani & Camerarij quamplurimi, quorum multi veluti ex captiuitate reſpirantes, præclaram animi magnitudinem ad domum Domini ædificandam afferre videbātur. Qui emanſerunt, partim priuilegijs pontificum ab Ordinarij iuriſdictione exemptos ſe eſſe aſſeruerunt: partim prophani magiſtratus imperio retenti ſunt: nonnullos libertatis amor, conſcientiaque perturbatæ à ſe religionis, obedientiæ iugo ſubtraxit.

ACTA PRIMAE DIEI SYNODI.

HOra autem ſeptima antemeridiana diei Nouembr. duodecimæ, Reuerendiſſimus dominus Cardinalis, Reuerendi domini, Marcus Auunculus Epiſcopus Nazianzenus, & reliqui Abbates ius pontificiorum ornamentorum habētes, cum baculis paſtoralibus, mitris, & reliquo habitu pontificali: cæteri verò Præpoſiti, Canonici, Decani, presbyteri & clerici, ſuis quique veſtimentis eccleſiaſticis inſignes, in Eccleſia Dilingenſi parochiali frequentes conuenerunt. Vnde re ſacra de ſancto ſpiritu à Reuerendiſſimo Cardinale ſumma omnium deuotione peracta, ordine cuncti biniq; ad arcem Dilingen. proceſſerunt, idq; ea de cauſa, quòd Eccleſia parochialis rei tantæ gerendæ minimè idonea, tantæque multitudinis capax non eſſet.

In arce verò, aula ſuperior ampliſſima eſt, in cuius capite Altare intra cancellos decentiſſimè ornatum extitit, pro cancellis, Reuerendiſſimi Cardinalis ſubſellium, Nazianzeni Epiſcopi & aliquot eccleſiæ ſuæ cathedralis ad hoc deputatorum Canonicorum ſedibus vtrinq; clauſum. Ad vtrunque aulæ latus, quà in longitudinem patet: triplex ſcamnorum ordo: in ima verò aula, tranſuerſa verò ſcamna multa, omniaque ſtragulis operta, atque inter ſe ita diſpoſita, vt ambitus tranſituſq; liber vndiquaq; eſſet.

Porrò cùm ex dignioribus ſuum quiſque locum occupâſſet, cæteri in reliquis ſedibus aſſediſſent, aut in ſpatijs intermedijs conſtitiſſent, Synodales orationes, ſacræ laudes atque preces omnes, ex libri pontificalis præſcripto ordine inceptæ atq; abſolutæ fuerunt.

Deinde Reuerend. dominus Martinus de Olaue, Theologus Hiſpanus, & Cæſareæ Maieſtatis Sacellanus, orationē habuit ad ſynodum de horum temporum ſtatu, de officio paſtorum & cleri, moribuſq; omnium in melius reformandis, atq; diſciplina eccleſiaſtica reſtituenda, tanta eruditione & eloquentia excultam, vt vniuerſæ ſynodo fuerit & ornamento, & admirationi.

Ea finita, Reuerend. Cardinalis cauſas ſynodi huius conuocandæ paucis explicauit, ſummaq; & dignitate & grauitate vniuerſos ad rem præſentem in receſſus animi interiores reuocandam, Synodiq; totius negotium æquis animis, ab omnique deteriore affectu ſemotis, tractandum cohortatus eſt: atq; poſtremò ſeipſum quoq; obtulit Synodi iudicio emendandum, rogauitq; omnes ex animo, vt in vita moribuſq; ſuis corrigendis monitores eſſe velint, ijs ſe & libenti & grato animo obtemperaturum.

His dictis, Ioānes Albertus Vuidmanſtetter ord. S. Iacobi Luſitani frater militaris, Iuriſc. & dominationis ſuæ Reuerend. Cancellarius, nonnulla, quæ ad præſentem actionem pertinere videbantur, præfatus, Cæſareæ Maieſt. formulam in Comitijs Auguſten. vt dictum ſuprà fuit, propoſitam, clara voce continuaq; lectione recitauit.

Abſoluta eius lectione, quoniam dies à meridie ad horā primam inclinabat, iuſſi ſunt à Reueren. Cardinale omnes, dimiſſis ornamentis & habitibus, ad cœnaculum quod aulæ ſynodali ſubſtructum eſt, eademq; amplitudine patens, diuertere, quò eos ad recreanda prandio corpora cum benedictione dimiſit.

Hora pomeridiana tertia conuenerunt in eadē aula omnes, vbi Reuerend. Cardinalis iuſſu Cancellarius Synodū alloquutus eſt in hanc ferè ſententiam: Proculdubiò intellexiſſe eos, memoriaq; recenti adhuc retinere, in cuius nomine cōgregati ſint, quid in ſacris ſolennibus à Deo Opt. Max. cōmunibus votis poſtulârint: quid nō modò paſtori & Epiſcopo ſuo, ſed & gregi ſibi cōmiſſo quiſque debeat: quāta doctrinæ & vitæ ad patrū regulas conformandæ neceſſitas omneis ferè ordines eccleſiaſticos vrgeat: quā habeāt promptā epiſcopi ſui voluntatē ad proſpiciendum ſibi & gregi: & demùm, quod præcipuum tn̄ in hoc toto negotio eſt, quanta pietate, diligentia & feruore Cæſarea Maieſt. veluti nauis Reip. diſcordiarum tēpeſtatibus iactatæ prudentiſſimus gubernator, incolumitati omniū prouiſum cupiat, cuius rei ſingulare è multis exemplū ſit, quòd Reformationis eccleſiaſticæ formulā antiquorum patrum rationi diſciplinæq; maximè conſentaneam propoſuerit, quā eccleſiaſtici ſtatus in ſynodis celebrandis ceu normam decretorum ſequerentur. Eam igitur formulam, tanquam ſummam totius conſultationis, dominationem ſuam Reuerendiſſ. quod factū hodie ante prandium ſit, publicandam omnibus cenſuiſſe.

Quoniam verò dominationis ſuæ Reuerend. dubium

non

non ſit, quin pro ſuo quiſque officio, vt iuſſus fuerat, Formulæ huius capita ſingula apud ſuos diligenter tractârit, atq; de ijs quid in hac conſultatione offerri oporteat, deliberârit: ſuperuacuum ſanè videri, vt ſingulorum ſententiæ de ſingulis capitibus Cæſarianæ formulæ exquirantur, quàm ſtatutorum inde excerpendorum ratio ineatur. Vt igitur compendio maiore negotium hoc expediretur, dominationẽ ſuam Reuerendiſſ. formulam totam reformationis paucis obmiſſis, quorum deliberatio & cognitio pertinere ad ſuperiores viſa eſt, inſertisq; ex priorib⁹ ſtatutis nõnullis alijs, in decretorum, ſeu ſtatutorum ſynodaliũ ſpeciem contraxiſſe, eumque ordinem, qui cùm in Pontificio iure, tum in alijs Auguſtanæ eccleſiæ ſynodalibus ſtatutis ſeruari conſueuit, ſequutum fuiſſe.

Quibus dictis, Cancellarius ſtatuta tenore continuo ad finem vſque vt ſequuntur, prælegit.

Titvli Statvtorvm.

De ſumma Trinitate & fide Catholica. Cap. 1.
De conſtitutionibus. 2
De electione. 3
De renunciatione. 4
De qualitate ordinandorum. 5
De clericis peregrinis. 6
De officio Archidiaconi. 7
De parochis ſiue presbyteris curatis. 8
De officio Decani & canonicorum. 9
De vita & honeſtate clericorum. 10
De pluralitate beneficiorum. 11
De ſtatu monachorum, monialium, & Canoniſſarum. 12
De officio concionatoris, & diuini verbi prædicatione. 13
De cultu diuino. 14
De adminiſtratione Sacramentorum. 15
De Baptiſmo. 16
De Confirmatione. 17
De celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ. 18
De pœnitentia & remiſſione, Cap. Omnis vtriuſque ſexus, lingua Latina & vulgari, & alia quadam lingua Germanica quadragenarij ieiunij tempore vulgò à parochis publicanda inſeruntur. 19
De extrema vnctione. 20
De matrimonio. 21
Ne pro Sacramentis aut Sacramentalibus quidquam exigatur. 22
De conſecratione, benedictione & ceremonijs eccleſiaſticis. 23
De ferijs & feſtis ſanctorum. 24
Vt oratio Dominica, Angelica ſalutatio, & Symbolum Apoſtolorum ab omnibus æqualiter dicantur, eorumque interpretatio vulgaris. 25
De Magiſtris & ſcholis inſtituendis. 26
De Hoſpitalibus pauperum, infirmorum & peregrinorum. 27
De Maioritate & obedientia & diſciplina populi. 28
De Viſitatione. 29
De ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti. 30
De precibus pro ſummo Pontifice, Romanorum Imperatore & Rege ac principibus Catholicis, alijsq; ad Deum fundendis. 31
De pœnis. 32
De Synodis. 33

Finis Titvlorvm.

STATVTA SYNODI DIOECESANAE AVGVSTENSIS,

XII. XIII. & XIIII. NOVEMBRIS, ANNO M. D. XLVIII. Othone Cardinale & Epiſcopo Auguſtano præſidente, Dilingæ celebratæ.

De ſumma Trinitate & fide Catholica.

Capvt 1.

QVvm tota creationis vniuerſi ratio, atque redemptionis noſtræ fundamentum, in ſummæ indiuiduæque Trinitatis recta indubitataque fide conſiſtat, & à Redemptore noſtro Iesv Christo per ſuos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores vna fides Catholica in vniuerſum orbem, cuius primatus Romanę ſedi ex D. Petri Apoſtoli prȩrogatiua iure tribuitur, deriuata ſit: Statuimus, atque omnibus prælatis, vniuerſo clero & populo noſtræ diœceſis mandamus, vt in ſancta fide Catholica, quam diuina clemẽtia & ſanctiſſimorum hominum prædicationem ſecundùm prædictæ ſanctæ ſedis puram & incorruptam traditionem, maiores noſtri ab initio acceperunt, conſtantes firmiq; permaneant, eandem credant, obſeruent ac doceant: atque paſtores, oues, agnosq; ſuæ curæ commiſſos, in eadem fide orthodoxa pro cuiuſque captu erudiant, ſummoque ſtudio confirment.

De conſtitutionibus.

Capvt 2.

SAcrorum canonum & Conciliorum decreta, & tam prouinciales Maguntinæ ſedis, quàm à noſtris prædeceſſoribus nobisq; editas Synodales conſtitutiones in vniuerſum, præcipuè verò eas, de quibus ſpecialis mentio in ſequentibus noſtris ſtatutis non habebitur, firmiter obſeruari præcipimus, tranſgreſſores ſecundùm canones ipſos prædictasque conſtitutiones, puniri decernentes.

Inuictiſſimi etiam Chriſtianiſſimique Imperatoris Caroli Quinti, cui Maximi cognomentum meritò tribuimus, conſtitutionem de Interreligione in comitijs Auguſtanis hoc anno editam in ea parte, qua ad ſtatus Catholicos pertinet, acceptamus, noſtræq; diœceſis ſubditis innouari decernimus, ſcilicet vt eccleſiæ Catholicæ inſtitutiones hactenùs ab eis ſumma cum laude obſeruatas, deinceps religiosè obſeruent, teneantq; conſtanter: ne ſe ab eis vllo modo auelli patiantur, aut omninò quidquam immutent: cæteros verò, qui nouationes induxerunt, vnà cum clementiſſimo Imperatore valdè hoc ab eis ac ſerò requirente, in Domino hortamur, vt ad eccleſiam Catholicam accedẽtes, in obſeruatione conſtitutionum & cæremoniarũ eccleſiæ Catholicæ per omnia nobiſcum cõueniant, & ſe hiſce noſtris ſaluberrimis & Catholicis ſtatutis conforment.

Maximi cognomẽ tribuit Carolo V. Paulus 3. Pontifex

Quin & formulam Reformationis ab eadem Cæſareæ maieſtate eccleſiaſticis ſtatibus in ijſdẽ comitijs propoſitã, quam non in his noſtris Synodalibus ſtatutis ſequi profitemur, omnibus noſtrȩ diœceſis eccleſiaſticis perſonis crebrò legendam, verſandam & ſequendam proponimus.

Conſtitutiones quoque & ordinationes à Reuerend. domino Laurentio Campegio S. R. E. Cardinali, & ſedis Apoſtolicæ per Germaniam Legato, Ratisbonæ Anno M. D. XXIIII. editas & publicatas, tanquam ſalutares, & Capituli noſtri conſilio & aſſenſu acceptamus, easque ab omnibus prælatis, presbyteris & clericis nobis ſubiectis, volumus obſeruari.

Statuimus præterea, vt præſens libellus Synodalium conſtitutionum noſtrarum in eccleſia noſtra cathedrali, alijsque collegiatis & monaſterijs, quamprimùm typis excuſus fuerit, habeatur: & in choro, vt cuilibet acceſſus ad eum pateat, ſeruetur. Decani quoque rurales, camerarij, plebani, capellani, cæterique presbyteri noſtræ diœceſis priuatim eum ſibi comparent, frequenterque legant, vt quiſque tam repentinis quàm indictis viſitationibus de his, quæ ad ſe pertinent, rationem reddere poſſit. Volumus etiam, vt Abbates & præpoſiti, conuocatis omnibus monachis & canonicis Regularibus, necnon Decani collegiatarum eccleſiarum canonicis, Decani verò rurales in Capitulo ſuis confratribus accerſitis, eadẽ ſtatuta bis in anno ad verbum prælegant, aut prȩlegi curent. Si quis verò huic noſtro mandato non obtemperauerit, à nobis ſeu vicario noſtro canonicè punietur.

De electione.

Capvt 3.

APprobante cathedralis eccleſiæ noſtræ venerabili capitulo, ſtatuimus & ordinamus, vt poſthac ad epiſcopatum eccleſiȩ Auguſtenſis, nullus niſi presbyteratus ordine inſignis, aut qui ſe gradus, quos nondum habet, oẽs ſtatutis ordinationũ temporibus, nulla interiecta mora, aut tergiuerſatiõe, adepturũ promiſerit, eligatur aut aſſumatur:

De renunciatione.

CAPVT 4.

AD eccleſiaſticas dignitates, animarum curas, aliaque beneficia ad noſtram diſpoſitionem ſeu approbationem pertinentia, nullus poſthac coadiutor vel reſignatarius, niſi examinationis teſtimonio ſubnixus fuerit à nobis aut vicario noſtro in ſpiritualibus admittetur. Si qui verò per ſurreptionem eiuſmodi dignitatum, curarũ aut beneficiorum coadiutores ſiue reſignatarij ſucceſſores in illis ſine examinatione præſcripta extiterint, amouebuntur.

De qualitate ordinandorum.

CAPVT 5.

VT Catholica doctrina atque diſciplina eccleſiaſtica meliùs conſeruetur, ſtatuimus atque ordinamus, vt ordinandi ſuper hæreſibus hoc tempore iactatis, quid de illis, & contrà, quid de Romana Catholica & Apoſtolica eccleſia ſentiant, diligenti examinatione explorentur. Deinde, vt nullus ordinetur, niſi qui publicum à primario ſacerdote vel magiſtratu patriæ ſuæ aut eius loci, vbi maiorẽ vitę ſuæ partẽ exegerit, de vita eius & moribus probatis, teſtimonium literis conſignatum attulerit, qua in re primarij ſacerdotis ſeu Magiſtratus & teſtium conſcientiam oneramus.

Ad hæc, vt ordinandi ſcientia explendis ſaltem eccleſiæ miniſterijs ſufficiens, non titulis, ſed diligenti conſtat examinatione.

Eandem quoque rationem in his, qui ad prælaturas admittendi, & ad eccleſias parochiales prouehendi ſunt, volumus haberi: atq; ad parochiales eccleſias quenquam, niſi populum docere & velit & ſciat, nolumus admitti.

Poſtremò neminẽ ad prælaturas aut eccleſias parochiales ſiue per electionem, ſiue per inferiores collatores aut patronos deſignatus fuerit, priùs inueſtiri, aut ad eccleſiæ munera ſubeunda admitti debere, quàm examini ſatisfecerit, & vocationi ſuæ ſatisfacturum ſe pro viribus pollicitus fuerit, ſtatuimus atq; mandamus.

Aetatem etiam ordinandorum, ſecundùm laudabilem eccleſiæ noſtræ morem, hactenùs introductum & ſeruatũ, deinceps quoq; obſeruari præcipimus.

Pro examinatione verò nullam ab his, qui à nobis deputati ad hoc fuerint, pecuniã exigi debere præcipimus: quod & hactenùs in eccleſia noſtra factum fuiſſe, compertum habemus. Quòd autem ad noſtrum epiſcopale officium attinet, profitemur nos pro gratia, quam Altiſſimus nobis largiri dignatus fuerit, munus noſtrum ritè recteq; tam per nos, quàm per vicarios & cooperarios noſtros exequuturos. Volumusq; poſthac ordinandorum examini Paſchali Pẽtecoſteſq; tempore Auguſtæ, reliquis verò anni temporibus cõſuetis in oppido noſtro Dilinga celebrando, ipſi coram adeſſe & præeſſe, ne & in hac parte in nobis quidquam deſideretur.

De clericis peregrinis.

CAPVT 6.

IGnotos atque vagos ſacerdotes & monachos, abſq; prælatorum ſuorum teſtimonijs ſeu formatis, multoq; minùs ſuſpectos de fide aut flagitioſos ſacerdotes vel monachos ſeu fratres fugitiuos, ad concionandi ſacraq; peragendi officium nuſquam in noſtra Diœceſi admitti, nec peregrinos & ignotos presbyteros in conſortio aliorum presbyterorum tolerari, vel ad Miſſarum ſacrificium, niſi ſui ordinarij, è cuius diœceſi proximè diſceſſit, literas de eorum ordinibus & honeſtate docentes oſtenderint, & à nobis vel noſtro in ſpiritualibus vicario admiſſorias habuerint, admitti debere præcipimus.

De officio Archidiaconi.

CAPVT 7.

QVos Græci Chorepiſcopos, hoc eſt, certarum regiuncularũ in qualibet diœceſi ſpeculatores, alij Archidiaconos, alij archipresbyteros vocant, in noſtra eccleſia cathedrali, quò ad certum diſtrictum mœnijs Auguſtanę ciuitatis adiacentẽ Archidiaconi, in reliqua verò diœceſi Decanorum ruralium nomine cenſentur.

His igitur hoc ſtatuto mandamus, vt hæc noſtra placita atq; ſynodalia decreta curæ ſuæ parochis publicent & exequantur, vt capitula ſua ruralia, ſicuti hactenus conſuetum fuit, congregent & ſeruent, ad futuras ſynodos citati veniãt, diligenter quoq; inuigilent, vt parochi ſubditos ſuos doceant, corrigant: & veluti paſtores fideles in via Catholicę doctrinæ ducant, ne irregularitate contracta miniſtrent, neve in foro cõſcientiæ in dubijs conſultent, niſi peritiores priùs ſuper his adhibuerint in conſilium: ad hęc, vt ab extorſionibus & exactionibus illicitis & inſolitis abſtineant, & libertatem eccleſiaſticam, quantùm in eis eſt, tueantur. Hos etiam ſenis quibuſque menſibus diſtrictus, ſeu regiunculæ ſuæ eccleſias ſuas viſitare, & de omnibus rebus tam ſpiritualibus quàm temporalibus ſibi concurrentibus curam habere pręcipiam, & ſi quæ emendare non poterunt, ad Synodum pro tempore, aut ſi mora periculum habuerit, ad nos, vt opportunè prouidere de omnibus poſſimus, referre iubemus. Si quos intruſos ad parochias aut alia beneficia eccleſiaſtica in ſuis diſtrictibus eſſe Decani intellexerint, aut ſuſpectas de ſurreptione abſolutiones diſpenſationesve oſtentari, aut circumferri à quibuſcunque cognouerint: Eos moneant primùm, ne ſi beneficia Sacramentorumq; adminiſtrationem vſurpent, neve gregem Chriſti huiuſmodi diſpenſationum vel abſolutionũ prætextu decipiant. Si qui verò parere monitis noluerint, hi nobis à Decanis, quos fidei iuramẽto nobis præſtitæ ſuper hoc admonemus, ſine mora indicentur.

Decanis quoq; ruralibus iniungimus, ne in templis, ſacellis, aut oratorijs ſuarum regiuncularum, picturas aut imagines quaſcunque depingi, ſculpi aut fieri, nobis aut vicario noſtro inconſultis, patiantur, vt in his veteris Eccleſię decorum, ſacrarum hiſtoriarum veritas, & imaginum honeſtas, maturiore deliberatione circa ea præcedente, conſeruetur. Idem decernimus in cæteris diœceſis noſtræ ædibus omnibus diligenter obſeruandum.

Iiſdem Decanis ruralibus pręcipimus, vt in inquirendis hæreticorum libris, aut de hæreſi ſchiſmateve ſuſpectis, nullam diligentiam prætermittant. Contrahant etiam, vndecũque in ſuis regiunculis poſſunt, eiuſmodi libros omnes, & in primis formulas adminiſtrationis Sacramentorum, quas Aduerſarij ordinationes eccleſiaſticas vocant, eoſque libros ad nos quamprimùm tranſmittant, & in concionibus ſuis Sacramentorumque adminiſtratione, Catholicos doctores & Romanæ eccleſiæ Manualia ſequantur, cæteriſque eiuſdem rei pro officij ſui cura monitores authoreſque exiſtant.

De parochis, ſiue presbyteris curatis.

CAPVT 8.

PArochi de fide & religione noſtra populum ſibi commiſſum doceant, atque inſtruant, Sacramenta adminiſtrent, eorum myſticam gratiam exponant, publicis peccatis irretitos canonicè, occultis verò delictis occultè arguant, & ad pœnitentiam adducãt. Incorrigibiles, nobis aut noſtro in ſpiritualibus vicario indicent, vt vel publica ſatisfactione curentur, vel communione Catholica arceantur: paruulos quoque & rudes quoſq; parochiæ ſuæ, doceant certis temporibus Symbolum fidei, Dominicam precationem, Salutationem Angelicam, & Decalogi præcepta: aut ea diebus Dominicis è ſuggeſtu diſertè pronuncient, vt reuera duplici honore digni habeantur.

Quum nihil magis officiat Eccleſiæ Dei, quàm quod ad regimen animarum indigni aſſumuntur, ſtatuimus & diſtrictè præcipiendo mandamus, vt à vicario noſtro in ſpiritualibus generali, alijſque prælatis viri graues, docti, & ad curam animarum habendam idonei deligantur, diligenſque & anniuerſaria de eorum vita & moribus inquiſitio habeatur.

Et quoniam non rarò accidit, vt presbyteri & clerici beneficia eccleſiaſtica curata abſque inſtitutione ſeu commiſſione vel noſtra vel vicarij noſtri, de facto occupent, atque nulla ligandi vel abſoluendi poteſtate prędití, populum Dei decipiant: volumus & mandamus, vt quilibet Decanus,

vel

vel Camerarius in capitulo proximo ſui decanatus, literas huiuſmodi commiſſionum ſibi petat exhiberi, nobiſq; aut vicario noſtro, ſi qui nullas habuerint, intra menſis ſpatium ſignificet. Idemq; de beneficijs non curatis, ad eaq; intruſis, intelligi volumus atque mandamus.

Parochi ſeu presbyteri curati omnes, libros apud eccleſias ſuas habeant quatuor: Primum, in quo baptizatorum: Secundum, in quo ſtatuto ab eccleſia tempore confitentium & communicantium: Tertium, in quo eorum, qui matrimonia in facie eccleſiæ contraxerunt: & Quartum, in quo mortuorum & eccleſiaſticæ ſepulturæ traditorũ nomina & cognomina cum annotatione diei & anni deſcribantur. hæc enim diligentia cùm ad multa vtilis, tum verò ad hoc precipuè, vt paſtoribus ouium ſuarum ratio melius conſtet.

Capellani & primiſſarij, rectoribus aut plebanis ſuis debitam reuerentiam exhibeant, ac omnia debita officia, ſiue in fundationibus expreſſa ſint, ſiue ex conſuetudine introducta, ſuis locis temporibuſq; exequantur in iuribus parochialibus, niſi fundationum ſuarum tenore ſpecialiter & expreſsè fuerint priuilegiati, ipſis minimè aduerſentur, vel inobedientes exiſtant, ſed in executione curæ & diuinis officijs cantando & legendo fideliter aſſiſtant. Quòd ſi aliter fecerint, canonicam noſtram vindictam minimè euadent.

Meminerint porrò presbyteri omnes, & in primis hi, quibus animarum cura incumbit, vt eorum quæ ad officij ſui eſſentiam pertinent, notitiam habeant certam & indubitatam, veluti ſunt abſolutionis, aliorumq; Sacramentorum collationis formæ ſubſtantiales.

Quoniam autem intereſſe plurimùm conſtat, qua ratione pueri & rudes catechizentur, parochis noſtræ Diœceſis Catechiſmum ſiue libros de inſtitutione Chriſtiani hominis Reuerendi patris domini Petri de Soto ex prædicatorio ordine, Theologi Hiſpani, & Cæſar. Maieſtatis confeſſoris doctiſſimi & religioſiſſimi viri, legendos docendoſq; commendamus: alios verò de hæreſi, aut ſchiſmate ſuſpectos, ex vſu eorum tolli præcipimus.

De officio Decani & Canonicorum.

Capvt 9.

DEcanus Collegij ſui clericos & familiam in officio quenque ſuo contineat, exemplo alios præcedat, vitæ morumque honeſtatem in habitu & diſciplina, debitumque in diuinorum officiorum perſolutione & cæremonijs exigat: Ebrios, aleatores, percuſſores, ſcortatores, & officij ſui immemores corripiat, ſacris abigat, & pro iure ſibi competenti mulctet.

Scholaſtici eccleſiæ noſtræ dignitate aut titulo eminẽs, iuuentutem eccleſiæ miniſterijs deſtinatam, doctrina, pietate, & morum honeſtate imbuat: aut per idoneos & probos pædagogos inſtitui curet, atque ordinandorum examini de more noſtræ eccleſiæ vnaque nobiſcum diligenter intendat.

Canonici Decano ſuo obediant, diuinis omnibus interſint, qua decet modeſtia, grauitate & pietate. Eleemoſynas pauperibus diſtribuant, populum bonis exemplis ędificent, diuinorum tempore deambulare nec ipſis in templo liceat, neq; alij cuiquam permittatur. Turpe enim eſt, in eo loco quacunq; de cauſa motoriam agere, & ambulationes inſtituere, vbi & geſtu corporis & animo in ſacrorum myſteriorum tractationem defixos, intentoſq; eſſe oporteat.

Studioſis quoque aliquibus, bonamque de ſe ſpem præbentibus Decanus & Collegium prouideãt, vt iuſto ſtudiorum ſuorum tempore iuſtiſq; ſumptibus in academijs & catholicis vniuerſitatibus ſuſtentantur: qui poſt tempus eis conceſſum redeuntes, de diligentia, probitate, pietateque teſtimonium eius Vniuerſitatis publicum ſecum adferre teneantur.

Cæterùm horas canonicas, reſidentes canonici tam cathedralis noſtræ, quàm collegiatarum eccleſiarum, decenti modulatione, pro eccleſiæ noſtræ cathedralis & collegiatarum more perſoluant, & hanc curam ad conductitios tantùm ſuccentores minimè reijciant.

Canonici etiam iuniores Theologum, qui in ſingulis collegijs frequentioribus haberi debet, lectionem ſuæ profeſſioni & inſtitutioni congruentem, certis horis, quemadmodùm & vicarij aliaq; collegiorum membra facere teneãtur, prælegentem audiant, itaq; & animos diuinis ſtudijs excolant, & ab otio remoueantur.

De vita & honeſtate clericorum.

Capvt 10.

CLerus noſtræ diœceſis in habitu, coronę tonſura, & inceſſu decorum ſeruet, ſuperiore veſte talari indutas, atque pietate magis, venerabilis, quàm aut famulorum multitudine, aut vano armorum terrore contemptibilis incedat. Menſa quoq; vtatur frugali, & ab ebrietate, ludis à iure prohibitis, atque omni ludicra leuitate abſtineat, luxum omnem fugiat, & ab vſuris, mercaturæ & cauponario exercitio, auaritiæ ſordibus, ſortilegijs, diuinationibus, venationibus clamoſis, omnibusque prophanis negotijs, & à quibus cura ſacerdotalis meritò abhorret, prorſus alienus exiſtat.

Hoſpitia quoq; publica, tabernas aut œnopolia compotandi cauſa non ingrediatur. Qui ſecùs fecerit, florenos quatuor depẽdet, quorum dimidiam partem fabricę templi noſtri cathedralis, reliquum delatori impartiemur. Pœnam feſtus dies grauiorem efficiet.

Inſtituta quoque eccleſiaſticá de ieiunijs & abſtinentiá carnium, ferijs, atque huiuſmodi, ab vniuerſo noſtrę diœceſis clero religioſè ac piè obſeruari, atq; ſub debito obedientiæ ſanctæ eccleſiæ catholicæ præſtandæ, populo indici debere ſub cenſuris & pœnis grauiſſimis, mandamus.

Prætereà cùm æquum inprimis ſit, eos mundos eſſe, qui vaſa Domini portant, & in ſacrario operantur, volumus atque iuxta ſanctiones Canonicas decernimus, vt ſacerdotes profeſſionis ſuę memores, caſtè continenterq; viuant, atque à nefario concubinatu abſtineant.

Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus fornicationis, adulterij aut familiaritatis ſuſpectæ conuictus, remota protinus concubina, ab officio ſuſpendatur, & beneficij fructibus ad certum tempus pro ſcandali grauitate priuetur: Iterum conuictus, ſuſpenſione & priuatione fructuum grauiùs plectatur. Incorrigibilis demùm factus, beneficium amittat. Concubinę autem clericorum, excommunicentur. Cæteris verò clericis infra ſubdiaconatum conſtitutis, & eccleſiaſtico beneficio præditis, eadem priuationis fructuum pœna infligatur, & à miniſterio, ſi quod in eccleſia habuerint, repellãtur, Et cùm his omnibus nullas fęminas, niſi aut ſanguinis neceſſitudine iunctas, aut annorum quadragenario numero maiores, aut ſaltẽ ſuſpicione carẽtes, in illa vicinia, eaſq; verecũdas, ſobrias & publico teſtimonio caſtas liceat cohabitare.

Clerici noſtræ diœceſis domos fundoſq; dotales beneficiorum collapſos inſtaurent, quantum neceſſitas poſtulauerit, reparataq; in debita ſtructura conſeruent, & negligentes per Decanos rurales ac alios, ad quos de iure vel conſuetudine ſpectat, eorum prouentum domibus fundiſq; applicandorum ſubtractione mulctentur.

De pluralitate beneficiorum.

Capvt 11.

QVicunque vel cupiditate, vel quouis etiam honeſto colore impellente, plura beneficia eccleſiaſtica obtinent; hoc noſtro mandato iubentur, ſicuti diſtrictè præcipiendo mandamus, vt retento quòd ex illis maluerint vnico beneficio, cætera intra annum reſignẽt; aut nobis vel deputatis ad hoc noſtro, diſpenſationum ſuarum priuilegia huiuſmodi oſtendant. Quod niſi debita obedientia præſtiterint; ſciant ſe ex noſtra diligentia in recta & vera eccleſiaſticorum beneficiorũ diſpenſatione adhibenda, inobedientiæ aut cupiditatis ſuæ pœnas legitimas ſuſcepturos.

Si qui verò poſthac ſedis Apoſtolicæ diſpenſatione plura beneficia obtinuerint, compertumq; à nobis fuerit, eidẽ ſedi (quę in literis, conceſſionibus, priuilegijſq; ſuis rationes cauſaſq; honeſtas & neceſſarias, prout ſuggeſtum ei fuerit, ſequi conſueuit) illuſum ab impetrantibus fuiſſe, hi ſciãt nos ſanctiſſ. domino noſtro melius informato diſpenſationum huiuſmodi reuocationem procuraturos. Vnde ſtatuimus & ordinamus, vt in poſterum nullus, cuiuſcunque gradus,

aut

aut dignitatis fuerit, ad alterius aut plurium beneficiorum poſſeſſionem admittatur, niſi nobis tanquam ordinario loci, diſpenſationis eiuſmodi literas, pro ſedis Apoſtolicæ dignitate conſeruanda inſpiciendas, priùs exhibeat, Bonifacij IX & Leonis X. maximorum pontificum conſtitutionibus ſemper ſaluis. Et ſi diſpenſatione dignus videbitur, nihilominus ſtatuimus, vt tales aut alij quicunque eccleſiarum rectores & beneficiati, vicarijs ſuis tantam ex fructibus portionem relinquant, quanta ad hoſpitalitatem ſeruandam, ad iura epiſcopalia & Archidiaconalia perſoluenda, aliaque onera ferenda ſufficiat. Alioquin à ſuis beneficijs, reſeruato tamen vnicuiq; patrono aut collatori iure ſuo, decernimus amouendos.

Hortamur etiam in Domino eos, qui plura beneficia curata ex diſpenſatione Apoſtolica iam obtinent, vt vno quod maluerint, retento, cætera intra annum ſine vlla penſione idoneis presbyteris reſignent, & Chriſtiano hoc officio pietateq; ſua ſeueritatem & coactioné ſynodalium, prouincialium, aut generalium ſtatutorum aut decretorum anteuertant.

Monaſteria porrò & collegia, aut ſi qui alij incorporatas cum decimis & cenſibus eccleſias quas retinere velint, habuerint, idoneos ſacerdotes eis præficiant: quibus de victu, veſtitu honeſto & competentia iuſta proſpici decernimus: alioquin aut per priuationem incorporationis legitimam, aut honeſtam ex eccleſiæ illius decimis & * viribus aſſignationem, aut ineptorum ſacerdotum remotionem, eiuſmodi eccleſiarum commoditati prouiſuri.

Prælati monaſteriorum, collegia aut alij, vnitas eccleſias habentes, vicarios huiuſmodi aut ſacerdotes conſtituant, niſi prius per nos aut noſtrum vicarium, vt idonei, fuerint admiſſi. Religioſos verò, beneficiorum huiuſmodi curæ à ſuis Prælatis præfectos, non obſtante eorum qualicunq; exemptione, volumus nobis tanquam ordinario eſſe ſubiectos.

De ſtatu monachorum, monialium & Canoniſſarum.

CAPVT 12.

MOnaſteria cuiuſcunque ordinis, ſecundùm regulas quas profeſſi ſunt, reformari, ipſosq; monachos in obedientia & religione ſui ordinis contineri, Capitulum diſciplinæ frequenter ſeruari, vitia illic quotidie ſubnaſcentia ſeueriter corrigi, cultum diuinũ reuerenter & debitè ſeruari, cócubinarios, adulteros, ebrios, criminoſos, infames, ſuſpectos de hæreſi alijsve criminibus, pœnis debitis caſtigari, habitum & tonſuram diligenter ſeruari, ædificia & bibliothecas ſtudioſè curari, prędia, cenſus & iura conſeruari præcipimus: repugnantes, aut reformationis impatientes, ſeuera coërcitione debitisq; medijs caſtigaturi.

Intermiſſa ſacrarum literarum atq; ea etiam, per quæ ad ſacras literas peruenitur, ſtudia, apud opulenta monaſteria intra ſex menſium ſpatium reſtaurẽtur. Vbi verò pauci ſunt monachi, ijdemq; egentes, vnus atq; alter ad aliud eiuſdem, aut ſi commodum videbitur, diuerſi ordinis monaſterium, vbi ſcholæ reſtitutæ ſunt, mittantur, vbi & in ſacris literis, & in religionis obſeruantia inſtitui & proficere, atq; ad prædicationem diuini verbi idonei reddi poſſint.

A rerum prophanarum exercitio Monachi abſtineant, atque intra monaſterij ſepta, niſi concionum aut ſacrorum peragendorum gratia à ſuis prælatis dimittãtur, ſeu ad aliud monaſterium deſtinentur, vel à nobis tanquam ordinario ad curam animarum ſecundùm Canonum permiſſionem euocẽtur, ſeſe contineant. Tempore verò eis à diuinis lectionibus vacuo, ſemper pij & honeſti aliquid agant.

Monachi à ſolitaria vita nomen adepti, familia ſuperflua, equorum faſtu & pompa multitudini ne ſe ingerant, aut ſibi ocioſis, vaniſque ſumptibus frequentiam in ſolitudine procurent, ſed frugaliter in humanitate viuant: & quæ neceſſitati ſuperſunt, pauperibus ſtudioſorumque educationi, eccleſiæ ſementem vberrimam facturi, erogent atque diſpenſent.

Monaſteria exciſa aut deſerta, quantùm fieri poterit, reſtaurentur.

Moniales ab egreſſu monaſteriorum ſuorum, virorumque conſpectu contineant: earumque monaſteria viri non ingrediantur, niſi id poſtulet ineuitabilis neceſſitas. Oeconomum ad res ſuas foris procurandas deligant honeſtum, fidum, frugalem, qui eis & viſitatori ternis menſibus rationem reddat negotiorum ſuorum. Inutilem, graué, infidum amoueant, aliumq; ſurrogandum procurent.

Canoniſſæ continentiæ ſtudium nulla voti ſolennitatẽ obſtrictum ſectantes, commune habeant dormitorium, habitu modeſto, mundo & caſtitatis indice vtantur: magna quoq; inſtituti ſui commoda ex menſæ communione perciperent, ſi contra inueteratum apud eas morem adduci ad hoc poſſent: quod vt faciant, eas in Domino hortamur. Sicubi liberiore vita detrimentum famæ patiantur, reformari eadem curabimus.

De officio Concionatoris, & diuini verbi prædicatione.

CAPVT 13.

COncionandi officium ſoli vocati, & ab ordinaria eccleſiaſtica poteſtate admiſſi, ſuſtineant.

Paſtores, quibus animarum cura incumbit, vicarios ſacerdotes, ſi ipſi iuſta ex cauſa munus hoc explere nequeát, admittere poſſunt: notos tamen, & prælatorum ſuorum teſtimonijs ſubnixos.

Concionator ſeu doctor diuini verbi, Euangelium & ſacras ſcripturas non ſuo, ſed orthodoxorum & ſanctorum patrum ſenſu & interpretatione tractet ac doceat. Homilias ſanctorum patrum, & martyrum paſſiones, à fide dignis tamen ſcriptoribus proditas, poſt Euangelia ſtatis diebus poterit recitare.

In concione nihil prophani, fabuloſi, ſuſpective proferatur, ſed ſint conciones ſanorum verborum & ſanę doctrinæ. Concionator ſe ad captum auditorum demittat: núc catechiſtam agat, nunc interpretem ſcripturarum, nunc vitiorum reprænhenſorem, nunc doctoré myſteriorum, omniaq; ad lucrum Chriſto afferendum, omnibus fiat: & à quæſtionibus perplexis & difficilibus, omni eruditionis oſtentatione reiecta, abſtineat, caueatq; ne ſe vnquam ad conuitia iniuriaſque, quibus eccleſia cum populi offendiculo dehoneſtatur, delabi contingat.

Ijdem Clerum & Magiſtratum aut abſentes quoſuis, ſuo quoſque iudici relinquendos, peruerſo & multis hactenus viſitato iudicij genere, apud populum non accuſent, non deferant, non calumnientur: linguisq; ſuis pro ſeditionum flagellis non vtantur: ſed ſit oratio eorum modeſta, ſobria, grauis & verbi diuini neruis compacta, qua potentes ſint exhortari ſana doctrina, & eos qui contradicunt, arguere. Tit.1.

Miſericordiam, bonitatem & charitatem Dei opportuno tempore prædicent & extollant, ita tamé, vt iuſtitiæ eius in benefactorum pręmijs largiendis, malefactorumque pœnis infligendis non obliuiſcantur, vt dubitantes & anxij, ſpe & amore diuino inflammentur, mali à peccatis deterriti reſipiſcant.

Eleemoſynas, ſatisfactiones, & opera pietatis inducant, ne populus ab eis ſeductus credat, opinione quadam ſuam tutum ſe eſſe, etiamſi huiuſmodi opera, quibus Chriſtianæ fidei paries liniendus eſt, non faciat, cùm tamen Deus ſicuti de pſeudoprophetis apud Ezechielem dicturus ſit: Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eam abſq; temperamento. Ezech.13.

Aduerſus graſſantium hæreſum tempeſtatem, populum præmoneant ſæpè & confirment. Catechiſmum & Decalogi præcepta crebrò relegant & explicent, in primiſque dent operam, vt pernicioſiſſimus error, qui multorum animos occupat hoc tempore, eradicetur, quo verbum Domini limitibus adeò anguſtis quidam includunt, vt ab eis nihil niſi atramento in ſacris Biblijs exaratum, pro verbo Domini habeatur, cùm verbum Domini initio nullis libris, ſed Apoſtolorum cordibus impreſſum inueniretur: quod poſteà nó ſcriptura tantùm, ſed magna ex parte eccleſiæ & fidelium animis ſermone communicauerunt, & ſacræ literæ teſtentur, legem Euangelicam ipſiſſimum Domini verbum, in tabulis cordium carnalibus, ſpiritu Dei viui ſcribendú fuiſſe. 2.Cor.3. Hortetur præterea populum, vt verbum Dei attentè audiat, ab hęreſibus abhorreat, Miſſę officio libenter interſit, frequẽti

confeſ-

confeſſione ſe expurget, mundo corde & auido ſalutarem Chriſti corporis cibum excipiat, ſacramentis & eorum myſterijs ſecundùm eccleſiæ traditioné religioſè vtatur, & diebus feſtis, ſanctis tantùm vacet operibus: memineritq́; concionator, vt corpus ſuum in ſeruitutem redigat, ne quos ſermone ad pietatem adducere conatur, ipſe in ſeruitute vetris & peccati obſordeſcens, deterreat, aut illis opprobrio fiat.

De cultu diuino.

CAPVT 14.

DIuinus cultus obſeruetur, peragaturque his modis & ritibus, qui per manus ſanctorum patrum nobis traditus, & per maiores noſtros in ſacrificio altaris, officijs defunctorum, canonicis horis, cæteriſque diuinis laudibus atque cæremonijs obſeruatus fuit.

De administratione Sacramentorum.

CAPVT 15.

IN adminiſtratione vſuq́; Sacramentorum, vt confuſio & ſchiſmata in eccleſia Dei vitentur: & Apoſtolicis traditionibus, ſacriſque canonibus & legibus reuerentia debita habeatur, cæremoniarum, orationum, rituumque receptam vniformitatem parochos noſtros in omnibus ſequi volumus atq́; iubemus.

Volumus etiam populum, quid in cuiuſque ſacramenti collatione agatur, in concionibus & ſacramentorum adminiſtratione frequenter doceri.

Lingua Latina, cui veluti diuino inſtrumento in ipſa crucis ara ſacris vſibus dedicato, eccleſia Occidentalis religionem Chriſtianam fert acceptam, in ſacramentorum adminiſtratione, alijſque eccleſiaſticis officijs per totam noſtram diœceſim retineatur, & excluſa, reuocetur. Quæ verò Germanica lingua ſecundùm antiquas agendas pronunciari conſueuerunt, mutare fas non ſit, ſed & ipſa quoq́; conſeruentur.

De Baptiſmo.

CAPVT 16.

SOlennes Cæremoniæ & orationes circa Baptiſmum hactenùs in eccleſia Catholica vſitatæ, & in Agendis eccleſiæ noſtræ deſcriptæ, niſi neceſſitas aliud cogat, non omittantur. Quarum ſignificationes populo ſæpiùs exponi mandamus, vt profeſſionis ſuæ, qua Chriſto initiatus eſt, admoneatur.

Suſceptores quoque ſeu ſponſores paruulorum, ætatis prouectæ ſint, atque in fide probè catechizati & inſtructi, quo non ore tantùm, ſed & mente & ſeriò ad interrogata reſpondere, ſuum munus intelligere, & paruulos vbi adoleuerint, & res poſtulauerit, in fide orthodoxa inſtituere poſſint: ætate verò aut fide nondum prouectos, ad tantum munus admitti non debere, & ipſa ratio ſuadet & nos præcipiédo decernimus.

De Confirmatione.

CAPVT 17.

PArochi ſuo tempore de confirmationis origine, myſterio & chriſmatis arcano ſubditos ſibi doceant, eoſq́; ad eius deſiderium accendant: vt nobis, quod ex officij noſtri debito crebrò facere inſtituimus, aut ſi qua iuſta cauſa impediti fuerimus, ſuffraganeo noſtro, diœceſim noſtrã ad confirmandos baptizatos circumeuntibus, prompti paratiq́; ſint ad huius ſacramenti ſuſceptionem, faciliuſque, quæ ipſo adminiſtrationis tempore dicentur agenturve, percipiant.

De celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtia.

CAPVT 18.

CAnon Miſſæ ſubmiſſa voce, excepta Dominica oratione, pacis exoptatione, Dei inuocatione, & poſtrema populi ſalutatione, queádmodùm hactenùs à Catholicis factũ eſt, ſummaq́; religione, vt myſterijs tremendis ſua conſertur authoritas, pronuncietur.

Reliquæ verò Miſſæ, quæ catechumenorum dicitur, partes, debita religione & voce alta intelligibilique legãtur, adſitq́; ſemper legenti miniſter, qui eccleſiæ nomine reſpõdeat ſacrificanti.

Euangelia vel epiſtolæ Dominicis & feſtis diebus in parochialibus eccleſijs populo, ſiue ante ſacrum, ſiue ſub eo, ſiue etiam à prandio, quod tempus Epiſtolæ declarationi nõ incommodum videretur, lingua Germanica exponantur: eoque tempore nulla Miſſa, ne populum ab auſcultatione diſtrahi contingat, celebretur. Vt anima feſtinatio in Miſſæ lectione aut celebratione religioſas aures oculoſque offendit, ita incondita prolixitas faſtidium potiùs generat, quàm deuotionem. Quapropter ſacerdotibus noſtræ diœceſis deuotam mediocritatem & toto ſacratiſſimæ actionis tempore decorum quid ex corporis geſtu, veſtium ſacrarum munda compoſitione, ipſoque vultu eluceat, commendamus.

Organa ad populi aures nullum alium ſonitum aut numerum deferant, quàm qui religioſus ac pius ab omnibus habeatur. Melodiæ laſciuæ aut aliò pertinentes, procul abſint: prophani etiam rhythmi eccleſiaſticis ſonis, aut verba ſententiæve eccleſiaſticæ prophanis numeris aut rebus ludibrij cauſa non accommodentur. Nam cùm aut melodiæ aut orationes ſententiæve ſacræ in prophanam conſuetudinem abeunt, fieri non poteſt, quin ad ſuum vſum in eccleſijs depromptę, animos audientium memoria illius ludibrij aut ſcommatis pungant, atq́; auocent à deuotione.

Sub eleuatione ſacræ hoſtiæ, Antiphonæ ad hoc ſacrificium tantùm pertinentes cantentur: quanquàm melius & veteri eccleſiæ conuenientius eſſet, præſentiam Dominici corporis in altiſſimo ſilentio proſtratos contemplari. Si quæ autem aliæ Antiphonæ ex conſuetudine aut fundatione cantare ſolitæ fuerint, eæ peracto ſacro cantentur.

Concordiæ & pacis ſymbolum veluti imaguncula cruciſixi, ab ore ſacerdoti pacem populo imprecantis, ſecũdùm cuiuſque eccleſię ritum hactenus ſeruatum, aut commodiorem inſtitutionem, ad adſtantes in Miſſis ſolennioribus deferatur.

Ignotos ſacerdotes & qui publicis criminibus infames ſunt, aut ſolum quæſtum ſectantur, à celebratione huius ſacri repelli iubemus.

Hoſtia vitalis pro infirmorum viatico in loco mundo & honorato, accenſo ad eum perpetuo lumine, ſeruetur.

Eadem ſi in ſolennibus feſtiuitatibus aut magnis ſupplicationibus circumfertur, (quod niſi ex Catholico inſtituto, aut graui cauſa præſentibus deuotis cultoribus, fieri non debet) quicquid veram deuotionem non excitat, ludique omnes prophani remoueantur.

Sed & quando ad infirmos defertur, lumen præferri, & campanella fidelibus ſignum dari præcipimus. Caueat tamẽ presbyter, vt ad infirmum pauciores duabus particulis non deferat, ne populus in redeuntis manibus inane vaſculum adoret. ſin autem contigerit fortè, vt reuerti ad templum ſine Euchariſtiæ ſacramento cogatur, lumen præferri aut ſignum dari prohibeat.

De pœnitentia & remiſſionibus.

CAPVT 19.

NOn ſine magna animi noſtri moleſtia intelleximus, nonnullos noſtræ diœceſis laicos ſalutis ſuæ adeò immemores eſſe, vt nec conſtituto ab eccleſia Catholica tempore confiteantur, neque ad ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem vlla ratione ſe præparent, aut ab ea penitùs abſtineant. Quocirca in virtute ſanctæ obedientiæ: & ſub pœna aliàs ſuper hoc conſtituta, vniuerſis & ſingulis parochis, aut eorum vicarijs præcimus, vt quadragenarij ieiunij ſingulis Dominicis diebus, Capitulum, quod incipit, Omnis vtriuſque ſexus, ſubditis ſuis publicent in eccleſijs, & contra inobedientes, ad pœnas iuxta tenorem conſtitutionis iam dictæ procedant.

Tenor ac verba cap. Omnis vtriuſque.

OMnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti: & iniunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi fortè de proprij ſacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & viuens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Vnde hoc ſaluetare ſtatutum frequenter in eccleſijs publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno ſacerdoti iuſta de cauſa peccata ſua confiteri voluerit, licêtiam priùs poſtulet & obtineat à proprio ſacerdote, cùm aliter ipſe illum non poſſit abſoluere vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, vt more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens de peccatoris circunſtantijs & peccatis: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei prębere conſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſaluandum ægrotum. Caueat autem omninò, ne verbo aut ſigno aut allo quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque vlla expreſſione perſonæ cautè requirat: quoniam ſi peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum, præſumpſerit reuelare, non ſolùm à ſacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.

Finis cap. Omnis vtriuſq; ſexus.

Sequuntur caſus aliquot, in quibus Sacramentum Euchariſtiæ perſonis eiuſmodi criminibus grauatis non miniſtrari, aut ſaltem ad tempus differri debet: qui & ipſi vnà cum capitulo, Omnis vtriuſque ſexus, vulgari lingua, ſuo tempore ſunt publicandi.

CVM ex laudabili Catholicę eccleſiæ conſuetudine ſingulis annis vobis dilectiſſimi in Chriſto denunciari ſoleat, cuinã ſacroſancti ac venerabilis corporis Dominici ſacramenti perceptione interdictum ſit, Reuerendiſſimus in Chriſto pater & princeps ac dominus, dominus Ortho S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Epiſcopus Auguſtanus in cunctis ſuæ diœceſis parochijs denunciationem ſub hac, quæ ſubditur, forma & ratione fieri mandauit.

Primò, quando hoc pręſtantiſſimum ſacramentum hominum è religione Chriſtianorum vnio eſt & coniunctio cum Deo, cuncti infideles, qui ab eccleſiæ communione & ſocietate diſiuncti ſunt, vt ſunt Iudæi, Ethnici, Hæretici, & quotquot hæreſes manu tenent, tuentur, eiſq́; opem ferunt, ab eius perceptione arcendi ſunt.

Arcendi ſunt etiam, qui vel papalis vel Epiſcopalis excommunicationis ſententia conſtricti ac publici denunciati ſunt: ſiquidem & illi ab eccleſiæ communione excluduntur, donec abſolutionis beneficium conſequantur.

Item vbi cantione & lectione Eccleſiaſtica communiter interdictum eſt, vt fit tempore interdicti, donec eiuſmodi perdurat interdictũ, nõ licet ſanis hoc percipere ſacramẽtum: at tamen ægrotis ad extrema tendentibus id miniſtrare permittitur.

Item cùm vnuſquilibet in ſua parochia veneranda debeat accipere ſacramenta, illis qui alterius ſunt parochiæ, non licet in alienis Eccleſijs hoc percipere ſacramentum, dum abſque ſui Paſtoris permiſſu atque ex illius contemptu alijs in locis id ſumere volunt. Et ſacerdos, ſi ea de re certus fuerit, eiuſcemodi alienæ parochiæ ſubditis ſacramentum non porriget.

Item quando præcelſum hoc ſacramentum ſana mente & ex vera deuotione ſumendum eſt, eius perceptione pueris infra annos diſcretionis interdictum eſt: ſicut & illis qui mente capti ſunt & ratione deſtituti, vt ſunt amentes & inſani, ſiue id naturaliter, ſiue ex dęmonum obſeſſione patiantur: niſi fortè quandoq; mentis compotes reddantur. Tum enim quamdiu ratione ſua probè vtuntur, ſacramentũ hoc eis miniſtrari poteſt.

Item ex eiſdem iam dictis cauſis etiam illis hoc venerabile ſacramentum prębendum non eſt, qui perpetua ſtomachi cruditate laborant: ſiquidem dum is perſeuerat morbus aut ægra affectio, ſacramenti huius ſumptione eis interdictũ eſt. Si quis etiam venerandum hoc ſacramentum abſq; vlla ratione vel deuotione, aut ſecùs quàm inſtitutum eſt, expetat, aut indignè, puta vel ad incantationem aut ſuperſtitionem eo vti velit, ei ſacerdos, dum id reſciſcit, neutiquàm ea ratione miniſtrare debet, ſed populum Chriſtianũ ſibi ſubditum inſtituere ac informare, vti pro Catholicæ Eccleſiæ conſtitutione ad id ſumendum præparare ſe debeat.

Item ne hoc præcellens ſacramentum aliqua afficiatur iniuria & contemptu, ex ſanctorum Patrum decreto & inſtitutione etiam infames omnes ab eius perceptione prohibendi ſunt, cuiuſmodi ſunt Præſtigiatores, Incantatores, publicæ rei & ſcurræ, & qui ludis vacant iure pontificio prohibitis, itidemq́; ſcorta ac lenones, & qui Iudæis ſeruiunt, aut eorum alunt proles, vel alia illicita cum eis commercia habent, & ſi qui alij eius generis ſunt: Ij, inquam, omnes ab altaris ſacramento remouendi ſunt, donec vita ſua improba penitùs abdicata, irrogatam ſibi pœnitentiæ mulctam perſoluerint.

Item fœminæ virilem habitum malo animo geſtantes, quo peruerſam ſuam expleant voluntatem, à venerãdo hoc ſacramento arcendæ ſunt, donec id mali penitùs correxerint, & ſatisfecerint.

Item quotquot ſe ſegregant, & ad hæreſes deficiunt, & peregrina quædam ſectantur inſtituta ab Eccleſia minimè approbata, vt ſunt qui in latebris clandeſtinò conueniunt, & ſingularem, aut etiam reiectam atque damnatam colunt fidem: Illi etiam, qui eiuſcemodi hæreſes palam præ ſe ferũt & exercent, vt qui ad fores templorum conſiſtunt, ferreis ſua ſponte circulis deuincti, aut ſine pœnitentiæ iniunctione ſeſe flagellis cædunt.

Item qui ſectam pauperum de Lugduno colunt, in plateis panem propter Deum ſibi dari alta voce precantes, tanquam perfecti ſint. Hos omnes ſinguli parochi tribus Dominicis publicè è ſuggeſtu, vt ab his abſtineant, & cæteris Chriſtianis ſeſe conforment, admonebunt. Quòd ſi obtemperare nolint, ex ſua eccleſia & Parochia eos expellent, nec ſacroſanctum eis miniſtrabunt ſacramentum. Ita enim habent ſtatuta ſynodalia prouinciæ Moguntinæ.

Item quicunque ſuperſtitioni dediti ſunt, vt certis quibuſdam ac ſingularibus nec approbatis vtendis benedictionibus, aut reiectis diebus, aut incantationibus dæmonum, aut futura prædicendo ex libris magicis, aut aliàs, vel quippiam eiuſmodi ſectando, quod ſit Chriſtianæ fidei, aut præceptis & conſtitutionibus Eccleſiæ aduerſum: ijs omnibus negandum eſt hoc venerabile ſacramentum, niſi pro ſui confeſſoris conſilio eiuſcemodi ſuperſtitionibus prorſus renunciàrint, & pro admiſſis pœnitentiæ mulctam ſuſceperint.

Item cùm vnus quilibet Chriſtianus ad idem ſacratiſſimum ſacramẽtum percipiendum per veram contritionem & peccatorum ſuorum puram confeſſionem ſeſe pręparare obſtrictus ſit, illis omnibus eius ſumptione interdictum eſt, qui abſque contritione & confeſſione in ſuis manent peccatis: & ſpeciatim illis, qui ſecundùm ſanctę Eccleſiæ præceptũ ſingulis annis ſemel non confitentur. Tales enim ab eccleſia eijciendi ſunt, & in extremis, ſi ſic decedãt, Chriſtiana ſepultura eis neganda eſt.

Item cùm confeſſio integra & indiuiſa eſſe debeat, & cum propoſito deinceps peccata non admittendi, eam ob rẽ quicunq; in publicis ac notorijs degunt ſceleribus, vt ſunt manifeſti adulteri & adulteræ, aut qui aliàs in lupanaribus ſimul victitant, & publici fœneratores, & qui alios ad eadẽ inducunt, & id genus alij, ad huius venerandi ſacramenti cõmunionem admittendi non ſunt, donec res ipſa & factis teſtatum reddant, ſe ſuis omninò valefeciſſe criminibus, & pœnitentiæ ſatisfactionem recepiſſe.

Item quando legitimo iuncti matrimonio, ſimul degere ſunt obligati, ſi qui ex illis abſque ſuperioris Eccleſiaſtici ſeu ſpiritalis iudicis ſui permiſſu ipſi ſe diſiunxerint ſiue diuortium fecerint, quamdiu abſque iuridica ſeparatione vel conceſſione ſeiunctim vixerint, non miniſtrandum, ſed ne-

gandum eſt eis Dominicum ſacramentum.

Item ijs annumerandi ſunt, qui alearum luſui perpetuò vacant: quibus non eſt porrigendum venerabile ſacramentum, donec inde abſtineant.

Item qui ebrietati & crapulæ ac comeſſationibus perpetuò dediti ſunt & inhærent, & maximè qui feſtos dies aut noctes in tabernis exigunt, illis poſt factam confeſſionem venerabilis huius ſacramenti ſumptione per 30. dies eſt interdicendum, vti ab his vitijs ſeſe emendent. Quod ſi facere nolint, iuxta canonum decreta etiam morte mulctandi ſunt.

Item qui aliena detinent bona inuitis illis, quorum ea ſunt, poſſuntq́; reſtituere, ijs negandum hoc digniſſimum ſacramentum eſt, donec reſtituerint.

Item qui ſacras perfringunt ædes, & deſpoliant, & qui ſanctorum ac Dei templis damna inferunt, ab hoc debet excludi ſacramento, donec relictis hiſce ſacrilegijs, Deo dicatis locis ſatisfecerint atq; reſtituerint.

Item quotquot proximis ſuis intra eorum terminos, ſiue illi ſint agrorum, ſiue pratorum, ſiue hortorũ, ſiue arearum, iniuriam inferunt vel inuadendo, vel in arando, vel ædificia extruendo, ſi feſtis id agant diebus, huius eis venerabilis ſacramenti perceptione interdictum eſt, donec ab his ceſſent iniurijs, & læſis ſatisfecerint.

Item ſubditi, qui proprijs dominis ſuis ob accepta verbera, aut caſtigationem, vel aliàs fidem & obedientiam præſtare nolunt, ſacramenti huius ſumptione interdictum eſt, donec ſe morigeros præbeant, & agant pœnitentiam.

Item quicunq; iniqua menſura vel pondere emunt aut vendunt, triginta diebus iubentur abſtinere à ſacra communione, poſteaquam ex canonum præſcripto irrogatam ſibi pœnitentiæ mulctam ſuſceperint.

Item quotquot iuſtas non ſoluunt decimas, Parochi ſui tribus vicibus admonere debent, vt eas iure perſoluant. Quod ſi admoniti facere recuſabunt, neganda eis eſt ſacra communio, donec ſatisfaciant, & mulctam ſibi imponi patiantur.

Item quibus alicuius teſtamenti negotia bona fide exequenda commiſſa ſunt, ſi vltra annum rem differant, authoritate epiſcopi ad exequutionem compellentur: poteruntq́; ob eiuſcemodi negligentiam, ſi iuſta & rationabilis cauſa deſit, ſacra communione prohiberi.

Item quando ſingulus quiſque è religione Chriſtianus ſanctis eccleſiæ præceptis obtemperare tenetur, puta, vt ieiunet, feſta celebret, confiteatur peccata ſua, ſacras inuiſat ædes, & alias ſanctæ eccleſiæ conſuetudines colat & obſeruet, quicunque animo obſtinato ijs ſeſe oppoſuerint, eaque contemptui habuerint, à digniſſimi ſacramenti perceptione excludentur, donec redeant ad obedientiam, & pro ſuis peccatis mulctam ſibi irrogari ferant: idque illi maximè, qui ſpretis templis conſecratis, abſq; præſulis ſui permiſſu in alijs locis plebem orationis cauſa congregẽt. Quid enim id agunt, excommunicationis ſententia ligati ſunt, nec licet eis Dominicum percipere ſacramentum.

Item qui ſacerdotem è ſuggeſtu concionantem impediunt, atque in eius contemptum ex ſacris ædibus abſcedũt, à ſacra communione arcendi ſunt, donec ſeſe emendent, & agant pœnitentiam.

Item quotquot ex eccleſiaſtici decreti ſiue præcepti cõtemptu, Dominicis aut alijs feſtiuis diebus Sacrum Miſſæ auſcultare nolunt, nec in ipſo Miſſę officio perſeuerant, donec ſacerdos vltimam benedictionem impertiatur, pro iudicio confeſſoris ſui à communione prohibeantur, donec agant pœnitentiam.

Item quicunque Dominicis & alijs feſtiuis diebus rebus venalibus, quæ ad neceſſarium corporis victum non requiruntur, mercimonia exercent, ſynodalibus ſtatutis à venerabilis ſacramenti ſumptione prohibentur, donec ab his penitùs abſtineant.

Item qui clanculum ſeſe iungunt matrimonio, ijs ſacra communio neganda eſt, donec ſecundùm eccleſiæ conſtitutionem publicè ſe denunciari faciat.

Item qui Dominicam orationem & Symbolum Apoſtolorum ex deſidia aut contemptu diſcere nolunt, poterũt à ſuo confeſſore ſacra communione prohiberi, donec ea addiſcant.

Item quicunque omnipotentem Deum, aut ſacratiſſimam Dei genitricem, vel alios ſanctos palam blaſphemant, aut eis maledicunt, vel per eorum nomina vel membra indignè ac impiè iurant, & imprecantur ſeu maledicunt, ab eccleſiæ ingreſſu & ſacra communione excludẽdi ſunt, donec publicam egerint pœnitentiam.

Item quotquot ſacerdotalem dignitatem, & ſacerdotes ipſos publicè dehoneſtant aut conuiciantur, ijs ſimiliter eccleſiæ aditu & ſacra communione interdictum eſt, donec pœnitentiam egerint.

Item qui animo deliberato homicidium perpetrant, & qui erga proximum inimicitias, aut inuidentiam vlciſci meditantem animo gerunt, aut qui proximos iniquè opprimunt, aut eorum exiſtimationi & honori & falsò derogãt, ij omnes ad venerabilis ſacramenti perceptionem non ſunt admittendi, donec vel pacem conciliando, vel aliena damnà reſtituendo ſatisfaciant, & irrogatam pœnitentiæ mulctam perſoluerint.

Item pater & mater qui proles ſuas à mortis periculis non cuſtodiunt, ſiue id ſcientes fecerint, ſiue ex incuria ac negligentia, aut fortè in ſomnis, poterunt ad tempus à confeſſore ſuo prẽſtantiſſimi ſacramenti ſumptione prohiberi, donec pœnitentiam expleuerint.

Item cùm ſacris canonibus ſub excommunicationis pœna cautum ſit, ne quiſquam cuiuſcunque ſtatus ſit, aduerſus eccleſiaſticarum perſonarum, templorum aut monaſteriorum eccleſiaſticam libertatem ſancire quippiam vel ſtatuere auſit, eam ob rem quicunque tale aliquid præcipiunt aut ſtatuunt contra eccleſiaſticam libertatem, aut eiuſcemodi decreta manutenent ac tuentur, & ſecundùm ea iudicant, aut talibus mandatis vtuntur, & perſonas bonaque eccleſiaſtica exactionibus aut alijs modis grauant, ijs omnibus ſacra eſt communione interdictum, donec huiuſcemodi mandata & conſtitutiones abrogent, ab iniquo propoſito ceſſent, & inde abſoluantur.

Item quando ſacri canones vetant, ne quis manifeſtam vſuram non eſſe reſtituendam, aut quod per vſuram quæſitum eſt, non eſſe reddendum, ſententiam ferat: ſi quis autẽ id agat, excommunicationi ſubiaceat, quicunque talem ferunt ſententiam, ijs huius eſt perceptione Sacramenti interdictum, donec inde abſoluantur, & pœnitentiæ mulcta eis irrogetur. Poteſt deniq; vnuſquiſque confeſſor, cui curæ ſunt animæ ſibi confitentium, pro peccatorum magnitudine & grauitate eiſdem ſibi confitentibus ſeu filijs confeſſionis ſuę ex cauſa quæ ſibi iuſta videbitur, ad tempus ſacra cõmunione interdicere, eiq́; tales confitentes morem gerere debent: niſi à ſuperiori eccleſiaſtica poteſtate aliud impetrauerint. Quòd ſi peccatum occultum ſit, & talis quiſpiam ad altare accedens, venerabile ſacramentum ſibi porrigi publicè petat, non id illi Sacerdos negare debet: quanquàm hoc ipſo quod contra ſui confeſſoris prohibitionem accedit, peccatum admittit.

Catholicæ eccleſiæ pientiſſimæ matris lenitas, de rigore pœnarum canonicarum, de quibus canones pœnitentiales extant, tantũ remiſit, populuſq; ſibi ex ea clementia permiſit tantum, vt difficile ſit eas leges hoc tempore in vſum eccleſiaſticum reuocare. Nam cùm Chriſtianorum licentia in peccando creuiſſet, ſæpeq; anni pœnitentiales ex ijs canonibus in numerum ingentem pœnitentiſq; vitam etiam lõgiſſimam excedentem conficerent, aut ſenio morbiſq; grauati ſatisfacere nequirent: factum deinceps fuit, vt illæ pœnę ex clementiſſimæ matris eccleſiæ indulgentiæ & theſauri meritorũ Chriſti, & martyrum diſpenſatione, in eleemoſynas, orationes, ſacrorũ locorum viſitationes, aliave Chriſtiani hominis exercitia cõmutarentur. Quoniam igitur & pœnarum vſus exoleuit, & indulgentiæ huiuſmodi hæreticorũ culpa apud pleroſq; contemptui ſunt, parochis noſtræ diœceſis iniungimus atq; mandamus, vt confitentes harum pœnarum ſaltem admoneant, iudiciumq́; veteris eccleſiæ circa eas explicent, & peſtilentem illam opinionẽ, qua perſuaſum plerìq; habent, hominẽ peccati actualis pœnã diuinæ iuſtitiæ non debere, ex animis confitentiũ euellant, atq; pœnitẽtialium canonum ſeueritatem, pro recepta poſterioris ętatis con-

conſuetudine, orationibus, eleemoſynis, ieiunijs, alijsque id genus pietatis operibus, pro ſatisfactione pœnarũ iniunctis mitigent, prudentiq́; iudicio pro lepræ qualitate, pœnitentisq́; viribus, facultate & affectibus expenſis, ſimul & medicinam animę vlceribus adhibeant, & pœnas delinquentibus infligant. In peccatorum ſacramẽtali inquiſitione caueant, ne inconſulta diligentia, puſillorum animæ ſcandalizentur.

Decernimus etiam, vt confeſſores probatam aliquam confeſſionis Summam legãt, qualis eſt B. Antonini, Caymi Mediolanenſis, aut Thomæ Card. Caietani, ex eaq́; criminum differentias, magnitudines, cauſasq́; optimè diſcant, vt ſalutarem medicinam facere ſuo tempore poſſint.

Præterea ne eccleſiarum rectores videãtur pecuniæ magis, quàm animarum ſaluti ſtudere, ſtatuimus & ordinamus, vt deinceps quilibet confeſſor idoneus, laicos contritos & confeſſos ab omnibus peccatis occultis, quantumcunq; grauibus & enormibus, nobis tanquam ordinario ante reſeruatis, abſoluere poſſit: homicidis, hæreticis, & excommunicatis, quos ad nos vel pœnitentiarium noſtrum remitti volumus, duntaxat exceptis. Quòd ad clericos attinet, in hac parte nihil eſſe volumus innouatum.

Mandamus denique, vt à confitentibus pro confeſſionis auſcultatione, aut abſolutione nihil exigatur.

Poſtremò presbyteris noſtræ diœceſis omnibus præcipimus, ne poſthac eos qui ſe monaſterijs alijsve locis in caſibus ſedi Apoſtolicæ aut nobis tanquàm ordinario ſpecialiter reſeruatis, aut ad contentioſi fori indagationem pertinentibus, abſolutos eſſe prętendunt, tanquàm ritè abſolutos admittant, aut tolerent: ſed eos ad nos ſeu pœnitentiarium noſtrum remittant, vt nobis aut officialibus noſtris de canonicis eorum abſolutionibus fidem faciant legitimam, ſuperq́ue pręmiſſis expeditionem ſalubrem recipiant, & quod vel iuſtitia ſuaſerit, vel rationis ordo dictauerit, exequantur, donec hi qui ſe abſoluendi poteſtatem huiuſmodi habere aſſeruerunt, priuilegia ſua nobis congruo tutoq́ue loco exhibuerint, eaque à nobis fuerint examinata. Qua tamen in re Mendicantium ordinum fratribus, eorumq́; facultatibus, ipſis à ſummis pontificibus conceſſis, nolumus pręiudicari: Quin ipſi, tam vt iure pontificio cautũ eſt, quàm vt à nobis prædeceſſoribusq́; noſtris eis conceſſum fuit atq; conceditur, Chriſti fidelium confeſſiones audire, & eos in caſibus ſibi (vt præfertur) conceſſis, in foro pœnitentiali abſoluere, pœnitentiasq́; ſalutares iniungere valeant & poſſint, quemadmodum eccleſiarum rectoribus noſtræ diœceſis concedere conſueuimus.

De extrema vnctione.

Capvt 20.

VNctionis extremum ſacramentum cum litanijs & orationibus à maioribus acceptis, totaq́; eccleſia ſeruatis, fidelibus impartiendum iubemus.

Sacerdos infirmum conſoletur, à curis & deſiderijs præſentis vitæ ad ſpem æternæ ſalutis erigat: diabolum & terriculamenta eius alto animo contemnere, Chriſtiq́ue miſericordiam ſperare doceat, atque ita confirmatum, cum benedictione Chriſto commendet.

A reditu quoq; comitantem multitudinem infirmitatis humanæ admoneat, atq; ad preces pro infirmo in calce terreni agonis luctante fundendas hortetur.

De Matrimonio.

Capvt 21.

SAcerdotem nuptias alibi quàm in eccleſia, quæ proprius eſt ſacramentorum locus, admittere, coniungere, aut benedicere prohibemus.

Vetamus etiam à ſacerdotibus eos coniungi, de quibus edictis, aut proclamationibus, vt minimùm tribus, ijsq́ue tribus diebus feſtis ſibi ſuccedentibus, propoſitis, aut in concione publicè factis, non conſtiterit eorum coniunctionem nulla legitima canonicave cauſa impediri, aut eos à parentibus, tutoribus, vel cognatis ad hanc copulam non cogi, ſed liberum ad eam conſenſum afferre.

Iungendos matrimonio, admoneri quoque à ſacerdotibus volumus, vt parentum & amicorum conſilia potiùs quã priuata deſideria ſequantur: exemploq́ue Tobiæ, ieiunijs & Tob. 4. orationibus ſeſe præparent, atque commendent gratiæ Dei: doceri etiam eos præcipimus matrimonia, etſi quò ad perſonas contrahentium legitima rataq́ue ſint, tamen niſi religione & fide eorum ſanctificentur, Deo grata nõ eſſe, ſacramentaliq́; gratia, donec vitium ſuum emendauerint, eccleſiæq́; legibus ſubdantur, deſtitui.

Ne pro ſacramentis aut ſacramentalibus quidquam exigatur.

Capvt 22.

PRo reconciliatione pœnitentium, aut alicuius ſacramenti vel ſacramentalium quorumcunque adminiſtratione, Sacerdos de pecunia aut re qualibet ſibi danda minimè paciſcatur: ſed eadem pro temporis, loci, perſonarum ve neceſſitate, ſecundùm ritum Eccleſiæ, ſine mora adminiſtret. Verùm quia ratione iureq́; dictante, ſocij paſſionum ad conſolationum ſocietatem meritò admittuntur: permitimus tandem etiam iudicis officio implorato, exigi, quod in huiuſmodi ex conſuetudine debetur: ad cuius obſeruationem laicos hortamur, & quantum de iure eſt, adſtringi volumus atque compelli.

De conſecratione, benedictione, & ceremonijs eccleſiaſticis.

Capvt 23.

PRælatos noſtræ diœceſis, virgines, eccleſias, altaria, cœmeteria conſecrari, ſacra loca quocunque modo execrata reconciliari, vaſa veſtesq́ue ſacras, aquam, ſal, palmarum ramos, frutices, herbas, cereos, agnum paſchalem, fructus nouos, & quæ ſunt alia, quæ de iure, vel conſuetudine ante hanc Catholicæ religionis perturbationem cõſecrari aut benedici conſueuerunt, ſuo quæq; tempore & loco ſuisq́; ritibus & orationibus per totam noſtram diœceſim benedici iubemus. Si quid verò locorum aut rerum nõ conſecratum, aut execratum fortaſſe fuerit, quod conſecrari aut reconciliari debuiſſet, nobis intra proximum menſis ſpatium indicari ab his quorum hæc cura eſſe debet, præcipimus, vt noſtro epiſcopali muneri in hac etiam parte ſatisfacere poſſimus.

Parochi, & quibus in noſtra diœceſi verbi Dei prædicatio incumbit, populum doceant, loca, veſtes & vaſa vſibus prophanis exempta, & ſacramentorum Chriſti miniſterio mancipata, ideò conſecrari & benedici, vt ſciamus non niſi ſacris & diuinis rebus vacandum, gratia Dei illic ceu numine diuino præſente. Præterea res alias humanis vſibus neceſſarias in nomine Chriſti per orationem miniſtri & verbum Dei benedici, vt nobis diuina beneficentia contra aduerſarias poteſtates, incantationes, magias, fraudes, & machinationes inimici pertinaciter nos oppugnantis proſint, & virtutem concipiant.

Cæremonias verò maioribus noſtris, hominibus religioſiſſimis vſitatas, quòd ad varios pietatis vſus valeant, & exercitia quædam, quibus mens externarum ſcilicet rerum ſenſu & ſignificatione, ad diuinum cultum ipſumq́; Deum attrahitur, in eccleſijs noſtræ diœceſis retinendas, & vbi abrogatæ fuerint, reuocandas eſſe ſtatuimus atque mandamus.

Et quemadmodùm à parochis concionatoribusq́ue noſtris de cæremoniarum ſignificationibus populum doceri volumus, veluti cereos ad laudem & gloriam eius qui lucem 1. Tim. 6. inacceſſibilem inhabitat, & omnem hominem in hunc Ioan. 1. mundum venientem illuminat, accendi: Thura Incenſa, ſignificare orationes & deſideria noſtra cum odore bono- Apoc. 5. rum operum ad Deum aſcendere oportere: Proceſſiones lætas, noſtram de Chriſti triumpho & gloria exultationem: lugubres, noſtrum in hac lachrymarum valle exilium indicare, & illis Deo gratias agi, his veniam peccatorum, & pro vindicta miſericordiam implorari: ita eundem populum ſedulò moneri iubemus, ne cęremonias religioſiſſimè inſtitutas, in abuſum vertant, aut ſuperſtitionem, ſed ipſis ad pietatem exercendam vtantur, atque vt proceſſiones ſint gra-

tue

ues, ordinatæ, honeſtæ, Chriſtiana religione dignæ, atque à vanis & ſæcularibus ſtudijs prorſus alienæ.

Cùm autem Deo Opt. Max. creatori & redemptori ſuo honorem, timorem & reuerentiam homo tanquam creatura debeat, multosq; videamus ea in re damnata ignauia deſides eſſe, omnibus eccleſiaſticis perſonis noſtræ diœceſis diſtrictè præcipiendo mandamus, vt poſthac ſumma pietate Deum vbiq; & honorent, & timeant, pręcipuè verò in templis humiliter reuereantur & venerentur. Et quum in nomi-
ilip.1. ne Domini noſtri Ieſu Chriſti omne genu cœleſtium terreſtrium & infernorum flectendum ſit: volumus, vt omnes, quotieſcunq; in ſacris cócionibus aut Miſſis nomine ſanguinis vel corporis Chriſti aut Dei Genitricis Mariæ virginis fiat mentio, aut quando canticũ, Gloria in excelſis, aut Gloria tibi Domine, ante Euágelij initium, aut natiuitatis Chriſti ex virgine, & incarnatio in ſymbolo, aut gratiarum actio in præfatione, aut huiuſmodi alia in diuinis officijs canútur, vel commemorantur, detecto capite genubusq; flexis, ante Altare, vel vt locus tempusq; poſtulauerit, Deo reuerétiam exhibeant debitam, & populum ad eius rei imitationẽ verbis factisq; commoueant atque hortentur.

De ferijs & feſtis ſanctorum.

Capvt 24.

De diebus feſtis feriandis nihil innouare volentes, pręcipimus vt feſtiuitates Chriſti, ac B. Mariæ virginis, aliorumq; ſanctorum, iuxta conſtitutionem & ordinationem per quondam felicis memoriæ Chriſtophorum Epiſcopum Auguſtenſem prædeceſſorem noſtrum deſuper factas & diuulgatas, quarum tenor ſubinſeritur, deinceps celebres habeantur.

Chriſtophorus Dei gratia Epiſcopus Auguſten. dilectis nobis in Chriſto Decano & Camerario capituli in N. ſalutem in Domino.

Licèt ſuperioribus annis conſtitutiones in particulari conuentu Ratiſponæ habito per ſedis Apoſtolicæ legatum factas, per totam diœceſim noſtram publicari fecerimus: ad aures tñ noſtras peruenit, quòd hę conſtitutiones, & pręſertim quò ad obſeruantiam dierum feſtiuitatum ab aliquibus veſtris capitularibus plebanis inæqualiter obſeruentur. Ex quo multi emergunt errores, in diuini cultus contemptum, & ſcandalum plurimorum. Vnde nos, ſicuti noſtro incumbit officio, huiuſmodi erroribus in futurum obuiare cupiẽtes, feſta in diœceſi noſtra celebranda, hic inſeri fecimus: videlicet ſtatuimus, ordinamus, & volumus, vt de cæterò Dominica dies quæ in gloriam Dominicæ reſurrectióis, ad nos vſq; à primitiua eccleſia maximè celebris ſemper habita eſt, dies quoq; natiuitatis Chriſti, S. Stephani, Ioannis & Innocẽtium, Circunciſionis, Epiphaniæ, Paſchæ cum feria 2. & 3. dũtaxat, Aſcenſionis, Georgij, Pentecoſtes, cum feria 2. & 3. tantum, Corporis Chriſti, Quatuor feſta B. Mariæ virginis, népè Purificatióis, Annũciationis, Aſſumptionis & Natiuitatis, Natalitia Apoſtolorũ, Ioãnis Baptiſtæ, Magdalenæ, Laurẽtij, Dedicationis, Michaelis, Omnium ſanctorũ, Martini, Nicolai, Catharinæ, Hulderichi atque Affræ patronorum noſtrorum, ſicuti hactenus obſeruati fuére, celebres quoq; & feſti habeãtur. Mandantes inſuper vobis, vt feſta iam ſpecificata obſeruetis, & à parochianis veſtris obſeruari faciatis: in cæteris autem feſtiuitatibus, quacunque ratione vel inſtitutis vel receptis, cuique liberum permittatis. Datum in caſtro noſtro Diligen. anno à natiuitate Domini 1539.

Vt oratio Dominica, Angelica ſalutatio, & ſymbolum Apoſtolorum, ab omnibus æqualiter dicantur.

Capvt 25.

Qvvm poſt innumeras nouationes noſtra tempeſtate in fidei orthodoxæ articulis, moribus & ritibus à peruerſis hominibus introductas, nihil intentatum relinqueretur, quo populi aures à nouatoribus captæ detinerentur: eò tandem ventum eſt, vt oratio Dominica, Angelica ſalutatio, Apoſtolorum ſymbolum, & Decalogi præcepta, quæ maiores noſtri in Germanicam linguam religioſiſſimè conuerſa nobis tradiderunt, ab iſtis inuerterentur: illaque reuerendiſſima religio, verborum maieſtas, tenor atque numeri, in animos hominum vnà cum materno lacte inſtillati à media eccleſia tollerentur: adeoque vt qui noua interpretatione vſi ſunt, intelligerent ſe à vetere deuotione eſſe dimotos. Nam vt vnico exemplo oſtendamus, ſequens noſtrum ſtatutum ratione non carere, ab iſtis nouis interpretibus factum eſt, vt quod anteà in Oratione Dominica dictum fuit, Pater noſter qui es in cœlis: ab iſtis dicatur, Noſter pater in cœlis: iamque ſiue data opera, ſiue caſu aliquo hoſtili id acciderit, eſſentiæ verbum ſedem ſuam in diuinæ paternitatis inuocatione admiſerit. Vt igitur antiqua verborum religio atque in ea deuotio paſſim conſeruetur, plebanis eccleſiarum parochialium in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè pręcipiendo mandamus, vt ſingulis diebus Dominicis, finita concione, orationem Dominicam, Angelicam ſalutationem, ſymbolum Apoſtolorum, & Decalogi præcepta, ſicuti ea omnia vernaculo ſermone ſubſcripſimus, diſtinctè ac tractatim ita prælegant, vt populus legentem repetitione ſubſequi, ea diſcere, & memoriæ mandare poſſit.

Oratio Dominica.

Vatter vnſer/der du biſt im Hiñel. Geheiliget werde dein Name. Zukom̃ dein Reich/Dein Will geſchehe wie im Himmel/alſo auch auff Erden. Gib vns heut vnſer täglich Brodt. Vnd vergib vns vnſer ſchuld/ als wir vergeben vnſern ſchüldigern. Vnd führe vns nit in verſuchung/Sondeten erlöſe vns von dem vbel/Amen.

Salvtatio Angelica.

GEgrüſſet ſeyſtu Maria/voller gnaden/der Herr iſt mit dir/du biſt gebenedeyet vnder den Weibern/ vnd gebenedeyet iſt die Frucht deines Leibs Jeſus Chriſtus/Amen.

Symbolvm Apostolorvm.

JCh gläube in Gott Vatter den Allmechtigen/Schöpffer Hiñels vnd der Erden. Vnd in Jeſum Chriſtum ſeinen einigen Sohn vnſern Herrn/ der empfangen iſt von dem heiligen Geiſt/geboren auß Maria der Jungfrawen/Gelitten vnder Pontio Pilato, Gecreutziget, Geſtorben/vnd Begraben/ Abgefahren zu der Hellen / am dritten Tage wider aufferſtanden von den Todten/ Auffgefahren gen Hiñel/ Sitzet zu der Rechten Handt Gottes/ des Allmechtigen Vatters/ Von dannen er kommen wirt/ zu richten die Lebendigen/ vnd die Todten. Jch gläube in den heiligen Geiſt/ Eine heilige Allgemeine Chriſtliche Kirche/ Gemeinſchafft der Heiligen/Vergebung der Sünden/ Aufferſtehung des Fleiſches/vnd ein ewigs Leben/Amen.

Praecepta Decem Decalogi.

DAs erſt Gebott/Du ſolt nicht andere Götter haben. Das Ander/Du ſolt den Nahmen deines Gottes nit vnnützlich führen. Das dritte/Du ſolt den Feyertag heiligen. Das vierdte/Du ſolt deinen Vatter/ vnd deine Mutter ehren. Das fünffte/Du ſolt nicht tödten. Das ſechſte/ Du ſolt nicht Ehebrechen. Das ſiebende/Du ſolt nicht ſtelen. Das Achte/Du ſolt nicht falſch zeugnuß reden wider deinen Nechſten. Das neundte/Du ſolt nicht begeren deines Nechſten hauß. Das zehende/Du ſolt nicht begeren deines nechſten Weib/Knecht/Magd/Viehe/oder alles was ſein iſt.

De magiſtris & ſcholis inſtituendis.

Capvt 26.

IN primis ſtatuimus & ordinamus, vt nullus noſtrę Auguſtenſis ditionis aut diœceſis, cuiuſcunq; ætatis, ſtatus, ordinis aut gradꝰ fuerit, ad ſcholas & gymnaſia de ſchiſmate aut hæreſi ſuſpecta, nuperq; natis de religione peruerſis opinionibus cõtaminata, diſcendi docendive cauſa proficiſci. Nam qui contra fecerit, is ſciat ſe nobis pœnas debitas daturum.

Google

Quòd verò ad nos attinet, Academijs incorruptis & in Catholica doctrina, vitaq; perſeuerantibus poteſtatem facimus, nobis viros literatos ad regendum eccleſias idoneos ſignificandi: quorum in collatione beneficiorum parochialiumq; eccleſiarũ, apud quos reſidere voluerint noſtræ diœceſis, honeſtiſſimam rationé nos habituros, eosq; ſi digni ea re videbuntur, etiam apud S.D.N. Paulum III. Pont. Max. cuius optimam mẽtem ad hoc inclinare cognouimus, ſummo ſtudio atq; diligentia promoturos pollicemur.

Concilij quoque Lateran. decretum amplexi, præcipimus, vt quæcunq; aut qualiacunque canonicorum collegia, ſcholas pro cuiuſque collegij magnitudine, ſicubi aut delitæ ſunt, aut nouis opinionibus infectæ, erigant & reſtituant.

His præficiantur Magiſtri & pædagogi incorruptæ vitę, à quibus tam pietatis Chriſtianæ prima principia, quàm rudimenta literarum iuuentus hauriat, eaq; in claſſes, ſi ætatis aut ingeniorum ratio id poſtulare videbitur, diuidatur.

Quibus etiam nihil quod eorum innocentiam vel in religione, vel in moribus lædere poſſit, prælegi mandamus.

In reliquis verò oppidis vbi collegia non ſunt, ſcholas, quarum magiſtri boni, honeſti & docti ſint, inſtaurari, aut conſeruari iubemus.

Apud ſingula frequentioraque Canonicorum collegia ſinguli Theologi honeſtis ſtipendijs conducti habeãtur: qui certis diebus & horis interpretentur Biblia, ac de re Theologica iuniores canonicos vicarios, & alia collegij membra doceant: vbi eorum quiſq; ad lectionem ſuæ profeſſioni & inſtituto congruentem comparere teneantur.

Doctori vnius præbendæ prouentus, donec in docendo perſtiterit, aſſignetur: qui ſi non ſuffecerit, ratio aliqua ineatur, vt ei, quantùm ſit ſatis, ſuppeditetur.

De hoſpitalibus pauperum, & infirmorum, & peregrinorum.

CAPVT 27.

HOſpitalia noſtræ diœceſis conſeruari, redditus ad ea deſtinatos, in nullos alios vſus conuerti, atq; ſicubi alienati, aut in priuatos vſus conuerſi fuerint, reuocari iubemus: Sin apud collegia, monaſteria, aut ſacras alioquin ædes, hoſpitalium redditus cum cæteris redditibus aut bonis confuſi fuerint, & hodie ignorẽtur: curabimus nihilominùs, ex collegijs, monaſterij, aut ſacræ illius ædis ærario aut prouentibus, pauperum & infirmorum neceſſitati prouideri.

Viduæ, orphani, & qui ad quærendum victum ſibi non ſufficiunt, ex eo loco, vbi hoſpitalia conſtituta ſunt, oriundi in ea recipiantur: peregrinis autem hoſpitalia pro refectione tantùm, non autem in fraudem indigenarum pauperum, pro inhabitatione patere concedimus.

Hoſpitalium, quorum fundatores ſibi prouiſionem ac diſpenſationem retinuerunt, adminiſtratores, ſaltem ſemel in anno Prouiſoribus rationem reddant, quorum omnium curam & inſpectionem præcipuam, nobis diuino adſpirante numine, pro ordinaria noſtra authoritate ſumemus.

De maioritate, obedientia, & diſciplina populi.

CAPVT 28.

PRincipes, Comites, Barones, nobiles, ciuitatisq; Auguſten. atq; aliorum oppidorum & municipiorum noſtrę diœceſis Magiſtratus & præfectos hortamur in Domino, atq; in virtute Eccleſiaſticæ obedientiæ requirimus, eiſque munere, quod Deo authore gerimus, confiſi, mãdamus, vt inuocati nobis noſtriſque vicarijs in exequendis huius S. ſynodi decretis auxilio ſint: Iuriſdictionem, libertatem, ac immunitatem eccleſiaſticam, Imperatorum legibus, & ſacris canonibus, epiſcopis & clero tributam ac firmatã tueantur, nobisq; conſeruent: ad hæc etiam, ne eccleſias, quas tuitionis, protectionis aut aduocationis iure tueri deberent, cõtra fidei datæ ſacramentum, grauia & iniqua onera imponant, ne ipſos tandem Cæſareæ Maieſtatis præcepto aut amoueri contingat, aut limitibus præſcriptis, quid alteri alteris inuicem debeant, includi. Cæſaris enim iuſſum in re tam iuſta præuenire honorificentius eſt, quàm eum ad exequendum inuitum compelli.

Quum populus præter obedientiam, quam principibus & ciuili Magiſtratui debet, ad eam quoq; quam nobis & alijs eccleſiaſticis ordinibus debet, redigendus ſit, vniuerſos & ſingulos noſtræ diœceſis laicos in Domino hortamur, eisq; præcipimus, vt clerum noſtrum, parochos, aliosque ordines eccleſiaſticos venerẽtur: eorum facta non temerè iudicent, aduerſus presbyteros ſuos præfractè non contendant, ſed morigeros ſe prębeant atque obſequentes. Ad Chriſtum enim, cuius legatione funguntur, eorum tam honor quàm contemptus, pertinere credendus eſt.

Conueniat quoq; diebus Dominicis & feſtis ad diuina, quę in eccleſijs catholicis celebrantur: concionem ſub ſilentio audiat, memoriæ commendet, & concionatorem vel auſcultantes ſtrepitu aut deambulatione nõ perturbet. In Miſſa audienda ad finem vſq; donec benedictionem ſacerdotalem acceperit, perſeueret: & qui peccati vinculo retinentur ligati, abſque abſolutione & veræ emendationis propoſito, ab Euchariſtiæ ſacroſanctæ perceptione abſtineant: palàm verò criminoſos, & qui peccati certiſſimam occaſionem dimittere nolunt, ſiue ſacerdotes ſint laici omninò à communione volumus arceri.

Patres & matresfamiliâs liberos & familiam ſecundùm audita in concione domi inſtruant, timorem Dei, ſymbolũ Apoſtolicum, orationem Dominicam, Salutationem angelicam, præcepta Decalogi, & quicquid pertinet ad bonos mores & virtutem in eis educandam, doceant: præcipuè verò eos à blaſphemijs, iuramentis & execrationibus, cum domeſtica diſciplina, tum iræ diuinæ pręedicatione deterreant. Cætera, quę hîc breuitatis cauſa omittimus, vt à pijs concionatoribus acceperint, ita doctrina & vſu domeſtico tractẽt, atq; ſicuti Chriſtianos homines decet, exerceant.

Cæremonias quoque Chriſtianæ pietatis & inſtituta eccleſiaſtica de ieiunijs & abſtinẽtia carnium, de ferijs, de proceſſionibus & id genus ritibus, à populo nobis cõmiſſo ſub debito obedientiæ ſanctæ eccleſiæ Catholicæ, religioſè ac piè obſeruari mandamus.

Sanctionem patrum Chriſtianus populus de confeſſione & Euchariſtiæ communione, Paſchali tempore, ſub pœnis in canone contentis obſeruet.

Libros contagioſos, de falſa religione ſuſpectos, & impijs iocis refertos, imagines prætereà & picturas obſcœnas, vel ad ludibrium religionis Catholicæ, aut ad certorum hominum infamiam expreſſas populum noſtræ diœceſis legere aut habere, atque de ſacroſancta fide, præcipuè inter pocula, atque conuiuia, temerè diſceptare non liceat. Legat autem libros ſacros, ſanctos patres, vitas ſanctorum, præclarorum & fortium virorum hiſtorias & imagines tales ſpectet, quibus ad pietatem, virtutem, religionis & reipublicæ amorem accendatur.

Ebrietatem atq; infames compotationes fugiat, quibus & corporis & animi vires eneruantur.

Tabernæ & œnopolia diebus feſtis ante ſacrũ in eccleſia peractum, infirmis & peregrinis exceptis, non pateant.

Nouorum & ab eccleſia non receptorum dogmatum authores, prædicatores, aut iactatores, ſacrilegos, periuros, blaſphemos, vſurarios, adulteros, ebrios, alijsq; publicis criminibus obnoxios, ferri in eccleſia noſtraq; diœceſi prohibemus: in quos etiam cenſuris & pœnis eccleſiaſticis ſumma ſeueritate animaduerti debere ſtatuimus & ordinamus.

De viſitatione.

CAPVT 29.

VT porrò ſciant Abbates, præpoſiti, Decani, & Clerus noſtræ diœceſis, nos hęc ſtatuta ſynodalia ex ſacræ Cęſareæ Maieſtatis formula, ſacrisq; Canonibus, & patrum anteceſſorumque noſtrorum decretis & ſtatutis, non ad oſtentationem, ſed ad indubitatam reformationem ipſorum noſtrique gregis, pro ipſorum temporum vſu atque neceſſitate collegiſſe, poſthac tertio quoq; anno, quotannis, aut quoties res poſtulauerit, diœceſim noſtram totam viſitationis gratia vel ipſi circumibimus, aut per ſuffraganeum noſtrum, qui baptizatos etiam Confirmationis ſacramento ſignet, mandabimus viſitari.

Viſitationis autem normam, ſi quid in eccleſiæ noſtræ

formulis deſiderabitur, ſuffraganeo aut vicario noſtro, quorum alteri vel vtriq; in occupationibus noſtris viſitãdi munus delegabimus, præſcribemus: eamq; Decanis quoq; diœceſis noſtræ ruralibus in ſuis viſitationibus ſequẽdam, quatenùs pertinere ad eos videbitur, prçponemus: operamque dabimus indefeſſam, vt in hac quoq; parte eorum, quæ hoc quidem tempore effici poſſunt, nihil deſideretur.

De ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti.

Capvt 30.

EXcommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti noſtri ſententias, à nullo, cuiuſcunque ſtatus, gradus & conditionis fuerit, negligi, contemni, aut quoad publicationẽ & executionem earum impediri debere, ſtatuimus, atq; ſub pœnis & cenſuris eccleſiaſticis, quibuſcunque impedientibus irrogandis, diſtrictè præcipimus.

Officiali quoque noſtro iniungimus, ne diuinam hanc cenſuram, qua nulla eſt maior in eccleſia, leuiter aut propter exiguas paruique momenti cauſas proferat: ſed vt ad ſanitatem magis, quàm ad interitum, contumacium ac rebellium animorum reſpiciat.

Excommunicatos & denunciatos, ab omnibus vitari, & à nemine in conſortium recipi decernimus, eoſque ante pœnitentiam emendationiſque ſponſionem atque ſatisfactionem tam eccleſiæ quàm iniuriam paſſo faciendam, ad ſacramenta communionemque fidelium admitti atque abſolui prohibemus.

Niſi populari concurſu cædes cleri facta ſit, perſona tantùm clericalis homicidij rea, non autem locus delicti, interdicendus erit: idque ea de cauſa, ne per hanc occaſionem populus indiès negligentior fiat, neve à ſceleratis hominibus ocium à diuinis, patrato crimine, dataque opera, procurari poſſit.

De precibus pro ſummo pontifice, Romanorum Imperatore & rege, ac principibus catholicis, alijsq́, ad Deum fundendis.

Capvt 31.

VNiuerſis ſacerdotibus & omnib⁹ noſtris ſubditis, tam religioſis quàm ſecularibus iniungimus & mãdamus, vt pro ſanctiſſimo domino noſtro Paulo Papa III. ac Inuictiſſimo Imperatore noſtro Carolo V. cuius immortali beneficio hanc pacem quietemque publicam debemus: pro sereniſſ. principe Ferdinando Rom. rege, ac alijs principibus catholicis, in Miſſis, orationibus & concionibus ſuis deuotiſſimè precentur: populumque vt idem faciat, hortentur, vt orthodoxam fidem, ſediſque Apoſtolicæ, à qua fidei Chriſtianæ incunabula traximus, authoritatẽ, vt hactenùs factum ab eis fuit, ad gloriam omnipotentis Dei tueantur: & ſi qui alij fortè callidis aduerſarij noſtri artibus in errores prolapſi addictive ſint, pro his vnà cum populo atque in ſacris orent, vt in tempore reſipiſcant, atque ad priſtinam eccleſiæ catholicæ vnitatem & obedientiam vnà cum populis ſibi ſubiectis reuertantur.

De pœnis.

Capvt 32.

QVum porrò ſine coercitione iuriſdictio nulla ſit, & abſque pœnis non modò leges vileſcãt, verùm etiam quælibet ciuilis ſocietas in deterius facilè abeat atque diſſoluatur, ne fruſtrà huic ſancto muneri operam impendiſſe videamur, ſtatuimus atque ordinamus, vt pœnæ canonicæ tam in corpore iuris clauſæ, quàm prouincialibus ſynodalibusve ſtatutis aliâs editis annexæ, transgreſſoribus horum ſtatutorum, ſicubi ſpecialis pœna expreſſa non ſit, infligatur, nobis aut vicario ſeu officiali noſtro, earum electionem, moderationem aut aliam quamlibet arbitrariam pœnam, earum loco, pro perſonarum, locorum aut tranſgreſſionis qualitate exigendam, reſeruantes.

De ſynodis.

Capvt 33.

CVm ſynodorum celebrãdarum ratio in tanta rerum eccleſiaſticarum perturbatione pleriſque ignota ſit, volumus ſubditis noſtrę diœceſis omnibus, noſtram in hac re mentem, & quid quiſque in ea facere aut ex ea ſperare poſſit vel debeat, explicare.

Synodos igitur noſtras diœceſanas anniuerſarias & quoties neceſſitas eccleſię noſtræ poſtulauerit, eſſe & habere volumus atque decernimus.

Qui ex noſtra diœceſi in ſynodalẽ conſeſſum recipiuntur, ſinguli iuriſiurandi nobis præſtiti admoniti, aut ſi videbitur, iurati eccleſiarum ſuarum, prælatorum, atque etiam officialium noſtrorum & populi detrimenta, defectus, vitia grauia, aut ſecularium quorumcunque, ſiue præſentium, ſiue abſentium tyrannidem in eccleſias, populum, viduas vel orphanos ſæuientem proferant in medium, à ſynodo ſine vllo reſpectu corrigenda.

Appellationes quoq; eorum, qui ad noſtram ſynodum prouocàrunt, abſentiumque grauamina aut deſideria per Epiſtolas aut libellos ſupplices explicata, audientur.

Laicis etiam ſuas querelas, modò res aut cauſas eccleſiaſticas concernant, aut ad iudicium ſynodi pertineant, in ſcriptis proponendi poteſtas fiet: quibus procuratores & aduocatos ſynodales ex noſtris cõſiliarijs laicis deputabimus, aut ipſos, ſi digni vel ad cauſas ſuas exponendas apti ſint, intromitti mandabimus.

Et quicunque diuini amoris zelo ducti, crimina diſciplinam & quietem eccleſiaſticam perturbantia denunciare voluerint, vel publicè vel priuatim audientur: ad quam denunciationem ceu Euangelicam, & ex charitatis viſceribus proficiſcentẽ, vniuerſos & ſingulos per amorẽ quo reipub. Chriſtianæ quiſque infixus eſſe debet, exhortamur. Matth. 18.

Inteſtina quoque odia & capitales inimicitias, ex quibus noſtræ diœceſis tranquillitas perturbari aut ſcandala oriri poſſent ſummo ſtudio ſummoque moderamine æquitatis, extingui, deponi, atque ad amicitiam, aut ſaltem ad compoſitionem & pacem traduci adnitemur.

Quoniam verò multi ſunt, qui aliorum vitia & defectus aut potentiorũ iniurias, oppreſſiones ſeu tyrannidẽ, corã tota ſynodo proponere nõ audeant: deputabimus tres aut plures ex ſynodo cõmiſſarios auditores, apud quos vniuerſi & ſinguli tam clerici, quàm laici, quæ volunt, tutò deponere poſſint. Sciantq; omnia ſub ſilentio tegenda eſſe.

Et ne quis exiſtimet noſmet aut noſtros officiales ex eorum numero, quorũ vita mores & actiones corrigi debeãt, exemptos eſſe velle, à tota ſynodo teſtes ſynodales qui noſtræ noſtrorumque officialium reformationi intendãt, deputari mandabimus, nam etſi multa nobis deeſſe cognoſcimus, multa tamen nos ſugere non ignoramus.

Neque ſynodum aut eius deputatos dimittemus donec de omnibus cauſis, omniumque grauaminibus ſufficienter fuerit informata.

Vitijs & querelis auditis, adhibito Theologorum & Iuriſperitorum conſilio, ea atque alia incommoda, admonitione, correctione, executione, epiſtolis, ſtatutisq; ſynodalibus pro viribus noſtris Dei omnipotentis auxilio innixis, apud omnes emendari & tolli curabimus: & alia omnia ad rem ſacram, diuina officia & laudes pertinentia, ex libri pontificalis præſcripto peragemus.

Quòd autem ad apocrypha, inepta, parumq; ſyncera, quæ temporum vitio in Breuiaria irrepſerunt, emendanda: earundemque precum & pſalmorum frequentes repetitiones, innumera ſuffragia & nouas collectas ſequentias, præfationes, & id genus faſtidium adferentes, & officijs diuinis Miſſæque ſacrificio parùm congruentes, tollendas mutandaſque attinet, ad hæc etiam, vt ſub ſacro ſolenni coram eodem populo Miſſæ ſpeciales non legantur, vt excommunicationis ſententiæ ob criminales tantùm cauſas, eaſq; valdè graues & lœtales ferantur: vt apoſtolicè vel coadiutores facti, vel aliâs prouiſi examinentur: vt beneficiorum pluralitas refrenetur, vt beneficia tenuiora vnione creſcant, atque ad pauciorem numerum redigãtur: vt exempti, Ordinariorum reformationi, viſitationi, & correctioni ſubiaceant:

vt Academię ſeu doctorum & ſtudioſorum hominum vniuerſitates, quarum in diœceſi noſtra nullam habemus, reformentur, eiſq; priuilegia ſua & immunitates conſeruentur: & ſi quæ ſunt alia, quæ in Cæſareæ Maieſtatis formula delibata ſunt, & in hiſce ſtatutis noſtris vel prætermiſimus, vel exhortando potiùs quàm ſtatuendo inſeruimus, ad ſynodum prouincialem, & ſi in ea ſuper his ſtatui nihil queat, ad Oecumenicum cōcilium, Sanctiſſimique domini noſtri deliberationem duximus reijcienda. Oſtenditur autem nobis ex Reuerend. & Illuſtriſſ. principis & domini Sebaſtiani Electoris & archiepiſcopi Moguntini, Metropolitani domini & amici noſtri chariſſimi, pietate, eruditiōe, induſtria, ingenio, animique magnitudine ſpes optima fore, vt in proxima ſynodo prouinciali de his alijsque noſtræ religionis negotijs rebusq; omnibus, ratio ineatur certiſſima, qua ampliſſima, illius Metropolis prouincia, orthodoxæ fidei ipſiq; Chriſto tota reſtituatur.

Finis Statutorum ſynodalium.

FInita ſub irruentem iam noctem Statutorum lectione, Reuerendiſſ. Cardinalis cancellario mandauit, vt Synodum his ferè verbis alloqueretur: Quomodo reformationis formulæ hodiè publicatæ Statutorum ratio conueniat, ex lectione hac perſpectum planè omnib⁹ eſſe: reſtare ne illud ſolùm, vt vniuerſa ſynodus de his omnibus ſuffragia ferat: vt igitur cogitādi deliberandiq; de ſingulis ſpatium habeant ad Synodū vocati, ſequenti die primum (quæ 13. Nouemb. futura erat) poſt rem ſacram peractam, de his omnibus ineunda ſuffragia eſſe, itaque Reuerendiſſ. Cardinalis eos ad cœnam in cœnaculo ad hoc instructo ſumendam, cum ſua benedictione dimiſit.

Acta secvndae diei synodi.

ALtera die huius ſanctiſſimæ tractationis, cōuenerunt omnes conſtituto tempore, & Miſſa per R. D. Philippum à Rechberg de Hohenrechberg Decanum Eccleſiæ Auguſten. de S. Trinitate ſolenni canticorum ritu celebrata, moxq; reliquis ex libri pontificalis præſcripto peractis, Reuerendiſſ. Cardinalis, laicis anteà per damnationis ſuæ Reuerendiſſ. fiſcalem exire iuſſis, ſynodum obteſtatus eſt feruenti ſermone, vt meminiſſe, velit ſe non priuato cuiuſquam mortalis, aut quēquam ſuo, ſed vniuerſos Chriſti, per quem creati & redempti eſſemus, nomine conueniſſe, Chriſti hanc cauſam eſſe, de qua nunc ſit deliberandum: afferrent igitur hodiè animos ab omni perturbatione, cupiditate, pertinacia, immunditia, & ſocordia expurgatos: conſulerentq; in medium de his, quæ diſciplinam eccleſiaſticam in eccleſia Dei excitare, reſtituere, & conſeruare queant. Quòd ad ſe priuatim attineret, daturum operam, vt Deo duce, epiſcopi munere, quantum in ſe eſſet, ritè recteq; fungeretur: & quanquàm imbecillitatem defectusque ſuos pleroſque in ſeipſo agnoſceret, tamen non dubitare ſe, quin multa ſint, quæ latere ipſum poſſint. Quapropter poſtulare ſe ab vniuerſa ſynodo, vt ex prælatorum, canonicorum & Decanorum ruralium triplici ordine, ſingulos binos, ternos aut plures, ſi ita videretur, eligerent, qui ceu teſtes ſynodales, de his, quæ emendanda in ſe eſſent, inquirerent: ſeque Synodi nomine admonerent, paratum enim ſe eſſe, promptumque & ad audiendum tranquillo animo ſingula, & ad obtemperandum monitis ſalutaribus ſanctæ huius ſynodi in Spiritu ſancto congregatæ. His in hanc ferè ſententiam, maiore tamen ſermonis affluentia, dictis, ſummum aliquandiù ſilentium fuit. Quod cùm à nemine rumperetur. D. ſua Reuerendiſſ. aduocatis à ſe conſiliarijs, conſtituit ſuffragiorum ſcrutinium inchoandum eſſe. Quo conſilio per Cancellarium publicato, Fiſcalis è ſchedula nominatim ordineque ſingulos ad mandata procuratoria aut ſyndicatoria afferenda compellauit: ſinguli itaque depoſitis apud R. D. Iacobum Henrichmannum Auguſten. eccleſiæ canonicum & vicarium, atque Notarios ad hoc deputatos, mandatorum inſtrumentis, ſuper ſtatutis ſynodalibus approbandis ſententias dixerunt: Quorum primus R. D. Marcus Auunculus Epiſcopus Nazianzenus, & Suffraganeus Auguſten. breui candidaque oratione ſtatuta Synodalia adprobauit, ſeque obſeruationi eorum, quatenùs ad ſe pertinerent, adſtrinxit: hunc ſequuti ſunt reliqui prælati, Abbates, præpoſiti & Decani tam collegiorum, quàm regiuncularum ruralium: nemoque in tanta multitudine extitit, qui voce ſua ſtatuta hæc ſaluberrima non collaudaret, atque ſe vnà cum his, quorū nomine huic ſynodo intereſſet, illis pro viribus pariturum, alijsque vt idem facerent, authorem futurum non profiteretur.

Tanta igitur conſenſione omnium, votisque concordibus animaduerſis, Reuerend. Card. Deo Opt. Max. cuius ſpiritu afflante hæc gerebantur, gratias egit: & accito ad ſe Cancellario mandauit, vt Synodo, quæ à prandio agenda eſſent, indicaret, nempè damnationem ſuam Reuerendiſſ. negotiū dediſſe RR. DD. epiſcopo Nazianzeno, Philippo à Rechberg &c. Decano, Iacobo Henrichmanno vicario & Cancellario ſuo, vt horis pomeridianis cauſas, grauamina & defectus tam eccleſiaſticorum quàm laicorum ad Synodi cognitionē pertinentes, audiant, expediant, aut, ſi res ita poſtulet, ad damnationem ſuam Reuerendiſ. vel ſynodum ipſam referant decidenda: Cupere præthereà damnationem ſuam Reuerendiſſ. obnixeq; petere à ſynodo, vt tres pluresve deputet, qui de officialium, aliorumque eccleſiaſticæ functionis & fori miniſtrorum ſuorum negligentia alijsve grauaminibus inde fortaſſe ad ſe manantibus inquirant, atque ad D. ſuam Reuerendiſſ. ſine vlla reformidatione deponant, vt diligētia eiuſdem curaq; debita, ſi quid incommodi fuerit, emendetur.

His dictis, Reuerendiſſ. Cardinalis ſynodum, ad corpora in cœnaculo inferiore, ſicuti toto hoc ſynodi tēpore impenſis eiuſdem factū fuit, prandio curāda, de more dimiſit.

A prandio auditores cauſarum ſynodalium negotio ſibi dato ſatisfecerunt, cauſasque ſcripto vel voca propoſitas aut expediuerunt, aut ſi quæ maiore indagatione opus habere viſæ ſunt, in aliud tempus, dum veritas inquiri, aut pars altera audiri potuerit, reiecerunt.

Acta tertiae diei synodi.

POſtrema die Synodi quę fuit Nouembris decimaquarta, hora ſublucana celebrauit officium Miſſæ de B. Maria Virgine ſolenne & habitu Pontificali Reuerendus D. Gaſpar, abbas monaſterij Othoburcſis. Et ſacris tum ſynodalibus in libro Pontificali præſcriptis, ritè ſummaque totius Cleri & populi deuotione peractis, Cancellarius, quæ à Reuerendiſſ. Cardinale fuerat iuſſus, in eam, quæ ſequitur, ſententiam ſynodo expoſuit: Dominationem ſuam Reuerendiſſ. videlicet, intellecta totius ſynodi in approbandis ſtatutis ad Cæſ. Maieſt. formulam conditis, heſternaq; die pręlectis, ſumma concordia, reliquum eſſe cenſere, vt ea pro rogatis publicatisque habeantur: idcircò eandem paterno benignoque affectu omnes admonere, meminiſſe vt velint, ſe conſenſu hoc ſynodali ad ea obſeruanda, perpetuaque vitæ, morum, atque officij integritate cuſtodienda, Deo omnium bonorum conſiliorum authori & humanarum actionum inſpectori, ipſisq; Eccleſię Chriſti eiusq; antiſtitibus obſtrictos eſſe. Cauendum igitur omnibus, ne à legibus ipſis authorum ſuorum culpa coarguatur.

Poſt hæc Reuerendiſſ. Cardinalis Synodum denuò admonuit, ab eaque vrgendo petijt, vt monitores ex ſe diligerent, qui dominationē ſuam Reuerendiſſ. de his, quæ ſe fortaſſe circa officij ſui ſuorumq; miniſtrorum negligētem aut improuidam curā ſeu adminiſtrationem lateant, admonerent: daturum enim ſe operam, vt ſeipſum ſuosq; ad rectam epiſcopalis officij regulam pro viribus emendet. His dictis, Synodus communicatis inter ſe omnium ordinum conſilijs, per R. D. epiſcopum Nazianzenum reſpōdit, ſe ampliùs in damnatione ſua Reuerendiſſ. nil deſiderare, quàm vt pro conſcientiæ ſuæ modo, ſtatutis hiſce ſynodalibus vnà cum ſuis inſiſtat, atque veluti lex animata, in eccleſiæ ſuæ cardine eminens, cætera membra in officio contineat.

Hoc reſponſo, Reuerendiſſ. Cardinalis tāquàm reſtituendæ apud ſuos catholicæ pietatis ingenti ſpe excitatus, Synodo gratias egit, Deumque omnipotentem ſupplex rogauit, vt ſibi in explendis exequendisque huius Synodi

conſti-

conſtitutionibus diuino ſuo numine aſsiſtere dignetur.

Poſtremò, præſentibus atque comparentibus in hac Synodo tanquàm obedientiæ filijs, gratiæ à Cancellario actæ ſunt, benignitatis dominationis ſuę Reuerendiſſ. plenæ, addita etiam clementiſſima obteſtatione, dominationi ſuæ Reuerendiſſ. gratiùs accidere nil poſſe, quàm ſi ad eum veluti ad patrem & paſtorem in rebus ſuis dubijs aduerſiſq; confugiant: auxilio enim, conſilio, ſtudio, cura, beneuolentiaq; ſua ſe eis pro viribus ſemper adfuturum.

Cùm igitur Synodus, peractis ferè iam omnibus, dimittenda eſſe, prodijt in medium fiſci promotor, atque citatorum non comparentium contumaciam accuſauit, petijtque eos contumaces atque in conſiſtorio epiſcopali ea de cauſa proceſſum decerni atq; committi: cuius petitioni Reueren. D. ſua annuit, præcepitque contra contumaces iuris ordine ſeruato procedi. Citati fuerunt etiam omnes ad Synodum proximam, quæ indicta fuit ad Kal. Sept. anni 1549. in oppido Dilinga celebranda.

His omnibus magna omnium attentione abſolutis, admiſſi ſunt Laici, hymnoque TE DEVM LAVDAMVS, cantato, Reuerendiſſ. Cardinalis ſolenni benedictione receſſuros eſt proſequutus.

Actorum Statutorumq́, Synodi Diœceſanæ Auguſtenſis, finis.

REVERENDI D. MARTINI DE OLAVE Theologi Hiſpani, & Cæſareæ atque Catholicę Maieſt. Sacellani, oratio habita in ſynodo Auguſtana.

Act. 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.*

DIcturus hodiè apud vos præclari Eccleſiæ Dei præſides ac paſtores, de inſigni illo ſtudio ac pietate, quam quiſque veſtrûm pro ſuo officio ad huius ſanctiſſimę ſynodi celebrationem afferre debet: vereor ego nõ parùm, ne temerè ac valdè inconſultè feciſſe videar, ſi rem ingenij mei viribus longè maiorem ſuſcipere, & in hac tam celebri corona, homo peregrinus, de re cũ primis ardua & minimè populari, loqui audeam. Quanquàm autem mandatum illuſtriſſ. principis & excellentis Reipub. Chriſtianæ Card. quo ad hoc munus ſuſcipiendũ impulſus ſum, ſatis magnam vim apud vos habere nõ dubitem, vt me poſſit ab omni temeritatis ſuſpicione vendicare, præſertim cùm tantùm apud me ſemper eximia eius dignitas & ſapientia valuerit, vt ego nec beneuolẽtiam ipſius erga me ignorare, nec voluntatem negligere, nec authoritatẽ non reuereri abſque nefario ſcelere poſſem: verùm animo meo penitùs non ſatisfacio, cũ ſimul de earum rerum quæ mihi addicendum proponuntur, ſanctitate & maieſtate, ſimul de ſumma mea indignitate & vehementi ſpiritus mei remiſſione ac indeuotione altiùs cogito. Doleo equidem plurimùm me tam ſanctæ functioni parem morum integritatem, paremq; ſpiritus acrimoniam & ardorẽ minimè afferre. Nam de facultate dicẽdi, quæ ſentio, quã in me ſit exigua ac penè nulla, non ita ſum ſolicitus. Nec enim cauſam agendam ſuſcepi, quæ perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis indigeat, quin ipſo ſpiritu Dei, ipſo inquam Dei ſpiritu orationẽ noſtram inſtructam & ornatã eſſe oporteret, vt commouere illa veſtos animos poſſet, & 1. Cor. 2. ad hoc ſynodale munus ſanctè & religioſè gerendum, incendere & inflammare. In quo munere non arbitror ignorare vos, quãtum momenti ſitum ſit ad ea mala magna ex parte ſananda, quibus tam miſerè hodiè affligamur.

Verùm ne quicquam nobis ex eo breuiſſimo tempore, quod mihi ad dicendum cõceſſum eſt, in præfatione aut mei officij purgatione depereat, aggrediar ad rem illud ante omnia vos omnes viri Chriſtiani, etiam atque etiam obſecrans & obteſtans, vt quo me nunc plurimis difficultatibus circumſeptum eſſe videtis, quoq; meliùs agnoſcitis, quantum mihi hodiè Dei pręſidio & gratia ſit opus, eo ardentioribus votis mecum iuxtà illi ſupplicetis, vt orationem mihi inſpiret, quæ ſit digna ea expectatione, quam fortaſſe dominus Reuerend. concepit, cùm hanc mihi prouinciam demandauit, digna ipſius veſtriſque auribus, digna huius conſeſſus celebritate & amplitudine, digna denique grauitate & ſanctimonia earum rerum, de quibus dicturi ſumus. Concedat, vt Spiritus ſanct* animo meo nunc illabatur, quò poſſit cor Pſal. 44. meum in huius ſanctæ Synodi conſpectu verbum eructare bonum, verbum ignitum, verbum ſalutis & ædificationis. Eiuſmodi enim verba ſunt, quæ ſanctum & ſpiritalem conuentum decent. Quid enim paleis ad triticum, dicit Do- Hier. 23. minus? nonne verba mea quaſi ignis? Hoc autem ita commodiſſimè efficiemus, ſi omnes ſupplices & venerabundi ſacratiſſimam Virginem Mariam deprecemur, vt nobis filium ipſa ſuum, eundemque ſeruatorem noſtrum aduocare & conciliare dignetur, ſalutationem illi angelicã offerentes.

AVE MARIA.

Attendite vobis & vniuerſo gregi. in quo vos poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Actorum 20.

HAEC ſunt verba, viri Chriſtiani, magni illius Apoſtoli, qui vas electionis à Chriſto dictus eſt, quibus Acto. 9. omnes ille Eccleſiæ pręſides ac rectores, quos hoc loco epiſcopos, id eſt, præpoſitos appellat, ad gubernãdum inſtituit, hæc Pauli doctrina, eſt diuinitùs inſpirata, qua ſi im- Acto. 20. buti eſſent omnes Dominici gregis paſtores, tutò & diù eum paſcere poſſent, gratum Deo obſequium pręſtantes, ſibi verò ac ſuis ouibus æternam felicitatem & ſalutem conciliantes. Ac mihi quidem eiuſmodi hæc verba eſſe videntur, quæ omnes magni Eccleſiæ Pontifices in ſuis aulæis & magnificis tapetis, reliqui etiam paſtores in humilioribus ſtragulis inſerta & intexta habere deberent, vt ſemper eis aliquid ante oculos verſaretur, quòd ſui officij ipſos admoneret. Perſarum rex, vt literis proditum eſt, vnum habebat cubicularium, cui hoc muneris mandatum erat, vt diluculo ingreſſus illi diceret: Surge Rex, & ea cura negotia, quæ te curare voluit Meſoroſmados. At multò magis conueniret, hunc diuinum Apoſtoli ſermonem omnibus Eccleſiæ paſtoribus quotidiè inculcari, non ſe, inquam, à regibus, nõ à magiſtratibus, non à Senatu, non à plebe gregi Dominico fuiſſe præfectos, ſed ab ipſo Spiritu ſancto, vt ſemper meminerint, ei, à quo acceperunt, muneris rõnem eſſe reddendam. Ac gregem quidem non quemuis illis eſſe cõmiſſum, ſed eum, cuius ſalus tam chara ſit maximo vniuerſæ naturæ principi, ac optimo omnium creatori & parenti Deo, vt filium ipſe ſuum vnigenitum tradere non dubitauerit, qui pro eo ſanguinem ſuum funderet, ac mortem cum Acto. 20. primis ignominioſam oppeteret. Operæpretium eſt autem, vt cauſam etiam illam conſideremus, qua adductus Apoſtolus fuit, vt tam diligenter curam gregis paſtoribus commẽdaret. Addit ergo ille: Ego ſcio quoniam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe, propter quod vigilate. Mihi igitur viri Chriſtiani, ad eam admonitionem, quam à principio propoſui, diligentiùs inſpicienti, & hanc eius cauſam ac rationem altiori etiam animi cogitatione perpendenti, viſum eſt, nihil à me in hunc conuentum afferri nunc potuiſſe, quod vel muneri meo, vel huic hodiernæ celebritati magis conueniret. Video etenim non abſque ſumma quidem animi lętitia, veluti cœleſtem quendam exercitum fortiſſimorum fidei propugnatorum & optimorum Eccleſiæ Chriſti paſtorum, in hunc locum hodiè conueniſſe, vt de bello inſtruendo aduerſus ſatanam & eius fautores, ac de grauiſſimo periculo depellendo, quod ſuis ouiumq; omnium ſuarum ceruicibus imminet, conſultent ac deliberent. In quo exercitu te Deus, Optime pontifex, velut principem & Imperatorem eſſe voluit: reliquos clariſſimos & honeſtiſſimos viros qui hìc adſunt, tibi tanquàm aſſeſſores & duces ac tribunos exercitus attribuit, vt eorum tu cõſilio & viribus vtaris. Terribilem certè quidem exercitum & formidoloſum aduerſarijs: ſi quidem illis armis inſtructus accedat, quibus eum munitum eſſe debere, D. Paulus his verbis explicat: Arma malitiæ noſtrę nõ 2. Cor. 10. carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigẽtes

omnem

omnem intellectum in obſequium Chriſti. Quorum armorum quanta ſit vis & efficacia, idē Apoſtolus Timotheo diſcipulo ſuo indicat: Omnis, inquiens, ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendū, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

Igitur vt etiam ego aliqua ſaltem ex parte, pro exigua mea facultate, & pro officij mihi impoſiti ratione, vos cōtra communes hoſtes adiuuem, tractabo nūc paucis quæ ad admonitionem ex D. Paulo à principio allatam, & ad ipſius cauſam atq; rationē in primis pertinere exiſtimo. Ac priùs quidem dicam de præſenti Reipub. Chriſtianæ ſtatu & conditione, deq́ue magnitudine periculorum, in quibus omnes hodiè verſamur, id quod cauſæ iam dictæ reſpondet. Deinde, quid nos hoc tempore potiſſimùm facere oporteat, Dei gratia & ope adiutus, iuxta Pauli exhortationem explicabo. Quibus de reb⁹ dum breuiter diſſero, & breuiùs fortaſſe quā varietas & magnitudo huius cauſæ poſtulét, peto à vobis viri Chriſtiani, vt me pro veſtra religione & pietate libenter & ſtudiosè audire velitis.

Nullum vnquàm tempus extitiſſe, cùm non grauiſſimis Satanæ bellis Dei Eccleſia infeſtaretur, cùm veterum temporū monumentis, tum pręſentium experientia didicimus: quin & illas ſcripturę voces, Sæpè expugnauerūt me à iuuentute mea, Sępè expugnauerunt me à iuuentute mea, Eccleſię multi eſſe arbitrantur. Etenim vt omnia alia tempora ſilentio tacitus prætermittam, quæ Euangelij gratiam anteceſſerunt, in quibus nō puto ignorare vos, quàm variè & crudeliter pleriq; iuſti & fideles Dei ſerui, à Satana & eius miniſtris exerciti & vexati fuerint: in ipſo certè eccleſię Chriſtianæ naſcentis exordio animaduertere poteſtis, quot machinas capitalis ille generis humani hoſtis contra Chriſti Apoſtolos & alios ſanctos Dei homines, qui eorū vitam & mores ſecuti ſunt, admouerit? quot artes nocēdi excogitauerit, quot principes & tyrannos potentiſſimos impulerit, vt innocentes & inermes apertè & hoſtiliter inſequerētur: quot item hypocritas excitauerit, qui ouium veſtibus induti, occultè & inſidiosè lupos rapaces agerent, & miſeras multorū animas deuorarent. Verùm cùm multa atq; innumerabilia maximarum perſecutionum genera extiterint, quibus ille Dei Eccleſiam laceſſere atq; exagitare nunquàm intermiſit, tamen hoc affirmo, ex omnibus eā longè grauiſſimā & perniciosiſſimam quouis tempore habitam eſſe, qua fidem inuaderet & cōuellere niteretur. Atqui hanc etiā non arbitror neſcire vos, tunc eſſe periculoſiſſimam, cùm res per eos miniſtros geritur, qui nos noſtris armis, id eſt teſtimonijs ſcripturarū, & magnifica ac populari Dei & Chriſti commendatione aggrediuntur & oppugnant. Sed ego propterea perſecutionem illam, quæ contra fidem intenditur, reliquis omnibus anteponēdam cenſe[illegible] non quòd alia peccata infidelitate deteriora inueniri poſſe ne[illegible]ſtimem, ſed quoniam crimina illa, quæ contra ſolam charitatem admittuntur, & diuinum fidei lumen in mētibus noſtris non extinguunt, etſi inuiſos illi admodum ſæpè nos reddant, non ita procul tamen ab eo nos ſemouent, vt non vel vnico gemitu reconciliari illi & cōiungi poſſimus. At fidem ſi quis ſemel amittat, is nec facilè eā recuperare poteſt: quoniā ſuo ſe ipſe iudicio condemnauit, vt D. Pauli ratione vtar, & reliquis adminiculis ſæpiùs ad perniciem, quàm ad ſalutem ſuam abuti ſolet. Nam qui abſque fide eſt, eo longiùs à Deo abducitur, quo ſibi iuſtior & ſanctior eſſe videtur. Itaque vt in Chriſtiano ædificio erigendo à fide exordiri neceſſum eſt, quòd non niſi in ea fundamēta iaci & poni poſſint, ita in amoliendo hoc ædificio, quod extremo loco concutitur, fides eſt: quam donec conuulſam videat, nihil propemodùm perfeciſſe ſe diabolus exiſtimat: intelligit nimirùm, reliqua omnia quæ deſtruxerit, per eā facilè & nullo negotio poſſe inſtaurari. verùm hac vna euerſa, velut parta omninò victoria triumphat & conquieſcit. Hanc ob rem perpetuò hoc ille ſuis ſatellitibus inculcat: Exinanite, Exinanite, vſque ad fundamentum in ea, id eſt conuellite omnia religionis præſidia, nec ceſſate, quoad fidem, quæ altiſſimum & firmiſſimū ipſius fundamentum eſt, ab imis radicibus extirpetis. Non latuit ſanè hoc veteres illos ſanctiſſimos patres, qui quanquàm alijs etiam in perſecutionibus grauiter & ſtrenuè aduerſus ſatanam decertarent, cùm bellum ille tamen fidei inferebat, ita animis omnes commouebantur, vt nō ſibi ſatiſfacerent, niſi vniuerſas eccleſiæ vires colligerent, ac tanquā communi claſſico euocati, omnes vnà ad reſiſtēdum occurrerent. Alia vitia vt depellerent, nemo de ſua ſtatione diſcedebat: hæreſim vt propulſarent, domos & prouincias ſuas deſerere, & ignotas ac longiſſimè ſepoſitas regiones cum maximo etiamnum vitæ diſcrimine adire nihil dubitabant. Permulta huius rei exempla notoria ſunt omnibus, quàm vt à me huc adduci conueniat. Quis enim non legit, quàm frequentes olim & quàm vehementi ſtudio & ardore incitati permulti ex Epiſcopis & alijs Eccleſiæ paſtoribus, ex omnibus totius orbis terrarum finibus, contra vnum Arium, vel vnum Manedonium, vel vnū Photium, vel vnū denique ex quamplurimis alijs hæreſiarchis, ſedibus ſuis relictis, conuenerint? Quòd ſi priſcis illis temporibus, cùm non ita vbique Chriſti fides explicata & confirmata erat: vnus terror totum Chriſtianiſſimum vſque adeò cōmouebat & concitabat, quo tandem animo nos nunc eſſe par eſt, viri Chriſtiani, qui non vno errore, ſed ipſa (vt ita dicam) hæreſum colluuione appetimur & exercemur, nec alienis armis, vt quondam, id eſt philoſophorum & ethnicorum teſtimonijs, ſed noſtris ipſis, Chriſti nimirùm, Prophetarū & Apoſtolorum verbis, contortis illis quidem & adulteratis, at illorum tamen verbis inuadimur & oppugnamur? Nō nobis, inquam, vt olim, de vno vel altero fidei articulo contentio eſt, ſed de tota propemodùm religionis ſumma diſſidemus. Nam eò hęreticorum huius temporis doctrina & labor ſpectant, vt nobis ſacramenta ſalutis eripiant, vt totum ordinem Eccleſiæ conturbent, vt vniuerſas ſanctiſſimas eius cæremonias exterminent, vt veterum ſapiētiſſimorum & ſanctiſſimorum doctorum diſciplinam & doctrinam conculcent, vt omnem omnium temporum authoritatem conuellant, vt ad immoderatam quādam viuendi libertatem & licentia homines inducant, Dei timore omninò ſublato. An non meritò cum Propheta nunc exclamabimus: Quantum [Pſal. 73.] malignatus eſt inimicus in ſancto, incēderunt ſanctuarium Dei, polluerunt tabernaculū eius? niſi fortè leuius eſt, ædes ſacras in equorum ac ferarum, religioſis viris eiectis, ſtabula cōuertiſſe, quàm igni illas incendiſſe: aut quaſi non polluiſſe tabernaculum Dei illi videri debeant, qui clauſtra pudoris laxantes, & impuriſſimas ac ſacrilegas nuptias inducentes, mortales omnes votorum ſanctimonia & nexu liberârunt. O miſeram, & in breui tam celerem & tam variam in Eccleſia Dei commutationem. O luctuoſam religionis cōuerſionem. O excellentem olim & omni laude ac commendatione celebratā Germaniam, quàm negligēter cauiſti, ne in te lupi rapaces, quos tantoperè reformandos eſſe Paulus ad- [Act 20.] monuerat, ingrederētur. Quàm multi viri peruerſa loquentes ex te his temporibus prodiêrunt, & quàm innumerabiles illi diſcipuli fefellerunt, ac poſt ſe abduxerunt? Equidem non poſſumus non ex animo dolere omnes, qui te, quam nō ita pridem vt tutiſſimam arcem fidei, vt eximium pietatis domicilium, vt vnicum religionis firmamentum ſuſpiciebamus, nunc tanquàm ſcapham ſine remige ſæuiſſima hæreſum tempeſtate iactari videmus. Vtinam verò non extrema hæc tua ſit diſceſſio, vtinam non in finem repulſa ſis, ac celeriùs opinione hominum, domino infideli parere cogaris, quemadmodum & nunc illa olim inclyta Græcia paret. Non enim dubito, quin tuam infidelitatem ſeueriùs adhuc vindicaturus ſit Deus, niſi breuì reſipiſces.

Sed vnde, quæſo, tanta aduerſus Chriſtianos Satanæ poteſtas? vnde tanta in nos vis hoſtib⁹ addita? vnde? niſi ex ſceleribus noſtris, quæ alia ſup alia adijcere nunquā ceſſamus, quibus vtiq; ita in nos Dei iram inflammauimus, vt verendum ſit, ne non ſolùm Satanam, ſed etiam ipſum Deum, ipſum inquam Deum conſeru[illegible]orē noſtrum, cuius ſolo præſidio vti poſſumus, hoſtem & inimicum habeamus, ac cum Hieremia lugere cogamur: Factus eſt Dominus velut inimi- [Thren. 2.] cus, præcipitauit Iſrael, præcipitauit mœnia eius, diſſipauit munitiones eius. Tetendit arcum ſuū quaſi inimicus, firmauit dexteram ſuam quaſi hoſtis, & occidit omne quod pulchrum erat viſu in tabernaculo filiæ Sion.

Verùm quid nos agimus, O Chriſti ſacerdotes? vos enim nunc omnes appello, vt de remedio eo, de quo extremo

loco

loco me acturum promiſi, conſultemus. Quid nos, inquam, nunc in tanto diſcrimine poſiti agimus? quibus de rebus, tot tantiſque periculis circunſepti, cogitamus? Immò verò quid nos nunc agere & quæ potiſſimùm conſilia capere oportet? Nam quid agamus, nimio pluſquàm ſatis, proh dolor, perſpicuum eſt omnibus. Ociamur & ſtertimus omnes, magni iuxta & parui, ad rem noſtram attentiſſimi ſumus. Omnes Dei patientia & longanimitate abutimur. Omnes toto animo & ſtudio omni in eam curam incumbimus, vt cupiditatibus & deſiderijs noſtris ſatisfaciamus. Omnes in res inanes & fallaces vniuerſas noſtras cogitationes abijcimus. In medio grauiſſimi belli omnium, quæ vllo vnquàm tempore in Eccleſia Dei geſta ſunt, conſtituti, nihil de periculo cogitamus, immò nec bellum quidé vllum eſſe exiſtimamus, ſi de noſtris opibus nihil diſcedat, & reliquas voluptates ſectari liceat. Tot tantaque mala & tam grauem Reipub. Chriſtianæ perſecutionem pacem ducimus, nec ſatanæ incurſiones, nec Dei flagella ſentimus. Nam quotuſquiſque, obſecro, ex nobis his flagellis atque hac tam ſe-
Hier. 5. uera Dei correctione commonitus, factus melior eſſe videtur? Nimium profectò verè in nos illud Hieremię congruit: Domine, percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: indurauerũt facies ſuas ſupra petram, noluerunt reuerti.

Attendite igitur diligenter, O vos exercitus Dei duces ac principes, quantam ruinam hoc tempore catholica religio minetur, perſpicitis. Quàm innumerabiles miſerorum hominum animæ perièrint, & quot nunc quotidiè tententur, ex quibus partim victæ ſuccumbunt, partim nutant ac vacillant, non ignoratis. Hoc vtique tempus illud eſt, cùm Deus à vobis exigit, vt ſanguinem & vitam pro ſuis ouibus offeratis. Quòd ſi mortem veſtram nihil nunc profuturam exiſtimatis, nec ego ſanè author vobis eſſe velim, vt eam temerè & abſque fructu ſuſcipiatis. Cupio tamen vehementer vt oẽs intelligatis, cuiuſmodi ſuſpirijs & deſiderijs pectora veſtra nunc plena eſſe debeant. Meminiſſe certè perpetuò nos conuenit eorum Pauli verborum, quæ à principio attulimus, Vos ab Spiritu ſancto gregi Dominico fuiſſe præpoſitos: veſtræ curæ eas oues eſſe commiſſas, quas ſuo ſanguine Chriſtus acquiſiuit. De illis igitur adeò nũc ſolicitos vos eſſe oportet, vt parati ſitis fortunas omnes veſtras & vitam, ſi interſit, pro earum ſalute ac libertate libenter impendere. Quæ cura, ſi pro eo ac debet, defixa in animis veſtris inſideret, admittere haud dubiè nullam illi conſolationem aut remiſſionem poſſent, donec ouium veſtrarum ſaluti re-
2. Cor. 11. ctè proſpectum eſſe videritis. Quis ſcandalizatur, & ego nõ vror? quis infirmatur, & ego non infirmor? dicebat magnus ille animarum zelator Paulus.

Ad hunc modum ſi vos omnes nunc ad hanc ſanctam ſynodum compoſiti accedatis, non equidẽ dubito, quin Deus optima & ſalutaria conſilia ſit inſpiraturus.

Non eſt neceſſe, in diſcrimen veſtrum nunc offerre vitam, Eſto. At neceſſum eſt certè, vitam nos omnes emendare, vt Dei iram vehementer in nos concitatam leniamus: neceſſum eſt diù & multùm nos orare, vt eius miſericordiã conciliemus. multa etiam alia præter tuum ſanguinem neceſſaria ſunt, quæ ſi tu nunc præſtare recuſas, quẽadmodum tandem vitam te, ſi interſit, traditurum credemus?

In ea ſanè tempora auditores incidimus, vt veri fideles non diſtingui & internoſci ab infidelibus nõ facilè poſſint.
Matth. 12. Nunc demum veriſſimè Euangelicum illud impletur in nobis: Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Tepidus exiſtere nemo nunc poteſt. Frigidum te aut calidum eſſe neceſſe eſt: aut enim pro Chriſto, pro fide, pro religiõe, pro animarum ſalute ſtare in acie debes, aut Chriſto renunciare, & illi cum Satana tanquàm hoſtis & inimicus bellum inferre. Non licet mediam his temporibus tenere viam. Non fert hoc tam ingẽs & flagrans hæreſum incẽdium fidelem quempiam diſſimulare, multò autem minùs vos Eccleſiæ Dei paſtores.

A vobis nunc magnus ille gubernator & paſtor animarum Chriſtus, vitæ reformationem & orationis aſſiduitatẽ in primis exigit. His vos potiſſimùm armis & hæreticis ad calumniãdum aditum intercludere, & ſimplicem populum in officio continere, & diſperſas oues ad Dominicum ouile reuocare poteſtis. Nemini (inqt diuus Paulus, nos alloquẽs) demus vllam offenſionem, ſed exhibeamus noſmetipſos, ſi- 2. Cor. 6.
cut Dei miniſtros.

Non eſtis neſcij, quemadmodum nos hæretici apud populum perpetuò traducãt, nos ſcortatores, nos ambitioſos, nos auaros, nos ignaros & rudes eſſe, nos otio ſemper, luxui & ventri ſeruire, identidem vociferantur. Superbè quidem illi & inſolenter, negare nõ poſſum, cùm ſe ipſi quotidiè omnium flagitiorum dedecore & turpitudine polluant & cõtaminẽt, ac alijs omnibus magnã vitiorum omnium impunitatem polliceri non ceſſent. Superbè itaq; illi, ſed vtinã non nimiũ ſæpè verè: nã ſi vera potiùs hoc loco, quàm plauſibilia, dicenda ſint, negare certè nõ poſſumus, quin maximã ad nos accuſandos occaſionẽ ſæpè dederimus. Nos ea tela ſuggeſſimus, quibus acriùs & vehementiùs, quàm vllis aliis, exagitamur. Dicam etiam ampliùs, nos, nos inquam, aduerſum Chriſtum arma dedimus, nos eorum aciem inſtruximus: propter nos catholicę religionis nomẽ inter ipſos blaſphematur, propter nos vtiq;, qui cùm bonus odor Chriſti 2. Cor. 2.
omnibus eſſe deberemus, ingens fœtor effecti ſumus: propter nos qui magna ex parte extra Eccleſiam flagitioſiſſimè viuimus, in Eccleſia autem tanta oris & cordis impuritate ſacra myſteria attrectamus, tam irreuerẽter ad ſanctiſſima Chriſti ſacramenta accedimus: tam nulla adhibita deuotione neque modeſtia, Euangelica verba, hymnos & pſalmos pronũciamus, atq; alia eccleſiaſtica munera obimus, vt multorum infirmorum mentes & voluntates à Dei cultu & veneratione frequenter alienemus: Ita fit, vt quibus nos armis in primis vti debeamus, ea omnia in diaboli arma aduerſus nos conuerterimus. Etenim orationibus noſtris & ſacrificijs tantum abeſt, vt iram Dei in nos incẽſam reſtinguamus, vt vehementiùs eam quotidiè cõmoueamus & inflammemus: Vt ego quidem non dubitem, hanc tantam calamitatem, quantam hodiè vniuerſa Reſpub. Chriſtiana patitur, propter noſtra præcipuè peccata eſſe illi illatam, ac quadrare in nos veriſſimè, quod apud Hieremiam ſcriptum legimus:
Propter peccata prophetarum & iniquitates ſacerdotũ com- Thren. 4.
pleuit Dominus furorem ſuum.

Apud Ezechielem autem Deus, vbi ſacerdotum peccata Ezech. 22.
his commemorat verbis: Sacerdotes eius contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſacrum & prophanum non habuerunt diſtantiam: inter pollutum & mundum nõ intellexerunt. Sed poſt hanc criminationem, volens Dominus oſtendere, quàm veluti inuitùs ad puniendos nos trahatur, & quàm vehementer cupiat noſtris precibus & vitæ noſtræ reformatione flecti atque placari: contrà verò, quantum noſtra omnium pertinacia & obſtinatione offendatur & irritetur, ſubijcit: Quæſiui virum qui interpo- Ibid.
neret ſepem, & ſtaret oppoſitus coram me pro terra, & non inueni: & effudi ſuper eos indignationẽ meam, & in igne irę meæ conſumpſi eos: viam eorum in caput eorum reddidi.

Timeamus igitur viri Chriſtiani, ne grauiorem adhuc indignationem Deus in nos effundat, niſi celeriter reſipiſcamus. At ne tandem ire ſuæ nos igne conſumat, ad ipſum toto animo & ſtudio omni conuertamur. Fallacia bona & breui interitura libẽter alijs relinquamus. nos certè religionem & pietatem colentes, ſolida illa & vera atq; æterna bona conſectemur, & veterem morum diſciplinam, quoad eius fieri poterit, in nobiſipſis inſtaurare conemur.

Huius autem tam diuini boni conſequendi hæc vna ratio inueniri poteſt, ſi omnem ambitionem & auaritiam cum iniquiſſima beneficiorum pluralitate, omnem item impudicitiam, omnem luxum & ebrietatem exterminemus: Si execrabilem & abominandum concubinatum funditùs conuellamus: ſi ſacris miniſterijs puritatem & ſanctitatem, reuerẽtiam item ac deuotionem reſtituamus: Si orationi, ieiunio, & eleemoſynæ multùm & ex animo nos dedamus: ſi ſtudia pietatis & veræ ſapiẽtiæ excolamus, erigentes & aperientes ſcholas multas, atque in hunc vſum in primis pium, & in his temporibus maximè neceſſarium, de noſtris opibus libenter impertientes: Ad extremum ſi non honeſtos & ſpecioſos canones condidiſſe contenti ſimus, ſed eos re ipſa atque opere diligenter præſtare & implere ſtudeamus.

At me quidem viri Chriſtiani, optima ſpes tenet, fore vt bre-

vt breui in hac prouincia religionem in integrum reſtitu- tam videamus. Nam præter voluntatem quam in Chriſtia- niſſimo & potentiſſimo Cæſare ſolidam ad hanc rem & ex- preſſam eſſe cognoſcimus, maximis illá quidem & nũquàm interMorituris laudibus & præconijs commemorãdam, in multis certè Germaniæ Eccleſiaſticis pręſidibus, ac in vobis præſertim optimi antiſtites, tam ardẽs huius rei deſiderium & tam incredibilem voluntatum, ſtudiorum & ſententiarũ conſenſionẽ eſſe perſpicio, vt leniuiſſe magna ex parte Deus iram ſuam, & oculos clemẽtiores ad nos adieciſſe videatur.

Nam de immortali & propè diuina tua diligentia, cla- riſſime Cardinalis, non patieris te præſente & auſcultante, me plura dicere: alioqui non commiſiſſem, vt tam rarum, tam inſolitum, tam excellens virtutis genus ſilentio tacitus præterijſſem. Gratias age Deo, quòd te vnum ex pauciſſimis eſſe voluit, qui primi depellendi omnem hæreſim ex Ger- mania authores extitiſtis: primi contra fidei & religionis hoſtes arma cepiſtis: primi pro ipſius Eccleſia, fortunas om- nes veſtras, vitamq́ue in apertiſſimum diſcrimen & pericu- lum obtuliſtis. Gratias age Deo, quòd nunc etiam tam a- cres tibi admoueat ſtimulos ad hanc ſanctam eccleſiaſticæ diſciplinæ & vitæ reformationem, verè & ex ipſius ſenten- tia procurandam, & modis omnibus promouendam, vt o- culi, ſenſus omnes & cogitationes tuæ, in hanc vnam rem duntaxat, pro eo ac debent, intentæ eſſe videantur: vt pri- mus eſſe velis, qui reliquis omnibus, quibus honore gradus & dignitate pręcellis, maximum etiam & illluſtriſſimum in teipſo reformationis præbeas exemplar: vt collegium li- terarum vel ſolis tuis impenſis erigere conſtitueris, ne ſtu- dia pietatis & Chriſtianæ doctrinæ, quibus ſolitudo & exi- lium in hac prouincia indictum his temporibus eſſe vide- tur, penitùs dilabantur. Hæc nimirùm vera tua gloria eſt, optime Pontifex. Huic (vt magnus ille Orator aiebat) tu in- ſeruias, huic te oſtentes oportet, quæ vigebit memoria ſecu- lorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa ſemper in- tuebitur æternitas.

Nec verò viri Chriſtiani, quòd tam anguſtæ & aſpe- ræ res noſtrorum temporum ſint, vt illis minimè occur- rere poſſe videamur, propterea debilitari aut frangi nos de- cet. Non enim noſtris viribus hæc conficienda ſunt, nec il- lis nos vlla ex parte niti debemus. Hoc vtique opus ſolius Dei & nullius præterea eſſe poteſt. Quare nos ad ipſius ſan- ctiſſimum numen, tãquàm ad tutiſſimam arcẽ, ſumma cum fiducia confugiamus: ab eo certiſſimam opem expectemus, qui nullius ſpem fallere poteſt: ipſiusq́ue ſolo præſidio con- fidentes, & reliqua omnia adiumẽta inania exiſtimantes, au-
l.26. dacter cum Propheta exclamemus: Dominus illuminatio noſtra & ſalus noſtra: quẽ timebimus? Dominus protector vitæ noſtrę: à quo trepidabimus? Nec dubitemus quin exau- diturus ſit nos maximus iille conſeruator & parens ſalutis noſtræ, cuius ſummum in ſecula ſeculorum, & in omnem æternitatem durat imperium. Amen. Dixi.

DE VRBE TREVERENSI LONGE AN- tiquiſſima, atque olim celeberrima & potentiſſima, in qua ſequens ſynodus habita eſt, Ita ſcribit Auſo- nius:

Armipotens dudum celebrari Gallea geſtit,
Treuericaq́, vrbis ſolium, qua proxima Rheno,
Pacis vt in medio gremio ſecura quieſcat:
Imperijq́, viros, quod alit, quod veſtit & armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem:
Largus tranquillo prolabitur amne Moſella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

Hæc ille.

Frequens eſt apud Cæſarem in Commentarijs huius ciuitatis mentio.

CONCILIVM TREVE- RENSE AVCTORITATE IOANNIS TREVIR. ARCHIEPISCOPI PRO RE- formanda diſciplina fidei & morum ce- lebratum anno 1548. tempore Pauli Papæ II.

ACTA ET DECRETA SYNODI DIOE- CESANAE TREVEREN.

Præſidente Reuerendiſſimo in Chriſto Patre, & ampliſſimo Principe ac Domino, D. Ioanne Archiepiſcopo Treueren. ſacri Rom. Imperij per Galliam & regnum Arelatenſe Archican- cellario, ac Principe Electore &c. celebratæ vi- geſimaquinta Nouemb. Anno M.D.XLVIII.

MANDATVM CONVO- CATIONIS.

IOANNES Dei gratia S. Treuerenſ. Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacri Rom. imperij per Gal liam & regnum Arelaten. Archicancellarius ac Princeps Elector, Vniuerſis & ſingulis Ca- thedralis noſtræ, & Collegiatarum Paro- chialiumq́ue Eccleſiarum, Abbatibus, Prioribus, Prępoſitis, Decanis, tum Ruralibus diuinorum Rectoribus, curatis, ac non curatis, alijsq́; Eccleſiaſticis perſonis, Ciuitatis & Diœ- ceſis noſtræ Treueren. quibuſcunque coniunctim aut ſin- gulatim, qui noſtræ ſynodo Epiſcopali, de Iure aut conſue- tudine intereſſe conſueuerunt & tenentur, Salutem in Do- mino ſempiternam.

Neminem veſtrûm latere volumus, quòd Clementiſſi- mus & inuictiſſimus Princeps & Dominus noſter Carolus Quintus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, publi- cæ pacis & tranquillitatis vindex, Comitijs hiſce ſuperiori- bus Auguſtæ celebratis, omnem animi conſilijq́; rationem in id contulerit, vt pro admirabili ſua prudentia ſimul & ſuſcepto cœlitùs Eccleſiam tuendi catholicam officio, re- bus iam in extremum periculum abductis, ac religioni pro- pè vniuerſæ improborum licentia obliteratæ, opem fer- ret, eamq́ue quoquo modo poſſet, diuina adſpirante gra- tia, in tutum trãquillitatis portum, de medijs procellarum, turbinumq́ue fluctibus reduceret. Itaque hac tam iuſta, ac neceſſaria ratione commotus, nimirùm quo celerioribus conſilijs rebus lapſis ſuccurreret, idoneaque magis via ſub- uenire poſſet, tantamq́ue ac tam peſtilentem hæretica- rum contentionum inundationem reprimeret, reuocata redditaque inclytæ Germanicæ nationi priſtina auitaque luce & pace, à catholicis imperij membris, præter alia de religionis forma, à ſua maieſtate diſertè declarata, clemen- ter monendo poſtulauit, ne quid ab obſeruatis hactenùs in vniuerſali Dei Eccleſia ritibus, ſanctisq́ue obſeruationibus quiſquam digrederetur: Immò, vt cùm noſipſos in primis inculpatos, circa religionis normam exhiberemus, tum e- tiam noſtræ fidei commiſſos, in diuina diſciplina ita mode- raremur, vt omni diligentia cautum accurateque prouiſum videretur, ne alicundè inſolens quid aut alienum à vetu- ſtis Eccleſiæ Catholicæ ritibus irreperet, aut intromitti pa- teremur, ſed immobiles potiùs, tanquàm ad ſcopulum ta- bula aliqua naufragio eiecti, ita ad relictam à maioribus re- ligionem, vſque ad generalis Concilij definitionem, adhæ- reremus. Quod quidem fieri poſſe illius Maieſtas exiſtima- uit, ſi eccleſiarum mores, vitæque ratio ad meliorem ſan- ctioremq́ue formam reuocarentur. Huic igitur tam piè monenti, perinde atque diuino oraculo omnes Catholi- ci, Imperijq́ue Principes, ac ſtatus, vt par erat, lubenter pa- ruerunt, & pro ſe quiſque ſimul atque ad ſuos rediiſſet, cu- raturum recepit. Et ne foret cuiquam neceſſarium, qua- liſnam eſſet reformandi proceſſus, modusque aſſumen- dus, longum cogitandi tempus impendere, ſacra illius Maieſtas ſibi haud quaquàm graue duxit formam nobis proponere, ad amuſſim conſentaneam ſcripturis, & cæli-

cælitùs inſpiratis canonibus, quam de ſacrorum Voluminum penu, piorum literatiſſimorumque hominum induſtria, depromſerat: Qua quidem admoniti ſinguli, quid apud ſuos facto opus eſſet, ad reſtaurandum Eccleſiæ integritatem, non difficulter neque obſcurè perſpicerent. Hanc igitur nos protinùs, vt à Comitijs vobis redditi ſumus, conuocato Clero noſtro, ſuperioris noſtræ Diœceſis Treueren. in Cathedrali Eccleſia: inferioris verò, in Confluentina arce, Reformationis formulam, iuxta Cæſaris mandatum publicari & prælegi omnibus vobis curauimus: ac nunc de integro etiam à vobis exigimus, monentes & obſecrantes, aut etiam virtute ſanctæ obedientiæ, & authoritate noſtra præcipientes, ne quiſquam veſtrum à declarata Cæſareæ Maieſtatis Formula, inſtitutioniſque Eccleſiaſticæ, & à maioribus noſtris conſeruatæ diſciplinæ, vel in Cathedrali, aut ſecundarijs parochialibusq; Eccleſijs, Monaſterijs, ſacellis, oratorijs, aut vllis locis religioni dicatis, diſcedat, aut alienum aliquid inſolitumve agat, vel obſtrepere præſumat, ſed ea omnia qualia ſunt, ſummo ſtudio & animo complectatur, obſeruet, & conſtanter re ipſa & opere proſequatur.

Deinde quoque eadem authoritate requirimus, vt ad ſynodum noſtram Epiſcopalem, in qua executionis edictum concludetur, die conſtituto, in Eccleſia noſtra Metropolitana, cæteris poſtpoſitis rebus omnibus, propenſis animis conueniatis, quò poſſimus in commune conſulere, ac diſpicere ea omnia, quæ extirpandis erroribus erunt neceſſaria, & ad rectam diuinorum officiorum adminiſtrationem conducibilia. Inquiſituri præterea, quod etiam communis ſalus maximoperè poſtulat, quid ad morum ornamenta, ſplendoremq; conferat, quid vitam emendet, ac nos deniq; extra maleuolorum repræhenſionem ponat. Quas quidem commoditates ac officiorum certiſſima adiumenta ſuppeditabit, cùm recti cupidus in ſynodum allatus animus, tum ipſa norma & obſeruatio veterum Canonum diuinorumque ſcriptorum, quę ſacro ſpiritus afflatu, quaſi indice viam oſtendent. Ac ne quis dicat, ſibi de huius noſtræ ſynodi, deque reformationis intimatione certi nihil conſtitiſſe, talique prætextu effugere ſe ſperet: Ideò in omnem Eccleſiæ noſtræ regionem & agrum tot Reformationis exempla ſpargi curauimus, vt omnib. vobis à maximo ad minimum ſufficere credamus. Quamobrem ad vnum omnes ratione officij noſtri appellamus, & paterna charitate adhortamur, obſecramus & monemus, vt cùm hanc religionis diſciplinam diuinitùs Cæſari inſpiratam nacti ſitis, operam detis, neruoſque omnes huc intendatis, vt illi per vos reſpondeatur, eiuſque tanquàm fideles miniſtri in omnibus & ſingulis articulis curam ſummam habuiſſe videamini: neque impunitum erit ea quæ hic iubentur, non præſtare, aut ad illius præſcriptum non explodere in totum, quicquid iam diu ſæuientibus diſſenſionum tempeſtatibus à Catholica eccleſia alienum, ſanctoque gregi noxium, atque huic reformationi contrarium fuerit inuectum. Si verò quiſquam obtemperare noluerit, aut obſtiterit, quo minùs hæc Reformatio in opus producatur, eius in futura ſynodo indicia faciatis: vt aut noſtra in talem authoritas iuxta Canonum cenſurâ animaduertat, aut ad Cæſaream Maieſtatem, vti iniunctum eſt omnibus, de huiuſmodi pertinacia relatio fiat. Quamobrem vnũquemque magno ac ſecuro animo ad promulgandum reformationis doctrinam procederet iubemus, quia certus modò luculentæ veritatis ſcopos à Cæſare erectus eſt. Ad cuius conſpectum, nulla vi aut poteſtate territi, vnà cum illis, quorum curam geritis, conniti debetis. Et hoc modo ad conſtitutum diem in ſynodo idonei compareatis: in qua ſanè, nos vnà cum vobis, iuxta promulgationem harum literarum, ad reformationis executionem erimus intenti, digna videlicet exceſſibus iſtis, qui contra reformationem commiſſi ſunt, & contumacibus remedia adhibituri. Porrò in fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras literas ſigillo noſtro ſubimpreſſo fecimus communiri.

Datum ex oppido noſtro Vuitlich, die 30. Octob. Anno 548.

Cùm itaque dies veniſſet, qui à Reuerendiſſimo patre ac domino, D. Ioanne Archiepiſcopo Treueren. Principe Electore, indictus erat ad celebrandam Synodum, comparuerũt nobiles & Reuerendi patres, ac domini Archidiaconi, Abbates, Præpoſiti, Prælati, Archipresbyteri. Decani, cæteriq; vocati, qui omnes ſimul in Baſilicam maiorẽ Treuerenſem proceſſerunt, & inuocato ante omnia ſpiritus ſancti auxilio, & officio diuino peracto, Vicarius Reuerendiſſimi in Pontificalibus, Nicolaus epiſcopus Azoten. toti ordini Eccleſiaſtico præſenti ſolenniter benedixit, & ad Deũ preces direxit: quibus tranſactis, in medium chori progreſſus, præſentes in ſynodo pia & erudita oratione hortatus eſt, vt omnem operam ſuam in ſalutarem Eccleſiæ Treueren. Reformationem conferre dignentur.

Poſt hunc Doctor Pelargus prodijt, qui in eandem ſententiam Reuerendos Patres in ſynodo congregatos, copioſa oratione cohortatus eſt.

Oratio D. Pelargi Doctoris Theologi, in Synodo Treueren. habita.

AEgrè quidem, ſed tamen paſſus ſum, in hoc tam celebri patrum conſeſſu dicendi prouinciam mihi mandari, quòd publicam authoritatem (quæ eam neceſſitatem impoſuit) detrectare integrum non fuerit, etiamſi rerum hac ratione tractandarum, magnitudo & difficultas propemodũ deterreat ab officio. Proinde cum hanc tam ancipitem prouinciam, & gratificandi ſtudio, & recuſandi pudore ſuſceptam, vlterius deprecari non liceat, & tamen veſtræ expectationi reſpondere nequeam, (non enim qualiſcunque, ſed grauis equidem pro grauitate exigitur oratio) precium operæ me facturum exiſtimo, ſi liberandæ fidei meæ, flexanimum illum ſpiritum cœlis deuocauero, qui mentes noſtras luminis ſui radijs coruſcet, orationi vim & energiam ſuppeditet: deniq; in amorem eorum, ad quæ vos in hoc Synodali conſeſſu cohortaturus ſum, corda veſtra excitet, extimulet, rapiat, accendat, inflammet, & incaleſcere faciat: quod vt facere dignetur, vos quoque flagrantibus votis ab ipſo contendere conuenit.

Porrò, non ſtat ſententia, hac oratione operam ſumere colligendis, celebrandiſque virtutum veſtrarum laudibus, quod & dignitatibus, & meritis veſtris fortè conueniet. Certæ cauſæ, inquam, tota ferè hac noſtra oratio incumbit: magis exhortatio congruit, tametſi permulta ſunt, fateor, quare gratulationem ſanè & laudem merentur, cur hoc vnum cõmemoraſſe ſatis habeo, quòd in hoc odioſiſſimo tumultu, ac formidanda renouatione, variè tentari & pulſari, nulla ratione aut perſuaſione paſſi eſtis, in deditionem hoſtium, proditorumque Eccleſiæ & fidei vos redigi, ſed in caſtris Chriſti, firmi, immoti, inuicti & ipſi conſtitiſtis, & fidei veſtræ concreditos, etiam eos qui fortè vacillantes, ac propemodum perſuaſi, iam defecturi videbantur in apoſtaſian & hæreſim, in fide & officio continuiſtis. Quod ſi laude dignum eſt, à deſertoribus ac profugis in totum abſtinuiſſe, nullamque vnquàm cum ipſis habuiſſe conſuetudinem: ſi virtus eſt, & vitam illorum & dogmata odiſſe ex animo: quibus vos laudibus ferendos eſſe ſentiam, qui non modò non ad hæreticorum caſtra defeceritis, verum etiam pro defendenda Eccleſiæ dignitate, & fortunarum & capitis quoque periculum fortiter neglexeritis, dum ſcilicet ſuperioribus aliquot annis iuratus hoſtis per Treuericos agros graſſatus, & religionem labefactare, & fidem etiam veſtram expugnare, nefandis auſibus ſibi ſumpſit? Verum enimuerò, cum ego veſtram hanc in fide conſtantiam, obfirmatam pertinaciam, ac ſingularem animi fortitudinem vobis congratulor, laudo quidem vos, ſed in tranſcurſu, & tanquàm aliud agens, hoc nimirum, vt magis magiſque vos incitem & cohorter ad iſtiuſmodi virtutum ſtudia: haud ignarus eius ſententiæ, quam externæ ſapientiæ author quidam extulit, Virtutem laudatam creſcere, gloriamq; immenſum calcar habere. Macte igitur hac conſtantiæ virtute eſte viri patres ac domini, & ad quod Paulus quoque cohortatur: Vigilate, ac ſtate in fide, quam gratia Dei aſſecuti eſtis, per quam & ſalutem vos conſequuturos eſſe ſperatis, neque ab ea vlla hæreticorum perſuaſione diuelli vos patiamini. Hoc enim pacto perpetuam & nunquam intermorituram nominis veſtri memoriam comparabitis. Immò verò partam iam cõparatamque, tam inſigni præclaroque facinore, etiam atque etiam confirmabitis.

Eſt verò aliud, viri patres ac domini, quod in vobis deſiderem, quod vnum moneo, hortor, oro, obſecro omni denique ſtudio à vobis contendo ac flagito: Quamobrem peto

vt pro humanitate veſtra, & admonentem & obteſtantẽ me, æquis benignisque animis audiatis. Rem namque iuſtam, honeſtam, & reipublicæ quàm maximè profuturam, oratum vos huc venio: niſi fortè non ſit iuſtum & vtile, inſtaurare bonarum ſacrarumque literarum ſtudia, aut non ex honeſto publicam Eccleſiæ luſtrare diſciplinam, aut fortè eſt aliud Chriſtianæ reipublicæ magis neceſſarium & vtile. Quòd ſi æquũ & bonum me poſtulare iam intelligitis, impetrem obſecro. Ideò enim ea de re, etiam atque etiam admonendos atque obteſtandos vos eſſe duxi, quòd hunc vnum coactæ ſynodi ſcopum ac finem eſſe videam, ni fallar, vt & obliterata diu res literaria reſtituatur, ac repurgetur diſciplina ſtatus Eccleſiaſtici: quod vt fiat, luculenta neceſſitas vos monet vrgetque.

Vt enim neglectis agris filix noxiumque id genus germen innaſcitur, ita neglectis ſcholis, ingenij inquam & animi cultura, immane dictu, quanta, quamque venenata errorum, hæreſum, ſcandalorum, offenſionumque zizania ſusque deq; in agro Dominico ſuppullulent, non ſine incredibili Eccleſiæ malo & incommodo. Quantis enim bone Ieſu tenebris, quã horrenda caligine obruta & obducta videmus propemodum omnia? Quis non deploret ſtudiorum puritatem, à multis iam inde annis, nedum neglectam, etiam contaminatam, labefactatam, condenſatisque tenebris obumbratam? artes, philoſophiam, diuinasque literas non ſatis pro dignitate tractatas, quæ rectiùs tractatæ, multũ profectò attuliſſent luminis, plus religioſæ minimeque fucatæ pietatis? Quid diſſimulamus? quin, quod omnium veriſſimum, fatemur? an non, collapſis ac propè extinctis ſcholis, magnum vulnus Chriſtiana accepit reſpublica? Quid ita, inquis? dicam in genere, ſiquidem libera eſt ſynodus: In ſcholis docentur bonæ literæ & artes, quas Græci ἐλευθέρας vocant, nos liberales. Literarum ſtudia ad Philoſophiam, tum naturalem, tum moralem, viã ſternunt. Porrò vt rerum naturæ cognitio viam munit ad profeſſionem medicam, ita morum diſciplinæ non parùm adminiculantur & Theologiæ, & iuriſprudentiæ: ex qua nimirùm ius, ſiue ſacrum, ſiue prophanum, ortum eſſe exiſtimant. Quis iam non videt, quantùm fructus ex ſcholarum ſeminarijs ad rempub. redijt, ſiue ad bonam corporum habitudinem, conſtitutionemque inſtaurandam, alendam, & confirmandam, ſiue reſpublicas rectè & ordine gerendas & adminiſtrandas, ſiue ad vitam piè ac religioſè inſtituendam & componendam? Contra neglectis literarum & Philoſophiæ ſtudijs, qualis, amabo, poſſit eſſe doctrina in templis? quid ſani iudicij? quid opis apud Medicos? quod conſilij aut patrocinij apud eos qui iuris profitentur peritiam? Verum eſſe quod dico, res ipſa clamat, & rerum euentus confirmat. Nuſquam ferè non deſiderantur artium, honoratiorumque facultatum profeſſores. In republica quidem experti medici, prudentes Iureconſulti: in cathedra & publico ſuggeſtu, eximij & candidè docti Theologi: in templis, Paſtores, in ſcholis, probè inſtructi & eruditi præceptores. Vnde quæſo? Neglectæ ſunt ſcholæ, à quibus cõplures annos exularunt cùm liberalia ſtudia, tum verò ſanctiſſima illa, ampliſſimaque diuinarum literarum diſciplina: recepta eſt in ſcholas, & aliquandiu obtinuit ſpinoſa, ſenticoſa, frigida, ieiuna, ac nimis quàm infelix illa tum Philoſophiæ tum Theologiæ tractatio, eis nimirùm in vtramuis aurẽ dormientibus, altumque ſtertentibus, quorum aduigilare aut inſpicere intererat. Animaduerſum eſt tandem, Romanorum Imperatori Domino noſtro clementiſſimo, neſcio quibus ſuggerentibus, eum ſtudiorum antiquæ religionis neglectũ, principem cauſam eſſe, quamobrem tot hodiè malis premitur, angitur, & affligitur Eccleſia ab hæreticis: nec ſurdo narrata eſt fabula. ſimul enim vt reſciuit rẽ ita habere, ſimul neruos omnes intendit, ſtrenuamque nauauit operam, vt poſtliminio ad nos redeant honeſta & literarum & pietatis ſtudia. Certè non poterat melioribus conſilijs ac rationibus ſuccurſum eſſe afflictis ac penè deploratis rebus eccleſiæ, quàm inſtauratione publicorum ſtudiorum, & reformatione collapſi ſtatus Eccleſiaſtici. Atque vtinam ego ſyncerum, ardẽtem, rectique ac pietatis amantem illius animum, tam dignè poſſim vobis oratione commendare, quàm nunquam ſatis pro dignitate poteſt celebrari. Felicibus illius cœptis agedum viri, Patres, ac domini, fauete omnes, non vtroq; modo (quod aiunt) pollice, ſed toto quoque, apertoq; pectore. Sed ad rem. Hoc fateamur omnes oportet, nulla re æquè opus eſſe eccleſiæ, in has quas videmus anguſtias contractæ, ac liberaliori eruditione, qua ſuffragante, ſuppetiasq; ferente, facilè & libertatem ſuam & priorem dignitatis ac gloriæ ſplendorem amplitudinemque vindicauerit. Quæ cauſa, ſi non eſt & alia, vel ſola hortari & excitare nos debet, vt ſumma animorum contentione, liberalia expetamus & reuocemus literarum ſtudia: quos vtinam ea res omnes ex æquo haberet ſolicitos. Vereor enim, vt ea cura tanto minùs tangat aliquos, quanto magis ſtudent rebus & à literis & à religione alienis: Venationibus, inquam, aucupijs, aleæ, ventri denique ac Veneri, vt nihil aliud dicam. Hi hoc duriùs obiurgandi ſunt, quòd cùm plerique ipſi impendio indocti ac barbari ſunt, culpandæ deniq; ignorantiæ tenebris infuſcati, oppreſſa, extincta, ac deleta cupiunt etiam ſacrarum literarum ſtudia: ſperantes hac ratione, ſuam quoque inſcitiam faciliùs latere poſſe, ſatis eſſe rati, ſi nomen ac dignitatem ſuam tueantur ocioſis titulis. Habetis priorem orationis partem.

Venio nunc ad religionis ac diſciplinæ Eccleſiæ repurgationem. quam verò cupiam veræ, ſynceræ, minimeq; ſuperſtitioſæ religionis formam & imaginem, non iam literis in tabulis aut membranis deformatam circunferri, verùm cordibus veſtris inſcriptam, impreſſam, pietatisque operibus expreſſam, exhiberi ſpectandam cæteris, ex qua alij viua virtutum ſimulacra exprimant, ad quam item vitam ſuam exigant, quamque imitentur. Quemadmodum enim per magni refert, rectè ſecusve diſcipulos præceptor doceat, ita plurimum intereſt, benè an malè viuat, qui vitæ aliorum fingendæ ac formandæ ſuſcepit prouinciam. Ita enim ſiue natura, ſiue moribus comparatum eſt, vt non tam facilè verba eius, cui ſe totum quis credit, quàm facta æmulari contendat. Quo fit, vt ſi ij qui præſunt, perperam agant, fiant ipſis ſubditi quàm ſimilimi, vt nihil hoc Gregoriano verbo verius ſit: quo ait: Gregem conſequenter ferri in præceps, ſi per prærupta vitiorum gradiatur Paſtor. Quale autem eſt, obſecro, ſi ij, quorum refert, errantes & delinquentes corrigere, obiurgare, coercere, neque omninò continere in officio, ſint ipſi omnium corruptiſſimi moribus? Qua etiam fronte, qua libertate alios repræhendẽt, ſi ijſdem aut grauioribus fortè vitijs ſunt ipſi obnoxij? Quiſq; ſecum ipſe reputet, quanto pudore ſui nominis delinquant ſubditi, dum ad ipſius exemplum alius laudat aleam, alius ebrietati ac crapulæ eſt deditus, alius fœdis voluptatibus dat operam, alij alia pro ſua quiſque libidine deſignant. Meminerit proinde quiſque vocationis ſuæ, & hoc eſſe ſtudeat quod dicitur, quodque audit: Poſuit vos DEVS in Eccleſiam, alios Epiſcopos, alios Doctores, alios Euangeliſtas ſeu prædicatores, alios Paſtores & diſpenſatores myſterij verbi, diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Magnifici tituli, & quos blandè compellati, facilè agnoſcitis. Atq; vtinam verè agnoſcatis omnes. Hi enim non tam dignitatis quàm officij veſtri vos admonent, ſi ſapitis, an verò ſuaq; deque habetis, ſedere ad eccleſiarum gubernacula, regere ac paſcere gregem Chriſti, quem tanti ipſe fecit, vt ei redimendo ſanguinem & ſudauerit & fuderit, ſi non etiam ſanguine fleuerit? Quòd ſi magni hæc vobis ſunt, quin (amabo) probè, vt conuenit, reſpondere curetis vocationum veſtrarum titulis? Hem Pelarge, dicet aliquis, extra chorum ſaltas. Minimè gentium, cohortator ſum, non obiurgator: ſiquidem rogo, hortor, moneo, idque amanter, quiſque vt ſuo fungatur munere, & clauum rectum (quod dicitur) teneat. Quòd ſi me inhortantem ægrè fortè auditis, Petrum quæſo audite etiam obſecrantem, & ampliſſimis præmijs inuitantem, vt commiſſum gregem, exemplo etiam, nedum verbo paſcatis. Recito verba Pontificis: Presbyteros vos ipſe quoque presbyter, obſecro: paſcite qui in vobis eſt, gregem Chriſti, curam illius habentes non coacti, ſed volentes: non turpis lucri gratia, ſed propenſo animo: neque ceu dominium exercentes aduerſus clerum, ſed ſic vt ſitis exemplaria gregis: & cùm apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem æternæ gloriæ coronã. Certè vel hinc colliqueſcit, non ſatis eſſe commodo paſtori ad populum è ſuggeſtu agere, niſi & vita ſeu conuerſatione ſtudeat aliorum animis certam morum formam imprimere: idque non neceſſitate, aut religione officij, neque quæſtus gratia, ſed paterno ſynceroque affectu.

Porrò, vt Petrus Eccleſiarum præſides, typos ſeu formas factos eſſe dicit gregis Dominici, ita eoſdem ipſe ſeruator ſa-

Verùm cùm hoc non ſolùm Apoſtolis dictum ſit, ſed omnibus quorum intereſt, iuſto clauo deſignatas gubernare Eccleſias: veſtræ quoque curæ ac laboris erit, ſana doctrina, ſalſa ac mordaci reprehenſione, honeſtæ etiam vitæ exemplis, luxos animos, velut ſale perfricare, vrere, & reſtringere, ne in vitiorum putredinem diffluant, perpetuoſque vermes ſpargant. Sic item ignorantiæ errorumque tenebris offuſas infuſcataſque hominum illuſtrare mentes, vt & ipſi eadem luce potiantur in Dei gloriam. Inde enim Saluator poſtquam dixit, non eſſe ex more hominum, vt accéſam lucernam ſub-
Matt. 5. tus modium ponant, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus in domo exiſtentibus, continenter ſubiunxit: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videntes opera veſtra bona, glorificent patrem veſtrum cæleſtem.

Si his qui in Chriſtianiſmo vix tertias tenent, Apoſtolus præcipit, vt vita, conuerſatione ac moribus, ceu lumina-
Philip. 2. ria in edito poſita luceant in medio nationis prauæ ac peruerſæ, ſi quem fortè è tenebris in lucem vindicent: quid non his qui primas tenent in Eccleſijs, faciendum eſt, in veritatis lucẽ reuocandis errantibus? Hæc enim qui ſedulò præſtant & cádidè, magnum profectò merentur operæprecium. nam &
Dan. 12. Daniel vaticinatur eos qui & docti ipſi fuerint, & alios ad iuſtitiam finxerint, ceu ſplendorem firmamenti, & quaſi ſtellas perpetuò æternumque fulſuros. Et ipſe ſeruator, eum verò magnum vocatum iri ait in regno cælorum; qui iuſtitiæ præcepta, & ipſe fecerit, & alios edocuerit.
Matt. 5. Contra, eum minimum fore in regno, qui vel vnum ex minimis etiam mandatis ſoluerit, aut ſoluendum eſſe docuerit. Nihil verò minus conuenit, quam vel ſal fatuum fieri ac deſipere, vel lucem tenebroſam eſſe. Quorum hoc quidem tum denique fit, cùm ij, quorum eſt ſapientiam in alios transfundere, & quaſi de ſuo lumine, lumen in aliorum mentibus accendere, pernicioſè & ipſi errant, & alios in errorem adducũt. Illud autem tunc fit, cum ij quorum refert, ſermone gratia ſalito, probatæque vitæ exemplo aliorum condire mores, luxoſque ſolidare animos, aut non ſolidè docent, ſed ſtulti ipſi
Eſa. 32. cùm ſint, fatua (vt Eſaias ait) loquuntur, aut non ita vt loquuntur, viuunt. quo fit, vt doctrina illorum deſipiat, adeoque cõculcetur, deſpiciatur, reijciaturque ab hominibus, vt hic quoque locum habeat Gregorianum illud: Cuius vita deſpicitur,
Hier. 14. reſtat vt eius prædicatio contemnatur. Prius illud Doctorũ ac Paſtorum genus Ieremias ſubindè taxat, in Prophetis men-
Matt. 15. dacia loquentibus, quibus nihil vanius eſſe poſſit aut tenebrosius. Poſterius verò ipſe ſeruator in phariſæis notat, aut mandata hominum docentibus, aut alios, vt ad præſcriptum Moſaicæ legis viuerent, vrgentibus, cùm diuerſum ipſi facerent.
Matt. 23. Qua quidem re quid, amabò, cogitari poſſit ſtultius? dicunt, inquit, & non faciunt; imponunt humeris hominum onera grauia, & portatu difficilia, quæ tamen ipſa ne digitulo quidem vel mouere volunt. His non melioris notæ ſunt, qui hac noſtra quoque ætate aliud foris docent, aliud ipſi domi agũt.

Prædicant Chriſtum in deſerto ieiunantem, viuunt Epicurum ſplendidè in hortis cœnantem: alijs ieiunia commendant, ipſi Bacchanalia viuunt. Tales Apoſtolus graphicè ſuis coloribus alibi exprimit atque obiurgat durius. Vt ſciens interim ac prudens prætercam obiurgatricem illam expoſtula-
Pſal. 49. tionem, qua in pſalmis cuidam dicitur: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Sed his valere iuſſis, ad figuram orationis redeam: & quantum poſſum, vos omnes venerandi Patres ac domini hortor, moneo, rogo, & obteſtor: Agedũ fauete rectioribus ſtudijs, eaq; poſtliminio redeuntia obuijs (quod aiunt) vlnis excipite, iuuate, hiſque inſtaurandis totum adijcite animum. Huc ſtudium, curam, cogitationes, conſilia, operam, conatum, authoritatem omnem, denique & fortunas veſtras, quantum res fert, conferte.

Quòd ſi quid fortè & in religionis ſtudio neglectum eſt, curet pro ſe quiſque emendatioris vitæ vſura ſarcire, aut ante acti temporis negligentiam compenſare. Facietis autem omninò, niſi fortè ſi quis eſt, qui nullam vel communis reipub. Chriſtianæ, vel dignitatis Eccleſiaſticæ, vel propriæ ſalutis rationem habendam eſſe putet: quod mihi quidem de vobis dicere religio ſit.

Attamen cogitet quiſque in eadem, quod dicitur, naui nos omnes eſſe, commune eſſe periculum: nondum enim proh dij immortales ex tantis malis emerſimus. Iactatur adhuc fluctibus ventiſque concutitur Petri nauicula. Quare ſedulò aduigilandum. Cum primis verò orandus eſt Chriſtus, vt ventos ipſe increpet, procellis imperet, hanc rerum tempeſtatem in tranquillitatem vertat, ac fluctuantem nauiculã in portum vindicet: Eccleſiam honeſtis litterarum, tum verò religionis ſtudijs, præcipuis vtique virę ornamentis, exornet, foueat, alat, conſeruet, ac tueatur ad laudem & gloriam nominis ſui ſancti, & in ſecula benedicti, Amen.

Poſtquam igitur doctor Pelargus orandi finem feciſſet, celebrari atque decenti proceſſione, ex maioris Eccleſiæ choro, ad vicinum adeoque contiguum beatæ virginis templum itum eſt: in quo cum ordine Patres conſediſſent, Reuerendiſſimus Teuereñ. dominus, ſequenti verborum forma per eundem ſuum Vicarium omnes compellari iuſſit.

SVMMARIA TRACTANDARVM rerum propoſitio.

TAmetſi Reuerendi, Generoſi, Nobiles, alijque Patres venerabiles in Chriſto chariſſimi, Reuerendiſſimus dominus noſter, ob veſtrum omnium conſpectum, atque parẽdi alacritatem, qui vt membra capiti morigera, ad præſentem Synodum libenter quoque adeſtis, plurimum ſibi gratuletur: tamen quia corporum repræſentatione tantum, atque perſonarum intuitu, animorum abdita haud quaquam pateſcunt, idcircò in primis ad huius negocij tractationem, quomodò in manibus eſt, plurimum referre exiſtimauit ſua Paternitas, ſi pia atque libera, claraque confeſſione fateamini, vtrum vos non modò æquo animo laturi ſitis, illius Reuerendiſſimam Paternitatem, veſtris moribus, ſi quos veſtra parum dignos vocatione fortè perſpexerit, iuxta reformationis normam, ac pium eius in vos omnes affectum conſulere volentem: verum etiam cum animum mentemque huc intuleris, vt perſuaſum vobis ſit, hanc cauſam, de qua in præſentiarum agitur, ex ęquo omnibus eſſe communem: ſi quidem omnes deliquimus, culpamque admiſimus, cur paulo antè acta ætate, immẽſam malorum colluuiem, in noſtras omnium ceruices vidimus conſtillaſſe, quam Dei benignitas aliò deriuabit, reddita nobis ampla tranquilliùs viuendi reſpiratione. Quamobrem ſi omnes affecti eſtis, vt quidem eſſe debetis, vt cum Reuerendiſſima illius Paternitate, erecto in religionem animo, ſiue collatis (vt aiunt) lignis, ſeu priuata quiſque vi atque virtute, iuxta officium ſibi commiſſum, in primis contra hæreticos atque prauas illorum doctrinas, vobis bellum ſuſcipiendum eſſe putetis. Deinde ſi de proprijs moribus turpitudinem, ſi ſunt infecti, tollendam, ſi ruptam Eccleſiæ vnionem reſarciendam, integramque tutandam vobis exiſtimabitis, ſi deniq; omnium rerum agendarum ordinum inſtruendi ſubditos veſtros rationem habendam ſtatuendamque, tum ex reformationis forma, tum ex prædictis ſynodi decretis, firmiter indubitanterque animum induxiſtis, idque alta voce prædicaueritis, iam oportunum Reuerendiſſima illius Paternitas iudicat, ad reliqua, quæ ex vſu erunt præſenti ſynodo, tranſire, eaque quam poterit maximo cum fructu abſoluere.

His auditis, hilari & læto vultu Patres reſponderunt, ſibi nihil eſſe prius aut magis in votis, quam iſta omnia quæ in reformatione continentur, tum ea quæ per Synodum omnium ſuffragijs forent decernenda, verbo & opere exequi, atque, ſi vel vitæ periculum obſtet, etiam præſtare.

Poſtquam autem hanc Patrum cæterorumque expectatã iuxta & piam reſponſionem Reuerendiſſimus gratioſe acceptiſſet, collaudari primum per Vicarium ſuum, deinde gratias Patribus agi & cæteris omnibus iuſſit, eo quod & promptè denunciationi paruiſſent, & res ſerias, ſanctas ac ſalutares, non vt bona mortalium pars per ignorantiam reijcerent, ſed obuijs vlnis ac toto pectore in vniuerſum reciperent atque complectentur.

Adiecit etiam Suffraganeus, non ſine diuina benignitate factum eſſe credi oportere, quod poſt tot præclariſſimarum regionum concuſſiones, poſt tantas tet. lorum ædiumque inſignium, atque monaſteriorum ruinas, quibus ciuitatum prouinciarumque ornamenta & decus continentur, poſt tot religionis miſerandas ſtrages, Treuerenſis Eccleſia bonorum

:ibus & ſanctimonia, Patrum cura, paſtorum excubijs, ve-
:m & ab Apoſtolis penè traditam formam ad hæc vſque
pora inuiolabiliter retinuiſſet. Quam rem acceptam fer-
ortabatur diuinæ miſericordiæ, quæ in maxima Prophe-
am inopia, cùm vnus tantum ſupereſſe videretur, ſibi ſep-
millia virorum cultorum reſeruauerat, qui genua ad ido-
n Baal non flexerent. Itaque poſtquàm Dei fauorem, gra-
n, atque clementiam iugiter implorandum admonuiſſet,
ue iam omnia quæ ad Decretorum rogationem, patrum-
e ſuffragia colligenda pertinerent, contuliſſet, placuit Re-
rendiſſimo, vt iterum à prandio conueniretur, atque à Pa-
bus Decreta de publicis criminibus relegerentur, lectaque
diligenti cura examinata, poſtero die ad vniuerſum Syno-
confeſſum referrentur, ac Patrum atteſtatione recepta in
nodo, ab illius Paternitatis Suffraganeo in Metropolitanæ
:cleſiæ choro publicarentur, & poſtremùm huius Synodi
tis infererentur. Quod quidem iuxta Archiepiſcopi noſtri
otentiam factum eſt. Hic Reuerendiſſimus Dominus attē-
ens, quòd à capite, vt eo facilius ad membra deueniatur, om-
is emendatio vitæ ſit inchoanda. ſe humiliter ſubmittit re-
ormationi, oratione vt ſequitur:

Cum animo reputaret, non ſatis eſſe rectè viuendi formā
ijs præſcribere, niſi ille ipſe qui leges dictaret, ſui ipſius parē
el maiorem etiam rationem habuiſſe videretur: & quia om-
i vitio carere angelicum magis quàm humanum arbitraba-
ur, & alios quoque in alienis peccatis vel oculatiores eſſe vel
ueriores iudices, tum nos etiam indulgentia, qua noſtra ex-
enuamus, plerumque impediri: ideo reuerendiſſima eius
ratia, haud quaquam committendum ſibi putat, ne, dum a-
iorum moribus opportuna conſuluiſſet, ipſe ſibi in proprijs
ollendis erroribus videretur defuiſſe. Quare vnumquenque
qui huic celebri Synodo aliquid conſilio & prudentia attu-
erunt, per fraternam charitatem obſecrare ſtatuit, immò &
nunc obteſtatur, vt libertate in ſe monendi vtantur, & candi-
dè vitium, ſi quod fortaſſis humano errore ad Archiepiſcopa-
tus faſtigium ab ipſius gratia ſit allatum, aut Maiorum con-
ſuetudine traditum, in apertum proferant, quò ſalutari ſub-
indicatione reſecetur, aut opportuna ratione retexatur.
Nam eo prorſus affectu ſuam paternitatem ad publicam
ſynodum deſcendiſſe non dubitarent, vt nihilo ſegnius
propriæ ſalutis, cuius cura maximoperè ageretur, quam
illorum qui noxijs erroribus bonorum oculos perſtringerēt,
rationem conſiliumque eſſet habiturus. Ita demum fieri poſ-
ſe ratus, vt capite repurgato, membra facilius ad ſanitatem re-
ſtaurentur. Deinde quoque vniuerſi, probi exemplo præſidis
excitati, ſeipſos excuterent, & quod à Cæſaris, immò ipſorum
veterum, toties recuſis Reformationibus diffidens, peregri-
num atque abſonum in ſe quiſque deprehendiſſet, non expe-
ctata vlterius exequutionis medela, ipſam turpitudinem ab-
ominatus, aut Diuino denique iudicio permotus, cupidè re-
pudiaret. Quamobrem ſi quid per incuriam aut ſocordiam
fuiſſet omiſſum, ſi quid publicæ vtilitatis, priuati commoci
gratia occultatum, ſi quid illicitis exactionibus à ſubditis, qui
propria vita ſunt illius gratiæ chariores, eſſet extortum, ſi pu-
pilli, viduæ & innocentes, ab officialibus vtriuſque conditio-
nis, per vim oppreſſi: poſtremum, ſi pro iuſtitia Tyrannis
dominaretur: id quicquid eſſet, quod ad ſuam quidem Pater-
nitatem ſpectare videretur, candidè (vt precata eſt) à patrib.
admonita eius gratia, quàm poſſet maximè, & citò & diligen-
ter emendare velle promittit: potiſſimum, cùm non dubitet,
ſe eo nomine apud Deum, cuius Vicarius eſt, gratiam inire, &
Reipublicæ ſuæ commodis, cum pace tranquillitateque con-
ſulere poſſe.

Reſponſio patrum.

HVic tam piæ petitioni, à Synodi ſtatibus, & in primis à reuerendis Abbatibus, deindè à Metropolitanæ Treuerenſis ECCLESIÆ dominis canonicis reſponſum eſt, nihil ſe reperire poſſe, quod reuerendiſſimam gratiam ſuam dedeceret, aut in adminiſtranda publicare, tanquam graue & damnoſum offenderet: ſed hortari omnes, vt eum quem ipſe ſtatim gubernationis curſum à portu inſtituiſſet, ad vltimam vſque metam indefeſſus teneret: ſpem maximam patribus inuectam eſſe, ſub tanta pręſidis bonitate, omnibus beatè viuendi ſummam occaſionem firmamque propoſitam eſſe. Collegiatæ autem & ſecundariæ Eccleſiæ, quia grauari ſe contributionum inæqualitate, quæ ad ſubſidia impoſitæ dudum fuerunt, ſentirent, humiliter ſupplicauerunt, vt quiſque ſtatus cenſu valdè inæquali conſiderato, pro Collegiorum tenuitate atque vbertate cenſerētur, & Reuerendiſſima illius Paternitas eorundem Collegiorum, ac reliqui Cleri Eccleſiaſticam libertatem, vt cœpiſſet, tueri dignaretur. Hoc equidem ſe, quoad fieri poſſet, curaturam, per dominum Suffraganeum illius gratia benignè promiſit.

Submiſſio Suffraganei.

VBi autem Reuerendiſſimus Dominus patrum de ſe ſententiam cognouiſſet, Reuerendus Dominus Suffraganeus: Quæ, inquit, Pōtificalis muneris ſunt, ipſum Reuerendiſſimum dominum Treuerenſem proprijs humeris ſubire quidem æquum eſſet, nec dignitate inferioribus ſanctum officium committere. Verum quia diſtrahunt non pauca, atque ſubindè recenter emergentia hinc inde Archiepiſcopatus negocia, iuſtiſſima de cauſa ad me tāquam fidelē Suffraganeum, eiuſmodi Eccleſiæ miniſteria pro ſuæ voluntatis iudicio traduxit. Et quoniam ſancta munia, ſub tribus inſignibus virtute præſulibus continuaui, à me nunc porrò adminiſtranda, ideò non ſine pudore aliter agere licet, quàm officij mei ratio depoſcit, vt videlicet ſanctum & inculpatum in omnibus me præſtem, virtutumque exemplar aliquod factus, cæteris Eccleſiaſticis viris pietatis facem accendam. Idcirco obnixè vos patres reuerendos oro, vt veſtro Reuerendiſſimum dominū noſtrum indicio, benignè de omnibus, quę officio noſtro decori eſſe queant, admoneatis, quo deinde me Paternitatis illius reformatione correcto, prouincia mea omnibus vtilis ac ſalutaris eſſe queat.

Ad hæc dum Patres vno ore reſponderunt, Suffraganeū ſub prioribus memoria dignis præſulibus, officio liberaliter functum fuiſſe, nihilque aliud accuſatione dignum reperiri, quàm quod conferendis ordinibus in iure ſtatutas inſinuationes, vel prorogando, vel anteuertendo turbaſſet: ſed exemplo illius rei veraces, cur ita neceſſitate compulſus feciſſet, cauſas cùm adduxiſſet, Patres in omnibus purgatum habuere.

Ac deinde ſtatim reuerendiſſimus dominus per ſuum ſuffraganeum, Reuerendos dominos Abbates, alioſque profeſſione dignitateque eximios, ſimili examinatione percurrendos innuit.

SEQVVNTVR EDICTA SYNODI DIOECESANÆ TREuerenſis, præſidente Reuerendiſſimo in Chriſto Patre, & ampliſſimo Principe, &c.

IOannes Dei gratia Archiepiſcopus Treuerenſis ſacri Romani Imperij per Galliam & regnum Arelatenſ. Archicancellarius, ac Princeps Elector, Vniuerſis & ſingulis quorumcunque Monaſteriorum, Cathedralis noſtræ, & Collegiatarum, Parochialiumque Eccleſiarum, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, etiam ruralibus diuinorum rectoribus, curatis & non curatis, alijſq; Eccleſiaſticis perſonis ciuitatis & Diœceſis noſtræ Treuerē. Salutem in Domino.

Cùm olim Chriſtum in carne ambulantē, & verbū Dei ſe- Ioan. 14
minantem, ſe veritatem, appellaſſe non ignoremus, certò per-
ſuadendum nobis omnibus erit, per ipſiſſimam illam verita-
tem, nos falli minimè poſſe, quum eius præſentia nos quot-
quot in hoc cœtu ſacro ad Euangelizandum bona & exter- Matt. 18.
minandum mala compererit, ſpiritus ſui chriſmate illumi-
natura ſit. Ait nanque: Vbi duo vel tres in nomine meo congre-
gati ſunt, in medio eorum ſum. Huic ideo veritati, tan-
quam ſacræ ancoræ innixi, non modo ſeculo noſtro, licet
turbulentiſſimo, ſed & poſteritati conſulere volentes, qua-
dam pudenda atq; fœda, neq; vllo modo ferenda in clero fla-

gitia, vt eſt concubinatus, ſcortatio, & ſimilia: de quibus ordine inquiretur, Synodico hoc Decreto inſectari, caſtigare, denique excindere, ſecundum inuectas olim Canonicas ſanctiones, ſeuerè ſtatuimus, mandamus, atque per præſentes decernimus. Deinde refractarios atque pertinaces, præſentes, ſeu futuros, Canonum cenſuris & reformationis pœna, Synodi authoritate freti, iuxta delictorum genera magnitudinem, atque fęditatem, coercendos atque puniendos demandamus. Ita enim Legum & Canonum ſeueritatem veriti, admiſſorũ pœnitentia peracta, Deum timere & amare, & ab iniquitate ſeſe auertentes, honeſta viuendi exempla eſſe conſueſcent. Cæterùm quando ingluuies, viniq́ue intemperantia, non paucos obnoxios habet atq; delectat, quo vitio cùm omnes, tum Clericali ordini initiati, Deum grauiter offendunt, ideò nobis & ſanctæ Synodo viſum eſt, huic turpitudini ante omnia, vtpotè multorum malorum fonti, medelam adhibere.

De Clericorum temulentia.

POrrò Ebrietas, vt palàm eſt, inſignium flagitiorum incitatrix ac ſcaturigo, quæ in commeſſationibus & conuenticulis dominatur, Eccleſiaſticum gradum ſumma cum turpitudine paſſim infamauit. Quod perpendens Reuerendiſſimus dominus noſter, quàm tetrum & abominabile ſit, cùm in prophanis, tum in ſacerdotibus vitium, quamq́ue periculoſum, rixis nimirũ, cædibus atque vulneribus ſcatens, quod confeſſionum arcana ſæpè effutit, iudicium, mentemq́ue peruertit, in qualcunque denique libidines, pecudis inſtar ratione priuatum, impellit atque exagitat: ideò huic fœditati deditos Eccleſiarum miniſtros, reuerendiſſima illius Paternitas, vnà cum præſenti Synodo, ab officijs, curis, & Eccleſiæ muneribus remouendos decernit. Quid enim inhoneſtius, quàm vino aſſiduè madidos, eiuſmodi helluones animarum
Eſai. 28. curæ præeſſe, de quibus Propheta dicit: Væ ſacerdoti, & Prophetæ præ ebrietate erranti, & nunquàm iudicium adſpicienti. Formidabilem namque in eos ſtatuit pœnam Euangelica tuba, niſi Iohele propheta monente, fleuerint atque vlulauerint, ex inopinato diuidendi à ſobrijs, vt cum Hypocritis,
Ioel. 1. & 2. Matt. 24. exitij æternæq́ue damnationis partem ſortiantur. Quare ad ſobrietatem, cùm omnes tum præcipuè Eccleſiæ ſeruos, qui
Matt. 5. Ephe. 5. luminaria mundi & ſal terræ ſunt, vnà cum Paulo Reuerendiſſima illius paternitas inhortatur, vtq́ue temulentiam, in qua luxus eſt, deuitent, obnixè precatur. Cæterùm qui turpiter illi vitio indulgent immorigeri, ab officijs & beneficijs, vt dictum eſt, Eccleſiaſtica cenſura & Synodi authoritate primùm ſuſpendit. Deinde ſi etiam impudenter deteſtandæ conſuetudini, & dictu pariter ac viſu fœdiſſimæ, vlteriùs inhæſerint, omnibus honorum gradibus exutos, ad quadrupedum ſortem, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit, maioribus ſupplicijs affectos, ſtatuit abijciendos.

De eorundem Concubinatu.

HVic verò alia ſuccedit, & penè grauior offenſionis macula, illicitus ſacerdotum & diaconorum concubitus: qui quantùm iam inde ab initio, apud omnes fidei Catholicæ cultores, conſecratis hominibus pepererit inuidiæ atq; conſciuerit odij, vix dici poteſt. Audemus tamen ingenuè fateri nullam aliam labem, ebrietate & concubinatu, vulgi oculos acerbiùs offendiſſe, maioremq́ue cauſam dediſſe ſæuiendi ac murmurandi contra Eccleſiæ ſtatus. At etiam illud negari nõ poteſt, quòd præter euidentia ſacrarum literarum teſtimonia, præter Canonum vbiquè caſtimoniam initiatis inculcantium Decreta, etiam ipſa ratio quodammodò loquitur, Eccleſiaſticum hominem, qui diuinis legibus ſeſe & animarum ſaluti obſtrinxit, caſtitatem ſectari oportere. Quomodò e-
1. Cor. 7. nim alias, iuxta Pauli admonitionem, præſtare poſſemus, vt adhæreamus Domino abſque vlla diſtractione? Cùm enim corpus noſtrum templum ſit habitantis in nobis ſpiritus ſancti, quem habemus à Deo, & noſtri negamur eſſe iuris, qua ratione fieri poteſt, vt ſine Dei iniuria in alterius redigamur poteſtatem? Siquidem etiam maritus proprij corporis ius non habet, ſed vxor. Quid igitur iuris nunc ſpiritum ſanctum in Eccleſiæ ſeruis habere dicemus, qui corpus ſuum, ſcorti per illecebroſum concubitum fecerint membrum? Hæc nimirũ ſollicitè penſiculantes, viſum fuit nobis ac toti Synodo, non obſtante priori contra concubinarios mandato à nobis emiſſo, de integro admonere, ac illos per Chriſtum rogare, vt qui hactenus caſtitatis vota non violauerunt, ſtudeant ad vltimum vſque terminum vitæ, incomparabile bonum ne amittant memores, quòd agnum immaculatum quocunque ierit, comitabuntur.

Cæterùm quicunque carnis imperio, quo nihil poteſt huiuſmodi accidere indignius, vinci ſe paſſi ſunt, conſpurcatisq́ue per exoſam Deo impudicitiam membris, in contumeliam ſacrorum myſteriorum abuti non verentur, illis nimirùm, abactis eiuſmodi incontinentiæ latrinis, piè conſulimus (quoniam Deus benignus & miſericors eſt) vt ſecundùm huius ſanctiſſimæ Synodi decretum, ſe ad integritatem toto conuertant, pœniteant, culpam deprecentur, erroris ſui veniam apud Deum & homines conſequuturi.

Deploratorum pœna.

QVando tamen hæc peſtis, vt veriſimile eſt, quoſdam adeò peruaſit, ac ita in totum labefecit, vt perquàm exigua ſpes ſit à fornicationis maculis, vel diuturnitate temporis vel Reuerendiſſimi gratia, tanquam mitiori medicina eluì poſſe: in illos igitur primùm diuinæ vindictæ metu, deinde Synodi huius cenſura, eius paternitas decernit, vt ſimul atque huiuſmodi in libidinis cœno volutari depræhendentur, illicò mandati contra concubinarios editi vigore, omnibus Eccleſiæ bonis ſpolientur: ſcorta verò, aut de impura conſuetudine, illorum nomine ſuſpectæ, lógiſſimè ab irretitorum miſereq́ue captorum ædibus, Synodi virtute firmaq́ue Reuerendiſſimi authoritate, pellantur.

De Concubinis ad parentes redire volentibus.

SI qua vero abiectarum, ſi res ita fert, in eadem parochia in qua miniſtro altaris adglutinata fuit, hæreditariam domum habeat, ea ne ob decreti vigorem priuata animum deſpondeat, & ad deſperationem adigatur, reuerendiſſimus noſter vnà cum ſynodi authoritate permittit, vt ad ſuos parentes commigret, & de priore conuerſatione pœniteat, omnẽq́ue anteactæ vitę infamiam, conſtanti pudicitia in poſterum ſeruata, abſtergat.

De relabentibus.

POrrò ſi qui aut ea qua dictum eſt cauſa remanentes, aut extra Parochiam relegatas, Concubinarij euidentibus indicijs & fide dignis teſtimonijs clàm ſeu palàm reuiſiſſe, adijſſeque conuicti fuerint, illos communi noſtra & Synodi ſententia, ipſo facto, ab officijs & beneficijs cecidiſſe, & ijſdem priuatos eſſe, decernimus. Præuaricatrices verò, vt canes ad vomitum reuerſas, dignis cenſuris extra hæreditarias ædes exterminandas edicimus.

De ſortilegis Sacerdotibus & Laicis.

QVi verò auguria & ſortes tractant ſiue ſacri, ſiue prophani, aut diuinationibus & incantamentis vacant, quibus ſanè ſtudijs Dei cultus deſeritur, & ad dæmonum fallaciũq́ue ſpirituum præſtigias cõfugitur, illos quotquot Officiales attenta inueſtigatione depræhenderint, Canonico anathemate, niſi à damnatis diuinitùs erroribus, ad legitimum Dei cultum ilicò admoniti animum atque mentem reuocauerint, non modò non ferendos Reuerendiſſimus vnà & Synodi ſenatus declarat, ſed per Officiales in vincula quoque conijciendos decernit, quouſque dæmonum, magiſtrorum videlicet ſuorum, ſuſurris ac illuſionibus liberentur.

De Apoſtatis.

VErùm vt nullum facinus turpe, ſine cacodæmonum instinctu admittitur, ita etiam religioſa profeſſio [illegible] inſpiratione, in omnibus penè prouinciis, à quibuſd[illegible] [illegible]rum ſanctorum oblitis, nulla de cauſa eſt violata [illegible] quidem

pro nihilo duxerunt, poſtquàm ad Dominicum aratrum manum appoſuiſſent, non reſpicere tantùm, ſed & turpiter damnare, inſectari, & quibus poſſent, conuicijs proſcindere omnẽ quam profeſſi ſunt aliquandiu anteactæ vitæ rationem. Cùm igitur tales, qui ſpretis votis, proiectis cucullis, ac religioſa in totum deſerta vita, ad ſeculum ſeſe retulerũt, paſſim etiam in Treuerenſi Diœceſi vagari, ac libidinum nexibus ad Eccleſiæ offendiculum inuoluti reperiantur, Reuerendiſſimus dominus cum congregatis Patribus, nefas eſſe putauit, niſi præſentis Synodi decreto, vtriuſque ſexus Apoſtatæ, ad propria Monaſteria, habita ſingulorum iuſta ratione, aggregentur.

Contra Apoſtatarum Patronos.

VErùm enimuerò nonnullam quibuſdã ex illis præbuit fortaſſe ad deſertionem occaſionem, refugij quorundam patrocinium, quo quaſi tecti, Eccleſiaſticam ſe cẽſuram euitare poſſe confiderent. Ideò Reuerendiſſima gratia ſua, huius Synodi ſuffragijs adiuta, ſub cenſuris huic negocio idoneis, ac ſuo tempore ſpecificandis, omnibus Treuerenſi Diœceſi ſubiectis, cuiuſcunque ſtatus & præeminentiæ extiterint, mandat ac præcipit, ne poſthac tales Apoſtatas recipere, fouere, tueri, aut animarum curis præficere, vllamve in Eccleſia prouinciam illis committere præſumant. Quin etiam potiùs, ne ſe alienis præuaricantium ſordibus coinquinent, illos admonitos eſſe de paterno affectu deſiderat, vt hactenus contra Eccleſiæ decreta defenſos, ita pro viribus ad profeſſionũ repetitionem, reditumque adhortentur: ad quem Reuerendiſſima eius gratia propenſis, & auxilium, & opem, & reſtitutionem benignam, præuia pœnitentia, miſericorditer promittit.

De ijs, qui contra votum ſolenne præſtitum, connubio ſeſe alligarunt.

POſtremò, quia Pontificum & occidentalis Eccleſiæ ordinatione, iam olim diuinitùs conſtitutum eſt, vt ritè conſecrati vtriuſque ſexus homines, quo corpore & animo iugiter Deo inſeruirent, non tantùm in ſuis conuenticulis caſtimoniam colerent, ſed etiam ſi fortè de ſuſcepta ſolenniter profeſſione, aut errore ſeducti, vel intemperantia incitati deſeciſſent, neutiquàm contrahendi matrimonij ius haberent: atque adeò communi apud omnes cõſuetudine receptum fuit, & Canonicis & Ciuilibus legibus, de vano & inceſtuoſo talium coniugio ſatis ſuperque eſt proditum. Nam proli quoque, ſi quam ſuſtulerunt tales, legibus ſucceſſione eſſe interdictum tenetis. Ad tollendum igitur eiuſmodi vetitum matrimonium, ſuo ac patrum decreto, Reuerendiſſimus dominus noſter decernit, ac ſtrictè mandat, vt quocunque loco in Diœceſi ſua, aut ſub quacunque Eccleſiaſtica vel prophana ditione Monachi, Moniales, aut alijs ſacris ordinibus initiati, nuptiali fœdere copulati delitеſcant, ab Officialibus præhenſi, ſuis impenſis, ſibi velut ordinario præſententur, vt ex his pro delicti qualitate alij caſtigati, alij monaſticis diſciplinis emendati, exemplo ſint poſteritati, vt ab enormi ſcelere caueant. Porrò reſipiſcentes, & ad Eccleſiam matrem redire vltrò volentes, quatenùs ad Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem ſpectare cognouerit, placabili & propenſo animo, vt oues perditas & filios prodigos, Reuerendiſſima illius gratia recipiendos pollicetur.

Ordinum explorationes.

FVerunt autem examinationum capita, quæ verè Euangelicos fructus producunt. Quæſitum enim eſt, num eſſent faſtu turgidi quidam? num ſuperbia inflati? aut libidinum illecebris ineſcati, (qua ſcabie monaſtici plerique ad bonorum virorum nauſeam vſque ſunt infecti) qui diaboli imperio magis quàm Chriſto parerent? Deinde, an temperantiam, humilitatem, patientiam, cæteraque virtutum Monaſticarum arma, contra vitiorum impetum, vt milites Chriſti decet, parata haberent? & an vt alij idem conarentur, ſedulò prædicarent? Et ſi quid fortè turbulentum, odioſumve inter confratres ſubortum, num etiam vt ſopiretur, tanquam pacis boni amatores, collaboraſſent? Ad hæc, an (quippe Monaſtici viri) præcipuam nauarent operam, ne cultu tantùm foris, atque compoſito ad pietatem corpore, id quod maior pars ſatis eſſe ad pietatem iudicat, ſed intùs in pectore virtutum theſaurum & religionis veram imaginem circunferrent? Deinde, an horis decantandis, orationibus fundendis, atque ieiunijs ſtato tempore ſtrenuè vacarent? Num hoſpitales eſſent? num peregrinorum, pauperum & pupillorum curã ſubirent, proprijs, honeſtiſque ad hoc comparatis ædificijs, tum competenti ſupellectile adiecta? Quod inter extrema quidem monaſticæ vitæ opera, minimè ponitur: quoniam in hoc tot tamque ampli redditus ſunt piorum hominum liberaliter congeſti. An poſtremò ea omnia, quæ ſanctimoniam commendarent, grauiter ſinguli ſuis fungendo probè, tanquam coram Deo, officijs perſequerentur? nam ea eſt Dei voluntas.

Ad hunc autem modum, monaſtici ordinis Patres, compellati ſunt, quo quid religionis diſciplina, veruſque Dei cultus exigeret, in memoriam prolixiùs reuocare, & manũ iuxta Synodi præſentis decretum, operi adhibere poſſent.

Tandem, ne quid præteriretur, quod ad celebris ſynodi abſolutam rationem pertineret, gratia reuerendiſſimi, Metropolitanæ Treueren. Eccleſiæ, cæterorumque collegiorũ, cùm ſuperioris, tum inferioris Diœceſis, egregios nobileſq; Præpoſitos, Decanos, Archidiaconos, alioſq; Prælatos, quorum omnium cura & exemplis publica ſalus continetur, benigniter atque gratioſè rogauit, vt & ipſi qui lucernæ eſſent in domo Dei, ita ſeſe compararent, vt virtutum veros & æternos radios ſubditorum oculis inferre poſſent: nam dubium nulli eſſe, ſi quorum id maximè intereſſet, tũ ob generis ſplendorem, tum propter eccleſiaſticæ dignitatis eminentiam, ſeſe tales præſtarent, quales haberi & eſſe cuperent, fore, vt inferiores hominum ordines, bonorum exemplis commoniti, ad virtutis pietatiſque ſtudium ardentioribus animis raperentur. Quare ante omnia bonis operibus, beneficentia, ſobrietate, modeſtia in ſermone, conuerſatione atque mutua charitate, diuites atque locupletes fieri ſtudeant, bonaq; ſtudia promoueant. Eæ nimirum diuitiæ, immortalitatis gloriam merentur, quando cæteræ quidem res, omnes, occupationes atq; ſtudia, nihil quicquam ſolidæ beatitudinis merentur. Sed hęc reuerendiſſima illius gratia ad morum qualemcunque inſtitutionem ſatis eſſe putauit. Quod verò ad grauiora incõmoda euellenda maximoperè requiritur, illud ordine, quo ſequitur, propoſitum fuit.

In primis Reuerendiſſim⁹ dominus noſter à ſingulis certiorem ſe fieri poſtulauit, de hæreticis vſpiam in toto ſua diœceſi palàm aut abſtruſè verſantibus, vel in monaſterijs ſiue collegijs, aut agrorum vicis deliteſcentibus. Deinde audire quoque à ſingulis indicio facto poſtulat, ſi vſquam inueniantur, qui catholicam religionem, eiuſque ſacros ritus oppugnant. Tum eadem obediendi religione, Paternitati ſuæ Paſtores inſigniter illiteratos nominatim patefaciant, & illos qui Eccleſiæ doctrinam adulterant, aut Sacramẽta perperam adminiſtrant, aut vitam pecuinam bonis odioſam ducant, manifeſtent: ſuppreſſis minimè Prælatorum cuiuſcunq; ordinis nominibus, qui aliqua huiuſmodi nota fuerint conſperſi.

In ſumma, quia eccleſiam Dei grauem maculam rugamque habere non oportet, quã Epiſcopi vigilantia tollere poſſet: ideo vſurarios, Simoniacos, aleatores, percuſſores, vinolentos, iniuriatores, ac contumelioſos, calumniatores, ad hæc eccleſijs cenſus denegantes, aut æditũum pernicioſum agentes, calamitatem egentium floccipendentes, quive peregrinos de Monaſteriorum Xenodochiorumque limine arcent, aut quoquo modo eccleſiaſticam libertatem corrodũt & opprimunt, necnon alij, cuiuſcunq; ſint claſſis, dedecora admittunt, eos omnes reuerendiſſimus ſibi indicari nominarique petit, quo cuiuſque defectui idoneo auxilio poſthac mederi poſſit.

Archipresbyteri verò, qui & Decani Rurales appellantur, quum ad ſynodi conſeſſum admiſſi ſint, etiam & compaſtorum, & ſuipſorum officij rationem reddere Reuerendiſſ. domino noſtro iubentur: quandoquidem ad eos pertinet, publica ſubditorum delicta corripere, animarum curæ conſulere, omnes pura verbi Dei doctrina paſcere, miſeros atque calamitoſos conſolando ſuſtentare, Eccleſiæ in omnib. benè præeſſe, deniq; ipſos ſana viuẽdi exẽpla, verbo & opere exhibere: q qui faciunt, eos duplici honore dignos Apoſt. iudicat. 1. Tim. 5.

Nam

Nam turpiſſimum Ethnicus eſſe cēſet, committere, quod doces alios non eſſe committendum. De ijs igitur, tum etiam de alijs ſacerdote dignis curis, reſpondere ſuæ Reuerendiſſimæ gratiæ debent, quo cognoſcat illorum in adminiſtrandis officijs integritatem. Eo ſanè nomine bonis ac lubenter parituris, gratiam & laudem referri: malos verò & reprobos, cuiuſcunque conditionis fuerint, ignominia & pœna poſthac Eccleſiaſticæ cenſuræ vigore, affici imperabit.

Porrò autem vniuerſis ordinibus, eo quo propoſitum eſt modo ad rogata reſponſuris, reuerendus Dominus Treuerē. ipſe præſedit, ac coram duobus Notarijs reſponſa accipientibus, omnium & ſingulorum quæſtiones, accuſationes, examinationes & dubia, magna diligētia & labore multo auſcultauit, atque inquiſiuit, nihilq́ue prætereundum putauit, quod ad ſubditorum obedientiam, communem vitæ emendationem, & Dei honorem, ac Eccleſiarum vſus ſpectare cenſeret. Itaque triduo moleſtiſſima omnino inquiſitione iam abſumpto, atque patribus cæteriſque ſtatibus, qui ex ordine fuerant exploratis, cùm omnes & ſinguli omnia ſancta, pia, honeſta ac laudabilia promitterent, atque ad communem patriæ tranquillitatem, quæ Dei & eius filij Ieſu Chriſti puro cultu, & viuendi integritate facilè paratur, concordibus votis conſpiràſſent, ſeque vna iam voce Cæſareæ Maieſtatis reformationi ſubmiſiſſent: tandem ad reuerendiſſimum dominum tanquam ad vnicum publicæ felicitatis patronum, omnes ora vultuſq́ue verterunt. Precabantur autem vt opem ferret, dāna temporum perturbationibus incuſſa, & Eccleſiaſtica priuilegia, partim per vim potentiorum miſerè vexata, partim defenſionis inopia etiam erepta, reſarciat, atque in integrum ſua amplitudine reſtituat. Etenim proditum eſſe ſacris literis, neque id reuerendiſſimam gratiam eius ignorare, neminem ſuis militare facultatibus, & præceptum eſſe, vt qui ſeruirent altari, etiam de altari viuerent: quod quidem peraugustum factum foret, ſi Eccleſiæ libertas, ſi prouentuum integritas conſeruetur incolumis. Poſtremò & illud Patres orabant, vt illius reuerendiſſima prudentia, præcipuam curam expenderet, vt Officiarios paſſim præficeret orthodoxæ fidei tenaces: nam illis vitiatis, apoſtatarū pernicioſa dógmata, illorum diſſimulatione gliſcere. Poſtquam hæc patres & piè & ſyncero animo locuti eſſent, reuerendiſſima eius gratia, prout debuit, omnium in religionem affectus vnicè comprobauit. Deindè petitiones, quantùm per ætatem liceret, ac diuina gratia adſpiraret, ſibi in primis & ſemper curæ futuras promiſit: neque dubitarent, quin Reipublicæ ſuæ felicitati, cuius ſalutem diuinitus commendatam ſibi eſſe ſciret, ita proſpiceret, vt omnia illi aduerſantia impedimenta, incommoda atque offendicula, prout Notariorum ſumma cura & fide, accedente omnium conſenſione, excepta eſſent, ſeuerioribus executionum telis, à reuerendiſſima ſua gratia confoſſa, exciſa, penituſq́ue ſublata, aliquando cognoſcerent.

MANDATVM CONtra Concubinarios.

IOANNES Dei gratia ſanctæ Treuerenſis Eccleſię Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperij per Galliā & regnum Arelatenſe Archicancellarius, ac princeps Elector, vniuerſis & ſingulis cathedralis noſtrę & Collegiatarum, Parochialiumque Eccleſiarum Abbatib. Prioribus, Præpoſitis, Decanis, tum ruralibus, tum diuinorū Rectoribus, curatis & non curatis, alijſque Eccleſiaſticis perſonis ciuitatis & diœceſis noſtræ Treuerenſis quibuſcunque, coniunctim aut ſigillatim, qui ſynodo noſtræ Epiſcopali, de iure aut conſuetudine intereſſe conſueuerunt & tenentur, Salutem in Domino ſempiternam.

Perſuaſum habemus, exactis iam aliquot diebus omnium reformandæ vitæ formam, Eccleſiaſticis viris à Cæſarea maieſtate commendatam, atque à nobis publicatam, penitus perſpectam eſſe. Neque quemquam è vobis exiſtere arbitramur, quem iſta tam ſalutaria, non eluendis tantum Eccleſiæ neuis, ſed atrocibus etiam atque pernicioſis in religione contagionū vlceribus repurgandis, pharmaca diutius latere poſſint. Et quum non pauca, neque eadem contemnenda animorum vitia, atque morum peſtes, in Eccleſiaſtico corpore graſſari cernantur, quæ properam atque citam ſanationem depoſcunt, idcirco auxiliatricem manum diutius differre non licet, ſed quod lędit, canonico enſe excindendum eſt, ne pars ſyncèra trahatur. Quare cùm animum aduertimus, & cauſam quærimus, cur plerique Eccleſiæ miniſtri, & verbi Dei diſpenſatores, cæterique de altari viuentes, hac noſtra tempeſtate non modò contemnantur à plebe, verum etiam in odio iam diu antè fuerint, nullam aliam euidentiorem rationem reperire potuimus, quam vitam eorundem, à connubiali indulgentia nihil diſtantem. Quæ ſanè culpa, vt in primis diuinarum rerū tractationi plurimum officit, ita etiam Eccleſiæ Dei, illiusq; ſeruis contemptum odiumq́ue haud mediocre parit. Quod quidem vitium, vbi cognouimus in noſtra Diœceſi paſſim temporum licentia, Officialiumque incuria, vt zizaniā agrorum neglectu ſuccreuiſſe, falcem ſacrorum canonum, conſtitutionemq́ue veterum Patrum, tum ipſius quoque Cæſaris reformationem, ac ſynodi noſtræque authoritatis cenſuram, ne poſthac amplius creſcat, adhibendam eſſe cenſuimus: atque illud quidem hoc eodem mādato factum eſſe volumus, quā quam deinceps ſæpius facturi ſumus, præſertim cum intelligamus, nihil æque dedecere hominem diuinis rebus militārē, quam ea quæ carnis ſunt ſectari. Quare etiam nunc vobis edicimus, quotquot hanc tum Eccleſiæ, tum vobis ipſis ignominioſam notam contraxiſtis, qui quidem ſacris initiati eſtis, mandamus atque præcipimus, nullo Eccleſiaſtici ordinis gradu aut ſtatu excepto, vt infra nouem dies, vos ab omni concubinatu, immò concubitus atque incontinentiæ ſuſpicione omninò abdicetis, procul de domibus ac parochijs veſtris eiuſmodi offendiculi ſaxa, viſis his præſentibus literis, exterminantes. Neque poſthac vnquam deprehendamini cum ſuſpectis, aut parùm continentibus, aut ætate petulcis commercium habere. Erunt autem ij nouem dies, in ſingulas triades peremptoria, atque canonica admonitione vobis indulti, quô ſit mouendi extrudendique ſpatium. Quòd ſi quiſpiam veſtrum, vel quicunque illi ſint, interea loci à ſe non ſegregauerit probroſam conſecratis eiuſmodi conſuetudinem, ſed pertinaciter tanquam ad ſacrum pergant adhæreſcere, illi ſe ſciāt ab officio pariter & beneficio, ſecundum dictæ reformationis tenorem, ſuſpenſionis ſententia, quam hiſce in litteris in illos ferimus, ſubmouendos: fœminæ autem, huiuſmodi cōcubitus infamia conſpurcatæ, niſi domibus ceſſerint, & conſueta ſuſpectaque libidinum diuerſoria fugerint, ſed depræhenſę fuerint, ijſdem in locis, vbi incontinentiæ ludum exercuerunt, à Collegiorum, locorumq; illorum Decanis authoritate noſtra excommunicentur, ac publicè pronuncientur. Ad hæc ijſdem Prælatis ac Decanis ſeuerè etiam mandamus, vt ad proximè à nobis indictam ſynodum, rebelles, peruicaceſq́ue, ac noſtro huic mandato morem gerere vltra nouem dies procraſtinantes, nobis nominatim proferant, quô poſſimus, iuxta canonicas ſanctiones, aut beneficiorum priuatione, aut alio genere pœnæ, aut iuxta reformationis Imperialis regulam, ad integriorem, Deo vulgoq́ue minus odioſam vitam, obſtinatos adigere, vt nimirum offenſionum cauſæ à domo Dei quam longiſſimè faceſſant. In fidem præmiſſorū præſentes litteras ſigilli noſtri impreſſione communiri iuſſimus. Datum ex oppido noſtro Witlich. Die 30. mēſis Octobris, Anno 1548.

Executionis commiſſio.

VErùm quia conſultationum edictorumq́ue finem, executione, qua tanquam falce flagitiorum atque incōmodorum noxia ſeges amputatur, metimur: ideò reuerendiſſima eius gratia, hac ſynodo feliliciter completa, quòd ad Reipub. vſum & religionis celerem reſtaurationem plurimum valet, maturare animum induxit: quo igitur illius ſucceſſus ad opus ſtatim accommodatus, boni euentus ſpecimen, ſanctioriſq́ue imaginem vitæ pręberet, poſtulauit idoneos iuxta & graues, de illorum qui conuenerant, numero viros commiſſarios ſibi dari, qui religionis offendicula, paciſque impedimēta, & alias diſſenſionum acerbitates, iuxta Decreta ac ſynodi placita, vigili atque ſtricta cura omnium nomine perſequantur. Hanc reuerendiſſimi poſtulationem, tum aliarum rerum corrigendarū cōmiſſionem, reuerendi Patres, ne plus operæ ſumendum eſſet, & iam redeundi ad ſuos expectationē

diutius fallerent, ad amplitudinis eius arbitrium atque prudentiam, cum humili ſubmiſſione tranſtulerunt.

De libertatis Eccleſiaſticæ violatoribus.

ET cum ſint, qui potentia freti, Eccleſiæ iura inuadunt, aut ipſius cleri Priuilegia perturbant: bonaque, conficta & falſa iuris ſpecie occupant, quorum nefaria ſtudia, oppreſſorum impotentia & formidine, vnà cum nominibus reticentur: vt hanc ergo tam ſacrilegam violentiam, quæ hoc genus luporum graſſatur, Reuerendiſſimi Principis gratia, acerba animaduerſione reprimat, ſingularem commiſſarium ad iſtiuſmodi hominum inquiſitionem decernet: cui ſine metu inter viſitandum opprimentium nomina deſignabuntur, atque ita demum à ſua amplitudine cogniti, Eccleſiæ cenſuris, Canonico & Cæſaris Decreto damnati atque puniti, à ſacrilego aucupio repulſi conquieſcant.

Præterea, quando Cæſareæ Maieſtatis reformatio, liberam in Eccleſiaſticos exceſſus accuſationem Laicis, & viciſſim in illorum crimina in Synodali conſeſſu clero permittit: ideo illius reuerendiſſimæ gratiæ viſum eſt, quod ad eum articulum attinet, in ſequenti ſynodo Prouinciali, vnà cum Patrib. pro rei exigentia tractare: vbi etiam tum de Sacramentorũ conſtanti adminiſtratione, deque ſimilibus Eccleſiæ vtilitatibus, iuxta Cæſareæ reformationis præſcriptum, ſi non maiori ſaltẽ pari diligentia, per Dei adiutorium habebitur ratio.

Rebus igitur ad hunc modum, ſpiritu Dei duce, per decem dies geſtis & pertractatis, ſynodi Patres, vnà cum reuerendiſſimo domino Treuerenſi, obſeruata grauibus viris digna modeſtia, à templo Matri virgini ſacro, ad maioris Eccleſiæ chorum ordine proceſſerunt, ibique actis per ſuffraganeum omnibus gratijs, ſynodum Prouincialem ad diem Lunæ, poſt Dominicam Miſericordias Domini, proximè venturum, Reuerendiſſimo iubente, Suffraganeus indixit.

Recitatum quoque eſt, eodem loco & clara voce, poſtquàm à Patribus eſſet receptum, Synodi Decretum, in calce hic adiectum: quo audito, ſacra ſynodus eſt ſoluta.

Decretum.

Quandoquidem honorabiles viri Patres, & fratres dilectiſſimi, non ignoratis, quibus de cauſis per aliquot dies hic ad vos continuè deſcenderit reuerendiſſ. Treuerẽ. Dominus, & quo ſtudio quantaque pietate in hac celeberrima ſynodo vobiſcum, Spirituſancto cooperante, de rebus ad animarum ſalutem & communem pacem neceſſarijs, ſedulò tractarit: itaque & veſtro conſilio, atque omnium qui hactenus interfuerunt fauore, iam ſua reuerendiſſ. gratia, eò deductam eſſe exhauſtorum in hoc conſeſſu laborum rationem putat, vt nihil dubitari poſſit, quin ad reſtauranda religionis mœnia, ad ſyncerum Dei cultum erigendum, ad effuganda obſcœna hæreſum monſtra, pulcherrima firmaque fundamenta iacta ſint. Quæ quidem multo felicius in proximè indicta ſynodo perficientur, & ad emendationem Treuerẽ. Diœceſis perducẽtur: quod fiet, ſi pro ſe quiſque huius S. Synodi Decreta, & Cæſareæ maieſtatis edicta, opere & vita præſtiterit. Id enim reuerend. Treuerẽ. Dominus Archiepiſcopus, hicque ſanctus Patrum ſenatus, communi authoritate omnibus faciendum, iuxta præſentis Decreti vigorem & pœnarum edicto expreſſarum cenſuram ſtatuit, In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spirituſſancti, Amen.

Actum in publico Synodi Concilio Treueri, Anno Domini M.D.XLVIII. menſe & die vt ſupra.

CONCILIVM COLONIENSE II. AVTHORITATE Adolphi Archiepiſcopi Coloniẽſis pro reformanda Eccleſia indictum anno 1549. tempore Pauli Pap. III.

DECRETA CONCILII PROVINCIALIS Colonienſis; ſub Reuerendiſſimo in Chriſto Patre & Domino, D. Adolpho, ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ſacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario, Principe Electore, Vueſtphaliæ & Angariæ Duce, Legatoque nato, celebrati in Quadrageſima Anni 1549.

CAROLVS Quintus, diuina fauente clementia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgũdiæ, Brabantiæ, &c. Comes Habsburgiæ, Flandriæ, Tyrolis, &c. Vniuerſis & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Militaribus Præfectis, Poteſtatibus, Vicedominis, Caſtellanis, Magiſtratibus, Conſulibus, Iudicibus, Officialibus, Aduocatis, Procuratoribus, Ciuibus, Communitatibus, & omnibus alijs noſtris & Imperij Sacri & Ditionum noſtrarum hæreditariarum in Prouincia Archiepiſcopatus Colonienſis comprahenſarum, ſubditis, & in Eccleſiaſticis rebus eiuſdem Prouinciæ Epiſcoporum & Prælatorum iuriſdictioni ſubiectis, cuiuſcunque præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtant, Gratiam noſtram & omne bonum.

Venerabiles & Illuſtres Electores, Principes, & conſanguinei noſtri chariſſimi, Generoſi, Nobiles, honorabiles, deuoti & fideles dilecti, Quum Venerabilis Adolphus Archiepiſcopus Colonienſis, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, & conſanguineus noſter chariſſimus, & eius Comprouinciales Epiſcopi, in executionem formulæ Reformationis, in nuperrimis Comitijs apud ciuitatem noſtram Imperialem Auguſtam Vindelicam habitũ, eidem Archiepiſcopo & alijs Epiſcopis, & ſtatibus Eccleſiaſticis per nos propoſitæ, & ab ipſis probatæ, & quantum in eis eſſet, receptæ, vt monitis noſtris ea de cauſa factis parerent, & eidem Reformationi cõmodæ viæ præſternerentur, per quas ad meliorem viuendi rationem tranſitus fieret, in Cõcilio prouinciali apud Coloniam Agrippinam habito, canones quoſdam Synodales, tum ad efficacem & indies ſurgentem, ac permanſuram Reformationis executionem, tum ad mores prauos extirpandos: potiſſimum verò manifeſtos abuſus in Clero & populo coercendos, & ſeductores, qui corrumpendis ſimplicibus hominibus ſtudent, è grege propulſandos ediderint, & nobis obtulerint, authoritate noſtra, quatenus expedire videretur, muniendos, & in executionem mittendos: Nos verò eoſdem canones primarijs noſtris Conſiliarijs, & alijs rerum Theologicarum peritis, ad id ſpecialiter per nos deputatis, propoſitos, & per eos diligenter reuiſos & examinatos, eorumque relatione nobis facta, cùm illos prædictæ formulæ Reformationis conformes inuenerimus: Proinde ipſos canones Synodales, ratos & gratos habentes, & quoad opus eſt, & per nos fieri poteſt ac debet, approbantes, & decreto noſtro corroborantes, Imperiali authoritate noſtra & qua alias fungimur, vobis omnibus & ſingulis, ſeriò & ſub pœna grauis indignationis noſtræ & alijs pœnis noſtro arbitrio imponendis, huius edicti noſtri vigore præcipimus & mandamus, vt ea omnia Prouincialis huius Concilij Colonienſis decreta, in omnibus ſuis punctis, clauſulis, articulis ſententijs, & verborum expreſſionibus, eo modo, quo illa quemlibet veſtrũm concernunt ritè, ſtrictè, inuiolabiliter, citra vllam fraudem & tergiuerſationem obſeruetis, impleatis, & exequamini. Voſque Principes & Magiſtratus ciuiles, in refrenandis & coercendis iuxta eadem decreta rebellibus,

perueſis

peruerſis & refractarijs, ſiue illi Eccleſiaſtici, ſiue laici ſint, Eccleſiarum Epiſcopis & Prælatis, vbi ab illis requiſiti fueritis, omnem legitimum fauorem, auxilium, opem præbeatis, & per miniſtros & officiarios veſtros atque alios, in quos vobis imperium competit, præberi iubeatis & curetis. At nullus omninò veſtrum, cuiuſcunque præeminentiæ, dignitatis, gradus, ordinis & conditionis ſit, aut quocunque munere aut iuriſdictione fungatur, memoratos Epiſcopos & prælatos in eorum munere, iuriſdictione, officio, ſecundum canones & leges, ad ipſorum functionem pertinentes, quouis modo impediat aut turbet, neque id ab alijs fieri iubeat, nec permittat. Prætereà quicunque veſtrum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum Aduocati, Præfecti & Protectores fuerint, ac Prælatos, Eccleſias & loca pia eorumque bona in fidem, tutelam, & protectionem ſuam, ſiue ex commiſſione diuinorum Principum, prædeceſſorum noſtrorum in ſacro Imperio, ſiue noſtra, aut alio quouis iure receperint, eadem præfectura, tutela, ſeu protectione neutiquam abutantur, neque ipſos Prælatos, Eccleſias, Monaſteria & loca pia, contra formam & naturam protectionis vſurpent, opprimant, grauent. Quin potius illos & illa in ſuis priuilegijs, iuriſdictionibus, & rebus conſeruent & tueantur, & tam ij, quam vos alij omnes ſupradicti, contra præmiſſa facere ſeu attentare, neque præſumatis, neque ab alijs fieri aut attẽtari ſinatis, quouis quæſito colore ſeu prætextu: quatenus pœnas ſupradictas, & alias in formula memorata Reformationis à nobis propoſita, & decretis prouincialis Synodi Colonienſis contentas præter eas quas alioqui canones, & leges in violatores perſonarum & rerum eccleſiaſticarum decernunt, malueritis euitare. Hæc eſt enim noſtra ſententia & ſerta voluntas. Datum in oppido Bruxellen. Ducatus noſtri Brabantiæ, ſub impreſſione ſigilli noſtri, quarto Nonas Iulij, Anno à Natiuitate Domini ſupra ſeſquimilleſimum quadrageſimonono, Regnorum noſtrorum, Imperij vigeſimonono, & aliorum omnium trigeſimoquarto.

CAROLVS.

Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis proprium.

Vid. Anton. Peren.

Obernburger ſubſc.

A D O L P H V S DEI GRATIA SANCTAE COLONIENſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Vveſtphaliæ & Angariæ Dux, Legatusq; natus &c.

VNiuerſis ad quos legatione pro Domino fungimur, gratia & pax à Deo, qui diues eſt in miſericordia, & propè adeſt omnibus inuocantibus eum in veritate. Psal. 144. Qui poſtquam nos, licet indignos, ſanctæ Colonienſis Eccleſię ac prouinciæ, procelloſa tempeſtate grauiter iactatæ atque afflictæ gubernaculis admouit, huc continuò animum omneque ſtudium noſtrum ſua inſpiratione conuertit, quò diœceſim illã ab hæreſum inundatione, quæ prauorum hominum ſtudijs iam plus nimio inualuerant, repurgare, ſchiſmataque, quibus miſerè, atque adeo, vt in ea iam actum de fide Catholica poterat videri, diſcerpebatur, tollere, & oues nobis creditas in vnum ouile Chriſto colligere, pro virili adniteremur. Eaque de cauſa in primis lupos, pro boni paſtoris officio, ab ouili Dominico abigere, & omnis mali originem, concionatores ſectarios, pernicioſos illos hominum ſeductores, ditione noſtra protinus, quãquàm nõ ſine difficultate, eijcere ſategimus, ſubſtitutis catholicis & incorruptis verbi Dei concionatoribus in eorum locum. Qua ratione plurimum quidem profecimus. Etenim progreſſum huius Cancri hoc impetu ſumus remorari, & catholicis aperuimus feneſtram rurſus reſpirandi. Non tamen hæ ſcopæ purgamentis iſtis ſufficiebant penitus euerrendis: Iam enim hæreſeos malum altius, quæ eſt eius natura, fixerat radices, quam vt potuerit vna falce ſemel demeti: ac hærebat in mentibus ac penetralibus hominum, vnde neque vi extrahi, neque perſuaſione ſuffodi, aut ſenſim ratione tanquam cauterio pungi atque curari ſe pateretur.

Durabant quoque abuſus & mores corrupti, quibus Eccleſiaſtici ordinis pars maxima dedita, infirmis erat offendiculo, & vt malè de religione laici ſentirent, cauſa: vt verè quadraret in eos, quod in Euangelio Dominus dicit: Væ vobis legiſperitis, qui tuliſtis clauẽ ſcientiæ: & ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis.

Plurimum autem nobis erat fiduciæ in Concilio Tridentino, quod feliciter inchoatum, ac ſeſſionibus aliquot habitis, celebre iam factum, acceſſu omnium Imperij ordinum, qui ſe reuerenter ei ſummiſerant, potentiſſimum ac ſaluberrimum fore credebatur, cuius progreſſu ſperabamus nanciſci opem & vires iuſtas, quæ erroribus iſtis & vitijs radicitus extirpandis ſufficerent, eiuſque authoritate, quæ apud omnes maxima eſt, ſublatum iri, non in noſtra modò diœceſi & prouincia, verum etiam toto orbe Chriſtiano, quicquid vſpiam irrepſit malorum, & Eccleſiam Chriſti priſtinum ſuum nitorem, cõcordia atque vnitate redintegrata, recuperaturam.

Quæ ſpes quum inexpectata contentione inter patres de transferenda Concilij ſede ſuſcitata, nobis penè eriperetur, atque in longum tempus extraheretur, non ſine metu grauiorũ perturbationum in repub. Chriſtiana: en omnibus nobis, hoc eſt, Eccleſiaſtici ordinis ſtatibus, conſternatis, atque in metu conſtitutis, adfuit eius, qui conatibus religioſis & pijs nunquã deeſt, Dei, à quo eſt omne bonum, conſolatio. Enimuero miſericordiarum pater Deus, qui nuper dedit fortiſſimo, inuictiſſimo, feliciſſimoque religionis orthodoxæ propugnatori Carolo Imperatori noſtro de cœlo victoriam, vt hoſtium validiſſimorum vires & conſilia, non tam viribus, quam conſilijs melioribus frangeret, & imperio ſuo, non multo fuſo ſanguine, cogeret parere: cuique quod mirandum magis eſt, dedit victoria parta modeſtè ac clementer vti, vt rebelles filios caſtigaſſe potius, more boni patris, quam bello petiuiſſe videatur: eius nunc animum impulit, vt ad Catholicæ fidei, paternarumq́ue traditionum reſtitutionem omnia conſilia, omniaque ſtudia ſua conuerteret. Hinc, quod vix quiſquam mortalium ſperaſſet futurum, egit cum eis, vt proteſtatione, fœderibuſque & contentionibus poſitis, duobus tantum articulis ad Concilij definitionem reiectis, doctrinam catholicã, traditiones & cæremonias Eccleſiaſticas, Concionatorum bona parte, vndè pendere ſolebant, reclamante, receperint. Quos cum Deo & Eccleſiæ, quantum in ſe erat, Imperator piiſſimus lucrifeciſſet, atque in plenioris vnionis ac concordiæ ſpem adduxiſſet: neceſſe erat, vt firmioris illius ac ſolidæ ſpei, offendicula quoque tollerentur.

Quamobrem animum appulit & ad cleri corruptos mores reformandos, quò benefactis ſuis obmuteſcere facerent, vt Apoſtolus Petrus ait, imprudentium hominum ignorantiam, & qui carpere clerum tanquam malefactores ſolebant, conſpectis bonis eorum operibus glorificent Deum in die viſitationis. Deditq; negotium quibuſdã Theologis, pijs, eruditis, & Deum timentibus, qui formulam quampiam, ad quam reformatio cleri videretur inſtituenda, iuxta ſacræ ſcripturæ normam, antiquos patrum canones, & rectæ rationis iudiciũ, conciperent. Hanc Cæſar acceptam, tradidit vniuerſis Eccleſiaſtici ordinis ſtatibus, diligenter expendendam, qui annotarent, dicerentq́ue, quid qua ratione repudiandum ſibi putarent, quidque recipiendum. Multis igitur conſultationibus ac deliberationibus, priuatim & communiter habitis, quibuſdam in formula expunctis, alijs mutatis vel additis, tandem communi conſenſu eam probarunt: Cæſareæque maieſtati, vt ſe reformarent, inſtanti, polliciti ſunt, ſeſe ipſos, ſuoſque ſubditos, ad illam velle componere ac reformare, ſalua ſummi pontificis authoritate, quæ vt eis in articulis quibuſdam accederet, neceſſarium arbitrabantur: id quod in præfatione, quam Cæſarea Maieſtas formulæ huic præfixit, clarius eſt videre.

Nos itaque conſiderantes noſtri muneris etiam aliàs eſſe, vt vigilemus ſuper gregem noſtrum, vt infirmum conſolidemus, ægrotum ſanemus, confractum alligemus, abiectum reducamus, & perditas oues quæramus, niſi velimus æternæ

maledictionis illud Vę, quod apud Ezechielem Dominus paſtoribus malis & negligentibus comminatur, certiſſimo iudicio incurrere, tam præclaram rerum bene & ſanctè gerendarum occaſionem, nequaquàm duximus negligendam.

Proinde ad Diœceſim & Prouinciam noſtram reuerſi, primo omnium indiximus clero noſtro ſynodum diœceſanam, quam & ad eum modum, quem Reformationis formula præſcribit, propicio Deo celebrauimus, in qua ſupplicatam, & ab vniuerſis imperij ſtatibus Eccleſiaſticis comprobatam receptamq́ue Reformationem, clero noſtro iniunximus ſeruandam. Tranſmiſimus quoque eam ad reuerendos comprouinciales Epiſcopos, noſtros ſuffraganeos & fratres, ſimiliter in eorum diœceſibus publicandam, & clero iniungẽdam: quod ipſos ſedulò curâſſe, ex geſtis & ſtatutis ſynodorum, quas ipſi quoque celebrârunt, nobis oblatis, & legatorũ eorum fida relatione cognouimus.

Verùm negocium iſtud maius erat, quàm vt pateretur ſe vnico impulſu moueri, & morbus inueteratus leui medicamini non cedit: vnde hac ratione vix quicquam aliud promotum eſt, quam vt ſciret quiſque, quod alioqui nemo ignorabat, quomodò ſibi viuendum eſſet piè ac canonicè. Contingit enim ferè mortalibus, quod poeta quidam ait: Video meliora, proboq́ue, deteriora ſequor. Vndè eſt illa Apoſtoli Pauli confeſſio de lege mentis & membrorum: Etenim cùm legi Dei condelectemur ſecundum interiorem hominem, & eam bonam ac ſanctam eſſe confiteamur, eſt tamen in nobis torpor quidam membrorum, ſpiritui ac menti repugnans, vt non perficiamus quæ volumus.

Proindè non erat nobis hic quieſcendum, quaſi iam ſatisfecerimus: ſed vlterius de modo erat cogitandum, quo ad efficacem Reformationis executionem poſſemus pertingere. Siquidem inutilis eſt, quantumuis bona, Eccleſiaſtici ordinis inſtituta Reformatio, quam nemo exequatur: quemadmodum & lex bona, contra quam liceat cuilibet impune peccare, iacet inutilis. Multi ſunt antiquorum patrum canones ſaluberrimi; at quæ eſt illorum vtilitas, quos pauci nôrunt, pauciores ſeruant? Quamobrem veſtigijs Maiorum noſtrorum inſiſtentes, qui in rebus magnis cogere ſolebant comprouincialium epiſcoporum conuentus, Reuerendis comprouincialibus Epiſcopis, confratribus noſtris, totique clero noſtro, indiximus Concilium prouinciale, in quo de rebus ad efficacẽ & durabilẽ reformationis executionẽ cõſtituẽdam pertinentib. ac neceſſarijs, communibus cõſilijs tractaretur ac ſtatuerẽt. Qui cum ipſi ad conſtitutum vndecimum Martij diem, Concilij locum, ob aduerſam valetudinem, adire non potuiſſent, miſere ſummæ authoritatis in Clero ſuo, & præſtantis eruditionis legatos, qui eorum loco & nomine Concilio intereſſent, & de rebus tractandis nobiſcum agerent, tractarent, ac conſulerent in commune.

Multis itaque deliberationibus ac conſultationibus cum Capitulo noſtro & Legatis illis, ac clero noſtro, à iam dicta vndecima Martij die, ad ſextam vſque Aprilis, quotidiè habitis, tandem apparuit, propterea quod rigor antiquorum canonum ſtatim reuocari in vſum abſque motu grauiori hac tẽpeſtate non poſſit, ad media quædam, ſacris tamen canonibus conſentanea, quibus clerus & populus ad pleniorem reformationem ſenſim perduceretur, eſſe confugiendum: viſaq́ue nobis ſunt plurimum momenti ad durabilem & efficacem Reformationis executionem comparandam allatura media ſex, nempe

1 Inſtaurationem ſtudiorum, potiſſimum ſacrorum.
2 Examen ordinandorum, & ad miniſteria vel prælaturas inſtituendorum.
3 Officiorum ſeu munerum ſuſceptorum ſedulam perfunctionem.
4 Viſitationem Archiepiſcopalem, Epiſcopalem, Archidiaconalem, & eorum quibus hoc incumbit.
5 Synodorum frequentem celebrationem.
6 Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, iam propemodum collapſæ, & abuſu deprauatæ, reſtitutionem.

PRimum quidem inſtaurationem ſtudiorum, quod ea quę Reformatio & Eccleſię neceſſitas exigit, nemo pręſtiterit melius quam ſcripturarum ſacrarum, canonum & numerum Eccleſiaſticorum peritus. Siue enim regere Eccleſias, & docere populum, ſiue hæreticos conuincere, & ſcripturarum aperire myſteria, ſiue ſacramenta conficere, eaque adminiſtrare, ſiue examinare ex ordine Eccleſiæ miniſtros, ſiue viſitare diœceſes, aut ſynodos celebrare, vel iudicia eccleſiaſtica exercere oporteat, ſcientia opus eſt: alioqui, vt inquit in Euangelio Chriſtus, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadent. Matt 15. Eſa. 56. Quo etiam modo Eſaias, indoctos Eccleſiæ prælatos, cæcos & mutos appellat. Speculatores eius, inquit, cæci, neſcierunt vniuerſi canes muti non valentes latrare. Non valentes, inquit, etiam ſi cupiant, latrare, hoc eſt, officia ſua exequi, & ſubdit: Videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia ſua: Idem. Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem, ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, propterea omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum, dicentes: Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate. & erit ſicut hodiè, ſic & cras, & multo amplius. Quibus verbis propheta ſignificat, non poſtremam vitiorum in populo Dei cauſam, eſſe ignorantiam paſtorum.

Et iam magna religionis orthodoxæ iactura Chriſtianæq́ue reip. irrecuperabili fraude, experti per hanc tot hæreſum & ſeditionum tempeſtatem ſumus, quãtam Eccleſiæ Chriſti perniciem adferat prælatorum & cleri ignorantia, quibus ſcripturas diuinas negligentibus, ſutores, textores, calcearij, & id genus opifices, nemine prohibente, quidlibet impunè pro Euangelio docentes, irrepſere, & mira audacia, etiam munera Eccleſiaſtica inuaſere: vnde teterrima hæreſum monſtra ſuppullulârunt, & ſacra prophanis, ſuperis infera miſcuerunt & confuderunt.

Nec hoc modo, quinetiam ſtudiorum ſacrorum neglectus in cauſa eſt, cur tam innumeræ eædemq́ue locupletes Eccleſiæ, per Germaniam miniſtris idoneis ac poſſeſſoribus careant, etiam nunc cum reſtituuntur: neque enim deſunt bene mereri de Eccleſijs cupientes, ſed potentes deſunt & idonei, nempe literarum periti, qui Eccleſiaſticis muneribus perfungi queant, earumque hoc nomine poſſidere bona. Neque enim ad Eccleſiarum munera & bona proſiliunt catholici, ſicut hæretici, aut bonorum Eccleſiaſticorum occupatores ſacrilegi.

Percipitur autem ſcientia, ad Eccleſiæ ædificationem neceſſaria, in ſcholis potiſſimum Theologorum, quas conſtat eſſe propria quædam ſeminaria miniſtrorum & prælatorum Eccleſiæ. Quibus florentibus, floret eccleſia doctoribus & miniſtris: neglectis & contemptis, eccleſia quoque miniſtris Act. 2. idoneis deſtituitur. Neque enim vt olim in die Pentecoſtes repentino Spiritus ſancti afflatu, aut velut fungi calore ſolis exciti, prodeunt nobis paſſim Theologi ſubito, ſed exercitijs longis, eiuſdem tamen ſpiritus vnctione, formantur in ſcholis.

Quibus rationibus (cum ſtabilem Reformationis executionem meditaremur) permoti, noſtrarum eſſe partiũ putauimus, vt ſcholas Theologicas apud Vniuerſitates, Collegia, & Monaſteria magna cura, cum primis Concilij huius authoritate, inſtauraremus: nec has modo, verum etiam ludos triuiales & pædagogia, vnde non parum malorum per hanc tempeſtatem in eccleſiam defluxit, repurgaremus. Quapropter habita cum Capitulo noſtro, & Reuerendorum Comprouincialium epiſcoporum Legatis, ac ſynodalibus huius Concilij patribus, matura deliberatione, conſentientibus & adſtipulantibus eis omnibus, de ſtudiorum inſtauratione ſtatuimus & ordinauimus in modum ſequentem.

QVOD AD INSTITVENDAM IVVENTVTEM NON SINT admittendi, niſi de fide, moribus, & inſtitutione ſua prius examinati.

1

PErcepimus ſectarios quoſdam concionatores, à nuperrimis Comitijs, cathedris, quas inuaſerant, deturbatos, incertiſque ſedibus vagantes, nunc magiſterijs inhiare ſcholarum, & operam ſuam inſtituendæ iuuentuti paſſim ven-

venditare, vt quibus non datur amplius graſſari publicè, & venena ſua è cathedra ſpargere, teneræ ea iuuentuti inſtillent, quo cuniculis talibus Eccleſiam Chriſti ſuffodiant: quippe quòd è iuuentute, qui olim regant Eccleſias, & gubernationi admoueantur rerum publicarum, videntur fore potiſſimum ij, qui nunc dant operam literis. Quibus corruptis durabit hoc malum multo tempore, atque in multos transfundetur: vt verendum ſit, ne ſi admittantur qualeſcunque in ludis literarijs præceptores, grauem inde atque indelebilem accipiat Reſpub. Chriſtiana corruptionem. Idcirco nos, quibus non minor adhibenda eſt cura, ne inſtituant illi malè iuuentutem in triuijs, quam ne populum è ſuggeſtis corrumpant, communi omnium conſenſu ſtatuimus & ordinauimus. Neminem præceptioni triuialium ſtudiorum admittendum eſſe, niſi qui ſit de fide & religione ſua, de vita item & moribus, probè examinatus, & conſtiterit, vbinam gentium & apud quos ſit ipſe inſtitutus. Neque enim parui retulerit, à catholico an ſchiſmatico ſit inſtitutus, qui iuuentutem docturus eſt. Pertinebit autem examen præcipuè ad ordinarium, qui ordinet per diœceſim viros idoneos, quibus hoc negocij committat. Nec abs re fuerit, ſi examinentur quoque in ciuitatibus à prelatis & rectoribus Eccleſiarum, qui ſcholæ præſunt: ruri autem à paſtoribus & decanis ruralibus idoneis & eruditis. Viſitatores verò de facto examine inquirant: & ſi contra hanc formam ſint aliqui admiſſi, reijciantur, præcipimusque & mandamus magiſtratibus, ædilibus & prouiſoribus, qui ſcholas ſuis impenſis erexerunt, ne propterea examen huiuſmodi quouis modo impediant, alioqui cenſura eccleſiaſtica & alijs remedijs opportunis coercendi.

Quæ Artes in Triuijs, & quid in Gymnaſiis ſtudiorum ſeu Vniuerſitatibus doceri debeat.

PAſſim Ludimagiſtri ingenia iuuentutis, quæ primis literarum rudimentis & artibus minoribus expoliẽda ſuſceperant, deprauant, præpoſtera docendi ratione quidlibet, ad eruditionis ſuæ oſtentationem, quibuslibet promittentes: & cum encyclopædaim quandam omnium diſciplinarum, velut in ſumma comprænhenſam iuuenibus pollicεantur, non abſque aliorum profeſſorum eleuatione, nihil tradunt abſolutum atque perfectum. Qua re ingenijs eorum imponunt, qui tali accepto prægustu, continuò ſe abundè omnia tenere confidunt, ſtudiaque grauiora faſtidiunt, & nunquam perueniunt ad frugem maturam: ex quibus officinis prodeunt nobis imperiti medici, hominum temerarij interemptores, & iuriſperiti omnia perturbantes, nouarumque religionum authores glorioſi Theologaſtri, qui magna ſtoliditate non verentur velut à tripode Apollinis, de dogmatibus Eccleſiaſticis & religionis veritate pronunciare atq; ſtatuere, cum ſolidi nihil ferè de eis ſint aſſecuti. Intereſt autẽ Eccleſiæ, quomodò ſacerdos, quem populus velut ducem ſequitur, & à cuius ore (vt in Malac. dicitur) legem Dei requirit, ſit inſtitutus. Si quidem quantum ex Eccleſiarum rectoribus, bene ac gradatim diuinis litteris imbutis, boni: tantum à non rectè inſtitutis, mali, ſolet Eccleſię plerunque euenire. Quemadmodum & in Rep. de medicis & iuriſperitis res habet. Ea de cauſa triuijs modum eſſe dandum cenſuimus, intra quem ſe contineant: ſtatuimusque, vt in triuialibus non niſi Grammatica, Poetica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, & quæ huius generis ſunt triuiales & liberales artes: Dominicis verò & feſtis diebus, literalis Euãgeliorum & Epiſtolarum, Hymnorum, Pſalmorum, Parabolarum Salomonis, & eiuſcemodi ſacrorum librorum expoſitio, pro ætatis illius & ingenij captu, tradatur. Quanquàm Dialectice etiam requirit vſum diſputandi, qua exercentur ſtudioſi in gymnaſijs, ſine quo ars ipſa ocioſa eſt. Poterunt & linguarum rudimenta in triuialibus doceri. Cæterùm exacta atque abſoluta artium & linguarum cognitio ratioque & reliqua Philoſophia, Phyſica item & ars medica, iuriſprudentia, & Theologia ſeu ſcriptura ſacra non niſi in probatis Academijs, & catholicis vniuerſalium ſtudiorum ſcholis, expectentur, doceantur, ac tradantur: niſi quòd Theologia etiam in Monaſterijs opulentioribus, & collegijs canonicorum iuxta Reformationis formulam, debeat doceri.

Quos authores Iuuentuti prælegere, & quos vitare oporteat.

INtereſt quoque reipub. Chriſtianæ, quales authores Iuuẽ- 3
tuti, impietatis iuxta ac pietatis capaci, prælegantur, vt rectiſſimè Reformationis formula monuerit, ne libri obſcœni ſuſpecti, aut contagioſi, eorum qui perfidiæ ſuę virus, religioniſque & pietatis odium teneræ iuuentuti ſuis ſcriptis inſtillant: ſed tantum caſti, pij, & religioni orthodoxæ conſentientes authores, prælegantur: quod iudicium cùm non ſit penes omnes, ſtatuimus nullum authorem in triuialibus ludis prælegendum, qui non ſit à decano artium vicinæ & catholicæ Vniuerſitatis examinatus, & ad prælegendum iuuentuti admiſſus. Aut ſi procul diſtent ludi ab Vniuerſitatibus catholicis, examen & admiſſio pertinebit ad vicinæ ciuitatis præſtãtis eruditionis Prælatum, aut alium aliquem doctum virum, cui Epiſcopus illius diœceſis hoc muneris delegauerit. Quòd verò bonis & receptis authoribus repudiatis, quidam gloriæ aucupandæ ſtudio, noua quotidiè Grammatica comminiſcũtur, & adoleſcentium ingenia ſuis figmentis confundunt, omninò prohibendum & vetandum cenſemus. Maximè verò omnium, ſub anathemate interdicimus & prohibimus lectionem eorum librorum in triuijs, qui ad ſeducendam in prauas opiniones iuuentutem, aliud agentem & quærentem, ſcripti videntur. Quales ſunt quorundam Grammaticæ, Dialecticæ, & Rhetoricæ inſtitutiones, in quibus exempla ferè è prauis aduerſariorum dogmatis petuntur, quo iuuentus incauta, hæreſum & ſectarum dogmata ſimul cum artibus imbiberet. Quales item quædam familiarium colloquiorum formulæ, in odium monaſtici inſtituti, & cæremoniarum Eccleſiaſticarum contemptum, compoſitæ atque efictæ, quarum præcipua vis eſt, animos iuuenum corrumpere, & iam à teneris eos ab huiuſmodi pietatis exercitijs, ac vitæ monaſticæ inſtitutis alienare. Dabimus idcirco viros aliquot pios & doctos, qui ferant iudicium ſuum de authoribus, quos iuuentuti potiſſimum prælegere conueniat, eoſque Comprouincialibus Epiſcopis ſignificabimus, quô in inſtituenda rectè iuuentute, eadem forma per vniuerſam prouinciam ſeruetur.

Qui libri Parochis & Concionatoribus ſint vitandi & fugiendi.

COmpertum nobis eſt, ſimplices & indoctos Parochos, 4
quibus non eſt datum pura impuris diſcernere, obuios quoſque de negocijs religionis tractantes libros emere, & eos potiſſimum, qui ſpecioſis titulis venditantur, quales ſunt Cõciones aduerſariorum, & commentarij eorum in ſacras ſcripturas. Quanuis autem quidam eorum ſpeciem pietatis alicubi præ ſe ferrè videantur, habent tamen quotquot ſunt, latens ſub melle venenum, vndè incauti & ſe contaminant ipſos, & auditores quoque. Idcirco paterna ſolicitudine pro grege noſtro ſoliciti, ne pabulum mortis pro vitæ pabulo ei porrigatur: præcipimus omnibus fidelibus, quorum animæ curæ noſtræ à Deo commiſſæ ſunt, potiſſimum verbi Dei tractatoribus, ſub anathemate, quod aliâs incurrant, vt ſibi caueant, non modò ab his, quæ ex officina venerunt Lutheri, Buceri, Caluini, Oecolampadij, Bullingeri, Franciſci Lamperti, & Philippi Melanchthonis, quos conſtat omnia ſua ſcripta ad decipiendum & ſeducendum homines à vera fide, edidiſſe: fugiãt etiam Coruinum Capitonem, Brentium, Pomeranum, Pelecanum, Muſculum, Sarcerium, & Chriſtophorum Hegendorphinum, Oſiandrum, Spangenbergium, Oldendorpium, Hermannum Bonnum, Hedionem, & eius in Eccleſiaſticam hiſtoriam peſtilentiſſima ſupplementa, Chronicon Sebaſtiani Franck, & quicquid eius eſt farinæ, donec pleniori catalogo libros contagioſos per hanc tempeſtatem editos, eis indicauerimus.

Anteſignanorum aliquot ex hodiernis ſeductoribus catalogus.

De Studioſis Canonicis mittendis ad ſtudia Vniuerſitatum, ſumptibus Collegiorum.

NE quod in formula Reformationis iuxta ſanctorum patrum decreta ſalubriter inſtitutum eſt, vitio vel Collegiorum, vel adoleſcentum canonicorum euaneſcat, decernimus et ſtatuimus, vt dent Collegia vni, duobus, vel tribus, vt multus vel exiguus fuerit perſonarum numerus in Collegio, bonę ſpei ac ſtudioſis adoleſcētibus, non minus quam triennij tempus, quo poſſint in ſtudio potiſſimū Theologico verſari: in quo ſi laudis aliquid obtineant, temp⁹ eis prorogetur, atq; interim percipiant integros præbendæ ſuæ fructus, quotidianis diſtributionibus exceptis, aut ſaltem quantum ad victum & libros neceſſarios ſufficiat: niſi de competenti ſubſidio ſit olim per capitula ſtudioſis prouiſum: dum tamen certis teſtimonijs ſingulis annis ad Collegia mittendis conſtet, nec peruerſis moribus eos deditos, nec ſtudia vana, quæ ad Eccleſiæ ædificationem non conferant, ſectari: committendum enim non eſt, vt cultui diuino dedicata ſtipendia, in huiuſcemodi canonicos dyſcolos erogentur. Debent tamen curare, vt ipſis abſentibus, alij eorum in diuinis ſuppleant vices.

De Cautione, quam dare debeant mittendi ad Vniuerſitates.

QVum formula Reformationis exigat, vt iuniores in gymnaſijs alantur impenſis collegiorum, ad hoc, quô collegia claris & doctis viris ornentur: vt huic menti ſatisfiat, & collegia non fraudentur expectatione ſua: ſtatuimus, & communi conſenſu decernimus, vt canonici, nondum in maioribus ordinibus conſtituti, poſcentes hoc nomine aut fructus integros, aut decreta ſubſidia, à collegijs, quæ pro more habent, vt de fructibus participent, etiam in minoribus conſtituti ordinibus, prius dent cautionem ſufficientem, ſe non velle ordinem & inſtitutum Eccleſiaſticum deſerere, aut ſi mutato propoſito forſan reſiliant, tum ſe velle & debere fructus perceptaque ſubſidia, collegio illi integraliter ſoluere ac reſtituere.

Collegia in Vniuerſitate aliqua ſita, quò ſuos ſtudioſos mittere debeant.

CÆterùm in locis vbi vniuerſitas Catholica eſt, iuxta primariam inſtitutionem reformata & probata, non videtur cauſa digna eſſe, Collegia magnis ſumptibus grauandi, & mittendi ſtudioſos foras ad Vniuerſitatem exteram. Proindè ſtatuimus, vt tales dent operam litteris bonis in ipſa vniuerſitate, vbi ad mores & ſtudia ipſorum poteſt haberi reſpectus: niſi decanus & collegium cauſam habeant, cur cenſeant eos ad exteras Vniuerſitates mittendos. Quòd ſi qui fugientes diſciplinam, velint omninò non ad eam, quæ eis à ſuo decano & capitulo deſignatur, ſed ad aliam, quæ ipſiſmet videbitur, Vniuerſitatem proficiſci, non tenebitur collegium illis dare ſubſidium decretum. Ne verò canonici, vicarij, & choriſocij cleri noſtri Colonieñ. vigilijs defunctorum, quas manè hora ſeptima perſoluere conſueuerunt, à frequentatione lectionū præcipuarum impediantur: volumus, vt poſt hac vigilię tempore pomeridiano ad horam circiter ſecundam incipiantur, vt ante preces veſpertinas compleantur.

Qui gaudere poſſint Vniuerſitatum Priuilegijs.

AD prohibendum grauem abuſum, quo ſe quidam ad Vniuerſitates, non ſtudij, ſed priuilegiorum gratia, cōferunt: ſtatuimus & mandamus, ſicut ante nos in ſynodo Leodieñ. ſtatutum eſt, vt nulli niſi ad ſtudia literarum idonei, & illarum præcipuè gratia, ſe ad vniuerſitatem conferentes, in membra ſeu ſuppoſita, atque ad vſum priuilegiorum huiuſmodi Vniuerſitatis recipiantur, aut ſuorum beneficiorum fructibus eo prætextu gaudeant: nec recepti ipſis priuilegijs & beneficiorum fructibus vti ſinantur, niſi quamdiù cauſa ſtudij permanſerint, & ſpes ſit, quod ex ſtudio ſuo fructum vberiorem in Eccleſia Dei ſint parituri. Qui verò deſides & otioſi comperti fuerint, ab eorundem priuilegiorum vſu & fructuum perceptione repellantur.

De Theologo qui doceat, in Collegijs alendo.

QVò verò & reliqui ſiue canonici ſiue vicarij, capellani 9
ſiue choriſocij, cantores quoque, ſeu chorales collegiorum, quæ extra Vniuerſitates, aut in Vniuerſitatibus, procul à ſcholis ſita ſunt, habeant etiam occaſionem in ſacris diſcendi & proficiendi: Decernimus & ſtatuimus, vt eiuſcemodi collegia ſingula, aut ſi vicina ſint, inuicem duo aut plura, ſimul alant Theologum aliquem docentem, vel binos, qui hanc operam inter ſe partiantur, conceſſione fructuum vnius præbendæ, authoritate Apoſtolica, in hunc vſum ſupprimendæ: aut ſi illa non ſufficiat, vnione beneficiorum vel vicariarum, quæ nullam vel non adeò neceſſariam functionem requirunt, iudicio viſitatorum Epiſcopalium decernenda & conficienda: ſic tamen, vt fructus præbēdæ vel ſtipendij diuidantur, ſecūdum numerum lectionum: vt quando non legit, detrahatur illi etiam de fructibus portio deſtinata. Quòd ſi inter ipſoſmet fratres inueniatur, qui hoc docendi munus velit & poſſit obire: huic par eſt, vt diſtributiones quotidianæ, præter iuſtū ſtipendium, à choro abſenti pridiè quam legat, & eo die quo legit concedantur.

De inſtaurandis lectionibus Theologicis in Vniuerſitate Colonienſi.

VT Cæſareæ Maieſtatis voluntati ſanctiſſimæ de reformandis Vniuerſitatibus, iuxta modum in formula præſcriptum, ſatisfiat, & ratio ſit, quare Collegia in Colonia non teneantur ſuos canonicos mittere ad exteras Vniuerſitates, & eis abſentibus, aut integros præbendæ ſuæ fructus, aut quantum in victum & libros ſufficiat, ſuppeditare: danda eſt collegijs illis opera, vt lectiones, potiſſimùm ſacræ Theologiæ, in ipſa Vniuerſitate vigeant, & canonici illi, qui habent præbendas, ſibi ex indulto Apoſtolico cum onere legēdi collatas, ſuo muneri iuxta tenorem bullę ſummi Pontificis, vndè prębendas illas cōferēdi authoritas manauit, ſatisfaciant. Quamobrem monemus & hortamur eos, qui de præbendis gratiæ primæ gaudent, vt aut legant ipſi in ſua facultate; aut ſi legitimo impedimento teneantur, conducant alios idoneos Magiſtros, qui vices eorum in docendo ſuppleant. Qui ſi monitionibus noſtris paternis auſcultare noluerint, cum noſtra (ad quos pertinet bonum publicum promouere) interſit, lectiones Apoſtolicæ ſedis beneficio Vniuerſitati debitas perſolui, Cenſuimus totius Concilij nomine requirendos eſſe Vniuerſitatis Rectorem & prouiſores, vt munere ſuo perfungantur, & eos quibus de Præbendis ſeu Beneficijs prouiderunt, requirant ad legendum & ſatisfaciendum oneri Præbendæ annexo, & iuxta Apoſtolici priuilegij tenorem, contra non parentes procedant: alioqui negligentiam eorum deferendam ad Summum Pontificem, & petendam prouiſionem qua huic caſui prouideatur.

DE ALTERO MEDIO, AD CONSEQVENDAM REformationis executionem neceſſario, quod eſt Examen Ordinandorum.

DEinde viſum nobis fuit, ad ſtabilem & duraturam 1
Eccleſiaſtici ordinis Reformationem comparandam, neceſſarium eſſe, vt initiandi ſacris ordinib⁹, ritè examinentur. Hæc verò, qui ad Prælaturas &

regimẽ animarum aſſumuntur, nouo eidemque rigidiori examini ſubmittantur, propterea quod mortale omnes ſequi ſuum genium quotidiè experiamur, & aſinum manere aſinũ, etiam ſi exuuijs leonis induatur: atque ita euenire, vt cùm vitijs dediti homines, aſſumuntur ad dignitates & curas nõ quò oportet, ſed vel ad auaritiam implendam, vel in ventrem ſaginandum, aut ad faſtum & pompã: quidam etiam vt in luxu & delicijs viuant. Quibus profectò rebus fit, vt planè in diuerſum abeant officia & & munera diuinæ miſſionis, nec ferè vlla ſit animarum & rerum Eccleſiaſticarum cura vera, ſed imagines tantum & apparatus: nec ſeria benè inſtitutæ Reformationis executio, ſed maior indies morum & doctrinæ corruptela. Quamobrem in primis ſtatuimus & ordinamus, ne quis ad ſacrorum Ordinum perceptionem admittatur, niſi diligẽter examinatus de fide quã teneat, de affectu quo ducatur ad petendos Ordines, de ſcientia quæ ſufficiat ad Ordinis, quem petit, miniſteria explenda, de moribus ordinem decentibus, & ætate legitima.

Ad quos pertineat Examen.

2 QVoniam verò difficile erat, vbi ſunt magnæ Eccleſiæ & multi ordinandi, Epiſcopos, ad quos examinatio propriè pertinet, hoc negocij per ſe obire: olim ea cura in quibuſdam Diœceſibus in Scholaſticos Cathedralium Eccleſiarum, in alijs verò in prælatos alios relegata eſt, quibus iam examinandi ius eſt quæſitum, & maiora quàm cæteris Canonicis ſtipendia ab ECCLESIA decreta: verum quales nunc ſunt plerique Scholaſtici, & illi penes quos eſt examinandi poteſtas, iura quidem ſua tuentur, nec tamen docent iuuentutem, nec examinant: officiumque & curas illas alijs, non multo melioribus, examinatoribus interdum delegant: quo fit, vt alio in alium hanc curam transferente, aut nullæ,
1. Tim. 5. aut perfunctoriæ & admodum frigidæ fiant ordinandorum examinationes. Quem defectum ſupplere cupientes, & examen ad ſua principia, hoc eſt, ad Epiſcopos reuocare, quibus ex lege diuina incumbit, nemini cito manus imponere, matura deliberatione præhabita, declaramus, Epiſcopos non debere huiuſcemodi examinationibus (quando non ignorant eas perfunctoriè factas) ſtatim acquieſcere, & inquiſitionis ſpecie, quam ex reliquijs antiqui moris retinent in altari, cùm rogant vtrum ſint digni, iuſti, & ſancti, putare ſe ſatisfeciſſe, atque ita inutiles & indignos homines, nonnunquam etiam ſceleratos, ab alijs fortè (quos ea cura non admodum tangit) dignos iudicatos, ſacris illis ordinibus cõtra conſcientiam propriam inſignire. Eaque de cauſa requirimus Prouinciæ noſtrę Epiſcopos in Domino, vt vel ipſimet huic ſuo muneri ſatisfaciant, vel curam illam imponant viris pijs, doctis & de Eccleſiæ profectu ſolicitis, quorum diligentia ſit eis explorata, niſi certiſſimo experimento cognouerint Scholaſticũ, vel eum ad quem hoc pertinet, diligentiam talem, cui meritò fidant, adhibuiſſe.

De licentiatorijs ad ſuſcipiendos Ordines extra Diœceſim.

3 STatuimus, vt nemini poſthac (vbi digna & iuſta cauſa non eſt) dentur licentiatoria, ordines extra ſuam Diœceſim recipiendi: niſi prius ſit, iuxta modum præſcriptũ, in ſua Diœceſi examinatus. Ad hoc enim comperimus quoſdam licentiatoria petere, vt examen ſubterfugiant.

De proclamatione ante maiores ordines facienda.

4 QVoniam non oportet ſacros Ordines quaſi furtim ſurripere, ſtatuimus & ordinamus, vt quemadmodum iungendi Matrimonio trina proclamatione populo denunciantur: ita maioribus Ordinibus initiandi, trina proclamatione denuncientur in Eccleſia Parochiæ, quam inhabitant, ad percipienda impedimenta, ſi quæ ſunt, quæ debeat Parochus Epiſcopo, aut Officialibus eius ſignificare: vbi tamen proclamatio talis commodè fieri poteſt, nec veriſimilis ſit metus, ne maleuoli homines clericos innoxios à maiorum Ordinum ſuſceptione deterreant.

De tempore quando debeant ordinandi dare nomina ſua, & examinari.

MAndamus, vt volentes ad Subdiaconatus vel Diaconatus ordinem promoueri, præſententur, & dent Intitulatoribus nomina ſua feria quarta diem ordinationis præcedente, ac eodem & ſequenti die examinentur, hora quam eis conſtituent examinatores. Promouendi verò ad Sacerdotij gradum, dent nomina ſua feria quinta ante diem ordinationis: quibus ſimiliter ſtatuetur hora, cum ſimul ob multitudinem examinari non poſſint. Adferant verò promouendi omnes ſecum teſtimonia, non modò ſuorum Parochorum, verum etiam præceptorum aut proborum virorum, apud quos maiorẽ vitæ partem tranſegerunt, per examinatores diſcutienda, vnde poſſit Epiſcopo, vtrùm irrepræhenſibiles ſint, conſtare.

De Examine inſtituendorum ad dignitates, curas animarum, aut alia officia.

POrrò quo plus negociorum incumbit eis, qui ad Prælaturas, dignitates & curas animarum vocantur, hoc magis intereſt Eccleſiæ & Chriſtifidelium, vt tales ſingulari examine, maiorique diligentia, quam reliqui explorentur, vtrũ ſufficiant ad præſtanda munera illa ad quæ vocantur. Præcipuè verò Epiſcoporum intereſt, quales habeant in excolendo agro Dominico cooperarios. Hinc ſtatuimus & ordinamus, vt nemo electus confirmetur, nemoque præſentatus ad dignitatem vel animarum curam inſtituatur, priuſquàm ſit à ſuo Epiſcopo, aut Archidiacono Epiſcopi, aut hac in parte vicario, alijsve ſacrarum literarum, canonum, & traditionum Eccleſiaſticarũ peritis viris, quos Epiſcopus aut Archidiaconus ad hoc deſignabit, examinatus & comprobatus idoneus, poſſitque & velit muneri ad quod vocatus eſt, pro virili ſatisfacere, & formulam Reformationis qua parte eum cõcernit, exequi. Quod ſi quis Archidiaconorum, vel ius inſtituendi habentium, contra hanc conſtitutionem præſumpſerit aliquẽ nõ ita examinatum inueſtire: ipſe quidem pro iudicio Epiſcopi, per certum tempus ab officij ſui executione, & fructuum perceptione, ſuſpendetur: inſtitutus verò euſque, donec Epiſcopo comprobabitur qualificatus & idoneus. Neque tamẽ per examen epiſcopale, derogatum volumus iuri examinandi ſi quod alij prælati habent.

De examine eorum, qui per reſignationes aut permutationes ad beneficia contendunt.

ADhæc ſtatuimus & ordinamus, vt in permutationibus & reſignationibus beneficiorum, eadem cura adhibeatur examinandi eum, in cuius fauorem permutatio vel reſignatio concepta eſt. Et præſertim diligens fiat inquiſitio, etiam per diſerta iuramenta, num permutatio ſit ad contegendum Simoniæ vitium fraudulenter excogitata ac ſimulata: quod ſi vel examinis tempore, vel in tempore, vel in poſterum compertum fiat, pactionem illicitam & iure non probatam interceſſiſſe, vterque permutantium pro Simoniaca fraude puniatur. 7

De formulis ad examinationem aptis.

QVoniam diuerſi ordines, officiorumque & dignitatũ gradus diuerſi, alias atque alias requirunt in hominibus conditiones: & ratio præterea habenda eſt eorum religioſorum, qui perpetuò deliteſcere quærunt in ſuis Monaſterijs, & ad nullas animarum curas euocari, ſed tantum cupiũt Chori officijs in ſuis Monaſterijs adhiberi, ſacrificiumque pro Eccleſia in Miſſis offerre, & monaſticę vitæ indulgere: viſum fuit pręſenti Concilio expedire, vt extarẽt formulæ, ad quas examinarentur ordinandi, ſecundum diuerſos ſuſcipiendorum 8

inum gradus , & inſtituendi & confirmandi ſecundum
ditiones munerum & officiorum quibus adſciſcũtur. Pe
ibus Suffraganeorum noſtrorum comprouincialium E-
oporum legatis, negocium tales formulas congerendi da-
us eruditis aliquot viris, qui non modo in litteris ſint ex-
tati, verùm etiam cognitionem Eccleſiaſticorum officio-
teneant, & conſcribant in genere, quod communicetur
omnibus pro locorum & Eccleſiarum diuerſitate, in ſpeci-
otas deducendum.

De inſtitutis pleno iure à Prælatis & alijs Eccleſiaſticis.

Vm bonorum omnium teſtimonio magnus & pernici-
olus ſit abuſus, quòd Archiepiſcopi, Epiſcopi, Præpoſi-
Abbates, Prælati, & quibus in Clero eſt poteſtas conferendi
neficia Eccleſiaſtica pleno iure, conferunt Eccleſias paro-
iales abſolutè & ſimpliciter quibuslibet, interdum indig-
& ineptis, hominibus inexploratis, nullo præcedente exa-
ine & quod intolerabilius eſt, nonnunquam ſpurijs, nothis,
eris, aut ſeruis indignis: cenſuimus hanc rem totius concilij
omine ad ſummũ Pontificẽ deferendã petendãq; ſedis illius
rouiſionem & declarationem, irritantem tales collationes,
as vocant pleno iure, niſi præcedat examen Epiſcopale, ſeu
orum, quos Epiſcopi ad hoc dabunt, & vt poteſtatem faciat
piſcopis, vt quos non conſtaret à ſua ſanctitate, vel aliàs ritè
caminatos, non teneantur, quauis licet authoritate nitentes,
d poſſeſſiones Prælaturarum vel Sacerdotiorum curam ani-
arum habentium admittere, niſi examine diligenter excuſ-
os atque probatos. Similiter, ne quenquam in ordine, ab alio
uam ſuo proprio Antiſtite, ſurreptitiè, & nullo præuio exa-
nine, ſuſcepto, teneantur ad Eccleſiaſticas functiones admit-
ere, ſed ab ordinis ſuſcepti executione ſuſpendere, donec ex-
ibitis ſuæ promotionis literis per examen debitum & iuxta
Reformationis formulam factum fuerit repertus idoneus.

De ſecularibus vſurpantibus ſibi poteſtatem pleno iure conferendi beneficia.

DE ſecularibus verò, habentibus ius præſentandi aliquẽ ad beneficium Eccleſiaſticum, ſiue Curatum, ſiue à cura liberum, qui contra regulas canonicas admituntur pleno iure conferre, abſque inſtitutione canonica, aut præſentatum via facti intrudere: Decernimus cum toto Concilio, tales conat' irritos ac nullos eſſe: & ſi qui tales quiddam facere tentauerint, hos ipſo facto, iure præſentandi pro vice illa priuatos eſſe: illum verò qui beneficium tali titulo recipit, aut ſe ei intromittit, nihil per hoc iuris acquirere, & procul ab illius occupatione remoueri debere, & per ordinarium in eius locum ſurrogari alium: quin & iura decernunt vtrumque, & intrudentem & recipientem, anathemate feriendum eſſe.

DE OFFICIORVM PERFVNCTIONE, MEDIO TERtio, ad comparandam executionem Reformationis neceſſario.

NON prodeſt ad Eccleſiæ ædificationem, Prælatos & Paſtores, curam animarum habentes, fuiſſe diligenter examinatos, probatos, & legitima manuum impoſitione inſtitutos, atque admiſſos, niſi præſtent etiam officiũ, ad quod ſunt vocati, & cuius gratia ſtipendia ab Eccleſiis accipiunt: Idcircò pro conſequenda Reformationis executione, curandũ eſſe cenſuimus, vt Eccleſiarum Prælati & Paſtores ſuo munere ſtrenuè perfungantur. Quod niſi fiat, iacent omnia quæ Reformatio exigit.

Quibus poßint Archidiaconi munus ſuum committere.

IAm quod paſſim tam indoctos & inutiles ſacerdotes vide- 2
mus Eccleſiarum regimini præfectos, vnde & mores boni corrumpuntur, & omnis diſciplina populi labaſcit, quodque tam turpiter in concubinatu, perpetua ebrietate, & alijs infamibus vitijs, vndè & populus ſcandalizatur, quidam viuunt: Epiſcoporũ negligentiæ, & Archidiaconis illis qui quæſtum auarum & officiorum ſeu munerum ſuorum locationes faciunt, & malunt homines de ſalute æterna periclitari, quam ſe lucro turpi ac temporali non ditari, acceptum ferendum eſſe fatentur omnes, quibus dolet, animas hominum, quos ſanguine ſuo Chriſtus mercatus eſt, non pluris æſtimari, & Cleri infamia populum ſcandalizari. Cui accuſationi & iuſtæ querelæ mederi cupientes, ſancimus & ſtatuimus, vt Epiſcopi, Archidiaconi, & omnes qui functionem munerum ſuorum non per ſe, ſed per miniſtros aut commiſſarios ſeu collectores ſolent obire, vices ſuas non committant hominibus leuibus, vitioſis, aut coniugatis: ſed tantum Eccleſiaſticis, grauibus, & probatæ opinionis viris.

Non licere Prælatis, officia ſua pro pecunia pacta alicui committere.

SImiliter ad tollendum grauem & ſcandaloſum abuſum, 3
quo quidam pecunijs oblatis comparant ſibi à Prælatis cõmiſſiones & officia, non ſalutem animarum, ſed pecuniam vberiorem ex officijs quærentes: Statuimus & mandamus, ne quis Prælatus, cuiuſcunque ſit dignitatis, ſuam Iuriſdictionem & munera vlli commiſſario ſeu collectori, licet eccleſiaſtico, plus offerenti, pro pecunia, aut pro certo annuo cenſu, committat vel vendat, ſub pœna excommunicationis, quam emẽs ſeu pecuniam paciſcens, ipſo facto incurrat: vendens verò, præter pœnas canonicas, amittat etiam actionem, pecuniam pactam exigendi: Decernentes contractum huiuſmodi illicitum, à Iure damnatum, ac nullum eſſe & haberi debere.

Quod non liceat relinquere peccata pro pecunijs impunita.

MAgno populi Chriſtiani ſcandalo, quidã, ad quos per- 4
tinet vitiorum correctio, relinquũt peccata ob pecunias & munera impunita, non perpendentes pudendum eſſe crimen, crimina non coërcere: nec quicquam eſſe, quod atrocius epiſcopos & prælatos coram Deo accuſet, quam huius rei neglectus. Idcircò deliberatione cum Concilio habita, Mandamus & ſancimus, ne Epiſcopi, Archidiaconi, vel alij Iuriſdictionem habentes, aut eorum Officiales, ſeu Commiſſarij, vitiorum correctiones diſſimulent, permittentes cuiquam pecuniæ munerum, vel neceſſitudinis cuiuſcunque gratia in eis hærere: ſed delicta prȩterita caſtigent, pœnitentia ſalutari, pro delicti grauitate, impoſita: nec pœnitentiæ loco pecuniã emungant, niſi vbi permittunt Iura aut Canones: ſeu vbi pro tranſgreſſione mandati vel inhibitionis, certa mulcta (cuius habuerit tranſgreſſor cognitionem, & tamen contempſerit) decreta ſit. Verum mulcta ex permiſſione Iurium aut canonũ proueniens, ſecundum illorum præſcriptum conuertatur. Cæterum vbi eiuſcemodi caſtigationibus non proficitur, & tanta ſit delicti grauitas, poterit etiam cenſuris & pœnis canonicis caſtigari: nimirum ſuſpenſionis ab officio excommunicationis, & priuationis beneficiorum Eccleſiaſticorum.

De pœnis c. licet, De Offic. Ordi. c. Irrefragabili. paragrap. prouideant. De ſen. ex comm. li. 6. c. venera. paragrap. Denique.

Vt muneri ſuo Collegiorum Præpoſiti ſatisfaciant.

QVerela eſt Collegiorum, Præpoſitos quoſdam, ad quos 5
præſtito iuramento pertineat iura & ſtatuta Eccleſiarũ tueri, atque defendere, nihil agere minus: ſed percipere tantũ amplos fructus, cæterùm Eccleſias, quarum cauſa illos percipiunt.

piunt, relinquere indefenſas immemores iuriſiurandi, & eius quod beneficium propter officium datur. Hinc decernimus & ſtatuimus, vt ſi iſtiuſmodi Præpoſiti à ſuis collegijs, ac bonorum, priuilegiorum, iurium & ſtatutorum defenſionem, expenſis capitulorum, neceſſitatis tempore vel imminente diſcrimine, requiſiti, muneri ſuo ſatisfacere neglexerint, & inde Collegium ſeu Eccleſia illa damnum accipiat: pœnam incidant, pro damni accepti magnitudine & Præpoſiti negligentia, ab Epiſcopo ſeu ſuperioribus taxandam & moderandam.

Quòd non liceat Decanis à ſuis Collegiis abeſſe.

VIdemus Decanis abſentibus, vel officio ſuo ſegniter perfungentib. leuiſſimorũ quorumq; canonicorum & vicariorũ inſolentiam prȩualere ferè aduerſus meliores, pietatẽ & zelum bonorum haberi ludibrio, officia negligi diuina, neque ritè neque ab omnibus perſolui, tantum præcipitari, vitæ & morum honeſtatem periclitari, diſciplinam prorſus nullam eſſe: breuiter, licere prauis quibuſque quicquid libeat. Præcipimus idcircò & mandamus, vt Decani apud ſuas Eccleſias perſonaliter reſideant, & officio ſuo per ſeipſos ſtrenuè perfungantur, exceſſusque ſubditorum quoties opus erit, caſtigẽt, ſub pœna priuationis fructuum Decanalium, pro rata tẽporis, quo abſque cauſa rationabili moniti non reſederint, fabricæ, aut pauperibus applicandorum, vbi aliàs non eſt pœna digna contra nõ reſidentes decreta, niſi fortè neceſſitatis cauſa contigerit eos abeſſe: Quo caſu, capitulari alicui, qui ſuſcepti officij rationem reddere poſſit, quemque inferiores reuereantur, vices ſuas committant, niſi talem abſentis vicarium peculiaria Collegiorum ſtatuta deſignent.

Quòd Abbatiſſa nobilium virginum, quas Canoniſſas appellant, debeant apud ſua Collegia reſidere.

IDem ſtatuimus de Abbatiſſis collegiorum nobilium virginum Canoniſſarũ, quas tanto magis oportet collegijs ſuis adeſſe, & perpetuò reſidere, quanto virgines illæ maiori cuſtodia ſunt dignæ. Quibus prætereà mandamus, vt diligenter obſeruent, num omnes in Dormitorio communi noƈte decumbant, & in habitu ipſas decente incedant, ac horas Canonicas ritè perſoluant, cæteraque quæ reformationis Cæſareanæ formula, & probatæ earum conſtitutiones exigunt, diligenter obſeruent. ſub pœna ſuſpenſionis à perceptione fructuum, in fabricam Eccleſiæ applicandorum, donec pareant.

Illas verò Abbatiſſas, quæ duobus Collegijs contra Decreta ſanctorum Patrum præpoſitæ ſunt, & duorum in ſe recipiunt curam, quum vix vni regendo ſufficiant, cenſendas decernimus iuxta decretum, De reſtringenda pluralitate beneficiorum, inferius paulo ſubiectum. Atq; vt Canoniſſæ ſecundum formulam aliquam, ipſorum ſtatui conuenientem, poſſint in vitæ & morum honeſtate reformari, cõſcribi quȩdam in eam rem iuſſimus, quæ viſitatoribus noſtris trademus exequenda. Communicabimus quoque ea reuerendis confratribus noſtris Comprouincialibus Epiſcopis, quô & ipſi in ſuis Diœceſibus, ſecundum locorum & perſonarum rationẽ, (quantum fieri poteſt) reformationis vnitatem ac conformitatem introducant.

Vt Abbates à monaſteriis ſuis non diſcedant.

MAndamus quoque & præcipimus, vt Abbates quorumlibet Monaſteriorum, non niſi intra Monaſteriorum ſepta, cum fratribus habitent, nec moram longam extra ea trahant.

De reſtringenda plurimorum beneficiorum curam animarum habentium, coaceruatione.

9 CVpientes ex animo, quantum in nobis eſt, prohibere ac tollere odioſum illud & inſatiabile (quod & patrum canones deteſtantur) ſtudium coaceruãdi multa beneficia, curam animarum habentia, vndè populus fidelis grauiter ſcandalizatur, & optimorum quorumque animi à clero alienantur, ſpoliantur Eccleſiæ debitis miniſterijs, ceſſatio inducitur cultus diuini: fundatores, quorum ſacroſancta & inuiolabilis debebat haberi ſuprema volũtas, ſpe & expectatione ſua fraudantur, meliores, quibus beneficium aliquod Eccleſiæ certè debetur, quique miniſtrare in eo cupiant & poſſint, non abſq; iniuria & offenſione Dei excluduntur, & ad ſtudia prophana impelluntur, vbi Eccleſiæ poterant eſſe ornamento: donec Cæſarea maieſtas prouiſionem meliorem aduerſus licentiam hanc à ſummo Pontifice impetret, id quod ab Eccleſiaſticis Imperij ſtatibus rogatus, ſe recepit à ſanctitate eius eniti atq; efflagitare velle: Statuimus, & communi maturaque deliberatione cum concilio præhabita, quod iuſtiſſimum eſt, & ad Eccleſiæ ædificationem pertinet, ſancimus, vt beneficiatus quiſque, ſi beneficia habet à curis libera, aut vnum curatum, aliud ſimplex, ſatisfaciat officio cuius gratia beneficium accipit, ſecundum Fundatorum intentionem, ſacros canones, & Patrum decreta: & ab Eccleſia vbi beneficium negligit, non participet. 1. Cor. 9. Etenim diuini iuris eſt, vt qui ſeruit altari, de altari viuat: nec bono iure is qui non ſeruit altari, viuit de altari: ſicut ſtipendium non debetur niſi militanti. Si verò curatum habet beneficium, apud Eccleſiam vbi beneficium habet, reſideat, & officio ſatisfaciat, alioqui nihil percepturus: pertinebitque ad Epiſcopum, ſeu eos quib. hoc iuris cõpetit, vt de præbendæ ſeu beneficij fructibus, ad Eccleſiæ illius vtilitatẽ diſponant: niſi beneficiatus ille Eccleſiæ Dei vtilius aliquod ſeruitium interim impendat. Quòd ſi quis iuxta c. de multa, De præben. qualificatus iam impetrauit à ſede Apoſtolica facultatem plura quam vnum beneficiũ retinendi: Mandamus, vt hanc Epiſcopo ſuo, aut eius Viſitatoribus ſecundum diſpoſitionem c. Ordinarij, De offi. Ordina. in 6. præſentet atque exhibeat. Quæ ſi appareat ſufficiens, curet Epiſcopus vt beneficia debitis obſequijs non fraudentur. Alioqui beneficiatus vno (quod maluerit) retento, reliqua libere reſignet, aut dimittat viris idoneis, perſonaliter reſidere volentibus, abſque præiudicio tamen præſentantium, eligentium, & collatorum conferenda. Si verò diſpenſatum ſit cum indigno, ſummo illud Pontifici curet Epiſcopus ſignificare, vt digniori de beneficio illo prouideatur per eos, quibus alias competit ius eligendi, conferendi, vel præſentandi.

De Competentia iuſta rectoribus Eccleſiarum ſiue perpetuis ſiue temporalibus aſſignanda.

10 VBi collegia vel monaſteria, vel habentes dignitates, habent Eccleſias parochiales incorporatas, cum decimis, iuribus & cenſibus, quas committere ſoleant paſtoribus vel perpetuis vicarijs, cum aſſignatione portionis fructuum regendas, ſi portio talis ſit acciſa, nec ſufficiat, vt honeſtè ac decenter ex ea viuatur, ne cauſa ſit cur animæ negligantur, aut deſeratur officium, vel ad curas ſordidas paſtor ille pro victu comparando adigatur: Mandamus & decernimus, vt iuſta portio ſecundum Reformationem ei de decimis Collegij vel monaſterij bonis aſſignetur, ſiue per Epiſcopum loci, ſiue per eius viſitatores. Similiter vbi temporales rectores ad regendas Eccleſias conducuntur, decernimus, vt ijs iuſtum ſtipendium detur, pro locorum & perſonarum conditione ab epiſcopo moderandum, quod decentem eis & honeſtum victum atque veſtitum ſuppeditet.

De præbẽ. c. extirpãdæ & c. ex poſuiſti. Et c. 1. eodem titulo in ſexto

Ne cogantur Eccleſiarum Rectores opera ſeruilia ſubire.

11 OMninò autem vetamus, ne vlla Collegia, monaſteria, vel habentes dignitates, locent Eccleſiarum ſuarum

regimen cum agris, vineis, ſyluis, pratis & iuribus, rectori plus offerenti ſub annua penſione: tales enim, coloni veriu: quam paſtores, ſeruilibus & ſordidis negocijs ſe dedere, & maiorem temporalium, quam ſpiritualium bonorum ſolicitudinem habere, dignamque animarum curam negligere ſolent. Poſſunt tamen colonis ſecularibus Eccleſiarum prædia ſub annuo cenſu locari, emolumentaque pro vtilitate Eccleſiarum commutari, vel vendi: quinetiam non vetamus, quin collegia & monaſteria poſſint Eccleſiæ Rectori, bonorum ad ipſam Eccleſiam pertinentium, adminiſtrationem plenam committere, pro moderato cenſu, quem de prædijs pendat: ſic tamen, vt ei ſuperſit honeſtus & ſufficiens victus ac veſtitus: nec ad ſupremum cenſum adigatur, vt ſolent licitantes à plus offerentibus, pro quo corradendo cogatur ſe ſordidis & ſeruilibus operibus mancipare, ac ruſticus heri, vt vix aut ægre ei ſuperſit, vnde nuditatem ſuam veſtiat, & vitam miſerã ſuſtentet: quales multos, magno Eccleſiaſtici ordinis dedecore, in pagis videmus ſacerdotes.

De Vicariorum, ſeu capellanorum in Eccleſiis Collegiatis, officiis.

AD poſtremum ſtatuimus & ordinamus, vt Eccleſiarũ collegiatarum vicarij, quos aliqui vocant Capellanos aut Choriſocios nomini ſuo reſpondeant: nec tempore diuinorum, alijs pſallentibus, ipſi extra chorum ſpatientur, deſideant, confabulentur, aut aliud quid agãt in Eccleſia, in populi ſcandalum. Sed canonicis in perſoluendis horis canonicis & diuinis ſint adlumento, & onera ſpecialia, ad quæ vel ex fundatione, vel antiqua conſuetudine, aut Eccleſiarum ſtatutis, obligantur, deuotè & diligenter perſoluant, ſub pœna ſuſpẽſionis, non à diſtributionib. tantùmodò quotidianis, verum etiam à vicariarum ſuarum fructibus, donec negligentiam iuxta Decani & Capituli iudicium emendent.

DE QVARTO MEDIO REFORMANDI ECCLESIAM per viſitationem.

NON aliâs ſanè melius, quam in viſitatione, depræhenduntur, corriguntur & eradicantur errores & vitia, quæ viſitatoribus dormientibus ſeminantur, creſcũt, & ſecurum robur acquirunt. Sic in Euãgelio dicitur: Cùm dormirent homines, venit inimicus homo & ſuperſeminauit zizania, morum nimirum & doctrinæ corruptelam. Dormiunt prælati, qui non viſitant: ſoli vigilant, & ſeruant cuſtodias noctis ſuper gregem ſuum, qui mala quæ metuũtur, viſitatione præcidunt. Et quoniam ſemper oportet eos in ſibi commiſſas oues habere oculos intentos, ſpeculatores appellantur: Speculatorẽ, inquit Propheta, dedi te domui Iſrael. Nec aliud eſt epiſcopus etiam ex nomine, quàm ſpeculator. Hinc etiam Apoſtolus: Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos. Et vniuerſo, inquit, gregi, quod viſitationem requirit, vt Epiſcopus nemini deſit. Quale exemplum dedit ipſe de ſe Apoſtolus, non ſemper prædicans, ſed viſitans etiam ſuos, quos ad Chriſtum conuerterat, vt exploraret, vtrum ſeruarent doctrinas & traditiones Apoſtolorum & ſeniorũ. Sic habito Concilio Hieroſolymitano, in quo Apoſtoli & ſeniores ſtatuerant, quonam pacto lex vetus ſepeliri deberet, ait ad Barnabam Paulus: Reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, quomodò ſe habeãt. Qualium viſitationum frequens mentio eſt in Actis Apoſtolorum. Cap. 20. commemorat Epiſcopis Aſiaticis labores ſuos, ac tandem conteſtatur eos in hæc verba: Quapropter cõteſtor vos hodierna die, quod mundus ſum à ſanguine omnium: Non enim ſubterfugi, quo minus annunciarem vobis omne conſilium Dei. Qua ſanè conteſtatione pronunciat reos ſanguinis omnium pereuntium animarum, Epiſcopos illos, qui oues ſuas non requirunt. Viſitatione igitur opus eſt, cum Archidiaconali, tum Epiſcopali atque Archiepiſcopali, & eorum quibus hoc muneris incumbit, ad extirpandos errores ac vitia, & mores bonos plantandos, eoſque in vſu & vigore ſuo retinendos. Hactenus autem (quod negare non poſſumꝰ) alto ſomno dormiérunt Epiſcopi, de archidiaconorum viſitatione ſecuri, qui ſpeciem quandam viſitationis retinuerunt, ſed deformem, & prauorum Officialium ſeu Viſitatorum quæſtu vitioſam ac repræhenſibilem. Nunquam profectò, quod nunc ſerò querimur, tot hæreſes & ſectæ moresq; corrupti eouſque inualuiſſent, nec iaceret adeò diſciplina Eccleſiaſtica neglecta ſi rectè viſitatum ab Epiſcopis & archidiaconis, & ijs, quibus hoc muneris incumbit, fuiſſet. Quapropter Archidiaconis quidem totius Concilij authoritate mandamus & præcipimus, vt abuſu correcto, viſitationem inſtituãt ad formulam Reformationis, nec quenquam ſinant in vitijs, pecuniæ vel munerum cauſa, hærere, iuxta ſuperiores noſtras conſtitutiones, ſub pœna quam Epiſcopi vel ſuperiores dignam iudicauerint. Epiſcopos autem requirimus, vt frequentius per hoc triennium viſitent ſuas Diœceſes, cùm ad extinguẽdas hæreſum & ſchiſmaticũ reliquias, tum verò vt archidiaconales & inferiores viſitatores obſeruent, atque in ordinem redigant. Nam niſi hoc fiat, verendum eſt, inferiores viſitatores ſuum morem retenturos.

De Notario in Viſitatione adhibendo.

STatuimus ad hæc, vt Viſitatoribus adhibeatur Notarius 2
qui ſit ſacerdos, aut ſaltem clericus non coniugatus.

De viſitatione exemptorum, & non exemptorum.

CAutum eſt in Reformationis formula, vt à viſitatione 3
Epiſcopali nulla Eccleſia eſſet libera ſeu exẽpta, propterea, vt opinamur, quod exempti multi, ab inſtitutis ſuis latè deflexerunt, & populum grauiter irreligioſa vitæ conuerſatione & moribus corruptis ſcandalizent: induceretur autem Eccleſiæ turpis facies, plurimaque in populo ſcandala naſcerentur, ſi viſitatis ac reformatis non exemptis, exempti, quos oportebat eſſe potius reformatos, hæreant perpetuo in eodẽ luto. Verùm quum in hoc negocio deeſſet Epiſcopis ſummi pontificis authoritas, Cæſarea maieſtas recepit ſe velle cum ſummo pontifice agere, vt operi huic tam ſancto, ſanctitas eius ſe accommodaret. Quod ipſum vtrum iam factum ſit, necne, nondum ad nos peruenit. Idcircò ſtatuimus intereà, donec de hoc reddamur certiores, vt Epiſcopus quiſque viſitet omnes ſibi ſubiectos, non exemptos, licet ſint per Archidiaconos aut alios prælatos viſitati. Exemptis verò, ne quid in ſe patiãtur Epiſcopi deſiderari eorum quæ Cęſarea maieſtas ſeriò requirit, ſuum viſitandi ſtudium atque operam offerant, hoc periculoſo præſertim tempore. Et nihilominus præſenti Cõcilio ſtatuente, requirimus, & à Reuerendis Coepiſcopis noſtris ſuffraganeis in eorum Diœceſibus requirendos cenſemus, omnes exemptorum prælatos & viſitatores, vt munus ſuum ſtrenuè exequantur, reformẽtque ſubditos ſuos, iuxta Reformationis Cæſareanæ (quam ſibi comparare quiſque teneatur) formulam & Cæſareæ Maieſtatis mentem. Qua in re ſi fuerint negligentes, & non cum effectu Reformationem exequantur, tum Epiſcoporum erit, vt negligentiam hanc, aut ſummo Pontifici, aut Cæſareæ maieſtati ſignificent, quo proſpiciatur eis de remedio opportuno.

De Viſitatione Hoſpitalium etiam exemptorum.

CVm Reipublicæ, ſed pręcipuè Epiſcoporum interſit, vt viſitentur ac reſtituantur hoſpitalia, quippe quod Epiſcopi ſint & eſſe debeant patres pauperum & infirmorum, nec ferendum eis ſit, vt eleemoſynæ debitæ eis ſubtrahantur, ſtatuimus hoſpitalia omnia eſſe diligenter & magna cura viſitãda, impetrandumque ordinarijs à ſummo Pontifice, Cæſareæ Maieſtatis interceſſione, priuilegium viſitandi & reformandi etiam exemptorum hoſpitalia, ſaluo tamen in alijs exemptionis iure.

De authoritate, qua oportet viſitatores Epiſcopales praditos eſſe.

ERit quoque viſitatoribus Epiſcopalibus opus flagello Euangelico, & Eccleſiaſtica coercẽdi poteſtate, vt vẽdentes & ementes, ſcorta, nequitias, impoſturas, omnemque turpitudinem ex Eccleſia eijcere valeãt. Proindè decernimus, vt Epiſcopi & Prælati, mittentes aliquò, vbi ipſi fuerint negocijs alijs occupati, ſuos viſitatores, inſtruant eos, etiam authoritate ac poteſtate ſufficienti, rebelles ac criminoſos per cenſuras Eccleſiaſticas coercendi, & vitia, vt magna vel parua fuerint, caſtigandi.

De Formulis inquirendi in viſitationibus.

QVanquam nulla certa inquirendi regula, ob rerum omnium inſtabilitatem, & diuerſos caſus, qui ſubinde accidunt, viſitatoribus poteſt præſcribi, expedit tamen extare formulas, ad quas pro diuerſa locorum ordinum, & Eccleſiarum conditione, aliter atque aliter inquiſitionem ſuam illi inſtituant, & quibus ſubmonitorij loco vti poſſint. Quæ ſi nõ inueniantur editæ, quo viſitatores hoc onere leuemus, dabimus pijs & eruditis aliquot viris negocium, tales formulas, etiam ſuffraganeis noſtris Epiſcopis cõmunicandas, colligendi ac ſcribendi.

De Sumptuum & Procurationum in viſitatione exigendarum moderatione.

SEmper manſit extra controuerſiam, eos qui viſitantur, debere ſuis viſitatoribus ſumptus omnes, dicente Apoſtolo: Quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat? Si nos ſpiritualia vobis ſeminauimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra
1. Cor. 9. metamus? Sed quoniam frigeſcente charitate, populus non vt olim benignè & liberaliter ſuccurrit Eccleſiarum neceſſitatibus, & grauibus inſuper exactionibus Eccleſiæ per hanc tempeſtatem atteruntur: ne viſitatio ſuperueniens, fiat onus
Ibidem. importabile, & offenſionem demus, vt Apoſtolus loquitur, Euangelio: Requirimus reuerendos Comprouinciales Epiſcopos noſtros Suffraganeos, vt quando non per ſe, ſed per Commiſſarios viſitabunt, non ſinant viſitandos ſupremis euectionum ac procurationum iuribus grauari: neque enim
2. Cor. 12. debent filij theſaurizare parentibus, ſed parentes filijs: Præcipimusque & mandamus vniuerſis & ſingulis nobis inferioribus viſitatorib⁹, ne ſuperfluum famulitium in comitatum aſſumant, & victualium ſumptu mediocri, pro ſua decentia, ſint contenti. De Parochis verò, vbi tenues ſunt redditus, & paucus eſt populus, ordinamus, vt viſitandi vocentur ad vicinum aliquem illius decanatus, ſeu regiunculæ locum, & moderatũ tantummodò ſubſidium conferant in ſumptus communes. Cæterùm ſi pauperis cuiuſpiam parochiæ neceſſitas requirat
Act. 20. viſitationem perſonalem, cum hac viſitatores agant benignè,
1. Cor. 4. & ad exemplum Apoſtoli Pauli, qui malebat manuum labo-
2. The. 3. re victum ſibi & ſuis quærere, quam quem grauare, Eccleſiæ pauperi de ſuo, quod à locupletiori Eccleſia habent, ſeruiant.

DE SYNODORVM CELEBRATIONE, MEDIO QVINTO, ad Reformationem exequendam neceſſario.

1 MAGNO ſtatus Eccleſiaſtici, immò Reipublicæ Chriſtianæ detrimento ſerò quærimur, Synodos vel intermiſſas, vel non rectè hactenus fuiſſe celebratas. Quarum neceſſitas hinc intelligitur, quod vbi deficit viſitatio, vbi Officiorum non eſt cura, vbi examen & ſtudia bona iacuêre neglecta, ſolæ reſtant Synodi ſeu Concilia in nomine Chriſti congregata, idonea non tantum ad bonorum morum plantationẽ & extirpationẽ malorum, verumetiam ad Mediorum ſeu Viarum, quibus ad iſta pertingimus, reſtitutionem, cum primis valentia. Siquidem in Synodis redintegratur vnitas, ſtudetur corpori in ſua integritate conſeruando, vbi ea, quæ in viſitatione nõ dabatur exequi, executionem ſtudijs communibus aſſequũtur, vbi de capite & membris, de fide & pietate, de religione & cultu diuino, de moribus, de diſciplina, de obedientia, de iudicijs & rebus omnib⁹, ad benè Chriſtianeque viuendum commodis vel neceſſarijs, tractatur atq; ſtatuitur, vt veriſſimè in Reformationis formula dicatur: Salus Eccleſiæ, terror hoſtium eius, & fidei catholicæ ſtabilimentum ſunt ſynodi, quas etiam rectiſſimè corporis eccleſię neruos dixerim⁹. Neglectis enim ſynodis, non aliter Eccleſiaſticus ordo diffluit, quàm ſi corp⁹ humanum neruis ſoluatur. Idcircò ſtatuimus, vt ſynodus diœceſana quotannis bis, pro veteri quidem more, ſed iuxta Reformationis formulam religioſius, & meliori cum fructu celebretur. Suffecerit tamen in diœceſi Leodienſi, propter eius latitudinem & multitudinem Prælatorum, ſemel quotannis rectè & ſtudio feruenti celebrare. ſynodum verò prouincialem volumus, iuxta Baſileenſis Concilij decretum ſingulo Seſſio. 15.
quoque triennio cogi debere.

De Sumptibus, quos in Synodis faciunt Decani Collegiorum & Paſtorum.

DEcani Collegiorum accedentes Synodum, pro ſuis Collegijs in religionis officio & dignitate ſua conſeruandis, 2
& Decani rurales pro ſuæ regiunculæ Parochis, Deo vtique militant. Nemo verò, vt Apoſtolus ait, militat vnquam ſtipẽdijs ſuis. Propterea decernimus & ſtatuimus, vt pro numero 1. Cor. 9.
dierum, quibus concilium durat, conferant Decanis ſuis Collegia & Parochi ſubſidia, in ſumptus, quos neceſſariò facere debent, abſque omni tergiuerſatione. Qua in re tam iuſta, ſi qui rationis & æquitatis obliti, reddiderint ſe difficiles, viſitatorum noſtrorum erit hos tales non modò compellere ad id, quod iure diuino debent, perſoluẽdum, verum etiam pœnas ab eis pro iniquitatis modo exigere.

De nouis Conſtitutionibus in Synodis edendis.

STatuimus quoque, vt in Synodis communibus conſilijs 3
decernatur, de tollendis abuſibus & moribus corruptis, quos contigerit ad ſynodi iudicium referri, diſciplina Eccleſiaſtica caſtigandis. Et ſi opus ſit, Canones veteres renouẽtur, aut noui in nouis caſibus iuxta ſacram ſcripturam, Patrum ſanctiones, & rectæ rationis iudicium condantur: id quod modò nos quoque ex his quæ ad Synodum relata ſunt, facere decreuimus.

DE MEDIO SEXTO AD REFORMATIONIS EXEcutionem neceſſario.

SExtum Medium ad exequendam Reformationem efficax, eſt Iuriſdictio Eccleſiaſtica 1
qua tanquam ſupremo refugio compellũtur, qui ſpontè non ducuntur, ad vitæ emendationem. Hanc Chriſtus Eccleſiæ in Petro, pro Eccleſia confitenti ipſum eſſe filium Dei, promiſit, quando dixit: Tibi dabo claues regni cœlorum: Quodcunque ligaueris Matt. 16.
ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Quam promiſſionẽ non ad vnum Petrum pertinere, ſed in omnes Apoſtolos trãſmiſſam, alio loco inſinuat, vbi dicit: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & Matt. 18.
quæcunque ſolueritis ſuper terrã, erunt ſoluta & in cœlo. Eccleſiæ igitur ſunt claues iſtæ ligandi atque ſoluendi datæ, quas

non ab hominibus, ſed à Chriſto accepit, vt abſque diuinæ authoritatis contemptu, contemni non poſſint. Quapropter Chriſtus præcipit, vt eum qui Eccleſiam ius dicentem non audierit, pro ethnico habeamus & publicano. Tanta eſt Eccleſiaſticæ iuriſdictionis vis & poteſtas. Hac coërcentur obſtinati in ſceleribus, peruicaces, rebelles, flagitioſi, & contumaces. Hac vſus eſt beatus Apoſtolus Paulus, quando Corinthium, nouercæ ſuæ ſtupratorem, tradidit ſatanæ: Ego, inquit, abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens, Eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti cōgregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini Ieſu, tradere huiuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hac item vſus eſt aduerſus Hymeneum & Alexandrum, qui operum conſcientiam, quæ fidei rectæ congrueret, repellentes, circa fidem naufragauerunt, quos tradidit ſatanæ, vt diſcerent non blaſphemare. Et increpat Beatus Apoſtolus Corinthios apud iudices infideles & ethnicos iudicio contendentes: An neſcitis, inquit, quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis? Neſcitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis ſecularia? Et per ironiam ſubdit: Secularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles, ſcilicet qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum, ſed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Quibus permoti rationibus, decreuimus cum præſenti Synodo iudicia Eccleſiaſtica in primis reformanda eſſe. Equidem in hanc rem anteceſſores noſtri ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, Theodoricus & Ropertus quædam ſtatuère, poſt quos anteceſſor noſter Hermānus, Anno vigeſimo nono, copioſiorem noſtræ Curiæ Reformationem edidit, quæ in Prouinciali concilio, anno trigeſimo ſexto, communi omnium conſenſu publicata atque recepta eſt. Verùm cùm prohibente hominum malitia, non ſit reformatio illa per hanc tempeſtatem ſortita per omnia executionem, Decreuimus hanc primùm in diœceſi noſtra diligenter exequi, & omnes curiæ noſtræ Officiarios iureiurando adſtringere ad eius obſeruantiam. Requirimus quoque & monemus reuerendos confratres noſtros Suffraganeos Epiſcopos, vt & ipſi ſecundùm hoc exemplar, prout meliùs videbitur congruere ſaluti & tranquillitati ſubditorum, ſuas quoq; Curias reforment, & executionem reformatæ iuriſdictionis, epiſcopali ſua authoritate inferioribus omnibus ad eundem modum, hoc eſt, per iuſiurandum imponant.

De impedientibus executionem mandatorum & ſententiarum iudicum Eccleſiaſticorum.

ECcleſiaſticus iudex officio ſuo nequit perfungi, vbi Magiſtratus & ſeculares homines, contumacibus, flagitioſis & rebellibus patrocinium ferunt aduerſus Eccleſiaſtica iudicia, vel ea impediunt. Idcirco mandamus omnibus Magiſtratibus Præfectis, Iudicibus ſecularibus, & quibuſcunque Eccleſiæ filijs, ne quis ad iudicium Eccleſiaſticum vocatis, aduerſus Dei ordinationem, vnde eſt iſta poteſtas, & ſacros Canones, patrocinetur, aut quouis modo impediat mandatorum & ſententiarum Eccleſiaſticorum iudicum executionem, ſub pœna excommunicationis, qua, niſi admoniti reſipiſcant, ſint plectendi. Pijſſimum quoque Imperatorem noſtrum, & Principes ſeculares, quorum ditiones in Prouinciam noſtram excurrunt, vel intra eius ambitum continentur, duximus totius Concilij nomine, tanquàm iuſtitiæ patrocinatores inuocandos, vt ditionum illarum Satrapis, Præfectis, Iudicibus, Magiſtratibus, ſuiſque vicarijs mandare ac præcipere velint, ne Eccleſiaſtico iudici, brachium ſeculare petenti, illud denegēt, aut cuiuſcunque exceptionis per reos propoſitæ occaſione differant, etiam ſi nullitatem exceptio concernat, quemadmodum iure communi cautum eſt.

Ne Iudices ſeculares de Matrimonialibus & alijs ſpiritualibus cauſis iudicent.

QVum Matrimonij ſacramentum, vt ſacramenta reliqua, in theſauris Eccleſiæ numeretur, nec ſit ciuilis quidam contractus, vt olim putarunt Ethnici, ad ſolius Eccleſiæ iudicium, præſertim vbi quæſtio iuris verſatur, eius diſcuſſio pertinet. Idcircò ſtatuimus cum præſenti Concilio, & ſub Excōmunicationis pœna prohibemus, ne Magiſtratus aut Iudices ſeculares, in Matrimonialibus aut aliis Spiritualib. quibuſcunque cauſis, ad cognitionem ſolius Eccleſiaſtici iudicis ſpectantibus, inter ſuos ſubditos aut alienos iudicent, nec diſpenſandi aut tranſigendi poteſtatem in matrimonio ac gradibus prohibitis ſibi vſurpent, ſed eiuſcemodi cauſas omnes ad iudicis Eccleſiaſtici cognitionem & definitionem remittant.

CENSVRÆ ET DECRETA LATA PRO ABVſuum & vitiorum ad Synodi iudicium perlatorum emendatione.

Ne quis recipiat aut foueat Monachos & ſanctimoniales, ſui inſtituti deſertores, ac fugitiuos apoſtatas, ſub excommunicationis pœna.

NVLLA re magis per hanc tempeſtatem fœdata eſt Eccleſiæ Chriſti facies, quam profugorū monachorum & ſanctimonialium perfidia atque flagitijs: quorum, vt erat vitæ inſtitutum arctum priùs & ſanctum, ita eo abiecto, abſque omni freno ad quæuis flagitiorum genera prouoluti ſunt: his enim authoribus natæ ſunt hæreſes, ſacrilegia, inceſtuoſa connubia, & ſacrorum omnium prophanatio. Nec ab alijs magis quàm ijs, quos iſti ſeduxerunt, ſunt hæc mala defenſa atque promota. Ideò magna ſeueritate opus eſt, vt flagitioſiſſimum hoc genus hominum reprimatur, atque ab Eccleſia fidelium, videlicet ne plures eorum contagione inficiantur & pereant, ſubmoueatur. Proinde quod nuper in diœceſana Synodo noſtra decreueramus, nunc renouamus. & eius innixi authoritati, qui dixit: Quicquid ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis: Sancimus vnanimi totius Concilij conſenſu, iudicio ac ſententia, ac præcipimus, ne quis cuiuſcunque ſtatus vel conditionis fuerit, poſthac monachos vel monachas fugitiuos, & extra ſuperiorum ſuorum obedientiam vagantes, quos nouerit veridica aliorum relatione, aut ſuperiorum teſtimonio, vel alio quouis modo eſſe tales, recipere, fouere, aut ad ſacramenta vel Eccleſiaſtica miniſteria admittere auſit, ſub excommunicationis, quam ipſo facto incurrant, pœna, qua & ſacri Canones feriunt eos, qui huiuſcemodi fugitiuis apoſtatis atque excommunicatis communicant.

De Monachis ſanctimonialibus, & ſacerdotibus coniugatis.

PErlatum ad Concilium eſt, apoſtatas illos varia vitæ genera ſectari: quoſdam enim ſeculare inſtitutum in omnibus aſſumpſiſſe, & pudicitia, quam Deo conſecrauerant, proſtituta, monachos ſanctimonialibus, duplicato inceſtu, ſub coniugij prætextu adhærere. Quo vitio & ſacerdotes, ac maiorum ordinum quidam Clerici contra ſacros canones ſe contaminarunt. Quoſdam verò viduis & fœminis ſecularibus ſe copulaſſe. In quo gradu & ſanctimoniales quædam Deo ſub velamine dicatæ, ſe viris coniugij nomine proſtituerūt: quas nuptias omnes, quia priorem fidem irritam fecerunt, DEO abominabiles atque execrabiles, vti nuper in ſynodo noſtra

diœce-

diœceſana declarauimus, ita nunc quoque totius Concilij approbatione ac iudicio declaramus & pronunciamus illicitas, prophanas, ſacrilegas, atque inceſtuoſas eſſe, & nuſquam tolerandas, & anathemati eos omnes, qui ita contraxerunt, eſſe innexos: prolesque inde ſuſceptas, illegitimas eſſe, nec aliter quã ſpurios & nothos habẽdas: ac proinde hæreditario nomine parentibus ſuis neque in mobilibus neque in immobilibus ſuccedere poſſe aut debere.

De Concubinarijs monachis vel ſacerdotibus.

3 IN tertiò genere verſantur Monachi apoſtatæ, qui miniſterijs Eccleſiaſticis perſunguntur, & ſcortis ſeu concubinis adhærent. Quorum quidam religionis ſuæ habitum penitùs abiecerunt, quidam non integrum, ſed partem eius ob metũ retinuerunt. De quibus ſtatuimus, vt ſeueriori ordinis diſciplinæ pro tanti ſcandali expurgatione ſubmittantur, & carnis ſuæ petulantiam pœnitentiæ afflictione mortificent. De ſacerdotibus verò & clericis beneficiatis, quibus concubinæ vel fœminæ de incontinentia ſuſpectæ, ſeu cum quibus ipſi antehac de fornicatione diffamati fuerunt, manifeſtè cohabitant, vt nuper in ſynodo diœceſana, ita nunc quoque totius Concilij conſenſu & approbatione decernimus & pronunciamus, eos qui tales fœminas apud ſe detinent, ſententiam ſuſpenſionis ab officio & beneficio incurriſſe: Mandamusque & præcipimus, vt iuxta nouiſſimam declarationem, eas tam procul è vicinia ſubmoueant, vt commercijs non detur facilis occaſio, & ſuſpenſiones omnes vitentur: ipſas verò fœminas, ſi poſthac in domibus vel vicinia permanſerint, cenſemus ex communicationis cenſura plectendas: Volumus quoque & iubemus, vt Eccleſiarum prælati ſententiam memoratam contra concubinarios notorios, & de concubinatu ſuſpectos, diligenter exequãtur: alioqui noſtrarum partium erit eorum negligentiam ſupplere, & pœnas dignas
Mal. 31. pro ea exigere. Quòd ſi qui libidinis furijs correpti inſtar equi & muli, quibus non eſt intellectus, ſuſpenſionis pęna non emendentur, aut his noſtris mandatis facto contrario docuerint ſe non velle parere: contra hos tales ad vlteriorem beneficiorum priuationem, aliasque duriores pœnas, decreuimus & cenſuimus eſſe procedendum.

De monachis qui extra obedientiam degentes, diuina tractant, & populo Sacramenta adminiſtrant.

4 IN genere quarto verſantur Monachi profugi, qui extra Obedientiæ iugum & ordinis ſui obſeruantiam, alij in habitu, alij habitu cum Religione reiecto degentes, regimini ſe intromittunt Eccleſiarum; Sacramenta conficiunt & populo adminiſtrant, cùm ſint ipſi excommunicati, & ſacramentorũ omnium expertes: Cõfeſſiones audiunt, cùm abſoluendi non habeant poteſtatem, multis modis & populo imponentes, & ſeipſos cenſuris grauioribus illaqueantes: Nonnunquam etiam dogmata falſa diſſeminantes: quos cùm animaduertimus eſſe propria quædam inſtrumenta, quibus Eccleſiaſtica diſciplina ſubuertatur, & pietatis obtenta ſpecie, tam ſibi quã populo perniciem adferre: Mandamus & præcipimus ſub anathematis vinculo, ne quis tales Eccleſiarum Regimini aut ſacramentorum adminiſtrationi admoueat.

De ſanctimonialibus, Religionis ſuæ habitum ſubinde mutantibus.

5 HIs finitimæ ſunt ſanctimoniales quædam, Religionem benè & ſanctè inſtitutam profeſſæ, quas accepimus Religionis ſuæ habitum ſubinde deponere, & veſtes ſeculares Religionis tædio ſibi aptare, non abſque graui fidelium ſcandalo, & ſtatus ſui ignominia: Quippe quòd ſicut mulier impudica cum veſte pudorem, ita ſanctimonialis Religionem cum
deponit. veſte.* Quam indignitatem prohibere volentes, præcipimus ne qua Religioſa virgo ſub excommunicationis pæna habitum alium, quàm ſuæ religioni conuenientem, ſibi induat, aut alia videri velit ſponſa Deo conſecrata, quàm ea, quàm ſe eſſe profiteatur.

De Requirendis omnis generis Apoſtatis, vt reſipiſcant, & vt ad inſtituta ſua reuertantur.

IAm licèt Apoſtatarum, & eorum qui miſſa ad aratrum manu, retroſpexerunt ad ſeculum, & ſe ineptos reddiderunt regno Dei, alius alio grauiùs impegerit: & quidam humanitate propter errorem communem, & eorum, qui cùm prohibere hunc curſum potuiſſent, officium neglexerunt, conniuentiam: alij ſeuera vltione ob maleuolentiam & impietatem digni videantur: in hoc tamen ſunt omnes pares, quod Religionis ſuæ vota illa ſolennia, quibus ſe Deo præ cæteris mortalibus nuncuparunt, timore Dei & æterna animæ ſalute poſtpoſitis, perfidè ſoluerunt. Quæ profectò magna eſt impietas. Enimuerò propheta Baruch, deos gentium falſos, à Deo vero hoc veluti ſigno proprio diſcernit, quod falſi illi, votum quo ſe quis obligauerit, nec tamen reddiderit, non requirãt: Deus autem verus requirit. Vnde perſpicuum eſt, ſecuros illos votifragos apoſtatas, qui ſibi perſuadent Deum vota non requirere, habere ſibi perſuaſum Deum eſſe falſum, quales ſunt dij Gentium: quod vel cogitaſſe, horrendum idololatriæ ſcelus eſt. Petrus quoque in Actis Apoſtol. teſtatur eos, qui communem vitæ ſocietatem, qualis olim inter Apoſtolos erat, & nũc apud Religioſos conſeruari debet, ſemel receptam deſerunt, tentare Spiritum ſanctũ, & mentiri non hominibus, ſed Deo. Idcircò duximus eos omnes ſalutis de qua periclitantur, grauiter admonendos, & vno nomine requirendos, quibus & præſentis Synodi authoritate inuocato Chriſti nomine, quẽ ſceleratis ſuis factis abnegarunt, mandamus & præcipimus, vt relictis falſis coniugibus & concubinis, ſi quibus adhærent, poſtpoſitisque negocijs, quibus ſe implicuerũt, habitum Religionis ſuæ reſumant, & ad ſuum quique Monaſterium reuertantur, vbi pœnitentiam ſalutarem ad diuinam vltionem auertendam, veniamque erratorum impetrandam, humiliter agant.

De abiuranda hæreſi, & communione ſchiſmatica vitanda.

SImiliter requirimus, & paterno affectu monemus monachos & ſanctimoniales apoſtatas, ſacerdotes, ſui ordinis & diſciplinæ deſertores, clericos & laicos, eosque omnes qui communione ſchiſmatica, aut prauorum dogmatum contagione per hanc tempeſtatem ſe ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ, extra quam non eſt ſalus, ſepararunt, vt hæreſi, ſchiſmateque omni abiurato, abſolutionem & reconciliationem à ſede Apoſtolica, vel eis quibus hoc muneris delegatum eſt, petant ſtudeantque deinceps in vnitate communionis & fidei cum Eccleſia ſancta Catholica permanere. Propter eos verò Prouinciæ noſtræ incolas, qui ſibi arbitrantur vtriuſque ſpeciei communionem à Cæſarea M. permiſſam, operæpreciũ duximus de hoc iterùm ferre noſtrum iudicium. Proinde Cæſareæ M. declaratione maturo iudicio lecta atque expenſa, quod in nupera ſynodo noſtra fecimus, nunc totius Concilij ſententia declaramus, omnibus prouinciæ noſtræ fidelibus, nihil tale in religioſiſſ. catholiciſſimique Imperatoris declaratione, quam ſuam mentem expoſuit, inueniri, quin potiùs contrarium: ſiquidem expreſſis & diſertis verbis à catholicis Imperij Statibus, & eorum ſubditis, ſeriò valdè exigit, ne quid in ſacramentorum adminiſtratione præter Eccleſiæ catholicæ conſuetudinem immutent, aut immutari in ſuis ditionib. vllo pacto permittant. Cui Cæſareæ M. planè catholicæ & Chriſtianæ ordinationi decreuimus Nos, tanquam Archiepiſcopus & Princeps Elector per Dei gratiam Catholicus, cũ Reuerendis confratribus noſtris comprouincialib. Epiſcopis & Principib. eadem gratia diuina concedente ſimiliter catholicis, fideliter & obedienter per omnia obtemperare: Id quod & alioqui pro noſtra erga ſanctam Eccleſiam deuotione, ſtudio pacis & vnitatis, quæ diuino illo ſacramento ſignificatur, conſeruandæ, eramus facturi.

Præcipim' idcircò, & authoritate præſẽtis ſynodi in nomine Dñi noſtri Ieſu Chriſti cõuocatæ, mandamus omnib. Prouinciæ noſtræ incolis, qui Chriſtiano noĩe cẽſentur, vt corpo-

ris & ſanguinis Chriſti veritatem ſub vna ſacramenti ſpecie percepiſſe contendi, vinculum pacis cum gratiarum actione ſeruent.

Vt ſacerdotes ab hæreticis reuertentes, non ſtatim inuolent miniſterijs Eccleſiarum.

CAueant autem ſacerdotes, ſiue Religioſi, ſiue Seculares, ab hæreticis, vel ſchiſmaticis ad Eccleſiam reuertentes, ſe miniſterijs diuinis ſtatim ingerere, & ſacrificare, aut Sacra- menta populo adminiſtrare, etiam ſi maximè id non more hæreticorum, aut ſchiſmaticorum, ſed ſecundùm Eccleſiæ Catholicæ ritum facere velint, priuſquam ſint abſoluti, Eccle ſiæ reconciliari, & officijs ac miniſterijs ſuis, irregularitate ſublata, reſtituti: ne damnationem grauiorem incurrant, pro- pter irregularitatis impedimentum, quo tenentur per ſacros Canones illaqueati.

Venia ſpe propoſita, errantes omnes ad Eccleſiam Catholicam reuocandos.

9 NE verò pœnarum ſeueritate propoſita, reuerti ad Eccle ſiam ab hæreſi cupientes, auertamus & retrò pellamus, & non potiùs etiam duros & obſtinatos veniæ blandimentis emolliamus, atque ad pudorem & reſipiſcentiam inuitemus, En omnibus cuiuſcunque ſint ſtatus, gradus aut conditionis,
15. ad mentem cum filio prodigo redeuntibus, reſipiſcentibus, atque ad Eccleſiam, patris ſui domum, vnde aufugerant, ab hæreſum & ſchiſmatum lenocinijs cupientibus reuerti, Eccle ſiæ valuas, quantum in nobis eſt, aperimus, & facilem ignoſ- centiam pollicemur: Requirimuſque Reuerend. confratres noſtros ſuffraganeos Epiſcopos, vt animo voluentes, boni pa
c.34. ſtoris officium eſſe, non imperare cum auſteritate & poten- tia, ſed infirmas oues conſolidare, ægrotas ſanare, confractas alligare, perditas per deſerta quærere, atque in humeris re-
c.3. portare: Patris item boni officium eſſe, prodigo filio à longè reuertenti veniæ propoſitione occurrere: ſtudeant etiam ipſi errantes ad reſipiſcentiam & Eccleſiam reuocare. Omnibus verò prælatis, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, & Monaſte- riorum vtriuſque ſexus Superioribus mandamus, vt pœni- tentia ductos ſuos ſubditos & vltrò reuertentes, veniamque petentes, & emendationem pollicentes, paternè recipiant ad pœnitentiam tolerabilem: quam, emendatione eorum per- ſpecta, ſenſim minuant, vt ſanent: non interimant ſuas oues.
fin. De regulari-s. Quòd ſi fortè caſus ſit, vt in monaſterium & locum propriũ abſque ſcandalo recipi pœnitentes nequeant, curent eos in a- lio eiuſdem ordinis monaſterio, ſecundùm Iuris Canonici diſpoſitionem recipi. Nec eos tantùm qui intra diœceſeos no- ſtræ pomœria cõtinentur, cogi volumus, vt huic muneri ſuo ſatisfaciant, ſed omnes vbique locorum per totam Prouin- ciam. Proinde requirimus & monemus Reuerend. confratres noſtros ſuffraganeos comprouinciales Epiſcopos, vt ad eun- dem modum & ipſi ſuarum Diœceſium Prælatos requirant & cogãt, reſipiſcentes ac vltrò redeuntes, benignè ad modum prædictum recipere.

De refractarijs & in errore perſiſtentibus, vi cogendis.

10 QVòd ſi qui apoſtatæ & ordinis ſui deſertores, faſcino diabolico & vitiorum amore excæcati atque illaqueati, non patiantur ſe inuitari ad vitæ emendationem, aut ad Eccle ſiæ ſinum benignè adduci, eos decernimus, poſt ſpretam be- neuolentiam noſtram paternam, vi cogendos, per Dei mini- ſtros illos, qui gladium tenent ad vindictam malorum & lau- dem bonorum, vt intrare vel inuiti compellantur, qui ſpontè reuerti nolebant. Idcircò concilij totius nomine, per autho- ritatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos vocauit, & cuius cauſam agimus, requirimus Chriſtianos Principes, Magiſtra- tus ſeculares, & quotquot poteſtatem coercendi malos habẽt omnes, vt ſuo miniſterio ad laudẽ Dei & Eccleſiæ, cuius ſunt filij, ſalutem porſungentes, obſtinatos apoſtatas, monachos & ſanctimoniales, in ſuis ſordibus & rebellione hærentes, ſedu- ctores quoq; fideles populi, eis indicatos, potenti manu capi- ant, tradantque ſuis ſuperioribus aut monaſterijs, pœnitentiæ ſeueriori, ſalutari tamen, ſubmittendos.

De Apoſtatis, qui ſub prætextu diſpenſationum Apoſtolicarum, vota religionisq́; ſuæ inſtituta deſeruerunt.

APoſtatæ quidam extra Monaſteria ſua degunt, ſuperio- ribus rebelles, & ad rebellionem alios ſolicitantes, tan- to nocentiores in Eccleſia, quanto hoſtis domeſticus externo perniciosior eſt: qui nequitiam ſuam velant diſpenſationum Apoſtolicarum prætextu, quas plerunque vel in Curia, vel à Pœnitentiarijs ſummi Pontificis, aut Legatis & Nuncijs Apo- ſtolicis, ſurreptitiè, vel allegatione cauſarum falſarum impe- trãt. Et ſi cauſæ Iuri innixæ, Bullis obtẽtis interſerantur, tales tamen petunt ſibi dari, atque impetrant earum examinatores & iudices, ſummo Pontifici, Legatis, Nuncijs & diſpenſatori- bus ignotos, qui neque cauſas allegatas examinent, nec partib. legitimè vocatis de earum veritate inquirant: ſed ſimpliciter eorum libidini patrocinentur: aut ſi dantur iudices incorru- pti & probitatis amantes, ijs Bullas ſuas non exhibent cogno- ſcendas, & nihilominùs ſecum diſpenſatum eſſe iactant, vtun- turque diſpenſationibus obtentis, haud aliter quàm ſi cauſas illas legitimè verificaſſent. vnde non infrequenter plus ma- lorum & ſcandalorum, quàm à Notorijs apoſtatis accipitur: noſtrum verò non eſt, ſuſtinere in Eccleſia tantam impoſtu- ram, tamque licentioſam votorum violationem. Proinde ſtatuimus & ordinamus, vt qui diſpenſationes tales obtinue- runt, in habitu & obedientia ſuæ religionis, quam profeſſi ſunt, coram nobis aut reuerendis Comprouincialibus noſtris Coepiſcopis, compareant, atque ita diſpenſationes ſuas exhi- beant, examinandas, & vocatis eorum ſuperioribus, ac quorũ intererit diſcutiendas: Aut ſi iam habitum temerè & abſque præuia bullarum examinatione depoſuerunt, eum reaſſumãt, & eouſque in Monaſterio, ac ſub obedientia ſe contineant, donec diſpenſationibus nobis ad examinandum oblatis, in- ueniantur nõ etiam ſummum pontificem & eius Legatos, vel alios diſpenſatores fefelliſſe, aut ſiniſtrè aliquid impetraſſe. Quòd ſi diſpenſationibus obtentis, aliter atque iam ſtatutum eſt, voluerint vti, eos pro notorijs apoſtatis habendos, vitan- dos, à Magiſtratu capiendos, & ſuperioribus cum rebus om- nibus quas habent, expenſis tamen Monaſteriorum, tradẽdos ad eundem omninò modum, quo de apoſtatis iam decretum & ſtatutum eſt, totius Cõcilij ſententia decernimus & appro- bamus.

Vt qui habent adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum vel officia, reddant rationem.

ACcepimus in quibuſdam Collegijs Theſaurarios fabri- cæ præfectos, & alios rerũ adminiſtratores, vel officia ſpiritualia habentes, rarò aut nunquam dare adminiſtrationũ ſuarum rationem, nõ ſine ſuſpicione infidelitatis, cui perma- gna datur occaſio, vnde res Eccleſiarum diffluunt, & quæ à maioribus ad ornatum Eccleſiarum magnis ſtudiis congeſta ſunt, negligentia & fraude poſteritatis turpiter dilabuntur: Idcircò ſtatuimus & ordinamus, vt Collegiorum & Monaſte- riorum officiarij, quibus cura adminiſtrandorum & diſpen- ſandorum bonorum Eccleſiaſticorum committitur, iureiu- rando promittant, ſe velle ea fideliter conſeruare, tractare & adminiſtrare, ac quotieſcunque petuntur, dare rationem, & ea quæ rationes conſectari debent. Diem autem certum cõpu- tandi Decanus & capitulum eis præfigant, ſub pœna ſuſpen- ſionis ab officio & emolumentorum perceptione. Ad hæc ordinamus, ne facilè vbi ſunt idoneæ perſonæ, vni plura, quã vnum, officia committantur, niſi ſint natura cõnexa, aut per- ſonæ paucæ, & valeat vnius induſtria tanta, vt pluribus ſuffi- cere poſſit. Statuimus quoque, vt iuxta conſtitutionem felicis memoriæ Vuigboldi Archiepiſcopi, anteceſſoris noſtri, lai- ci prouiſores Parochialium Eccleſiarum, qui pro conſeruati- one ædificiorum, luminarium, & comparatione ornamento- rum inſtituuntur, nihil ordinent vel diſponant, abſq; conſilio ſui Plebani, cui bis in anno teneantur reddere rationem, vt ſi

quid

quid inordinatè egerint, pro vtilitate Eccleſiarum, prout ſecundum Deum & conſcientias ſuas videbitur expedire, corrigatur atque reformetur.

Vt Campanarij ſeu cuſtodes religioſè Officia ſua exequantur.

13 DElatum quoque ad ſynodum eſt, campanarios ſeu coſtodes quoſdam, quos alij Matricularios vocant, tam parochialium, quàm collegiatarum Eccleſiarum, qui pallas, mappas, veſtes ſacras, ſordidè & irreuerenter ſeruant, peraguntque miniſteria ſua prolixis barbis horridi, ac nulla religionis veſte à plebeijs diſcreti: Statuimus igitur, ne liceat campanarijs, ſeu matricularijs nutrire barbam, aut in veſte laica in Eccleſijs circumcurſitare, ſed miniſteria ſua in ſuperpelliceis exhibeant, linteaque Eccleſiæ & ſacrarij, vt munda ſint, diligenter aſſeruent. De eorum verò lotione, quæ pertinent ad vſum ſacrorum, illos admoneant ſedulò, quibus hæc cura incumbit, qui talium ablutionem fieri procurent per eos, quib. hoc per canones licet: ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & emolumentis, donec pareant.

De benedictione fontis, & paruulis tempore Paſchali baptizandis.

14 INoleuit grauis abuſus in Collegijs quibuſdam, qui tempore paſchalis officij aquam omnibus baptiſmi cæremonijs benedicunt, quam poſteà effundunt: ſtatuimus propterea, vt nullum fontem ſeu aquam, collegia poſthac conſecrent, cuius nullus eſt vſus, ſed cæremonijs & benedictionib. vtātur apud illum fontem parochiæ ſuæ, quem intra collegij ſepta, aut in proxima vicinia habent. Et vt orationes & ceremoniç ſolennes, quæ tempore paſchali & pentecoſtes, baptiſmo adhibentur, habeant res eis reſpondentes: Statuimus vt paſtores & concionatores adhortentur populum, vt paruulos natos inſtante feſto Paſchæ, ſeruent baptizandos in vigiliam Paſchæ, & natos feſto Pentecoſtes inſtante, ad feſtum Pentecoſtes vſque ſeruent: ſi tamen nullum immineat vitæ periculum.

Vbi & quibus horis debeant paruuli baptizari.

15 DEteſtanda eſt non minus laicorum ſuperbia, quàm Paſtorum eis obſequentium adulatio: qui contempta Eccleſia, proles ſuas volunt in ſuis domibus baptizari, & eò baptiſmi aquam deferri. Quem abuſum prorſus reſcindere volentes, Statuimus, neminem alibi quam in Eccleſia, quocunq; loco natus ſit, debere baptizari, exceptis regum filijs, &c. quibus valeat ſecundùm Concilium Viennenſe deferri. Paſtores verò qui ſecus fecerint, ab officio ſuſpendimus, donec abſolutionem à nobis obtineant. Similiter multos abuſus & leuitates, quæ paſſim apud digniſſimum illud ſacramentum admittuntur, amputare cupientes, prohibemus paruulos tempore pomeridiano baptizari, ſed quando ieiuni & ſobrij ſunt homines, & ad res tantas attenti. Si verò pauca ſint in ciuitate aliqua baptiſteria, & multi baptizandi, poterunt reſidui qui apud ſacrum matutinale baptizari commodè non poterant, tempore pomeridiano baptizari. Et ſi adſit digna populi frequentia, Paſtor eos de baptiſmi myſterijs doceat; præſertim, vt cogitent quanta ſit Dei miſericordia peccata abluentis, & nos in ſuos filios adoptantis. Prætereà vetamus, Ethnicorum more, ab hoc ſacramento magna conuiuia inſtruere, epulari, & ebrietate (vt paſſim homines parum Chriſtiani faciunt) omnia miſcere.

Quod non liceat Religioſis ſuſcipere in fonte baptizatos, aut nuptijs intereſſe.

16 QVamuis Religioſis omnibus interdictum ſacris Canonibus ſit, ne paruulos in baptiſmo ſuſcipiant, aut nuptiarum conuiuijs interſint; paſſim tamen hi canones negliguntur, & Religioſi ad paruulorum ſuſceptionem & nuptias inuitantur, vnde ſuſpecta plerunque naſcitur & alitur familiaritas, & aculei nonnunquam in pectoribus relinquuntur: qui vt fortè vbi arcta eſt cognatio, vel ſenectus emortua, deſint, tamen nocet exemplum iunioribus propoſitum. Idcircò Abbatibus, Prioribus, & Religioſis quibuſcunque, ſuſceptionem paruulorum in baptiſmo, & nuptiarum conuiuia planè interdicimus, quantauis neceſſitudine vel paruulis, vel deſponſatis iungantur. Contrarium facientes, pro transgreſſione & ſcandalo dato, ſeuera pœnitentia decernimus caſtigandos.

Comœdias quatenus liceat in monaſterijs ludere.

PErcepimus Comœdiarum actores quoſdā, ſcena & theatris non contentos, tranſire etiam ad monaſteria Monialium, vbi geſtibus prophanis amatorijs & ſecularibus commoueant virginibus voluptatem. Quæ ſpectacula, etiamſi de rebus ſacris & pijs exhiberentur, parùm tamen boni, mali verò plurimum relinquere in ſanctimonialium mentibus poſſunt, geſtus externos ſpectantibus & mirantibus, ceterùm verba non intelligentibus. Ideò vetamus & prohibemus poſthac vel Comœdos admitti in virginū monaſteria, vel virgines Comœdias ſpectare.

Abuſus populi in audiendis Miſſis quomodo coercendus.

ANimaduertentes populum rudem & ſimplicem, religionis antiquæ & veræ ignarum, actiones propè nullas in Miſſæ ſacrificio, præter hoſtiæ ſacroſanctæ oblationem obſeruare: & hinc abuſum natum in ciuitatibus, vbi multæ celebrantur Miſſæ, vt ab altari ad altare diſcurrant, nulli ſacrificio plenè intenti: in oppidis verò & pagis cœmeteria circumambulent, & de rebus nonnunquam prophanis tractent, donec detur ad hoſtiæ eleuationem ſignum, qua vel è longinquo cōſpecta ac ſalutata, putant ſe hominis Chriſtiani officio abundè perfunctos: è ſalute fore populi fidelis exiſtimauimus, ſi hoc vitium gladio ſpiritus excinderetur. Idcircò Paſtoribus & verbi diuini concionatoribus omnibus iniungimus ac mādamus, vt vbi irreligioſus hic abuſus irrepſit, frequenter doceant populum de tremendis atque adorandis Miſſæ myſterijs, iuxta ſanctorum patrum doctrinā, & ea quæ in declaratione Cæſareæ Maieſtat. de Miſſa traduntur: & quod Chriſtianorū, ſit integro Sacro auſcultare, quo participes fiant confeſſionis, quam ſacerdos pro tota plebe facit, & omnium orationum, & benedictionis qua eos dimittit.

Et ſi quidem peccat ea in re tota (vt alicubi fit) ruſtica cōmunitas, cenſemus Præfectum loci requirendum, vt abuſum talem coerceat ac prohibeat. Qui ſi fortè hoc facere recuſet, prohibemus omnibus Paſtoribus, Vicecuratis, & animarum curatoribus quibuſcunque, ne quis eum abſoluat, aut ad ſacramētorum perceptionem admittat, niſi certa fide polliceatur, ſe velle regulis iſtis Eccleſiaſticis obtemperare. Si verò paucorum iſtud vitium eſt, & moniti non emendent, cera, vel rebus alijs ad Eccleſiæ ornatum, vel pauperum ſubuentionem pertinentibus, pro arbitrio Paſtoris & ædilium mulctentur.

Et ne cui deſint pietatis ſub miſſa exercitia, dabimus pijs quibuſdam & eruditis viris negocium conſcribendi diuino huic officio congruentes meditationes & orationes: pro populi ſimplicis captu, quas vel ipſimet legentes intra ſe reuoluant, vel è Parochi frequenti inſtitutione addiſcant.

Quando & vbi conueniat ſimul plures Miſſas dicere.

MEntem ſequentes formulæ, ad quam Reformatio inſtituenda erat, ordinamus, vt Eccleſijs Parochialibus, ad quas potiſſimum confluere ſolet populus in vnum collectus, & in minoribus Collegijs ac Monaſterijs, ſacerdotes, quibus dicendæ ſunt Miſſæ ſpeciales, eas finiant ante ſolennis Miſſæ Euangelium aut ad ſummum ante actionem, aut ab eius communione facta incipiant, ne populus in diuerſa diſtrahatur. Vbi verò amplæ ſunt Monaſteriorum vel Collegiorum Eccleſiæ, ſic in Oratoria diſtinctæ

…cis diuerſis diuerſus accipiatur populus, nec poſſint v-… Miſſæ commodè omnes eſſe intenti, poterunt ſingulis po-…orum turmis ſingulæ Miſſæ celebrari, quibus vnuſquiſque …lus ſit intentus: ſub Concione autem nulli ſacerdotum …at in Eccleſia illa Miſſam celebrare.

De oblationibus in Miſſa faciendis.

VAria fuerunt olim in lege veteri ſacrificia & oblationes, Chriſti perfectum ſacrificium præfigurantes, quas vni- Chriſtus hoſtia in crucis ara conſummauit, ſemetipſum …o nobis offerens. Hæc eſt hoſtia ſempiterna, quam eandem …Miſſa ſacerdos eorum omnium nomine, qui Chriſtum pro oblatum cupiunt, offert ac ſiſtit ante patrem. Fuerunt & a-…æ Primitiarum, Decimarum, & liberalium votorum obla-…ones, quibus in Eccleſia, præter ſacrificia ſpiritualia, macta-…onis vitiorum, gratiarum actionis, laudis & ſeruitutis, quæ …iuinæ maieſtati debetur, ſucceſſerunt etiam rerum tempo-…alium ad vſum miniſterij neceſſariarum oblationes, quas o-…im in primitiua Eccleſia magnis ſtudijs offerebant in Miſſa, …uo ſuffragijs eiuſcemodi ſacerdotes Eccleſiæ miniſtros ſu-…tentarent. Vnde adeò locupletatæ ſunt initio Eccleſiarum …es etiam perſequutionis tempore, tanta copia, vt poſt ſacer-…dotum, & miniſtrorum alimenta, partiti ſint eas etiam in ali-…menta viduarum, orphanorum & pauperum: in veſtes item & vaſa miniſterij, ornatum & fabricam Eccleſiarum: de quibus extant adhuc antiqui Patrum canones, extant quoque orationes, quas Secretas appellamus, ſub Offertorio Miſſę, quibus oblationes populi Deo commendantur. Qui mos of-ferendi ſemper fuit in populo fideli retentus ad nouiſſima vſ-que iſta ſecula. Verum res tam altæ originis, & ratione tam ſancta ſubnixa, iam tota propè abire cœpit in deſuetudinem, hominibus pijs cauſam & originem offerendi ad altare igno-rantibus, & impijs cupiditate ſacerdotum vſum illum intro-ductum calumnioſè aſſerentibus. Quamobrem diuini verbi concionatoribus, illis præſertim, qui de oblationibus populi non participant, ad cupiditatis ſpeciem tollendam, præcipi-mus, vt populo veritatem rei iſtius & vtilitatem exponant, hortenturque omnes ſequi maiorum ſtudia, vt vel exigui mu-nuſculi oblatione, ſuam pro rebus à Deo acceptis oſtendant gratitudinem, quò etiam preces illæ in eos conquadrent: in-culcentque eis, quòd Deus non tam ad dona, quàm ad volun-tatem & mentem piorum, reſpiciat: quanquam locupletes & diuites conuenit eſſe liberaliores, quo gratitudinis ſignum de ſe ampliores præbeant, & teſtentur ſe à Deo ad Dei ho-norem & cultum habere, quicquid habent.

De oblationibus pro defunctis, & exequijs pompoſis prohibendis.

CVm mortuus ſit Chriſtus pro viuis & defunctis, offer-tur etiam in Miſſa, non tantum pro viuis, verùm etiam pro defunctis. Quod rudes, & Sadducæis craſſiores homines ignorantes, neque orant, neque Sacrificium expetunt, aut ex-equias aut iuſta pro parentibus, liberis, cognatis, & amicis per-ſoluunt: Non aliter ſanè, quàm ſi cùm corporibus ſimul & a-nimæ extinguerentur. Mandamus idcircò, vt verbi diuini Concionatores, populum hac de re diligenter ac pie informēt & doceant, ne animæ amicorum in Chriſto defunctorum, ſuffragijs orationum & oblationis Chriſti fraudentur. Qui modus ſemper fuit retentus in Eccleſia, atque etiam ante Chriſtum apud Iudæos celebris. Neque enim ex vnico Ma-chabæi facto concluditur, ſanctum eſſe pro defunctis orare & ſacrificium offerre, vt à peccatis ſoluantur, ſed quoniam ita pij & de vera fide inſtructi Iudæi, abſque hæſitatione credebant: verum non probamus propterea pompoſos & ſumptuoſos apparatus ſupra hominis conditionem, qui valent ad oſtenta-tionem potius opum, quàm vt defuncto ſuffragentur. Im-probamus verò comeſſationes & ebrietates, quibus poſt exe-quias quidam indulgent, quaſi mortuorum amicorum me-moriam vino abluere velint, vbi potius, eadem via ſibi ſequendum eſſe, cogitare de-bebant.

De proceſſionibus in quibus ſacra hoſtia cum Imaginibus Sanctorum circunfertur.

NIhil propè tam ſanctum eſt, quod ſecularium hominū vanitas non trahat in abuſum: Eccleſia de theſauro cor- 22
poris Chriſti exultans, circunfert longis Proceſſionibus etiā extra ſacras ædes Hoſtiam illam ſalutarem, videlicet ſimul repræſentans itineris Chriſti hiſtoriam, qui dum quæreret ſalutē noſtram, in medio populi verſatus eſt, & vniuerſam Iudęam circumambulauit, docens, & ægrotos ſanans, diſcipulis comitantibus: quamobrem & ſanctorum reliquias & imagines eorum, qui veſtigia eius ſecuti ſunt, ſimul circumferimus, ſignificantes illos nunc cum ipſo regnare & triumphare in cœlis. Quæ memoria debet pijs eſſe iucunda & læta. Verùm huc ſecularis ſtultorum hominum vanitas irrepſit, & adhibentur etiam ludi prophani & ſcurriles magno ſtrepitu, ac quaſi ad bellum procedendum eſſet, tympana pulſantur, & ocioſa ſpectacula eduntur, rebus iſtis non congruentia, quibus populus delectatus, à rebus quæ proceſſione aguntur, auocatur. Mandamus idcircò, vt iuxta Cæſareæ Maieſtatis reformationem, quicquid non valet ad deuotionem excitandam, à proceſſionibus remoueatur: Sed ſint proceſſiones compoſitæ, graues & modeſtæ, abſint riſus, ioci, & cōfabulationes, & orent homines, aut ſuauiter corde & voce modulentur: nec beatæ Virginis aut alterius cuiuslibet Sancti, plures quàm imago vna vniuſcuiuſque circunferatur, vt videamur magnas & paruas, cultas & incultas ſtatuas inſpicere, & nō ſurſum mente in cœlum ſubducta, rem ſignificatam potius cogitare. At vbi populus vanus noluerit abuſum hunc corrigere, & inſolentiā prohibere, Mandamus & præcipimus ſacerdotibus & clero, ne talibus proceſſionibus interſint, vbi iram Dei, non verò miſericordiam, in nos prouocamus.

Patres dant & alias proceſſionum rationes, quarum præcipua eſt, fideles, quando prælata cruce procedunt extra Eccleſiam, & ad eam reuertuntur, admoneri imitationis Chriſti, qui de ſummo cœlo egreſſus in mundum, per crucem regreſſus eſt in gloriam patris, iuxta illud quod in peregrini ſpecie ipſe de ſe in Emaus ait: Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 24.

De Stationibus & Supplicationibus.

QVantum in Proceſſionibus feſtiuis peccat turba populi, tantum in ſtationibus & ſupplicationibus ſolet clerus 23
peccare, & populum deuotum nudis interdum plantis & capitibus incedentem, ſua inſolentia, confabulationibus, cachinnis, incompoſitis moribus & diſcurſibus ſcandalizare. Præcipimus idcircò, vt in omnibus cuiuſcunque generis proceſſionibus, clerus exemplis bonis populum ædificet, & aut oret, aut cantet, cum grauitate per plateas incedens: nec dilabātur ad ientacula, nec in Eccleſijs, dum ſacrum in ſtationibus peragitur, deambulent, aut confabulentur, ſed choro omnes interſint, habeantque ſinguli Decani & Seniores ad Iuniores reſpectum, puniantúrque tranſgreſſores pœnis quas Decanus iniunget.

Vt diſtributionum non ſint participes, qui officijs integris non interfuerint.

NON minori populi ſcandalo Clerici quidam, quando ſunt pingues diſtributiones, Chorum ad breue tantum- 24
modo tempus, quo ſui præſentiam teſtentur, ingrediuntur, nec officium totum perſoluunt: ſed continuò egreſſi chorum, aut obambulant in Eccleſia, vel eius immunitate, aut ad aliam in qua ſimul beneficium habent, celeri tranſitu ſe proripiunt, vbi ſimiliter teſtentur ſe fuiſſe præſentes, quò duarum Eccleſiarum diſtributiones pro eodem officio integras percipiant, cum in nulla Eccleſia officium integrum perſoluerint, manifeſto indicio, ſe pecuniæ, non Chriſto aut Eccleſiæ ſeruire, vt ter peccēt: primum cupiditate, deindè cultus diuini negligētia, tertiò exemplo prauo, quo populū ſcandalizāt, vt tranſ-

Digitized by Google

vt tranſgreſſionem canonum prætereamus. Etenim in Concilio Chalcedonenſi ſtatuerunt Patres, ne quis Clericus in duabus Eccleſijs inſcriberetur aut miniſtraret, nec communicaret prioris Eccleſiæ rebus, qui ad ſecundam tranſiret. Quàobrem ſtatuimus, vt illi ſoli qui horis diuinis aut defunctorum exequijs ſeu memorijs à principio ad finem vſque interſunt, idque in habitu qualem temporis & perſonæ conditio requirit, diſtributiones percipiant, niſi iuſta cauſa ſit, quare ante officium finitum diſcedant, aut tardiùs ipſum accedant. Nolumus tamen hac conſtitutione priuilegio Prælatorũ derogatum.

De Proceſſionibus Ruralibus.

25 DEcanis ruralibus committimus, vt ruri, vbi maior eſt abuſus, per ſuas regiunculas paſtores adhortentur, vt ad prædictum modum ſuas proceſſiones inſtituant, nec vagi & incompoſiti per agros diſcurrant, & præſertim Rogationum tempore, quando Deum pro miſericordia & frugum conſeruatione imploramus: tranſgredientes, Paſtores aut ipſi in Synodis ſuis corrigant, aut viſitatoribus noſtris indicent.

Vt paſtores Rurales Decanis ſuis obediant.

26 QVod præcipit Apoſtolus, vt fideles omnes Præpoſitis ſuis, quorum eſt vigilare pro animabus eorum ad reddendam Deo rationem, obediant atque ſubiaceant, intelligăt paſtores rurales, non ad laicam modò turbam, ſed etiam ad ſe pertinere, qui debent Decanis ſuis in licitis & honeſtis omnibus reuerenter auſcultare & parere: & æquum eſt, vt obedientiam quam ab inferioribus ſuis tanquam Chriſti vicarij exigunt, ſuperioribus exhibeant. Præcipimus ob id, vt viſitatores de obedientia, quam mauult Deus quàm ſacrificium, potiſſimum inquirant, nec ſinant inobedientiam impunitam.

Ne Magiſtratus ſeculares Decanis & Paſtoribus in officiorum ſuorum executione ſint impedimento.

27 ACcepimus Magiſtratus ſeculares quoſdam, & Principum præfectos, munera Eccleſiaſtica inuadere, ac tyrănidem in Chriſti ſacerdotes & clerum exercere, cogere Paſtores, vt præter Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem, ſubditos ſub duplici ſpecie communicent, & cæremonias piè inſtitutas abrogent: quos ſchiſmaticos, atque cum Core, Dathan & Abiron, quos terra deglutiuit, æternæ maledictionis obnoxios eſſe, è ſacra ſcriptura diſcimus. Alios quoſdam accepimus impedire, Decanos rurales, quo minùs poſſint officia & Iuriſdi[illegible]em ſuam exercere, ſynodos liberè celebrare, & exc[illegible]rigere, ſed iudicium hoc vendicare ſibi, qui & ipſi inte[illegible]ſe excommunicationem à Iure & canonibus latã, in[illegible]quos & excommunicatos totius Concilij authoritate [illegible]moniti non abſtinuerint) pronunciamus & de[illegible]olumus quoque vt Viſitatores, tales Eccleſiaſticæ [illegible] libertatis violatores atque oppreſſores, ad nos [illegible]i eorum perſecutione perferant: quos, ſi noſtræ ditioni[illegible]int, pro malis meritis plectemus: ſin alterius, eorum principibus, aut Cæſareæ Maieſtati plectendos denunciabimus.

Ne magiſtratus ſeculares onerent domos religioſorum & eorum perſonas ſeruitijs ſecularibus.

28 PEruenit ad ſacrum Concilium, præfectos quoſdam in religioſarum ſororum domos irruiſſe, & fractis per vim foribus occupaſſe, atque in granaria ſua conuertiſſe earum officinas: quinetiam religioſas ipſas ſorores magna ſeruitute opprimere, compellere frequentiùs monaſterijs ſuis egredi in arcem, vbi eas domeſticis ſuis ſeruitijs grauent. Quam indignitatem ſacri Canones grauiſſimis cenſuris damnant, nec diſſimulare abſque magno reatu nos poſſumus. Proinde hos tales vbi res ita aguntur, cum toto Concilio pronunciamus anathema violatæ immunitatis Eccleſiaſticæ incurriſſe: Committimusque Viſitatoribus noſtris, vt de facti enormitate inquirant, quo de remedio vlteriori poſſimus cogitare.

Ne coloni eccleſiarum, ſeruitijs indebitis grauentur.

AD hæc præcipimus & mandamus vniuerſis Magiſtratibus & Præfectis fidelibus, ne contra Iuris diſpoſitionem, Eccleſiarum colonos ſeruitijs & impoſitionibus grauent, ſed iuxta Cæſ. M. Reformationẽ, ſacros canones, & Imperatorum leges, libertatem, priuilegia, & immunitates Eccleſiaſticas conſeruent eis illibatas: ſi anathema & animę damnationem velint euitare.

Ne iudices ſeculares clerum iudicialibus impenſis vltra æquitatem grauent.

PErlatum eſt in concilium, ſeculares quoſdam Iudices prauo & nuſquam gentium audito exemplo, ab annis paucis introducto exigere à clero, ſi quando clericus, vel religioſus ratione bonorum Eccleſiaſticorum, vel alijs de cauſis, laicum in ſuo foro conuenit, impenſas duplicatas, vt vbi laici actores vel rei dant ſimplum, clerici & religioſi (ſi velint iuſtitiam ſibi adminiſtrari) duplum ſoluere cogantur. Quod profectò iniquum eſt grauamen, & tam rationi rectæ quàm legib. Imperatorum, & ſacris canonibus, grauamina à clero depellentibus, aduerſum. Proindè ſtatuimus & ordinamus, ne liceat vllis Iudicibus vel Scabinis, quicunque illi ſint, clericos & religioſos impenſis maioribus quàm laicos grauare, aut ad dupli ſolutionem eos quocunque prætextu cogere, vbi in cauſa ſimili dat laicus ſimplum, ſub cenſuris contra eos qui exactionibus & oneribus clerum grauant, decretis.

Ne clandeſtine coniugia contrahantur & tolerentur.

SÆpiùs experti, quanta mala ex clandeſtinis coniugijs oriſtur, qualia ſunt periuria, ſtupra virginum, adulteria, homicidia, parẽtum & amicorum offenſiones, exhæredationes; vt prætereamus ea quæ Cæſ. M. Reformatio piè & Chriſtianę commemorat, decreuimus & ſtatuimus, vt clandeſtina contrahentibus tantiſper ſacramenta negentur, donec ab excommunicatione à Iudice competente abſoluantur, atque ita in facie Eccleſiæ ſacramenti ſolennia celebrent. Idem ſtatuimus de incolis & aduenis illis, de quibus ſuſpicio eſt, eos in facie Eccleſiæ non eſſe coniunctos: qui aut matrimonij ſolennes ritus in Eccleſia celebrent, aut alibi id ſe feciſſe idoneis teſtimonijs probent. Dum verò huius gratia ad Eccleſiam conuenitur, & qui iunguntur, benedictioni ſacerdotali ſe ſubmittunt, abſit omnis leuitas & locus ſecularis, ſed cum Dei timore cogitent quale ſit vinculum quo colligantur, & quòd Deus ſit qui eos coniungat, vt diſcant in Chriſto nubere, cuius gratia & dono torus immaculatus datur & conſeruatur.

Quod matrimonium debeat præcedere trina proclamatio, & nemo niſi à Paſtore ad quem hoc pertinet, coniungi.

FIt ſæpè, vt dum paſtor alter alterius ouile inuadens, copulat virum & fœminam ſibi non ſubditos, abſque Epiſcopi licentia, vt vnus fiat duarum maritus, & contra vna multorum vxor. Ideò ſub pœnis & cenſuris canonicis, ſtatuimus & ordinamus, vt nemo parochus vel presbyter auſit ſibi non ſubditos copulare, niſi ſit alter alterutrius paroch9 proprius, & paſtoris alterius dimiſſorias literas acceperit, nec niſi in vtriuſque parochia, trinæ proclamationes tribus diebus feſtis à ſe inuicem diſtantibus ad populi frequentiam, præceſſerint.

Quod non debeant ſponſus & ſponſa coniungi, niſi in Eccleſia & tempore ab Eccleſia non interdicto.

Vperbiam eorum qui Eccleſiam Dei contemnunt, reprimere volentes, Mandamus & præcipimus vniuerſis parois & presbyteris, ne quis alibi, quā in Eccleſia publicè poſt iſſam auditam iungendos matrimonio copulet: nec alio mpore, quàm iura permittant, ſub pœna ſuſpenſionis ab of:io, quam ſacerdotes mandatum hoc prætergredientes, inrrant: nec volumus per officiales noſtros, cum quouis, niſi : cauſis grauiſſimis & vrgente magna neceſſitate, diſpenſari.

De communione & confeſſione Sacramentali.

PErlatum eſt in concilium, multos reperiri atheos homines, qui ſacram communionem ab annis aliquot à ſuo pa-ocho non perceperint, quos veriſimile eſt vel non commuicaſſe, vel alibi clanculum apud ſchiſmaticos communicare. Quoſdam etiam adire ſacram Synaxim, de quibus non conter, vtrùm ſint confeſſi peccata ſua, abſoluti, an ſecùs. Statuinus idcirco, vt quicunque Chriſtiano nomine volunt cenſei, ſemel vt minimùm in anno accipiant à ſuo parocho ſacrā communionem, ſecundùm Catholicæ Eccleſiæ ritum, ſub vna tantùm ſpecie. Et vel eidem priùs confiteantur, vel ſi de :orum confeſſione probabilis eſt dubitatio, teſtimoniū ad:erant, quòd alibi ſint confeſſi & abſoluti. Alioqui viuentes ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & mortui, Eccleſiaſtica careant ſepultura.

Ne fratres quatuor ordinum audiendis confeſſionibus ſe intromittant, niſi ſint præſentati.

EXploratum habemus quoſdam è fratribus quatuor Ordinum mendicantium iuuenes, imperitos & inexpertos ſacerdotes, fiducia priuilegiorum ſuorum audire paſſim confeſſiones, & quoslibet paſſim abſque iudicio & diſcretione caſuum, quam nullam nouerunt, abſoluere: Cui periculo obuiare volentes præcipimus, ne quis fratrum Ordinum mendicantium, confeſſiones audire præſumat, niſi legitimè & ſecundùm formam iuris, nobis vel comprouincialibus epiſcopis præſentatus, & de his, quæ ad officium illud pertinét, probè informatus ſit, & iudicatus idoneus. Quòd ſi Priores & Guardiani non compulerint ſuos fratres ad ordinationis huius obſeruantiam, & diſſimulauerint, tales nouerint ſe ab omni miniſterio eccleſiarum noſtrarum cum ſuis fratribus ſubmouendos. Ne verò habeant, quod de præſentatione querantur, has gratis, ſalua Scribarum moderata mercede, eis impartiemur.

De Pænitentiarijs Epiſcopalibus.

INſuper, vt conſcientijs ſcrupuloſis conſulatur, ac facilior pateat omnibus ad veniam & abſolutionem peccatorum aditus, ordinamus noſtros in hac diœceſi pœnitentiarios, qui facultatem habeant, ſibi confeſſos ab omnibus caſibus nobis de iure vel per ſtatuta ſynodalia reſeruatis, in foro conſcientiæ abſoluendi.

In primis reuerendum Cyrenenſem Epiſcopum, noſtrū in pontificalibus Vicarium: Deinde metropolitanæ Eccleſiæ noſtræ Presbyteros Canonicos Theologos, omnes quoque intraneos & extraneos collegiorum, & ruralium paſtorum decanos, & quatuor primarum parochialium Eccleſiarum in Colonia paſtores: ſcilicet Martini, Columbę, Laurentij & Albani: Priores quoque quatuor Ordinum mendicantium, & præterea ex ordine Prædicatorum fratrum Georgiū de Tremonia, ex ordine Minoritarum fratrem Vuinandum ab Eſſrem, Licentiarum theologiæ: ex ordine Carmelitarum fratrem Vuilhelmum à Blatzhem: ex ordine Auguſtinenſium, fratrem Henricum à Vuyerd. Præterea addimus in maiori noſtra Eccleſia venerabilem Licentiatum Theologiæ Ioannem Lunen. Ioannem Lamb. decretorum doctorem, Ioannē ab Heinsberg Theologiæ Licentiatum, & Gotfridum Dimarum ab Hagen.

De confeſſoribus Sanctimonialium.

VOlentes conſulere infirmitati ſanctimonialium, quas nonnunquam pudor vel metus retinent à confeſſione libera, quando ad vnum tantùm patrem vel confeſſorem eis familiariter notum, alligantur, vnde fit, vt ſæpè non integrè, ſed vix vnquàm liberè conſcientiam ſuam exonerent, & tamen ad ſacroſanctam communionem ſtatutis temporibus cū alijs accedant: Clementer indulgemus & concedimus, vt ſanctimonialibus bis aut ter in anno fiat poteſtas, alij quàm ſuo presbytero cōfitendi, ab ordinario loci deputando, niſi proprius eorum viſitator aut commiſſarius huic rei priùs prouiderit. 37

De contemnentibus ſacram Vnctionem.

REl atum nobis in Concilio eſt, impios quoſdam homines infirmitatis ſuæ tempore vnctionem ſacram reſpuiſſe ac contempſiſſe: quamobrem ſtatuimus, vt ſi quis ſacramentum illud nobis ab Apoſtolo Iacobo tantoperè commendatum, contempſerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura. 38 Iacob 5.

Eſt quoque in obſeruatione dierum feſtorum multa varietas, de qua in proxima ſynodo noſtra diœceſana ſtatuemus. Ea verò quæ hic conſtituta ſunt, iudicio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & Oecumenici Concilij, vt omnia noſtra, reuerenter ſubmittimus: nec per ea ſacris canonibus, traditionib. Eccleſiaſticis, aut reliquis maiorum noſtrorum Prouincialibus & diœceſanis ſynodalibus conſtitutionibus volumus derogatum. Poteſtatemque præmiſſa omnia & ſingula interpretandi & declarandi, quoties opus fuerit, & viſum erit expedire, nobis reſeruamus. In cuius rei fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in Metropolitana Eccleſia noſtra Colonienſi, 6. Aprilis, Anno Domini 1549.

CONCILIVM MOGVNTINVM AVCTORE SEBAſtiano Archiepiſcopo in cauſa fidei & morum congregatum, anno Dom. 1549. tempore Pauli Papæ III.

CONSTITVTIONES CONCILII PROuincialis Moguntini, Sub Reuerendiſſimo in Chriſto patre & Ampliſſ. Principe & Domino, D. Sebaſtiano Archiepiſcopo Moguntino, Sacri Roman. Imperij per Germaniam Archicancellario & Principe Electore, &c ſexta Maij, Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono celebrati.

INDEX CAPITVLORVM CONcilij Prouincialis Moguntinenſis, eorum quæ ad doctrinam fidei pertinent.

DE Sancta Trinitate & fide Catholica. Caput 1
De creatione & conſeruatione mundi. 2
De hominis creatione. 3
De lapſu hominis. 4

De pec-

De peccato Originali. 5
De Redemptione per Chriſtum. 6
De iuſtificatione. 7
De Charitate & bonis operibus, & merito eorum. 8
Obſeruationem mandatorum Dei, verè Chriſtianis eſſe poßibilem. 9
De verà libertate Chriſtiana. 10
De Sacramentis in genere. 11
Modus doctrinæ circa Baptiſmum. 12
De Baptiſmo paruulorum. 13
Baptiſmum, adhibitis ritibus ſecundum veterem Eccleſia morem, adminiſtrari debere. 14
Vnctiones in Baptizandis paruulis omiſſas, expleri debere. 15
Baptiſmum ante meridiem adminiſtrari debere. 16
Modus doctrinæ circa Sacramentum Confirmationis. 17
De vnctione Chriſmatis in Confirmatione. 18
De cognationibus ſpiritualibus, ex his duobus potißimum Sacramentis, Baptiſmi & Confirmationis, prouenientibus. 19
Modus doctrinæ circa Sacramentum pœnitentiæ. 20
De contritione. 21
De Confeßione. 22
De Satisfactione. 23
De abſolutione. 24
De ijs, qui Confeßionibus audiendis præfici debent. 25
De reſeruatione caſuum relaxanda. 26
Ne religioſi Laicos communicent ſine conſenſu Parochorum. 27
Sine Teſtimonio factæ Confeßionis, nemo ad ſacræ Eucharistiæ perceptionem admittatur. 28
De confeßione non reuelanda. 29
De Satisfactionibus. 30
Modus doctrinæ circa Sacramentum Eucharistiæ. 31
De communione vnius ſpeciei. 32
Vt à ieiunis & confeßis ſacroſancta Euchariſtia ſumatur. 33
Modus doctrinæ circa Sacramentum extremæ vnctionis. 34
Modus doctrinæ circa Sacramentum Ordinis. 35
Modus doctrinæ circa ſacramentum Matrimonij. 36
Monendos liberos, ne inſcijs parentibus contrahant. 37
De matrimonij Solennitate. 38
De benedictione Salis, Aquæ, & aliarum rerum, quæ per Exorciſmos & orationes, ad vſum fidelium præparantur. 39
De Ceremonijs. 40
De Imaginibus. 41
De abuſu Imaginum prohibendo. 42
De reliquijs Sanctorum. 43
De peregrinationibus ad Reliquias Sanctorum. 44
De Inuocatione & veneratione Sanctorum 45
De orationibus pro defunctis, & de Purgatorio. 46
De Ieiunio, & delectu ciborum. 47

INDEX EORVM quæ pertinent ad Mores.

De conſtitutionibus Eccleſiæ. 48
Ne ignoti & inexplorati, ad prædicationis munus admittantur. 49
Obſeruandi Parochi & concionatores, quomodo quiſque doceat. 50
Videndum, quibus libris Parochi & Concionatores paßim vtantur. 51
Plebs, vt cõcionibus & diuinis interſit, per Magiſtratus adigenda. 52
De horis Canonicis. 53
Quæ ad tremenda Miſſæ myſteria. 54
Presbyteri, cum irreuerentia Miſſas celebrantes, coercendi. 55
De præmittenda Sacerdotum Confeßione ante ſacrificium Miſſæ. 56
Miſſæ, ſub Concione aut ſolenni ſacro, non celebrentur. 57
Concionatores plebem verum Miſſæ vſum diligenter edoceant. 58
Miſſa quo geſtu aut qua deuotione audienda. 59
In Primitijs omittendæ comeſſationes. 60
Sanctorum ſolennitates Dominicis cedant. 61
De ſacris libris recognoſcendis & repurgandis. 62
De examine Prælatorum. 63
De his, qui plura beneficia Curata obtinent. 64
De generalibus ſtudijs inſtaurandis: Et de Adoleſcentibus ad ſtudia publicè alendis. 65
De clericis ſecularibus & regularibus, ad ſtudia ablegandis: Et de ſtudijs, apud Monaſteria inſtaurandis & conſeruandis. 66
De Theologiæ apud Eccleſias Collegiatas profeſſoribus. 67
De Patronis & collatione beneficiorum. 68
De admißione ad beneficia Eccleſiaſtica, & eorum reſignatione. 69
De iuſta diſtributione prouentuum Eccleſiaſticorum. 70
Vt Præpoſiti, Decani, Scholaſtici, Cuſtodes, & Cantores, apud Eccleſias ſuas reſideant. 71
De modo deferendi quotidianas diſtributiones. 72
Ocioſas deambulationes in Eccleſijs inter diuina prohibendas. 73
De honeſtate & decentia Clericali. 74
De decimis & offertorijs perſoluendis. 75
De foro competenti, & immunitate Eccleſiaſtica. 76
Quibus Epiſcopi aut Archidiaconi ſuas vices committere debeant. 77
De Regularibus. 78
De clauſuris Monaſteriorum Virginum. 79
Paſtores & alij, Eccleſijs ſuis quibus per ſe non præſunt, idoneos & perpetuos Vicarios præficiant. 80
De promouendis ad ſacros Ordines. 81
De ordinandorum Teſtimonio. 82
Qui in baptiſmo vnctiones ſacri olei & Chriſmatis, iuxta vetuſtißimum Eccleſiæ morem non ſuſceperunt, ad Ordines ſacros ante talium vnctionum ſuppletionem non admittantur. 83
De ijs, qui ordinantur extra ſuas diœceſes. 84
De honore Prælatorum. 85
Ne domicellares Canonici, ante merita virtutis & doctrinæ, ad Capitula aſſumantur. 86
De iuramentorum exactione reſtringenda. 87
Pecunias ex ſtatutis beneficiorum, aut aliundè cedentes, in Eccleſiarum vtilitatem impendi debere. 88
De rebus Eccleſiarum diligenter curandis. 89
De procuratione ſeu Fabricis Eccleſiarum Parochialium. 90
De Simonia. 91
Vt parochi ſacramenta gratis adminiſtrent. 92
De competentijs Parochorum. 93
De clericis peregrinis. 94
De ſacellanis Nobilium. 95
De Magiſtris ſcholarum. 96
De Teſtamentis & vltimis voluntatibus. 97
Mercatus diebus Dominicis & feſtiuis prohibendos. 98
De libris per Typographiam publicandis. 99
De pœna clerici percuſſoris, aut rixoſi contra alium clericum. 100
De pœna Sortilegorum. 101
De clericis concubinarijs. 102
De Excommunicatione. 103
De vitandis excommunicatis. 104

PRAEFATIO.

SEBASTIANVS Dei gratia Sanctæ ſedis Moguntinæ Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellarius, & Princeps Elector &c. Vniuerſo clero & populo per diœceſim noſtram Mogunt. Salutem in Domino ſempiternam. Poſteaquam graue illud Paſtoralis muneris onus humeris noſtris (Domino ſic diſponente) incubuiſſet, ſanè nunquam quaſi in dignitatis & honorum faſtigio ſublimati, lætari potuimus, ſed quaſi in quadam ſpecula poſiti, ingentem & anxiam ſolicitudinem animo concepimus, & quaſi importabile onus humeris ſuſtinentes, ad omnem ſuſcepiſti muneris recordationem frequenter ingemuimus. Non enim ignorabamus depoſitum, quod tradente & commẽdante Chriſto ſuſcepimus, quanta in illo aſſeruando cura, ſolicitudine, & labore deſudare nos oporteat: quantave pœna nos maneat, & quam terribilis nos Domini ſententia expectet, ſi quicquam de Theſauro illo, quem Chriſtus, velut ſedulus & prudens negociator, precio ſanguinis ſui comparandum duxit, noſtra fortè incuria perire contigerit.

Accedebat ad cumulum ſolicitudinis noſtræ, & timoris noſtri pondus in immenſum augebat, quòd functionem noſtram Paſtoralem in eam videbamus tempeſtatem incidiſſe, qua tot ſectæ, ſchiſmata, & omnes penè præteritorum

Digitized by Google

temporum hæreſes, velut conſpiratione facta, agminatim in Eccleſiam irruerant, diſperſum Chriſti gregem immanes lupi ad interitum rapiebant: & qua, vniuerſa vitiorum corruptela & grauiſſimorum ſcelerum lues, ouile Chriſti quaſi contagione perſerpens ouicolas Chriſti ſanguine redemptas, crudelem in modum depaſcebatur.

Atque hac temporum iniquitate nobis nequaquam deſidiæ patrocinium, aut negligentiæ excuſationem, præberi exiſtimabamus: ſed curam & ſolicitudinem noſtram potius augeri, vt quanto grauioribus malis laborantem Eccleſiam conſpiciebamus, tanto attentiore animo & ſtudio vigilantiore, in eam, quam Dominus nobis impoſuerat, Paſtoralis officij functionem incumberemus, & gregi nobis credito cuſtodiam ſimul & diſciplinam ſedulò adhiberemus: Cuſtodiam quidem, vt ex commonitione noſtra, cauere noxia, & ſalutaria appetere: peccata refugere, & virtutes ſectari, plebs nobis commiſſa ſedulò addiſceret. Diſciplinam verò, vt qui ſpretis ſalutaribus monitis, aut torpentes negligentia, aut malitia incitati, delinquerent: per nos à vitijs ſuis, Eccleſiaſticæ cenſuræ ſeueritate coërcerentur. Siquidem memineramus, hanc vtranque curam à Domino ouilis ſui cuſtodibus ſub graui comminatione iniungi. Cuſtodiam quidem, cùm ait: Si Speculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu Speculatoris requiram. Seueritatem verò diſciplinæ Dominus à Paſtoribus exigens: Non quæras, inquit, fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: nimirum innuens, graui culpæ alligari eum, qui vitia ſubditorum, quæ pro poteſtate ſibi tradita compeſcendo emendare debet, diſſimulando nutrit & auget. Et alibi Dominus Paſtorum negligentiam ſeueriſſimis minis increpans: Ecce ego ipſe, inquit, ſuper Paſtores, gregem meum de manu eorum requiram.

His nos Domini commonitionibus incitati, iam indè ab initio ordinationis noſtræ, propenſa voluntate ad debitam commiſſę nobis functionis executionem, omnem animi & conſilij vim cõuertebamus. Sed pios conatus noſtros inquietudo temporis illius impediebat, dum tumultibus & bellis feruerent omnia, ac planè appareret, ſeculũ noſtrum iam nec vitia ſua ferre poſſe, nec remedia pati velle. Et iam nihil aliud quàm grauem Eccleſiarum ruinam, & de proximo imminentem Religionis noſtræ interitum oculis præuidebamus, niſi Deus pro immenſa ſua miſericordia miſeratus, Eccleſiam ſuam tot malis grauiſſimè afflictam, & ſub tãtarum calamitatum onere iamiam ruituram, Inuictiſſimi & Potentiſſimi Principis Caroli Quinti, Pientiſſimi & verè Catholici Imperatoris armis texiſſet, & à caſu præſeruatam, pia eiuſdem Imperatoris ſolicitudine ad priſtinæ ſecuritatis recuperandæ ſpem erexiſſet.

Cùm igitur ſingulari Dei gratia & miſericordia, & Chriſtianiſſimi ac Potẽtiſſimi Imperatoris beneficio hæc quies, Eccleſijs reddita eſſet, vt iam de rebus Religionis conſilia tutò capere liceret: Nos tantam opportunitatem, quam nobis diuinitus concedi diu deſideraueramus, nequaquàm negligendam rati, omnes animi & conſilij conatus ad Eccleſiarum nobis ſubiectarum diſciplinam ritè conſtituendam, & ad plebis commiſſæ ſalutem promouendam, adeóque ad totius Paſtoralis muneris noſtri functionem pro virili exequendam, applicuimus. Et veterem Eccleſiæ cõſuetudinem inſequentes, quam Apoſtoli nobis reliquerunt, & Sancti Patres quaſi per manus traditam ſedulò retinuerũt, vt quoties in fide Chriſtiana dubiæ quæſtiones orirentur, aut alioqui ancipiti malo Eccleſia periclitaretur, mox Synodum conuocarent, & dubias quæſtiones ex ſcripturis ſanctis, iuxta communem Sanctorum Patrum conſenſum, & receptam Eccleſiæ authoritatem, dirimerent, & ſuborientibus difficultatibus & periculis, collato inter ſe conſilio, matura & ſalutaria remedia adhiberent: Nos quoque, poſt celebratam à nobis Synodum Diœceſanam, præſentibus malis etiam amplioris conſilij remedia credentes quærenda, iuxta Sacrorum Canonum ſanctiones Prouinciale Concilium duximus congregandum. Itaque Comprouinciales noſtros amicos chariſſimos, & dilectos in Chriſto Reuerendos Coëpiſcopos, ad diem ſextum Maij in ciuitatem noſtram Moguntiam euocauimus, è quibus cùm Reuerendus in Chriſto, & amicus noſter ſyncerè dilectus, Mauritius Epiſcopus Eyſtetenſis, vir inſigni eruditione præditus, & promouẽdæ Religionis, zelo mirificè flagrans, per ſeipſum: pleriq; verò alij per idoneos nuncios, pietate, doctrina, prouidentia, & conſilij magnitudine præſtantes viros, promptè comparuiſſent: omnium qui conuenerant, voluntates ad Eccleſiæ tot malis afflictæ, & tantis Cleri & populi vitijs deturpatæ, auxilium & emendationem valdè pronas depræhendimus. Qua animorum alacri pietate, & pia alacritate exhilarati, inuocato Dei auxilio, ſine ampliore mora ſancto & neceſſario negocio manus admouimus, & quantum is nos adiuuare dignatus eſt, cuius cauſam agebamus, in commune cœpimus conſulere, quanam ratione populos nobis commiſſos in officio continere, noxia quæque ab eis auertere, & ſalutaria eis prouidere, ac Eccleſias noſtras in pace & puritate regere poſſimus, donec generale Concilium his tantis malis aptiora remedia prouideret, & omnium abuſuum pleniorem emendationem, ac Deo propicio calamitatum & diſſidiorum finem inueniret. Tandem cùm dies aliquot continuis deliberationibus abſumpſiſſemus, quæcunque ad Dei gloriam illuſtrandam, ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ emendationem, & ad ſalutem commiſſi nobis gregis promouendam, apta & ſalutaria nobis viſa ſunt, in Conſtitutiones diuinæ legi, Orthodoxorum Patrum ſententijs, & ſacrorum Canonum ſanctionibus, ac rectæ rationis iudicio conſentaneas, congeſſimus, & eas vt ab omnibus per ciuitates & Diœceſes noſtras obſeruentur, communi conſenſu publicandas decreuimus. Dedimus autem operam in ijs noſtris Conſtitutionibus, vt ſolicitudinis & Paſtoralis noſtræ curæ vtranque partem complecteremur, & gregi nobis commiſſo cuſtodiam ſimul & diſciplinam præſtaremus: omnem curam adhibentes, quatenus in Eccleſijs noſtris ſimul ſalutarem Chriſti doctrinam, in qua vita & ſalus Chriſtiani gregis conſiſtit, à prauis opinionibus immunem & puram conſeruare, & diſciplinam Eccleſiaſticam magna ex parte collapſam erigere, & ſic Chriſto principi Paſtorum, oues quas ſuo ſanguine redimendas ſibi exiſtimauit, in illo die incolumes ſiſtere valeamus: nequaquam immemores, vt ingentis meriti ſibi comparant fructum, qui ſuper gregem Domini diligenti cuſtodia excubantes, ad iuſtitiam erudiunt & ad ſalutem promouent multos: ſic æterni ſupplicij ſe reos conſtituere, qui ad Paſtoralis officij functionem admoti, ſua negligentia interire ſinunt animas, pro quibus ſanguinem ſuum impendere, & acerbiſſimam mortem tolerare ſuſtinuit Chriſtus filius Dei.

NOs igitur iuxta Apoſtoli commonitionem, attende- Actor. 20
re volentes vniuerſo gregi, in quo nos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo: memores nos aliquando coram iuſto
Iudice, pro animabus commiſſę nobis plebis, rationem red- Hebr. 13.
dituros eſſe, in primis ſolicita cura duximus prouiden- 1. Pet. 1.
dum, vt in Eccleſijs per vniuerſam noſtram Prouinciam & Diœceſes conſtitutis, ſana & ſyncera, tum etiam vna, conſentiens & concors ſacroſanctæ fidei noſtræ, doctrina tradatur, quatenus populi curæ noſtræ commiſſi, ſicut vno
Baptiſmo in ſpem viuam regenerati, vnum colunt Deum, Epheſ. 4.
vnamque fidem profitentur, & vnam omnes ambiunt vnius Patris in cælo hęreditatem, ſic ad eandem vna & concordi doctrina erudiantur.

Proindè vniuerſos & ſingulos Paſtores, Parochos, Concionatores, & Curatos, per Ciuitates & Diœceſes noſtras conſtitutos in Domino exhortamur, eiſque diſtrictè præcipiendo iniungimus, vt tum vniuerſam Chriſtianam doctrinam, iuxta receptum ſanctorum Patrum & orthodoxæ ac catholicæ Eccleſiæ ſenſum (vitatis noxijs nouitatibus, & & ſuſpectis opinionibus penitus omiſſis) plebibus ſibi commiſſis fideli cura tradant: tum verò eos præcipuè, qui hiſce temporibus in controuerſiam trahuntur, ſacroſanctæ Religionis noſtræ articulos, in eam quæ ſequitur, ſententiam explicent.

De ſan-

De ſancta Trinitate & fide Catholica.

Cap. 1.

PRincipio, vt ſuperbenedictæ Trinitatis fidem, ſimplici populo non anxia nimis & ſcrupuloſa, ſed plana & ſimplici oratione, iuxta ſcripturæ ſacræ, & trium ſymbolorum Apoſtolici, Nicæni & Athanaſij traditionem, exponant, & eos vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate credere & confiteri edoceant. Vnum eundemque Deum in eſſentia, & in perſonis trinum, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.

De Creatione & Conſeruatione mundi.

Cap. 2.

HVnc Deum Conditorem, Conſeruatorem & gubernatorem eſſe rerum omnium, in pœnis & vindictis iuſtum ſimul & miſericordem: in donis liberalem, omnis quidem boni, ſed nequaquam mali culpæ, authorem: Siquidem nos peccata, nulla impulſi neceſſitate, ſed malitia & vitio noſtro, perpetramus.

De hominis Creatione.

Cap. 3.

Geneſ. 1. INter cætera bonitatis & potentiæ ſuæ opera, Deum ab initio hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuã condidiſſe, corporis & animæ viribus rectum, ornatum, iuſtitia & gratia: intus in anima prauis motibus vacuum, in corpore infirmitatis omnis & omnium ærumnarum expertem, & à moriendi neceſſitate immunem, in voluntate ad bona malaque appetenda ex pari liberum.

Eccleſ. 15.

De Lapſu hominis.

Cap. 4.

QVi cùm mandatum Dei conditoris ſui præuaricatus eſſet, ſanctitatem, gratiam, & iuſtitiã, in qua erat conſtitutus, iuſtiſſimo Dei iudicio amiſit: irę Dei ac damnationi obnoxius, & in corpore ſimul & anima factus deterior, vt iam in corpore famem, ſitim, & innumeras alias miſerias & infirmitates, in anima concupiſcentiam ad mala prolicientem, multaſque noxias & moleſtas ærumnas, ac tandem vtriuſque, videlicet corporis & animæ, mortem ſuſtineret.

Geneſ. 3. Eccl. 40. Geneſ. 6.

De peccato originali.

Cap. 5.

HOc primorum hominum peccatum, propagatione in omnes homines tranſire, ac ſecum pœnam ſuam trahere, vt ſint natura omnes homines iræ Dei, mortis & damnationis rei, & in peccatum proni: qui per libertatem arbitrij ſui, (quæ exigua & infirma in ijs reſidet) nondum adiuti gratia Dei, ea quæ ſunt ſpiritus, & ad ſalutem conferunt, non agnoſcere, nedum appetere queant.

Rom. 5. Epheſ. 2. Geneſ. 8. 1. Cor. 2.

De Redemptione per Chriſtum.

Cap. 6.

AB hoc Originalis peccati morbo, homines ſola Dei miſericordia, per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, liberari: Qui infirmitates & languores noſtros in ſe ſuſcipiens, & peccata noſtra in Cruce perferens in corpore ſuo, Patri nos reconciliauit, vt ſatisfactionem pro delictis noſtris, quam in noſtris meritis non inuenimus, de Chriſti ſanguine & meritis eius aſſumamus: Cui dum per Baptiſmum inſerimur, per Spiritum ſanctum mundamur, & omnem reatum, quem naſcendo vel propriè peccando contraximus, renaſcendo exuimus, & ab omni prorſus peccato liberamur, & per Spiritum ſanctum ſanctificamur, & innouamur ſecundum internum hominem, vireſq́; contra relictæ concupiſcentiæ impetus accipimus, vt iam non regnet peccatum in mortali noſtro corpore: nec ad culpam nobis, ſed ad meriti occaſionem, ſi per gratiam Dei gnauiter pugnauerimus, concupiſcentia in nobis ſit relicta. Rom. 6.

Rom. 5. Eſa. 53. 1. Pet. 2. Epheſ. 5. 1. Cor. 5. 1. Cor. 6.

De Iuſtificatione.

Cap. 7.

ATque hac ratione iuſtificari homines, cùm qui immundi & natura iræ filij, & damnationis rei ſunt, per Chriſti meritum peccatorum ſuorum remiſſione impetrata, renouantur ſpiritu Dei per Chriſtum ſecundum internum hominem: vt iam iuſtificati gratia ipſius, & reconciliati Deo, & ab æternæ damnationis reatu abſoluti, hęredes ſint ſecundum ſpem vitæ æternæ. Rom. 3. Tit. 3.

Talis autem iuſtificationis initium ex Dei gratia prouenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici & peccatores ſunt, excitati & adiuti, & eidem gratiæ ſic excitanti & adiuuanti conſentientes & cooperantes, ad Iuſtificationem diſponuntur.

Hanc verò præuenientem gratiam, cùm per alia media, tum potiſſimum in prædicatione verbi, ad conuerſionem hominis operari, dum homo peccatorum ſuorum admonitus, & à Deo iuſto Iudice cõſtituta peccatis ſupplicia metuens, mox excitatus & adiutus Dei gratia, à timore peccati, ad Dei miſericordiam cogitatione deflectit: & cum alia omnia in ſcripturis reuelata, tum hoc præcipuè fide firma capit, Deum peccatoribus propter Chriſtum miſereri velle: Qua ſubnixus fiducia, ſpem concipit, & timorem animo eijcit, ac Deum, quem ad miſerendum procliuem, ſibique iam propicium credit, diligere, & peccata quæ ipſum à Deo ſeparabant, odiſſe incipit, iamque Deo per Baptiſmum vniri, ſi nondum eſt in Chriſto regeneratus: aut ſi poſt acceptam Iuſtificationis gratiam in peccata relapſus eſt, per Pœnitentiam Deo reconciliari deſiderat, eique per vitæ nouitatem placere, & per mandatorum ipſius obſeruationem perpetuò adhærere velle proponit. Sicque is, qui tunc primò fidei Chriſtianæ initiandus venit, regenerationis lauacro ſuſcepto, aut ſaltem votis expetito, dum ſuſcipiendi facultas non ſuppetit: ille verò, qui poſt acceptam Iuſtificationis gratiam per peccatum rurſus excidit, per Pœnitentiæ remedia Iuſtificationem accipit. Quæ cum peccatorum remiſſione etiam ſanctificationem, & interni hominis innouationem confert, quatenùs per meritum paſſionis Chriſti quod iam credenti communicatur: cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & per Spiritum ſanctum vna cum fide, ſimul charitatem in corde diffuſam ac ſpem accipit. Hiſque Dei donis in ipſo permanentibus, non iam ſolùm reputatur aut nominatur, ſed verè exiſtit iuſtus: non tamen ſua propria, aut ſuis meritis comparata, ſed ex gratia Dei per Chriſtũ donata & cõmunicata, iuſtitia.

Gen. 3.28. Acto. 10. Ioan. 13. Rom. 3. Rom. 5.

Itaque hominem iuſtificari gratis per fidem, quia nullis præcedentibus meritis iuſtificatio acquiritur, ſed ex DEI gratia per Chriſtum donatur, his quibus in eum credentibus, mortis eius & fuſi pro peccatoribus ſanguinis meritum applicatur. Rom. 3. Epheſ. 2.

De Charitate & bonis Operibus, & meritis eorum.

Cap. 8.

CHaritatem verò, ſine qua nemo iuſtus eſſe poteſt, iam tum, cùm in Iuſtificatione hominis accedit, operibus bonis grauidam eſſe, nec ocioſam manere in verè iuſtificatis: quin oblata occaſione, & facultate permiſſa, promat de ſe opus bonum, & quotidiana faciat iuſtitiæ incrementa, ſecundum ſcripturam: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Ea verò, quæ iuſtificati iam, membra ſua exhibentes arma iuſtitiæ in ſanctificationem fide per dilectionem operante, fecerint opera: tum quia Deus benè operantibus, & in ipſo ſperantibus, mercedem miſericorditer promiſit: tum etiam 1. Ioan. 3. Apo. 22. Rom. 6. Galat. 5.

iam quia eiuſmodi iuſtificatorum opera, gratiæ Dei effectus ſunt, & mouente & adiuuante Spiritu ſancto fiunt: verè bona, & Deo grata, ac remuneratione vitæ æternæ digna eſſe.

15. 4. Non enim ſecundum humanas vires, æſtimanda ſunt Iuſtificatorum opera, ſed ſecundũ eam gratiam, quam in ipſos influit Chriſtus, ex qua deindè bona ipſorum opera promanant. Et ſecundum eam dignitatem, quã de Spiritu ſancto, velut omnis boni operis motore & operatore, ſumunt. Sic enim extenuandæ vires humanæ, vt non ſimul & gratia Dei vilis reputetur: ſic in bono opere faciendo, deprimenda eſt facultas hominis, vt interim cogitemus, Spiritus ſancti motum, & in nobis efficacem, & apud Deum acceptum ac precioſum eſſe.

Obſeruationem mandatorum Dei, verè Chriſtianis eſſe poſſibilem.

Cap. 9.

EX eadem cauſa demonſtrandum eſt, Mandatorum Dei obſeruationem renatis ac iuſtificatis eſſe poſſibilem,
2.4. non ſecundum Naturæ infirmitatem, quam habent cum alijs hominibus communem: ſed ſecundum gratiam Chriſti, qua imbuti ſunt, & ſecundum opem Spiritus ſancti, quem renati ac iuſtificati acceperunt: Vt iam diuinorum præceptorum obſeruatio renatis tanto ſit poſſibilior, quãto maiorẽ gratiã, eodẽ ſemper opitulãte Spiritu, vel ſemel acceptã retinent, vel amiſſã nouo ſubindè munere recuperãt.

De vera libertate Chriſtiana.

Cap. 10.

5. EAm verò libertatem ſuam (quam lex Spiritus, quæ eſt ipſa Charitas, diffuſa in cordibus noſtris, nobis affert) Chriſtiani intelligant, non, vt non impleant ea, quæ in mandatis Dei exiguntur, ſed quatenùs ad ea adimplenda non, vt alij homines, pœnarum metu & Imperio legis compellantur, ſed ea iam non inuiti, immò verò volentes faciant: ita, vt obedientia ipſorum ſecundum animi promptitudinem, & in rectè factis lætitiam, vera libertas: ſecundum præcepti adimpletionem, plena & pia ſeruitus exiſtimetur. Alioqui cupiditatibus frena laxare, & carnis curam ſecun-
13. dum eius deſideria facere, non Chriſti libertas, ſed pernicioſa diaboli ſeruitus reputanda eſt.

De Sacramentis in genere.

Cap. 11.

DOceant etiam Paſtores noſtri, Septem eſſe Eccleſiæ Sacramenta diuinitus inſtituta, per quæ velut apta remedia atque inſtrumenta, & peccatis noſtris mederi, & ſuæ gratiæ munera nobis impartiri, Deus voluerit. Eaque non eſſe ritus ſimplices, quod quidam impunè confingunt, ſed ſacroſancta ſignacula, & efficacia ſigna, quæ ritè ea ſuſcipientes, gratiam eis conferendo, ſanctificent. Gratiam verò ſacramentorum, non ex ipſa externarum rerum virtute, nec ex merito Miniſtri: ſed ex internæ & diuinæ operationis virtute, æſtimandam eſſe.

Modus doctrinæ circa Baptiſmum.

Cap. 12.

ET vt populus virtutem ac fructum vniuſcuiuſq; Sacramenti planè intelligat, concordi doctrina erudiri populos nobis commiſſos volumus, vt credant Baptiſmi vir-
oc. 6. tute omne prorſus peccatum, tam Originale quàm Actua-
oc. 2. le remitti, nec quicquam in ritè baptizato relinqui, quod ab ingreſſu Regni cæleſtis remorari eum queat. Concupiſcentiam enim, quæ poſt Baptiſmum in nobis, ad Agonem, non ad culpam, relinquitur, iam non eſſe peccatum
n. 7. vera ratione peccati: ſed peccatum ob id appellari, quod per peccatum facta, & ex peccato relicta ſit, & ad peccatum ampliùs inclinet.

De Baptiſmo Paruulorum.

Cap. 13.

DAtum etiam Paruulis in fide Eccleſiæ Baptiſmum, ad abolendum Originale peccatum, & ad ſalutem conſequendam, efficacem eſſe. Eumque ſemel ritè, etiam à paruulo, ſuſceptum, aut ab hæretico vel infideli in forma Eccleſiæ, cum recta intentione datum, ſine iniuria Chriſti (in Rom. 6
cuius mortis ſimilitudinem, ſemel pro nobis redimendis toleratæ, traditur) ſine grandi piaculo ampliùs iterari nec poſſe, nec debere: ne inuocatio ſanctiſſimi nominis Dei, in qua ſemel ablutio data eſt, per iterationem quaſi vana accuſetur: & mors Domini, in cuius ſimilitudinem ſemel baptizamur, repetito baptiſmo, quaſi inefficax arguatur.

Baptiſmum, adhibitis ritibus ſecundum veterem Eccleſiæ morem, adminiſtrari debere.

Cap. 14.

PArochis verò, & alijs Eccleſiarum Miniſtris per noſtras ditiones conſtitutis, ſedulò iniungimus, & ſub graui pœna, præuaricantibus ſine remiſſione infligenda, comminamur, ne aliter, quàm adhibitis Exorciſmis & Exufflationibus, Vnctionibus etiam & cæteris ritibus, per Catholicam Eccleſiam ab antiquo obſeruari ſolitis, & in aqua non prophana, ſed ſolenni benedictione, & ſacri Chriſmatis, Vnctione ſanctificata, extra caſum neceſſitatis, Baptiſmum adminiſtrare præſumant.

Vnctiones in baptizatis paruulis omiſſas, expleri debere.

Cap. 15.

CVm autem circa ſacrum Baptiſma non rarò euenire ſoleat, vt myſticæ illæ vnctiones, iam indè ab initio Religionis Chriſtianæ per vniuerſam Eccleſiam adhiberi ſolitæ, vel ex neceſſitate propter metum imminentis mortis infantium, vel etiam ex contemptu omittantur: Nos Parochis noſtris hanc curam ſeriò iniungimus, eiſque diſtrictè præcipiendo mandamus, vt de pueris ſic baptizatis diligenter inquirẽtes, ſi compererint alioqui debitam verborum formam obſeruatam, Baptiſmum quidem ſic traditum approbent: Eos verò, qui dum baptizarentur, Vnctio- De con.
nes non receperunt, ſeriò exhortentur & ſedulò inducere dist. 4. c.
tenerer, vt conſuetas Vnctiones cum Oleo ſancto, in pecto- ab antiquo.
re & ſcapulis, & in vertice cum Chriſmate, (adiunctis ſolitis precationibus, quæ in Agendis habentur) alioſque ritus omiſſos, in ſeipſis per Catholicum Sacerdotem, iuxta vetuſtiſſimum Eccleſię morẽ, cautè & piè ſuppleri curent. Quòd ſi depræhenderint, in tali Baptiſmo nec formam debitam eſſe obſeruatam, his qui ſic baptizati fruſtrà putabantur, iterum Baptiſma ſecundum Eccleſiæ ritum tradant.

Baptiſmum ante meridiem adminiſtrari debere.

Cap. 16.

ET vt tanto myſterio debita omninò reuerentia, exhibeatur, Parochos & Eccleſiarum Miniſtros ſeriò monemus, vt manè intra officia diuina, aut mox poſt ea peracta, (non autẽ tempore pomeridiano poſt epulas & prandia, niſi neceſſitas aut periculum infantium accelerare baptiſmum expoſcat) cum multa ſobrietate, & accurata deuotione, Baptiſmum adminiſtrent. Comeſſationes verò, & parùm ſobria Conuiuia, quæ quibuſdam in locis poſt Baptiſmum fiunt, per ciuiles Magiſtratus inhiberi, aut ſaltem ad moderationem Chriſtianis dignam, reduci volumus.

Modus Doctrinæ circa Sacramentum Confirmationis.

CAP. 17.

Ioan. 14. 15. & 16. SAcramentum Confirmationis ex inſtitutione Chriſti, & Apoſtolorum praxi, Eccleſiæ relictum eſſe, in quo, iuxta Domini promiſſionem, Spiritum ſanctum, quo in Act. 8. 19. Baptiſmo ad peccati emundationem ſignati ſumus, cum nouo gratiæ ſuæ munere accipimus: Videlicet, vt virtute eius contra ſatanæ tentationes muniamur: vt gratia eius, ad meliùs capienda fidei myſteria, illuminemur: ad Confeſſionem Chriſti fiduciam, & cõtra vitia robur accipiamus. Quę omnia Chriſtus Dominus, per Spiritum ſanctum, quem miſſurus erat, fidelibus conferenda, diſertè promiſit. Ea verò, vt erant à Chriſto promiſſa, ipſis Apoſtolis in die Pentecoſtes exhibita, & ab eiſdem per manuum impoſitionem in alios transfundi cœpta, Actus ipſorum ſatis teſtantur. Vndè Eccleſia Catholica Spiritum ſanctum per manus Epiſcoporum fidelibus tradendi normam accepit.

De Vnctione Chriſmatis in Confirmatione.

CAP. 18.

DIligenter etiam populum inſtruant, cur hoc Sacramentum, ab initio ſola manuum impoſitione exhibitum, Act. 8. 19. mox ſub ipſis temporibus Apoſtolorum ex eorũdem traditione, adhibita Chriſmatis vnctione, cœperit conferri. Nam cùm in initio Spiritus ſanctus ad euidentiorem recentis adhuc fidei commendationem, ſigno viſibili inſtueret confirmatis: externa Vnctione, quæ illam internam deſignaret, tunc non erat opus. Poſtea verò adulta Eccleſia, & ſtabilita fide, cum ſigna externa apparere ceſſauerunt, nec iam ampliùs Spiritus ſanctus viſibiliter deſcenderet, mox in locum viſibilis ſigni, Vnctio Chriſmatis adhiberi cœpit, quæ his, qui confirmarentur, internam & ſpiritalem Vnctionem repræſentaret, vt quid intùs agatur per gratiam, foris aliquo viſibili ſigno innoteſcat, & verbi fidem externi elementi ſimilitudo confirmet.

De Cognationibus ſpiritualibus ex his duobus potiſſimum ſacramentis Baptiſmi & Confirmationis prouenientibus.

CAP. 19.

Ex Conc. Mogun. Domini Petri. De con. diſt. 4 c. Non plures. NOn rarò ex impedimẽtis cognationum ſpiritualium, difficultates & pericula ſolent euenire: Ad quæ cohibenda decernimus, ne cuiquam, ſiue ex ſacro fonte leuando ſiue ad ſacram Confirmationem tenendo, plures, quàm vnum Patrinum, liceat adhibere.

Modus doctrinæ circa Sacramentum Pœnitentiæ.

CAP. 20.

POenitentiam, velut ſecundam poſt naufragium tabulam, cuius præſidio, in peccatorum voraginem relapſi, denuò perniciem effugimus, & gratiam reconciliationis & remiſſionis peccatorum recipimus: Paſtores noſtri in Eccleſijs ſedulò vrgeant, & admoneant fideles, his partibus integram & vtilem Pœnitentiam abſolui: Contritione, Confeſſione, & Satisfactione.

De Contritione.

CAP. 21.

NEque enim remitti peccatum, cuius eum qui admiſit, non pœniteat.

De Confeſſione.

CAP. 22.

Matth. 18. Ioan. 20. ET cùm ad ſananda hominum peccata, Chriſtus duplicem Miniſtris Eccleſiæ ſuæ poteſtatem reliquerit, vt remittant aut retineant, ſoluant aut ligent: quatenùs id remedium ſanandis peccatis apponendum nobis Dominus tradidit, eatenùs Confeſſionem, cum enumeratione peccatorum faciendam, nobis cõmendaſſe: vt ex recenſitione peccatorum, is, qui diſcernendi poteſtatem accepit, ſciat, vtram commiſſi muneris partem debeat exercere.

De Satisfactione.

CAP. 23.

SAtisfactionem verò ab his, qui deliquerunt, doceant præſtandam. Non illam quidem, qua culpa peccati, & æterna pœna diluitur (hæc enim ſatisfactio ex ſola Chriſti propiciatione donatur) ſed illa à nobis præſtanda eſt, quæ pœna temporalis, quæ poſt culpæ remiſſionem nonnunquam remanet, aut Eleemoſynis alijſque pietatis operibus Dan. 4. redimitur, aut Ieiunijs & alijs Satisfactionibus (quæ tamen 1. Cor. 11. ipſæ etiam ex merito Paſſionis Chriſti efficaciam ſumunt) auertitur.

De Abſolutione.

CAP. 24.

SAcerdotes verò, qui Confeſſionibus audiendis dant operam, abſolutionis formam non intricent pluribus membris, aut Conditionibus appoſitis, ſed planis & ſimplicibus verbis depromant: Ego abſoluo te à peccatis tuis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Non tamen prohibemus, vt idoneo loco, ſeu ante Abſolutionẽ, ſeu poſt eam, orationes, pro petenda delictorum venia, adiungant.

De ijs, qui Confeſſionibus audiendis præfici debent.

CAP. 25.

EPiſcopis, qui curam animarum ſuſceperunt, hac præſertim tempeſtate, qua varijs & pernicioſis opinionibus, ſimplicium animi, miſerandum in modum, deprauantur: ſummo ſtudio enitendum eſt, vt audiendis Confeſſionibus, quę ad formandas conſcientias opportunè ſeruiunt, Sacerdotes viri integri & periti præficiantur. Vndè omnes Superiores fratrum mendicantium (qui in hac parte Parochis in adiutorium accedunt) inducendos cenſemus, & ſeriò monemus, vt fratres ſuos, quos ad audiendas Confeſſiones admittere deſtinauerint, priùs Commiſſarijs noſtris exhibeant: Qui eos aut per examen, aut fide digno ſuorum Superiorum teſtimonio dijudicent, num idonei ſint, quibus ouium Chriſti ſalus tutò committi queat. Ex Synodo celebrata Mogunt ſub Cardinali Nicolao Tit. S. Petri Vincula, & Theodorico Archiepiſcopo an. 1451.

De Reſeruatione caſuum relaxanda.

CAP. 26.

NE autem propter caſus reſeruatos, à ſalutari Confeſſionis remedio homines retrahantur, dũ vel in promptu Sacerdotẽ non inueniunt, qui eos abſoluere poſſit: vel etiam famę ſuę & ſumptui timent, ſi longiùs pro abſolutione conſequenda ablegentur: Nos pudori ſimul & ſumptibus ſubditorum noſtrorum conſulere volentes, præſenti Decreto ordinamus & conſtituimus, vt deinceps omnes Parochi, per prouinciam noſtram ritè ordinati & vocati, omneſque fratres mendicantes, per ſuos ſuperiores, vt præmittitur, præſentati, & per Commiſſarios noſtros approbati poteſtatem habeant, vice & nomine noſtro, abſoluendi Laicos contritos & confeſſos, à quibuſcunque peccatis occultis, quantumuis grauibus & enormibus, quæ alioqui authoritati noſtræ ordinariæ reſeruari debebant: exceptis duntaxat Homicidis, Hæreticis, & Excommunicatis, ad nos, vel Commiſſarios noſtros, mittendis.

Ne Religioſi Laicos communicent ſine conſenſu Parochorum.

CAP. 27.

NVlli tamen Religioſo (etiamſi ad confeſſiones audiendas, vt præmittitur, admiſſus fuerit) licere volumus, cuiquam Laico ſacroſanctæ Euchariſtiæ communionem, ſine ſpeciali conſenſu Parochi, ad cuius curam ille pertinet, porrigere. Quemadmodum & Parochis omnibus ſeriò inhibemus, ne quenquam alienum Parochianum, ſiue conſenſu ſui Parochi, extra neceſſitatem, ſiue ad Confeſſionem, ſiue ad vllius Sacramenti perceptionem, recipiant: Si tamẽ ſubditus rationabilem cauſam allegans, alij Sacerdoti confeſſionem faciendi conſenſum à ſuo Parocho petiuerit, talem ei conſenſum volumus non denegari.

Sine teſtimonio factæ Confeſſionis, nemo ad ſacræ Euchariſtiæ perceptionem admittatur.

CAP. 28.

ET ne contempto confeſſionis remedio, homines ſacroſanctam Euchariſtiam percepturi, periculũ ſibi, quod Apoſtolus indignis & inexploratis grauiter comminatur: accerſant: Parochis noſtris iniungimus, ne poſthac quenquam Parochianum, qui non ſuo Parocho Confeſſionem fecerit, (ſaltem vbi non factæ Confeſſionis ſuſpicio ſubſit,) ſine teſtimonio eius: cui Confeſſionem fecit, ad ſacroſanctam Euchariſtiam admittere præſumant.

De Confeſſione non reuelanda.

CAP. 29.

MAgnam etiam cautionem adhibere debent Confeſſarij ſacerdotes, ne de inuſitatis criminibus, præſertim à iunioribus inquirendo, inexpertis, nouæ cupiditatis, aut criminis antè non tentati, occaſionem obijciant. Caueant etiam, ne confitentis peccatum ſermone, vel ſigno, vel aliqua vlla ratione prodant. Sed ſi conſilio ſuper aliqua re, in Confeſſione ſibi manifeſtata, indiguerint: rem ipſam, ſine vlla authoris mentione, ad peritiorem referant. Quòd ſi ſacerdos alicuius crimen, per confeſſionem ſibi compertum, vel aperto indicio, aut ſaltem conditionis, aut loci, aut viciniæ, aut cuiuſcunque circunſtantiæ ſignificatione, reuelauerit: à beneficio Eccleſiaſtico remotus, ad arctum Monaſterium, ad agendam pœnitentiam, retrudatur. Nec etiam ſacerdos confeſſarius à quoquam, ſibi confitente, de peccatis alterius expreſſo nomine, vllo modo inquirere præſumat.

De Satiſfactionibus.

CAP. 30.

SAcerdotes etiam confeſſarios monemus, eiſque præcipiendo iniungimus ne in vſura, furto, rapina aut fraude, abſolutionem Confitenti impertiantur: niſi ea, quæ iniuſtè abſtulit, quatenùs eius facultates permittunt, ſe reſtituturũ promiſerit. In alijs leuioribus delictis, ſatisfactiones, iuxta qualitatem culpæ, aut confitentis poſſibilitatem, moderentur.

Eoſdem hortamur, vt iuxta delictorum qualitatem, Satisfactionis modum temperent, & auaris Eleemoſynas, incõtinentibus ieiunia, pro Satisfactione imponant, quo ſemper confitentium vitia, contrarijs virtutibus cõpenſentur.

Modus Doctrinæ circa ſacramentum Euchariſtiæ.

CAP. 31.

DE veritate corporis & ſanguinis Dominici in Euchariſtia, plebem ex verbis Domini inſtruant, vt credant poſt conſecrationem, ſub ſpeciebus panis & vini, veram corporis & ſanguinis Domini ſubſtantiam contineri: Nec iam diuidi Chriſtum, aut ſanguinem eius à carne ſeparari vnquam poſſe, quoniam ampliùs non moritur, ideoq; ſub alterutra ſpecie Chriſtum integrum contineri, & ſub vna ſpecie tantum à fidelibus, quantum ſub vtraque, ſumi.

De Communione vnius ſpeciei.

CAP. 32.

CVm autem nemo fidelium dubitet, virtutem ſacroſanctæ Euchariſtiæ, non ex ſpeciebus pendere, ſed ex viuifica Chriſti carne & ſanguine prouenire: iam ne hoc quidem quiſquam fidelis dubitare debet, illum ſub vna ſpecie communicandi morem, ad ſalutem ſumentium æquè vtilem & efficacem eſſe, quàm alterum ſub vtraque: cùm conſtet, non minùs accipi in vna ſpecie, & eum quoq; communicandi morem in vna ſpecie, iam indè ab initio praxis Chriſti & Apoſtolorum, in eccleſiam introduxerit: Vnicuique autem fidelium, ex his duobus communicandi modis, eum meritò tenendum eſſe, quem eccleſia, propter cauſas rationabiles, pro temporum ratione elegerit, & populo tradiderit obſeruandum.

Vt à ieiunis & confeſſis ſacroſancta Euchariſtia ſumatur.

CAP. 33.

PArochis etiam & miniſtris eccleſiarum ſeriò inhibemus, ne cui extra caſum infirmitatis aut neceſſitatis, ſacroſanctam Euchariſtiam, niſi ieiuno & confeſſo, porrigere præſumant.

Modus doctrinæ circa ſacramentum extremæ Vnctionis.

CAP. 34.

SAcram Vnctionem doceant Paſtores noſtri, ad infirmorum, & eorum qui ad vitæ exitum vergunt, præſidium, à pio Domino traditam eſſe, quam eius iuſſu primi Apoſtoli exercuerunt. Quæ dum per orationem fidei infirmis adhibetur, per diuinæ virtutis operationem, cõtra corporis infirmitates & terrores conſcientiæ, alleuiationem & hilaritatem ritè ſumentibus præbet: leuiora peccata tollit, & grauiorum reſtãtes reliquias expurgat, iuxta Apoſtoli te- Iacob 5.
ſtimonium, & receptam conſentientis Eccleſię doctrinam.

Modus doctrinæ circa ſacramentum Ordinis.

CAP. 35.

IN collatione Ordinum, quę cum impoſitione manuum, velut viſibili ſigno, traditur: doceant, ritè ordinatis gratiam diuinitus conferri, qua, ad Eccleſiaſtica munera ritè & vtiliter exercenda, apti & idonei efficiantur, & qua rata ſint & efficacia, quæ à ritè ordinatis in Eccleſia, iuxta Chriſti & Eccleſiæ inſtitutionem, geruntur. Hanc verò gratiam, eſſe ordinis & muneris, non hominum aut perſonarum, nec ad cuiuſquam priuatam, ſed ad communem totius Eccleſiæ vtilitatem, accommodari. Ideoque in ritè ordinatis, ſiue boni ſiue mali ſint, efficacem eſſe. Atque ita inter diſpares miniſtros, Domini noſtri dona ſemper æqualia, ſemper bona & ſancta permanere.

Modus doctrinæ circa ſacramentum Matrimonij.

CAP. 36.

DE hoc Sacramento doceant Paſtores noſtri, Matrimonium ab initio ad officium inſtitutum, tandem ex Dei benignitate, infirmis hominibus ad remedium ceſſiſſe: Vt iam hæc maris & fœminę commixtio, quæ alioqui, propter turpem concupiſcentiæ motum, peccato ex ſe non careret, propter gratiam Sacramenti, coniugibus ad pecca-

tum

Hebr. 13. tum non imputetur, ſed ſit honorabile in omnibus connubium, & torus immaculatus. Eſſe autem coniunctionem maris & fœminæ, duorum tantùm: nec alicuius tertij conſortium, nec duorum à ſe inuicem ſeparationem, niſi per alterius mortem, vllo modo admittentem. Quòd ſi ob fornicationem (quæ ſola illis, ſeparandi cauſa, à Domino permiſſa eſt) coniuges inuicem dimiſerint, manere debere innuptos, aut dimiſſo coniugi reconciliari, & neutri eorum, donec vixerit prior coniunx, ad ſecunda tranſeundi Matrimonia poteſtatem eſſe. Matth. 5. & 19. 1. Cor. 7.

Matrimonia etiam, ſine conſenſu parentum legitimè inita, non debere reſcindi.

Hanc coniunctionem, ex libero conſenſu contrahentium, per verba de præſenti expreſſo, ſtabiliri, nec à parentibus (ſi fortè eorum voluntas non acceſſerit) reſcindi poſſe.

Monendos liberos, ne inſcijs parentibus contrahant.

Cap. 37.

Volumus tamen liberos ſedulò admoneri, vt diuini præcepti memores, velint in parentum eſſe poteſtate, nec illis inſcijs aut inuitis, inire Matrimonia, ac quicquam rei ſeriæ inchoare, præſumant.

De Matrimonij ſolennitate.

Cap. 38.

Et vt Matrimonio ſuus honos conſeruetur, coniunctiones coniugum volumus in conſpectu Eccleſiæ, adhibita celebritate conſueta, confirmari: ne per occultas copulationes, ſub prætextu coniugij, illicitæ libidines graſſentur. Et vt pericula, quæ ex clandeſtinis copulationibus ſuboriri poſſunt, excludantur: nomina contrahere volentium, ante coniunctionem, tribus diebus feſtiuis, non immediatè ſe inuicem ſequentibus, ſed per aliquot dierum interualla à ſe diſtantibus, in Eccleſia coram multitudine, proponi debent: Vt ſi qui impedimentum Matrimonij inter eos nouerint, id ante nuptiarum diem Parocho reuelent. Nec contra huiuſmodi denunciationem, niſi ex ardua & neceſſaria cauſa, diſpenſari debet. Quòd ſi qui tempore huius denunciationis præſentes fuerint, & impedimentum reticuerint, poſt coniunctionem in conſpectu Eccleſię celebratam, ampliùs ad eius Matrimonij accuſationem, aut ad teſtimonium contra ipſum, admitti non debent. Caueant etiam Parochi & Curati noſtri, ne peregrinos & ignotos ad Matrimonia iungenda admittant, niſi libertatis ſuæ teſtimonia ex his locis attulerint, vbi priùs vixerunt. Leuitates verò, quas in pulſando ſponſo (& ſi quæ ſunt ſimiles) abuſus in ipſam vſque Eccleſiã inuexit, omittantur: Saltationes laſciuæ, & commeſſationes parum ſobriæ, ſi in totum tolli nequeant, ſaltem ad moderationem Chriſtianis dignam reducantur, vt ſic hilaritas nuptialis, pietate & modeſtia condita, oculis Dei, qui Matrimonij author & copulator eſt, commendetur. Parochis ſeu Curatis, per vniuerſam Prouinciam noſtram conſtitutis, iniungimus, Si ſub cura ſua habuerint ſubditum, qui mulierem, cui Matrimonio iungi per impedimenta canonica non poteſt, tamen vxoris loco publicè foueat, vt ad dimittendam eam, ipſum ſeriò inhortentur: aut, Si Matrimonium eorum dubium ſit, num de iure ſubſiſtat, eoſdem infra duos proximos menſes ad nos aut Officiales noſtros, pro declaratione accipienda, venire iubeant. Quòd ſi ſic moniti, ab inuicem non diſceſſerint, aut declarationem (vt præmittitur) non petiuerint, aut noſtræ vel Officialium noſtrorum deciſioni & ſententiæ non acquierint: ab Eccleſiaſticis ſacramentis protinus arceantur, & niſi ante mortem peccatum ſuum emendauerint, aut ſaltem id confeſſi fuerint, aut ſerium ſuper eo animi dolorem oſtenderint, Eccleſiaſtica etiam ſepultura priuentur.

Ex Conc. Fritzlar. de ſponſ. & Matrimon.

De Benedictione ſalis, aquæ, & aliarum rerum, quæ per Exorciſmos & orationes ad vſum fidelium præparantur.

Cap. 39.

Veterem morem in Eccleſia ſequimur, dum ſalem, aquam, & cæteras quaſdam res, in vſum fidelium, per orationes in verbo Dei præparamus. Quem morem nemo repræhendet, qui ſecum reputauerit, Eccleſiam inter cætera ſalutis & vtilitatis ſuæ, tum augendæ, tum conſeruandæ præſidia, etiam exorcizandi poteſtatem, contra inſidias dæmonum, aliaſque noxias peſtes auertendas, accepiſſe. Quam poteſtatem dum per res externas ad vtilitatem fidelium exercet Eccleſia, nimirum in eo Sanctorum imitatur exempla, qui ad eliciendos quoſdam effectus, diuino iuſſu res corporales adhibuiſſe leguntur. Quem morem in Eccleſijs noſtris præcipimus conſeruandum, dummodò populum Paſtores ſedulò doceant, effectus, qui indè petuntur, non ipſarum rerum efficaciæ, ſed diuinæ virtutis operationi, per fortiſſimi nominis diuini inuocationem, tribuendos eſſe: Et cauerint, ne rebus talibus ad impias ſuperſtitiones abuti quiſquam præſumat. Matth. 10. Luc. 10.

De Cæremonijs.

Cap. 40.

Similiter & reliquas Cæremonias, quæ aut in cultu diuino ornatum augent, aut mentes hominum ad pias & vtiles cogitationes excitare poſſunt: diligẽter retinẽdas cenſemus, præſertim eas, quas ex multa antiquitate profectas, & per vniuerſam eccleſiam obſeruatas, quaſi per manus traditas accepimus. Quales ſunt, quæ in adminiſtratione Sacramentorum adhiberi conſueuerunt: quibus adnumeramus, vt templa (velut orationum & diuini cultus & ſacramentorum officinæ) per loca idonea, habeantur, ad quorum ornatum (ſimul etiam velut diuini cultus & promouendę pietatis apta inſtrumenta) in ijs ſigna crucis, aliaſque imagines, vexilla, veſtes ſacras, altaria, & vaſa ſacra, conſeruari & vſurpari volumus.

De Imaginibus.

Cap. 41.

Imaginum autem vſum, velut pro erudienda plebe, & omnium animis excitandis vtilem, in Eccleſijs noſtris retineri ſeriò mandamus, dummodò Paſtores noſtri populum accuratè moneant, Imagines non ad id proponi, vt adoremus aut colamus eas: ſed vt quid adorare aut colere, aut quarum rerum vtiliter meminiſſe debeamus, per Imagines recordemur. Procaces verò Imagines, & nimio artis lenocinio, ad mundanæ potiùs vanitatis ſpeciem, quàm ad pietatis commonitionem, effigiatas: in templis proponi omninò vetamus, tam laſciuam artis oſtentationem, frugi & ſeuero patrifamilias intra priuatas ædes graue, templis prorſus intolerabilem cenſentes.

De abuſu Imaginum prohibendo.

Cap. 42.

Cvm vtilis & legitimus Imaginum vſus, intra eos limites contineri meritò debeat, vt ſimplex populus, non ipſas Imagines adorare, aut fiduciam in eis vllam ponere: ſed quem adorare, quoſve honorare, & vnde omnia bona ſperare debeant, per imagines diſcant recordari. Nos prauæ ſuperſtitioni viam præcludere volentes, omnibus locorum Ordinarijs iniungimus, vt ſi fortè in Territorijs ſuis, ad Imaginem aliquam concurſus fieri, & homines ad ipſius Imaginis figuram reſpectum habere, & quaſi quandam Diuinitatis opinionem illi tribuere, animaduerterint: ipſam Imaginem (adhibitis priùs in conſilium Theologis, &

Chriſtianarum antiquitatum ſcientiſſimis iuxta ac pientiſſimis viris) pro cauſæ qualitate, aut tollant aut mutent, & aliam, à prima notabili quantitate differentem, reponant, ne rudis populus, in intellectu ſuo depreſſus, & ideo per media corporalia ad diuina erigendus, ſpem ſuam contra Eccleſiæ intentionem, in corporali, & quidem certa Imagine priuata phantaſia atque inhæſione collocet: quaſi in illa ſit quædam neceſſitas, vt per eam, & non aliter, inducatur Deus & Sancti id facere, quod petuntur. Verùm hæc omnia, vti dictum eſt, de Theologorum & ſapientiſſimorum virorum ſententia, vt ſic ſalubri Ordinariorum prouidentia, à pernicioſo Idololatriæ ſcelere, populi præſeruetur ſimplicitas.

De reliquijs Sanctorum.

Cap. 43.

RElíquias etiam Sanctorũ velut diuinæ gratiæ olim receptacula, & veriſſima Chriſti membra, & pura Spiritus ſancti domicilia, monemus in Eccleſijs noſtris vel ob id proponendas, & religioſa pietate venerandas, vt per eas fideles commoniti, diſcant virtutem & fidem Sanctorum imitari. Et alicubi in ijs ſanguinolentas notas, & pro fide Chriſti tolerati Martyrij veſtigia, cernentes: admoneantur ſpem fidei noſtræ non eſſe inanem, pro qua omnia dira pati, ſancti Martyres in animum ſibi induxerunt. Quorum exemplo, ipſi etiam, ad aduerſitatum omnium tolerantiam animentur.

De Peregrinationibus ad Reliquias Sanctorum.

Cap. 44.

PEregrinationes etiam ad certas Sanctorum Reliquias, aut ad templa memorijs eorum dedicata, vel ob id Chriſtiano populo cenſemus permittendas, vt ex ipſorum locorum admonitione, homines ad imitandam Sanctorum fidem, pietatem & conſtantiam, vehementiore affectu incitentur, & vt maiori deuotione ſe meritis Sanctorum ſociari, & precibus eorum adiuuari poſtulent: dummodò ſedulò caueant Paſtores noſtri, ne vlpiam incertæ Reliquiæ, aut nouæ ſine Eccleſiæ authoritate, aut ne vllæ etiã ad quæſtum proponantur, & ne concurſus ſuperſtitioſi ad ſtatuas, prophanis potiſſimum locis ſitas, aut priuata authoritate erectas fiant.

De inuocatione & Veneratione Sanctorum.

Cap. 45.

DOctrinam magno totius eccleſiæ conſenſu iam indè ab initio receptam, & quaſi per manus traditam, retineri in eccleſijs noſtris omninò volumus: Sanctos videlicet, qui in fide Chriſti nos præceſſerunt, & vitæ huius curſum beato fine clauſerunt, veluti eius corporis, quo Chriſto coniungimur, nobiliſſima membra, à nobis meritò honorari, non tamen eo, qui vni Deo debetur, cultu: ſed eo ſocietatis & dilectionis cultu, quo in hac vita ſancti homines, à nobis ritè coli poſſunt. Illos tamen tanto deuotiùs, quanto ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita feliciore victores, quam in iſta adhuc vſque pugnantes. Quorum etiam meritis aſſociari, & orationibus adiuuari, ritè petimus, qui vno ſpiritu nobiſcum colligati, velut eiuſdem corporis membra, vtique hac nobis lege Charitatis obligantur, qua pro inuicem membra ſolicitudinem gerere, & pro inuicem orare iubentur, vt ſalutem conſequantur: Quod eo magis Sanctos in alia vita pro nobis facere confidimus, quo illis poſt infirmæ carnis depoſitionem, & feruentior charitas, & de ſecuris, ad promouendam aliorum ſalutem, promptior facultas acceſſit.

(∴)

isti- on- ju- lib. p 21.

r. 12.).5.

De orationibus pro Defunctis, & Purgatorio.

Cap. 46.

EX eadem lege Charitatis, qua nobiſcum adhuc cohærent, qui in fide & communione Chriſti ex hac vita migrarunt, tenendum eſt, Defunctos viuorum pietate & orationibus adiuuari, ſaltem eos, qui cùm viuerent, vt eis hæc prodeſſe poſſent, meruerunt: qui non ita boni ex hac vita diſceſſerunt, vt ijs non indigeant: nec ita mali, vt eis hæc prodeſſe non queant.

August. in Enchiridio cap. 109.

Eſt autem conſentiens Eccleſię doctrina, multarum ſcripturarum collatione, & euidenti ratione firmata, talem eſſe quendam medium decedentium ſtatum, qui non mox, vt carnem hanc exuerint, aut æternis cruciatibus tradantur, aut ad beata illa Sanctorum conſortia admittantur: In quos, moderata & mixta clementiæ ſeueritate, vindicat ad tempus is, qui & miſericordiæ ſuæ, & tormentorum modũ, & menſuram nouit. Alioqui, cùm ex ijs qui peccauerunt, & per pœnitentiam ſanantur, alij in hac vita multas aduerſitates, alij aut paruas, aut nullas experiantur: & cùm multi ex hac vita migrent, à lethalibus quidem criminibus immunes, leuioribus tamen alius alio magis implicatus: quorum tamen nemo, ſiue ob plura, ſiue pauciora hæc delicta quotidiana, damnationem æternam ſuſtinebit: Non facilè modus inueniri poſſet, quomodo Deus (qui eſt in omnibus, & erga omnes iuſtiſſimus) non iniuſtus videretur, ſi non poſt hanc vitam, per temporales, & non æternas pœnas, omnium compenſatio expectaretur.

Ratio pro Purgatorio.

De ieiunio, & delectu Ciborum.

Cap. 47.

PLebem Chriſtianam Paſtóres noſtri (ſumpta ex diuinis literis commonitione) ad perpetuam vitæ ſobrietatem ſedulò cohortentur, vt cibi potuſque moderatione carnis laſciuiam comprimentes, ad exercitia pietatis mentem liberiùs intendere queant. Eos verò, quos neceſſitas nulla excuſat, etiã ad ſtatuta Eccleſiæ ieiunia, obſeruanda inducant: ipſumque ieiunium, diuini eſſe præcepti doceant. Tempora verò ieiunãdi, prout ſalubritati corporum & animarum expedire videbatur, ab Eccleſia ordinata, & totius Chriſtiani orbis conſenſu recepta, & iam indè ab Apoſtolorum temporibus obſeruata ſunt: quæ qui extra neceſſitatem non obſeruauerint, velut Eccleſiaſticæ diſciplinæ violatores, & conſuetudinum Eccleſiæ temerarij contemptores, ſeueritate pœnarum coerceri debent.

Huic ieiuniorum obſeruationi, iungendus eſt ciborum delectus, itidem conſenſu totius Eccleſiæ ad noſtra vſque tempora retentus: monendique ſunt fideles, vt diebus ieiuniorum, ſimiliter ſextis Ferijs, & Sabbatis, à carnium & aliorum ciborum eſu, quos eccleſiæ conſuetudo per eos dies hucuſque vitare perſeuerauit, extra legitimam neceſſitatis excuſationem, ſibi temperent, non quidem ab ijs, velut immundis, abſtinenses: ſed edomandi corporis cauſa, propter animam, ab irrationabilibus motibus ampliùs humiliandam. Non tamen exiſtiment Chriſtiani, ſola carnis abſtinentia ſe Deo gratos eſſe poſſe, cùm meminerint, primos homines, qui carnem nondum guſtauerant, ob vitæ nequitiam, diluuij immiſſione deletos: ſed cum abſtinentia carnis, etiam cæterorum ciborum moderationem, & perpetuam totius vitæ ſobrietatem coniungant.

Gen. 7.

De Conſtitutionibus Eccleſiæ.

Cap. 48.

DE Conſtitutionibus Eccleſiæ, quæ ad diſciplinam Eccleſiæ continendam, ad bonum & decentem ordinem, in Eccleſia tuendum & conſeruandum, & ad pietatem publicè ac priuatim promouendam, introductæ ſunt: Paſtores plebem ſibi commiſſam probè & diligẽter inſtruant, vt diſcant, eas ab ordinata poteſtate conditas, velut Dei

ordina-

ordinationes, reuerenter agnoſcere, & gratanter eiſdem obedire: ſiue hæ conſtitutiones ſeruentur ex conſuetudine, 1. Cor. 11.
quam Paulus violari non vult: Si quis vult contentioſus eſſe, inquit, nos talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſia Dei: Siue tradantur ſcriptis Canonibus, quales Apoſtoli Spiritui ſancto tribuere non verentur: Viſum Acto.15.
eſt (inquiunt) Spiritui ſancto & nobis. Itaque plebs Chriſtiana eccleſiæ conſtitutiones, nequaquam vt traditiones hominum (quales erant Phariſęorum, ad ſubuerſionem diuinæ legis adinuentæ, quibus Deus fruſtrà colitur) aſpernentur: ſed, vt ad pietatem colendam, & continendam in officio plebem vtiles, libenter amplectantur, nec eas exiſtiment ſine grandi piaculo violari poſſe: Conſiderantes, etſi hoc in præceptis diuinis non contineatur, quod tales Maiorum noſtrorum conſtitutiones iubent, tamen vt Maioribus obediamus, (ſaltem in ijs, quæ legi diuinæ non aduerſantur) diſerti iuris diuini eſt. Vndè & per occaſionem talium conſtitutionum tranſgreſſiones, grandis peccati reos faciunt temerarios violatores: maximè, dum ex contemptu, aut cum ſcandalo, charitatem violant, quorum vtrumque per ſe peccatum mortale operatur. Alioqui Eccleſia cõſtitutiones ſuas charitati & neceſſitati libenter ſubmittit.

Hanc doctrinam, quæ in ſuperioribus compendio traditur, adiecta inſtitutione ad Chriſtianam pietatem, diffuſiùs explanari curabimus. In qua omnia, quæ ad ſacræ Religionis noſtræ fundamenta pertinent, & Chriſtianis omnibus cognitu admodum neceſſaria ſunt, copioſiùs explicabuntur: quam à Parochis & paſtoribus noſtris diligenter legi, & ex ea populos ſibi commiſſos, in ijs quæ ſunt fidei, ſedulò erudiri volumus.

Ne ignoti & inexplorati, ad prædicationis munus admittantur.

CAP. 49.

Ex Diœceſana Synodo Moguntiæ celebrata anno 1548.

ET quo minus in poſterum ſalutaris Chriſti doctrinæ ſynceritas, peruerſis dogmatibus, aut noxijs opinionibus & hæreſibus deprauetur: Decernimus, definimus, & præcipimus, vt homines vagi & ignoti, qui teſtimonia Epiſcorum ſuorum, tam eius à quo receſſerint, quam illius, ad cuius Diœceſim diuerterint, non habeant, à Miniſterio verbi ſeu prædicationis officio, in Prouincia noſtra prohibeantur: & ſoli admittantur hi, qui ad id munus ritè vocati, & ordinaria authoritate examinati fuerint & approbati.

Fratres tamen mendicantes, quorum plerique pietate & doctrina ſatis inſtructi, in aſſerenda Catholicę doctrinæ veritate, his temporibus vtilem ſanè operam præſtant, (ſaltem vbi tales noti ſunt, & probitatis, doctrinæ, & modeſtiæ ſuæ teſtimoniũ à ſuis Superioribus habent) à concionandi munere excludere non intendimus. Quos tamen ipſos etiam priuſquam cõcionandi munus in Prouincia, aut Diœceſibus noſtris, ſibi vſurpent: nobis aut Vicarijs noſtris pręſentari, & per eos, vel examine præuio, vel ſufficienti & fide digno ſuorum Superiorum teſtimonio, tanquam ad id munus idoneos, approbari volumus.

Obſeruandi parochi & Concionatores, quomodo quiſque doceat.

CAP. 50.

Ex eadem Synodo.

ET vt peſtilentes doctrinæ, & pernicioſi errorum Magiſtri, ex eccleſijs protinùs eijciantur: mandamus & iniũgimus Viſitatoribus noſtris, Archipreſbyteris, ſeu Decanis Ruralibus, & Teſtibus Synodalibus, nunc exiſtentibus aut in poſterum futuris, vt Diœceſes crebrò & ſedulò luſtrantes, ſi quos compererint eccleſiæ Miniſtros, in exponendis ſcripturis ſacris, & adminiſtrandis Sacramentis, ab Orthodoxorum Patrum communi conſenſu, & recepta Eccleſiæ conſuetudine & authoritate, deflectentes: tales Ordinario loci, aut eius Fiſcali, pro exceſſuum qualitate aut corripiendos, aut è Miniſterio eccleſiæ prorſus abijciendos, denuncient.

Ijdem, ſi quos per Diœceſes viros, doctrina & pietate excellentes, & ad Miniſteria Eccleſiæ idoneos, cognouerint: loci Ordinario in locum abiectorum ſufficiendos, aut alioqui deſtitutis Eccleſijs præficiendos, commendent.

Commiſimus autem Vicarijs ſeu Officialibus noſtris, eiſque in hoc viros pios & peritos adhibuimus, vt Archipreſbyteris & Teſtibus Synodalibus, tales querelas ad Religionem pertinentes deferentibus, conſilio & auxilio ſint.

Videndum, quibus Libris Parochi & Concionatores paſſim vtantur.

CAP. 51.

Ex eadem Synodo.

LIbros autem Parochorum & Concionatorum Viſitatores inſpiciant, & ab eis diligenti inquiſitione cognoſcant, quoſnam potiſſimum Authores legant, & in concionibus imitentur. Contagioſos autem, & de hæreſi ſuſpectos libros, ab eis auferant: & ad lectionem Veterum Orthodoxorum, aut etiam recentiorum, qui ſuſpecti non ſint, eos exhortentur.

Plebs, vt Concionibus & Diuinis interſit, per Magiſtratus adigenda.

CAP. 52.

Ex eadem Synodo.

ET ne Parochi ac Concionatores ſedulitatis & laboris ſui fructum amittant, ſi plebs ſacra eorum & conciones audire refugiat: præfectis noſtris per loca ditionibus noſtris ſubiecta iniungemus, vt tempore concionum & diuinorum Officiorum, otioſam turbam è tabernis, è foro & plateis abigant, & concionibus & diuinis Officijs intereſſe, Luc.14.
niſi legitimis cauſis impeditos, debitis pœnis compellant.

De horis Canonicis.

CAP. 53.

Ex eadem Synodo.

ET vt ab hac retinendæ in verbo Dei puritatis cura, propinquo gradu ad diuinorum officiorum celebrationem ritè conſtituendam, & debita cum veneratione peragendam, tranſeamus: Clericos, quibus ea cura incumbit, ſedulò commonendos, & per Prælatos digna mandamus animaduerſione compellendos, vt non vocis tantùm modulatione, ſed deuotione cordis, debitum ſuæ ſeruitutis penſum abſoluant, & ad diuina officia peragenda corpore pariter & mente ſe componant, quo ſimul & Deo cultum gratum exhibere, & populo conſideranti, deuotionem augere valeant.

Nemo in choro, alijs pſallentib⁹, ſeorſim legere aliquid, aut ſuas horas Canonicas orare, aut fabulari, aut alijs leuitatibus intendere permittatur: Negligentes verò legere horas Canonicas, ſi depræhenſi fuerint, per Prælatos ſubtractione portionis fructuum, in Eleemoſynas pauperum, aut alios pios vſus conuertendæ, puniantur.

Quæ ad tremenda Miſſæ Myſteria.

CAP. 54.

Ex eadem Synodo.

CIrca ſacroſanctæ Miſſæ Officium, quo immenſum redemptionis humanæ beneficium, & ſummum illud ac tremendum Chriſtianæ Religionis Myſterium recolitur: volentes omnia prouidere, quæ populi animos ad amorem & venerationem tanti myſterij inducere valeant: in primis ſancimus & præcipimus, ne quis Sacerdos, ſolus ad celebrandam Miſſam accedere præſumat; ſed ad minimum vno aut altero, quaſi teſte adhibito, qui, quod publico nomine agitur, ratum habeant, & ad publicas orationes Eccleſiæ nomine reſpondeant.

Presbyte-

Presbyteri, cum irreuerentia Miſſas celebrantes, coercendi.

Cap. 55.

PResbyter verò, qui veſpertinam compotationem vſque ad intempeſtam noctem produxerit, & manè adhuc heſternam crapulam eructans, celebrare præſumpſerit, aut qui hoc ſacro Myſterio ad ſuperſtitiones abuti auſus fuerit, Prælati ſui arbitrio ſeuerè puniatur.

Similiter & hi, qui talem vitæ turpitudinem, leuitatem aut negligentiam, ad celebrationem Miſſarum attulerint, vt & plebis animos offendant, & ab hoc ſacro abhorrere faciant, Prælatorum ſuorum authoritate coerceantur.

De præmittenda Sacerdotum Confeſſione ante Sacrificium Miſſæ.

Cap. 56.

.48. ET cùm ſecundum ſacram ſcripturam maledictus ſit, qui opus Dei agit negligenter: nemo autem æquè negligenter opus Dei in Eccleſia agere videatur, quàm qui propriæ ſalutis prodigus, impura conſcientia & illotis (vt dicitur) manibus, tremendo altaris ſacrificio aſſiſtit, contra id
.11. quod Propheta ait: Quid eſt, quòd dilectus meus facit in domo mea ſcelera multa? Nunquid carnes ſanctæ auferent
c.11. à te malitias tuas? Et Apoſtolus: Probet, inquit, ſe homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Cumq; nō minimam malorum huius tempeſtatis partem, huic malo acceptam feramus, quod tam impurè, non dijudicando corpus Domini, ſacroſancta hæc Myſteria tractantur: Nos animarum ſalutis cupidi, ſtatuimus & ordinamus, ne aliter liceat cuiquam Miſſam celebrare, quā præmiſſa Sacramentali Confeſſione & Abſolutione emendato, ijs quæ huius Sacrificij deuotio requirit, anteà perſolutis. Iniūgimus prætereà & diſtrictè præcipiendo mandamus Decanis, alijſque Prælatis, vt diligēter ſuper hoc excubias agant, & ſi quos ita delinquentes depræhenderint, condigna animaduerſione plectant: Super quo etiam conſcientias eorum duximus onerandas.

Miſſæ, ſub concione aut ſolenni ſacro, non celebrentur.

Cap. 57.

12.14 ET cùm Apoſtolus iubeat, omnia honeſtè & ſecundum ordinem fieri in eccleſia, citraque tumultum: ſtatuimus & ordinamus, ne deinceps Concionis tempore, aut ſub ſolenni Miſſa, aliæ ſpeciales Miſſæ celebrentur: ſed aut Concionem & ſolenne Sacrum præcedant, aut in aliud tempus differantur, ne populus in diuerſa diſtractus, nulli Sacro aut Concioni ſatis intendat. Quam rem, pro opportunitate cuiuſuis loci & temporis, Prælatorum diſcretioni relinquimus curandam.

Concionatores, plebem verum Miſſæ vſum diligenter edoceant.

Cap. 58.

COncionatoribus autem & Parochis noſtris, ſimplicem plebem committimus & præcipimus diligenter erudiendam, vt vſum Myſterij huius intelligant, ac omnem mentis vim atque ſenſum, tam ſalutari actioni intendant, & voto id agant, quod Sacerdos agit miniſterio, vt ſcilicet diſcant & ipſi ſuam, totiuſque Chriſtiani orbis ſalutem, tam ſalutaris & gratæ Hoſtiæ interuentione, & Chriſti Ieſu meritis, Deo Patri commendare. Prætereà Sacram Euchariſtiam cum celebrante, ſi non ore, ſaltem fide & deſiderio cordis, ad percipiendum ſpiritalem eius fructum, crebrò ſumere.

Miſſa, quo geſtu & qua deuotione audienda.

Cap. 59.

SEdulò commonendus eſt populus fidelis, Clerici etiam per Prælatos debita animaduerſione inducendi, vt in celebratione Miſſarum, aduerſus tantum Myſterium, quantum quiſque per valetudinem poteſt, etiam corporis geſtu reuerentiam quandam adhibeant: videlicet, vt dum in Collectis, pro communi orbis Chriſtiani incolumitate, ad Deum preces funduntur, ipſi quoque, tanquam huius ſacræ Communionis ciues, ſuas preces cum oratione publica coniungant, & vultu ad altare verſo, aperto & demiſſo capite ſtantes, geſtum orantibus conuenientem præ ſe ferant. Pari Religione ad nomen Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſimiliter ad Euangelium, Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis, Gloria in Excelſis, Gloria Patri, cæteraſq; id genus diuinorum Officiorum partes, ſic genuum flexione, apertione capitis, ac totius corporis geſtu ſe componant, vt ad ea, quæ ibi aguntur, animum intendere videantur.

Iam ſtatim ab inceptione Canonis non ſedeant: ſed ad tremendi Myſterij pertractationem intenti, vultu itidem ad altare conuerſo, corporibus humi demiſſis, & mente in cælum eleuata, ſub ſilentio, Redemptionis humanæ, beneficium & Chriſti paſſionem ſecum meditantes, ſalutis noſtræ authori de impēſo ſanguine, & tolerata pro nobis morte, debitam gratiarum actionem exhibeant. Cæterùm ad ſumptionem ſacroſanctæ Euchariſtiæ, corporis humilitate & incitatione animi ſe componentes, ſi non ore cum celebrante de corporis & ſanguinis Dominici ſacrificio cōmunicent, ſaltem fructum eius ſpiritalem ſibi applicari, intimis animi votis exoptent.

In primitijs omittendæ comeſſationes.

Cap. 60.

DVm verò à nouitijs Sacerdotibus huius ſacri primitiæ celebrantur, ſeriò mandamus, choreas & omninò ſeculares pompas omittendas, & conuiuia non permittenda, niſi inter paucos amicos, & ea ſobria tamen, & quæ ſine luxu in timore Domini ineantur.

Sanctorum ſolennitates Dominicis cedant.

Cap. 61.

SEd & Sanctorum celebritates, in diem Dominicam incidentes, cenſemus ſubmouendas, & in Feriam aliquam præcedentem vel ſequentem transferendas, quo Sanctorum omnium Domino ſua conſeruetur ſolennitas: Exceptis Beatæ Mariæ, Apoſtolorum, & alijs ſummis Feſtiuitatibus. Nec tamen legem imponimus his, qui peculiaria ſingularū Dominicarum officia, propter Cantorum paucitatem, obſeruare non valentes, Officia de Trinitate, de Spiritu ſancto, aut (quod decentiſſimum erat) de Reſurrectione Domini, diebus Dominicis ſeruauerint.

Et quo Dei gloria in obſeruatione Diuini cultus magis illuſtretur, & fidelium deuotio minus impediatur: diebus Dominicis & Feſtiuitatibus celebrioribus, mercimonia, tripudia, ſaltationes, quas damnat Concilium Toletanum, & prophana ſpectacula, decernimus non permittenda: ſimul etiam ludicra quædam à pietate aliena, & Theatris quā Templis aptiora, cenſemus in Eccleſias non admittenda.

De ſacris libris recognoſcendis & repurgandis.

Cap. 62.

CVm etiam libros Miſſales, Antiphonarios, Agendas, & Breuiaria, per viros doctos & pios inſpici & repurgari res poſtulet: hanc operam neceſſariam cùm primis, & Eccleſijs vtilem, à ſingulis Comprouincialibus cenſemus præſtādam, per viros idoneos ad hoc adhibitos: qui ſenten-

tiam

tiam ſuam ſuper emendatione librorum, primò ad Ordinarium, & mox ad Metropolitanum referant, vt collatis conſilijs, ſana & (quoad fieri poteſt) concors diuinorum Officiorum celebratio, in omnibus Prouinciæ Eccleſijs recipiatur, & conſeruetur.

De examine prælatorum.

CAP. 63.

QVum his, qui ad prælaturas Eccleſiarum prouehuntur, & in dignitatibus, velut excelſiore loco ponũtur, ab inferioribus honorem & obedientiam exhiberi debere, omnes Eccleſiaſticæ conſtitutiones iubeant: vtique tali eos virtute, doctrina, prudentia, præditos eſſe conuenit, vt honorem hunc mereri videantur, & cæteri, ipſorum comparatione, gregem ſe meritò dici reuerenter agnoſcant. Nos igitur ad honores & dignitates Eccleſiarum, ſubmotis minus idoneis, dignis modo & idoneis viam aperire volentes, cõſtituimus & ordinamus, vt hi, qui ad Prælaturas (quæ ſub noſtram, aut aliorum Prælatorũ nobis ſubditorum, diſpoſitionem cadunt) aſſumendi ſunt, præuio examine, de doctrina, de moribus, deq; omnibus ijs diſciplinis, quæ ad regimen, cui deſtinantur, neceſſariæ ſunt, accuratè explorentur ab ijs, qui ius inueſtiendi & confirmandi habent. Qui, niſi digni reperti fuerint, confirmationem recipere nõ debent: ſed ijs abiectis, alij in eorum locum, magis apti & digni, ſubſtituantur.

De his, qui plura beneficia curata obtinent.

CAP. 64.

RES ipſa loquitur, plura beneficia, potiſſimum quibus animarum cura ſubmiſſa eſt, non ſine graui Eccleſiarum damno ab vno obtineri, cùm vnus in pluribus Eccleſijs ritè officia perſoluere, aut rebus earum neceſſariam curam impendere nequeat. Nos igitur, iuxta Reformationis commonitionem, contra hanc Eccleſiarum calamitatẽ velut ſalubre remedium, illud Lugdunenſis Cõcilij decretum opponentes, ſingulos eiuſmodi curatorum beneficiorum detentores monemus, & diſtrictè eis præcipiendo iniungimus, vt intra trimeſtre tempus, poſt huius Synodi Prouincialis exitum, nobis aut Comprouincialibus noſtris, locorum ordinarijs diſpenſationes, quarum prætextu eiuſmodi beneficia obtinent, exhibeant. Quod ni fecerint, talia beneficia quaſi eo ipſo illicitè obtineri conuincantur, poſt trimeſtre tempus elapſum, per eos, ad quos collatio eorum pertinet, alijs perſonis idoneis conferri debent. Quòd ſi diſpenſatio alicuius legitima & ſufficiens videbitur, is beneficia ſine moleſtia retinebit: Nihilominus tamen prouidebit, per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, ne cura animarũ in his Eccleſijs negligatur, nec ipſa beneficia debitis officijs fraudentur: Alioqui negligentia eius, per Ordinarium de fructibus beneficij ſuppleri, & ipſe inſuper ſubtractione certæ portionis reliquorum fructuum, pro arbitrio Ordinarij, puniri debet. Sin diſpenſationes inualidæ, aut non ſatis legitimæ viſæ fuerint, ſi is, qui earum prætextu plura beneficia Curata obtinuit, vno retento, cætera liberè reſignare recuſauerit: cauſa illius ad ſedem Apoſtolicam referatur, eiuſdemque iudicium expectetur, quem ſui beneficij modum eſſe velit. Quòd ſi quis in diuerſis Diœceſibus eiuſmodi beneficia Curata obtineat, à quolibet Ordinario ad talem exhibitionem compelli debet. Et ſi legitima diſpenſatione munitus non fuerit, vltimo quod accepit beneficio retento, cætera reſignet: cùm iuxta iuris communis diſpoſitionem, per ſubſequẽtis beneficij curati acceptationem, quod priùs obtinebat, ipſo iure vacare dinoſcatur.

De Generalibus ſtudijs inſtaurandis & conſeruandis: Et de adoleſcentibus ad ſtudia publicè alendis.

CAP. 65.

PRudentes homines facilè proſpiciunt, & boni ac pij iam diu queruntur, interitum ſtudiorum, quæ in hac miſera perturbatione rerum, ſaltem in locis Catholicis, propemodum in vniuerſum perierunt, in primis Eccleſiaſtici ſtatus extirpationem, adeoque ſacroſanctæ Religionis, ac totius Reipublicæ Chriſtianæ ruinam ſecuturam eſſe. Cùm enim ſucceſſio eorum, qui vtranque Rempublicam adminiſtrare debent, ex iuuentute dependeat, ſi illa aut prauis, aut nullis doctrinis imbuatur: ſpes nulla eſſe poteſt, aut in Eccleſijs puritatem Religionis, aut in externa Politia priſtinam tranquillitatem, vnquam nobis reddi poſſe. Itaq; quãto quiſque deſiderio ſacroſanctam Religionem noſtram poſt ſe ſuperſtitem relinqui, ac porrò ſaluam conſeruari expetit, quanto deſiderio communis patriæ incolumitatem, & viuus reſtitutam videre, & ad poſteros tranſmittere ſatagit, tanto conatu ad inſtaurationem ſtudiorum incumbere debet. Præſertim verò homines Eccleſiaſtici, quibus etiã huius vitæ benè ac beatè tranſigendæ omnis facultas, ab incolumitate Religionis (quæ ſine ſtudiorum auxilio nequaquam durare poteſt) dependet, ad ſtudiorum conſeruationem, veluti ad vnicum ſtatus ſui conſeruandi, & retinendæ dignitatis præſidium, omnes vires ſuas certatim conferre debent. Hinc Comprouinciales noſtros in Domino exhortamur, & feriò commonemus, eiſq; pro authoritate noſtra Metropolitica iniungimus, vt omni cura, ope & induſtria, vbique per vniuerſam Prouinciam noſtram, ſtudia præcipuè generalia inſtaurare, promouere, & cõleruare ſatagant, & hanc Religioni ac publicæ tranquillitati pernicioſam neceſſitatem parentibus iuuentutis adimant: Qui alioqui ſanctæ religioni noſtræ benè affecti, tamen ex neglectu ſtudiorum in locis Catholicis, compelluntur filios ſuos ad alias Vniuerſitates & Scholas ablegare, vbi vna cum literis noxias de Religione opiniones hauriunt, quibus infecti & peruerſi, domum redeuntes, ipſos plerunq; parentes, ac totam ſæpè viciniam peſtilentibus opinionibus imbuunt, & ſynceritatem fidei Chriſtianæ in eis corrumpunt. Ad quam perniciem auertendam, omnes boni, quos vlla pietatis ratio & ſacræ Religionis noſtræ amor tãgit, & in primis Proceres Eccleſiaſtici, omni conatu incumbere debent, quatenus in hac re ſaluti ciuium, & ſanctæ Religionis profectui, & publicæ tranquillitati conſulatur.

Nec minorem curam & ſolicitudinem, Comprouinciales noſtri circa Scholas, per ſuas Diœceſes in ciuitatibus & Pagis conſtitutas, impendere debent, vt paſſim inſtaurentur & conſeruentur, & eiſdem idonei & Catholicæ veritatis amantes, & de hæreſi non ſuſpecti, præficiantur Pædagogi.

Et ne deſint, qui ad meſſem ſpiritalem, velut idonei operarij, mitti ritè queant: Comprouinciales noſtros ſimiliter, per honorem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſacroſanctæ Religionis noſtræ conſeruandæ & promouendæ amorem, exhortamur, quatenus curare velint, vt aliquot Adoleſcentes feliciores ingenij & melioris ſpei (quibus alioqui ad ſtudiorum ſuorum ſuſtentationem, à parentibus & propinquis facultates non ſuppetunt) publicis Eccleſiarum & Monaſteriorum ſumptibus in ſtudijs alantur. Qui ad Theologiæ ſtudium operam ſuam applicent, in qua ſi operæprecium fecerint, deindè Eccleſijs & Parochijs per Diœceſes præficiantur. Quos in Eccleſiarum miniſterio ſeruituros, maximè conuenit earundem ſumptibus ſuſtentari.

De Clericis ſecularibus & Regularibus, ad ſtudia ablegandis: Et de ſtudijs, apud Monaſteria inſtaurandis, & conſeruandis.

CAP. 66.

ET quo magis Eccleſiæ idoneis Miniſtris abundent, decernimus, vt vt Capitula quarumlibet Eccleſiarum, in Prouincia Mogũtina conſtitutarum, ex clericis ſecularibus

beneficiatis, iuxta cuiuſque Collegij facultates & perſonarum numerum, Adoleſcentes aliquot bonæ ſpei & docilis ingenij, ad priuilegiatas Vniuerſitates, pro ſtudio potiſſimum Theologico (cuius vſus cum primis eſt Eccleſijs neceſſarius) mittant. Et ijs ad quinquennium fructus beneficij omnes, exceptis quotidianis diſtributionibus, concedant. Si tamen cœptis ſtudijs grauiter incubuerint, & de profectu eorum fructus ſperetur, (negligentes enim & prauis moribus deditos, Eccleſiarum patrimonijs non exiſtimamus alendos) vbi fructus Præbendæ non ſuffecerint, de communi Eccleſiarum cenſu, pro cognitione Prælatorum pars adijciatur. Eos verò, qui ſic mittuntur, Capitulis ſuis ſufficientem cautionem præſtare volumus, ſeſe in ordine Clericali permanſuros eſſe. Quòd ſi mutato propoſito, ab ordine Eccleſiaſtico reſiluerint, & ad Matrimonia ſeu negocia ſecularia ſe tranſtulerint, ad reſtitutionem omnium fructuum ac ſumptuum Eccleſiaſticorum, quos ſic perceperint, eos teneri & omninò compelli volumus.

De clericis verò Regularibus, diſpoſitionem Reformationis & Iuris communis volumus obſeruari: vt Monaſteria opulentiora, intermiſſa ſtudia, in primis verò Theologica, apud ſe inſtaurent. Quæ verò minus opulenta ſunt, & pauciores habent Monachos, aliquot tamen iuuenes felicioris ingenij, ad eiuſdem ordinis & Prouinciæ Monaſterium, in quo ſtudia vigeant, ablegent. Vbi verò Prælati, ſiue Seculares ſiue Regulares, in ea re negligentes fuerint, per ordinarium debent ad hoc debitis pœnis compelli.

De Theologiæ apud Eccleſias Collegiatas profeſſoribus.

Cap. 67.

COllegijs Eccleſiarum, iuxta Reformationis præſcriptum, iniungimus, vt doctores, qui Theologiam profiteantur, pro cuiuſque Eccleſiæ facultate & conditione, conducant: Contra negligentes ſic acturi, ne quid vel in publicis vel priuatis hiſce ſtudijs conſtituendis, ad pietatis incrementa paſſim promouenda, quantum in nobis fuerit, deſideretur.

De Patronis & Collatione beneficiorum.

Cap. 68.

...e Præ- ...ndis, c. ...auc ni- ...is. alias

REs eſt pernicioſi exempli, & quæ grauem ſæpè Eccleſijs calamitatem adfert, quod Patroni, tum Eccleſiaſtici, tum Laici, propinquitate iunctos, aut * alijs meritis & officijs ſibi conciliatos, ſine omni ætatis aut eruditionis reſpectu, idoneis præteritis, ad beneficia Eccleſiaſtica admouent. Alij de cenſibus beneficiorum partem ſibi retinent, aut etiam in totum fructus beneficiorum intercipiunt, his, quibus ea ad ſpeciem infamis cupiditatis ſuæ obuelandæ conferunt, inanem modò titulum relinquentes: Quos præſenti conſtitutione Prouinciali in Domino hortamur, & peremptoriè monemus, vt à pernicioſo hoc conatu ſibi temperent: alioqui ſeueritate pœnarum rigidè cenſemus coercendos, ac talis beneficij collatione vel præſentatione ſaltem pro hac vice, aut pro grauitate exceſſus, per omnem vitam ſuam priuandos: Ita tamen, vt collatio talis beneficij, hæredibus aut ſucceſſoribus eorum integrè reſtituatur, & liberè permittatur. Quo verò pernicioſam temeritatem Patronorum, à Curatis beneficijs ſalubri conſilio prorſus ſecludamus: diſtrictè præcipimus, ne quis Prælatus, ſeu officialis eius, ad quem munus inueſtiendi pertinet, ad beneficium, cui animarum cura annexa eſt, quenquam inueſtire præſumat, niſi qui annum ætatis ſuæ vigeſimum quintum attigerit: & qui, in cæteris idoneus, etiam ordines, quos cura Eccleſiæ, cui præfici vult, requirit, aut habeat, aut infra tempus à iure ſtatutum ſe ſuſcepturum, ſub amiſſione beneficij, ad quod inueſtiendus eſt, promiſerit: & qui cenſum illius Eccleſiæ, ad ſuam ſuſtentationem ſufficientem eſſe, eumque ſibi à Patrono integrum relinqui, docuerit. Alioqui inueſtituram talem inanem & irritam, & ſalutaris huius inhibitionis temerarium tranſgreſſorem, ipſo facto ab officio ſuſpendendum, & arbitrio ordinarij ſui puniendum, decernimus. Eum verò, qui præſentationem ſeu prouiſionem alicuius beneficij, ſiue curati ſiue non curati, à Patrono receperit, cũ tali pactione, vt Patronus de prouentibus beneficij portionem reſeruet, ad tale beneficium prohibemus inueſtiri: aut ſi poſt inueſtituram talem pactionem feciſſe deprænhenſus fuerit, beneficio decernimus priuandum, & eidem beneficio alium idoneum præficiendum.

...x Cont. ...logunt.

...le inſti- ...tione c. ...i is ad ...nem, in ...xto.

De admiſſione ad beneficia Eccleſiaſtica, & eorum Reſignatione.

Cap. 69.

Petrus Archiepiſco. Mogunt.

VNiuerſis Archipreſbyteris, aut alijs Commiſſarijs noſtris seriò inhibemus, ne quem ad alicuius beneficij poſſeſſionem vel ad regimen, aut ad officiaturam alicuius Eccleſiæ admittant, niſi qui inueſtituram ſeu prouiſionem & inſtitutionem ſuam Canonicam, literis earundem ſigillatis oſtenderit. Beneficium verò, quod quis legitimè tenuit, non aliter quam in manus noſtras, aut vicarij ſeu Officialis noſtri, ſiue alterius collatoris ſuperioris, ad hoc poteſtatem habentis, reſignare aut dimittere præſumat. Quòd ſi quis ſine noſtra aut ſuperioris, ad id poteſtatem habentis, authoritate aut conſenſu beneficium aliquod dimiſerit, ad beneficium ſic dimiſſum nemo alius in fauorem dimittentis inueſtiri aut inſtitui: ſed beneficium illud, pro arbitrio Ordinarij, ſiue ſpecialis ſiue generalis, alteri idoneo tradi debet: niſi Nos, vel officiales noſtri aut ſuperior, reſignationem factam ex rationabili cauſa confirmauerimus.

De iuſta diſtributione Prouentuum Eccleſiaſticorum.

Cap. 70.

PErnicioſus abuſus eſt, cum pudendo Cleri dedecore, & animarum periculo, grauique Eccleſiarum detrimento coniunctus, quod in Eccleſijs quibuſdam cathedralibus & Collegiatis, potiſſima prouentuum portio Canonicis etiam apud Eccleſias non reſidentibus, nec quicquam vtilis aut neceſſarij miniſterij exequentibus, diſtribuitur: Vicarijs, qui diurna & nocturna fatigatione omnes Eccleſiæ functiones ſuſtinent, vix tenui cenſu, & qui ad vitam miſerè ſuſtentandam ægrè ſufficiat, relicto. Hinc Capitula & Canonicos Eccleſiarum in Domino exhortamur, vt æquitatis & rationis olim Deo reddendæ memores, ad functiones Eccleſijs ſuis neceſſarias, his qui eas gerunt, de fructibus Eccleſiarum ſufficientem & honeſtum victum deputent: ne cauſam præbeant, de Eccleſiarum prouentibus neceſſario aliter diſponendi.

Vt Præpoſiti, Decani, Scholaſtici, Cuſtodes & Cantores, apud Eccleſias ſuas reſideant.

Cap. 71.

CVm conſtet, harum dignitatum officia Maiores noſtros ideò in Eccleſijs inſtituiſſe, vt eſſent, qui diſciplinam Eccleſiaſticam, tanquam inſpectores & moderatores, conſeruarent: iam verò videamus, ea ab ijs occupari, qui dignitatum titulos tantùm gerunt, & emolumentis gaudent, & tamen ab Eccleſijs ſuis abſunt, nihil minus quàm appellationibus ſuis reſpondentes. Quare ſtatuimus, vt vt poſthac omnes, qui vel Præpoſitorum, vel Decanorum, vel Scholaſticorum, vel Cuſtodum, vel Cantorum dignitatibus (quatenùs hæ ad noſtram aut comprouincialium noſtrorum diſpoſitionem pertinent) iam præfulgent, aut porrò ornandi erunt, præſentes ſuis Eccleſijs, vtilem & nomine dignam operam præſtent: Non abſentes, fructus tantùm auferant: neque liceat cuiquam abſenti, vllam harum dignitatum gerere: ſed quiſque tali titulo inſignitus, ſuæ Eccleſiæ non abſens, neque conducta aliorum opera, ſeu reſidendo præſens ipſe inſeruiat.

(∴)

De modo deferendi quotidianas diſtributiones.

Capvt 72.

.Theſſ 3. CVm Apoſtolus victu, adeoque ipſa vita, indignos indicet homines ocioſos, qui panem nó labore ſuo partum, cum grauamine aliorum edunt: quanto grauiori indignationi diuinæ coſſe bis cere putandum eſt, qui cétus Eccleſiæ, Sanctorum Martyrum patrimonia, & donaria piæ plebis, ad Miniſterij ſuſtentationem collata, ocioſè abſumunt, pro ijs debita ipſis Eccleſijs obſequia rependere non curantes? Nos igitur periculo animarum obuiare, & neceſſitati Eccleſiarum conſulere volentes, præſenti ſtatuto decernimus & ordinamus, ne poſthac in Metropolitana, Cathedralibus, Collegiatis, aut quibuſcunque alijs noſtris, & nobis ſubiectis Eccleſijs, per vniuerſam prouinciam conſtitutis, quotidianæ diſtributiones, ad breuiſſima quædam momenta, puta, ad lectionem Epiſtolæ, ſeu vnius Pſalmi, aut Reſponſorij: ſed integris ac totis officijs, & horis aſsignentur, & ijs modò tribuantur, qui officijs diuinis de quibus hæc emolumenta dantur, ab initio ad finem interfuerint. Hi verò qui excurſus & recurſus ſuos ita partiri conſueuerunt, vt de laboribus minimum, de emolumentis autem plurimum perciperent: in poſterum, niſi integris Officijs & horis intereſſe ſtudeant, illius Officij aut horæ fructu in totum mulctentur, quibuſcunque irrationabilibus aut prauis conſuetudinibus (quæ potiùs corruptelæ cenſendæ ſunt) non obſtantibus. Si qui tamen infirmitate aut legitima cauſa impediantur, apud Prælatum aut alium, cui de Eccleſiæ conſuetudine competit, ſe excuſent, & veniam abſentiæ ſuæ impetrent: Canonicos verò, per actus Capitulares ab ingreſſu Chori, quamdiu Capitulis interſunt, & non diutius, excuſari volumus. In qua re Decanos Eccleſiarum, aut quibus ea cura pro tempore incumbit, monemus, eiſdem præcipientes, ne, extra neceſſitatem, Capitula indicant in eam horam, qua diuina officia peraguntur: quum poſſint aut maturius, aut ſerius Capitula haberi, vt ipſi etiam Prælati & Canonici diuinis officijs commoditis intereſſe queant. Quos vtique, ſupra Chori officia, quæ ipſis incumbunt cum Vicarijs communia, actuum Capitularium labor grauare non debet: cùm ſupra communes diſtributiones, de Præbendis ſuis ampliore etiam emolumento potiantur.

Simili modo diſtributiones, quæ de Proceſſionibus percipiuntur, his modò dari volumus, qui eiſdem ab initio ad finem præſentes intereſſe perſeuerauerint.

Et ne beneficia per Eccleſias debitis obſequijs fraudentur, omnib. beneficiorum poſſeſſoribus, ſub amiſſione beneficiorum, iniungimus, vt ordines, quos eorum beneficia requirunt, ſi nondum habent, proximis temporibus à iure ſtatutis recipiant: Ad quod etiam Canonicos Eccleſiarum, pro ſuo quenque ordine teneri volumus, vt obſequium, quod quiſque pro officij ſui exigentia Eccleſiæ debet, cum reſpoſtulat, per ſe præſtare queat.

O[illegible]oſas deambulationes in Eccleſijs inter diuina prohibendas.

Capvt 73.

EOs verò, qui interim, dum diuina peraguntur, in Eccleſijs [illegible] aut foris circa eas ocioſi inambulant, [illegible] pſallentibus & Deo ſeruientibus, ipſi iniuriis, nonnunquam etiam turpibus confabulationibus, tempus terunt; amplius ferendos non cenſemus: quos illius non ſolum horæ, ſed totius diei emolumento decernimus priuandos: Seculares verò, per Magiſtratus ciuiles, debita animaduerſione à tali ſacrorum contemptu coercendos.

De honeſtate & decentia clericali.

Capvt 74.

HInc hortamur atque monemus omnes & ſingulos Clericos, vt vitam viuant, quam profeſſio eorum exigit, & Chriſtus requirit, inquiens: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt: & cum veſtitu honeſto incedant. Matt. 5. Quapropter ſingulari cura intendat quiſque Prælatus, ne ij, quibus præeſt, torques aureos publicè in Eccleſia, aut veſtes varij coloris, velut virgatas & ſimbriatas aut diſciſſas, deferant: ſed longis atq; thalarib. vtantur. Nulla arma induant, niſi itinerantes, barbamque non nutriant, Coronam & tonſuram deferentes, tum ſummoperè curantes, ne quem Laicorum indecentia veſtitus offendant, vt ſacris Canonibus cautum eſt.

Inſuper tabernas publicas euitent, niſi eos peregrè proficiſcétes ingredi oporteat, & tam ibi quàm domi & alibi à crapula, ebrietatibus, omniq; ludo à iure prohibito, blaſphemijs, rixis & alijs quibuſcunq; exceſſ. bus & offenſionibus, penitus abſtineant: Choreas, ſpectaculaq; & conuiuia publica vitent, ne ob luxum petulantiamque eorum, nomen Eccleſiaſticum malè audiat.

Cumque ſecundum Apoſtolum, nemo militans Deo, ſeſe negocijs ſecularib. implicare debeat: nemini clerico liceat, domi ſuæ tabernam compotandique locum aperire Laicis: quoniam non rarò ſequi ſolent ebrietates, rixæ, cædes, & multa hoc genus ſcelera, quæ ſacerdotalem polluunt dignitatem: negociationibus quoque, mercimonijs, more mercatorum, abſtineant. 2. Tim. 2.

De Decimis & Offertorijs perſoluendis.

Capvt 75.

CVm autem, Domino teſtante, Mercenarius dignus ſit mercede ſua: ſtatuimus & decernimus, vt Decimæ [illegible] iure debentur diuino, tam maiores quàm minores, [illegible] [illegible] ſoluantur, etiam perſonales, in quibus [illegible] ſoluendi conſuetudo eſt. Matth. 10.

Simili modo [illegible] etiam quatuor offertoria, & cætera iura parochialia, integrè ſolui.

De [illegible], & immunitate Eccleſiaſtica.

Capvt 76.

PRæterea, cùm omnibus palam ſit, ſuper Eccleſiarum atque eorum, qui in ſortem Domini delecti ſunt Magiſtratuum, immò totius Reipublicæ ſalute, apud Deum quotidiè interpellant, libertate & immunitate, non ſolùm Pontificio, ſed etiam ciuili iure ſatis cautum atque prouiſum: comperimus tamen infelici hac rerum perturbatione, Eccleſiarum quarundam bona, immò ipſas Deo dicatas Eccleſias, in prophanos vſus ceſſiſſe: Clericos ad munia ciuilia, etiam ſordida interdum coactos: quæſtiones contra ipſos, eorumque & Eccleſiarum bona: ſimiliter ſuper cauſis Matrimonialibus, & alijs etiam merè Eccleſiaſticis, coram ſecularibus ſtatibus intentari ac definiri. Proinde adhortamur omnes & ſingulos in Domino, vt ſi non diuini iudicij reſpectu, vel eorum ſaltem, quæ legibus ſancita ſunt, memores, ab iniuſta hac Eccleſiaſticæ libertatis imminutione atque oppreſſione: abſtineant Eccleſias, ſacerdotes, atque res ipſorum, ſuæ reſtituant atque permittant emunitati & libertati. Quorundam igitur vim iniuſtam inhibere, & perſonis Eccleſiaſticis ſuam libertatem vel in hoc aſſerere volentes: ſtatuimus, vt actor Clerico coram ſeculari iudicio actionem intendens, eo ipſo omni cauſa cadat, nec amplius ad eius cauſæ querelam, etiam coram Eccleſiaſtico Iudice, admittatur. Iudicem verò ſecularem, qui cauſam Clerici, etiam eo conſentiente, aut aliam quamcunq; cauſam ad Eccleſiaſticum iudicium pertinentem, quales ſunt matrimoniales & ſimiles, iudicandam ſibi deſumpſerit: excommunicationis pœnam ipſo facto incurrere decernimus.

Digitized by Google

Similiter iudex Eccleſiaſticus cauſas, quas Laici adinuicem habent, iudicandas ſibi non aſſumant: niſi tales cauſæ ſint, quæ ad forum Eccleſiaſticum de iure vel conſuetudine pertinere noſcantur.

Quibus Epiſcopi, aut Archidiaconi, ſuas vices committere debeant.

CAPVT 77

CAueant autem Epiſcopi & Archidiaconi, dum ipſi officijs ſuis præeſſe non poſſunt, ne vices ſuas hominib. dubiæ famæ, aut ab ordine Eccleſiaſtico prorſus alienis, committant: ſed in ſuum locum, quoties ſuis muneribus per ſe non præſunt, viros bonos, graues, peritos, prudentes, & in primis Eccleſiaſticos ſubſtituant. Nec vnquam crimina ſubditorum, per ſe, aut ſuos ſubſtitutos, mulcta pecuniaria punire præſumant: ſed alijs debitis, & à iure conſtitutis pœnis, coerceant.

De Regularibus.

CAPVT 78.

QVoniam inſolentia quorundam, qui à Religionibus, ſemel profeſſione ſolenni receptis, temerè reſiliũt, hoc noſtris calamitoſiſſimis temporibus diſciplinam Eccleſiæ, adeoq; totam Religionem, non parùm perturbauit: Nos huic calamitati, ex monaſticæ diſciplinæ neglectu prouenienti, pro viribus occurrere volẽtes, Prælatos monaſteriorum, per charitatem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, hortamur & ſeriò requirimus, vt curæ ſibi traditæ diligentiùs incumbentes, perſonas regulares ſibi ſubiectas, ad monaſticæ diſciplinæ, & Regularum ſuarum obſeruantiam, ſolicitiùs inducant, aut refractarios etiam debitis pœnis compellant: Alioqui ceſſationem & negligentiam Prælatorum, nos iuxta canonum ſanctiones, ſupplebimus. Quum verò perſonæ quędam regulares, iugum iamdudum excuſſerint, & deſertis Monaſterijs, & ſpreta ſuorum Prælatorum obedientia, in ſeculo verſentur: nos huiuſmodi Regulares contra Regulam diuagantes, volentes ad ſua monaſteria reducere, ne alij ex prohibita illorum communione, periculis inuoluantur: Superiores eorum monemus, vt eiuſmodi vagos monachos diligenter inquirant, & ad ſua monaſteria eos retrahere quoquo modo procurent. Similiter & omnibus perſonis Eccleſiaſticis nobis ſubiectis mãdamus, vt omnes Regulares cuiuſcunque ſint conditionis, aut ordinis, in ſuis diſtrictibus commorantes, diligenter moneant & requirant, vt intra menſis ſpatium, poſt eiuſmodi requiſitionem, ad ſua monaſteria redeant, & obedientiæ Superiorum ſuorum ſubdantur: aut diſpenſationes ſuas, quarum prætextu obedientiam Prælatorum ſuorum reliquerunt, intra idem tempus nobis aut officialibus noſtris examinandas exhibeãt. Huiuſmodi verò monitioni non parentes, & in rebellione & inobedientia ſua perſeuerantes, ſine mora nobis aut Officialibus noſtris denuncient, quos Nos per Eccleſiaſticæ cenſuræ pœnas, & omni ſeuera animaduerſione, quantum nos iuſtitia permiſerit, ad ſuas regulas redigere, & ſub Prælatorum ſuorũ obedientiam retrudere, non omittemus.

Quum verò aliquoties contingat, vt perſonæ aliquæ Regulares, aut grauiorum exceſſuum conſcientia, aut etiam ex animi leuitate, Monaſteria ſua deſerant, deinde pœnitentia ductæ, redire ad ſua monaſteria volentes, à ſuperioribus quibuſdam nimis rigidis, aut pœnarum aſperitate abſterreantur, aut prorſus non recipiantur: Nos à quantacunq; peruerſitate reſipiſcenti, gremium miſericordiæ non eſſe claudendum conſiderantes, ne huiuſmodi repulſis etiam amplius delinquendi occaſio præbeatur, præſenti ſtatuto cauemus & ordinamus, vt monaſteriorum Abbates & Prælati, Abbatiſſæ, Præpoſiti, Priores & Magiſtratus, cuiuſcunq; ordinis nobis ſubiecti, regulares perſonas in Apoſtaſiam ex quacunque cauſa lapſas, & cum humilitate redire volentes, iuxta cuiuſcunque ordinis diſciplinam ſiue regulam & conſuetudinem obſeruatam benigne recipiant: nec eis pro exceſſibus grauiores pœnas, quàm quæ in ſacris Canonibus, & regulis ordinum expreſſæ ſunt, imponant: ita tamen, vt propter exceſſus ſuos, nec victus nec veſtitus neceſſarius eis ſubtrahatur. Prælatos verò, & quoſcunque Monaſteriorum Magiſtratus, huic conſtitutioni noſtræ contrauenientes, ſententiæ ſuſpenſionis à diuinis, ſimul etiam ab adminiſtratione, tam ſpiritualium quàm temporalium, (quam in contrafacientes, præſenti Canonica monitione præmiſſa, ferimus in his ſcriptis) volumus ſubiacere.

Et cùm hoc tempore paſſim Eccleſiæ idoneorum Miniſtrorum penuria nimis periculoſè laborent: Prælatos Regulares ſummoperè exhortamur, & ſerio monemus, ſi qui fratres eorum poteſtati ſubiecti, per Ordinarios locorum ad regimen Eccleſiarum Parochialium, aut ad munus prædicationis adhibiti ſint, aut tales ad eandem operam in poſterum euocari contingat, vt promouendæ pietatis & conſeruandæ ſanctæ religionis noſtræ intuitu, Ordinarijs locorum in tanta neceſſitate deeſſe non velint. Religioſos tamen, de conſenſu ſuorum Prælatorum ſic euocatos, nihilominus ſub eorundem obedientia, qui eos corrigere & reuocare valeant, volumus permanere.

De Clauſuris monaſteriorum Virginum.

CAPVT 79.

VIrginum Monialium, velut imbecillioris ſexus, continentiam & munire præſidijs, & adiuuare opportunis auxilijs volentes, præſenti ſtatuto inhibemus, Ne ſanctimoniales cuiuſcunque ordinis, quas votum ſub perpetua clauſura manendi adſtringit, quacunque de cauſa (niſi ſola ineuitabili neceſſitate compulſæ, aut tali morbo infectæ, vnde ex contagione alijs periculum immineret:) conſortium ſororum ſuarum relinquere, aut extra monaſterium prodire, vllo modo præſumant. Viciſſim verò, quo minùs animi DEO dicatarum Virginum, prauis cupiditatibus tententur, aut à ſalutaribus meditationibus diſtrahantur: omnibus perſonis, ſiue Eccleſiaſticis & Regularibus, ſiue Laicis præſertim viris, ſeriò interdicimus, ne in ipſa monaſteria quarumcunque monialiũ ſeu clauſuras, niſi ex neceſſaria cauſa, cum honeſto comitatu, & de manifeſto conſenſu ſuperioris, ad quem pertinet, introire audeant. Alioqui huic noſtræ prohibitioni temerè contrauenientes, ſi Eccleſiaſtici ſint, ſuſpenſionis ab officio & beneficio: ſi ſeculares, excõmunicationis pœna percellantur.

Vide Cõc. Fritzlar. Domini Sifridi.

Paſtores & alij, Eccleſijs ſuis, quibus per ſe non præſunt, idoneos & perpetuos vicarios præficiant.

CAPVT 80.

PAſtoribus etiam & ijs, qui curata beneficia obtinent, iniungimus, vt Eccleſijs, in quibus per conſenſum Diœceſani inſtituti ſunt, nec tamen eiſdem per ſe præſunt, vicarios idoneos & canonicè inſtitutos, præficiant, eiſq; pro ſufficienti victu, portionem congruam de prouentibus Eccleſiæ aſſignent: nec ſic à ſe inſtitutos Vicarios, ab eadem Vicaria amoueant, niſi ipſi iam actu Sacerdotes, Eccleſias ſuas per ſeipſos regere velint, aut aliquam rationabilem amotionis cauſam, contra vicarium coram Diœceſano, aut eius Officiali, probauerint.

Ex Conc. Fritzlar. D. Sifridi.

De promouendis ad ſacros Ordines.

CAPVT 81.

DE his, qui ad ſacros Ordines promoueri volunt, ordinamus & decernimus, vt nemo ad quemcunque ordinem maiorem recipiendum admittatur, niſi qui paulò antè confeſſus fuerit idoneo Sacerdoti, qui vitæ conditionem in ordinãdo ſedulò ſcrutatus, eum inſtruxerit, vtrum expediat, eum ordinari: an potius, propter irregularitatis aut legitimi alicuius impedimenti ſequelam, abſtinere, donec tale impedimentum à ſe remouerit. Nec quiſquam ordinandus recipiatur, niſi ad certum titulum Eccleſiaſtici beneficij, quod ſit perpetuum, à quo non poſſit ad inordinatũ alicuius placitum amoueri, aut cui de proprio Patrimonio ſufficienter ſit prouiſum.

Ex Conc. Domini Gerardi.

De ordinandorum Teſtimonio.

CAPVT 82.

ET ne Eccleſiarum Miniſteria quibuſuis (quæ res hactenus multis malis cauſam præbuit) ſed dignis modò & idoneis permittantur: ſancimus, eos, qui ad ſuſcipiendos ordines aſſumi expetūt, Epiſcopi ſimul & plebis iudicio comprobandos, hoc modo, vt Epiſcopus doctrinam examinet, plebs quoque de moribus teſtimonium præbeat. Morum itaque & vitæ teſtimonium ordinandi, idque in literis ſigillatis, adferant, acceptum à Prælatis Eccleſiaſticis ſeu Parocho, atque etiam à ſenatu, ſiue iudicio eius loci, in quo maiorem vitæ partem exegerint. Quod teſtimonium illis gratis concedi volumus. Ex longinquo verò venientes, ſi in Prouincia Moguntina ordinari expetiuerint, ad Canonicarum ſanctionum obſeruantiam adigantur.

Qui in Baptiſmo Vnctiones ſacri Olei & Chriſmatis, iuxta vetuſtiſsimum Eccleſiæ morem non ſuſceperunt, ad ordines ſacros ante talium vnctionum ſuppletionem non admittantur.

CAPVT 83.

HAc calamitoſa tempeſtate, qua ſacrorum prophanorumque omnium periculoſa confuſione laboramus, plerunque euenire ſolet, vt in ſacri Baptiſmatis adminiſtratione, Vnctione ſacri Olei, in pectore & ſcapulis, & chriſmatis in vertice infantium, iam inde à temporibus Apoſtolorum per vniuerſam Eccleſiam religioſa pietate adhiberi ſolitæ, quorundam temerario auſu omittantur. De qua re circa eos, qui ordinibus ſacris initiari volunt, diligentē inquiſitionem per noſtros in Pontificalibus Vicarios, aut alios, qui ordinandorum examinibus præſunt, præcipimus faciendam. Eos verò, qui tales Vnctiones, dum baptizarentur, non receperint, niſi eas (vna cum orationibus, quæ in Agendis ad tales vnctiones adhibendæ inueniuntur) in ſe per Catholicum ſacerdotem piè ſupplere curauerint, ab Ordinib. prorſus mandamus repellendos.

De ijs, qui ordinantur extra ſuas Diœceſes.

CAPVT 84.

EVenire ſolet, vt aliqui eruditionis & vitæ non ſatis probatæ, aut alioqui cenſuris Eccleſiaſticis obnoxij, cōſcientiam eorum, quibus noti ſunt, ſubterfugientes, ad remotiores Diœceſes ſe conferant, & ordines ab ignotis Epiſcopis, quā poſſunt fraude extorqueant: aut ſaltem eos ſe conſequutos, comminiſcentes, in ijs miniſtrare præſumant. Quorum temeritatem reprimere volentes, Commiſſarijs noſtris ſeriò inhibemus, ne in poſterum alicui literas dimiſſorias ad aliam Diœceſim, ſine magna & neceſſaria cauſa, quam benè exploratam habere debent, concedant. Qui verò in aliena Diœceſi ordines ſuſceperint, ad miniſterium ſeu exequutionem Ordinum, quos ſe habere aſſeuerant, non admittantur: niſi prius Vicarijs ſeu Commiſſarijs noſtris, de ſuſceptis ordinibus legitimo documento fidem fecerint, & ab eiſdem, quòd admitti debeant, teſtimonium patentibus literis obtinuerint: Alioqui tales per Archipresbyteros noſtros ab omni Eccleſiæ officio ſemoueri, aut ſi ijs non paruerint, nobis denunciari debent.

De honore Prælatorum.

CAPVT 85.

AD confuſionem & dehoneſtamētum Eccleſiaſtici Ordinis facit, ſicubi honorum diſcrimina tolluntur, nec ſuus cuique honos habetur. Vnde ordinamus & decernimus, vt inferioris dignitatis Clericus ſeu Vicarius, ſiue canonicus, Prælato ſuo reuerentiam, ſiue in aſſurgendo, ſiue in alijs prærogatiuis, iuxta conſuetudinem illius Eccleſiæ debitam ſubtrahens: fructuum Præbendæ ſubtractione ad tempus, pro exceſſus qualitate, puniatur. Quòd ſi ſimultate aut animi arrogantia prouectus, in tali contemptu Prælati ſui perſeuerauerit, à reliquis confratribus, velut inobediens, & iuramenti ſui parum memor, à conſortio Eccleſiæ & omni fructuum perceptione, amoueatur: non niſi de ipſius Epiſcopi conſenſu ad eandem rurſus admittendus, vt diſcat, poteſtatem ſupra ſe poſitam, velut Dei ordinationem, agnoſcere & venerari.

Ne domicellares Canonici, ante merita virtutis & doctrinæ, ad capitula aſſumantur.

CAPVT 86.

HActenus in Eccleſijs cathedralibus & Collegiatis (ſaltem in ea parte, qua Maiores noſtri, non ſine magna ratione, Iuniores Canonicos, quos Domicellares vocant, non ſtatim vt beneficia acceperint, ad Capitula admitti, ſed ad tēpus ſub iugo Prælatorum detineri voluerunt) ſatis negligenter aduigilatum eſſe non ſine Eccleſiarum pernicie ſentimus, dum hi, quibus ea cura incumbit, ad ſtudia & mores Domicellarium parum attendentes: ſi modò Domicellares certum tempus in beneficij poſſeſſione exegiſſent, aut pecuniam pro emancipatione conſtitutam, numeraſſent: ſine ampliori delectu quoſuis ad Capitula admiſerunt, etiam eos, quos nec vitæ honeſtate, nec doctrina ſatis idoneos, aut Eccleſijs vtiles futuros norint. Vnde fit, vt interdum Eccleſiæ, minus vtili Canonicorum turba onerētę, nec in ſpiritualibus, nec in temporalibus, debitis obſequijs adminiſtrentur. Quarum indemnitati cōſulere volentes, Prælatorum, capitulorum & aliorum, quorum intereſt, conſcientias duximus onerandas, hiſque diſtricte præcipiendo iniungimus, vt in poſterum, non ſecundum prætenſam conſuetudinem (quæ in hac parte, vt Eccleſijs pernicioſa, irrationabilis, aut potius corruptela cenſenda eſt) quoslibet, ſed ſecundum conſcientiam idoneos tantùm & dignos, ad Capitula, præſertim Metropoliticum & Cathedralia, admittant. Prauis verò moribus deditos & ignaros, tantiſper à Capitulari dignitate & emolumento arceant, donec emēdatione vitæ locum hunc mereri videbuntur: aut ſi contra omnem emendationem præfacti, & incorrigibiles ſe exhibere perſeuerauerint, ad dimiſſionem beneficiorum, remedijs iuris, tanquā inhabiles & inſufficientes ac minus idoneos, prorſus cogant. Qua conſtitutione noſtra, & ipſis Prælatis & Capitulis, vt officio ſuo diligētius inuigilent: & iuuentuti Eccleſiaſticæ, vt vitæ ingenijque cultum accuratiore ſtudio capeſſant, occaſionem præſtari arbitramur.

De iuramentorum exactione reſtringenda.

CAPVT 87.

CVm Scriptura admoneat, Virum crebro iurantem iniquitate oppleri, ac plagis multis obnoxium fieri: Iurationem namque multa comitari pericula, quæ non tam peierantem, quàm eum, qui periurio cauſam, cùm debet & poteſt, non ſubtrahit, inuoluunt: Nos igitur crebram illam iuramentorum exactionem in capitulis, ſi non vt iniuſtam, certè vt periculoſam, cenſemus coarctandam. Iniuſta verò & illicita iuramenta, per quæ nonnunquā via debitæ correctionis præcluditur, & Prælati à promouenda Eccleſiarum ſuarum diſciplina & vtilitate impediuntur, omnino tolli debent. Et nos, cum

Digitized by Google

cum hac ſancta Synodo talia omnia damnantes, locorum Ordinarijs & Prælatis Capitulorum, ad eiuſmodi correctionem per præſentes facultatem impertientes, diſtrictè eis præcipiendo iniungimus, Vt Eccleſiarum ſtatuta diligenti cura reuideant, & iuramenta nō neceſſaria, à ſede Apoſtolica non confirmata, in primis verò iniuſta & pernicioſa, non obſtantibus quibuſcunque conſuetudinibus, (cùm iniquitati longinquitas temporis patrocinari nō debeat) corrigant, caſſent, & tollant. Quod ſi facere inferiores prælati & Ordinarij, vltra ſex menſes poſt publicationem huius conſtitutionis, diſtulerint: Nos ad primam opportunitatem, aut ſaltem in futura Prouinciali Synodo, negligentiam illorum ſupplebimus, ipſoſque ceſſatores debitis inſuper pœnis afficiemus.

Pecunias ex ſtatutis beneficiatorum, aut aliunde cedentes, in Eccleſiarum vtilitatem impendi debere.

Capvt 88.

MVltas Eccleſias in bonis temporalibus ingentia detrimenta ſuſtinere, ac domos earum aut collapſas, aut ruinis proximas videmus, ex praua conſuetudine ſeu potiùs corruptela, qua Canonici quidam pecuniam ex poſſeſſionibus nouorum Canonicorum, aut optione domorū receptas, non in vtilitatem Eccleſiarum, ſed in proprios vſus conuertunt. Quod nos vltra fieri omnino prohibemus, taleſque pecunias neceſſitatibus Eccleſiarum, aut domorum reparationi & conſeruationi, impendi volumus. Si quos huic conſtitutioni noſtræ rebelles depræhenderimus, priuatione omnium fructuum, quos ab ea Eccleſia percipere deberent, per ſemeſtre tempus plectemus, fructuſque eis ſic ademptos, in Eccleſiæ vtilitatem impendi curabimus. Sicubi verò in Eccleſijs aliunde ſumptus, ad conſeruationem templorū, ædificiorum & domorum, ad Eccleſias aut earum perſonas pertinentium & in alios neceſſarios vſus ſuppetunt: rationabiles conſuetudines, ſuper huiuſmodi pecunijs diſponendis hactenus obſeruatas, hac præſenti conſtitutione adſtringi aut abrogari non volumus.

De rebus Eccleſiarum diligenter curandis.

Capvt 89.

NE ex incuria aut negligentia, ſicut conſueuit damna Eccleſijs accidāt, Capitulis metropolitanæ, Cathedralium & Collegiatarum, aliarumq; Eccleſiarum Rectoribus & Curatoribus mandando iniungimus, vt ſingulis annis, ſemel ad minimum, omnes Eccleſiarum res & ornatus inſpiciant, & in Indice ſingula diligēter conſcribāt, quò, ſi quid inde perierit, facilius depræhendi & ſarciri, & ratio ab his, quibus ea cura commiſſa eſt, expoſci & reddi queat.

Eadem diligentia volumus & præcipimus, vt omnium Eccleſiarum prædia & redditus, tum communes, tum etiam ad ſingulas dignitates ſeu beneficia pertinentes, in libro ad id deputato, exactiſſimè conſcribantur. Literæ verò Originales Cenſuum, tam communium, quàm ad ſingula beneficia pertinentium, non apud ſingulos poſſeſſores relinqui: ſed in publica & benè munita cuſtodia, copijs earundem auſcultatis apud poſſeſſores retentis, aſſeruari debent. Vnde, ſi occaſio exegerit, depromi & ſingulis perſonis ſub cautione redhibitionis permitti poterunt.

De procuratione ſeu fabricis Eccleſiarum Parochialium.

Capvt 90.

VT Eccleſiæ per Prouinciam noſtram cōſtitutæ, à damnis, quę nonnunquam ex infida procuratione accipiunt, in poſterum vindicentur: decernimus & ordinamus, ne poſthac ſolis Laicis, ſed cum aliquot Laicis, cuiuſque Eccleſiæ Rectori ſeu Plebano, velut Principali, officium Fabricæ ſeu procuratio Eccleſiæ committatur: ita tamen ne ipſi Eccleſiarum Rectores ſeu Plebani, officio exactionis cenſuum, prouentuum ſiue redditaum, ſeu procurationis labore grauētur. Tales etiam Eccleſiarū procuratores, de pecunijs ſeu prouentibus Eccleſiarum nihil in ſuum priuatum vſum conuertant: ſed omnia in Eccleſiæ vtilitatem impendant, & de omnibus acceptis & expenſis debito tempore, ad minimū ſemel in anno corā ipſo Plebano ſeu Rectore Eccleſiæ, & alijs ad hoc deputatis, rationem conficiant.

Volumuſ etiam ad ſingulas Eccleſiarum Ciſtas, in quibus literæ cenſuum, ſeu pecuniæ & precioſiores Eccleſiarum res aſſeruantur, diuerſas ſeras, & ad minimum duas fieri, & ex clauibus ſemper vnam apud Parochum ſeu Rectorem Eccleſiæ relinqui & cuſtodiri: ſic vt tales Ciſtę non ab vno aliquo procuratore, nec vnquam abſente Parocho aut Rectore Eccleſię, poſſint aut debeant aperiri. Huic verò noſtrę conſtitutioni in Eccleſiarum fraudem non parentes, ipſi Plebani nobis aut vicarijs noſtris denuncient, debita monitione præuia excōmunicandos.

De Simonia.

Capvt 91.

VT ab inſtitutione ad Eccleſiaſtica beneficia, omnem ambitionem, omnemque Simoniæ prauitatem præcidamus, præſenti ſtatuto ordinamus & decernimus, vt quicūque vel muneribus vel pollicitationibus, ſeu quibuſcunque pactionibus, vnius vel plurium ſibi fauorem conciliauerit, vt per eos ad beneficium ſeu dignitatem qualemcunque (quatenus ad noſtram diſpoſitionem pertinent) promoueatur: eo ipſo excommunicationis ſentētiam incurrat, & reddatur inhabilis, ne amplius ad tale beneficium ſeu dignitatem eligi aut aſſumi poſſit. Quòd ſi electus & aſſumptus poſteà fuerit depræhenſus, tales donationes, promiſſiones ſeu pactiones feciſſe, beneficio ſic occupato priuarī, & de dignitate omnino deponi debet. Similì modo, quicunque Penſiones non legitimè aſſignatas aut dederint, aut receperint, aut alioqui illicitis modis beneficia aut dignitates occupauerint, pro exceſſuum qualitate puniri, & talibus beneficijs aut dignitatibus priuari debent. Quæ vt arctius obſeruentur, nullus in poſterum clericus ad aliquod beneficiū ſeu dignitatem admitti debet, niſi prius iurauerit, quòd in eius adeptione nullam commiſerit Simoniam, aut illicitam fecerit pactionem.

Ex Conc. Aſchaff.

De inſtitutione ex Concil. Friziat.

Vt parochi ſacramenta gratis adminiſtrent.

Capvt 92.

EXecrabilis quorundam Sacerdotum auaritia, vſque ad Sacramētorum ipſorum contemptum & iniuriam nonnunquam irrumpit, dum ſine numerato precio conferre ſacramenta detrectant. Quorum prauam cupiditatem, ſacris etiam Concilijs inuiſam & damnatam, comprimerę volentes, omnibus nobis ſubiectis Parochis ſeu Eccleſiarum miniſtris ſeriò prohibemus, ne quid de Sacramentorum adminiſtratione à quoquam, velut debitum, aut exigant, aut ręcipiant, quod conſuetudo rationabilis, laudabiliter introducta & hactenus obſeruata, non permittit: ſed vltra id etiam oblatum, quaſi non debitum modeſtè recuſent. Quòd ſi aliquis ſubditus vltro aliquid dare voluerit, non obſtamus, quin quod libera voluntate & ex charitate offertur, recipere valeant. Archidiaconis etiam noſtris, ſiue eorum Officialibus, iniungimus, vt in Synodis ſeu Capitulis ſuper huiuſmodi exactione ſedulò inquirant, & huic noſtræ conſtitutioni non parentes, ſeueris pœnis, vſque ad ſuſpenſionem ab officio & beneficio, compeſcant.

Ex Conc. Aſchaff.

De competentijs Parochorum.

Capvt 93.

Matth. 10. Luc. 10. 1. Cor. 9.

CVm Dominus ipſe pronunciet mercenarium ſua mercede dignum, & Apoſtolus clamet, Altari ſeruientem, de Altari viuere debere: Vniuerſos Eccleſiarum Metropolitanæ, Cathedralium & Collegiatarum Prælatos, Canonicos & Capitula, omnesque regulares Prælatos & conuentus, quicunque Eccleſias parochiales, ſuis Eccleſijs ſeu monaſterijs vnitas & incorporatas habent, in Domino exhortamur, diſtrictè eis præcipiendo iniungimus, vt in intra trimeſtre tẽpus, poſt huius conſtitutionis noſtræ publicationem, Eccleſiarum ſibi incorporatarum Rectorib. talem fructuum portionem ordinent, qua pro loci conditione honeſtè ſuſtentari, ac inſuper epiſcopalia & Archidiaconalia iura ſoluere, hoſpitalitatem exercere, & alia neceſſaria onera ſuſtinere queant. Quod ni fecerint, nos illorum iniuſtam negligentiam, ipſis Eccleſijs & animarum ſaluti nimis periculoſam, amplius ſufferre non volentes, apud omnes Eccleſias parochiales, iurisdictionib. noſtris ſubditas, talem iuſti & ſufficientis victus deputationem de decimis, prouentibus, vel bonis collegiorum aut monaſteriorum aut Prælaturarũ, per nos aut Officiales noſtros ſecundum iuris communis & ſacrorum Conciliorum diſpoſitionẽ ordinare, ſepoſita ampliore mora, omnino aggredicmur.

Capvt 94.

CLerici aliunde aduenientes, nec in ijs ordinibus quos iactant, miniſtrare permittantur, nec ad vlteriores ordines promoueantur: niſi fide digno teſtimonio docuerint, ſe eos ordines, quos habere ſe aſſeuerant, ritè & legitimè ſuſcepiſſe. Peregrini autem ſacerdotes, ad Miſſarum celebrationes non admittantur, nec vltra mẽſem in aliquo Presbyterorum cõſortio foueantur, niſi teſtimoniales literas ſuper vita, moribus & receſſu ab eo Epiſcopo, à quo diſceſſerunt: ſimiliter admiſſionis teſtimonium eius Epiſcopi, ad cuius Diœceſim ſe contulerunt, oſtendant.

De Sacellanis nobilium.

Capvt 95.

Vide Con. Fritzlar. D. Sifridi.

SAcellani verò nobilium, in ſacellis caſtrorum Miſſas celebrare, aut alia ſacramenta conferre, aut etiam prædicare non præſumant, niſi ſuper eo authoritatem & conſenſum ordinarium obtinuerint, & prius manualem promiſſionem Epiſcopo ſeu loci illius Archipresbytero fecerint, ſe in obediẽtia Diœceſani manſuros, & ad Synodos & Capitula venturos, & mandatis Eccleſiaſticis ſecundum iuſtitiam, & quatenus eos attingunt, parituros eſſe. Saluis etiam iuribus Parochiarum, ad quas talia caſtra Nobilium pertinere noſcuntur.

De Magiſtris Scholarum.

Capvt 96.

HOc in primis totius Reipublicæ Chriſtianæ vtilitas expoſcit, vt erudiendæ Iuuentuti paſſim Magiſtri, eruditione, honeſtate vitæ, & fidei ſynceritate cõmendabiles, præficiantur, quod in adminiſtratione vtriuſque Reipubl. & Eccleſiaſticę & ſecularis ſucceſſio à pueris dependeat: Qui ſi perverſis & prauis hominibus erudiendi tradantur, à quibus recentes eorum animi (qui malorum ac bonorum vt quidque primùm hauſerint, æquè tenaces ſunt) prauis & impijs opinionibus imbuantur, ſpes non eſt, ſacroſanctam religionem noſtram in integrum reſtitui, aut à prauis doctrinis repurgari, aut priſtinam felicitatem & trãquillitatem in Germaniam noſtram reduci, vnquam poſſe. Proinde ſiue Prælatis & Capitulis, ſiue communitatibus aut locorum Præfectis, ad quos ea cura pertinet, ſeriò iniungimus, vt in poſterum ſcholis ſibi commiſſis didaſcalos pręfecturi, eoſdem ad Vicarios noſtros in ſpiritualibus, ſeu locorum commiſſarios ablegent, qui eruditionem, mores, & fidei ſynceritatem in eis accurato examine explorent, eoſque quid in ſcholis tam ad eruditionẽ, quam ad mores iuuentutis excolendos, conducibile potiſſimũ prægant, pro cuiuſque loci ratione, diligenter admoneant, ſine quorum teſtimonio (quod ſcripto his, quos dignos iudicauerint, exhibeant) quenquam alicui ſcholæ præſici omnino prohibemus.

De teſtamentis & vltimis voluntatibus.

Capvt 97.

QVamuis iam olim multis Concilijs Prouincialibus, velut Fritzlarienſi, domini Gerardi, & aliorum Archiepiſcoporum Moguntinenſium, ſuper Teſtamentorum ordinatione cautũ ſit, quibus omnino ſuum robur manere volumus: videmus tamen hac temporum licentia pleraſq; morientium voluntates incaſſum recidere, defunctorumq́ue ſubſtantiam contra ipſorũ legitimam voluntatem interuerti, à teſtamentarijs præſertim, & quibus pro officio competebat ratum ſeruare defuncti arbitrium: Statuimus, vt qui deinceps nominati fuerint Teſtamentarij, quamprimùm & ante omnia ipſius defuncti hæreditatem ſiue ſubſtantiam, coram Notario & teſtibus fide dignis conſcribant, & in Inuentarium fideliter redigant, omnimodamq́ue morientis voluntatem, arbitrium & ordinationem, intra debitum tempus executioni demandent & exequantur, de quo ordinario aut ipſius commiſſario rationem faciant. Quòd ſi quis infideliter agens, huius noſtræ Conſtitutionis tranſgreſſor repertus fuerit, pro Ordinarij arbitrio, aut alias condigna pœna, pro exceſſus qualitate, plectatur.

Mercatus diebus Dominicis & feſtiuis prohibendos.

Capvt 98.

MAgnus abuſus eſt, cùm ad rerum temporalium & mox periturarum conquirenda lucra, ſex diebus homines intendant: ad regnum cœlorum, eiuſque iuſtitiam inquirendam, ſeptimum diem deſtinatum, ne eum quidem à prophanis negocijs liberum execranda hominum auaritia relinquat. Cui nos improbæ hominum cupiditati modum ponere volentes, ſeriò prohibemus, ne in poſterum in locis noſtræ Prouinciæ ſubiectis, diebus Dominicis aut præcipuis Eccleſiæ feſtiuitatibus, mercatus (niſi fortè earum rerum, quæ ad vſum quotidiani victus neceſſarij ſunt) exerceantur, aut ne ſubditi noſtri vlli operi ſeruili, quod ſine euidenti detrimento dilationem ſuſtinere poteſt, manum admoueant: ſed dies Dominicos & feſtiuos, ſpiritualibus lucris conquirendis, & ſaluti animarum procurandæ, adeoq́ue pietatis & diuini cultus exercitijs, impendant. Quam noſtram conſtitutionem, niſi Magiſtratus locorum, quorum ea poteſtas eſt, ſub grauibus pœnis ita obſeruari curauerint, ipſos Magiſtratus, debita admonitione pręuia, ſententiam excommunicationis incidere, & vbi ad noſtras temporales iuriſdictiones pertinent, inſuper alijs pœnis, pro noſtro arbitrio, puniri volumus.

De libris per Typographiam publicandis.

Capvt 99.

MVltis cõſtitutionibus Imperialibus cautum eſt, ne quis librum aliquem, ſine certo authoris & loci, vbi excuſus ſit, nomine: aut qui per Commiſſarios, qui per loca huic rei curandæ deſtinati ſunt, comprobatus non ſit, vel excudat, vel excuſum vendat. Quam ordinationem renouantes, inhibemus, ne quis tales libros in noſtris ditionibus vendere, aut emere, aut donare, aut occultè quouis modo alij obtrudere, aut omnino apud ſe retinere audeat: Officialibus noſtris, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus, iniungentes, vt in eam rem acri diligentia inuigilent, & ſi quos librorum vel excuſores vel venditores aut detentores, huic ordinationi nõ parentes, de-

præhenderint, ſupra librorum confiſcationem, etiam pœnis in multis Receſſibus Imperialibus conſtitutis, ſine remiſſione afficiant.

De pœna clerici percuſſoris, aut rixoſi contra alium clericum.

CAPVT 100.

PAci, etiam tranquillitati ac honeſtati clericorũ conſulere volentes, decernendum duximus, Vt quicunque clericus alium clericum probris, maledictis aut cõuicijs inceſſerit, ſub duorum aut trium teſtimonio, ab omni prouentuum Eccleſiaſticorum perceptione per vnum menſem ſuſpendatur. Quòd ſi manus alteri clerico violentas, citra tamen vulnus, attulerit, iam dictam pœnam ſuſtineat duplicem. Si vulnus inflixerit, vltra pœnam excõmunicationis, in quam ipſo facto incidit, ad quatuor menſes tali fructuum priuatione mulctetur. Si membrum aliquod mutilauerit, aut inutile reddiderit, omni beneficio Eccleſiaſtico ſit ipſo facto priuatus. Nihilominus etiam in omnibus ijs caſibus, iuxta Diœceſani arbitriũ, læſo ſatisfacere cogatur, & pro delicti grauitate, à Diœceſano, ſi videbitur, etiam grauius puniatur. Illud ſuperioribus comminationibus duximus addẽdum, ſi linguæ petulantiam aut violentas manus in Prælatum intorſerit, in trib prioribus caſibus ſuprà memoratis, vbique pœnæ duplicatione grauandum eſſe: ſaluo tamen iure, quod vim vi repellere permittit. Similiter Clericos, ſi aut iurgijs aut armis contra Laicos contenderint, per Prælatos ſuos, pro exceſſuum grauitate, irremiſſibili pœna decernimus ac mandamus plectendos.

De pœna Sortilegorum.

CAPVT 101.

SOrtilegia, quæ ad iniuriam ſacræ Religionis noſtræ, deteſtando malorum dæmonum commercio exercentur, omnibus Chriſtianis prohibenda; in clericis verò omni pœnarum acerbitate coercenda cenſemus: Proinde clericum ſortilegum protinus ab omni functione Eccleſiaſtica & ordine remouendum, & excommunicationis ſententia cenſemus alligandum, à qua, niſi in articulo mortis, à nemine, quã à ſuo Diœceſano, aut à ſummo Pontifice, ſeu Legato eius ad id poteſtatem habente, abſolui debet. Et ſi incorrigibilis eſſe perrexerit, ad Monaſterium arctum, pro agẽda pœnitentia, detrudatur, aut prorſus abijciatur. Laici verò ab hac arte execrabili, publicatione bonorum ſuorum, aut peruicacia eorum exigẽte, perpetua captiuitate, aut grauiore etiam animaduerſione coerceri debent.

De clericis concubinarijs.

CAPVT 102.

MIniſtris Eccleſiarum, qui ſacris functionibus operam ſuam addixerunt, nihil æquè conuenit, quàm vitæ caſtimonia: intolerabileq; videtur, quòd contra Conciliorum ſanctorumque Patrum authoritatem, paſſim concubinis adhæreant. Quis enim in miniſtrorum Dei collegio patiatur talem, quem Paulus hominum conſortio indignum iudicet, cum quo etiam ne cibum quidem ſumendum putauit? Quia ergo Clerici quidam Synodorum cuiuſque Diœceſis Epiſcopalium ſpecialiter deſuper habitarum, Decretis, de dimittendis concubinarijs, ægrius paruerunt: ne in huiuſmodi ſcandalo & ſordibus volutari diutius permittantur, quibuſcunque locorum Ordinarijs iniungimus & ſerio committimus, vt ſecundum Canonum præcepta, & præcipuè Baſileenſis Concilij definitionem, concubinarios huiuſmodi corrigant atque emendent, eaſque mulieres, quę citra ſcandalum atque offendiculum retineri non poſſunt, extra viciniam, ne commercij facultas aut ſuſpicio remaneat, amoueri procurent. Qua in re, cùm ſæpe compertum ſit, facilius ab initio malis reſiſti, quam ſemel in ea demerſum rurſus erigi atque emergere: omnino Prælatis intendẽdum præcipimus, ne patiantur Iuniores clericos pernicioſa cohabitatione irretiri, à qua deinde extricari facilè non queant: Eccleſiaſticis etiam magiſtratibus, iuxta præfati Concilij decretum, ne vllo ſub pacto, compoſitione, aut ſpe cuiuſcunque quæſtus, tales quouis modo tolerent, aut diſſimulent, penitus interdicentes: & ſi opus ſit, vt Brachium ſeculare in hanc rem implorent, iniungentes.

De excommunicatione.

CAPVT 103.

EXcommunicationem, qua nulla [illegible] maior eſſe poteſt, cautè ab Officialibus noſtris, & non niſi ex ineuitabili neceſſitate, & propter manifeſtam contumaciam, in quenquam intentari volumus, ideoque Officialibus noſtris & Prælatis omnibus, qui alioqui excommunicandi poteſtatem habent, mandamus, ne ſententiam excommunicationis, niſi competenti admonitione præmiſſa & in præſentia fide dignorum hominum (vt ſi neceſſe ſit, teſtimonio eorum probari queat) promulgare præſumant. Qui aliter excommunicationem in quenquam promulgauerit, & admonitus errorem ſuum non reuocauerit, per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ ſit excluſus, & ſic à ſe excommunicato omnes expẽſas, quas talis excommunicationis occaſione neceſſario fecit, reſtituere cogatur. Ex Conc. Futulac.

De vitandis excommunicatis.

CAP. 104.

ET vt timoratis conſcientijs ſubueniamus, & ſcandala excludamus, generalis Synodi Baſileenſis conſtitutionem volumus obſeruari, quæ decernit: Quòd nemo deinceps à communione alicuius, in ſacramentorum adminiſtratione vel receptione, aut in alijs quibuſcunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuſcunque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, aut ſuſpenſionis vel prohibitionis ab homine, vel ab iure generaliter promulgatæ occaſione, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut Eccleſiaſticum interdictum obſeruare: niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel Cenſura Eccleſiaſtica huiuſmodi, fuerit vel contra perſonam, Collegium, vniuerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum aut certam, à Iudice publicata vel denunciata ſpecialiter & expreſsè: aut ſi aliquem ita notoriè excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiuerſatione celari, aut aliquo iuris ſuffragio excuſari. Nam à communione illius abſtineri, vult iuxta canonicas ſanctiones: per hoc tamẽ huiuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos & interdictos ſeu prohibitos non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet ſuffragari. Ex Conc. Baſileenſ.

Cùm humana fragilitas in omnibus actionibus, & præſertim in ijs, quæ pietatis ſunt, ſi ope diuina non adiuuetur & dirigatur, ſine fructu deſudet: præſenti conſtitutione duximus ordinandum, vt in poſterum per omnes totius Prouinciæ Eccleſias, quoties in illis multitudo fidelium conuenerit, fiant precationes ad Deum, pro Spiritus ſancti gratia, ad ſalutarem harum conſtitutionum Prouincialium, obſeruantiam, impetranda. Similiter pro ſummi Pontificis, Imperatoris ac Regis Romanorum incolumitate & felici gubernatione, & pro omnibus, qui ad vtriuſque Regiminis gubernacula in orbe Chriſtiano præſident, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. In ipſa verò ſacri Miſſæ celebratione, alternis diebus pro peccatis & pro pace, ſiue in ipſo ſacro Collectam pro ſuffragio, ſiue poſt illud Antiphonam cum Collecta pro imploranda Dei miſericordia, deuotè recitare aut cantari volumus. Quam rem diſcretioni Prælatorum, pro loci & temporis conditione, committimus curandam. 1. Tim. 2.

Quò verò ſupradicta omnia & ſingula accuratiore cura obſeruentur, & ad excuſationem ignorantiæ, nullus locus relinquatur, ordinamus & præcipimus, vt præſentium conſtitutionum liber apud Metropolitanam, cathedrales, & Collegiatas Eccleſias in Choro aut Capitulis, ſimiliter apud Parochiales Eccleſias idoneo loco, fabricæ ſumptu comparatus, habeatur, ad quem omnibus, quorum intereſt, pateat acceſſus.

Poſtremò cum his præſentibus noſtris conſtitutionibus, omnes etiam generalium Conciliorum conſtitutiones & de-

creta, ſimiliter omnia & ſingu'a alia ſtatuta Prouincialia in Concilijs Prouincialibus, ſub noſtris Præceſſoribus celebratis, edita, quorum in his noſtris conſtitutionibus etiam nullam mentionem fecimus, in ſuo vigore permanere volumus, & ab omnibus nobis ſubiectis, qua quenque parte attingunt, pro cóſirmatis & authenticis agnoſci, haberi & obſeruari diſtrictè præcipiendo mãdamus, ſacroſanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ iudicio, cuius authoritaté in omnibus ſaluam cóſeruari volumus, hæc omnia cum debita obedientia ſubmittentes.

CONCILIVM TREVERENSE II. AVTHORITATE Ioannis Archiepiſcopi Treuerenſ. indictum in cauſa Fidei & morum. Anno Dom 1549 tempore Pauli Papæ III.

DECRETA CONCILII PROVINCIAlis Treuerenſis, Præſidente Reuerendiſſimo in Chriſto Patre ac Domino, D. Ioanne Archiepiſcopo Treuerenſi, ſacri Romani Imperij per Galliam & regnum Arelatenſe Archicancellario, Principe Electore, &c. celebrati Anno Ieſu Chriſti 1549.

IOANNES *Dei Gratia ſanctæ Treuerenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacri Romani Imperij per Galliã regnumque Arelatenſe Archicancellarius, & princeps Elector, ad perpetuam rei memoriam.*

Rem omnino non nouam aggredimur, neque per viam inſolitam ambulamus: verùm orthodoxorum Patrum & prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs tritam ingredimur, ſyncero corde ſemper affectantes, vt vniuerſum clerum & gregem nobis commiſſum, vſquequaque luſtremus & contemplemur, atque ſalubris ſtudij vigilantia in hoc ſedulò incumbamus, vt eam more boni paſtoris, (quantum nobis ex alto conceditur) pura & ſana Euangelicæ veritatis doctrina paſcamus & reficiamus, vt cùm vniuerſalis & tremẽdi iudicij tempus ingruerit, & paſtor ille paſtorum glorioſus in maieſtate ſua apparuerit, ad cuius laudem hanc noſtram functionem obire cupimus, de muneris impoſiti adminiſtratione cum lucro & ex voto reſpondere valeamus. Hac igitur occaſione prouocatos nos, & diligens cura & paterna ſolicitudo extimulat, vt circa noſtrorum ſubditorum ſtatum & vitam probè inſtituendam, indefeſſo ſtudio ac labore aduigilemus: vtque ex hac animi noſtri promptitudine, ipſis piarum rerum cultus indies magis ac magis creſcat pariter & placeat, ipſorum onera & grauamina, pro huius temporis iniquitate, inter manus in morem hydræ enaſcẽtia, imminuantur, ceſſent, finiantur, tollantur, atque tranquillitatis & pacis optatus portus, velut in alto nauigantibus aperiatur: Id quod tum demum rectè conſequi credimur, cùm ſiniſtris euentibus viam præcludimus, vitiorum & malorum materiam reſecamus, & noxia diſſuadentes, ad optima quæq; promouenda animum applicamus.

Quapropter horum noſtrorum ſtatutorũ editione, tum antiquorũ renouatione & explanatione, tum pœnarum comminatione impios & orthodoxæ Eccleſiæ hoſtes ab infelici, ſuo propoſito deterreamus & depellamus, vt in quibus virtutis zelus & ardor ad emendationem nihil nihil proficit, eos ſaltem honeſtæ diſciplinæ ſeueritas atq; pœnæ rigor retrahat & coerceat. Sanè quondam felicis recordationis Balduinus Archiepiſcopus Treuerenſ. & alij prædeceſſores noſtri, pro ſubditorum vtilitate, pro libertate Eccleſiæ & miniſtrorum eius, quàm plurima ſtatuta Synodalia & Prouincialia non minus vtilia quàm neceſſaria ediderunt, promulgarunt, publicarunt, & pœnarum adiectionibus, prout opportunum viſum fuerat, prouidè & conſultè vallârunt. Quæ nos omnia de conſilio & cóſenſu Capituli Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ Treuerenſ. & nunciorum ſeu procuratorum aliorum, Reuerendi domini Nicolai Epiſcopi Virdunenſ. & nunciorum ſeu procuratorum Reuerendiſſimi Domini Ioannis Cardinalis de Lotharingia, Adminiſtratoris Metenſ. & Reuerendi Domini Tonſani epiſcopi Tullenſ. ſuffraganeorum noſtrorum, in præſenti Concilio Prouinciali congregatorum, quatenus per infra ſtatuenda expreſsè non fuerint reuocata & caſſata, approbamus & innouamus, atque in ſuo robore permanere volumus, & eadem antiqua ſtatuta Prouincialia, atque ea noua, quæ nos in præſenti Cõcilio pro temporum ac rerum neceſſitate ſtatuimus & ordinamus, vt per totam noſtram Prouinciam Treuerenſ. firmiter & inuiolabiliter, prout ſtatuuntur, publicentur, teneantur & obſeruentur, firmiter decernimus.

De fide Orthodoxa Catholica & Apoſtolica Eccleſia fideliter & firmiter tenenda.

QVando vera in Ieſum Chriſtum fides fundamẽtum eſt, & petra illa de qua Saluator noſter dixit, ſuper eã ædificãdam eſſe Eccleſiam ſuam, aduerſus quam inferorum portæ nunquam præualituræ eſſent, (præualerent autem, ſi Eccleſia errare perniciosè poſſet, aut docere noxia) fateri oportet, Eccleſiam in fide & veritate radicatam & fundatam, errare non poſſe. Nam & in confeſſo eſt, teſtantibus nimirũ ſanctæ Eccleſiæ Patribus, ac re ipſa clamãte, Chriſti Apoſtolos Petrum & Paulum, Dei ſanctum Euangelium in ſanguine quoq; ipſorum ſignatum, Romanæ Eccleſiæ reliquiſſe, atque in illius fidem Eccleſias omnes, quæ vbiquè ſunt fideles in toto orbe terrarum, religiosè conſpiraſſe, atque ſocietate ſacramenti confœderatas & coniunctas eſſe. Itaque cùm ad nos per Epiſcoporum ſucceſſionem perpetuo continuatam ea fides peruenerit, non dubitamus hanc vnam eandemque eſſe, atq; adeò veram fidem, quę ab Apoſtolis ipſis in veritate eſt tradita, & vſque nunc religiosè ſemper cuſtodita, & in Catholica Eccleſia ſemper conſeruata. Nihil proinde aliud credendum, tenendum, aut docendum eſt, niſi quod ſancta Romana tenet & docet Eccleſia, omnium conſentientium Eccleſiarum mater & magiſtra. Eum verò qui à fide Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ recedit, neceſſe eſt à veritate & capite deficere. Hortamur itaque & in Domino obteſtamur oẽs & ſingulos Clericos & Laicos, nobis Metropolitico iure ſubiectos, vt tenaciter & indiuulsè adhæreant, nõ ſolùm his quæ in diuinorum eloquiorum Canone expreſſa ſunt, verum etiam his, quæ Eccleſia ſancta Catholica habet, & cũ omnium orthodoxorum conſenſu probata & recepta ſunt, neque vlla ratione aut perſuaſione à veritate fidei, Eccleſiæ & Euangelij quod acceperunt, & in quo ſtant & ſaluantur omnes gẽtes, auelli ſe patiantur, ſed in eo quod hactenus piè & rectè docti ſunt & crediderunt, permaneant.

De prædicatoribus verbi, quos miſſos eſſe oportet.

HOc habet Apoſtolica Eccleſia, vt nullus niſi miſſus prędicet. ſic Chriſtus non niſi miſſus prædicauit, ipſo apud Eſaiam teſtante: Spiritus Dñi ſuper me, eo quòd vnxerit me, ad Euangelizandum pauperibus miſit me. Neque item ipſius præcurſor, de quo ſcriptum eſt: Fuit homo miſſus à Deo. ſed nec Apoſtoli hoc feciſſent, niſi mãdato à Chriſto accepto: Ite, Ecce ego mitto vos. Proinde nos Euangelicæ & Apoſtolicæ regulæ innitẽtes, ſtatuimus & præcipimus, ne quiſquam poſthac, etiam quamcunque religionem profeſſus, publicè prędicare præſumat, niſi ab Epiſc. Ordinario, vel eius Vicario admiſſus fuerit. Et ſi quis etiam religioſus Apoſtolicæ ſedis priuilegio nitatur, tenebitur nobis aut officialib. aut Vicarijs noſtris de hoc fidẽ legitimã facere. Laicis verò prorſus interdicimus, ne prædicandi officiũ vſurpent, aut occulta cõuenticula faciant, & ſacerdotum ſimplicitatem eludãt. Et ſi fortè neceſſitas poſtulet, vt ſacerdos tanquã inutilis & indignus à cura

gregis debeat remoueri, ſeruato ordine iuris, de hoc agẽdum eſt apud Epiſcopum, ad cuius officium tam deſtitutio quàm inſtitutio ſacerdotum pertinere dinoſcitur. Omnes verò & ſingulos, aliter quã præmiſſum eſt, publicè vel priuatim prædicationis officium vſurpare præſumentes, præſentis ſtatuti rigore excommunicationis vinculo innodamus, & excõmunicatos declarari publicè mandamus. Et niſi reſipuerint, alia cõpetenti pœna à nobis aut noſtris Suffraganeis, vel locorum Ordinarijs plectendi ſunt.

Non quiuis admittendi ſunt, etiamſi præſentati fuerint.

QVando non parum refert, quis qualisve ſit, cui alios inſtituendi & docendi poteſtas tradita eſt, probandi primũ & explorandi ſunt futuri concionatores, à quibus & quomodo inſtructi ſint, ne peregrinis fortè & hæreticis doctrinis imbuti, nõ ſatis perſpecti recipiantur in ouile Chriſti, ad grauem Dominici gregis perniciem. Attamen nõ tam eloquentiores, quàm ſapientiores, neque tam argutiores, quàm meliores eligendi ſunt, modò gregi ſana doctrina paſcendo non ſint prorſus inidonei. Immò tanto magis aliquoties cauendus eſt is qui eloquentia pollet, quanto plus ob eloquentiam, dum rectè dicere & docere exiſtimatur, nocere & fallere poteſt.

Vocatus & admiſſus, quid pro concione docere debeat.

MIſſi & admiſſi verbi prædicatores, in hoc toti incumbant, vt verbum veritatis rectè & bona fide tractent, tanquam diſpenſatores multiformis gratiæ Dei, omiſſis his quæ à puritate Euangelij aliena ſunt, vel ſuperuacanea, vel parum ædificantia: ſed nec opinabilia ac dubia pro certis & receptis aſſeuerare audeant. Ab apochryphis abſtineant, & quæ Eccleſia occultanda eſſe decreuit, de ſuggeſto non promulgabunt. Comicas, aniles, & interim obſcœnas fabulas, & quæ riſum moueant citius quàm lachrymas, propter peccata, populi auribus non ingerant. Et omiſſis odij, inuidiæ, inſectationis, quæſtus, ambitionis, & conſimilibus nequam affectibus, ſyncerè & pacificè Euangelium pacis annuncient, mutuis conuicijs ſe non proſcindant, nec alius alium pro concione impugnet. Sed ſi quis alteram hæreſim, vel pernicioſum errorem, aut aliud quippiam, quod piarum aurium ſit offenſiuum, dixiſſe depræhenderit: epiſcopo aut illius Vicario, aut inquiſitori Apoſtolico, vel Officiali loci, ordine etiam ſeruato Euangelico, ſignificet. Et cùm Catholicas traditiones tanquam arctiſſima quædam Chriſtianæ religionis & pacis vincula conſeruare & cuſtodire omnes ex æquo deceat, neque dubitemus traditiones & conſuetudines vniuerſales, præſertim eas, quas per orbem tota frequentat Eccleſia, ab Apoſtolis in Eccleſiæ ſinum transfuſas, vel à generalium ſacrorum Conciliorum authoritate profectas, nos eas ſimili religione, qua ea quæ ſacræ ſcripturæ præſcribit authoritas, vt obſeruentur, doceri omnino mandamus. Quæ verò per loca vel regiones noſtræ Diœceſis vel Prouinciæ variantur, eas quiſque obſeruet ad ædificationem morum & fidei. Ac ne quiſquam temerè contra eas de ſuggeſto rogationem facere præſumat, Mandamus epiſcopis Prouinciæ noſtrę & Officialibus noſtris, vt ſi qui ritib. Eccleſiæ antiquandis vel nouandis priuata authoritate ſtudere comperti fuerint, in eos ſeueriter animaduertant.

Quare qui paſcendi gregis Dominici curam ſuſceperunt, ea potiſſimùm doceant, quæ ad tranquillitatem & piam concordiam facere, & ad captum rudis populi accommodata eſſe cognouerint. Cuiuſmodi eſt ſimplex explanatio ſymboli, decem præceptorum, ſacramentorum & cæremoniarum Eccleſiæ, orationis Dominicæ. Item cohortatio ad pœnitentiam: in qua Chriſti Seruatoris commemorent beneficia, ac pœnas nunquã finiendas, quæ in malo obſtinatis paratæ ſunt, ob oculos ponant: ſed ne miſericordiam deſperent, rurſum ſubleuent ac ſolentur. Ceſſantes ac torpentes excitent, animo deiectos in ſpem erigant: Voluptuarijs, reſq; mũdi admirantibus, vitæ breuitatem & æternos ignis cruciatus ſubinde ingerant, vt ſaltem futuris malis territi, peccare deſinant, atque ad meliorem frugẽ ſe recipiant: necnon populo omnino perſuadeant, nõ quamlibet fidem qua in Deum creditur, ſed eam demũ ſalutiferam fore, quæ (Apoſtolo teſte) per dilectionem operatur: ſic ad bona opera ſedulò hortentur, & pręſertim ad opera miſericordiæ: Patres ac matresfamiliâs, vt proles & familiam Chriſtianè educent, grauiter & continuè commonefaciant, atq; vt adulti conſueta & ordinaria ieiunia, Quadrageſimæ videlicet, & Quatuor temporum, & Vigiliarum, infringere non præſumant: plebem admoneant, & vt frequenter, vel ad minus in Quadrageſima, in initio eius, vel ante medium ad confeſſionẽ veniant: & ſi non ſæpè, ſaltem in Paſchate corpus Domini recipiãt, ſi velint inter Catholicos reputari. Sanctorum religioſam mentionẽ ſubinde faciant, animoſque Chriſti fidelium illorum exemplis incitent, confirment, & interceſſione conſolentur. Doceant quoque veras ſanctorum reliquias reuerenter habendas. Contenti ſint Euangelia & lectiones, quibus in Dominicis & feſtis diebus Eccleſia vtitur, interpretari populo, & ex his ſermonem & doctrinam ad ædificationem populi formare. Gal. 5.

De cultu diuino diligenter & religioſè exequendo, deque diſciplina Chori obſeruanda.

DEus etſi Spiritus ſit, non tamen internis tantum affectibus fidei, ſpei & charitatis, verũ etiam externis actibus colendus & adorãdus eſt, vt cor & caro exultent in Deum viuum. Eſt enim externus cultus ſignũ ac manifeſtatio quædam cultus interni: qualis eſt laus communis, & orationes publicę, quæ per Eccleſiæ miniſtros, ex perſona totius populi fidelis Deo offeruntur, quo alij quoq; (quatenus per ipſorum occupationes licet) ad laudes Dei & gratiarum actiones excitẽtur. Neq; enim Eccleſiaſticæ melodiæ ſua deeſt energia. Id quod Auguſtinus teſtatur, referẽs Ambroſium Mediolani cantum inſtituiſſe Eccleſiaſticum, ſecundùm morem Eccleſiarum Orientalium, eumque cultùm celebrari cœptum magno ſtudio fratrum, hymnos & Pſalmos canentium: quem etiam cæteræ Eccleſię imitatæ ſunt. Sed & ipſe Auguſtinus, quantum Eccleſiaſticis fuerit canticis affectus, his verbis teſtatur: Quantum fleui Domine in hymnis & canticis tuis, ſuauè ſonantis Eccleſiæ vocibus acriter commotus? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & mihi benè erat cum illis. Et rurſus: Cùm reminiſcor, inquit, lachrymas, quas in primordio fidei meæ fudi ad cantus Eccleſię, & nunc quoque commoueor, non cantu, ſed rebus quæ cantantur, cùm liquida voce & conuenientiſſima modulatione magnam huius inſtituti vtilitatem rurſum agnoſco, magiſque adducor conſuetudinem approbare in Eccleſia, vt per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Hæc cùm ita ſe habeãt, hortamur omnes & ſingulos clericos, vt omnes pariter conuenienti modulatione, conſona denique voce, debitum Deo cultum nocturnum & diurnum deuotè & religioſè exhibeant & exequantur, eo modo, his ritibus & cæremonijs, quib. hactenus vſa eſt Eccleſia, & vt à ſanctis Patribus eſt traditus, atque à maioribus noſtris obſeruatus.

Ioan. 4.
Pſal. 83.
Libr. 9. conf. c. 7.
Ibid. ca

De horis Canonicis.

OMnes qui horis Canonicis perſoluendis deputati ſunt, dent operam, vt collectis animis, quoad fieri poteſt, debitum penſum abſoluant: nec ita ſe habeant, vt dum voce pſallunt, quiduis potiùs quàm Deum animo cogitare videantur, ſemper cauentes, ne propheticũ illud audiant: Labijs quidem me honorant, cor autem eorum longè eſt à me. Quid autem eſt, voce quidem pſallere, mente autem domum aut forum circumire, niſi homines fallere, & Deum irridere? Graue admodum eſt quod ſcriptura dicit: Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Statuimus proinde, vt laudes diuinæ per ſingulas horas non curſim ac feſtinanter, ſed tractim, ſeruatis interuallis decentibus, ratione dierum feſtorum, à profeſtis & intermedijs ſecernendorum, habitæ reuerenter & alacriter abſoluantur, nequaquam ſublato in altum

Eſa. 29.
Matth. 1
Hier. 48.

clamore, ne vel inſanire, vel animi laſciuia geſtire videantur potius, quàm feruore ſpiritus exultare, ſemperverſiculum decantatiſſimum animo voluentes.

Non clamans, ſed amans cantat in aure Dei: audit enim ille vocem cordis, ſine qua ſonum oris cótemnit. Quare videndum eſt, vt qui ſpiritu pſallunt, & mente pſallant.

Caueant item qui alijs occupati negocijs, extra chorũ horas priuatim legunt, ne ſomnolente aut truncatis verbis, aut intra fauces compreſſo ſpiritu preces demurmurare, vel vt Ethnicus quidã ait, rabioſa ſilentia rodere videantur, ſed articulate, diſtinctè, diſertè, & cum attẽtione integrè omnia pronuncient.

Ne qua item occaſione in diuerſa rapti deſint officio ſuo, diſtrictius prohibemus, ne deambulando Horas dicant, ſed in locũ aliquem orationi aptum tantiſper concedant, ne mentis euagatio, quæ ex tumultuaria deambulatione naſci ſolet, fructum orationis intercipiat.

Nullus item dum Canonicæ preces in templo publicè cantantur aut leguntur, audeat priuatim ibidem aliquid legere, ac ne horas quidem Canonicas abſoluere, ſed cócinat, ac vna cum fratribus Deum honorificet. Contrarium qui fecerit, tanquam abſens habeatur.

De his qui, dum ſacra fiunt, per templa vagantur, prophana miſcentes colloquia.

QVicunque tempore, quo diuina peraguntur, ſpatiari in Eccleſia, vel circa eam deambulare, ſimul & ocioſis fabulis vacare, comperti fuerint, tanquam abſentes pro die illo habeantur. Et ſi ſemel admoniti, non deſtiterint, ſed pertinaces fuerint, grauiorem ſubeant pœnam, arbitrio Prælatorum, aut eorum vices gerentium, infligendam. Quos & ipſos hortamur, imò eis diſtrictè iniungimus, præſertim in Metropolitana Eccleſia noſtra Treuerenſi, & in cathedralibus ſuffraganeorum noſtrorum, tanquam inſignioribus & frequentioribus Eccleſijs, vt nulla ratione patiantur diuina officia quorumcunque colloquiorum, confabulationum, deambulationum, aut canum, auium, morionum, & ſimilium ſtrepitu, garritu & latratu, ſiue à Clericis, ſiue à Laicis perturbari, aut irreuerentia affici.

Sed nec ipſi Prælati, quorum maximè intereſt remouere ſcandala, atq; ea quæ verbis imperant, facto & exemplo confirmare, in ijs ſeſe culpabiles reddant, neque in correctione ſubditorum ſuorum negligentes ſe exhibeant: & quò nullus in peccatis excuſationi locus relinquatur, præſentis decreti tenore in irritum reuocamus & annihilamus omnia ſtatuta, ordinationes, conſuetudines, & priuilegia exemptionum quibuſcunque Eccleſijs, militijs, hoſpitalibus, locis & monaſterijs quorumcunque ordinum, quacunq; authoritate & qualitercunque conceſſa, quæ reformationi prædictorum abuſuum, & correctioni peruerſorum morum aduerſantur, aut in mora ſunt, vt contra perſonas & loca prædictarum Eccleſiarum, ordinum, domorum, militiarum, hoſpitalium, monaſteriorum, ſine omni exceptione ad correctionem ſeu emendationem procedi non poſſit aut valeat. Cuius executio in caſu negligentiæ, à capitulis ad Prælatos, & Prælatorum negligentia intercedente, ad Officiales vel Vicarios locorum, aut eorum ſuperiores deuoluatur.

Quo tempore quiſque in Choro eſſe debeat.

MAiorum noſtrorum veſtigia ſequentes, & authoritati ſacrorũ generalium Conciliorum innitẽtes, vt cuncta in domo Dei ordinè fiãt: volum⁹, vt in Metropolitana noſtra Treuerenſ. & in omnibus Cathedralibus & collegiatis Eccleſijs Ciuitatis, Diœceſis & Prouinciæ noſtræ Treueren. habeãtur duæ tabulæ, quarum vna habeatur aut ponatur in aut circa chorum: in qua diſciplina obſeruanda deſcripta ſit: ex cuius tenore ſatis liqueat, quando & qualiter quis horis canonicis intereſſe debeat. Ad cuius diſciplinæ obſeruantiam, Prælati cunctos ſibi ſubditos rigoroſè commoneant & compellant. Et ſi alicubi hactenus erecta non fuit, aut deperdita, eam rurſum erigi & deſcribi iubemus.

Secunda verò tabula locabitur & ponetur in ſacrario, aut alio loco conuenienti: in qua quid ab vnoquoque canonico, vel alio beneficiato legendum cantandumq; ſit ſingulis diebus & horis per hebdomadam, ſcribatur: & hic negligentiam committens, pro modò delicti corrigatur.

Nolumus autem, vt collegia canonicas preces in templis perſoluere aut ſacra facere, Vindemiæ aut aliorum negociorum & ſecularium occupationum prætextu omittant, nõ obſtante quacunque conſuetudine: ſed ita partiantur onera, vt dum alij temporalia procurent, alij orationib. & publicis precibus vacent. Et ſi alicubi hoc fieri non poteſt, ſaltem hebdomadarius pro tempore, præſentib. alijs quotidiè, durantibus vacationib. vindemialibus, Canonicas horas in choro ſaltem legendo perſoluere curabit. Ita tamen, vt Dominicis diebus, & Apoſtolorum feſtis, Tertiæ, Sextæ, Veſperę & Completorium cantentur, & ſummum ſacrum fiat.

Statuimus inſuper & ordinamus, vt deinceps capitula, actus & tractatus capitulares, tantum pro feſtis ſeu ferialibus diebus teneantur. Sed nec in ijs, ſub Miſſa, Veſperis aut Completorio indicantur, aut teneantur. Quinimmò, vt omnes Miſſæ interſint, diſtrictè mandamus. In alijs verò ſi ſubſit vrgens neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas poſtulet, vt capitulum teneatur, Decanus indicabit dilationem ſeu moram capituli & actuum capitularium non carere periculo, & propterea ſub prædictis horis tractandum & agendum eſſe. Et ſi in his ſecus actum fuerit, tam indicens, quàm intereſſentes, reſidentia & præſentijs pro illa vice carebunt, quinimmò omnino vti abſentes his horis reputabuntur.

De Miſſæ officio ritè peragendo.

HOrtamur, vt ſacroſanctam illam actionem, in qua ſacrificium precij noſtri, corpus ſcilicet & ſanguinis Chriſti veraciter offertur pro viuis & defunctis, ſumma religione & deuotione ſacerdotes peragant, ac quoties datur, ſeduló frequentent & celebrent eo modo, & his cæremonijs ſeu ritibus obſeruatis, quos hactenus Romana & occidentalis ſeruauit & hodiè ſeruat Eccleſia.

Dum ſacerdos ſacrum facturus, in ſacrario cum miniſtris induitur, nemo inibi confabulari præſumat, vnde vel ipſius, vel miniſtrorum deuotio interturbetur.

Egredienti ſacrariũ ad altare, vel reuertenti poſt ſacrum, omnes aſſurgant, ſimiliter & miniſtris, dum ſacris induti, lecto Euangelio, Epiſtola aut Homilia, prætereunt.

Dum ſacerdos ſacrum facturus, confeſſionẽ ex more præmittit, miniſtri nequaquam dent operam accẽdendis luminarijs, aut alijs rebus mentem auocantibus, ſed adſint ſacerdoti confeſſionem perſequentes, & pro ſe inuicem Eccleſiæ nomine orantes.

Veterem canonem inſtaurantes, prohibemus, ne quis ſacerdos Miſſarum ſolennia publica celebrare præſumat, niſi ad minus duobus præſentibus. Quod ſi in priuata Miſſa commodè fieri non poteſt, ad minus adſit vnus, qui reſpondentis locũ ſuppleat, ſed ita, ne ſit proles illegitima, quàm omnino, patre celebrãte, altari adſtare prohibemus, multo magis concubinam, ſi quam habuit.

Et ieiunus quilibet celebret, & velató capite altari aſſiſtere, aut ita illud accedere nullus omnino præſumat: Quæ & Diaconos & ſubdiaconos obſeruare mãdamus; ſi quis, temerè cõtrarium facere præſumpſerit, excommunicationis vinculo innodetur.

In Miſſa publica & ſumma, præfatio & oratio Dominica, non debent priuatim dici aut abrumpi. Ita & Symbolum, epiſtola, & Euangelium integrè, diſtinctè, & clarè cantari debent. Neque ferendum eſt, vt chorus verba ſacerdotis vel ſubdiaconi, mox in ipſo lectionis veſtibulo interrumpens, auſpicetur Graduale, Tractum vel Alleluia, quaſi ſcilicet hoc ſatis ſit, ſi adſtantes ſciant, cuius ſit lectio aut epiſtola.

Dum Euangelium cantatur in ſummo ſacro, expedit dare ſignum per campanam, vt exiſtentes in vicino Laici, ad eleuationem Dominici corporis & ſanguinis inuitentur.

In eleuatione corporis & ſanguinis Chriſti, & poſt, vſque dum cantatur Agnus Dei, ſileant organa. Nulla cantetur Antiphona, neque pro pace, neque aduerſus peſtem, aut mortalitatē, ſed ſilenter pro ſe quiſque, aut flexis genibus, aut proſtratis humi corporibus, paſſionis ac mortis Chriſti commemorationem faciat, ac redemptori gratias agat, pro beneficijs per mortem ipſius largiſſimè acquiſitis.

Statuimus inſuper, imò antiquorum Patrum ſtatuta innouamus, vt ſub ſummo ſacro, nulli ſacerdotum liceat eodem in templo ſacram rem facere, ſed priuatas Miſſas antea abſoluant, vt omnibus ad publicum ſacrū conuenire ſit integrum, & chorus plenus & collectior pleniorem ac puriorem Deo cultum exhibeat.

Et ſi optare potius quā ſperare liceat, adeſſe quotidiè aliquos, qui Euchariſtiam accipiant: volumus tamen, vt ſacerdotes ad frequentationem huius myſterij, & ſacram communionem Laicos adhortentur: nec tamē ideo ſacerdotes à quotidiano ſacro deſiſtere oportet, quòd deſint, qui cum ſacerdote ſacra faciente, menſæ Dominicæ quotidiè ſacramentaliter communicent.

Ordinamus præterea, vt per ſingulas Diœceſes noſtræ prouinciæ, Miſſarum officia decantentur & legantur, prout in Miſſali ordinario vniuſcuiuſque Diœceſis ordinatum eſt. Et ſi qua Diœceſis proprio ordine Miſſalis caruerit, ad modum noſtræ Treuerenſ. Eccleſiæ Miſſali vtetur: neque alicui publicè aut priuatim alienis Miſſalibus vti licebit. Idem & de Breuiarijs obſeruari volumus.

De moderandis ferijs.

NVmerum feſtorum creuiſſe admodum videmus, ſed calentem fidelium deuotionem frigeſcere: eoque ventum eſſe, vt bona pars hominum omnia feſta negligat, idque impunè, nec ſine Eccleſiæ dedecore. Pauperes, qui non habent vnde alant vxorem & familiam, clamant omnem ferè ceſſationem damnoſam ſibi eſſe. Operæprecium proinde nobis viſum eſt, feſtorum numerum contrahere, quò & effrenes coerceantur, & aliquid detur neceſſitati pauperum. Itaque hæc feſta omnino celebria eſſe volumus, & pro paſtorali noſtro officio ſolenniter celebranda mandamus & pręcipimus: Dies Dominicos omnes, feſtum Natiuitatis Chriſti, Stephani, Ioannis, & omnium Apoſtolorum, Circunciſionis, Epiphaniæ & Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, Natiuitatis virginis Mariæ, Paſchæ cum duobus ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus ſequentibus, Corporis Chriſti, Ioannis Baptiſtæ, Magdalenæ, Laurentij, Crucis, Michaelis, Omnium ſanctorum, Martini, Catharinæ, Andreæ, Nicolai, Thomæ. Et in ciuitate noſtra Treuerenſi hæc feſta Patronorū: Maximini, Simeonis, Viſitationis, Helenæ, Paulini, Translationis Materni & Eucharij. Et in ſingulis ciuitatibus, oppidis, & Parochijs Dedicationis feſta, & Patrocinia celebrari mandamus. Cæterùm dies Innocentum, Cinerum, Paraſceues, Cœnę Dominicę, Sabbati magni, Marci, tres Rogationum, Commemorationis animarum, & omnes reliquos dies ſtationum, quos Eccleſia noſtra Treuerenſis in diebus aliorum Patronorum, vel pro ſpecialibus rogationibus ab antiquo introductis, in ciuitate noſtra Treuerenſi vel eius ſuburbio obſeruatis, vſque in meridem feriari volumus, ita vt facto ſacro, cuique ad labores aut negocia ſua redire liceat. Simili ratione in Cathedralibus & Diœceſibus Suffraganeorum noſtrorum, quibus tamen arbitrium ſuum in hoc relinquimus, & in alijs locis & parochijs Diœceſis noſtræ obſeruanda. Et ſiquis, ſiue clericus, ſiue laicus, in prænominatis celebribus feſtis, aut in alijs ante meridiem operæ mercenariæ publicè vel priuatim, aut comporationibus, choreis, ludis, aut id genus laſciuijs & leuitatibus temerè & contumaciter ſeſe dederit aut immiſcuerit, ab Officialibus noſtris arbitraria pro modo delicti, etiam brachij ſecularis auxilio (ſi opus erit) inuocato, puniri mandamus. Cætera verò feſta, quacunq; ratione inſtituta ſunt vel recepta, in foro libera facimus. In choro verò & Eccleſia eadem feſta, prout ab antiquo obſeruata ſunt, deuotè celebrentur: ita tamen, vt hiſtorię & lectiones parum probatæ, omittantur.

Et cùm potiſſimū hac de cauſa indictæ ſint feriæ, vt feſtos dies in Dei laudibus, & gratiarum actione, ac audiendo verbo Dei populus tranſigat, curēt noſtrarum Diœceſis & Prouinciæ, Ciuitatum, oppidorum, & locorum magiſtratus ac Rectores, vt populus pręnominatis diebus feſtis, verbum Dei deuotè audiant, & diuina frequentant. Neque tempore diuinorum, & præſertim hora, qua concionatores verba faciunt ad populum, patiantur ciues vacantes ocioſis fabulis, in foro ſtantes.

De religioſis monachis & monialibus.

REligioſos varij nominis & regulæ, ſimul & pia loca, ſancta Romana Eccleſia, benigno fauore ſemper proſecuta, ſpecialibus gratijs, priuilegijs, immunitatibus, & exemptionibus decorauit: ea omnia nos per noſtram Diœceſim & Prouinciam noſtram Treuerenſ. nullatenus imminuere, ſed magis illibata conſeruare, & quatenus aliorum iure ſaluo poſſumus, augere & extendere in votis habemus & intendimus. Sed ita, ne ſub ouina pelle, gregem Dominicum truculentia lupi rapacis inuadat, ſub pietatis imagine, virus hæreticæ prauitatis obrepat, & ſub prætextu conuerſationis Euangelicæ, ſpiritus malignus illudat. Cuius rei gratia (præter ſingulorum Ordinum ab Eccleſia receptorum regulares inſtitutiones, quas tanquam ſalutares ab omnibus & ſingulis, prout illos reſpectiuè concernunt, obſeruari mandamus) varij Canones editi ſunt, à quibus (quod dolenter referimus) ſi non ab omnibus neque in omnibus, à pleriſque tamen & multis delinatur: non ſolùm in propriæ ſalutis diſcrimen, ſed & in religionis opprobrium, & plurimorum fidelium ſcandalum, ſed & in illius, cui ſuam integritatem ſpontanea voluntate deuouerunt, grauem offenſam. Quapropter quæ in ijs ab ECCLESIA & prædeceſſoribus noſtris ſanctè & Canonicè ſtatuta ſunt, vt inuiolabiliter ab omnibus obſeruentur, ſeriò mandamus & præcipimus.

Et inter cæteros abuſus reformandos curent Prælati, Abbates, Priores, Guardiani, ſimul & monaſteriorum Viſitatores, & alij quocunque titulo nominentur, ne aliquis ante decimumquintum annum, ad probationis annum admittatur.

Item ne quis anno probationis non completo, ad profeſſionem recipiatur.

Item receptis ſic, præceptores idonei deputentur, qui eos in regulari obſeruantia, & diuinis officijs non minùs quam in [illegible]s, & è conuerſo, inſtituant & forment.

Ad ſacros ordines ſuſcipiendos, non niſi ætate & ſcientia ſufficientes præſentent.

Item idonei ad iuſſum ſuperioris ſui, excuſatione legitima ceſſante, ſe faciant promoueri.

Quodque gratis ſinguli ad profeſſionem recipiantur, nullo accepto precio, nec aliqua facta conuentione: & ne hæc ſub paupertatis prætextu pallientur, diſtrictè inhibemus.

Non patiantur Abbates, Priores, Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ, vt ſuorum Monaſteriorum monachi aut moniales, honeſtatis habenis & monachali modeſtia laxatis, impudenter ſe ſecularib. negocijs inuoluant, aut extra monaſteriorum ſepta deambulent, vagentur, & diſcurrant: & ſi qua ineuitabilis neceſſitas intercedat, quòd tunc nullus egrediatur, niſi honeſta ſubſit cauſa.

Et tunc non niſi de expreſſa licentia ſuperioris, & cum habitu decenti & honeſto ſocio.

Cæteris canonibus de veſtitu, cibo, peculio, officio, capitulis, Viſitatoribus, & correctione monachorum promulgatis, in ſuo robore permanentibus, volumus, vt omnes Abbates & Priores, tales diligenter obſeruare procurent, quod iiſdem diſtrictè præcipiendo iniungimus.

Moniales verò, quarum ſexus fragilior eſt, nulla ratione vel cauſa, niſi tanta & talis ſit, quòd omnino notoriè excuſet, monaſteria ſua egredi facultatem habeant: ſed & tunc, nō niſi cum honeſto & decenti habitu, & aſſociatæ egrediantur. idq; de expreſſa licētia Epiſcopi, Abbatis, Viſitatoris aut ab ijs poteſtatem habentis, quā patri confeſſori pro tempore exiſtenti, concedi prohibemus.

Nulli prorſus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ, niſi rationabilis & manifeſta cauſa ſubſit, ac tunc ſpeciali licentia illius, ad quem ſpectat conceſſio petita & obtenta, acceſſus vel ingreſſus ad moniales pateat. Et quæ de clauſura in regularibus ordinum conſtitutionibus mandantur, omnino & illibatè teneantur & obſeruentur: vt ſic à publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ, ſeruire Deo liberius valeant, & ſublata laſciuiẽdi opportunitate, corda & corpora ſua in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire poſſint.

Prohibemus inſuper diſtrictè, ne moniales ordinem aliquem profeſſæ, Confeſſorem habeant alium, quàm eiuſdem ordinis & regulæ.

Religioſi omnium ordinum, vt ſiniſtræ ſuſpicionis etiam tollatur occaſio, quaſcunq; mulieres, & religioſas, & ſeruientes Deo, in ambitum, ſeu periodum monaſterij recipere, aut introducere nullatenus præſumant.

Religioſi conuiuia ſecularium non frequentent, ſed nec facilè illos ad cœnobia inuitent, niſi neceſſitas & honeſtas ad ſuperiorum dictamen id ſuadeant.

Religioſi menſam non nimium lautam, aut ſumptuoſam, neque delicijs ad luxum exquiſitis, redundantem habeant: quam à benedictione auſpicari, ſacræ lectionis paſtu ſouere, hymno & gratiarum actione abſoluere conuenit. Interim à longo accubitu, commeſſationibus fœdis, compotandi ſtudio, à crapula & ebrietate omninò abſtineant.

Religioſi, vt omnibus bono exemplo, nullis verò, quantum in ipſis erit, offendiculo ſint, honeſto prædeceſſorum ſuorum more, non nudis *byrrhis, aut pileis, ſed capitibus cucullo tectis in publico incedant. Et nullatenùs ad balnea promiſcua, aut alia loca publica intrent: ſed nec ad nuptias aut nuptiarum conuiuia, vadant. Neque pueros de ſacro baptiſmatis fonte, per ſe vel ſuffectas perſonas ſuſcipere præſumant.

Inſupèr ſtatuimus, immò antiquorum Patrum Canones renouando mandamus, quòd nullus Monachorum pro lucro terreno, de monaſterio ſuo exire, nefandiſſimo auſu, aut ſecularibus negotiis ſeſe immiſcere præſumat. Itaque religioſos à curtibus monaſteriorum ſuorum, ad monaſteria reuocari, & curtes per fideles Laicos, ſeu præbendarios adminiſtrari iubemus.

Inſuper, Mendicantium ordinum Prælati omnino prouideant, ne poſthac terminarij eleemoſynarum partem quouis modo ſibi vendicent, ſed eas colligentes cum honeſtate morum, Dei habito timore, omni ſcandalo ſemoto, integram ad Conuentum, & in commune conferre & præſentare, ad euitandam proprietatis notam, ſtudeant.

De monaſterijs non moleſtandis.

LICET ex iniuncti nobis paſtoralis officij debito, ſuper cunctum gregem nobis cõmiſſum, mentis noſtræ aciem dirigere teneamur, vigilantius tamen & cautius agendum dócimus in ijs, vbi ſubditorum noſtrorum maiora incommoda & pericula vertuntur. Sanè vti ex plurimorum querela didicimus, multi Barones, Præfecti, Officiati, aut alij nobiles & ignobiles, in tranſigendis, aut componendis ſuis, vel aliorum controuerſijs & diſſidijs, vel ſimili prætextu, ſeſe cum equis & iumentis in monaſteria, vel eorum curtes, aut poſſeſſiones conferunt, & hoſpitio excipi volunt, vt nedum luxus, diſſoluendæ religionis & monaſticæ diſciplinæ, ac turbandorum diuinorum inibi in animarum diſcrimen, & Dei offenſam occaſio naſcatur, verumetiam vt experientia docti cõperimus, niſi prouiſionis noſtræ auxilio ſuccurramus, periculum ſit, ne monaſteria tandem funditus exhauſta depauperentur & collabantur. Nos itaque huiuſmodi malo, ac innumeris præterea, & diuerſis tribulationibus & iniurijs, quib. ſub præfato prætextu religioſi ſæpè afficiuntur, medelam cõpetentem, quam poſſumus, exhibere volentes: Mandamus omnibus Præfectis & Officiatis noſtris, ac alijs quibuſcunque Baronibus, nobilibus & ignobilibus, vt nunc & poſt hac, talia jam prędicta tentare & facere nullo modo præſumant, neque ſub colore memorato, aut ſimili, monaſteria, aut eorum curtes infeſtare, aut moleſtare deinceps attentent.

Mandamus inſuper diſtrictè omnibus & ſingulis Abbatibus, Prioribus & Religioſis, ne deinceps tales etiam proprio ſuo conſenſu recipiant vel admittant. Et ſi per aliquem prælatum, aut alium quempiam permiſſum, cõceſſum, vel actum fuerit, animaduerſione condigna ita cum illo agemus, vt cæteri ab exemplo diſcant obedire. Et ſi contra præmiſſa violenter quiſquam ſeſe ingeſſerit, aut indebitè iniurias, aut moleſtias monaſterijs, aut eorundem perſonis intulerit, in eundem præſentis ſtatuti vigore excommunicationis ſententiam ferimus. Atque volumus, quòd Prælati & Religioſi eundem nobis, aut officialibus noſtris publicè ſignificare & deferre nominatim teneantur. Nos verò aut Officiales noſtri, extunc contra eundem ordine iuris ſeruato, vſque ad condignam violentiæ, iniuriarum & damnorum ſatisfactionem procedemus, & per Officiales noſtros procedi mandamus: ſaluis nihilominus, & in ſuo robore duraturis omnibus alijs Apoſtolicis, Imperialibus, ac prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & ordinationibus, per quas Eccleſijs & perſonis Eccleſiaſticis, in ſuis libertatibus proſpectum eſt & prouiſum: quas etiam innouamus, & per noſtram ciuitatem, Diœceſim, & prouinciam Treuerenſem, inuiolabiliter obſeruari mandamus: Iure etiam & præeminentia patronorum & fundatorum, ſemper ſaluis & illibatis.

Præterea inhibemus hac noſtra Synodali conſtitutione, ne quis aliquam religionem profeſſus, Eccleſiarum parochialium gubernacula & curam ſuſcipiat, niſi de noſtra vel ordinariorum admiſſione, ſubſiſtente cauſa legitima, & ſuperiorum ſuorum voluntate & licentia obtenta. Ita tamen, quòd per ſuperiores ſuos reuocari poſſint, ac reuocati humiliter obedire teneantur. Et ſi qui hactenus aliter admiſſi ſunt, vel aſſumpti, volumus & iubemus, per Officiales noſtros, in ciuitate & Diœceſi noſtri Treueren. ac per Suffraganeos noſtros, eorundemque Vicarios, per totam prouinciam Treuerenſ. ad ſuperiores illorum remitti, vt dignas dent temeritatis ſuæ pœnas.

Eccleſias verò Monaſterijs vnitas ſeu incorporatas, ſi non tanta intercapedine diſtant, quin religioſi earundem curam habituri, in communis vitæ regulari obſeruantia & obedientia degere poſſint, per huiuſmodi religioſos prouideri & regi, modò idonei ſint, permittimus. Si verò Vicarios alios, ſiue in propinquis, ſiue in diſtantibus Parochijs, perpetuos vel amobiles pro arbitrio conſtituere velint, hæc nõ præſumant, niſi per nos, noſtros Suffraganeos, aut officiales noſtros & Vicarios, tanquam habiles & idonei reperti & admiſſi fuerint.

Volumus inſuper, quòd religioſi ad curam animarum ſic admiſſi, per omnia ſe parochialib. ſacerdotibus, iuxta has noſtras & prædeceſſorum noſtrorum ſynodales conſtitutiones & ordinationes, necnon vniuerſalis Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis Canones in verbi diuini explanatione, Euangelij prædicatione, diuinorum celebratione, ſacramentorum adminiſtratione, per omnia conforment, & nihil nouitatis introducere præſumant.

Mendicantium verò ordinum fratres, in verbi Dei propoſitione & prædicatione, in audiendis confeſſionibus Chriſti fidelium, in ſepulturis & funeralibus & alijs huiuſmodi, ſe per omnia conforment conſtitutionibus & ordinationib. Apoſtolicis deſuper editis: quas in poſterum inuiolabiliter obſeruari mandamus, ſublata penitus poteſtate, cæteris religioſis quorumcunq; ordinum, non mendicantium, ad curam animarum, vt præmittitur, non admiſſis nec receptis, ne ijs ſe ingerant: quod eiſdem diſtrictè præcipiendo mandamus: ſaluis tamen regularibus conſtitutionibus omnium eorundem ordinum.

De caſibus verò nobis reſeruatis, hoc ſtatuimus, ne quis eorum deciſionem ſibi arroget, niſi à nobis ſpecialiter ſibi commiſſum fuerit. Nos tamen hoc negocium dabimus expertis, eruditis & probatis aliquot presbyteris: prout etiam in ſimilibus caſibus Suffraganei noſtri aliquos per ſuas Diœceſes deſignare poterunt, quibus hoc committant.

In caſibus verò non reſeruatis, nullus Parochianum alterius Parochiæ abſoluere præſumat, niſi de licentia ordinariorũ loci vel ex permiſſione proprij Parochialis ſacerdotis, idq; non niſi in caſib. in conſtitutione Balduini felicis recordationibus prædeceſſoris noſtri expreſſis. Et religioſi, etiam mẽdi-

Google

cantium ordinum fratres, non obſtante quocunq; priuilegio, in ciuitate, Diœceſi & Prouincia noſtra Treuerenſ. præmiſſa obſeruare debebunt & tenebuntur. Imò Priores & Guardiani, non debent deputare fratres ſuorum ordinum, ad confeſſiones audiendas, niſi peritos & prudentes, qui etiam à nobis & ordinarijs locorum, & non alijs, (quibus per ſcripta ſuperiorum nominari, & præſentari tenentur) admittendi ſunt.

Et cùm omnes Chriſti fideles, ex conſtitutione Eccleſiæ, ſemel in anno teneantur proprio ſacerdoti confiteri, ſi quis hoc neglexerit, & in Paſchate ſacram Euchariſtiam accipere recuſauerit, (niſi fortè de licentia & conſilio confeſſoris abſtineat) ſic decedens, careat Eccleſiaſtica ſepultura, & viuus ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur. Proinde in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus Eccleſiarum Rectoribus, Vicarijs & capellanis, curam gerentibus animarum, vt omnes huiuſmodi rebelles & inobedientes, nobis aut locorum Epiſcopis & Ordinarijs, per ſcripta nominatim indicent, vt vel Canonicè puniantur, vel pudore ſuffuſi, reſipiſcant. Quamobrem etiam diſtrictè prohibemus omnium Ordinum religioſis, curam animarum non habentibus, ne alicui ſacram Euchariſtiam porrigere præſumant, niſi de expreſſa permiſſione & ſcientia paſtoris.

De Decanis Chriſtianitatis.

VOlumus, vt omnes Decani Archidiaconatus tituli ſancti Lubentij in die Kyrchen, ſe conforment Archipresbytero in Wetzflaria, & illius ſtatutis & iuribus, in caſib. qui ſingularibus ſtatutis deciſi non ſunt.

Cæterùm in omnib. alijs Archipresbyteratibus, & ſedium Chriſtianitatis Decanatibus noſtræ Diœceſis, volumus & mandamus, quòd omnium & ſingularum Eccleſiarum Parochialium curati, intra annum à die acceptæ poſſeſſionis, per ſe vel procuratorem legitimum, præſtent iuramentum Decano: quo præſtito, in fratrem recipiatur, & ſaluis iuribus Capituli conſuetis, Decanus nunc & poſthac à ſic recepto, habebit pro ſe vnum aureum Rhenẽ. Et tenebitur quilibet in Capitulis generalibus & annalibus, & ſimiliter, quando neceſſitate occurrente, Decanus capitulum indicit, ſub pœnis conſuetis comparere, & quotam expenſarum & ſumptuum à Decano factorum perſoluere. Necnon deinceps, quocunque paſtore plebano decedente, noſtro nomine marcam nobis debitam, ipſe Decanus ſubleuabit, & Sigillifero noſtro fideliter tradet.

Et pro ſe & iuribus ſuis, à quolibet ſic decedente, ipſe Decanus habebit tres florenos Rhenen. in auro, non obſtantibus quibuſcunque alijs ſtatutis & conſuetudinibus: quæ & quas præſentium tenore caſſamus, irritamus & reuocamus. Atque præcipimus, quòd deinceps contra præmiſſa nullæ fiant pactiones, ſtatuta, aut ordinationes, niſi de noſtra aut Archidiaconorum loci, expreſſa admiſſione & licentia.

Et quò præmiſſa in plenarium effectum deducantur, vt cupimus, volumus & præſentium tenore ſtatuimus, ſi quis elapſo anno in fratrem capituli, vt præmittitur, ſe recipi non curauerit, tunc in pœnam eius, propter contumaciam, fructus anni illius, qui noſtrum annum conſequitur, ſequeſtrentur. Et niſi intra eundem annum paruerit, extunc tales fructus cõfiſcabuntur: nobis pro media parte, reliqua medietate inter Archidiaconum loci & Decanum diuidenda. Et ſic deinceps ſingulis annis fiat, donec & quouſque paruerit.

Prætereà ſinguli capellani, aut vicecurati, non reſidentium Paſtorum, tenebuntur ſingulis annalibus capitulis comparere, & oſtendere Decano commiſſionem regendi: aliàs eoſdem præſentis ſtatuti vigore excommunicationis ſententia teneri volumus, mandantes Decanis locorum, vt mox tales nobis, aut archidiaconis noſtris denuncient declarandos.

Atque ipſi Capellani, ſeu vicecurati, nunc & in poſterum de fructibus aut arrenda nullatenùs reſpondeant ante finem anni, niſi retenta marca & media marca præmiſſis. Alioquin iĩ ſi de his reſpondere, & de ſuo ſoluere tenebuntur. Quod etiam tempore Capitulorum obſeruandorum generaliter, & cuilibet ſpecialiter, tempore admiſſionis iniungi volumus & mandamus.

Inſuper ſtatuimus & ordinamus, quòd deinceps decedentibus Prælatis Monaſteriorum, ſiue Collegiatarum Eccleſiarum, quibus quacunq; authoritate Eccleſiæ parochiales vnitæ aut incorporatæ ſunt, ita tamen & taliter, quòd non per fixos Vicarios, ſed duntaxat ad nutum amobiles Capellanos gubernentur & regantur, quòd ex tunc morte Prælatorum intercedente, nobis marca argenti, alijs verò Archidiaconis, ſedium Chriſtianitatis Decanis & capitulis, infra annum iura * alijs præſcripta perſoluantur. Inſuper præcipientes, vt ipſi capellani, vt præmittitur, amobiles, non niſi idonei admittantur, & admiſſi, ad comparitionem & omnia capitularia onera teneantur & compellantur, ſub modis & formis præſcriptis. foc. * [illegible]

De competentia Paſtorum.

QVum multorũ querela pulſante intellexerimus, varios eſſe, qui vel ob inopiam Parochias ſuas deſerere & mutare, aut contra Canonum ſanctionem ſecularibus ne[…] ſeſe implicare, aut pro ſacramentis Eccleſiaſticis immoderatè exactionem facere præſumũt, aut in dedecus clericalis ordinis, victum quaſi mendicare coguntur; dignum eſſe & æquum arbitramur, vt qui altari ſeruiunt, de altari & viuant. Neque abſonum reputamus, vt ea quæ ex antiqua conſuetudine locorum, Paſtoribus & Curatis ſolui & præſtari eiſdem ſolita ſunt, etſi modica ſint, benignè perſoluantur: eoque minus ſub hoc prætextu ſacramentorum venditionem cauſentur iſti, qui omnia ſiniſtrè in ordinis clericalis confuſionem interpretantur: atq; vt omnium in hoc vniformis obſeruantia in noſtra Diœceſi cõſtituatur, maturo conſilio ſtatuimus & ordinamus, vt deinceps in noſtra ciuitate & Diœceſi Treuerenſi, curatis pro licentiatorio ſeu dimiſſorijs literis, duodecim albos rotatos: pro educendis ſeu benedicendis puerperis, duodecim denarios: pro eo tempore, quo ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum ad infirmos defertur, quatuor denarios: * extremæ verò vnctionis ſacramentum, duodecim denarios, pro offertorio quattuor feſtiuitatum, pro quolibet vnum denarium exigere liceat. 1. Cor. 9. foc. * [illegible]

Vltra tamen nullus curatus exigere præſumat, datũ tamen aut oblatum liberaliter recipere poteſt.

Pariformiter, pro Baptiſmi aut pœnitentiæ ſacramentis nihil exigat: liberaliter oblatum recipere poteſt.

In nuptijs verò celebrandis, ſacerdos iuxta cõſuetudinem loci, cibarijs miſſis à nuptijs, debet contentus eſſe, nihil vltra exigendo. Si verò copulati, pro ijs pecuniam largiri vellent, numerum octo Alborum excedere non debent.

In funeralibus verò, aut exequijs defunctorum, aut tertio, ſeptimo, & triceſimo, expenſis & duobus albis, aut deficientibus expenſis, vltra tres albos ſacerdotes exigere non præſumant: ſed liberaliter oblata recipere poſſunt.

In pecoribus verò paſcendis & cuſtodiendis: & quæ ſunt domus dotis Eccleſiæ, curtis & ædificiorum reparationis, Decanatus ſtatuta obſeruentur: & ijs deficientibus, ad ſtatuta Diœceſana, olim per felicis recordationis Balduinum prædeceſſorem noſtrum edita & condita, recurſus haberi debet.

Inſuper, ſi ſuper competentia quæſtio emerſerit, cùm certa regula dari non poſſit, coram ordinario loci proponetur & deducetur, ac ſummariè, ſimpliciter & de plano per Officiales noſtros procedi, & ſententiam ferri mandamus: & ſi diffinitum aut cognitum fuerit, quòd competentia danda ſit, extunc nos aut Commiſſarij noſtri, quos ſpecialiter ad hoc deputabimus, primò recurſum habebũt ad decimam Parochiæ, ſiue eam Clerici ſiue laici habeant: atq; hac deficiente, ad plurium parochialium vniones ſeu annexiones, prout commodius fieri potuerit, & vltimo ſi nec ſic prouideri poteſt, ordinaria authoritate Parochianos ad debitam Parochi ſuſtentationem compellere oportebit.

De Scholis.

MAgna & præcipua cura habenda eſt, vt Iuuentus noſtræ ciuitatis, Diœceſis & Prouinciæ Treuerenſis, à primo ætatis flore, nõ minùs Chriſtianæ pietatis inſtitutis & incorruptis moribus imbuatur, quàm rudimẽtis literarum incon-

taminatis rectè inſtituatur. Quapropter præcipimus, vt iuxta Patrum antiquorum decreta, ſingula Collegia ſcholas inſtaurare, vel erectas, conſeruare debeant, & Prælati Eccleſiarum, ac alij, quibus id muneris ex officio incumbit, ſolerter prouidere, vt pædagogi & magiſtri idonei ſint & probi, atq; vitæ omninò inculpatæ: qui ea prælegant, quæ puerorum ſeu adoleſcentum ætati conueniunt: dummodò non ſint obſcœna, ſuſpecta aut contagioſa. Simili ratione hæc obſeruāda ſunt in ſcholis parochialibus oppidorū, & aliorum locorum diœceſis & Prouinciæ noſtræ Treuerenſis. In quibus curent parochiales ſacerdotes, ſi in præmiſſis defectus aut negligentia ſuboriatur, quòd Ordinarijs locorum denuncient: quibus iniungimus, vt diligenter circunſpiciant, ne quid in ijs quæ ad veram eruditionem, aut ad pietatem & cultum Dei attinet, negligatur. Prætereà, quo Collegia doctis & bonis viris ornentur & illuſtrentur, Prælati Eccleſiarum & Capitula, canonicos ſuos, id petentes, tribus annis expectantiarum finitis, (quorum primus nobis, ſecundus præſentiarum augmento, tertius Eccleſiarum fabricis debetur, non obſtantibus alijs expectantiarum, aut primæ reſidentiæ annis, ex ſtatutis vel conſuetudinibus debitis, quæ & quas ad effectum præſentem ſtudiorum obtinendum, reuocamus & caſſamus, ſed quæ tamen ad alios, ad ſtudia non deſtinatos, illibata eſſe volumus) ſi in ſacris maioribus ordinibus fuerint, & ſtudijs apti extiterint, ad vniuerſitates Catholicas, arbitrio capituli, nec non ſufficienti tempore eis determinato, ac præbenda debita eiſdem aſſignata, ſaluo tamen & deducto conſueto onere, mittere debent. Ipſis verò in minoribus ordinibus exiſtentibus, de præbenda, quæ eis deducto onere, ſi reſiderent, deberetur, in abſentia reſpondere tenebuntur: data tamen priùs ſufficienti cautione, de perceptis ſimpliciter Eccleſiæ reſtituendis, ſi finitis annis pro ſtudio conceſſis, mox tunc infra proximum annum ſacris maioribus ordinibus initiari, & apud eaſdem Eccleſias reſidere diſtulerint: non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis vel conſuetudinibus Eccleſiarum, quibus authoritate noſtra de conſenſu huius Synodi noſtræ Prouincialis, quatenus præmiſſis contraria fuerint, præſentium tenore derogamus, & pro iſta parte tollimus, caſſamus, & annullamus.

Vt nemo clericos vel Eccleſiaſticas perſonas, ad iudicium ſeculare trahere præſumat.

MAgnum abuſum & Canonibus, & Imperialibus legibus contrarium, omninò tollere & abolere affectantes, vetera ſtatuta prouincialia prædeceſſorum noſtrorum innouamus, & diſtrictè præcipiendo mandamus, quòd nullus eccleſiaſticam perſonam trahere ad iudicium ſeculare præſumat.

Et ſi laicus actor hoc fecerit, à iure ſuo cadat, & iudicatum non teneat, & iudex extunc omni poteſtate iudicandi ſit priuatus.

Clericus verò actor alium Clericum trahens vltra præmiſſa, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.

Clericus verò reus ſub ſimili pœna, præter alias pœnas iuris, in iudicium Laicale non conſentiat.

Et quicunque iudex ſecularis, directè vel indirectè per ſe vel alium Clericum coram ſe litigare aut reſpondere compellit, aut cautionem vel fideiuſſionem exigit, aut impedimentum & moleſtiam infert aut procurat, quo minùs Eccleſiaſticæ perſonæ, in foro eccleſiaſtico liberè agere & defendere poſſint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat: à qua non debet abſolui, niſi priùs omni damno & intereſſe (vt vocamus) reſtituto, prout latiùs in prioribus ſtatutis prædeceſſorum noſtrorum ordinatum reperitur. At ſub ſimilibus pœnis, Iudex ſecularis Clericos reos non compellat, ſed & eis agentibus in foro ſeculari, iuſtitiam denegare non præſumat.

De Immunitate Eccleſiarum.

PRæterea ſtatuimus, quod nullus à perſonis Eccleſiaſticis, ſeu eorum bonis, contra libertatem eccleſiaſticam prædagia, telonia, angarias, perangarias, collectas, aut exactiones extorquere aut imponere præſumat, quinimmò ad abſtinendū ab ijs & ſimilibus, & ad reſtituendum, ſi quis aliquid extorſerit, Canonica monitione præmiſſa, per ordinarios locorum, iuxta eccleſiaſticam cenſuram cogatur.

Ne quis aliqua ſtatuta, contra libertatem Eccleſiæ facere præſumat.

VEtera ſtatuta prædeceſſorum noſtrorum innouando & extendendo, præſente noſtra ordinatione caſſamus & irritamus omnia ſtatuta & conſuetudines, quæ & quas ciuitates, communitates & loca, Præſides, Poteſtates, Rectores & conſules, & quæcunque aliæ perſonæ, contra libertatem Eccleſiæ edere vel ſeruare præſumpſerint, & ſi aliqui ſecundùm ſtatuta vel conſuetudines memoratas iudicauerint, iudicatū vigore careat, & ipſi iudicantes vel exequentes, ipſo facto inhabiles ſint ad omnem legitimum actum in Eccleſia: ſaluis nihilominùs alijs pœnis, contra tales in Concilio generali promulgatis.

De vita & honeſtate Clericorum.

ETſi ſacræ Cæſareæ Maieſtatis Auguſtanam reformationem nobis & alijs Archiepiſcopis, Epiſcopis & Eccleſiarum Prælatis, ad deliberandum traditam, & eam quaſi ſacris canonibus conſonam & conuenientem, ſine omni ſanctæ ſedis Apoſtolicæ præiudicio probatam receperimus, & in noſtra Diœceſi Treuerenſi ſolenniter publicari & exequi, quantùm in nobis fuit, curauerimus, atq; nonnulla ſtatuta morum correctionem concernentia, in noſtra epiſcopali ſynodo edi & publicari mandauerimus: in quibus abundè & ſufficienter contra ſimoniacos, concubinarios, ſortilegos, ebrioſos, vſurarios, & alios criminoſos prouiſum exiſtit: Nos tamen nunc authoritate Metropolitica, ea omnia innouando hortamur & monemus omnes & ſingulos noſtræ ciuitatis, Diœceſis & Prouinciæ Prælatos & ſubditos, quatenùs quemlibet concernit, vt Dei timore & reuerentia habitis, omni prauo affectu ſemoto, cùm ſacræ Cæſareæ reformationis intuitu, tum noſtra Metropolitica authoritate, ex ſacrorum canonum & generalium Conciliorum præſcripto, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ authoritate ſemper ſalua, in omnibus ijs ſeſe irrepræhenſibiles & inculpabiles reddant & exhibeant. Alioquin prælatorū negligentiam, ſubditorum verò exceſſus opportunis iuris remedijs, inquantum poſſumus ſupplebimus & corrigemus.

Vt quilibet habeat copiam ſtatutorum Prouincialium.

NE quiſpiam affectata ignorantia ſe valeat excuſare, præcipimus & mandamus, quòd per ciuitatem, Diœceſim & Prouinciam noſtram Treuerenſem, horum noſtrorū ſtatutorum legitima fiat publicatio, & quòd omnium & ſingulorum Monaſteriorum, collegiorum Prælati & Rectores, necnon Chriſtianitatis Decani & Plebani locorum, copiam ſtatutorum & aliorum prædeceſſorum noſtrorum & præſentium ſtatutorum ſemper & continuò penes ſe habeant & teneant, & in ijs ſtatuta & ordinata, inquantum quemlibet concernunt, inuiolabiliter obſeruent. Alioquin negligentes, ſeu contrarium facientes, in ijs ſcriptis excommunicamus, præter alias pœnas ſuprà comminatas: reſeruando tamen nobis, & ſucceſſoribus noſtris Archiepiſcopis Treuerenſibus Metropolitanis, poteſtatem ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, addendi, minuendi, corrigendi, extendendi, interpretandi & declarandi, quoties opus fuerit, & viſum erit expedire. In cuius rei fidem, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum.

Datum in Metropolitana noſtra eccleſia Treuerenſi, die decimo tertio Maij,
Anno 1549.

CONCILIVM TRIDENTINVM, OECVMENICVM SIVE VNIVERSALE XVIII. APPROBATVM, CONTRA HAERESES, ET CORRVPTOS

huius ſæculi mores: quod ſub Paulo III. Anno Chriſti 1545. inchoatum, ſub Iulio III. Marcello II. & Paulo IV. continuatum, denique ſub Pio IV. abſolutum fuit, Anno Chriſti M.D.LXIII.

BVLLA INDICTIONIS SACRI OECVMENICI CONCILIJ Tridentini ſub Paulo III. Pontifice Maximo.

PAVLVS *Epiſcopus, ſeruus ſeruorum* DEI, *ad futuram rei memoriam.* Initio noſtri huius Pontificatus, quem non ob merita noſtra, ſed propter ſuam magnam bonitatem, Dei omnipotentis prouidentia nobis commiſit, cernentes iam tum in quas perturbationes temporũ, quotque incommoda rerum ſere omnium noſtra paſtoralis ſolicitudo & vigilia eſſet vocata, cupiebamus quidem mederi Chriſtianæ Reipubl. malis, quibus illa iamdudum vexata, & propemodum oppreſſa eſt: ſed ipſi etiam vt homines, circundati infirmitate, ad tantum onus tollendum impares vires noſtras eſſe ſentiebamus. Nam cùm pace opus eſſe intelligeremus ad liberandam & conſeruãdam à plurimis impendentibus periculis Remp. omnia inuenimus odijs & diſſenſionibus plena, diſſentientibus præſertim Principibus ijs inter ſe, quibus ſumma rerum penè omnis à DEO permiſſa eſt. Cùm vnum ouile & vnum paſtorem Dominici eſſe gregis, ad integritatem Chriſtianæ religionis & ad cæleſtium bonorum ſpem in nobis confirmandam neceſſarium duceremus, ſchiſmatis, diſſidijs, hæreſibus erat Chriſtiani nominis diuulſa iam penè & lacerata vnitas. Cùm tutam atque munitam ab infidelium armis atque inſidijs Rempub. optaremus, noſtris erratis, noſtraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis noſtris imminente, Rhodus fuerat amiſſa, Hũgaria vexata, conceptum & meditatum contra Italiam, contraq; Auſtriam & Illyricum terra marique bellum: cùm impius & immitis hoſtis noſter Turca nullo tempore requieſceret, noſtrorumque inter ſe odia & diſſenſiones ſuam benè gerendæ rei occaſionem duceret. Igitur, vt dicebamus, in tanta hæreſum, diſſenſionum, bellorumque tempeſtate, tantisq; excitatis fluctibus, cùm eſſemus ad moderandam & gubernãdam Petri nauiculam vocati, nec viribus ipſi noſtris ſatis fideremus: primùm coniecimus in Domino cogitatus noſtros, vt ipſe nos nutriret, animumque noſtrum firmitate & robore, mentem conſilio ſapientiaque inſtrueret: deinde animo repetentes, maiores noſtros ſapientia admirabili & ſanctitate præditos, ſæpè in ſummis Chriſtianæ reipublicæ periculis, remedium optimum atque oportuniſſimum œcumenica concilia & Epiſcoporum generales conuentus adhibuiſſe, ipſi quoque animum ad generale habendum Concilium adiecimus, exquiſitisque principum ſententijs, quorum nobis videbatur vtilis in primis & opportuna ad hanc rem eſſe cõſenſio, cùm eos tunc non alienos ob hoc tam ſancto opere, inueniſſemus, œcumenicum Concilium & generalem eorum epiſcoporum aliorumque Patrum, ad quos pertineret, conuentũ in ciuitate Mantuæ indiximus, anno incarnationis Domini, ſicut literis & monumentis noſtris teſtatum eſt, 1537. Pontificatus noſtri tertio, ad 10. Calend. Iunij inchoandum: ſpem propè certam habentes, fore vt cùm illic in nomine Domini eſſemus congregati, ipſe, ſicut promiſit, Dominus in medio noſtrûm affuturus, & bonitate ac miſericordia ſua omnes temporum procellas, omniaq; pericula ſpiritu oris ſui facilè depulſurus eſſet. Sed vt ſemper inſidiatur pijs actionibus humani generis hoſtis, primum contra omnem ſpem & expectationem noſtram denegata fuit nobis Mantuana ciuitas, niſi aliquas cõditiones ſubiremus, ab inſtitutis maiorum noſtrorum, & conditione temporum, noſtraque ac huius ſanctæ ſedis ac nominis Eccleſiaſtici dignitate libertateq; prorſus alienas, quas in alijs literis noſtris expreſſimus. Quapropter aliũ inuenire locum, aliamque deligere ciuitatem neceſſe habuimus: quæ cum non ſtatim nobis occurreret idonea & apta, ad ſequentes Calend. Nouemb. prorogare concilij celebrationẽ fuimus coacti. Interim ſæuus & perpetuus hoſtis noſter Turca ingenti claſſe Italiam adortus, aliquot oppida in litoribus Apuliæ cepit, vaſtauit, diripuit, prædas hominum abegit: nos in maximo timore & periculo omnium, muniendis litoribus noſtris, finitimisque auxilio iuuandis fuimus occupati: nec tamen intereà deſtitimus conſulere & hortari Chriſtianos principes, vt de idoneo ad habendũ concilium loco quid ſentirent, nobis exponerent. Quorum cum eſſent incertæ variæque ſententiæ, tempusque diutiùs, quàm erat opus, videretur extrahi, nos optimo animo atque (vt arbitramur) etiam conſilio Vincentiam elègimus, vrbem copioſam, & Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, authoritate, potentia cũ aditum patentem, tum ſtationem omnibus liberam atq; tutam in primis in ſe habentem. Sed cùm iam tempus longiùs progreſſum eſſet, nouæque vrbis electionem omnibus ſignificari conueniret, iamque Calendæ Nouemb. appetentes facultatem huius diuulgationis excluderent, hyemsque eſſet propinqua, rurſus altera prorogatione tempus Concilij differre in proximum ſequens ver, Maijque futuras Calendas cõpulſi fuimus. Qua re firmiter conſtituta atque decreta, cùm & noſipſos & cætera omnia ad eum benè agendum, Deo iuuante, celebrandumque conuentum pararemus, plurimum reputantes intereſſe cùm celebrationis concilij, tum vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ Chriſtianos principes pace inter ſe & concordia conſentire, chariſſimos in Chriſto filios noſtros, Carolum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtũ, & Chriſtianiſſimum regem Franciſcum, duo præcipua Chriſtiani nominis firmamenta atque ſubſidia, orare atque obſecrare inſtitimus, vt ad colloquium inter ſe & nobiſcum vnà cõuenirent: quorum quidem apud vtrunque literis, nuncijs, & à latere noſtro miſſis ex venerabilium fratrum noſtrorum numero legatis ſæpiſſimè egeramus, vt ex ſimultate & diſſidijs ambo in vnum fœdus & piam amicitiam vellent conuenire, labentibusque ſuccurrere Chriſtianis rebus: quarum ſeruandarum cùm eſſet illis poteſtas ab Deo præcipuè tributa, ſi non agerent, & ad commune Chriſtianorum bonum ſua conſilia non dirigerent, acris & ſeuera ratio eidem Deo ab ipſis reddenda eſſet. Qui aliquando precibus noſtris annuentes, Niceam ſe contulere: quò nos quoque longum iter, & ſenili ætati noſtræ vehementer contrarium, DEI & pacis conciliãdæ cauſa ſuſcepimus: neque prętermiſimus intereà, cùm tempus concilij præſtitutum, Calendæ videlicet Maij appropinquarent, tres legatos ſummæ virtutis ac authoritatis à latere noſtro, de numero eorundẽ fratrum noſtrorum, S.R.E. Cardinaliũ, Vincentiam mittere, qui initium Concilij facerent, Prælatosque vndique venientes exciperent, & ea quæ iudicarẽt eſſe opus, agerent & tractarẽt, quo ad nos ab itinere & negocio pacis reuerſi, omnia accuratiùs dirigere poſſemus. Interim verò in illud ſanctum opus maximeque neceſſarium, tractationem videlicet pacis inter principes, incubuimus, & quidem omni animi ſtudio, omni pietate ac diligentia. Teſtis eſt nobis Deus, cuius freti clementia, noſmetipſos itineris & vitę periculo expoſuimus. Noſtra teſtis conſcientia, quæ nihil habet hac in re quidem, in quo nos arguat aut prætermiſſæ, aut non quęſitæ ad pacificandum occaſionis: Principes ipſi teſtes, *Nicæa

quos

quos tam ſæpè, tamque vehementer nuncijs, literis, legatis, monitis, hortatu, precibusque omnibus obſecraueramus, vt ſimultates deponerent, vt ſocietatem coirent, vt Chriſtianæ Reipub. in maximũ & propinquum iam adductæ diſcrimen, communibus ſtudijs & ſubſidijs opitularentur. Iam verò teſtes illæ vigiliæ atq; curæ, illi diurni nocturniq; animi noſtri labores, grauesque ſollicitudines, quas ob hanc rem & cauſam plurimas iam ſuſcepimus, nec tamen ad optatum exitum noſtra conſilia & acta adhuc perducta ſunt. Ita enim viſum Domino Deo eſt, quem tamen non deſperamus aliquando optata noſtra benigniùs reſpecturum. Ipſi quidem, quãtùm in nobis fuit, nihil quod eſſet paſtorali noſtro officio debitum, in hac re omiſimus. Quòd ſi qui ſunt, qui actiones pacis noſtras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem, ſed tamen in dolore noſtro gratias Deo omnipotenti agimus, qui ad exemplum & doctrinam patientiæ noſtræ ſuos voluit apoſtolos haberi dignos, qui pro nomine Ieſu, qui pax noſtra eſt, contumeliam paterentur. Verùm in illo congreſſu colloquioque noſtro, quod Niceæ habitum eſt, etſi peccatis noſtris impedientibus, inter duos principes vera & perpetua pax non potuit confici, induciæ tamen decennales factæ ſunt: quarum opportunitate nos ſperantes & ſacrum Concilium commodiùs celebratum iri, & deinde ex Concilij authoritate perfici poſſe pacem, apud principes inſtitimus, vt & ipſi venirent ad concilium, & prælatos ſuos præſentes ducerent, abſentesque accerſerent. Qui cùm de vtroque ſe excuſaſſent, quòd & ipſis redire in regna ſua tum neceſſe eſſet, & Prælatos, quos ſecum habuiſſent, itinere atque impendijs feſſos atque exhauſtos recreari & refici oporteret, nos hortati ſunt, vt aliam quoque prorogationem tẽporis habendi concilij decerneremus. Qua in re concedenda cùm eſſemus aliquantum difficiles, literas interim à legatis noſtris, qui Vincentiæ erant, accepimus, trãſacto iam & longiùs præterito concilij ineundi die, vnum vix aut alterum ex externis nationibus prælatum Vincentiam ſe contuliſſe. Quo nuncio accepto, cùm videremus eo tempore nulla iam ratione haberi Concilium poſſe, ipſis principibus cõceſſimus, vt differretur tempus Concilij vſque ad ſanctum Paſcha, diemq; feſtum futuræ Dominicæ reſurrectionis. Cuius noſtri præcepti expectationisque decretæ literæ, Genuæ anno incarnationis Domini M.D.XXXVIII. 4. Calend. Iulij factæ publicatæque ſunt. atque hanc dilationem eo propẽſius fecimus, quod pollicitus eſt nobis vterque princeps legatos ſuos Romam ad nos ſe miſſurum, vt ea, quæ ad perfectionem pacis reliqua eſſent, neque Niceæ ob breuitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodiùs coram nobis agerentur & tractarentur. Et ob hanc rationem etiam à nobis ambo petierunt, vt hæc pacificationis procuratio Concilij celebrationi proponeretur, cùm ipſum concilium pace facta multo deinde vtilius & ſalutarius Chriſtianæ Reipublicæ futurum eſſet. Semper enim hæc pacis ſpes nobis iniecta, Principum nos voluntatibus aſſentiri hortata eſt: quam ſpem vehementer auxit poſt diſceſſum à Nicea noſtrum, ipſorũ duorum Principum inter ſe beneuola amicaque congreſſio: quæ maxima noſtra cum lætitia à nobis intellecta, cõfirmauit nos in bona ſpe, vt tandem aliquando noſtras preces apud Deum exauditas, & vota pacis accepta eſſe crederemus. Hanc igitur pacis concluſionem cùm & expeteremus & vrgeremus, nec ſolùm duobus antedictis principibus, verùm etiam chariſſimo in Chriſto filio noſtro Ferdinando regi Romanorum videretur actionem concilij, niſi pace facta, ſuſcipi non oportere, cunctique à nobis per literas ſuosque oratores contenderent, vt alias rurſus temporis prorogationes faceremus, præcipuè autem inſtaret sereniſſimus Cæſar, promiſiſſe ſe demõſtrans ijs, qui à catholica vnitate diſſentiunt, ſe operam ſuam apud nos interpoſiturum, vt aliqua concordiæ ratio iniretur, quod ante ſuam in Germaniam profectionem aptè non poſſet fieri: nos eadem ſemper ſpe pacis, & tantorum Principum voluntate adducti, cùm præſertim cerneremus, ne ad dictum quidem reſurrectionis feſtum alios prælatos Vincentiam cõueniſſe, prorogationis nomen iam fugientes, quod tam ſæpè fruſtrà fuerat repetitum, celebrationem generalis concilij ad noſtrum & ſedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendere maluimus: itaque fecimus, & de ſuſpenſione huiuſmodi literas ad ſingulos ſupradictorum principum decima die Iunij 1539. dedimus, ſicuti ex illis perſpicuè poteſt intelligi; Ea itaque

Act. 5.
Ephe. 2.

ſuſpenſione neceſſariò per nos facta, dum tempus illud magis idoneum à nobis pacisque aliqua concluſio expectatur, quæ & dignitatem poſteà frequentiamque Concilio & Chriſtianæ Reipub. præſentiorem ſalutem erat allatura, Chriſtianæ intereà res in deteriùs quotidiè prolapſæ ſunt, Hungaris rege ipſorum mortuo Turcam vocantibus, Ferdinando rege bellum in eos mouente, Belgis ad defectionem à Cæſare ex parte quadam incitatis, cuius defectionis comprimẽdæ cauſa per Galliam amiciſſimè, & cum rege Chriſtianiſſimo concordiſſimè, magno beneuolæ inter eos voluntatis indicio, tranſiens in Belgas sereniſſimus Cæſar, & illinc deinde in Germaniam profectus, conuentus Germaniæ principum & ciuitatum, tractandæ eius, quam dixerat, concordiæ cauſa habere cœpit. Sed cùm, ſpe pacis iam deficiente, ille quoque modus curandæ in conuentibus tractandæque concordiæ ad maiores potiùs diſcordias concitandas* aptus eſſe videretur, indicti fuimus ad priſtinum Concilij generalis remedium reuerti: idque per legatos noſtros S.R.E. cardinales ipſi Cæſari obtulimus, quod etiam poſtremò & præcipuè in Ratiſponenſi conuentu egimus, cùm illic dilectus filius noſter Gaſpar tituli S. Praxedis Cardinalis Contarenus, ſumma doctrina & integritate, Legatum noſtrum ageret. Nam cùm (id quod ne accideret, anteà veriti eramus) ex eius conuentus ſententia peteretur à nobis, vt ab eccleſia diſſentientium quoſdam articulos tolerandos declararemus, quoad per œcumenicum Concilium illi excuterentur & deciderentur; idque nobis vt concederemus, neque Chriſtiana & Catholica veritas, neq; noſtra & ſedis Apoſtolicæ dignitas permitteret, palàm potiùs Concilium vt quamprimum fieret, proponi mandauimus. Neque verò in alia vnquam ſententia & voluntate fuimus, quàm vt primo quoque tempore concilium œcumenicum & generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo & pacem populo Chriſtiano, & Chriſtianæ religionis integritatem poſſe recuperari: veruntamen id cum bona gratia & voluntate Chriſtianorum principum habere volebamus. Quam voluntatem dum expectamus, dum obſeruamus tempus abſconditũ, tempus beneplaciti tui, ô Deus, aliquando tandẽ decernere compulſi ſumus, omne eſſe tempus beneplacitum Deo, cùm de rebus ſanctis & ad Chriſtianam pietatem pertinentibus conſilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi noſtri cum dolore, rem Chriſtianam quotidiè in peius ruere, Hungaria à Turcis oppreſſa, Germanis periclitantibus, cæteris omnibus metu mœroreque afflictis, nullius iam principis conſenſum expectare, ſed tantùm Dei omnipotentis voluntatem, & Chriſtianæ Reipub. vtilitatem attendere conſtituimus. Itaque cum Vincentiam amplius non haberemus, cuperemusque cùm vniuerſæ Chriſtianorum ſaluti, tum Germanicæ nationis incommodis in eligendo per nos nouo Concilij habendi loco conſulere, aliquotque locis propoſitis, ipſam Tridentinam ciuitatem ab ipſis deſiderari videremus: nos etſi in citeriore Italia commodiùs omnia tractari poſſe iudicabamus, ad eorum tamen poſtulationes noſtram voluntatem paterna charitate deflexímus: itaque Tridentum ciuitatem elegimus, qua in ciuitate œcumenicum concilium ad proximè venturas Calend. Nouembr. haberetur, idoneum locum illum ſtatuentes, quò ex Germania quidem, alijſque Germaniæ finitimis nationibus facilimè, ex Gallia, Hiſpania cæteriſque prouincijs remotioribus non difficiliter epiſcopi & prælati conuenire poſſent. Dies autem Concilij ea à nobis ſpectata eſt, quæ ſpatium in ſe haberet & publicandi per Chriſtianas nationes noſtri huius decreti, & facultatis omnibus Prælatis ad veniendum tribuendæ. Quo minùs autem annuũ tempus præfiniremus mutando cõcilij loco, ſicut quibuſdam conſtitutionibus aliàs præſcriptũ eſt, ea res fuit in cauſa, quod longiùs extrahi ſpem ſanandæ aliqua in parte Chriſtianæ Reip. quæ tot detrimentis & calamitatibus affecta eſt, noluimus. Et tamen videmus tempora, agnoſcimus difficultates: quid ſperari poſſit ex conſilijs noſtris, incertum eſſe intelligimus. Sed quia ſcriptum eſt, Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet: magis Dei clementiæ & miſericordiæ confidere, quam noſtræ imbecillitati diffidere conſtituimus. Sæpè enim fit in bonis operibus incipiendis, vt quod humana conſilia non valent, diuina virtus efficiat. Huius igitur ipſius Dei omnipotẽtis, Patris & filij & ſpiritus ſancti, ac beatorum eius apoſtolorum Petri & Pauli authoritate, qua nos

* apertus.
Pſal. 36.

que in terris fungimur, freti atque ſubnixi, de venerabiliũ
n fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio & aſ-
ũ, ſublata atque amota ſuſpenſione, de qua ſuprà comme-
ratum eſt, quam per præſentes tollimus & amouemus, ſa-
m œcumenicum & generale concilium in ciuitate Triden
ı, loco commodo & libero, omnibusq; nationibus opor-
o, ad Calend. proximas Nouemb. anni præſentis ab incar-
ione Domini 1542. incipiẽdum, proſequendum, & eodem
mino adiuuante, ad ipſius gloriam atque laudem, & Chri-
ni totius populi ſalutem abſoluendum perficiendumque
licimus, annunciamus, conuocamus, ſtatuimus atque de-
nimus: omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres
ſtros Patriarchas, Archiepiſcopos, epiſcopos & dilectos fi-
s abbates, quam alios quoſcunque, quibus iure aut priuile-
ı in concilijs generalibus reſidendi, & ſententias in eis di-
ıdi permiſſa poteſtas eſt, requirentes, hortantes, admonen-
;, ac nihilominùs eis vi iuriſiurandi, quod nobis & huic
ıctæ ſedi præſtiterunt, ac ſanctæ virtute obedientiæ, aliiſq;
b pœnis, iure aut conſuetudine in celebrationibus concilio-
m aduerſus non accedentes ferri & proponi ſolitis, man-
ıntes arcteque præcipientes, vt ipſimet, niſi fortè iuſto deti-
ıantur impedimento, de quo tamen fidem facere compel'ā-
ır, aut certè per ſuos legitimos procuratores & nuncios ſa-
ro huic Concilio omninò adeſſe & intereſſe debeant. Suprà
ıtem dictos, Imperatorẽ regemque Chriſtianiſſimum, nec-
on cæteros reges, duces, principes, quorum præſentia ſi alias
nquàm, hoc quidem tempore maximè ſanctiſſimæ Chriſti
dei, & Chriſtianorum omnium futura eſt ſalutaris, rogan-
es atque obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei & Domi-
i noſtri Ieſu Chriſti, cuius fidei veritas & religio & intùs &
xtrà grauiter iam oppugnatur, vt ſi ſaluam volunt Chriſtia-
iam eſſe Remp. ſi ſe Domino obſtrictos & obligatos pro ma-
imis illius erga ſe beneficijs intelligũt, ne deſerant ipſius Dei
auſam & negocium, ipſimet ad ſacri Concilij celebrationem
eniant, in quo ipſorum pietas atque virtus communi vtili-
ati, ſalutique ſuæ ac cæterorum & temporali & æternæ plu-
rimum eſt profutura. Sin autem, id quod nollemus, accedere
ipſi non poterunt, at graues ſaltem viros legatos cum autho-
ritate mittant, qui perſonam Principis ſui quiſque & cum pru
dentia, & cum dignitate poſſint in Concilio referre. In pri-
mis verò vt id curent, quod ipſis facillimum eſt, vt ex ſuis cu-
iuſque regnis ac prouincijs epiſcopi & prælati ſine tergiuerſa-
tione & mora ad concilium proficiſcantur. Quod maximè
quidem à Prælatis Principibusque Germaniæ Deum ipſum
atq; nos impetrare æquum eſt, vt cùm eorum præcipuè cau-
ſa ipſiſque cupientibus concilium indictum ſit, & in ea ciuita-
te indictum, quæ ab eis eſt deſiderata, non grauentur ipſi ſua
cunctorum præſentia id celebrare & ornare, quo meliùs at-
que commodiùs quæ ad integritatem & veritatem Chriſtia-
næ religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emen-
dationemque malorum, quæ ad Chriſtianorum inter ſe, tam
principum, quàm populorum pacem, vnitatem, concordiã-
que pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum
& infidelium, quibus illi vniuerſam Chriſtianitatem obruere
moliuntur, ſint neceſſaria, Deo noſtris conſultationibus præ-
eunte, & lumen ſapientiæ ſuæ ac veritatis mentibus noſtris
præferente, agi in dicto ſacro Oecumenico Concilio, & con-
ſpirante omnium charitate conſuli, tractari, confici, ad opta-
toſque exitus deduci quàm primùm, & quam optimè poſ-
ſint. Atque vt noſtræ hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad
notitiam cunctorum, quorum oportet, perueniãt, neve quis
illorum ignorantiæ excuſationem prætendat, cùm præſertim
etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illæ eſſent inti-
mandæ, tutus forſitan pateat acceſſus, volumus & mandamus
vt in Baſilica Vaticana principis apoſtolorum & eccleſia La
teranenſi, cùm ibi multitudo populi ad audiendam rem diui
nam congregari ſolita eſt, palàm clara voce per curiæ noſtræ
curſores, aut notarios aliquos publicos legantur, lectæque in
valuis dictarum eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſto-
licæ portis, & Campi Floræ ſolito loco affigantur, vbi ad le-
ctionem & notitiam cunctorum aliquandiu expoſitæ pende-
ant: cumque inde amouebuntur, earũ nihilominus exempla in
eiſdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publi
cationem, affixionemq; huiuſmodi omnes & quoſcunq; quos
antedictæ noſtræ literæ comprehendunt, poſt ſpatium duorũ
menſium, à die literarum publicationis & affixionis, ita volu-
mus obligatos eſſe atque adſtrictos, ac ſi ipſiſmet illæ coram
lectæ & intimatę eſſent: transſumptis quidem earum, quæ ma
nu publici notarij ſcripta aut ſubſcripta, & ſigillo perſonæ a-
licuius eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ munita fuerint,
vt fides certa & indubitata habeatur, mandamus atque decer-
nimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã no-
ſtræ indictionis, annunciationis, cõuocationis, ſtatuti, decre-
ti, mandati, præcepti & obſecrationis infringere, vel ei auſu
temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſe-
rit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri &
Pauli apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Da. Ro. apud
S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1542. 11. Calendas
Iunij, Pontificatus noſtri anno 8.

Bloſius.

Hier. Dand.

SESSIO I.

SACROSANCTI OECVMENICI & generalis Concilij Tridentini.

SVB PAVLO III. PONT. MAX. CELEbrata die 13. menſis Decemb. Anno Domini 1545. præſidentibus in ea nomine eiuſdem Pontificis, Reuerend. D.D. D. Ioanne Maria de Monte, Marcello Ceruino, & Reginaldo Polo, S R E. Cardinalibus, & Apoſtolica Sedis de latere Legatis.

IN nomine Domini. Amen. Anno à natiuitate eiuſdẽ Domini noſtri M.D.XLV. Indictione tertia, die verò Dominica tertia Aduentus Domini, in qua fuit feſtum ſanctę Luciæ, & 13. menſis Decembr. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ tertij, anno 12. pro felici inchoatione ſacroſanctæ œcumenicæ & generalis Tridentinæ Synodi fuit facta proceſſio generalis in ciuitate Tridentina, ab eccleſia ſanctiſſimæ & indiuiduæ Trinitatis, ad eccleſiam Cathedralem: aſſiſtentibus in ea tribus ſedis Apoſtolicæ legatis, & R. & Illuſtriſſ. D. Chriſtophoro Madrucio, tituli S. Cæſarij S. Romanæ Eccleſiæ presbytero Cardinali & epiſcopo Tridentino: necnon R. Patribus Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Doctoribus, ac illuſtribus & nobilibus viris infraſcriptis, cum multis alijs Doctoribus, tũ in Theologia, tum in vtroq; iure: etiam cum magno numero Baronum & Comitum, necnon cum clero & populo dictæ Ciuitatis: Qua finita, præfatus Reuer. & illuſtriſſ. Dominus Cardinalis de Monte, primus legatus, celebrauit Miſſam de ſancto Spiritu in ſancta cathedrali Eccleſia, & Reueren. Pater Dominus Epiſcopus Bitontinus habuit orationem. Deinde finita Miſſa, dictus Reueren. D. de Monte Cardinalis dedit benedictionem populo. Poſtmodũ comparuit coram eiſdem R. Legatis & prælatis, egregius vir magiſter Zorrilla, Secretarius Illuſt. D. Didaci de Mendoza, oratoris Cæſareæ & Catholicæ maieſtatis, & præſentauit literas excuſatorias ſuper eius abſentia, quę fuerunt lectæ alta voce. Intereà lectæ fuerunt Bullæ indictionis Concilij. Poſtmodum præfatus Reueren. de Monte legatus, vertit ſe ad Patres Concilij, dicens: Placet ne vobis ad laudem & gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Chriſtianæ, ad extirpationem hæreſum, ad pacem & vnionem Eccleſiæ, ad reformationem cleri & populi Chriſtiani, ad depreſſionẽ & extinctionem hoſtium Chriſtiani nominis, decernere & declarare, ſacrum Tridentinum & generale Concilium incipere, & inceptum eſſe? Reſponderunt, Placet. Et cùm proxima ſit celebritas Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſubſequantur aliæ feſtiuitates labentis & incipientis anni, placetne vobis primam futuram ſeſſionem habendam eſſe die Iouis

poſt

poſt Epiphaniam, quæ erit ſeptima menſis Ianuarij anno Domini 1546. Reſponderunt, Placet. Poſtremò idem Reuerendiſsimus de Monte, benedixit Synodum: & deinde cantores cantauerunt, Te Deum. Super quibus omnibus D. Hercules Seuerolus, ipſius Concilij promotor, petijt à D. Claudio de la Caſa, Clerico Virdunenſis diœceſis, & notario eiuſdem Concilij, & ab alijs notarijs, vnum vel plura fieri inſtrumentum, ſeu inſtrumenta.

Sequuntur nomina Prælatorum, qui interfuerunt apertioni Concilij.

Reuerendiſſ. P. D. Archiepiſcopi.
Aquenſis, Panormitanus, Vpſalenſis, Armacanus.

EPISCOPI.

Hipporegienſis, Feltrenſis, Cauenſis, Fæſulanus, Caputaquenſis, Sancti Marci, Gienenſis Hiſpanus, Stabienſis, Pacenſis, Aſtoricenſis, Sidonienſis, Thermularum, Lancianẽſis, Syracuſanus, Agathenſis, Aquinatenſis, Bitontinus, Vigornienſis, Bellicaſtrenſis, Britonorienſis, Clodienſis, Ioannes Fonſeca Epiſcopus Caſtelli maris Hiſpanus.

Fuerunt præſentes Illuſtres D.
Caſtel Alto, Capitaneus ciuitatis Tridentinæ, & D. Antonius Queta, oratores ſereniſſimi Romanorum Regis.

INTERFVERVNT ETIAM GENERAles ordinum Mendicantium.

Ordinis Minorum, Ordinis Cõuentualium, Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, Ordinis beatæ Mariæ de monte Carmelo, Ordinis beatæ Mariæ ſeruorum cum multis, tum ſecularibus, tum regularibus Doctoribus. Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij ſecretarius, manu propria.

Admonitio, atque hortatio Legatorum Sedis Apoſtolicæ, ad patres in Concilio Tridentino, lecta in prima Seſsione.

PAtres Reuerend. &c. Cùm ipſa muneris noſtri ratio, qui in hac ſancta Synodo Præſidentium & Sedis Apoſtolicæ Legatorum perſonam gerimus, hoc poſtulatura videtur, vt creſcentibus negocijs, quæ in hoc ſacro conſeſſu, ad DEI gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem ſunt expedienda, ſæpiùs apud vos cohortandi & commonendi cauſa, verba faciamus: tum verò in hac prima Seſſione, quæ felix (vt ſperamus) principium ipſi Concilio eſt datura, minimè hoc à nobis prætermittendum duximus. Eo verò libentius hoc officio fungimur, quòd cùm vos vel hortamur, vt ea faciatis, quæ digna tanto conuentu ſint, vel à contrarijs dehortamur, noſmetipſos etiam hortamur ac dehortamur, qui in eadẽ quaſi naui vobiſcum ſumus, iiſdemque periculis, quibus vos, iiſdem tempeſtatibus ſubijcimur. Noſmetipſos (inquam) excitamus ad vigilandum, ne vel in ſcopulos incidamus, qui plurimi proculdubiò in hoc curſu ſeſe offerent: vel magnitudine negociorum, tanquam fluctuum obrui nos negligentia noſtra patiamur: verùm ſpe & fide erecti, eò nauigationem dirigamus, quò maximè portus ſalutis, ad Dei gloriam in Chriſto Ieſu ſeſe oſtendet. Igitur vt ab eo incipiamus, de quo maximè in hoc principio admonendi omnes ſumus, vnuſquiſque noſtrum ante oculos ſibi in primis proponere debet, quænam ſint, quæ ab hoc ſacro Concilio expectentur: ex quo quiſque facilè intelligunt, quantum ſibi oneris incumbat. Sunt verò ea (vt omnia ſummatim complectamur) quæ in Bulla indictionis Concilij continentur: nempe hæreſum extirpatio, diſciplinæ Eccleſiaſticæ & morum reformatio, ac tandem pax æterna totius Eccleſiæ. Hæc ergo ſunt, quæ nos curare, vel potiùs pro quibus aſſiduè orare, vt Dei benignitate fiant, oportet: atque illud eſt, de quo ante omnia in ipſo Concilij exordio, omnes & ſingulos qui conuenimus, primùm autem nos ipſos qui in tam ſancto miniſterio præſidemus, admonendos duximus, ne vnquam cogitemus, vel per ſingulos, qui hic adſunt, vel per vniuerſum Concilium, etiam ſi omnes Paſtores ex vniuerſo terrarũ orbe huc coirent, tantis malis, quibus nunc grex Chriſti eſt oppreſſus, prouideri poſſe. Si enim putamus hoc à nobis perfici poſſe, aut ab alio, quã ab ipſo Chriſto, quem Deus pater vnicũ nobis ſeruatorem & paſtorem dedit, cui etiam omnem poteſtatem dedit, erramus ſanè in fundamẽto omnium actionum noſtrarum, & diuinam iram magis prouocabimus. Adiungimus enim ad ſuperiora mala, quæ propterea nobis acciderũt, quòd ipſum fontem aquæ viuæ reliquimus, hoc alterũ maximum peccatum, quod noſtra vel prudentia, vel potentia iiſdem malis mederi velimus: vt meritò de nobis dicatur, quod Propheta in perſona Dei, veterem populum accuſans, dicit: Duo mala fecit populus hic: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas non valentes continere aquas. Tales verò ciſternæ ſunt omnia conſilia, quæ à noſtra prudẽtia, non afflata ſpiritu diuino, proficiſcuntur, quæ non modò populos in pietate & obedientia, tanquàm aquas in ciſternis, continere non valent: ſed quo magis his artibus retinere eos laboramus, eo violentiùs tanquàm torrentes à nobis defluunt & diſcedunt: Vt ſuperiorum annorum experientia, multis in locis, ſatis nos docere poteſt, & nunc admonere, vnicam tantùm viam medẽdis his malis relictam, ſi noſtra omnia remedia inutilia eſſe agnoſcentes, & valere potiùs ad augenda, quã ad tollenda mala: ad Chriſti potẽtiam, quem dexteram ſuam Deus pater appellat: ad Chriſti ſapientiam, qui eſt ſapientia patris, in omnibus nos, qui patrum perſonam gerimus, fide & ſpe confugiamus: huius nos in omnibus miniſtros eſſe agnoſcamus. Hic verò quæritur (inquit Apoſtolus) inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Hoc autem nunc nobis agendum eſt, vt miniſtros nos in omnibus idoneos præbeamus. Erimus verò idonei, ſi nos ex nobis minimè idoneos eſſe iudicauerimus. Quis enim (inquit idẽ Apoſtolus) ad hęc idoneus? vt, qui ne cogitare quidem aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſimus ſufficientes. Verùm hoc fateri non ſatis eſt nobis: hoc dicere potuit Apoſtolus, & per hanc portam ingredi ad obeundum munus ſuum, in eo ſe miniſtrum fidelem, ac idoneum oſtendere, qui ſimul dicere potuit, de miniſterio ſuo loquens: Nihil mihi conſcius ſum. Nobis verò, qui, ſi verum fateri volumus, aliter dicere non poſſumus, quin nobis conſcij ſimus, in adminiſtrando munere nobis impoſito in plurimis defeciſſe, & horum etiam malorũ, ad quæ corrigenda vocamur, non minima ex parte cauſam extitiſſe, non ſatis eſt hic fateri, ad tantum munus nos impares eſſe. Quid ergo nobis agẽdum, vt idonei hoc tempore Chriſti miniſtri in Eccleſia inſtauranda eſſe poſſimus? Idem prorſus quod Chriſtus ipſe Epiſcopus animarum noſtrarum fecit, cùm venit ad fundandam & formandam Eccleſiam ſuam. Idem ſanè Patres faciendum erit nobis, quod ipſa ſapientia Patris fecit, cùm venit, vt multos filios in gloriam adduceret: Id quod nobis item propoſitum nunc eſſe debet. Is enim cùm oppreſſos peccatis omnes inueniſſe, omnia omnium peccata in ſeipſum tranſtulit, ſeque vnum ante Deum pro omnibus reum & nocentem conſtituit, ac pœnam nobis debitam ſuſtinuit, tanquam omnia flagitia & omnia ſcelera, quæ nos commiſeramus, ipſe commiſiſſet, cùm tamen ab omni labe peccati puriſſimus eſſet; quippe qui peccatum non fecit, neque vnquàm inuentus eſt dolus in ore eius. Quòd verò Chriſtus pro immẽſa ſua charitate erga Deũ patrem, & pro miſericordia erga noſtrum genus fecit: hoc nunc, vt ipſi faciamus, iuſtitia ipſa à nobis flagitat, vt omnium horum malorum, quibus grex Chriſti eſt oppreſſus, nos Paſtores coram tribunali miſericordiæ Dei reos conſtituamus, atque omnium peccata in nos ipſos non tam piè, quàm iuſtè transferentes, quia reuera horum malorum magna ex parte nos cauſa ſumus, diuinam miſericordiam per Ieſum Chriſtũ imploremus. Quòd verò dicimus, nos paſtores his malis quibus Eccleſia eſt oppreſſa, cauſam dediſſe, ſi quis hoc acriùs, & magis per exaggerationem quandam verborum, quàm verè dictum exiſtimet, hoc quidem ipſa rerum experientia, quæ mentiri non poteſt, comprobabit. Reſpiciamus ergò paululũ ad ipſa mala, quibus Eccleſia opprimitur, ac ſimul etiã ad noſtra peccata. Sed quis hæc numerare valeat, quę ſimul cum reliquis malis multitudine ſuperant arenam maris, & vſque ad cœlum clamant? Circunſcribamus ergo tantam multitudinẽ noſtrorum malorum illis limitibus, quibus hoc Concilium, quod capitalibus malis medendis eſt vocatum, ea circunſcripſit. Sunt verò illa tria, quæ ſuprà commemorauimus, hæreſes, lapſa morum diſciplina, & inteſtinum atque externũ bellum. Hic ergo videamus, & conſideremus, cùm tam multis annis Eccleſia his calamitatibus vexetur, vndenam ipſa originem

Hier.2.
1.Cor.1.
1.Cor.4.
2.Cor.2.
2.Cor.3.
1.Cor.4.

em habuerunt: num illis nos quodammodo principium,
n fomentum dederimus? Primùm verò examinemus ini-
n hæreſum, quæ hac noſtra ætate paſſim pullularunt: qui-
; ſi negare volumus nos principiú dediſſe, quia nullius hæ-
eos ipſi authores fuimus: tamen cùm peruerſæ de fide ſen-
tiæ, tanquàm vepres quædã ſint & ſpinæ, quæ in agro Do-
ni, qui nobis colendus commendatus eſt, ortæ ſunt: & ſi il-
quidem ſua ſponte, vt ſolent aliquando vitioſæ herbæ, pul
arunt: tamen qui non coluit quem debuit agrum, qui non
ninauit, qui pullulantes per ſe non ſtatim curam adhibuit
extirparet, non minùs quidem principium illis dediſſe di-
ndus eſt, quàm ſi ipſa ſeminauerit, præſertim cùm hæc om-
a à negligentia agricolæ ortum ducant, & incrementum ha
ant. Hic ergo ſeipſos excutiant, qui ſunt agricolæ in agro
omini, cõſcientiam ſuam interrogent, quo modo in eo co-
ndo, quo modo in ſeminando ſe geſſerint: Quod qui ſece-
nt, his præſertim temporibus, quibus pauciſſimi agro Do-
ini colendo incumbunt, non multum (credimus) dubita-
int, num ad ipſos pullulantium paſſim in Eccleſia hæreſum
lpa pertineat. Hæc verò monendi tantùm cauſa dicta, ſatis
nt de his, quæ ad primum caput pertinent. Veniamus ad ſe-
ndum, quod lapſam morum diſciplinam, & abuſus (vt vo-
nt) cõplectitur. Hic verò nihil attinet diu inueſtigare, qui-
am tantorum malorum authores fuerint, cum præter nos
ſos ne nominare quidem vllum alium authorem poſſimus.
Quare ad tertium accedamus, quod impedimenta pacis Eccle
æ in ſe continet: qualia ſunt arma vel domeſtica, vel externa:
æc enim iampridem pacem Eccleſiæ perturbarunt, & adhuc
erturbant. De quibus hoc tantùm dicimus: ſi (quod Deus ip-
e certiſſimis ſignis oſtendit) hæc arma flagella eius ſunt, quib.
os affligit: quia duorum priorum capitum rei ſumus, in qui-
us nos excuſare nõ poſſumus, etiam horum armorum, præ-
cipuam nos cauſam eſſe negare non poſſumus. Eiuſmodi ve-
rò flagella Deum ob eam cauſam immittere cenſemus, vt nos
peccantes caſtiget: & peccata ipſa, quibus maieſtatem eius ma
ximè offendimus, nobis ante oculos ponat. Hic verò quiſquis
aliquando animaduertit, quibus modis eccleſia armorũ vio-
lentia vexata fuerit, ſecum ipſe conſideret, quænam illa ſint,
in quibus præcipuè Eccleſia propter ipſa arma detrimentum
patiatur. Nec verò hic refert, de quorum armis loquamur, ſi-
ue de inteſtinis noſtrorum Principum, ſiue de externis Tur-
carum armis, quæ ſuperioribus annis nos magnis calamitatib.
affecerunt: ſiue de eorum, qui ab obedientia ſuorum Paſtorũ
diſceſſerunt, & ipſos à ſuis ſedibus expulerũt. Hoc enim ſum-
matim dicimus de omni genere armorum, ſi qui illa contra
nos tractarunt, à ſuis Eccleſijs paſtores fugarunt, ordines con
fuderunt, Laicos autem in epiſcoporum locum ſuffecerunt,
Eccleſiæ bona diripuerunt, curſum verbi Dei impediuerũt:
hic, inquam dicimus, nihil horum eſſe, quod in libro abuſuũ
Paſtorum, maxima illorum pars, qui hoc nomen ſibi vendi-
cant, per ſe factum eſſe, ſi legere libuerit, non ſcriptum aper-
tis verbis inueniat. Noſtram enim ambitionẽ, noſtram auari-
tiam, noſtras cupiditates his omnibus malis populum DEI
priùs affeciſſe ſtatim inueniet, atque harum vi ab eccleſijs Pa-
ſtores fugari, eaſque pabulo verbi priuari, bona Eccleſiarum
quæ ſunt bona pauperum, ab illis tolli, indignis ſacerdotia
conferri, & illis, qui nihil à Laicis, præterquàm in veſtis gene-
re, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum eſt,
quod negare poſſimus per hos annos à nobis factũ eſſe? Quare
ſi Turca, ſi hęretici hoc idem aduerſus nos faciunt, quid hic a-
liud, quàm flagitia noſtra, & ſimul iuſtum Dei iudicium vi-
demus? iudicium verò plenum miſericordia: ſi enim pro me-
ritis nos caſtigaret, iampridiem ſicut Sodoma & Gomorrha
fuiſſemus. Cur verò hæc nunc commemoramus? an vt vos
confundamus? abſit, ſed magis, vt vos ceu Patres & fratres cha
riſſimos, primùm autem noſmetipſos admoneamus, quo pa-
cto hæc, quibus nunc affligimur, flagella & grauiora quæ im-
pendẽt, niſi reſipiſcamus, vitare poſſimus, vt effugiamus tre-
mendum illud Dei iudicium, omnibus quidem non reſipiſ-
centibus tremendum, maximè verò illis, qui præſunt. Iudiciũ
enim graue (inquit ſcriptura) his qui præſunt, fiet. Iudicium
verò incipere nunc vidimus à domo Dei. Dum enim nunc
eijciuntur Sacerdotes, dum conculcantur ab hominibus: quid
aliud hoc indicat, quàm diuinum de nobis iudicium, quod
5. prædixit Chriſtus, cùm diceret ſacerdotes ſuos eſſe ſal terræ:

quòd ſi ſal euanuerit, ad nihil valere vltrà, niſi vt eijciatur fo-
ras, & conculcetur ab hominibus? Hæc verò omnia nos nunc
patimur. Quòd ſi propter iuſtitiam, vt noſtri maiores, beati
nos quidem: at nunc iuſtè quidem, quia ſal euanuit: minimè
autem propter iuſtitiam patimur: in omnibus enim noſtris
afflictionibus videmus iudicium Dei. Atque vtinam quidem
illud videremus: hoc enim initium eſſet omnia Dei iudicia &
flagella effugiendi, atque in gratiam & veram gloriam ingre-
diendi. Quæ res fecit, vt in his cõmemorandis acriores & lõ-
giores fuerimus: niſi .n. hęc benè cognita & perſpecta fuerint,
fruſtrà intramus in Conciliũ, fruſtrà inuocamus Spir. S. qui
primũ ingreſſum in animã hominis ſemper facere ſolet, per
ipſius hominis condemnationẽ, vt cõdemnet mundũ de pec-
cato. Quare niſi ille ſpiritus nos apud noſmetipſos primùm
condemnauerit, nondũ illum ingreſſum eſſe ad nos affirmare
poſſumus, ac ne ingreſſurum quidem, ſi peccata noſtra audi-
re recuſamus. Idem enim dicetur nobis, quod populo veteri
per Prophetam Ezechielem eſt dictum, cùm nondum agni-
tis ſuis ſceleribus, Deum per Prophetam interrogare vellent.
Sic autem ait Propheta: Venerunt viri Iſrael ad interrogandũ Ezech. 20.
Dominum, & ſederunt coram me. Hæc autem dicit Domi-
nus: Nunquid ad interrogandum me veniſtis? Viuo ego, di-
cit Dominus, quia non reſpondebo vobis. Sequitur autem:
Si iudicas eos, abominationes patrum illorum oſtende illis.
In quibus verbis oſtendit Deus, quare noluerit reſpondere
illis, quia nondum ſcilicet abominationes ſuas & patrũ ſuo-
rum audierant. Quare cùm idem Dei ſpiritus ſit, qui tum da-
bat reſponſa, & quem nunc nos ſedentes coram Domino in-
uocamus: quid nobis faciendum ſit, vt propria reſponſa ha-
beamus, ex his videtis: & ſimul quàm neceſſariò nos, qui præ-
ſidemus in hoc ſacro cõſeſſu, à detegendis noſtris peccatis ſer-
monis exordium vobiſcum duximus. Quia verò nonnullos
nunc videmus, ſua primùm peccata & noſtri ordinis grauiter
deflentes, atque Dei miſericordiam omnibus votis implo ran
tes, ideo quidem in maxima ſpe ſumus, ad nos veniſſe, quem
inuocamus, Dei ſpiritum. Hoc verò maximum pignus diui-
næ miſericordiæ habemus, nempe ipſam hanc inchoationem
Concilij, in quo nunc conuenimus ad erigendam & inſtaurã-
dam penè collapſam Eccleſiam, vt vetus populus poſt diu-
turnam captiuitatem apud externos reges redijt Hieroſoly-
mam ad inſtaurandum templum. In illius verò populi ſtatu,
in illorum læta ad patriam profectione, & templi inſtaurati-
one, noſtri quidem temporis & noſtri ſtatus, in hoc præſer-
tim Concilio, imaginem intueri poſſumus: & in ducum eiuſ-
dem populi exemplo, veſtrum, qui duces eſtis populo Dei ad
cæleſtem patriam contendenti officium videre. Quare om-
nes vos magnoperè hortamur, vt ſæpiùs ad memoriam reuo-
cetis, quæ in Eſdræ, quæ in Nehemiæ, quæ etiam in Danielis
libris ſunt ſcripta: in quibus conſilia omnium Ducum populi
explicantur, quæ hunc vnum ſemper ſcopum habuerunt, vt
ſua & populi atque Patrum peccata confitentes, ad pœniten-
tiam & implorationem diuinæ miſericordiæ omnes excita-
rent. Quod cùm populus faceret, tum quidem omnia illis fe-
liciter ſucceſſere. Eadem verò cõſilia nobis, ſi felicem ſucceſ-
ſum & exitum expectare volumus in inſtaurãda Eccleſia, ob
quam cauſam læti huc in ſpiritu conuenimus, ſequenda erũt:
atque eo quidem magis, quo etiam maiora nobis certamina
impendent inſtauraturis Eccleſiam, quam illis inſtauraturis
templum. Si enim illis multi, quo minùs id perficeretur, ſe
oppoſuere: ſi multi etiam, cùm opus impedire non poſſent,
eos irriſerunt: hoc quidem ſic habetote, nobis nec irriſores
defuturos, nec qui maximis viribus à cœpto opere nos deter- Ephe. 6.
reant & auocent. Habebimus verò non modò colluctationẽ
cum carne & ſanguine, ſed cum ſpiritualibus nequitijs in cœ-
leſtibus. Verùm his omnibus potentior eſt is, in cuius nomi-
ne hoc opus ſumus aggreſſi. Quare in eo confidamus, ipſum
precibus inuocemus, & ipſe omnia perficiet. Quia verò hoc
Concilium cùm deliberantium, tum verò iudicantium ſpe-
ciem refert, in quo & deliberatur de ijs, quæ ad vniuerſalis
Eccleſiæ bonum pertinent, & etiam iudicatur, tam de rebus,
quàm de perſonis: ſedemus enim tanquam iudicantes duode-
cim tribus Iſrael, quibus comprænditur vniuerſus populus
Dei: ideò maximè locus videtur nos ipſos admonendi, vt ca-
ueamus ab his, quæ vel conſultandi, vel iudicandi vim in no-
bis deprauare ſolent. Hæc verò ſunt ipſæ animi paſſiones
quæ

quæ ideò etiam perturbationes vocantur, quia rectum & verum de rebus iudicium & ſenſum perturbant ac peruertunt. In quibus maximè illa ſunt cauenda, quæ rectè monet Ethnicus ille in conſilijs abijcienda, cùm dicit: Omnes homines qui de rebus dubijs conſultant, ab ira, odio, amicitia, vacuos eſſe debere. Nam cùm in hæc omne genus hominum ſit propenſum, tum verò ij maximè, qui Principibus ſeruiũt: tales enim vehementiores habent affectiones: facilimè autem ad gratiam loquuntur, vel ad odium: prout ſcilicet ipſos exiſtimãt Principes affectos eſſe, à quibus mercedem expectant. Cùm verò de Principibus loquimur, tam de his qui Eccleſiaſtici vocantur, quàm qui ſeculares, loquimur. Ac licèt quidem nos Principes Chriſtianos habere agnoſcamus & gaudeamus, id quod in veteri, & iam recens fundata Eccleſia patres noſtri non habuerunt: tamẽ ante omnia nobis in hoc Concilio ſemper eſt animaduertendum, hunc non eſſe locum laudandi aliquem, niſi ſolum Deum in Chriſto Ieſu, atque illum ſolum iuſtificandi: omne autem genus hominũ condemnandi, primùm verò nos ipſos, qui hæc loquimur, vt cum Daniele dicamus: [Baruc. 1.] Nobis confuſio faciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, & patribus noſtris, qui peccauerunt: tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te, & non audiuimus vocem Domini Dei noſtri, vt ambularemus in lege eius, quã poſuit nobis per ſeruos ſuos Prophetas. Et omnis Iſrael præuaricati ſunt legem tuam & declinauerunt, ne audirent vocem tuam: & ſtillauit ſuper nos maledictio & deteſtatio. Hic verò nunc locus eſſet, vt eiuſdem Prophetæ exemplum ſequentes, cuius verba modò recitauimus, non ſolùm noſtra qui ſacerdotes ſumus, ſed populi, ſed Principum, corã Deo & Eccleſia eius, peccata confiteremur, proque omnibus veniam imploraremus. Sic verò dicit Daniel: [Daniel. 9.] Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei: nomine populi hoc loco omnium ordinum perſonas complectens, vt eius confeſſio, quã modò recitauimus, declarat: qua in re, quid nobis, qui pro ſalute vniuerſæ Eccleſiæ tantis malis oppreſſæ, huc conuenimus, faciendum ſit, ſatis indicare videtur; nimirùm, vt noſtra & ſimul principum, ac populi peccata flentes confiteamur. Id quod planè in ſpiritu mœroris ſatis nunc abũdè facimus: verbis verò vberiùs faterem⁹, ſi ipſi principes adeſſent, qui ſuam nobiſcum confeſſionem & lachrymas coniungerent. Eiuſmodi verò quaſi funiculis peccatorum, vt Prophetæ loquuntur, Sacerdotum ac Principum, atque ipſius populi peccata ſunt colligata, vt difficile ſit de vnius ordinis peccatis inquirere, quin reliquorum ſimul ordinum peccata appareant. Sic verò omnes ordines vna rationis ſerie accuſans, in veteri populo dicit Ezechiel in perſona Dei: [Ezech. 22.] Sacerdotes eius cõtempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſacrum & profanum non habuerunt diſtantiam. Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem, ad perdendas animas, & auarè ſectanda lucra. Populi terræ calumniabantur calumniam. Hæc ille. Quæ vtinam ad illa ſolùm tempora pertinerẽt, ac non noſtri quoque temporis imaginem referrent. Vtinam cùm de corruptela morum Sacerdotum loquimur, huic maximam occaſionem, maximam materiam, & authoritatem ipſos Principes, atque ipſum populum dediſſe negare poſſemus. Sed reprimamus nunc verba, vſque ad tempus magis opportunum, fontes autem communium lachrymarum aperiamus. Redeamus verò ad eos, quos cœpimus admonendos, præſertim Epiſcopos, qui cum mandatis Principum huc venerunt. Sic verò illos admonemus, vt omni, qua poſſunt, fide & diligentia ſuis Principibus ſeruiant: verùm vt Epiſcopos decet, ſic illis ſeruiant, vt ſerui Dei, non vt ſerui hominum. [1. Cor. 7.] Nolite, inquit Apoſtolus, ſerui hominum eſſe. Primùm verò ſeruiant vni Regi Chriſto, cui Deus Pater omnem poteſtatem dedit: deinde verò propter eum omnibus, maximè autem Principibus: cui honorem, honorem: cui tributum, tributum. [Rom. 13.] Hortamur autem, vt Principibus ſeruiant ad honorem, quemadmodum eorum mandata verbis ipſis præ ſe ferunt: in quibus nihil ferè, niſi honorificum, & ad publicam vtilitatem ſpectans, proponitur. Sic verò in ſumma ſeruiant, vt eorum officium in primis ſpectet ad honorem Dei, & vtilitatem huius Concilij, quod propter publicum bonum eſt conuocatum. Quare vt ab hoc maximè dehortamur omnes, qui hic ſententias coram Deo & Angelis eius, atque coram vniuerſa Eccleſia ſumus dicturi, ne ad gratiam hominis alicuius loquamur: ſic etiã multò magis, ne ad odium cuiuſquam ſententiam proferamus, etiam ſi contra nos aduerſarij, vel inimici & hoſtis perſonam gerat: denique vt ab omni inter nos contentione abſtineamus, maximè optamus, & in Domino hortamur. Hæ enim ſunt, quæ contriſtant & repellunt, quem inuocauimus Spiritum ſanctum, ſine quo nihil omninò facere poterimus, quod ad bonum & pacem Eccleſiæ cedat. Cùm enim (inquit Apoſtolus) ſint inter vos contentiones, nonne homines eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? [1. Cor. 3.] Cùm verò homines eos appellat, Spiritus Dei expertes intelligit. In omnibus autem, quæ ad reformationem Eccleſiæ pertinent, ob quam cauſam conuenimus, imitari nos oportet illum, qui eam primùm formauit: de quo hoc ipſum opus ingrediente, ſic in perſona Dei Propheta loquitur: [Eſai. 42.] Ecce ſeruus meus, quem elegi: dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ: dedi ſpiritum meum ſuper eum: iudicium gentibus nunciabit: non contendet, neque clamabit, arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans, non extinguet. Hunc verò ſpiritum pacis, charitatis & manſuetudinis, cùm ſemper apud omnes, & cum omnibus oſtendere debeamus, tum verò maximè in hoc ſacro conſeſſu, in quo conuenimus, vt per gratiam ipſius Spiritus, contentionibus, quæ nimis diu Eccleſiam vexarunt, finis tandem imponatur. Quare ne ipſi vllam contentionis anſam alicui demus, qui pacificorum perſonam gerimus, maximè eſt cauendum. Hoc verò, & cætera omnia incommoda & impedimenta pacis vnico modo euitabimus, atque ad optatum pacis portum perueniemus, ſi precibus ab humili & contrito corde profectis, ipſum Chriſti Spiritum, qui eſt pax noſtra, inuocauerimus: [Eph. 2.] vt in hoc concilio præſideat, vt lucem cordibus noſtris infundat, vtque nos in omnibus ad ipſius honorem, & veram Eccleſiæ vtilitatem regat & dirigat. [Eſai. 65.] Ad tales enim ipſe dicit: Adhuc te loquente, ecce adſum. Quare vt huiuſmodi orationibus aſſiduè incumbamus, quanta poſſumus charitate vos in Domino hortamur, vt vno ore atque vno ſpiritu Deum patrem in Chriſto Ieſu glorificemus, qui eſt Deus benedictus in ſecula, Amen.

SESSIO SECVNDA, CELEBRATA DIE VII. Menſis Ianuarij, Anno 1546.

ANNO à natiuitate Domini 1546. indictione 4. die Iouis, 7. menſis Ianuarij, pontificatus ſanctiſſim. in Chriſto patris & D. D. N. Pauli, diuina prouidentia Papæ 3. anno 12. reuerendus pater D. Epiſcopus Caſtellimaris celebrauit Miſſam de Spiritu Sancto in eccleſia cathedrali & in loco ſeſſionis. Qua finita, reuerendus pater dominus Epiſcopus S. Marci habuit orationem. Deinde Reuerendiſſ. Cardinales & alij prælati acceperunt pluuialia & mitras, fueruntque cantatæ Litaniæ. Poſteà Reuerend. Cardinalis de Monte benedixit Synodum, & fuerunt factæ cæremoniæ, in ſeſſionibus publicis fieri ſolitæ. Deinde reuerendus pater D. Epiſcopus Caſtellimaris legit decretum. Quo lecto, interrogauit Patres, vtrùm hæc placerent: qui reſponderunt; Placent, cum aliquibus additionibus, per aliquos ex patribus additis. Deinde interrogauit eos: Placet quòd proxima Seſſio fiat 4. Februarij proximè futura? Qui reſponderunt, Placet.

SEQVVNTVR NOMINA PRAELATORVM, QVI interfuerunt huic Seſſioni, & in primis

Antedicti Legati.

ARCHIEPISCOPI.

Aquenſis, Vpſalenſis, Panormitanus, Armacanus.

EPISCOPI.

Hipporegienſis, Cauenſis, Feltrenſis, Gienenſis, nunc Car‑ alis: Placentinus, Foroiulien. Claramontanus, Fæſulanus, putaquenſis, Sancti Marci, Soranus, Motulenſis, Stabieſis, onienſis, Termularum, Agathenſis, Lancianenſis, Syracu‑ ıs, Vigornienſis, Bitontinus, Bellicaſtrenſis, Pacen. Aſto‑ ſis, Britonorienſis, Aquinatenſis, Clodienſis, Canarien‑ Caſtellimaris.

Oratores Regis Romanorum.

Caſtel Alto, & Antonius de Queta.

Tres Abbates ordinis S. Benedi.

Generales ordinum Mendicantium.

Minoris obſeruantium & alter Conuentualium, Eremi‑ um S. Auguſtini, Generalis ordinis Carmelitarum, & ſan‑ e Mariæ ſeruorum. Et Claudius Layus Sabaudus, & Presby‑ reformatus, procurator R. D. C. Auguſtenſis, & plures ırones.

DECRETVM SECVNDAE SESSIONIS.

De modo viuendi & alijs in Concilio ſeruandis.

SAcroſancta Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata: in ea præſidentibus eiuſdem Apoſtolicæ dis legatis, agnoſcens cum B. Iacobo Apoſtolo, quòd omne atum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, eſcendens à Patre luminum, qui ijs, qui poſtulant à ſe ſapien‑ iam, dat omnibus affluenter, & non improperat eis: & ſimul ciens, quòd initium ſapientiæ, eſt timor Domini: ſtatuit, & ecreuit, omnes & ſingulos Chriſti fideles, in ciuitate Tridé‑ ina congregatos, exhortandos eſſe, prout exhortatur, vt ſe à nalis & peccatis hactenus commiſſis emendare, ac deceterò in imore Domini ambulare, & deſideria carnis non perficere, orationibus inſtare, ſæpiùs confiteri; Euchariſtiæ ſacramentū ümere, Eccleſias frequentare, præcepta denique Dominica (quantum quiſque poterit) adimplere, necnon quotidiè pro pace Principum Chriſtianorum ac vnitate Eccleſiæ priuatim orare velint: Epiſcopos verò, & quoſcunque alios in ordine ſacerdotali conſtitutos, œcumenicum Concilium in ea ciuitate concelebrantes, vt aſſiduè Dei laudibus incumbere, hoſtias, laudes, & preces offerre, ſacrificium Miſſæ quolibet ſaltem die Dominico (in quo Deus lucem condidit, & à mortuis reſurrexit, ac Spiritum ſanctum in diſcipulos infudit) peragere ſatagant: facientes, ſicut idem Spiritus ſanctus per Apoſtolum præcipit, obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro ſanctiſſimo D. N. Papa, pro Imperatore, pro Regibus, & cæteris, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ac pro omnibus hominibus, vt quietam & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementum videamus. Præterea hortatur, vt ieiunent ſaltem ſingulis ſextis ferijs in memoriam paſſionis Domini, & eleemoſynas pauperibus erogent: in Eccleſia autem Cathedrali ſingulis quintis ferijs celebretur Miſſa de Spiritu ſancto, cum Litanijs & alijs orationibus ad hoc inſtitutis. In alijs verò Eccleſijs eadem die dicatur ad minùs Litaniæ & orationes. Tempore autem quo ſacra peragentur, colloquutiones & confabulationes non fiant, ſed ore & animo celebranti aſſiſtatur.

Et quoniam oportet Epiſcopos eſſe irrepræhenſibiles, ſobrios, caſtos, domui ſuæ benè præpoſitos, hortatur etiam, vt ante omnia quilibet in menſa ſeruet ſobrietatem moderationemque ciborum. Deinde cùm in eo loco ſæpè ocioſi ſermones oriri ſoleant, vt in ipſorum Epiſcoporum menſis diuinarum ſcripturarum lectio admiſceatur. Familiares verò ſuos vnuſquiſque inſtruat & erudiat, ne ſint rixoſi, vinoſi, impudici, cupidi, elati, blaſphemi & voluptatum amatores, vitia demum fugiant & virtutes amplectantur, & in veſtitu & in cultu, & omnibus actibus honeſtatem præ ſe ferant, ſicut decet miniſtros miniſtrorum Dei:

Ad hæc, cùm huius ſacroſancti Cōcilij præcipua cura, ſollicitudo & intentio ſit, vt propulſatis hæreſum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram Catholicæ veritatis, lux, Ieſu Chriſto, qui vera lux eſt, annuente, candor, puritaſque refulgeat, & ea quæ reformatione egent, reformentur: ipſa Synodus hortatur omnes Catholicos hic congregatos & cōgregandos, atque eos præſertim, qui ſacrarum literarum peritiā habent, vt ſedula meditatione diligenter ſecum ipſi cogitent, quibus potiſſimum vijs & modis ipſius Synodi intentio dirigi, & optatum effectum ſortiri poſſit, quo maturiùs & conſultiùs damnari damnanda, & probanda probari queant, vt per totum orbem omnes vno ore, & eadem fidei confeſſione glorificent Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. In ſententijs verò dicendis, iuxta Toletani Concilij ſtatutum, in loco benedictionis conſidentibus Domini ſacerdotibus, nullus debeat aut immodeſtis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare: nullus etiam falſis vaniſve aut obſtinatis diſceptationibus contendere: ſed quicquid dicatur, ſic mitiſſima verborum prolatione temperetur, vt nec audientes offendātur, nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur. 11. Col.

Inſuper ipſa ſacra Synodus ſtatuit & decreuit, quòd ſi fortè contigerit aliquos debito in loco non ſedere, & ſententiam etiam ſub verbo Placet proferre, congregationibus intereſſe, & alios quoſcunque actus facere Concilio durante, nulli proptereà præiudicium generetur, nullique nouum ius acquiratur.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij ſecretarius, manu propria.

Deinde indicta fuit futura Seſſio ad diē Iouis quarta menſis Februarij proximè venturi.

SESSIO III.

ANno à natiuitate Domini 1546. quarto menſis Februarij fuit ſeſſio generalis, & celebrata Miſſa de Spiritu ſancto per Archiepiſcopum Panormitanum; Magiſter Ambroſius Catharinus habuit orationem, & R. P. D. Archiepiſcopus Turritanenſis legit decretum, & interrogauit Patres, an placeret: reſponderuntque, ſed aliqui cum certis additionibus, Placet.

SEQVVNTVR NOMINA PRAELATORVM, QVI interfuerunt huic Seſſioni, & in primis

Antedicti Legati & Preſidentes.

CARDINALES.

R. D. Cardinalis S. Cæſarij, & Epiſcopus Tridentinus ac adminiſtrator Brixinenſis.

R. D. Petrus Pacecus, Cardinalis & Epiſcopus Gienen.

ARCHIEPISCOPI.

Aquenſis, Turritanus, Acheruntinus, Vpſalenſis, Panormitanus, Armacanus.

EPISCOPI IIDEM, QVI IN PRAEcedenti Seſſione: & adhuc,

Baſionenſis, & Fabenſis.

ORATORES REGIS ROMANORVM iidem, qui in præcedenti Seſſione.

Abbates iidem qui in præcedenti.

Generales ordinum iidem, qui in præcedenti.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

Decretum de Symbolo Fidei.

IN Nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti: Hæc ſacroſancta œcumenica, & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis,

gatis, magnitudinem rerum tractandarum conſiderans, præſertim earum quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæreſibus, & moribus reformandis, continentur, quorum cauſa præcipuè eſt congregata: agnoſcens autem cum Apoſtolo, nõ eſſe ſibi colluctationem aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus ſpiritales nequitias in cæleſtibus, cum eodem omnes & ſingulos in primis hortatur, vt confortentur in Domino, & in potentia virtutis eius, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: atque galeam ſpei ſalutis accipiát cum gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Itaque vt hæc pia eius ſolicitudo principium & progreſſum ſuum, per Dei gratiam habeat, ante omnia ſtatuit & decernit præmittendam eſſe confeſſionem fidei, Patrum exempla in hoc ſequuta, qui ſacratioribus Concilijs hoc ſcutum contra omnes hæreſes in principio ſuarum actionum apponere conſueuère: quo ſolo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt. Quare ſymbolum fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidẽ Chriſti profitentur, neceſſariò conueniunt, ac fundamentum firmum & vnicum, contra quod portæ inferi nunquam præualebunt, totidem verbis, quibus in omnibus eccleſijs legitur, exprimendum eſſe cenſuit, quod quidem eiuſmodi eſt:

Ephe. 6.

Matth. 16.

Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium: & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſecula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factũ: conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt: & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & aſſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris: & iterùm venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos: Cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum, Dominum & viuificantem, qui ex Patre filioque procedit: qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui loquutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicã & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſeculi. Amen.

Indictio futuræ Seſſionis.

Eadem ſacroſancta, œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, intelligens multos Prælatos ex diuerſis partibus accinctos eſſe itineri, nonnullos etiam in via eſſe, quo huc veniant: cogitansq; omnia ab ipſa ſacra Synodo decernenda, eo maioris apud omnes exiſtimationis & honoris videri poſſe, quo maiori fuerint & pleniori patrum Concilio & præſentia ſancita & corroborata: ſtatuit & decreuit futuram Seſſionem poſt præſentem, celebrandam eſſe die Iouis, quæ ſubſequetur Dominicam Lætare proximè futuram: interim tamen non differri diſcuſſionem & examinationem eorum, quæ ipſi Synodo diſcutienda & examinanda videbuntur.

SESSIO IV.

ANNO à natiuitate Domini M.D.XLVI. Indictione quarta, die verò Iouis, octaua menſis Aprilis: pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & D. N. D. Pauli, diuina prouidentia Papæ tertij anno xij. Præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis legatis, R. P. D. Saluator *Alepus Archiepiſcopus Turritanenſis, celebrauit Miſſam de Sancto Spiritu in Eccleſia Cathedrali, & loco ſeſſionis. Deinde Generalis Seruorum habuit orationẽ. Qua finita, R. Cardinales & Prælati, acceperunt pluuialia & mitras: & cantores inceperunt cantare antiphonam, Exaudi nos

*lexius.

Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Qua finita, Diaconus clamauit, Orate: quo dicto, omnes Prælati flexerunt genua, & orarunt. Deinde ſubdiaconus clamauit, Erigite. Tunc R. de Monte, primus Præſidens, dixit hanc orationem: Adſumus Domine ſancte ſpirit⁹. Qua finita, idem Diaconus dixit iterùm, Orate: & paulò pòſt dixit, Erigite. Deinde idem Præſidens dixit hanc orationem: Mentibus noſtris quæſumus Domine adſpirando, &c. Quibus peractis, cantores inceperunt Litanias: & cùm venerunt ad illum locum, Vt Dominum Apoſtolicum, Præſidentes, qui flexis genibus erant, ſurrexerunt, & R. Cardinalis de Monte primus Præſidens, vertit ſe ad congregationem, dãs benedictionem, & dixit: Vt hanc ſanctam Synodum &c. Cantores reſponderunt, Te rogamus audi nos. Completis verò Litanijs, Diaconus dixit, Flectamus genua: & ſubdiaconus reſpondit, Erigite. Deinde idem R. Præſidens dixit hanc orationem: Da quæſumus Eccleſiæ tuæ miſericors Deus, vt ſpiritu ſancto congregata. Quibus peractis, Diaconus cantauit Euangelium, Attendite à falſis Prophetis. Quo finito, præfatus Reuerendiſſimus Præſidens incepit hymnum, Veni creator Spiritus. Quo finito, idem R. Præſidens dixit hanc orationem: Deus qui corda. Deinde præfatus Dominus Archiepiſcopus legit decretum, & quæſiuit ex Patribus, vtrùm hæc placerent. Qui omnes reſponderunt, Placet, cum aliquibus additionibus. Poſtremò, vtrum placeret, quòd prima futura ſeſſio celebraretur die Iouis poſt feſtum Pentecoſtes: qui reſponderunt, Placet.

Matt 7.

Item hæc ſancta Synodus ſtatuit & decreuit, proximam futuram ſeſſionem tenendam & celebrandam eſſe feria quinta poſt ſacratiſſimum feſtum proximum Pentecoſtes.

Quo quidem decreto, vt præmittitur, lecto, poſtquàm Patres in Concilio præſentes reſponderunt, Placet: D. Angelus Maſſarellus, ipſius Concilij ſecretarius, legit deputationem Oratorum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis, in perſonam Illuſtrium domini Didazi de Mendoza, & domini Franciſci à Toleto ad Concilium Tridentinum, ad faciendum ea, quæ Cæſarea Maieſt. faceret, ſi præſens eſſet.

NOMINA PRAELATORVM, QVI interfuerunt huic Seſſioni.

In primis antedicti Præſidentes & Legati Seſſionis ſecundæ, Cardinales ijdem, qui in præcedenti Seſſione.

ARCHIEPISCOPI.

Aquenſis, Turritanus, Corcyrenſis, Senenſis, Materanus, Acheruntinus, Vpſalenſis, Panormitanus, Armacanus.

EPISCOPI.

Senogallienſis, Aſculanus, Cauenſis, Feltrenſis, Arienſis, Placentinus, Gadditanenſis, Torcellanenſis, Sibinicenſis, Pictinus, Claramontanus, Chironenſis, & Milopotamenſis, Reatinus, Fæſularum, Sancti Marci, Caputaquenſis, Maioricenſis, Aquenſis, Soranus, Vaſionenſis, Motulanenſis, Caſtellimaris, Fanenſis, Mothonenſis coadiutor Veronenſis, Termularum, Agathenſis, Lancianenſis, Syracuſanus, Caprulan⁹, Vigornienſis, Bituntinus, Corſulanenſis, Bellicaſtrenſis, Pacenſis, Aſtoricenſis, Britonorienſis, Aquinatenſis, Oſcenſis, Bergonenſis, Clodienſis, Canarienſis.

ORATORES.

Illuſtriſſ. Dominus Franciſcus à Toleto, Orator & Procurator inuictiſſimi Caroli Quinti Romani Imperatoris.

PROCVRATORES.

D. Claudius Layus Procurator R. D. Cardinalis & Epiſcopi Auguſtenſis.

Abbates & Generales ordinum ijdem, qui in præcedenti Seſſione.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij ſecretarius.

Decretum de Canonicis Scripturis, 8. Aprilis promulgatum in 4. Seſsione.

SAcroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, vt ſublatis erroribus, puritas ipſa Euangelij in Eccleſia conſeruetur: quod promiſſum ante per Prophetas in ſcripturis ſanctis Dominus noſter Chriſtus Dei filius proprio ore primùm promulgauit, deinde per ſuos Apoſtolos, tanquam fontem omnis ſalutaris veritatis & morum diſciplinæ, omni creaturæ prędicari iuſſit: perſpiciensq́; hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictãte, quaſi per manus traditæ, ad nos vſque peruenerunt: orthodoxorũ Patrum exempla ſequuta, omnes libros tam veteris quam noui Teſtamenti (cùm vtriuſque vnus Deus ſit author) necnon Traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenùs à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia catholica conſeruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipit ac veneratur. Sacrorum verò librorum indicem huic decreto aſſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa ſynodo ſuſcipiantur. Sunt verò infraſcripti: Teſtamenti veteris, quinque libri Moſis, ſcilicet Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Deinde Ioſue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, Paralipomenon duo, Eſdrę duo, primus ſcilicet, & ſecundus qui dicitur Nehemias, Thobias, Iudith, Eſther, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ Salamonis, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Eſaias, Hieremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel: 12. prophetæ minores, ſcilicet Oſee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahũ, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, primus & ſecundus. Teſtamenti noui, quatuor Euangelia, ſecundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apoſtolorum à Luca Euangeliſta conſcripti: quatuordecim Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli, ſcilicet ad Romanos, ad Corinthios duæ, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebręos: Petri Apoſtoli duæ: Ioannis Apoſtoli tres: Iacobi Apoſtoli vna: vna Iudæ Apoſtoli: & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli.

Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, & Traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit. Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipſa Synodus, poſt iactum fidei confeſſionis fundamentum, ſit progreſſura, & quibus potiſſimum teſtimonijs ac præſidijs in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus, ſit vſura.

DECRETVM DE EDITIONE ET vſu ſacrorum librorum.

Inſuper eadem ſacroſancta Synodus conſiderans, non parùm vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circunferuntur, ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat: ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum vſu in Eccleſia ipſa probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus, pro authentica habeatur, & vt eam nemo reijcere quouis prætextu audeat vel præſumat.

Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus extorquens contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione ſanctarum Scripturarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat, etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui cõtrauenerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à iure ſtatutis puniantur.

Sed & impreſſoribus modum in hac parte (vt par eſt) imponere volens, qui iam ſine modo, hoc eſt, putantes ſibi licere quicquid libet, ſine licentia ſuperiorum Eccleſiaſticorum, ipſos ſacræ ſcripturæ libros, & ſuper illis annotationes & expoſitiones quorumlibet indifferenter, ſæpè tacito, ſæpè etiã ementito prælo, & (quod eſt grauius) ſine nomine authoris imprimunt, alibi etiam impreſſos libros huiuſmodi temerè venales habent: decernit & ſtatuit, vt poſthac ſacra Scriptura, potiſſimum verò hæc ipſa vetus & vulgata editio, quàm emendatiſſimè imprimatur, nullique liceat imprimere vel imprimi facere quoſuis libros de rebus ſacris ſine nomine authoris, nec illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primùm examinati probatique fuerint ab ordinario ſub pœna anathematis & *pœnæ in canone Concilij nouiſſimi Lateranenſis appoſitæ. Et ſi regulares fuerint, vltra examinationem & probationem huiuſmodi, licentiam quoque à ſuis ſuperioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam ſuarum ordinationum. Qui autem ſcripto eos cõmunicant vel euulgant, niſi anteà examinati probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubiaceant, quibus impreſſores: & qui eos habuerint vel legerint, niſi authores prodiderint, pro authoribus habeantur. Ipſa verò huiuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atq; adeò in fronte libri vel ſcripti vel impreſſi authenticè appareat. Idque totum, hoc eſt, & probatio & examen, gratis fiat: vt probanda probentur, & reprobentur improbanda.

Poſt hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad prophana quæque conuertuntur & torquentur verba & ſententiæ ſacræ ſcripturæ, ad ſcurrilia, ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, ſortes, libellos etiam famoſos: mandat & præcipit ad tollendam huiuſmodi irreuerentiam & contemptum, ne de cæterò quiſquam quomodolibet verba ſacræ ſcripturæ ad hæc & ſimilia audeat vſurpare, vt omnes eius generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, iuris & arbitrij pœnis per Epiſcopos coerceantur.

Indictio futuræ Seſsionis.

Item hæc ſacroſancta ſynodus ſtatuit & decernit, proximam futuram ſeſſionẽ tenendam & celebrandam eſſe feria quinta poſt ſacratiſſimum feſtum proximum Pentecoſtes.

V. SESSIO

ANno à natiuitate Domini 1546. Indictione 4. die verò Iouis, decima ſeptima menſis Iunij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & D.N.D. Pauli, diuina prouidentia Papæ tertij, anno 12. Præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, Reuerendus Pater Dominus Alexander de Picolominibus Senenſis, Epiſcopus Pientinus in Tuſcia, celebrauit Miſſam de ſancto Spiritu in Cathedrali Eccleſia & loco Seſſionis. Deinde Magiſter Marcus Laurens Calaber, frater ordinis Prædicatorum habuit orationem. Qua finita, reuerendiſſimi Cardinales & alij Prælati acceperunt pluuialia & mitras: fueruntque factæ cęremoniæ, in alijs ſeſſionibus fieri ſolitæ. lectum fuit etiam decretum.

INDICTIO FVTVRAE SESſionis.

Item hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decreuit, primam futu-

futuram ſeſſionem tenendam & celebrandam eſſe die Iouis, feria 5. poſt feſtum B. Iacobi Apoſtoli.

NOMINA, COGNOMINA, ET PAtriæ Prælatorum, qui interfuerunt quintæ Seſſioni.

PRAESIDENTES ET LEGATI.

Reuerend. & illuſtriſſ. D. D. Ioannes Maria, Epiſcopus Prænestinus, de Monte, Aretinus.
Reueren. & illuſtriſſ. D. D. Marcellus tituli S. Crucis in Hieruſalem presbyter, Ceruinus Politianus.
Reuerend. & illuſtriſſ. D. D. Reginaldus, S. Mariæ in Coſmedin diaconus, Polus, Anglicus.
Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, ſacri concilij Præſidentes, & Apoſtolici de latere Legati.

CARDINALES.

Reuerendiſſ. & illuſtriſſ. D. D. Petrus Paceeus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis, & epiſcopus Gienen. Hiſpanus.

ORATORES.

Illuſtriſſimus D. Don Didacus Hurtadus de Mendoza. Hiſpanus.
Illuſt. D. Don Franciſcus à Toleto, Hiſpanus.
Oratores & procuratores inuictiſſ. D. D. Caroli Quinti Romanorum Imperatoris, ac Hiſpaniarum &c. Regis.

ARCHIEPISCOPI.

Reuerendiſſ. D. Antonius Filholi, Archiepiſcopus Aquenſis, Gallus.
Reuerend. D. Saluator Alexius Saſſarus, Archiepiſc. *Toritan. Hiſpanus.
Reuerend. D. Iacobus *Cauchus, Archiepiſcopus Corcyren. Venetus.
Reuerend. D. Franciſcus Bandineus, Archiepiſcopus Senen. Senenſis.
Reuer. D. Ioannes Michael Sarracenus, Archiepiſc. Materanus & Acheruntinus. Neapolitanus.
R. D. Sebaſtianus Lecauela, Archiepiſc. Parienſis, & Naxien. Græcus.
Reuerendiſſim. D. Olaus Magnus, Archiepiſcopus Vpſalen. Gothus.
Reuerend. D. Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitan. Siculus.
Reuerend. D. Robertus Vuaucop, Archiepiſcop. Armachan. Scotus.

EPISCOPI.

Reuerendiſſim. D. Marcus Vigerius, Epiſcopus Senogallien. Saonen.
R. D. Philos Rouerella, Epiſcopus Aſculan. Ferrarien.
Reuerendiſſ. D. Robertus de Croy, Epiſ opus Cameracen. Germanus.
R. D. Ioannes Thomas de ſancto Felicio, Epiſcopus Cauen. Neapolitanus.
Reuerendiſſ. D. Thomas Campegius, Epiſcopus Feltren. Bononienſis.
Reuerendiſſ. D. Benedictus de Nobilibus, Epiſcopus Acien. Lucenenſis.
Reuerendiſſim. D. Quintius de Ruſticis, Epiſcopus Militen. Romanus.
Reuerendiſſ. D. Cathalanus Triuultius, Epiſcopus Placentin. Mediolanen.
Reuerend. D. Hieronymus Fuſcherus, Epiſcopus Torcelan. Venetus.
Reuerend. D. Antonius de Numai, Epiſcopus Iſernien. Foroliuien.
R. D. Hieronymus Theodolis, Epiſcopus Gaditan. Foroliuien.
R. D. Ioannes Lucius Staphyleus, Epiſcopus Sibinicen. Illyricus.
Reuer. D. Alexander Picolomineus, Epiſcopus Pientin. Senenſis.
R. D. Guilhelmus à Prato, Epiſc. Claramontan. Gallus.
R. D. Dionyſius Epiſcopus Chironenſis, & Milopotamen. Græcus.

Reuer. D. Marcus Aligerius de Columna, Epiſcopus Reatin. Reatin.
Reuerendiſſ. D. Braccius Martellus, Epiſcopus Fæſularum. Florentin.
R. D. Coriolanus Martyranus, Epiſcopus ſancti Marci. Neapolitan.
R. D. Henricus Ioffredus, Epiſcopus Caputaquen. Neapolitan.
Reuer. D. Baptiſta Campegius, Epiſcopus Maioricen. Bononien.
Reuerend. D. Hieronymus Vida, Epiſcopus Albenſis. Cremonen.
Reuerendiſſ. D. Eliſeus Theodinus, Epiſcopus Soranus. Arpinas.
Reueren. D. Iacobus Corteſius à Prato, Epiſcopus Vaſionen. Roman.
Reuerendiſſ. D. Baldaſſar de Hæredia, Epiſcopus Boſſanen. Sardus.
Reuerendiſſ. D. Angelus Paſchalis, Epiſcopus Motulan. Dalmatus.
Reuerend. D. Ioannes Fonſeca, Epiſcopus Caſtellimaris. Hiſpanus.
R. D. Petrus Bertanus, Epiſc. Fanen. Mutinen.
Reuer. D. Ludouicus Simonetta, Epiſcopus Piſaurien. Mediolanen.
R. D. Aloyſius Lypomanus, Epiſcopus Mothonen. coadiutor Veronen. Venetus.
R. D. Vincentius de Durantibus, Epiſcopus Thermula. Brixien.
Reuerendiſſ. D. Andreas Centanus, Epiſcopus Nematien. Venetus.
R. D. Ioannes Petrus Ferretus, Epiſcopus Milen. Rauennaten.
Reuer. D. Claudius de la Guiſche, Epiſcopus Agathen. Gallus.
R. D. Ioannes de Salazar de Burgo, Epiſcopus Lancianẽ. Hiſpanus.
Reuerendiſſ. D. Fabius Mignanellus, Epiſcopus Lucerin. Senenſis.
R. D. Hieronymus de Bononia, Epiſcopus Syracuſan. Siculus.
Reuerend. D. Aegidius Falſetta, Epiſcopus Caprulan. Cingulan.
Reuerendiſſ. D. Ricardus Patus, Epiſcopus Vuigornien. Anglicus.
Reuerendiſſ. D. Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bitontin. Placentin.
Reuerendiſſ. D. Iacobus Iacobellus, Epiſcopus Bellicaſtren. Roman.
Reuerendiſſ. D. Franciſcus de Nauarra, Epiſcopus Pacen. Hiſpanus.
Reuerendiſſ. D. Didacus de Alaua, Epiſcopus Aſtoricen. Hiſpanus
Reuerendiſſ. D. Thomas Caſellus, Epiſcopus Britonorien. Roſſanen.
Reuerend. D. Iulius Contarenus, Epiſcopus Bellunen. Venetus.
Reueren. D. Galeatius Florimantius, Epiſcopus Aquinaten. Sueſſan.
Reuerendiſſ. D. Petrus de Auguſtinis, Epiſcopus Oſcen. Hiſpanus.
Reuer. D. Bernardus Diaz, Epiſcopus Calagurritan. Hiſpan.
Reuerendiſſ. D. Gregorius Caſtagnola, Epiſcopus Mylen. Græcus.
Reuerendiſſ. D. Antonius de Cruce, Epiſcopus Canarien. Hiſpanus.

PROCVRATORES.

R. D. Claudius Zayus, procurator Reuerendiſſimi & illuſtr. D. D. Othonis Truchſes, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Epiſcopi Auguſtenſis. Sabaudienſis.
D. D. Ambroſius Pelargus, Ordinis Prædicatorum, procurator Reuerendiſſ. D. D. Archiepiſcopi Treuerenſis ſacri imperij Electoris. Germanus.

Abba-

Abbates.

Reuerend. D. Iſidorus Clarius, Abbas Pontidæ Bergomen. Brixien.

R. D. Chryſoſtomus Gimilianenſis, Abbas S. Trinitatis de Caieta. Calaber

Generales Ordinum.

Reuerend. P. Hieronymus Seripandus, Generalis ordinis Eremitarum ſancti Aug. Neapolitan.

R. P. Nicolaus Audetus, Generalis Ordinis Carmelitarum. Cyprius.

R. P. Auguſtinus Bonucius, Generalis ſanctæ Mariæ Seruorum. Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

Decretum de peccato Originali.

VT fides noſtra Catholica, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, purgatis erroribus, in ſua ſynceritate integra & illibata permaneat, & ne populus Chriſtianus omni vento doctrinæ circumferatur: cùm ſerpens ille antiquus, humani generis perpetuus hoſtis, inter plurima mala, quibus Eccleſia Dei his noſtris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali eiuſque remedio non ſolùm noua, ſed etiam vetera diſſidia excitauerit, ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, iam ad reuocandos errantes, & nutantes confirmandos, accedere volens, ſacrarum ſcripturarum & ſanctorum Patrum, ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ iudicium & conſenſum ſequuta, hæc de ipſo peccato originali ſtatuit, fatetur, ac declarat:

1 Si quis non confitetur, primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet transgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam, in qua conſtitutus erat, amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam præuaricationis huiuſmodi iram & indignationem Dei, atque adeò mortem, quam anteà illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, diaboli, totumque Adam per illam præuaricationis offenſam, ſecúdum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit.

2 Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini, aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem & iuſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe: aut inquinatum illum, per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanú tranſfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit: cùm contradicat Apoſtolo dicenti, Per vnum hominem peccatum intrauit in múdum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.

3 Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnú eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum, omnibus ineſt vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, quàm per meritum vnius mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos Deo reconciliauit in ſanguine ſuo, factus nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio: aut negat ipſum Ieſu Chriſti meritum, per baptiſmi ſacramentum in forma Eccleſiæ ritè collatum, tam adultis quàm paruulis applicari, anathema ſit: quia non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vndè illa vox, Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi. Et illa, Quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

4 Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam ſi fuerint à baptizatis parentibus orti: aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam: vnde fit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, nó vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit: quoniam non aliter intelligendum eſt id, quod dixit Apoſtolus, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, niſi quemadmodum eccleſia catholica vbiquè diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apoſtolorum, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerút, in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, nó poteſt introire in regnum Dei. Ioan.3.

5 Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit. In renatis enim nihil odit Devs: Rom.8. quia nihil eſt damnationis ijs, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem, qui non ſecundùm carnem Col.3. ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & nouum induentes, qui ſecundùm Deum creatus eſt, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti, effecti ſunt hæredes quidē Dei, Rom.8. cohæredes autem Chriſti, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hæc ſancta ſynodus fatetur ac ſentit: quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Ieſû Chriſti gratiam repugnantibus, non valet: quinimmò, qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc con- 2.Tim.2. cupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Col.3. ſancta ſynodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.

Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam Dei genitricem: ſed obſeruandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quarti, ſub pœnis in eius conſtitutionibus contentis, quas innouat.

DECRETVM DE REformatione.

Capvt I.

EAdem ſacroſancta Synodus, pijs ſummorum Pontificum & probatorum conciliorum conſtitutionibus inhærens, eaſque amplectens, & illis adijciens, ne cæleſtis ille ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus ſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat: ſtatuit & decreuit, quòd in illis Eccleſijs, in quibus præbēda aut præſtimonium, ſeu aliud quouis nomine nuncupatum ſtipendium, pro lectoribus ſacræ Theologiæ deputatum reperitur, epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alij locorum ordinarij, eos, qui præbendam, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium huiuſmodi obtinent, ad ipſius ſacræ ſcripturæ expoſitionem & interpretationem per ſeipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneum ſubſtitutum ab ipſis epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, & alijs locorum ordinarijs eligēdum, etiam per ſubtractionem fructuum cogant & compellant. Decætero verò præbenda, præſtimonium, aut ſtipendium huiuſmodi, non niſi perſonis idoneis, & quæ per ſeipſos id munus explicare poſſint, conferantur: & aliter facta prouiſio, nulla ſit & inualida.

In Eccleſijs autem Metropolitanis vel Cathedralibus, ſi ciuitas inſignis vel populoſa fuerit, ac etiam in collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni oppido etiam nullius diœceſis, ſi ibi clerus numeroſus fuerit, vbi nulla præbenda, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium huiuſmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocunque, præterquàm ex cauſa reſignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatibile iúctum non ſit, ad eum vſum ipſo facto perpetuò conſtituta & deputata intelligatur, & quatenùs in ipſis eccleſijs nulla, vel non ſufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel epiſcopus ipſe per aſſignationem fructuum alicuius ſimplicis beneficij, eiuſdem tamen debitis ſupportatis onerib. vel per contributionē beneficiatorum ſuæ ciuitatis & diœceſis, vel alias prout commodius fieri poterit, de capituli conſilio ita prouideat, vt ipſa

ſacræ

ſacræ ſcripturæ lectio habeatur: ita tamen, vt quæcunque aliæ lectiones, vel conſuetudine, vel quauis alia ratione inſtituta propter id minimè prætermittantur.

Eccleſiæ verò, quarum annui prouentus tenues fuerint, & vbi tam exigua eſt cleri & populi multitudo, vt Theologiæ lectio in eis commodè haberi non poſſit, ſaltem magiſtrum habeant ab epiſcopo cum conſilio Capituli eligendum, qui clericos aliosque ſcholares pauperes Grammaticam gratis doceat, vt deinceps ad ipſa ſacræ ſcripturæ ſtudia, annuente Deo, tranſire poſſint. Ideoque illi Magiſtro Grammatices, vel alicuius ſimplicis beneficij fructus, quos tandiu percipiat, quandiu in docendo perſtiterit, aſſignentur, dum tamen beneficium ipſum ſuo debito non fraudetur obſequio: vel ex capitulari, vel Epiſcopali menſa condigna aliqua merces perſoluatur: vel aliâs Epiſcopus ipſe aliquam rationem ineat ſuæ Eccleſiæ & diœceſis accommodam, ne pia hæc, vtilis atque fructuoſa prouiſio, quouis quæſito colore negligatur.

In monaſterijs quoque monachorum, vbi commodè fieri id queat, etiam lectio ſacræ ſcripturæ habeatur. Qua in re ſi abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc vt Sedis Apoſtolicæ delegati: eos ad id opportunis remedijs compellant.

In conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt, ſacræ ſcripturæ lectio ſimiliter habeatur, quę lectio à capitulis generalibus vel prouincialibus aſſignetur dignioribus magiſtris.

In Gymnaſijs etiam publicis, vbi tam honorifica, & cæterorum omnium maximè neceſſaria lectio hactenus inſtituta non fuerit, religioſiſſimorum Principum ac rerum publicarum pietate & charitate ad Catholicæ fidei defenſionem & incrementum, ſanæ doctrinæ conſeruationem & propagationem inſtituatur: & vbi inſtituta foret, & negligeretur, reſtituatur.

Et ne ſub ſpecie impietas diſſeminetur, ſtatuit eadem ſancta Synodus neminem ad huiuſmodi lectionis officium tam publicè quàm priuatim admittendum eſſe, qui prius ab Epiſcopo loci de vita, moribus, & ſcientia examinatus & approbatus non fuerit: quod tamen de lectoribus in clauſtris monachorum non intelligatur.

Cap. II.

Docentes verò ipſam ſacram ſcripturam, dum publicè in ſcholis docuerint, & ſcholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, priuilegijs omnib. de perceptione fructuum præbendarum, & beneficiorum ſuorum, in abſentia à iure communi conceſſis, plene gaudeant & fruantur.

Quia verò Chriſtianæ Reipublicæ non minus neceſſaria eſt prædicatio Euangelij, quam lectio, & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus: ſtatuit & decreuit eadem ſancta Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum prælatos, teneri per ſeipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium.

Si verò contigerit Epiſcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Concilij, viros idoneos aſſumere teneantur, ad huiuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubiaceat vltioni.

Archipresbyteri quoque plebani, & quicunque parochiales, vel aliâs curam animarum habentes, Eccleſias quocunq; modo obtinent, per ſe vel per alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis & feſtis ſolennibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum breuitate & facilitate ſermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, vt pœnā æternā euadere, & cœleſtem gloriā cõſequi valeant. Id verò ſi quis eorum præſtare negligat, etiam ſi ab Epiſcopi iuriſdictione quauis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet, etiam ſi Eccleſiæ quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monaſterio etiam extra diœceſim exiſtenti forſan annexę vel vnitę, modò re ipſa in diœceſi ſint, prouida paſtoralis epiſcoporum ſolicitudo non deſit, ne illud impleatur: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaque Thren 4.
vbi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio ſuo muneri defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu aliâs ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur: ita vt etiam, ſi ſic ei expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præſter, honeſta aliqua merces perſoluatur, donec principalis ipſe reſipiſcens, officium ſuum impleat.

Si quæ verò parochiales Eccleſiæ reperiantur ſubiectæ monaſterijs in nulla diœceſi exiſtentibus, ſi Abbates & regulares prælati in prædictis negligentes fuerint, à Metropolitanis, in quorum prouincijs diœceſes ipſæ ſitæ ſunt, tanquam quo ad hoc ſedis Apoſtolicæ delegatis, compellantur. Neque huius decreti executionem conſuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, ſiue recurſus impedire valeat, quouſque deſuper à competenti iudice (qui ſummariè, & ſola facti veritate inſpecta procedat) cognitum & deciſum fuerit.

Regulares verò cuiuſcunque ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita & moribus & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſijs ſuorum ordinū, prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe corā epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant.

In Eccleſijs verò quæ ſuorum ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum ſuperiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſijs non ſuorum ordinum nullo modo prædicare poſſint. Ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.

Si verò (quod abſit) prædicator errores aut ſcandala diſſeminauerit in populum, (etiam ſi in monaſterio ſui vel alterius ordinis prædicet) Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quod ſi hæreſes prædicauerit, contra eum ſecundum iuris diſpoſitionem aut loci conſuetudinem procedat, etiam ſi prædicator ipſe generali vel ſpeciali priuilegio exemptum ſe eſſe prætenderet. Quo caſu Epiſcopus authoritate Apoſtolica, & tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatus procedat. Curent autem Epiſcopi, ne quis prædicator vel ex falſis informationibus, vel aliâs calumnioſè vexetur, iuſtamue de eis conquerendi occaſionem habeat.

Caueant præterea Epiſcopi, ne aliquem vel eorum qui cum ſint nomine regulares, extra clauſtra tamē & obedientiā religionum ſuarum viuunt, vel presbyterorum ſecularium, niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrina probati, etiam priuilegiorum quorumlibet prætextu in ſua ciuitate vel diœceſi prædicare permittant: donec ab ipſis Epiſcopis ſuper ea re ſancta ſedes Apoſtolica conſulatur: à qua priuilegia huiuſmodi, niſi tacita veritate, & expreſſo mendacio, ab indignis extorqueri veriſimile non eſt.

Quæſtores verò eleemoſynarij, qui etiam quęſtuarij vulgò dicuntur, cuiuſcunque conditionis exiſtant, nullo modo nec per ſe, nec per alium prædicare præſumant: & contrà facientes, ab epiſcopis & ordinarijs locorum, priuilegijs quibuſcunque non obſtantibus, opportunis remedijs omninò arceantur.

Item hæc ſacroſancta ſynodus ſtatuit & decernit, primā futuram ſeſſionem tenendam & celebrandam eſſe die Iouis, feria 5. poſt feſtum beati Iacobi Apoſtoli.

Præfatæ ſeſſioni interfuerunt Cardinales quatuor, Archiepiſcopi nouem, & Epiſcopi quinquaginta: Abbates ordinis ſancti Benedicti duo: Generales duo ordinum Mendicantium.

Prorogata deinde fuit ſeſſio ad diem 13. menſis Ianuarij, 1547.

SESSIO VI.

IN nomine Domini Ieſu Chriſti, Amen. Anno à natiuitate eiuſdem Domini 1547. Indictione v. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto P. & D.N.D. Pauli diuina prouidentia Papæ tertij, anno tertiodecimo, die vero Iouis decimatertia menſis Ianuarij, Tridenti in Eccleſia Cathedrali, in loco eminētiori ipſius Eccleſiæ, ad Concilium celebrandum & ſeſſiones habendas deputato, celebrata eſt ſexta publica ſeſſio ſacro ſancti œcumenici & ge-

lis Concilij Tridentini, præſidentibus in ea nomine eiuſ- ſanctiſſimi D.N. Papæ, reuerendiſſimis Patribus & Illu- ſimis D. Ioanne Maria de Monte Epiſcopo Præneſtino, larcello tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbytero, tæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de la- Legatis. In qua quidem ſeſſione, poſt celebratam Miſſam piritu ſancto per R.P.D. Archiepiſcopum Spalatreñ. & ita oratione per reuerendum P. D. Epiſcopum Salpen- ,necnon peractis per R. & Illuſtriſſ. Cardinalem de Mon- ræfatum ſolitis cæremonijs, publicatum eſt decretum de ificatione tenoris infraſcripti.

DECRETVM DE IVSTIFICATIONE.

PROOEMIVM.

Vm hoc tempore non ſine multarum animarum iactu- ra, & graui Eccleſiaſticæ vnitatis detrimento, erronea ædam diſſeminata ſit de iuſtificatione doctrina: ad laudem gloriam omnipotentis Dei, Eccleſiæ tranquillitatem, & a- narum ſalutem, ſacroſancta œcumenica & generalis Tri- ntina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præ- dentibus in ea nomine ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Do- ini noſtri, Domini Pauli diuina prouidentia Papæ tertij, euerendiſſimis dominis, D. Ioanne Maria Epiſcopo Præ- ſtino de Monte, & Marcello tituli ſanctæ Crucis in Hieru- lem presbytero, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & poſtolicis de latere Legatis, exponere intendit omnibus hriſti fidelibus veram ſanamque ipſius Iuſtificationis do- trinam, quam ſol iuſtitiæ Chriſtus Ieſus fidei noſtræ author conſummator docuit, Apoſtoli tradiderunt, & Catholica cclesia, Spiritu ſancto ſuggerente, perpetuò retinuit: diſtri- tius inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere, rædicare, aut docere, quam præſenti decreto ſtatuitur ac de- laratur.

De naturæ & legis ad iuſtificandos homines imbecillitate.

CAP. I.

PRimum declarat ſancta Synodus, ad iuſtificationis doctrinam, probè & ſyncerè intelligendam, oportere, vt vnuſquiſque agnoſcat & fateatur, quòd cum omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, facti immúdi: & vt Apoſtolus, inquit, natura filij iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali expoſuit, vſque adeò ſerui erant peccati, & ſub poteſtate diaboli ac mortis, vt non modò gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam literam legis Moyſi indè liberari aut ſurgere poſſent, tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licet attenuatum & inclinatum.

De diſpenſatione, & myſterio aduentus Chriſti.

CAP. 2.

QVo factum eſt, vt cœleſtis Pater, pater miſericordiarũ, & Deus totius conſolationis, Chriſtum Ieſum filium ſuum, & ante legem, & legis tempore multis ſanctis patribus declaratum ac promiſſum, cùm venit beata illa plenitudo tẽporis, ad homines miſerit, vt & Iudæos, qui ſub lege erant, redimeret: & gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, iuſtitiam appræhenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris: non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.

Qui per Chriſtum iuſtificantur.

CAP. 3.

VErum etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, ſed ij duntaxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur. Nam ſicut reuera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, nõ naſcerentur iniuſti, cum ea propagatione, per ipſum dum cõcipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant: ita niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam iuſtificarentur, cùm ea renaſcentia per meritum paſſionis eius gratia, qua iuſti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apoſtolus gratias nos ſemper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorũ in lumine, & eripuit de poteſtate tenebrarũ, tranſtulitque in regnum Filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remiſſionem peccatorum. Col. 1.

Inſinuatur deſcriptio iuſtificationis impij, & modus eius in ſtatu gratiæ.

CAP. 4.

QVibus verbis iuſtificationis impij deſcriptio inſinuatur, vt ſit translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam, Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum. Quæ quidem translatio, poſt Euangelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Ioan. 3.

De neceſſitate præparationis ad iuſtificationem in adultis, & vndè ſit.

CAP. 5.

DEclarat præterea, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritusſancti illuminationẽ, neque homo ipſe nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt: neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Vndè in ſacris litteris cum dicitur, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur: Cum reſpondemus, Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri confitemur. Zach. 1. Thren. 5.

Modus Præparationis.

CAP. 6.

DIſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt, atque illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu: & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propicium fore, illumque tanquam omnis iuſtitiæ fontem, diligere incipiunt: ac proptereà mouentur aduerſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. Denique dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare nouam vitam, & ſeruare diuina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum oportet Heb. 11.

credere

Matt. 9. Eccl. 1. Act. 2. Luc 14. Matt. 28. 1. Reg. 7.

credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit: &, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, &, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine IESV Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti, &, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis: denique, Præparate corda veſtra Domino.

Quid ſit iuſtificatio impij, & quæ eius cauſæ.

CAP. 7.

HAnc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, vndè homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundum ſpē vitæ æternæ. (Ephes. 2.) Huius iuſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem, gloria Dei & Chriſti, ac vita æterna. Efficiēs verò, miſericors Deus, qui gratuitò abluit & ſanctificat, ſignans & vngens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. (Ephes. 1.) Meritoria autem, dilectiſſimus vnigenitus ſuus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cùm eſſemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima paſſione in ligno crucis nobis iuſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit. Inſtrumentalis item, ſacramentum baptiſmi, quod eſt ſacramentum fidei, ſine qua nulli vnquam contigit inſtificatio. Demum vnica formalis cauſa eſt, iuſtitia Dei, nō qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, qua videlicet ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquique ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem. Quanquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur; (Rom. 5.) id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ Paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret: vndè in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem & charitatem. Nam fides, niſi ad eam ſpes accedat & charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum mēbrum efficit. Qua ratione veriſſimè dicitur, Fidem ſine operibus mortuam & ocioſam eſſe: (Iac. 2. Gal. 5.) & in Chriſto Ieſu neque circūciſionem aliquid valere, neque præputium, ſed fidem quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante baptiſmi ſacramentum ex Apoſtolorum traditione Catechumeni ab Eccleſia petunt, cùm petunt fidem vitam æternam præſtantem, quam ſine ſpe & charitate fides præſtare non poteſt. Vndè & ſtatim verbum Chriſti audiunt: (Matt. 19.) Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Itaque veram & Chriſtianam iuſtitiam accipientes, eam ceu primam ſtolam, pro illa quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur ſtatim renati conſeruare, vt eam perferant ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, & habeant vitam æternam.

Quomodò intelligatur, impium per fidem & gratis iuſtificari.

CAP. 8.

CVm verò Apoſtolus dicit, iuſtificari hominem per fidem, & gratis, (Rom. 5.) ea verba, in eo ſenſu intelligenda ſunt, quē perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit, vt ſcilicet per fidem ideò iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, (Heb. 11.) & ad filiorum eius conſortium peruenire; gratis autem iuſtificari ideo dicamur, quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia eſt, iam non ex operibus: alioquin, vt idem Apoſtolus inquit, gratia iam non eſt gratia. (Rom. 11.)

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

CAP. 9.

QVamuis autem neceſſarium ſit credere, neque remitti, neque remiſſa vnquam fuiſſe peccata niſi gratis diuina miſericordia propter Chriſtum: nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum iactanti, & in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti, vel dimiſſa eſſe dicendum eſt, cum apud hæreticos & ſchiſmaticos poſſit eſſe, immò noſtra tempeſtate ſit, & magna contra Eccleſiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos, qui verè iuſtificati ſunt, abſque vlla omninò dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere ſe eſſe iuſtificatos, neminemque à peccatis abſolui ac iuſtificari, niſi eum qui certò credat ſe abſolutum & iuſtificatum eſſe, atque hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici: quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſſis, deque mortis & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet. Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, De Chriſti merito deque ſacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare ac timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum.

De acceptæ iuſtificationis incremento.

CAP. 10.

SIc ergo iuſtificati, & amici Dei ac domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem, renouantur, vt Apoſtolus inquit, (Ephes. 2. Pſal. 83. 2. Cor. 4.) de die in diem, hoc eſt, mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem, per obſeruationem mandatorum DEI & Eccleſiæ, in ipſa iuſtitia, per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, creſcunt, atque magis iuſtificantur, ſicut ſcriptum eſt: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. (Apoc. 22. Eccle. 18. Iac. 2.) Et iterùm: Ne verearis vſque ad mortē iuſtificari. Et rurſus: Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc verò iuſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cùm orat: Da nobis Domine fidei, ſpei, & charitatis augmentum.

De obſeruatione mandatorum, deque illius neceſſitate & poſſibilitate.

CAP. 11.

NEmo autem, quantumuis iuſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſeruatione mandatorum putare debet, nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti, DEI præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis. Cuius mandata grauia non ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. (1. Ioan. 5. Matt. 11.) Qui enim ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum, vt ipſemet teſtatur, ſeruāt ſermones eius: (Ioan. 14.) quod vtique cum diuino auxilio præſtare poſſunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumuis ſancti & iuſti, in leuia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe iuſti. Nam iuſtorū illa vox eſt & humilis, & verax: Dimitte nobis debita noſtra. (Matt. 6.) Quo fit, vt iuſti ipſi eo magis ſe obligatos ad ambulandum in via iuſtitiæ ſentire debeant, quo liberati iam à peccato, ſerui autem facti DEO, ſobriè, iuſtè & piè viuentes, (Tit. 2.) proficere poſſint per Chriſtum Ieſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus nanq; ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius

ſeratur. Itaque nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans
e ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatemque con-
uuturum, etiam ſi Chriſto non compatiatur, vt & conglo-
icetur. Nam & Chriſtus ipſe, vt inquit Apoſtolus, cum eſ-
filius DEI, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiá:
conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi,
uſa ſalutis æternæ. Propterea Apoſtolus ipſe monet iuſtifi-
tos, dicens: Neſcitis, quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes
idem currunt, ſed vnus accipit brauium? ſic currite, vt cō-
ræhendatis. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic
gno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum,
in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe
probus efficiar. Item princeps Apoſtolorum Petrus: Sata-
te, inquit, vt per bona opera certam veſtram vocationem &
ectionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis ali-
uando. Vnde conſtat eos orthodoxæ religionis doctrinæ
duerſari, qui dicunt iuſtum in omni bono opere ſaltem ve-
ialiter peccare: aut, quod intolerabilius, pœnas æternas me-
eri: atque etiam eos, qui ſtatuunt in omnibus operibus iu-
tos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, &
ſe ad currendum in ſtadia cohortando, cum hoc vt inpri-
nis glorificetur Deus mercedem quoque intuētur æternam,
um ſcriptum ſit: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtifica-
iones tuas, propter retributionem. Et de Moſe dicat Apo-
tolus, quod reſpiciebat in remuneratione.

Prædeſtinationis temerariam præſump- tionem cauendam eſſe.

Cap. 12.

Nemo quoque, quandiu in hac mortalitate viuitur, de ar-
cano diuinæ prædeſtinationis myſterio vſque adeò
præſumere debet, vt certò ſtatuat, ſe omninò eſſe in numero
prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quod iuſtificatus, aut
amplius peccare non poſſit, aut ſi peccauerit, certam ſibi reſi-
piſcentiam promittere debeat. Nam niſi ex ſpeciali reuela-
tione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.

De perſeuerantiæ munere.

Cap. 13.

Similiter de perſeuerantiæ munere, de quo ſcriptum eſt,
Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: quod
quidem aliundè haberi non poteſt, niſi ab eo qui potens eſt,
eum qui ſtat, ſtatuere vt perſeueranter ſtet, & eum qui cadit,
reſtituere: nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polli-
ceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimā ſpem collocare & re-
ponere omnes debent. Deus.n. niſi ipſi illius gratiæ defuerint,
ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perfi-
cere. Veruntamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant,
& cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur, in labo-
ribus, in vigilijs, in eleemoſynis, in orationibus & oblationi-
bus, in ieiunijs, in caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes
quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloria renati ſunt, de pu-
gna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in
qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia, Apoſtolo
obtemperent, dicenti: Debitores ſumus non carni, vt ſecun-
dum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis,
moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, vi-
uetis.

De lapſis & eorum reparatione.

Cap. 14.

QVi verò ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum
exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cùm excitante
Deo, per pœnitentiæ ſacramentum merito Chriſti amiſſam
gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iuſtificationis
modus, eſt lapſi reparatio, quam ſecundam poſt naufragium
deperditæ gratię tabulam ſancti Patres aptè nuncuparunt. Et-
enim pro ijs, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chri-
ſtus Ieſus ſacramentum inſtituit Pœnitentiæ, cùm dixit: Ac-
cipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, re-
mittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Vndè do-
cendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum,
multò aliam eſſe à Baptiſmali, eaque contineri non modo
ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor con-
tritum & humiliatum: verùm etiam eorundem ſacramenta-
lem confeſſionem, ſaltem in voto & ſuo tempore faciendam,
& ſacerdotalem abſolutionem, itemque ſatisfactionem per
ieiunia eleemoſynas, orationes & alia pia ſpiritualis vitæ exer-
citia: non quidem pro pœna æterna, quæ vel ſacramento,
vel ſacramenti voto vnà cum culpa remittitur, ſed pro
pœna temporali, quæ vt ſacræ litteræ docent, non to-
ta ſemper, vt in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei
quam acceperunt, ingrati, Spiritum ſanctum contriſtauerūt,
& templum Dei violare non ſunt veriti. De qua pœnitentia Apoc. 2.
ſcriptum eſt: Memor eſto vndè excideris, & age pœnitētiam, 2. Cor. 7.
& prima opera fac. Et iterum: Quæ ſecundum Deum triſti-
tia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: & rurſus, Matt. 3.
Pœnitentiam agite: & Facite fructus dignos pœnitentiæ. Luc. 3.

Quolibet peccato mortali amitti gratiam, ſed non fidem.

Cap. 15.

ADuerſus etiam hominum quorundam callida ingenia,
qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt Rom. 16.
corda innocentium, aſſerendum eſt, non modo infidelitate,
per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocunque alio
mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iu-
ſtificationis gratiam amitti, diuinæ legis doctrinam defendē-
do; quæ à regno Dei non ſolum infideles excludit, ſed & fide-
les quoque fornicarios, adulteros, molles, maſculorum con- 1. Cor. 6.
cubitores, fures, auaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cæteroſ-
que omnes, qui letalia committunt peccata: à quibus cum di-
uinæ gratiæ adiumento, abſtinere poſſunt, & pro quibus à
Chriſti gratia ſeparantur.

De fructu Iuſtificationis, hoc eſt, de merito bono- rum operum, deque ipſius meriti ratione.

Cap. 16.

HAc igitur ratione iuſtificatis hominibus, ſiue acceptam
gratiam perpetuò conſeruauerint, ſiue amiſſam recupe-
rauerint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in Heb. 10.
omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in 1. Cor. 15.
Domino. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur ope-
ris veſtri & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Et, Heb. 10.
Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet
remunerationem. Atque ideo bene operantibus vſque in fi-
nem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, &
tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer
promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione, bo-
nis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hęc eſt.n.
illa corona iuſtitiæ, q̃ poſt ſuum certamen & curſum repoſitā 2. Tim. 4.
ſibi eſſe aiebat Apoſtolus, à iuſto iudice ſibi reddendā, & non
ſolū ſibi, ſed & omnib⁹, qui diligunt aduentū eius. Cùm.n. ille
ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vi-
tis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, q̃
virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur & ſub-
ſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe
poſſent, nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt,
quò minus plenè illis quidem operib⁹, quæ in Deo ſunt facta,
diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam
ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequen-
dam, verè promeruiſſe cenſeantur, cùm Chriſtus Saluator
noſter dicat: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non Ioan. 4.
ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam
æternam. Ita neque propria noſtra iuſtitia, tanquam ex
nobis propria, ſtatuitur, neque ignoratur aut repudiatur iu-
ſtitia Dei. Quæ enim iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam no-
bis inhærentem iuſtificamur, illa eadem Dei eſt, quia à DEO
nobis infunditur per Chriſti meritum.

Neque

Neque verò illud omittendum eſt, quòd licet bonis ope-
ribus in ſacris literis vſqueadeò tribuatur, vt etiam, qui vni ex
Matt. 10. minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus
eum non eſſe ſua mercede cariturum, & Apoſtolus teſtetur,
2. Cor. 4. Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis
noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pódus
operari in nobis: abſit tamen, vt Chriſtianus homo in ſeipſo
vel confidat vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta eſt
erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ
ſunt ipſius dona. Et quia in multis offendimus omnes, vnuſ-
Iacob. 3. quiſque ſicut miſericordiam & bonitatem, ita ſeueritatem &
iudicium ante oculos habere debet: neque ſeipſum aliquis,
etiam ſi nihil ſibi conſcius fuerit, iudicare: quoniam omnis
1. Cor. 4. hominum vita, non humano iudicio examinanda & iudican-
da eſt, ſed Dei, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & ma-
Matt. 16. nifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuiq; à Deo,
Rom. 6. qui, vt ſcriptum eſt, reddet vnicuique ſecundum opera ſua.

Poſt hanc catholicam de Iuſtificatione doctrinam, quam niſi quiſque fideliter firmiterq; receperit, iuſtificari non poterit, placuit ſanctæ ſynodo hos canones ſubiungere, vt omnes ſciant, non ſolum quid tenere & ſequi, ſed etiam quid vitare & fugere debeant.

CANONES DE IVSTIficatione.

1 Si quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, abſque diuina per Chriſtum Ieſum gratia, poſſe iuſtificari coram Deo, Anathema ſit.

2 Si quis dixerit, ad hoc ſolum diuinam gratiam per Chriſtum Ieſum dari, vt facilius homo iuſtè viuere, ac vitam æternam promereri poſſit, quaſi per liberum arbitrium ſine gratia vtrunq;, ſed ægrè tamen & difficulter poſſit, anathema ſit.

3 Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit.

4 Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiã ſe diſponat ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam, nihil omninò agere, merèque paſſiuè ſe habere, Anathema ſit.

5 Si quis liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re, figmentum denique à Satana inuectum in Eccleſiam, Anathema ſit.

6 Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona. Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeò vt ſit eius proprium opus non minus proditio Iudæ quàm vocatio Pauli, Anathema ſit.

7 Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri: aut quantò vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare, Anathema ſit.

8 Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, Anathema ſit.

9 Si quis dixerit ſola fide impium iuſtificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari atq; diſponi, Anathema ſit.

10 Si quis dixerit homines ſine Chriſti iuſtitia, per quã nobis meruit, iuſtificari, aut per eam ipſam formaliter iuſtos eſſe, Anathema ſit.

11 Si quis dixerit hominem iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per ſpiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua iuſtificamur, eſſe tantum fauorem Dei, Anathema ſit.

12 Si quis dixerit, fidem iuſtificãtem nihil aliud eſſe, quã fiduciam diuinæ miſericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua iuſtificamur, Anathema ſit.

13 Si quis dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam, neceſſarium eſſe vt credat certò & abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, Anathema ſit.

14 Si quis dixerit, hominem à peccatis abſolui & iuſtificari, ex eo quod ſe abſolui ac iuſtificari certò credat: aut neminem verè eſſe iuſtificatum, niſi qui credat ſe eſſe iuſtificatũ, & ac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici, Anathema ſit.

15 Si quis dixerit hominem renatum & iuſtificatum, teneri ex fide ad credendum ſe certò eſſe ex numero prædeſtinatorum, Anathema ſit.

16 Si quis magnum illud vſque in finem perſeuerantiæ donum ſe certò habiturum abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali reuelatiõe didicerit, anathema ſit.

17 Si quis iuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocãtur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, vtpote diuina poteſtate prædeſtinatos ad malum, Anathema ſit.

18 Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia cõſtituto, eſſe ad obſeruandum impoſſibilia Anathema ſit.

19 Si quis dixerit, nihil pręceptum eſſe in Euangelio pręter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, Anathema ſit.

20 Si quis hominem iuſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſeruantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum: quaſi verò Euangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſeruationis mandatorum, Anathema ſit.

21 Si quis dixerit, Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe, vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legiſlatorem cui obediant, Anathema ſit.

22 Si quis dixerit, iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum eo non poſſe, Anathema ſit.

23 Si quis hominem ſemel iuſtificatum, dixerit amplius peccare non poſſe, nec gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquàm verè fuiſſe iuſtificatum: aut contra, poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de beata virgine Maria tenet Eccleſia, Anathema ſit.

24 Si quis dixerit, iuſtitiam acceptam non conſeruari,
atque etiam non augeri coram Deo per bona opera: ſed, ope-
ra ipſa fructus ſolummodò & ſigna eſſe iuſtificationis adeptę, * autem.
non *etiam ipſius augendæ cauſam, Anathema ſit.

25 Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera bona non imputet ad damnationem Anathema ſit.

26 Si quis dixerit, iuſtos non debere pro bonis operib9, quæ in Deo fuerint facta, expectare & ſperare æternam retributionem à Deo, per ejus miſericordiam, & Ieſu Chriſti meritum, ſi benè agendo, & diuina mandata cuſtodiendo vſque in finem perſeuerauerint, Anathema ſit.

27 Si quis dixerit, nullum eſſe mortale peccatum, niſi infidelitatis, aut nullo alio quantumuis graui & enormi, præterquam infidelitatis peccato, ſemel acceptam gratiam amitti, Anathema ſit.

28 Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet, non eſſe verã fidem, licet non ſit viua: aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, Anathema ſit.

29 Si quis dixerit, eum qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam iuſtitiam recuperare ſine ſacramento pœnitentiæ, prout ſancta Romana & vniuerſalis Eccleſia, à Chriſto Domino & eius Apoſtolis edocta, hucuſque profeſſa eſt, ſeruauit & docuit, Anathema ſit.

30 Si quis poſt acceptam iuſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternę pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc ſeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit, Anathema ſit.

31 Si quis dixerit iuſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, Anathema ſit.

32 Si quis dixerit, hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita, aut ipſum iuſtificatum, bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiā & Ieſu Chriſti meritum, cuius membrum viuum eſt, fiunt, nō verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem atque etiam gloriæ augmentum, Anathema ſit.

33 Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de Iuſtificatione, à ſancta Synodo hoc præſenti decreto expreſſam, aliqua ex parte gloriæ Dei vel meritis Ieſu Chriſti Domini noſtri derogari, & non potius veritatem fidei noſtræ, Dei denique, ac Ieſu Chriſti gloriam illuſtrari, Anathema ſit.

DECRETVM DE REFORMATIONE, PVblicatum in eadem ſexta Seſſione, decimatertia Ianuarij.

Cap. I.

EAdem ſacroſancta ſynodus, eiſdem præſidentibus, & Apoſtolicæ ſedis Legatis, ad reſtituendam collapſam admodum Eccleſiaſticam diſciplinam, deprauatoſque in Clero & populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volēs, ab his, qui maioribus Eccleſijs præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum. Integritas enim præſidentium, ſalus eſt ſubditorum. Confidens itaque per Domini ac Dei noſtri miſericordiam, prouidamq; ipſius Dei in terris Vicarij ſolertiam, omninò futurum, vt ad Eccleſiarum regimen (onus quippe Angelicis humeris formidandum) qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas à puerilibus exordijs vſque ad perfectiores annos, per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta, teſtimonium præbeat, ſecundum venerabiles beatorum Patrum ſanctiones aſſumātur: Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſijs quibuſcunque, quouis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos eſſe vult, vt attendentes ſibi & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere Eccleſiā Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo: vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleāt. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ouium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus à ſupremo iudice requirendus, cuſtodiæ minimè incumbant: cum certiſſimum ſit, non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oues comedit, & paſtor neſcit. Ac nihilominus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum eſt) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrenaque cœleſtibus, ac diuinis humana præferentes, in diuerſis curijs vagantur, aut in negotiorum temporalium ſolicitudine (ouili derelicto, atq; ouium ſibi comiſſarum cura neglecta) ſe detinent occupatos: placuit ſacroſanctæ Synodo antiquos canones, qui temporū atque hominum incuria penè in deſuetudinem abierunt, aduerſus non reſidentes promulgatos, innouare, quemadmodū virtute præſentis decreti innouat: ac vlterius pro firmiore eorundem reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus in hunc, qui ſequitur, modum, ſtatuere atque ſancire: Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana ſeu Cathedrali Eccleſia, ſibi quocunque titulo, cauſa, nomine ſeu iure commiſſa, quacunque ille dignitate, gradu & præeminentia præfulgeat (legitimo impedimento, ſeu iuſtis & rationabilib. cauſis ceſſantibus) ſex menſibus continuis extra ſuam diœceſim morando abfuerit: quartæ partis fructuum vnius anni, fabricę Eccleſiæ & pauperibus loci, per ſuperiorem Eccleſiaſticum applicandorum pœnam ipſo iure incurrat. Quod ſi per alios ſex menſes in huiuſmodi abſentia perſeuerauerit, aliā quartam partem fructuū ſimiliter, applicandam eo ipſo amittat. Creſcente verò contumacia, vt ſeueriori ſacrorum canonum cenſuræ ſubijciatur, Metropolitanus ſuffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per litteras ſeu nuncium Romano pontifici denunciare teneatur: qui in ipſos abſentes (prout cuiuſque minor aut maior contumacia exegerit) ſuæ supremę ſedis authoritate animaduertere, & Eccleſijs ipſis de paſtoribus vtilioribus prouidere poterit, ſicut in Domino nouerit ſalubriter expedire.

Cap. 2.

Epiſcopi inferiores quæuis beneficia Eccleſiaſtica, perſonalem reſidentiam de iure ſiue conſuetudine exigentia, in titulum ſiue commendam obtinentes, ab eorum ordinarijs, quemadmodum eis pro bono Eccleſiarum regimine, & diuini cultus augmento, locorum & perſonarum qualitate penſata, expediens videbitur, opportunis iuris remedijs reſidere cogantur: nullique priuilegia ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragentur: Indulgentijs, verò & diſpenſationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus cauſis tantum conceſſis, & coram ordinario loci legitimè probandis, in ſuo robore permanſuris. Quibus caſibus, nihilominus officium ſit Epiſcoporum, tanquam in hac parte à ſede Apoſtolica delegatorum, prouidere, vt per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini, quo ad hoc, priuilegio ſeu exemptione quacunque ſuffragante.

Cap. 3.

Eccleſiarum prælati, ad corrigendum ſubditorum exceſſus, prudenter & diligentèr intendant: & nemo clericus ſecularis, vel cuiuſuis ordinis perſonalis, vel regularis extra monaſterium degens, etiam ſui ordinis priuilegij prætextu tutus cenſeatur, quo minus, ſi deliquerit, ab ordinario loci, tanquam ſuper hoc à ſede Apoſtolica delegato, ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi, valeat.

Cap. 4.

Capitula cathedralium & aliarum maiorum Eccleſiarum, illarumque perſonæ nullis exemptionibus, conſuetudinibus, ſententijs, iuramentis, concordijs, (quæ tantùm ſuos obligent authores, non etiam ſucceſſores) tueri ſe poſſint, quó minus à ſuis Epiſcopis & alijs maioribus prælatis, per ſe ipſos ſolos, vel illis quibus ſibi videbitur adiunctis, iuxta canonicas ſanctiones, toties quoties opus fuerit, viſitari, corrigi, & emendari, etiam authoritate Apoſtolica, poſſint, & valeant.

Cap. 5.

Nulli Epiſcopo liceat cuiuſuis priuilegij prætextu pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem ordinario ſubiectas tantum. Si ſecus factum fuerit, Epiſcop. ab exercitio pontificalium: & ſic ordinati, ab executione ordinum, ſint ipſo iure ſuſpenſi.

Indictio futuræ Seſſionis.

Placetne vobis proximam futuram Seſſionem celebrari die Iouis feria quinta poſt primam Dominicam ſubſequentis Quadrageſimæ, quæ erit dies 3. menſis Martij? Reſponderūt, Placet.

NOMI-

NOMINA, COGNOMINA, ET PAtriæ Prælatorum, qui interfuerunt Sextæ Seſſioni.

PRAESIDENTES ET LEGATI.

D. D. Ioannes Maria de Monte, Epiſcopus Præneſtinus, Aretinus.

D. D. Marcellus tituli S. Crucis in Hieruſalem presbyter, Ceruinus. Politianus.

CARDINALES.

D.D.Chriſtophorus Madrucius, tituli ſancti Cæſarij in palatio presbyter Cardinalis, & Epiſcopus Tridentinus, ac adminiſtrator Brixinenſis, Germanus.

D.D.Petrus Pacechus, presbyter Cardinalis, & epiſcop. Gienenſis. Hiſpanus.

Archiepiſcopi.

Reuerend.D.Andreas Cornelius, Archiepiſcopus Spalatren. Venetus.

Reuerendiſſ.D. Antonius Filholi, Archiepiſcopus Aquenſis, Gallus.

Reuerend.D.Saluator Alexius Saſſarus, Archiepiſc.*Toritan. Hiſpanus.

Reuerend.D.Ludoui.Chieregatus, Archiepiſcopus Antiba. Vicent.

Reuerend.D.Iacobus*Cauchus, Archiepiſcopus Corcyren. Venetus.

Reuer.D.Ioannes Michael Sarracenus, Archiepiſc. Materanus & Acheruntinus. Neapolitanus.

Reuer. D. Sebaſtianus Lecauela, Archiepiſcopus Naxien. Græcus.

Reuerendiſſim. D. Olaus Magnus, Archiepiſcopus Vpſalen. Gothus.

Reuerend.D.Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitan. Siculus.

Reuerend.D.Robertus Waucop, Archiepiſcop. Armacan. Scotus

Epiſcopi.

Reuerendiſſim.D.Marcus Vigerius, Epiſcopus Senogallien. Sauonen.

Reuerend.Dominus Philos Rouerella, Epiſcopus Aſculan. Ferrarien.

Reuerendiſſ.D.Thomas Campegius, Epiſcopus Feltren. Bononienſis

Reuerendiſſ.D. Benedictus de Nobilibus, Epiſcopus Acien Lucenſis.

Reuerendiſſim.D. Quintius de Ruſticis, Epiſcopus Militen. Romanus.

Reuerend. D. Antonius de Numai, Epiſcopus Iſernien. Foroliuien.

Reuer. D. Hieronymus Theodolus, Epiſcopus Gaditan. Foroliuien.

Reueren. D. Hieronymus Fuſcherus, Epiſcopus Torcellan. Venetus.

Reuer. D. Ioannes Lucius Staphyleus, Epiſcopus Sibinicen. Dalmata

Reuerend. D. Guilhelmus à Prato, Epiſcop. Claramontan. Gallus.

R. D. Dionyſius Græcus Epiſcopus Chironenſis, & Miloporamen. Græcus.

Reuerendiſſ.D.Braccius Martellus, Epiſcopus Fæſularum. Florentin.

Reuer.D.Coriolanus Martyranus, Epiſcopus ſancti Marci. Neapolitan.

Reuerend.D.Henricus Ioffredus, Epiſcopus Caputaquen. Neapolitan.

Reuerendiſſ. D. Eliſeus Theodinus, Epiſcopus Soranus. Arpinas

Reueren.D.Iacobus Corteſius à Prato, Epiſcopus Vaſionen. Roman.

Reuerendiſſ.D.Baldaſſar de Hæredia, Epiſcopus Roſſnen. Sardus.

Reuerend. D. Alexander de Vrſis, Epiſcopus Emonien. Venetus.

Reuerendiſſ.D.Angelus Paſchalis, Epiſcopus Motulan. Dalmata.

Reuerend. D. Baldaſar Limpus, Epiſcopus Portuen. Portugallen.

Reuerend.D.Ioannes Fonſeca, Epiſcopus Caſtellimaris. Hiſpanus.

R.D. Petrus Bertonus, Epiſc.Fanen. Mutinen.

Reuer. D.Ioannes Campegius, Epiſcopus Parentinus. Bononien.

Reuer.D. Ludouicus Simonetta, Epiſcopus Piſaurien. Mediolanen.

R.D.Aloyſius Lypomanus, Epiſcopus Mothonen. coadiutor Veronen. Venetus

R.D.Philippus Archintus, Epiſcopus Salutiarum, Vicarius ſanctiſſimi D.N.Papæ in Vrbe. Mediolanen.

R.D. Ioannes Petrus Ferretus, Epiſcopus Milen. Rauennaten.

Reuer. D.Claudius de la Guiſche, Epiſcopus Agathen. Gallus.

Reuerend.D.Ioannes de Salazar Epiſcopus Lancianẽ. Hiſpanus.

R.D. Hieronymus de Bononia, Epiſcopus Syracuſan. Siculus.

Reuerendiſſ.D.Ricardus Patus, Epiſcopus Vuigornien. Anglicus.

Reuerendiſſ.D.Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bitontin. Placentin.

Reuerend. D. Marcus Maliperius, Epiſcopus Corſulan. Venetus.

Reuerendiſſ.D.Iacobus Iacobellus, Epiſcopus Bellicaſtren. Roman.

Reuerendiſſ.D.Franciſcus de Nauarra, Epiſcopus Pacen. Hiſpanus.

Reuerendiſſ.D.Didacus de Alaua, Epiſcopus Aſtoricen. Hiſpanus

Reuerendiſſ.D. Thomas Caſelus, Epiſcopus Britonorien. Roſanen.

Reueren.D. Galeatius Florimantius, Epiſcopus Aquinaten. Sueſſan.

Reuerendiſſ.D.Petrus de Auguſtinis, Epiſcopus Oſcen. Hiſpanus.

Reuerend. D. Philippus Bonus, Epiſcopus Famaguſtę. Venetus.

R.D.Ioannes Baptiſta Cicada, Epiſc. Albiganen. auditor Cameræ Apoſtol. Gienen.

R.D.Thomas de Stella, Epiſcopus Salpen. Venetus.

Reuerend. D. Bernardus Diaz, Epiſcopus Calagurritan. Hiſpanus.

Reuerendiſſ.D.Gregorius Caſtagnola, Epiſcopus Mylen. Græcus.

Reuerend. D. Antonius de Cruce, Epiſcopus Canarien. Hiſpanus.

Reuer.D.Sebaſtianus Pighinus, Epiſcopus Alyphan. auditor Rotæ Romanæ. Rhegien.

Reuerend.D.Ambroſius Catharinus Politus, Epiſcopus Minorienſis. Senenſis.

Procuratores abſentium.

R.D.Claudius Zaius, Procurator R. D. D. Othonis Truchſes, Cardinalis & Epiſcop. Auguſt. Sabaudus.

R. P. Ambroſius Pelargus, ordinis Prædicatorum, procurator R. D. D. Archiepiſcopi Treuiren. Electoris Imperij Rom. Germanus.

Abbates.

R.D.Lucianus de Othonibus, Abbas Pompoſiæ Ferrarien Mantuan

R. D. Chriſtophorus Gimilianen. Abbas ſanctiſſimæ Trinitat. de Caieta. Calaber.

Generales.

R. P. Franciſcus Romæus, Generalis ordinis Prædicatorum, Aretinus.

R. P. Bonauentura Pius, Generalis ordinis Minorum Conuentualium, Coſtacciarius.

R. P. Hieronymus Seripandus, Generalis ordinis Eremitarũ ſancti Auguſtini, Neapolitanus.

R. P. Nicolaus Audetus, Generalis ordinis Carmelitarum, Cyprius.

R. P. Auguſtinus Bonucius, Generalis ordinis ſanctæ Mariæ Seruorum. Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

SESSIO VII.

IN nomine Domini, Amen. Anno à natiuitate eiuſdem Domini M. D. XLVII. Indictione quinta, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, Domini Pauli, diuina prouidentia papæ III. Anno eius tertiodecimo, die verò Iouis, tertia menſis Martij, Tridenti in Eccleſia Cathedrali, in loco eminentiori ipſius Eccleſiæ, ad Concilium celebrandum & Seſſiones habendas deputato, celebrata eſt ſeptima publica Seſſio ſacroſancti œcumenici & generalis Concilij Tridentini: præſidentibus in ea nomine prælibati ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ reuerendiſſimis patribus, & illuſtriſſimis Dominis Ioanne Maria de Monte, Epiſcopo Prænestino, & Marcello, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbytero, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis. In qua quidem Seſſione, poſt celebratam Miſſam de Spiritu ſancto per reuerendiſſimum Dominum D. Archiepiſcopum Corcyrenſem (non fuit enim habita oratio, quia reuerendus pater D. Epiſcopus ſancti Marci Neapolitanus, qui eam habiturus erat, erat raucus) necnon poſt peractas per reuerendiſſimum & illuſtriſſimum D. Cardinalem de Monte, Præſidentem prælatum ſolitas cæremonias, publicata fuerunt duo Decreta, ſeu certi canones ſuper Sacramentis in genere, & ſuper Baptiſmo & Confirmatione in ſpecie: necnon certi alij canones ſuper reſidentia, tenorum infraſcriptorum.

NOMINA, COGNOMINA, ET PATRIÆ Prælatorum, qui interfuerunt Septimæ Seſſioni.

PRAESIDENTES ET LEGATI.

D. D. Ioannes Maria de Monte, Epiſcopus Prænestinus, Aretinus.

D. D. Marcellus tituli S. Crucis in Hieruſalem presbyter, Ceruinus. Politianus.

Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, ſacri concilij Præſidentes, & Apoſtolici de latere Legati.

CARDINALES.

D. D. Petrus Pacechus, presbyter Cardinalis, & epiſcop. Gienenſis. Hiſpanus.

Archiepiſcopi.

Reuerend. D. Andreas Cornelius, Archiepiſcopus Spalatren. Venetus.

Reuerend. D. Saluator Alexius Saſſarus, Archiepiſc. *Toritan. Hiſpanus.

Reuerend. D. Ludoui. Chieregatus, Archiepiſcopus Antiba. Vicent.

Reuerend. D. Iacobus* Cauchus, Archiepiſcopus Corcyren. Venetus.

Reuer. D. Ioannes Michael Sarracenus, Archiepiſc. Materanus & Acheruntinus. Neapolitanus.

Reuer. D. Sebaſtianus Lecauela, Archiepiſcopus Naxien. Græcus.

Reuerendiſſim. D. Olaus Magnus, Archiepiſcopus Vpſalen Gothus.

Reuerend. D. Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitan. Siculus.

Reuerend. D. Robertus Waucop, Archiepiſcop. Armacan. Scotus

Epiſcopi.

Reuerendiſſim. D. Marcus Vigerius, Epiſcopus Senogallien. Sauonen.

Reuerend. Dominus Philos Rouerella, Epiſcopus Aſculan. Ferrarien.

Reuerendiſſ. D. Thomas Campegius, Epiſcopus Feltren. Bononienſis.

Reuerendiſſ. D. Benedictus de Nobilibus, Epiſcopus Acien. Lucenſis.

Reuerendiſſim. D. Quintius de Ruſticis, Epiſcopus Militen. Romanus.

Reuerendiſſ. D. Cathalanus Triuultius, Epiſcopus Placentin. Mediolanen.

Reueren. D. Hieronymus Fuſcherus, Epiſcopus Torcellan. Venetus.

Reuer. D. Hieronymus Theodolus, Epiſcopus Caditan. Foroliuien.

Reuerend. D. Antonius de Numai, Epiſcopus Iſernien. Foroliuien.

Reuerendiſſ. D. Marcus Antonius Crucius Epiſcopus Tiburtin. Tiburt.

Reuer. D. Ioannes Lucius Staphyleus, Epiſcopus Sibinicen. Dalmata.

Reuerend. D. Guilhelmus à Prato, Epiſcop. Claramontan. Gallus.

R. D. Dionyſius Græcus Epiſcopus Chironenſis, & Milopotamen. Græcus.

Reuerendiſſ. D. Braccius Martellus, Epiſcopus Fæſularum. Florentin.

Reuerend. Dom. Hieronymus Vida, Epiſcopus Albenſis. Cremonen.

Reuerendiſſ. D. Eliſeus Theodinus, Epiſcopus Soranus. Arpinas.

Reueren. D. Iacobus Corteſius à Prato, Epiſcopus Vaſionen. Roman.

Reuerend. D. Petrus Franciſc. Ferretus, Epiſcopus Vercel. Hiporgi.

Reuerend. D. Baldaſar Limpus, Epiſcopus Portuen. Portugallen.

Reuerendiſſ. D. Baldaſſar de Hæredia, Epiſcopus *Roſanen. Sardus. *Boſan.

Reuerendiſ. D. Angelus Paſchalis, Epiſcopus Motulan. Dalmata.

Reuerend. D. Alexander de Vrſis, Epiſcopus Emonien. Venetus.

Reuerend. D. Georgius Cornelius, Epiſcopus Taruiſin. Venetus.

Reuerend. D. Ioannes Fonſeca, Epiſcopus Caſtellimaris. Hiſpanus.

R. D. Petrus Bertonus, Epiſc. Fanen. Mutinen.

Reuer. D. Ioannes Campegius, Epiſcopus Parentinus. Bononien.

Reuer. D. Ludouicus Simonetta, Epiſcopus Piſaurien. Mediolanen.

R. D. Aloyſius Lypomanus, Epiſcopus Mothonen. coadiutor Veronen. Venetus.

R. D. Philippus Archintus, Epiſcopus Salutiarum, Vicarius ſanctiſſimi D. N. Papæ in Vrbe. Mediolanen.

R. D.

Digitized by Google

R.D. Ioannes Petrus Ferretus, Epiſcopus Milen. Rauennaten.

Reuer. D. Claudius de la Guiſche, Epiſcopus Mirapicen. Gallus.

Reuerend. D. Ioannes Salazar Epiſcopus Lancianẽ. Hiſpanus.

R.D. Hieronymus de Bononia, Epiſcopus Syracuſan. Siculus.

Reuerend. D. Ægidius Falſetta, Epiſcopus Caprulan. Cingulan.

Reuerendiſſ. D. Ricardus Patus, Epiſcopus Vuigornien. Anglicus.

Reuerendiſſ. D. Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bitontin. Placentin.

Reuerend. D. Marcus Maliperius, Epiſcopus Corſulan. Venetus.

Reuerendiſſ. D. Iacobus Iacobellus, Epiſcopus Bellicaſtren. Roman.

Reuerendiſſ. D. Franciſcus de Nauarra, Epiſcopus Pacen. Hiſpanus.

Reuerendiſſ. D. Didacus de Alaua, Epiſcopus Aſtoricen. Hiſpanus.

Reuerendiſſ. D. Thomas Caſelus, Epiſcopus Britonorien. Roſanen.

Reueren. D. Galeatius Florimantius, Epiſcopus Aquinaten. Sueſſan.

Reuerendiſſ. D. Petrus de Auguſtinis, Epiſcopus Oſcen. Hiſpanus.

Reuerend. D. Philippus Bonus, Epiſcopus Famaaguſtę. Venetus.

R.D. Ioannes Baptiſta Cicada, Epiſc. Albiganen. auditor Cameræ Apoſtol. Giennen.

Reuerend. Domin. Thomas de Stella, Epiſcopus Salpen. Venetus.

Reuerendiſſ. D. Gregorius Caſtagnola, Epiſcopus Mylen. Græcus.

Reuerend. D. Bernardus Diaz, Epiſcopus Calagurritan. Hiſpanus.

Reuerend. D. Petrus Donatus Cæſius, Epiſcopus Narnien. de Cæſis.

Reuerend. D. Antonius de *Cruce, Epiſcopus Canarien. Hiſpanus.

Reuer. D. Sebaſtianus Pighinus, Epiſcopus Alyphan. auditor Rotæ Romanæ. Rhegien.

Reuerend. D. Ambroſius Catharinus Politus, Epiſcopus Minorienſis. Senenſis.

Procuratores abſentium.

R.D. Claudius Zaius, Procurator R. D. D. Othonis Truchſes, Cardinalis & Epiſcop. Auguſt. Sabaudus.

R. P. Ambroſius Pelargus, ordinis Prædicatorum, procurator R. & Illuſtriſſ. D.D. Archiepiſcopi Treuiren. Electoris Imperij Rom. Germanus.

Abbates.

R.D. Lucianus de Othonibus, Abbas Pompoſiæ Ferrarien. Mantuan.

R.D. Chriſtophorus Gimilianen. Abbas ſanctiſſimæ Trinitat. de Caieta. Calaber.

Generales.

R.P. Franciſcus Romæus, Generalis ordinis Prædicatorum, Aretinus.

R. P. Bonauentura Pius, Generalis ordinis Minorum Conuentualium, Coſtacciarius.

R.P. Hieronymus Seripandus, Generalis ordinis Eremitarũ ſancti Auguſtini, Neapolitanus.

R. P. Nicolaus Audetus, Generalis ordinis Carmelitarum, Cyprius.

R.P. Auguſtinus Bonucius, Generalis ordinis ſanctæ Mariæ Seruorum. Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

DECRETVM DE SACRAMENTIS Eccleſiæ, publicatum in ſacroſancta œcumenica & generali Tridentina Synodo, ſeptima Seſſione, die tertia Martij, 1547.

PROOEMIVM.

AD conſummationem ſalutaris de iuſtificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima ſeſſione, vno omnium Patrum conſenſu promulgata fuit, conſentaneum viſum eſt de ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera iuſtitia vel incipit, vel incepta augetur, vel amiſſa reparatur. Propterea ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legatis, ad errores eliminandos & extirpandas hæreſes, quæ circa ſanctiſſima ipſa ſacramenta hac noſtra tempeſtate, tum de damnatis olim à Patribus noſtris hæreſibus ſuſcitatæ, tum etiam de nouo adinuentæ ſunt, quæ catholicæ Eccleſiæ puritati & animarum ſaluti magnoperè officiunt, ſanctarum ſcripturarum doctrinæ, Apoſtolicis traditionibus atque aliorum Conciliorum & Patrum conſenſui inhærendo, hos præſentes Canones ſtatuendos & decernendos cenſuit, reliquos qui ſuperſunt ad cœpti operis perfectionẽ deinceps diuino ſpiritu adiuuãte editura.

CANONES DE SACRAMENTIS.

1 Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam vnctionem, ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè ſacramentum, Anathema ſit.

2 Si quis dixerit ea ipſa nouæ legis ſacramenta à ſacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi, Anathema ſit.

3 Si quis dixerit, hæc ſeptem ſacramenta ita eſſe inter ſe paria, vt nulla ratione aliud ſit alio dignius, Anathema ſit.

4 Si quis dixerit, ſacramenta nouæ legis non eſſe ad ſaltẽ neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, Anathema ſit.

5 Si quis dixerit, hæc ſacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe, Anathema ſit.

6 Si quis dixerit, ſacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel iuſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, Anathema ſit.

7 Si quis dixerit, non dari gratiam per huiuſmodi ſacramenta ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquãdo & aliquibus, Anathema ſit.

8 Si quis dixerit, per ipſa nouæ legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, Anathema ſit.

9 Si quis dixerit, in tribus ſacramentis, Baptiſmo, ſcilicet, Confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vndè ea iterari non poſſunt, Anathema ſit.

10 Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo & omnibus ſacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, Anathema ſit.

11 Si quis dixerit, in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, Anathema ſit.

12 Si quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad ſacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere, aut conferre ſacramentum, Anathema ſit.

13 Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolenni adminiſtratione ſacramentorum adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, Anathema ſit.

De Baptiſmo.

Canon. I.

Si quis dixerit, Baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, Anathema ſit.

2 Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideo verba illa Domini noſtri Chriſti Ieſu, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto; ad metaphoram aliquam detorſerit, Anathema ſit.

3 Si quis dixerit, In Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt & magiſtra, non eſſe veram de baptiſmi ſacramento doctrinam, Anathema ſit.

4 Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, Anathema ſit.

5 Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, Anathema ſit.

6 Si quis dixerit, Baptizatum non poſſe, etiam ſi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, niſi nolit credere, Anathema ſit.

7 Si quis dixerit, Baptizatos, per Baptiſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem vniuerſæ legis Chriſti ſeruandæ, Anathema ſit.

8 Si quis dixerit, Baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.

9 Si quis dixerit, ita reuocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, vt vota omnia quæ poſt Baptiſmum ſunt, vi promiſſionis in Baptiſmo ipſo iam factæ, irrita eſſe intelligāt, quaſi per ea & fidei quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo, Anathema ſit.

10 Si quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri, Anathema ſit.

11 Si quis dixerit, verum & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negauerit, cùm ad pœnitentiam conuertitur, Anathema ſit.

12 Si quis dixerit, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo, Anathema ſit.

13 Si quis dixerit, paruulos, eò quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos nō eſſe, ac proptereà cùm ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe rebaptizandos, aut præſtare omitti eorum baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes, baptizari in ſola fide Eccleſiæ, Anathema ſit.

14 Si quis dixerit, huiuſmodi paruulos baptizatos, cùm adoleuerint, interrogandos eſſe, an ratum haberi velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt, & vbi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi vt ab Euchariſtiæ aliorumque ſacramentorum perceptione arceātur, donec reſipiſcant, Anathema ſit.

De Confirmatione.

Canon. I.

Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum ocioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum & proprium ſacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe, quam catecheſim quādam, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, Anathema ſit.

2 Si quis dixerit, iniurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt, Anathema ſit.

3 Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſterium, non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem ſacerdotem, Anathema ſit.

DECRETVM DE REFORMATIONE, PVblicatum in eadem ſeptima Seſſione Concilij Tridentini, die verò tertia menſis Martij Anno 1547.

EAdem ſacroſancta Synodus, eiſdem præſidentibus & Legatis, inceptum reformationis & reſidentiæ negocium, ad Dei laudem & Chriſtianæ religionis incrementum proſequi intendens, vt ſequitur, ſtatuendum cenſuit, ſalua ſemper in omnibus ſedis Apoſtolicæ authoritate.

Cap. I.

Ad cathedralium Eccleſiarum regimen nullus niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, grauitate morū, literarumque ſcientia, iuxta conſtitutionem Alexandri tertij, quæ incipit, Cùm in cunctis, in Concilio Lateranēſi promulgatam, præditus aſſumatur.

Cap. 2.

Nemo quacunque etiam dignitate, gradu aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas ſeu cathedrales Eccleſias in titulum ſiue commendam, aut alio quouis nomine, cōtra ſacrorum Canonum inſtituta, recipere, & ſimul retinere præſumat: cum valdè felix ſit ille cenſendus, cui vnam Eccleſiam benè ac fructuosè, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias contra præſentis decreti tenorem nunc detinent, vna quā maluerint retenta, reliquas infra ſex mēſes, ſi ad liberam ſedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, aliâs infra annum dimittere teneantur: alioquin Eccleſiæ ipſæ (vltimò obtenta duntaxat excepta) eo ipſo vacare cenſeantur.

Cap. 3.

Inferiora beneficia Eccefiaſtica præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis & habilibus, & quæ in loco reſidere, ac per ſe ipſos curam ipſam exercere valeant, iuxta cōſtitutionem Alexādri tertij in Lateranenſi, quæ incipit, Quia nonnulli, & aliam Gregorij decimi, in generali Lugdunenſi concilio, quæ incipit, Licet canon, editam conferantur. Aliter autem facta collatio ſiue prouiſio, omninò irritetur, & ordinarius collator pœnas Conſtitutionis Concilij generalis, quæ incipit, Graue nimis, ſe nouerit incurſurum.

Cap. 4.

Quicunque decæterò plura curata, aut aliâs incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica, ſiue per viam vnionis ad vitam, ſeu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine & titulo contra formam ſacrorum Canonum, & præſertim conſtitutionis Innocentij tertij, quæ incipit, De multa, recipere ac ſimul retinere præſumpſerit, beneficijs ipſis iuxta ipſius Conſtitutionis diſpoſitionem ipſo iure, etiam præſentis Canonis vigore, priuatus exiſtat.

Cap. 5.

Ordinarij locorum quoſcunque plura curata, aut aliâs incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, diſpenſationes ſuas exhibere diſtrictè compellant, & aliâs procedant iuxta conſtitutionem Gregorij decimi, in generali Lugdunēſi Concilio editam, quæ incipit, Ordinarij: quam eadem ſancta Synodus innouandam cenſet, & innouat: addens inſuper, quòd ipſi ordinarij etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruę portionis fructuum aſſignationem omninò prouideant, vt animarum cura nullatenus negligatur & beneficia ipſa debitis obſequijs minimè defraudentur, appellationibus, priuilegijs, & exemptionibus

bus quibuſcunque, etiam cum iudicum ſpecialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmiſsis nemini ſuffragantibus.

Cap. 6.

Vniones perpetuæ à quadraginta annis citra factæ, examinari ab ordinarijs, tanquam à ſede Apoſtolica delegatis poſſint, & quæ per ſubreptionem vel obreptionem obtentę fuerint, irritæ declarentur. Illæ verò quæ à dicto tempore citrà conceſſæ, nondum in toto vel in parte ſortitæ ſunt effectum, & quæ deinceps ad cuiuſuis inſtantiam fient, niſi eas ex legitimis, aut aliâs rationabilib. cauſis coram loci ordinario, vocatis quorum intereſt, verificandis factas fuiſſe conſtiterit, per ſurreptionem obtentæ præſumantur: ac propterea, niſi aliter à ſede Apoſtolica declaratum fuerit, viribus omninò careant.

Cap. 7.

Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, ſeu alijs Eccleſijs, vel monaſterijs, beneficijs, ſeu collegijs, aut pijs locis quibuſcunque perpetuò vnita & annexa reperiuntur, ab ordinarijs locorum annis ſingulis viſitentur: qui ſolicitè prouidere procurent, vt per idoneos Vicarios etiam perpetuos, niſi ipſis ordinarijs pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut maiori, vel minori, arbitrio ipſorum ordinariorũ, portione, etiam ſuper certa re aſſignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur, appellationibus, priuilegijs, exemptionibus, etiam cum iudicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuſcunque in præmiſſis minimè ſuffragantibus.

Cap. 8.

Locorum ordinarij Eccleſias quaſcunque, quomodolibet exemptas authoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis iuris remedijs prouidere, vt quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, ſi qua illis immineat, alijsq́ue debitis obſequijs minimè defraudentur, appellationibus, priuilegijs, conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus excluſis.

Cap. 9.

Ad maiores Eccleſias promoti, munus conſecrationis infra tempus à iure ſtatutum ſuſcipiant: & prorogationes vltra ſex menſes conceſſæ, nulli ſuffragentur.

Cap. 10.

Non liceat capitulis Eccleſiarum, ſede vacâte, infra annũ à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimiſſorias, ſeu reuerendas, vt aliqui vocant, tam ex iuris communis diſpoſitione, quam etiam cuiuſuis priuilegij aut conſuetudinis vigore, alicui qui beneficij Eccleſiaſtici recepti ſiue recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere. Si ſecus fiat, capitulum contrauenients Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto: & ſic ordinati, ſi in minoribus ordinibus conſtituti fuerint, nullo priuilegio clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant: in maioribus vero, ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri prælati, ſint ipſo iure ſuſpenſi.

Cap. 11.

Facultates de promouendo à quocunque, non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam ob quam à proprijs Epiſcopis ordinari non poſſint in litteris exprimendam: & tunc non ordinentur, niſi ab epiſcopo in ſua diœceſi reſidête, aut pro eo pontificalia exercente, & diligenti præuio examine.

Cap. 12.

Facultates de non promouendo, præterquàm in caſibus à iure expreſſis conceſſæ, ad annum tantum ſuffragentur.

Cap. 13.

Præſentati, ſeu electi, vel nominati à quibuſvis Eccleſiaſticis perſonis, etiam ſedis Apoſtolicæ nuncijs, ad quæuis Eccleſiaſtica beneficia non inſtituantur, nec confirmentur, neq; admittantur, ẽt prætextu cuiuſuis priuilegij ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint priùs ab locorũ ordinarijs examinati & idonei reperti: & nullo appellationis remedio ſe tueri poſſint, quò minus examen ſubire teneantur: præſentatis tamen, electis, ſeu nominatis ab vniuerſitatibus ſeu collegijs generalium ſtudiorum, exceptis.

Cap. 14.

In exemptorum cauſis conſtitutio Innocentij quarti, quę incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdunenſi edita, ſeruetur: quam eadem ſacroſancta Synodus innouandam cenſuit, & innouat: addẽdo inſuper, quod in ciuilibus cauſis mercedum & miſerabilium perſonarum, clerici ſeculares aut regulares extra monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiam ſi certum iudicem à ſede Apoſtolica deputatum in partibus habeant: in alijs verò, ſi ipſum iudicẽ non habuerint, coram locorũ ordinarijs, tanquam in hoc ab ipſa ſede delegatis, conueniri, & iure medio ad ſoluendum debitum cogi & compelli poſſint, priuilegijs, exemptionibus, conſeruatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus, aduerſus præmiſſa nequaquam valituris.

Cap. 15.

Curent ordinarij, vt hoſpitalia quæcunque à ſuis adminiſtratoribus, quocunque illi nomine cenſeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur cõſtitutionis Concilij Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit, forma ſeruata. Quam quidem conſtitutionem eadem ſancta ſynodus innouandam duxit, & innouat, cum derogationibus in ea contentis.

Indictio futuræ Seſsionis.

Item hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decreuit, proximam futuram ſeſſionem habendam & celebrandam eſſe die Iouis feria quinta poſt ſequentem Dominicam in Albis, quæ erit vigeſima prima menſis Aprilis præſentis anni 1547.

Et quia ego Angelus Maſſarellus, Sancto Seuerinâs, vtriuſque Iuris Doctor, & Protonotarius Apoſtolicus, ac ſacri Tridentini Concilij Secretarius, Publicationi ſupraſcriptorũ decretorum, manu aliena mihi fida ſcriptorum, interfui, & ea cum originalibus, quæ penes me ſunt, collata ſunt, & cum eis concordant: ideo ſupraſcripta decreta ſingula manu mea propria obſignaui, ac de eis omnibus, ad quorum manus peruenerint, fidem facio indubitatam.

BVLLA FACVLTATIS transferendi Concilij.

PAVLVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Ioanni Mariæ Epiſcopo Præneſtino, & dilectis filijs Marcello tituli S. Crucis in Hieruſalem Presbytero, ac Reginaldo S. Mariæ in Coſmedin Diacono, Cardinalibus, noſtris & Apoſtolicæ ſedis Legatis de Latere, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Regimini vniuerſalis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente Domino pręſidentes, noſtri officij partes eſſe putamus, vt ſi quid grauius cauſa Reip. Chriſtianæ conſtituendum ſit, id non modo tempore opportuno, verum etiam loco commodo & idoneo perficiatur. Cùm itaque nos nuper, poſtquam ſuſpenſionem celebrationis ſacri œcumenici & vniuerſalis Concilij, alias per nos in ciuitate Tridentina ex cauſis tunc expreſſis, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu indicti, ex certis alijs etiam tunc expreſſis cauſis, vſq; ad aliud opportunius & cõmodius tempus per nos declarãdum, de ſimili conſilio & aſſenſu factã, audita pace inter chariſſimos in

Chriſto filios noſtros, Carolum Rom. Imperatorem ſemper Auguſtum, & Franciſcum Francorum regem Chriſtianiſſimum conciliato, pari conſilio & aſſenſu ſuſtuleramus & amoueramus: nequeuntes ipſi tunc legitimè impediti, ad dictam ciuitatem perſonaliter accedere, & eidem concilio intereſſe, vos noſtros & Apoſtolicæ Sedis legatos de latere, in eodem Concilio de ſimili conſilio conſtituerimus & deputauerimus, vosque ad eandem ciuitatem tanquam pacis angelos deſtinauerimus, prout in diuerſis noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur: Nos, ne tam ſanctum celebrationis Concilij huiuſmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quouis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportunè volentes, motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, pariq; conſilio & aſſenſu, vobis in ſimul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimēto detento, ſeu indè fortè abſente, quandocunque vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem ciuitate Tridentina ad quancūque aliam commodiorem & opportuniorem ſeu tutiorem ciuitatem, de qua vobis etiam videbitur transferendi & mutandi, ac illud in ipſa ciuitate Tridentina ſupprimendi & diſſoluendi: necnon Prælatis & alijs perſonis Concilij huiuſmodi, ne in eo ad vlteriora in dicta ciuitate Tridentina procedant, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis inhibendi, ac idem Concilium in alia ciuitate huiuſmodi, ad quam illud transferri & mutari contigerit, continuandi, tenendi & celebrandi, & ad illud Prælatos & alias perſonas Concilij Tridentini huiuſmodi etiam ſub periurij & alijs in litteris indictionis Concilij huiuſmodi expreſſis pœnis euocandi, eidemque ſic translato & mutato Concilio nomine & authoritate prædictis præſidendi, ac in eo procedendi, cæteraque in præmiſſis & circa ea neceſſaria & opportuna, aliàs iuxta priorum vobis directarum litterarum continentiam & tenorem faciendi, ſtatuendi, ordinandi & exequendi, plenam & liberam Apoſtolica authoritate tenore præſentium concedimus poteſtatem & facultatem: ratum & gratum habituri, quicquid per vos in præmiſſis factum, ſtatutum, ordinatum, executumve fuerit, idque facturi authore Domino inuiolabiliter obſeruare: non obſtantibus Conſtitutionib. & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1544. octauo Kalend. Martij, Pontificatus noſtri anno vndecimo.

Fab. Epiſcopus Spol.

B. Motta.

Hucuſque progreſſum fuit Concilium Tridentinum ſub Paulo Tertio, à quo poſtea Concilium idem Bononiam trāſlatum, illic ad tempus eſt intermiſſum. Interim verò Paulus Tertius viam vniuerſæ carnis ingreſſus, ſucceſſorem habuit Iulium Tertium, ſub quo poſteà conuocatum eſt iterum in eadem ciuitate Tridentina, & vocari omnes qui ſolent intereſſe Concilio, ad primam diem Maij, M.D.LI. Qua die adfuit præſens Legatus Creſcentius cum nonnullis Epiſcopis, nihil tamen actum eſt propter paucitatem Epiſcoporum vſque ad 11. Octobris eiuſdem anni, qua die celebrata eſt tertia ſeſſio ſub Iulio Pontifice.

SESSIO OCTAVA.

DEcretum ſancitum & publicatum in octaua Seſſione, habita die vndecimo menſis Martij 1547. ſuper translatione Concilij ex Tridento ad ciuitatem Bononien̄, rogante Reuerendiſſimo & Illuſtriſſ. D. Cardinale de Monte, ipſius Concilij præſidente & Legato Patrum ſententias ſub infra ſcripta forma, videlicet:

Placetne vobis decernere & declarare, de huiuſmodi morbo ex præmiſſis & alijs allegatis ita manifeſtè & notoriè conſtare, vt Prælati in hac ciuitate ſine vitæ diſcrimine commorari, & in ea idcirco inuiti minimè retineri poſſint & debeant? Itemque attento receſſu multorum Prælatorum poſt proximè præteritam Seſſionem, & attentis proteſtationibus aliorum quamplurium Prælatorum in congregationibus generalibus factis, hinc omninò timore ipſius morbi abire volentium, qui iuſtè detineri non poſſunt, & ex quorum diſceſſu Concilium vel diſſolueretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus eius progreſſus impediretur, & attento etiam imminenti perculo vitæ & alijs cauſis per aliquos ex Patribus in ipſis congregationibus allegatis, vtpotè notoriè veris & legitimis: placetne vobis ſimiliter decernere & declarare pro conſeruatione & proſecutione ipſius Concilij, & ſecuritate vitæ ipſorum prælatorum, Concilium ipſum ad ciuitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, ſalubrem & idoneum, pro tempore transferendum eſſe, & ex nunc transferri, & ibidem ſeſſionem iam indictam ſtatuta die vigeſimaprima Aprilis celebrandam eſſe & celebrari, & ſucceſſiue ad vlteriora procedendum, donec ſanctiſſimo Domino noſtro & ſacro Concilio expedire videbitur, vt ad hunc, ſeu alium locum, communicato etiam conſilio cum inuictiſſimo Cæſare, & Chriſtianiſſimo rege, & alijs regib. ac principibus Chriſtianis, ipſum Concilium reduci poſſit & debeat?

Decretum ſuprascriptum placuit longè maiori parti Patrum, contradicentibus tamen & palàm reclamantibus Patribus nonnullis.

NOMINA, COGNOMINA, ET PAtriæ Prælatorum, qui interfuerunt translationi Concilij.

PRAESIDENTES ET LEGATI.

Reuerend. & illuſtriſſ. D. D. Ioannes Maria, Epiſcopus Præneſtinus, de Monte, Aretinus.

Reueren. & illuſtriſſ. D. D. Marcellus tituli S. Crucis in Hieruſalem presbyter, Ceruinus Politianus.

Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinales, ſacri concilij Præſidentes, & Apoſtolici de latere Legati.

Archiepiſcopi.

Reuerend. D. Andreas Cornelius, Archiepiſcopus Spalatren. Venetus.

Reuerend. D. Ludoui. Chieregatus, Archiepiſcopus Antiba. Vicent.

Reuer. D. Ioannes Michael Sarracenus, Archiepiſc. Materanus & Acheruntinus. Neapolitanus.

Reuer. D. Sebaſtianus Lecauela, Archiepiſcopus Naxien. Græcus.

Reuerendiſſim. D. Olaus Magnus, Archiepiſcopus Vpſalen. Gothus.

Reuerend. D. Robertus Waucop, Archiepiſcop. Armachan. Scotus

Epiſcopi.

Reuerend. Dominus Philos Rouerella, Epiſcopus Aſculan. Ferrarien.

Reuerendiſſ. D. Thomas Campegius, Epiſcopus Feltren. Bononienſis

Reuerendiſſ. D. Benedictus de Nobilibus, Epiſcopus Acien. Lucenſis.

Reuerendiſſim. D. Quintius de Ruſticis, Epiſcopus Militen. Romanus.

Reuerend. D. Antonius de Numai, Epiſcopus Iſernien. Foroliuien.

Reuerendiſſ. D. Cathalanus Triuultius, Epiſcopus Placentin. Mediolanen.

Reueren. D. Hieronymus Fuſcherus, Epiſcopus Torcellan. Venetus.

Reuer. D. Hieronymus Theodolis, Epiſcopus Gaditan. Foroliuien.

Reuer. D. Ioannes Lucius Staphyleus, Epiſcopus Sibinicen. Illyricen.

Reuerend. Dom. Hieronymus Vida, Epiſcopus Albenſis. Cremonen.

Reuerend. D. Iacobus Corteſius à Prato, Epiſcopus Vaſionen. Romanus.
Reuerend. D. Alexander de Vrſis, Epiſcopus Emonienſ. Venetus.
Reuerend. D. Georgius Cornelius, Epiſcopus Taruiſin. Venetus.
Reuerend. D. Ioannes Campegius, Epiſcopus Parentinus. Bononien.
Reuerend. D. Ludouicus Simonetta, Epiſcopus Piſaurien. Mediolan.
Reuer. D. Aloyſius Lipomanus, Epiſcopus Motonen. Coadiutor Veronenſis. Venetus.
Reuer. D. Philippus Archintus, Epiſcopus Salutiarum, Vicarius ſanctiſſ. D. N. Papæ in Vrbe. Mediol.
Reuerend. D. Ioannes Petrus Ferretus, Epiſcopus Mylen. Rauennaten.
Reuerend. D. Ægidius Falſetta, Epiſcopus Caprulan. Cingulan.
Reuerendiſſ. D. Ricardus Patus, Epiſcopus Wigornienſis. Anglicus.
Reuerendiſſ. D. Marcus Maliperius, Epiſcopus Corſulan. Venetus.
Reuerend. D. Iacobus Iacobellus, Epiſcopus Bellicaſtren. Romanus.
Reuerend. D. Thomas Caſelus, Epiſcopus Britonorienſ. Roſanen.
R. D. Ioan. Baptiſta Cicada, Epiſc. Albigan. Auditor Cameræ Apoſtolicæ. Gienen.
Reuerendiſſ. D. Philippus Bonus, Epiſcopus Famaguſt. Venetus.
Reuerendiſſ. D. Gregorius Caſtagnola, Epiſcopus Mylen. Græcus.
Reuerendiſſ. D. Petrus Donatus Cæſius, Epiſcopus Narnienſ. de Cæſis.
R. D. Sebaſtianus Pighinus, Epiſc. Alyphan. Auditor Rotæ Romanæ. Rhegien.
Reuerendiſſ. D. Ambroſius Catharinus Politus, Epiſcopus Minoric. Senen.

Abbates.

Reuerend. D. Lucianus de Othonibus, Abbas Pompoſiæ Ferrarien. Mantuan.
Reuer. D. Chryſoſtomus Gimilianenſ. Abbas ſanctiſſ. Trinitatis de Caieta. Calaber.

Generales.

Reuerend. P. Franciſcus Romæus, Generalis ordin. Prædicatorum. Aretinus.
R. P. Hieronymus Seripandus, Generalis ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini. Neapolitan.
R. P. Auguſtinus Bonucius, generalis ordinis ſanctæ Mariæ Seruorum. Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

Pàtres, qui non conſenſerunt in translationem Concilij.

Reuerend. & Illuſtriſſ. D. D. Petrus Pacecchus, S. R. E. presbyter Cardinalis, & Epiſcopus Gienen. Hiſpanus.

Archiepiſcopi.

R. D. Saluator Alexius Saſſarus, Archiepiſcopus Turritan. Hiſpanus.
R. D. Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitan. Siculus.

Epiſcopi.

Reuerend. D. Marcus Vigerius, Epiſcopus Senogallienſ. Sauonen.
Reuerend. D. Braccius Martellus, Epiſcopus Fæſularum. Florentin.
Reuer. D. Coriolanus Martyranus, Epiſcopus S. Marci. Neapolitan.
Reuer. Domi. Baldaſar de Hæredia, Epiſcopus Roſan. Sardus.
Reuerend. Do. Ioannes Fonſeca, Epiſcopus Caſtellimaris. Hiſpanus.
Reuerend. Dom. Ioannes Salazar, Epiſcopus Lancianen. Hiſpanus.
Reuer. D. Hieronymus de Bononia, Epiſcopus Syracuſan. Siculus.
Reuerend. Do. Franciſcus de Nauarra, Epiſcopus Pacenſ. Hiſpanus.
Reuerend. Dom. Didacus de Alaba, Epiſcopus Aſtoricen. Hiſpanus.
Reuerend. Dom. Petrus de Auguſtinis, Epiſcopus Oſcen. Hiſpanus.
Reuerend. Do. Bernardus Diaz, Epiſcopus Calagurritan. Hiſpanus.
Reuerend. Dom. Antonius de Cruce, Epiſcopus Canarien. Hiſpanus.
Reuerendiſſ. Dom. Baldaſar Limpus, Epiſcopus Portuen. Portugalen.
Reueren. D. Claudius della Guiſche, Epiſcopus Mirapicen. Gallus.
Reuer. D. Galeatius Florimontius, Epiſcopus Aquinaten. Sueſſan.

SESSIO NONA,

Bononiæ celebrata die 21. menſis Aprilis, 1547.

DECRETVM PROROGATIONIS SESSIONIS.

HÆc Sacroſancta, Oecumenica & generalis Synodus, quæ dudum in ciuitate Tridenti congregata erat, nunc Bononiæ in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea, nomine ſanctiſſimi in Christo Patris & Domini noſtri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ III. eiſdem reuerendiſſimis Dominis, Dominis Ioanne Maria, Epiſcopo Præneſtino de Monte, & Marcello, tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem presbytero, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis: conſiderans quòd die 11. menſis Martij præſentis anni, in generali publica Seſſione in eadem ciuitate Tridenti, & in loco conſueto celebrata, omnibusque agendis de more peractis, ex cauſis tunc inſtantibus, vrgentibus & legitimis, interueniente etiam authoritate ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, eiſdẽ reuerendiſſim. Præſidentibus etiam ſpecialiter conceſſa, decreuit & ordinauit Concilium ex eo loco in hanc ciuitatem transferendum eſſe, ſicuti tráſtulit: itemque Seſſionem pro præſenti die vigeſima prima Aprilis illic indictam, vt de ſacramẽtorum, & reformationis materijs, de quibus tractandum propoſuerat, Canones ſancirentur & promulgarẽtur, in hac ipſa ciuitate Bononiæ celebrari debere: conſiderans que nonnullos ex Patribus, qui in hoc Concilio intereſſe conſueuerunt, his ſuperioribus maioris hebdomadæ, & ſolennitatis Paſchalis diebus, in proprijs Eccleſijs occupatos, aliquos etiam alijs impedimentis detentos, huc nondum acceſſiſſe, quos tamen breui affuturos ſperandum eſt: ac propterea factum eſſe, vt non ea, quam ſancta Synodus deſiderabat, Prælatorum frequentia potuerint materiæ ipſæ ſacramentorum & reformationis examinari & diſcuti: vt omnia maturo conſilio cum dignitate & grauitate debita fiãt, bonum, opportunum & expediens cenſuit cenſetque, Seſſionem prædictam, quæ hoc ipſo die, vt præfertur, celebranda erat, ad diem Iouis infra octauam Pentecoſtes proximè fu-

Digitized by Google

turam, quo ad ipſas materias expediendas, differendam & prorogandam eſſe, quemadmodū differt ac prorogat: quā diem & rei gerendæ maximè opportunam, & Patribus prę ſertim abſentibus percommodam iudicauit & iudicat: hoc tamen adiecto, quòd terminum ipſum ipſa ſancta Synodus pro eius arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in priuata congregatione reſtringere, & imminuere poſſit & valeat.

NOMINA, COGNOMINA ET PAtriæ prælatorum, qui interfuerunt nonæ Seſſioni.

Præſidentes & Legati ijdem, qui in præcedenti Seſſione.

Archiepiſcopi.

Reuerend. D. Iacobus Caucus, Archiepiſcopus Corcyren. Venetus.

Et alij qui in præcedenti Seſſione, præter Olaum Magnum.

Epiſcopi.

Reuerend. D. Marcus Antonius Campegius, Epiſcop. Groſetan. Bononien.
R. D. Dionyſius Græcus, Epiſcopus Chiron. & Millopotamenſis. Græcus.
Reuerend. D. Ioannes Baptiſta Campegius, Epiſcopus Maioricen. Bononien.
Reuerendiſſ. Dom. Petrus Boriſtius, Epiſcopus Aquen. Flandrus.
Reuerend. Dom. Auguſtinus Zannetus, Epiſcopus Sebaſten. Bonon.
Reuerend. Dom. Eliſeus Theodinus, Epiſcopus Soranus. Arpinas.
Reuer. D. Vincētius de Durantibus, Epiſcopus Thermula. Brixien.
Reueren. Dom. Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bituntinus. Placentin.
Reuer. D. Galeatius Florimantius, Epiſcopus Aquinaten. Sueſſan.
Reuerend. Do. Camillus Mantuanus, Epiſcopus Satuanen. Placentin.
Et alij omnes qui in præcedenti Seſſione, demptis his decem, Epiſcopo Feltrenſi, Torcellano, Gaddicen. Albenen. Emonienſi, Parentino, Piſaurien. Albiganē. Mylen. Narnien. Exceptis etiam illis, qui non conſenſerunt trāſlationi Concilij præter Galeatium Florimantium, Epiſcopum Aquinaten. Sueſſan.

Abbates.

R. D. Chryſoſtomus Gimilianen. Abbas ſanctiſſ. Trinitatis de Caieta. Calaber.

Generales Ordinum ijdem, qui in præcedenti.

Et adhuc R. P. Bonauentura Pius, Generalis Ordinis Minorum conuentualium, Coſtacciarius.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

SESSIO DECIMA,

Bononiæ celebrata die 2. menſis Iunij 1547.

Decretum prorogationis Seſſionis.

QVAMVIS hæc ſacroſancta Oecumenica & generalis Synodus Seſſionem, quæ die vigeſimaprima mēſis Aprilis proximè præteriti, ſuper ſacramentorum & reformationis materijs in hac inclyta ciuitate Bononiæ, ex Decreto in vrbe Tridentina in publica Seſſione die vndecima menſis Martij promulgato, celebranda erat: propter aliquas cauſas, ac præſertim propter abſentiam nonnullorum Patrum, quos breui affuturos ſperabat, ad hunc præſentem diem differendam & prorogandam eſſe decreuerit: volens tamen cum his, qui non venerunt, etiam adhuc benignè agere, eadem ſacroſancta Synodus in Spiritu ſancta legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicæ ſedis Legatis, ſtatuit & decernit Seſſionem ipſam, quam hac die ſecunda menſis Iunij præſentis anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi ſeptimi celebrare decreuerat, ad diem Iouis poſt feſtum Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis, quæ erit decimaquinta menſis Septembris proximè futuri, quo ad prædictas & alias materias expediendas, differēdam & prorogandam eſſe, quemadmodum differt ac prorogat: ita tamen, quòd proſecutio diſcuſſionis & examinationis tā eorum quæ ad dogmata, quàm quæ ad reformationem pertinent, interim non omittatur, & terminum ipſum ipſa ſancta Synodus pro eius libito & voluntate, etiam in priuata congregatione abbreuiare & prorogare liberè poſſit & valeat.

R. Prælati, qui interfuerunt decimæ Seſſioni.

Præſidentes & Legati.

Reuerend. & Illuſt. D. D. Ioannes Maria, Epiſcopus Præneſtinus de Monte. Aretinus.
R. & Illuſt. D. D. Marcellus, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbyter, Ceruinus. Politianus.
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſacri Concilij Præſidentes, & Apoſtolici de latere Legati.

R. D. Archiepiſcopi.

Antibaren. Corcyrenſis, Materan. & Acheruntinus, Naxien. Vpſalen. Armacanus.

R. D. Epiſcopi.

Aſculan. Feltren. Aſcien. Militen. Bononien. Iſernien. Sibinicen. Groſſetan. Chironen. & Millopotamenſis, Maioricen. Aquen. Sebaſteenſis, Soranus, Vaſionen. Motulanus, Parentinus, Piſaurienſis, Motonen. Ieracenſis, Salutiarum, Mylenſis, Thermular. Caprulanenſis, Wigornienſis, Gaulſicenſis, Bituntinus, Corſulan. Bellicaſtren. Venuſin. Britonorien. Aquinaten. Famauguſtan. Laucien. Mylen. Alphan. Minorien.

Abbates.

R. D. Chryſoſtomus Gimilianenſis, Abbas ſanctiſſimę Trinitatis de Caieta, Calaber.

Generales Ordinum.

R. P. Bonauentura Pius, Generalis ordinis Minorum conuentualium. Coſtacciarius.
R. P. Auguſtinus Bonucius, Generalis ordi. Sanctæ Mariæ Seruorum. Aretinus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

SESSIO-

Digitized by Google

SESSIONIS XI.
PROROGATIO.

Acta in generali congregatione, habita die Mercurij 14. menſis Septemb. anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi ſeptimi, ſuper prorogatione vndecimæ Seſſionis Bononieñ.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem M.D.XLVII. indictione quinta, die verò Mercurij decimaquarta menſis Septembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ Tertij anno tertiodecimo, Bononiæ in domo Campegiorum, & ſolitæ reſidentiæ Reuerendiſſimorũ & Illuſtriſſ. Dominorum, ſacri Concilij Præſidentium, & Apoſtolicorum de latere Legatorum, & in aula vbi generales congregationes fieri conſueuerunt, hora circiter vigeſimaprima, habita fuit congregatio generalis Patrum ipſius ſacri Concilij. In qua quidem congregatione primum, more ſolito, reuerendiſſimus & illuſtriſſimus dominus Ioãnes Maria, Epiſcopus Prænestinus, Cardinalis de Monte, ipſius ſacri Concilij Præſidens & legatus inuocauit auxilium ſancti Spiritus, legens alta & intelligibili voce infraſcriptã orationem, videlicet: Adſumus Domine Sancte ſpiritus, adſumus quidem peccati immanitate detẽti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati, veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur, & oſtende quid efficere debeamus, vt te auxiliãte, tibi complacere in omnibus valeamus. Eſto ſalus & effector iudiciorum noſtrorum, qui ſolus cũ Deo Patre & eius Filio nomen poſſides glorioſum. Non patiaris perturbatores eſſe iuſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem. Non in ſiniſtrum nos ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio munerum vel perſonæ corrumpat: ſed iunge nos efficaciter tibi ſolius tuæ gratiæ dono, vt ſimus in te vnum, & in nullo aberremus à vero: quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iuſtitiam, vt hic à te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis conſequamur pręmia ſempiterna. Qua oratione abſoluta, idẽ Reuerendiſſimus & illuſtriſſ. D. Cardinalis de Monte, Præſidens & Legatus præfatus, alloquutus fuit patres his verbis videlicet:

Dies craſtina, ſanctiſſimi patres (vt dominationes veſtræ ſciunt) erit ea dies, quæ ſtatuta fuit à nobis ad ſeſſionem celebrandam. Quot quantiſque, & quàm diuerſis circumueniamur anguſtijs, difficultatibus & impedimentis, nemo eſt qui non videat. Nondum venerunt Prælati complures, quos ſcimus arri[illegible]ſſe iter, ac præſertim piæ & inclytæ nationis Gallicanæ. Aliqui venerunt hodiè, heri, nudiuſtertius, nudiusquartus, denique tam derepentè, vt non potuerint ſeipſos & animum ſuum informare in materia tam graui, ampla & diffuſa, prout eſt hæc Sacramentorum Eccleſiæ, & abuſuum innumerabilium, qui in miniſterio ipſorũ Sacramentorum irrepſerunt. Sed quid loquimur de abſentibus, aut de ijs qui nuper venerunt, cùm illi, qui ſemper fuerunt præſentes, & tota ęſtate verſati ſunt in diſputationibus & examinationibus, & in audiendo priuatim & publicè minores theologos, adhuc parati non ſint, neque eſſe potuerint? His difficultatibus accedit atrocitas inſperati caſus Illuſtriſſ. Ducis Placẽtiæ, qui nos ita detinet occupatos in tuenda libertate ciuitatum Eccleſiæ, vt nos ipſi neque per horam quidem vel punctum temporis liberi ſimus. Lætamur & gratias agimus Deo, quòd in decreto proximæ præteritæ ſeſſionis fuerit addita illa clauſula in fine, prorogandi & reſtringendi terminum, etiam in priuata congregatione &c. per quam certè magna cura & ſolicitudine leuamur, cùm nõ oporteat nos imparatos ad Eccleſiam accedere, vt ſeſſionẽ celebremus. Itaque, ne diutiùs dominationes veſtras perplexas detineamus, conſilium noſtrum eſt (quid dicimus conſilium? quinimò neceſſitas) vt beneficio illius decreti & clauſulæ nos iuuemus, prorogando nunc terminum Seſſionis, & omittendo craſtina die celebrationem. Cupimus intelligere, vtrum placeat dominationibus veſtris conſilium noſtrum. Hoc puncto abſoluto, agemus de tempore.

Super qua re rogatis ſententijs Patrum, placuit omnibus Seſſionem ipſam, quæ die craſtina celebranda erat, prorogari.

Deinde idem R. & Illuſt. D. Cardinalis de Monte, Præſidens & Legatus præfatus, proſequendo ſermonem ſuum dixit infraſcripta verba, videlicet:

Multum cogitauimus de tempore huius prorogationis: nullam tandem inuenimus in mente noſtra rationem, in qua poſſimus figere pedem pro aliquo die certo. Certi eſſe non poſſumus, quando erimus parati in materijs noſtris, ita vt ſuper ipſis poſſit promulgari decretum. Scimus quòd cum eſſemus Tridẽti, & crederemus ſpacio quindecim dierum expediri poſſe decretum Iuſtificationis, coacti fuimus inſudare in eo ſeptem continuis menſibus, non intermittendo vnam diem, & habendo ſæpè duas congregationes in vno & eodem die. Vbi agitur de fide, de dogmatibus, de confundendis hæreticis, oportet nos cum pede plumbeo procedere, & interdum in vnius verbuli diſcuſſione longo tempore immorari. Occurrunt nobis etiam aliæ difficultates permultæ: ſed quæ nos acriùs & vehementiùs vrget, eſt, quia eam videmus eſſe conditionem temporum, & ita eſſe tempora præparata & diſpoſita ad producendas res nouas, vt neſciamus, neque pro firmo & conſtanti aſſerere poſſimus, vtrum neceſſitas nobis futura ſit celebrãdi Seſſionem perendiè, ex aliquo nouo & inſperato emergenti & incidẽti, vel hinc ad octo dies, vel ad vnum menſem, vel plures. Propterea ſumus huius ſententiæ, vt ſi velimus cautè & prudenter agere, debeamus facere prorogationem ipſam ad beneplacitum Concilij. Hoc modo, & hac ratione erit ſemper ſacro Concilio liberum & integrum, vt poſſit celebrare Seſſionem tunc & quando nouerit ita honori Diuino, & rationibus ipſius Concilij & Reipublicæ expedire. Sic deniq; putamus ex vſu eſſe præſentis temporis. Sciunt Patres nos ſemper habuiſſe oculos ad conſeruandum ius & authoritatem Concilij, & ad bene dirigendum & ordinandum ipſum Concilium: credere debent, nos non mutaſſe animum: & propterea poſſunt habere aliquam fidem in nobis, & quo ad hoc, ſe nobiſcum conformare: habentes pro certo, quòd nos bene conſiderabimus, quid deceat & expediat in præſenti rerum & temporum ſtatu. Vna tantum ratio poſſet fortè aliquid ſcrupuli inijcere in mente alicuius, videlicet quia ſi Patres ſcirent diem certum Seſſionis, poſſent aliqui ex eis melius conſulere rebus ſuis proprijs vna ratione, vel alia. Credimus, quod hæc hæſitatio haud longo tempore durabit, & quod vnuſquiſque poſt non multos dies videre poterit, quem curſum & quem progreſſum ſit ſancta hæc Synodus habitura. Et nihilominus, capiendo rem in quemcunque ſenſum etiam aſperiorem, & in quocunque euẽtu poſſunt Patres ſperare & ſibi polliceri de nobis, quòd non erimus ſecundiores, quàm hactenus fuerimus: & quod ita ſemper publica dirigemus, vt priuatæ Patrum commoditatis rationem (quantum fieri poterit) habeamus. Sit igitur concluſio, quod huius ſententiæ & opinionis ſumus, vt ſi Patribus ita videatur & placeat, hæc prorogatio fiat ad beneplacitum Concilij. Vnuſquiſque dicat liberè, more ſolito, ſententiam ſuam, prout Reipublicæ Chriſtianæ, honori Concilij, commoditati Patrum putauerit expedire, & Spiritusſanctus ſuggeſſerit ei. Quæcunque à nobis dicta ſunt, nulla alia ratione dicta eſſe cenſeri volumus, quàm pro maiori Patrum informatione: quia multi à nobis petierunt, vt quid in hac re ſentiremus, Patribus aperire vellemus.

Poſteà Patres dixerunt ſententias ſuas, & omnibus placuit, Seſſionem ipſam, quæ die craſtina iuxta decretum publicatum in proxima præcedenti Seſſione, die 2. Iunij præſentis anni celebranda erat, prorogari ad beneplacitum ſacri Concilij. Et ita fuit concluſum decretum & firmatum. Deinde dimittitur congregatio, & Patres omnes receſſerunt circa horam vigeſimamtertiam.

INTERFVERVNT HVIC SESSIOni Patres præcedentis Seſſionis præterquam ſequentes.

Archiepiſcopi.

R.D. Archiepiſ. Antibaren. Venetus.
R.D. Archiepiſ. Corcyren. Venetus.

Epiſcopi.

R.D. Epiſcopus Aſculan. Ferrarien.
R.D. Epiſcopus Militen. Romanus.
R.D. Epiſcopus Soranus. Arpinas.

Orator Chriſtianiſſimi Regis.

Illuſtriſſimus D. Claudius Durfe. Ca

BVLLA RESVMPTIONIS CONCILII TRIDENTINI sub Iulio III. Pont. Max.

IVLIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cùm ad tollenda religionis noſtræ diſſidia, quæ in Germania longo tempore, non ſine totius Chriſtiani orbis perturbatione & ſcandalo viguerunt, bonum, opportunum & expediens eſſe videatur, ſicuti etiam chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, nobis per ſuas literas & nuncios ſignificari fecit, vt ſacrum œcumenicum & generale Concilium, per felicis recordationis Paulũ Papam tertium prædeceſſorem noſtrum indictum, & per nos tunc Cardinalatus honore fungentes, atque ipſius prædeceſſoris nomine, vna cum duobus alijs ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ipſi Concilio præſidentes, incœptum, ordinatum & continuatum, in quo plures publicæ & ſolennes habitæ fuerunt Seſſiones, pluraque tam in cauſa fidei quàm reformationis promulgata decreta, multaque etiam ad vtramque cauſam pertinentia, exàminata & diſcuſſa, ad ciuitatem Tridẽtinam reducatur. Nos, ad quos vt ſummos pro tempore Pontifices, ſpectat generalia Concilia indicere & dirigere, vt Eccleſiæ pacem, & Chriſtianę fidei atque orthodoxæ religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudẽ & gloriam procuremus, & quantum in nobis eſt, tranquillitati ipſius Germaniæ, quæ ſanè prouincia retroactis temporibus in vera religione, ac ſacrorum Conciliorum & ſanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque maximis Pontificibus, Chriſti redemptoris noſtri in terris Vicarijs, debita obedientia & reuerentia, nulli Chriſtianorum prouinciæ fuit vnquam ſecunda, paternè conſulamus, ſperantes per ipſius Dei gratiam & benignitatem futurum, vt Reges omnes ac Principes Chriſtiani, iuſtis pijsque noſtris in hac re votis annuant, faueant atque aſſiſtant: Venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, omneſque alios & ſingulos, qui de iure vel conſuetudine vel priuilegio Concilijs generalibus intereſſe debent, quoſque idem prædeceſſor noſter in ſuis Indictionis, & alijs quibuſcunque deſuper confectis & publicatis literis Concilio intereſſe voluit, per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti hortamur, requirimus & monemus, vt proximis futuris Calendis Maij, quem diem ad ipſum Concilium, in eo in quo nunc reperitur ſtatu, reſumendum & proſequendum, præuia matura deliberatione, ex certa noſtra ſciẽtia, & de Apoſtolicæ authoritatis plenitudine, ac venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus, decernimus & declaramus, in ipſa ciuitate Tridenti, legitimo ceſſante impedimento, conuenire & ſe congregare, ac ipſius Concilij cõtinuationi & proſecutioni, omni mora poſtpoſita, incumbere velint. Nos enim operam ſedulo daturi ſumus, vt eodem tempore, in eadem ciuitate noſtri omninò adſint Legati, per quos ſi per ætatem noſtram valetudinemque, & ſedis Apoſtolicæ neceſſitates perſonaliter adeſſe nequiuerimus, Spiritu ſancto duce, ipſi Concilio præſidebimus, quacunque ipſius Concilij tranſlatione & ſuſpenſione, cæteriſque contrarijs non obſtantibus quibuſcunque, ac præſertim illis, quæ idem prædeceſſor noſter in ſuis litteris prædictis, quas cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis & decretis in ſuo robore permanere volumus, atque decernimus, & quatenus opus ſit, innouamus, voluit non obſtare: Irritum nihilominus decernentes & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum hortationis, requiſitionis, monitionis, ſtatuti, declarationis, voluntatis, innouationis & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrũ, Anno incarnationis Dominicæ 1550. Decimaoctaua Calend. Decemb. Pontificatus noſtri anno I.

M. Car. Creſcentius. Rom. Amaſæus.
R. per Romulum ſecre.

R. de ſancta Maria.

IVLIVS PAPA III.

AD futuram rei memoriam. Superioribus diebus de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, ex cauſis tunc expreſſis Apoſtolica authoritate decreuimus, quod ſacrum œcumenicum & vniuerſale Concilium Tridentum, vbi olim incœptum fuerat, reduci, & ibi (adiuuãte Domino) terminari deberet, tempuſque ad illud reſumendum & proſequendum Calendas Maij proximè futuri præfiximus, omneſque & ſingulos quomodolibet in eo intereſſe debentes hortati fuimus & monuimus, vt dicto tempore Tridenti eſſe vellent, prout in noſtris, ſub plumbum deſuper expeditis litteris, plenius continetur. Ne autem propterea quod dictæ litteræ nondum publicatæ fuerunt, aliqui ignorantiam rei vllo modo prætexere poſſint, ſed omnes plenam illius notitiam habeant, dicta authoritate per præſentes ordinamus, quòd tam prædictæ, quã præſentes litteræ, per aliquẽ ex noſtris curſoribus in baſilicis ſancti Petri [illegible] Vrbe & ſancti Ioannis Lateranenſis, dum ibi diuina celebrantur, publicè ac alta & intelligibili voce legatur, & poſtquam lectæ fuerint, valuis ipſarum baſilicarum affigantur, & ibi aliquandiu dimittantur, & relicta poſtea illarum copia, amoueantur: Decernẽtes publicationẽ ſic faciẽdam, omnes & ſingulos ipſius Concilij celebrationi quomodolibet intereſſe debentes, perinde arctare, ac ſi eis perſonaliter intimatæ fuiſſent: quodque ipſarum litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur: Ac hortantes & in Domino requirentes omnes & ſingulos venerabiles fratres noſtros, Patriarchas & Archiepiſcopos, ad quos ipſarum litterarum exempla impreſſa tranſmitti curabimus, vt pro ſuo officio & debito, id eorum ſuffraganeis & alijs minoribus Prælatis & Abbatibus notificent, contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die 27. Decemb. 1550. Pontificatus noſtri anno primo.

MANDA-

MANDATVM IVLII TERTII SVMmi Pontificis, in reductione Concilij ad ciuitatem Tridentinam.

IVLIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, dilecto filio Marcello, tituli Sancti Marcelli presbytero Cardinali, Creſcẽtio nuncupato, noſtro & Apoſtolicæ ſedis ad Conciliũ Tridentinum legato de latere, & venerabilibus fratribus Sebaſtiano Pighino Archiepiſcopo Sipontino, ac Aloyſio Lipomano Epiſcopo Veronenſi, noſtris & ipſius ſedis, ac in dicto Concilio vna cum eodem Marcello Cardinali & legato, nomine noſtro ad præſidendum nuncijs, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ad prudentis patris familias officium ſpectat, ea quæ per ſeipſum commodè efficere non poteſt, vt per alios idoneos fiant, diligenter curare. Dudum ſiquidem, cùm ex certis, tum expreſſis cauſis bonum, opportunum & expediens eſſe videretur, vt ſacrum œcumenicum & generale Concilium, per felicis recordationis Paulum Papam Tertiũ prædeceſſorem noſtrum indictum, ad ciuitatem Tridentinam reduceretur, nos ſperantes per omnipotentis Dei gratiam & benignitatem futurum, vt Reges oẽs & Principes Chriſtiani iuſtis pijsque noſtris in hac re votis annuerent, fauerent, & aſſiſterent, venerabiles fratres noſtros Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos, ac dilectos filios Abbates, omnesque alios & ſingulos, qui de iure vel conſuetudine, aut priuilegio Concilijs generalibus intereſſe debent, hortati fuimus, requiſiuimus & monuimus, vt proximè futuris Calendis Maij, quam diem ad ipſum Concilium, in eo quo reperitur ſtatu reſumendum, præuia matura deliberatione, ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac venerabiliũ fratrum noſtrorũ S.Roma. Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, ſtatuimus, decreuimus & declarauimus in ipſa ciuitate Tridentina, legitimo ceſſante impedimento, conuenire & ſe congregare, ac ipſius Concilij continuationi & proſecutioni, omni mora poſtpoſita, incumbere vellent, prout in alijs noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur, qui ætate noſtra iam ingraueſcente & alijs multipliciter impediti, ad dictam ciuitatem ad præſens perſonaliter accedere, & ipſi Cõcilio iuxta deſiderium cordis noſtri intereſſe nequimus, volẽtes reſumptionem, continuationem & proſecutionem Concilij huiuſmodi ex noſtra abſentia non impediri, te fili Marcelle Cardinalis, fide feruentem, prudentia, ſcientia ac rerum vſu conſpicuum, noſtrum & Apoſtolicæ ſedis ad Concilium huiuſmodi legatum de latere, ac vos fratres, Sebaſtiane Archiepiſcope & Aloyſi Epiſcope, pietate & doctrina ac rerum experientia inſignes, noſtros & ipſius ſedis ad dictũ Concilium vna tecum fili Marcelle, Cardinalis & legate, nomine noſtro præſidendum nuncios cum ſpeciali & expreſſo mandato, necnon ratihabitionibus & alijs clauſulis in ſimilibus apponi ſolitis, de ſimili eorundem fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica authoritate tenore præſentium conſtituimus & deputamus, vosque ad dictam ciuitatem Tridentinam tanquam pacis Angelos deſtinamus, ac vobis nomine & authoritate noſtra eidem Concilio præſidendi, ac illud reaſſumendi, continuandi, dirigendi & proſequendi, necnon in illo pro veſtra pietate & ſapientia ea omnia, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria & aliàs quomodolibet opportuna eſſe, ac aliàs ad laudem & honorem Dei pertinere noueritis, etiam ſi magis ſpeciale mandatum exigãt, iuxta noſtrarum prædictarum, ac Indictionis & aliarum ipſius prædeceſſoris ſuper præmiſſis confectarum & publicatarum literarum formam, faciendi & exercendi plenam & liberam, authoritate & tenore prædictis, concedimus poteſtatem & authoritatem. Hoc itaque munus vobis iniunctum ita implere ſtudeatis, vt ſperati fructus inde proueniant, vosque à nobis commendationem, & à Deo bonorum operum retributore, felicitatis æternæ gloriam conſequi mereamini. Datis Pontificatus noſtri anno ſecundo.

MANDATVM IMPERATORIS.

CAROLVS V. diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Comes Habſpurgi, Flandriæ & Tyrolis &c. Quũ beatiſſimus in Chriſto pater & D.D.N. Iulius III. diuina prouidentia, S.R. ac vniuerſalis Eccleſię Pontifex Maximus D.N.R. ſacrum œcumenicum & generale Concilium, per ſanctitatis ſuæ prædeceſſorem felicis recor. Paulum Papam III. indictum & inceptum & aliquandiu intermiſſum, ad tollenda religionis noſtræ diſſidia, quæ in Germania longo tempore, maxima totius orbis Chriſtiani perturbatione viguerunt, denuò ad ciuitatem Tridentinam reuocauerit, ac per literas ſuæ ſanctitatis ad Calend. Maias proximè præteritas conuocauerit. Nos verò ob aduerſam valetudinem, cũ qua aliquandiu iam continuo fermè conflictamur, tum alijs negotijs impediti, quum eidem Concilio, vti cupiebamus, perſonaliter intereſſe non poſſimus, ne tamen muneri noſtro in re tam ardua defuiſſe videamur, operæpretium duximus mandatarios & procuratores noſtros eo ablegare: ac proinde confiſi de fide, probitate & rerum experientia, ac erga ſacroſanctam religionem noſtram orthodoxam zelo & pietate, venerabilium, deuotorum ac generoſitate nobilium fidelium, nobis dilectorũ Hugonis Comitis à Monfort, don Franciſci à Toleto, Prioris monaſterij Reconuallenſis, & Guilhelmi à Pictauia, Archidiaconi Cãpaniæ, cõſiliariorum noſtrorum, eoſdem tam ratione Imperialis noſtræ dignitatis, quam ſuſtinemus, quàm regnorum & prouinciarum, hæreditario iure nobis ſpectantium, coniunctim & ſeparatim fecimus, creauimus, conſtituimus & ordinauimus, atque ex nunc tenore præſentium, ex certa animi noſtri ſcientia, & omnibus alijs melioribus medio, via, iure & cauſa, quibus validiùs & efficaciùs poſſumus & debemus, ſolenniter facimus & creamus, conſtituimus & ordinamus noſtros veros, legitimos & indubitatos oratores & mandatarios: dantes eis, & cuilibet eorum in ſolidum amplam facultatem & poteſtatem, vt omnes ſimul, aut tres, duo vel vnus ipſorum nomine noſtro in dicto Concilio œcumenico comparere, in omnibus ſeſſionibus noſtrum locum, vti oratores & mandatarij noſtri habere, res & negocia religionis & fidei, & alia quæcunque in prædicto Concilio tractãda, vna cum alijs ibidem ſtantibus Reipublicæ Chriſtianæ principibus, eorumue legatis, oratoribus, mandatarijs conſultare, agere & tractare, illisque omnibus & per omnia adeſſe, conſilium, votum & decretum noſtro nomine dare, impartiri ac interponere, aliaque omnia tractare, procurare, agere, concludere & exercere debeant & poſſint, quæ ad Dei gloriam, fidei vnionem & exaltationem, & Reipublicæ Chriſtianæ honorem, commodum & augmentum pertinere, & in ipſo Cõcilio expedire viſa fuerint, & quæ nos ipſi agere, tractare, procurare & facere poſſemus, ſi præmiſſis omnibus & ſingulis perſonaliter intereſſemus: etiam ſi talia eſſent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quàm præſentibus eſt expreſſum: ponentes idcirco præfatos oratores, & mandatarios noſtros, quo ad præmiſſa, in locum & vicem perſonæ noſtræ: promittentes in verbo noſtro Cæſareo, nos habituros ratum & gratum, quicquid per ipſos oratores, mandatarios noſtros, tres aut duos vel vnũ ipſorum, ad modum prænarratum, actum, procuratum & geſtũ fuerit, dolo & fraude penitus ſemotis: Harum teſtimonio literarum, ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datis in ciuitate noſtra Imperiali Auguſta Vindelica, die primo menſis Iulij, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, Imperij noſtri 31. & Regnorum noſtrorum 36.

CAROL.

Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ M. proprium

Ioannes Burger.

ORATIO ORATORIS IMPERAT. poſt præſentationem ſui mandati.

POSTQVAM intermiſſum annis aliquot ſacroſanctum Concilium, Illuſtriſſ. D.R.Præſules, P.ampliſſimi, ad fidei & religionis Chriſtianæ incrementũ, hæreſes extirpandas morumq; reformationẽ non modo vtiliſſimũ, verum & neceſſariũ, à ſanctiſſimo Patre Iulio III. Pontifice maximo Cæſar inuictiſſimus in ac ciuitate Tridentina proſequendum impetrauit, oẽs tam imperij Romani quam regnorum ſuorum & patrimonialium prouinciarum prçſules hortari, monere, frequenter etiam orare, vt ad Concilium ſe conferrent, non deſtitit: quod equidem & Præſulum in hoc conuentu frequentia, & illuſtriſſimorum ſacri Romani Imperij Electorum præſentia, vel me tacente, atteſtatur. Nec his contentus Cæſar, quo maiorem teſtationem que animi ſui erga ſacram Synodum propenſionem oſtenderet, præter fideliſſimum, & iam dudum hoc munere fungentẽ dominum Illuſtriſſimum Franciſcum à Toleto, vnum ex Hiſpaniarum regnis, ex patrimonialibus ſuis prouincijs, alterum me quoque, licèt indignum, ex Germania ad ipſius vices vna cum illo hic gerendas oratorem ac mandatarium conſtituit. Vnde magnum animi Caroli Cæſaris inuictiſſimi erga religionem Chriſtianam, ac Germanicæ nationis ſalutem extat argumentum. Vt verò voluntati clementiſſ. domini mei morem gererem, eiuſque iuſſis obtemperarẽ, omiſſis rebus omnibus, huc me quàm diligentiſſimè potui, contuli. Quamobrem ego vos Prætules Reuerendiſſimi ac Patres ampliſſimi precor, vt iuxta Cæſarei mandati tenorẽ, in eius me oratorem recipiatis. Dixi.

RESPONSVM SYNODI AD oratores Imperatoris.

ILluſtres Domini, Mandatum Cæſareæ Maieſtatis, quod modo à dominationibus veſtris exhibitum eſt, & coram Patribus recitatum fuit, huic ſanctæ Synodo iucundiſſimũ nuncium attulit: Quantum enim in hoc tã vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſalutari opere, de pijſſima huius religioſæ & potentiſſimi principis animo ſibi polliceri poſſit, facilè tum ex ipſius mandati lectione, tum ex perſonarum veſtrarum deſtinatione intellexit. Quare & dominationes veſtras, quas ob ſingularem earum prudentiam & religionis ſtudium magno ſibi adiumento fore ſperat, grato & beneuolo animo amplectitur, & mandatum ſuæ Cæſareæ maieſtatis, quantum de iure poteſt, libentiſſimè admittit: Et cum de his omnibus ſancta Synodus Deo benedicto gratias aget, ſimul & Diuinam clementiam pro ſalute eiuſdem maieſtatis, & felici rerum ipſius euentu aſſiduè precabitur.

SACROSANCTI OECVMENICI ET Generalis Concilij Tridentini Seſſio XI. quæ eſt prima ſub Iulio III. Pont. Maximo, celebrata Calend. Maij, 1551.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spirituſſancti, Amen. Anno à natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, Indictione nona, die verò Veneris, prima menſis Maij, pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri Iulij, diuina prouidentia Papæ Tertij, anno ſecundo, Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. D. Marcellus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ preſbyter Cardinalis de Creſcentijs, prælibati ſanctiſſimi D.N. Papæ de latere Legatus, ac R.D. Sebaſtianus Pighinus, Archiepiſcopus Sipontinus, & Aloyſius Lypomanus, Epiſcopus Veronenſ. Apoſtolicæ ſedis nũcij, vna cum reliquis Patribus, qui Tridenti aderant, de manè conuenerunt in Eccleſia cathedrali ſancti Vigilij ciuitatis Tridentinæ, in qua celebrarunt primam Seſſionem huius ſacri Concilij Tridentini ſub eodem ſanctiſſimo D.N. Iulio: Vbi celebrata prius de Spiritu ſancto ſolenni Miſſa, peractiſque conſuetis cæremonijs, lectæ fuerunt literæ eiuſdem ſanctiſſimi D.N. Papæ ſuper reaſſumptione & proſecutione ſacri œcumenici & generalis Concilij Tridentini. Deinde Reuerend. D. Archiepiſcopus Turritanus conuerſus ad Patres, alta & intelligibili voce legit hæc, quæ ſequuntur.

Decretum de reſumendo Concilio.

Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. D. & Reuerendi Patres, placetne vobis ad laudem & gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij & Spirituſſancti, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Chriſtianæ, ſacrum œcumenicum & generale Concilium Tridentinum, iuxta formam & tenorem literarum ſanctiſſimi Domini noſtri reſumi debere, & procedendum eſſe ad vlteriora? Reſponderunt, Placet.

Indictio futuræ Seſſionis.

Reuerend. & Illuſtriſſ. Domini, Reuerendiq́ue Patres, placetne vobis proximè futuram Seſſionem, habendam & celebrandam eſſe in futuris Calendis Septembris? Reſponderunt, Placet. Et ſucceſſiuè ab ipſo Reuerend. & Illuſtriſ. domino Legato declaratum eſt, Concilium ipſum eſſe, & procedendum eſſe ad vlteriora.

Ego Angelus Maſtarellus, ſacri Concilij Secretarius, ſcripta omnia, ita vt notata ſunt, acta fuiſſe: in quorum fidem manu mea propria ſubſcripſi.

EXHORTATORIA ORATIO, REVErendiſſimorum ſacri Concilij Tridentini Præſidum nomine recitata Calend. Septemb. M. D. LI.

CVM poſt reſtitutam huc Synodum Patres Ampliſſimi, recens iſq; peropportunus ac nobis optatiſſimus duorum clariſſimorum Germanię Præſulum, & eorundem ſacri Romani Imperij principum Electorum aduentus magnam ſpem attulerit nobis, fore vt non ſolum multi eiuſdẽ nationis Epiſcopi, illorum exemplo excitati, verùm etiam alij quamplurimi varijs ex locis propediem huc adſint, atq; ita ſacrum Concilium, ad Dei omnipotẽtis honorem, proſequi & peragere liceat: nunc denique noſtras eſſe partes duximus, pro loco ac perſona, quam ſuſtinemus, vt in principio & tanquam limine actionum noſtrarum, pauca verba veſtri ſimul & noſtri hortandi atque admonendi cauſa faciamus. Etſi enim vos pro veſtra pietate & ſapiẽtia ac ſtudio ſalutis animarum, in tam graui Chriſtianæ Reipub. tẽpore ac neceſſitate, bonorum ſacerdotum & paſtorum officio fungi paratos eſſe minime dubitamus: tamen tanta eſt earum rerum, quas præclarè inchoatas, Deo adiuuãte, perſequi & ad exitũ adducere inſtituimus, magnitudo, vt nulla, quæ nos vehementiùs excitet & officij noſtri ſæpiùs admoneat, ſuperuacanea videri debeat oratio. Tollendę enim nobis, vt ſcitis atque extirpandæ ſunt hæreſes: quibus non ſine maxima animarum iactura longè lateq́ue diſſeminatis, & indies longiùs ſerpentibus, miſerandum in modum Eccleſia ſciſſa, lacerata & perturbata eſt. Corrigenda, & reformanda eſt Eccleſiaſtica diſciplina, quæ iamdiu deprauata atque corrupta, harum ipſarum hæreſum magna ex parte cauſa origoq́ue extitit. Poſtremò agendum eſt de ſedandis, Regum inter ſe Principumq́ue diſcordijs: quibus effectum eſt, vt Chriſtiana Reſpublica maximas intus & foris calamitates acceperit, & impiorum hoſtium aucta potentia, noſtris autem fractis & debilitatis viribus, ſalus iam & libertas Chriſtianorum omnium, atque adeò ipſa fides & religio in ſummum & extremum penè diſcrimen adducta ſit. Vnde autem noſtræ hortationis initium aptius duxerimus, quàm vt nos tantis ac tam arduis rebus non modo perficiendis, ſed ne aggrediẽdis quidem impares eſſe intelligamus? Quis enim oculos ad tantarum rerum molem inſpiciendam at-

tollens, inde eoſdem ad humanarum virium exiguitatem
conſiderandam deijciens, hoc non intelligat, nequaquam
tanto oneri ſubeundo ac ſuſtinendo infirmitatem humanã
poſſe ſufficere? Nec verò hoc deterrendi veſtri cauſa dici-
mus, ſed vt noſtram imbecillitatem agnoſcentes, ad Dei
Opt. Max. opem & miſericordiam nobis confugiendum
r.3. eſſe ſtatuamus. Ex eo enim omnis, vt inquit Apoſtolus, ſuf-
ficientia noſtra eſt. Itaque in illo noſtra omnis nobis ſpes &
fiducia collocanda & reponẽda eſt, qui omnibus, dummo-
do in fide poſtulent, affluenter dat, & non improperat. Agi-
tur ipſius religionis cauſa, agitur Eccleſiæ ſalus: quam tan-
toperè dilexit, vt eam filij ſui vnigeniti paſſione & morte
redimendam putauerit. Vt ſuperioribus temporibus illi
nunquam defuit, ita nec hoc quidem tempore aut in poſte-
rum vnquam eſt defuturus. Iacta ſunt, eo authore, harum
rerum ferè omnium fundamenta. Profectò cuius impulſu
atque auxilio opus iam inſtitutũ & cœptum eſt, eodẽ quo-
que vires ſubminiſtrante & nobiſcum ſimul operante, ab-
59. ſoluetur. Non eſt abbreuiata manus Domini, vt Eccleſiæ
ſuæ opitulari non poſſit: neque minuta clementia, vt no-
lit. Cuius quidem propitiæ voluntatis erga nos, cùm alia
multa, tum hoc non minimum teſtimonium habemus,
quòd hos duos Germaniæ præſules, authoritate, prudẽtia,
pietate præſtantiſſimos in eam mentem impulit, vt tam op-
portuno tempore, multis & magnis, quibus impediebãtur,
difficultatibus conſilio & virtute ſuperatis ad hanc ſacro-
ſanctam Synodum accederent. Nos modo contrito & hu-
miliato corde ſupplices eius opem aſſiduè imploremus, quẽ-
admodum paulò ante more Maiorum atque inſtituto feci-
mus. Intimo animi dolore peccata noſtra ingemiſcamus,
atque in bonis operibus & dignis pœnitẽtiæ fructibus am-
bulantes, animas noſtras & corda Spiritui ſancto tanquam
ſedes ac tẽpla munda præbeamus, memores eius, quod ſcri-
ptum eſt: Mũdamini, qui fertis vaſa Domini. Maxima ſem-
per, vt vos minimè præterit Patres, generalium Conciliorũ
vis, maxima fuit authoritas. Nec enim dubium eſt quin eis,
18. modo rectè & ordine habeantur, Spiritusſanctus ipſe præ-
ſideat. Etenim ſi Dominus noſter, vbicunque duo aut
tres in nomine eius fuerint congregati, in medio eorum
ſe futurum eſſe confirmauit: quis eum & ſanctum ipſius
Spiritum abeſſe putet ab huiuſmodi plurimorum Patrum
& ſacerdotum conuentu iuſto atque legitimo, qui, quem-
admodum hic noſter, propter cauſam fidei & religionis,
propter correctionem morum, propter pacem denique &
tranquillitatem Eccleſiæ ſit coactus? Itaque talium Conci-
liorum ſcita, non hominum magis quàm Dei ipſius exiſti-
mantur eſſe decreta. Horum exemplum nobis primis illis
Eccleſiæ temporibus, Spiritu ſancto pleni Apoſtoli prodi-
derunt. Ad hoc remedium maiores noſtri deinceps grauiſ-
ſimis Eccleſiæ temporibus confugerunt. Hoc Arianam il-
lam ſectam, toto terrarum orbe diffuſam, tam inueteratã,
tantis ſtudijs opibusque potentiſſimorum principum de-
fenſam, hoc Macedonij, Neſtorij & Eutychetis hæreſim,
innumerabilesque alias ſuſtulerunt: Hoc ſæpè ſacerdotum
& populi vitam ac mores reformarunt: Hoc ſeditionibus
& diſcordijs aliquando agitatam Eccleſiam, in quietum &
tranquillum ſtatum redegerunt. Quare magna ſpe, magno
animo, Patres, tam pias actiones & tam Chriſtiano nomini
ſalutares perſequamur. Hoc munus, hæ partes, hoc offici-
um noſtrum eſt, qui hanc ob cauſam ex tam diſtantibus ac
remotis regionibus in hanc vrbem conuenimus. Ac pri-
mum quidem æterni Dei honor & gloria, & ſanctiſſimæ
ipſius fidei, ac religionis cauſa nos moueat. Nam cum pro-
pter prauos & corruptos mores, Dei venerationem, cultum
& charitatem vbique imminuta, tum verò hæreſibus & im-
pietate dogmatum, veritatem & ſynceritatem fidei nuſquã
ferè non contaminatam atque pollutam videamus, quis tã
ingratus ac tam immemor diuinorum munerum ac bene-
ficiorum erit, qui non Dei benedicti cultum & gloriam nõ
cæteris modo rebus anteponat, ſed vita & anima ſua habe-
at chariorem? Qui, vt reliqua eius in humanum genus be-
neficia, quæ ſunt innumerabilia & longè maxima, omitta-
mus, tantoperè nos, figmentum manuum ſuarum luteum,
amauit, quanquam inimici ei eſſemus, & eo impiè relicto ac
repudiato, muta & fragilia quædam ſimulachra coleremus,
tamen per vnigeniti filij ſui mortem crudeliſſimosque cru-
ciatus nos ſibi reconciliauerit, & Satanæ dominatu ac pec-
catorum mole oppreſſos, æternisque ſupplicijs addictos li-
berarit, atque in filios ſibi in ſpem æternæ gloriæ & cæleſtis
hæreditatis adoptarit. Quòd ſi eius honori & gloriæ fideles
omnes tantoperè inſeruire oportet, quanto maiore ſtudio
nos, quos ille ſibi ſacerdotes elegit, eius cultum & religionẽ
tueri, defendere & conſeruare debemus? Salus pręterea nos
moueat animarum, pro quibus agnus ille immaculatus, D.
N. Ieſus Chriſtus ſuũ in ara Crucis ſanctiſſ. & precioſiſſ. ſan-
guinem effudit: quæ cùm fidei & cuſtodiæ noſtræ commiſſę
& commendatę fuerint, earum incolumitati à nobis cura &
ſolicitudine prouidendum eſt, ſi officio noſtro ſatisfacere,
ſi noſtræ ipſorum ſaluti cõſulere volumus. Væ enim ijs, qui Hier.48.
Dei opus negligẽter faciunt. Væ nobis, ſi tam neceſſario tẽ-
pore, officio ac muneri noſtro defuerimus. Quas per Eze- Cap.34.
chielem minas Dominus paſtoribus, oues ſibi commiſſas
negligentibus, intentauit? quàm acriter, quàm ſeuerè, quã
atrociter gregem ſuum ſe de eorum manu requiſiturum eſ-
ſe denunciauit? Qui cum primò eorum negligentiam his
verbis accuſaſſet; Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: Ezech.34.
& quod ægrotum, non ſanaſtis: & quod confractum, non
alligaſtis: & quod abiectum, non reduxiſtis: & quod perie-
rat, non quæſiſtis: hæc paulò poſt adiunxit: Viuo ego, quia
pro eo, quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ
in deuorationem omnium beſtiarum agri: ecce ego ipſe ſu-
per paſtores requiram gregem meũ de manu eorum. Quæ
eadem ferè, quanquam alijs verbis, per Hieremiam, mina- Hier.2.
tus eſt. Vtinam verò, Patres, hæc magno animæ diceremus
cum dolore, vtinam hæc tam vehemens increpatio in no-
ſtra tempora minimè conueniret, non tantum ouium nu-
merũ deſideraremus, non grex Dñi tantoperè diſiectus ac
laceratus fuiſſet. Heu quis tantã eius diſſipationẽ; diſſipa-
tionem aũt? immò vero ſtragem ac vaſtitatem ſatis dignè
poſſit deplorare? Superat omnem non orationis modo co-
piam, ſed vim etiam doloris, tantæ & tam luctuoſæ cladis
magnitudo. Expergiſcamur igitur, expergiſcamur per
viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et quoni-
am ijs, quæ interierunt, ouibus amplius ſubuenire non poſ-
ſumus, demus ſaltem operam, vt tum ab ouili Dominico
abductas recuperemus, tum illas, quæ inde non exierunt,
diligentiùs in poſterum cuſtodiamus. Non de ſalute tan-
tum eorum agitur: noſtra quoque ipſorum ſalus agitur.
Neque perire illæ incuria noſtra poſſunt, quin id animabus
noſtris exitioſum futurum ſit. Earum à nobis rationem in
tremendo illo iudicio is repoſcet, qui illas ſanguine ſuo re-
demptas, nobis paſcẽdas cuſtodiendasque commiſit. Hinc Heb.10.
nos viuentis Dei minæ commoueant, cuius in manus inci-
dere horrendum eſt, ſi officio noſtro defuerimus: inde
parata nobis laboris & ſolicitudinis futuræ merces excitet,
ſi fuerit per nos Dominici gregis ſaluti proſpectum atque
conſultum. Omittimus laudem, quæ ab omnibus non hu-
ius modo ætatis hominibus, ſed ab omni poſteritate ſacro
huic Concilio ſine dubio maxima tribuetur: & eam omit-
timus, propterea quòd minimè decet nos inanem iſtam &
falſam gloriam aucupari, aut in ea vllum rectè factorum
fructum ponere: Quod qui faciunt, ij, vt Dominus in Matth.6.
Euangelio inquit, mercedem iam ſuam receperunt. De
vera illa & ſolida & ſempiterna gloria loquimur, quæ bo-
nis operibus à Chriſto Domino noſtro promiſſa & præpa-
rata eſt. Etenim ſi ijs, qui proximum ſuum eſurientem, Matt.25.
aut ſitientem, aut nudum, cibo, potu, veſte, aut alijs huiuſ-
modi charitatis officijs iuuerint, regnum ab eo cæleſte pro-
miſſum eſt: quanto illud magis ſperare is debebit, qui pro-
ximi & fratris ſui animam ex ipſis Satanæ faucibus eripue-
rit? Quid? qui non de vno aut altero fratre, ſed de cuncto fi-
delium cœtu & vniuerſa Republica Chriſtiana optimè fue-
rit meritus, ipſamque Dei religionem conſilijs & labori-
bus ſuis inſtaurauerit, quanto maiora ab illo omnium bo-
norum operum authore, & eodem remuneratore præmia
conſequetur? Hæc ſunt quæ ſpectare, quæ intueri, quæ pro-
poſita habere & poſſumus & debemus. Hæc ſunt genere ipſo
ineffabilia, magnitudine infinita, diuturnitate perpetua &
ſempiterna. Quamobrẽ incũbamus Patres toto pectore, vt
aiunt, ad ſananda Chriſtianæ Reipublicæ vulnera: incũba-

mus quanta maxima poſſumus cura & diligentia ad eas actiones, ex quibus ad Deum honor, ad Eccleſiam ſalus, ad nos æterna gloria & felicitas peruentura eſt. Incredibile eſt, quibus piorum omnium votis expetitum, qua lætitia cœptum, qua expectatione rurſus reſtitutū huc fuerit inſtauratumque Concilium. Perſuaſum ijs eſt & rectè perſuaſum, hoc vnum eſſe remedium, quo Eccleſiæ nauis, iam diu hæreſum & diſcordiarum procellis agitata atque quaſſata, & cum vi tempeſtatis, tum nautarum etiam negligentia propè obruta, è periculo eripi, & tuto in portu poſſit collocari.

Hæcne eorum vota inania, has ſpes fallaces, hanc voluptatem irritam patiemur euadere? Quid reliquum erit amplius, quod ſperent? quid ſupererit, quod expectent? Si vllo vnquam tempore bonorum & ſapientium ſacerdotum Eccleſia fidem auxiliumque implorauit, hoc tempore Patres, hoc tempore maximè implorat, afflicta, vexata, lacerata, tot ſpoliata præſidijs, tot chariſſimis filijs orbata, ſupplex Deo & vobis manus tendit: filios ſuos è ſinu ſibi ereptos recuperare pia parens deſiderat, & cum eorum deſiderio angitur, tum de reliquorum etiam ſalute eſt ſolicita. Quas illa Deo grates aget? quanta præ lætitia ac voluptate exultabit, ſi quod optat, per vos fuerit conſecuta? quam ea res non huic ſolum quæ in terris eſt, verùm etiam illi cæleſti Eccleſiæ grata, iucunda, optataque accidet? Etenim ſi vel vno peccatore in terris pœnitentiam agente, beatæ illæ mentes tantoperè in cælo gaudent, quid tot populis ad veritatis lucem & rectam viuendi rationem reuocatis futurum eſſe cēſemus? Ipſum profectò cælum Eccleſiæ hac vnione, & religionis ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtauratione lætabitur, & terra ob factoris ſui gloriam iubilabit, ac Domino nobis placato, atque propitio, lætiores poſthac dies, feliciora tempora, vberiores terræ fructus erunt. Reliquum eſt, Patres ampliſſimi, vt vos pro officio noſtro admoneamus, tametſi grauitas & ſapientia veſtra minimè admonitionem noſtram deſideret, vt hæc quæ pro totius Eccleſiæ ſalute agere molimur, in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis, quemadmodum ſanctæ huic Synodo dignum eſt, agantur. Faceſſat hinc omnis huius ſacroſancti cœtus maieſtate indigna contentio. Faceſſat omne odium, omnis verborum immoderatio. Sit ſumma inter nos, vt debet, charitas, ſumma animorum conſenſio, ſumma concordia. Nemo noſtrum quæ ſua ſunt quærat, ſed quę Ieſu Chriſti. Denique meminerimus, huic conuentui Deum ipſum, noſtrorum conſiliorum & actionum omnium ſpetētaorem ac iudicem eſſe affuturum. Cui ſalus eſt & honor in ſæcula ſæculorum. Amen.

SESSIO XII.

Quæ eſt ſecunda ſub Iulio III. Pont. Max. celebrata die 1. Septemb. 1551.

Decretum prorogationis Seſſionis.

Acrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, pręſidētibus in eiſdem ſanctæ ſedis Apoſtolicę Legato & Nūcijs, quæ in proximè præterita Seſſione ſequentem hanc hodiè habendam, & ad vlteriora procedendū eſſe decreuerat, cum ob inclytæ Germanicæ nationis, cuius præcipuè cauſa agitur, abſentiam, ac non magnam cæterorū Patrum frequentiam procedere hactenus diſtulerit, de venerabilium in Chriſto fratrum & filiorum ſuorum, Magūtini & Treuirenſis Archiepiſcoporum, ac ſacri Romani imperij Principum Electorum, & complurium ipſius aliarumque prouinciarum Epiſcoporum ſub hanc ipſam diem aduentu in Domino exultans, & dignas ipſi omnipotenti Deo agens gratias, firmamq; ſpem concipiens quamplurimos tā [illegible] liarū nationum Prælatos, & ſui officij debito & hoc exemplo [illegible] motos propediem eſſe venturos, futuram ſeſſionē ad 40. diem, quæ erit 11. menſis Octobris proximè ſequentis, indicit: & Conciliū ipſum in ſtatu, in quo reperitur, proſequēdo, cùm in præteritis ſeſſionibus de ſeptem ſacramentis nouæ legis in genere, & in ſpecie de baptiſmate & Cōfirmatione diffinitum fuerit, ſtatuit & decernit de ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramento, necnon q̄ ad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum reſidentiā pertinent, agi & tractari debere: Ac monet & hortatur oēs Patres, vt interim D. N. Ieſu Chriſti exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, ieiunijs & orationibus vacent, vt tandem placatus, qui in ſæcula ſit benedictus Deus, corda hominum ad veræ ſuæ fidei agnitionem, & ſanctæ matris eccleſiæ vnitatem, ac rectè viuendi normam reducere dignetur.

Concordat cum originali: in cuius fidem ego Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius, ſubſcripſi manu propria.

SESSIO XIII.

Quæ eſt III. ſub Iulio III. Pontif. Max. celebrata die 11. Octobris 1551. Celebrauit autem Miſſam ſummam Epiſcopus Maioricenſis, Orationemque habuit Archiepiſcopus Turritanus.

Decretum de ſanctiſſimo Euchariſtia Sacramento.

Acrosancta Occumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ legato & nuntijs, & ſi in eum finem non abſque peculiari ſpiritus ſancti ductu & gubernatione conuenerit, vt verā & antiquā de fide & ſacramentis doctrinā exponeret, & vt hęreſibus omnibus, & alijs grauiſſimis incommodis, quibus Dei Eccleſia miſerè nunc exagitatur, & in multas & varias partes ſcinditur, remedium afferret, hoc præſertim iam inde à principio in votis habùit, vt ſtirpitùs conuelleret zizania execrabilium errorum & ſchiſmatū, quæ inimicus homo his noſtris calamitoſis tēporibus in doctrina fidei, vſu, & cultu ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſuperſeminauit: quā alioqui Saluator noſter in Eccleſia ſua tanquam ſymbolum reliquit eius vnitatis & charitatis, qua Chriſtianos omnes inter ſe coniunctos & copulatos eſſe voluit. Itaque eadem ſacroſancta ſynodus, ſanam & ſynceram illam de Venerabili hoc & Diuino Euchariſtiæ Sacramento doctrinam tradēs, quam ſemper Catholica Eccleſia ab ipſo Ieſu Chriſto Domino noſtro & eius Apoſtolis erudita, atque à Spiritu ſancto, illi omnem veritatem indies ſuggerente, edocta retinuit, & ad finem vſque ſæculi conſeruabit, omnibus Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de ſanctiſſima Euchariſtia aliter credere, docere aut prædicare audeant, quā vt eſt hoc præſenti decreto explicatum atque diffinitum.

De Reali præſentia Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento.

Capvt I.

Principio docet ſancta Synodus, & apertè ac ſimpliciter profitetur, in almo ſanctæ Euchariſtiæ ſacramento, poſt panis & vini conſecrationem D. N. Ieſum Chriſtum verum Deum atque hominem, verè, realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. Nec enim hæc inter ſe pugnant, vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexterā Patris, in cælis aſſideat iuxta modum exiſtēdi naturalem, & vt multis nihilominus alijs in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quā etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe, Deo co-

gitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſimè credere debemus. Ita enim Maiores noſtri omnes, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de ſanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſſimè profeſſi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in vltima cœna redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cùm poſt panis viniq́ue benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt. Quæ verba à ſanctis Euangeliſtis commemorata, & à D. Paulo poſtea repetita, cùm propriam illam & apertiſſimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundùm quam à Patribus intellecta ſunt, indigniſſimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam cōtētioſis & prauis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, contra vniuerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri: quæ tanquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impijs hominibus excogitata commenta, velut Satanica deteſtata eſt, grato ſemper & memore animo præſtantiſſimum hoc Chriſti beneficium agnoſcens.

De ratione inſtitutionis huius ſanctiſſimi Sacramenti.

Cap. 2.

Ergo Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mi-
10. rabilium ſuorum: & in illius ſumptione colere nos ſui me-
6. moriam præcepit, ſuamq́ue annunciare mortem, donec ipſe
11. ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit ſacramentum hoc tanquam ſpiritalem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, adeoq́ue ſymbolum vnius illius corporis, cuius ipſe caput exiſtit, cuique nos tāquam membra, arctiſſima fidei, ſpei & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit, vt idipſum omnes diceremus, neq; eſſent in nobis ſchiſmata.

De excellentia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuper reliqua ſacramenta.

Cap. 3.

Commune hoc quidem eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cū cæteris ſacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem: verùm illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quòd reliqua ſacramenta tunc primū ſanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur: at in Euchariſtia, ipſe ſanctitatis author ante vſum eſt. Nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe quod præbebat. Et ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt cōſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque eius ſanguinem ſub panis & vini ſpecie, vna cum ipſius anima & diuinitate exiſtere: ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum: ipſum autē corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamq́ue ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur: diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem. Quapropter veriſſimum eſt, tantundem ſub alterutra ſpecie, atque ſub vtraq; contineri: totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie & ſub quauis ipſius ſpeciei parte: totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit.

De Tranſſubſtantiatione.

Cap. 4.

Quoniam autem Chriſtus redemptor noſter corpus ſuum, id quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idq́ue nunc denuò ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini, in ſubſtantiam ſanguinis eius: quæ cōuerſio conuenienter & propriè à ſancta Catholica Eccleſia, Tranſſubſtantiatio eſt appellata.

De cultu & veneratione huic ſanctiſſimo Sacramento exhibenda.

Cap. 5.

Nullus itaque dubitādi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione adhibeant. Neque enim minus eſt adorādum, quòd fuerit à Chriſto Domino, vt ſumatur, inſtitutum. Nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem Heb. 1.
terrarum, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei, quē Ma- Pſal. 96. Matt. 2.
gi procidentes adorauerunt: quem denique in Galilæa ab Matt. 28.
Apoſtolis adoratum fuiſſe ſcriptura teſtatur.

Declarat præterea ſancta Synodus, piè & religioſè admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, vt ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolennitate celebraretur, vtq́ue in proceſſionibus reuerenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & redemptorem, pro tam ineffabili & planè Diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentatur. Ac ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere, vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lętitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi, aliquando reſipiſcant.

De aſſeruando ſacræ Euchariſtiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo.

Cap. 6.

Conſuetudo aſſeruandi in ſacrario ſanctam Euchariſtiam adeò antiqua eſt, vt eam ſæculum etiam Nicæni Concilii agnouerit. Porrò deferri ipſam ſacrā Euchariſtiā ad infirmos, & in hunc vſum diligenter in Eccleſijs cōſeruari, præterquam quod cū ſumma æquitate & ratione coniunctum eſt, tum multis in Concilijs præceptū inuenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſeruatum. Quare ſancta hæc Synodus retinendum omninò ſalutarē hunc & neceſſarium morem ſtatuit.

De præparatione quæ adhibenda eſt, vt dignè quis ſacram Euchariſtiam percipiat.

Cap. 7.

Si non decet ad ſacras vllas functiones quempiam accedere niſi ſanctè, certè quo magis ſanctitas & Diuinitas cæleſtis huius Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentiùs cauere ille debet, ne abſque magna reuerentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat: præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: Qui 1. Cor. 11.
manducat & bibit indignè, iudiciū ſibi mādùcat & bibit, nō dijudicans corpus Domini. Quare cōmunicare volenti reuocandum eſt in memoriā eius præceptum: Probet ſeipſum Ibidem.
homo. Eccleſiaſtica aūt conſuetudo declarat eam probationem neceſſariā eſſe, vt nullus ſibi cōſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi cōtritus videatur, abſq; præmiſſa ſacramētali confeſſione ad ſacrā Euchariſtiā accedere debeat: quod

à Chri-

à Chriſtianis omnibus, etiam ab ijs ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, modo non deſit illis copia confeſſoris. Quòd ſi neceſſitate vrgente ſacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quam primum confiteatur.

De vſu admirabilis huius Sacramenti.

CAP. 8.

Quo ad vſum autem, rectè & ſapiēter Patres noſtri tres rationes, hoc ſanctum Sacramentum accipiendi diſtinxerunt. Quoſdam enim docuerunt ſacramentaliter duntaxat id ſumere, vt peccatores: alios tantùm ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem ſentiunt: tertios porrò ſacramentaliter ſimul & ſpiritualiter: ij autem ſunt, qui ita ſe prius probant & inſtruunt, vt veſtem nuptialem induti, ad Diuinam hác menſam accedant. In ſacramentali autem ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, vt laici à ſacerdotibus communionē acciperent, ſacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent: qui mos tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, iure ac meritò retineri debet.

Demum verò paterno affectu admonet ſancta Synodus hortatur, rogat & obſecrat per viſcera miſericordię Dei noſtri, vt omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur, in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc cōcordiæ ſymbolo iam tandem aliquando conueniant & cōcordent: memoreſque tantæ maieſtatis & tam eximij amoris Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis precium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum, hæc ſacra myſteria corporis & ſanguinis eius, ea fidei conſtantia & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate & cultu credant & venerentur, vt panem illū ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint, & is verè eis ſit animæ vita, & perpetua ſanitas mentis: cuius vigore confortati, ex huius miſeræ peregrinationis itinere ad cęleſtem patriam peruenire valeant, eundem panem angelorum, quem modo ſub ſacris velaminibus edunt, abſque vllo velamine manducaturi.

Quoniam autem non eſt ſatis veritatem dicere, niſi & detegantur & refellantur errores, placuit ſanctæ Synodo hos Canones ſubiūgere, vt omnes iam agnita doctrina Catholica, intelligant quoque, quæ ab illis hæreſes caueri vitarique debeant.

DE SACROSANCTO EVCHARIſtiæ Sacramento.

CANON I.

SI quis negauerit in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento contineri verè, realiter & ſubſtātialiter corpus & ſanguinem, vna cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit tantummodo eſſe in eo, vt in ſigno, vel figura, aut virtute, Anathema ſit.

CAN. 2.

Si quis dixerit, in ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, vna cum corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaueritque mirabilem illam & ſingularem conuerſionem totius ſubſtātiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manētibus duntaxat ſpeciebus panis & vini: quam quidem conuerſionem, Catholica Eccleſia aptiſſimè Tranſſubſtantiationem appellat, Anathema ſit.

CAN. 3.

Si quis negauerit in venerabili Sacramento Euchariſtię ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri, Anathema ſit.

CAN. 4.

Si quis dixerit, peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ ſacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantum in vſu dum ſumitur, non autem antè vel poſt: & in hoſtijs ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſeruantur vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini, Anathema ſit.

CAN. 5.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, Anathema ſit.

CAN. 6.

Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum vnigenitum Dei filium non eſſe cultu Latriæ etiam externo adorandū, atque ideo nec feſtiua peculiari celebritate venerandum, neque in proceſſionibus ſecundum laudabilem & vniuerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem ſolenniter circumgeſtandū, vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores eſſe idololatras, Anathema ſit.

CAN. 7.

Si quis dixerit, non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſeruari, ſed ſtatim poſt conſecrationem adſtātibus neceſſario diſtribuendam, aut nō licere, vt illa ad infirmos honorificè deferatur, Anathema ſit.

CAN. 8.

Si quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum, ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam ſacramentaliter ac realiter, Anathema ſit.

CAN. 9.

Si quis negauerit, omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, iuxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ, Anathema ſit.

CAN. 10.

Si quis dixerit, non licere ſacerdoti celebranti ſeipſum communicare, Anathema ſit.

CAN. 11.

Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramētum, Anathema ſit. Et ne tantum ſacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.

DECRETVM DE REFORmatione.

CAPVT I.

EADEM ſancta Tridentina Synodus, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legato & Nuncijs, intendens nonnulla ſtatuere, quæ ad iuriſdictionē pertinent Epiſcoporum, vt iuxta proximę Seſſionis decretum, illi

illi in commiſſis ſibi Eccleſijs eo libentiùs reſideant, quo faciliùs & commodiùs ſibi ſubiectos regere, & in vitæ ac morum honeſtate continere potuerint: illud primum eos admonendos cenſet, vt ſe paſtores, non percuſſores, eſſe meminerint: atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, vt non in eis dominentur, ſed illos tanquam filios & fratres diligant, elaborentque, vt hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogātur. Quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare cōtigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſeruanda præceptio, vt illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate & patientia: cùm ſæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quàm auſteritas: plus exhortatio, quàm comminatio: plus charitas, quàm poteſtas. Sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeueritas adhibenda eſt, vt ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris ac neceſſaria conſeruetur, & qui correcti fuerint, emendentur: aut ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animaduerſionis exemplo à vitijs deterreantur: cùm ſit diligentis & pij ſimul paſtoris officium, morbis ouium lenia primum adhibere fomenta: pòſt, vbi morbi grauitas ita poſtulet, ad acriora & grauiora remedia deſcendere: ſin autem ne ea quidem proficiant, illis ſubmouendis cæteras ſaltem oues à contagionis periculo liberare.

Cùm igitur rei criminum plerunque ad euitandas pœnas & Epiſcoporum ſubterfugiēda iudicia, querelas & grauamina ſimulent, & appellationis diffugio iudicis proceſſum impediant, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto, ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque vt huiuſmodi eorū calliditati & tergiuerſationi occurratur, ita ſtatuit & decreuit:

In cauſis viſitationis & correctionis, ſiue habilitatis & inhabilitatis, necnon criminalibus ab Epiſcopo, ſeu illius in ſpiritualibus Vicario generali, ante diffinitiuam ſententiam, ab interlocutoria vel alio quocunque grauamine non appelletur: nec Epiſcopus ſeu Vicarius appellationi huiuſmodi, tanquam friuolæ, deferre teneatur, ſed ea, ac quacunque inhibitione ab appellationis iudice emanata, necnon omni ſtylo & conſuetudine etiam immemorabili, contraria non obſtante, ad vlteriora valeat procedere, niſi grauamen huiuſmodi per diffinitiuam ſententiam reparari, vel ab ipſa diffinitiua appellari non poſſit: quibus caſibus, ſacrorum & antiquorum Canonum ſtatuta illibata perſiſtant.

Cap. 2.

A ſententia Epiſcopi, vel ipſius in ſpiritualibus Vicarij generalis, in criminibus appellationis cauſa (vbi appellationi locus fuerit) ſi Apoſtolica authoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano, ſeu illius etiam Vicario in ſpiritualibus generali, aut ſi ille aliqua de cauſa ſuſpectus foret, vel vltra duas legales diætas diſtet, ſeu ab ipſo appellatum fuerit, vni ex viciniotibus Epiſcopis, ſeu illorum Vicarijs, non autem inferioribus iudicibus committatur.

Cap. 3.

Reus ab Epiſcopo, aut eius Vicario in ſpiritualibus generali, in criminali cauſa appellans, coram iudice ad quem appellauit, acta primæ inſtantiæ omninò producat, & iudex niſi illis viſis, ad eius abſolutionem minimè procedat: is autem, à quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipſa poſtulanti gratis exhibeat, alioqui abſque illis cauſa appellationis huiuſmodi, prout iuſtitia ſuaſerit, terminetur.

Cap. 4.

Cùm vero tam grauia nonnunquam ſint delicta ab Eccleſiaſticis commiſſa perſonis, vt ob eorum atrocitatem è ſacris ordinibus deponendæ, & curiæ ſint tradendæ ſæculari, in quo ſecundum ſacros Canones certus Epiſcoporum numerus requiritur, quos ſi omnes adhibere difficile eſſet, debita iuris executio differretur, ſi quando autem interuenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur: propterea ſtatuit & decreuit, Epiſcopo per ſe, ſeu illius Vicarium in ſpiritualibus generalem, contra clericum in ſacris etiam presbyteratus ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, necnon verbalem depoſitionem, & per ſeipſum, etiam ad actualem atque ſolennem degradationem ab ipſis ordinibus & gradibus Eccleſiaſticis, in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporū præſentia in numero à Canonibus diffinito requiritur, etiam abſque illis procedere liceat: adhibitis tamen & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, vſum mitræ & baculi ex priuilegio Apoſtolico habentibus, ſi in ciuitate aut diœceſi reperiri, & commodè intereſſe poſſint: alioquin alijs perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graues ac Iuris ſcientia commendabiles exiſtant.

Cap. 5.

Et quoniam per fictas cauſas, quæ tamen ſatis probabiles videntur, interdum accidit, vt nonnulli eiuſmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ illis Epiſcoporum, iuxta ſeueritatem inflictæ, aut remittuntur omninò aut minuuntur, cùm non ferendum ſit, vt mendacium, quod tantoperè Deo diſplicet, non modo ipſum impunitum ſit, verùm etiam alterius delicti veniam impetret mentienti: idcirco, vt ſequitur, ſtatuit & decreuit: Epiſcopus apud Eccleſiam ſuam reſidens, de ſubreptione & obreptione gratiæ, quę ſuper abſolutione alicuius publici criminis vel delicti, de quo ipſe inquirere cœperat, aut remiſſione pœnæ, ad quam criminoſus per eum cōdemnatus fuerit, falſis precibus impetratur, per ſeipſum, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatus, etiam ſummariè cognoſcat, ipſamque gratiam, poſt quā per falſi narrationem aut veri taciturnitatem, obtentam eſſe legitimè conſtiterit, non admittat.

Cap. 6.

Quoniam verò ſubditi Epiſcopo, tametſi iure correpti fuerint, magnoperè tamen eum odiſſe, & tanquam iniuria affecti ſint, falſa illi crimina obijcere ſolent, vt quoquo pacto poſſint, ei moleſtiam exhibeant: cuius vexationis timor plerunque illum ad inquirenda & punienda eorum delicta ſegniorem reddit: idcircò ne is magno ſuo & Eccleſiæ incōmodo, gregem ſibi creditum relinquere, ac nō ſine Epiſcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur, ita ſtatuit & decreuit: Epiſcopus niſi ob cauſam, ex qua deponendus ſiuę priuandus veniret, etiam ſi ex officio, aut per inquiſitionem ſeu denunciationem, vel accuſationem, ſiue alio quouis modo procedatur, vt perſonaliter cōpareat, nequaquā citetur vel moneatur.

Cap. 7.

Teſtes in cauſa criminali ad informationem, vel indicia, ſeu alias in cauſa principali, contra Epiſcopum, niſi conteſtes & bonę cōuerſationis, exiſtimationis & famæ fuerint, non recipiantur: & ſi odio, temeritate aut cupiditate aliquid depoſuerint, grauibus pœnis mulctentur.

Cap. 8.

Cauſæ Epiſcoporum, cùm pro criminis obiecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipſum terminentur.

DECRETVM PROROGATIONIS DIFfinitionis quatuor articulorum de ſacramento Euchariſtiæ, & ſalui conductus Proteſtantibus dandi.

Eadem ſancta Synodus errores omnes, qui ſuper hoc ſanctiſſimo Sacramento repullularunt, tanquam vepres ex agro Dominico euellere, ac omnium fidelium ſaluti proſpicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti

tenti piè oblatis, inter alios ad hoc ſacramentum pertinentes articulos diligentiſſima veritatis Catholicæ inquiſitione tractatos, plurimis accuratiſſimisq́; pro rerũ grauitate diſputationibus habitis, cognitis quoque præſtantiſſimorum Theologorum ſententijs, hoc etiam tractabat: An neceſſarium ſit ad ſalutem & Diuino iure præceptum, vt ſinguli Chriſti fideles ſub vtraque ſpecie ipſum venerabile ſacramentum accipiant: & num minus ſumat qui ſub altera, quàm qui ſub vtraque communicat: & an errauerit ſancta mater Eccleſia laicos, & non celebrantes ſacerdotes, ſub panis ſpecie duntaxat communicando: & an paruuli etiam communicandi ſint. Sed quoniam ex nobiliſſima Germaniæ prouincia ij, qui ſe Proteſtantes nominant, ſuper his ipſis articulis, antequam diffiniantur, audiri à ſancta Synodo cupiunt, & eam ob cauſam fidem publicam ab illa poſtularunt, vt ipſis tuto huc venire & in hac vrbe commorari, ac liberè coram Synodo dicere atque proponere quæ ſenſerint, & poſteà cum libuerit, recedere liceat: ſancta ipſa Synodus, licet magno deſiderio eorum aduentum multos antea menſes expectarit, tamen vt pia mater, quæ ingemiſcit & parturit, ſummoperè id deſiderans ac laborans, vt in ijs, qui Chriſtiano nomine cenſentur, nulla ſint ſchiſmata: ſed quemadmodum eundem omnes Deum & redemptorem agnoſcunt, ita idem dicant, idem credant, idem ſapiant: cõfidens in Dei miſericordia, & ſperans fore, vt illi in ſanctiſſimam & ſalutarem vnius fidei, ſpei, charitatiſque concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, ſecuritatem & fidem vt petierunt, publicam, quam ſaluum conductum vocant, quo ad ſe pertinet, eius, qui infra ſcriptus erit, tenoris dedit atque conceſſit, & eorum cauſa definitionem illorum articulorum ad ſecundam ſeſſionem diſtulit: quam, vt illi commodè ei intereſſe poſſent, in diem feſtum Conuerſionis Diui Pauli, quæ erit XXV. die menſis Ianuarij anni ſequentis, indixit: illudq́ue præterea ſtatuit, vt in eadem ſeſſione de ſacrificio Miſſæ agatur, propter magnam vtriuſque rei connexionem. Interea ſeſſione proxima de Pœnitentiæ & Extremæ vnctionis ſacramentis tractandũ. Illam autem die feſto Diuæ Catharinæ virginis & martyris (qui erit vigeſimaquinta Nouembris) habendam eſſe decreuit: ſimulq́ue in vtraque materiam reformationis proſequatur.

SALVVS CONDVCTVS DATVS Proteſtantibus.

SAcroſancta generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatis & Nuncijs.

Omnibus & ſingulis, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſęcularibus perſonis vniuerſæ Germaniæ, cuiuſcunque gradus, ſtatus, conditionis, & qualitatis ſint, quæ ad œcumenicum hoc & generale Concilium accedere voluerint, vt de ijs rebus, quę in ipſa Synodo tractari debent, omni libertate cõferre, proponere & tractare, ac ad ipſum œcumenicum Concilium liberè & tutò venire, & in eo manere & commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam ſcripto quàm verbo offerre, proponere, & cum Patribus, ſiue ijs, qui ab ipſa ſancta Synodo delecti fuerint, conferre, & abſque vllis conuicijs & contumelijs diſputare, necnon quando illis placuerit, recedere poſſint & valeant, publicam fidem & plenam ſecuritatem, quam ſaluum conductum appellant, cum omnibus & ſingulis clauſulis, & decretis neceſſarijs & opportunis, etiamſi ſpecialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expreſſis haberi voluit, quãtum ad ipſam ſanctam Synodum ſpectat, concedit. Placuit præterea ſanctæ Synodo, vt ſi pro maiori libertate ac ſecuritate eorum, certos tam pro commiſſis quàm pro committendis per eos delictis iudices eis deputari cupiãt, illos ſibi beneuolos nominent, etiam ſi delicta ipſa quantumcunque enormia ac hæreſim ſapientia fuerint.

Angelus Maſſarellus Secretarius.

R. PATRES ET ORATORES QVI adfuerunt in Seſſione, quæ habita fuit vndecima Octobris.

Reuerend. Marcellus, tituli ſancti Marcelli Cardinalis Creſcentius, Legatus Concilij à latere, patria Romanus.

Præſidentes Concilij.

Sebaſtianus Pighinus, Archiepiſcopus Sipontinus. Reſan.
Aloyſius Lypomanus, Epiſcopus Veronẽ. Venetus.
Chriſtophorus Madrucius, tituli ſancti Cæſarij in palatio Sac. Roma. Eccleſiæ Cardinal. & princeps Tridenti. de Madrucio.

Electores & Principes ſacri Rom. Imp.

Sebaſtianus ab Hauſenſtain Archiepiſcopus Moguntineñ. Germanus.
Ioannes Comes ab Eyſemburg Archiepiſcopus Treuirenſ. Germanus.
Adolphus à Schavvemburg Archiepiſcopus Colonienſis. Germanus.

Oratores Imperatoris.

Hugo Comes à Monfort & Rotenfels, orator Imperij. Germanus.
Franciſcus à Toleto, Prior Reconuallenſis orator Cæſaris. [illegible]
Guilhelmus à Pictauia, Archidiaconus Campaniæ, [illegible] Flandriæ. Flandrus.

Oratores Regis Romanorum.

Paulus de Gregorianis, Epiſco. Zagabrienſ. Hungar.
Fredericus Nauſea, Epiſcopus Viennenſis. German.

Archiepiſcopi.

Archiepiſcopus Turritanus, Antibaren. Vpſalen. Panormitanus, Granatenſ. Calaritan.

Epiſcopi.

Epiſcopus Feltrenſis, Senobricenſis, Sancti Marci, Maioricenſ. Camerinenſ. Caſtellimaris, Lancianenſis, Alguerẽſis, Mitienſis, Syracuſan. Wigornienſis, Bellicaſtrenſis, Bizont. Aurienſis, Pacenſis, Argentinenſ. Conſtant. Oſcen. Clodien. Solonen. Calagurritan. Eluẽſis, Ecneden. Monopothanus, Legion. * Oueten. Triden. Iacoren. Gnichxerſis, Aſtoricen. Virdunen. Salamineñ. Boſen. Mutinen.

Abbates & Generales.

Gerardus Hamericurth, Abbas Bortini, ordinis Carmelitarum. German.
Marcus de Brixida, Abbas ſancti Vitalis, de Rauenna, ordinis S. Benedicti. Italus.
Euſebius de Parma, Abbas ſanctæ Mariæ Gratiarum, diœceſ. Placen. eiuſdem ordinis. Italus.
Chriſtophorus Patauinus, Generalis ordinis ſancti Auguſtini. Italus.

Oratores Marchionis Brandeburgenſ.

Chriſtophorus de Straſſen.
Ioannes Hofmannus.

Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij Secretarius.

Ioannes Baptiſta Caſtellus, promotor Concilij, Bononien. Italus.
Ludouicus Firmanus, Magiſter cæremoniarum. Italus.

SESSIO XIV.

Quæ eſt IV. ſub Iulio III. Pont. Max. celebrata die 25. Nouemb. 1551.

Doctrina de ſanctiſsimis Pœnitentiæ & extremæ unctionis Sacramentis.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Apoſtolicæ ſedis Legato & Nuncijs. Quamuis in decreto de Iuſtificatione multus fuerit de Pœnitentiæ ſacramento propter locorum cognationem, neceſſaria quadam ratione ſermo interpoſitus, tanta nihilominus circa illud noſtra hac ætate diuerſorum errorum eſt multitudo, vt non parùm publicæ vtilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem diffinitionem tradidiſſe: in qua demonſtratis & conuulſis Spiritus ſancti præſidio vniuerſis erroribus, Catholica veritas perſpicua & illuſtris fieret, quam nunc ſancta hæc Synodus Chriſtianis omnibus perpetuò ſeruandam proponit.

De neceſsitate & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ.

CAP. I.

SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiã in Baptiſmo ipſius beneficio & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo ſacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus diues in miſericordia cognouit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſteà in peccati ſeruitutem & dæmonis poteſtatem tradidiſſent: Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur. Fuit quidem Pœnitẽtia vniuerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quouis tempore ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui Baptiſmi Sacramento ablui petiuiſſent, vt peruerſitate abiecta & * eliminata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtarentur. Vnde Propheta ait: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et princeps Apoſtolorum Petrus, peccatoribus Baptiſmo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm. Porrò nec ante aduentum Chriſti pœnitentia erat ſacramentum, nec eſt poſt aduentum illius cuiquam ante Baptiſmum. Dominus autem ſacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus, inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam vniuerſorum Patrum cõſenſus ſemper intellexit: & Nouatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tamquàm hæreticos exploſit atque condemnauit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Euangelium annunciandi, contra huiuſmodi ſacramenti inſtitutionem falſò detorquent.

(3)

*Margin: * emẽdata — Ezech. 18. — Luc. 13. — Act. 2. — Ioan. 20.*

De differentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptiſmi.

CAP. II.

Cæterùm hoc ſacramentum multis rationibus à Baptiſmo differre dignoſcitur.

Nam præterquàm quòd materia & forma, quibus ſacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſident, conſtat certè Baptiſmi miniſtrum iudicem eſſe non oportere, cùm Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de his qui foris ſunt, iudicare? Secùs eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lauacro Baptiſmi, ſui corporis membra ſemel effecit. Nam hos, ſi ſe poſteà crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito Baptiſmo ablui, cùm id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal tamquam reos, ſiſti voluit, vt per ſacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Alius eſt præterea Baptiſmi, & alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptiſmũ enim Chriſtum induentes, noua prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen nouitatem & integritatem per ſacramentum Pœnitentiæ ſine noſtris magnis fletibus & laboribus, Diuina id exigente iuſtitia, peruenire nequaquam poſſumus, vt meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à ſanctis Patribus dictus fuerit. Eſt autem hoc ſacramentũ Pœnitentię lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſariũ, vt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.

Margin: 1. Cor. 5.

De partibus & fructu huius ſacramenti.

CAP. III.

Docet præterea ſancta Synodus, ſacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe, Ego te abſoluo, &c. Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quędam laudabiliter adiunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius ſacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ. Sunt autem quaſi materia huius ſacramẽti, ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio: qui, quatenus in pœnitente ad integritatem ſacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur. Sanè verò res & effectus huius ſacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quàm interdum in viris pijs & cum deuotione hoc ſacramentum percipientibus, conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet. Hæc de partibus & effectu huius ſacramenti ſancta Synodus tradens, ſimul eorum ſententias damnat, qui Pœnitentiæ partes, incuſſos conſcientiæ terrores & fidem eſſe contendunt.

De Contritione.

CAP. IV.

Contritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cæterò. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius: & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc ſacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus, hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ nouæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, iuxta illud: Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Et certè, qui illos ſanctorum clamores conſiderauerit,

Margin: Ezech. 18.

verit, Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: Laboraui in
gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: Reco-
gitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: &
alios huiuſmodi generis, facilè intelliget eos ex vehementi
quodam anteactæ vitæ odio & ingenti peccatorum deteſtati-
one manâſſe. Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquã-
do charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo re-
conciliare, priuſquàm hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur, ip-
ſam nihilominùs reconciliationem ipſi Contritioni ſine ſa-
cramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam.
Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dici-
tur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel
ex gehennæ & pœnarum metu communiter cõcipitur, ſi vo-
luntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat non ſo-
lùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem,
verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritusſancti impulſum, nõ
adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœni-
tens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat: & quamuis ſine ſa-
cramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perduce-
re peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in ſa-
cramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim ti-
more vtiliter concuſſi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem ple-
nam terroribus, pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à
Domino impetrarunt. Quamobrem falsò quidam calum-
niantur Catholicos ſcriptores, quaſi tradiderint ſacramẽtum
Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam con-
ferre: quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit: ſed & fal-
sò docent, Contritionem eſſe extortam & coactam, non libe-
ram & voluntariam.

De Confeſſione.

CAP. V.

Ex inſtitutione ſacramenti Pœnitentiæ iam explicata, v-
niuerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Do-
mino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt
Baptiſmum lapſis, iure diuino neceſſariam exiſtere. Quia Do-
minus noſter Ieſus Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cælos, ſa-
cerdotes ſuiipſius vicarios reliquit, tanquam præſides & iudi-
ces, ad quos omnia mortalia crimina deferãtur, in quæ Chri-
ſtifideles ceciderint, quò pro poteſtate clauium, remiſſionis
aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient. Con-
ſtat enim, ſacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere
non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniun-
gendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere duntaxàt, & non potiùs
in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaráſſent. Ex his col-
ligitur, oportere à pœnitẽtibus omnia peccata mortalia quo-
rum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent,
in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tan-
tùm aduerſus duo vltima Decalogi præcepta commiſſa, quæ
nonnunquam animum grauiùs ſauciant, & periculoſiora ſunt
his, quæ in manifeſto admittuntur. Nam venialia, quibus à
gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur,
quanquam rectè & vtiliter citraq; omnem præſumptionem
in confeſſione dicãtur, quod piorum hominum vſus demon-
ſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque alijs remedijs ex-
piari poſſunt. Verùm cùm vniuerſa mortalia peccata, etiam
cogitationes, homines iræ filios & Dei inimicos reddant, ne-
ceſſum eſt omnium etiam veniam cum aperta & verecunda
confeſſione à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memo-
riæ occurrunt, peccata Chriſtifideles confiteri ſtudent, pro-
culdubiò omnia diuinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt.
Qui verò ſecùs faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil diui-
næ bonitati per ſacerdotem remittendum proponunt. Si e-
nim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod igno-
rat medicina, non curat. Colligitur præterea, etiam eas cir-
cumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quę ſpeciem pec-
cati mutant: quòd ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus
integrè exponantur, nec à iudicibus innoteſcant, & fieri ne-
queat, vt de grauitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœ-
nam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Vnde a-
lienum à ratione eſt, docere circumſtantias has ab hominibus
ocioſis excogitatas fuiſſe, aut vnam tantùm circumſtantiam
confitendam eſſe, nempe peccâſſe in fratrem. Sed & impium
eſt, cõfeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibi-
lem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare.

Conſtat enim nihil aliud in eccleſia à pęnitẽtibus exigi, quàm
vt poſtquàm quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ
ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confitea-
tur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſ-
ſe meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogi-
tanti non occurrunt, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa
eſſe intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dici-
mus, Ab occultis meis munda me Domine. Ipſa verò huiuſ- Pſal. 18.
modi confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecun-
dia, grauis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis
& conſolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad hoc
ſacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſimè con
feruntur. Cæterùm quo ad modum confitendi, ſecretò apud
ſolum ſacerdotem: etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in
vindictam ſuorũm ſcelerum & ſui humiliationem, cùm ob a-
liorum exemplùm, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem,
delicta ſua publicè confiteri poſſit; non eſt tamen hoc diuino
præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege
præciperetur, vt delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent cõ-
feſſione aperienda. Vnde cùm à ſanctiſſimis & antiquiſſimis
Patribus, magno vnanimique conſenſu ſecreta confeſſio ſa-
cramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta vſa eſt, & modò e-
tiam vtitur, fuerit ſemper commendata, manifeſtè refellitur
inanis eorum calumnia, qui eam à diuino mandato alienam,
& inuentum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio La-
teranenſi congregatis initium habuiſſe, docere non verentur.
Nec enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt
Chriſtifideles confiterentur, quod iure Diuino neceſſarium
& inſtitutum eſſe intellexerat: ſed vt præceptum confeſſio-
nis ſaltem ſemel in anno ab omnibus & ſingulis, cùm ad an-
nos diſcretionis perueniſſent, impleretur. Vnde iam in vni-
uerſa Eccleſia, cum ingenti animarum fidelium fructu, obſer-
uatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo & maximè acce-
ptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hęc ſancta Sy-
nodus maximè probat & amplectitur, tanquam piũ & meri-
tò retinendum.

*De miniſtro huius ſacramenti, & ab-
ſolutione.*

CAP. VI.

Circa miniſtrum autem huius ſacramenti declarat ſancta
Synodus, falſas eſſe & à veritate Euangelij penitus alienas do-
ctrinas omnes, quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſco-
pos & ſacerdotes, Clauium miniſterium perniciosè exten-
dunt, putantes verba illa Domini, Quæcunque alligaueritis Matt. 18.
ſuper terram, erunt alligata & in cælo: & quæcunq; ſolueritis Ioan. 20.
ſuper terrã, erunt ſoluta & in cęlo: &, Quorũ remiſeritis pec-
cata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt: ad
omnes Chriſtifideles indifferenter & promiſcuè contra in-
ſtitutionem huius ſacramenti ita fuiſſe dicta, vt quiuis pote-
ſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per cor-
reptionem, ſi correptus acquieuerit, ſecreta verò per ſpon-
taneam confeſſionem cuicunque factam. Docet quoque, e-
tiam ſacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem
Spiritusſancti in ordinatione collatam, tamquam Chriſti mi-
niſtros functionem remittendi peccata exercere, eoſque pra-
uè ſentire, qui in malis ſacerdotibus hanc poteſtatem nõ eſſe
cõtendunt. Quãuis autẽ abſolutio ſacerdotis, alieni beneficij
ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolùm nudũ miniſteriũ, vel an-
nunciandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata,
ſed ad inſtar actus iudicialis, quo ab ipſo velut à iudice ſen-
tentia pronunciatur. Atque ideò non debet pœnitens adeò *nulla
ſibi de ſua ipſius fide blandiri, vt etiam ſi nulla* illi adſit con-
tritio, aut ſacerdoti animus seriò agendi & verè abſoluendi
deſit, putet tamen ſe propter ſuam ſolam fidem verè, & co-
ram Deo eſſe abſolutum. Nec enim fides ſine pœnitentia re-
miſſionem vllam peccatorum præſtaret, nec is eſſet niſi ſalu-
tis ſuæ negligentiſſimus, qui ſacerdotem ioco ſe ab-
ſoluentem cognoſceret, & non alium
ſeriò agentem ſedu-
lò require-
ret.

De caſuum reſeruatione.

Cap. VII.

Quoniam igitur natura & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos duntaxàt feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Magnoperè verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à ſummis duntaxat ſacerdotibus abſoluerentur. Vnde meritò Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate, ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio ſeruare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus, in ſua cuique diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem liceat, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores ſacerdotes authoritate, præſertim quo ad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſeruationem, conſonum eſt diuinę authoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideò omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & cenſuris abſoluere poſſint: extra quem articulum ſacerdotes, cùm nihil poſſit in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad ſuperiores & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant.

Rom. 13.

De ſatisfactionis neceßitate & fructu.

Cap. VIII.

Demum quo ad Satisfactionem (quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum à patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita vna maximè noſtra ætate ſummo pietatis prætextu impugnatur ab his, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt) Sancta Synodus declarat, falſum omninò eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in ſacris literis exempla reperiuntur, quibus, præter diuinam Traditionem, hic error quàm manifeſtiſſimè reuincitur. Sanè & diuinæ iuſtitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritusſancti dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis abſq; vlla ſatisfactione peccata dimittantur, vt occaſione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij & contumelioſi Spiritui ſancto, in grauiora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubiò enim magnoperè à peccato reuocant, & quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitioſos habitus, malè viuendo comparatos, contrarijs virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior vlla via in Eccleſia Dei vnquam exiſtimata fuit ad amouendum imminentem à Domino pœnam, quàm vt hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arram habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio, quam pro peccatis noſtris exoluimus, vt non ſit per Chriſtum Ieſum: nam qui ex nobis, tamquàm ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo vnde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto: in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Debent ergò ſacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & conuenientes ſatisfactiones iniungere: ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiã, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claues ſacerdotum non ad ſoluendum duntaxat, ſed ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent. Nec propterea exiſtimarunt ſacramentum Pœnitentiæ eſſe forum iræ vel pœnarum, ſicut nemo vnquam Catholicus ſenſit ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus, vim meriti & ſatisfactionis Domini noſtri Ieſu Chriſti vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Nouatores intelligere nolunt, ita optimam pœnitentiam, nouam vitam eſſe docent, vt omnem ſatisfactionis vim & vſum tollant.

Gen. 3. Reg. 12. Num. 12. ...

Rom. 8.

Cor 15. ... 13. ... 3.

De operibus ſatisfactionis.

Cap. IX.

Docet præterea, tantam eſſe diuinæ munificentiæ largitatem, vt non ſolùm pœnis, ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.

DOCTRINA DE SACRAMENTO extremæ Vnctionis.

Viſum eſt autem ſanctæ ſynodo, præcedenti doctrinę de Pœnitentia adiungere ea, quæ ſequuntur de ſacramento extremæ Vnctionis: quod non modò Pœnitentiæ, ſed etiam totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummatiuum exiſtimatum eſt à Patribus. Primum itaque circa illius inſtitutionem declarat & docet, quod clementiſſimus redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore voluit de ſalutaribus remedijs aduerſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in ſacramentis alijs præparauit, quibus Chriſtiani conſeruare ſe integros, dum viuerent, ab omni grauiore ſpiritus incommodo poſſint: ita extremæ Vnctionis ſacramẽto finem vitæ tãquam firmiſſimo quodam præſidio muniuit. Nam etſi aduerſarius noſter occaſiones per omnem vitã quærat & captet, vt deuorare animas noſtras quoquomodo poſſit: nullum tamen tempus eſt, quo vehementiùs ille omnes ſuæ verſutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitùs, & à fiducia etiam ſi poſſit, diuinæ miſericordię deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ proſpicit.

De inſtitutione Sacramenti extremæ Vnctionis.

Cap. I.

Inſtituta eſt autem ſacra hæc Vnctio infirmorum, tãquam verè & propriè ſacramentum noui Teſtamenti, à Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur (inquit) quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quibus verbis, vt ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, formã, proprium miniſtrum, & effectum huius ſalutaris ſacramenti. Intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum. Nam Vnctio aptiſſimè Spiritusſancti gratiam, qua inuiſi-

inuiſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Formam deinde eſſe illa verba, Per iſtam Vnctionem, &c.

De effectu huius Sacramenti.

Cap. II.

Res porrò & effectus huius ſacramenti illis verbis explicatur; Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia eſt Spiritus ſancti, cuius vnctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda ac labores leuiùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.

De miniſtro huius Sacramenti, & tempore quo dari debeat.

Cap. III.

Iam verò, quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere & miniſtrare hoc Sacramentum debent, haud obſcurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum: Nam & oſtenditur illic, proprios huius ſacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ presbyteros: quo nomine eo loco non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligendi veniunt: ſed aut Epiſcopi, aut ſacerdotes ab ipſis ritè ordinati per impoſitionem manuum presbyterij. Declaratur etiam, eſſe hanc Vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculoſè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur: vnde & ſacramentum exeuntium nuncupatur. Quòd ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Vnctionem conualuerint, iterum huius ſacramenti ſubſidio iuuari poterunt, cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi ſunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apoſtoli Iacobi ſententiam docent hanc Vnctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem: & qui illam iam ceſſaſſe aſſerunt, quaſi ad gratiam curationum duntaxat in primitiua Eccleſia referenda eſſet: & qui dicunt ritum & vſum, quem ſancta Romana Eccleſia in huius ſacramenti adminiſtratione obſeruat, Iacobi Apoſtoli ſententię repugnare, atq; ideo in alium commutandum eſſe: & denique qui hanc extremam vnctionem à fidelibus ſine peccato contemni poſſe affirmant. Hæc enim omnia manifeſtiſſimè pugnant cum perſpicuis tanti Apoſtoli verbis. Nec profectò Eccleſia Romana, aliarum omnium mater & magiſtra, aliud in hac adminiſtrāda Vnctione, quantùm ad ea, quæ huius ſacramenti ſubſtantiam perficiunt, obſeruat, quàm quod B. Iacobus præſcripſit. Nec verò tanti ſacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere & ipſius Spiritus ſancti iniuria eſſe poſſet.

Hæc ſunt, quæ de Pœnitentiæ & Extremæ Vnctionis ſacramentis hæc ſancta œcumenica Synodus profitetur & docet, atque omnibus Chriſtifidelibus credenda & tenenda proponit. Sequentes autem canones inuiolabiliter ſeruandos eſſe tradit, & aſſerentes contrarium perpetuò damnat & anathematizat.

DE SANCTISSIMO POENITENTIÆ Sacramento.

Canon I.

Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe verè & propriè ſacramentum pro fidelibus, quotiès poſt Baptiſmū in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, Anathema ſit.

Can. II.

Si quis ſacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ ſacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo ſacramenta diſtincta non ſint, atque ideò Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, Anathema ſit.

Can. III.

Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris, Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit: detorſerit autem contra inſtitutionem huius ſacramenti, ad authoritatem prædicandi Euangelium, Anathema ſit. Ioan. 20.

Can. IV.

Si quis negauerit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam ſacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur: aut dixerit duas tantùm eſſe Pœnitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata, Anathema ſit.

Can. V.

Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ: non eſſe verum & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem: demùm illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, Anathema ſit. Eſa. 38.

Can. VI.

Si quis negauerit Confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino: aut dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli ſacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſeruauit & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inuentum eſſe humanum, Anathema ſit.

Can. VII.

Si quis dixerit, in ſacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta & quæ ſunt contra duo vltima Decalogi præcepta, & circumſtantias quæ peccati ſpeciem mutant: ſed eam confeſſionem tantùm eſſe vtilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſeruatam fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle diuinæ miſericordiæ ignoſcendum: aut demùm, non licere confiteri peccata venialia, Anathema ſit.

Can. VIII.

Si quis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſeruat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, à pijs abolendam: aut ad eam non teneri omnes & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſtifideles, iuxta magni Concilij Lateranen. conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſtifidelibus, vt non confiteantur tempore Quadrageſimæ, Anathema ſit.

Can. IX.

Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem ſacerdotis non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pro nun-

ciandi

igitized by Google

ciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modò tãtùm credat ſe eſſe abſolutum: aut ſacerdos non ſeriò, ſed ioco abſoluat: aut dixerit, non requiri confeſſionem pœnitentis, vt ſacerdos eum abſoluere poſſit, Anathema ſit.

Can. x.

Si quis dixerit, ſacerdotes qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi & ſoluendi non habere, aut non ſolos ſacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnib. & ſingulis Chriſtifidelibus eſſe dictum, Quæcunq; ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſoluere poſſit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, ſi correptus acquieuerit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem, Anathema ſit.

Can. xi.

Si quis dixerit, Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quo ad externam politiam, atque ideò caſuum reſeruationem non prohibere, quo minùs ſacerdos à reſeruatis verè abſoluat, Anathema ſit.

Can. xii.

Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemq; pœnitentium non eſſe aliam, quàm fidem, qua appræhendunt Chriſtum pro eis ſatis feciſſe, Anathema ſit.

Can. xiii.

Si quis dixerit, pro peccatis quo ad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à ſacerdote iniunctis, ſed neq; ſpontè ſuſceptis, vt ieiunijs, orationibus, eleemoſynis, vel alijs etiam pietatis operibus, atq; ideò optimam pœnitentiam eſſe tantùm nouam vitam, Anathema ſit.

Can. xiv.

Si quis dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes, Anathema ſit.

Can. xv.

Si quis dixerit, Claues Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſoluendum, non etiam ad ligandum, & propterea ſacerdotes, dum imponunt pœnam confitentibus, agere contra finem Clauium, & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe, quòd virtute clauium ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerunq; exoluenda remaneat, Anathema ſit.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

Canon I.

Si quis dixerit, Extremam Vnctionem non eſſe verè & propriè ſacramẽtum, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à B. Iacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, Anathema ſit.

Can. ii.

Si quis dixerit, ſacram infirmorum Vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum, Anathema ſit.

Can. iii.

Si quis dixerit, Extremæ Vnctionis ritum & vſum, quem obſeruat ſancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Iacobi Apoſtoli, ideoq; eum mutandum, poſſeq; à Chriſtianis abſque peccato contemni, Anathema ſit.

Can. iv.

Si quis dixerit, presbyteros Eccleſiæ quos B. Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quauis communitate, ob idq; proprium Extremæ Vnctionis miniſtrum non eſſe ſolum ſacerdotem, Anathema ſit.

DECRETVM DE REformatione.

PROOEMIVM.

CVm propriè Epiſcoporum munus ſit, ſubditorum omnium vitia redarguere, hoc illis præcipuè cauẽdum erit ne Clerici, præſertim ad animarum curam conſtituti, criminoſi ſint, neve inhoneſtam vitam ipſis conniuentibus ducant. Nam ſi eos prauis & corruptis moribus eſſe permittant, quo pacto laicos de ipſorum vitijs redarguent, qui vno ab eis ſermone conuinci poſſent, quòd Clericos ipſis patiantur eſſe deteriores? Qua etiam libertate laicos corripere poterunt ſacerdotes, cùm tacitè ſibi ipſi reſpondeant, eadem ſe admiſiſſe quæ corripiunt? Monebũt propterea Epiſcopi ſuos clericos, in quocunq; ordine fuerint, vt conuerſatione, ſermone & ſcientia commiſſo ſibi Dei populo præeant, memores eius quod ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum: & iuxta Apoſtoli vocem, Nemini dent vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium eorum: ſed in omnibus exhibeant ſe ſicut miniſtros Dei, ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis. Sacerdotes mei contaminant ſancta, & reprobant legem. Vt autem ipſi Epiſcopi id liberiùs exequi, ac quoquam prætextu deſuper impediri nequeant, eadem ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legato & Nuncijs, hos qui ſequũtur Canones ſtatuendos & decernendos duxit.

Can. I.

Cùm honeſtius ac tutius ſit ſubiecto, debitam præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſeruire, quàm cum præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei cui aſſcenſus ad ſacros ordines à ſuo prælato ex quacunque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extraiudicialiter fuerit interdictus, aut qui à ſuis ordinibus ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoueri faciendo, aut ad priores ordines, gradus & dignitates ſiue honores reſtitutio ſuffragetur.

Can. II.

Et quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum, quæ in partibus infidelium conſiſtunt, clero carentes & populo Chriſtiano, cùm ferè vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Ieſu Chriſti, ſed alienas oues inſcio proprio paſtore quærentes, dum per hanc ſanctam ſynodum ſe Pontificalia officia in alterius diœceſi, niſi de loci ordinarij expreſſa licentia, & in perſonis eidem ordinario ſubiectis tantùm exercere prohibitos vident, in legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem cathedram in loco nullius diœceſis ſua temeritate eligunt, & quoſcunque ad ſe venientes, etiam ſi ſuorum Epiſcoporum ſeu Prælatorum literas commendatitias non habeant, clericali charactere inſignire, & ad ſacros etiam presbyteratus ordines promouere præſumunt. quo plerunque fit, vt minùs idonei & rudes ac ignari, & qui à ſuo Epiſcopo tamquam inhabiles & indigni reiecti fuerunt ordinati

Digitized by Google

ordinati, nec diuina officia peragere, nec Eccleſicſtica ſacramenta rectè valeant miniſtrare: nemo Epiſcoporum, qui titulares vocantur, etiam ſi in loco nullius diœceſis, etiam exempto, aut aliquo monaſterio cuiuſuis ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cuiuſuis priuilegij, ſibi de promouendo quoſcunque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam pretextu familiaritatis continuę commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſorijs, ad aliquos ſacros, aut minores ordines, vel primam tonſuram promouere ſeu ordinare valeat: contrà faciens, ab exercitio Pontificalium per annum: taliter verò promotus, ab executione ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo iure ſint ſuſpenſi.

Can. III.

Epiſcopus quoſcunque ſuos clericos, præſertim in ſacris conſtitutos, abſque ſuo præcedenti examine & commendatitijs literis quacunque authoritate promotos, licèt tanquam habiles ab eo, à quo ordinati ſunt, probatos, quos tamen ad diuina officia celebranda, ſeu Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtranda minùs idoneos & capaces repererit, à ſuſceptorum ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, ſuſpendere, & illis ne in altari aut aliquo ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

Can. IV.

Omnes Eccleſiarum Prælati; qui ad corrigendum ſubditorum exceſſus diligenter intendere debent, & à quibus nullus clericus per huius ſanctæ Synodi ſtatuta cuiuſuis priuilegij prætextu tutus cenſetur, quominùs iuxta Canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi poſſit, ſi in Eccleſijs ſuis reſederint, quoſcunq; ſeculares clericos, qualitercunque exemptos, qui aliâs ſuæ iuriſdictioni ſubeſſent, de eorum exceſſibus, criminibus & delictis, quotiès & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, tanquam ad hoc Apoſtolicę ſedis delegati, corrigendi & caſtigãdi facultatẽ habeant: quibuſcunq; exemptionib. declarationib. conſuetudinib. ſententijs, iuramentis, cõcordijs, quæ tantùm ſuos obligẽt authores, ipſis clericis ac eorum conſanguineis, Capellanis, familiarib. procuratoribus, & alijs quibuslibet ipſorum exemptorum contemplatione & intuitu minimè ſuffragantibus.

Can. V.

Inſuper cùm nonnulli, qui ſub prætextu, quòd ſuper bonis & rebus ac iuribus ſuis diuerſæ eis iniuriæ ac moleſtiæ inferantur, certos iudices per literas conſeruatorias deputari obtinent, qui illos à moleſtijs & iniurijs huiuſmodi tueantur, ac defendant, & in poſſeſſione, ſeu quaſi, bonorum, rerum ac iurium ſuorum manuteneant & conſeruent, nec ſuper illis eos moleſtari permittant, eiuſmodi literas in pleriſq; contra concedentis mentem in reprobum ſenſum detorqueant: idcircò nemini omninò, cuiuſcunq; dignitatis & conditionis ſit, etiam ſi Capitulum fuerit, conſeruatoriæ literæ cum quibuſcumque clauſulis aut decretis, quorumcumque iudicum deputatione, quocumq; etiam alio prætextu aut colore conceſſæ ſuffragentur ad hoc, vt coram ſuo Epiſcopo ſiue alio ſuperiore ordinario in criminalibus & mixtis cauſis accuſari & conueniri, ac contra eum inquiri & procedi non poſſit, aut quo minùs, ſi qua iura ei ex ceſſione competierint, ſuper illis liberè valeat apud iudicem ordinarium conueniri. In ciuilibus etiam cauſis, ſi ipſe actor extiterit, aliquem ei apud ſuos conſeruatores iudices in iudiciũ trahere minimè liceat. Quòd ſi in his cauſis, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit, vt electus ab eo conſeruator ab actore ſuſpectus eſſe dicatur, aut ſi qua inter ipſos iudices, conſeruatorem & ordinarium, controuerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos, ſuper ſuſpicione aut iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum. Familiaribus verò eius, qui huiuſmodi literis conſeruatorijs tueri ſe ſolent, nihil illæ proſint, prȩterquàm duobus duntaxat, ſi tamen illi proprijs eius ſumptibus vixerint. Nemo etiam ſimilium literarum beneficio vltra quinquennium gaudere poſſit. Non liceat quoq; conſeruatoribus iudicibus vllum habere tribunal erectum. In cauſis verò mercedum aut miſerabilium perſonarum, huius ſanctæ Synodi ſuper hoc decretum in ſuo robore permaneat. Vniuerſitates autem generales, ac collegia doctorum ſeu ſcholarium, & regularia loca, necnon hoſpitalia, actu hoſpitalitatem ſeruantia, ac vniuerſitatum, collegiorum, locorum & hoſpitalium huiuſmodi perſonæ, in prȩſenti Canone minimè compræhẽſa, ſed exempta omninò ſint, & eſſe intelligantur.

Can. VI.

Quia verò, etſi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre, vt per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant: tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem & honorem clericalem paruipendentes, veſtes etiam deferant publicè laicales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus: Propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacunque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam per edictũ publicum moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem, illorum ordini & dignitati congruentem, & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ab officio & beneficio ac fructibus, redditibus & prouentibus ipſorum beneficiorum, necnõ ſi ſemel correpti, denuò in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum & beneficiorum huiuſmodi coërceri poſſint & debeant, ſecũdùm conſtitutionem Clementis V. in Cõcilio Viennen. editam, quæ incipit, Quoniam, innouando & ampliando.

Can. VII.

Cùm etiam qui per induſtriam occiderit proximum ſuũ, & per inſidias, ab altari auelli debeat, qui ſua voluntate homicidium perpetrauerit, etiam ſi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, nullo tempore ad ſacros ordines promoueri poſſit, nec illi aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiam ſi curam non habeant animarum, conferre liceat, ſed omni ordine ac beneficio & officio Eccleſiaſtico perpetuò careat. Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, vt quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum ordinũ & altaris miniſterium, & beneficia quæcunq; ac dignitates, iure quodammodò diſpenſatio debeatur, committatur loci ordinario, aut, ex cauſa, Metropolitano ſeu viciniori Epiſcopo, qui non niſi cauſa cognita, & probatis proceſſibus ac narratis, nec aliter diſpenſare poſſit.

Can. VIII.

Præterea quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri ſunt paſtores, ac proprias oues habent, alienis etiam ouibus præeſſe quærunt, & ita alienis ſubditis quandoq; intendunt, vt ſuorum curam negligant, quicunq; etiam Epiſcopali prȩditus dignitate, qui alienos ſubditos puniendi priuilegium habuerit, contra clericos ſibi non ſubditos, præſertim in ſacris conſtitutos, quorumcunq; etiam atrocium criminum reos, niſi cum proprij ipſorum clericorum Epiſcopi, ſi apud Eccleſiam reſederit, aut perſonæ ab ipſo Epiſcopo deputandæ interuentu nequaquam procedere debeat: aliâs proceſſus & inde ſecuta quæcunque, virib. omninò careant.

Can. IX.

Et quia iure optimò diſtinctæ fuerunt diœceſes & parochiæ, ac vnicuiq; gregi proprij attributi paſtores, & inferiorum Eccleſiarum rectores, qui ſuarum quiſq; ouium curam habeant, vt ordo Eccleſiaſticus non confundatur, aut vna & eadem Eccleſia duarum quodammodò diœceſum fiat, non

ſine

ſine graui eorum incommodo, qui illi ſubditi fuerint: beneficia vnius diœceſis, etiam ſi parochiales Eccleſiæ, vicariæ perpetuæ, aut ſimplicia beneficia ſeu præſtimonia, aut præſtimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum diuinum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quacunq; de cauſa alterius diœceſis beneficio, aut monaſterio, ſeu collegio, vel loco etiam pio, perpetuò non vniantur, decretum huius ſanctæ Synodi ſuper huiuſmodi vnionibus in hoc declarando.

Can. x.

Regularia beneficia, in titulum regularibus profeſſis prouideri conſueta, cùm per obitum aut reſignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religioſis tantùm illius ordinis, vel his qui habitum omninò ſuſcipere & profeſſionem emittere teneantur, & non alijs, ne veſtem lino lanaq; contextam induant, conferantur.

Can. xi.

Quia verò regulares de vno ad aliũ ordinem tranſlati, facilè à ſuo ſuperiore licentiam ſtandi extra monaſterium obtinere ſolent, ex quo vagandi & apoſtatandi occaſio tribuitur, nemo cuiuſcunq; ordinis prælatus vel ſuperior, vigore cuiuſcunq; facultatis aliquem ad habitum & profeſſionem admittere poſſit, niſi vt in ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui ſuperioris obedientia in clauſtro perpetuò maneat, ac taliter tranſlatus, etiam ſi Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia ſecularia etiam curata omninò incapax exiſtat.

Can. xii.

Nemo etiam, cuiuſuis dignitatis Eccleſiaſticæ vel ſecularis, quacunq; ratione, niſi Eccleſiam, beneficium, aut capellam de nouo fundauerit & conſtruxerit, ſeu iam erectam, quæ tamen ſine ſufficiẽti dote fuerit, de ſuis proprijs & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, ius patronatus impetrare aut obtinere poſſit aut debeat. In caſu autem fundationis aut dotationis, huiuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori, reſeruetur.

Can. xiii.

Non licet præterea patrono, cuiuſuis priuilegij prætextu aliquem ad beneficia ſui iuris patronatus, niſi Epiſcopo loci ordinario, ad quem prouiſio ſeu inſtitutio ipſius beneficij, ceſſante priuilegio, iurè pertineret quoquo modo præſentare: alias præſentatio ac inſtitutio forſan ſecutę, nullæ ſint & eſſe cenſeantur.

Declarat præterea ſancta Synodus, in futura Seſſione, quam ad 25. diem Ianuarij ſubſequentis anni 1552. habendam eſſe iam decreuit, vnà cum ſacrificio Miſſæ, agendum & tractandum etiam eſſe de Sacramento Ordinis, & proſequendam eſſe materiam de reformatione.

Angelus Maſſarellus ſubſcripſit, in fidem & teſtimonium præmiſſorum.

Subſcripſerunt prælati ijdem, qui in Seſſione præcedenti.

SESSIO XV.

Quæ eſt V. ſub Iulio III. Pontifice Maximo, celebrata die xxv. Ianuarij, 1552.

Rem diuinam fecit Epiſcopus Catanenſis: Orationem autem habuit Epiſcopus Maioricenſis.

Decretum prorogationis Seſſionis.

CVm ex eo, quòd proximis Seſſionibus decretum fuit, ſancta hæc & vniuerſalis Synodus per hos dies accuratiſſimè diligentiſſimeque tractauerit ea, quæ ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, & ad ſacramentum Ordinis ſpectant, vt hodierna Seſſione, quemadmodum Spiritus ſanctus ſuggeſſiſſet, decreta de his rebus, & quatuor præterea articulos ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum pertinentes, in hanc tandem Seſſionem dilatos publicaret, atque interim affuturos eſſe putauerit ad hoc ſacroſanctum Concilium eos, qui Proteſtantes ſe vocant, quorum cauſa eorum publicationem articulorum diſtulerat, & vt liberè ac ſine cunctatione vlla huc venirent, fidem eis publicam ſiue ſaluum conductũ conceſſerat: tamen cùm illi nõdùm venerint, & eorum nomine ſupplicatum huic ſanctæ Synodo fuerit, vt publicatio, quæ hodierno die facienda fuerat, in ſequentem Seſſionem differatur, certa ſpe allata, affuturos eos eſſe omninò multò ante illam ſeſſionem, ſaluo conductu amplioris formæ interim accepto; eadem ſancta Synodus in Spiritu ſancto legitimè congregata, ijſdem Legato & Nuncijs Præſidentibus, nihil magis optans, quàm ex præſtantiſſima natione Germanica omnes de religione diſſenſiones & ſchiſmata tollere, ac eius quieti, paci ocioque conſulere, parata ipſos, ſi venerint, & humaniter excipere, & benignè audire, confidensq; eos non fidei Catholicæ pertinaciter oppugnandæ, ſed veritatis cognoſcendæ ſtudio eſſe venturos, & vt Euangelicæ veritatis ſtudioſos decet, ſanctæ matris Eccleſiæ decretis ac diſciplinæ, ad extremum eſſe acquieturos, ſequentem Seſſionem ad edenda & publicanda ea, quæ ſuprà commemorata ſunt, in diem feſtum ſancti Ioſephi, qui erit die 19. menſis Martij, diſtulit, vt ſatis illi temporis & ſpatij habeant, non ſolùm ad veniendum, verumetiam ad ea quæ voluerint, antequàm is dies veniat, proponenda. Quib. vt omnem cunctandi diutiùs cauſam adimat, fidem publicam, ſiue ſaluum conductum eius, qui recitabitur, tenoris & ſententiæ libenter dat & concedit. Interea verò de Matrimonij Sacramento agendum, & de eo præter ſuperiorum decretorum publicationem, diffiniendum eſſe eadem Seſſione ſtatuit & decernit, & proſequendam eſſe materiam reformationis.

SYNODI TRIDENTINÆ PROTESTATIO in congregatione generali 25. Ianuarij 1552. antea quàm Proteſtantes audirentur, acta.

HÆc ſacroſancta ſynodus, &c. ne ob diſceptationes (quę tam de perſonis comparentibus, mandatisq; & ſcripturis exhibendis, quàm de loco ad ſedendum perſonis aſſignando oriri poſſent) felix ipſius concilij progreſſus retardetur, inhærens decreto in ſecunda ſeſſione promulgato, atq; illud innouans ſtatuit, decernit, declarat, quòd ſi fortè contigerit aliquos, qui ex diſpoſitione iuris aut ex approbatorum Conciliorum more admittendi, aut recipiendi non eſſent, vel per ſeipſos, vel per interpoſitas perſonas admitti aut recipi, vel in loco non debito ſedere, vel ſententiam etiam ſub verbo, Placet, proferre vel congregationibus intereſſe, vel alios quoſcunq; actus facere Concilio durante; quodq; ſi etiam contigerit mandata, inſtrumenta, proteſtationes, & alia cuiuſuis generis ſcripta quæcunq;, quæ ipſius Concilij honorem, ius ac poteſtatem quomodocunq; læderent ſeu lædere poſſent, recipi aut admitti, propterea nõ pręiudicetur, neq; aliquo modo præiudicatum cenſeatur, vel intelligatur præſenti Concilio, neq; Concilijs œcumenicis ac generalibus in perpetuum celebrandis: cùm omnis intentio huius Concilij ſit & eò tendat, vt pax & concordia quacunq; ratione, licita tamen & congruenti, in Eccleſia reducantur.

SALVVS CONDVCTVS, DATVS Proteſtantibus.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ legato & Nuncijs, inhærendo ſaluo conductui in penultima Seſſione dato, & illũ iuxta tenorem infraſcriptũ ampliando, Vniuerſis fidem facit, quòd omnib. & ſingulis Sacerdotibus, Electorib. Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobili-

Nobilibus, Militaribus, Popularibus, & alijs quibuſcunq; viris, cuiuſcunque ſtatus & conditionis aut qualitatis exiſtant, Germanicæ prouinciæ & nationis ciuitatibus ac alijs locis eiuſdem, & omnibus alijs Eccleſiaſticis & ſecularibus, præſertim Auguſtanæ confeſſionis perſonis, qui aut quæ vnà cum ipſis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur ac profecturi ſunt, aut huc uſque venerunt, quocunque nomine cenſeantur aut valeant nũcupari, tenore præſentium publicam fidem & pleniſſimam veriſſimamque ſecuritatem, quam ſaluum conductum appellant, liberè ad hanc Tridentinam ciuitatem veniendi, ibidemque manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, vnà cum ipſa ſynodo de quibuſcunque negocijs tractandi, examinandi, diſcutiendi, & omnia quæcunque ipſis libuerit, ac articulos quoslibet tam ſcripto quàm verbo liberè offerendi, propalandi, eoſq; ſcripturis ſacris & beatorum patrum verbis, ſententijs & rationibus declarandi, adſtruendi & perſuadendi, & ſi opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij generalis reſpondendi, & cum ijs, qui à Concilio delecti fuerint, diſputandi Chriſtianè, aut charitatiuè abſque omni impedimento conferendi, opprobrijs, conuicijs ac contumelijs penitùs ſemotis, & ſignanter, quòd cauſæ controuerſæ, ſecundùm ſacram ſcripturam & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum authoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, vt religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum aut committendorum minimè puniantur, impartitur ac omninò concedit: ſic etiam, vt propter illorum præſentiam neque in itinere, aut quocunque locorum eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipſa ciuitate Tridẽtina à diuinis officijs quouis modo ceſſetur: & vt his peractis vel non peractis, quandocunque ipſis libuerit, aut maiorum ſuorum mandato & aſſenſu ad propria reuerti optabũt, aut aliquis eorum optabit, mox abſque vlla renitentia & occaſione aut mora, ſaluis rebus eorum & ſuorum pariter honore & perſonis, vice verſa poſſint iuxta beneplacitum liberè & ſecurè redire, de ſcientia tamen ab eadem ſynodo deputandorum, vt tunc opportunè eorum ſecuritati abſque dolo & fraude prouideatur. Vult etiam ſancta ſynodus in hac publica fide ſaluoque conductu omnes quaſcunque clauſulas includi ac contineri, ac pro incluſis haberi, quæ pro plena, efficaci & ſufficienti ſecuritate in eundo, ſtando, & redeundo neceſſariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam ad maiorem ſecuritatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimens, quòd ſi quiſpiam aut illorum aliqui, ſiue in itinere Tridentum veniendo, ſiue ibidem morando aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerint aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficium eis conceſſum annullari aut caſſari, vult & concedit eadem ſancta ſynodus, vt in huiuſmodi facinore depræhenſi, ab ipſis duntaxat, & non ab alijs, condigna animaduerſione cum emenda ſufficienti, per partem ipſius ſynodi meritò approbanda & laudanda, mox puniantur, illorum aſſecurationis forma, conditionibus & modis omninò manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, vt ſi quiſquam, vel aliqui ex ipſa ſynodo, ſiue in itinere, aut manẽdo, aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerint aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficiũ violari, aut quoquo modo tolli, in huiuſmodi facinore depræhenſi, ab ipſa ſynodo duntaxat, & non ab alijs condigna animaduerſione & emenda ſufficienti, per partem dominorum Germanorum Auguſtanæ confeſſionis tunc hic præſentium meritò laudanda & approbanda, mox puniantur, præſenti aſſecurationis forma, conditionibus & modis omninò manentibus illibatis. Vult præterea ipſa ſynodus, quòd liceat ipſis ambaſiatoribus omnib. & ſingulis, toties quotieſcunq; opportunum fuerit ſeu neceſſariũ, ad auram capiẽdam exire de ciuitate Tridentina, & reuerti ad eandem; necnon nuncium vel nuncios ſuos ad quæcunque loca pro ſuis neceſſarijs negocijs ordinandis liberè mittere ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere, totiès quotiès eis videbitur expedire, ita quòd aliqui vel aliquis per deputandos Concilij ſocientur, qui eorum ſecuritati prouideant vel prouideat. Qui quidem ſaluus conductus & ſecuritates ſtare ac durare debent, & à tempore & per tempus, quo in ipſius ſynodi & ſuorum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & vſque ad Tridentum perduci, ac toto tempore manſionis eorum ibidem, & rurſum poſt ſufficientem audientiam habitam, ſpatio viginti dierum præmiſſo, cùm ipſi petierint, aut Concilium, habita huiuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, à Tridento vſque in quem quiſque elegerit ſibi locum tutum, Deo fauente, reſtituet, dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia pro vniuerſis & ſingulis Chriſtifidelibus, pro omnibus Principibus tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus quibuſcunque, atq; omnibus alijs Eccleſiaſticis ac ſecularib. perſonis, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtant, aut quocunque nomine cenſeantur, inuiolabiliter obſeruanda eſſe promittit, & bona fide ſpondet.

Inſuper omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit, ipſam ſynodum nullam vel manifeſtè vel occultè occaſionem quæſituram, aut aliqua autoritate, potentia, iure, vel ſtatuto, priuilegio legum vel canonum, aut quorumcunq; Conciliorum, præſertim Conſtantienſis & Senenſis, quacunque forma verborum expreſſa, in aliquod huius fidei publicæ & pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipſis per ipſam Synodum conceſſæ, præiudicium quouis modo vſuram, aut quemquam vti permiſſuram, quib. in hac parte pro hac vice derogat. Quòd ſi ſancta ſynodus, aut aliquis ex ea vel ſuis, cuiuſcunq; conditionis vel ſtatus aut præeminẽtiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & ſalui conductus formam & modum in quocunq; puncto vel clauſula violauerit, (quod tamen dignetur auertere Omnipotens) & ſufficiens emenda non fuerit ſubſecuta, ipſorum arbitrio meritò approbanda & laudanda, habeant ipſam ſynodum & habere poterũt incidiſſe in omnes pœnas, quas iure diuino & humano, aut cõſuetudine huiuſmodi ſaluorum conductuum violatores incurrere poſſunt abſq; omni excuſatione aut quauis in hac parte contradictione. Datum Tridenti in ſeſſione publica, die 25. Ianuar. M.D.LII.

Ego Angelus Maſſarellus, ſacri Concilij ſecretarius, in fidem & teſtimonium præmiſſorum manu propria ſubſcripſi.

SVBSCRIPSERVNT HVIC SESSIONI patres, qui in præcedenti, & inſupèr ſequentes:

Epiſcopus Placentin.	Epiſc. Zamoren.
Epiſcopus Carthagin.	Epiſc. Segobien.
Epiſcopus Pampilon.	Epiſc. Ciuitaten.
Epiſcopus Mondonien.	Epiſc. Leriden.
Epiſcopus Elenen.	

SESSIO XVI.

Quæ eſt VI. & vltima ſub Iulio III. Pont. Max. celebrata die 28. Aprilis, 1552.

Decretum ſuſpenſionis Concilij.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in ſpiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea reuerendiſſ. Dominis Sebaſtiano Archiepiſc. Sipontino, & Aloyſio Epiſc. Veronen. Apoſtolicis Nuncijs, tam eorum proprio quàm Reuerẽdiſſimi & Illuſtriſſimi domini Marcelli, tituli S. Marcelli, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Creſcentij Legati, ob aduerſam eius grauiſſimam valetudinem abſentis, nomine, non dubitat Chriſtianis omnibus patere, hoc Concilium œcumenicum Tridẽtum primò à Paulo felicis recordationis conuocatum & collectum fuiſſe: deinde à ſanctiſſimo domino noſtro Iulio III. (efflagitante Carolo V. Auguſtiſſimo Imperatore) præcipuè de cauſa fuiſſe reſtitutum, vt religionem in multis orbis partibus, & præſertim in Germania, in diuerſas opiniones miſerabiliter diſtractam, in ſtatum priſtinum reuocaret, abuſus & mores Chriſtianorum corruptiſſimos emendaret: Cumq; ad hoc agendũ quamplurimi patres, nulla laborũ ſuorum periculorumque habita ratione è diuerſis regionibus alacriter confluxiſſent, reſque ſtrenuè magno fidelium concurſu feliciterque procederet, ac ſpes eſſet non leuis, illos Germanos,

qui eas nouitates excitarant, in Concilium venturos ſic animatos, vt veris Eccleſiæ rationibus vnanimiter acquieſcerét: lux denique quædam rebus affulſiſſe videretur, caputque attollere inciperet profligata anteà & afflicta Reſpubl. Chriſtiana: hi repétè tumultus, ea bella (hoſtis generis humani verſutia) exarſerunt, vt Concilium velut hærere ac ſuum curſum interrumpere ſatis incommodè cogeretur, ſpeſque omnis vlterioris progreſſus hoc in tépore tolleretur: tantumque aberat, vt ſancta ſynodus Chriſtianorum malis & incommodis mederetur, vt multorum mentes præter ſui animi ſententiam irritaret potiùs quàm placaret. Cùm igitur ipſa ſancta ſynodus omnia, & præcipuè Germaniam, armis ardere & diſcordijs videret, omnes ferè Epiſcopos Germanos, præſertim Principes Electores ſuis conſultum Eccleſijs è concilio abijſſe, decreuit tantę neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere, vt Patres, quod eis nunc agere non licet ſuis ouibus proſpectum ad ſuas Eccleſias regredi valerent, ne diutius vtrobique inutili ocio conterantur. Atque ita, quoniam ſic temporum conditio tulit, huius œcumenici Concilij Tridentini progreſſum per biennium ſuſpédendum fore decernit, prout præſenti decreto ſuſpendit: ea tamé lege, vt ſi citiùs pacata res ſit, ac tranquillitas priſtina reuertatur, quod ſperat Dei Opt. Max. beneficio non longo fore ſpatio futurum, ipſius Concilij progreſſus, eodemmet tempore ſuam vim, firmitatem, vigoremque habere cenſeatur. Sin autem (quod Deus auertat) peracto biennio prædicta legitima impediméta non fuerint ſubmota, quamprimùm ceſſauerint, talis ſuſpenſio eo ipſo ſublata eſſe intelligatur, ac ſuus vigor & robur Concilio ſit reſtitutum & eſſe intelligatur, ſine alia noua concilij conuocatione: accedente ad hoc decretum conſenſu & authoritate ſanctitatis ſuæ, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

Interea tamen eadem ſancta ſynodus exhortatur omnes Principes Chriſtianos & omnes Prælatos, vt obſeruent, & reſpectiuè, quatenus ad eos ſpectat, obſeruari faciant in ſuis regnis, dominijs & eccleſijs omnia & ſingula, quæ per hoc ſacrum œcumenicum concilium fuerunt hactenus ſtatuta & decreta.

Angelus Maſſarellus, Secretarius Concilij ſacri, ſubſcripſi.

BVLLA CELEBRATIONIS CONCILII TRIdentini ſub Pio IV. Pontif. Max.

PIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Ad Eccleſiæ regimen, licèt tanto oneri impares, ſola Dei dignatione vocati, ſtatim circumferentes mentis oculos per omnes Reipublicæ Chriſtianæ partes, cernenteſque non ſine magno horrore, quàm longè lateque peſtis hæreſum & ſchiſmatis peruaſiſſet, & quanta Chriſtiani populi mores correctione indigerét: in eam curam & cogitationem pro ſuſcepti muneris officio incumbere cœpimus, quemadmodum ipſas hæreſes extirpare, tantumque & tam pernicioſum ſchiſma tollere, moreſque adeò corruptos & deprauatos emendare poſſemus. Cùm autem intelligeremus ad hęc ſananda mala aptiſſimum eſſe remedium, quod ſancta hęc ſedes adhibere conſueuiſſet, œcumenici generaliſq; concilij, eius congregandi & Deo iuuante celebrandi conſilium cepimus. Indictum illud quidem anteà fuit à felicis rec. Paulo III. & eius ſucceſſore Iulio prædeceſſoribus noſtris, ſed varijs de cauſis ſæpius impeditum & interpellatum, perfici non potuit. Siquidem Paulus cum id primò in vrbem Mantuam, deinde Vincentiam indixiſſet, quaſdam ob cauſas in literis eius expreſſas id primò ſuſpendit, poſteà Tridentum tranſtulit. Deinde cum quibuſdam de cauſis ibi quoque eius celebrandi tempus dilatum fuiſſet, tandem ſuſpenſione ſublata, in eadem ciuitate Tridentina inchoatum fuit. Verùm ſeſſionibus aliquot habitis, & nonnullis decretis factis, ipſum ſe poſteà Concilium aliquibus de cauſis, accedente etiam Sedis Apoſtolicæ authoritate, Bononiam tranſtulit. Iulius autem, qui ei ſucceſſit, in eandem ciuitatem Tridentinam id reuocauit: quo quidem tempore facta alia quædã decreta ſunt. Sed cùm noui in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuiſſent, & bellum in Italia & Gallia grauiſſimum exarſiſſet, rurſus Concilium ſuſpéſum & dilatum fuit: adnitente nimirum humani generis hoſte, aliaſque ex alijs difficultates & impedimenta objiciente, vt tantum Eccleſiæ commodum, quod prorſus auferre nõ poterat, ſaltem quàm diutiſſimè retardaret. Quantoperè verò interea auctæ fuerint & multiplicatæ ac propagatæ hæreſes, quantoperè ſchiſma creuerit, ſine maximo animi dolore nec meminiſſe poſſumus, nec referre. Sed tandem pius & miſericors Dominus, qui nunquam ita iraſcitur, vt miſericordię obliuiſcatur, regibus & principibus Chriſtianis pacem & vnanimitatem donare dignatus eſt. Qua nos occaſione oblata maximam in ſpem venimus, ipſius miſericordia freti, fore vt his tantis quoque Eccleſiæ malis eadem Concilij via finis imponatur. Nos itaque ad ſchiſma hæreſeſque tollendas, ad corrigendos & reformandos mores, ad pacem inter Chriſtianos Principes conſeruandam, celebrationem eius non eſſe duximus diutiùs differendam. Habita igitur cum Venerabilibus fratribus noſtris ſacræ R. Eccleſ. Cardinalibus deliberatione matura, factis etiam conſilij noſtri certioribus chariſſimis in Chriſto filijs noſtris, Ferdinando Romanorum Imperatore Electo, & alijs Regibus atque Principibus, quos quidem (ſicut de eorum ſumma pietate & ſapientia nobis pollicebamur) paratiſſimos ad ipſius Concilij celebrationem adiuuandam inuenimus ad DEI omnipotentis laudem, honorem & gloriam, atq; vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatem de eorundem fratrum noſtrorum cõſilio & aſſenſu, Sacrum œcumenicum & generale concilium ex authoritate eiuſdem Dei, & beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorum (qua nos quoque in terris fungimur) freti & ſubnixi, in ciuitate Tridentina ad ſacratiſſimum diem reſurrectionis Dominicæ proximè futurum indicimus & ibi celebrãdum, ſublata ſuſpenſione quacunque, ſtatuimus atque decernimus. Quocirca venerabiles fratres noſtros omnibus ex locis patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, & dilectos filios Abbates, cæteroſque, quibus in concilio generali ſedere & ſententiam dicere iure communi vel ex priuilegio, vel ex antiqua conſuetudine licet, vehementer in Domino hortamur & monemus, atq; etiam diſtrictè præcipiendo mandamus, in virtute ſanctæ obedientiæ, in vi quoque iuramenti quod præſtiterunt, & ſub pœnis, quas in eos, qui ad concilia generalia conuenire neglexerint, ſacris ſciunt eſſe Canonibus conſtitutas, vt ad concilium ibi celebrandum conueniant intra eam diem, niſi fortè impedimento fuerint legitimo præpediti: quod tamen impedimentum per legitimos procuratores Synodo probare debebunt. Monemus prætereà omnes & ſingulos, quorum intereſt intereſſeve poterit, vt in Concilio adeſſe ne negligant. Chariſſimos verò in Chriſto filios noſtros, Romanorum Imperatorem electum, cæteroſq; Reges & Principes, quos optandum ſanè eſſet concilio intereſſe poſſe, hortamur & rogamus, vt ſi ipſi intereſſe concilio non potuerint, Oratores ſuos prudentes, graues & pios viros vtiquè mittant, qui ipſorum nomine illi interſint, curentq; diligenter pro ſua pietate, vt ex eorum regnis atq; dominijs Prælati ſine recuſatione ac mora, tam neceſſario tempore Deo & Eccleſiæ officium ſuum præſtent: eoſdem etiam curaturos eſſe minimè dubitantes, vt per ipſorum regna & dominia tutum ac liberum iter Prælatis eorumq; familiaribus, comitib. & alijs omnibus ad concilium euntibus & ab illo redeuntibus pateat, benigneque ac comiter omnibus in locis recipiantur atque tractentur, ſicut (quod ad nos attinet) ipſi quoque curabimus: qui nihil omninò præmittere decreuimus, quod ad tam pium & ſalutare opus perficiendum à nobis in hoc loco conſtitutis præſtari poſſit: nihil, vt Deus ſcit, quęrentes aliud, nil propoſitum habentes in hoc Concilio celebrando, niſi honorem ipſius Dei, diſperſarum ouium reductionem ac ſalutem, & perpetuam Chriſtianæ Reipubl. tranquillitatem ac quietem. Vt verò hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad omnium quorum oportet, notitiam perueniant, nec quiſquam ea excuſatione vti poſſit, quòd illa ignorauerit: præſertim cùm non ad omnes, quos de his literis certiores fieri oporteret, tutus forſitan pateat aditus: volumus & mãdamus,

vt in Baſilica Vaticana principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranẽſi. tunc, cùm in eis populus vt Miſſarum ſolennibus interſit, congregari ſolet, palàm clara voce à Curiæ noſtræ curſoribus ſeu Notarijs aliquibus publicis recitentur, & poſtquàm recitatæ fuerint, ad valuas earum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito campi Floræ affigantur, ibique quò legi & omnibus innoteſcere poſſint, aliquandiu relinquantur. Cùm autem inde amouebuntur, earum exempla in ijſdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hãc, publicationem & affixionem, omnes & ſingulos, qui his literis compræhenduntur, poſt duos menſes à die publicationis & affixionis earum, volumus perinde adſtrictos & obligatos eſſe, ac ſi ipſiſmet illæ coràm editæ & lectæ fuiſſent. Tranſumptis quoque earum, quæ manu publici alicuius Notarij ſcripta ſubſcriptave, & ſigillo ac ſubſcriptione alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, vt ſine dubitatione vlla fides habeatur, mandamus atque decernimus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis, ſtatuti, decreti, præcepti, admonitionis & adhortationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1560. tertio Calend. Decem. Pontificatus noſtri anno primo.

Antonius Florebellus.

Barengus.

Ego Pius, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

SI MEI NON FVERINT

S. S.	P. P.
PI PP.	VS IIII.

DOMINATI,

... ERO

DNAL

...go R. Cardinalis de Carpo, Epiſcopus Portuen.
...go F. Cardin. Epiſcopus Tuſculanus.
...go Fed. Cardin. Cæſius Epiſc. Præneſtinus.
...go Io. Cardin. Moronus, Epiſc. Albanen.

...go Chriſtophorus Madrucius, Card. Trident.
...go Ottho Truchſes, Card. Auguſtanus.
...o B. de la Cueua, Card. S. Crucis.
...o Tiberius Card. Criſpus.
...o Ioan. Mich. Card. Saracenus.
...o Io. Card. S. Vitalis.
...o Io. And. Card. Meſſanen.
...o Iacobus Card. Puteus.
...o Io. B. Cicada, Card. S. Clementis.

...o Scipio, Card. Piſarum.
...o Io. Card. Romanus.
...o Io. Ant. Card. Capiſuccus.
... Thad. Card. Gaddus.
...o F. M. Card. Alexandrinus.
...o Clem. Card. Aræcœli.
... Iacob. Card. Sabellus.
... Io. Card. S. Georgij.

... A. Card. Farneſius, vicecancel.
... G. Aſ. Cardin. Camerarius.
... Hip. Card. Ferrarien.

...Iu. Card. Vrbin.

Ego Aloy Card. Cornelius.
Ego Hier. Card. Simoncellus:
Ego Vitellotius Card. Vitellius.
Ego Io. Card. de Medicis.
Ego Carolus Card. Borromæus.
Antonius Florebellus Lauellinus, Barengus.

Anno à natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo, Indictione tertia, die verò ſecunda menſis Decemb. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, Domini Pij, diuina prouidentia Papæ 4. Anno Pri. Retroſ. literæ Apoſtol. lectæ, affixæ & publicatæ fuerunt in locis ſupraſ. iuxta earum ſeriem & tenorem, & etiam vt moris eſt: & illis amoris, dimiſſis illarum copijs affixis per nos Bernardinum Andreutium, & Ioan. Andream Panizza Apoſtolicos Curſ. Petrus Valtrini magiſter Curſorum.

BREVE PII PAPÆ IV. SVPER ORDINE SEDENDI in Concilio, non habita ratione dignitatis primatialis.

DILECTI filij noſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut ea quæ pacem & concordiam nutriunt, pura mente ſemper inquirimus, ita ex debito noſtræ paſtoralis ſolicitudinis tenemur illa ſubmouere, quæ diſcordias ſuſcitare, & ſcandalum introducere poſſe videntur. Itaque ad tollendam omnem controuerſiam materiarum, quæ inter Prælatos, ad celebrationem ſacri Oecumeni & generalis Cõcilij in ciuitate Tridentina pro tempore congregatos, ſuper eorum præcedentia fortè iam ſunt exortæ, & indies oriri poſſunt: Volumus ac vobis per præſentes mandamus, vt omnes & ſingulos prælatos prædictos, videlicet venerabiles fratres patriarchas primo, ſecundo Archiepiſcopos, tertio autem loco Epiſcopos in quibuſuis actib. publicis ſecundùm gradum & ordinem ſuarum ad eorum Eccleſias promotionum (ita quòd, qui prius promotus ad eas fuerit, in ſuo quiſque ordine prior exiſtat) incedere, ſedere, ac locum habere (nũlla habita ratione ad ipſorum dignitates primatiales, ſiue veræ, ſiue prætenſæ illæ fuerint) authoritate noſtra faciatis, ſtudioſeque & diligenter curetis, atque pro veſtra prudentia ... tis, vt cunctà iſtic concordibus animis in virtute Spiritus ſancti cum Dei omnipotentis honore atq; timore, quietè feliciterque procedere valeant: non obſtantibus præmiſſis, & quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die vltima Decemb. M.D.LXII. pont. noſtri anno ſecundo.

DECLARATIO FACTA PER ILluſtriſſimos D.D. Legatos, ſuper Decreto Sanctiſſimi D.N.D. Pij PP. Quarti.

QVia dubitari poſſet, an ex prædicto Decreto ſanctiſſimi D.N. aliquod præiudicium generetur Primatibus ſupradictis in proprietate ſeu poſſeſſione ſuarum primatiarum ſiue verarum, ſiue prætenſarum: Nos Hercules tituli ſanctæ Mariæ nouæ de Mantua, Hieronymus tituli ſanctæ Suſannæ Seripandus, Stanislaus tituli ſancti Laurentij in Paliſperna, Varmienſis, ac Ludouicus tituli ſancti Cyriaci in Thermis Simonetta nuncupati S.R.E. Presbyteri Cardinales, ſacri Oecumenici Concilij Tridentini Præſidentes, & Apoſtolici de latere legati, declaramus quòd mens ſanctiſſimi D.N. & noſtra eſt, quòd per hoc decretum nulli ius de nouo acquiratur, nullique præiudicium generetur, nulliuſque ius in proprietate vel poſſeſſione lędatur, atque demum in omnibus & per omnia vnumquemque Primatem verum vel prætenſum, in eodem ſtatu poſt hoc Concilium remanere, in quo anteà permanebat.

SACRO-

SACROSANCTI OECVMENICI ET Generalis Concilij Tridentini,

SESSIO XVII.

Quæ eſt prima ſub Pio quarto, Pontifice Maximo, celebrata die XVIII. Ianuarij, M.D.LXII.

Decretum de celebrando Concilio.

ILLVSTRISSIMI & Reuerendiſſimi DD. Reuerendique Patres, Placet ne vobis ad laudem & gloriam ſanctæ ac indiuiduę Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Chriſtianæ, ſacrum Oecumenicum & generale Concilium Tridentinum, in Spiritu ſancto legitimè congregatum, ab hodierno die, qui eſt decimusoctauus menſis Ianuarij, anni à natiuitate Domini milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſecundi, Cathedræ Romanæ beati Petri Apoſtolorum Principis conſecrato, ſublata quacunque ſuſpenſione iuxta formam & tenorem literarum ſanctiſſimi D. N. Pij IV. Pont. Max. celebrari, & in eo ea debito ſeruato ordine tractari, quæ proponentibus Legatis ac Præſidentibus ad horum temporum leuandas calamitates, ſedādas de religione cōtrouerſias, coërcendas linguas doloſas, deprauatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram atq; Chriſtianam pacem cōciliandam, apta & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur? Reſponderunt, Placet.

Indictio futuræ Seſsionis.

Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini, Reuerendique Patres, Placet ne vobis proximam futuram Seſſionem habendam & celebrandam eſſe feria quinta poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ, quæ erit die 26. Menſis Februarij? Reſponderunt, Placet.

PROPOSITIO FACTA.

In prima præterita Seſſione declaratum eſt & communi omnium voto approbatum, pertractandum eſſe de eis, quæ neceſſaria videbuntur ad Catholicę fidei doctrinam ſtabiliēdam, atque morum integritatem reſtituendam.

Vt autem hæc, Deo duce, aggrediamur, viſum eſt magnoperè referre ad doctrinam de fide in ſuam puritatem reſtituenda, vt libri à varijs authoribus poſt exortas hæreſes ſcripti, atque etiam librorum cenſuræ in diuerſis locis à Catholicis editæ examinentur. De quibus quicquid ſancta Synodus ſtatuerit, tanquam ſacroſanctum decretum ſuo tempore publicabitur, vt ab omnibus abſque vlla tergiuerſatione cuſtodiatur. Super qua re quicumque pro eius faciliori expeditione aliquid afferre voluerint, libenter audientur.

Ad hæc ritè dijudicanda vt vocentur omnes ex decreto ſanctæ Synodi, conſentaneum fore exiſtimauimus, ad quos iſtarum rerum aliqua pertinere quoquo modo poteſt, ne deinceps inauditos ſe eſſe condemnatos * cenſeri poſſint.

* conqueri

Non ab re quoque putauimus eſſe, omnes qui in hæreſes quaſcunque lapſi ſunt, & adhuc irretiti ſunt, ad pœnitentiam inuitare, cum ſalui conductus ampla conceſſione, ac promiſſione magnæ & ſingularis clementiæ & benignitatis, modò redeant ad cor, & ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ poteſtātem agnoſcant.

Tam ſuper modo facilioris expeditionis examinis librorum & cenſurarum, quàm ſuper alijs quæ ſequuntur, Patres, poſtquàm huius ſcripti exemplum acceperint & conſiderauerint, dicant ſententias ſuas in ſequenti congregatione.

SESSIO XVIII.

Quæ eſt II. ſub Pio IV. Pont. Max. celebrata die 26. Februarij 1562.

Decretum de Librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica inuitandis.

SACROSANCTA œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſanctæ Apoſtolicæ ſedis Legatis, non humanis quidem viribus confiſa, ſed Domini noſtri Ieſu Chriſti (qui os & ſapientiam Eccleſiæ ſuę daturum ſe promiſit) ope & auxilio freta, illud præcipuè cogitat, vt Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter ſe diſſidentiū opinionib. pluribus locis inquinatam & obſcuratam, in ſuam puritatem & ſplendorem aliquando reſtituat, & mores, qui à veteri inſtituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem reuocet, corq; patrum ad filios, & cor filiorum ad patres conuertat. Cùm itaq; omnium primùm animaduerterit, hoc tempore ſuſpectorum ac pernicioſorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longè lateq; diffunditur, numerum nimis excreuiſſe (quod quidē in cauſa fuit, vt multæ cenſuræ in varijs prouincijs, & præſertim in alma vrbe Roma pio quodam zelo editæ fuerint) neque tamen huic tam magno ac pernicioſo morbo ſalutarem vllam profuiſſe medicinam, cenſuit, vt delecti ad hanc diſquiſitionem patres de cenſuris libriſque quid facto opus eſſet, diligenter conſiderarent, atq; etiam ad eandem ſanctam ſynodum ſuo tempore referrent, quò facilius ipſa poſſit varias & peregrinas doctrinas, tanquàm zizania à Chriſtianæ veritatis tritico ſeparare, deq; his commodiùs deliberare & ſtatuere, quæ ad ſcrupulū ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum cauſas magis opportuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcunque deducta eſſe vult, prout etiā præſenti decreto deducit, vt ſi quis ad ſe pertinere aliquo modo putauerit, quæ vel de hoc librorum & cenſurarum negocio, vel de alijs, quæ in hoc generali Cōcilio tractanda prędixit, non dubitet à ſancta ſynodo ſe benignè auditum iri.

Quoniam verò eadem ſancta Synodus ex corde optat, Deumque enixè rogat, quæ ad pacem ſunt Eccleſiæ, vt vniuerſi communem Matrem in terris agnoſcentes, (quę quos peperit obliuiſci non poteſt) vnanimes, vno ore glorificemus Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti: per viſcera miſericordiæ eiuſdem Dei & Domini noſtri, omnes, qui nobiſcū communionem non habent, ad concordiam & reconciliationem, & vt ad hanc ſanctam ſynodum veniant, inuitat atque hortatur, vtq; charitatem, quod eſt vinculum perfectionis, amplectantur, pacemq; Chriſti exultantem in cordibus ſuis præ ſe ferant, in quam vocati ſunt in vno corpore. Hanc ergò non humanam, ſed Spiritus ſancti vocem audientes, ne obdurent corda ſua: ſed in ſuo ſenſu non ambulantes, neque ſibi placētes ad tam piam & ſalutarem Matris ſuæ admonitionem excitentur & conuertantur. Omnibus enim charitatis officijs ſancta Synodus eos vt inuitat, ita complectetur.

Inſupèr eadem ſancta Synodus decreuit, fidem publicam in congregatione generali concedi poſſe, & eandem vim habituram, eiuſdemq; roboris & momenti futuram, ac ſi in publica Seſſione data & decreta fuiſſet.

Indictio futuræ Seſsionis.

EAdem ſacroſancta Synodus Tridentina, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſtatuit & decernit, proximam futurā Seſſionem habendam & celebrandam eſſe feria quinta poſt ſacratiſſimum feſtum Aſcenſionis Domini, quæ erit die 14. menſ. Maij.

SALVVS CONDVCTVS CONCESSVS

Germanicæ nationi, in congregatione generali, die 4. Mart. 1562.

SAcroſancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legatis, vniuerſis fidem facit,

quòd omnibus & ſingulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus, popularibus, & alijs quibuſcunque viris cuiuſcunq; ſtatus & conditionis aut qualitatis exiſtant, Germanicæ prouinciæ & nationis, ciuitatibus ac alijs locis eiuſdem, & omnibus alijs Eccleſiaſticis & ſecularibus, præſertim Auguſtanæ confeſſionis perſonis, qui aut quæ vnà cum ipſis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi ſunt, aut hucuſque venerunt, quocunque nomine cenſeantur aut valeant nuncupari, tenore præſentium publicam fidem & pleniſſimam veriſſimamq́ue ſecuritatem, quam ſaluum conductum appellant, liberè ad hanc Tridentinam ciuitatem veniendi, ibidemq́ue manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, vnà cum ipſa Synodo de quibuſcunque negocijs tractandi, examinandi, diſcutiendi, & omnia quæcunque ipſis libuerit, ac articulos quoslibet tam ſcripto quàm verbo liberè offerendi, propalandi, eoſq́ue ſcripturis ſacris & beatorum Patrum verbis, ſententijs & rationibus declarandi, adſtruendi, & perſuadendi, &, ſi opus fuerit, etiam ad obiecta Concilij generalis reſpondendi, & cum ijs, qui à Concilio delecti fuerint, diſputandi, aut charitatiuè abſque omni impedimento conferendi, opprobrijs, conuicijs ac contumelijs penitùs remotis: & ſignanter, quòd cauſæ controuerſę ſecundùm ſacram ſcripturam & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum authoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur: illo etiam addito, vt religionis prætextu, aut delictorum circa eam commiſſorum aut committendorum minimè puniantur, impertitur ac omninò concedit: ſic etiam, vt propter illorum præſentiam, neque in itinere, aut quocumque locorum eundo, manendo aut redeundo, nec in ipſa ciuitate Tridẽtina à diuinis officijs quouis modo ceſſetur: & vt his peractis vel non peractis, quandocunque ipſis libuerit, aut maiorum ſuorum mandato & aſſenſu ad propria reuerti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox abſque vlla retinentia & occaſione aut mora, ſaluis rebus eorum & ſuorum pariter honore & perſonis, vice verſa, poſſint iuxta beneplacitum liberè & ſecurè redire, de ſcientia tamẽ ab eadem Synodo deputandorum, vt tunc opportunè eorum ſecuritati abſque dolo & fraude prouideatur. Vult etiam ſancta Synodus, in hac publica fide ſaluoq́ue conductu omnes quaſcunq; clauſulas includi & contineri, ac pro incluſis haberi, quæ pro plena, efficaci & ſufficienti ſecuritate ineundo, ſtando ac redeundo neceſſariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam ad maiorem ſecuritatem, & pacis ac conciliationis bonum exprimẽs, quòd ſi quiſpiam, aut illorum aliqui, ſiue in itinere Tridentinum veniendo, ſiue ibidem morãdo, aut redeundo, aliquod enorme (quod abſit) egerint aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficium eis conceſſum annullari, aut caſſari vult & concedit, vt in huiuſmodi facinore depræhenſi, ab ipſis dumtaxat & non ab alijs, condigna animaduerſione, cum emenda ſufficienti, per partem ipſius Synodi meritò approbanda & laudanda, mox puniantur, illorum aſſecurationis forma, conditionibus & modis omninò manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, vt ſi quiſquam vel aliqui ex ipſa Synodo, ſiue in itinere, aut manendo, aut redeundo aliquod enorme (quod abſit) egerint, aut commiſerint, quo poſſet huius fidei publicæ & aſſecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli, in huiuſmodi facinore depræhenſi, ab ipſa Synodo dumtaxat, & non ab alijs, condigna animaduerſione & emenda ſufficienti, per partem Dominorum Germanorum Auguſtanæ Confeſſionis tunc hic præſentium meritò laudanda & approbanda, mox puniantur, præſenti aſſecurationis forma, conditionibus & modis omninò manentibus illibatis. Vult prætereà ipſa Synodus, quòd liceat ipſis Ambaſitoribus omnib. & ſingulis totiès quotieſcunque opus fuerit, ſeu neceſſarium, ad auram capiendam exire de ciuitate Tridentina, & reuerti ad eandem, necnon nuncium vel nuncios ſuos ad quæcunque loca, pro ſuis neceſſarijs negocijs ordinandis, liberè mittere, ſeu deſtinare, ac ipſos miſſos, ſeu deſtinatos, ſeu miſſum & deſtinatum ſuſcipere toties quotieſcis videbitur expedire, ita quòd aliqui vel aliquis per deputandos Concilij ſocientur, qui eorum ſecuritati prouideant, vel prouideat. Qui quidem ſaluus conductus & ſecuritates ſtare ac durare debeant, & à tempore & per tempus quo in ipſius Synodi & ſuorum tuitionis curam ipſos ſuſcipi contigerit, & vſque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mãſionis eorũ ibidem; & rurſum poſt ſufficiẽtem audiẽtiam habitam, ſpatio 20. dierum pręmiſſo, cùm ipſi petierint, aut Concilium, habita huiuſmodi audientia, ipſis receſſum indixerit, à Tridento vſq; in quem quiſque elegerit ſibi locum tutum, Deo fauente reſtituet, dolo & fraude prorſus excluſis. Quæ quidem omnia pro vniuerſis & ſingulis Chriſtifidelibus pro omnibus principibus tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus quibuſcumque, atque omnibus alijs Eccleſiaſticis ac ſecularibus perſonis, cuiuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, aut quocumque nomine cenſeantur, inuiolabiliter obſeruanda eſſe promittit & bona fide ſpondet. Inſuper omni fraude & dolo excluſis, vera & bona fide promittit, ipſam Synodum nullam vel manifeſtè, vel occultè occaſionem quæſituram, aut aliqua authoritate, potentia, iure, vel ſtatuto, priuilegio Legum vel Canonum, aut quorumcunq; Conciliorum, præſertim Conſtantien. & Senen. quacunque forma verborum expreſſa, in aliquod huius fidei publicæ & pleniſſimæ aſſecurationis, ac publicæ & liberæ audientiæ, ipſis per ipſam Synodum conceſſæ, præiudicium quouis modo vſuram, aut quemquam vti permiſſuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quòd ſi ſancta Synodus aut aliquis ex ea vel ſuis, cuiuſcumque conditionis, vel ſtatus, aut præeminentiæ exiſtens, præſcriptæ aſſecurationis & ſalui conductus formam & modum in quocunque puncto, vel clauſula violauerit, quod tamen auertere dignetur Omnipotens, & ſufficiens emenda nõ fuerit mox ſubſecuta, & ipſorum arbitrio meritò approbanda & laudanda habeant ipſam Synodum & habere poterunt incidiſſe in omnes pœnas, quas iure diuino & humano aut conſuetudine, huiuſmodi ſaluorum conductuum violatores incurrere poſſunt, abſque omni excuſatione aut quauis in hac parte contradictione.

Extenſio ad alias nationes.

EAdem ſacroſancta Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis: omnibus & ſingulis alijs qui nobiſcum in ijs, quæ ſunt fidei, communionem non habent, ex quibuſcumq; regnis, nationibus, prouincijs, ciuitatibus ac locis, in quibus publicè & impunè prædicatur vel docetur, ſiue creditur contrarium eius: quod ſancta Rom. ſentit Eccleſia, dat fidem publicã ſiue ſaluum cõductum ſub eadem forma & eiſdem verbis, quibus datur Germanis.

SESSIO XIX.

Quæ eſt III. ſub Pio IV. Pontif. Max. celebrata die 14. Maij, 1562.

Decretum prorogationis Seſſionis.

SACROSANCTA Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis legatis, Decreta ea quæ hodie in præſenti Seſſione ſtatuenda ac ſanciendа erant, iuſtis nonnullis ac honeſtis cauſis in feriam quintam poſt proximam ſolennitatem corporis Chriſti (quæ erit pridie Nonas Iunij) proroganda eſſe cenſuit ac prorogat, dictaq́; die Seſſionem habendã eſſe ac celebrandam, omnibus indicit. Interea rogandus eſt Deus & Pater D.N. Ieſu Chriſti, author pacis, vt ſanctificet corda omnium, quo adiuuante ſancta Synodus & nunc & ſemper meditari atque peragere valeat, quæ ad eius laudem & gloriam pertineant.

SESSIO XX.

Quæ eſt 4. ſub Pio IV. Pontif. Max. celebrata die 4. Iunij, 1562.

Decretum prorogationis Seſſionis.

SACROSANCTA Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis legatis, propter varias difficultates ex diuerſis cauſis exortas, atque etiã vt congruentius maioriq; cum deliberatione omnia procedant, nempe vt dogmata cum ijs, quæ ad reformationem ſpectant, ſimul tractentur, & ſanciantur ea quæ ſtatuenda videbantur, tam de Reformatione, quàm de dogmatibus, in proxima Seſſione, quã omnibus indicit in diem ſextamdecimam ſubſequentis menſis Iulij, diffinienda eſſe decreuit: Hoc tamen adiecto, quòd dictum terminum ipſa ſancta Synodus, pro eius arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Cõcilij putauerit expedire, etiam in generali cõgregatione reſtringere & prorogare liberè poſſit & valeat.

SESSIO XXI.

Quæ eſt V. ſub Pio IIII. Pontif. Max. celebrata die 16. Iulij, 1562.

DOCTRINA DE COMMVNIONE SVB vtraque ſpecie, & paruulorum.

PROOEMIVM.

SACROSANCTA Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis legatis, cùm de tremendo & ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento varia diuerſis in locis errorũ monſtra nequiſſimi dæmonis artibus circunferantur, ob quæ in nonnullis Prouincijs multi à Catholicæ Eccleſiæ fide atque obedientia videantur diſceſſiſſe, cenſuit ea, quæ ad Communionem ſub vtraque ſpecie, & paruulorum pertinent, hoc loco exponenda eſſe. Quapropter cunctis Chriſtifidelibus interdicit, ne poſthac de eis aliter vel credere, vel docere, vel prædicare audeant, quàm eſt ijs Decretis explicatum atque definitum.

LAICOS, ET CLERICOS NON CONFICIENTES, non adſtringi iure diuino ad Communionem ſub vtraque ſpecie.

CAP. I.

ITaque ſancta ipſa ſynodus, à Spiritu ſancto (qui ſpiritus eſt ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & pietatis) edocta, atque ipſius Eccleſiæ iudicium & conſuetudinem ſequuta, declarat ac docet, nullo diuino præcepto laicos & clericos non conficientes, obligari ad Euchariſtiæ ſacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum: neque vllo pacto ſalua fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat. Nam etſi Chriſtus Dominus in vltima Cœna venerabile hoc ſacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit: non tamen illa inſtitutio & traditio eo tendunt, vt omnes Chriſtifideles ſtatuto Domini ad vtranque ſpeciem accipiendam aſtringantur. Sed neque ex ſermone illo apud Ioannem ſexto rectè colligitur, vtriuſque ſpeciei Communionem à Domino præceptam eſſe, vtcũque iuxta varias ſanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur. Nanq; qui dixit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: dixit quoq;, Si quis manducauerit, ex hoc pãne, viuet in æternum. Et qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: dixit etiam, Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Et deniq; qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: dixit nihilominus, Qui manducat hũc panem, viuet in æternum.

Iſa. 11.

Matth. 26 Marc 14. Luc. 22.

Ioan. 6.

Eccleſiæ poteſtas circa diſpenſationem ſacramenti Euchariſtiæ.

CAP. 2.

PRæterea declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in ſacramentorum diſpẽſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire iudicaret. Id autem Apoſtolus non obſcurè viſus eſt innuiſſe, cùm ait: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Atque ipſum quidem hac poteſtate vſum eſſe ſatis conſtat, cùm in multis alijs, tum in hoc ipſo ſacramento, cùm ordinatis nonnullis circa eius vſum, Cætera, inquit, cùm venero, diſponam. Quare agnoſcens ſancta mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione ſacramentorum authoritatem, licet ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens vtriuſque ſpeciei vſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis latiſſimè iam mutata illa conſuetudine, grauibus & iuſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbauit, & pro lege habendam decreuit: quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ authoritate pro licito mutare non licet.

1. Cor. 14.

1. Cor. 11.

Totum & integrum Chriſtum, ac verum ſacramentum ſub qualibet ſpecie ſumi.

CAP. 3.

INſuper declarat, quamuis redemptor noſter (vt antea dictum eſt) in ſuprema illa Cœna hoc ſacramẽtum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & Apoſtolis tradiderit, tamen fatendum eſſe, etiam ſub altera tantùm ſpecie, totum atq; integrum Chriſtum verumq; ſacramentum ſumi. Ac proptereà, quòd ad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt.

1. Cor. 11.

Paruulos non obligari ad communionem ſacramentalem.

CAP. 4.

DEnique eadem ſancta Synodus docet, paruulos vſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem. Siquidem per Baptiſmi lauacrum regenerati & Chriſto incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neq; ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdã locis aliquando ſeruauit. Vt enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius tẽporis ratione habuerunt, ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controuerſia credendum eſt.

Tit. 3.

DE COMMVNIONE SVB VTRAque ſpecie, & Paruulorum.

CANON I.

SI quis dixerit, ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes & ſingulos Chriſtifideles vtraq; ſpeciẽ ſanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti ſumere debere, Anathema ſit.

CAN. 2.

Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam non iuſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, vt laicos, atque etiam

ed by Google

clericos non conficientes, ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, Anathema ſit.

Can. 3.

Si quis negauerit totum & integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem & authorem, ſub vna panis ſpecie ſumi, quia (vt quidam falsò aſſerunt) non ſecundum ipſius Chriſti inſtitutionem ſub vtraq; ſpecie ſumatur, Anathema ſit.

Can. 4.

Si quis dixerit, paruulis antequam ad annos diſcretionis peruenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, Anathema ſit.

Duos verò articulos aliàs propoſitos hos nondum tamē excuſſos, videlicet;

An rationes quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, vt communicaret laicos atque etiam non celebrantes ſacerdotes ſub vna tantùm panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione calicis vſus cuiquam ſit per mittendus: &,

An ſi honeſtis & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel Nationi, vel Regno Calicis vſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit, & quænam ſint illæ.

Eadem ſancta Synodus in aliud tēpus oblata ſibi quāprimùm occaſione, examinandos atque definiendos reſeruat.

DECRETVM DE REFORmatione.

PROOEMIVM.

EAdem ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legatis, ad Dei omnipotentis laudem, & ſanctæ Eccleſiæ ornamentum, ea quę ſequuntur, de reformationis negocio in præſenti ſtatuenda eſſe cenſuit.

Cap. I.

QVoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis auaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcunque ordinum; etiam clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſorijs aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo nec alia quacunque de cauſa, etiam ſponte oblatū, epiſcopi & alij ordinum collatores, aut eorum miniſtri quouis prætextu accipiant. Notarij verò in his tantùm locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis literis dimiſſorijs aut teſtimonialibus, decimam tantùm vnius aurei partem accipere poſſint, dummodò eis nullum ſalarium ſit cōſtitutum pro officio exercendo: nec epiſcopis ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eiſdem ordinum collationibus directè vel indirectè prouenire poſſit. Tūc enim gratis operam ſuam eos præſtare omninò teneri decernit, contrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines etiam immemorabiles, quorumcunque locorum (quæ potius abuſus & corruptelæ, ſimoniacæ prauitati fauentes, nuncupari poſſunt) penitus caſſando & interdicendo: & qui ſecùs fecerint, tam dantes quàm accipiētes, vltra diuinam vltionem, pœnas à iure inflictas ipſo facto incurrant.

Cap. 2.

Cùm nō deceat eos, qui diuino miniſterio aſſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere: compertumque ſit, quamplures pleriſque in locis ad ſacros ordines nullo ferè delectu admitti, qui varijs artibus ac fallacijs cōfingunt ſe beneficium eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: ſtatuit ſancta Synodus, ne quis deinceps clericus ſecularis (quamuis alias ſit idoneus moribus, ſcientia & ætate) ad ſacros ordines promoueatur, niſi prius legitimè conſtet, eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. Id verò beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum ſit promotus. Neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito quod aliundè viuere cōmodè poſſit: & aliter facta reſignatio, nulla ſit. Patrimonium verò vel penſionem obtinentes, ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus iudicauerit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarū ſuarum: eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium Eccleſiaſticū ſufficiens ſint adepti, vel aliundè habeant vnde viuere poſſint, antiquorum Canonum pœnas ſuper his innouando.

Cap. 3.

Cùm beneficia ad diuinum cultum atque Eccleſiaſtica munia obeunda ſint conſtituta, ne qua in parte minuatur diuinus cultus, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequiū præſtetur, ſtatuit ſancta Synodus, in Eccleſijs tam cathedralibus quàm collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, vt veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum & quorumcunque prouentuum & obuentionum, tam dignitatum quàm Canonicatuum, perſonatuum, portionum & officiorum ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas conuerti: quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros diuinis interſſentes proportionabiliter iuxta diuiſionem ab Epiſcopo, etiam tanquàm Apoſtolicæ ſedis delegato, in ipſa prima fructuum deductione facienda, diuidantur: ſaluis tamen conſuetudinibus earum Eccleſiarum, in quibus non reſidentes, ſeu non ſeruientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt: non obſtantibus exemptionibus ac alijs conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, & appellationibus quibuſcunque: Creſcenteque non ſeruientium contumacia, liceat contra eos procedere iuxta Iuris ac ſacrorum Canonum diſpoſitionem.

Cap. 4.

Epiſcopi etiam, tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati, in omnibus Eccleſijs parochialibus vel baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, vt vnus rector nō poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui diuino peragendo, cogant rectores vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot ſacerdotes ad hoc munus adiungere, quot ſufficiant ad ſacramenta exhibenda, & cultum diuinū celebrandum. In ijs verò, in quibus ob locorum diſtantiam ſiue difficultatem parochiam ſine magno incommodo ad percipienda ſacramenta & diuina officia audienda accedere non poſſunt, nouas parochias etiam inuitis rectoribus iuxta formam cōſtitutionis Alexandri Tertij (quæ incipit, Ad audientiam) conſtituere poſſint. Illis autem ſacerdotibus, qui de nouo erunt Eccleſijs nouiter erectis præficiendi, cōpetens aſſignetur portio, arbitrio Epiſcopi, ex fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocunque pertinentibus: & ſi neceſſe fuerit, compellere poſſit populum ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam dictorum ſacerdotum ſuſtentandā, quacunque reſeruatione generali vel ſpeciali, vel affectione ſuper dictis Eccleſijs non obſtantibus. Neque huiuſmodi ordinationes & erectiones poſſint tolli, nec impediri ex quibuſcunque prouiſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſuis alijs derogationibus vel ſuſpenſionibus.

Cap. 5.

Vt etiam Eccleſiarum ſtatus, vbi ſacra Deo officia miniſtrantur, ex dignitate conſeruetur, poſſint Epiſcopi, etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati, iuxta formam iuris, ſine tamen præiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quarumcunq; Eccleſiarum parochialium & baptiſmalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cū curatis, propter earum paupertatem, & in cæteris caſibus à iure permiſſis, etiam ſi dictæ Eccleſiæ vel beneficia eſſent generaliter vel ſpecialiter reſeruata, aut qualitercunq; affecta. Quæ vniones etiam non poſſint reuocari, nec quoquo modo infrin-

do infringi vigore cuiuſcunque prouiſionis, etiam ex cauſa reſignationis, aut derogationis, aut ſuſpenſionis.

CAP. 6.

Quia illiterati & imperiti parochialium Eccleſiarum Rectores, ſacris minus apti ſunt officijs, & alij propter eorum vitæ turpitudinem potiùs deſtruunt, quàm ædificant, Epiſcopi, etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati, eiſdem illiteratis & imperitis, ſi alias honeſtę vitę ſint, coadiutores aut Vicarios pro tempore deputare, partemq; fructuum eiſdē pro ſufficienti victu aſſignare, vel aliter prouidere poſſint, quacunq; appellatione & exemptione remota. Eos verò, qui turpiter & ſcandaloſè viuunt, poſtquàm præmoniti fuerint, coerceant ac caſtigent: Et ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeuerant, eos beneficijs, iuxta ſacrorum canonum conſtitutiones, exemptione & appellatione quacunque remota, priuandi facultatem habeant.

CAP. 7.

Cùm illud quoque valdè curandum ſit, ne ea, quæ ſacris miniſterijs * dicata ſunt, temporum iniuria obſoleſcant, & ex hominum memoria excedant, Epiſcopi, etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati, transferre poſſint beneficia ſimplicia (etiam iuris patronatus) ex Eccleſijs, quæ vetuſtate vel aliàs collapſæ ſint, & ob eorum inopiā nequeant inſtaurari; vocatis ijs quorum intereſt, in matrices, aut alias Eccleſias locorum eorundem, ſeu viciniorum, arbitrio ſuo: atq; in eiſdem Eccleſijs erigant altaria vel capellas ſub eiſdem inuocationibus: vel in iam erecta altaria, vel capellas transferant, cum omnibus emolumentis & oneribus, prioribus Eccleſijs impoſitis. Parochiales verò Eccleſias, etiam ſi iuris patronatus ſint, ita collapſas refici & inſtaurari procurent ex fructibus & prouentibus quibuſcunque, ad eaſdem Eccleſias quomodocunque pertinentibus. Qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes patronos & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſijs prouenientes percipiunt, aut in illorum defectum, parochianos omnibus remedijs opportunis ad prędicta cogant, quacunque appellatione, exemptione & contradictione remota. Quòd ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad matrices ſeu viciniores Eccleſias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quàm alias Eccleſias dirutas, in prophanos vſus non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, conuertendi.

*dedicata

CAP. 8.

Quæcunque in Diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab ordinario diligenter curari, atq; ijs, vbi oportet, prouideri æquum eſt. Propterea commendata monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus nō viget Regularis obſeruantia, necnon beneficia tam curata quam non curata, ſecularia & regularia qualitercunq; commendata, etiam exempta ab epiſcopis, etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis delegatis, annis ſingulis viſitentur: curentque ijdem Epiſcopi congruentibus remedijs, etiam per ſequeſtrationem fructuum, vt quæ renouatione indigent aut reſtauratione, reficiantur, & cura animarum, ſi qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obſequia rectè exerceantur, appellationibus quibuſcunque, priuilegijs, cōſuetudinibus, etiam immemorabili tempore præſcriptis, conſeruatorijs, iudicum deputationibus, & eorum inhibitionibus, non obſtantibus: & ſi in eis vigeret obſeruantia regularis, prouideant Epiſcopi paternis admonitionibus, vt eorum Regularium ſuperiores, iuxta eorum regularia inſtituta, debitam viuendi rationem obſeruent & obſeruari faciant, & ſibi ſubditos in officio contineant ac moderentur. Quòd ſi admoniti, intra ſex menſes eos non viſitauerint vel correxerint, tunc ijdem Epiſcopi, etiam vt delegati ſedis Apoſtolicæ, eos viſitare poſſint & corrigere, prout ipſi ſuperiores poſſent iuxta eorum inſtituta: quibuſcunque appellationibus, priuilegijs & exemptionibus penitus remotis, & non obſtantibus.

CAP. 9.

Cùm multa à diuerſis anteà Concilijs, tam Lateraneſ Lugduneñ. quàm Vienneñ. aduerſus prauos eleemoſy rum Quæſtorum abuſus remedia tunc adhibita, poſteri bus temporibus reddita fuerint inutilia, potiuſque eor malitia ita quotidiè magno fidelium omnium ſcandal querela exreſcere deprehendatur, vt de eorum emenda one nulla ſpes ampliùs relicta videatur: ſtatuit, vt poſthac quibuſcunq; Chriſtianę Religionis locis eorum nomen que vſus penitùs aboleatur, nec ad officium huiuſmodi e ercendum vllatenùs admittantur, non obſtantibus priui gijs, Eccleſijs, Monaſterijs, Hoſpitalibus, pijs locis, & qu buſuis, cuiuſcunq; gradus, ſtatus & dignitatis perſonis co ceſſis, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Indu gentias verò aut alias ſpirituales gratias, quibus non id Chriſtifideles decet priuari, deinceps per ordinarios loc rum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus p pulo publicandas eſſe decernit: Quibus etiam eleemoſyn atque oblata ſibi charitatis ſubſidia, nulla prorſus merce accepta, fideliter colligendi facultas datur, vt tandem cæl ſtes hos Eccleſiæ theſauros non ad quæſtū, ſed ad pietate exerceri omnes verè intelligant.

Indictio futuræ Seſſionis.

EAdem ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentin Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſi dentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis legatis, ſtatuit & decreuit proximam futuram Seſſionem habendā & celebrandam eſſe feria quinta poſt octauam feſti Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis, quæ erit decimaſeptima menſis Septembris proximè futuri: Hoc tamen adiecto, quòd dictum terminum ac cuicunque Seſſioni in poſterum præfigendum, ipſa ſancta Synodus pro eius arbitrio & voluntate, ſicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in generali congregatione reſtringere & prorogare liberè poſſit & valeat.

SESSIO XXII.

Quæ eſt VI. ſub Pio IIII. Pontif. Max. celebrata die 17. Septemb. 1562.

Doctrina de ſacrificio Miſſæ.

SACROSANCTA Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis: vt vetus, abſoluta atque omni ex parte perfecta de magno Euchariſtiæ myſterio in ſancta Catholica Eccleſia fides atque doctrina retineatur, & in ſua puritate propulſatis erroribus atque hæreſibus, conſeruetur, de ea quatenùs verum & ſingulare ſacrificium eſt, Spiritus ſancti illuſtratione edocta, & hæc quæ ſequuntur docet, declarat & fidelibus populis prędicanda decernit.

CAP. I.

QVoniam ſub priori teſtamento, teſte Apoſtolo Paulo, propter Leuitici ſacerdotij imbecillitatem cōſummatio non erat, oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, ſacerdotem alium ſecūdum ordinem Melchiſedech ſurgere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui poſſet omnes quotquot ſanctificandi eſſent, cōnſummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & Dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat, in Cœna nouiſſima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ ſuæ ſponſæ Eccleſię viſibile, ſicut hominum natura exigit, re-

git, relinqueret ſacrificium, quo cruentũ illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur, eiuſq; memoria in finem vſq; ſeculi permaneret, atq; illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur, ſacerdotem ſecũdum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis Apoſtolis quos tunc noui Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit, & eiſdem eorumq; in ſacerdotio ſucceſſoribus vt offerrent præcepit, per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem: vti ſemper Eccleſia Catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri Paſcha, (quod in memoriã exitus de Ægypto multitudo filiorũ Iſraël immolabat) nouum inſtituit Paſcha ſeipſum, ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriã tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionẽ nos redemit, atque eripuit de poteſtate tenebrarum, & in regnum ſuum tranſtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiã nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit, & quam non obſcurè innuit Apoſtolus Paulus, Corinthijs ſcribens, cùm dicit, non poſſe eos, qui participatione menſæ dæmoniorũ polluti ſunt, menſæ Domini participes fieri: per menſam, altare vtrobiq; intelligẽs. Hæc deniq; illa eſt, quæ per varias ſacrificiorum Naturæ & legis tempore ſimilitudines figurabatur, vtpotè quæ bona omnia per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio & perfectio, complectitur.

Cap. 2.

Et quoniam in diuino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit, docet ſancta Synodus ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt ſi cum vero corde & recta fide, cũ metu & reuerentia, contriti ac pœnitentes ad Deũ accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Vna enim eademq; eſt hoſtia, idemque nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa. Cuius quidem oblationis (cruentæ, inquam) fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur: tantum abeſt, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & alijs neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenũ purgatis, ritè iuxta Apoſtolorũ traditionẽ, offertur.

Cap. 3.

Et quamuis in honorem & memoriam ſanctorum, nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueuerit, non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronauit. Vndè nec ſacerdos dicere ſolet, Offero tibi ſacrificium Petre vel Paule: ſed Deo de illorum victorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat, vt ipſi pro nobis intercedere dignẽtur in cælis, quorum memoriã facimus in terris.

Cap. 4.

Et cùm ſancta ſanctè adminiſtrari conueniat, ſitque hoc omnium ſanctiſſimum ſacrificium, Eccleſia Catholica vt dignè reuerenterq; offerretur ac perciperetur, ſacrum Canonem multis antè ſeculis inſtituit, ita ab omni errore purũ, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè ſanctitatem & pietatem quandam redoleat, menteſq; offerentiũ in Deũ erigat. Id enim conſtat cùm ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum quoq; Pontificum pijs inſtitutionibus.

Cap. 5.

Cumq; natura hominum ea ſit, vt non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem ſuſtolli, proptereà pia mater Eccleſia ritus quoſdam, vt ſcilicet quædam ſummiſſa voce, alia verò elatiore in Miſſa pronunciarentur, inſtituit: Cæremonias item adhibuit, vt myſticas benedictiones, lumina, Thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina & traditione: quò & maieſtas tanti ſacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna, ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Cap. 6.

Optaret quidem ſacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos huius ſanctiſſimi ſacrificij fructus vberior proueniret: nec tamen ſi id non ſemper fiat, proptereà Miſſas illas, in quibus ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat, vt priuatas & illicitas damnat, ſed probat, atq; adeò cõmendat. Siquidem illæ quoq; Miſſæ verè communes cenſeri debent, partim quòd in eis populus ſpiritualiter cõmunicet: partim verò quòd à publico Eccleſiæ miniſtro non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur.

Cap. 7.

Monet deinde ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia ſacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent: tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam, quia è latere eius aqua ſimul cum ſanguine exierit: quod ſacramentum hac mixtione recolitur, & cùm aquę in Apocalypſi beati Ioannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto vnio repræſentatur.

Cap. 8.

Etſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, vt vulgari lingua paſſim celebraretur. Quamobrem retento vbique cuiuſque Eccleſiæ antiquo & à ſancta Romana Eccleſia, omnium eccleſiarum matre & magiſtra, probato ritu, ne oues Chriſti eſuriant, neve paruuli panem petant, & non ſit, qui frangat eis: mandat ſancta ſynodus Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, vt frequẽter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe vel per alios ex ijs, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera ſanctiſſimi huius ſacrificij myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis & feſtis.

Cap. 9.

Quia verò aduerſus veterem hanc in ſacroſancto Euangelio, Apoſtolorum traditionibus, ſanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem hoc tempore multi diſſeminati ſunt errores, & multa à multis docentur atque diſputantur: ſacroſancta Synodus poſt multos graueſq; his de rebus maturè habitos tractatus, vnanimi Patrum omnium conſenſu, quæ huic puriſſimæ fidei ſacræque doctrinæ aduerſantur, damnare & à ſancta Eccleſia eliminare per ſubiectos hos Canones conſtituit.

De ſacrificio Miſſa.

Canon. I.

Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium ſacrificium, aut quòd offerri non ſit aliud, quàm nobis Chriſtum ad manducandum dari. Anathema ſit.

Can. 2.

Luc. 22. Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos ſacerdotes, aut non ordinaſſe, vt ipſi alijq; ſacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum, Anathema ſit.

Can. 3.

Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tãtùm eſſe laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſoli prodeſſe ſumenti: neque pro viuis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus & alijs neceſſitatibus offerri debere, Anathema ſit.

Can. 4.

Si quis dixerit, blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo Chriſti ſacrificio in Cruce peracto, per Miſſæ ſacrificium, aut illi per hoc derogari, Anathema ſit.

Can. 5.

Si quis dixerit, impoſturam eſſe Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deũ obtinenda, ſicut Eccleſia intendit, Anathema ſit.

Can. 6.

Si quis dixerit, Canonem Miſſæ errores continere, ideóque abrogandum eſſe, Anathema ſit.

Can. 7.

Si quis dixerit, cæremonias, veſtes & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica vtitur, irritabula impietatis eſſe magis quam officia pietatis, Anathema ſit.

Can. 8.

Si quis dixerit Miſſas, in quibus ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas, Anathema ſit.

Can. 9.

Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſummiſſa voce pars Canonis & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut lingua tantùm vulgari Miſſam celebrari debere, aut aquam non miſcendam eſſe vino in Calice offerendo, eo quòd ſit contra Chriſti inſtitutionem, Anathema ſit.

DECRETVM DE OBSERVANDIS ET euitandis in celebratione Miſſæ.

Quanta cura adhibenda ſit, vt ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quiuis facilè exiſtimare poterit, qui cogitarit maledictum in ſacris literis eum vocari, qui opus Dei facit negligenter. (Hier. 48.) Quòd ſi neceſſariò fatemur, nullum aliud opus adeò ſanctum ac diuinum à Chriſtifidelibus tractari poſſe, quam hoc ipſum tremendum myſterium, quo viuifica illa hoſtia, qua Deo patri reconciliati ſumus, in altari per Sacerdotes quotidiè immolatur: ſatis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, vt quanta maxima fieri poteſt, interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori deuotionis ac pietatis ſpecie peragatur. Cùm igitur multa iam ſiue temporum vitio, ſiue hominum incuria & improbitate irrepſiſſe videantur, quę à tanti ſacrificij dignitate aliena ſunt, vt ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam & fidelis populi ędificationem reſtituatur, decernit ſancta Synodus, vt ordinarij locorum Epiſcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere ſedulò curent ac teneantur, quæ vel auaritia, idolorum ſeruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix ſeiuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio, veræ pietatis falſa imitatrix, induxit.

Atque vt multa paucis compræhendantur, inprimis, quod ad auaritiam pertinet, cuiuſuis generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Miſſis nobis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemoſynarum exactiones potiùs quam poſtulationes, aliaque huiuſmodi, quæ à Simoniaca labe vel certè à turpi quæſtu non longè abſunt, omninò prohibeant.

Deinde vt irreuerentia vitetur, ſinguli in ſuis diœceſibus interdicant, ne cui vago & ignoto ſacerdoti Miſſas celebrare liceat. Neminem prætereà, qui publicè & notoriè criminoſus ſit, aut ſancto altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe permittant: neve patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra eccleſiam & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eiſdem ordinarijs deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſecularibus aut regularibus quibuſcunque peragi, ac niſi priùs qui interſint, decenter compoſito corporis habitu, declarauerint ſe mente etiam ac deuoto cordis affectu, nõ ſolùm corpore, adeſſe. Ab Eccleſijs verò muſicas eas, vbi ſiue organo, ſiue cantu laſciuum aut impurum aliquid miſcetur, item ſeculares omnes actiones, vana atq; adeò profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceant, vt domus Dei, verè domus orationis eſſe videatur & dici poſſit.

Poſtremò, ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propoſitis caueant, ne ſacerdotes alijs quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili vſu receptæ fuerint. Quarundam verò Miſſarum & candelarum certum numerum, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quàm à vera religione inuentus eſt, omninò ab Eccleſia remoueant, doceantq; populum, quis ſit & à quo potiſſimũ proueniat huius ſanctiſſimi ſacrificij tam precioſus ac cæleſtis fructus. Moneant etiam eundem populum, vt frequẽter ad ſuas parochias, ſaltẽ diebus Dominicis & maiorib. feſtis, accedant. Hęc igitur omnia, quæ ſummatim enumerata ſunt, omnib. locorum ordinarijs ita proponantur, vt non ſolùm ea ipſa, ſed quęcunq; alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro data ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam vt delegati ſedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atq; ad ea inuiolatè ſeruanda, cenſuris Eccleſiaſticis alijſque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant: non obſtantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcunque.

Decretum de reformatione.

Eadem ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, vt reformationis negocium proſequatur, hæc in præſenti ſeſſione ſtatuenda cenſuit.

Capvt I.

Nihil eſt quod alios magis ad pietatem ac Dei cultum aſſiduò inſtruat, quàm eorum vita & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt. Cùm enim à rebus ſeculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos, tanquàm in ſpeculum, reliqui oculos conijciunt, ex ijſq; ſumunt quod imitentur. Quapropter ſic decet omninò Clericos, in ſortẽ Domini vocatos, vitam moreſq; ſuos omnes componere, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijſq; omnibus rebus nil niſi graue, moderatũ ac religione plenũ præ ſe ferant: leuia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorũ actiones, cunctis afferant venerationem. Cùm igitur quo maiore in eccleſia Dei & vtilitate & ornamento hæc ſunt, ita etiam diligentiùs ſint obſeruanda, ſtatuit ſancta Synodus, vt quæ alias à ſummis Pontificibus & à ſacris Concilijs de Clericorũ vita, honeſtate, cultu doctrinaq; retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſib⁹, ac quibuſcunque criminibus, nec non ſecularibus negocijs fugiendis

dis copioſè ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſte-
ijſdem pœnis vel maioribus, arbitrio ordinarij impo-
ndis obſeruentur: nec appellatio executionem hanc, quæ
morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si qua verò
ijs in deſuetudinem abijſſe cœperint, ea quamprimùm
vſum reuocari & ab omnib⁹ accuratè cuſtodiri ſtudeant,
on obſtantibus conſuetudinibus quibuſcunque: ne ſub-
torum neglectæ emendationis ipſi condignas, Deo vin-
ce, pœnas perſoluant.

Cap. 2.

Quicunque poſthac ad Cathedrales Eccleſias erit aſſu-
endus, is non ſolùm natalibus, ætate, moribus & vita, ac a-
s, quæ à ſacris Canonibus requiruntur, plenè ſit præditus:
erum etiam in ſacro ordine anteà, ſaltem ſex menſium ſpa-
o, conſtitutus, quarum rerum inſtructio, ſi eius notitia
ulla aut recens in Curia fuerit, à ſedis Apoſtolicæ Legatis,
u nuncijs prouinciarum, aut eius ordinario, eoque defici-
nte, à vicinioribus ordinarijs ſumatur. Scientia verò præ-
r hæc huiuſmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi ne-
ſſitati poſſit ſatisfacere. Ideoque anteà in vniuerſitate ſtu-
orũ Magiſter ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theo-
gia, vel iure canonico, meritò ſit promotus, aut publico a-
cuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos o-
endatur. Quòd ſi regularis fuerit, à ſuperioribus ſuæ reli-
onis ſimilem fidem habeat. Prædicti autem omnes, vnde
ſtructio ſeu teſtificatio erit ſumenda, hæc fideliter & gra-
s referre teneantur: alioquin eorum conſcientias graui-
r oneratas eſſe ſcient, & Deum & ſuperiores ſuos habe-
unt vltores.

Cap. 3.

Epiſcopi etiam tanquam delegati Apoſtolici, ex fructi-
us & prouentibus quibuſcunque omnium dignitatum,
erſonatuum & officiorum in Eccleſijs Cathedralibus vel
ollegiatis exiſtentium, tertiam partem in diſtributiones,
orum arbitrio aſſignandas, diuidere poſſint: vt ſcilicet qui
as obtinent, ſi perſonaliter competens ſibi ſeruitium, iux-
a formam ab eiſdem Epiſcopis præſcribendam, quolibet
ie ſtatuto nõ impleuerint, illius diei diſtributionem amit-
ant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, ſed fa-
ricæ Eccleſiæ, quatenùs indigeat, aut alteri pio loco, arbi-
rio ordinarij applicetur. Creſcente verò contumacia, con-
ra eos iuxta ſacrorum Canonum cõſtitutiones procedant.
Quòd ſi alicui ex prædictis dignitatibus in Eccleſijs Cathe-
dralibus vel collegiatis de iure ſeu conſuetudine iuriſdictio,
dminiſtratio vel officium non competat, ſed extra ciuita-
em in diœceſi cura animarum immineat, cui is, qui digni-
atem obtinet, incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo
n curata Eccleſia reſederit ac miniſtrauerit, tanquam præ-
ſens ſit ac diuinis interſit, in Eccleſijs Cathedralibus, ac col-
egiatis habeatur. Hæc in his Eccleſijs tantum inſtituta in-
elligantur, in quibus nulla eſt conſuetudo vel ſtatutum, vt
dictæ dignitates non ſeruientes aliquid amittant, quod ad
ertiam dictorum fructuum & prouentuum partem aſcen-
dat: non obſtantibus conſuetudinibus etiam immemorabi-
ibus, exemptionibus, & conſtitutionibus etiam iuramento
& quauis authoritate firmatis.

Cap. 4.

Quicunque in Cathedrali vel collegiatâ, ſeculari aut re-
gulari Eccleſia diuinis mancipatus officijs, in ſubdiaconatus
ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in huiuſmodi Ec-
cleſijs in Capitulo non habeat, etiam ſi hoc ſibi ab alijs libe-
rè fuerit conceſſum. Ij verò, qui dignitates, perſonatus,
officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia in
dictis Eccleſijs obtinent, aut in poſterum obtinebunt, qui-
bus onera varia ſunt annexa, videlicet, vt alij Miſſas, alij Eu-
angelia, alij Epiſtolas dicant & cantent, quocunque ij priui-
legio, exemptione, prærogatiua, generis nobilitate ſint in-
ſigniti, teneantur, iuſto impedimẽto ceſſante, infra annum
ordines ſuſcipere requiſitos: Alioquin pœnas incurrant,
iuxta conſtitutionem Concilij Viennẽ. quæ incipit, Vt ij,
qui &c. quam præſenti decreto innouat. Cogantque Epi-
ſcopi eos diebus ſtatutis dictos ordines per ſeipſos exerce-
re, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu diuino præ-
ſtare, ſub eiſdem & alijs etiam grauioribus pœnis, arbitrio
eorum imponendis. Nec alijs in poſterum fiat prouiſio, niſi
ijs, qui iam ætatem & cæteras habilitates integrè habere di-
gnoſcantur: aliter irrita ſit prouiſio.

Cap. 5.

Diſpenſationes quacunque authoritate concedendæ, ſi
extra Romanam curiam committendæ erunt, committan-
tur ordinarijs illorum, qui eas impetrauerint. Eæ verò quæ
gratioſè concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi
priùs ab eiſdem, tanquam delegatis Apoſtolicis, ſummariè
tantùm & extraiudicialiter cognoſcatur, expreſſas preces
ſubreptionis vel obreptionis vitio non ſubiacere.

Cap. 6.

In commutationibus vltimarum voluntatum, quæ non
niſi ex iuſta & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi, etiam
tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ, ſummariè & extraiu-
dicialiter cognoſcant, nihil in precibus, tacita veritate vel
ſuggeſta falſitate, fuiſſe narratum, priuſquàm commutatio-
nes prædictæ executioni demandentur.

Cap. 7.

Legati & Nuncij Apoſtolici, Patriarchæ, Primates & Me-
tropolitani, in appellationibus ad eos interpoſitis in qui-
buſuis cauſis, tam in admittendis appellationibus, quàm in
concedendis inhibitionibus, poſt appellationem ſeruare
teneantur formam & tenorem ſacrarum conſtitutionum,
& præſertim Innocentij quarti, quæ incipit, Romana: qua-
cunque conſuetudine etiam immemorabili, aut ſtylo, vel
priuilegio in contrariũ non obſtantibus: aliàs inhibitiones,
& proceſſus, & inde ſequuta quæcunq; ſint ipſo iure nulla.

Cap. 8.

Epiſcopi etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, in
caſibus à iure conceſſis, omnium piarum diſpoſitionum,
tam in vltima voluntate quàm inter viuos, ſint executores:
habeantque ius viſitandi hoſpitalia, collegia quæcunque ac
confraternitates laicorum, etiam quas ſcholas ſiue quocun-
que alio nomine vocant: non tamen quæ ſub Regum im-
mediata protectione ſunt, ſine eorum licentia. Eleemo-
ſynas montis pietatis, ſiue charitatis, & pia loca omnia,
quocunque modo nuncupentur, etiam ſi prædictorum
locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca ex-
emptionis priuilegio ſint munita, ac omnia, quæ ad Dei
cultum, aut animarum ſalutem, ſeu pauperes ſuſtentan-
dos inſtituta ſunt, ipſi ex officio ſuo iuxta ſacrorum Cano-
num ſtatuta cognoſcant & exequantur: non obſtantibus
quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, priuilegio
aut ſtatuto.

Cap. 9.

Adminiſtratores tam Eccleſiaſtici quàm laici fabricæ cu-
iuſuis Eccleſiæ etiam Cathedralis, hoſpitalis, confraternita-
tis, eleemoſynæ montis pietatis, & quorumcunque pio-
rum locorum, ſingulis annis teneantur reddere rationem
adminiſtrationis Ordinario, conſuetudinibus & priuilegijs
quibuſcunque in contrarium ſublatis: niſi ſecùs fortè in in-
ſtitutione & ordinatione talis Eccleſiæ ſeu fabricæ expreſsè
cautum eſſet. Quòd ſi ex conſuetudine, aut priuilegio, aut
ex conſtitutione aliqua loci, alijs ad id deputatis, ratio red-
denda eſſet, tunc cum ijs adhibeatur etiam ordinarius:
aliter factæ liberationes dictis adminiſtra-
toribus minimè ſuffra-
gentur.

Cap. 10.

Cùm ex notariorum imperitia plurima damna & multarum occaſio litium oriatur, poſſit Epiſcopus quoſcunque notàrios, etiam ſi Apoſtolica, Imperiali, aut regia authoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus ſedis Apoſtolicæ examinatione adhibita, eorum ſufficientiam ſcrutari: illiſque non idoneis repertis, aut * quomodocunque in officio delinquentibus, officij eius in negocijs, litibus & cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus exercendi vſum perpetuò, aut ad tempus prohibere: Nec appellatio eorum, interdictionem ordinarij ſuſpendat.

Cap. 11.

Si quem clericorum aut laicorum, quacunque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, intantùm malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſuis ſecularis aut regularis beneficij, montium pietatis, aliorumq́ue piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus ac iura etiam feudalia & emphyteotica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunque obuentiones, quæ in miniſtrorum ac pauperum neceſſitates conuerti debent, per ſe vel per alios, vi vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas clericorum aut laicorum, ſeu quacunque arte, aut quocunque quæſito colore in proprios vſus conuertere, illoſque vſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur: is Anathemati tamdiu ſubiaceat, quamdiu iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ peruenerint, Eccleſiæ eiuſq́ue adminiſtratori ſiue beneficiato integrè reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quòd ſi eiuſdem Eccleſiæ patronus fuerit, etiam iure patronatus, vltra prędictas pœnas, eo ipſo priuatus exiſtat: Clericus verò, qui nefandæ fraudis & vſurpationis huiuſmodi fabricator ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat: necnon quibuſcunque beneficijs priuatus ſit, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem, arbitrio ſui ordinarij ſuſpendatur.

DECRETVM SVPER PETITIONE concesſionis calicis.

INſuper cùm eadem ſancta Synodus ſuperiori Seſſione duos articulos, aliàs propoſitos, & tum nondum diſcuſſos, videlicet, An rationes, quibus ſancta catholica Eccleſia adducta fuit, vt communicaret laicos, atque etiam non celebrantes ſacerdotes, ſub vna panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione calicis vſus cuiquam ſit permittendus: & An, ſi honeſtis & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno calicis vſus videatur, ſub aliquibus conditionibus ſit concedendus, & quænam ſint illæ: in aliud tempus, oblata ſibi occaſione, examinandos atque definiendos reſeruauerit: nunc eorum pro quibus petitur, ſaluti optimè conſultum volens, decernit integrum negocium ad ſanctiſſimum dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti decreto refert, qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod vtile Reipubl. Chriſtianæ & ſalutare petentibus vſum calicis fore iudicauerit.

Indictio futuræ Seſſionis.

Inſuper eadem ſacroſancta Synodus diem futuræ Seſſionis ad feriam quintam poſt octauam feſtiuitatis Omnium Sanctorum, qui erit dies XII. menſis Nouembris, indicit; & in ea decernetur de Sacramento Ordinis, & de Sacramento Matrimonij, &c.

PROROGATA FVIT SESSIO VSque ad diem 15. Iulij, 1563.

SESSIO XXIII.

Quæ eſt ſeptima ſub Pio 4. Pont. Max. celebrata die 15. Iulij, 1563.

Doctrina de ſacramento Ordinis.

Capvt I.

SACRIFICIVM & ſacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta ſunt, vt vtrunq; in omni lege extiterit. Cùm igitur in nouo Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit, fateri etiam oportet, in ea nouum eſſe viſibile & externum ſacerdotium, in quod vetus tranſlatũ eſt. Hoc autem ab eodem Domino Saluatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis eorumq́; ſucceſſoribus in ſacerdotio poteſtatem traditã conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus & ſanguinem eius, necnon & peccata dimittendi & retinendi, ſacræ literæ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit.

Cap. 2.

Cùm autem diuina res ſit tam ſancti ſacerdotij miniſterium, conſentaneum fuit, quo dignius & maiori cum veneratione exerceri poſſet, vt in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures & diuerſi eſſent miniſtrorum ordines, qui ſacerdotio ex officio deſeruirent: ita diſtributi, vt qui iam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad maiores aſcẽderent. Nam non ſolùm de ſacerdotibus, ſed & de diaconis ſacræ literæ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda ſunt, grauiſſimis verbis docent: & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium ordinum, nomina, atque vniuſcuiuſque eorum propria miniſteria, ſubdiaconi ſcilicet, acolythi, exorciſtæ, lectoris & oſtiarij in vſu fuiſſe cognoſcuntur, quamuis non pari gradu. Nam ſubdiaconatus ad maiores Ordines à Patribus & ſacris Concilijs refertur, in quibus & de alijs inferioribus frequentiſſimè legimus.

Cap. 3.

Cum ſcripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum vnanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram ordinationem, quæ verbis & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri: dubitare nemo debet, Ordinem eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis. Inquit enim Apoſtolus: Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuũ mearum. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis & ſobrietatis.

Cap. 4.

Quoniam verò in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt, meritò ſancta Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt noui Teſtamenti ſacerdotes temporariam tantummodò poteſtatem habere, ac ſemel ritè ordinatos, iterum laicos effici poſſe, ſi verbi Dei miniſterium non exerceant. Quòd ſi quis oẽs Chriſtianos promiſcuè noui Teſtamenti ſacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Eccleſiaſticã Hierarchiam, quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata, confundere, perindè ac ſi contra Beati Pauli doctrinam, omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Euãgeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores. Proinde ſacroſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicũ ordinẽ præcipuè pertinere,

& poſitos, ſicut idem Apoſt. ait, à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei, eoſq; Presbyteris ſuperiores eſſe, ac ſacramentum confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Docet inſuper ſacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum ſacerdotũ, & cæterorum ordinũ nec populi, nec cuiuſuis ſecularis poteſtatis & magiſtratus conſenſum, ſiue vocationẽ, ſiue authoritatem ita requiri, vt ſine ea irrita ſit ordinatio: quin potiùs decernit, eos q tantũmodò à populo aut ſeculari poteſtate ac magiſtratu vocati & inſtituti, ad hæc miniſteria exercenda aſcendunt, & qui ea propria temeritate ſibi ſumunt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed fures & latrones, per oſtium non ingreſſos, habendos eſſe. Hæc ſunt, quę generatim ſacræ Synodo viſum eſt Chriſti fideles de ſacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis & proprijs Canonibus in hunc, qui ſequitur, modum damnare conſtituit, vt omnes adiuuante Chriſto, fidei regula vtentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem faciliùs agnoſcere & tenere poſſint.

De ſacramento Ordinis.

CANON. I.

SI quis dixerit non eſſe in nouo Teſtamẽto ſacerdotium viſibile & externum, vel non eſſe poteſtatẽ aliquam conſecrandi & offerendi verum corpus & ſanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi, ſed officium tantùm & nudum miniſterium prædicãdi Euangelium: vel eos, qui nõ prædicant, prorſus non eſſe ſacerdotes, Anathema ſit.

CAN. 2.

Si quis dixerit, præter ſacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios ordines & maiores & minores, per quos velut per gradus quoſdã in ſacerdotiũ tẽdatur, Anathema ſit.

CAN. 3.

Si quis dixerit, Ordinem, ſiue ſacram Ordinationẽ non eſſe verè & propriè ſacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum: vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis: aut eſſe tantùm ritum quendam eligendi miniſtros verbi Dei & ſacramentorum, Anathema ſit.

CAN. 4.

Si quis dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtrà Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum: aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui ſacerdos ſemel fuit, laicum rurſus fieri poſſe, Anathema ſit.

CAN. 5.

Si quis dixerit ſacram Vnctionem, qua Eccleſia in ſancta ordinatione vtitur, non tantùm non requiri, ſed contemnendam & pernicioſam eſſe, ſimiliter & alias Ordinis cæremonias, Anathema ſit.

CAN. 6.

Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & miniſtris, Anathema ſit.

CAN. 7.

Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris cõmunem, vel ordines ab ipſis collatos ſine populi vel Poteſtatis ſecularis conſenſu aut vocatione, irritos eſſe: aut eos, qui nec ab Eccleſiaſtica & Canonica poteſtate ritè ordinati nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi & ſacramẽtorum miniſtros, Anathema ſit.

CAN. 8.

Si quis dixerit, Epiſcopos, qui authoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos ac veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum, Anathema ſit.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

EADEM SACROSANCTA TRIDENTINA Synodus, reformationis materiam proſequens, hæc quæ ſequuntur, in præſenti decernenda eſſe ſtatuit & decernit.

CAPVT I.

CVm præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarũ cura cõmiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique Diuini prædicatione, ſacramẽtorum adminiſtratione ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab ijs præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: ſacroſancta Synodus eos admonet & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio & veritate paſcant & regant. Ne verò ea, quæ de reſidentia ſanctè & vtiliter iam anteà ſub felicis recordationis Paulo III. ſancita fuerunt, in ſenſus à ſacroſanctæ ſynodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius decreti quinq; menſibus continuis abeſſe liceat, illis inhærendo, declarat ſacroſancta ſynodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac cathedralibus Eccleſijs quibuſcunque quocunque nomine & titulo præfectos, etiam ſi S.R.E. Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia vel diœceſi reſidentiam, vbi iniuncto ſibi officio defungi teneantur, neq; abeſſe poſſe, niſi ex cauſis & modis infraſcriptis. Nam cùm Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, ac euidens Eccleſiæ vel Reipublicæ vtilitas aliquos nonnunquam abeſſe poſtulent & exigant, decernit eadem ſancta Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſas à beatiſſimo Romano pontifice, aut à Metropolitano, vel, eo abſente, ſuffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas: niſi cùm abſentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ officium, epiſcopatibus adiunctum: cuius quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit. Ad eundem tamen cum Concilio prouinciali ſpectabit iudicare de licentijs à ſe vel à ſuffraganeo datis, & videre ne quis eo iure abutatur, & vt pœnis canonicis errantes puniantur. Intereà meminerint diſceſſuri ita ouibus ſuis prouidendum, vt quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia nõ videntur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt, ſacroſancta Synodus vult illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſiue continuum ſiue interruptum, extra prædictas cauſas nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere, & haberi rationem, vt id æqua ex cauſa fiat, & abſque vllo gregis detrimento. Quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam & timoratam fore, cùm Deo corda pateant, cuius opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici aduentus, Quadrageſimæ, Natiuitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maximè & in Domino gaudere paſtoris præſentia oues debeant, ipſi ab eccleſia ſua cathedrali vllo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua diœceſi eos aliò vocent.

Si quis autem (quod vtinam nunquam eueniat) contra huius decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit ſacroſancta ſynodus, præter alias pœnas aduerſus non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas & innouatas, ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe: ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per ſuperiorem eccleſiaſticum illos fabricæ eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunq; conuentione vel compoſitione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur; non obſtantibus quibuſcunq; priuilegijs cuicunque collegio aut fabricæ conceſſis.

Eadem omninò, etiam quo ad culpam & amiſſionẽ fructuum, & pœnas, de curatis inferioribus & alijs quibuſcunque, qui beneficium aliquod eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent, ſacroſancta Synodus declarat & decernit: ita tamen, vt quandocunque eos, cauſa priùs per Epiſcopum cognita & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo ordinario approbãdum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licẽtiam, in ſcriptis gratiſque concedendam, vltra bimeſtre tempus, niſi ex graui cauſa, non obtineant. Quòd ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter contumaces fuerint, liberum eſſe vult ordinarijs, per cenſuras eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem & ſubtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam vſque ad priuationem, compellere: Nec executionem hanc quolibet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cuiuſcunque beneficij, pactione, ſtatuto, etiam iuramento, vel quacunque authoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela cenſenda eſt, ſiue appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ conſtitutionis, ſuſpendi poſſe.

Poſtremò tam decretum illud ſub Paulo III. quàm hoc ipſum in Concilijs prouincialibus & Epiſcopalibus publicari ſancta Synodus præcipit. Cupit enim, quæ adeò ex paſtorum munere animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus mentibuſque infigi, vt in poſterum, Deo iuuante, nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut deſuetudine aboleantur.

Cap. 2.

Eccleſijs cathedralibus ſeu ſuperioribus quocunque nomine ac titulo præfecti, etiam ſi S.R.E. Cardinales ſint, ſi munus conſecrationis intra tres menſes nõ ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur. Si intra totidem menſes poſteà id facere neglexerint, Eccleſijs ipſo iure ſint priuati. Conſecratio verò, ſi extra Curiam Romanam fiat, in eccleſia ad quam promoti fuerint, aut in prouincia, ſi commodè fieri poterit, celebretur.

Cap. 3.

Epiſcopi per ſemetipſos ordines conferant. Quòd ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quàm iam probatos & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.

Cap. 4.

Prima tonſura non initientur, qui ſacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti nõ fuerint, quique legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis coniectura non ſit, eos non ſecularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

Cap. 5.

Ad minores ordines promouendi, bonum à Parocho & à magiſtro ſcholę, in qua educantur, teſtimonium habeant. Hi verò, qui ad ſingulos maiores erunt aſſumendi, per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus ac deſiderio eorum, qui volent promoueri, publicè in eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita à fide dignis diligenter inquirat, & literas teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quam primùm tranſmittat.

Cap. 6.

Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, ante decimumquartum annum beneficium poſſit obtinere. Is etiam fori priuilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiat: vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua ſchola vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores Ordines ſuſcipiendos verſetur. In clericis verò coniugatis ſeruetur conſtitutio Bonifacij IX. quæ incipit, Clerici qui cum vnicis: modò hi clerici alicuius Eccleſiæ ſeruitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſeruiant vel miniſtrent, & clericali habitu & tonſura vtantur: nemini, quo ad hoc, priuilegio vel conſuetudine etiam immemorabili ſuffragante.

Cap. 7.

Sacroſancta Synodus, antiquorum Canonum veſtigijs inhærendo decernit, vt quando Epiſcopus ordinationem facere diſpoſuerit, omnes qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, feria quarta ante ipſam ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, ad ciuitatem euocentur. Epiſcopus autem, ſacerdotibus & alijs prudentibus viris, peritis diuinæ legis, ac in eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis, ſibi aſcitis, ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam & fidem diligenter inueſtiget & examinet.

Cap. 8.

Ordinationes ſacrorum ordinum ſtatutis à iure temporibus, ac in cathedrali Eccleſia, vocatis præſentibuſque ad id Eccleſiæ canonicis, publicè celebrentur. Si autem in alio diœceſis loco, præſente clero loci, dignior, quãtum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur. Vnuſquiſq; autem à proprio Epiſcopo ordinetur. Quòd ſi quis ab alio promoueri petat, nullatenùs id ei, etiam cuiuſuis generalis aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi eius probitas ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur. Si ſecùs fiat, ordinans à collatione ordinum per annum: & ordinatus, à ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.

Cap. 9.

Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum, ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium, quacunq; fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat, conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.

Cap. 10.

Abbatibus ac alijs quibuſcunque quantumuis exemptis, non liceat in poſterũ intra fines alicuius diœceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius diœceſis vel exempta eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram vel minores ordines conferre; nec ipſi abbates & alij exempti, aut collegia, vel capitula quæcunque etiam Eccleſiarum Cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus clericis ſecularib⁹, vt ab alijs ordinentur, concedant: ſed horum omnium ordinatio, ſeruatis omnibus, quæ in huius ſacroſanctæ ſynodi decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtant, pertineat: non obſtantibus quibuſuis priuilegijs, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam imme-

immemorabilibus: Pœnam quoque impoſitam his, qui cõtra huius ſanctæ ſynodi ſub Paulo III. decrẽtum, à capitulo, epiſcopali ſede vacante, literas dimiſſorias impetrant, ad illos, qui eaſdem literas non à capitulo, ſed ab alijs quibuſuis in iuriſdictione epiſcopi loco capituli, ſede vacante, ſuccedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimiſſorias contra formam decreti, ab officio & beneficio per annum ſint ipſo iure ſuſpenſi.

Cap. 11.

Minores Ordines ijs, qui ſaltem Latinam lingu n intelligant, per temporum interſtitia (niſi aliud epiſcopo expedire magis videretur) conferantur, vt eo accuratiùs, quantum ſit huius diſciplinæ pondus, poſſint edoceri: ac in vnoquoque munere iuxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant, idque in ea, cui adſcripti erunt, Eccleſia, niſi fortè ex cauſa ſtudiorum abſint: atque ita de gradu in gradum aſſcendant, vt in eis cum ætate, vitæ meritum & doctrina maior accreſcat: quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque maior erga presbyteros & ſuperiores ordines reuerentia, & crebrior, quàm anteà, corporis Chriſti communio maximè comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo ijs initietur, quem non ſcientiæ ſpes maioribus ordinibus dignum oſtendat. Hi verò non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus ordinum, ad ſacros ordines promoueantur, niſi neceſſitas, aut eccleſiæ vtilitas iudicio epiſcopi aliud expoſcat.

Cap. 12.

Nullus in poſterum ad ſubdiaconatus ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimumtertium, ad presbyteratus ante vigeſimumquintum ætatis ſuæ annum promoueatur. Sciant tamen Epiſcopi, non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad hos ordines aſſumi, ſed dignos duntaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit. Regulares quoque nec in minori ętate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuſcunque, quo ad hoc, penitus exc‥ſis.

Cap. 13.

Subdiaconi & Diaconi ordinentur, habentes bonum teſtimonium, & in minoribus ordinibus iam probati, ac literis & his, quæ ad ordinem exercendum pertinent, inſtructi, qui ſperent, Deo authore, ſe continere poſſe, Eccleſijs, quibus aſſribentur, inſeruiant: ſciantque maximè decere, ſi ſaltem diebus Dominicis & ſolennibus, cùm altari miniſtrauerint, ſacram communionem perceperint. Promoti ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum (niſi aliud Epiſcopo videatur) aſſcendere non permittantur. Duo ſacri ordines non eodem die etiam regularibus conferantur, priuilegijs ac indultis quibuſuis conceſſis, non obſtantibus quibuſcunque.

Cap. 14.

Qui piè & fideliter in miniſterijs anteactis ſe geſſerint, & ad presbyteratus ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium. Et hi ſint, qui non modò in diaconatu ad minus annum integrum, (niſi ob Eccleſiæ vtilitatem ac neceſſitatem aliud epiſcopo videretur) miniſtrauerint, ſed etiam ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutẽ, ac ad miniſtrãda ſacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate ac caſtis moribus conſpicui, vt præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita ab eis poſſint expectari. Curet epiſcopus, vt ij ſaltem diebus Dominicis ac feſtis ſolennibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent. Cùm promotis per ſaltum, ſi non miniſtrauerint, epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.

Cap. 15.

Quamuis presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen ſacroſancta ſynodus, nullum etiam regularem, poſſe confeſſiones ſecularium etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: priuilegijs, & conſuetudine quacunque etiam immemorabili, non obſtantibus.

Cap. 16.

Cùm nullus debeat ordinari, qui iudicio ſui epiſcopi non ſit vtilis aut neceſſarius ſuis eccleſijs, ſancta ſynodus, veſtigijs ſexti canonis Concilij Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, vt nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cuius neceſſitate aut vtilitate aſſumitur, non aſſcribatur, vbi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quòd ſi locum inconſulto epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitiũ interdicatur. Nullus præterea clericus peregrinus ſine commendatitijs ſui ordinarij literis, ab vllo epiſcopo ad diuina celebranda & ſacramenta adminiſtranda admittatur.

Cap. 17.

Vt ſanctorum ordinum à diaconatu ad Oſtiariatum functiones, ab Apoſtolorum temporibus in eccleſia laudabiliter receptæ, & plurib. in locis aliquamdiu intermiſſæ, in vſum iuxta ſacros canones reuocentur, nec ab hæreticis tanquam ocioſæ traducantur, illius priſtini moris reſtituendi deſiderio flagrans ſancta Synodus, decernit, vt in poſterum huiuſcemodi miniſteria non niſi per conſtitutos in dictis ordinibus exerceantur: omneſque & ſingulos Prælatos Eccleſiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, vt, quantùm fieri commodè poterit, in eccleſijs Cathedralibus, collegiatis & parochialibus ſuæ diœceſis, ſi populus frequens & eccleſię prouentus id ferre queant, huiuſmodi functiones curent reſtituendas, & ex aliqua parte redditũ aliquorum ſimplicium beneficiorum, vel fabricæ Eccleſiæ, ſi prouentus ſuppetant, aut vtriſque illorum eas functiones exercentibus, ſtipendia aſſignent: quibus, ſi negligentes fuerint, Ordinarij iudicio aut ex parte mulctari, aut in totum priuari poſſint: quod ſi miniſterijs 4. minorum ordinum exercendis clerici cælibes præſtò non erunt, ſuffici poſſint etiam coniugati vitæ probatæ, dummodò non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonſuram & habitum clericalem in eccleſia geſtent.

Cùm adoleſcentium ætas, niſi rectè inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas, & niſi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequàm vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquam perfectè ac ſine maximo ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in diſciplina eccleſiaſtica perſeueret: ſancta ſynodus ſtatuit, vt ſingulæ cathedrales, Metropolitanæ atq; his maiores Eccleſiæ, pro modo facultatum & diœceſis amplitudine certum puerorum ipſius ciuitatis & diœceſis, vel eius prouinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio in loco conuenienti ab epiſcopo eligendo, alere ac religioſè educare, & in Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. In hoc verò collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos & ex legitimo matrimonio nati ſint, ac legere & ſcribere competenter nouerint, & quorum indoles & volũtas ſpem afferat, eos eccleſiaſticis miniſterijs perpetuò inſeruituros. Pauperum autem filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo & Eccleſię inſeruiendi. Hos pueros epiſcopus in tot claſſes, quod ei videbitur, diuiſos, iuxta eorum numerum, ætatem ac in diſciplina eccleſiaſtica progreſſum, partim, cùm ei opportunum videbitur, eccleſiarum miniſterio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit, alioſq;

in locum eductorum ſufficiet, ita vt hoc collegium Dei miniſtrorum perpetuum ſeminarium ſit. Vt verò in eadem diſciplina eccleſiaſtica commodius inſtituantur, tonſura ſtatim atq; habitu clericali ſemper vtentur, Grammatices, Cantus, Computi eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artiũ diſciplinam diſcent, ſacram ſcripturam, libros Eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atque ſacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcent. Curet epiſcopus, vt ſingulis diebus Miſſæ ſacrificio interſint, ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & iuxta confeſſoris iudicium ſumant corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cathedrali & alijs loci eccleſijs diebus feſtis inſeruiant. Quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna & neceſſaria, epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum canonicorum ſeniorum & grauiorum, quos ipſi elegerint, prout ſpiritus ſanctus ſuggeſſerit, conſtituent, eaque vt ſemper obſeruentur, ſæpiùs viſitando operam dabunt, dyſcolos & incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter punient, eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo: omniaque impedimenta auferentes, quęcunque ad conſeruandum & augendum tam pium & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad collegij fabricam inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſoluendam, & ad alendam iuuentutem, & ad alios ſumptus certi redditus erunt neceſſarij, vltra ea, quæ ad inſtituendos alendoſve pueros ſunt in aliquibus Eccleſijs & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic ſeminario ſub eadem epiſcopi cura applicata cenſeantur, ijdem epiſcopi cum cõſilio duorum & capitulo, quorum alter ab epiſcopo, alter ab ipſo capitulo eligatur: itemque duorum de clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad epiſcopum, alterius verò ad clerum pertineat, ex fructibus integris menſæ epiſcopalis & capituli, & quarumcunque dignitatum, perſonatuum, officiorum, præbẽdarum, portionum, Abbatiarum & prioratuum, cuiuſcunque ordinis etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, & hoſpitalium quæ dantur in titulum vel adminiſtrationem, iuxta conſtitutionem concilij Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit: & beneficiorum quorumcunq;, etiam regularium, etiam ſi iuris patronatus cuiuſcunq; fuerint, etiam ſi exempta, etiam ſi nullius diœceſis, vel alijs eccleſijs, monaſterijs & hoſpitalibus, & alijs quibuſuis locis pijs, etiam exemptis, annexa, & ex fabricis eccleſiarum & aliorum locorum, etiam ex quibuſcunque alijs eccleſiaſticis redditibus ſeu prouẽtibus etiam aliorum collegiorum, in quibus tamen ſeminaria diſcentium vel docentium ad commune eccleſiæ bonum promouendum actu non habentur (Hæc enim exempta eſſe voluit, præterquàm ratione reddituum, qui ſuperflui eſſent, vltra conuenientem ipſorum ſeminariorum ſuſtentationem) ſeu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis ſcholæ appellantur, & omnium monaſteriorũ, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacunque ratione ad laicos, ex quibus ſubſidia eccleſiaſtica ſolui ſolent, & milites cuiuſcunque militię aut ordinis pertinentibus, fratribus S. Ioannis Hieroſolymitani duntaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahent, & eam portionem ſic detractam, nec non beneficia aliquot ſimplicia, cuiuſcunque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia, vel præſtimoniales portiones, etiam ante vacationẽ nuncupatas, ſine cultus diuini & illa obtinentium præiudicio, huic collegio applicabunt & incorporabunt. Quod locum habeat, etiam ſi beneficia ſint reſeruata vel affecta, nec per reſignationẽ ipſorum beneficiorum vniones & applicationes ſuſpendi, vel vllo modo impediri poſſint: ſed omninò quacunq; vacatione, etiam ſi in curia effectum ſuum ſortiantur, & quacunq; conſtitutione nõ obſtante. Ad hanc autem portionem ſoluendam, beneficiorum, dignitatum, perſonatuum & omnium & ſingulorum ſuprà cõmemoratorum poſſeſſores, non modò pro ſe, ſed pro penſionibus, quas alijs forſan ex dictis fructibus ſoluerent, retinendo tamẽ pro rata, quicquid pro dictis penſionibus illis erit ſoluendum, ab Epiſcopo loci per cenſuras eccleſiaſticas ac alia iuris remedia compellantur: etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio brachij ſecularis, quibuſuis quo ad omnia & ſingula ſupraſcripta, priuilegijs, exemptionibus, etiam ſi ſpecialem derogationem requirerent, cõſuetudine etiam immemorabili, quauis appellatione & allegatione, quæ executionem impediat, non obſtantibus. Succedente verò caſu, quo per vniones effectum ſuum ſortientes, vel aliter ſeminarium ipſum in totum vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex ſingulis beneficijs, vt ſuprà, detracta & incorporata ab Epiſcopo, prout res ipſa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quòd ſi cathedralium, & aliarum maiorum eccleſiarum prȩlati in hac ſeminarij erectione, eiuſq; conſeruatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint, Epiſcopũ Archiepiſcopus, Archiepiſcopũ & ſuperiores Synodus Prouincialis acriter corripere, eoſque ad omnia ſupradicta cogere debeat: & vt quamprimùm hoc ſanctum & pium opus vbicunq; fieri poterit, promoueatur, ſtudioſè curabit. Rationes autem redditũum huius ſeminarij Epiſcopus ſingulis annis accipiat, præſentibus duobus à capitulo, & totidem à clero ciuitatis deputatis.

Deinde vt cum minori impenſa huiuſmodi ſcholis inſtituendis prouideatur, ſtatuit ſancta Synodus, vt Epiſcopi, archiepiſcopi, Primates & alij locorum ordinarij ſcholaſterias obtinentes, & alios quibus eſt lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis Scholis inſtituendos, per ſeipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos, ab eiſdem Scholaſticis eligendos, & ab ordinarijs approbandos, etiam per ſubtractionem fructuum cogant & compellant. Quòd ſi iudicio Epiſcopi digni non fuerint, alium qui dignus ſit nominent, omni appellatione remota. Quòd ſi neglexerint, Epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti, qui videbuntur Epiſcopo expedire. De cætero verò officia vel dignitates illæ, quæ ſcholaſteriæ dicuntur, non niſi doctoribus vel magiſtris aut licentiatis in ſacra pagina, aut in iure Canonico, & alias perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur: & alia facta prouiſio, nulla ſit & inualida: non obſtantibus quibuſuis priuilegijs & cõſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si verò in aliqua prouincia Eccleſiæ tanta paupertate laborent, vt collegium in aliquibus erigi non poſſit, Synodus prouincialis vel Metropolitana, cum duobus antiquioribus ſuffraganeis in eccleſia Metropolitana, vel alia prouinciæ Eccleſia commodiori, vnum aut plura collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium eccleſiarum, in quibus ſingulis collegium commodè inſtitui non poteſt, erigendum curabit, vbi pueri illarum eccleſiarum educentur.

In eccleſijs autem amplas Diœceſes habentibus, poſſit Epiſcopus vnum vel plura in Diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere ſeminaria, quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum & conſtitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Poſtremò ſi vel pro vnionibus, ſeu proportionum taxatione vel aſſignatione & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri cõtigerit, ob quam huius ſeminarij inſtitutio vel cõſeruatio impediretur aut perturbaretur, Epiſcopus cũ ſupra deputatis, vel Synodus prouincialis pro regionis more, pro eccleſiarum & beneficiorum qualitate, etiam ſupraſcripta, ſi opus fuerit moderando aut augendo, omnia & ſingula, quæ ad felicem huius ſeminarij profectum neceſſaria & opportuna videbuntur, decernere ac prouidere valeat.

Indictio futuræ Seßionis.

Inſuper eadem ſacroſancta Tridentina Synodus proximam futuram Seſſionem in diem decimamſextam Menſis Septembris indicit: in qua agetur de Sacramento Matrimonij, & de alijs, ſi qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quæ expediri poſſint. Item de prouiſionibus Epiſcopatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum, ac de diuerſis reformationis articulis.

PROROGATA FVIT SESSIO AD diem 11. Nouemb. 1563.

SESSIO XXIV.

Quæ eſt octaua ſub Pio 4. Pont. Max. celebrata die 11. Nouemb. 1563.

Doctrina de ſacramento Matrimonij.

MAtrimonij perpetuum indiſſolubilemq; nexum primus humani generis parens diuini ſpiritus inſtinctu pronunciauit, cùm dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & coniungi, Chriſtus Dominus apertiùs docuit, cùm poſtrema illa verba tanquàm à Deo prolata referens dixit: Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro; ſtatimque eiuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tantò antè pronunciatam, his verbis confirmauit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem vnitatem confirmaret, coniugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium ſacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit. Quod Paulus Apoſtolus innuit, dicens: Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea: mox ſubiungens, Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in eccleſia.

Cùm igitur matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs per Chriſtum gratia præſtet, meritò inter nouæ legis ſacramenta annumerandum ſancti Patres noſtri, Concilia & vniuerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt. Aduerſus quam impij homines huius ſeculi inſanientes, non ſolùm perperam de hoc venerabili ſacramento ſenſerunt, ſed de more ſuo prætextu Euangelij libertatem carnis introducentes, multa ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & ab Apoſtolorum temporibus probata cõſuetudine aliena, ſcripto & verbo aſſeruerunt, non ſine magna Chriſtifidelium iactura. Quorum temeritati ſancta & vniuerſalis Synodus cupiens occurrere, inſigniores prædictorum ſchiſmaticorum hæreſes & errores, ne plures ad ſe trahat pernicioſa eorum contagio, exterminãdos duxit, hos in ipſos hæreticos eorumque errores decernens Anathematiſmos.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAN. I.

SI quis dixerit, Matrimonium non eſſe verè & propriè vnum ex ſeptem legis Euangelicæ ſacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſiam inuectum, neque gratiam conferre, Anathema ſit.

CAN. 2.

Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitũ, Anathema ſit.

CAN. 3.

Si quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, vt plures impediant & dirimant, Anathema ſit.

CAN. 4.

Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in ijs conſtituendis erraſſe, Anathema ſit.

CAN. 5.

Si quis dixerit, propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à coniuge, diſſolui poſſe matrimonij vinculum, Anathema ſit.

CAN. 6.

Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolennem religionis profeſſionem alterius coniugum non dirimi, Anathema ſit.

CAN. 7.

Si quis dixerit eccleſiam errare, cùm docuit & docet, (iuxta Euãgelicam & Apoſtolicam doctrinam,) propter adulterium alterius coniugum Matrimonij vinculum non poſſe diſſolui, & vtrunque vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero coniuge viuente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimiſſa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimiſſo adultero alij nupſerit, Anathema ſit.

CAN. 8.

Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſas ſeparationem inter coniuges, quo ad torum, ſeu quo ad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri poſſe decernit, Anathema ſit.

CAN. 9.

Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolenniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe, quàm damnare matrimonium, poſſeq; omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis etiam ſi eam vouerint, habere donum, Anathema ſit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.

CAN. 10.

Si quis dixerit, ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis vel cælibatus, & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quàm iungi matrimonio, Anathema ſit.

CAN. 11.

Si quis dixerit prohibitionem ſolennitatis nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab ethnicorum ſuperſtitione profectam, aut benedictiones aut alias cæremonias, quibus eccleſia in illis vtitur, damnauerit, Anathema ſit.

CAN. 12.

Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad Iudices Eccleſiaſticos, Anathema ſit.

DECRETVM DE REFORMAtione Matrimonij.

CAP. I.

TAmetſi dubitandũ non eſt, clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quãdiu Eccleſia ea irrita non fecit: & proinde iure damnandi ſint illi, vt eos ſancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant, quique falsò affirmant matrimonia à filijsfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parẽtes ea rata vel irrita facere poſſe:

nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt atque prohibuit. Verùm cùm ſancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam, iam non prodeſſe, & grauia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis coniugijs ortum habent, præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerāt, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt: cui malo, cùm ab Eccleſiā, quæ de occultis non iudicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco ſacri Lateranenſis Concilij, ſub Innocentio III. celebrati, veſtigijs inhærendo præcipit, vt in poſterum antequàm matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia publicè denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum. Quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur. Vbi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vniuſcuiuſque prouinciæ ritum. Quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc vel vna tantùm denunciatio fiat: vel ſaltem Parocho, & duobus vel tribus teſtibus præſentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem, denunciationes in Eccleſia fiant, vt ſi aliqua ſubſint impedimenta, faciliùs detegantur: niſi ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & iudicio ſancta Synodus relinquit. Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles redddit, & huiuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat. Inſuper parochum vel alium ſacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes, qui ſine Parocho vel ſacerdote huiuſmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit. Præterea eadem ſancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent: Statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri: neque à quoquam, niſi ab ipſo parocho vel ab Ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij ſacerdoti concedi poſſe: quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda eſt, vel priuilegio non obſtante. Quòd ſi quis parochus vel alius ſacerdos, ſiue regularis ſiue ſecularis ſit, etiam ſi id ſibi ex priuilegio vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipiēda erat, abſoluatur. Habeat Parochus librum in quo coniugum & teſtium nomina, diemque & locum contracti matrimonij deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat.

Poſtremò ſancta Synodus cōiuges hortatur, vt antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonij conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piè accedant. Si quæ prouinciæ alijs, vltra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus & cæremonijs hac in re vtuntur, eas omnino retineri ſancta Synodus vehementer optat. Ne verò hæc tam ſalubria præcepta quenquam lateant, Ordinarijs omnibus præcipit, vt cùm primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in ſingulis ſuarum Diœceſum parochialibus Eccleſijs: idque in primo anno quàm ſæpiſſimè fiat: deinde verò quoties expedire viderint. Decernit inſuper, vt huiuſmodi decretum in vnaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis, in eadem parochia factæ, numerandos.

Capvt 2.

DOcet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeueratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque ſancta Synodus huic incommodo prouidere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit vt vnus tantùm, ſiue vir, ſiue mulier, iuxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus & vna, baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant: inter quos ac baptizatum ipſum, & illius Patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant: & cum vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excuſari valeant. Quòd ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus, non obſtantibus. Si parochi culpa vel negligentia ſecus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

Capvt 3.

IVſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, vbi ſponſalia quacunq; ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit: vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in vlterioribus gradibus iam non poteſt huiuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſeruari.

Capvt 4.

PRæterea ſancta Synodus, eiſdem & alijs grauiſſimis de cauſis adducta, impedimētum, quod propter affinitatem ex fornicatione cōtractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantùm qui in primo & ſecūdo gradu coniunguntur, reſtrīgit: In vlterioribus verò gradib. ſtatuit, huiuſmodi affinitatem matrimonium poſteà cōtractum non dirimere.

Capvt 5.

SI quis intra gradus prohibitos ſciēter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimoniū contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quòd ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolennitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubijciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit. Si verò ſolennitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis matrimonijs vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel rarò, idque ex cauſa, & gratis cōcedatur: In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

Capvt 6.

DEcernit ſancta Synodus, inter raptorē & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullū poſſe conſiſtere matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorē habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi clerici fuerint, de proprio gradu decidant.

decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſiue eam vxorem duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.

CAPVT 7.

MVlti ſunt, qui vagantur & incertas habent ſedes, & vt improbi ſunt ingenij, prima vxore relicta, aliam & plerunq; plures, illa viuente, diuerſis in locis ducunt, cui morbo cupiens ſancta Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facilè recipiant: magiſtratus etiam ſeculares hortatur, vt eos ſeuerè coerceant: Parochis autem præcipit, ne illorum matrimonijs interſint, niſi prius diligentē inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licētiam id faciendi obtinuerint.

CAPVT 8.

GRaue peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere: grauiſſimum verò, & in huius magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum, vxoratos quoq; in hoc damnationis ſtatu viuere, ac audere eas quandoque domi etiam cum vxoribus alere & retinere. Quare vt huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remedijs prouideat, ſtatuit huiuſmodi concubinarios, tam ſolutos quàm vxoratos, cuiuſcunque ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſeiunxerint, excommunicatione feriendos eſſe: à qua non abſoluantur, donec re ipſa admonitioni factæ paruerint. Quòd ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab Ordinario ſeuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres ſiue coniugatæ, ſiue ſolutæ, quæ cum adulteris ſeu concubinarijs publicè viuunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio, grauiter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel diœceſim, ſi id eiſdem Ordinarijs videbitur, inuocato, ſi opus fuerit, brachio ſeculari, eijciantur: alijs pœnis, cōtra adulteros & concubinarios inflictis, in ſuo robore permanentibus.

CAPVT 9.

ITa plerunque temporalium Dominorū ac magiſtratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, vt viros & mulieres, ſub eorum iuriſdictione degentes, maximè diuites vel ſpem magnæ hæreditatis habētes, minis & pœnis adigant cum ijs matrimonium inuitos contrahere, quos ipſi Domini vel magiſtratus illis præſcripſerint. Quare cùm maximè nefarium ſit, matrimonij libertatem violare, & ab eis iniurias naſci, à quibus iura expectantur, præcipit ſancta Synodus omnibus cuiuſcunque gradus, dignitatis & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quouis modo directè vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcunque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant.

CAPVT 10.

AB aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum vſque in octauam Paſchatis incluſiuè, antiquas ſolennium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus obſeruari ſancta Synodus præcipit: in alijs vero temporibus nuptias ſolenniter celebrari permittit, quas Epiſcopi, vt ea qua decet modeſtia & honeſtate fiant, curabūt. Sancta enim res eſt matrimonium, & ſanctè tractandum.

DECRETVM DE REFORMATIONE.

EAdem ſacroſancta Synodus, Reformationis materiam proſequens, hæc in præſenti Seſſione ſtatuenda decreuit.

CAPVT PRIMVM.

SI in quibuslibet Eccleſiæ gradibus prouidenter ſcienterque curandum eſt, vt in Domini domo nihil ſit inordinatum, nihilque præpoſterum: multo magis elaborandum eſt, vt in electione eius, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite. Vnde & ſi alias ſancta Synodus de promouendis ad cathedrales & ſuperiores Eccleſias nonnulla vtiliter decreuit, hoc tamen munus huiuſmodi eſſe cenſet, vt ſi pro rei magnitudine expendatur, nunquam ſatis cautum de eo videri poſſit. Itaque ſtatuit, vt cùm primùm Eccleſia vacauerit, ſupplicationes ac preces publicè priuatimque habeantur, atque à capitulo per ciuitatem & diœceſim indicantur, quibus clerus populuſque bonum à Deo paſtorem valeat impetrare. Omnes verò & ſingulos qui ad promotionem præficiendorum quodcunque ius quacunque ratione à ſede Apoſtolica habent, aut alioquin operam ſuam præſtant, nihil in ijs pro præſenti temporum ratione innouando, hortatur & monet, vt in primis meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quàm ſi bonos paſtores & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoueri ſtudeant, eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint, & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, atque alijs omnibus qualitatibus præditos ſciant, quæ iuxta ſacros canones & Tridentini huius Synodi decreta requiruntur. Quoniam verò in ſumendo de prædictis omnibus qualitatibus graui idoneoq; bonorum & doctorum virorū teſtimonio, non vniformis ratio vbiquè ex nationum, populorum ac morum varietate poteſt adhiberi, mandat ſancta Synodus, vt in Prouinciali Synodo, per metropolitanum habenda, præſcribatur quibuſque locis & prouincijs propria examinis, ſeu inquiſitionis, aut inſtructionis faciendæ forma, ſanctiſſ. Roman. Pontif. arbitrio approbanda, quæ magis eiſdem locis vtilis atque opportuna eſſe videbitur: ita tamen, vt cum deinde hoc examē ſeu inquiſitio de perſona promouenda perfecta fuerit, ea in inſtrumētum publicum redacta, cum toto teſtimonio ac profeſſione fidei ab eo facta, quàprimùm ad ſanctiſſ. Rom. Pontificem omnino tranſmittatur, vt ipſe ſummus pontifex, plena totius negocij ac perſonarum notitia habita, pro regis Dominici commodo de illis, ſi idonei per examen, ſeu per inquiſitionem factam reperti fuerint, Eccleſijs poſſit vtilius prouidere. Omnes verò inquiſitiones, informationes, teſtimonia ac probationes, quæcunque de promouendi qualitatibus & Eccleſiæ ſtatu, à quibuſcunque etiam in Romana curia habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in conſiſtorio, & alios tres Cardinales diligenter examinentur, ac relatio ipſa Cardinalis relatoris & trium Cardinalium ſubſcriptione roboretur: in qua ipſi ſinguli quatuor Cardinales affirment, ſe adhibita accurata diligentia, inueniſſe promouendos qualitatibus, à iure & ab hac ſancta Synodo requiſitis præditos, ac certo exiſtimare, ſub periculo ſalutis æternæ, idoneos eſſe, qui Eccleſijs præficiantur: ita vt relatione in vno conſiſtorio facta, quò maturius interea de ipſa inquiſitione cognoſci poſſit, in aliud conſiſtorium iudicium differatur, niſi aliud beatiſſimo Pontifici videbitur expedire. Ea verò omnia & ſingula, quę de epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina & cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo conſtituta ſunt, decernit eadem etiam in creatione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, etiam ſi Diaconi ſint, exigenda: quos ſanctiſſimus Roman. Pontifex ex omnibus Chriſtianitatis nationibus, quantum commodè fieri poterit, prout idoneos repererit, aſſumet. Poſtremò eadem ſancta Synodus, tot grauiſſimis Eccleſiæ incommodis commota, non poteſt non commemorare, nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſariū, quàm vt beatiſſimus Romanus Pontifex, quam ſolicitudinem vniuerſæ Eccleſiæ, ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, vt lectiſſimos tantùm ſibi Cardinales adſciſcat, & bonos maximè atque idoneos paſtores ſingulis Eccleſijs præficiat: idque eo magis, quod ouium

Chriſti ſanguinē, quæ ex malo negligentium & ſui officij immemorum paſtorum regimine peribunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus de manibus eius ſit requiſiturus.

Capvt 2.

PRouincialia Concilia ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſijs componendis, alijſque ex ſacris canonibus permiſſis renouentur. Quare metropolitani per ſeipſos, ſeu illis legitimè impeditis, Coepiſcopus antiquior intra annum ad minus à finem præſentis Concilij, & deinde quolibet ſaltem triennio poſt octauam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu alio commodiori tempore pro more prouinciæ, non prætermittat Synodum in prouincia ſua cogere: quo epiſcopi omnes, & alij, qui de iure vel conſuetudine intereſſe debent, exceptis his, quibus cum imminenti periculo transfretandum eſſet, cōuenire omnino teneantur. Nec epiſcopi comprouinciales prætextu cuiuslibet conſuetudinis ad metropolitanam Eccleſiam in poſterum accedere inuiti compellantur. Itidem epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubijciuntur, aliquem viciuum Metropolitanum ſemel eligãt, in cuius Synodo prouinciali cum alijs intereſſe debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obſeruent ac obſeruari faciant: In reliquis omnibus eorum exemptio & priuilegia ſalua atque integra maneant. Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes, qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberēt, nec capitulis generalib. ſubduntur, accedere teneantur: ratione tamē Parochialium, aut aliarum ſecularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant hi, qui illarum curam gerunt, quicunque illi ſint, Synodo intereſſe. Quòd ſi in his tam Metropolitani quàm epiſcopi & alij ſupraſcripti negligētes fuerint, pœnas ſacris canonibus ſancitas incurrant.

Capvt 3.

PAtriarchæ, Primates, Metropolitani & epiſc. propriam diœceſim per ſeipſos, aut ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum generalem vicarium aut viſitatorem, ſi quotannis totam propter eius latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem maiorem eius partem, ita tamen, vt tota biennio per ſe vel viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant. A metropolitanis verò etiam poſt plenè viſitatam propriam diœceſim, non viſitentur cathedrales Eccleſiæ, neque diœceſes ſuorum comprouincialium, niſi cauſa cognita & probata in Concilio Prouinciali: Archidiaconi autem, Decani & alij inferiores in ijs Eccleſijs, vbi hactenus viſitationem exercere legitimam conſueuerunt, debeant quidem aſſumpto notario de conſenſu epiſcopi deinceps per ſeipſos tantùm ibidem viſitare. Viſitatores etiam à capitulo deputandi, vbi capitulum ius viſitandi habet, prius ab epiſcopo approbentur: ſed non ideo epiſcopus, vel eo impedito eius viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur: cui ipſi Archidiaconi vel alij inferiores viſitationis factæ infra mēſem, rationem reddere, & depoſitionis teſtium ac integra acta ei exhibere teneantur: non obſtantibus quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & priuilegijs quibuſcunque. Viſitationum autem omnium iſtarum præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere: cætera, prout locus, tempus & occaſio feret, ex viſitantium prudētia ad fidelium fructum conſtituere. Quæ vt facilius feliciuſque ſuccendant, monentur prædicti omnes & ſinguli, ad quos viſitatio ſpectat, vt paterna charitate Chriſtianoque zelo omnes amplectantur: Ideoque modeſto contenti equitatu famulatuque, ſtudeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, viſitationem ipſam abſoluere. Interimque caueant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graues oneroſive ſint, neue ipſi aut quiſquam ſuorum quicquā procurationis cauſa pro viſitatione, etiam teſtamentorum ad pios vſus, præter id quod ex relictis pijs iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcunque ſit, etiam qualitercunq; offeratur, accipiant: non obſtante quacunq; conſuetudine, etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quæ ſibi ac ſuis frugaliter moderateque, pro temporis tantùm neceſſitate & non vltra, erunt miniſtranda. Sit tamen in optione eorum qui viſitantur, ſi malint ſoluere id, quod erat ab ipſis antea ſolui, certa pecunia taxata, conſuetum: an verò prædicta victualia ſubminiſtrare: ſaluo item iure conuentionum antiquarum, cum monaſterijs, alijſve pijs locis aut Eccleſijs non parochialibus inito, quod illæſum permaneat. In his verò locis ſeu prouincijs, vbi conſuetudo eſt, vt nec victualia, nec pecunia, nec quicquam aliud à Viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant, ibi id obſeruetur. Quòd ſi quiſquam, quod abſit, aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit, is, præter duplici reſtitutionē intra menſem faciendam, alijs etiam pœnis, iuxta conſtitutionem Concilij generalis Lugdunenſ. quæ incipit, Exigit, necnō & alijs pœnis in Synodo prouinciali arbitrio ſynodi abſque vlla ſpe veniæ mulctetur. Patroni verò in his, quæ ad ſacramentorum adminiſtrationem ſpectant, nullatenus ſe præſumant ingerere, neq; viſitationi ornamentorum Eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu fabricarum prouentib. immiſceant, niſi quatenus id eis ex inſtitutione ac fundatione competat: ſed Epiſcopi ipſi hæc faciant, & fabricarum reditus in vſus Eccleſiæ neceſſarios & vtiles, prout ſibi expedire magis viſum fuerit, expendi curent.

Capvt 4.

PRædicationis munus, quod epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens ſancta Synodus quo frequētius poſſit ad fidelium ſalutem exerceri, Canones alias ſuper hoc editos ſub fe. re. Paulo III. aptius præſentium temporum vſui accommodando, mādat vt in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus aſſument: in alijs autem Eccleſijs per parochos, ſiue ijs impeditis, per alios ab epiſcopo impenſis eorum, qui eas præſtare vel tenentur vel ſolent, deputandos in ciuitate, aut in quacunq; parte diœceſis cenſebūt expedire, ſaltem omnibus Dominicis & ſolennibus diebus feſtis: tempore autem Ieiuniorum, Quadrageſimæ & Aduentus Domini quotidiè, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, ſacras ſcripturas diuinamq; legem annuncient, & alias, quotieſcunque id opportunè fieri poſſe iudicauerint. Moneatque epiſcopus populum diligenter, teneri vnumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem ſecularis ſiue regularis, etiam in Eccleſijs ſuorum ordinum, contradicente epiſcopo, prædicare præſumat. Ijdem etiam ſaltem Dominicis & alijs feſtiuis diebus, pueros in ſingulis parochijs fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes, diligenter ab his, ad quos ſpectabit, doceri curabunt, & ſi opus ſit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellent, non obſtantibus priuilegijs & conſuetudinibus. In reliquis ea, quæ de prædicationis munere ſub eodem Paulo III. decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.

Capvt 5.

CAuſæ criminales grauiores contra epiſcopos, etiam hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione aut priuatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum ſummo Romano Pontifice cognoſcātur & terminentur. Quòd ſi eiuſmodi ſit cauſa, quæ neceſſario extra Romanam curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis aut epiſcopis, à beatiſſimo Papa eligendis. Hæc verò commiſſio & ſpecialis ſit, & manu ipſius ſanctiſſimi pontificis ſignata: nec vnquam plus his tribuat, quàm vt ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum pontificem tranſmittāt, reſeruata eidem ſanctiſſimo ſententia diffinitiua. Cætera aliàs ſub fe. re Iulio III. ſuper his decreta, necnon & conſtitutio ſub Innocentio III. in Concilio generali, quæ incipit, Qualiter & quando, quam ſancta Synodus in præſenti innouat, ab omnibus obſeruetur. Minores verò criminales cauſæ epiſcoporum, in Concilio tantùm prouinciali cognoſcantur & terminentur, vel à deputandis per Concilium Prouinciale.

Capvt 6.

Liceat epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquẽtes, quoſcunque ſibi ſubditos in diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs, ſit permiſſum.

Capvt 7.

Vt fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta, maiori cum reuerentia atque animi deuotione accedat, præcepit ſancta Synodus Epiſcopis omnibus, vt non ſolùm cùm hæc per ſe ipſos erunt populo adminiſtranda, prius illorum vim & vſum pro ſuſcipientium captu explicent, ſed etiam idem à ſingulis parochis piè prudenterque, etiam lingua vernacula, ſi opus ſit & commodè fieri poterit, ſeruari ſtudeant, iuxta formam à ſancta Synodo in catecheſi ſingulis Sacramẽtis præſcribendam, quam epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atq; à Parochis omnibus populo exponi curabunt: necnon, vt inter Miſſarum ſolennia, aut diuinorum celebrationem ſacra eloquia & ſalutis monita eadem vernacula lingua ſingulis diebus feſtis vel ſolennibus explanent, eademque in omnium cordibus poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus inſerere, atque eos in lege Domini erudire ſtudeant.

Capvt 8.

Apoſtolus monet, publicè peccãtes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, vnde alios ſcandalo offenſos cõmotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignã pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet: vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocauit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam reuocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretũ poterit commutare, quando ita magis iudicauerit expedire. In omnibus etiam cathedralibus Eccleſijs, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis, cum vnione præbendæ proximè vacaturæ, ab epiſcopo inſtituatur, qui magiſter ſit vel doctor aut Licentiatus in Theologia, vel iure canonico, & annorum quadraginta, ſeu alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum confeſſiones in Eccleſia audiet, interim præſens in choro cenſeatur.

Capvt 9.

Qvæ alias ſub fe. re. Paulo III. & nuper ſub beatiſſimo Domino noſtro Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab ordinarijs diligẽtia in beneficiorum etiam exemptorum viſitatione, conſtituta ſunt, eadem etiam in ijs Eccleſijs ſecularibus obſeruẽtur, quæ in nullius diœceſi eſſe dicuntur: vt ab epiſcopo, cuius Cathedralis Eccleſia eſt proximior, ſi id conſtet, alioquin ab eo, qui ſemel in Cõcilio Prouinciali à prælato loci illius electus fuerit, tanquã ſedis Apoſtolicæ delegato viſitentur: non obſtantibus priuilegijs & conſuetudinibus quibuſcunque etiam immemorabilibus.

Capvt 10.

Epiſcopi, vt aptius quem regunt populum poſſint in officio, atque obedientia continere, in omnibus his, quæ ad viſitationem ac morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectãt, ius & poteſtatem habeant, etiam tanquam ſedis Apoſtolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi iuxta Canonum ſanctiones, quæ illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emẽdatione, ac diœceſis ſuæ vtilitate neceſſaria videbuntur: Nec in his, vbi de viſitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio, appellatio, ſeu querela etiam ad ſedem Apoſtolicam interpoſita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat aut ſuſpendat.

Capvt 11.

Qvoniam priuilegia & exemptiones, quæ varijs titulis plerisque conceduntur, hodiè perturbationem in epiſcoporum iuriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur, decernit ſancta Synodus, vt ſit quando iuſtis, grauib. & ferè neceſſarijs ſuadentibus cauſis, aliquos honorarijs titulis Prothonotariatus, Acolythatus, Comitis Palatini, Capellani Regij, aut alijs huiuſmodi in Romana curia vel extra inſignib. decorandos eſſe placuerit, nec non alios cuicunque monaſterio oblatos vel quomodocunque addictos, aut ſub nomine ſeruientium militijs, ſeu monaſterijs, Hoſpitalibus, Collegijs, aut quocunque alio titulo aſſumi, nihil ex his priuilegijs detractum eſſe ordinarijs intelligatur, quo minus ij, quibus ea iam conceſſa ſunt, vel in poſterum concedi contigerit, ipſis ordinarijs, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatis, plenè in omnibus, & quo ad capellanos regios, iuxta conſtitutionem Innocentij III. quæ incipit, Cùm capellæ, ſubiecti exiſtant, exceptis tamen ijs, qui prædictis locis aut militijs actu ſeruiunt, & intra eorum ſepta ac domos reſident, ſubque eorum obedientia viuunt: ſiue ijs, qui legitimè & ſecundum regulam earundem militiarum profeſſionem fecerint, de qua Ordinario conſtare debeat: non obſtantibus priuilegijs quibuſcunque, etiam religionis ſancti Ioannis Hieroſolymitani, & aliarum militiarum. Quæ verò priuilegia reſidentibus in curia Romana vigore Eugenianæ conſtitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere ſolent, ea in ijs, qui beneficia Eccleſiaſtica obtinẽt, ratione prædictorum beneficiorum minimè intelligantur, ſed Ordinarij iuriſdictioni ſubiecti permaneant, nõ obſtantibus quibuſcunque inhibitionibus.

Capvt 12.

Cvm dignitates, in Eccleſijs præſertim cathedralibus, ad conſeruandam augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtitutę, vt qui eas obtinerent, pietate præcellerent, alijſque exemplo eſſent, atque epiſcopos opera & officio iuuarent, meritò qui ad eas vocantur, tales eſſe debent, qui ſuo muneri reſpondere poſſint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcunque, quibus animarum cura ſubeſt, promoueatur, niſi qui ſaltem viceſimumquintum ſuæ ætatis annum attigerit, & in clericali ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria ac morum integritate commendetur, iuxta conſtitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranenſi promulgatam, quæ incipit, Cùm in cunctis. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur epiſcopi, ſint in omnibus Eccleſijs, vbi fieri poterit, Magiſtri in Theologia, ſeu Doctores aut Licentiati in Iure canonico. Ad cæteras autem dignitates vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, clerici alioquin idonei, & vigintiduobus annis non minores adſciſcantur. Prouiſi etiam de beneficijs quibuſcunque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes manibus ipſius epiſcopi, vel eo impedito coram generali eius Vicario ſeu Officiali orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant ac iurent. Prouiſi autem de Canonicatibus & dignitatibus in Eccleſijs Cathedralibus, non ſolùm coram epiſcopo ſeu eius Officiali, ſed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes prouiſi, vt ſuprà fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, niſi qui eo ordine ſacro aut ſit initiatus, quem illa dignitas, præbenda aut portio requirit: aut in tali ætate, vt infra tempus à iure & ab hac ſancta Synodo ſtatutum initiari valeat. In omnibus verò Eccleſijs Cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem presbyterij, Diaconatus, vel ſubdiaconatus. Epiſcopus autem cum conſilio Capituli deſignet ac diſtribuat, prout viderit expedire, quibus quiſque ordo ex

ſacris annexus inpôſterum eſſe debeat: Ita tamen, vt dimidia ſaltem pars presbyteri ſint: cætera verò, Diaconi aut Subdiaconi. Vbi verò conſuetudo laudabilior habet, vt plures vel omnes ſint presbyteri, omnino obſeruetur. Hortatur etiam ſancta Synodus, vt in prouincijs, vbi id cōmodè fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltē dimidia pars canonicatuum in Cathedralibus Eccleſijs & collegiatis inſignibus, conferatur tantùm magiſtris vel doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia vel iure Canonico. Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralib. aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, nō liceat vigore cuiuslibet ſtatuti aut conſuetudinis vltra tres menſes ab eiſdem Eccleſijs quolibet anno abeſſe: ſaluis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſeruitij tempus requirunt: alioquin primo anno priuetur vnuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ reſidentiæ fecit ſuos. Quòd ſi iterum eadem fuerit vſus negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Creſcente verò contumacia, contra eos iuxta ſacrorum Canonum conſtitutiones procedatur. Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quauis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant, iuxta Bonifacij IX. decretum quod incipit, Conſuetudinem, quod ſancta Synodus in vſum reuocat, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis & conſuetudinibus.

Omnes verò diuina per ſe & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti adſiſtere & inſeruire, atque in choro ad pſallendum inſtituto hymnis & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuotéque laudare. Veſtitu inſuper decenti tam in Eccleſia quàm extra aſſiduo vtantur, ab illicitiſque venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, luſibuſque abſtineant, atque ea morum integritate polleant, vt meritò Eccleſiæ Senatus dici poſſint. Cætera, quæ ad debitum in diuinis officijs regimen ſpectant, deq; congrua in his canendi ſeu modulandi ratione, de certa lege in choro conueniendi & permanendi, ſimulque de omnibus Eccleſiæ miniſtris, quæ neceſſaria erunt, & ſi qua huiuſmodi, Synodus Prouincialis pro cuiuſque prouinciæ vtilitate & moribus certam cuiq; formulam præſcribet. Interea verò Epiſcopus non minùs quàm duobus canonicis, quorum vnus ab Epiſcopo, alter à Capitulo eligatur, in ijs, quæ expedire videbuntur, poterit prouidere.

Capvt 13.

QVoniam pleræque cathedrales Eccleſię tam tenuis redditus ſunt & anguſtæ, vt Epiſcopali dignitati nullo modo reſpondeant, neque Eccleſiarum neceſſitati ſufficiant, examinet Concilium Prouinciale, vocatis ijs quorum intereſt, & diligenter expendat, quas propter anguſtias tenuitatemque vicinis vnire, vel nouis prouentibus augere expediat, confectaque de præmiſſis inſtrumenta ad ſummum Romanum Pontificem mittat. Quibus inſtructus ſummus Pontifex, ex prudentia ſua, prout expedire iudicauerit, aut tenues inuicem vniat, aut aliqua acceſſione ex fructibus augeat. Interim verò, donec prædicta effectum ſortiantur, huiuſmodi Epiſcopis qui fructuum ſubuentione pro diœceſis ſuæ tenuitate indigent, poterit de beneficijs aliquibus, dum tamen curata non ſint, nec dignitates, ſeu canonicatus & præbendæ, nec monaſteria, in quibus viget regularis obſeruantia, vel quæ capitulis generalibus & certis viſitatoribus ſubduntur, à ſummo Pontifice prouideri. In parochialibus etiam Eccleſijs, quarum fructus æquè adeo exigui ſunt, vt debitis nequeant oneribus ſatisfacere, curabit Epiſcopus, ſi per beneficiorum vnionem, non tamen regularium, id fieri non poſſit, vt primitiarum vel decimarum aſſignatione, aut per Parochianorum ſymbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro Rectoris aut Parochiæ neceſſitate decenter ſufficiat. In vnionibus verò quibuslibet, ſeu ex ſupradictis, ſeu alijs cauſis faciendis, Eccleſiæ parochiales monaſterijs quibuſcunq; aut Abbatijs, ſeu dignitatibus, ſiue præbendis Eccleſiæ cathedralis vel collegiatæ, ſiue alijs beneficijs ſimplicibus, aut hoſpitalibus, militijſve non vniantur: & quæ vnitæ ſunt reuideantur ab ordinarijs iuxta alias decretum in eadem Synodo ſub fe. re. Paulo III. quod etiam in vnitis ab eo tempore citra æquè obſeruetur: non obſtantibus in ijs, quibuſcunque verborum formis, quæ hic pro ſufficienter expreſſis habeantur. Ad hæc in poſterum omnes hæ cathedrales Eccleſiæ, quarum redditus ſummam ducatorum mille, & parochiales, quę ſummam ducatorum centum ſecundum verum annum, valorem nō excedunt, nullis penſionibus aut reſeruationibus fructuum grauentur. In ijs quoque ciuitatibus ac locis, vbi parochiales Eccleſiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem regant, ſed promiſcuè petentibus Sacramenta adminiſtrant, mandat ſancta Synodus Epiſcopis, pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, vt diſtincto populo in certas propriaſque parochias, vnicuiq; ſuum perpetuum peculiaremq; parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & à quo ſolo licitè ſacramēta ſuſcipiāt: aut alio vtiliori modo, prout loci qualitas exegerit, prouideant. Idemque in his ciuitatibus ac locis, vbi nullæ ſunt parochiales, quamprimum fieri curent: non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs & conſuetudinibus etiam immemorabilibus.

Capvt 14.

IN pluribus Eccleſijs tam cathedralibus quàm collegiatis & parochialibus, ex earum conſtitutionibus, aut ex praua conſuetudine obſeruari intelligitur, vt in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia prouiſione ſiue admiſſione ad profeſſionem alicuius cathedralis Eccleſiæ vel beneficij, canonicatuum, aut præbendarum, vel partem prouentuum, ſeu ad diſtributiones [illegible] nas certæ conditiones ſeu deductiones ex fructibu[illegible]nes, promiſſiones, compenſationeſve illicitæ, aut e[illegible]in aliquibus Eccleſijs dicuntur turnorum lucra, inte[illegible]. Hæc cùm ſancta Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis, vt quæcunq; huiuſmodi in vſus pios non conuertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant: ipſique diligenter de eorum conſtitutionibus ſiue conſuetudinibus, ſuper prædictis cognoſcant, & illis tantùm, quas vt laudabiles probauerint, exceptis, reliquas vt prauas ac ſcandaloſas reijciant & aboleant. Eos verò, qui aduerſus hæc in præſenti decreto comprǽhenſa, quauis ratione commiſerint, pœnis contra ſimoniacos editis ſacris canonibus & varijs ſummorum Pontificum conſtitutionibus, quas omnes innouat, teneri decernit: non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, conſtitutionibus & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apoſtolica authoritate confirmatis, de quarum ſubreptione, obreptione & intentionis defectu Epiſcopus, tanquam Apoſtolicæ ſedis delegatus, cognoſcere poſſit.

Capvt 15.

IN Eccleſijs cathedralibus, & collegiatis inſignibus, vbi frequentes adeoque tenues ſunt præbendæ ſimul cum diſtributionibus quotidianis, vt ſuſtinendo decenti canonicorum gradui pro loci & perſonarum qualitate non ſufficiant, liceat Epiſcopis cum conſenſu Capituli vel aliquot ſimplicia beneficia, non tamen regularia ijs vnire; vel ſi hac ratione prouideri non poſſit, aliquib. ex ijs ſuppreſſis cum patronorum conſenſu, ſi de iure patronatus laicorum ſint, quarum fructus & prouentus reliquarum præbendarum diſtributionibus quotidianis applicentur, eos ad pauciorum numerum reducere: ita tamen, vt tot ſuperſint, quæ diuino cultui celebrando ac dignitati Eccleſiæ commodè valeant reſpondere: nō obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus & priuilegijs, aut quacunque reſeruatione generali, vel ſpeciali, aut affectione: neque prædictæ vniones aut ſuppreſſiones tolli ſeu impediri poſſint ex quibuſcunq; prouiſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſuis alijs derogationibus vel ſuſpenſionibus.

Capvt 16.

CApitulum, ſede vacante, vbi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum vnum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Eccleſiaſticarum & prouentuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem

pertinebit, ſint reddituri. Item Officialem ſeu Vicarium infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare omnino teneatur, qui ſaltem in Iure Canonico ſit Doctor vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si ſecus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio huiuſmodi deuoluatur. Et ſi Eccleſia ipſa Metropolitana fuerit aut exempta, capitulumque, vt præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Epiſcopus ex ſuffraganeis in Metropolitana, & propinquior Epiſcopus in exempta Oeconomum & Vicarium idoneos poſſit conſtituere. Epiſcopus verò ad eandem Eccleſiam vacantem promotus, ex his, quæ ad eum ſpectant, ab eiſdem Oeconomo, Vicario & alijs quibuſcunque officialibus, & adminiſtratoribus, qui ſede vacante fuerunt à Capitulo vel ab alijs in eius locum conſtituti, etiam ſi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, Iuriſdictionis, adminiſtrationis, aut cuiuſcunque eorum muneris: poſſitque eos punire, qui in eorum officio ſeu adminiſtratione deliquerint, etiam ſi prædicti officiales redditis rationibus à Capitulo vel à deputatis, ab eodem abſolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Epiſcopo teneatur Capitulum de ſcripturis ad Eccleſiam pertinentibus, ſi quæ ad Capitulum peruenerunt, rationem reddere.

Capvt 17.

CVm Eccleſiaſticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat clericorum, ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſijs conſcribi. Verùm quòniam multi improbæ cupid[illegible] ſeipſos non Deum decipientes, ea quæ bene con[illegible] varijs artibus eludere, & plura ſimul beneficia [illegible] erubeſcunt, ſancta Synodus debitam regendis E[illegible]ſciplinam reſtituere cupiẽs, præſenti decreto, (quod in quibuſcunque perſonis, quocunq; titulo, etiam ſi Cardinalatus honore fulgeant, mãdat obſeruari) ſtatuit vt in poſterum vnum tantùm beneficium Eccleſiaſticum ſingulis cõferatur. Quòd quidem, ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus, aliud ſimplex ſufficiẽs, dummodo vtrunq; perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modò ad cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia tam ſecularia quàm regularia quæcunque, etiam commendata, pertineant, cuiuſcunque tituli ac qualitatis exiſtant. Illi verò, qui in præſenti plures parochiales Eccleſias, aut vnam cathedralem & aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuſcunque diſpenſationibus ac vnionib. ad vitam non obſtantibus, vna tantùm parochiali vel ſola cathedrali retenta, alias parochiales infra ſpatium ſex mẽſium dimittere: alioquin tam parochiales quam beneficia omnia, quę obtinent, ipſo iure vacare cenſeantur, ac tanquam vacantia, liberè alijs idoneis cõferantur, nec ipſi antea illa obtinentes, tuta conſcientia fructus poſt dictum tempus retineant. Optat autem ſancta Synodus, vt reſignantium neceſſitatibus commoda aliqua ratione, prout ſummo Pontifici videbitur, prouideatur.

Capvt 18.

EXpedit maximè animarum ſaluti à dignis atque idoneis Parochis gubernari. Id vt diligentius ac rectius perficiatur, ſtatuit ſancta Synodus, vt cùm parochialis Eccleſiæ vacatio, etiam ſi cura Eccleſiæ vel Epiſcopo incumbere dicatur, & per vnum vel plures adminiſtretur, etiam in Eccleſijs patrimonialibus, ſeu receptiuis nuncupatis, in quibus conſueuit Epiſcopus vni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infraſcriptum examen teneri mandat, per obitum vel reſignationem, etiam in curia, ſeu aliter quomodocunq; contigerit, etiam ſi ipſa Parochialis Eccleſia reſeruata vel affecta fuerit generaliter vel ſpecialiter, etiam vigore indulti ſeu priuilegij in fauorem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſeu Abbatum, vel capitulorum, debeat Epiſcopus ſtatim habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis aſſignatione, conſtituere, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore prouideatur. Porrò Epiſcopus, & qui ius patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam Eccleſiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum ſit tamen etiam alijs, qui aliquos ad id aptos nouerint, eorum nomina deferre, vt poſſit poſtea de cuiuslibet ætate, moribus & ſufficientia fieri diligens inquiſitio. Et ſi Epiſcopo aut Synodo Prouinciali, pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Tranſacto conſtituto tempore, omnes qui deſcripti fuerint, examinentur ab Epiſcopo, ſiue (eo impedito) ab eius Vicario generali, atque ab alijs examinatoribus non paucioribus quàm tribus, quorum votis, ſi pares aut ſingulares fuerint, accedere poſſit Epiſcopus vel Vicarius quibus magis videbitur. Examinatores autem ſingulis annis in diœceſana Synodo ab Epiſcopo vel eius Vicario ad minus ſex proponantur, qui Synodo ſatisfaciant, & ab eo probentur. Adueniente que vacatione cuiuslibet Eccleſiæ, tres ex illis eligat Epiſcopus, qui cum eo examen perficiant: indeque ſuccedente alia vacatione, aut eoſdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis ſex eligat. Sint verò hi examinatores, Magiſtri ſeu doctores aut Licentiati in Theologia aut iure Canonico, vel alij clerici, ſeu regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam ſeculares, qui ad id videbuntur magis idonei: iurentque omnes ad ſancta Dei Euangelia, ſe quacunque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros. Caueantque ne quicquam prorſus occaſione huius examinis nec ante nec poſt accipiant: alioqui ſimoniæ vitium tam ipſi, quàm alij dantes, incurrant: à qua abſolui nequeant, niſi dimiſſis beneficijs, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant, & ad alia in poſterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non ſolùm coram Deo, ſed etiam in Synodo Prouinciali, ſi opus erit rationem reddere teneantur: A qua, ſi qui contra officium eos feciſſe compertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri poſſint. Peracto deinde examine, renuncientur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia & alijs rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis. Ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit: atque illi, & non alteri, collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre. Si verò iuriſpatronatus Eccleſiaſtici erit, ac inſtitutio ad Epiſcopum & non alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentare teneãtur, vt ab eo inſtituatur. Cùm verò inſtitutio ab alio, quàm ab Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat. Quòd ſi iuriſpatronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, vt ſuprà examinari, & non, niſi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibuſque ſupradictis caſibus non cuiquam alteri, quàm vni ex prædictis examinatis, & ab examinatoribus approbatis, iuxta ſupradictam regulam, de Eccleſia prouideatur: Nec prædictorum examinatorum relationem, quo minus executionem habeat, vlla deuolutio aut appellatio, etiam ad ſedem Apoſtolicã, ſiue eiuſdem ſedis Legatos, aut, vicelegatos aut Nuncios, ſeu Epiſcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interpoſita impediat aut ſuſpendat: alioquin Vicarius, quem Eccleſiæ vacanti antea Epiſcopus arbitrio ſuo ad tempus deputauit, vel forſan poſtea deputabit, ab eius Eccleſiæ cuſtodia & adminiſtratione non amoueatur, donec aut eidem aut alteri, qui probatus & electus fuerit vt ſuprà, ſit prouiſum: Aliàs prouiſiones omnes, ſeu inſtitutiones, præter ſupradictam formam factæ, ſubreptitiæ eſſe cenſeantur: Non obſtantibus huic decreto exemptionibus, indultis, priuilegijs, pręuentionibus, affectionibus, nouis prouiſionibus indultis, conceſſis quibuſcunque vniuerſitatibus, etiam ad certam ſummam, & alijs impedimentis quibuſcunque. Si tamen adeo exigui redditus dictæ parochialis fuerint, vt totius huius examinationis operam non ferant, aut nemo ſit, qui ſe examini quærat ſubijcere, aut ob apertas factiones ſeu diſſidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facilè grauiores rixæ ac tumultus poſſint excitari, poterit Ordinarius, ſi pro ſua conſcientia cum deputatorum conſilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omiſſa, priuatum aliud examen, cæteris tamen vt ſupra ſeruatis, adhibere. Licebit etiam Synodo Prouinciali, ſi qua in ſupradictis circa examinationis formã addenda remittenda ve eſſe cẽſuerit, prouidere.

Capvt 19.

DEcernit ſancta Synodus, Mandata de prouidendo, & gratias quæ expectatiuæ dicuntur, nemini amplius, etiam collegijs, Vniuerſitatibus, Senatibus, & alijs ſingularibus perſonis, etiam ſub nomine indulti, aut ad certam ſummam, vel alio quouis colore concedi, nec hactenus conceſſis cuiquam vti licere. Sed nec reſeruationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Eccleſias, vel monaſteria alicui etiam ex ſanctæ Romanæ Eccleſię Cardinalibus concedantur: & hactenus conceſſa, abrogata eſſe cenſeantur.

Capvt 20.

CAuſæ omnes, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam ſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinarijs locorum duntaxat cognoſcantur, atque omnino ſaltem infra biennium à die motæ litis terminentur: alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum, iudices ſuperiores, alias tamen competentes, adire, qui cauſam in eo ſtatu quo fuerit aſſumant, & quamprimùm terminari curent, nec antea alijs committantur, nec auocentur, nec appellationes ab eiſdem interpoſitæ, per ſuperiores quoſcunq; recipiantur, eorumve commiſſio aut inhibitio fiat, niſi à diffinitiua vel à diffinitiuæ vim habente, & cuius grauamen per appellationem à diffinitiua reparari nequeat. Ab his excipiantur cauſæ, quæ iuxta Canonicas ſanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ: vel quas ex vrgenti rationabilique cauſa iudicauerit ſummus Roman. Pontifex per ſpeciale reſcriptum, ſignaturæ ſanctitatis ſuę manu propria ſubſcribendum, committere aut auocare. Ad hæc cauſæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantùm examini & iuriſdictioni relinquantur: etiam ſi in præſenti inter Epiſcopum & Decanum, ſeu Archidiaconum, aut alios inferiores ſuper cauſarum illarum cognitione lis aliqua in quacunque inſtantia pendeat: coram quo ſi pars vere paupertatem probauerit, non cogatur extra Prouinciam, nec in ſecunda, nec in tertia inſtantia in eadem cauſa matrimoniali litigare, niſi pars altera & alimenta & expenſas litis velit ſubminiſtrare. Legati quoque etiam de latere, Nuncij, gubernatores Eccleſiaſtici, aut alij quarumcunque facultatum vigore non ſolùm Epiſcopos in prędictis cauſis impedire, aut aliquo modo eorum iuriſdictionem ijs præripere aut turbare non præſumant: ſed nec etiam contra Clericos aliaſve perſonas Eccleſiaſticas niſi Epiſcopo prius requiſito, eoque negligente procedant: aliàs eorum proceſſus ordinationeſve nullius momenti ſint, atque ad damni ſatisfactionem partibus illati teneantur. Præterea ſi quis in caſibus à iure permiſſis appellauerit, aut de aliquo grauamine conqueſtus fuerit, ſeu alias ob lapſum biennij, de quo ſupra, ad alium iudicem recurrerit, teneatur, acta omnia coram Epiſcopo geſta, ad iudicem appellationis expenſis ſuis transferre: eodem tamen Epiſcopo prius admonito, vt ſi quid ei pro cauſæ inſtructione videbitur, poſſit iudici appellationis ſignificare. Quòd ſi appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quæ tranſlata ſunt, expenſas proportione ſua, ſi illis vti voluerit, ſubire, niſi aliter ex loci conſuetudine ſeruetur, vt ſcilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porro ipſam actorum copiam teneatur Notarius, congrua mercede accepta appellanti quanto citius, & ad minus intra menſem, exhibere. Qui notarius ſi in differēda exhibitione fraudem fecerit, ab officij adminiſtratione arbitrio ordinarij ſuſpendatur, & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem & pauperes loci diſtribuendam, compellatur. Iudex vero ſi & ipſe impedimenti huius conſcius particepſve fuerit, aliterve obſtiterit, ne appellanti integrè acta intra tempus traderentur, ad eandem dupli pœnam prout ſupra teneatur: non obſtantibus, quo ad omnia ſupradicta, priuilegijs, indultis, concordijs, quæ ſuos tantum teneant authores, & alijs quibuſcunque conſuetudinibus.

Capvt 21.

CVpiens ſancta Synodus, vt ex decretis ab ea editis nulla vnquam futuris temporibus dubitandi occaſio oriatur: Verba illa poſita in Decreto publicato Seſſione prima ſub beatiſſimo D. N. Pio Quarto, Videlicet: Quæ proponentibus Legatis ac præſidentibus ad horum temporum leuandas calamitates, ſedandas de religione controuerſias, coercendas linguas doloſas, deprauatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram & Chriſtianam pacem conciliandam apta & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur: explicando, declarat mentis ſuæ non fuiſſe, vt ex prædictis verbis ſolita ratio tractandi negocia in generalib. Concilijs vlla ex parte immutaretur, neq; noui quicquam, præter id quod à ſacris Canonibus vel generalium Synodorum forma hactenus ſtatutum eſt, cuiquam adderetur vel detraheretur.

Indictio futuræ Seſſionis.

INſuper eadem ſacroſancta Synodus proximam futuram Seſſionem feria poſt Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis, quæ erit dies nona menſis Decembris proximè venturi, habendam eſſe ſtatuit & decernit, cum poteſtate etiam abbreuiandi. In qua Seſſione tractabitur de ſexto nunc in eam reiecto capite, & de reliquis reformationis capitibus iam exhibitis, deque alijs ad eam pertinentibus. Si verò opportunum videbitur & tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout ſuo tempore in congregationibus proponetur.

Abbreuiata eſt dies Seſſionis.

SESSIO XXV.

QVAE EST IX. ET VLTIMA ſub Pio IV. Pont. Max. cœpta die 3. abſoluta die 4. Decembris, 1563.

Decretum de Purgatorio.

CVM Catholica Eccleſia Spiritu ſancto edocta, ex ſacris literis & antiqua Patrum traditione in ſacris Concilijs, & nouiſſime in hac Oecumenica Synodo docuerit Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs, potiſſimùm vero acceptabili altaris ſacrificio iuuari, præcipit ſancta Synodus Epiſcopis, vt ſanam de Purgatorio doctrinam, à ſanctis Patribus & ſacris Concilijs traditam, à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prędicari diligenter ſtudeant. Apud rudem verò plebem difficiliores ac ſubtiliores quæſtiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumq; nulla ſit pietatis acceſſio, à popularibus cōcionibus ſecludantur. Incerta item, vel quæ ſpecie falſi laborant, euulgari & tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curioſitatem quandam aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt, tanquam ſcandala & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Epiſcopi, vt fidelium viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus defunctis fieri conſueuerunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta piè & deuotè fiant: & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, ſed à ſacerdotibus & Eccleſiæ miniſtris, & alijs, qui hoc præſtare tenentur, diligenter & accuratè perſoluantur.

Decretum de Inuocatione, veneratione & reliquijs ſanctorum, & ſacris imaginibus.

MAndat ſancta Synodus omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus curamque ſuſtinentibus, vt iuxta Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſię vſum, à primæuis Chriſtianæ religionis temporibus receptum, ſanctorumq; Patrum conſenſionum, & ſacrorum Conciliorum decreta, in primis de ſanctorum interceſſione, inuocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum vſu fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre: bonum atque vtile eſſe, ſuppliciter eos inuocare, & ob beneficia impetranda à Deo, per Filium eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Saluator eſt, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere. Illos verò, qui negant ſanctos æterna felicitate in cœlo fruentes, inuocãdos eſſe, aut qui aſſerunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, vt pro nobis etiam ſingulis orent, inuocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, aduerſarique honori vnius mediatoris Dei & hominũ Ieſu Chriſti, vel ſtultum eſſe in cœlo regnantibus voce vel mente ſupplicare, impiè ſentire.

Sanctorum quoque martyrum & aliorum cum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti & templum Spiritus ſancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa beneficia à Deo hominibus pręſtantur: ita vt affirmantes ſanctorum reliquijs venerationem atque honorem non deberi, vel eas aliaque ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ cauſa ſanctorum memorias fruſtrà frequentari, omnino damnandos eſſe: prout iampridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia.

Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis & aliorum ſanctorum, in templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam: non quòd credatur ineſſe aliqua in ijs diuinitas vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant: ita vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & ſanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicœnæ Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.

Illud verò diligenter doceant Epiſcopi, per hiſtorias myſteriorum noſtræ redemptionis, picturis vel alijs ſimilitudinibus expreſſas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis & aſſiduè recolendis: Tum verò ex omnibus ſacris imaginibus magnum fructum percipi, nó ſolùm quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt: ſed etiam, quia Dei per Sanctos miracula & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubijciuntur, vt pro ijs Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moreſque ſuos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut ſenſerit, Anathema ſit.

In has autem ſanctas & ſalutares obſeruationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri ſancta Synodus vehementer cupit: ita vt nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes, ſtatuantur. Quòd ſi aliquando hiſtorias & narrationes ſacræ ſcripturę, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit: doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit. Omnis porrò ſuperſtitio in ſanctorum inuocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum ſacro vſu tollatur: omnis turpis quæſtus eliminetur: omnis denique laſciuia vitetur: ita vt procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur, & ſanctorum celebratione ac reliquiarum viſitatione homines ad comeſſationes atq; ebrietates non abutantur, quaſi feſti dies in honorem ſanctorum per luxum ac laſciuiam agantur. Poſtremò tanta circa hæc diligentia & cura ab Epiſcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum, aut præpoſterè & tumultuariè accommodatum, nihil prophanum, nihilque inhoneſtum appareat, cùm domum Dei deceat ſanctitudo. Pſal. 92.

Hæc vt fidelius obſeruentur, ſtatuit ſancta Synodus nemini licere vllo in loco vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere, vel ponẽdam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo. Qui ſimul atque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in Concilium Theologis & alijs pijs viris, ea faciat, quæ veritati & pietati conſentanea iudicauerit. Quòd ſi aliquis dubius aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de ijs rebus grauior quæſtio incidat, Epiſcopus antequam cõtrouerſiam dirimat, Metropolitani & comprouincialium Epiſcoporum in Concilio Prouinciali ſententiã expectet: ita tamen, vt nihil inconſulto ſanctiſſimo Roman. Pontifice nouum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.

De regularibus & monialibus.

EAdem ſacroſancta Synodus Reformationẽ proſequens, ea quæ ſequuntur, ſtatuenda eſſe cenſuit.

CAPVT PRIMVM.

QVoniam non ignorat ſancta Synodus, quantum ex monaſterijs piè inſtitutis & rectè adminiſtratis, in Eccleſia Dei ſplendoris atque vtilitatis oriatur, neceſſarium eſſe cenſuit, quo facilius ac maturius, vbi collapſa eſt, vetus & regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantius, vbi conſeruata eſt, perſeueret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit, vt omnes Regulares, tam viri quàm mulieres, ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant & componant. Atque in primis quæ ad ſuę profeſſionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicuius regulæ & ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum reſpectiuè eſſentiam, necnon ad communem vitam, victum & veſtitum conſeruanda, pertinentia, fideliter obſeruent. Omniſque cura & diligentia à ſuperioribus adhibeatur, tam in capitulis generalibus & prouincialibus, quàm in eorum viſitationibus, quę ſuis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur: cùm compertum ſit, ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſeruata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.

CAPVT 2.

NEmini igitur Regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuſcunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tanquam propria aut etiam nomine conuentus poſſidere vel tenere, ſed ſtatim ea ſuperiori tradantur, conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere etiam ad vſumfructum vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum ſeu conuentuum, ad ſolos officiales eorundem, ad nutum ſuperiorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vſum ita ſuperiores permittant, vt eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat: nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur. Quòd ſi aliquis quicquam tenere depræhenſus aut conuictus fuerit, is biennio actiua & paſſiua voce priuatus ſit, atque etiam iuxta ſuæ regulæ & ordinis conſtitutiones puniatur.

Caput 3.

CONcedit ſancta Synodus omnib. Monaſterijs & domib. tam virorum quàm mulierum & Mendicantium (exceptis domibus fratrum ſancti Franciſci Capuccinorum, & eorum qui Minorum de obſeruantia vocantur, etiam quibus aut ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apoſtolico non erat conceſſum) vt deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. Quòd ſi aliqua loca ex prædictis, quibus Authoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint, eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit. In prædictis autem monaſterijs & domibus tam virorum quàm mulierum bona immobilia poſſidentibus vel non poſſidentibus, is tantùm numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex redditibus proprijs monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari, nec decæterò ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cuius diœceſi erigenda ſunt, licentia priùs obtenta.

Caput 4.

PRohibet ſancta Synodus, ne quis regularis, ſine ſui ſuperioris licentia, prædicationis vel lectionis, aut cuiuſuis pij operis prætextu, ſubijciat ſe obſequio alicuius prælati, principis, vel vniuerſitatis, vel communitatis aut alterius cuiuſcunque perſonæ ſeu loci: neque ei aliquod priuilegium aut facultas ab alijs ſuper ijs obtenta ſuffragetur. Quòd ſi contrà fecerit, tanquàm inobediens arbitrio ſuperioris puniatur. Nec liceat regularibus à ſuis conuentibus recedere, etiam prętextu ad ſuperiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum tanquàm deſertor ſui inſtituti puniatur. Illi autem qui ſtudiorum cauſa ad Vniuerſitates mittuntur, in conuentibus tantùm habitẽt: alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur.

Caput 5.

BOnifacij Octaui conſtitutionem, quæ incipit, Periculoſo, renouans ſancta Synodus, vniuerſis Epiſcopis, ſub obteſtatione diuini iudicij & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnib. monaſterijs ſibi ſubiectis, ordinaria; in alijs verò ſedis Apoſtolicæ authoritate clauſurã ſanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent, inobedientes atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas aliaſq; pœnas, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcentes: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Quod auxilium vt præbeatur, omnes Chriſtianos Principes hortatur ſancta Synodus, & ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, omnibus magiſtratibus ſecularibus iniungit. Nemini autem ſanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire à monaſterio etiam ad breue tempus, quocunque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcunque & priuilegijs non obſtantibus. Ingredi autem intra ſepta monaſterij nemini liceat, cuiuſcunque generis aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel ſuperioris licentia in ſcriptis obtentą, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantùm Epiſcopus vel ſuperior licentiam debet in caſibus neceſſarijs, neque alijs vllo modo poſſit, etiam vigore cuiuſcunque facultatis vel indulti hactenùs conceſſi, vel in poſterum concedendi. Et quia monaſteria ſanctimonialium, extra mœnia vrbis vel oppidi conſtituta, malorum hominum prædæ & alijs facinoribus ſine vlla ſæpè cuſtodia ſunt expoſita, curent Epiſcopi & alij ſuperiores, ſi ita videbitur expedire, vt ſanctimoniales ex eis ad noua vel antiqua monaſteria intra vrbes vel oppida frequentia reducantur, inuocato etiam auxilio, ſi opus fuerit, brachij ſecularis: impedientes verò vel non obedientes per cenſuras Eccleſiaſticas parére compellant.

Caput 6.

IN electione ſuperiorum quorumcunque, Abbatum ...poralium, & aliorum officialium, ac Generalium, & ...batiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quò omnia ... & ſine vlla fraude fiant, in primis ſancta Synodus diſt... præcipit omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecret... vt ſingulorũ eligentium nomina nunquam publicentur. ... in poſterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores a... quos quoſcunque titulares ad effectum electionis faci... conſtituere, aut voces & ſuffragia abſentium ſupplere. ... verò contra huius decreti conſtitutionem aliquis el... fuerit, electio irrita ſit, & is, qui ad hunc effectum ſe in... uincialem, Abbatem aut Priorem creari permiſerit, dei... ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis exiſtat ... cultateſque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſean... & ſi in poſterum aliæ concedantur, tanquam ſubreptiti... beantur.

Caput 7.

ABbatiſſa & Prioriſſa, & quocunque alio nomine pr... cta vel præpoſita appelletur, eligatur non minor a... quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſio... laudabiliter vixerit. Quòd ſi his qualitatibus non reperi... in eodem monaſterio, ex alio eiuſdem ordinis eligi poſſit. ... hoc etiam incommodum ſuperiori, qui electioni præeſt ... deatur, ex ijs, quæ in eodem monaſterio annum 30. exce... rint, & 5. ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, E... ſcopo vel alio ſuperiore conſentiente, eligatur. Duobus ... rò monaſterijs nulla præficiatur. Et ſi quę duo vel plura q... cunq; modo obtinent, cogantur, vno excepto, intra ſex m... ſes cætera reſignare. Poſt id verò tempus, niſi reſignau... omnia ipſo iure vacent. Is verò, qui electioni præeſt, Epiſ... pus ſiue alius ſuperior, clauſtra monaſterij non ingrediat... ſed ante cãcellorum feneſtellam vota ſingulorum audiat ... accipiat. In reliquis ſeruentur ſingulorum ordinum vel m... naſteriorum conſtitutiones.

Caput 8.

MOnaſteria omnia, quę generalib. Capitulis aut Epiſ... pis non ſubſunt, nec ſuos habent ordinarios regula... viſitatores, ſed ſub immediata ſedis Apoſtolicæ protectio... ac directione regi conſueuerunt, teneantur infra annum à ... ne pręſentis Concilij, & deinde quolibet triennio ſeſe in c... gregationes redigere, iuxta formam conſtitutionis Innoc... tij III. in Concilio generali, quæ incipit, In ſingulis: ibi... certas regulares perſonas deputare, quæ de modo & ord... de prędictis congregationibus erigendis, ac ſtatutis in eis e... quendis deliberent & ſtatuant. Quòd ſi in his negligen... fuerint, liceat Metropolitano, in cuius Prouincia prædi... monaſteria ſunt, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegato, eos ... prædictis cauſis conuocare. Quòd ſi infra limites vnius p... uinciæ non ſit ſufficiens talium monaſteriorum numerus ... erigendam congregationem, poſſint duarum vel trium p... uinciarum monaſteria vnam facere congregationem. I... autem congregationibus conſtitutis, illarum generalia C... tula, & ab illis electi præſides vel Viſitatores eandem habe... authoritatem in ſuæ congregationis Monaſteria, ac regula... in eis commorantes, quam alij Præſides ac Viſitatores in ... teris habent ordinibus: teneanturque ſuæ congregatio... monaſteria frequenter viſitare, & illorum reformationi ... cumbere, & ea obſeruare quæ in ſacris Canonibus & in h... ſacro Concilio ſunt decreta. Quòd ſi, etiam Metropoli... no inſtante, prædicta exequi non curauerint, Epiſcopis, in quorum diœceſibus loca prædicta ſita ſunt, tanquàm ſedis Apoſtolicæ delegatis ſubdantur.

Capvt 9.

Monaſteria Sanctimonialium ſanctæ ſedis Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, etiam ſub nomine Capitulorum S. Petri, vel S. Iôannis, vel alias quomodocunque nuncupentur, ab Epiſcopis tanquam dictæ ſedis delegatis gubernentur, non obſtantibus quibuſcunque. Quæ verò à deputatis in capitulis generalibus, vel ab alijs regularib. reguntur, ſub eorum cura & cuſtodia relinquantur.

Capvt 10.

Attendant diligenter Epiſcopi & cęteri ſuperiores monaſteriorum ſanctimonialium, vt in conſtitutionibus earum admoneantur ſanctimoniales, vt ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, vt eo ſe ſalutari pręſidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter ſuperandas. Præter ordinarium autem confeſſorem alius extraordinarius ab Epiſcopo & alijs ſuperioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omniũ confeſſiones audire debeat. Quòd verò ſanctiſſimum Chriſti corpus intra chorum vel ſepta monaſterij, & non in publica Eccleſia conſeruetur, prohibet ſancta Synodus, non obſtante quocunque indulto aut priuilegio.

Capvt 11.

In monaſterijs ſeu domibus virorum ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſecularium, pręter eas quæ ſunt de illorum monaſteriorum ſeu locorum familia, perſonæ tam regulares quã ſeculares, huiuſmodi curam exercẽtes, ſubſint immediatè in ijs, quę ad dictam curam & ſacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuriſdictioni, viſitationi & correctioni Epiſcopi, in cuius diœceſi ſunt ſita: nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles deputẽtur, niſi de eiuſdem conſenſu ac præuio examine, per eum aut eius Vicarium faciendo, excepto monaſterio Cluniacẽſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam ijs monaſterijs ſeu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita ordinum ſedem ordinariam principalem habent, atque alijs monaſterijs ſeu domibus, in quibus Abbates, aut alij regularium ſuperiores iuriſdictionem Epiſcopalem & temporalẽ in parochos & parochianos exercent: ſaluo tamen eorum Epiſcoporum iure, qui maiorem in prædicta loca vel perſonas iuriſdictionem exercent.

Capvt 12.

Cenſuræ & interdicta, nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Epiſcopo, à regularibus in eorum Eccleſijs publicentur atq; ſeruentur. Dies etiam feſti, quos in diœceſi ſua ſeruandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, ſeruentur.

Capvt 13.

Controuerſias omnes de præcedentia, quæ perſæpè maximo cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas, tam ſeculares quam regulares, cùm in proceſſionibus publicis, tum in his, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella & alijs ſimilibus, Epiſcopus, amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcunque, componat. Exempti autẽ omnes, tam clerici ſeculares quàm regulares, quicunq; etiam monachi ad publicas Proceſſiones vocati accedere compellantur: ijs tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò viuunt.

Capvt 14.

Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra monaſterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtãte, à ſuo ſuperiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſeuerè puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat: ſin minus, à ſuo ſuperiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.

Capvt 15.

In quacunque Religione, tam virorum quàm mulierum, profeſſio nõ fiat ante decimum ſextum annum expletum: nec qui minore tempore, quàm per annum, poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcunque effectus.

Capvt 16.

Nulla quoque renunciatio aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcunque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi ſiue eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem: ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione. Aliter verò facta, etiam ſi cum huius fauoris expreſſa renunciatione, etiam iurata, ſit irrita & nullius effectus. Finito tempore nouitiatus, Superiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monaſterio eos eijciant. Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin religio Clericorũ ſocietatis Ieſu, iuxta pium eorum inſtitutum, à ſancta ſede Apoſtolica approbatum, Domino & eius Eccleſiæ inſeruire poſſint. Sed neque ante profeſſionem, excepto victu & veſtitu, nouitij vel nouitiæ, illius temporis, quo in probatione eſt, quocunq; prætextu à parentibus, vel propinquis aut curatoribus eius monaſterio aliquid ex bonis eiuſdẽ tribuatur, ne hac occaſiõe diſcedere nequeat, quod totam vel maiorẽ partem ſubſtantiæ ſuæ monaſterium poſſideat, nec facilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit. Quin potiùs præcipit ſancta Synodus ſub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante profeſſionem, omnia reſtituantur quæ ſua erant. Quod vt rectè fiat, Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.

Capvt 17.

Libertati profeſſionis Virginum Deo dicandarum proſpiciens ſancta Synodus, ſtatuit atque decernit, vt ſi puella, habitum regularem ſuſcipere voluerit, maior 12. annis ſit, non antè eum ſuſcipiat: nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quàm explorauerit Epiſcopus, vel eo abſente vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat. Et ſi voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requiſitas iuxta monaſterij illius & ordinis regulam, necnon monaſteriũ fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat. Cuius profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, teneatur præfecta monaſterio eum ante menſem certiorem facere. Quòd ſi præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit, quamdiu Epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit.

Capvt 18.

Anathemati ſancta Synodus ſubijcit omnes & ſingulas perſonas, cuiuſcunque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quàm laicos, ſeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocunque coegerint aliquam Virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in caſibus in iure expreſſis, ad ingrediendum monaſteria, vel ſuſcipiendum habitum cuiuſcunque religionis, vel ad emittendam profeſſionem: quique conſilium, auxilium vel fauorem dederint: quique ſcientes eam non ſpontè ingredi monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquomodo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel authoritatem interpoſuerint. Simili quoq; anathemati ſubijcit eos, qui ſanctam Virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittẽdi, quoquomodo ſine iuſta cauſa impedierint.

dierint. Eaque omnia & ſingula, quæ ante profeſſionem vel in ipſa profeſſione fieri oportet, ſeruentur, non ſolùm in monaſterijs ſubiectis Epiſcopo, ſed & in alijs quibuſcunque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ pœnitentes aut conuertitæ appellantur, in quibus conſtitutiones earum ſeruentur.

Capvt 19.

QVicunque regularis prætendat ſe per vim & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicant ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacunque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licétia ſuperiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis: & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo & Ordinario. Quòd ſi antè habitum ſpontè dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcunque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tanquàm Apoſtata puniatur. Interim verò nullo priuilegio ſuæ religionis iuuetur. Nemo etiam regularis cuiuſcunq; facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem, nec detur licétia cuiquam regulari occultè ferendi habitum ſuæ religionis.

Capvt 20.

ABbates, qui ſunt ordinum capita, ac cæteri prædictorum ordinum Superiores Epiſcopis non ſubiecti, quibus eſt in alia inferiora monaſteria prioratuſue legitima iuriſdictio, eadē illa ſibi ſubdita monaſteria & prioratus ſuo quiſque loco atque ordine ex officio viſitent, etiam ſi commendata exiſtant. Quæ cùm ordinum ſuorum capitibus ſubſint, declarat ſancta Synodus in ijs, quæ alias de viſitatione monaſteriorum commendatorum definita ſunt, non eſſe compræhenſa: teneanturque quicunq; prędictorum ordinum monaſterijs præſunt, prædictos viſitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipſa quoq; monaſteria, quæ ſunt ordinum capita, iuxta ſanctæ ſedis Apoſtolicę & cuiuſque ordinis conſtitutiones viſitentur. Et quamdiu durabūt huiuſmodi commendæ, Priores clauſtrales, aut in prioratibus conuentum habentibus Superiores, qui correctiones & ſpirituale regimen exercent, à capitulis generalibus, vel ipſorum ordinum viſitatoribus inſtituantur. In cæteris omnibus præfatorū ordinum priuilegia & facultates, quæ ipſorū perſonas, loca & iura concernunt, firma ſint & illæſa.

Cap. 21.

CVm pleraque monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus & Præpoſiturę ex mala eorum, quibus commiſſa fuerunt, adminiſtratione non leuia paſſa fuerint tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus detrimenta, cupit ſancta Synodus ea ad congruam monaſticæ vitæ diſciplinam omnino reuocare. Verum adeo dura difficiliſq; eſt præſentium temporum conditio, vt nec ſtatim omnibus, nec commune vbique quod optaret, remedium poſſit adhiberi. Vt tamen nihil prætermittat, vnde prædictis ſalubriter aliquando prouideri poſſit, primum quidem confidit ſanctiſſimum Romanum Pontificem pro ſua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre poſſe viderit, vt his, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ ſuos conuentus habent, regulares perſonæ eiuſdem ordinis expreſſè profeſſæ, & quę gregi præire & præeſſe poſſint, præficiantur. Quæ verò in poſterum vacabunt, non niſi regularibus ſpectatæ virtutis & ſanctitatis conferantur. Quo ad verò ea monaſteria, quæ capita ſunt ac primates ordinum, ſiue Abbatiæ, ſiue Prioratus filiæ illorum capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præſenti ea in commendam obtinent, niſi ſit eis de regulari ſucceſſore prouiſum, infra ſex mēſes religionem illorum ordinum propriam ſolenniter profiteri, aut ijs cedere: alias commendæ prædictæ ipſo iure vacare cenſeantur. Ne autem in prædictis omnibus & ſingulis fraus aliqua adhiberi poſſit, mādat ſancta Synodus, vt in prouiſionibus dictorum monaſteriorum qualitas ſingulorum nominatim exprimatur, aliterq; facta prouiſio ſubreptitia eſſe cenſeatur, nullaq; ſubſequenti poſſeſſione etiam trienнali adiuuetur.

Capvt 22.

HÆc omnia & ſingula, in ſuperioribus Decretis con
ta, obſeruari ſancta Synodus præcipit in omnibus
nobijs ac monaſterijs, collegijs ac domibus quorumcun
Monachorum ac regularium, nec non quarumcunque ſan
monialium virginum ac viduarum: etiam ſi illæ ſub guber
militiarum, etiam Hieroſolymitanæ, viuant, & quocun
nomine appellantur, ſub quacunque regula vel conſtitut
nibus, & ſub cuſtodia vel gubernatione, vel quauis ſubiect
ne, aut annexione, vel dependentia cuiuſcunq; ordinis, m
dicantium vel non mendicantium, vel aliorum regulari
Monachorum, aut Canonicorum quocumcunque: non
ſtantibus eorum omnium & ſingulorum priuilegijs,
quibuſcunque formulis verborum conceptis, ac m
magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec n
conſtitutionibus & regulis, etiam iuratis, atque etiam co
ſuetudinibus, vel præſcriptionibus, etiam immemorabilib
Si qui verò regulares, tam viri quàm mulieres ſunt, qui
arctiori regula vel ſtatutis viuunt, excepta facultate haber
bona ſtabilia in communi, eos ab eorum inſtituto & ob
uantia ſancta Synodus amouere non intendit. Et quia ſanc
Synodus deſiderat, vt omnia & ſingula ſupradicta quam p
mùm executioni demandentur, præcipit omnibus Epiſcop
in Monaſterijs ſibi ſubiectis, & in omnibus alijs, ipſis in ſup
rioribus Decretis ſpecialiter commiſſis, atque omnibus A
batibus, & Generalibus, & alijs Superioribus ordinum ſupra
dictorum, vt ſtatim prædicta exequantur. Et ſi quid execu
oni mandatum non ſit, Epiſcoporum negligentiam Concili
prouincialia ſuppleant & coerceant. Regularium verò Cap
tula prouincialia & generalia: & in defectum Capitulorum
generalium, Concilia prouincialia per deputationem aliquo
rum eiuſdem ordinis prouideant. Hortatur etiam ſanct
Synodus omnes Reges, Principes, Reſpublicas & Magiſtra
tus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, vt velint prædi
ctis Epiſcopis, Abbatibus, ac generalibus, & cæteris præfecti
in ſuperiùs contentæ reformationis executione ſuum auxili
& authoritatem interponere, quoties fuerint requiſiti, vt ſine
vllo impedimento præmiſſa rectè exequantur ad laudē De
omnipotentis.

DECRETVM DE REFORMAtione.

Capvt Primvm.

OPtandum eſt, vt ij, qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſuæ ſint partes agnoſcant, ac ſe non ad propria commoda, non ad diuitias aut luxum, ſed ad labores & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant. Nec enim dubitandum eſt, & fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, ſi Præpoſitos ſuos viderint non ea, quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem ac cæleſtem patriam cogitantes. Hæc cùm ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam præcipua eſſe ſancta Synodus animaduertat, admonet Epiſcopos omnes, vt ſecum ea ſæpè meditantes, factis etiam ipſis ac vitæ actionibus, quod eſt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, ſe muneri ſuo conformes oſtendant. In primis verò ita mores ſuos omnes componant, vt reliqui ab ijs frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac quæ nos tantoperè commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non ſolùm iubet, vt Epiſcopi modeſta ſuppellectili & menſa, ac frugali victu contenti ſint: verùm etiam in reliquo vitę genere ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodq; non ſimplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum præ ſe ferat. Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſve ſuos augere ſtudeant, cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, ijs vt pauperibus diſtribuant. Eas autem nō diſtrahant nec diſſipent illorum cauſa: immò quàm maximè poteſt eos ſancta Synodus monet, vt omnem humanū hunc erga fra-

tres,

tres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, vnde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant. Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolùm in quibuſcunque beneficia Eccleſiaſtica, tam ſecularia quam regularia, obtinentibus pro gradus ſui conditione obſeruari, ſed & ad S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit: quorum conſilio apud ſanctiſſimum Romanum Pontificem cùm vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non ijs etiam virtutum inſignibus ac viuendi diſciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in ſe oculos conuertant.

Capvt 2.

COgit temporum calamitas & inualeſcentium hæreſum malitia, vt nihil ſit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem & Catholicæ fidei præſidium videatur poſſe pertinere. Præcipit igitur ſancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & omnibus alijs, qui de iure vel cõſuetudine in Concilio Prouinciali intereſſe debent, vt in ipſa prima Synodo prouinciali, poſt finem præſenti Concilij habenda, ea omnia & ſingula, quæ ab hac ſancta Synodo diſſinita & ſtatuta ſunt, palam recipiant, necnon veram obedientiam ſummo Rom. Pontif. ſpondeant & profiteantur: ſimulque hæreſes omnes, à ſacris Canonibus & generalibus Concilijs, præſertimq; ab hac eadem Synodo damnatas, publicè deteſtentur & anathematizent. Idemque in poſterum quicunque in Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos Epiſcopoſque promouendi, in prima Synodo prouinciali, in qua ipſi interfuerint, omnino obſeruent. Quòd ſi quis ex ſupradictis omnibus (quod abſit) renuerit, Epiſcopi comprouinciales ſtatim ſummum Romanum Pontificem admonere ſub pœna diuinæ indignationis teneantur, interimque ab eiuſdem communione abſtineant. Cæteri verò omnes, ſiue in præſenti, ſiue in futurum beneficia Eccleſiaſtica habituri, & qui in Synodo Diœceſana conuenire debent, idem vt ſupra in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebratur, faciant & obſeruent: alias ſecundum formam ſacrorum Canonum puniantur. Ad hæc omnes ij, qui ad quos vniuerſitatum & ſtudiorum generalium cura, viſitatio & reformatio pertinet, diligenter curent, vt ab eiſdem Vniuerſitatibus Canones & Decreta huius ſanctæ Synodi integrè recipiãtur: ad eorumque normam Magiſtri, Doctores & alij in eiſdem Vniuerſitatibus ea, quæ Catholicæ fidei ſunt, doceant & interpretentur, ſeque ad hoc inſtitutum initio cuiuslibet anni ſolenni iuramento obſtringant. Sed & ſi aliqua alia in prædictis vniuerſitatib. correctione & reformatione digna fuerint, ab eiſdem ad quos ſpectat, pro Religionis & diſciplinæ Eccleſiaſticæ augmento emendentur & ſtatuantur. Quæ verò Vniuerſitates immediatè ſummi Rom. Pont. protectioni & viſitationi ſunt ſubiectæ, has ſua beatitudo per eius delegatos eadem, qua ſupra, ratione, & prout ei vtilius viſum fuerit, ſalubriter viſitari & reformari curabit.

Capvt 3.

QVamuis excommunicationis gladius neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinę, & ad continendos in officio populos valdè ſalutaris: ſobriè tamen magnaque circunſpectione exercendus eſt, cùm experientia doceat, ſi temerè aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potiùs parere quam ſalutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis ad finem reuelationis (vt aiunt) aut pro deperditis ſeu ſubtractis reb. ferri ſolent, à nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernantur: & tunc non alias quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter ac magna maturitate per epiſcopum examinata, quæ eius animum moueat: nec ad eas concedendas cuiuſuis ſecularis, etiam Magiſtratus authoritate adducatur: ſed totũ hoc in eius arbitrio & conſcientia ſit poſitum, quando ipſe pro re, loco, perſona aut tempore eas decernendas eſſe iudicauerit. In cauſis verò iudicialibus mandatur omnibus iudicibus Eccleſiaſticis, cuiuſcunque dignitatis exiſtant, vt quandocunque executio realis vel perſonalis in qualibet parte iudicij propria authoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo, quam diffiniendo à cenſuris Eccleſiaſticis ſeu interdicto: ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis ciuilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcunque etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs ibi exiſtentibus eo ipſo quod exactæ fuerint, aſſignentur: ſeu per captionem pignorum perſonarumque diſtrictionem, per ſuos proprios aut alienos executores faciendam: ſiue etiam per priuationem beneficiorum, aliaque iuris remedia procedere, & cauſas diffinire: Quòd ſi executio realis vel perſonalis aduerſus reos hac ratione fieri non poterit, ſitque erga iudicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio ſuo præter alias pœnas ferire poterit. In cauſis quoque criminalibus vbi executio realis vel perſonalis vt ſupra fieri poterit, erit à cenſuris abſtinendum. Sed ſi dictæ executioni facilè locus eſſe non poſſit, licebit iudici hoc ſpirituali gladio in delinquentes vti: ſi tamen delicti qualitas, præcedente bina ſaltem monitione etiam per edictum, id poſtulet. Nefas autem ſit ſeculari cuilibet magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, ſub prætextu, quod contenta in præſenti Decreto non ſint obſeruata: cùm non ad ſeculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus verò quicunque, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolùm ad ſacramenta & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur: ſed ſi obdurato animo cenſuris annexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum, procedi poſſit.

Capvt 4.

COntingit ſæpè in quibuſdã Eccleſijs vel tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri: vel eleemoſynam huiuſmodi pro illis celebrandis adeo tenuem eſſe, vt non facilè inueniatur, qui velit huic ſe muneri ſubijcere. Vnde depereunt piæ teſtantium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur. Sancta Synodus cupiens hæc ad pios vſus relicta quo plenius & vtilius poteſt impleri, facultatem dat Epiſcopis, vt in Synodo Diœceſana, itemque Abbatibus & Generalibus ordinum, vt in ſuis Capitulis generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſijs, quas hac prouiſione indigere cognouerint, ſtatuere circa hæc, quicquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum vtilitatem viderint expedire: ita tamen, vt eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios vſus reliquerunt.

Capvt 5.

RAtio poſtulat, vt illis, quæ bene conſtituta ſunt, contrarijs ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione ſeu fundatione, aut alijs conſtitutionbus qualitates aliquæ requiruntur, ſeu certa illis onera ſunt iniuncta, in beneficiorum collatione, ſeu in quacunque alia diſpoſitione eis non derogetur. Idem in præbendis Theologalibus, Magiſtralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocunque ita conſtituta fuerint, obſeruetur, vt eorum qualitatibus vel ordinibus nihil in vlla prouiſione detrahatur, & aliter facta prouiſio ſurreptitia cenſeatur.

Cap. 6.

STatuit ſancta Synodus, vt in omnibus Eccleſijs cathedralibus & collegiatis Decretum ſub fe. re. Paulo III. quod incipit, Capitula cathedralium, obſeruetur, non ſolùm quando Epiſcopus viſitauerit, ſed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicuius contra aliquem ex contentis in dicto Decreto procedat: ita tamen, vt cùm extra viſitationem proceſſerit, infraſcripta omnia locum habeant: Videlicet vt Capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum conſilio & aſſenſu Epiſcopus, vel eius Vicarius tam in for-

mando

mando proceſſum, quam in cæteris omnibus actibus vſque
ad finem cauſæ incluſiuè, coram Notario tamen ipſius Epi-
ſcopi, & in eius domo, aut conſueto tribunali procedere te-
neatur. Vnum autem tantùm ſit vtriuſque votum, poſſitque
alter Epiſcopo accedere. Quòd ſi ambo ab Epiſcopo diſcor-
des in aliquo actu, ſeu interlocutoria vel diſſinitiua ſententia
fuerint, tunc intra ſex dierum ſpatium cum Epiſcopo ter-
tium eligant. Et ſi in electione tertij etiam diſcordent, ad
viciniorem Epiſcopum electio deuoluatur, & iuxta eam par-
tem, cum qua tertius conueniet, articulus in quo erat diſcor-
dia, terminetur: aliàs proceſſus & inde ſecuta, nulla ſint, nul-
loſque producant iuris effectus. In criminibus tamen ex in-
continentia prouenientibus, de qua in Decreto de Concubi-
narijs, & in atrocioribus delictis, depoſitionem aut degrada-
tionem requirentibus, vbi de fuga timetur, ne iudicium elu-
datur, & ideo opus ſit perſonali detentione, poſſit initio ſolus
Epiſcopus ad ſummariam informationem & neceſſariam de-
tentionem procedere, ſeruato tamen in reliquis ordine præ-
miſſo. In omnibus autem caſibus ea ratio habeatur, vt iuxta
qualitatem delicti ac perſonarum, delinquentes ipſi in loco
decenti cuſtodiantur. Epiſcopis præterea vbiq; is honor tri-
buatur, qui eorum dignitati par eſt: eiſque in Choro & in ca-
pitulo, in proceſſionibus, & alijs actibus publicis ſit prima ſe-
des & locus quem ipſi elegerint, & præcipua omnium rerum
agendarum authoritas. Qui ſi aliquid Canonicis ad delibe-
randum proponant, nec de re ad ſuum vel ſuorum commo-
dum ſpectante agatur, Epiſcopi ipſi Capitulum conuocent,
vota exquirant, & iuxta ea concludant. Abſente verò Epi-
ſcopo, omnino hoc ab ijs de Capitulo, ad quos hoc de iure
vel conſuetudine ſpectat, perficiatur, nec ad id Vicarius E-
piſcopi admittatur. Cæteris autem in rebus Capituli iuriſdi-
ctio & poteſtas, ſi qua eis competit, & bonorum adminiſtra-
tio ſalua & intacta omnino relinquatur. Qui verò non obti-
nent dignitates, nec ſunt de Capitulo, hi omnes in cauſis Ec-
cleſiaſticis Epiſcopo ſubijciantur: non obſtantibus quo ad ſu-
pradicta, priuilegijs, etiam ex fundatione competentibus,
necnon conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ſenten-
tijs, iuramentis, concordijs, quæ tantùm ſuos obligent autho-
res: ſaluis tamen in omnibus priuilegijs, quæ Vniuerſitati-
bus ſtudiorum generalium ſeu earum perſonis ſunt conceſſa.
Hæc autem omnia & ſingula in ijs Eccleſijs locum non habe-
ant, in quibus Epiſcopi, aut eorum Vicarij ex conſtitutioni-
bus, vel priuilegijs aut conſuetudinibus, ſiue concordijs, ſeu
quoque alio iure maiorem habent poteſtatem, authorita-
tem, ac iuriſdictionem, quàm præſenti Decreto ſit com-
præhenſum, quibus ſancta Synodus derogare non inten-
dit.

CAPVT 7.

CVm in beneficijs Eccleſiaſticis ea, quæ hæreditariæ ſuc-
ceſſionis imaginem referunt, ſacris conſtitutionibus
ſint odioſa, & Patrum Decretis contraria, nemini in poſte-
rum acceſſus aut regreſſus, etiam de conſenſu, ad beneficium
Eccleſiaſticum cuiuſcunque qualitatis concedatur, nec hacte-
nus conceſſi ſuſpendantur, extendantur, aut transferantur.
Hocque decretum in quibuſcunque beneficijs Eccleſiaſticis,
ac etiam cathedralibus Eccleſijs, ac in quibuſcunque perſo-
nis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat.
In coadiutorijs quoque cum futura ſucceſſione idem poſthac
obſeruetur, vt nemini in quibuſcunque beneficijs Eccleſia-
ſticis permittantur. Quòd ſi quando Eccleſiæ Cathedralis
aut monaſterij vrgens neceſſitas aut euidens vtilitas poſtu-
let Prælato dari coadiutorem, is non aliàs cum futura ſucceſ-
ſione detur, quàm hæc cauſa prius diligenter à ſanctiſſimo
Romano Pontifice ſit cognita, qualitates omnes in il-
lo concurrere certum ſit, quæ à iure & Decretis huius
ſanctę Synodi in Epiſcopis & Prælatis requi-
runtur: aliàs conceſſiones ſuper
his factæ, ſurreptitiæ
eſſe cenſean-
tur.

CAPVT 8.

ADmonet ſancta Synodus quoſcunque Eccle
neficia ſecularia ſeu regularia obtinentes, vt
tatis officium, à ſanctis Patribus frequenter comm
quantum per eorum prouentus licebit, promptè be
exercere aſſueſcant, memores, eos qui hoſpitalitatem
Chriſtum in hoſpitibus recipere. Illis verò, qui h
vulgo nuncupata, ſeu alia pia loca ad peregrinorum,
rum, ſenum, pauperumve vſum præcipuè inſtitut
mendam, adminiſtrationem, aut quemcunque titu
etiam Eccleſijs ſuis vnita obtinent, vel ſi Eccleſiæ P
les, hoſpitalibus fortè vnitæ, aut in hoſpitalia erecta
que Patronis in adminiſtrationem cóceſſæ ſint, præc
nino, vt impoſitum illis onus officiumve adminiſtr
que hoſpitalitaté, quam debent, ex fructibus ad id dep
ctu exerceant, iuxta conſtitutionem Concilij Vienne
in hac eadem Synodo ſub fe. re. Paulo III. innouatam
incipit, Quia contingit. Quòd ſi hoſpitalia hæc ad
peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum perſona
nus ſuſcipiendum fuerint inſtituta, nec in loco, vbi ſu
hoſpitalia, ſimiles perſonæ aut perpaucæ reperiantur
dat adhuc, vt fructus illorum in alium pium vſum,
rum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco & tempe
lior, conuertantur, prout ordinario cum duobus de C
lo, qui rerum vſu peritiores ſint, per ipſum deligendis,
expedire viſum fuerit: niſi aliter fortè etiam in hunc
tum, in eorum fundatione aut inſtitutione fuerit expre
Quo caſu quod ordinatum fuit, obſeruari curet Epiſc
aut ſi id non poſſit ipſe, prout ſupra, vtiliter prouideat
que ſi prædicti omnes & ſinguli, cuiuſcunque ordinis,
ligionis, & dignitatis, etiamſi laici fuerint, qui adminiſt
nem hoſpitalium habent, non tamen regularibus ſub
vbi viget regularis obſeruantia ab ordinario moniti, ho
litatis munus, adhibitis omnibus ad quæ tenentur neceſ
re ipſa obire ceſſauerint, non ſolùm per Eccleſiaſticas c
ras & alia iuris remedia ad id compelli poſſint, ſed etiam
ſpitalis ipſius adminiſtratione curaue perpetuò priuari
ſint, alijque eorum loco ab his, ad quos ſpectabit, ſubſtit
tur. Et prædicti nihilominus etiam ad fructuum reſtit
nem, quos contra ipſorum hoſpitalium inſtitutionem p
perunt, quæ nulla eis remiſſione aut compoſitione indu
tur, in foro conſcientiæ teneantur. Nec adminiſtrati
gubernatio huiuſmodi locorum vni & eidem perſonæ
triennium deinceps committatur, niſi aliter in fundat
cautum reperiatur: non obſtante, quo ad omnia ſupradi
quacunque vnione, exemptione & conſuetudine in con
rium, etiam immemorabili, ſeu priuilegijs aut indultis
buſcunque.

CAPVT 9.

SIcut legitima patronatuum iura tollere, piaſq; fideli
voluntates in eorum inſtitutione violare æquum non
ſic etiam vt hoc colore beneficia Eccleſiaſtica in ſeruitute
quod à multis impudenter fit, redigantur, non eſt perm
tendum. Vt igitur debita in omnibus ratio obſeruetur,
cernit ſancta ſynodus, vt titulus Iuriſpatronatus ſit ex fund
tione vel dotatione, qui ex authentico documento & alijs
re requiſitis oſtendatur, ſiue etiam ex multiplicatis præſen
tionibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominu
memoriam excedat, aliaſve ſecundùm iuris diſpoſitionem
In ijs verò perſonis, ſeu communitatibus, vel Vniuerſita
bus, in quibus id ius plerumque ex vſurpatione potiùs quæ
tum præſumi ſolet, plenior & exactior probatio ad docen
dum verum titulum requiratur. Nec immemorabilis tem
poris probatio aliter eis ſuffragetur, quàm ſi præter reliqu
ad eam neceſſaria, præſentationes etiam continuatæ non m
nori ſaltem quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omne
effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur. Reli
qui patronatus omnes in beneficijs tam ſecularibus quam re
gularibus, ſeu parochialibus, vel dignitatibus aut quibuſcun
que alijs beneficijs in Cathedrali vel collegiata Eccleſia, ſe
facultates & priuilegia conceſſa tam in vim patronatus, quan

Google

alio quocunque iure nominandi, eligendi, præſentandi ad ea, cùm vacant (exceptis patronatibus ſuper Cathedralibus Eccleſijs competentibus, & exceptis alijs, quæ ad Imperatorem & Reges, ſeu Regna poſſidentes, aliosque ſublimes ac ſupremos Principes, iura Imperij in dominijs ſuis habentes, pertinent, & quę in fauorem ſtudiorum generalium conceſſa ſunt) in totum prorſus abrogata & irrita, cum quaſi poſſeſſione inde ſequuta, intelligantur, beneficiaque huiuſmodi tanquam libera à ſuis collatoribus conferantur, ac prouiſiones huiuſmodi plenum effectum conſequantur. Ad hæc, liceat Epiſcopo præſentatos à patronis, ſi idonei non fuerint, repellere. Quod ſi ad inferiores inſtitutio pertineat, ab Epiſcopo tamé, iuxta alias ſtatuta ab hac ſancta Synodo, examinentur: alioquin inſtitutio ab inferioribus facta, irrita ſit & inanis. Patroni autem beneficiorum cuiuſcumque ordinis & dignitatis, etiamſi Communitates, Vniuerſitates, Collegia quęcunque clericorum vel laicorum exiſtant, in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum quorumcunque beneficiorum, etiamſi verè de iure patronatus ipſorum ex fundatione & dotatione eſſent, nullatenus nullaue cauſa vel occaſione ſe ingerant: ſed illos liberè Rectori ſeu beneficiato, non obſtante etiam quacunque conſuetudine, diſtribuendos dimittant: nec dictum iuſpatronatus venditionis aut alio quocunque titulo in alios, contra canonicas ſanctiones, transferre præſumant: ſi ſecus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis ſubijciantur, & dicto iurepatronatus ipſo iure priuati exiſtant.

Inſuper acceſſiones per viam vnionis factę de beneficijs liberis ad Eccleſias Iuriſpatronatui, etiam laicorum, ſubiectas, tam ad parochiales quam ad alia quæcumque beneficia, etiam ſimplicia, ſeu dignitates vel hoſpitalia, ita vt prædicta beneficia libera eiuſdem naturæ cum ijs, quibuſcum vniuntur, efficiantur, atque ſub Iurepatronatus conſtituantur, hæ ſi nondùm plenarium ſortitæ ſunt effectum, vel deinceps ad cuiuſuis inſtantiam fient, quacunq; authoritate, etiam Apoſtolica conceſſa fuerint, ſimul cum vnionibus ipſis per ſubreptioné obtentæ intelligantur: Non obſtante quacunque in ijs verborum forma ſeu derogatione, quæ habeatur pro expreſſa: nec executioni amplius demandentur, ſed beneficia ipſa vnita cum vacauerint, liberè vt anteà conferantur. Quæ verò à 40. annis citra factæ, effectum & plenam incorporationem ſunt conſecutæ, hæ nihilominus ab Ordinarijs, tanquam à ſede Apoſtolica delegatis, reuideantur & examinentur: ac quæ per ſubreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, ſimul cum vnionibus irritæ declarentur, ac beneficia ipſa ſeparentur, & alijs conferantur. Similiter quoque patronatus quicunque in Eccleſijs & quibuſcunque alijs beneficijs, etiam dignitatibus anteà liberis, acquiſiti à quadraginta annis citra, & in futurum acquirendi ſeu ex augmento dotis, ſeu ex noua conſtructione, vel alia ſimili cauſa, etiam authoritate ſedis Apoſtolicæ, ab iiſdem Ordinarijs, vti delegatis, vt ſupra (qui nullius in his facultatibus aut priuilegijs impediantur) diligenter cognoſcantur, & quos non repererint ob maximè euidentem Eccleſiæ vel beneficij, ſeu dignitatis neceſſitatem legitimè conſtitutos eſſe, in totum reuocent, atque beneficia huiuſmodi ſine damno illa poſſidentium, & reſtituto patronis eo, quod ab eis idcirco datum eſt, in priſtinum libertatis ſtatum reducant: non obſtantibus priuilegijs, conſtitutionibus & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Capvt 10.

Qvoniam ob malitioſam potentium ſuggeſtionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia, quibus cauſæ mandantur, vſqueadeò haberi non poteſt, hincque interdum iudicibus non vndequaque idoneis cauſæ in partibus delegantur, ſtatuit ſancta Synodus in ſingulis Concilijs Prouincialibus aut Diœceſanis aliquot perſonas quæ qualitates habeant iuxta conſtitutionem Bonifacij octaui, quæ incipit, Statutum: & alioquin ad id aptas deſignari, vt præter Ordinarios locorum ijs etiam poſthac cauſæ Eccleſiaſticæ ac ſpirituales & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ committantur. Et ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in eius locum, vſque ad futuram Prouincialem aut Diœceſanam Synodum: ita vt habeat quæque Diœceſis quatuor ſaltem aut etiam plures probatas perſonas, ac vt ſupra qualificatas, quibus huiuſmodi cauſæ à quolibet Legato vel Nuncio, atque etiam à ſede Apoſtolica committantur: alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad ſummum Rom. Pontif. tranſmittant, delegationes quæcunque aliorum Iudicum alijs, quam his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Admonet dehinc ſancta Synodus tam ordinarios quam alios quoſcunque iudices, vt terminandis litibus quanta fieri poterit breuitate ſtudeant, ac litigatorum artibus ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte iudicij differendą, modis omnibus aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

Capvt 11.

Magnam Eccleſijs perniciem afferre ſolet, cum earum bona, repræſentata pecunia, in ſucceſſorum præiudicium alijs locantur. Omnes igitur hæ locationes, ſi anticipatis ſolutionibus fient, nullatenus in præiudicium ſucceſſorum validæ intelligantur, quocumque indulto aut priuilegio non obſtante: nec huiuſmodi locationes in Romana Curia vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam Iuriſdictiones Eccleſiaſticas ſeu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus locare, nec conductoribus per ſe aut alios eas exercere: aliterque conceſſiones, etiam à ſede Apoſtolica factæ, ſurreptitiæ cenſeantur. Locationes verò rerum Eccleſiaſticarum, etiam authoritate Apoſtolica confirmatas, ſancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citra ad longú tempus, ſeu, vt in nonnullis partibus à vigintinouem, ſeu bis viginti nouem annis vocant factas, Synodus prouincialis, vel deputandi ab ea, in damnú Eccleſiæ & contra Canonicas ſanctiones contractas fuiſſe iudicabunt.

Capvt 12.

Non ſunt ferendi, qui varijs artibus decimas Eccleſijs obuenientes ſubtrahere moliuntur, aut qui ab alijs ſoluendas temerè occupant, & in rem ſuam vertunt, cùm decimarum ſolutio debita ſit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt: præcipit igitur ſancta Synodus omnibus, cuiuſcunque gradus & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, vt eas, ad quas de iure tenentur, in poſterum Cathedrali aut quibuſcunque alijs Eccleſijs vel perſonis, quibus legitimè debentur, integrè perſoluant. Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur. Hortatur dehinc omnes & ſingulos pro Chriſtiana charitate debitoque erga paſtores ſuos munere, vt de bonis ſibi à Deo collatis Epiſcopis & Parochis, qui tenuioribus præſunt Eccleſijs, largè ſubuenire ad Dei laudem atque ad Paſtorum ſuorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam non grauentur.

Capvt 13.

Decernit ſancta Synodus, vt quibuſcunque in locis iam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolui, ac poſtea fuerit ex quocunq; priuilegio alijs monaſterijs, hoſpitalibus aut quibuſcunq; locis pijs conceſſa, eadem poſthac integro iure & eadem portione, quæ antea ſolebat, Cathedrali ſeu Parochiali Eccleſiæ perſoluatur: non obſtantibus conceſſionibus, gratijs, priuilegijs, etiam mari magno núcupatis, aut alijs quibuſcunque.

Capvt 14.

Qvam turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe diuino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa communi fidelium omnium offenſione, ſummoque Clericalis militiæ dedecore teſtatur. Vt igitur ad eam quam decet continentiam ac vitæ integritatem miniſtri Eccleſiæ reuocentur, po-

pulusque

pulusque hinc eos magis diſcat reuereri, quo illos vita honeſtiores cognouerit, prohibet ſancta Synodus quibuſcunq; clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum ijs vllam conſuetudinem habere audeant. Alioquin pœnis à ſacris Canonibus vel ſtatutis Eccleſiarum puniantur. Quòd ſi à ſuperioribus moniti, ab ijs ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obuentionum ac prouentuum beneficiorum ſuorũ quorumcunque penſionum ipſo facto ſint priuati, quæ fabricæ Eccleſiæ aut alteri pio loco, arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eadem vel alia fœmina perſeuerantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes ac prouentus ſuorum beneficiorum & penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur, ſed etiam à beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, etiam vti ſedis Apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur. Et ſi ita ſuſpenſi nihilominus eas non expellant, aut cum ijs etiam verſentur, tunc beneficijs, portionibus, ac officijs, & penſionibus quibuſcunque Eccleſiaſticis perpetuò priuentur, atque inhabiles ac indigni quibuſcunq; honoribus, dignitatibus, beneficijs ac officijs in poſterũ reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum ſuperioribus cùm ijs ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias huiuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adiungere auſi fuerint, præter prędictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat, aut ſuſpendat, ſupradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat, qui ſine ſtrepitu & figura Iudicij, & ſola facti veritate inſpecta procedere poſſint. Clerici verò beneficia Eccleſiaſtica, aut penſiones nõ habentes, iuxta delicti & contumacię perſeuerantiam & qualitatem ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijſve modis iuxta ſacros Canones puniantur. Epiſcopi quoque, quod abſit, ſi ab huiuſmodi crimine non abſtinuerint, & à Synodo Prouinciali admoniti ſe non emendarint, ipſo facto ſint ſuſpenſi. Et ſi perſeuerent, etiam ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, ſi opus erit, in eos animaduertat.

Capvt 15.

VT paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo conſecratis (quos maximè puritas ſanctitaſque decet) longiſſimè arceatur, non liceat filijs clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, in Eccleſijs vbi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habẽt aut habuerunt, quodcunque, etiam diſſimile beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſijs quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere. Quòd ſi in præſenti pater & filius in eadem Eccleſia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius ſuum beneficium reſignare, aut cum alio permutare extra Eccleſiam intra trium menſium ſpatium: alias ipſo iure eo priuatus exiſtat, & ſuper ijs quæcunq; diſpenſatio, ſubreptitia cenſeatur. Ad hæc, reciprocæ reſignationes, ſi quæ poſthac à parentibus Clericis in fauorem filiorum fient, vt alter alterius beneficium conſequatur, in fraudem huius decreti & Canonicarum ſanctionum factæ omnino cenſeantur. Nec collationes ſequutæ, vigore huiuſmodi reſignationum, ſeu aliarum quarumcunque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipſis Clericorum filijs ſuffragentur.

Capvt 16.

STatuit ſancta Synodus, vt Eccleſiaſtica beneficia ſecularia, quocunque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæua eorum inſtitutione, aut aliter quomodocunque retinent, illa deinceps in ſimplex beneficium, etiam aſſignata Vicario perpetuo congrua portione, non conuertantur: non obſtantibus quibuſcunque gratijs, quæ ſuum plenarium effectum non ſunt conſecutæ. In ijs verò, in quibus cõtra earum inſtitutionem ſeu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum tranſlata eſt, etiamſi in hoc ſtatu ab immemorabili tempore reperiantur, ſi congrua portio fructuum Vicario Eccleſiæ, quocunque nomine is appelletur, nõ fuerit aſſignata, ea quamprimum & ad minus intra annum in fine præſentis Concilij arbitrio ordinarij iuxta formam decreti ſub fe. re. Paulo III. aſſignetur. Quòd ſi id commodè fieri non poſſit, aut intra dictum terminum factum non erit, cùm primùm per ceſſum vel deceſſum Vicarij ſeu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacauerit, beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen ceſſet, & in antiquum ſtatum reſtituatur.

Capvt 17.

NOn poteſt ſancta Synodus nõ grauiter dolere, audiens Epiſcopos aliquos ſui ſtatus oblitos, Pontificiam dignitatem non leuiter dehoneſtare, qui cum Regum miniſtris, Regulis & Baronibus in Eccleſia & extra indecenti quadam demiſſione ſe gerunt, & veluti inferiores miniſtri Altaris, nimis indignè non ſolùm loco cedunt, ſed etiam perſonaliter illis inſeruiunt. Quare hæc & ſimilia deteſtans ſancta Synodus, ſacros Canones omnes, Conciliaq; generalia, atque alias Apoſtolicas ſanctiones, ad dignitatis Epiſcopalis decorum & grauitatem pertinentes renouando, præcipit, vt ab huiuſmodi in poſterũ Epiſcopi ſe abſtineant: mandans eiſdem, vt tam in Eccleſia, quàm foris ſuum gradum & ordinem præ oculis habentes, vbique ſe Patres & paſtores eſſe meminerint: reliquis verò tam Principibus, quàm cæteris omnibus, vt eos paterno honore ac debita reuerentia proſequantur.

Capvt 18.

SIcuti publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, vel plenius, euenientibus caſibus & neceſſitatibus, pro communi vtilitate ſatiſfiat, ſic frequentius legem ſoluere, exemploque potius quàm certo perſonarum rerumq; delectu petentibus indulgere, nil aliud eſt, quam vnicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant vniuerſi ſacratiſſimos Canones exactè ob omnibus, & quoad eius fieri poterit, indiſtinctè obſeruãdos. Quòd ſi vrgens iuſtaq; ratio, & maior quandoque vtilitas poſtulauerit cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis à quibuſcunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum: aliterque facta diſpenſatio, ſubreptitia cenſeatur.

Capvt 19.

DEteſtabilis duellorum vſus, fabricante diabolo introductus, vt cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur, Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac iuriſdictione & dominio ciuitatis, caſtri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, priuati intelligantur: & ſi feudalia ſint, directis dominis ſtatim acquirantur. Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & vt homicidæ, iuxta ſacros Canones, puniri debeant. Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli tam in iure quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione, ad id quenquam ſuaſerint, necnon ſpectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obſtante quocunque priuilegio, ſeu praua conſuetudine, etiam immemorabili.

Capvt 20.

CVpiens ſancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolùm reſtitui, ſed etiam perpetuo ſartam tectam à quibuſcunque impedimentis conſeruari, præter ea, quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſeculares quoque Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit: confidens eos vt Catholicos, quos Deus ſanctę fidei Eccleſiæque protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſię reſtitui nó tantùm eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga clerum, parochos & ſuperiores ordines reuerétiam reuocaturos: nec permiſſuros, vt officiales aut inferiores magiſtratus, Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione & canonicis ſanctionib. conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio ſeu inconſideratione aliqua violent: ſed vna cum ipſis Principibus debitam ſacris ſummorũ Pontif. & Conciliorum conſtitutionibus obſeruantiam pręſtent: Decernit itaque & præcipit, ſacros Canones & Concilia generalia omnia, necnon alias Apoſtolicas ſanctiones, in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præſenti etiam decreto innouat, exactè ab omnibus obſeruari debere. Prætereaque admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & omnes & ſingulos, cuiuſcunque ſtatus & dignitatis extiterint, vt quo largius bonis temporalibus atque in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius, quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, tanquam Dei præcipua eiuſque patrocinio tecta, venerentur, nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, alijſve dominis temporalibus ſeu Magiſtratibus, maximeque miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur: ſed ſeuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem atque iuriſdictionem impediunt, animaduertant. Quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, religionem, Eccleſiarumque protectionem exiſtant: imitantes anteriores optimos religioſiſſimoſque Principes, qui res Eccleſiæ ſua in primis authoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt. Adeoq; ea in re quiſque officium ſuum ſedulo præſtet, quo cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati cæterique clerici in reſidentijs & officijs ſuis quieti, & ſine impedimentis cum fructu & ædificatione populi permanere valeant.

Capvt 21.

POſtremò ſancta Synodus omnia & ſingula, ſub quibuſcunque clauſulis & verbis, quæ de morum reformatione atq; Eccleſiaſtica diſciplina tam ſub fe. re. Paulo III. ac Iulio III. quàm ſub beatiſſimo Pio IV. Pontificibus Maximis in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat ita decreta fuiſſe, vt in his ſalua ſemper ſedis Apoſtolicæ auctoritas & ſit, & eſſe intelligatur.

Decretum de continuanda Seſſione in diem ſequentem.

CVm ea omnia, quæ in præſenti Seſſione tractanda erant, quia hora tarda eſt, commodè expediri non poſſint, propterea iuxta id, quod in generali cógregatione à Patribus ſtatutum fuit, ea, quæ ſuperſunt, in diem craſtinam hanc eandem Seſſionem continuando differuntur.

CONTINVATIO SESSIONIS DIE QVARta Decembris.

Decretum de Indulgentijs.

CVM poteſtas conferendi Indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque huiuſmodi poteſtate, diuinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa vſa fuerit, ſacroſancta Synodus Indulgentiarum vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Eccleſia retinédum eſſe docet & præcipit, eoſq; anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina eneruetur. Abuſus verò, qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emédatos & correctos, cupiens, præſenti Decreto generaliter ſtatuit, prauos quæſtus omnes pro his conſequendis, vnde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe. Cæteros verò, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreuerentia, aut aliunde quomodocunque prouenerunt, cùm ob multiplices locorum & prouinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant ſpecialiter prohiberi: mandat omnibus Epiſcopis, vt diligenter quiſque huiuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eoſque in prima Synodo Prouinciali referat, vt aliorum quoq; Epiſcoporum ſentétia cogniti, ſtatim ad ſummum Romanum Pontif. deferantur, cuius authoritate & prudentia, quod vniuerſali Eccleſiæ expedit, ſtatuatur: vt ita ſanctarum indulgentiarum munus piè, ſanctè & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur.

De delectu ciborum, ieiunijs & diebus feſtis.

INſuper hortatur ſancta Synodus, & per ſanctiſſimum Domini noſtri atq; Saluatoris aduentum Paſtores omnes obteſtatur, vt tanquam boni milites illa omnia, quæ ſancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum mater & magiſtra ſtatuit, necnon ea, quæ tam in hoc Concilio, quàm in alijs Oecumenicis ſtatuta ſunt, quibuſcunq; fidelibus ſedulo commendent: omnique diligentia vtantur, vt illis omnibus, & ijs præcipuè ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delectus & ieiunia: vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, vt dierum feſtorum deuota & religioſa celebratio: admonentes populos crebro, obédire præpoſitis ſuis, quos qui audiſit, Deum remuneratorem audient: qui verò contemnunt, Deum ipſum vltorem ſentient.

De Indice librorum, Catechiſmo, Breuiario & Miſſali.

SAcroſancta Synodus in ſecunda Seſſione, ſub ſanctiſſimo Domino noſtro Pio IV. celebrata, delectis quibuſdam Patribus commiſit, vt de varijs cenſuris, ac libris vel ſuſpectis vel pernicioſis, quid facto opus eſſet, conſiderarent, atque ad ipſam ſanctam Synodum referrent: audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impoſitam eſſe, nec tamen ob librorum varietatem & multitudinem diſtinctè & commodè poſſit à ſancta Synodo dijudicari: præcipit vt quicquid ab illis præſtitum eſt, ſanctiſſimo Romano Pontifici exhibeatur, vt eius iudicio atque authoritate terminetur & euulgetur. Idemque & de Catechiſmo à Patribus, quibus illud mandatum fuerat, & de Miſſali & Breuiario fieri mandat.

De loco Oratorum.

DEclarat ſancta Synodus, ex loco aſſignato Oratoribus, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, in ſedendo, incedendo, aut quibuſcunque alijs actibus, nullum cuiquam eorum factum fuiſſe præiudicium: ſed omnia illorum, & Imperatoris, & Regum, Rerum publicarum, ac Principum ſuorum iura & prærogatiuas illæſas & ſaluas eſſe, in eodemque ſtatu permanere, prout ante præſens Concilium reperiebantur.

De recipiendis & obſeruandis Decretis Concilij.

TAnta fuit horum temporum calamitas, & hæreticorum inueterata malitia, vt nihil tam clarum in fide noſtra aſſeréda vnquam fuerit, aut tam certo ſtatutum, quod non humani generis hoſte ſuadente, illi errore aliquo contaminaue-

rint. Ea propter ſancta Synodus id potiſſimū curavit, vt præcipuos hæreticorū noſtri temporis errores damnaret & anathematizaret, veramq́ue & Catholicam doctrinam traderet & doceret, prout damnauit, anathematizauit & diffiniuit. Cumq; tam diu tot Epiſcopi, ex varijs Chriſtiani orbis Prouincijs euocati, ſine magna gregis ſibi commiſſi iactura & vniuerſali periculo ab Eccleſijs abeſſe non poſſint, nec vlla ſpes reſtet, hæreticos, toties fide etiam publica, quam deſiderarūt, inuitatos & tam diu expectatos, huc amplius aduēturos, ideoq́ue tandem huic ſacro Concilio finem imponere neceſſe ſit: ſupereſt nunc, vt principes omnes (quod facit) in Domino moneat ad operam ſuam ita præſtandam, vt quæ ab ea decreta ſunt, ab hæreticis deprauari aut violari non permittant, ſed ab his & omnibus deuotè recipiantur, & fideliter obſeruentur. Quòd ſi in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem (quod non credit) aut diffinitionem poſtulent, præter alia remedia in hoc Concilio inſtituta, confidit ſancta Synodus beatiſſimum Roman. Pontificem curaturum, vt vel euocatis ex illis præſertim prouincijs, vnde difficultas orta fuerit, ijs quos eidem negocio tractādo viderit expedire, vel etiam Concilij generalis celebratione, ſi neceſſarium iudicauerit, vel commodiore quacunq; ratione ei viſum fuerit, prouinciarum neceſſitatibus pro Dei gloria & Eccleſiæ tranquillitate conſulatur.

De recitandis Decretis Concilij ſub Paulo III. & Iulio III. in Seſſione.

QVoniam diuerſis temporibus tam ſub fe.re. Paulo III. quàm Iulio III. multa in hoc ſacro Concilio, quoad dogmata ac morum reformationem ſtatuta & diffinitiua ſunt, vult ſancta Synodus, vt illa nunc recitentur & legantur.

Recitata ſunt.

De fine Concilij & Confirmatione petenda à ſanctiſſimo Domino noſtro.

ILluſtriſſimi Domini, Reuerendiſſimiq́ue Patres, Placetne vobis, vt ad laudem Dei omnipotentis huic ſacræ Oecumenicæ Synodo finis imponatur, & omnium & ſingulorum, quæ tam ſub fe. re Paulo III. & Iulio III. quàm ſub ſanctiſſ. D.N. Pio Quarto, Romanis Pontificibus in ea decreta & diffinita ſunt, cōfirmatio nomine ſanctæ huius Synodi per Apoſtolicæ ſedis Legatos & Præſidentes à beatiſſimo Romano Pontifice petatur? Reſponderunt, Placet.

Poſtmodum Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Cardinalis Moronus, primus Legatus & præſidens, benedicens ſanctæ Synodo, dixit: Poſt gratias Deo actas, Reuerendiſſ. Patres, ite in pace. Qui reſponderunt, Amen.

ACCLAMATIONES IN FINE SACRI CONCILII, MORE maiorum, recitatæ ab Illuſtriſſ. & Reuerend. Cardinale à Lotharingia, reſpondente toto Concilio, IV. die Decemb.

CARDINALIS A Lotharingia.

BEatiſſ. Pio Papæ & Domino noſtro, ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici, multi anni & æterna memoria.

Reſponſio Patrum:

Domine Deus, ſanctiſſimum Patrem diutiſſimè Eccleſiæ tuæ conſerua, multos annos.

Card. Beatiſſimorum ſummorum Pontificum animab. Pauli III. & Iulij III. quorum authoritate hoc ſacrum generale Concilium inchoatum eſt, pax à Domino, & æterna gloria atque felicitas in luce ſanctorum.

Reſpon. Memoria in benedictione ſit.

Card. Caroli V. Imperat. & ſereniſſimorum Regum, qui hoc vniuerſale Concilium promouerunt & protexerunt, memoria in benedictione ſit.

Reſp. Amen, Amen.

C. Sereniſſ. Imper. Ferdinando ſemper Auguſto, orthodoxo & pacifico, & omnibus Regibus, Rebuſpublicis & Principibus noſtris, multi anni.

R. Pium & Chriſtianum Imperatorem Domine conſerua. Imperator cæleſtis, terrenos Reges, rectæ fidei conſeruatores cuſtodi.

C. Apoſtolicæ Romanæ ſedis Legatis, & in hac Synodo præſidentibus, cum multis annis magnæ gratiæ.

R. Magnæ gratiæ Dominus retribuat.

C. Reuerendiſſ. Cardinalibus & Illuſtribus Oratoribus.

R. Magnas gratias, multos annos.

C. Sanctiſſimis Epiſcopis vita, & felix ad Eccleſias ſuas reditus.

R. Præconibus veritatis perpetua memoria: orthodoxo Senatui multos annos.

C. Sacroſancta Oecumenica Tridentina Synodus, eius fidem confiteamur, eius decreta ſemper ſeruemus.

R. Semper confiteamur, ſemper ſeruemus.

C. Omnes ita credimus, omnes idipſum ſentimus, omnes conſentientes & amplectentes ſubſcribimus. Hæc eſt fides B. Petri & Apoſtolorum, hæc eſt fides Patrum, hæc eſt fides orthodoxorum.

R. Ita credimus, ita ſentimus, ita ſubſcribimus.

C. His decretis inhærētes, digni reddamur miſericordijs & gratia primi & magni ſupremi ſacerdotis Ieſu Chriſti Dei, intercedente ſimul inuiolata Domina noſtra ſancta Deipara, & omnibus ſanctis.

R. Fiat, fiat: Amen, Amen.

C. Anathema cunctis hæreticis.

R. Anathema, Anathema.

Poſt hæc mandatum fuit à Legatis & Præſidentibus ſub pœna excommunicationis omnibus Patribus, vt antequam diſcederent è ciuitate Tridentina, ſubſcriberēt manu propria decretis Concilij, aut ea per publicum inſtrumentum approbarent. Qui omnes deinde ſubſcripſerunt, & fuerunt numero 255. Videlicet, Legati 4. Cardinales, 2. Patriarchæ, 3. Archiepiſcopi, 25. Epiſcopi, 168. Abbates, 7. Procuratores abſentium cum legitimo mandato 39. Generales ordinum 7.

CATALOGVS LEGATORVM, PATRVM, ORATORVM, & Theologorum omnium, qui ad ſacroſanctam Oecumenicam Tridentinam Synodum conuenerunt:

QVORVM NOMINA, COGNOMINA, Patria, & Dignitates hic ſimul explicantur.

CARDINALES LEGATI & Præſidentes.

HERCVLES Gonzaga, S.R.E. Presbyter Cardinalis tituli S. Mariæ nouę, Mantuanus, obijt Tridenti die ſecunda Martij, 1563. & ſepultus eſt Mantuæ.

Hieronymus Seripandus, S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Suſannæ, Neapolitanus, obijt Tridenti die 17. Martij, 1563. & ibi ſepultus in Eccleſia S. Marci ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, quorum olim fuerat Generalis.

Ioannes Moronus, S.R.E. Card. Epiſc. Prædeſtinus, Mediolanenſis, in demortui Cardin. de Mantua locum miſſus.

Stanislaus Hoſius, S.R.E. Presbyter Cardin. tituli S. Laurentij in Paliſperna, Polonus, Warmienſis.

Ludouicus Simoneta, S.R.E. presbyter Card. tit. S. Cyriaci in Thermis, Mediolanenſis.
Marcus Siticus, S.R.E. Diaconus, Cardin. Baſilicæ duodecim Apoſtolorum de Altaemps, Germanus.
Bernardus Nauagerius, S.R.E. presbyter Card. tit. S. Nicolai inter Imagines, Venetus, in demortui Cardinalis Seripandi locum miſſus.

Cardinales non Legati.

Carolus à Lotharingia, S.R.E. presbyter Cardinal. tituli S. Apollinaris, princeps & Archiepiſcopus Rhemenſis, Lotharingus.
Ludouicus Madrucius, S.R.E. Diaconus Cardinalis, electus Epiſcopus Tridentinus. Germanus.

Oratores, quorum nomina hic deſcribuntur iuxta eorum aduentum in ciuitatem Tridentinam.

Georgius Draſcouicius Croattus, Orator Cæſ. pro regno Hung. epiſcopus Quinqueeccle.
Antonius de Muglitio Morauus, orator Cæſaris, Archiepiſcopus Pragenſis.
Ferdinandus Martineus Mazcarenius, Orator ſereniſſimi Regis Portugalliæ.
Andreas Duditius Sbardelatus, epiſco. Cœnadienſis, Orator pro prælatis & Clero Hungariæ.
Sigiſmundus à Tunn. Orator Cæſareus.
Franciſcus Ferdinandus de Aualos, Marchio Piſcariç, Orator Regis Catholici.
Ioannes Strozzius Florentinus, Orator excellentiſſimi Ducis Florentiæ & Senarum.
Melchior Luſſi, Eques auratus, Orator ſeptem Cantonum Heluetiorum.
Auguſtinus Paumgartner, I.V.D. de Monachio, Orat. Illuſt. Alberti Ducis Bauariæ.
Nicolaus de Ponte, Doctor & eques. Et Matthæus Dandulus eques. } Oratores D. Venetorum.
Ludouicus de Lanſac. Renaldus Ferrerius, Præſidens in Parlamento Pariſienſi. Et Guido Faber, Iudex maior Toloſæ. } Oratores Chriſtianiſſ. Regis Galliarum.
Valentinus Herbutus Polonus, epiſc. Præmiſſienſis, Orator ſereniſſ. regis Poloniæ.
Marcus Antonius Bobba Caſalenſis, epiſc. Auguſtenſis in Pedemontio, Orator ſereniſſ. Ducis Sabaudiæ.
Claudius Fernandez Quignonij, Comes Lunenſis, Orator Regis Catholici.
Hieronymus de Gaddis Florentinus, epiſc. Cortonenſ. Orator excellentiſſ. Ducis Florentiæ, miſſus in locum Ioan. Strozzij.
Frater Martinus Roias Portalrubeus, Orator illuſtriſſimi, ac reuerendiſſimi D. Magni Magiſtri, ac totius ordinis ſancti Ioannis Hieroſolym. eiuſdem ord. Procancellarius.

Patriarchæ.

Antonius Hælius Iuſtinopolitan. Hieroſolymitanus.
Daniel Barbarus Venetus, Aquilegienſis.
Ioannes Triueſianus Venetus, Venetiarum.

Archiepiſcopi Pauli III.

Ferdinandus Annius Neapolitanus, Archiepiſcopus Amalphitan. nunc epiſc. Bouinus.
Petrus Landus Venetus, Archiepiſc. Cretenſis.
Petrus Antonius de Capua Neap. Archiepiſc. Hydruntin.
Marcus Cornelius Venetus, electus Archiepiſc. Spalatren.
Sebaſtianus Leccauella Græcus Ord. Præd. olim Archiepiſc. Naxien. nunc epiſc. Literan.
Petrus Guerrero Hiſpanen. Archiepiſc. Granaten.
Antonius Altouitus Florentinus, Archiepiſcopus Florentinus.
Cæſar Cibo Genuenſis, obijt Tridenti die 26. Decemb. 1562. Archiepiſc. Taurinen.
Paulus Æmilius Verallus Romanus, olim Archiepiſc. Roſſanenſis, nunc Epiſcopus Caputaquenſis.

Archiepiſcopi Iulij III.

Ioannes Brunus de Olchinio, regni Seruiæ Primas, Archiepiſcopus Antibarenſis.
Ioannes Baptiſta Caſtaneus Romanus, Archiepiſcopus Roſſanen.
Ioannes Baptiſta Vrſinus Romanus, Archiepiſcopus ſanctæ Seuerinæ.

Archiepiſcopi Pauli IV.

Ludouicus Beccatellus Bononienſis, Archiepiſcopus Raguſinus.
Mutius Callinus Brixien. Archiep. Iadrenſis.
Sigiſmundus Saracenus Neapolitan. Archiepiſcopus Materanus.
Antonius Parrages de Caſtilegio Hiſpan. Archiepiſcopus Calaritanus.
Iulius Paueſius Brixien. Ordin. Prædicat. Archiepiſcopus Surrentinus.
Bartholomæus de Martyribus Luſitan. ord. Præd. Archiep. Bracaren.
Auguſtinus Seluago Genuen. Ord. Prædic. Archiepiſcopus Genuen.

Archiepiſcopi Pij IV.

Philippus Mocenicus Venetus, Regni Cypri Primas & Legatus natus, Archiepiſc. Nicoſien.
Gulielmus de Auanſon. Gallus, Archiepiſcopus Ebredunenſis.
Antonius Cauchus Venetus, Archiepiſc. Corcyrenſis.
Germanicus Bondinus Senenſ. electus Archiepiſcopus Senarum.
Marcus Antonius Columna Romanus, Archiepiſcopus Tarentinus.
Gaſpar de Foſſo Coſentinus, Ordin. S. Franciſci de Paula, Archiepiſcopus Rheginus.
Antonius de Muglitio Morauus, Orat. Cæſ. Archiepiſcopus Pragen.
Maximus de Maximis Romanus, Archiepiſcopus Amalphitanus.
Gaſpar Ceruantes de Gaeta Hiſpanus, Archiepiſcopus Meſſanenſis.
Leonardus Marinus Genuen. Ord. Prædicat. Archiepiſcopus Lancianenſis.
Octauianus Præconius Meſſanenſis Ord. Minorum conuentualium S. Franciſci, Archiepiſc. Panormitanus.
Nicolaus de Pelue Gallus, Archiepiſc. Senonenſis.
Antonius Iuſtinianus Chienſis. Ord. Prædic. Archiepiſcopus Naxienſis.
Antonius Puteus Nicen. Archiepiſc. Barenſis.

Epiſcopi Leonis X.

Vincentius Nicoſantinus de Fano, Epiſc. Arbenſis.
Ioannes Franciſcus de Fliſco Ianuenſ. Epiſcopus Andrienſis.
Ioann. Thomas de ſanct. Felicie Neapolitan. Epiſcopus Cauenſis ſenior.

Epiſcopus Adriani VI.

Quintius de Ruſticis Romanus, Epiſc. Milleten.

Epiſcopi Clementis VII.

Lucas Bizatius de Catharo, epiſcopus Catharen.
Aloyſius Piſanus Venetus, epiſc. Patauinus.
Alexander Piccolhomin. Senen. epiſc. Pientin.
Dionyſius Græcus ord. Minorum S. Franciſci de obſeruan. epiſcopus. Milopotam. ſenior.
Gabriel le Veneur Gallus, epiſc. Ebroicen.
Guilhelmus de Montbas Gal. epiſc. Lectoren.

Epiſcopi Pauli III.

Antonius à Camara Sabaudus, epiſc. Bellicen.
Nicolaus Maria Cracciolus Neapol. epiſc. Catanien.
Berardus bon Ioannes Romanus, epiſc. Camerinenſis.
Fabius Mirtus Neapol. epiſc. Caiacen.
Scipio Bongallus Romanus, epiſc. ciuitatis Caſtel.
Georgius Cornelius Venetus, epiſc. Taruiſinus.
Vincentius Durantius Brixien. epiſc. Termul.
Mauritius de Petra Papienſis, epiſc. Vigleuenſis.
Martius de Martijs Medices, epiſc. Marſicen.
Ioannes Vincentius Michaelius Barolitanus, epiſcopus Minerbinen.
Gabriel de Bouueri Gallus, epiſc. Andegauen.
Leonardus Haller Germanus, epiſc. Philadelphienſis.
Ludouicus Vaninus de Theodolis Foroliuien. (Mortuus eſt Tridenti) epiſc. Britonorien.
Ægidius Falſetta Cingulanus, epiſc. Britonorien.
Iulius Contarenus Venetus, epiſc. ciuit. Bellunen.
Thomas Caſellus Roſſanen. Ordin. Prædicat. epiſcopus Cauenſis Iunior.
Hippolytus Ariuabenus Mantuanus, epiſcopus Hierapetren.
Hieronymus Maccabæus Romanus, epiſc. Caſtrenſis.
Petrus Auguſtinus Hiſpanus, epiſc. Oſcenſis & Iacenſis.
Iacobus Naclantus Florentinus, ordin. Prædicat. epiſcopus Clodienſis.
Bartholomæus Sirigo Cretenſis, epiſc. Caſtellaneten.
Thomas Stella Venetus, ordin. Prædicat. epiſcopus Iuſtinopolitan.
Petrus du Val Gallus, epiſc. Sagienſis.
Ioannes Antonius Pantuſa Conſentinus, obijt Tridenti die 27. Octobr. 1562. epiſc. * Literanenſis.
Ioannes Baptiſta de Groſſis Mantuanus, epiſcopus Rhegienſis.
Ioannes Xuarez Luſitanus, ordin. ſanct. Auguſtin. epiſcopus Coymbricen.
Philippus Riccabella Raccanaten. epiſc. Raccanaten.
Ioan. Iacobus Barba Neapol. ordin. ſancti Auguſtini, epiſc. Iteranen.
Michael à Turre Vtinen. epiſc. Ceneten.
Pompeius Zambeccarius Bononienſis, epiſcopus Sulmonenſis.
Ioannes Beroaldus Panormitanus, epiſc. S. Agathæ.
Antonius Scarampus Aquen. epiſc. Nolanus.
Antonius de Comitibus Genuen. ordinis Prædic. epiſcopus Brugnacen.
Cæſar Foggia Roſſanen. epiſc. Vmbriacen.
Cæſar Comes à Gambara Brixien. epiſc. Tortonenſis.
Ioan. Baptiſta de Bernardis Lucenſis. epiſc. Adiacenſis.
Martinus Perezius de Ayala Hiſpanus, epiſcopus Segobienſis.
Nicolaus Pſaulme Gallus, ordinis ſanct. Benedicti, epiſcopus Verdunenſis.
Alfonſus Roſetus Ferrarienſis, epiſc. Comaclen.
Iulius Pariſianus de Tolentino, epiſc. Ariminenſis.
Bartholomæus Sebaſtianus Hiſpanus, epiſc. Pactenſis.
Franciſcus Lambertus Sabaudus, epiſc. Nicienſis.
Maximilianus Doria Genuen. epiſc. Naulenſis.
Euſtachius Du Bellay Gallus, epiſc. Pariſienſis.
Bartholomæus de Crapanica Roman. epiſc. Carinenſis.
Ennius Maſſarius de Narnia, epiſc. Feretranus.
Achilles Brancia Neapolitanus, epiſc. Bouenſis.
Ioan. Franciſcus Verdura Meſſanen. epiſc. Chironen.
Albertus Duimius de Gliricis, ordinis Prædicat. epiſcopus Veglenſis.
Ioan. Antoliney de Bricianos de la Ribera Hiſpan. epiſcopus Iuuenacen.
Triſtanus de Bizet Gallus, epiſc. Xantonen.

Epiſcopi Iulij Tertij.

Aſcanius Gerardinus de Amelia, epiſcopus Cattacenſis.
Marcus Gonzaga Mantuanus, epiſc. Aaſorenſis.
Baldouinus de Baldouinis Piſanus, epiſcopus Auerſanus.
Petrus Franciſcus Palauicinus Genuen. epiſcopus Alerien.
Ægidius Fuſcararius Bononien. ordinis Prædicat. epiſcopus Mutinen.
Timotheus Iuſtinianus de Chio. ordin. Prædicat. epiſcopus Calamonen.
Didacus de Almanſa Hiſpanus, epiſc. Caurienſis.
Lactantius Rouerella Ferrarien. epiſc. Aſculanus.
Ambroſius Monticula Lunenſis Sarzanenſis, epiſcopus Segninus.
Sebaſtianus Gualterius Viterbienſis, epiſc. Viterbien.
Honoratus Faſcitellus, monachus ord. S. Benedicti Neapolitanus, epiſc. Inſulan.
Petrus Camoianus Aretinus, epiſc. Fæſularum.
Horatius Græcus Troianenſis Appulus, epiſcopus Leſinenſis.
Bernardinus de Cuppis Romanus, epiſcopus Auximanus.
Gaſpar de Caſal Luſitanus, ordin. ſancti Auguſtini, epiſcopus Leiren.
Ioannes de Moruillier Gallus, epiſc. Aurelianen.
Fabius Cupallata Placentinus, epiſc. Lachedonen.
Iulius Gentilius Tortonenſis, epiſc. Vultuarien.
Adrianus Fuſconius Roman. epiſc. Aquinus.
Antonius de S. Michaele Hiſpan. ordin. S. Franciſci de obſeruantia, epiſc. Montis Marani.
Hieronymus Melchiorius Racanaten. epiſcopus Maceratenſis.
Petrus de Petris de Monte Aretinus, epiſcopus. Lucerinus.
Iulius Grittus Venetus, epiſc. Parentinus.
Iacobus Syluerius Piccolhomineus de Celano, epiſcopus Aprutinus.
Ludouicus de Breszé Gallus epiſc. Meldenſis.
Iacobus Mignanellus Senenſ. epiſc. Groſſet.
Ioannes Andreas Crucius de Tibure, epiſcopus Tiburtinus.
Carolus Cicada Genuen. epiſc. Albinganen.
Franciſcus Maria Picolhomineus Senenſis, epiſcopus Ilcinenſis.
Aſciſculus Moya de Contreras Hiſpanus, epiſcopus Vicen.
Galeatius Roſcius de Interamna (mortuus eſt Tridenti 16. Octob. 1562.) epiſc. Aſſiſienſis.
Franciſcus Richardotus Burgundus, epiſc. Atrebaten.
Iacobus Maria Sala Bononien. Italus, in Gallia epiſcopus Viuarienſis.
Gabriel de Monte S. Sabini, epiſc. Heſinus.
Marianus Sabellus Romanus, epiſc. Eugubinus.
Agapitus Belhomo Roman. epiſ. Caſertanus.
Iulius Cananus Ferrarien. epiſc. Adrienſis.
Iulius Galettus Piſanus, epiſc. Aleſſanenſis.
Hieronymus Burgenſis Gallus, epiſc. Catalaunenſis.

Epiſcopi Pauli Quarti.

Scipio Veſtenſis Ferrarienſis, epiſc. Caſſalenſis.
Didacus Sarmiente de Sotto Maior, Hiſpanus, epiſcopus Aſtoricen.
Thomas Goduelus Anglus, epiſc. Aſſaphen.
Fauſtus Caffarellus Roman. epiſc. Fundanus.

ellifarius Balduinus Neapolitanus, Epiſcopus Larinenſis.
rbanus Vigerius de Ruere Genuenſ. Epiſcopus Senogallienſis.
acobus Suretus Græcus, epiſc. Milopotam. Iunior.
oan. Baptiſta Olius Romanus (obijt Spoleti, dum rediret ad Eccleſiam ſuam, die 12. Nouembris, 1562.) epiſcopus Reatinus.
Marcus Laureus Tropienſis, Ordin. Prædicat. epiſcopus Campanien.
rancifcus de Beauquere Gallus, epiſc. Metenſis.
Hercules Rettinger Germanus, epiſcopus Lauantinus.
oannes Franciſcus Commendonus, epiſcopus Hyacinthenſis.
ulius de Rubeis Polin. epiſc. S. Leonis.
Carolus de Graſſis Bononienſis, epiſcopus Montis Faliſci.
Arrias Gallego Hiſpanus, epiſcopus Gerunden.
Hieronymus Gallego Hiſpanus, epiſcopus Ouitenſis.
oannes de Munatones Hiſpanus, Ordin. S. Auguſtini, epiſc. Segorbicen.
Franciſcus Blanco Hiſpanus, Epiſcopus Aurienſis.
Vincentius de Luchis Bononien. Epiſc. Anconitanus.
Pompeius Piccolhomineus de Aragonia, Epiſcopus Tropien.
Petrus Barbadicus Venetus, epiſcopus Curzolen.
Franciſcus Bachodius Sabaudien. epiſcopus Gebennen.
Carolus de Angennes Gallus, epiſcopus Cenomanenſis.
Hieronymus de Nichiſola Veronen. Ord. Prædicato. epiſc. Theanen.
Marcus Antonius Bobba Caſalenſis, Orator sereniſſ. Ducis Sabaudiæ, epiſc. Auguſtenſis in Pedemontio.
Iacobus Lomollinus Meſſanenſis, epiſcopus Mazarien.
Donatus de Laurentijs de Aſculo Apuliæ, epiſcopus Arianenſ.
Petrus Contarenus Venetus (mortuus eſt Patauij in menſe Maio 1563.) epiſcopus Paphenſis.
Petrus Daneſius Gallus, epiſcopus Vaurenſis.
Hieronymus Sauorgnanus, Foroliuienſ. epiſcopus Sibinicenſ.
Carolus de Roucy Gallus, epiſcopus Sueſſionen.
Philippus Du Bec Gallus, epiſcopus Veneten.
Georgius Draſcouicius Croattus, Orator Cæſ. pro regno Hung. epiſcopus Quinqueeccle.
Franciſcus de Aguirre Hiſpanus, epiſcopus Cotronen.
Andreas de Cueſta Hiſpanus, epiſcopus Legionen.
Antonius Gorrionero, epiſcopus Almerien.
Antonius Auguſtinus Hiſpanus, epiſcopus Ilerdenſis.
Angelus Maſſarellus Septendanus, epiſcopus Theleſinus.
Antonius Ciurelia Barenſis, epiſcopus Buduenſis.
Dominicus Caſalbancha Maſſanenſis, Ordin. Prædicat. epiſc. Vicenſis.
Petrus Faunus Coſtacciario, epiſcopus Aquenſis.
Ioan. Carolus Bouius Bononienſis, epiſcopus Oſtunen.
Hugo Boncompagnus Bononien. epiſcopus Veſtanus.
Saluator Pacinus de Colle, epiſcopus Cluſinus.
Lupus Martinez Hiſpan. epiſc. Elnenſis.
Carolus de Eſpinay Gallus, epiſc. Dolenſis.
Ægidius Spiſame Gallus, epiſc. Niuernen.
Antonius Sebaſtianus Minturnus de Traiect. epiſcopus Vxentinus.
Bernardus del Bene Florentinus, in Gallia epiſcopus Nemauſenſis.
Dominicus Bollanus Venetus, epiſc. Brixienſ.
Ioan. Antonius Vlpius Comenſis, epiſc. Comenſis.
Ludouicus de Ginolhac Gallus, epiſc. Tutullenſis.
Philippus Maria Campegius Bononienſis, epiſcopus Feltrenſis.
Ioannes de Quignones Hiſpanus, epiſc. Calagurritan.

Epiſcopi Pij Quarti.

Didacus Couaruuias de Leyua Hiſpanus, epiſcopus Ciuitatenſ.
Philippus Gerius Piſtorienſis, epiſcopus. Iſelanen.
Ioan. Antonius Facchinettus, epiſc. Neocaſtren.
Hippolitus Campilupus Mantuanus, epiſc. Fanenſis.

Ioannes Fabricius Seuerinus Neapolitanus, Epiſcopus Aceren.
Conſtantinus Bonellus Feretran. Epiſcopus ciuitatis Caſtel.
Iulius Superchius Mantuanus, ordinis Carmelitarum, epiſc. Caprulanus.
Martinus Rithouius Flander, primus epiſc. Iprenſis.
Antonius Hauetius Ordin. Prædicat. primus Epiſcopus Namurcen.
Matthæus de Concinis Florentinus, Epiſcopus Corthonenſis.
Nicolaus Sfondratus Mediolanenſis, Epiſcopus Cremonenſis.
Ventura Buſalinus * Triſernas, epiſc. Maſſanen.
Ludouicus de Bueil Gallus, epiſc. Vencien.
Hieronymus Galleratus Mediolanenſis, Epiſcopus Sutrinus.
Ioan. Petrus Delphinus Venetus, ordinis Canonicorum regularium, epiſc. Hyacinthenſis ſecundus.
Ioannes Andreas Bellonius Meſſanen. Epiſcopus Maſſelubrenſ.
Georgius Ziſchouid Hungarus Ordinis Minorum S. Franciſci de obſeruantia, Epiſc. Segnienſis.
Stephanus Boucher Gallus, epiſc. Coriſopienſis.
Ioannes Paulus Amannius Crenſen. Epiſc. Anglonen.
Fredericus Cornelius Venetus, Epiſc. Bergomen.
Alexander Sfortia de S. Flora, Epiſc. Parmenſis.
Antonius le Cirier Gallus, Epiſc. Abrincenſis.
Andreas Mozanicus Venetus, Epiſc. Nimoſien.
Benedictus Saluinus Firmanus, Epiſc. Verulanus.
Gulielmus Caſſador Hiſpanus, Epiſc. Barchinonen.
Petrus Gonzalez de Mendozza Hiſpanus, Epiſcopus Salmantinus.
Martinus de Corduba de Mendozza Hiſpan. Ord. Præd. epiſcopus Dertuſen.
Iulius Magnanus Placentinus, ordinis Minor. Conuentualium S. Franciſci, Epiſc. Caluen.
Valentinus Herbutus Polonus, Orator sereniſſ. Regis Poloniæ, Epiſc. Præmiſſien.
Simon Aleottus Foroliuien. electus Foroliuienſis (mortuus eſt Tridenti die 20. Auguſti, 1562.) Epiſcopus Foroliuien.
Petrus de Xaque Hiſpanus, Ordin. Prædicat. Epiſcopus Nioquen.
Proſper Rebiba Meſſanenſis, Epiſc. Troianus.
Melchior Auoſmediano Hiſpanus, Epiſc. Guidixen.
Hippolitus de Rubeis Parmenſis, electus Epiſcopus Papienſis.
Didacus de Leon Hiſpanus, ordinis Carmelit. Epiſcopus Colombrien.
Annibal Saracenus Neapolitan. Epiſc. Licienſis.
Paulus Iouius Comenſis, Epiſc. Nucerinus.
Hieronymus Triuiſanus Venetus, ord. Prædicat. (mortuus eſt Tridenti die 9. Septembris, 1562.) Epiſcopus Veronenſis.
Hieronymus Ragazzonus Venetus, Epiſcopus Famaguſtan.
Romulus de Valentibus de Trebia, Epiſcopus Conuerſanus.
Lucius Maranta Venuſinus, Epiſc. Cauellen.
Simon de Nigris Genuenſis, Epiſcopus Sarazanenſis.
Theophilus Gallupus * Tiopienſis, Epiſcopus Oppidenſis.
Iulius Simonetta Mediolanenſis, Epiſc. Piſauren.
Petrus Allebret Nauarrus, Epiſc. Cumenenſis.
Iacobus Guidius Volaterranus, Epiſcopus Pennenſis Adrienſis que.
Didacus Ramijrez Hiſpanus, Epiſc. Pampilon.
Franciſcus del Gado Hiſpanus, Epiſc. Lucenſis.
Ioannes Clauſſe Gallus, Epiſc. Senecenſis.
Iacobus Gibertus de Nogueras Hiſpanus, Epiſcopus Aliphanus.
Antonius Maria de Saluiatis Romanus, in Gallia epiſcopus Sancti Pauli.

Mattheus

Matthæus Priulus Venetus, epiſcopus Æmonien.
Thomas Lilius Bononienſis, epiſc. Soranus.
Fabius Pignatellus Neapolitan. epiſc. Monopolitan.
Hieronymus Guerrinus Feretranus, epiſcopus Imolenſis.
Carolus de Vicecomitibus Mediolanenſis, epiſcopus Vintimilienſis.
Thomas Oyerllaithe Hybernus, epiſc. Roſſen.
Franciſcus valete Gallus, epiſc. Vabrenſis.
Ioannes Coloſuarinus Hungarus, ordin. Prædicat. (obijt Tridenti die 24. Nouembris anno 1562.) epiſcopus Canadienſis.
Andreas Duditius Sbardellatus Hunga. nunc epiſcopus Canadienſis.
Spinellus Bencius Politianenſis, epiſcopus Montis Politiani.
Franciſcus Abundius Caſtillioneus, epiſc. Bobien.
Stanislaus Falkſchi Polonus, epiſcopus Theodoſien. vel Chalenſis.
Eugenius Ohairt. Hybernus, Ordinis Prædicat. epiſcopus Achaden.
Donaldus Magongial Hybernus, epiſc. Rapoten.
Guido Ferrerius Pedemontanus, epiſc. Vercellenſis.
Ioannes Baptiſta Sighicellius Bononien. epiſcopus Fauentinus.
Sebaſtianus Vantius de Arimino, epiſc. Vrbeuetanus.
Ioannes Baptiſta Lomellinus Meſſanen. epiſc. Gardien.
Ioannes Baptiſta Milaneſius Florentinus, Epiſcopus Marſicanus.
Auguſtinus Mollignatus Vercellen. epiſc. Triuicanus.
Carolus Grimaldus Genuenſis, epiſc. Sagonen.
Fabricius Landrianus Mediolanen. epiſc. S. Marci.
Bartholomæus Ferratinus Amerin. epiſc. Amerinus.
Petrus Fragus Hiſpan. epiſc. Vſcellenſis.
Hieronymus de Gaddis Florentinus, Orator Ducis Florentiæ, electus epiſc. Cortunenſis.
Franciſcus Contarenus Venetus, epiſc. Paphenſis.
Ioannes Delphinus Venetus, epiſc. Torcellanus.
Alexander Molus * Commenſis, epiſc. Minorenſis.

Reuerendi Abbates.

Ludouicus de Baiſſey Gallus, Ciſtercien. Abbas & Generalis.
Hieronymus de la Souchiere Gallus, Abbas Clareuallen.
Stephanus de Nauaria, Abbas ſanctæ Mariç gratiarum prope Placentiam.
Auguſtinus Loſchus Hiſpanus, Abbas Caſſinenſis Benedicti de * Feraria.
Eutychius de Cordes Antuerpienſ. Abbas pro titulo.

Generales Ordinum.

Vincentius Iuſtinianus Genuen. Gener. ordinis Prædicatorum.
Franciſcus Zimora Hiſpanus, Generalis ſancti Franciſci de obſeruantia.
Antonius Sapiens Auguſtanus, Generalis ſancti Franciſci Conuent.
Chriſtophorus Pataninus, Gener. S. Auguſtini.
Stephanus Fazzinus Cremonen. Prouincialis Lombardiæ pro Generali ord. Carmelit.
Ioannes Baptiſta Milliauacca Aſtenſis, Generalis ſeruorum.
Iacobus Laynez Generalis ſocietatis Ieſu.

Doctores Legis pro ſacro Concilio.

Gabriel Paleottus Bononienſis, Auditor Rotæ.
Scipio Lancilottus Romanus, Aduocatus Conſiſtorialis.
Ioannes Baptiſta Caſtellus, Bononienſis promotor.
Michael Thomaſius Maioricen. Doctor Decretorum.

Theologi à ſummo Pontifice miſſi.

Alphonſus Salmeron Hiſpanus, Ordinis Ieſuitarum.
Frater Petrus de Soto, ordin. Prædicatorum Hiſpanus, obijt Tridenti.
Franciſcus Torrenſis Doctor Theologus Hiſpanus.
Antonius Soliſius Doctor Theologus Hiſpanus.
Frater Camillus Campegius Papien. Inquiſitor Ferrariæ, ordinis Prædicatorum.
Frater Hieronymus Brauo Hiſpanus ordinis Prædicatorum.

Doctores Theologicæ Facultatis Pariſienſis, miſſi à Carolo nono Galliarum rege Chriſtianiſſimo.

Nicolaus Maillard, Decanus facultatis Pariſienſis.
Ioanes Peletier.
Antonius Demochares.
Nicolaus de Bris.
Iacobus Hugonis Franciſcanus, idem etiam procurator reuerendiſſimi Ioannis Vrſini, Epiſcopi Trecorenſis.
Simon Vigor.
Richardus Du Pre.
Natalis Paillet (obijt Tridenti ſeptimi Calend. Decembr. 1562.)
Robertus Fournier.
Antonius Coquier.
Lazarus Broychor.
Claudius de Saintes, Canonicus regularis.

Theologi miſſi à Philippo Rege Catholico.

Coſmas Damianus Hortolanus, electus Abbas Villabertrandi.
Ferdinandus Tritius Doctor Theologus, Canonicus Caurienſis.
Ferdinandus Velloſillus Doctor Theologus, Canonicus Segontinus.
Thomas Daſſio I.V. Doctor Canonicus Valentinus.
* Licenciat. Antonius Couarruuias, Adiutor Granaten.
Ferdinandus Menchaca, Decretorum Doctor.
Frater Ioannes Ramirez Hiſpanus, miniſter Prouincialis D. Iacobi.
Frater Alphonſus Contreras, Commiſſarius ordinis in Curia Regis Hiſpaniæ.
Frater Michael de Medina, ſacræ Theologiæ Doctor.
Frater Ioan. Lobera Hiſpan. ſacræ Theol. Lector Salamanticæ, miſſus in ſocietatem miniſtri Prouincialis D. Iacobi ſuprà memorati.
Frater Ioannes Gallo Hiſpanus ord. Prædicat.
Frater Petrus Fernandez Hiſpanus, ordinis Præd. in ſocietate magiſtri Gallo.
Frater Deſiderius de ſanct. Martin. Panormitan. Ordin. Carmelitã.
Michael Baius ab Atho, ſacræ Theol. Doctor.
Ioan. Heſſels de Louanio ſacræ Theol. Doctor.
Cornelius Ianſenius Hulſtenſis, ſacræ Theol. Doctor.

Theologi Miſſi à Rege Portugallia.

Frater Franciſcus Furiero, ord. Præd.
D. Iacobus à Payua de Andrade Luſitanus, Doctor Theologus.
D. Melchior Cornelius Decretorum Doctor, ſenator Regis Portugalliæ.

AB EXCELLENTISS. DVCE *Bauariæ.*

Ioan. Cauillonius Flander, ex ſocietate Ieſuit.

Procura-

Procuratores Epiſcoporum abſentium.

Merchantus doctor Theologus, pro Illuſtr. Cardinale de Mendozza, epiſc. Burgen.
Ioan. Gothardius Cler. ſec. Germanus, pro reuerendiſſ. epiſc. Ratisbonen.
Georgius Hochenuarter Cleri. ſecu. Doctor Theologus, ſuffraganeus pro reuerendiſſ. Epiſcopo Baſileenſi.
Frater Felicianus Ninguarda de Morbinio ord. Prædic. pro Illuſtriſſ. Domino Salisburgen. Orator.
Petrus Cumel Doctor Theologus Canonicus Malacitanus, pro R. Malacitano.
Ioannes Delgadus Doctor Theologus Canonicus Tudenſis, pro D. Ioanne de S. Æmiliano, reuerendiſſ. epiſcop. Tudenſi.
Caſpar Cardillus Villalpandeus Segob. Doctor Theologus, pro R. epiſc. Abulen.
Frater Ioannes de Ludenna Doctor Theologus ord. Prædic. pro reuerendiſſ. epiſc. Seguntino.
Frater Franciſcus Orãtes, Lector Valiſoletti ord. Minorum, pro reuerendiſſ. epiſc. Palentino.
Cæſar Ferrantius Sueſſanus Doctor Theol. pro reuerendiſſ. epiſc. Sueſſano apud reuerendiſſimum Ilerdenſem.

Procuratores Ordinum.

Ioannes Coutignon Doctor Gallus, Prior & Procurat. ord. Cluniacenſis.
Nicol. Boucherat Gallus, Prior monaſter. de Recluſo, Procurator generalis ordinis Ciſtertienſis.

Theologi Seculares & Doctores Iuris Canonici.

Georgius Girard. Gallus, Doctor Theol. cum reuerendiſſ. Andegauenſi.
Gentianus Heruetus Gallus, cũ Illuſtriſſ. & reuerendiſſ. Cardinale à Lotharingia.
Franciſcus Sancius Decanus facultatis Theolog. & Canonicus Salmaticen. cum reuerendiſſ. Salmaticen.
Matt. Guerra Conſentinus Calaber, presbyter ſecularis, cum reuerendiſſ. epiſc. S. Marci.
Fredericus Pendaſius, cum Illuſtriſſ. Cardin. de Mantua, Legato ſacri Concilij.
Ioan. Franciſcus Lombardus, cum Illuſtriſſ. Card. Seripando, Legato ſacri Concilij.
Petrus Mercatus Theologus, cum R. Vicenſi.
Trigillus Doctor Theol. Canonicus Legionen. cũ reuerend. Legionen.
Sobanus Doctor Theol. cum R. Legionen.
Antonius Leitonus Doctor Theol. cũ reuerendiſſ. Conymbricenſi.
Petrus Fontidonius Doctor Theolog. cum reuerendiſſ. Salmantino.
Ioan. Villetta D. Theol. cum R. Barchinonen.
Ioannes Fonſeca Doctor Theolog. cum reuerendiſſ. Archiepiſc. Granaten.
Michael Oroncuſpe Doctor Theol. cum R. epiſcopo Pampilonen.
Alfonſus Fernandez de la Guerra Hiſpan. D. Theolog. cum R. Guidixien.
Coſmus Palma Fonteius, ſacræ Theolog. Doctor Hiſpanus, Hortolani Abbatis diſcipulus & comes.
Michael Ytero D. V. I. cum reuerendiſſ. epiſc. Pampilonen.
Ioſephus Puebla Doctor Theol. cum reuerendiſſ. epiſco. Ciuitaten.
Ioannes Chacon Doctor Iuris Canonici, cum reuerendiſſ. epiſcopo Almerien.
Antonius Garſias Doctor Theologus, cum reuerendiſſ. epiſcopo Oueten.
Benedictus Arias Montanus ord. S. Iacobi, Doctor Theol. cum reuerendiſſ. Segobienſi.

Ioannes Barcelona Theologus, cum reuerendiſſ. epiſcopo Vicellen.

Doctores Galli ordinis ſancti Benedicti.

Ioannes Carthougne, Doctor Theologus.
Ioannes de Verdun Gallus, Doctor Theol.

Theologi Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Angelus Cioſus Florentinus, cum Illuſtriſſ. Card. Mantuano Legato.
Seraphinus de Caballis de Brixia, Prouincialis terræ ſanctæ, cum R. ſuo Generali.
Eliſæus Capys Venetus, Theologus Archiepiſcopi Pragenſis.
Petrus Aridienſis Gallus, cum reuerendiſſ. Doct. Cenomanenſ.
Bernardus Bernardi Gallus, inquiſitor Auinioni, Vicarius congregat. Franciæ, cum reuerendiſſ. Dom. Nemauſenſi.
Ioannes Matthæus Valdina, cum reuerendiſſ. Dom. Tarentino.
Petrus Martyr Coma Hiſpan. cum reuerendiſſ. Dom. Gerundenſi.
Petrus Zatores Hiſpanus, cum reuerend. D. Dertuſenſi.
Antonius de Groſupto, cum reuerendiſſ. Domin. Vigliuanenſi.
Aurelius de Chio, cum R. D. Spalatren.
Adrianus Valenticus Venetus cum reuerendiſſ. Dom. Nicoſienſi.
Marcus Medices Veronenſis, cum reuerendiſſ. Domin. Ceneten.
Benedictus Herba Mantuanus, cum reuerendiſſ. Domin. Brixienſi.
Michael de Aſt Genuenſis, Prior S. Laurentij.
Conſtant. Coccian. Iſorella, cum R. D. Monte Pulciano.
Henricus de ſanct. Hieronym. cum reuerendiſſ. D. Bracarenſi.
Ludouicus de Soto maior, cum R. D. Geor de Tayde.
Baptiſta de Lugo, cum R. D. Veronenſi.
Hieronymus Barolus Papien.

Nomina Fratrum Theolog.

B. Franciſci de obſeruantia, cum ſuo generali.
Aloyſius de Burgo nouo Italus, S. Theol. Lector, Bononien. Commiſſarius generalis.
Thomas de Sogliano Ital. Prouinc. Bonon. Miniſter.
Antonius de Padua Luſitanus, ordinis Secretarius.
Bonifacius Raguſæus Apoſt. Prædicat. terrę S. Gubern.
Angelus de Petriolo Ital. Lector ſacræ Theologiæ Peruſij.
Angelus Iuſtinia. Italus, Lector S. Theol. Ianuæ.
Vincentius de Meſſina Ital. S. Theol. lect. Neap.
Iulius Orſeanus Ital. S. Theol. Lect. Bergomi.
Iacobus Alani Gall. Theolog. cum reuerendiſ. epiſcopo Veneten.

Nomina omnium Theologorum ordinis Fratrum Minorum Conuentualium, exiſtentium in S. Concilio cum R. Patre Generali.

Marcus Antonius Gambaronus à Lugo, ſocius Religionis.
Bartholomæus Golphus de Pergula.
Ioannes Tertius Bergomenſ. Lector Theologiæ publicus in Gymnaſio Papienſi.
Clemens Thomaſinus de Florentia, Regens in conuentu S. Crucis de Florentia.
Auguſtinus Balbus à Lugo.
Ioan. Baptiſt. Giſulphus, ordin. ſcriba.

Antonius de Grignano, Regens S. Ant. de Patauio.
Lucius Anguſiola Placent. Regens S. Franciſci de Bononia.
Maximianus Benianus Cremenſis, Orator pro religione, & Inquiſitor Paduæ.
Octauian. Charus de Neap. Regens S. Laur. de Neap.
Antonius Poſius de monte Ilcino, Regens in conuentu 12. Apoſtol. Romæ.
Bonauentura Meldunen. Regens in conuentu Parmæ.
Martialis Peregrinus, Calaber, Regens in Conuentu Ferrariæ.
Antonius à Cubalo Feltrenſis.
Andreas Schynopius de Amandula, cum R.D. Cathanzario.
Baldaſar Criſpus Neapolitanus, cum R.D. Tropien.

Theologi Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini.

Thaddæus Peruſinus, cum R.D. Saluiato.
Ioannes Paulus Recanetenſis, cum R. D. Quinqueeccleſienſ. Oratore pro regno Hungariæ.
Simon Florentinus, cum Illuſtriſſ. Cardin. Seripando Legato.
Cherubinus Lauoſius de Caſſia, cum reuerendiſſimo. D. Vercellen.
Ambroſius Veron. Prior conuentus S. Marci Tridentini.
Ioannes Baptiſta Burgos Valentin. Hiſpan.
Antonius Mondulphenſis, qui eſt cum reuerendiſſ. Pragen. Oratore.
Ægidius Volaterranus, cum reuerendiſſ. epiſcop. Thininien.
Eugenius Piſaurenſis, in præterita Quadrageſima Concilij Prædicator.
Adamantius Florentinus, qui eſt cum Illuſtriſſ. Cardin. Madrutio.
Aurelius Corinaltenſis, cum D. Oratore Helueticorum.
Balthazar Maſſanus, cum reuerendiſſ. epiſc. Cattanien.
Sebaſtianus Fanen. eiuſdem ordinis ſcriba.
Chriſtophorus de Sanctotis Burgen. Hiſpan.
Simon de Brazzolatis, Patauinus.

Theol[illegible] Ordinis Fratrum Carmelitarum.

Stephan. Locum tenens generalis ordin. Carmelitan. & Prouincial. Lombardiæ Cremonen.
Theodorus Maſius Mantuanus, cum reuerendiſſ. D. Cremonenſi.
Siluester confeſſor Illuſtr. Card Mantuani.
Lucretius Aſolanus, cum reuerendiſſ. Dom. Patriarcha Venetiarum.
Nicolaus Gallus, cum R. Patre Generali.
Eraldus Gallus, cum reuerend. Patre Generali.
Laurentius Lauretus Venetus, cum R Patre Generali.

Theologi Ordinis Fratrum Seruorum.

Stephanus Bonuncio Aretinus.
Amans pro congregatione Seruorum, cum reuerendiſſ. D. Sibinicen.

Officiales Sacri Concilij Tridentini.

Epiſcopus Cauenſis, Commiſſarius.
Epiſcopus Theleſinus, Secretarius.
Ludouicus Bondonius Magiſter Cæremoniarum.

Cantores ſacri Concilij.

Simon Bertolinus, Peruſinus.
Ioannes Aloyſius de epiſc. Neapolitanus.
Bartholomæus Conte, Gallus.
Matthias Albo de Fulignis.

Franciſcus Buſtamante, Hiſpanus.
Ioannes Antonius Latinus, Beneuentanus.
Franciſcus Druda, Vrbinas.
Lucas Longinquus, Giſonen.
Petrus Scorteccio, Aretinus.

Notarij.

Marcus Antonius Peregrinus Comenſis, & Cinthius Pamphilus de S Seuerino.
Hieronymus Gamber Brixienſis, Forenſis.
Antonius Manellus, depoſitarius.

Curſores Sanctiſſ D. N. & ſacri Concilij.

Nicolaus de Matthæis.
& Iacobus Carra, Allobroges.

Finis Catalogi omnium Legatorum, Patrum, Oratorum, & Theologorum, qui ad Tridentinam Synodum conuenerunt ſub D. N. Pio IV.

F I N I S.

CONFIRMATIO CONCILII.

NOs Alexander, ſancti Laurentij in Damaſo Diaconus Cardinalis, de Farneſio, S.R.E. Vicecancellarius, fidem facimus, & atteſtamur, qualiter hodie, die Mercurij, 26. Ianuarij, M. D. LXIV. Pontificatus Sanctiſſimi D. noſtri D. Pij, diuina prouidentia Papæ Quarti, anno quinto, in Conſiſtorio ſecreto, apud S. Petrum, Reuerendiſſ. DD. mei, Cardinales Moronus, & Simoneta, nuper reuerſi à ſacro Concilio Tridentino, cui vti ſedis Apoſtolicæ Legati præerant, petierunt ab eodem Sanctiſſ. D. noſtro vt infrà.

Beatiſſime Pater, in decreto ſuper fine concilij Oecumenici Tridentini, pridiè nonas Decembris præteriti publicato, ſtatutum fuit, per Sanctitatis Veſtræ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatos, & Præſidentes peteretur nomine dicti Concilij à Sanctitate Veſtra confirmatio omnium, & ſingulorum, quę tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quàm ſub Sanctitate Veſtra in eo decreta, & definita ſunt. Quapropter nos Ioannes Cardinalis Moronus, & Ludouicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati, & Præſidentes eramus, volentes exequi, quod in dicto decreto ſtabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti Concilij Oecumenici Tridentini, vt Sanctitas Veſtra dignetur confirmare omnia, & ſingula, quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quàm ſub Sanctitate Veſtra in eo decreta, & definita ſunt.

Quibus auditis, Sanctitas ſua, viſo, & lecto tenore dicti decreti, & habitis votis Reuerendiſſ. DD. meorū Cardinalium, reſpondit per hæc verba:

Petitioni, nomine Concilij Oecumenici Tridentini ſuper eius confirmatione per dictos Legatos nobis factæ, annuentes, omnia, & ſingula, quæ in dicto Concilio tam ſub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. prædeceſſoribus noſtris, quàm Pontificatus noſtri tempore decreta, & definita ſunt, auctoritate Apoſtolica; etiam de Venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus, atque ab omnibus Chriſti fidelibus recipi, & inuiolabiliter obſeruari mandamus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Ita eſt.

A. Cardinalis

Farneſius, Vicecancell.

BVLLA S. D. N. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPAE QVARTI, SVPER CONFIRMAtione Oecumenici generalis Concilij Tridentini.

PIVS *Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis: qui, reſpicere dignatus Eccleſiam ſuam ſanctam tot procellis & tempeſtatibus agitatam, atq; vexatam, & grauius in dies laborantem, apto tandem ei ſubuenit, optatoq; remedio. Ad plurimas, & pernicioſiſſimas hæreſes extirpandas, ad corrigendos mores, & reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam, ad pacem, & concordiam Chriſtiani populi procurandam indictum iam pridem in ciuitate Tridentina Oecumenicum, & generale Concilium à piæ memoriæ Paulo 3. prædeceſſore noſtro, & ſeſſionibus aliquot habitis cœptum fuerat, ab eius autem ſucceſſore Iulio in eandem vrbem reuocatum, poſt alias ſeſſiones celebratas, varijs impedimentis, & difficultatibus obiectis, ne tum quidem peragi potuerat: itaq; diutius intermiſſum fuerat, non ſine maximo mœrore piorũ omnium, cùm quotidie magis Eccleſia eiuſmodi remedium imploraret. Nos autem poſt ſuſceptum ſedis Apoſtolicæ regimen, tam neceſſariũ ac ſalutare opus, ſicut Paſtoralis ſolicitudo monebat, diuinæ miſericordiæ fiducia perficere aggreſſi, adiuti pio ſtudio cariſſimi in Chriſto filij noſtri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, & aliorũ Chriſtianorum Regum, Rerumpublicarũ, ac Principum, tandem conſecuti ſumus, quod nec diurnis, nec nocturnis curis elaborare deſtitimus, quodq́ue à patre luminum aſſiduè precati ſumus. Cùm enim eam in vrbem vndique ex Chriſtiani nominis nationibus cõueniſſet, noſtris conuocata literis, & ſua etiam ipſorum pietate excitata, Epiſcoporum, & aliorum inſignium Prælatorum maxima, & Oecumenico Concilio digna frequentia, præter plurimos alios pios, & ſacrarum literarum ſciẽtia, diuiniq́ue, & humani iuris cognitione præſtantes viros, præſidentibus ipſi Synodo ſedis Apoſtolicæ Legatis, nobis adeo Concilij libertati fauentibus, vt etiam de rebus ſedi Apoſtolicæ propriè reſeruatis liberum ipſi Concilio arbitrium per literas, ad Legatos noſtros ſcriptas, vltro permiſerimus, quæ de Sacramẽtis, & alijs rebus; quæ quidem neceſſariæ viſæ ſint, tractanda, definienda, & ſtatuenda reſtabant, ad confutandas hæreſes, ad tollendos abuſus, & emendandos mores à ſacroſancta Synodo ſumma libertate, diligentiaq́ue tractata, & accuratè, ac maturè admodum definita, explicata, ſtatuta ſunt. Quibus rebus perfectis, Concilium tanta omnium, qui illi interfuerunt, concordia peractum fuit, vt conſenſum eum planè Domino effectum fuiſſe conſtiterit: idq́ue in noſtris atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam ſingulari Dei munere ſupplicationes ſtatim in alma hac Vrbe indiximus, quæ magna cleri, & populi pietate celebratæ fuerũt; laudeſq́ue, & gratias diuinæ maieſtati meritò perſoluendas curauimus: cùm eiuſmodi Concilij exitus ſpem magnam, & propè certam attulerit, fore, vt maiores in dies fructus ad Eccleſiam ex ipſius decretis, conſtitutionibuſque perueniant. Cùm autem ipſa ſancta Synodus pro ſua erga Sedem Apoſtolicam reuerentia antiquorum etiam Conciliorũ veſtigijs inhærens, decretorum ſuorum omnium, quę noſtro, & prædeceſſorum noſtrorum tempore facta ſunt, confirmationem à nobis petierit, decreto de ea re in publica Seſſione facto: Nos, ex Legatorum literis prius, deinde poſt reditum eorũ, ex ijs, quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, poſtulatione ipſius Synodi cognita, habita ſuper hac re cum venerabilibus fratrib. noſtris, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, deliberatione matura, ſanctique Spiritus in primis auxilio inuocato, cùm ea decreta omnia Catholica, & populo Chriſtiano vtilia, ac ſalutaria eſſe cognouiſſemus ad Dei omnipotentis laudem, de eorundem fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu in Conſiſtorio noſtro ſecreto illa omnia, & ſingula auctoritate Apoſtolica hodie confirmauimus, & ab omnibus Chriſti fidelib. ſuſcipienda, ac ſeruanda eſſe decreuimus; ſicut harum quoq; literarum tenore ad clariorem omnium notitiam cõfirmamus, & ſuſcipi, obſeruariq́; decernimus. Mandamus autē in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis à ſacris canonib. conſtitutis, alijſq́; grauioribus, etiam priuationis, arbitrio noſtro infligẽdis, vniuerſis, & ſingulis venerabilibus fratrib. noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs quibuſuis Eccleſiarũ Prælatis, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, & dignitatis ſint, etiam ſi Cardinalatus honore præfulgeant, vt eadem decreta, & ſtatuta in Eccleſijs ſuis, ciuitatibus, & diœceſibus, in iudicio, & extra iudicium diligenter obſeruent, & à ſubditis quiſque ſuis, ad quos quomodolibet pertinent, inuiolabiliter faciant obſeruari: contradictores quoslibet, & contumaces, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas etiam in ipſis decretis contentas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: inuocato etiã, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio. Ipſum verò cariſſimum filium noſtrum Imperatorem electum, cæteroſque Reges, Reſpublicas, ac Principes Chriſtianos monemus, & per viſcera miſericordiæ Dñi noſtri Ieſu Chriſti obteſtamur, vt, qua pietate Concilio per Oratores ſuos affuerunt, eadem pietate, ac pari ſtudio, diuini honoris, & populorum ſuorũ ſalutis cauſa, pro Sedis quoq; Apoſtolicæ, & ſacrę Synodi reuerẽtia, ad eiuſdem Concilij exequenda, & obſeruanda decreta, Pręlatis, cùm opus fuerit, auxilio & fauore ſuo adſint, neque aduerſantes ſanæ ac ſalutari Concilij doctrinæ opiniones à populis ditionis ſuæ recipi permittant, ſed eas penitus interdicant. Ad vitandum præterea peruerſionem, & confuſionem, quę oriri poſſet, ſi vnicuiq; liceret, prout ei liberet, in decreta Concilij commentarios, & interpretationes ſuas edere, Apoſtolica auctoritate inhibemus omnibus, tam Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcunq; ſint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocunq; honore, ac poteſtate præditis; Prælatis quidem ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, alijs verò quicumque fuerint, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine auctoritate noſtra audeat vllos cõmentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, vllumve omnino interpretationis genus ſuper ipſius Concilij decretis quocunq; modo edere, aut quidquam quocunque nomine, etiam ſub prætextu maioris decretorũ corroborationis, aut executionis, aliove quæſito colere, ſtatuere. Si cui verò in eis aliquid obſcuriùs dictum, & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione aut deciſione aliqua egere viſum fuerit; aſcendat ad locum, quem Dominus elegit, ad ſedẽ videlicet Apoſtolicam, omnium fidelium magiſtram, cuius auctoritatẽ etiam ipſa ſancta Synodus tam reuerenter agnouit. Nos enim difficultates & controuerſias, ſi quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas & decidendas, quemadmodum ipſa quoq; ſancta Synodus decreuit, reſeruamus, parati, ſicut ea de nobis merito confiſa eſt, omnium prouinciarum neceſſitatib. ea ratione, quæ commodior nobis viſa fuerit, prouidere. Decernentes nihilominus irritũ & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſciẽter vel ignoranter contigerit attẽtari. Vt hæc autem ad omnium notitiam perueniant, neve quis excuſatione ignorationis vti poſſit: Volumus, & mãdamus, vt hæ literæ per aliquos curiæ noſtræ Curſores in Baſilica Vaticana principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi, tunc, cùm in eis populus, vt Miſſarum ſolemnibus interſit, congregari ſolet, palàm & clara voce recitentur; &, poſtquàm recitatæ fuerint, ad valuas earum Eccleſiarum, itemq́; Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ affigantur; ibique vt legi, & omnib. innoteſcere poſſint, aliquantiſper relinquantur. Cùm autem inde amouebuntur, relictis de more ibidem exemplis, in alma Vrbe ad impreſſionem tradantur, quò commodius per Chriſtiani nominis prouincias & regna diuulgari poſſint. Trãſumptis quoque earum, quæ manu alicuius publici Notarij ſcripta ſubſcriptave, & ſigillo ac ſubſcriptione alicuius perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munita fuerint, fidem ſine vlla dubitatione haberi, mandamus atque decernimus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmatiõnis, monitionis, inhibitionis, reſeruationis, voluntatis mandatorum & decretorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ, apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1563. ſeptimo Calen. Febr. Pontificatus noſtri anno quinto.

EGO PIVS, CATHOLICVS
ECCLESIAE EPISCOPVS.

Ego F. Card. Piſanus, Epiſc. Oſtien. Decanus.
Ego Fed. Card. Caſius, epiſc. Portuen.
Ego Io. Card. Moronus, epiſc. Tuſculan.
Ego A. Card. Farneſius, Vicecan. epiſc. Sab.

. . . .
. . . .

Ego R. Card. S. Angeli, Maior Pœniten.

. . . .
. . . .

Ego Io. Card. S. Vitalis.
Ego Io. Michael. Card. Saracenus.

Ego Io. B. Cicada, Card. S. Clementis.
Ego Scipio, Card. Piſarum.
Ego Io. Card. Romanus.
Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego Clemens. Card. Aracali.
Ego Ia. Card. Sabellus.

. . . .
. . . .

Ego B. Card. Saluiatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Lud. Card. Simonetta.

. . . .

Ego F. Card. Pacieccus, y de To.
Ego M. A Card. Amulius.
Ego Io Franc. Card. de Gambara.
Ego Carolus Card. Borromæus.
Ego M. S. Card. Conſt.
Ego Alph. Card. Geſualdus.
Ego Hip. Card. Ferrar.
Ego Franciſcus, Card. Gonzaga.

Ego Gui. Aſc. Diac. Card. Cam.
Ego Vitellotius, Card. Vitellius.

. . . .
. . . .
. . . .

Ant. Florebellus Lauellinus.
H. Cumyn.

VITA IVLII PAPAE III.

Iulius quā-
ſo pont.
factus?

IVLIVS huius nominis tertius, antea Ioannes Maria de Monte appellatus, natione Romanus, à Paulo III. in numerum Cardinalium adſcitus, poſtquam eius nomine multas legationes obiiſſet, primiſq; ſeſſionibus quibuſdam Concilij Tridentini præſediſſet, primus eorum qui per adorationem electi ſunt, non exſpectato, vt vocant, ſcrutinio, ſed voce tenus omnium vel ſaltem duarum partium Cardinalium conſenſu in locum defuncti Pauli III. ſurrogatus eſt, ſeptimo Idus Februarij anno Iubilæi 1550. tempore Caroli V. Imperatoris. Initio pontificatus indulgentias Iubilæi promulgauit, rogatuque Caroli V. Imperat. intermiſſum Tridentinum Concilium continuari mandauit. Vrbem Romam prouida frumentorum procuratione à graui annona liberauit. Cumque Octauius Farneſius commiſſam ſibi communi Cardinalium conſenſu Parmam vrbem Gallorum præſidio muniuiſſet, ſeq; in eorundē clientelam tradidiſſet, armis & potentia Imperatoris fretus, Octauio bellum intulit, fratremque eiuſdem Cardinalem Farneſium Florentiam relegauit: finem belli, paciſque ineundæ deſiderium attulit interitus Ioannis Baptiſtæ Pontificis nepos, quem ictu ſclopeti hoc bello occubuiſſe grauiſſimè tulit. Simonem Maniam Orientalis eccleſiæ trans Euphratem Adminiſtratorem, Metropolitanam generalem, Simoni Sulakæ ibidem canonicè & legitimè ſuffectum, virum ſpectatæ fidei, inſigniſque eruditionis, ad confirmationem ſuæ electionis à ſede Apoſtolica impetrandam, ex Oriente Romam accedentem, poſt emiſſam ſuo ſuæque eccleſiæ nomine publicam fidei profeſſionem obedientiamque ſede Apoſtolicæ iurato promiſſam, in munere & officio credito confirmauit, iureque pallij donauit.

Con. Tri-
den. con-
tinuatur.

Oriental.
eccleſiæ Me-
tropolita-
nus con-
firmatur.

Senenſium animis ad arma conuerſis, noua diſſidia inter Cæſarem & Gallorum Regem Pontifex ſubodorans, ad vtroſque pro concordia Legatos fruſtra miſit. Vrbi tuendæ octo millia peditum Duce Camillo Vrſino conſcripſit & aſſignauit. Interea dum in Etruria omnia armis circumſonarent pacis inter vtrumque principem conciliandæ ſpe & ſtudio Viterbium conceſſit. Verum re infecta ad vrbem remeare coactus eſt. Duci Coſmo contra Senenſes ſuppetias tulit cui gratam viciſſitudinem vt rependeret Coſmus, oppidum Montis Sancti Sabini ſub Marchionatus titulo Balduino Pontificis fratri addixit. Philippum Caroli Quinti filium cum Mariæ Angliæ Regina coniugatum, regno Neapolitano inueſtiuit. Huius tempore bellum Lutheranorum contra Zuinglianos propter ciuilia bella Imperatoris aduerſus Proteſtantes & hæreticos, ſimulata concordia triennio intermiſſum, à Ioachimo VVeſtphalo, edito libello Sacramentariorum confuſaneas & inter ſe diſſidentes opiniones de cœna Domini continente inſtauratur. Tale diſſidium nunquam poſtea potuit extingui, ſed magis ac magis exarſit, ſcriptis ab vtriſque partibus doctis & indoctis multis libris, orationibus, dialogis, confeſſionibus, epiſtolis, adeo vt maiori quā vnquam antea impetu, ſurſum ac deorſum res agitata fuerit. Lutherani multas habuerunt Synodos, quibus de opprimendis Sacramentarijs tractarunt: multi eorum ſe iunxerunt Catholicis, vt Zuinglianos facilius opprimerent, in quos tanquam peſtilentiſſimos hæreticos acerbè inuehebantur, eiſque aqua & igni interdicebant: nec erant contenti, niſi omnes expreſsè profiterentur, non ſe tantum, ſed etiam impios, corpus & ſanguinem Chriſti corporaliter & ſubſtantialiter ore corporis, manducare.

Bellū in-
ter Luthe-
ranos &
Zvving-
lianos
quale?

Quidam hoc tempore, qui per Galliam dicebat ſe habere Spiritum D. Ioannis Euangeliſtæ, exuritur Tholoſæ, alter viſus eſt Lutetiæ & Baſileæ, qui genio Petri Duce ſe frui contenderet, alius etiam Baſileæ aſſerere auſus eſt ſe Motis Angelum habere. *Surius in hiſt.*

Dauid Georgius impudenter per Hollandiam & Friſiam ſcribebat ſe eſſe verum Meſſiam, & Dei nepotem, & non ex carne natum, ſed ex ſancto Spiritu. Ionas Cocus Lutheri, ſe iuſtum Ionam; Oſiander ſe Enochum ſecundum prædicabat. *Surius in hiſt.*

DauidGe-
orgius
quis?

Iulius Papa tandem ad quietem conuerſus, vt dolores ex podagra ſuperaret, incidit in febrim fatoque ceſſit, anno Domini 1555. cum ſediſſet annos 5. & dies 10. Eius corpore apud Sanctum Petrum ſepulto, vacauit ſedes diebus ſeptendecim.

Obit° Iu-
lij papæ.

VITA MARCELLI II. PONTIFICIS.

MARCELLVS ex oppido Politiano in Etruria, Richardo Ceruino & Caſſandra Bencia parentibus natus, Cardinali Farneſio adhuc adoleſcenti à Paulo tertio datus, vt eius opera in ſcribendis epiſtolis vteretur, Nuncij Apoſtolici dignitate exornatus, præter omnem ſuam expectationem Cardinalis tituli ſanctæ Crucis renunciatus, Iulio è viuis ſublato, 39. Cardinalium communi ſtudio, per adorationem creatus eſt Pontifex 5. Idus Aprilis Anno 1555: dieque immediatè ſubſequenti coronatus, nomē Marcelli retinuit. Prohibuit conſanguineis ne Romam peterent: duos ex fratre Alexandro nepotes, quos ibidem educabat, à nemine voluit adiri.

Marcell.
quando
& quo-
modo p.
f. factus.

Huius tempore Ioannes Caluinus ex matre pontificij ſacrificuli concubina Canonicus Nouiodunenſis, incipit clareſcere, & de fori rabula Theologus de repente prodire, quando ad pœnam quæſitus cum quodam Copo tunc Academiæ Pariſienſis rectore regij magiſtratus manus ſubdolè effugiſſet.

Io. Cal-
quis &
qualis?

Eodem tempore, inquit Genebrardus, *Præter vulgares Lutheranos, Zuinglianos, Caluiniſtas, Seruetianos, Anapaptiſtas, & infinitas Sacramentariorum formas, recrudeſcunt alij ſe in contraria ſcindentes,* Brentiani, Vbiquitiſtæ, *vbiquitatem humanitatis Chriſti docentes,* Oliandrini, *hominem iuſtificari ea iuſtitia, qua Deus eſt eſſentialiter iuſtus.* Stancariani *Chriſtum iuſtificare ſecundum ſolam humanam naturam.* Amſdorfiani *bona opera ad ſalutem eſſe pernitioſa.* Maioriſtæ, *infantes non ſaluari per ſolum baptiſmum.* Antinomi, *hominem ad legis Dei obedientiam non obligari.* SuenckFeldiani, *ſacras literas penitus eſſe abijciendas, & pendendum e ſola diuina inſpiratione, qui proinde dicti ſunt Prophetæ cæleſtes.* Trinitarij *ſiue* Tredeitæ, *tres eſſe Deos.* Antitrinitarij, *tres perſonas non in ſe ſubſiſtere; ſed in diuina eſſentia, eſſeq; diuinæ eſſentiæ duntaxat reſidentias ſiue qualitates. Sabellianorum ſecta, qua infames ſunt omnes ferè Lutherani & Caluiniſtæ, vt multis libris docuimus.* Autotheani, *Chriſtum eſſe Deum à ſe, non à patre, vt proinde impropriè dixerint patres Nicæni, Deum de Deo, lumen de lumine. &c. Hoc venenum ſuis miſcuit Caluinus, vt ibidem oſtendimus.* Bibliſtæ, *nihil proponendum in eccleſia populo, vel in ſcholis iuuentuti, præter Biblia, nec diſcendas vllas Philoſophiæ artes.* Sabbatarij, *non Dominicam diem colendam, ſolum patrem eſſe inuocandum, non Filium non Spiritum ſanctum.* Stebleri, *nec gladium, nec peram portandam, nec vllo modo litigandum, aut in iudicio comparendum.*

Dæmoniaci, *Dæmones poſt finem mundi ſaluandos.* Georgio Dauidici, *Georgium Dauidem eſſe Chriſtum; diabolū nullum exiſtere, non futuram Carnis reſurrectionem.*

Memnonitæ, *Chriſtum carnem è Maria non ſumpſiſſe.*

Ochiniſtæ ſiue Polygamiſtæ, *licere viro multas ſimul habere vxores.*

Muſculus, *diuinam Chriſti naturam vna cum humana fuiſſe mortuam.*

Ioannes Langus, *carnem Chriſti eſſe deificatam ſiue tranſiiſſe in diuinam ſubſtantiam.*

Matthæus Flaccus Illyricus, *multa horrēda in omnes ſectas inuexit.*

Melanchthon vt multorum reus etiam à ſuis traducitur.

Hieronymus Zanchius & Iacobus Scheckius Medicus, *de duabus Chriſti naturis, & de S. Trinitate monſtra nouis portentis auxerunt, quæ proprio opere refutauimus.*

Hos quidem defendere hodie conatur Lambertus quidā Danæus, *at nimis inuerecundè, quoniam ſola impudentia hæretica armatus, diſciplinarum omnium expers, tantam prouinciam ſuſcipit.*

Valentinus Gentilis, *cum Seruetianorum fermento Deiſtarum Lemani lacus vndas miſcuit, contra quem præcipuè Tertiū meū de Trinitate dictaui.*

His iam omnibus ſuperſtes Theodorus Beza, *quotidie aliquid noui ad iam putres eorum blaſphemias addit.* Hæc ex ipſorum ſcriptis & farraginibus.

Dum vero Marcellus Pontifex multa ad vrbis & Curiæ reformationem mente agitaret, Apoplexia correptus ad beatiorem vitam migrauit, vltima eiuſdem menſis, cum Pontificatum die 22. tenuiſſet, corpus eius apud ſanctum Petrum ſepulturæ demandatum eſt.

VITA PAVLI IV. PONTIFICIS.

lus
ndo
tifex
us?

PAVLVS IIII. Neopolitanus illuſtri Caraffæorum familia oriundus ante Pontificat. Ioannes Petri vocatus ſcientia pietate & virtute inſignis, multis legationibus functus, à monaſtica vita, quam reſignato Theatino Archipiſcopatu inſtitutoque ordine presbyterorum Theatini vocatorum profeſſus erat, ad Cardinalitiam dignitatem à Paulo Tertio vocatus, ad extremum creatus eſt Pontifex 10. Kalend. Iunij, ipſo aſcenſionis die, anno Domini 1555. tempore Caroli Quinti & Ferdinandi Imperat. ſequente Dominico coronatus, Decretum ſanxit, quo beneficia illegitimè poſſeſſa, vel pecunijs comparata reddere præcipiebatur. Iudæos in vna parte ciuitatis recluſit, quibus ne vſuram exercerent, vetuit. Crocei coloris pileum quo à reliquis internoſci poſſent, ipſos ferre voluit. Decreta plurima à Iulio Tertio ſtabilita reſcidit. Romæ Vrbini Ducem præfectum inſtituit, Clero, quo ad victum & veſtitum leges præſcripſit; pœnitentiæ officium ipſemet reformauit beneficia & eccleſiæ bona non alijs, quam viris bene doctis conferri voluit. Trium vrbis conſeruatorum authoritatem amplificauit. Priuilegia à pontificibus prædeceſſoribus populo conceſſa confirmauit. In cuius grati animi proteſtationem populus in Capitolio eidem ſtatuam erexit centumque nobiles cuſtodes attribuit, quos omnes ipſe equeſtri ordine cohoneſtauit. Et Paulo poſt inter eum & Philippum Hiſpaniarum Regem orta eſt diſcordia, cui Galliarum Regis fretus auxilijs, bellum in regno Neapolitano per Ducem Albanum defenſo indixit.

linis
tatino
insti-
nt.

gestæ
ulo 4.

Anno integro, poſtquam prælio ſe laceſſiuiſſent quæ Pontifici parum fœliciter ſucceſſerant, ab armis coactus eſt: inter arma Marcum Antonium, eiuſque patrem Aſcanium anathemati innodauit, eoſque omnibus poſſeſſionibus, quas in ditione eccleſiaſtica obtinebant, priuauit; quas nepoti ſuo Ioanni Caraffæ ſub titulo Paliani Ducatus attribuit. Pace tandem compoſita, Dux Albanus ſummo Pontifici obedientiam præſtiturus ad eum humiliter profectus eſt, à quo abſolutionem conſecutus, maximam eius humanitatem expertus fuit. Porrò ad inquiſitionem conuerſus, eidem 16. Cardinales addixit, quorum primarium locum Cardinalis Alexandrinus tenebat. Catalogum librorum hæreſi infectorum publicauit. Legatione Anglicana Cardinalem Polum priuauit. Cardinalemque Moronum in vincula coniecit. Strictiſſimè præcepit, vt omnes Religioſi & Monachi è clauſtris ſuis egreſſi, ad proprium monaſterium reuerterentur. Auditis ſuorum cognatorum & propinquorū enormibus ſceleribus, in eos grauiſſimè animaduertit, illoſque ex vrbe eijciens, omnibus gradibus ſpoliauit. Diuerſis ordinationibus 19. Cardinales creauit. Cathedræ Sancti Petri feſtum innouauit.

Offici
inqui
onis
stituit
& lib
hæret
rum c
logū
mulg
uit.

Sub huius Pontificatu, inquit Genebrardus, *Ioannes Caluinus ad nundinas autumnales Francoforti anno 1556. cum miniſtris eius loci de Cœna conferre volens, reiectus eſt, quòd ſe Zuinglianum profiteretur.* Lauater in hiſt. Controuerſiæ Sacramentariæ. Sur. in hiſt.

Eodem anno cùm plerią; Laici in Polonia vſum calicis in Sacramento Eucharistiæ contentioſè efflagitarent, quaſi Chriſtus eſſet exanguis ſub altera ſpecie & Romanus Pontifex eo miſiſſet Aloyſium Lipomanum Veronenſem epiſcopum ad Regem Poloniæ Sigiſmundum, ea quæſtio diuino miraculo eſt iudicata. Nam cum quidam Iudæus Bishaim *ſiue Benedictus in quodam Poloniæ oppidulo Sachazeto nomine, tribus miliaribus ab arce* Louitz, *à ſua ancilla Chriſtiana Dorothea Lazezka nomine, ſacram Eucharistiam (quam ipſa ad pagum Catzo die Paſchæ ſuſceperat, & ex ore extractam in ſudariolum repoſuerat, vt ad ſuum herum deferret) tribus daleris & veſte ſericas fimbrias habente emiſſet, & in ſynagoga pugionibus, & cultris confodiſſet, repente ex illa* MVLTVS CRVOR *emanauit, quem Iudæi cochleari in vitreum calicem transfundunt. Hac de re paulo poſt cognita, & ad Sigiſmundum Regem, qui tunc erat Vilnæ, (quæ eſt vrbs Lituaniæ Metropolis) delata, mandatur illius oppiduli præfecto ſecundario, vt totum negotium diligenter inquirat, & in huius ſceleris conſcios extremo ſupplicio animaduertat. Itaque Dorothea cum Iudæo ſuo hero, die Veneris poſt Chriſti Aſcenſionem flammis exuritur, reliqui item Iudæi ſceleris ſocij (vno excepto qui aufugerat) Kalend. Iun. idem ſupplicium luunt. Vnde multi & ipſe Poloniæ rex non mediocriter in retinenda Catholica eccleſiæ communione confirmatur.* Hiſtoria rerum memorabilium, &c. cōuerſa à Pontano lib. 5. & Sur. in hiſt.

Sub hæc tempora imago crucifixi à quodam lapidibus per indignationem icta emiſit ſanguinem, ſed ſceleris reus Moguntiæ ſupplicio afficitur. Brentius in c. ad Gal.

Anno 1557. Prid. Non. Septemb. inchoatum eſt VVormatiæ colloquium inter Catholicos & Lutheranos decreto Comitiorum Ratiſponenſium, ſed turbatū artibus Flacci Illyrici. Aderant Euangelicarū partiū xij. miniſtri, qui à Catholicis interrogati, quas ſectas confeſſioni Auguſt. conſentaneas & diſſentaneas exiſtimarent (quòd varia ſectæ ſub Auguſtana confeſſione comprehendi vellent, & decretū eſſet, cum ijs duntaxat colloquium habendum, qui eſſent Antiquæ Religionis vel Auguſtanæ Confeſſionis) per xvi. dies inter ſe concertarunt, cum alij ex ipſis ſectas quaſdam vt à confeſſione Auguſtana diſcrepantes damnarent & excluderent, alij retinendas, eiſq; parcendum cenſerent. Ea concertatio eo vſque progreſſa eſt, vt ex xij. miniſtris, quinque reiecti & excommunicati fuerint, tanquam contrarij confeſſioni Auguſtanæ in præcipuis capitibus, vt de Lege & Euangelio, de Libero arbitrio, de Iuſtificatione, de Operibus, de Sa-

ramentis, & vſu Ceremoniarum. His ita geſtis, quia à ſeptem reliquis Miniſtris nunquam impetrari potuit, vt ſigillatim multiplices ſectas à confeſſione Auguſtana ſecernerent & damnarent, ne inanis eſſet labor colloquij, illud vix adhuc benè cœptum intermittitur. Amſdorffius in libr. Publicæ confeſſionis puræ doctrinæ Euangelij &c. Nicolaus Gallus in ſuis Theſibus & hypotypoſ. Hiſtoria rerum memorabilium &c. conuerſa à Pontano libr. 5. Lauatherus in hiſt. controuerſiæ Sacramen. Sur. in hiſtor.

Carolo 5. abdicanti ſe imperio Ferdinandus frater ſurrogatur.

Eiuſdem tempore Carolus V. qui Solymannum tantarum virium faſtu tumētem aliquoties profligârat, qui Ariadenū Barbaruſſam acie deuictum, ac Tunetano regno exutū Africa depulerat, qui Imperium ſuperiorum Imperatorū ignauia labefactatum ac plane perditum reſtituerat, qui cō iurantem Germaniam retuderat, qui Regem Franciſcum & Clementem Pontificem in poteſtate habuerat, qui in orbe nouo vrbibus, & templis ædificatis multa præclara in Dei & eccleſiæ decus geſſerat, qui denique vno dempto Carolo Magno omnes occidentales Imperatores pace belloque ſuperauerat, religione tactus, quam ſanctiſſimè ſemper coluit, & aduerſus hæreticos aſſeruit, tædio rerum humanarum affectus propter cœleſtium & æternarum deſiderium primus poſt conditum Germanicum imperium (Lotharius enim Francus erat.) Maieſtate imperij fratri Ferdinando abdicata, reliquis regnis atque ditionibus vnico filio Philippo traditis ad vitam religioſam ſe contulit, & in ſacram ſolitudinem ſeceſſit. Imperium in Ferdinandum inconſulta ſede Apoſtolica aliter quam fieri debebat tranſlatum fuiſſe, ægrè quidem: ſed tamen patienter tulit Pontifex optimus, qui cum annis quatuor, menſibus ferè tribus ſedem Apoſtolicam tenuiſſet, è viuis exceſſit, anno domini 1559. decimo quinto Kalend. Septemb. Poſt obitum eius vacauit ſedes menſes quatuor & dies ſeptem.

VITA PII IIII. PONTIFICIS.

Pius IV. quando electus?

Pius Quartus Bernardini Medicæi & Ceciliæ Sorbeloniæ Mediolanenſis filius, ante Pontificatum Ioannes Angelus vocatus fuit, pluribus officijs & dignitatibus exornatus, per Paulum tertium Cardinalitia dignitate adauctus, à Iulio tertio Legatus ad militiam contra Octauium Farneſium ſuſceptam electus, ipſa Natiuitatis Domini vigilia, anno 1560. tempore Ferdinandi & Maximiliani Secundi Impp. Paulo Quarto è viuis ſublato, ſummus Pontifex declaratus eſt, & ipſo Regalium die coronatus. Inito Pontificatu, omnia delicta & exceſſus in prædeceſſorem commiſſos populo remiſit. Imperium Ferdinando per Carolum fratrem traditum confirmauit.

Quid in pōtificatu egerit?

Plurimos propter hæreſeos crimen, vt ſuſpectos vel delatos abſoluit, ac inter cæteros Cardinalem Moroneum. Punitурus autem Pauli Quarti amicos & familiares, ſententijs in eos latis ob crimina quæ ipſis obiecta fuerant; Cardinalem Carafam ſtrangulari, Comitemque Montorij, Allaſanum Leonardumque Cardinalem Capite plecti curauit. Nepotes ſuos fratrum ſororumque filios Romam aduocatos, maximis honoribus & ampliſſimis beneficijs, vel exornauit, vel nobiliſſimo matrimonio iunxit. Vt vero communibus malis mederetur, finis generali Synodo Tridentinæ, eius ſtudio ac vigilantia impoſitus eſt, acclamationeſq; patrum in ea fuêre: *Beatiſsimo Pio Papa Domino noſtro, ſanctæ & vniuerſalis eccleſiæ Pontifici, anni multi ac memoria æterna.* Solutis comitijs, Concilioq; finem impoſito, prælatis etiam omnibus ad propria remiſsis, plurima loca reſtaurare cœpit quæ præcedentibus bellorum fragoribus diruta, ruinam minitabantur; Romæ portam & plateam dictam piam reparauit. Prælum Manutij authoris vulgatiſſimi reſtituit. Arcem Capitolinam reſtaurauit, aliaque quam plurima loca refecit, quibus omnibus ſumptibus vt ſatisfaceret, montem perpetuum inſtituit, numerum etiam equitum, Pij appellatorum ordinauit. Cum vero inter Legatos Franciæ & Hiſpaniæ de primatu in præſidendo quæſtio ſuborta fuiſſet, præeminentiam vni non ſine alterius indignatione adiudicauit. Melitæ obſidione cinctæ militibus pecuniaque ſubuenit.

Anno 1560. (inquit Genebrardus) Lutherani & Sacramentarij ardentiſsimo odio inter ſe flagrant, cum ſcriptis contrarijs, tum edictis publicis. Nam VVittembergenſes, quibus præerat Brentius edictum promulgant contra Sacramentarios: Ienenſes miniſtri edunt ſupplicationem ad Ioannem Fridericum Secundum Ducem Saxoniæ, eiuſque fratres, ac alios principes & ordines confeſsionis Auguſtanæ, pro legitima Synodo, in qua ſoli Lutherani conuenirent, & Zuinglianos atque alios, quibus aduerſantur, condemnarent. Contra ab Heidelbergenſi Academia poſt publicam diſputationem Zuinglianorum contra Lutheranos, Heshuſius Lutheranus abire iuſſus eſt: & mox Superintendentes Heidelbergenſes edunt decretum, quo Lutheri & Brentij Catechiſmi extra Eccleſiam eijciantur, & eorum ſcripta nullam habeant auctoritatem. Lauaterus Zuinglianus in hiſtor. controuerſiæ Sacrament. Sur. in hiſtor.

Cum tandem diuerſis ordinationibus XLV. Cardinales creaſſet, in quarum vna Laurentiū Maſſam nunquā inducere potuit, vt Secretariatum Venetorum, vt vocāt, acceptaret. 5. Idus Decembris anni M. D. LXIII. mortuus eſt. anno ætatis ſuæ 66. menſe octauo, die nono, cum Pontificatum tenuiſſet annos ſex minus ſedecim diebus. In ſancto Petro ſepultus eſt. Sedes viginti octo diebus rectore orbata remanſit.

CONCILIVM PROVINCIALE MEDIOLANENSE PRIMVM,

Quod

PIO QVARTO, PONTIFICE CAROLVS BORRHOMAEVS S. R. E. PRESB. CARDINALIS TIT. S. PRAXEDIS

LEGATVS AD VNIVERSAM ITALIAM, ET ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI HABVIT ANNO M. D. LXV.

Edictum de Concilio Prouinciali I.

CAROLVS BORRHOMAEVS S. R. E. TIT. S. Praxedis Presbyter Cardinalis ac S. D. N. Papæ & Sedis Apoſtolicæ per vniuerſam Italiam de latere Legatus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mediolanenſis.

Cvm pro noſtri Archiepiſcopalis Officij munere, & antiquorum, & in ſacro Tridentino Concilio proxime editorum Canonum obſeruatione, ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, controuerſias componendas, aliaque ſacris Canonibus permiſſa, Prouinciale Concilium conuocare debeamus, vt primum neceſſaria, Sanctæ Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ negotia, quibus apud Sanctiſſimum D. N. occupati ſumus per debitam obedientiam, intermittere licuit, Reuerendiſſimos Prouinciæ noſtræ Epiſcopos, ad proximas Idus Octobris per literas nominatim ad ſingulos ſcriptas, ad Synodum in noſtra Mediolanenſi Metropolitana Eccleſia euocauimus. Vt igitur alijs etiam omnibus, qui de iure, vel conſuetudine intereſſe debent, nota ſit huius Concilij celebratio, neve cui ignorantiam rei excuſare, aut ſe contemptum dicere liceat. Idcirco vniuerſis, & ſingulis prædictis, & alijs qui ſua quomodolibet intereſſe putauerint, etiam exemptis, & nullius Diœceſis intra prouinciæ noſtræ limites exiſtentibus, per hoc edictum, quod in Cathedralis, & aliarum inſignium, quæ in ſingulis Prouinciæ noſtræ Diœceſibus etiam exemptarum, ac vicinorum nullius Diœceſis, ſi quæ ſint, locorum, ec-

cleſiarum valuis affigi, & promulgari iuſſimus, Prouincialis Concilij futuram celebrationem ſignificamus, & denunciamus, cum comminatione pœnarum à ſacris Canonibus Statutarum. In quorum fidem hoc Edictum confici, & per ſecretarium noſtrum ſubſcripſi, noſtri Sigilli impreſſione muniri voluimus. Dat. Romæ die 25. Auguſti anno Domini 1565.

ORATIO CAROLI CARDINALIS TIT. S. PRAXEDIS ARCHIEPISCOPI,

IN CONCILIO PROVINCIALI I. HABITA.

DEI ſummo ergo nos beneficio factum eſt, Patres Reuerendiſſimi, vt Tridentinum œcumenicum Concilium, triginta ante annis inchoatum, ſed variè intermiſſum ſingulari Pij Quarti Pont. Max. pietate, ac prudentia reuocatum, inſigni frequentiſſimorum patrum virtute, atque doctrina, ſuperiore anno mirabiliter abſolueretur. Quo in Concilio cum omnia præclare conſtituta ſint, quæ ad explicandam fidei veritatem, & ad reſtituendam eccleſiaſticæ diſciplinæ integritatem pertinebant, diuinitus profecto, Patres, illud decreuiſtis, vt Conciliorum prouincialium, quæ iamdiu haberi deſierant, vſus aliquando renouaretur, ex quo certiſſimum eſt, Chriſtianam rempublicam vberrimos ſalutis fructus eſſe percepturam. Et quidem natura, & ratione ipſa ducimur, vt in grauioribus rebus deliberandis aliorum conſilia exquiramus: vel quòd cautior deliberatio eſt, ſi ad noſtrum iudicium multorum ſententia accesſerit, vel quia apud illos, quibus conſulere maxime cupimus, maiorem auctoritatem, & pondus habet conſultatio, in quam plures conſenſerint. Eſt huius in Eccleſia inſtituti auctor Chriſtus Dominus, magiſtriq; Apoſtoli. nam eius certa quidem ſane eſt illa promiſſio, cum ſuam opem, ſuumq; auxilium, ſe denique ipſum, eiuſmodi patrum conuentibus, rite celebratis, pollicetur & defert. Vbi fuerunt, *inquit*, duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum: *itemq;* Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à patre meo. *Apoſtoli autem & ſi doctore ſpiritu ſancto vberem omnium rerum cognitionem ſinguli acceperant: tamen ſi quid grauius, publice præſertim agendum eſſet; hac conſultandi ratione vti conſueuerunt, quam vt cæteri etiam conſeruarent, lege ſanxerunt, vt bis in annos ſingulos Concilia ab Epiſcopis haberentur. Innumerabiles deinceps ſanctiones ſunt conſtitutæ, decretaq; promulgata & ab ſummis pontificibus, & à Concilijs tum œcumenicis, tum prouincialibus de retinenda, aut certe repetenda hac Synodorum conſuetudine, quemadmodum temporum ratio poſtulabat. Atque vtinam quæ à ſanctiſſimis illis viris culta, & poſteritati ad ſalutem Eccleſiæ tradita ratio eſt, prouincialium Conciliorum, eam nos ad hanc diem pie conſtanterq; retinuiſſemus; & quantam illi conſilij, & voluntatis ad prodendum poſteris optimum inſtitutum, tantum nos pietatis & diligentiæ ad tuendum adhibuiſſemus. Huius enim conſuetudinis intermiſſio, difficile eſt dictu, quantas calamitates in Chriſtianam Rempublicam inuexerit. nam iudicij metu ſublato, cum præter ſummum Romanum Pontificem nemo eſſet, qui à Dominici gregis paſtoribus Depoſiti cuſtodiam, tritici diſpenſationem, vineæ cultum, & villicationis ſuæ functionem recognoſceret, ſortem cum fœnore exigeret, à ſingulis grauiſſimi, multiplicisq; officij, more maiorum, rationem expoſceret. tum miſerabiliter prolapſa eſt inſtitutio Eccleſiaſticæ diſciplinæ; tum qui alios in officio continere debebant, maxime ipſi ab officij ſemita declinauerunt. Hic nota ſunt vobis, Patres, Eccleſiæ Dei vulnera, quæ libenter prætereo, quia ſine acerbiſſimo doloris ſenſu nec à me commemorari, neque à vobis audiri poſſe exiſtimo. Ergo ſingulari virtute, ac prudentia veſtra grauiſſimis malis remedium inuentum eſt, hac renouatione prouincialium Conciliorum: reliquum modò erat, vt ſapienter excogitata medicina ægrotis prouincijs ſalutariter adhiberetur. Cui nos officio pro noſtri Metropolitani muneris ratione, proq; amore in hanc vrbem, quam apud nos, & pietatem parentis, & charitatem filiæ obtinere libentiſſime profitemur, ſi per debitã obedientiã licuiſſet, primo quoq; tempore ſatisfacere ſtuduiſſemus. Cum primùm igitur huius rei data eſt facultas, eam illam ſummo ſtudio amplexi ſumus, eo animo, atque conſilio, vt, Deo auctore, vobis adiutoribus, obeundi muneris tarditatem actionum grauitate, & diligentia compenſemus. Itaque huc omnes conuenimus, vt ex hac quaſi ſpecula ſingulæ prouinciæ noſtræ partibus circumſpectis Ezechielis Prophetæ voce diuina admoniti, quod perijt requiramus, quod abiectum eſt reducamus, quod confractum eſt alligemus, quod infirmum eſt conſolidemus, quod pingue & forte cuſtodiamus. Id omne, vt præſtare poſſimus, petendum à Deo in primis eſt ſummis precibus, ſummaq; vitæ integritate & innocentia, atq; in proximos charitate, vt nobis ſuo lumine præluceat, conſilia & actiones noſtras ſua gratia proſequatur. Quemadmodum autem neminem noſtrum, vt cuiuſq; conditio tulit, aut ætas, aut labor, aut valetudo, aut itineris longitudo retardauit, quo minus in hunc locum frequentes ante ſtatutum diem conueniremus, quia in re priuata commoda communi officio poſthabuimus: ſic ac ipſam conſultandi, & decernendi rationem curãdum eſt vt integram optimamq; mentem, ac voluntatem afferamus, vim publici muneris priuatis commodis anteponamus eorum vtilitati, quibus præſumus, nõ noſtris rationibus ſeruiamus. Hoc ſane enim eſt, non quæ noſtra, ſed quæ Dei ſunt, quærere. Hoc munus paſtoris, hoc ducis officiũ, hæ gubernatoris partes ſunt, vt gregi, militibus, naui potiſſimum proſpiciant: nam ſubditorum ſalute præfecti incolumitas continetur. Et quia tria præcipue ſunt, quæ ex Tridentini Concilij auctoritate in prouincialibus Concilijs agi, & confici oportet, vt delicta corrigantur, mores ad optimam diſciplinam reuocentur, & tollantur, dirimanturq; controuerſiæ: primum illud erit iaciendum tamquam firmiſſimum totius ædificij fundamentum vt omnibus, & ſingulis, quæ à Sacro Tridentino Concilio definita, ac ſtatuta ſunt, palam receptis, deteſtantes hæreſes omnes, quæ à ſacris canonibus, Concilijsq; œcumenicis, præſertim verò Tridentino, damnatæ ſunt, veram obedientiam ſummo Romano Põtifici ſpondeamus, fidemq; ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ex præſcripto eiuſdem Concilij, ac Sanctiſſimi D. N. ratione & formula profiteamur: & ad eius in prouincia noſtra tuendam integritatem, id quod ad hanc diem nobis præſtitiſſe videtur Dei benignitas, opportuna præſidia, ſummamq; diligentiam & vigilantiam pro locorum & temporum periculo adhibeamus. Deinde in delictis corrigendis illa nobis ineunda ratio eſt, vt pro vi & modo morborum, ægrorumq; natura medicinam accommodemus, nunc lenibus admonitionis & obiurgationis remedijs errata caſtigantes, nunc acriori curatione vtentes, denique exulceratis partibus ferrum & ignem admouentes, quemadmodum malum mali ratio, & contagionis periculum poſtulabit, memores ſemper nos eſſe patres, non dominos. Morum autem diſciplinam facile reſtituemus ſi qua ratione, quibusve factis primum conſtituta, diuq; conſeruata eſt, eandem nos in reſtituenda adhibebimus, illorum veſtigia perſequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis, Deo auctore, ſua virtute pepererunt. Proponamus nobis quæſo, Patres, illorum vitæ ſanctitatem, & in adminiſtratione ſui officij ſapientiam. Erant integri, caſti, ſimplices, modeſti, humiles, bene morati, in oratione, & lectione aſſidui, ſui deſpicientes, in aliena ſalutis cura & cogitatione defixi, conſilio, & opera benigni, hoſpitales, in domeſtico cultu & victu parci, in alios benefici & liberales. Erant vigilantes ſuper gregibus ſuis, vineam Domini ſumma diligentia, & labore colentes, & cuſtodientes. Paſcebant aſſidue oues, ſibi cõmiſſas, triplici ſalutis cibo, verbo, exẽplo, & ſacramentis, memores quoq;, & imitatores ſummi paſtoris Chriſti, qui pro vniuerſo grege ſuo ſanguinem, & vitã profudit, ipſi pro ſuarum ouiũ incolumitate quemuis excipere laborem ſubire omnes caſus, omnem vim, atq; iniuriam perferre, deniq; vt bonus ille paſtor euangelicus, animam ſuam pro ouibus ponere non dubitabunt, nullum inde huius vitæ fructum expectantes, vt maximos cæleſtis retributionis fructus conſequerentur. Hæc ſi, vt debemus, Patres, ante oculos habebimus, facile intelligemus, quid in reſtitutione Eccleſiaſticæ diſciplinæ nobis ſit hoc tempore agendum. In quo illud etiam animaduertendum erit, vt, quemadmodum in conformanda, & conſtituenda Eccleſiaſtica ratione Chriſtus Dominus ab ipſis Apoſtolis, quos Chriſtianæ vitæ magiſtros eſſe voluerat, initium fecit: ſic nos à nobis ipſis paſtoribus, quos viuendi exempla & præcepta alijs tradere oportet, in cõformanda reſtituendaq; morum diſciplina exordiamur. Hæc officia ſi quo debemus ſtudio præſtiterimus. parui profecto negotij erit ſedare controuerſias, id quod nobis Tridentina Synodus faciendum propoſuit. Nam ſublata cupidate, quæ eſt omnium radix, & ſemen diſſenſionum, facile præſentis tempore diſcordias componemus: nullumq; in poſterum diſſidendi locum cuiquam in prouincia noſtra relinquemus. Quare ad piam hanc, neceſſariamq; muneris noſtri curam, ac*

diligen-

diligentiam, Patres, toto pectore incumbamus: hoc acceptabili tempore, hac die ſalutis, quam fecit Dominus, enitamur, vt, quantũ conſilio, opera, actionibuſq; Spiritu S. duce, & moderatore poſſumus, tantum ad conſtituendam communis prouinciæ incolumitatem afferamus. Ampliſsima hæc, & nobiliſsima ciuitas Mediolanenſis charitatem & ſapientiam veſtram implorat: hanc ſinguli vniuſcuiuſq; veſtrum greges incredibiliter requirunt, tota prouincia re magis, quã voce depoſcit. Hoc Opt. & Max. Rex Philippus, in cuius regia dignitate, vt verbo complectar, ſacerdotalem animum licet agnoſcere, hoc cæteri huius prouinciæ principes, de populorum ſalute ſolliciti, à nobis deſiderant quorum ſtudia, atq; officia non vereor ne nobis ſanctiſq; huius ſynodi decretis ſemper adſint, eamq; poteſtatem, quam à Deo acceperunt, ad Dei & cultum, & voluntatem libentiſsime conferãt. Poſtulat ſacroſancta Tridentina ſynodus, vt ne tot, tantiq; labores, à ſanctiſsimis patribus in ea ſuſcepti, breui tempore intereant. Hoc vehementer expectat pius Pont. Max. ex illo præſertim die, quo nos ab adminiſtratione cõſiliorum ſuorum, & procuratione Eccleſiæ ad vos dimiſit. Cui date quæſo, vt & profectionis noſtræ, & veſtrorum laborum vberes fructus deferre poſsimus, præclaras ſcilicet ſalutareſq; huius Concilij actiones. Hoc ipſum exigit veſtra virtus, quam in publico orbis terrarum conuentu ſpectatam, & cognitam, nunc in veſtrorum populorum vita, ac ſalute tuenda debetis exprimere. Hoc deniq; flagitat à nobis Chriſtus Ieſus: vt conſtet ſibi ratio officij noſtri erga oues, quas precio ſanguinis ſui redemptas, noſtræ fidei prudentiæq; commẽdauit & concredidit: ne quando ſanguinem illarum de manu noſtra requirat, ſi, quod Dei benignitas prohibeat, culpa, aut negligentia noſtra eas diripi, aut diſpelli patiemur.

NOs Carolus Borrhomæus, S.R.E. Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, ac ſanctiſſimi D N. Papæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ per vniuerſam Italiam Legatus de Latere, Dei & eiuſdem Apoſtolicę ſedis gratia Archiepiſcopus Mediolanenſis, de conſilio, & aſſenſu Reuerendiſſimorum DD. Coepiſcoporum noſtrorum, in Prouinciali ſynodo Mediolanenſi, hæc ſtatuimus, & ſancimus.

De profeſsione fidei, & eius tuendæ cura.

PRima & maxima Paſtorum cura verſari debet in ijs, quæ ad fidem Catholicam, quam ſancta Romana eccleſia colit, & docet, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, integre, inuiolateque conſeruandam pertinent: ideo nos hinc potiſſimum exordiendum eſſe duximus, vt, quę ex ex eodem ſpiritu eſt fides, eandem vna oris cõfeſſione profiteamur.

Sacri igitur Tridentini Concilij auctoritate innixi, mãdamus, vt omnes ij, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent, vel in poſterum obtinebunt; & qui in ſynodum diœceſanam conuenire debent; in ea ſynodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, omnia, & ſingula à ſancto Concilio Tridẽtino definita, & ſtatuta palam recipiant; veram obedientiam ſummo Rom. Pontifici ſpondeant; ſimulque hęreſes omnes publice deteſtentur, & anathematizent; fidem profitentes eiſdem verbis, quibus ex formula, à Sanctiſſimo D. N. Pio IV. Pont. Max. præſcripta, nos & Coepiſcopi noſtri initio huius ſanctę ſynodi, iurati præſtitimus, & profeſſi ſumus, etiam ſi antea in diœceſana ſynodo id officium, ad exequendum iuſſa Tridentini Concilij, quacunque ratione & modo obierint.

Epiſcopi oẽs Prouinciæ noſtræ cõſtitutionẽ Sanctiſ. D. N. Pij IV. Pont. Max. de profeſſione fidei facienda ab ijs, qui de beneficijs curatis, & canonicatibus prouiſi ſint, & à docẽtibus literas, & à promouendis ad doctorales, vel alios gradus, publicent in ſuis ciuitatibus, & diœciſibus intra menſem, & ab omnibus inuiolate ſeruandam curent: præſertim vero ab ijs, qui cuiuſcunque ſtatus, conditionis, & dignitatis ſint, quouis modo, vel nomine, publice aut priuatim, domi ſuæ, vel alienæ, etiam ſi pædagogi ſint, pueros, adoleſcentes, alioſve cuiuſuis ſexus, & ætatis, quaſcunque artes literarias, vel alias liberales, etiam ſi ipſa prima grammaticæ rudimenta, legendo, interpretando, vel repetendo, vel alia quauis ratione, etiam ſi gratis doceant; quorum etiam omnium m res, antequam ad docendum accedant, probare debebunt, lioquin de ijs pœnas in eadẽ cõſtitutione propoſitas, ſum

Qui verò, ne prædicti huic decreto obtemperent, imp dierint; aut huius temeritatis quacunque ratione illis auct res, aut adiutores fuerint; ſeuere puniantur. Vt autem id f cilius, ac melius effici poſſit; ſtudioſè inquirant parochi, qu nam in ſuis parochijs eo docendi munere fungantur; & e rum nomina ad Epiſcopum ad menſem, à die publicationi conſtitutionis eiuſdem numerandum, deferant. Quos ver deinceps eiuſmodi cognouerint, primo quoq; tempore Ep ſcopo indicent.

Parochi diligenter animaduertant, an in ſuis parochi vllus ſit, quod ad fidem attinet, prauis opinionibus imbutu vel eo nomine ſuſpectus; eumque ad epiſcopum, vel inqui ſitorem deferant. Moneant præterea populum, debere om nes, ſi quos nouerint aliquid feciſſe, vel dixiſſe, quamobren de huiuſmodi peccato in probabilem ſuſpicionẽ venerint ſtatim deferre.

Obſeruent etiam eos, qui ex finibus hæreticorũ, vel hæ reſis nomine ſuſpectorum veniunt; ſingulorumque dicta, & facta odorentur; ac de eorum vitæ conſuetudine, & ration cognoſcant, &. ſi qua de ijs ſuſpicio, fuerit epiſcopum, ve Inquiſitorem admoneant.

Principes verò, & ciuitatum Magiſtratus hortamur, a per viſcera miſericordię Chriſti Dñi obteſtamur, vt cæleſte lucrum terrenis commodis præferentes, cõmercium, & cõſuetudinem hæreticorũ, quam fidelibus perniciosam, ac peſtiferã eſſe conſtat, pro ſua pietate, ac ſtudio religionis, è ſuis vrbibus, atque oppidis amouendam, ac tollendam curent.

Prohibeantque ne ſuæ ditionis homines, percipiendæ etiam linguæ cauſa, aut mercaturæ, aliove nomine, in hæreticorum locis inſtituantur, aut commorentur.

Sacro denique Inquiſitionis officio in omnibus ex animo faueant, & opitulentur; &, vt eius edicta ſeruentur, auctoritatem etiam ſuam rogati interponant. Cumq; eis à ſancta Sede Apoſtolica conceſſum fuerit, vt cauſis fidei ad patrocinium Catholicæ veritatis adſiſterent, nihil ſibi in illis vſurpare, neque quidquam, quod contra ſacros canones ſit, attentare velint.

Epiſcopi regulas Indicis de libris vetitis, ab ijs, qui illi negotio à ſacroſancta Tridentina ſynodo præfecti fuerunt, ex auctoritate Sanctiſ. D. N. Pij IV. æditas, ab omnibꝰ librorum impreſſoribus, ac bibliopolis, cæteriſque omnibus laicis, & eccleſiaſticis perſonis ſeruari iubeant. Quorum verò librorum purgatio, eiuſdem Indicis iuſſu, facienda eſt; eos legi, vendi, aut emi, haberive omnino vetamus; donec ab ijs, ad quos pertinet, purgati, & probati fuerint.

De abutentibus Sacra Scriptura.

NEfaria eſt eorum temeritas, qui ſacræ ſcripturę verbis, vel ſententijs, ad iocum aſſentationem, contumeliam, ſuperſtitionem, impietatem, aut ad quoſuis profanos ſenſus abutuntur. Quamobrem Epiſcopi in eos, qui in hoc genere deliquerint, ex ſacrorum canonũ, & Tridentini Cõcili decretis grauiter animaduertant. Et, vt deteſtabilis hæc licentia prorſus tollatur, fidelem populum per concionatores, parochos, confeſſores de huius peccati grauitate frequẽter admonendum curabunt.

De Ludimagiſtris.

PRincipes, & Magiſtratus in Domino vehementer hortamur, vt, nulla ſumptus ſui habita ratione, publicos ludimagiſtros in vrbes, & ſuæ ditionis loca conducant, nõ minus fidei, & vitæ quam doctrinæ, & ſcientiæ laude commendatos. Qui vero literas docebunt, non ſolum libros, indice Sanctiſ. D. N. Pij IV. auctoritate ædito, nominatim vetitos, pueris non interpretẽtur, aut ab illis legi patiantur; ſed neque etiam alios, quibus obſcœna, vel turpia cõtineantur. Præcipimus etiam, vt bonis moribus, & ſalutaribus præceptis eos erudiant: in primiſque in aliqua pia, & Chriſtiana inſtitutione, ſi Epiſcopo videbitur: exerceant; cæteraque omnia officia, quæ Leo X. in Lateranenſi Cõcilio ſtatuit, pręſtent. In ijs ſi deliquerint, pro delicti genere plectantur.

De fidei initijs à Parocho tradendis.

PArochi ſingulis dominicis, & alijs feſtis diebus, qui ec-cleſiæ præcepto agi ſoleant, pueris ſinguli in ſuis parochijs initia fidei tradant; eoſque ad obedientiam primũ Deo, deinde parentibus præſtandam, erudiant; ac propterea à prandio ſtata hora, proprio campanæ ſono, ad id munus aſſignato, ad eccleſiam conuocandos curabunt.

De præbenda Theologali.

QVæ eccleſiæ cathedrales, aut collegiatæ in oppidis inſignibus præbendam, aut ſtipendium quouis nomine Theologiæ interpreti aſſignatum non habent, cum in illos ſacrum Concilium Tridentinum præbendam, primo vacaturã, ad hunc vſum conſtituerit, quam ei tantummodo, qui ad hoc munus per ſe præſtãdum idoneus ſit, deferri voluit; id ſi adhuc re ipſa effectum non ſit, curent epiſcopi, vt quam primum decreto Concilij ſatisfiat.

De prædicatione verbi Dei.

APoſtoli, in quorum locum epiſcopi ſucceſſerunt, ſatis nobis aperuerunt, verbi Dei prædicationem eſſe præcipuum illorum munus, qui in epiſcopali ſede collocantur. Quamobrem nos auctoritatẽ ſacroſancti Tridẽtini Concilij, & veterum patrum ſequuti, in Dominos Epiſcopos hortamur, vt toto pectore in hanc curam incumbentes, greges ſibi commiſſos ipſimet, pręſertim in eccleſia ſua, verbo Dei paſcant. Quod ſi leui de cauſa, aut quodam animi languore impediti, non fecerint, ſciant, ſibi prætermiſſi neceſſarij officij iudici Deo præcipue rationem eſſe reddendam. Sin autem ſe interdum vere impeditos cognouerint, per viros idoneos, ex præſcripto eiuſdem Concilij deligendos, hoc munus ſtudioſiſſime populo præſtent. In alijs verò Eccleſijs parochialibus, vel alias curam animarum habentibus, ſaltem omnibus dominicis, & ſolennibus diebus feſtis; ieiuniorum autem, Quadrageſimæ, & Aduentus tempore, quotidie, vel ijs ſaltẽ diebus, quibus Epiſcopus iuſſerit, proprio parocho, & Curato, oues ſibi cõmiſſas, pro earum ſenſu & intelligentia, ſalutaribus verbis paſcendas mandamus. Si qui autem propter inſcitiam id præſtare non poterunt; ad peritos confugiant, quorum auxilium implorantes, vel homilias ſibi præſcriptas, vel latinos ſermones auctoris, ab eccleſia recepti, in vulgarem linguam conuerſos, approbatos tamen ab Ordinario, aut memoriter, aut de ſcripto pronũcient. Id autem tamdiu fiet, quoad liber Homiliarius ad hũc Curatorum vſum Metropolitani cura prodibit in lucẽ. Sed, vt norint epiſcopi, & eorum induſtriam, qui doctrina ſunt præditi, & illorum diligentiam, qui aliorum verbis diuinã legem enunciant; iubeant, ſi eis ita videbitur, ab vnoquoque Parocho, & Curato vnum ſingulis menſibus, ab eo habitum in eccleſia, ſermonem ad ſe mitti. Qui negligentes, aut contumaces fuerint, eos Ordinarij arbitrio ſuo puniant; & præterea alios deligant, qui eorundem impenſa opus illud explere poſſint donec ipſi reſipiſcẽtes munus ſuum expleant. Quo etiam modo illis occurrere poterunt, quos etiam vel peritorum induſtria, vel homiliarum libris, vel alia quacunque ratione adiutos, parum proficere; quoſve ei muneri minus aptos eſſe; vel prædicatione deſtruere potius, quam ædificare iudicarint.

Extra vrbem vero in vniuerſa diœceſi, præter officiũ, quod Curati præſtabunt, tam multos diſtribuant Epiſcopi concionatores, vt in curatis eccleſijs, quę in frequentioribus locis ſitæ ſunt, cæteriſque omnibus etiam nõ curatis, in quibus ipſi opportunũ iudicauerint, intra cuiuſque menſis ſpatium, ſaltem ſemel in aliquo die feſto, Dei verbum prædicetur. Eos autem ab illis, in quorum eccleſijs prædicabunt, hoſpitio recipi volumus, ſuppeditatis omnibus rebus, ad eorũ victum neceſſarijs, data etiam eleemoſina aliqua ex fructibus beneficiorum, vel etiam largitione laicorum, ſi beneficia tenuiora iudicauerint Epiſcopi, quam vt id onus ferre poſſint; niſi ſint, qui iure debeant, vel dare conſueuerint.

Ijs autem, qui prædicandi officio, aut quacumque ratione fidelibus Chriſtianam doctrinam tradendi munere funguntur, hanc viam, & rationem iucundam proponimus. Vt ſacram ſcripturam interpretentur eo ſenſu, quem Catholica eccleſia, & conſentiens SS. patrum auctoritas comprobauit; neque quidquam ab eccleſia, aut à doctoribus eccleſiæ probatis alienum proferant. Vt, ſi quando ad auditorum vtilitatem vtendum erit allegorijs, eas ex receptis ab eccleſia ſcriptis ſeligant. Ne certum tempus Antichriſti aduentus, & extremi iudicij die prædicẽt; cum illud Chriſti Domini ore teſtatum ſit: Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta. Neve quidquam pręterea futurum ex ſacris literis diuinare, eique euentui certam diem præfinire audeant. Neque temere, id ſibi diuinitus reuelatum eſſe, affirment. Ne hiſtorias apocryphis ſcriptoribus populo narrent. Neve miracula, quę probata ſcriptoris fide non commendentur. Si quæ tamen auditoribus ſalutaria iudicarint; ita commemorent, vt à certa eorum affirmatione abſtineant. Ne ineptas & ridiculas fabulas recenſeant: Neue ſuperuacanea, & parum fructuoſa.

Ne hæreticorum opiniones, & argumẽta referant apud imperitam multitudinem. Quod ſi alicubi neceſſitas poſtularit, vt eorum falſa dogmata accuratius, ac liberius confutentur, id non longa diſputatione, ſed graui redargutione faciant. quod facile aſſequentur, ſi Catholicam veritatẽ expromentes, ſanctæ eccleſiæ, Conciliorum, & probatæ veteris conſuetudinis auctoritate, ac ſanctorum doctorum, quos probat eccleſia, teſtimonijs roborarint; & ſacræ ſcripturæ locos, quorum ſenſus ab illis ad corrumpendas ſimplicium hominum mentes deprauantur, & ex alijs eiuſdem ſcripturę locis, & ex SS. patrum ſententia fideliter interpretentur. Sic enim fiet, vt dogmatum peruerſitas, quæ falſa interpretatione nitebatur, Catholicæ veritatis vi, & rectæ interpretationis põdere corruat. Ne quid ambiguum, anceps ſve loquãtur, quod auditoribus varie intelligendi occaſionem præbere poſſit. Neve conciſe, & obſcure quidquam exponãt, qua ex re auditorum animi expectatione incerti, & ſuſpenſi relinquantur.

Ne oſtentandæ doctrinæ, & eloquentiæ cauſa, difficiles, atq; inanes quæſtiones, fucum ve orationis, & pigmenta cõquirant, vnde ſui ipſius potius, quam Ieſu Chriſti prædicatores eſſe videantur. Sed præcipue in Euangelij, Simboli, Orationis Dominicæ, Angelicæ ſalutationis, Decem præceptorum, Sacramentorum eccleſiæ, & ſacrorum rituum dilucida explicatione verſentur. In repræhendendis vitijs ita ſe gerant, vt pietatis, & caritatis ſtudio eos adductos, non hominum, ſed peccatorum odio id facere omnes intelligant. Diligentes, ac vehementes ſint in ijs vitijs & peccatis exagitandis, in quibus magis voluptatum populum, aut ad ea procliuiorem vident.

In prauas etiam conſuetudines inuehãtur. Et in eas, quæ & ſi malæ non videntur, tamen facile peccandi cauſam afferunt.

Ne quemquam nominatim, aut tacite illum deſignantes, inſectentur.

Ne in ordinem vllum, ſtatum, aut vitæ genus ab eccleſia receptum, inuehantur.

Ne epiſcopos, alioſve Prælatos, neve ciuiles magiſtratus cum auditorum offenſione aſperius obiurgẽt; ſed pie potius admoneant. Populumque doceant, præpoſitis ſuis, etiam diſcolis, obedire. Quem etiam ſæpiſſime moneant ex Apoſtoli ſentẽtia, vt faciat obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt; pręſertim verò pro ijs, qui peruigilãt, quaſi rationem pro animabus eorum reddituri; vt quietam, & tranquillam vitam gerant in omni pietate, & caſtitate.

Ita afficere ſtudeant auditores, vt ſua peccata dolenter defleant; quos interdum, propoſitis ſupplicijs æterni ignis, à flagitijs, & facinoribus deterreant; interdum commemoratis cœleſtis vitæ præmijs, ad virtutes, in primis verò ad Dei, & proximi amorem accedant.

Decreta Concilij Tridentini, præſertim, quæ ad mores & diſciplinam Chriſtianam reſtituendam pertinent, & has noſtras conſtitutiones populo ſtudioſius inculcent.

Omnes hortatu, & præceptis ad pietatẽ erudiant; & quæ cuiuſq; ſit propria virtus, quod officiũ patris, filij, viri, vxoris, dñi, ſerui, laici, clerici, priuati, magiſtratus, omniũ deniq; ætatũ, generũ, ordinũ partes, & munera aſſidue cõmemorẽt.

Hanc

Hanc præterea rationem habeant, vt non ſolum Dei [illegible] eccleſiæ præcepta ſeruenda eſſe doceant; ſed modum il[illegible] tradant, quo ea ex Dei volũtate ſeruare oporteat. Commoneant, vt non ſolum præceptis ſeruandis, ſed etiam conſilijs amplectendis, ad perfectiorem vitam in dies magis contendere ſtudeant.

Doceant, quo modo vtendum ſit bonis animi corporis, & externis: Quove modo ſecundis, & aduerſis rebus: vt ea ſint illis, tanquam inſtrumenta, ad conſequendam vitam cæleſtem.

Maximè verò caueant, ne, quod pręceptis, & hortatu ædificant, id vita, & moribus deſtruant; ne, cum alijs prædicauerint, ipſi reprobi efficiantur. Indulgẽtias populo ne publicent, niſi de conſenſu epiſcopi.

Neminem populo paupertatis nomine commendent; niſi is teſtimonium ab epiſcopo ſcriptum attulerit.

Neque ei inter concionem permittatur, vt eleemoſynã à quoquam petat in eccleſia; ſed aut ad fores eccleſiæ ſtet; aut per eos, qui eam curam ſuſceperint; id negotium ita cõmode, ac celeriter agatur, vt minime concionem impediant.

Sacra concio noctu nunquam, ſed opportuno tempore, epiſcopi præſcripto, habeatur.

Dum habetur, nec Miſſæ, aut horæ canonicæ clara aut ſubmiſſa voce in ea eccleſia dicantur.

Epiſcopi ijs diebus, quibus legitime impediti, prædicandi munus in ſuis eccleſijs per alios præſtabunt, eiſdem ſacris concionibus, quantum poterunt, intereſſe ſtudebunt. Qui verò dignitates, perſonatus, vel canonicatus in catherali eccleſia obtinent, & alij eiuſdem eccleſiæ clerici, dominicis, ac feſtis ſolennibus diebus ſemper; Quadrageſimæ autem, & Aduentus tempore quam ſæpiſſime verbi Dei conciones in eadem eccleſia audiant, quod officium à cæteris quoque ciuitatis clericis præſtari diligẽter curabunt epiſcopi; vt ipſorum exemplo laici etiam ad audiendum Dei verbum ſtudioſius confluant.

Concionis audiendæ cauſa, loca virorum, & mulierum, ſi fieri poteſt, epiſcopi cura diſtinguantur, qui ad id exequẽdum idoneos aliquot viros adhibeat: & à ſæcularibus magiſtratibus, ſi opus erit, auxilium petat.

Quæ ſeruanda ſunt in ſacris Imaginibus effingendis.

CVm ſacroſancta Tridẽtina ſynodus decreuerit, nemini licere vllo in loco, vel eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab epiſcopo approbata fuerit; eiuſq; diligentiæ, & curæ commendarit, vt in ſacris effingendis imaginibus nihil falſum, nihil profanum, nihil inhoneſtum, nihil præpoſtere, nihil non recte, atque ordine adhiberetur: illud in primis caueant epiſcopi, ne quid pingatur, aut ſculpatur, aut veritati ſcripturarum, traditionum, aut eccleſiaſticarum hiſtoriarum aduerſetur: ne cuius lectio prohibetur, eius imago populo proponatur.

Hiſtoriæ quoque, quibus neque eccleſia, neque probati ſcriptores auctoritatem vllam dederũt; ſed ſola vulgi vana opinione commendantur, effingi prohibeantur. Deinde vniuſcuiuſque imagines os, corpus, corporis habitum, & ſtatum, ornatum, & locum inſpiciendum curent epiſcopi; vt hæc omnia ad prototypi dignitatẽ, & ſanctitatem apta ſint, & decora; atque ex imaginis inſpectione pietas excitetur; nulla verò turpis cogitationis detur occaſio. Hæc & reliqua huiuſmodi ex Tridentini Concilij præſcripto, vt commodius epiſcopi exequantur, conuocent ſuarum dIœceſum pictores, & ſculptores; omneſque pariter doceant, à quibus cauere debeant in ſacris imaginibus effingendis: curentque ne illi, inconſulto parocho, aliquam ſacrã imaginem publice, vel priuatim effingant. Quod, ſi qui deliquerint, puniantur tam ipſi artifices, quam ij, quorum ſumptibus, vel iuſſu efficæ erunt imagines.

Parochi verò epiſcopo ſignificent, quæ ille iudicarit in ſacris imaginibus effingendis ad ſe propter difficultatem deferri debere.

Quod, ſi quæ iam pictæ imagines, fictave ſimulacra ob artificum temeritatem, aut inſcitiam, eiuſmodi fortaſſe fuerint, vt ferenda nul'o modo videantur; ea curent epiſc[opi] doctorum etiam, & peritorum virorum conſilio adhibi[to] vt omnino deleantur, vel ſaltem aliqua ratione corrigãtu[r].

De actionibus, & repræſentationibus ſacris.

QVoniam pie introducta conſuetudo repræſentãdi p[o]pulo venerandam Chriſti Domini paſſionem, & g[lo]rioſa martyrum certamina, aliorumque Sanctorũ geſtas, hominũ peruerſitate eo deducta eſt, vt multis offe[n]ſioni, multis etiam riſui, & deſpectui ſit; ideo ſtatuimus.

Vt deinceps Saluatoris paſſio nec in ſacro, nec in pro[fa]no loco agatur, ſed docte, & grauiter eatenus à concionat[o]ribus exponatur, vt, qui ſunt vberes cõcionum fructus, pi[e]tatem, & lacrymas commoueat auditoribus, quod adiu[ua]bit propoſita crucifixi Saluatoris imago, cæterique pij act[us] externi, quos eccleſiæ probatos eſſe epiſcopus iudicabit. [It]em Sanctorum martyria, & actiones ne agantur; ſed ita piæ na[r]rentur, vt auditores ad eorum imitationem, veneration[em] & inuocationem excitentur.

De ſanctarum reliquiarum veneratione.

VT Sanctorum Reliquijs, quæ debetur, veneratione [&] cultus adhibeatur, ſtatuimus; vt in locis honeſtiſſimi[s] ac decoris vaſculis, qua debent, religione aſſeruentu[r].

Cum populo pietatis cauſa oſtenduntur, lumina accen[]dantur.

Ex loculis verò, & receptaculis, vbi cõdita ſunt, ne edu[]cantur.

Ne temere exponantur omnium oculis.

Neve quæſtus gratia.

Cætera etiam de reliquijs, quæ à ſacra Tridentina ſy[]nodo decreta ſunt, Epiſcopus inuiolate ſeruari iubeat.

De Magicis artibus, veneficijs diuinationibuſq; prohibitis.

MAgos, & maleficos, qui ſe ligaturis, nodis, characteri[]bus, verbis occultis mẽtes hominũ perturbare, mor[]bos inducere, vel expellere, corporum figuram, & conſtitutionem immutare, ventis tempeſtati, aeri, ac mar[i] incantationibus imperare poſſe ſibi perſuadẽt, aut alijs pol[]licentur: cæteroſque omnes, qui quouis artis magicæ, & ve[]neficij genere pactiones, & fœdera expreſſe, vel tacite cum dæmonibus faciunt; Epiſcopi acriter puniunt; & è ſocietate fidelium exterminent.

Deinde omnem diuinationem ex aere, aqua, terra igne ex inanimatis, ex vnguium, & lineamentorum corporis inſpectione, ex ſortibus, ſomnijs, mortuis, aliiſque rebus, quibus per dæmonem ſignificationem incerta pro certis affirmantur, futura prædicere, furta, theſauros abſconditos cõmonſtrare ſe poſſe profitentur, & huius generis reliqua, per quæ curioſorum, & imperitorum hominum mentes facile decipiuntur, coerceant, & eijciant. In eos etiam, qui huiuſmodi diuinatores, ſortilegos, coniectores, ariolos, & cuiuſuis generis magos de aliqua re conſuluerint, vel, vt conſulerentur, cuique auctores, adiutores, hortatoreſve fuerint, vel eis fidem habuerint; ſeuere animaduertant. Si quis etiam anulos, vel aliud magicos, vel ſuperſtitioſos vſus fecerit, aut vendiderit: graui pœna afficiatur. Aſtrologi, qui ex Solis, Lunæ, & aliorum aſtrorum motu, figura, & aſpectu, de hominum actionibus, quæ à libero voluntatis arbitrio proficiſcuntur, certo aliquid euenturum affirmant, grauibus pœnis plectantur, quæ pœnæ etiam ad eos pertineant, qui ad illos de huiuſmodi rebus detulerint. Denique pœnas ſumant Epiſcopi de ijs omnibus, qui in itineris ſuſceptione, aut cuiuſuis rei inſtitutione, vel progreſſione dies, tempora, & momenta obſeruantes, quadrupedum voces, auium garritum, aut volatum notantes, ex occurſu etiam hominum, vel pecudum, ſuſcipiendi operis felicitatem augurantur.

De blaſphemia.

BLaſphemiæ impudentia, & impietas eo prolapſa eſt, vt in ea coercenda vix ſatis diligẽtiæ adhiberi poſſe videa-

tur, ita-

tur, itaque ſacris canonibus, & Pontificum decretis, maximè verò ijs, quæ Leo Decimus in Lateranenſi Concilio decreuit, innixi hæc mandamus.

Vt, quicumque Deo palam, ſeu publice maledixerit, contumelioſiſque aut obſcænis verbis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vel glorioſam Virginem Mariam, eius matrem, expreſſe blaſphemauerit; ſi clericus ſit primũ fructibus vnius anni beneficiorum eccleſiaſticorum, quæcunque habuerit, mulctetur. Si iterum in eo peccarit, eo beneficio: quod habet, priuetur, & ſi plura obtineat, eo priuetur, quo Ordinarius priuandum cenſuerit. Si tertiò blaſphemarit, dignitates, ac beneficia omnia, quæcunque habuerit, eo ipſo amittat, ad eaque deinceps retinenda, aut obtinenda inhabilis ſit. Si verò laicus fuerit; primum, aut etiam ſecundo, pecunia mulctetur, ex præſcripta in eodem Concilio ratione. Tertio grauem pœnitentiam publice agat, eo modo, quò à ſacris canonibus præſcriptum eſt.

Qui verò Sanctos blaſphemarit, aut in Deum & glorioſam virginem Matrem maledicta, non tamen palam aut publice, contulerit, mitius aliquanto iudicis arbitrio puniatur.

In foro autem conſcientiæ, el, qui blaſphemiæ reus fuerit, grauem pro modo culpæ pœnitentiam confeſſor imponat. Qui blaſphemãtem audierit, ſi poſſit ſine periculo, aſperius obiurget; omnino autem intra triduum eius nomen ad iudicem eccleſiaſticum, vel ſæcularem deferat. Si plures ſimul audierint, ſinguli idem faciant; niſi inter eos conuenerit, vt vnus pro omnibus eo fungatur officio. Quod ſi domini, mercatores, aut artifices, famulos, aut miniſtros audierint blaſphemantes, ſemel monitos, ſi iterum in eo genere peccarint, domo eijciant. Principes autem, & Magiſtratus per Dei gloriam, quæ blaſphemia maximè violatur, obſecramus, vt hæc omnia diligentiſſime ſeruari ſtudeant, vberrimam piæ curæ à Deo mercedem expectantes, præter decẽ annorum indulgentiam, quam Leo Decimus in eodem Lateranenſi Concilio, & ipſis, iudicibus, & deferentibus elargitus eſt. Quod ſi ſeculares iudices, quod minime futurum ſperamus, blaſphemiæ conuictos, iuſtis pœnis non affecerint; ſciant iiſdem pœnis quas de ſontibus ſumere neglexerunt, ex eodem Concilio ſe teneri.

De feſtorum dierum cultu.

Maximam in eo diligentiam, ac ſtudium Epiſcopi ponere debent, vt dies feſti pie, ſanctæque obſeruentur ab omnibus, cum enim ij potiſſimum ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes ſalutariter inſtituti ſint, curãdum eſt etiam diligenter, vt ne ijs ipſis quiſquam ad diuinam offenſionem & animæ ſuæ perniciem abutatur.

Prohibeant igitur ij, ne illiberales artes exerceantur, aut vllum opus fiat eo tempore alium.

Ne quid ematur, aut vendatur, præter id, quod ad victũ illius diei, vel ad ægrotorum curationem neceſſarium ſit.

Ne officinę, aut omnino, aut aliqua ex parte, apertæ habeantur.

Ne fiant nundinæ, ſed, quæ feſto die fieri conſueuerint, in antecedentem, vel ſequentem diem, qui feſtus non ſit, transferantur.

Qui ſecus fecerit, ſeuere plectatur Epiſcopi arbitratu.

Pro officinis apertis, rebuſve venditis ſi filius, famulus, miniſtri deliquerint, etiam pater, dominus, & artifex, pœnam ſubeant.

Ijs etiam diebus ſtudebunt Epiſcopi, ne perſonati homines incedant.

Ne ludi equeſtres, certamina, aut alia ludrica, & inania ſpectacula adhibeantur.

Choreæ, ſaltationes in vrbibus, ſuburbijs, oppidis, vicis, aut vſquam omnino ne agantur.

Doceant verò populum, debere vnumquemque, eo potiſſimum tempore, in diuinis officijs, & concionibus audiẽdis frequentem eſſe; ac in precibus, recolendiſque Dei maximis beneficijs, aſſidue verſari.

CONSTITVTIONVM PARS SECVNDA.

De ijs, quæ ad Sacramentum adminiſtrationem generatim pertinent.

Qvo maior, & vberior eſt ſacramentorum fructus, quam vt eius vis explicari facile poſſit; eo diligentius, & intima animi pietate, & externo cultu, ac veneratione tractanda, ac percipienda ſunt. Quod officium vt omni ſtudio & opera noſtra adiuuemus, præter ea, quæ ad ſalutarem hanc rationem conſtituit ſacra Tridentina ſynodus, quæ & Epiſcopi, & parochi inuiolate ſeruare debebunt; nonnulla etiam ad tollenda incommoda, & abuſus, quos in prouincia noſtra hominum vel culpa, vel negligentia in ſacramentorũ adminiſtrationẽ inuexerat, ſtatuẽda duximus.

Primum autem magnopere hortamur Epiſcopos, quorum diœceſes inter ſe implicatæ, & confuſæ ſunt, vt communi voluntate, atque ſententia rationem inire ſtudeant, qua explicari & commodius diſtingui poſſint; adhibita etiam, ſi opus erit, prudentia, ac diligentia vicinioris epiſcopi, vt, amice ſublatis impedimẽtis, negotium de communi eorum ſententia, ſedis Apoſtolicæ auctoritate, conficiatur.

Quæ parochiales eccleſiæ partem habent ſui populi extra mœnia vrbium, vel oppidorum, vel alibi; quo fiat, vt parochus, præſertim nocturno tempore, illis hominibus ſacramenta commode adminiſtrare non poſſit; in illis epiſcopi aut eam partem commodiori parochię vniant; aut etiam, inuitis rectoribus, ex conſtitutione Alexandri III. & decreto Concilij Tridentini, nouas conſtituant parochias.

Illis autem ſacerdotibus, qui de nouo erunt eccleſijs recenter erectis præficiendi, congruens aſſignetur portio, arbitrio epiſcopi, ex fructibus, ad eccleſiam matricẽ quomodocunque pertinentibus; &, ſi neceſſe erit, compellant populum ad ea ſubminiſtranda, quæ ſufficiant ad vitam noui rectoris ſuſtentandam.

Quod præterea Tridentina eadem ſynodo decretum eſt, vt eccleſiarum rectoribus tot ſacerdotes adiungantur, quot, & ad ſacramenta parochianis adminiſtranda, & ad diuinum cultum ſatis eſſe poſſint; id epiſcopi omni diligentia exequantur. Parochiarum diſtinctio, quæ familijs, non certis finibus, facta eſt; & parochis ad ſacramentorum adminiſtrationem, & populo ad illorum ſuſceptionem magnum incommodũ offerre ſolet. quare epiſcopi, ſublata intra ſex menſes diuiſione parochiarum, per familias facta, eas certis limitibus, terminiſque deſcribant.

Cum ſacramenta eccleſiæ non ſolum ſine ſimoniæ labe, verum etiam ſine auaritia ſuſpicione præbenda ſint; caueant omnes, ne in eorum adminiſtratione quidquam exigãt; aut etiam verbis, vel ſignis, directe, vel indirecte petant. Qui ſecus fecerit, eum, & pœnis iure communi ſtatutis, & alijs arbitrio epiſcopi plecti volumus.

Studeant epiſcopi, vt in eccleſia ſua cathedrali in ſacramentorum adminiſtratione, in exorciſmis fontium, & ſpõſorum benedictionibus ritus & cæremoniæ ex more ſanctæ Romanæ eccleſiæ adhibeantur.

Omnes verò inferiorum eccleſiarum, quæcunque illæ ſint, rectores in his omnibus ab obſeruatione cathedralis eccleſiæ nulla ex parte diſcedant. Sacerdotes in ſacramentorum adminiſtratione ſemper ſuperpelliceum, & ſtolam adhibeant.

Epiſcopi in adminiſtrandis ſacramentis illorum vim, & vſum, pro eorum, qui ſumpſerint, & adfuerint, intelligentia, diligenter explicabunt. Idem quoque facient parochi ea ratione, ac ſententia, quæ in Catechiſmo, Romæ edendo auctoritate Sanctiſſimi. D. N. præſcribetur. Interim verò aliquo Catholici ſcriptoris Catechiſmo ab Epiſcopo deligendo vtantur.

Parochi crebris cohortationibus in id maxime incumbant, vt populus, ſibi commiſſus, ad Confeſſionem: & communionem frequẽter, præc pue autem in Natiuit. Domini, & pentecoſtes, ac alijs ſolẽnitatibus accedat. Aegrotos verò etiam non vocati, inuiſant, vt ad ſacramentorum ſuſceptionem inducant; & eorum animabus, quacumq; ratione poſſunt, ſolicite conſulant.

Sipa-

Si parochi ad aliam eccleſiam tranſierint, antequam à priore migrent, ſucceſſori libros tradant, in quibus eorum, qui baptizati, confirmati, matrimonio iuncti fuerint, nomina deſcribi, infra iubemus. Qui ſecus fecerit, grauiſſime ab Ordinario puniatur.

Quæ pertinent ad baptiſmi adminiſtrationem.

NEmini liceat quemquam intra domeſticos parietes baptizare; ſed natum infantem ij, quorum eſt ea cura, ante nonum diem ad ſuſcipiendum baptiſmum in eccleſiam deferendum curent. quod ſi neglexerint, excommunicationis pœnam ſubeant. Permiſſa eſt tamen, ſi inſtet periculum, facultas baptizandi in priuatis ædibus ſacerdoti; vel ſi is abſit, alteri ſacris initiato; vel, ſi non adfuerit, laicis; primo mari, aut demum fœminæ; qui rectè nouerint veram baptiſmi formam, Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Quibus verbis nihil prorſus ab ipſis addendum, vel detrahendum eſſe, crebro populum ſuum parochus admoneat. Quod, ſi domi baptizatus poſtea vixerit; omnino intra nonum ab ortu diem, vel cum primum valetudinem licuerit, cum in eccleſia ſiſtant, vbi ſi rectam baptiſmi formam ſeruatam eſſe conſtiterit, ei tantum ritus, ac cæremoniæ baptiſmi adhibeantur.

Fideles in baptizandis filijs eos potius eligant compatres qui eorum animæ conſulere, quam, qui inopiæ ſubuenire poſſint. Cuius officij ſæpius eos parochus admonebit. Curabitque, vt compatres tales deligantur, qui fidei, & morum ratione ſuſcipiendo muneri ſatisfacere poſſint.

Caueant verò parochi, ne excommunicatos, vel eos, qui eo anno, Paſchæ tempore, ex præcepto eccleſiæ peccata confeſſi non fuerint, & ſanctiſſimam Euchariſtiam non ſumpſerint, admittant ad leuandum baptizatum de ſacro fonte.

Sacerdos baptizaturus, primum, quam actionem ſuſcepturus ſit, diligenter ipſe animaduertat; & ad tanti muneris functionem ſancte, grauiterque accedat. Deinde compatres moneat, vt iocis omnibus, magiſque ſemotis, pie, ac religioſe, quid agatur, attendant; intelligentes Chriſtos filios ſpiritualiter generari; tenerique ſe pro ſuo ſuſceptionis officio, eos Catholica fide, & probatis moribus inſtituere; ſi parentes id facere omiſerint.

Deteſtabilem conſuetudinem baptizatos infantes in altare collocandi, vt muneribus compatrum inde redimãtur, Epiſcopi ſeuerius vindicabunt. Compatres, & commatres nihil infantibus, quos ſuſceperunt, aut eorum parentibus, baptiſmi tempore, largiantur.

Cum oleum chriſmatis conſecratur; omnino interſint, & qui dignitates, ſeu perſonatus obtinent, & canonici, ac reliqui cathedralis eccleſia clerici; &, quos ex alijs eccleſijs ſuæ ciuitatis & diœceſis epiſcopus vocandos duxerit.

Caueant parochi, ne ſacrum chriſma in baptiſmo à laicis attingatur. Neve linteola, quibus in baptizatis ſacri chriſmatis vnctio extergitur, ad hoc aſſeruent, vt ijs tangenda tradant, quos parẽtes baptizati ſibi compatres, vel commatres fieri cupiunt.

Singulæ parochiales eccleſiæ ſingulos fontes habeant; in quibus diligenter toto anno ſeruetur aqua baptiſmatis, ſolemni ritu benedicta.

Parochus librum habeat, diligenterque cuſtodiat; in quo baptizati parentum, & compatrum nomẽ, cognomen, diemque natiuitatis, ac baptiſmi, & an ex legitimis nuptijs procreatus ſit, deſcribat; & quot annis ſingulorum annorum ſcriptæ eius rationis exemplum det Epiſcopo, qui id fideliter aſſeruandum curabit.

Moneant parochi puerperas, vt cum primum poſt partum domo exierint, mox ad eccleſiam, Deo acturæ gratias, accedant, vbi benedictionem à parocho ſuſcipiant.

Quæ pertinent ad Sacramenti confirmationis adminiſtrationem.

MInori ſeptennio confirmationis ſacramentum nemini præbeatur.

Parochi in eccleſia ante denuncient tempus, quo ſacrum chriſma miniſtrandum erit. Eos, qui confirmandi ſint, eius ſacramenti vim, ac virtutem edoceant.

Suſceptores in Sacramento confirmationis, neque ijs, quos ſuſceperint, neque eorum parentibus quidquam largiantur; ne cuiquam, quod aliquando commiſſum eſt, iterãdi hoc ſacramentum, quod nefas eſt occaſionem præbeat.

Omnem diligentiam adhibeant Epiſcopi, vt, qua ratione commodius fieri poterit, Parochi deſcribant confirmatos, & compatres: ſeruatis cæteris omnibus, quæ de libro baptizatis deſcribendis præſcripſimus.

Quæ pertinent ad Sacramentum ſanctæ Euchariſtiæ.

NEmo Paſchæ tempore Euchariſtiæ ſumptionem vlla de cauſa differat.

Qui præſtituto tempore non communicarint, eorum nomina parochus ad Epiſcopum, ad ſex dies poſt octauam Paſchæ, ſcripto deferat; expoſitis etiam cauſis, quas extra confeſſionem cognouerit; alioqui pœnas det epiſcopi arbitratu.

In eos verò omnes Epiſcopus cenſuris, & alijs pœnis acriter animaduertat; ijs exceptis, qui eiuſdem Parochi conſilio iuſta de cauſa ſumptionẽ in aliud tempus produxerint.

Huic decreto ne fraus fieri poſſit; ſtatuimus, vt ſi quis ex neceſſitate, vel alia iuſta cauſa, ab epiſcopo, vel proprio parocho comprobanda, extra parochiam ſua dicto tempore Euchariſtiam ſumpſerit; parocho ſuo de eo fidem faciat, ſin minus, in eum agatur, ac ſi non communicaſſet.

Publici concubinarij, fœnatores, ac blaſphemi, & alij eiuſmodi facinoroſi homines ſemel ad pœnitentiam & Cõmunionem admiſſi, ſi poſt ea eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, amplius ad ſacram Communionem ne recipiantur; niſi poſtea eos vitam, & mores re ipſa emendaſſe, parochi perſpexerint.

Euchariſtiæ ſacramentum, vbi pro eccleſiarum amplitudine commode fieri poterit, maribus ſeorſum à fœminis miniſtretur.

Qui ſumunt, vt ad Deum tali tempore accedẽtes decet, demiſſo habitu, & humili veſtitu, pœnitẽtiam & animi ſubmiſſionem præ ſe ferant.

Sacerdos ſanctiſſimam Euchariſtiam ijs, qui raro ſumunt, non prius miniſtret, quam eos diligentius admonuerit. quanta reuerentia, & humilitate ad tremendum illud ſacramentum accedere debeant; quantaque illis ſupplicia ſint parata qui indigne ſuſcipiunt.

Adoleſcentibus, qui tunc primum Euchariſtiam ſumere voluerint, parochus non præbeat; niſi eos ante aliquot dies examinarit; & de vi, & ratione ſacramenti diligenter inſtruxerit.

Populo, poſtquam Euchariſtiam ſumpſerit, vinum calice conſecrato, vel alio vaſe, quod ad ſacri calicis formam factum ſit, ne præbeatur.

Epiſcopus diligentiſſime curet, vt in cathedrali, collegiatis, parochialibus, & alijs quibuſuis eccleſijs, vbi ſacroſancta Euchariſtia cuſtodiri ſolet, vel debet, in maiori altari collocetur; niſi neceſſaria, vel graui de cauſa aliud ei videatur.

Ante ipſam ſemper lampas accenſa colluceat. Tabernaculum, quo aſſeruatur, ornatum, & bene ſeptum, ac munitum ſit.

Vt oratio, quam vocant. Quadraginta horarum, coram ſanctiſſimo Sacramento, quo frequentiſſimus populus conuenire ſolet, qua pietate, & religione inſtituta eſt eadem retineatur, & propagetur, decernimus.

Vt ſacramentum in altari, decenter ornato, collocetur, quo tempore, vel letaniæ cantentur; vel, ſi temporis ratio patiatur, Miſſa celebretur; neq; tamen extra ambitum templi ſacra Euchariſtia deferatur; niſi ſecus videatur epiſcopo.

Nemini autem eo, præter orantes cuſtodes, huius orationis cauſa noctu conuenire liceat.

Interdiu autem mares, quantum fieri poteſt, ſeparatim à fœminis orent.

Die feſto corporis Chriſti Domini, cũ ſacroſancta Euchariſtia in ſolẽni ſupplicatione geſtatur, ſi adfuerit epiſcopus, is

pus, is eo ferendæ Euchariſtiæ officio fungatur; ſi non adfuerit, id munus exequatur ſolus is presbyter, qui ſecundum epiſcopum pro eius loci conſuetudine, honore cæteris præſtat; niſi ex priuilegio, aut conſuetudine ad alium presbyterum ea cura pertineat.

Vt ſanctiſſima Euchariſtia ad ægrotos ſumma cum religione deferatur; parochi populum ſæpiſſime hortentur, vt frequens ſemper proſequatur.

Quamobrem etiam ſodalitates Corporis Chriſti in parochijs inſtituant.

Cum verò deferenda erit, tum eum campanæ ſonitu præmoneant.

Lumina, tintinnabulum, & decorum vaſculum, velo etiam decenter contectum, ac præterea, vbi fieri poterit, vmbellam adhibeant.

Duas autem ſacræ Euchariſtiæ particulas deferant: ne, eis ad eccleſiam redeuntibus, populus inane vaſculum adoret.

Quæ pertinent ad cebrationem Miſſæ.

PRæcepit ſacra Tridentina ſynodus, vt, quæcumque in Miſſæ celebrationem irrepſerunt, à tanti ſacrificij dignitate aliena, ea epiſcopi tollere ſedulo ſtudeant. Quamobrem nos eiuſdem Concilij decretum exequentes, vt ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, in qua, illa Deo patri placens hoſtia, Ieſus Chriſtus in odorem ſuauitatis offertur, ſingulari religione, ac pietate, & à ſacerdotibus celebretur, & à populo colatur; hęc ſtatuimus. Epiſcopus noſſe ſtudeat omnes, qui in quauis eccleſiæ Miſſam celebrare, vel ſacerdotem, qui celebret, exhibere debeant; cogatque ſuo officio ſatisfacere.

Nemo clericus, vel laicus in ſuis ſæcularibus eccleſijs, capellis, vel Oratorijs, quamuis ab Ordinario probatis, etiam ſi iuriſpatronatus ſint, quemquam ſecularem, vel regularem ſacerdotem celebrare patiatur; qui ſcriptam celebrandi facultatem, ſingulis ſex menſibus renouandam, ab epiſcopo non impetrarit.

Quod, ſi quis onus recipiat ad tempus vel perpetuo ibidem celebrandi, vel eiſdem locis inſeruiendi; hunc non generatim, ſed nominatim eorum locorum cauſa eiuſmodi facultatem impetrare volumus. Qui contra præſcriptam rationem vel celebrarit, vel, vt celebretur, permiſerit, grauiter puniatur.

Clericis alienæ diœceſis rei diuinæ faciendæ facultatem ne permittat epiſcopus; niſi oſtendant literas teſtimoniales, ſeu dimiſſorias Ordinarij ſui, duobus tantum menſibus ante, ſi in prouincia, ſi extra prouinciam in Italia, quatuor, ſex vero, ſi extra Italium datas; vel ſi eæ antiquiores ſint, afferãt etiam ſcriptum teſtimonium de vita, & moribus ab ijs ordinarijs, in quorum diœceſi poſt illud tempus aliquandiu permanſerint.

Sacerdotes, qui publice, & notorie criminoſi fuerint, à Miſſæ celebratione arceantur, niſi emendata vita ſceleris maculam eluerint.

Facultates, cuicumque ab epiſcopis ad hanc diem conceſſæ, plures Miſſas eodem die celebrandi, poſt hac irritæ, ac nullæ ſint.

Nemini ſine facultate, ab Ordinario ſcriptis impetrata, in Oratorijs ſodalitatem ſæcularium, quas confraternitates vocant, alijſve eccleſijs, capellis, aut Oratorijs ſecularibus, quæ parochialis eccleſiæ finibus continentur, Miſſam celebrare liceat Dominicis, & reliquis feſtis diebus; niſi abſoluta concione, quæ inter Miſſam in parochiali eccleſia habebitur.

Miſſæ nec ante auroram, nec poſt meridiem, niſi ex cauſa iure permiſſa celebrentur.

In eccleſijs, vbi plures Miſſæ celebrari ſolẽt, is ordo ſeruetur, vt pro populi commoditate. prima diluculo, reliquis deinceps debito interuallo diſtributis, poſtrema autem, quo tardius liceat, celebretur. Quod ſi eodem tempore pluribus locis Miſſa celebranda ſit, rationem ineant epiſcopi, ne ſacerdotes inter ſe, alius ab alio, perturbentur.

Nullus ſacerdos, quemadmodum à Tridentina ſynodo ſtatutum eſt, in priuatis ædibus & omnino extra eccleſiam, & oratoria, quæ diuino tantum cultui dicata, & à locorum epiſcopis deſignata, ac viſitata ſint, Miſſam celebret.

Oratoriorum autem ædificationem, aut vſum, ne facilè, ſed magna de cauſa permittant ijdem epiſcopi.

In eis autem deſignandis, vel probandis, hæc ſeruent. Ne ſint in interiorum ædium partibus, in quibus domini, vel familia frequentius verſentur; ſed commodo, & honeſto loco, à cubiculis, triclinijs, & ab aula ſeparato, ad templi formam & regulam proprius accedant.

Nec ita anguſta ſint, vt, qui Miſſam audierint, ad oſtium, aut feneſtram ſtare cogantur, aut denique ibi ſacris intereſſe, vbi promiſcue, profanum aliquos exerceatur; quod fieri omninò prohibemus.

Cui autem id permiſſum fuerit, is eo rarius vtatur, ne diſtracti homines illa commoditate, eccleſiam Dei minus frequentent; quod exemplo etiam noceat alijs.

Ornamenta, & inſtrumenta altarium pro celebratione Miſſæ, pura, ac munda ſint; præſertim corporalia, ac purificatoria. Quamobrem etiam vino albo, vbi poſſit, tantummodo ad Miſſæ ſacrificium ſacerdotes vtantur. Calices ex metalli genere, iure permiſſo, adhibeantur, eoque pretioſiori, quantum per facultates licuerit.

Die ſabbati ſemper Miſſa de beata Virgine celebretur; niſi diei ſolennitas, vel eccleſiæ inſtitutum interdum obſtiterit; quo caſu eius omnino commemoratio fiat; niſi, & id eccleſiæ inſtituto impediatur.

Ne plures tribus, vel ad ſummum quinque, orationes, ſeu, vt vocant, collectæ dici poſſint; niſi vbi eccleſiæ inſtitutum aliud poſtulet.

Tollant epiſcopi ſumptuoſa conuiuia, ludos, choreas, & omne inanum oblectamentorum genus, cæteroſque omnes abuſus, qui populi temeritate aut ſacerdotum auaritia in nouæ, vt vocant, Miſſæ celebrationem irrepſerunt; & in eos, qui in hoc genere aliquid peccarint, epiſcopus grauiter animaduertat.

Magiſter cæremoniarum cathedralis eccleſiæ eos, quibus prima Miſſa celebranda ſit, &, qui præterea ſacerdotes minus perite celebrant, Miſſæ ritibus, ac cæremonijs inſtituat. Qui ſi huic muneri obeundo vnus par eſſe non poterit, alijs idoneis ſacerdotibus epiſcopus eas officij partes deleget. Neque cuiquam primam Miſſam celebrare liceat, qui ab ijs inſtitutus non ſit.

Præcipimus autem, vt ſacerdotes in Miſſæ celebratione cæremonias, à Romana eccleſia inſtitutas, ad vnguem ſeruent; neque alias adhibeant.

Vt ab omni indecoro, & abſurdo capitis, oris, & reliqui corporis motu abſtineant.

Vt, cum, eleuatione peracta, ſacra hoſtia mouenda, vel ſumenda erit, ita moueant, ne iterum ſuſtolli videatur.

Vt præter inſtitutum eccleſiæ Romanæ ijs, quæ ſecreto, vel quæ palam dicuntur, quidquam addi, vel detrahi non liceat.

Vt quæ palam pronuncianda ſunt, diſtinctè, & clara voce dicant.

Vt ſecreta, quæ vocantur, ſecreto etiam pronuncient. Vt neque tardius, neque celerius, quam par ſit, verba proferant.

Vt propter erroris caſum, qui in omni Miſſæ parte grauis, in canone grauior, in ipſa verò conſecratione grauiſſimus eſt; Miſſam legant; non memoriter dicant, aut canant.

Vt operto capite celebrare non audeant.

Vt, quo puriores ad diuinam rem faciendam accedant, ſaltem ſingulis hebdomadis peccata ſua cõfiteantur; niſi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit.

Vt, antequam celebrent, ſe colligant; & orantes mentẽ in tanti miniſteri cogitatione defigant. Quod vt commodius fieri poſſit; curẽt epiſcopi, vt in ſingulis cathedralium, collegiatarum, & parochialium eccleſiarum ſacriſtijs ſingulæ cellulæ ad hunc ſacerdotum orandi, & meditandi vſum inſtituantur.

Vt, antequam ad altare accedant, Miſſam perlegant, & ſingulas partes ita præparatas, & notatas habeant, vt celebrãtes neque errent, neque hæreant.

Vt ſacris veſtibus induti, cum nemine colloquantur; neque loquentibus dent aures, mentemq; & oculos ab omnibus

nibus amoueant, quibus diſtrahi poſſint, neque è ſacriſtia exeant; niſi cum ad altare eundum erit; quod tum grauiter. & modeſte fiat.

Vt pileum, birretum, aut ſubirretum, chyrothecas, ſudariolum, aut quodcunque denique huius generis in altare ne ponant.

Vt ibi ne in mora ſint ſacrificio, cuiuſuis expectandi gratia. Neve ob eandem cauſam, Miſſa inchoata, ſubſiſtant, aut eius initium repetant. Neve, ſi parochi ſint, cuiuſquam gratia, metu ve Miſſam anticipent, aut differant; ſed illam ea potiſſimum hora celebrent, quæ populo magis accommodata ſit. Neve concionem, quam in ea habere debent, vllo modo omittant. Quod, ſi forte quiſpiam imperio quodam, aut contumelia, aut minis, aut vi contenderit, vt ſacerdos quidquam contra, quam hoc decreto ſancitum eſt, faciat; ſi clericus ſit, & beneficium obtineat, eo priuetur; ſi non habet beneficium, ne habere quidem ad quinquennium poſſit; ſi laicus, re ipſa iam tunc excommunicationis pœnam ſubeat; neque ad decennium feudi, aut emphyteoſis nomine quidquam ab eccleſia conſequi poſſit.

Vt, peracta Miſſa, pro ſummi benef[illegible]nere Deo gratias agant.

Ne ſacerdotes, cum in fine Miſſæ fuerint, vel eorum miniſtri, recedant ab altari. Neve vaſa, aut linteolos ſacros colligant. Ne cuiquam rei tollendæ, vel mouendæ cauſa manus admoueant.

Ne candelas reſtinguant: niſi abſoluto Euangelio, quod poſt benedictionem dicitur.

Celebranti ſacerdoti vnus ſaltem miniſter adſiſtat, iſq; clericus, vbi poſſit, & talari veſte, & ſuperpelliceo indutus.

Miniſtri candelas accendãt. Miſſale, & vrceolos, & alia, quæ ad Miſſę miniſterium requiruntur. prius ſuis locis in altari collocent, quàm eo ſacerdotes accedat: quem, niſi his omnibus præparatis, confeſſionem ordini omnino prohibemus.

Sacerdote rem diuinam faciente, miniſtri per eccleſiam ne vagentur; neve dent operam collocutionibus, aut candelis venditandis; ſed compoſito corpore, nullo geſtu, modeſte, vt debent, ſacerdoti adſiſtentes inſeruiant.

Moneant parochi frequenter patres familias, vt filios, & famulos, quos in beſtijs paſcendis occupẽt, ſaltem diebus feſtis Miſſæ iubeant intereſſe.

Viduæ ob maritorum mortem, ad ſummum ne menſe amplius ſint ſine Miſſæ auditione. qua in re nulla valeat excuſatio cuiuſuis conſuetudinis. quam irritam decernimus. eas item Epiſcopi, etiam cenſuris eccleſiaſticis, id facere cogant.

Parochi populum frequenter hortentur, vt in ſua parochia feſtis diebus Miſſam audire ne omittant. Moneantque eum diligenter, debere vnumquemque, vt à ſacra Tridentina ſynodo traditum eſt, in parochiam ſuam, vbi id fieri commode poteſt. conuenire ad audiendum verbum Dei.

Fideles, cum Miſſæ interſunt, eodem veſtitu ſint, quo in publicum prodire ſolent, & ita ſe componant, vt corporis habitu animi religionem præ ſe ferant.

Ne in foribus eccleſiæ, vel extra ſubſiſtant, niſi neceſſitatis cauſa.

Aperto capite ſint. Et. quo tempore à ſacerdote confeſſio dicitur, & grauiora Miſſæ myſteria peragãtur, ſint flexis genibus.

Ne ita prope ad altare accedant, vt indecorum ſit, & ſacerdos perturbetur.

Ne prius diſcedant, quam ſacerdos Euangelium, quod poſt benedictionem dicitur, abſoluerit.

Quæ pertinent ad ſacramenti Pænitentiæ adminiſtrationem.

INnocentij tertij conſtitutionem, in generali Concilio editam, qua ſancitum eſt, vt fideles, ſaltem ſemel in anno, proprio parocho peccata ſua confiteantur, inuiolate omnes ſeruent.

Salutarem eiuſdem Innocentij conſtitutionem, eo item Concilio latam, nos ad vſum reuocantes pręcipimus, vt medici ad ægros, in lecto iacentes, adducti, antequam illorum curam ſuſcipiant, eos plane moneant, vt idoneo confeſ de eorum peccatis confiteantur.

Quibus etiam denuncient, ſe, niſi id quatridui ſpatio ſummum præſtiterint, eorum curationi de futuros. Pa chum etiam curabũt certiorẽ fieri de eo, qui in eius paroc morbo affectus teneatur; qui pro ſui officij munere, ſtat ægrum conuenire, & cum eo agere debet, vt per hoc ſac mentum Deo reconcilietur.

Iubemus autem medicos excommunicationis pœna propoſita, quam iure ipſo ſubeant, ſi ſecus fecerint tranſac quadriduo ab illorum curatione omnino abſtinere; n certo cognouerint, eos poſtquam in eam febrim, morbu ve inciderunt, confeſſos eſſe; aut epiſcopo, ciue, cui epiſc pus eius rei facultatem dederit, aliud ex iuſta cauſa videatu

Hortamur denique omnes, quos aliqua de ægrotis cu attingat, vt nullam occaſionem omittant inculcandi eis, qu ad animæ ſalutem pertineant.

Epiſcopi in ſuis cathedralibus eccleſijs, Tridentini Co cilij auctoritate, pœnitentiarium intra tres menſes inſtitu cum vnione præbendæ, quæ primo quoque tempore vac uerit. Negligentes proxima prouinciali ſynodo prætermi ſi officij rationem reddent.

Qui parochialem eccleſiam non obtinent, etiam ſi r gulares fuerint, confeſſiones ne audiant, quemadmodu ſtatuit Tridentina ſynodus; niſi epiſcopi ſcripto approba fuerint. Qui contra fecerit, excommunicationis pœnar ſubeat.

In ijs probandis hanc rationem habeant epiſcopi, vt pi bene morati. docti, prudentes patientes, de animarum ſalu te ſoliciti, & fideles cuſtodes ſint eorem, quæ in confeſſion dicuntur; prouecta etiam ætate, præſertim illi, quibus con feſſiones mulierum erunt audiendæ.

In foribus ſacriſtiæ cuiuſuis eccleſiæ, vbi confeſſione audiri, & confeſſores plures eſſe ſolent, affigatur tabella, in qua nomina, & cognomina cofeſſorum approbatorum de ſcripta ſint.

Iubeat epiſcopus clericos frequenter audire magiſtros, qui caſus conſcientię in monaſterijs, vel vbiuis, eius iuſſu interpretentur.

Confeſſores omnes caſus, ſummo Pontifici, & epiſcopis quauis ratione reſeruatos, ſcriptos apud ſe habeant; ne quid per incuriam ſibi facultates aſſumant.

Sacerdotes, niſi ex cauſa neceſſaria, mulieres ante Solis ortum, vel poſt eius occaſum, confitentes ne audiant. Neve in cellis, ſed publice in eccleſia, in ſedibus, in quibus tabella omnino inter confitentem, & confeſſorem interiecta ſit. Huiuſmodi autem ſedes in eccleſijs ab ijs, ad quos pertinet, conſtituendas epiſcopi quam primum curabunt.

Nec ſine cauſa neceſſaria in priuatis ædibus cuiuſquam maris, vel fœminæ confeſſionem audiant.

Parochi ſæpe cohortentur, & moneant fideles, ne confeſſionem, quæ Paſchæ tempore fieri debet, vſque ad ſanctã hebdomadam differant.

Caueant Curati, ne ijs temporibus, quibus confeſſiones frequentiores eſſe ſolent, præcipuè per octo dies ante Natalem Domini, & à Dominica paſſionis vſq; ad Reſurrectionis octauam, etiam alio ad funera, & alia ſacra officia vocati, illud audiendæ confeſſionis munus in ſua eccleſia, ſine cauſa neceſſaria prætermittant, aut vllo modo differant.

Ad ſacramẽtum pœnitentiæ, quo à peccatis liberamur, nemo ſine debita præparatione accedat, vt in ſpiritu humilitatis, & amaritudine animæ ſuæ, non expectata confeſſoris interrogatione, ipſe peccata ſua confiteri poſſit; cuius tamen diligentia adiuuandus erit, vbi aliquà in parte deficere videbitur.

Caueant confeſſores, ne ante debitam ſatisfactionem illos abſoluant, quibus, cum facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata, quæ ad pias cauſas facta ſunt, perſoluendi, illiſque vt id faceret, ſuperiori confeſſione præceptum ſit, præſtare tñ neglexerunt; exceptis ijs, qui periculoſe ægrotãt, quos tamen moneant, vt, quod debent, quamprimum perſoluant.

Et quia interdum in falſi teſtis manu eſt, vt non ſolum facultatibus homines, ſed etiã exiſtimatione, ac vita ſpoliẽtur; idcirco neminem abſoluant, qui falſum teſtimonium in iudicio, alterius detrimento dixerit; niſi prius dato dam-

no, qua-

, quatenus id ſarciri poterit, & violatę illius exiſtimatio ſatisfecerit.

Ne illum quidem abſoluant, qui poſt publicum epiſcopi monitum de indicandis rebus amiſſis, quid de ijs ſciat, nō indicarit; niſi hoc officium ante perſoluerit. Iidem omni adhibita diligentia, conſcientiam examinent ſingulorum, qui iniquos contractus exercent: neque quē, qui enerantur, & qui iniquos contractus exercent: neque quē quam in his caſibus abſoluāt; niſi debita reſtitutio, aut ſatisfactio ex canonum præſcripto prius intercedat.

Ad eorum etiam criminum, quæ infra ordine adſcribū tur, licentiam reſecandam, prohibemus, ne confeſſores quē quam, vllis ijs criminibus alligatum, abſoluant, niſi facultas eis ab epiſcopo permiſſa ſit. cuius poteſtati, & eorum ſacerdotum, quos ipſe ei muneri præpoſuerit, eiuſmodi abſolutionem, in ſua cuique diœceſi, reſeruamus.

Raptores virginum.

Qui moniales violarint.

Qui abortum procurarint.

Qui ſecundo, vel propinquiori cognationis gradu inceſtum admiſerint.

Incendiarios, & qui damni, iniuriæve cauſa vites, vel arbores alienas inciderint.

Eccleſiam polluentes.

Homicidas voluntarios.

Qui parentes percuſſerint.

Qui locis pijs, infantes expoſuerint, cum habeant, vnde alant, neque eorum locorum damnum reſarcierint.

Notarios, qui legata, ad pias cauſas facta, non denunciarint, ex noſtri decreti præſcripto.

Qui ad magicas artes, veneficia, ſuperſtitiones, & alia huius generis, Euchariſtia, ſacriſve rebus abutuntur.

Qui ſtateras, menſuras, monetaſve adulterarint, corrumperintve.

Confeſſores canones pœnitētiales bene nouerint; & de pœnitentia, quam cuique peccato præſcripſerunt, confitentes admoneant; vt tanto diligētius à peccatis cauere ſtudeāt, quanto in pœnitentijs canonum mitigandis benigniorem in ſe eccleſiam experiuntur.

Iidem, quemadmodum à ſancta Tridētina ſynodo iuſſum eſt, publice peccantibus publicam pœnitentiam imponant; neq; illud publicæ pœnitentiæ genus, niſi data ab epiſcopo facultate, ſecreta alia pœna commutare audeant.

De ieiunio.

Sancta Tridentina ſynodus paſtores omnes hortatur, atque obteſtatur, vt omnem adhibeant diligentiam ad fideles cohortandos, vt ea, quæ ad domandam carnem cōducunt, præſertim ciborum delectum, & ieiunium omni ſtudio amplectantur. Itaque eius nos auctoritati, & ſacrorū canonum decretis innitentes edicimus. Vt omnes carne, cæteriſque omnibus, quæ a carne trahunt originem, vt ouis, lacte, caſeo, butyro, & huiuſmodi per totam Quadrageſimā abſtineant.

Sciantque ſinguli Quadrageſimæ diebus, Dominicis exceptis, ieiunij lege ſe obſtrictos eſſe, ſunt enim illi quadraginta dies, quaſi totius anni decima quædam, quem oblatio ne ieiunij, pro fidelium omnium ſalute, Deo conſecratur.

Vt per ſacra quatuor anni tempora, vigilias Natalis Domini, Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis Mariæ, beatorum Apoſtolorum (exceptis Ioannis Euangeliſtæ, & Philippi & Iacobi vigilijs) item diei feſti omnium Sanctorum, Natiuitatis Ioannis Baptiſtæ, & beati Laurentij, ieiunium ſeruent.

Vt triduo etiam Rogationum poſt Aſcenſionem Domini, ex veteri inſtituto, in Mediolanenſi eccleſia ieiunium adhibeatur.

Edicimus præterea, vt in prouincia noſtra, pxima quarta feria poſt Quinquageſimam, omnes Quadrageſimalis obſeruantiæ initium faciant; præter ciuitatem Mediolanenſem, eaſque diœceſis partes, vbi ex diui Ambroſij inſtituta diuina officia celebrantur.

Illorum vero damnamus ingluuiem, qui primis quinque Quadrageſimæ diebus, Romanæ eccleſiæ more inſtitutis, Mediolanum ſe conferunt, patriæ ritum in ieiunio, & ciborum abſtinentia, fugientes.

Caueant autem ieiunij cultores, ne, dum vetitis cibis abſtinent, aliarum rerum delitias, luxuriamque conſectentur; immò verò moderato cibo, & potu carnis vitia coerceant; vt liberi mentes ad cæleſtium rerum amorem, & contemplationem erigant; & ad pietatis opera expediti inueniantur.

Ab his autem omnibus eos excipimus, quos vrgens neceſſitas, vel imbecilla ætas à ieiunij lege eximit; eos etiam, qui euidentis morbi, alteriuſve iuſtæ cauſæ excuſatioñe habent; ſed horum iudicium epiſcopo tantum, vel ijs, quos ei muneri ipſe præfecerit, ſcripto faciendum relinquimus; idq; quod ad morbum attinet, de medici conſilio

Quod autem ex diuinarum literarum ſententia parum homini prodeſt, ſe per ieiunium cibo temperaſſe, ſi animus in peccatis ſit intemperans; idcirco fideles in ieiunio præcipue ſtudeant, vt, dum caro ab alimentis abſtinet, mens pariter à culpa ieiunet; omneſque in Dei laudibus, eleemoſynis, aliiſque pijs officijs occupētur. hoc eſt enim ieiunium, quod ſe Dominus Eſaiæ ore delegiſſe teſtatur.

Quæ pertinent ad extremæ vnctionis adminiſtrationem.

Extremæ vnctionis ſacramentum curet parochus, vt ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adhibeatur.

Idem cum ad vngendum infirmum acceſſerit, diligenter eum conſoletur, & hortetur, vt bono animo ſit; & à curis ac deſiderijs huius vitæ ad cæleſtis beatitudinis cogitationem erigat; vt abiecto mortis metu, ſe à Deo in æternam requiem vocari gaudeat.

Omnes verò, qui adſunt, moneat, vt preces Chriſto Domino pro eo faciant.

Quæ ad ſacramenti ordinis adminiſtrationem pertinent.

Accurate complexa eſt tridentina ſynodus omnem diligentiæ rationem quam in conferendis ordinibus adhibere debeant epiſcopi, vt eccleſię idoneos ſacerdotes, & alios miniſtros habeant. quamobrem eos tantùm admonendos duximus, vt idem ſtudium in exequendo prę ſtent, quod in præcipiendo adhibitum eſſe omnes intelligunt.

Quod à Tridentina ſynodo ſancitum eſt, ne in conferendis ordinibus epiſcopi, & eorum miniſtri quidquam, etiam ſponte, quauis de cauſa datum, accipiant; id, & ipſi inuiolate ſeruent; & à ſuis cubicularijs, cæteriſq; familiaribus ſeruandum curent.

Archidiaconus cuiuſque cathedralis eccleſiæ, ſi ea eccleſia Archidiaconum habeat; ſin minus is, qui proximum poſt Epiſcopum in ea eccleſia dignitatis gradum obtinet; intra ſex menſes librum conficiat, in quo diligēter. deſcribat clericorum omnium ſæcularium nomina &, quo quiſque ordinis gradu ſit, ac deinceps reliquorum tam ſęcularium, quā regularium, qui clericatum, vel aliquem ex minoribus, maioribuſve ſacris ordinibus aſſumpſerint, locum etiam, & tempus.

Quicumque verò poſthac in noſtra Prouincia à ſuo epiſcopo, vel eius permiſſu ab alio, etiam extra prouinciam, in clericalem militiam adſcriptus fuerit, vel altiorem ordinis gradum aſcenderit: ad menſem ex eo die, quo ordinem ſuſceperit, nomen ſuum in clericorum librum referendum curet.

Eum autem librum idem diligenter cuſtodiat; in quem quidquid ſingulis annis retulerit, id epiſcopo deſcribendum dabit; vt eius libri exemplum etiam in epiſcopalibus ędibus aſſeruetur.

De Seminario clericorum.

Mandatum eſt à ſacro Tridentino cōcilio prouincialibus ſynodis, quam primum in eam curam incumberent, vt ſeminarium clericorum, vbicumq; id fieri poſſet, conſtitueretur, omnique ratione propagaretur. quāobrem etiam illis facultatem dedit moderandi, & augendi omnia

omnia,& ſingula,quę pij,& ſancti huius operis inſtitutionē, & progreſſionem adiuuare poſſent. Itaq; nos prouinciæ noſtræ ſtatu,& eccleſiarum,ac beneficiorum genere diligenter conſiderato,duximus ad hanc rationem confugiendum eſſe,vt detrahamus,quemadmodum iam nũc detrahimus, decimam partem fructuum cuiuſlibet menſæ epiſcopalis, & Capituli, quarumcunq; dignitatum,perſonatuum,officiorum,prębendarum,portionum,abbatiarum,& prioratuum cuiuſcumque ordinis,etiam regularis,aut qualitatis,vel conditionis fuerint;etiam hoſpitalium, quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem, iuxta conſtitutionem Concilij Viēnenſis;& beneficiorum quorumcunque, etiam regularium, etiam ſi iuriſpatronatus cuiuſcumque fuerint, etiā ſi exempta, etiam ſi nullius diœceſis, vel alijs eccleſijs, monaſterijs vel hoſpitalibus, & alijs quibuſuis locis pijs, etiam exemptis annexa,& ex fabricis eccleſiarum, & aliorum locorum, etiā ex quibuſcumque alijs eccleſiaſticis redditibus, ſeu prouentibus,etiam aliorum collegiorum; in quibus tamen ſeminaria diſcentium,vel docentium, ad communem eccleſiæ bonorum promouendam actu non habentur,hæc enim exempta eſſe volumus, præterquam ratione redditum, qui ſuperflui eſſent, vltra conuenientem ipſorum ſeminariorum ſuſtentationem, ſeu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis ſcholæ appellantur,& omnium monaſteriorum,non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacunque ratione ad laicos, ex quibus ſubſidia eccleſiaſtica ſolui ſolent,& militès cuiuſcunque militiæ,aut ordinis pertinentibus(fratribus S.Ioannis Hieroſolymitani duntaxat exceptis) eamque ſupra ſcriptorum fructuum decimam ſic detractam,ſeminarijs, ſingulis prouinciæ noſtræ diœceſibus erigendis,ſeu iam erectis,applicamus,& incorporamus.

Poſſeſſores autem huiuſmodi beneficiorum ad eandem fructuum decimam non modo pro ſe, ſed pro penſionibus, quas alijs forſan ex dictis fructibus ſoluant, retinendo tamē pro rata quidquid pro dictis penſionibus illis erit ſoluendū, omnino teneri volumus,& mandamus eiuſdem Tridentini Concilij auctoritate quibuſuis, quoad omnia, & ſingula ſupradicta priuilegijs, & exemptionibus, etiam ſi ſingularē derogationem requirerent, conſuetudine etiam immemorabili, & quauis appellatione, & allegatione, quæ executionem non impediat,non obſtantibus.

Hanc autem fructuum decimam iuxta maiorem ſingulorum beneficiorum taxationem, quæ hactenus facta reperiatur,exigi iubemus. Quod ſi aliqua beneficia non reperiātur taxata;epiſcopi de conſilio eorum,qui ſacræ Tridentinę ſynodi iuſſu ad id munus delecti fuerint,ea taxent.

Quam decimam duobus terminis intra ſequentem annum 1566.& deinceps ſingulis annis eodem modo ſolui volumus. ſi quis huius anni taxationem à ſe impoſitam exigere cœpiſſet,eandem exactionem proſequatur; deinceps verò hanc exigendi rationem,à nobis præſcriptam,ſeruabit.

Præterea damus auctoritatem ſingulis prouinciæ noſtrę epiſcopis,vt de eorum qui huic muneri præfecti erunt,conſilio, & Metropolitani ſcripto conſenſu, poſſint eam decimam augere,ac perducere vſq; ad decimam veri annui redditus,& imminuere vel vniuerſe vel ſigillatim; atque ijs etiā beneficijs,quæ tenuiora fuerint,præſertim curatis,totam omnino exactionem remittere.

Decernimus item, vt epiſcopi, ex auctoritate eiuſdem Concilij Tridentini, intra ſex menſes eccleſiaſtica aliquot ſimplicia beneficia,cuiuſcunque qualitatis,& dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia, vel præſtimoniales portiones nuncupatas,etiam nondum vacantes, huic collegio, ſeu ſeminario applicent, & incorporent; ea videlicet, quæ illis ſeminario magis opportuna,& idonea videbuntur: ſine tamē cultus diuini detrimento, & beneficia obtinentium præiudicio.

Quod,ſi Epiſcopi illorum beneficiorum fructus ad id pium opus non ſatis eſſe animaduerterint, diſpiciant, ſi quæ alia ſint,quæ ſeminario attribui poſſint. Deque his Metropolitanum admoneat,qui, vt res ex ſententia confici poſſit, a Sanctiſſ. D.N. opem implorandam,& eius auctoritatem interponendam curabit.

Hæc autem vnio beneficiorum ex præſcripta Concilij Tridentini formula locum etiam ſi beneficia ſint reſeruata, vel affecta;nec per reſignationes ipſorum beneficiorum vniones,& applicatones ſuſpendi, vel impediri poſſint;ſed omnino quacumque vacatione, etiam ſi in Curia effectum ſuum ſortiatur, & quacunque conſtitutione non obſtante; ſuccedente verò caſu, quo per vniones effectum ſuum ſortientes, vel aliter ſeminarium ipſum in totum, vel in partē dotatum reperiatur;tunc portio ex ſingulis beneficijs, vt ſupra,detracta,& incorporata,ab epiſcopo,prout res exegerit, in totum,vel pro parte ad ratam remittatur.

Quæ pertinent ad collationem beneficiorum.

INterdicimus & ijs, qui ius habent conferendi, quæcumque beneficia eccleſiaſtica,ſeu eis prouidendi,aut ad ea eligendi,præſentandi, vel nominādi, & eorum miniſtris cuiuſuis generis, ne quidquam per quamuis cauſam eius rei gratia ab aliquo,cui eccleſiaſticum beneficium quauis ratione tribuatur,ne ſponte quidem datum,accipiant.

Neve ita detur beneficium cuiquam, vt is ad nutum eius, qui dederit,vel cuiuſuis alterius,poſtea cedat.

Neve in eo dando vlla fructuum pars ab epiſcopis, & inferioribus,contra ſacrum canonum inſtituta, quauis etiā pietatis ſpecie reſeruetur.

Qui ex ijs,quos diximus, ſecus fecerit; iure ac facultate eligendi, nominandi, vel præſentandi deinceps vti non poſſit.

Qui verò beneficium conditionibus eiuſmodi acceperit,ſciat ex ſacrum canonum decretis,ſe nullum in eo ius adeptum eſſe; atque ideo fructus ſuos non facere; quoſve perceperit, ſine conſcientiæ labe retinere non poſſe; ad eorumque reſtitutionem compellatur.

Omnes item ij cæteras pœnas dent, ſimoniacis à ſacris canonibus, & conſtitutione Sanctiſſimi D.N. Pij IIII. conſtitutas;&,quas epiſcopi præterea de ijs ſumendas iudicauerint.

Eandem Pij conſtitutionem epiſcopi ſemper in diœceſana ſynodo,ac bis quotannis in celebrioribus ſuæ diœceſis oppidis publice recitari iubeant.

Neminem autem vel præſentatum,vel nominatum,vel electum,vel ab inferioribus prouiſum prius admittant, aut inſtituant epiſcopi,quam infra ſcriptum iuſiurandum ab eo exegerit. Ego N. præſentatus, vel electus &c. ad beneficium N. iuro per ſacroſancta Dei Euangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficij obtinendi cauſa,aut, vt ad id præſentarer vel nominarer &c. neque quemquam alium meo nomine,aut conſentiente, vel ſciente me, quidquam collatori,patrono,ſeu alij cuiquam ea de cauſa promiſiſſe,aut dediſſe,aut compenſaſſe,aut prius datum cōfirmaſſe, vel apud quemquam depoſuiſſe.

Neque mutuo dediſſe,vel locaſſe,vel prius mutuo datū, commodatum,locatum,aut quocunque modo debitum remiſiſſe, aut relaxaſſe.

Nec de domibus,terris prædiis,redditibus eius eccleſiæ, fructibuſve decimis, aut oblationibus eiuſdem præteritis, præſentibus,ac futuris donationem, remiſſionem, locationemve feciſſe,promiſiſſe,aut iniuiſſe; aut alium, mandante, vel conſentiente me,promiſiſſe, feciſſe, aut iniuiſſe.

Ita me Deus adiuuet,& hæc ſancta Dei Euangelia.

Notarijs,ſcriptoribus, alijſque Epiſcopi miniſtris pro omnium opera, ſumptu, ac labore, in conficiendis litteris, quibus beneficij collatio, confirmatio, inſtitutio, prouiſio continetur,non plus duobus aureis ad ſummū perſoluatur.

Epiſcopi munus erit cauere,ne propter iuriſpatronatus, occaſionem pluris aliquanto res cui illud ius annexum eſt, vendatur,aut transferatur; ſi qui verò nihilominus ita vendiderint,pœnas contra ſimoniacos editas incurrant.

Ne redimendę vexationis ſpecie in cauſis beneficiorum ſimoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus, ad redimendam vexationem,ne in caſibus quidem iure permiſſis, pecuniam dare, quidquamve paciſci, aut transigere; niſi epiſcopi conſenſus acceſſerit: cuius partes erunt, & perſpicere diligenter, an ſubſit aliqua fraus; &, vbi rem fraude carere,& iure permiſſam eſſe cognouerit, non denegare ei, qui petierit, facultatem ſe à vexatione liberandi. Qui contra, quam decretum à nobis eſt, fecerit, epiſcopi arbitrio plecta

plectatur;&, quod actum fuerit, irritum ſit, ac nullum.

Vt omnis ad ſimoniam aditus intercludatur, ſtatuimus, vt non ſolum auctores ſimoniæ, ſed eius internuncij, & interpretes, notarij etiam, qui ſimoniaca inſtrumenta conficiunt; iiſdem pœnis teneantur, quibus addicti ſunt ij, qui per ſimoniam contraxerunt.

Ijs etiam pœnis comprehendi volumus eos, qui ſcientes inter eos, qui côtrahunt, ſimoniacam pactionem intercedere, in eorum gratiam ſua beneficia obligant.

Monemus, & obteſtamur Epiſcopos, alioſque, quibus eſt ius conferẽdi beneficia, vt familiaribus ſuis certam mercedem conſtituant; ne illi hoc ſubſidio deſtituti, beneficia eccleſiaſtica, tanquam ſuæ operæ, & laboris pretium, præcipue ſibi proponant. fraudari tamen eccleſias nolumus probatorum hominum miniſterio, ſi qui ſint in eorum familia, quorum doctrinæ, & pietati vtiliter ſacrum munus committi poſſit.

Qui beneficium eccleſiaſticum vacans multis, & ambitioſis precibus per ſe, vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, vt per biennium in eum neque illud, neque aliud beneficium conferri poſſit.

Eandem pœnam illis proponimus, qui beneficia eccleſiaſtica, quæ nondum vacent, poſtularint; præter eas, quæ à ſacris canonibus huic iniquitati conſtitutæ ſunt.

De edicto proponendo in examine eorum, qui præficiendi ſunt parochialibus eccleſiis.

QVia ſacrum Tridentinum Concilium ad prouinciales ſynodos illam cognitionem reiecit, an expediat, vt ij, qui præficiendi ſunt parochialibus eccleſijs, ad examen vocandi ſint per edictum; re diligenter conſiderata, ſtatuimus: vt, cum primum epiſcopus parochialem eccleſiam vacare cognouerit, intra triduum ad cathedralis, & vacãtis eccleſiæ ianuam publicum edictum per totos decem dies, vel aliud longius tempus, eiuſdem epiſcopi arbitrio, propoſitũ eſſe iubeat; quo omnes inuitentur, qui volent examinari, vel alios examinandos nominare: vt tranſacto præſtituto tempore, examen confici poſſit: ac deinde orbato gregi ex ea formula, quæ in dicto concilio præſcripta eſt, idoneus rector præficiatur.

De examine & inquiſitione in promouendis ad cathedrales eccleſias.

QVoniam ſtatuit ſancta Tridentina ſynodus, vt in prouinciali ſynodo forma examinis, ſeu inquiſitionis, aut inſtructionis natalium, vitæ, ætatis, doctrinæ, atque aliarum omnium qualitatum, quas ſacri canones, & ipſa Tridentina ſynodus in promouendo ad epiſcopatum poſtulãt præſcribatur: nos hanc formulam Sanctiſſ. D. N. arbitrio comprobandam, proponimus.

Cum examen de aliquo ad epiſcopatum prouinciæ noſtræ promouendo, faciendum erit, Epiſcopus, in cuius diœceſi is maiorem eius anni partem verſatus fuerit, mandato à ſummo pontifice accepto, ex quinque probatis, & doctis ac iuratis, omnique exceptione maioribus teſtibus, de eius fide, vita, & moribus cognoſcat in hunc modum.

An ſit bonæ exiſtimationis.

An hæreſis nomine, aut ſchiſmatis ſuſpectus ſit.

An hæreticorum libros legerit, habeatve.

An cum hæreticis verſatus fuerit, aut eis aliquomodo fauerit.

An ſtatuto eccleſiæ tempore confiteatur, & Euchariſtiã ſumat, ac Miſſæ interſit.

An ſacris ordinibus ſit initiatus, & quampridem.

An ſit crimino ſus, vel vitio aut infamia notatus.

An cum aliquo inimicitias gerat capitales, & præſertim in loco epiſcopatus.

An filios habeat non legitimos, & cuius ætatis, & quot.

An familiam ſuam prudenter, & Catholicæ regat.

An bigamus ſit.

An excommunicatus, aut ſuſpenſus.

An apoſtata.

An ei publica pœnitentia impoſita fuerit.

An aliquando inſanierit, aut à dæmone vexatus fuerit.

De natalibus verò, ætate, gradu, & corporis habitu, à duobus, vel tribus teſtibus fide dignis, vel ex inſtrumẽ publicis hoc modo cognoſcat.

An legitimo matrimonio natus ſit.

An hæretici filius nepoſve ſit.

An trigeſimum annum cõfecerit.

An in vniuerſitate ſtudiorum magiſter, ſiue doctor, aut licentiatus in ſacra Theologia, vel iure Canonico, merito ſit promotus, aut publico alicuis academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur.

Et, ſi regularis fuerit, an à ſuperioribus ſuę religionis ſimilem fidem habeat.

An aliquo vitio, vel inſigni deformitate corporis, & in qua parte laboret.

An comitiali morbo tentetur.

De doctrina autem ſic periculum faciat.

Adhibitis tribus Theologiæ, totidemque Iuris pontificij peritis, quos, ſi ibi nõ fuerint, ex vicinioribus locis acceſſat, promouendum vndecumque euocatum interroget.

Quid differat inter ſacramenta veteris, & nouæ legis.

Quot ſint eccleſiæ ſacramenta, & quo modo ſingula nominentur.

Quæ ſit eorum materia, forma, miniſter.

Quod officiũ presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi; quodve minorum ordinum.

Quæ præcepta diuina, quæve conſilia Euangelica.

Duos item locos ei proponet interpretandos, alterum veteris, alterum noui Teſtamenti; à mane ad veſperam dato ſpatio cogitandi.

Quibus interpretatis, percunctantibus etiam aliquid de iure pontificio, ita reſpondebit, vt etiam ſi Theologus ſit, tamen ſe iuris Canonici in ijs, quæ ad Epiſcopi munus pertineant, non omnino rudem eſſe oſtendat.

His confectis, ex formula præſcripta à Sanctiſſ. D. N. coram eodem epiſcopo fidei profeſſionem faciat.

Quod ſi promouendus in pluribus ciuitatibus, vel diœceſibus proximum triennium moratus fuerit; eius fidem, vitam, & mores illi etiam Epiſcopi, in quorum locis ſex menſes mãſerit, à ſummo Pontifice admoniti, vel ab eo, qui proceſſum confecerit, rogati, ſuo teſtimonio comprobent: idq; ſcriptum ad eundem mittant, à quo proceſſum confectus ſit. Is vero acta hæc omnia in publicum inſtrumentum relata, ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem, obſignata quamprimum mittat.

De vita & honeſtate Epiſcoporum & Clericorum.

PIe, ac ſapienter ſancta Tridentina ſynodus, duce Spiritu ſancto, eccleſiæ vtilitati conſuluit, cum epiſcopis, & reliquo clericorum ordini certas officiorum vias, rationeſque præſcripſit; quibus intelligerent, ſe cum in Dei militiam adſcripti ſunt, non ad commoditates, aut voluptates, ſed ad labores, ac ſollicitudines vocatos eſſe: & in ijs numerari, quos dedit Deus, quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdã autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & doctores ad conſumationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti. Quare ipſis diligentiſſime prouidendum eſt, ne à recta viuendi via, & ab officij ſui ratione deflectant; neve quidquam præ ſe ferant, quod non ſimplex, caſtum, integrumq; ſit; vt modeſtiæ frugalitatis, benignitatis, &, quæ nos Deo tantopere commendat, ſanctæ humilitatis ac virtutũ omnium cæteris exempla præbeant. Eſt enim vberrima docendi, ac paſcendi ratio eorum, qui pietatem, quam profitentur, vitæ integritate, & innocentia comprobant; & quæcumque verbis alios docẽt, ea factis exprimunt ſuis; non iam, quæ ſua ſunt, quærentes, ſed, quæ Ieſu Chriſti. Id autem cum omnium clericorum profeſſio requirat, tum maximè epiſcoporum dignitas poſtulat, qui cum ſint mundi lumina, religionis ac pietatis exemplo cæteris prælucere debent: neque committere, vt vlla in parte Dei lucem, in ipſis collocatam, proprijs tenebris obſcurare videantur. qua in cogitatione obeundi ſui muneris, illam epiſcopi perfectam imaginem, digito Dei ab

Apoſto-

Apoſtolo deſcriptam, aſſidue ſibi proponent: Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, nõ percuſſorem, ſed modeſtum; non litigioſum, non cupidum, ſed domui ſuæ bene præpoſitum. Hæc autem clericorum, maximeque epiſcoporum ſtudia, & officia, ſi reliquorum oculis, auribuſque obſeruabuntur; profecto efficient, vt illi glorificantes Patrem qui in cœlis eſt, magis etiam vitæ exẽplis, quàm doctrinæ præceptis ad imitationem virtutis incitentur. Itaque nos, qui eo conſilio huc conuenimus, vt quę à ſacra Tridentina ſynodo ſancita ſunt, exequentes prouinciæ noſtræ mores ad optimam Chriſtianæ Religionis diſciplinam conformaremus; eccleſiaſticis hominibus certas rectè, pieque viuendi formulas conſtituimus; quas, partim à ſacra Tridentina ſynodo ſummatim expoſitas, latius explicauimus; partim hauſtas ex veterum canonum fontibus, eiuſdem Concilij authoritate reuocauimus ad vſum, vtilitatemque noſtrum hominum; nonnullis etiam additis, quæ maxime ad huius temporis ſtatum, rationemque pertinere videbantur.

De frequenti diuini Sacrificij oblatione.

CVm Pontifices, vt inquit Apoſtolus, ex hominibus aſſumpti, pro hominibus conſtituantur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerant dona, & ſacrificia pro peccatis; Epiſcopus Dominicis, & reliquis feſtis diebus, niſi iure impediatur, Miſſam celebret.

Tridentini etiam Concilij authoritatem ſequuti, præcipimus ſacerdotibus reliquis, cuiuſcumque gradus, conditionis, & dignitatis illi ſint, vt, iiſdem diebus Miſſam celebrare ne omittant.

Curatis verò, vt præterea ter in hebdomada, aut eo etiam ſæpius, quo vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem diuini ſacrificij vſum poſtulabit. Cæteris etiam clericis; vt ſingulis menſibus diaconi quidem, & ſubdiaconi bis ſaltem; qui vero in minoribus aut etiam clerici tantum ſunt; ſemel ſacram Euchariſtiam ſumant.

Qui ſine neceſſaria cauſa id facere omiſerint; parochus eos ſui officij admoneat; &, niſi paruerint, ad epiſcopum deferat.

De dignitate ab Epiſcopo retinenda.

ALienum eſt valde ab epiſcopali dignitate; ſi epiſcopi in conſuetudine Principum ſe ſe deprimant, & abijciant.

Ne igitur principibus accumbentibus ſtent ipſi.

Ne eo quidem nomine, quod, ſumpto à Principibus cibo, Deo gratias agere debeant.

Neque inter Miſſam, pacem, aut Miſſale illis exoſculandum præbeant.

Denique ſeruent cætera omnia, quæ illis ſacra Tridentina ſynodus ea de re grauiſſimo decreto præcepit.

Principes autem ſummo ſtudio cohortamur, vt meminerint epiſcopos eos duces eſſe, quorum cura & vigilantia fideles ad cœlorum regnum diriguntur. quamobrem eos, quo debent honore, proſequantur.

Qui clericus epiſcopo, vel alij ſuperiori cuiuſuis generis, quem reuereri, & colere debet maledixerit; epiſcopus in eum ex ſacris Canonibus animaduertat.

De epiſcopi veſtitu.

EPiſcopus non profano ornatu, aut apparatu, ſed fidei, & vitæ ſplendore ſibi auctoritatem quærere debet.

Itaque in veſtitu ſericum non adhibeat.

Non pretioſis pellibus vtatur.

Vnguenta ne ſumat, neve alios odorum ſuauitates conſectetur.

Sit annulo epiſcopali contentus.

Ne mulæ, aut æquo epiſcopali ſtragulum, & ornamentum ex villuto, aut ſerico, ſed ex corio factum, aut lana adhibebit.

Ephippijs, aut calcaribus, aut frenis inauratis nõ vtetur.

Lineam tunicam, quam rochetum appellant, ex decreto Innocentij III. in Concilio generali, in eccleſia, & in publico habeat.

Sine talari tunica, quæ ad collum adſtricta ſit, ac mozeta, neque è cubiculo exeat; neque quemquam, niſi ex familia, admittat. neque eum veſtitum ante noctem; vel, niſi dimiſſis omnibus, deponat.

Veſtes, quibus priuatim vtetur, tales omnino ſint; vt modeſtiæ, & grauitati conſulatur.

In itinere quoque tam in diœceſi, quam extra, eum veſtitum habeat, ex quo illum eſſe Epiſcopum appareat.

De epiſcopi ſuppellectili.

IN eius ſuppellectili nihil aureum, aut argenteum ſit, præter leuiſſima, ac tenuiſſima quædam inſtrumenta, ad cibum ori admouendum comparata.

Nihil auro, argentove ornatum.

Nihil ſericum, aut ſerico diſtinctum.

Non colorum varietas.

Non aulæa, aut tapetia.

Nihil acu pictum.

Nihil variæ textum.

Nihil ſtudioſius elaboratum.

Denique non pluris ſit artificium, & manu pretium, quã rei neceſſitas poſtulet.

Simplici tantum corio, aut panno menſas aliave ſternere liceat.

Signa, & tabulas profanarum rerum reijciat.

In ædibus duo tantum loca veſtiri poſſint, quæ attributa ſint epiſcopo: alter eius valetudinis cauſa, alter eorum gratia, qui ad epiſcopum conueniunt.

Liceat etiam, & hoſpitum gratia, qui accipiendi ſunt, habere neceſſarios apparatus, non tamen diuerſi generis, nec maioris pretij, quam eos, qui ad ipſius vſum conceduntur: ita vt in omnibus humilitas, & modeſtia epiſcopalis eluceat.

Equos ne alat, niſi neceſſarios.

Domeſticam omnem luxuriam, in ædificijs extruendis magnificentiam, picturas, & inania ornamenta, ac delicias excludat.

Caueat denique, ne quid in eius domo appareat, quod non ſimplex, ac purum ſit, quod non Dei zelum, & omniũ inanium rerum contemptionem teſtetur.

Cum in ijs, quæ ad priuatim vſum, cultumque requirantur, eam moderationem adhibuerit, vt ſordes, & ſuperuacaneum ſumptum fugerit; omnem operam, & artificis ſplendorem ad publicum Dei templorum cultum, & ornamentum conferat.

De epiſcopi menſa.

ACcumbens epiſcopus menſæ benedicat.

Et quam decet frugalitatem, & temperantiam adhibeat.

In ea præter primam eſcam, & vnum iurulentum cibũ, alterum lacticinium, & duo fructuum genera, vnum, aut alterum, vel, vt aliquid conſuetudini, & hoſpitum ſtomacho indulgeamus, tertium ad ſummum ſimplicis obſonij ferculum tantum ei apponi liceat; etiam quorumuis hoſpitum cauſa.

Bellaria, placentæ, omniaq; ſaccaro artificioſe condita, cæteraq; eſcarum lenocinia, exquiſita etiam vinorum genera prohibentur.

Adhibeatur vero in eius menſa lectio ſacrorum librorum; vt conuiuæ non ſolum corporis cibo, ſed etiam epulis animæ recreari poſſint.

Paraſiti, ſanniones, ſcurriles ioci, & maledicta non admittantur.

Quemadmodum autem benedictio cibi caput, ſic actio gratiarum clauſula eſſe debet; vt Dei laudes, ſicuti par eſt, vſquequaque celebrentur; & omnia eius benignitati accepta referantur.

De Epiſcopi familia.

EPiſcopus domui ac familiæ ſuæ benè pręſit; curetque vt honeſtas, decorumque ſeruetur, tam in intimis, quàm in externis. qui enim domũ ſuam regere neſcit, nec Dei Eccleſiam rectè gubernabit.

Familiæ numerus is tantummodo ſit, quo ſimul eccleſię vtilitati, & Epiſcopi neceſſitati conſulatur.

Eum autem vehementer hortamur, vt in familia, quamplurimos poſſit, habeat clericos, qui non niſi clericali veſtitu vtantur, & in illis, ſi commodè fieri poſſit, nimirum duos ſacris initiatos, & bonæ exiſtimationis, qui vigilantem, orantem, in opera miſericordiæ incumbentem, ac diuinarum literarum myſteria ſcrutantem Epiſcopum ſtudioſius attendant; eiuſque actionum, & ſanctæ conuerſationis quaſi teſtes ſint, & imitatores. Habeat deinde eccleſiaſticam perſonam, ſpectatam, & probatam, quæ præfecta ſit moribus familiæ, ac de omnium ſalute ſollicita; ſpiritualem curam ſuſtineat: eamque bonis, & pijs artibus, ac literis, præſertim ſacris. pro cuiuſq; ſenſu, & intelligentia, erudiendam curet.

Familiares arma ne ferant, niſi in itinere, vel neceſſitatis cauſa, idque Epiſcopi arbitratu.

Sericum, aurum, & argentum, colorumque varietatem omnino excludentes, nigrum tantummodo vel fuſcum colorem in veſtibus adhibeant. Quibus ſciſſis, aut prætextis ad elegantiam non vtantur.

Calcei inaniter non incidantur.

Non ſint turgidæ caligæ, non virgatæ, non ſectæ, aut acu pictæ; ſed ſimplices, & vnius coloris ac generis. Denique talis ſit domeſticorum omnium veſtitus, vt ex eo etiam appareat, illos eſſe miniſtros miniſtrorum Dei.

De canonicis horis non intermittendis.

MAlitiæ, ac negligentiæ clericorum, qui quas debent canonicas horas dicere, omittunt, occurrere cupientes, ex decreto Leonis X. in Lateranenſi Concilio, mandamus; vt clericus quicunque curatum, vel ſine cura eccleſiaſticum obtinens beneficium, ſi poſt ſex menſes ab eo die, quo illud obtinuerit, ſine iuſti impedimenti cauſa diuinum officium non dixerit; beneficiorum fructus ſuos non faciat: ſed eos, tamquam iniuſte præceptos, in eius eccleſiæ fabricam, vel pauperum eleemoſynas erogare debeat. Si vero canonice admonitus, in eadem negligentia, ac malitia perſtiterit, beneficio priuetur. Officium autem omittere, vt beneficio priuari poſſit, is iuredicatur, qui quindecim dierum ſpatio bis illud omiſerit. Quæ pœna ab ijs, qui plura obtinent beneficia, toties repetenda eſt, quoties huius delicti conuicti fuerint. quamquam illud grauius eſt, quod eos omiſſi officij rationem Deo reddere oportet. Qui verò, ſacris initiati, beneficium eccleſiaſticum non habent; ſi diuinum prætermiſerint officium, præter graue peccatum, quod committunt, grauiter etiam ab epiſcopis in eos animaduertatur.

Qui libri potiſſimum à clericis legendi.

CLerici poſtquam decimum quartum annum attigerint, vt legem Domini, in cuius ſorte ſunt, dies noctesque meditari poſſint, habeant ſacrorum librorum ſi non copiam, certe neceſſarium delectum; omnino vero Teſtamentum vetus, & nouum; Catechiſmum Romæ edendũ, cum primum in lucem prodierit; ſacrum Tridentinum Cõcilium; Conſtitutiones has noſtras, & diœceſanas proprij epiſcopi; Calendarium feſtorum dierum, quod epiſcopi in ſua diœceſi ſingulis annis edendum curabunt.

Parochi verò, vt eccleſiaſticos ritus cognoſcere, recteq; curam animarũ miniſtrare poſſint, præter eos libros, quos ſupra diximus, ſibi etiam comparent Homiliarum ab epiſcopo eligendum.

Summam Antoninam, vel aliam ab epiſcopo delectam, &, quos præterea ab eis legi epiſcopus iuſſerit.

Hortamur autem, vt in lectione Paſtoralis ſancti Gregorij, & ſancti Ioannis Chryſoſtomi de ſacerdotio aſſidue verſentur.

De clericorum veſtitu, & reliqua vitæ moderatione.

EPiſcopi ex ſacri Tridentini Concilij auctoritate per edictũ, ad menſem ab eis pro ponendũ, moneant omnes, & quaſcunque eccleſiaſticas perſonas, quæ aut ſacris initiatæ ſint, aut dignitates, perſonatus, officia, beneficiave qualiacumque eccleſiaſtica, etiam ſimplicia, obtineant, etiã ſi ſtudij cauſa abſint, re in gymnaſijs publicis, aut vbiuis locorum ſint, vt, qui in prouincia manent, ad duos menſes, qui verò extra prouinciæ fines, ij ad quatuor clericalem habitũ ſumant, ordini ſuo ac dignitati congruentem; hac conſtituta pœna, vt, qui non paruerint, ſi in ſacris ordinibus ſunt, ab omni ordinum ſuorum munere ſint ſuſpenſi, & beneficiorum ſuorum omnibus anni vnius fructibus iure ipſo priuati ſint: quos epiſcopus pijs locis arbitrio ſuo attribuet.

Sin autem beneficium eccleſiaſticum nullum obtinent, alias pœnas luant, Epiſcopi iudicio.

Si qui autem poſt menſem, tranſacto tempore, in edicto ad clericalem habitum ſumendum præſcripto, eum vel non ſuſcepiſſe vel ſuſceptum abieciſſe conuicti fuerint, officijs, ac beneficijs eccleſiaſticis priuentur, & ſeuere prætere ab epiſcopo puniantur.

Presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, cæterique clerici, clericali tonſura ſint inſigniti ad eam formam, quam ratio vniuſcuiuſque ordinis, epiſcopi arbitrio poſtulabit.

Ita ſint abraſo capillo, vt tonſura cõſpicua ſit omnibus.

Comam verò, & barbam ne ſtudioſe nutriant, capillis ſimplicem cultum adhibeant.

Barba ab ſuperiore labro ita recidatur, vt pili in ſacrificio Miſſæ, Chriſti Domini corpus, & ſanguinem ſumentem non impediant.

Ne in habitu clericali aut ſtudioſius exquiſita cultus elegantia, aut nimis abiecta negligentia, & affectatæ ſordes appareant.

In omni veſtitu color tantum niger adhibeatur; niſi fortaſſe alium colorem requirat dignitatis gradus. Omnem habitus, & ornamenti nouitatem clerici fugiant.

Ne ſerico veſtimento, aut ornamento domi, aut foris vtantur.

Iubemus verò illos laneum, & ei ordini decorum veſtimentum adhibere.

Reticulum, aut ſubbirretum, vt vocant, ne ferant, niſi valetudinis cauſa, & ſine redimiculis.

Camiſas ad collum, & ad manus criſpas, & rugoſas, vel artificio elaboratas reijciant.

Collare, quod dicunt, ſimplex, ac modice latum honeſte reclinetur.

Externa veſtis ſimplex, ac talaris erit, quæ neque à ceruicibus in tergum reflectatur; ſed apto ad collum nodo decentiſſime annexa ſit.

Toga verò, quod mantelletum vocant, aut æquetur cũ tunicæ longitudine; aut nemini permittatur; niſi ſit ex numero Prælatorum, quibus ex dignitatis gradu, iudicio epiſcopi, debeatur.

Interior eiuſdem generis ad talos demittatur; quam tamen pro hominum genere proque loci natura, ac conditione, Ordinariorum arbitrio, in aliquibus moderandam relinquimus.

Pallium, quod Ferrarolum appellant, ne ſumat, niſi per pluuias; tum verò nec à collo plus duobus digitis emineat, neque eo ſine talari toga, vel tunica vtantur. Veruntamen, ſi iter faciendum ſit, illis vti liceat habitu contractiore, & ad iter accommodato, ſed ſimplici, &, in quo honeſtas, & decorum ordinis eluceat.

Turgidis caligis, & diſſectis abſtineant.

Calceos, & crepidas ad elegantiam non incidant.

Torquès, armillas, ac monilia reſpuant.

Annulum non induant, niſi quibus propter officij munus, aut honoris gradum ſit iure conceſſus. quo loco, & vnico, nec magni pretij, contenti ſint.

Quæcunque autem de epiſcoporum menſa eiuſque benedictione, & cibis, lectione, & gratiarum actione, ſuppellectili, auro, argẽto, & ſerico, cubiculorum apparatu, ędificio-

rum

rum magnificẽtia, ſuperuacaneis ſumptibus, priuata moderatione, templorum cultu, & ornamento, familiæ cura, & inſtitutione, eiuſque veſtibus, eorumve modo, colore, & ornamentis, equorum numero, &c. ſi quæ alia decreta ſunt, quæ non ſint epiſcoporum tantum propria, eadem à clericis quibuſcunque cuiuſuis conditionis, ordinis, & dignitatis ſint, accurate ſeruari iubemus; etiam ſi in alienis ædibus, aut cum propinquis habitent.

Meminerint autem in quibuſdam, quæ epiſcopis permiſſa, ipſis communia eſſe poſſunt, eo maiorem ſibi moderationem adhibendam eſſe, quo dignitatis gradu epiſcopis ſunt inferiores.

Si quis perſonatus veſtes clericales, aut monachales, vel ad eorum formam induerit, & is, qui eas aſſumpſerit, & is, qui accommodarit, graues pœnas ſubeant.

De clericalibus ædibus.

QVoniam non ſolum malum cauere, verum etiam omnem mali ſuſpicionem fugere oportet, ne in cuiuſquã offenſionem incurramus; in ædibus ad canonicorum, aliorumve clericorum domicilium, & vſum ædificatis, aut alijs, in quibus ipſi habitant, fœminas quaſcumque, etiam quouis ſanguinis cognationis, aut affinitatis vincula eis coniunctas habitare prohibemus; niſi epiſcopus in alicuius vrgenti neceſſitate, aliter faciendũ eſſe duxerit; cuius cõſcientiam in hoc valde oneramus.

Ne parochi, aut omnino clerici, quauis etiam dignitate præditi, eccleſiæ, etiam ſi commendata ſit, ædes, aut earum partes in vrbe, aut in oppidis poſitas, in quibus ipſi habitare ſoleant, aut debeãt, vllo modo laico locent; niſi eccleſia magna præmatur inopia, & ea domus commode epiſcopi iudicio diuidi poſſit.

Si verò ædes extra vrbem, & oppida ruri ſitæ ſint, locã di facultatem habeãt; modo earum diuiſio eiuſdem epiſcopi iudicio rectè, & commode fieri poſſit.

Caueat etiam epiſcopus, ne in vrbe, aut extra, huiuſmodi ædes, vel aliæ ab eccleſia ſeiunctæ, vel etiam ſi patrimonij ſint, ac propriæ, locentur ijs quorum fidem, vitam, moreſve ſuſpectos eſſe iudicauerit.

Canonici Cathedralium, & Collegiatarum eccleſiarum habitent in Canonicalibus ædibus, in quibus commode epiſcopi, iudicio commorari poſſunt: qui in inſpectis ædibus, ſi quid reparãdum, inſtituendum ſit ad habitationis commoditatem, pro modo fructuum præbendæ, ab eo, qui Canonicatum obtinet, reparari, ac reſtitui iubeat. Quo facto, curet, vt in illis ædibus habitẽt, quibus ſi abeſſe, etiam iuſta de cauſa contigerit, nemini præterea, niſi Canonicus ſit, in eis habitandis facultas concedatur, ſine iuſſu epiſcopi.

Quarum ædium atrium, vbi claudi poteſt, vna claue cõcludatur; quæ à Decano, vel alio, epiſcopi, & Capituli arbitratu, aſſeruetur.

Quota autem horà atrij ianua aperiri, claudive debeat, quidque ad honeſte ibi viuendum pro loci ratione requiratur, iudicium ſit epiſcopi.

Rectores parochialium, ſeu curatarum eccleſiarum, quicumque ſint, in earum ædibus tantum habitent; ibique cibũ, & ſomnum capiant: niſi aliud epiſcopus cenſuerit ex cauſa neceſſaria.

Clerici ne de nocte poſt primam horam, niſi ex iuſta cauſa, & cum lumine, domo exeant.

De armis, ludis, ſpectaculis & eiuſmodi à Clerico vitandis.

CLericorum arma ſunt orationes, & lacrymæ. Idcirco edicimus, ne clerici arma cuiuſuis generis ad offenſionem, vel etiam ad defenſionem ferant; exceptis ad cultellis ad domeſticum vitæ vſum accommodatis; niſi forte extra ciuitatem ſuſpectis locis iter eis faciendum ſit.

Quod ſi epiſcopus probabili, iuſtaq; de cauſa id eis permittendum iudicauerit; tunc, ſcripto impetrata venia, ipſis vti liceat: non tamen publicæ; niſi rei, aut facti neceſſitas poſtulet.

Omnino baliſtà, haſtis, & ſclopeto, telis, alijſque huius generis inſtrumentis ipſis interdicimus.

Clerici perſonati non incedent.

Choreas priuatas, aut publicas nõ agent, nec ſpectab[...]

A venatione abſtinebunt.

Fabulis, comœdijs, & haſtiludijs, alijſve profanis, & [...]nibus, ſpectaculis non intererunt; ne aures & oculi, ſacris [...]ficijs addicti, ludricis, & impuris actionibus, ſermonibu[...] diſtracti polluantur. Clericalis ordinis hominibus omni[...]nere ſaltationis, & ludi, præſertim vero aleæ, & teſſeraru[...] ac talorum interdicimus.

Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impel[...]tur: item follis ludum, id eſt, pilæ maioris.

Ne ſolum ludere vetamus, ſed eos ludorum ſpectato[...] eſſe nolumus; aut quemquam ludentem in ædibus ſuis p[...]mittere.

Si autem valetudinis interdum cauſa, parua pila, aut al[...] non indecoro eiuſmodi exercitationis genere vti conti[...]rit; nec publice id faciant; nec pecunia intercedat in ludo, n[...] quidquam, quod facile pecunia æſtimari poſſit.

Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, ſed vt ſobr[...] uiuamus, prædicat Apoſtolus. Ideo clerici minus honeſ[...] cõuiuijs ne interſint, neve ad bibendũ quemquam inciten[...]

Quod, ſi interdum ſolennibus, feſtis diebus, vel cum [...]crorum, aut exequiarum cauſa in vnum cõgregantur, aliq[...] ſint inuitandi; ne plures ſex, & eos clericos, ad ſuam menſa[...] adhibeant.

Vt flagitij occaſionem, quæ in cauponis, & tabernis d[...] eſſe non ſolet, clericis adimamus, cauponarum aditu, & v[...] eis omnino interdicimus; niſi in itinere neceſſitatis cauſa[...] quo loco cum mulieribus ne diſcumbant. Monemus auten[...] Epiſcopos, & vehementer hortamur, vt in ſingulis eorun[...] ciuitatibus curent parandum vnum aut alterum pudicum, & honeſtum diuerſorium, quo ſuarum diœceſim clericis ru[...]ſticanis neceſſitatis cauſa cõuenire liceat; nec in eo hoſpiti[...] improbis, aut nequam hominibus locus ſit; neve fœmini[...] vllo modo; ſed tantum Clerici, ac religioſi viri, ſi fieri poſſit, in eo recipiantur.

De negotijs ſecularibus à Clerico fugiendis.

QVi Deo militat, implicare ſe negotijs ſecularibus prohibetur; idcirco edicimus.

Ne Clericus, ſacris initiatus, aut eccleſiaſtico beneficio præditus, coram iudice ſęculari, aut aduocati procuratoris nomine cauſas agat: niſi ab alijs in iudicium vocatus, ſuã vel eccleſiæ ſuæ, propinquorum etiam, ſi neceſſerit, & miſerabilium perſonarum cauſas; ab epiſcopo facultate prius ſcripto conceſſa, tueatur.

Ne in prophanis negotijs officiũ tabellionatus exerceat.

Ne artem medendi faciat.

Ne in negationibus, & mercaturis ſe interpretẽ, & medium interponat.

Negotiationẽ etiã omnis generis omnino prohibemus.

Artes verò honeſtas concedimus, vt aliquid manibus ſuis lucretur, quo ſibi, quæ ad victum neceſſaria, comparare poſſit.

Ne aliena prædia, lucri cauſa, conducat.

Ne aliorum tutelam aut curam ſuſcipiat.

Ne pro alijs fideiubat.

Ne alicuius Principis, aut alterius negotiorum procurator ſit, ſine facultate, ab epiſcopo prius per literas impetrata, ſingulis annis renouanda.

Neve parum memor ordinis, ac dignitatis ſuæ, ſit in famulatu laicorum, etiã Principum, eorumve, quibuſuis alijs obſequijs, niſi cui ex cauſa, & ad officium, ſacerdotali munere non indignum, epiſcopus huius rei poteſtatem ante ſcripto fecerit. Huiuſmodi autem licentiæ, ſcripto permiſſæ quotannis renouentur; alioquin irritæ ac nullæ ſint.

Neve pręcurſor, aut aſſecla fœminarum, aut eis diſcumbentibus adſiſtat, aut ancilletur.

Qui autem huiuſmodi ſæcularia negotia exercẽdi facultatem, ſeu diſpẽſationem impetrarit, intra duos menſes epiſcopo exhibeat: qui conceſſas ante ſacri Trid. Concilij confirmationem auctoritate generalis Bullæ Sanctiſſ. D. N. Pij IV. Pont. Max. non admittat.

Quæcunque in hac vniuerſa, quæ ad vitam, & honeſtatẽ clerico-

clericorum pertinent, parte, varijs titulis expreſſa præcepta continentur, efficiat epiſcopus, vt ea omnia ab omnibus, ad quos ſpectat, diligenter, & inuiolate ſeruentur.

Qui verò clericus, cuiuſuis etiam gradus, ordinis, digni tatis, in aliqua re ijs non obtemperarit; is aut ſalutari pœnitentia, aut pecunia ſuſpenſione ab ordinum munere, & beneficiorum adminiſtratione, aut ipſis etiam beneficijs, aut carcere, aut exilio, aut pluribus ſimul ex ijs pœnis, aut etiam grauioribus pro modo culpæ epiſcopi arbitratu mulctetur. Qui iterum in eadem re peccarit; duplicata is pœna pro ratione criminis ab eodem plectatur.

De reſidentia.

DEcreuit ſacra Tridentina ſynodus, vt ij, qui non legitime à ſuis eccleſijs abeſſent, pro rata temporis abſentiæ, eccleſiarum, quibus præeſſent, fructus ſuos nõ facerent; ſed vt in fabricam eccleſiæ, aut in pauperes loci erogarent quod ſi non exequerentur; ſtatuit, vt eorum ſuperiores eccleſiaſticis, omiſſas ab illis huiuſmodi officij partes ipſi ſuſciperent.

Si quis igitur prouinciæ noſtrę Epiſcopi poſt confirmationem Concilij Tridentini in eccleſijs ſuis ex eiuſdem Cõcilij præſcripto, non reſederunt; neque Metropolitanum, aut eo abſente, antiquiorem prouinciæ epiſcopum intra mẽſem docuerit cauſam ſuæ abſentiæ, Sanctiſſimi D. N. vel Metropolitani, vel antiquioris Epiſcopi ſcripto comprobatam eſſe; aut ſe fructus illos, ijs, quibus eiuſdem ſacri Concilij decreto propterea debebant, perſoluiſſe; nos illam ipſam fructuum partem iam nunc Hoſpitali vniuſcuiuſque ciuitatis, cuius illi ſint epiſcopi, quod maioribus prematur ſumptibus, in vſum pauperum loci erogandam aſſignamus. Et ſi id Hoſpitale intra duos menſes eos fructus auctoritate Superioris eccleſiaſtici non exegerit; alteri Hoſpitali eiuſdem ciuitatis, quod in eorundem fructuum petitione iudicio præuenerit. Quod, ſi aut nullum in eà ſit, Hoſpitale, aut, quæ ſint Hoſpitalia, ſex menſibus eos fructus non exegerint, fabricæ eccleſiæ attribuimus.

Si qui verò poſthac abſuerint, fructus, quos ſuos non fecerint, iam nunc eiſdem locis, qua ſupradictum eſt, ratione adſcribimus; niſi ipſi epiſcopi intra tres menſes à die abſentiæ ijs, quibus ex Concilij decreto debent, perſoluerint.

Itaque mandamus Hoſpitalium, & fabricarum miniſtratoribus ac procuratoribus, cum denunciatione etiam periculi eorum conſcientiæ, vt totam ſummam ſine vlla vel pactione, vel remiſſione primo quoque tempore exigant.

Statuimus etiam, vt ex Capitulo ſingularum Cathedralium eccleſiarum tres primi præſentes, ſingulis ſex menſibus, Metropolitanum, vel, eo abſente, eundem antiquiorem prouinciæ epiſcopum certiorem faciant, an eorum epiſcopi in ſuis eccleſijs reſideant: &, qui, & quandiu ab eis abſuerint; ſin minus, ijdem diſtributionum vnius menſis fructus ſuos non faciant.

In reliquis etiam inferioribus curatis beneficijs, ſi qui poſt confirmationem Concilij abſuerunt ſine licentia, ab Ordinario ſcripto permiſſa, quam ad menſem eidem Ordinario exhibere volumus, vel non probarint, ſe eos fructus, quos pro rata temporis abſentiæ ſuos non fecerunt ijs, quibus ex eiuſdem Tridentini Concilij debebantur, ſoluiſſe; eos omnes iam nunc reficiendis, & ornandis eorum eccleſijs attributos eſſe decernimus. Quam attributionem epiſcopi, quorum conſcientiæ hoc onus imponimus, ad ſex menſes, implorato etiam, ſi opus ſit, Principum, & Magiſtratum auxilio, omnino exequendam curabunt.

Quod ſi contigerit eos, qui propter abſentiam à ſuis beneficijs fructus ſuos non fecerint, ipſis beneficijs poſtea ceſſiſſe, curent epiſcopi, vt vel ex fructibus penſionum, ſi quæ illis, qui ceſſerint, fuerint reſeruatæ; vel ex eorum bonis, cuiuſcunque illa generis ſint, ſatisfaciat eccleſiæ.

Qui ſi in his negligentes fuerint, ſciant ſe prima quoque prouinciali ſynodo prætermiſſi huius officij rationem redituros eſſe.

Si quid interceſſerit, quamobrem id minus exequi poſſint, ad Metropolitanum referant; vt ad rem conficiendam ipſe quoque ſuam operam conferat; & in ea auctoritatem Sanctiſſimi Domini noſtri interponendam curet.

Quoniam verò multorum, beneficia curata obtinentium, ea eſt contumacia, vt neque decretis Tridenti Concilij, neque conſtitutione Sanctiſſimi D. N. Pij IIII. neque Epiſcoporum edictis moniti, adduci poſſint, vt beneficiorum ſuorum reſidentiæ præſentes ſatisfaciant, ſtatuimus, vt epiſcopi, ad menſam edicto propoſito iubeant omnes, in eorum ciuitatibus, diœceſibuſve beneficium eiuſmodi in titulum, vel commendam obtinent, ſi in prouincia illi ſunt, ad duos menſes, ſi extra, ad tres, ad eadem beneficia accedere, in ijſque reſidere: ea propoſita in edicto pœna, vt, qui nõ paruerint etiam ſi præter curatum illud beneficium, dignitates, perſonatus, aut Canonicatus in eccleſijs etiam cathedralibus obtineant, præter pœnas, quæ eodem Concilio, & Pij IIII. Conſtitutione contra nõ reſidentes propoſitæ ſunt; ordinum ſuorum munere, officiove ſuſpenſi, & eo beneficio iure ipſo priuati cenſeantur.

Tranſacto tempore in edicto præſtituto, epiſcopi eos, qui non reſideant, propoſitam priuationis pœnam ſubijſſe declarent.

Interim verò eos fructus, quos ſuos abſentes non facient, ijdem epiſcopi ſuo arbitratu aut eccleſiarum fabricis, aut pauperibus loci adiudicent.

Intra menſem publice edicant epiſcopi, vt quibuſcumque ſtudij cauſa non reſidendi in beneficijs curatis licentia permiſſa eſt, eam ſuo quiſque epiſcopo intra ſpatium trium menſium exhibeat. Qui ſi illam à die confirmationis ſacri Concilij Tridentini ad diem regulæ, à Sanctiſſimo D. N. Pio IIII. latæ compererit, niſi, quemadmodum ab ipſa præſcribitur, Ordinarij conſenſus acceſſerit, nullam, & irritam declaret, proptereaque eum, qui huiuſmodi facultatem impetrarit, ex decreto Concilij Tridentini reſidere cogat in ipſo beneficio.

In ijs autem facultatibus abſentiæ ſtudiorum cauſa, quæ deinceps concedentur, hæc neceſſario ponenda ſunt. Vt vere in publico, celebrique gymnaſio Theologiæ, vel ſacris Canonibus ſtudeant.

Vt minores ſint triginta annis, aut fuerint, cum in publico gymnaſio ijſdem ſtudijs operam dare cœperunt, quæ nunc cupiunt abſoluere.

Vt illud beneficium, antequam ſacrum Tridentinum Concilium à Sanctiſſimo D.N. Pio IIII. confirmaretur, obtinuerint.

Vt ſingulis ſex menſibus epiſcopo ſcriptum ſui Doctoris exhibeant, quo is ipſos in eo ſtudij genere proficere teſtetur. quod etiam epiſcopus ſecreto ab alijs cognoſcere ſtudeat.

Quod ſi omnes ſupra ſcriptę conditiones in licentia expreſſæ nõ fuerint; aut is, qui impetrat, qualitates omnes, quæ in ſcripta licentia requiruntur, non habeat; aut, quæ ipſi ſeruanda proponuntur, deinceps non præſtiterit; facultates irritæ, ac nullæ ſint: &, qui impetrarit, ſciat ſe fructus ſuos non feciſſe, neque facere; ac penis, quæ non reſidentibus propoſitæ ſunt, teneri.

Concedatur autem ad quinquennium tãtum, ab eo die numerandum, quo eum in publico gymnaſio Theologiæ aut ſacris Canonibus conſtet operam dare cœpiſſe.

Quicunque, plures parochiales eccleſias retinentes, intra tempus, à ſacro Tridentino Concilio præſtitutum, non demiſerunt; eos epiſcopi intra duos menſes beneficijs omnibus eccleſiaſticis iam ipſo iure priuatos eſſe declarent.

Fructus verò, & quos ex eodem decreto ſuos facere nõ potuerunt, & qui deinceps, quandiu vacauerit eccleſia, percipientur, fabricæ vel ornamentis eorundem beneficiorũ, vti magis expedire cenſuerit epiſcopus, iam nunc attribuimus: excepta tamen congrua portione, idoneis Vicarijs ab epiſcopo aſſignanda; quos ipſe, facta declaratione, ſtatim in in illis eccleſijs conſtituere debebit.

Præterea, qui eccleſiaſtica quęcunq; beneficia obtinent, in quibus, & ſi curata non ſunt, tamen reſidere iure, vel conſuetudine debent; ſi muneri ſuo defuerint, in eos epiſcopi, & illis pœnis, quæ à ſacro Tridentino Concilio ſtatutæ ſunt, & alijs arbitrio ſuo ſeuere agant: fructuſque quibus ex eodem Concilio mulctandi erunt, pijs locis attribuant.

Vt autem epiſcopi pœnas de contumacibus in hoc genere

nere poſſint ſumere, ſtatuimus, vt in ſingulis collegiatis, & Cathedralibus eccleſijs, ſingulis tribus menſibus, tres primi ex Capitulo præſentes, Canonicorum, & eorum, qui præpoſiti eccleſijs, & aliorum, qui in eis huiuſmodi beneficia poſſidentes non reſideant, nomina ad Epiſcopum deferant.

Parochi verò epiſcopum admoneant, ſi qui intra fines ſuæ parochiæ, eiuſmodi habentes beneficia, quę perſonalem item reſidentiam requirant, non reſideant.

Vicarij etiam foranei eandem diligentiam adhibeant, ſi qui curati, in regione, ſibi ab epiſcopo comiſſa, non reſiderint.

Qui huic officio deerit, ſicuti epiſcopo videbitur, plectatur.

De diligentia ab epiſcopo adhibenda in ſtatu vniuſcuiuſq. Parochiæ cognoſcendo.

SVmmam vim, ac neceſſitatem habet illa Domini ſentẽtia, Speculatorẽ dedi te domui Iſrael; & alio itẽ loco, Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, & conſidera ſuper greges tuos; vt epiſcopi quanta maxima poſſunt, diligentia obſeruent ſibi commendatum gregem, neque ab eo vnquã oculos deijciant, quid ei opus ſit animaduertentes, vt ex prophetæ ſententia, confractas partes alligare, infirmas conſolidare, ægrotas ſanare, abiectas oues reducere, perditas requirere, & recuperare poſſint.

Quoniam verò luſtrare omnia proprijs oculis nequeũt in ſingulis parochijs deligant certos, ac probatos viros, qui inueſtigent, an populus ambulet in vijs Domini; an aliquid ſit, quod epiſcopi cogitationem, & medicinam deſideret; an aliquid quod corrigi, & emendari debeat: quæque compererint, fideliter ad epiſcopum deferant.

Parochus etiam librum habeat, in quo omnium, qui in eius parochia ſunt, nomina, & cognomina quamplurimũ deſcribat, ſingulorumque ſexum, ætatem, & ſtatum. In eo deinceps deſcribat, & recẽter natos, & mortuos, & in parochiã habitatum venientes, & inde emigrantes. Quem librum epiſcopo, quoties is petierit, vel inſpiciendum, vel deſcribendum dabit.

Obſeruabit etiam ſuæ parochiæ noues inquilinos. deq; eorum orthodoxa fide, & ſacramẽtorum perceptione, deq; mulieribus, quas ſecum habuerint, an matrimonij, cognationis, affinitatis vinculo vere coniunctæ ſint, an impudicitiæ nomine ſuſpectę, ab eo ſacerdote, in cuius parochia proxime habitarint, & à parochiæ incolis accurate cognoſcet.

Inquirat autem ſtudioſe de pauperibus ſuæ parochiæ, præſertim puellis nubilibus, de viduis, orphanis, pupillis, ægroris, ſenio confectis, alijſque perſonis temporali, vel etiã ſpirituali miſericordia indigentibus; quibus, & ipſe pro viribus opitulari, & alios ſuo exemplo, & hortatu ad id officium incitare ſtudeat.

Præcipue verò de ijs omnibus ſæpe certiorem faciat epiſcopum, vt, qui communis eorum pater eſt, iiſdem paternam curam, & pietatem, quacunq; poterit ratione, præſtet.

Quamobrem etiam epiſcopus quotannis per ſacra quatuor anni tempora ſuæ ciuitatis parochos adhibebit; & illis de eorum animarum ſtatu, quarum curæ præpoſiti ſunt, diligenter interrogatis, omniã commemoret, quæ eorum officij munus contineant; eiſque & doctoris diligentiam, & paſtoris vigilantiam præſtabit.

De Vicarijs foraneis conſtituendis.

VT epiſcopus in vrbe etiam externum gregem facilius, quaſi præſens intueri, & curare poſſit; deligat aliquot probatos ſacerdotes, quibus ſingulis, impoſito Vicarij foranei nomine, tribuat certas regiones diœceſis ſuæ.

Id autem munus ad Archipresbyteros, Archidiaconos, qui in diœceſi ſunt, & Prępoſitos, alioſve eccleſiaſtica dignitate prędítos, quos idoneos iudicauerit, potiſſimum deferet ſin minus, ad alios Rectores, qui apti ſint ad huiuſmodi officium.

Hi autem Vicarij regionis, ſibi per epiſcopum commiſſæ, presbyteros cuiuſcumq; conditionis, curam animarum habentes, ſemel ſingulis menſibus modo in vnam, modo aliam eius regionis parochialem eccleſiam cogant. idque orbem eodem ordine ſemper faciant.

Pridie eius diei, quam in vnum locum conueniant, peccata ſua omnes confiteantur; ſequenti die in ea eccleſia, qua coacti fuerint, Miſſam ſinguli celebrent.

Tum vniuerſi in Choro Miſſam conuentualẽ pro mortuis, vel de ſancto ſpiritu, ſolenni more canent; in qua eo aliquis, à Vicario prius admonitus, concionem ad populu habeat.

Confectis ſacris & habita proceſſione circa cœmiteri orationibuſque conſuetis, in domo Rectoris illius eccleſi vnico tantum ferculo contenti, ea, qua docet modeſtia, charitate cibum capiant.

Deinde conferant inter ſe, quæ ad boni paſtoris offici & ad curam animarum recte gerendam pertinent: & co ſulant de difficultatibus, & incommodis ſuæ parochię, que rum explicatio, vel remedium, aliorum conſilium, & ope requirat. Ijdem aũt vicarij libellũ de caſibus cõſcientiæ epiſcopis, ac ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, Metropolitani cura e dendum, reliquis ſacerdotibus legent; & aliquot capita tum harum conſtitutionum, tum earum, quæ in ſynodo diœceſana decernentur, ſimulque quidpiam ex probata ſumma d caſibus conſcientiæ explicabunt.

Præcipuè autem de presbyterorum vita, & moribu quærant, & quales ſe in paſtorali præbeant cura.

An eorum culpa diuinus in eccleſia cultus deſideretur.

An re ipſa præſtentur ea, quæ epiſcopi, vel alij eorum nomine in eccleſiarum neceſſitatem, earumve reparatione impendi iuſſerint.

An libros habeant, quos ex decreto noſtro habere debent.

An reliqua in hac ſynodo decreta ſeruentur.

De his omnibus, &, ſi quid proprie mandarit epiſcopus, deque alijs, quæ ad vtilitatem animarum epiſcopi cognitionem deſiderant, ipſum per literas diligenter certiorem faciant.

Quoties in vrbem venerint, primum epiſcopũ adeant; deque eorum ſtatu, qui ſibi commiſſi ſunt, accurate doceãt.

Curati verò quicumque, etiam ſi quauis dignitate præditi in ijs, quæ ad officium ſuum ſpectant, Vicarijs, quos diximus, obtemperent.

Quod, ſi aliqui ad conueniendum negligentes, vel ad mandata eorundem Vicariorum exequenda contumaces fuerint; Epiſcopi in illos pro modo culpæ animaduertant.

Hi autem Vicarij voluntate epiſcopi ab officio amoueri ſemper poſſint; ac ſi male id adminiſtrarint, pœnas dent, eiuſdem epiſcopi iudicio.

De viſitatione.

INter epiſcopalis officij munera, præcipua eſt, & ad ſalutem gregis maxime neceſſaria viſitatio. Ideo monemus epiſcopos omnes vt ſinguli ex decreto ſacri Tridentini Concilij eccleſiam ſuam, ac diœceſim viſitent intra tempus, ab eodem Concilio præſtitum.

Meminerint autem viſitationem ad ſalutem eorum, qui viſitãdi ſunt, inſtitutam eſſe. quamobrem illis maxime propoſitum eſſe debet, vt in eis corruptam, orthodoxamq; doctrinam, probatam morum diſciplinam tueantur, ac reſtituant.

Viſitationis ordo is adhibebitur, vt primum ciuitatem, deinde diœceſim viſitent; niſi fortè aliud epiſcopo videatur. In ciuitate Cathedralis eccleſia primo loco viſitetur; tum ſingulæ Collegiatæ, deinceps parochiales omnes; quo & parochi, & quicumque præterea ſacerdotes, & Clerici in parochijs commorantur, euocandi ſunt. Scholas ſeminaria, ſodalitates, Hoſpitalia, ac cætera pia loca viſitantes, ſtudioſè ac diligenter inſpicient.

Studebunt, verbi Dei prædicatione, vehementi cohortatione ad religionem, vitæ innocentiam, pacemque & concordiam omnes adhortari.

Si verò priuata admonitione opus eſſe intelligent, in eã, docendo, arguendo, obſecrando pro rei, perſonæ, ac temporis ratione incumbent.

Confirmationis ſacramentum, vbi opus erit, miniſtrabunt.

Omnes ad pœnitentiam cohortabuntur, & quos aliquo peccato teneri cognouerint, cuius abſolutio Epiſcopo reſeruata ſit; eos pie confitentes, & humiliter veniam petentes, vel ipſi, vel per alios, ad id munus delectos, abſoluent.

In ſingulis locis à viris ætate, vſu, & probitate commendatis, de omnibus, ſubtiliter inquirent, quæ eos pro officij ſui munere ſcire oportebit.

Eccleſiam, & eius partes omnes inſpicient.

An eo cultu, & nitore teneatur, qui domum Dei decet: ſi quid reſtituendum, reparandum, reconcinnandum ve ſit; iubeant ab ijs, ad quos pertinet, reſarciri.

An ſanctorum reliquiæ, tuto, ornate, decenterque conditæ aſſeruentur.

An quæ de ſepulchris, ac cœmiterijs à nobis ſancita ſunt, re ipſa præſtentur.

Si conſecranda ſint altaria, conſecrabunt.

Si qua eccleſia aut cœmiterium pollutum ſit, reconciliabunt.

Videndum etiam, an deſint veſtes, libri, calices, patenæ, corporalia, & reliqua eius generis inſtrumenta, & ornamẽta, quæ ad altaris miniſterium, & ad diuina officia ſint neceſſaria.

An illa munda, & purgata ſeruentur.

An miſſæ, aliaque diuina officia, qua oportet pietate, ac deuotione celebrentur.

An eccleſiæ libri, vetera ſcripta, inſtrumenta, & priuilegia cuſtodiantur.

An eorum extet ratio, quæ in inuentarium relata ſunt.

Tum de dignitatibus, canonicis, & alijs eccleſiæ miniſtris quærendum erit.

An rite ſint ordinati.

An ordinibus initiati, quos eorũ officij munus requirit.

An eccleſias, beneficia, ſeu eccleſiaſtica officia legitime obtineant.

An in ea ſe quiſquam intruſerit.

An reſideant, & adminiſtrationi ſacramentorũ, & Miſſarum, diuinorum officiorũ celebrationi, & anniuerſariorũ perſolutioni, alijſque oneribus, & muneribus ſatisfaciant.

Quæ ſit eorum vitæ, ac morum ratio, qui veſtitus; quibuſcum verſari ſoleant; qualis ſit eorum familia.

An ſordibus, & illiberalibus artibus, & ab eorum gradu alienis, operam dent.

An eccleſiæ iura, & bonorum eccleſiaſticorum poſſeſſionem defendant.

An eorum fructus recte diſpenſent.

An pacem inter ſe habeant; ſe in aliorum pacificationẽ interponant; inimicitarum, & odiorum cauſas tollere ſtudeant.

An populus pie verſetur in eccleſia. Miſſamque & alia diuina officia reuerenter attendat.

In parochijs præter ea omnia, quæ diximus, videant.

An parochi ex decreto, in hac ſynodo edito, libros habeant, in quibus baptizatorum, confirmatorum: compatrũ eorum, qui matrimonio coniunguntur, ac mortuorum nomina, & cognomina deſcribantur.

An rite ſacramenta præbeantur.

An ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum Chriſma, & reliqua ſacra, ea munditiæ cura, & cuſtodia, qua debent, conſeruentur; & ſuo tempore mutentur.

An Euchariſtia pie, & honorifice, proſequente fidelium comitatu, ad ægrotos adferatur.

An legitimè matrimonia, & in eccleſia, adhibitis ex decreto Tridentini Concilij denunciationibus, debito tempore contrahantur.

An ſuæ curæ commiſſas eccleſias, maxime diebus feſtis, deſerant, vt inſeruiant alienis.

An Dei verbum prædicent, & pueros rudimentis fidei inſtruant.

An libros, quos nos in hac ſynodo habẽdos præſcripſimus, habeant.

Denique deſpicient, an in populo ſint hæretici, vſurarij, concubinarij, alijque flagitioſi, & facinoroſi homines; qui inimicitias gerant; qui Quadrageſimã, alia ieiunia, feſtos dies, & reliquos eccleſiæ ritus non ſeruent; quique ſaltem ſemel in anno peccata ſua confeſſi non ſint; aut ſanctam Euchariſtiam non ſumpſerint.

An ſint, qui legata pia non exequantur.

An domeſtica diſciplina patrumfamilias in educandis liberis diligens, pia, & honeſta ſit.

His exquiſitis, cognoſcere ſtudeant, quinam ex regularibus, & prædicandi munere fungantur, & fidelium confeſſiones audiant; an & eorum probata ſit doctrina; & probatæ ſit doctrinæ vita, reſpondeat.

An hoſpitalia, & alia pia loca recte adminiſtrentur; eorumque bona prudenter, fideliterque in eum vſum, cui addicta ſunt, diſtribuantur.

An qui hoſpitalibus ſunt, pie viuant.

De Scholis, ſciant, quos libros diſcipulis magiſtri interpretentur; &, an illi officio ſuo ſatisfaciant.

An magiſtri tales ſint, & ita admiſſi; quemadmodum in hac ſynodo mandauimus: ſi ſecus amoueantur.

De bibliothecis diligenter quærant, an in eis ſint hæretici libri; aut, qui aliter iure prohibeantur.

Si quid in omnibus ijs tollendũ, corrigendum ve fuerit, tollent, & corrigent; & ad puniendos delinquẽtes, cenſuras, & alia iuris remedia adhibebunt.

Omnes verò ſummo ſtudio monebũt, & hortabuntur; vt officij ſibi cõmiſſi munus fideliter, ac diligenter exerceãt.

Neque ſolum hæc, ſed quæcunque à Trident. Concilio, & à nobis præcipiuntur; & alia multa, quæ pro eorum prudentia, ac pietate ad vtilitatem, ac ſalutem populorum, eis in mentem venire poterunt, exquirent, & exequentur.

Caueant verò, ne legem victu, procuratione & muneribus à ſacro Tridentino Concilio definitam tranſeant.

Comitatum nõ habeant niſi neceſſarium; in quo plures omnino ne ſint quindecim hominibus, & iumentis duodecim. Si plures duxerint, alant ſuis ſumptibus. In menſa duo tantum fercula afferre liceat.

Quod ad reliqua attinet, decretũ, in hac ſynodo factũ, de epiſcopalis menſæ moderatione ſeruetur.

Si viſitator gradu inferior ſit epiſcopo, propoſitam à nobis viſitandi formulam in reliquis omnibus diligenter obſeruet; in comitatuque octo hominibus ad ſummum, & ſex iumentis contentus ſit.

Si præter huius decreti præſcriptum cuiquã graues fuerint, dupli reſtitutione teneantur, præterea inferiores, Epiſcopi arbitrio; Epiſcopus ſynodi prouincialis iudicio alias pœnas ſubeat. Dent autem operam, vt non ſolum quam diligẽtiſſime, ſed etiam quam celerrime viſitationẽ conficiãt.

De iudiciali foro Epiſcopi.

VT à foro epiſcopali, quantum fieri poteſt, auaritiæ labes amoueatur; &, quam minimis poſſint incõmodis, atq; ſumptibus cauſæ in eo agantur; nos, præter eam diligentiam, quam in ea re maximam epiſcopi, in ſua quiſq; diœceſi, adhibere debent; hæc ſtatuenda cenſuimus.

De notarijs, & ſcribis.

EPiſcopi intra ſex menſes omnibus notarijs, & ſcribis ſui fori, tam ciuitatis, quam diœceſis, communem taxam præfiniant, quam pro opere, & officij ſui mercede ab vnoque in ſingulis cauſarum generibus pro loci, & cuiuſcunque rei, ac perſonæ conditione exigi liceat.

Qui non obtemperarit, in eum vehementer animaduertant.

Singuli collegium notariorum curiæ Epiſcopalis primo quoque tempore inſtituendum curent; quod certum numerum pro ſuæ diœceſis conditione contineat.

Collegium ſtatuta, epiſcopo probanda, cõficiat; officiales, deligat, qui iudicent de eorum inter ipſos controuerſijs, quæ ad eorundem officium pertineant. In cauſas autem, quę inter notarios, & litigatores, extiterint, ſe omnino non interponant, ſed eas Epiſcopi iudicio relinquant. In alijs verò cauſis, ſi cuiquam cum eis in iudicio agere contingat, eorum iura, priuilegiaque ſeruentur.

Poſtulantibus teſtimonium formulæ curiæ, quam ſtylũ vocant, de aliqua cauſa nec detur, nec datum vim habeat; niſi ei

niſi ei maior collegij pars ſubſcripſerit. Cuius etiam formulæ exemplum, ab epiſcopo approbatum, & ſubſcriptum, publicè in collegio aſſeruetur.

Qui in collegium notariorum adſcribi voluerint, eos epiſcopus diligenter examine probet; tantum idoneos recipiat.

Excommunicatos, infames, & omnes, qui à teſtimonio dicendo iure repelluntur, reijciat.

Eos, qui vigeſimum quintum annum non attigerint, quique per quadriennium in notariatus officio integre, periteque non ſint verſati, non admittat.

Probatos prius non recipiat, quam iurarint Epiſcopo ea iuſiurandi formula, quæ infraſcripta eſt; quam etiam ab ijs, qui in notariorum collegium adſcripti iam ſunt, ad duos menſes præſtari iubemus.

Ego N. Notarius à Reuerendiſſ. D. N. Epiſcopo, vel D. N. eius Vicario delectus, nihil vel dedi, vel pollicitus ſum gratia huius officij obtinendi.

Commiſſum mihi munus diligenter, ac fideliter exercebo.

A litigatoribus, quorum fuero notarius, vel à quocunq; alio eorum nomine, quauis de cauſa nihil, ne ſponte quidē datum, accipiam; præter id, quod epiſcopi taxatione præfinitum fuerit.

Nihil agam; neque me, aut quemquam alium interponam, quo mihi vlla cauſa ſcribenda committatur.

Non ero promotor, vel procurator in cauſis, quæ agentur coram Reuerendiſſimo D. Epiſcopo, ſeu eius R. D. Vicario generali, vel aliquo ab eis conſtituto, ſeu eorum miniſtro.

In cauſis verò, in quibus ſum, vel fuero notarius, omnes actus iudiciales ſubſtantialiter in manuali, ſeu memoriali coram Reuerendiſſ. D. Epiſcopo, ſeu eius Vicarijs, aut alio ab eis præpoſito, &, etiam coram ipſis litigatoribus, ſi expectare voluerint, conſcribam. Conſcriptos eos, & inſtrumēta, & omnia alia & ſingula in cauſis producta, cum Reuerendiſſimus D. Epiſcopus, vel alij ſupradicti, ſeu litigatores, vel eorum aliquis, petierint; in regeſtum fideliter quam celerrime referam, vel referenda curabo.

Litigatorum poſtulatu, vel alicuius eorum, in ſingulis terminis ſucceſſiue litigatoribus ipſis copiam dabo, cum per Reuerendiſſimum D. epiſcopum, ſeu alios ſupradictos decreta fuerit, ſine recuſatione, & fraude, contentus mercede, Epiſcopi taxatione præfinita.

Secreta eiuſdem officij, & cauſarum nemini patefaciam, præſertim atteſtationes teſtium, & conſilia aſſeſſorum, atteſtationeſque & ſententias, donec publicatæ, & ſententiatæ, & per Reuerendiſſimum Dominum Epiſcopum, ſeu alios ſupradictos ſubſcriptæ fuerint. Conſtitutionibus, & mandatis Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi obtemperabo.

Inſtituta quoque officij, & officialium collegij honeſta iuſſa ſeruabo.

Nec vllo vnquam tempore contra faciam, & omnia, & ſingula ſupraſcripta, omni dolo, & fraude omnino remotis, inuiolate præſtabo; & ita promitto, & iuro; ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Nullus Notarius iudicibus Ordinarij delegatis, arbitris, nec arbitratoribus originales proceſſus deferat, ſed eorum tantum exempla, & regeſta fideliter collata; niſi alicuius inopia aliud aliquando epiſcopo ſuaderet.

In huiuſmodi exemplis, ſeu regeſtis nihil ſuperuacaneū ſcribant.

Quare nec dies feſtos ad ſubſtantiam rei nō neceſſarios, apponant.

Nec productarum citationum repetitiones cum inhibitione, vel ſine ea, ſed illarum executionem tantum, his, vel ſimilibus verbis adſcribant. Eo die, &c. reproducta fuit citatio, de qua ſupra, quæ fuit executa, vt ſupra.

Nec dignitates iudicum, vel litigatorum repetant; ſed ponant tantum his, vel huiuſmodi verbis; Reuerend. Epiſc. N. Iudex. N. Actor. N. Reus.

Nec in carta bibula ſcribant, nec ea litera, quæ legi facile non poſſit; ſin minus, male ſcripta epiſcopus notarij impenſa ſcribi melius iubeat; vel ab ijs, qui regeſtum petierunt, dimidiam tantum partem taxæ, vel maiorem, vel minorem, ſi ei videbitur, ſolui iubeat.

Notarij in literis dimiſſorijs, ſeu teſtimonialibus, ſacri Conc. Tridentini decretum ſeruent; in alijs, quæ mere ſpirituales ſunt, etiam ſi nullum ſtipendium eis conſtitutum ſit, nihil omnino accipiant; præter ſcripturæ mercedem, ab Ordinario ſtatuendam.

Qui notarij contra hæc decreta peccarint, vel alioqui in officio ſuo deliquerit, eos epiſcopi ab officij vſu ſubmoueāt ad tempus, vel etiam in perpetuum; ſi id delicti grauitas poſtularit; & alijs pœnis ſuo arbitratu coerceant.

Quæcumque de notarijs ſancita ſunt, ijs etiam ſcribas, & cancellarios teneri volumus.

Penſiones, in cancellarijs epiſcoporum aſſignatas, vel, quæ cuicumque ſoluantur, irritas, & nullas decernimus; niſi quæ iure tolli non poſſunt.

Cancellarias verò deinceps vendi, locari, vel earum nomine, vel occaſione, quouis prætextu cuiuſuis perſonæ, quidquam ſolui prohibemus.

Notarij, &, ſi qui præterea in hoc deliquerint, plectantur amiſſione officij; & alijs præterea pœnis Epiſcopi arbitratu.

De cauſidicis, aduocatis & fiſcalibus.

CAuſidici, aduocati, fiſcales, ad cauſas in foro epiſcopi ne adhibeantur, priuſquam iureiurando Epiſcopo ſe obſtrinxerint; ſe nullam cauſam ſuſcepturos, quam à iuſtitia, & æquitate alienam exiſtimauerint.

Hortamur etiam Principes, & magiſtratus, vt idem in laicorum cauſis ſeruandum curent.

De carceris cuſtodibus, & reis.

PRæſcribant epiſcopi taxam executoribus, vel miniſtris & carceris cuſtodibus, vt ab ijs, qui capti, & in carcerem incluſi ſunt, pro comprehenſione, & carceris commoratione, & victu id tantummodo exigatur, quod æquitas, & ciborum pretium poſtulet. Si qui carcere tenentur, ſibi, quę ad victum pertinent, ab alijs, quam à cuſtodibus, & miniſtris carceris ſuppeditari voluerint, id eis facere liceat; neq; propterea aſperius tractentur; aut in deteriora loca cōpellantur.

Mandent præterea, vt quamcunque pecuniam, veſtes, arma, aliaſve res ſecum habeant ij, qui in carcerem includūtur, tuto loco collocentur, & aſſeruentur. Qui locus duabus claudatur clauibus, quarum altera apud ianitorem carceris ſit, altera apud pauperum procuratorem.

Ex illis autem rebus, quæcumque, & quotcumque ſint, nihil vel ianitori, vel executori, vel cæteris miniſtris attingere liceat; ſed eis, ſi inde exierint, vel eorum hæredibus, vel illis, quibus à iudice attributæ fuerint, integræ, & intactæ aſſeruentur.

Qui contra fecerit, duplo mulctetur. Quæ mulcta ei, cui damnum datum ſit, attribuatur.

Curent etiam per certos homines, ab eis deligendos, ſemel in hebdomada viſitandos eos, qui in carcere tenentur; qui ſi illos indignius, & acerbius tractare compererint; referant ad Epiſcopum, qui pro ſua prudentia, ac pietate, ne quid iniquius fiat, omnino prouideat.

Deſignent verò epiſcopi aliquos, qui miſerabilium perſonarum cauſas gratis defendant.

Magnopere autem hortamur laicos magiſtratus, vt eiuſmodi in re eadem ratione vtantur.

De miniſtris Eccleſiæ, & diuinis officijs.

NE ſtudium, ac pietas eorum, &, qui celebrant, & qui audiunt diuina officia, perturbetur; neque quiſquam alieni muneris partes vſurpet, ſed ſuum quiſque officium diligenter exequatur; omniaque vt debent, in Domo Dei ordine fiant: decreto ſacri Tridentini Concilij obtemperantes, quod in prouincialibus ſynodis certam diuinis officijs, & Eccleſiæ miniſtris formulam pro cuiuſque prouinciæ ritu, & moribus præſcribi voluit, hæc ſtatuimus.

Communia de miniſtris.

CAthedralium, & collegiatarum eccleſiarum capitula, quibus ius eſt creandi cuiuſvis generis officiales,& miniſtros,in eiſdem eccleſijs initio anni ſemper tres diligant Canonicos; quorum munus ſit, cum huiuſmodi creatio facienda erit,prius diligenter de eorum, qui creandi erunt,moribus inquirere;deinde coram epiſcopo iurare,eos, quod ipſi ſciāt,probos,idoneos,& dignos eſſe,qui ei muneri præponātur. Quod ſi aliter officiales creentur, eorum creatio nulla,& irrita ſit.

Archidiaconi, Archipresbyteri, alijque in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, Canonici, & reliqui eccleſiarum miniſtri in ſacris eccleſiæ officijs munus ſuum ipſi obeant, non per alios exerceant.

Singulorum autem munera,atque officia,ad res diuinas obeundas pertinentia, hac ſynodo explicanda illa quidem videbantur, ſed, quoniam, quæ ijs de rebus ſacrorum canonum legibus olim explicata ſunt, ea partim vſu eorum neglecto, obſcurata ſunt; partim pro varia, & locorum,& temporum ratione iam pœne omnino mutata videntur;non certa quædam præcepta tradi,ac præſcribi facile poſſunt,ad quorum ſane rationem omnis vniuſcuiuſq; eorum munerum regula, atque vſus dirigeretur; eam ob cauſam his noſtris decrêtis ea tantum munera præſcribenda cēſuimus,quæ ad eccleſiarum,quę in noſtra prouincia ſunt,adminiſtrationem hoc tempore pertinere maxime viderentur.Sed quæcumque alia etiam munera vel communi iure, vel probatis cuiuſque eccleſiæ conſtitutionibus, vel dignitatum, perſonatuum, portionum, aliorumve officiorum eccleſiaſticorum inſtitutione, ipſis eccleſiæ miniſtris in officijs diuinis attribuuntur:ea omnia magna cura, ſummaque diligentia ſtudeant epiſcopi ab omnibus ſeruari: &, quæ antiquata ſunt,ad vſum reuocari. Nec verò ab ijs præſtandis cuiquam ſe propterea excuſare liceat, quod his noſtris conſtitutionibus ex ijs officijs aliqua alijs miniſtris,vel alio nomine appellatis,adſcripta ſint.

Quod ſi aliqua dignitas, perſonatus, aut officium in eccleſia fuerit,cui neque ab inſtitutione,neque à iure communi, neque à proprijs conſtitutionibus, quæ probatæ ſint, neque his decretis proprium munus in diuinis officijs ſit attributum,aut quod ſit,non ſatis conſtet; Epiſcopi, duobus adhibitis de Capitulo,quorum alter ab epiſcopo, alter à Capitulo deligatur, aſſignēt ſingulis dignitatibus, & officijs proprium munus, quemadmodum cum ſentētia ſacrorum Canonum,& cum propriæ eccleſiæ probatis conſtitutionibus, & cum his ſanctionibus pro ratione loci magis congruere iudicabunt.

Cæteris etiam beneficijs, quæcumq; iam ab eccleſiaſticis officijs immunia reperiuntur,ſiue Canonicatus,ſiue Clericatus,ſiue etiam ſimplicium nomine appellentur, ijs Epiſcopus priſtina munera reſtituat. Ac,ſi non cōſtat ſatis, qualia ea eſſent,pro fructuum ratione onera imponat aut Miſſas,diuinaque officia celebrandi, aut ſi clericatus, ſimpliciave beneficia ſunt, minorum etiam ordinum functiones obeundi ad diuini cultus propagationem. Nec verò tamen vetamus,quin talia beneficia vnire epiſcopo liceat ea facultate,ſibi communi iure, Concilioque Tridentino permiſſa.

Ea verò officia, & cætera, quæ in diuinis rebus à nobis hac ſynodo præcipiuntur;epiſcopi,propoſitis cenſuris,& alijs pœnis efficient, vt ab omnibus ea ratione, qua dictum eſt,diligenter præſtentur.

Ne multis eccleſiæ miniſtris eodem tempore abſentibus diuinus cultus deſeratur; Canonici,&,qui præterea choro,vel eccleſiæ addicti ſunt,quo tempore eis à iure communi,vel à ſacro Tridentino Concilio permiſſum eſt, vt ab eccleſia abeſſe poſſint; à Præſidente chori, ſi triduo reuerſuri ſunt,ſi diutius abſuturi,ab Ordinario facultatem diſcedendi petant.

Si quid præterea ab eo, qui diſceſſurus eſt, eius eccleſiæ conſtitutiones requirunt;in eo conſtitutionibus pareat.

Nemini autem ita prolixæ abſentiæ licentia, vt eo tempore diſtributiones quotidianas percipiat.

Nixi etiam conſtitutione Bonifacij VIII. & Tridentini Cōcilij auctoritate,decernimus, vt nulla Canonicorum aut aliorum pactio, remiſſio, vel colluſio fiat;factave vim habeat; nullum ve ſtatutum aut conſuetudo, quæcumque illa ſit, valeat, quibus aut abſenti quauis de cauſa eius vel ſacræ horæ, in qua muneri ſuo defuerit, aut omnino cuiquam contra, quam iure communi, & eiuſdem Tridentini Concilij,& his noſtris conſtitutionibus definitum ſit, diſtributiones quotidianæ dari poſſint. Si datæ fuerint, qui acceperit,ſuas non faciat, ſed eas reſtituat; quæ iure ipſo accreſcant alijs inſeruientibus,qui huiuſmodi pactioni, remiſſioni, colluſioni, vel præbitioni aſſenſi non fuerint; niſi ex conſtitutionibus eccleſiæ probatis,alteri debeantur. Si verò omnes conſenſerint, vſibus eccleſiæ iam tunc addictæ intelligantur.

Declaramus autem in his excipi eos, qui ob infirmitatē, vel aliam neceſſitatem, aut manifeſtam eccleſiæ vtilitatem ex ipſa cōſtitutione Bonifacij,aut ſacris canonibus, vel Tridentina ſynodo excuſantur.

Efficiant epiſcopi intra ſex menſes,vt in eccleſijs cathedralibus, & collegiatis, in quibus vel nullæ, vel tenues ſunt diſtributiones quotidianæ, tertia fructuum pars omnium dignitatum,& canonicatuum,aliorumque redituum, quēadmodum à Tridentino Concilio præceptum eſt, in quotidianas diſtributiones conuertantur.

De officio eius, qui choro præſidet.

IN cathedralibus,& collegiatis eccleſijs, qui choro præſidet, vigilet diligenter, ne quid prætermittatur in diuini officij inſtitutione,vel progreſſione, vel in reliquis, quæ ad probatam Chori rationem pertinent, & alijs, quæ communibus,vel proprijs conſtitutionibus, in diuinis officijs obeundis præſcribuntur. Neve abſurde, indecore,vel præpoſtere quidquam fiat. Si qui ſuo officio nō ſatisfaciant, eos grauiter, & amanter obiurget; ſi non reſipuerint, iubeat punctatorem in libro illos deſcribere, & ad epiſcopum deferre, cui dignitas pœnas pendant. Sin ipſe in ſuo munere obeundo negligēs fuerit, ab epiſcopo, vel ab alio, qui eccleſiæ præſit,puniatur.

Si quæ autem eccleſia non habet, qui huic muneri nominatim præpoſitus ſit, vel ſi habet, is non adſit in Choro, præſidentis officio fungatur,qui primo Chori loco tunc ſedet ex ijs,qui dignitates, aut Canonicatus in ea eccleſia obtinent.

De ijs, qui dignitates,perſonatus,aut Canonicatus habent.

QVi dignitates, aut perſonatus in eccleſijs obtinent, & Canonici nominis, ac inſtitutionis ſuæ memores ea pietate,& aſſiduitate diuina officia colere debent;vt alij eorum exemplo ad ſtudium,& amorem diuini cultus accendantur.

Itaque auctoritate etiam Tridentini Concilij præcipimus, vt, cum in Choro pſallendum eſt, ipſi quoque quantū honoris gradu cæteris præſtant, tanto ſtudioſius pſalmis, hymnis, & Canticis vna cum alijs modulantes, Dei laudes concelebrent. Cui officio ſi defuerint,pro abſentibus habeantur;& earum horarum, quas ea ratione non obierint, diſtributionibus mulctentur.

Conſtituatur ex Canonicis ſacerdotibus hebdomadarius,qui diebus infra ſtatutis Miſſam, & Veſperas canat; cui octauo die ſuccedat alius eiuſdem ordinis: idque ſemper, aut in orbem fiat;aut alio modo,pro eccleſiæ conſuetudine. Is,ſi ſuo officio defuerit,trium dierum diſtributionibus careat;quas epiſcopus arbitrio ſuo, vel cæteris,Choro operam dantibus, diuidat; vel in locorum piorum vſum conferat: tributa tamen aliqua parte canonico,qui collegę munus expleuerit.

Reliqui canonici decoro cantu antiphonas exordiātur, quas Manſionarius dictarit.

Si celebranti epiſcopo, aut alia pontificalia exercenti, diligenter non adſiſterint,& inſeruierint; pœnam ſubeant, quæ ei videbitur.

Quibus canonicatibus,præbendis,dignitatibus,aut perſonatibus,& officijs adiunctum eſt munus aliquod presbyteri, diaconatus, aut ſubdiaconatus; qui ea obtinent, ſi, quemad-

quemadmodum à Tridentino Concilio præſcriptum eſt, ſuo officio per ſe nõ fungantur; priuentur eius officij diſtributionibus, in quo muneri ſuo defuerint: niſi legitime impediti, impetrata licentia ab eo, qui choro præſederit, vel ſuperiore ordinario per alios ſatisfecerint.

Quibus autem canonicatus, ac portionibus non eſt annexus ordo presbyteratus, diaconatus, & ſubdiaconatus, ijs epiſcopus, cum conſilio capituli, ſingulis ſingulos ordines annectat; quemadmodum à Tridentina ſynodo præſcriptum eſt.

Canonici, quo tempore diuina officia celebrantur, non habeant capitula; niſi fortaſſe aliter euidens neceſſitas poſtularit. Qui contra fecerint, diſtributioné ne capiant eius horæ, in qua id commiſerint.

Neque etiam diebus feſtis capitula habeantur: niſi probabilis cauſa interceſſerit.

De officio magiſtri Chori, & Cæremoniarum.

CHori, vel cæremoniarum magiſter, ſiue alio huiuſmodi nomine appelletur, qui diuinis officijs celebrandis tanquam magiſter eſt, denunciet officium ſimplex, vel ſolenne celebrandum.

Quando de Dominica, de feſto, vel de feria.

Quæ antiphonæ, orationes, pſalmi, lectiones recitandæ, aut canendæ.

Quando ſtandum, ſedendum, caput ſubmittendum, aut flectenda genua.

Omnes eccleſiæ miniſtros ſui officij admoneat.

Adoleſcentes, vel rudes, quibus Euangelium, epiſtola, vel aliquid eius generis publice recitandum ſit, prius in ſacriſtia audiat, & erudiat.

Eum omnes audiant; qui non audierint, ab eo, qui choro præſidet, corripiantur; &, ſi opus erit, ad epiſcopum deferantur.

Tabellam in ſacriſtia affigendam conficiat, in qua præſcribat, quid à ſingulis canonicis, vel alijs beneficiatis in ſingulis horis per hebdomadam, aut etiam per plures dies recitandum, cantandum ve ſit. qui, quo tempore, & ordine Miſſam celebrare, vel horas dicere, aut alia munera obire debeant.

Qui autem, quod ei in tabella præſcriptum fuerit, non fecerit; in quam horam peccarit, eius diſtributiones amittat.

Si magiſter in officio ſuo deliquerit, à præſidente chori obiurgetur; & ab Ordinario puniatur pro delicti modo. Si in aliqua Eccleſia nõ fuerit huiuſmodi officium, epiſcopus, Capitulo adhibito, ad id conſtituat clericum aliquem probatis moribus, & in diuinis officijs exercitatum: cui ſtipendium det, communibus etiam ſumptibus, ſi opus erit.

In qua vero eccleſia fuerint magiſter cæremoniarum, & magiſter chori diſtincti, ſuas cuique munerum partes ex his regulis epiſcopus, de Capituli conſilio, arbitrio ſuo attribuat.

De officio Sacriſtæ.

SAcriſta habeat cuſtodiam ſacrorum vaſorum, veſtimentorum eccleſiaſticorum, & totius theſauri eccleſiaſtici.

Vaſorum, veſtimentorum, inſtrumentorum, & ornamentorum, omnium altarium, & reliquorum omniũ munditiæ, nitorique conſulat.

Eiuſdem curæ ſint lumina, cera, & oleum.

Vinum, hoſtias, candelas, & cereos, cæteraque è ſacriſtia neceſſaria ad diuina officia præparet.

Aquam benedictam ſingulis hebdomadis, vel etiam ſæpius, ſi opus erit, ipſe renouet; vel ab alijs renouãdam curet.

Altare maius, & omnia alia, præcipuè diebus feſtis, decenter ornet.

Hora congrua ipſe, vel alius eius vice, campanæ ſono det ſignum matutini, Miſſæ, & aliarum horarum canonicarum.

Habeat in ſacriſtia tres tabellas; vnam, in qua omnes Miſſę, & officia pro mortuis, & reliqua deſcripta ſint, quę ex impoſito onere, ac munere, quacumque de cauſa in ea eccleſia celebrari oporteat; alteram, in qua vniuſcuiuſque dignitatis, canonicatus, præbendæ, capellæ, altaris, ſeu alterius beneficij & officij eius eccleſiæ in Miſſis, & alijs diuinis officijs obeundis debita munera contineantur; tertiam, quam ſupra diximus, à magiſtro chori conficiendã eſſe. Curetque, vt quæ tribus his tabellis præſcripta ſunt munera, à quibus debet, omnino præſtentur.

Eiuſdem officium erit operam dare, vt è ſacriſtia ſermones de inanibus, profaniſque rebus, multoque magis iurgia, rixæ, & turbæ omnes arceantur.

Laicos ibidem verſari ne patiatur.

Nemini permittat, vt ſacris veſtibus induatur; niſi tunc, cum ei Miſſa celebranda ſit.

In ijs, qui primo, qui ſecundo loco, qui deinceps Miſſam celebrare debeant, ordinem tabulæ ſeruandum curet.

Si quis autem ſuo tempori præſto non fuerit; vel ei, quẽ abſens ſuo nomine ſubſtituerit, vel proximo poſt abſentẽ, ſuo arbitrio, Miſſæ locum det.

Duobus autem ad ſummum, poteſtatem faciat eodem tempore parandi ſe ad Miſſæ celebrationem.

De officio Manſionarij.

MAnſionarij, qui chori ſunt quaſi quædam columnæ, totum fere horarum, ac diuinorum officiorum pondus ſuſtinentes, munus ſuum accuratè obeant.

Cum oportuerit, ad lectorile accedant; vt antiphonas, reſponſoria, gradualia, & alia huius generis canant.

Solennibus feſtis diebus, &, quoties opus erit, pluuialia induant; niſi alij nominatim huic officio præfecti ſint.

Si muneri ſuo defuerint, illius horæ, in qua non ſatisfecerint, diſtributione priuentur; & alij eius arbitratu, qui choro præſidet, illorum officij partes ſuſcipiant.

Iidem, vt muneri ſuo commodius ſatisfacere poſſint, ab ijs oneribus liberentur, quibus ad chori vtilitatem, magiſtri cæremoniarum, & eius, qui choro præſit, arbitrio leuandi videbuntur, neque pro tempore diuina officia officia in choro fiunt, paruam Miſſam celebrent; niſi neceſſitas poſtularit.

Eiſdem epiſcopi honeſtum ſtipendium conſtituendum curent. Quod, ſi illis etiam dantur diſtributiones, eodem tempore, quo canonici, pro officij, & laboris modo eas percipiant.

Ex Manſionarijs duo in ſingulas hebdomadas deligantur; idque in orbem fiat; niſi aliud probatus eccleſiæ mos requirat.

Horum alter officium ordiatur, & perficiat, conſiſtens in medio choro, vel ad lectorile, quod ab ea parte ſit, vbi is fuerit: Miſſam etiam feſtis diebus ſemiduplicibus canat; niſi alij ſint ei muneri præpoſiti.

Alter pſalmorum tonum inſtituat pro tempore, antiphonarum, quæ vbi legendæ fuerint, ab ipſo tantum, vel ſolum ab alio legantur. Diebus vero feſtis in decantandis antiphonis, canonicis, & alij voce præeat; &, quæ cantanda, vel legenda ſint, ipſis indicet. Is, antequam officium inchoetur, chorum ingreſſus, libros præparet; Miſſam, pſalmos, antiphonas, & alia, quæ vſus requiſierit, inueniat.

Manſionarij in ſuo munere contumaces, vel negligentes, pro modo culpæ, iudicio eius, qui choro præſit, diſtributionibus careant.

De officio Punctatoris.

PVnctatoris creandi morem in omnibus eccleſijs cathedralibus vel collegiatis retineri iubemus.

Is in menſem, vel in aliud certum tempus pro cuiuſque eccleſiæ conſuetudine à Capitulo conſtitutus iuret; ſe in officio ſuo obeundo fidem, ac diligentiam præſtiturum.

Studioſe exploret, & in libro punctationum notet omnes, quicumque ij fuerint, qui ſacras horas, & diuina officia non obierint; quique contra, quam his, alijſve conſtitutionibus præſcriptum eſt, in choro quidquam fecerint. qua in re is nullius non odio, non amore, non ſpe, non metu moueatur.

Si aliquem iniuria notarit, de ſuo ei ſatisfaciat; ſi vero notandum prætermiſerit, de ſuo item tantundem det, quod

in Eccle-

in eccleſiæ vſum conuertatur; & integras vnius hebdomadę diſtributiones amittat.

Libros punctationum diligenter cuſtodiat, & epiſcopo, & Capitulo ſingulis mėſibus exhibeat; &, quoties id epiſcopus vel Capitulum poſtularit.

Quo tempore is in officio punctatoris permanſerit, ſacris horis, & officijs omnibus interſit; niſi abſit de eius licentia, qui choro præſidet: quo tempore alium, ab eodem chori præfecto probandum, ſubſtituat, qui ſuo muneri ſatisfaciat. Si ſecus fecerit, pro ſingulis vicibus vnius diei diſtributionem amittat.

Vt autem hoc officium melius exerceatur, neminique aliquid iniuſte aut remitti, aut adimi poſſit; præter delectū à Capitulo alter punctator ab epiſcopo creatur. Is, ſupraſcripto iureiurando apud epiſcopum præſtito altero in libro omnes, qui ſuo muneri defuerint, notet. Singulis hebdomadis ambo punctatores libros inter ſe conferant; & ſi qua in re diſcreparint, epiſcopus, vel eius Vicarius illico omnem eorum controuerſiam ſine vlla forma iudicij, ſublato quocumque etiam appellationis impedimento, dirimant.

Epiſcopus deligat ad id punctatoris officium, quem voluerit, idoneum clericum.

Eidem epiſcopo facultas ſit, de ea cathedrali, vel collegiata eccleſia, in qua punctator creandus ſit, omnes, quoſcūque libuerit, propoſitis pœnis ſuſpenſionis à diuinis, & alijs ſuo arbitratu cogendi, vt id munus ſuſcipiant, & obeant.

De officio theſaurarij.

THeſaurarius Capituli, ſiue alius quocumque is nomine dicatur, qui quotidianas diſtributiones partitur, curet ipſas vnicuique diſtribuendas pro rata parte laboris, & officij ex iuris, & harum conſtitutionum præſcripto, & ex ordine librorum punctatoris.

Is diſtributiones eorum, qui abſentia, vel errati cauſa notati fuerint, ne perſoluat; ſi id fecerit, tantundem de ſuo det, quod in eccleſiæ vſum conferatur; & ob eam cauſam etiam vnius menſis diſtributiones amittat.

De officio cuſtodum.

CVſtodes eccleſię, vel quicumque alio nomine id negotium curant, obſeruent diligentiſſime, & clericos, & laicos, contra decorum, & honeſtatem eccleſiæ delinquentes; eoſque ſui officij moneant; ac ſi non reſipuerint, ad chori præfectum, vel epiſcopum deferant.

Omnia, quæ eccleſiarum honeſtati, ornamento, decorove officere poſſint, prohibeant, & arceant.

Neve quemquam noctu in eccleſia morari ſinant.

Maxime autem vigilent, ne altaria ſpolientur, aut quidquam ex eccleſia ſurripiatur.

e functionibus minorum ordinum ad vſum reuocandis,

EPiſcopi ex Tridentini Concilij præſcripto veteres ſacrorum ordinum functiones, quibus in locis intermiſſæ ſunt, ad vſum reuocandas omni diligentia curent.

Atque ideo, in cathedralibus ſaltem eccleſijs, ſex menſiū ſpatio, ſingulis minoribus ordinibus inſtituant aliquos, quibus ex eiuſdem Concilij formula ſtipendium attribuant; vt non ea ſolum munera, quæ illis infra præſcribimus, in eiſdē eccleſijs expleant; verum etiam cætera, quæ ſacris antiquorum canonum decretis ad eos pertinere epiſcopi cognouerint. ac, ſi quæ item alia ad cuiuſque eccleſiæ vtilitatem, dignitatemve eiſdem pro temporis ratione imponenda duxerint.

Quibus ſic conſtitutis, licebit epiſcopo ab eorum officiorum, quæ ab ijs deinceps præſtanda erunt, munere alios liberare, quibus id oneris ex noſtris conſtitutionibus ſupra impoſitum eſt.

De Oſtiario.

Oſtiarius fores eccleſiæ cuſtodiat.

Eccleſiam ſuo tempore claudat, & aperiat.

Infideles, hæreticos, excommunicatos, & alios, quibus iure interdictum eſt, ab eccleſia arceat, & eijciat.

Ne populum propius ad ſacerdotem, rem diuinam facientem, accedere patiatur.

Campanas pulſet.

In eccleſia dormientes, vendentes, ementes, deambulātes, colloquentes, aliave ratione officia diuina perturbantes, & quouis modo indecore atque irreuerenter ſe habentes, moneat. pertinaces ſint, expellat; aut ad ſuperiorem deferat.

Mendicantes excludat.

Eccleſiam verrendam curet.

Bruta denique, caneſque expellat.

Quidque in eccleſia dedecet, amoueat.

De Lectore.

LEctor in eccleſia prophetias, quæ in Miſſa legēdæ ſunt, & lectiones pronunciet, quæ ex Veteri, & Nouo Teſtamento in matutinis dicuntur.

Pueros, ſi ita epiſcopo videatur, prima fidei rudimenta doceat.

De Exorciſta.

NEmo energumenis manus imponere, aut cauſa eijciēdi dæmones exorciſmos legere audeat; niſi exorciſtæ ordine ſit initiatus.

Is exorciſmos memoriæ mandare ſtudeat, idque ex libris, epiſcopi iudicio comprobatis, &, cum res poſtulauerit, vt eo munere fungi oporteat, id ne agat; niſi conſulto, & cōſentiente epiſcopo.

Epiſcopus autem nemini, ne ſacerdoti quidem permittat, vt id munus exequatur; niſi eius ætatē, & mores probarit.

Caueat etiā, ne intercedat vllus in exorciſmis quæſtus, neve vlla curioſa percunctatio præſertim, quę ad diuinationem pertineat.

De Acolutho.

ACoIuthus ſubdiaconos, & diaconos ad altaris obſequium aſſectans, eis inſeruiat.

Lumina accendat, & deferat.

Vrceolos vini, & aquæ ad Miſſę ſacrificium paret.

Communia de ratione diuinorum officiorum.

VIdeant epiſcopi, alijs doctis, & pijs viris adhibitis, ne quid apocryphum legatur in diuinis officijs, &, quoad eius fieri poſſit, à communi Romanæ eccleſiæ officio ne diſcedatur.

Diuina officia ex ordine calendarij, & eccleſiæ inſtituto celebrentur: nec ea ratio ſine iuſta cauſa mutetur. quamobrem à magiſtro chori cathedralis eccleſiæ, vel alio, cuius id munus ſit, edatur ſingulis annis calendarium dierum feſtorum; quo ſingulorum dierum officij ratio præſcribatur.

Omnes inferiores eccleſiæ, quæcumque illæ ſint, diuinorum officiorum rationem dirigant ad regulam calendarij cathedralis eccleſiæ; neque ab ea diſcedant. Si quæ verò eccleſiæ diuinorum officiorum alios ritus habent, Apoſtolica auctoritate conceſſos, eis vtantur; veruntamē ea quoq;, quæ hic de diuinorum officiorum ratione præſcribuntur, vbi Apoſtolicæ conceſſioni expreſſe non aduerſentur, inuiolate ſeruent.

In vrbibus, oppidis, aut vicis nullum ſignum communium officiorum campana detur ante ſignum cathedralis, vel cuiuſque loci matricis eccleſiæ, niſi epiſcopo aliud videatur; maxime verò ſabbato hebdomadæ ſanctæ, & in Angelica ſalutatione matutina, meridiana, & veſpertina; qua in re matutinum excipimus, quod non vbique eodem tempore dici ſoleat.

Horæ canonicæ oēs quotidie in choro dicātur; quæ ratio neq; concione, neq; ſolēni Miſſa, neq; alia cauſa impediatur; niſi euidēs neceſſitas interceſſerit, de qua iudiciū ſit epiſcopi.

Nec horæ aliquæ B. Virginis, ne in matutino quidem, in choro omittantur; exceptis diebus & locis, quibus ex ratione officij eas prætermittere licet.

Horæ

Horæ ita commodè diuidantur, vt manè aliquod interuallum, ſi id fieri poterit, ſine detrimēto diuini cultus detur canonicis, & alijs ad ſtudium diuinæ ſcripturę, aut ſacrorum canonum.

Chorus ita vel ſepiatur, vel conſtituatur, vt tempore diuini officij laicis aditus in eum eſſe non poſſit; vel ſaltem à clericis ſeiuncti ſint.

In choro, vel omninò in eccleſia nemo miniſtret ſine ſuperpelliceo, aut cæteris indumentis, quæ pro ratione officij requiruntur.

Superpellicea latis ſint manicis, non anguſtis, inſtar rocheti.

Candelæ & cerei in Miſſa & alijs diuinis officijs ea exiguitate ne adhibeantur, quæ in tanto myſterio dedeceat; & adſtantibus offenſionem adferre poſſit.

Epiſcopi ne patiantur circulatores, circumforaneos, & id fallax hominum genus tempore diuinorum officiorum in foris, & plateis eccleſiarum verſari; vt ne populus, illecebris eorum artificijs ab eccleſijs euocat॰, ſalutares cogitationes abijciat.

Curent ijdem, vt ex eo more pulſandi in tenebris ſanctę hebdomadæ ad repræſentandam creatarum rerum perturbationem in paſſione creatoris, omnis licentia, & indecorus tumultus amoueatur.

De Muſica, & Cantoribus.

IN diuinis officijs, aut omninò in eccleſijs, nec prophana cantica, ſoni ve, nec in ſacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppreſſæ, quàm ore expreſſæ, aut denique laſciua vlla canendi ratio adhibeatur.

Cantus, & ſoni graues ſint, pij, ac diſtincti, & domui Dei, ac diuinis laudibus accommodati: vt ſimul & verba intelligantur; & ad pietatem auditores excitentur. Cantores, vbi fieri poteſt, clerici ſint; omninò autem in choro clericalibus veſtibus, & ſuper pelliceo vtantur. Organo tantùm in eccleſia locus ſit, tibiæ, cornua, & reliqua muſica inſtrumenta excludantur.

Et ſi in hymnis, pſalmis, & canticis, ſuis vicibus, organo canatur; omnes tamen eorum verſiculi in choro diſtinctè pronuncientur.

Quando, & quo modo ad diuina officia conueniendum.

CVM in eccleſiam ad diuina officia diurna, vel nocturna conueniendum erit, id campanæ ſono ſignificetur; ea interpoſita mora, qua omnes facilè poſſint conuenire. Signo audito, qui dignitates in eccleſia, etiam ſi præfecti ſunt, perſonatus ve, aut canonicatus habent, cæterique omnes, qui intereſſe debent, præparent ſe ad diuinas laudes: & maturè ad eccleſiam progrediantur.

Ingreſſi in eccleſiam, ſanctiſsq; ad ſacroſanctam Euchariſtiam, vel, vbi ea nō ſeruatur, ad altare maius precibus, recta in ſacriſtiam proficiſcantur.

Quo loco, retenta talari veſte, ſuperpelliceum aſſumāt, & reliquum veſtitum ad ſacrum munus neceſſarium. Quod vt ſeruos Dei decet, tacitè, & modeſtè faciant.

In ingreſſu chori ad matutinum, & alias horas, & diuina officia, is ordo ſeruetur.

Vt paulò poſt vltimum campanæ ſignum ad item diuinam faciēdam, vniuerſis in ſacriſtia paratis, pulſetur paruula campana, qua egreſſus ſacerdotum ad Miſſas celebrandas ſignificari ſolet; vt omnes, qui in eccleſia, vel circum eā ſint, diuini officij celebrationem inſtare intelligant.

Poſteà omnes, de ſacriſtia ordine procedentes, exeant. Et vbi ſe ad altare humiliter inclinarint, ſuum quiſque locum in choro adeant.

Ibi flexis genibus, & ſubmiſſa voce ſaltem orationem Dominicam dicant.

Deinde dato ſigno, vel pronunciato, Pater noſter, per hebdomadarium, ad initium officij omnes ſurgant, & officium inchoetur.

Qui verò in eccleſia, vel circum eam, aut in ſacriſtia fuerit, & eo ordine chorum ingredi neglexerit, dimidia parte diſtributionum illius horæ priuetur; niſi aliqua de cauſa, quæ ei, qui choro præſidet, vel Ordinario probetur, impeditus fuerit.

Si quis auſus fuerit inchoare officium, priuſquàm eo ordine in chorum conuenerint, & diſtributionem illius horæ amittat, & grauiori etiam pœna ab Epiſcopo plectatur.

Si quis autem, alijs in choro iam conſiſtentibus, aduenerit, idem inſtitutum ſeruet, & in ſacriſtia, & in choro.

Si quis non venerit ad matutinum ante finem capituli de beata Maria Virgine, cùm de ipſa officium celebratur; alioqui ante finem pſalmi, Venite exultemus; in alijs etiam horis, ante finē primi pſalmi, pro abſente habeatur, illiuſq; horæ diſtributione careat.

In Miſſa verò, niſi venerit ante finem vltimi Kyrie eleyſon, eandem negligentiæ pœnam ſubeat.

Si quis, cùm poſſit initio officij, vel ſupplicationum conuenire, aduentum ſuum in extremum à nobis præfiniti temporis punctum de induſtria diſtulerit; abſentis loco habeatur.

Quo modo verſandum in choro.

OMNES in choro diuina officia, vt temporis ratio poſtulārit, alternis vocibus canant, recitent, attenteque audiant.

Id non curſim, non perturbate, non oſcitanter, ſed leniter, diſtinctè, ac ſtudioſè faciant.

In choro pro temporis, & officij ratiōe, ex inſtituto, & more Eccleſiæ ſedeant; ſtent; flectant genua; caput aperiant; & ſubmittant, cæteraque eius generis adhibeant. Omnes verò æquè idem faciant.

In choro etiam in matutino officio, clericali birreto, non pileo vtantur; alioqui moneantur à præſidente chori, vel ab eo, qui proximo loco ſedet: & niſi paruerint, pro abſentibus habeantur.

Faceſſant ſomnus, riſus, ioci, rixæ, colloquia.

Ne vagentur in choro, vel Eccleſia.

Neve locum mutent, ne occaſione quidem genua flectendi.

Ne in choro, vbi communi officio opera datur, priuatim officium dicant.

Neve literas, libros, alia ve ſcripta legant.

Ne exeant, niſi diuino officio cōfecto, ne cauſa quidem de communi re agendi; ſi neceſſitas non coegerit: tumque à præfecto venia petita.

Si, cùm diuina celebrantur officia, ſacerdoti, vel clerico, vel miniſtro, interdum per Eccleſiam neceſſariò ſit incedendum, grauiter, & modeſtè id faciat. Neque cum vllo ſermonem habeat de rebus inanibus.

Qui dignitates, aut perſonatus habent, canonici, & alij omnes, qui aliquid in his commiſerint; ſi moniti à pręſidente chori, non reſipuerint, & horę illius diſtributione careāt: & pro modo culpæ alias pœnas dent, Epiſcopi, aut eius, qui Eccleſiæ præſit, arbitratu.

Quomodo à choro recedendum.

POST diuinum officium in choro flexis genibus ſubmiſſa voce ſaltem orationem Dominicam dicant.

Tum vel ſurgente, vel ſignum dante hebdomadario, conſurgant omnes.

Et inter ſe conſalutantes, & ordine procedentes, ſimul exeant; & de more ante altare ſe inclinent.

Eodemq; ordine ad ſacriſtiam progrediantur; vbi modeſtè, & quietè ſuperpelliceum exuant, non in Eccleſia. Qui ſecùs fecerit, monitus à præfecto chori, niſi reſipuerit, diſtributionem illius horæ ne capiat: & ab Ordinario pro modo culpæ plectatur.

De matutino, & prima.

MATVTINVM officium vel media nocte, vel ſaltem eo tempore inſtituatur, vt ſub ortum Solis abſolutum ſit; vel ea hora, quam Epiſcopus pręſcripſerit: ea

men habita ratione vt verè matutinum dici poſſit; & aliæ oræ, Miſſæ, & officia maturè perfici queant. Sed prætereà orum canonicorum, & clericorum commoditati conſuıtur, qui prope Eccleſiam non habitant.

Matutinum veſperi non dicatur; exceptis tamen dieus Octauæ feſti, & ſolennis diei Corporis Domini noſtri eſu Chriſti, cæteriſque diebus, quibus ex Romanæ Eccleiæ inſtituto eſt permiſſum in ijs Eccleſijs, vbi hæc conſueudo ſeruatur.

Matutinũ in choro Eccleſiæ celebretur quouis anni temore.

At ſi tamen vehemẽti frigora ſint, vel aliæ vllæ iuſtæ cauæ intercedant; de licentia Epiſcopi in ſacriſtia, vel honeſto lio eius Eccleſiæ loco dici poſſit.

Prima, oriente Sole, dicatur, vel paulò poſt, pro conſueudine Eccleſiæ.

De Miſſa ſolemni.

EPISCOPVS Miſſam maiorem, & Veſperas, niſi impediatur, paſchalibus, & alijs maioribus feſtis diebus cantet.

Diebus verò Dominicis, & feſtis duplicibus Canonicus hebdomadarius hoc faciat: niſi ijs diebus ij, qui in Eccleſia dignitates obtinent, id munus obibunt vel Eccleſiæ inſtituto, vel Epiſcopi iuſſu.

Alijs diebus, niſi de more, vel inſtituto Eccleſiæ id munus ſit canonicorum, quod ſeruari iubemus. Idem præſtabunt Manſionarij, aut alij ſacerdotes, ad id deſignati.

Qui ſacerdos Miſſam ſolemnem in Eccleſia cathedrali vel collegiata celebrare debet, & ſuo muneri defuerit; niſi legitimè impeditus, eius rei facultatem à præſidente chori, vel ſacriſtia impetrârit; in ſingulas vices ſoluat decem ſolidos, in vſum Eccleſiæ vel ſacriſtiæ erogandos, arbitrio Epiſcopi, vel ei dandos, qui illius loco celebrârit.

Qui impeditur, quo minùs Miſſam celebrare poſſit, ſacriſtam moneat in tempore; vt, accepta eius excuſatione, curare poſſit, vt ab alio Miſſa celebretur.

Epiſcopo, & ei, qui in Eccleſia dignitate præditus ſit, & canonico, die feſto ſolẽnem Miſſam celebranti, adſiſtat ſacerdos, qui Adſiſtens dicitur, pluuiali indutus.

Si adſiſtendi munus nemini attributum eſt, Epiſcopus cum Capitulo attribuat; vel certos eligat ſacerdotes, qui id in orbem obeant; cuius officij immunes ſint, hebdomadarij, magiſter chori, & punctatores.

Diaconus etiam, & ſubdiaconus eiſdem miniſtrent, ſacris veſtibus induti.

Alijs verè inferioribus vt miniſtrent diaconus, & ſubdiaconus. ſacris veſtibus induti, in maioribus ſaltem Eccleſijs, vbi id fieri poterit, Epiſcopi curabunt.

Curet Epiſcopus, vt, quemadmodum admonuit ſacra Tridentina ſynodus, diaconi & ſubdiaconi, ſaltem Dominicis, & feſtis, ſolennibus diebus, cùm altari miniſtrauerint, ſacram Euchariſtiam ſumant.

Diaconi, vel ſubdiaconi, qui ex iure, ſtatuto, vel conſuetudine, certis diebus altari miniſtrare debent; ſi defuerint, eius horæ diſtributionem ne capiant. Quorum vices ſubeant ij, quos chori præfectus iuſſerit, quibus detur aliqua pars diſtributionis, quæ abſentibus eſt adepta.

Vbi nemini nominatim id munus in ea Eccleſia impoſitum eſt, quibus diaconis, vel ſubdiaconis chori præfectus id negotij dederit, illud ſuſcipiant; dum ſingulis præbendis propria munera ab Epiſcopo aſſignabuntur: vel alij diaconi, & ſubdiaconi conſtituentur, qui eo fungantur officio.

Epiſcopi, quàm ſæpiſſimè poſſunt, ſolenni Miſſæ, ac diuinis officijs interſint. Diebus verò Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ, niſi legitima cauſa interceſſerit, omnino ne deſint.

Epiſcopum ad celebrandam, vel audiendam Miſſam, ad aliave diuina officia ſolennia venientem, Canonici deducant, & reducant.

De Eccleſiis, & earum cultu.

ECCLESIAS quaſcunq; ſiue curatas, ſiue non curatas, ſacella & oratoria diruta Epiſcopi ad eam rationem, quæ à ſancta Tridentina ſynodo præſcripta eſt, reſtituenda, vel alio transferenda curent. Lapides, cęmentum, & omnis materia eorum locorum ad prophana ędificia ne adhibeantur; niſi Epiſcopi auctoritas ex iuſta cauſa interceſſerit. Quod enim ſemel Deo conſecratum eſt, ad priuatos hominum vſus transferri non debet.

Altaria etiam, quæ extra eccleſiam, &, quæ ſub dio, nec ſepta, aut munita ſunt, Epiſcopi aut ſepienda, ſi fieri poſſit, aut demolienda curent.

In Eccleſia præſertim cùm diuina celebrantur officia, vel verbum Dei prædicatur, nemo hæc audeat.

Deambulare, nugari, circulos habere, negotijs operam dare.

Cum mulieribus, de quibus ſuſpicio eſſe poſſit, colloqui. Altaribus, fontibus baptiſmi vel aquæ benedictæ adhærere.

In limine, aut ante fores immorari.

Aduerſum ab Euchariſtiæ ſacramento irreuerenter ſedere, aut, cùm in Miſſa ſuſtollitur ſtare.

Aut quouis modo diuina officia perturbare.

Aut irreuerenter in Eccleſia verſari.

Ne clericus, aut alius quiuis in eccleſijs, earumve cæmiterio, atrio, veſtibulo, aut porticu, foribusve quidquam venale proponat; ne ſi ad vſum quidem ſacrificij, vel Eccleſiæ futurum ſit.

Nemini cum venaticis canibus, vel volucribus in eccleſiam ingredi liceat: neque haſtam, vel ſclopetos, baliſtas, aliave eiuſdem generis in eam inferre.

Ne mendici eleemoſynæ cauſa in eccleſijs vagentur, ſed extra ianuam conſiſtant.

Qui in horum aliquo deliquerit, à Rectore per ſe, vel per alium Eccleſiæ miniſtrum moneatur: niſi paruerit, ab Eccleſia expellatur: ſi id commodè fieri non poſſit, ad Epiſcopum deferatur; qui in eum ſuo arbitratu animaduertat: qui etiam Rectorum, & aliorum Eccleſiæ miniſtrorum huius officij negligentiam coerceat.

Rector cuiuſuis Eccleſiæ, pernoctationes, aut nocturnas vigilias in ea poſthac nemini permittat.

Sed ſub noctis horam eccleſiarum fores claudat.

Neque vllo pacto quemquam præter ſacerdotes admittat; niſi nocte Natalis Chriſti Domini, cùm Miſſa celebratur.

Neve patiatur, ſi fieri poſſit, populum ad eas excubare.

Qui contra fecerit, Epiſcopi arbitratu puniatur.

Magnoperè verò à Principibus petimus, vt, ad rem adiuuandam, ſuam quoque poteſtatem conferant.

Sicut eccleſiaſtica immunitas, Dei præcepto, & canonicis ſanctionibus conſtituta, quàm diligentiſſimè cuſtodienda eſt; neque permittendum vt confugientibus ad Eccleſias, & loca ſacra aliqua vis contra ſacros canones inferatur; ita ſummoperè cauendum, ne facinoroſi, niſi neceſſariò ad ea, quaſi ad aſylum, in ſacrarum cõſtitutionum fraudem ſe recipiant.

Mandamus igitur omnibus, & ſingulis clericis, propoſita pœna excommunicationis, alijſque arbitrio Epiſcopi; vt, quoties ab aliquo exule damnato, vel criminoſo, qui in loco libero ſit, poſtuletur, vt illum in eorum eccleſijs, cæmiterijs, vel domibus recipiant, omninò antequàm aſſentiantur, Ordinarium cõſulant: &, quidquid ille tali in re cenſuerit, faciant.

Quod ſi, clericis minimè præmonitis, tales perſonæ ad huiuſmodi loca venerint, ijdem clerici, eiuſdem pœnæ periculo, Epiſcopum quamprimùm certiorem faciant, vt, quidquid ab eo hac in re decretum fuerit, ſeruent. Ipſe autem Epiſcopus de his commonefactus, conſiderata perſonarum, locorum, & temporis conditione, ac facti qualitate, decernet, quod Eccleſię immunitati, ſacrorum locorum honeſtati, & canonum menti cõſentaneum iudicabit: ita tamen, vt eccleſiaſtica immunitas nulla ex parte violetur; neq; proptereà cenſeatur data facultas aliqua ſæcularibus magiſtratibus,

bus,& poteſtatibus lædendi immunitatem; aut aliquos de his,quæ diximus,locis extrahendi, contra quam anteà iure communi ſtatutum eſſet.

Ne occiſorum cadauera à iudicibus vel notarijs maleficiorum in eccleſijs vllo modo inſpiciantur; ſed eo illata exportentur:& huiuſmodi inquiſitiones,& omnia,quæ ad cædis cognitionem pertinent,à ſacris locis reijciantur.

Nemo vaſa,veſtes,vel alia ornamenta, ſacris addicta,aut omninò quidquam ex ſacra ſupellectili prophanis hominibus,aut ad prophanum vſum commodare audeat. Qui ita commodârit,grauiter arbitrio Ordinarij puniatur.

Sacræ campanæ vſum, qui ad fideles præmonendos, vt ad diuina conueniant officia,eſt introductus,indignum eſt, ad conuocandos homines ad ſpectacula ſuppliciorum adhiberi. Quamobrem Principes,ac magiſtratus etiam atque etiam hortamur, vt campanis, quæ eccleſiarum vſui ſunt addictæ,ſi conſecratæ ſint, ad pœnarũ ſignificationem quemquam vti ne patiantur.

De proceſſionibus,& ſupplicationibus.

GENERALES proceſſiones à cathedrali,vel cuiuſque loci maiori Eccleſia proficiſcantur; & eodem reuertantur;niſi alud Epiſcopo videatur.

In ijs ſupplicationibus generalibus,qui non venerit ante inuocationem ſanctiſſimæ Trinitatis,pro abſente habeatur;aut alia pœna ab Epiſcopo plectatur.

Eas Canonici,& alij clerici,etiã cuiuſuis dignitatis ſint, cum ſuperpelliceis,& vſitatis alijs ſacris veſtib⁹ ſtatuto tempore ſemper obeant.

Præfectis eccleſiarum collegiatarum in vrbibus præcipimus, vt,cum ſuis quiſque canonicis, & beneficiatis vocatus,ſuperpelliceo, vel alijs ſacris veſtibus indutus, publicas proceſſiones,prælata cruce,ſemper obeat. Quibus Epiſcop⁹ locum arbitrio ſuo quamprimùm aſſignabit; neque eius rei effectus vlla appellatione retardari poſſit.

Ad huiuſmodi proceſſiones Epiſcopi, cum eis videbitur,ex Tridentino Cõcilio vocẽt Regulares omnes, quamuis exemptos.

Si qua controuerſia ſit de priore loco, ab Epiſcopo ex auctoritate eiuſdem Concilij tollatur.

Cruces clerici ferant talari veſte, & ſuperpelliceo induti,ijque eiuſmodi ſint, vt eam aptè, & decorè ferre poſſint, Omnes ordines grauiter,& modeſtè procedãt; colloquijsq; excluſis,pſalmis,hymnis,& reliquis ſacris precibus operam dent.

Nemo ordinem in proceſſione deferat, antequàm ad eccleſiam,vnde,profecti ſunt,redierint.

Laici à clericis, fœminæ à viris ſeparatim proſequantur.

Videant Epiſcopi, vt in ſupplicationibus, & proceſſionibus quibuſcũque, præſertim cum ſanctiſſima Euchariſtia circumfertur,& cùm frequẽtior populus ad eccleſias indulgentiæ,feſti diei,ſacræ concionis gratia,vel alia de cauſa cõuenire ſolet,ea modeſtia,& reuerentia adhibeatur,quæ pijs, & religioſis huiuſmodi actionibus maximè debetur.

Ne inter viam inaniter ſpectandi gratia ſubſiſtatur.

Ne petulanti facto, dictove cuiquam moleſtia afferatur.

Ne,quæ minùs deceant,ſpectacula adhibeantur.

Neve actiones pro foribus ædium, aut in via repræſententur.

Qui ſecùs fecerint,ſeuerè coerceantur.

Epiſcopi præficiant certos viros,quibus curæ ſit,vt hæc omnia,quæ de ſupplicationibus præſcripta ſunt, ſeruentur: &,vt res ea,qua decet,pietate agatur.

Edendi, ac bibendi conſuetudinem, ſecumve eſculenta, & poculenta deferendi, aut ea vendendi in ſacris ſupplicationibus habendis,vineiſque luſtrandis,& ſuburbanis eccleſijs viſitandis, parochi tollere ſtudeant,fideles ſæpiùs admonentes, præſertim die Dominico, qui proximè ſacras Rogationes antecedit; quam dedeceat; vbi pijs orationibus mens,& lingua exercenda eſt,ibi ieiunium,quod ad alliciendam Dei gratiam magnam vim habet, & tantiſper ſeruare non poſſe.

De funere Epiſcopi.

PIVM ſanctorum Patrum inſtitutum ad concelebrandas Epiſcoporum exequias, iamdiù intermiſſum,re[...] cantes,ſtatuimus.

Vt Epiſcopo mortuo,vel morti proximo,tres prim[...] Capitulo præſentes vicinum Epiſcopum, vel eo impedi[...] alium inuitẽt,qui ſtatim veniat; ac,ſi viuum Epiſcopum uenerit,accuratiſſimè conſoletur; & ea officia præſter,q[...] ad animæ ſalutem tali tempore requiruntur.

Mortuum verò vnà cum ſeculari, & regulari clero [...] lenni more ad ſepulchrum proſequatur.

Nihil autem Epiſcopus, pij huius officij gratia,impen[...] vel quouis alio nomine,à quoquam exigat,vel ſpontè ob[...] tum accipiat.

Eius tamen expectationis cauſa corpus Antiſtitis ne a[...] pliùs quadraginta horis inſepultum iaceat.

Intereà verò curet Capitulum,vt cuſtodiatur corpus, circum ipſum frequentes ex clero ſint, qui pro eius anim[...] preces Deo faciant.

Eidem Capitulo hoc munus iniungimus,vt primo qu[...] que tempore prouinciales Epiſcopos omnes de Epiſco[...] morte faciat certiores,qui in eccleſijs cathedralibus Miſſa[...] ſolenni cæremonia pro eius anima celebrandam curabun[...] & publicis ſupplicationibus,ac precibus indictis,Deum pi[...] ſancteque deprecabuntur, vt orbato gregi Paſtorem da[...] velit iuxta cor ſuum.

In exequijs eius plures viginti quatuor cereis non acce[...] dantur, idque impenſa vacantis Eccleſiæ, niſi extent defu[...] cti bona; vel alius ſit, qui de iure,aut cõſuetudine ſumptu[...] facere debeat.

Epiſcopi negligentia in comprouincialis Epiſcopi fune[...] re à ſynodo prouinciali,Canonicorum,& cleri,à ſucceſſor[...] Epiſcopo grauiter puniatur.

Sacra Anniuerſaria pro mortuo Epiſcopo quotanni[...] fiant in cathedrali Eccleſia; quamdiù proximus eius ſuc[...] ceſſor in Epiſcopatu vixerit, viuentis Epiſcopi, & Capitul[...] ſumptibus.

De funeribus,& exequijs.

Vt vetus Eccleſiæ inſtitutum mortuorum funus pijs precibus, & officijs ſolenni more proſequendi multis locis auaritia,ambitione, vel negligentia deprauatum, ad priſtinam pietatis rationem reuocemus; clericis quibuſcumque cuiuſuis dignitatis ſint, etiam Canonicis cathedralium, & collegiatarum eccleſiarum, cæteriſque omnibus hæc ſeruanda proponimus.

Ante ſolis ortum,& poſt occaſum, mortuum & efferri, & ad ſepulturam recipi prohibemus.

Inter maioris Miſſæ celebrationem, mortuorum corpora ſepulturæ cauſa in eccleſiam ne inferantur.

Singularum cathedralium, collegiatarum & parochialium eccleſiarum clericis, qui in funus venerint, vna tantùm ſuæ Eccleſiæ crux præferatur; neque aliæ in funere deferantur,niſi,quas ſuus quamque clerus ſubſequatur. Quòd ſi alij quoque clerici inuitati fuerint, eius rectoris, qui inuitârit,crucem proſequantur.

Ad tollendas controuerſias, quæ magna populi offenſione inter Regulares,qui beneficia curata obtinent, vel in eis curam animarum exercent,& parochos ſeculares in efferendis mortuis oriuntur; ſtatuimus, vt cùm ex parochia,cui ſæcularis ſacerdos præſit,mortuus effertur, vt in parochiali eccleſia ſepeliatur,cui Regalis ſit præfectus, vel contra, tunc vtique parochi,ſuperpelliceo, & ſtola induti, pares progrediantur. Reliqui verò Regulares eum locum teneant,quem in generalibus proceſſionibus tenere cõſueuerunt, non obſtante quauis conſuetudine, vel pactione, quam inter ſe fecerint.

Cùm mortuus efferendus erit, cuiuſuis Eccleſiæ clerus, qui vocabitur,in vnam proximam mortui ædib⁹ eccleſiam, congruo proceſſionis ordine cõueniat; vnde omnes ordine procedentes, bini canentes pſalmos, aliaſve ſacras preces, mortuum ab eius ædibus ad ſepulturam comitentur.

Cùm ad eccleſiam venerint, omnes corpus ſuo item ordine

dine circumitent inſtituta officia celebrantes; nec priùs diſcedant, quàm corpus in ſepulchrum illatum fuerit.

Deinde ſingularum eccleſiarum clerici eodem ordine, quo venerant, crucem præferẽtes, ad eccleſiam ſuã redeant; niſi aliquando aliud epiſcopó iuſta de cauſa videatur.

Clerici eccleſię, in qua mortuus humatur, eius veſtes, hęredibus inuitis, ne ſumant; ſed ijs, ad quos pertinent, reddãt.

Candelæ omnes, cærei, & quæ intortitia vocantur, quæ circum crucem, & cadauer ad eccleſiam adferuntur, & alia, quæ circa pheretrum, & in altaribus, ac reliquis in locis, dum diuina officia in funere celebrantur, hæredum impenſa accenduntur, ita Deo oblata eſſe intelligantur; vt eius eccleſiæ ſacriſtiæ, in qua mortui corpus humandum erit, continuò addicta ſint.

Rectoribus verò illas vendere nullo modo, ſed ad Miſſam, cæteraque diuina officia celebranda tantummodò vti liceat; niſi in alium Eccleſiæ vſum Ordinarij licentia conuertantur.

Excipimus autem ea, quæ clericis cuiuſuis generis eleemoſynæ cauſa dari ſolent; &, quæ funeralium nomine cathedralibus, & Parochialibus eccleſijs ex ſacris Canonibus debentur; quibus nihil obſit, quominùs quartam funeraliũ, quæ ſolita eſſet perſolui, ex decreto Tridentini Concilij conſequi poſſint.

Si mortuorum hæredes ita ſe impiè geſſerint, vt religioſum exequiarum inſtitutum negligentes, Cruci, clericis, & funeri debita lumina adhibere nolint; ab Epiſcopo ea cogantur comparare, quæ neceſſaria videbuntur.

Dent operam Epiſcopi diligenti cohortatione, vt in ſingulis parochijs, communibus eorum ſumptibus, qui ſunt in parochia, comparetur pallium, quod mortuo imponi ſolet; idque omnibus in funere gratis commodetur. Quòd ſi parochiani id recuſârint, ſinguli parochi, & alij eccleſiarum curatarum rectores pallium ad huiuſmodi vſum emant; pro quo mortuorum hæredes illis minimùm aliquid Epiſcopi arbitratu largiantur.

Si verò nobiles homines aureo, vel ſerico, vel omninò pretioſo pallio vti voluerint, pecunia ſua faciendum curent; quod ad eiuſmodi cadauerum vſum nullo modo in poſterum adhibeatur; ſed illi Eccleſiæ, in qua mortuus ſepultus fuerit, illicò poſt funus acquiſitum ſit; & in eius ornamenta conuertatur.

Statuat Epiſcopus in ciuitate, & diœceſi ſua pro modo laboris, quantũ mercedis cauſa dandum ſit curatoribus exequiarum, cæteriſq; qui dant operas in funere, & ijs, qui campanas pulſant. Quibus etiam, quamdiù in exequijs campanas pulſare debeant, arbitrio ſuo præſcribat.

Miſerabiles perſonæ, quibus mortuis aut nihil ſupereſt, aut ita parùm, vt ſua impenſa humari nõ poſſint, à parocho ſumptibus eccleſiæ ſepeliantur.

Exequiarum, ſepulturæ, & anniuerſariorum cauſa nemini quidquam paciſci, aut exigere liceat, neque etiam petere, vel quid aliud comittere, quod ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habeat.

Pias tamen conſuetudines in his ſeruari iubemus; cuius rei Epiſcopus curam ſuſcipiat.

Pia etiam legata exigi volumus; neque ea, quæ eleemoſynæ cauſa vltrò data fuerint, accipi prohibemus.

Nemini quemquã in funere laudare liceat; niſi, & eum, quem laudare velit, Epiſcopus dignum cenſuerit; & laudationem ſcriptam ante probârit.

Liceat tamen in funere concionem habere, quæ tota referatur ad humanam miſeriam, fidelium oculis proponendam, omneſq; ad vigilãdum cohortandos; ne, cùm venerit Dominus hora, qua non putârint, inueniat eos dormientes.

Caueant autem parochi, & alij eccleſiarum rectores, ne, quod pietate adducti ſuadere debent mortuorum hæredibus, vt anniuerſaria officia illorum cauſa celebrãda curent, id cupiditate impulſi, moleſtiùs flagitent; qua in re ſi peccârint, Epiſcopi arbitrio puniantur.

Quicumque laicus, vel ſæcularis clericus in ijs deliquerit, quæ his decretis pręſcripta ſunt, ab Ordinario loci graui pœna afficiatur.

De ſepulturis.

NON eſt ferenda noſtri temporis inſolẽtia ſepulchrorum, in quibus putrida cadauera, tãquàm ſacrorũ corporum reliquię, excelſo, & ornato loco in eccleſijs collocantur, circumque arma, vexilla, trophæa, & alia victoriæ ſigna, & monumenta ſuſpenduntur: vt iam non diuina templa, ſed caſtra bellica eſſe videãtur. Ambitioſam igitur hanc in mortuorum corporibus decorandis arrogantiam deteſtantes, & eccleſiarũ decori conſulentes, eiuſmodi ſepulchra excelſo loco poſita, & ea, quæ parietibus incluſa, vel adiũcta etiam in vna parietum parte eminent, niſi marmorea, aut ærea ſint; ſiue illis corpora contegantur, ſiue inania, & ibi tantum honoris cauſa ſint conſtituta; & eorum omnis generis ornatum & apparatum ad tres menſes amoueri, ac tolli omninò iubemus, oſſaq; ac cineres in ſacro loco altiùs in terram defodi, ita conditos, vt ſepulchrum è ſolo emineat.

Monemus verò Epiſcopos, vt morem, multis locis intermiſſum, mortuos in cœmiterijs ſepeliendi, reſtituendum curent; inde ſubmotis, ſi qui ea vſurpârint.

Et, ſi cui locus ſepulturæ deinceps dabitur in Eccleſia, humi tantum detur: & ſepulchrum, in quo condetur, opere fornicato cum reliquo eccleſiæ pauimento æquatum ſit.

Hæc vt efficiantur, diligenter operam dabunt Epiſcopi, adhibito etiam, ſi opus erit, magiſtratum auxilio.

Quæ pertinent ad bonorum, & iurium Eccleſiaſticorum conſeruationem, rectam adminiſtrationem, & diſpenſationem.

ECCLESIARVM res quàm plurimæ, aut deſtitutæ defenſoribus, aut etiam ab ijs, quibus earum procuratio credita erat, proditæ, ita perierunt, vt monimentis vel interceptis, vel perditis, nulla ſpes iam reliqua videatur illas in ius ſuum vindicãdi. Id ne deinceps accidat; neve quiſquã, quòd in Chriſti patrimonio negligentior ſit, quàm in ſuo, merito reprehendi poſſit, ſtatuimus.

Vt Epiſcopi, & Capitula tam cathedralium, quàm collegiatarum eccleſiarum, Hoſpitalium etiã, ac quorumcumque piorum locorum gubernatores, ſeu adminiſtratores, & alij quicumque, qui beneficia eccleſiaſtica quæcumque cum cura, vel ſine cura, quocumq; nomine nuncupentur, etiam commendata, nunc obtinent, ab huius decreti editione; qui verò in futurum quomodocumque obtinuerint, ab adeptæ poſſeſſionis die, quiſque intra ſpatium ſex menſium, edictis etiam interim publicè propoſitis, omnium, & ſingulorum bonorum mobilium, & immobilium, iurium, annuorum cenſuum, ſiue redditiuum, nominumve debitorum, & aliorum quorumcumque ad eorum eccleſias, vel eorum adminiſtrationi commiſſas, monaſteria, vel beneficia, eorumve menſas quocumque iure pertinentium, rationem diligentiſſimè conquirendam, & eorum omnium inuentarium, in quo locorum etiam fines, conditioneſque omnes ſigillatim deſcribantur, per publicum notarium diligenter conficiendum curent. Epiſcopus quidem, adhibitis duobus, à Capitulo cathedralis eccleſiæ delictis.

Capitulum coram Epiſcopo, aut alijs præfectis ab eo: alij verò coram fide dignis teſtibus.

Ex eo inuentario exempla duo, notarij publici auctoritate ad certam eorum fidem munita, conficiantur, quorum alterum Epiſcopi, & Capitula eccleſiarum cathedralium in archiuio, quòd vtriſque commune ſit, aſſeruent: alterum ad Metropolitanum mittat. Pręfecti verò, & Capitula eccleſiarum, quæ collegiatæ ſunt, alterum exemplum in cõmuni eorum archiuio retineant: alterum in archiuio cathedralis eccleſiæ, intra cuius fines ſunt, aſſeruandum tradant.

At verò in quibus eccleſijs vel cathedralibus, vel collegiatis archiuium eiuſmodi non ſit, ab Epiſcopo inſtituatur.

Cæteri autem ſinguli, qui beneficia quæcumque eccleſiaſtica quouis titulo obtinent, exemplis item duobus eodẽ modo confectis, vnum in Eccleſia ſua diligenter cuſtodiãt: alterum ad cathedralem Eccleſiam perpetuò conſiderandũ mittãt: vnde, ſi vſus poſtulabit, exemplum ſumere eis liceat gratis.

Archiuia ſingula duabus clauibus occludantur.

In Eccleſijs cathedralibus,earum vnam Epiſcopus,alteram Capitulum cuſtodiat:in collegiatis,alteram præfectus, alteram Capitulum ſeruet.

Præterea in viſitationibus, eiuſmodi inuentaria Epiſcopi ſecum adferant;& cum ijs,quę ſeruãt ij,qui viſitandi ſunt, ſigillatim conferant:perſpiciantque diligenter, ne quid eorum,quæ ibi deſcripta fuerint, deſit, quòd Eccleſiæ vel minimo detrimento eſſe poſſit. Et,ſi quę fortè deerunt,Eccleſiæ reſtitui,omniaq; eius damna farciri ſtudeant. Ipſa quoque inuentaria,ſi eis videbitur,renouari iubeant. Et vtique quæcumque acceſſio,vel immutatio facta ſit, ea quotannis in inuentaria referatur.

Qui in his,vel negligentia, vel contumacia, vel fraude peccauerint; ſi Capitula,& alij, beneficia Eccleſiaſtica obtinentes,Epiſcopi arbitrio; ſi Epiſcopus,primæ prouincialis cuiuſque ſynodi,pœnas dabit.

Epiſcopi intra ſex menſes vniones perpetuas, etiam Eccleſijs iuriſpatronatus factas, & ipſa patronatus iura ex præſcripto Tridentini Concilij recognoſcant; & traditam eiuſdem Concilij decretis de illis rationem diligentiſſimè ſeruent.

Si quæ laicis conceſſa Eccleſia bona, aliquo modo caduca facta ſint;caueant Epiſcopi, & quicumq; beneficia Eccleſiaſtica obtinent, ne pœnam caducitatis remittant: niſi ſeruatis ijs,quæ in hoc genere iura præſcribunt: ſi ſecùs fecerint,Epiſcopi in ſynodo prouinciali pœnas dabunt; cæteri ab Epiſcopo plectantur.

Qui bona Eccleſiæ feudi nomine obtinent,à ſucceſſorib' in ea inueſtituram intra tempus, à iure præſtitutũ;renouandam curent;eiſdemq; fidelitatis iuſiurandum dabunt.

Pari etiam ratione hæredes eorum,& inueſtituram poſtulent;& iurent ijs,qui Eccleſiæ præfuerint.

Qui id facere omiſerint,conſtitutas legibus pœnas pendant.

Ne autem res Eccleſiaſticæ cum alijs confundantur,mandamus, vt feudatarij omnes in eiuſmodi renouatiõibus omnia bona,eorumque fines ſigillatim, & nominatim publico inſtrumento deſcribant.

Hanc verò curam præcipuam Ordinariorum eſſe volumus,vt illos cogant hęc omnia exequi,propoſitis pœnis eorum arbitratu.

Nemini beneficiorum Eccleſiaſticorũ bona propinquis ſuis intra tertium gradum in emphyteoſim, aut ad cuiuſuis temporis ſpatium,etiã per ſuppoſitas perſonas locare liceat, niſi euidés,& magna Eccleſiæ vtilitas,iudicio Epiſcopi præter alia iuris requiſita,aliud poſtulæ videatur. Si aliter factũ fuerit,nulla ſit locatio;& q. locârit, ab Ordinario puniatur.

Ex auctoritate ſacri Concilij Tridentini negotium damus Epiſcopis prouinciæ noſtræ,vt ſinguli vnà cum Canonico à Capitulo, & altero de clero ab ipſis deligendo recognoſcant,etiam ex officio,quaſcumq; locationes bonorum Eccleſiaſticorum,ad longum tempus à triginta annis factas: &,ſi eas in damnum Eccleſiæ, & cõtra canonicas ſanctiones contractas fuiſſe adiudicauerint;irritas,& nullas declarent.

Nolumus cedentibus,aut decedentibus ijs,qui Eccleſiaſtica obtinent beneficia, illorum fructibus fraudari ſucceſſores, aut ſaltem eorum recuperationem litibus, & controuerſijs difficilem reddi:qua re fit,vt interim Eccleſia debitis muneribus,& officijs deſtituatur.

Idcirco ſancimus,ne Eccleſiarum rectores,aut quicumq; beneficia eccleſiaſtica quomodolibet obtinentes,ſine Ordinarij licentia,ſcripto permiſſa,pendentes beneficiorum fructus quouis prętextu vel cauſa alienent:niſi venditionis,vel locationis nomine: & tunc dilata in id tẽpus pretij,vel mercedis ſolutione,quo fructus erunt à ſolo ſeparati.

Quòd ſi ſecùs factum fuerit contractus irritus ſit, & nullus;&,qui fecerit, arbitrio Ordinarij pœna afficiatur: quam etiam ſuſtineat is,qui eo in ſuam rem vti voluerit.

Cùm pro cuiuſq; Eccleſiæ conſuetudine populus ad oblationes inuitatur,id grauiter,& modeſtè faciẽdum eſt. Nec eo vaſis,aut ſacculi genere pecuniam accipiant, in quo quid quiſq, dederit,cerni poſſit; vt fideles pietate adducti, nõ pudore quodammodò coacti,eleemoſynam afferant.

Quæ cùm ad ſubſidium ſacerdotum, vel aliorum pauperum,vel eccleſiarum reparationem, & ornatum ſit inſtituta,ea populus liberaliter præbere debet.

Ne per inſcitiam,aut obliuionem id peccatum committatur, vt decimæ ijs,quibus legitimè debentur, vel omninò non ſoluantur;vel ex parte tantùm: ideo mandamus, & parochis,vt inter Miſſam, & prædicatoribus in concione,primo quoque dominico die Aduentus, & Quadrageſimæ doceant populum, quid de ſolutione decimarum ſacrum Tridentinum Concilium ſtatuerit; vehementerq; hortentur, ac moneant, vt debitas decimas integrè perſoluant,ne propoſitas ab eadem Tridentina ſynodo excommunicationis pœnas ſubire cogantur.

Quibus etiam diebus eiuſdem Tridentini Concilij decretam cõtra occupantes quouis modo fructus,bona, & iura Eccleſiarum,& aliorum piorum locorum,communi lingua populo recitent.

Quia contingit interdum, vt clerus vrbanus congregatus,reliquo clero diœceſano non adhibito, aliqua decernat, quæ ad clericos vniuerſæ diœceſis pertineant, magno nonnumquàm abſentium damno;idcirco nos communi eorum vtilitati cõſulentes,ſtatuimus, vt clerici, qui extra ciuitatem ſunt, cùm primùm in diœceſanam ſynodum conuenerint, aliquos eligant, qui vrbanæ congregationis deliberationibus,quæ ad vniuerſum clerum ſpectant,interſint.

Præcipimus etiam clero ciuitatis, vt antequàm congregetur,ſemper eos,qui delecti fuerint,admoneat; vt ad congregationes adeſſe poſſint. Si verò non admonuerit, quidquid ibi actum,decretum ve ſit, externo eius diœceſis clero detrimento eſſe non poſſit.

Omnes verò Eccleſiaſticas perſonas,& eorum bona,libertatem,commoda,& iura omnia Principibus ſummoperè commendamus, admonentes eccleſiaſticam immunitatem,ſiue ad hominum vitam, ſiue ad bonorum poſſeſſionẽ, fructuſque pertineat: Dei ordinatione,ſummorum Pontificum decretis, & ſanctorum Conciliorum auctoritate tributam,nulla ratione violandam eſſe.

Neque enim Principes,& magiſtratus res eccleſiaſticas attentare;neque ſacros,& religioſos homines ad ſuum iudicium,poteſtatemq; reuocare; neque Deo addictis bonis manum inijcere, aut vllum onus imponere debent, immò verò meminiſſe oportet,quas à Deo facultates cõſequuti ſunt, eas ad ipſius Dei gloriam, & honorem, hominumq; ſacrorum ſalutem,& incolumitatem cõferendas eſſe; qui pro eorum quiete,ac felicitate Deo preces aſſiduè faciunt.

Cuius officij cùm maximè intelligentes fore confidamus,in primis Catholicum, eundemq; potentiſſimum Hiſpaniarum Regem; & reliquos deinceps prouinciæ principes;dubitare non poſſumus,quin re ipſa efficiant,vt eorum magiſtratus, & Cõmunitates nihil aduerſus immunitatem, & libertatem eccleſiaſticã vllo vmquàm tempore moliantur,quod ita vt fiat, Epiſcopi pro ſui officij munere curare, & eniti debebunt.

Sacræ Tridentinæ ſynodi decretum ſequuti monemus omnes, quicumque beneficia eccleſiaſtica obtinent, vt hoſpitalitatem benignè exerceãt; memores,Chriſtum Dominum in hoſpitibus recipi; à quo recipientur ipſi in æterna tabernacula.

Hoc autem hoſpitalitatis officium eo magis Epiſcopis colendum eſt, quod illis eam virtutem Apoſtolus in primis amplectendam propoſuit.

In hoſpitalitate autem non is habeatur delectus perſonarum, vt diuites potiſſimùm inuitentur, qui cum fœnore reddant,quòd acceperint; ſed,cùm Eccleſiaſticarum perſonarum domum nemini, quantum per facultates licuerit, clauſam eſſe deceat;profectò illis maximè patere debet,qui Dei voce,ſanctorum Patrum cohortationibus,& exemplis, ſacrorum Conciliorum præcepto,& auctoritate nobis commendati ſunt.

Et ſacrorum Canonum decretis ſtatutum eſt,& ſanctiſſimorum Patrum teſtimonijs celebratum, quæ bona fidelium pietas Deo conſecrauit, ea vel illorum neceſſitatibus honeſtè ſubleuãdis,qui diuinis dicati obſequijs, Chriſti miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei effecti eſſent; vel Eccleſijs reficiendis, earumq; ornamentis ad diuinum cultum neceſſarijs comparandis,vel pauperibus ſuſtentãdis ad-

ſta eſſe; ſi quidem vbi primum Eccleſiæ bona eſſe cœperint, eam naturam, & conditionem conſequuta ſunt, vt in ſuum, quàm in ſacrum, & pium vſum eorum fructus conferri nefas eſſet. Quare cauẽdum eſt, ne cupiditate prolapſi, quæ radix eſt omniũ malorum, dum vel proprijs, vel propinquorum, & familiarium diuitijs, & honorib⁹ ſtudemus, quæ Deo dicata ſunt bona & Eccleſiæ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offenſione ad aliorũ vſum conuertamus. itaq; nos ſacrorum Canonum, & ſanctorum Patrum auctoritate innixi, atque ijs adducti, quæ ſacra Tridentina ſynodus de officio adminiſtrandi bona eccleſiaſtica ſignificauit, eos omnes, qui ea obtinent, vehementer monemus, vt muneris ſui memores, hæc, quæ ſequuntur, diligentiſſimè præſtent. Epiſcopi, Abbates, Præpoſiti Parochi, ac cæteri omnes cuiuſcumq; dignitatis, & gradus Eccleſias, etiã earum adminiſtrationi commiſſas, ac quæcumq; beneficia eccleſiaſtica, etiam ſimplicia, quomodocumque, etiam commendata, in prouincia noſtra obtinẽtes, omni diligentia cognoſcere ſtudeant, quibus oneribus eorum Eccleſiæ, & beneficia ex bonorum eccleſiaſticorum natura, vel ex illorũ, quæ obtinent, propria inſtitutione, vel ex conditione Apoſtolicis literis in prouiſione dictorũ beneficiorum eis præſcripta, vel alia quacumq; eius generis ratione ſubiaceant, illiſq; integrè ſatisfaciant. Quòd ſi facere omiſerint, ſed eos fructus ſibi vindicare, vel ad alios trãsferre auſi fuerint, vel in quem debent vſum, non impenderint; ſe ex ſacris canonibus, & ſanctorum Patrum ſententiam, ſacrilegij reos eſſe intelligant; & eorum omnium neceſſaria reſtitutione teneri: neque vlla omninò, etiam immemorabili, cõſuetudine excuſari.

Atq; ideo, ſi Metropolitanus tale commiſerit, antiquior ſuffraganeus de eo ad ſynodum, & ſynodus ad ſanctiſſimũ D.N. Romanum Pontificem deferat; ſi Epiſcopus ſit, & ab Archiepiſcopo, vel eo abſente, ab antiquiore ſuffraganeo monitus plenè non ſatisfecerit, ad ſynodum prouincialem primo quoq; tempore celebrandam, per eũdem deferatur; vbi & reſtituere cogatur; & pœnas ſubeat ſynodi arbitratu.

Si verò inferiori gradu, quàm Epiſcopus fuerit, quicumque is ſit, ſi ab Ordinario loci monitus non ſatisfecerit, præter reſtitutionem eorum, quibus pia opera defraudauit, per ſex menſes adminiſtratione bonorum eccleſiaſticorũ prohibeatur. Quod, ſi iterum in eo peccârit, grauioribus etiam pœnis plectatur.

Quo in genere tanto etiam grauius animaduertendum erit in eos, qui beneficia eccleſiaſtica obtinent commendata, quanto magis ex induſtria peccaſſe videbuntur, ſi literis Apoſtolicis pręſcriptam legem propoſitam ante oculos habentes violare non veriti fuerint.

Nouerint etiam ij, ad quos ſcientes huiuſmodi fructus, vel aliquid ex illis commodum quouis nomine peruenerit, ſe eadem reſtitutionis lege teneri.

Ij verò, qui Eccleſias, & beneficia eccleſiaſtica quæcumque obtinent, quorum fructus ad eos, tanquàm diuinorum obſequiorum miniſtros, honeſtè ſuſtentandos propriè ſunt attributi, ſi vberiores ſint, quàm ad tuendam vitam, conditioniſque ſuę rationem requiratur; dubitare non debent, ad eum finem hanc copiam illis eſſe attributam, vt præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum ſatis eſſent, ſupperent etiam, quibus diuini cultus ornatus, ac ſplendor conſeruaretur; & pauperum inopia, & indigentia ſubleuaretur, quemadmodum etiam Deus pleroſque diuitijs cumulat, vt amicos ſibi faciant; à quibus cùm defecerint, in æterna recipiantur tabernacula. Quamobrem per viſcera miſericordię IESV CHRISTI obteſtamur, atque monemus, vt meminerint ea bona non eſſe ſibi credita ad luxum, neque ad augendos conſanguineos, ſed ad vitam honeſtè, vt fidelem Dei miniſtrum, & pietatis Chriſtianæ magiſtrum decet, traducendam. Ex eo verò, quòd ſupererit, ſi neceſſaria pauperibus alimenta denegârint. intelligant ſe, quos nõ pauerint, occidiſſe; atque ob violatam ſanctiſſimæ charitatis legem mortale peccatum commiſiſſe: quo ſibi iram in die iræ theſaurizauerunt.

Modum autem, & rationem, qua metiri ſe pro conditione, & gradu vnumquemq; oporteat ad vitam ſuam, fructibus eccleſiaſticis honeſtè ducẽdam, eam eſſe omnes debent intelligere, quæ ab ijs nõ diſcrepet, quæ in ſacris canonibus, & præſertim in his noſtris conſtitutionibus de clericali frugalitate, & modeſtia ſtatuta ſunt.

Quæ verò de fructibus eccleſiaſticis dicta ſunt, eadem etiam de ſuppellectili omni, cæteriſq; rebus, quæ ijſdem fructibus comparata ſunt, dicta eſſe intelligantur. ne quę de domeſtico Eccleſiaſticorum hominũ cultu, & ornatu per nos in hac ſynodo decreta ſunt, aut ad propriã auaritiam, aut ad propinquorum ſplendorem ſtatuta eſſe videantur.

Quæ ad ſacramentum Matrimonij pertinent.

Diligẽtiſſimi ſint Epiſcopi in ea obſeruatione, ne quiſquam à regula, quam in celebrando matrimonio ſeruandam ſtatuit Tridentina ſynodus, vlla ex parte diſcedat.

Ne autem matrimoniorum, quæ cõtrahentur, memoria facilè pereat, ſi quam facultatem Epiſcopi, aut parochi cuiquam alij ſacerdoti, vt in cõtrahendo matrimonio interſit, concedendam aliquando duxerint, id ſcripto tantũ faciant; eiuſq; exemplum Epiſcopi in aliquo libro deſcriptum diligenter adſeruent. Parochi autem in eum librum referant, in quo coniugum & teſtium nomina ex præſcripto Tridentini Concilij ſcribere debent. Quidquid verò eo libro parochi ſingulis annis ſcripſerint, id in fine anni Epiſcopo deſcribendum tradant.

Denuntiationes, quæ matrimonium antecedere debent, feſtis illis diebus fiant, qui Eccleſiæ præcepto ſeruantur, media ea Miſſa, ad quam frequentior populus conuenire ſolet, quo id faciliùs notum omnibus eſſe poſſit.

Si parochus in matrimonio denuntiationes, vel benedictionem ſine probabili cauſa procraſtinârit, cuius iudicium deinde ſit Epiſcopi, ab eo plectetur.

Parochi, cum ſponſis benedicendum erit, id celebrata Miſſa, cui illi interſint, ſemper faciant.

Vſum autem illum in Eccleſia bibendi, & frangendi cyathi, & alia id generis, quæ indecorè fiunt, cùm aliqui matrimonio iunguntur, ampliùs ne adhiberi patiantur.

Epiſcopi ea, quæ de matrimonio Tridentina ſynodo in reformatione matrimonij, & in his noſtris cõſtitutionibus decreta ſunt, communi lingua diuulganda curent; & omnibus ſuę diœceſis parochis eorum exempla diſtribuant: vt illi ſingulis quibuſuis tribus menſibus frequentiſſimo populo in Eccleſijs recitent, niſi aliud Epiſcopo videatur.

De Meretricibus, & lenonibus.

VT meretrices ab honeſtis mulieribus omninò internoſcantur; curent Epiſcopi, vt aliquem amictum palàm indutæ ſint, quo earum turpem conditionem, & vitam omnes notam habeant.

Neve eiſdem liceat, etiam ſi aduenæ ſint, in meritorijs tabernis, vel publicis cauponis pernoctare, vel cõmorari; niſi itineris cauſa, idque vnum diem tantùm. Curent etiam in vnaquaq; ciuitate locum eis adſignãdum, ab hominum frequentia, & à maioribus Eccleſijs remotum, vbi omnes habitent ea lege; vt, ſi extra eius loci fines domũ, eiusve partem conduxerint, vel in quacumque domo quauis de cauſa ampliùs vnum diem habitauerint, & ipſæ, & domini, ſeu locatores ſeueriùs puniantur. Quam rem quamprimùm efficiendam Principes, & magiſtratus pro ſua pietate ſuſcipient.

Ab ijs etiam petimus; vt huiuſmodi impudicis mulieribus omni gemmarum, auri, argenti, & ſerici vſu interdicant.

Omneſque, qui lenocinio quæſtum faciunt, ex ſuis finibus exterminent.

De hiſtrionibus, cingaris, tabernis meritorijs, & aleatoribus.

DE his etiam principes, & magiſtratus commonendos eſſe duximus.

Vt hiſtriones, & mimos, cæteroſq; circulatores, & eius generis perditos hoĩes è ſuis finibus eijciant; & in caupones, & alios, quicumq; eos receperint, acriter animaduertant.

Vt va-

Vt vagum & fallax cingarorum genus arceant, niſi certis ſedibus collocati, vitam honeſtis artibus, & in reliquis omnibus, vt Chriſtianos homines decet, agere velint.

Vt ganeas, & tabernas meritorias, omnis nequitiæ ſentinas, è prouincia tollendas curent.

Quod, ſi quæ ferendæ videbuntur, iubeant neminem in eis hoſpitio recipi; ſed tantùm vinum, & edulia venalia proponi.

Et, quoniam vſu compertum eſt, ex aleæ ludo, ſæpè furta, rapinas, fraudes, blaſphemias, aliaque id generis flagitia proficiſci; prohibeant taxillis, aut alea ludi: & grauiter in publicos aleatores, & in eos, qui huiuſmodi ludis interſunt, quive domum ad recipiendos ludentes expoſitam habent, animaduertant.

Maximè verò efficiant, vt bonis artibus vel inſtituendis, vel renouandis, otia, quantum fieri poterit, è ciuitatibus tollantur.

De immoderatis ſumptibus coërcendis.

COpioſis, & locupletibus illud ſemper propoſitum eſſe debet ſancti Ioannis Apoſtoli: Si quis habuerit ſubſtantiam mundi huius, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? vnde facilè intelligunt, quàm facultates ſuas ad pauperum difficultates, & neceſſitatem ſubleuandam conferre debeant. Quamobrem magnoperè cauendum eſt, ne ſubſidia pauperum in ſuperuacaneos ſumptus, & inanes delitias effundantur.

Proinde admonemur, & enixè hortamur principes, & magiſtratus, vt effuſam impenſam, & omnem intemperantiam certis legibus coercentes, modum ſtatuant non ſolùm quotidianis epulis atque conuiuijs, verùm etiam veſtibus, equis, rhedis, famulis, alijſque non neceſſarijs apparatibus; & denique omni, & domeſtico, & externo ornamento, & inſtrumento moderationem adhibeant. qua pecuniæ effuſione ſublata, innumerabilibus malis, quæ inde ortum habent, occurretur.

Quod facilius etiam fiet, ſi principes ipſi, quorum mores, & viuendi rationem populi plerunque imitari ſolent, non modò leges propoſuerint; ſed etiam, quemadmodùm legibus parendum ſit, exemplo docuerint.

De vſuris.

VSuram ad perniciem populorum, latius manantem pro noſtri muneris cura reprimere cupientes, quædam huius generis delicta ex ſacrorum canonum, & probatorum Patrum ſententijs delegimus; quæ quoniam frequentius in hac prouincia committi animaduertimus, ea præcipuè, ac nominatim prohibenda duximus, eo conſilio, vt, ſi quis in alijs etiam eiuſdem generis vetitis contractibus deliquerit, pœnas, à iure conſtitutas, ſibi ſubeundas eſſe intelligat.

Ex mutuo, vel depoſitis, etiam apud Iudæum factis, nihil præter ſortem à quouis homine percipi ex conuento, vel principaliter ſperari poſſit, tametſi pecuniæ ipſæ ſint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, niſi quatenus id iure nominatim permittatur.

Si quis oblatas re ipſa, loco, & tempore pecunias, etiam dotales, ſibi debitas, accipere recuſauerit; nihil præter ſortem, etiam ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, vel ex quacunq; alia cauſa accipere poſſit.

Ne fiant cambia, cùm literæ ad deſtinatum locum verè non mittuntur, & ibi non fit ſolutio, ſed vno, & eodem loco pecunia datur, & recipitur, vel quando dantur, & accipiuntur pecuniæ cum eo pacto, vt habeatur recurſus ad domum vel ad reſpondendum dantis, aut accipientis, quod pactum vulgo vocatur la ricorſa: atque ita impenſæ, aut alterius rei onus imponitur.

Ne cui liceat cum altero ita contrahere, vt is totam pecuniæ ſummam ei, qui dederit, ſoluat; cùm ille partim pecunia dederit partim nominibus, quæ difficile exigi poſſint, vel in rebus pluris, quàm valeant, æſtimatis.

Ne cui, præſentem pecuniam quærẽti, quidquam carius vendatur, vt ſtatim ab venditore per ſe, vel per interpoſitã perſonam vilius ematur.

Ne quis rem aliquam, ob dilatam ſolutionem, carius vẽdat iuſto pretio.

Ne ob anticipatam ſolutionem res minoris ematur iuſto pretio, vel ſoluatur minus, quàm debeatur.

Ne res vendatur, dilata in tempus ſolutione, ita, vt pretium, quod interim rei accreuerit, vẽditori ſoluatur, ſi eiuſdem periculo non ſit diminutio.

Ne res modico pretio pignori detur, vel vendatur pacto redimendi intra certum tempus: vt, ſi ad dictum tempus res redempta non ſit, res libera ſit emptoris, vel eius, qui pignori accepit.

Ne frumentum, vinũ, oleum, aliudve detur, vt eo, quod datum eſt, aliquid amplius exigatur, ſiue eiuſdem generis, ſiue alterius quomodocunque, etiam ſi operæ ſint.

Ne quis mutuò det frumentum, vel id genus aliud corruptum, vt tantundem integri carioris reddatur; etiam ſi reſtitutio differatur in quodcunque tempus debitori commodum.

Ne in ſocietate, in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri diſtributio conſtituatur; niſi per quotas partes.

Nec vltra eas, certa pecuniarum ſumma, vel quid aliud, conferenti pecuniam, perſoluatur.

Neque fiat pactio, vt ſors ſalua ſit; fructus verò communiter diuidantur.

In ſocietate animalium, quæ æſtimata alicui dantur ad cuſtodiam, ſiue vt operas præſtet, omnes caſus, etiam fortuiti, ſemper ſint periculo eius, qui dederit; niſi id alterius ſocij dolo, vel magna negligentia accidiſſe conſtiterit.

Nec fiat pactum, vt ſors ſit ſemper ſalua, etiam ex primis fœtibus.

Neve quidpiam certum, præter ſortem, ex fructibus animalium quotannis ſoluatur.

Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, ſi illa abſq; dolo, aut negligentia eius, qui conduxit, deteriora fiant, id ſemper ſit damno eius, qui locârit.

Si autem animalia dentur æſtimata, ita, vt ſors danti ſalua ſit, nihil omninò percipi poſſit.

Ne fiant contractus, qui libellarij, ſeu ficti libellarij dicuntur, vbi non antecedat emptio certæ rei immobilis pretio iuſto.

Vel vbi venditor redimere cogatur; vel vbi non poſſit redimere, niſi poſt certum tempus.

Vel vbi annuus cenſus, ad cuius ſolutionem res obligatur, ſuperat æſtimationem fructuum, quos ex ipſa re dominus ſolet, aut poteſt percipere.

Et ſi loco pecuniæ vinum, frumentum, vel quid aliud in ſingulos annos promittatur; illud ad pecuniæ, & iuſti pretij rationem redigatur pro conſuetudine locorum.

Si qui autem in aliquo ex his caſibus, aut alijs, qui vſurã ſapiunt, & à iure, vt iniqui, prohibentur, contraxerint, ipſi contractus, etiam iureiurando muniti, nulli, irriti, & inanes ſint. Contrahentes verò, tabelliones, qui inſtrumenta confecerint, proxenetæ vſurarum, aut lucri participes, miniſtriq; omnes horum ſcelerum, & pœnis iure ſtatutis, & eccleſiaſticis cenſuris puniantur.

Hortamur verò principes & magiſtratus, vt ipſi etiã huic peſti, quibus maximè poterunt, remedijs occurrant.

CONSTITVTIONVM
PARS TERTIA.

De piorum locorum administratione.

VT pia loca omnia fideliter diligenterque adminiſtrẽtur; quæ ſacrum Tridentinum Concilium Epiſcoporum curæ ac ſtudio maximè commendauit, hæc mandamus, quæ illi ab omnibus ſeruanda curabunt.

Qui Hoſpitalia, ſeu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, pauperumve vſum præcipuè inſtituta, in commendam, adminiſtrationem, aut quemcunque titulum, aut Eccleſijs ſuis vnita, obtinent; domos, & ædificia horum locorum ruinoſa, vel dilecta ſarciant, & reſtituant.

Quæ ab alijs occupata, aut amiſſa, iniuſteve alienata ſunt, ſuperent.

Impoſitum illis onus & officium omninò obeant.

Hoſpitalitatemq; ex fructibus illi muneri attributis, rè exerceant.

Cæteraq; omnia præſtent, quæ à Viennenſi & Tridentino Concilio præſcribuntur.

Quod officium ſi moniti ab ordinario non fecerint, vel per Eccleſiaſticas cenſuras, & alia iuris remedia ad ſui muneris functionem compellantur; vel eiuſdem Tridentini Concilij præſcripto eos Epiſcopi ab illa adminiſtratione, vel ad tempus, ſive in perpetuum amoueant.

Quibus nullo modo condonent, aut remittant eos fructus, quos, contra Hoſpitalium inſtitutionem perceptos, in foro conſcientiæ reſtituere tenentur.

Qui pecuniam Eccleſijs, Confraternitatibus, aut quibuſcunque pijs locis debent, illorum procuratores, ſyndici, miniſtri eſſe, aut vllam deniq; eis officij, aut negotij partem adminiſtrare non poſſint.

Adminiſtratores eccleſiaſtici, vel laici piorum locorum, ut Hoſpitalia, Montes pietatis, Confraternitates, Miſericordiæ, Charitates, Conſortia, Diſciplinæ, ſiue alio quocunque nomine nuncupata ſint, qui nunc ſunt, intra tres menſes; qui deinceps deligentur, antequam ad adminiſtrationẽ accedant, iurent ſe fideliter, & accuratè munus ſuum executuros.

Fructus, qui pauperibus addicti fuerint, veris pauperibus tantùm diſtribuant, quemadmodùm cuiuſque inopia, & eius voluntas, à quo bona illa profecta ſunt, poſtulârit.

Qua in re, ne vlla fraus fieri poſſit, ineatur aliqua ratio, Epiſcopo probanda, qua ei conſtare poſſit, in quas perſonas fructus illi erogati fuerint.

Quos autem compererit Epiſcopus, vel iniquè diſtribuendo, vel in ſuum commodum vertendo, vel inutilibus & ſuperuacaneis ſumptibus faciendis, malè in adminiſtratione verſari, eos pro modo culpæ puniat; & ad reſtitutionem legitimè compellat; & ab officio etiam, ſi ei videbitur, amoueat. Quòd, ſi contra, quàm à Tridentino Concilio decretum eſt, ne rationem adminiſtrationis reddant, tribunal Epiſcopi declinare voluerint; Eccleſiaſticis pœnis ab eodẽ coerceantur.

Ijs, qui bona piorum locorum adminiſtrant, ea, ſi immobilia ſint, vel pretioſa mobilia, vendere, permutare, in emphyteuſim dare, aut quouis modo alienare, niſi ijs ſeruatis, quæ à ſacris canonibus requiruntur, & ex conſenſu atque auctoritate Epiſcopi, nullo modo liceat. Qui contra fecerint, Epiſcopi arbitrio puniantur; &, quod actum eſt, irritum, ac nullum ſit.

Piorum locorum bona adminiſtratorum arbitrio ne locentur; ſed publicè locanda proponantur, facta omnibus cõducendi poteſtate.

Quos pijs locis aliquid debere conſtiterit, ijs eorum locorum bona locari ne liceat.

Qui piorum locorum bona conducere voluerit, det idoneum fideiuſſorem, cum quo iure agi poſſit æquè, atque cum ipſo principali conductore. Aliter facta locatio, & conductio irrita, ac nulla ſit.

Vt autem hæc, cæteraque omnia, quæ Tridentina ſynodus de Hoſpitalibus, & alijs pijs locis ſtatuit, facilius Epiſcopi præſtare poſſint; præcipimus parochis, vt diligenter ſingula, quæ in parochijs ſuis ſint Hoſpitalia, & pia loca, eaque præſertim, in quibus re ipſa Hoſpitalitas, cæterave adminiſtratorum munera non exerceantur; ad Epiſcopum quamprimùm deferant, cuius arbitrio parochi huius officij prætermiſſi pœnas dabunt.

Rogamus autem principes, & magiſtratus omnes, ne Epiſcopos ſuo officio fungentes, & contra contumaces iure agentes impediant; ſed ea, qua decet pietate, eos omni ope, & auxilio iuuent.

In petendis eleemoſynis, Hoſpitalium, & aliorum locorum piorum nomine, hæc præcipuè ſeruari iubemus.

Vt in illis Hoſpitalibus, & pijs locis re ipſa, quæ debetur hoſpitalitas, & pia opera exerceantur: vt ea loca ſint in illa diœceſi, in qua eleemoſyna petẽda ſit; neq; ea ad vtilitatem eiuſmodi locorum alienæ diœceſis conuertatur.

Vt, qui petet, ſit eiuſdem diœceſis.

Sit bonæ exiſtimationis.

Non fuerit ex numero quæſtorum, quos damnauit ſancta Tridentina ſynodus.

Illud officium gratis, vel conſtituta certa mercede, præſtet; nec vllo modo particeps ſit eleemoſynarum.

Ab Epiſcopo eiuſdem diœceſis ſcriptam licentiam quotannis renouandam, impetrârit.

Qui contra, quàm hoc decreto ſancitum eſt, petierit; ab Epiſcopo grauiter puniatur.

Cui etiam curæ erit, vt quæ eleemoſynæ collectæ fuerint, verè in pium tantummodò eorum locorũ vſum, quorum nomine petitæ fuerint, conferantur.

In hoſpitalibus, pijſque diuerſorijs, vbi hoſpitalitas exercetur, mares cum fœminis, etiam ſpecie matrimonij, niſi id certiſſimè conſtet, verſari ne liceat; neve ea loca, quæ bonorum ſubſidio ſunt addicta, circulatoribus, aleatoribus, nebulonibus, & iſtiuſmodi nequiſſimis hominibus pateant.

Mendici, morbum ſimulantes moneantur, vt ſe in aliqua arte potius exercentes, inde ſibi honeſtum vitæ ſubſidium comparent, quàm ignauiæ ac deſidiæ dediti, oſtiatim, in triuijs, & in templis miſerrimè mendicent.

Si id recuſauerint, curent Epiſcopi, vt eijciantur, neq; illis domorum hoſpitalium prætereà aditus pateat.

Summoperè verò hortamur principes & magiſtratus, reliquosq; omnes Chriſti fideles, vt mendicos, verè ęgrotos vnum in locum conducendos, ibiq; eleemoſynis ſuſtentandos, ſtudioſiſſimè curent.

Pœnam excommunicationis eo ipſo ſubeundam proponimus notarijs, ſcribiſque omnibus, qui teſtamenta, codicillos, aliasve tabulas de legatis ad pias cauſas, de rebus, quæ pro malè partis, vel furto ablatis, relictæ ſunt, quas ipſi rogati cõſcripſerint, aut ab alijs ſcripta apud ſe habeãt; niſi ad tres mẽſes Epiſcopo id ſignificauerint. Ijs verò, qui poſthac eius generis negotia ſcripſerint, niſi intra menſem, cuius initium fiat à morte teſtatoris, eidem Epiſcopo rem notam fecerint, eamque particulam de legatis, vel relictis rebus deſcriptam, & auctoritate publica munitam, debita mercede accepta, illi tradiderint. Quæ omnia ſic agantur, niſi iuſtum interceſſerit impedimentum; quo ſublato, ea, quæ ſupra ſcripta sũt, notarij exequantur.

Decretum autem hoc noſtrum bis quotannis ab omnibus parochis populo ſibi commiſſo, recitari volumus.

Curent Epiſcopi, vt retento piæ eleemoſynæ inſtituto, tollantur publicæ illæ commeſſationes, cæteraq; huius generis, quæ à ſodalitatibus, quas confratrias, vel confraternitates vocant, pręſertim intra ambitum eccleſiarum die Pentecoſtes, & die cœnæ Domini, ac certis alijs ſolennibus feſtis diebus, pietatis ſpecie fieri ſolent, non ſine bonorum offenſione, propoſita pœna ſuo arbitratu.

Epiſcopi omnem curam & operam ſuam conferant ad erigenda & inſtituenda ex auctoritate ſummi Pontificis loca pia, quæ Montes pietatis appellantur, in ſingulis ciuitatibus, & inſignioribus oppidis; vnde mutuas pecunias pauperes poſſint accipere.

Eaque & quæ iam conſtituta ſunt, ſtudioſè & fideliter adminiſtranda curent.

Principes autem, & magiſtratus obſecramus, vt ea in re Epiſcoporum ſtudium, & diligentiam omni ope adiuuent. Nec in eis quidquam præter ſortem, niſi pro miniſtris, & alijs neceſſarijs ſumptibus, idq; ex ſummi Pontificis auctoritate, accipiatur.

De Monialibus.

VT in monaſterijs regularium mulierum, quæ in religionem Deo ſe dicârunt, & integra conſeruetur vetus diſciplina, & ſi fortaſſe vſquam deprauata eſt, reſtituatur; ad eamque ſeſe ipſæ conformantes, in rerum diuinarum contemplatione liberius conquieſcant: nos has piè rectèque viuendi formulas, partim Concilijs Tridentini decretis traditas, partim pro ratione horum temporum ad prouinciæ noſtræ vtilitatem conſtitutas, ab omnibus in hac prouincia monialibus, etiam quæ Regularium curæ commiſſæ, vel alia quauis ratione Epiſcoporum iuriſdictioni ſubiectæ nõ ſunt, ex ſa-

ex facultate à ſummo Pontifice Pio IIII. nobis data, ſeruari omninò iubemus.

De Monialium numero.

EX Tridentini Concilij iuſſo, vnicuique monaſterio eũ Superior monialium numerum conſtituat, qui pro modo, & facultate loci, & conſuetis eleemoſynis ſuſtẽtari commodè poſſit, idq; intra annum facerę ſtudeat; neq; eum numerum, niſi facta monaſterio, annua, quæ ſatis ſit, fructuum acceſſione, augeri vllo modo liceat.

Monaſteria, in quibus duodecim non ſunt, quæ profeſſæ velo vtantur, quæque eum numerum proprijs fructibus, aut conſuetis eleemoſynis alere non poſſunt, transferre, & cum alijs monaſterijs eiuſdem, aut alterius ordinis vnire ſtudeat Epiſcopus diligenter; vocatis ad id Superioribus regularibus, ſi modò res agatur eius monaſterij, cuius cura ad illos pertineat.

Si verò eiuſmodi vnio minimè expedire videatur, eum numerum monialium tempore interire, & ad nihilum redigi ſinat, adempta omninò illis monialibus facultate recipiẽdi nouitias.

Earum autem monialium monaſteria, & monaſteriorũ fructus iam nunc alijs monaſterijs, aut locis, quibus ex legibus eius ordinis deberi videbuntur, attribuantur.

De præfectis, & alijs miniſtris monialium.

EPiſcopi ad duos menſes, poſteaquam hæ conſtitutiones in lucem editæ erunt, Abbatiſſas, & quaſcunque præfectas, quæ ſuum præfecturæ officium perpetuum eſſe profitentur, edicto etiam, ſi ita iudicârint, moneant, propoſita priuationis pœna, quam ipſo facto ſubeant, vt illa iura, ſibi à ſede Apoſtolica conceſſa, ad alterum menſem ipſis, aut eorum vicarijs, ac ſimul illarum Superioribus, ſi Regularium curæ commiſſæ ſunt, exhibeant; vt an rectè ſe habeant, cognoſci, & de ijs, ſi opus erit, ad ſummum Pontificem referri poſſit. Quod ſi eo præſcripto tempore non exhibuerint; eo dignitatis gradu illas priuatas Epiſcopus declaret; datque operam earum Superior, vt alię in earum locum ritè ſufficiantur.

Nulla monialis ambiat, aut vllo quouis modo, ſiue directè, ſiue indirectè per ſe, aut per aliam, honores, officia ve aut cuiuſuis generis ſui monaſterij quærat, hac conſtituta pœna, vt & ipſa, & quæ ſibi in ea re fauerint, in Capitulo per tres ſextas ferias ad pedes ſingularũ monialium terram deoſculantes, ſuam accuſent ambitionem. ipſaque præterea, ſi id officium conſequuta erit, eo, cæteriſque muneribus priuetur, Superioris arbitratu.

Singulæ, propria voluntate depoſita, & ad obtemperandum paratæ, ſibique Dei gloriam, & communem monaſterij vtilitatem tantũmodo proponentes, ad honores, & officia eas eligent, quas, omni remoto humanitatis affectu, ſpiritus ſancti impulſi, ad id munus magis idoneas eſſe iudicauerint.

Præfecta, quocunque nomine appelletur, ex Tridentini Concilij decreto ne minor quadraginta annis eligatur; quęve in vitæ honeſtate vixerit octo annis, poſtquam profeſſa eſt. Quòd, ſi in eodem monaſterio non eiuſmodi reperiatur, ex alio eiuſdem ordinis deligi poſſit. Sin autem Superiori, qui electioni præeſt, hoc etiam incommodum eſſe videatur, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligatur ex ijs, quæ in eodem monaſterio triginta annis maiores natu ſint, quæve annis ſaltem quinque poſt profeſſionem rectè vixerit. In reliquis conſtitutiones ſingulorũ ordinum monaſteriorum ſeruentur.

Huiuſmodi præfecta, & eius vicaria, Diſcretæ etiam, quæ alio nomine matres conſilij vocantur, vbi eæ à Capitulo eligi conſueuerunt, tacitis ſuffragijs coram Superiore, aut eius miniſtro eligãtur; qui extra monaſterium ad cancellos, ſiue clatros ſtet, ex decreto Tridentini Concilij.

Nequaquam autem ad hæc officia deligi poſſint, niſi præfecta duas ex tribus partibus calculorum tulerit, vel ſuffragijs, vel acceſſu. Vicaria verò, & Diſcretæ pluribus dimidia parte ſuffragijs creentur.

In quibus monaſterijs plures germanæ ſorores ſunt, ſi earum vna monaſterio præficitur, reliquæ ſorores, neq; vicariæ, neque Diſcretæ, neque ianitrices fieri: neque ſcribæ, aut celerariæ officio fungi poſſint.

Minora verò officia, veluti ianuę, rotę, ſermonibus prępoſitarum, earum ve, quæ nouitias docent, ſacriſtiæ præfectarum, & quæ ijs præſunt, quæ manuum induſtria ſe ſe exercent, illarũ prætereà, quæ ſcribę, aut ratiocinatoris munere fungũtur, & quæ ægrotis miniſtrãt, ab eo, qui electioni præeſt, vnà cũ confeſſore, præfecta, vicaria, & Diſcretis pro earum mentis conſcientia, quibus opportunum videbitur, tribuantur. Quo decreto nihil derogatum ſit ijs monaſterijs, in quibꝰ ad huiuſmodi officia Capituli ſuffragijs moniales deligi ſolent.

Earum officia, quæ electæ fuerint, ſit duorum annorum, aut, in quibus ea eſſet conſuetudo; ad ſummum trium. Illis cum perfunctæ fuerint, tantundem ſaltem temporis vacent ab officijs; nec in eiſdem confirmari poſſint à monialibus; niſi grauis cauſa extiterit, iudicio Superioris probata; qui etiã eas ante tempus, officio præfinitum, inde mouere poſſit, ſi id malè adminiſtrant.

Quæ delectæ fuerint, quemadmodùm earum obedientia poſtulat, officia ſuſcipiant, & eorum munera ſine recuſatione humiliter exequantur; quæ aliter fecerint ſine iuſta cauſa, quæ Superiori probata ſit, iure ſuffragij priuentur, vt neque ipſe alias eligere, neque ab alijs eligi poſſint, arbitrio Superioris.

Præfecta monaſterij, tanquam communis omnium monialium mater, ipſarum, & corporis, & animæ ſaluti diligentiſſimè conſulat; easque ſtudioſè admoneat, vt puro corde ſint, vitæque integritatem ſeruent, & ad perfectionem virtutem omnium contendant; ſi quidem quæ religionem ſuſceperunt, niſi ad ſummum illum gradum pro viribus peruenire conentur, minùs ſanè efficiunt, quàm debent, pro vitæ, & ordinis inſtituto, quod profitentur. Meminerit autem ſibi reddendam eſſe rationem iuſtiſſimo iudici erratorum, quæcunq; moniales eius negligentia, aut culpa admiſerint.

In primis verò curet, vt pax, & concordia ſororum conſeruetur, ſublatis, quantum ab ea fieri poterit, omnibus diſſidij ac diſcordiæ cauſis, vt, quemadmodùm debent, vnũ corpus, & vnus ſpiritus in earum ſponſo Ieſu Chriſto, perfecto charitatis vinculo colligetur.

Studeat etiam, vt ſingulæ ſuo munere rectè fungantur; neque vlla alterius officium occupet, niſi auxilij cauſa; idque ipſius iuſſu, &, vt omnia ordine perficiantur, in primiſq; vt ſilentium horis ac locis præſcriptis ſeruetur. Si verò alicuius importunitas, aut re, aut verbo, ſororũ pace perturbata, charitatem violarit; acerrimè ab ipſa præfecta, &, ſi opus erit, à Superiore etiam monialium puniatur, & eius animi elatio edometur.

Huic autem præfectæ, eiuſve vicariæ, quæ, illa abſente, eius vim, & locum obtinet, moniales omnes omninò obedientiam, & obſeruantiam prętent, quemadmodùm earum votum poſtulat.

Quæ verò eius iuſſa neglexerit, neque pœnitentiam ſibi impoſitam adhibere voluerit, aut ſuperbè, & iniurioſè reſponderit, non habita eius dignitatis ratione, aut contumaciter defendendo, vel excuſando, eam impedierit, quominùs illas reprehendat, aut caſtiget, quę aliquid commiſerint; vt ſuæ contumaciæ, & inſolentię graues pœnas pendat, apud Superiorem accuſetur ab ijs, quas Diſcretas appellauimus; quæ niſi id fecerint, flagella, diſciplinæ nomine, ſibi ſemel adhibere, & humi cibum capere cogantur.

Singulis etiam hebdomadis præfecta monialium conuentum, ſiue Capitulum habeat, corrigendi cauſa moniales pro erratis, quę ipſæ publicè, vel in ſuorum officiorum munere admiſerit, quorum veniam ipſæ ſponte, atque humiliter coram omnibus petant, eiſq; pœnitentiam imponendi, aliaq; adhibendi, quæ earum inſtitutis tradita ſunt ad pias in humilitate, & ſui contemptione continendas, atque ad virtutes omnes ſtudioſè ſectandas.

Caueant autem moniales, ne pœnitentiam, ſibi à præfecta impoſitam, pertinacitor recuſent; neve ſuperioris temporis delicta ſibi inuicem iniquo animo objiciant. Quæ hoc commiſerit, ei hæc ſit pœna, vt ſtatim ad ſingularum mo-

nialium pedes terram exoſculetur; ſibique flagella nomine diſciplinæ adhibeat.

In negotijs paulo grauioribus præfectæ nihil decernat, niſi ſcientibus & conſentientibus maiori ex parte Diſcretis, ſeu Matribus conſilij.

In ijs verò, quæ maioris ſunt deliberationis præfectæ vniuerſum monialium Capitulum conuocent; idque ipſis ratum ſit, quod maiori monialium parti placuerit.

In omnibus autem tacitis ſuffragijs caueant moniales, ne ſuffragij pilas, vel calculos inter ſe tradant in manus. Ijs, quæ id commiſerint, ea pœna ſit, vt priuatæ Capitulo neque eligere, neque eligi ſuffragio poſſint, arbitrio Superioris.

Ad ſuffragia autem de quacumque re ferenda non admittantur, niſi quæ triennium poſt emiſſam profeſſionẽ in monaſterio fuerint commoratæ.

Diſcretæ probitate, & prudentia cæteris monialibus antecellant.

Neque ſint pauciores quatuor, vbi moniales plures non ſint quadraginta, quòd ſi plures ſint, ſaltem ſex creentur.

Moniales reliquarum ſermonibus audiendis eiuſmodi præponantur, quæ ætate matura, & ſpectata probitate ſint. Hæ diligenter, fideliterque ſuo officio fungantur: & ita loquentibus reliquis adſiſtant, vt, quidquid tum intus, tum foris dictum, factumve fuerit, ipſæ audiant; ac ſtudioſè animaduertant. Nec enim quidquam aut ita ſecreto proferri, vt eas lateat; aut, quod indignum ſit Dei ancillis, dici, aut fieri patientur: in quo ſi quidquam ſecus commiſſum fuerit earum culpa, vel negligentia, grauiſſima pœna ſui Superioris arbitrio puniantur.

Nouitiarum curam ſola magiſtra electa, loco à cæteris monialibus ſeparato, habeat: alia prætereà nulla.

Hæc nouitias in timore, & cultu Dei, & in obſeruatione religionis erudiat: coneturque & vitæ exemplo, nullam habeat anſam repræhenſionis, aſſiduiſque admonitionibus ita eas inſtituere in ſpiritualis, & ſanctæ vitæ ratione; vt progredientes, Deo adiutore, perfectæ eius ancillæ poſſint euadere.

Quæ autem ſibi id temerè aſſumpſerit, vt aliquam ex nouitijs erudiat, ius ei ſuffragij adimatur; vt neq; eligere, neque eligi poſſit, quandiu Superiori placuerit.

Ianuæ ſeptorum monaſterij die clauſæ ſint vna ſaltem claue; quæ ab antiquiore ianitrice cuſtodiatur, vt, cùm opus fuerit, aperiri poſſint. Nequaquam autem aperiantur, niſi duabus ianitricibus præſentibus. At noctu duabus clauibus diuerſis claudantur, quarum altera aſſeruetur à præfecta, altera verò ab eadem ianitrice antiquiore.

Cùm autẽ ianuæ aliqua neceſſaria cauſa aperiuntur, moniales non audeant eò accedere, vt externum quidquam adſpiciant, vel cum vllo omninò, aut mare, aut fœmina colloquantur. Quæ id auſa fuerit, includatur in cellam, vbi tam diu ſit, quamdiu Superiori videbitur. qua pœna etiam plectatur ea, quæ ianuæ præpoſita eſt, ſi aut id permiſerit, aut eiuſmodi petulantiam ſtatim ad Superiorem non detulerit.

Quo tempore mutantur officia; vna, aut duæ moniales maturæ, ac prudentes præficiantur monialium laboribus.

Hæ ad rotam recipiant, quæ elaboranda ſunt; ijſque diſtribuant, quæ ad id opus faciendum ſunt idoneæ: quibus perfectis, ea ex eadem rota reſtituant ijs, quorum ſunt, accepta mercede, ſemper ea præſente, quæ rotæ eſt præpoſita.

Nulla prætereà quidquam, quod elaborandum ſit, ne cognatorum quidem, aut affinium, accipiat. quæ contra fecerit, ſingulis vicibus ſibi flagella diſciplinæ nomine adhibeat eo loco, quo moniales operibus elaborandis exercentur.

Si quæ vel morbo, vel iuſta alia cauſa non impedita, pigritia, vel deſidia, aut pertinacia quadam ab huiuſmodi laborib⁹ abſtinuerit; obſonio priuetur totum id tempus, quo labori non incubuerit.

In loco item, vbi moniales in laboribus exercentur, lectio quotidie adhibeatur; qua abſoluta, in ſe conferant, quæ audierint, certatimq; eiectis vitijs, ad virtutes conſequẽdas ſe ipſas cohortentur.

Curet laborum magiſtra, ne ſermones, aut cantus profani, aut à monialium conditione, & inſtituto abhorrentes, inferantur.

Præfectæ, etiam ſi earum officium ſit perpetuum, ſcribæ, ac reliquæ, quæ monaſterij bona quocunque modo adminiſtrant, fideliter, & accuratè eorum rationem præſcriptam habeant.

Singuliſque tribus menſibus ad Capitulum ſummatim referant rationes accepti, & expenſi; vt omnes, quomodo ſe res monaſterij habeant, intelligere poſſint. Verùm quotannis rationem rerum omnium, quas adminiſtrârint, ſeparatim ſuperiori reddant, aut eius vicario, ac, ſi fuerint, monaſterij curatoribus deputatis. Quæ autem aut ſibi vindicârint aut perperam perdiderint monaſterij bona, Superioris arbitratu acerrimè puniantur.

Vt autem nulla fraudis occaſio relinquatur; in ſingulis monaſterijs ſingulæ capſæ cõſtituantur ad hunc vſum, vt in illis cõmunis pecunia collocetur: quæ duab⁹ clauibus, ijs inter ſe diuerſis, clauſæ ſint; quarum altera à præfecta monaſterij, altera à maiori Diſcreta aſſeruetur. Nec verò capſa aperiri, aut in ea poni pecunia, aut inde auferri poſſit; niſi & præfecta, & maior Diſcreta, & ſcriba monialis, quæ eius rationem ineat, interfuerint.

Duabus item clauibus, ijſque diuerſis, horrei, & eius loci, vbi farina aſſeruetur, oſtia concludantur: quæ ſingulæ à ſingulis matribus, ei officio præpoſitis, cuſtodiantur. Ea autem ſemper adſit, cùm triticum, vel farina importatur, vel exportatur.

Præfecta, & moniales bona monaſterij alienare, permutare, locare, aut contrahere nullo modo poſſit: niſi ſciẽte, conſentiente, ac præſente rerum Superiore, aut eius Vicario: ſeruatis item cæteris, quæ iure ſeruari debent. Aliter contractus irritus, ac nullus ſit.

Neque item ædificare, niſi conſentientibus Superiore, ac ciuibus monaſterij curatoribus. Qui operam dabunt, vt id quàm minimo ſumptu, commodè ac decenter fiat.

Quæ propoſitæ ſunt curæ ægrotantium, pias, & miſericordes ſe illis præbeant, quanta maxima poſſunt & patientia, & diligentia: ac tales ſe illis præſtent, quales cæteras vellent, ſi ipſæ ægrotarent.

Aegrotis cibus, & medicamenta opportuna à præfecta, & ab electis ad id miniſtris ita adhibeantur, vt monaſterij facultates tulerint.

Præfecta autem charitatis cauſa eas quotidie viſitet, vt, & ſolatio ſit; & melius ab eis cognoſcat, ac curet, quæ ipſis ſint neceſſaria.

Si verò aliqua moritur, confeſſor cum comite, quem Superior approbârit, ingrediatur ſepta monaſterij tunc, cùm eius corpus ad ſepulturam dandum fuerit: pieq; ac celeriter, quo eo tempore perſoluendum ſit, officio fungatur.

De puellis ad religionem admittendis.

CVm primùm puellæ ad ſuſcipiendum ſacrum habitum offeruntur, monialium præfecta parentes, vel eos, quorum curæ commiſſæ ſunt, admoneat excommunicationis, quæ propoſita eſt à ſacro Tridentino Concilio ijs, qui ſuas puellas, vel alienas inuitas eum cogunt ſuſcipere, aut profiteri religionem. Idem ab earum Superiore fiat, cùm eius conſenſus requiretur.

In ijs monaſterijs, in quibus moniales pauciores ſint quinquaginta, duæ tantùm germanæ ſorores, aut tres, quæ ſint vnius generis, ac familiæ, recipi poſſint.

Vbi verò plures ſunt quinquaginta monialibus, ibi tres tantummodò ſorores, aut quatuor eiuſdem familiæ recipi liceat: ſi ita monialium Capitulo videatur.

Præfecta, & moniales de puella, earum ſuffragijs ad ſuſcipiendam religionem admittenda, quidquam polliceri, aut Capitulum cogere non audeant; priuſquam libero loco ab Epiſcopo, aut ab eo, cui ipſe id munus delegârit, puella ſecreto examinata, ac probata, facultatem ſuſcipiendi in eo monaſterio religionem ſcripto conſequuta fuerit, conſentiente etiam illius monaſterij Superiore.

Ab ijs autẽ omnibus prius diligenter inquiratur de moribus, vita, ætate, quæ maior ſit duodecim annis, ac de libera & pia voluntate puellæ.

Quæ

Quæ anno ſaltem antequam examinetur,& monialium Capitulo admittenda proponatur; propoſitum religionis ſuſcipiendæ in eo monaſterio, & Epiſcopo, & monialibus, earumque Superiori patefecerit, vt interim huiuſmodi inquiſitio maturè fieri poſſit.

Quo etiam tempore ipſo confeſſori illius monaſterij, aut cui Epiſcopus eiuſmodi munus puellas has audiendi cõmiſerit, ſemel ſingulis menſibus peccata ſua confiteatur, ſacroſanctámque ſumat Euchariſtiam, ac perſæpè moniales in locis collocutionum alloquatur, vt ab eis tum explorari accuratiùs,tum admoneri melius poſſit de omnibus,quæcũque illi agenda, & ferenda erunt religionis cauſa intra ſepta monaſteriorum, ne vllo vnquam tempore conqueri, & inſcitiam excuſare poſſit.

De puella admittenda ad ſuſcipiendam religionem, ac mox etiam nouitia ad profeſſionem, ferantur tacita ſuffragia,vt ſingulæ moniales,nullo affectu impeditæ, liberè ſuæ conſcientiæ poſſint ſatisfacere.

Nec verò huiuſmodi puella ad religionem, neve nouitia ad profeſſionem recipiatur: niſi duas ex tribus partibus ſuffragiorum tulerit.

Puellæ ad religionem admiſſio aliter facta, quàm præſcriptum ſit,irrita ſit,& nulla.

Præfecta verò,cuius culpa, vel negligẽtia id factum fuerit,ab officij adminiſtratione ſubmota, velo etiã ad ſex menſes eo ipſo priuata eſſe intelligatur.

Præfecta autem ſtatim de ſuffragiorum exitu Superiorem admoneat: vt in librum,ad huiuſmodi vſum inſtitutũ, eius nomen,quæ recepta ſit,ab eo referatur.

Cùm primum ſuffragijs Capituli aliqua recepta eſt, ſtatim omnes veſtium delitias,& inanem ornatum deponat:& nigro,vel fuſco veſtitu, aut albo, at non ſerico induatur ea modeſtia,& ſubmiſſione:vt omnes intelligant, eam mundo renunciaſſe: vt Deo religioſè inſeruiat. quo veſtitu ſemper vtatur,donec in monaſterium introeat,& interea à choreis, & ſpectaculis inanibus abſtineat.

Quæ verò eo modo,quo diximus,recepta fuerit,monialium veſtibus in monaſterio indui non poſſit:niſi ſex menſibus,poſtquam recepta fuerit, idque conceſſu Epiſcopi, & monialium Superioris; quibus liberum ſit, vel producere, vel contrahere illud ſemeſtre tempus, quemadmodùm eis expedire videbitur.

Tumultus autem euitandi cauſa, deducatur mane ad monaſterium ab intimis propinquis mulieribus, nulla pompa, nulloque inuitatu aliorum,& ſola introducatur in eccleſiam interiorem monaſterij. Miſſaque audita,& ſumpta cõmunione,cæteriſque ſolennibus cæremonijs adhibitis, coram reliquis monialibus,à Superiore, aut monaſterij cõfeſſore veſtiatur,qui illam adeò grauem,ſacramq; actionem aliquo ipſo ſermone proſequatur. Quod etiam in profeſſione ſeruetur.

Superior, ſiue confeſſor hanc cautionem adhibeat, ne puellæ nouitiæ nomen gentilium fœminarum imponat,ſed ſanctarum,quæ ab Eccleſia celebrantur.

Quæ puella poſtquam monialium veſtem ſuſcepit, ampliùs è monaſterij ſeptis exire non poſſit: niſi fortaſſe nondum profeſſam pœniteret in monaſterium introiſſe. Si verò ſemel exierit,nulla illi in poſterum facultas redeundi cõcedatur.

Nouitiæ cauſa ante profeſſionem ex decreto Tridentini Concilij nihil monaſterio detur, præter id quod neceſſarium ſit ad victum,& veſtitum eius temporis, quo fuerit in nouitiatu, quod totum repræſentari volumus,antequã puella in monaſterium ingrediatur.

De nouitijs ad profeſſionem recipiendis.

QVoniam ex Tridentini Concilij decreto profeſſio ante decimumſextum annum expletum,& ante annum probationis poſt ſuſceptum habitum facta,nulla eſt,nullamque parit obligationem;curent Epiſcopi, ne nouitia vlla ante illam ætatem,& tempus ad profeſſionem admittatur.

Præfecta autem monaſterio triginta ante diebus Epiſcopo ſignificet,quo tempore nouitia profeſſura ſit; vt,vel ipſe,vel,ſi is abeſt,impeditur ve,alius,cui ille id negotij dederit, nouitiæ voluntatem cognoſcat: perſpiciatque an eiuſmodi conditionibus ſit,quas monaſterij illius,& ordinis regula poſtulat:an item monaſterium idoneum. Et denique demonſtret, quàm grauis ea res ſit, quamve multas res tria illa religionis vota requirant: vt ea,antequam ad profeſſionem recipiatur, vinculi vim intelligat, quo ſe obſtringi vult.

Si præfecta id facere neglexerit,eiuſdem Tridentini cõcilij decreto ab eius officio tamdiu amoueatur, quò ad Epiſcopo videbitur.

Nouitia ne examinetur intra ſepta monaſterij,ſed extra in publica eius monaſterij eccleſia, vt liberè & fidẽter ſuam voluntatem exponere poſſit.

Quod verò profeſſione facta, eleemoſynæ gratia ad profeſſam ſuſtentandam monaſterio datur,id quo tempore puella religionis habitum ſuſcipiet, apud virum, monialibus,& earum Superiori probatum,deponatur: vt nullo impedimento tum monialibus præſto eſſe poſſit.

Nulla autem renunciatio bonis à nouitia fiat; niſi,quemadmodùm à Concilio Tridentino iuſſum eſt, facultate ab Epiſcopo,vel eius vicario permiſſa,ad duos proximos menſes ante profeſſionem fiat.

Et quoniam,quæ moniales,profeſſione facta,velum ſuſceperunt, quotidie ſuæ religionis diuinum officium dicere debent,nulla ad profeſſionem admittatur, quæ congruè legere,& officium diſcere neſciat. Id autem experiri debebit is,cuius officium eſt eas examinandi: qui, ſe præſente, eam legere iubebit.

Profeſſionis autem, & diei, & anni, quo facta eſt,in libro, ad eum vſum confecto, memoria conſeruetur, manu eius monialis,quæ ſcribæ officio fungitur: adhibita ſubſcriptione eius,quæ profeſſa ſit, ſi modò ſcribere ſciuerit; & Superioris,qui eam admiſerit.

Quo die puella profitetur, vel monialem habitum induit,in foreſterijs,ædibusq; monialium,ab eius propinquis, & amicis conuiuia ne fiant,neve bellaria dentur.

De diuinis officijs, precationibus,& lectione Monialium.

CVm ad ſanctimoniales valde pertineat laudare aſſiduè Deum creatorem,conſeruatorem,& redemptorẽ mundi,eidem gratias agere, & ſupplicare, vt ſuam miſericordiã omnibus hominibus ad ſalutem impertiat; idcircò moniales omnes die noctuque chorum frequentent: ſacriſq; officijs diſtinctè,attenteq; ab ipſis,& voce, & pio animi affectu celebrandis, interſint:illis ſolum exceptis,quarum præfecta iuſti impedimenti excuſationem acceperit.

Adſint autem ſingulæ initio diuinorum officiorum,cõgruenti ſui ordinis veſtitu indutæ, in ſuis ac proprijs locis, & vſque ad finem perſiſtant: non prius inde diſcedentes, quàm præfecta, aut vice eius alia, diſceſſus ſignificationem fecerit; niſi neceſſitate aliud poſtulante, id eadem permiſerit.

Soni,cantus, qui honeſti, & ſpirituales non ſint, colloquia etiam, riſus,quidquid prætereà indignũ eſt domo Dei, & eius diuina maieſtate, cum qua colloquimur in oratione, omninò amoueantur.

Quæcumque autem contra hæc, quæ iuſſa ſunt, aliquid fecerit, præfectæ arbitrio pro modo culpæ acriter puniatur.

Et, quia mentis oratio tanto præſtantior ea,quæ ſolum ore exprimitur, quanto anima eſt excellentior corpore; pijs incredibile ſolatium affert,& fructum; eoſque quotidie nouis cumulat muneribus,in Deum quodam modo conuertens: ideò moniales,& Velatæ, & Conuerſæ præter horas Canonicas, aliaſque orationes, quas ex officio habere debent,quotidie in chorum vniuerſæ conuenientes,niſi neceſſario impediantur, ſaltem per horam,mentalem orationem adhibeant: ſemihora videlicet poſt matutinum,itemque poſt nonam, aut completorium, ſublatis ad Deum mentibus pijs, & ſalutaribus rebus contemplandis. præſertim verò vitam, doctrinamque Domini noſtri Ieſu Chriſti, atque eius ſancta myſteria ſtudia meditabuntur, paſſionem videlicet, mortem, reſurrectionem, aſcenſum

in-

Digitized by Google

in cœlum, extremum aduentum ad iudicium, beatorum gloriam, & damnatorum ſupplicia; aliaque eiuſmodi, quæ ad Dei gloriam, & propriam proximorumq́ue ſalutem pertineant.

Quoniam verò à Tridentina ſancta ſynodo prohibetur, ne in choro, vel monaſterij ſeptis, ſed in Eccleſia publica ſanctiſſimum Chriſti corpus conſeruetur; efficiant Superiores, vt eiuſmodi decreto vbiq; obtemperetur.

Diebus feſtis vt otium, à quo mala omnia oriuntur, euitetur; moniales tempus, quod ſibi à diuinis officijs, & conſuetis orationibus ſuperfuerit, in ſacra aliqua lectione conſumant, quæ ad Dei & ſui ipſius cognitioné eas ducat, viamq́ue monſtret perfectionis, & æternæ vitæ, idq́ue vel ſeparatim, vel coniunctim faciant; cùm huiuſmodi lectio ſuauis, & fructuoſa ſit animarum oblectatio; vitia coerceat; ad virtutes inflammet. contra autem inaniam librorum lectio mentes corrumpat.

Quod ne accidat, Superior, aut confeſſor omnes monaſterij libros perſpiciat, & recognoſcat; ſingulas moniales in virtute obedientiæ ſuos proferre cogens.

De communi vitæ vſu, ac de proprietate tollenda.

IN omnibus monaſterijs, quod ad cibum, potum, ſomnú, cæteraſq́ue res attinet, omnes communiter viuant; vt à ſacro Tridentino Concilio decretũm eſt: neque quidquam inter eas differat, aut alia alij præferatur, aut poſt habeatur, quemadmodum votum paupertatis poſtulat: vt tuum & meum, atque omnis priuata rerum poſſeſſio, & re, verbo omninò tollatur, omnis etiam ſuperuacaneus, & inanis rerum vſus.

Neque vlla ſit, quæ quidquam poſſideat, aut adhibeat vt proprium; etiam ſi ad neceſſitatem conceſſum ſit.

Omnes itaque monaſterij prouentus, cuiuſcunq; generis ſint, eleemoſynæ etiam, & quæſtus ex laboribus, liuelli præterea, legata & bona mobilia, & immobilia, quæ teſtamento relicta, & quæ donationis, vel alia quauis cauſa obtinuerint, à ſingulis monialibus ad communem monaſterij vtilitatem conferantur. Præfecta verò pro ſua prudentia, & humanitate ex illis ipſis eius neceſſitati potiſſimùm conſulat, ad quam pertinerent, niſi obſtaret paupertatis votum.

Vtq́ue omnis proprietatis occaſio tollatur de monaſterijs confeſſores, ac præfectæ, voti paupertatis accuratiùs ſeruandi gratia, monialibus ſuadere ſtudebunt; vt curent omnes veſtes lineas, laneas, vel pelliceas, aut cuiuſuis generis in communi loco aſſeruandas: duaſq́ue ex monialibus, quo tẽpore mutuantur officia, ijs excutiendis, purgandis, & ſarciendis præficiendas: quæ etiam ſororibus in ſingulas hebdomadas pro tempore, &, vt vſus feret, eas diſtribuant, nullaque veſtes apud ſe habeat, præter eas, quæ ad quotidianum vſum ſunt neceſſariæ.

Aegrotarum verò veſtes, contagionis nomine ſuſpectę, ſeparatim cuſtodiantur, aut apud illas ipſas relinquantur.

Dona, quæ ſingulis mittantur, ad præfectam adferantur: nec vlla poſſit illa accipere, aut ad vſum adhibere, niſi ſciente, & conſentiente præfecta. Quæ in id omninò incumbere debet, vt ex monaſterio vitium proprietatis, tanquam multorum malorum cauſam, euellat. Neq; cuique permittat vt pecuniam apud ſe habeat.

Ter autem in ſingulos annos, Præfecta vnà cum Diſcretis, cellas, & ſupellectilem ſingularum monialium diligenter inquirat; & ſcrutetur, ne vlla quidquam habeat proprij, aut plus quam quantum ei ad ſuum vſum conceſſum fuerit.

Quod, ſi quæ proprij aliquid tenere depræhenſa, aut conuicta fuerit; ea biennio actiua, & paſſiua voce priuata ſit ex Tridentini Concilij decreto; atque etiam iuxta ſuæ regulæ, & ordinis conſtitutiones puniatur. multoq́; magis, quæ ex communi, aut ex eo, quod alicuius vſui tributum ſit, furtim ſibi aliquid vindicauerit.

Si prætereà ſpeculum, catellus, vnguenta, aut ſuffimenta, & huiuſmodi inanium rerum quidquam apud aliquam repertum fuerit; Superior ſtatim id è monaſterio auferendum, & eam apud quam inuentum fuerit, acriter puniendã curabit.

Monialis ſiue velata, ſiue conuerſa ſit, eleemoſynam dare, largiri, aut vendere eſculentas res, veſtes, aut bona cuiuſuis generis ſint; etiam ſi ad vſum ei attributa ſint, aut etiam legare omninò non poſſit. Quæ ſecùs fecerit, velum ei per menſem adimatur; ac ter ſe verberibus ad diſciplinam affligere cogatur.

In quo tamen integrum ſit præfectæ concedere facultatem; cui concedi debere iudicârit, aliquid deuotionis, ac religionis cauſa, vel aliud exiguum elargiendi propinquis, ac benè merentibus.

Ad ſonitum minoris campanæ omnes conueniant ad benedictionem menſæ, quam præfecta, vel vicaria, vel, ipſis abſentibus, antiquior Diſcreta faciat.

Deinde loco, & ordine diſcumbentes non prius diſcedant, quàm Deo gratiæ actæ fuerint. quæ non obedierit, vno die obſonio priuetur: ac poſtremo loco in menſa ſedere cogatur.

Mane, & veſperi ad primam, ac ſecundam menſam aliquis ſpiritualis liber, qui ad religionem incendat, quotidie legatur, omnibus diſcumbentibus, cum ſilentio & attentione audientibus: vt vnà cum corpore mens etiam recreetur.

Vniuerſæ moniales, ſi fieri poſſit, vno loco dormiant, à præfecta, aut à vicaria optimè concluſo; cuius claues ab ipſa præfecta aſſeruentur.

Singulæ autem in ſingulis lectis omninò dormiant, & in ſingulis etiam cellis, ſi tanta ibi ſit copia cellarum, vt omnes capere poſſint. Cellæ verò diu, noctuque apertæ ſint, vt præfecta in ſingulas horas inſpicere eas poſſit. Dato autem ſigno eundi cubitum, locoq́; vbi dormitur, clauſo, præfecta, aut eius vicaria, aut aliqua ex Diſcretis, omnes cellas viſitet; vt, an omnes ſuis dormiant locis, animaduertat.

De clauſura, & quæ ad eam tuendam aliqua ratione pertinent.

MOnialibus nulla quidem nimia diligentia videri debet ad eius theſauri cuſtodiam cuius cauſa propinquis, res familiari, ac terrenis omnibus rebus, curiſq́; renunciantes, in ſepta monaſterij ſe incluſerunt.

Vt igitur ſanctum earum propoſitum, ea ex parte, quæ diaboli inſidijs maximè patet, communiatur, curent Epiſcopi, vt ad omnes feneſtellas, vbi colloquẽdum ſit, duo ferrei clatri, ſeu cancelli conſtruantur; qui ſaltem palmo diſtent, alter ab altero.

Inter virgas ferreas, quibus ſinguli cancelli compacti ſunt, non plus omninò quàm vncia interſit.

Sint autem virgæ ita ſolidæ, vt neque facilè frangi, neq; flecti poſſint.

Intimo verò cancello, quo moniales ad colloquendum accedunt, ferrea lamina appingatur, quæ moueri nequeat: ſitq́; exiguis foraminibus, ad audiendi tantùm commoditatem perforata, cui lineus pannus nigri coloris, ligneis tabellis affixus, inſtar feneſtræ, quæ aperiri poſſit, cùm erit colloquendum, apponatur.

In ea lamina fieri poſſit quadrata feneſtellula nouem tantummodò vnciarum, cuius clauis à præfecta cuſtodiatur; neque eam feneſtellulam aperire liceat, niſi quo tempore colloquendum ſit cum Epiſcopo, vel ordinis Superioribus, aut cum parentibus, & fratribus moniali͂ú, & alijs arcta propinquitate genere coniunctis: aut cùm inſtrumentũ aliquod confici, vel ſacrum ſermonem audiri oporteat.

Quod verò ad huius feneſtellulæ conceſſionem attinet, excepta ſint monaſteria, quorum moniales vel lege, vel conſuetudine ab externis hominibus conſpici nunquam ſolent.

Oſtia locorum, quæ collocutioni ſolùm, & intus, & foris ſunt attributa, ſemper clauſa ſint: quorũ claues ſint apud antiquiſſimam earũ monialium, quæ audiendis ſermonibus ſint præpoſitæ, nec, niſi cùm opus ſit longiori collocutione, aperiantur. Cæterùm ianitrix ex clatrata ianuæ feneſtellula, ianua tñ clauſa, rotariæ ex rota reſpondebunt pulſantibus.

Loca autem intus, & foris collocutionem attributa, cùm ibi ſint, qui loquantur, ſemper pateant, vt quinam ſint, videri poſſint.

Oſtia, per quæ à ſeptis monaſterij in exteriorem eccleſiam patet aditus, ad menſem, muro obſtruantur. Si quid in hoc pręfectæ culpa, vel negligentia commiſſum fuerit, ea, & officio, & velo Superioris arbitrio priuetur.

Omnes feneſtræ, & cancelli, & quicunque locus, per quem moniales externam eccleſiam introſpicere poſſint, in ædificientur, præter feneſtram, in qua collocata eſt rota; & feneſtellulam ad ſolum ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumendæ vſum conſtitutam, ac illam feneſtram per quam corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, à ſacerdote celebrāte elatum, aſpicere poſſint.

Ea feneſtra perpetuo lineo panno contecta ſit, qui tantummodò, cùm ſuſtollitur ſacroſancta Euchariſtia, amoueatur. Feneſtræ autem ratio ſit eiuſmodi, vt ſacerdos ex Altari moniales intueri nequeat.

Curent Epiſcopi, & alij Superiores, ne è vicinorum ędibus, quicunque illi ſint, monaſteria inſpiciantur; maximè verò ſi fratrum cuiuſuis ordinis, aut presbyterorum ædes illis immineant: quo caſu parietes altius tolli, & nouas ædificari iubeant eorum ſumptibus, quorum Epiſcopi, & ij, qui monaſteriorum curatores ſint, intereſſe iudicauerint, quæcunque appellatione remota.

Quamobrem etiam ſæcularium principum auxilium implorent, vt monialibus ab externorũ hominum aſpectu, & auditu libris ſecurè per monaſterium ambulare liceat.

Regulares viri in poſterum, ne in ea loca migrent; neve areas, monaſterijs monialium proximas, ædificandi cauſa emant: vnde monialium aſpectus fieri poſſit. Moniales item monaſteriorum ædificatione vicinia regularium virorum ædibus, aut ijs locis, vnde ipſæ ab illis inſpici poſſint, in poſterum prohibemus.

Aedes proximæ monaſterijs ſanctimonialium, famoſis mulieribus ne locentur.

Neue ibidem ſpectacula, cantus, ſaltus, ludi, & huiuſmodi profanæ res, & inanes exerceantur; quę eas à ſacro officio auocare, aut ipſis offenſionis cauſam præbere poſſint.

Quemadmodùm à ſacro Tridentino Concilio ſancitum eſt, moniali profeſſæ nulla ratione è monaſterij ſeptis egredi liceat; niſi ex cauſa legitima, quæ ab Epiſcopo probata ſit.

Huiuſmodi verò licentia egrediendi nullo pacto permittatur, niſi id grauiſſima res, & ſumma neceſſitas poſtulârit; neque ijs monialibus, quibus, niſi ex ſummi Pontificis conceſſu egredi fas eſt. Apoſtatæ, fugitiuæ, & delicti cauſa eiectæ è monaſterijs, quæ cum ſacro veſtitu, aut ſine eo vagantur, non ſine ſcandalo religionis, ab Epiſcopis, cæteriſque earum Superioribus, petitio etiam ſæcularium principum auxilio, ad ſua monaſteria redire cogantur; vt ibi dignas pœnas pendant ſuorum ſcelerum. Quod ſi Superioribus in monaſteria reſtitui debere minimè videantur, in earum mulierum numerum, quas Conuertitas vocant, cum bonis, quę attulerunt ad monaſterium, adſcribantur. Ea autem bona illis mortuis, priori monaſterio reſtituantur.

Si quæ monialis in monaſterij ſepta matrem, aut fœminam cuiuſuis ætatis, conditionisve, etiam matrem, aut ſorores ſint, introduxerit, tribus menſibus in carcerem concludatur; eique ſingulis ſextis ferijs ieiunanti nihil præter panem & aquam ad cibum & potum adhibeatur, atque ad annum velum adimatur. Eandem pœnam ſubeant, quæ rotæ, & ianuæ præpoſitæ fuerint; præfectæ etiam, & quæuis aliæ, quarum conſenſu id commiſſum ſit.

Quicunque verò clericus, ſiue ſæcularis, ſiue regularis, cuiuſcunque ordinis, aut laicus cuiuſcunque ſtatus, dignitatis, gradus, conditionis ipſarum monialium ſepta interdiu, vel noctu introire auſus fuerit, præter excommunicationis pœnam, quam ex Concilij Tridentini decreto ipſo iure ſubit; alijs etiam grauiſſimis pœnis, habita, perſonæ criminiſque ratione, puniatur. Et ſi Eccleſiaſticus ſit, aut beneficia obtineat, ſuorum etiam ordinum munere ex Ordinarij voluntate prohibeatur; ſuiſque omnibus beneficijs priuetur. Quo decreto excipimus eos, quibus ob neceſſariam monaſterio eorum operam, & induſtriam Superior ſepta ingrediendi facultatem, quotannis renouandam, ſcripto permiſerit, Is autem meminerit ſibi à Tridentino Concilio ius ademptum eſſe eiuſmodi facultates concedendi, niſi in caſibus neceſſarijs; ideoque caueat, ne, quæ intus officia moniales obire poſſunt, ad ea præſtanda externi in ſepta monaſterij introducantur. Atque vt in hac neceſſitate dignoſcenda vna eademque ratio vbique ſeruetur, & ille facilè cōcedendi vſus coerceatur; Epiſcopus adhibitis in conſilium omnibus monaſteriorum Superioribus, etiam regularibus, ſtatuat, ac præſcribat, quæ opera in monaſterijs neceſſarium externorum ingreſſum requirant. Quam verò rationem in hac re præſcripſerit, ea ab omnibus, etiam Regularibus, inuiolatè ſeruetur.

Intra ſepta monaſterij matres, & fœminę cuiuſuis generis, etiam ſi ipſis monialibus inſerulant, vel ſint ætate confecti, nulla de cauſa pernoctare poſſint, propoſita pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam, & is, qui pernoctârit, & præfecta, quæ id permiſerint, ſubeat: quibus addantur alię pœnę Superioris arbitratu. Neve intus in eiſdem ſeptis boues, equos, & iumenta cuiuſuis generis alant.

Si contra fiet, præfecta tres menſes ab officij ſui munere amoueatur.

Moniales cum nemine externo omninò colloquantur; niſi is licentiam ſcriptam, & obſignatam à Superiore monaſterij, aut ab eo, quem is ſuo nomine ſubſtituerit, atque in cancellaria Epiſcopali gratis deſcriptam attulerit. Quæ contra id fecerit, priuetur trium menſium facultate loquendi cum externis omnibus cuiuſuis ſexus, etiam propinquis: cogaturque ſingulis ſextis ferijs eius temporis, diſciplinæ nomine, flagella ſibi publicè adhibere, & orare eo Pſalmo, Miſerere mei Deus.

Licentiæ autem, ſcripto permiſſæ, accipiantur ab ijs, quę rotæ ſint præpoſitæ, priuſque ad præfectam deferantur, quã illæ accerſeantur, quæ ſcripto nominatæ ſint. Præfecta vbi ſcriptum legerit, manumq; & ſignum eius agnouerit, cuius officium ſit facultatem colloquendi concedere, benedictione adhibita, permittat ijs, quæ ſcripto nominentur: vt cum illis tantummodò loquantur, qui nominatim deſcripti ſint: idque ad communem collocutionis feneſtellam; non ad ianuam, neque in eccleſia, aut alibi, præſentibus ſemper monialibus arbitris eis muneri perfectis. Quæ verò ad colloquendum acceſſerint, breui finem loquẽdi faciant: caueantque ne tempus, quo nihil eſt pretioſiùs, inani, aut inutili ſermone conſumant.

Non eſt ferendum, vt moniales, pręſertim ſacris diebus, aberrantes ab ratione, cæteriſq; pijs exercitationibus, ſermonibus minimè neceſſarijs tempus conſumant.

Idcircò, quibus diebus ſumitur ſacroſancta Euchariſtia, & quoties dies feſti ex præcepto Eccleſiæ celebrantur, tempore etiam Aduentus, & Quadrageſimæ in vigilijs prætereà de præcepto, omni denique tempore, cùm diuina fiunt officia moniales cum externo nemine omninò colloqui poſſint: niſi neceſſitas ita poſtulet.

Moniales verò tam quæ audiendis ſermonibus præpoſitæ ſunt, quam illæ, quæ loquentur; ne monaſterium abſurdis, & inanibus rumoribus compleatur, cum nemine omninò communicent, quæ ab externis acceperint: niſi cum præfecta, ſi eis expedire videbitur, vt aliqua ad eam referantur.

Vigilent præfectæ, & quæ ſermonibus audiendis præpoſitæ ſunt, ne quiſquam ad colloquendum cum monialibus accedat, ſimulato eius nomine, qui ſcripta licentia nominatur. Quod ſi id à quoquam commiſſum fuerit, is ab Epiſcopo: quæ verò cum collocuta fuerit, &, quæ ſcientes permiſerint, à ſuo Superiore, harum conſtitutionum pręſcripto, graui pœna eorum arbitratu afficiantur.

Quicunque verò clericus ſiue ſæcularis, ſiue regularis, cuiuſcunque ordinis, aut laicus cuiuſcunque ſtatus, dignitatis, gradus & conditionis ad monialium monaſteria acceſſerint, & cum earum aliqua, non impetrata, vt præſcriptum eſt, colloquendi facultate, ſermonem habûerit, grauiter puniatur.

Hoc autem edicto, neque patres, neque fratres teneri volumus, quibus non impetrata illa colloquendi facultate, ſed ſeruatis cæteris regulis, hac ipſa de re latis cum filiabus & ſororibus tantùm colloqui, non tamen ſepta vnquam ingredi licebit.

Nemini omninò, neque ſacro, neque profano, neq; mai, neq; fœminæ liceat adire monaſteria monialium docen..i cauſa cantum, quem figuratum vocant.

In ijs tamen monaſterijs, in quibus non in exteriori ecleſia à ſæcularibus, ſed intus à monialibus organo ſonatur, ermittere poterit Superior alicui viro, moribus, & ętate ab Epiſcopo probato, vt foris ad feneſtellam collocutionis mo ialem organiſtriam tantùm ſonãdi artem edoceat, ſi in eo ludij genere plus proficere neceſſe habeat.

Hæc autem intus, ad ipſam feneſtellam diſcens, commo abitur; cui ſemper aſſiſtent duæ ex ijs, quę audiendis ſermo ibus præpoſitæ ſunt.

Quæ contra fecerit, ſiue præfecta, ſiue alia, velo prietur, alijſque prætereà pœnis afficiatur, arbitratu Superioris.

Organum aut in poſterum ne conſtituatur, niſi locus, in quo aptè locetur, Superioris iudicio ante probetur.

Prohibentur etiam moniales ipſæ intus, aut per alios ſonare muſicis inſtrumẽtis, præter organa, & harpichordium, quo ars organo ſonandi diſcitur.

Ne liceat monialibus depoſiti, aut cuſtodię cauſa, in monaſterio habere pecuniam, gemmas, veſtes, aut eius generis res vllas cuiuſuis perſonæ, nec vaſa quidem florum, aut fruticum.

Quod, ſi quæ in pręſenti habeant, vt omnis incommodi cauſa tollatur, ad tres menſes, quibus debent, ea reſtituant.

Contumacibus, aut negligentibus pœna ſit, pręfectis, officij: cæteris, veli ſpoliatio.

Moniales, ne animi quidem relaxandi cauſa, ſęcularium virili, aut muliebri veſtitu vtãtur, cùm dedeceat Dei famulas, veſtes, ab earum profeſſione alienas, induere. verùm, decoro ſemper ſeruato, omnium & temporum, & actionũ, permittente præfecta, honeſtate, & quemadmodum ſacras Deo virgines decet, animum remittere licebit.

Moniales etiam ne offulas, aut cætera huiuſmodi conficiant donandi gratia, prohibemus: propter temporis iacturam, & ſumptum, qui in eas impenditur. Quæ contra decretum aliud commiſerit, vel permiſerit, Superioris arbitratu puniatur; maximè verò in præfectam animaduertatur.

Nulli moniali fas ſit ad quemquam ſecretò literas ſcribere, præter Superiorem & Epiſcopum, ſi de aliqua graui re eſſet admonendus.

Neque ad ſe miſſas literas aperire, & legere, niſi pręfecta prius eas coram vicaria legerit, aut ſe præſente legi iuſſerit.

Quæ contra hanc legem aut ſcripſerit, aut acceperit literas, per duos menſes è ſua cella pedem non efferat: & ſingulis ſextis ferijs, ita ieiunare cogatur, vt tantùm pane & aqua veſcatur. Ac, ſi eæ literæ ſuſpicionem aliquam criminis haberent, ea, ad quam ſcriptæ fuerunt, præter prædictam pœnam, ſex menſes, & facultate loquẽdi ad feneſtellam monialium collocutionis, & velo priuetur.

Verùm, ne præfecta falli poſſit, fictis ei literis oſtenſis, quæ aliæ ſint ab acceptis, & ab illis, per quas reſponſum eſt; quæ rotæ præpoſitæ fuerint, omnes accipient literas, quæ ad monaſterium peruenerint, eaſque ſtatim ad pręfectam afferent. à qua etiam literas, à monialibus ſcriptas, accipient clauſas, & obſignatas coram eadem ipſa. Quas deinceps nuncijs externis tradent.

De conuerſis.

Conuerſis, minimum quadraginta annos natis, & Superiori probatis, facultas ſit exeũdi ſeptis monaſterij, propter negotia monaſterio neceſſaria, permittente tamen pręfecta, quotieſcunq; exeundum fuerit.

Cui etiam liberũ ſit, eas, ſi ita videbitur, intra ſepta ſemper retinere. quod vt faciat, ſi modo poſſit, eam vehementer cohortamur.

Ad funera autem ne prodeant, niſi quæ ordinis ſint mẽdicantium.

Exeuntes verò binæ prodeant; neq; longius diſcedãt, altera ab altera, quàm vt ſe inuicem aſpicere & audire poſſint.

Quibus, ſi ex vrbe egredi contigerit, ſemper in eodem lecto ſomnum capiant.

Caueantque, ne in cuiuſquam famoſæ perſonæ domum introeant, etiam ſi illa de monaſterio benè merita fuerit.

Neve in domicilijs, vbi aliæ honeſtæ mulieres non habitent, pernoctent.

Neve literas, aut mandata clam perferant.

Aut quidquam inane monialibus renuncient, quod foris viderint, aut audierint.

Delinquentibus pœna ſit carcer, aut etiam grauior arbitratu Superioris.

De puellis ſæcularibus, quæ in monaſterijs educantur.

Puellæ ſæculares cuiuſuis generis, conditionis, & ætatis, quę nunc in clauſura monaſterij, educationis, aliave cauſa commorantur, poſt annum è monaſterio exire cogantur, niſi omnibus ijs prǽditæ, quæ ad ſuſcipiendam religionem, monaſterij inſtitutis, Tridentini Concilij, & harum conſtitutionum decretis requiruntur, monachalem veſtem ſumere voluerint. Epiſcopis tamen facultas permittitur probabili de cauſa prorogandi tempus ſuo arbitratu, conſentiente Superiore regulari in ijs monaſterijs, quæ ei ſubiecta fuerint.

In poſterum puellæ, educationis cauſa, in monaſteria ne recipiantur ſine licentia ſcripto permiſſa ab Epiſcopo, ac Superiore regulari, ſi ei ſubiectum fuerit monaſterium, cui etiam prius acceſſerit ſcriptus Metropolitani conſenſus.

Hæc autem licentia non concedatur puellis, quæ habeant, à quibus regi, & educari commodè poſſint; aut ijs, quæ decimum annum non compleuerint, aut maioribus quindecim annis.

Quæ ſemel exeunt è monaſterio, amplius aut in illud, aut in vllum prętereà aliud admitti nõ poſſint; niſi cùm moniales fieri voluerint.

Huiuſmodi autem puellæ nigri tantummodò, aut fuſci, vel albi coloris veſtes, non ſericas, adhibeant. Nullo prætereà exquiſito ornamenti genere vtantur; ne ſint cincinnatæ; neve habeant inaures, nec monilia; aut eius generis inanes delitias.

Cum propinquis, alijſve externis ne colloquantur; niſi eiſdem ſeruatis, quę ſupra de monialibus eo in genere decreta ſunt.

Dormiant, cibum capiant, verſenturque loco ſeparato à monialibus, ijs exceptis, quæ ipſis regendis, & inſtituendis præpoſitæ ſunt: cum nullaque moniali conſuetudinem habeant, præterquam in eccleſia, cùm Miſſa, aut diuina officia celebrantur.

Puellarum alimenti, & educationis cauſa quotannis monaſterio non minus ſoluatur triginta aureis; cuius pecuniæ dimidium in ſingulis ſex menſes repræſentetur. Quòd ſi ea pecunia per ipſos ſex menſes non numerata fuerit; puellę ad ſuos remittantur, quos magiſtratus monaſterio omninò ſatisfacere cogant.

Quæcunq; ex ijs puellis monialis fieri voluerit, ad propinquos ſuos mittatur, aut ad eos, qui ipſius curam habent, apud quos ſaltem per menſem maneat; priuſquam ab Epiſcopo, aut ab eius miniſtris examinetur. idque, vt facilius, ac melius eius libera voluntas exquiri, & explorari poſſit.

Puellas verò, domi ſuæ foris viuentes, neque literas, neque vllam omninò artem monialibus docere liceat; ne ad feneſtellas quidem, aliave collocutionis loca. quod, ſi id monialium præfecta quouis modo permiſerit, ſemeſtri adminiſtrandi officio priuetur.

De concionatoribus, confeſſoribus, viſitatoribus, & capellanis.

Qui monaſterijs præſunt, doctos, prudentes, ac pios concionatores adhibeant; qui bis ſaltem in ſingulos mẽſes ad cancellos collocutionis monialium, vel ad feneſtellas eccleſiæ, Dei verbum prædicent, eaſque erudiant in omnibus, quæ ad Dei cultum, & ſempiternam ſalutem conſequendam pertinent.

Concio-

Concionatoribus autem ne liceat cum monialibus ſeparatim colloqui; niſi eis à Superiore monaſterij licentia permittatur.

Præficiātur etiam monialibus confeſſores,& ætate prouecti,& prudentes, & Deum timentes, qui ſemel ſaltem in ſingulos menſes audiant peccata monialium:eiſq; ſacroſanctam Euchariſtiam adminiſtrent: quemadmodùm ſacrum Tridentinum Concilium debere cenſuit.

Nemo Regularis peccata monialium poſſit audire; niſi prius à generali Capitulo, aut ſui ordinis Generali, aut, eo abſente,ab ipſius vicario generali probatus fuerit: cuius rei fidem fecerit Epiſcopo eius loci, vbi fuerit monaſterium, aut eius vicario omnes monialium, & ſæculares, & regulares confeſſores,confecto biennio, aut ad ſummum triennio mutentur:niſi iuſta aliqua,aut neceſſaria cauſa Epiſcopo,aut eius ordinis Generali, ſi Regularibus ſubiectum ſit monaſterium,poſtulare videatur, vt illis tempus prorogetur.

Iidem monaſterij ſepta ingredi non poſſint; niſi id eis à Superiore aliqua de cauſa cōceſſum fuerit: excepta cauſa adminiſtrandi ſacramenta ægrotis monialibus, cùm graui & periculoſo morbo laborant.

Quo tempore dum intra ſepta commorantur, eos duæ aut tres moniales, quæ ætate cæteris præſtent, comitentur. Eædemque omnes proſequantur, quicunque ſepta monaſterij introierint, etiam Superiores,ac viſitatores,facta prius ſignificatione ſonitu minoris campanæ monialibus ſe recipiendi. Quam conſuetudinem niſi præfecta ſeruârit, officio moueatur Superioris arbitrio.

Confeſſores in monaſteriorum locis, quos foreſterias vocant, cibi capiendi cauſa ne morentur, niſi confeſſionis tempore.

Neque tum etiam ibi noctu cubent, niſi cùm alicui ex monialium numero mors inſtaret,vt prẹſto eſſe poſſint adminiſtrandis ſacramētis,& reliquis pietatis officijs; aut cùm propinquum monaſterio domicilium non habent: vt in multis monaſterijs quæ ſunt in diœceſi.

Nemini autem confeſſori ſæculari aut regulari aſſiduè habitare liceat foris in foreſterijs,& ædibus monialium; aut earum ſumptibus ibi viuere;nec,ſi in ijs locis dormitur, quẹ monaſterium attingunt, feneſtræ, aut rotæ ſint. Et,ſi ſunt, ſtatim muro obſtruantur; vt nihil à monialibus,quod in eo loco agatur,aut dicatur,aſpici aut audiri poſſit.

Clatri lamina,& linea tela feneſtellulæ eius loci,vbi moniales confitentur, ita compactæ cohæreant, vt remoueri non poſſint:& inde tantùm audiri, aſpici autem nullo modo poſſint.

Qui verò confeſſores in ijs deliquerint,ſtatim & officio priuentur; & facultas tum adeundi illud monaſterium,tum diuina adminiſtrandi eis arbitrio ſuperioris adimatur.

Eandem pœnam ſubeant omnes Regulares, & alij cuiuſuis generis clerici, qui cibum, aut ſomnum capient in locis collocutionum,ac foreſterijs monialium;aut munera alicui moniali, quæ ſecundo,arctiorive cognationis gradu cōiuncta non ſit,dederint,aut ab ea acceperint.

Superiores tamen,ſuo arbitratu,cum illis colloqui,& in foreſterijs veſci,& cubare poſſint,quo tempore viſitant monaſteria: ſi tamen ibi fratrum ſui ordinis monaſteria non habeant. Quæ ſi ſunt,apud eos diuerſari debent, neque graues eſſe monialibus.

Iidem pecuniam, munera, aut præmia à monialibus ne accipiant; quo illæ apertè intelligant in eiuſmodi viſitatione tantummodò ab eis conſuli Dei gloriæ, & monialium ſaluti.

Liceat verò ijs Superioribus, qui premuntur inopia, ſumptu monialium viuere,cum eas viſitant, aut adeunt alia de cauſa,quæ ad ipſarum vtilitatem ſpectet.

Regularibus, qui fratres ſint monialium, permiſſu Superiorum,quemadmodùm ſuprà dictum eſt, ſemel in ſingulos annos cum ſororibus monialibus tantùm colloqui liceat, idque præſentibus ijs quæ collocutioni præpoſitæ ſunt. quòd, ſi illi aliquos ſecum adduxerint, ij cum monialibus omninò ne colloquantur, propoſita ea pœna, quæ ſuperius colloquentibus ſine licentia eſt conſtituta.

Socij confeſſorum Regularium ſint ætate prouecti, & Superiori ſuo probati, neq; cum vlla moniali colloqui poſſint, niſi cum præfecta, & rotæ, aut foreſteriæ præpoſita, ſi quid opus ſit confeſſoribus tum, cùm peccata audiunt, eiuſdem pœnæ periculo.

Prẹtereà Superiores ex decreto ſacri Tridentini Concilij quotannis idoneum confeſſorem extraordinarium monialibus ſibi ſubiectis exhibeant. cui,curent, vt vniuerſæ cōfiteantur; vt,quæ huiuſmodi indigent medicina propter aliquem occultum animi morbum,neque ipſæ eam poſtulare, aut accipere ab vſitato confeſſore vnquam auderet, liberius mederi ſuis malis poſſint;ac diaboli laqueos euadere, vnà cū reliquis confeſſori nouo ſua peccata confitendo.

Sacerdotes,qui in monialium eccleſijs publicis rem diuinam facturi ſunt,benè audiant, & bonis moribus ſint: & ab eo etiam approbati qui monaſterio præſidet.

Ex quibus,qui à monialibus mercede conducuntur, nō ab illis,ſed à Superiore, aut eius iuſſu à confeſſore monialiū deligantur.

Qui,niſi eis facultas ſcripto conceſſa ſit, cum monialibus ne colloquantur: niſi cum ijs, quæ ſacriſtiæ præſunt; quibuſcum ad rotam eccleſiæ quàm breuiſſimè loquantur de his tantummodò rebus, quæ ad Miſſæ ſacrificium ſint neceſſaria.

Ne magnifici & ſumptuoſi apparatus fiant, cùm dies feſtus eccleſię monialium celebratur:ſed pij,ac modeſti; & qui religionem,non inanem aliquam ſpeciem præ ſe ferant.

Quo non admittantur muſici, figuratum cantum, aut quoduis muſicum inſtrumentum adhibentes.

Præfecta monialium neminem ad monaſterij famulatum,& procurationem admittat,cuius ætas & mores earum Superiori probati non ſint.

Eiuſdem etiam Superioris ſit approbatio eorum, qui nunc monialibus inſeruiunt. Quo in numero medici,tonſores,furno aut piſtrino præpoſiti,cæteriq; omnes intelligantur, quibꝰ in monialium ſepta introeundum ſit. Qui monaſterij res procurant, quotannis ſuæ adminiſtrationis rationem reddant ijs,quos diximus;& ad duos menſes bonis prędibus caueant cancellarijs Epiſcoporum, ſe fideliter rōnem reddituros ſuæ adminiſtrationis. Quod ſi facere neglexerint,officio priuati cenſeantur.

In parochialibus eccleſijs, quæ monialium monaſterijs annexæ ſunt,perpetui vicarij, ex formula Tridentini Concij præſcripta,ab Epiſcopis conſtituantur.

De propria regula, & conſtitutionibus his aſſiduè legendis.

QVIA moniales,quæ profeſſæ ſunt, non ſolùm Dei, & ſanctę Eccleſiæ præcepta,quę Chriſtianis omnibus prẹſcripta ſunt;ſed etiam ſuæ regulæ,& ordinis leges, & inſtituta ſeruare debent; operæ pretium erit, illis ſuæ vocationis & profeſſionis debitum officium in memoriam quàm ſępiſſimè reuocare.

Ideò in virtute ſanctę obedientiæ prẹcipimus, vt in ſingulis monaſterijs ab aliqua moniali, cæteris profeſſis audientibus, quotidie legatur ſaltem caput vnum conſtitutionum regulæ,aut ordinis,cui adſtrictæ ſunt.

Cuius lectionis initium fiat à primo, & ita procedatur ad extremum; ac deinceps ad primum caput redeatur: vt eodem ordine,ac progreſſione ſeruata; nunquam ſacræ huius exercitationis vſus intermittatur. Prẹtereà has etiam cōſtitutiones frequentes legi iubemus, vt ac crebra ſalutarium præceptorum commemoratione moniales in obeundo ſuo munere diligentiores euadant. Qua in re præfectam monemus, vt cæteras ad ſummam legum obſeruationem non minus exemplo ſuo inuitet, quàm auctoritate compellat.

Denique præcipitur omnibus monialium confeſſoribus, vt illis vniuerſis ſemel legant, & explicent omnia hæc decreta:quæ in vulgarem ſermonem conuerſa, ad communem prouinciæ vtilitatem primo quoque tempore curabimus edenda. eaque,vt omninò,quemadmodùm debent,ſeruent,vehementer cohortentur.

Quæ moniales arctioribus conſtitutionum regulæque vinculis adſtrictæ viuunt: non is eſt animi noſtri ſenſus, vt ab illis ſuſceptæ vitæ inſtitutis diſcedant, ſed vnà cum ijs hæc

Hæc quoque decreta ab illis ſeruari iubemus.

De Iudæis.

VT, quantum poſſumus, Iudæis corrumpendi Chriſtianorum mores, & eis bona per fraudem auferendi occaſionem adimamus; ipſosq; ad viam ſalutis traducere ſtudentes, ex ſacrorum etiam canonum decretis, edicimus.

Vt Iudæi ſemper, & quocunque iter faciant; viri pileum ſeu birretum crocei coloris; mulieres impoſitum reliquo capitis integumento pannum eiuſdem coloris ferant.

Ne Chriſtiani ad conuiuia, nuptias, vel dies feſtos, & ſynagogas Iudęorum accedant; aut cum eis ludant, vel, quod deteſtabilius eſt, choreas cum Iudæis agant.

Ne Iudæis Chriſtiani in famulatu eſſe poſſint.

Ne Chriſtiani, ſi in diem, vel horam, Iudæis operas ſuas locauerint, apud illos cibum capiant.

Ne Chriſtianæ mulieres, Iudæorum nutrices in eorum domibus eſſe nullo pacto poſſint. Ne verò extra eorum domos, niſi cùm neceſſitas, Ordinario probanda, poſtularit.

Ne Chriſtiani Iudæos medendi cauſa ad ſe accerſant.

Ne in coniungendis inter ſe matrimonijs eorum opera vtantur.

Ne Chriſtianæ mulieres Iudæas fuci, pigmentorum, aut ornandi ſe cauſa adhibeant.

Agros, prædia eccleſiaſtica Iudæis locari; vaſa, veſtes, aliave ſacra, vel ad vſum eccleſiæ deſtinata, vendi, aut pignori dari ne liceat.

Ne in ædibus, quæ eccleſijs vicinæ ſint, Iudæi habitent. Et ſi qui in eis nunc habitant, intra certum tempus omninò migrare cogantur.

Ne Chriſtiani cum Iudæis in diebus feſtis, emptionis, venditionis, vel alio nomine contrahere audeant.

Ne tribus ante Paſcha diebus Iudæi in publicum prodeant; neque quidquam palam, vel ſecreto in contemptionem Chriſtianæ religionis facere audeant.

Ne dignitatem, vel publicũ officium, quod ad Chriſtianos pertinere aliquo modo poſſit, Iudæi obtineant.

Hæc, & reliqua, quæ de Chriſtianorum cum Iudęis conſuetudine ſacris canonibus conſtituuntur, curent Epiſcopi, & principes, ac magiſtratus, pro ſuæ quiſque auctoritatis munere, pœnis contra Chriſtianos, & Iudæos acrioribus conſtitutis, vt inuiolatæ ſeruentur.

Vehementer etiam à principibus petimus, vt in ſingulis ciuitatibus certum locum conſtituant, vbi Iudęi ſeparatim à Chriſtianis habitandum conueniat. Et, ſi quas proprias ædes Iudæi in ciuitate habent; intra ſex menſes eas verè, nõ autem ſimulato contractu, Chriſtianis vendi iubeant.

Illud præterea pro ſua pietate principes ſtatuere debebunt: vt Iudæi in quibuſuis contractibus, & negotijs, quæ cũ Chriſtianis habuerint, in libris ſuis conſcribendis, literis, & lingua vulgari noſtra, non autem ſermone, aut characterib' Hebræis vtantur. Si ſecùs fecerint, ſeuerè puniãtur: nullumque inde ius eis eſſe poſſit agendi, vel excipiendi.

Omni denique diligentia illos in eo eniti æquum erit, vt fraudulentam & inſidioſam Iudæorum cum Chriſtianis contrahendi rationem, & eorum facultatibus inhiantem auaritiam comprimant, & coerceant.

Monemus verò Epiſcopos, vt ab hominibus pijs ac peritis linguæ Hebraicæ, & rituum Iudęorum, vel, ſi huiuſmodi non reperiantur, ab alijs doctis, ac bonis viris curent fidem ac doctrinam Chriſtianam Iudæis prædicandam.

Ad eas conciones Iudæi omnes iuſſi cõueniant; ſed pueri, ac puellæ ſeorſum à parentibus, atque alijs maioribus natu concionatorem audiant: qui ipſos familiariter inſtituat; & interrogantibus benignè ſatisfaciat.

In quo ſignum aliquod conuerſionis cognitum fuerit, is ab alijs ſeparetur: & in domum aliquam cathecumenorum ad id paratam, deducatur: vbi diligentius omnia, quæ ſcire Chriſtianum oportet, doceatur.

Catechumeni ne baptizentur, niſi prius diligenter inſtructi, & examinati fuerint, præſertim ſi grandiores ſint.

Baptizati curæ alicuius probi viri, ſaltem per annum committantur, qui vitam illorum ijs rationibus regat ac moderetur.

Vt diebus feſtis Miſſam, conciones, ac Veſperas obeant.

Alijs diebus aliquo artificio, quo victum quærere poſſint, vtantur.

Ne cum Iudæis vllam omninò conſuetudinem habeant.

Neve cum Chriſtianis, quorum vita flagitioſa ſit.

Curet Epiſcopus, vt Iudæus, qui ad fidem ſe conuerterit, omnia bona ſua habeat: ac ſi filiusfamilias ſit, legitima, & quæcumque alia bonorum pars, ei iure debita, à patre etiam viuente, detur. vel ſi mulier fuerit, ei dos à marito reſtituatur, vel à patre conſtituatur vnde ali poſſit, ex præſcripto conſtitutionis Pauli Tertij ſummi Pontificis: præſertim in ijs, quæ ille ſtatuit de ijs facultatibus, quæ ex vſuris comparatæ ſunt.

De pœnis, & alijs, quæ generatim ad has conſtitutiones pertinent.

QVIBVS pœnis, noſtris in hac prouinciali ſynodo decretis, delicta coercemus, nihil de illis animaduerſionibus derogamus, quas veteres canones, & ſacrum Tridentinum Concilium in eadem peccata conſtituerant. Quare negligentes, vel contumaces, & illis, & pijs pœnis puniendos decernimus.

Quotieſcunque delicti cauſa clerici mulctandi ſunt, quę ab illis exigenda erit pecunia, nullo modo ad Epiſcopum perueniat; in eiuſve commoda quauis ratione conuertatur: ſed idem Epiſcopus parte pecuniæ, quæ tertiam non ſuperet, aſſignata delatori, reliquam pijs operibus, aut locis, quibus ei videbitur, omninò attribuat. Quam pecuniam ſi qui piorum locorum, aut operum adminiſtratores intra menſem ab eo die, quo ſolui debet, numerandam, non exegerint; ea Seminario iam nunc adiudicata intelligatur. Notarius autem, qui attributionis inſtrumenta confecerit, triduo ea de re loca pia, quorum intererit, admoneat. alioqui eis ſua pecunia ſatiſfaciat.

Mulctas verò, quæ ob delicta eccleſiaſtica vel mixti fori, laicis, à iudicibus eccleſiaſticis irrogabuntur, ad hunc modum diuidi volumus.

Vt tertia parte pijs locis, aut operibus, eadem, qua ſuprà diximus, conditione addicta, tertia ad fiſcum principum ſęcularium pertineat: reliquum accuſatori detur.

Quibus verò tum clericis, tum laicis pecuniæ mulcta imponenda fuerit, ſi ſint ſoluendo, ne eis pœnam remittant Epiſcopi: niſi graui de cauſa. Quod iudicium eorum conſciẽtiæ periculo ſit: ſin inopes ſint, pecuniam aliqua alia ſalutari pœna commutent, quæ eius generis ſit, vt peccatorum vulnera contrarijs remedijs curentur.

Quidquid conſenſus, approbationis, ſententiæ, vel alio huiuſmodi nomine, Epiſcopi ex facultate, in hac ſynodo eis permiſſa, conceſſerint, & ab ipſis, & ab eorum quibuſuis miniſtris, gratis omninò detur.

Quamcumque facultatem ex decretis, in hac ſacra ſynodo editis, habent Epiſcopi, eam ipſos per ſuos vicarios exequi poſſe volumus: niſi in ijs, quæ propriæ ad ordinem Epiſcopalem pertineãt: aut in quibus vicarij à ſacris canonibus, aut à Concilio Tridẽtino, vel à nobis expreſsè excluſi ſunt.

Si in his decretis, ante alteram Mediolanenſis prouinciæ ſynodum, vlla difficultas orta fuerit, eius, & omnium, quæ ipſis decretis continentur, interpretationem, & explicationem Metropolitano reſeruamus: ſalua ſemper ſedis Apoſtolicæ auctoritate.

Quidquid de ſacramentorum adminiſtratione, Miſſæ celebratione, diuinorumque officiorum modo, & ratione in hac ſynodo decreuimus, id neque ad Mediolanenſem eccleſiam, quæ ſancti Ambroſij præſcripto, & inſtituto proprios ritus, ac cæremonias habet; neque ad cæteras, quæcunque eodem iure, ac modo ex antiquiſſimo tempore ſacra facere conſueuerunt, in ijs quæ eius inſtitutis ritibus, & cæremonijs expreſsè aduerſantur, pertinere volumus. Cęteris verò, & Mediolanenſis Eccleſia, & quæ eiuſdem ritibus vtuntur, æquè teneantur, atq; aliæ, quæ in prouincia noſtra ſunt, eccleſiæ.

Epiſcopi, duobus adhibitis de Capitulo illius Eccleſiæ, cuius res agitur, quorum alter ſuo, alter Capituli iudicio deligatur, ſtatuta, conſtitutiones, priuilegia, & indulta eccleſiarum Cathedralium, & collegiatarum recognoſcentes, accuratè videant, an in illis quidquam ſit, quod ab ipſis ſacri Cōcilij Tridentini decretis ſit alienum, ad quorū præſcriptum omnia, & ex cōſtitutione ſanctiſſimi domini noſtri Pij IV. & ex eodem Concilio corrigant, & emendent. Quòd ſi Epiſcopo, & canonicis aliqua de ijs acciderit dubitatio, ad Metropolitanum referat: qui à ſummo Romano pontifice explicationem eorum poſtulet, quæ difficultatem habere videbuntur.

Vt nemini eorum, quæ in hac ſancta ſynodo decreta ſunt, ignorantiā excuſare liceat; edicimus, vt ex quo primùm die edita, in valuis Metropolitanæ eccleſiæ propoſita fuerint, ad duos menſes, omnes ſe, & his decretis, & ſi contra fecerint, pœnis, quæ eis continentur, teneri intelligant.

Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporis initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari iubemus.

Iubebunt prætereà ſinguli Epiſcopi, ſi eis expedire videbitur, ea omnia, ſuæ quoque cathedralis eccleſię valuis affigi; & in proxima ſua diœceſana ſynodo legi, ac recitari: quo ſtudioſius eorum præcepta omnium animis inculcentur.

Singulæ etiam cathedrales, & collegiatæ, & parochiales eccleſiæ huius prouinciæ has conſtitutiones, certo aliquo loco collocatas, perpetuo aſſeruent. Epiſcopi ſingulis quatuor anni temporibus, ſi id opportunum cenſuerint, legi iubeant coram ſe, & canonicis eccleſiæ cathedralis, & collegiatarum omnia ea, quæ de vita, & honeſtate clericorum; deque diuinorum officiorum celebratione in hac noſtra prouinciali ſynodo ſtatuta fuerunt: vt ea, crebrò repetita, facilius in mores inducantur.

Maximas Deo gratias agere debemus, quòd quæ pro cōmuni prouinciæ tempore ſtatuenda videbantur, ad optatum exitum perducta ſint: quodque eiuſdem beneficio principes vniuerſæ prouinciæ ij obtigerunt, à quibus omnem opem, auctoritatem, & auxilium in eis exequendis, quæ ſancita ſunt, iure optimo ſperare, & expectare liceat. Quod vt ex animo, ac ſummo ſtudio præſtent, pro noſtri officij munere, eos vehementer hortamur, & per viſcera Domini noſtri Ieſu Chriſti obſecramus.

Ex præcepto ſacri Tridentini Concilij collegimus, & cognouimus abuſus omnes, qui in indulgentias ex ſuperſtitione, ignorantia, irreuerentia, aut quauis cauſa in prouincia Mediolanenſi irrepſerunt; vt Metropolitanus de ijs, ex ſententia ſynodi, ad ſummum Romanum pontificem referat: cuius auctoritate, & prudentia conſtitutis ijs, quæ huic prouinciæ noſtrę expedire videbuntur, fideles ſalutarem indulgentiarum fructum, piè & ſanctè percipiant.

Actum eſt diligenter à nobis ex præſcripto ſacri Tridē tini Concilij, quæ ratio iniri poſſet, vt aliquæ eccleſiæ cathedrales prouinciæ noſtræ Mediolanenſis, quarum ſunt tenues fructus, ita nouis prouētibus augerentur: vt & ad illarum neceſſitatem, & ad Epiſcopalem dignitatē ſatis eſſent. Eam autem rationem nomine ſynodi Metropolitanus ad Sanctiſsimum D. N. referat. Qui cognita rei neceſſitate, pro ſua prudentia, & pietate, & Epiſcopis, & eccleſijs conſulere poterit.

Quia multa à ſummo Romano Pontifice, & publicæ totius prouinciæ Mediolanenſis, & priuatæ ſingularum eccleſiarum vtilitatis cauſa petenda ſunt; decernimus, vt, quidquid ab eius Sanctitate communibus noſtris, & qui adſunt, prouincialium Epiſcoporum literis poſtulabitur, id huius ſynodi nomine, & auctoritate ita factum intelligatur, perinde ac ſi in seſſione publicè poſtulatum eſſet.

Omnia, & ſingula, quę in hac ſacra ſynodo decreta, actaque ſunt, qua debemus obedientia, ac reuerentia, auctoritati, ac iudicio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, omnium eccleſiarum matris, & magiſtræ, ſemper emendanda & corrigenda ſubijcimus. Laus Deo.

CAROLVS BORRHOMAEVS MISERATIONE DIVINA S. R. E. TIT. S. PRAXEDIS PRESBYTER Cardinalis,

ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI,

Prouinciæ noſtrę fidelibus ſalutem in Domino.

QVANTVM mihi onus imponeret Archiepiſcopalis officij ratio, cogendi prouincialem ſynodum, quo die ex grauiſsimo iuſſo ſancti Tridentini Concilij recognoui, maturè vt id munus exequi poſſem, vehementer elaboraui, quod & noſtræ teſtantur literæ, quibus prouinciæ Epiſcopos euocauimus; & ſciunt graues atque ornati viri, qui noſtris ea in re ſtudijs, & actionibus interfuerūt. itaque, cùm primùm mihi licuit, Mediolanum veni, quo prouincialibus Epiſcopis conuocatis, cognitiſq; ab eiſdem ijs rebus, quæ in ſingulis ciuitatibus, ac diœceſibus correctionis, aut moderationis indigerent, in Synodo de ipſorum Epiſcoporum conſilio, atque conſenſu ea ſtatuimus, ac decreuimus, quæ perturbatam Cleri, ac reliquorum vitæ, & officij diſciplinam reſtituere, vacillantem confirmare, conſeruatam propagare poſſe viderentur. Synodo dimiſſa, cùm à Pio IIII. Pontifice Maximo Romam reuocarer, ne ipſo quidem itinere mihi quidquam maiori curæ fuit, quàm vt ea decreta prouinciæ, vt ſpero, ſalutaria, primo quoque tempore peruulgarem. Quam in cogitationem toto animo incumbentem me, & ipſius Pij Pontificis auunculi mei mox conſequuta mors, & deinceps interregni, & pontificiorum comitiorum occupatio, non iam à ſtudio illa in lucem proferendi, quod, & ſi grauioribus curis maximè deſtinebar, tamen dimittere non poteram; ſed ab eorum editione retardauit. ſed benè, quod quemadmodùm Deum aſsiduè precatus ſum, &, vt ita fieret, pro mea parte contendi, breui, ipſius Dei benignitate ſingulari, Pius V. Pontif. Max. eſt renunciatus. qui pro ſumma ſua cura, ac ſolicitudine religionis, ſalutiſq; animarum, mihi & facilè conceſsit, vt reuiſerem hoc tempore commiſſum fidei meæ gregem; & inflammatum ſtudium meum edendi has conſtitutiones Prouinciæ noſtræ fidelibus pia ſanè cohortatione magis etiam incendit; &, vt ea ad illos etiam pertinerent, qui alioqui ipſis non tenerentur, literis ſuis Apoſtolicam interpoſuit auctoritatem. Damus igitur vobis, quæ ex præſcripto Tridentini Concilij ad moderandos mores, corrigendos exceſſus in prouinciali Synodo decreta ſunt. eaq; non ſolùm præſentium malorum remedia eſſe confidimus; ſed cautionem quoque fore ſperamus reliqui temporis vitiorum, & incommodorum. Rogamus verò omnes, & per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini obſecramus, vt has conſtitutiones, quanto maximo poteſtis amore, & pietate amplectamini, legatis, ſequamini, totos vos ad earum ſententiam rationemq; accommodetis. immò verò, ſi quod noſtrum eſſe poteſt, habito, & vbi primùm facultas fuit, edito hoc prouinciali Concilio, meritum id nobis, & pijs ipſis, ac prudentibus Patribus, quibus conſentientibus, & adiuuantibus hæc acta ſunt, præripite. tanto enim maior commendatio eſt eorum, qui colunt, quàm qui tulerunt leges; quanto eſt obedientia officij præceptione præſtantior. Cæteris verò etiam hominibus veſtra, vel morum mutatione, vel innocentia, ac pietatis p[illegible] ſeueranti[illegible] prælucete; vt iſto exemplo ad virtutis, & officij cultum reliquæ etiam prouinciæ incitentur. Nobis enim, & in his decretis nihil propoſitum fuit, niſi Dei gloria, & veſtra ſalus; ſic nihil optatius eſſe poteſt, quàm, vt ita decreta ſeruentur; vt pœnis, quæ delinquentibus propoſitæ ſunt, nullus locus relinquatur: magiſq; in agendo veſtra religio, ac probitas, quæ vna, vel maxima voluptate noſter compenſabitur labor, quàm noſtra in decernendo diligentia commendetur. Valete in Domino.

VITA PII V. PONTIFICIS.

PIVS V. Inſuber prope Alexandriam in vico quodam Boſco ab incolis nominato, ex nobili Glieſileriorum proſapia natus. In iuuentute monaſticam vitam profeſſus, à Paulo Quarto primùm Epiſcopus, deinde Cardinalis creatus, & ſupremus inquiſitorum declaratus; tandem Pio IIII. è viuis ſublato, præter omnium expectationem ſurrogatus eſt in locum eiuſdem Pij Quarti, anno Domini 1566. vij. Idus Ianuarij, tempore Maximiliani II. Imper. Borrhomæi Columnæque Cardinalium precibus, Pij Quinti ſibi nomen impoſuit, ac xvj. Kalend. menſis inſequentis, qui dies ei natalis erat, coronam Pontificiam accepit. Pileum ſuum Michaëli Bouellino ſuo ex ſorore nepoti ceſſit, qui Cardinalis Alexandrinus nominatus eſt. Porrò vt gratum animi ſui affectum, quo erga Paulum Quartum promotorem ſuum ferebatur, manifeſtaret. Cardinalem Caraffam eius nepotem, ſub Pio Quarto, vt ante iam dictũ eſt, morte affectum, abſolui procurauit, quod non vſque adeò criminalem inueniſſet. Imperatori Ferdinando bellum contra Turcas in Hungaria gerenti, ſuppetias tulit. Officio inquiſitionis tria aureorum millia adiecit, ex certis arcibus colligenda. Bullas contra aulicos & Eccleſiaſticorum luxum, ſeuerè publicauit. Iudæum quendam locupletiſſimum, quem ad Chriſtianam religionem conuerterat, baptizauit, ſuæque familiæ adoptatum, liberè ſuis bonis frui permiſit. Concilij Tridentini rigidus obſeruator, Epiſcopos omnes ad propriam reſidentiam redire mãdauit. Cumque ſtatuiſſet neminem ſine præuio examine ad beneficium admittendum eſſe, eaque de cauſa quidam illi dixiſſet, id eſſe Curiam deſtruere, reſpondit: Minus malum eſt deſtruere curiam, quàm cultum Dei negligere. Solo ſuo verbo obſeſſum à malo dæmone liberauit. Cõtra hæreticos in Gallijs ſuccreſcentes Catholicis auxilium per Comitem ſanctę Floræ miſit, qui etiam victor inde redijt. Coſmæ Medicæo titulum Magni Ducis Etruriæ attribuit. Sanctum Thomam Aquinatem in numerum ſanctorum Eccleſiæ Doctorum retulit. Diuerſis ordinationibus viginti duo Cardinales creauit. Fœdus inter Regem Catholicum & Venetos ad optatum finem fœliciter deduxit, vnde omnium celeberrima contra Turcas naualis victoria Nonis Octobris anno M. D. LXXI. conſecuta eſt, quem diem ſolennem & feſtiuum eſſe voluit. Plures Legatos ad Principes Chriſtianos deſtinauit, quibus eos ad maius bellum Turcis inferendum inflammaret. Graui calculi morbo preſſus ſolebat exclamare: *Adauge Domine dolorem; ſed da patientiam*. Ex eodem morbo Kalend. Maij anno M. D. LXXII. cum maximo omnium dolore è viuis exceſsit, cùm Pontificatum annis ſex, menſibus quatuor minus ſex diebus obtinuiſſet. Sepultus eſt apud ſanctum Petrum. Sedes duodecim diebus vacauit. Maximo ſemper zelo, quoad vixit, Chriſtianam Rempublicam promouere conatus eſt, in victu frugalitatem, in audientijs aſſiduitatem, erga pauperes amicitiam reſeruauit, ab omni ambitione alienus: ab omnibus Principibus ſumma ipſi reuerentia exhibebatur, nullusque erat, qui ei & ſatisfacere & placere non contenderet, quod ad iuſtitiæ adminiſtrationem ſpectat, ad ſeueritatem propenſior habitus eſt.

(* * *)

CONCILIVM PROVINCIALE MEDIOLANENSE II.

Quod

CAROLVS BORRHOMAEVS S. R. E. CARDINALIS TIT. S. PRAXEDIS ARCHIEPISCOPVS

Habuit anno à Chriſto nato, M. D. LXIX. Pio Quinto Pontifice.

Edictum de Concilio Prouinciali II.

In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

CAROLVS BORRHOMAEVS S. R. E. TIT. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mediolani, vniuerſis prouinciæ noſtræ fidelibus. Salutem in Domino.

QVos cœleſtis ſapientia paſtores & eſſe, & dici voluit, eorum tanta, tamque grauis, atque adeò ſancta ſollicitudo eſſe debet; vt in ijs, quæ ad caſtiſſimum Dei cultum, ad Eccleſiæ auctoritatem ac dignitatem, & ad cleri, populique diſciplinam non conſeruandam ſolùm, ſed augendam etiam pertinent, non voluntas, non diligentia, non pietas denique illorum vllo loco deſideretur. cùm igitur ad morum emendationem, & ad Chriſtianæ pietatis reſtitutionem, amplificationemque Tridentini patres, duce Spiritu ſancto, optimorum conſiliorum auctore, veterem illam rationem alijs Concilijs decretam, renouandam ſtatuerint, vt tertio quoque anno prouincialis Synodus celebretur; terttiusque is annus iam abierit, quo primùm Mediolani Symbolum eiuſmodi habuerimus; id propterea nos, qui Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopalem hanc curam gerimus, pro ea, quam populis, fidei noſtræ commiſſis debemus, ſancta ſollicitudine, voluimus iterum prouinciæ noſtræ Epiſcopos, literis vnicuique illorum ſcriptis, in Metropolitanam noſtram Mediolanenſem Eccleſiam ad Concilium euocare, huiuſque inchoandi diem certum perſcribere, nempè qui erit 24. Aprilis proximè ſequentis. Vt autem cæteris omnibus, atque ſingulis, qui poſſunt, debentur iure, aut conſuetudine, aut priuilegio eidem intereſſe peruulgata ſit, ac nota huius noſtri Concilij indictio; neve cuiquam vel rei ignorantia ad excuſationem vti, vel ſe contemptum, neglectumve eſſe, dicere liceat; ijs ipſis vniuerſis, ac ſingulis, tum cæteris, qui ſua intereſſe quauis ratione putàrint; tum illis etiam, qui liberi ſint, atque exempti, quique nullius diœceſis intra prouinciæ noſtræ fines continentur, hoc edicto publicè propoſito, illud idem ſignificamus, indicimus, ac denunciamus; iubemusque item illos ipſos omnes, & ſingulos, qui intereſſe debent, huc in Concilium conuenire ad cõſtitutam eam diem, pœnis illis propoſitis, quæ canonicis ſanctionibus decretæ ſunt.

Monemus prætereà, ac per viſcera IESV Chriſti Domini hortamur omnes prouinciæ noſtræ fideles, vt aſſiduis precibus, reliquisque Chriſtianæ pietatis officijs à Deo miſericordiarum, & patre totius conſolationis, nobis, negotium tam ſalutare tractantibus, auxilium implorent; quo facilius nos, eius ope adiuti, in conſpectu animi habentes exẽplum grauiſſimæ & ſanctiſſimæ diſciplinæ, quæcunque ad eam reſtituendam accommodata, neceſſariaq; ſunt, ea ſine vllis hęſitationibus decernamus, tum ad Dei ipſius gloriam, tum ad eorum qui in noſtra fide curaq; conquieſcunt, ſalutem. In quarum rerum omnium fidem hoc edictum confici, auctoritateque noſtra imprimi, & noſtro ſigno muniri, tum Cancellarij noſtri manu ſignatum, in vulgus publicè proponi voluimus. Dat. Mediolani die 16. Martij anno 1569.

ORATIO CAROLI CARDINALIS TIT. S. PRAXEDIS, ET ARCHIEPISCOPI, HABITA IN PROVINCIALI CONCILIO II.

ET ſi quod, duce Spiritu ſancto, à Tridẽtinis patribus decretum eſt, vt tertio quoq; anno prouinciales Synodi habeãtur, hæc cauſa, Patres Reuerendiſsimi, ſatis explorata eſt, & ea quidẽ iuſtiſsima, quamobrẽ iam, tribus poſt primùm noſtrum cõgreſſum annis, huc iterum conueniremus: tamen ſi quis rem ipſam attentè intuetur, facilè animaduertet, hoc iterati concilij officiũ non ſolùm Tridentino iuſſui debitum, verùm etiã & temporum cõditioni, & paſtorali noſtro muneri, & initijs, quæ proximo ſuperiori cõcilio iecimus, conſequens, ac planè neceſſarium. Iam cognoſcitis, iam ſcitis quæ in perturbatione Reip. Chriſtianæ ſtatus verſetur; quàm funeſtè hæreſum faces infinitimis prouincijs iam diù excitatæ, quàm turbulenti inde in Gallia motus, quàm multæ ſtrages, quot pugnæ editæ ſint. quid? quot templa vel auguſtiſsima diruta, delubra religioſiſsimis imaginibus, & ſignis, & ornamentis ſpoliata, vaſa ſacra erepta, reliquiæ ſanctorum diſsipatæ, ſacerdotes & religioſi viri interfecti, ſacræ virgines iniurioſiùs tractatæ, diuina polluta, oĩa deniq; proſtrata iacent. Quouſq; tandem iraſceris Domine? quouſq; tandem vineam, quam plantauit dextera tua, & populum Chriſti Ieſu filij tui ſanguine expiatum, videbimus ita crudeliter, ita fœdè diripi, vaſtari, diſsipari? quouſq; cibabis nos pane lacrymarũ potum dabis nobis in lacrymis, et in menſura? Hæc aũt mala, quæ peſtifera ſunt, quæ pernicioſa, & ſi à nobis interiecto, quodã ſpatio abeſſe videntur, ita tamẽ vndiq; nos circumſtant, & in foribus ipſi propè adſunt, vt in ſingulas horas, vel momenta potiùs timendũ ſic, ne hæc aquarũ vis in hanc prouinciã erumpat, totamq; fluctibus ſuis euertat, niſi Dei ope, & paſtorum ſumma vigilantia occurratur. Verùm alia incõmoda ſunt, & ea quidem nõ leuia, quæ cùm in viſceribus prouinciæ noſtræ hæreant, nos valdè admodum cõmouere debent. nam & ſi ſuperiori noſtro cõuentu multa, auctore Deo, decreuimus, multaq; poſt paſtoralibus noſtris vigilijs egimus, vt benè conſtituendæ huius prouinciæ ſignũ aliquod ſuſtuliſſe videamur: tamen multi adhuc ſunt inueterati morũ errores, & alia item, quæ à nobis cùm emendationẽ planè deſiderent, in ijs corrigendis noſtra cura, ac ſolicitudines hoc tempore euigilare debent. ea eſt enim horum tẽporum cõditio, vt hoĩes, alij mundi potiùs q̃ Dei amatores, animum ijs rebus adiungãt, quæ ad diuitiarũ in primis, & carnis ſollicitudinẽ, curamq; ſpectant; alios verò alijs illecebris, alijs fallacijs, quaſi vinculis quibuſdã irretitos teneat perpetuus ille humani generis hoſtis, qui tanq̃ leo rugiens, mortale circumit, quærẽs quem deuoret. Si deniq; prouinciã vniuerſam luſtramus, oĩa ad carnis occaſionem, reclamante Apoſtolo; traducta, in eo ſtatu eſſe cernimus, vt adumbrata quædã, non ſolida illa veraq; pietatis chriſtianæ ſpecies retineri videatur. Hæc mala quidẽ inteſtina cùm ſint, & ſi illis, quib⁹ finitimas prouincias afflictas diximus genere inferiora, eiuſmodi tñ ſunt, ex qbus cum argumenti cuiuſdã ſpecies, vulgi iudicio, hæreticis ſubminiſtrari videtur ad tuendos ſuos errores: tũ etiã, id quòd Deus auertat, fieri facilè poſſet, vt hominibus noſtris, ſi in cõſcientia prauo habitu eos obſordeſcere patiemur, quaſi fores aperirentur, aditusq; pateſieret ad nefariã hæreſum labẽ. idq; cùm ex multis alijs, peneq; innumerabilibus exemplis, tum vel ex hoc vno potiſsimùm cognoſci licet, ꝙ populus Iſraeliticus cùm in cõuiuijs, & cõmeſſationibus, vinendiq; licẽtia verſaretur, impura cõſcientia inquinatus, procliuius quidem delapſus eſt ad pernicioſiſsimum idolorum morbum. hoc ipſum Apoſtolus Paulus cùm animaduertiſſet, Timotheum diſcipulum proptereà illis verbis admonuit. Conſcientiam bonam habe, quam multi repellentes, in fide naufragauerunt. Vnde tandem, Patres, tot veteres hæreſes, quæ olim reſtinctæ in hæc tẽpora inciderunt, niſi ex deprauatis, cõtaminatiſq; gentium moribus? vt enim vetus aliquis morbus recrudeſcit, ſi recenti vel leuiſsimo malo corpus afficitur, ſic hæreſum peſtem, quibus iam eccleſias varijs temporibus vexata eſt, antiquorũ patrum virtutibus, tamquàm ſalutaribus remedijs, olim cõpreſſam, noſtrorum temporum corruptela, quaſi veterem morbum, iterum ingraueſcere videmus. In hoc igitur rerum diſcrimine videte, quanta nobis, qui Chriſtiani exercitus anteſignani, & animarum medici ſumus, neceſsitas impoſita eſſet, vt, concilium iniremus, quo plures, & ad propulſanda pericula, & ſananda vulnera, in vnum, Spiritu ſancto duce, conuenientes, à Deo miſericordiarum & patre conſolationis auxilium faciliùs imploraremus, tum etiam quo cautius res multorum iudicio, & conſenſu conſtitutæ eſſent, eo promptiori animo, propenſioriq; ad obediendum voluntate, ab ijs ſuſciperentur, quorum ſaluti maximè conſulere debemus. Hoc noſtrum munus eſt, hoc noſtrum officium, Patres, etenim ſi in epiſcopalis dignitatis excelſa ſede collocati ſumus: tanquàm è ſpecula quadam pericula proſpicere, eaq; propellere nos oportet, ſi quæ ijs imminent, qui in noſtra fide, noſtraq; cura conquieſcunt: ſi parẽtes item filiorum incolumitati paternam curam adhibere: ſi paſtores, ab ouibus, quas ſacroſancta ſua morte Ieſus Chriſtus ex inferi faucibus, atq; ore eripuit, numquàm oculos deijcere; & ſi quæ impura vitiorum labe extabeſcunt, ſalis acrimonia ſanare: ſi quo demùm in morũ tenebris aberrantes ſunt, ijs prælucere debemus, nam vt ſummus ille rerum opifex principio cùm cœlum, quod intuemur, effecit, ſtellarum multitudine ornauit, quæ ſolis ſplendore illuſtratæ, in nocte ſuper terram lucerent; ſic in ſpirituali huius ſæculi renouatione prout in eccleſia, tamquàm in quodam cœli firmamẽto, Prophetas, & Apoſtolos, Paſtores, & Doctores, qui quaſi ſtellæ, ſempiterni illius ſolis Chriſti Domini lumine illuſtrati, huic tenebricoſi ſæculi caligini præeſſent, & ab humanis mentibus tenebras depellerent quodã illuſtris, ſanctaq; diſciplinæ ſplendore. Hos igitur, quos cœleſtis ſapientia paſtores eſſe, & in Apoſtolorũ tanquàm in parẽtum locum ſuccedere voluit; Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, inquit Propheta; quid eſt, cur eos parentes, eos duces, eos magiſtros nõ imitemur? illi in conſtituenda naſcente tunc Chriſtiana Repub. in maximiſq; rerum difficultatibus, hac conciliorum ratione vſi, cùm confuſam illam, errorumq; tenebris implicitã mundi faciem, euãgelicæ diſciplinæ lumine illuſtrârint: tum ad eã reſtituẽdam exẽplum nobis præbuerunt, vt in tanta ſcilicet rerum perturbatione, & in hac tetra peccatorũ caligine nos, qui eorũ locum tenemus, oſq; Domini ſumus, & è quorum labijs, tamquàm ab Angelis Domini exercituum, populi legem requirunt; à fonte lucis, Spiritu ſancto, in cuius noĩe, hodierno die congreſsi ſumus, ſalutares vitæ leges haurientes, doceamus prouinciæ noſtræ homines ambulare: vt filios lucis, & afferre fructus lucis in omni iuſtitia, & bonitate, & veritate, probantes quid ſit beneplacitum Deo, nec communicantes operibus infructuoſis tenebrarum. Nec verò exiſtimemus Patres, muneris noſtri partes omninò expletas à nobis eſſe in ijs, quæ tribus ante annis hoc ipſo in loco multa conſtituimus. quoniam, ſi rem omnem ita aſpectamus, quemadmodũ ſanè debemus, opus miniſterij noſtri inchoaſſe quidẽ, ſed perfeciſſe certè nõ videbimur: at verò eſt, cur expleamus, ita verũ ſtatu poſtulat, ita ſæpè multis locis vnumquẽq; noſtrũ Apoſtol⁹ monet: Vide, inqt, vt miniſteriũ, quod in Domino accepiſti, expleas, dedit enim Paſtores & Doctores in conſummationẽ ſanctorũ, in opus miniſterij ad ædificationem corporis Chriſti. Ergo ſi ad conſummationẽ, & ad perfectã quandã ſanctitatis diſciplinã tota miniſterij noſtri ratio ſpectat; inanes profectò conat⁹ noſtri, fruſtraq; ſuſcepti eſſet labores, iactis primũ illis fundamentis, niſi reliqua, quæ ad ædificij extructionẽ, & conſummationem deſunt, perfici cõtendamus omni ſummo ſtudio. Nam quo tempore huc primò in conciliũ conuenimus; populis noſtris, tamquàm paruulis, aut certè infirmioribus, ſi præter lac, eſcã dedimus, at ſolidiorem cibum tum præbere vix potuimus; idq; Chriſto Domino magiſtro, qui multa cùm haberet, quæ Apoſtolis diceret, non oĩa tamen vno tẽpore eos docuit, proptereà quòd ad ea portanda tunc ſanè eſſent minus idonei. Et quẽadmodum is longo temporis progreſſu, tum excitatis ſanctorum Patrum mentibus, tum ſacroſanctis habitis concilijs, eccleſiam ſuã doctrinæ ſplendore indies magis, atq; magis illuſtrare voluit, cùm vel momento tẽporis id ipſum præſtare potuiſſet: ſic nobis, qui matrẽ eccleſiam colimus, atq; obſeruamus, illud ab eius benignitate ſperandũ eſt, vt & nunc, & in poſterum, prout temporum ratio requiret, ea patefaciat, atq; aperiat, quæcumq; ſuperioris noſtri concilij temporibus non opportuna ipſius Dei ſpiritus nobis non ſuggeſsit, vt illa fidelibus noſtris tunc traderemus. Illud prætereà accedit, quod quemadmodum agricolis vſu ſæpè venit, vt poſtquàm ſemel agrum benè coluerint, eumq; à rubis, inutilibuſq; herbis purgârint, vites putârint, & arbores interlucârint, niſi crebrò eandem culturam adhibuerint, ager, qui illorum ſtudio enituit, horridus, incultuſq; fiat: ſic fideles, qui agricultura Dei ſunt, vbi noſtris vigilijs, ac ſtudijs, quæ ſuperiori Concilio adhibuimus ad aliquem nitorem adducti ſunt, niſi ſæpius ad ea, quæ poſt ſuccreuerunt, amputanda redeamus, facilè ille priſtinus cultus temporis progreſſu horreſcit: tum ſi quæ etiam deprauata conſuetudo, diuturnitate fulcitur, ita alter radices egit, ❧, velut hedera, latè ſeſe diffundens, ſæpè vix, aut ne vix quidem euelli queat. itaque cùm in perpetua quadam agri dominici colendi ratione noſtrum munus penè totum poſitum eſſe debeat, diligentes agricolas vnicuique noſtrum, imitandos DEVS apud Hieremiam proponit his verbis: Ecce,

nſtitui te ſuper gentes, ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifices, & plantes. Quòd ſi fortaſſe pauca erunt, quæ noſtris alijs conſtitutionibus addi oportere videbuntur, vtilitas tamen non parua, neq; exiguus fructus ex hoc ipſo concilio exiſtet: ſi nos ſuperiora decreta in conſpectu, quaſi in ſpeculo quodã, habentes, cõtemplabimur, ſi qua vel noſtra, qui iuſsimus, vel aliorũ, quibus iuſſum eſt, culpa contracta eſt in illis exequendis; aut ſi quæ ſunt, quæ certis quibuſdã cauſis nec per nos, nec verò per illos præſtari adhuc licuit: hocq; pacto, tum ſi quid culpæ admiſſum eſt, quoniã officio noſtro ante defuimus, id ſedulò emendemus, tum difficultatum ratione hoc ipſo in loco agitata, & diligenter explicata, adhibeamus, quæ opportuna erunt remedia. Habetis igitur, Patres Reuerẽdiſsimi, cauſas, quare huc iterũ cõuenimus, tum etiã intelligitis, quàm grauis rerum tractatio nobis propoſita ſit, quæ tota ad ſananda huius prouinciæ vulnera, ad pericula animarum propulſanda, ad diſijciendas morum tenebras, ad agri deniq; dominici cultum pertinet. idq; planè omne, quãtum in nobis eſt, ita præſtare debemus, vt primum, quæ ſemel per nos decreta ſunt, ea nos quo maximo poſſumus, & quo certè debemus, ſtudio exequi cõtendamus: deinde ſi omni pietate, certaq; animi deliberatione, in hoc ipſo conuentu ſupplere ſtudeamus, quæcunq; ſuperioris concilij decretis deſunt, ad reſtituendũ illum propè deflorescentis chriſtianæ pietatis cultum; poſt ſi quæ vitiorum zizania tribus ab hinc annis ſubdolus ille operarius ſatanas in hac Prouincia conſeuit, operã demus, vt eorum ſtirpes ſtudijs noſtris omninò conuellamus. Iam hic, duce Spiritu ſancto adſumus Reuerendiſsimi P P. vt prouinciale noſtrum Cõcilium iterum celebremus, in quo muneris tractatione nos pro rei grauitate animo, mẽteq; reputemus, quæ nobis potiſsimũ propoſita eſſe debeant. Ac primũ quidẽ perſpicuum eſt, quàm turpe, quàm deteſtabile ſit, in eo, quòd Chriſti legatione fungimur, Deiq; miniſtri ſumus, ſi nõ Chriſtum ipſum, nõ quæ Dei ſunt, ſed quæ noſtra quæramus. oportet igitur, nos depoſitis cupiditatũ noſtrarum perturbationibus, oculiſq; mentis in cælum cõiectis, non vtilitates noſtras, non cõmoda, non hominum honores ſpectemus, nõ rebus noſtris, nõ popularibus ſtudijs, non laudi, nõ gloriæ noſtræ, ſed Chriſto ſeruiamus, cui omnẽ gloriam omnẽ laudem, omnem honorẽ debemus. Neq; enim eſt, cur aut nobis ipſis, aut hominibus placeamus: ſiquidem quis inde fructus, ſi nos ipſos amantes, animæ noſtræ iacturã faciamus? ecquæ vtilitas nobis exiſtet, ſi iram Dei nos cõcitantes, hominũ beneuolẽtiam populari quadã indulgentia conciliemus? Audiamus Paulũ clamantẽ: ſi hominibus placerem, Chriſti ſeruus nõ eſſem. Diſsipat autẽ Deus oſſa eorum, qui hominibus placẽt, inquit Propheta. Ergo ad Dei voluntatem, tamq; certam normã, conſilia, cogitationes, ſtudia, & actiones noſtras dirigamus. Deinde hic eo animo, eaq; mẽte adeſſe debemus, vt nõ coacti, ſed ſponte, liberaq; voluntate, nõ, vt in pleriſq; actionibus fieri ſolet, aut cõſuetudine, aut quadã officij ſpecie, nec fictè, nec ſimulatè, ſed vera, ſolidaq; rerum agẽdarum deliberatione rem omnẽ tractemus, ita, vt nõ adumbratã quandam, ſed expreſſam illã diſciplinæ Chriſtianæ formam afflante Spiritu ſancto, decretis noſtris reſtituere curemus, quã naſcẽte eccleſia inſtituit viuus ſermo Dei, & efficax penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſq; ad diuiſionem animæ ac ſpiritus cõpagum quoq; ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionũ cordis. nam ſi vitiorum ſemina non funditùs tollere ſtudemus, ſed ſatis id eſſe putamus, vt externa quadam tantùm quæ oculis offenſionem in vulgus præbent, quaſi leui manu emendemus; id nobis eueniet, quod agricolis, qui dũ herbas inutiles radicitùs euellere negligunt, quæq; ſolùm è terra extant, amputant, ne agrum quidẽ à ſtirpibus noxijs purgant, ſed etiã quod planè nolunt, id ſanè efficiunt, vt vberiores paucis poſt diebus emanent. Nec verò eſt, cur à muneris noſtri ratione deterreamur, vel quia his paſtoralibus noſtris ſtudijs, actionibuſq; animos eorũ exulcerari videamus, q filij ſunt perditionis; vel q populares illæ, quibus, quaſi ficus folijs deformes, prauiq; mores contegi ſolent, voces audiantur. Non ferunt hæc tẽpora veterum canonum ſeueritatẽ; ſic iamdiù viximus, ſic vixerunt, ita egerunt, qui ætate anteceſſerunt; vitæ inſtitutũ, nihil eſt, quòd mutemus. At nos hæc, atq; adeò alia eiuſmodi contemnamus, proponamuſq; nobis ob oculos, libertatẽ illam ſpiritus, & virtutẽ, quæ armati Patres noſtri Apoſtoli, quæ muniti Martyres, quæ inſtructi, noſtri ordinis ſanctiſsimi homines, Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius huius Eccleſiæ antiſtes, quæ affecti alij religioſi viri, apoſtolico quodã animorũ ardore flagrantes, nullis nõ minis, nõ hominum clamoribus, non furoribus, quaſi tribunitijs fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis cõmiſsi ſalute, forti, conſtantiq; animo adhibuerunt illam quaſi cenſoriã virtutem, acerrimam peccatorũ vindicem. Eorum ferè exẽplo adducti, nos quoq; apoſtolica illa cõſtantia, & euangelica virtute, quæ vna nihil eſt in eccleſiaſticis paſtoribus illuſtrius, nihil magis neceſſariũ, ſine metu, & cõſtanter certè agamus, atq; adeò perficiamus quod Euangelium docet, quod Chriſtus iubet, quod ratio præcipit, quod gregis ſalus, quod Eccleſiæ auctoritas, dignitaſq; poſtulat. Nã ſi contra à nobis fiet, in formidoloſo illo Dei iudicio, cùm animarum, quæ in fidẽ: & curationẽ nobis traditæ ſunt, rationẽ reddemus, tum aliorũ nos accuſantiũ vociferationes, & irati iudicis, nos itẽ acerbè obiurgantis, eas voces audiemus; ſi ſpeculatores eratis, cur cæci? ſi paſtores, cur gregẽ, vobis cõmiſſum, errare permiſiſtis? ſi ſal terræ, quonam modo euanuiſtis? ſi lux eratis, cur ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis nõ illuxiſtis? ſi Apoſtoli, cur, apoſtolica virtute non vſi, cũcta egiſtis ad hominũ oculos? ſi os Domini, cur muti? ſi vos huic oneri impares eſſe ſentiebatis, cur tam ambitioſi? ſi pares, cur ita deſides, ita negligentes? nihil nos Prophetarum voces, nihil Euangelij leges, nihil Apoſtolorũ exempla, nihil pietas, nihil religio, nihil Eccleſiæ labentis ſtatus, nihil hic formidoloſus iudicij dies, nihil præmia, nihil ſupplicia, æterniq; cruciatus mouerunt? Has horribiles irati Iudicis voces nobiſcum, Patres, animo, menteq; reputemus, vt his, atq; adeò alijs excitati in hac ſacroſancta tam grauium rerum tractatione nõ remiſſè, nõ leniter, non timidè, nõ negligenter, non diſsimulanter, ſed ſyncerè, & conſtanti ſanctaq; ſollicitudine, Deum ſolum ſpectantes, quod in noſtro officio, noſtroq; munere poſitum eſt, agamus, & perficiamus, duce Spiritu ſancto, omnium actionum, & conſiliorum moderatore. Cui gloria ſit & honos ſempiternus in ætatum ſeculis. Amen.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

NOs Carolus Borrhomæus, S. R. E. Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mediolani, de conſilio, & aſſenſu Reuerendiſſ. Patrum, Coepiſcoporum noſtrorũ, in Prouinciali noſtro cõcilio Mediolanẽſi ſecundo, hæc, quæ ſequuntur, conſtituimus, ac decernimus.

TITVLVS I.

QVAE AD FIDEM TVENDAM SACRAmenta miniſtranda, & alia Paſtoralia munera pertinent.

Decretum I.

EPISCOPVS, edicto quotannis publicè propoſito, omnes & ſingulos ſuæ diœceſis homines, etiam quauis dignitate, gradu, honoreve præditos, moneat, eidemq; in virtute ſanctæ obedientiæ, ac pœna excõmunicationis latæ ſentẽtiæ propoſita, id iubeat, vt ſi eorum quiſpiã iam ſcit cuiuſuis ſectæ hæreticos homines, eove nomine ſuſpectos, aut infames, aut quouis modo à fide catholica aberrãtes, aut qui verba hęreticalia protulerint, aut qui hęreticorũ libros, ſcriptave, quæ quouis modo auctoritate Sedis Apoſtolicæ prohibita ſunt, legunt, vel apud ſe habent, decẽ ad ſummum diebus poſt edicti promulgationem, ſi verò in poſterũ ſciet, decẽ diebus, poſtquàm id norit, illos omnes & ſingulos, vel ipſi Epiſcopo, vel hęreticę prauitatis Inquiſitori denuntiet.

Parochis autem ſuis iubeat, vt edictum eiuſmodi in ſingulos annos ſemel Quadrageſimæ initio, iterũ ineunte Domini aduentu, publicæ in ſua quiſq; Parochia, cùm in Miſſa frequentior populus adeſt, de ſcripto ipſi pronuntient, & promulgent.

Decretum II.

QVo ſtudioſiùs Parochi in eam curam, quæ cõſtitutione de fide initijs, à Parocho tradẽdis, ſuperiori cõcilio præſcripta eſt: incumbãt; id etiã curet Epiſcopus, vt in ſingulis diœceſis ſuæ oppidis, & vicis doctrinæ Chriſtianæ ſodalitas inſtituatur, quæ in eo munere ipſos Parochos adiuuet. Cuius rei cauſa libellus, quem vnuſquiſque Epiſcopus in ſuæ diœceſis ſcholis, eo nomine inſtitutis, adhibere poterit, iuſſu noſtro edetur. Quibus autem locis ſodalitas

eiuſmo-

eiuſmodi inſtitui non poterit, in ijs duo, treſve homines ſaltem deligantur, auctoritate grauiores; qui pro Chriſtiana pietate id ſolicitudinis ſuſcipiant, vt pueros, adoleſcenteſve ad parochum inducant, à quo in Eccleſia illi fidei rudimentis imbuantur.

Decretum III.

VT deteſtabile blaſphemię ſcelus, quàm diligentiſſimè fieri poteſt, tollatur; præter ea, quæ ſuperiori Cõcilio Prouinciali ſancita ſunt, id Epiſcopi ſtudeãt, vt, in ſua quiſq; vrbe & diœceſi, hominum, qui zelo religionis acceſſi ſint, ſodalitatem Dei nomine inſtituant, præſcriptis eidem ſodalitati regulis vnà cum Indulgentijs in Bulla expreſſis, quam fe. re. Pius IV. eius rei cauſa confecit.

Decretum IIII.

QVAE de quauis ſcientia problemata, vel axiomata, vel alia quęuis eius generis publicè exercendi ingenij cauſa, aliave ratione proponi ſolent; curet Epiſcopus, ne in poſterũ anteà proponantur, quàm ab ipſo, aut ab ijs, quos huic rei præfecerit, cognitũ ſit, nihil in ijs ſubeſſe, quòd doctrinæ fidei, pietati Chriſtianæ repugnet.

Decretum V.

SVMMORVM Pontificũ Bullas, quæ quotannis de quauis cauſa ab illis edentur, Epiſcopus duobus ſaltem poſt menſibus, quam illas Romæ editas cognouerit, in ſua diœceſi eas potiſſimùm promulgandas curet, quas promulgari in ijs ipſis iuſſum erit, tum illas item, quas ad Eccleſiæ ſuæ gubernationẽ pertinere aliqua ratione poſſe iudicabit. Quarum omnium Bullarum librum confici, & in Epiſcopali Archiuio aſſeruari iubeat. Metropolitani autem cura ſit, eas omnes, cùm primùm acceperit, & ad ſingulos prouinciæ Epiſcopos mittere.

Decretum VI.

EPISCOPVS, cùm ad viſitationis munus ſacerdotes idoneos adhibere poteſt, ne alijs inferioris ordinis clericis vtatur.

Decretum VII.

QVo magis fideles ad rerum diuinarum cultum excitentur; Epiſcopus, nõ in ſacramentorum ſolùm adminiſtratione, verùm etiam, cum cõſecrationis, quæ cuiquam Eccleſiæ, Altarive adhibetur, vel benedicendæ Campanæ, vel velandæ Monialis, vel alterius cuiuſuis rei conſecrandæ munus in conſpectu populi aggreditur, illius myſterij, quod tractat, vim & rationem piè explicet.

Decretum VIII.

QVAE Eccleſiæ vel cathedrales, vel collegiatæ peculiarem parochiam habent, neq; eius parochiæ curatio ad certas perſonas ex officio pertinent, in ijs curet Epiſcopus, vt quibus ea ipſa cura committetur, certum ſtipẽdium, aut emolumẽtum ad eorum vitam honeſtè ſuſtentandam, ipſius Epiſcopi arbitrio, à Capitulo, vel ab ijs, ad quos ſpectat, attribuatur.

Decretum IX.

CVi in Eccleſia cathedrali id muneris datum eſt, vt oleum, aut chriſma ſacrum Plebanis; alijsve diſtribuat; is in librum, eo nomine cõfectum, illarum Eccleſiarũ nomina referat, quibus dederit. Pari ratione Præpoſiti, Plebanive libro notent eas Eccleſias parochiales; quibus ſingulis annis ſacra olea diſtribuerint.

Ij verò omnes ne illa alijs deferenda dent, niſi ijs, qui ſacris ordinibus initiati ſunt. Hoc ipſum etiam ſeruetur, cùm Parochus ad ſacrum oleum ægris miniſtrandum accedit, vt ipſe ſcilicet, non laicus homo, illud in itinere deferat.

Decretum X.

CVm id noſtra ſuperiori Prouinciali Synodo de compatribus præſcriptum ſit, vt illi tales deligantur, qui ſuſcepti muneris partes explere poſſint; id autẽ ipſi præſtare non queant, ſi ne rudimenta quidem fidei norint: idcirco ea cura ſit Parochis; vt quos compatres ita imperitos nouerint, vt Symbolum fidei, ſiue ea, quæ in Symbolo continentur, ignorent, illos eo officio ſuſcipiendi de Baptiſmo infantes, fungi ne patiantur.

Decretum XI.

QVOD ſuperioris Cõcilij Prouincialis decreto, de duabus Euchariſtiæ particulis, ad ægrum deferendis, conſtitutum eſt; id quoniam non ſine difficultate vbique, & ſemper obſeruari poteſt: ideo vbi Epiſcopi iudicio, vel loci diſtantia, vel itineris temporiſve difficultas, vel alia cauſa impedit, quominùs illud præſtari poſſit, tum licebit ſacerdoti, eam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ particulam ſolùm deferre, quam æger percepturus eſt; ita tamen, vt, cùm inde Parochus redit, non ſuperpelliceo, non ſtola indutus ſit, neque tintinnabulum pulſetur, neque vmbella adhibeatur, extinctis etiam luminibus, non palàm vaſculum deferatur.

Decretum XII.

PAROCHI Paſchæ tempore, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramentũ ijs tantùm miniſtrent, qui non modò tunc in parochiæ ſuæ finibus habitant; verùm etiam maiori anni partẽ, aut ſex ſaltem menſes in ea habitârint: niſi ſint, q. paucioribus ante diebus, menſibusve illuc habitatum venerint eo animo, vt in ea domicilium habeãt; niſi item qui ab Epiſcopo, propriove Parocho facultatẽ, ſcripto conceſſam, exhibuerint alio loco communicandi; tum pręterea niſi peregrini ſint, & aduenæ homines, idque in parochia aliqua diœceſis; quòd ſi in vrbe, tum in cathedrali eccleſia Euchariſtiæ ſacramentum ij perciperint. Horum autẽ peregrinorum, & aduenarum, Euchariſtiæ ſacramentum percipientium, nomina, cognomina originis, ſeu domicilij locus vno in libro, fideliter aſſeruando à Parocho, ante omnia adnotentur. Quare ſingulis diebus, cùm in Paſcha Reſurrectionis Domini noſtri IESV CHRISTI ſacramentum Euchariſtiæ adminiſtrabunt, antequàm illud cuiquam præbeant, ad populum conuerſi, denuncient, vt ſi quis eorum, qui adſunt, Parochiæ ſuæ incola non eſt, ad ſuam quiſque parochialem Eccleſiam abeat, vbi, quemadmodum Canonum ſanctionibus iuſſum eſt, eo tempore ſacram Euchariſtiam ſumat.

Parochi verò vrbani admoneant, atque hortentur crebrò eos, qui rus ire ſæpiùs ſolent, vt feſtis diebus illis ſolennibus, nempè die Natali Domini, in Quadrageſima, & hebdomada ſancta potiſſimùm, Paſchæ tempore, Aſcenſionis Domini die, in celebritate Corporis Domini die, Pentecoſtes, ruri non habitent, ſed in vrbe, atque in frequentioribus oppidis; vbi à ruſticatione feriati, ſacris & diuinis officijs interſint; de verbo Dei conciones audiant; cæteraque Chriſtianæ pietatis munera præſtent: quæ ab vnoquoque Chriſtiano homine debita, ſolemnes, & ſtati illi dies maximè requirunt.

Decretum XIII.

QVi Paſchæ tempore Euchariſtiæ ſacramentum non ſumpſerint, ſi poſtquàm ter, aut vnica monitione, quæ vna pro tribus ſatis ſit, etiam generatim moniti, in contumacia perſeuerârint: iubeat Epiſcopus, eos ipſos Eccleſiæ ingreſſu, & Eccleſiaſtica ſepultura interdictos, in propria parochiali Eccleſia denuntiari; tum eorum nomina deſcripta ad cathedralis, & parochialis Eccleſiæ valuas affigi: ſi verò in contumacia perſeuerârint, in eos præterea, prout iuris eſt; animaduertat.

Decre-

Decretum XIIII.

EPISCOPVS de vita,& moribus mendicorum vagantium diligenter inquirat; initaque aliqua ratione curet omninò,vt ſacro Paſchæ tempore illi communicent.

Decretum XV.

PAROCHVS cùm vel ſacroſanctam Euchariſtiam, vel extremæ vnctionis ſanctum oleum ad ægrum defert, in via ſeptem pſalmos ex animo, pieq; dicat, vel alias religioſas preces.

Decretum XVI.

ORATIO,quę quadraginta horarum dicitur,ne vlla in Eccleſia extra ordinem cõſtituatur, ſine Epiſcopi conceſſu.Iſq; eam ita ſanctè geri curet, vt pij illius inſtituti ratio exigit.

Decretum XVII.

QVOD ſumus Põtifex Pius Quintus,propoſitis excommunicationis, alijſque pœnis iuſſit, medicos ab ægrotantis curatione poſt triduum abſtinere,niſi eo tridui ſpatio, de peccatis ſuis confeſſus ille ſit; id Epiſcopus curet quàm diligentiſſimè obſeruari. Rationemque prætereà aliquam ſtatuat, qua medicis ipſis faciliùs exploratũ eſſe poſſit,ægrum peccata ſua verè confeſſum eſſe.

Decretum XVIII.

NE Parochi vſurariũ manifeſtum, vt Gregorij X. conſtitutione ſancitum eſt,etiam ſi in teſtamento, aliave quadam vltima voluntate ipſe mandârit ea reſtitui, quæcumq; vſuræ nomine acceperit,in ſepulturam Eccleſiaſticam tradãt,niſi pro eorum facultatibus, re ipſa illis ſatiſfactum ſit,à quibus vſuras exegerit; aut ſi ij abſunt,Epiſcopo,Vicariove eius, vel Parocho,intra cuius Parochiæ fines, ille,dum vixerat habitârat, vel Notario publico de reſtitutione cautum ſit pignoribus,aut idonea ſponſione facta.

Qui verò Parochus id generis hominem ſciẽs ſepelierit, is nouerit ſe excõmunicationis pœna affectum eſſe,ex Clementis V.conſtitutione,in Concilio Vienneñſi edita.

Decretum XIX.

SVPERIORIS Prouincialis Concilij conſtitutione,& ſi contractus depoſiti,ex quibus aliquid vltra ſortem percipitur,tum rei venditionis, quæ modico pretio fit, adhibita redimendi pactione, tum alios prætereà quoſdã contractus,ex ſacrorũ Canonum iure, & probatorum Patrum ſententijs, tanquàm manifeſtè vſurarios improbauimus; tamen quoniam ſæpè,ficto meri depoſiti,& liberæ emptionis nomine,quaſi liciti contractus ſpecie, vſuræ occultãtur; idcirco & cum eis, qui eiuſmodi contractuum, aliorumve ſpecie, qui vetiti ſunt, vſuram commiſerint, & cum Notarijs,qui ſcientes rogati conſcripſerint, prout iuris eſt, agatur.

Decretum XX.

QVIBVS ob infirmam valetudinem, aut ob aliã iuſtam cauſam permiſſum erit. Quadrageſimæ diebus,carne, aut alijs eo tempore vetitis cibis veſci, eos Parochi piè illud admoneãt,ne publicè neve etiam cum domeſticis, ſed ſeparatim in remotiori ædium loco, eius generis cibum capiant, vt ob corporis imbecillitatem, aut morbum potiùs, quo laborant,quam ob ingluuiem facere cognoſcantur.

Decretum XXI.

QVO diligentiùs ſtudeant,qui excommunicationis pœna affecti ſunt, in ſanctæ matris Eccleſiæ gremium reſtitui, ac ne alij eorundem commercio cõſuetudineve per imprudentiam vtantur:nos veterum Canonum auctoritatem ſequuti,id iubemus, vt Epiſcopus,cum excõmunicationis ſententiam cõtra aliquem tulerit, eumq; excommunicatum palàm denunciari iuſſerit,eius nomẽ, & cognomẽ tum ad cathedralis, & propriæ parochialis Eccleſiæ valuas,affigi; tum deſcriptum mitti curet Parochis & vrbanis, & diœceſanis: qui primò ſaltem cuiuſq; menſis Dominico die illum populo excommunicatum denuntient; neque hoc agere deſiſtant, quoad ipſis Epiſcopus ſignificârit,eundem matri Eccleſiæ reconciliatum eſſe. Quòd ſi tres menſes is excommunicationis vinculo irretitus permãſerit,illius nomen,& cognomen Epiſcopus tum reliquis huius Prouinciæ Epiſcopis, tum illius prætereà denuntiet,ac ſignificet, quorum diœceſes ſibi finitimæ ſunt.Cùm autem ille ipſe ad matris Eccleſiæ gremium redierit, quibus anteà illum excommunicatum Epiſcopus denunciauerat, ijs eundem abſolutum quamprimùm ſignificet. Quòd ſi quis per annum in excommunicatione permanſerit; ad Epiſcopum Parochus eum deferat,vt contra illum agatur,quemadmodum & Canonum iure, & ſummorum Pontificum ſanctionibus decretum eſt.

Decretum XXII.

IVBEAT Epiſcopus, vt Dominico illo die, qui quatuor ſtatuta ieiunij tempora,quibus ordinis ſacramentũ miniſtratur, proximè antecedit, Parochi non ſolùm ſolemne illud ieiunium huius rei cauſa inſtitutum denuntient, verùm etiam in ſua vnuſquiſq; eorum parochiali Eccleſia ſupplicationes,litaniaſque piè ac religioſè vel intus habeat, vel proſequente fideliũ multitudine, foris Eccleſiam, ſicut moris eſt,obeat: vt Dei, Sanctorumque ope implorata; tum Epiſcopus in eorum delectatu, quibus ordines conferet, Spiritus ſancti lumine illuſtretur; tum illi,quibus conferuntur, in vitæ ſanctitate, doctrina, religioſiſque virtutibus proficiant.

Decretum XXIII.

VT quod ſummus Pontifex Pius Quintus in explicatione decreti Tridentini, quod eſt Seſſione xxij. cap. 2. conſtituit,executionem habeat;Epiſcopus ne clericum vllum regularem, neque ſæcularem,qui regulariũ more in communi vitæ diſciplina ſit, beneficiumque Eccleſiaſticum non habeat,ordinibus ſacris adſcribat,niſi à ſuperiore fidem ille attulerit,ſe religionis,cui adſcriptus eſt,profeſſionem confeciſſe; iuratuſq; affirmet, ſcripto manu ſua ſubſignato, coram Epiſcopo ſe id ſpontè feciſſe, aut ratum habuiſſe. Illud autem ſcriptum in Archiuio aſſeruandum Epiſcopus curet.

Decretum XXIIII.

QVICVNQVE aliquem Eccleſiaſticum ordinem ſuſcipit,is,vt Tridentino Cõcilio iuſſum eſt,certæ Eccleſię adſcribatur,in qua functiones, quas ei Epiſcopus præſcripſerit,obeat: nec verò alius eidem ordo ante cõferatur, quã ipſi Epiſcopo fidem, teſtimoniumq; ille attulerit ſe in Eccleſia, cui adſcriptus eſt, præſtitiſſe præſcriptas ſibi functiones. Si verò aliqua de cauſa eodem tempore,ex ſacrorũ canonum permiſſu, plures ordines minores clerico Epiſcopus contulerit; eidem præſcribat arbitratu ſuo functiones, ad vnumquemque minorem ordinem, quem ille ſuſceperit,pertinentes.

Decretum XXV.

ILLVD maximè Epiſcopus interdicat, ne animarum curatores,qui in hæreticorum finibus, vel in locis finitimis habitant, vbi vnicuique liberum eſt publicè, & impunè hæreticorum more viuere, matrimonij, quod inter Parochiæ ſuæ,& illorum locorum incolas contrahendum eſt,ſecundam denuntiationem faciant; neque eos matrimonio cõiungant,aut denuntiationũ quæ matrimonio celebrando factæ erunt,fidem, ac teſtimonium ad ea ipſa loca, vbi illud ineundum eſt, mittant; niſi priùs eius, qui in locis hæreticorũ,aut hæreſis nomine ſuſpectis habitat,nomen & cogno-

cognomen Epiſcopo denunciârint; ab eoque impetrârint facultatem, alias denunciationes faciendi, matrimonijque celebrandi, vel fidem denunciationum illuc mittendi, quæ eo nomine factæ ſunt. Quam facultatem Epiſcopus ne det, niſi priùs de fide Catholica illius hominis cognouerit, qui ea loca incolit; aut niſi item ſibi omninò exploratum ſit, matrimonium eiuſmodi non contrahi cum hæreticis.

Decretum XXVI.

TRIDENTINA conſtitutio de matrimonijs, quæ cum vagabundis hominibus iniri quandoque ſolent, ſeruetur à Parochis vel diligentiſſimè.

Nec verò ipſis Parochis facultatem, vt illos vagos homines matrimonio iungant, Epiſcopus ante det, quàm norit, eos & ſolutos eſſe, & à catholica communione non alienos. Matrimonij denũciationes à Parochis tũ demùm fiant, cùm vir & mulier, eorumve parentes, vel ij, qui puellæ curam habent, id poſtulârint; ſicque ambo diuerſis in Parochijs habitant: tum in vnius & alterius item Parochia item fiant. Eas autem denuntiationes ne vlla quidem ex parte remittere eis liceat, niſi proprij Epiſcopi conceſſu, idque cauſis iure permiſſis. Caueant autem Parochi, ne alienæ Parochiæ ſponſum, ſponſamve antè matrimonio iungant, quam teſtimonium ab illius, qui intra Parochiæ ſuæ fines non habitat, Parocho, ſi eiuſdem, vel finitimæ, aut non nimis longinquæ diœceſis ille ſit, ſcriptum acceperit; cuius teſtimonij fide ſibi teſtatum fiat, ex Tridentini Concilij præſcripto denuntiationes, quæ neceſſariæ ſunt, aut Ordinarij ſui voluntate omiſſas eſſe, aut factas quidem, nullumq; legitimum impedimentum ab vllo homine ſignificatum, quo minùs tale matrimonium contrahi liceat. Illud verò teſtimonium ſi à Parocho alienæ diœceſis fiet; ab ordinario loci, aut ab eo, cui hoc ille delegârit, ſubſcriptione, ac ſigillo comprobatum ſit.

Decretum XXVII.

QVI ſponſalitia cõtraxerint, ſi vna ante coierint, quàm coram Parocho, & teſtib9 matrimonium inter eos celebratum ſit, illius peccati, quoniã in eo ſæpè delinquitur abſolutionem Epiſcopo reſeruatam eſſe volumus, grauemq; illis pœnitentiam imponi.

Decretum XXVIII.

NE Parochus vllo alio loco, quàm in Eccleſia ipſa, quæ ſacramentorũ proprius locus eſt, ſponſos matrimonio iungat, niſi ex facultate ab Epiſcopo permiſſa.

Sponſi autem, cùm in Eccleſiam conueniunt, vel ad matrimonium cõtrahendum, vel accipiendam benedictionẽ, ne Parochus vlla cuiuſuis generis muſica inſtrumẽta adferri patiatur. Quòd ſi ab ipſo moniti, id facere contempſerint; tamdiù eis matrimonij celebrationem, aut benedictionem differat, quoad ſanctè, vti debet, ob id ad Eccleſiã acceſſerit.

Decretum XXIX.

CONCVBINARII, legitimè admoniti, ſi concubinas non eiecerint; abduxerintque ſe omninò ab earum conſuetudine; contra eos Epiſcopus etiam Tridentini concilij auctoritate, & excõmunicatione, tum alijs prætereà pœnis eruere agat.

TITVLVS II.

QVAE AD MISSAM, DIVINA OFFICIA, Eccleſiæ cultum, & ad Eccleſiaſticos ſpectant.

Decretum I.

QVOD Patrum decretis, & Tridentino Concilio ſancitum eſt, vt ne alienæ diœceſis clerici abſque commendatitijs literis ab vllo Epiſcopo recipiantur, quo faciliùs illud executionem habeat; Parochus quiſpiam, vbi primum cognouerit in Parochia ſua Eccleſiaſticum hominem alienæ diœceſis, vel domicilium conſtituiſſe, vel apud aliquem diuertiſſe, vel in caupona hoſpitio exceptum eſſe, vt aliquot dies commoretur; quàm citiſſimè poterit octo ad ſummum dierum ſpatio, eius nomen, & patriam, ſi in vrbe eſt, Epiſcopo, eiusve Vicario; ſin autem in diœceſi, foraneo Vicario illius regionis denunciet. Eorum autem cuiuſque cura ſit, illum ad ſe accerſere, mandareque literas commendatitias ſibi ab eodem oſtendi; quas tamẽ Vicarius foraneus nõ comprobabit, niſi conſulto Epiſcopo. In ijs autem comprobandis ea ſeruentur, quæ ſuperiori item Prouinciali Synodo hoc de genere conſtituta ſunt.

Decretum II.

QVAE Miſſas celebrandi facultas ſexto quoque menſe ex ſuperioris Concilij decreto renouanda; ea vel longiori temporis ſpatio arbitratu Epiſcopi concedi, vel ſemel conceſſa, prorogari poſſit.

Decretum III.

NE in Monialium Eccleſijs, ac ne in ijs quidem, quæ Epiſcopi curæ ſubiectæ non ſunt, ſeculari cuiquam ſacerdoti, etiam ſi vbique celebrãdi facultas generatim, niſi Sede Apoſtolica ei data eſſet, Miſſæ ſacrum facere liceat, præterquàm cui nominatim id ab Epiſcopo conceſſum eſt. Qui contrà admiſerit à Miſſæ celebratione ſuſpenſus ſit eiuſdem arbitratu.

Decretum IIII.

ECCLESIASTICA dignitate, aut canonicatu præditus, ſi in Eccleſia, vbi eam eumve obtinet, Miſſas conuentuales pro ratione ipſius aut dignitatis, aut canonicatus ad Epiſcopi, ex Tridentini Concilij auctoritate, præſcriptum, celebrare contempſerit, vel neglexerit; non ſolùm tridui diſtributionibus: vt ſuperiori Synodo Prouinciali ſancitum eſt, mulctetur, verùm etiam ab ordinis ſui munere ſuſpendatur, ipſius Epiſcopi arbitratu.

Decretum V.

QVI Eccleſiaſticum beneficium obtinet, cui id oneris iniunctum eſt, vt Rector vel toto anno, vel certis diebus Miſſam celebret; is ſingulis menſibus ſaltem ſemel Miſſam, quæ defunctis dicitur, pro illis mortuis celebret, qui vel illud dotârint, vel aliquid ei legârint, vel donârint; idque niſi ſæpiùs pro mortuis celebrare debet, vel ex inſtitutione, vel ex alia oneris, ſibi iniuncti, ratione.

Decretum VI.

CVM corpus Ieſu Chriſti Domini ſuſtollendum eſt, in Miſſa conuentuali, & in ea item Miſſa, quæ in vnaquaque parochiali Eccleſia à Parocho celebratur, tum ſignum ſono campanæ detur, cuius ſoni ſignificatione fideles, qui in Eccleſia Miſſæ ſacrificio tunc nõ interſunt, admoniti, ad tanti tamq; magni myſterij, ac beneficij recordationem animum excitantes, mente ſupplici religioſas preces piè adhibeant.

Decretum VII.

QVAE proceſſiones poſt ſolemnem illam, quæ manè in celebritate Corporis Domini fit, vel eodẽ die, vel reliquis ſequentibus ſeptem diebus obiri ſolent, ea ne fiant, niſi quibus Eccleſijs Epiſcopus conceſſerit, ijſque facultatem tantùm det, vt manè, non à prandio habeantur, niſi temporis iniuria impediret, quominùs manè obiri poſſent.

Decretum VIII.

CVm primùm Metropolitani literis cõcilij Prouincialis celebrandis dies Epiſcopis ſignificata erit: illud ipſi curent, vt in omnibus & vrbis, & diœceſis ſuæ parochialibus Eccleſijs, quinta quaque feria, in ſingulas hebdomadas, quoad illud de more abſolutum, ac dimiſſum erit, Miſſa de Spiritu ſancto celebretur, in Cathedrali autem, & Collegiatis Eccleſijs proceſſionum pręetereà munus ſingulis diebus Dominicis obeatur: ex animoque preces fiant pro optimo ipſius Concilij euentu. Hoc idem planè ſeruetur, vbi à proprio Epiſcopo diœceſanæ Synodi celebrandæ dies indicta erat.

Decretum IX.

CLericus cùm in aliquam Eccleſiã vel ad proceſſiones, vel ad ſtationes obeundas, vel ad funus conuenerit; illud meminerit; ſe eſſe in domo Dei ſancta, quæ domus eſt orationis. Quare nullus cuiuſuis ordinis clericus, aut Sacerdos in Eccleſia deambulet: nec in confabulationibus & congreſſibus, eo loco indignis, verſetur: ſed vnuſquiſq; aut ſolus, aut comitibus, ſocijsq; alijs adiunctis, religioſas preces Deo in cauſa adhibeat, quamobrem Clerus vniuerſus conuocatus eſt.

Cùm autem ſtatio celebratur, nè vllus item Clericus extra Eccleſiam maneat; ſed omnes intus ſint, omniq́ue pietatis conſenſione Deo ſtatutas illas preces canant.

Decretum X.

SExta quaque feria, in ſingulas hebdomadas, paulò ante horam nonam, ſignum in vnaquaque Eccleſia, campanæ ſono detur, quo fideles admoniti eadem hora IESV CHRISTI Domini paſſionem omni intimamentis pietate recolant; terq́ue orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam ex animo pronunciantes, quadraginta dierum Indulgentiam, quam in ſua quiſque Epiſcopus diœceſi concedet, conſequantur.

Decretum XI.

EPiſcopi curent, in ſua quiſque diœceſi, vt officia diuina, quæ ſingulis canonicis horis præſtari debent, & publicè in Eccleſia, & priuatim à ſingulis Sacerdotibus, Clericisve inferioris ordinis, qui illa obire debẽt, celebrentur, & peragantur ad præſcriptam Breuiarij Romani, nuper editi, rationem: niſi tamen Eccleſiæ eiuſmodi ſint, in quibus ex veteri conſuetudine, vt ſummi Pontificis Pij Quinti literis, eo nomine confectis, cautum eſt, alius ritus, aliaq; ratio adhibeatur. Si verò ſecùs à quibuſdam factum erit, cùm iſti, vt eiſdem ſummi Põtificis literis nomina im ſancium eſt, horarum canonicarum officio, quod debent, non ſatisfaciant; eos ipſos Epiſcopi pœnis ijs mulctent, quæ Lateranẽſi Concilio, à Leone X. & Prouinciali Synodo ſuperiori, contra Clericos conſtitutæ ſunt, qui canonicarum horarum officium intermittunt.

Decretum XII.

IN vnaquaque plebe Epiſcopos duos, vnumve ſaltem Sacerdotem, eccleſiaſticorum rituum vſu peritum, conſtituere curet, qui alios Sacerdotes, & clericos cæremoniarum, quæ in Miſſa, & in diuinis officijs ritè obeundis requiruntur, diſciplina inſtruant diligenter. Qua in re libellus ac miſſæ cæremonijs adhibeatur, qui noſtra cura conſcriptus, in lucem prodibit.

Decretum XIII.

IN ſingulas hebdomadas canonici cuiuſuis Eccleſiæ Capitulu habeant; in quo cùm quæratur, an ſuperioris Concilij decreta de diuinorum officiorum ratione ſeruentur; an ſi qui item errores in ſacrarum cæremoniarum ritu commiſſi ſint; tum legatur pars aliqua earum rerum, quæ de vita & honeſtate clericorum noſtris conſtitutionibus præſcriptæ ſunt, vel illarum, quæ Catechiſmo Romano, aut alijs itẽ libris expreſſæ ad Chriſtianæ pietatis doctrinam, vitæq́ue eccleſiaſticæ diſciplinam, & rationem pertinent: tum etiam in alijs ſpiritualis vitæ exercitationibus ipſi verſentur: idq; omne prout Epiſcopo, Capitulive Præfecto viſum erit. Quo in Capitulo ne quidquam aliud quod ad rerum temporalium curam, ac procurationem pertinet, priùs agatur, geraturve, quàm ea tractationis ratio habeatur, quæ tota in rebus ſpiritualibus poſita ſit.

Decretum XIV.

CAnonici mortui funus, eiusve, qui eiuſdem Eccleſiæ, in eave, dignitatem obtinebat, Capituli ſumptibus à reliquis canonicis fiat; tum pro eius animę ſalute Miſſa conuentualis celebretur; & vnuſquiſque item item canonicus, miniſterve eiuſdem Eccleſiæ, qui Sacerdos ſit, Miſſam itidem pro eo celebret.

Decretum XV.

PArochum vrbanum ægrotantem & is, qui vicinior eſt Parochus, & cleri in illa regione, vbi æger eſt Præfectus; diœceſanum verò itidem, & vicinior Parochus, & Plebanus, vel Archipresbyter, vel Præpoſitus, in cuius Plebaniæ, aut Archipresbyteratus, Præpoſituræve finibus ægrotus habitat, ſtatim inuiſant; cùm eius ægritudinẽ, morbumve acceperint; tum poſt crebrò ad eundem veniant: illaque omnia officia præſtent, quæ ad animæ ſalutem ei tum maximè neceſſaria ſunt; ſacram Euchariſtiam, &, cùm opus erit, ſacrum extremæ vnctionis oleum idem Parochus vicinior eidem miniſtret; & illius morientis animam Deo religioſis precibus commendet. Eius mortui funus vniuerſi illius regionis, in qua ille habitârat, Præpoſituræve, Plebanatus, aut Archipresbyteratus Parochi obeant; niſi foraneus illius regionis Vicarius minorem numerum ſtatuendum cenſuerint.

Primò item poſt eius obitum die, eorum vnuſquiſque pro ipſius animæ ſalute Miſſæ ſacrificium faciat. Quòd ſi eo die pro mortuis fieri ex Eccleſiæ inſtituto vetitum ſit; aliò proximo die, quo interdictum non ſit, omninò fiat.

Decem prætereà ad ſummum dierum ſpatio omnes in Eccleſiam conueniant, quę eis à clericorum regionis Præfecto, aut Vicario foraneo præſcribetur. Qua in Eccleſia pro mortuo Rectore Miſſam conuentualem ſolemni ritu celebrent: tum ſupplicationibus, & precibus Deum piè, ſancteq́ue orent, vt orbato gregi Rectorem dare velit iuxta cor ſuum.

Quicunque verò eiuſmodi pietatis officia præſtiterint, eorum nomine, cauſave nihil neq; exigant, nec petant.

Is verò cui vacantis ipſius Parochialis Eccleſiæ adminiſtratio commiſſa eſt, fideles illius Prochiæ incolas ſæpè hortetur, vt omni intima animi pietate à Deo Rectorem precentur, qui illius Eccleſiæ curationem gerere rectè poſſit.

Decretum XVI.

CAndelæ, cerei, & quæ intortitia vocantur, in mortui funere adhibita, ſuperioris Concilij decreto Sacriſtiæ illius Eccleſiæ addicta, in qua funus fit, aut mortui corpus in ſepulturã traditum eſt, ſi quæ in Miſſarũ celebratione, & reliquis diuinis eiuſdẽ Eccleſiæ officijs ſupererunt; ea omnia vel ipſius Eccleſiæ Rectori, vel ijs, ad quos ante illius decreti promulgationem eiuſmodi candelæ, cereiq́ue pertinebant, in alium eiſdem Eccleſiæ vſum, vel ad ſuæ etiam vitæ ſuſtentationem, arbitratu ſuo, conuertere liceat.

Decretum XVII.

QVAE ſuperiori prouincialis Synodo decreta ſunt ad tollendas Rectorum Eccleſiarum in exequijs, & funere pactiones, & exactiones illicitas, aut quæ ſimoniacæ labis, vel ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem afferrent; ea à pleriſque in eam partẽ accipi animaduertimus, vt occaſione inde

ſumpta.

ſumpta, Eccleſiæ, non ſeruato piarum conſuetudinum vſu, debitis eleemoſynis defraudentur. Quare Epiſcopus habita & locorum, & perſonarum ratione in funerib⁹, & exequijs, quę pia inſtituta & conſuetudines laudabiles ſibi videbuntur, arbitratu ſuo ſeruari iubeat ſacrorum Canonum auctoritate; contumaceſque compellat omni iuris remedio.

Decretum XVIII.

CVM Chriſtianæ pietatis rationi illud alienum ſit, ad ornatum templorum adhiberi ea, quæ non modò religionem non excitant, ſed intuentium mentes facilè incidunt in fœdas, turpesq; cogitationes; id propter eà, ne quis ad illa ornanda periſtromatis, auleiſque vtatur, quæ obſcœnis figuris intexta ſint; neque item pictas imagines, & ſigna adhibeat, quæ vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum, loci ſanctitati repugnantium, formam, ac ſpeciem præſeferát. In omni prætereà publicarum ſupplicationum, proceſſionumve apparatu, quæ obſcœnarum rerú ſpeciem oſtendunt, ea ne adhibeantur.

Decretum XIX.

QVAE pallia, aliaque ſacra indumenta, Altarium vſui ornatui addicta ſunt; ea ad Sedis Epiſcopi, alteriusve hominis eccleſiaſtici, vel laici quauis dignitate prædití apparatum, aut ad funeris, exequiarum ve pompam, aut aliarum rerum, quæ prophanæ ſint, vſum, ſiue ornamentum ne adhibeantur.

Decretum XX.

QVAE veſtes, & ornamenta cuiuſuis generis, ad vſum ſacrum comparata, Eccleſiæ inſtituto benedici debent, ea in Miſſæ ſacrificio, cæteriſque diuinis officijs ne prius adhibeantur, quàm ſolennibus precibus ab Epiſcopo, vel ab alio, qui auctoritatem habeat, benedicta ſint.

Decretum XXI.

LIBRI ſacri veteris, & noui teſtamenti, volumina item ſanctorum Patrum, noſtræ fidei interpretum, tum ſcripta enim eccleſiaſtica, quib⁹ & res, & verba diuina conſignata ſunt, & ſi temporis vetuſtate omninò cóſumpta, ad rerum tamen vilium ac ſordidarú vſum ne vllo pacto conuertantur, ſed in ignem potiùs conijciantur.

Decretum XXII.

ILLVD curet Epiſcopus, vt ne laicorum hominum ædes in poſterum ædificentur, quæ Eccleſiarum parietes vlla ex parte attingant. Si quæ verò feneſtræ, ſiue eccleſiaſticarum, ſiue laicarum ædium in ipſis eccleſiarum parietibus inſunt, vnde in Eccleſias coſpectus ſit, efficiant, vt duobus ſaltem poſt huius concilij promulgationem menſibus obſtruantur.

Decretum XXIII.

NE in Eccleſia laici homines de rebus prophanis, aut de ijs, quæ ad ipſam Eccleſiam non pertinent, congregationes, concilia, vel quæ parlaméta publica dicunt, habeant.

Quæ verò Lugdunenſi concilio olim à Gregorio Decimo, & nuper à ſummo Pontifice Pio Quinto ad tollenda in ipſis Eccleſijs colloquia, congreſſus, deambulationes, & ad earum cultum ſancita ſunt; in ijs præſtandis Epiſcopus omnem vel maximam diligentiam adhibeat. Canonicos verò, Eccleſiarumve Rectores, & alios item, ad quos ſpectat, in munere, quod ad eam curam attinet, obeundo negligentes, vel contumaces pœnis afficiat, quas illi eadem ſummi Pontificis ſanctione ſubeunt.

Sique prætereà in ijs ipſis exequendis Regulares negligentes eſſe animaduerterit; illos ad eiuſdem ſummi Pontificis in eadem Bulla præſcriptum grauiſſimè corripiat.

Decretum XXIIII.

ILLVD interdicat Epiſcopus ne in vllis eleemoſynarum oblationib⁹, quæ cuiuis Eccleſiæ fiunt muſica inſtrumenta, organo excepto, in eccleſiá adhibeatur; neve alia fiant, vel gerantur, quæ domo Dei indigna ſint.

Ne item puellæ eleemoſynas Eccleſiarum, aut Eccleſiaſticorum hominum nomine quæritent, id quod non ſine earum pudicitiæ diſcrimine quibuſdam in locis introductum erat.

Decretum XXV.

EPISCOPVS ipſe, tertio quoq; menſe ſaltem, niſi iuſta cauſa impeditus ſit, Seminarium viſitet; in eoque viſitationis munere, adhibitis etiam, ſi modò ei videbitur, alijs doctis & pijs viris, tum de magiſtrorum diligentia, tum de progreſſibus, quos & in vitæ diſciplina, & in literarú ſtudijs Seminarij clerus habuerit, accuratè inquirat. Idé certas Seminarij clericis conſtitutiones præſcribat; quas frequenti eorum conuentu in ſingulos menſes legi curent; quo ſæpiùs repetitę, illorumq; mentibus impreſſę, ſeruentur diligétiùs.

Decretum XXVI.

DIACONI, Subdiaconi, & reliqui clerici inferioris ordinis confeſſionem, & cómunionem frequentent, vt ſuperiori Synodo Prouinciali præſcriptum eis eſt. Confiteantur autem ijs tantùm Sacerdotibus, quos ad audiendas eorum confeſſiones idoneos Epiſcopus & in vrbe, & diœceſi comprobabit: dum modò talis ſit numerus eiuſmodi Sacerdotum, vt confiteri volentes delectum habeant inter illos. Sacræ verò Euchariſtiæ communionem in propria Parochia vel in alia Eccleſia, quam Epiſcopus ſtatuet, diebus feſtis percipient, idque in Miſſa ſolemni, ſi modò eo loco, eoque die celebrabitur.

Illius autem rei fidem, tertio quoque menſe, Epiſcopo exhibebunt.

Decretum XXVII.

SVPERIORI Concilio iuſſum eſt, Canonicos & alios Clericos ſacris concionibus intereſſe, quod cùm ab eiſdé non ita præſtetur, vt debet; pœnis propoſitis id efficiendum cenſuimus, quod iuſſu, & cohortationibus non potuit. Quare Canonici cathedralium, tum collegiatarú etiam Eccleſiarum, & reliqui prætereà Clerici ſi tempore concilij ſuperioris conſtitutione pręſcripto, non interfuerint ſacris concionibus; aut ad eas ſacrarú literarum interpretationes, lectionesve nó acceſſerint, quas ipſis Epiſcopus præſcripſerit, mulctentur eiuſdem Epiſcopi arbitratu.

Decretum XXVIII.

CVRET Epiſcopus, vt qui Clerici certæ Eccleſiæ miniſterio adſcripti non ſunt; ij Dominicis, feſtiſque ſingulis diebus in Parochiali Eccleſia, in cuius finibus eorum quiſque habitat, eccleſiaſticum beneficium obtinet, quod reſidentiam non requirit; aut in ea, quæ Epiſcopo videbitur, Rectori operam, atque adiumentum nauent ad diuina officia celebranda.

Qui verò certis Eccleſijs adſcripti ſunt, in ipſis diebus, ad eas conueniant, & in ijs functiones eas præſtent, quæ vnicuique eorum ab Epiſcopo præſcriptæ erunt. Si tamen ijs diebus aliquando ad diuina officia obeunda, ad funerave in alias Eccleſias vocabuntur, eò illos accedere permittat Epiſcopus.

Rector autem, in cuius Eccleſiam illi conueniunt, tertio quoque menſe Epiſcopo referat, vel literis ſignificet, non ſolùm an huic decreto ab illis obtemperetur; verumetiam an ea præſtentur, quæ ſuperiori Prouinciali cócilio illis pręſcripta ſunt, tum de habitu, tum de tonſura clericali, tum de eorum vitæ conſuetudine.

Decretum XXIX.

EPISCOPVS Sacerdotes aliquot vitę integritate & ſcientia probatos in vrbe deligat, à quibus Clerici inferioris ordinis, ſæpè conuocati, vitæ eccleſiaſticæ moribus inſtituantur. Eos autem ipſos Clericos vniuerſos ſemel, atque iterum, ſaltem quotannis Epiſcopus ad ſe item cōuenire iubeat, vt progreſſiones intelligat, quas quiſq; eorum ad literarum cognitionem, tum ad vitæ ſpiritualis diſciplinam fecerit.

Decretum XXX.

VT quæ de Sacerdotalibus conuentibus, in diœceſi habendis, ſemel ſuperiori Concilio præſcripta ſunt, ea, quoad eius fieri poteſt, rectè atq; ordine gerantur hæc ei addenda cenſuimus.

Ne Sacerdotum conuentus feſtis ijs diebus habeantur: quos coli Eccleſiæ præcepto inſtitutū eſt; nec verò illis diebus, quorum præcipua celebritas in locis agitur, vbi is conuentus ijs ipſis diebus futurus eſſet. Parochus verò Eccleſiæ, in qua eiuſmodi congregatio futura eſt, die Dominico, qui illam proximè antecedit, eius habendæ tempus populo ſignificet, eumque hortetur, vt illo ipſo die ad Eccleſiam conueniat, tum vt orationum, quæ & pro viuis, & pro mortuis ibi fient, particeps ſit, ac indulgentiam dierum quadraginta conſequatur, quam ab vnoquoque Epiſcopo in ſua diœceſi illis concedendam decernimus, qui diuinis officijs, tunc celebrandis, intererunt; tum etiam vt ſacram concionem audiat, quæ eo tempore in Miſſæ celebratione habebitur.
Quæ verò quęſtionum explicationes ſingulis menſibus habitæ in ijs ipſis conuentibus erunt, & ſi quæ præthereà quæſtiones in illis ipſis diſputationibus inciderint, quæ non ſatis tum explicatæ ſint; eas omnes, literis conſignatas, Vicarij foranei quamprimùm ad Epiſcopum mittant: cuius iudicio illæ, vel explicatæ, vel comprobatę, in codicem, eius rei nomine confectum, quem Vicarius foraneus cuſtodiat, referatur. Ex eorum conuentuum progreſſu ſi Vicarij foranei animaduerterent, Sacerdotes quoſdam ad doctrinæ ſtudia, in quibus maximè verſari debent, deſidiam quandam, vel negligentiam adhibere; eos ad Epiſcopum deferant, cuius auctoritate illorum culpæ, vt opus erit, occurratur. Vt autē in ijs ſtudiorum exercitationibus vnuſquiſq; Sacerdos maiores progreſſus habere poſſit; in qua Parochia quinque ſaltem Sacerdotes erūt, eos in ſingulas hebdomadas bis ad priuatas inter ſe ſtudiorum diſceptationes Parochus cōuocet; in quibus vel aliquam Catechiſmi Romani lectionem tractent; vel quæſtiones aliquas de conſcientiæ caſibus explicent; vel huius, ſuperiorisve Concilij prouincialis; aut diœceſanæ Synodi, quam eorum Epiſcopus habuerit, partem aliquam ſtudioſè legant. Quòd ſi ei Parochiæ prope erit aliquod Regulariū Monaſterium, vbi aliquis ſit, ad ſacrarum literarum, eccleſiaſticarumq; rerum explicationem aptior, curent etiam illius opera, atque ſtudio adiuuari.

Ad has priuatas Sacerdotalis ſtudij exercitationes, clericos etiam, qui intra illius Parochiæ fines habitant, adhibeāt; vt eos rerum eccleſiaſticarum cognomine inſtructiores in Eccleſijs habeant.

Quicumque verò huic priuato conuentui intereſſe recuſârit; eum Parochus ad Epiſcopum deferat, qui, quo maximo poterit ſtudio, curet, huic decreto obtemperetur.

Decretum XXXI.

VT quod de mantelletti vſu aliàs prouinciali Synodo per nos decretum eſt, exequutionem habeat; decernimus, vt ne quiuis alij, niſi Abbates, Refendarij, & Protonotarij eo breuiori vtātur, quam tunica talaris interis interior ſit. Metropolitanæ autem noſtræ, & aliarum huius Prouinciæ cathedralium Eccleſiarū Canonicis, Præpoſitis item, & alijs clericis, eccleſiaſtica, aut Doctoratus dignitate præditis, exterioris tunicæ, ſeu mantelli vſum concedimus, quod tamen interiorē tunicam talarē longitudine adæquet.

Reliquis autem clericis, qui hoc decreto nominatim expreſſi non ſunt, mantelletti, & mantelli vſu interdicimus.

Decretum XXXII.

CLERICI in eo officio ne ſe exerceant; vt vllas mulieres, etiam quauis dignitate illuſtres, doceant legere, ſcribereve, aut canere, aliove cuiuſuis generis muſico inſtrumento ſonare: niſi ij ſunt, quibus ętate, moribus & vita probatis, Epiſcopi iudicio id permiſſum eſt, facultate ab eodem ſcriptis data.

Ne libris item, de muſico cantu obſcœnè, vel parùm publicè ſcriptis, illi vtantur.

Decretum XXXIII.

QVONIAM ſuperioris concilij conſtitutione vetitum eſt, quo tempore vel ſacrorum, vel funeris, exequiarumve cauſa in vnum Clerici conueniunt, non plures ad menſam, quam ſex, eoſque clericos adhiberi; id cum multis locis facilè præſtari non queat, propterea quòd Eccleſiæ ſæpè longiùs inter ſe diſtent, graueq; ſit Clericis, de itinere feſtis, manè ad Eccleſiam ſuam reuerti; ideo liberum ſit Parocho tot conuiuas habere, quot ſanè in menſa adhibere, par eſſe iudicârit; & pro temporis ratione laicum etiam hominem, quem Chriſtianæ pietatis ſtudioſum, & Sacerdotali conuictu, conſuetudineque dignum norit, à menſa non excludere; modò ea ſeruentur, quæ in parochialibus conuentibus, de frugali, clericalique modeſtia noſtris conſtitutionibus præſcripta ſunt; tum ſacra item lectio in menſa perpetuò adhibeatur.

Quod verò de menſæ frugalitate, & ferculorum numero aliàs ſuperiori Concilio decretum eſt, id omninò ſic ſeruetur, vt etiam, ſi vel vniuerſitati, vel cuiuis alij, pacto, conſuetudineve, aut vltima quauis voluntate certis quibuſdam diebus cibum à Sacerdotibus parari oporteat; in eo ab illa decreti ratione ne vllo modo diſcedatur, nec ſacra lectio in menſa deſit.

Decretum XXXIV.

IN quibus Eccleſiarum ædibus ad Rectoris vſum, & domicilium conſtitutis, & laici præthereà, facultate impetrata, habitant, in ijs, ne propter nuptias quidem, ſaltetur, neve comœdiæ, aut ſpectacula agantur.

Decretum XXXV.

EPISCOPVS Clericum alienum, qui in propria diœceſi deliquerit, & ad ſuam diœceſim confugerit, proprio illius Epiſcopo petente, & ſibi de Clerici, qui deliquit, citatione, & contumacia, aut condemnatione fidem mittente, comprehendi, & ad illum mitti curet, idque ſumptibus petentis.

Decretum XXXVI.

QVI, impetrata ab Eccleſia diſcedēdi facultate, aliquandiu abfuerit, menſis ſaltem ſpatio, poſtquàm redierit, Epiſcopum de ſuo ad Eccleſiam reditu certiorem faciat; quòd ſi neglexerit perinde cenſeatur, ac ſi non legitimè abfuerit.

TITVLVS III.

Quæ ad bona, & iura Eccleſiarum, Piorumq; locorum attinent.

Decretum I.

QVI deinceps Eccleſiaſtici beneficij poſſeſſionem adipiſcetur; eius beneficij titulum is, etiam ante non monitus, ad menſem Ordinario ſuo oſtendat: quo ſi ſecùs fecerit, dimidia parte fructuum, & prouentuum vnius anni mulctetur, qui ex eo beneficio ſingulis annis percipiuntur; tum omnibus iuris remedijs titulum exhibere cogatur.

Decretum II.

CAVEANT Epiſcopi, ne paſſim, atque indiſtinctè omnes beneficiorum eccleſiaſticorum ceſſiones admittant; ſed in iis ſolùm caſibus, qui ſummi Pótificis Pij V. literis expreſſi ſunt; meminerintq́ excommunicationem, quæ earundum literarum ſanctione contrahitur, Apoſtolicæ Sedi reſeruari.

Decretum III.

SACRI Tridentini Concilij auctoritate, ea cathedralium & collegiatarum eccleſiarum ſtatuta, conſtitutionesve quaſcunque, etiã iureiurando, & quauis auctoritate communitas, conſuetudinesq́; illas, etiam immemorabiles, quæ & ſi minùs expreſſam ſimoniam, at ſordidam tamen auaritiam præ ſe ferunt, antiquamus, abrogamus, atque reſcindimus, quibus illud inductum eſt, vt qui nuper in Canonicorum capitulum, aliorumve eccleſiaſticorum hominum Collegium adſcriptus, Capitulique, aut Collegij iudicio ad ea canonicalia, aut alia, quæ ad eos pertinent, obeunda munera idoneus comprobatus eſt; ſex tamen menſibus, qui probationum nomine vocantur, Choro inſeruire ante debeat, quàm diſtributiones quaſcumque, etiam quotidianas, percipiat; aliiſque canonicis, vel aliis eiuſdem Collegij hominibus accreſcat; quæ portio ſibi, eo temporis ſpatio inſeruienti, iure obueniret. Illudque in perpetuum iubemus, vt in alicuius Eccleſiæ canonicorum Capitulum, aliudve Eccleſiaſticum Collegium cooptatus, cùm admiſſus, comprobatusque erit ad muneris ſui functiones, is ſtatim particeps ſit reſidentiæ fructuum, quotidianarumq́; diſtributionum, quæ ab iis, ad quos ſpectat, eidem præſtentur pro ratione Canonicarum horarum, quarum officium deinceps in eccleſia ille obierit.

Quicumque illas conſtitutiones, ſtatuta, & conſuetudines, hoc decreto abrogatas ſeruârint; cõtra eos ſimoniæ pœnis, quę canonum iure & ſummorum Pontificum conſtitutionibus ſtatutæ ſunt, ad Tridentini Concilij præſcriptum agatur.

Ne huic autem decreto fraus fiat, hoc ſtatuimus, vt quoties is, qui in eiuſmodi Collegium cooptandus erit, eiuſdem Collegij præfectum conuenerit, ad ſe probandum, huius probationis examen intra octo dies de eo habeatur: alioquin probationis ius Epiſcopi ſit. Quòd ſi octo illis diebus, habito examine, is probatus non ſit, ſibique perſuadeat id iniuſtè factum eſſe, ad Epiſcopum confugiat, qui, habitis de eo examinis quæſtionibus, ſi iniuſtè repulſam illum tuliſſe animaduertit; Capitulum, Collegiumve commpellat ad eum recipiendum.

Decretum IIII.

QVIBVS in Eccleſiis ea, vel conſtitutio, vel conſuetudo eſt, vt Canonicus nuper creatus quos fructus præbendæ ſuæ primo anno percipiet, eos omnes, vel aliquam eorum partem Fabricæ eccleſiæ, aut Sacriſtiæ, aliive pio loco ſoluat; in poſterum illa ita ſeruetur, vt, ſi ei præbendæ onus penſionis ſeu reſeruationis fructuum omnium, alicuiusve partis eorum impoſitum eſt, is pro rata ſolum fructuum, quos liberè percipiet, ſoluat; fideiuſſore tamẽ caueat, ſe reliquam item fructuum illius præbendæ partem ſoluturum, quamprimùm vel morte, vel conceſſu, remiſſioneve el, cui fructus reſeruati ſunt, quive penſionem obtinet, adipiſcetur. Eam verò fructuum partem, quam ſoluere debet, ne ſoluere priùs cogatur, quàm illorum percipiendorum dies venerit; ſed aut fideiuſſorem det, ſe eo ipſo tempore ſtatim ſoluturum; aut Epiſcopus apud aliquem illos ſequeſtri nomine aſſeruari curet, donec quod piis illis locis debebitur, perſolutum erit. Curet autem Epiſcopus, vt fructus, & cuiuſuis generis prouentus, ad Sacriſtiam pertinentes, ne in alios ſumptus, niſi in ipſius Sacriſtiæ vſum erogentur, ideoque quotannis cognoſcat, quo modo diſtributi, & quas in res erogati illi ſint. Liceat tamen eidem Epiſcopo de Capituli conſilio eos fructus in Fabricæ, vel rei alterius, ad eam ipſam eccleſiam ſpectantis, vſum aliquando conuertere, ſi modo Sacriſtiæ minùs tunc opus eſſe iudicârit.

Decretum V.

NE Eccleſiaſticorum beneficiorum bona patronis, neve item eis, quorum ceſſione ea beneficia obtinentur, neque illis prætereà, qui primo, ſecundove conſanguinitatis gradu cum eiſdem iuncti ſunt, ne per ſuppoſitas quidem perſonas, ac ne ad breue ſanè tempus locari liceat, idque niſi cognita priùs eccleſiæ vtilitate Epiſcopus, data ſcriptis facultate conceſſerit. Quicumque ſecùs fecerit, fructibus vnius anni mulctetur, quos ex eorum beneficiorum prædiis boniſve capit.

Inquirat prætereà Epiſcopus diligenter, an aliqua ſimoniæ labes contracta inter eos ſit.

Decretum VI.

SI Canonicorum, aliorumve eccleſiaſticorum hominum Collegium, aut Moniales, aut alij quiuis homines, nulla legitima ſuperioris auctoritate, bona eccleſiaſtica permutârunt, vel alio quouis pacto alienârunt, aut in poſterum id committent, cogat Epiſcopus tum eos, qui alienârunt, contra illum agere, qui talia bona detinet, vt ea reſtituat; tùm detinentem cõpellat, vt ipſa vna reddat cum fructibus, non iure perceptis. Quicumque hac in re ſibi nõ obtemperârint, eos anathemate feriat, aut interdicat, ex canonumque ſanctione aliis prætereà pœnis afficiat; ac permutationem item eam, aliamve quamcunque alienationem irritam, planeque nullam declaret.

Decretum VII.

BONORVM Eccleſiaſticorum quæuis alienatio, ea lege confecta, vt Superioris aucto ritate muniatur, ſi is, cui alienata ſunt, antequàm contractæ alienationi eiuſmodi auctoritas acceſſerit, in eorum poſſeſſionem ingreſſus eſt, irrita, & nulla ab Epiſcopo declaretur; & qui ea poſſidet, à poſſeſſione ſtatim amoueatur; & qui prætereà alienârit, ex canonũm ſanctione puniatur.

Decretum VIII.

ECCLESIASTICA bona, quouis nomine alienata, quacunque ratione ad Eccleſiam redierint, etiam ſi reliquis eccleſiæ bonis incorporata non ſint, ne tamen ampliùs ad longum tempus locentur, neve quouis nomine alienentur, niſi illud verè tunc Eccleſiæ vtilitati aut neceſſitati ſit.

Decretum IX.

LOCATIO bonorum Eccleſiaſticorum, ad lõgum tempus facta, cùm ex Tridentini Concilij auctoritate recognoſcenda erit, ne Epiſcopus, qui bona ipſa locârit, quive eius locationis commiſſarius aut exequutor fuerit, cauſam dijudicet, ſed huius locationis recognitio ad Epiſcopũ viciniorem pertineat, tum ad eos qui hic locationis cauſis recognoſcendis in eiuſdem Epiſcopi vicinioris diœceſi præfecti fuerint.

Decretum X.

VT bonorum eccleſiaſticorum, quæ vel in emphyteuſim tradita, vel ad longum tempus alio quouis nomine data ſunt, memoria, quoad eius fieri poteſt, conſeruetur; eccleſiaſticus quiuis homo, cui aliquid in ſingulos annos eo quouis nomine ſoluitur, cùm primum id exiget, Notarium adhibeat, à quo inſtrumenti fide teſtatum fiat, quidquid ab eo, qui ſoluere debet, ille acceperit; & cuius fundi, vel vineæ, vel prati, vel ædium, aliarumve rerum eccleſiaſticarum nomine exegerit; idque niſi qui ea eccleſiaſtica bona conductionis nomine nunc poſſidet, illum tamquàm directum illorum bonorum dominum Notarij publici fide recognouerit, eadem diligenti, vt ſuprà, deſcriptione prædiorum adhibita.

Quòd ſi quis Clericus, cuius hoc intereſt, in huius rei cautio-

cautione adhibenda negligens erit, dimidia parte fructuum vnius anni mulctetur, quos ex eo beneficio conſequeretur. Quæ autem huius rei cauſa, vel confeſſiones, vel recognitiones inſtrumenti fide conficientur; earum exemplum ille Clericus, ad quem ſpectat, ſpatio menſis Epiſcopo tradat, in Archiuio aſſeruandum.

Decretum XI.

VSV & diuturna conſuetudine compertum eſt, quantum eccleſijs detrimenti, damnique ſæpè importet illa prædiorum eccleſiaſticorum locatio, quæ ad certũ tempus pactionibus ijs iniri ſolet, vt meliora reddi liceat; ac interdum ea conditione, vt qui ſumptus facti ſunt, ne poſſint, niſi in ipſo extremæ locationis tempore recuperari, & qui item cõduxerint, eijci, amouerivè à poſſeſſione ne poſſint; niſi quidquid in illis melioribus reddendis pecuniæ erogârint, quidquidve ſumptus fecerint, id omne receperint. Quare nos eccleſiarum vtilitati conſulentes, & huic rei vnde tantum detrimenti, tantumque incommodi ipſis eccleſijs accidere ſæpè ſolet, quantum in nobis eſt, occurrere volentes, ita ſtatuimus.

Quæcumque eccleſiaſticòrum prædiorum eo locationes ad certum tempus in poſterũ pacto fient, vt illa meliora reddi liceat, & quidquid in illis farciendis, reſtituendisve erogatum ſit, id ei, qui cõduxit, ſolui oporteat; hæc inita locationum pactio, ne ius tribuat faciendi impenſas; in quouis ædificij genere vtiles, niſi eas, quæ maiorem ſummam non excedant, quàm illa ſit, quam conductor retinendo ſingulis annis, quibus firma eſt locatio, tertiam partem eius, quod locationis nomine ſoluere debet, recuperare poſſit. Eam autem ipſam tertiam partẽ quolibet anno retineat, quoad, quidquid erogârit, ipſe recuperet.

Si quæ verò impenſæ, ad vſum neceſſarium pertinentes, factæ ſint, ad quamcumque ſummam perueniant, tum ob eiuſmodi impenſas conductor eadem ratione partem tertiã ſibi in ſingulos annos retineat. Sin autem ad ſumptus, qui neceſſariò facti ſunt, recuperandos non ſatis fuerit ea tertia pars; ne, completa etiam locationis die, à prædiorum poſſeſſionis, qui cõduxit, antequàm ei ſatisfactum ſit, amoueatur: ſed eccleſiæ Rectori liberum ſit, atq; integrum, aut comparata aliunde pecunia, aliave quauis ratione ipſa prædia de conductore redimere, aut eadem illi ipſi conductori iterum, conſentiente Epiſcopo, locare; idque tot annis ſaltem, vt tertiam partem ad minimum in ſingulos annos eius rei retinendo, quam locationis nomine ſoluit, id omne, firma adhuc locatione, recuperet, quòd ipſe erogârit.

Si verò qui his conditionibus conduxerint, tertiam ipſam partem quotannis non retinuerint: ne ius ſit eis ab eccleſia, nec à Rectore, qui ſuccedet, partem, quã non retinuerint, repetendi; ſed eorum culpæ adſcribatur.

In ijs etiam locationibus, quæ à Rectoribus, iam ad tempus, ita initæ ſunt, vt conductores prædia meliora faciant; huiusque pactionis ĩ vi, atque ratione ædificia ſarta, tectaq; ſunt, vel in poſterum conductoris ſumptibus meliora reddantur; hos ſumptus, quos fecerit conductor, ea ratione recuperet, quæ à nobis hoc decreto præſcribitur: niſi conuentum ſit, vt breuiori tempore ſoluantur, quàm à nobis ſtatutum eſt.

Quòd ſi is, qui iam conduxit, & prædia meliora fecit, tertiam eam partem retinere nolit; ſed vna tantùm ſolutione ſibi reſtitui velit id omne, quidquid iam erogârit, partem illam, quam ſibi retinere licet, apud hominem aliquem, cui tutò committi poſſit, quolibet anno deponat, vt ſperari aliquando poſſit, prędia ipſa Eccleſiaſtica recuperari aliqua ratione poſſe.

Si verò conductor eam tertiam partem non depoſuerit, ſed Rectori eccleſiæ ſoluerit; Rector, qui ſuccedet, illam ab eo repetere poſſit, aut in rerum, quæ meliores factæ ſunt, rationem referre. Rector autem, qui tertiam hãc partem temerè receperit, dimidia parte fructuum, quos quolibet anno ex ipſo beneficio eccleſiaſtico percipit, ſingulis annis mulctetur.

Si qui prætereà, ob ſumptus in prædijs quibuſuis eccleſiaſticis factos, creditores ſunt; eaque prædia non ipſi, ſed Eccleſiæ Rector quauis ratione poſſidet, ne ea hypothecæ diutiùs ſint, id quod mutua quadam colluſione aliquando factum eſt; in hac ipſa re id curet Epiſcopus, vt eadem tertiæ partis annua ſolutione, quidquid in ſumptus erogatum eſt, etiam fructibus ſequeſtri nomine depoſitis, aut alia ratione eis reſtituatur.

Liberum tamen ſit Epiſcopo, in his omnibus, ſi quando pro beneficij tenuitate, alia ve iuſta cauſa, aliquid minus tertia ea parte præſcripta in ſingulos annos ſolui, aut retineri conſueuerit, id arbitrio ſuo ſcriptis concedere.

Vt verò hoc decretum omnibus notum ſit, ac planè perſpectum, illud noſtra auctoritate vulgariter redditum, ab omnibus & ſingulis vrbis, & diœceſis Parochis, & feſto primo die, poſtquàm ipſi acceperint, publicè in eorum eccleſijs legatur, ac populo frequenti recitetur.

Decretum XII.

QVIBVS Cancellariæ Epiſcopalis munus commiſſum eſt, ipſimet in ea officij exercitatione verſentur; ſi negotiorum tamen multitudo poſtulat, alios, Epiſcopi iudicio comprobatos, ſibi in auxilium adhibere liceat.

Decretum XIII.

EPISCOPVS, qui cauſis, iure permiſſis, ſubſidium charitatiuum exacturus eſt, antequàm illud ſibi perſolui curet, Clerum, eiusve procuratores, aut negotiorum geſtores conuocet, eiſque cùm cauſam exponat, quamobrem illud petere atque exigere cogatur, tum humaniter eoſdem cohortetur, vt ſibi ſpontè ſubueniant. Ne verò, maiorem ſummam ſibi ſolui curet, aut patiatur, quam Benedicti XII. conſtitutione, cuius initium eſt, Vas electionis, præſcriptum eſt; idque niſi conſuetudinis ratione aliud obſeruatur. Qui contra fecerit, hæc ei pœna ſit, vt, & reſtituat quòd perceperit, & aliam prætereà pœnam, iure expreſſam, luat Superiori arbitratu.

Decretum XIIII.

CVm primùm aliquis huius Prouinciæ Epiſcopus mortem obierit, Archiuij Epiſcopalis clauis Notarij publici fide, vna Capituli Vicario, altera vni de Capitulo, ad quem vel officij ratione, vel conſuetudine pertinet, ſiq; nemo talis eſt, alij antiquiori reſidenti tradatur; ab eiſdemque vna & item altera aſſeruetur, quoad alius Epiſcopus creabitur, cui illas reſtituant, & rationem deſcriptis, in inuentario notatis, eorumque cuſtodiæ commiſſis, eidem reddant.

Decretum XV.

NONNVLLI homines ad id temeritatis ſæpè veniũt, vt Clerici mortui bona inuadãt, vnaq; cum ijs illa ſæpè, quæ etiã Eccleſiæ miniſtris, in mortui locum ſuccedentibus, debita ſunt, & Eccleſiæ item, cui, dum in vita ille eſſet, inſeruierat, bona ſacrilegè ſubripiãt. quare pœna excommunicationis latæ ſententiæ vetamus, ne Clerici mortui, qui dum viueret, Eccleſiaſticum beneficium obtinebat, bona ad Eccleſiam eiusve miniſtros pertinentia, quiſquam temerè inuadat, atque auferat.

Decretum XVI.

HAERES vltimarumve voluntatum exequutor, ſi quæ piarum cauſarũ nomine legata, relictave ſunt; ea anni ſpatio ad ſummũ, aut tempore ab ipſo teſtatore præſcripto, non præſtiterit, ab Epiſcopo, vt ratio iuris poſtulat, pœnis, ipſo iure conſtitutis, omninò cogatur piam teſtatoris voluntatem explere. Nec verò præſcriptum illud, vel à iure, vel à teſtatore tempus ab Epiſcopo prærogetur, niſi ſibi conſtiterit, quæ earum cauſarum nomine relicta, aut legata ſunt, verè præſtari non potuiſſe.

Epiſcopus verò in Parochijs, vbi opus erit, duos probatæ vitæ homines, pietatis amantes, & auctoritate præditos deligat, quorum opera, ſtudio, atque adiumento ad piorum

loco-

locorum, piarumque cauſarum iura perſequenda vtatur, quoad expedire viſum ſibi erit.

Decretum XVII.

NE Notarij, qui teſtaméta, codicillos, aliasve tabulas de rebus, quæ piarum cauſarú nomine legatæ, relictæve ſunt, vel ipſi rogati conſcripſerunt, vel ab alijs conſcriptas apud ſe habent, magnos nimis labores in ijs omnibus conquirendis ſubſtineant; neve ſi id quod ipſis ſuperiori Concilio præſcriptum eſt, omiſerint, excommunicationem, eodem Concilio propoſitá, ſubeant; idcirco illam ſanctionem, piarum cauſarum nomine à nobis editam, ita interpretamur, ac moderamur, quo faciliorem etiam exequutionem illa habeat.

Quicumque Notarij ſciunt, ſe rogatos, teſtamenta, aliaſve vltimæ voluntatis tabulas de rebus, piarum cauſarú nomine relictis, confeciſſe, niſi ſex menſium ſpatio, poſtquàm teſtatoris mortem ſcierint, illa Epiſcopo ſignificârint, quæcumq; in ipſis tabulis à ſe conſcriptis legata pia facta ſint; ij excommunicationis pœnam ipſo iure incurrant.

Qui verò in poſterum eius generis tabulas, teſtamentave ſcripſerit, eandem pœnam ipſo facto ſubeát, niſi tribus poſt menſibus, quam teſtatoris mortem cognouerint, pia legata, relictave, Epiſcopo denúciârint. Hoc autem de ſex, & trium menſium ſpatio decretum vim tantùm habere ſtatuimus, cùm primum Cócilium hoc in lucem emiſſum erit, ac promulgatum.

Vt autem Notariorum, qui iam mortem obierunt, exemplaria, & quæuis alia ſcripta, quibus res, piarum cauſarum nomine relictæ, aut legatæ, notatæ, ac deſcriptæ ſunt, conquiri poſſint; Epiſcopus propoſitis etiam pœnis, & cenſuris, eam, quæ ſibi facilior videbitur, ineat rei perficiendæ rationem. Qui Notarij præterea ex ſuperioris Concilij decreto excommunicationem ſubierunt, Epiſcopus eos abſolutionem humiliter petentes, à cenſuris abſoluat, ſi modò ipſius Epiſcopi arbitratu ante ſatisfecerint, ad decreti huius præſcriptum.

Decretum XVIII.

PROHIBEAT Epiſcopus, vt bona, cenſus, prouentus, aliaque eius generis, quæ ad eccleſiarum fabricas quauis ratione pertinent, ab earum Præfectis, aut miniſtris ad alios vſus auertantur, quàm inſtitutum eſt, aut certè debent. Idem præterea ex Tridentini Concilij præſcripto fabricarum redditus in vſus Eccleſiæ neceſſarios, atq; vtiles, vt expedire magis viſum fuerit, erogari curet.

Decretum XIX.

QVI bona Eccleſiæ, Hoſpitalium, aliorumve pioru̇ locorum, ſiue ſolus, ſiue vnà cum alijs adminiſtrat; ſi vel ipſe, vel per interpoſitam perſonam ea emerit, aut emphyteuſis locationisve nomine conduxerit; ab eo adminiſtrationis munere ſtatim amoueatur; nec dignus in poſterú céſeatur, cui talium rerum procuratio, adminiſtratiove demandetur; cùm eoque præterea ex iuris præſcripto agatur.

Decretum XX.

EPISCOPVS id ſedulò prohibeat, vt quę fabricę, Hoſpitalia, Sodalitates, & quę alia cuiuſuis generis pia loca inſtituta non ſunt ad pecuniá mutuo dandam; eorum adminiſtratores ne vlla cauſæ ſpecie cuiquam homini, nec etiam vniuerſitati loci, aut vicinijs dent mutuo.

Quòd ſi ipſi adminiſtratores mutuo, vel dederint, vel, quod grauius eſt, ab ijs locis ſumpſerint, ab earum adminiſtratione ſtatim amoti ſint, indignique cenſeantur, qui per ſex annos illorum aliorumve piorum locorum adminiſtrationem gerant. Tum etiam illorum Præfectus, quouis nomine vocetur, qui huic rei conſenſerit, excommunicationis pœnam ſubeat.

Decretum XXI.

NE quiſquam, pecuniam apud Móntes pietatis deponat, vel eidem mutuo det, vt inde aliquid, ne minimum quidé lucri, aut eius, quod intereſt, nomine percipiat. Qui verò ex pacto quidquá ea cauſa perceperit, quòd Montis pietatis pecuniam vel mutui, vel depoſiti nomine dederit; cum eo tamquam cum vſurario homine agatur ad iuris præſcriptum.

Quæ præterea de Montibus pietatis decreta ſuperiori Concilio ſunt, ea Epiſcopus obſeruari curet, vel diligentiſſimè. Compellatque illorum inſtitutiones ſibi ab adminiſtratoribus oſtendi, atque exhiberi.

Decretum XXII.

SODALITATES quaſcumque, ſeu Confratrias, quę Diſciplinatorum nomine vocantur, Epiſcopus, vt Tridentino Concilio iuſſum eſt, viſitet; libroſq; vel conſtitutionem, vel meditationum, orationumve, ſi qui in eiſdé extát, ſtudioſè recognoſcat, ne quid falſum, commentitiumve, aut apocryphum in illis ſit; & ſi quæ inuenerit, quæ emendationem deſiderent, illa vel omninò tollere, vel emédare curet.

Efficiat præterea vt confratres, etiam nominatim non vocati, ad ſtatas, & ſolemnes proceſſiones accedant, easque rectè, atque ordine obeant; vtq; non mercede conducti, ſed pietatis gratia flagella ſibi adhibeant.

Eaſdem item Confratrias in eam priſtinam Diſciplinatorum regulam redigere curet, quæ iuſſu noſtro recognita, & emendata, & huius temporis rationi accómodata, ad communem earum Sodalitatum vſum edetur.

Si quæ verò hoc decreto præcepta illi vel contempſerint, vel neglexerint; aliaque non obierint, quæ ad eorum Sodalitatis officium pertinent, pro rei grauitate ſeueriùs ab Epiſcopo corripiâtur; ſin autem emendari nulla alia ratione poterunt, eorum Sodalitates extinguantur eiuſdem Epiſcopi iudicio.

CAPITA QVAEDAM
AD MONIALES PERTINENTIA.

Caput I.

QVOD de certo Monialium numero ſingulis Monaſterijs cóſtituendo, Tridentina Synodus decreuit; quodque item Summus Pontifex Pius Quintus, de Monialium, etiam earum, quæ Conuerſæ dicuntur, clauſura, literis editis, ſanxit; id vtrumq; Epiſcopus quàm diligétiſſimè poteſt, exequi curet. Quòd ſi aliquid obſtiterit, quominùs illud à ſe præſtari queat; ipſum ſummum Pótificem ſex menſium ſpatio conſulat, idque exequatur, quod ſibi ea de re ab illo reſcriptum erit.

Hancq; ipſam in ijs exequendis diligentiam à Regularibus præſtari idem ſedulò ſtudeat.

Caput II.

VT Tridentinæ conſtitutioni, quæ eſt de Reformatione Regularium cap. 16. fraus nulla fiat; illud Epiſcopus, pœna anathematis & dantibus, & recipientibus propoſita, interdicat, ne Moniales aut puella, quæ regularé habitum in earum Monaſterio ſuſceptura eſt, parentibus, vel conſanguineis, vel curatoribus, nec verò ab alijs, quibus ipſi ob id ſponſione caueant, pecuniam mutuo, aut depoſiti, aliove quouis nomine ſumant, antequàm illa profeſſionem regularem confecerit.

Epiſcopus præterea tum impenſas æſtimet, quæ & in religionis ingreſſu, & tempore profeſſionis fieri ſolent pro veſtitu, aut pro alijs rebus, ad ipſius puellæ, vel Monaſterij vſum commoditatemve pertinentibus; tum pecuniæ etiam ſummam præſcribat, quam puella alimentorum nomine Monaſterio det; niſi cenſus, aut alia bona immobilia, quorú annui fructus, eiuſdem iudicio, ad ea alimenta ſatis ſint, Monaſterio attribuantur.

Ea autem omnis pecuniæ ſumma, eo nomine ab Epiſcopo decreta, ne ipſa apud certum hominem, & virum bonũ deponatur, qui, profeſſione cóſecta, illam ſtatim Monaſterio tradat, vt decretum eſt ſuperiori Concilio.

Caput III.

FACVLTAS ſuperiori Concilio permiſſa, vt Monialis organiſta, ſonandi artem, Epiſcopi cóceſſu, docere poſſit, abrogata ſit, atq; ita, vt nemini, nec viro, nec fœminæ, etiam cuiuſuis Superioris facultate, ad Monaſteriorum quoduis accedere fas ſit eius rei cauſa: ſed quæ Monialis vel organo ſonandi, vel muſicæ artis perita eſt, alias Moniales inſtruere poterit.

Quæ generatim ad hæc Decreta pertinent.

Decretum I.

QVAECVMQVE his noſtris, alijſque ſuperiori Synodo prouinciali editis conſtitutionibus, decretiſve ſancita ſunt, ea omnia in ſua quiſque Epiſcopus diœceſi, diligenter obſeruet, & ab alijs, quorum intereſt, ſeruãda curet omnibus iuris remedijs.

Vt autem, quæ in hac Prouinciali Synodo decreta ſunt, ad ea præſtanda, vlla ignorantiæ excuſatione nemini huius Prouinciæ homini vti liceat; illud edicimus, vt quo primùm die, in lucem emiſſa, ad noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ valuas affixa erunt, tunc duorum menſium ſpatio omnes, ſe & his decretis, & ſi contra quidquam admiſerint, pœnis, ac mulctis, quæ in eis conſtitutæ ſunt, obſtrictos eſſe ſciant.

Ab eo etiam affixionis, & promulgationis die tempus eorum decretorum inchoari decernimus, quibus certo præſcripto dierum ſpatio aliquid præſtari iuſſum eſt.

Vnuſquiſque prætereà Epiſcopus ea omnia in proxima diœceſana Synodo legi, ac recitari iubebit, &, ſi ita expedire cenſuerit, ſuæ etiam Cathedralis Eccleſiæ valuis proponi; quo ſtudioſiùs omnium animis præcepta eorum tradantur.

Singulæ item & Cathedrales, & collegiatæ, & Parochiales Eccleſiæ hæc ipſa decreta, certo loco recondita, perpetuò aſſeruari curent.

Decretum II.

SI quæ in his decretis difficultas orta antè erit, quàm alia Mediolanenſis Prouinciæ Synodus habeatur; eius difficultatis, tum omnium, quæ ipſis decretis tradita ſunt, interpretationem, & explicationem nobis reſeruamus, ſalua ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

Decretum III.

QVA debemus humilitate, & obedientia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, omnium eccleſiarum matris, & magiſtræ iudicio, atque auctoritati omnia, & ſingula quæcumq; in hac Prouinciali Synodo ſancita, decreta, actaq; ſunt, ſemper emendanda, & corrigenda ſubijcimus.

Decretum IIII.

QVONIAM denique ob publicam huius Prouinciæ & priuatim etiam vniuſcuiuſque Eccleſiæ vtilitatem à Summo Romano Pótifice multa petenda ſunt, decernimus, quidquid ab eo communibus noſtris, & qui, adſunt, Epiſcoporum literis petetur, illud omne Concilij huius nomine, atque auctoritate ita factum intelligi, ac ſi publicè in ſeſſione poſtulatum eſſet.

LAVS DEO.

GREGORII XIII. PONTIFICIS VITA.

GREGORIVS XIII. patria Bononienſis, Chriſtophoro Boncompagno parente natus, qui Hugonis nomine appellatus, honeſtè educatus, & literalibus diſciplinis optimè inſtructus. In iuriſprudentia doctorali laurea inſignitus; multis officijs & dignitatibus ſub varijs Pontificibus magna cum laude perfunctus, à Pio IIII. in numerum Cardinalium ſub titulo S. Sixti relatus, ac in Hiſpaniam legatus, Pio V. è viuis ſublato, ſucceſſor renunciatus eſt, 13. Maij Anno Domini 1572. tempore Maximiliani & Rudolphi II. Impp. Pontificiam dignitatatem pro tuenda & amplificanda Repub. Chriſtiana admodũ egregiè ſuſtinuit; qua ratione expeditioné aduerſus Turcas promouere, confœderatos Principes animare & pecunia, alijſque ſubſidijs liberaliter iuuare cœpit, Marco Antonio Columna claſſi Pontificiæ præfecto. Verùm enim quia in Oriente minùs proſperè res ſuccedebant, ſequente anno ad Regem Catholicum Archiepiſcopum Lancianum, ad regem Chriſtianiſſimum Cardinalé Vrſinum Legatos miſit, qui eos in ſocietatem fœderis adducerent. Sed longè aliter quàm propoſuerat accidit; ſiquidem Veneti fœdus deſerentes inducias cum Turca pacti ſunt. Quo intellecto optimus Pontifex omnes cogitationes, curas, conſiliaq; eo contulit, vt Imperatori ſuccurreret, Regem Chriſtianiſſimum & Catholicum ad extirpandos Lutheranos & Caluiniſtas, quibus potuit medijs & ſumptibus adiuuit. Idem quoq; Archiduci Carolo & Meliténſibus pietatis officium præſtitit, ad fidem Catholicã tuendam propagandamq; 22. Collegia in varijs Regionibus crexit atq; dotauit. Annonę cóſeruandæ ergo publica granaria in vrbe conſtrui curauit. Vias aperuit & ſtrauit. Publicæq; commoditati limpidiſſimos in eam fontes deriuauit. Anno 1575. confluentibus ad vrbem religionis ſtudio exteris, annonæ paterna vigilantia & charitate prouidit. Tumultuantibus Genuenſibus Cardinalé Moronum ſummę prudentię & authoritatis virum legatum miſit, qui eorum animos ad concordiam reduxit. In diuerſas factiones ob regis electionem diſtractos Poloniæ ordines vnanimes reddidit; vnde Buthoreus ad capeſſenda regni gubernacula electus eſt, qui Pontifici poſtmodùm obedientiam iurauit & per oratorem præſtitit. Peſte Italiam totam peruagante ad ſpiritalia medicamenta indicto Iubilæo perfugit. A contendentibus inter ſe acriter Polonis & Moſcouitis, legationem perhumaniter excępit, ac Antonium Poſſeuinum oratoré miſit, qui vtriuſque Principis animum ſumma dexteritate recóciliauit. Synodum Tridentinã Pauli III. temporibus cœptam & adtectam, Pij verò IV. abſolutam & cóſectam, ab omnibus obſeruari mandauit, veluti orbi terrę neceſſariam, ſeminariaq; varijs locis religionis Chriſtianæ amplificãdæ ergo plurima inſtituit, Sacellum ſumptuoſiſſimum apud S. Petrum, quod Gregorianum dicitur, extruxit & dotauit, corporeq; magni doctoris Gregorij Nazianzeni nobilitauit. In Palatio porticum ſiue ambulacrum artificioſè poliri varijſq; picturis adornari curauit. Anno 158[illegible]. Calendarium emẽdauit anni curſu ad Solis motum reducto. Sub eodem Pontifice 1585. 22. Martij Iaponiæ Principum legati poſt longam trium annorum & ampliùs nauigationem vrbem ingreſſi, principum ſuorum nomine S. Sedi Apoſtolicæ obedientiam iurârunt & præſtiterunt. Eſt autem Iaponia in extrema Indiæ parte vſq; adeò vaſta vt amplitudine Italiam duplo excedat, tantaque locorum intercapedine à nobis diſſita, vt eius incolæ nobis antipodes dici poſſint. Tandem poſt exhibita reip. Chriſtianæ tot & tanta beneficia Gregorius curriculum vitæ ſuæ beata morte abſoluit anno Dom. 1585. cùm ſediſſet annos 12. méſes 10. & dies 27. diuerſiſq; temporibus 33. Cardinales creauit. Corpus eius Sacello Gregoriano illatũ eſt. Vir fuit ſanè manſuetus, benignus erga pauperes, ac eos qui Religionis cauſa exulabant; in reſpóſis breuis, acutus, & grauis; ad audiendum patiens; omnibus acceſſu facilis; ſtudijs pijs & maximè legum ſic addictus, vt quicquid temporis contemplationi grauibusq; curis ſupereſſet lectioni & ſtudio impenderet.

CONCILIVM PROVINCIALE MEDIOLANENSE III.

Quod

CAROLVS BORRHOMAEVS S. R. E. CARDINALIS TIT. S. PRAXEDIS ARCHIEPISCOPVS

Habuit anno à Chriſto nato, M. D. LXXIII. Gregorio XIII. Pontifice.

Edictum de Concilio Prouinciali III.

In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

CAROLVS BORRHOMAEVS S.R.E. TIT. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Dei & Apoſtolica Sedis gratia Archiepiſcopus S. Mediolanenſis Eccleſia, vniuerſis prouincia noſtra fidelibus Salutem in Chriſto Domino.

DIVINAE pietatis abundantia perfectum eſt, vt cuius diſciplinæ veſtigia olim à ſanctiſſimis Patribus preſſa non leuiter, ſed fixa ad ſempiternam rei Chriſtianæ benè gerendæ rationem, vix, in tantis morum erroribus, vlla reliqua vſquam apparebant; ea quaſi ex tenebris in lucem reuocata ſit, grauiſſimis, & diuinis ſacroſancti Concilij Tridentini ſanctionibus. quibus cùm omnes ſanè quidem obtemperare oporteat; tum eos in primis, quos author vitæ noſtræ, & magiſter ſalutis æternæ, Chriſtus Dominus, Epiſcopos, & Paſtores gregis eſſe voluit, quem is ſanguine ſuo, in ara crucis profuſo, redemit. Itaque Paſtoralis curæ noſtræ ratio, quæ in Tridentinis illis iuſſis, ijſque ſanctiſſimè exequendis, verſari debet, nos commonet, atque adeò commouet, vt hoc anno, qui tertius eſt, quo Mediolani alteram prouincialem ſynodum habuimus, eam ad eiuſdem Tridentini Concilij præſcriptum tertiò conuocemus: idq; eo conſilio, vt nos, qui Metropolitico iure Prouinciæ huius curam gerimus, pro debito Archiepiſcopalis ſpeculationis noſtræ officio, ſedulò primùm perquiramus, ſi quæ ſunt, quæ Tridentinis decretis, aut eorum auctoritate, canonumque iure à nobis in vna, atque in altera item Synodo ad reſtituendam priſtinam illam Eccleſiaſticam diſciplinam iam pridem ſancita, nondum ab ijs, quorum intereſt, in hac Prouincia præſtita ſunt; in his exequendis, duce Spiritu ſancto, qui Spiritus eſt intellectus, ſapientiæ, & conſilij, Paſtorali ſtudio, & diligentia incumbamus: tum prætereà videamus, ſi quæ alia ſunt, quæ, ſubdolo operario Sathana, morum corruptelis, vel inueterata, vel nuper prauè introducta, vllam emendationem, vel in controuerſijs prouincialibus iudiciũ à nobis deſiderent.

Quamobrem omnes & ſingulos huius noſtræ Prouinciæ Epiſcopos, tum literis eo potiſſimùm nomine, vnicuique eorum ſcriptis, tum hoc etiam publico edicto, ad Prouincialem Synodum Mediolanum conuocamus: cuius etiam Synodi inchoandæ certum diem, nempè vigeſimum quartum menſis Aprilis, proximè ſequentis, quo ſtatuto die mane in Metropolitanam noſtram Eccleſiam conueniant, præſcribimus. Vt autem cæteris omnibus atque ſingulis, qui poſſunt, debentve iure, aut conſuetudine, aut priuilegio eidem intereſſe, peruulgata ſit, ac nota huius noſtræ prouincialis Synodi tertiæ indictio; neve cuiquam vel rei ignorantia ad excuſationem vti, vel ſe contemptum, neglectum ve eſſe, dicere liceat; ijs ipſis vniuerſis, ac ſingulis, tum cæteris, qui ſua intereſſe quauis ratione putârint, hoc edicto publicè propoſito, illam eiſdem ſignificamus, indicimus, ac denunciamus: iubemusque item illos ipſos omnes & ſingulos, qui intereſſe debent, huc in prouincialem Synodum conuenire ad conſtitutam diem, pœnis illis propoſitis, quæ Canonicis ſanctionibus decretæ ſunt.

Curet autem comprouinciales noſtri Epiſcopi, id quod poſteriori prouinciali Concilio ſancitum eſt, vt, cùm primùm hoc edictum acceperint, quo prouincialis Synodi celebrandæ certa dies indicta eſt, in omnibus & vrbis, & diœceſis ſuæ parochialibus Eccleſijs, quinta quaque feria in ſingulas hebdomadas, quò ad illa de more abſoluta, ac dimiſſa erit, Miſſæ ſacrum de Spiritu ſancto fiat: In cathedrali autem & collegiatis Eccleſijs proceſſionum prætereà munus ſingulis diebus dominicis obeatur, precationibus adhibitis pro optimo conciliarium rerum tractationis euentu.

Omnes prætereà prouinciæ noſtræ fideles id monemus, & per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini hortamur, vt omni pietatis Chriſtianæ ſtudio, & religioſis precibus, iiſque aſſiduis, à Deo conſolationis, & miſericordiarum patre, nobis, negotium tam ſalutare tractantibus, auxilium implorent: quo nos adiuti, in hac tractatione omnia conſilia, ſermones & actiones noſtras in finem dirigamus, nempe in CHRISTVM IESVM, cui in omnia iuſtitia, & ſanctitate ſeruire debemus. In quarum rerum omnium fidem hoc edictum confici, auctoritateque noſtra imprimi, & noſtro ſigno muniri, tum noſtra etiam manu ſignatum, in vulgus publicè proponi, eidemque à Synodali Secretario noſtro ſubſcribi voluimus. Dat. Mediolani die 20. Februarij. 1572.

Edictum alterum de Concilio Prouinciali tertio, quod ob cauſas prorogatum fuerat.

In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Carolus Borrhomaeus S.R.E. Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Dei & Apoſtolica Sedis gratia, Archiepiſcopus S. Mediolanenſis Eccleſia, vniuerſis prouinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in Chriſto Domino.

AETERNVS Pontifex. vnigenitus Dei filius, Chriſtus Ieſus, qui è ſinu Patris in terram miſſus, fidelium animas redemit per effuſionem immaculati ſanguinis ſui, eam nobis, Paſtoribus animarum, curam propoſuit, vt omni ſollicitudine oues, fidei noſtræ commiſſas, à vallibus ad montes, à terrenis ſcilicet rebus ad cœleſtes, ab humanis ad diuinas, à caducis ad æternas reuocare ſtudeamus.

Hæc ſanè cura, plena ſtudij, plena diligentiæ, refertaque omni labore, cùm in cæteris paſtoralibus muneribus, tum in ijs etiam exequendis nos valdè ſollicitos habere debet, quibus Tridentina Synodus & ipſis paſtorum officijs, & animarum ſaluti, & prouinciarum vtilitati conſultum eſſe voluit. In ijs verò cùm ſit illa prouincialiũ Synodorum ad vſum reuocata ratio; nos ſuperiori anno, qui tertius erat, quo Mediolani alteram prouincialem Synodum habuimus, tertiò prouinciæ noſtræ Epiſcopos ad Concilium conuocauimus. quod quidem Concilium, à nobis de more indictum eas ob cauſas, Conciliaribus noſtris literis expreſſas, celebrare non potuerimus; officij noſtri ratio, quæ progreſſionibus ſuis tota ad præſtantiſſimam illam curam ſpectare debet, nos commonet, atque adeò commouet, vt quod proximo ſuperiori anno à nobis intermitti oportuit, id hoc anno omninò præſtemus.

Quamobrem omnes & ſingulos huius noſtræ prouinciæ Epiſcopos, tum literis eo potiſſimùm nomine, vnicuiq; eorum ſcriptis, tum hoc etiam publico edicto ad prouincialem Synodum Mediolanum conuocamus: cuius etiam Synodi inchoandæ certum diem, nempe nonum Aprilis proximè ſequentis, quo ſtatuto die mane in Metropolitanã noſtram Eccleſiam conueniant, præſcribimus. Vt aũt cæteris omnibus, atq; ſingulis, qui poſſunt, debentve iure, aut cõſue-

tudine, aut priuilegio eidem intereſſe, peruulgata ſit, ac nota huius noſtræ prouincialis Synodi tertia indictio; neve cuiquam vel rei ignorantia ad excuſationem vti, vel ſe contemptum, neglectum ve eſſe, dicere liceat; iis ipſis vniuerſis, ac ſingulis, tum cæteris, qui ſua intereſſe quauis ratione putauerint, hoc edicto publicè propoſito, illam eiſdem ſignificamus, indicimus, ac denunciamus: iubemusque item illos ipſos omnes & ſingulos, qui intereſſe debent, huc in prouincialem Synodum conuenire ad conſtitutam diem, pœnis & cenſuris illis propoſitis, quæ Canonicis ſanctionibus decretæ ſunt.

Curét autem comprouinciales noſtri Epiſcopi, id quod poſteriori prouinciali Concilio ſancitum eſt, vt, cùm primùm hoc edictum acceperint, quo prouincialis Synodi celebrandæ certa dies indicta eſt, in omnibus & vrbis, & diœceſis ſuæ parochialibus Eccleſijs, quinta quaque feria in ſingulas hebdomadas, quò ad illa de more abſoluta, ac dimiſſa erit, Miſſæ ſacrum de Spiritu ſancto fiat: In cathedrali autem & collegiatis Eccleſijs proceſſionum præterea munus ſingulis diebus dominicis obeatur, precationibus adhibitis pro optimo conciliarium rerum tractationis euentu.

Omnes præterea prouinciæ noſtræ fideles id monemus, & per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini hortamur, vt omni pietatis Chriſtianæ ſtudio, & religioſis precibus, iiſque aſſiduis, à Deo conſolationis, & miſericordiarum patre, nobis, negotium tam ſalutare tractantibus, Spiritus ſancti lumen implorent, quo lumine adiuti, nos ijs initijs inſiſtentes, quæ ſuperioribus annis iecimus, noſtros, gregiſque noſtri greſſus dirigamus in viam ſalutis æternæ. In quarum rerum omnium fidem hoc edictum confici, auctoritateque noſtra imprimi, & noſtro ſigno muniri, tum noſtra etiam manu ſignatum, in vulgus publicè proponi, eidemq; à Synodali Secretario noſtro ſubſcribi voluimus. Dat. Mediolani die 16. Ianuarij. 1573.

Prorogatio Synodi, & prouincialis, & Diœceſanæ.

Carolus Borrhomæus S.R.E. Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Archiepiſcopus S. Mediolanenſis Eccleſiæ, vniuerſis prouinciæ noſtræ fidelibus ſalutem in Domino.

ALIIS noſtris literis, Edicti nomine inſcriptis, prouincialem Synodum, quam hoc anno die 24. huius menſis Aprilis habere ſtatueramus, paucis ante diebus de more indiximus, ſed cùm per inualetudinem noſtram, vt per literas etiam prouinciæ noſtræ Epiſcopis ſignificauimus, id ad conſtitutam diem præſtare nobis non liceat: eam ad diem differimus, & prorogamus, quem illi hoc ipſo anno celebrandæ certum, volente Deo, præſcribemus, atque indicemus alijs noſtris literis.

Diœceſanam præterea Synodum, quam indiximus ad diem 14. huius etiam menſis Aprilis, ob eam ipſam cauſam differimus, & prorogamus in diem quem alijs noſtris literis certum ſignificabimus, & conſtituemus arbitratu noſtro. In cuius rei fidem has neceſſariæ prorogationis noſtræ literas confici, & publicè affigi iuſſimus. Dat. Mediolani die 9. Aprilis. 1572.

ORATIO CAROLI CARDINALIS TIT. S. PRAXEDIS ET ARCHIEPISCOPI,

IN CONCILIO PROVINCIALI III. HABITA.

TERTIÒ *iam adſumus, Patres ſanctiſſimi, hoc ipſo loco, vbi ſuperioribus annis ſemel atq; iterum Spiritu ſancto duce cõgreſſi, in eam curam incubuimus, vt in hac prouincia paſtoralibus noſtris ſtudijs ſuccurreremus animarum ſaluti, & opitularemur pietatis cultui, iam penè deſloreſcenti. Quo in genere & ſi à nobis vel plurimùm elaboratum eſſe videtur; tamen ſi animaduertimus, prouinciæ huius ſtatum, quem vos etiam optimè noſtis, is eſt, vt multa adhuc deſint ad operis à nobis inchoati conſummationem & perfectionem. Primùm enim ſuperioribus noſtris decretis non omnis erepta eſt morum corruptela, neq; planè omnis inſtituta Chriſtiana diſciplinæ ratio, quæ vobis, qui adeſtis, vnà mecum expetenda eſt. Deinde, vt eſt hominum genus, ad carnis ſenſum procliue, ſæpeq; præceps fertur ad peccandi licentiam, alij poſt priores illos cõgreſſus noſtros ſenſim indies irrepſerunt morum errores. Præterea quæ olim à nobis ſancita ſunt, ita ſe habent, vt vel noſtra, vel aliorum culpa illa exequuti ſimus non planè omnia. Si quæ autem exequutionem habuerint, vel pauca, vel multa illa ſint, vereor, vt liberè dicam, ne ea externa potius quadam ſpecie attigerimus, quàm intimi animi ſenſibus, vereq; amplexi ſimus. Atq; hic quidem eſt rerum noſtrarum ſtatus. Videte igitur quæ illa ſint, quibus, auctore Spiritu ſancto, qui ſpiritus eſt veritatis & cõſilij, hoc ipſo conuentu nos tum mente optima, tum ſalutaribus deliberationib⁹ cõſulamus oportet; vt aliqua ex parte exſoluamus, quod & Chriſto Domino, & nobis, & clero, & populo noſtro debemus. Propoſitum igitur nobis ſit, Patres optimi, magnum quidam eſſe, ac perfectum, quod præſtare debemus: idq; nos vix, aut ne vix quidem inchoauimus, ne dum abſoluimus, cùm certè non licuerit. nam quemadmodùm reliquis in rebus nihil poteſt ſtatim eſſe perfectum, ſed neceſſe eſt, vt initium fiat ab aliquo rudimento, atq; paulatim ad ſummum perueniat; ita opus, quod ſuperioribus annis aggreſſi ſumus, non potuit eo tempore ſtatim peruenire ad eam, quam quærimus & debemus, neceſſariam perfectionem. Quod ſi quis noſtrum ſecus fortaſſe exiſtimat, quoniam in hac prouincia aliquod maius pietatis Chriſtianæ ſtudium elucere videt, quàm antea ſolebat, quamq; in alijs fortaſſe quibuſdam locis apparet: ne iſte planè quidem fallitur, non eſt enim cur nos vel cum ijs, qui proximè anteceſſerunt, temporibus, vel cùm aliorum, ſiue mali illi ſint, ſiue aliquo Chriſtianæ virtutis gradu præditi, factis actiones noſtras expendamus: ſed comparemus oportet cum ea ſanctè agendi formula, nobis diuinitùs præſcripta: quæ ſi ob oculos verſabitur, facilè cernemus quàm longè ab ea diſtemus. Procul certè abſumus, Patres. Eſt igitur cur properemus, & ita properemus, vt quod ſemel aggreſſi ſumus, perficiamus, aſpicientes in auctorem, & conſummatorem operis nobis commiſſi, Chriſtum Ieſum. Is quid non attigit, quid non egit, quid non perpeſſus eſt, vt quod ei pater cæleſtis dedit, opus conſummaret? Quid illa crucis ara, in qua redemptionis myſterium peractum eſt, loquitur? Quæ mens, qui ſenſus Chriſti laborum? Quorſum illa verba, Conſummatum eſt; an non operis, quod ſuſceperat, perfectionem? An non conſummationem indicant? Num Chriſti magiſtri exempla, num voces nos commonent? an commouent potius? certè quidem. Ergo pergamus ad conſummationem: & quod operi noſtro deeſt, perficiamus, ac ita quidem, vt, cùm nos Epiſcopos Deus dederit ad opus miniſterij in conſummationem Sanctorum, tãquam Angeli eius, & miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, non modò purgemus, & illuminemus, ſed perfectos reddamus eos, qui in cuſtodia noſtra fidẽ traditi ſunt. Altera prætereà cauſa eſt, Patres, quamobrem huc tertiò nos conuenire oportuit. nam ea eſt ſatanæ fraus, ea deprauata hominum natura, ea mundi illecebræ, vt, ſi quid ſuperioribus noſtris ſanctionibus cõmuniuimus, in altera eiuſdem rei parte violari ſoleat Eccleſiæ diſciplinæ inſtitutio; ita vt alio rurſus opus ſit præſidio. quemadmodùm enim fluuius ab vna parte, aggeribus munitus, in alteram ſæpè erumpit: iidem vſu venit in ſanciendis morum legibus. Si quà igitur parte, vel clero, vel populo ſuperioribus rerum ſanctionibus obſtructus aditus eſt ad peccandum: alia tamen inuenitur via, quam præcludamus oportet hoc noſtro ſynodali ſtudio, quod dũ in hoc genere multũ eſſe debet, tum plurimum etiam in eo, quod tertio loco à me propoſitum, iam breui exponam. Scitis, Patres, quæ ſuperioribus Concilijs præſcripſimus nobis de frequenti ſacrificij oblatione, de dignitate ab Epiſcopo retinenda, de ſupellectili, fragilitateq; Epiſcopali, de paſtoralibus officijs, de familia noſtra inſtitutione, de cleri diſciplina, de gregis commiſſi gubernatione: illa omnia vt acta ſunt à nobis fortaſſe diligenter; ſic certè noſtrum fuit, & eſt, eadem exequi vel diligentiſſimè. parum eſt enim optimo conſilio decernere; niſi quod decretum eſt, ſedulò præſtetur. nam vt ſciẽtia debet eſſe cum virtute copulata; ſic decretorum cõſtitutio, cum executione in primis coniuncta: alioquin paruam affert vtilitatem, vel certè nullam. itaq; cùm operis noſtri ſuſcepti ratio conficiatur, & quaſi conſtetur duabus his partibus, legum ſcilicet optimarũ & ſanctione, & exequutione: in hac nos fideles eſſe oportet, in illa prudentes: ſi prudentiam in ſanciendo præſtitimus, fidem in exequẽdo præſtemus neceſſe eſt, vt & prudentes & fideles ſerui inueniamur. Exequutio aũt noſtra omnis ſit oportet, Pa-*

tres, tum perfecta, tum vera: perfecta quidem, vt decreta omnia, vel ad nos, vel ad alios pertinentia, exequamur: exequamur autem verè, non externa ſola ſpecie, ſed ea fixa animi deliberatione, vt in veritate nos ambulantes, & ad Dei gloriam, & ad animarum ſalutem vberrimum fructum afferamus ex ijs rebus, quas ſolido agendi ſtudio exequimur. Alioqui ſi contra quicquam agimus, id quoniam non vlla quaſi radice fixum hæret, ſtatim diffluit, ſtatim euaneſcit. Quare agite, Patres ſanctiſſimi munus noſtrum expleamus, vt, quam debemus, ſanctam ſollicitudinem, quantum in nobis eſt, præſtemus, tum ad operis noſtri inchoati perfectionem, tum ad omnem Eccleſiæ diſciplinæ rationem in hac prouincia communiendam, tum ad ſuperiorū noſtrorum decretorum leges, eaſq́; verè, atq; omninò, exequendas. Spiritus autem Dei habitet in nobis, is Spiritus veritatis, quam in Euangelio, quod modò recitatū eſt, ſe Dominus miſſurum eſſe promiſit, mentibuſq́; noſtris lumē præferat, quo omnes muneris noſtri paſtoralis partes dirigamus in perfectionem & in finē, quo ſpectamus, Chriſtum Ieſum. Cui laus & gloria ſempiternis ætatum ſæculis, Amen.

IN NOMINE

SANCTÆ ET INDIVIDVAE TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

NOs Carolus Borrhomæus, S.R.E. Tit. S. Praxedis presbyter Cardinalis, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mediolani, de cōſilio & aſſenſu Reuerendiſſ. Patrum, Coepiſcoporum noſtrorum, in prouinciali noſtro Concilio Mediolanenſi tertio; hæc, quæ ſequuntur, conſtituimus, ac decernimus.

De feſtorum dierum cultu.

SAcroſancta Tridentina ſynodus cùm ſtatuit, fideles religioſo feſtorum dierum cultu abuti non debere ad comeſſationes, ad luxum, & laſciuiam; tum paſtores omnes vehementer in Domino obteſtata, debitam, ſanctamq́ue eorundem obſeruantiam paſtorali diligentię magnoperè cōmendauit. Quamobrem primo prouinciali Concilio de illorum cultu quamuis à nobis ſancitum ſit: tamen hac conſtitutione eo ipſo de genere diligentius decernendum cenſuimus; cùm eæ ſint morum corruptelæ, is deprauatus vſus, ab omni & diuina, & humana lege alienus, vt Deo dicati dies, ſanctiſq́ue rerum officijs conſecrati, ac Spiritus ſancti doctrina inſtituti, tum ad recolenda diuina beneficia; tum ad honores debitos ſanctis tribuendos, ad eorumq́ue vitæ imitationem excitandam, non modò, vt oportet, ſanctè non colantur; ſed, quod grauiſſimum eſt, nefariè violentur operibus, officijs, rerumq; actionibus, ab eorum cultu, & pietatis Chriſtianę ſtudio alienis.

Itaq; in maxima hac offenſione, nos ſacræ illius ſynodi auctoritate, canonum iure, ſummorum Pontificum ſanctionibus, & Pij V. Pontificis conſtitutione, eo nomine edita, Patrum item inſtitutis, tum ipſis Imperatorijs legibus adducti, edicimus, vt ne quid ſeruilis operis ſacris ijs diebus, qui ſanctæ matris Eccleſię inſtituto, aut vniuſcuiuſque loci conſuetudine, votove publico coluntur, fiat; nec quidquam deniq; quod in illis agi, geri, fierive non liceat.

Et quoniam in ijs, quę ſequuntur, maximè peccatur, hęc nominatim vetamus.

Ne ijs diebus nundinæ, emporia, mercatusve agantur: ne quidquam prætereà fiat, exerceaturve, quod ad earū nundinarum, vel mercatus apparatum pertineat, etiam ſi in diē proximè ſequentem illæ cadant.

Ne contractus vlli, cuiuſuis generis ſint, neque vllæ rerum exequutiones fiant; niſi cùm iure nominatim permiſſum eſt.

Ne collectæ, taleæve in oppidis, pagis, vicis, vt ex deprauata conſuetudine quibuſdam locis factum eſt, feſtis diebus exigantur, præſertim quo tempore, vel ſacra fiunt, vel concio habetur, vel proceſſiones, vel alia diuina officia celebrantur, vel ſcholarum doctrinæ Chriſtianæ exercitationes aguntur. Nec verò vllo prætereà vnquam die in Eccleſia, in cæmiterio, atrioue Eccleſiæ illa exigi liceat.

Ne libri, imagines, ſigna, & alia id genus vſquam venalia proponantur, aut circumferantur.

Ne quæ ad aleæ luſum pertinent, neque laruæ itidem, nec veſtes ad perſonatorum hominum vſum vendantur, locenturve.

Ne quas res, ad victum neceſſarias, vendi licet; illæ prope eccleſias, in earumve conſpectu venales proponantur.

Neque earum ipſarum rerum, præterquam panis, à Sole, aut pluuia defendendi cauſa, in foro, locisve publicis tentoria, raſtrave ſint, quibus illæ exponantur.

Neque earundem rerum occaſione, cauſave officinæ apertæ vllo modo ſint: ſed earum oſtiolum paruulum patens ſit licet, reliqua omni parte clauſa. Quo in genere prætereà Epiſcopus, illarum rerum venditioni certam horam & modum præſcribat; ne ex venditione aliquid exiſtat ſcandali, offenſionisve, aut occaſionis, qua diſtrahantur homines à diuinis officijs.

Tonſoribus prætereà, piſtoribus, ſutoribus, calcearijs, alijsq́ue eiuſmodi, & reliquis item opificibus, quibus pręſcribi oportet, Epiſcopus certas regulas præſcribat, ne deinceps dierum feſtorum cultum violent, in quo maximè peccare plerique ſolent.

Quoniam autem vſu iam hac in prouincia nimis compertum eſt, deprauatis his temporibus, & moribus, ad choreas, tripudia, ſaltationes, & id genus alia numquam ferè conueniri ſine multis, & ijs quidem grauiſſimis Dei offenſionibus, idq́ue cùm ob turpes cogitationes, obſcœnè dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernicioſas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuo coniunctas, tum propter cædes, rixas, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima inde conſequentia quàm ſæpiſſimè, his tot offenſionum, & peccatorum ſeminarijs locum dari, ijs præſertim diebus, qui dies propitiationis ſunt; & ijs ipſis diebus fideles pleroſque, nefarijs iſtis Satanæ blanditijs illectos, à diuinis officijs, religioſis ſupplicationibus, lectionibusq́ue ſacris abduci, auertique rudes à percipiendis fidei rudimentis; alioſq́ue ab alijs Chriſtianæ pietatis officijs, in quæ eo tempore religioſè incumbendum eſt, abſtrahi, & amoueri; hoc certè grauiſſimum eſt in conſpectu Dei, & Eccleſiæ. Quare feſtis ijs diebus, ſaltem horis, quibus diuina celebrantur officia, interdicimus, ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant.

Ne item comedię, ludi ſcenici, vel theatrales, haſtiludia, & alia cuiuſuis generis ſpectacula agantur.

Ne circumforanei, circulatores, & id generis nebulones; præſtigias ſuas, inaniaq; ea ſpectacula agant; neq; quicquam omninò vendant, ne medicamenti quidem prætextu.

Vt autem hæ omnes de feſtorum cultu leges ab omnibus ſeruentur; contra eos, qui non paruerint, Epiſcopus agat pœnis, & alijs item remedijs arbitratu ſuo.

Feſtis diebus ſacroſancto Miſſæ ſacrificio fideles omnes interſint.

Ne [illegible] excuſentur puellæ nubiles, neque deinceps viduæ, ne permiſſu quidem primi noſtri Concilij ob recentem mariti mortem, neque vllo alio cuiuſuis conſuetudinis prætextu.

Vt verò ij dies omni pietate, & religioſius colantur; hęc crebro populum Parochi, & concionatores admoneant; atque hortentur, vt illorum dierum tempus, quod Deo, eiuſq́; cultui debetur, in ijs actionibus totum conſumant, in quibus ſanctè conſumendum eſt.

Vt concionem manè, & ſacram lectionem à prandio, vbi explicari ſolet, audiant.

Vt diuinis, Veſperarum præſertim officijs pręſentes, piè religioſeq́ue adſint.

Vt in Chriſtianæ doctrinæ rudimentis, ac præceptis, vel percipiendis, vel recolendis verſentur.

Vt in operibus etiam, officijsq; pietatis ſe exerceant, ægros homines viſitando, mœrentes piè conſolando, & alia eiuſmodi præſtando.

Vt deniq; ab illis actionibus, vnde omnis peccandi materia atque occaſio exiſtit, feriati, in ea opera incumbant, ob quæ ſunt illi ſacri inſtituti dies.

Epiſco

Epiſcopi igitur cura ſit, vel litaniarum proceſſiones, vel orationes, aliarumq; Chriſtianarum virtutum exercitationes inſtituere, in quibus per feſtos dies occupati fideles, abducant ſe à prophanis actionibus.

Sicut Principes & Magiſtratus, qui gubernationi præſunt, dignitate præcellunt, ita prælucere debent exemplo, quo reliqui incendantur ad perpetuum piè agendi ſtudium. Quamobrem pro muneris ſui officio nos paternè cohortando, & admonendo, Epiſcopus curet, vt ipſi per annum ſolemnibus diebus, & in quibus potiſſimùm humanæ redemptionis myſteria peraguntur, in Natiuitate ſcilicet Domini, die Circunciſionis, & Epiphaniarum, in hebdomada ſancta, Paſcha reſurectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, in ſolenni die Corporis Domini, ad Cathedralem Eccleſiam conueniant; Epiſcopalique Miſſæ ſacrificio, quod ſolenni ritu fit, diuiniſq; veſperarum officijs interſint. Idem prætereà efficiat, cùm ob Iubileum, vel ob aliam publicam cauſam generales proceſſiones & ſupplicationes aguntur.

Epiſcopus id curæ, diligentiæque adhibeat, vt tum ex Eccleſiæ ſuæ libris veteribus, manuque ſcriptis, tum ex publicis ciuitatis ſcriptis, monumentisve, atq; aliunde peruestiget, ſi qui dies ſunt quibus colendis, vel veteri inſtituto vſuque vel publico voto ciuitatis adſtricta eſt; aut alius itē quiuis diœceſis ſuæ locus.

Qua prętereà diligentia vtatur in conquirendis reliquis tum votis, tum piæ conſuetudinis inſtitutis. Si quæ verò eiuſmodi monimenta compererit; ea diligentius conſcripta, in Epiſcopali Archiuio aſſeruanda curet. Certosq; illos dies feſtos, ijs monimentis notatos, coli, & alia huiuſmodi pia inſtituta præſtari iubeat.

Vigiliæ autem, & feſti dies Sanctorum, qui publico ciuitatis voto, aut conſuetudine coli debent, diœceſanę ſynodi conſtitutione ab Epiſcopo decernantur; & in Calendariū quotannis relati, die Dominico, prout vniuſcuiuſq; eorum Sanctorum feſtus dies in aliquam hebdomadam inciderit, populo à parocho denuncientur.

Monimenta verò feſti diei, vel piorum inſtitutorum, quæ in aliquo ſolo diœceſis oppido, locove voti publici, aut conſuetudinis ratione ſeruari oportet, in eius etiam loci parochiali Eccleſia aſſeruentur: cùm autem dies ille feſtus, vel quo pium inſtitutum ſeruari debebit, inciderit; parochi ſit, die Dominico, proximè præcedenti, illum populo indicere, ac denunciare.

Prohibeat verò diligenter Epiſcopus, atque omninò efficiat, vt non modò non ſaltationes, & choreæ, verùm etiam commeſſationes, in honorem ſanctorum ludi, aliæve prophanæ actiones, ab eorum feſtorum dierum, piorum inſtitutorum cultu alienæ, vllo quouis modo, etiam illorum prætextu, occaſioneve introductæ, publicè ijs ipſis diebus fiant.

Studeat etiam Epiſcopus, vt quo tempore in Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ hebdomadis Eccleſia mater, & officiorum ritu, & hymnis, canticiſq; fidelium mentes ad mœſtitiam, atque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum veſtimentorum, [illegible] aliarum rerum apparatu populum Dei inſtruit, ac præparat tot ante diebus ad ſanctè recolendam Chriſti Domini paſſionem, & crucem; eo potiſſimùm tempore fideles, ſibi in curam traditos, ſpectacula, ludos ſcenicos, & alia, quæ gentilitatis ſpeciem præ ſe ferunt, tunc præſertim morum corruptelis introducta, illa ipſa, tanquam à ſanctiſſimis Eccleſiæ inſtitutis abhorrentia, omninò fugientes, ad pietatis Chriſtianæ ſtudia, & ad orationem attentiores ſint, propoſita omni Chriſtianarum actionum exercitatione.

Quo religioſius incolæ vniuſcuiuſque parochiæ feſtum diem colant, illius ſancti, ſanctæve, cuius patrocinio parochialis Eccleſia dicata eſt, cohortationibus agat parochus, vt pridie eius diei illi ſanctè ieiunent, animo piè repetentes tum ieiunia, tum religioſas alias eius ſanctarum virtutum exercitationes; quarum meritis in cœlum ille vocatus, cùm ſempiterna gloria perfruatur, pro charitate, qua abundat, eorum, quorum ſalutis patrocinium ſuſcepit, preces Deo offert, ieiunia item & lachrymas. Tum idem illos admonere, atque vehementer in Domino cohortari non deſiſtat, vt pietatis Chriſtianæ officijs, ſanctis operibus, debitaq; veneratione ſancti illius diem feſtum colant; vtque ab omni ſeruili opere abſtinere ſtudeant.

Eodem prætereà die ſancti, qui parochiæ patronus eſt, & cuſtos, quò ad illius imitationem magis fideles inflamētur, id parochus præſtet, vt peracto veſperarum officio, cùm frequentior in Eccleſia populus adeſt, aut ipſe, aut alius in ſuggeſtu, aliove loco ſuperiori, de libro, quo illius vita verè expreſſa continetur, res eius ſanctæ, admirabiliterque geſtas, religioſæ vitæ inſtituta, morum diſciplinam, pietatis ſtudia, virtutes pronunciet.

Quoniam verò ſanctiſſimis ſummorum pontificum inſtitutionibus, & prouincialis Concilij primi noſtri decreto ſancitum eſt, vt quæ apocrypha ſunt, in Eccleſia ne legantur: de Vitis ſanctorum, qui in vnaquaque huius prouinciæ vrbe, diœceſive certis potiſſimùm locis coluntur, liber ab Epiſcopo conficiatur, doctis & pijs viris adhibitis, tum ex probatis auctoribus, tum certis ſuæ Eccleſiæ ſcriptis, ac traditionibus.

Sanctorum, qui in Domino dormierunt, ſacris ſepulchris, & reliquijs colendis, & venerandis, eo maximè augetur gloria Dei, quo religioſius illa coluntur. Quo igitur die ſancti alicuius dies feſtus agitur, ſi in aliqua vrbis, diœceſisve Eccleſia, ſancti alicuius corpus reconditum eſt, ſacrave eius membra, vel aliæ inſignes reliquiæ aſſeruantur: eo die, & ſignificatio detur frequenti campanarum ſonitu; & illæ Eccleſiæ locus, vbi ea ſunt, ſacrarum veſtium apparatu, & cādelarum lumine ornetur; tum ad maiorem cultum diuina officia ſolennius celebrentur.

De ſcholis doctrinæ Chriſtianæ.

QVo maior indies concurſus, & progreſſio fiat ad doctrinæ Chriſtianæ ſcholas, ad earumque ſtudium vehementius excitentur iam inſtitutæ, & in poſterum, Deo iuuāte, inſtituendę eius rei nomine ſodalitates: Indulgentiarum, quæ, & à Quinto, & nuper à ſanctiſſimo D. N. Gregorio XIII. earum ſodalitatum hominibus conceſſæ ſunt, donū quotannis per Parochos duobus ante Calendas Maij diebus Dominicis proximis promulgetur, cùm frequens populus adeſt. Illis autem conſtitutis Calendis, earum ſodalitatum homines, vt Indulgentias conſequantur, confeſſi, ſacram Euchariſtiam ſumant; ac proceſſionem prætereà agant ſolenni ritu. Si verò ſæpiùs id promulgari, vel alijs potiùs certis diebus hæc ab illis agi, Epiſcopus cenſuerit; id conſtituat arbitratu ſuo.

Quibus in oppidis, vicis ac locis, quæ ad ſuam diœceſim pertinent, Epiſcopus has neceſſarias doctrinæ Chriſtianæ ſcholas, & ſodalitates, vt altera prouinciali ſynodo iuſſum eſt, nō adhuc inſtituit, illas quamprimùm, & quàm diligentiſſimè inſtitui curet. Studeat verò quamplurimos cuiuſuis conditionis, ſtatus, & ætatis homines probatos, tum mares, tum fœminas, ijs ſcholis iam inſtitutis, vel inſtituendis, adſcribi, adſcriptosque operam illis nauare, vt conceſſi Indulgentiarum muneris participes ſint.

Eas verò iam inſtitutas, vel in poſterum inſtituendas ſcholas & ſodalitates, ad illas præſcriptas regulas dirigi curet, quæ iuſſu noſtro ad communem earum vſum edentur in lucem.

Scholas prætereà quàm ſępiſſimè viſitari, tum ab earum Præfectis, tum ab alijs etiam iubeat, quibus id negotij dederit. Ijque diligenter ei referant, cùm de omni inſtituta earum ratione, frequentiaque illorum, qui conueniunt, tam de reliqua earundem ſodalitatum ſpirituali progreſſione. Eiſdem, quo plures poterit, conſtituat Confeſſarios ſacerdotes, & in concionibus habendis exercitatos, quorum & miniſterio adiuuentur, & ſalutaribus monitis, crebriſque cohortationibus inflammentur indies magis, ad illud ſcholarum & piarum exercitationum inſtitutum, atque ſtudium.

Si quam aliquando concionem ſacram à prandio populo haberi contigerit, ei certa hora ab Epiſcopo ſtatuatur; ita vt neq; concionator à doctrinæ Chriſtianæ ſcholis, neq; hæ ab illo impediantur.

Epiſcopus prætereà eam ineat rōnem, vt & in hoſpitalibus, & in alijs pijs locis, vbi plures, vel mares, vel fœminæ

curantur, aut aluntur, hoc tradendæ doctrinæ Chriſtianæ inſtitutum introducatur: quo illi paſcantur hoc præterea ſpirituali cibo.

Quæ ad Concionatores pertinent.

ANniuerſaria feſtorum ſolemniumque dierum quadam quaſi viciſſitudine, & ſtatis pro ſolennitatum temporumque ratione ſacris cæremoniarum ritibus Dei Eccleſia, à Spiritu ſancto inſtructa redemptionis noſtræ myſteria, & ſacras alias actiones in anno, tanquam vno libro deſcriptas, fidelibus proponit; qui ſi minus ad ea inſtructi ſunt, nec quæ ſanctè religioſeque aguntur, intelligunt, non eum fructum, quem alioqui perciperent, capiunt. Quo igitur diligentius illi inſtruantur, indiesque magis accendantur ad publicas ſacras actiones, & myſteria colenda, quæ ſtatis anni ſolennitatibus, & temporibus Eccleſia Dei celebrat; Epiſcopus tum ipſe aliquando, tum concionatores, & Parochi certis ijs diebus, quibus illa agi, celebrarive contigerit, populum doceat cùm ſacroſancta ea myſteria, tum religioſum eorum anniuerſarium cultum, tum ſanctiores ſtatarum in ijs colendis ſacrarum cæremoniarum ac rituum rationes, & ſignificationes.

Itidem, cùm ſolennes aliquæ ſtatæ proceſſiones, vel aliæ ſupplicationes, aliqua publica cauſa indictæ, aguntur, vel Iubileum, in vniuerſa Eccleſia indictum, celebratur; conciones ab eiſdem habeantur. Quibus præter cætera explicentur cauſæ, quamobrem aut Iubileum celebretur, aut illæ ſupplicationes fiant; tum excitentur, atque admoneantur fideles, quàm religioſè incumbendum ſit ei ſanctæ actioni, quidque ab illis præſtandum, vt illius Iubilei ſpirituales diuitias ipſi conſequantur.

Vt autem religioſa animi præparatione hi ſolemnes dies à fidelibus colantur; non ſatis illi id eſſe putent, myſteria illa à ſe ſermonibus, concionibusve, ijs ipſis diebus, quibus celebrantur, explicari, ſed feſtis etiam, aut Dominicis diebus, eas ſacras, vel ſolennitates, vel actiones proximè præcedentibus, eoſdem concionibus inſtruant, & eorum animos menteſque præparare, atque inflammare ſtudeant, cùm ad omnem religioſum myſteriorum, quę ſanctæ aguntur, cultum, tum maximè, pro ſolemnitatum ratione, ad pœnitentiæ ſacramentum, & ad ſacram Euchariſtiam ſumendam.

Id verò etiam ſeruetur, cùm ſtata ieiuniorum temporum, Aduentus Domini, Septuageſima, & eiuſmodi inſtant.

De ſacramento etiam Chriſmatis populum inſtruant in illis Pentecoſtes diebus, quibus potiſſimùm ab Epiſcopo id ſacramentum ſolemniter miniſtrari ſolet.

Parochi autem id omne inſtruendi populi officium præſtent ad præſcriptum inſtructionis, quę eo nomine cura noſtra conficietur ad communem prouinciæ vſum.

Ne patiatur Parochus, cuiuſuis ordinis Regulares in ordinis ſui Eccleſijs, intra fines parochiæ ſuæ ſitis, concionem habere, niſi ex ſcripto teſtimonio perſpexerit, eos, muneris eiuſmodi in illis Eccleſijs obeundi cauſa, ſe ad Epiſcopum cum concionandi facultate, quam à Superioribus ſuis ipſi obtinuerint, contuliſſe: & benedictionem, vt Tridentino Concilio cautum eſt, ab eodem petijſſe: neque itidem in alienis eiuſdem parochiæ Eccleſijs, niſi, ibi concionandi facultatem ſibi ab Epiſcopo literis conceſſam, illi oſtendant.

Quæ in Concilio prouinciali primo de prædicatione verbi Dei, & quæcunque item alia concionatoribus à nobis præſcripta ſunt; ea quo diligentius ſeruentur, illam cautionem adhibeat vnuſquiſque Epiſcopus, vt cùm eorum cuiquam in ſua diœceſi concionandi poteſtatem faciet, vel benedictionem impartiet, illa omnia, & alia eo de genere in noſtram concionatorum inſtructionem, ad communẽ prouinciæ vſum ſimul redacta, & quæ item Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ rationibus accommodata, ab illis ſeruanda cenſuerit, illis literis deſcribi iubeat, quibus vel concionandi facultas permittetur, vel præſentationis, poſtulatæque benedictionis teſtimonium fiet.

Quoniam parocho concionante, nonnulli, parum ſalutis ſuæ memores cùm ad illius concionem conueniunt, ſæpè diſcedunt ea non abſoluta, ideò debiti in hoc genere officij ſui eos crebrò Parochus admoneat, prout neceſſarium eſſe viderit. Quod ſi quos aliquando monitos ex verbi Dei, vel Parochi concionantis contemptu in contumacia perſeuerare animaduerterit, illos ad Epiſcopum deferat, qui pro culpæ grauitate eoſdẽ afficiat, tum alijs pœnis, tum, ſi opus eſt, ſacramẽtorum communione priuet ad Carthaginenſis Concilij preſcriptum.

Parochus, & concionator ſæpè, prout opus eſſe animaduerterit, illam decem annorum Indulgentiam edicat, ac denunciet, quam ſummus Pontifex Leo X. in Lateranenſi Cõcilio toties conceſſit, quoties aliquem blaſphemantem accuſârit.

Quæ ad fidei tuendæ ſtudium pertinent.

QVos oportet, ſacri Tridentini, prouincialiſque noſtri Concilij primi iuſſu in diœceſana ſynodo canones, & Decreta Tridentina recipere, fideique profeſſionem præſtare; niſi illos id præſtitiſſe Epiſcopus perſpexerit, in ea, quę proximè futura eſt, ſynodo, ab illis præſtari iubeat.

In aliquem verò certum librum, qui in Epiſcopali Archiuio aſſeruetur, eos omnes, ac ſingulos Cancellarius Epiſcopalis ordine referat, tum qui anteà præſtiterunt, tum qui in poſterum præſtabunt in ſingulis ſynodis, deinceps ſequentibus.

Quicunque literas, & liberales artes quouis nomine, vel publicè, vel priuatim docent, ij, quales quales ſint & reliqui præterea, quibus Pij Quarti, pontificis Maximi conſtitutione, vel eiuſdem prouincialis Concilij decreto fidei profeſſionem facere iuſſum eſt, trium mẽſium ſpatio illam ad formulam ab eodem Pontifice præſcriptam, aut iam præſtitiſſe oſtendant, aut re ipſa præſtent.

Qui verò in poſterum illud legendi, interpretandi, docendiq; munus ſuſcepturi ſunt, fidei profeſſionem ad idem præſcriptum ante preſtent, quàm id ſuſcipiant, exerceantur. Hique & illi omnes libro notentur.

Parochus ne vllo modo patiatur, in ſuæ parochiæ finibus id, vt ſuprà, munus à quoquam deinceps ſuſcipi, aut iam nunc ſuſceptum exerceri, ſi is ſcripto Epiſcopi teſtimonio non oſtenderit, ſe de fidei profeſſione præſtitiſſe: imò verò ſi ita teſtatum non fecerit; ei illo munere interdicat, ſi non paruerit, ad Epiſcopum deferat, qui in eum, prout iuris eſt, animaduertat.

Et quoniam ad Chriſtianam pietatem hoc valdè intereſt, vt inſtituendæ pueritiæ, atque adoleſcentiæ munus committatur viris, non ſcientia ſolùm, ſed fide, ac moribus, vitaque probatis: eam ob cauſam à quo fidei profeſſionem Epiſcopus recepturus eſt, ante ab eo cùm vitæ ſuæ rationes perquirat, tum, ſi quod teſtimonium fidei, morumque à probatis viris habet, afferri iubeat.

Quod ſi ea, vel non afferuntur, vel eiuſmodi ſunt, quibus ipſius Epiſcopi conſcientiæ, ac iudicio non ſatisfiat, id ipſum aliunde Epiſcopus quærat, ab ijs præſertim, apud quod ille diu fuerat; hocque diligentius inueſtiget, ſi vel è longinquis, vel hæreſis nomine ſuſpectis, vel morum corruptela inquinatis locis illum eſſe, aut venire animaduertit.

Hoc præterea diligentiæ adhibeat, vt poſteaquam aliquis, fidei profeſſione ad præſcriptum facta, docendi curam ſuſceperit; eius etiam vitæ, morumque ratio, & puerorum inſtitutio aliquando obſeruetur, idq; in ijs potiſſimùm ludi magiſtris, qui certa pacta mercede, in diſciplinam ſuam traditos pueros domi educant.

Quorum librorum lectione, explicationeve, puerorum aut adoleſcentium animi deprauantur, & mores facilè corrumpuntur, quo in genere ij ſunt, qui res obſcœnas, & turpes continent: eos, vt Indice Tridentino ſancitum eſt, à ludi magiſtris prælegi, explicarive, Epiſcopus non patiatur: ac planè vetet, ab illis quicquam exponi, quod bonis moribus repugnet, quodq; impietatem inducat, vt Lateranenſi vltimo Concilio decretum eſt.

Iubeat Epiſcopus pueros adoleſcentesve à ludi magiſtris

Chri-

riſtianæ religionis præcepta, atque fidei rudimenta do-i, adhibitis ijs ſolùm libris, quos Epiſcopus ipſe præſcri-rit, prout ad illud inſtituendi munus eos idoneos eſſe iu-auerit. Dominicis verò, & feſtis diebus, nullo alio præ-eà doctrinæ genere illos inſtrui liceat, quod omnes eo i-o Concilio Lateranenſi præſcriptum eſt.

Illud etiam eiſdem præſcribat, vt diebus feſtis ſcholæ æ adoleſcentes, pueroſve, aut ipſi conducant, aut frequen- illos conuenire iubeant ad ſolemne Miſſæ conuentualis rum, ad verbi Dei conciones, ad diuina veſperarum offi-, ad ſacrarũ literarum interpretationes, ad doctrinę Chri-anæ ſcholas, & ad alia denique vitæ ſpiritualis ſtudia, atq; ercitationes.

Hæc omnia an ab ijs præſtentur, Epiſcopus viſitãdo aut ſe, aut alius eius nomine inueſtiget diligenter, tum maxi-è, an libros iſti apud ſe habeant, vel ob fidei doctrinam, el ob morum inſtitutionẽ damnatos, improbatoſve; tum ræterea, an qui in eorum diſciplinam traditi ſunt, honeſtè ducentur.

Profecturus aliquis ad ea loca, vbi & ſi Catholico etiam ore à multis viuitur, impunè tamen publicè ab alijs prę-icatur, aut creditur, quod à Romanæ Eccleſiæ doctrina, & de alienum eſt, profectionis ſcriptam facultatem ab ſuo arocho, vel ab eo, quam Epiſcopus conſtituerit, ante impe-et, quàm abeat.

Quibus facultatis literis caueatur, vt & reuerſionis tem-ore, & ſi diutius illis in locis fuerit, ſingulis annis teſtatum aciat, ſe Catholico more, & vixiſſe, & viuere: vtque id teſti-onium ſcriptum ſit ab illius loci, vbi fuerit, Epiſcopo, aut arocho, ſi ibi Parochus eſt, aut à Catholicis viris, probatis ominibus, illorum locorum incolis. Hocque is, cui eò pro-iciſci conceſſum erit, præſtet omninò.

Quicunque autem ſanctæ Inquiſitionis officium, ſta-um, res, & miniſtros aliquo modo læſerit, violârítve, con-rà eum, vt Pij V. conſtitutione ſancitum eſt, Epiſcopus agat d illius ſanctionis præſcriptum.

Quam grauiſſimam ſanctionem aliquando, cùm expe-ire cenſuerit, promulgari iubeat.

Pernicioſorum, & falſorum librorum, cùm perpetua quodammodò peſtis ſit, cui remedium ſemper afferri oporteat, de ijs ſæpè, & ſummorum Pontificum conſtitutionibus, & ſacrorum canonum iure, cautum eſt. Poſtremò autem multa tum Concilij Lateranenſis vltimi decreto, tum nuper Tridentino Concilio, & indice vtiliter conſtituta ſunt. Quæ vt Epiſcopi ſtudio à Bibliopolis, Impreſſoribus, & reliquis item omnibus, quorum intereſt, diligentius, quàm hactenus factum ſit, vbique præſtentur; illa ferè omnia, aliaque nonnulla, eodem ſpectantia, quæ addenda cenſuimus, ſimul complexi, prouinciali hac conſtitutione toto eo de genere ſic edicimus, propoſitis, eodem Lateranenſi, & Tridentino tum Concilio, tum indice, & Pij Quarti conſtitutione de eo indice lata, pœnis ſancitis, & alijs prætereà Epiſcopi arbitratu.

Vt quicunque artem librariam exercet, ab eo ne patiatur Epiſcopus libros venales proponi, niſi confecto librorũ ſuorum indice, cui ab ſe, aut ab eo, à quo eam curam in recognoſcendis libris geri is voluerit, & ab Inquiſitore etiam ſubſcriptum ſit: neque facultate ſibi ab eiſdem non permiſſa, vllos alios cuiuſuis generis libros ille habeat, aut vendat, aut quauis ratione tradat, illo indice non notatos.

Ne loco publico, portorijs, mercibuſve importandis conſtituto, libros miniſtri publici eius loci exportari patiantur, niſi qui illos importarint, aut Bibliopolæ, aut alij, quorum ſunt, ſcriptum, eorundem manu ſignatum, attulerint, quo exportandi poteſtas fiat.

Libri, non publico mercium loco expoſiti, ſed aliò in vrbem inuecti, ab eo qui inuexerit, vel inuehi iuſſerit, eiſdẽ denuncientur: nec libri à quouis inuecti, vel in vrbem introducti, alijs commodentur, aut quauis alia ratione tradantur, antequã his, qui introduxerit, illis, ad quos recognitio pertinet, indicem eorum oſtenderit, ab eiſdemque item facultatem obtinuerit: idque niſi libri id generis ſint, vt eos omnibus permiſſos eſſe perſpicuè conſtet.

Ne quis opuſcula, libros, commentarios, aliave id generis, quouis titulo, & nomine, quæ manu ſcripta ſunt, euulget, niſi ab Epiſcopo, aut ab alio eius iuſſu, & ab Inquiſitore recognita ſint, atq; approbata ſubſcriptionibus.

Ne prætereà quis librum, ſcriptumve cuiuſuis generis imprimat, imprimive curet, niſi eiſdem, Epiſcopo, & Inquiſitore recognitum, & ſcripto comprobatum.

Quod recognitionis, & comprobationis ſcriptum, libri imprimendi principio, recognitorum manu notatum, principio item libri imprimatur.

Libri exemplum auctoris manu, & nomine notatum, vbi primùm impreſſum eſt, recognitoribus tradatur aſſeruandum.

Libris impreſſis, appoſito imprimentis nomine, adſcribatur item annus, quo impreſſi ſunt.

Libri, quos typis mandari conceſſum eſt, in codicem à recognitoribus referantur, notato conceſſæ facultatis anno, & die, de ſcriptis etiam nominibus eorum, quibus eos imprimendi poteſtas facta eſt.

Ne hæredes, vltimarumque voluntatum exequutores, libris à defuncto relictis, vtantur, aut alijs vtendos dent, vel vendant, aliave quauis ratione tradant, antequam illos, aut eorum indicem ipſis Epiſcopo, & Inquiſitori attulerint; facultatemq; obtinuerint.

De Bibl ijs autem, vulgariter redditis, & de Teſtamento Nouo, in vulgarem etiam ſermonem conuerſo, de libris prętereà, qui de rebus inter Catholicos, & hęreticos controuerſis, communi item lingua conſcripti ſunt, ea diligens cautio adhibeatur, vt illorum vſus ijs tantùm concedatur, quibus Epiſcopus, aut Inquiſitor de conſilio Parochi, aut confeſſarij permittendum iudicârit.

Libri de officio, & precibus horarijs beatæ Mariæ Virginis vulgariter, vel Italicè, vel Hiſpanicè, vel Gallicè, vel Germanicè, vel partim latino, partim vulgari ſermone expreſſi, venales ne proponantur, neque vendantur. Si qui verò eos adhuc habent, ad ſacræ Inquiſitionis officium ſtatim deferre compellantur, vt edita à Pio Quinto, conſtitutione ſancitum eſt.

Caueat Epiſcopus, ne libri illi paruuli, quibus preces variæ continentur, falſis, ſuperſtitioſiſque titulis aſperſi habeantur, aut vendantur, niſi ſuo, aut Inquiſitoris, aliorumve Theologorum, quos huic muneri præfecerit, diligenti ſtudio primùm recogniti, & purgati ſint.

Adhibeat idem aliquando aliquot ſuæ Ciuitatis peritiſſimos homines, quorum opera & ſtudio accuratè cognoſcat ſi qui peſtiferi ſunt libri, Indice Tridentino non notati, quorum vſu, & lectione interdicendum ſit, eiuſdem Indicis auctoritate.

Quos libros, id generis cognouerit; ne in vrbem, aut in diœceſim ſuam illi inuehantur, caueat quàm diligentiſſimè: eorumque nomina cùm ad ſacræ Romanæ Inquiſitionis patres deferenda curet; tum alijs prouinciæ Epiſcopis ſignificet; quo diligentius peſti obſtruatur aditus.

Qui per vrbes prætereà, vicos, oppida, aliave loca libros venales circumferunt, eorum etiam indicem habeant, cui ab Epiſcopo, & ab Inquiſitore, aut ab ijs, quibus librorum recognitio ab illis delegata eſt, ſubſcriptum ſit.

Hos Parochus, in cuius Parochiæ finibus illi venales libros exponunt, circumferuntve, de improuiſo aliquando viſitet. Ac ſi aut illorum indicem non habere, aut alios prætereà, eo indice non deſcriptos, vendere, habereve compererit; tum eos Epiſcopo, aut Inquiſitori denunciet: tum libros omnes ſequeſtri nomine, donec aliter ab eo, cui denunciarit, iuſſum erit. Si libros, indice Tridentino damnatos, improbatoſve apud eos deprehenderit, illos etiam comprehendi, aut ſponſione ſaltem facta ſibi ab illis caueri curet, vt ad certum diem ſiſtant in iudicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris.

Quæ ad ſacramentalia, & Sacramenta generatim pertinent.

CHriſtianæ pietatis ornamentum, in quo populum fidelem gloriari oportet, altare eſt cœleſtis holocauſti, ſacroſancta illa arbor Crucis, in qua auctor humanæ redemptionis pepẽdit Chriſtus Dominus. Quamobrem ad Chriſtianæ

religionis

religionis gloriam inſignis admodùm fuit ea veterum pietas, vt Crucis ſignum non in templis ſolùm, ſed domi, foriſque in parietibus ac veſtibulis, paſſimque in vrbe expreſſum appareret, tanquam & præclarum populi Chriſtiani trophæum, & clariſſimum diuinæ miſericordiæ monumẽtum, & ſempiternum denique teſtimonium, quo palàm fieret, fideles dum inimicis Crucis Chriſti, Iudæis, Ethnicis, & Hæreticis nihil habere commune, ſed contra eos omnes liberè profiteri, quem colunt, Dominum Ieſum, & hunc Crucifixum. Hoc igitur maiorum religioſo exemplo, atque inſtituto, cuius etiam veſtigia in hac prouincia aliquot locis perſpici licet, excitatus Epiſcopus, illud curet, vt hoc ſacroſanctæ Crucis inſigne, vel ligno, vel lapide, vel vbi commodè per facultates fieri poteſt, marmore expreſſum, in vrbe & diœceſi ſua, vbi triuia frequentiora ſunt, publicè proponatur, atque erigatur: quo crebrius perſpecta ea ſacræ Crucis arbore, fideles ſeſe erigant, tum ad ſummi myſterij, in ea peracti, gratam memoriam, tum ad veram illam gloriam, ad quã Chriſto duce, populus fidelis, qui populus eſt acquiſitionis, contendere debet.

Quod præterea aliàs ſancitum eſt, id pro ſacroſanctæ Crucis cultu & veneratione ſeruari Epiſcopus iubeat, vt ne ea humi exprimatur, neve ſordidis, & aliqua labe inquinatis locis.

Singulis diebus Dominicis ſacerdos, Miſſæ parochialis ſacrum facturus, antequam illud inchoet, aquam ſale aſperſam benedicendo renouet, eamq; vt moris eſt, aſpergat.

Sanctiſſimi D. N. Gregorij XIII. pontificis conſtitutio, qua, excommunicationis pœna propoſita, ipſo facto incurrenda, interdictum eſt, ne innocentiſſimi Agni imagine figuratæ ceræ illæ formæ & per Romanos Pontifices ſtatis temporibus conſecratæ minio, auro, aut vllo colore inficiãtur; neque venales proponantur, promulgetur in eccleſia eo anno quo illas conſecrari moris eſt, in Paſcha; & quoties itẽ Epiſcopus opus eſſe cenſuerit.

Quod pietatis, & Dei honoris cauſa ab ſancta matre Eccleſia inſtitutum eſt, vt feſto die Purificationis beatæ Mariæ Virginis candelæ, & palmæ, aut oliuæ prout locorum conſuetudo eſt, Dominico die, qui de palmis dicitur, in eccleſia ſolenni ritu benedicantur: eæque candelæ ſtatis illo tempore proceſſionibus circumferantur, non ſine ſanctiſſima myſteriorum ſignificatione; id, vt inſtituti ratio poſtulat, ita religioſè celebrari debet.

Quamobrem edicimus, ne alio loco niſi in Eccleſia, neque dum manibus laicorum tenentur, ſed conſtituto loco poſitæ ſolemnibus cæremonijs benedicantur; & ſingulæ ſingulis diſtributæ, tum palmæ, tum candelæ accenſæ manibus per eos, qui acceperint, geſtentur, ex Eccleſiæ inſtituto, dum ſtatis illis diebus proceſſiones, & ſacræ aliæ actiones habentes. Vtque præterea introducto ei vſui occurratur, quo multis locis in hac prouincia fit, vt illæ, vel candelæ, vel palmæ oliuæque ſacro eo ritu benedictæ, non in Eccleſia à quibuſdam ſumantur, ſed ad eos domum deferantur; &, quod grauius eſt, à laicis quibuſdam, quaſi tributum quoddam ſibi à parochis, vel ab alijs quibuſuis debitum, illæ exigantur, decernimus, vt ſaluo, ſi quod patronus aliquis beneficij habet, illas exigendi iure, ijs ſolùm, qui in Eccleſia interuerunt, & illis item tantum tradi liceat, qui ijs ipſis diebus ad illam Eccleſiam conuenire ſolent; ſed non potuerunt, vel quia ægroti, vel alia legitima cauſa impediti.

Ad preces, quæ ſupra puerperam funduntur, cùm poſt prolem emiſſam, illa actura gratias, ad Eccleſiam ſe confert, parochus puerperæ domum ne ingrediatur, etiam ſi mulier ob aduerſam valetudinem Eccleſiam adire nequeat.

Fœminis præterea, poſt puerperium ad Eccleſiam venientibus, panis benedictus, ſub hoſtiæ forma, ne præbeatur.

Fons baptiſmatis, ne vſquam in alijs Eccleſijs, quàm in parochialibus, ſit, vel Epiſcopi conceſſu in illis locis, vbi propterea quod parochialis Eccleſia longius diſtat, idem populi commodo magis conſulendum eſſe cenſuerit.

Ad ſacri Chriſmatis oleum accipiendum, quotannis ante Paſcha mittantur, qui accipiant, vt veteri canone decretum eſt.

Sancti item Chriſmatis, & ſacris Catechumenorum olei vaſcula, ne alibi, ſed in Eccleſia, religioſè aſſeruentur in ciborio, aliove eiuſdem Eccleſiæ certo conſtituto loco, quem Epiſcopus comprobârit.

Sacrum præterea oleum infirmorum, in Eccleſia itidem cuſtodiatur vaſe, ab aliorum ſacrorum oleorum vaſculis diſtincto; niſi quibus parochis Epiſcopus propter eorum domicilij à parochiali Eccleſia diſtantiam illud domi tunc aliquando ſolùm aſſeruari conceſſerit, tum in parochiæ finibus grauius ægrotantes habent, quibus vſu venire poteſt, vt quam celerrimè ſuccurrendum ſit illius ſacramenti adminiſtratione.

Moneat ſæpè parochus, hocque tum maximè, cùm Sacramẽta miniſtrat, vt fideles, quibus ea miniſtrantur, & qui compatres ad ſacramenta, Baptiſmum & Confirmationem adhibentur, enſem, pugionem, & eiuſmodi deponant, memores ſe in omni ſpiritu humilitatis ſanctæque pietatis ſtudio adeſſe oportere ſacris illis myſterijs.

De Baptiſmo infantium expoſitorum.

INfans expoſitus, licèt appenſum collo ſcriptum habeat, quo ille baptizatus ſignificetur, ſi tamen, re diligẽter perquiſita, quemadmodùm Catechiſmo Romano expreſſum eſt, adhuc dubium ſit eum baptizatum eſſe, ea conditionis formula baptizetur, ſi tu es baptizatus, ego te iterum nõ baptizo, & ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.

De ijs, quæ ad ſacram Euchariſtiam pertinent.

AD ſaluberrimum illum ſacræ Euchariſtiæ frequenter ſumendæ vſum parochi, vt primo prouinciali Concilio iuſſum eſt, & concionatores item, quàm ſæpiſſimè populum cohortentur, naſcentis Eccleſiæ inſtitutis atque exemplis, & grauiſſimorum Patrum vocibus, & vberrima hoc ipſo de genere Catechiſmi Romani doctrina, & ſententia denique Tridentinæ ſynodi, quæ optaret quidem fideles in ſingulis Miſſis, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare.

Quòd ſi quis concionator, etiam regularis, aliquid contra directè, indirecteve dixerit, aut concionatus ſit; Epiſcopus, in cuius vrbe, diœceſive hoc ille admiſerit, ei tanquam ſcandalum diſſeminanti, Tridentinæ eiuſdem ſynodi auctoritate, interdicat prædicatione verbi Dei. Ad cuius prædicationis munus ne idem reſtituatur, niſi primùm eiuſdem Epiſcopi iudicio ſatisfecerit eo ipſo loco, vbi ea in re ſcandalum & offenſionem præbuerit.

Itidem pro ratione culpæ corripiantur, corriganturve, & ſatisfacere quoq; compellantur, quicunq; vel ſermonem habendo, vel colloquendo hoc in genere offenderint.

Cùm nimbi, procellæ, turbines aut grandines impendent; ne ſacerdos ad tempeſtatis procellam arcendam vaſculum adhibeat, in quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum aſſeruatur: ſed tabernaculum, vbi illud in altare reconditur, patefaciat licet: tuncq; in eius conſpectu litanias, aliaſque religioſas preces, eius rei cauſa inſtitutas, piè, ſancteque pronunciet.

Sacerdos, cùm corpus Chriſti Domini ad ægros interdiu in vrbe, alijſque frequentibus locis defert, non ſuperpelliceo ſolùm, ſed pluuiali interdum indutus incedat, vbi per facultates, & per loci, temporiſque rationem commodè fieri poteſt: tum præterea, vbi etiam poteſt, aliqui clerici adhibeantur, clericali habitu, ac ſuperpelliceo induti, qui comitantes vnà cum deferente, ſanctas, religioſaſque preces recitent.

Perfunctus deferendi ſacramenti munere ſacerdos, vbi ad Eccleſiam redierit, fidelibus, qui in eo deferendo præſentes adfuerant, quam ex illo pietatis officio conſequuti ſint indulgentiam, denunciet; paucis verbis eos cohortans, vt in religioſo eo inſtituto ſanctè perſeuerent; tum pronunciata oratione, quæ eſt de ſanctiſſimo Sacramento, illos demittat in pace cum benedictione.

Indulgentia autem à Paulo Tertio Pontifice Max. corporis Domini ſodalitatibus conceſſa, ſæpè promulgetur;

crebriſq; cohortationibus fideles incendantur, quo frequẽtores illæ vbiq; locorum inſtituantur, inſtitutæq; debitum munus obeant.

Quæ præterea ſodalitates eo nomine, vt aliàs prima prouinciali ſynodo iuſſum eſt, inſtitutæ iam ſunt, & in poſterum inſtituentur, regulis vtantur ad communem illarum huius prouinciæ ſodalitatum vſum noſtro iuſſu edendis. Quibus Epiſcopus addat, quę pro vrbis, diœceſisq; ſuę ratione expedire videbuntur.

Parochus ijs omnibus, qui intra Eccleſiæ ſuæ fines habitant, in Paſcha ſacram Euchariſtiam ipſe non ſacerdos alius præbeat; niſi ob frequentem multitudinem neceſſe ſit alterum etiam ſacerdotem adhibere.

Quicunque in Paſcha ab diœceſi abfuerit, is reuerſus, ſe eo tempore ſacram communionem ſumpſiſſe, teſtatum faciat ſcripto ſacerdotis, à quo ſumpſerit. Quod teſtimonij ſcriptum manu, vel ſigillo Ordinarij, aut eius, cui id curæ illi dederit, munitum ſit: alioquin, vt Eccleſiæ præcepto pareat, confeſſus in propria parochiali Eccleſia ſacram Euchariſtiam ſuſcipiat. Quod niſi fecerit, prout iuris eſt, pœna afficiatur.

Ad communicantium purificationum vaſa adhibita, ne alterius rei vſui ſint; eaque propterea in ſacriſtia ſeruentur.

De ijs, quæ ad pœnitentia Sacramentum pertinent.

QVI ad confeſſarium, etiam regularem, in aliena diœceſi commorantem, dedita opera ſe conferens, peccata ſua ſit confeſſus, niſi confeſſarius ille, & ab Epiſcopo loci, & à confitentis Ordinario ad confeſſiones audiendas probatus erit, ei, tanquam inconfeſſo, parochus Euchariſtiæ ſacramentum ne præbeat: illius præterea ordinarius, cuius confeſſionem ille ſacerdos confeſſarius non probatus audierit, ne eum patiatur in ſua diœceſi confeſſiones per biennium audire, neque itidem concionari. Quod decretum Quadrageſimæ initio à parocho promulgetur, quibus locis Epiſcopo videbitur.

Epiſcopus id confeſſarios ſacerdotes interdum admoneat; vt, ſi quando quauis facultate, auctoritateve eis licebit pœnitentium vota commutare; ne ea illi commutent, niſi in alia maiora pietatis opera, vel Deo gratiora, vel ſaltem quæ tantidem valeant. Qua in re iudicanda rationem habeant & ſumptuum, & laborum, & moleſtiarum, & omniũ denique incommodorum quæ pœnitentes perpeſſuri erant, ſi votum, quod ſanctè conceperant, re ipſa præſtitiſſent.

Ne confeſſarij ſacerdotes, cùm ſibi facultate, vel ex Iubileo, vel ex alijs Apoſtolicis literis conceſſa, pœnitentium confeſſiones audire, eoſdemque à peccatis etiam grauioribus, quæ admiſerunt, & à pœnis item, ac cenſuris quibus irretiti ſunt, abſoluere licet, cum eo, qui in irregularitatem incurrerint, diſpenſent, niſi eius rei facultate illis literis nominatim expreſſa.

Si Pœnitentibus pœnitentia præſcribenda eſt aliqua pecuniæ ratione; ne ſibi ſacerdotes confeſſarij eam pecuniam, ſed locis pijs attribui curent, vt in officia operaq; pietatis erogetur: Neq; verò huius pecuniæ diſtribuendæ curam ipſi vllo planè modo ſuſcipiant.

Neque præterea ſibi dari curent, ſi quid eleemoſynæ cauſa pœnitenti erogandum eſt in Miſſæ ſacros faciendos.

Ne confeſſarij regulares eorum peccatorum, quorum abſolutio Epiſcopo reſeruata eſt, vinculis irretitos, pœnitẽtes abſoluant, quemadmodùm à ſancta ſede Apoſtolica declaratum eſt, id eis non licere, quauis priuilegiorum ſuorum auctoritate.

Confeſſarijs ſacerdotibus præſcriptæ è noſtris prouincialibus ſynodis inſtructiones ad prouinciæ vſum, aliæque item, quas eiſdem pro vrbis, diœceſiſque ſuę rationibus, addi Epiſcopus cenſuerit, in literas includantur, quibus vel probationis teſtimonium, vel facultas dabitur illius muneris gerendi.

Studeat Epiſcopus ad ſacrorum canonum, & Tridentini Concilij præſcriptum pro publicorum delictorum grauitatis ratione, & publicam, & ſolemnem pœnitentiam in vſum reuocare. Quos verò ita ſolemniter pœnitere oportet, menſe ante Quadrageſimæ initium ad ſe per parochos deferri curet; vt primùm ineunte Quadrageſima, illi pœnitentia affici, tum die cœnæ Domini, Eccleſiæ reconciliari poſſint, ſtato ſolemni ritu.

Grauiſſima illa à Pi[illegible] ſummo Pontifice de Medicis edita conſtitutio, quotannis ſemel ſaltem, de more promulgetur, ſi id opus eſſe Epiſcopus cenſuerit.

Si quibus Eccleſię ingreſſu, Chriſtianaque ſepultura publicè interdictum eſt, quoniam confeſſi, vt eſt ſanctæ matris Eccleſiæ præceptum, ſacro Paſchæ tempore corpus Domini non ſumpſerit; vt eorum interdicti vinculum non relaxetur, niſi primùm cauerint, ſe tempore eis à parocho præſcribendo, & de peccatis cõfeſſuros, & ſacram Euchariſtiam ſumpturos eſſe, & in poſterum ſanctæ Eccleſiæ præceptis, & huic præcipuè obedientes fore, quod eſt de confeſſione, & de communione Paſchæ tempore ſumenda. Parochus deinde populo ſignificet illos ipſos, quos iam interdicti vinculo irretitos denunciârit eodem ſolutos.

Quò diligentius fideles caueant, ne excommunicationis nullius vinculis irretiantur, hoc parochi ſæpè præſtent, vt eos doceant, quàm grauis excommunicationis pœna ſit, & quàm valde omni ſtudio cauenda: idque ad præſcriptum faciant inſtructionis, quæ cura noſtra ad prouinciæ vſum conficietur.

Idem illi efficiât ex præſcripta ſimilis inſtructionis formula ad ea peccata deteſtanda, quæ frequentius à ſuæ parochiæ hominibus committi animaduerterit.

Quæcunque excommunicationum ſententiæ, vel à ſummis Pontificibus, vel Tridentini, aliorumque generalium, & prouincialium Mediolanenſium Conciliorum decretis, vel diœceſanarum cuiuſcunq; vrbis ſynodorum conſtitutionibus latæ ſunt, quibus ipſo facto, vel iure homines irretiuntur; hæ omnes, ſummatim vulgari ſermone expreſſæ, & in tabellam aliquam, ordine relatæ, die primo Dominico Quadrageſimæ in ſingulis cathedralibus Eccleſijs, de ſuggeſtu frequenti populo de ſcripto legantur, quo fideles meminerint, diligenter ab illis cauendum eſſe. Idque etiam fiat in parochialibus illis Eccleſijs ſingulis, vbi id fieri Epiſcopus expedire cenſuerit.

De ijs, quæ pertinent ad Sacramentum Extremæ vnctionis.

PArochus in ſacramento Extremæ vnctionis miniſtrando, ex Catechiſmi Romani doctrina ægro, cæteriſque præſentibus explicet illius vim, & vtilitates, tum ad animæ ſalutem, tum etiam ad corporis valetudinem, hæc ad æternam gloriam profutura ſit.

Quod Concilio primo decretum eſt, vt, dum æger integris eſt ſenſibus, Extremæ vnctionis ſacramentum ei miniſtretur: ſi tamen, vel curantium negligentia, vel morbi vi, vel repentino aliquo caſu ſenſum omnem amiſerit, vt nihil planè intelligat; illius decreti ſententia vetitum non eſſe declaramus, quin hoc Extremæ vnctionis ſacramentum ei miniſtrari liceat, ſi modo adhuc viuat, & dum vſum rationis haberet, pij animi ſignificationem dederit, vt inde iudicari poſſit, eum hoc ſacramentum petiturum, ſi adhuc integra mente eſſet.

De ijs, quæ partim ad Ordinis Sacramentum, partim ad clericorum honeſtatem, ac ſtudia pertinent.

COnſtitutione Pij Secundi Pontificis Maximi, quicunq; clerici ſine Canonica diſpenſatione, extra ſtata tempora, vel ante legitimam ætatem, vel abſq; dimiſſorijs Ordinarij ſui literis, ſe ad aliquem ſacrum Ordinem promoueri fecerint, ab ſuorum Ordinum quos ſuſceperint, exequutione ipſo iure ſuſpenſi ſunt, ſique ſuſpenſione durante, illorum Ordinum miniſterium functionesve obierint, ſtatim irregularitatem ſubeunt; ob quam, præter alias pœnas, contra illos Canonum iure ſancitas, beneficijs etiam Eccleſiaſticis priuari poſſunt. Ijs igitur pœnis ne quis facilè illigetur, illam conſtitutionem quotannis, tum in diœceſana ſynodo promul-

promulgari, tum pridie illius diei, quo ſacræ ordinationes habebuntur, edici clericis iubemus, qui initiabuntur.

Infirma valetudine, aliave iuſta cauſa impeditus Epiſcopus, ſi ſtatas ſacras ordinationes habere non poteſt, & aliquem propterea clericum ſuum ad alium Epiſcopum mittere velit, à quo alicui eccleſiaſtico ordini adſcribatur; teſtimonialibus literis ei datis, hæc adſcribat, & teſtata faciat, vitæ in primis, & morum probitatem, doctrinam, qua idoneus examine habito, iudicatus eſt, eccleſiaſticorum ordinem, quo eſt proximè initiatus, tum prætereà natales, aut diſpenſationem, ſi quam ſuper illis obtinuerint: ſi verò maiori ordini adſcribendus eſt, ætatem item & titulum, ſufficientemq; cenſum beneficij, vel penſionis, vel patrimonij, quod ille habet.

Quicunq; clericus non huiuſmodi literas attulerit, quibus ea omnia adſcripta teſtatave fiant; ordini, cui adſcribi vult, ne aſcribatur, perinde ac ſi nullas Epiſcopi ſui dimiſſorias literas impetrârit.

De confidentijs conſtitutio, quam ſummus Pontifex Pius Quintus tulit, quotannis in diœceſana ſynodo de ſcripto recitetur, ac promulgetur, de loco illius à Pio Quarto confectæ, ea de re ſanctionis, quæ tota poſteriori hac continetur.

Quod ex Concilio Lateranenſi vltimo à nobis prouinciali prima ſynodo contra clericos iuſſum eſt, qui Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, canonicarum horarum officium intermiſerint; id ex Pij etiam Pont. Max. conſtitutione, qua hoc diligentius cautum eſt, contra eoſdem Epiſcopus agat. Ad cuius etiam conſtitutionis præſcriptum eum item mulctet, qui penſionem habens, canonicarum horarum officiũ de B. Maria virgine dicere omiſerit.

Quod altera prouinciali ſynodo decretum eſt, vt clerici, certæ Eccleſiæ miniſterio non addicti, feſtis diebus, in parochialem Eccleſiam, in aliamve Epiſcopi arbitratu conueniant ad diuina officia celebranda; id præſtent omnes diligenter, etiam qui ſacerdotes ſunt: idque tum maximè in ſolemnis Miſſæ ſacro, itidemque in veſperarum officio. Quo prætereà tempore in eadem Eccleſia ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, vel in altari adorandum fidelibus publicè exponitur, vel inde in tabernaculo reconditur, vel proceſſionis ritu per Eccleſiam circumfertur, adſunt, munuſq; ſuum, & operam præſtent. Idque omne, niſi aliquando Epiſcopi conceſſu eis alio loco tunc miniſtrare inſeruireve licuerit.

Ne cuiquam, antequam prima tonſura is initiatur, clericalem habitum ſumere liceat, ſine Epiſcopi conceſſu, eoq; ſcripto dato.

Epiſcopi, qui aut priuata monitione, aut edicto publicè propoſito, vt ex Tridentini Concilij auctoritate à nobis prouinciali prima ſynodo mandatum eſt, eos non monuerint, qui Eccleſiaſtica quæuis beneficia obtinent, aut ſacris ordinibus initiati ſunt, vt clericalem habitum induerent; menſe poſt huius Concilij promulgationem, propoſitis edicto etiam publico pœnis, quæ ipſis Concilijs ſancitæ ſunt, eos moneant, vt, etiam ſi extra prouinciam, & in gymnaſijs publicis ſint, menſis ſpatio clericales veſtes, ordini ſui congruentes decenter induant, ac deferant. Quos autem ad id temporis non ſumpſiſſe, aut ſemel ſumptas, deinde abieciſſe cognouerint, illos pœnis in monitione expreſſis afficiat, eoſque iterum monitos, ſi in contumacia permanſerint, beneficijs Eccleſiaſticis, quæ obtinent, omninò priuent. Epiſcopi verò, qui iam eos beneficia eccleſiaſtica obtinentes, ſemel, atque iterum monuerint, ſi ij præſcripto tempore clericalem habitum non induerunt, vel indutum depoſuerunt: pœnam in monitione edictam, omninò exequantur; eoſque etiam beneficijs eccleſiaſticis priuent, aut priuatos declarent.

Ne Sacerdos, neve clericus cuiuſuis ordinis pro foribus eccleſiæ ſtet, aut officinas obeat, aut via incedat, aut extra eccleſiam exeat, ſuperpelliceo indutus; niſi cum proceſſiones, aut aliud eccleſiaſticum munus, & officium obit, quod ſuperpelliceum requirat.

In hortis, ædibus, alijsve eccleſiarum, aut eccleſiaſticorum hominum locis ſi ſigna, imagines, aut picturæ ſunt, quę procaces, vel vllo alio modo aliquam obſcenitatis, turpitudinisve ſpeciem præ ſe ferunt, ita reconcinnentur, vt offenſionem oculis ne præbere poſſint, aut tollantur, deleanturve ex omni loco, vbicunq; extant; neque in poſterum eiuſmodi aliquo modo effingantur, aut pingantur.

Et quoniam Chriſtianorum hominum mentes facilè corrumpuntur, peccandi libidine inflammatę ob rerum turpium atque obſcœnarum imagines, ideò illas effingi vetitum eſt Conſtantinopolitanæ ſynodi canone. itaque curet Epiſcopus, vt quicunque laici homines id generis imagines habent, vel tabulis, vel parietibus expreſſas, pro pietatis Chriſtianæ, cui addicti eſſe debent, ſtudio eas abijciant, vel planè deleant, vel ad honeſtatem reconcinnent.

Qui in ædibus canonicalibus habitat, ſi forispernoctauerit, non probata cauſa ab Epiſcopo, aut ab eo, cui is id curę dederit, vnius diei diſtributione mulctetur, præter pœnam, qua pro culpæ ratione ab ipſo Epiſcopo afficietur, cui decreto ne in ijs locus ſit, qui ab vrbe, oppidove, vbi canonicale domicilium eſt, abſunt.

Qui in ſacerdotio ſancto conſtituti ſunt, ad offerendum illud Deo acceptabile corporis Domini ſacrificium, ſicut eam functionem gerunt, qua nulla maior excogitari poteſt, ita in omni ſacerdotalis vitæ officio ſic ſe gerant, vt morum etiam præſtantia, & ſplendore alios alliciant, atque excitent ad debitum ſacerdotio honorem illis præſtandum.

Epiſcopus autem, cuius in primis eſt ſacerdotalem dignitatem tueri, vt laici homines diſcant, illos tanquam parentes, ab ipſis vnicè in Chriſto diligi, & coli etiam debere, cùm hoc ſępè, prout vſu venerit, monendos fideles ſibi commiſſos, curet; tum efficiat, vt vbicunque vel publico, vel priuato loco ſint, ſemper illis à laicalis ordinis viris debitus tribuatur locus, & honor.

Item domi prætereà ſuæ, ne patiatur ſacerdotem quemquam abiectius ſe gerere, quàm Sacerdotis dignitas poſtulat. Sacerdotes verò morbo, ſenectutisve incommodis affectos, qui ſacerdotale munus præſtare nequeunt, inopiaque premuntur, in locum aliquem cogi curet, aut alio modo eis conſulat, & prouideat: vbi victus ex fidelium eleemoſynis, aliave ratione ſuppeditetur, ne oſtiatim miſerrimè mendicent non ſine ſacri ordinis contumelia.

Magna, & ſalutaris populo fideli vtilitas ex eo exiſtit, cùm clerus is eſt, qui & doctrina, & vitæ moribus prælucéat. Quare in præcipuis curis Epiſcopi cùm hæc eſſe debeat; eius tum ad ſtudia, tum ad eccleſiaſticæ diſciplinæ cultum progreſſiones, omni paterna ſollicitudine ille adiuuare ſtudeat. Itaque Epiſcopus, inferioris ordinis clericos adoleſcentes, qui ſpem aliquam præbent, poſſe eos longius progredi ad doctrinarum eruditionem, ne patiatur ætatem, quæ ad diſcendum apta eſt, fruſtra conſumere; ſed in ijs, literarum initijs ac ſtudijs tempus ponere iubeat, quibus aditus eis, & progreſſio fiat, vel ad Theologiæ ſcientiam, vel ad ſacrorum canonum peritiam, ad eccleſiaſticorumq; rerum cognitionem.

Parochos verò, & alios prouectiori ætate clericos, qui apti ſint, ijs ſtudijs, atque exercitationibus aſcribat, vt & in ſacroſancti Euangelij ſenſibus ij potiſſimùm cognoſcendis, ac percipiendis verſentur, qui ad populum Chriſtiana diſciplina, moribusque informandum pertinent; & in comparanda etiam doctrina ſe exerceant, quæ in explicandis eſt conſcientiæ caſuum quæſtionibus.

Reliquos autem, de quibus aut ob ingraueſcentem ætatem, aut ob ingenij tarditatem, ob aliamve cauſam, ad literarum doctrinam capeſcendam exigua progreſſionis ſpes eſt, in id ſaltem incumbere iubeat, vt in Romano, vel alio breuiori probati auctoris Catechiſmo, pro eorum ingenij captu inſtruantur: ijque ſi rudiores, iam olim Sacerdotio, alicuive ſacro ordini adſcripti ſint, in ſacrificij Miſſę myſteriorum, & ſacrorum rituum, ſtatarumque cæremoniarum cognitione, & in ſanctioribus earum ſignificationibus, atq; in ſui ordinis eccleſiaſticarum functionum diſciplina, breui aliqua inſtitutionis ratione erudiantur.

Hanc autem diligentiam & in vrbe, & in diœceſi Epiſcopus exequatur, tum omni, qua poterit ratione, tum aut opera publicè docentium, Theologorumve, ſeu magiſtro-

ium, qui in ſingulis cathedralibus, collegiatiſque in ſignum ppidorum Eccleſijs ex Tridentino decreto iam inſtituti, ſtituendi ve ſunt, aut adiumento regularium, in monaſteijs ſacras literas interpretantium, ſiue hoc ipſum munus bo arum artium diſciplinis clericos erudiendi ſuſcipientium; qua illis ſtudio ſuo erogata, attributave eleemoſyna, vel, opus erit, ab iiſdem etiam clericis contributa, aut ſæculaium ſacerdotum, quos in ſua vrbe, diœceſive, peritiores, robatioresq; habuerit, ſtudio.

Quorum Sacerdotum charitati, ac diligentiæ Clericos mperitiores, aut ſingulos, aut complures ſimul, literis, & lericalium virtutum diſciplina inſtituendos commendait. Diligentiæ huius fructus quo vberior exiſtat; ijs aliuando per annum doctis adhibitis viris, illorum ſinguloum ad ſtudia progreſſiones, prout expedire exiſtimârit, reognoſcat omni paterna ſollicitudine, & diligenti ratione ultitutis, etiam per Sacerdotes homines doctos pro ſtudij ratione, diſciplinarum, quibus ſe eorum quiſque dederit, inerrogationibus.

Cognoſcat etiam aliquando progreſſum, quem in ſacrũ æremoniarum, rituumque diſciplina ijdem fecerint; opera adhibita Sacerdotum, eccleſiaſticarum cæremoniarum vſu peritorum, à quibus eos ex alterius prouincialis Synodi decreto inſtrui iuſſerit.

Deinde, vt non ſolùm in literarum ſtudijs atque exercitationibus, verùm etiam in diſciplinæ morum officijs clerus ſe ſtudioſius contineat, indieſque magis ad Clericales virtutes progrediatur; idem & inferioris ordinis Clericos, vt altera prouinciali Synodo iuſſum eſt, & Sacerdotes præterà, modò vniuerſos, modò partem eorum, modò certos aliquos ſingulos ad ſe aliquando conuocet, illorumque vniuſcuiuſque vitæ rationes, Chriſtianarum virtutum exercitationes, & progreſſus cognoſcat; adhibitis Sacerdotibun vitæ ſpiritualis, clericaliumque virtutum diſciplina exeritatis.

Conuocato prætereà ſæpè per annum, vt aliàs iuſſum eſt, ad ſe Clero, aut ipſe, aut Sacerdos aliquis, vir doctus, in Eccleſiaſticaque diſciplina verſatus, eius nomine ad illum, remotis laicis, ſermones, concionesve habeat de ordinis eorum præſtantia, & ſanctiſſimis officijs, de virtutibus, quibus Clericalis ordinis homines prælucere debent; de vitijs, quibus in populo offenſionem præbere poſſunt, de omni denique Clericali morum diſciplina, virtutumque perfectione.

Idem quoque præſtet pridie eius diei, quo ſtatas ſacras ordinationes habebit, conuocatis illo die tum clericis, qui poſtridie Eccleſiaſticis ordinibus adſcribendi erunt, tum ilijs, quos de clero vrbano tunc accerſendos eſſe cenuerit.

Idque præſtetur præter officium, quod ipſe Epiſcopus ex prouincialibus noſtris decretis die ſequenti præſtare debet ſermone in explicanda Clero populoque doctrina rituũ anctiorique ſignificatione myſteriorum, quæ tunc in Eccleia publicè ipſe agit.

Cleri autem ſui, & doctrinæ, & diſciplinæ ratio omnis, quo ſibi exploratior ſit, ſingulorum tum ſacerdotum, tum inferioris ordinis clericorum nomina, vitæ rationem, ſtudia, exercitationes, progreſſiones, ſtatum omnem denique certo libro notari mandet.

Ne à Diœceſi Clerico cuipiam, neque ab Eccleſiæ ſuæ reſidentia alij, Eccleſiaſticum beneficium obtinenti, quod quacunque ratione perſonalis reſidentiæ munus iure, vel cõſuetudine requirat, ſtudij cauſa abeſſe liceat, niſi eius rei facultate literis ab Epiſcopo permiſſa.

Quibus ſanè literis hæc Epiſcopus nominatim adiungat, ac præſcribat ijs, qui ad locum alienę diœceſis ſtudij cauſa proficiſcentur. Vt & regulas noſtro prouinciali primo, & ſecundo Concilio de habitus ratione, frequentique ſacramentorum vſu, Clericis pręſcriptas, & reliqua noſtris item prouincialibus, ac ſuis diœceſanis ſynodis decreta, ad honeſtam Clericalis vitæ diſciplinam pertinentia, & alia, ſi quæ præterea eo ſibi in genere illi pręſcribenda videbuntur, ſeruet diligenter. Vt de ijs præſcriptis rebus, ab eo pręſtitis, ſcriptum teſtimonium ab Epiſcopo loci, quo ſtudij cauſa profectus eſt; de literarum autem progreſſione ab Doctoribus, quos audit, ad tempus, primo noſtro prouinciali Concilio præſcriptum, ſibi exhibeat.

Vt dimiſſorias eiuſmodi literas decem poſt diebus, quã ad gymnaſij locum venit, eiuſdem loci Epiſcopo exhibeat: de qua exhibitione ad menſis ſpatium ſibi teſtatum faciat. In ijs ſic præſcriptis rebus, ſi is nulla legitima cauſa impeditus, defuerit, ne dimiſſoriæ literæ ei ſuffragentur, ſed irritæ planè ſint ac nullæ.

Quicquid prætereà prouinciali prima ſynodo de parochis, ſtudij cauſa literas dimiſſorias expetentibus, conſtitutũ eſt, id etiam omne inuiolatè ſeruetur.

De ijs, quæ pertinent ad Miſſæ ſacrificium.

MIſſæ conuentualis ſacrum pro diei feſti, feriæve ratione ne in cathedralibus, collegiatiſque Eccleſijs omittatur, propterea quòd eodem die à Capitulo etiam pro mortuis, vel ex decretis noſtris prouincialibus, vel ex legatis defunctorum, vel alia de cauſa fieri debeat: ſed tunc, vt Honorij Tertij conſtitutione cautum eſt, & ſemel pro feriæ, feſtive diei ratione, Miſſæ conuentualis ſacrum fiat, & iterum eodẽ die pro mortuis.

Quod ad Epiſcopalis ordinis obſeruantiam in Eccleſia inſtitutum eſt, id deinceps ſeruetur, vt quo in altari Epiſcopus Miſſæ ſacrificium fecit, ne illo die in eodem alius quiuis ſacerdos faciat, niſi illius conceſſu.

Quod primo prouinciali Concilio interdictum eſt, ne peregrino Sacerdoti ſine dimiſſorijs, teſtimonialibusve literis Miſſæ ſacrum facere liceat, id ei vetitum ſit, in regularium etiam cuiuſuis ordinis Eccleſijs.

Sacerdotem in monialium Eccleſijs, ſine Epiſcopi conceſſu, Miſſæ ſacrum in poſterum facientem, propoſitam altero noſtro prouinciali Concilio ſuſpenſionis cenſuram, non ipſo facto ſubire, vt tunc conſtitutum eſt, ſed ab Epiſcopo illi infligendam decernimus.

In Miſſę conuentuali ſacro introitus, gradualia, offertoria, & alia id generis canantur, quę eccleſiæ inſtituto, ad eam ſacrificij Miſſæ actionem, quæ fit, propriè accommodata ſunt.

Si quando autem, quo tempore Sacerdos ſecreta agit, aliquid canẽdum videtur, ne quicquam canatur, quod etiam illi actioni aptè conueniens, Epiſcopo non ante probatum ſit. Itidemque quod ad probationem attinet, in alijs diuinis officijs ſeruetur. Symbolum verò fidei totum à choro, non alternatim organo canatur.

Quod prouinciali primo Concilio à nobis decretum eſt, vt in Eccleſijs, quæ intra parochialis Eccleſiæ fines ſunt, Dominicis & feſtis diebus Miſſæ ſacrum ne fiat, niſi abſoluta parochi concione, quæ mane inter ſacrificium Miſſæ habetur, id ſeruari iubemus, niſi parochus ante fieri permittat, certa præſcripta hora.

Primam Miſſam ſacerdos celebraturus, à cæremoniarũ magiſtro, vt iuſſum eſt primo prouinciali Concilio, inſtitutus ſacrarum cęremoniarum diſciplina, Miſſæ ſacrificium ante ne faciat, quàm illum Epiſcopus, aut is, cui ipſe id curæ dederit, illis ritè obeundis cæremonijs ſatis inſtructum nouerit, ac probârit.

Ne patena, cùm oblatio fit, ſed crux, aut ſacra aliqua imago offerentibus fidelibus ad oſculum præbeatur.

Epiſcopus efficiat, vt qui publicè, notorieque crimino ſi ſunt, ſacris ne interſint, vt Tridentino decreto ſancitum eſt; idque vel monendo agat, vel iubeat, à Sacerdotibus Miſſæ ſacrum, illis præſentibus, non inchoari, quoad ipſorum admonitu, ſe inde abduxerint, vel alia quauis ratione ſeuerius agat, vt illius decreti executioni ſit omninò locus. Tum pręterea, niſi, vitæ emendatione ſuſcepta, illi confeſſi in ſacro Paſcha ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramẽtum ſuſceperint, contra eoſdem agatur, prout canonico iure in illos agi ſancitum eſt, qui in Paſcha non communicant.

Cùm audiendæ Miſſę rationem populum Parochus docet, quo ex propitiatorio illo ſacrificio vberiorem ille fructum capere poſſit, hoc eum ſæpè admoneat, vt campanæ ſigno dato, quo fideles ad Miſſæ ſacrum vocentur, ſe ſe quiſque colligens, ſi ſibi alicuius mortiferi peccati conſcius eſt,

ſummo ex eo dolore affectus, vitæque emendandæ certo, ſtabilique propoſito ſuſcepto, ſupplex à Deo veniam petat.

Ne verò quis, vel mulier, gradibus altaris hæreat, aut propè altare ſit, dum ſacrum fit. Ideò ſacerdos celebraturus hærentes inde ſe longiùs abduci iubeat, quo celebrante, hoc miniſtrans clericus præſtet.

Miſſæ ita fideles interſint, vt in omni eius parte genibus flexis ſint, niſi cùm Euangelium pronunciatur; quo tépore ſtent omnes; ac mulieribus etiam tunc ſedere liceat.

De iis, quæ ad diuina officia pertinent.

NE in choro, eccleſia, ſacriſtia, quod ad diuinorum officiorum rationem, ritumve pertinet, quiſquam alius iubeat, niſi chori præfectus, vel is cui pro officij, quod gerit, ratione id muneris competit, pœna ei conſtituta Epiſcopi arbitrio.

Quæ hoc de genere nos primo, & altero prouinciali Cõcilio ſtatuimus, id præterea decernimus; Vt quicunque Canonicus hebdomada ſua, aliove tempore, quo vel ſuo nomine, vel hebdomadarij vice, vbi legitimè per alium poteſt obiri munus, aliquod officium præſtare debeat, in tempore non conuenerit, aut officij ſui munus, neque ipſe, neq; eius nomine, ſi legitimo impedimento diſtinetur, alius eius Eccleſiæ Canonicus præſtiterit; vel Præfectum de impedimẽto certiorem in tempore non fecerit; aliqua diſtributionum portione mulctetur, Epiſcopi arbitratu.

Quo decreto aſtringi etiam eos omnes volumus, qui etiam, ſi Canonici non ſint, aliquod in Eccleſia munus obire debent.

Feria quinta in cœna Domini, ſinguli, qui in cathedrali, collegiatave Eccleſia, vel dignitatem, vel canonicatum obtinent, etiam, qui ſacerdotalis ordinis ſunt, & reliqui item ſinguli eiuſdem eccleſiæ clerici, corpus Domini in ſolemni Miſſæ ſacro, quod illo die in ea eccleſia fiet, ſumant. Idque, niſi ex iis aliqui ſint, qui eo ipſo die debitum Miſſæ ſacri faciendi munus alio loco præſtituri ſint.

Religioſis Chriſtianæ pietatis inſtitutis, in vſum introductis, cùm ad ſanctè agendi ſtudium, adiutrice in primis Dei gratia, progreſſio maior indies eſſe ſoleat: curet Epiſcopus, vt ſingulis ſabbatis, ſanctiſſimæ Virgini, Deique Matri Mariæ dicatis diebus, ſtata illa, & ſolemnis, quæ veteri eccleſiæ inſtituto, perpetuoq; vſu de ea dicitur, Antiphona, Salue Regina, vel alia pro ratione temporis, in parochiali, tum vrbana, tum diœceſana vnaquaque Eccleſia à Parocho, & reliquis illius parochiæ Clericis, quibus à Epiſcopo iuſſum erit, ſub veſperum ante crepuſculum ſcilicet, piè, religioſéque canatur: conuocatis etiam certo campanæ ſigno fidelibus.

Plena ſanctiſſimis myſterijs cùm ſit conſecratio Epiſcopi, præter multa, quę tempore, loco, & formula eius, Patrum inſtitutis præcepta ſunt, illud à Felice Quarto Pontifice Maximo conſtitutum etiam eſt, vt anniuerſarius eius conſecrationis dies celebraretur. Quod inſtitutum, iamdiu intermiſſum, vt in hac prouincia ad vſum reuocetur; ſtatuimus, ab vnoquoque Epiſcopo anniuerſarium cõſecrationis ſuæ diem ſolemni ritu agi.

Si verò conſecrationis diem, feſtus dies inciderit, cuius feſti diei officium ex inſtituto Eccleſiæ transferri non liceat, conſecrationis celebritas in alium diem transferatur, quo agi liceat.

Sacerdotes verò, quo die eorum vnuſquiſque Sacerdotio initiatus eſt, illum etiam quotannis recolant Miſſæ ſacrificio, & precibus.

Quo die aliqua Eccleſia vel cathedralis, vel collegiata, vel parochialis conſecrata eſt, is ſingulis annis ſolenni ritu agatur, & Miſſæ ſacrificijs, & diuinis officijs, & decenti illius Eccleſiæ ornatu.

Quòd ſi certus conſecrationis dies ignoratur, non eſt tamen de conſecratione dubitatio; illius diem certum Epiſcopus ſtatuat.

Qui conſtitutus dies conſecrationis Eccleſiæ Cathedralis in Calendarium quotannis referatur, ſtataque eius celebritas ab vniuerſo Clero agatur. Collegiatæ verò, & parochialis Eccleſiæ dedicationis dies celebretur ab illius Eccleſiæ Clero.

Curet autem Epiſcopus, ne eo die, mane ſaltem, quo tẽpore diuina fiunt, ſi Eccleſia parochialis ſit, fideles quicunq; in illius Eccleſiæ, cuius anniuerſarius conſecrationis dies celebratur, finibus habitant, ſeruilis operis quicquam faciant: neque tabernas, officinasve aperiant, quo frequentiores cõueniant ad illius officij celebritatem.

Poſtridie illius diei, quo omnium fidelium defunctorum commemoratio fit ex antiquo Eccleſiæ inſtituto, & diuinum officium, & Miſſæ ſacrum pro mortuis ritu ſolemni in Eccleſiæ cathedrali Epiſcopo, & Capitulo fiat pro ſuæ vrbis Epiſcopis, qui mortem obierunt. Reliqui præterea ſinguli ſacerdotes pro iiſdem illo ipſo die ſacrum faciant. Die proximè ſequenti, pro mortuis Canonicis, & alijs de Capitulo Eccleſiæ ſuæ à ſingulis Capitulis, & Cathedralis, & collegiatæ eccleſiæ fiat.

Tridentini Concilij auctoritate Epiſcopus cum regularibus agat, propoſitis etiam cenſuris & pœnis, vt tum in vrbe, tum in diœceſi, vbicunq; ij monaſteria habent, vnà cum reliquo clero ſæculari proceſſiones publicas, ad Tridentini Concilij præſcriptum, ipſi obeant, iiſq; interſint.

Vt ratis, quæ in diuinorum officiorum cultu committi ſolent, non in collegiatis ſolùm, ſed in alijs etiam quibuſuis Eccleſijs, & alibi occurratur, vbi vel feſti diei, vel funeris, vel anniuerſariorum, vel proceſſionum, vel aliarum rerum cauſa plures clerici conueniunt, Epiſcopus certas, tabella deſcriptas eorum omnium leges, quæ à Clero in illorum officiorum, & proceſſionum functionibus, aut caueri, aut præſtari debent, diligenter præſcribat. Quæ leges vt ſeruentur, eam ineat rationem, vt quibus in Eccleſijs, vel officijs Pręfectus eſt, & Punctator item; hic ſi in eorum cultu erratur, errata notet; ille errantes mulctet; vbi verò non eſt, cùm illa officia, proceſſionesve ibi obiri cõtigerit, aliquis ex Clero, qui ad ea obeunda conuenerit, certus & punctator ſit, qui in eo officiorum cultu errãtes notet; & alios Præfectus, cui hæc erratorum ratio, errant tumq; mulcta ſit commiſſa.

De Parochis.

QVicunque parochiali Eccleſiæ præficiendus erit, is primùm Epiſcopo, vt iam in nonnullis huius prouinciæ eccleſijs conſuetudo eſt, iuret ſe ſanctæ ſedi Apoſtolicæ, & Epiſcopo, eiuſq; item ſucceſſoribus obedientem fore.

Tum præterea ſe ad Tridentini Concilij præſcriptam rationem, reſidentem in Eccleſia futurum, quam obtinuerit.

Tum iura etiam illius Eccleſiæ ſe pro viribus conſeruaturum, ac defenſurum eſſe.

Bona denique eiuſdem ſe abſq; legitima auctoritate nõ alienaturum; quæ verò antea ab iis, qui illius curam geſſerunt, iniuſtè vel vẽdita, vel alio quouis modo alienata ſunt, ea, quantum in ſe eſt, recuperaturum.

Quicunq; Canonicus parochialem Eccleſiam obtinet, etiam ſi vnionis iure, non quidem perpetuo, ſed tantùm, dum ipſe viuit, canonicatui, vel præbendæ, quam obtinet, coniunctam teneat: in ea tamen parochiali Eccleſia, vt Summi Pontificis Pij V. conſtitutione ſancitum eſt, reſideat: nulliq; parochiali muneri deſit.

Si quis parochus, etiam vrbanus, parochiale domicilium non habet, vbi habitet; intra illius fines domum conducat, quam proximè poteſt Eccleſiæ, cuius rationi præeſt; ſi intra fines domus non eſt, quam conducere poſſit, extra, vbi propius Eccleſiæ poteſt, conducat; idq; iudicio Epiſcopi.

Parochus, cui ob imperitiam, aliamve ob cauſam Sacerdos alius ſocius, & coadiutor adiunctus eſt ad parochialem curam gerendam, ipſe etiam in propria Eccleſia reſidens adſit; & officia, quorum munus eis interdictum non ſit, gregi ſibi commiſſo is etiam præſtet.

Parochus ne vllum teſtificationis genus, è libris ſuis parochialibus deſcriptum, cuiquam tradat, niſi Epiſcopi conceſſu.

Id verò niſi ſcriptum aliquod ſit, quo, petenti teſtificatio fiat de eius ætate, vel natalibus.

Dominicis diebus, parochus non ſolùm feſtos dies populo denunciet; ſed etiam illum ſæpè doceat, quæ officia tum in illis, tum in eorum vigilijs colendis ab eo religioſè præſtari oporteat. Eidem prætereà ſignificet, atque indicat Stationes, & Indulgentias, quæ Epiſcopi iuſſu promulgandę erunt, & publicam ſi quæ aliquando ob aliquam indicta eſt, orationem, & proceſſiones, & officia mortuorum in ſua parochiali Eccleſia obeunda, ſi quæ eiuſmodi in eam hebdomadam inciderint; vt fideles, Parochi ſui voce moniti, aut illis interſint, aut ſi minus poſſunt, facta ſanctorum illorum officiorum ſignificatione campanarum ſono, cùm iam ante commoniti intelligant, quæ precationes, quæve officia in Eccleſia fiant, ipſi etiam quamuis abſint, vel domi, vel alio loco, vbicumq; ſint, piè Deum precentur, Et quoniam præcipit Apoſtolus, vt fiant omnium primùm obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate cõſtituti ſunt, & quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate: ideò Parochus fideles ijs ipſis Dominicis diebus hoc moneat; vt antequam ab Eccleſia diſcedãt, pro omnibus infra deſcriptis, ter orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ſanctè precando dicant.

Pro fidei Chriſtianæ, & ſanctæ Eccleſiæ propagatione, & pro ſummo pontifice Romano.

Pro Epiſcopo ſuo, & reliquis paſtoribus animarum.

Pro principibus, & Magiſtratibus.

Pro peccatoribus, vt flagitiorum ſuorum pœnitentes, à Deo veniam petant, & à malè agendo auerſi, ambulent in via Domini.

Vt hæretici redeuntes ad ſanitatem, Catholicæ eccleſiæ præceptis erudiantur.

Vt infideles ab impietatis errore liberentur, & Chriſti Domini fidem amplectantur.

Pro defunctis, præſertim quorum corpora in illa Parochiali Eccleſia quieſcunt, vt à pœnis Purgatorij liberentur.

Tum prætereà, ſi quod malum, vel calamitas impendet, itidem faciat.

Tum denique ſi quid eſt, quod vel Epiſcopi admonitu, iuſſuve, vel ſuæ parochię hominum, aliquo incommodo laborantium, rogatu vel alia eiuſmodi cauſa, tunc maximè ſanctis orationibus opus eſſe animaduerterit.

Parochus, in ſua quiſque parochiali Eccleſia ſingulis feſtis diebus, ſtata hora, Veſperarum officium peragat: idque ea ratione, vt ſi vnum pluresve habeat, quibus adiutoribus vtatur, illos officij Pſalmos, & preces, vt ritus eſt, canat, ſin minus quempiam adiutorem habet, voce alta & clara ita recitet, vt ab ijs, qui præſentes in Eccleſia adſunt, exaudiatur.

Id verò caueat, ne quidquam, vel minimum, quod ad ſtatam illius Veſpertini officij rationem pertineat, vlla cauſa omittat.

Clericus, quem apud ſe Parochus habuerit, eiuſmodi ſit, vt non ſolùm Miſſæ inſeruire, ſed alia etiam omnia præſtare poſſit, quæ veteri canone decreta ſunt.

Tridentini Concilij auctoritate Epiſcopus regulares, ad quos animarum cura, quouis iure pertinet, compellat, vt in eccleſijs, in quibus animarum cura exercenda eſt, Dominicis, & alijs diebus, eodem Concilio præſcriptis ſacram concionem habeant: doctrinę Chriſtianæ pueris rudimenta tradant; tum alia parochorum munera præſtent.

Cùm nullum pietatis officium Parochus in eorum, qui fidei, curæque ſuæ commiſſi ſunt, ſalute adiuuanda prætermittere vllo vnquam tempore debeat; tum hoc etiam, audita parochialis cuiuſpiam incolæ morte, præſtet, vt ſtatim Pſalmum, De profundis, ſanctè dicat, & omni animi pietate, menteque ſupplici, orationem, ad hoc officij genus pertinentem, habeat, vt diues in miſericordia ſua Deus illius animæ miſereatur, cuius etiam ipſe in die iræ rationem eſt redditurus.

Vt verò à fidelibus pro mortuo oratio fiat, idem ſignum det campanæ ſono, quo ſignificetur, Ave Maria.

De ijs, quæ ad Capitulum pertinent.

In omni clericali conuentu, quem vel publicè, vel priuatim Epiſcopus, aut alij quiuis Eccleſiaſtici homines habuerint, à ſtata illa oratione, quæ de Spiritu ſancto dicitur, aut ab alia, ad congregationis vſum accommodata, ille aut is, qui conuentui præeſt, initium faciat; neque conuentus dimittatur, niſi perorata ab eodem altera eiuſdem generis oratione.

Quo facilius Epiſcopus in Eccleſia ſibi cõmiſſa, & diuinum cultum augere, & Canonicorũ concordiam, mutuamque charitatem conſeruare, & canonicalem diſciplinam tueri poſſit; ſingulis menſibus, aut ſaltem ſæpè in anno, canonicali Capitulo intereſſe ſtudeat, vel eo loco, vbi haberi ſolet, vel alio, quo illud is ad ſe conuocare maluerit: conuocet autem cuiuſuis rei cauſa, ob quam expedire iudicârit. Quo in capitulo aliquando videat, an quę de diuinorum officiorum cultu præſcripta ſunt, rectè, ritè, ordine, atque cum dignitate gerantur.

An item, ſi quæ in Capitularium rerum, tum ſpiritualium, tum temporalium tractatione irrepſerint, quibus paſtoralibus ſua cura conſulendum ſit.

An inter Canonicos controuerſię ſint, an diſſidia.

An præſcriptæ Capitulo leges inuiolatæ ſeruentur.

Tum denique moneat, agatve, quæ, & pro muneris ſui officio, & pro rerum agendarum ratione expedire cenſuerit.

Quod ſi Capitulum exemptum ſit, poſſit Epiſcopus ex decreto Concilij Tridentini, illud conuocare arbitrio ſuo, eo ſolo caſu, quando ipſe vult aliquid Canonicis proponere in re, quæ ad ſuum ſuorumve commodum non ſpectat, & tunc in loco illo duntaxat, in quo antea ſolitum fuit Capitulum conuenire.

Canonici ad Capitulum ſtatis diebus accedant, & alijs item diebus extra ordinem eo vocati, conueniant omnes; neque cuiquam, illo per Præfectum non dimiſſo, ante diſcedere liceat, niſi ex cauſa Præfecto probata, miſſioneque ab eodem impetrata. Qui contra fecerit, arbitrio Præfecti mulctetur.

Si quis Canonicus in Capitulo non ſuo loco, & ordine ſedere, ſententiamve dicere, aut dicentem alium interpellare auſerit: hæc ei mulcta ſit, quam Præfectus ei irrogarit: & præterea ne ius eidem ſit in illo, neq; in duobus deinceps ſequentibus Capitulis ſententiæ dicendæ.

Neque verò cuiquam locus ſit, iocosè, & ſcurriliter in Capitulo loquendi.

Si rixæ & contumeliæ inter aliquos Canonicos, vel eccleſiæ miniſtros, altercationesve obortæ ſint; eos Præfectus adhibitis, ſi opus fuerit, alijs duobus, tribusve de Capitulo, ſtatim reconciliare ſtudeat.

Quos tamen & alios item omnes, qui aliquem eiuſmodi eccleſiæ Canonicum, aliumve miniſtrum, quouis modo, contumelioſis verbis in Capitulo, aut in eccleſia affecerint; idem & Punctator Epiſcopalis, aut eorum alter ad Epiſcopum referat, qui pro culpæ ratione illos, qui deliquerint, plectat arbitratu ſuo. Sin autem Præfectus Punctatorve huic referendi officio defuerit, eiuſdem etiam arbitrio puniatur.

Canonicis, quibus in eccleſijs alia non eſt eaque probata conſuetudo, hæc ſit ſedendi, publiceque & collegialiter incedendi præſcripta ratio; primum locum poſt eos qui in illis aliqua præditi dignitate ſunt, teneãt Canonici, qui, presbyterales; ſecundum, qui ſubdiaconales præbendas, canonicatusve obtinent.

Qui ordo ſeruetur, etiam ſi presbyter Canonicus aliquis præbendam, canonicatumve presbyteralem poſt obtinuit, quam Diaconus quiſpiam, aut Subdiaconus Canonicus. Itidem iuris ſit Diacono, ratione Subdiaconi. In Canonicis autem, presbyterales præbendas obtinentibus, is loco prior ſit, qui tempore etiam prior, canonicatus, præbendęve poſſeſſionem adeptus eſt.

Hæcque ordinis ratio à Diaconis teneatur, eademque propterea à Subdiaconis.

Ne cui officio quòd ſibi Capitulum commiſerit, recuſare liceat, niſi legitima de cauſa, quæ latis occultè ſuffragijs Capitulo probetur.

Qui aliter recuſauerit, quantum pecuniæ caperet, per ſex menſes eccleſiæ aſſiduè inſeruiendo, tantundé amittat. Qui verò ſibi iniuriam à Capitulo fieri putat; ad Epiſcopum confugiat, qui rem omnem cognoſcat, & definiat. Vbi autem hoc in genere Epiſcopus plus iuris habet; ne propterea hoc decreto quicquam ei detractum ſit.

Quæcunque aut theſaurarij, aut Cuſtodis, & aliorum id generis officia, munerave à Capitulis vel Cathedralis, vel collegiatæ eccleſiæ, aut ab alijs, ſiue Canonicis, ſiue inferioribus eiuſdem eccleſiæ miniſtris cõmittuntur, ne plus biennio ab illis, quib⁹ illorum cura, procuratiove commiſſa eſt, geratur: niſi de Epiſcopi conſenſu, Capitulum quandoque aliter iudicârit. Hoc autem decreto ne quicquam propterea illius eccleſiæ priuilegio, aut probatæ inſtitutæq; conſuetudini derogatum ſit; qua à Capitulo ea munera longiori tempore alteri committere liceat.

Canonici duo à Capitulo conſtituantur, qui Capitularis Archiuijs curæ præſint. Hique ſinguli claues ſingulas habeant, inter ſe differentes, ita vt vni ſiue altero Archiuium ingredi non liceat.

In illis autem conſtituendis ea ratio ineatur, vt in illa cura gerenda duo ſemper verſentur, quorum vnus, qui biennio geſſerit, creato in eius locum altero, ab illius curæ munere abeat; alter autem, qui vno ſolùm anno, ſicque perpetuò deinceps ſeruetur.

Archiuij Præfecti ſcripta omnia, in Archiuio recondita, periculo ſuo aſſeruanda, accipiant: idque publici inſtrumenti teſtimonio. Si quid verò fortuiti caſus acciderit, id obſeruetur, quod iure cautum eſt.

Quam quiſque eorum clauem Archiuij habet eam, & ſcripta fidei ſuæ commiſſa, munere ſuæ curæ biennalis confecto, ſucceſſori eadem ratione tradat; idque Canonico aliquo præſente, à Capitulo delecto.

Nihil tamen derogatum ſit hoc decreto conſuetudini illi, ſi vſquàm eſt, vt vnus tantùm, vel plures Canonici Capitularis Archiuij curam gerant, neq; item decreto primi prouincialis noſtri Concilij, vt in ijs Archiuijs, quæ communia ſunt Epiſcopo, & Capitulo, altera clauis penes Epiſcopum cuſtodiatur.

Inſtrumenta, & reliqua ſcripta, ad ſingulas cathedralis, aut collegiatæ eccleſiæ præbendas pertinentia, quæ apud vnumquemque, qui vel dignitatem, vel canonicatum in ea obtinet, aut in poſterum obtinebit, extabunt, is ea, aut illorũ exempla, Notarij teſtimonio roborata, in Capituli Archiuium, menſis ſpatio deferat. Sin autem aliqua, quo tempore is dignitatem, aut canonicatũ obtinet, confecta alij habeant, is ſuis, eorumve, qui ad id ſe obſtrinxerunt, aut aliàs iure tenentur, ſumptibus illa in Archiuium referat. Quæcunque autem inſtrumenta, aut ſcripta, ad præbendam aliquam ſpectantia, in poſterum conficientur; Canonicus, vel dignitatem, perſonatumve obtinens, ad cuius prædam illa quacunque ratione attineant, ea, illorumve exempla publico Notarij teſtimonio munita, menſe, poſtquàm confecta erunt, in Archiuium deferat.

Quæ autem inſtrumẽta, ſcriptave ſingulorum, qui præceſſerunt, Canonicorum dignitatemve obtinentium, tempore conſcripta, ad eorum præbendas ſpectantia, Epiſcopus pro eccleſiæ vtilitate exſcribenda cenſuerit, Capituli ſumptibus deſcripta eodem deferantur. Quòd ſi capitulum ad illos, qui ijs ſucceſſerunt, qui inſtrumenta illa, aut ſcripta conficì curârunt, aliqua ratione id pertinere aſſerat, iudicet Epiſcopus, cuius ſum ptibus id præſtari debeat. Qui huic decreto, à Capituli præfecto admonitus, nõ paruerit, arbitrio Epiſcopi mulctetur, & mulctatus etiam compellatur ad ipſum præſtare.

In eo itidẽ Capituli Archiuio liber vnus ſit, in quem inſtrumenta, & ſcripta cuiuſuis generis, quibus ſingulorũ canonicatuum, præbendarumve bona, iurave notata ſunt, referantur. Scripti alicuius exemplar ex Archiuio promi, deſcribive ne liceat, niſi Capituli cõſenſu. Si verò alicuius ſcripti exemplũ aliquãdo exſcribi oportet; id in Archiuio, ſi poteſt, aliàs in loco Capituli, aliquo ex Præfectis Archiuijs præſente, deſcribi liceat, neque vllo alio præterea modo.

De fructibus canonicatuum, & præbendarum vac tium à Canonicis, aut à Capitulo recipiendis, conſtituti Pio Quinto, Pontifice Maximo edita, ab ijs, quorum in eſt, ſeruetur omninò. Vtque in vſum, conſuetudinemq introducatur, ac planè ſeruetur, id Epiſcopus pœnis m ctisve agat. Neque, quominùs id præſtetur, vllum obſtet uilegium, vllum ſtatutum, neque vlla planè conſuetudo, ea ipſa conſtitutione cautum eſt.

De ijs, quæ pertinent ad ornatum & cultum Eccleſiarum.

SI qua in cathedrali eccleſia Epiſcopalis cathedra loco d preſſo, eſt, vel ita collocata vt in populi conſpectu nõ ſ id curet Epiſcopus, vt quod, & à patribus; & à beatiſſim patrono noſtro Ambroſio inſtitutum eſt, & ab Vrbano mo Pontifice Max. declaratum, illa ponatur conſpicuo, eminentiori loco, vt inde velut è throno ſpeculationis ſu ipſe populum intueatur, rurſusq; ab eodem conſpiciatur.

Ne in eccleſia, quæ conſecrata ſit, niſi Epiſcopi concef ædificijq; forma ab eodem præſcripta, quicquam noui æd ficij fiat; non Capellæ item, non Altaria, vt canonum iu ſancitum eſt.

Quæcunq; ad eccleſiarum, Capellarum, Altarium ædi cationẽ, & ornatum, ad ſacrorũ indumentorum, veſtium apparatum, ad omnem ſacrorum vaſorum ſupellectilem & ad alia eius generis pertinent; ea ædificentur, cõſtruantur & fiant ad præſcriptam formam, quæ inſtitutionib⁹ noſtris eo nomine ad communem prouinciæ vſum conficiendis exprimetur. Id verò omne, ſeruetur quãtum per facultate præſtari licet; niſi aliquãdo Epiſcopus aliqua de cauſa alite cenſuerit. Si quæ ędes, ędificia ve cuiuſuis generis à laicis con ſtructa ſunt, quæ vel eccleſiæ, vel Oratorij parietibus continentia, innixaq; hæreant; qua auctoritate, quoque iure ædificata ſint, cognoſcat Epiſcopus: idque ſibi oſtendi ab eis iubeat, qui ædificari curârint. Si quæ autem iure ædificata non demonſtrârint, ea aſportari, amoueri, diruive mandet; niſi eccleſiæ, cui continentia hærent, vſui, dominorum conſenſu, attribuenda potiùs cenſeat.

Sin autem iure conſtructa ſunt, eaq; ædificia, aut ſtabula, aut loca ſordido vſui accõmodata, addictave ſunt; ea diſiectis, & amotis ſordibus, ad honeſtiorem vſum conuerti, Epiſcopus iubeat: hocq; ipſum à Parochis item, & alijs præſtari mandet, etiam in ædibus Eccleſiaſticis.

Neque in poſterum à laicis ita ædificari, aut ædificata ad ſordidum vſum à quibuſuis adhiberi Epiſcopus permittat.

In atrio verò eccleſiæ vllo modo ædificari à laicis ne permittat, vt canonum iure interdictum eſt.

Grauiſſimis rationibus hoc Paulus Apoſtolus monet, ac præcipit, vt mulieres in eccleſiam conueniant velato capite: hoc ipſum docet princeps Apoſtolorum Petrus; cuiu etiam iuſſu ſanctiſſimus Pontifex, qui in eius locum ſucceſſit, Linus decreto idem ſanciuit. Quare Apoſtolicis ijs inſtitutis nos adducti, & animaduertentes præterea, ab antiqui illis ſanctiſſimarum Mulierum exemplis, veterique beh inſtitutarum Ciuitatum diſciplina, atque vſu, ab omni deni que ratione, vt ab eccleſiæ patribus explicatum eſt, ho valdè eſſe alienum, vt capite aperto illæ incedant, illud ad monemus, vt Epiſcopi, vbicunque eſt, in ſuis vel vrbibus vel diœceſibus, is deprauatis moribus introductus vſus, qu maximo poſſunt, ac debent, paſtoralis ſolicitudinis offici illum eripere ſtudentes, hoc in conſuetudinem introducer curent, vt velo caput ipſæ induant, idque præſertim cùn vel ſacras proceſſiones proſequuntur, vel in eccleſiam conueniunt.

Epiſcopus ea Tridentini decreti iuſſu, ſingula monaſteria, in quibus non viget regularis obſeruantia, aliaq; Eccleſiaſtica beneficia, quæ commẽdata ſunt, quocunq; nomine nuncupata, intra diœceſis ſuæ fines poſita, quotannis viſitet, idque opportunis omnibus remedijs, facta etiam fructuum, ad illa pertinentium, ſequeſtratione prouideat, v quæ reconcinnari, aut inſtaurari oportet, ea omninò vel re concinnentur, vel reſtituantur: tum indumenta præterei

namentorum ſuppellex,& ſacræ veſtes comparentur; ac inisteria,quæ ad diuinum cultum ſpectant, rectè, ordine, cum dignitate in illis præſtentur.

De ijs, quæ ad bona eccleſiaſtica tuenda pertinent.

EPISCOPVS Procuratorem, Aduocatumq; conſtituere omni ratione curet, qui in bonorum, iuriumq; Eccleſiaſticorum recuperationem incumbat; vt illis ſuc- arratur Eccleſijs, quarum Rectores, Adminiſtratoresve, at præ inopia non poſſunt, aut præ metu, & opibus aduer- ariorum illa recuperare non audent, vel alia de cauſa negli- unt. Horum vtrique ab illis certam mercedem in ſingulis auſis,quas egerit, perſolui iubeat, ſi per eccleſiarum, qua- um patrocinium illi ſuſceperunt,facultates, Epiſcopi iudi- io,poteſt: ſin minùs,gratis intereà omnia ab vno, & altero rem agi curet:ita tamen vt pro illorum laboris, operæve ra ione,cauſis,in quibus elaborârint, peractis, ſi quid vel iu- is,vel emolumenti eccleſijs illorum opera acquiſitum ſit, le eo illis arbitrio ſuo ſatisfieri mandet.Si verò contrà acci- lerit, vberiùs illi à Deo,bonorum omnium remuneratore, præmium expectent.

Si quis Clericus, aut Sacerdos vlla cuiuſuis generis ſcri- pta, ad eccleſiæ rationes pertinentia, occultârit, ſuppreſſe- ritve doloſè: is pœna afficiatur quæ Agathenſi, & Aure- lianenſis ſynodis contra Clericos, huius culpæ reos, ſanci- ta eſt.

Quod prouinciali ſecundo Concilio pœna excommunicationis propoſita contra eos ſanciuimus,qui Eccleſiaſtici hominis mortui bona, vel temerè inuadunt, vel ſurripiunt,eo decreto illos item aſtringi volumus, qui vel nulla inuaſione, aut vi facta, ex illius mortui Clericalis hominis ædibus ſuppellectilem,remve vllá, ſeu ſcripta ad eccleſiam, cui ille Rector præerat,pertinentia, ante aſportant, aut euehunt,quàm ab illo,cui id curæ ab Epiſcopo commiſſum eſt, in indicem relata ſint illius mortui bona mobilia, libri, & ſcripta, cæteraque eius generis, quæ in hæreditatem caderent. Hoc itidem decretum, vt illud, quotánis de more promulgetur.

Epiſcopus,vbi Clerici cuiuſuis,qui eccleſiaſticum beneficium obtinuerint,mortem audierit, eius hæredes compellat.vt quæcunque ſcripta,inſtrumentave,ad illud beneficiũ pertinentia, quæ in mortui Clerici bonis inueniuntur,alteri Clerico, qui in beneficiũ ſucceſſerit, ab eis tradantur gratis,ac ne vllo quidem, vel minimo pretio pacto,aut exacto; etiam ſi clericus, qui deceſſit, in illorũ exemplis deſcribendis aliquid ſumptus erogârit.

Decimarum eccleſiaſticarum inueſtituras, quæ Laicis hominibus in perpetuum factæ ſunt, Epiſcopus pro officij ſui munere diligenter,accurateq; recognoſcat.

Quòd ſi eas legitima auctoritate minùs confirmatas eſſe compererit; irritas illas, ac planè nullas declaret, ac decernat.

Si quibus in locis generatim ab omnibus fructuum, qui ex prædijs colliguntur,decimæ parochiali eccleſiæ ſoluũtur, in ijs quiſpiam fortè eſt,qui illas exoluere recuſet, quoniam ſibi perſuadet,alicuius priuilegij,aut cauſæ prætextu immunem ſe eſſe: huic Epiſcopus certum breue tempus præſcribat, quo præſcripto tempore is, aut priuilegium exhibeat, aut cauſam afferat immunitatis ſuæ.

Quòd ſi ille quicquam,quòd leue ſit, ad illius immunitatis ius tuendum,vel nihil planè attulerit; id Epiſcopus curet diligentiſſimè, vt is illas quamprimùm præſtet, quippe cùm in decimis,quæ eius generis ſunt, præſcriptioni non ſit locus.

Ne cuipiam bona decimarum iure eccleſiæ obſtricta,è ſolo aſportare liceat, niſi ad aſportationem, aut ad deſcriptionem vocato Eccleſiæ Rectore, Parochove, cui ille ſoluuntur. Itaque qui decimas debet,ea bona domum ſuam,aliove aſportaturus, id biduo ante eidem Rectori ſignificet, vel literis,vel certo nuntio;vt præſens,illis vel aſportandis, vel deſcribendis adeſſe, ſi velit, vtique poſſit. Quòd ſi ille tunc aberit, id vni de eius familia nunciandum curet, aut illius eccleſiæ, domusve parochialis valuis ſcriptum affigi iubeat, quo aſportatio ea denuntietur. Quòd ſi diutiùs illa bona in ſolo eſſent, eis detrimentum, damnumve immineret:tum,vel abſente Rectore, aſportari liceat. Hoc verò noſtrum prouinciale decretum habere locum declaramus, quibus in locis non aliter expreſsè cautum ſit aliquali ſingulari conſtitutione, aut priuilegio, aut conuentione.

De Notarijs,legata pia non denunciantibus, decretum, in altera prouinciali ſynodo editum, quotannis die Dominico Aduentus vltimo, & Quadrageſimæ ſecundo,in vnaquaque parochiali eccleſia promulgetur.

Quæcunque verò ad pios vſus,vel legata,vel relicta,vel donata ſunt; ea ſibi iam denunciata, aut alio modo cognita, Epiſcopus trium menſium ſpatio in librum certum ordine referri curet.

Quo præterea libro quamprimùm eiuſdem iuſſu notentur,quæ deinceps quouis modo ſcierit, ad eos vſus legata,donatave.

Teſtatorum piæ voluntati ne fraus fiat, Epiſcopalis curæ eſt. quamobrem,quæcunq; vel res,vel pecunia; cuipiam ſacerdotum cóuentui,vel alij cuipiam homini,legata eo nomine eſt,vt pauperibus in eleemoſynam conferatur; ea neque tota, nec verò pars cuiquam eiuſdem conuentus ſacerdoti,neque vniuerſo etiam illorum conuentui, nec ab illo ſibi ipſi,ne paupertatis quidem cauſa, vel vlla egeſtatis ſpecie,diſtribuatur,niſi huius rei facultate ab Epiſcopo, eaque ſcriptis data.

Quæ legati nomine relicta ſunt,certo pio vſui,ea ne neceſſitatis quidem cauſa,nec verò hęredum eius,qui reliquerit,conſenſu,ad alterius rei, quæ æquè item pia ſit, vſum conuertantur:niſi Epiſcopus,re tota primùm cognita,illius commutationis poteſtatem fecerit, quæ iuris permiſſu ab eo fieri poſſit.

De ijs,quæ ad matrimonij Sacramentum pertinent.

RELIGIOSAM animi præparationem requirit matrimonij ratio,& ſanctitas; quam cùm minùs intelligant laici homines,fit, vt ſæpè,grauiter in re peccent,quam ſanctè inire debent.

Crebrò igitur cùm vſu venerit,Parochus hoc ipſum populum doceat; ad idq; adhibeat Catechiſmi Romani locos, & doctrinam.

Epiſcopus diligenter perquirat, an in ſingulis ſuæ Ciuitatis, & diœceſis parochialibus eccleſijs Tridentini decreti de matrimonijs clandeſtinis promulgatio facta ſit; &, vbi factam eſſe intellexerit,eius,quæ primò in quacunque parochiali eccleſia facta ſit,ſi ſcripto teſtatum eſſe poteſt, exemplum,manu Notarij ſignatum,ad ſe deferri iubeat.

Quod ſi minus ſcripto, ſed ſolùm teſtibus probari poteſt,eo Notario adhibito,examinari mãdet. Si verò de promulgatione facilè conſtare nõ poteſt, aut illa omninò facta non eſt: illud decretum duorum menſium ſpatio in ſingulis eorum parochialibus eccleſijs, Notario, & teſtibus adhibitis,promulgari omninò iubeat:& quicquid ad illius decreti promulgati probationem pertineat, id Notarij teſtimonio munitum,in Epiſcopali Archiuio aſſeruetur.

Matrimonij denuntiationes in Poſterum à Parocho ne fiant,niſi ijs ipſis petentibus,aut conſentiẽtibus, de quorum matrimonio contrahendo agitur. Quòd ſi diuerſis in parochijs illi habitant, vtriuſque item Parochus hoc ipſum ſeruet.Neque matrimonium alter Parochus denuntiet,niſi ab altero Parocho certior factus ſit de poſtulatu, aut conſenſu illius,qui ſuæ eſt curæ ſubiectus.

Inueſtiget etiam ipſe Parochus diligenter,aut alius ſacerdos, cui facultas data eſt in matrimonium iungendi ſpõſos, an quo denunciaturus eſt matrimonium,in eo aliquod ſubſit impedimẽtum,quominùs contrahi liceat; quòd ſi in aliqua probabili coniectura extiterit,qua exiſtimet illud inire non licere; Epiſcopum antè conſulat, quàm vlteriùs in denuntiationibus progrediatur,ſpõſosve iungat,quos dubitat matrimonio non licere copulari.

Qui falſum aliquod impedimentum malitioſè attulerit, quo futurum legitimè matrimonium impediat, ſi

prudens

pr udens ſciensque hoc fecerit, præter alias iuris pœnas, excommunicationis etiam pœna afficiatur.

Ne parochus matrimonio quempiam iungat, qui illud clàm contrahere attentârit ſine Epiſcopi conceſſu; vt de eo debitas ante poſſit ſumere pœnas ex Cócilij Tridentini decreto: id autem, niſi delictum hoc ita eſt occultè admiſſum, vt nullum eius rei indicium legitimum extet.

Ne ſolemnes nuptias liceat celebrari, niſi poſt diluculum, poſtridie illius diei, qui poſtremus eſt tẽporis, quo Tridentina conſtitutione nuptiarum celebritas interdicta eſt.

Quo die de matrimonio contrahendo denuntiatio vltima facta eſt, ne eo ipſo die, niſi impetrata ab Epiſcopo facultate, illud celebretur; id autem præterquàm ſi poſtrema ea denuntiatio facta ſit pridie illius diei, quo initium eſt Quadrageſimæ, vel Aduentus; ac niſi item Parochus populo, antecedente denuntiatione, ſignificârit, eo die, quo poſtrema denuntiatio fiet, matrimonium eſſe contrahendum.

Matrimonium quod in eccleſia celebrari debere ſancitum eſt altera prouinciali ſynodo, in ea tantùm eccleſiæ celebretur, quæ parochialis eſt.

Celebretur verò manè non à prandio, idque omne, niſi cùm Epiſcopus alio vel loco, vel tempore fieri conceſſerit.

Si Parochus Sacerdotem alium coadiutorem habet, cuius etiam miniſterio, facultate eidem Sacerdoti conceſſa, vtitur ad matrimonia contrahenda inter parochiæ ſuæ incolas: is illam cautionem adhibeat, vt in libro, qui eſt de matrimonijs, illius nomen, & cognomen, tum præterea diem, & menſem, & annum notet, quo ille parochialis curæ ſocius, atque coadiutor adiunctus, facultatem à ſe, vel ab Epiſcopo cóſecutus eſt, matrimonia celebrandi. Ne autem matrimonij celebrandi poteſtatem Parochus faciat alij Sacerdoti, qui Epiſcopi iudicio nondum probatus eſt, vt Sacramenta miniſtret.

Ne patiatur Parochus, quempiam cuiuſuis gradus, & conditionis hominem, qui ſibi ignotus, in ſuam parochiam ab aliena diœceſi commigrat, cum muliere, quam ſecum coniugis nomine duxerit, in ea habitare, ſi modo vel ex infamia, vel alia legitima ſuſpicione conijcere poſſit, illam habere in concubinam: niſi Parochi, à cuius Parochia diſceſſit, literis, certo præſcripto tempore, teſtatum ille fecerit, ſibi illam legitimo matrimonio iunctam eſſe. Quod teſtimonij ſcriptum vbi attulerit, id in vrbe Epiſcopo, in diœceſi Vicario Foraneo exhibeat: qui ſi probandi vim illud habere perſpexerit, à Parocho, in cuius parochiæ fines is venit habitatum, illud, eiusve exemplum in matrimoniorum codice aſſeruari iubeat.

Si verò Vicarius Foraneus de eo ſcripto aliquid habet, quod ſibi difficultatem, ancipitemque deliberandi curam afferat; illud ad Epiſcopum quàm diligentiſſimè mittat, vt eius iudicio declaretur, an illi fides adhibenda ſit.

Sicut vberrimum ab optima inſtitutione præmium paterfamilias capiet, quicunq; liberos, familiamq; ſuã ad Dei cultum, & ad pietatis, Chriſtianarumq; virtutum diſciplinã erudierit: ita quicunq; debitum hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiſerit, is expectet, vt in die Domini ſibi duriſſimum iudicium fiat.

De familiæ igitur ſuæ ſalute in primis ſollicitus, tum bonorum operum exemplo, tum crebris cohortationibus ſe ei magiſtrum præbeat, ac ducem ad piè, ſancteq; agendum.

Curet autem, vt nemo quiſquam de familia ſua ſit, qui Chriſtianæ fidei rudimentis inſtructus nõ ſit, ſiue filij ſint, ſiue ſerui, & ancillæ, ſiue alij in famulatu ſuo. Quam ob cauſam ad illius ſcholas, quos de familia ſua rudes norit, conuenire iubeat; ſique eam ampliorem habet, domi etiam inſtrui ſtudeat. Idque ad præſcriptas interrogationes paruuli libri, eo nomen editi ad prouinciæ vſum.

Vt ſtata hora, datis inſtitutæ orationis communis ſignis campanarum ſono, illa omnis certo loco congregata, ad præſcriptum temporis ſpatium, ſanctè oret, & precetur.

Vt frequenter illa vniuerſa confiteatur, & ſacram Euchariſtiam ſumat.

Vt ſingulis diebus Miſſæ ſacrificio interſit; aut ſaltem in vigilijs, ſtatis ieiuniorum temporibus, Quadrageſimæ diebus id præſtet: feſtis autem diebus, vt ne quis de ſua familia intereſſe, vllo modo omittat.

Vt feſtis prætereà diebus ad ſacras conciones, lectiones, ſupplicationes, diuina officia, aliaſque pietatis Chriſtianæ exercitationes conueniat.

Vt ne quis, ijs ſacris diebus opus ſeruile faciat.

Vt vigilias, & quatuor temporum, & Quadrageſimæ, & alia ſtata ieiunia illi in familia ſeruẽt, quibus eccleſiæ pręcepto iuſſum eſt.

Quó autem tempore, vel iubilea celebrãtur, vel ſupplicationes publicæ proceſſionibus fiunt, familiam ſæpè moneant, illis ſanctis actionibus piè intereſſe.

Certis item piorum hominum inſtitutis ſodalitatibus vnumquemque de familia ſua adſcribi admoneat; quo ſe quiſque ardentiori ſtudio exerceat in operibus pietatis.

Ne patiatur in familia eſſe quempiam, qui blaſphemus ſit, qui periurus; qui item corruptis moribus vtatur, qui obſcœnè quicquam, vel loquatur, vel agat; qui aleis ludat, qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat. De vitæ prętereà ſpiritualis ratione, & pijs exercitationibus, aut de vitis Sanctorum probatos, Sacerdotis confeſſarij iudicio libros, in quorum lectione familia aliquando verſetur, domũ ſuam introducat, excluſis obſcœnè, turpiter, iocosè conſcriptis, alijſque id generis libris: vnde morum, inſtitutionisq; corruptela exiſtere poſſit.

Vt autem in domeſticę diſciplinę, inſtitutionisque officijs illa omnis accuratiùs ſe contineat; eam aliquando paterfamilias recognoſcat, inſpiciatq; in primis, quę vniuerſę ſuę domus Chriſtiana inſtitutio, qui ſingulorum mores, quæ ad pietatis, vitæq; ſpiritualis progreſſio.

Quicunque verò mercaturam, artemque aliquam exercent non domi ſolùm, ſed in ſuis officinis, & tabernis Chriſtianæ vitæ rationes has operarijs, inſtitoribusve ſuis conſtituant.

Has domeſticæ inſtitutionis regulas Parochus per annum aliquãdo, prout è re eſſe viderit, frequenti populo explicet: tùm ſępiſſimè, & publicis ſermonibus, & priuatis colloquijs, paterfamilias parochiæ ſuæ incolas, id moneat, atque hortetur, vt quæ eorum propria officia ſunt, & munera, in familiæ inſtitutione ea præſtare velint paternæ curæ ſtudio.

Quod cohortationis officium, etiam concionatores, & confeſſarij Sacerdotes quàm frequentiſſimè, prout opportunum eſſe cenſuerint, charitatis zelo præſtent.

Parochus prætereà, vbi aliquando in artificum, mercatorumve officinis, quę intra fines parochiæ ſuæ ſunt, ab operarijs, alijsve, qui illic artem exercent, aliquid committi intellexerit, quòd deprauatæ, diſſolutæque diſciplinæ ſit, quòd offenſionem in parochia præbeat, quodque à Chriſtianæ inſtitutionis morib⁹ alienum, id officinarum dominos admoneat, vt quicquid illis locis corruptelarum eſt, inde eripiatur.

Vna omnium optima indigentia noſtræ interpres, & conciliatrix eorum, quæ neceſſaria, tum ad animæ, tum ad corporis bona à Deo Patre expetũtur, eſt oratio ſancta. Cuius ſtudium, & proprium fidelium eſt, ſic neceſſarium, atque omninò iuſſu diuino debitum: id cœleſtis magiſter, Chriſtus Dominus exemplo docuit, vero præcepit, crebris cohortationibus monuit. Eo igitur ſtudio fideles quo vehementiùs exardeſcerent, ſe ſeque quotidiè ſinguli certa hora colligentes, id quod Chriſtianarum mentium eſt, vitæ à ſe illo die actæ rationes inſpicerent, malaq; actæ pœnitentes, ardenti oratione veniam præcarentur, & Deo gratias agerent de beneficijs, quæ acceperint, inſtituta eſt in hac prouincia orationis communis exercitatio: quæ ad Chriſtianæ pietatis progreſſionem introducta, vt & perpetuò conſeruetur, & augeatur item, id cum omni ſtudio Epiſcopus curet, tum propoſitis ſpiritualis gratiæ muneribus, Sedis Apoſtolicæ benignitate, eius rei cauſa conceſſis. Itaq; à Parochis ſuis ſingulis ſanctiſſimi D.N. Gregorij XIII. literas de indulgentia, huius prouinciæ hominibus conceſſa, qui in orationis communis inſtituto ſeſe exercuerint, ter in ſingulos annos de ſcripto, vel ſummatim pronunciari iubeat, ſemel ineunte Aduentu, iterum Dominico die Quadrageſimæ primo, tum ſolemni die Pentecoſtes.

Epiſcopus prætereà, pro temporum ratione certam ho-
m ſtatuat, qua, datis huius rei cauſa campanarum ſignis, pa
es familiàs, ſuæ quiſq; domi, vnà cum reliqua familia certo
co ad orandum conueniant. Vt autem, qui in eo precandi
ſtituto ſe exercuerint, Indulgentiæ conceſſæ donum con-
quantur, diem itidem Dominicum Quadrageſimæ, proxi-
è præcedentem, is conſtituat, quo illi confeſſi omnes ſi-
ul ſacram Euchariſtiam ſumant.

Imminentibus verò calamitatibus, quo tempore cùm ullum certius præſidiũ ſit, quàm illud, vt fideles ad Deum atrem miſericordiarum aſſiduis precibus confugiant, cer-am aliquam prætereà rationem is diligenter ineat, vt & à Clero, & populo ſine intermiſſione, ac religioſius in ora ionem incumbatur.

De ijs, quæ ad Epiſcopale forum pertinent.

EPISCOPVS anni ſpatio ad ſummum, fori ſui iudicijs, cauſis, & iudicijs, cauſis, & iudicibus, aduocatis, procuratoribus, notarijs, & miniſtris quibuſcunq;, etiam infirmis, quibus in rebus opus fuerit, certas cõſtituat leges, ad vrbis dioceſisq; ſuæ vſum accommodatas. Illisq; omnibus certam etiam taxam præſcribat, quá pro ſui, vel operis, vel laboris mercede, proq; cauſarum, & iudiciorũ ratione exigi ab vnoquoque liceat. Quæ fori præſcriptæ leges, atq; taxæ, in cancellaria publicè propoſitæ ſemper ſint, vt notæ ſint, & peruulgatæ omnibus.

Cauſæ, quæ decem aureorum nummum ſummam non excedunt, ſummariè, ſimpliciter, ac de plano, ſola rei veritate perſpecta, ſine forma iudicij cognoſcantur, id quod ab huius prouinciæ Epiſcopis agi licet ex facultate à Pio V. Pontifice Maximo, eiſdem Epiſcopis conceſſa.

Nullum neque munus, neque donum, neq; cuiuſuis generis xenia, ne eſculenta quidem, poculentave Vicarij ab ijs accipiant, qui coram eis cauſas vel habent, vel agunt. Ne pecuniæ item quicquam Ordinarius, Delegatusve iudex accipiat pro recognitione, aut, vt vocant, viſione ſcripturarum ad cauſas, quæ apud ſe aguntur, pertinentium.

Pro ſingulis literis dimiſſorij, quæ pro ſuſcipiendis pluribus, omnibusve minoribus, vel etiam maioribus ordinibus concedentur; itemq́ue pro ſingulis literis, quibus Notarius teſtatum faciat, plures, omnesve ordines alicui collatos eſſe, decimam partem aurei nummi tantùm ad ſummum à Cancellario accipi liceat; ac ſi eæ literæ de vno tantùm ordine ſuſcipiendo, vel ſuſcepto eſſent datæ. Idq́ue ſi modò nullum ei ſalarium pro officij ſui munere exercendo conſtitutum ſit: neq́ue ad Epiſcopum ex Notarij commodis aliquid emolumenti ex eiſdem ordinum collationibus, literisve dimiſſorijs, directè, vel indirectè peruenire poſſit: alio qui gratis omnia dentur, vt eſt Tridentino Concilio ſancitum.

Acta omnia Notarij in codicem, non in pagellas referãt, quamuis eas cordula inſigant; idq́ue prꝑſtent, menſe ſaltem, poſt quàm rogati illa confecerint.

Certus in Archiuio Epiſcopali locus conſtituatur; vbi cauſarum, ac iudiciorũ codices, inſtrumenta, acta, ſcriptave alia, à Cancellario, & Notarijs fori Epiſcopalis, ad ipſum forum pertinentia, ſingulis annis confecta, quotannis recondantur, ita vt inde, cùm vſu venerit, promi poſſit, quicquid in Eccleſiaſtico foro vnquàm agitatum erit.

Is certus Archiuij locus duabus clauibus claudatur; quarum vnam Epiſcopus, alteram eius Cancellarius habeat.

Notario autem inſtrumentorum, quæ confecit, exemplum, idq́ue ſumptibus ſuis habere, aut retinere liceat.

Si Cancellarius, Notariusve aliquis deceſſerit, vel ab officio ſe abdicârit, amotusve ſit, quæcunque ille, vel inſtrumenta, vel ſcripta, vel acta eiuſmodi confecit, ſtatim Epiſcopi iuſſu in eundem locum deferantur. Quòd ſi proceſſus alicuius cauſæ nondum ſit completus, & cauſam, ob quam confectus eſt, partes proſequantur, eius in Archiuium delatio differri poterit, quoad cauſa ſit peracta. Ex archiuij tabellis, exemplaribusve, ſi quæ vnquàm acta, aut inſtrumenta, quæ Notarij manu, ſignoq́ue munita, fidem faciant, exſcribi contigerit; is, qui rogatus Notarius illa confecit, ſi viuit, vt operis ſui emolumenta conſequatur, eorum exemplum, modò edi liceat, ipſe cõficiat, ſi præſens eſt: ſi verò abeſt, id ſeruetur, quod iure cautũ eſt: ſin autem obijt, id Epiſcopalis Cancellarius præſtet: mercedem autem inde capiãt notarij hæredes, niſi aliter in Epiſcopum, & notarios conueniatur.

Teſtium dicta, & atteſtationes, in cauſis ciuilibus ne ſcribantur ab alio, quàm ab ipſo cauſæ Notario, ſiue actuario, vel ab alio eius nomine. Quæ atteſtationes ipſi Notario cauſæ, ſiue actuario conſignentur, & aſſeruentur, vt poſt in Archiuio vnà cum toto proceſſu recondantur, vbi cuſtodiuntur aliorum actorum monimenta.

Idem decernitur de inſtrumentis, actisve dictæ cauſæ, quibus decretum iudicis, adſcribi contigerit.

In alijs verò omnibus, quibus auctoritas, decretumve Epiſcopi ſit interponendum, Cancellarius tantùm notarius adhibeatur.

Vicarius Foraneus, atque alij, quibus Epiſcopus, proceſſum aliquem, aliunde, ſeruata iuris formula, cognoſcẽdum, agendumve mandauerit, ſi in proceſſu conficiendo, Notarium non habent, quem adhibeant, duos ſibi morum, vitæq́ue integritate homines, qui acta conſcribant, ad prꝑſcriptã iuris formam aſciſcant. Ijsq́ue mercedis taxa maior ea ne ſit, quæ Notarijs fori præſcripta eſt, ſed aut æqualis, aut minor, pro illius loci ratione.

Procurator, qui cauſam iniquam in foro Eccleſiaſtico ſciens defenderit; quive quicquam negauerit, quòd verum ſcierit, fori Eccleſiaſtici auditorio adituve interdicatur, niſi is legitimè ſe purgârit. Qui prætereà in publico concubinatu aut adulterio viuunt, alijq́ue publicè criminoſi, à foro Epiſcopali ita arceantur, vt nec Notarij, nec Procuratoris, nec Aduocati officium, ne in vllo quidem cauſarum genere, gerant. Inferiores quoque miniſtri in Chriſtianæ vitæ officijs contineantur: curentq́ue Epiſcopi, vt à ganeis, à meretricibus, à ludo cuiuſuis generis, ab improbatis quæſtibus abſtineant; ne blaſphemi ſint, nec vitæ moribus reprehendendis. Si quos deliquiſſe, compertũ erit, in eos animaduertatur.

Quotannis fieri ſui tribunal Epiſcopus viſitet. Inquiratq́; an prꝑſcripta fori ratio, an prꝑfinita taxa ſeruetur: tùm prætereà, an ſi quæ corruptelæ, ſi quive abuſus irrepſerint, an ſi quid denique vel inſtitui, vel emendari, oporteat: idq́; ſollicitè in primis curet, vt eripiantur abuſus, tum reſtituantur quæcunq; ad rectam iudiciorum formam attinent.

Epiſcopus non ſolùm per certos homines, vt primum à nobis conſtitutum eſt, ſed etiam ipſe aliquãdo in anno carcerem viſitet: in eoq́ue incluſos paterna charitate conſoletur, pieq́; in Domino adhortetur.

Videat item, vt eis ad corporis ſuſtentationem, & ad iuſtum patrocinium non deſit quicquam; tum in primis nõ libri ſpiritualis lectio, non crebræ religioſorum hominum cohortationes, tum ne denique aliquid ad animæ ſalutem.

Curet etiam, vt, qui in liberiori cuſtodia ſunt, feſtis ſaltem, & Dominicis diebus Miſſæ ſacrum audiant, aliquo, vbi fieri poteſt, exꝑdificato prope carcerem ſacello, tum doctrinæ Chriſtianæ rudimentis inſtituantur. Idq́ue officium ijs prætereà præſtetur, qui in laicalis fori liberiori carcere ſunt.

Vt omnes in Paſcha confeſſi ſacram Euchariſtiam piè, & ſalutariter ſumant. Quod vt die Natali Domini, & alijs anniuerſarijs redemptionis noſtræ ſolennitatibus, indictisq́ue publicè Iubileis, ac Indulgentijs, faciant, eoſdem cohortetur.

Pupillorum, Viduarum, & egentium hominum cura, Epiſcopo, communi omnium parenti, ſacroſanctis Canonum legibus potiſſimùm commendata, & commiſſa, negligi non debet: ne ſi lædantur, vociferentur, ad Dominum, qui exaudiet clamorem eorum. quamobrem pro ſui muneris officio Epiſcopus aliquem conſtituat Eccleſiaſticum, vel alium pium hominem, Chriſtianæ charitatis operibus, atque officijs deditum, qui miſericordiæ viſcera indutus, id generis hominum patrociniũ in omni cauſa ſucipiat. Quòd

ſi ali-

ſi aliqui iam huic pio operi præfecti ſint, id agat Epiſcopus, vt ij munus ſibi creditum exequantur quàm diligentiſſimè.

Epiſcopus in vrbe ſua viros aliquos, auctoritate præſtantes, ſpiritualis vitæ ſtudioſos deligat, quorum adiumento, & opera vti poſſit, & in ijs cognoſcendis, quæ ad Ciuitatis, diœceſiſque ſuæ morum inſtitutionem pertinent, & in adiuuandis Chriſtianarum virtutum exercitationibus, & in alijs denique, quibus populi ſibi commiſſi progreſſio fiat ad ſanctè agendi ſtudium.

Summorum Pontificum conſtitutionibus promulgandis hæc ratio ſeruetur, vt, ſi earum peruulgationi præfinitus in illis eſt modus, is adhibeatur; ſi verò nullus, ad peruulgationem ſatis ſit affixio, quæ, vt moris eſt, fiat certis publicis locis.

Cuius affixionis, & peruulgationis relatio, teſtificatioq; ab eo, qui affixerit, fiat Cancellario fori Epiſcopalis, cuius ſit illam in librum referre.

Epiſcopus, id quod vel ab initio naſcentis eccleſiæ inſtitutum fuit, vt rerum Epiſcopali ſtudio curaque geſtarum monimenta exiſterent, conquiri diligentiſſimè curet, tum ſingulorum Epiſcoporum, qui præceſſerunt, nomina, genus, & paſtorales eorundem actiones. Quæ omnia literis conſignari, ordineque conſcripta, in librum certum referri curet, vt eorum memoria conſeruetur, quæ ab iiſdem, vel acta, vel inſtituta ſunt ad aliquã eccleſiaſticæ diſciplinæ normam perpetuò vſui eſſe poſſint, atque adiumento in illa eccleſia benè gerenda.

QVAEDAM, QVAE AD SODALITATES pertinent.

MVLTA mala exiſtunt ex prætermiſſo, & valdè his temporibus neglecto, fraternæ correctionis officio debito, ac neceſſario, quamobrem curent Epiſcopi, in ſua quiſq; non ſolùm vrbe, ſed in diœceſi etiam, aliquam hominum, qui moribus, vitęque innocentia grauiores ſint, ſodalitatem conſtituere, quæ in hoc fraternæ correctionis officium Chriſtiana charitate incumbat: aut hoc ipſum officij munus alteri ſodalitati adſcribi ſtudeant, quæ id rectè præſtare poſſit.

Cui Sodalitati certas fraternæ corrigẽdi regulas præſcribant, ſtudio, & opera probatorum Theologorum.

Quo maior indies ad Chriſtianæ pietatis ſtudium progreſſus ſit fidelium; id curet Epiſcopus, vt cùm diſciplinatorum pœnitentiumq; ſodalitates, aliaſque eiuſmodi frequentes inſtituat; tum inſtitutas omni paſtorali ſtudio adiuuet, & ad conſeruandas illas diſciplinæ, ac pœnitentiæ rationes, & ad alias excitandas ſpiritualium virtutum progreſſiones. Id quo facilius fiat, ardentioriq; ſtudio, quotannis aliquando, prout è re eſſe viderit, literas promulgari iubeat, quibus ſanctiſſ. D.N. Gregorius XIII. præclarũ ſpiritualis Indulgentiæ donum liberaliter in domino illis conceſſit, qui ijs ſodalitatibus adſcripti, ſibi flagella, diſciplinamq; certis ſtatutis diebus adhibuerint.

Præſcribat item diem certum, quo in ſingulos annos iſtarum ſodalitatum homines, qui in vrbe ſunt, vno loco omnes; qui in diœceſi, omnes item ſuo quique in Oppido, locove in vnum conuenientes, primum contriti, & confeſſi ſacram Euchariſtiam ſumant; tum ſolennem proceſſionem agant, perpetua grataq; memoria proſequentes conceſſi ſibi ſpiritualis doni, gratiam.

Quædam, quæ ad Moniales, & alios regulares pertinent.

QVOD Sanctiſſimus D.N. Gregorius XIII. de monialibus ſanciuit; id Epiſcopus exequatur quàm diligentiſſimè: præſertim quod de certo earum numero conſtituendo decreuit, quod de eleemoſynis præſtandis, quod de oſtiolo obſtruẽdo, quo aditus è monaſterio patet ad exteriorem Eccleſiam, quod de clauſura ab eiſdem non violanda, & à conuerſis etiam ſeruanda, præſcripſit.

Idque omne efficiat omninò, vt exequutionem habeat, cùm in Monaſterijs, quorum curam gerit, tum in illis Regularium curationi commiſſis, idque eiuſdem conſtitutionis auctoritate.

Si quæ autem Moniales, conuerſæve non ijs paruerint, quæ eadem ſanctione de clauſura ſtatuta pœna violatę clauſuræ plectantur.

Quæ monialiũ Monaſteria, extra vrbis, aut oppidi mœnia ſita, Epiſcopus Tridentini decreti auctoritate, in vrbem, vel oppida, quæ frequentiora, & tuta ſint, transferri oportere, at expedire cenſuerit: ne ea in eccleſias ſeculares transferat, vbi animarum cura geritur.

Puellæ, quæ regularem habitum induere voluerint, vt eo habitu induantur, antequàm confirmationis Sacramentum ſuſceperint; ſi facultas ſit breui illud ſuſcipiendi.

Qui ordinarius confeſſor, in aliquo monialium Monaſterio conſtitutus aliquando fuerit, ne idem ad earum confeſſiones extraordinariè audiendas mittatur; ſi modò non aliter quandoque Epiſcopus cenſuerit.

Confeſſarij monialium ab eis, aut ſingulis, aut vniuerſis, aut ab earum Præfecta, ne Monaſterij quidem nomine, quidquam, etiam minimum, dono accipiãt; niſi quid eis annuæ certæ portionis Epiſcopi iuſſu datur, ad vitæ ſuſtentationem.

Conſtitutio illa, qua à Pio Quinto, ſummo Pontifice, interdictum eſt omnes cuiuſuis ordinis mulieres, etiam generis ſplendore, aut dignitate illuſtres, monaſteria ingredi, quotannis ſemel, atque adeò ſæpiùs, certis feſtis diebus, arbitrio Epiſcopi promulgetur.

Quæ generatim ad hæc decreta, & ad alia pertinent.

QVAECVNQVE vel ad Cleri, vel ad populi conformandos mores, ad eccleſiaſticamque omnem diſciplinam retinendã prouincialibus, aut diœceſanis ſynodis à nobis, aut à Coepiſcopis noſtris ſancita ſunt, ex illis eo vberior, Deo iuuante, fructus exiſtet, quo ſæpiùs vel promulgatione, vel certè lectionis ſtudio inculcata, ijs notiora fient, à quibus illa, & ſciri, & animo comprehendi, req; ipſa præſtari oportet.

Epiſcopus igitur, pręter alia, quæ hoc de genere aliàs decreta ſunt, & Canonicis, & Parochis, & reliquis Clericis certum tempus ſtatuat, quo omnia, quæcunque ijs prouincialibus diœceſaniſque decretis de is conſtituta ſunt, illis legantur; ita vt quæ decretorum partes ad canonicalem diſciplinam pertinent, Canonici; & quæ cauſa ſua conſtitutiones latæ ſunt, Parochi & Clerici itidem, & ij omnes, quæ ad vniuerſum Clerum ſpectant, illas, lectione repetita, animo comprehendentes, præſcriptas munerum ſuorum partes ſinguli ſtudioſiùs exequantur. Si quis autem eorum aliquando Epiſcopi iuſſu interrogatus, illas per negligentiam, aliamve culpam ignorârit, pro eius culpæ, & perſonæ ratione illum Epiſcopus corripiat, aut aliàs prætereà cum eodem agat. In Seminario quoque itidem ſeruetur; vt earum vel inſtitutis, vel monitis, vel præceptis Clerici informentur.

Quæ verò decretorũ partes ad Laicos attinent, illas ſummatim vulgari ſermone expreſſas, & certas anni temporib. diſtributas, prout vſu venerit, à Parochis denunciari iubeat: quo ſæpiùs inculcata, ſeruentur diligentiùs.

Quibus Prouincialium noſtrorum Conciliorum eſt aliquis adſcriptus dies, quo vel ſummorum Pontificum ſanctiones, vel Tridentinas, prouincialesve cõſtitutiones promulgari iuſſum eſt; illis decretis certum præſcriptum diem ad eam promulgationem mutari ab Epiſcopo liceat, certumq; alium conſtitui: quo die, ſingulis annis in ſua diœceſi id opportunus præſtari poſſe cenſeat.

Quibus in decretis mulctæ ijs nominatim conſtitutæ ſunt, qui dignitates aut canonicatus obtinent, nec certis locis attributæ, vſui Sacriſtiæ, aut Fabricæ illorum eccleſiæ ab Epiſcopo attribuantur. Neque verò eas ad alium vſum conuerti, neque eaſdem remitti, nec prætereà de ijs ipſis, etiam ab vniuerſo Capitulo tranſigi liceat, niſi Epiſcopi auctoritate.

Quod de ſacramentorum adminiſtratione, Miſſæ celebratione, diuinorumque officiorum modo, & ratione, in

hac ſynodo decreuimus; id neque ad Mediolanenſem eccleſiam, quæ ſancti Ambroſij præſcripto,& inſtituto, proprios ritus,& cæremonias habet,neque ad cæteras, quæcunque eodem iure, ac modo ex antiquiſſimo tempore ſacra facere conſueuerunt, in ijs, quæ eius inſtitutis, ritibus, & cærimonijs expreſſè aduerſantur, pertinere volumus. Cæteris verò,& Mediolanenſis eccleſia,& quæ eiuſdem ritibus vtuntur,æquè teneãtur,ac aliæ,quæ in prouincia noſtra ſunt eccleſiæ.

Si in his decretis, ante alteram Mediolanenſis prouinciæ ſynodum vlla difficultas orta erit, & eius, & omnium, quæ eiſdem decretis continentur interpretationem, & explicationem nobis reſeruamus, ſalua ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

Quamcunque facultatem, ex decretis in hac tertia prouinciali ſynodo Mediolanenſi à nobis editis,habent Epiſcopi;eam ipſos per ſuos Vicarios generales exequi poſſe volumus;niſi in ijs quæ propriè ad ordinem Epiſcopalem pertineant;aut in quibus Vicarij à ſacris canonibus, aut à Concilio Tridentino,vel à nobis expreſſè excluſi ſunt.

Vt nemini eorum, quæ in hac tertia prouinciali noſtra ſynodo à nobis decreta ſunt, ignorantiam excuſare liceat; edicimus, vt ex quo primùm die edita,in valuis Metropolitanæ eccleſiæ propoſita fuerint, ad duos menſes omnes ſe, & his decretis, & ſi contra fecerit,pœnis, quæ eis continentur,teneri intelligant. Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporum initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari iubemus.

Vnuſquiſque prætereà Epiſcopus ea omnia, & ſingula in proxima diœceſana ſynodo legi,ac recitari iubebit. Et ſi ita expedire cenſuerit,ſuæ quoque Cathedralis eccleſię valuis proponi: quo ſtudioſius omnium animis eorum præcepta fixa inhæreant.

Singulæ etiam Cathedralis,& Collegiatæ,& parochiales eccleſiæ huius prouinciæ, has noſtras conſtitutiones certo aliquo loco collocatas,perpetuò aſſeruent.

Omnia,& ſingula, quæ à nobis in hac tertia prouinciali ſynodo decreta, actaq; ſunt,qua debemus obedientia,ac reuerentia, auctoritati, ac iudicio ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum,Matris,& magiſtræ ſemper emendanda,& corrigenda ſubijcimus.

Quia nonnulla à ſummo Romano Pontifice, & publicæ totius prouinciæ Mediolanenſis, & priuatæ ſingularum eccleſiarum vtilitatis cauſa petenda ſunt; decernimus, vt quicquid ab eius Sanctitate communibus noſtris,&,qui adſunt,Coepiſcoporum literis poſtulabitur, id huius ſynodi nomine, & auctoritate ita factum intelligatur, perinde ac ſi in ſeſſione publicè poſtulatum eſſet.

INDICTIO FVTVRI CONCILII Prouincialis quarti.

Carolus,miſeratione diuina Tit.S.Praxedis S.R.E.Preſbyter Cardinalis,Borrhomæus nuncupatus,ſanctæque Mediolan.Eccleſiæ Archiepiſcopus.

Omnibus & ſingulis Reuerendiſſimis dominis Epiſcopis, qui hic adſunt, & Synodo Prouinciali Mediolanenſi, quacunque ratione intereſſe debent, omnibuſque item Capitulis, & Eccleſiarum Cathedralium Procuratoribus, qui præſentes interſunt, indicimus, ſignificamus, denunciamus, & intimamus proximam ſequentem ſynodum Prouincialem Mediolaneſem quartam, Deo omnipotente auctore, & ad eius laudem hac eadem in vrbe, hoc ipſo loco, Anno 1576. die decimo menſis Maij, qui dies erit feria quinta Dominicæ ſecũdæ poſt Reſurrectionem D.N. Ieſu Chriſti,inchoandam,& celebrandam eſſe.

Quamobrem eos omnes, & ſingulos Reuerend. dominos Epiſcopos,qui hic præſentes adſunt, monemus, Procuratores verò Eccleſiarum Cathedralium inuitamus, vt eo die ad ſynodum prouincialem quartam, iuuante Deo, Mediolani celebrandam,conſtituto,hic omninò interſint; niſi diem celebrationis ipſius ſynodi aliqua ex cauſa à nobis prorogatum fuiſſe noſtris ad eos datis literis intellexerint. Quòd ſi ipſorum Reuerendiſſimorum Epiſcoporum noſtrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimento, nuntium ad ſe excuſandum, atque ad id impedimẽtum probandum ad nos mittat, cui etiam facultas ab ipſo detur, ea omnia,& ſingula nomine ſuo,& eccleſiæ ſuæ recipiẽdi,quæ Spiritu ſancto duce,in ipſa ſynodo à nobis de Concilio, & aſſenſu Reuerẽdiſſimorum Epiſcoporum noſtrorum decernentur aut conſtituentur.

LAVS DEO.

CONCILIVM PROVINCIALE MEDIOLANENSE IIII. Quod CAROLVS S.R.E. CARDINALIS Tit.S.Praxedis Archiepiſcopus Habuit An. à Chr. Nat. M.D.LXXIII. Gregorio XIII. Pont.

Edictum de Concilio Prouinciali. IIII.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris,& Filij,& Spiritus ſancti, Amen.

CAROLVS S. R. E. TIT. S. PRAXEDIS Presbyter Cardinalis,Dei,& Apoſtolicæ Sedis gratia,Archiepiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis,Vniuerſis Prouinciæ noſtræ Chriſti fidelibus Salutem in Domino.

PRo Archiepiſcopalis officij noſtri ratione, quæ progreſsionibus ſuis tota ad optimam Paſtoralis muneris curã ſpectare debet, nos in ſynodo prouinciali tertia, quam ex præſcripto Tridentino, anno M. D. LXXIII. habuimus; decreto edito, Concilium prouinciale quartum indiximus, quod hoc anno, die decimo menſis Maij, auxiliante Dei miſericordia,celebraturi ſumus. Vt autem omnibus,atque ſingulis,quibuſcumque,qui iure, aut conſuetudine,aut priuilegio, aut alia quauis ratione Concilijs prouincialibus noſtris intereſſe poſſunt, vel debent, hæc Synodi quartæ prouincialis indictio,planè nota,atque euulgata ſit; neve cuiquam vel rei ignorantia ad excuſationem vti, vel ſe contemptum, neglectumve eſſe dicere liceat; ijs ipſis vniuerſis,& ſingulis,ac cæteris item,qui ſua intereſſe quauis ratione putãrint,hoc edicto publicè propoſito, eandem quartam prouincialem Synodum, in ſuperiori illo prouinciali tertio Concilio iam,decreto promulgato,indictam, ſignificamus,indicimus,ac denunciamus.

Quamobrem cùm vniuerſos,& ſingulos Reuerendiſſimos Epiſcopos prouinciæ noſtræ, tum cæteros quoſuis omnes, qui, vt ſuprà, in Synodo Prouinciali Mediolanenſi, quacunque ratione intereſſe debent, præter illud indictionis decretum, & literas nominatim, ſigillatimque eiſdem Reuerendiſſimis Epiſcopis; per nos ſcriptas,hoc etiam edicto illud monemus,vt eo ipſo,à nobis præſcripto,& conſtituto,decimo menſis Maij, proximè ſequentis die, Mediolanum in Eccleſiam noſtram Metropolitanam conueniant; & in Concilio, quod illo ipſo die, ſummo mane, iuuante Domino inchoabimus,præſentes ipſi adſint; pœnis & cenſuris propoſitis,Canonum iure ſancitis.

Curent verò ſinguli prouinciales noſtri Epiſcopi, vt, quod Concilio prouinciali ſecundo ſancitum eſt, cùm primum edictum hoc acceperint,in omnibus & vrbis, & diœceſis ſuæ eccleſijs parochialibus, quinta quaque feria,in ſingulas hebdomadas, quoad Concilium de more dimiſſum, atque

atque abſolutum erit, Miſſæ Sacrum, de Spirituſancto, fiat: in Cathedrali autem, & Collegiatis Eccleſijs, proceſſionum præterea munus, ſingulis diebus Dominicis, intus obeatur; ex animoq́ue preces fiant, quibus à Deo, totius conſolationis, & miſericordiarum patre, nobis, tam ſalutare negotium tractantibus, Spiritus ſancti lumen imploretur.

Sciant præterea vniuerſi, & ſinguli prouinciæ noſtræ Chriſti fideles, conciliarem hanc actionem, à nobis indictam, præcipuum quoddam charitatis, & pietatis ſtudium ab ijs ipſis poſtulare; cùm illa omnis eo ſpectet, vt per nos, illorum greſſus dirigantur in viam ſalutis. Quare paterna cohortatione eos vehementer in Domino admonemus, vt & ſua, & noſtra cauſa, orationis, precumq́ue ſtudium, vna nobiſcum adhibeant: dieq́ue Dominico, Concilium id prouinciale proximè præcedente, qui dies ſextus Maij erit, primum verè pœnitentes, & confeſſi, ſacram communionem ſumant; hoc piè precantes, vt adiutrice Dei gratia, nos ea, quæ ad noſtram, ſuamq́ue ſalutem pertinent, diligenter, ſanctaq́ue ſollicitudine agamus. In quarum rerum fidem, hoc edictum confici, auctoritateq́ue noſtra imprimi, & ſancti Ambroſij ſigillo Archiepiſcopali noſtro muniri, tum noſtra etiam manu ſignatum, in vulgus publicè proponi, eidemq́ue à Synodali Secretario noſtro ſubſcribi voluimus. Datum Mediolani, in ædibus noſtris Archiepiſcopalibus, Calendis Martij. 1576.

ORATIO CAROLI CARDINALIS tit. S. Praxedis, & Archiepiſcopi, habita in Prouinciali Concilio IV.

QVOVSQVE tandem Concilia prouincialia, toties conuocata? quorſum & tot conſtitutiones, & tot decretorum vincula? Vulgaris vox, Patres ſanctiſſimi, ac ſicut ne tacita quidem cogitatione religioſa mentis digna, longeq́ à ſenſu Epiſcopalis veſtri animi aliena, ita hominũ, vel impiorum eſt, Eccleſiam Dei oppugnantium, vel Chriſtianorum, Chriſtianam diſciplinam abhorrentium, vel imperitorum, planeq́ neſcientium, quantas vires habeat frequens Synodorum actio, atque vſus, vel illorum ſanè, qui anguſto paruoq́ animo metiuntur. Porrò nobis, Patres, eſt illud certum, atq́ exploratum, hominem diuina lege, quaſi ſepimento vallatum, vt eſt is tum ſumma naturæ imbecillitate, tum immenſa cupiditate, ſæpe labi, ſæpeq́ ab officij ſemita deflectere; proinde plurimis & Cõcilijs, & inſtitutis, & decretis opus eſſe; quibus, quaſi ſanctiſſimis vinculis, ille adſtrictus, à recto curſu non declinet: aut aliquando digreſſus, ijſdem adiutus in viam ſalutis redeat. Et, quod caput eſt, vt ſalutaris huius Cõciliorum inſtituti auctor eſt cæleſtis magiſter Chriſtus Dominus; ſic Apoſtoli eo ſæpiſſime vſi, lege etiam ſanxerunt, vt bis in annos ſingulos concilia ab Epiſcopis haberentur. Quod deinceps & innumerabilibus ſummorum pontificum ſanctionibus, & Conciliorum tum œcumenicorum, tum prouincialium decretis communitum, & frequenti Eccleſiæ vſu conſuetudineq́ diu retentum, eiuſmodi fuit; quo aditus patefactus eſt, non modo ad tradendam, verum etiam ad perpetuo colẽdam, perpetuiſq́ progreſſionibus augendam omnem Eccleſiaſticæ diſciplinæ rationem. At vero, vbi id aliquando intermiſſum, aut plane omiſſum eſt, vix dici poteſt, quot, quamq́ graues calamitates rei publicæ Chriſtianæ importatæ ſint. Prope perierat Chriſtianæ vitæ inſtitutio, conciderat penè rerum ſalutarium vſus nulla ferè cleri diſciplina, quaſiq́ nullum populi in charitatis officijs ſtudium, prolapſus denique miſerabilem in modum erat totus ille, ab Euangelij luce dimanans, Chriſtianarum virtutum ornatus. Quid? ij, qui alios in officio continere debebant, maximè ipſi à muneris debiti cura deflexerant. Atqui hæc vel vna ſolum recordatio ſatis nos commonet, atque adeo commouet, vt in tuendo ſynodalium, Epiſcopaliumq́ conuentuum vſu, tantum pietatis, conſtantiæq́ diligentiæ ponamus, quantum ſanè voluntatis, & conſilij, ad prodendum poſteris optimum inſtitutum, ſanctiſſimi illi viri adhibuerũt. Sacra præterea œcumenica Tridentina ſynodus, ſalutare illud inſtitutum ſalutariter ita renouauit, vt, ſi minus bis, aut ſemel ſaltem ſingulis annis, quemadmodũ illi cenſuerunt, at certè tertio quoque anno prouinciales ſynodos & conuocari, & celebrari decreuerit. Id ſanè vero nos benè, iuuante Deo, cum ſemel, iterum, ac tertio executi ſimus, eſt etiam cur idem perpetuo præſtemus. Multa, Patres, noſtris ſuperioribus Cõcilijs deſunt, ad perfectam illam, quam magnopere expetere debemus, populi Chriſtiani diſciplinam: alia item in eiſdem decreta ſunt, quæ communiri oportet: alioquin operis, à nobis inchoati, iacta fundamenta, breui corruerent: alia item abhinc triennio ſuborta eſſe poſſunt corruptelarum ſemina, quæ noſtra cultura conuellenda ſunt, tum vitiorum ſpinæ ſuccreſcentes amputandæ. Hæc tria propoſita quidem nobis eſſe debent: ſed illud etiam profecto eſt, ad quod cũ ſemper, tum maximè in hac quarta prouinciali ſynodo, omnes cogitationes, conſilia, ſtudia, conatuſq́ noſtros dirigi admodum cupimus, & à vobis, totis in Chriſto viſceribus, expetimus; vt decretis, iam ſancitis, quæ adhuc executionis operam à nobis poſtulant, omninò exequendis, certam, explicatamq́ rationem ineamus. Quare cum Tridentinas ſanctiones, tum ſuperiorum Conciliorum conſtitutiones in conſpectu, tanquam in ſpeculo quodam habentes, diligenter videamus, quæ in executionis munere officia noſtra prætermiſſa, quæ ita nõ præſtita ſint, vt ſane debebamus, pro gloria Dei, proq́ populi, nobis commiſſi, ſalute. Iam modo eſt, Patres, vt hoc ipſo loco, tanquam in auguſtiſſimo theatro, ſpectemus illas muneris noſtri partes, quas clero, quas populo, quas Eccleſiis fidei noſtræ commiſſis religioſa ſollicitudine debemus. Hoc autem cum ſemper nobis ob oculos verſari debet, tum certa illa, in noſtris, & cleri, & populi moribus ſanctè conformandis deliberatio, quam ſalutaris Conciliorum actio depoſcit, perpetuò à nobis afferenda eſt; maximeq́ hoc ipſo tempore, tempore autem iubilæi, acceptabili, & hac die ſalutis, quam fecit Dominus. Iam populi, cæleſti eo dono excitati, in officijs atque exercitationibus pietatis religioſius verſantur; certatimq́ Chriſtianis virtutibus operam dant: quinimo, qui in inueterata quadam peccandi conſuetudine obdurauerant, ſuſcepta aliqua vitæ emendatione, animum, penè in male agendo obfirmatum, ad chriſtianarũ virtutum ſtudiũ flexerunt. Ergo quid nobis, qui populorũ patres, qui medici animarũ ſaluti proſpicere debemus, in hac ardẽtiſſima, piaq́ omnium voluntate agendum erit? an non in omnes Epiſcopalis officij partes nos excitabimus? an diligentiam noſtrã acuemus? an in ſpiritualis vitæ diſciplina in dies augenda, inuigilabimus? certè quidem. Hoc ipſum ſanè non modo poſtulare, ſed flagitare videtur expectatio populorum: qui in fide, curaq́ noſtra conquieſcentes, ex noſtris his Epiſcopalibus conuentibus, ſalutare adiumentum ſe cõſecuturos eſſe ſperant, & confidunt quidem certè. quid eorũ preces? quid oratio? quid frequentior concurſus loquitur? quæ mens? qui ſenſus? quæ cogitatio illorum? Hic, patres ſanctiſſimi, ante oculos ponite ingentem huius prouinciæ hominum multitudinem, ſuæ ſalutis ſtudio flagrantem, noſtriſq́ monitis vehementius excitatam, tum ſuperioribus diebus, tum hoc potiſſimum tempore, quo in hac ſalutari Conciliarium rerũ tractatione nos cauſa ſua verſamur, vbique & in vrbibus, & in oppidis; & in ipſis vicis frequentiſſimam, pietatis exercitationibus deditam. Videte ſacerdotes pro nobis ad altaria ſupplices: videte vniuerſum penè populum, piè deprecantem: videte virgines, & viduas, demiſſè, ac religioſè orãtes: videte innumerabiles homines; ſacram communionem ſumentes; & alios profuſis lachrymis, pio gemitu, iteratiſq́ vocibus, Dei miſericordiam, ſanctorumq́ patrocinia implorantes. Conſiderate animo hanc vnam omnium obſecrationem, atque orationem, ſumma tacitæ mentis contentione ad cælos vſque emiſſam. Quouſque tandem, Pater cæleſtis, parturimus; neque adhuc tamen parimus? cogitata optima concipimus; at factis non exprimimus. Tu Domine ad rectè agendum nos vocas, atque excitas; at langueſcimus: præclarè aliquando inchoamus; at non perficimus: cæleſtes illas coronas, gloriamq́ ſempiternam expetimus; at labores, crucemq́ refugimus. Quo tandẽ tempore ſeriò agemus? quando verè adiuti, curſum vitæ rectè tenebimus? Reſpice ſumme pater, nos oues paſcuæ tuæ, non auro, argento, ſed pretioſo ſanguine filij tui redemptas. Tu nos tanquam pretioſum depoſitum, horum curæ, fideiq́ commiſiſti; tu hos nobis duces, magiſtros, medicos, paſtores, patres conſtituiſti; ac proinde illis, eorumq́ dictis audientes nos eſſe iuſſiſti: tu rurſus, illos, vtpote de animabus noſtris rationem aliquando reddituros, pro nobis inuigilare voluiſti: da, quæſumus, illis iã cauſa noſtra in Concilio congreſſis, de ſalute noſtra ſollicitis, remq́ noſtram agentibus, vt vnum ſpectent; non ſua, ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt, quærant; ac ſua & noſtræ ſaluti ſeruiant; præfer lumen mentibus eorum; ac dirige voluntates

ad ſalutaria conſilia ſuſcipienda, & ad dandam nobis plebi tuæ,
entiam ſalutis, & ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Sicq;
ſanctè agendo, & nos eiſdem obediendo, omnes ad cæleſtem pa-
iam, ad quā vocati ſumus, adiutrice tua gratia perueniamus. Hæc,
tres, populi, fidei noſtræ commiſſi, à Deo ſupplices petunt: hæc eadē
rſus nobis proponamus, hæc aſſidua, paternaq; ſollicitudine medite-
ur, atque procuremus. Hæ ſunt animæ, quarū ſalutem Deus vt pro-
raret, non Angelum, non Archangelum, ſed vnicum filium Chriſtū
ſum miſit: qui hinc in cælum abiens, quam diligentiſſimè earum cu-
m Beato Petro, commendauit his, tertio repetitis, verbis: Simon Io-
nis, diligis me plus his? paſce oues meas. Quæ verborū formula eti-
m vnicuique noſtrum, qui in ſollicitudinis partem vocati ſumus, op-
mam paſcendi rationem præſcripſit, & charitatem maximè, mu-
eris noſtri magiſtram, docuit: quam populis, in curam noſtram tra-
itis, & frequenti verbi Dei prædicatione, & ſalutari ſacramento-
um adminiſtratione, & vitæ ſanctiſſimæ exemplis, & Epiſcopali ele-
moſynarum liberalitate, & ſollicita oratione, & Miſſæ ſacri crebra
blatione, & diuinorum officiorum cultu, & precibus aſſiduis, & pa-
ernis monitis, & paſtoralibus correctionibus, & cōciliaribus ſanctio-
ibus, & omni denique officio, curaq; per eum per nos præſtari voluit.
idete igitur, Patres, curam, ſollicitudinem, & vigilantiam noſtrā;
quæ in grege tanta adhibenda eſt, quantam ſane maximam charita-
em Chriſto deberi, omnes profitemur. Si diligis me, inquit, paſce oues
neas. Hoc ſanè illuſtrius veræ erga illum dilectionis teſtimonium da-
ur, quo maius in omni gregis paſcendi ratione ſtudium, operaq; col-
ocatur. Certè ſi Chriſtū, vt debemus, diligimus; ſi Chriſti gloriæ ſer-
imus, ſi Chriſti regni propagationē cupimus, ſi Chriſto gratificari vo-
umus, id præſtantiſſima erga gregē, nobis cōmiſſum, charitate, nō de-
clarare ſolū, ſed factis cōprobare nos oportet. Id ſanè præſtabimus,
Patres, ſi non laboribus deterriti, non difficultatibus labefactati, non
Sathanæ aduerſarij colluctatione fracti, ab inſtituti operis curſu nun-
quam deſiſtemus: ſed diuini amoris igne accenſi, omni virtutum Epi-
ſcopalium ſtudio, eo cùm ſemper tum in conciliaribus actionibus pro-
gredi contendemus, vt populum, nobis commiſſum, & purgemus, & il-
luſtremus, & perficiamus; hisq; perpetuis progreſſionum laboribus in-
troducamus in tabernacula cæleſtia: idq; munere, & gratia Chriſti
Domini: cui gloria ſempiternis ætatum ſæculis. Amen.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE Trinitatis,

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS Sancti, Amen.

NOs Carolus, S.R.E. Titu. Sanctæ Praxedis Preſbyter Cardinalis, Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Mediolani, ad Dei omnipotentis, Beatæque Mariæ, ſemper Virginis, ac S. Ambroſij confeſſoris, patroni noſtri, laudem, hæc pro Chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua clerum, populumq; fidei noſtræ cōcreditū, prælucere, totis in Chriſto viſcerib. expetimus, de Cōſilio, & aſſenſu Reuerendiſſimorum DD. Coepiſcoporū noſtrorū, in Concilio Prouinciali Mediolanenſi quinto decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.

De profeſſione Fidei.

QVOD ex Pij IV. Pont. Max. ſanctione, in primo, & tertio Cōcilio prouinciali noſtro, de ijs, qui fidei profeſſionem facere debent, deq; illorum ipſorū vita & moribus, ante inquirendis, & probandis, decretum eſt: id Epiſcopus omninò efficiat, vt præſtetur: tum compellat præterea ad idem omnes, ac ſingulos, ſicut etiam à ſancta ſede Apoſtolica declaratum eſt, quicunque arithmeticam, & muſicā, vel artes cuiuſuis generis liberales profitentur.

Formula vero, ad cuius præſcriptum fidei profeſſionē præſtari oportet, pontificia illa ſanctione conceptis verbis tradita, hæc ſane eſt.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnū Deum patrem omnipotentem, factorē cæli, & terræ, viſibiliū omnium & inuiſibilium; & in vnum Dñm Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitū, & ex patre natum ante omnia ſęcula, Deū de Deo, lumen de lumine, Deum verū de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quē omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & propter noſtrā ſalutem deſcēdit de cælis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt; crucifixus etiā pro nobis ſub Pōtio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundū ſcripturas, & aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram patris; & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominū, & viuificantem, qui ex Patre filioque procedit; qui cum patre, & filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui locutus eſt per Prophetas: Et vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionē peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & Conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector.

Item ſacram ſcripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarū ſcripturarum, admitto; nec eam vnquam niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè ſacramēta nouæ legis à Ieſu Chriſto, Domino noſtro, inſtituta, atq; ad ſalutē humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmū, Confirmationē, Euchariſtiam, Pœnitentiā, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorū ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, propriū, & propitiatorium ſacrificium, pro viuis, & defunctis: atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fieriqúe conuerſionē totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtātiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem catholica Eccleſia tranſſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumq́ue ſacramentum ſumi.

Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari, ſimiliter & ſanctos vna cū Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocādos eſſe, eoſq́ue orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem, à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq́ue vſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici, Beati Petri, Apoſtolorum principis, ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à ſacris canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridētina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulq́ue contraria omnia, atque hæreſes quaſcunq; ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpōte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam, vſq; ad extremū vitæ ſpiritum, conſtantiſſime, Deo iuuante, retinere, & cōfiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantū in me erit, curaturum.

Ego

Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Quæ ad ſanctorum cultum, ſacrorumq; temporum celebritatem pertinent.

De ſacris reliquijs, miraculis, & imaginibus.

AD ea, quæ de ſacris reliquijs, per nos primi, & tertij Concilij prouincialis decretis ſancita ſunt, hæc pro religioſa, illas & recondendi, & exponendi, & transferendi, & aſſeruandi ratione, piaque earundem veneratione, atque cultu adiungenda cenſuimus. Sanctorum corpora, & ſacras reliquias, Epiſcopus à religioſis, peritisque Sacerdotibus, quos eo potiſſimum nomine deligat, tum in vrbe, tū in diœceſi ſua, quibuſcumque in Eccleſijs, locisve illa ſint, recognoſci quamprimum iubeat. Qua in recognitione hęc præſtentur.

Primò, vt ſcripta, tabulæ, litteræ, certi annalium codices, aliave cuiuſuis generis monimēta, quæ in ijs ipſis Eccleſijs, earumve atrijs, atque ædibus, aut alijs locis extant, ſchedulæque vaſculis, arciſve ſacrarum reliquiarum affixæ, incluſæve recognoſcantur accuratè, & diligenter: vnde illarum vel tranſlatio, vel collocatio ibi facta cognoſci; aut alia eiuſmodi notitia earundē haberi queat. Teſtes prætereа conquirantur, ſi qui ſunt, qui teſtimonium dent, antiquæ, conſtantisque traditionis, ex qua certa earum cognitio cōſtet: aut alia, ſicut opus erit, id generis diligentia ad rei perſpicientiam adhibeatur.

Deinde vt ſingulæ ipſæ ſacrę reliquiæ, quas extare compertum eſt, re ipſa cernantur; ita tamen, vt, vbi ſub altaribus, alijsve ſubterraneis eiuſmodi locis, corpora ſanctorum collocata, reconditave ſunt, nec oſtium, neque feneſtra inſit, vnde inſpici queant, non aperiantur, aut effodiātur; niſi ob cauſam aliter Epiſcopus aliquando faciendum cenſuerit.

Qua omni recognitione facta, diligentiaque adhibita, librum præcipuum, certumque confici Epiſcopus curet: in quo ſingulæ, quæ in Eccleſijs, & vrbis, & diœceſis ſunt, reliquiæ ſacrę, rectè, atque ordine deſcribantur; notatis etiam diligenter, non ſolum ijs ipſis Eccleſijs, vbi recōduntur, ſed ſcriptis etiam, annalibus, tabulis, alijsve monimentis, è quibus illarum teſtimonium conſtet. Is verò liber in archiuio Epiſcopali, certo loco cuſtodiatur, & aſſeruetur perpetuo.

In eo item libro rectè referantur, ſi quas deinceps ſacras reliquias comperiri, aut aliunde aſportari cōtigerit; vbi primum ab Epiſcopo illæ recognitæ, & probatæ ſunt. Nec verò ſine ſcripta Epiſcopi probatione, etiam Regularibus, & alijs exemptis, vllas nouas reliquias euulgari, aut populo exponi, venerandasve proponi patiatur Epiſcopus, antequā à ſe recognitæ, & probatæ illæ ſint. Qua in probatione ſeruet is omninò formam, à Tridentino Concilio ea de re præſcriptam.

Reliquiæ ſanctorum ne in priuatis ædibus, neve apud laicos homines, ſed in Eccleſia, loco conſpicuo, bene ſepto, atque vndique ornato collocentur, & aſſeruentur. Atque ita eo loco decenter, ac pie, vel arcis, vel capſulis, vel vaſibus, loculisve reconditæ, includantur: vt & pro illarum ratione, ac pro Eccleſiarum dignitate, & facultatibus, formæ, inſtructionibus noſtris præfinitæ, omni ex parte reſpondeatur.

Is porrò locus duabus ſaltem clauibus, ijſque diuerſis, claudatur: quarum vnam Epiſcopus, alteram Rector Eccleſiæ, vbi ſunt, cuſtodiat diligēter. Vbi verò cōſuetudinis eſt, ab vniuerſitatis, ſodalitatisve hominibus, aut à Syndicis, laicis hominibus, clauem etiam teneri; illam tertiam illis permittere poterit Epiſcopus arbitratu ſuo.

Liceat tamen aliquando, quibus Epiſcopus rationabili, & pia cauſa id concedendum cenſuerit, aſſeruari in priuato oratorio, tuto, ornato, ac decenti, eiuſdem Epiſcopi iudicio.

Corpora ſanctorū, quæ non ſub altari, ſed ſub Eccleſiæ pauimento collocata ſunt, niſi decentiori Eccleſiæ loco recondenda Epiſcopus cenſuerit, ſaltem crate ferrea politè, ornateque confecta, ne pedibus eorum locus irreuerentius tractetur, vndique ſæpiantur, atque obtegantur ex inſtructionum præſcripto.

Quæ reliquiæ inſcriptionem habent, non vetuſtate cōſumptam, ſed integram, & ex pręſcripto inſtructionum noſtrarum confectam, ita vt eſt, illa inſcriptio retineatur, & cōſeruetur. Quarum verò inſcriptiones, aliqua ex parte exeſæ ſunt, aut aliàs non ad præſcriptum factæ, eæ, in charta pergamena rectè exaratæ, renouentur.

Quæ nihil inſcriptum habent; ſed tamen conſtat, quorum ſanctorum, ſanctarumve illæ ſint; ijs ſingulis nomina propria inſcribantur, ad inſtructionum præſcriptum.

Sanctorum reliquiæ, præſertim inſignes, & ſacra corpora, ſacraque membra, quæ ex certis monimentis, in vlla quauis Eccleſia recondi conſtat, in tabula ærea, aut marmorea, lapideave litteris inciſa, quo accuratiùs memoria perpetuo conſeruetur, diligenter, ordineque Epiſcopi cura, deſcribantur: tum præterea in Capellæ maioris columna, lateréve, aut in gremio eccleſiæ, loco aperto, ac perſpicuo, ea tabella, parieti calce conglutinata, in omnium conſpectu ſit.

Scripta, tabulæ, & antiqua monimenta, ad illas ſpectantia, in earundem Eccleſiarum ſacriſtia, archiuiove reponātur, vbi tuto aſſeruentur.

Vniuſcuiuſque ſancti, ſanctæve, cuius corpus, vel ſacræ reliquiæ, præſertim inſignes, aſſeruentur, vitæ, aut martyrij hiſtoria, ex probatis auctoribus breuiter collecta ab Epiſcopo ante recognita, & comprobata, in tabellam, aut in aliquē certum codicem, charta pergamena exarata, referatur. Qui codex in Eccleſię Sacriſtia, certo loco diligenter aſſeruetur. In illa autem vitæ breui narratione ex certis monimentis, antiquave traditione, omnique alia, quæ conſtet, ratione, exponatur deinceps, in extrema ſcilicet parte, ac paucis itē verbis, quo tempore, quove modo ſacræ illæ reliquiæ eo tranſlatæ, vel reconditæ ſint.

Sacris autem reliquijs, ſi ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento non ita prope quidem eæ collocatæ ſunt, vt illius lāpade harum cultui ſatisfiat; lampas propria aſſiduè præluceat: niſi hanc impenſam, nimia, & eccleſiæ, & populi egeſtas Epiſcopi iudicio non patitur. Cęterum corporibus ſanctorum, & reliquijs, Epiſcopi iudicio inſignibus, lampas omnino vna ſemper colluceat.

Vbi verò plures, aut ex legato, ſeu alia obligatione, vſuve adhibentur, aut pro reliquiarum ratione, vel eccleſię amplitudine, facultatibusvé adhiberi Epiſcopus iuſſerit, id etiam ſeruetur.

Ne ſacræ reliquiæ per laicos, etiam cuiuſuis ordinis, dignitatis homines vllo modo tractentur: nec verò tangātur; cum hoc ſacrilegum, ac minus propterea ferendum eſſe, S. Gregorius Pont. ſcribat.

Cum verò ab Eccleſiaſtici ordinis hominibus illæ cum ſuis loculis, vaſculisve ſuſcipiuntur, vt vel populo oſtendātur, vel in altari exponantur, vel in proceſſionibus ferātur; primum illis thurificatio adhibeatur; ſique in via ferantur, tunc Acoluthus ſacerdoti, illas ferēti, præeat, qui item thurificet.

Ne paſſim omni tempore, ſed certis tantum feſtorum dierum celebritatibus, vtpote in Natiuitate Domini, Epiphania, Paſcha Reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, & eiuſmodi, feſtoque ipſo die exponantur; oſtendanturve; quo illius ſancti, cuius reliquiæ ſunt, vel eccleſiæ, in qua reconditæ ſunt, celebritas ſolenni; feſtoque officio agatur; tum præterea quo die ob aliquam cauſam Epiſcopus iuſſerit, conceſſeritve.

Nullo autem modo vnquam illæ ab operimentis, aut à velis nudæ oſtendantur, exponanturve.

Cum in altari autem exponuntur, hæc ſeruentur.

Primò in illis exponendis, proceſſio per eccleſiam; vbi illę ſunt, ab eiuſdem clero agatur, certo luminū numero adhibito. Rurſus idem præſtetur, cum reconduntur.

A Sacerdote, qui poſt Epiſcopū in illa eccleſia dignitatē ſacerdotalē locū obtinet, niſi aliquando Epiſcopus, ſi id munus ſibi obeundū cēſuerit, exponātur, & recōdantur.

Iſque ſuperpelliceo, & ſtola, vel puuiali etiam, pro reliquiarum, Eccleſiæve ratione, indutus ſit.

Dumque exponuntur, & item cum recōduntur, hymnus, vel de Apoſtolis, vel de martyribus, vel de confeſſoribus, vel de Virginibus, canatur, prout ſunt ſancti ſanctorū ve reliquiæ, quæ exponuntur; tum antiphonæ, & alia eiuſmodi ad rem accommodata, vltimoque loco oratio de ſanctis illis; ſi vero ſanctus, ſanctave eſt cuius proprius hymnus, antiphona, oratiove extet, illa canantur.

Cùm item exponuntur, de ſtato eo libro, tabellave ſupra præſcripta, vniuſcuiuſque martyrium, aut vitæ hiſtoria breuiter explicata, vulgari ſermone grauiter in populi frequentia pronuncietur: ad quam rem præterea ſacerdotis, de diuinis illorum ſanctorum virtutibus, cæleſtique vita, & rebus per eos fortiter, ac mirificè geſtis, grauiter, breuique tractatis, officium, vbi poteſt, adhibeatur: quo ardētius populi, ſacras reliquias ſpectantis, animi ad omne pietatis ſtudium inflammentur.

Dum in altari expoſitæ ſunt; candelæ, ſaltem quatuor, grandiores accenſæ ibi colluceant: ad earumque cuſtodiam adhibeatur, qui ſemper aſſiſtat, vnus, duove, ſacris maioribus ordinibus initiati, ijque moribus probati, ac ſuperpelliceo induti.

Horum verò clericorum, non laicorum opera, miniſteriove adhibito, liceat fidelibus pietatis, & religionis cauſa, calculorum coronis ſacrarum reliquiarū vaſcula, loculoſve attingere, qua hora Epiſcopus conceſſerit.

Cum reliquiæ ſanctorum non in altari exponuntur, ſed è loco ſuperiori, aliove in quo reconditæ ſunt, populo oſtēduntur; omnis eadem ratio plene ſeruetur proceſſione excepta.

In quibus autem proceſſionibus illas, vel per Eccleſiam, vel extra, portari contigerit; debito cultu, apparatuve ferātur ab ijs, qui in ſacerdotio cōſtituti, poſt Epiſcopū eccleſiaſtica ſacerdotali dignitate, canonicatuve alijs in illa eccleſia præſtant; niſi Epiſcopus id munus ipſe obeat.

Sacras porrò reliquias de vno in aliū locum trāsferri ne liceat, ſine iuſta, ac legitima cauſa, & facultate ſcriptis ab Epiſcopo permiſſa.

Sicut ſacrarum reliquiarum tranſlationis memoriam, feſta ſolennive celebritate fieri, religiosè, iam ferè ab initio vſque naſcentis eccleſiæ inſtitutum, perpetua eccleſiæ conſuetudine ſanctè retētum eſt; ita ſi quando ſanctorum corpora, membrave, aut ſacras reliquias, Epiſcopi iudicio inſignes, transferri contigerit vel ab vno oppido, vrbeve ab aliam, vel in ea ipſa etiam vrbe, oppidove ab vna ad aliam eccleſiam, id ritu ſolenni religioſoque cultu præſtari oportet.

Itaque hæc decernimus.

Primum aliquot ante diebus, ſi opus erit, aut certè, omnino pridie illius diei, quo ſacræ reliquiæ transferēdæ ſunt, ab Epiſcopo, aliove, vbi adhiberi poteſt, eccleſiaſtica dignitate prædito, cui nominatim is id muneris dederit, accuratè, diligenterque recognoſcātur, teſtibus alijs ſacerdotibus grauioribus adhibitis. Quæ recognitio fiat, vt ſupra, diligēter conquiſito omni monimentorum genere.

Recognitæ vbi ſunt, ordine componantur: tum in arca duabus ſaltem, ac diuerſis clauibus, quarum altera ab Epiſcopo, aut ab eo, quem ipſe maluerit, aſſeruentur: incluſæq; ſigno Epiſcopali obſignentur.

Dies tranſlationis, tum in loco, vnde transferuntur, tū ad quem transferuntur, tum etiam quibus locis tranſeundum eſt, per parochos Epiſcopi iuſſu, dominico die, vel feſto, proximo præcedenti, nuncietur.

Idemque illis locis iubeatur coli, mane ſaltem, vt dies feſtus.

Significetur etiam proximis ante diebus frequēti ſono campanarum illius eccleſiæ, ad quam tranſlatio facienda eſt.

Pridie verò tranſlationis, veſpere ſignificatio celebritatis detur, ſolenni campanarum omnium vtriuſque loci ſono.

Eo die ieiunium à clero Eccleſiæ, ad quam transferendæ ſunt, ſeruetur: noctuque item arca cum ſacris reliquijs, ſi commodè poteſt, ſuper altari eccleſiæ, vnde transferendæ ſunt, ſi vero non poteſt, alio decenti loco collocata, & adhibitis præterea ad earum venerationem ſex ſaltem luminibus, ab eodem clero, & alijs item eccleſiaſticis hominibus, quibus Epiſcopus id iuſſerit, vigiliæ fiant: ſtatoque tempore nocturna itidem ritè de ſanctis decantentur, quorum reliquiæ transferuntur.

Mane quo die transferūtur, proceſſio ſolennis, pſalmis, hymnis, & canticis, omnique prece agatur, ad eccleſiam, in quam tranſlatio fit; vbi iterum illis recognitis, tum de eorū vita, deque hiſtoria ſanctarum reliquiarum, olim eo loco reconditarum, de cauſis item trāslationis, ab Epiſcopo, vel ab alio, eius iuſſu, ſermo appoſite habeatur; niſi commodius cenſuerit Epiſcopus poſtea habendum inter Miſſarum ſolēnia: deinde adhibita primum illis thurificatione, clero, & populo oſtendantur; ab illiſque ijſdem debitus cultus, & veneratio tribuatur.

Transferantur autem incluſæ in arca, pro earum ratione, proque ritu Eccleſiæ decenter ornata, & vmbella præterea adhibita, vt Epiſcopus cenſuerit.

Archa vero humeris portetur à ſacerdotibus, qui digniores ſint, & in toto clero, & in ea eccleſia, ad quam tranſlatio fit: illique viciſſim, prout Epiſcopus iuſſerit, id onus ſubeant, ſacris veſtibus induti, tum capite aperto: præeant vero duo Acoluthi, ſemper thurificantes.

Clerici præterea aliquot, ſuperpelliceo amicti, qui capite item aperto ſint, lumina deferant, hinc inde congruo numero, & ordine accenſa: hæcq; præter cereos, quos accenſos reliquus etiam clerus, & populus, laicorumque hominum ſodalitates, & cæteri, earum arcam piè proſequētes, pro ſua pietate manibus geſtarint.

Verum ſi Epiſcopus in loco adeſt; ipſe quoque cum ſacerdotibus, qui in cathedrali eccleſia, ſacerdotali dignitate præditi ſint, canonicatum ve ſacerdotalē habentes, digniores ſunt, humeros ſacræ arcæ portandæ ſubijciat; idque ſaltē paululum, tum initio, tum in fine proceſſionis, quæ translationis cauſa agitur. Cum verò arcam non portat, eam proximè ſubſequatur, reliquo omni clero præeunte.

Vaſculo, quod ab vno ferri poſſit, reconditæ ſacræ reliquiæ, ab ſacerdote item portentur, qui dignior eſt, cæteris etiam ſeruatis, ſupra mox præſcriptis.

Vbi ad Eccleſiam ventum eſt, in qua collocandæ, recōdendæve ſunt, per Epiſcopum, aut per alium ſacerdotem, eius iuſſu, Miſſarum ſolennia celebrentur de ſanctis, quorū translatio facta eſt: idque ſolenni ritu, niſi horæ tarditas impediat.

Peractis Miſſarum ſolennibus, certo loco bene ſepto, & clauſo, vt ne populus propius accedat, in altari exponantur, vbi per illum diem ſint, accenſis ſaltem ſex luminibus, & adhibitis ad cuſtodiam duobus ſacerdotibus, vel vno ſaltem, alioque clerico in ſacris ordinibus conſtituto: quorum ſacerdotum cura ſit, ſacras reliquias cuſtodire, & earum arcā, aut loculos precatorijs fidelium coronis, quæ porrigentur, religiosè tangere.

Confecto tranſlationis die, ſub occaſum ſolis, conſtituto loco ab Epiſcopo, vel alio, quem miſerit, cum thurificatione, pſalmis, hymnis, canticis, antiphoniſve, religiosè recondantur.

Tranlationis tabulæ, publicè à notario confectæ, in librum, in ſacriſtia illius Eccleſiæ aſſeruandum, referantur; tum rei geſtæ litteræ in ære, vel marmore inciſæ, in eo reliquiarum loco, ad perpetuitatem collocentur.

Corpora ſanctorum, ſacrave membra, aut inſignes ſacræ reliquiæ, cum aliunde è loco, longè remoto, transferūtur, ſi vel nauigio, vel curru vehūtur: illius locus parſve, vbi pro vectione collocantur, piè ornetur, vna etiā, vel duabus pluribuſve lampadibus accenſis. Si ad vectionem iumentū adhibetur, decenter item ſternatur.

Quacunque illis transferendis iter fit, per vrbes, ſiue per oppida, obuiam ſolenniter procedatur: ita vt pſalmis, hymnis, & canticis illas, cum clerus vniuerſus, ſacris veſtibus indutus, religiosè excipiat; tum populus item, luminum numero, portarum, & viarum publicarum apparatu, religioſo ornatu, piæque venerationis ſtudio, & ſpiritualis lætitiæ ſignificatione.

Dies

Dies tranſlationis in vrbe, oppidove, aut ſaltem in Eccleſia, in qua collocantur, vt Epiſcopus iuſſerit, anniuerſario canonicarum horarũ officio de ſanctis celebretur, quorum ſacra corpora, reliquæve, eiuſdem Epiſcopi iudicio inſignes transferuntur.

Quod officium vt ſolemniter cumulate præſtetur, id proſpiciatur, vt dies, quo celebritas tranſlationis agẽda eſt, in feriam certam cadat, quæ ſanctorum, quorum reliquiæ tranſlatæ ſunt, cultui dicari poſſit, vniuerſæ, vel in ea ſaltem Eccleſia.

Formam à ſacra Synodo Tridentina, miraculis nouis approbandis, & nouis reliquijs recipiendis traditam, Epiſcopi ſeruent diligenter in omnibus, etiam regularium, & alijs exemptis eccleſijs.

Nec verò patiantur, cauſa à ſe non cognita, & ſcripto probata, altare propterea erigi, aut imagines vllas extra morem ornari; votave, aut oblationes ſuſpendi, aut quicquam noui ea in re omnino geri. Sed quia plerumque fit, vt vulgi concurſu, populique clamore, aliquid pro miraculo, aut ſacra reliquia euulgetur, quod re vera non eſt; ſtudeant hoc ſummoperè, vbi eiuſmodi occaſio ſe obtulerit, vt primis illis vulgi clamoribus piè obſiſtãt, donec rei veritas, legitimè comprobata, conſtet. Si quis verò dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omninò aliqua de ijs rebus grauior quæſtio incidat: Epiſcopus, antequam controuerſiam dirimat, Metropolitani, & prouincialiũ Epiſcoporum in Concilio prouinciali ſententiam expectet; ita tamen vt, quemadmodum ab eodem Tridentino Concilio præſcriptũ eſt, nihil inconſulto Sanctiſſimo Pontifice, nouum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.

Quod de ſacroſanctę Crucis effigie, in Cõcilio prouinciali tertio, per nos ſancitum eſt; itidem interdictum ſit, ſacras alias ſcilicet imagines, ac ſanctorum, ſanctarumque hiſtorias, ſacrorumve myſteriorũ figuras, & ſignificationes, in vllo quouis, humi ſtrato pauimento, aut loco ſordido, etiam extra Eccleſiam, inſculpi, pingi, effingive.

Effigies iumentorum, canum, aliorumve brutorum animalium, in Eccleſia ne fiant: cum aliquid inhoneſtũ, aut prophanum in ea apparere nefas ſit, ex Tridentini Concilij ſanctione; idque planè etiam ſeptima Nicęna Synodo œcumenica vetitum ſit.

Si vero hiſtoriæ ſacræ expreſſio, ex ſanctæ Eccleſiæ matris conſuetudine, aliter quandoque fieri poſtulat, hoc ſanè non vetatur.

Pictoribus, & ſculptoribus grauis mulcta, ac pœna, etiam interdicti ab Eccleſia, Epiſcopi arbitratu, propoſita ſit; ſi quid inordinate, aut præpoſtere, aut tumultuarie accommodatum, ſi quid profanum, aut inhoneſtum pinxerint, aut effinxerint, contra eiuſdem Concilij Tridentini decretum.

Rectoribus etiam Eccleſiarum, qui vllam ſacram imaginem inſolitam, contraque illius Concilij ſanctionem, ſuis Eccleſijs, etiam exemptis, poni permiſerint, pœna etiã excommunicationis, mulctave conſtituta ſit, arbitratu Epiſcopi, pro ratione culpæ irroganda.

Cruces, & ſanctorũ imagines ſolemniter, ſtatiſque precibus, ex Eccleſiæ ritu benedicantur.

Imagunculæ illæ paruulæ, fictili opere effectæ, ſit ita fuco, alioque apparatu concinnatæ ſint, vt, Epiſcopi iudicio, vanitatem præ ſe ferre aut offenſionem præbere videantur, ad altare ne adhibeantur in poſterum.

Si quæ ſacræ tabulæ, imaginesve pictæ, nimia vetuſtate, carie, ſitu, aut ſordibus penè deletæ, indecenti aſpectu ſunt; eas Epiſcopus pia, religioſaque pictura, ab ijs, quorum intereſt, renouari iubeat; aut ſi id non poteſt, omnino deleri.

Ne tabulæ ſanctorũ imaginibus expreſſæ, vetuſtate cõſumptæ, in vilem, & ſordidum, prophanumq; vſum cõuertantur: ſed, vt de altaris pallis, ac velis, temporis vſura penè confectis, beati Clemẽtis Pont. & martyris decreto ſancitũ eſt, in ignem conijciantur: tũ cineres præterea, ne pedibus inquinentur, in pauimenti foſſis collocentur.

Imagines quoq; ſacræ ſculptæ, ſi deformatæ ſint, amoueantur; & ſub pauimento Eccleſiæ, aut ſaltem ſub cœmiterij ſolo collocentur.

Curet præterea, atque adeo efficiat Epiſcopus, vt & per ſe, & per alios, theologiæ ſcientia peritos, ac illos in primis, qui illius interpretandæ, aut populi docendi munus, in vlla quauis Eccleſia quouis modo ſuſtinent, fidelibus accuratè, enucleateque exponantur, quæcunque & de ſanctorum interceſſione, inuocatione, atque cultu, & de ſacrarum reliquiarum, imaginunque veneratione, & de hiſtorijs myſteriorum noſtræ redemptionis, pictura, aliave ſimilitudine expreſſis, eos inſtrui, docerique Tridentina œcumenica Synodus iuſſit.

De Indulgentijs.

DE ſanctis indulgentijs tractatio, prout vſu venerit, accuratè in ſermonibus item habeatur: vt & earum cæleſtem vim, & pietatis officia, ad illas conſequendas neceſſaria, populus intelligat: ſeque propterea, omni intima mentis animique religione, & Chriſtianæ charitatis actionibus, atque operibus, ad vberrimas ſalutareſque earum vtilitates aſſequendas diligenter paret. Id autem omne officium per parochos, & alios, quorũ intereſt, præſtari Epiſcopus iubeat, ijs præſertim inſtructionibus, quæ eo de genere, noſtra in Concilio prouinciali auctoritate cõfectæ, ad communionem prouinciæ huius vſum, in lucem emittentur.

Quæcunque indulgentiarum, quæ olim, vel nuper, cuiuis, etiam regularium, aut aliter exemptorum, Eccleſiæ perpetuò cõceſſæ ſunt, tabulæ, ſcripta, monimẽtave alia omnis eiuſdem generis extant; ea, vbi illa ſint ſiue in vrbe, ſiue in diœceſi, Epiſcopus ſtudioſè conquirenda curet; tum illa cõquiſita, indeque ſummatim exſcripta, in librum certum, eo nomine confectum, qui in archiuio Epiſcopali aſſeruetur, diligenter, recteque referri iubeat.

Quæ præterea indulgẽtiæ vrbis, diœceſiſque ſuæ eccleſijs in poſterum perpetuo, vel ad certum tempus concedentur, vbi primum ad ſe, aut ad Vicarium Epiſcopalem, qui illas recognoſcat, delatæ ſunt, eodem, aliove libro notentur, ordineque deinceps deſcribantur.

Singulæ autem Eccleſiæ, quibus vel conceſſæ ſunt, vel concedentur, proprium eiuſdem generis codicem, in quo illæ exſcribantur, accuratè confectum, aut tabellam eiuſdẽ generis, in ſacriſtia habeant; illarum exemplari in archiuio, vel in ſacriſtia aſſeruato.

De Superſtitionibus.

QVantum in religione ſtabilienda, atque augenda laboris ponendum eſt, tantum in ſuperſtitione, ex hominum mentibus euellenda, curæ ac diligentiæ eſt impendendum. Quare parochi diligenter ei rei inuigilent: ac ſi quod ſuperſtitionum genus in ſuæ parochiæ hominibus animaduertant; id ſemper, ante proximam Synodum, tempore, quod Epiſcopus præſtituerit, ad illũ in ſcriptis deferant; vt ei malo occurri opportune poſſit.

Confeſſarij quoque diligentes in eo genere ſe præſtent; inueſtigentque num pœnitentes aliquod remedium valetudini, aut vulneribus adhibeant; quod non à medica arte, & cognitione, ſed à ſuperſtitione proficiſcatur: tum præterea, num tempora, aut loca, aut quid eiuſmodi, ſuperſtitioſa opinione obſeruent: & quos ea in re peccare nouerint, grauiter obiurgent; & ab eiuſmodi vano ſenſu, atque errore deterrere, & auertere, conentur.

De ſacris quatuor temporibus.

SAcra quatuor ieiuniorum tempora, ex ſancti ſpiritus doctrina ſalutariter inſtituta, ſicut olim, & frequenti fidelium conuentu, & ſolenni celebritate, & religioſo ſupplicationum officio, colebantur: ita ad illorum cultum, paſtorali cura eruditis fidelium mentibus, in vſum antiquæ pietatis reuocanda ſunt.

Quare in omni prouinciæ noſtræ Eccleſia, vel cathedrali, vel parochiali, non ſolum die Dominico, illa tempora præcedenti, ſed etiam vbi populus erit frequens, feria quarta, proxime ſequenti, eo de genere concionem ſacram haberi

tatuimus: qua fideles excitati, ſolennibus his ferijs, ſcilicet, ſexta, & Sabbato, pro antiquæ deuotionis tudine, frequentiores Miſſæ ſacro, diuiniſque offici- Moguntino Concilio primo cautum eſt, interſint: tes, ieiunia, eleemoſynas, cæteraque pietatis opera at:quibus, quo ſpecialibus illæ feriæ præſtitutæ ſunt, ementiori Chriſtianæ virtutis contentione ad illa s eſſe oportet. Ad quam diligentiam parochi præter- ium charitatem omni religioſo propoſito ita præpa- deant, vt vnanimiter, auxiliante Chriſto, ſtatarum feriarum ſolennitatem religioſa piorum operum udine celebrantes, Sabbato ſub veſperum fre- ſſimi ad Eccleſiam, vt piæ conſuetudinis fuit, conue- vbi ſanctis precibus, cum pro ſacra ordinatione, tum commodis, quæ ſingulorum annorum reuolutione quimur, omnium bonorum largitori Deo, gratia ha- , ſicut & inſtituta illorum temporum ratio, & Chri- religionis cultus depoſcit.

lem ſtatis ijs temporibus, populo denunciandis, for- n hanc, ex ſanctiſſimi Pontificis, Leonis primi verbis ptam adhibeant: cuius ſententiam, etiam vulgari ſer- explicent vberius.

Formula denunciationis ieiunij quatuor temporum.

Vod ſacrorum temporum ratio, & deuotionis Chri- ſtianæ admonet conſuetudo paterna, vobis, dilectiſſi- licitudine denunciamus, menſis. N. ſacrum celebrã- eſſe ieiunium, diuinitus inſpirata doctrina præceptũ, is menſium curriculis diſtributum: vt lege abſtinen- nnibus adſcripta temporibus, & alijs Chriſtianæ mi- ræſidijs, ad mentium noſtrarum, corporumque ſan- tionem diuinæ inſtitutis, ſtato dierum interuallo, eſſatione renouatis, nos ardentiori cura, maiorique o in ſalutis curſu progrediamur, quo ſpecialius præſti- unt dies ad pietatis officia. Quarta igitur, ſexta feria, bato ieiunemus: frequentes in cathedrali, parochia- Eccleſia ad litanias, orationemque conueniamus; & acris illis ferijs à cibo abſtinentiores eſſe debemus, eo dantiori eleemoſynarum liberalitate erga CHRISTI eres effuſiores ſimus: tum Sabbato ſub veſperum onem parochialem communem celebremus, qua, & e fœlicitatis æternæ, ad quam per fidem currimus, & cra ordinatione, quam eo die à Reuerendiſſimo Epi- o haberi ſolenne eſt, & pro ijs commodis, quæ ſingu- n annorum reuolutione conſequimur, Deo omnipo- , gratias agamus; eundemque religioſis ſupplicationi- oremus, quatenus ſanctorum, quorum patrocinia im- mus, ſuffragantibus meritis, eius miſericordiã in om- s impetremus, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, um patre. &c.

De ferijs.

Vo tempore ad ſalutem animæ toto corde, totaque mente, atque omni Chriſtianæ pietatis officio incũ- dum eſt; in iudiciali foro tunc aditus pateſieri non de- d iudicia, ad lites, & ad cauſas, quibus ſæpe diſtrahuntur nines à pietatis officijs: ne aliquando Iſaiæ Prophetæ il- ocibus nos Dominus grauiſſimè arguat: Ecce in die Ie- j veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores ros repetitis: ecce ad lites, & cõtentiones ieiunatis. Qua- e quadrageſimæ, quatuor temporum, & aliorũ ieiunio- diebus, id quod & Liberij pontificis maximi, & Conci- Triburienſis canone ſancitum eſt, in aliquo foro, mane, tempore Miſſæ ſacro, diuinis officijs, & verbi Dei præ- tionis Chriſtianos homines intereſſe potius oportet, dicatur, iudicia exerceãtur, aut quicquam agatur, quod udicij forenſis ordinem pertineat. Id vero pro paſtorali gis Dei cura, quam ſuſcepit Epiſcopus, ab omnibus præ- i quam diligentiſſime ſtudeat.

Rei ne feſtis diebus, diuino cultui dicatis, torqueantur; odo criminis atrocitas aliud non poſtulet.

Ac ne teſtes quidem ijs diebus teſtimonium dicant, etiã ſi feriali die iurati id ſint, niſi in cauſis, in quibus licet eiſdem diebus iuſiurandum illis deferri.

Id omne ſanè Epiſcopus, cum in Epiſcopali foro, tum in ſæcularibus iudicijs caueat, vt ſeruetur.

De ſancto Ambroſio.

DEuotione congrua, & debitis honoribus beatus Chri- ſti confeſſor Ambroſius Epiſcopus, ſanctæ Eccleſiæ metropolitanæ Mediolanenſis pater, pariter ac patronus, cuius doctrina etiam tota illuſtratur Eccleſia, vt à prouin- ciæ noſtræ fidelibus colatur: eius & diem feſtũ, qui in ſepti- mo idus Decembris agitur, ſicut reliquos dies feſtos, quos coli præceptum eſt, quotannis à clero, populoque celebra- ri, & commemorationem de eo, quibus diebus ex ritu Ec- cleſiæ eiuſmodi cõmemorationes fieri licet, in veſpertino, matutinoq; officio antiphona, & oratione à clero fieri per- petuo, pro ſuæ pietatis ſtudio, Epiſcopi, omni etiam adhor- tatione, curent.

De clericorum ad feſtorum dierum cele- britates conuentu.

NE diebus feſtis, qui præcepto Eccleſiæ, aut conſuetu- dine, votove coluntur, ad alienam eccleſiam, Miſſam celebraturus, parochus accedat; niſi ab eo, cui id curæ Epi- ſcopus dederit, facultatem, ſcripto exaratam, impetrarit. Quam facultatem ille tantum ijs det, quos omnibus bene conſideratis ad Miſſarum ſolennia, diuinaque officia in Ec- cleſia, vbi celebritas in vrbe, diœceſive agitur, ritè concele- branda neceſſarios eſſe viderit. Qua in celebritate, cum ab alijs Eccleſijs ſacerdotes euocãdi ſunt, ne vllo prætextu plu- res euocentur, quàm quatuor, vel ſex ad ſummum: id vero, niſi vel legati pij, vel fundationis iure aliquando plures ad- hiberi neceſſarium ſit.

Item diligenter hoc Epiſcopus caueat, vt ſi ad celebri- tatẽ ſacerdotes alij, quam parochi adhiberi poſſunt, ne pa- rochos à ſuis Eccleſijs euocari, abeſſeve ea de cauſa ijs die- bus vllo modo patiatur: ſi vero aliter fieri non poteſt, vici- nioribus ſolum parochis, pauciorem que populi multitudi- nem habentibus, eam facultatem permittat. Tum præterea videat, vt, qui parochus feſto die ad celebritatem euocatus, abſuturus eſt, ſacerdotem alium, vel ordinarium, vel con- ductum habeat: qui illo die Miſſæ ſacrificiũ in Eccleſia pa- rochiali faciat; quique cætera, vt ipſe, ſi præſens adeſſet, om- ninò præſtet, ante ab Epiſcopo in ijs functionibus obeun- dis probatus.

Si verò ſacerdotem eiuſmodi quandoque haberi non poterit; feſto die celebritatem, ad quam vocatus eſt, præce- denti, populo ſuo ſignificet, ſe ob eã cauſam in Eccleſia pa- rochiali Miſſam celebraturũ non eſſe; ſed in ea, ad cuius celebritatem vocatus eſt; proinde illũ moneat, ad eã ipſam Eccleſiam, aut aliam propinquiorem, vbi Miſſæ ſacrificio interſit, ſe conferat.

Sin autem pro Eccleſiæ, in qua celebritas agitur, ampli- tudine, & dignitate, aliquando ad ſolennitatem concele- brandã ſacerdotibus pluribus opus eſſe cenſuerit; alijs item aliquot ſacerdotibus etiam parochi, hoc det, vt in Eccleſijs ſuis primum Sacro peracto, ſique parochialis curæ munere præſtari debent, tum ad Eccleſiam, vbi ſolennitas celebra- tur, proficiſcantur, illius rectorem in diuinis concelebrãdis officijs adiuturi; nec verò deſint Eccleſiæ ſuæ reliquis eo die obeundis parochialibus muneribus, & officijs.

In euocandis quidem, admittendiſve ſacerdotibus, & clericis ad dierum feſtorum celebritates, ratio, atque ordo ſeruetur, infra in decreto de exequijs, eorundem euocatio- ni præſcriptus ad funera concelebranda.

Illi porrò omnes, qui euocabuntur, in choro dum diui- na officia fiunt, ſuperpelliceo mundo decenter induti ſem- per adſint.

Nec verò præter clerum illius Eccleſiæ, alius ſacerdos, clericuſve, qui ad celebritatem vocatus non ſit, in chorum quouis prætextu aſciſcatur, recipiaturve: neve eleemoſyna- rum, quæ in ea celebritate tributæ ſunt, aut tribuuntur, particeps vllo modo ſit: nec præterea in menſa excipiatur.

Neque

Neque rurſus quiſquam à Præpoſito, Archipreſbytero, parochove miſſus, plus capiat, quàm ſi proprio ſolum nomine eſſet euocatus.

Quicunque præter conſtitutum numerum, aliquẽ aſciuerit, qui item minimè vocatus, quive ſine pręſcripta facultate acceſſerit, ac rurſus, qui admiſerit, quive exceperit, qui denique plus acceperit; mulctetur arbitratu Epiſcopi.

De religioſis peregrinationibus.

VT ex ſanctorum patrum inſtitutis fideles prouinciæ noſtræ ſanctas peregrinationes ſuſcipiant, ſalutiſque vberiorem fructum, diuina auxiliante miſericordia inde capiant: hæc illis ſeruanda proponimus: ac primo eccleſiaſtici ordinis hominibus; tum laicis item.

Ne quiſquam ſacerdos, clericuſve cuiuſuis ordinis, peregrinaturus, itineri, peregrinationis cauſa, ſine litteris dimiſſorijs, ac teſtimonialibus Epiſcopi, ſe committat, vt canone veteri ſancitum eſt: tum præterea nec ſine benedictione, quam Epiſcopus ſacerdoti, clericove peregrinaturo ſtatis precibus, libro ſacerdotali, ritualive præſcriptis, impartiet.

Ijs ſanè litteris à cancellario aſſcribantur hæc ſingula capita, ſacerdoti, clericove peregrinanti, infra præſcripta, quo accuratiùs ab eo illa ſeruentur.

Peregrinationis comites, quos ſibi adiunxerit, cum in viam ſe daturus eſt, Epiſcopo, aut Vicario exponat, quorũ comitum nomina à cancellario litteris dimiſſorijs adſcribantur.

Si quis item peregrinaturus, Eccleſiam parochialem, aut capellam, aliudve cuiuſuis nominis beneficium Eccleſiaſticum obtinet, cui miniſterium aliquod debeat; is, vt Epiſcopus opus eſſe cenſuerit, ſacerdotem, vel clericum, qui eidem Epiſcopo, Vicariove probatus ſit, pro ratione miniſterij ante ſubſtituat, quam iter ſuſcipiat, ne Eccleſia debito miniſterio cultuque careat; cuius rei, per ſe præſtitæ, teſtimonium ſcriptum, aut Epiſcopo, aut Vicario exhibeat. Ei verò quem ſubſtituerit, aut alij, quem Epiſcopus maluerit, ſi aliquot dierum peregrinationem facturus eſt, veſtes ſacras, ornamenta, libros, ſcripta, omnemque Eccleſiaſticam ſupellectilem committat, indice eorum omnium ſigillatim, ac diligenter confecto, eo ſcilicet præſente, cui hoc munus Epiſcopus dederit, ne ex eius abſentia aliquod detrimentum Eccleſia patiatur. Deinde is vel ſacerdos, vel clericus, antequam peregrinationi ſe committat, peccata primo cõfeſſus, tum ſi ſacerdos eſt, Miſſæ ſacrificium, quod eſt pro iter agentibus, offerre; ſi clericus inferior, ſacrã Euchariſtiam ſumere ſtudeant.

In itinere, clericali habitu contractiori ad Conciliorũ præſcriptum, omnis ſacerdos, & clericus, dum in peregrinatione eſt, vti poſſit: pileum autem induat, clericali ordini congruentem, & à laicali veſtitu diſtinctum.

Tonſuram clericalem perpetuò habeat.

Ne itineris cauſa canonicas horarias diuini officij preces omittat, ac tum etiam ſtata de pręcepto Eccleſiæ ieiunia ſeruet, niſi cum legitimè excuſatus eſt.

Si ſacerdos eſt, vbi probatus fuerit, Miſſam quotidiè celebrare curet: at verò Dominicis, & feſtis diebus id facere non omittat.

Singulis verò diebus, ſiue ſacerdos, quando ipſe nõ celebrat, ſiue clericus Miſſæ ſacrificio intereſſe ſtudeat.

Mane ſingulis diebus præter officium diuinũ debitum, preces etiam illas pie recitare curet, quæ itinerarij nomine appellantur.

In omni denique itinere quod ſanctæ peregrinationis cauſa ſuſcepit, eum ſe vitæ moribus, omnique actione præſtare ſtudeat; vt piè, religioſeque peregrinandi exemplũ laicis præbeat: quorum ſi aliquem ſocium, & comitem habet, ſanctis peregrinationis exercitationibus, atque rebus ad ſalutem inſtruere curet.

Hebræis, & mulieribus comitem non ſe adiungat, neque eodem curru cum eiſdem vehatur: neque item eodem nauigio, vt ſcandalum euitetur, ſi aliter ſibi conſulere poterit.

Ne ijs etiam ſe adiungat in via, niſi neceſſitas coegerit, qui dum iter faciunt, prophanis cãtionibus, cytharis, alijſve muſicis inſtrumentis vtuntur.

Abſtineat item ipſe à prophanis canticis & colloquijs eiuſdem generis, quorum vſu, pietatis in peregrinatione ſuſcepta ſtudium refrigeſcit, pſalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, ac rerum diuinarum meditationibus vacet; & ſpiritualibus item ſermonibus, ſi comites habet, quibuſcum loquatur, corporis, vel animi laſſitudinem ſubleuet.

Ne mendicet, oſtiatimve victum quęritet, niſi ex voto, vel alia cauſa, ab Epiſcopo probata, & faculta[illegible] nominatim ſcriptis impetrata.

Cum ad aliquem locum veſperi perueniet; Eccleſiam, quæ eo loco eſt, antequam ad hoſpitium diuertat, religioſè adeat, ſi poteſt; vbi ſupplex litanias, vel alias religioſas preces recitet.

Si apud religioſos homines, vel apud alios viros honeſtos diuerſari poteſt, ab hoſpitijs publicis abſtineat. Ad cauponas vero ſi diuertere neceſſe habet; nec vna cum eiſdem Hebræis, aut mulieribus accumbat in publico hoſpitio, aut alio omni loco, & tempore. Ante quam diſcumbat, menſæ benedicat: tum pranſus, aut cœnatus gratias agat: cęteraque obſeruet, quæ de temperantia, frugalitate, & modeſtia clericali decretis prouincialibus præſcripta, accuratè præſtare debet.

Cum primum ad peregrinationis locũ peruenerit, confeſſario probato confiteatur, & Miſſam ſacerdos celebrare, & ſacram communionem clericus ſumere curet; totuſq; peregrinationi ſuſceptæ intentus, non rerum nouarum curioſitates, non loci antiquitates, non quicquam aliud, à peregrinandi propoſito alienum, conſectetur; ſed religioſa animi præparatione Eccleſias, ſacraſq; reliquias, quas potiſſimum deuotionis, votiuè cauſa viſitatum venit, tum alias etiam ſollicitè viſitet; qua viſitationis ſollicitudine, pietatis ſibi ardorem excitare ſtudeat, vt maximè poteſt.

Nec verò vbi ſanctam peregrinationem abſoluerit, alio longius vagetur.

A peregrinatione reuerſus, Epiſcopum primo, aut Vicarium cum litteris dimiſſorijs, quas dedit, conueniat: ſanctæque ſuæ peregrinationis teſtimonium ab ordinario loci, aut ſaltem à præfecto Eccleſiæ afferat, ad quam peregrinationis cauſa iter ſuſcepit; niſi litteris dimiſſorijs alius nominatim ab Epiſcopo exprimatur, cuius allato ſcripto id teſtatum facere debet.

Laici item, antequam peregrinationem ſuſcipiant, ſuũ quique parochum conueniant: à quo ſanctè peregrinandi conſilium capiant; & litteras habeant ab Epiſcopo canonicas, vt canone expreſſum eſt; quarum etiã fide teſtimoniove eis liceat vbique, & cuiuis confeſſario, ab ordinario loci approbato, peccata confiteri.

Deinde benedictionem ab eodem parocho petant, qui ſuperpelliceo, & ſtola indutus, illis benè precetur, & benedicat, ſtatis religioſis precationibus, quæ ex Eccleſiæ inſtituto peregrinis adhibentur.

Peregrinationis verò iter ſuſcipiant, vbi ritè confeſſi, ſacram Euchariſtiam religioſè ſumpſerint.

Peregrinando omnia fugiant, quæ deuotionis ſtudium perturbant, aut impediunt: & illa amplectantur, quibus illud excitari ſolet.

In itinere ſtata præcepto Eccleſiæ ieiunia ſeruent, niſi cum legitimè excuſati ſunt.

Singulis diebus Miſſę ſacro intereſſe ſtudeant: Dominicis vero, & feſtis ne vllo modo deſint, tum ſacram communionem ſumere curent.

Mane preces, quas itinerarium vocant, pie recitare ſtudeant, qui legere nouerint.

Eleemoſynas, ſi per facultates poſſunt, largiantur.

Inſtent potiſſimum orationi: pſalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi; & rerum ſpiritualium meditationibus, & ſermonibus laſſitudinem ſubleuent.

In curru, nauigio, & hoſpitio, cùm Hebræorũ maximè, tũ mulierũ etiã, niſi quas cognatione affinitateve iunctas, aut etiã ex familia ſua ſanctæ peregrinationis ſocias habeant, omne conſortium vitent, niſi neceſſitas aliud coegerit.

At ſanè vero in hoc ſancto piæ peregrinationis propoſito, ac ſtudio, ad vſum reuocari cupimus, quod olim factum eſſe ex ſacris litteris, patrumque monimentis animaduertimus, vt ſcilicet, qui etiam eiuſdem familiæ eſſent, cum tempium, locaque ſacra viſitatum irent, viri à fœminis iter ſeparatim facerent.

Abſtineant item à prophanis canticis, colloquijs, cytharis, alijſque muſicis inſtrumentis, atque adeo ab eorũ ſocietate, qui in itinere ijs, alijſve eius generis actionibus, operam dant, quibus pietatis ſtudium in peregrinatione ſuſcepta langueſcat.

Ne mendicatim eleemoſynam quæritent, niſi ex voto, vel neceſſitate, aliave cauſa Epiſcopi litteris, & teſtimonio probata.

Ad loca, vbi primum veſperi diuertunt, Eccleſiam precandi cauſa prius adeant, quàm in hoſpitium veniant, ſi tẽporis tarditas, aliudve non impedierit.

Ad ſacra loca, quæ religioſè viſitaturi ſunt, cum peruenerint, nihil aliud ſibi propoſitum habeãt, quàm, vt, aut iubileum, indulgentiamve conſequãtur, aut vota ſanctè perſoluant, ſacras reliquias, & ſacra loca piè viſitent, ab omni curioſitate, peccandique occaſione abſtinentes.

Itaque primo confeſſi, cum ſacram Euchariſtiam ſumpſerint, tum religioſe ſanctorum ſtatas Eccleſias viſitent; ita vt ex ipſorum locorũ admonitione maior affectus in ipſis reſurgat ad excitandam pietatem, & ſanctorum, quorũ auxilium implorant, orationibus adiuuentur.

Reuerſi à peregrinatione, primò parochum conueniant, à quo benedicantur, adhibitis ex Eccleſiæ inſtituto pręſcriptis ſanctis orationibus.

De ſacris locis eorumq́; cultu.

De Eccleſiarum fabrica.

NOua Eccleſia ne ædificetur inconſulto Epiſcopo, & ſcripta facultate ab eo non impetrata: qui præter alia, quæ in nouis eiuſmodi ædificationibus requiruntur, videat in primis diligenter, an ſitus decens, honeſtusque ſit; an capax populi; an item diiunctus ab ædibus, vt poſſit circumdari; curetque omnino ita illã ædificari, ne ab antiquo more, probataque traditione diſcedatur, vt ſacerdos, in altari maiori Miſſam celebrans, orientem ſpectet.

Crucis, & Chriſti Domini, in ea affixi, imago ligno, aliove genere, piè, decoreque expreſſa, ſub ipſo capellæ maioris fornicato arcu, in omni Eccleſia, præſertim parochiali proponatur, apteque collocetur. Vbi autem præ depreſſiori, humilioriue fornicis ſtructura eo loco poni decorè nõ poteſt; alia ratione in ipſo capellæ maioris ingreſſu, omninò ſtatuatur.

In vniuſcuiuſque item Eccleſiæ, præſertim parochialis frõtiſpicio, à ſuperiori ſcilicet parte oſtij maioris, ſacræ imagines exprimantur ad præſcriptum inſtructionum, quas de fabrica eccleſiaſtica edidimus.

Qua in parochiali Eccleſia porticus non eſt, neque item præ inopia extrui poteſt; hoc in ea omnino curetur, vt ante ianuam maiorem veſtibulum extruatur, quod duabus tantum columnis, aut pilis aliquantulum ab ea diſtantibus, exædificatum, parocho in baptiſmi adminiſtratione, vſui eſſe poſſit.

Quo in veſtibulo nemo tamen conſiſtat ad Miſſam audiendam, qui in Eccleſia eſſe poſſit.

Nulla in Eccleſia feneſtra permittatur, è qua foris ſtãs, Miſſam quis poſſit ſpectare. Feneſtræ in Eccleſijs, præſertim parochialibus, clathratæ exiſtant, niſi præaltè extructæ ita ſunt, vt ſine clathris etiam ab omni violento, aut furtiuo, aliove per eas ingreſſu tutæ admodum ſint; vitro etiam vel tela ſaltem muniantur.

Labrum, ſeu vas aquæ benedictæ intus in Eccleſia, non foris exiſtat; atque ad oſtium Eccleſię, à latere vero ingredientis, vbi poteſt, dextero. E marmore autem, lapideve ſolido, non lateritio, neque ſpongioſo conſtet: aſpergillũque decens appenſum habeat, non ſpongia, ſed è ſetis confectum: aliave forma, in earũdem inſtructionum libro demonſtrata.

In vnaquaque Eccleſia, in qua Miſſa celebratur, ſacrarium vnum ſit, in capella maiori, aut prope ſacriſtiam, aut in ipſa ſacriſtia, ſi Eccleſia frequens eſt, opportuno loco extructum. In parochiali verò, præter illud quod fontis baptiſmalis vſui eſt, alterum etiã loco eiuſmodi; niſi vbi pro redituum tenuitate, proque exiguitate populi, illud vnum ſatis eſſe Epiſcopus cenſuerit.

In vnaquaque item Eccleſia parochiali ſuggeſtus decẽter ad inſtructionum præſcriptũ extruatur: vnde parochus alijve concionatores ſacram concionem, vel lectionem populo frequenti habere poſſint.

Lampas, quocunque in altari collocata ſit, non à latere, ſed è regione poſita colluceat. E vitro autem conſtet, niſi è ferro, aut ſtanno conſtare aliquando neceſſe ſit, vt in locis Alpinis accidit, alijſque vbi ob frigoris rigorem vitrum frangitur: vtraque autem auricalchi opere omnino decorè tegatur.

Frequenter autem abſtergantur lampades, vt nitidæ, ac perlucidæ, & ab omni ſorde mundæ appareant.

De capellis, & altaribus.

CApellarum, & altarium locus, ne in vlla quauis Eccleſia, quouis nomine cuiquam abſque Epiſcopi auctoritate detur.

Altaria omnia amoueantur, quæ ſubter ſuggeſtum, aut organum extructa ſunt; aut columnæ, pilæve hærentia; aut aduerſa altari maiori; aut Eccleſię ianuis nimis propinqua: aut aliàs quauis ratione incommoda, aut periculoſa, Epiſcopi iudicio ſunt.

Oblationes autem, & onera, emolumentave, & iura altarium, quæ amouebuntur, ad alia altaria eiuſdem Epiſcopi ſententia transferantur.

Nec verò deinceps, in eiuſmodi locis, vlla quauis cauſa, altaria conſtrui Epiſcopus permittat: neque alio modo liceat.

Altare vnumquodque extruatur, aut, ſi iam extructum eſt, ad rationes infra præſcriptas, ex forma inſtructionibus conſtituta, ornetur, & accommodetur, ac reconcinetur.

Lapideum ſit, vel ſaltem lateritium cum tabula lapidea, ſi conſecrandum eſt.

Neque in eo feneſtella, foramenve vlla ex parte ſit; vbi quicquam aſſeruari, aut recondi poſſit; niſi forte reliquiæ ſanctorum ſint.

Si vero columellis ſuffultum erit; nequicquam item ſubtus ponatur.

Altitudine ſit à ſcabello ligneo, ſeu bradella altaris, cubitis duobus, & vncijs octo: longitudine vero ad minimũ cubitis quatuor, latitudine item cubitis duobus.

Scabellum vero ligneum habeat, quod à fronte altaris cubitos ſaltem duos productum late pateat.

Tegmen omninò habeat, vel fornicatum, vel ſaltem ex aſſeribus, aut & è tela cœrulea, decenter picta, vel è ſerico, aut panno pretioſiori confectum; vbi ſcilicet fornix nõ eſt, quæ totum altare, ac præterea ſacerdotem celebrantem tegat; aut, ſi fornix eſt, ab altari tamen ita diſtet, vt ea ſępe purgari facile, & commodè non queat.

Feneſtella ſit in pariete à parte epiſtolæ cõſtructa, & lapide tranſuerſali diſtincta; ita vt pars ſuperior vſui ſit ad peluim cum vrceolis, dum Miſſæ ſacrificium fit, reponendam: inferior ad aquam ablutionis manuum ſacerdotis celebrãtis proijciendam.

Adſit tintinnabulum appenſum; vel certè, cum ibi faciendum eſt Miſſæ ſacrificium, è ſacriſtia deferatur.

Sepiatur omnino altare vnumquodque ſepto ferreo, vel lapideo, aut quibus locis ob inopiam, Epiſcopus id permittendum cẽſuerit, ligneo; quod ſeptum ab altari, cõgruo ſpacio diſtet, ad inſtructionum præſcriptum.

Nec vero illud ſeptum laicus ingrediatur.

Petra ſacrata ita menſæ altaris inſeratur, vt nullũ offenſionis calicis periculum adeatur: tactu tamen digiti poſſit dignoſci.

Quæ quidem petra longitudine ne minor ſit vnciarum viginti: latitudine ſexdecim.

Habeat vnumquodque altare propria indumẽta, ac ornamenta,

namenta, & ſuppellectilem omnē, decretis prouincialibus, aut noſtris etiam inſtructionibus præſcriptam, tum ad eius cultum & vſum, tum ad Miſſæ ſacrificium in eo religioſè, decoreque peragendum.

Nec verò quiſquam, etiam canonicus, aut alius maiori gradu, dignitateve in Eccleſia vlla præditus, excuſetur, quo minus altare ſuum cappellamve; quā obtinet, inſtruat, ornetque, ac propriam illis indumentorum, & reliquam omnem ſuppellectilem comparet ad idem præſcriptum; etiam ſi in eadem Eccleſia ſit altare, in qua ipſe canonicatum, aut dignitatem obtinet; aut etiam eidē canonicatui, vel dignitati, eiuſve præbendæ, vnionis iure, vel alio quouis annexa ſit cappella, vel altare illud.

Ad cappellas, & altaria conſtruenda, vel ornanda, vel reconcinnāda, vel alijs rebus, tum ſuppellectili etiā opportuna inſtruenda, ex præſcripto inſtructionum noſtrarū, ſi redditus debiti miniſterij & aliarum rerum neceſſariā impenſam ſuperabunt; Epiſcopus totum illud, quod ſupereſt, aut partem arbitratu ſuo transferat; niſi aut alij ſint, qui iure debeant hæc omnia præſtare; aut alia Epiſcopi iudicio opportunior ratio videatur, vnde id fiat, quam ipſe iniri iubeat; atque vt id efficiatur quod præſcriptum eſt, omni iuris ratione eos, qui debent, compellat.

Si verò alia ratione id præſtari, aut abſolui, ac perfici poſſe Epiſcopus non viderit; ſubtrahat interea per aliquod tempus aliqua ex parte, vel etiam ſi opus erit, totum ſeruitium; redditum vero, vel pecuniam ſeruitio attributam impenſæ applicet, quæ neceſſaria eſt ad illud ſeruitiū religioſè decoreque explendum.

Epiſcopali cura diligenter cauendum eſt, vt, cum altarium, onerum, iuriumque ad ea pertinentium, tum etiam titulorum, qui interdum plures vni ſolum altari attribuūtur, memoriæ conſultum ſit perpetuo. ea enim, quemadmodū ſæpe eueniſſe compertum eſt, & breui, & facilè periret, non ſolū quia ob varias cauſas illa aliquando amouentur, trāſferunturve; verum quoniam ob acceſſiones, diminutioneſque ijs aliquando factas, onera etiā eiſdem adiuncta, nonnunquam cōmutantur, & crebro item de ijs ipſis oneribus ab Epiſcopo interdum ob alias cauſas, etiā ex decreto Tridentino ſtatuitur, decerniturve. Quamobrē Epiſcopus librum, eumq; certum, ac perpetuum, confici; illumque in archiuio Epiſcopali, diligenter aſſeruari mandet. Quo in libro, anni ſpacio, altarium omnium, quæ in ſingulis vrbis, & diœceſis Eccleſijs, iuriſdictioni ſuæ, aut viſitationi, etiam ſi quouis modo illæ alias exemptæ ſint, ſubiectis, collocata ſunt, tituli, & emolumenta item, iura, onera, ſi quæ habent, ſigillatim ordine, recteque deſcribantur.

Altaria prçterea omnia, & ſingula notentur, non ſolum quæ, vel ex hominum memoria, vel ex alijs monimentis, ſcriptisve ad illa ipſa, iam alias tranſlata eſſe, cognoſci aliquo modo poteſt; verum etiam, quæ in poſterum, quauis de cauſa eodem transferentur, deſcriptis pariter illorum titulis, iuribus, atque oneribus.

Tum etiā accuratè ſuo loco notetur, ſi quid deinceps emolumenti, aut oneris ex legato, aliove nomine acceſſerit.

Rurſus onerum cōmutationes, diminutionesve, ſi quæ fient, nominatim deſcribantur; ac denique quæcunque de ijs ipſis, ob Miſſarum numerum, obque eleemoſynarū tenuitatem, etiam ex decreto Tridentino ab Epiſcopis, alijſve decerni, ſtatuique contigerit. Tum præterea certi illi dies, quibus eo Tridētino decreto, ob illam cauſam commemoratio pro mortuis facienda eſt, qui eo nomine pia legata reliquerunt.

Onera verò hoc libro notata, ſingula in tabellam referantur; quæ ex decreto prouinciali de Eccleſiarum oneribus, in vniuſcuiuſque Eccleſiæ, illa habentis, ſacriſtia affigi debet.

Hoc ipſo libro altaria etiam ſingula, quæ ex conceſſa ab Epiſcopo facultate in poſterum extruentur, cum ſuis titulis, iuribus, emolumentis, atque oneribus accuratè deſcribantur; facultate etiam illa in eum ipſum librum relata.

Ideoque qui ita extruxerit, & rector Eccleſiæ
cancellario Epiſcopali, menſis ſpacio,
ædificationem iam abſolutam
denunciet.

De Sepulchris.

NE ſepulturæ locus quouis nomine cuiquā detur: neve ſepulchra fiant, conſtruanturve in vlla quauis Eccleſia, ſine Epiſcopi conceſſu, ſcriptis exarato.

In choro autem, vel cappella maiori, nullo modo.

Nec vero in alijs Eccleſiæ locis prope altaria, niſi tā longe ſepulchra diſtent, vt ſepulchrale os à ſcabello, ſeu bradella altaris procul abſit, ſpacio ſaltem cubitorum trium.

Quæ autem proprius extructa iam ſunt, omninò amoueri, obſtruique decernimus.

Fornicato opere ſepulchra fiant: quæque è ſolo Eccleſiæ, nullo modo extent, emineantve: ſed illud planè adæquent.

Ab vtroque Eccleſiæ latere, dextero ſcilicet, ac ſiniſtro eo ordine diſpoſita extruantur; vt è regiono, ſibi ſingula reſpondeant.

Operiantur, ne vllo vnquam tempore fœteant, duplici integumento; quod forma quadrata, è lapide ſolido ſit, ita tamen vt inferius integumentum è rudi, illud autem ſuperius è polito lapide ſtruatur; Eccleſiæ pauimento æquale, ꝙ item ſepulchrali ori vndique aptè cohæreat.

In quo ſuperiori integumento, ne crux, ſacraque alia imago ſculpatur.

Nec rurſus imago alia, vel litteræ, aut aliud omninò quicquam, quod extet, atque emineat; neque quod ab Epiſcopo prius probatum non ſit, vel ab eo, cui ille id munus dederit.

Quæ ſepulchra modo ſunt marmore, vel petra ſolida, non tecta, niſi trium menſium ſpacio aptè tegantur, humo oppleantur, adæquato ſolo; ac nemo præterea in illis deinceps ſepeliatur.

De Cæmiterijs.

COemiteria vt muro, vel alias tutè vndique ſæpiantur, & eorum ingreſſus beſtijs occludatur; curet Epiſcopus diligenter. In eorum medio crux firmiter erecta ſit; quam aliquo etiam decenti integumento operiri, conueniens erit.

De Campanis.

PArochialis Eccleſia, ſi campanas tres, grandiorem ſcilicet, mediam, & minimam habere non poſſit, ſaltem duas, vbi fieri poteſt, habeat; eaſq; diſtincto ſoni concentu inter ſe rectè conſentientes, pro varia diuinorum officiorum, quæ fiunt, ratione, & ſignificatione.

Simplex Eccleſia, oratoriumve, vnam tantum campanulam habeat, vt Ioannis XXII. Pont. conſtitutione ſancitum eſt.

Campanis aūt ipſis res nulla prophana deinceps inſculpatur, inſcribaturve, ſed crux, & ſacra aliqua imago, vtpotè ſancti patroni Eccleſiæ, piave inſcriptio.

Neque rurſus eæ in turrim campanilem ſuſtollantur, antequam ab Epiſcopo ritè precibus, ac benedictione conſecratæ ſint.

De ornatu, decore, ac nitore ſacrorum locorum.

NE animalia, piſces grādiores, eorumve membra in Eccleſijs appendantur: niſi quæ voti, aut piæ ſignificationis cauſa Epiſcopus permittenda cenſuerit.

Conſecratæ altarium menſæ totæ, licet aliqua ex parte lateritiæ ſint, tela cerata ita contegantur, vt facilè à menſa tela non poſſit amoueri.

Cum Eccleſiæ fores patent; tunc altaria ſingula, & mappis tribus mundis, vna oblonga, quæ ad imam eorum partem pertingat, duabusque reliquis breuioribus veſtita ſint; ita vt gradus etiam ille ligneus, ſuper altari à tergo collocatus, ab indumento nudus nō ſit, ſed mappa mūda totus ſternatur; & pallio item coloris, quoad eius fieri poteſt, pro feſti diei, feriæve ratione decenter eadem ornata, ac tela viridi,

ne mappæ

e mappæ puluere, aliave ſorde inquinentur, conſtrata, & ræterea cruce in medio collocata, & candelabris duobus, no ſcilicet ab dextera, altero ab ſiniſtra parte poſito, inſtruta, atque ornata ſemper ſint. Idque quotidie in Eccleſijs, uæ frequentantur, in cæteris vero Eccleſijs, feſtis ſaltem iebus.

Tabella ſecretorum in vnoquoq; altari ſit itē, ea tamen atione, vt peracta Miſſa, non erecta ſit, ſed depreſſa ſub tea, mappave recondatur.

Quibus in Eccleſijs, feria quinta hebdomadæ ſanctæ, epulchrum ornatur, aut conſtituitur, vbi Corpus Chriſti Domini aſſeruatur cum illud glorioſum fore, Iſaias prædixerit, ſicut pretioſo ornatu decorari debet; ita in ijs cauendum eſt, ne prophanus, & parum decens ſit ornamentorū apparatus. Ne igitur cubiculis ſtragula, cortinæ, conopœa, ſeu tentoria, ad vſum prophanum adhibita, ad illud circumueſtiendum, atque exornandum vſui ſint: niſi Eccleſiæ oblata, eius iam propria facta, & ſacro vſui dicata ſint.

Idem ſancitur de veſtibus, & ornamentis, quibus ſacræ ſanctorum, ſanctarumque imagines induuntur.

Ne Eccleſiæ, oratoriave, ſitu, puluere, aut alio ſquallore obſordeſcant.

Vbi præterea inter altare maius, & parietē, qui à poſteriori eius parte eſt, locus nō multi ſpatij datur, relinquiturve, quamuis exiguus, qui chorum nō capiat, is etiam locus, ab omni ſitu, ſquallore, ac ſorde purus, munduſque conſeruetur.

Ne in Eccleſia, aut pro foribus eius, neve in oratorijs, aliove ſacro loco colligendæ eleemoſynæ cauſa, ne ipſius quidem Eccleſiæ, aut eius fabricæ, rectoriſve nomine, capſula, vaſculum, menſa, aliudve eius generis, etiam extraordinariè, collocetur; aut iam collocatum in poſterum permittatur, niſi Epiſcopi conceſſu, litteris exarato: tuncque ei capſulæ, vel rei aliæ ad id paratæ, duæ claues apponantur, diuerſo fabrili opere fabricatæ; quarū altera teneatur ab eo, quē Epiſcopus nominarit, altera ab ijs, quorum nomine eleemoſyna colligetur. Si cōtra fiet, pœna ſit arbitratu Epiſcopi; tum eleemoſyna collecta locis pijs addicatur illius item arbitrio.

Si quæ capſæ Epiſcopi conceſſu in Eccleſia conſtituentur, aut collocabuntur, in quas à fidelibus, vt pleriſque in locis pietatis ſtudio fit, vel frumentum, vel legumina, vel alia quæuis eleemoſynæ nomine conijciātur: eæ ne intra capellæ, altariſve, quo fidelium, eiuſmodi res offerentiū, concurſus fit, cancellos, aut clathra ferrea ita ponātur, vt ipſis fidelibus, eleemoſynas collaturis, neceſſe ſit cancellos ingredi.

Vt & eccleſiarum nitori conſulatur, & ſtrepitibus, ac rixis, quæ ex ſediū muliebrium, quas bradellas vocant, in Eccleſijs collocatarum ſitu, exiſtere ſæpe ſolent, occurratur; vtque ſimul in ijs Eccleſijs, quæ præſertim anguſtæ admodū ſunt, populi frequentiæ ſpatium maius detur: eæ ſedes omnes, vbi conſtitutæ ſunt, amoueantur; nec verò in poſterum vllæ vnquam collocentur: communes autem aliquas, eaſq; humiles, ſimplici fabrili opere confectas, modo, & forma in noſtrarum inſtructionū libro præſcripta, collocari, conſtituique liceat, conceſſu Epiſcopi.

Eæque ſedes communes, aut confratriarum, quę in Eccleſijs conſtitutæ ſunt, ſumptibus, aut pecunia à populo cōtributa, fieri poterunt, aut alia quauis ratione, quæ Epiſcopo potior videbitur.

Altaria item ſacræ tabulæ, & imagines, ac parietes ipſi perpetuo eniteant: tum feneſtræ non ſubobſcuræ, ſed perlucidæ ſint: pauimentum autem ſaltem octauo quoque die diligenter verratur. Hæc omnia præſtari cura ſit rectoris cuiuſuis Eccleſiæ.

Adhibeatur item, diligentia, & graui pœna mulctaque agatur, vt & Eccleſiæ, & oratorij, & cœmiterij parietes ab vrina, alijſve cuiuſuis generis ſordibus mundi conſeruentur.

Arbores, ſtirpes, aliaq; eiuſmodi arbuſta, ab Eccleſijs, & oratorijs quibuſuis remota ſint, vt ne radices dilatatæ parietibus officiant: aut rami diffuſi tecta operiant, vnde detrimentum ipſis tectis exiſtat. Si qui verò rami eiuſmodi tectis iam officiunt, amputentur omnino.

Vites præterea, hederæ, aliæque id generis herbæ, quæ ſuccreſcentes exterioribus eccleſiarum, aut oratoriorū parietibus adhærent, prorſus conuellantur.

A rubis præterea, & ſpinis, & alijs id generis, quæ adnaſci ſolent extrinſecus, ijdem parietes mundi, & à cœmentorum item, lapidumque congeſtu remoti, cuſtodiantur.

Ex cœmiterijs porrò vites, arbores frugiferæ, & aliæ etiam infrugiferæ cuiuſuis generis, aut arbuſta, ſtirpeſve omnino conuellantur, atque excidantur.

Neve in poſterum in his ſacris locis quicquam conſeratur, nec verò feratur.

Ne fœnum ex his ſuccidatur, neve herba item vireſcēs, quæ beſtijs pabulo ſit, vel detur.

Neve in earum fines res vlla abijciatur, cuius grauis, teterve odor ſit; aut aliud quicquam ſacris ijs locis inhoneſtè fiat.

Stabula etiam armentorum, & cuiuſuis generis animalium inde procul ſint.

In ijſdem ne lignorum ſtrues fiat: ne tigna congerātur, ne cœmentorum, lapidumve aceruus ſit; nec denique quicquam loci illius decori, nitorive, ac religioni ſanctitative repugnans.

De prophano vſu à ſacris locis tollendo.

NE ædium, agrorum, rerumq; aliarum eiuſmodi, quæ vel locandæ, vel vendendæ proponi, aut proſcribi publicè ſolent, neve omninò rei cuiuſquam prophanæ ſchedulæ, ſcriptave vllis Eccleſiarum, oratoriorumve, aut cœmiteriorum foribus, valuis, parietibuſque aut in quouis ſacro loco in poſterum affigantur.

Ne item res venales, in Eccleſiarum, & oratoriorū, cœmiteriorumve parietibus appendantur, neq; intra loci ſpatium, quod aqua ſacra aſpergitur, cum Eccleſiæ conſecratio fit; aut intra ſtillicidij fines, aliudve loci maius interuallum, Epiſcopi iudicio præſcribendum.

Neve item officinæ, tabernæve quouis materiæ genere, etiam tabulis, aſſeribuſve confectæ, vel ipſis parietibus inhærentes, vel in cœmiterijs, ſacriſve locis, aut omnino intra illius ſpacij, aut interualli fines, vllo modo cōſtruantur, aut collocentur. Quæ verò iam conſtructæ, collocatæve ſunt, inde quamprimum penitus amoueantur.

Ne Eccleſiæ, aut capellæ, aut etiā oratorij, in quo Miſſæ ſacrificiū aliquando peragitur, tecta palearū aceruis, neve aliqua lignorū ſtrue onerentur: ne item à parte ſuperiori, vel cœnaculum, vel cubiculum, vel omninò locum habeāt, vbi aut dormiatur, aut habitetur, aut quicquam prophani fiat. Quæ verò loca iam eiuſmodi ſunt, omnino amoueantur.

Ne frumentum, milium, hordeum, vllumve tritici, aut leguminum genus, ne poma item, ne inſtrumenta, ad prædiorum ruſticorum vſum cōparata, ne cuiuſuis generis ſupellectilem prophanam, vt ab Innocentio Tertio Pontifice in Concilio Lateranenſi ſancitum eſt, ne denique quicquam à domo Dei alienum in Eccleſia, etiam non conſecrata, aut in oratorio, aut in cœmiterio recondi, aut aſſeruari ab vllo quouis homine liceat. Vetitumque præterea ſit, niſi cum interdum aliter Epiſcopus faciendum cenſuerit, clauem illius Eccleſiæ aut oratorij, etiam diœceſani, ruraliſve, laicis hominibus, præſertim verò colonis, vel conductoribus eiuſdem Eccleſiæ ædium, vel prędiorum, committi, aut ab illis cuſtodiri, ſeruarive.

Ne campanę in eis conflentur, neve aliquid ferruminetur; neve fabrile quicquam, aut aliud huius generis fiat, niſi quæ ad eiuſdem eccleſiæ, aut oratorij vſum, ornatumve, alibi fieri non poſſint.

Ne in cœmiterio frumentum, quaſi in area ventiletur; ne tritura fiat: ne palea, frumenta, fruges, expandantur: nec vero telæ, pannive linei, lixiuio, aquave madefacti, ſoli ibidem exponātur: neque in eo fœminæ, mareſque colo quicquam neant, neve ſuant, aut aliud præterea opus faciāt, eorum ſacrorum locorum rationi alienum.

Eccleſiæ oſtia, cœmiteria item, aut rectori, aut etiā alijs vſui ne ſint, res prophanas, onerave aſportantibus, hacque & illac per eccleſiam, ſacraque loca, quaſi per viam publicā tranſeuntibus, cui rei vt planè occurratur, cautionem omnem Epiſcopus adhibeat.

Ne gram-

Ne grammaticæ, humanarumque litterarum rudimenta, quæ ſæpe inanibus gentilium fabellis traduntur, aut aliæ omninò litteræ, præter ſacras in eccleſia, tanquam in ludo litterario, pueris apertæ, exponantur; ſed rudimenta ſolum doctrinæ Chriſtianæ, & cætera, quæ in illis ſcholis pueris tradi conſueuerunt.

Si quo tamen in loco ex cauſis, hoc concilio probatis, parocho permiſſum erit alia docere, non vetamus; ſi domus parochialis anguſtia neceſſaria poſtulet, hoc officium ab eo præſtari ferialibus diebus in Eccleſia permiſſu eiuſdem Epiſcopi.

Quæ permiſſionis facultas ſcripto detur; tum præterea locus certus, ac, quam longe fieri poterit, ab omni, præſertim maiori, altari remotus, ad id muneris deligatur: extra cuius loci fines pueri ne vagentur; nec vero ob eam cauſam in Eccleſia morentur, niſi cum parochus, qui eos in diſciplinam ſuſcepit, præſens adeſt.

De religioſa in ſacris locis conuerſatione.

NE ſacris myſterijs dicata, & à Deo electa, templa ſancta pateant iniquitatibus hominum, quo præſertim tempore, peractis diuinis officijs, nemo adeſt clericus cuſtos, id curet Epiſcopus, vt eccleſiæ, & vrbanæ, & diœceſanæ, certa pro ratione locorum conſtituta hora, claudantur, & aperiantur item. Quod ſi ob cauſam aliquando diutius, aut per totum diem eas patere oportet; caueat tamen, efficiatque Epiſcopus, vt quo tempore patentes ſint, atque apertæ, cuſtos aliquis clericus adhibeatur, qui ſemper adſit; & quæ loco illo ſacro indigna ſunt, ibi peragi prohibeat.

Vbi vetus illa conſuetudo, cùm ab alijs tum ab ſancto Chryſoſtomo in primis teſtificata, eaque non ſine aliqua myſterij ſignificatione inſtituta, vt ſeparatim ſcilicet in Eccleſia viri à mulieribus eſſent, in prouincia noſtra intermiſſa, aut nulla eſt; Epiſcoporum cura planè reſtituatur, quemadmodum, & adhuc in compluribus eiuſdem prouinciæ eccleſijs retinentur, & olim in vſu fuiſſe cognoſcitur ex antiquis earundem eccleſiarum exædificationibus; in quibus ſeparationis, ac diſtinctionis huius veſtigia, his etiã temporibus extant. Qua in conſuetudine reſtituẽda modus, & forma illius diſtinctionis extruendæ, muniẽdæve per eos, quorum intereſt, ſeruetur ad præſcriptum inſtructionum noſtrarum, de fabrica Eccleſiaſtica editarum.

Vniuſcuiuſque autem Eccleſiæ rectoris cura ſit, locum in eccleſia, oſtiaque pro ingreſſu, & egreſſu ſeparata, ſexui vtrique aſſignare, ac propterea quibus in eccleſijs opus eſt, plura oſtia, loco opportuno aperire, ad præſcriptũ Epiſcopi, ex inſtructionibus fabricæ.

Ad loca illa ſub gradibus, altariqùe maiori extructa, quę martyria confeſſionesve, ab antiquis vocantur, magna cautio adhibenda eſt, ne viri, & fœminæ ingrediantur codem tempore, præſertim in populi frequentia.

Quare in illis eccleſijs, in quibus ingreſſus ad eiuſmodi loca, mulieribus omnino interdictus non eſt, ſi diuidi commode ea non poterũt, vt viri à fœminis ſeparatim ſint, ſaltẽ, quod ad illa attinet, quę obſcuriora, aut nõ ſatis ampla ſunt, certus dies, certaque hora ab Epiſcopo conſtituatur, qua ad illa alteri ſexui ſeparatim pateat ingreſſus.

Ne quis, ne in atrij quidẽ eccleſiæ finibus, ne dum in eccleſia, aut cœmiterio rixas, ſimultates, aliaſve quaſque res, quæ offenſionem, ſcandalumve pariant, vllo pacto excitet; neve gladium, vt Concilio Triburienſi ſancitum eſt, armaq; ſtringat, aut ijs quemquam aggrediatur. Si quis contrafecerit, poſtquã ſpacio, quod ei Epiſcopus præſtituerit, monitus facti ſui excuſationem, defenſionemve iuſtam nullã attulerit, communione eiuſdem arbitrio priuetur.

Pro foribus, atriove eccleſiæ, præſertim quo tẽpore ſacra, diuinaque officia celebrantur, ne pila ludatur; aut aliud quicquã fiat, agaturve, vnde ſtrepitus, clamoreſve excitantur, quibus diuinæ officiorũ preces interturbentur. Qui ſecus fecerit; pœnam, mulctamve ſubeat Epiſcopi arbitrio.

Illud parochus ſedulo agat, vt mulieres, lenocinio, meretricio ve quæſtu infames, ne domiciliũ habitent, quod vel Eccleſiæ, vel ædibus parochialibus, aut virorũ, mulierumve monaſterijs continens, aut prope inhæreat.

De Eccleſiarum, & altarium conſecrationibus, aliarumq́, rerum benedictionibus.

ECcleſiæ, ſaltem parochiales, non conſecratæ, infra annũ in ciuitate, per diœceſim vero infra biennium, omninò conſecrentur; item parochialium Eccleſiarum maiora altaria, quæ conſecrata non ſunt, quam primum poterunt.

Cum parochialis Eccleſia conſecranda erit, ieiunium in vigilijs cum ſupplicationibus populus ſuæ quiſque parochiæ ſeruet: tum in die etiam ipſo, quo conſecratio fiet, abſtineat ab omni ſeruili opere; eumque diem feſtum colat, & celebret; idque vtrumque propterea à parocho ante denũcietur.

Liber Epiſcopo curante, conficiatur: idemque in archiuio epiſcopali aſſeruetur: in quem Eccleſiarum, altarium, cœmiteriorumque conſecrationes, & campanarum benedictiones ordine relatæ, ad perpetuitatemque poſteris proditæ, extent.

In Eccleſiæ item vniuſcuiuſque ſacriſtia liber eiuſmodi ſit, aut certè aliud ſcripti genus publica auctoritate munitũ, de illius Eccleſiæ ſuique cœmiterij, & altarium conſecratione, & campanarum benedictione.

Quo firmius verò, magiſque perpetuum cõſecrationis Eccleſiarũ, & altarium monimentũ poſteritati prodatur, vniuſcuiuſque eccleſiæ conſecrationis diem, annumque litteris, etiã in marmore inciſis, rectè notari, tabulamq; marmoream, in qua tota cõſecrationis narratio exaretur, in pariete ab eccleſiæ fronte, non longe è ianua primaria, loco illuſtri bene affixam, collocari mandamus. Idem iubetur de altarium maiorũ conſecratione. Aliorum vero altarium cuiuſuis eccleſiæ conſecratio, pictura ſaltem aliqua, vel alio ſigno exprimatur, vel in altari ipſo, vel loco proximo.

Antiquus ille benedictionis ædium, quæ vel recenter ædificatæ ſunt, vel immundis ſpiritibus, aliave ratione vexantur, ritus, vbi in vſu eſſe deſijt, Epiſcopi cura reſtituatur. In illa porro benedictione parochus ritum, preces, pſalmos, orationes, in libro ſacerdotali, ritualive præſcriptas, adhibeat.

De ratione adhibenda in Eccleſiis, altaribusq́, prophanandis.

ECcleſia, ſi quæ aliquando, quauis auctoritate prophananda eſt, vt ne vario cærimoniarum vſu, ſed certa, & vna eademque ratione prophanatio fiat, ita vt infra præſcribitur, prophanetur.

Primo ſi quæ ſacræ reliquiæ corporave ſanctorum in ea reconduntur, aliquot ante prophanationem diebus, diligenter recognita, ad Eccleſiam, in quam transferri Epiſcopo placuerit, ritè ex pręſcripta ratione transferantur. Ad quam ſacrarum reliquiarum translationem illius viciniæ, eccleſiæque clericus in primis conueniat, in quam deferuntur, conuocato etiam præſertim eiuſdem viciniæ populo.

Sacræ etiam imagines eo transferantur.

Deinde eccleſiæ altaria per ſacerdotem, cui Epiſcopus prophanationis facultatem, ſcripto exaratam, nominatim dederit, hac cærimonia amouebuntur.

Primum aliquantiſper, genibus ad altare prophanandum, flexis, tacite orans, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, & orationem de ſancto dicat, cuius nomini altare illud dicatum eſt; tum vbi orauerit, illud ab omni parte detegat; lapidem conſecratum ita aptè euellat, vt ne confringat: tum manibus ſuis lauet, atque abſtergat; deinde aquam in ſacrarium effundat: lapide ita amoto, diligenter, religioſeque perſpiciat, ſi quæ ſacræ reliquiæ inſunt, quas inuentas certo, honeſtoque loculo clauſas, atque obſignatas, aſſeruet; &, vbi Epiſcopo denunciarit, in Eccleſia, ad quã translatio fit, ad Epiſcopi præſcriptum recondendas, & aſſeruandas tradat: tum reliqua altaris pars ab operarijs amoueatur. Idque omne in ſingulis altaribus amouendis ritè ſeruetur.

Præterea alio poſt altarium amotionẽ die, per homines, quos Epiſcopus adhibere voluerit, fidelium oſſa exhumentur; vno-

ur;vnoq́ue loco collecta, reponantur, præſente eodem ſacerdote: qui antequam exhumationis initium fiat, tacitus tem, vt ſupra, ad altare maius precetur, cũ proceſſione cleri, & populi viciniæ, infra cuius fines Eccleſia prophanata eſt, oſſa efferentur ad locum, vbi reponenda ſunt; dumq́ue efferũtur, vt pro mortuis fit, precum officium dicatur; tum in Eccleſiæ loco, vbi reponentur, viciniori pro mortuis itidem Miſſæ ſacrificium fiat.

In eccleſijs aũt dirutis, ad vſumq́; prophanum conuerſis, crucis inſigne figatur, ex Tridentini Concilij ſanctione, quod ſignum facilè amoueri non queat.

Altaris itẽ vnius, ꝙ ſine Eccleſia prophanandũ eſt, ratio, vt ſupra, de altaribus in eccleſia prophanandis præſcripta ſeruetur.

Cœmiterij præterea prophanandi modus, vt eccleſiæ, idem teneatur.

De Sacriſtia.

SAcriſtia vnaquæq́ue habeat, quæ ſequuntur. Primo armarium, vel veſtiarium vnũ, plurave ad indumenta conſeruanda inſtructa, ſuis capſulis, aut loculis, aliove modo, opereve multipliciter, ordineq́ue diſtincta, pro eccleſiæ ratione, vel ſuppellectilis copia.

Tum præterea oratorium ſeparato, quantũ poſſit, loco poſitum, atque diſtinctum: vbi poſſit ſacerdos in ſolitudine ſe colligere, & orare ante, & poſt Miſſæ celebrationem.

Tabellum item cum manutergio appenſo, ad manus abluendas, & abſtergendas.

Tabulam etiam de orationibus, ſacro vnicuique indumento accommodatis.

Tabellam quoque appẽſam, ad Concilij primi prouincialis præſcriptum, in qua tabella, & Miſſæ, & anniuerſaria ſingula, ordine notata ſint; quæ vel ab vniuerſo illius eccleſiæ clero, vel ab vnoquoque in ſingulos dies, hebdomadaſve peragi, præſtarive debent.

Ac reliquas item tabellas, ex inſtructionum præſcripto, aliaſve, Epiſcopi iuſſu confectas.

Sit in ſacriſtia item tabella, in qua ſinguli Epiſcopi, qui Eccleſiæ illi præfuerunt, notata temporum ratione deſcripti ſint; vt frequentius ſacerdotes commeminerint pro illis preces, & ſacrificia offerre.

Veſtes autem ſacræ, cæteraq́ue ornamenta, volumina item eccleſiæ vſui, miniſterioq́ue addicta, ac reliqua eccleſiaſtica ſuppellex, & parochiales itẽ codices in ſacriſtia certis armarijs, recte, atque ordine aſſeruentur. Nec verò ſordibus, ſitu, ſquallore, puluereq́ue obſordeſcant; ſed, quoad eius fieri poteſt, ab omni ſorde, & inquinamento pura omnia, & ſingula ſint, ac integra: ac nullo præterea modo lacera, ſed ſarta, tecta, nec male compacta.

Baptiſterij, ſacrarij, tabernaculi, lunulæ, veſtium, aliarumq́ue eiuſmodi rerum forma, inſtructionum noſtrarum libro demonſtrata, in omni eccleſiæ cathedralis ſacriſtia ponatur: ad cuius ſimilitudinem reliquæ, quæ in alijs eccleſijs adhibentur, rectè confici poſſint.

In ſacriſtia ipſa ſilentium ſeruetur accuratè: neque in eã pateat aditus laicis, niſi neceſſario.

Caueant eccleſiarum rectores, alijve miniſtri, ne aulæa, periſtromata, tapetia, aliaq́ue ſuppellectilis, & ornamentorum genera eccleſiæ, aut ſacriſtiæ addicta, ad domeſticum vſum vllo modo vnquam adhibeant: nec vero alijs vtenda dent. Veſtes aũt ſacræ, aliaq́; indumenta, Miſſæ, diuinorumq́ue officiorum cultui dicata, in vulgus cuiquam expoſita ne ſint; ſed armario, veſtiarioq́ue incluſa, claue obſerentur; neque laicorum manibus contrectentur, vt antiquo canone cautum eſt.

De Bibliotheca.

SIcut in libris ſacris, voluminibusq́; ſanctorum, & alijs eccleſiaſticis cuiuſuis generis codicibus, copioſè, ſumptuoſeq́ue comparandis, diligens fuit accurataq́ue maiorũ induſtria: ita in ijs ipſis aſſeruandis, illorum, qui ſucceſſerũt non negligens ſtudium, nec vero cura minor eſſe debet: cũ ex ijs manu ſcriptis, recteq́ue exaratis voluminibus, in tanta librorum corruptela, his præſertim temporibus, per hæreticos introducta, plurimum adiumenti rebus eccleſiaſticis publicis afferatur, & ad catholicæ doctrinæ veritatem tuendam, & ad coarguendam illorum, vitioſe illa deprauantiũ, temeritatem:

Bibliothecæ igitur eccleſiæ, vbi eccleſiaſtica volumina, alijq́ue codices ſunt, certus locus, vbi nullus conſtitutus eſt, in Epiſcopalibus, aut in canonicalibus, alijſve eccleſiæ ædibus, curante Epiſcopo conſtituatur.

Quo in loco armaria aliquot extruantur, eaq́ue ſitibus diſtincta, in quibus codices, & volumina, quęcunque ibi extant, non aceruatim, ſed ordine diſponantur.

Index præterea fiat, in quo pro diſciplinarũ genere, aut pro alphabeti ratione, volumina ſingula notentur.

Isq́ue index certo loco in perpetuum aſſeruetur, notatis etiam deinceps ordine alijs libris, quicunque in poſterum eidem bibliothecæ, quouis modo acceſſerint.

Volumina, quæ pro vetuſtate, carie, ſituve obſordeſcũt, librario opere poliantur.

Diſſoluta, & male compacta, conglutinentur.

Ab operculo nuda, aſſeribus, coriove, tegantur.

Vetuſtate, aliove modo conſumpta, reconcinnentur, & ad perpetuitatem opere recenti, nouisq́ue librarijs integumentis inſtaurentur.

Si præterea quo anno vnumquodque volumen, manu exaratum ſit, animaduerti poteſt, id etiam breuiter in eo indice notetur; tum præterea quo charactere ſcriptum, vt ex ijs antiquitas colligi poſſit, quæ aliquando vſui, & vtilitati eccleſiaſticæ publicæ eſſet, ad emendatam voluminum impreſſionem.

Epiſcopus, de conſilio capituli, canonicum aliquem, vſu peritum, litterarum ſtudioſum, inſtruendæ, augendæq́ue bibliothecæ cupidum, conſtituat: qui illius curæ diligenter præſit. Illius verò officium duret eiuſdem Epiſcopi arbitratu. Si qua tamen in eccleſia probatæ conſuetudinis eſt, à Capitulo bibliothecarium deligi: ab eodem deligi non vetatur.

Cura vero Epiſcopi omnino ſit, bibliothecam aliquando inuiſere; ſiq́ue per eũ, & per canonicos ratio aliqua iniri poteſt, qua, in bibliotheca librorum eccleſiaſticorum copia augeatur; id ſollicitè curetur, vt eiuſmodi librorum apparatu, publicæ Epiſcopali, canonicali, clericaliq́ue commoditati, atque vſui conſultum ſit.

De oratorijs in via ſitis.

ORatoria, vbi Miſſæ ſacrificium non fit, in vijs, & eiuſmodi locis poſita, altare nullum omnino habeant.

Valuis, & claue ab oſtio muniantur. Quæ clauis à parocho cuſtodiatur, intra cuius parochiæ fines poſita illa ſunt.

Extruantur non in campis, ſed in via publica, vt iter facientes, eorum locorum proſpectu pie commoti, paululum precando conſiſtant.

Quæ oratoria ſi ita anguſta ſunt, vt ne oſtij quidem valuas, intus patentes, capiant, cancellis ligneis à parte anteriori ſepiantur.

Et quoniam ſacræ imagines, quæ in exteriori pariete oratorij exprimi ſolent, cum ita expoſitæ ſint, luto, ſordeve inquinari, vel indecentius, iniurioſiusq́ue tractari poſſunt; ne extrinſecus in ipſis oratorij parietibus pingantur; aut alio modo exprimantur; niſi edito loco fiant, vbi ab omni labe integre conſeruentur.

In ipſis verò oratorijs intus aliqua omninò ſacra imago ſit.

Quorum oratoriorũ oſtium ſi è ſolido aſſere conſtabit, nec verò cancellis erit compactum: feneſtella in eo, ac duæ præterea, in pariete anteriori ſcilicet, ab vtraque oſtij parte ſint, clathris ligneis ſaltem munitæ, vt intro à prętereuntibus poſſit ſacra ipſa imago inſpici, ac veneratione coli.

Pilæ quædam ſtructiles, in vijs publicis conſtructæ, cum ſancta aliqua imagine, vel cruce, edito loco pictæ aliove modo expreſſa, à ſuperiori parte tectæ conſeruentur, ne corruant.

Curetur-

Cureturq́ue item, vt aliæ eiuſmodi pilæ ad hominũ pietatem excitandum certis congruis locis ædificentur.

De Oratione.

ORationis veſpertinæ, olim in hac prouincia inſtitutæ, ſignum diſtinctis campanæ ictibus, vt Epiſcopus pręſcripſerit, detur. Vbi verò in vicis, & pagis, ob campanæ exiguitatem, ſonus ita difficilius exauditur; nõ intermiſſo, ſed continenti ſono per horæ quadrantem, illius ſignificationẽ fieri, ſi ita cenſuerit, iubeat Epiſcopus.

Rurſus qua in Eccleſia parochiali, diœceſis præſertim, ob vacationem, vel ob aliã cauſam, nullus, vel ſacerdos, vel clericus aliquando eſt, qui huius orationis ſignũ campana det; alia per Epiſcopũ, vel Vicariũ foraneum ratio ineatur, qua illius ſignificatio fiat, campanæ item ſono.

Vbi domicilia, inter ſe proxima, aut continentia ſunt; in Eccleſia, tum maximè diebus feſtis, illam à populo fieri conuenientius eſt: quem frequentem conuenire omni officio parochus curet.

Ipſe verò ſi adeſſe neglexerit, intermiſeritve; mulctetur Epiſcopi iudicio. Curet aũt parochus, vt in eccleſia nõ tardius multo ducatur, quàm ad ſtatã horam, qua ſub crepuſculum noctis ſalutationis angelicæ ſignum datur.

Si ex pagis, & vicis præſertim frequentioribus, in eccleſia parochiali fideles difficilius conuenire poſſunt, quoniã ab ea aliquantum illa loca diſtant; conſtituat Epiſcopus eccleſiam, aut cappellam, oratoriumve illis ſingulis propinquiorem, aut commodiorẽ; aut deniq; crucem, ſacramve aliam imaginem in triuio erectam; quo etiam ſub dio ad orationem veſpertinam conuenire liceat.

Quæ orationis ratio in cappella, in oratorio, vel in eccleſia, quæ parochialis non eſt, etiam adhiberi poterit.

Si quando præterea, alijs etiam diœceſis locis, pluuiæ vis, niues aliave temporis grauitas, itineris difficultati adiuncta, difficiliorem fidelium conuentum ad Eccleſiam parochialem faciat, ne ob vllam cauſam à tam ſalubri orationis inſtituto, & multiplicibus Apoſtolicæ ſedis priuilegijs commendato, vllo die populus deſiſtat. Quo in officio in ijs locis adiuuetur maximè opera ſacerdotum, & clericorũ quorumcunque illius pagi, locive.

At vbi neque his rationibus fieri poterit, vt fideles omnes vniuſcuiuſque loci in vnum conueniant ad hanc orationis communis exercitationem; domi ſaltem ab vnoquoque, qui ad Eccleſiam non conuenerit, cum familia ſua certo loco fiat.

Norint porrò fideles, quod etiam Concilio Aurelianenſi quarto olim iuſſum eſt, ſibi ſæpius ſingulis diebus orandum eſſe; quod ſi aliquando frequentius non poſſunt, ſaltem non veſperi ſolum, ſed etiam mane id à ſe præſtari oportere. Quare Epiſcopi cura ſit illum veſpertinæ orationis quotidianæ communis vſum, mane etiam, paulò, ſcilicet ante auroram, aut ſub ortum Solis, id quod in pleriſq́ue huius prouinciæ locis iam ſeruari cœptum eſt, vbique locorum cum in vrbe, tum in diœceſi ſua paulatim introduci, atque ea ratione inſtitui, vt vel in eccleſia, vel ſuæ quiq́ue domi cum familia certo loco, vel in officinis, taberniſve, vel in ipſis etiam agris, atque adeo in itinere, vel in alijs denique locis, vbicunque, vt illo Concilio cautum eſt, ea matutina hora ſunt, & patres fam. & liberi, & famuli, & artifices, opificesve, & operæ, inſtitutoresve, & cęteri, quicunque ſunt, ſiue mares, ſiue fœminæ, huius matutinæ orationis officio, antequam artificium, negotium remve vllam aggrediantur, precibus, litanijs, omniq́ue oratione, ac toto animo, menteq́ue vacent, ſicq́ue quotidianarum actionũ, operum, & negotiorum initium, à Deo faciant, finemq́ue itidem.

Nimbis, procellisve imminentibus, ſicut eccleſiaſticæ conſuetudinis eſt, campanis ſonetur, tum ad tempeſtatem vi diuina, quæ ex ſolemni prece, ſacraq́ue benedictione illis ineſt, depellendam, tum ad Dei miſericordiam implorandam Chriſtianæ pietatis orationibus: ita fideles, earum ſono tunc excitati, in eccleſiam, vel cathedralẽ, vel parochialem, vel in aliam ſaltem propinquiorem, ad orandum conueniant: ſi minus poſſunt, ſaltem vbicunque ſint, ſiue domi, ſiue foris, ſupplices Deum orent; tum clerici, pſalmis, litanijs, precibus, & orationibus, quæ ex ritu ſanctæ matris eccleſiæ ad arcendam tempeſtatem dicuntur, Dei miſericordiam deprecentur.

Parochi verò in primis ſit, cum in eccleſia ſua hoc officium religiosè præſtare ad præſcriptũ libri ritualis, aut ſacerdotalis: tum ſollicite conuocare clericos, & populum; vt ob eam cauſam Deum ſanctè precaturi, ad eccleſiam, frequentes concurrant. Idq́ue ipſum prout in concionando vſu venerit, aliquando fideles paternè, diligenterq́ue monere meminerit.

De verbi Dei prædicatione.

VErbi Dei prædicatio, tractatione multiplex illa quidẽ, & magna, nos hoc admonet, vt præter illa, quæ ſuperioribus concilijs noſtris prouincialibus, eo de genere conſtituta ſunt, hæc etiã pro dignitate rei, proq́; vtiliori, ac faciliori illius muneris præſtandi ratione decernamus.

Illud proprium, ac peculiare ſit, non ſolum Epiſcopi, ſed etiã parochi, genus docendi, vt, beati Pauli Apoſtoli exemplo, ſigillatim cuiuſcunque ſtatus homines vterque inſtruat, & præcipua virtutũ officia demonſtret; modo filios, modo parentes, nunc ſeruos, nunc dominos, nunc viros, nunc vxores, nunc ſenes, nunc iuuenes erudiens, ac diligenter, quæ cuiq́ue propria ſunt, præſcribens, paterna charitate, & ſollicitudine, fideles, ſibi commiſſos, à vitijs deterreat; tum ad virtutes accendat, & teſtimonijs diuinarum litterarum, & ſanctorum patrum doctrina, atque exemplis, & ſacris eccleſiæ traditionibus, & ſimilitudinibus, & ſanctioribus etiam figuris.

Quod ſanè officium, ſi graui oratione, & ab omni, vel artificij, vel hominis, ſua ſpectantis, ſuſpicione aliena, tractabitur; maiorem inde fructũ, iuuante Domino, fore ſperandum eſt. Nec verò minus in publicis ſermonibus, quàm in priuatis etiã colloquijs, & ſecretis confeſſionibus, Apoſtoli præceptum vterq́ue implere ſtudeat, arguendo, obſecrãdo, increpando, in omni patientia, & doctrina.

Id planè ſibi proponat, optime noſſe, quæ in populo vitia, peccatave potiſſimum euellenda, quæ rurſus virtutes in primis diſſeminandæ ſint; eoq́ue intendat maximè omnem vim prædicationis ſuæ. Nec verò ſemel, atque iterũ, ſed ſæpe, prout vſu venerit, in eodem vnius, vel virtutis ſuadendę, vel vitij deteſtandi ſtudio verſetur; quoad, quantũ in ſe eſt, perenni quadam doctrinæ perſeuerantia, & perpetua quaſi pugna, & contentione, id quod olim ſanctiſſimos Epiſcopos, Ambroſium, Auguſtinum, & Chryſoſtomum feciſſe conſtat, fidelium animos, etiam in male agendo pene obfirmatos, expugnet, deprauatosq́; viuendi mores iam inueteratos, radicitus iuuante Deo euellat.

Quod ipſum, vt concionator omnis præſtet, atque exequatur, cum ad aliquem locum mittitur; tunc, & Epiſcopus, & loci parochus, & Vicarius foraneus, ſi ad locum diœceſis mittitur, conquiſitas, collectasq́; paulò ante diligenter morum corruptelas, tunc frequentiores eo loci, vbi concio habenda erit, verbi Dei concionatori, tempeſtiuè ſignificabit: rurſusq́ue eundem admonebit, ſi quod pietatis opus eſt, quod in illa parochia, locove, eo tẽpore, vel inſtitui, vel vehementius excitari velit.

Parochi præterea, vt, & concionando, & docendo fideles, ſibi commiſſos, ſalutaribus inſtitutis, ſanctaq́ue diſciplina inſtituere poſſint; eos ſibi libros, cum per facultates poſſunt, comparare ſtudeant, qui à probatis auctoribus pie, & docte conſcripti, viam & rationes aperiunt, partim ad ſanctiſſimam ſacrarum litterarum explicationem, optimamq́ue concionandi normam; partim ad ſpiritualis vitæ inſtitutionem, virtutumq́ue Chriſtianarum exercitationes, tũ denique ad parochialis eccleſiæ curam ſancte, & religiosè gerendam.

Eorum autẽ in paſcendo populo verbi Dei prædicatione, induſtria, & doctrina, & in eo genere ſalutaris progreſſus, ab Epiſcopo cognoſcatur, vel illis in Epiſcopales ædes, aliove aliquando corã ſe ad concionãdum euocatis, vel etiã ex ſermonibus quos habuerint, aliquando ad ipſum Epiſcopum miſſis, vt prouinciali decreto olim ſancitũ eſt, vel alia omni ratione, quam inierit idem Epiſcopus.

Curent Epiſcopi, quod veteris eccleſiæ inſtituti eſt, ſermonem, ſacramve concionem vbique intra Miſſarũ ſolennia potiſſimum haberi, ſiue ab illo eodẽ ſacerdote, qui Miſſam tunc celebrat, canitve, ſiue ab alio habeatur: idque præterea, etiam ſi Miſſæ ſacrificium pro mortuis fiat; niſi ſermo aliquando Epiſcopi cõceſſu de mortui laudatione in eccleſia habeatur, qui nullo modo in Miſſa, ſed ea peracta, pronuncietur. Cum verò cõcionis, ſermoniſve munus in Miſſæ ſacrificio præſtatur; id fiat ſemper ſtatim, poſtquam euãgelium recitatum eſt, vt eccleſiaſtici ritus ratio poſtulat, nõ in alia Miſſæ parte, aliove tempore.

Epiſcopus, cum in Miſſæ ſolennis ſacrificio ſermonem, aut concionem habet, mitra, Epiſcopalique ſacro omni veſtitu, quem in Miſſa adhibet, indutus ſit.

Cui concionanti, miniſtri eccleſiaſtici, ſacris veſtibus ritè induti, ſeptẽ vt antiquo canone iuſſum eſt, vbi poteſt, ſi minus, pauciores ab vtroque eius latere aſſiſtant.

Adſit etiam, vel dignitate præditus, vel canonicus, vel alius denique, ad quem ex probato inſtituto ſpectat baculi paſtoralis ſuſtentatio, pluuiali indutus; qui ante ipſum à latere ſiniſtro baculum manu ſuſtineat.

Si verò ſermonẽ in Miſſæ ſacrificio nõ ſolenni habet, ſacris item veſtibus, Miſſæ ſacrificio dicatis, vtatur: & mitra, & cũ baculo item adſit, miniſter. Eique aſſiſtant præterea miniſtri duo ad minimum, ſuperpelliceo, aut, ſi canonici, vel dignitate præditi ſint, ſuo in chori officijs ſtato habitu quotidiano induti; niſi pro alicuius, celebritatis, ſolẽniſve actionis, ac populi concurſus ratione, alijs ſacris veſtibus eos amictos eſſe aliquando iuſſerit.

Id porrò muneris obeat, ſedẽs in medio altari, in faldiſtorio, aut in ſede, loco eminentiori collocata, aut in cathedra Epiſcopali; aut etiã ſuggeſtum, ambonemve aſcẽdat: vbi itidem ſedẽs, & mitra item ornatus, cæteriſq; vt ſupra, adhibitis, commodius à populo conſpiciatur, & audiatur.

In alia verò actione, quàm in Miſſę ſacrificio, aliove tempore, prout actio ſolennis, populive frequẽtia eſt, ſermonẽ ijſdem, vt ſupra, locis, arbitratu ſuo, habet, pluuiali, & mitra etiam indutus, adhibitis quoque, vel pluribus, vel duobus ſaltem, qui digniores alijs in eccleſia ſint, vbi de more illius eccleſiæ Epiſcopo in ſacris actionibus ij aſſiſtere ſolent, vel Archidiacono, & altero diacono, qui digniori loco ſedet, aut demum duobus, vt Epiſcopo videbitur, canonicis diaconis, ſacro diaconali amictu veſtitis.

Quod ſi cappa Epiſcopali, & ſtola potius, quàm pluuiali, & mitra vti maluerit: illi duo aſſiſtentes, nõ ſacro diaconali amictu; ſed & ipſi, & alij miniſtri ſuperpelliceo, aliove ſui canonicatus, dignitatiſve in chori officijs inſigni induãtur: adhibeaturque præterea, non ſolum, qui paſtoralem baculum, ſed alter etiam qui mitrã à dextero latere teneat. Cùm verò ſermonem, aut concionem, minus frequenti populo, aut in actione minus ſolenni, vel in Eccleſia non inſigni habebit; poterit rocheto, & mozzeta indutus id præſtare, ſtola etiam adiuncta. Nec verò propterea omittet, quo minus ſi per temporis, & loci opportunitatem liceat, & aſſiſtentes, & alios miniſtros, vt ſupra, adhibeat, cum inſignibus Epiſcopalibus. Si quando autem tunc duo illi canonici, cum ſuperpelliceo, vel indumento, habituve canonicali non aſſiſtent: eccleſiaſtici tamen ordinis homines aliquot grauiores, præſentes adeſſe, conueniens erit. Triplex porrò hæc ratio vel pluuiali, vel cappa Epiſcopali, vel rocheto, mozzetaque cum ſtola vtendi cum ſermonem nõ in Miſſę ſacrificio, ſed in alia functione, aliove tempore Epiſcopus habet, non ita ei præſcripta eſt, quin modo vnam, modo alterã, modo tertiã prout maluerit, & temporis, loci, perſonarumve ratio tulerit, adhibere poſſit. Nec prætereа prohibetur ex tempore, vt aliquando vſu venerit, vbique etiam ſine ſtola gregem ſuum verbo Dei, & ſalutaribus monitis paſcere pro munere ſuo paſtorali; cum eius & dicta, & facta, quaſi perpetuam quãdam prædicationem miniſtrare, præbereve debeant.

Parochi verò, Præpoſiti, & alij, Epiſcopo inferiores, cum in altari id munus obibunt; tunc capite aperto ſtare debebunt ad ſacerdotalis libri præſcriptum.

Quo autem facilius à frequenti populo audiantur, ſuggeſtũ eos aſcendere opportunius erit; tuncque caſulam deponere, ſi maluerint, licebit: quam ſtatim, ſermone habito, ad altare reuerſi, induant.

In ſuggeſtu concionem, aut ſermonem, cum habent, operto ſint capite; & ſedeant, aut ſtent, prout maluerint.

Cum non is ſacerdos, qui ſacrificium Miſſæ faciat, ſed alius intra Miſſæ celebrationem, ſermonem, concionemve habiturus eſt, is ſuggeſtum aſcendat; interea verò ſacerdos celebrans, loco à laicis ſegregato, & ab altari paululum remoto, non extra tamen cappellæ fines, in qua Miſſa celebratur, ſacris veſtibus indutus, cũ duobus miniſtris, ſcilicet diacono, & ſubdiacono, ſi illi in Miſſa tunc adhibiti ſunt, ab vtroque latere conſidentibus ſedebit.

Epiſcopus, parochuſve ſacrum Euangelium, aut etiam ſcripturæ ſacræ partem, coram populo, etiam è loco ſuperiori tractans, collocatum ante ſe aliquando, cum viderit expedire, habeat euangelij, aut ſacræ ſcripturæ librum: de quo ipſe, aut etiam miniſter, cum Epiſcopus eſt, per membra, clauſulas, & ſententias diſtinctè eiuſdem euangelij, ſacræve ſcripturæ verba pronunciet: quæ ipſe ſcilicet, vel Epiſcopus, vel parochus concionando, quo ordine leguntur, ſigillatim populo explicet.

Miniſter vero, in hoc munere legendi, Epiſcopo Archidiaconus ſit, vel diaconus canonicus, aliuſve denique, quẽ Epiſcopus elegerit; iſque ante illum capite aperto ſtans, de libro verba diſtinctè pronunciet.

Quod à Clemente V. Pont. Max. in Concilio Viennenſi de prædicatione verbi Dei conſtitutum eſt, id omnis eccleſiaſtica ratio ſuadet ad vſum vel reuocari, vel introduci. Qua igitur hora Epiſcopus, cuius præcipuũ munus eſt prædicationis, id officium præſtat: ne quis alius cuiuſcunq; ordinis eſt, illa ipſa hora, in ea vrbe, oppido, vico, locove, vbi ille prædicat, etiam in eccleſia regulariũ, aut alias exempta, ſermonem, concionemve habeat, niſi facultate ab illo impetrata.

Ne parochi, ſacerdoteſve alij intra Miſſarum ſolennia quicquam, quod prophanum ſit, quodque ad rerum huiuſmodi enunciationem attinet, de altari populo pronunciẽt, aut euulgent.

Parochis, non idoneis ad munus ſuum obeundum, in paſcendo ſibi commiſſum populum verbo Dei, coadiutor eo in onere ſuſtinendo, tum toto temporis anno, vt eſt à Tridentino Concilio ſancitum, & primo etiam prouinciali noſtro decretum, tum maximè in Quadrageſima detur ab Epiſcopo: cum ea mercede, aut eleemoſyna, ad eius ſuſtentationem à parocho perſoluenda, quæ eidem Epiſcopo videbitur congrua.

Populus, & vniuerſitas detrectans ſubminiſtrare victum, vt antea conſueuit, concionatori, ſolitamve eleemoſynam ad eiuſdem vitæ congruam ſuſtentationem, omni iuris ratione, etiam interdicti pœna, ab Epiſcopo ad id cõpellatur.

Dum vel Epiſcopus, vel parochus, vel alius ſermonem, concionemve habet; ne eo ipſo tẽpore in eccleſia, vbi habetur, in eiuſve aliquo ſacello, aut in alia eiuſdẽ parte, ac ne in ea quidem, quæ ſubterranea ſcuroli nomine vocatur, Miſſæ ſacrificium ab vllo quouis ſacerdote fiat.

Canonici, & alij item dignitate præditi, ac reliqui præterea, quicunque ſint cuiuſuis eccleſię clerici, cum in ſua eccleſia, concionibus lectionibuſve ſacris interſunt, ſuperpelliceis, eoque clericali, canonicalive habito, quem in choro canonicarumque horarum officijs obeundis veſtiunt, induti omninò ſint.

De doctrina Chriſtiana.

VBicunque in diœceſis pagis, aut vicis, præſertim frequentioribus, quoniam ab eccleſia parochiali aliquãtulum ea loca diſtent, aliamve ob cauſam Epiſcopus expedire cenſuerit, ſcholas doctrinæ Chriſtianæ inſtitui, erigive, præter eas, quæ parochialis eccleſiæ loco inſtitutæ ſunt, Vicarij foranei diligentia, & parochi cura quamprimum illæ inſtituantur in eccleſia, capella, oratoriove illis propinquiori, aut commodiori, tum maximè opera, & adiumento ſacerdotum, & clericorum quorumcunque illius pagi, vici, locive. Si quando præterea in diœceſi per pluuię vim, niues,

aliamve temporis grauitatem, viæ, aut itineris difficultati adiunctam, ad eiuſmodi ſcholas in parochiali Eccleſia, qui debent, conuenire difficilius poſſunt; ejuſdem Vicarij, & parochi cura ſit, ne tunc in oratorijs, vel cappellis propinquioribus, aut ſaltem, ſi id non poteſt, alio honeſto loco, per clericum idoneum, ſeu per alios ſcholæ ſodales, vt vitæ, & doctrinæ Chriſtianæ ſtudio inſtructiores, aliqua tum tradendæ, tum percipiendæ eiuſmodi doctrinæ exercitatio fiat; ne ob vllam cauſam ſtatis diebus hoc inſtitutum, atque pabuli ſpiritalis vſus illis deſit.

Clerici, quicunque Dominicis, feſtiſque diebus, qua hora in choro diuinis officijs cōcelebrandis aſtricti non ſunt, parochum, intra cuius parochiæ fines habitant, in doctrinę Chriſtianæ ſcholis, vbicunque loci intra fines illius parochiæ conſtitutis, adiuuent, idque in vrbe, & diœceſi ad præſcriptum eorum, quibus id curæ ab Epiſcopo datum erit.

CONSTITVTIONVM
PARS SECVNDA.

Quæ ad ſacramentalia, vel ad ſacramenta communiter pertinent.

VNAQVÆQVE parochia vaſcula duo ſacrorum oleorū chriſmatis, & catechumenorum; vaſcula itē duo extremæ vnctionis habeat: quæ confecta, & ornata ſint ad formam in libro inſtructionum pręſcriptam. Idque vt die ſacro cœnæ Domini, illa vacua, diligenter ante abſterſa, ac benè parata, nec verò ampullæ, aut alia eiuſmodi, ad olea ſacra recens conſecrata, ferenda adhibeātur; aliaque rurſus retineantur ad aſſeruandum, quod reliquum eſt ſacrū oleū vetus, quod vſui eſſe poſſit, ſi in ſua parochiali cura opus eſſet, dum illa recentia apportantur. Vbi verò plures parochi, animarumve curatores, aut alij ſunt, qui parochialis curæ portionem, vel officium habent, totidem vaſa olei ſacri infirmorum ſint.

Parochus vbi primū olea ſacra noua acceperit, vetera ſtatim comburat in lampade, quæ ante ſanctiſſimum ſacramētum collucēt, bombice in ſacrario planè exuſto. Vaſcula autem, vbi anno proximo aſſeruata ſunt, diligenter, politeque abſterſa, accuratè in ſacriſtia conſeruet, vt anno ſequenti vſui ſint, quibus afferantur itidem olea ſacra.

Parochi ſinguli, quatuor ad ſummum menſium ſpatio, librum ritualem, ſacramentalemve habeant, qui ab Epiſcopo probatus, in eccleſia cathedrali adhibetur; vt ne, quod prouinciali Cōcilio primo cautum eſt, vlla ex parte inferiores eccleſiæ à cathedrali ea in re diſcordent. Rituales autem libri, qui ab eo cathedrali diſſimiles, ac diuerſi erunt, ſtatim Epiſcopi cura amoueantur.

Sacro oleo deficiente, ſi tempus non patitur, vt aliunde haberi poſſit; illa ratio ineatur, canone præſcripta, vt, cum oleo conſecrato miſceatur non conſecratum: id verò non conſecratum, guttatim ita infundatur, vt ſemper, quod infunditur, minus ſit oleo conſecrato, quod vel exiguum in vaſe reliquum eſt.

Et tabernaculi, vbi ſacratiſſimum corpus Domini aſſeruatur, & armarij item, vbi ſacra olea, ſtatis vaſculis incluſa, cuſtodiuntur, & fontis præterea Baptiſmalis claues Rector eccleſiæ, animarumve curator, diligenter, cauteque apud ſe cuſtodiat: ac ne clerico quidem miniſtro illas vllo modo committat. Nec verò prohibetur, quo minus eaſdem muneris alicuius pręſtandi cauſa aliquando ſacerdoti committat, quem in officij parochialis cura coadiutorem habet.

PRIMO prouinciali Concilio aliqua de exorciſtis conſtituimus, in quibus ad illius muneris rectè gerendi rationē, hæc præterea præſcribenda cenſuimus. Ne igitur ſacerdoti, clericove ſæculari, aut regulari, exorciſmum energumenis adhibere liceat, niſi is exorcizandi facultatem, ſcripto exaratam, ab Epiſcopo impetrarit.

Quā facultatem, vbi quis probatus obtinuerit, hæc quæ mox infra ordine pręſcribentur, accuratè ſeruet, atque exequatur.

Antequam exorcizare aliquem aggreditur, perquirat in primis, energumeni, energumenæve vitam, ac mores, tum exploret actiones; & medicum, ſi expedire cenſuerit, conſulat, adhibeatve; vt videat; an, quod ab illo, illave agitur, fiat morbi alicuius, aut bilis atræ vi; an verò ſpontè, ac diſſimulanter; an denique dæmonis, malorumque ſpirituum vexatione.

Videat item, an ille excōmunicationis vinculo irretitus vnquam fuerit; anque abſolutionem ritè acceperit.

In hoc exorcizandi munere, eiuſve occaſione, non modo quæſtum fugiat; ſed ne doni, aut muneris quicquam, vel minimum, capiat.

Ne in ædibus laicalibus, locisve priuatis, ſed in eccleſia, loco aperto, & conſpicuo; neque in omni quauis eccleſia, ſed in ijs ſolum, quas certas Epiſcopus ſtatuerit.

Neque in conſpectu multitudinis; non remotis tamē arbitris, ſed præſentibus viris honeſtis atq; ætate grauibus, in ijsque vno ſaltem, vel duobus eccleſiaſticis hominibus.

Mulieri aūt energumenæ cum exorciſmum adhibet; id præſtet, duobus ætate, vitaq; probatis viris, tū fœminis etiam, itidem probatis, præſentibus, ijsque omnibus, ſi fieri poteſt, energumenæ conſanguineis, aut affinibus.

Mares autem alios præſentes adeſſe, ne omninò patiatur, niſi vnum eccleſiaſtici ordinis hominem.

Ne ante ortum, nec verò poſt occaſum ſolis quemquam exorcizet.

Ne duos ſimul eodem tempore, ſed vnumquemque ſigillatim, ac ſeparatim.

In huius muneris functione, grauiter, pie, & religioſè in primis ſe gerat.

Quamobrem pridie illius diei, quo alicui exorciſmum adhibere inceperit, ſe ieiunio, & oratione præparare ſtudeat. Tum confeſſus, cōſcientia ab omni culpa, pura, ac munda, magna cum humilitate, & fide, memor poteſtatis, quam à Domino accepit, expellendi dæmones, ad is munus obeūdum accedat.

Si ſacerdos aūt eſt, antequam exorciſmum inchoet, Miſſæ ſacrum faciat, ſi id commodè præſtare poteſt.

Energumenis verò exorciſmum ne adhibere incipiat; niſi illi primum confeſſi ſint: ad hocque eos cohortetur, vt omnis ante actæ vitæ peccata diligenti conſcientiæ diſcuſſione confiteantur.

Tum ſæpe moneat, vt precibus, orationi, & ſanctis meditationibus, & pietatis ſtudijs, atque exercitationi ſe dent; religioſas eccleſias, vbi ſanctorum reliquiæ reconditæ ſint, certis diebus piè viſitent; ieiunia præterea, & in ſexta quaq; in primis feria, quo die paſſionis Ieſu Chriſti Domini memoria recolitur, religioſè amplectantur.

Caueat, dum exorcizat, ne energumenæ mulieris capiti, corporive, niſi cum magna honeſtate, atque cautione manum adhibeat: neve energumenam, energumenumve altari imponat; neve quicquam aliud agat, quod offenſionem præbeat.

Ne alijs verò exorciſmis, precibus, ritibusque ad id munus vtatur, niſi ad libri, Epiſcopi iudicio comprobati, rationem præſcriptam. Cui nihil ab eo addi, detrahi, aut mutari, fas ſit.

Præſcriptas has regulas, quo diligentius ſeruet, tabula deſcriptas, eo loco ſibi proponat, vbi potiſſimum id munus geret.

Quæ pertinent ad ſacramentum Baptiſmi.

FOns baptiſmalis è marmore, aut è ſolido lapide conſtet: qui ſi præ rimulis, aliave ratione, eiuſmodi eſt, vt inde aqua ſenſim effluat; lapis alius bene firmus, ſolidus, ac tutus quamprimum comparetur. Interea verò ad aquam baptiſmalem tuto continendam, dum ille alter paretur, non vas fictile, alteriusve generis, ſed æreū, ſtanno ab interiori parte illitum, tanta magnitudine, quanta lapidis vacuitas eſt, ita ponatur, vt intrinſecus illum vndique ſtrictim attingēs, beneque compactum, eidem cohæreſcat. Habeat operimentum,

ntum, vel ciborium, ad ſacra olea tuto decenterque con-ſeruanda in eo ipſo fonte accommodatum, niſi vbi ex in-ſtructionibus noſtris aliter extruendum eſt. Conopæo etiã, ela ſaltem, opertum ſit.

Tabellam habeat item intrinſecus, quæ dimidia tantũ eriatur, fontiſq; oſtium compreſsè claudens, aquam à uere, & alijs ſordibus cautius tueatur. Quę tabella in om-bus fontibus ſit, in quibus per infuſionem baptizatur: in verò, in quibus immerſio adhibetur, ſi petra ipſa pro ma-tudine id patietur, ſine impedimento immerſionis.

Sepiatur omninò vnumquodq; baptiſteriũ, ſi ferro, l lapide, Epiſcopi iudicio, non poterit, ſaltem ligneis can-llis. Præterea, ſi extra fornicatam cappellam, aut parietis ncauitatem, hemycicli inſtar conſtructam, totum, aut ex arte ſit; tum tegmen habeat, quod ex marmore, vel ex aſſe-bus conſtet, aut ſaltem è tela decenter picta.

Docebit etiam in cappella, aut in pariete proximo S. Io-nnis imago, Chriſtum Dominum baptizantis.

In Eccleſiæ ingreſſu collocatus ſit fons baptiſmalis, iſq; ſiniſtra ingredientium parte niſi quibus in Eccleſijs pro itus ratione illum ab altera parte potius collocandum, Epi-ſcopus iudicarit. Quæ verò baptiſteria in eccleſijs, cappelliſ-ve, eo potiſſimum nomine extructis, cathedrali, vel colle-giatæ, vel parochiali eccleſiæ ferè adhærentibus, extant, illa non amoueantur; ſed eccleſiæ, aut capellæ, vbi illa ſunt, in-ſtaurentur, aut reconcinnentur: vbi verò in eccleſijs præſer-tim inſignioribus, non ſunt; in poſterum, eas vel eccleſias, vel capellas; ædificari, in illiſq; baptiſterium cõſtrui, idem Epiſcopus curet.

In baptiſmali fonte, vbi per infuſionem baptizatur, id planè caueatur, vt ne aqua, capiti infantis infuſa, in eundem fontem recidat; ſed in ſacrarium profluat: idq; propterea ſacrarium è marmore, ſolidove lapide prope fontem con-ſtruatur, ad præſcriptum inſtructionum.

In baptiſmalis fontis ciborio, mantilia duo, eaq; can-dida, ab omniq; ſorde munda aſſeruentur, quæ infantis capiti abſtergendo vſui ſint.

Pluraque ideò in ſacriſtia id generis mantilia, certo loco conſeruentur.

Si verò, vel mantilia, vel ſudariola ad eũ vſum aliquãdo afferuntur; ea, niſi noua, ne adhibeantur: tum noua adhibi-ta, ne in prophanum, ſed in Eccleſię vſum, cui rectè accom-modari poſſint, conuertantur: alioqui comburantur.

Vetus illa conſuetudo, quæ adhuc in cõpluribus huius prouinciæ locis retenta talis eſt, vt & ſabbato ſancto, & ſab-bato item pentecoſtes, frequenti ſacerdotum conuentu, ac ſolemni ritu, cum in cathedrali eccleſia, tum in diœceſis eti-am locis, eccleſijſve plebanis, fontis baptiſmalis benedictio fiat, vbi in prouincia noſtra hoc tempore non ſeruatur, omninò introducatur; in vſumq; vbi intermiſſa eſt, re-uocetur.

Quibus ſtatis, ſolemnibuſq; ſabbatis, ad illius ſolem-nis benedictionis officium omnes ſinguliq; eccleſiarum quarumcunque, quouis etiam dignitatis nomine, titulove inſignium rectores, quibus animarum curationis munus incumbit, qui in vrbe ſunt, in cathedralem; qui in diœceſi, ad ſuam quiſque plebanam eccleſiam, frequentes cõueni-ant. Si verò exemptionis nomine, aliave ratione quis à ple-banæ eccleſiæ iure liber atque immunis ſit, non tamen ex-preſsè ex priuilegio apoſtolico, huius ſolemnis benedictio-nis officij concelebrandi cauſa in eam plebanam eccleſiam conueniat, intra cuius fines habitat, aut cui propior eſt, vt Epiſcopus potius cenſuerit.

Nec verò propterea in cæteris quicquam illius immu-nitati, libertative derogatum ſit. Hoc autem decretum ad-ſtrictos non teneri ſtatuimus illarũ eccleſiarum, etiam quæ parochiales tantum ſunt, rectores, quibus, vel ob locorum longinquitatem, vel ob aliam iuſtam cauſam Epiſcopus fa-cultatem, ſcripto exaratam, daret fontis baptiſmalis, in illo-rum eccleſijs ſolemniter benedicendi. At verò facultate, ne propterea eccleſiæ plebanæ iuri quicquam præiudicij vllo vnquam tempore allatum cenſeatur.

In ijs porrò eccleſijs, quibus hæc baptiſmalis fontis ſo-lemniter benedicendi poteſtas aliquãdo fiet, ſtatis illis duo-bus ſabbatis, is benedictionis ritus celebretur ſacerdotibus tribus ſaltem præſentibus, ad illum adhibitis. Id præterea, de tribus ſcilicet ſacerdotibus adhibendis locum in omni eccleſia habeat; ſi quando per annum in aliqua eccleſia, ex-tra illa ſtata duo ſabbata, illius fontis aquam baptiſmalẽ ob extraordinariam cauſam renouari neceſſe erit.

Ille verò, vbi nullus fons baptiſmalis eſt, introductus in aliquot locis mos aquæ benedicendæ conſecrandæve, quo tempore baptiſmum miniſtrari oportet, tum baptiſmo ce-lebrato, in ſacrarium proijciendæ, tollatur in poſterum om-ninò.

Fontis baptiſmalis, quem ſtatis illis ſolemnibus diebus in eccleſia cathedrali conſecrari ſolemne eſt, conſecrandi officium, atque munus, niſi Epiſcopus legitima cauſa im-peditus ſit, ipſe obeat.

Videat parochus, vbi primum infans baptiſmi cauſa ad ſe delatus eſt, an ſuæ parochiæ ſit: quem ſi alienæ eſſe norit, eum, niſi inſtante neceſſitate, ne baptizet: ſed ad parochum proprium, à quo baptizetur, deferri iubeat.

Si qui infantes intra alicuius vrbanæ parochialis eccle-ſiæ fines à ſabbato ſancto, vſque ad ſabbatum in albis, & à ſabbato item vigiliæ Pentecoſtes, vſque ad ſabbatum pro-ximum nati, baptizandi ſunt; ad cathedralem eccleſiam, cui pro obſeruantiæ officio, proq; veteris inſtituti vſu, ſtatis il-lis hebdomadis hoc tribui debet, deferantur; ſi modo cui-quã ob mortis periculũ, in parochiali eccleſia, quæ propius abeſt, baptiſmum ſtatim miniſtrare neceſſe non ſit.

Baptizatorum verò eiuſmodi nomina, & cætera id ge-neris præſcripta, in libro, tum cathedralis, tum propriæ pa-rochialis eccleſiæ, vt Tridẽtino, & prouinciali primo Con-cilio iuſſum eſt, notentur.

Parochus, antequam baptizet, accuratè in primis vide-at, an qui adhibendi ſunt in baptiſmo compatres tales ſint, quales eos eſſe debere, Concilijs prouincialibus noſtris pręſcriptum eſt: ac ſi quos aliunde certò non ſcit, orationem dominicam ſaltem, ſalutationem angelicam, & fidei Sym-bolum tenere, eos experiendo cognoſcat, quam ob cauſam ea doctrinæ Chriſtianæ rudimenta ſibi ab illis ante recitari mandet.

Baptizandi ritus accuratè ſeruetur: nec verò vllo modo confundatur; ita ſcilicet, vt pro eccleſiæ vſu, per Epiſcopum probato, vel aquæ infuſione, vel immerſione baptiſmus mi-niſtretur.

Ad aquam baptiſmalem infundendam, ne manus, ſed vas, quod ob eam cauſam paratũ, in fonte baptiſmali, eiuſve ciborio aſſeruari debet, adhibeatur.

Parochus, ſacerdoſve baptizans, caueat, ne ad infantem baptizandum alio chriſmate vtatur, quã eo, quod illo ipſo anno conſecratum eſt, vt veteri canone cautum eſt.

Curet idem, vt infantibus proprio nomine in baptiſmo appellandis, ea nomina non imponantur, quæ turpia, aut ri-dicula ſunt, quæve gentilium, atque adeo impiorum, & im-purorum hominum memoriam referant, ſed illorũ, qui ob veræ pietatis, ac ſanctæ religionis, virtutiſque Chriſtianæ laudem ſanctorum numero adſcripti ſunt: vt & in ipſo vitæ ingreſſu cum ethnicis ne nomen quidem commune, fide-les habere velle proteſtentur; & ipſi infantes etiam, cũ ætate proceſſerint, nominum ſimilitudine, ad eorum, à quibus il-la accepta ſunt, imitationem excitentur; & præterea, quos imitari ſtudeant, eoſdem quoque frequentius precentur, ac ſperent eos potiſſimum ſibi ad ſalutẽ, tum animi, tum cor-poris aduocatos fore.

Baptizandi formulam ipſe non ſolũ, vt primo Cõcilio prouinciali iuſſum eſt, populo generatim, ſed etiã priuatim ac præcipuè obſtetricibus, in eccleſia tamen, plane oſtẽdat, ac tradat: quam etiam an illæ rectè teneant, aliquando eodẽ loco accuratè videat, ac diligenter quærat.

Infantis, qui domi ob neceſſitatẽ baptizatus eſt, baptiſ-mus in libro baptizatorũ à parocho de more referatur; no-tato patrini nomine, & qui domi ad baptiſmũ, & qui in ec-cleſia ad catechiſmum exorciſmumq; adhibitus eſt.

Quod pij inſtituti, ſanctæq; conſuetudinis eſt, id ad vſum vbique reſtitui, introducive nos in Domino cupien-tes, monemus à parocho, vbi primum parochiæ ſuę pueri in eccleſiam introducuntur, illis pia precatione benedici ad ſacerdotalis, ritualiſve libri præſcriptum.

Hoc

Hoc autem vt diligentius præſtet; aliquando, prout vſu venerit, parochialis ſuæ Eccleſiæ fideles inſtituti huius, & conſuetudinis admoneat.

Graue, atque immane facinus eſt, infantes per impudẽtiam illorum ſuffocari, qui eos, ne annum quidem natos, in cubili, nulla cautione collocant. Qui quoniã neque alia ratione, neque rei grauitate, qua Deus in primis offenditur, nec verò immanitate nefaria in officio contineri hactenus potuerunt, tale facinus pœnis coerceri cenſuimus. Itaque quæcunque mulier infantem, anno ętatis non expleto, ſecũ in lecto iacentem, non ex cautione tenuerit, quam ab epiſcopo præſcriptam, parochus vnuſquiſque ei ſigillatim demonſtrarit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat: cuius vinculo irretita, non abſoluatur, niſi graui, atque inſigni impoſita pœnitentia, quæ cæteris exemplo ſit.

Parochus verò tum ſæpè populũ moneat, ne huiuſmodi infantes ſecum in lecto vnquam teneant, tum etiã euulget decretum iſtud, pœnamque in decreto ſancitam.

Quæ pertinent ad ſacramentum Confirmationis.

PArochi, animarumve curatores, q in vrbe ſunt, die dominico, pentecoſtis ſolemnitatem præcedente, populũ doceant, quanto religionis ſtudio ſuſcipiendum ſit confirmationis ſacramentum, cuius miniſtrandi ſolus Epiſcopus ordinariam poteſtatem habet.

Videant item, ne quis eorum, qui ſibi in curam traditi ſunt, illud ſuſcipere negligat.

Quare præmoneant, quod etiam Concilij Vormatienſis canone ſancitum eſt, vt quicunque intra parochiæ ſuæ fines habitant; neque confirmati adhuc ſunt, illud omnes ſuſcipiant, qui ætate ſunt, qua Epiſcopus eos duxerit eſſe debere, qui ad hoc ſacramentum tunc accedant.

Si quis verò neglexerit, canonicis ſubiaceat diſciplinis.

Elaborent præterea ijdẽ, vt, qui adulta ætate cõfirmandi ſunt, primò de peccatis confiteantur: tum etiam admoneant, vt ieiunij illud ſuſcipiant, cum mane miniſtratur.

Reliqua etiam diligenti cohortatione denuncient, quæ ad hoc ſacramentum rectè, ſanctèque ſuſcipiendum pertinentia, monitionum tabella cõprehendentur, quę ad communẽ prouinciæ vſum per nos edetur. Quibus monitionibus, pro ratione locorum ſuæ diœceſis, ab Epiſcopo addi, tum detrahi: rurſusque eaſdem mutari liceat.

Quæ cuncta diœceſani itẽ parochi præſtabunt; ita ſcilicet, vt ſinguli parochi vniuſcuiuſque loci, vbi ſacrum Chriſma Epiſcopus miniſtraturus eſt, dominico die hebdomadam illam proximam, qua miniſtrabit, antecedente, cùm populum omnia, & ſingula doceant, ac moneant, mox ſupra parochis, in vrbe commorantibus, præſcripta: tũ etiam præſtari curent.

Sacrum autem chriſma Epiſcopus, cũ id miniſtrare proprium Epiſcopalis curæ munus ſit, ne ſtata pentecoſtis ſolemnitate id præſtare prætermittat, tum ad ſingulas vniuerſæ diœceſis partes, parochiasve, & loca, vel infima, viſitando accurrat, vbi illud miniſtrari neceſſe ſit.

Caueat porrò, ne, cũ huius miniſtrationis munus obit, alienæ diœceſis hominibus, de iure non exemptis, qui in ſua diœceſi domicilium iam non conſtituerint, hoc ſacramentum miniſtret; niſi proprij illorum Epiſcopi conceſſu, aut aſſenſu ſcripto.

Quo igitur tempore miniſtrat; populum ea ipſa de re parochos præmonere iubeat.

Quæ ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum pertinent.

TAbernaculum ligneũ, aliave materia conſtans, in quo ſanctiſſima Euchariſtia conſeruatur, panno ſerico intrinſecus circumueſtitum vndiq; ſit: conopœum etiam decenti pro eccleſiarum facultate, locique dignitate contectũ; ac bene præterea, tutòque clauſum, atque ita quoque aptatum, vt inde ſanctiſſimum ſacramentum commode depromi poſſit, neque ſuper altare propterea aſcendi neceſſe ſit. Vacuum etiã ſit à reliquijs, vaſculo olei infirmorum, atque inani alio vaſe, vt omnino ſacra Euchariſtia cum ſuo vaſe in eo duntaxat conſeruetur; aliud præterea nihil.

Tabernaculum aũt, quod agẽdis proceſſionibus vel exponendæ ſacræ Hoſtiæ vſui eſt, pellucido vitro vel criſtallo vndique circumdatum ſit; lunulamq; forma inſtructionibus ſupellectilis eccleſiaſticæ præſcripta, huiuſmodi habeat vt aperiri commodè poſſit, & fragmenta colligi, ſi quæ fortè ibi relicta ſunt. Ipſa autem lunula ſaltem cum ſuppoſito paruulo ſcuto, ex argento conſtet.

Duas pixides vnaquæq; parochialis eccleſia ſaltẽ habeat, alterã forma maiori ad vſum ſacræ cõmunionis, populo in eccleſia miniſtrandæ, alterã minori, qua ſanctiſſimũ ſacramentum ad infirmos deferatur. Pro hac pixide ad ægrotos deferenda, ſacculus ſericeus ab vnoquoq; diœceſis parocho habeatur ornatiſſimus, cum opus erit, adhibendus.

Quinque ſaltem particulæ conſecratæ ſeruẽtur aſſidue, vbi ſanctiſſimum ſacramentum conſeruatur; quæ octauo quoque die renouentur.

Idque fiat ex hoſtijs, non ante viginti dies ad ſummum confectis.

Parochus autem, cum ad eum frequentiſſimum ſacramentorum vſum parochiæ ſuæ fideles cohortetur, vt prouinciali tertio Concilio ſanciuimus: tum crebris monitis illud, quod Siluerius Pont. Max. ſtatuit, in conſuetudinẽ reuocare ſtudeat, vt qui ſæpius non communicãt, ſingulis ſaltem dominicis diebus in Quadrageſima corpus Domini ſumant, ac præterea diebus dominicis Aduentus.

Cum frequenti populo Sanctiſſima Euchariſtia adminiſtratur, licet eius vis, atque virtus explicetur; non facilè tamen tota huius generis explicatio, ſermoque percipi, audirive ab omnibus poteſt; nec præterea omnes adminiſtrationis initio intereſſe ſolent; id propterea magnoperè Epiſcopus curet, vt, vel per ſe, vel per alium, in adhortandi munere excitatum, ac probatum, etiam inter communicandum, verborum pondere, & ſententi[illegible] quaſi iaculis, opportuna aliqua, & crebra, breuique cohortatione, populus collectus, ad frequentem ſanctiſſimi ſacramenti ſumendi vſum excitetur; tum etiam commonefiat, quam periculoſum exitioſumque ſit, ad ſacram diuini illius cibi menſam indignè accedere; ac rurſus quam valde admodum in omnes partes vtile, ac fructuoſum, pabulo illo cæleſti ſalutariter, ac frequenter vti.

Hocque ipſum omne, die feſto, frequentem populi cõmunionem proximè præcedente, aliquando longiori, publicaque concione omnino præſtetur.

Quod & Toletano quarto, & Braccarenſi primo, Concilijs ſancitum eſt, id de ſacra communione miniſtranda religioſè ſeruetur, vt diaconis ſcilicet, & clericis ad altare, aut in choro illa præbeatur; populo autem, loco à choro, altarive aliquanto remotiori.

Vt, & quod ſacrorum canonum iure ſtatutum eſt, ſeruetur, & parochi certam rationem inire eorum poſſint, qui curæ commiſſi, ſacram inire communionem in Paſcha reſurrectionis Domini ſumpſerint; ne eo tempore, etiam in eccleſia cathedrali, ijs, qui intra alterius parochię fines in vrbe, aut in diœceſi habitãt, ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum miniſtretur, niſi aliqui ſint, quibus iuſta de cauſa Epiſcopus, aut proprius eius parochus, facultatem, ſcripto exaratam, nominatim dederit.

Peregrinis autem, aduenisve hominibus ex ſecundi Concilij prouinciali, præſcripto, præberi miniſtrarive liceat.

Ne occaſione ſacræ communionis, etiam in Paſcha miniſtratæ, vel miniſtrandæ, eleemoſyna, peluicula, aut vaſculo expoſito, vllove alio modo directè, aut indirectè, quæritetur.

Cum ſacra cõmunio diebus, præſertim ſolemnioribus, aut frequentiori fidelium multitudini miniſtratur; ex veteri inſtituto antiphona, Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum; & Pſalmus, Benedixiſti Domine; & Pſalmus item, Dominus regit me, &c. & alia in rituali libro præſcripta, aut alias ab Epiſcopo præſcribenda, à clero canantur, cum id per illius frequentiam fieri poteſt.

Ad ægrum parochus ipſe, niſi inualetudine aliave neceſſaria cauſa impeditus ſit, corpus Domini deferat: ſi verò aliuando in hoc miniſterio neceſſe habet alio ſacerdote vti; e alio, ſi poteſt, vtatur, niſi quem, ad confeſſiones audienas, conceſſa ſcriptis facultate, Epiſcopus probauerit, idoeumque iudicauerit; cum ſæpe contingat, ægrum, cui ſantiſſimum corpus Domini defertur, iterum confiteri velle, ropterea quod poſt peractam confeſſionem aliquid comiſerit, vel ante commiſſum meminerit.

Ægrotantibus, etiam ſine mortis periculo ſacrę Euchaiſtiæ frequentius ſumendæ deſiderio flagrantibus, ijs præertim, qui dum integra valetudine ſunt, frequẽti sacrmẽorum vſu, ſe religioſè, ſalutariterq; paſcunt, ne paróchus uantum per alias neceſſarias in parochiali munere occuationes ſibi licet, ſpiritualem illam conſolationem, ſalutaeque adiumentum, religioſa præparatione ab eiſdem adhiita, deneget.

Quid de indulgentia à Paulo Tertio Pont. Max. corpois Domini ſodalitatibus cóceſſa, ſæpius promulganda, cõilio prouinciali tertio ſancitũ eſt, id in ijs ſodalitijs præſteur, quibus illa tributa, conceſſave eſt.

Indulgentia verò à ſanctiſſimo D. N. Gregorio XIII. omnibus, & ſingulis, quę in hac prouincia inſtitutæ, inſtituendæve ſunt, corporis Domini ſodalitatibus data, cuius cõceſſæ indulgentiæ exemplũ typis impreſſum, in vltima huius libri parte extabit, vbique in illis, ſæpeque promulgetur ad excitandos in ſalutari inſtituto, eiuſque munere ſollicitè obeundo fidelium animos.

Oratio quadraginta horarũ, religioſè inſtituta, vt perpetuò ſanctiſſimè, cum ſalutarique animarum fructu retineatur, hæc etiam præter cætera, eo de genere alias ſancita, conſtituimus, & decernimus.

Primò in ijs ſolum eccleſijs ſiue ſæculaaibus, ſiue regularibus, fiat, celebreturve, in quibus ſanctiſſimum ſacramẽtum aſſeruatur: nec verò in ijs omnibus, ſed in illis tantummodo, quas Epiſcopus ſtatuerit.

Fiat autem in conſpectu ſanctiſſimi ſacramenti: quod è tabernaculo expoſitum, in maiori, aliove, ſi Epiſcopus ita cenſuerit, altari propalam collocetur. Quod vt cum dignitate, decorè, religioſeque agatur, altaris, vel cappellæ, vbi exponetur, collocabiturve, ornatus decens ſit, ac religioſus.

Cerei præterea in altari accenſi, ad ſummum decem, minimum verò ſex, decenti craſſitudine, ac lõgitudine colluceant: lampades item ne plures, quàm duodecim, aut tredecim; nec verò pauciores, quàm tres. Licebit tamen Epiſcopo ob cauſam permittere, vt maior luminum numerus aliquando adhibeatur.

Orationis initio, cum ſanctiſſimum ſacramentum palam proponendum eſt, primum datis ſolemniter de more pridie illius diei, veſperi, & iterum eo die paulò ante campanarum ſignis, præſens adſit, cùm ſacerdos, pluuiali indutus, qui illud religioſè proponat; tum illius eccleſiæ, vbi oratio futura eſt, aut totius parochiæ, ſi eccleſiæ parochialis eſt, clerus ſuperpelliceo veſtitus, qui in hac functione illum adiuuet. Si verò, qui conuenerint, clerici, vel parochiæ, vel eccleſiæ pauciores ſunt, quàm ſex; alij aliunde euocentur, vt ne eo numero pauciores adſint, hique cum luminibus accẽſis, tum homines itidem parochiæ, in cuius eccleſia finibuſve oratio exponitur, pręſertim ſanctiſſimi ſacramenti ſodalitati adſcripti.

Proceſſio in exponendo ſanctiſſimo ſacramẽto per eccleſiam, agatur litanijs, ſtatiſq; antiphonis, precibus, & orationibus, tum cereis accenſis: itidemque in eo reponendo ſeruetur.

Dum illud in altari propoſitum eſt; interdiu clerici duo, ſuperpelliceo induti, capite aperto, ad altare ſemper aſſiſtãt: quorum alter diaconus ſaltem ſit, noctu verò ſaltem vnus, iſque in ſacro ordine conſtitutus.

Ad altaris verò, cappellæve, vbi propoſito ſanctiſſimo ſacramento, oratio fit, cancellos affixæ ſint tabulæ precũ, & orationum, quæ pro temporum, calamitatumque ratione, orantium vſui ex ſanctæ matris Eccleſiæ inſtituto accommodatæ, cæque litteris grandiuſculis exſcriptæ, loco perſpicuo ſint.

Ad excitandum præterea populi, in ſtata hac oratione verſantis, pietatem, hoc curetur, vt aliquando, quo præſertim tempore, quave hora frequens eſt fidelium ad eam concurſus, ſermo, iſque breuis, ad piæ meditationis ſtudium inflammandum appoſitè habeatur.

Vt autem ad huius conſtitutionis præſcriptum omnia, quæ ad huius ſtatæ orationi vſum ſanctæ retinendum pertinent, decore, rectè, ordineque agantur, vnicuique vrbis regioni ab Epiſcopo aliquot viri graues, pietatis, ſpiritualiſque vitæ amantes, & in ijs ſaltem vnus eccleſiaſtici ordinis, qui alijs præſit, conſtituantur: qui in ſua quique regione orationis huius curam gerant, quo tempore illa celebratur. Eorum præter cætera munus erit, cùm videre, vt ad huius ſanctionis præſcriptam normam illa fiat, celebreturve; tum quibus in eccleſijs proximè ea futura eſt, illarum miniſtris ipſam ſignificare, ac prænunciare.

Porrò ad ornatum, atque apparatum huius orationis celebrandæ, ne quid ob ſumptus neceſſarios deſit; à parochiæ incolis pârocho, in cuius Eccleſia illa fiet, adhibitis ſimul aliquot parochialis viciniæ viris, Epiſcopo probatis, eleemoſynam eo nomine quæritare, & colligere liceat. Quæ eleemoſyna, ſi quæ vnquã ex impenſis illis reliqua erit, Epiſcopi arbitrio in vſum, & ornatum, qui ad cultum ſpectet, ſanctiſſimi ſacramenti, erogetur in illa Eccleſia, vel in alia, vbi magis neceſſaria ſit.

Nec verò, hoc vel alio prætextu, illo orationis tempore ad eleemoſynam excipiendam, colligendamve pelues, aut vaſa eiuſmodi patula, exponantur: ſed Epiſcopi permiſſu, conceſſuve capſulas proponi liceat.

Orationis huius curatores videant, vt per quadraginta ipſas horas continenter fiat, ac ne ad momentum quidem tẽporis, nec dia, nec noctu intermittatur. Cui rei quo cautius proſpiciant; ſupputata parochialis viciniæ incolarum, tũ marium, tum fœminam ratione, illiſque in certas ob eam curam claſſes congruenter diſtinctis, & diſpoſitis, horas ſtatæ orationis pro ſupputatione inita, & populi partitione facta, ita ſeparatim, ordineque aſſignent, vt ſua hora claſſes ſingulæ ad orandum conueniant, & intermiſſionis nullum ſpatium relinquatur.

Hoc orationis tempore, in eccleſia, vbi illa celebratur, fœminæ à maribus ſęparatæ, tabulato ad inſtructionẽ præſcriptum interiecto, aut alio interſepto adhibito, orent.

Ne noctu fœminis orandi ſtata hora aditusve in Eccleſia detur.

Quod ſi noctu orantes deerunt, ſanctiſſimũ ſacramentum in tabernaculo reponatur.

Quod ſi fortè ex hac, vel alia cauſa Epiſcopi iuſſu aliquando noctu intermitti contigerit, interdiu compenſetur continenti orandi ſpatio.

Cùm oratio noctu celebratur, ne propterea eccleſiæ oſtia pateant, ſed clauſa, pulſantibus, & ad orandum conuenientibus, etiam ſingulis, aperiantur.

In eccleſijs monialium, cum oratio hæc celebratur, nemo prorſus noctu in illam ad orandum intromittatur. Verum ibi ſanctiſſimum ſacramẽtum per noctem in tabernaculo maiori repoſitum, moniales ſolum ab interiori eccleſia adorantes, nocturno eo tempore per ſtatas horas in oratione perſeuerent; ſummo verò mane iterum è tabernaculo illud depromatur.

Præfinito illo quadraginta horarum tempore, nec verò diutius, in Eccleſia, vbi conceſſum eſt, oratio hæc celebretur. Id verò temporis prorogari ne liceat, niſi Epiſcopi conceſſu. Tamen cum noctu terminari contigerit, ad lucem produci eiuſdem iuſſu licebit, ſi quando huius orationis initium, & finem noctu fieri, minus decenter ille animaduerterit.

Per horam, antequam in vna Eccleſia oratio hæc terminetur, in altera, vbi proximè futura eſt, de more ritè inchoetur.

Quæcunque loco, eccleſiave, in qua exponenda ſit ſacra Euchariſtia pro oratione quadraginta horarum, hac cõſtitutione ſupra præſcripta ſunt, aut de alijs ad cultum, & venerationem ſanctiſſimi ſacramenti, aut ad altaris, capellæve, vbi illud palam proponetur, apparatum, atque ornatum pertinentibus, ea cum in ordinario orationis huius in-

ſtituto,

ſtituto, & vſu, tum etiam, ſi quādo extraordinariè idem adhiberi petitum, aut conceſſum erit, inuiolate, accurateque ſeruentur.

In Eccleſia cathedrali, quoties oratio quadraginta horarum, vel inchoatur; vel peracto in alijs Eccleſijs illius curſu, in eadem iteratur, aliave ratione exponitur, indiciturve; omnis ratio ſuadet, vt ſplendidiori luminum apparatu, & maiori cleri frequentia, maiorique populi concurſu habeatur, atque celebretur. Quare illius orationis initio, quod in ea Eccleſia fit, rurſusque in eiuſdem fine, vt Epiſcopo videbitur, cùm illius Eccleſiæ clerus, populuſque ſi quem pro parochiæ ratione peculiarem habet, tum etiām vniuerſus vrbis clerus, tam ſæcularis, quam regularis, qui ſupplicationibus publicis intereſſe ſolet, ac ſodalitates omnes, & cūctus præterea populus, ſuis parochialibus ſanctorum inſignibus diſtinctus, in illam matricem eccleſiam generatim, vniuerſeque ad orationis celebritatem conueniat.

Sigillatim verò pro vniuſcuiuſque parochiæ, viciniæve in claſſes diſtinctæ, ratione, quam Epiſcopus certam ſtatuerit, inieritve, idem tum clerus ſæcularis, ac regularis, tum populus ſtatis horis, ſibi ordine ſpeciatim attributis, ad eā baſilicam concurrat, more ſolemnium proceſſionum, cruce ſcilicet prælata, & precū, antiphonarum, pſalmorumque pio, ac religioſo cantu: indeque quo ordine proceſſerit, eodem piè, deuoteque redeat.

In ſolemni illa proceſſione, in qua ſanctiſſimum Domini corpus per vrbē religioſo cultu defertur, ne reliquiæ vllæ, ſed illud ſolum, vt veteris inſtituti, eccleſiæque Romanę matris conſuetudinis eſt, pio, religioſoque apparatu, ſolemnique celebritate feratur.

Canonici ſinguli, & qui dignitates obtinent, cum proceſſiones publicas, illam præſertim ſolemnē, quæ in celebritate ſacri diei corporis Domini agitur, atque alias item in portando ſanctiſſimo ſacramento ſingulis menſibus cōſtitutas, obeunt; intortitiū accenſum in manibus, capite aperto, ferant. Capitulum aūt decenti magnitudine & craſſitudine habeat, quot canonicorum numero ſatis ſint.

Reliqui chori miniſtri cereos item accenſos habeant, eoſque forma conuenienti.

Quo autem religioſius prouinciæ noſtrę fideles ſanctiſſimi corporis Chriſti Domini ſolemnitatem colant: pietatiſque operibus, quæ ſacro illius ſolemnitatis tempore præſtanda ſunt, indulgentias à ſummis Pōtificibus, Vrbano IV. Clemente V. Martino V. item & Eugenio IV. conceſſas, conſequantur, parochorum cura ſit, die Dominico, ſolemnitatem præcedēti, hæc paterna charitate, grauique ſermone illos præmonere, atque hortari:

Primo, vt confeſſi, vel in ſolemnitate, vel intra octauā, ſacram communionem ſumant.

Vt pro facultatibus eleemoſynam dent.

Vt purè, caſteque in orationibus frequentes, atque aſſidui ſint, in pietatiſque Chriſtianæ exercitationibus verſentur.

Vt pridie ſolemnitatis ieiunent.

Vt, & in ſolemnitate, & reliquis deinceps ſeptem diebus ad veſpertinum, & matutinum, aliarumque canonicarum horarū officiū, & Miſſæ ſolemnis ſacrū frequentiſſimi conueniant, proceſſionemq; ſolemnem itē ſupplices obeant.

Vtque ad ea Chriſtianæ pietatis officia fideles magis inflammentur; per eoſdem parochos, indulgentiæ, vt infra exponuntur, ab eiſdem Pontificibus vnicuique verè pœnitenti, & confeſſo datæ, euulgentur.

Ieiunantibus pridie ſolemnitatis, indulgentia conceſſa annorum centum.

Præſentibus in veſperis primis, indulgentia annorum etiam centum.

Ijs, qui in ſolemnitate Miſſæ ſolemnis ſacro intererunt, indulgentia annorum totidem.

Qui in matutino aderunt, ijs indulgentia annorum totidem.

Qui in ſecundis veſperis intererunt, ijs quoque data indulgentia totidem annorum.

Qui primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, completorij officijs aderunt, indulgentia ijs datur quadraginta annorum pro ſingulis horarum officijs.

Qui intra octauam veſpertino, matutinoque officio, & Miſſæ ſolemnis ſacro aderunt, indulgentia item datur annorum centum.

Quæ pertinent ad ſacramentum pœnitentiæ.

Eccleſia parochialis; eique item annexa, in qua confeſſiones audiri aliquando ſolent, confeſſionale vnum habeat, forma in inſtructionum libro demonſtrata, conſtructum; duo verò, eadem forma, & modo, vbi quingentarum animarum, & amplius cura geritur. Eccleſia autem, quæ plures habet confeſſarios, totidem confeſſionalia, quot cōfeſſarios, habeat, ſiue parochialis illa ſit, ſiue collegiata, ſiue cathedralis.

In confeſſionali hæc affixa ſint, ſacra ſcilicet imago, litteræ proceſſus die cœnæ Domini, quotannis editæ, tabella caſuum, quos ſibi Epiſcopus reſeruarit, forma abſolutionis, & orationes præterea præparatoriæ ad ſacram confeſſionem audiendam impreſſæ.

Ne capſulæ, loculive, colligendæ eleemoſynæ cauſa, ſiue confeſſarij vſui, ſiue eccleſiæ vtilitati ea ſit, ac ne ob pium quidem vllum aliud opus, loco confeſſionalibus proximo, nedum ipſis confeſſionalibus, affigantur, apponanturve.

Excommunicationis pœnam, concilio prouinciali primo, ſacerdotibus, ſine approbationis facultate, ab Epiſcopo data, pœnitentiæ ſacramentum miniſtrantibus propoſitā, ipſo facto eos, qui contrafecerint, ſubire decernimus, & declaramus.

Confeſſionis ſacræ audiendæ munus ſacerdotibus regularibus, quamuis ad illud ob peritiam, ſcientiamque idoneis, ne committatur; niſi à monaſterij præfecto teſtatum litteris fiat, eos vitæ diſciplina, moribuſque probatos eſſe; ac dignos propterea quibus id muneris imponatur. Quo in teſtimonij genere ipſe videat, ne quid teſtificando admittat, quod religioſæ conſcientiæ ſuæ fraudi ſit, labemve afferat.

Vnuſquiſque monaſterij regularis præfectus bis quotannis, ſemel ſcilicet ineunte aduentu, iterum quadrageſimæ initio, confeſſariorum ſacerdotum ſui monaſterij, probatorum, nomina, in folio exſcripta, ad Epiſcopum deferat; vt, cum regulares ex vno in aliud monaſterium commigrare frequenter ſoleant, eamque ob cauſam illorum numerus interdum minuatur, aliunde ipſe Epiſcopus, alios in eo munere gerendo idoneos, ac probatos opportunè habere poſſit.

Sacerdotum confeſſariorū, qui probati ſint, nomina, in tabella ordine deſcripta, ad valuas ſacriſtiæ eccleſiæ, vbi cōplures illi habitant, affixa in omnium conſpectu ſint.

Epiſcopus & in vrbe, & quo tempore etiā viſitationem obit, in frequentioribus diœceſanis locis cōfeſſarios ſacerdotes, etiam regulares, aliquando ad ſe, cùm ſingulos, tum vniuerſos conuocet. Iiſque primò, cùm cæteras muneris, quod ſuſceperunt, partes, grauiter, accurateque oſtendat, tum præcipuè moneat, quantum, quamq; graue, vel ad ſalutem, vel ad perniciem animarū onus ſuſtineāt; proinde demonſtret item, & quam bene notos caſus ipſi habere debeant, in quibus abſoluēdi auctoritatē nullam habent, & quā ſtudioſè propterea caueant, ne in meſſe aliena falcē ponant, & quam cautè item in pœnitentium abſolutione agant, cū præſertim vel de reſtitutione, vel de occaſionibus, quibus ad mortalia peccata aditus ſit, abijciendis agitur.

Ne verò facilè in eodē peccati genere fideles offendant, hoc etiā illos ipſos confeſſarios admoneat, quā prudentes, quā cautos, quā diligentes in pœnitentijs ſalutaribus imponendis eos eſſe oporteat: tum proſpicere etiam, vt non ſolū vitia, peccataque fideles, ſed virtutes, Chriſtianæque vitæ officia, opera, & actiones, cū Chriſtiani nominis ſplendore congruentes, ſuſcipiant, ac præſtent; maioreſq; in via Domini progreſſus in ſingulos dies habeant, propoſita vnicuique, pro eius ingenio, & conditione, ac ſtatu, benè, ſancteque agendi ratione.

Demonſtret denique, quā ſedulò caueant, vt ne eorum dicta ſanctarum cohortationum, paternarumq; obiurgationum plena, à factis vllo modo diſſentiāt; ac ne item, audiendis ſacris confeſſionibus, vllam, ne minimam quidem, auaritiæ in primis, ſuſpicionem præbeant.

Inſtructiones, ad ſacramentorum, & pœnitentiæ, & ſacræ communionis, miniſtrandorum vſum, cultumque pertinentes, à nobis Concilij prouincialis tertij decreto confectas, atque editas, in ſua quiſque vrbe, diœceſique Epiſcopus ſeruari omni diligentia curet.

Medici quicunque, vel in vrbe, vel in diœceſi ſunt, duorum menſium ſpatio per ſingulos Epiſcopos, ſi id ante non præſtiterint, iureiurando obſtringantur: quo ſpondeant, ſe, quod Pij V. Pont. Max. ſanctione, de medicis edita, præſcriptum eſt, integrè, inuiolateque ſeruaturos eſſe. Qui iuſiurandum præſtiterint; ne excommunicationis pœna, Concilio prouinciali primo decreta, ſed ijs tantum pœnis, illa Pontificia conſtitutione ſancitis, irretiti teneantur, ſi contra fecerint.

Nec verò confeſſarius ſacerdos, confitendi tẽpus ægrotanti proroget; niſi primum re cum Epiſcopo, eove, cui ille id curæ dederit, communicata, prorogationis facultatem, ſcripto exaratam, ab illo impetrarit.

Caſus reſtitutionis rerum, quæ incertum eſt, quibus reſtitui debeant, Epiſcopo deinceps reſeruati ſint.

Confeſſarius ſacerdos, quicunque ſit, etiam regularis, ne auditæ ſacræ cõfeſſionis teſtimonium ſcriptum, aut impreſſum, manu ſua, ſuoque ſigillo ſignatum, ſibi peccata cõfeſſis, dare omittat, tum in Paſcha, vt parochis, tum ægrotationis tempore, vt medicis, quod debent, eos præſtitiſſe planè conſtet. Confitentium præterea Paſchæ tempore nomina, & cognomina, vt fraudi multiplici occurratur, in librum certum, notato etiam die, & menſe referat: quem librum Epiſcopo petenti, pro debito charitatis ſtudio, non modo non deneget, ſed promptè oſtendat atque exhibeat, tradatve; teſtimonij verò formula certa ab Epiſcopo præſcribatur: cuius exempla, vbi ars impreſſoria ſit, & vbi opus eſt, typis impreſſa, quàm plurima vnicuique ſacerdoti confeſſario tradantur.

Quæ pertinent ad extremam vnctionem, & reliqua erga morientes officia.

QVIBVS parochis Concilio prouinciali ſecundo permittitur, domi aliquando habere ſanctum oleũ infirmorum, ij feneſtellã in ipſa domo, loco decenti, ac tuto cõſtruant; panno ſerico circumueſtiant; valuis, & claue claudant, vt & in honore, & rectè cuſtodiatur.

Parochus extremæ vnctionis ſacramentũ ſicut his miniſtrare debet, adultis ſcilicet, periculosè ægrotãtibus, propeque moribundis, ſenio confectis, etiã non ægrotis, in diẽ morituris; ita iſtis, ne miniſtret, nempe pueris, rationis vſu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellũ proficiſcentibus, nauigantibus, peregrinantibus, & ijs, qui mox vltimo ſupplicio mulctandi ſunt.

Idem cum pro ægris parochialis viciniæ ſuæ ſemper oret, ſacrificiumque offerat; tum ſi quem ex ijs periculosè ægrotare viderit, hoc curet diligenter, vt die, noctuque ad extremæ vnctionis ſacramentum, ei miniſtrandum præſto ſit, & paratus.

Cum autem is ad ægrum, qui à parochiali Eccleſia longius abeſt, grauiter, ac non ſine periculo mortis febri, morbove laborantem, ſanctiſſimum corpus Domini defert; ne, vbi ad parochiale domicilium ipſe redierit, mortem ille prius obeat, quàm ad extremæ vnctionis ſacramentum, eidem miniſtrandum, reuerti poſſit; vaſculum etiam ſacræ illius vnctionis ſecum ferat, illam ei, poſtquam corpus Domini præbuerit, miniſtraturus: ſi ita pro morbi ingraueſcentis ratione, mortiſque periculo faciendum cenſuerit.

Id extremæ vnctionis ſacramẽtum miniſtraturus, quot commodè poteſt, presbyteros, & clericos adhibere ſtudeat, ſuperpelliceo indutos; qui ipſum, & miniſtrantem, & precantem, pietatis, orationiſque ſtudio in eo miniſterio adiuuent.

Quod ſi plures habere non poteſt, vnum ſaltem omninò adhibeat clericum, ſibi miniſtrantem.

Accedat autem illud miniſtraturus, ſtola, & ſuperpelliceo indutus.

Vas ſacri olei, ne ſinu, brachiove comprehenſum, ſed ſacculo ſerico aptè incluſum, cordula ſerica à collo pẽdens, piè reuerenterque ferat.

Cum accerſitur, propè ægrotantis lectum, menſam paruulam, vbi commodè fieri poteſt, parari; mappave candida ſterni curet, ſuper qua, & vas ſit, vbi bombix, ſeu ſtuppa ad abſtergendas vnctiones, micaque panis ad abſterſionem digitorum præparata, & vas alterum aquæ ad manus lauandas, & candela ceræ item parua. Qua in menſa vas ſacri olei à parte lecto viciniori ponatur; à laico autem homine ne manu teneatur.

Mulieribus miniſtraturus, renes ne inungat.

Vbi ſacramentum ægro miniſtrarit; dum ille ſermonis, & ſenſuum vſum non amiſit; cum breuibus, & ſuauibus, ardentibuſque verbis excitare ad deſiderium vitæ æternæ, & ad ſpem de diuina miſericordia concipiendam, ne opportunè deſiſtat; tum, cum propè moribundus eſt, in illius animæ commendatione, quàm maxima poteſt, intima animi pietate, ſtatas, religioſas, ſanctaſque preces recitet.

Curetque toto eo tempore, vt domeſtici ſimul omnes, qui adſunt, pro eo Deum piè precentur.

Vbi hoc officium piè, accurateque præſtiterit, ſi æger adhuc viuit, aut animam agit; ne eidem præſens adeſſe, omniaque ſalutaria officia præſtare omittat. Si verò adeſſe aliquando non poteſt, vel quia alijs grauiter ægrotantibus, ſacramenta miniſtrare neceſſe habet; vel quia neceſſarijs parochialis curæ occupationibus alijs impeditur, tunc ea pietatis officia illi à ſacerdote, ſi quis alius eo loco eſt, ſollicitè præſtari curet.

Ad quod etiam officium, ſibi hoc ſubſidium, cum opus eſt, comparet, vt confratriæ ſanctiſſimi ſacramenti, aut doctrinæ Chriſtianæ homines aliquos, parochiali ſua diligentia, ad conſolationis, & ſpei excitandæ officia, aliaque eiuſmodi, inſtructos adhibeat. Hoc etiam parochus domeſticos, qui ægroti curam habent, moneat, vt ne poſt extremæ quidem vnctionis ſacramentum, quod ei ipſe miniſtrauerit, corporis curam deſerant.

Singulis menſibus, in diœceſi vnuſquiſq; Vicarius foraneus, & in vrbe præfectus regionarius, aut alius, cui id muneris Epiſcopus dederit, à ſuæ regionis parochis de illis perquirat, qui obierint; ijsq; animam agentibus, an ipſi præſentes adfuerint; an curæ, & pietatis officia omnia eiſdem moribundis præſtiterint; tum, vbi opportune in mortuorum agnatos, affineſve inciderit, parochialium ſacerdotum debitum officium, ab illis diligentius recognoſcat.

Quod ſi eos negligentiores eſſe animaduerterit, vbi primum illos, vt par eſt, reprehenderit, tum eorum negligentiam culpamve ad Epiſcopum deferat.

Epiſcopus pro ſua vigilanti cura, in vrbe, aut alio loco, in quo ipſe ſit, cum ægros grauiter laborantes, præſertim vitæ ſpiritualis amantes, pietatiſque laude inſignes, paterna charitate aliquando viſitare ſtudeat; tum Epiſcopalem benedictionem moribundis impertiat.

Hoc officium quoque diligentius, cum poteſt, ſæpè parochis, ſacerdotibus, religioſis viris, ægrotantibus, & moribundis item, præſtare idem piè curet.

Parochus verò fidelibus prope morituris ſuggerat, vt, ex hoc ſæculo, antequam migrent, qui præſertim in vrbe ſunt, aut alio loco, in quo Epiſcopus ſit, ad illũ, certũ hominem mittant, qui eis Epiſcopalem benedictionem petat.

Quæ pertinent ad ſacramentum ordinis.

VBI primũ Epiſcopus, aut parochus aliquẽ norit, qui vel ſponte ſe clericali militiæ adſcribi velit, vel à parẽtibus adhuc infans deſtinetur; hoc ſedulò curet, vt ille, quo diligentius clericalis diſciplinæ, vitæque religioſè inſtituti primũ imbuatur, Eccleſiam frequentius adeat; functiones, quas clerici obeunt, cæteraq; id generis miniſteria cernat, ipſiq; parocho, vel alij ſacerdoti, quẽ idẽ Epiſcopus maluerit, in diſciplinã, curamve traditus, Eccleſiaſticorũ hominũ conſuetudine vtatur. Sic multiplici ratione cũ paulatim, & clericalis vitæ officijs obeundis, & laboribus ſuſcipiẽdis, aſſueſiat; tum diſcat etiam, atque animaduertat, quod vitæ genus, ſi ordinis ſacramento initiari vult, ſequi debeat; proindeque de re tota maturius ante deliberet.

Parochi verò ſit, illiuſve, cuius curæ, Epiſcopi iuſſu, traditus eſt, eum quæcunq; clericalis vocationis inſtitutionisſve ſunt, aliquando monere, ac docere diligenter.

Vt ad Eccleſiæ miniſterium complures inſtituātur, qui ab ineunte penè ætate ad pietatem, vitæque innocentiam, cum litterarum doctrina coniunctam, accuratè inſtructi ei ſanctè, vtiliterque poſt inſeruiant; illud vnuſquiſque parochus valde ſtudeat, vt quamplurimos poteſt pueros, præſertim pauperes, bona indole præditos, qui ſpem afferant, ſe ſacris initiatos, Eccleſiæ miniſtros vtiles fore, ad Eccleſiaſticæ vitæ normam accuratè erudiat, eoſdemque præterea, cū ante, tum etiam in primis, poſt ſuſceptam clericalem tonſuram, ac deinceps minoribus ordinibus adſcriptos, pro paternæ charitatis ſtudio, optimis moribus, clericali religioni congruentibus, clericaliumque functionum diſciplina bene informet; litteriſque item inſtruat, eos præſertim, qui ab alijs probatis viris, artem litterariam profitentibus, ob inopiam, aliamve cauſam, commodius, diligentiusque erudiri non poſſunt.

Eorum autem ſingulorum mores, ſtudia, litterarumq; progreſſionem Epiſcopo parochus aliquando ſignificet; vt ſuo tempore, vel in ſeminarium cooptati, vel alia quacunq; via adiuti, pro ætatis ratione, proque ingenij captu, ſtudijs grauioribus ſe dedere queant.

Sacræ ordinationes, tum ſtatis ſolum quatuor anni tēporibus, niſi ob vrgentē cauſam, illas alio tempore aliquando, facultate à ſede Apoſtolica litteris data, haberi neceſſe ſit, tum in Eccleſia cathedrali, ritu ſolemni, canonicisque præſentibus, habeantur. Si verò quandoque in diœceſano loco habentur, in illius loci Eccleſia primaria celebrentur, clero eiuſdem præſente, vt decreto Tridentino cautum eſt.

Sæpe illud facileque euenit, vt vel hominis mores mutentur, vel, quod de illius vita minus antea notū, atque exploratum erat, id poſtea aliquo modo pateſiat; quo fit, vt, quem Epiſcopus, ſuperiorve aliquando probarit, dignumque exiſtimarit, aliquo etiā ſacro ordine initiari, illū ipſum poſt inueniat indignum, neque idoneum eſſe, cūi idem, aut maior ordo conferatur. Quare vt & erroribus, multiplicique fraudi occurratur; & planè ſeruentur decreta illa Tridentina, vnum, quo vetatur ad ſuperioris ordinis gradum illos aſcendere, qui in inferiori aliquādiu, Epiſcopi iudicio, verſati non ſint; quique cum ætate, vitæ etiā merito, doctrinaque maiori non proceſſerint; alterum, quo cauetur, nemini licere ab alio Epiſcopo primam tonſuram, aut ordinem aliquem ſuſcipere, niſi eius probitas, & mores, ordinarij ſui teſtimonio, primum commendentur; Epiſcopus, aliuſve ſuperior, prout pro ſua prudentia, pietateque expedire cenſuerit, in primis videat, ne cuiquam antequam ſacræ ordinationis tempus proximè inſtet, litteras eiuſmodi teſtimoniales, dimiſſoriasve pro ordinibus, ab alio Epiſcopo ſuſcipiēdis, ſine neceſſaria cauſa vnquam concedat.

Neque item iiſdem litteris facultatem det, plures ordines ſuſcipiendi, quàm illos ipſos tantum, quos vno, eodemque tempore ab eo ſuſcipi voluerit, ac per ſacros canones, Conciliaque licuerit. Præfiniat præterea in illis ipſis certum ſuſcipiendi ordinis, cui quiſquam adſcribendus eſt, tempus, menſtruum ſcilicet, vel bimeſtre, vel longius, vt pro loci diſtātia, pro aliave eiuſmodi cauſa opus eſſe viderit. Quo præſtituto tempore tranſacto, eas litteras, illo nomine à ſe conceſſas, ei in poſterum nihil ſuffragari, nihilque roboris habere iiſdem litteris declaret: quas etiam cancellario Epiſcopali ab illo, cui conceſſæ ſunt, reddi decernat.

Nec verò alienæ diœceſis clerico ſæculari, neq; vlli omnino regulari, litterarū auctoritate, quas dimiſſorias, teſtimonialesve hic ab ſuperiore, aut ille ab ordinario ſuo habet, Epiſcopus ordinem aliquem, vel minorem, vel maiorem, ac ne primam quidem tonſuram, tempore illarum litterarum præterito, conferat.

Quòd ſi nullum iiſdem litteris ſpatium temporis præſcriptum ſit; ne item in ſacra ordinatione quemquam promoueat; niſi eas recenter, aut ſcriptas, aut renouatas, confirmataſve is afferat; atque ita recenter quidem, vt non amplius duobus, tribusve menſibus ante ſacram ordinationis, qua ille proximè initiandus eſt, tempore datæ, confirmatæve ſint; ſi modo, aut loci diſtantia, aut eius, qui ordinem ſuſcepturus eſt, diuturna ab ſuo Epiſcopo, ſuperioreve abſentia; aliave id generis cauſa vetuſtiores litteras, eiuſdem Epiſcopi iudicio, admitti, probarive nōn poſtulet. Id ipſum quoque Epiſcopus in teſtimonialibus morum litteris cauebit, quas ſuæ etiam diœceſis clerici, alijve quicunque eo de genere afferent.

Litteras autem eiuſmodi, de moribus teſtatum facientes, ab alienæ diœceſis clericis, regularibusve itē, qui ab ſua diœceſi, monaſteriove proximè aliquandiu abfuerint, ſibi afferri, exhiberive curet, non ſolum ab eorū Epiſcopo, ſuperioreve, ſed ab illo etiam, apud quem proximè māſerint, eiuſve auctoritate ſcriptas, atque obſignatas.

Quod idem à ſuis clericis præſtari iubeat, qui in aliena diœceſi, aliquo temporis ſpatio, proximè fuerint.

Si verò qui eo ſpatio in litteris præfinito, aut ſi nullum etiam præfinitum ſit, duobus, aut tribus poſt datas, renouataſve litteras menſibus, ordines non ſuſceperit; tunc litteras illas, vel dimiſſorias, vel morum teſtimoniales, eo nomine ſibi ab ſuo ordinario, vel ſuperiore primum datas, vel recenter confirmatas, renouataſve, quàm primum per loci diſtantiam poteſt, eidem per ſe, vel alium reſtituat, reddatve.

Cum autem deinceps ordines ſuſcipere vult, iterum recentes illas ab eo impetret.

Qui item ab ſuo Epiſcopo eos ſuſcepturus eſt, quod ad morum ſuorum teſtificationes attinet, à quibus debet, iterum recentes illas ei afferat, exhibeatvè.

Si quis vna aliqua culpa, impedimentove, vt infra irretitus tenetur, ne ad ſacram ordinationem, contra ſacrorum canonum, & Conciliorum præſcriptum, accedat, vt ne cenſuras, pœnaſve canonico iure illis, qui tales ad eam acceſſerint, conſtitutas, ſubeat. Rurſus diligentiam Epiſcopus adhibeat, ne fraude, vel dolo quiſpiam ſacræ ordinationi ſeſe ingerat.

Impedimento irretiti hi ſunt.
Minores natu.
Sacramento Chriſmatis non confirmati.
Rudes, & ignari.
Criminoſi.
Solemniter pœnitentes.
Neophyti.
Ebrietati, & gulæ dediti.
Impudici.
Lapſi poſt ordinem ſuſceptum.
Periuri.
Vſurarij manifeſti.
Infames.
Ratiocinijs obligati.
Serui.
Corpore vitiati.
Inſigniter deformes.
Illegitimè nati.
Peregrini, & ignoti.
Bigami.
Irregulares quouis alio modo.
Suſpenſi.
Interdicti.
Excommunicati.
Amentes.
Morbo caduco laborantes.
Energumeni.
Non examinati, & probati.

Subdiaconatum ſuſcepturus, quo diligentius vitæ perpendat rationem, cui ſe, illum ſuſcipiendo, ſanctè obſtringit; ac proinde re tota accuratius deliberata, puriori mente, ardentiorique animi voluntate, ad rem tanti momenti accedat, priuſquam eo ſacro ordine initietur, aliquem ſemotū locum adeat, vbi ab omnibus curis, & occupationibus liber, cum omnis ante actæ vitæ ſuæ peccata, diligenti conſciētiæ diſcuſſione, ritè confiteatur: tum in ſalutaribus meditationibus, alijſq; ſpiritualibus exercitationibus totus verſetur, duce, & moderatore ſibi adhibito, religioſo viro, earum vſu perito, quem Epiſcopus in primis probarit.

In illis autem, vel menſe, vel longiori, breuiorive tem-

pore

pore perſiſtat, prout de moderatoris conſilio, Epiſcopus expedire cenſuerit. Quas item exercitationes, eodem præſcripto, & modo, eo tempore, diaconi, cum ad ſacerdotij gradum acceſſuri ſunt, piè ineant, ac præſtent.

Nemo titulo ſeminarij ſacris maioribus ordinibus adſcribatur, neque titulo item beneficij, aut penſionis, alteriuſve cenſus, quem ei ad victũ, Epiſcopi iudicio ſatis eſſe non conſtet.

Qui maioribus ordinibus initiari volunt, ij, quod Tridentino decreto iuſſum eſt, inuiolatè planè ſeruẽt, vt menſe ſcilicet, aut longiori ante ſtatam ſacræ ordinationis diem temporis ſpatio, prout edicto Epiſcopali præfinitum erit, ad Epiſcopum ſe conferat.

Quoniam verò prima tonſura, vt catechiſmi etiam Romani litteris traditur, ad ordines ſuſcipiẽdos quædam præparatio ijs eſt, qui Dei miniſterio dicandi ſint; permultum propterea refert, omnem in illa conferenda, & ſuſcipienda, diligentiam ſtudioſè adhiberi. Quamobrem id quoque ab ijs, qui prima tonſura initiandi erunt, omninò ſeruari, ac præſtari decernimus, niſi aliquãdo Epiſcopus aliud ob cauſam faciendum cenſuerit.

Præſtituto igitur tempore omnium, ac ſingulorum, tũ qui prima tonſura, tum etiam qui maioribus ordinibus initiandi, ad Epiſcopum acceſſerint, nomen, cognomen, parẽtes, patria, Eccleſia parochialis, intra cuius fines quiſque ortus, atque illa item, vbi proximè habitarit, rectè notentur Epiſcopi iuſſu. Ac præterea beneficium Eccleſiaſticum, pẽſiove, aut patrimonium, illiuſve generis cenſus, cuius nomine, titulove quis ſacros ordines ſuſcepturus eſt. Hæc verò ipſa, litteris exarata à parocho, ab eove, cui Epiſcopus id negotij dederit, publicè de illis proponentur die feſto inter Miſſarum ſolennia in Eccleſia, & cathedrali, & propria parochiali, & in illa quoque, in cuius finibus poſtremo domicilium habuerit, & vbi præterea Epiſcopus cenſuerit. Ac quod ad cenſum attinet, in ea omninò parochiali Eccleſia, intra cuius limites maior eius cenſus, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue alterius generis pars poſita eſt, vt denunciari queat, ſi quæ vel confictio ſufficientis cenſus, vel alia fraus ſubeſt, vel aliud, quamobrem illud beneficium aliumve cenſum non pacificè poſſideat: vel ſi quæ cenſus illius pars ære alieno, aliove modo obſtricta teneatur, vnde is, deinde initiatus ſacris, non habeat ſatis vnde viuat, cogaturque propterea turpiter victum quæritare. Hac adhibita ratione, inquirat diligenter is, cui id muneris Epiſcopus dederit, de eorum, qui prima tonſura, vel ſacris maioribus ordinibus initiandi ſunt, natalibus, ætate, vita, & moribus, ac cæteris, quæ oportet, à viris ſpectata probitate. Nec verò is teſtimonialibus ſolum, quæ eorundem, qui ordinibus initiandi ſunt, nomine fient, vel afferentur, contentus omnino ſit; aliunde, etiam pro officij ſui munere, ea omnia de illis ſtudioſè indaget, vt ſibi hoc de genere toto veritas omni ratione conſtet.

Quinimò quod ad mores illorum inquirendos attinet, teſtificatio ab ijs nulla conquiratur, quos ſuæ vitæ teſtes ipſi attulerint, nominarintve, ſi id teſtimonij genus ab alijs, ſpectata integritate viris, rectè haberi queat.

Alia præterea omnis diligens cautio, ac ratio in hac ipſa tum indagatione, tum teſtificatione ab eo, quem huic muneri Epiſcopus conſtituerit, adhibeatur.

Litteræ porrò, quibus tota hæc inquiſitio, ac teſtificatio continetur, ad Epiſcopum rectè obſignatæ ab eo mittantur, cui id ille curæ mandauit. At verò, ne propter eiuſmodi, aliamve diligentiam, quam pro ſui muneris officio Epiſcopus in eorum, qui ordines ſuſcepturi ſunt, natalibus, ac moribus, cæteriſque id genus perquirendis adhibuerit, eorum quiſquam excuſetur, quominus præſcriptas ſibi de ſe, ſuiſque conditionibus, qualitatibuſve teſtificationes certas infra conſtitutas, afferat.

Quas teſtificationes afferendi id tempus illis præſtitutum ſit, quo examen ſubituri, ordinis ſuſcipiendi cauſa, ad Epiſcopum conuenient. Quod ſanè tempus, Epiſcopali etiam edicto, ſignificandum illis, qui in vrbe ſunt, feriam ſcilicet ſecundam hebdomadæ, ſtatam ſacræ ordinationis diem præcedentis; diœceſanis autem, alijſve ante feriam quartam hebdomadæ, in quam ipſa ſacra ordinatio inciderit, conſtituimus: id verò, niſi vel pro diœceſis exiguæ, aut amplioris ratione, vel pro numero eorum, de quorum agetur promotione, breuius, aut longius cõueniendi tempus, edicto ſuo Epiſcopus præſcribendum cenſuerit.

Omnis, quicunque vel primam tonſuram, vel ordines minores, maioreſve ſuſcepturus eſt, ea ſingula, quæ mox infra ordine ſtatuuntur, de ſe litteris, legitimè teſtata ſuo Epiſcopo faciat.

Primò ſe legitimo matrimonio natum eſſe; aut ob natalium impedimentum, ſecum diſpenſatum eſſe.

Præterea, ſe, vel orig[illegible]ne, [illegible] beneficio Eccleſiaſtico, quod in diœceſi obtinet, vel decennali domicilio, vel alia quauis legitima ratione diœceſanum eſſe.

Tum à parocho, à ludique magiſtro, vt Tridentina ſynodus Oecumenica iubet, aut ab eo, quem in quouis ſtudiorum genere audit, aut, ſi in ſeminario adſcriptus eſt, ab illius rectore, aut ab alijs, quos Epiſcopus maluerit, obſignatas litteras afferat, quibus de vitæ ſuæ diſciplina, moribuſque teſtatum fiat.

Doctrinæ item Chriſtianæ ſcholas ſe frequentaſſe, id teſtimonij afferat, vel à præfecto illarum, in parochiali vicinia ſua conſtituto, vel ab eo, qui omnium id generis ſcholarum curæ præeſt.

Hæc præterea teſtimonia afferet, qui ſe prima tonſura initiari vult.

Sacro chriſmate confirmatum eſſe.

In Eccleſia frequentius, religioſiuſq; verſatum eſſe.

In ſpe eſſe, ſe in clericali diſciplina permanſurũ; hoc verò teſtimonium à parocho, aut ab eo ſacerdote habeat, cui ab Epiſcopo in diſciplinam traditus eſt, poſtquam clericalis ordinis ſuſcipiendi animum, voluntatemque ei patefecit.

Sacram item communionem crebro per annum ſumpſiſſe.

Licebit tamen Epiſcopo etiã ſine teſtimonio, tum ſumptæ communionis, tum frequentatę ſcholæ doctrinæ Chriſtianæ ob cauſam admittere.

Qui verò aliquo minori, maiorive ordine initiandus eſt, teſtimonium præterea, quæ mox ſupra præſcripta ſunt, afferat etiam de his, quæ ſequuntur.

De prima tonſura, aut de ordine, quem proximè ſuſcepit.

De illius ordinis functionibus, à ſe præſtitis; idque teſtificationis habeat à præfecto Eccleſiæ, cuius adſcriptus eſt. Nec verò etiã regularis, cuiuſcunq; ordinis ſit, admittatur, qui teſtimonium non attulerit à ſuo ſuperiore.

De habitu clericali, ad prouincialium, diœceſanorumque Conciliorum præſcriptum, poſt ordinem proximè ſuſceptum, à ſe aſſi[illegible] geſtato.

Quam teſtificationem à parocho afferat.

De confeſſione frequẽtiori, ex decretorum prouincialium præſcripto, cuius rei teſtimonium obſignatum ab aliquo confeſſario ſacerdote, probato ad audiendas confeſſiones clericorum afferat.

De ſacra communione, vt decretis prouincialibus iuſſum eſt, crebrius ſumpta. Hoc autem teſtatum afferat, vel à parocho, vel à præfecto Eccleſiæ, in qua adſcriptus eſt, vel ab alio ſacerdote, qui Epiſcopi iuſſu miniſtrarit.

Qui ſubdiaconatum, aliumve ſacrum ordinem ſuſcepturus eſt, ſcripta præterea afferat, quibus præter cætera teſtetur;

De ſe, ex præſcripta formula, denunciationes in Eccleſia cathedrali, & in alijs locis, per Epiſcopum cõſtitutis, publicè die feſto inter Miſſarum ſolemnia factas eſſe.

Ætatem item, ſanctione Tridentina præſcriptam, annos ſcilicet viginti duos, ſi ſubdiaconatum, viginti tres, ſi diaconatum, viginti quinque attigiſſe, ſi ſacerdotium ſuſcepturus eſt.

Cenſum item, vel Eccleſiaſticum, vel laicalem, quem, & pacificè poſſideri, & tantum eſſe conſtet, quantum ad vitæ eius ſuſtentandæ vſum ſatis eſſe Epiſcopus cenſuerit, ſecundum prouinciæ, vel loci qualitatem.

De cenſu præterea denunciationes, præfinitis ſupra locis, factas eſſe, atque [illegible] huius Concilij præſcriptum.

Quicunque verò [illegible] diaconus, aut ſacerdos cr[illegible]ãdus eſt,

id præ-

id præter alia teſtificationis afferat, ſe ſpirituales exercitationes, ad decreti, in hoc prouinciali Concilio editi, præſcriptum, præſtitiſſe.

Vt & Epiſcopo, ſacram ordinationem habituro, & ijs, qui ordinis ſacramento initiandi ſunt, ſatis temporis detur, quo præſtare poſſint, quæcunque, vel ſacri Tridentini Cõcilij decretis, vel noſtris etiam prouincialibus cõſtitutionibus, ante ſtata illius ſacræ ordinationis tempora, in ijs præſertim, qui maiores ordines ſuſcepturi ſunt, præſtari iuſſum eſt; primo Epiſcopus, ſtatis illis temporibus eã de more ſolenniter celebraturus, duobus ante menſibus, aut amplius, minusve, pro diœceſis amplitudine illius habendæ diem litteris indicat; tum edictum, certa verborũ formula conſcriptum, publicè proponi, Eccleſiæq́; cathedralis valuis, alijsque, vt conſuetudinis eſt, locis affigi, idemque præterea à ſingulis parochis promulgari iubeat. Quo edicto oẽs quicunque, vel primam tonſuram, vel ordines minores, maioresve ſuſcepturi ſunt, ad ſacram ordinationem euocet. Certum præterea, vel menſtruum ſcilicet, vel, quod ad diœceſanos attinet, longius etiam, pro diœceſis amplitudine, ſpatiũ præſtituat, quo ad ſe omninò illi ſinguli, qui prima tonſura, aut aliquo ſacro ordine initiandi ſunt, ante ſtata ordinationis tempora conueniant.

Certam item diẽ, ſacræ ordinationi proximã, edicat, qua primo, qui in vrbe ſunt, tũ rurſus alterã, qua diœceſani, qui prima tonſura, aut aliquo ordine initiandi ſunt, cũ præſcripta teſtimonia afferant, tum ſtata examina ſubituri, præſto ſint. Reliqua præterea omnia, & ſingula edicat, & commoneat, quæ vel à clericis, qui initiandi ſunt, vel à parochis, ſacræ ordinationis cauſa, præſtari debent.

Proximo autem poſt illam edicti promulgationm die dominico, parochi, qui in vrbe ſunt, tum verò diœceſani vbi primum litteras indictionis diei ſacræ ordinationis celebrandæ acceperint, dominico die, proximè ſequẽti, in ſua quiſque Eccleſia illas publicè proponant, atque affigant, vnà cum edicto, de ſacra ordinatione, & Epiſcopi etiam litteris paſtoralibus, ex præſcripta formula, per nos edenda, aut alia ratione, argumentove, cum re, quæ ſanctè agenda eſt, conſentaneo, prout Epiſcopus aliquando expedire cenſuerit.

Quo dominico promulgationis die, ob ſacram ordinationem proximè futuram, in ſingulis Eccleſijs parochialibus, vt alias decretum eſt, proceſſio de more agatur, litanijs, ſupplicationibus publicis, quibus vnuſquiſque ſecum mente reputans, quàm pauci operarij in meſſe multa ſint, hoc Deum toto corde exoret, vt, qui dominus eſt meſſis, ipſe mittat operarios in meſſem ſuam, ac lumen Epiſcopo præbeat, vt in ijs deligendis, quos ordinibus adſcribat; quos verò Epiſcopus delegerit, ope diuina illi adiuti, in ſanctitate, & iuſtitia ei ſeruiant, eiuſdem gloriam omnibus in rebus ſibi proponentes. Quod, vt eo nomine Deum populus ſupplex ſæpius oret; id illum ſingulis diebus dominicis per mẽſem ante ſacræ ordinationis tempus, crebra cohortatione parochi intra Miſſarum ſolennia præmoneant; at dominico die, illam proximè præcedenti, paſtorales etiam illas Epiſcopi litteras de ſcripto accuratè iterum recitent; tum præterea, admonitione populum ad illud excitent, vt non modo ſupplicationes ob eam cauſam, altero Concilio prouinciali decretas, piè, religioſeque tunc obeat; ſed illis ipſis ſtatis, qui ſequuntur, ſacræ ordinationis diebus, frequens in oratione purè, ſanctèque verſetur, vt Dei ſanctorumque ope, pijs fidelium precationibus impetrata, & Epiſcopus ordines ijs conferat, quos vtiles operarios Eccleſia Dei poſtulat; & qui ordines ſuſcipient, in dies progreſſu maiores habeant, in vitę, morumque ſanctitate, religione, doctrina, ac prudentia.

Epiſcopus quantum ſibi per occupationes Epiſcopales licet, maximè curet, vt, cum experimentum, examenve de ijs inſtituitur, qui ordinibus, præſertim maioribus initiandi, quique Eccleſijs parochialibus præficiendi ſunt, ipſe pręſens in eo examine adſit.

Quicunque eccleſiaſticum aliquem ordinem ſuſcepturus eſt, de eo periculum, experimentumue fiat, non ſolum in litterarum ſcientia; verum etiam in cantus peritia, ad ordinis, quem tunc ſuſcipiet functiones ritè, rectèque obeundas neceſſaria; tum præterea, ſi ſacro ordini adſcribẽdus eſt, in vſu, ac notitia, quam in recitandis diuini officij horarijs laudibus, precibusque habeat.

In teſtimonialibus ordinis, ab vnoquoque ſuſcepti, litteris, fiat teſtificatio etiam Eccleſiæ, loci ve pij, cui is tum adſcriptus eſt, ex Tridentino decreto. Nec verò propterea, quominus alij vel Eccleſiæ, vel loco pio, eundem etiã poſtea ab Epiſcopo adſcribi liceat, vetitum ſit.

Stata illa temporum interualla, ordinibus, tum minoribus, tum maioribus ſuſcipiendis Concilij Tridentini decreto præſcripta, ne facilè, ac paſſim ſine vllo delectu prætermittantur, omittanturve. Quod ſi de ijs aliquid ab Epiſcopo remitti, diſpenſariuè contigerit, id in litteris dimiſſorijs, teſtimonialibusve ordinum, adſcripta etiam diſpenſationis cauſa teſtatum planè fiat.

Clericus, qui ab ſuo Epiſcopo litteris teſtimonialibus, dimiſſorijsve impetratis, ordinem ab alio Epiſcopo ſuſceperit; menſe poſt illum ſuſceptum, aut longiori pro loci diſtãtia temporis ſpatio, in eiſdem litteris præſcripto, teſtificationem ordinis, quem ſuſceperit, ſcriptam ſuo Epiſcopo afferat: ſi verò legitima cauſa impeditus eſt, id per alium præſtet.

At vbi primum poterit, ipſe quoque Epiſcopum conueniat, vt & in eorum, qui ordinibus adſcripti ſunt, librum referatur; & certæ Eccleſiæ, ſi nondum adſcriptus eſt, ex Tridentino Decreto abſcribatur.

Vt & minorum ordinum functiones ad vſum reuocentur, & per eos tantum præſtentur, exerceanturve, qui in illis conſtituti, adſcriptive ſunt, ad Tridentinæ cõſtitutionis præſcriptum hæc decernimus.

Vbi fabricæ Eccleſiæ, capitula, monaſteria, vniuerſitates, confratriæ, collegiave item cuiuſuis generis, ac alij pręterea quiuis homines, laicum cuſtodis, aut monachi, vel alio nomine, certis etiam olim huic muneri attributis bonis, fructibus, redditibus, aut alio quouis modo, nomineve, etiam pro libito ſuo, conſtituta mercede, habere, adhibereve ſolent, qui Eccleſiam cuſtodiat, aperiat, claudatve, campanas pulſet, aliaſve huiuſmodi Eccleſiaſticas functiones obeat: aut alius cenſus eſt, quauis ratione huic ſuſtentationi attributus; eius laici hominis loco clericus deligatur: qui pro ratione ordinum minorum, quos ſuſceperit, earũ functionum munus præſtet; atq; is conſtitutã illi mercedem, aut attributos fructus, redditusve capiat: qui ſi ſatis non ſint, illa, vel capitula, vel monaſteria, vel collegia, vel alij, vt ſupra, ad quos vllo modo pertinet, quod deeſt, ſuppleant.

In omni verò parochiali eccleſia clericum talẽ parochus habeat, vt eſt canonum iure, & prouincialibus noſtris Concilijs præſcriptum: ſin autem parochus, præ parochialis eccleſiæ tenui reddito, clericum ſibi in altari miniſtrantem ſuſtentare non poteſt; neque alij ſunt, qui ſuſtentent, populi ſit, totam ſuſtentationem, aut partẽ, quæ deeſt, ſubminiſtrare.

Quibus etiam in capellis, altaribusve quocunque, vel tituli, vel deuotionis & legati nomine Miſſæ ſacrificium fit, in ijs item ſingulis certum aliquem clericum, qui ſacerdoti, Miſſam celebranti, inſeruiat, ſuſtentari iubemus. Quamobrem vbi non confratriæ, ſcholæve, non monaſteria, eccleſiaſticæve fabricæ, aut locorum piorum curatores, neque alij ſunt, qui hoc clericalis ſuſtentationis munus ibi pręſtare vltro velint, aut, qui iure debeant; pro earundem capellarum, altariumve ratione præſtetur, ſi ex tituli nomine in ijs Miſſa celebratur, eorum ſumptibus, qui titulum gerunt: ſi ex legato, cuius certa ſumma ſit, mercede ex eo detracta; ſi ex deuotione, aliove nomine, illorum impẽſis id præſtetur, quorum nomine illud Miſſæ ſacrificium fit, ſiue locorum piorũ homines illi ſint, ſiue ſodalitates, ſiue vniuerſitates, ſiue priuatus aliquis.

Si verò capellę altaris, aut legati, cenſus vſq; adeò exiguus, ac tenuis eſt, quo clerici ſuſtentandi onus ſuſtineri non poſſit, ea ratio ab Epiſcopo ineatur, vt contributione vndique ex ijs capellis, altaribusve, quę in eadem eccleſia, vel, ſi ita neceſſe ſit, etiã quæ in parochiæ finibus ſunt, pro ratione redituum, vel muneris, facta, huic clerici ſuſtentationi ſatisfiat. Qui clericus omnibus illarum capellarum, & altarium ſacerdotibus in Miſſæ ſacrificio miniſtret.

Quibus

Quibus autem clericis, ita, vt ſupra, prouiſum erit, pro ratione minorum ordinum, quos ſuſceperint, eccleſiaſticas functiones ijs in Eccleſijs, vbi ſuſtentationem capiunt, ipſi præſtent. Quibus verò in Eccleſijs tempore ab Epiſcopo præſtituendo non erit conſtitutus clericus, clericali habitu indutus, qui ſacerdoti Miſſam celebranti miniſtret, quique eccleſiaſticas minorum ordinum functiones; illarũ eccleſiarum vſui, & cultui neceſſarias, pro ratione ordinis à ſe ſuſcepti, obeat; in ijs à nullo ſacerdote celebretur: niſi rei facultatem ex vrgenti cauſa concedendam Epiſcopus iudicarit.

Ne verò laici, neve diſciplinatorum confratres, alteriuſve cuiuſuis confratriæ homines, ne moniales item, vt canone vetitum eſt, benedictionẽ, thurificationemve, ſibi mutuò neque verò alijs, impartiantur.

Clericus, ne ſacerdoti in altari ante miniſtret, quàm in illius miniſterij functione ritè inſtructus ſit, & ab eo probatus, qui in vrbe, aut etiam in ſingulis vrbis regionibus, & in vnaquaque plebe cæremoniarum muneri, ex ſecundi prouincialis Concilij decreto, præfectus eſt.

Nec verò etiam eccleſiaſticus homo, cantoris, ſacriſtæ, cuſtodis, clerici, in Miſſæ ſacrificio miniſtrantis, munus, aliamve eccleſiaſticam functionem, in quauis Eccleſia ſuſcipiat, niſi illius vniuſcuiuſque muneris in ea Eccleſia gerendi, ab Epiſcopo facultatem ſcriptam, quotannis renouandam, vita etiam, ac moribus ab eodem probatus, impetrarit. Qui aliter ſuſceperit, obieritve, qui item aliter, quàm præſcriptũ eſt, conduxerit, aut receperit; pro modo culpæ arbitratu Epiſcopi puniatur. De organiſta item, vel laico, vel eccleſiaſtico homine idem conſtitutum, ſancitumve ſit.

Minorum ordinũ functiones, ac munera à ſingulis clericis, pro eorum, quibus initiati ſunt, ordinum ratione præſtentur, quæ non ſolùm Concilio noſtro prouinciali primo præſcripta ſunt, verùm etiam cætera, quæcunque ex ſacrorum canonum legibus, & comprobatis eccleſiaſticæ diſciplinæ monimentis, & eccleſiarum huius prouinciæ rationibus, vberius, & copioſius expreſſa, ordineque tradita, ad totius prouinciæ vſum à nobis edentur.

Idque præter functiones, quas Epiſcopus ad ea quauis ratione pertinere decreuerit, vel ad cuiuſque eccleſię dignitatem, vtilitatemve illis imponendas, tribuendaſve cenſuerit, vt eſt eodem primo Concilio decretum.

Tabella verò ex earum omnium functionũ præſcriptarum ratione, in omni eccleſia cathedrali, collegiata, & parochiali ſit: quæ in ſacriſtiæ loco certo, perſpicuoque proponatur, vt clerici adſcripti, ſuas quique functiones noſſe, atq; exequi ritè poſſint.

Clericos quoſcunque, certæ eccleſiæ, piove loco adſcriptos, ſi ab Eccleſiæ, cui adſcripti ſunt, clericali ſtatione, ſine Epiſcopi facultate, eaque litteris exarata, diſceſſerint, ordinum ſuorum munere, ex eiuſdem Concilij Tridentini ſanctione, Epiſcopus interdicat. Nec vero propterea quicquã derogatum alijs decretis, pœniſve ſit, quæ de parochorum, aliorumve curam animarum gerentium, cæterorumque reſidentia præſtanda, vel abſentia cauenda, puniendave, Tridentinis decretis, ac noſtris prouincialibus conſtitutionibus, & edictis præterea Epiſcopalibus conſtitutæ ſunt; quinimo illis etiam pœnis, mulctiſve contra eos agat Epiſcopus omni iuris ratione.

Epiſcopus, cum clerum, vt in Concilio prouinciali tertio iuſſum eſt, recognoſcet, hoc præter cætera videat, an in alicuius clerici titulo, cenſuve eccleſiaſtico, vel etiam laicali, cuius nomine is ordinibus adſcriptus eſt, quicquam innouatum ſit. Siq́ue vel beneficij eccleſiaſtici ceſſionem, vel patrimonij alienationem, vel penſionis extinctionem, aut remiſſionem factam eſſe compererit, canonum iure, ſanctioneque Tridẽtina agat, vt iuridicè recuperetur, reſtituaturve quod vel ceſſum, vel alienatum, vel remiſſum, extinctumve, ipſi clerico præiudicium adfert ad vitæ ſuſtentationem: aut ſi quid alia ratione, pactove commiſſum, actumve eſt, quod vel decreto Tridentino, ea de re edito, ſacriſve canonibus, repugnat, vel fraudem facit: contra quoſcunque verò, qui tale quippiam admiſerint, idem pœnis agat, iure canonico conſtitutis, iiſdemque ab ſynodo etiam Tridentina reuocatis.

De beneficiorum collatione, et prouiſione.

QVæcunque, & examinis, & approbationis, & collationis, prouiſioniſve ratio, omniſque alia diligẽs cautio, in eccleſijs parochialibus, cuiquam ex decreto Tridentino ſancita, adhiberi debet; illa ipſa omnis in capellanijs, cæteriſque beneficijs eccleſiaſticis, quocunque nomine nuncupatis, immò vero in ipſis etiam eccleſiæ, vel cathedralis, vel collegiatæ portionibus, quibus ab inſtitutione, vel conſuetudine, aliove quouis iure, & nomine, onus, munuſve, animarũ curæ, vel exercendæ, vel coadiuuandæ incumbit, aut coniunctum eſt conferendis, in aliove prouiſionis eorum modo, teneatur, ac ſeruetur omninò.

Quod Tridentinis decretis de eo, qui preſentatus eſt, per Epiſcopum comprobando, etiam ſi ad inferiores inſtitutio pertineat, conſtitutum eſt; id in beneficijs item, vel ſimplicibns, vel curatis, vel alijs cuiuſcunque generis, in quibus etiam electionis præſentationis, inſtitutioniſve ius, monachis, alijſve, cuiuſcunque ordinis regularibus, cæteriſve competit, locum habere, Epiſcopus meminerit. Quare ſi quæ hactenus inſtitutio, ſine Epiſcopali comprobatione facta comperitur; eam irritam, inanem, ac planè nullam declaret.

Ac ne in poſterum ita fiat, caueat quã diligentiſſimè.

Pro auctoritate, canonum iure, & à Concilio Tridẽtino ſibi tradita, Epiſcopus, ſi idoneos non compererit, à patronis etiam quibuſcunq; præſentatos, ne probet, admittatve, neve inſtituat; nec verò eis vllo quouis nomine prouideat; ſed planè illos repellat. Idoneos porrò ne cenſeat, quos experimento examinis interrogationibus diligenter facto, & doctrina, & cantus peritia, & alij qualitatibus, ad rectè riteque obeunda munera, ei beneficio, ad quod præſentantur, incumbentia, coniunctave neceſſarijs, præditos eſſe nõ viderit.

Neque illos item, quos pro illius beneficij ratione, legitima ætate, ſacrorum canonum iure, Concilioque Tridentino præſcripta, eſſe, ex legitimo documento, teſtificationeve non cognouerit.

Fraudes ſæpe per eos committi animaduerſum eſt, qui mandati litteras Apoſtolicas, quas vocant de prouidendo in forma, Dignum, impetrarint, ad duos, qui illas deinceps exequantur, ſcriptas, ita, vt, ſi vnus præſtituto tempore non exequatur, alter exequi debeat.

Ij enim ab vno, quoniam idonei non ſint, reiecti, ad aliũ tacita, quam tulerunt, repulſa, confugiẽtes, beneficij, quod ſibi conferri volunt, collationem non idonei aliquando ſurripiunt. Quamobrem omnibus, ſinguliſque notarijs, cancellario, actuarijſq; prohibitum deinceps ſit, ne ſi eiuſmodi delegatæ execntionis acta confecerint, eorum partem, niſi de prioris iudicis exequentis conſenſu, conceſſuve, ad canonum præſcriptum edant: ſed temporis, in mandati litteris præfiniti, ſpatio confecto, acta omnia, & ſingula ab ſe ob eam cauſam conſcripta, illis ipſis ad alterum iſtiuſmodi executionis iudicem dent, pœnis propoſitis, arbitratu Epiſcopi irrogandis: vt hic quid à priore iudice actum decretumve ſit, ſcire poſſit, ne in beneficio conferendo ſurreptio, obreptiove indebite inſit: indeque propterea lites exiſtant.

Eccleſia parochialis, ne deinceps cuipiam per ſex menſes commendetur, ſed vel titulo conferatur; vel ſi iuris patronatus eſt, præſentatus, electuſve, qui ad illius curam gerendam idoneus, diſquiſitione de more facta, repertus eſt, ad Concilij Tridentini præſcriptum inſtituatur.

Interea verò dum vacat, ex eiuſdem Concilij decreto, Vicarius conſtituatur, qui illam regat.

Liber conficiatur, iſque in omni Epiſcopali archiuio aſſeruetur. In quo libro diœceſanorum beneficiorum cuiuſuis generis, cum vacationis certa dies, ratio, moduſque deſcribatur, tum collationes, ac prouiſiones, vt vocant, quæcumque ſint, vel à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo, vel ab vllo quouis alio factæ, litterarum, diplomatumve exempla, vel ſententiæ ſummatim explicatæ, prout potius eſſe Epiſcopus cẽſuerit, in eundẽ referãtur. Itidẽ ſeruetur de litteris ordinũ, quibus ſinguli eiuſdẽ diœceſis clerici initiantur.

Capitula verò, & quicunque ſint, qui cuiuſuis generis dignitates, canonicatus, aut alia quæcunque beneficia obtinent, litteras, diplomata, tabulaſve ipſas beneficiorum, quæ quouis etiam vnionis iure poſſident, Epiſcopo, etiam priuatim poſtulanti, ſine mora exhibeant. Ex quib. tabulis tum ſi quid oneris obligationiſve illis ineſſe apparuerit, tum quicquid aliud expedire idem Epiſcopus cenſuerit, id diſtinctè explicateq; exſcribi iubeat.

Hocque omne vt ab ijs, ad quos ſpectat, planè præſtetur, idem omni ratione efficiat.

Nemo, cui beneficium parochiale, alteriusve cuiuſcunque generis confertur, approbationis de ſe, etiam inſtitutis examinis interrogationibus factæ, literas teſtimoniumve ſcriptum exhibere, ab ordinario cancellariove cogatur, cùm qui beneficium collaturus, aut cuiuſuis prouiſionis nomine daturus eſt, ille ipſe ordinarius eſt, qui eum approbauit.

Vt auaritiæ omnis non modò labes, ſed ſuſpicio vel minima ab Epiſcopi domo, atque ab omni etiam Eccleſiaſtico foro tollatur, ne deinceps in beneficijs conferendis, aut quauis prouiſione dandis quicquam vllo cuiuſuis generis, ne ſigilli quidem nomine accipi exigive ab vllo liceat; omni prorſus ſi quæ huic decreto repugnet, conſuetudine & ſuperiorum Conciliorum decreto antiquato, abrogato. Notario tamen, cui pro muneris laboribus certa merces nulla conſtituta eſt, aliquid pro opera quam in litterarum ſcriptione ponit, accipere liceat, ad taxæ ab Epiſcopo præfigendæ præſcriptum: ita tamen vt pro omni vniuſcuiuſque beneficij collati, vel prouiſionis nomine dati ſcriptura à ſe confecta, aliove quouis nomine vel prætextu, plus aureo nummo ad ſummum ne capiat.

Ne pro beneficij Eccleſiaſtici poſſeſſione adipiſcenda, plus quàm par eſt, impenſæ quis in compluribus inſtrumentis, eo nomine conficiendis vel exſcribendis faciat, cùm eius bona varijs locis ſita ſunt; id propterea decernimus & declaramus liberum eſſe vnicuique, cui beneficium aliquod collatum, aut quouis prouiſionis nomine datum eſt, & illius ſolum Eccleſiæ, altariſve, in quo beneficij titulus eſt, & illorum tantùm eiuſdem beneficij prædiorum bonorumve, quæ ipſe maluerit, poſſeſſionem capere: modò eam capiat, tabulis publicè à notario confectis.

Beneficium etiam ſimplex obtinenti, quod ad vitæ ſuſtentationem ſatis eſt, ſi alterum ſimplex, aut Eccleſia etiam parochialis, aliudve beneficium cuiuſuis generis conferatur, vbi is alterius beneficij cuiuſcumque generis illud ſit, poſſeſſionem pacificam adeptus eſt, aut ſi per eum ſteterit, quominùs duobus menſibus, quos à die, quo alterum collatum eſt, præſtituimus, illam adipiſcatur, primum ipſo iure vacare cenſeatur: cui vacanti prouideatur, cùm ex Tridentini Concilij ſententia vnum & alterum item ab illo ſimul retinere nullo modo liceat.

Beneficij quacumque auctoritate deinceps collati, vnde ſatis ad victum ſumitur, poſſeſſionem pacificam quis adeptus, ſi nulla ſibi facultate, diſpenſationeve legitima conceſſa, beneficij prioris, quod obtinebat, cenſum exegerit, ea pœna illi ſit, vt quod exegerit illius duplum ad Eccleſiæ vſum reſtituat, tum alia ratione etiam mulctetur plectaturve Epiſcopi arbitratu.

Vt prædiorum Eccleſiaſticorum conſeruationi conſulatur, ac ſimul occupationibus, vſurpationibus, alijſq; fraudibus occurratur, ne clericus quiſpiam minori ætate, beneficium Eccleſiaſticum obtinens, cuiquam, etiam quocunq; ſanguinis cognationiſve vinculo, vel arctiſſimo ſibi coniuncto, illius beneficij bonorum adminiſtrationem, procurationemve, niſi Epiſcopi conceſſu, litteris exarato, committat.

Idem præterea clericus, minor natu, beneficij quod obtinuerit, prædiorum bonorumve omnium inuentarium ex formula, in Concilio prouinciali primo præſcripta, aliquo viro adhibito, conficiat, quem Epiſcopus ei conſtituerit. Alioquin pœnam luat, eiuſdem Epiſcopi arbitratu irrogandam.

Quæ pertinent ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, & diuina officia.

DVM in Eccleſia Miſſæ ſacrificium ſiue cantu, ſiue abſque cantu Epiſcopus facit, ne interea ab alio ſacerdote in ea fiat, quoad illo ſacro peracto, de more benedixerit, niſi aliquando ſecus ob vrgentem cauſam permittendum duxerit. Quod inſtitutum, cùm Miſſæ conuentuales ab alijs celebrantur, præſertim feſtis ſolemnibusq; Eccleſiarum diebus, vbique, tum maximè in oppidis pagiſve in vſum introduci idem Epiſcopus curabit.

Epiſcopus omnibus Miſſam in oratorio priuato celebrandi facultatibus hactenus conceſſis, certos limites modumque præfiniat; ita vt præter cauſas, quas magnas & vrgentes is iudicauerit, in ipſis priuatis oratorijs miſſam celebrari ex facultatibus illis deinceps non liceat, niſi hoc fuerit à ſede Apoſtolica indultum. Quam moderationem diligenter adhibeat item, ſi quando in poſterum eiuſmodi facultatem concedendam cenſuerit.

Ne in Oratorio, Eccleſiave, quæ vel nuper extructa eſt, vel in poſterum extruetur, Miſſæ celebrandæ facultas detur, permittaturve, niſi ſaluo iure, ac planè ſine præiudicio Eccleſiæ parochialis, niſi ob cauſam Epiſcopo quandoq; aliter videatur.

Curandum eſt omni diligentia, vt ſalutarem fructum capiat fidelis populus ex laboribus & officijs, quæ à parocho diebus dominicis & feſtis inter Miſſarum ſolennia, aut diuina officia, vel alia quacunq; occaſione præſtari, etiam ex Tridentino Concilio debent. Quamobrem Concilij etiam Tridentini auctoritate, vel in Eccleſiam parochialem frequenter, ſaltem dominicis & maioribus feſtis diebus fideles conueniant, Epiſcopus eos, quorum paſtoralem curam gerit, diligenter ac ſæpius moneat. Litteras propterea, eo de genere ab eodem Epiſcopo edendas, ac etiam inſtructiones noſtra cura, ad communem prouinciæ vſum conficiendas, ſæpè populo, prout vſu venerit, parochus de ſcripto recitabit.

Epiſcopus in facultate quauis Miſſarum celebrandarum concedenda prorogandave, videat ne ab vllo ſacerdote plus muneris, quã ab eo præſtari poſſit, ſuſcipi cõcedat aut permittat; tum maximè perpendat, ſi parochus eſt, qui ſibi eam facultatem dari petit, an per hebdomadam poſſit, & ſuſcipiendo nouo celebrandarum Miſſarum muneri, & ei, quod in Eccleſia parochiali, ex Tridentini, aut primi noſtri prouincialis Concilij præſcripto, aliave quacunque obligationis cauſa iam debet, ſatisfacere, & alia præterea officia obire, quibus diebus, aut ad feſtorum celebritatem, aut ad funus, exequiaſve vocatum eò illum conuenire, Miſſaſq; celebrare contigerit. Quod ſi per ipſum hæc omnia ſingulaq; præſtari non poſſe viderit, ne poteſtatem ei faciat noui muneris, eo nomine ſuſcipiendi, niſi ob inopiam in Eccleſia parochiali, diebus ferialibus, rarius aliquanto parochialis muneris nomine, quàm Concilio prouinciali primo iuſſum eſt, ideoque in alia, vel in eadem Eccleſia parochiali, alio nomine per hebdomadam, ijs ipſis, ſcilicet ferialibus diebus, celebrandi facultatem permitti, neceſſarium Epiſcopus duxerit: cuius religioſæ conſcientię id relinquimus.

In litteris conceſſæ, prorogatæve facultatis ſuſcipiendi, vel retinendi muneris Miſſam ſingulis vel certis ſtatiſve diebus, aut ex certa obligatione celebrandi, exprimantur, & altaris, capellæve & Eccleſiæ, vbi illud ſitum eſt, nomen, & locus, & eleemoſynæ emolumentum, quod inde capitur; ſtati item dies, & numerus Miſſarum, quas ibi celebrare ſtatis illis diebus debebit ex onere à teſtatoribus, alijſve, aut ab Epiſcopo impoſito pro facultate, quam is à iure communi, vel Tridentino Concilio habet. Tum etiam exponatur, ſi quo alio præterea nomine ipſe adſtrictus ſit, Miſſam alio loco celebrandi, idque etiam à parochialis curæ munere, legati, alteriuſve obligationis cauſa, qua in Eccleſia item & altari, quibus item certis vel ſtatis diebus illud præſtare debeat, & quantum inde emolumenti, eleemoſynæve conſequatur. Tum poſtremo certum ei facultati conceſſæ vel prorogatæ tempus præfiniatur. Nec verò in illo celebrationis munere ei perſeuerare liceat, expleto temporis ſpatio, Epiſcopi litteris præſcripto,

tas iterum confirmata, renouataque ſit, aut proroga-
d certum tempus litteris item, & ad præſcriptum et-
riorum Conciliorum noſtrorum Prouincialium.
iber ſacerdos, quod ſuſcepit, muneri Miſſæ ſacrificij
ſatisfaciat omnino.
verò cuiquam, qui quotidiano eo munere aſtrictus
nodo eſt, ne ſemel quidem in hebdomada, vt alibi
celebret, id prætermittere vllo prætextu liceat, niſi
lo eius, cui id curæ Epiſcopus dederit, aut, ſi nemini
rectoris, præfective Eccleſiæ conſenſu ſacerdotem a-
te in locum ſuum ſubſtituerit, qui id præſtet, quod in
ſia ipſe debet.
autem certis hebdomadæ diebus, ſacerdotes complu-
dem Eccleſia ob aliquam cuiuſuis generis cauſam ra-
ve, Miſſæ ſacrificium facere debent; id vt ſtatis certiſ-
pſis diebus illi omninò præſtent, curet planè rector
æ, aut, ſi præſertim Eccleſia collegiata, vel alia freques
s, quem ei Epiſcopus præfecerit.
od ſi alij item ſacerdotes ſunt, qui in illa Eccleſia, in-
amen diebus, munus impoſitum habent Miſſæ cele-
e: tunc idem rector, præfectuſve, capellanis ſacerdoti-
catis, reque cum eis tractata, certos vnicuique dies prę-
, quibus in ea Eccleſia Miſſam celebrent: vt ſingulis, ſi
oteſt, hebdomadæ diebus Miſſarum celebrationes, re-
que ordine diſtributæ, peragantur.
ui cappellas obtinent, ipſi per ſe, non alij eorum nomi-
ſſæ ſacrificium, diuinaque officia, quæ illarum rectores
are debent, in illis celebrent; ſi modo vel aliud Eccleſia-
beneficium, quod reſidentiæ perſonale munus requi-
on habeant; eoque impediti, debita ijs cappellis officia
non queant; vel earundem inſtitutione dotationeve,
gato, aut donatione, aut facultate ab Epiſcopo impetra-
llis obeundis Cappellani officijs aliena opera, miniſte-
vti poſſint, vel alia quauis ratione, cauſave impediti

ingula verò, ob quæ cappellanus aliquis ſe à debito cap-
ni officij munere immunem putet, aſſeratve, quominus
ipſum præſtet, ab Epiſcopo cognoſcantur, ac proben-
em.
Quicunque ſacerdos in altari certo Miſſam celebrare de-
i in alio celebrârit; ne, quod debet, præſtitiſſe cenſeatur;
Epiſcopi, alteriuſve, cui ille id curæ commiſerit, iuſſu,
ceſſu, permiſſuve aliquando fecerit.
Si eodem tempore, & in eadem Eccleſia Miſſæ plures ali-
odo etiam pro mortuis celebrandæ ſunt, in altaribus ita
r ſe diſiunctis celebrentur, vt ſacerdos alter ab altero non
urbetur, neque ſi fieri poteſt, audiatur; ſin autem hac de
a tempus non patietur, eo die Miſſas omnes, quæ debent
brari, in alium potiùs diem aliquæ differantur, vt huic
reto pareatur, quod ad religioſum cultum illius ſanctiſſi-
acrificij ſpectat.

Miſſæ parochialis ſacrificium die feſto, circiter duabus
poſt ſolis ortum horis, alijs etiam diebus ea hora, quæ
ulo vniuerſo, pro loci ratione, Epiſcopi iudicio, magis ac-
nmodata erit, in omni Eccleſia parochiali celebretur, da-
ſemper ante ſtatis campanæ ſignis, ijſque horæ dimidiæ
eruallo diſtinctis, vt in tempore populus conuenire poſ-

Si præter parochum alius etiam ſacerdos eſt, qui in ea Ec-
ſia Miſſæ ſacrificium facere debet; id omni die in aurora
ebret, vt qui iter facere, vel aliud quicquam, ruri præſer-
n agere neceſſe habent, intereſſe poſſint, neque propterea
nittant.
Si verò plures ſunt ſacerdotes, qui ibi, aut in eiuſdem pa-
chiæ finibus Miſſam celebrent, tunc, vt decretum eſt pro-
nciali primo Concilio, vnam in aurora, reliquas deinceps
bito interuallo diſtributas, poſtremam verò, quo tardius
oteſt, prout populo commodius erit, celebrent ad præſcri-
um tabellæ à rectore parochialis Eccleſiæ, vel ab alio confi-
endæ, cui epiſcopus id munus dederit; niſi dies feſtus ſit, quo
xcepta illa prima, quæ in aurora celebratur, nullam omninò
elebrent ante peractum Miſſæ parochialis ſacrificium, etiam
n eccleſijs, cappellis, oratorijſve ſecularibus, etiam ſcholarum
confratriarum, etiam laicaliũ, intra fines, vniuſcuiuſq; pa-
rochiæ conſtitutis, niſi parochus ob cauſam certa præſcripta
hora ante facere conceſſerit.

Quod ſi die feſto etiam per illud Miſſæ ſacrificium, quod in aurora fit, populus à parochiali Miſſa auocetur; tunc Epiſcopus illud, etiam feſto die, poſt Miſſam parochialem fieri, celebrarive iubeat.

Epiſcopi verò facultas, & iudicium ſit, id omne, quod ad Miſſæ celebrandæ horam ſpectat, pro temporum, locorum, cauſarumq; ratione aliter ſtatuere, permittere, ac iubere. Proinde tabella, in qua certa omnis illa celebrationum diſtributio, dies ſcilicet, hora, & altare, tum ſacerdos, qui celebrare debet, aptè deſcripta appareat, in Sacriſtia loco conſpicuo propoſita, atque affixa ſit.

Quo citius, atque exploratius Epiſcopus ſciat, eorum, qui ſacri faciendi cauſa aliquid piè, vel legarũt, vel dederunt, voluntati per illos, quorũ intereſt, verè ſatisfactum eſſe; ac rurſus ſi quid ea in re neglectum, aut omiſſum, prætermiſſumve eſt; id opportunè vt fiat, proſpicere, cauereque poſſit; hæc decernimus, ac ſtatuimus.

In vnaquaque Eccleſia liber deinceps ſingulis annis, vel alio certo tempore renouandus, perpetuò ſit; in quo, & anno, & menſe, & die primum notato, vnuſquiſque ſiue parochus, ſiue cappellanus, ſiue alius ſacerdos, qui quouis obligationis nomine in ea Eccleſia Miſſæ ſacrificium fecerit, in ſingulos dies, vbi id perfecerit, manu ſua ſubſcribat; & nominatim breuiter exponat, ſe illud præſtitiſſe, aut parochialis Eccleſiæ, aut cappellę, legative Pij, aut anniuerſarij, aut funeralis officij nomine. Cui præterea libro ſingulis diebus ſubſcribat is, quem in qualibet Eccleſia Epiſcopus ſtatuerit: qui item, ſi ipſe eſt, qui miſſæ ſacrificium eo quouis nomine fecerit, ipſe item manu ſua ſubſcribat, quoties aliquo eo nomine Miſſam celebrarit.

Is liber tuto ſacriſtiæ loco aſſeruetur.

Quibus verò locis, Eccleſijsve Miſſę plures, quã tres quotidie celebrantur, Epiſcopus præter has cautiones punctatorem etiam ſecretum, vbi opus eſſe viderit, conſtituere item poterit; idq; ſecreto etiam, ſi ita expedire videbitur, qui iuratus in ſingulos dies notet, ſi qui erunt, qui debito Miſſæ celebrandæ muneri defuerint.

In vrbe verò aliqui Eccleſiaſtici viri, ab eodem Epiſcopo probati, in diœceſi item, Vicarij foranei, alijve, ab Epiſcopo etiam conſtituti, libros, Miſſarum celebrationibus notandis pręſcriptos, ſæpe etiam de improuiſo recognoſcant: inſpicientque præterea notationes, per punctatorem occultè factas: ac ſingulis menſibus, aut tertio quoque menſe, cum vnoquoque cappellano pręſtiti muneris ſui rationes inibunt; tum etiam illius teſtimonium ſcriptum initæ rationis dabunt.

Nec verò cuiquam cappellano nõ titulari, qui munus celebrandi certis, ſtatisve diebus, aut ad certum tempus, aut in perpetuum ſuſceperit, quicquam mercedis, eleemoſynęve ex legatis pijs, aliave quauis ratione, à quibuſvis ſoluatur; neq; id exigat abſque Epiſcopi, eiuſve, cui id curæ ille dederit, mandato, eoque ſcripto: quod ne detur, niſi pro ratione præſtiti muneris, cuius teſtimonium ſcriptum ab eo, de quo ſupra, re ipſa exhibuerit.

Anno autem expleto, vel breuiori temporis ſpatio, quicquid ob prætermiſſum celebrãdarum Miſſarum munus, cappellano tribui non debet: id omne fabricæ Eccleſiæ pręfectis, aut corporis Domini confratribus, in eá Eccleſia conſtitutis, vbi ille Miſſarum muneri defuerit, aut alijs depoſitarijs ſoluatur, ab Epiſcopo conſtitutis: vt quot Miſſas celebrari ab eo prætermiſſum eſt, totidem eo nomine ab alio ſacerdote celebrentur: aut ad ipſum in ornamentorum, quæ eiſdem altaribus, cappellisve ſui ſint, apparatum erogetur, prout Epiſcopus expedire exiſtimauerit. Vt autem & hoc diligeutius præſtetur, & ſacerdotibus conſulatur, qui ob Miſſæ celebrandæ munus ſuſceptum, ac præſtitum, eleemoſynas ſibi debitas, magno cum negocio, ſæpeque cum detrimento ab ijs, qui tribuere debent, conſequuntur; Epiſcopus, vbi expedire viderit, certos aliquos, probatoſque homines depoſitarios deligat; quorum munus ſit, illas exigere, cuſtodire, tum ſtatis temporibus pro ratione ſupra præſcripta, cappellanis ſine mora ſoluere.

Et quoniam qui cappellas, altaria, aliave beneficia Eccleſiaſtica in titulum obtinent, quibus Miſſarum munus aliquod

incum-

incumbit, non ab hæredibus eorum, qui legata pia reliquerunt, vel ab alijs eiuſmodi, ſed ipſi per ſe fructus cappellarum altariumve ſuorum exigere ſolent; cum ijs ſequeſtri ratione, omniq́ue alio modo epiſcopus agat: vt, ſi muneri ſuo illi celebrandis Miſſis defuerint, fructuum reſtitutio locum habeat, eaq́; ad præſcriptam, vt ſuprà, rationem, piè vtiliterq́ue erogetur.

Quam ſequeſtri, & mulctæ rationem omnes adhibere debent, vt opus fuerit, cum cappellanis quoque illis, qui etiam legati nomine, vel alia eiuſmodi cauſa Miſſas celebrandas ad certum tempus, vel in perpetuum ſuſcipiunt.

Qua in Eccleſia, pro frequentiori, qui ob feſti diei, indulgentiæve celebritatem, aut ob perpetuum populi, ac præcipuum deuotionis ſtudium fit, ad eam concurſu, eleemoſyna, & crebrior & vberior Miſſæ celebrandæ nomine datur; in ea ne cuiquam ſacerdoti eiuſmodi eleemoſynam ob Miſſæ celebrationem, vllo modo aut prætextu flagitare, ac ne ſpontè quidem oblatam accipere liceat. Verùm vnuſquiſque ſacerdos illam in capſula, certo Eccleſiæ loco, aut pro ſacriſtiæ foribus eo nomine collocata deponendam curet. Cui capſulæ ſtatis illis frequentioris concurſus diebus, rector Eccleſiæ, aliuſve, cuius intereſt, aut is, cui Epiſcopus hoc munus dederit, certum aliquem clericum ſpectata probitate præficiat; cuius ſit illis diebus apud capſulam aſſidere, tum ſigillatim, ordineq́ue notare, quæ Miſſarum aliarumq́ue precum nomine eleemoſyna detur accipiaturve, vt pro illius notationis ratione rector aut ſacriſta, aut ille quem Epiſcopus conſtituerit, ſacerdotibus illius Eccleſijs, alijſve ad diuina officia concelebranda, eo celebritatis nomine euocatis ſtatim præſcribat: quid pro elemoſyna oblata vnuſquiſque eorum illis diebus præſtare debeat, quo plenius eorum, qui obtulerint, voluntati ſatisfiat.

Peractis autem diuinis officijs, quæ eleemoſyna eo nomine in capſulam coniecta eſt; illam idem vel Eccleſię rector aut alius, vt mox ſupra, ſacerdotibus ita diſtribuat, vt eorum vnicuique partem pro ratione miniſterij, officijve præſtiti; ex Epiſcopi præſcripto congruam tradat. Quicquid autem ſupererit, è capſula deprompum apud virum probum, quem Epiſcopus delegerit, deponatur; vt, aut in aliam, quæ in eadem Eccleſia fiet, celebrationem Miſſarum piè conferatur: liceat tamen in alias res erogari, neceſſariò comparandas ad Miſſæ ſacrificij cultum, decentius in ea ipſa Eccleſia peragendum; ſi ob Eccleſiæ inopiam ita Epiſcopus conceſſerit. Cuius etiam iuſſu in tabellam ſacriſtiæ referantur, ſi quæ commemorationes eo nomine; pro ijs qui piè contulerunt eleemoſynam, deincèps faciendæ erunt ab ijs, qui in Eccleſia Miſſæ ſacrificium facient.

Qui verò parochi propè eas Eccleſias habitant, ij, iubente Epiſcopo, populum ſuæ curæ commiſſum, diebus præſertim qui proximè præcedant, illos certos dies frequentioris eleemoſynæ, moneant, vt hac conſtituta eleemoſynas eiuſmodi recipiendi ratione, quas eleemoſynas Miſſarum celebrationi dare quiſque velit, eas non ſacerdotibus aut clericis tradat, vel alijs, ſed in capſulam deferat eo nomine conſtitutam.

Miſſæ initio pſalmus, Iudica me Deus, & in fine Euangelium S. Ioannis Euangeliſtæ, In principio erat &c. dici ne vnquam omittatur, niſi cùm aliter in Miſſarum rubricis notatum eſt. In cæteris item ne quid addatur; nec verò detrahatur, ac ne quicquam mutetur: ſed ad vnguem id omne dicatur, quod in Miſſali nuper Pij V. Pont. Max. iuſſu edito præſcriptum eſt.

Si quem parochum, aliumve ſacerdotem Miſſali Romano, quod item Pij V. Pont. Max. iuſſu editum eſt, Epiſcopus ad Miſſæ ſacrificium deincèps non vti compererit, à Miſſę celebrandę munere illum arbitratu ſuo ſuſpendat: tum pro culpæ contumaciæve ratione, alijs præterea pœnis afficiat.

Vt exploratum ſit, an ſacerdotes ſtatutum cæremoniarum vſum peritiamq́; teneant; ipſe epiſcopus cum aliquando Miſſæ ſacrificio, quod illi faciunt; alios peritos ſacerdotes præſentes adeſſe iubeat; tum aliquando ſingulos euocet, eorumq́; in Miſſæ ſacrificio ritè faciendo exercitationem ac peritiam per examen, experiendove cognoſcat.

Quod prouinciali ſecundo Concilio iuſſum eſt, in Miſſa conuentuali & parochiali, cùm corpus Domini eleuatur, ſignum ſono campanæ dari; in alijs Miſſis id ita præſtetur, vt tùc
paruulum tintinnabulum, aut à latere altaris appenſum
ſacriſtia allatum, à clerico miniſtro certis diſtinctis ict
ſetur.

Cùm ſacerdos ad altare acceſſerit Miſſæ ſacrificium
rus; Clericus, qui tunc illi miniſtraturus eſt, vbi alius
qui tunc hoc officium præſtare poſſit, circumſpiciat m
aſtantes, & ſi quempiam animaduerterit marem vel
nam incompoſito corporis habitu, aut aliàs contra pra
tas regulas, prouincialibus noſtris Concilijs, cum iniu
irreuerentia ſanctiſſimi illius ſacrificij intereſſe mone
uiter, vt opus erit: neque ſacerdos ante Miſſæ initium
quàm omnes, qui adſunt, quemadmodum etiam Trid
Concilio curæ Epiſcopi commiſſum eſt, decenter co
to corporis habitu declarauerint, ſe mente etiã ac deuo
dis affectu, non ſolùm corpore adeſſe. Miſſa verò iam i
ta; ſi quid eiuſmodi fiat; hoc idem officium admone
dem ille miniſter clericus præſtet modeſtè & grauiter.
verò ab ijs de eiuſmodi monitus non reſipuerit, quam
eorundem cura deferatur ad Epiſcopum, vt iure cum
cacius agatur.

Clericus ſacerdoti Miſſam celebranti, miniſtrans, ſ
indutus ſit ſuperpelliceo puro & mundo, eoq́ue non
neque vlla alia ratione indecenti: ſi contra fecerit; tu
tum ſacriſta, tum Eccleſiæ præfectus; tum ſacerdos
qui ſibi miniſtrare permiſerit, plectatur, arbitratu Ep
Hoſtias pro ſacra Euchariſtia conficienda non laicus
nec verò fœmina faciat.

Vrceoli, qui ad ſacrificij vſum adhibentur, quo diſt
atque certius aqua à vino dignoſci poſſit, ne è ſtann
gento, aliove metalli genere ſint; ſed planè, è vitro,
perlucido, aut è chriſtallo confecti: itidem operculu
habeant.

Caueatur, cùm in Miſſæ ſacrificio, quod etiam ſine
fit, Miſſalis, aut Euangeliſtaris liber, aut pacis inſtrume
cuiquam, vel Principi vel Magiſtratui, vel alij ad oſcula
præbetur, ne id munus per laicũ hominem; ſed per cle
præſtetur.

Ea fuit olim vigilantiſſimorum, ſanctorumq́; Epiſ
rum religioſa pietas, vt non modò in ſolennioribus an
ſarijs celebritatibus, ſed ferè in ſingulis feſtis & dominic
bus, ijſq́ue præſertim in Aduentu & Quadrageſima ſol
ter Miſſæ ſacrificium celebrarent.

Quod inſtitutum cùm refrigeſceret; aliquando I
Tertius, Pont. Max. vehementer doluit. Cui ſanè rei, i
uincia nobis commiſſa proſpiciendum atq; conſulendu
paſtorali cura noſtra, iam ſanctionibus Tridentinis, aux
te Chriſto Domino excitata ad reuocandam reſtituen
ac ſtudioſè retinendam priſtinæ pietatis diſciplinam at
ſum. Et ſi igitur multiplicibus alijs Epiſcopalibus curis,
varijs; & quæ etiam ad continendos inobedientiæ diſci
que Chriſtianæ officijs populos attinent; pluribus ho
pore Epiſcopi diſtinentur; at ſolemnioribus tamen d
quibus religionis Chriſtianæ myſteria celebrantur, in c
officijs ſacriſq́; ſolemniter faciendis, illos frequentiùs
dioſiùs verſari oportet.

Itaque his ſolemnibus feſtiſq́ue diebus infra ordin
ſcriptis, quibus & patrum monimentis, & veteri ritu
remoniarumq́ue Romanorum codice, eoq́ue compr
& antiqua, religioſaq́ue nonnullarum huius prouinciæ
dralium conſuetudine, ab Epiſcopis; prout ipſa Chri
religionis myſteria poſtulant; ſolemniter fieri traditu
Miſſæ ſacrificium ſolemni pontificaliq́; ceremoniaru
ab eiſdem celebretur.

In ſanctiſſima Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chri
Die ſolemni Circumciſionis, quæ eſt octaua Domi
Die ſolemni Epiphaniorum.
Feria quinta in cœna Domini.
Die ſanctiſſimo Paſchæ reſurrectionis.
Die ſanctiſſimæ Aſcenſionis.
Die ſanctiſſimo Pentecoſtes.
Die ſolemnitatis ſanctiſſimi Corporis CHRISTI
mini.
Die natalis S. Ioannis Baptiſtæ.
Die feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.
Die Aſſumptionis beatiſſimæ ſemper Virginis Ma

In ſolemnitate omnium Sanctorum.

Die feſto ſancti, ſanctæve, cuius nomine Eccleſia cathedralis dedicata eſt: & die præterea feſto præcipui patroni ciuitatis.

Die conſecrationis Eccleſiæ anniuerſario.

Die item conſecrationis ſuæ anniuerſario.

Die primo ſynodi Diœceſanæ.

Diebus ſtatis, quib. ſacras ordinationes ſolemnes Epiſcopus habebit.

Diebus præterea alijs pro cõſuetudine ſuæ Eccleſiæ, tum alijs item, quibus ex graui præſertim cauſa Miſſæ ſacrificium ſolemni ritu celebrare eorum vnuſquiſque cenſuerit.

Quo ſtudioſius autem religioſa ſua ſollicitudine, ſanctiſſimæque pietatis exemplis fidelium animos atque mentes ad religionis chriſtianæ officia Epiſcopi inflamment; hoc etiam pro paſtoralis officij munere curent, vt quibus diebus Miſſarum ſolemnia in baſilica cathedrali concelebrant; iiſdem, quod antiqui inſtituti, conſuetudiniſque fuit, & veſperarum officium, & matutinum ſolemni ritu ipſi obeant. Tum præterea ijs diebus, vt religioſi cultus exemplo, ſic ſacra paſtorali concione aut ſermone intra Miſſarum ſolemnia fideles ſibi commiſſos paſcere nullo modo omittant. Fideles verò quo magis à paſtoribus ſuis religioſis vitæ exemplis, conſilio, ſpectatiſque virtutibus adiuuantur; eo vehemẽtius ſe in omnem benè ſancteq; agendi partem excitare, tum cumulatius Chriſtianæ diſciplinæ officia præſtare eos oportet.

Quare feſtis his diebus, cùm frequentiſſimi ad Miſſarum Epiſcopalium ſolemnia conuenire ſtudeant: tum è ſacra benedictione Epiſcopali aliquem ſalutarem fructum, largiente Domino, conſecuturi, ne ante inde diſcedant, quàm ab Epiſcopo illam demiſſo, humilique animo, & genibus flexis de more acceperint. Vt id ſanè omni ſtudio illi præſtent; cùm eos crebro præmonere, tum graui ſermone cohortari parochi ſollicitè curent.

Miſſæ ſacrificium cùm ſolemniter, præterquam pro mortuis, fit, cui Epiſcopus præſens adſit, canonici, & aliqua illius Eccleſiæ dignitate præditi, quo tempore hymnus, Gloria in Excelſis, & Symbolum item, & alia eiuſmodi canuntur, ad Epiſcopum ordine veniat, in cuius conſpectu corona facta, tũc ſimul cum eo ſingulas illas Miſſæ partes dicant, pro cæremoniarum ritu ac ratione.

Quibus in Eccleſijs cathedralibus dum veſperarum, aliarumve canonicarum horarum officia, Miſſarumq; ſolemnia ab Epiſcopo ſolemniter fiunt; canonici item, quique dignitatem obtinent, pluuialia, aliaſve ſacras veſtes pro libri pontificalis Romani ratione nõ induunt; in ijs ex eiuſdem & aliorum item de cæremonijs ritè conſcriptorum, probatorumque librorum præſcripto ad vſum introducatur, aut intermiſſus reuocetur ille Epiſcopalibus officijs conueniens, pluuialia, aut dalmaticas, aliumve ſacrum veſtitum, vtpote planetas, certis ſtatis diebus induendi mos. Itaque vbi illa indumenta totidem non ſunt, quot pro induentium numero eſſe deberent, quam primum ad officiorum pontificio, ſolemnique ritu, vt decet, celebrandorum vſum comparentur communi vniuerſi Capituli ſumptu: niſi iure, aut conſuetudine, aliave ratione à ſacriſtia, vel à fabrica, vel à ſingulis canonicis eum ſumptum præſtari oportere Epiſcopus cenſuerit; tuncque à quibus debetur, planè præſtetur tẽporis ſpatio, quod idem Epiſcopus præſcripſerit.

In cæteris quoque omnibus, quæ ad cæremoniarum rationem rituumq; pertinent, regulæ in libro pontificali, cæremonialiq; item probato de diuinis officijs, pro temporum ratione, ritu Romano præſcriptæ diligenter & accuratè omninò ſeruentur. Id autem omne præſtari, atque in vſum omninò introduci, Epiſcopi cura ſit.

Peracto Miſſæ conuentualis ſacrificio, veſperarum officijs in Eccleſia abſolutis, in quibus Epiſcopus præſens aderit, diebus dominicis ac feſtis, & alijs item, quibus ex cæremoniarum Romanarum vſu, rituque moris eſt, ſolemniter ipſe benedicat. Quod ſanè etiam pręſtet peractis ſolemnibus proceſſionibus, alijſq; id generis officijs.

Cùm Epiſcopus ſtatis præſcriptis diebus, quibus debet, vel quia abeſt, vel morbo, aliave cauſa occupatus diſtinetur, Miſſam, veſperaſve, aut alia diuina officia ſolemniter non celebrat, tunc eius loco hoc præſtet, qui in Eccleſia cathedrali primam ſacerdotalem dignitatẽ obtinet. Hic verò ſi aliquando abeſt, aut impeditus eſt; is, qui poſt illũ ſacerdotalem item dignitatem, vel canonicatum obtinens, alijs dignior non impeditus, adeſt, id munus obeat.

Epiſcopo, in vrbe etiam extra Eccleſiã cathedralem pontificalia munera obeunti, Vtpotè conſecranti vel reconcilianti Eccleſias, cœmiteria ve, aut ordines ſacros, aut confirmationis ſacramentum, aut ſanctiſſimam Euchariſtiam frequenti populo miniſtranti, aut alia huiuſmodi munera pontificalia exercenti, cùm is iuſſerit, aſſiſtant, inſeruiant, miniſtrentve, quicunque ex ijs, qui dignitates obtinent, & de capitulo, ac reliquo Eccleſiæ clero eidem Epiſcopalia munera in Eccleſia cathedrali exercenti, inſeruire, aſſiſtere, miniſtrareve ſolent, aut debent.

Archidiaconus, etiam ſi ſit ſacerdos, vel præbendam etiam ſacerdotalem, præter Archidiaconatum obtineat, Miſſæ ſacrum ſolemniter Epiſcopo celebrante, vt & in Metropolitana, & in alijs huius prouinciæ eccleſijs compluribus moris eſt, ſuique muneris, Euangelium canat; vel, vbi ex conſuetudine id non ſeruetur, omninò vt Diaconus, diaconalibus veſtibus indutus, Epiſcopo aſſiſtat.

Archipresbyter autem officio aſſiſtentis ad librum ſeruiat niſi ex conſuetudine Præpoſito, vel alteri dignitate ſacerdotali prædito, id competat. Cui muneri qui ſine cauſa legitima ab Epiſcopo approbata defuerit, diſtributionibus illius diei ſibi debitis, & grauius ex contumacia eiuſdem, Epiſcopi arbitratu, mulctetur.

Quod religioſi inſtituti, piæque conſuetudinis fuit, & in compluribus adhuc huius prouinciæ Eccleſijs aliqua ex parte retinetur, pontificalique libro antiquo traditur, de diaconi, alteriuſve miniſtri, & chori officio in Epiſcopali benedictione, id ad vſum vbique reuocari, paſtoralis curæ eſt, cùm præſertim ad inflammandam fidelium pietatem, præparandamque in Epiſcopali benedictione attentionem attineat. Itaque diebus Dominicis feſtiſq; cum Epiſcopus benedictionem de morte impartiet, diaconus, vel alius miniſter, ad quẽ de more pertineat, cuive Epiſcopus iuſſerit, ad populum conuerſus, his cantu ſolemni pronunciandis vocibus præeat. *Humiliate vos ad benedictionem.* Tum à choro reſpondeatur. *Deo gratias.*

In maioribus autem ſolemnitatibus aliquanto id ſolemnius præſtetur, ritu ſcilicet, qui in antiquo libro pontificali ita præſcriptus eſt, vt chorus primo dicat: *Princeps Eccleſiæ paſtor ouilis, tu nos benedicere digneris.* Tum diaconus reſpondeat. *Humiliate vos ad benedictionem.* Poſt, clerus humili voce concinat. *Deo gratias ſemper agamus.*

Demum Epiſcopus ſolemniter benedicturus, dicat præſcriptas pro temporum ratione orationes, quæ ex libro antiquo pontificali deſcriptæ, edentur.

Quod ex Felicis Quarti, Pontificis Maximi ſanctione in Concilio prouinciali tertio decretum eſt, Epiſcoporum prouinciæ conſecrationes quotannis ſolemniter celebrari; id ita deinceps præſtari decernimus.

Die anniuerſario conſecrationis, ſi Dominicus, vel feſtus ſit, Epiſcopus ſolemni celebritate de eo Dominico, feſtove die Miſſam celebret, adiunctis pro ſe orationibus, in Miſſali Romano, nuper edito, præſcriptis.

Si verò conſecrationis anniuerſarius dies in feriam, aut feſtum ſimplex cadit, Miſſæ ſacrificium ſolemne de conſecratione, prout in Miſſali Romano faciat.

Quo conſecrationis die Epiſcopus exemplum etiam ſequatur, atque amplectatur, ſanctiſſimorum Epiſcoporum, pontificumve, qui ſuſcepti muneris curam, onus, & ſollicitudinem in memoriam reuocantes, anniuerſario eo die non ſolùm ſacrificio religioſiſque precibus diuinæ bonitati gratias agere non deſtiterunt: ſed concionibus, paſtorali charitate plenis, clerum populumq; expoſitis, multiplicis ſuæ curę partibus excitare voluerunt, cùm ad opem ſibi à Deo implorandam, tum ad omnia religioſæ pietatis officia colenda.

Vtq; conſecratio Epiſcopi à ſacerdotibus, etiam ſacrificijs, & à reliquo clero pijs precib. recolatur: in calendario anniuerſario, die ſuo notetur: tum populo etiam, vt moris eſt, denuncietur, vt is quoque ſanctius illum diem veneretur: tum pro charitatis officio, quo erga Epiſcopum & patrem eſſe debet, vehementius excitetur ad preces pro illo piè adhibendas.

Quod

Quod pij religioſique inſtituti in Eccleſia fuit, quemadmodum ex ſanctorum patrum monimentis, ex antiquo cæremoniali codice accepimus, vt nocte Natalis Domini Miſſa, quæ in aurora celebratur, ſicut illa in media nocte, & altera in die ipſo Natali caneretur; eadem in omni prouinciæ noſtræ cathedrali & collegiata Eccleſia, ſub auroram etiam canatur, præſente omni clero, qui diuinis officijs intereſſe ſolet aut debet. Quicunque defuerit, illa diſtributionis medietate mulctetur, legitimo impedimento ceſſante, quam proportionabiliter amitteret, ſi à Miſſæ ſacrificio ſolemni, quod media nocte fit, abeſſet. Idem quoque præſtetur in parochiali quacunque Eccleſia, vbi aliæ duæ eiuſdem diei Miſſæ canuntur.

Quibus diebus, ex Miſſalis Romani rubricarum præſcripto, in Eccleſijs cathedralibus & collegiatis Miſſas duas conuentuales celebrari oportet, eæ ambæ canantur, tum cantu item celebretur, ſi quæ præterea alia Miſſa eodem, vel alio die ex conſuetudine, legato ve pio, aut alio iure ibi cani debet.

Quod ſi Capitulum præſtare omiſerit, neglexeritve, non ſolùm illius diei, in quo huic muneri defuerit, verùm alterius etiam diei diſtributionibus mulctetur; & alio die ſuppleantur omiſſa.

Diebus Dominicis, feſtiſque alijs, quibus officium duplex peragitur, canonicus hebdomadarius, dum veſperarum officium obit, celebratve, pluuiale induat; tum etiam duo Eccleſiæ miniſtri pluuialibus induti adſint, eaque munera præſtēt, quæ præſtari moris eſt.

Iiſdem præterea diebus, diuina ſingularum horarum canonicarum officia, pſalmi ſcilicet, hymni, antiphonæ, reſponſoria, & reliquæ horariæ preces, non verbis recitentur, ſed ſtata modulatione canantur. In matutino tamē officio, & prima, ſi ita Epiſcopo videbitur, præterquam in anniuerſarijs feſtorum dierum ſolemnioribus celebritatibus, canora, diſtincta tamen vocum pronunciatione pſalmos dici liceat; at hymni, antiphonæ, reſponſoria, & reliqua eiuſmodi, tum præterea pſalmi ad laudes ſtata omni cantus modulatione omninò pronuncientur.

Vbi verò, vel inſtituti, vel conſuetudinis eſt, feſtis diebus, matutini etiam, vel primæ pſalmos, aut alijs præterea ferialibus diebus reliquarum horarum pſalmos, & omne officium cantu præſtari: illud inſtitutum, conſuetudinemve perpetuo retineri iubemus. Si verò quid aliquando inciderit, quamobrem diuina officia diutius, quam temporis ratio poſtulat, protracta ſunt; tum Epiſcopi conceſſu, iuſſuve, horaria ſextæ & nonæ officia, ſi minus ſtato cantu poſſunt, verbis ſolùm, diſtinctè tamen & in choro pronunciari & præſtari licebit.

Feſtis verò Dominiciſque diebus, & alijs, quibus concio aut ſolemnis proceſſio, aut ſacra ordinatio habetur, ſi matutinum officium media nocte non dicatur, ita ſaltem anticipata Epiſcopi iudicio hora inchoetur, vt & aliarum deinceps horarum officia, & Miſſas ſinguli ſacerdotes, & Miſſam conuentualem collegiatim tempore ſuo ex inſtituto peragant, & concioni intereſſe poſſint.

Quod de Aſſiſtente, pluuiale induto, in Concilio prouinciali primo decretum eſt, ita dumtaxat locum habere decernimus, vt Epiſcopo, & alij, Epiſcopalibus inſignibus vtenti, is adhibeatur: alij præterea nemini.

Dominicis, & feſtis, & alijs item diebus, quibus officium duplex peragitur, canonici duo, vnus, qui diaconale, alter, qui ſubdiaconale miniſteriū præſtet, canonico ſacerdoti, Miſſam conuentualem celebranti, miniſtrent. Sicubi verò alijs etiam diebus per canonicos id præſtari ſolet, id deinceps etiam ſeruetur perpetuò.

Vbi verò præ paucitate canonicorum, illis canonicis duobus in Miſſæ conuentualis ſacrificio miniſtrantibus, numerus eorūdem, qui in choro adſunt, congruus Epiſcopi iudicio non erit; liceat eidem Epiſcopo alios duos non canonicos ſtatuere, qui illis duplicis officij diebus, qui tamen ex præcepto, conſuetudineve non coluntur, loco canonicorum, diaconale & ſubdiaconale miniſterium obeant. Omninò autem diebus etiam ferialibus diaconus & ſubdiaconus, dalmaticis induti, Miſſæ inſeruiant in cathedralibus, & collegiatis Eccleſijs quibuſcunque, niſi vbi Epiſcopus cenſuerit, miniſtrorum numerum adeò exiguum eſſe, vt id fieri non poſſit. Cuius item Epiſcopi ius ſit decernere, qui munus huiuſmodi præſtare debeant, ſi modo illud iam attributum perpetuò ex inſtitutione vel conſuetudine non ſit.

Dignitatem obtinenti, & canonico item, & alij cuicumque chori officijs adſtricto, almutiam, ſuperpelliceum, cappam, aut aliud canonicale aut proprium ſui ordinis veſtimentum, pro temporis, vel diuini officij, quod obit, vel pro ſui in Eccleſia, choroue muneris ratione, non induto, diſtributio ſtatæ canonicæ horæ ne detur, in qua hic, ille ve ſine eiuſmodi indumento adfuerit.

Ne quis canonicus, dignitate ve præditus, aut Eccleſiæ cuiuſuis miniſter, clericuſve quicumque, dum horarijs diuinarū precum officijs intereſt, aut proceſſiones, funera, vel functiones Eccleſiaſticas obit, ſuperpelliceo, alio ve ſacro indumento indutus, chyrotecis etiam manus induat.

Horæ ſextæ & nonæ item officia diuina, ante, aut poſt Miſſæ conuentualis ſacrificium, pro ratione temporum, & officij diuini, ad præſcriptum rubricæ Miſſalis Romani celebrentur; niſi aliquando vrgens cauſa incidat, quamobrem illo alio tempore, quàm præſcriptum eſt, in choro tamē, celebrari peragique Epiſcopus iuſſerit.

Quibus in Eccleſijs diuinum canonicarum horarum officium de B. Maria Virgine recitari, aut ſolet, aut debet, earum clerus vniuerſus illud in choro præſens pariter recitet, atque officium, quod de Domino dicitur: id verò ita, vt ſingulas horas canonicas vnius officij, cum ſingulis alterius, ex breuiarij Romani præſcripto, ordine coniungat.

Quicunque ab vnius horæ officio de B. Maria abfuerit, diſtributione illius horæ perinde mulctetur, ac ſi ab horæ eiuſdem officio, quod de Domino recitatur, abfuerit.

Calendarium, quod ex Concilij prouincialis primi decreto pro certa diuini officij recitandi ratione, quotannis edi oportet, ſi minùs conſtat, à quo confici, edive debeat; Epiſcopus deligat, conſtituatve, qui hoc præſtet, neque id cuiquam recuſare liceat.

Ita verò, à quo debet, in tempore conficiatur, vt & menſe ſaltem ante Natiuitatem Domini in lucem emiſſum ſit. Antè verò quàm prodeat, Epiſcopo tradatur, qui recognoſcat, aut ab aliquibus, quos eius rei peritos delegerit, recognoſci iubeat.

De Sancto, cuius ſacrum corpus aut caput, aut brachium, aut crus, aliæve ſacræ reliquiæ, Epiſcopi iudicio inſignes aſſeruātur, duplex officiū fiat, in ea tantùm Eccleſia, vbi reconduntur: nec verò in alijs, niſi regulis Breuiarij Romani id pręſcribatur; aut alia cauſa grauis Epiſcopi iudicio inſit.

De ſanctis item, quorum altaria in aliqua Eccleſia ſunt, duplex in ea tantùm Eccleſia fiat; idque tunc ſolum, quando ſcilicet ex antiqua, probataq; conſuetudine, vel iuſta alia cauſa epiſcopus cenſuerit faciendum.

De ijs, qui beati dicuntur, neque ſedis Apoſtolicæ auctoritate in ſanctorum numero adſcripti ſunt, horarum diuinarum precum officium ne fiat; niſi conſulta eadem ſede Apoſtolica, facultateq; litteris pontificijs conceſſa.

Epiſcopus pro temporum ratione ac viciſſitudine certam horam certumq; interuallum pulſandis campanis præſcribere curet, quib. dininorum officiorum ſignificatio detur. Quæ certa, interualliſq; diſtincta pulſationis ratio in tabella edita ordine notetur; vt & vrbanis & diœceſanis Eccleſijs vſui recte accommodata, vbique eadem ad præſcriptum eiuſdem epiſcopi ſeruetur.

Officia diuina, ſicut alia ſemiduplicia ſunt, quædam duplicia, alia ſimplicia: ita pro eorum ratione certam regulam in ijs ſingulis celebrandis adhiberi oportet.

Quare epiſcopus duobus de Capitulo, quorum alter ab ipſo, alter à Capitulo deligatur, aliiſque Eccleſiaſticis hominibus rituū ſcientia, & vſu peritis, quos ipſe delegerit, in conſilium adhibitis, cantus modulationem, luminum numerum & qualitatem, veſtium apparatum, campanarum ſonum, miniſtrorumq; rationem pro illorum ritu præſcribat, in ijs ſcilicet, quæ adhuc Concilijs prouincialibus præſcripta non ſunt, donec alio tempore in Cōcilio prouinciali certa eorum ratio ſtatuatur, vt & rite, & diuino cultui congruenter omnia præſtentur.

Quæcunque verò aut in hoc, aut in ſuperioribus Concilijs pro-

prouincialibus de feſtis duplicibus ſeruari iuſſum eſt; ea in Eccleſijs, ritu Ambroſiano vtentibus, cùm pro illius ritus ratione nulla ſit ſimplicis, aut ſemiduplicis, aut duplicis officij diſtinctio, ſed tantùm ſolemnis, aut non ſolemnis, in feſtis ijs locum habeant, quæ licet ex præcepto, conſuetudineve non colantur, officio tamen ſolemni celebrari in calendario, aut breuiarij rubricis præſcribetur.

Sicut ſancta mater Eccleſia pro temporum officiorumq; ratione, ſacrarum veſtium apparatum, ornatumque colori- bus diſtinctum eſſe voluit; ita, quemadmodum etiam Miſſalis Romani rubrica præſcribit, in omni Eccleſia & altare, & ſacerdos celebrans, ſique ſolenniter fit, diaconi etiam & ſubdiaconi, & alij eiuſmodi miniſtrantes ſacro veſtium amictu, vt pro Eccleſiarum facultatibus fieri poteſt, induantur: qui colore diſtinctus, diuinorum officiorum ritui, & temporum rationi conueniat.

Cùm clerici deſunt, qui cantorum in diuinis officijs partes præſtent, ita vt laicos homines ad id muneris aliquando mercede conduci adhiberive neceſſe ſit; tunc ij non ſolùm in Miſſa ſolemni. & diuinis officijs, id quod in compluribus huius prouinciæ Eccleſijs vſu ſeruatur, ſed & in proceſſionibus & in funeralibus, & in alijs Eccleſiaſticis actionibus, ad quas vel in Eccleſia vel foris adhibentur, cùm id munus gerunt, habitu clericali ſuperpelliceoque decenti, ad Conciliorum prouincialium præſcriptum vtantur: vita præterea & moribus ab Epiſcopo ſcripto ante probati ſint. Nec verò contra quàm preſcriptum eſt, cuiquam laico in Eccleſia muſici, cantoriſve munus illis diuinis Eccleſiaſticiſve officijs, aut in Eccleſia, aut foris concelebrandis committatur: nec rursùs ille ſuſcipiat gerat ve, pœnis mulctiſve propoſitis arbitratu Epiſcopi.

Eas autem pœnas luat, tum qui ſuſceperit, tum qui commiſerit, dederit, conduxerit, permiſeritve; quicumq; ſit, ſiue Capitulum, ſiue fabricæ adminiſtratores, ſiue rector Eccleſiæ, ſiue confratriæ præfecti, ſiue alius quiſpiam, ad quem id pertineat.

Triduo illo hebdomadæ ſanctæ, quo ex Sanctæ Eccleſiæ Romanæ conſuetudine ſtrepitus, & fragor fieri ſolet ad ſignificandam in Ieſu Chriſti paſſione illarum rerum omnium commotionem, is ſemel tantùm poſt extremam matutini officij orationem adhibeatur, ad rubricæ Romanæ præſcriptum.

Cura verò ſit eorum qui Eccleſijs præſunt, cauere, vt à populo religioſa pij mœrentiſque animi meditatione, ille fiat.

Præfectus chori, vbi ex antiqua probataq; Eccleſiæ inſtitutione nominatim nemo eſt, neque alius item, quem huic muneri Epiſcopus præfecerit, eiuſmodi officio fungatur, vt primo Concilio prouinciali cauetur, qui digniori chori loco ſedet: id verò, quoad alium ei muneri Epiſcopus arbitratu ſuo propoſuerit. A quo officio quandocumque eum amouere, tum rursùs confirmare Epiſcopo liberum ſit. Qui autem ex antiquo probato inſtituto gerit, ſi ei curæ ac vigilantię minus aptū aut negligentem, aut aliàs non rectè vtiliterve munus ſuum præſtantem animaduerterit, illum amouendi, & eidem muneri, illius loco, alium præficiendi, ius item & facultas omnis eidem Epiſcopo liberè competat.

De proceſsionibus.

CVm ſupplicationes publicas, ſolemneſq; fieri opus erit; primum earum cauſa proceſſiones agantur, deinde Miſſa ſolemniter celebretur; niſi aliter ob cauſam Epiſcopus aliquando iuſſerit. Clerus etiam regularis, piarumq; confratriarum homines, populus denique omnis cùm ad Eccleſiam, vbi ſupplicandi cauſa ſtatio fiat, proceſſerint, inde ordine item redeant ad Eccleſiam, vnde diſceſſerint; vt etiam primo Concilio prouinciali decretum eſt, niſi Epiſcopi præſcripto in Eccleſia, ad quam ventum eſt, proceſſio abſoluenda & dimittenda ſit: tuncque inde ad ſuas quique Eccleſias, benedictione Epiſcopali, aut miſſione de more facta, collegiatim cruce præcedente abeant licet, peractis ante ſupplicationum, prout ritus eſt, ſolemnibus precibus atque orationibus.

Quæ verò in hoc ſupplicationis munere precum & orationum officia in Eccleſia, ad quam itum eſt, quæcumq; illa ſit, peragenda ſunt; à Capitulo cathedralis, in diœceſi autem à clero primariæ ſecularis Eccleſiæ, non illius, ad quam ſupplicandi cauſa proceſſum eſt, rite pręſtentur, niſi antiqua conſuetudo aliud ſuaſerit.

Miſſæ item ſacrificium cùm ibi faciendum eſt, illud à Capitulo clerove cathedralis, & in diœceſi primariæ ſæcularis Eccleſiæ ſolemniter fiat.

Quo tempore reliquus clerus diſcedat licet, miſſione ſolemniter facta, vt in ſuis quiſque Eccleſijs conuentualem parochialemve Miſſam concelebret: niſi aliter quandoq; Epiſcopus iuſſerit.

Clero ad Eccleſiam conuenienti, proceſſionis, ſupplicationis, alteriuſve eiuſmodi officij cauſa, locus aliquis Eccleſiæ illius amplè quantum poteſt, patens conſtituatur; vbi ſimul vniuerſus, ſi poteſt, alioqui collegiatim ſaltem vnuſquiſq; ordo conueniat, & tacitè precando conſiſtat, donec illas obeat; ne per Eccleſiam vagetur, aut quidquam aliud admittat, quod Concilio prouinciali ſecundo vetitum eſt.

Clericorum verò ſit, hoſtiarij functiones in Eccleſia cathedrali obeuntium, Eccleſiaſticos homines, ſupplicationum proceſſionumve cauſa in eum certum locum congreſſos, ſi quos vagantes, deambulantes, colloquenteſve animaduerterint, Epiſcopi auctoritate prohibere: tum etiam cōtumacium nomina ad eundem deferre.

Conſtituat Epiſcopus certos homines, qui clerum ad ſupplicationes procedentem dirigant: tumque aliquando, cùm opus eſt, eundem ſubſiſtere moneant: tum etiam, qui populum in ordine conſiſtere, mulieres velatas incedere, aliaque eiuſmodi opportunè in ipſa etiam via moneant, præcipiant, atq; vt ſeruentur, efficiant omni ſolicitudine.

In omni proceſſione, in illa præſertim, quæ ſolemni die corporis Domini agitur, clerus ſæcularis, ſuperpelliceo mundo candidoq; indutus, vt adſit, præmoneatur.

Cùm ad proceſſionem clerus vocatur, quid pſallendum, quid canendumve ei ſit, vt opportunum erit, ſignificetur.

Canant omnes: cum verò aliquot canentibus alijs canere non licet: qui bini incedunt, ſubmiſſa voce, pſalmum hymnū, antiphonam, precemve piam inter ſe dicant; ſupplicationi, quæ fit, myſteriove conuenientem.

Clerici omnes ſæculares & regulares, & qui in baſilica cathedrali dignitates obtinent, bini ſemper procedant: neque item inter eos vllo modo laici homines quocumq; gradu ſint, interiecti incedant, neque item inter Epiſcopum, & eoſdem laicis locus ſit.

Quicunque in proceſſione erratum contra tabellæ præſcriptum commiſerit; pro præſcripta ratione punctator ſigillatim nominatimque illum notet.

Sacrarum imaginum inſignia, vexillave cleri, ne laicus homo in proceſſione præferat: vbi clericus quiſquam eſt, qui hoc munus præſtare poſſit.

In omni Eccleſia, vnde ad ſtatas proceſſiones clerum populumque egredi ſolemne eſt, vbi primum procedendi initium ſit, campanarum omnium pulſationes ſolemniter tam diu adhibeantur, quoad inde clerus vniuerſus in proceſſionis munere egreſſus ſit. Idemque cùm à proceſſione reditur, pręſtetur.

Itidem in Eccleſijs fiat, quæ in vicinia ſunt, vbi proceſſio agitur.

Muſicis verò cuiuſuis generis inſtrumentis in proceſſionibus ſonari, ne vllo modo permittatur.

In ſupplicationibus, proceſſionibuſve, quæ ſummi Pontificis, Epiſcopive iuſſu in exteriori aut interiori eccleſiæ circuitu aguntur, canonicis & alijs chori miniſtris, qui diſtributionum quouis modo participes ſunt, tantum ex communi reſidentiæ cenſu diſtribuatur, quantum ipſis dari ſolet, cùm in in choro præſentes horæ tertiæ officio adſunt. Si verò pro feriæ feſtique ratione, quo proceſſio agitur, non in circuitu Eccleſiæ, ſed per vrbem, oppidumve illa fiat, agaturve, triplum detur.

Quæ omnis diſtributionum portio detur ijs tantum ſcilicet, qui illas præſentes obeunt.

Quod ad alios autem clericos attinet, qui proceſſioni, ſupplicationive intereſſe debent; nec verò diſtributionū par-

ticipes ſunt, cum ijs Epiſcopi arbitratu, certis mulctis, pœniſve agatur.

Quod in multis huius prouinciæ locis religioſæ conſuetudinis eſt, retinere, aut ſicubi non eſt, introducere Epiſcopi ſtudeant, vt omnes, tum mares, tum fœminæ ſacro ſolemnitatis ſanctiſſimi Corporis Domini, religioſoque die, eam proceſſionis celebritatem non è feneſtris, neq; omninò è ſuperiori loco inſpiciant, ſed eam proſequantur, omni piè religioſæq; venerationis ſtudio. Itidem præterea curent de alijs publicis proceſſionibus, cùm illas omnes populum ſupplicem proſequendo, piè obire inſtitutum ſit.

Si quæ eleemoſynæ, panis aut vini, aut aliorum ciborum, certo conſtituto tempore, pij etiam legati iure, aliove quouis nomine diſtribui debent; earum diſtributione proceſſionum ſupplicationumve tempore fiat: quo minus illa comeſſationibus, crapuliſve occaſio præbeatur: ſed illis peractis id agi liceat.

Vnuſquiſq; Epiſcopus pro ſolemnium proceſſionum, & eiuſmodi actionum ratione decernat, tum qui è clero, tum quibus diebus pluuiale illis obeundis induant.

Interea vero mos & vſus Metropolitanæ Eccleſiæ hoc in genere ſeruetur.

In Miſſæ etiam ſolemni ſacrificio, proceſſionibus, & alijs eiuſmodi ſacris actionibus cautio ſit, vt ad Eccleſiaſticas functiones, quas in illis præſtari oportet, cuiuſmodi ſunt, & cùm Corpus Domini in Miſſa eleuatur, cereorum accenſio & ſuſtentatio, & cleri in proceſſionibus item diſponendi, dirigendive ratio, & id generis aliæ laicorum hominum opera, miniſteriumve ne adhibeatur: ſed in ijs, alijſve eiuſmodi generis functionibus obeundis præſto ſint ſacriſtiæ cuſtodes, clerici, tum magiſtri chori, vel cæremoniarum adiutores, alijq; Eccleſiaſtici ordinis homines, quorum miniſterium Eccleſiaſticarum rerum vſui, functionive addictum eſt, tum alij item clerici, quibus ea munera Epiſcopus aſſignarit.

De funeribus, & exequijs.

SICVT Epiſcopus dum in vita eſt, ſanctæ paſtoralis ſollicitudinis ſtudio debet ſaluti animarum inuigilare; ita illud cum omni ratione coniunctum eſt, vt poſt eius obitum Eccleſiaſtici ordinis homines, & laici item, quorum curæ, gubernationique paſtorali præfuit, grata piaque memoria Epiſcopales vigilias ac labores, quibus ille in eo munere gerendo perſunctus eſt, proſequâtur, pro illius anima in primis Deum religioſe precantes.

Quamobrem præter ea, quæ de Epiſcoporũ exequijs primo Concilio prouinciali ſancita ſunt. hoc etiam decernimus; vt parochi, & ſacerdotes ſinguli, tum vrbani, tum diœceſani, vbi primum de obitu Epiſcopi ſui nunciatum eſt, nouem ſingulis poſt eum nuncium diebus, quibus per Eccleſiaſtici officij ritum poteſt, Miſſam de mortuis pro illius anima celebrẽt; aut ſaltem ſtatam pro defuncto Epiſcopo orationem dicant, vt in æterna recipiatur tabernacula. Capituli verò ſit, de Epiſcopi obitu, diœceſanos parochos certiores quamprimum facere, eoſdemque huius officij monere.

Populus itidem pro paternæ ſollicitudinis, charitatiſque officijs, quæ ille viuus pro omnium ſalute præſtitit, hoc communi parenti mortuo reddat, vt religioſis precibus, alijſq; pijs ſuffragijs illius animam adiuuet.

Ad quam ſanè rem ſuum quiſq; populum parochus cum vſu venit, ijs præſertim nouem diebus hortetur accurate ac diligenter.

Ne cuiquam ex vlla cuiuſuis ordinis Eccleſia mortui cadauer perpetuæ ſepulturæ traditum aſportari liceat, niſi facultate ab Epiſcopo impetrata, eaque litteris nominatim exarata.

Parochus, intra cuius parochiæ fines, aliquis alienæ parochiæ occiſus eſt, eius cadauer liberè alio transferri nullo prætextu prohibeat: nihilque ea de cauſa accipiat. Si verò tranſlatio ea cum funere ſit, liberum ei ſit vti iure ſuo.

Funeribus defunctorum officijs anniuerſarijs cõcelebrandis, cùm rector Eccleſiæ præter clericum miniſtrum ſuum, alios etiam ſacerdotes, clericoſve, quorum miniſterio, operave vtatur, accerſere, adhibereve neceſſe habet, hoc ordine, niſi aliud defunctus, hæredeſve illius voluerint, illos euocet; primo ſcilicet, ſi quos habet, illius animarum curæ gerendæ quouis modo ſocios, collegas, adiutoreſve, tum illius Eccleſiæ titulares, vel canonicos, vel chori miniſtros, vel demum cappellanos item, deinde clericos alios Eccleſiaſticæ functioni, officiove in ea Eccleſia addictos, adſcriptoſve; tum præterea alios, quos mortui hæres, aut is, cuius intereſt, accerſiri, euocarive maluerit. Nec verò plures adhiberi vllo prætextu etiam huius decreti liceat, quam ille velit, vel ſacerdotes, vel alios, etiam clericos tãtum, pueroſve clericali veſtitu indutos, etiam quos illi euocati ſecum duxerint; neque rurſus ad eleemoſynæ, emolumentive cuiuſuis generis, eo nomine percipiendi partem vllam, neque denique vllum non vocatum admitti.

Illud Præpoſiti, Archipresbyteri, parochi, rectores, & alij quicumque clerici caueant, ne ad funus ducendum, aut officia pro mortuis celebranda alios pro ſe mittant emolumentum, aut eius partem ipſi percepturi; neque ſecum pueros aut clericos ea ſpe perducant, mittantve, vt eleemoſynæ, quæ illis data erit, participes ipſi ſint; nec ſanè verò vllam eius partem vllo quouis prætextu etiam ſponte oblatam capiant; neque item qui mittuntur, plus capiant, quàm ſi proprio ſolùm nomine vocati eſſent.

Funeris ducendi certa hora conſtituatur, qua omnes quicunque euocati ſunt, conueniant, vt nulla interpoſita mora ad illud procedatur.

Cautio ſit, vt ne ſimplices homines quicquam ſuperſtitionis cauſa apud mortuum in feretro, aut in eius manib. ponant, aut aliud, quod ſuperſtitionis ſpeciem præ ſe ferat, aut ſuſpicionem habeat, committant.

Vbi ex noſtra in Concilio primo prouinciali edita conſtitutione pallium ad cadaueris feretrive tegẽdi vſum, quacũque ratione comparatum eſt, omnibus illud gratis accommodetur. vbi verò paratum nondum eſt, parochialis viciniæ hominum non Eccleſiæ rectoris ſumptib. comparari decernimus.

Sin autem neque illi parent, neque mortui hæres item; ſine pallio cadauer efferatur, quouſque id præſtetur.

Cadauer cùm effertur, via procedatur, quæ à domo ad Eccleſiam recta ac breuis ſit: ſi verò vſque adeò breuis & compendioſa eſt, vt ordines eorum, qui funus comitantur, intra illius fines contineri non queant, tunc via paulò longiori funus ducatur, idq; iuſſu, conceſſuve ſacerdotis, qui funeri præeſt.

Omnes, tum qui dignitates obtinent, tum canonici, etiam Metropolitanæ, & cathedralis Eccleſiæ, tum alij præterea quicumque clerici, quibus in funere candelæ, aut cerei, intortitiave dantur, eas, eave accenſa in funere manibus ipſi deferant.

Sermo ſi quis in funere habebitur, non domi, aut alio eiuſmodi loco, ſed in Eccleſia habeatur.

Nec cœnotaphijs, aut quas vocant, tumbis, pallia altarium adhibeantur.

Eleemoſyna, quæ clero ob funus, aut defunctorum officium datur, ne in Eccleſia, cœmiteriove, aut ſpectante populo, ſed eo remoto, locoque ſeparato, factis exequijs, officijſve diſtribuatur.

Ne pactiones de funere, aut de exequijs pro mortuo celebrandis cum defuncti hærede, aut alio, ad quem pertineat, à parocho, aliove ea conditione fiant, vt certa ceræ pars quæ exequiarum officijs ſupererit, ipſi hæredi, aut alteri reſtituatur.

Ne parochi, alijve clerici, neque item exequiarum curatores, alijve, quicumque in funere operam ponunt, pignora capiant, quibus ſibi caueant de funerali eleemoſyna, aut de eorum operæ in funere præſtitæ mercede.

Eccleſiæ Metropolitanæ, vel cathedralis, vel collegiatæ Capitulum, ac ſinguli de capitulo in funere, funeriſve officio, contenti eleemoſyna ſint, quæ generatim ipſi vniuerſo Capitulo, aut ſigillatim vnicuique de Capitulo dari ſolet.

Idem parochi, rectores, ſacriſtiæ cuſtodes, & alij clerici inuiolatè ſeruent ad Epiſcopi præſcriptum. Pro crucibus autem, & quæ circa cadauer aut cœnotaphiũ diſponuntur, pro campanis item, lampadibuſve, aliove prætextu, aut nomine, nihil præterea capiat, exigatve, ne Capitulum, nec quiſ-

 quam

de Capitulo, nec rector, nec ſacriſta, cuſtos, aliuſve cle-
quicunque, niſi ſi quid eſt, quod fabricæ, aut ſacriſtiæ,
anarum nomine dari piæ conſuetudinis Epiſcopus eſſe
erit; idque verè in eum vſum cedat; at pro crucibus ni-
nninò, quouis etiam fabricæ, vel ſacriſtiæ nomine accipi
.

Quantum clericorum viſitato nomine dari ſolet, tantum
dibus, qui in minoribus ordinibus conſtituti ſunt, de-
in ſacris fuerint, habeant, quantum ſacerdotum nomine
.

Qui verò cuſtos, vel crucem prætulerit, vel campanas
uerit, tunc ille accipiat, quod eo nomine tãtum dari ſta-
n eſt.

Qui funeris curationem aliquam habere ſolent, vtpote
ni, alijque quocunque nomine vocati, qui item corpo-
eliendo operam nauant; eos accipere non vetamus,
l pro officij ſui, quod ipſi præſtiterint, opera dari con-
t.

Crucis verò, vel campanarum, aliove quouis nomine, ne
quidem quicquam in funere, vel funeris, vel exequiarũ
, exigi, accipive liceat.

Eius verò generis homines, & alij, qui in funus ſe inge-
, nec quicquam operæ ponunt, nihil omninò conſequan-

Quod primo Concilio prouinciali ſancitum eſt, id expli-
s nunc vetamus, vt ne ſcilicet clerici, neve alij quicunq;
qui aliquam in funere curam ponunt, veſtes, indumenta,
mentave, cadaueri adhibita, niſi à ſponte offerentibus ac-
nt, ſed gratis, ac ſine mora ijs, ad quos pertineret, omnia
è reſtituant, reddantve.

ro loco, in quem mortuus infertur, à nemine, ne ſacriſtiæ
lem aut fabricæ Eccleſiæ, aut confraternitatis alicuius, al-
ſve pij vſus nomine quicquam prorſus exigatur: pias ta-
& laudabiles conſuetudines, vt primo Concilio prouin-
iuſſum, in hoc etiam Epiſcopus ſeruari iubebit.

Capitula, canonici, & alij miniſtri quicunq; ſint Eccleſia-
, ne cœnotaphij, quod in officijs pro mortuis ex tabulis
itur, nomine quicquam capiant.

Qui in funere, officijſve funeralib. vel exequijs quicquam
nfra, peccarit, eius funeris officij ve funeralis omni eleemo-
, emolumentoq; careat omninò; pœnaq; ſit Epiſcopi ar-
io, tam ei, ſi acceperit, quàm præfecto, rectorive, qui dari
rit, conſenſerit, permiſerit ve.

Quicumq; à funere, funeralibuſve officijs eiuſmodi ab-
rit.

Qui item ante temporis vel officij punctum ab Epiſcopo
ſtitutum non adfuerit.

Qui funere, officiove pro mortuis peracto diſceſſerit,
od fit, dum corpus ſepulturæ traditur.

Rursùs, qui non peractis funeralibus officijs, diſceſſe-

Qui item habitu, prout Epiſcopus præſcripſerit, non con-
erit, interfuerit ve.

Qui contra decretorum prouincialium præſcriptũ quic-
m in illis peccârit.

Qui item alia commiſerit ex ijs, ob quæ Epiſcopi iuſſu pro
ente habendus ſit.

Qui item funeris, exequiarum ve curatores, vtpote antia-
vel alio vocati nomine, per ſe muneris ſui partes non ob-
int.

De diſtributionibus.

QVIBVS in eccleſijs tertia pars fructuum, reddituum ve
dignitatibus, perſonatib. officijſq; obuenientium, non-
m ex Tridentino decreto in diſtributiones diuiſa eſt; id E-
copus, vbi expedire cenſuerit, præſtet. Diuiſione verò fa-
, quicumq; ex Epiſcopi pręſcripto, functiones, miniſteriũ-
e debitum quolibet ſtatuto die non expleuerit, diſtributi-
em illius diei amittat, quæ Tridentini Concilij iuſſu, fabri-
Eccleſiæ, aut piorum locorum vſui, Epiſcopi arbitratu at-
buatur.

De diſtributionibus item quotidianis ex tertia illa parte
uctuum, decreto Tridentino præſcripta, vel conſtituendis,
l augendis, vbi nondum illud actum eſt, quamprimùm E-
piſcopus præſtet. Quibus etiam in Eccleſijs, vel cathedralibus vel collegiatis, quamuis reliquis diuinis officijs cõgruus quotidianarum diſtributionum cenſus aſſignatus ſit, aliquibus tamen canonicis horis, aut cæteris officijs, etiam extraordinarijs, quauis auctoritate inſtitutis, nullæ quotidianæ diſtributiones adſcriptæ attributæ ve ſint, aut ſi attributæ ſint, exiguæ illæ quidem atq; vſq; adeò tenues, vt veriſimiliter negligantur; in ijs Epiſcopus vel de communi reſidentiæ, diſtributionumq; quotidianarum cenſu, ſi ampliùs ſit, certam portionem arbitrio ſuo cõgruam, Capituli, ac reliquorum, qui eiuſdem cenſus participes ſunt, conſenſu detrahat, eamque ipſam ſtatam vnicuique ex illis canonicis horis officijſve attribuat, adſcribat ve perpetuò; vel omninò ipſe auctoritate & facultate ſibi eodem Tridentino Concilio data, quemadmodùm etiam à ſancta Sede Apoſtolica declaratum eſt, decretum itidem illud Tridentinum exequatur, vt ſcilicet è fructib. redditibuſve cuiuſuis generis, qui dignitatibus, canonicatibus, perſonatibus, alijſve obueniunt, congruam partem, quæ tamen tertiam non excedat, arbitrio ſuo ſtatuat; quam in quotidianas diſtributiones conuerſam, ſingulis his diuinis officijs horiſve canonicis, quibus nulla vel tenuis tributa eſt, certam diſtribuendam perpetuò aſſignet, vt ſtata ea, congruaq; portione conſtituta vel adiuncta, illæ deinceps veriſimiliter non negligantur.

In diſtributionum autem tenuitate dignoſcenda, ratio ſemper habeatur tum canonicorum, tum aliorum omnium, quibus illas percipiendi, ſi reſidentes munus ſuum obeant, ius competit: ſiue illi modo præſentes reſidẽtiæ munus verè præſtent; ſiue abſentes ob legitimam etiam cauſam impedimentum ve reſidere, ea ceſſante, deberent aut poſſent.

Parochus verò, qui canonicatũ dignitatem ve, ac ſimul Eccleſiam parochialem legitimè obtinens, reſidentiæ parochialis munus obit, vt literis Pij V. Pont. Max. ſancitum eſt, illius vel dignitatis, vel canonicalis præbendæ fructus redditusſve capiat: at tertiæ eius partis ne particeps ſit, quæ eiuſdem Tridentinæ ſanctionis auctoritate, in diſtributiones conuerſa, ſibi abſenti obuenire non poteſt, nec debet; ſed alijs præſentibus, choriq; officia obeuntibus, accreſcat; aut Epiſcopi arbitratu, fabricæ Eccleſiæ, pijſve locis attribuatur, ad eiuſdem Concilij Tridentini præſcriptum.

Vt diuinis officijs obeundis, quoad eius fieri poteſt, apti & idonei miniſtri adſcribantur, cùm aliqui deinceps in cathedralibus aut collegiatis Eccleſijs ſe in canonicorum reſidentium collegium cooptari; & ad ius diſtributiones percipiendi admitti petunt, hæc ſeruentur.

Primo, vt ab ea re omnis ambitio abſit, qui cooptandus erit, hoc iureiurando obſtringatur.

Ego N. per hæc Sancta Dei Euangelia iuro, me, neque precibus, neque pretio, neque alia ratione egiſſe, aut aliàs curâſſe, quo minus hoc experimentum integrè, fideliterq; fieret; ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Deinde periculum, experimentum ve fiat, an qui ſe cooptari petit, ad omnia ea rectè in cantus modulatione præſtanda idoneus ſit, quæ aliquo modo aut tempore ad eius munus parteſve pertinere poſſunt, hocq; pro ratione & diuerſitate presbyteralis, diaconalis, & inferioris etiam functionis. Id verò fiet in conuentu capitulari, duobus ex Capitulo adhibitis, qui primo iurati ſe nihil fraudis in ea re ſibi commiſſa, facturos eſſe, hoc præſtent: vt ei, de cuius cooptatione agitur, certos locos, ſcripta ve, quæ cantu enuncient, primùm aſſignent; tum propius aſſiſtendo videant, num is modulatione, aliove modo erret.

De eodem autem approbando poſtea agetur, reſque occultis ſuffragijs permittetur: quibus ſtatim deliberetur ac decernatur.

Cùm de manſionarij, aut alterius Eccleſiæ miniſtri, qui canonico inferior eſt, cooptatione agetur; is etiam præſcripta canonicis cooptandis ratione à Capitulo canonicorũ probetur. Cui probationi quatuor, pluresve eiuſdem ordinis miniſtri, à pręfecto Capituli peritiores delecti, intereſſe poſſint; quorum de eo cooptando ſententiam Capituli præfectus rogabit: tum illis remotis de approbatione aut reiectione Capitulum decernet, ſuffragijs occultè latis.

De eo autem, qui in Eccleſia cathedrali poſt Epiſcopum, aut etiã in collegiatis primã dignitatem obtinet, experimen-

tum.

tum periculumve fiat ab Epiſcopo ſolum, eiuſve vicario, adhibito in conſilium præfecto chori & canonico vno ex Capitulo illius Eccleſiæ; in qua is, de quo agitur, dignitatem habet, & alijs præterea peritis viris, quos aliunde adhiberi Epiſcopus maluerit.

Quibus verò in Eccleſijs antiqui probatique inſtituti eſt, de eo etiam à Capitulo examen experimentumve fieri: id huius decreti auctoritate non abrogetur; ſed Capitulo præſcripta ſupra in canonicis probãdis ratio in ipſo etiam probando ſeruetur.

Si cooptatio, probatiove vlla fiet, illis ſupra præſcriptis rationibus non ſeruatis, irrita ſit, ac planè nulla.

In ipſo probationis examine, inprimis Eccleſiæ magis minuſve inſignis, ratio aliqua habeatur.

Non ſolùm de ea facultate periculum fiat, quæ ab arte, & ab ea exercitatione proficiſcatur, ſed de ea quoque, quæ eſt à natura: videndumq; num cuiquam natura alicui impedimento ſit, quo minus obire munera ſua ſi non perfectè, at ſaltem aliquo modo poſſit.

Porrò moderatio adhibeatur, vt in ijs quidem modulationum generibus, qui cooptari vult, ſe ex tempore peritum præbeat atque exercitatum, quæ in eius officio frequentiora ſunt: quæ verò rarius incidunt, præſtare quidem aptus ſit, ſed congruo ſpatio temporis dato ad eius generis rationem præuidendam.

Præterea, quibus vniuerſæ chori pſalmodiæ onus ſuſtinendum eſt, in ijs mediocrem peritiam, artiſque cognitionem ſufficere, æſtimari non conuenit: cum ijs verò, quibus id non incumbit, mitius agi debet; in chori Magiſtro perfecta ars, & peritia omninò requiretur: eademque diſtinctio & ratio habenda eſt de voce, & eiuſmodi naturæ adiumentis.

Si timore, aut aliqua alia perturbatione factum eſſe præfectus ſuſpicatus erit, vt quis minus idoneus viſus ſit, is ne reijciatur, ſed octo dierum ſpatio certa alia dies conſtituatur, qua rurſus periculum fiat: iterũ verò id timoris, aut aliud nomen eiuſmodi prætendi non poſſit.

In ijs verò, qui iniuria ſe repulſam tuliſſe putabunt, aut amplius 8. diebus protracti erunt; ſeruetur decretum noſtrum, in Concilio prouinciali ſecundo promulgatum.

Quicunque, dum alicuius ſtatæ horæ officium in choro peragitur, Miſſam celebrando, tunc à choro abfuerit; illius horæ diſtributionis, tamquam abſens particeps ne ſit, vt à ſancta ſede Apoſtolica declaratum eſt. Id verò niſi præ abſentia ſacerdotum, qui in Eccleſia tunc Miſſæ ſacrificium faciant, neceſſitas aliquando inciderit, vt præfectus canonicum aliquem ſacerdotem è choro exire, à ſtatæq; horæ officio abeſſe, Miſſæ celebrandæ cauſa, iubeat, aut niſi à Sede Apoſtolica aliter conceſſum fuerit.

Aliqua dignitate præditus, & canonicus, aliuſve quicumque, qui etiam ob cauſam, vtputa ob litem eiuſdem beneficij ſui Eccleſiaſtici ſibi illatam, conteſtatamve, ordinem ſacrum, illi Eccleſiaſticæ ſuæ dignitati, canonicatuive, beneficioue annexum, ſuſcipere diſtulerit; ne diſtributionum quotidianarum, antequàm illũ ſuſcipiat, particeps ſit, cum debiti ſui muneris, cuius cauſa illæ debentur, partes obire, præſtareve non poſſit.

Cum & Tridentinis ſanctionibus, & noſtris etiam prouincialibus decretis, multa ſalutariter de diuinis officijs, functionibuſque Eccleſiaſticis, atque alijs eiuſdem generis conſtituta ſint, vt ad eorum præſcriptum omnes, ſingulique prouinciæ noſtræ canonici, Capitula, & dignitate præditi, reliquique omnes Eccleſiarum miniſtri, chori officijs quocunq; iure, nomine, titulo, modove aſtricti, ſeſe conforment; diuinaque officia, proceſſiones, funeralia & alia quæ Eccleſiaſtici muneris, Eccleſiaſticarumque functionum ſunt, rectè obeant; ad eaque non ſolum conſtitutis horis, ac præſcripto modo conueniãt; verùm etiã in ijs ipſis piè deuoteq; verſentur & perſiſtãt, ſuis quoque functionibus, muneribuſque ſatisfaciant: tum præterea ex eorundem decretorum præſcripto canonici Capitula habeant, ad ea conueniant item; in illis denique vt par eſt, rectè verſentur, ac rurſus ab omnibus & ſingulis erratis, quæ notata caueri ſancitum eſt, prorſus abſtineant: triplicem tabellam ordine explicatam, ex decretiſq; prouincialibus breuiter deſcriptam, & quæcunque in earum vnaquaque vel vniuerſe, vel ſigillatim, aliave ratione præſcripta ſunt, propoſitis ſuo loco pœnis, accuratè ſeruari, in executioniſque vſum introduci ſancimus.

Tum præterea eandem, cùm de ſcripto ſtatis quibuſdam diebus, frequenti capitulo, & reliquis, quorum intereſt, legi, pronunciarique mandamus; tum in omni ſacriſtia, etiam parochialium Eccleſiarum, certo perſpicuo loco, decore affixam, in omnium conſpectu proponi, perpetuoque retineri ſancimus.

Singulis verò ijs tribus tabellis pro Eccleſiæ, diœceſiſque ſuis rationibus, ab vnoquoque prouinciæ noſtræ Epiſcopo, ex præceptionibus ſuis, probatiſve Eccleſiæ ſtatutis, alias præterea erratorum notas, punctationeſve, prout opportunum ipſe cenſuerit, addi perpetuò liceat.

Quod de punctatorum iureiurando in Concilio prouinciali primo ſancitum eſt, id & ab ijſdem, & ab vnoquoque item punctatore, qui vel feſti diei, vel funeris, vel anniuerſariorum, vel proceſſionum, vel aliorum denique diuinorum officiorum cauſa, etiam in collegiatis alijſve Eccleſijs conſtitus eſt, præſtetur, non modo, cùm punctatoris officium ſuſcipiunt; verùm etiam in publico diœceſanæ ſynodi conuentu, qui habebitur, dum ipſi id officium gerunt; quo religioſius vnuſquiſque eorum excitetur ad debitum in munere ſuo obeundo diligentius officium cum fidelitate coniunctum, adhibendum. Iuriſiurandi formula hæc ſit.

Ego N. punctatoris officium, quod ſuſcepi per hæc ſancta Dei Euangelia iuratus, ſanctè promitto, ac ſpondeo, me fideliter & ſincerè; quantum in me eſt, executurum. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia, vel ſi iuret ſuper ſacras reliquias, *Et hæc ſanctorum pignora.*

Punctatoribus ſingulis, vbi primùm delecti illi ſunt, præſcripta illa triplex tabella, duobus de capitulo præſentibus ante legatur, quam iuſiurandum præſtent.

Si quis autem punctator non iuratus, id munus inierit aut geſſerit, mulctetur pro modo culpæ, Epiſcopi arbitratu.

Vniuſcuiuſque punctatoris officium ac munus deinceps trimeſtre ſit: quod tempus ab Epiſcopo, & ab Capitulo ſuo cuique punctatori, prorogari liceat.

Punctatorum, quos Epiſcopus, Capitulumque, ex præſcripto primi Prouincialis Concilij, conſtituerit, cura & officium ſit, tum Capituli vniuerſi, tum vniuſcuiuſque dignitate præditi, canonicive abſentiam, & errata notare.

Vnuſquiſq; eorum, quod ad notandi rationem attinet, in ijs omnibus & ſingulis, quæ Conciliorum prouincialium, & primi præſertim decretis, eo de genere præſcripta ſunt, ſui muneris curæq; partes præſtet.

Accuratè in primis, recteque notet, non eos ſolùm ſingulos, qui ſtatis canonicis horis à choro abſuerint, verùm etiam vnumquemque, contra decretorum prouincialium & tabellarum præſcriptum in choro, in proceſſionibus, in funeralibus, diuiniſque alijs officijs errantem, peccantemve.

Abſentiæ nota, punctatiove, qua punctatores vtantur, vna eademq; ſit, & aliqua ratione ab ijs notis diſtincta, quæ erratis notandis vſui erunt.

Errata ſingula in prima tabella deſcripta, vna, eademque punctationis ratione notentur: niſi erratum aliquod eiuſmodi ſit, ob quod, præter diſtributionum mulctam, alia etiam pœna arbitratu Epiſcopi propoſita eſt. Tunc enim huiuſmodi erratum ſigillatim accurateq; per punctatores notetur, ac de eo hebdomadæ, aut menſis ad ſummum ſpatio Epiſcopus certior fiat, qui errati pœnam exequatur.

Quicunq; errata in ſecunda tabella adſcripta commiſerit, eius errata, prout ſunt, enucleatè, explicateq; notentur, vt pro culpæ ratione, à chori præfecto, ex facultate ſibi data, aut ab Epiſcopo mulctetur, puniaturve. Idem notandis tertiæ tabellæ erratis ad Capitulum pertinentibus, per eoſdem ſeruetur.

Si quod erratum triplici tabella notatum ab vllo quouis, aut etiam ab vniuerſo Capitulo, committi, punctator vilus animaduerterit, idemque ſciens libro ſuo notare prætermiſerit; pro prætermiſſæ, omiſſæve cuiuslibet notæ, aut punctationis ratione, de ſuo tantundem det, quod ad Eccleſiæ vſum conuertatur.

Quæ diſtributiones ab Epiſcopo, ſacriſtiæ, aut alij loco

pio adiudicentur; tum aliam etiam grauiorem pœnam, pro culpæ ratione eiuſdem Epiſcopi arbitratu, pendat.

Vnuſquiſque præterea punctator ſingulis diebus, cùm diuina officia peracta ſunt, quos pro abſentię, aut erratorum ratione in choro notarit, eos præfecto chori, præſentibus alijs de Capitulo, qui eo loco tunc adfuerint, in ſacriſtia, aliove loco, vbi ſuperpellicea, canonicaleſve cappas & induunt & exuunt, cùm primum eò clerus collegiatim à choro redierit, nominet, errataque ſingula exponat.

Si quis verò erit, qui aliquam abſentiæ ſuæ, alteriuſve facti cauſam afferat, quamobrem ſe contra præſcriptas regulas quicquam non egiſſe, admiſiſſeve, nec propterea abſentiæ, vlliuſve errati pœnam commiſiſſe putet: id tunc chori præfecto coram punctatoribus planè ſignificet. Nec verò ſi punctator contradicat, is cum illo non modo non contendat, neque verbum vllum commutet, ſed ne reſpondeat quidem; immò verò ſtatim inde ſecedat. Præfectus autem cæteris, præter punctatorem, ſemotis, de re tota deliberet; atque, ſi ita planè rem ſe habere manifeſtè compererit, vt nullam vel abſentiæ, vel errati culpam ille commiſerit, illius punctationem in choro nutatam, deleri iubeat. Si verò ita ſanè non conſtiterit; in librum punctationum omninò referri mandet.

Quod ſi quæ vel difficultas, vel ambiguitas erit, Vicarius Epiſcopi conſulatur, qui totam rem ſtatim ſine forma iudicij, liberè arbitratu ſuo ſtatuat, vt primo Concilio ſancitum eſt.

Sin autem hæc, notatos, errataque in ſacriſtia, aut alibi canonicis, Capitulove nominandi ſeu exponendi ratio aliquid vel incommodi, vel turbæ, vel diſſenſionis, vel rixæ, offenſioniſve afferat, aut punctatores ipſos ab officij ſui libertate deterreat; Epiſcopo integrum ſit, illam omittere, reſcindere, atque abrogare, vt magis expedire cenſuerit.

Punctator præterea, qui vel idem, vel alius ſit, ab Epiſcopo conſtituatur: cuius officium erit, ſingulos manſionarios, cappellanos, ſacriſtas, cuſtodeſve, alioſque Eccleſiæ miniſtros, chori officijs adſtrictos, qui ſtatis horis ab illis fuerint, quive contra tabellarum præſcripta, aliave, vt ſupra, errata commiſerint, diligenter obſeruare; eoſdemq; in choro quàmprimum notare.

Idem ſtatis diebus notet, pro abſentiæ, & erratorum, quæ in tabellis explicata ſunt, ratione, clericos Eccleſiaſticoſque homines, Tridentini aut prouincialis decreti auctoritate, cathedrali vel collegiatæ Eccleſiæ adſcriptos, vt ij, quamuis reſidentiæ diſtributionum, quibus mulctari poſſunt, participes nõ ſint; tamen à chori præfecto ſalutari aliqua pœnitẽtia afficiantur ac corrigantur; tum etiam pro culpæ, negligentiæ, errative grauitate, Epiſcopi iudicio plectantur.

Hic item punctator iuret; officium tribus menſibus gerat; abſentes & errantes obſeruet, notet; notatoſque in ſacriſtia nominet; & ſtatam in libro punctationũ ſeruet; & in ſuo munere cætera omnia, quæ alijs punctatoribus præſcripta ſunt, præſtet.

Singulis hebdomadis, vt eſt primo Concilio prouinciali decretum, punctationum ſuarum libros conferant inter ſe punctatores illi, quorum alter ab Epiſcopo, alter à Capitulo, ex eodem prouinciali primo Concilio delectus eſt: ex qua collatione, tum quicquid pro ſuę quemque perſonalis in choro reſidentiæ munere præſtitiſſe; tum rurſus, pro abſentiæ, erratorumve ratione, quoties officio ſuo defuiſſe, diligenti punctationum ſupputatione facta conſtiterit; id firmum ratumve, vſque adeò ſit, vt eo collato in ſingulas hebdomadas calculo, tribus primis vniuſcuiuſque menſis diebus, canonicalis miniſterij aut operæ, quam quis in choro præſens, menſe proximo ſuperiori rectè & ritè obierit, certa firmaque ſupputatio, à præfecto chori, & à punctatoribus conſtituatur: qui præterea eo nomine conſtitutæ illi ſupputationi ſubſcribant.

Eam verò cautionem punctatores adhibeant, vt, cùm in libris conferendis aliquid compertum eſſet, quod vllo quouis modo diſcreparet; antequam illa punctationum, diſtributionumve ſupputata ratio conſtituatur, quæ ſtata, firma, & ſubſcriptione munita ſit, Epiſcopum, aut eius Vicarium conſulant: qui ex Concilij prouincialis primi decreto, ſine vlla forma iudicij, omnem controuerſiam dirimat.

Ad certæ illius collatæ & conſtitutæ ſupputationis rationem, menſe Octobri, aliove, ſingulis annis, omne, quod ex communi Capituli cenſu habere quis debet, rectè pro vniuſcuiuſque Eccleſiæ more ſupputetur. Cui ſupputationi, calculove, præfectus Capituli, & alter chori, item punctatores, caneparius Capituli, &, ſi ita Capitulo videbitur, duo item alij à Capitulo delecti, præſentes adſint.

In eo omni calculo cautio omninò ſit, vt vnicuique verè detrahatur; quod detrahi par eſt, pro ratione dierum & horarum canonicarum, quibus à choro diuiniſque officijs abfuerit: niſi illum ijs cauſis abfuiſſe contigerit, ob quas Tridentina ſanctione, conſtitutionibuſque prouincialibus quis, licèt abſens, in præſentibus tamen cenſetur.

Tum detrahatur item pro ratione erratorum, ſi quæ ille commiſerit.

Huic ſupplicationi ita initæ, ac detractæ, præfectus Capituli, & item chori, & illi duo à Capitulo delecti, ac punctatores item ſubſcribant.

Tabulæ verò, ſyngraphæ, aut ſcripta huius ſic initæ, & ſubſcriptione obſignatæ ſupputationis, theſaurario, caneparione Capituli tradantur, vt, quod vnicuique debetur, ſtatis temporibus, pro illius cõſtituti calculi ratione perſoluat. Aut eidem conſentienti, quantum quiſque pro illius ſupputationis ratione habere, capereve debet; tantundem cedat è communi reſidentiæ cenſu.

Ne Capitulum, aut theſaurarius, caneparius ve Capituli, aliuſve quicunque qui diſtributiones partitur, cuiquam de Capitulo, alijve chori miniſtro, etiam qui præſens diuina officia obierit, ne eo quidem nomine, quòd diſtributiones iam ſuas reſidentię munere eum feciſſe conſtet, ante ſtata ſolutionis tẽpora perſoluat, vel eo nomine ceſſionem alicuius exactionis ante faciat.

Cùm verò ſolutionis ſtata dies venerit; ne cuiquam item ſoluat, cedatve, niſi tabellam illam, ſyngraphamve acceperit, cui à præfecto Capituli, & à præfecto item chori, & à punctatore etiam Epiſcopali, & ab altero item Capitulari, & ab alijs præterea duobus ſubſcriptum ſit, ſi quos ſupputationi Capitulum conſtituerit; ac prætetea, niſi mandatum ſolutionis, ceſſioniſve à præfecto Capituli acceperit, ab aliove, ad quem de more ſpectat.

Si verò plus ſoluerit, vel ceſſerit, quàm ſupputationis ratio tulerit, aut ante ſoluerit, ceſſeritve, quam certæ illius ſupputationis ſyngrapham ſubſcriptione, vt ſupra, obſignatam acceperit: vnius menſis diſtributionibus, & alijs arbitratu Epiſcopi mulctis, ſacriſtiæ aut ſodalitati, Corporis Domini in ea Eccleſia conſtitutæ, alijve pio loco attribuendis, plectatur. Quibus pœnis, mulctiſve præfectus etiam Capituli, & chori item, & punctatores, atque ad ſupputationem ita delecti illi duo Capitulares, qui eiuſmodi ſolutioni, ceſſionive vllo modo aſſenſerint, afficiantur.

Quam mulctam, pœnamque ijdem ſubeant, ſi alio quouis modo in eo aſſenſerint, vt cuiquam ſoluatur, cedaturve diſtributio aliqua illorum dierũ aut horarum canonicarum, officiorumve, quibus vel præſens ille in choro non adfuerit, vel erratum huiuſmodi in diuinis officijs contraxerit, vt prouincialibus decretis, aut præſcripto tabellæ, aut alio quocunque iure cenſeri in abſentibus debeat.

Qui verò vel ante ſolutionis, ceſſioniſve, & ſyngraphæ tempus, vel pluſquam ſibi debeatur, vllo quouis modo, pactove acceperit; is ab Epiſcopo & reſtituere cogatur, & triplo mulctetur, quod locis pijs, eiuſdem Epiſcopi arbitratu, attribuatur.

Si verò vlla cuiuſuis generis cauſa, cauſæve ſpecie, aut prętextu cuiquam diſtributiones, aut ab vniuerſo Capitulo, aut ab eorum ſingulis, contra prouincialia decreta & præſcripta dari, donari, remitti, aut quauis colluſione concedi contigerit: ne illas quiſquam capiat; ſi perceperit, retinueritve, ne ſuas faciat; ſed reſtituere cogatur. Capitulo autem, quod tacitè vel expreſſè ei rei conſenſerit, pœna ſit, vt diſtributiones aliquot Epiſcopi arbitrio, aut ſacriſtiæ, aut confratriæ, ſanctiſſimi Corporis Domini in Eccleſia conſtitutæ, aut alijs pijs locis attribuendas, ſoluat.

Hæc omnis ratio in ſupputatione & ſolutione diſtributionum Capitularium, ſupra præſcripta, pœnæque ibidem propoſitæ locum etiam habeant in quouis diſtributio-

num cenſu, qui ad manſionarios, ſacriſtas, cuſtodes, alioſve chori miniſtros, & inferiores canonicis quocunque nomine nuncupatos, pertineat.

Itidem, vt ſuprà, de eorum ipſorum punctatoribus, theſaurarijs, caneparijſve, ſi quos à Capitulari cenſu, theſaurario, canepariove, & punctatorib. diſtinctos habuerint, decretum ſit. At loco eorum duorum, qui de Capitulo ad ſupputationem adhibendi ſunt, alij itidem duo ex ipſis inferioribus chori miniſtris, diſtributionum cenſum à Capitulari, canonicalive ſeparatum habentibus, adhibeantur: ijq; ab ijſdem, ad quos cenſus pertinet, eligantur.

Ex punctationum libris, annis ſingulis expletis, iubeat Epiſcopus ab eo, cui ipſe id curæ dederit, diligenter rationem inſpici dierum, quibus vnuſquiſque, vel dignitate præditus, vel canonicus, vel ſacriſta, vel cuſtos, aliuſve Eccleſiæ miniſter, chori officijs adſtrictus, ad illa non conuenerit. Qua perſpecta & ſupputata etiam ratione, ſi quem diutius tribus menſibus à choro abſuiſſe compererit; quamuis in vrbe oppidove, in quo Eccleſia eſt, manſerit; illum tanquam abſentem, præter diſtributionis amiſſionem, fructibus etiam præbendæ, & alijs item pœnis, pro contumaciæ grauitate, ex Concilij Tridentini ſanctione contra eos, qui amplius trimeſtri ſpatio abſuerint, edita mulctet.

Quæ pertinent ad Capitula cathedralium, & collegiatarum Eccleſiarum.

QVorum Capitulorum Epiſcopi Concilijs Prouincialibus Mediolanenſibus intereſſe, & conſtitutiones decretaque illis Concilijs edita, ſeruare ſolent aut debent; ea Capitula, ſiue cathedralium ſiue collegiatarum Eccleſiarum in prouincia noſtra ſint, etiam ſi quæ ab Epiſcopi, Metropolitanique iure ſe quocunque modo exempta, ſediq; Apoſtolicæ immediatè ſubiecta eſſe prætēdunt; cum illa, ſicut eorundem Epiſcopi, vt à S. ſede Apoſtolica declaratum eſt; Conciliorum Prouincialium conſtutionibus & ſanctionibus & decretis aſtricta ſint, illas planè vniuerſas ac ſingulas amplectantur, ſuſcipiant, ſeruent, atque obediendo exequantur, tum vniuerſæ eadem Capitula, tum ſigillatim ſinguli quicunque de Capitulo ſunt. Idq; vt præſtetur, efficiat Epiſcopus omni ratione, omniq́ue iuris remedio.

Quod ſi quæ Capitula, aut ſi qui de Capitulo contrafecerint; ab eorum Epiſcopis pro modo culpæ contumaciæque plectantur. Si quis verò Epiſcopus id efficere neglexerit, vt ab ſuis Capitulis, atque ab ijs, qui de Capitulo ſunt, ſingulis, Prouincialium Conciliorum conſtitutiones, decretave in executionis vſum verè ac integrè inducantur; norit ſe in proximo Concilio Prouinciali negligentiæ huius rationem redditurum eſſe.

Cùm de rebus patrimonij capitularis, de locationibus, de contractibus, de officijs conferendis, ac de alijs item, præfecti iudicio grauioribus in Capitulo deliberandum eſt; earum rerum deliberatio ac tractatio; tum ſuffragijs occultis permittatur; tum illæ res, quo maturius conſultentur, in vno Capitulo propoſitæ, in alio deliberentur. Si verò res eiuſmodi eſt, quæ diutius differri non patiatur; triduo ſaltem ante capitulum indicatur, ſinguliſq́ue canonicis res & cauſa ſignificetur, de qua in eo Capitulo conſultatio ac deliberatio futura eſt. Quod ſi prætereà res ſit eiuſmodi, quæ inſtet atque vrgeat, neque longius vllo modo protrahi debeat, ita vt ne triduò quidem conſultatio expectanda ſit, tunc Capituli præfecto liberum & integrum ſit breuioris temporis ſpatio, Capitulum conuocare, modò, vt ſupra, vnicuique de Capitulo, qui non abſit, nuntiari rem iubeat, de qua deliberandum & cōſultandum ſit.

Vbi ex inſtituto Eccleſiæ cathedralis, vel collegiatæ eſt, qui Cancellarij capitularis officium munuſque gerat, is officio ſuo, cùm in cæteris verè ſatisfaciat, tum in eo etiam, vt eiuſmodi Capituli acta, & quas vocant, capitulares ordinationes, actioneſve in librum certum, notatis ſingulis diebus, ſine mora referat. Qui liber in archiuio capitulari diligēter aſſeruetur. Vbi verò non eſt, à Capitulo deligatur vnus de Capitulo, qui certa, ſi opus eſt, ex Capituli vniuerſi cenſu conſtituta mercede, id Cancellarij munus per biennium gerat; quo tempore confecto, alter in eius locum eligatur, & itidem deinceps.

Notarij autem officio atque opera Capitulum in ijs potiùs actionibus vtatur, quæ ad cauſas, lites, inſtrumentave publica conficienda, aut ad alia eiuſdem generis pertinent.

Qui notarius eiuſmodi inſtrumentorum exemplum, publica auctoritate roboratum, curante in primis canonico cancellario, in archiuium ante annum confectum referat.

Quo iureiurando canonici etiam ex ſtatutis & conſtitutionibus Eccleſiæ probatis inter ſe obſtricti, aliave ratione ſpondent, ſe nihil quicquam, quod in capitulari canonicalive conuentu agitur, patefacturos, aut diuulgaturos eſſe decernimus atque declaramus, eo non obſtrictum aut impeditum quenquam eſſe, quominùs ad Epiſcopum deferat, ſi quæ, vel Capituli, vel canonicorum, aliorumve, qui de capitulo ſunt, errata ſint; quæve emendationem, correctionemve deſiderent; atque adeò quæcumque eo de genere ſibi patefieri, denuntiarive ille iuſſerit; tum etiam ſi quæ alia ab eodem ſciri, cognoſcive expedierit; tum ea maximè, quæ ſuperioribus Concilijs ad Epiſcopum deferenda eſſe, decretum eſt.

Ne liceat canonicis, alijſve de Capitulo bona, redditus, & prouentus, aut exactiones, emolumentave, etiam incerta, ad Capitulum quouis modo ſpectantia, per ſe, vel per interpoſitam perſonam, ne ad modicum quidem tempus conducere: alioqui contractus omnes irriti ſint, ac nulli; & tam locatores quàm conductores canonici, Epiſcopi arbitratu puniantur.

Idem ſancimus de eorum propinquis, & conſanguineis ſecundo, vel arctiori gradu iunctis, niſi, quod ad hos attinet, cognita Eccleſiæ vtilitate Epiſcopus id ſcripto conceſſerit. Exactionem tamen decimarum Capituli, etiam ab ijs de Capitulo ſuum ad vſum conduci liceat, facultate ab Epiſcopo data, cùm grauis cauſa vrgebit.

Ac ædes etiam Capitulares habitandi cauſa.

Cùm præbendæ canonicales diſtinctæ non ſint, niſi obtinentium nomine, ijq́ue vbi optionum vſus eſt, modò has, modò illas optant; ſæpè fit vt earum bona, prædiaq; confundantur, ac iura propterea aliquando intereant. Quamobrem Epiſcopus curet, vt quod in nonnullis etiam huius prouinciæ cathedralibus Eccleſijs conſuetudinis eſt, non poſſidentis, ſed ſancti alicuius nomine, quod earum vnicuique de conſilio Capituli Eccleſiæ, de cuius præbendis agitur, ſemel impoſuerit, ſingulæ diſtinctè appellentur. Hac autem in re hoc caueatur, vt ne, qui eas obtinuerint, titulo ſancti, quo illæ nominātur, ipſi appellentur: quippe cum ea titulorum ratio, ex inſtituto, viuq́ue ampliſſimis S.R.E. Cardinalibus presbyteris ſolum conueniat.

De parochijs, & parochialibus iuribus, ac officijs.

ILlud Epiſcopus ſollicitudinis ſtudio exequatur, vt quibus Eccleſijs parochialibus, inopia laborātibus, nulla adhuc ratione ſatis ſuppeditatum eſt adiumenti; ijs aut beneficiorum Eccleſiaſticorum adiunctione, vnioneve, aut primitiarum, decimarumve attributione, aut parochialis viciniæ incolarum ſymbolis, collectiſve, aut alia, quæ ſibi videbitur, commodiori ratione omninò ſuccurratur, ad Concilij Tridentini præſcriptum.

Quod Concilio Prouinciali tertio de ædibus parocho, parochiale domicilium nullum habenti, conducendis, decretum eſt; idem etiam de ſocij adiutoriſve, ad munus parochiale ob quamuis cauſam ei adiuncti, dative habitatione decernimus & conſtituimus: Epiſcopus verò cum ijs, quibuſcum oportet, omni iure agat, vt ædes Eccleſiæ parochiali. quàm maximè poteſt, vicinas & parocho, & coadiutori etiā, quamprimùm illi tradant; aut, ſi ita opus eſſe cenſuerit, ædificent: intereaq; domicilij conducti penſionem, ſumptumve vni & alteri item ſuppeditent.

Parochum autem, qui quacumque de cauſa parochialis curationis ſociū, vel adiutorem habet, tum ipſum, tum illum

item

item in habitatione parochiali manere ac reſidere cogat, & fructuum mulcta, & alijs præterea pœnis, arbitratu ſuo irrogandis.

Si verò præ domicilij parochialis anguſtia vnus, & alter item, illius habitatione vti, Epiſcopi iudicio nullo modò poteſt; tum eorum alterum, quem ipſe Epiſcopus, propoſita ſibi maiori illarum animarum vtilitate, delegerit, in domo parochiali; alterum in domicilio proximè conducto aut tradito habitare, reſidereve Epiſcopus iubeat, cuius ſit efficere, vt id omne, & de domo eorum alteri tradenda, ædificandave, & de ea interim conducenda, planè à quibus debet, præſtetur.

Qua in Eccleſia duo pluresve parochi in animarum cura gerenda conſtituti ſunt, tum ex parochialibus vel portionibus, vel functionibus, quas præſtare debent, ſæpè inter eos rixæ, contentiones ac diſſidia, & ſpiritualia populis damna exiſtant, indeque populis offenſionum exempla, ſcandalaq; afferantur; Epiſcopus, vt huic rei à parochiali cura alienæ, & parochorum diſciplina indignæ occurrat, certos parochialis viciniæ limites pro illorum numero, ædibus aut vijs perpetuò diſtinguat; quos ita diſtinctos in curam eorum vnicuiq; pro limitum diſtinctione tradat, ita vt intra ſuos quiſq; fines parochialem curam gerat.

Si quæ verò parochialia officia in illa Eccleſia obiri oportet; quorum officiorum functiones rectè diuidi non poſſe aut non expedire cenſuerit, illa ab ijs ſingulis æquè communiterve præſtari decernat. Diſtributa autem parochialis curæ officia, ſi eorum vnus aut impeditus eſt, aut adiutore adiumentove ob fidelium, qui ſuæ curæ ſunt, multitudinem, aliamve ob cauſam opus habeat, ab altero, alijſve, ſine vlla mora, exceptione, excuſationeve, prout Epiſcopus vel ſtatuerit, vel iuſſerit, obeantur item ac præſtentur.

Vbi verò ea perpetuæ parochialis curæ partitione minus ſalutariter proſpectum, conſultumque fore idem cenſuerit; eorum vnum, morum grauitate curæque gerendæ peritia, atque vſu præſtantem, alteri alijſve præficiat: emolumenta item extraordinaria, aliaque id generis, vnde diſcordiarum ſemen in illis exiſtit, in vnum, vt nonnullis locis moris eſt, collata, certo ſtato tempore inter eos diuidi iubeat; aut aliqua denique ratione, quam potiorem duxerit, obuiam eat iſtorum, & diſcordiæ, & negligentiæ, qua fit, vt alter in alterum ſæpè parochialis muneris curam reijciat. Nec verò vllo vnquam modo patiatur, permittatve illos certa quadam hebdomadarum partitione, aliave ratione inter ſe inita, munus Miſſæ ſacrificij in parochiali Eccleſia faciendi, aut reliquas parochialis officij functiones; quæ ab vtroque, etiam diebus eiſdem vtiliter præſtari poſſunt, ita inter ſe diuidere, vt ab vno tantum eorum, alternatim ſcilicet, vel per hebdomadas, vel alia temporis viciſſitudine præſtentur. Non enim ferendum eſt, vt cui Eccleſiæ parochiali complurium ſacerdotum, miniſtrorumve ſtipendia, alimentave olim attributa ſunt, quo diligentius & cautius illorum copia tum diuinorum officiorum cultui, tum alijs miniſterijs ad ſpiritualem populi curam neceſſarijs, oportuniſve conſultum eſſet; illi aut auaritiæ ſtudio aut diſſidio, negligentiave ducti, vel onus ſibi impoſitum minoris quàm par eſt, æſtimantes perinde ei Eccleſiæ deſeruiant, ac ſi non plures, vel vnus tantum parochus, animarumve curator conſtitutus in illa eſſet.

Oblationum inſtitutum iam pridem ab Apoſtolicis vſque temporibus, Apoſtolico etiam canone ſancitum, ſanctiſſimorumque Pontificum, Melchiadis, Fabiani, & Gregorij conſtitutionibus, & Conciliorum præterea decretis communitum, quo grauius his temporibus à fidei doctrinæque Catholicæ hoſtibus exagitatur, & langueſcente pietatis ſtudio, quo magis à fidelibus negligitur, hoc diligentius ſeruari, atque ad executionis vſum, vbi intermiſſum eſt, reuocari conuenit, cùm præſertim & ad diuinum cultum illud pertineat, & populis ſalutare ſit, ad expiandaque peccata vtile.

Quare Epiſcopi in ſua quique diœceſi, & ſuis, & concionatorum ſermonibus, & omni alio perſuadendi cohortandique officio, omnique iuris ratione illud, vbi eſt, retineri; ac vbi negligitur, reſtitui ſtudioſè ad ſacrorum canonum præſcriptum ita curent, vt in ſolemnitatibus ſcilicet Domini, diebuſque Dominicis ac feſtis item, quos coli, aut præcepti, aut conſuetudinis eſt, omnis Chriſtianus aliquid, prout ſua quiſque pietate deuotioneque maluerit, Deo offerre procuret, idque in Eccleſia vel cathedrali, cùm ad Miſſæ ſacrificium, quod ſolemniter celebratur, vel in parochiali cùm à parocho conuenerit.

Quo in officio ſeruetur, vt, quod Eccleſiaſticæ conſuetudinis eſt, primò mares, deinde fœminæ offerant.

Sacerdoti Miſſam celebranti, oblationis accipiendæ cauſa ab altari paululum ſe remouere licet: at inde longè diſcedere, ac per Eccleſiam vagari, eamque quaſi circuire nullo modo liceat.

Quo gratius autem Deo ſit, quod offerunt; ad id præſtandum accedant fideles intima animi pietate, ſpirituali hilaritate ſancta, charitate, omnique Chriſtianæ deuotionis teſtificatione.

Offerentium autem, prout ſanctæ inſtitutionis eſt, commemoratio in Miſſæ ſacrificio fiat.

Ab ijs verò oblationes ne accipiantur, vt antiquo etiam canone vetitum eſt, qui ſcilicet inter ſe iniquo animo diſſidentes, inimicitias exercent: qui vſurarij, meretrices, ſacrilegi, raptores, quive alio nomine publicè notorieque criminoſi ſunt.

Quicquid porrò oblatum erit, præter illorum dierum oblationes, oblationumve partes, quæ ad Epiſcopos ipſos iure ſpectant, quæve ad ſacerdotes, vel ad Eccleſias, vel ad Eccleſiarum fabricas, vel ad ſcholas, vel ad eiuſmodi pia collegia, Epiſcopali, aut alia legitima auctoritate, conceſſuve propriè ac expreſsè iam pertinent, aut in poſterum quouis modo aut iure ſpectabunt; id omne, ſi in Eccleſia cathedrali oblatio fit, in illius Eccleſiæ alteriuſve pij loci aut operis vſum, vt Epiſcopus iuſſerit, conuertatur; ſi verò in parochiali aliave Eccleſia offertur, quicquid datum oblatumve erit, parochi ſit, in cuius parochiali, aut in alia Eccleſia, intra parochiæ fines, oblatio fiet.

Capellanis verò, alijſque ſacerdotibus, & alijs item, præter cathedralem, Eccleſijs, earumque fabricis, ac ſcholis, pijſque eiuſmodi collegijs, atque alijs quibuſuis ius parochiale non habentibus, oblationes deincèps inter Miſſæ ſacrum accipere, aut exigere omninò interdictum ſit: niſi quibus hæc facultas ab Epiſcopo, aut aliàs legitimè data erit.

Si cum parocho de oblationibus diuidendis quiſquam pactiones fecerit, vt ſibi, alijve ſacerdoti liceat oblationes recipere, contra quam præſcriptum eſt; hæc pactio irrita ſit, ac planè nullla; neque propterea aliter quàm ſuprà præſcriptum eſt, oblationes alij exigere, accipereve liceat; tum præterea parochus ipſe, & alius Eccleſiæ rector & ſacerdos item, aliuſve, qui pactum inierit, quive pactioni conſenſerit, grauiter puniantur.

Quæcunque deincèps oblationes, ſiue pecunia, ſiue cereis, ſiue alio eleemoſynæ genere in Miſſę ſacrificio à populo fient, eæ & fiant, & à ſacerdote accipiantur, dum canitur antiphona, quæ offertorium appellatur.

Quod ſi Miſſa non conuentualis eſt, ſemper tamen, tum etiam fiat, accipiaturque proximè, antequàm hoſtiæ & calicis oblatio fiat.

Si quid verò aliquando non intra Miſſarum ſolemnia, ſed alio tempore offerri contigerit; curet Epiſcopus reſtitui ſanctum vſum, & oblationi illi, & offerentibus benedicendi ſtatuta prece, atque oratione in libro ſacerdotali, aut rituali præſcripta.

Qui verò oblaturi ſunt, Miſſæ ſacrificio, in quo oblatio fiet, ab initio piè deuoteq; interſint: nec verò inde abeant, niſi vbi peracto ſacrificio benedictioné ſacerdotalem demum acceperint, quæ in fine Miſſæ de more fit.

Videat Epiſcopus, vt eleemoſynarum, & alius cuiuſuis generis pijs oblationibus, quæcunque à populis fiunt, certam rationem præſcribat: qua & mane potius, quàm à prandio fiant; & illæ non popularibus ſpectaculis, non comeſſationibus, aut tumultibus, non clamoribus, aut prophanis actionibus, quæve vllam offenſionis ſpeciem præbeant, ſed precibus, litanijs, hymnis, atque ijs pietatis officijs præſtentur, quæ decent eiuſmodi religioſas actiones, officiave, & quæ reſpondent veteri ſanctitati, ac diſciplinæ huius inſtituti.

Ne imagines certæ, voti cauſa, Eccleſijs, pijſque locis obcis oblatæ, venditari vllo modo poſſint, ac ne confractæ quidem etiam vetuſtate temporis, niſi conceſſu epiſcopi in vſum Eccleſiæ conuertendæ.

Nec verò vllas eiuſmodi, vel alterius generis oblationes vel eleemoſynas, antequam illæ perceptæ ſint, vendi, locari, aut contractus vllos, pactioneſve etiam ſecretas eius generis iniri cuiquam, etiam parocho, vllo pacto modove liceat, pœna graui propoſita, Epiſcopi arbitrio irroganda.

Parochialis curæ munera atque officia, non per alios, ſed ipſimet parochi, animarumve curatores obeant ac præſtent: niſi ſint, qui aliquando iuſta cauſa ab Epiſcopo approbata, impediantur, aut etiam prohibeantur.

Si quis non paruerit; tum fructib. beneficij mulctetur pro rata temporis & officij ſui prætermiſſi, tum alijs etiam pœnis plectatur, arbitratu Epiſcopi.

Sacerdotes cappellani, alijve, quocunque nomine nuncupati, etiam canonici Eccleſiæ cathedralis collegiatęve, qui vel inſtitutione vel conſuetudine, vel alio iure, parochũ, aliumve animarum curatorem in eo curationis munere adiuuare debent; ab Epiſcopo in illius Eccleſiæ, vbi eiuſmodi cura geritur, ſtatione manere, reſidereque ac ſua munera per ſe obire cogantur.

Quod ſi per aliquam cauſam, parochis, aut ijs cappellanis aliquando in debito in Eccleſiæ munere præſtando, aliorum opera vti liceat; hoc eodem reſidentiæ perſonalis iure æquè illi aſtringantur, qui in eorum locum ſubſtituti, ei parochiali, alijve eiuſmodi Eccleſiæ vicariam operam, miniſteriumve præſtare debent. Nec verò eorum quemquam facilius, quàm ipſos parochos, rectoreſve ab Eccleſiæ cura ſtationeq; parochiali abeſſe, neq; rurſus vlli ſuo muneri deeſſe Epiſcopus patiatur, cùm hi quoque eadem reſidentiæ & muneris ſui præſtandi lege aſtricti teneantur.

Vſu compertum eſt, non ſine magno detrimento ſalutaris animarum gubernationis, parochos, dum alia munera quęſtus cupiditate, aliave cauſa ducti ſuſcipiunt, exercentve, multiplicem illam & aſſiduam, quam animabus ſibi commiſſis debent, ſollicitudinem, parochialesque curas, & officia ſæpè intermittere, interdumque etiam planè deſerere, aut certè ita aliquando diſtrahi & auocari, impedirive, vt illa nempe ſuo tempore, neque, qua debent, ratione & curæ præſtent; ac feſtis præſertim alijſque diebus, quas maximè horas & in confeſſionibus audiendis, & in ſacræ Euchariſtiæ ſacramento miniſtrando, & in eorum ſacramentorum frequenti vſu non inſtituendo, non conſeruando ſolùm, ſed etiam augendo, & in paſcendis verbo Dei fidelibus, & in frequenti ſacrificij Miſſæ oblatione, & in veſperarum officio canendo, & in Chriſtianorum Rudimentorum doctrina tradenda, & in componendis controuerſijs, conciliandiſque ſuorum populorum inter ſe animis, & in alijs denique parochialis curæ officijs, ijs opportuno tempore præſtandis ponere deberent; eas horas ob quæſtus ſtudium, aliamve cauſam traducere, vel ad diuina officia, canonicaſve horarias preces in alia Eccleſia, in qua præſertim iam canonici ſunt, obeundas, vel ad muſici partes, officiumque gerendum, vel ad literarum ludum exercendum, ac ad diſciplinas etiam prophanas pueris, adoleſcentibuſve tradendas. Quamobrem hæc decernimus.

Qui dignitatem, vel canonicatum habet, & parochus etiam eſt, aut alia quacunque ratione animarum curationi aſtrictus eſt, ſi in ædibus parochialibus non habitarit, ibi cibum, ſomnumque capiendo, vt de parochis, ſuperioribus Concilijs prouincialibus, & in hoc etiam decretum eſt, aut ſi officijs ſupra deſcriptis, alijſve, quæ tanquam animarum curator, parochuſque in Eccleſia ſua parochiali præſtare debet, obeundis aliquo modo defuerit, aut ea non ſtatis, & ab Epiſcopo præſcriptis horis, aut non illa, qua cæteri parochi debent, ratione omnino prẹſtiterit: Epiſcopi arbitratu, & pœnis parocho iam conſtitutis, & grauioribus mulctetur, puniaturve, ex præſcripto etiam ſanctionis, à Pio V. Pont. Max. eo de genere, VIII. idus Iulij M. D. LXVIII. editæ.

Ne item parochus, vel alius quiuis ſacerdos, qui animarũ curam quouis nomine gerit, cantoris, aut muſici munus, parteſve in Eccleſia cathedrali, nec verò in alia ſuſcipiat, exerceatve, niſi aliud ob cauſam Epiſcopus iudicauerit.

Neque præterea literarium ludum domi ſuæ, aliove loco aperiat exerceatve, niſi ob parochi inopiam aliquando aliud Epiſcopus ſcripto conceſſerit: qui tamen hoc munus extra parochiæ ſuæ fines exercendi, vllo modo facultatem det.

Neq; pueros, ſibi in diſciplinam traditos, certa pacta mercede, domi ſuæ vllo modo ſuſcipiat, atque alat.

At clericos, qui ſibi adiumento ſint, litteris, diſciplinaque eccleſiaſtica erudire curet, item pauperes aliquos parochialis curæ ſuæ pueros, qui ad idem aſpirent, quive aliam nullam facultatem prima ipſa litterarum rudimenta percipiendi habent, ſi eius rei poteſtatem ſcripto exaratam, ab Epiſcopo habuerit.

Cum omni pietatis ratione coniunctum eſt, diuinarũ precum horaria officia, ſicut in cæteris, ita in parochialibus Eccleſijs ſolemniter, anniuerſarijs potiſſimum ſolemnitatibus concelebrandis, per parochos præſtari, cum & id antiqui inſtituti fuerit, & populum feſtis illis, præſertim celebritatibus eò conuenire ſancitum ſit: & vt idem in vſum reuocetur, per Epiſcopos diligenter fideles moneri ſacra Tridentina ſanctione ſemel, atque iterum cautum ſit. Quare die Natali Domini, feſto item Circumciſionis, qui eſt octaua, in Epiphania, Paſcha Reſurrectionis, Pentecoſte, & Aſcenſione, in Annunciatione, & Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis, die natali Sancti Ioannis Baptiſtæ, Beatorum Apoſtolorum, Petri & Pauli, & in ſolemnitate omnium Sanctorum, ac feſto die Sancti, Sanctæve, cuius nomine Eccleſia parochialis nuncupatur à parocho, & Miſſæ ſacrificium, & matutinum, reliquaque precum diuina officia in Eccleſijs collegiatis fit, ſolemni ritu fiant, cananturve, in ijs ſcilicet Eccleſijs parochialibus, vbi id decenter præſtari poſſe Epiſcopus cenſuerit.

Ijs verò ipſis diebus, mox ſupra præſcriptis, ſinguli ſacerdotes, & reliqui inferioris ordinis clerici, in parochialem Eccleſiam, intra cujus fines habitant, ſi eo tempore diuinis officijs in alia Eccleſia intereſſe non debent, ad Matutinum, & ad reliqua horaria diuinarum precum officia, Miſſarumque ſolemnia celebranda conueniant.

Parochi in vrbe & in oppidis ſaltem inſignioribus conſtituti, vt à reliquis ſacerdotibus animarum curam non gerentibus, internoſcantur, caputium, quod eſt proprium eorum inſigne, in humeris ferant, cùm domo exeunt, ſupra exteriorem veſtem, cùm proceſſiones aliaſque eiuſmodi publicas actiones obeunt, ſupra ſuperpelliceum; liceat tamen Epiſcopo ab hoc decreto eximere, qui in Eccleſijs cathedralibus dignitatem, canonicatumve item legitimè obtinent, quandiu illam, illumve retinebunt, non autem, ſi qui deinceps vlla quauis cauſa, modove obtinuerint.

Pro locorum & temporum ratione id ab Epiſcopo ſuis diœceſanis parochis permitti, concedive liceat, vt Decẽbri, & Ianuario menſibus, ob dierum breuitatem, itineris difficultati coniunctam, ſacerdotales illos conuentus ipſi non habeant, quos primo prouinciali Concilio in ſingulos menſes haberi decreuimus, ita tamen vt alijs deincèps menſibus, quib. commodius haberi poterunt, reſarciatur & præſtetur, quicquid intermiſſum eſt, frequentioribus conuentibus, & omni alia diligenti ratione.

Ijs autem conuentibus, vel in vrbe, vel in diœceſi habendis, certas regulas, quæ partim in ſuperioribus Concilijs prouincialibus eo de genere decretæ ſunt, partim ordine, ac rectè adiungendæ videbuntur, ad communem prouinciæ vſum per nos præſcribendas atque edendas, tum parochi, tum alij, ad quos executio ſpectat, ſeruent, atque exequantur diligenter.

CONSTITVTIONVM Pars Tertia.

DE EPISCOPIS.

VT, quo ſponte nos contendere ſtudemus, eò etiam ſanctis legibus & cohortationibus, quaſi ſtimulis incitati, adiutrice in primis Dei gratia ſtudioſius properemus, non ſolùm in illis vitę Epiſcopalis legibus, quas nobis in Concilio prouinciali primo conſtituimus, inſiſtere, ſed longius in dies nos progredi oportet; cùm ij ſcilicet nos ſimus, quib. propoſita Chriſti Domini vita, nullus definitus ſit progrediendi terminus. In hoc igitur Cõcilio prouinciali quarto hæc etiam illis addenda cenſuimus.

Primò Epiſcopi ſibi, & gregi attendentes, in omnibus, vt eſt Apoſtoli præceptum, laborent, ac miniſterium ſuum impleant; cunctaq; ad Dei voluntatem adminiſtrare vigilanter ſtudeant, conſtanti virtutum Epiſcopalium officio.

Sicut autem præſtantibus virtutibus Chriſtiani populi, quorum curam gerunt, ab ipſis inſtituendi ſunt; ita optimam illam, quæ in Epiſcopali animo caſtiſſimo, ad diuinaſq; ſuſcipiendas illuminationes idoneo, ineſſe debet, vitæ inſtitutionem Euangelicis literis explicatam, non verbis ſolùm declarent, ſed ſanctiſſimis factis, è charitatis fonte manãtibus, comprobent; exemplíſque virtutum ſuarum in omnem ſanctæ, veræque Chriſtianæ vitæ vſum illos conformare diligenter curent.

In oratione ſanctiſque meditationibus cum eos frequentes eſſe oporteat; certam ſibi horam quotidie ſumant, quam in contemplationum diuinarum ſtudio exercitationeque attentiſſimis religioſæ mentis cogitationibus ponant. Qua oratione non ſibi ipſis tantum diuini luminis illuſtrationem depoſcant; ſed etiam pro fidelibus ſuæ curæ cõmiſſis, humiles preces fundant, eorum peccata deplorando; pioque gemitu, & religioſa ſupplicatione Deum orando, vt diſiectis peccatorum nubibus, pluuiam & rorem ſuæ diuinæ gratiæ ac miſericordiæ effundat in hæreditatem & agrum Eccleſiæ ſuæ.

Domi item ſuæ, orationis veſpertinæ inſtitutum, introductum retinere ſtudeant, ad quam ipſi, ſi modo aliquando impediti non ſint, conueniant, tum planè familia omnis.

Miſſæ ſacrificium frequentius celebrare ſtudeant. Dominicis verò feſtiſque diebus, ne id præſtare omittant, ex Concilij prouincialis primi decreto. Hoc verò ipſum facere curent crebrius in Eccleſia, quàm in priuatis oratorijs.

Tum præterea Miſſæ ſacrificium facere ſtudeant, quibus diebus Eccleſias, altaria, aut campanas conſecrabunt, aut cœmeteria, eave reconciliabunt, & alia eiuſdem generis Epiſcopalia munera obibunt; illis præterea diebus, quibus Eccleſiaſtica beneficia conferent; & generalia clericorum, qui initiandi ſunt, & confeſſariorum examina habebunt, cæteraſque denique grauiores conſultationes, & deliberationes inibunt.

Cùm autem ob cauſam ſacrificium non faciunt, religioſè interſint.

Nec verò, cùm adfuturi ſunt, ſacerdotem capellanum, ſacri faciendi cauſa indutum, ad altare in mora eſſe velint, aut expectare patiantur, dum ipſi alijs rebus incumbunt.

Prius autem ſacrum facere, aut impediti ei intereſſe ſtudeant, quàm alias occupationes, actioneſve externas ſuſcipiant gerantve.

Diuinas laudes, preceſque horarias piè, decorè, ſtudioſè, deuotéque quantum eis Deus dederit, ac ſupplici mente recitent; ne verò quicquam aliud agendo, debitum hoc munus obeant, id pro religionis ſtudio valdè caueant.

Dominicis verò feſtiſque diebus ne Eccleſiæ deſint, niſi infirmitate impediti, ad Concilij Aurelianenſis præſcriptum, atque alijs item diebus, quo frequentius per alias quotidiana paſtoralis ſolicitudinis occupationes licebit.

Quod ſi in Eccleſia non poſſunt, impediti; domi tamen diuinum officium non continenter, ſed aptis, conuenientibuſque horis recitare ſtudeant. Si verò ne illis quidem horis licebit aliquando per negotia; videant, vt præueniendo potius, quàm tardando diuinis laudibus ſatisfaciant.

Confeſſarium ſecularem aut regularem deligant, adhibeantve, qui vir ſit ſacra ſcientia, prudẽtia, ſpectatis moribus, & vitæ ſanctitate inſignis: cuius etiam ſtudio & conſilio, & precationis ſpiritu, in rerum grauiorum deliberationibus aliquando vti poſſint.

Ne omittant etiam ſacræ Theologiæ, ſacrorumque canonum, aliarumque Eccleſiaſticarum doctrinarum officio, munerique Epiſcopali propriè congruentium, ſtudijs quotidie ſtatis horis operam dare; quotidieque aliquid ex ſacris Biblijs, potiſſimum Epiſcopali fidei, religionique commiſſis ſtudioſè legere; gentilium autem libris, vt Carthaginenſis Concilij canone vetitum eſt, ne operam dent.

Officij præterea ſui eſſe putent, eós excipere atque audire qui ipſos, vel tamquam iudices, vel tamquã parentes, vel conſultores, adiutoreſve adeunt.

Itaque his peractis, quę ad diuinum cultum, religionis officia, & ad animi, ſpiritúſque pia ſtudia ſpectant, omnibus adeuntibus ſe faciles, benignoſque præbeant, ita tamen, vt ne à grauitate recedant.

In auditorio omnibus ſatisfacere ſtudeant: ac ne infimos homines audire negligant, ſed hos vel in primis, cùm adſunt, ad ſe accerſant.

Expediant ſtatim, quæ rectè poſſunt: omnibus vel re, vel conſilio, vel conſolando prodeſſe ſtudeant.

Quæ ipſi poſſunt ac debent ad ſpiritualem curationem & gubernationem, diuinumque cultum ſpectantia, hæc per ſe in primis præſtare ſtudeant: cætera, quæ inferiora ſunt, potius per Vicarios, miniſtroſve alios exequantur.

Auditorij negotijs poſtquàm ſatis temporis dederint, tunc à prandio diem etiam diſtribuant, vt reliquis conficiendis opera ponatur.

Quicquid autem temporis animi relaxationi aliquando ob valetudinem dabitur; id omne vel in ſpiritualium librorũ lectione ſtudiove, vel in conſuetudine & colloquio piorum & eruditorum hominum, ſpiritualiſque vitæ amantium ponere ſtudeant.

A nimia laicorum familiaritate meminerint abſtinere.

Laicalia conuiuia fugiant.

Lectio in menſa potiſſimum ſit ex ſacra ſcriptura, & paſtoralibus libris, ex vitis ſanctorum Epiſcoporũ, qui Epiſcopale munus egregiè geſſerunt.

Die autem conſecrationis ſuæ, vt aliàs vtiliter in Concilio Oxonienſi ſancitum eſt, formulam illã promiſſionis ſuæ, in ipſa conſecratione de pontificali libro prolatam, annis ſingulis in menſa legi curent; tum certis etiam alijs ſolemnibus diebus, vt diligentius præſtent, quo crebrius illa lectione quaſi moniti, videant Epiſcopalis muneris partes.

Tridentini item Concilij decretum in ſeſſione xxv. editum c. 1. & Concilij prouincialis primi ſanctionem de vita Epiſcoporum, & hanc præterea ſæpè ſibi recitari curent, tum maximè aliquando, quibus diebus, vnà cum familia omni cibum capiunt.

Veſtitu vtantur, ad Concilij prouincialis primi præſcriptum, talari ſcilicet tunica, collo adſtricta, rocheto, & humerali indumento, quam mozetam dicunt, ita vt ne domi quidem in vllius conſpectu ſe exponant, niſi eo Epiſcopali veſtitu induti.

Rochetum etiam, & mozetam induant, cùm per diœceſim iter faciũt: interiorem verò tunicam breuiorem, ac mantellum viatorium adhibeant, licet.

Annulo autem Epiſcopali ſemper vtantur, & vbique tum domi, tum foris, tum in ſua, tum in aliena diœceſi, vt perpetuò ſe Eccleſiæ ſuæ ſponſos meminerint.

Sexta quaque feria, tum pręterea in vigilijs, in aduentu, in quadrageſima, veſtitum induant nigro colore, ijs diebus exceptis, quibus ex ritu Eccleſiæ nullum mœſtitiæ ſignum veſtibus oſtendere debent; alijs autem, violacei coloris veſtimẽta adhibeant.

Cappam Epiſcopalem, cùm in Eccleſiam, vel ad diuina officia, vel ad conciones, vel ad ſacras lectiones, vel ad alias eiuſdem generis actiones accedunt, omninò induant.

Familia

Familia Epiſcoporum, Eccleſiæ ſumptibus ſuſtentata, in domibuſque miniſtrorum Dei educata, cęteris propoſita eſſe debet ad imitationem chriſtianarum virtutum, quamobrem eiuſmodi ſit, quæ præluceat vitæ & morum exemplis.

In ea ne ſint rixoſi, impudici, blaſphemi, factioſi, ſcurræ.

Ne Epiſcopi conſanguinei, niſi eadem viuendi diſciplina qua cæteri vtantur.

Neque item, qui parochialem curam gerunt.

Neque rurſus, qui alio reſidentiæ munere adſtricti, illis exceptis, qui licet Epiſcopo operam nauent, poſſunt tamen debitas miniſterij ſui functiones in Eccleſia præſtare. Veruntamen ne & facultati detractum ideò ſit, qua canonicos duos habere ſecum Epiſcopo per ſacros canones licet.

Cabicularij præ cæteris ætate ſint, moribuſque graues, & boni teſtimonij. Adſintq; omninò ex primi Concilij decreto, Clerici, qui ſanctæ Epiſcopalis vitæ, religioſarumq; actionum ſint, non ſolùm teſtes, ſed imitatores etiam, atque adeò eiuſmodi denique, qui, vt ad ſanctiſſimum Pontificem Eugenium Tertium S. Bernardus ſcitè ſcribit his verbis, præcipitem etiam frenarent, dormitantem excitarent: quorumque libertas excedentem corrigeret, extollentem reprimeret: conſtantia & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem; quorumque ſanctitas ad omnia bona incitaret.

Qui clerici ſunt, vel ſacris initiati, vel ſacerdotes; eorum opera, ne Epiſcopi vtantur ad officij alicuius, quod ſacerdotali, clericali ve ordini, minus conueniat, actiones.

Ne quiſpiam de familia vllo vnquam die prætermittat rei diuinæ intereſſe, niſi neceſſariò impeditus ſit.

Ijs, qui de familia ſunt, præſertim Clericis, certus ieiunij dies in ſingulas hebdomadas inſtituatur.

In aduentu item curetur, vt familia ieiunet ſaltem feria quarta & ſexta.

Ieiunet familia pridie diei conſecrationis Epiſcopi, in vigilijs item ſancti cathedralis Eccleſiæ ac patroni, ciuitatis, ſi quando, non huius nomine nuncupatur cathedralis.

Vnuſquiſque de familia, ſingulis menſibus confeſſus, ſacram Euchariſtiam ſumat vnà cum reliquis, qui in familia ſunt.

In aduentu, vt Sylueriј Pontificis decretum eſt, & præterea in quadrageſima ſingulis dieb. Dominicis, ſacram communionem ſalutariter accipere ſtudeant, clerici præſertim, & vitæ ſpiritualis ſtudioſiores.

Duobus ante diebus, quàm ſacra communio fiat, paterna cohortatione ab Epiſcopo ea de re familia præmoneatur.

Singulis hebdomadis, bis minimum, qui de familia ſunt, rudiores, & Chriſtianæ fidei doctrina, & litteris ab aliquo inſtituantur, cui id curæ Epiſcopus dederit.

Quo loco domeſtici & exteri domi ante cubiculum Epiſcopi conueniant; eo loco liber, aut de vitis ſanctorum, aut de ſpiritualis vitæ exercitationibus conſcriptus, in menſa ſit; vt qui conueniunt, lectioni incumbere poſſint: nec verò inanibus confabulationibus ſe dedant.

Dum familia cibum capit, lectio etiam adhibeatur.

Ne familia otioſa ſit, ne inertiæ aut deſidiæ dedita; ſed aut in obſequio Epiſcopi, aut in honeſtis exercitationibus occupata.

A nugis abſtineat, ſilentium cum modeſtia coniunctim ſeruare ſtudeat.

Abſtineat autem vnuſquiſque, qui in famulatu Epiſcopi eſt, cùm à flagitioſorum hominũ conſuetudine, tum à locis, vbi turpiter viuatur.

Ne quis præterea foris pernoctet.

Ne rerum nouarum curioſitates ſectetur.

Ne, quæ iocularia ſunt, quæ ridicula, vnde cachinni, riſuſque ſolutiores excitantur, loquantur.

Conuiuia publica, comeſſationes laicales, frequentemque laicorum hominum conſuetudinem vitet. Libros ne habeat de rebus iocoſis, ſcurrilibus, ridiculis, obſcœnis, impuriſque conſcriptos.

Super cuſtodia familiæ Epiſcopus perpetuò ſtet, tum etiam bis quotannis viſitet, ſemel ineũte quadrageſima, iterum initio aduentus, eiuſque mores paternè inueſtiget ac videat, vt vnuſquiſque religioſæ, vitæque ſpiritualis inſtitutis congruenter viuat. Si quos ad Chriſtianas virtutes progredi compererit, eorum ſtudia, progreſſioneſve ſpiritualis vitæ adiumentis excitet: qui verò à benè agendi ſtudio auerſi ſunt, illos moneat atque obiurget; ac, ſi contumaces, incorrigibileſque inuenerit, domo eijciat.

Rurſus Epiſcopus familiæ ſuæ confeſſarios ſacerdotes, viros ſpiritualis vitæ vſu exercitatos, conſtituat: quibus etiam tamquam clericalis diſciplinæ, & ſanctæ inſtitutionis magiſtris illa vtatur. Epiſcopo, Miſſam celebranti vel audienti frequens familia adſit.

Cùm in Eccleſia diuina officia ipſe accedit, familiam quoque ſecum adeſſe iubeat.

Nihil denique omittat, vt omnes domeſtici in omni benè ſancteque agendi officio ſe contineant.

Familiarum præterea, cùm ægrotant, magnam habeat curam.

Prouideat, vt illorum ſalutis animarum ratio in primis habeatur, tum valetudinis recuperationi per medicum conſulatur, neque verò impenſis parcatur, ita vt ægrotantibus omnia ad conualeſcendum neceſſaria ſuppeditentur.

Illos etiam aliquando inuiſat, tum ſalutaribus conſilijs, & benignitatis officijs conſoletur, quod Epiſcopalis charitatis officium, etiam infimis familiæ ſuæ præſtet.

Vniuſcuiuſque autem de ſua familia rationem in mercede conſtituenda habeat, pro virtutum, meritorumque & pro Eccleſiaſticorum fructuum diſpenſationis ſibi creditæ ratione.

Ab Epiſcopali domo abſit omnis picturæ ornatus, quæ prophana ſit.

In atrio Epiſcopos ordine pingi curet, qui præceſſerũt; ſi minus omnes, eos ſaltem, qui ſanctitatis aut doctrinæ aut rerum Epiſcopalium geſtarum laude clari ſunt.

In cubiculis omnibus reliquiſque domus locis frequentioribus ne deſit aliqua imago ſacra.

Hoſpitio, menſave recipiendis etiam illuſtribus & locupletibus hominibus, ne præſcriptam Epiſcopalis frugalitatis normam deferat, vt exemplo ſuo ipſi quoque hoſpites incitẽtur ad frugalem vitæ modum.

Eleemoſynis dandis promptus ita ſit, vt prệter illas, quas per eleemoſynarium, alioſve largiri ſolet, etiam miſericordię viſcerib. indutus, manu ſua in pauperes Epiſcopali liberalitate conferat.

De vita, & honeſtate clericorum.

VEſtes, quas domi priuatim clericalis ordinis homines induent, eiuſmodi ſint, quę non colore, non vlla habitus ſpecie à clericali modeſtia diſcrepent.

Cùm in Eccleſia verſantur, quo tempore ſuperpelliceum induere non debent, ne ſint, ſine toga exteriori, pręſertim horis, quibus diuina celebrantur; aut populus ad Eccleſiam accedere ſolet, nec verò abſque ea etiam in diœceſanis locis prodeant, niſi cùm eos pedibus iter facientes, viæ difficultas & longitudo aliter cogit.

Si quo iter equo faciunt: ne abſque viatoria veſte exteriori equitent, ſuccincta interiori tunica, aut alia contractiori, decenter adhibita.

Superpelliceis, cùm miniſterij vſus poſtulat, omnes vtantur, quæ non lacera ſint, non ſordida, non ita elaborata, vt artificij ornatus in humeris nimius appareat.

Singuli autem præterea, præſertim, qui in aliquo minorũ ſaltem ordinum ſunt, proprium ſuperpelliceum habeant, quo & in Eccleſia, cui adſcripti ſunt, & alibi, cum ipſos ſuis fungi muneribus contigerit, vti poſſint.

Nulli ſacerdoti, clerico ve annulum, niſi ea dignitate prædito, in qua conferenda ille ſibi traditur, geſtare liceat; tuncq; vnum ſolum, & digito dexteræ manus quarto.

Eum verò dum Miſſæ ſacrificium facit ſacerdos deponat.

In omni item inceſſu, ſtatu, geſtu, vultu ordinem ſuum ſacerdos & clericus profiteatur, omni clericalis vitæ actione, religioſi animi mores exprimant: qui in Eccleſiaſtici ordinis hominibus elucere debent.

Ne cùm neces & cruciamenta, improbis hominibus magiſtratuum iudicio illata, multitudini ſpectanda proponũtur, vllo modo Eccleſiaſtici ordinis viri interſint; niſi eorum pia opera, conſolandique officium vſui futurum illis ſit, qui ad ſupplicium ducuntur.

Sacerdotem, clericumque cuiuſuis ordinis, in canticis, hymnis, pſalmis, cæteriſque Eccleſiaſtici cultus officijs, religioſa modulatione concelebrandis, diuiniſque laudibus ſanctè concinendis, ita verſari conuenit, vt voce ſua ſacris dicata, abuti non debeat ad prophana, cantiones & modulationes, atque ad voluptarias delitioſaſque laicorum oblectationes. Quamobrem caueat, ne in nuptialibus, laicalibuſve conuiuijs, aut menſis canendo operam ſuam nauet, vllo quidem, vel cognationis, vel amicitiæ, familiaritatis, obſequij, alteriuſve rei cauſa, cùm præſertim clericalem hominem inter epulas canere, veteri canone planè interdictum ſit.

Omnis etiam ſacerdos, clericuſve publica conuiuia & comeſſationes eiuſmodi vitet, quibus ſæpè fit, vt contemptui ſit, Eccleſiaſtici miniſterij dignitas.

Illud autem vnuuſquiſque clericus ſæpè repetat, ſe non ad inertiam atque ignauiam, ſed ad ſpiritualis & eccleſiaſticæ militiæ labores vocatum eſſe.

Sciat propterea id in officio ſuo poſitum eſſe, vt cùm vel in officijs diuinis obeũdis, vel in frequentãdis Eccleſijs, quod debet, tempus conſumpſerit; ſi quid ſibi reliquum eſt, id omne non in rerum ſecularium colloquijs, prophaniſque actionibus, ſed in diuinarum litterarum ſtudijs, & in cæleſtium rerum contemplationibus, & ſanctis pijſque officijs traducat. Quare vniuſcuiuſque huius prouinciæ Epiſcopus, ac alij item qui illius nomine atque auctoritate viſitationis munus obibunt, videant atq; inquirant diligenter, quibus in reb. tempus clerici tranſigãt, anq; in ijs potiſſimũ, quæ ab illis agi, curariq; debent, qui in Dei cultum ſe dediderunt.

Quod ſi clericos aliquos otioſos eſſe compererint, initia aliqua ratione, ſalutaribus eos occupationibus, & Eccleſiaſtico homine dignis incumbere procurent, ac prouideant omninò, ne iſti ad ſuæ ſalutis diſcrimen, & aliorum offenſionem otio abutantur.

Omnes præterea, & ſingulos clèricalis ordinis homines hoc decreto monitos eſſe volumus, vt ad eos ſe crebro conferant, qui in ſacerdotio conſtituti, in ſpiritualis vitæ ſtudijs, exercitationibuſque verſari, atque eiuſmodi ſunt, de quorum conſilio vitam ad omnes ſanctè religioſeque agendi rationes inſtituant.

Ab illorum autem, qui in vitiorum luto volutati, ſe maleficijs paſcunt, familiaritate abſtinere, cùm eos omnes iubemus; tum præcipuè minorum ordinum clericos, qui nõdum ætate confirmata ſint, neque firmo virtutum robore muniti, procliuius ad vitia prolabuntur. Aut illud non modo prohibemus, ſed diuina conteſtatione obſecramus Eccleſiaſtici ordinis homines, eos præſertim, qui in ſacerdotij gradu conſtituti ſunt, qui ve animarum curam gerũt, vt quos in vitiorum fæce verſari animaduerterint, cautè, & ſapienter ſtudeant, à peccatis, flagitijſque deterrere, & ad virtutem cohortari; eiſdemque in ſcelerum gurgite laborantibus opem ferre, verbis, conſilijs, exemplis; atque ita quidem, vt dum illos iuuare conantur, ne ſe familiaritate inquinent.

Ne clerici apud ſe libros habeant, aut legant, quorum lectione benè agendi ſtudium, morum diſciplina & timor, charitaſq; Dei langueſcere poſſit: quales libri ſunt, qui res vel inanes, vel iocoſas, vel ſcurriles, ridiculaſve, vel impuras continent.

Rerum nouarum curioſitates fugiant: tum ne, quæ ridicula ſunt, vnde cachinni, riſuſq; ſolutiores exiſtunt, loquantur.

Sacerdos clericuſve ſacris initiatus, aut Eccleſiaſticum beneficium obtinens, horarum canonicarum officio cùm adſtrictus ſit, meminerit, ſe febri, morbove aliquo, vel aduerſa valetudine leuiter aliquando laborantem, non iuſtam propterea excuſationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve. Itaque ſi quando corporis infirmitate affectus eſt; ipſe pro ſua conſcientia rectè videat, quid præſtare poſſit, ac ne omittendo grauiter peccet, & beneficij quod habet, fructus ſuos non faciat.

Quo diligentius cleri in omni Eccleſiaſtica diſciplina progreſſus conſtet, vnuſquiſq; ſacerdos & cuiuſuis ordinis clericus, de frequenti ſacramentorum vſu, de functionib. in Eccleſia præſtitis, de lectionibus, ſtudiorumq; progreſſione, de cęteris exercitationibus ſibi præſcriptis, teſtimonium ab ijs ſingulis, quibus ex pręſcripto accipere oportuerit, ſingulis menſibus, vel alio ſtato tempore, per Epiſcopum ſtatuendo, afferant; idque ad conſtitutam rationem.

A Sacerdotibus, ab ijſque etiam, qui prouectiori ætate ſunt, hoc ſi numquam per ipſos antea præſtitum eſt, omninò præſtari peroptamus, vt cùm omnis ante actæ vitæ ſuæ peccata diligenter riteque confiteantur; tum ſpiritualium exercitationum, prout ijs, qui ſubdiaconatum vel diaconatum, vel ſacerdotium ſuſcepturi ſunt, præſcriptum eſt, ſtudium aliquando ſuſcipiant; quo diligentiùs in via ſalutis ſibi proſpiciant.

De viſitatione.

Neceſſarium illud ac planè debitũ viſitandi munus, quod ex ſanctione Tridentina præſtari oportet, prouinciæ noſtræ Epiſcopi, ita ſolicitè exequantur, vt ſuæ quique vrbis ac diœceſis viſitationem ſingulis ipſis annis, aut ſi per diœceſis amplitudinem non poſſunt, biennio ad ſummum ipſi per ſe conficiant. Si verò legitima occupatione, cauſave impediti, id muneris aliquando per ſe ipſos obire nequeunt, Vicarios, generales, viſitatoreſve alios, huius rei vſu peritos atque idoneos adhibeant, qui viſitationis officium ſedulò, vt par eſt, præſcripto tempore exequantur.

Cùm verò viſitationis munus ipſi per ſe obeunt, vel vnũ, vel duos canonicos, vel alios quoſcumque homines Eccleſiaſticos, quos vſui & adiumẽto ſibi fore viderint, prout maluerint, ſecum in ea viſitandi cura adhibeant.

Ne deinceps plures quàm homines decem, & iumenta ſeptem ad ſummum ſecum in viſitando ducant, ſupputata hoc numero Epiſcopi etiam perſona, ac illius Eccleſiaſtici viri, quem ex huius Concilij decreto Epiſcopus quiſq; aliquando præmittet: ſuis tamen proprijs ſumptibus licebit eis plures conducere. At verò, qui Epiſcopis gradu inferiores ſunt, in viſitatione longè pauciores homines, & iumenta adhibeat.

Hocque decreto derogatum ſit alteri, in Concilio primo prouinciali edito.

Laicorum hoſpitia, eoq; magis conuiuia, vt maximè poſſunt, omnes fugiant; ſin autem ad illos diuertere aliquando neceſſe erit, cùm cætera ſeruent, tum in primis caueant, vt ne extra menſæ Epiſcopalis & clericalis modum, regulaſq; in viſitatione præſcriptas, quicquam omninò ab hoſpitibus apparetur apponaturve.

Notarius autem cancellariuſve, ne quicquam pro viſitatione ab ijs qui viſitantur, vllo quouis nomine exigat, neque vllam doni, etiam puſilli quocumq; modo oblati, genus accipiat, ac ne item pro decretorum, ordinationumve in viſitatione confectarũ actione vel conſcriptione, earumve exemplo, etiam ſingulis vel Eccleſijs, vel clericis, vel alijs qui viſitantur, iuſſu viſitantis edito. At pro opera laboreve, quem alterius, cuius intereſt, illarum exempla alio deinceps tempore petentis, cauſa in ijs exſcribendis poſuerit, mercedem capiat licet, pro taxæ in foro Epiſcopali præfixæ aut præfigendæ ratione.

Epiſcopi, qui cæteris omni bene ſancteque agendi exemplo præire debent, antequam cleri populiq; viſitationem ineant, à ſe ſuaq; familia viſitandi initium vtiliter facient; quo reliqui omnes domeſticæ illius viſitationis actione executioneq; incitati, paſtoralia iuſſa, quæ ipſi viſitãdo præſcripſerint, promptius ac ſtudius exequantur.

Diligentiam verò omnem viſitando adhibeant, non modò in Eccleſiarum cultu & ornamento tuendo, augendove, ſed maximè in omni & cleri & populi priſtina Chriſtiana diſciplina reſtituenda; in vtriuſq; item moribus cognoſcendis, ijſdemq; deprauatis corrigendis.

In eaq; vel viſitatione, vel morum correctione etiam tamquam ſedis Apoſtolicæ delegati, auctoritate Tridentini Concilij ſtatuant, moderẽtur, puniant & exequantur ad ſacrorum Canonum præſcriptum, quæcumq; illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione, & diœceſis ſuæ vtilitate neceſſaria videbũtur. In ijs, neq; vlla inhibitio, appellatio, aliudve quicquam impediat aut retardet executionem eorum, quæ ipſi mandarint, aut iudicauerint, decreuerint ve.

Fœminarum ac marium luxu, immoderatoq; veſtium ſumptu vtentium, ornatum illum inanem, ac planè ſuperua-

caneum, & à Chriſtianæ vitæ more ſanè quam alienum, vnde tot malorum ſeminarium extare quotidie cernitur, omni Epiſcopalis muneris officio & auctoritate prohibere, tollere, funditusſque euellere ſtudeant.

Monialium monaſteria, regularium iuri, curæve ſubiecta, quod ad clauſurā attinet, diligēter, accurateque viſitent, loca ipſa introſpectent, atq; ex ſuperiori etiam parte circumluſtrent; & cautè, ſolerterque inſpiciant proſpectus omnes, aditus, & cætera denique omnia, quæ ad clauſuram rectè tuendam vllo quouis modo pertinent.

Hoſpitalia item, aliaque pia ſingula loca, & ſodalitia pro auctoritate, facultateve, & canonum iure, & decretis Tridentinis ſibi data, in ſingulos annos viſitent, & quæ laicalia etiam & merè priuata ſunt in ijs, quæ ad obſeruandam piam teſtatorum voluntatem ſpectent, viſitando corrigant, & reforment.

Epiſcopo, ad cuiuſcumque loci vel Eccleſiæ parochialis, curatæve viſitationem aduentanti, cùm illi potiſſimùm, vt vetus canon Concilij Turonenſis iubet, qui confirmationis ſacramentum ab eo ſuſcepturi ſunt, tum præterea reliqui omnes fideles, exceptis tantum ijs, qui morbo, aduerſave valetudine laborant, ſicut in Concilio Rothomagenſi cautum eſt, obuiam ordine prodeant; ac ſtatis hymnorum pſalmorumque precibus, & cum gaudio, timore, ſummaque reuerentia illum, tamquam vicem Chriſti agentem excipiant, prout eodem Rothomagenſi Concilio ſancitum eſt, cuius canone excommunicatio illis conſtituta erat, qui ei muneri defuiſſent.

Neque ſolùm quo tempore ille aduentat, ſed alijs etiam diebus, dum viſitatio parochiæ fit, fideles quàm frequentiſſimi adſint; vt ipſi omnes ac ſinguli, ſi quid ad animarum ſalutem procurandam opus habent, proprio paſtori parentique liberè exponant; ei quæ pro illius officij ratione oportet, interroganti reſpondeant; illum concionantem monentem & paternè arguentem, obſecrantem, & increpantem audiant: eiuſdem iuſſa, monita & decreta ſuſcipiant, atque Dei denique voluntatem, quam præſentes per ipſum auribus percipiunt, non tantùm obediendi propenſione, ſed etiam rectè factis omninò exequantur. Id porrò omne, vt fideles diligenter, promptoque animo præſtent, frequentiſſimique in Epiſcopali viſitatione adſint; parochorum, & aliorum, quorum intereſt, ſacerdotum ſit, crebrò, prout vſu venerit, intra Miſſarum ſolemnia illos docere, cùm eas officij partes, quas epiſcopo viſitanti ab ipſis præſtari conueniat, tum viſitationum in primis vtilitates, fructuſque ſalutares.

At verò ex viſitationum laboribus, quo vberiores fructus exiſtant, ac fidelium animi ſalutari aliqua præparatione excitati & ſuffulti, quo promptiores erectioreſque fiant, cùm ad beneagēdum, tū ad paterna & epiſcopalia iuſſa monitave amplectēda & exequēda, tum ad omnem deniq; Chriſtianæ vitę diſciplinam ſanctis inſtitutis conformatā, ſuſcipiendam; præterea vt viſitatio & diligenter & breuiter, & rectè deniq; cōficiatur atq; abſoluatur; has etiam de præparatione ab ijs præſertim, qui viſitantur, adhibenda, inſtructiones adiungendas cenſuimus ijs decretis, quæ hoc ipſo de genere in hoc & in alio noſtro prouinciali primo Concilio edita ſunt. Quibus porrò inſtructionibus pro perſonarum, temporum, locorumque ſuæ diœceſis ratione ab Epiſcopo edita, detrahique liceat.

Primum vbi viſitationis, vel generatim in vniuerſa vrbe, diœceſique inchoandæ, vel ſpeciatim in aliquo oppido, locove, aut parochia, præſertim frequentiori atque inſigniori obeundæ, certam diem Epiſcopus ſtatuerit; paſtoralibus etiam literis eo potiſſimum nomine à ſe confectis, populum præmoneat atq; cohortetur, cùm ad alia pietatis officia, tum maximè ad peccatorum confeſſionem, ſacram communionem, preceſque pro ſalutari viſitationis euentu continenter habendas.

Triduò proximo, antequàm vniuerſę viſitationis initium fiat, in cathedrali Eccleſia quadraginta horarum orationem indicat, quam eiuſdem viſitationis nomine à clero & populo, qui in vrbe eſt, frequentiori in ea ipſa Eccleſia piè celebrari curet.

Hæc ipſa etiam orationis ratio parocho, aliove Eccleſiæ rectore, cuius intereſt, curāte adhibeatur, antequàm Eccleſiæ parochialis, curatæve, aut oppidi, præſertim inſignioris, viſitatio ineatur.

Duobus verò, aut pluribus ante conſtitutum viſitationis tempus diebus Archipresbyterum aut Archidiaconum, vt in Concilio Rothomagēſi cautum eſt, aut alium Eccleſiaſticum hominem, quem maluerit Epiſcopus, præire iubeat, per ſingula oppida, vicos, parochias, & loca ciuitatis, & diœceſis, præſertim frequentiora, inſigniorave, quæ ille viſitaturus eſt. Ille verò iuſta præſtet: conuocatoque clero & populo vniuſcuiuſque loci nunciet Epiſcopi aduentum, eidemque aduentanti obuiam, vt iuſſum eſt, prodire, cæteraque in promptu haberi moneat ac mandet. Paſtorales item Epiſcopi litteras, edicta, inſtructiones, ad viſitationem pertinentes, enunciet atque euulget. Tum præterea quicquid de leuioribus cauſis ab eo explicari, agive Epiſcopus iuſſerit, id exequi ſtudeat, vt ne ille veniens diutius ob eiuſmodi cauſas in viſitationis mora eſſe neceſſe habeat.

Parochus porrò aliuſve Eccleſiæ rector vel præfectus, in qua animarum curam gerit, cùm viſitandus erit, paſtorales Epiſcopi literas, viſitationis nomine editas, duobus ante illius aduētum proximis feſtis dieb. intra Miſſarum ſolemnia, cùm populi frequentia adeſt, de ſcripto recitet.

Itidem pręſtet de literis, quas de confirmationis ſacramento ritè religioſeque ſuſcipiendo, Epiſcopus, inſtructionū, monitionumve nomine ediderit.

Hoc ipſum præterea exequatur de alijs item literis, edictis & inſtructionibus, quas ob viſitationem euulgari ille iuſſerit.

Sacerdotibus quoque & alijs, quorum intereſt, Epiſcopales inſtructionum literas deſcriptis, tabulis, libris, alijſque rei Eccleſiaſticæ monumentis, inſtrumentis, cæteriſque id generis maturè præparandis, quo viſitandi ratio breuior explicatiorque ſit, ſignificet, & recitet, ac ſi opus eſt, earum exempli exſcribendi copiam illis faciat.

Quam literarum, edictorumve Epiſcopalium euulgationem recitationemve, & ſermone & concione, & monitionib. & omni alio tum publico, tum priuato cohortationum officio proſequatur, prout expedire animaduerterit: quo fideliū animos diligentius præparet, atque excitet ad ſuſcipiendum Epiſcopalis viſitationis officium vberrimo, ac ſalutari cum animarum fructu.

Illud porrò curet, vt nemo, qui intra parochiæ ſuæ fines habitat, omninò ſit, qui eo viſitationis tempore confeſſus, ſacram communionem non ſumat, idque ab Epiſcopo ipſo, etiā ſi in alia parochiali Eccleſia ſumere oporteret, ſcilicet eo loci, vbi ille mane viſitans, Miſſæ ſacrificium offerat.

Nemo item, qui chriſmate non ante confirmatus, modo ætate, in confirmationis litteris Epiſcopalibus præſcripta ſit, illud ab eodem tunc non accipiat.

Quamobrem tum pridie diei viſitationis, tum maximè vbi Epiſcopum viſitationis cauſa iam aduentare cognouerit, certo aliquo, ſolemnique campanarum ſono illius aduentum fidelibus ſignificet, quo frequentius etiam ex agro euocati, omni alia prætermiſſa actione conueniant, eique tale quamquam neceſſarium munus obeunti, diligētius præſto ſint, qua debent obſeruantia ac veneratione.

Studeat item confeſſariorum ſacerdotum, qui ad id muneris probati ſunt, niſi Epiſcopi cura præmittantur, copiam neceſſariam habere, qui biduo, tridove parochiæ ſuæ hominum confeſſiones audiant, aut confeſſos reconcilient, vt ſtata viſitationis, aliave die, quam Epiſcopus conſtituerit, præparati ſint ad ſacram communionem, & ad confirmationem, qui nondum confirmati ſunt, ab eo ſanctè ſumendam.

Ac propterea confeſſionum cauſa eo tempore confeſſionalia multa ad formulæ demonſtratæ præſcriptum confecta, certiſque locis in Eccleſia ſua decenter collocata, ſi totidem non ſunt, quot neceſſaria viderit, aliunde habere curet.

Hoſtias, vinum, vaſa, mappas, & alia ad ſacræ communionis, populo miniſtranda, vſum neceſſaria, accuratè paret.

Locum item in Eccleſia præparet atque ornet, vbi ab Epiſcopo confirmationis ſacramētum fideles religioſè ſuſcipiant.

Suggeſtum item decenti ornatu inſtruat, vnde tum ille aliuſve

aliisve populo ſermonem, concionemve habere poſſit; tum Epiſcopalia monita de ſcripto pronunciari.

Pridie illius diei, quo Epiſcopus viſitaturus eſt, chyrographa, ſchedulaſve in promptu eſſe curet, eorum, qui confirmationis ſacramentum ſuſcepturi ſunt, & compatrum, commarumque item ex præſcripto inſtructionis literarum, de con- firmationis ſacramento promulgatarum.

Omnium ſingularumque rerum, quæ vel conſecrandæ, vel benedicendæ ſunt, vtpote Eccleſiæ, cœmiterij, altarium, campanarum, veſtium, indumentorum, tabernaculi, calicum, corporalium, crucum, imaginum, ſignificationem, indicis ordine exaratam, Epiſcopo ante diem viſitationis ita in tempore det, vt cùm de apparatu, tum de certa hora vel die illas ſacras actiones obeundi deliberare poſſit.

Sacriſtiam præterea adornet atque inſtruat: in qua ex armarijs expoſita ſint ſacra indumenta, veſtes, pallia, vaſa, ac reliqua omnia Eccleſiaſticæ ſupellectilis inſtrumenta atque ornamenta, præter illa, quæ in Eccleſiæ, altariumque apparatu & vſu tunc erant: eaque ordine, ac pro colorum ratione diſtinctè collocata ita appareant, vt eo, & loco, & tempore in viſitando recognoſci certè, facileque ac breui poſſint.

Certo item, decentiq; ſacriſtiæ loco libri ac volumina Eccleſiaſtica, vt Miſſalia, Breuiaria, lectionaria, antiphonaria, & alia id generis ſuis operimentis politè contecta, in oculis Epiſcopi appareant.

Tuto item eiuſdem loco in promptu ſint ſcripta, monimenta, codiceſve, quibus teſtificatio fiat ſacrarum reliquiarũ in ea Eccleſia aſſeruatarum.

Eodem loco tabulæ item, ſcriptave indulgentiarum eidem Eccleſiæ conceſſarum.

Separatim alio ſacriſtiæ loco, vel in archiuio, ſi illud à ſacriſtia diſtinctum ſit, in promptu habeat, tabulas, ſcriptave ac monimenta quæuis, pro ratione annorum diſtinctè notata, quæ ad Eccleſiæ, altarium cappellarumve iura, priuilegia, bonaque teſtificanda pertineant.

Librum item ſtatutorum & conſtitutionum, & tabulam rituum, conſuetudinum, ſi quas peculiares illa Eccleſia eiuſve clerus habeat, præſertim in diuinis officijs Eccleſiaſticiſque functionibus.

In promptu præterea, ac parata inuentaria hæc infrà ordine præſcripta, recteque cõfecta habeat, quibus ſingulis manu ſua ſubſcriptum ſit.

Primò inuentarium ſacrarum reliquiarum, in ſua Eccleſia reconditarum, ac ſimul monimentorum, litterarumve illas verè teſtificantium.

Alterum in quo deſcriptæ ſint indulgentiæ omnes, illi Eccleſiæ, eiuſve cappellis, aut altaribus perpetuò conceſſę, aut ad tempus, quod adhuc peractum non ſit.

Tertium, in quo ſacræ veſtes, pallia, indumenta, & ornamenta ſingula; omnia, quæcumque ſupellectilis Eccleſiæ ſint, rectè ac diſtinctè deſcripta notatave appareant.

Qnartum, in quo libri, ſcriptave, literæ, ac inſtrumenta id generis, quibus bona, iura, priuilegia Eccleſiæ, altarium, cappellarumve teſtificata apparent, notata ſint.

Quæ inuentaria, quo tempore, & quibus præſentibus proximè confecta ſint, ex illius ſcriptione appareat, vt, ſi ita opus aliquando erit, rectè conferri poſſint, eademque exſcripta, in viſitationis acta referantur, prout Epiſcopus cenſuerit.

Paratum habeat, ac exhibeat indicem dignitatum, canonicatuum, portionum, & aliorum id generis titulorum, altarium, cappellarum, & clericatuum, quicumque ſint in Eccleſia, cum explicatione eorum cenſus ac onerum vnicuique adiunctorum, tum etiam fundationum, inſtitutionumve, & notariorum, qui fundationum tabulas confecerint, tum ſingulorum præterea, qui ea altaria, cappellas, portiones, canonicatus, dignitates, aliudve, quouis etiam ad nutum amouibili titulo obtinent.

Indicem etiam ſimilem, cum ſimili explicatione titulorum, & beneficiorum quorumcumque, tum Eccleſiarum, tum oratoriorum ſecularium, etiam campeſtrium, quæ ſita ſunt extra illam Eccleſiam, intra fines tamen eiuſdem parochiæ.

Indicem item ſcholarum, confratriarum, locorum, operumve piorum, quouis modo in ea Eccleſia inſtitutorũ, quo exprimatur, & inſtitutio, & inſtitutionis tabulæ, à quo ſcilicet notario confectæ.

Rurſus indicem ſimilem ſcholarum confratriarum, hoſpitalium, locorumve, & operam piorum quorumcumque, quæ extra illam Eccleſiam, intra fines tamen parochiæ ſita ſunt.

Indicem quoq; monaſteriorum, præpoſiturarũ & huiuſmodi domuum regularium, tam virorum, etiam ſi commendatæ ſint, quàm fœminarum, etiam quæ ab Epiſcopi iuriſdictione immunes ſint; quæcumque in illius parochiæ finibus ſitæ ſunt.

Paratum item indicem habeat, ac exhibeat, in quo clerici in ſuæ Eccleſiæ finibus habitantes deſcripti ſint, notatis eorum vniuſcuiuſque tum nominibus, tum domicilijs, habitationibuſve Eccleſiaſticis aut ſæcularibus: hoc item adſcripto, an ſoli, an vnà cum alijs vel Eccleſiaſticis, vel laicis habitent.

Indicem item puerorum, adoleſcentiumve, vitæ Eccleſiaſticæ diſciplinam ingredientium.

Muſicorum item, cantorum, organoque in quauis Eccleſia ſonantium.

Laicorum item hominum, ſi qui ſunt, ſacerdoti in Miſſæ ſacro, aut in diuinis officijs, funeralibus etiam, & in alijs Eccleſiaſticis muneribus operam aliquam præſtantes.

Indicem item prædiorum, bonorumq; Eccleſiæ ſuæ; rurſuſque fructuum & cenſuum, quos inde percipit, & aliorũ inde reddituum, vtpote oblationum, eleemoſynarum, quæ ſtatis quibuſdam anni diebus, vel ob ſolemnitates, vel ob anniuerſaria, aliamve cauſam fiunt.

Huic rurſus alius index adiunctus exhibeatur, vſurpationum bonorum, iuriumve illius Eccleſiæ, & alienationũ præterea triginta ante Tridentini Concilij celebrationem & cõfirmationem annis factarum.

Indicem etiam det reddituum vel veterũ, vel recentium, Capitulo, clerove illius Eccleſiæ communium.

Indicem quoque diſtinctum reddituum, emolumentorum, onerum, & aliarum, vt ſuprà, præſcriptarum rerum, quæ ad Eccleſias tunc vacantes pertinent, notato etiam tempore, quàmdiu vacent, & illius itẽ qui earũ fructus, vel decimas, vel primitias, vel alios cuiuſuis generis redditus exigit, nomine deſcripto, & auctoritate qua exegit item.

Indicem præterea cenſus ab eo, qui ſibi tamquam rectori obuenit, diſtincti ac ſeparati, vtpote illius, qui vel ad fabricæ illius Eccleſiæ, vel ad luminum, vel ad ſacriſtiæ, vel alterius eiuſmodi rei vſum, erogationemve pertinet.

Promptos item habeat codices parochiales, vnum ſcillcet baptizatorum, alterum eorum qui matrimonium contraxerint, tertium illorũ, qui chriſma ſuſceperint, quartũ, quem proximè confecerit, de numero, ſtatuque animarum.

Regeſtum etiam aut exempla conſtitutionum pontificiarum, ac literarum paſtoralium, aut inſtructionum id generis & edictorum, quæcumque ab Epiſcopo acceperit. In quibus ſingulis exemplis notatus ſit dies, quo illa populo promulgarit, legeritve.

Paratos item libros & tabellas ſingulas, indiceſve habeat ac exhibeat, qui debent in ſacriſtia eſſe, ex præſcripto Conciliorum prouincialium, diœceſanorum, ac inſtructionum.

Si præterea curam adminiſtrationemve habet bonorum Eccleſiaſticorum ſeparatim ab ijs, quæ ſibi ad vitæ ſuſtentandæ vſum attributa ſunt, aut fructuũ vacantium ſibi commendatorum; ſuſceptæ, adminiſtratæve curæ rationum codicem, in promptu habeat atque exhibeat.

Separatim verò in promptu habeat, vt Epiſcopo tradat, tabulam decretorum prouincialium, diœceſanorumq;, quæ vel diuinorum officiorum cultum, vel ad parochialis curæ, diſciplinæque Chriſtianæ rationem pertinentia, nondum in parochiæ ſuę finibus executionem habuerunt, cauſis & impedimentis quoq; explicatis, cur in executionis vſum adhuc inducta non ſint.

Tum præterea indicem manu ſua confectum det eorum, qui infrà notati ſunt, ſi qui in parochiæ ſuæ finibus id generis homines extant.

Hæreticorum, hæreſiſve nomine ſuſpectorum, aut libros hæreticos, prohibitoſve habentium, vel legentium.

Publicè

Publicè, vt infrà, potiſſimum delinquentium, malefactaque committentium.

Blaſphemantium ſcilicet.

Superſtitione, maleficijs, magicisq́; artibus vtentium.

Eorum, qui in Paſcha confeſſi, ſacram communionem non ſumpſerint.

Simoniacorum.

Vſuras exercentium.

Concubinariorum, concubinatuſve nomine ſuſpectorum.

Illorum etiam, ſi qui publicè, notorieque criminoſi, quibus pro Tridentinæ ſanctionis, Concilijq́; primi & tertij prouincialis decretorum ratione, ſolemnis vel publica indicenda ſit pœnitentia; vt, aut tunc ijs Epiſcopus eam iudicio ſuo ſtatuat, aut illos, quos ſoléniter pro peccati grauitate pœnitere iuſſum eſt, à cãcellario notatos, ad ſe ineunte quadrageſima venire iubeat, cuius temporis initio illam de Eccleſiæ ſanctæ more ipſi ſubeant ritu ſolemni.

Coniugum inter ſe diſiunctorum, neque ſimul habitantium.

Eorum, qui cognatione, affinitateve iuncti, matrimonium gradu prohibito contraxerint.

In Eccleſia parùm reuerenter, ac non debita veneratione verſantium.

Illorum, qui diebus feſtis Miſſæ ſacrificio non interſint; aut ſeruilibus operibus dies feſtos violare, aut choreis, comeſſationibus, alijſque eiuſmodi actionibus prophanare ſoleant.

Talis, aleave ludentium; aut iſtis domicilia exponentium.

Libros de rebus obſcœnis, parumq́; honeſtis conſcriptos, obſcœnasq́; item imagines habentium.

Eorum etiam, qui inertiæ, deſidiæ, otio, vel cauponis, tabernisve vinarijs, ganeieve dediti ſunt.

Marium, fœminarumq́; veſtitum immoderatũ induentium, non ſine manifeſta Dei, hominumq́; offenſione.

Omnium denique deprauatorum morũ, in parochiæ ſuę hominibus frequentium ac publicorum.

Indicem item eorum hominum, intra parochiæ ſuę limites habitãtium, quibuſcum Epiſcopus viſitans pro varijs viſitationis officijs, aliquando colloqui, agereve neceſſe habet. Horum ſcilicet.

Patrumfamilias.

Ludi litterarij magiſtrorum, Pædagogorum, muſicam etiam, ſcriptionem, arithmeticam, aliasq́; artes liberales profitentium.

Mulierum item docentium, puellasq́; ſibi in diſciplinam traditas, domi educantium.

Medicorum, chirurgorum, tonſorumque rem medicam exercentium.

Pictorum, & ſculptorum.

Bibliopolarum, impreſſoriamq́; artem facientium.

Miniſtrorum publicorum, vt ſyndicorum, confratriæ vniuſcuiuſque præfectorum, curatorumve, & aliorum id generis.

Notariorum.

Opificum, artificumve in parochia ſua frequentiorum.

Hominum, operib. pijs exercendis aptiorum, aut iam deditorum; & eorum qui vitæ ſpiritualis, diſciplinæq́; Chriſtiano ſtudioſi adiumenta ſubminiſtrare poſſunt rationibus parochiæ bene inſtituendæ vſui neceſſarijs.

Pauperum, viduarum, pupillorum, cæterorumque verè miſerabilium.

Cauponarum, cœnaculariamve exercentium.

Saltandi, tripudiandive, ac ſonandi in choreis artem profitentium, docentiumve.

Exhibeat ipſe ordinum, quibus initiatus eſt, ac beneficij illius, tum cæterorum etiam, ſi quæ alia obtinet, litteras, tum facultate ſcriptas, ſi quas ab Epiſcopo, eiuſve miniſtris habet, vel ſuo, vel Eccleſiæ ſuæ nomine, vt puta ſuſcipiendi munus Miſſarum celebrandarum, audiendi confeſſiones eorum, qui non ſint de ſua parochia cohabitãdi cum laicis, vel extra ædes Eccleſiaſticas, adhibendi fœminas ſibi inſeruientes, locandi laicis domum Eccleſiaſticam, exponendi capſulam pro eleemoſynis, & eiuſmodi.

Exhibeat item libros proprios, quos ex decretis prouincialibus, aut ex viſitationum, alijſve Epiſcopi ſui iuſſionibus habere debet, vtpote Breuiarum, Miſſale, Calendarium proximè editum, librum ritualem, ſeu ſacramentorum, homiliarium, pſalterium, volumen Bibliorum, catechiſmum Romanum, codices Cõciliorum, ſcilicet Tridentini, prouincialium & diœceſanorum, quibus in libris inſcriptum ſit nomen poſſidentis.

Exhibeat pręterea indicem aliorum librorum, quoſcunq́; impreſſos, aut manu exaratos habet.

Quod de ſacris reliquijs, indulgentijs, indumentis, ornamentis, ſupellectile Eccleſiaſtica, libris, ſcriptis, inuentarij indicibus, fundationum tabulis, redditibus, emolumentis, oneribus, vſurpationibus, alienationibuſq́;, titulis etiam beneficiorum, & ordinibus, ac cæteris deniq; parocho, rectorive, aut præfecto Eccleſiæ, in qua animarum cura geritur, pręſcriptum eſt; id omne, & Præpoſiti, & canonici & cappellani, etiam mercenarij, & alij dignitatum, canonicatuum, altarium, cappellarum, aliorumq́; beneficiorum titulum obtinentes, aut quouis nomine adminiſtrationem curamve habentes, & rurſus fabricarũ præfecti, & confratriarũ, hoſpitalium, eleemoſynarum, locorumve, ac operum piorum quiuis curatores, cùm viſitandi erunt præſtent; quatenus eo de toto genere conſtitutum vllo modo pertineat ad eorum dignitates, beneficia, cappellas, & altaria, titulos & ordines, aut ad fabricas, hoſpitalia, eleemoſynas, pia loca, vel opera, aut etiam Eccleſias, altaria, cappellas eorũdem præfectorum, vel curarum adminiſtrationi & procurationi commiſſas. Parochi ſit autem aut præfecti, rectoriſve, vt ſuprà, intra cuius parochiæ fines faciẽda eſt viſitatio, niſi Epiſcopus alijs potius id muneris aliquando dederit, illos omnes & ſingulos in tempore præmonere vt præſcriptum apparatum cõficiant, atq; in viſitatione præſentes adſint, tum præſcriptam rationem, qua id præſtent, diligenter docere.

Epiſcopus porrò, quo viſitationis rationem magis explicatam habeat, nec diutiùs quàm par eſt, in mora ſit, in omni præſcripto apparatu rectè conficiendo ab ijs, quorũ intereſt, pietatis ſuæ, paſtoraliſq́; diligentiæ ſtudio omnem diligẽtiam adhibeat.

Quæcumque de præparatione in Epiſcopali viſitatione facienda ſupra præſcripta ſunt, inſtructiones eædem ferè omnes adhibendæ erunt in alijs viſitationibus, illa tantum pręparatione excepta, quæ pertinet ad ea, quæ Epiſcopi tantùm, Epiſcopaliſve muneris & viſitationis propria ſunt; vt de ſolemni receptione, de chriſmatis ſacri miniſtratione, & alijs huiuſmodi.

Quo verò parochorum, aliorumve ſacerdotũ in concionibus vel ſermonibus habendis ratio Epiſcopo exploratior ſit, hæc præter alias huius indagationis conſtitutas rationes ſeruare poterit, vt cùm viſitantur, ſermonem, conuocato populo, præſenteque ipſo Epiſcopo ſinguli in ſua Eccleſia, vel vbi is maluerit, eo de genere, quod idem iuſſerit, aliquando habeant.

Viſitationis initio, certæ Chriſtiano more viuendi regulæ, ex Oecumenica Tridentina ſynodo, Concilijsq́; prouincialib. & diœceſanis, omniq́; optima diſciplina collectæ, vulgari ſermone breuiter explicatæ, ad communem prouinciæ vſum per nos edendæ, præter illam decretorũ ad laicos pertinentium denunciationem in Concilio prouinciali tertio parochis pręſcriptam, de ſuggeſtu populo frequentiſſimo in vrbe & inſignioribus locis, vbi Epiſcopus expedire cenſuerit clara voce legantur; vt omnes intelligant ſecumq́; taciti inquirant, an ad præſcriptas leges vitæ Chriſtianæ modum ſuſceperint. Tum ab Epiſcopo de illis interrogati, videant ſui muneris eſſe, ſi quas in vitæ inſtitutione executi nondum ſint, earum præſcriptis atque inſtitutis parere quàmprimũ, & quàm diligentiſſime, pro ſalutaris diſciplinæ ratione atq; vſu, rectis regulis confirmato.

Certas paſtorales monitiones vnicuique hominum ordini, ſexui, ætati proprie conuenientes, ex ſacrarum litterarum fontibus, ſanctorumque patrum diſciplina ex eiſdem Concilijs hauſtas, ad omnium etiam magiſtratuum inſtructionem, noſtra cura communi prouinciæ vſui conficiendas, vnuſquiſque parochus, tùm in fine viſitationis vrbis, & vniuſcuiuſque, præſertim inſignioris oppidi, tum certis anni

hoſpitatibus, prout Epiſcopus iuſſerit, & illis aliquid pro ratione loci, vel addendum, vel detrahendum cenſuerit, populo de ſcripto recitet atque euulget; vt fideles non ſolùm viſitationis iuſſis, decretiſque alijs in omnes bene agendi partes confirmari, ſed ſæpius ſui quique debiti officij, Epiſcopalibus paſtoralibusque vocibus moniti, indies in via Domini maiores progreſſiones habeant.

De Concilio prouinciali.

PRouincialia Concilia, diuino munere à ſacra Oecumenica ſynodo Tridentina in vſum reuocata, ſicut tertio quoque anno ad eiuſdem ſynodi præſcriptum conuocari celebrarique oportet; ita maximè conſultum eſſe debet, vt id ipſum rectè, ordine atque ex vtilitate prouinciæ præſtetur.

Itaque, & pro illorum vſu in perpetuum retinendo, & pro cæteris rationibus ad eorumdem actionem rectè vtiliterque præſtandam accommodatis, hæc tum auctoritate noſtra, tum etiam de conſenſu patrum ſancimus.

Primò ſingulis prouincialibus Concilijs, tertio quoque anno èx ipſa Tridentina ſanctione celebrandis, qui indicere, conuocare, & celebrare ius Metropolitani eſt, nos certam diem in poſterum indicimus, decernimus, & ſtatuimus feriam ſcilicet quintam, quæ à Paſcha Reſurrectionis Domini ſub tertiam Dominicam cadit; certumque item locum, nempe noſtram Eccleſiam, beatæ Mariæ Virginis nomine nuncupatam.

Hoc autem perpetuæ indictionis decreto, conſtitutioneve Metropolitani iuri derogatum, abrogatum ne ſit, quominus conſtitutum diem, locumve, prout neceſſitas poſtulârit, vel iuſta cauſa, ratiove aliqua ei ſuaſerit, prorogare, accelerare, mutare, ex canonum iure, ſanctioneque Tridentina poſſit; modo intra triennij ſaltem ſpatiũ ad illius ſanctionis præſcriptum, ſemel celebret.

Neque rurſus Metropolitano legitimè impedito, facultati illud conuocandi, eadem Tridentina ſanctione coepiſcopo antiquiori conceſſæ, detractum ſit.

Eius autem conſtituti conciliaris diei & loci, atque adeò Concilij prouincialis indictionem omninò ratam firmamq; eſſe volumus, ac ſine alia vel litterarum ſignificatione, vel edicti promulgatione, vel vlla alia denunciatione aut nuncio, tantũ roboris & auctoritatis ad Epiſcopos, & reliquos quoſuis omnes ac ſingulos, qui in prouinciali Concilio Mediolanenſi, quacunq; ratione adeſſe poſſunt aut debent, quorumve aliquid intereſt, monendos & conuocandos, habere hoc decreto ſancimus, quantum illa, quæ indicendi eiuſdem Concilij prouincialis ratio literis, & nuncio, edictoque publico adhibetur.

Quamobrem propoſitis pœnis, canonum iure ſancitis, cùm vniuerſos & ſingulos Epiſcopos, tum cæteros omnes qui quouis iure, conſuetudine, aliave, vt ſupra, ratione, debent Mediolani in Metropolitana Eccleſia præſentes adeſſe ad eã diem iubemus, quam tertio ſaltem quoque anno, prouinciali Concilio de more ineundo, celebrandoque certam & ſtatam hac conſtitutione in perpetuum decreuimus.

Quicunque verò, vel Epiſcopi, vel alij intereſſe debent, ne eorum nomine alij, ſed ipſimet ſtata die adſint; niſi neceſſaria iuſtaque cauſa, quamobrem debitum hoc officium præſtare non poſſint, impediti ſint.

Eam porrò cauſam tum Metropolitano, vt canonum iure cautum eſt, probent; tum etiam procuratorem certum, Eccleſiaſticum hominem mittant, qui ſuo nomine ſuſcipiat, recipiatve, quæcumque canonum, Concilijque Tridentini auctoritate, in prouinciali ſynodo acta, geſta, conſtituta, decreta, ſancitave erunt. Si quis contra fecerit, aliave ratione non paruerit, aut cõtumax erit, ex canonum ſanctionibus debitas luat pœnas.

Quicumque porrò ex ijs, quos conſtituta illa die adeſſe hoc decreto iuſſum eſt, adeſſe neglexerit aut prætermiſerit, contra eum agatur etiam edicto publico, Metropolitanæ aut alterius Eccleſiæ, locique vbi Concilium habebitur, ſi mutari quandoque contigerit, valuis affigendo.

Ad conſtitutum etiam illud tempus Capitula cathedralium Eccleſiarum inuitamus ad Concilium; quibus certos aliquos procuratores, Eccleſiaſtici ordinis homines, mittere licet; qui eorum nomine præſentes in Concilio adſint; ac ſi quæ erunt, quæ referre velint, ea Metropolitano in Concilio coram exponant.

Vt verò omnibus & ſingulis alijs, qui vel inuitati, vel alio iure intereſſe poſſunt vel debent, quorumve intereſt, notior planè ſit atque euulgatior eiuſmodi ſynodi prouincialis indictio; certam illam Concilij inchoandi conſtitutam diem, ac locum in calendarium, quod eo tertio anno editur, loco ſuo referri, conciliaremque diem notari; tum in octaua Natalis diei Domini, qui dies eſt Cal. Ianuarij, aut in Epiphania, prout in eccleſia ſua moris eſt, eiuſmodi ſolemnes promulgationes fieri, intra Miſſarum ſolemnia populo frequenti, vnà cum Paſchæ Reſurrectionis Domini, aliarumque ſolemnitatum denunciatione de more indici, ſignificari & denunciari vnuſquiſque Epiſcopus mandet.

Iubeat etiam Eccleſiæ ſuæ cathedralis valuis, alijſque locis quæ videbuntur, ſchedulam, grandiuſculis literis exaratam, duobus menſibus ante conſtitutam diem, adſtante frequenti populo affigi, his verbis.

Concilium prouinciale Mediolanenſe, per Reuerendiſſimum Archiepiſcopum Decreto edito & promulgato, indictum & conuocatum hoc anno, die. menſis. N. Deo auxiliante, in Metropolitana Eccleſia de more inchoabitur, & celebrabitur.

Cui ſchedulæ manu cancellarij, notarijve Epiſcopali ſubſcribatur, poſito etiam ſigillo conſueto Epiſcopali. Conciliarem præterea hanc actionem ſingulis tribus proximis ante diem conſtitutam dominicis diebus per parochos & concionatores fidelibus denunciari, eoſdemque non modò excitari ad frequentius orationis ſtudium, verùm etiam ad id inflammari vnuſquiſque Epiſcopus curet, vt die dominico, ſtatam Concilij diem proximè antecedente, verè pœnitentes & confeſſi, ſacram communionem ſumant, hoc pręcipuè precantes, vt quæ ad ſuam & ad illorum, quorum curæ commiſſi ſunt, ſalutem pertinent, Dei auxiliante miſericordia, in Concilio ſancta ſollicitudine agantur.

Ab eadem tertia dominica ante præfinitum Concilij tempus, & deinceps, quàmdiu de more illud abſolutũ aut dimiſſum erit, eadem de cauſa ac nomine, quinta quaque feria Miſſæ ſacrificium, tum à ſingulis ſacerdotibus, tum ſolemniter collegiatim, in omni cathedrali & collegiata Eccleſia, de Spiritu S. fiat, prout Concilio prouinciali ſecundo ſancitum eſt; vel vbi ſolemnioris officij ratio hoc quandoque impediat ſaltem commemoratio; tum etiam ſingulis diebus dominicis & in illis & in omnibus parochialibus Eccleſijs proceſſio, ſupplicationesque, litaniæ ac preces habeantur.

Eccleſiaſtici etiam ordinis homines, & quos vnà ſecũ ad Concilium Epiſcopi conduxerint, & quos Capitula miſerint, & teſtes item ſynodales, qui conuenerint; ij omnes & ſinguli antequàm in viam ſe dent, peccata confeſſi, ſacerdotes Miſſæ ſacrificium facere, clerici ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere ne omittant.

Porrò eo religioſius & frequentius Epiſcopus vnuſquiſque in oratione, & precibus, & ſanctiſſimis ſacrificijs illo pręſertim tempore verſari ſtudebit, quo planius ſe ad rerum grauium conſultationem & deliberationem vocatum eſſe videat.

Quo autem inſtructior ad ſynodalium rerum tractationem conueniat; perquirat primò, quæ Tridentina & prouincialia decreta executus ſit, quæ non item. Videat pręterea, quæ ab alijs, quorum intereſt, præſtita ſint, quæve non ſeruentur.

Hæc verò accuratè inueſtiget in primis, an qui vel iure, vel conſuetudine, vel alia quàuis ratione reſidere debent, ipſi reſideant, anque reſidentiæ munera per eoſdem præſtentur.

An regulares exequantur, quæ Tridentina conſtitutione de eis ſancita, in defectum Capitulorum generalium in prouinciali Concilio ſupplenda, prouidendave ſunt, eiuſdẽ Concilij Tridentini decreto.

Diligentiſſime quoque indaget, ſi quæ ſuperiorum prouincialium ſynodorum decreta ſunt, quæ in ſua diœceſi executionem non habuerint.

Id denique omni Chriſtianæ diſciplinæ ſtudio perſpiciat, ſi quæ ſunt, quæ pro corrigendis moribus, pro abuſibus tollendis, pro controuerſijs componendis, aut alias pro vni-

uerſæ

uerſæ prouinciæ Eccleſiaſtica & Chriſtiana morum gubernatione ſanctè inſtituenda vel reſtituenda tractari aut decerni in Concilio oportet.

Quo ſtudioſius autem id omne præſtet; paucis ante diebus, quàm ſynodi prouincialis ſtata & indicta dies venerit, vrbis diœceſiſque ſuæ ſacerdotes aliquot, pietatis zelo flagrantes, rerumq; Eccleſiaſticarum peritia atque vſu præditos, vt expedire videbitur, conuocet: quibuſcum agat de ijs ſingulis conciliarium rerum tractationibus, ac præſertim, quæ ad vitæ Chriſtianæ, & ad clericalis diſciplinæ inſtituta intereſſe poſſunt.

Ijs omnibus Epiſcopus inſtructus, vbi ad Concilium venerit, in eo die ijs ordine referat atque agat; & in primis de diuini cultus obſeruantia, tum de cleri ſui diſciplina, ſpiritualiſque eiuſdem progreſſionibus, ac de inſtituti etiam ſeminarij rationibus, de populi præterea in ſtudijs, pietatis exercitatione, & de priorum hominum ſodalitatibus, de Eccleſiæ denique diœceſiſque ſuæ omni ſtatu. Si quid verò ſit, quod Epiſcopus vtiliter tractari poſſe cenſuerit, ſi Metropolitano per litteras antè ſignificandum erit, id præſtet, prout expedire iudicauerit.

In Eccleſia verò, vbi Concilium celebrabitur, quæ etiam Eccleſia de more ornetur, ipſis proximis antè Concilij initium diebus, oratio quadraginta horarum inſtituatur, fiatque à clero, & à populo frequentiſſimo pro optimo Concilij ſucceſſu.

Pridie etiam illius diei, quo futura eſt prima ſeſſio, Epiſcopi, quo religioſius rem grauiſſimam agant, ieiunium celebrent; & Epiſcoporum item familia.

Eodem die ſub veſperum, ſolemni more campanæ in Eccleſia pulſentur; quod itidem fiat pridie illius diei, quo deinceps alia ſeſſio futura eſt.

Poſtridie, quæ ſtata Concilij dies eſt, ſummo mane ſinguli Eccleſiaſtici homines, qui Concilij cauſa venerũt, ſacerdotes quidem Miſſæ ſacrificium faciant, reliqui verò clerici, præſertim qui de Epiſcoporum familia ſunt, ſinguli à ſuo Epiſcopo, Miſſam celebrante, ſacram communionem ſumere ſtudeant.

Hoc deinde frequentius, tum maximè, quo die ſeſſiones habentur, facere ſalutariter procurent.

In prima ſeſſione ſupplicandi cauſa pro re graui, quæ geritur, proceſſio ſolemnis fiat, conuocato vniuerſo clero, ſeculari & regulari, poſt proceſſionem, Miſſę ſacrificium, vt à Metropolitano ſolet, eo impedito, ab antiquiori prouinciæ coepiſcopo ſolemniter celebretur; & ſermo item latine habeatur de reconciliaribus actionibus, diſciplinæq; Eccleſiaſticæ cultui accommodata. Hoc autem & Miſſæ & ſermonis officium ſequentibus alijs ſeſſionibus præſtetur ab alio prouinciæ Epiſcopo, qui à Metropolitano delectus & inuitatus, id munus ſuſceperit.

Singulis dominicis & feſtis diebus, dum Concilium prouinciale habetur, manè ſaltem conciliares actiones intermittantur, vt Epiſcopi Eccleſiæ & officijs diuinis eo tempore vacare poſſint.

Epiſcopi ad rerum, ob quas in Concilium euocati ſunt, actionem, tota animi cogitatione intenti, ſicut illas omni pietate ſuſcipere debent, ita ſalutaribus conſilijs adiuuare ſummaque animorum conſenſione, & concordiſſima Epiſcopali volũtate perficere piè ſtudeant; id maximè ſpectãtes, vt Deo, conſcientiæ ſuæ, religioni, Eccleſiarum vtilitati, Chriſtianæ diſciplinæ, animarumque ſaluti ſatisfaciant.

Congregationes generales, quæ ſtatæ in ſingulas hebdomadas habebuntur, ſignificentur, tum campanæ mediæ ſono, per dimidiam horam dato, tum tabellis ſuo loco de more affixis.

A Concilio autem, ne cuiquam Epiſcopo abire liceat, niſi neceſſaria iuſtave cauſa à Metropolitano cognita & comprobata, abeundiq; facultate ſcriptis data, ac procuratore Eccleſiaſtico homine conſtituto & relicto, qui ſuo nomine, quæcunq; in Concilio acta decretave ſunt, recipiat.

Antequam à Concilio diſcedatur, cùm cætera & ad optimos mores inducendos, & ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ vim vſumque retinendum atque augendum, & ad Tridentinas, prouincialeſque ſanctiones omninò exequendas pertinentia, quàm diligentiſſime agantur; tum quæcumq; in ipſa Tridentina ſynodo ad Concilium prouinciale referuntur, ſtudioſè tum lectione repetãtur, tum tractatione in executionis vſum inducantur.

Canonicæ præterea regulæ Oecumenicis Concilijs, Eccleſiaſticæq; diſciplinæ monimentis traditę, quæ Epiſcopalis & ſacerdotalis vitæ rationem, officia, parteſq; maximè attingunt, de ſcripto legãtur, vt canonum auctoritate, iam pridem ſancitum eſt.

In ijs potiſſimùm ſit conſtitutio, de vita Epiſcoporum in Concilio prouinciali primo edita, altera item hoc quarto Concilio promulgata.

Formula etiam promiſſionum ad interrogationum præſcriptum, quas pontificalis liber complexus eſt, ac ſi quæ præterea alia erunt, quæ potiora pro ratione temporum Metropolitano videbuntur.

In vltima autem vniuſcuiuſq; prouincialis Concilij ſeſſione, dies futuri Concilij ſupra pręſcriptus, Metropolitani iuſſu denunciabitur, vt antiqui inſtituti & moris eſt.

Epiſcopi antequàm è Concilio diſcedant, ſinguli ordine ad altare maius accedentes, decretis & conſtitutionibus in eodem Concilio confectis & promulgatis, poſtquam Metropolitanus ſubſcripſerit, ipſi etiam aſſentiendo de more ſubſcribant.

Vnuſquiſq; item procurator Epiſcopi abſentis, antequàm habeat promulgata decreta, ſui Epiſcopi nomine ſuſcipiens, iiſdem ſubſcribat; ſi non fecerit, excommunicationis pœnam incurrat.

Abſoluto deniq; vt moris eſt, Concilio, & ſanctis acclamationibus factis, tunc omnes Epiſcopi ſurgentes, cum reuerentia oſculum pacis à Metropolitano accipiant, & ſibi inuicem dent, cum timore & amore Dei.

Quodque ſancti oſculi ſignificatione oſtendunt, id re ipſa præſtent, vt coniunctiſſimis animis, concordique voluntate, & pacis atque charitatis ſtudio, quæcumque ſancita ſunt, ſollicitè exequendo in eam curam incumbant, vt vniuerſa prouincia hæc ſalutaribus diſciplinæ inſtitutis, & ad vſum inductis, in omnes bene pieque agendi partes æquè conformetur.

Hac autem omni conſtitutione, ne Metropolitani auctoritati & facultati vllo modo derogatum ſit: qua licet ei omni loco intra prouinciæ fines Concilium prouinciale conuocare, & habere: idemque in aliud tempus prorogare, mutare, aliave agere, gerere, quæcunq; de ſynodorum prouincialium indictione, celebratione, directione, alijſque eiuſmodi ab eo agi, ius ſit.

Quæcunque verò ſupra conſtituta ſunt, quæ ad prouincialis Concilij habendi vim, vſum ac rationem quouis modo pertinent, quæque ad pœnas non conuenientibus, vel abeuntibus, aliiſve propoſitas, ſpectant; ea omnia, ac ſingula, vt mox ſupra decreta ac ſancita ſunt, locum itidem habere ſtatuimus, decernimus & ſancimus, etiam in Concilio prouinciali in poſterum celebrando, ſi vel conſtitutam diem accelerari, vel prorogari, vel diem aut locum mutari, vel alia quauis occaſione, vel cauſa, à Metropolitano, vel antiquiore coepiſcopo Concilium indici, conuocari, celebrarive contigerit.

De ſynodo diœceſana.

Epiſcopus ad Tridentini Cõcilij præſcriptum ſingulis annis ac item ſemper ſex poſt prouinciale Concilium menſibus, diœceſanam ſynodum habeat, pœna propoſita, canonũ iure, & Tridentino Concilio renouata.

Quare quod in nonnullis huius prouinciæ Eccleſijs moris fuit, in prima proxima diœceſana ſynodo, certum diem ſynodalem conſtituat, quo clerus ad illam conueniat. Hic autem dies in ſingulos etiã annos, cathedrali in Eccleſia de ſuggeſtu, die Epiphaniorum, vel Cal. Ianuarij, vt alios ſolemnes dies denunciari conſuetudinis eſt, indictus, calendario etiam adſcribatur, quod in ſingulos annos confici ſolet. Certum autem illum diem, prout cauſa poſtulabit, modo prorogare, modo accelerare, ac mutare Epiſcopo liceat arbitratu ſuo. Ita tamen, vt neque ſex menſium ſpatium poſt celebratum Concilium prouinciale, nec rurſus vllus annus prætereat, quo ſynodum non habeat.

In prima

by Google

In prima quaque diœceſana ſynodo decreta, in prouinciali proximo Concilio edita, promulgentur.

Quod oficium, ne Epiſcopus negligat, vel prætermittat, eum hoc admonemus, vt pœnas meminerit, ſacris canonibus contra eum ſancitas, qui id culpæ, vel negligentiæ commiſerit.

De teſtibus ſynodalibus.

VT teſtium ſynodalium munus, ſicubi intermiſſum eſt, reſtituatur; atque non nomine ſolùm, ſed certis officij partibus, rectè per eos geratur: quibus in ſynodo, vel prouinciali, vel diœceſana committetur, hæc de illis eorumque officio ſtatuimus.

Primo viri Eccleſiaſtici ætate, moribuſque graues, prudentes, ac virtutum Chriſtianarum ſtudioſi, & ſpiritualis vitę amantes, in Cōcilio prouinciali à Metropolitano ex vnaquaque diœceſi duo ſaltem in ſynodo diœceſana, ab Epiſcopo è diœceſi ſua ſeptem, pluresve, prout expedire viderit, teſtes ſynodales deligantur.

Quo in officio meminerit & Metropolitanus, & Epiſcopus pœnę, in Concilio Lateranenſi ab Innocentio III. ſancitę, ſi vel ille in Concilio prouinciali, vel hic in diœceſana ſynodo nullos ſynodales teſtes nominarit.

Qui à Metropolitano delecti, & nominati ſunt in eodē prouinciali Concilio, qui ab Epiſcopo in ipſa diœceſana ſynodo iurati, allatis Sanctorum pignoribus, ſanctè ſpōdeant, ex formula verborum infra præſcripta, muneris ſui partes, infra cōſtitutas, ſe executuros eſſe.

Si verò à Concilio prouinciali abeſt, qui à Metropolitano nominatus eſt, tunc Epiſcopus, pro cuius ciuitate, vel diœceſi ille electus eſt, vnius menſis à fine Concilij ſpatio, eum ad ſe litteris accerſat: eundemque ex ipſa præſcripta formula iureiurando obſtringat, ac iuriſiurandi præſtiti teſtimonium, publica auctoritate munitum, intra alium menſem, ad Metropolitanum omninò mittat.

Quicumque, ſiue abſit, ſiue præſens adſit, teſtis nominatus, id vel officium ſuſcipere, vel iuſiurandum præſtare recuſarit; id vt præſtet, ſi prouincialis ſynodi teſtis eſt, à Metropolitano; ſi diœceſanæ, ab Epiſcopo compellantur; ac propterea ſi opus videbitur, cum eo mulctis etiam, & pœnis, cenſuriſve agatur.

Iuriſiurandi autem formula, ex antiquo canone excepta, quam præſtabunt, hæc eſt.

Ego N. teſtis ſynodalis à Reuerendiſſimo Metropolitano, *vel ſi in diœceſana ſynodo electus eſt*, à Reuerendiſſimo Epiſcopo nominatus, promitto, ſpondeo, & iuro, quod amodo in antea, quicquid noui aut audiui, aut poſtmodum inquiſiturus ſum, quod contra voluntatem Dei, & rectam Chriſtianitatem in diœceſi, vel regione mihi commiſſa, factum ſit, vel futurum erit, ſi in diebus meis euenerint, tantum vt ad meam cognitionem quocumque modo, ſi ſciuero, aut indicatum fuerit mihi, ſynodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Reuerendiſſimi Metropolitani *aut ſi diœceſanæ ſynodi eſt*, Reuerendiſſimi Epiſcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam vllatenus cęlabo Reuerendiſſimo Metropolitano, *aut ſi ſynodi eſt*, Reuerendiſſimo Epiſcopo, aut eius miſſo, cui hoc inquirere iuſſerit, quandocunque ex hoc me interrogauerit, ſic me Deus adiuuet, & hæ ſanctorum reliquiæ.

Iurati teſtes hoc perpetuò meminerint, ſe non amore, non odio, non inuidia, non ſpe, non metu, non pœna, non præmio non cognatione, non vlla deniq; re commoueri, aut impediri debere, quominùs liberè & integrè munus ſuum pro ratione infra præſcripta præſtent.

Quo igitur tempore hoc munus geſſerint, perſonas diſcretas interrogando ſimpliciter, & de plano, abſq; vlla iuriſdictione ſollicitè inueſtigent. hæc quæ ſequuntur.

Idque ſinguli, aut in vniuerſa ciuitate & diœceſi, aut in regione, vnicuique eorum, potiſſimum nominatimque commiſſa.

An parochi canonici, & alij quicumq; Eccleſiaſtici homines, quos reſidere oportet, præſentes in Eccleſijs ſuis adſint; anque rurſus ſi præſentes in parochialibus vel canonicalibus, clericalibusq; ædibus habitent.

An parochi præterea, alijque animarum curatores ſollicitè, vt debent, fidelium ſibi commiſſorum, ſaluti inuigilent.

An in ſacramentis ſanctè miniſtrandis, in verbi Dei prædicatione, in ſalutaribus monitis, in rudium, & puerorum ad doctrinam Chriſtianam inſtitutione, & in cæteris omnibus curæ parochialis officijs, diligentis muneris partes præſtent.

An reliqui, quicumq; ſint, Eccleſiaſtici ordinis homines, Eccleſiæ, ſi quam obtinent, aut in qua dignitatem vel canonicatum, vel capellam, vel Eccleſiaſticū aliquod munus habent, aut in qua adſcripti ſunt, oneribus ſatisfaciant, & præſcriptas ſibi functiones obeant.

An Eccleſiæ ſartæ tectæ ſint; an ornamentis, & ſupellectili Eccleſiaſtica neceſſaria & congrua inſtructæ; an in illis, aut earum cœmiterijs atrijſve aliquid incultum ſit, quodque ſordibus obſoleſcat, anve aliquid à religioſo cultu, & pietate alienum.

Videant item, an populus in via Domini ambulet; frequenſq; adſit diuinis officijs & ſacris concionibus, & in Eccleſia piè religioſeq; verſetur, atque dies feſtos colat.

An ieiunium quadrageſimæ, quatuor temporum, ſtataq; reliqua Eccleſiæ ieiunia obſeruet.

An eiſdem decimas, primitias, aliaque debita emolumenta, adiumentave præſtare, aut ſoluere recuſet.

An in populo ſacrilegi, blaſphemi, concubinarij, adulteri, incæſtuoſi, virginum raptores, an excommunicati, an hæreſis & magiæ, ſuperſtitionumve nomine ſuſpecti ſint.

An denique aliæ in eodem morum corruptelæ, quæ correctionem, emendationemve requirant.

Diſpiciant item an, quæ Romanorum Pontificum conſtitutionibus, œcumenicis, prouincialibus, diœceſaniſq; ſynodis, Epiſcoporumq; edictis, quouis de genere decreta, ſancitave ſunt, ab ijs ſeruentur, quorum intereſt, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue laici homines ſint.

Quæcunque verò animaduerterint, quæ iam decreta ſancitave, nullam adhuc, aut non perfectam executionem habuerint; tum quæ rurſus deprauata, correctionem vel reformationem deſiderent: ea omnia, & ſingula ordine ad Metropolitanum in Concilio prouinciali, ſi verò diœceſanæ ſynodi teſtes ſunt, ad Epiſcopum in ipſa ſynodo referant. Quod officium vt & præſtet vtilius, & rurſus ea de cauſa nullus patiatur impenſam, quæ neceſſaria non ſit, ratio hæc omninò ſeruetur.

Qui prouinciali Concilio à Metropolitano nominati & conſtituti ſunt teſtes ſynodales, ij tribus antè menſib. quam Concilij proximè futuri ſtata dies venerit, quæcunq; in vrbe, diœceſive, vbi id officium præſtare debēt, animaduerterint, quæ reformationem aut correctionem requirāt, ea in ſcriptū relata, ad Metropolitanum mittant; teſtes verò diœceſanæ ſynodi menſe ſaltem antequam dies ſynodalis venerit, id ipſum Epiſcopo præſtent.

Cùm verò prouincialis Concilij dies inſtabit, in vnaquaque diœceſi, eo nomine electi inter ſe conuenient, vt eorum vnus, quē Metropolitanus maluerit, ſi tamē id illis, vel quem conſtituit ad hoc munus, vel poſtea litteris ſignificauit, alioquin is, de quo inter ſe conuenerint, accedat: qui conſtituta die Concilio præſens adſit; ac ſi quæ interroganda, examinanda, aut cognoſcenda ab ipſo de ijs quæ præſcripta ſunt, aut de alijs, quæ Metropolitanus cenſuerit, coram fideliter reſpondeat, ſummaque integritate; prout iureiurando ſanctè adſtrictus eſt.

Prima verò, vel ſequenti, ſi poteſt, proxima poſt ſynodū inchoatam congregatione, aut certè, quàmprimum poteſt, referet, & interogatus reſpondebit, quod vbi planè præſtiterit, diſcedat licet; neque poſt illud tempus, niſi Metropolitanus aliter cenſuerit, ſumptus illi pro victu ſuppeditetur, ſed ſolùm tantum pro viatico detur, quantum ad redeundum ſatis ſit.

Viaticum autem teſti ſynodali, ad ſynodum prouincialem proficiſcenti, & ſumptus pro victu neceſſarius, quamdiu pro munere commorabitur, ſuppeditetur aliqua pecuniæ contributione, quæ ſatis ſit, à clero eius diœceſis facta, quæ Epiſcopus efficiat, vt ſine mora, impedimento[illegible] omninò perſoluatur.

Ad diœceſanam verò ſynodum teſtibus ſynodalibus venientibus, nihil neque ſumptus, neque viatici contribuatur; niſi ſint, qui diœceſanæ ſynodo intereſſe non debent, atq; ijs quidem ſuppeditetur, ad preſcriptam prouincialibus teſtibus rationem.

Si teſtis ſynodi, vel prouincialibus, vel diœceſanæ à ſuo domicilio ad aliquem locum pro ſui muneris functione inueſtigaturus acceſſerit; victus, expenſa, viaticumque ab ijs detur, quorum cauſa venerit, ad idque dandum Epiſcopus compellat.

Monitiones.

PEruetus illud inſtitutum eſt, tum ſanctorum patrum vſu, tum Eccleſiæ auctoritate comprobatum, vt quę ſacerdotalem clericalemque diſciplinam officia, ac partes eius maximè attingunt, ea certis monitionibus comprehenſa, ab Epiſcopo in ſynodis in clero proponantur. Cuius inſtituti ratione atque exemplo nos adducti, de Epiſcoporum noſtrorum conſilio atque aſſenſu, monitiones infra ordine præſcriptas, edendas cenſuimus: quibus pro libito ſuo vnuſquiſque Epiſcopus addat & detrahat, prout Eccleſiæ ſuæ clero pro têporum ratione vtile eſſe viderit: tum illas in vnaquaque diœceſana ſynodo, ſeſſione publica, vniuerſo clero de libro accuratè legi, grauiterque pronunciari mandet; vt quo ſæpius repetitæ, frequentiorique ſtudio illæ traditæ atque expoſitæ ſunt, eo diligentius ac religioſius ſanctis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, vitæque officijs vniuerſus clerus in omnes ſeſe partes conformet.

Primò, fratres, & filij in Chriſto chariſſimi, memores perpetuò eſtote vocationis, qua nos dignatꝰ eſt Dominus noſter.

Qua aſſidua recordatione, memoriaque excitati, eam vos virtutem induite, vt videant alij quaſi lumê aliquod, veſtram ſanctitatem elucere. Quæ ſi magna in alijs vitæ Chriſtianæ inſtitutis requiritur, certè in vobis, qui myſteriorum Dei miniſtri, diuinæq; gratiæ diſpenſatores eſtis, maior ineſſe debet.

Et ſicut ſacro ordine à reliquis hominib. ſeiuncti eſtis, ita à communis fidelium vitæ vſu ſeiūcti, præcipuum quoddam atque hoc præſtantius viuendi genus ſequimini, quo ordinis dignitate præcellitis.

Cœleſtem in terris vitam, tamquam Angeli Dei, moribus veſtris exprimere vſq; adeò ſtudete, vt à vobis diuinarū virtutum exempla ad cæteros emanent.

Vna animi conſenſione, vnoque ſpiritu in ijs elaborate, vt & diuino cultui, & cœleſtium rerum meditationibus, & orationi, & ſacrarum, Eccleſiaſticarumque literarum ſtudijs vacetis; tum depoſitis ſæcularibus, vaniſque ſollicitudinibus ab omni vitio alieni, in via Domini rectè ambuletis.

Charitatem in primis quæ ſeminarium eſt omnium virtutum, omni ſtudio amplectimini.

Humilitatem, manſuetudinem, patientiam, iuſtitiam, temperantiam, officiaq; Chriſtianæ pietatis reliqua colite. Quæcumque denique ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque ſancta, ac religioſa, ea cogitate, eaque agite.

Virtutes ſanctorum patrum, quas præcipuas, & quaſi hæreditarias vobis ad imitationem reliquerūnt, non adumbrare ſolùm, ſed omninò exprimere certatim contendite.

Vtque illi, ſic vos, abſtinentiæ, & ieiunijs dediti, clericalis diſciplinæ ac vitæ caſtiſſimæ ſtudioſi, tum patriæ cœleſtis ſitientes, Deo ſeruite aſſiduis diuinarum laudum officijs, & in Eccleſia, quaſi in perpetua veſtra ſacerdotali, clericaliq́ue ſtatione continenter verſamini.

Quæcunque demum de muneris veſtri partibus, de vitę modo, vel pontificum ſanctionibus, vel Oecumenicis Concilijs, vel prouincialibus, diœceſaniſque ſynodis, vel alia ratione præſcripta ſunt, ea vos ſeruate, ac præſtate diligenter.

Omnes, qui canonicarum horarum officijs deuincti eſtis, ſtatas eas preces horarias recitate ad præſcriptam calendarij anniuerſatij rationem ac ritum.

Nec verò negligenter, ſed attentè, piè, decorè, ſupplicique mente illas dicite.

Studioſè propterea legite, quæ præſertim à beato Antonino Archiepiſcopo conſcripta ſunt de negligentia in perſoluendis horis canonicis, vt quę eo nomine errata ſunt, omninò caueatis.

Expletis canonicarum horarum officijs, ſi quid in illis aut neligentia, aut alia culpa commiſeritis, paululum colligentes vos, veniam à Deo petite.

Qui ſacerdotes eſtis, Miſſæ ſacrificium ſæpiùs facite ſanctè ac religioſè.

Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti myſterij meditatione toto animo defixi; & quo purius id faciatis, propriam conſcientiam diligenti, accurato, frequentiq; examine, diſcutite; tum ſingulis ſaltem hebdomadis, atque adeò ſæpius, & omninò ſemper, cùm peccati mortalis conſcij eſtis, vni è confeſſarijs ſacerdotibus, ad cleri confeſſiones audiendas conſtitutis, confiteamini.

In ea ſanctiſſimi ſacrificij actione ab erroribus, vel leuiſſimis omninò cauete.

Quæ de illo piè riteque celebrando præſcripta ſunt, ea vos ſtudioſè diligenterque ſeruate.

Diaconi, ſubdiaconi, & clerici inferiorum ordinum, quicumque eſtis, quæ de confitendis ſæpè peccatis, de communione frequenter ſumenda, vobis iuſſa ſunt, integrè, & ſanctè omnia, vt debetis, præſtate.

Confeſſarios ſacerdotes, per nos vobis conſtitutos, quos etiam tamquam vitæ veſtræ duces ac magiſtros elegimus, adite.

Eccleſiaſticæ militiæ omnes vos adſcripti eſtis; ad pietatis religioniſque exercitationes vos vocatos eſſe cognoſcite.

In omni in primis ſancta oratione vos aſſiduè exercete; tum in meditationis, tacitæque piæ orationis ſtudio ſingulis diebus, certo temporis ſpatio, toto caſtiſſimi animi ſenſu incumbite.

Hæc ſanctis precibus, præter cætera, ſupplices præſertim afflictis rei Chriſtianæ temporibus, orate patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis.

Vt miſereatur populi ſui.

Vt fidelium animos ad vitia fugienda, ad virtuteſque amplectendas ſancti ſpiritus ſui ardore inflammet.

Vt è principum, regumque animis euellantur, ſi quæ ſunt diſcordiæ ſemina.

Vt ij vna animi conſenſione Chriſti regnum propagare ſtudeant, vnamque Dei gloriam, atq; Eccleſiæ matris defenſionem propoſitam habeant.

Quicquid verò temporis à diuinis officijs, ab orationis contemplationiſque exercitatione, ab Eccleſiaſticis functionibus, & ab alijs neceſſarijs actionib. vacuum habetis, non in otio, neque in deſidia, nec verò in rerum nouarum curioſitatibus illud conterite: ſed cùm in ſortem Domini vocati ſitis, in eius lege die ac nocte meditemini.

Sacrarum igitur litterarum ſtudia diligentius colite, quæ vſque adeò complecti debetis, vt qui aſpernetur, contra eum dicat Dominus. Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.

Frequentes ad ſtatas lectiones, & ad litterarum tractationes vobis præſcriptas conuenite.

Attento animo in ijs adeſte, atque indies ad vberiorem ſacrorum ſtudiorum fructum progreſſionem aliquam habete, vt ad Epiſcopum aliquādo vocati, & diligentiæ, & doctrinæ teſtimonium detis.

Si qui eſtis, qui vel tarditate ingenij, vel ingraueſcente ætate magnum in litteris progreſſum habere non poteſtis, ne deſiſtite tamen primùm oratione frequenti intelligentiam eo diligentius, ad pietatis, modeſtiæque ſtudium, ac ſanctorum morum diſciplinam incumbite; tum ſæpiùs ſacerdotes peritiores conſulite; & ad clericales, ſacerdotaleſque exercitationes conuenite, & libentius, & frequentius.

Concionibus etiam, atque lectionibus ſacris, quæ in Eccleſia, conſtitutis diebus, habentur, cùm omnes, quicumque eſtis, tum maximè, quibus potiſſimum conciliaribus decretis iuſſum eſt, quo decet, habitu frequentiſſimi adeſte.

Lectione librorum ſpiritualium, & clericalium, qui probati ſint, animos menteſque veſtras paſcite.

Quatuor præſertim locos, ex catechiſmi Romani doctrina de duodecim fidei articulis, de ſeptem ſacramentis, de decem præceptis, de oratione dominica in promptu, atque explicatè habere, omni ſtudio contendite.

Cum ijs, & præceptorū Eccleſiæ cognitionē, & preces hora-

rias

Google

rias recitandi peritiam, & Eccleſiaſticorum rituum, cæremoniarumque notitiam coniungite.

Pauculos libros, quorum neceſſarius delectus vobis decretis, vel prouincialibus, vel diœceſanis præſcriptus eſt, habere ne omittite, aut negligite.

Qui pro facultatibus, proque ſtudiorum ratione plures habere poſſunt, eorum optamus, & laudamus in ijs comparandis diligentiam.

At libros de rebus iocoſis, ridiculis, obſcœnis, inanibus, ad poëſiſque prophanę ſtudium pertinentibus, vulgari aut latino ſermone conſcriptos, procul abijcite.

Nec verò muſicas cantiones ridiculè, voluptariè, parumque pudicè exaratas adhibete.

Quotidie aliquid ex ſacris biblijs legite; ac ſi per Eccleſiaſticas occupationes licet, qui apti eſtis, aliquid item ex ſanctorum patrum opuſculis, Gregorij Magni Pontificis, Cypriani, Ambroſij, Auguſtini, Chryſoſtomi, Bernardi, & aliorum, qui ſanctitatis & doctrinæ laude in Eccleſia celebrantur.

In ijs ad legendum, ſanctiſſimum patrem Ambroſium Epiſcopum vobis potiſſimum proponite.

Illius præcipuè librum de ſacerdotali dignitate legite, quo libro Eccleſiaſticos homines commonuit de perfectæ vitæ inſtitutione.

Libros item officiorum, quos vbi primum Epiſcopus is factus eſt, cleri Mediolanēſis potiſſimum cauſa edidit, in manibus aſſiduè habete.

Hos atque alios præterea libros de ſacerdotalis, clericaliſque vitæ rationibus & officijs, de animarum cura, de Chriſtianæ pietatis ſtudijs & exercitationibus, de alijſque eiuſdem generis piè confectos, ita legite, vt quæcumque ad vitæ ſanctę normam accommodata ex illis animaduertiſtis ac didiciſtis, moribus exprimatis.

Conciliorum item prouincialium, & diœceſanorū conſtitutiones & decreta non percurrite ſolùm, ſed vſque adeò ſtudioſè legite, vt quæ legeritis, poſt etiam taciti vobiſcum aliquando mente reputetis, ac videatis ſimul, nō ſolùm ſi quicquam eſt, quod contra illorum præſcriptum egeritis, verùm ſi quid etiam aliud eſt, quod ex eiſdem exequi, præſtareve omiſeritis aut neglexeritis. Quod vt præſtetis, curate omninò atque efficite.

Eſtis, diuina miſericordia in Eccleſiaſtico ordine conſtituti, ad gloriam Dei conſeruandam, propagandamque: ideò tum ordinis veſtri miniſteriū, quod explere debetis, videte: tum dignitatem ac decorem ſeruate.

In inceſſu, ſtatu, geſtu ita vos præbete, vt ab ordinis, quem ſuſcepiſtis, nomine & ratione nullo ſanè modo diſcrepetis, propoſito vobis beati patris Ambroſij iudicio, qui clero adſcribi hominem recuſauit, propterea quod eius geſtus & inceſſus dedeceret.

Habitu non exquiſito, non delicato nimis, non ſerico, ne ornamento quidem: rurſus non ſordido, non neglecto, ſed graui & talari, atque eiuſmodi tum domi, tum foris pro vniuſcuiuſque veſtrum ordinis graduſque ratione vtimini, vt à decretis eo de genere editis, nulla in re vel minima diſcedatis.

Coronam, quod inſigne eſt ordinis clericalis, pro ratione ordinis, quo vos ſinguli initiati eſtis, latam & conſpicuam deferte.

Parca & frugali menſa contenti ſitis, & ſupellectile etiam modeſta ac tenui potius.

Ab omni ſplendido apparatu, pompaque ſeculari abſtinete.

Quæcunque acu picta, variè intexta, aulæa item, periſtomata reijcite.

Imagines domi non prophanas, ſed eas habete, quæ pietatis & religionis argumentum & adiumentum præbeant.

In omni vita à faſtu, luxu, ambitu, ambitioneve, & à vanitate longè refugite.

Nec verbis quidem præſcriptū vitæ modum peruertite.

Nihil ſcurriliter, nihil iocosè, nihil indecorè, nihil turpiter loquamini.

Abſint à vobis maledicta, obtrectationes, curioſitas, leuitas, aſſentationes ac nugæ.

Temperantiæ clericalis diſciplinam vobis præſcriptam in reliquis etiam omninò tenete.

Comeſſationes, compotationes, conuiuia publica, laicaliave, tum maximè in quibus mulieres interſunt, euitate.

Hoſpites excipite: at illis excipiendis intra parſimoniæ fines vos continete, ita vt clericalis frugalitatis, non ſumptuoſi conuiuij teſtes illos habeatis.

A ludis, ſpectaculis, circulatorumque atque id genus viliū hominum præſtigijs procul eſtote.

Arma abijcite.

Sic deniq; cor veſtrum corroborate, vt inania ſpectacula non appetat, à mundi ludis atq; ineptijs abhorreat.

Senſus autem veſtros ita dirigite, vt cùm à Deo vtiliter dati ſint tanquam rationis miniſtri, ne eos perperam adhibeatis, ſicut ſatellites cupiditatum.

Sit igitur veſter oculorum aſpectus ſimplex & pudicus.

Aurium ſenſus caſtus & prudens: caſta mens, caſti omnes ſenſus.

Vitæ & morum conſuetudo caſta & ſpiritualis.

Ad eorum ſacerdotum, qui in eiuſmodi vitę ſtudijs, ac diſciplina exercitati ſunt, familiaritatem vos adiungite, ex qua nobis veſtræ ad ſanctè agendum progreſſiones conſtent.

Ad caſtitatem autem conſeruandam munite omnem viam.

Legite propterea ſæpè illum beati Cypriani martyris de ſingularitate clericorum librum, qui vos in hac, vt in alijs inſtruet virtutibus.

Suſpectarum autem mulierum conſortium omninò vitate.

Cum alijs verò quibuſuis mulieribus, quamuis vel arctiſſimo conſanguinitatis vel affinitatis vinculo vobis illæ coniunctæ ſint, ne in eiuſdem domicilijs ædibuſve ſimul habitate, niſi cùm ex cauſa alicui veſtrum aliquando Epiſcopalib. literis permiſſum ſit.

In famulatu laicorum ne ſitis, multo minus fœminarum quamuis nobilium.

Ne verò illas muſicam, literaſve docete, niſi ſcripta nominatim facultate ab Epiſcopo permiſſum cuiquam ſit.

Ædes Eccleſiaſticas ne laicis locate, niſi conceſſu Epiſcopali.

Ac ne ipſas quidem patrimoniales locationi ijs date, quorum vita, moreſve ſuſpecti ſint.

Secularibus verò negotijs, vt eſt ſancti Pauli Apoſtoli documentum, ne vos implicate.

A cuiuſuis generis mercatura quęſtuoſa, omni negotiatione, prædiorum conductione, tum alijs, vt prouinciali decreto vobis interdictum eſt, prorſus cauete.

Ne pecuniæ, lucrive auidi ſitis: nemo poteſt ſeruire Deo, & mammonæ: aut enim vnū odio habebit, & alterum diliget; aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet, inquit Chriſtus Dominus.

Si qui pauperes eſtis, ne cupiatis diuites fieri, vt ne incidatis in tentationes multas, & in laqueum diaboli.

Paupertatem veſtram ne moleſte ferte: paupertatem dilexit & docuit cœleſtis magiſter Chriſtus, qui naſcens in præſepio ponitur, & nudus in cruce moritur. Scitote paupertati ſocias adiungi, ſobrietatem, abſtinentiam, & reliquas virtutes quibus prælucere oportet miniſtros Dei.

Proponite vobis ſanctorum veterum patrum vitam, qui lucrum non ſpectabant, temporalia non quærebant, & nihil ijs tamen deerat; immò in paupertate illis aliquando abundabat, quod alijs erogarent.

Ne igitur quia tenuem redditum habetis, lucrum quærite, ne quæſtum vos appetendo, iniuriam veſtro ordini facite, auaritiæ ſordibus volutati.

Non ſæculi vos mercatores, non mammonæ miniſtri eſtis, ſed Chriſti mercatores, nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ſed bonorum operum abundantia, cum charitate coniuncta, facite theſauros in cœlis.

Studete vos lucrari animas Deo, & cœleſte horreum augere.

Exemplo ſanctorum, vos paupertate, ſobrietate, ac parſimonia ita agite, vt non modò à ſuperuacanearum rerum vſibus abſtinentes, ſed veſtro etiam defraudantes victu, Eccleſias veſtras & altaria exornetis, ſarta tecta habeatis, ſacra ſupellectili inſtruatis: Alienis item neceſſitatibus ſubueniatis, & pauperibus opitulemini.

Qui

Qui verò vberiores Eccleſiaſticos redditus habetis, Eccleſias, è quarum prædijs fructus percipitis, eo magnificentius, & auguſtius, quo amplioribus donis, boniſue, auguſtiorique liberalitate illæ dotatæ ſunt, illuſtri ſtructura præclaro opere reficite, egregijsque muneribus exornare, tum omni Eccleſiaſticæ ſupellectilis apparatu inſtruite.

Chriſti viſceribus ſubſtantiam Eccleſiaſticam erogate, pauperibus ſcilicet, peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula coniectis, captiuis: quibus egentibus, & eſurientibus cum ſubuenire poſſitis, ſi alimenta neceſſaria denegatis, violatæ charitatis rei eſtis in conſpectu Domini.

Memores eſtote eius, quod à ſanctiſſimo patre Ambroſio ſcriptum eſt, ſua fideles eo animo obtuliſſe Eccleſię miniſtris, vt per eorum manus, quorum fidei, atque integritati ſumma omnia tribuebant, ad pauperes peruenirent.

Vos item alij, quicunque eſtis, quorum fidei Chriſti patrimonium propriè ad diuini cultus, pauperumq; vſum commiſſum eſt, cauete ne ambitione, aut cupiditate prolapſi in alium, quàm cui addictum eſt, conuertatis; idque propterea ſacrilegij rei damnationem æternam ſubeatis.

Vniuerſi autem vos, & ſinguli Eccleſiaſtici ordinis homines, vt ſummatim complectamur, quæ muneris veſtri ſunt, vobiſcum frequenter recolite, miniſterium veſtrum explere ſtudete, ſanctiſſima ſtudia religionis, & officij veſtri rebus alijs potiora ducite.

In rerum diuinarum, ſacrarumque cognitionem omni cura incumbite: quę diuina, quæ ſempiterna ſunt, diuitiarum, & honorum, & terrenarum rerum cogitationibus abiectis, amplectamini: reſtincto cupiditatum ardore integros, caſtoſque vos ſeruate; mundi voluptates, quæ à diuinis præceptis detorquent, declinate: prædiorum Eccleſiaſticorum, quæ non auaritiæ præda, ſed inſtrumenta charitati relicta ſunt, redditu, & fructibus non abutamini; humilitati ſtudete; charitatis opera præſtate; induimini Dominum Ieſum Chriſtū: ſanctorumque eius facta imitamini, vt & horum imitatione, & illius in primis diuinis præceptis, inſtitutiſque conformati, in vocatione, qua vocati eſtis, dignè Deo ambuletis; tum vitæ veſtræ ſplendore laicis hominibus lumen præferatis ad vitam ſanctè inſtituendam; tum vos repoſitam vobis iuſtitię coronam demum percipiatis.

Omnes præterea, & ſinguli, qui huius Eccleſiæ miniſterio adſcripti aliquo modo eſtis, & diœceſim, & Eccleſias, quas in ea obtinetis, quibuſue adſcripti eſtis, ſtationes veſtras, in quibus manendum vobis ſit, putate.

In illis ipſi reſidete.

Eccleſiaſticas ipſas ædes habitate; ibique domicilium veſtrum verè conſtituite, & habete.

Debitis muneribus, atque oneribus ſatisfacite.

Alia item agite, ac præſtate ex præſcripta conciliaribus decretis fructuoſæ, ſalutariſque reſidentiæ ratione.

Quicunque item clerici minorum ordinum eſtis in Eccleſijs, quibus adſcripti eſtis, ſinguli ordinis, quo initiati eſtis, functiones tali pietate obite, vt digni habeamini qui deinceps altiorem gradum aſſecuti, ſanctæ Dei Eccleſiæ inſeruiatis.

Nemo autem veſtrum, quicumque eſtis, ſi alicui functioni eſtis deputati, ab Eccleſiaſtica ſtatione, perſonaliſque reſidentiæ munere diſcedat, niſi cauſis per Epiſcopum probatis, & etiam conceſſu litteris expreſſo.

Hæc, quæ communiter, atque vniuersè vos moniti eſtis, ſinguli ſeruate, ſtudioſè ac diligenter.

At præterea ſigillatim, nominatimque vos, qui in cathedrali Eccleſia dignitates obtinetis, canonici item tum eiuſdem Eccleſiæ, tum reliquarum quarumuis Eccleſiarum collegiatarum, vel vrbanarum, vel diœceſanarum, quicumque ſitis, in omni canonicalis diſciplinæ officio ita agite, vt canonicè, nempe canonum legibus, ad vitæ veſtræ inſtitutum pertinétibus, & conſtitutionum prouincialium, diœceſanarumque rationem congruenter viuatis.

Id primo maximè ſtudete, vt in conſpectu Dei omnipotentis, puro corde, & caſto corpore miniſtretis. Tum ſinguli vos, ordinis dignitati, aut canonicatui annexi, functiones explete; canonicaliſque muneris partes præſtate.

Omnes in choro ſtatis horis aſſiſtite, & ad Deum pro fidelibus, pias, religioſaſque fundite precationes.

Dum eo loco eſtis, memores eſtote adeſſe Chriſtum Ieſum Dominum, cui ſeruite cum timore & tremore.

Non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes adeſtote; non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis ſtatu.

Attentè, ſtudioſè, ritè, piè, religioſè diuinas laudes concelebrate: & pſallite Deo in conſpectu Angelorum, cantantes in cordibus veſtris Domino.

In choro nemo priuatim, nemo tacite officium recitet, ſed omnes pariter, quicunque adeſtis, ſenes cum iunioribus, laudate nomen Domini in pſalmis, hymnis, & canticis.

A quibuſcunque colloquijs, & à literarum, librorum lectionibus, atque ab omni vagatione abſtinete.

Pro temporis autem, & officij ratione ſedete, ſtate, genua flectite, caput aperite, & inclinate. Accurratè demum omnia obſeruate, quę eo de genere vobis præſcripta ſunt, ita vt veſtro exemplo alijs ſacerdotibus, clericisq; & rectè, riteque pſallendi, & ſanctè orandi, & piè agendi animum addatis. In pſalmorum autem, canticorum, & hymnorum intelligentiam ſtudioſè incumbite: vt, dum pſallitis, pro ſenſuū ſanctiſſimorum, quos mente concepiſtis, ratione, vos ad omnem pietatis, deuotioniſque affectum excitetis.

Non ordinariæ diſtributionis luco adducti, ſed Dei charitate, religioniſque cultu commoti, diuinis officijs adeſte, vt vere, ex animoque pſalmi verba illa concinatis. Voluntariè ſacrificabo tibi & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt. Diuinis officijs abſolutis, paululum omnes in choro pie orate, inde abeundi ſigno per præfectum dato, conſurgentes, quo ordine ad chorum acceſſiſtis, eodem in ſacriſtiam redite, vbi cappas, qui illas induti eſtis, & ſuperpellicea ſine ſtrepitu vllo, vel ſuſurratione deponite.

Canonicales veſtros conuentus ſtatis hebdomadæ diebus capitulariter habete.

Omnes, qui debetis, ad illos conuenite.

Inde ne diſcedite, niſi miſſione à Capituli præfecto impetrata.

Singuli ordine, & loco ſedete.

Sententiam modeſtè dicite, & ſuo quiſque loco, non præpoſterè.

A verbis ſcurrilibus abſtinete.

In rebus conſultandis rixas, iurgia, & contumelias cauete.

In initio, & fine vniuſcuiuſque Capituli ſtatas orationes dicite.

Priori loco tractanda proponite, quæ ad diuinum cultū, ad ſpiritualis vitæ progreſſionem, ad Eccleſiaſticam diſciplinam tuendam, tum quæ ad rerum temporalium gubernationem pertinent, ne negligite.

Cætera hoc de genere toto ſeruate, quæ prouincialibus conſtitutionibus vobis præſcripta ſunt. Omnia in primis agite pace mutua, cōcordi voluntate, & charitate fraterna, vos inuicem diligite. Canonici enim eſtis; qui ſicut, pro collegij ratione ex antiquo inſtituto vna in collegiata eccleſia, vnoque item in canonicali domicilio collocati fuiſtis, ita vno pacis, & charitatis fœdere, vnaque animorum conſenſione coniunctiſſimi, ſicut naſcentis Eccleſiæ miniſtri, quorum erat cor vnum, & anima vna, experiundo videte, ſicut in pſalmo ſcriptum eſt, quam bonum, & quam iucundum ſit, habitare fratres in vnum.

Quicunque verò eſtis, qui inter canonicos, præpoſiti, aut Archipresbyteri, aut alterius dignitatis nomen, gradumue obtinetis, ſicut honore, & dignitate præſtatis; ita virtutum exemplis, vigilantique in veſtri muneris, curæne partibus obeundis ſollicitudine prælucete.

Parochi præterea, & ceteri quicumque eſtis, etiam præpoſiti, Archipresbyteri, alijue, qui animarum curam geritis, præter ea, quæ vos cum reliquo clero communia vniuerſe monuimus, illa etiam, quæ præcipuè de vobis decreta ſunt, præſtate omni ſollicitudine.

In primis oues, vobis concreditæ, cognoſcendæ ſunt, & appellandæ nominatim, paſcendæ, & cuſtodiendæ item.

Animarum igitur numerum in catalogum redigite ad ſcriptam normam.

Eorum, qui baptizantur, qui item confirmantur, & compatrum etiam qui adhibentur, nomina deſcribite.

Matrimonia in codicem referte.

Parochiæ veſtræ incolarum vitam, & mores inueſtigate.

Indagate omni ſtudio, ſi qui hæreſi contaminati ſint, aut ſpecti, aut ſi qui ſint, qui hæreticorum libros habeant, vendant, emant, importent, vel legant, eoſque ſtatim denuncia-

Monete etiam populum, vt id ipſum etiam præſtet, ad ſtri edicti præſcriptum: quod ſtatis temporibus de more omulgate.

Perquirite de dictis, & factis eorum, qui ex hæreticorum bus veniunt.

Diſpicite, ſi qui è parochiæ veſtræ finibus ad loca proficiſtur, vbi impunè prædicatur, quod à Catholica fide alienũ tum etiam an ij profectionis facultate impetrata agant ad eſcriptum decreti in Concilio prouinciali tertio promul-. Inueſtigate prĕterea de ijs, qui in veſtra parochia docent, undemque mores, vitam, & fidem obſeruate, reliqua de pſis præſtate, quæ Concilijs prouincialibus præſcripta, aue ſunt.

Videte, & cauete, ne ſuperſtitiones, magicæ cantiones, & ſmodi diabolicæ ſuperſtitiones in populo veſtro ſint.

Cognoſcite publicos peccatores, corruptores aliorum, cubinarios, adulteros, vſurarios, blaſphemos, & denuncia-

Cognoſcite etiam alios populorum corruptores, qui feſdiebus non Deo, ſed aleis, ludis, choreis, diabolo ſeruiunt, que feſtorum dierum cultum quouis modo violant, quaſint, neque obſeruant pontificias, neque prouinciales diebus feſtis colendis conſtitutiones, aut edicta Epiſco-

ſtos ab ea male agendi corruptela reuocare, ac deterrere, ni pietatis officio ſtudete, tum Epiſcopo etiam, ſicut opus, ſignificate, vt pro curæ Epiſcopalis officio ſalutare redium afferatur.

Rurſus agnoſcite etiam pauperes, viduas, pupillos, ceteroſe aliena ope egentes, quibus & ſalutari conſilio, & conſolane, & re ſubuenite, aut ſi minus re poteſtis, cohortatione as accendite ad eos ſubleuandos.

Sique illorum grauior inopia depoſcit, feſtis etiam diebus ia fidelium liberalitate aliquid in Eccleſia colligendum ate, vt ab Epiſcopo præſcribetur, quod ipſis in eleemoſyn conferatur.

Seorſum etiam locupletes parochiæ incolas conuenite, ibus pauperum egeſtates proponite, & oſtendite eis diuiti- Deo propterea etiam eſſe tributas, vt in opibus ſuccurt.

Si qui autem potentiorum opibus in cauſa aliqua oppreſſi t, illos vnice, atque intime eorum patrocinio commenda- qui vel ex ſuſcepto officio id præſtare debent, vel quibus iſcopus hanc curam dederit.

Paſcite in primis populum vobis commiſſum prædicane verbi Dei, ſalutaribus monitis, adminiſtratione item ramentorum, exemplo, & oratione.

In verbo Dei exponendo planè obſeruate, quæ conſtitutie prouinciali, & alijs concionatoribus, & vobis præſcripta nt.

Pueros feſtis, dominiciſque diebus, in doctrinæ Chriſtiae rudimentis inſtruite.

Prouectioris ætatis homines ad eadem intelligenda inuite.

Patres, Matreſque familias monete, vt filios, filias, ceteroſ- ue quos in familia habent, ad ſtatas doctrinæ Chriſtianæ holas ipſi conducant.

Confratrum, qui ijs ſcholis adſcripti ſunt, operam ad hoc ſtitutum adhibete, curateque vt mutua inter eos charitas, orumque diſciplina conſeruetur.

Alios etiam ad tam pium opus amplectendum alacriores ddite, atque excitate tum aſſiduis veſtris cohortationibus, um promulgatione theſauri ſpiritualis indulgentiarum, ijs onceſſi, qui ijs ſcolis adſcribuntur, in illiſque operam nant.

Ne omittite diebus feſtis inter miſſarum ſolennia aliquid x ijs, quæ in Miſſa leguntur, fidelibus exponere, & ſanctiſſimi llius ſacrificij myſterium aliquod explanare, & aliquando nctiores illius ſacrarum cæremoniarum, rituumque rationes, & ſignificationes explicare, quo diligentius inſtructi in ies ſacroſancto illi ſacrificio religioſius interſint.

Docete item, quomodo fideles ſigno Miſſæ celebrandę dato, ſe corde contrito ad eam ſanctè audiendam parent.

Curate, atque efficite perpetuis veſtris monitionum officijs, vt in illa viri aperto capite, mulieres velato, & in omni eius parte vtroque genuflexo, præterquã in Euangelio adſint.

Inſtruite etiam eos, quàm religioſè non ſolum in Miſſæ ſacro, verum etiam in diuinis alijs officijs verſandum.

Quando ſtandum, quando genua flectenda, quando aſſurgendum.

Quàm valde, dum illa fiunt, celebranturve, fugiendæ cõfabulationes, colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores, immò verò inanes cogitationes, quibus à pia meditatione, & myſteriorum, quæ aguntur, contemplatione, religioſáque oratione animus diſtrahitur; quàm denique ſtudioſè vitanda reliqua omnia ab eorum officiorum ſanctitate, & cultu aliena.

Rurſus quam ſanctè item, quam religioſe, & quàm demiſſo, humilique habitu in ſupplicationibus, litanijs, & ſtationib. verſandum ſit.

Qua reuerentia, quoue pietatis ſtudio in Eccleſijs, locisue ſacris manendum ſit, quæue ab alijs procul abeſſe debeant, idque ex ſanctionibus pontificijs, conſtitutionibus, conciliaribus, Epiſcopalibus prĕterea edictis.

Qua etiam, non ſolum intima religioſi animi præparatione, ſed externa etiam cultus, veſtituſque modeſtia, humili genuflexione, & armis depoſitis, ad ſanctiſſimam communionem, tum etiam ad certa ſacramenta accedendum ſit.

Tum docete, ac monete, quomodo dies feſti colendi & ſanctificandi ſint.

Oſtendite indigniſſimum eſſe ſacris illis diebus, non modo à nefarijs operibus illicitiſque negotijs non abſtinere, verum etiam religionis, ac pietatis opera non præſtare omni diligentia.

Ac præterea nefas eſſe, ſacros dies ad maxima Dei beneficia colenda, ſummaſque ei laudes perſoluendas, ac debitum ſanctis honorem tribuendum inſtitutos, ad illa traduci, quæ ab eo cultu abhorrent: qualia ſunt tripudia, ludi, choreæ, ſpectacula, quibus, ad turpes illecebras incitantib. ſalutis humanæ hoſtis, diabolus oblectatur.

Denunciate item ſtata ſacrorum temporum ieiunia; docete quomodo ieiunandum, quæ peccati grauitas in violandis ſacris ieiuniis.

Quæ præterea Chriſtianæ pietatis officia in ſanctorum vigilijs.

Quam ſanctè obſeruandum quadrageſimale ieiunium.

Statis autem ſolennibus, vel aduentus, vel ſeptuageſimæ, vel aliorum temporum celebritatibus præmonete fideles, atque diligenter ex paſtoralium etiam litterarum præſcripta recitatione, ac ratione inſtruite ad ſacra illorum temporum myſteria, ſanctis pietatis officijs religioſe colenda.

Vtque ijs omnibus pro temporum ſolemnitatumque ratione illi inſtrui poſſint, ſæpe monete, vt dominicis, alijſque feſtis diebus, quemadmodum ſacra Tridentina ſynodus optat, ad parochialem Eccleſiam conueniant.

Qua in re ſępius monitionem paſtoralem de genere frequenti populo legite.

Sæpe autem, ac diligenter eoſdem docete, quam aſſidue orandum ſit.

Quomodo & tacita ſupplicis mentis meditatione, & pijs ſtatis orationibus precandum.

Quam ſtudioſe, ac religioſe ſuſcipiendum veſpertinę communis orationis inſtitutum, quam diligenter illud ſemel ſuſceptum, pie retinendum.

Ideoque cum alias ſæpe in anno eam orandi rationem cũ indulgentijs conceſſis per ſumma capita explicate; tum præcipuè diebus, Concilio prouinciali tertio conſtitutis, in maxima populi frequentia de ſcripto pronunciate, atque euulgate.

Dominicis diebus inſtituite populum, & monete, pro quibus oret, vt eſt in eodem prouinciali Concilio decretum.

Tum præterea, quas ſingulis hebdomadæ ferijs, præcipuas precationes, Chriſtianaſque meditationes, atque in orando exercitationes ſibi propoſitas in promptu habere poſſit.

Quam ſæpiſſime vero ſermonibus veſtris populo proponite locos perpetuæ Chriſtianæ meditationis, de morte, de iudicio, de inferno, de gloria, & de præmio paradiſi.

Monete præterea ſedulo, ac frequẽtiſſime patres, matresque familias, vt liberos, familiamque ſuam ad pietatis, Chriſtianarumque virtutum diſciplinam religiosè inſtituant.

Ad hoc propterea patres familias inducite, vt de vitæ ſpiritualis ratione, & pijs exercitationibus libros probatos domi ſuæ habeant, in quorum lectione verſentur, ſeſeque & familiam inſtituant ad ſanctè agendum.

De patrum familias officio, familiæque inſtitutione, editam in Concilio tertio prouinciali conſtitutionem in parochiali conuentu legite, ſingulaſque eius partes explicate.

Tum alia præterea docete, quæ opportuna exiſtimaueritis, quibus illi ſe, ſuamque familiam in Chriſtianæ vitæ inſtitutis, atque exercitationibus conforment.

In officinis etiam, & tabernis diſciplinæ, vitæque Chriſtianæ ratione obſeruate; ſi quid autem vel ab artificibus, vel ab inſtitoribus, operarijsue committi animaduerteritis, quod diſſolutæ diſciplinæ ſit, id officinarum, tabernarumue dominos grauiter monete, oſtenditeque ea in re officij ſui partes.

Eſtis participes, & ſocij laborum, curæque Epiſcopalis, & in meſſe Epiſcopo commiſſa, operarij eſtis, elaborate vnà cũ eo, & contendite, vt populus, cuius cura geritur, tanquam purum triticum, auxiliante diuina miſericordia, congregetur in horrea cœleſtia.

Depoſitum cuſtodi, inquit beatus Apoſtolus Paulus, id quod vobis ſingulis dictum eſſe putate, vt in grege, tamquam depoſito fidei, curæque veſtræ commiſſo diligenter cuſtodiendo, ab omnique peccati labe conſeruando cogitationem, ſollicitudinem, curam, ſtudiumque omne collocetis.

Parochiæ igitur, vnicuique veſtrum concreditæ viciniã, cum à ceteris vitij omnibus vos ſinguli ſollicitè cuſtodite; tũ curate etiam, ne odia, ſimultates, inimicitiæ, factiones, necnõ temere iurandi, maledicendi, imprecandi prauæ conſuetudines, ac ne detractiones quidem in ea ſint.

At vitia in primis, & peccata, ad quæ populum procliuiorem eſſe animaduerteritis, reprehendite, atque exagitate.

Nec verò diſſimulate peccata: ſed annunciate populo ſcelera eius: publicè peccantes coram omnibus arguite, vt & alij timorem habeant.

Idque agite ſpiritu fortitudinis Domini, & vt ſtrenui eius milites, bonam militiam militate, nihil planè trepidantes.

Si ab increpatione, vos monet S. Gregorius, reticueritis, quia contra vos odia inſurgere reformidatis, non iam Dei lucra, ſed veſtra quæritis.

Non maledictis, non vexationibus, non calumnijs, non alicuius generis contumelijs illud, vel increpandi, vel palàm arguendi officium deſerite, modo Chriſti gloriæ, & animarum ſaluti ſeruiatis.

Rurſus non aucupandæ hominum gratiæ ſtudio id agere deſiſtite; ſeruus Dei non eſſem, ſi hominibus placerem, inquit Apoſtolus.

Væ vobis tacentibus, aut diſſimulantibus, ſi grex curæ veſtræ commiſſus perierit: ſanguinem eius de manibus veſtris requiret iuſtus, & omnipotens Deus.

Si igitur peccatur, ne in increpationibus verba veſtra blandientia ſint, ſed, vt à ſpiritu ſancto ſcriptum eſt, ſtimuli ſint, & quaſi claui, in altum defixi.

Inſtate opportunè, importune, priuatis etiam admonitionibus, conſilijs, correptionibus, obiurgationibus, vt peccãtes, adiutrice diuina gratia, in viam ſalutis reuocetis.

In vſum etiam ſanctè ita reuocate fraternam correctionem, vt non modo mutua Chriſtiana charitate vos ipſos corripiatis, ſed reliquos item, præſertim parochiæ incolas id charitatis, & correctionis officium rectè doceatis.

Ad ſermonum verò, admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate, præcipuè ex doctrina catechiſmi Romani, in quo magna cum populorum veſtrorum ſalutari vtilitate verſari diligenter poteſtis.

Neque ad hoc multiplicis veſtræ Eccleſiaſticæ tractationis genus negligite adiumenta, quæ aliunde vtiliter capere poteſtis.

Cætera autem officia, quæ in ſacramentorum adminiſtratione, in aſſidua ad frequentem eorum vſum cohortatione, in ægrorum cura, in alijs parochialis muneris functionibus, vobis prouincialibus, diœceſaniſque Concilijs præſcripta ſunt, præſtate, atque exequimini accuratè, ad earumque cõciliarium cõſtitutionum, decretorumue normam, omni obſeruantiæ atque obedientiæ ſtudio vos planè conformate.

Quæ verò decretorum prouincialium, vel diœceſanorũ partes ad laicos, eorumque Chriſtianam diſciplinam attinẽt, quo ſæpius euulgatæ, atque inculcatæ ſeruentur diligentius: illas, ſummatim vulgari ſermone expreſſas, crebro, prout vſu venerit, populis veſtris proponite, denunciate, explicate, atq; in conſuetudinem inducite.

Quæcunque denique vel ad vos, vel ad laicos, curæ veſtræ commiſſos, pertinent, ea decreta, quo maximo poteſtis, ſtudio, in omnem executionem, diſciplinæque vſum inducite. Videteque in primis, ac perpendite, quæ ſint, & quàm religioſæ muneris veſtri partes: caueteque vt in officijs, & curæ veſtræ functionibus non modo quicquam vos non committatis, ſed ne omittatis quidem: cum in ſacerdotali vita, ꝓ muneris, quod ſuſtinetis, ratione, tum grauiores, tum longe plures, quàm in ceteris hominibus eſſe poſſint, omiſſionis culpæ.

Vos præterea reliqui ſacerdotes, quicunque eſtis, quibus animarum cura non incumbit, cum alia omnia, quæ Eccleſiaſtici ordinis hominibus, de diuinorum officiorum cultu, de vitæ honeſtate, & ſtudijs, & vitæ ſpiritualis exercitationibus, præſcripta aut monita generatim ſunt, tum quæ nominatim, ſigillatimque ad præcipuam veſtram executionem attinent, præſtate omninò.

Vos item reliqui clerici inferiorum ordinum, quæcunque ad vos vel nominatim, vel generatim ſpectant, agite omnia, ſicut clericalis vitæ ratio, canonum, & cõciliorum decretis præſcripta, poſtulat.

Chriſti eſtis, nẽpe de ſorte Domini, & ipſe Dominus ſors, pars ſcilicet veſtra, tales præbete vos, vt & ipſi poſſideatis Dominum, & poſſideamini à domino, vereque dicatis, Dominus pars hæreditatis meæ.

Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus, vt ſtetis coram eo, & miniſtretis illi.

Videte igitur, quàm valde intentos vos eſſe oporteat miniſterijs veſtris, & quam magna vitæ, morumque caſtitate.

Proborum hominum tantum, præcipuè ſacerdotum, vitæ ſpiritualis laude præſtantium, familiaritate vtamini; ex quorum conſuetudine tum fructus vos capiatis, tum Epiſcopus meliorem in dies de vobis opinionem concipiat.

Maiores veremini, & obſeruate: eiſdemq; rectè monẽtibus obtemperate.

Præter Latinę linguæ, & litterarum ſtudia, Eccleſiaſticæ in primis diſciplinæ inſtitutionibus diligenter incumbite.

Sic demum vos moribus, & vitæ modeſtia probate, vt & à parochis, & à præceptoribus veſtris, tum etiam à populo bonum teſtimonium Epiſcopus habeat, voſque dignos iudicet, quos maioribus ordinibus adſcribat.

Vos vero, qui vel viſitationis munus geritis, vel clericalis diſciplinæ curæ quouis nomine pręfecti eſtis, vel in diœceſi Vicarij foranei conſtituti, in explendis muneris, atque officij vobis commiſſi, partibus ſedulò inuigilate, atque elaborate.

Onus, quod ſuſtinetis, quàm graue ſit, quam plenum curis perpendite; tum quam in eo vobis committendo ſpem, fiduciamque Epiſcopus habuit, videte, tum efficite, vt eius expectationi reſpondeatis vigiliarum veſtrarum ſtudijs, aſſiduaque ſolicitudine.

Eccleſias, quæ in vniuſcuiuſq; veſtrum regione ſunt, ſedulò viſitate: earumque partes ſingulas inſpicite.

Perueſtigate in vniuſcuiuſque parochiæ finibus, an aliqua publicorum peccatorum labes, an flagitia; quibus Epiſcopali cura Epiſcopus medeatur, neceſſe ſit.

Vniuerſo clero, pro regione commiſſa, inuigilate diligenter, illudque in primis videte, vt in diſciplinæ Eccleſiaſticæ moribus, inſtitutis, atque officijs ſe contineat, clericaliſque moderationis legibus congruenter viuat.

Indecentem eius habitum omnino reijcite; morum, ſanctæ vitæ, ſacrarumque literarum, & inſtitutionis Eccleſiaſticæ ſtudia, ſi quæ in eo langueſcunt, excitate.

Clerici autem minorum ordinum, in hoc maximè vobis commendati ſint, vt illorum omnes tum in vitæ moribus, tũ in litterarum, Eccleſiaſticæque doctrinæ ſtudijs progreſſiones accurate exploretis; atque, vt maximè poteſtis, paternis cohortationib. atq; obiurgationibus, iiſque aſſiduis adiunctis.

Eccleſiarum item cultum, nitorem, ceteraque eius generis omnia curate veſtra diligentia, quæ totis in Chriſto viſcerib. à vnoquoque veſtrum expetitur.

Quæcunque verò, vel prouincialium diœceſanarumque ſynodorum decretis, vel præcipuis inſtructionibus, vel viſitationum iuſſis præſcripta ſunt, ea omnia, vt re ipſa præſtentur, ſtudioſè perpetuo agite.

Hæc omnia, & ſingula his monitionibus nominatim, ſigillatimque expreſſa, tum cuncta item reliqua, vel Concilijs prouincialibus, diœceſaniſque ſancita, vel alio modo vobis præſcripta, vos omnes, ac ſinguli, quorum intereſt, quanto poteſtis amore, & pietate non amplectamini ſolum, & legite; id mente, animoque comprehendite, ſeruate, omnique ſollicita executione præſtate, totoſq; vos ad cohortationum, admonitionum, decretorum, & conſtitutionum rationem accommodate.

Quod omne, vt faciatis, ſicut nos pro epiſcopalis noſtri officij munere vos in hoc diœceſano conuentu ex concilij prouincialis præſcripto commonefecimus: ita etiam vnumquemque veſtrum, per vnigeniti filij Dei aduentum, per eius crucem, perque animarum veſtrarum ſalutem obſecramus, obteſtamur, diuinaque conteſtatione monemus. Rurſuſque vobis ipſis vniuerſis, & ſingulis edicimus, ſi quis veſtrum cõſtitutionibus, decretiſque vel prouincialibus, vel diœceſanis, veſtra cauſa editis, non paruerit, contra eum nos acturos eſſe Eccleſiaſticis, canoniciſque ſanctionibus.

Cauete igitur ne quẽ vobiſcum paternè modò agentem, ſolliciteque monẽtem, & in conſpectu Dei vos hoc ſacro loco deprecantem, auditis, eundem rurſus nõ in hac vita ſolum culpas veſtras animaduertentem, ſed in diuino præterea iudicio eaſdem accuſantem audiatis.

At ipſe Deus, & pater noſter, & Dominus Ieſus Chriſtus dirigat vias veſtras in omni ſancta obedientia; exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere, & ſermone bono, ita vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, per omnia ei placentes; ſicque ſanctis veſtrarum virtutum progreſſionibus probati, appareatis ante Deum, & patrem noſtrum in aduentu Domini noſtri IESV Chriſti, cum omnibus ſanctis eius. Amen.

De foro Epiſcopali, Eccleſiaſticoue.

EXcommunicationum, quæ certis monitionibus primum adhibitis, ad finem reuelationis, vt aiunt, pro deperditis, ſubtractiſue rebus ferri ſolent, literæ ne cuiquam, niſi ijs cõcedantur, qui ob eam cauſam ſupplicationis libellum Epiſcopo obtulerint, eorumque ipſorum tantum rogatu, quorum ciuiliter intereſt. Qui ſupplicationis libellus eiuſmodi ſit, quo & res ipſa, de qua agitur, & eius pretium item nominatim, ſpeciatimque exprimatur, niſi Eccleſiæ, loci pij, communitatis, vniuerſitatis, collegij, vniuerſaliſue ſucceſſoris res ſit, cuius certam notitiam illum, illamue non habere veriſimile eſt: tũc enim ſupplicantis qualitate in libello expreſſa rei, de qua queritur, deſcriptio quædam generatim fieri poterit, modo ne ſit incerta nimis, aut non veriſimilis, ſed eiuſmodi, quæ ſaltem oſtendat rem ipſam, vt eſt Tridentini Concilij præſcriptum, non vulgarem eſſe: id quod Epiſcopi concedentis religioſæ conſcientiæ, iudicioque pro ratione rei, & perſonæ relinquitur.

Porrò eiuſmodi excommunicationum litteræ non concedantur, vt infra ſancitum eſt.

Pro re crimínoſa, quæue infamiæ notam inurat.

Pro re non occulta omninò.

Pro re, quæ ita iam diu amiſſa, aut ſubtracta eſt, vt illius memoriam amplius non haberi veriſimile ſit.

Neque rurſus cuiquam excommunicato, aut manifeſtè, ac notoriè crimínoſo.

Neque verò contra aliquem, quem pro rebus quæ in monitorijs litteris exprimantur, ſatisfacere non poſſe conſtet.

Neque præterea in loco, vbi eas veriſimile ſit negligi, cõtemnive.

Cum vero pro ratione præſcripta aliquando concedantur, ne tamen in ſanctiſſimis his diebus, in Natiuitate ſcilicet Domini, Paſcha Reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, in celebritate ſacri Corporis Domini, aliiſque anniuerſarijs ſolennioribus diebus, vllo modo promulgentur, niſi Epiſcopus aliter cenſuerit.

Si item nihil, quod ſupra ſancitum eſt, neque aliud quicquam obſtat, quominus concedi poſſint, ne ſemper tamen dentur, concedanturue, ſed tantum cum Epiſcopus, ſeruata forma Concilij Tridentini, expedire cenſuerit.

Cui Epiſcopo ſoli, neque verò eius vicario, etiam generali, ſi modo Epiſcopus non longius abſit, eiuſmodi monitoriarum literarum conceſſio hoc decreto reſeruata ſit.

His vero litteris monitorijs aliquando datis, ne excommunicationis ſententiam Epiſcopus ferat, niſi de earum promulgatione locis, & temporibus congruis facta, relationem acceperit, & iterum de re ipſa diligentius, accuratiuſque deliberarit, ac grauem præterea cauſam cenſuerit, quamobrem illam ferat.

Formulæ certis verbis conceptæ, atque explicatæ conciliari noſtra auctoritate, ad huius prouinciæ vſum in lucem emiſſæ, ab omnibus, & ſingulis, quorum intereſt pro concepta, conſtitutaque ratione ſeruentur.

In omni, & ſcripto, & actione, quæ ſigilli Epiſcopalis, impreſſionem requirat, Epiſcopus ſigillo ſancti patroni Eccleſiæ, cui præeſt, imagine aliqua certa expreſſa, vtatur: quod cum ad illius ſancti viri memoriam, imitationemque excitandam, atque ad Eccleſiæ ornatum & ſplendorem inſigne eſt; tum pietatis rationi conueniens, & cum Eccleſiarum bene inſtitutarum vſu, conſuetudineque conſentaneum.

Eius verò ſigilli certa forma, imagoue, vel pro antiquo illius Eccleſiæ inſtituto, ſi id conſtat; vel, prout Epiſcopus ſemel ſtatuerit, perpetuo adhibeatur.

Fori Epiſcopali cancellarius, ac notarij certos libros habeant, in quibus cauſarum criminalium actiones, quæſtiones, ac, quos vocant, proceſſus rectè, ordineque deſcribant, nec vero in folijs.

Mercedem præterea, quam ex vniuſcuiuſque cauſæ, vel ciuilis, vel criminalis ſcriptione, actione, & proceſſu acceperint, cum in libro certo exſcribant, ijs ipſis certis dieb. ſingulis, quibus eam mercedem, aut partem acceperint, & menſe, anno que notatis; tum in ipſius cauſæ, proceſſuſque acti, conſcriptique fine adſcribant item.

Quod in Concilio prouinciali tertio Epiſcoporum vicarijs vetitum eſt, vt ne eſculenta quidem, poculentaue ab litigantibus, alijſue apud ſe cauſas agentibus, dono accipiant; idem cancellario, & notarijs interdictum ſit, ab illis ſaltem accipere, in quorum cauſis acta conſcribunt, notarijue partes agunt.

Pœnæ, & mulctæ omnes, ac ſingulæ, cuiuſuis generis ſint, ſiue clericorum, ſiue aliorum quorumcunque, etiam quas ex ſuperiorum conciliorum ſanctionibus irrogare contigerit, deinceps piorum locorum, operumue vſui vere, atque omnino attribuantur, nulla prorſus parte reſeruata, aut alij vſui attributa.

Rurſuſque vt attributionis, ſolutioniſque certa, atque explorata ratio conſtet; Epiſcopus certum codicem, in quem eæ explicate referantur, confici, in archiuioque epiſcopali aſſeruari diligenter mandet.

Nec verò vicario, alijue Epiſcopalis fori iudici vllam omninò pœnarum, mulctarumque partem conſequi, habereque vllo quouis colore liceat.

Quicquid conſenſus, approbationis, facultatis, licentiæue, vel alio huiuſmodi nomine ex huius, vel ſuperiorum conciliorum prouincialium decretis ab Epiſcopo impetrandum eſt, eiuſue auctoritate concedendum, id & ab ipſo, & ab eius cancellario, & quibuſuis miniſtris gratis omnino, ſemper detur, etiam quod ad ſcriptionem attinet.

Vt ne ex notariorum imperitia detrimenta, & litium occaſiones exiſtant, quod de ijs ipſis, etiam Apoſtolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatis, Tridentina ſanctione decretũ eſt; id Epiſcopi ſtudioſe exequantur, vt eorum peritiam, vſumque etiam examinatione adhibita, perquirant. Quicunque verò notarij, ea per examen diſquiſitione facta, probati non ſint, officij ſui in negotijs, litibus, cauſiſque Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus exercitatione, atque vſu per illos, vel perpetuò, vel ad tempus prohibeantur, ad eiuſdem Concilij præſcriptum.

Quod

Quod de Pontificiarum conſtitutionum promulgationis modo loco, vel in hoc vel in alijs concilijs prouincialibus præſcriptũ eſt; id non ſolũ in pontificijs conſtitutionibus, ſed etiam in edictis epiſcopalibus, alijſue ſcriptis, quæ promulgari contigerit, locum habeat, planeque ſeruetur.

Quo autem ſtudioſius tradantur, & inculcentur, quæcumque illis vel conſtitutionibus, vel edictis, ſcriptiſue continentur; Epiſcopus, ſi ita expedire cenſuerit, illas ipſas tum conſtitutiones, tum edicta, vel ſcripta eiuſmodi in cathedrali eccleſia ſaltem populo frequenti, de ſcripto primum ita legi curet, vt ne verbum quidem, nedum pars vlla omittatur. In alijs deinde Eccleſijs, ac locis, vbi euulgandas cenſuerit, illæ per capita ſummatim, vulgarique ſermone, prout ille maluerit, explicentur.

Certos, ſtatoſque dies ſingulis menſibus, calendarij inſtar notatos, quibus vel pontificias ſanctiones, vel Tridentina decreta, vel prouinciales, diœceſanaſque conſtitutiones, aut paſtorales literas populo euulgari, de ſcriptoque pronunciari iuſſum eſt, Epiſcopus parochis præſtituat, vt ordine omnia, pro temporum ratione, diligenter promulgata, ſæpiuſque ſuis certis diebus repetita, accuratius in executionis vſum inducantur, ac retineantur.

Cum vel ſanctiones pontificias, vel decreta Conciliaria, vel literas, conſtitutioneſue Epiſcopales, vel aliquid eiuſdem generis promulgari, aut populo enunciari, de ſcriptoque legi iuſſum eſt, vt vberiorem fructum ferant, ac ſtudioſius ad executionis vſum illæ introducantur; Epiſcopus concionatores, qui in vrbe ſunt; parochi vero diœceſani; ſi quos in ſuæ parochialis Eccleſiæ finibus habent, eos diligenter hoc præmonere ſtudeant, vt, quod fidelibus enunciãdum eſt, idem illi inter concionandum cohortationibus adiuuent.

Hoc verò cohortandi munus ipſi etiam parochi ſtudioſè ſemper præſtent.

Liber fiat, in quo ſingula diplomata, ſiue ſummorum Pontificum, ſiue Imperatorum, ſiue Regum, Principumue ſint, quæ ad Eccleſiæ illius priuilegia, iura, aliaue id generis quouis modo pertinent, rectè, atque ordine deſcribantur.

Qui liber in armario, certo archiuij loco, diligenter aſſeruetur.

Quæ pertinent ad matrimonium.

QVæ à ſummis pontificibus, conſtitutiones, litteræue decretales, à Tridentinorum de matrimonij impedimentis decretorum declarationem editæ ſunt, eas cum à cęteris, tum à parochis præcipuè non ignorari oportet. Cui rei vt occurramus, illas typis impreſſas, vnà cum hoc libro Concilij prouincialis Quarti, in vltima parte edi cenſuimus.

Statas illas matrimonij denunciationes, Tridentina ſanctione præſcriptas, Epiſcopus ne facile remittat. Si verò pro ſua pietate, ac prudentia earum aliquam quandoque antequam matrimonium contractum eſt, omitti cenſuerit, ac poſtea, ante conſumationem illas planè omnes, aut ſi minus omnes, ſaltem duas, aut minimum, vnam fieri curet omnino.

Parochus ſtatas matrimonij denunciationes facturus, præter notitiam de illis faciendis ſibi datam ab agnatis curatoribus illorum, de quorum matrimonio agitur, primum à mari, tum à fœmina exquirat, an matrimonij, quod inter eos tractatur, denunciationes fieri placeat.

Qua in re caueat, ne dum matrimonij denunciandi voluntatem eorum notam, exploratamque inueſtigando habere vult, ea inueſtigatione matrimonij iſtius, aut ſponſalium conſenſum exquirat.

Itaque de ſtatis ſolum denunciationibus explicate, ac diſtinctè, ſeparatimque ab vtroque perquirat, idque à fœmina loco honeſto, & in propinquorum conſpectu, ita tamen, vt ne quiſquam audiat, neque ita prope ſit, vt illa præ pudore, vel alia cauſa minus liberè animi ſui voluntatem exprimere audeat.

Annulo nuptiali non dexteræ, ſed ſiniſtræ manus ſponſæ digitus, qui annularis dicitur, induatur; dumque induitur, ne à ſponſo, ſed à ſacerdote, cuius eſt benedicere, illa verba proferantur: In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Amen.

Quæ in nuptijs indecorè fiunt, ea ab Epiſcopis omnino [...]ripi Concilio prouinciali primo iuſſum eſt.

In ijs porro ipſis cum potiſſimum minime ferendæ ſi[...] illæ duæ, deprauato morum vſu, introductæ corruptelæ: v[...] ſcilicet, cum certa quædam pecunia ab ijs extorquetur, qui [...] alieno ſolo, alienave parochia vxorem ducunt; altera, cu[...] per vicos, & plateas, qua iterum nupta ducitur, clamores, [...] multuoſæque voces, à prophano gentilium more non abho[...] rentes, ac ſtrepitus hominum, quaſi exagitandis ſecundis nu[...] ptijs eduntur; eas ſane à Chriſtianæ pietatis inſtitutis, atq[...] moribus, & à matrimonij, quod celebratur, ſanctitate alien[...] Epiſcopus, cum omni alia paſtoralis officij ſui ratione, tu[...] propoſitis etiam pœnis, cenſuriſque extirpari, ac planè fund[...] tus tolli curet.

Quibus matrimonij contracti in vno aliquo ex imped[...] mentis, quibus illud contractum dirimitur, diſpenſatio à ſa[...] cta ſede Apoſtolica, aut in foro conſcientiæ, aut in vtroq[...] foro delegata eſt; ij caueant, vt ad litterarum Apoſtolicaru[...] præſcriptum, illos, cum quibus diſpenſari conceſſum eſt, m[...] trimonium contrahere cogant.

Quo ſtudioſius populus in officijs chriſtianæ pietatis i[...] ſtituatur; ex diuinæque legis præceptis inſtitutum vitæ gen[...] ſequatur: id parochus præſtet, vt aliquando ineunte præſe[...] tim aduentu, & quadrageſima, patres familias, ſuæ parochi[...] omnes ad Eccleſiam parochialem conuocet, hora, quam cõ[...] modam is cenſuerit. Qui in patrumfamilias conuentu, tu[...] conſtitutionem, in Concilio tertio prouinciali de patrum f[...] milias officio, familiæque inſtitutione editam, de ſcripto le[...] gat, ſingulaſque eius partes explicet; tum alia præterea doc[...] at, quæ opportuna exiſtimauerit, quibus illi ſe familiamqu[...] ſuam in Chriſtianæ vitæ diſciplina conforment, ex præſcrip[...] to etiam regularum, & inſtructionum, quæ eo nomine au[...] ctoritate noſtra edentur.

Quæ pertinent ad regulares.

QVod ſacroſancti Tridentini Concilij decreto de inter[...] pretatione ſacræ ſcripturæ in monachorum monaſte[...] rijs inſtituenda ſancitum eſt, id Epiſcopi omnino efficiant[...] vt quib. in monaſterijs commodè præſtari poteſt, ea inſtitu[...] atur, vel ſi intermiſſa eſt, reſtituatur.

Qua in re præſtanda Abbatem, atque alios, quocunqu[...] nomine vocatos, qui monaſterio præſunt, opportunis iuri[...] remedijs compellant.

Si quæ fœmina, cuiuſuis etiam conditionis, dignitatis, gra[...] dus, ac generis ſplendore illuſtris, virorum regularium cuiu[...] cunque vel ordinis, vel inſtituti clauſtra vbicunque in illis, et[...] iam prioribus, monaſterij conuentus, domusue clauſtrali[...] porticibus, primariæ eiuſdem ianuæ exteriori proximis, con[...] tra quam Apoſtolicis ſummorum Pontificum Pij Quinti, & Gregorij XIII. conſtitutionibus ſancitum eſt, ingrediatur, pr[...] earum ſanctionum iure Epiſcopus pœnarum, cenſurarumq[...] declaratione, & irrogatione contra illam ſeuere agat.

Ad priores autem illas clauſtri porticus, exterioriq; oſti[...] viciniores, vt à ſancta ſede Apoſtolica declaratum eſt, ingreſ[...] ſus mulieribus non vetatur, quo tempore in ijs, cum cœmite[...] ria, ſepulcraue ſint, pro mortuis fiunt, à regularium vniuerſ[...] monaſterij, domuſue illius conuentu ſupplicationes, proceſ[...] ſioneſue publicæ de more aguntur. In clauſtrorum autem fi[...] nibus cenſeantur horti etiam, ac viridaria, vineæ, & eiuſmo[...] di loca, quæ monaſterijs, domibuſue regularium ita conti[...] nenter ſunt adiuncta, vt ab illis domibus, vel monaſterijs a[...] eos hortos, locaue aditus ſit, nulla via, locoue publico interiecto. Sin autem de clauſtrorum finibus, circumſcriptioneue dubitatio, aut difficultas, aliquando exiſtat, per loci ordinarium, adhibitis regularium ſuperioribus, illa explicetur, certaque demum ipſis limitibus clauſtralibus definitio, circumſcriptioue ſtatuatur, vt ne ob varias eorum ſuperiorum regularium interpretationes occaſio præbeatur, quamobrem cenſurarum vinculis fidelium animæ irretiantur.

De monialibus.

ALijs decretis, quæ ſuperioribus concilijs de monialibus conſtituimus, hæc, quæ, infra præſcripta ſunt, adiungen- a ſtatuimus.

Monaſterium ianuas, per quas ad illius ſepta aditus pateat, [ian]uas habeat, & alias præterea nullas. Quarum duarum ianua- uas habeat, & alias præterea nullas. Quarum duarum ianua- ım, vna iumentis, curribus, vehiculiſque agendis, altera alijs ſibus, & commodis neceſſarijs inſeruiat. Quo autem in mo- aſterio vna tantum ad omnem tum actum, tum vſum ſatis ſſe videbitur, in eo illa dumtaxat vna ſit.

Ianua vtraque è duplici aſſere, eoque firmo conſtet, ac ſi- e vlla item ſit, ne minima quidem, rimula. Limen è marmo- e, ſolidoue lapide habeat, quod ſtrictim ipſi portæ cohæreſ- at.

Ianuæ curruum, iumentorumue, altera ex aſſeribus fir- nis, ad cancelli ſpeciem confecta, in monaſterio ipſo adiun- ;atur, quæ à prima ianua paululum diſtet, formaque ſit in fa- ıricæ Eccleſiaſticæ inſtructionibus demonſtrata.

Ad ianuam alteram, alijs vſibus accommodatam, cui ro- a, quem turnum vocant, adiungetur. moniales duæ ſemper ıſiſtant, quæ ianitrices conſtituentur.

Singulæ hæ tres ianuæ clauibus duabus, fabrili opere inter ſe diuerſis, claudantur, quarum vnam, etiam die, monaſterij præfecta, alterã monialis, quæ profeſſione anterior eſt, apud ſe perpetuo habeat.

Rotæ omnes amoueantur, atque obſtruantur, ac in poſte- rum vetitæ perpetuo ſint, præter illam, ianuæ communi adiunctam, & alteram in loco, quem parlatorium vocant, ex- tructam, & tertiam, quæ eſt in cellula confeſſionum, & quar- tam in Eccleſia ad ſacras veſtes, & ornamenta Miſſæ ſacro ne- ceſſaria è monaſterio exponenda accommodatam.

Cibus verò in omni monaſterij hoſpitio, etiam confeſſa- rij, è rota communi exponatur.

Singulis rotis à parte anteriori monaſterij vncus firmiter impactus ſit, ne pro libito verti extrinſecus queant.

Si vero loca, vt dicunt, parlatoria complura erunt, in vno tantum, aut in altero ad ſummum, ſuperiorũ iudicio rota ſit.

Rotæ, quæ in Eccleſiam ſpectat, valuæ ligneæ binæ appo- nantur, alteræ interiores, quarum clauis à præfecta teneatur, alteræ exteriores, quarum clauis apud cappellanum ſit, aliumue, qui ſuperiori videbitur.

Rotarum altitudo ne maior ſit cubito, & vncijs octo; lati- tudo autem cubitalis.

Rota confeſſionum minor ab omni parte ſit dimidia præ- ſcripta quantitate.

Nulla feneſtra, præter illas, primo Concilio Prouinciali nominatim præſcriptas, è monaſterio in Eccleſiam, ſacriſtiamue exteriorem ſpectet, ac ne rima quidem, ne dum foramen vllum in ea extet, vnde aſpectus, aut collocutio fieri poſ- ſit.

Feneſtra, qua ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eleuatio proſpici- tur, altius ne pateat cubitis duobus, & vncijs duodecim, latè vero, vt altaris latitudo eſt.

Quæ feneſtra clathra ferrea duo, palmi ſpatio inter ſe di- ſtantia, firmiter configantur.

Virgæ autem ferreę, quibus clathra compacta ſunt, ſingu- læ inter ſe diſtent non amplius vncijs tribus.

Sint autem inter ſe inſertæ, ita, vt loco ſuo dimoueri non queant.

Claudantur autem feneſtræ ab interiori parte firmis va- luis, ſera, & claui, quæ apud præfectam aſſeruetur.

Vbi autem illa è latere altaris, eccleſiæue, aut alio loco, et- iam ſuperiori, eſt, vnde moniales eos, qui in Eccleſia exterio- re ſunt, ſpectare poſſunt, efficiat Epiſcopus quamprimum, vt ſuper altare, vnde Miſſæ ſacrificium moniales intuentur, ad inſtructionum præſcriptũ extruatur, laterali illa, aliaue, quę- cunque ſit, penitus obſtructa.

Feneſtella, ad eccleſiam verſus ſpectans, per quam moniales ſacram Euchariſtiam ſumunt, ita altè, apteque ſtruatur, vt ſacerdos illam miniſtrando commodè ſtet, non genua flectat. Cui feneſtellæ extrinſecus valuulæ ligneæ præter illas, quæ modo ſunt, apponantur, quæ parietem æquent, earumque clauis apud confeſſarium ſit perpetuo.

Sanctiſſimum ſacramentum ne alibi quam in altari maiori aſſeruetur, cui lampas in Eccleſia interiori, ſemper præluceat, & in exteriori, cum illius fores patebunt.

Reliquiæ ſacræ in feneſtella recondantur, quæ ad inſtructionum noſtratum præſcriptum, in pariete Eccleſiæ interioris exædificata, ab ea tantum parte, quæ ad exteriorem Eccleſiam ſpectat, aperiri poſſit. Claudatur autem hæc feneſtella tribus clauibus, diuerſo opere confectis, quarum vna apud Epiſcopum, altera apud confeſſarium, tertia apud monaſterij præfectam ſit.

Feneſtella confeſſionum altè vncias ſexdecim, late duodecim, nec vero amplius pateat; ſepta autem ſit firmis clathris ferreis ad formæ præſcriptæ rationem, & lamina item ferrea bene ſolida pariete firmiſſimè agglutinata, & foraminum, inſtar ciceris tenuium pleno, panno lineo nigro obducta: qui pannus ligneis tabellis ſic affigatur, vt non facile amoueatur.

Loca collocutionum interna, parlatoria vulgo vocata, quæ in poſterum fient, vna, eademque ſpacij circumſcriptione, nullo interiecto pariete contineantur, & ad formæ, qua iam pleraque exædificata ſunt, modum accommodentur, vbi id non magno incommodo fieri poterit, vt ab eiſdem auſcultatricibus omnes poſſint collocutiones exaudiri.

Ne feneſtra laminæ ferreæ, vt primo Concilio prouinciali cautum eſt, vnquam aperiatur, niſi perrarò, & ob cauſam, quam vrgentem Epiſcopus iudicarit.

Ne in locis, ad hoſpitij vſum extructis, quæ foreſteriæ nominantur, vbi interdum ob vrgentem neceſſitatem, aut cibus capitur, aut dormitur, feneſtræ vllæ, ne exiguæ quidem, inſint, quæ in monaſterium ſpectent.

Tecta hoſpitij, & aliarum cuiuſuis generis domorum à monaſterij tectis, vt ſeparata penitus, ac valde diſiuncta ſint, curetur omnino.

Quibus monaſterijs de vicinorum præſertim religioſorũ proſpectu tollendo ita caueri non poteſt, ſicut Concilio prouinciali primo iuſſum eſt; eorum feneſtræ, ſi lumen excipi aliunde licet, obſtruantur; ſin minus, ab illa ſeruitute defendatur operis ſtructura, in inſtructionibus noſtris demonſtrata, quæ in porticibus item, quas logias dicunt, ab eadem ſeruitute tuendis, adhibeatur.

Horti, qui in monaſterijs monialium ample nimis patent, quotidianaque hominum opera, atque cultura opus habent, vbi fieri poteſt, in anguſtiores fines concludantur.

Ne feneſtra, in vllo cuiuſuis ordinis monialium monaſterio, etiam regularium iuri, curæue ſubiecto, neue oſtium vllum, aliudue id generis foramen, vnde aliquis extra monaſterij clauſtra proſpectus ſit, patefiat, aperiaturue ſine Epiſcopi, cui monaſteriorum omnium clauſura commendata eſt, conceſſu. Nec vero id ille permittat, concedatue, niſi vbi locum diligenter inſpexerit, & ita fieri neceſſarium cenſuerit. Tuncque ad impediendum, arcendumue eum proſpectum illa ipſa cautio, ſupra mox præſcripta, adhibeatur.

Miniſtris, quibus ob neceſſariam cauſam monialium ſepta ingrediendi facultas aliquando datur, illæ ſolum moniales, quas præfecta delegerit, imperent; aliæ verò pręterea nullæ quicquam illis vel iubeant, vel alloquantur.

Moniales cum in eo loco, vbi ab alijs, qui foris ſunt, etiam à concionatore, aut à ſuperiore videri poſſunt, ſermoni, concioniue interſunt, omnes facie ſint operta, & contecta velo, vſque ad os deducto.

Idem præſtent, quæ cuiuis, etiam medico, aut ſuperiori monaſterij ſepta ingredienti, obuiam prodeunt, vel illum excipiunt, deducuntue.

Probentur ab Epiſcopo medici aliquot, quos conceſſu etiam monaſterij ſuperiorum, intra illius ſepta adhiberi liceat, ſi quando præter medicum ordinarium alios etiam morbi grauitas requirit.

In vnoquoque monaſterio, Epiſcopi, furnorum, in quibus panis coquatur, vſum introducant, vt piſtoribus eorumque miniſtris ingreſſus in monaſterium prohibeatur omninò.

Nec vero vir quiſquam ad furnum purgandum, inflammandumue, aut ad aliud quicquam faciendum, quod à monialibus fieri, agiue poteſt, introducatur.

Quod in Concilio prouinciali primo, de facultate ſcripta,

ad mo-

ad monialium monaſteria accedendi ſancitum eſt ; id tum mares, tum fœminas, quocunque etiam gradu, dignitate, genereue illuſtres, inuiolatè ſeruare decernimus, etiam ſi pater, mater, fratres, ſorores ſint moniales, quam viſitatum veniunt. Idque omninò vbique præſtari cura EPISCOPI ſit.

Cauſæ neceſſariæ, ob quas intra ſepta monaſterij ingredi licet, in hac prouinciali ſynodo, ex primi Concilij decreto, vel explicatæ, vel tanquam nullo modo neceſſariæ reiectæ, in extrema huius Concilij parte editæ, atque impreſſæ in ſingulis monialium monaſterijs, etiam regularium curæ ſubiectis, edicantur, & enūcientur; nec verò ab ijs vllo modo, vllaue ratione, ac prætextu diſcedi liceat.

Fructuum, florumue vaſa in monaſterijs ne vllo modo teneantur, eos vel fructus, vel flores vendendi cauſa.

Offulas, & alia huius generis non modo donandi, vt primo Concilio vetitum eſt, ſed etiam vendēdi cauſa, à moniali, aut monaſterio confici ne liceat.

Abſtineat monialis à muneribus dandis.

Eleemoſynam verò per rotam, portamue monaſterij dari vetitum ſit omninò, quoniam inde non leuia pericula, vel damna potius extare compertiſſimum eſt: ſed quibus monaſterijs pro ratione facultatum eleemoſynam dare permiſſum erit ab Epiſcopo alioue ſuperiore, ab illis detur pecunia, frumentumue, aut aliud eiuſmodi pijs aliquibus viris, præſertim verò locorum piorum curatoribus, qui pauperibus diſtribuant alio loco, quam apud monaſteria.

Medicamenta, ſi quæ Epiſcopus, aut alius ſuperior vendi, aut foras dari permiſerit, ab aromataria ſeniori ſolum detur, & ab alia præterea nulla; nec vec verò priuato, ſed monaſterij nomine, vendantur, denturue.

Moniali ne liceat ijs, qui extra clauſtra ſunt, vel medicamenta parare, præbereue, vel manum medendi cauſa admouere, vel remedia exponere, vel aliud quicquam ad rem medicam pertinens exercere.

Caminus ſiquis in priuatis cellis extructus eſt, perpetuo ita obſtruatur, vt in eo ignis accendi nullo modo queat.

Cum vel feneſtra, vel oſtium, vel caminus obſtruitur, illius cardines ſic euellantur, vt non ad tempus, ſed ad perpetuitatem id actum ſit.

Idem in feneſtris, oſtijs, & caminis iam obſtructis, ſeruetur.

Communis ille curationis ægrotantium locus, quem infirmariam vocant, vbi adhuc exædificatus extructusue non eſt, quam citiſſime poteſt, conſtituatur, extruatur, ædificeturue. Extra cuius loci fines monialis ægrotans ne cubet; at valetudine recuperata illic ne diutius moretur deliciarum cauſa.

Antiquus, & probatus communium dormitionis locorū vſus, vbi fieri commodè poteſt, reſtituatur, & ad priſtinam conſuetudinem reuocetur.

Intra monaſterij ſepta nemini alij, niſi monialibus ſepulturæ locus detur, ſitue.

Nec vero monialium cadauera extra ſepta efferantur ad ſepeliendum.

Neminem cuiuſuis ſtatus, vel conditionis hominem, neq; laicum, neque Eccleſiaſticum in vllo quouis monaſterio monialium hoſpitijs illis, quas foreſterias dicant, excipi, aut ad ea ſiue in vrbe, ſiue in diœceſi diuerſari liceat, excepto confeſſario ſacerdote, cui aliquando ob vrgentem neceſſitatem id conceditur. In diœceſi verò, monaſterij etiam viſitatori, & curatoribus, procuratoribusue, vbi interdum hoc ipſum concedendum neceſſario, Epiſcopus cenſuerit.

Quod de cantu figurato, & muſico quouis inſtrumento, & muſicis item die feſto Eccleſiæ monialium, in exteriori Eccleſia non adhibendis, Concilio Prouinciali primo ſancitum per nos eſt; id etiam omni alio die, & tempore illis vetitum eſſe decernimus.

Nec verò quicquam aliud præter Miſſam in exteriori illarum Eccleſia ab alijs canatur; cum veſperarum, & reliquarum canonicarum horarum officia ab ipſis monialibus cani poſſint.

In vnoquoque monaſterio, vbi neque locus communis veſtium, neq; alter eſt item, in quo operibus elaborandis moniales exerceantur, vterque, quam primum fieri poteſt, conſtituatur, conſtruaturve.

Ne monialis, ianitricibus exceptis, alibi, quàm loco operibus elaborandis conſtituto, acu pingat, aliudve quicquam manibus elaboret.

Laborum, operumve magiſtra librum certum habeat, in quo quicquid ex ijs laboribus lucri, emolumentiue capitur, enucleate ita præſcribat, vt cerni facilè queat, ſi quid in ea deſideretur.

In operib. vel accipiendis, vel reſtituendis nulla alia monialis ſe ingerat, niſi laborum magiſtra: cui ſecum aliquando, cū neceſſe erit, aliquam monialem, operis alicuius conficiendi vſu peritiorem, adhibere liceat.

Illud porrò, quoad eius fieri poteſt, cauendum erit, vt in monaſterio ne ſint multiplicia, diuerſaque genere opera manuum, ſeu laboraria.

Hoc loco laborum communi, non ſolùm ad Concilij primi præſcriptum, lectio de vita ſpirituali adhibeatur, verum etiam ab omni otioſo verbo abſtineatur.

In loco veſtiario indumenta cuiuſuis generis, veſteſque omnes aſſeruentur.

Nec in cellulis, aliove loco priuatim, reponatur quicquam, cuſtodiaturve, quod eo ipſo tempore neceſſarium non ſit.

Monialis nummos, ne modicos quidem, apud ſe quouis nomine ne habeat, neque de præfectæ etiam conſenſu, niſi officij, quod gerit, ratio aliter poſtulat. Alioquin vt proprietatis rea puniatur. Quam pœnam, & præfecta, quæ id vllo modo, vllove prætextu permiſerit, & monialis item ſubeat, quæ reſciuerit, nec præfectæ bidui ſpatio, aut, ſi hæc in culpa ſit, ſuperiori quàm primum potuerit, non denunciarit.

Curetur omnino, vt exquiſita illa, ac religioſa communis vitæ ratio, atque vſus in monaſterio ſtudioſè introducatur; vtque ſpiritualis vitæ ſanctæque inſtitutionis diſciplinam, ac ſtudia moniales ſectentur diligenter.

Singulis annis, vt primo Concilio iuſſum eſt, impenſarum, quę in victum, aliumque monaſterij vſum erogatæ ſunt, rationes per eos, quorum intereſt, à præfecta repetantur. Quantum vero, & tritici, & vini, & obſonij, & aliarum rerum ad anniuerſarij victus ſuſtentationem vnicuique monaſterio ſatis eſſe Epiſcopus exiſtimarit, id ipſe accurate præſcribat. In ea autem præſcripta diſpenſatione, adminiſtrationeve, ſi præfecta negligentem ſe præſtiterit, ab officij ſui munere ſuſpendatur.

Æs alienum, quod quinquaginta nummūm aureorū ſummam excedat, ne in vllo monaſterio cōtrahatur, ſine ſuorum curatorum permiſſu, cōceſſuve, qui in magni momenti rebus Epiſcopum conſulant.

Ne ſecularibus negotijs moniales ſe implicent; vtque ſimul multis fraudibus ac detrimentis occuratur, hoc ſedulo Epiſcopus curet, vt illorum prædia locentur, idque ſub haſta auctione facta; niſi aliter quandoque expedire cenſuerit.

Ad tuendam etiam clauſuram ea cautio adhibeatur, vt neque triticum, neque aliæ fruges, neque annona in vllis monaſterijs, præterquam ad monaſterij vſum, & neceſſitatem aſſeruetur.

Monaſterij vniuſcuiuſque curatoribus, procuratoribus, patronis, defenſoribus ab Epiſcopo certæ regulæ præſcribantur: ex quibus cognoſcant ſingulas muneris ſui partes. Ij vero curatores & id generis miniſtri ab Epiſcopo ſingulis monaſterijs, curæ ſuæ ſubiectis, illos non habentibus, conſtituantur: ita tamen, vt eiuſdem Epiſcopi arbitratu à muneris illius cura omnes, & ſinguli ſemper amoueri queant.

Bonorum, & iurium omnium, ad monaſterium quodcunque, etiam regularibus ſubiectum, pertinētium, inuentarium, probabili forma conſcriptum, ſex menſium ſpatio, ad archiuium epiſcopale ab ijs, quorum intereſt, deferatur, ne fraus vllo modo fiat, numero monialium ab Epiſcopo præfinito.

Quamobrem ſi quas etiam alienationes eorū bonorum, iuriumque fieri deinceps contigerit, de ijs Epiſcopus certior fiat.

Cum puella monaſterium ingredi poſtulabit, vt locum,

vbi profiteri cogitet, illa inſpiciat; primo ſtudioſè, diligēterque cognoſcatur, an verè id illius propoſitum ſit, anque illud curioſitate tentet; nec propterea per monaſteria plura vagari permittatur.

Puellæ cum ad cetera, tum ad profeſſionem recipiantur, monialium ſuffragijs occulte latis. Idque ipſum ex Concilij prouincialis primi decreto, quod auctoritate literarum Pij V. Pont. in monaſterijs, etiam eorūdem regularium iuri ſubiectis, locum habet in monaſterijs etiam regularium iuri, curæque ſubiectis plane ſeruetur.

Vbi religioſus iſte, & vetus moniales ſolemniter velandę mos his temporibus antiquatus eſt, ad priſtinum vſum, ex veteri inſtituto, & ritu reuocetur, dummodo intra monaſterium id fiat.

Ne moniali cuiuſuis ordinis albas, & veſtes, aliaue indumenta, Miſſæ ſacrificij vſui dicata, induere liceat.

Confeſſarij, & capellani item ſacerdotes monialium, & miniſtri præterea, quos illarum curæ Epiſcopus præfecerit, quicunque ſint, ne munus vllum, ne minimum quidem, nec vero eſculenta, poculentaue ab illis vllo nomine, neque publico, neque priuato capiant, accipiantue, pœna propoſita eiuſdem Epiſcopi arbitratu irroganda.

Neque præterea quicquam capiant dono, ea ſpecie, prætextuve datum, quòd res eiuſmodi ſint, quæ Eccleſiaſtico vſui inſeruiant, qualia ſunt corporalia, purificatoria, indumenta clericalia, ſacræ imagines, & alia id generis.

Nec verò item aliud, manuum opere elaboratum, artificioſeue confectum, ab illis accipiant, ac ne laborem quidem, opuſue, quod in veſtibus vel purgandis, vel ſarciendis, vel reficiendis ponitur.

Caueant item capellani ſacerdotes, ne ab vlla moniali priuatim, ſed à Monaſterij præfecta, aut ab illa, quæ ſacriſtiæ præpoſita eſt, munus miſſas celebrandi ſuſcipiant. Cum qua præfecta, præpoſitaue ſolum, nec verò cum alijs monialibus colloquantur, tum de rebus ſcilicet, quæ ad ſuum munus ſolummodo pertinent.

Idemque hoc de genere toto à monialibus ſeruetur, pœna tum illis, tum cappellanis propoſita, Epiſcopi arbitrio.

Quib. verò confeſſarijs, cappellaniſue ſacerdotibus aliquid annui ſtipendij ac vitæ ſuſtentandæ vſum Epiſcopi permiſſu dandum videbitur; id omnino certa pecuniæ ſumma detur, niſi aliquando Epiſcopus aliter conceſſerit, nempe loco pecuniæ vel triticum, vel vinum, vel aliquid eiuſmodi dari.

Viri aliquot pij, idemque ſolertes ab Epiſcopo deligantur, qui feſtis præſertim diebus, monialium monaſteria, etiam regularium iuri, curæue ſubiecta adeant, foriſque vndique perſpiciant, ſi quid contra, quam de illis præſcriptum eſt, fiat, agaturue, anque quiſquam ſit, qui facultate non impetrata, cū illis colloquatur.

Si quando nouum monialium monaſterium conſtruetur, hoc in primis curabitur, vt nulla feneſtra, nullaue ſpecula aliò, quam intus monaſterij ſeptum ſpectet.

Quod ſeptum non ſimplici pariete, ſed ipſis clauſtris, porticibuſue claudatur.

In eius autem ſepti medio viridarium magna ex parte cōſtitui poterit.

Ad huius formæ modum monaſteria, quæ iam exędificata ſunt, quod eius fieri poterit, accommodari, reconcinnariue, id Epiſcopo curæ ſit.

Quæ ad pia loca pertinent.

QVæcumque bona ſiue mobilia, ſiue immobilia, iuraue ad Eccleſiam, etiam quæ ſit iuriſpatronatus laicorum, quauis ratione pertinentia, à laicis quouis nomine adminiſtrantur; de eorum rationibus diligenter conquirendis, & inuentario rectè conficiendo, planè præſtetur, quod primo Cōcilio prouinciali decretum, ac ſancitū eſt de reliquijs, alijſue bonis, & iuribus Eccleſiaſticis. Quarum rationum, & inuentarij exempla tria, publici Notarij teſtimonio munita, conſcribantur, quorum vnum apud eos, qui adminiſtrant, alterum apud ſacerdotem, rectorem Eccleſiæ, aſſeruetur; tertium ad archiuium Epiſcopale, vbi cuſtodiendum eſt, afferatur: quo cautius eorum bonorum, & iurium conſeruationi conſultum perpetuò ſit.

Præfectis, rectoribus, miniſtris, aut alijs, quocunque nomine nuncupatis, fabricæ Eccleſiarum, ſodalitatum, ſcholarum, & hoſpitalium, piorumque cuiuſuis generis aliorum locorum curatoribus, etiam laicis, hæc, præter illa ſuperioribus Concilijs edita, de ijs ipſis decreta præſcribenda, & decernenda etiam, cenſuimus.

Quicumque piorum locorum adminiſtrationem, procurationemue ſuſcipiunt, geruntue, illud in primis ſæpe meminiſſe debent, ſe pauperum, pupillorum, viduarum, ſenum, egeſtate, aut ægritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum id generis hominum, aliena ope egentium, prout propria vniuſcuiuſque loci inſtituta ratio eſt, curam ſuſtinere, & illam quidem tanti eſſe, vt, cum potiſſimum Epiſcopo, tanquam communi omnium, & eorum præcipuè miſerabilium hominum parenti, ea ſacroſanctis canonum legib. commiſſa ſit; tum quicquid in illos, vel miſericordiæ, vel beneficij, vel operæ, vel opis, vel officij confertur; quicquidue rurſus damni, detrimenti, iniuriæue infertur, id omne Chriſtus Dominus ſæpe in Euangelio demonſtret, in ſe collatum, aut illatum, eſſe, ac propterea ſe in die iudicij, prout bene illis factum, aut neglectum, omiſſumue in eorum neceſſitatibus ſubleuandis erit, retributurum. Quare primò ij valde curent, vt omnibus ſuſcepti muneri partibus ſatisfaciant: deinde videant, vt nihil quicquam à curæ quam gerunt, ratione alienum vllo modo pactoue admittant: tum id ſollicitè ſtudeant, vt quæ officia illis pro adminiſtrationis ſuſceptæ munere debent, ea obeant, atque adeò præſtent omni piæ charitatis affectu; ob oculos maximè in ijs ipſis propoſito ſemper Chriſto Domino, cui illis, & alendis, & veſtiendis cibum, potum, veſtitum aliamue curam, atque operam miniſtrant.

Non ſuis, ſed eorum, quorum curam ſuſceperunt, commodis, atque vtilitatibus ſeruiant. Omnibus piè conſulant, nec vllam partem pro ſuſceptæ curationis, procurationiſue officio negligant.

Munus quod gerunt, ſæpe ſibi proponant eiuſmodi eſſe, in quo non prophanæ cuiuſquam adminiſtrationis negotijue, ſed ſanctæ ſpiritualiſque actionis partes, atque officia, & Deo gratiſſima charitatis opera exequantur piè, religioſè, & quàm diligentiſſimè.

Cum capitula, congregationeſue habent, tum initio, tum in fine ſanctis precibus, & orationibus, in libro officij beatiſſimæ Mariæ virginis, eo nomine præſcriptis, vtantur.

Cum verò aliquid aggrediuntur, quod ad curæ ſuæ rationes pertineat, initium à pia oratione faciant, vt quod inchoatur, benè ſalutariterque ſuccedat.

Omni denique morum grauitate, vitæ integritate, pietatis religione, & ſpiritualium exercitationum, Epiſcopo probatarum, quas inter ſe collegiatim præſtent, ſtudijs tales ſe præbeant, vt eorum locorum rectam adminiſtrationem, piamque inſtitutionem non ſolum conſeruent, ſed optimis progreſſionibus, Deo auctore adiuuent, atque amplificent.

Qui locorum piorum ſumptibus gratis aluntur, curanturue, aut ad litterarum, aliarumue artium diſciplinam inſtituuntur, ratio poſtulat, pietatis ſtudijs, atque exercitationibus eos præ ceteris deditos eſſe, eorumque precibus animas illorum adiuuari, à quibus illud ſubſidij relictum eſt, ad eiuſmodi pij inſtituti ſuſtentationem.

Quare illud eorum locorum curatores, vel præfectos, et ſacerdotes præſertim, qui in ijs ſpiritualem curam gerunt, monemus, vt ab ijs, qui ibi aluntur, ſi legere norint, ſtatas de beata Virgine preces horarias; ſi verò rudes ſint, ſaltem inſtitutam illam certis ſalutationis angelicæ calculis orandi rationem, ſcilicet de beata eadem Virgine coronam in ſingulos dies pie præſtari ſedulo curent.

Qui præterea eleemoſynam dant, hoc illos, qui accipiunt, ſæpe moneant, vt pro ijs, qui bona reliquerunt, pie precentur. Id verò præſtetur, cùm in locis pijs, tum vbicumque eleemoſynarum diſtributio ſit. Hoc ſanè & Epiſcopo curæ ſit item.

Piorum locorum procuratores, miniſtriue etiam inferiores, cauendum eſt valde, ne diutius, quam par eſt, in curatione, adminiſtrationeue ſibi commiſſa, perſeuerantes, rerum

sibi

ſibi arrogent imperium. Porrò ſi alias idonei ſunt ad alia munera eorundem locorum gerenda eoſdem transferri licebit, niſi ex illis ſint, quos ſuperioribus concilijs certo tempore quibuſdam muneribus vacare, iuſſum eſt. At hoc curetur omnino, vt geſtæ procurationis, adminiſtratiue muneris rationes ſæpe, diligenterque reddant. Quamobrem formula præſcribatur, qua, & diaria, & codices rationum non coniectos, ſed ordine, recteque confectos teneant, vt inde facile ducatur omnis explicata ratio, tum accepti, tum expenſi.

Epiſcopus verò, etiam ex Tridentini Concilij decreto, ſemel ſaltem in anno, à quibuſcunque, hoſpitalium, confratriarum & aliorum quorumcumque piorum locorum, etiam quæ merè laicalia, & priuata ſunt, præfectis, curatoribusue rationes adminiſtrationis, curæue repetere ne omittat vllo modo.

Decreta, vel quas vocant, ordinationes, in Capitulo confectas, in librum præcipuum, Capitularium ordinationum nomine inſcriptum, omnes ac ſingulæ à cancellario diligenter, ordineque referantur. Quibus ordinationibus manu, quorum id muneris eſt, ante Capitulum proxime futurum ſubſcribatur.

Tum præterea in hoc ipſo Capitulo illæ ab eodem cancellario de libro ad verbum recitentur.

Codex item alius paretur: in quo præcipuè notatis ſingulis diebus ordine exſcribantur, quæ in vnoquoque præfectorum, adminiſtratorumue conuentu, capitulove proponuntur, aut aguntur: quæque rurſus propoſita, ac ſuffragijs permiſſa, reiecta ſunt; vt quæ deliberata, quæve repulſa ſint, facile omni tempore ex illius codicis monimentis conſtent.

Librum item præcipuum conficiant, & habeant, in quo cum omnia, ſingulaque annua legata, tum onera illis adiuncta ordine, diſtinctè, enucleateque perſcripta omnino ſint. Cuius libri exemplum publici notarij manu, ſigno auctoritateque munitum, in archiuium Epiſcopale, vbi aſſeruetur, eodẽ ſpacio deferant. Quod ſanè omne deinceps ſingulis annis perpetuò præſtent, quod ad ea legata, oneraue attinet, quæ ijs deinceps annis fieri contigerit, aut facta locum habere.

Epiſcopus autem omnes adminiſtratores piorum locorum, etiam quouis nomine exemptorum, ac merè laicalium, & priuatorum compellat omnibus iuris remedijs, ad ſingulorum onerum ſatisfactionem, ijs ipſis locis incumbendo: neque vllo prætextu patiatur, eorum prædia, bonaue alienari contra ſummorum pontificum litteras, & ſacros canones, & concilia etiam prouincialia noſtra, aut contra piam teſtatorũ voluntatem, qui ea bona, ad certum illum pium vſum deſtinarunt.

Tabellam item publice propoſitam, quo loco in Capitulum conuenire ſolent, perpetuò habeant, in qua pro menſium ratione, proque rerum genere ex norma præſcripta, ea ipſa & legata, & onera breuiter, dilucideque notata ſint.

Hoſpitalium locorum, vbi infantes expoſiti aluntur, curatores, præfectiue caueant, vt illos lactentes nutricibus, quas eo nomine conduxerint, plures non aſſignent, quam earum vnaquaque lacte ſuo alere poſſit, ne ob hanc culpam pleroſq; illorum fame necari contingat. Quamobrem, quot ad lactãdi vſum nutricibus opus habent, totidem ſanè ſollicitè conquirant, & conducant. Si hæc non poſſunt, alia omni ratione proſpiciant, vt lactentium puerorum vitæ ſuccurratur.

Cum ad pia inſtituta perpetuò retinenda, recteque exequenda plurimum proſit eorum monimentum, ad poſteritatem firmiter proditum; Epiſcopi ea cura ſit, vt cum vel in vrbe, vel in diœceſi locus aliquis pius exædificatur, aut inſtituitur; illius origo, inſtitutum, titulus, & alia eiuſdem generis, quæ opportuna cenſuerit, in marmore, lapideue ſolido, aut in tabula ænea inciſa, loco eiuſdem ædificationis illuſtri collocata, ad perpetuitatem, prodita extent, ſicut in nonnullis huius prouinciæ locis aliqua huius generis adhuc cernuntur: idque ipſum præterea in locis pijs, iam exædificatis, inſtitutisue, vbi commodè poteſt, effici, ac præſtari curet.

Vbi vel fundationis iure, vel alio probato inſtituto hoſpitales ædes, locaue pia aliqua ad pauperes, aut peregrinos, aut ſenes, certosve alios id generis homines hoſpitio excipiendos, alendosve extant; Epiſcopus, cuius potiſſimum eſt curare, atque adeò efficere, vt piæ hominum voluntates ad eorum præſcriptum rectam executionem habeant, videat, agatque vt ne ab ijs locis per illorum curatores, præfectos, miniſtroſue, ij, quorum cauſa illa exædificata, inſtitutaue ſunt, repellantur, ſi illos recipi per facultates licet: ac ne rurſus alij hoſpitio excipiantur, qui excipi non deberent; vtque in ceteris etiam ab hoſpitalium, piorumue locorum inſtituto ne diſcedatur, neque contra fiat, quam de illorum curatione, adminiſtrationeve à teſtatoribus, aut ab alijs, qui illa inſtituerunt, præſcriptum eſt.

Illud interdum, prout vſu venerit, ab Epiſcopo moneãtur, qui eleemoſynam erogare, quouis modo, aut nomine debent, vt ſibi in ea erogatione parochi in primis teſtimonium, conſiliumque adhibere ſtudeant, quo melius conſultum ſit, ac proſpectum conſcientiæ ſuæ, cum ille pauperum, & egentium notitiam magis exploratam habeat. Tum verò quibus locis ita opus eſſe Epiſcopus cenſuerit, præſertim vbi cõpererit in diſtributionib. eleemoſynarum quicquam peccatum eſſe, vel quia non vere pauperibus diſtributio fit, vel alias minus fideliter, vel non ad præſcriptum piæ teſtatorum volũtatis; conſtituat etiam, vel parochum, vel pios aliquos ex vicinia illa, vel parochia laicos, quorum teſtimonio de paupertate illorum, quibus erogandæ ſunt eleemoſynæ, conſtet, antequam ab illis, quorum id curæ eſt, diſtribuantur, vel alias id generis certas regulas, quibus caueatur ab eiuſmodi erroribus, in poſterum præſcribat in diſtributione ſeruandas ab illis locis pijs, etiam quæ mere laicalia ſint, ac priuata, aut quauis ratione ab Epiſcopo exempta.

In pauperum delectu non egeſtatis, inopiæque ſolum, ſed morum ét, ac vitæ probitatis ratio habeatur. Quo in genere hæc præter cetera de illis inueſtigentur, an ſcilicet doctrinæ Chriſtianæ ſcholas frequentent; an fidei prima rudimenta teneant: anque religioſè & piè viuant.

Quæ porrò eleemoſynæ pauperibus, aut ſingulis etiam ſiue hominibus, ſiue familijs quauis ratione debentur, ne in alium cuiuſcumque rei vſum, ac ne in Eccleſiæ quidem inſtaurationem, ornatumue eas erogari liceat, niſi & eorum, quorum intereſt, conſenſu, & Epiſcopi præterea conceſſu, eoque litteris exarato.

Quæcumque item, quæ ad certos pios vſus relicta ab alijs etiam, quam à piorum locorum adminiſtratoribus perſolui, aut præſtari debent, in alios etiam ſimiles vſus, ne neceſſitatis quidem prætextu, etiam ſi teſtatoris hæredes, quicunq; ſint, ei rei aſſentiantur; niſi Epiſcopus, re perſpecta, eã præſtiterit facultatem, quæ iure permittendi ab eo dari poterit, illius permutationis cauſa.

Quæcunque eleemoſynæ nomine indiſtincte per capita, familiasue, diſtribuuntur, eæ deinceps in illos tantum, qui in ijs verè pauperes ſunt, conferantur: niſi ex teſtamento, fundationisue tabulis, aut aliunde legitimè Epiſcopo conſtiterit, illis etiam, paupertate nõ laborantibus, indiſtinctè diſtribuendas eſſe.

Qui aliter diſtribuerit, ei pœna ſit, dupli reſtitutio, grauiorue arbitrio Epiſcopi.

Vt pijs vniuſcuiuſque generis diſtributionibus, quas in vrbe, & in diœceſi, vel ex vltima voluntate, vel ex conſuetudine, aliaue ratione quis præſtare debet, ſatisfactum eſſe, Epiſcopo conſtet, prout Concilio primo prouinciali per nos decretum eſt, eam rationem is adhibeat, vbi expedire cenſuerit, vt quod vel ab vniuerſitatibus, vel à ſodalitijs, pijsue locis quibuſcunque, etiam mere laicalib⁹, & priuatis, & exemptis quouiſmodo, vel à quouis homine eleemoſynæ nomine, aut alias pie erogandum, diſtribuendumque eſt, quicquid illud ſit, adhibitis etiam duobus viris, per vniuerſitates delectis, ſuo, vel in diœceſi vicarij foranei iudicio probatis, & parocho item in opera pietatis præſcripta, erogetur, & conferatur.

Parochus autem in codicem certum referat, quæ eiuſmodi diſtributiones, quo die, & quibus adhibitis factæ ſint; eorumque & teſtium ſubſcriptionem adhibere curet.

Si verò vel vniuerſitas, vel quiſpiam ſe neque hac, neque alia ratione diſtribuiſſe, Epiſcopo legitimè oſtenderit, ad ſatisfaciendum ab eodem compellatur.

Parochus, tamquam parochiæ ſuæ pauperum pater, ſæpè paterne, diligenterque perquirat, primum an ſi quæ in parochialis ſuæ viciniæ finibus eleemoſynæ ſint, quæ vel à

piorum

iorum locorum curatoribus, vel ab aliquo collegio, vniuerſitateue, vel ab vlla familia, vel à ſingulis hominibus in paupe-ım vſum, aut ſuſtentationem erogari quouis nomine debe-ıt: præterea videat, an illarum erogatio fiat in eos ipſos, qui erè egentes, pauperesq́ue ſunt; anque etiam, illud, quod, quaıue eleemoſynæ nomine in illos conferri debet, integre, ſinereque totum conferatur, erogetur, ac diſtribuatur.

Si quid verò animaduerterit, cui cautionem, remediumıe adhiberi oporteat, ad Epiſcopum quàm primum deferat.

Nemo operta, obuolutaque præ pudore facie eleemoſy-am ſine Epiſcopi, aut, ſi in diœceſi, ſaltem Vicarij foranei onceſſu, eoque ſcriptis exarato, quæritet. Nec verò eam fa-ultatem cuiquam Epiſcopus, vicariusue det, niſi illius, & geſtatem, & morum, vitæq́ue rationem, ante planè notam, xploratamq́ue habuerit.

Primo quoque dominico menſis, alioue die, quem Epiſco-ıus ſtatuerit, in omni Eccleſia cathedrali, & parochiali, etiam ì regularis ſit, vt egentium, qui præſertim præ pudore oſtia-im mendicare, eleemoſynamue quæritare non audent, ne-ceſſitati, pia fidelium liberalitate ſuccurratur à locupletibus ıarochiæ incolis, cæteriſque vt antiquæ conſuetudinis eſt, a-iquid per eos colligatur, quos huic curæ Epiſcopus præpoſu-ırit. Quæ eleemoſynarum collectio, ſingulis etiam ſtatis qua-:uor anni temporibus, quib. in hoc opere miſericordiæ prò-ıtius impenſiuſq́ue incumbendum eſt, per eoſdem fiat.

Dominica verò proximè præcedenti, quo fideles, & in dando effuſiores ſint, & paratiores ad parochialem Eccleſiam cum voluntarijs oblationibus veniant, eleemoſynarum collecta intra Miſſarum ſolemnia indicatur, ſequenti verborum formula ex ſanctiſſimi Leonis Pontificis ſermonibus deſumpta.

In eandem verò ſententiam parochus, prout vſu venerit, vberius cum populo aget.

Formula denunciandi collectas eleemoſynarum.

VEntura Dominica dies, vel feria quarta quatuor temporum, dilectiſſimi, collectarum futura eſt.

Hortor, & moueo charitatem veſtram, vt omnes ad eccleſiam parochialem cum voluntatis oblationibus eleemoſynarum conueniatis; in quo opere, & ſi non eſt omnium æqualis facultas, debet eſſe par pietas.

Itaque & animæ veſtræ, & pauperum memores promptam exhibete largitatem, & pro poſſibilitate virium veſtrarum ſpontaneas collectas veſtras ſollicitè præparate, vt, quicquid vobis de temporalibus facultatibus dempſeritis, id multiplicatum in æterna retributione ſumatis, in egentibus paſcentes Chriſtũ, qui nobis illos tantopere commendauit, vt ſe in ipſis, & paſci, & veſtiri, & ſuſcipi teſtaretur idem Chriſtus Dominus, qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Vbi mendicorum vagantium, & curæ ſpirituali, & victui neceſſario ita conſultum non eſt, vt certo ſcilicet quodam pio loco collecti, non mendicatim victum ipſi quæritent, ſed ex miſericordia ibi habeant, vnde ſe ſuſtentent; Epiſcopus, quod Concilio prouinciali ſecundo de eorundem vita, moribuſq; præſcriptum eſt, in eo exequendo illam iniri rationem curet, vt certo præcipuo libro per ſingulos parochos illi, ſi qui eiuſmodi intra parochiæ fines ſunt, tum alij etiam alia ratione accurrate, ordineq́ue deſcribantur.

Hæc vero ſedulo ab ijſdem parochis obſeruari mandet.

Quo, aut vnde illi migrent.

Quod vitæ Chriſtianæ inſtitutum teneant.

An fidei rudimenta norint.

An diebus feſtis ſaltem Miſſæ ſacrificio interſint.

An ſæpe confeſſi, crebro, etiam per annum, aut certè saltẽ conſtituto Paſchæ tempore, ſacram Euchariſtiam ſumant.

Quos neque libro deſcriptos, neque in Paſcha confeſſos communicaſſe ex eo animaduerterint, quod certum chyrographum non oſtendant, quo ſe confeſſos, & ſacram communionem ſumpſiſſe teſtatum faciant, ne pro parochialis Eccleſiæ ſuæ foribus, nec intra parochiæ fines eos mendicare parochi permittant, omnemq́ue propterea cautionem, quantum in ſe eſt, adhibeant.

Quos doctrinæ Chriſtianæ rudes, mendicos vagantes viderint, feſtis diebus ſtata hora ad eiuſdem doctrinæ ſcholas conuenire diligenter curent, eoſdemq́ue inſtruant.

Ne vllæ cuiuſuis nominis piæ confratriæ inſtituantur, eriganturue, neue erectæ, aut inſtitutæ collegij ſibi habitum ſumant, ſine ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi auctoritate, & facultate literis explicata.

Sodalitates illæ duæ, vnà Virginum ſanctæ Vrſulæ, altera viduarum ſanctæ Annæ nomine, in aliquot prouinciæ huius vrbibus pie inſtitutæ, ac religioſis ſpiritualis diſciplinæ regulis conformatæ, vberrimos, adiutrice Dei gratia, fructus, & populis, & familijs attulerunt non modo ad retinendum, ſed ad excitandum vehementius in fœmineo ſexu innocentis vitæ omnis Chriſtianæ pietatis, & charitatis ſtudium.

Quare vnuſquiſque Epiſcopus tum in vrbe, tum in oppidis diœceſis ſuæ inſignibus ſodalitatem vtramque vt opportunum viderit, quam diligentiſſime erigi, inſtituiue curet.

Vt odij diſſidijs, atque inimicitijs occuratur, rurſuſq́ue paci, cuius fideles in primis amantiſſimi eſſe debent, tot ſanctiſſimis vinculis inter ſe iuncti conſulatur, id præter cætera Epiſcopi paterna ſollicitudine curent, in ſua quique vrbe, & diœceſi, aliquam hominum, qui morum grauitate, ſpectata integritate, & auctoritate præſtãtiores ſint, confratriã, vt in huius prouinciæ nonnullis vrbibus inſtituta iam eſt, inſtituere: cuius officium ſit, diſcordiæ flammas reſtinguere, diſſidia amouere, concordiam inire; pacemq́ue inter omnes reconciliare; aut hoc ipſum componendæ inter diſſidentes pacis officium alteri confratriæ adiungant, quæ rectè, apteque id ipſum præſtare queat.

Quæ generatim ad has conſtitutiones pertinent.

HIs decretis, conſtitutionibuſq́ue in Concilio prouinciali quarto ſancitis, ac promulgatis, quicunque vel vniuerſi, vel ſinguli, quorum intereſt, non paruerint, aut aliquid contra commiſerint, admiſerintue; ij mulctas, & pœnas luant, ijs ipſis decretis ſancitas, ac alias præterea ex eccleſiaſticis, conciliaribuſq́ue ſanctionibus & canonum iure præſcriptas: compellanturque præterea ad parendum omnibus iuris remedijs.

Quæcunque etiam de ſacramentorum adminiſtratione, Miſſæ ſacrificij celebratione, diuinorumque officiorum modo, & ratione, in hac & ſuperiorib. ſynodis decreuim⁹, ea planè omnia, & ſingula ad Metropolitanam etiam, cæteraſq́ue quaſcunque Eccleſias, ritu Ambroſiano vtentes pertinere ſancimus, ac declaramus; niſi ſi quid eiuſmodi erit, quod vel per nos, vel deinceps per ſucceſſores noſtros Archiepiſcopos, nominatim, ſpeciatimq́ue declaretur, Ambroſianis ipſis ritibus, inſtitutiſue expreſſè aduerſari.

Si in his decretis ante alteram Mediolanenſis prouinciæ ſynodum vlla difficultas orta erit, eius declarationem, tum verò præterea omnium, quæ eiſdem decretis continentur, interpretationem, & explicationem nobis, & ſucceſſoribus noſtris Archiepiſcopis, perpetuo reſeruamus, ſalua ſemper ſedis Apoſtolicæ auctoritate.

Quamcunque facultatem ex decretis in hac prouinciali ſynodo Mediolanenſi quarta per nos editis habent Epiſcopi, eam ipſos per ſuos vicarios generales exequi poſſe volumus, niſi in ijs, quæ propriè ad ordinem Epiſcopalem pertineant, aut in quibus vicarij à ſacris canonibus, aut à Concilio Tridentino, vel à nobis expreſſe excluſi ſint.

Vt nemini eorum, quæ in hac quarta prouinciali noſtra ſynodo à nobis decreta ſunt, ignorantiam excuſare liceat, edicimus, vt ex quo primum die edita in valuis Metropolitanæ Eccleſiæ propoſita fuerint, ad duos mẽſes, oẽs ſe, & his decretis, &, ſi contra fecerint, pœnes quæ eis continentur, teneri intelligant. Ab eo ẽt affixionis die, eorũ decretorum tẽporis

initium

initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari iubemus.

Vnuſquiſque præterea Epiſcopus, ea omnia, & ſingula in proxima diœceſana ſynodo legi, ac recitari iubebit, &, ſi ita expedire cenſuerit, ſuæ quoque cathedralis Eccleſiæ valuis proponi, quo ſtudioſius omnium animis eorum præcepta fixa inhæreant.

Singulæ etiam cathedrales, & collegiatæ, & parochiales Eccleſiæ huius prouinciæ has noſtras conſtitutiones aliquo loco collocatas perpetuo aſſeruent.

Omnia, & ſingula, quæ à nobis in hac quarta prouinciali ſynodo decreta, actaque ſunt, qua debemus obedientia, ac reuerentia auctoritati, ac iudicio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum matri, & magiſtræ ſemper emendanda, & corrigenda ſubijcimus.

EPISCOPI, QVI HVIC SYNODO prouinciali quartæ interfuerunt & ſubſcripſerunt.

Nos Carolus S.R.E. Presbyter Cardinalis Tit. ſanctæ Praxedis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mediolani, de conſilio, & aſſenſu Reuerendiſſimorum Coepiſcoporum noſtrorum, definientes ſubſcripſimus.

Ego Antonius, Laudæ Epiſcopus, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Dominicus, Epiſcopus Brixienſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego N. Epiſcopus Cremonæ, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Federicus, Epiſcopus Bergomenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego F. Dominicus Epiſcopus Aſtenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego F. Benedictus Herba Epiſcopus Caſalenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Guarnerius, Epiſcopus Alexandrinus, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Ioan. Fran. Epiſcopus Vercellenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Vincentius Marinus Epiſcopus Albenſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Galbianus Epiſcopus Intimilienſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Romulus Epiſcopus Nouarienſis, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Lucas Tortus protonotarius Apoſtolicus I.V.D. & Vicarius generalis multum Illuſtris, & Reuerendiſſimi D.D. Cæſaris ex Comitibus Gambaræ Epiſcopi Dertonæ, eiuſdemq; in hoc ſpecialis procurator eius nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula in hac ſancta ſynodo decreta, atq; acta edita, & publicata, eius & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Io. Antonius Cart. Arch. presb. S. Iuliæ procurator ſpecialis Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Petri Fauni Epiſcopi Aquenſis eius nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia, ac ſingula in hac ſancta ſynodo acta, edita, & publicata, eius, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Benedictus Citadinus Canonicus Eccleſiæ maioris Mediolani, procurator ſpecialis Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. I. Ambroſij Fliſci, Epiſcopi Sauonenſis, eius nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia, ac ſingula in hac ſancta ſynodo acta, edita, & publicata, eius, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

INDICTIO FVTVRI Concilij Quinti Prouincialis.

CAROLVS MISERATIONE DIVINA Tit. S. Praxedis S.R.E. Presbyter Cardinalis, ſanctaque Mediolan. Eccleſiæ Archiepiſcopus.

Omnibus, & ſingulis Reuerendiſſimis Dominis Epiſcopis, qui hic adſunt, & ſynodo prouinciali Mediolanenſi, quacunque ratione intereſſe debent, omnibusque item Capitulis, & Eccleſiarum Cathedralium Procuratoribus, indicimus, ſignificamus, denunciamus, & intimamus, proximam ſequentem ſynodum prouincialem Mediolanenſem quintam Deo omnipotente auctore, & ad eius laudem, hac eadem in vrbe, hoc ipſo loco, Anno M.D.LXXIX. Die ſeptimo Menſis Maij, proxime ſequentis, qui dies erit feria quinta Dominicæ ſecundæ poſt Paſcha reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti, indicendam, & celebrandam eſſe. Quamobrem eos omnes, & ſingulos Reuerendiſſimos Dominos Epiſcopos monemus: Procuratores vero Eccleſiarum Cathedralium monemus, vt eo die ad ſynodum prouincialem quintam, iuuante Deo, Mediolani celebrandam, conſtituto, hic omnino interſint, niſi diem celebrationis ipſius ſynodi aliqua ex cauſa à nobis prorogatum fuiſſe noſtris ad eos datis litteris intellexerint. Quod ſi ipſorum Reuerendiſſimorum Epiſcoporum noſtrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimento, nuntium, procuratoremue, ad ſe excuſandum, atque ad id impedimentum probandum, ad nos mittat, cui etiam facultas ab ipſo detur, ea omnia, & ſingula, nomine ſuo, & Eccleſiæ ſuæ recipiendi, quæ, Diuina gratia auxiliante, in ipſa ſynodo à nobis de conſilio, & aſſenſu Reuerendiſſimorum Coepiſcoporum noſtrorum conſtituentur, decernenturue.

CONCILIVM PROVINCIALE MEDIOLANENSE V.

Quod

CAROLVS S. R. E. CARDINALIS TIT. S. Praxedis Archiepiſcopus

Habuit Anno à Chriſt. Nat. M. D. LXXIX. Gregorio XIII. Pont.

Edictum de Concilio Prouinciali V.

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

CAROLVS S. R. E. TIT. S. PRAXEDIS PRESBYTER Cardinalis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Archiepiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis, Vniuerſis Prouinciæ noſtræ fidelibus Salutem in Domino.

VINEÆ Dominicæ cultura cum in omni alio paſtoralis ſollicitudinis officio eniteat, tum valde etiam in Concilijs prouincialibus, ad Tridentinæ ſanctionis præſcriptum tertio quoque anno celebrandis. Nos igitur pro Archiepiſcopalis officij noſtri cura, quæ progreſſionibus ſuis tota ad optimam paſcendi rationem ſpectare debet, iam in ſynodo prouinciali quarta, quam ex illius Concilij ſanctione anno M.D.LXXVI. habuimus, decreto promulgato, Concilium prouinciale quintum denunciauimus, atq; indiximus: quod, auxiliante Dei miſericordia, hoc anno, die ſeptimo Menſis Maij, de more celebraturi ſumus: Ea porrò indictio, & iure canonum, & decreto Prouinciali communita, licet tantum roboris, viriumque omnino habeat, quantum illa, quæ edicto publico fieri ſolet: tamen, cum in lucem typis nondum emiſſa ſit; & tempus, atque adeo ſtata dies eiuſdem Concilij Quinti, tunc indicti, iam inſtet; id propterea, ne cuiquam quicumque ſit, qui Concilijs Prouincialibus noſtris intereſſe quacumque ratione poteſt, ac debet, vel rei ignorantia ad excuſationem vti, vel ſe contemptum, neglectumue eſſe dicere liceat: nos vniuerſis, & ſingulis, qui iure, aut conſuetudine, aut priuilegio, aut electione ſua, ſuorumue prædeceſſorum, aut alia quacunque ratione ad prouinciales noſtras ſynodos con-

Digitized by Google

e debent,aut poſſunt, hoc etiam edicto publicè propo-
andem quintam prouincialem ſynodum, in ſuperiore
rouinciali Concilio quarto,iam indictam,ſignificamus,
nciamus,atque indicimus.

Quamobrem cum vniuerſos, & ſingulos Reuerendiſſi-
Epiſcopos prouinciæ noſtræ, tum cæteros omnes, qui-
ue ſint, qui, vt ſupra,in Concilio prouinciali Mediola-
,quacunque ratione intereſſe debent, præter illud indi-
is decretum,& litteras nominatim,ſigillatimq́ue eiſdem
rendiſſimis Epiſcopis per nos ſcriptas,hoc etiam Archi-
opali edicto illud monemus, vt eo ipſo conſtituto, ſepti-
nenſis Maij,proxime ſequentis die, Mediolanum in baſi-
a noſtram Metropolitanam conueniant; & in Concilio,
l eo ipſo die, ſummo mane, iuuante Domino,inchoabi-
præſentes ipſi adſint,pœnis,& cenſuris propoſitis, ca-
m iure ſancitis.

Curent porrò ſinguli prouinciales noſtri Epiſcopi, vt,
Concilio altero Mediolanenſi ſancitum eſt,cum primũ
tum hoc acceperint; quinta quaque feria Miſſæ ſacrum
à ſingulis ſacerdotibus,tum ſolemniter collegiatim in ca-
rali,& collegiatis Eccleſijs, de Spiritu ſancto celebretur,
i pro ratione oſticij hoc non poteſt, ſaltem commemo-
fiat;ac præterea ſingulis diebus dominicis,& in illis,& in
ibus parochialibus Eccleſijs,ad implorandum in ea con-
ri tractatione Spiritus ſancti lumen, proceſſio, litaniæ,
reces habeantur. Idque peragatur,ac præſtetur, quoad
cilium de more abſolutum,& dimiſſum erit.

Cum autem conciliaris hæc actio, à nobis indicta,præci-
m quoddam charitatis,& pietatis ſtudium, à prouinciæ
træ fidelibus poſtulet; illud etiam curet vnuſquiſque pro-
tiæ noſtræ Epiſcopus, vt ſingulis ante Concilij diem con-
utam dominicis diebus,per parochos, & concionatores
tentur eius rei cauſa fideles ad frequentius ſanctæ oratio-
ſtudium;ad idque vehementer omnes inflammentur, vt
dominico,ſtatam Concilij diẽ proxime antecedente,ve-
œnitentes,& confeſſi, ſacram communionem ſumant,
præcipue præcantes,vt adiutrice Dei gratia,quæ ad ſuam
d illorum,quorum curæ commiſſi ſunt,ſalutem pertinẽt,
religioſaque ſollicitudine in Concilio agantur.

Quo religioſius autem ab ijs,qui ad Concilium conueni-
,in eam actionem incumbatur; Eccleſiaſtici ordinis ho-
nes,& quos vna ſecum ad ſynodum prouincialem Epiſco-
onduxerint,& quos capitula miſerint,& teſtes ſynodales,
æteri tum ſacerdotes,tum clerici, quicunque venerint; ij
nes,& ſinguli antequam in viam ſe dent, peccata confeſſi,
erdotes Miſſæ ſacrum celebrare, clerici ſanctiſſimam
chariſtiam ſumere ne omittant. In quarum rerum fidem
eſtimonium, hoc edictum confici,auctoritateque noſtra
primi,& Sancti Ambroſij ſigillo Archiepiſcopali noſtro
niri, tum noſtra etiam manu ſignatum, in vulgus publice
poni,eidemq́ue à Vicecancellario noſtro Archiepiſcopali
ſcribi voluimus. Dat. Mediolani,in ædibus noſtris Archi-
ſcopalibus,pridie idus Martij 1579.

ORATIO
CAROLI CARDINA-
lis tit. S. Praxedis,& Archiepi-
ſcopi, habita in Prouin-
ciali Conci-
lio V.

IAm ex Euangelio, quod modo audiſtis, Patres Reuerendiſſimi,optime intelligitis, Apoſtolos à Chriſto Domino cõuocatos, & ad prædicationem regni cæleſtis miſſos eſſe cũ poteſtate ſanandi morbos,depellendiq́ dæmones. Sunt et-
m vobis ex Euangelica illa commemoratione perſpecta eius Apoſto-
æ legationis, Apoſtolicíq́ officij leges, ore diuinæ ſapientiæ præſcrip-
,rurſusq́ cognitum ſtudium, quod ſummum in illis exequendis A-
ſtoli magna cum omnium admiratione præſtiterunt. Cum autem
c ipſo tempore Clerus, populusq́ hic Mediolanenſis vos, qui Apoſto-
rum ſucceſſores eſtis, ex legibus Chriſti Domini ſpiritu in ſacro Tri-
dentino Concilio decretis, conuocatos, vnà mecum ad Concilium prouinciale quintum concelebrandum conueniſſe cernit: is modo illius Apoſtolicæ conuocationis, & legationis, quæ Euangelicis verbis commemorata eſt, quaſi ſpeciem quandam, ob oculos propoſitam, intuetur. Chriſtus enim Dominus cum videret eo tempore turbas, tanquã oues ſine paſtore, huc atque illuc vagantes, varieq́ diſiectas, ac multiplici morborum genere affectas; earum ſtatum pietatis viſcerib. miſeratus, non ſatis habuit, ſe vicos, oppida, omniaq́ loca finitima & prædicando, & ſanando peragraſſe: ſed in tanta hominum vndique confluentium multitudine, voluit etiam alios Euangelicæ prædicationis, ac morborũ curationis ſocios adhibere. Diſcipulos igitur orare iuſſit: duodecim Apoſtolos cõuocauit, eoſdemq́ miſit ad illa munera exequenda. Nunc itidem is, qui ab Eccleſia ſua cura & cuſtodia oculos nunquam deijcit. Erunt, *inquit,* oculi mei ibi ſemper, *cũ è ſummo cœlo, tanquã ex altiſſima ſpecula, prouinciam noſtrã Mediolanẽſem, præſertim ſuperiorum annorum peſtilẽtia multis partibus vexatam, miſereq́ afflictam cerneret, non tam hominum interitu, quam ſpiritualiũ rerum detrimẽtis, atq́ damnis, quæ multa inde cõſecuta ſunt, in tanta iactura illam miſericordiæ oculis reſpexit, ac nos, Euangelij ſui miniſtros, excitauit, & ad ſanctas orationes, preceſq́ concelebrãdas, & ad procurãda ſynodalibus Epiſcopalibusq́ laboribus remedia. Adfuiſtis, patres ſanctiſſimi, religioſæ oratiõi, q̃ ſine intermiſſione, hoc ſacro loco, in conſpectu ſacroſancti Claui Ieſu Chriſti Domini habuimus, vt Spiritus S. lumen imploraremus, quo adiuti, prouinciæ noſtræ bene gerendæ rationem iniremus, ſpiritualiaq́ damna inſtauraremus: ob eam ipſam cauſam, nullus vicus, nullum oppidum, nulla vrbs in prouincia eſt, quæ ad preces, & ad pœnitentiã, ſacraq́ Euchariſtiæ Sacramentum, & ad alia pietatis Chriſtianæ ſtudia, atque officia excitata non ſit vehementer. Iam vero, Patres, hodie, eodem Domini ſpiritu duce, conuocati, hoc loco adſumus, vt & eidem precationum officio, & alijs ſynodalibus actionibus operam miniſteriumq́ noſtrum præſtemus. Sperandumq́ eſt, Chriſtum Dominum tum preces noſtras exauditurũ:* dixit enim, Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis: *tum etiam nobis in ſalutari hac tractatione verſantib. adfuturum.* Vbi, *inquit,* fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. *Omnis porrò hæc Concilij prouincialis actio formam illam, vt diximus, exhibet Apoſtolicæ miſſionis, & legationis. Dũ enim noſtras, noſtrarumque Eccleſiarum res inter nos mutua charitate conferimus, dum de caſtiſſimo diuinorum officiorũ cultu diſquirimus, dum de cleri, populique diſciplina inueſtigamus, dum & noſtrorum, & Apoſtolicæ viſitationis in primis decretorum executionẽ inſpicimus, dum rerum multarum collapſam pene inſtitutionem ob oculos ponimus, dum de inſtaurationis modo conſultamus, dum conſtitutiones alias, ad damna reſarcienda recte accommodatas, Spiritu Sancto auctore, conficere ſtudemus, vniuerſa hæc via, & ratio eo ſpectat, vt iſtis adiumentis, quæ à Deo exiſtunt, mens noſtra illuſtretur, charitas in nobis inflammetur, animarum zelus in cordibus noſtris exardeſcat, animorum noſtrorum Epiſcopalis illa vis, & ardor magis, atq́ magis incendatur, & quaſi nouum quidam ſpiritus in nobis, qui decretorũ prouincialium virtute, & auctoritate munimur, excitetur vehementius ad improbos omnes ſpiritus depellendos, ad vitiorũ peſtem propulſandam, ad ſanandas ſpiritales ægritudines, ad afferẽdum denique populis, curæ noſtræ commiſſis, omnem curationem. O ſalutares Epiſcopalium Conciliorũ labores. Adeſt vobis Chriſtus Dominus: actionũ veſtrarũ dux eſt Spiritus Sanctus: vos morũ magiſtri, vos populorũ moderatores, vos ſanctarum legum auctores. Sapientia veſtra Chriſtianæ diſciplinæ ratio omnis inſtauratur; prudentia controuerſiæ ſedantur; charitate diſſidia tolluntur; ſtudio eriguntur manus remiſſæ; virtute genua diſſoluta roborãtur, animiq́ vires addũtur. Quid multis? hæc Conciliorum actio nos ipſos, qui doctoris officio fungimur, qui Eccleſiæ medici ſumus, docet, inſtruit, recreat, exſuſcitat. Quàm miſera igitur ſuperiora tempora, quibus tamdiu intermiſſa ſunt multis partibus, peneque antiquata concilia prouincialiã, & ſynodi diœceſanæ neglectæ? Quo factum eſt, vt multiplex malorum, quaſi ſylua extiterit; baſilicæ incultæ, ornamenta ſuppellectilis Eccleſiaſticæ penè nulla, cæremoniarum ritus, & vſus vix cognitus, diuinorum officiorum ratio penè perturbata, chori diſciplina reſciſſa, functionum Eccleſiaſticarum munera contempta, & ſpreta, ſtationes ſacerdotales, clericaleſque deſerta, omnia demum diſciplinæ officia abiecta, ac pene depoſita, populi præterea inſtitutio deprauata, morũ corruptela vndiq́ oborta, feſtorũ dierũ veneratio multis peccatis violata, ſacrorũ locorũ cultus multis partib. læſus, ſacerdotalis ordinis dignitas ꝓ nihilo habita, & cuncta deniq́ ad eũ ſtatũ deducta, vt lacrymis, luctu, cõmiſerationeq́ digna eſſent. Vidimus nos, vidimus*

prouincia

prouinciæ noſtræ faciem deformatã, nec plane à collachrymabili illo templi Hieroſolymitani aſpectu diſsimilem: cũ ſcilicet vaſtatis, & dirutis ab Antiocho rebus omnibus fortiſsimus dux Iudas Machabæus templi illius cultum euerſum, altare violatum, ianuas exuſtas, & omnia perculſa, ac proſtrata aſpexit: ſciſsiſq; veſtimentis, capite cineribus aſperſo, ſuſpirijs, gemitu, luctuoſiſsimiſq; vocibus, incredibilẽ vim lacrymarũ in tantis auguſtiſsimi templi ruinis profudit. Gratias tibi agimus, optime Deus, cuius diuino munere Tridentinum Conciliũ miſeris his temporibus celebratum eſt: vnde præter alia, quæ reipublicæ chriſtianæ adiumenta ſubminiſtrata ſunt, reſtitutus eſt tandem ſalutaris ille vſus ſynodi, & diœceſanæ, & prouincialis: cuius inſtitutum auxiliante tua diuina gratia ita ſuſcepimus, vt hodierno die ex Tridentinæ ſanctionis præſcripto iam quinti prouincialis Concilij initium faciamus. Non eſt igitur, Patres, cur noſtra hac concione Concilij prouincialis neceſſarium vſum, dignitatem, fructus vberrimos, explicemus. Vos ipſi intelligitis ſacroſanctam œcumenici illius Concilij auctoritatem, qua nobis iuſſum eſt, prouinciale Cõcilium tertio ſaltẽ quoq; anno conuocari: vos ipſi optime meminiſtis, per nos de veſtro conſilio, & aſſenſu, iam certam diem Concilij noſtri prouincialis præſtitutam, perpetuamq; illius indictionem deinceps decreto prouinciali eſſe communitam. Eſt vero cur, vnde digreſsi ſumus, ad Euangelicam commemorationẽ redeamus, quæ tota non ſolùm huius noſtri Epiſcopalis congreſſus, conuentuſq; rationem, ſed etiam munera, & officia, quæ in eo præſtare, aut certe ſpectare debemus, ſignificare, & declarare videtur. Primum igitur videamus, Patres, cur Chriſtus Dominus, cum ſingulos Apoſtolos ad Apoſtolicæ legationis munera inſtruere, ac mittere poſſet, omnes ſimul eam ob cauſam conuocauit. Quæ ex re perſpicuum nobis fiet, quare iam ab initio ferè naſcentis Eccleſiæ inſtitutum ſit, Epiſcopos prouinciæ ad Metropolitanum conuenire, prouinciales leges ſancire, ſancitas, ab omnibus, qui eiuſdẽ prouinciæ ſunt, ſuſcipi, ac ſeruari. Vna verò præter cæteras cauſa eſt, vt qui in varias, diuerſaſq; mundi partes ad Euangelij propagationem mittebantur, eorum omnium & vna eſſet doctrina, & vnum Apoſtolicum munus, & vna Apoſtolicæ vitæ ratio. Quæ ſanè res docet, eiuſdem prouinciæ Epiſcopos quamuis diſtinctis, diuerſiſq; diœceſibus præſint, eodem tamen vnius prouinciæ quaſi vinculo deuinctos, vna etiam, eademq; diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratione, eiuſdẽ præſcriptis legibus, ac morũ regulis, fideles ſibi commiſſos, ad viam ſalutis dirigere debere. Id ſanè oſtẽdunt, atq; adeo iubent, ſanctiſsimorum patrum ſanctiones, & Cõciliorum canones, quibus hoc de genere præter alia illud cautum eſt, vt eccleſiaſticis inſtitutis metropolitanæ Eccleſiæ ſeſe reliquæ prouinciales diœceſes conforment. Ex hac porrò coniunctione, concordiq; ſolicitudine, & coniunctiſsimo ſtudio maxima commoda, maximaq; adiumenta proficiſcuntur, non ſolum ad facilem Eccleſiæ commiſſæ gubernationem, ſed etiam ad omnem populorum in via Domini progreſsionem. Hinc enim firmiſsimum vniuſcuiuſq; inſtituti præſidium, hinc rituũ Eccleſiaſticorum, ſanctarumq; conſuetudinum perennis conſeruatio, hinc diſciplinæ omnis robur perpetuũ, hinc rerum ſalutarium ſanctiſsimũ firmamentũ, hinc prompta omnium, paratiſsimaq; ab obediendũ voluntas, hinc præclara illa bene agẽdi, recteq; exequendi contentio, & religioſa æmulatio. At verò vbi contra res agitur: vix dici poteſt, quãta inde incõmoda, quã multæ difficultates emanent. vos conſcij eſtis, patres, quam vera ſint, quæ narramus: ſed aliqua ex parte ob oculos ea proponamus. Si quis veſtrum eſt, qui in oratione frequens ſit, cæleſtium contemplationum ſtudioſus, in Epiſcopali Eccleſiæ ſtatione aſsiduus, Epiſcopalibus itẽ officijs, ſtudijs, & laboribus totus addictus, abſtinentiæ, ac ieiunio deditus, hoſpitalis pauperum, viduarum, pupillorum vere pater, & paſtor, piorumq; locorum patronus, & ſanctorum inſtitutorum ſollicitus auctor: rurſuſq; ſi alius eiuſdem prouinciæ Epiſcopus hæc omnia vel remiſſe agit, vel negligit, vel, quod grauius eſt, cer- cõtra facit, vel ab alio Epiſcopo diligenter acta, minus cõmendat; te omnia inde incommode accidunt non ſine grauiſsimo detrimento. Sed locus hic eſt, Patres, vt accendamus nos ipſos, ſi attentius rem ipſam ſpectamus. Ille, qui optimi paſtoris regulas ſibi propoſuit, prædicationis munus ad Tridentini Concilij præſcriptum perpetuo exequitur. Iſte, qui dignitatis Epiſcopalis amplitudinem, non labores, cenſum, nõ onus, vitæ otium, non perpetuam illam ſollicitudinem, multis curis implicitam, in animo ſibi conſtituit, vel raro, vel fortaſſe nunquam verbi Dei pabulum populo miniſtrat. Ille ſynodum diœceſanam anniuerſariam de more celebrat: hic ne ſtatas quidem clericorum & ſacerdotum congregationes habet, ne dum ſynodum conuocat: ille viſitationem diœceſanam perenni ſtudio obire contendit: hic gregis ſui vultum neq; agnoſcit, nec vero vt ab ombus agnoſcatur, paterna id charitate ſtudet: ille nihil nõ agit, nihil non attingit, vt morum corruptelas eripiat, vt vitia & peccata corrigat, atq; emendet, & quoſcunque aberrantes ad viam ſalutis reuocet; hic popularis opinione cum omnia metiatur, hominibus placere vult, peccata hominũ diſsimulat, ſæpeq; cauſam præbet, quamobrem complures à recta deflectant. At vigilãtis Epiſcopi ſollicitudo in eo etiã verſatur, vt Eccleſiarum cultus ſpendeſcat; baſilicæ ſartæ, tectæ ſint, omni apparatu inſtructæ, omni ornatu, & pretioſo opere illuſtres, in omnes partes eluceant; diuinorũ officiorum pietas floreſcat; cæremoniarum ritus excolatur; chori inſtructio omnis non modo retineatur, ſed plane augeatur; clerus ad ſacras doctrinas erudiatur, in clericalis vitæ officijs cõtineatur; ſanctiſsimis legibus, edictis, inſtitutionibus deuinctus, non modò à flagitijs alienus, ſed ab omni ſuſpicione integer, puruſq; conſeruetur. Quam diſsimilis vero remiſsi, negligentiſq; paſtoris, ac ſibi indulgentis ratio, ac forma ſit, vos ipſi videtis. Nulla in eius clero ferè diſciplina, nulla populi inſtitutio, nulla eccleſiarum inſtauratio, omnia denique, quæ vndiq; præclara Epiſcopali cura ſplendeſcere deberent, in ſitu, & ſqualore prope iacent. His tam diuerſis ſtudijs, Patres, tantũ abeſt, vt qui accenſo ſtudio ad optima quæq; ferebatur, eius induſtria, & ſollicitudo vehementius inflammetur, vt aliquando pene reſtinguatur: ſicq; ſancta illa æmulatio, quæ tantopere nobis Epiſcopis expetenda eſt, & valet plurimum ad omnem diſciplinæ propagationem, nulla ſit. Accedit etiam aliud incõmodum, idq; maximum, quod perſpecta hac diſsimili paſtorum cura, populi Epiſcopi vigilantis diœceſi ſubiecti, in obediendo contumaciores, & difficiliores fiunt, paſtori & patri ſuo detrahunt; eius benefacta ſæpe iniquius inſectantur; monita non audiunt; &, vt eſt hominum genus procliue ad quærendas excuſationes in peccatis, alterius remiſsione, & nimia indulgentia abutuntur ad contumaciæ ſuæ, & culpæ omnis patrocinium. Tanta igitur damna, ac detrimenta rei Chriſtianæ importari perſpicimus ex illo diſsimili ſpiritu, quẽ in paſtoribus vnum, vno charitatis vinculo coniunctum, vnoq; ſollicitudinis ſtudio incitatum, Chriſtus Dominus eſſe voluit. Ad hoc nos Epiſcopos is inſtruit, cum Apoſtolis in vnum conuocatis, legationem prædicationis Euangelicæ, & ægritudinum curationem hodierno Euangelio committit, & certas eis vniuerſis regulas Apoſtoli illius muneris præſcribit. Quamobrem perſuaſum iam habeamus, Reuerendiſsimi Patres, non mediocrem vtilitatẽ huius prouincialis Concilij Quinti tractatione nos prouinciæ noſtræ, Deo in primis iuuante, allaturos eſſe, ſi certam rationem exploratamq; viam planè iam nunc tandem inierimus, vt coniunctiſsimis animis, concordiſsima voluntate, pari ſtudio, æquali zelo, tanquam vno paſtorali, Epiſcopaliq; ſpiritu omnes in eam perpetuam curam incumbamus, vt præſcriptas & nobis, & clero, & populo, prouinciæq; noſtræ leges, inſtituta, diſciplinamq; omnẽ exequamur. At tu, Domine Deus omnipotens, qui iuſsiſti, ſeniores ſeptuaginta de populo à Moyſe cõuocari ad oſtium tabernaculi fœderis; illiuſq; eodem loco commorantibus, adeſſe; atq; vnum, eundemq; ſpiritum largiri dignatus es; quiq; Apoſtolis tuis, in vno loco congregatis, Spiritum ſanctum tuum miſiſti, eorum mentes illuminaſti: corda vſq; adeo accendiſti, vt incredibili ardore inflammati, cum ſe diuinæ prædicationis legatos agnoſcerent, vno ardẽtiſsimo ſtudio, iiſdem Apoſtolicæ diſciplinæ inſtitutis, toto terrarum orbe, illa legatione tam admirabiliter perfuncti ſint: nobis hodie, nomine tuo in vnum conuocatis, adeſto quæſumus: mẽtes noſtras diuini tui luminis ſplendore illuſtra, bonitate foue, ſapientia rege, moderare, atque effice, vt nos vno conſilio, iiſdem vigilantiæ officijs, iiſdẽ monitis, iiſdẽ exemplis, legationis noſtræ etiam munera atq; officia exequamur, & ita ſalutariter exequamur, vt tandem nos, & fideles prouinciæ noſtræ, vnum in te effecti, ſempiterna illa gloria in te vno Deo perfruamur, Amen.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE Trinitatis,

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS Sancti, Amen.

NOs Carolus, S.R.E. Titu. Sanctæ Praxedis Preſbyter Cardinalis, Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Mediolani, ad Dei omnipotentis, Beatæque Mariæ, ſemper Virginis, ac S. Ambroſij confeſſoris, patroni noſtri, laudem, hæc pro Chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua clerum, populumq; fidei noſtræ cõcreditũ, prælucere, totis in Chriſto viſcerib. expetimus, de Cõſilio, & aſſenſu Reuerendiſsimorum DD. Coepiſcoporũ noſtrorũ, in Concilio Prouinciali Mediolanenſi quinto decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.

Quæ ad fidei tuendæ ſtudium pertinent.

QVoniam in ijs, quæ & ad fidẽ, & ad pietatem tuendam attinent, omni vigilantiſſima cura ſummaque diligẽtia paſtoribus maximè elaborandum eſt; nos veterem ſanctorum patrum ſacrorumque Conciliorum conſuetudinem, & auctoritatem in primis œcumenicæ Synodi Tridẽtinæ ſecuti, de ijs ipſis multa ſuperioribus noſtris Concilijs Prouincialibus conſtituimus. Sed in eo genere cum nullum tantum ſtudium, quantum certè maximum requiritur, adhiberi poſſit, illis ſuperiorum Conciliorum decretis, adiungenda hæc etiam cenſuimus.

Nemini, etiam regulari, ne in ſui quidem ordinis eccleſia, concionari permittat Epiſcopus, antequam ſibi, ſuoque Vicario, ille, quicunque concionaturus eſt, fidei profeſſionem ad ſanctionis pontificiæ, quam Pius Quartus edidit, præſcriptam formam præſtiterit. Vbi verò ſemel præſtiterit, non opus erit iterum ob eam cauſam eidem Epiſcopo præſtare: ſed ſatis ſit, profeſſionis, ei ſemel illo nomine præſtitæ, teſtimoniũ ſcriptũ atq; obſignatũ afferre, & exhibere.

Id omne de confeſſarijs ſacerdotibus ſancimus, & decernimus.

Hoc ipſum de medicis, & chyrurgis item cautum ſit, qui niſi trium menſium ſpatio apud Epiſcopum, aut eius Vicarium, ex illius pontificiæ formulæ præſcripta ratione fidem profiteantur, medendi arte ab eodem Epiſcopo interdicantur, quoad eam profeſſionem præſtiterint.

Ad verò in poſterum quiſquam medicus, vel phyſicus vel chyrurgus medicinam exercere ne aggrediatur, niſi pręſtita primum, vt ſupra fidei profeſſione.

Aduocati præthereà, & procuratores in cauſis ſanctæ Inquiſitionis ſuſcipiendis, agendiſve, nullũ ante aditum, locũve habeant, quàm fidei profeſſionẽ Epiſcopo præſtiterint.

Qui eccleſiam parochialem, aliudve beneficium, curam animarum habens, aut canonicatum, aut dignitatem in Eccleſia cathedrali, quouis modo obtinuit, niſi is tempore, & loco ſanctione Tridentina præſtituto, fidei profeſſionem, præſtiterit; ne ei Epiſcopus beneficij eccleſiaſtici fructus, quos ex eodem Tridentino decreto ſuos non fecit, aliquo pacto remittat, neque ab eodem exigi patiatur; ſed, ſi quos exegerit, illum reſtituere cogat.

Huius prouinciæ principes, & magiſtratus pro fidei catholicæ tuendæ officio, proque pietatis ſuæ ſtudio ſperandum eſt, id nunquam permiſſuros eſſe, vt in has regiones, eorum ditioni ſubiectas, ne ad diuerſandum quidem itineris gratia, milites à catholicæ Romanæ Eccleſiæ fidei diſſidentes, veniant; cum certum, atque plane exploratum ſit, nulla alia re Deum grauius offendi, nullaque ad vehementiorem iram, quàm hæreſum labe prouocari; nihilque rurſus ad prouinciarum, regnorumque interitum maiores vires habere, quàm teterrimam illam peſtem. Verum ſi quando acciderit, quod Deus prohibeat, in eam curam toto animo, omniique ſtudij paſtoralis contentione Epiſcopus incumbat, atq; adeò elaboret omni ope, vt ne eius morbi contagione oues, Chriſti ſanguine redemptæ, ſuæq; fidei commiſſæ vllo modo inficiantur.

Itaque ad diœceſis ſuæ loca, vbi peſtiferos illos homines diuerſari contigerit, ſe in primis ipſe conferat; populum fidelem etiam atque etiam diligenter moneat, vt ne eorum mores vſquam attendat; ne verbis mentem, aureſve adhibeat; ne cum eiſdem vllo modo verſetur; ne carnis licẽtiam, & liberam, & falſam viuendi ſecuritatem, exemplo illorum conſectetur; ſed in orthodoxa fide, & charitate Chriſti Domini cum timore, & tremore perſeuerans, in ſanctæ Romanæ catholicæ eccleſiæ vnitate, & obedientiæ ſtudio, in catholicæque pietatis officijs ſeſe contineat. Parochis verò leges præterea pręſcribat, quas in tanto diſcrimine omnino ſequantur.

Atque in ijs quidem hæ ſint.

Ne eos mortuos ſacris locis in ſepulturam tradant.

Vt animaduertant pręthereà, ſi fieri poteſt, non modo ſingulis horis, ſed ſingulis etiam momẽtis, quid ab illis agatur, quid cogitetur, quid ſtruatur in ijs, quę ad fidem pertinent, longè proſpiciant ſatanę inſidias, & conatum omnem, quãtum in ſe eſt, ſedulò reprimant.

Vt videant, ne quicquam, vel minimum, vnde labes aliqua exiſtere poſſit, ſenſim latius dimanet. Quamobrem de quotidiano huius rei ſtatu Epiſcopum certiorem faciant quàm diligentiſſimè.

Nec verò, ea omni diligentia contentus Epiſcopus, deſiſtat alia ſubſidia ad tuendum gregem comparare.

Proinde cùm alios religioſos, prudenteſque viros ad rem omnem inquirendam mittat; tum acres etiam, pioſq; concionatores ad cauſam communem adiuuandam.

A Magiſtratibus etiam, & principibus, in re, quæ non religioni ſolum, ſed vniuerſo prouinciæ ſtatui periculum certiſſimum afferre poteſt, omnem opem, atque auxilium imploret, vt expedire cenſuerit.

Excõmunicationis verò pœnam, præter alias, quæ ſummorum Pontificũ canonumve ſanctionibus expreſſæ ſunt, ipſo facto ſubeundam proponat, atque edicat ijs, qui iſtiuſmodi impijs hominibus cibos vetitos vendiderint, aliove modo ſubminiſtrauerint, quibus diebus minimè liceat illis veſci. Agat verò contra illos, qui non paruerint, ad iuris, edictique promulgati præſcriptum. Omnem deniq; aliam rationem, quæ potiſſima ſibi videbitur, opportunè ineat ad eam peſtem propulſandam. Et vero id, quod caput eſt, in tanto ſalutis periculo aſſiduis precibus, omniique ſupplicatione ad Deum cõfugiat, vt gregem, ſibi in cu-ram traditum, ab omni hęreſum fœditate integrum, inuiolatumq; cuſtodiat, & conſeruet perpetuo.

De Iudæis Concilio prouinciali primo multa cauimus, quibus hæc addenda ſtatuimus, quo diligentius etiam pernicioſæ eorum conſuetudini, atque diuini cultus offenſionibus occurratur.

Quod olim ſummorum Pontificum conſtitutionibus, & præſertim Pauli Quarti, & Pij Quinti, qui eiuſdem Pauli ſanctionem litteris 13. Kalend. Maij. M D LXVI. editis renouauit, & auxit, ſancitum fuit, de vita, & habitatione Iudæorum, cum ad Chriſtianorum hominum fidei integritatem, & morum puritatem tuendam valde pertineat; Epiſcopus, in cuius diœceſi illi vel habitant, vel aliquãdo diuerſantur, ſingulis annis ſtata die eam cõſtitutionem Pij Quinti, qua etiam illa, quæ ab eodem Paulo Quarto iam antea edita erat, continetur, promulget: curetque omni diligentia, vt in primis tum ex earum conſtitutionũ, tu etiam ex Concilij Lateranenſis præſcripto in ciuitate, oppido, pago locove vbi Iudæi habitant, ſi complures Synagogas habent, ſeu domos ad ſynagogæ officium iam adhibent, tollantur omnino, ceſſentq; omnes, vna tantùm excepta, quæ tamen ab eccleſijs fidelium diſtet.

At verò nouas conſtruere, conſtituereve, aut penitus dirutas reficere ne patiatur: nec rurſus veteres altiùs extolli, aut amplificari, aut magnificẽtius aliquo modo exędificari. Agat etiam cum principibus, ſi opus erit, vt, quemadmodũ olim à nobis decreto prouinciali, & eiſdem pontificijs conſtitutionibus cauetur, ſublatis impedimentis, verè tandem Iudęi omnes in vno & eodem loco vrbis locive, ac ſi ille capax non erit, in duobus, aut tribus, qui inter ſe continentes ſint, & à chriſtianorum habitationibus ſeiuncti ad præſcriptum illarum conſtitutionum habitent; domicilium verò non ſolum proximum, ſed ne in conſpectu quidem Eccleſiæ, oratorijve, quo populus conuenire ſoleat, conſtituere, habitareve vllo modo patiatur. Vt mares, & fœminæ ſignũ ſemper patens ferant, quo in vrbibus, municipijs, lociſve omnibus, atque adeo in itinere dinoſcantur ad earum conſtitutionum præſcriptum.

Qua de re quicquam à nemine concedi, permittive vllo quouis etiam diſpenſationis nomine poſſe illis ſanctionibus cautum eſt.

Ne Dominicis, vel alijs feſtis diebus, quos coli, & ſanctificari, præcepti, conſuetudiniſve eſt, Iudæi opus quicquam ſeruile, mundanumve publicè per ſe ipſos, ſeu alios faciant.

Nec verò fidelis quiſquam in eorum Synagogis vllo modo, vt eo primo Concilio vetitum eſt, ſed neq; vllo vſquam loco eorundem cæremonijs ritibuſve interſit.

De Iudæis, nuper baptizatis, in Concilio prouinciali primo aliqua conſtituimus, quibus hæc de illis ipſis, & de alijs etiam neophytis adiungenda decernimus.

Epiſcopus igitur, in cuius diœceſi Iudæi habitant, cum

fieri poſſit, vt Deo volente, eorum multi è tenebris ad fidei lumen accedant, illud aliqua ratione curet, vt certa domus, locuſve pius, ſi commode poteſt, eo potiſſimũ nomine conſtituatur, vbi illi nuper baptizati, neophytive alantur, ad vitæque chriſtianæ vſum inſtituantur. At verò ſi id fieri nullo modo poteſt; eos, ſi quos in vrbe, diœceſique habuerit, certe alterius loci pij congregationi in curam tradat, aut aliquem certum ſacerdotem, ſpectata probitate virum, ſpiritualiſque vitæ ſtudioſum, deligat, qui illorum vitam inſtituat, ac moderetur.

Quo in genere, eius, qui ab ipſo Epiſcopo delectus, eorum curæ quouis modo præerit, ſtudio hæc ratio, quemadmodum infra ineatur.

Vt non ſolum diebus feſtis, vt alio Concilio cautum eſt, ſed in ferijs etiam ſingulis, Miſſæ ſacrificio interſint.

Et conciones prætereà, ſacras lectiones, ſupplicationes, officiaque diuina, veſperas præſertim feſtis diebus obeant: charitatiſque Chriſtianæ opera præſtent, ægrorum publicas hoſpitales domos præcipue viſitando.

Vt ſingulis diebus bis mane, & veſperi, certo breui temporis ſpatio ſanctè orant.

Vt cum ſignum ſalutationis angelicæ ter in die datur, genua flectant, & attente precentur.

Vt ſtationes, eccleſiaſve indulgentiarum frequentent.

Vt octauo quoq; die peccata confiteantur, decimoquinto quoq; die rurſus confeſſi, ſacram cõmunionem ſumant.

Vt, quo die ſumunt, in ſancta oratione, ſanctiſque exercitationibus, & charitatis operibus illum totum cõſumant.

Vt feria ſexta, & Sabbato, qui per ætatem, & valetudinem poſſunt, ieiunent.

Vt ſacra anni tempora, vtpotè Aduentus, quadrageſima, aliæque ſtatæ anniuerſariæ celebritates, cũ appropinquant; ad eorum, earumve myſteria inſtruantur, quo ſanctioris vitæ diſciplina, & operibus, Chriſtiana pietate dignis, ſacrorum eorum temporum dierumve curſum religioſius conficiant. Abſtineant à lautioris, & delicatioris vitæ vſu, longeque diligentius ab improborum hominum conſuetudine.

Aliquam quoque cautionem adhibere curet Epiſcopus, vt hi homines, cum matrimonium ineunt, non inter ſe cõtrahant, ſed cum ijs, qui à Chriſtianis antiquam perpetuamque originem ducunt.

Ne inter ſe item multam conſuetudinem habeant, vt Pont. ſanctione cauetur. Ne vlla in re Moſaycæ legis ritus retineant, aut ſectentur.

Hoc in genere ſi Epiſcopus negligens erit; ſciat ſe in Cõcilio prouinciali, re omni diligenter perquiſita, rationem redditurum ex eadem pontificia conſtitutione; quæ quotannis ſemel, vbi aliquis neophytorum numerus eſt, in eccleſia cathedrali, collegiatiſque de more promulgetur, certo die, quem idem Epiſcopus præſtituerit.

Quibus prouinciæ locis vagum, & fallax cingarorum genus adhuc verſatur, & nondum ex decreto Concilij prouincialis primi, Magiſtratus opera, atque officio à prouinciæ finibus arceantur, hæc diligentia adhibeatur.

Primo Epiſcopus, in cuius diœceſi eos morari, aut vagari contigerit, diligenter inquirat, an, vt chriſtianos decet, in omni vita ſe gerant, anque ſanctæ eccleſiæ inſtitutis, & præceptis pareant.

Rurſus an quicquam contra agant, quod ſchiſmaticorũ morem, vſumq; præſeferat.

An quadrageſimæ tempore, ieiunijque diebus carne, & cibis vetitis veſcantur, an nouis ritibus vtantur. Quod ſi contra eccleſiæ inſtituta, rituſq; ab illis aliquid agi, gerive compertum erit, quodque præſertim eiuſmodi ſit, quamobrem hæreſis nomine ſuſpecti eſſe poſſint, in eos Epiſcopus grauiter agat, animaduertat, etiam ꝑ culpæ ratione ad ſacrorum canonum pontificiarumque ſanctionum præſcriptum.

Si verò eos vllo alio modo publicè offendere cognitum erit; ab eccleſia, diuinorũ officiorum tempore eijci iubeat, quoad emendatæ vitæ explorata teſtimonia, & exempla viderit.

Quam ſummum in hæreſis crimine profligando ſtudium, & cura quàm longè omnium diligentiſſima Epiſcopi eſſe debeat, cùm aliorum multorum Pontificum ſanctiones iubent, tum verò & Innocentij Tertij reſcriptum, & Martini Quinti conſtitutio, iam pridem edita, oſtendunt. Quibus conſtitutionibus tum in virtute obedientiæ diſtricte præcipitur, vt quæ eo de genere in illis ſancita ſunt, ad ea efficaciter exequenda Epiſcopi per diœceſes ſuas diligenter inuigilent, ſi canonicam velint effugere vltionem; tum etiam deponi iubetur ab epiſcopali officio, ſi quis eorum ſuper expurgando de ſua diœceſi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remiſſus. Proinde in ea perenni ſolicitudine, perpetuaq; vigilia Epiſcopus verſari in primis debet, vt nõ modo peſtilentiſſimus ille hæreſis morbus nuſquam in gregem ſibi commiſſum irrepat; ſed omnis planè ſuſpicio ab eo quam longiſſimè abſit. Si verò fortaſſe, quod pro ſua pietate, & miſericordia Chriſtus Dominus auertat, irrepſerit; in eo maximè elaboret omni ope, vt quàm celerrimè depellatur; quique ea labe infecti erunt, vel ſuſpecti, cum illis agatur ad canonum, ſanctionumque pontificiarum præſcriptum.

Idem prætereà vna cum Inquiſitore congregationem, quæ certo numero cõſtet, theologorum, & Iuriſperitorum hominum inſtituat, qui ad cauſarum ſanctæ Inquiſitionis conſultationem adhibeantur.

Ea portò congregatio, vt opus erit, conuocetur, ſemelque in ſingulos menſes, atque adeò crebrius, cum occaſio tulerit.

Nec verò quicquã aliud in ea agatur, geraturve, niſi quod ad eiuſdem ſanctæ Inquiſitionis officium pertinet.

Et quoniam ſępe contingit, cauſarum Inquiſitionis acta, proceſſuſve, de quibus deliberandum eſt, ijs patefieri, explicari, atque communicari oportere, quorum conſilio, vel damnationis, vel abſolutionis ſententia ferenda eſt, quo & accuſatorum, denunciantium, teſtiumque periculis efficacius occurratur; & in ijs ipſis inquiſitionis actis, cauſiſque cautius agatur; id propterea omnibus ſinguliſque conſultoribus, & cæteris item, qui in ea congregatione adſcribentur, admittenturve, Epiſcopus, vt Bonifacij octaui conſtitutione cautum eſt, ſecretum, reticentiamve indicat.

Atqui ij ipſi porrò ſtatim certa præſcripta formula iurati, eidem Epiſcopo ſanctè ſpondeant, ſe neque verbis, neq; litteris, nec nutu, neque alia cuiuſcunque generis ſignificatione, vllove modo cuiquam patefacturos, aut euulgaturos eſſe, congregationis, in quam admittuntur, adſcribunturve, arcana, nec verò alia quæcunque ſint, quæ vllis inquiſitionis, vel cauſis, vel hominibus, vel ipſi cõgregationi officiove præiudicium afferre aliquo modo poſſint.

Pœnam verò excommunicationis latæ ſententię proponat, atque edicat etiam in congregatione ipſa ex ea Bonifacij conſtitutione in omnes, & ſingulos, qui contrà indictũ ſecretum, aut iuſiurandum quicquam patefecerint ſine licentia eiuſdem Epiſcopi.

At prætereà Notarij ſancti officij hoc iurent, quòd ne cauſarũ acta, nec teſtiũ nomina, neq; teſtificationes, aliudve quicquam eius generis patefacient, aut euulgabũt, anteà quàm Iudex patefecerit, euulgaritve, aut euulgari iuſſerit.

De ſententijs itidem eorum, qui conſultores adhibẽtur, conſultationibus, deliberationibus, actionibuſque congregationis huius id ipſum præſtabunt omnino; ac de ſuo officio in omnibus fideliter exercẽdo. Si quis eorum quicquam contrà vllo pacto fecerit, excõmunicationem latæ ſententiæ ipſe ſubeat; ac pręterea alijs pœnis pro modo culpæ arbitrio Epiſcopi plectatur.

Cuſtodes etiam carceris, priuſquam ſuum exerceant officium, iuſiurandum ad præſcriptam formam in Concilio Viennenſi præſtent, idemque etiam alij miniſtri ad id officium exequendum neceſſarij.

Ne inquiſitionis cauſarum acta, breuiter, ſummatimque deſcripta, quæ ſummaria proceſſuum dicũt, nec verò actorum relationes, nec facti narratio, neque alia quæcumque tam iuris, quàm facti itidem explicatio, inſtructiove cuiuſvis generis, ad eas cauſas pertinens, nec deniq; vllæ ſcripturæ eiuſmodi, quæ vel pro reo, vel contrà eum conficiuntur, vllo vnquam modo in poſterum typis edantur, imprimanturve: ſed quęcunq; acta ſint, quæ eas cauſas attingant, manu

manu ſcripta, ijs ſolum, vel iudicibus, vel conſultoribus, alijſve miniſtris dentur, quibus dari oportet.

In cauſis fidei Epiſcopus, iudexve, cum aduocatus, procuratorve reo dandus eſt, eum det, qui probus ſit, de legalitate non ſuſpectus; & procurator quidem vtriuſque iuris peritus, vterque verò fidei zelator, quique hæreſis nomine nunquam neque ſuſpectus, neque accuſatus, neque ea infamia notatus fuerit: id verò, niſi planè oſtenderit, ſe ex iudicis ſententia innocentem eſſe, & ab omnis hæreſis labe, ſuſpicioneve purum, atque integrum.

Patrocinij autem in ijs cauſis ſuſcipiendi facultas cum datur, litteris exarata detur; nec verò aliter quiſquam ſuſcipiat.

Cui porrò datur, is, antea quàm patrocinium ſuſcipiat, iuret, ſe bene, ac fideliter defenſurum, legitimiſque defenſionibus vſurum eſſe, nec dilationibus captioſis, cauillationibuſque cauſam prorogaturum.

Vbi verò patrocinium ſuſceperit, ſciat ſuas partes eſſe, admonere reum, vt veritatem confiteatur, pœnitentiamque petat pro culpa, ſi quam habet, eiuſque reſponſionem curię notificare, intimareve.

Meminerit verò Aduocatus, & procurator itidem nullum vnquam patrocinium neque hæreticis, nec ſuſpectis, neque credentibus, neque fautoribus præſtandum eſſe, ne, prout Innocentij Tertij ſanctio eſt, ab officio ſuſpẽſus, perpetuæ infamiæ ſubiaceat.

Itaque vbi primum ex cauſarum actis, aliave vlla ratione animaduerterit, reum, qui delatus eſt, hæreticum eſſe, aut eo nomine ſuſpectum, id cum ipſi reo, iudiciq; denunciet, tum ſtatim illius defenſionem deſerat.

Nec verò, ſi quid erit, quod ad ſanctũ officiũ pertinens, in eiuſdẽ cauſa reticeri oportet, cuiquam patefaciat, quod eidem officio præiudicium ferat.

Librorum prohibitorum indicem, iuſſu Tridentini Cõcilij confectum, iam pridem promulgatum, omnes, ſingulique apud ſe habere curent, ſiue theologi, ſiue iuriſconſulti, ſiue medici, ſiue aliarum litterarum profeſſores, diſciplinarumque ſtudioſi, & alij item, quicumque librorum numeroſam ſuppellectilem poſſident. Si quis verò eorum, qualis, qualis ſit, eum non habuerit, tantum abſit, vt excuſationi legitimæ locus relinquatur, quòd neſcierit, illos id generis eſſe, vt contra eum pro librorum, quos vetitos retinuerit, ratione ſeuerius agatur ad præſcriptum regulæ eiuſdem Concilij.

Vt fraudi occurratur, quę plerumque in opere impreſſorio fit, ea præter cæteras cautio adhibeatur vt liber, vbi primum impreſſus eſt, per recognitionis præfectos ante conferatur, quàm venalis officinis, tabernisve librarijs proponatur. Qui liber, ita accuratè collatus, auctoris ſubſcriptione ſignatus, nõ recognitoribus, vt alio Concilio decretum eſt, ſed quo rectius cuſtodiatur, Epiſcopo tradatur: qui eũdem certo loco in archiuio aſſeruari perpetuò iubeat.

Ne litteras grandiuſculas, quas initio, vel librorum, vel capitum imprimi moris eſt, aliquam obſcenæ, turpiſq; imaginis ſpeciem exprimentes, ad librorum impreſſionem adhibeant, qui artem impreſſoriam quouis modo faciunt: cum eiuſmodi ſint, quæ hominum mentes aliquando fœde, turpiterq; afficiant, & bonos itidem offendant, vt obſcene ſcripta.

Ad libros verò, qui de rebus eccleſiaſticis, aut ſpiritualibus conſcripti ſunt, imprimendos, ne characteribus grandioribus vtantur, in quibus expreſſa appareat alicuius rei prophanæ, ne dum turpis, obſcænæve ſpecies.

Libellorum famoſorum graue facinus, vnde alia præterea peccata, & ſcelera, & mala exoriuntur, vt, quantum in nobis eſt, è prouincia noſtra profligetur, ſtatuimus, ſancimuſque eos, quicumque ſint, qui illos ſcripſerint, ediderint, diuulgarint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ſtatim ſubire. Si clericus verò ſit, qui tale crimen admiſerit, beneficiorum etiam, ſi quæ hábet, amiſſione mulctetur, præter alias pœnas, eo de genere canonum legibus ſancitas. A qua excõmunicationis pœna nemo quiſquam, huius criminis reus, abſolui poſſit, niſi fama, & honore, cui iniurioſe detractũ eſt, reſtituto pro arbitratu Epiſcopi.

Id verò ipſum quanto difficilius eſt præſtari, tanto diligentius, ſtudioſiuſque pro ſuæ quiſque conſcientiæ religione ab eo flagitio, ſcelereque cauere debet.

Epiſcopi cura ſit, tum pueros, adoleſcẽteſve, tum doctores, ac Magiſtros prohibere vſu eorum librorum, quos ex decreto Concilij III. Prouincialis, quoniam obſcœna contineant, aut bonis moribus repugnent, aut ad impietatem inducant, certo indice nos complectemur.

Quæ ad prædicationem verbi Dei, & doctrinam Chriſtianam pertinent.

EPiſcopus, ſi verè, legitimeque aliquando impeditus, in cathedrali Eccleſia prædicationis munus per ſe ipſe præſtare non poteſt, vt certè Concilij Tridentini ſanctione, decretiſq; prouincialibus debet, id per alios, qui idonei ſint, ex eorum decretorum præſcripto præſtet, impenſis ſcilicet ſuis, niſi immemorabilis conſuetudinis eſt; eas ipſas impenſas ab alijs illo prædicationis nomine fieri.

Epiſcopi ſolùm ſit, abrogatis quibuſcunque contrarijs conſuetudinibus, & priuilegijs, & in Eccleſia cathedrali, & in alijs, non modo iuriſdictioni ſuæ ſubiectis, ſed etiã in exemptis, quæ curatæ ſunt, concionatorem liberè deligere, atque conſtituere.

Idemque ad eum ſpectet in Regularium etiam Eccleſijs, vbi, pro maiore commoditate, cõſuetudinis, moriſque eſt, populi, vniuerſitatiſve, aut pij loci ſcholæ, aut confratriæ, etiam laicalis ſumptibus, vel eleemoſynis collectis, vel legato pio, aliave huiuſmodi ratione quotannis certo ſtato tempore permiſſu Epiſcopi concionem haberi.

Nec verò illius deligendi, conſtituendive ius vlla ratione competat, neque ipſis regularibus, etiam per turnum, neque vniuerſitati, neque magiſtratui, neque loci pij adminiſtratoribus confratriæ, ſcholæve, etiam laicali, nec alij cuiquam laico, etiam ſi ei eleemoſyna, alimentave è publico, aut è cõfratria aliave modo, vt ſupra, ſuppeditentur, ſubminiſtrenturve. Quæ vt nihilominus ſubminiſtrentur, atque adeo perſoluantur ab ijs qui ſolent, aut alia quacunq; ratione debent, omni appellatione poſtpoſita, Epiſcopus cogat, vt Concilio prouinciali quarto cautum eſt.

Nemini autem concionandi facultatem concedat Epiſcopus, niſi præter alia, vel examine, vel alia ratione pro arbitrio ſuo illius ſcientiam, & peritiam in eo munere probarit.

Magna in verbo Dei vis ineſt ad commouendos animos, ſi qui audiunt, ita ſe inſtituunt, atque adeo parant, vt vtiliter audiant. Parochi igitur ſæpe moneant, ac doceant, quo ſcilicet modo fideles ſalutares vtilitates, ſpiritualiaque emolumenta, & fructus vberrimos è ſacra concione capiant.

Doceant igitur hæc in primis.

Vt cum quis ad verbi Dei concionem accedit, non concionem prophanam, ſed ſacram, religioſam, ſanctæ diſciplinæ inſtitutis excultam, atque charitatis ſtudio elaboratam, ſe auditurũ putet, proindeq; perſuadeat, ſe à Deo, qui concionatoris ore tunc ſanè loquitur, ſalutaribus præceptis, cõſilijſque erudiri ad optime agendum.

Vt in eccleſiam ingreſſus, hęc à Deo precetur, primũ ſibi peccata remitti; tum etiam ſibi aperiri aures cordis, vt audiat, oculoſq; mentis, vt videat, atque adeò ad inſtituendæ vitæ rationem, & vſum accommodet, quæ concionator enunciarit.

Vt firma fixaque animi deliberatione ſtatuat, ſe velle perficere, atq; exequi, quęcumque in ea concione ſibi dicta putauit.

Vt quæ è concione audierit, ne planè ad alium quemquam, ſed ad ſe ipſum omnino referat.

Vt animo non variè diſtracto, ſed collecto, atque attentiſſimo, concionatorem audiat, tanquam eum, qui Dei verba, non ſua pronunciet.

Vt neque eloquentiam, neque actionem, artemve concionantis ſpectet, aut admiretur, eiuſque ſermone, tanquam carmine muſico, inquit propheta, quod ſuaui, dulcique ſono canitur, tantùm oblectetur, ita vt verba audiat, & nõ faciat ea: ſed totus in eo ſit, vt diuini verbi ſpiritum hauriat; quo incenſus, quæ audierit, ſtudioſe efficiat atque exequatur.

Vt Dei verba, quæ è concionantis ore exeunt, nō ſolum aurium ſenſu, ſed diligentia, menteq; ita religioſe percipiat, vt animi voluntatem, ardentemque affectum ſimul accendat ad omne ſanctè agendi officium.

Vt cócione abſoluta, ſi modò ibi moraturus nō ſit, quoad Miſſæ ſolemnis ſacrificium peragatur, ne tamen ſtatim de Eccleſia abeat, ſed in oratione paululum conſiſtat; tum verbi Dei, quod audierit, præcipua capita, quæ præſertim ſibi cōueniant, tacita cogitatione ſecum repetat; rationemque certam concipiat, atque ineat, qua res, tam ſalutares rectè exequi poſſit.

Vt, de templo à concione, orationeq; egreſſus, ne de concionante intemperanter loquatur, ne temerè iudicet. Ne rurſus ad inanes confabulationes, prophanaque colloquia ſe conferat, vt ne effluat, quod & audiendo, & meditando, caſte, ſancteque concepit.

Immo vero amicis obuiam factus, cum illis ſalutaria inſtituta, quæ concionator explicauit, ſtudioſe & opportunè communicet.

Domum reuerſus, familiam item ſæpè commonefaciat, quæ de ſanctæ vitæ inſtitutione ab eo accepit.

Ad ſalutem cum omnibus fidelibus admodum neceſſarium ſit, chriſtianæ fidei rudimenta ſcire; tum certè huius in primis prouinciæ populis; qui, hæreticis finitimi, niſi in fidei fundamentis firmi fuerint ac ſtabiles, ſummoperè verendum eſſet, ne forte ab eis in aliquam impietatis, ac nefariæ doctrinæ fraudem, facilius adducerentur. Quamobrem nos multam hactenus diligentiam adhibuimus, vt omnes, ac ſinguli Chriſti fideles in fidei Chriſtianæ rudimentorum inſtitutione erudirentur: ſed cum parum nos hucuſque profeciſſe tanta in re cognouerimus; negotij, periculique magnitudine adducti, hæc præterea decernimus.

Primò omnibus, ſinguliſque animarum curatoribus, & cæteris confeſſarijs, ſiue ſecularibus, ſiue regularibus, in virtute ſanctæ obedientiæ id præcipimus, vt faciant, antequam confeſſiones audiant, orationem Dominicam, angelicam ſalutationem, ſymbolum fidei, & decem præcepta Dei, decalogo continentur, vt pœnitentes recitent, ac ipſis audientibus referant.

Quarum rerum ſi quos ignaros, rudeſque offenderint, hanc eorum ſpiritualem ſocordiam acriter reprehendant, oſtendantque quàm grauis eſſe debeat illorum conſcientiæ ignoratio rerum, quæ ad ſalutem tantoperè neceſſariæ ſunt. Cum autem eos abſoluunt, præter alias pœnitētias, & actiones ſatisfactorias, id etiam imponant, vt quattuor hæc ſaltem potiſſima doctrinæ Chriſtianæ capita in poſterum accuratè ediſcant, certo illis pro arbitratu ſuo præfinito congruo tempore, quod tamē ob neceſſariam aliquam cauſam ſemel, aut ad ſummum iterum prorogari liceat. Eo autem temporis ſpatio cōfecto ſi eadem adhuc illos ignorare viderint, tunc ne illorum confeſſionem audiant, niſi conſilio, & aſſenſu aut Vicarij Foranei, ſi diœceſani ſunt, aut illorum, quos huic curæ in ciuitate Epiſcopus præfecerit, ſi in ciuitate viuunt. Si qui verò ſemel ita admiſſi ad Sacramētum pœnitentiæ, eos poſteà in rudi hac craſſaque ignorantia perſiſtere compertum erit, de ijs ad Epiſcopum ipſum referatur, antequàm amplius admittantur, qui illorum ſaluti diligentius, & efficacius conſulat, vt viderit in Domino expedire.

Quò facilius porrò pernicioſæ huius ignorationis incōmodo occurratur, neque aliqua fideles excuſatione ſuam negligentiam prætexant, illud eiſdem animarum curatoribus mandamus, vt die feſto, vel intra Miſſarum ſolemnia, vel in Veſperis, aut paulo ante, ſi frequentior tunc fidelium multitudo præſens in eccleſia aderit, clara voce, ac diſertis, diſtinctiſque verbis, quæ ab omnibus exaudiantur, modò vnum, modò alterum aliquando plura ex ijs præcipuis doctrinæ chriſtianæ capitibus, prout opportunius ſibi videbitur, recitent, ſimulque vniuerſos, qui aderunt, hortentur, vt eadem verba, quibus ipſi præibunt illi ſimul referant.

Et verò, quo populus doctrinæ Chriſtianæ præceptis, atque inſtitutis indies inſtructior fiat; ijdem parochi illo tempore nunc vnam, nunc alteram eorúdem quatuor, illius doctrinæ capitum partem ſtudioſè explicent. Qua in re Catechiſmi Romani, aliorumque probatorum auctorum, qui in hoc genere piè, diligenterq; verſati ſunt, doctrinam potiſſimum ſequantur.

Nec verò propterea, quæ nunc decernimus, quicquam detractum, derogatumve ſit, quominus tum qui pro captu ſuo apti ſunt maiori eruditioni, aut pro ratione ſtatus ſui explicatius, & pleniùs vniuerſam doctrinam chriſtianam diſcere debent, præſtent quod debent; tum parochi, alijque ad quos illam docere ſpectat, cumulatè præſtent, quæcumque in hoc genere olim decretum eſt ab illis præſtari debere, & reliquas præterea omnes ſui muneris partes.

Porrò confeſſarij grauiſſimam pœnitentiam imponant, itemque concionatores diuinam vltionem denuncient, & patribus familias, & dominis: qui nulla, aut ſaltem parui diligentia adhibita, omnem rationem nō ineant, vt ſui liberi, ac famuli chriſtianam doctrinam addiſcant; neq; eis, quos in famulatu habent, tantùm diebus ſaltem feſtis vacui temporis concedunt, quo in eccleſias, aliave loca pia, vbi ea doctrina traditur, ad illam percipiendam conuenire poſſint.

Ludi magiſtri quo commodius præſtent, quod ex Concilio Lateranenſi in ſynodo noſtra prouinciali tertia eis ad pueros in doctrina, pietateque Chriſtiana rectè inſtituendos præſcriptum eſt, decernimus tum hanc ipſam decreti partem, tum conſcriptum de eadem doctrina libellum cum libris rudimentorum grammaticæ coniungi, eiuſdemque agglutinari.

Nec verò id generis libros, quos Epiſcopus intra ſuæ diœceſis fines, in frequentiori puerorum vſu eſſe animaduerterit, taleſque notarit ac declarauerit, decreueritve, deinceps ſine eo doctrinæ chriſtianę libello imprimi, vendi, in vſumve puerorum adhiberi liceat. Quò autem exploratiores vitæ, diſciplinæque chriſtianæ mores magiſtrorum, præceptorumve ſint, eam Epiſcopus cautionem adhibeat, vt, cum illos moribus probat, huius probationis facultas, litteris exarata, ne diutius cuiquam eorum ſuffragetur, quàm per annum, vel biennium trienniumve ad ſummum. Quo tempore confecto, cum Epiſcopum adierint, qui illam prorogget, confirmetve; tunc maximè is de illorum moribus, vita, ac etiam de docendi, inſtituendiq; rationibus item diligenter perquirat: ſique eos nec præſtare quæ debent, vel in re aliqua offendere animaduerterit; facultatem ne proroget, neve confirmet, antequam illorum vel negligentiam, vel aliam culpam, emendatam cernat.

Si quæ prophana magiſtri aliquando exponent, omnia ad rectam diſciplinam, egregiamque morum indolem præclaris interpretationibus traducere ſtudeant; quod facilè aſſequentur, ſi quid perpetuo in ſuis explicationibus interponent, quod ad inſtitutionem, chriſtianæ pietatis ſtudijs dignam, pertineat.

Quotidianas ludi exercitationes, ac ſtudia inchoent, & concludant item pia aliqua oratione, & prece, quæ antequā abſoluatur, pueri è ludo ſine vrgēti cauſa ne miſſi fiant.

Proinde in gymnaſio, loco decenti, & perſpicuo tabella alicuius ſacræ imaginis appendatur, ad quam diebus ſingulis diſcipuli ſtatas preces faciant.

Quæ ad dies feſtos, & ſacra tempora pertinent.

NE quis diebus Dominicis, feſtiſque ex vrbe, oppido, aliove loco, cum iter facturus eſt, ante diſcedat, quam Miſſæ ſacrificio interfuerit, niſi ad eum locum proficiſcatur, vbi in tempore intereſſe poſſit.

Eccleſiaſtici verò homines, quicumque ſint, & ij, præſertim, qui diuinorum officiorum celebritatibus in choro adeſſe debent, videant, atque adeo caueant, ne ſacris illis diebus, quos in Dei laudibus, religioſiſque pietatis officijs, & in Eccleſia potiſſimum à clero conſumi oportet, iter, niſi ob vrgentem cauſam ſuſcipiant: vt hoc etiam eorum exemplo excitati fideles, ſacris illis diebus à diuinis officijs opere itinerario non auocentur.

Kalendis Maij, qui dies Sāctorum Apoſtolorum, Philippi, & Iacobi ſolemnitati conſecratus eſt, cum prauum vſum paſſim in prouincia noſtra retineri ad nos perlatum eſt; vt inciſæ arbores frondeſcentes, per vrbes, oppida, vicos, & pagos in plateis, ac triuijs ludibundo ſpectaculo erigantur.

Id porrò graue, atque eiuſmodi eſſe animaduèrtimus, vnde peſtiferum quoddam ſeminarium exiſtit non paucorum malorum, cum quidam homines illius ridiculæ actionis cupiditate, atque voluptate prolapſi, Miſſæ ſacrificio adeſſe, eo die feſto, pernicioſe negligant; tum arbores alienas, ſæpeque in prędijs eccleſiaſticis conſitas, furtim per vim, atque iniuriam præcidant.

Hinc illa manant, conuitia ſcilicet, rixę, contentiones, iniuriæ, odia, inimicitiæ, & aliquando cædes. Accedit præterea tum vulgi clamor, tum bellicorum inſtrumentorum vehemens ſtrepitus, quo diuina officia, ſacræve conciones valde perturbantur, & comeſſationes deinde, & compotationes fiunt, quibuſcum ebrietates, obſcænè dicta, inhoneſtæ actiones, pernicioſæ ad omnia opera carnis illecebræ, & alia plurima mala perpetuò coniuncta ſunt, non ſine nominis chriſtiani iniuria. Nos igitur, & ſacrorum canonum iure, & ſacroſanctis ſanctionibus, & Concilij in primis Tridentini decretis, quibus corruptelas à pietatis chriſtianæ vſu & à dierum feſtorum præſertim cultu alienas, omni paſtoralis vigilantię officio tolli iuſſum eſt, & noſtræ etiam curæ, officijque munere adducti, tantæ, tamque publicæ offenſioni occurrendum cenſuimus.

Quare Epiſcopus tum pœnis, quouis iure ſancitis, in eos animaduertat, qui in ea occaſione diem illum feſtum vel opere ſeruili, vel alia actione, illius rationi, ſanctitatique aliena, violarint; tum præterea expoſitis grauiſſimis peccatis, & commonſtratis detrimentis, ac damnis, quæ plurima inde animæ, corporique eueniunt, fideles, ſibi in curam traditos, à re illa pernicioſà, quæ tanquam gentilitiæ ſuperſtitionis ſpeciem quandam exhibet, omni Epiſcopali cohortatione, & officio reuocare ſtudeat ad omnes partes religioſi cultus, quo eorum Apoſtolorum dies feſtus illis calendis coli, ſanctificarique debet. Ac proinde quidem abiectis illis ludibundis ſpectaculis, quæ turbulenta illa præciſarum arborum erectione, voluapturio quodam, prophanoq; clamore, ac multiplici ſtrepitu agebantur, fideles pietatis opera diligentius amplexi, cum diem feſtum de Eccleſiæ more celebrent hymnis, canticis, ſupplicationibus, proceſſionibus, alijſque ſancte agendi officijs. Arborum præterea loco, excitati imitatione ſancti illius Apoſtoli Philippi, qui pro Dei gloria cruci affixus eſt, ſacroſanctam arborem crucis, in qua auctor humanæ redemptionis pependit Chriſtus Dominus, tanto religioſius locis conſpicuis publicè erigant, quanto inutilius olim prophanas eas arbores frondeſcentes erexerint.

Atqui in omni re hac efficienda, atque exequenda Epiſcopus, ſi quādo vſui erit, magiſtratus etiam laicorum auxilium, opemque implorabit, prout expedire cenſuerit.

Sicut in anniuerſarijs ſolemnitatum ſanctioribus celebritatibus feſtiuis canimus laudes, ſolemniuſq; eccleſiaſtica celebrantes officia, modulamur organis: pretioſiorique veſtium apparatu induimur; ita diligentes nos domus Dei decorem, & locū habitationis gloriæ eius, curare debemus, vt quo ſpiritalis lætitiæ noſtræ manifeſtiora ſigna demus, diuinorum beneficiorum, quæ ijs potiſſimum ſolemnitatibus recolimus, memoria excitati, templa etiam ornatiora, quàm alijs diebus, appareant, tum ad auguſtiorem cultum, tum ad fidelium conſolationem.

Itaque die Natali Domini, & reliquis quatuor deinceps feſtis diebus, in Epiphania, Paſcha Reſurrectionis, in Aſcēſione, tribus Pentecoſtes diebus, in ſolemnitate Corporis Domini, feſtoq; die ſancti patroni, Eccleſiarū cathedraliū, collegiatarū, parochialiū præſertim inſignium, curet pręfectus vniuſcuiuſq; Eccleſię, p locorū ratione, proq; facultatibus, vt ianuæ, quemadmodū veteris inſtituti eſt, vſuq; Romano comprobati, & à Beato Hieronymo laudati, frondibus etiam ornentur, prout tempora tulerint; tum parietes interiores, atque intercolumnia, periſtromatis, aulæis, tapetibus, ſacrarumq; imaginum tabulis exornata ſint. Quo in apparatu, ornatuque ſacræ imagines etiam in ipſis foribus adhibeantur. Inſignia verò, & alia prophana abſint.

Quos dies feſtos Epiſcopus in vrbe, diœceſique ſua coli, ſanctificarique edixerit, ac præceperit; ij ab vniuerſis cuiuſcunque ordinis regularibus, quauis ratione exemptis, colantur, ſanctificentur, atque obſeruentur.

Dierum autem feſtorum, quos in ea vrbe, aut diœceſi coli conſuetudinis eſt, ille tabellam conficiendam curet, quam, certo ſacriſtiæ loco affixam, ijdem etiam regulares habeant.

Ieiunia præterea, quæ certis præcipuis locis, vbi monaſteria illi habent, à reliquo clero, populoq; vniuerſo obſeruari moris, conſuetudinisve eſt, curet Epiſcopus, vt ipſi itidem, ſicut cæteri omnes ritè, recteque colant, celebrent, atque obſeruent.

Graue eſt, nec propterea ferendum, vt quibus diebus ſancta Eccleſia ad ieiunium, ad pœnitentiam, ad omneque pietatis officium animos fidelium excitare, & accendere ſtudet; in ijs maximè ſeculi homines operibus ſatanicis operam nauent.

Quare corruptelam illam, quam in nonnullis prouinciæ huius vrbibus, lociſque inſignibus, deprauato vſu adhuc retineri accepimus, vt primis illis ſacri quadrageſimalis temporis diebus laruatorum hominum effecta ſimulacra incendantur, inanes nuptię fingantur, cōcurſationes nocturnæ, tumultuſque fiant, radicitus euellere cum maximè cupiamus, hoc decreto vetitum, interdictumq; ſit, vt ne quid tale in poſterum, neque quicquam aliud eius generis religioſo illo tempore vſquam fiat, agatur, committaturve: nec verò agi, fieri admittive permittatur; pœna ijs omnibus, & ſingulis, qui contrafecerint, interdicti propoſita, quam eo ipſo ſubeant. Parochus verò, in cuius parochiæ finibus id criminis, etiam ſi à pueris ſolùm, qui tamen doli capaces ſint, committi ſolet, primò in eam curam ipſe incumbat omni ſtudio, vt ne offenſiones hæ, peccataque id generis fiant. Deinde verò ſi occurrere nullo modo poterit, rem omnem in tempore, ſi in vrbe eſt, ad Epiſcopum, ſi in diœceſi, ad Vicarium foraneum deferat, quo vel alijs rationibus, vel grauiori pœna eiuſdem Epiſcopi arbitrio, ijs morum erroribus conſultum, ac prouiſum ſit omninò.

Omnis ſacrorum temporum celebritas, cùm ab Epiſcopo ſingularem ſollicitudinem, tum à populo obſeruantiam cultumque ei ſolemnitati debitum planè depoſcit.

Atque in ijs quidem vnum eſt, quod piè, religioſe, ſanctèque coli à fidelibus maximè oportet, totum quadrageſimale tempus, virtutum chriſtianarum diſciplinæ, atque exercitationibus dicatum. Eſt enim plenum ſacris myſterijs, quodque non ſine myſterio magnam illam Paſchæ reſurrectionis Domini celebritatem, qua vna omnium ſolemnitatum dignitas, inquit Leo pontifex, conſecrata eſt, proximè præcedit. Fuit porrò ieiunium quadrageſimale à Chriſto Domino dedicatum, & ab Apoſtolicis vſque temporibus in vniuerſa Eccleſia Dei religioſe obſeruatum perpetuò: atq; ita quidem, vt qui in quadrageſima, quemadmodum olim canone Toletano cautum fuit, neglexerit, contempſeritve quadrageſimalis abſtinentiæ, ieiunijve diſciplinam; prohibitiſque cibis illam violarit, is non ſolum reus cenſeretur reſurrectionis Dominicæ, ſed etiam alienus fieret ab eiuſdem diei communione, ac præterea toto illo anno carnium eſu abſtineret. Quare, vt tempus hoc ſacrum tamque religioſum, in quo colendo, ſanctæque obſeruando, veterum pietas mirificè admodum eluxit, à prouinciæ noſtræ fidelibus, maioris obſeruantiæ ſtudio, abſtinentia, ieiunijs, eleemoſynarum largitionibus, oratione, continentia, carnis maceratione, omnique ſalutaris pœnitentiæ diſciplina colatur; hæc, vt infra ſancimus, atque edicimus, præter ea, quæ ſuperioribus Concilijs ſancita, & conſtituta ſunt.

Quæ omnia, & ſingula, Epiſcopus curet, ac efficiat, vt vulgari ſermone reddita, quotannis die Dominico, quadrageſimæ initiū proximè antecedenti, populo in omni ſua diœceſi, proponantur, edicantur, ac promulgentur: ita tamen, vt ijs ipſis ab illo pro arbitratu ſuo addi liceat.

Omnis igitur, quem vrgens neceſſitas, vel imbecilla ætas à quadrageſimali lege non eximit, quocumque etiam gradu, ordine, poteſtate, dignitateve præditus ſit, carne, cæteriſque omnibus, quæ, vt Concilio prouinciali primo cautum eſt, à carne originem trahunt, vtpotè ouis, lacte, caſeo, butyro, & alijs id generis, toto quadrageſimæ tempore, abſtineat, ijs exceptis, quos ob iuſtas cauſas Epiſcopus, aut illi, quibus eam curam ipſe delegarit, facultate, vt infra, eaque ſcripta ſpeciatim excuſarint.

Omnis præterea quicunque ſit, qui ieiunij lege aſtrictus eſt, ſingulis quadrageſimæ diebus, Dominicis exceptis, ieiunium ſeruet: alioqui enim peccato mortali alligatum ſe eſſe noſſe debet.

Ne cibi vetiti, ad ægrotantium, imbecilliumque hominum vſum paſſim venales publicè exponantur, ſed certis tãtum conſtitutis locis.

Ne tabernarum valuis omninò patentibus, ſed magna parte clauſis, vendi liceat.

Ne in foro, aut in via publicè vnquam exponantur, ne à ruſticis quidem, alijsve cuiuſuis generis hominibus.

Neque paſſim item ab ominibus vendi fas ſit, ſed ab ijs ſolum, quibus facultatem, litteris exaratam, Epiſcopus permiſerit.

Nec verò omne carnis genus ab ijs vendi liceat, ſed vitulinum, aliudve, quod vſui ſit ægrotantium corpori.

Neque omnibus vendatur licet, ſed ijs ſolum, qui ſcriptã ab Epiſcopo facultatẽ habuerint. Quæ facultas, etiam nullo tempore præfinito, data, tunc planè extincta ſit, cum primum cauſa, ob quam data eſt, ceſſarit. At verò ſi decem dierum ſpacio diuturnior cauſa erit; iterum ea facultas impetretur: alioqui reſciſſa ſit. Idem deinceps decimo ſaltẽ quoque die fiat, quamdiu opus erit.

Nec verò ſine ea ſcripta facultate, ac ſigillatim nominatimque data, cauponæ, tabernarij, & alij, qui cænaculariam faciunt, eos vetitos in quadrageſima cibos vendant, venaleſve exponant, etiam hoſpitibus, peregrinis, viatoribuſve, quales quales ſint. Nec verò eos menſæ apponant.

Nec præterea illos, alio loco coctos, condimentiſve apparatos, non modò in caupona, taberna, hoſpitiove ſuo, aut loco, curę ſuę ſubiecto, comedere cuiquam permittant, ſed ne aliunde quidem apportari, nedum in menſa apponi patiantur.

Quicunque verò contra ſanctionis huius capita quicquã contrà fecerit: is pœnis, mulctiſve, in locorum piorum vſum erogandis, & cenſuris, alijſque canonum iure, & pontificijs conſtitutionibus, omnique alio modo contrà quadrageſimæ violatores, ſancitis pœnis, vel alijs, quas pro perſonę ratione, & culpæ, contumaciæve grauitate Epiſcopus arbitratu ſuo irrogandas cenſuerit, afficiatur.

Sacro præterea quadrageſimę, & aliorum ieiuniorũ tempore, quæ religioſè olim à chriſtianis hominibus præſtita eſſe, & ſanctiſſimi pontifices, & grauiſſimi Eccleſiæ patres, & canonum decreta oſtendunt, vt ea, pro gloria Chriſti Domini, proque ſtudio ſalutis animarum, in quo quiſque, adiutrice Dei gratia, omni ſanctarum actionum, ſpiritualium exercitationum, & ſalutarium operum contentione, vt maximè poteſt, elaborare debet, à fidelibus prouinciæ noſtræ præſtentur, Dominum omnipotẽtem ſuppliciter exoramus, & illos oẽs vehemẽtiſſimè cohortamur, ac monem⁹.

Atque ea quidem, hæc ſunt, ad quæ exequenda ſuũ quiſque populum parochus, & concionatores item, vt occaſio tulerit, omni verborum vi ſanctiſſima, omniqueſuaſione accedant.

Primo ijs quadrageſimalibus, alijſve ieiunij, pœnitentiæ, & publicæ ſupplicationis diebus, fideles ſe vitę diſciplina ſeueriori aſtringant: ſanctiſque inſtitutis, & moribus, ſacro illi tempori conuenientibus, ſe, ſuoſq; qui patresfam. ſunt, quàm rectiſſimè in omnes partes conforment.

Pretioſas veſtes non induant, ſed amictum, ſi non humilem, & demiſſum omnino, at cum pœnitentiæ, ieiunijque tempore congruentem.

Simultatem, odium, inimicitias, rixas deponant, pacem cum omnibus concilient.

Carnis vim, impetum, non modò religioſa abſtinentiæ, ieiunijque lege, ſed cilicio, & verberationis diſciplina coërceant, & humi aliquãdo cubent, vt à pijs etiam laicis factum eſſe, memoriæ proditum eſt.

Cum autẽ id, olim obſeruatum ſit, vt per totam quadrageſimam ab vxore fideles abſtinerent, ad Elibertani canonis præſcriptum; meminerint, qui matrimonio iuncti ſunt, ſtudendum ſibi, vt eo ſacro tempore, mutuo conſenſu, diebus ſaltem Dominicis abſtineant, vt hoc de genere ſanctiſſimi pontificis Nicolai primi extat reſcriptum.

Omni tempore à iocis chriſtianum hominem abſtinere conuenit, at quadrageſimæ, ac ieiunij tempore, tantò diligentius, quantò frequentius, ſtudioſiuſque orationi, abſtinentiæ, omniq; pœnitentię generi incumbendum eſt. A iocis igitur, à verborum ſcurrilitate, à colloquio inani, otioſo, longeque cautius à noxio & criminoſo ſe continere ſacro pœnitentiæ tempore ſtudeat, vt pontificio, apoſtolicoque illo reſcripto cauetur.

A venationibus item, vt eodem reſcripto cõtinetur, abſtineat item eo ipſo quadrageſimali tempore, quo neq; carne veſci, neque adeo carnalia conſectari licet.

Ciborum quadrageſimalium ſuauitates, ac delitias ne exquirat; nec multiplici epularum apparatu menſam extruat, ſed frugalem parſimoniam adhibeat.

Conuiuia autem in quadrageſima non condicat, nec verè apparet, ne dominicis quidem diebus, vt idem Nicolaus pontifex reſcribit.

In orationis ſtudio frequentior ſit: dolenter peccata, & ſua, & aliena lugeat: pro quibus Dei miſericordiam omni pietatis, pœnitentięque officio imploret.

Eleemoſynas, cum per facultates poteſt, vberiores pauperibus, egentibuſque in ſuſtentationem conferat; in aliaq; pietatis officia, atque opera liberali charitate eroget.

Oblationes offerat largiores.

Frequentius ad eccleſiam conueniat; pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus, precumque diuinis officijs, omni attẽtione, & religioſa meditatione aſſiſtat.

Miſſę ſacrificio quotidie interſit, alia omni negotiatione poſthabita.

Diuinis colloquijs, ſacriſq; concionibus præſens adſit.

Moneatur, vt vitę ſanctitati ita incumbat, vt ſingulis dominicis ſaltem diebus cõfeſſus, ſacram Euchariſtiam ſumat, ſi ſingulis diebus non poteſt; id quod olim in conſuetudine, vſuque fuiſſe ex eiuſdem Nicolai pontificis reſcripto, liquidò conſtat.

Ægroti, cum per inualetudinem corporis ieiunare non poſſint, quodam intimi animi dolore, gemituq;, vt ſanctus Auguſtinus monet, cibum capiant, pro eo, quòd alijs ieiunantibus, ipſi abſtinere non poſſint.

Caueant autem, quod alio prouinciali Concilio ex eiuſdem ſancti Auguſtini ſententia cautum eſt, ne alios ſuo exemplo ad violandum ieiunium prouocent.

Nihil non aggrediuntur, atque omni actu ſemper agunt hoſtes fidei catholicæ, vt impietatum ſuarum virus diſſeminent; venenataſque ſuas voces in omnium aures infundant. Eccleſiæ igitur paſtorib. omni, quo maximo poſſunt, ſtudio elaborandum eſt, vt cum omni tempore, ac diligenter, tum in quadrageſima, verbi Dei prædicatione, tãquam pabulo vitæ, fideles nutriantur, atque confirmentur.

Quamobrem quod multis huius prouinciæ locis, & alijs benè inſtitutis ciuitatibus antiqui, religioſiq; inſtituti eſt, vt eo quadrageſimali tempore, quo frequentiſſimi fideles ad prædicationem conueniant, nullæ neque tabernæ, neque officinæ patentes vſquam ſint, dum concio ſacra habetur, id quod ſanctiſſimæ conſuetudinis eſt, vt perpetuò retineatur, omni officio Epiſcopi omnino efficiant: vbi verò hoc ipſum vel intermiſſum, vel in more poſitum non eſt, vt ad vſũ inducatur, atq; adeo reſtituatur itidẽ curabũt Epiſcopi.

Parochi hebdomada, quadrageſimæ initium proximè præcedente, populum, curæ ſuæ commiſſum, ad ſe conuocent: tum hæc cum illo grauiter, ſolliciteque agant, prout antiqui, religioſique inſtituti & conſuetudinis in Eccleſia ſancta fuit.

Vt canonica auctoritate reconcilient, ſi quos in eo diſſidentes ſcierint, diſſenſionum ſemina extirpare ſtudentes.

Concubinarios homines ab illa peccãdi libidine, vt maximè poſſunt, reuocent: proinde ſanctiones epiſcopales, eo de genere hominum editas, cùm de ſcripto legant, tum cõmuni ſermone planius explicent.

Singulos, denique à Chriſtiana viuendi via aberrãtes, ad ſemitam iuſtitiæ & ſalutis ſtudioſè perducant.

De humilitate, patientia, caſtitate, benignitate, miſericordia, eleemoſynis, pœnitentia, cæteriſque chriſtianæ religionis virtutibus omnes accuratè commonefaciant, vt Cabilonenſis Concilij canone piè, vtiliterque cautum eſt.

Rurſus vitia, & crimina, pro quibus homines, ſicut eiuſdẽ

lij verbis expreſſum eſt,cum diabolo deputantur,de-
da,fugienda,atque adeò abijcienda omnino illa qui-
urent,atque in ijs,quæ ab Apoſtolo, cõmemorantur,
catio ſcilicet,immunditia,luxuria,veneficia,inimici-
ꝯcentiones,æmulationes,iræ,rixæ,diſſenſiones,ſectæ,
æ,ebrietates,comeſſationes.

De Votis.

quando ob calamitatem imminentem , aliamve cau-
m,à populo , vel ab vniuerſitate, vel à vicinia paro-
votum Deo fieri deliberandum eſt , vt de hoc genere
quàm rectiſſimè ſtatuatur , parochus Epiſcopum, ad
præſertim in graui , quæ ad ſpirituales res pertineat,
eratione,confugiendum patres cenſuerunt,etiam per
as,vbi opus eſt,conſulat : de cuius ſententia formula
ritè concipiatur. Si verò aliquando temporis anguſtia
patitur,id quod in peſtilentia euenire aliquando ſolet,
econſuli non poſſit,cum populo agat , vt votum nun-
tur : at ſane quæ ſpeciatim ad illius rectè exequẽdi mo-
pertinere poſſunt,eę rationes omnes in ipſa voti nun-
tione,epiſcopi ſẽtẽtiæ,iudicioque relinquantur; quo
tius,religioſiuſque voti nuncupati ratio omnis ad exe-
onis vſum perducatur.
Caueat item parochus,rectorve eccleſiæ , vt vniuerſita-
onſenſu,atque omni alia opportuna , neceſſariaque ra-
e votum nuncupetur,vt firmum, ratumque ſit,ac pro-
ab vniuerſis , quorum intereſt, piè obſeruetur , atque
ſtetur.
Quò præterea,& ardentiori pietatis ſtudio ad illud nun-
andum,& vehementiori ſollicitudine ad idem ritè exe-
ndum populus incendatur : hoc præterea parochus cu-
vt in voti nuncupatione ſtatæ tum præparationes , tum
m cæremoniæ adhibeantur omni externæ pietatis, ſan-
que cultus ratione , & ſignificatione, in eum,qui ſequi-
modum.
Primo igitur , vt illius vniuerſitatis adulti omnes , quo
votum fiet,antegreſſa peccatorum confeſſione, ſacram
nunionẽ ſumãt,curet idẽ parochus omni cohortatione.
Pridie etiam diei,quo votum nuncupabitur,ſub veſperũ
npanarum ſono ſignum detur:quo populus excitatus,ad
leſiam frequens conueniat , vbi poſtridie illud publicè,
ctèque nuncupet.
Videat vero,vt in eccleſia parochiali,primariave,ad alta-
maius nuncupetur.
Vbi populus conuenerit , proceſſio voti cauſa de more
atur.
Miſſarum ſolemnia,proceſſione peracta , à parocho, re-
oreve eccleſiæ eo nomine celebrentur.
In qua Miſſæ celebratione de voto concio habeatur , ac
eius cauſis,tum exponantur rationes,quibus ſanctiſſimè
uincti,qui vouerint,votum quàm diligentiſſimè præſta-
debent.
Huic actioni omnes parochialis viciniæ , aut oppidi,lo-
ve ſacerdotes , & clerici interſint. Parochus autem,
iuſve Sacerdos, qui Miſſarum ſolemnia eo nomine cele-
rat,cum offertorij tempus eſt, ab ijs, qui vniuerſitatis no-
ine delecti erunt,voti formulam in conſpectu Dei deſcri-
to ſibi ritè,diſtinctèque pronunciari mandet. Quod illi,
enibus flexis , ſupplices præſtent. Deinde cum celebrans
pſe corpus,& ſanguinem Domini in Miſſa ſumpſerit ; tum
ui præparati acceſſerint , eiſdem ſacram communionem
miniſtrabit.
Voti nuncupati inſtrumentum,notarij manu confectũ,
uctoritateque munitum,ad Epiſcopum menſis ſaltem ſpa-
io afferatur , vt in archiuio epiſcopali aſſeruetur perpe-
uò. Cuius inſtrumenti,etiam exemplum,eiuſdem Notarij
teſtificatione,fideque roboratum , in eccleſia illius populi,
vniuerſitatisve,quæ vouit, vt diligentiſſimè poteſt, cuſto-
diatur ad perpetuitatem.
Vtque voti , cuius executio in perpetuum præſtanda ſit,
monimentum in conſpectu omnium extet ; idem curet,in
tabella lapidea votum, votique cauſam, & conditiones in-
cidi,eandemque loco eccleſiæ conſpicuo,atque illuſtri col-
locari,atque parieti agglutinari.

Vbi autem,cum votum nuncupatur,præſcripta ratio,ac cæremoniæ,ob peſtem,aliamve cauſam neceſſariam pręſtari non poſſunt,tunc omnino eas præſtari curet parochus,v- primum poterunt.

Hanc omnem rationem,tum celebriores etiam ritus,cęremoniaſq; adhiberi,Epiſcopus curet, ſi ciuitatis ipſius populus votum nuncupare deliberarit.

De oratione ante operis inchoationem.

NOn decet chriſtianum hominem , opus aliquod ante ſuſcipere,aggredive, quã Dei auxilium religioſis precibus imploret. Dixit enim Dominus ; ſine me nihil poteſtis facere.

Parochus igitur , cuius eſt populum ad optima quæque inſtituta erudire,concionator itẽ illũ,prout vſu venerit,cohortetur,ac moneat,vt neq; publicè,neque priuatim quicquã aggrediatur,niſi primò ſanctis precibus Deo adhibitis.

Neque cibum ſumat , antequam ſtata prece benedicat. Poſt cibum item,Domino gratias precatione agat.

Id enim à nobis expectat,qui nos paſcit Deus,vt pro pręſtitis ab eo eſcis illi gratias referamus , & ſaturati donis ipſius,laudes ei dicamus ; inquit ſanctiſſimus pater noſter Ambroſius.

De indulgentijs,& ſacris reliquijs.

NE cuiuis rectori eccleſiæ, etiam exemptæ, quouis modo,neque vlli ordini regularium, neque cuiquã ſcholæ,confratriæ etiam roſarij,& cruce ſignatorum, locive pij collegio, prætextu, cauſave vel priuilegiorum , etiam antiquorum,vel indulgentiarum : quas,ſibi quouis modo conceſſas,etiam inſtar eccleſiarum , locorumque piorum, confratriarumve vrbis Romæ habet, liceat illas ipſas in ſuis eccleſijs promulgare , ſed vt decreto Tridentino cauetur,per Epiſcopum adhibitis duobus de capitulo illę quotannis ſtato tempore publicentur,atque euulgentur.

Eleemoſynæ item,atque charitatis ſubſidia,quæcunque eo nomine,occaſioneve à fidelibus offerentur , per eos ipſos colligantur;& eccleſiæ, locove , cuius cauſa indulgentia conceſſa eſt,omninò attribuantur,idq; gratis ac nulla prorſus mercede.

Ne indulgentiarum litteræ, inſcriptionesve, earum nomine exaratæ eo loco, vbi capſa ad eleemoſynam colligendam apparata eſt,etiam extra eccleſiam , proponantur,affiganturve,ſed vel in altari maiori , vel in alio, vbi indulgentiæ cauſa ſtatio , oratiove conſtituta eſt. Ac proinde ſtatis ijs diebus , quibus Epiſcopus indulgentiam promulgandam decreuerit , cum fideles ad eleemoſynam Eccleſiæ, locove pio tribuendam , vbi illius indulgentiæ celebritas agitur,parochus,concionatorve excitabit , doceat ſimul diligenter , eius conſequendæ cauſa non eſſe neceſſariò præſtitutam eleemoſynæ largitionem ; vt cæleſtem eum eccleſiæ theſaurum , ſpiritualiaque munera exponi omnes intelligant,non ad quæſtum , ſed ad peccatorum ſatisfactionem, & ad pietatis exercitationem.

Si verò aliquando Epiſcopi conceſſu capſa , in quam eleemoſyna fidelium conijciatur,palam ponitur;intus in Eccleſia,loco longè ab altari,vbi indulgentiæ ſtatio agitur,decore collocetur : de eleemoſyna verò ſeruetur ratio ſupra præſcripta.

Ne ſacræ Reliquiæ,in eccleſia,eiuſve ſacriſtia reconditæ, è loco,vbi aſſeruantur,ad ægrotos vllo modo exportentur, ne conſuetudinis quidem prætextu.

Quæ ad ſacramentalia,& ſacramenta generatim pertinent.

DIe ſacro purificationis beatiſſimæ Mariæ Virginis, vſus, rituſque benedictionis candelarum , cereorumve,cum plenus myſteriorum eſt , tum ſalutarium vtilitatũ: quas non ſolum ex orationibus,quibus Eccleſia in ea benedictione vtitur,ſed ex omni rituali libro probato parochus, concionatorve,eo ipſo die fidelibus ſtudioſè exponat,quo religioſius illas & geſtent,& habeant.

Nam cũ illius benedictionis precatio ad alia multa referatur,

tur,tum ad hæc in primis. Vt candelæ valeant ad ſanitatem animæ,& corporis,terra,mariq́ue.

Vt de locis,vbi accendentur,dęmon,& quicquid dæmonis ars molitur,machinaturve,depellatur.

Vt mentes, & corda fidelium, igne, & ſplendore ſancti Spiritus accēdantur,illuſtrenturq́; ac depulſis vitiorum tenebris,videant quæ ſint Deo grata,& ſaluti vtilia.

Vt ignis charitatis,cum lumine fidei, in animis accendatur,quo ad lumen æternum vitæ cœleſtis perducamur.

Hæc ſibi omnia à Chriſto Domino, qui eſt Deus verus, & ſplendor lucis æternæ,ſibi concedi precantur interceſſione, & ſanctiſſimis meritis Beatæ Mariæ Virginis, quicunq; fideles in illius honorē candelas,quibus benedictionis preces eo die adhibitæ ſunt,deuotè geſtant.

Sacrorum cinerum vſus in Eccleſia Dei antiquiſſimus eſt,ac non ſolum ad ſignificandam, ſed ad excitandam etiam pœnitentiam introductus. Quare Epiſcopus,parochus, & concionator die Dominico, qui feriam aſperſionis cinerum proximè præcedit,populum ſalutares eas vtilitates doceat,quas in eorum benedictione multis orationibus Eccleſia petit. Atque hæ quidē præter cæteras ſunt. Vt fideles, qui ſacro cinere aſperguntur, ad intimam cordis humilitatem adiuuentur.

Vt in eos benedictio cœleſtis deſcendat,qua adiuti, verè intimeque toto animo peccata doleant:hoc mente ſecum reputantes,ob hominis peccatum terram maledictam fuiſſe,noſque omnes in cinerem,ac terram redituros.

Vt detur corporis valetudo ad pœnitētiam peccatorum peragendam.

Vt anima diuino auxilio protegatur.

Vt à Deo impetremus, quæ ad illius voluntatem petimus.

Vt conſtanti animo in bene agendo perſeueremus.

Hæc bona, quæ mater eccleſia pro ſacrorum cinerum ritu à diuina benignitate precatur,vt piè fideles conſequātur, parochus illos eo ipſo die moneat, quàm religioſa intimi animi pietate,quàm humili,contritoq́; corde,quàm humili, demiſſoque veſtitu ad eam actionem conueniant,quamq́; ſerio ſecum ſtatuant,illos ieiunij dies in amaritudine animę ſuæ traducere ad peccatorum ſatisfactionem.

Hoc aſperſionis cinerum miniſterium Epiſcopus ſtudeat potiſſimum in cathedrali, propriave parochiali Eccleſia ab vnoquoque ſuſcipi.

Sanctiſſimi præterea,& antiquiſſimi inſtituti in Eccleſia Dei eſt,die Dominico,Paſcha reſurrectionis Domini proximè antecedente, ramos palmarum,& oliuarum, ſolemnibus precibus benedici,ac fidelibus tradi,qui geſtent, domique religioſè, atque decenter aſſeruent. Et ſicut ritus is, & inſignem illum Ieſu Chriſti Domini ingreſſum ad vrbem Hieroſolymam,& triumphum illum commemorabilem ſignificat,quem paſſione,& morte ſua ſuperatis hoſtibus,idē Dominus reſurgens reportauit;ita alijs etiam myſterijs plenus,à parocho,& à concionatore explicetur, quo ardentius ad religionem illius fideles accenſi, ſpirituales fructus capiant,quos à Deo eis Eccleſia precatur;ſuntq́; hi præſertim.

Vt accipiant mentis, corporiſque vim ad ſalutis opem, Deique gratiam implorandam.

Vt quemadmodum rami folijs virent, ita opera noſtra, & iuſtitia,& omni virtute ſancta quàm florentiſſima ſint.

Vt,ſicut populus hebræus,Chriſto ramis obuiam factus, vna cum eo Hieroſolymam ingreſſus eſt, ita nos ſanctiſſimis officijs,atque pijs operibus Domino obuiam procedamus,illiuſque veſtigia ſecuti in cæleſtem patriam eo auctore,& duce recipiamur.

Vt veluti Chriſtus Dominus de ſatana hoſte cruce ſua triumphauit; ſic nos quàm ſæpiſſimè id miſericordiæ opus animo ita repetamus, vt Chriſti amore incendamur ad pugnam,& ad victoriam de dæmone,carne, & mundo reportandam.

Vt quocunque hi rami introducentur, eius loci incolæ benedictionem Dei conſequantur, omniq́; re aduerſa propulſata,virtute altiſſimi defendantur.

Has,& alias ſalutares vtilitates parochus,& concionator fidelibus exponat:vt,qua debet pietate,religioſoque animo ſacros ramos capiendo, geſtando, & aſſeruando, ita Dominum precentur,vt & per paſſionem, mortemq́ue ſuam,qua dæmonem fregit,ac ſuperauit, & per miſericordiam illam immenſam,qua id egit,non ſolum corpora à malis tueatur, ſed animę gratiam ſuam cæleſtem infundat;ſicque ipſi multis virtutibus,boniſque operibus florentes, Chriſtum Dominum ſequantur: hoſtibuſque omnibus ſuperatis ad gaudia cæleſtis Hieroſolymæ introducantur.

Bini omnes ad candelas, & rurſus ad cineres capiendas accedant,ad palmas etiam,ramoſque oliuarū ſuſcipiendos.

Sine ſtrepitu,ac tumultu,ſed religioſo ſilentio.

Qui extra ordinem acceſſerint,à miniſtris eijciantur,neque digni ſint,qui ſacrorum ramorum tunc participes ſint, niſi aliud Epiſcopus cenſuerit.

Sanctiſſimi item, veteriſque inſtituti eſt à ſummo Pontifice formas illas cereas,quas agnos Dei,à figura impreſſa vocamus,ſolemni benedictionis ritu, multiſque religioſis cæremonijs non ſolum primo,ſed ſeptimo quoque pontificatus anno conſecrari. In quo conſecrationis munere,ſicut ille Chriſti Vicarius,cuius oratio tanto maioris eſt momenti,quanto eius officium in eccleſia ſublimius,& cum eodem Chriſto Domino coniunctius,multa ſanctè precetur à Deo illis concedi, qui animo pio, deuotoque eos agnos apud ſe habuerint: ita à fidelibus magna deuotione ijdem geſtandi ſunt,ad eoſque vſus religioſè adhibendi, ad quos ſacræ preces,ex eccleſiæ inſtituto referuntur. Quare decreto Concilij prouincialis tertij , quod ex conſtitutione ſanctiſſimi Pontificis Gregorij XIII. de illis minio non inficiendis cautum eſt,hæc etiam adiungenda cenſuimus.

Primò cum illi domi aſſeruantur, vt piæ conſuetudinis eſt,loculo decenti recondantur : cum autem collo appenſi geſtantur; in thecam auream,argenteam, eburneam, chriſtallinamve,aut alterius generis decentis, rectè incluſi ſint; ita vt tactu violari non poſſint.

Nec verò ad ornatum habeant quicquam, quod prophanum ſit,quodque minimè deceat.

Thecarum fabri ne vllo modo eos tāgant, attrectentve, ne chyrothecis quidē, forcipe,aut vllo alio inſtrumēto: ſed ad eos thecis includendos clericus, in ſacris conſtitutus,adhibeatur. Ne minimam item particulam ſacræ illius ceræ, è qua agni imago effecta eſt,in eis includant,quo pluris opus ſuum vendant ; ſed ab eo accipiant, qui thecam agni cauſa faciendam locarint.

Neque autem quiſquam ſacrum illum agnum anulo geſtet; cum ita parū religioſe geſtetur,vt aliqua fœditate,turpive tactu violari facilè queat.

Qui ſacros agnos geſtant , hoc religioſius caueant, ne quid impurè,turpiterve agāt,aut à ſacra eiuſmodi re alienū.

Nec præterea in agri campum hi agni proijciantur, nec verò cuiquam arbori affigantur : neque è ramis ſuſpendantur:ſed,quod antiqui eſt inſtituti, eorum cera adoleatur ad ſuffumigationem in agris,vineiſque ob imminentem tempeſtatem,aliaſve diabolicas illuſiones depellendas.

Veterem illum ædibus, atque ædificijs benedicendi morem,ritumque ex ſanctæ eccleſię inſtituto introductum,ad decreto prouinciali,quod in Concilio quarto confecimus, reſtitutum, vt parochi, & reliqui animarum curatores, ad quos religioſæ illius benedictionis munus pertinet,pie,ſancteque obſeruent; & laici, quorum ædificijs, domicilijſque benedicendum eſt, ſpiritualia inde commoda vberrima in Domino capiant, hæc in illis benedicendis ratio ſit.

Primò parochus huius benedictionis munus aggrediatur pio voluntatis propoſito, & quo debet, religionis officio.

Pridie autem illius diei,quo benedicendi munus aggreditur, præcipuo ſanctæ precationis ſtudio,& aliquando ieiunio ſe parare curet.

Quo item die ad benedicendum aggreditur, anteaquam aggrediatur,Miſſæ ſacrificium celebrare ſtudeat: in quo ob hanc cauſam orationem de ſpiritu ſancto, piè recitet.

Ne ædibus benedicat, vbi aliquis excommunicatus habitet.

Nec verò illis,quas fœneratores,meretrices, publici peccatores,manifeſtoq́; criminoſi homines incolunt.

Neque ijs item, ſi quæ aleis, ludiſque vetitis publicè expoſitæ ſunt.

Ne noctu, ſed interdiu benedictionem peragat.

Ritu vtatur ad præſcriptum formulæ, quæ in libro ſacerdotali, ritualive concepta, extat.

Dum ad benedictionis munus accedit, in eoq; verſatur, ſuperpellicco, & ſtola vtatur.

Clericus adſit, qui crucem in via, & in benedictionis miniſterio præferat.

Alter item, qui aquæ benedictæ vaſculum cum aſpergillo ferat.

Cæteri Sacerdotes, & clerici, ſi qui alij adſunt, ordine diſtincti, bini præcedant, & ſuo quique ſuperpelliceo de more induti.

Benedictionis huius cauſa, occaſioneve, nihil planè quicquam, vel minimum, neque is, neque ſacerdotes, clericive, quos ſibi ſocios, adiutoreſve, iunxerit, petant, exigant, ac ne ſponte quidem, vltroq; oblatum, donove datum capiant.

In hoc benedictionis officio, ne omittat, ex inſtructionum præſcripto, Concilijque prouincialis decreto patresfamilias docere, rectèque erudire ad optimam familiæ educationem. Cuius etiam rei argumentum ſatis amplum habebit, ex ſtatis illis religioſis precibus, & orationibus, quæ adhibentur.

Pater familias autem, cuius ædibus, domicilijſve benedicetur, piè ſe præparabit ad eã ſancto deſiderio ſuſcipiendã.

Ideò ante familiam ſuam rectè recognoſcet, monebitq; vniuerſos, & ſingulos, ad præſcriptum regularum, quæ de chriſtiana familiæ inſtitutione editæ ſunt.

Amoueri curabit, quæcunque domi ſuæ ſunt, chriſtianæ familiæ inſtituto indigna, quæque Dei oculos offendunt.

Libros de rebus obſcœnis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantionibus inhoneſtis, cæteriſque id generis, inflammari curabit.

Libros de vitę religioſę, ſpiritaliſque inſtitutis, atque exercitationibus introducet.

Imagines obſcœnas, & turpes incendat: prophanas verò, queq; ad inanem voluptatem alliciant, amouere ſtudeat.

Sacras Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis Mariæ matris, & Sanctorum præſertim imagines, quos patronos habet, vbique domi ſuæ, locis honeſtis ſtatuat.

Teſſeras, aleas, aleatoriaſve tabellas, pictaſque ad aleæ ludum pagellas, procul abijcere curet.

Sacram communionem in parochiali Eccleſia ſimul eo die, vt ſumant omnes de familia ſua, procuret.

Sacerdoti, ad benedictionis munus accedenti, obuiam, vel ad Eccleſiam, vel ad primariam ædium ianuam ſimul cũ tota familia procedat, earundemque benedictionem omni domus loco proſequatur religioſo pietatis ſtudio.

Dum ſacerdos benedicit, nemo domi, vel in officina, cui benedicitur, quicquam ſeruilis, mundanive operis faciat.

Ne minoris ordinis clericus, alio, qui maiore ordine initiatus eſt, præſente, menſæ benedicat: ſed hoc munus ſit, vel Sacerdotis, vel illius, qui maioris ordinis clericus præſens in menſa adeſt.

Vt ſanctiſſimis Sacramentis debitus religionis cultus, etiam externus ab ijs tribuatur, qui ea ſuſcipiunt, ne Epiſcopus, parochuſve patiatur, quemquam ad illa ſuſcipienda accedere, niſi exteriori quoque habitu, veſtium modeſtia debitam illis venerationem, ac reuerentiam præſeferat.

Illud in cæteris parochialis curæ officijs maxime à parochis requiritur, vt ſanctiſſima Sacramenta, quæ diuinæ gratiæ inſtrumenta, ad ſanctificandas animas à Chriſto Domino inſtituta ſunt, non ſolum purè, ſanctè, religioſe ipſi tractent, verùm etiam ritus, ac cæremonias teneant, atque adhibeant, quæ in illis adminiſtrandis ſanctæ Eccleſiæ inſtituto, atque vſu comprobatæ ſunt. Et quoniam liber ritualis Sacramentorum, qui vna, & eadem certiſſima cærimoniarum regula conſtet, quique omni ex parte abſolutus ſit ad ſanctam illam adminiſtrationem, in prouincia noſtra nullus ferè extat; nos propterea iubemus, librum eo de genere, Reuerendiſſi. Dominici Bolani Epiſcopi Brixiæ iuſſu iam pridem confectum, à viris peritis, quos delegerimus primò recognitum, & neceſſarijs alijs partibus auctum, ab omnibus, ac ſingulis Sacerdotibus prouinciæ noſtrę, qui ritu Romano Sacraméta miniſtrant, huius decreti prouincialis auctoritate, cum primùm noſtra cura typis in lucem prolatus erit, ad vſum recipi, atque adeò introduci, vt in Sacramentorum adminiſtratione cęremonijs, & ritibus, eo libro pręſcriptis, vtatur, neq; vllis præterea alijs. Id verò tandiu, quoad ritualis liber Romanus emittetur.

Quæ ad Baptiſmum pertinent.

NEmo, niſi parochus, aut is, cui ille, Epiſcopuſve nominatim conceſſerit, in Baptiſmo miniſtrando ſtatas ſolemnes cæremonias adhibeat, etiam ſi ob neceſſitatem miniſtret. Quo in miniſterio non alterius cuiuſquam, ſed albi coloris ſtola vtatur.

In Baptiſmo etiam compater ne ſit, qui ſacro chriſmate confirmatus non eſt. Eademq; de commatre cautio ſit. Proinde parochi erit, ſtudioſè de hoc ante perquirere.

Ne præterea compater adhibeatur, neque in confirmationis Sacramento item, qui minor natu ſit quatuordecim annis, ſed qui maior, vel potius ætate ſit prouectiori, vt non ore ſolùm, ſed animo, atque ſerio ad interrogata, quæ in baptiſmo fiunt, reſpódeat, ac planè intelligat ſuſcepti à ſe muneris partes.

Ne ante ortum, nec verò poſt occaſum ſolis baptiſmus in Eccleſia miniſtretur, niſi aliter fieri aliquando temporis ratio, neceſſitaſve cogat.

Quoniam in baptiſmo vnuſquiſque piè, ac religioſe pollicetur, operibus ſatanæ renunciare, eiuſque pompas deſerere, id parochus, cum vſu venerit, populum doceat, præſertimq; baptiſmi tempore præmoneat, nõ ſolùm quomodo, & quàm ſimplici amictu ad illum infans deferendus ſit, ſed quàm religioſa in Deum pietate, quam humili ſpiritu, & quãta etiam veſtitus moderatione compatres, commatreſve adeſſe debeant.

Ne verò vllum vel ornamentum, vel aliud quicquam, quod mundi huius pompam præſeferat, adhiberi patiatur: cum minimè conſentaneum ſit, in ipſo vitæ chriſtianæ ingreſſu ſtatim ijs rebus ſtuderi, quibus potiſſimum ſolemni ſponſione renunciatur.

In baptiſmo parochus, ſacerdoſve baptizans præſentem adeſſe non patiatur, neque Iudæum, neque denique alium quemquam à fide chriſtiana auerſum.

Fideles verò, qui præſentes adſunt, piè, religioſe, omniq; animi attentione adeſſe, ſæpè moneat, memoriam tacitè, ſtudioſeque repetentes, quæ Deo, cum baptiſmum ipſi ſuſceperunt, ſanctè ſpoponderunt.

Si duo, pluresve infantes offeruntur, qui eodem tempore baptizentur: eorum vnicuique catechiſmum, exorciſmum, & reliquas ſtatas cærimonias baptiſmumque parochus ſigillatim miniſtret, atque adhibeat.

Cum duo infantes, mas ſcilicet, & fœmina, ad baptiſmũ offeruntur; is ordo ſeruetur, qui antiquiſſimi ritus eſt, vt mari primùm, deinde fœminæ miniſtretur; niſi neceſſitas aliter cogit. Idemque ſeruetur, ſi plures offeruntur, partim mares, partem fœminæ.

Ad aquam baptiſmalem, quę capiti illius infunditur, qui baptizatur, eamve excipiendam, qua Sacerdotis manus, ſacro oleo illitæ, abluuntur, peluis ne adhibeatur, quæ Eccleſiæ tantum vſui addicta non ſit.

Libris ritualibus, canonumque legibus permulta tradita, atque explicata ſunt, quæ in adultis baptizandis adhiberi, ritus poſtulat. In ijs omnibus Epiſcopus cũ diligens erit, tum magnam in eo curam ponet, vt illis præter doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, quæ neceſſario ſcire debent, admiſſorum ſcelerum, & male actæ vitæ pœniteat, tum vt ijdem in poſterum à peccatis omnibus abſtinere ſtatuant. Vix enim vlla alia cauſa eſſe poteſt, quamobrem qui adulti baptiſmum ſuſcipiunt, non modò vllam in chriſtianis virtutibus progreſſioné faciant, ſed plerunque flagitijs nefarijs inquinati, præcipites ad perniciem, interitumque ruant, præter eam vnam, quòd nõ ita, vt par eſſet, affecti ipſi, nec verò ab alijs exculti, ad tantum ſacramentum accedunt.

Quòd verò, licet horribile dictu ſit, aliquando tamen euenisse compertum eſt, aliquem ſcilicet, ad turpem quæſtũ iterum baptiſmum ſuſcepiſſe; id ne vnquam porrò accidat, Epiſcopus antequã baptizet, omne diligẽs ſtudiũ adhibeat, quo iſtos homines, vel Iudęos, vel turcas, mauroſve, q baptiſmum

mum ſibi conferri petierint, planè dignoſcat, de illorumq; conditione, ac ſtatu omni, quantum licuerit, à probatis viris accipiat teſtimonium obſignatum, idemque exigat omninò.

Obſtetrices, tribus, poſt huius decreti promulgationem, menſibus, pœna arbitratu Epiſcopi propoſita, officium ne præſtent, niſi per Vicarium Foraneum, ſi in diœceſi ſunt, & verò in vrbe per eum, cui Epiſcopus id curæ dederit, ſcripto probatæ ſint idoneę ad Sacramentum baptiſmi, cum neceſſe erit, miniſtrandum.

Quæ autem probata eſt, cum baptizabit, curet, quoad eius fieri poteſt, vt duæ ſaltem mulieres, ac mater præſertim, ſi poteſt, teſtes præſentes adſint, quæ in baptizãdo verba ab ea prolata audiant.

Parochus verò, cum perquiret, ex decreto prouinciali, an infans baptizatus ſit, diligenter obſtetricem, & teſtes etiam de verbis prolatis interroget, vt ſibi conſtet, an baptiſmi forma rectè adhibita ſit; an verò ſecus, quamobrem oporteat, infantem à ſe baptizari.

Quæ ad confirmationis Sacramentum pertinent.

Epiſcopus non ſolùm ſacris ſolemnibuſque pentecoſtes diebus, ſed etiam, ſi ita Ciuitatis ſuæ ingens frequentia, multitudoque poſtularit, & Paſchæ Reſurrectionis tempore, & in Aduentu ſacro Domini, & quoties viſitationem obibit, Sacramentum confirmationis miniſtret: & ob eam cauſam, vt Concilio prouinciali quarto cautum eſt, ad miniſtrandũ ſæpe accurret, quibus in locis diœceſis opus erit.

Quod ſi quis cum periculoſe ægrotat, ſe chriſmatis Sacramento confirmatum non eſſe meminerit; ac propterea id ſibi miniſtrari petat; tunc Epiſcopus, ſi eo loci eſt, vbi ille ægrotat, vt ne ſine hoc Sacramento decedat, eum charitate paterna inuiſat, & ritè confirmet.

Alio decreto, quod in Concilio prouinciali primo ſanciuimus, cautum eſt, ne confirmationis Sacramentum ijs pręberetur, qui annis ſeptem minores natu ſunt: ſi tamen Epiſcopus ob aliquam cauſam iuſtam, atque adeò neceſſariam, paruulo, & infanti, qui non modò eam ætatem expleat, ſed ne attingat quidem, miniſtrandum aliquando cenſuerit, ne ſit vetitum.

Ijs verò minoribus natu, atque adeo paruulis, ſi quandoque miniſtrabitur, eorum parentes, vel qui curam gerunt, parochus moneat, vt ætate procedente, illos ea de re certiores faciant: ne parentibus, curatoribuſve poſtea mortuis, ipſi aliquando dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas eſt, ſuſceperint. Id vero parochus curet præter eam diligentiam, quæ ſibi præſcripta eſt, de confirmatis, eorumque compatribus in libro certo deſcribendis.

Idem aliquot ante diebus, quam Epiſcopus miniſtraturus ſit hoc Sacramẽtum, vt nemo quiſquam eorum, qui ſuæ curæ concrediti ſunt, illud ſuſcipere negligat, illos per familias diſtinctè, rectèque notet, qui illud nõdum ſuſceperint; ac qui ætate ſint ab Epiſcopo præſcripta, ordine in Eccleſiã vocet ad id ritè, religioſeq; ſuſcipiendum.

Eiuſdem cura ſit, paucis ante diebus, quàm Epiſcopus Sacramentum hoc miniſtret, non ſolùm fideles præmonere, quæ Concilio prouinciali quarto præſcripta ſunt, ſed etiam in parochiali Eccleſia orationẽ eo nomine inſtituere, vt, qui nondum confirmati, ad id acceſſerint, adiutrice diuina gratia, digni ſint, qui Spiritus ſancti dona vberrimè recipiant.

Neque hoc quidem is denunciare omittat, vt, qui proximè confirmationem ſuſcepturi ſunt, pridie illius diei, quo ſuſcipient, caput lauent, aliove modo mundent, capilloſque ſibi tonderi curent.

Qui confirmandi ſunt, & qui patrini adhibentur, parochus ante videat, quos rudiores eſſe ſuſpicabitur, an orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & Symbolum norint. Atque ob eam quidem cauſam Epiſcopus, illa fidei rudimenta ſibi ab illis recitari iubebit. Quam diligentiam idẽ Epiſcopus, etiam, vt opus eſſe viderit, aliquãdo præſtet per ſe, vel per alium Sacerdotem, quem in ea recognoſcenda conſtituerit.

Videat item, vt in quacunque eccleſia confirmationem miniſtrarit, ſi pauci ſunt, qui ſuſcipiunt, vbi commodè fieri poteſt, ante altare maius decenter exornatum, ſemper miniſtret.

Primo mares in eccleſia à parte ſua; fœminæ ab altera ſint: ſicque ſeparatim diſtincti, genibus flexis, manibus ante pectus iunctis, ſuo quique ordine, piè, & religioſe orent: in primiſque ab omni ſtrepitu, vociferatione, & inani confabulatione caueant: ſed ſilentio ſancto vtantur.

Et, quod veteris ritus eſt, primum mares, deinde fœminæ confirmentur: niſi aliquando aliter fieri Epiſcopus cenſuerit.

Hoc Sacramentum Epiſcopus miniſtrare ſtudebit hora tertia potiſſimum, quæ ex antiquo ritu ſtata huius Sacramenti hora eſt.

Vt ne fœminis mares, nec verò contra, maribus fœminæ, neque ſenioribus adoleſcentes, cum minimè hoc per ætatem conueniat, compatres in confirmationis Sacramento adhibeantur; niſi id aliter neceſſitas aliquando poſtulet.

Quod antiqui ritus eſt, id ſeruetur, vt compater dextera ſuſcipiat, & teneat, quem in hoc Sacramento miniſtranti epiſcopo offert. Si verò, qui offertur, adulta ætate eſt, pedem ſuum ſuper dexterum compatris, qui ipſum offert, ponat: id quod non ſine myſterij ſignificatione fit. Quam ob cauſam, & qui confirmatur, & patrinus tunc coram Epiſcopo confirmante ſtet.

Dum Sacramentum hoc Epiſcopus miniſtrat, non modo qui illud ſuſcepturi ſunt, quiq; eos offerunt, ſed omnes quicumque præſentes ſacro illi miniſterio adſunt, ſanctè, pieque orent, ac ſumma animi attentione ſpectent, quod in ea ſolemni myſterij celebritate peragitur.

Tum verò mente ſecum reputent cæleſtia illa Spiritus ſancti dona, quæ illius ſacramenti virtute fidelibus impartiuntur; in primiſque tacita meditatione videant, quas in illis ipſi progreſſiones habeant; anque vitam agant tanta cæleſtium donorum vbertate dignam.

Curet etiam epiſcopus, ac parochus, vt, qui turpe, ridiculumve nomen habet, neque planè conueniens chriſtiano homini, illud mutet, ſumatq; in confirmationis Sacramento nomen alicuius, qui veræ pietatis, ſanctæque religionis laude floruit, vt qui hactenus non ad normam Chriſti Domini vitam inſtituit, iam abiecto eiuſmodi nomine, depoſitoque veteri homine, & antiqua ſocordia, rurſuſque nouo, ac ſancto ſuſcepto nomine, virilẽ in ſanctè agendo conſtantiam perpetuò deinceps præſtet.

Confirmati frons, chriſmate ab Epiſcopo illita, primùm bombyce diligẽter à Sacerdote abſtergatur: mox à clerico, in ſacris conſtituto, aqua lauetur. Quæ aqua in baptiſterij ſacrarium proijciatur.

Quæ ad ſanctiſſima Euchariſtiæ Sacramentum pertinent.

Hoc inſtitutum, quod antiquiſſimi ritus eſt, ſacerdos religioſe ſeruet, vt intra Miſſarum ſolemnia, poſtquam ſcilicet ſanguinem ipſe ſumpſerit, fidelibus ſacrã communionem ſumpturus, miniſtret.

Nec verò tamen illam miniſtrare vetitum ſit, ſi quando occaſio tulerit, vt quis alio tempore, quàm in Miſſa ſumpturus ſit.

Cum autem peracto Miſſæ ſacrificio, ſtatim eam miniſtrat, veſtibus ſacerdotalibus, quibus in Miſſa vſus eſt, indutus miniſtret, caſula tantùm depoſita, & manipulo item. Si verò non ſtatim, ſed alio poſt tempore, quam in Miſſę ſacrificio, tunc ſuperpelliceo, ſtolaque alba, & vbi ritus Ambroſianus eſt, rubra vtatur.

Verùm pluuiali Epiſcopus indutus ſit, quando illam nõ in Miſſæ ſacrificio miniſtrabit.

Is ordo præterea adhibeatur, vt primò eccleſiaſticis hominibus, ſuperpelliceo indutis, ſi verò ſacerdos quis eſt, ſtola etiam, quæ ſignum crucis, ad antiqui canonis præſcriptũ, in pectore exhibeat: deinde laicis maribus, tum fœminis ſacra communio miniſtretur, loco diſtincto, vt in Concilio prouinciali quarto cautum eſt, eaque ratione diſpoſitis, vt altari maiori terga ne vertant.

Sacerdos, illam miniſtraturus, antequam præbeat, vnicuique, cui miniſtrabit, ſigillatim illa verba pronunciet. *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam*, & qui ſuſcepturus eſt, priùs reſpondeat, *Amen.*

Id quod antiquiſſimi inſtituti eſt, nec ſine myſterij ſignificatione fieri, ſanctiſſimus pater, & eccleſiæ catholicæ Doctor, Ambroſius ſcribit.

Populus autem ad tabellæ inſtructionis, quæ propterea iuſſu noſtro edetur, præſcriptum doceatur, qua ratione ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum religioſè, decoreque percipiatur, ne quid accidat, quòd illius auguſtæ diuinitati, ac ſanctitati non conueniat.

Laici famuli, quicunq; regularium monaſterijs operam nauant; tametſi in illis habitent, ſtato Paſchæ tẽpore, in ſua quiq; eccleſia parochiali, ſacram communionem ſumant.

Cum verò ad ægros, omni reuerentia, omniq́ue religioſi cultus ſtudio, atque honorifice, quoad eius fieri poteſt, afferenda illa ſit, neque id noctu commodè fieri queat, vetitum propterea ſit, ne noctu afferatur, niſi ægri mortis periculum inſtet.

Parochus, ægroto illam allaturus, accuratè hæc præmoneat. primum, vt ęgrotantis cubiculum ab omni ſorde, omniq; iniquinamẽto purgetur; & amota omni re prophana, pio apparatu, & ſacris imaginibus, vbi poteſt, exornetur; tũ præterea menſa, mappa nitida, puraq; conſtrata, cruce, aliaq́ue effigie ſacra, candelabris, & candelis, cereiſve ſaltam binis inſtructa apparetur, in qua ſuper corporali pixis cũ ſanctiſſimo ipſo Sacramento collocari poſſit; ſit etiam vas vitreum ad ablutionis vſum. Quæ omnia, vt ab ijs, qui ægroti curam habent, parentur, cura ſit in primis confratrum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Apud eos verò, qui prę eorum egeſtate, inopiaq; id præſtare non poterunt, ipſi ſodales apparent.

Deinde idem parochus, & veſperi pridie illius diei, quo ſacram Euchariſtiam allaturus eſt, ſi eo tempore de hoc officio præſtando certior eſt, & tunc item paulò ſcilicet ante quàm afferat, certis campanæ percuſſionibus cõfratres ſanctiſſimi Sacramenti, & clericos, & reliquos fideles, præſertim illius parochialis viciniæ, euocari mandet, qui illud pia veneratione proſequantur.

Poſt, ipſe, vbi manus lauerit, ad altare genibus flexis, paululum tacitus religioſe oret: tum ſuperpelliceo, ſtola, ac, vt alio Cõcilio decretum eſt, pluuiali, vbi poteſt, ſe induat. Sacerdotes verò cęteri, clericive, qui comitãtur, ſuperpelliceũ adhibeant, ſi canonicorum capitulum ſit, cappam, vel almutiam, aliudve indumentum, vt illis in choro moris eſt.

Reliqui fideles bini proſequantur, capite aperto, & quàmplurimi cãdelis accenſis: ac primo loco viri, in quibus ſcholares ſanctiſſimi Sacramenti præcedant, poſtremò fœminę.

Omnes, pręſertim eccleſiaſtici homines, hymnos, & pſalmos pœnitentiales, alioſve intima animi pietate ſimul cum parocho, ſed alternatim pronuncient; atque alij item religioſe orent.

Cum quis ſacerdoti, ſanctiſſimi corporis Domini ſacramentum ad ægros ferenti, aut cum eodem inde redeunti, obuiam fit, dum vel equo, vel curru, vel iumento vehitur, vbi primum illum, id ferentem, viderit, inde ſtatim deſcendat, humiq́ue flexis genibus tamdiu in adoratione permaneat, quoad ille cum ſacramento tranſiuit.

At verò omnis, ſiue ſacerdos, ſiue clericus, ſiue laicus, quicumque eidem ſanctiſſimo ſacramẽto obuiam fiet, pro chriſtianæ religionis cultu, domum vſque eius, cui miniſtrandum eſt, & ad eccleſiam quoque, quo reditur, pia veneratione proſequi, & comitari omninò ſtudeat, niſi neceſſitate, cauſave vrgenti vehementer impediatur.

Id omne, vt cuncti fideles ſtudioſè, religioſeq; præſtent, illos vnuſquiſque parochus, quàm ſæpiſſimè, ac diligentiſſimè commonefaciat.

Familia verò, quæ domi habitat, vbi ægrotus eſt, ſanctiſſimo ſacramẽto, ad Eccleſiam vſque, vel ſaltem extra ianuæ fines obuiam procedat cum cereis accenſis, & omni alio interiori & exteriori pietatis cultu, depoſitiſq; planè armis.

Sacra communio ad ægrotum nõ deferatur, niſi ad eum, qui verè illam ſumpturus eſt. Si verò aliquando fit, vt, dum ad eum parochus venit, morbi vi ita affectum illum inueniat, vt eam tunc miniſtrare ritè non poſſit, collocata pixide ſuper corporale in menſa, eo nomine apparata, paululũ moretur, dum genibus flexis, vnà cum cæteris, qui adſunt, ac potiſſimum cum ægroto ipſo ſanctè oret: ac poſteà receſſurus, euchariſtia pixide incluſa, eidem benedicat. Quòd ſi ęgrotus ipſe id vehementer exoptat, ſacramentum aperta etiam pixide, liceat oſtendere adorandum.

Cum quis periculoſè ægrotans, ac etiam penè in extremo ſpiritu ſanctiſſimam euchariſtiam, & ſacramentum extremæ vnctionis ſuſcepit, ſi poſteà aliquot dies ſuperſtes ſacram communionem ſibi miniſtrari petit, eius pio, religioſoq́ue deſiderio parochus ne deſit, modo ne pro viatico iterum in eodem morbo præbeat: cum id à ſanctis patribus olim fieri conſueuiſſe traditum ſit.

Reus, capitis damnatus, quo die pro viatico ſanctiſſimũ corpus Domini ſumpſit; Chriſto Redemptori, qui pro illius etiam anima ſanguinem in ara crucis profudit, à pijs iudicibus, magiſtratibuſq́ue illo ipſo ſanguine redemptis, tribuatur, vt ne eo die ſupplicio afficiatur, multis locis piæ, & laudatę conſuetudinis eſt.

Quæ ad pœnitentiæ Sacramentum pertinent.

VT ad ſanctum pœnitentiæ ſacramentum fideles ſollicitè, diligenterq́ue accedant; id parochus præſtet, vt in hebdomada, quę quadrageſimam proximè præcedit, ad patrum familias ædes, quæ intra parochiæ ſuæ fines ſunt, ſigillatim eat; ac videat accuratè, qui obligatione huius ſacramenti ſuſcipiendi, & ſacræ Euchariſtiæ Paſchæ tempore ſumendæ deuincti ſint, eorumq́ue nomina rectè deſcribat: ac ſingulos prætereà, eoſq́ue præſertim, qui perraro confitentur, moneat, vt ne cõfeſſionem differant in poſtremos illos quadrageſimæ dies, quibus ſacerdotes vel ob myſteriorum celebritatem, aſſidua diuinorum occupatione, ab audiendis confeſſionibus impediuntur, vel frequenti tunc concurſu fidelium defatigati, ita in eo ipſo munere præſtando fere opprimuntur, vt tantum, tamq́ue ſalutare miniſterium in confertiſſima multitudine vix rectè illis præſtare queant. Proinde quadrageſimæ hebdomadas, pro populi ſibi commiſſi, ratione ſic partiri curet, vt alias huic, alias illi viciniæ, familiæve, aut partem viris, adoleſcentibus, & pueris, partim mulieribus, virginibus, puellisve præſtituat, quibus ad confitendum diſtinctè, atque in tempore accedant.

In ijs, quæ ad ſacerdotes, pro ſacræ confeſſionis miniſterio vel examinandos, vel probandos pertinent, ne prelatus, etiam regularis, & exemptus, ſe in aliena diœceſi vllo modo ingerat: ſed eam omnem illos examinandi probandiq́ue curam Epiſcopo diœceſano plane relinquat.

Cum pro temporum varietate, caſuum reſeruationem ab Epiſcopo aliquando mutari expediat, quo planius illos caſus, ei reſeruatos, confeſſarij ſacerdotes perpetuò norint: eos Epiſcopus ſingulis annis vel in ſynodo diœceſana, vel ineunte Ianuario promulget, ita vt quæ eorum caſuum promulgatio proximè facta eſt, vim habeat, quoad altera fiet. Ab ijs verò caſibus, proximè promulgatis, ſi quis confeſſarius cuiuſuis ordinis ſine facultate ſcripta, ab Epiſcopo data, aliquem abſoluere attentarit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat. Si verò ab vno aliquo ſpeciali caſu reſeruato, & altero item, aut etiam pluribus abſoluendi facultas aliquando ſigillatim petetur, verbo etiam, ſiue ſcripto concedi poterit, tum aliàs etiam, quando Epiſcopus ita faciendum cenſuerit.

Ne facultatum, priuilegiorumve iure, quæ cuicunque, etiam roſarij, & cruce ſignatorum ſcholæ, confratriæ, collegiove, etiam laicorum, quæve collegis, confratribuſve in eo aſcriptis ante, vel poſt Concilij Tridentini cõfirmationem, conceſſa ſunt, cõfeſſarius, cuiuſuis ordinis ſit, ab ijs caſibus, quos ſibi Epiſcopus in ſua Diœceſi reſeruauerit, pœnitentes ſine illius facultate abſoluat. Si contrà fecerit, ſuſpenſionem à diuinis ipſo facto incurrat.

Epiſcopus, quo decentius, atque adeò religioſius ſacramenti huius adminiſtratio fiat, presbyteros confeſſarios, etiam qui alicuius congregationis clericorum regularium, alteriuſve ſocietatis regularis ſint, ad audiendæ confeſſionis officium, ne admittat, neve illam audire, etiã in ſuis eccleſijs, ſine

ſine ſuperpelliceo, & ſchola partiatur. Efficiat verò, vt reliqui regulares, tam monachi, quàm mendicantes, in hoc miniſterio habitum, veſtitumque adhibeant, quem ex Regulæ præſcripto in choro ad diuina officia celebranda adhibent. In his canonici regulares cõgregationis Lateranenſis cenſeantur, cum ad rochetum, cappam etiam extrinſecus adhibent.

Omnes verò videant, ne extra eccleſiam, oratoriumve confeſſionem audiant, præter quàm ægrotantium, etiam virorum, niſi ob vrgentem cauſam.

Confeſſarius, quicunque vel ſecularis, vel regularis ſit, non ſtando, ſed in ſede, tanquam pro tribunali iudex, ſedẽdo, ſacram confeſſionem audiat pœnitentium, quales quales ſint, etiam in ſummo aliquo dignitatis gradu conſtituti. Itidem faciat cum abſolutionis ſententiam pronunciat.

Quod in eccleſia antiqui inſtituti, veteriſq; conſuetudinis eſt, rectè omninò ſeruet, vt dum abſolutionis formulã, preceſq; adiunctas profert, ſupra caput pœnitentis manum dexterã eleuet: id quod etiam cũ myſterij ſignificatione fit.

In pœnitentiæ ſacramento magna humilitas ſummè neceſſaria eſt. Itaq; pœnitẽtes cum ad confeſſarium, qui Chriſti Domini locum in eo miniſterio tenet, accedunt, intimo animi dolore omnique humilitate, non ſubiectis puluinaribus, ſi neceſſitas aliud nõ poſtulat, ſeſe ad illius pedes projiciant, ac proſternant, id quod ab Apoſtolicis vſque temporibus in more, vſuque poſitum eſt, vt ſe reos agnoſcant, atque profiteantur mortis æternæ.

Dum confitentur, ſint manibus iunctis, digitis paululum erectis, oculis demiſſis.

Quod in Concilio prouinciali tertio de pœnitentia & publica, & ſolemni, ſacrorum canonum iure, & œcumenicæ ſynodi Tridentinæ auctoritate ſancitum eſt; id ad vſum inducatur, vel reuocetur, atque adeo ritè, recteque præſtetur, prout inſtructionibus, quæ ad communem totius prouinciæ vſum iuſſu noſtro edentur, ex canonum fontibus, ſanctorum hominum diſciplina, eccleſiaſticiſq; inſtitutis præſcriptum erit.

Confeſſarij omnes, qui in vrbe ſunt, tum aliquando per annum, vt in Concilio prouinciali quarto conſtitutum eſt, tum præcipuè ſemel hebdomada prima quadrageſimæ, iterum aduentu ineunte, ad ſe Epiſcopus cõuocari curet, cum iiſque agat, vt eodem Concilio cauetur.

Quæ pertinent ad Sacramentum extremæ vnctionis.

NE pueris, qui nondum vllum rationis vſum habent, ſacramentum extremæ vnctionis miniſtretur.

Parochus, ſi per errorem aliud oleum, quàm quod infirmorum eſt, ad ęgrotum vngendum vnquam adhibuerit, etiam ſi chriſmatis, aut catechumenorum ſit, vt erratum emendet, olei ſacri, quod proprium infirmorum eſt, vnctionem eidem adhibeat: tuncq; Sacramenti formam iteret.

Æger, ſi dum ſacro oleo vngitur, extremum ſpiritum emiſerit, parochus vngere deſiſtat. Si verò aliqua morbi vis derepẽte illum oppreſſit, vt dubitetur, viuus ne ſit, an mortuus, ea cõditione in vngendo vtatur: ſi es viuus, per iſtam ſanctam vnctionem, &c.

Ne alius ſacerdos, niſi parochus, hoc Sacramentum miniſtret. Si porrò is impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſq; periculum inſtat; tunc ſacerdos alius miniſtret licet.

At caueat parochus, ne in eo miniſtrando negligẽtiam, vllam ve moræ culpam contrahat. Alioqui ſi ad illius miniſtrationem accerſitus, ire neglexerit, cũ rationem Deo reddet, tum pœna ab Epiſcopo grauiter plectatur. Is porrò ad omnem huius Sacramenti, in tempore adminiſtrandi, diligentiam, præterquam quòd præcipue cura ſua, quæ ſanctæ ſollicitudinis plena eſt, officio valde admodum perpetuò excitetur; propoſito etiam ſibi exemplo ſanctiſſimi Epiſcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus eſt, quòd culpa ſua mulier quædam, Sacramenti huius gratia fraudata, deceſſerit, vt totam noctem orando, gemendo, lachrymando conſumpſerit, lachrymarumque vi quaſi maximo imbre, pro oleo ſancto, quod non miniſtrauit, mortuam perfuderit. Manè autem exaudiuit Dominus ſanctum ſuum: ita vt illa è morte, tanquam è ſomno excitata, è lecto ſeſe erigens, ſacramentum hoc ab eo acceperit; ac deinceps à morbo conualuerit.

Quod Concilio Agathenſi cautum eſt, id vnuſquiſque parochus præſtare curet, vt Miſſæ ſacrificio peracto, ſi quos in parochiali vicinia ægrotos habet, frequenter, atque adeò quotidiè, quantum per alias ſuæ curæ parochialis occupationes poteſt, inuiſat atque eiſdẽ præſtet, quæ ſint ſollicitudinis, muneriſq; parochialis officia, prout opus eſſe viderit.

Vt Epiſcopo, eiuſquè Vicarijs, aut viſitatoribus aliquando conſtet diligens parochorum in ſalutaribus illis officijs, quæ fidelibus ægrotantibus illi debent, cura; eorum vnuſquiſque librum præcipuum habeat, in quo ſigillatim, præſcribat ſingulis diebus parochiæ ſuæ incolas, qui mortem obierint, & quæ ſacramenta eorum vnicuique miniſtrarit, & præterea quando commendationis animæ officium pręſtiterit, & quo die hæc ſingula miniſtrarit.

CONSTITVTIONVM Pars Secunda.

DE CVRA PESTILENTIAE.

SVperioribus proximis annis funeſta peſtilentiæ contagio primum vrbes aliquot Italiæ celeberrimas, oppida permulta, & pagos cõplures, deinde ſenſim lõge, lateq; dimanans, Mediolanum, eiuſq; diœceſim fere omnem, & aliquã prouinciæ partem ita vehementer inuaſit, vt multiplicem, variamque ſtragem ediderit.

Quo afflictiſſimo tempore res multas commiſeratione, lachrymis, luctuque dignas, & aliunde audiuimus, & oculis noſtris in vrbe, diœceſique Mediolanenſi adſpeximus.

Tanta enim illius vis eſt, tamque vehemens, vt, cum occultè in omnes partes progrediens, breui momento temporis, quaſi repentino quodam impetu turbidæ tempeſtatis, homines obruat, teterrimi contagij metu omnes ferè conſternentur. Quamobrem eo pauore animi commoti, atque obſtupefacti plerique tantum abeſt, vt officij ſui partes fortiter amplectantur, vt, quaſi è mentis ſuæ ſtatu repente dimoti, ne cogitare quidem, ne dum deliberationes, conſiliaque ſuſcipere poſſint, quid in calamitate publica expediat, & quid planè neceſſarium ſit.

Alij verò eo metu affecti, dum humanæ prudentiæ cautionibus ſe tueri volunt, eam ſibi ſollicitudinem quæ tota mundanæ diligentiæ præſidijs nititur, ita præpoſterè ſtruunt, vt religionis, pietatiſque chriſtianæ, ſi omninò non obliuiſcuntur, eius tamen officia intermittant. nam ſæpe fit, vt Miſſæ ſacrificio intereſſe, ſacramẽta ſuſcipere, Eccleſiam frequentare, ad conciones ſacras conuenire, ſupplicationes publicas, publicæque orationis munus obire negligant, & quos cognationis gradu coniunctiſſimos, quoſque charos habent, ſi quando fortaſſe ij in peſtiferam labem, aut in ſuſpicionem eius inciderint; non modò illos non curent, ſed etiam ab ijs ipſis longè admodum refugiant. Atque hæc quidem ipſa animi perculſio cum eos inuadit, qui poteſtate, auctoritate, & opibus præſtant, certè multis partibus calamitoſior eſt, quàm omnis peſtis contagio; cum inde nõ mora ſolùm aliqua, ſed etiam impedimentum non mediocre procurationi, & apparatui remediorum afferatur, & alia deinde multa pernicioſa damna exiſtant. Immo, quod graue eſt, inde accidit, vt egentibus aliquando alimenta neceſſaria non ſuppeditentur; peſtiferis plagis medicina non adhibeatur, & ſubſidia ſpiritualia, id quod grauiſſimum eſt, interdũ non miniſtrentur, Eccleſiaſticæ ſtationes nonnullis in locis deſerantur, diuinorum officiorum cultus ſæpè neglegẽtior ſit, pietatiſque chriſtianæ exercitationes langueſcant.

In tanta igitur rerum difficultate pro paternæ charitatis ſtudio, proq; Archiepiſcopalis officij noſtri munere neceſſe habuimus, multiplicem ſollicitudinem ſuſcipere, multos labores ſubire, multas functiones exequi, quas à paſtore gregi ſibi cõmiſſo, præſtari, & chriſtiana charitas, & paſtoralis curæ

uræ ratio efflagitabat. At omni rationi planè conſentaneum eſt, vt, quemadmodum parens optimus, qui filios vnicè iligit, cum in præſenti, tum in futurum eis proſpicit, ac pa-at, quæ ſunt ad vitæ cultum neceſſaria; ita nos paternę cha-itatis officio adducti, omni pręcautione fidelibus prouin-iæ noſtræ, in hoc Cōcilio prouinciali quinto conſulamus, rouideamuſque deinceps, quæ experiendo cognouimus, eſtilentiæ tempore ſalutaria eſſe adiumenta. Id verò etiam naximè faciendum cenſuimus, cum præſertim ſubueren-lum ſit, ne aliquando ob eaſdem Dei offenſiones, ob male-ue facta, quorum ſeminaria nondum euulſa ſunt, iterum lla peſtifera labes in prouinciam noſtram irruat. Atq; hæc uidem ipſa ob eam præterea cauſam præcauere voluimus, uòd cum peſtis vis ſubitò irrumpat, atque dimanet, non nodò de ijs, quæ opportuna ſunt, maturè deliberandi, con-ſultandique tempus relinquit, ſed celerrimè agendi neceſſi-atem omnem imponit. Accedit etiam, quod illius calami-atis, atque incommodorum recens memoria cum ſit, ac re-ordatio, hoc tempore facilius multo eſt, quàm multis poſt nnis eo de genere adiumenta opportuna excogitare, con-ſiliaq; adhibere, dum præſertim ſuperſtites adhuc ſunt, qui ſemel peſtiferæ contagionis mala, & detrimēta experti ſunt. Eſt verò illa item ratio, quòd, cū nos in hoc prouinciali conuentu, ſpiritualibus præſidijs, miſericordiæque operibus, è charitatis fonte manantibus, vniuerſos, & ſingulos omnis generis, & ordinis homines in peſtilentiæ tempore inſtruimus; hæc tota noſtra vel inſtructio, vel præcautio eò refertur, vt officiorum ſanctitate, & operum religione, quaſi pro publicæ valetudinis recuperatæ munere, grati animi erga Deum teſtimonia demus, atque afferamus.

Partitio officiorum, quæ peſtilentiæ tempore præſtanda ſunt.

SVnt igitur permulta officia, quæ peſtilentibus temporibus chriſtiana charitas docet præſtanda eſſe, ſiue tēpus ſpectetur, quo primum peſtis ſuſpicio, periculumve imminet; ſiue locus inſpiciatur, in cuius viſcera, illa miſerandum in modum ſeſe infudit; ſiue hoc ipſum conſideretur, cum ſcilicet, ea paulatim langueſcente non ſolum ſpes recuperandæ publicæ valetudinis oſtenditur, ſed, cum ad omnem à morbo confirmationem maior in dies progreſſio fiat, demum omnis inde conualeſcentia exiſtit.

Atque in ijs quidem officijs alia propria vniuſcuiuſque ſunt, vtpotè Epiſcopi, & parochi, & cleri tā ſæcularis, quàm regularis, & magiſtratus, & patrisfamilias, & omnis denique populi: alia verò quædam communia, quæ eiuſmodi ſunt, vnde illa, quæ propriè, pręcipueq; à ſingulis pręſtanda ſunt, proficiſcuntur, atque emanant.

Officia multiplicis conſiderationis communia.

IN communibus porrò officijs, in quorum aſſidua cogitatione, atque vſu omnes ſeſe piè exercebunt, hæc ſanè erunt.

Primùm ſecum tota mentis cogitatione, totoque animo reputabunt omnes homines, quæ, & quanta peſtilentiæ vis ſit, quàm tetra illius contagio, quantas, & quàm varias ſtrages breui edat; quàm multas miſerias, quamque horribiles calamitates rebus publicis importet: quàm breui animi cōſternatione cunctos vel fortiſſimos viros aliquando efficiat; quam valde, ob eam cauſam formidoloſa, quòd ita derepente ab hoc ſeculo ad tremendum illud Chriſti Domini iudicium animas abripit.

Deinde attentiſſima meditatione conſiderabunt, à quo peſtifera illa lues exiſtat, nempe à Deo, cuius volūtati in primis illam acceptam referent. Dauid enim, optione data triū calamitatum, peſtis, famis, & belli, in ea deliberandi facultate peſtilentiam maluit, cum dixerit, malle ſe in manus Dei, quàm hominum incidere.

Tum cauſas, quamobrem peſte Deus mortales affligat, diligenti indagatione perquirent. Atque in ijs quidem cauſis cum multæ aliæ afferantur, ob quas calamitatibus, miſerijs, aduerſiſque rebus homines ille diuexet, tamen hoc ſibi certo perſuadeant, quod à ſanctiſſimis patribus traditū eſt, cum Dei maieſtatem multis hominum peccatis, flagitijſq; lædi, ac violari vident, hanc ipſam cauſam potius eſſe, cur is calamitates, & plagas infligit, eo tamen conſilio, vt in viam reducat homines, ne, vt ait S. Paulus, cum hoc mundo damnentur.

In eam præterea cogitationem incumbent, quam multiplex, quamque ampla materia, & quaſi ſeges chriſtianæ virtutis, charitatique exercendæ detur illa tam graui afflictione, grauiſſimiſque illis, & permultis difficultatibus, quas ſecum peſtilentia inuehit. Qua in cogitatione videant ſimul meritorum, quibus adiutrice diuina gratia, ad cælum via munitur, fructus inde extare poſſe, & ampliſſimos, & vberrimos.

Hęc porrò per ſe ſatis explorata ſunt, meditationum, cogitationumque officia, in quibus peſtilenti tempore fideles aſſiduè verſabuntur: ſed multa inde conſequuntur, quæ eo ipſo præſertim tempore in omnium animis, mentibuſque perpetuò infixa inhærere debent.

Atque in ijs illud maximè ſibi propoſitū habebunt, quantò anima corpori præſtat, tantò ſtudoſius animæ cura, & ſollicitudo, corporis incolumitati, & ſtudio in periculo præferenda eſt, in quo & anima, & corpus eo peſtilenti tempore verſatur.

Immò verò illud pro certo, exploratoq; habeant, à Deo potiſſimum, & publicam, & priuatam ſingulorum incolumitatem, proſperamque corporis valetudinem omni pietatis officio implorari oportere: niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam, inquit propheta. Quamobrem ſciant, ſpem omnem irritam, atq; inanem eſſe, quæ Dei ope in primis non nititur, ſed tota ſolùm vel in humana prudentia, diligentiave, aut in rerum copia, atq; opibus, aut in corporis robore, & viribus, aut in alijs id generis præſidijs collocatur.

In animum autem perpetuò inducent, recuperandæ & publicæ, & priuatæ valetudinis, incolumitatiſque eas potiſſimum rationes eſſe, quæ ad Dei gratiam reconciliandam, ad veram peccatorum pœnitentiam, ad prauos vſus emendandos diligentiſſimè conferuntur. Ijs porrò officijs & rationibus neglectis, aut prætermiſſis cætera putabunt parum valere, immo planè inutilia eſſe, illa verò etiam pernicioſa admodum remedia, quæ ſecum peccatum coniunctum habent.

Hæc omnia cum ſibi quiſque perpetuò perſuaſa habeat, tum maximè & priuatis colloquijs, & publicis concionibus non ſolùm Epiſcopus, ſed parochi, & cōcionatores pro ſuo quiſque munere, in hominum mentibus quàm diligentiſſimè inſerere ſtudebunt, tamquam ſemina quædam officiorum ferè omnium chriſtianorum, quæ infra explicata, & demonſtrata peſtilentibus temporibus præſtanda ſunt.

His porrò officijs cogitationum, meditationumque certarum, quas eo de genere ſibi fideles animo rectiſſimè conceperint, inſtructi, non modò nō langueſcent, ſed valde etiam ſe excitabunt in omnes partes præſtandi chriſtianæ charitatis opera.

De præſentia, & conſtantia omnium.

SI vllo vnquam tempore, vel afflictiſſimo, aut Epiſcopi ſollicitudo, aut Sacerdotum miniſterium, aut magiſtratuum, decurionum, & aliorum omnium, qui præſertim prudentia, fortitudine, conſtantia, charitate, alijſque virtutibus præſtant, ſtudio quàm diligentiſſimo opus eſt; certe in peſtilentia, cuius immaniſſima vi, repentinoque impetu cuncta, niſi eorum virtute fulciantur, breui labuntur, atque ruunt, eſt maximè neceſſarium. Itaque ij omnes, ſingulique labenti patriæ, & auctoritate, & exemplo, & muneris commiſſi officio opem neceſſario tempore ferre ſtudebūt; proindeque non modo illam non deſerent, vt imperita multitudo aliquando factitare cenſuit, vtpotè quæ ab omni conſilio inops, vulgo cōſternata, ac ſola tantùm peſtis voce perculſa, longè refugit, ſed in eius cuſtodia, quaſique vigilia ita permanebunt, vt à rebus, & publicis, & priuatis, quibus eorum poteſtate, aut officio, virtuteque ſuccurrendum eſt, oculos nunquam deijciant.

Nec verò in tanta omniũ perturbatione, ac trepidatione animo demiſſo, & contracto erunt, ſed forti, magno, atque adeò paratiſſimo ad omnia charitatis officia, & miniſteria. Neque propterea in ancipiti deliberatione verſabuntur, aut in quæſtionem adducent, quæ ipſa officia neceſſario præſtare debeant, quæ rurſus minus neceſſaria, quove iure illis præſtandis deuincti, ſed ardenti dilectionis, & pietatis ſtudio incenſi, cuncta potius ijs officijs metientur, quæ ſibi, in ſumma ea neceſſitate, periculove conſtitutis, præſtari ab alijs maximè velint.

Hanc ipſam porrò rationem, atque vſum in populis, etiam finitimis peſte, aliave calamitate ob peſtem afflictis, ſubleuandis, & adiuuandis adhibebunt.

Et quoniam cunctis alijs ſtudijs, atque officijs potior, multiſque partibus præſtantior eſt, ſpiritualis cura, paternaque charitas, quam Epiſcopus, parochi, animarum curatores, & ſacerdotes, tanquam optimi parentes de filiorum ſalute ſolliciti, omni paterno ſtudio conferunt: ideo ipſos in primis admonemus, vt præſentes adſint peſtilentiæ tempore, quo fideles opus admodum habent, & ipſius Epiſcopi auxilio, & eorundem parochorum, ſacerdotum ve miniſterio, cum ad cætera omnia charitatis, miſericordiæque opera, atque officia, tum maximè ad ſpiritualia adiumenta, & ad Deum nõ ſolùm precibus, ſanctiſſimiſque orationibus, ſed etiam omnia alia ratione placandum.

Quamobrem ob oculos ſibi propoſito tam magno populi ſibi commiſſi, periculo, paternę charitatis viſcera indutus, conſtantiqúe illa Epiſcopalis animi virtute præditus, quæcunque pietatis officia à parente optimo, filijs præſtari affliſtiſſimo illo tempore oporteat, ea ſtudio, & miniſterio ſuo ita præſtabit, vt ad omnia charitatis chriſtianæ opera cæteri homines inflammentur, cùm maximè ſingulari, & egregio illo ſuo exemplo, tum verò etiam pio quodam ardore ſanctarum cohortationum, quas ad clerum, ad populũ, ad magiſtratus, decurioneſq; præſertim adhibebit, vt vniuſcuiuſque ſtudium, officiumq; tum vniuersè, tum ſigillatim excitet, & inflammet, cunctoſq; in curæ ſuæ officijs conſtantiſſimè contineat.

Parochi autem, animarum ve curatores, tantum abeſt, vt neceſſario eo tempore populum, cuius curã gerunt, aliquo modo deſtituant, vt fixa animi deliberatione ſibi ſtatuendũ putent, omnia prorſus, etiam mortis pericula paratiſſimo animo ſubire potius, quàm fideles Chriſti ſanguine redemptos, ac ſibi pręcipuè in curam traditos, in ſumma pene omnium adiumentorum neceſſitate deſerere.

Reliqui etiam Sacerdotes, & clerici, qui Eccleſiæ ſtipendio alantur, vt Dei laudes concelebrent, preceſque pro populo adhibeant, tunc maximè intelligent, ſibi in ſtatione, & quaſi in perenni vigilia quadam ſacerdotali, & clericali manẽdum eſſe, cum diuinæ iræ placatio exoretur oportet ſupplicationibus, litanijs, ſacrificijs, frequenti ſacramentorum vſu, & alijs chriſtianæ religionis miniſterijs, quę potiſſimum ſacerdotalis officij ſunt.

Populus verò non modo longius à patria, quæ vna omnes omnium charitates complectitur, non refugiet, ſed præ illius amore perſiſtet, hocq; vnum ſibi præſcribet, vt ereptis morũ erroribus. conuulſiſq; vitiorũ ſeminibus, vnde peſtiferã labẽ, atq; exitiũ cõparatũ eſſe exiſtimare debet, criminũ, & peccatorum, quæcũq; conceperit, admiſeritve, vere ſanctéq; pœniteat, & vitæ emendandæ propoſitum, fixa deliberatione ſuſcipiat. Supplex item quàm frequentiſſimè ad Deum confugiat, qui in medio etiam nubis, & afflictionis arcum propitiationis ſuæ oſtendit, funeſtaque ærumna oppreſſos, ſuæ item diuinæ benignitatis ope ſubleuat.

Epiſcopi ſollicitudo in orationibus publicis.

IAm verò Epiſcopus, ad quem gregis cuſtodiendi perpetua cura refertur, vt vniuerſi populi ſupplicantis religioſa, ſolemniqúe oratione Deum placet, cum primum in locis finitimis peſtis graſſatur, certas, ſtataſq; publicas proceſſiones triduanas non ſemel, ſed iterum, atque adeò ſæpius, ſi opus erit, & in vrbe, & in diœceſi indicet: quas ieiunio, eleemoſyna, ſacco, cilicio, omnique mœſto, & lugubri amictu, pedibus nudis, capite aperto, omni pœnitẽtiæ publicæ modo, vocibus ex intimo animo ad miſericordiæ implorationem emiſſis, gemitu, lachrymis profuſis, intentiſſimo aſſiduarum precum ſtudio, & omni denique non externo ſolùm, ſed interno pietatis religioſæ officio ſanctè agi, atque celebrari ſtudebit.

Ad quas proceſſiones etiam Sanctorum reliquias ſacras, præſertim, quæ inſigniores ſunt, vniuerſe aliquando adhibebit.

Statam illam, & ſolemnem orationem quadraginta horarum, religioſe celebrabit: ad quam vniuerſus clerus, & populus, per certas regiones, & parochias diſtinctus, ex Concilij prouincialis quarti decreto piè, & ordine conueniat. Atque in eius quidem celebritate, quo religioſius omnis clerus, populuſque ad publicæ precationis ſtudium excitetur, ſermo breuis ſtatis ſingulis horis habebitur à perito ſacerdote, qui orantes vehementius inflammet.

Curabit etiam, vt omnes, & ſinguli peccata confeſſi, certo dominico, aliove feſto die, ſacram communionem ſanctè ſumant.

Statas præterea proceſſiones, quæ ſpeciatim ab vniuerſo vniuſcuiuſque collegiatæ Eccleſiæ clero, etiam regulari, & ab vnaquaq; ciuitatis, vel diœceſis regione in ſingulas hebdomadas fiant, certo præſcripto modo inſtituet.

Certarum Eccleſiarũ, in quibus præſertim inſignia pietatis, & religionis monimenta extant, viſitationem conſtituet, vt ad eas ſcilicet ſupplicandi cauſa, ac ſtudio, vniuſcuiuſque viciniæ parochialis populus collegiatim certis diebus conueniat.

Orationem matutinã, ac veſpertinã ardentius excitabit; & verò, vbi intermiſſa eſt, reſtituet quàm diligentiſſimè.

Orationem item ſine intermiſſione, vbique, & in vrbe, & in diœceſi, certa parochialium, collegiatarumque Eccleſiarum, ac Monaſteriorum præterea diſtinctione, indicet, atque ſtatuet.

Litaniarum etiam quotidianarum, quas & domi, & foris certis locis, in Eccleſijſque præſertim adhiberi curabit, certam rationem inibit.

Ieiunium, ſi minus in hebdomada pluribus diebus, at in feria ſexta ſaltem, vel Sabbato, præter ſtatos vigiliarum dies à populo agi ſuadebit: alia præterea veræ pœnitentiæ ſigna, diuinæ miſericordiæ implorandæ ſtudio ſuſcipienda, demonſtrabit.

In ijs quaque religioſis adiumentis illud etiam adhibebit, vt vniuſcuiuſque parochiæ ædibus, domicilijs, & habitationibus parochi ſinguli, ſtata religioſa prece ritè benedicant ad inſtructionis, eo de genere, in hoc Concilio editæ, præſcriptum.

Vt autem denique totius prouinciæ populi ſupplicatione etiam adiuuẽtur, eo neceſſario tempore litteras de periculo, ſuſpicioneve peſtilentiæ ad Metropolitanum, cæteroſque prouinciæ Epiſcopos celerrimè ſcribet.

Cura Metropolitani, & prouincialium Epiſcoporum.

PEſtilentiæ, quæ vrbi, locove prouinciali imminet, periculo audito Metropolitanus eam curam, congregationemque ſuſcipiet, vt nõ ſolùm in Metropolitana vrbe, eiuſque diœceſi, ſed in vniuerſa prouincia ſupplicationem, orationem, & alia pietatis opera indicat litteris, omni cohortatione plenis.

Reliqui prouinciæ Epiſcopi ei, cuius diœceſis ex peſtis periculo laborat, charitatis officia nauare non different.

Illi animum, ſpiritumque addent, & maiorem omni officiorum ratione facient, ad epiſcopalis, paternæque charitatis partes in peſtilentia, ſi irrepſerit, exercendas. Quod officium ſæpius præſtabit vicinior Epiſcopus. Propoſito etiam exemplo ſanctiſſimi Pontificis Cornelij, & Beati Cypriani Epiſcopi, martyrum, quorum alter alteri, in laboribus, & periculis verſanti, litteras, plenas conſolationis ſcribebat, Epiſcopum crebris litteris conſolabuntur item, & confirmabunt.

Curam etiam aliquam inibunt, vt de illius, & diœceſis, & vrbis ſtatu certiores aliquando fiant, quo ardentiori ſtudio flagrent ſubleuandi neceſſitates.

Studebunt in primis ei opem afferre, tum oratione publiciſque ſupplicationibus, tum etiã eleemoſynarum, prout vnuſquiſq; poterit, largitionibus.

Omnem aliam præterea rationem quiſque diligentiſſimè exquiret, qua fratris Epiſcopi, eiuſque etiam populi periculo, & difficultatibus, cum eo coniunctis, opportunè, ac benignè ſuccurratur.

Id omne pietatis officium Metropolitanus longè flagrãtiori ſtudio præſtabit, vt eius exemplo, ac documento cæteri prouinciales inflammentur ad rei piæ imitationem.

Sollicitudo Epiſcopi in morum corruptelis eripiendis.

EPiſcopus præterea, cuius diœceſis in periculo peſtis verſatur; tunc in primis accurate inueſtiget, quæ potiſſimum corruptelæ, quæ publica peccata ſint, & quæ ſcelera, flagitiave, quibus Deus maximè offendatur, eiuſq; ira concitetur. Hæc igitur cùm funditus cõuellere ſtudeat, tum verò ea, quæcunque ſint diuino cultui repugnantia.

Ac rurſus, omnia pietatis officia in vſum vt diligentiſſimè reuocentur, ſedulo curabit.

Sanctioris diſciplinæ initium à ſe faciet, perinde ac ſi peccatis ſuis potiſſimum peſtilẽtiã, qua populus affligitur, cauſam dediſſet; proinde in eo attente figet oculos, vt accurate perſpiciat, quid à ſe velit Deus, quid iubeat, quid prohibeat.

Ad normam voluntatis diuinæ omnia ſua conſilia, omnes cogitationes, omnia opera, & verba, omnes denique vitæ ſuæ rationes conformabit: & officij ſui paſtoralis momẽta diuini iudicij legibus perpendet.

Et ſua, & populi peccata pijs, & crebris gemitibus deplorabit.

Aſſidua prece, ſummaque ſanctiſſimæ orationis contentione, diuini luminis illuſtrationem ſibi depoſcet, vt omnia videre, omnibus conſulere, eſſe pro omnibus vehementer ſollicitus, & omnia deniq; quæ ad populi ſui curam rectiſſimam pertinent, circumſpicere, & mentis oculos illuſtratæ, neceſſario tempore poſſit, ſupplex perpetuò Deum orabit, vt diſiectis peccatorum nubibus pluuiam, & rorem diuinæ ſuæ miſericordiæ effundat in populum, ſuæ curæ commiſſum. Cùm igitur vitæ ſuæ rationes diligenter examinabit, cunctaque videbit, quæ à ſe præſtari oportet, vt nõ modò in graui culpa, ſed in nulla quidem, vel minima offenſa ſit apud Deum; tum familiæ inſtituta, mores, omnemq; diſciplinam recognoſcet; & omnia non tantùm vniuersè, ſed ſpeciatim, ſigillatimque diligentiſſimè perluſtrabit.

Tantumque quo ad eius fieri humanitus poterit, aberit, vt quicquam offenſionis, culpæve in vllo quoquam reſidere patiatur, vt ſtatuat potius, quaſi nexu diſciplinæ ſanctiſſimæ deuincire omnem familiam, ac domum epiſcopalem, quæ, tanquam officina chriſtianarum virtutum, cæteris expoſita eſſe debet ad imitationem.

Fori præterea ſui eccleſiaſtici rationem, atque vſum omnem explorabit, hocque attentiùs, ac diligentius, quo grauiores Dei offenſiones ex inique factis, iniquiſque iudicijs exiſtere ſolent.

Perueſtigabit etiam, ac diſpiciet attentiſſimè Eccleſiẹ ſuẹ cathedralis, & cleri illius diſciplinam; in qua, ſi quid vel vniuerſe, vel ſpeciatim offendi animaduertit, ſtudioſiſſimè emẽdabit, & corriget; cum pręſertim inde documenta omnis optimæ inſtitutionis, & normæ ſumi conueniat.

Vt verò reliquis omnibus, in quibus aliqua offenſio ſubeſſe poſſit, proſpiciatur, & conſulatur, ſynodum diœceſanã, ſi expedire cenſuerit, diligentiſſimè habebit, in qua præcauebit, quæ opportuna, quæ neceſſaria, quęque ſalutaria maximè erunt, pro temporis ratione.

At ſi minus ſynodum coget, ſaltem Vicarios foraneos ob eam ipſam cauſam euocabit, vt non in vrbe ſolùm, ſed in omni diœceſis parte, etiam atque etiam diligenter, depulſis morum erroribus, profligatis publicis offenſionibus, euiuſque malefactorum ſeminibus, omnis vitæ emendatio, & diſciplinæ chriſtiano nomine dignæ inſtauratio, atq; adeò inſtitutio procuretur.

Hoc idem quò in omnes partes rectè, ſancteque agendi ſtudium vehementius excitetur, cum ſacerdotibus confeſſarijs, & concionatoribus aget quàm diligentiſſimè.

Reliquum etiam ciuitatis clerum ſæcularem, & parochos potiſſimum ſæpius conuocabit; quos omnes cùm ad vitæ innocentiam, tum ad virtutes, quæ in ſacerdotali, clericalique ordine elucere debent, eorumque officia vſq; adeò excitabit, vt ſalutaris inde fructus in populum deriuetur.

Præfectos item monaſteriorum cuiuſuis ordinis, quæ in ciuitate ſunt, ad ſe aliquando accerſet; quibuſcum omni cohortatione, ſanctiſque admonitionibus, & ijs quidem frequentibus, vbi opus erit, aget, vt in omni monaſterio, tum virorum, tum etiam fœminarum ſi quæ illorum curæ commiſſæ ſunt, ſanctè, religioſeque viuatur, quemadmodum ex ſuſcepti ordinis inſtituto ab ijs fieri oportet, qui in religionem ſe Deo dicarunt.

Monialium verò, quarum curam gerit, reformationis rationem omnem ſuſcipiet, & exequetur: quo ſanctius illæ, religionis officijs deditæ, calamitati publicæ, & vitæ meritis, & oratione, precationibuſque ſuccurrant.

Itidem agere nõ deſiſtet cum præfectis, curatoribus, miniſtriſve locorum piorum, & cum cęteris item piarum confratriarum ſcholarumve hominibus.

Nec verò peccata, & offenſiones publicas diſſimulabit, ſi quas in eo, qui ciuitati præeſt, in magiſtratibus, in decurionibuſque ineſſe perſpexerit: ſed annunciabit eis errata, in quibus offendunt. Nihilq; ad ſalutem publicam potius eſſe oſtendet, quam ab illis in primis pietatis chriſtiana opera vnitè coli, quamque iuſtitiæ munus, & officium, depulſo omnis cupiditatis dominatu, rectiſſimè, atque æquiſſimè omnibus adminiſtrari.

Omni etiam officij genere eum eiſdem aget, atque hoc ſedulò inſtabit, & vrgebit, vt publica auctoritate, publicoq; decreto, ſi modò res eiuſmodi eſt, de qua per illos decerni liceat, tollantur, & radicitus extirpẽtur, quæcunque ſunt, ob quæ Deus palam præſertim, ac publicè offendatur.

De populi denique vniuerſi diſciplina conformanda, & peccatis tollendis, ad quę procliuius, frequentiuſve prolabitur, omnem rationem etiam cum ſacerdotibus inibit, totus in ea cura defixus, vt à Dei offenſionibus ad virtutum chriſtianarum officia illum planè reuocet.

Immò verò hoc etiã valde ſtudebit, vt voluptuariæ omnes actiones, in quibus vulgi multitudo aliquãdo verſatur inani opinione, cum putet, peſtilentiam mundanis lætitijs facilius caueri, omnino abijciantur, quales ſunt ſaltationes, profanæ cantiones, comeſſationes, crapulæ, & cætera eius generis: quibus plerunq; multa peccata coniuncta ſunt.

Populum quoq; inducere procurabit, & ad conſtituendũ profuſis ſumptibus modum, & ad inueteratas malas cõſuetudines deteſtandas, atque planè abijciendas.

Id omne non ſolum cum populo ciuitatis, ſed etiam cum diœceſano paterna ſollicitudine aget.

Accerſet præterea ad ſe omnes præfectos vniuſcuiuſque collegij, etiam artificum; quorum operam, & diligentiam adhibebit ad reſcindendos prauos vſus, ſi qui in eorum collegijs, aut artificijs ſunt, vnde aliqua Dei offenſio exiſtat.

Patribusfamilias illud magnopere ſuadebit, vt aleatorij ludi, imprecationes, blaſphemiæ, verba impura, turpia, impudicæ choreæ, ſaltationes, pompæ luxus, profuſa conuiuia, & cætera, quæ ab intemperantia manant, procul ab omni domo arceantur.

Omnes verò, & vrbis, & diœceſis partes cùm ipſe accurrendo inuiſet; tum alios probatos viros eccleſiaſticos ob eam cauſam nomine ſuo mittet: & verò quæ opportuna ſunt, curabit, atque adeò exequetur, vt nulla ex parte optimi parentis, vigilantiſque paſtoris curæ, ſtudium, vel miniſterium deſideretur.

Singulorum crimina diligentius inueſtigabit, quæ præſertim cum diuturniora ſint, ad iræ diuinæ concitationem plus roboris habent, vt adulteria, concubinatus, vſura, nefarij contractus, bonorum eccleſiaſticorum vſurpationes, res malè partæ, & alia eiuſdem generis, quibus præſens, ſalutareque remedium accommodabit.

Quamobrem vnumquemque, quaſi ſomno obliuionis peccatis dormientem, excitabit, vt opus erit, ad pœnitentiam, ad lachrymas, & flagitiorum deteſtationem, depulſionemque

nemque vt re ipſa præſtet, quæ cum diſciplinæ Chriſtianæ rationibus,& ſtudijs conueniunt.

Pacem,& concordiam inter diſſidentes reconciliabit.

Lites componere,controuerſias dirimere,cuncta cuiuſuis generis diſſidia tollere,ſimultatem,odia reſtinguere,factionum ſemina conuellere ſtudebit.

Quæ male parta ſunt, maleque ablata reſtitui curabit.

Omnes denique paſtoralis officij,atque auctoritatis neruos eò intendet,vt & offenſis publicis ſublatis,& diſciplinæ chriſtianæ ſanctioribus inſtitutis,& omni rectè agendi ſtudio,omnique chriſtianarum virtutum vſu,& exercitatione ab vniuerſo clero, populoque imploretur, atque exoretur miſericordia Dei.

Cura in alijs cautionibus tuendæ publicæ valetudinis.

HIs adiumentis ſpiritualibus alias cautiones Epiſcopus adhibebit. Atq; in primis quidem edictis Epiſcopalibus,aliaque omni ratione de publica valetudine tuenda certas rationes inibit, atque edicet, quas cùm in locis eccleſiaſticis, tum ab hominibus clericalis ordinis, ab alijſque Epiſcopali iuriſdictioni ſubiectis inuiolatè ob bonum publicum ſeruari mandabit.

In omni autem deliberatione,& cautione,quam tuendæ publicæ incolumitatis cauſa ſuſcipiet,id ſtudebit,vt conſultationibus cum magiſtratu ſanitatis habitis, quicquid ipſe eo nomine cauerit, cum illius publicis edictis, ad valetudinis publicæ commodum piè,& rectè pertinentibus, nõ diſſentiat,nec diſcrepet;ſed in omni eius generis ratione, quæ ad bonum publicum tota refertur,vnus idemque ſit vtriuſque conſenſus, ſummaque in re adiuuanda publica charitatis conſpiratio.

Idem præter ea,quæ hac inſtructione demonſtrata ſunt, poteſtatem etiam præfect. regionario, & Vicario foraneo ac alijs viſitatoribus faciet,alia nõ modò generatim,ſed ſpeciatim ſtatuendi,atque exequendi, quæ in peſtifera contagione vtilia,opportuna, & neceſſaria illi viderint, ad publicam valetudinem tuendam, quæ ab Epiſcopalibus præſcriptis,& regulis non diſcrepent.

Quicquid verò illi agent, opportuneque ac neceſſario ſtatuent,id quamprimum Epiſcopo ſignificabunt.

In omni autem re, quam magiſtratus ſanitatis aget, vel cauebit,publicæ valetudinis cauſa, operam dabunt, vt diligentem eius cautionem, ſtudiaque imitentur ad Epiſcopalium regularum præſcriptum.

Parochi etiam cæterique eccleſiaſtici homines id vnum quoque maximè ſtudebunt, vt publicam valetudinem omni charitatis officio curent,ac præterea in executionis vſum accuratiſſimè perducant,quęcunque non ſolùm hac inſtructione explicata ſunt,ſed quæ Epiſcopus hoc ipſo de genere,prout opportuna viderit, publicæ ſalutis cauſa ſtatuerit, & quæ item præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus, aliuſve viſitator monuerit,mandaritve: immo etiam ſi clericalis ordinis homines ſunt, qui intra alicuius parochiæ fines habitant,illa quoque ſeruabunt, quæcunque vel ex hac inſtructione, vel ex epiſcopali voluntate,vel alia iuſta ratione parochus commonefecerit.

Quæ præterea à magiſtratibus, decurionibuſve ad eam publicæ incolumitatis rationem piè ac vtiliter conſtituentur,eadem,vt à populo planè ſeruentur, omni cohortationis officio monebunt.

Magiſtratus autem,& decuriones, vt eidem publicæ valetudini proſpiciatur & conſulatur, cùm omnia ſapienter, chriſtianæque pietati congruenter agent, tum valde cauebunt,quę diuino cultui,& charitatis officijs cũ impedimentum afferre poſſint,illa maximè fugienda,ſuo loco infra demonſtramus,ac vehementer in Domino monemus.

Sollicitudo in vniuſcuiuſque præparatione ſpirituali.

EPiſcopus in eo præterea ſollicitus erit,vt imminenti illo peſtis periculo, confirmationis Sacramentum, quibus per ætatem ex doctrina Romani catechiſmi miniſtrandum eſt,vbique miniſtret; cum illi,ſi peſtis irruet, in eo ſtatu futuri ſint, vt periculum mortis non modò in ſingulas horas, ſe d in ſingula momenta pertimeſcant.

Id etiam ſedulo curabit,vt ſuæ quiſque conſcientiæ latebris diligentiſſimè diſcuſſis, omnis ante actæ vitæ peccata confiteatur.

Tum etiam, vt tam ſalutare pœnitentiæ Sacramentum omnis frequenter accedat;ita vt cum quis ſe peccati mortalis labe inquinatum eſſe conſcius erit, eo Sacramento illud expiare quàm primum ſtudeat: nec verò ad extremum differat, cum non modò ſuſpicari, ſed certè omnino timere poſſit,ac debeat,ſi peſtis Dei permiſſu irruerit, illo peſtilenti tempore maxima cum difficultate ſibi præſto fore ſubſidia tam corporis,quàm animæ.

Itidem ad frequentem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ vſum fideles omni ſtudio accendet;&, vt ſaltem ſemel in hebdoma da illam ſumant. Ad ea,quibus Dei iram placari, eiuſq; miſericordiam implorari compertum eſt, pietatis opera, præſertim ad aſſiduam orationem, ad ieiunium, ad eleemoſynam crebro hortetur. Ad cuius largitiones vberiores populum fidelem valde etiam incẽdet,illud ſingulare exemplum ethnicorum, qui, euangelicæ lucis expertes, cum in grauiſſimam peſtem olim inciderint, opinione perſuaſi, eam ſibi calamitatem inflictam eſſe, quod nullum pietatis ſtudium, nullumque beneficentiæ, liberalitatiſque officium egentibus hominibus contulerint, ad eam propulſandam id conſilij adhibuerunt,vt eorum domus,officinæ, tabernæ indigentibus,ac pauperibus paterent,qui inde res,quas propterea palam omnibus expoſuerant, ad vitæ vſum neceſſarias, gratis,libereque ſumerent.

Ab omnibus, eo peſtis imminentis periculo propoſito, domui ſuæ diſponi,& conſuli ſuadebit, vt ſcilicet vnuſquiſque æs alienum,ſi quod contraxit, rectè diſſoluat,nomina quæcunque explicet;lites componat, tranſigatve;teſtamentum conficiat;nec denique res domeſticas contractas,difficultatibuſque implicitas relinquat;ne fortaſſe,ſi mors,vt in peſtilentia euenire ſolet, continuò oppreſſerit, ſibi,liberis, boniſque ſuis rectè conſulere minus poſſit,indeque propterea vel litium diſcordiarũ mve inter filios, agnatosve,feminas,vel æris alieni ſoluendi difficultates,tardioreſve ſolutiones,vel controuerſiæ aliæ,&,quod graue eſt, ſpiritualia incommoda exiſtant, quæ animæ ſaluti detrimentum,pernicĩemve afferant.

Hæc eadem ſanè omnia & ſingula officia, in regione ſibi commiſſa,& præfecti regionarij, & Vicarij foranei, & viſitatores,& parochi,in parochiali vicinia ex Epiſcopi inſtructione, & præſcripto pro ſuo quiſque munere præſtare,atque exequi ſtudebunt.

Hæc itidem ipſa pro ſui muneris partibus cùm in collegijs,confraternitatibuſque præfecti,tum in ædibus priuatis curabunt diligenti ſtudio,omniq; charitatis contentione.

Præparatio adiumentorum ſpiritualium peſte imminente.

EPiſcopus verò omnia adiumenta, antequam peſtis populum inuadat,diligenter conquirat,& parare ſtudeat, quibus fiat,vt,ſi peſtis ingrueret, ne quid illis populis,quos inuaſerit, deſit,neque ad animæ ſalutem,neque ad corporis medicamentum,victum,& curam.

Confeſſarios,concionatoreſq; quorũ miniſterio,operave neceſſario eo tempore adiuuetur,aliunde,vt diligentiſſimè poteſt,ad ſe accerſcere,& cõducere,tum ad vrbem, tum ad diœceſis oppida,& loca præſertim inſigniora curabit.

Ac,præter parochorum curam, certos etiam alios ſacerdotes vndique,quãtum poterit, omni pietatis officio conquiret,qui charitatis ardore inflammati, paratiſſimi ſint ad omnia eccleſiaſtica miniſteria illis præſtanda, quos vel peſtis morbus,vel ſuſpicio inuaſerit.

Ijs,& concionatoribus, & confeſſarijs, & alijs ſacerdotibus neceſſaria alimenta, vt ſubminiſtrentur, omni ratione curabit.

Alios præterea clericalis ordinis homines, charitatis ſtudio flagrantes deliget,qui modò huc, modò illuc viſitando accurrere poſſint.

Delectum item habebit, aliquorum ſacerdotum, atque orum quos potiſſimum adhibere poſſit ad curā eccleſia-corum hominū, peſtis morbo, ſuſpicioneve laborātium.

Ad omnem porrò curam, quo vehementius vniuerſi, & nguli peſtilentiæ tempore incendantur, indulgentiam à ummo Pontifice ijs procurabit, vtpote;

Sacerdotibus, qui peſte affectis Sacramēta miniſtrarint.

Medicis, eos curantibus.

Chirurgis, tonſoribusve, qui venam ſecant, quive plagis nedicamentum apponunt.

Nutricibus, quæ infantibus, peſte laborantibus, ſuſpe-tilve lac præbent.

Obſtetricibus, quæ mulierum in eo morbo, ſuſpicione-e verſantium, partum adiuuant. Miniſtris, qui peſte ægro-antibus aſſiſtunt. Baiulis, qui peſtifere affectos, ſuſpectoſve d curationis locum perducunt, feruntve.

Illis item, qui peſte mortuorum corpora ſepeliunt.

Ijs denique omnibus, quicumque ſint, vel mares, vel fœ-ninæ, qui illorum ſuſtentationi, & curationi aliquo modo eruiunt; qui item eleemoſynam, pro facultatum ratione, in orum adiumentum contulerint.

Facultatem item ſibi ab eodem dari curabit, adiunctis ad am certis priuilegijs, vt regularium cuiuſuis ordinis ope-a, miniſteriove ſine vlla mora, aut impedimento ſuperio-rum, peſtilentiæ tempore vti poſſit.

Vt præterea populi charitas ad pauperum, peſtilentiæq; morbo, ſi Deus permiſerit, laborantium curam, piumq; ſtu-dium accendatur, & longè lateque progrediatur; libros, eo de genere grauiſſimè conſcriptos, quos neceſſario eo tem-pore ſtudioſe legat, ad vſum proponet, vtpotè Gregorij Na-zianzeni homiliam, ſermones duos Gregorij Nyſeni de pau-peribus ſubleuādis, & Cypriani martyris ſermonem vnum de mortalitate, & alterum item de eleemoſyna; atq; aliorum præterea patrum libros eiuſdem generis.

Vt verò quæ ab illis vel tradita, vel præcepta ſunt, in mo-rem, atque vſum afflictiſſimo præſertim peſtilentiæ tempo-re inducantur; eos libellos, vulgariter conuerſos, exiguoq; volumine comprehenſos, typis impreſſos, atq; editos exta-re voluimus.

Ijs prçterea libris alios, de rerum ſpiritualium officijs, ſtu-dijſque rectè conſcriptos, prout opus eſſe viderit, ad legen-dum cùm ob alios fructus, vtilitateſque adiunget, tum eti-am, vt ne populus, propter intermiſſas magna ex parte, in pe-ſtilentiæ periculis artes, & negotiationes, otio langueſcens ad turpes, inaneſque voluptates tempus traducat.

Alias verò facultates, quæcunque peſtis tempore vel ne-ceſſariæ, vel opportunæ à ſummo Pontifice impetrandæ e-runt, ita in tempore diligenter impetrare ſtudebit, vt ſi pe-ſte ſtatim irruente litterarum curſus intercludatur, aut re-tardetur, ne mora vlla ijs adiumentis interponatur, quæ in peſtilentia opus eſſe poſſunt.

In ijs facultatibus erunt hæ ſcilicet.

Facultas concedendi plenariam indulgētiam peſte labo-rantibus confeſſis, aut contritionis ſigna oſtendentibus.

Facultas concedendi indulgentiam ijs, qui in quotidia-na oratione, per ſeptem horas diſtincta, verſantur.

Facultas, priuilegiumve aliquot altarium, vt cum in eis ſcilicet ſacerdos pro aliquo defuncto Miſſæ ſacrificium ob-tulerit, eius animę ſuffragetur ad liberationem à pœnis pur-gatorij.

Facultas, quæ etiam delegari poſſit, abſoluendi ſaltem in foro conſcientiæ à peccatis, delictis, & cēſuris, ſummo Pon-tifici reſeruatis, etiam in litteris, die cœnæ Domini pro-mulgatis.

Facultas etiam aliqua abſoluēdi in foro exteriori.

Diſpenſandi item cum ſacerdotibus in quibuſdam irre-gularitatibus, etiam ob mortem ſecutam cōtractis, id quod facilè euenire peſtilētiæ tempore poteſt in curatione ægro-torum, etiam ſine vlla delicti culpa.

Conuertendi etiam alicuius eleemoſynæ legatæ vſum, ſaltem ad tempus, ſi quando ad pauperum neceſſitates ſub-leuandas illud expedire, vel neceſſarium cenſuerit.

Quæ enim ob piam aliquā cauſam legata, relictave ſunt, vt videlicet, vel in diuinum cultum, vel in puellarum nuben-tium dotem, vel in alium eius generis vſum erogentur; ea tunc ſæpè expedit ad egētium hominum victum, & ſuſten-tationem conuerti.

Decernendi ſtatuendive, vtilitatis publicæ cauſa quic-quid opus erit, atque adeo compellendi etiam, vt eccleſiaſti-ci homines ab Epiſcopali iuriſdictione exempti, & regula-res etiam, ac locorum præterea piorum, ſi quæ eiuſmodi lo-ca, ab Epiſcopi iuriſdictione immunia ſunt, præfecti, cura-toreſve ſeruent, atque adeo præſtent, quæcunque is, ob pu-blicam vtilitatem decreuerit, ſtatueritve, pœnis etiā, & cen-ſuris propoſitis.

A Metropolitano etiam facultatem impetrabit, qua, dū peſtis eſt, ſibi permiſſum ſit, ab aliquorū decretorū prouin-cialium præſcriptis rationibus, quę in peſtilentia ſeruari mi-nus poſſunt, aliquādo diſcedere, vtpote à conditionibus lo-ci, & altaris, in quo Miſſa celebranda erit; à regulis item, qui-bus vetitum eſt, extra ſedem confeſſionalem in eccleſia con-feſſiones audire, & ab inſtitutis etiam celebrandi foraneos conuentus, & ab alijs compluribus eiuſmodi decretis pro-uincialibus; quorum poteſtatem ſibi à Metropolitano fieri opus eſſe, aut expedire ipſe viderit.

Et quoniam peſtis tempore tum in ciuitate difficilis, tum in diœceſi difficilior ad epiſcopū aditus eſſe poteſt; id pro-pterea in ijs, quæ epiſcopalem auctoritatem requirunt, tunc expedit, ampliores facultates, & parochis, & reliquis confeſſarijs, ſacerdotibus, & vicarijs præſertim foraneis cō-cedi, permittive.

Itaque pro locorum, perſonarumque ratione, proque peſtis, periculoſius imminentis, grauitate, liberius, præſer-tim vicarijs foraneis facultates varias delegabit; in quibus erunt hæ:

Facultas abſoluendi, etiam in vtroque foro, à peccatis, criminibusve, interdicto, & cenſuris, ſibi reſeruatis, ad-iuncta etiam facultate, vt cui delegarit, is ſaltem in foro con-ſcientiæ eandem ſubdelegare poſſit.

Permittendi ſacram confeſſionem audire extra eccleſiæ fines, atque adeo etiam fœminis extra confeſſionalē ſedem.

Concedendi, vt Miſſa celebrari poſſit in omni Eccleſia, & altari etiam ligneo, vt in vijs, lociſque eiuſmodi; & pro-rogandi rurſus facultatem datam.

Conſtituendi, & approbandi, etiam ſine examine con-feſſarios, etiam qui clericorum confeſſiones audiant.

Intermittendi ſacerdotales, clericaleſve illos conuentus, ſingulis menſibus præſcriptos.

Præparatio annonæ, & miniſtrorum ad curatio-nem, & ſuſtentationem publicam.

NEc verò ea præparatio, atque adeo præcautio negli-genda eſt, vt à peſtis contagione incolumis; & tuta ſuppellex vel eccleſiæ, vel ſacriſtiæ conſeruetur.

Ideo, quæ præſertim precioſior eſt, diligenter ſeligatur, & loco benè munito & remotiori cautiſſimè foribus etiam obſignatis, aſſeruetur. Quo etiam loco monimenta iurium, libri, volumina, ſcriptaque grauiora, quæ ad eccleſias perti-nent, in armario, aut arca cuſtodiantur diligenter.

Omni officij genere Epiſcopus cum Magiſtratibus, de-curionibusve aget, atque adeò omni ſollicitudine inſtabit, vt propius accedente peſtilentiæ periculo, patriæ, quæ ex horribili, funeſtaque illa contagione, multis, varijſque de-trimentis affici poteſt, quàm opportuniſſimè, celerrimeque omni ſua ope ſuccurrant.

Videant in primis, omnique ratione præcaueant, vt cum in peſte difficultas annonæ ſimul ineſſe ſoleat, ne quid ad rei frumentariæ, omniſque annonę vbertatem deſit, ac pro-inde cautionem diligentiſſimam adhibeant, vt nemo quiſ-quam ſit, qui neceſſario eo tempore frumētum ſupprimat; cum præſertim ſæpè fiat, vt grauiſſimo illo tempore, longè plures, quemadmodum vſu compertum, litteriſque tradi-tum eſt, fame necentur, quàm peſtilentia extinguantur.

Quamobrem omnes, qui opibus circūfluunt, & ipſi ma-giſtratus præſertim, qui ciuitati præſunt, propoſitum ſibi a-liquando habebunt præclarum illud exemplum ſanctiſſi-mi Pontificis Gregorij Magni, qui & in peſte, & in annonæ caritate apertis publicis horreis frumentaria largitione v-ſus eſt ad populi laborantis ſuſtentationem.

Rationem præterea Epiſcopus cum eiſdem magiſtratib⁹ inibit, vt tum ex publico ærario, cenſuve, tum etiam eleemoſynis, & omni alia ſubueniendi via, multorum inopia, egeſtateve laborãtium, victui neceſſario ſuccurratur; eo præſertim afflicto tempore, quo præ peſtis periculo, & metu, artificia, negotiationes, nundinationes, & quæſtus, mercaturæve commertium, agrorum cultura, & omnes alię cuiuſcunque opificij exercitationes langueſcunt, aut etiam magna ex parte ceſſant, vnde homines ſibi victũ parare ſolent: quo fit, vt innumerabiles homines, qui alias ab omni re inopes non ſunt, ſæpiſſimè ex fame laborent.

Quo in officio omni ita Epiſcopus ſe geret, vt cum ſe eleemoſynarum largitionibus, pauperum, miſerabiliumq́ue hominum, verè parentem, paſtoremq́ue oſtenderit, exemplo etiam ſuo, non minus, quàm cohortationibus, omniq́ue alio officio cæteros ad illorum ſuſtentationem alliciat, atque inflammet.

Vt verò quod ad ſuſtentationem ſatis eſſe poſſit, omninò procuretur; omnes & ſinguli, quibus ſubueniendum erit, certo libro, rectè, ordineq; deſcribantur. Qua in re monaſteriorum etiam, & piorum collegiorum, tam virorum quàm fœminarum, ac pauperum clericorum ratio habebitur, quibus neceſſario eo tempore aliquid in eleemoſynam conferendum erit.

Tantum verò abſit, vt inopes, & pauperes, pro quibus etiam Chriſtus Dominus ſanguinem profudit, è ciuitate, oppidis, pagiſve, ab omni ope deſtitutis, exturbẽtur, vt nõ modò aliorũ, ſed mendicantium etiã ratio habeatur, ea ſcilicet, vt in vnũ locũ congregentur omnes, vbi cùm alimenta corporis, tũ maxime omnia adiumẽta ſpiritualia ſuppeditẽtur.

Parochi etiam, vbi inſtituta non eſt, in ſua quiſque regione parochiali, confraternitatem ſcholamve hominum, charitatis nomine, Epiſcopali auctoritate inſtituent. Cuius cõfraternitatis erit, neceſſario illo tẽpore, & eleemoſynas colligere, & cætera charitatis officia obire, ac præſtare, quibus pauperes, & egentiſſimi homines ſubleuentur.

Inſtabit præterea Epiſcopus, vt ijdem magiſtratus medicos certos conducant, conſcribantve, ac paratos habeant, qui peſte laborantes curent.

Chyrurgos, tõſoresve certos deligant, qui venam ſecent, medicamentaq́ue apponant. Medicamenta, reſq; ad eorum victum neceſſarias parent, ac ſubminiſtrent.

Famulos, famulaſq; & alios homines charitate chriſtiana præditos conquirant, qui operam, curationiſve ſollicitudinem eiſdem nauent.

Obſtetrices certas habeant, quæ partum mulierum, peſte ægrotantium, eove nomine ſuſpectarum excipiant.

Nutrices item certas ad eorundem liberos lacte alendos.

Caprarum etiam certũ aliquem numerum ad lactis eiſdem præbendi vſum, ſi quando nutricum copia non datur.

Veſpillones item, quos Monattos dicunt, plures conducant, quorum alij illa officia præſtent, quæ à contagio integra ſunt, & ab omni ſuſpicione vacua: alij ſint, qui peſte affectis ſe duces, ac miniſtros præbeant, qui mortuorum corpora ſepeliant, qui infecta domicilia expurgent, & pannos itidem infectos, & alia id generis exequantur.

Præparatio locorum curationis publicæ.

DOmos publicas, hoſpitales, locave cõplura, ampla, & diſtincta, quæ, alia ſcilicet peſte affectis, alia eo nomine grauiter ſuſpectis, alia minus ſuſpectis, alia conualeſcentibus vſui ſint, apparent, neceſſariaque ſuppellectile inſtruant.

Quæ diſtincta partim peſte tabeſcentibus, partim ſuſpectis, partim miniſtris, tum in re cibaria, tum in lectiſternijs, tum in pannorum purgatione, & lotione vſui ſint.

Veſtes præterea, & lectiſternia ad commutationis vſum parent illis, qui, vel à peſte conualeſcentes, cõfirmative, aut à ſuſpicione planè liberi, inde migrant.

Situm etiam tuguriorum ad multiplicem illum vſum, deligant, & præfiniant. Qua in re etiam, atque etiam caueant, ne loca, ædes, domicilia, arcam, ac ſitus vllos, quicunq; ſint, qui ad eccleſiæ, locive pij cuiuſcunque ius pertinent, vſurpent, occupent, impediant, aut aliqua ſeruitute implicent, ne ad breue quidem tempus. Quòd ſi aliquo modo attentent, id ne cõmittant, Epiſcopus inhibebit, atq; interdicet.

Si verò nullo modo aliunde ſitus, locave haberi poſſunt, ſed ad eam rem neceſſario vſui eccleſiaſtica ſunt: tunc ei, vel eccleſiæ, vel loco, cuius ſunt, ſcriptis publicis, à notario, rectè, riteq; confectis, omninò caueatur, vt quicquid damni, detrimentive eo nomine fecerit, id reſarciatur.

Qui ſitus amplus ſit, vt ægroti à grauiter ſuſpectis, hi à leuiter ſuſpectis, qui etiam à conualeſcentibus ſeparatim, aliquo ſcilicet interiecto ſepimento, habitare poſſint.

Loco ſit non humido, nõ vliginoſo, ſed editiori, & aprico, ſicco, & ſalubri. Propè aquã fluentem ſit, non torrentem tamen, vnde inundatio, eluuiove aliquando extare poſſit.

Extra vrbem, oppidum, pagumve, loco tamen propinquo, & commodo, vt adiumenta ad animæ curationem, & corporis vſum, aliaq; charitatis officia, atque ſubſidia facile, & opportunè illis ſubminiſtrari, ac præſtari poſſint.

Parent item materiam omnem, quæ idonea, quæque ſatis ſit, ad tuguria, cappellas, & domicilia, in eo ſitu benè extruenda, vt infra.

In eo ſitu cum tuguria extruenda erunt, hoc videant, & ſtudeant.

Vt ita vel denſiſſima palea, vel tabulatum ſectilium apta inter ſe commiſſura ſtruantur, vt ab omni aut pluuiæ, aut venti impetu, turbine, iniuriave temporis tuta ſint.

Vt ordine recto collocẽtur, &, ſi fieri poteſt, à parte anteriori ad ſeptentrionem verſus, vel in aliam partem ſalubrẽ ſpectent.

Vt ſingula, quo magis ab omni vligine, humiditateq́ue defendantur, exiguo riuulo cingantur, per quẽ aqua pluuia ex eorũ culmine defluens, aliò extra illorũ ſitum deriuetur.

Vt eorũ ſolum, ſubiectis trãſuerſis lignis, aut tabulis, palea inſuper multa ſtratis, ab humo altiùs ſaltem tribus palmis extet.

Domicilia, ſeu caſas extra ſepta tuguriorũ parent ad vſum laicorũ præfectorũ, curatorum, cuſtodum, & miniſtrorum.

Loca item diſtincta lauationis, & purgationis veſtium, & pannorum cuiuſcunque generis.

Habitationem item diſtinctam, ad eorum vſum, qui illis purgandis, abluendisve operam nauabunt.

Supellectilem etiam neceſſariam ſupra demonſtratam, neceſſariaque inſtrumenta præparent ad horum locorum publicæ curationis vſum.

Proſpiciant quoque, ne peſte ingraueſcente, palea deſit, ad quotidianam tuguriorum ſubminiſtrationem.

In omni autem domo hoſpitali, publicove tuguriorum loco, tum crux alta, curante Epiſcopo, benè, firmiterq; humi ſuffixa erigetur loco medio, eoq́ue editiori, & conſpicuo: tum ea in primis ratio habeatur, vt ſi ibi cappella ex pariete iam non eſt, ea cum altari ex tabulis ſectilibus, & aſſeribus extruatur.

Immò verò vbi plures Sacerdotes conſtituendi erunt, ſi minus totidem cappellæ, at ſaltem duæ omninò extruantur.

Atque in earum quidem extructione hæ rationes, mox infra demonſtratæ adhibebuntur.

Situ eminentiore ſtruantur, ab omniq; parte conſpicuo, vt qui in tuguriolis, celliſve ſunt, ab eorum oſtio, quoad eius fieri poteſt, ſacerdotem celebrantem proſpiciant.

Eo præterea loco ſint, ſi fieri poteſt, vt qui foris ſunt, miniſtri, famuli, cuſtodeſve, Miſſæ etiam ſacrificium aſpiciant.

Erunt item forma, quæ quadri ſpeciem exhibeat, longè, lateq́ue brachia ſex, aut minimum quinque patebunt.

Partes autem à latere ad ingreſſum cappellæ verſus ampliores etiam fiant licet, vſq; adeò, vt pars anterior latè patens ſit, brachia octo, aut rectè ſeptem.

Pauimentum cappellæ à tuguriorum ſolo altiùs extabit brachia quattuor, vel quinq; ad cuius altitudinem aſcenſus fiet gradibus ligneis, vt ſacerdos celebrans à tugurijs paulò remotioribus proſpici rectè queat.

Ligna verò, tignave, quibus cappellæ ſtructura ſuſtentatur, ita firma, ſolida, fixa, atque inter ſe benè, apteq́ue compacta erunt, vt ventorum impetu, ac vi non modò non corruat, ſed ne labaſcat quidem.

Ab omni latere cappella feneſtram cũ valuis habebit, per

...am Miſſæ ſacrificium ſpectetur, cum ſudum, ſerenumve, ...: alioqui valuis occludetur, ne ex vento, pluuia, iniuria-... temporis aliquid incommodi, indecori, offenſionisve ac-...lat. Quæ verò feneſtra à parte poſteriori altaris ſtruetur, ...uando ſtruatur neceſſe eſt, ab altaris ſuperficie extabit al-...s vno brachio.

Pars anterior illius cappellæ ita extruetur, vt ſera, claui, ...ſſulo, veſte, & valuis benè firmis inſtructa, à furti, rapinæ, ...teriusve iniuriæ periculo tuta ſit, quo cautius, ſacræ veſtes, ...craque vaſa ad Miſſæ cultum pertinentia in capella ſeruen...ır; & ſanctiſſimum etiam Sacramentum, quod miniſtran-...um eſt, ibidem cuſtodiatur.

At verò vbi certus ſacerdos, qui aſſiduè aſſiſtat ſpirituali ...guriorum curationi, non conſtituetur, tunc capella non ...tra, ſed extra eorum fines, loco paulo remotiore, ita pro-...al ſtruetur, vt ſacerdos, aliunde acceerſitus, qui ibi Miſſæ ſa-...rificium celebret, à contagionis periculo, ac ſuſpicione tu-...us, peſtilentiæ lege, ab Epiſcopo præſcripta, non debeat ſta-...os illos dies ſeparatim ab aliorum vitæ commertio manere.

Vbi ſacerdotes conſtituentur, qui præcipuè illis tugurio-...um locis in cura Spirituali inuigilent, domicilium eis para-...itur loco finitimo, at ſegregato aliquantulum à tugurijs, ...k, vt fieri poteſt, ab alijs domicilijs incolarum, propè habi-...antium.

Si verò tale domicilium, lapidibus extructum inueniri ...on poteſt, ex tabulis ſectilibus, aſſeribusve fiet loco nõ lon...gè à poſitura cappellarum.

At ſi quando illud ſacerdotum domicilium à finibus tu-...guriorum aliqua... ...ulum aberit; eorum vnicuique parabi-...ur etiam propinq... ...ori loco tuguriolum forma decenti, ex ...abulis ſectilibus, pa...isve confectum: vbi interdiu per plu-...uiam maneat, & cibum, ac ſomnum aliquando capiat, quò diligentiori aſſiduitate curæ ſibi commiſſæ incumbat.

Domicilium ſacerdotale tale omnino erit, vt in eo ſacer-dos, ſeparatim à clerico habitare poſſit, itidemque ab alio ſa-cerdote, ſi plures ibi conſtituendi erunt.

Si ad mortuorum ſepulturam cœmiterium parochiale, & alia antiqua cœmiteria, locave ſacra, ab Epiſcopo ad eum vſum conſtituta, ſatis non fore exiſtimabitur, ſitus alius pa-rabitur, qui tuguriorum loco finitimus ſit, quique peſte in-graueſcente mortuorum numerum capiat; & ipſe ſitus præ-terea ſit, vt pariete cingi, & vbi aliquãdo deinceps extrui ſa-cellum commodè poſſit.

Situs hic & ab Epiſcopo ritè conſecrabitur. & firmiſſima ſepe ſaltẽ, aut denſis aſſeribus, aut materie vndiq; ita cinge-tur, vt & lupis, & reliquis beſtijs aditus omnino obſtruatur.

Cappella vnaquæque, vbi ſacerdos conſtituendus erit, inſtruetur ac ſupellectile, vt potè lapide ſacro, calice, patena, cruce, & alia præterea ſacra imagine, candelabris binis, ve-ſtium apparatu ad Miſſæ vſum neceſſario, & mappis item eo numero, vt ſuo tempore commutari queant.

Habebit præterea vaſculum aquæ ſanctæ, aſpergillum, & tintinnabulum.

Superpellicea etiam numero ſaltem totidem, quot ſacer-dotes ſunt, & quot item clerici.

Laternas item quattuor cum cereis: quæ ad ſanctiſſimi Sacramenti, cum fertur, cultum adhibebuntur.

Pixis etiam comparabitur, & tabernaculũ ligneum, vbi ſanctiſſimum Sacramentum cuſtodiatur, & vmbella item, quæ ſaltem exigua, ab vno tantum homine geſtetur.

Sacri olei vas etiam ſit, ad vſum miniſtrandæ extremæ vnctionis.

Libri rituales Sacramẽtorum totidem, quot ſacerdotes.

Hæc porrò ſupellex etiam, quod ad mappas attinet, con-duplicabitur, vbi ſacerdotes plures reſidebunt, prout erit eorum numerus, ſaltem, quæ attinet ad mappas, & veſtes.

Feretrum præterea vnum, duo, plurave.

Pallium etiam præcipuum apparabitur, quod ad efferen-da corpora eorum, qui peſte mortem obierint, vſui erit, & plura item, eaq; loco diſtincto, & ſeparato ab omni alia ſup-pellectile, aſſeruabuntur.

Armarium ſub altari extructum, ad vſum aſſeruandi ſup-pellectilem ſacrarum Miſſæ veſtium.

Hoſpitalibus domicilijs, locisve tuguriorum, vbi homi-num exiguus numerus, peſte irruente, collocandus erit, ſa-cerdotem ſaltem vnum Epiſcopus præficiet: vbi verò ali-qua multitudo, duos, atque adeo plures pro multiplici va-rietate, & multitudine illorum, qui eò perducendi erunt; vt vnus peſte affectis, pluresve etiam, ſi quando morientium multitudo plures poſtulat, alter ſuſpectis, alius minus ſuſpe-ctis, vel conualeſcentibus, vel miniſtris, quoque operam ſpi-ritualem nauet; eamque ob cauſam omnes in locis curatio-nis reſideant, aſſiduique ſint, quibus ſinguli clerici adiun-gentur, qui eiſdem in Miſſæ ſacrificio, alijſque functioni-bus miniſtrent.

Ijs ſacerdotibus, & clericis, quæ ad victum, veſtitumque neceſſaria ſunt, ſuppeditabuntur à miniſtris publicis ex eo ſumptu, vnde alimenta alijs præbentur, qui in eadem hoſpi-tali domo, locove ſunt.

Cum eiſdem magiſtratibus, & decurionibus Epiſcopus aget, vt nihil denique in ſumptibus faciendis, alijſque offi-cijs præſtandis prætermittant, aut negligant; vt omni exter-na cura, omnique externa adminiſtratione opportunè pro-ſpiciant imminentibus neceſſitatibus. Id porrò ſtudium cùm laudabile eſt, ac nomine chriſtiano, & commemorabi-li pietate dignum, tum planè neceſſarium.

Epiſcopus præterea certas domos, aut domicilia, locave ampla, & à cæteris diſtincta parari ſtudebit: quæ vſui eſſe poſſint, aut eccleſiaſtici ordinis hominibus, qui præſertim collegiatim viuunt, aut monialibus, aut ijs, qui in hoſpitali-bus curantur, ſi fortè peſtis in monaſteria, hoſpitaliave lo-ca inuaſerit.

Ad quæ domicilia, locave vel ij omnes, qui in peſtem, ſu-ſpicionéve inciderint, perducãtur, aſportenturve; vel con-tra fiat, vt ſcilicet peſte affectis remanentibus, ad illa ipſa do-micilia cæteri benè valentes, & ab omni ſuſpicione liberi, qui ſunt eiuſdem vel collegij, vel monaſterij, vel hoſpitalis ædis, habitatum veniant, ne illorum cõtagione inficiantur.

Officia, ipſo peſtilentiæ tempore miniſtranda, & conſtans in primis miniſtratio.

CVm peſtilens cõtagio, vel in ciuitatem, vel in aliquam eius partem, vel in diœceſim, eiuſve locum aliquem ſeſe infuderit, eo diligentior cura, & ſollicitudo laborioſior propoſita Epiſcopo erit, quo grauius certiuſque periculum fidelibus, ſuæ cũræ commiſſis, inſtat.

Parochorum, & ſacerdotum, quos conquiſierit, ſollici-tudinem omni cohortatione, omnique officio, atque imi-tationis exemplo, quo alijs præibit, ardentius accendet.

Quem verò locum peſtis peruaſerit, eò quam primum Epiſcopus certos ſacerdotes mittet, qui ſpirituali curationi incumbat.

Cui rationi intereà Vicarius foraneus, ſi locus diœceſis ſit, prouidebit, dum Epiſcopus illos mittet.

Magiſtratuum, decurionumque ſtudium, & procuratio-nem, quam peſtis periculo imminente paulò ante exercita-rat, vehementius eo ipſo tempore inflammare non deſiſtet, quo peſtifera lues iam ſerpere incepit.

Populi item charitatem, & pietatem ſanctiſſimis, tum o-rationum, piarumque exercitationum, tum miſericordiæ operum inſtitutis, eò diligentius, ſtudioſiuſque incendet, quò vehementius illum, peſtilentiæ metu perculſum, affli-ctum, ac penè proſtratum cernit.

Quo in genere illam animi conſternationem, ac ſtupidi-tatem, quaſi vecordiam quãdam, quæ ex repentinis illis fu-neſtæ labis euentibus quàm ſæpiſſimè accidit, ex hominum mentibus ita euellere ſtudebit, vt & ſummi, & medij, & in-fimi non modò præ timore partes officij ſui non deſerant; ſed & erga Deum religione, & pietate in patriam, & amore erga ſuos, & charitate in ciues valde accenſi, in omni forti-tudinis, conſtantiæque officio ſeſe contineant, atque exci-tent, non ſolùm ad labores, Chriſti Domini cauſa neceſſa-rio tempore, fortiter ſuſtinendos, ſed ad pericula etiam ſub-eunda conſtantiſſimè. Itaque omnium animos confirma-bit non dictis tantùm, ſed factis, epiſcopali robore, epiſco-palique virtute verè dignis.

Perpetuo igitur huc, atque illuc accurret, afflictos eri-get, mœrentes, mæſtoſque cõſolabitur, egentes ſubleuabit, orationis ſtudium excitabit, opera, atq; officia pietatis lan-

guere

guere non ſinet, & omnia denique tuebitur, quibus animi exſuſcitantur, & maiores fiunt ad omnem ſanctarum virtutum exercitationem.

Parochi autem, & Epiſcopi præclaro documento, exemploque inſtructi, & propoſita in primis etiam ſibi illa immenſa charitate, qua animas ſibi in curam traditas, Christus Dominus dilexit, precioſoque ſanguine, in ara crucis profuſo redemit, non modò vnquam non erunt in ancipiti deliberatione officiorum, quæ eis neceſſariò præſtare debeant, ſed nihil potiùs ſtatuent, quàm illis in diſcrimine, calamitateque verſantibus omne ſpirituale pabulum miniſtrare, etiam ſi vitæ periculum ſubeant, memoria, & recordatione ea excitati, quòd ſibi ſpecialis cura commiſſa eſt illas paſcendi.

Et verò meminerint, multò conuenientius, negligens quoddam ſtudium obijci, quòd ipſo ad parochiales ſuos ſpiritualibus adiumentis neceſſario tempore ſubleuandos adhibent, quàm quod vitio ijs dari ſolet, qui langueſcēte charitate ſunt, nullaque cura ducuntur eoſdem adiuuandi reb' ad corporis vſum neceſſarijs.

In ea etiam recordatione verſabuntur, magnam ſibi oblatam opportunitatem, & accommodatam, cùm ad vitam pro grege profundendam, tum ad operam ei vtiliter, neceſſarioque nauandam, non ſine præclara teſtificatione deſiderij, & zeli, quo exardeſcere debent, ſalutis animarum.

In contagionis etiam periculo, quod certè hominum opinione longè minus eſt, ob oculos ſibi ponent, præcipuam illam curam, qua ſuos miniſtros Deus admirabiliter tuetur, ab omnique periculo incolumnes conſeruat, dum ad diuinæ maieſtatis gloriam, animarumq; ſalutem procurandam, miniſteria ſua religioſe conferunt. Id quod peſtilentiæ ſuperiori tempore animaduerti licet, quo perpauci aut ferè nulli animarum curatores, qui, in ſuæ curæ benè gerendæ officio conſtantiſſimi, parochialibus ſuis peſte tabeſcentibus cùm alia ſacramenta, tum extremam etiam vnctionem miniſtrarint, mortem obierunt: contrà verò qui à ſui miniſterij functione longè refugerunt, complures morte erepti fuerunt.

Si rurſus contra eueniſſet, hoc ſecum ſtatuent, nihil ſacerdoti, curam animarum gerenti, optabilius, nihilque ad charitatis meritum fore præſtantius, quam pro animarum, quæ ſibi, ſuæque fidei concreditæ ſunt, ſalute mortem oppetere. Immò verò non defuerunt ſanctiſſimi viri, qui ſcripſerunt tale mortis genus, à martyrij gloria non longè admodum abeſſe.

His, atque adeò alijs huius generis commendationibus, & rationibus, quæ permultæ illæ quidem ſacrarum litterarum monimentis conſignatæ ſunt, & ſanctorum patrum documentis, exemplisque explicatæ, parochi, quaſi ſtimulis curæ ſuæ incitati, in dies ardentiori zelo ſeſe inflammabunt, ad rectè, cumulatèq; exequendas parochialis ſui muneris partes.

Iam verò igitur, & Epiſcopus paſtoralis officij ſui religione adductus, & ijdem parochi, animarumve curatores, muneris ſuſcepti rationibus commoti, ſtudioſe, ſolliciteque præſtabunt, muneris miniſterijque ſui officia: ad quæ etiam, atque etiam vehementius ſeſe excitabunt, exemplo acenſi ſanctorum virorum, Cypriani martyris, Baſilij Magni, & Nicolai, Epiſcoporum, Bernardini Senenſis, beatique Rochi, quorum omnium mirifica in contagioſo morbo cura extitit, & præterea Auguſtini ſanctiſſimi epiſtola, ad Honoratum conſcripta, & præclaris item illis Dionyſij Alexādrini litteris, ex quibus clericalis ſacerdotaliſq; officij functiones, quas in grauiſſima peſte ſacerdotes, diaconiq; executi ſunt, à ſe etiam omni charitatis ſtudio, ſuſcipiēdas, præſtandaſque facilè intelligent.

Sed ne longè ſolùm exempla petantur, domi etiam ſunt, quorum documentis homines eccleſiaſtici ordinis ad omne charitatis officiorum genus In peſtifera labe exequendum inſtruantur. Atque ij quidem ſunt, Metropolitanæ eccleſiæ Mediolanenſis Archiepiſcopi duo, omni laude florētes, Benedictus, & Aſpertus.

Hic in teterrima peſte, quæ ſuo tempore omnem Italiam, populumque Mediolanenſem præcipuè inuaſerat, peſtilenti lue tabeſcentes perpetuo ſtudio viſitaſſe, eiſque ſacramenta omnia miniſtraſſe fertur: idque ipſum officiu[m] eius exemplo, & iuſſu parochi etiam accuratè præſtitiſſe [di]cuntur. ille omni Europa, Italia, & vrbe, ditioneque Medi[o]lanenſi præſertim peſtilentiæ morbo vexata, atque afflic[ta] cum ea ipſa officia præſtitiſſet, tum cibum etiam, ac victu[m] tabe languentibus manu ſua miniſtraſſe commemoratur.

Populus denique fidelis, eccleſiaſticorum hominum ſ[tu]dijs, atque exemplis inflammatus, & eiuſdem Dionyſij pr[æ]cipuis litteris commonitus, non afflictione quaſi tabe[ſ]cens, ſed immenſo quodam charitatis chriſtianæ, beneu[o]lentiæque fraternæ ardore incenſus, patriam non deſtitue[t], coniunctiſſimos non deſeret, fidelium corpora inſepul[ta] non proijciet, neque cætera aget, quæ à deliberationis chr[i]ſtianæ officio aliena, olim gentes, à fidei religione auerſas i[n] peſtilentia egiſſe, iiſdem Dionyſij litteris proditum eſt. In[i]mo is occaſionem nactus ſanctè exercendi officia charit[a]tis, omniſque religioſæ virtutis talem ſe præſtare ſtudebi[t], quales in teterrima illa peſte, quam ipſius item Dionyſij litteræ narrant, extitiſſe dicuntur, qui minimè perterrefact[i] peſtis morbo afflictos frequentiſſimè inuiſebant, illis ſedu[lo] inſeruiebant, curationemque omnem ob Chriſti amorem pro viribus adhibebant.

Cautiones adhibendæ, ne peſtis latius ſerpat.

Vbi peſtis contagio aliquam, vel vrbis, vel diœceſis par[tem] inuadere cœpit, eam diligentem cautionem Epi[ſ]copus adhibebit, primùm vt & in parochis, & in omnibu[s] eccleſiaſtici ordinis hominibus, & in vniuerſo populo, pietatis chriſtianæ officia, ſtudia, atque exercitationes, non ſolùm aliqua ex parte non minuātur, & languefiant, ſed quàm maximè fieri poteſt, diligenti ſolicitudine augeantur, & ſa[n]cto religionis zelo ardentiùs inflammentur.

Deinde hoc ſedulo maximè cauebit, vt dum in eo excitandę pietatis officio, ac ſtudio verſatur, dumque hoc enixè curat, vt celebritate ſumma, vniuerſique populi conuentu, & religioſo hominum cætu res omnis chriſtiana eo tempore peragatur; at huic neceſſario in primis ſtudio adiungat etiam omnem ſolicitudinem, & cautionem, ne peſtilentiæ vis latiùs ſerpat, ſed reprimatur, atque extinguatur.

Et quoniam ſanctarum proceſſionum vſus afflictiſſimo quoque tempore, & in peſtilentia præſertim, grauiſſimoque morbo ab eccleſia Dei perpetuò adhibitus eſt; ideo Epiſcopus non ſolùm imminente, vt narratum eſt, ſed ingraueſcente in dies peſte, proceſſiones, & ſupplicationes ſolemnes toties inſtituet, atque adeò peraget, quoties opus eſſe viderit. Quo in proceſſionum officio præſtando, hoc ſtudioſius inhærebit, præter ſanctiſſimorum patrum Baſilij Epiſcopi, & Mamerti Viennenſis documenta, ex quibus [.] proceſſiones, quàm vtiles ad omnem calamitatem propellendam, quàm ſalutares ſint, facilè intelligi poteſt, exemplis etiam vehementius inflammare debet duorum ſanctiſſimorum virorum Gregorij Magni, Pontificis, & Eutichi[j] Conſtantinopolitani. Hic vbi primum proceſſiones inſtituit, peſtis vis tamdiu extincta eſt, dū ille ex hac vita migrauit. Ille verò pontifice Pelagio, peſtilentia mortuo, non modò non intermittendas, ſed certo diſtincto fidelium ordine, ac ſolemni prece celebrandas illas cenſuit, non repentina morte deterritus hominum, qui octuaginta cū illo in proceſſione obierant.

Ad quod ſanè officium perpetuò retinendum, piéq; ex[ci]tandum apud nos in primis valere debet vel plurimū ho[c] etiam præclarum, luculentumque exemplum, quod cùm ſc[i]licet ſexaginta ferè antè hæc tempora annis ciuitas Mediolanenſis eo funeſtæ peſtis contagio varia, multipliciq; ſtra[]ge diu affecta, atque afflicta, tandem nullo alio remedio ſu[]ſtentaretur, diuinitus liberata eſt, publicarum proceſſionū & triduanarum ſupplicationum officijs, & ardentiſſimis pietatis, pœnitentiæque ſtudijs, atque operibus.

Et ſi, inquit Cyprianus martyr ſanctiſſimus, plurimorum mens ſolida eſt, & anima deuota, quæ peſtilentiæ impe[]tu non mouetur, ſed tanquam petra fortis, & ſtabilis turbi[]dam, violentamque eius tempeſtatem frangit: tamen qui[] nonnulli, vel præ imbecillitate animi, vel præ dulcedin[e]

ſecula-

ularis vitæ, ac quadam quaſi mollitie minus ſtare forti-;, nec pectoris ſui inuictũ robur neceſſario tempore præ-.re poſſunt: ideo vt ijs, qui in peſte valde ſibi cauendum itãt, ad cautiones deſcẽdimꝰ, quas mox infra demõſtramꝰ.

Id igitur Epiſcopus curabit, atque efficiet, vt cũ in omni cleſia, omniq́ue celebritate, tum in proceſſionibus homi-s non conferti, non denſi ſimul, & compreſſi inter ſe ſint, d ordine diſtincti, & aliquo interuallo ſeparati, vt conta-oni locus non detur.

Qua verò in eccleſia pluries mane diebus ſingulis miſſæ crificium celebrabitur, hoc cauebit, vt non eodem tem-ore ad eandem eccleſiam, cum præſertim perangusta eſt, opulus conueniat, ſed diuerſo tempore tamen, niſi neceſ-ria cauſa aliter poſtulet.

Scholæ præterea inſtitutionis chriſtianæ, loco aperto, & mplo, vtpotè in cemeterio, foro, triuio habebuntur: idem xpedire videtur, cum in orationis communis, aliorumq́ue ietatis officiorũ exercitatione, tũ in cõcionibus aliquãdo.

Eccleſia parochialis ſi extra illa ſepta eſt, quibus homi-num, aliunde venientium, & viatorum, peregrinorumve aditus, & ingreſſus peſtis temporibus præcludi, atque ab-ſtrui ſolet; parochus ſi intra illa ſepta, vel intra oppidi, loci-ve mœnia eccleſiam aliam idoneam, & domicilium propinquum, vbi ipſe habitet, inuenerit, eò ſanctiſſimum Sacramentum, & curæ parochialis munus de Vicarij Foranei cõſenſu transferat, licebit. At ſi aliò iuſtis cauſis minus expediret, ibi tamen ea parochialia munera geret, ad quæ frequens populi concurſus eſt, qualis eſt diebus feſtis miſſæ parochialis celebratio, prædicatio, veſperarum officium, & orationis communis ac rei huiuſmodi exercitatio. Id porrò omne, epiſcopi iudicio & voluntate ſtatuetur.

Eiuſdem iudicium erit, ſi quando peſtis vel periculum, vel contagio aliquem locum vexare incipit, an propterea, vt populo locus amplus & commodus detur, altare extra eccleſiæ parietes, aut intra, ſed in ipſo ianuæ ingreſſu collocabitur, prǽſertim cum vel ſacerdos, qui celebrat, peſtis nomine ſuſpectus admodum ſit, & eccleſia perangusta ſatis, vel contagio ad illius loci complures domos familiaſve dimanarit. Quòd ſi Epiſcopus ita faciendum cenſuerit, tunc Vicarius foraneus eiuſdem conceſſu Miſſæ ſacrificium in altari portatili, quod ob eas cauſas intus in eccleſia prope ianuam collocabitur, aliquoties celebrare permittet, idque præſertim die feſto & in eccleſia præſertim, quæ exigua, & anguſta valde eſt pro ratione multitudinis, quæ confertiſſima eò ad Miſſæ ſacrificium vno tempore conueniet. Cum verò altaris portatilis facultatem dabit, eam cautionem prǽſcribet, vt eo loco, & ita collocetur, vt ab omni venti temporiſve iniuria, ab omnique rei indecentis, atque offenſionem præbentis, periculo tutum ſit.

Parochialibus ſuis, qui quoniam extra cuſtodiæ fines, & cancellorum ſepta habitant, ſuſpicionem aliquando maiorem præbent, cum nullus ad eos aditus viatorum, peregrinorumve præcluſus ſit, ſed valdè apertus, at planè liber, Epiſcopi conceſſu & auctoritate ita proſpiciet, atque conſulet, vt in aliqua propinqua aliqua eccleſia, ſacellove probato ad Miſſæ ſacrificium conueniant; vbi itidem ſermonibus, ſtatis denunciationibus, cohortationibus, ſcholis chriſtianæ inſtitutionis feſto, ſolenniq́ue officio veſperarum proceſſionibus, litanijs, orationi communi, & alijs pietatis chriſtianæ exercitationibus interſint.

Quam ob cauſam eis certum aliquem proprium ſacerdotem diœceſanum conſtituet: cuius ſuſtentationi ſuccurretur eleemoſynis, quas vel ipſi, vel omnes illius parochiæ homines ad eam conferent, aut certè alia inita eius ſuſtentandi ratione, vt commodius fieri poterit.

Sin hęc via nõ ſuccedet, hanc aliam aggredietur, vt, dum peſtilentiæ ſuſpicio, & periculum eſt, aliquem ſacerdotem cappellanum illius oppidi, locive, qui idoneus parochialia officia præſtet, Epiſcopi conceſſu ad illos homines eo potiſſimum tempore mittet, quo tantùm illius miniſterio opus eſt. Si verò complures parochi ſunt, vnus aliquis eorum, curæ cauſa illuc ſe conferet.

Immò ſi vel vnus tantum parochus, animarumque curator eſt, eam aliquando cogitationem, atque adeo laborem ſuſcipiet, vt ad parochiales illos ſuos, cum per alias curæ occupationes licet, crebrò proficiſcatur, vt tum Miſſæ ſacrificium celebret, ſermonem habeat, & id generis officia omnibus vniuerſe præſtet: tum etiam ſpeciatim ſingulis, quibus opus eſt, ſacramenta miniſtret, & alia adiumenta ſpiritualia præbeat, quæ à ſe in primis præſtari, ſuſcepti officij parochialis munus depoſcit.

Sed demum ſi omni ea ratione, ac via ſpiritualibus illorũ neceſſitatibus non ſatis proſpectum, conſultumq́ue eſſe poteſt, nullo tamen modo Vicarius Foraneus, aut præfectus, aut parochus patietur, parochiales illos, qui verè peſtilentię morbo non laborant, nec verò certis cauſis in ſuſpicione contagij verè ſunt, eccleſiæ parochialis communis, aliarumve, quæ illius membra ſunt, aut intra eius fines poſitæ, aditu, & ingreſſu excludi, atque adeò prohiberi, quo minus ſibi miſſæ ſacrificio, ſacris concionibus, & cæteris chriſtianę pietatis actionibus vniuerſe interſint, atq; præterea vnuſquiſque ſpeciatim ſacramenta ibidem, aliaq́ue ſpiritualia adiumenta à parocho ſumat.

Eam quoque rationem parochus Epiſcopi conceſſu inire poterit, vt ſi quando præſertim, qui extra cuſtodiæ ſepta, habitant, pauciores ſunt, quàm illi, qui intra eiuſdem fines domicilium habent, aliqui cancelli, per quos miſſæ ſacrificium inſpici poſſit, intus in eccleſia parochiali, ſi eius amplitudo hoc tulerit; alioquin in ipſo veſtibulo præfigantur, vt diſtincti, & ſeparati inter ſe ſint, qui intra ſepta morantur, ab illis qui pauciores foris manent: atque hac quidem neceſſaria cauſa parochus permittet eos parochiales extra eccleſiæ oſtium miſſæ ſacrificium tunc ſpectare nullo decreto vel prouinciali, vel diœceſano obſtante.

Hæc ipſa cancellorum ratio, & viatorum, & illorum etiam cauſa adhiberi poterit, qui alienæ curæ homines ad aliquam aliã eccleſiam, Vicarij foranei iuſſu cõuenient, quòd licet fortaſſe locus vbi habitant, ab omni contagione ſuſpicioneve liber ſit: tamen vbi eccleſia parochialis ſita eſt, ad quam conuenire debent, locus peſtilentiæ morbo laborat. Cancellorum etiam ſepimento eos quoque parochus ſeparabit, quos ex aliena parochia ad Miſſæ ſacrificium, diuina officia, & concionem accedere animaduerterit. Verum cum iſtis, vt maximè poteſt, admonitioni omni aget, vt ad propriam eorum eccleſiam parochialem conueniant.

Ijs, qui extra præfixos in eccleſia cancellos manent, aquæ ſanctæ vas præcipuum ab alio diſtinctum, ac ſeparato loco collocatum, apparabitur. Quod extra eccleſiam, dum peſtis ſuſpicio eſt, ponatur, licet modo tamen à canibus, alijſq́ue brutis animantibus, & omni rei indecentis periculo tutum ſit, aut inde in eccleſiam locumve tutũ aſportari poſſit, Miſſæ ſacrificio, diuiniſq́ue officijs peractis.

Vbi vel vniuerſus populus, vel magna pars aut vniuerſa vicinia ædium ſuarum exitu prohibetur; Miſſæ ſacrificium in oratorijs, altaribusve quæ iam parietib. exædificata ſunt, quæve tunc ex aſſeribus in vicinia, foro, via publica, locove opportuniori extruentur, celebrari Epiſcopus permittet: qui locum, vbi illa ſtruentur, cùm primum inſpiciet, arbitratuq́ue ſuo deliget, tum cauebit ſic extrui, vt ſupra cautum eſt, de omni periculo euitando. Hanc porrò curam is, cum per alias occupationes non poteſt, in vrbe præfectis regionarijs, alijſve quos maluerit, & in diœceſi Vicarijs foraneis relinquet.

In ijs oratorijs altaribuſve, atq; adeò ſingulis vicinijs parochus, prout opus erit, ſtatas denũciationes dierum feſtorum, vigiliarum, matrimoniorum & rerum aliarum, quas de more enũciare ſolet, ꝓmulgabit, atq; edicet, edicive curabit.

Parochus quàm ſæpiſſimè parochiales ſuos, etiam de altari moneat quàm grauiter peccent, qui præ metu alicuius vel incommodi, vel detrimenti, aut alia cauſa peſtiferã contagioſamq́ue labem, qua infecti ſunt, occulte celant, quamq́ue exitioſum vitæ ſuæ detrimentum inferant, propterea quòd ſi ab initio curationi ſe darent, facilius morbum depellerent; ac rurſus quam vehemẽtius alijs noceant, qui ob eam cauſam, quoniam illos non cauent, ſe facile contagione inficiunt; & verò quod maximè omnium intereſt, certo repentinæ mortis periculo ſeſe ipſi offerunt, vt ne contritionem quidem, qua ſua peccata doleant, animo cõcipiendi, nedum ſanctiſſima Sacramenta ſumẽdi ſpatium, vel exiguum, habeant.

Parochialis viciniæ, locive decanis, vel ſyndicis conſulibuſve id curæ Epiſcopi nomine commendabit, vt diligenter, vigilantiq́ue ſtudio ſingulorum morbum explorent, & ſi quem in contagionem incidiſſe compererint, quàm primū ſe, & laicos, etiā eo nomine conſtitutos, certiores faciat, quibus, ex legibus magiſtratus ſanitatis id denūciare debēt.

Id ipſum patresfamilias monebit, vt hoc itidem de ijs ipſis ſingulis ſedulo prȩſtent, qui in ſua familia, famulatuvè ſunt.

Populo præterea ſuadebit, vt omnes, & ſinguli valetudinis publicæ zelum ſtudiumq́; ſuſcipiant; ita vt ſi quis aliquē viciniȩ ſuȩ hominem, aliumve peſte laborare, certo ſcit, aut probabiliter ſuſpicatur, rem omnem confeſtim & ſibi, & laicis illis à magiſtratu conſtitutis denunciet. Ad quod ſanè officium quo vehementius incitet, certis argumentis demonſtrabit, quam graues pœnas Deus ab his repoſcet, quorum negligentia, culpave, tot, tamq; acerba damna, & mala non modo illis peſte tabeſcentibus, quorum morbum patefacere debuerant, ſed alijs etiam ſingulis qui contagionem contraxerunt, & vniuerſitati denique importata ſint.

Aliam præterea rationem omnem idem parochus adhibebit, vt de cuiuſque morbo certior quàm primùm fiat.

Illud verò præter cætera populo ſignificabit, ſibi ab Epiſcopo illud præſcriptum eſſe, vt ſi quem in parochiali vicinia ægrè ſe habere ſenſerit, illum ſtatim inuiſat, quo diligentius in tempore ſanctiſſima Sacramenta miniſtret, omneq́; aliud adiumētum, cùm ad animæ ſalutem in primis, tum ad corporis etiam curationem conferat.

Certo libro omnes, & ſingulos parochiales ſuos notabit, non modò eos, qui peſtilentia ſuſpicioneve laborarint, ac demum liberati fuerint, vbicūque vel domi, vel in locis publicæ curationis degerint, ſed illos etiam qui peſtifera labe affecti, mortem obierint, vbicunque manſerint.

Denique opportune epiſcopus, tanquam populi pater, vt multis rebus, quæ peſtis tempore incommodè, acerbeq́; derepente accidunt, paterna cura proſpicere poſſit, per parochos, & alios tum eccleſiaſticos homines, quos huic curæ prȩfecerit, tum per pios etiam laicos ſibi nunciari, & ſignificari curet, quæcunque epiſcopalis officij ſollicitudinem, operam, & ſtudium requirunt.

Magiſtratus porrò, & decuriones, ad eas ſollicitudines, quas maximas, prudenterq́ue excogitatas in peſte propulſanda ponunt, illam vnam maximè omnium neceſſariā curam adiungent, vt primo pietatis opera, atque officia ſtudeant; tum illa ſummoperè caueant, quæ pijs officijs, diuino cultui, ſanctis charitatis chriſtianæ exercitationibus, & religioſis publicis orationibus aliquo modo vel repugnant, vel certè obſtant; cum hæc iſtiuſmodi ſint, quæ non imminuant, aut depellant, ſed vehementius excitent, prouocentve vim, impetumq́ue peſtilentiæ. Contra verò illud certum, atque exploratum eſt, illam reſtingui frequenti piorum operum vſu, religioſo diuinæ charitatis cultu, & publicis ſupplicationibus. Hoc ex antiquis chriſtianæ religionis exemplis, quæ narrata ſunt, planè declaratur.

Quamobrem hæc præter cetera videbunt omni pietatis ſtudio.

Vt in ſupplicationibus publicis frequentiſſimè ſint.

Vt ſanctarum ſpiritualiumq́ue exercitationum ſtudia, atque officia, ne quidquam impediant.

Vt nihil obſtent, quo minus ad Miſſæ ſacrificium fideles conueniant, conciones adeant, proceſſionibus publicis interſint, orationes item publicas obeant, & priuatim quoq; precentur.

Nec præterea quidquam impedimenti afferant, quo minus funera eccleſiaſtico more ducantur, & ſepulturæ locus ſacer detur, eiuſdemq́ue idem officium peragatur.

Nec verò prohibeant liberis parentes, rurſuſq́ue parentibus liberos, & cognatis cognatos, cum vel peſtilentia affecti ſunt, vel contagionis nomine ſuſpecti, inſeruire: neque publicorum miniſtrorum ſuorum, aut eorum, qui oppidorum, vel vniuerſitatum adminiſtrationi, curationiq́ue præſunt, minitationib. aut perterrefactione patiantur illos ab ijs pietatis, charitatiſq́; officijs auocari, abduci, abſtrahive.

Vt caueant, ne parochos, animarumq́; curatores, & certos illos ſacerdotes, qui in publicis curationum locis ad ſacramenta miniſtranda cōſtituentur, alioſve eccleſiaſtici ordinis homines vllo quouis modo, vel nomine, vel prætextu impediant, quin, & ſacramentorum adminiſtrationē, & debitas muneris parochialis functiones, debitave curȩ officia, tum vniuerſe generatimq́ue populo, tam ſpeciatim ſingulis, contagione etiam affectis, ſuſpectiſve præſtent.

Hoc item ab illis in Domino vehementer petimus;

Vt ne aditu, exituve oppidorum, pagorum, locorumve eoſdem prohibeant, contra eccleſiaſticæ libertatis iura, & epiſcopi præſcripta, cui ſalutem, incolumitatemq́ue populi, ſuæ curæ commiſſi, non minus ſibi, quàm ipſis cordi eſſe perſuaſum habere debent.

Quo in genere tantò grauius peccarent eo periculoſo tempore, quo eccleſiæ miniſtros huc, atque illuc confeſtim die, noctuque in ſingulas horas, vel in momenta potius ad ſalutem animarum procurandam accurrere magis neceſſarium eſt, quàm alios etiam publicos præfectos, curatoreſve valetudinis corporum, quibus aditus, atq; exitus in omnes partes dari, & patere ſolet.

Vt lōgè refugiant ab eo deteſtabili vſu, peſte affectos, ſuſpectoſve, tanquam pro derelicto habitos, abiecta ſcilicet omni eorum cura, ab vrbe, municipio, oppidove inhumanè exturbandi.

Vt ne in ijs ipſis è domicilio ad tuguriola abripiēdis plus exquiſitæ diligentiæ adhibeant, quam pro charitatis chriſtianæ ratione adhiberi par eſt.

Vt ne illis ſecludendis, domiq́ue cuſtodiendis ſeueriùs agant, quàm cum chriſtiana charitate conueniens eſt. Vt denique in omni cautione non magis prudētiæ ſuæ, quàm diuino auxilio innitantur.

Cum verò eccleſiaſticis monimentis nuſquam compertum ſit, fidelē populum vnius ciuitatis, oppidive vniuerſum vnquā in peſtilentia, vt contagionē euitaret, hoc cōmiſiſſe, in diuturno admodū tempore totus ab eccleſiæ conuentu penit⁹ abſtineret, eiuſq́; ſtationes planè deſereret; immo verò contra perſpici poſſit, crebrius, ardentioriq́; diuinæ charitatis ſtudio, quàm anteà conſueuerat, eccleſias frequentare: ob eam cauſam magiſtratus diligenter videbit, vt ne quarantenȩ, quam dicunt, lege, illū vniuerſim domo exire prohibeat, quo fiat, vt diutius, quàm religionis pietas poſtulet, officia prætermittat, quæ in eccleſia Deo præſtare debet.

Nam, vt ſilentio prætereantur difficultates, incommoda, detrimenta, damna, mala, quȩ inde multa reipublicæ gubernationi euenire poſſent, cauendum etiam maximè eſt, ne, cum populi multitudo ſanctarum cœremoniarum, quæ oculorum aſpectu cernuntur, vſu, & ritu, ad pietatis ſtudiū incendatur, ſi domi recluſa, aliquamdiu ad eccleſiam non conueniat, magna ex parte religionis officia non modò in ea inculta ſint, ſed planè defloreſcant.

Qua quidem ex re longè grauior pernicies pertimeſcenda eſt, quam ex omni vel funeſtiſſima peſtilentia.

Quare Magiſtratus de quarantena diligenter, accuratè, & piè in primis, etiam atq; etiam videbit matura deliberatione, & re omni cum Epiſcopo cōmunicata, vt non minus animarum peſti, quàm corporū contagioni, quæ infinitis partibus inferior eſt, rectè proſpiciatur.

Quòd ſi aliquando indicetur, illud maximè præuidendum erit, ne in Aduentum, quadrageſimam, Solemnitates Domini, ſacraq́; alia tempora incidat, quibus pro ſacroſancta diuinorum officiorum celebritate populi fidelis cōuentus in eccleſia, & frequens, & ſolemnis itidem eſſe debet, vt ſolemnia ſacra ſunt, quȩ ex ſpiritus Sancti doctrina, religioſis cerimonijs, diuinoq́ue ritu celebrantur.

Ea prȩterea ratio ineunda erit, vt ſpeciatim potius, quàm vniuerſe, & in ſumma inſtanti neceſſitate quarantena fiat; ita vt vel fœminæ ſolùm cum pueris, vel aliquando viri, vel vnius viciniæ tantum, quæ grauius è ſuſpicione laborat, homines certo illo temporis ſpatio, eoq́ue non diuturniori domi ſe contineant.

Cautio in ſacerdote miniſtrante.

SI Parochus ob aliā causā, quā ob miniſterij ſui parochialis occaſionē in peſtis ſuſpicionē inciderit, plures ſane dies domi ſe cōtinebit, quot, ſcilicet, ꝓ ſuſpicionis ratiōe Epi-

ſcopus

ſcopus boni publici cauſa ſtatuerit. Quod vero ad miniſteria parochialibus ſuis præſtanda attinet, ea ipſa ratio ſeruabitur, quæ parocho ſupra propoſita eſt, ſi quando miniſterij ſui occaſione in ſuſpicionem incidit.

Idem parochus, aliuſve ſacerdos, qui peſte laborantium curam gerit, quoties hominem ſibi commiſſum habet, qui in peſtilentiam, ſuſpicionemve inciderit, vt & vllo loco officijs deſit, quæ in eum conferre debet, & quàm cautiſſime poteſt, omne periculum euitet, vbi ſe ad Dei voluntatem totum accommodarit, deliberationemque ſuſceperit mortis in ſingulas horas obeundæ, vt animabus, ſibi in curam traditis, ad ſalutem proſit; præſidium verò incolumitatis ſuæ in Dei potiſſimum cuſtodia poſuerit; has etiam cautiones adhibere poterit.

Vt ſi quando hominis peſte affecti, ſuſpective confeſſionem audit, loco audiat, qui aliquãtulum à lecto diſtet. Cum vero ſine magno illius incommodo id fieri poteſt, curet licet, vt ad feneſtram, aut oſtium, aut in porticũ, veſtibulumve, aut ad impluuium, aliumve locum apertum accedat, vbi illum confitentem audiat, vt cubiculũ declinet, in quo contagionis periculum timeri ſolet.

Vt eadem cautione in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ miniſtratione vtatur.

Vt alijs remedijs ſe præmuniat, quæ religioſorum hominum in primis conſilio probata, medicorum iudicio vim aliquam repellendæ contagionis habent.

Vt dum intra ſepta curationis publicæ ſunt, veſtes contractiores, aut ita ſuccinctas, quæ infra genua vix protendant, adhibeat.

Vt in ijs miniſtrationibus non pluuiali, ſed ſolum ſuperpelliceo, & ſtola vtatur.

Sacræ hoſtiæ particulam vnam, aut plures, quæ ad communicantium vſum tunc ſatis erunt, ferri poterit: nec verò aliam præterea, quæ de more reportetur, dum ad eccleſiam cappellamve redit.

At verò in omni Sacramento, multoq; magis in ſanctiſſima Euchariſtia miniſtranda, cauebit, vt euitandi periculi, vel ſuſpicionis cauſa, ne quid vel minimum, quod nouum ſit, ad miniſtrationis ritum introducat, neve inſtrumẽtum, aliudve quid ſimile ad miniſtrationem pro digitis vel adeo in ijsipſis adhibeat.

Extra domicilij ianuam, aut tuguriorum ſepta, eos conſiſtere iubebit; qui ſanctiſſimum Sacramentum luminibus proſequuntur, clerico excepto.

Quorum luminum loco aliqua, ſi fieri poteſt, per eos accendi mandet, qui intra illud domicilium, eave ſepta habitant, cum iam ſuſpecti ſint.

Sacerdotes, præfecti curationis ſpirituali hoſpitalis domus, alteriuſve loci, vbi morbo infecti, ſuſpective curantur, abſtineant ab omni vel conſuetudine, vel alio contrahendæ contagionis periculo, quod aliunde exiſtere poſſit, quàm ex ſacris functionibus, & miniſterijs, & alijs charitatis officijs, quæ præſtanda ſuſceperunt.

Eorum ſacerdotum, ſi plures ſunt, vnus deligetur, qui ægrotis ſacram communionem præbeat, ceteraque miniſteria præſtet, quibus obeundis propius accedat neceſſe eſt: at verò plures etiam pro multitudine ægrotorum, alius autẽ qui peſte ſuſpectis curam, operamque ſuam in ijs ipſis miniſterijs nauet, alius minus ſuſpectis, & conualeſcentibus cuſtodibuſve, & famulis ceteriſque miniſtrabit, qui à ſuſpicione liberi, in hoſpitalis domus, aut loci tuguriorum finibus extra ſepta degunt.

In Sacramento autem pœnitentiæ miniſtrando, in ſacra concione habenda, in doctrina chriſtiana tradenda, & alijs functionibus, quibus præſtandis ad eos peſte vel affectos, vel ſuſpectos appropinquare non eſt neceſſe, vnus, & item alter viciſſim, prout inter ſe conuenerint, aut, prout epiſcopus maluerit, operam ſuam curamque non ægrotis ſolum, ſuſpectiſve nartare poterit, ſed cæteris etiam, atque adeo illis, qui rectè valentes, extra tuguriorum fines collocati conſtitutique ſunt ad locorum eorum cuſtodiam, vſum, & famulatum.

Cum eorum ſacerdotum vnus ægrotis curam, miniſteriumve nauat, alter ijs, qui tantum in ſuſpectis habentur; caute etiam ijs ambo mutua inter ſe conſuetudine vtentur; ne prę ſuſpicione fideles à ſuſcipiendo eorum miniſterio auertantur. Atque ſi [illegible] ijſdem domicilijs habitant, eorum tamẽ commertium aliquo interuallo diſiunctum erit.

Eorum vnuſquiſque ad Miſſæ ſacrificij vſum diſtinctas ſacras veſtes, mappas altaris, diſtinctoſve etiam calices, ſi fieri poteſt, habebunt.

In cappellis quoque altaribuſve diſtinctis celebrabunt.

Si vero vna tantum cappella eſt, vnumve altare, ne vnus alterius indumenta, mappaſve adhibeat, tangatve.

Si aliquando vel in Miſſæ ſacrificio, vel in ſanctiſſimę Euchariſtię miniſtratione, cum clericus deſit, qui miniſtret, alter alteri miniſtrare neceſſe habet; vtriuſq; cautio eadẽ erit.

Cautio in ſacerdote, qui miniſtrauit.

PArochus aliuſve ſacerdos, cum vel peſte tabeſcenti extremam vnctionem miniſtrauerit, vel in eius cubiculo confeſſionem propius audierit, aut aliud deniq; egerit, vnde apud populum in probabilem peſtis ſuſpicionem inciderit, tunc aliorum commertio, conſuetudineve per aliquos dies abſtineat, ne bene valentibus contagij periculum, aut certe timorem inijciat.

Dum is, tanquam ſuſpectus, domi ſe continet, ſi forte acciderit opus eſſe alicui, itidem ſuſpecto, aut infecto, qui parochiæ ſuæ ſit, aut alienæ, at curæ ſuæ commiſſus, huic miniſterium ſuum, operamve Sacramentis miniſtrandis præſtabit.

Quo tempore ab aliorum commercio abſtinet, in parochiali tantum eccleſia aliave, quam præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus conſtituerit, Miſſam celebrabit, & in eo præterea ſolũ altari, in quo nemo alius ſacerdos eo tempore celebrabit.

Quod altare, ſi fieri poteſt, cancellis munietur, quibus populo ingreſſus præcludatur. Quo ipſo tempore ad Miſſę celebrationem veſtes ſacras, & mappas altaris adhibebit, quæ ſeparatim loco diſtincto aſſeruabuntur; nec alijs ſacerdotibus tunc vſui erunt.

De ſuggeſtu, aliove eius generis loco, qui à populi frequẽtia aliquo interuallo diſiunctus ſit, ſermonem, concionemve habere poterit.

Confeſſionem in eccleſia intus, & foris, at in ſede confeſſionali audiet; quæ præter laminam perforatam, aliquid etiam interiectumve habeat, opere chartaceo confectum.

Extra etiam confeſſionalem ſedem audiat licet, ita tamẽ, vt confitens ab eo diſtet tribus, quattuorve cubitis.

Parochialem etiam viciniam, aliamve curæ ſuæ commiſſam, obeat licet, cum vel funus curare, vel alia parochialia officia præſtare neceſſe habebit.

Alia præterea loca adire poterit, cum peccata confeſſurus ad alium parochum, confeſſariumve qui propius abſit, ſe conferat opus eſt.

At ſane expediet eum confeſſarium ad eum potius in parochiæ finibus accedere.

Cauebit autem, ne in chorum eccleſiæ, vbi alij ſacerdotes ſunt; neque alio item, vbi frequens hominum conuentus eſt proximè ad eos accedat.

Nec vero idem ſacerdos extra parochiæ fines excepta cauſa, quæ commemorata eſt, ſine Epiſcopi, aut præfecti regionarij, vicarijve foranei facultate ſcripta diſcedet. Neque porro facultas dabitur, niſi cum alijs ſuſpectis ſacramenta miniſtraturus eſt; aut bene valentium etiam adhibita paulo ante demonſtrata cautione, confeſſionem, Epiſcopi iuſſu auditurus, aut ad Epiſcopum res ad curam ſuam pertinentes relaturus, aut aliquid acturus, quod ſua cauſa agi neceſſe eſt. Quamdiu vero ab aliorum conſuetudine ſuſpicionis cauſa abſtinet cum domo, aliqua cauſa, facultateve egredietur; ſemper, præterquam cum ſanctiſſimam Euchariſtiam feret, ferulam albi coloris, quattuor cubitis longam, quod ſignum ſuſpicionis erit, manu geſtabit, vt omnes eius congreſſum proximumque acceſſum cauere poſſint.

Eo ipſo tẽpore, dũ ſuſpectus eſt, baptiſmũ infuſionis, non immerſionis ritu, vbi huius ritus cõſuetudo alijs temporib. eſt, miniſtrabit; ſtatas verò baptiſmi cærimonias ad id tempus differet, quo à ſuſpicione liber erit: aut alium ſacerdotem adhibebit, qui baptiſmum ſtatis cærimonijs miniſtret.

Alterius etiam ſacerdotis miniſterio vtetur, ad ſanctiſſimam Euchariſtiam, extremamque vnctionem, parochialibus ſuis miniſtrandam peſtis ſuſpicione non laborantibus.

Quamobrem parocho, dum eo loco peſtis eſt, vbi curam gerit, facultas detur, alium ſacerdotem ſubſtituendi, qui ab ordinis munere non ſit ſuſpenſus, vt parochialis curæ munera obeat. Ne tamen audiendis confeſſionibus alium ſacerdotem ſubſtituere poſſit, quem antea Epiſcopus non probarit, niſi huius ſubſtitutionis poteſtatem idem feciſſet. Clericus, famuluſve parochi ſuſpecti aliuſve, cuius opera vti velit, quo tempore ille domi ſe continet, inde etiam ne ipſi quidem egrediātur ad præſcriptum: ſi quando autem exire neceſſe habebunt, ferulam de more geſtabunt.

Vbi ſeptimus dies aut aliud tempus, ab Epiſcopo præſcriptum, prout viderit expedire, præterijt, quo parochus in peſtis ſuſpicionem, ob miniſterium incidit, neque aliqua parte ſe læſum ſentit, nec vero ſuſpicatur ſe contagione infectum eſſe; libere, vt antea, & ſine ferula omnia loca adire, parochialiſque curæ munera obire poterit, niſi aliter Epiſcopus iuſſerit. Idem de parochi clerico, famulo, familiave cenſendum erit; quæ ex parochi ob miniſterium ſuſpicione ſe ſe domi con tinuit.

Parochus autem, & ſacerdotes, in loco curationis publicæ conſtituti, caueant, ne propius accedant, congrediantur ve cũ ijs, qui à peſtis ſuſpicione liberi ſunt: neve alia ratione eis periculum aut ſuſpicionem contagionis afferant.

Quamobrem è loco, in quo collocati ſunt, facultate ab Epiſcopo, præfectove regionario, aut à Vicario foraneo in diœceſi non impetrata, ne diſcedant. Nec verò illi, præfectus ſcilicet regionarius, & Vicarius foraneus, Epiſcopo inconſulto, dent, niſi ob cauſam, quæ vel ad ſpirituale miniſterium, vel ad publicam curationem ſpectet; ob quas cauſas ſæpe accidit, eos ad alia loca mitti oportere. Cum autem foras quauis cauſa facultateve exeunt, ferulam albam, parochis ſupra conſtitutam geſtabunt.

Cautio in homine eccleſiaſtico, ob aliam cauſam ſuſpecto, aut peſte etiam infecto, adhibenda.

AD tuẽdam publicam valetudinem epiſcopus eam facultatem parocho dabit, vt non modò eccleſiaſticis hominibus, qui in parochiali vicinia habitant, ſed etiam ſocio curæ parochialis, & parocho item proximè habitanti, ſi quis eorũ in peſtilentiam, eiuſque ſuſpicionem inciderit, hæc, vt infra, præcipere, iubereve poſſit.

Vt is ſcilicet vel infectus, vel ſuſpectus intra domicilium, certi præſcripti temporis lege, ſe contineat, aliorumque conſuetudine abſtineat.*

Vt neminem alium intro ad ſe domum recipiat, admittatve.

Vt illius familia hoc ipſum omne itidem præſtet. Hanc eãdem poteſtatem præfectus regionarius cùm in reliquos eccleſiaſticos homines, tum in parochos ipſos exequetur, non ſolùm ſi quando eorum quiſpiam peſte afficitur, peſtiſve ſuſpicionem præbet, verùm etiam alia de cauſa. Ad cuius rei exequendæ vſum pœnis arbitrij ſui contra contumaces aget.

Hæc ipſa facultas erit etiam vniuſcuiuſque Vicarij Foranei, cui præterea laicos homines, cum eccleſiaſticos idoneos non habebit, qui hæc exequantur, ſubſtituere licebit, ſi quid præſertim derepente acciderit, quod aliena opera opus habeat.

Eiſdem præterea ſingulis licebit, etiam laicorum miniſtrorum cuſtodiam, ſi ita quandoque expedire cenſuerint, adhibere.

Parochus igitur, vbi primum eccleſiaſticus homo in ſuſpicionem peſtis incidit, facultate ſibi data, vt opus eſſe viderit, ſtatim diligenter, & prudenter vtatur.

Eccleſiæ autem veſtes, & præcipuè, quibus ille propriè vtebatur, vnde contagium exiſtere poſſit, omni diligentiſſima cautione, vt nihil planè amittatur, certo loco, ab aliorum cõſuetudine ſemoto, reponi, & cuſtodiri curabit. Qui locus benè ſepietur, & munietur, & ſupellectilis, quæ in eo recondetur, index, omniſque alia opportuna cautio adhibebitur.

Epiſcopum præterea, aut præfectum regionarium, aut Vicarium Foraneum de tota re certiorem itidem faciet, v rem ipſam diligenter cognouerit, vel aliquid aliud, vel id i ſum diligentius ſtatuat, prout expedire videbitur.

Rem item omnem curatoribus publicę valetudinis, in vicinia conſtitutis, quàmprimum ſignificabit, vt & ſubmin ſtrentur, quæ eorũ opera, miniſterio ve ei tunc ſubminiſtra neceſſe eſt, & omnis alia diligens cautio ab illis adhibeatu quæ neceſſaria eſſet ad alios homines conquirendos, qui cu eo, alijſve illius familiæ, domuſve commertium habuiſſen aut alio modo eius rei cauſa ſuſpecti eſſe poſſunt.

Si verò parochus eſt, aut eius clericus, aut familia, domu ve, quæ in ſuſpicionem incidit; hæc ipſa officia ſocius parc chialis curæ, ſi quem habet, alioqui parochus propinquic præſtabit.

Curabit porrò præfectus regionarius, aut Vicarius fora neus impenſe admodum, vt & domicilia, & ſupellex eccle ſiarum, vel eccleſiaſticorum hominum quàm diligentiſſim expurgentur. Ad cuius expurgationis rationem omne exqu ſiti ſtudij, cautioniſq; genus Epiſcopus adhiberi iubebit, quo ex Magiſtratus præſcripto in laicalibus rebus expurgãdis ac hiberi ſolet. Et, vbi opus eſſe cenſuerit, ad expurgationem e rundem miniſtrorum operam vtendam curabit.

Cum ex facti, quod euenerit, ratione, dubium exiſtit, a quis peſte mortuus ſit, anve illius ſuppellex eo nomine ſuſpe cta, an ve alio genere morbi affectus; tunc parochus medicc in conſilium adhibebit, alioſve peritos, eoſque potiſſimum quos Magiſtratus curæ eiuſmodi præfecerit, vt de re tota ce tius ſtatuatur.

Parochus aliuſve eccleſiaſtici ordinis homo, qui loca in colit, quorum commertium ob ſuſpicionis cauſam vetitur edicto publico eſt, ne inde egrediatur, prohibeat Vicarius fo raneus, ſicut cæteris eorum locorum incolis prohibitum eſt ita tamen, vt certis ijs regulis, & facultatibus, quæ eccleſiaſtici hominibus peſte ſuſpectis, ſupra conſtitutæ ſunt, vtatur, & fruatur, præſertim, qui animarum curam quouis modo, au nomine gerit.

Hæc omnis cautio tum in ſacerdote miniſtrante, tum i eo, qui miniſtrauit, tum etiam in eccleſiaſtico homine peſt ſuſpecto, quicumque ſit, vt diligentiſſimè adhibeatur, atqu ſeruetur, parochi, vt ſupra, cura erit. Quæ ſanè cura omnis cautioque in vrbe ad præfectum regionarium, & in diœce ad Vicarium foraneum maximè pertinebit.

Cautio in monaſterijs, & collegijs pijs adhibenda.

SI regularium hominum monaſterium, aliudue collegiun eccleſiaſticum, aut domus, vbi collegiatim viuitur, in pe ſtem eiuſve ſuſpicionem inciderit, eadem tota ratio, & cautio quæ mox ſupra demonſtrata eſt, ab Epiſcopo, & præfecto regionario, Vicario ve foraneo ipſius Epiſcopi nomine ita diligenter adhibeatur, vt omnes, qui in eo monaſterio, collegiove habitant, niſi aliquos ſolùm peſte ſuſpectos eſſe, manifeſto conſtet, ab aliorum hominum conſuetudine, commertiove abſtineant, & intra monaſterij, domuſve ſepta ſe contineant ad Epiſcopi præſcriptum. Eam verò cautionem inter ſe adhibebunt, vt alter ab altero ita ſeparatim in cõſuetudine verſetur, vt ne contagium contrahere poſſit.

Quamobrem etiam in hortis tuguria ſtrui expediet.

Verùm ne propterea in eorum eccleſia diuinus cultus intermittatur: ſed diuina officia in choro, vt moris eſt, obeant, ita tamẽ, vt ibi alter ab altero ſeparatim aliquo exiguo ſpatio interiecto ſit.

Miſſas ſinguli in ſingulis altaribus diſtinctis celebrent, ſacris adhibitis indumentis, & inſtrumentis, quæ, ex communi ſacriſtiæ ſupellectile ſumpta, ad ſuum quiſque vſum eo tempore ſigillatim, locoq; ſeparato ſeruabit, & cuſtodiet.

Ne vero vllum populo periculum inde exiſtat; à cappellis, vbi celebrabitur, & choro aditus ipſius populi ſecludatur cancellis ferreis, ligneiſve, aut alio eiuſmodi ſepimento.

At ne, dum ſe intra Monaſterij ſepta ab aliorum conſuetudine abſtinent, quicquam ad victũ eis deſit, è publico illi ſumptu, qui neceſſario eo tempore ad pauperum ſuſtentationem conſtitutus eſt, eleemoſynam, vt opus erit, ſubminiſtrari curandum erit.

Si eccleſiaſticorum hominum in eodem monaſterio, loco ve collegiatim viuentium, magnus admodum numerus eſt, qui peſtis nomine ſuſpectus ſit, nec verò domus, habitationisve amplitudo eiuſmodi eſt, vt omnes tugurijs etiam extructis commodè ſeparatim habitare poſſint: expedit, vel eos omnes, qui ex peſte, ſuſpicioneve laborant, vel, his relictis, alios rectè valentes, ſuſpicioneque liberos ad aliam domum, monaſteriumve, aut etiam ad plura traduci, quæ tamen vacua ſint, & ita conſtructa, vt dum curationis, aut ſuſpicionis cauſa in illis manent, regularem modeſtiam, eccleſiaſticamq́; ordinis ſui diſciplinam rectè ſeruare poſſint.

Hæc ipſa cura, & cautio adhibebitur, ſi quando fortaſſe monialium, in eodem monaſterio viuentium, magnum numerum peſtis peruaſerit.

Sed in earum monaſterijs, peſtis nomine ſuſpectis, magna ab Epiſcopo cautio adhibenda erit, ne ex ea occaſione intra ſepta monaſterij aditus ſit ſine neceſſaria cauſa.

Nec verò extra clauſuræ ſepta, finesve egrediendi facultas, niſi vrgente, neceſſariaq; item cauſa monialibus permittatur.

Si verò aliquãdo neceſſitas efflagitat, vt illæ intus viſitentur, aut inſpiciantur: hoc ne à viris fiat, ſed à fœminis honeſtis, curabit Epiſcopus.

Hoc ipſum itidem ſeruabit, ſi quando monattorum opera, aut alia eiuſmodi neceſſaria erunt.

De baptiſmo infanti, peſte laboranti, ſuſpectove miniſtrando.

INfans nuper natus, peſte laborans, aut eo nomine ſuſpectus quia à matre, peſtifero morbo affecta, ortus eſt, quàm primùm ob inſtans mortis periculum à ſacerdote, peſte laborantium curam gerente, infuſionis ritu baptizabitur, alijs ſtatis ceremonijs tunc non adhibitis. Si ſacerdos abeſt, idem confeſtim, ab alio præſtabitur, qui præſens baptizandi formam norit; nec verò compater adhibeatur: aut talis, qualis infans eſt compater, aut commater aſciſcetur, nempè ex morbo laborans, aut ex eadem cauſæ origine ſuſpectus, ſi alij, qui liberi ſunt, ſuſpicione contagionis deterriti, id munus refugerint. Poſtea, ſi infans ſuperſtes erit, quàm primùm ab omni ſuſpicione liber erit, in eccleſiam parochialem ſuam ſacerdoti parocho offeretur, qui ex eccleſiæ inſtituto reliquas ſtat≈s ceremonias ei adhibebit.

Idem in baptiſmo ſeruabitur infantum, qui expoſiti, dubium eſt, an peſtilentia ſuſpecti ſint. Hoc ipſum quoque præſtabitur in baptiſmo infantum, qui non ita manifeſto ſuſpecti videntur, quales ij ſunt, qui è mulieribus benè valentibus, naſcuntur, quæ tamen ex aliqua ſuſpicione vel domi incluſæ, vel ad loca publicæ curationis perductæ ſunt, quoniam vel loco ſuſpecto fuerunt, vel cum homine ſuſpecto conſuetudinem habuerunt. Sacerdotes locorum curationis publicę, quibus baptiſmum miniſtrarint, eorum, & parentum nomina, & reliqua de more in librum certum referant: quem deinceps à peſtifera lue purgatum ad archiuium Epiſcopale ferant. Vniuſcuiuſque autem, quem baptizarint, baptiſmum exſcriptum proprio etiam eius parocho tradant: quem etiam, cum primùm inde illi emittuntur, certiorem faciãt de ceremonijs reliquis, quas non adhibuerint, vt ille in parochiali eccleſia ritè ſuppleat.

Officia confratrum charitatis, & collectio eleemoſynarum, ac diſtributio.

SCholæ charitatis homines parocho, deſcribẽdis parochiæ pauperibus, operam nauabunt, quos ſemel diligenter deſcriptos, ſæpè generatim recognoſcent.

Qua in recognitione ſi quid vel addendum, vel mutandũ viderint, id parocho nuntiabunt; qui in deſcriptionis libro notabit, quod eo in genere opus erit, & epiſcopo etiam referet.

Ijdem ſingulis diebus ſedulo pauperes inuiſent, eosq́ue præſertim, qui peſte tabeſcunt, ſuſpective ſunt.

Si quos inuenerint, qui recenter in morbum inciderint, quive ſpiritualis alicuius adiumenti indigeant, de ijs eundem parochum certiorem facient.

Ipſi verò ſollicito ſtudio in id incumbent, vt quæ ad corporis vſum neceſſaria ſunt, pauperibus, peſteque affectis vndique conquirant. Vt autem omni ex parte cumulatoria caritatis ſubſidia comparent, cùm ad epiſcopum, tum ad præfectos regionarios, vicariosve foraneos, & parochos perfugiũ ſępiſſimè habebunt: quorum etiam auctoritate ad omnem eleemoſynæ pijq́ue ſubſidij conquiſitionem, atque apparatum vtentur; ſæpè etiam magiſtratum, & decuriones, conuenient, vt opus erit.

Id parochus præter cetera maximè parochiales ſuos cohortabitur, vt his præſertim peſtilentiæ temporibus, omni commiſeratione dignis, quantam maximam per facultates poſſunt, eleemoſinam conferant ad ſubleuandas neceſſitates, non ſolum peſte laborantium, ſuſpectorumve, ſed aliorum etiam omnium, qui rerum inopia premuntur.

Quam ob cauſam ſingulis hebdomadis, ſemel atque adeò ſæpius, rariusve, prout neceſſitas vrget, parochialiumq́ue opes ferunt, viciniam ſuam, adhibitis charitatis ſodalibus, in omnes partes obibit, omniq́ue ſtudio, & charitatis pia contentione eleemoſynam, quæ in eorum miſerabilium vſum erogetur, ab omnibus efflagitabit.

In eccleſia præterea parochiali, in omniq́ue viciniæ parte, pręſertim pro foribus eorũ, qui peſte infecti, ſuſpective ſunt, capſulas aliquas duabus clauib. inter ſe diuerſis ſingulas clauſas, certoq́ue ſigno, quod præcipuum Epiſcopus conſtituerit, notataſq́; & diſtinctas publicè proponet, atq; affiget; in quas oblatæ eleemoſynæ eo nomine conijciantur. E clauibus illis duabus vnam ipſe parochus, & alteram ille ex confratribus charitatis aſſeruabit, quem Epiſcopus, præfectusve, vel Vicarius foraneus delegerit.

Si qua in parochiali vicinia complures ſunt, vel peſtifera labe inquinati, vel ſuſpecti, vel alij inopes homines, quibus aliunde non ſatis ſuccurri poſſit; parochus ad Epiſcopum confugiet, cuius conceſſu in finitima etiam vicinia parochiali capſulam eleemoſynæ proponere, aut alia ratione ſubſidia charitatis comparare poſſit ad illorum ſuſtentationem.

Vt autem neceſſario eo tempore pauperum egeſtati vndique ſuccurratur, eam facultatem, ſi ita neceſſitas tulerit, epiſcopus aliquando permittet, vt piorum locorum præfecti, curatoresve eleemoſynarum, quas certo præſcripto tempore dari moris eſt, diſtributionem anticipent, vtpotè quæ eleemoſyna ſemeſtri, aut longioris temporis ſpatio in egentium vſum erogari conſueuerat, ea omnis duobus, tribusve menſibus, aut breuiori tempore, prout opus erit, diſtribuatur.

Ea autẽ cautio adhibebitur, vt ne eleemoſynæ diſtribuendæ ratio, atque vſus ſine legitima auctoritate, & facultate vnquam immutetur, verbi gratia, quod puellis, virginibusve nuptui dandis in dotem pia liberalitate erogari ſolet, aut debet, ne in panis eleemoſynam, aliudve genus conuertatur.

Nec verò piorum locorum prædia, aliave bona immobilia hypothecæ, pignorive dentur, aut alienentur; contra, ac teſtatorum voluntate, canonum iure, pontificijs conſtitutionibus, & Conciliorum, aut Synodi prouincialis noſtræ primæ decretis cautum eſt.

Omnis eleemoſyna, quæ à charitatis confratribus congeretur, de parochi, aut præfecti regionarij, aut Vicarij foranei conſilio, & aſſenſu, in eorum hominum vſum neceſſarium erogabitur.

In eleemoſynæ autem erogatione habebitur ratio cum in primis inopiæ, paupertatisque ſacerdotum & monaſteriorum cuiuſuis generis, & ordinis, tum hoſpitalium ædium, locorumve, quæ intra parochialis viciniæ fines ſita ſunt.

Quibus ſacerdotibus, & monaſterijs, ex ærario etiam publico, aut cenſu, vnde reliqui pauperes ſuſtentantur, neceſſaria alimenta ſubminiſtrari oportebit cùm ob alias cauſas, tum quia publico eccleſiæ no[illegible] religioſi illi homines quotidianis ſacrificijs, ſupplicationibus, diuinorumq́ue officiorum cultu, & moniales etiam ſacræ lachrymarum vi, peccatorum deploratione, gemitu, vigilijs, ieiunio atque aſſidua oratione, DEI iram afflictiſſimo illo tempore placare contendunt.

Cauebit autem parochus, ne rei cuiuſquam, quæ ad corpo-

rales quorumuis hominum, etiam peſte laborantium ſuſpectorumve neceſſitates pertineat, præcipuam curam præcipuumque onus ſibi ſuſcipiat, quo retardetur, aut impediatur, quin proprium curæ ſuæ officium exequatur: quod totum in rerum ſpiritualium procuratione, atque adminiſtratione verſari in primis debet. Ideò ab ordinario munere eleemoſynæ diſtribuendæ, ſubuentioniſque publicæ erogandæ abſtinebit.

Si quo autem in loco, & pauperum ingens neceſſitas, & penuria hominum, vt id muneris rectè gerere poſſit, aliquando hoc ſuadebit, vt iſtiuſmodi pondus ipſe ſuſcipiat, ac ſuſtineat, ad Epiſcopum adibit, cuius facultate illud ſubeat, ac gerat.

Adhibere autem ſecum ſemper ſtudebit pios aliquot parochialis viciniæ homines, aut cõfratres charitatis, quos tum adiutores, tum etiam teſtes fidelis diſpenſationis habebit.

Hoc etiam ipſum, & præfectus regionarius, & Vicarius foraneus exequi, præſtareque curabunt.

Vt omnis eleemoſyna, quæcunque ſit quæ colligetur, quibus oportet, recteque diſtribuatur, nec verò impudenter vſurpetur, atque abſorbeatur ab ijs, qui aliunde cum habeant, vnde viuant, iniqua illa vſurpatione exitium animæ ſuæ pariunt, & vitæ periculum illis præbent, qui ſumma rerum omnium anguſtia premuntur; ideò regionarius præfectus, Vicarius foraneus, viſitator Epiſcopalis, & parochus in primis omni opportuna ratione, vbicunque ſunt, qui peſtis, ſuſpicioniſve cauſa domi incluſi, aut etiam inopiæ nomine illam etiam pro foribus, aut de feneſtris efflagitant, iſtos, & aliquando populum vniuerſum, prout occaſio tulerit, id grauiter monebit, docebitque peccati mortalis vinculo irretitos teneri, ſi qui ſunt, qui conſequendæ eleemoſynæ cauſam aliquam prętexunt, & aſſimulant, atque adeo, ſi quam eo nomine, & cauſæ ſimulatione conſequuntur, planè reſtituere debent.

Quamobrem grauiſſimè peccabunt, quicunque eleemoſynam capient, illis egentibus hominibus ſolum cõſtitutam, qui aliunde certo reclusionis, aliove præſtituto tempore nõ habent, vnde victum ſibi parent; ſi re vera ipſi in eo paupertatis ſtatu non ſunt: nec verò eam eleemoſynam ſine conſcientiæ offenſione, & labe retinere vllo modo poterũt, præſertim, ſi ipſius eleemoſynæ curatores aliqua ſignificatione, rationeve præcauerint, ſe conſtituiſſe ijs tantum, qui ea inopia, paupertave premuntur illam diſtribuere.

Curæ præſtandæ, & exercendæ pietatis in locis publicæ curationis, ac domibus excluſis.

IN omni triuio crux loco decenti erigetur, ad quam orantes, & precantes ſpectent.

Ibidem, ad Epiſcopi præſcriptum, altaria extruantur, in quibus Miſſæ ſacrificium offeratur; ita vt qui ſacerdos, etiam regularis in illis obtulerit, celebraueritue Epiſcopi iuſſu, ſatisfeciſſe cenſeatur muneri, quo adſtrictus eſt, celebrandi in alio cuiuſuis eccleſiæ altari.

In cappella domus hoſpitalis, locive publicæ curationis perpetuo ſanctiſſimum ſacramentum aſſeruetur, cui lampas accenſa præluceat.

In qua cappella ſacerdos, qui ſpirituali curationi præeſt, aliquãdo orationem ſine intermiſſione inſtituet, religioſeq; atque ordine haberi ſtudebit.

Vbi ob peſtilentiæ propagationem, obitumve, vel ægritudinem ſacerdotum, deſunt, qui ſpiritualem peſte languentium, vel ſuſpectorum curam ſuſtineant, gerantve, vt quam diligentiſſimè conquirantur, vicarius foraneus in diœceſi epiſcopum certiorem celerrimè, & ſæpiſſimè faciet, præfectus in ciuitate: interea vero eorum curam parochis, alijſve ſacerdotibus probatis, qui proximè habitant, magnopere cõmendabit.

Idem officium prę̃ſtabunt, ſi quando ob ſuſpicionem peſtis in parocho, vel etiam infectionem inciderit, vt ſcilicet alium ſacerdotem in eius locum ſubſtituat, qui parochialis curæ partes neceſſario tempore exequatur, quas ille per ſuſpicionem ijs, qui ſuſpicione carent, præſtare minus poteſt.

Cum nemo ſacerdos eſt, qui publici tuguriorum loci curationem gerat: hoc ſaltem curabitur, vt die feſto, & in he domada etiam certis alijs diebus eò loci, aliquis ſacerdos e cleſiæ, aut viciniæ parochialis Miſſæ ſacrificium in orator ob eam cauſam extra tuguriorum ſepta extructo offerat. verò ne id quidem fieri poteſt, quoniam nemo alius ſacerd eſt, niſi vnus tantùm parochus, hic ipſe aliquando per hebd madam eò ſe conferet ad Miſſæ ſacrum celebrandum.

Vbi in eo tuguriorum loco ſacerdotes plures ſunt, tum curabunt, vt omnes quicumque ibi ſunt, Miſſam ſpectent, a diantve; tum ipſi ob eam cauſam inter ſe rationem inibun vt cum præſertim vna tantum cappella ſit, alius benè man alius paulò tardius Miſſam celebret; aut certa alia hora con modiore id quiſque præſtet.

Præcipuè parochus hoc valde curabit, vt ſi quando vel v niuerſi ciues, vel aliqua vicinia, familiave parochialis dom egredi prohibentur; omnes, & ſinguli, antequam ſe in ſu quiſque domicilijs per illud dierum ſpatium includant, pec cata confeſſi, ſacram communionem ſumãt. Si verò præ tem poris exiguitate id tunc non præſtabunt, præſtent ſaltem e ipſo ineunte tempore, & deinceps præterea ſingulis hebdo madis, aut quinto quoque die, prout ſe illis per alias occupa tiones poſſe ſacramenta miniſtrare viderit.

At pro curæ ſuæ ratione, quæ ad ægrorũ ſalutem ſpiritua lia adiumenta ſpectant, hæc omnibus alijs anteponet.

Certam aliquam chriſtianæ vitæ normam eo tempore, c populus intra domeſticos parietes aliquandiu ſe continet paſtoralibus litteris Epiſcopus commonſtrabit, vt quotidia nas habeat pietatis chriſtianæ exercitationes, quibus perpe tuum curſum teneat in via ſalutis.

Pietatis autẽ ea officia proponet patribus familias, vt no ſolum mane, ſed veſperi, & meridie, ſinguliſque horis, ac me mentis habeant ſpirituales exercitationes, in quibus omnis fa milia piè verſetur.

Quamobrem, præter cætera, libros in ſingulas familias in troducendos curabit, non ſolùm eos, quos ſupra commemo rauimus, ſed ſacrorum bibliorum partẽ aliquam, vtpote hi ſtoriam Iob, libros Tobiæ, epiſtolam S. Iacobi, & volumen pręterea de vitis ſanctorum: è quibus ſeliget pręſertim vitam S. Sebaſtiani, S. Gregorij Magni, S. Rochi, S. Macharij, S. Eu tychij, Patriarchæ Conſtantinopolitani, S. Nicolai Epiſcopi S. Bernardini Senenſis, qui omnes peſtilentiæ documenta, & exempla præbuerunt ſanctiſſimarum virtutum.

Ad alias religioſas orationes introducet certos pſalmos, & hos potiſſimum, nempè pſalmum ſextum, decimum ſextum, vigeſimum quartum, trigeſimum primum, trigeſimum ſeptimum, quinquageſimum, ſeptuageſimum octauum, centeſimum primum, centeſimum item, & vigeſimum nonum.

Stata præterea illa oratio parochi, & ſacerdotis, quę in ſingulos dies ſepties certis horis adhibebitur, etiam à cuſtodibus, & miniſtris inſtituetur in omnibus tuguriorum ſeptis, hoſpitalibus ædibus, ſingulis familiæ incluſæ domicilijs, omni loco, & publicè, & priuatim.

Quæ oratio vt rectè religioſeque peragatur, curãdum eſt diligenter ad Epiſcopi præſcriptum.

Itaque orationis huius ſignum in vniuerſi, vel partis reclusione, dabitur campanis primariæ eccleſiæ, collegiatarum item, tam regularium, quàm ſæcularium, ſi quæ ibi ſunt, dabitur. Itidem in eccleſia parochiali fiet, cuius viciniæ homines, familiæve aliquæ, contagionis nomine ſuſpectæ, domi ſe continent.

Itidem fiet percuſſione paruulæ campanæ hoſpitalis, aut alterius loci curationis publicæ.

Signi ratio hæc ſeruabitur, vt diſtincto certo temporis ſpatio, nempè ſecunda quaque hora, aut longiori, breuiorive interuallo, prout dies contractiores, vel longiores ſunt, ſepties in die campana pulſetur.

Initio orationis ſignificandæ percuſſio campanarum fiet, vt de more fit, cum ſalutationis Angelicæ, quæ Aue Maria dicitur, ſignum datur; poſteà continenter per horæ quadrantẽ, certis campanæ ictibus, breui interuallo diſtinctis, eiuſdem ſignificatio fiet, quæ ſono terminabitur, vt oratio veſpertina ſolet. Dum vero campanis pulſatur, litaniæ, ſupplicationesve ad Epiſcopi præſcriptum concionentur, recitabunturve, ita vt, vel à feneſtris, foribusve ædium ab vna parte ſint, qui illas præcinant, & viciſſim ab altera, qui religioſè ſuccinant, & re-

ſpondeant. Quod ſicubi ita præſtari non poteſt, intus in ædibus ipſis, loco omnium communi, aut vbi optimè poteſt, ſtatis illis ſignificationis horis præſtabitur.

Quam ob cauſam in vnaquaque vicinia, vbi hæc precatio horaria celebrabitur, vnus, pluresve eccleſiaſtici homines, aut ſi tales non adſunt, alij pij viri, orationis vſu inſtructi, ad feneſtram, foresve ædium adhibebuntur, qui ſtata quaque hora, qua ſignificatio fiet, orationis huius inſtitutum, atque vſum rectè, riteque moderentur, & dirigant, & eius ſtudium in horas fere ſingulas ardentiùs excitabunt.

Curabit præterea parochus, vt diebus ſaltem feſtis, vbi ſunt, qui bene norint, de beata Maria Virgine officium precum horarium ſtatis illis ſeptem horis diſtinctè recitent.

Sæpe euulgabit, atque dicet, quo fidelium mentes ad huius precationis vſum, ſtudiumque inflammet, indulgentias eo nomine conceſſas.

Ac præterea quidem, vnicuiq; parocho, & ſacerdoti, breuium illorum librorum, quibus Epiſcopi iuſſu certæ preces, & litaniæ, eius orationis cauſa editæ continentur, copia fiet, & gratis aliquo modo ſuppeditabitur, vt parochialibus ſuis, & alijs, prout vſu venerit, rectè diſtribuat.

His, atque adeò alijs omnibus pietatis exercitationibus parochus, alijve ſacerdotes, curationi ſpirituali præfecti, homines, ſibi commiſſos, tempus in domibus occluſis, alijsque locis tuguriorum ſalutariter, & religioſe conſumere ſtudebūt quàm diligentiſſimè, vt ne otio tabeſcentes procliuius prolabantur ad Dei offenſiones, & ad turpia flagitia.

Cura diſciplinæ morum in eiſdem locis.

PArochus, animarumque curator, & alij item ſacerdotes, curæ ſpirituali in locis præfecti, vbi infecti, ſuſpectiuè morantur, charitate paterna, & diligenti ſtudio videbunt vitam, mores, pietatem, & religionem non modò eorum, qui peſtis morbo ſuſpecti, in hoſpitalibus publicis domicilijs, aut intra tuguriorum ſepta ſibi commiſſa, habitant, & illorū, qui præſertim recluſi, intra parochiæ ſuæ fines, in priuatis domicilijs manent ſe monattorum, & famulorum, & miniſtrorū, quicumque illis operam nauant, & eorum prætereà, qui in illorum cuſtodia collocati ſunt.

Mulierum pudicitiæ, & adoleſcentum honeſtati proſpicient, qui intra ea ſepta, hoſpitalesve domos, aut domicilia priuata incluſi, degunt.

Præcipuam autem curam ſuſcipient, & ſuſtinebunt puellarum, virginum, & fœminarum, quæ vel parentibus, vel cōiugibus mortuis, diſcrimini, & periculo pudoris, ac pudicitiæ magis obnoxiæ, atque expoſitæ ſunt.

Eas ſenioribus fœminis, & ſpectata honeſtate, pietatisque ſtudio inſignibus, quæ in illis locis morantur, diligentiſſimè committent, quaſique in manum tradent, & commendabunt omni charitatis officio.

Pupillorum item, præſertim infantum curam gerent, eāque potiſſimum rationem habebunt, vt certo loco ſeparato, dum in publicæ curationis domicilijs, locisve ſunt, pie, recteque educentur.

Cura eorundem erit, hæc etiam, vt, quoad eius fieri poteſt, à fœminis mares vbique ſeparatim degant, præterquam, ſi qui ſunt eiuſdem familiæ.

Curabunt præterea, vt non ſolùm euitandæ contagionis, è honeſtatis in primis tuendæ cauſa, qui in vno cubiculo, tuguriolove degunt, nullum ſuſpectum commertium, conſuetudinemve habeant cum alijs, qui vel ſunt diuerſæ familiæ, vel in alio diuerſo tugurio, cubiculove manent.

Sæpe fit, vt in ijs curationis publicæ locis non modò palàm, ſed occultè futuri matrimonij ſponſiones fiant: ideò Epiſcopus curabit, vt qui in illis locis, aut paulò poſtquàm inde egreſſi ſunt, matrimonium conficere volunt, illius ſtatæ denunciationes cùm in eccleſia parochiali, tum eò etiam loci, vbi incluſi peſtis cauſa ſunt, aut ad paulò ante fuerunt.

Ne quid verò de matrimonio contra agatur, quam Tridentina ſanctione præſcriptum eſt, ideò quàm ſæpiſſimè illa in locis publicæ curationis promulgetur, atque exponatur.

Ne prætereа puellæ in fraudem inducantur, omnis alia diligens ratio per parochum, ſacerdotum ve, qui ſpirituali curationi præeſt, adhibebitur.

Vbi aliqua, vel concubinatus, vel vitæ turpis ſuſpicio ſuborietur, aut indicium exiſtet, de hac re omni parochus, ſacerdosve, ſpiritualis curæ præfectus Vicarium foraneū, aut præfectum regionarium, & hi Epiſcopum certiorem ſtatim faciant; vt in tempore, primum re inueſtigata, cùm remediū opportunum, periculo adhibere poſſit, tum flagitioſa vita, omnique vitio diffluens, reprimatur, & coerceatur.

Illæ verò morum corruptelæ, quæ in ijs locis magna cum Dei offenſione vulgo exiſtere ſolent, quales ſint, comeſſationes exhilarationes, cachinnationes, inhoneſtæ congreſſiones, obſcœnæ collocutiones, detractiones, maledicendi vſus, ludificationes, geſticulationes, luſiones, ludi aleatorij, ſaltationes, tripudia, crapulæ, compotationes, congreſſusque illi, tot peccatis coniuncti, omnesq; demum turpes actiones, vt tollantur, radicitusque evtirpentur, ijdem ſacerdotes, & priuatis colloquijs, & concionibus, & ſuaſionibus, & cohortationibus, & omni officij genere agent planè diligenter.

Quod ſi ijs rationibus aſſequi non poterunt, quod ex diſciplinæ chriſtianæ vſu erit, Epiſcopum ipſum adibunt, qui offenſionibus eius generis omni via occurrat.

Quam ob cauſam, quo diligentius ſcilicet idem Epiſcopus nota, atque explorata habeat, quæcunque in ijs locis ad morum emendationem, correctionemque opus erunt; certos etiam aliquos laicos homines, chriſtianæ, ſanctæque diſciplinæ ſtudioſos, non modò in tuguriorum finibus, hoſpitalibusque ædibus publicis, ſed in omni parochia ſecretò conſtituet, qui omnia inhoneſtę, turpisque vitæ pericula, flagitioſas actiones, & corruptam omnem eorum diſciplinam, qui ibi degunt, prudenti exploratione diligenter indagent: quæque in offenſa eſſe viderint, de ijs vel Epiſcopum ipſum, præfectumve regionarium, vel Vicarium foraneum, vel parochum, vel ſacerdotem etiam curatorem ſæpiſſimè, atq; adeò quotidiè, ſi opus erit, certiorem facient.

Quæ diſciplinæ ratio parocho, & ſacerdotibus curationis publicæ tenenda ſit.

PArochus, & ſacerdotes curationis publicæ cum diligentē in alijs morum ſpeculationem, curam, exercitationemq; pietatis adhibuerint; hoc etiam maximè ſtudebunt, vt ipſi piè, ſanctèque viuendi ſtudio, omnique religionis officio, atque omni documento, & exemplo cæteris omnibus præluceant, ac ſumma quidem cautione in eo vtantur, vt non modò quicquam non offendant, peccent ve, ſed ab omni peccati ſuſpicione planè liberi ſint.

Omni igitur intima, & externa pietate in illis publicæ curationis loci ſeruient Dei gloriæ, cuius religioſus cultus perpetuò ob eorum oculos verſari debet.

Studio charitatis, quæ in eorum animis fixa ſemper inhæreat, agent omnia.

Quo ſtudio ducti, & curæ ſuſceptæ officio commoti, longè ab ijs actionibus refugient, quæ offenſionem, aut mali ſuſpicionem parient.

Cauebunt, ne eos, qui peſte, ſuſpicioneve laborant, ad teſtamenti factionem, aut ad aliud vltimæ voluntatis genus, ne agnatis quidem illorum flagitantibus, vllo modo inducant, atque impellant: niſi aliquādo vel chriſtiana charitas, vel propinquorum ſtatus, cōmiſeratione dignus, aliter ſuaſerit; tuncque ſi temporis ſpatium datur, rem ipſam, vt eſt, eum Epiſcopo, aut præfecto regionario, aut Vicario ſuo foraneo communicabunt.

A teſtamenti, codicillorum, donationis, & alterius id generis vltimæ voluntatis conſcriptione abſtinebunt, niſi vrgens neceſſitas aliter depoſcat, cum alij ſcilicet æquè idonei non ſint, neque aliunde acciri poſſint, qui conſcribant: tuncque vt auaritiæ, & ſordidi quæſtus ſuſpicioni occurratur, teſtes, quoad eius fieri poteſt, auctoritate, & vitæ moribus inſignes adhibebunt.

Idem præſtabunt, ſi quando illorum pecuniam, ſuppellectilemve aſſeruandi, aut in aliquem vſum erogandi, curam ſuſcipient.

Specula-

Speculatio in miniſtris publicæ curationis adhibenda.

PArochus, & ſacerdos, qui in hoſpitalibus, publicis ædibus, locisve tuguriorum ſpiritualem curam gerit, hæc diligenti ſpeculatione videbit.

Primò, vt eorum locorum præfecti, curatores, cęterique omnes, qui vel operam vel officium, vel famulatum in illorum hominum curam, ſubleuationemque conferunt, ne quid negligant, prætermittant, deſerantve, quod ad operæ, curæ, officij, miniſterijve ſuſpecti partes attinet.

Vt ne quid præterea committant, quod illis fraudi, & detrimento ſit: quodque pia ſollicitudine, & ſincera cura, quam nauare debent, indignum exiſtat.

Quare ipſe parochus, ſacerdosve præcipua capita, mox infra demonſtrata, in primis animaduertet, in quibus ſcilicet frequentes eorum offenſiones eſſe ſolent.

Vt potiſſimum illi ipſi, quicumque ſint, charitatis ſtudio, non negligenti opera, non langueſcenti miniſterio, nec verò immodeſtè, non petulanter, non proterue, non contumaciter exequantur debiti officij partes.

Vt mulieris morboſæ, ſuſpectæve corpus, aut cadauer dumtaxat inſpiciatur, cum neceſſe maximè eſt. Et verò inſpectioni neceſſarij ſolū miniſtri interſint, vtpotè medicus, chyrurgus, mulier aliqua, & alius prætereà nemo.

Vt inſpiciendis item marium corporibus miniſtri tantùm adhibeantur, qui videlicet neceſſarij ſunt.

Videbit item parochus, ſacerdosve, vt præfecti, veſpillones, viciniæ curatores, quos antianos dicunt, alijque miniſtri, nihil omninò pecuniæ, muneris, donique extorqueant, cum vel domicilia clauduntur, vel aperiuntur, vel alia quauis occaſione, modove.

Vt ne pecunia, resque aliqua, aut ſuppellex peſte languentium, vel ſuſpectorum, vel mortuorū diripiatur, diſſipeturve vnquam, & maximè cum vel domo educuntur, vel moriuntur, vel in ſepulturam traduntur, vel eorum domicilia purgantur, aut eorum ſuppellex ad loca purgationis exportatur.

Vt qui ad loca publicæ curationis perducuntur, vehunturve, non veſperi, aut ſub noctem, ſed bene mane, ſi fieri poteſt, perducantur, aſportenturve, quo ſacerdotibus, qui in ijs curationis locis reſident, temporis ſpatium detur audiendi eorum confeſſiones, & alia, quæ domi non ſuſceperant, ſpiritualia adiumenta miniſtrandi, antequam nox aduenıet, in qua vt pleriſque accidit, morte eripiantur.

Vt ne eodem curru, vehiculove mortui ſimul, & viui, aut morbo tabeſcentes vna cum his, qui ſolū ſuſpecti ſunt, aſportentur, ſi modò tamen ſuſpecti non illi quidem ſunt, qui ſua ſponte morbo affectis operam, curam, & ſtudium nauent.

Vt hæc ipſa cautio, diligenſque diſtinctio in exportanda, importandave ſuppellectile adhibeatur, vt illa ſcilicet, quæ peſte langueſcentis eſt, diſtincto curru, ac ſeparatim vehatur, ab ea, quæ ſuſpecti hominis eſt.

Ideoque curandum erit, vt vehicula plura, quæ ad eum diſtinctionis vſum ſatis ſint, in tempore apparentur.

Vt ijs, qui ad loca publicæ curationis, domo abducuntur, temporis ſpatium detur colligendi pecuniam ſuam, ſuppellectilem diſponendi, conſtituendique cæteras res domeſticas; ita tamen, vt ne diuturnior mora fraudi ſit, & detrimento valetudini publicæ.

Vt ſpatium etiam detur colligendi ſarcinulas, & aduehendi ſecum lectum, culcitras ſtramentitias, lodices, linteamina, tegetes, floreasve veſtes, & alia id generis vſui neceſſaria. Sin autem ab initio tempus non habuerunt, detur poſteà, adhibita cuſtodia, vt moris, & cautione.

Vt euitandæ contagionis cauſa, tuguria morbo languentium, aliquo interiecto ſepimento, verè ab illis ſeiuncta ſint, quę ſuſpecti habitant. Eadem cautio adhibeatur tuguriorum, vbi ſunt minus ſuſpecti, vt ſeparētur ab ijs, qui grauiſſimè ſuſpecti ſunt. Itidem de conualeſcentibus.

Vt ordine deſcribantur certo libro quicumque ad loca publicæ curationis abducuntur.

Quæ deſcriptionis ratio vniuſcuiuſque tugurij, cellulæve numero reſpondeat, vt ſinguli à parocho, ſacerdoteve conſtituto, medico, chyrurgo, cæteriſq; miniſtris, facilè, diſtin inueniantur.

Vt ob eam ipſam cauſam; quoties quis recens ad loca cu tionis venit, aut inde abit, aut de vno in alterum commigr id omne eiſdē miniſtris ſignificetur, & ſacerdoti præſerti vt miniſterij ſui partes ei præſtet.

Vt in vniuſcuiuſque tugurio, cubiculove ad lectum ſte nendum, quoad eius fieri poteſt, ſatis paleæ ſit, culcitra ite ſtramentitia, & cento, lodixue.

Vt quibus vel ex morbo laborantibus, vel ſuſpectis, lecti ſtramentis laneis, aliaque ſupellectile apparari, & ſterni d bet, ij, pro ratione, ſtatuque perſonarum, illud ipſum con modum conſequantur, & miniſtri item publice ad locum c rationis conſtituti.

Vt ijſdem miniſtris, alijſque rectè valentibus victus cert ratione ſuppeditentur, qui ſatis ſit.

Vt ægrotis item ſtata hora ſubminiſtretur, quibus etia ratio adhibeatur cibi, qualis ſit, & quantus, & quo item mod præbeatur.

Vt medicinæ, medicamentave in tempore certiſq; præ ſcriptis horis, & ordine apparentur, conficiantur, & prębean tur.

Vt & veſtes, & ſupellex, & tuguria, cubiculave, quę ex aſſeri bus constructa ſunt, vbi peſte infecti, ſuſpective manſerunt aut mortui ſunt, prout opportunitas tulerit, diligenter pur gentur. Illa verò tuguriola ex paleis inflammentur. Nec verò vſui ſint alijs, qui ſolum ſuſpecti ſunt.

Vt ea ipſa tuguriola, cum opus eſt, palea recēti, cùm intrinſecus optime circumueſtiantur, tum extrinſecus recte vndiq; obtegantur, vt ne quando pluuia influat.

Vt mortuis efferendis, & ſepeliendis nihil contra agatur, fiatve, quam de efferendi, ſepeliendive modo, & de loco, vbi ſepeliendi ſunt Epiſcopus ſtatuerit.

Vt verò hæc omnia in executionis vſum recte inducatur; parochus, omniſque alius ſacerdos, quicumque intra tuguriorum ſepta curam gerit, præfectus regionarius, & Vicarius foraneus, vt diligentiſſimè poterunt, curabunt, crebris cohortationibus, aſſiduiſque admonitionibus, omni charitate plenis, atque adeo, vbi opus eſt, repręhenſionibus. Et omni præterea paterno officio cum illis aget, ad quos ſumma curationis ſpectat, vt ordine, & quàm rectiſſimè cuncta gerantur. Quòd ſi ne his quidem officijs, quicquam adiumenti ad rem optime adminiſtrandam non afferent; perfugium, vt primū poſſunt, ad Epiſcopum habebunt, cuius conſilio, ſtudio, ope, & auctoritate, etiam apud magiſtratum, vt opus erit, ſi quæ perperam aguntur, ad rectam normam redigantur.

Viſitationis officium multiplex.

EA omnia, quæ paulo ante, & mox infra demonſtrantur, vel ad cautiones, vel ad curas, vel ad pietatis exercitationes, vel ad hominū mores, vel ad ſacerdotum in primis vitę honeſtatem, & diſciplinam pertinent, vt rectam omnem executionem habeant; hoc præfecti regionarij, aut Vicarij foranei, alijque Epiſcopales viſitatores videbunt, curabuntq; diligentiſſimè.

Quare loca publicæ cautionis frequenter, vel quotidie potius, cum opus erit, viſitabunt, cunctaque perſpicient, atq; explorabunt, tum quę ad peſte languentium, ſuſpectorū, aut animæ ſalutem, aut corporis curationem ſpectant, tum etiam quæ de eo genere omni ſpeciatim, vniuerſeque conſcripta ſunt.

Ac ſi quid vel deeſſe, vel in aliqua re peccari, offendive viderint, ad ipſum Epiſcopum referent: qui de omni cautione, cura piaque exercitatione, & diſciplina ſollicitus, in omni executione, vt opus erit, ſtudioſe euigilabit.

Epiſcopus verò frequens in eo erit, vt vniuerſos, & ferè ſingulos, peſte vel infectos, vel ſuſpectos inuiſat; paterna charitate conſoletur: epiſcopali liberalitate, & eleemoſyna, quā manu ſua præbebit, ſubleuet, ſi quos, inopia laborantes, viderit: documenta opportuna det, atque accommodata ad ſanctè, & cum Dei voluntate congruenter vitam agendam, mortemque fortiter, chriſtianoque more in Domino obeundam.

Crebrò item familias, quæ domi ob ſuſpicionem ſe continent,

nent, breui ſermone alloquetur, & oſtendet in primis, quæ nicuique agenda ſint, quæ rurſus fugienda.

Sæpe præterea in diœceſis loca infecta, ſuſpectaue, excurt, cunctaque oculis, paterna charitate incenſus, luſtrabit, vt, opulo ſuo afflicto, perculſo, & penè proſtrato, conſolationes emedia, ſubſidia, & alia Epiſcopalis dilectionis officia adhieat, & præſtet.

Non viſitatores ſolùm, ſed alios etiam ſæpè mittet, qui hęc adem officia præſtent.

Præfectorum, curatorum & miniſtrorum publicæ curationis operam, ſtudiumque excitabit.

Si quos negligentes, & delinquentes in officio comperit, cum ijs non modò cohortatione, monitione, ſed aliquando etiam ſeueriore obiurgationis acerbitate, aget: vt ſui quique muneris partes rectè, diligenter, & ſalutariter exequantur.

Si verò aliquando monitos obſtinatè operam dare cognouerit, vt contumaciter, maleque agant; vt iſti ab officio ſuſcepto amoueantur, curabit atque efficiet.

Monattorum vitia, quæ in eo genere hominum grauiſſima ineſſe ſolent, increpabit acerrimè. Sique hac via non ſuccedet, vt in officio rectè agendi ſe contineant, illam aggredietur, vt magiſtratus pœnas repoſcant flagitiorum, quæ admiſerint.

Et quoniam per Epiſcopales occupationes omnibus locis præſens adeſſe non poteſt, eam etiam rationem aliquando inibit, vt ad populos litteras paſtorales ſcribat, quibus illos conſoletur, confirmet, & excitet ad optima quæque, prout occaſio tulerit.

Cura ſpiritualis ſigillatim vnicuique peſte affecto, vel ſuſpecto, à ſacerdote adhibenda.

VBi primùm parochus, aliusve certus ſacerdos conſtitutus, aliquem, curæ ſuæ commiſſum, peſtilentiæ morbo laborare certior factus eſt, eum, vt celerrimè poteſt, paterna charitate inuiſet, atque in primis diligentiſſimè pœnitentiæ Sacramentum miniſtrabit, & alia deinceps omnia adiumenta ſpiritualia ad animæ ſalutem.

Quamobrem diligenter planè cauebit, vt ne, cum morbi, ex quo aliquis laborat, vis, ſuſpicionem peſtilentiæ præbeat, falſa inanique ſpe ductus, eum diutius in vita permanſurum, id culpæ contrahat, vt abſque Sacramentis ille diſcedat. Itaq; hoc præſertim nullo modo prætermittet, quin pœnitentiæ Sacramentum, mora non interpoſita, miniſtret.

Sacram autem Euchariſtiam, niſi ob vomitum, aliudve impedimentum neceſſe eſt, aliquid moræ interponi, quàm primùm pro viatico ægrotanti, etiam ſi cibum ſumpſerit, omnino miniſtrabit: niſi manifeſto apparet, illum à morbo conualeſcere: peſtilentia enim ægrotans in eo ſtatu verſatur, vt timendum ſit, ne, vel ad punctum temporis, mortem obeat.

Quare extremæ etiam vnctionis Sacramentum, ſine cunctatione, moraque ei miniſtrare poterit.

In Sacramento pœnitentiæ miniſtrando videbit, vt facultate, vel Epiſcopali, vel etiam Pontificia, qua etiam à criminibus illis, quæ Apoſtolicis litteris, die cęnæ Domini editis, continentur, abſolui permiſſum erit, prudentiſſime, atque ſalutariter vtatur.

Denique ægrotanti omnia illa charitatis miniſteria, & officia præſtabit, quæ in extremo vitæ ſpiritu, alijs, curæ ſuæ cõmiſſis, præſtare alias debet.

At verò prætereà dum æger aliquo ſenſu viget, earũ Pontificalium litterarum auctoritate, indulgentiam ei concedet, Epiſcopique nomine benedictionem impertiet.

Conſolationes proponet, quibus illum ad benè, ſanctéq; in Domino moriendum excitet.

Vbi illum obijſſe audierit, eius animæ auxilum feret orationibus, precibus, & in primis ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio.

Eam ipſam diligentiam, quam peſte laboranti adhibẽdam eſſe, paulò ante demonſtratum eſt, idem parochus, & ſacerdos in ſpirituale adiumentum illius conferet, qui ex morbi ſolum ſuſpicione laborat.

Sed, quod ad ſanctiſſimæ communionis miniſtrationem pertinet, dum ille in ſuſpicione tantum eſt, ſemel ab initio eã, non pro viatico tamen miniſtrabit, & deinceps aliquoties etiam, atque adeò ſæpius, aut rarius, prò pietatis ſtudio, quo ille tenetur, proque curæ occupationibus, quibus ipſe parochus, vel ſacerdos diſtinetur.

Et verò, quamuis paucis ante diebus ſacram ei cõmunionem præbuerit, cum tamen indicium eiuſmodi erit, ex quo perſpicuè manifeſtum ſit, atque adeò certum, peſtifera labe illum infectum eſſe, ſanctiſſimum viaticum, etiam poſteaquã cibum ægrotans ceperit, ſine mora, pro illius præparatione, & ſtatu miniſtrabit.

Quod ſanè omne vt diligentiſſimè præſtetur, videbit Epiſcopus omni accurata exploratione, & ratione, quam à pręfectis regionarijs, & Vicarijs foraneis adhiberi mandabit. Mox item extremæ vnctionis Sacramentum miniſtrare poterit, vt paulò ante narratum eſt.

Cura omnis homini eccleſiaſtico, peſte laboranti, vel ſuſpecto, adhibenda.

CLericalis ordinis homo, cum in peſtem, eiuſve ſuſpicionem inciderit, illius maximè præcipuam ſingularemq; curam parochus, aliuſque ſacerdos, qui in publicæ curationis loco Sacramentis adminiſtrandis præfectus erit, ſuſcipiet, atque geret, ita confeſtim, atque adeò in primis ad ſpiritualia auxilia, remediaque confugiens, vt documento, atque exemplo ſuo pietatem laicorum accendat, quo in genere ei proptereà nullo ſane loco deerit. Quæ verò ad corporis vſum neceſſaria ſunt, ea, qua via, & ratione ſupra demonſtratum eſt, ſatis, abundeque eidem ſubminiſtrabuntur. Itaque idem parochus, cum opus eſt, id præcipue ſtudebit, vt cum ipſe ad illius vſum eleemoſynæ aliquid conferat, tum charitatis ſubſidia ab hominibus tam eccleſiaſticis, quam laicis conquirat ſtudioſe, ac prætereà, ſi neceſſitas vrget, ab Epiſcopo item.

De hominis eccleſiaſtici peſtilentia, aut ſuſpicione parochus vrbis præfectum regionarium, eumve, cui tale munus Epiſcopus commiſerit, diœceſanus parochus Vicarium foraneum, vt celerrime poteſt, & quàm diligentiſſime certiorẽ faciet, & verò Epiſcopum vterque, vt & hic, & eorum vnuſquiſque illa prætereà opera, atque officia præſtare, aliaq; ſtudia ad illius auxilium conferre poſſit, quæ illa temporũ ratio ſuadet, atque depoſcit.

Parochus, ſacerdoſve, qui ſpiritualem curam intra loci publicæ curationis ſepta adminiſtrat, ſi morbo inficitur, aut aliquam eius ſuſpicionem præbet; ei ſocius, ſi quem in cura parochiali habet, omnia ſacerdotalia miniſteria, & officia præſtabit, ordine, qui mox ſupra expoſitus eſt de cura ſpirituali, vnicuique adhibenda. Si verò plures ſacerdotes eorum ſeptorum curatores ſunt, qui ſuſceptæ curæ munere prior eſt, ea præſtabit, niſi inter illos aliter conuenerit. Vbi autem ſocius nemo eſt, aut alius, in partem illius curæ euocatus, ijs plane officijs, curandum erit, vt parochus, qui proximus eſt, ſatisfaciat.

Verumtamen ex peſte laboranti parocho, nec curæ ſociũ habenti, Sacramenta, præſertim ſanctiſſimam Euchariſtiam, & extremam vnctionẽ, ſi ille in diœceſi eſt, ab eius Præpoſito, aliove, qui plebis totius curæ præeſt, ſi in ciuitate, ab Archipresbytero cathedralis eccleſiæ, vel etiam ab ipſo Epiſcopo, aliove ſacerdote, quem ſibi adiutorem eo tempore Epiſcopus aſciuerit, vbi nullum in mora periculum ſubſit, miniſtrari, cum proprium valde eſt, & cum charitatis fraternæ officio maximè coniunctum, tum etiam ad parochi langueſcentis conſolationem longè accommodatiſſimum. Quod vt in morem, vſumque inducatur, & planè præſtetur, hoc Epiſcopus ſuo in primis exemplo ſtudebit.

Eccleſiaſticus homo, morbo affectus, aut ſuſpectus, vt ad loca publicæ curationis perducatur, aſportetur ve, hoc maximè ſtudeat is, cui Epiſcopus id curæ dederit, ſi modò curæ, quam gerit, aut officij, cui præeſt, ratio, vel ætas eius ingraueſcens, vel alia eius generis cauſa aliter non poſtulet: nam ijs locis, longè melius, quàm domi ſuæ ſubminiſtrabuntur, quæcumque tum ad animæ ſalutem, tum ad corporis curationem neceſſaria ſunt.

Atqui illius perducẽdi, aſportãdive ea ratio adhibeatur,

quæ

quæ eius ſtatui, & ordinis eccleſiaſtici dignitati conueniens eſt.

Vt ne ſimul cum alijs, vt vulgo fit, & tamquam vnus de populo, ſed ſolus, & vt is, cui præ ordinis dignitate honor deferendus eſt, perducatur.

Vt ne vehiculo, curruve communi aſportetur.

Tugurium habeat, quamuis intra aliorum ſepta collocatum, quò commodius, & medici, & medicamentorum copiã, aliorumq; miniſtrorum operam habeat, at à reliquis tamen opere diſtinctum, & longius aliquanto ſeparatum.

Diligentius inſtructum ſit ſtoreis, tegetibusve, ſtramentis, lecto, culcitris ſtramentitijs, culcitris laneis, ceruicalibus, linteaminibus, & omni alia neceſſaria ſuppellectile.

Is propè habeat famulum, aliumve pium hominem, qui operam ei nauet in rebus, corporis vſui neceſſarijs.

Ex Miniſtris, qui extra ſepta famulatũ, operamve præbẽt, vnum aliquem habeat, qui præcipuè ei victum, medicamenta, & alias res neceſſarias opportune extrinſecus apparet.

Eius cura ſaltem alicui medico, & chyrurgo, alijve curatori, aut miniſtro commendetur diligenter, ac ſigillatim.

Sæpius & ab Epiſcopo ipſo, & à parocho, & à præfecto, ſeu Vicario foraneo, & alijs Epiſcopi nomine viſitetur.

Si aliquando acciderit, Epiſcopum peſtis nomine ſuſpectum fieri, domi ſe continebit, quamdiu expedire cenſuerit. Dum autem ſe domi continet, ſi pro ſuæ ſpeculationis munere, tempore tam neceſſario, ſibi aliquid oculis perluſtrandum ſit, vt opportunius proſpiciat, & conſulat, in vrbe, diœceſive, foras prodibit, vt opus erit.

De familia autem ſua ſi quis in peſtis ſuſpicionem inciderit, eum ſeruare iubebit, quæ de parocho, parochiq́ue familia demonſtrata ſunt.

Sin autem peſtilentia afficietur, de eius periculo per capitulum, vel duos priores de capitulo certior ſtatim fiet Epiſcopus, qui propius abeſt, & Metropolitanus item. Cuius erit, fratrem Epiſcopum, ita laborantem, omni ſollicitudine, & charitatis officio conſolari: eiq́ue ſalutaria adiumenta, vt accuratiſſimè poterit, adhibere.

At ne Epiſcopus, ſi forte in peſtilentiam inciderit, vlla ope ſpirituali in primis deſtituatur, id ſibi ſubſidij comparabit, anteaquàm peſtis in diœceſim irrumpat, vt certos ſibi ſacerdotes, charitatis zelo flagrantes, ſpiritualisq́ue vitæ vſu peritos, præſertim ex capitulo, conquirat, & paret, qui laboranti ex peſte Epiſcopo, cõſtanter miniſtrent, quæ ad animæ ſalutem pertinent.

Is verò, dum æger eſt, ſe etiam pijs, cæleſtibusq́ue meditationibus conſolabitur, tum ſpiritualium ſacerdotum aſſiſtẽtium colloquijs, atque etiam, ſi per morbi vim licet, lectione aliqua de ſanctis, vtpote Cypriano martyre, Bernardino Senenſi, & beato Rocho, & alijs, quorum diuinæ virtutes in peſtilentia eluxerunt.

Neque, dum morbo laborat, ex ædibus Epiſcopalibus, ſe alio conferet, ſed in ijs perſiſtet, vt ſi forte obeat, clero, & canonicis, præſertim eccleſiæ cathedralis, id, quod ſanctiſſimi Epiſcopi religioſe fecerunt, tũ reliquis, etiam extremum fere ſpiritum agens, ſalutaria monita tradat, atque in ſtatione ſua Epiſcopali, quemadmodum Epiſcopum decet, ex hac vita migret ad Dominum.

Erit autem Capituli cathedralis eccleſiæ præ omnib. dum ille in peſtis ægritudine eſt, ſupplicationi inſtare, ac prætereà Vicarij generalis, orationem ſine intermiſſione in vrbe, diœceſique indicere, & habere, vt pro eo, communi omnium parente, precatio aſſidua, religioſaq́ue ab vniuerſo clero, populoque habeatur ad Deum.

Cura adhibenda vbi quis conualeſcit à peſte, aut ab eius ſuſpicione liberatur.

IN eam etiam curam totus incumbet parochus, vt omnes, & ſinguli, qui à morbo conualeſcunt, aut à peſtis periculo, ſuſpicioneve liberi euadunt, tunc maximè fixa animi deliberatione, propoſitoque vere nouæ vitæ ſuſcepto, & diligentiſſimè, religioſeq́ue diſcuſſa conſcientia, peccata omnia, quæcunque in anteacta vita admiſerint, probato confeſſario ſacerdoti confiteantur; ſi quando peſtis initio id minus præſtiterint.

Vt ſanctiſſimorum Sacramentorum frequẽtem vſum habeant.

Vt precationis, & orationis aſſiduæ, & frequentis, prætim matutinæ, & veſpertinæ vſum item, & conſuetudinẽ cipiant, aut ſuſceptam retineant perpetuo.

Vt alia chriſtianæ religionis officia, quibus vitæ ſpiritu ſtudium exardeſcit, amplectantur, & colant diligenti exertatione.

Vt ab omni male agendi conſuetudine, ab omniq́ue pcandi occaſione ſe ſe abducant; hominum, qui vitiorum, gitiorumq́ue impuritate inquinati ſunt, commercium, & miliaritatem refugiant; & peccatorum, in quibus antea pra quodam vſu verſati ſunt, ſeminaria præcidere ſtudeant.

Alia præterea grati animi officia illis commonſtrabit, q infra, cum de peſte extincta agitur, vberius explicata ſunt.

Quoniam autem ſæpe fit, vt in ijs puellæ, & virgines, mulieres florenti ætate, parentum, aut aliorum, qui proxi propinqui ſunt, morte, ab omni ope deſtitutę ſint, ac proin periculum ſit, ne ad impudicitiam turpiter prolabantur; id parochus ſi quas in parochiali vicinia habent, aut etiam ex rochia ſua in communis curationis hoſpitali, aliove loco co locatas, illas ſingulas matronæ honeſtæ, illis propinquita aut vicinia coniunctæ, alijve fœminæ lectiſſimæ, quo max mo poteſt, charitatis ſtudio, commẽdet, vt eas, ſi neceſſe e eleemoſynæ etiam largitione ſubleuet; in omnibusq́ue reb cum earum curam illa ſuſcipiat; tum maxime, id quod cap eſt, in timore Dei, ſanctæq́ue vitæ ratione eaſdem inſtitua ac præſertim ab omni labe puras, atque integras conſeruet.

Atque in omni quidem huius cuſtodię, officijve genere i le ipſe parochus curam præcipuam maxime ſuſtinebit. Ideo que vbi primum vel conualuerint, vel à ſuſpicione liberæ runt, illius cura, & ſtudio in monaſterio, locove pio colloc buntur, aut matronæ honeſtæ famulatui addicentur; aut al honeſta cõditione earum neceſſitatibus, ac ſimul pudori pr ſpicietur; & quò rectius, & cautius id omne agatur, ad Epiſc pum etiam, ſi opus erit, confugiet.

Puerorum, & adoleſcentum, qui mortuis parentibus, & propinquis in eodem ſtatu verſantur, & infantum etiam la ctentium, & aliorum præterea, qui ab omni re inopes, alior auxilio deſtituuntur, eamdem ipſam curam, & ſollicitudiner paternam ſuſcipiet, ac ſuſtinebit.

Cura mortuorum.

HAec pro mortuis peſtilenti tempore præſtanda Epiſco pus curabit, eoque vigilantius, quò grauior culpa mul torum in eo charitatis officio aliquando exiſtit.

Si quis igitur peſte affectus, eove nomine ſuſpectus mortem obit, eius corpus ne citius duodecim horis, nec verò tar dius quattuor, & viginti horis, vel eo circiter temporis ſpatio ſepeliatur, poſtquam obijt.

Noctu ne efferatur, niſi Epiſcopi conceſſu ſcripto aliter aliquando iuſtis cauſis permiſſum ſit.

Curru item ne vehatur; niſi præ mortuorum multitudine, aliave cauſa ſecus fiat neceſſe eſt.

Ne humeris vnius tantum, tanquam onus geſtetur, ſuc colleturve; nec vero nudum, nulloq́ue operimento tectum, etiam ſi curru feratur, nec alio modo indecenter, atque inhumane.

Porrò à duobus efferatur decore binis longurijs, aut haſtilibus ſolidis, beneq́ue firmis, quibus feretrum ſuſtineatur, aut ſcala decenti, aliove eius generis opere.

Sit autem incluſum in capſam, vel linteamine recte inuolutum; tum pallio præterea, ad hunc vſum conſtituto, corpora operiantur, etiam quando vehiculo efferuntur.

Ad efferendum veſpillones, qui monatti vulgo dicuntur, adhibebuntur: qui ſi minus publico ſtipendio conducti ſunt, curandum erit, vt corporis, & efferendi, & ſepeliendi curam ſuſcipiant, & gerãt, qui in ea ipſa domo, familiave ſunt, in qua erat, qui peſtis morbo obijt: aut illi, qui vel cognatione, vel amore, & charitate coniunctiores, cum eius, peſtilentiæ contagio laborantis, curam præcipuam habuerint, & ab illius latere non diſceſſerint, mortui etiam funus, & ſepulturam libentius, atque minori periculo curabunt, ac præſtabunt, cum officio charitatis adducti, tum etiam quia nihilominus aliquo

emporis ſpatio ex lege magiſtratus, qui ſanitati præeſt, ſeclu-
i ab aliorum conſuetudine ſint oportet.

Funeris ſtatis precibus, & pſalmorum, aliarumque oratio-
ium officio, vt Eccleſiæ ritus eſt, proſequendi, celebrandive
nunus, ad ſacerdotes, locis illis peſte laborantium conſtitu-
os, pertinebit, ſi qui ſunt: alioquin id officium præſtabit vnà
um clerico proprius mortui parochus.

At vnicuique tamen parocho, animarumve curatori li-
erum, integrumque erit, ſuis impēſis certum alium ſacerdo-
em vna cum clerico conſtituere: qui parochialibus ſuis, pe-
tilentia mortuis, officium funerale præſtet, cum ſcilicet non
in parochiali Eccleſia, ſed in cœmiterijs ſepelientur, quæ pre-
cipuè ad ſepulturam conſtituta ſunt peſtis morbo morien-
tium.

Si mortuus aliquid in bonis reliquit; hæredes omnem &
ceræ, & funeris totius impenſam facere cogantur pro illius,
qui obijt, dignitate, proque cleri, quæ ad funus adhibetur, ra-
tione, ac pro ſepulturæ, quam ſibi in aliqua certa ſede delegit,
modo.

Sin autem vel in ædibus hoſpitalibus, vel in ijs locis tugu-
riorum mortem obijt, in earum ædium, locorumve cœmite-
rio humabitur; cuius funeris, ſepulturæve officium ſacerdo-
tes, & clerici obibunt, qui ibi curam gerunt, vbi ſi complures
non ſunt, is vnus tantum, qui eſt, ad funus ſatis erit. Ceræ por-
rò ſumptus ab hoſpitalibus, eorumve locorum curatoribus
fiet: isque à bonis mortui, ſi quę in illis vel hoſpitalibus domi-
bus, vel tuguriolis relicta ſunt, reſarcietur.

Vbi nulla alia ratio ſumptus ſit pro funere defuncti, ce-
ram in funeris ſumptum conferre, & ſepulturam in cœmite-
rio curare, parochi ſit: vt ceteris parochialibus ſuis, ab omni re
inopibus, qui obeunt, itidem præſtare debent.

Et campanarum ſono, & cruce prælata, & luminibus ac-
cenſis, & cæteris cęrimonijs, ſtatoque omni ritu eccleſiaſtico,
& parocho aliove ſacerdote, & clerico ſaltem vno funus du-
catur; etiam ſi Epiſcopi conceſſu, noctu fiat, & curru itē non
vnus ſolum, ſed plures, peſte extincti, efferantur. Quo in fu-
nere idem parochus, aliusve ſacerdos, & clerici ſuperpelliceo
induti, cùm pro ædium, alteriusve loci foribus, vnde efferun-
tur, tum in via, tum loco demum, vbi ſepeliuntur, pſalmorū,
precumque officium, vt moris eſt, pro mortuis præſtent.

E domicilio autem, locove, vbi qui peſte mortuus eſt, nō
antea efferetur ſepulturæ cauſa, quàm parochus, alijve illius
curæ ſacerdotes, de obitu certiores in eo tempore per veſpil-
lones, aliosve miniſtros fiant; atque certa ſepulturæ hora con
ſtituta, parochus, aut conſtitutus ille ſacerdos aduenerit, præ-
ſensve aderit: qui vt in tempore adſit, curet omnino. E loco,
vnde effertur, parochus, alijque clericalis ordinis homines,
qui funus obibunt, non ante ad eccleſiam, cæmiteriumve diſ-
cedent; quam mortui corpus veſpillones feretro, aut curru,
aliove modo efferendum ſumpſerint; vt illi, quod ritus Ec-
cleſiæ ſanctæ poſtulat, ſtatis precibus funus rite ducant. Fune-
ris, ſepulturæve cauſa ne parochus, aliusve ſacerdos, neq; cle-
ricus item, plus eleemoſynæ, ne ſponte quidem oblatæ, vllo
quouis nomine, prætextuve capiat, quàm vel dare ob funus
alio tempore ſolet, vel ab Epiſcopo præſcriptum eſt, aut con
ceſſum. Nec verò emolumenti cuiuſquam ſocietatem cum
veſpillonibus, alijsve funerum curatoribus, ceterisque id ge-
neris eo nomine ineat: cui rei, alijsque auaritiæ ſordibus, atq;
ſuſpicionibus vt occurratur, quicquid fructus, eleemoſynæ in
ſingulos menſes ab exequijs, quæ peſte mortuorum nomine
fient, acceperit; in vrbe præfecto regionario, aut, ſi in diœceſi
eſt, Vicario foraneo ſingulis item menſibus ſcripto ſignifi-
cet.

Peſte mortui corpus ne extra loci ſacri fines ſepeliatur, ne
eo quidem nomine, quòd aliquo poſt tempore ad locum cō-
ſecratum transferatur: ſed in parochialis eccleſiæ, intra cuius
fines obijt, cœmiterio humetur: aut, vbi illud non eſt, in ea ip-
ſa Eccleſia, vel communi ſepulturæ loco, vel, ſi conſenſus ius
habentium acceſſerit, priuato. Si vero præ cœmiterij, Eccle-
ſiæve parochialis anguſtia, aut præ mortuorum multitudi-
ne, aliud ab Epiſcopo cœmiterium vel in vicinia parochiali.
vel in hoſpitalibus, vel in tuguriorum loco conſecratum eſt:
in eo ipſe ſepeliatur licet. In ſepeliendi officio ea cautio adhi-
beatur, vt in cœmiterijs, præſertim, quæ in vrbe, oppido, aut
vico ſunt, altius foſſæ effodiantur, vbi in ſepulturam corpora
traduntur, ne inde fœtor contagioſus exhalet. Earum igitur
altitudo tanta erit, vt ſupra cadauer terra extet alte congeſta
tres, quattuorve cubitos. Vbi verò ſæpius ſepulchrū aperien-
dum eſt, eo altius erit; &, quoties ſepelietur, toties terra, aut
calx, aut arena conijciatur, qua corpus bene obtegatur. Hæc
atque adeò alia potior ratio adhibebitur ad corporum fœto-
ris vim continendam.

Clericalis ordinis homo ſi forte decedit, eius funus ab a-
liquo cleri numero celebretur, & corpus intus in eccleſia ſepe-
liatur; ſi ſecus fieri non cogit loci longinquitas, ad quem ef-
fertur.

In altaribus priuilegiatis ſaltim pro eccleſiaſtici ordinis
hominibus tot Miſſæ pro defunctis celebrabuntur, quot ex
illis peſte mortui ſunt, ita vt ſingulæ Miſſæ ſingulis mortuis
applicentur.

Si Epiſcopum mori contigerit, eius funus, & exequiæ cu-
rabuntur, & celebrabuntur ad Concilij primi, & quarti pro-
uincialis præſcriptum. Pro qua defuncti anima fiet, vt eodem
Concilio quarto cautum eſt. Nec vero quicquam obſtabit,
quominus ei defuncto omnia debita pietatis officia præſten-
tur; hocque ardentiori charitate, quòd paternam illius, accen-
ſamque dilectionem periculoſo illo tempore gregi ſibi com
miſſo, præſtitit: pro quo non modo facultates, ſed vitam con-
ſtantiſſime in Domino profudit.

Et quoniam illud in peſtilentia quam ſæpiſſime accidit, vt
parentes ſimul, & liberi, eodem fere tempore obeant, neque
hæredem, ſucceſſoremve vllum relinquant; aut, ſi quos relin-
quunt, illi quidem ſine cognationis gradu non arctius con-
iuncti, aut aliquando, ſi liberi ſuperſtites ſunt, ij vel minores
natu, vel ſæpe eodem morbo affecti, vel ſuſpecti, ob eamque
cauſam à cæteris ſecluſi ſint: quò fit, vt nemo fere ſit, qui Miſ-
ſæ ſacrificijs, & ſtatis diuinarum precum officijs, alijsque pie-
tatis operibus earum animas adiuuare curet. Quamobrem
præfectus regionarius, & Vicarius foraneus in ſua quiſque re-
gione, vbi peſte laboratur, pro mortuis Miſſæ ſolemne ſa-
crificium, præter aliam Miſſam conuentualem ſingulis heb-
domadis, quoad peſtilentia ceſſauerit, feria ſecunda à clero v-
niuſcuiuſque collegiatæ celebrari iubeat; ſi modo per diei fe-
ſti celebritatem, quæ in illam feriam incidit, id præſtari li-
cet.

Hoc idem ſacerdotes ſinguli Miſſæ ſacrificium facient.

In ea ipſa feria, quæ primum in ſingulos menſes inciderit,
in vnaquaque vrbis regione, & in ſingulis diœceſis partibus,
quibus Vicarius foraneus præeſt, ab omnibus eiuſdem regio
nis, & partium illarum diœceſanarum parochis ſolemne pro
mortuis officium, ſolemneque etiam Miſſæ ſacrificium pera-
gatur: quod ſi in ea feria per officij ritum peragi non poteſt; in
alia proxime ſequenti præſtetur.

Huic autem rei præſtandæ modum Epiſcopus pro diœce-
ſis ſuæ ratione præſcribet. Singulis præterea diebus, præter-
quàm cum pro officij ratione, aut ob aliam cauſam non poteſt
ſacerdos vnuſquiſq; in Miſſæ ſacrificio orationem, collectā-
ve pro mortuis religioſe dicat.

Moniales etiam certo hebdomadæ die, ab Epiſcopo præ-
ſcripto officium mortuorum recitent.

Singulis quoque diebus dominicis vnuſquiſque parochus,
animarumve curator populum intra Miſſarum ſolemnia ad-
monebit, vt non modo tunc, cum in Miſſæ ſacrificio præſens
adeſt, pro mortuis ſimul precetur, ſed poſtridiè illius diei,
quo pro illis fiet, in eccleſiam ad diuina officia, ſolemneque
Miſſæ ſacrificium frequens conueniat. Qui vero impeditus
adeſſe non poteſt, ſaltem vel domi, vel in officina, tabernave,
vel vbicumque erit, pro eis paululum oret, religionis preci-
bus adhibitis, prout eſt pietatis ſuæ diligens ſtudium.

Singulis denique dominicis diebus prima hora noctis cer-
tum campanarum ſignum de more ſolemne detur, quo o-
ratio, quæ tunc à fidelibus pro mortuis facienda eſt, & diui-
norum officiorum celebritas, quæ poſtero die eorum cauſa
agetur; omnibus vniuerſe ſignificetur.

Hæc autem omnis defunctorum animabus pie ſuffragan-
di ratio, Epiſcopo curante, ita indicetur, ſtatueturque in tota
diœceſi, vel in eius parte, vt peſtis ſeſe diffuderit, vel Epiſco-
pus idem cenſuerit.

Hoc ipſum omne vt in ſuis eccleſijs à regularibus præſte-
tur, omni cohortationis officio ille curabit. Quin etiam litte-

ris cum

ris cum Metropolitano, & alijs prouinciæ Epiſcopis aget, vt par pietatis ſtudium in ſua quiſque eccleſia ijs defunctis præſtent.

Peſte reſtincta quæ præſtanda.

DEi munere, beneficioque cum primum peſtilentiæ vis paulatim langueſcere incipit, in eo potiſſimum Epiſcopi cura verſabitur, vt omni officij genere is populum excitet, atque inflammet, non modo ad orationem, obſecrationem, & gratiarum actionem, ſicut Apoſtolus monet, ſed ad præcipua quædam religionis chriſtianæ ſtudia, atque adeo opera, quibus diuinum illud beneficium, ac ſingulare pia, grataque memoria proſequatur perpetuo.

Primo vt omnes, & ſinguli ad gratiarum actionē inſtruat, ac paret; illud curabit, efficietque vt peccata ſanctè confeſſi, certo religioſo die ſacram communionem frequentiſſimi ſumant.

Deinde ſtatam illam orationem quadraginta horarum indicet, & celebrabit religioſiſſime: ad quam cū populus, per vicinas parochiales diſtinctus; certis præfinitis horis conueniet in omni illa horaria ſtatione, concionantis vel breuiſſimo ſermone incitetur, atque accendatur ad ea officia, quæ ſanctiſſima ob accepti beneficij memoriam præſtare quiſq; debet.

Poſtea vero ſupplicationes triduanas indicet: quas ſollemni apparatu, & omni religioſorum ordine, & frequentiſſimo vniuerſi populi concurſu, & præterea tertio ſcilicet eorū die, ſacra omni pompa ſanctarum reliquiarū rite, religioſe, recte, atque ordine celebrari ſtudebit.

Atque vt rectiſſimam quidem viam emendationis, ſanctiorisque vitæ populus vniuerſus ſuſcipiat, ac teneat; curabit in primis, vt vicinia parochialis omnis, & vnaquaque familia, ſi minus id peſtis tempore fecit, nunc tandem Dei offenſiones, morum corruptelas, prauos vſus, quibus antea ſe ſe vllo tempore implicuerat, perpetua deliberatione, perpetuaque omni deteſtatione, pellat, abhorreat, planeque abijciat.

Certas vero chriſtianæ inſtitutionis regulas vnicuique hominum generi, ordini, & conditioni accommodatas, Epiſcopus commonſtrabit.

Curabit item hoc diligenter, vt ſi quæ vota vel publice, vel priuatim nuncupata ſunt, quàmprimum & pie, & religioſe, riteque perſoluantur ad præſcriptum huius Concilij.

Vt legata, aliove nomine relicta, aut donata, quæcumque in peſtilentia pij vſus cauſa ſunt, recte, ſeduloque præſtentur.

Vt quæ vitia, & quas morum corruptelas, dum peſtis vis, atque impetus irruebat, publice, palamque populus deteſtabatur, hoc maxime profeſſus, ſe illa, tamquam peccatorum ſeminaria, vnde peſtilentia extitit, abiecturum: ea plane in perpetuum profligat, eorum malorum fibras, & radices præcidat.

Vt in primis quæ chriſtianæ pietatis officia, ac quæ ſtudia peſtifero morbo languerunt, diligentius excitentur.

Quamobrem viſitationis munus quamprimum aggredietur diligentiſſimè: in quo munere hoc potiſſimum ſtudebit, atque exequetur.

Vt eccleſiæ præſertim parochiales, ſi quæ ob peſtem damni, detrimentive aliquid fecerunt, reſarciantur, & neceſſaria ſuppellectile apparatuve inſtruantur.

Vt loca inſtaurentur, charitatiſq; opera, & ſubſidia, ſi quæ vel neglecta, vel prætermiſſa, vel intermiſſa ſunt, omnino reſtituantur, atque excitentur religioſius.

Vt academiæ, ſcholæ, collegiave pie inſtituta renouentur fragrantiori ſtudio.

Vt diuinorum officiorum cultus omni parte floreſcat.

Vt ſacræ conciones, & frequentiores ſint, & omni ſanctiſſimæ diſciplinæ officio inſtructiores: itidemque ſacræ lectiones.

Quamobrem lectiſſimos concionatores, vndique conducere ſtudebit ad ſua diœceſis loca.

Vt in primis doctrinæ chriſtianæ ſcholæ ſtudioſius, frequentiorique multitudine exerceantur.

Vt piorum hominum ſcholæ frequentiſſimæ ſint, ardentiusque verſentur in omni pie agendi curſu, & progreſſione.

Vt aliæ piæ confraternitates erigantur, aliaque item pie inſtituta opera, exercitationeſque excitentur.

Vt cauſæ piæ diligentiſſime explicentur, &, ſi quæ in foro ſunt, ad exitum perducantur.

Vt omnes denique, & ſinguli officia, ſtudiaque ſanctæ Chriſtianæ diſciplinæ diligentius amplectantur, & colant.

Frequentiſſimi ad indulgentiarum, & ſtationum celebritatem concurrant.

Eccleſias crebrius, religioſiusque frequentent.

Dierum feſtorum celebritatem ab omni ſeruili, mūdanoque opere abſtinentes, ſancte venerentur, & ſanctificent officijs, atque actionibus, cœleſti præmio dignis.

Vt patres familias omnibus, & ſingulis, quos in familia, famulatuque habent, ſancte viuendi leges accuratius tradant ad præſcriptum regularum, quas ipſe Epiſcopus eo nomine ediderit.

Quanto autem quiſque generis ſplendore, dignitate, opibus præſtat; tanto ardentiori ſtudio omnis pietatis inſtituta, progreſſiones, atque officia tueatur.

Vt mercatores, artifices, inſtitores, & cæteri cuiuſcumque opificij homines, miniſtrive, peſte reſtincta, non tam in excitandis induſtriæ, artiſque ſuæ ſtudijs, reſumendiſque ipſis artificijs diligentes ſint, quam ſolliciti admodum, & ſtudioſi non modo in ſuſcipiendis ſancte agendi inſtitutis, ſed in reijciendo omni vitio, quod in artis ſuæ vſu, atque exercitatione aliquando ſubeſſe ſolet: ita vt quæſtui ſalutem animæ in negotiationibus, actionibus, & artificijs planè anteponant.

Monebit præterea crebris ſermonibus, in mercatura, quā faciunt, in omnique commertio nihil fraudis, nihil doli, nihil quæſtus nefarij, nihil falſi, nihil periurij committendum concipiendumve eſſe: ab officinis, & tabernis omnem viuendi intemperantiam, & turpiter dictorum obſcœnitatem profligandam eſſe: à iudiciali foro omnem auaritiam, rapinas, ambitionem, iniquitates, & pupillorum, viduarum, egentiūque hominum vexationes exterminari oportere: à priuatorum ædibus intemperantis profuſæque vitæ conſuetudinem, ludos aleatorios, immoderatos ſumptus, ſeruorum greges, conuiuiorum exquiſitos apparatus, ingentem veſtium pompam, & omnia denique quaſi peccatorum ſeminaria conuellenda: à ciuitate capitales inimicitias, odia, ſimultates, factiones, improborum hominum cœtus, ludos publicos, & ſpectacula omnia prophana abijcienda.

Hæc enim cum eiuſmodi ſint, ob quæ Deus iratus peſtifero morbo populum contuderit, ac debilitarit; poſteaquam eius ſingulari miſericordia, donoque publica valetudo recuperata eſt; ſunt omni cura, ſtudioque euitanda, ne accepto beneficio fideles abutantur ad Dei iram grauius concitandam.

Hanc vero viſitationem, quæ omnibus officijs cumulata eſſe debet, Epiſcopus quo ſtudioſius præſtet, atque adeo perfectius, alios etiam viſitationis partes adiuuent, atque exequantur.

In qua viſitatione illud etiam curæ erit, vt libri de matrimonijs, & baptiſmis in peſtilentia miniſtratis, proprio parocho confeſtim tradantur: qui in codicem parochialem, quæcumque de eo miniſtrationis genere notata ſunt, referantur ad præſcriptum.

Vt item infantibus, in peſtilentia natis, quibus ob periculum ſtatæ ſolemnes baptiſmi cœrimoniæ adhibitæ non ſunt, quamprimum illis de more, rituque adhibeantur.

Et quoniam ſæpe fit, vt, peſte depulſa, fames populum adoriatur; ideo eam etiam cogitationem, & curam Epiſcopus ſuſcipiet, vt, re cum magiſtratibus, decurionibusve deli-

erata, populo in rei frumentariæ caritate, quæ exiſtere poſ-
et, aliqua ratione ſuccurratur: ne fame conficiantur, qui pe-
tilentia extincti non ſunt.

Viduarum præterea, pupillorum, & pupillarum eam cu-
am ſuſcipiet, quæ ſupra commonſtrata eſt.

Sacerdotum, & religioſorum hominum, qui peſtis tempo-
e bene, pieque ſe geſſerunt, ac pericula non reformidarunt,
vt ſpirituali adiumento ægrotantibus ſubuenirent, patroci-
nium, curamque habebit.

Idem laicis, & mulieribus præſertim, quæ infectis morbo
operam nauarunt, ipſe præſtabit.

Pro ijs vero, qui peſtilentia confecti obierunt, per annum
poſt recuperatam publicam valetudinem omnis diligentia,
quæ ſupra præſcripta eſt, ſeruabitur in eorum animabus ſuf-
fragandis.

Porrò Epiſcopus cum Metropolitano, is verò cum pro-
uinciæ Epiſcopis aget, vt ſupplicationibus, proceſſionumque
ſolemnitate, & omni pietatis ſanctæ officio, vbique in prouin
cia de recuperata valetudine Deo gratiæ habeantur.

Rurſus Epiſcopi prouinciæ coepiſcopum, cuius diœce-
ſis, vrbsve Dei beneficio à peſte liberata eſt, paterna charitate
inuiſent; eidemque cum priuatim pio colloquio, tum publi-
cè populo ſanctiſſima concione gratulabuntur.

Vt porro ſingularis beneficij, quod, peſtis morbo depulſo,
à Dei miſericordia populus accipit, perpetuo memor ſit, id
Epiſcopus omni in primis ratione curabit: ne ob ingrati ani-
mi crimen, quod graue eſt, grauiſſimasque Dei offenſiones
parit, grauiora deinceps mala, pernicioſiusque exitium ſen-
tiat: ac propterea grauitate exemplorum quæ ex ſacris vtriuſ-
que teſtamenti litteris ſumuntur, ſæpiſſimè declarabit, quàm
valde oderit Deus ingrati animi crimen.

Itaque in vnum ſtudebit, vt populus beneficium agnoſcat,
& quale ſit, & quantum, quamque omni munere, & dono, nõ
corporali ſolum, ſed ſpirituali plenum, & cumulatum; ita vt
plane ille intelligat, ſe, peſte liberatum, non modo priſtina
commoda publicæ valetudinis recuperaſſe, ſed etiam ſpiri-
tuales vtilitates, ſpiritualiaque emolumenta, quibus aliquan-
do in peſtilentia caruerat magno cum periculo ſalutis.

Crebro illum excitabit ad ſanctarum exercitationum,
quibus in peſtilentia difficulter vtebatur, religioſum ſtudiũ,
ad frequentem Sacramentorum vſum, ad ſtationes obeun-
das, ad conciones, & lectiones ſacras audiendas, ad dies feſtos
in Eccleſijs, pijs orationibus, ſanctisque meditationibus, con-
ſumendos. Ad quæ officia ardentius eum incendet, propoſi-
tis incommodis, difficultatibusque quibus non ſine quadam
animi acerbitate, & cruciatu tunc impliciti erant; cum præ-
ſertim vel in ipſa media morte non haberent aliquando, vn-
de ſpiritualibus adiumentis, & conſolationibus ſuſtentaren-
tur.

Id ſtudebit, vt peſtis extinctæ beneficium plane agnoſcat
non ab hominum prudentia, cõſilio, medicamentorum pro-
curatione exiſtere, ſed à Deo in primis, qui mortificat, & vi-
uificat, deducit ad inferos, & reducit.

Itaque inſigni illius miſericordia factum eſſe populus ſci-
at, vt, ſedatis peſtilentiæ tempeſtatibus, tranquillitate vitæ
perfruatur.

Alioqui verendum eſſet, ne grauius plecteretur, vt olim
populus Hebræus, qui ab Aegypti ſeruitute Dei ope mirabi-
liter liberatus, diuinum beneficium grati animi pietate cum
non agnouiſſet, pœnis deinde acerbiſſimis affectus eſt.

Cùm igitur parochi, tum concionatores ob eam cauſam
ſæpiſſimè eum monebunt, & locis, quos ex ſacrarum littera-
rum fontibus haurient, vberrimè tractatis, oſtendent, in re-
bus proſperis, & ad voluntatem fluentibus, arrogantiam, &
ſuperbiam fugiendam eſſe; ſed Deo in primis omnium bono-
rum parenti, & auctori, quicquid proſpere, & optime ſucceſ-
ſit, tribuendum eſſe. Ne dixeritis in corde tuo, fortitudo mea
& robur manus meæ hęc mihi omnia præſtiterunt, ſed recor-
deris Domini Dei tui, quòd ipſe vires tibi præbuerit, inquit
ipſe Deus.

Id quo grauius in fidelium mentibus inſerant, flagitia, &
peccata aliquando exagitabunt, quæ populus admiſerit, rur-
ſusque Dei beneficia præclare commemorabunt; ita vt is non
auditione ſolum percipiat, ſed intimo animi ſenſu cognoſcat,
ſe non meritis ſuis, ſed ſingulari Dei benignitate à peſtilentia
liberatum eſſe. Cum illis, qui, peſtifera ærumna correpti, vi-
tam, moresque emendarunt, quique à Domino caſtigati, in-
quit propheta, eruditi ſunt ad diuinas iuſtificationes, ita agẽt,
vt cum emendationem, tum liberationis à peſte munus à Deo
potiſſimum agnoſcant; ac de vtroque beneficio perpetuas ei
gratias agant; & cum mortifero morbo iam affecti, eoque di-
uinitus liberari, omnis malè anteactæ vitæ pœnitentes, viam
ſanctè agendi ingreſſi ſint, in ea longius progrediantur per-
petuo, neque eorum pœnitentia ficta ſit, & ſimulata, vel bre-
uis, quæ ſolum metu periculi nixa fuerit, quemadmodũ An-
tiochi, & Eſau falſa pœnitentia litteris diuinis proditum
eſt.

Eorum autem mentis cœcitatem grauiſſimè increpabũt,
qui carnis ſenſu ducti, & mundi illecebris deliniti, quoniam
opibus affluunt, cum omnia ſibi licere putent, non modo cer-
tiſſimo peſtilentiæ periculo, ſed neque recuperatæ valetudi-
nis beneficio meliores facti ſunt: Attriuiſti eos, & renuerunt
accipere diſciplinam, indurauerunt faciem ſuam ſuper petrã,
& noluerunt reuerti: de iſtis ita narrat propheta Hiere-
mias.

Illos denique, qui peſte reſtincta, obſtinato, obfirmatoq;
animo ſunt ad peccandum, vehementius deterrebit, vt ſcili-
cet, quamuis peſte liberati ſint, grauiora ſibi pertimeſcenda
proponant, cum cauſa etiam adhuc ſubſit, vnde ſempiternam
plagam accipiant. Recuperatio enim valetudinis magnam
ſuſpicionem, & metum perito medico affert, qui rurſus mul-
ta ſigna videt, ex quibus animaduertit, cauſam ſublatam non
eſſe morbi, ex quo æger periculosè laborauerat.

Iſtos monebit, etiam ſi vna cum bonis piorumque ope-
rum ſtudioſis viris, valetudinis publicæ fruuntur beneficio,
fore tamẽ aliquando, vt diuino iudicio ab illis ſegregati, ſem-
piternæ ſalutis fructu careant.

Id ipſi præterea quo ſecundioribus rebus in hac vita vtun-
tur; eo magis illis timendum eſſe oſtendant; certoque perſua-
deant nullum denique malum, nullumve flagitium concipi,
admittive, de quo Deus pœnam iuſtiſſimam repoſcat.

Ac proinde etiam illis metuendum ſit, ne ſempiternis illis
cœleſtis hæreditatis bonis priuentur, qui caducis, & fluxis
huius vitæ rebus, & muneribus, donisque temporaneis aucti
ſunt.

Ne item cum eleemoſynas, orationes, ieiunia, aliaque pia
opera Deus reſpexerit; eo liberationis beneficio ſolum illa
officia compenſet, tamquam cœleſti præmio indigna, quod è
charitatis fonte non emanarint.

Et, quod grauius multo eſt, illud extimeſcendum demon-
ſtrent, vt ne ſcilicet, cũ iſti deſperatæ vitæ emendatione ſint,
Deus propterea, peſte depulſa, dimiſerit eos ſecundum deſi-
deria cordis eorum, illosque libere, & impune peccare permi-
ſerit, vt poſtea acerbiſſimis cruciatibus ac ſempiternis tor-
queantur, quippe cum maxime tunc iratus ille ſit, cum mini-
me iraſcitur. Sic enim populo Hebręo iratior fuit, cum iratus
non erat amplius: Et requieſcet, inquit, indignatio mea in te,
& auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius,
eo quòd non fueris recordata dierũ adoleſcentiæ tuæ, & pro-
uocaſti me in omnibus his.

Docebunt, niſi ex Dei munere fructum fideles ferant, in-
de hoc aliquando fore, vt non ſolum illud amittant, ſed eo
grauioribus pœnis afficiantur, quòd ſe diuino beneficio indi-
gnos præbuerint, diuinaque benignitate abuſi ſint ad offen-
ſiones ipſius DEI, à quo tale munus donumque accepe-
runt.

Recuperatæ valetudinis beneficium tributum, ob eam-
que cauſam vitæ ſpatium datum eſſe ſuadebunt, vt illud in
pœnitentię operibus, & in ſanctioris diſciplinæ rationibus
conficiatur.

Accendent populum ad omnia pietatis officia, quę memo-
ris, gratique animi ſint.

Vt ſcilicet intimis ſenſibus, menteque humili, & religioſa
cum id beneficium à Deo ſolo extitiſſe agnoſcat, cor omne ad
Deum conferat. Præbe mihi, ille inquit, cor tuum.

Vt omni oratione, prece, ſupplicatione, diuinarum laudũ
concelebratione gratias Deo agat.

Vt tale beneficium liberis commemoret, exteris homi-
nibus, quàm ſingulare fuerit, narret, & omni mutua gratula-
tione ita proſequatur, vt commemorando, & gratulando ſe-

ſe magis atque magis accendat ad ſanctiora, & diuturniora, vel perpetua potius gratiarum actionis officia.

Vt ſe totum Deo offerat, reſtinctiſq; cupiditatibus, & exultantis animi ſenſibus repreſſis, ita ſe comparet, vt malis omnes res vel ampliſſimas reijcere, quàm à Dei voluntate, diuiniſque præceptis, & monitis diſcedere: idq; ſibi propoſitum habeat, quæcumque poſſidet, cum à Deo habere, tum ad illius gloriam, & ad ſuam, ſuorumque liberorum, agnatorũ, propinquorum ſpiritualem ſalutem procurandam ſe libenti animo, liberalique voluntate erogaturum.

Ac propterea, quæ à peſtis incendio facultates liberatæ ſunt, earum partem Deo tribuat: decimas, & primirias libentius perſoluat: ſuppellectilem, & ornamenta eccleſijs ad religioſum illius cultum libenter, ſtudioſeque conferat.

Vt recuperata publica valetudine non omnibus mundi lætitijs, vt fit exultet: ſed intelligat, quæ fidelis populi lætitia in recuperata publica incolumitate eſſe debeat, quàm moderatum gaudium, quàm cum veræ pietatis officijs coniunctum.

Nec vero mũdi lætitijs elatus, inſolentius ſe extollat; quod vna ſcilicet incolumitate publica, diuitijs, opibus, auri, argenti, rerumque omnium copia circumfluat: ſed hæc intime in Domino gaudeat, & lætetur, quod peſte, Dei beneficio, depulſa, tot, tantiſque ſpiritualibus commodis, quibus in peſtilentia caruerat, libere fruatur. Quod Eccleſias frequentet; quòd ad ſupplicationes frequens conueniat, quod proceſſiones ſolemnes obeat; quod in ſacris concionibus, rerumque diuinarum interpretationibus audiendis verſetur; quod frequenti ſacramentorum vſu ſeſe ſalutariter paſcat; hæc ſane ſunt ſalutaria commoda, ex quibus ſolidum, perpetuumque in Domino gaudium capiat. quantam enim conſolationem fideles ex Sacramentorum vſu percipiant, vel ex hoc vno cognoſci poteſt, quod dignum omni cõmemoratione eſt. Fuit Mediolani, dum peſtis proximis annis ſæuiebat, in publica hoſpitali domo S. Gregorij homo quidam, qui peſte mortuus putabatur: inde igitur ad locum aſportatur, vnde ceteri mortui ad cœmiterium efferuntur. Eo loci cum in magno cadauerum aceruo tota nocte pene ſepultus fuiſſet; mane dũ publicæ curationis ſacerdos; qui peſte ægrotantibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ferre conſueuerat, illac tranſiret, vbi ille, cadaueribus pene opertus iacebat; derepente ardenti ſumendæ Euchariſtiæ deſiderio excitatus, ſe in genua erexit, &, hac diuina occaſione exhilaratus, voce, quam ab illo, animam exhalante, conſolatio vix elicuerat, à ſacerdote ſupplex petijt, ſibi quoque ſanctiſſimum viaticum dari: quod vbi ſacerdos libentiſſimè miniſtrauit, & ille religioſe, ſummaque veneratione accepit, eodem loco ſtatim in peſtis acerbitate cum ſummo percepti ſacri viatici gaudio ex hac vita migrauit. Quem fidelem hoc pij hominis exemplum nõ afficit? cui non iucunda hæc plena conſolationis commemoratio?

Ijdem præterea, & concionibus, & ſermonibus agent, vt valetudinis publicæ recuperatæ munus proſequatur non voluntate ſolum obediendi diuinis præceptis, ſed operibus, & actionibus ſanctiſſimis, quæ in diuinis monitis exequendis elucent.

Vt gratiarum actio, quæ ex ſanctiſſimo omni opere conſtare debet, in perpetuis benè viuendi officijs perſeueret.

Vt hæc ipſa à toto populo, non à parte ſolum celebretur, ita vt alij benegendo ædificent, alij male agendo deſtruant.

Vt hæc ipſ[illegible]uiſa ſit, vt partim ſcilicet Deo, partim mundo trib[illegible]d omnis ad DEI gloriam referatur.

Sacerdotes autem, & curatores animarum in primis ſollicitudines ſuas, & vigilias in eo conſument, vt populi, ſibi, culturæque ſuæ commiſſi, diſciplinam ſtudioſe inſtaurent, quò vberiores fructus, eoſq; ſempiternæ vitæ præmio dignos ferant.

Tuendæ autem recuperatæ publicæ valetudinis regulam proponant, à Chriſto Domino traditam his verbis: Vade, & noli amplius peccare, ne quid grauius tibi contingat.

Atque in huius quidem argumenti genere omnem progreſſionem ſpiritualem, libro memoriali Mediolanẽſi vberrime explicatam, excitabunt ſummo ſtudio, ſumma omnis officij contentione, & rationum momentis ex eodem libro depromptis; quem ob eam cauſam ad omnis eius generis tractationem adhibebunt.

Epiſcopus autem in vniuerſam hanc curam, & ſollicitudinem cùm perpetuò incumbet: tum curabit, vt perpetuum ſit aliquod beneficij huius monimentum. Quamobrem rationẽ aliquam ſuſcipiet, vt ad colendam eius memoriam, aut Eccleſia, altareve exædificetur, aut hoſpitalis domus eo nomine ſtruatur, aut anniuerſariæ eleemoſynæ, alteriusve rei pium opus erigatur, aut dies feſtus aliquis potiſſimum inſtituatur, quo Miſſa ſollemnis, & ſupplicatio anniuerſaria celebretur; aut piorum hominum confratria præcipua inſtituatur certis religioſi officij rationibus.

CONSTITVTIONVM
PARS TERTIA.

QVAE AD ORDINIS SACRAmentum pertinent.

De Seminario.

SEminarij inſtitutio quàm vtilis ſit, ac neceſſaria ad cleri diſciplinam in ſingulis Eccleſijs propagandam, cùm ex Concilij Tridentini decreto facile intelligi poteſt, tum ex eo etiam, quod rei illius ſalutaris ratio, aliquando intermiſſa, dãna, & detrimẽta non mediocria rei eccleſiaſticæ attulit. Cùm igitur in nonnullis prouinciæ noſtræ Eccleſijs iam omnino, aut aliqua ex parte deſitum ſit, decimas, fructuumve portiones, quæ Concilij prouincialis primi decreto ex ſacroſanctæ œcumenicæ ſynodi Tridentinæ auctoritate ad illius ſuſtentationem conſtitutæ ſunt, exigi; atque inde in ijs ipſis Eccleſijs penè collapſum ſit tam ſalutare inſtitutum; ob eam cauſam prouinciali hoc decreto id cauemus, vt quæ decimarum, fructuumve exactio illo Tridentino prouincialique decreto iam pridem ſeminarij nomine inſtituta eſt, de ea nihil plane quicquam per Epiſcopos remitti liceat, niſi, vt & iam eo ipſo Concilio prouinciali, & nunc hac ipſa ſanctione infra cauetur. Quòd ſi hactenus quicquam eo de genere, aut planè totum remiſſum eſt, id ad priſtinam exactionis rationem reuocari, atque omnino reſtitui iubemus. Vbi verò nihil vnquam eo nomine exactum eſt, ibi Epiſcopus menſium duorum ſpacio exactionem ad illius Concilij prouincialis primi præſcriptum ita planè inſtituat, vt dimidiam tamen partem decimæ illa non excedat.

Atque eam quidem exactionem, ſic præfinitam, tamdiu durare decernimus, quoad ſeminarium eo cenſu, ijſque redditibus conſtitutum, atque auctum erit, quos pro locorum, diœceſum, cenſuũq; amplitudinis ratione, ſingulis prouinciæ Eccleſijs re maturè deliberata, infra præſtituimus, ea tamen lege, vt pro rata parte redituum, quos iam nunc, aut in poſterum beneficiorum acceſſione, aliave ratione ſeminarium poſſidere, habereve contigerit, tantundem de exactione remittatur ad eiuſdem Concilij, & Tridentini, & prouincialis primi prẹſcriptum. Ne verò in poſterum aliqua lis, & controuerſia ex eo exiſtat, quòd ſæpè dubitatur, cui potiſſimum ſeminario illam præſcriptam decimæ partem certa quædam beneficia in ſuſtentationem conferant: de ijs ſic decernimus. Beneficia porrò, quæ diœceſis nullius ſunt, illam ſubminiſtrent, & ſoluant diœceſis eius ſeminario, intra cuius limites ea olim erant, & cenſebantur. At verò quæ beneficia in hac, & in illa diœceſi prædia, bonave habent, id præſcriptæ decimæ dent ſeminario diœceſis, locive, vbi ſita eſt primaria Eccleſia beneficij, cui ea prædia attributa olim fuerant: etiam ſi alia Eccleſia, quæ beneficio illi primario adiuncta eſt, ædificata deinceps ſit cẽſu illorum prædiorum. Sin autem in ijs prẹdijs Eccleſia anteà ædificata eſt, quàm illa adipiſceretur, poſteaq; vna cum illis alijs Eccleſiæ primariæ adiuncta eſt, tunc eius contributio ad ſeminarium pertineat, in qua prẹdia vnà cum Eccleſia ſita ſunt.

Vt aũt ſeminarium, & ſuis facultatib. perpetuo ſuſtẽtari poſſit, & aliquando breui fore ſperetur, vt ea exactio deniq; ceſ-

ſet, &

ſet;ei Epiſcopus, Deputatis in conſilium adhibitis, decreti
Tridentini auctoritate tot beneficia ſimplicia adiungat, at-
tribuatve, quod, ijs etiam ſupputatis, qui iam quouis nomine,
aut iure eidem attributi ſunt, redditibus, ſummam conficiant
annui cenſus, mox infrà præfinitam. At cum primùm ad eam
ipſam ſummam peruenerit; ſi quæ beneficia, antea quàm va-
cauerint, iure vnionis adiuncta ſint, neque dum ea adiunctio,
vniove ſuum adhuc ſortita ſit effectum, illam iam nunc re-
ſciſſam, ac planè irritam eſſe declaramus. Atque vt quidem ab
eo onere quàm citiſſimè fieri poterit, clerus liberetur, & exi-
matur; Epiſcopus caueat, ne beneficia ſimplicia, qualia ſint,
quæ intereà vacare contigerit, cuiquam conferat, alijve vſui
attribuat; ſed quæcumq; illa ſint, ſeminario iure vnionis con-
iungat: niſi fortaſſe quædam vel Eccleſiæ parochiali, quæ te-
nuiori cenſu eſt, vel alij Eccleſiæ, vel loco, operive pio potius
attribuenda, adiungendave cenſuerit, pro ratione facultatis
ſibi canonum iure, Tridentinoque Concilio datæ, ac permiſ-
ſæ. Si contra Epiſcopus vllo modo fecerit, ſeminarij detrimé-
to, damnove, quod inde inferetur, de ſuo primùm ſatisfaciat:
deinde iſtiuſmodi culpæ norit ſe in Cócilio prouinciali pro-
ximo rationem redditurum; tum pręterea illa ipſa beneficio-
rum collatio, prouiſiove, quam aliter contra huius decreti
præſcriptum fecerit, irrita nihilominus ſtatim ſit, nullaque
omninò.

Cenſus verò, quem de Reuerendiſſ. Coepiſcoporum no-
ſtrorum aſſenſu, & conſilio vnicuique ſeminario Eccleſiarum
prouinciæ noſtræ, auctoritate huius conſtitutionis præfini-
mus, atque adeò præſcribimus, certa ratio, æſtimatiove hæc
ſit, infra ordine exſcripta.

Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ Seminarij ſit an-
nuus cenſus nummi aurei ſexies mille.
Derthonenſis nummi aurei ſexcenti.
Laudenſis mille.
Aquenſis quadringenti.
Brixienſis bis mille.
Cremonenſis bis mille item.
Bergomenſis mille.
Aſtenſis ſexcenti.
Alexandrinæ quadringenti.
Vercellenſis mille.
Albenſis ſexcenti.
Vigintimillienſis ducenti.
Sauonenſis trecenti.
Caſalenſis quingenti.
Vigleuanenſis ducenti.
Nouarienſis mille, & ducenti.
Placentinæ mille, & quingenti.

In omni ſeminarij inſtitutione, cura, atq; adminiſtratione
Epiſcopus ſeſe rationibus conformet decretis Cóc. Triden.
quod cum in omnibus partibus exequatur, tum in ea maxi-
mè, vt certum locum deligat, vbi collegiatim certus puerorú
numerus alatur, atque adeo inſtituatur litteris, diſciplinisque
Eccleſiaſticis.

Eligat duorum menſium ſpacio, qui nondum elegerit, ca-
nonicos duos, quorum conſilio in ijs vtatur, quæ ad puerorú
eiuſdem ſeminarij inſtitutionem, diſciplinam, moresque at-
tinent.

Duos item de Capitulo, & duos prætereà de clero ciuitatis
deligat, quos adhibeat in conſilium, conſultationéve admini-
ſtrationis, quæ in rebus temporalibus ineunda ſit.

Ij porrò omnes, vbi ſemel delecti ſunt, ne vmquam, niſi ob
cauſam, quæ cum ratione conueniat, eo munere abdicen-
tur.

Meminerit autem Epiſcopus, ſibi Tridentini Concilij de-
creto omne ſeminarij adminiſtrandi beneque gerendi onus
impoſitum eſſe, quod ipſe propthereà ſuſtinere, tuerique de-
bet etiam atque etiam diligenter. Eorum igitur, quos delege-
rit, conſilium ſequi cum non cogatur, vbi illorum ſentétiam
de re, quæ in conſultationem cadit, audierit, ipſe tamen deli-
beret, ſtatuat, & exequatur, quæcunque pro ſua pietate, & pru
dentia, quæ coram Deo potiora, atque præſtantiora eſſe exi-
ſtimauerit, ad inſtituti Seminarij optimam tum conſeruatio-
nem, tum adminiſtrationem.

Quotannis apud ſe rationes adminiſtrationis ſupputari
omninò curet: qua in ſupputatione duos à Capitulo, totidem-
que à clero ciuitatis ex præſcripto Tridétini concilij delectos
adhibeat.

Præſcriptam fructuum portionem Seminarij cauſa ipſe
exigat: ſi quis eam ſoluere recuſarit, aut longius, quàm par eſt,
diſtulerit; contrà illum cenſuris, & alijs eccleſiaſticis pœnis a-
gat, vt planè perſoluat, implorato etiam, ſi ita expedire iudi-
cauerit, magiſtratus ſæcularis auxilio, ad illius Concilij Tri-
dentini præſcriptum. Nec verò eſt, cur in ea re optimè exe-
quenda locum vel gratiæ, vel precibus, vel metui, vel alij hu-
mano affectui vnquam relinquat.

De ſeminarij ſtatu, progreſſioneque Epiſcopus ad Metro-
politanum ſæpè, aut ſexto quoque menſe ad minimum litte-
ras det, quibus ſi quæ difficultates inciderint; quæ optimum
illius inſtitutum impediant, in primis exponat. Is verò ex
Concilij Tridentini præſcripto, quibus rebus poteſt, aut de-
bet omnem operam, ſtudium, aliamque omnem rationem
adhibeat, vt ſublatis ijs rebus, quæ difficultatem pariunt, ſe-
minarij inſtitutio longè ad optima quæque progrediatur.

Is in omni ſeminario perpetuus vſus ſit, vt Catechiſmus
Romanus pueris, atque adeò adoleſcentibus prælegatur, &
explicetur quàm diligentiſſimè.

Nullaque eius pars prætermittatur, cuius doctrinis eorum
animi non imbuantur, vt fieri poteſt, omni maximo ſtu-
dio.

In omni prouinciæ ſeminario, vbi commodè poteſt, præ-
ter cætera, quibus, & ad pietatis exercitationem, & ad littera-
rum doctrinam adoleſcentum animi erudiuntur, ſtudia et-
iam ſacrorum rituum, hiſtoriæque omnis eccleſiaſticæ certis
ſtatis diebus inſtituantur, quæ clericalis ordinis hominibus
maximè accommodæ ſunt ad optimam religioſæ diſcipli-
næ rationem.

De examinandi ratione.

IN eccleſiæ adminiſtratione, vt neceſſarium, ita multiplex
eſt examinis de litterarum peritia, & diſciplina officium:
modò namque ab Epiſcopo, cum ad eorum qui ordinis ſacra-
méto initiandi ſunt, tum etiam ad concionatorum, confeſſa-
riorumque approbationem adhibetur; tum prætereà ad in-
dagandam proſpiciendamque cleri in litterarum ſtudijs ra-
tionem progreſſionemve: ad aliaque item multa Epiſcopo i-
dem adiumento, atque vſui eſt: modo autem non ſolùm de
illis, qui eccleſijs parochialibus, alijsque curam animarum ha-
bentibus, præficiuntur, illud inſtituitur, & conficitur, ſed de
ijs etiam, quibus beneficia eccleſiaſtica cuiuſcumque generis,
vel litterarum Apoſtolicarum, quæ forma, DIGNVM, con-
ſcribi ſolent, auctoritate, vel alio iure conferuntur, quive ad
ea præſentationis, nominationis, electionisve nomine inſti-
tuuntur. Quamobrem, vt omnis, quacunque cauſa ſuſcipitur,
hęc examinandi ratio per examinatores, vt fieri poteſt, quam
rectiſſimè conficiatur præter aliqua, quæ præſertim Conci-
lio prouinciali quarto enucleatiùs decreta ſunt, has etiam in-
ſtructiones conficiendas cenſuimus, quæ partim ad vniuer-
ſum hunc examinandi modum pertinent, partim verò certo-
rum examinum propriæ ſunt.

Atque ijs quidem omnibus pro ſua quiſque pietate Epi-
ſcopus, & prudentia, alias etiam inſtructiones adiungat, aut de
ijs aliquid remittat licet, prout è ſuæ diœceſis rationib. atque
vſu eſſe viderit.

Quæ inſtructiones, vt in morem, & vſum inducantur, cu-
ra ſit eiuſdem Epiſcopi, & Vicarij, qui examini præeſt.

Porrò in primis examinatores in ſynodo diœceſana con
ſtituti, cum eorum, qui eccleſijs parochialibus præficiendi
ſunt, examen ineunt, iuriſiurandi, quo publice in ſynodo, quo
primum tempore delecti ſunt, ſeſe obſtrinx[illegible]int memores,
videant, vt omni humana affectione depoſita, munus à ſe ſuſ-
ceptum rectè curent, atque adminiſtrent, ne quòd ſanctè, re-
ligioſeque ſpoponderint, violent, ac propthereà periuri fi-
ant:

Examinis cauſa, occaſioneve, nihil quicquá, ne minimum
quidé, neq; ante, neq; verò poſt accipiát; alioqui ſciát, qui dát,
ſe ſimoniæ crimen ex ſanctione Tridétina ſubijſſe, nec verò
prætereà ſe neq; adeò illos, qui dant, abſolui licere, niſi dimiſ-
ſis beneficijs eccleſiaſt. quæcunque obtinent, ac inhabiles ité
factos ſe eſſe, quibus in poſterum ea, vel alia conferantur.

De omni

De omni verò culpa, in ſuſcepto munere commiſſa, ij rationem etiam in Synodo prouinciali reddant, in eaque grauiter auctoritate Tridentini Concilij puniantur.

Nec verò item qui examinatores libere pro arbitratu Epiſcopi ad alios quocunque nomine, cauſaue examinandos aſciſcuntur, examinis occaſione vnquam quicquam, ne eſculenta quidem, poculentaue capiant. Qui contrà fecerit, cùm indignus deinceps cenſeatur, quid id muneris gerat, tum alia pœna arbitrio Epiſcopi afficiatur.

Omnes vero examinatores, quicumque ſint, nouerint, ſibi munus vſque adeo graue committi, vt ſi negligenter, aut malè ſe vllo modo geſſerint, Deo in primis culpæ, in eo munere admiſſæ, exactam rationem reddituri ſint.

Quare non ſpe, non metu, non præmio, non perſonarum ratione, non aliquo affectu ducti, muneris ſibi commiſſi curam gerant.

Propoſito ſibi in primis timore Dei, ne quemquam, quẽ indignum norint, probent: rurſus quem, experimento, periculoue facto, idoneum, dignumque comperiunt, ne reijciant. Itaque grauiter, maturè, prudenter recteque tum de probando, tum de reijciendo deliberent.

Cum in locum conuenerint, vbi moris eſt, clericorum experimentum fieri, priuſquam aggrediantur, à ſtata prece, orationeque congregationum vſui præſcripta, quam de libro pronunciet, qui examini præſidet, initium faciant, hoc piè, intimeque precantes, vt Dei ope in primis illud rectè, prudenter, diuinæque voluntati congruenter conficiant.

Ne quempiam, de quo examen, periculumue fiat, examinator alij collegæ vlla ratione commendet.

Ne ad alicuius examen accedat, nec verò ſuffragij ius habeat, niſi Epiſcopi, Vicarij ve iuſſu ad illud euocatus.

Si quis, quempiam priuatim docuerit, qui examen ſubiturus eſt, cum id ſubibit, ne præſens quidem ille adſit, ne dum ad examen adhibeatur; ſed alius in eius locum, Epiſcopi, Vicarijue iuſſu tunc vocetur.

Cautio diligens ſit, ne alterius nomine quis examen experiatur, exprimentumue ſubeat, quod aliquando factum eſſe compertum eſt.

Quæratur item diligenter de ijs, qui ad examen ſubeundum acceſſerint, an aliàs inſtitutis de more examinandi quæſtionibus, experimentum, periculumue ſui fecerint, anque ſi quid extet, quod de illis compertum, vel deliberatum ſit.

Ne examinis initium fiat, niſi præſentes adſint tum Epiſcopus, vel Vicarius, tum examinatores ex præſcripto Concilij Tridentini, ad minimum tres, cum de beneficio curato quauis ratione conferendo examen inſtituitur. Id quod locum etiam habeat deinceps, cum vel de aliquo maioribus ordinibus initiando vel de concionatore, confeſſarioue approbando examen conficitur.

Cum quis in examen venerit, eius vultus, & habitus corporis, & veſtitus, & inceſſus, & geſtus, & ſermo inſpiciatur diligenter.

Si quis vel clericali veſtitu deformi ab ordinis Eccleſiaſtici decore aut diſciplina alieno indutus, vel ſine congrua pro ſui ſtatus, & ordinis ratione tonſura acceſſerit, ne ad vllam examinis, experimentiue rationem ei aditus fiat, niſi decenti veſte amictus, & tonſura præſcripta ad illud redierit.

Ne de vllo quoque initiando, ſi modo non aliter Epiſcopus aliquando cenſuerit, examen, experimentum ve antea fiat, quàm ætatis, natalium, aut diſpenſationis conceſſæ, beneficij Eccleſiaſtici, vel penſionis patrimonijve teſtificationes ſcriptas, eaſdemque à Vicario Epiſcopali recognitas, illiuſque ſubſcriptione ſignatas, ac probatas attulerit, exhibueritve: niſi aliquando Epiſcopus eas poſt examen exhiberi, recognoſciue iuſſerit.

Neque item, niſi alias præſcriptas decretis prouincialib9, edictoue Epiſcopali teſtificationes dederit.

Nec verò præterea, niſi de eo à Cancellario Epiſcopali examinatores audierint, cognouerintue, quæcumque Epiſcopi iuſſu inquiſitiones de eo factæ, atque ex officio præſcriptæ, aliorum litteris ſignificatæ, vel denunciatæ, vel delatæ ſint.

Teſtificationes verò omnes, tum ab eo, qui initiandus eſt, tum ab alio quouis examinis occaſione exhibitę, Cancellario Epiſcopali reſtituantur, tradanturve.

Cuius ſit illas ipſas in codicem certum, eo nomine confectum, ſummatim referre, eundemque in Archiuio Epiſcopali aſſeruare. Verùm teſtificationes ætatis, natalium, ac ſi de eo, qui maioribus ordinibus initiandus eſt, agitur, patrimonij, beneficij ve Eccleſiaſtici idem Cancellarius aſſeruet; ac literis publicis, quas de eo, qui ordinem ſuſceperit, conficiet, de illis pro ratione ſibi præſcripta teſtatum faciat.

Cum examen igitur illius, cui in curam certa Eccleſia parochialis tradenda eſt, videant ante examinatores, qui, qualis, & quàm numeroſus populus ſit, cuius parochialẽ curationem is ſuſcipiet.

Qua ſanè re diligenter explorata in examine, quod inibunt, ſibi proponant accuratè perſpicere, an ad eam curam ſuſcipiendam, gerendamve idoneus omnino ille ſit.

His omnibus ita præſcriptis, examinatores ordine ad interrogationes, quæſtionesve veniant. Atque in examine quidem ea ratio ineatur, vt interrogationes quæſtionesve is examinator proponat, quem pro viciſſitudinis ratione, & pro doctrinæ, diſciplinæve genere, modo hunc, modo illum, in eo ipſo examine Epiſcopus, Vicariusve, examinis præſes, interrogari iuſſerit, vt ne vnus alterum vario, multiplicique interrogationum modo certatim interpellet.

Interrogationum porrò, & quæſtionum rationem examinatores ita teneant, vt illis inter ſe ſic diſtributis, examinis inſtituti rationibus, prout oportet, cumulate ſatisfactum ſit; atque eorum vnuſquiſque quo de genere quærere inſtituerit, ita de eo quærat, interrogetue, vt quemadmodum pars eſt, illius generis quæſtiones, interrogationesve ſatis explicatæ ſint.

Silentio, dum examen habetur, vtantur: nec inter ſe colloquia, confabulationesve habeant: nec mutuas itidem quæſtiones, dubiorumque explicationes ſibi proponant; ſed ad illius, de cuius doctrina interrogationibus quæritur, reſponſiones attenti, animum attentionis ſtudio eidem addant, ad rectè explicandas propoſitas ſibi quæſtiones. Nec verò examinatorem, loco ſuo interrogantem, alius interturbet: ſed vnuſquiſq; expectet, dum ſibi ordine, pro quæſtionis genere, rationesue interrogare contigerit.

In quæſtionibus, interrogationibusve proponendis, non verbis, non aſpectu, non vllo modo ſeueros, vehementeſque ſe præbeant; vt, qui examen ſubeunt, ſeueritate deterriti, animum ne deſpõdeant, memoriaque langueſcant, ac vacillent non ſine aliquo dedecore: at benigni, gratique animi ſignificatione illos, vel differẽtes, vel reſpondentes audiant: nec verò quibuſdam interrogatiunculis, aliave vlla ratione interpellent.

Si quid autem vel in differẽdo, vel in legendo, vel in pronunciando, vel in reſpondendo eos offendere animaduerterint: ne tunc illos doceant, obiurgentuè, ac ne moneant quidem, niſi quid ad examen rectè inſtituendum per ficiendumve pertineat; ſed examine peracto eos breui admoneant, doceantve, ſi quid neceſſariò illos tunc admonẽdos, docendoſve duxerint.

In omnibus porrò, & ſingulis examinis interrogationibus ſpectetur non ſolùm vniuſcuiuſque eorum, qui examinantur, ſcientia; ſed etiam vſus, iudicium, ingenij vis, ac ſolertia.

Examinis autem omnium ea ratio inſtituta ſit.

Vt primo de toto vitæ ſtatu, genere, patria, domiciliove eius quæratur, qui examen ſubit.

An impedimentum aliquod habeat, quo irretitus, vel initiari, vel beneficium Eccleſiaſticum, cuius nomine experimentum fit, vel prædicandi munus, vel confeſſiones audiendi ſuſcipere, ac exercere non poſſit. Quo impedimento, ſi quis etiam occultè illigatus tenetur; id planè Epiſcopo ſaltem patefaciat, ne quiſquam illegitimè vel initietur, vel beneficium conſequatur, vel aliud munus, ſuſcipiat, geratve.

An in orationis ſanctæ ſtudio, vſuque verſatus.

Quibus meditationibus inſtructus, DEVM tacitus oret.

Qui orationis modus.

Qui illius fructus, quæve vtilitates.

Quod, quibuſve partibus illa conſtet.

Quæ regulæ præparationis ad orationẽ, & cætera multa

iuſdem generis, prout prudens, piuſque examinator pro raione aut perſonæ, de qua quæritur, aut cauſæ, ob quam fit exmen, opus eſſe viderit.

His perquiſitis, examinatores, ad ſcientiæ, eruditionisue xperimentum deſcendant. Vt autem ij certam ſibi formuam proponant, qua illorum, qui examinantur, & litterarum loctrinam, & vitæ clericalis diſciplinam, & rei Eccleſiaſticæ eritiam experiantur; in omni experimenti, examinis ve ratione, ſacris biblijs, catechiſmo Romano in primis, Concilio Tridentino, ſacrorum canonum decretis, & alijs pontificijs onſtitutionibus, ſynodiſque tum prouincialibus, tum diœceſanis vtantur, vnde ſuas interrogationes hauriant, quibus, prout eſt illorum ingenij captus, explorent eorundem & ſcientiam, & Eccleſiaſticarum rerum notitiam, atque vſum.

Cautio autem ſit, vt ſi, dum quis interrogatur, ita rudem, atque ignarum ſe oſtendat, qui rerum facilium, minimarumque nullam ſcientiam, vſumque teneat, ne aliarum rerum difficilium interrogationibus tempus conteratur.

Rurſus cum quempiam, quanta doctrina, & vſu litteratè peritus ſit, exploratum erit, non eſt, cur pluribus interrogationibus ſecum diutius agatur.

Nunc igitur vniuersè infra præſcribemus, quæ ad rationem pertinent vniuſcuiuſque examinis eorum, qui vel ordinis Sacramento initiantur, vel parochialium Eccleſiarum curā, vel alterius beneficij munus ſuſcipiunt, vel ſacræ confeſſionis audiendæ officiū ſumūt, vel ad verbi Dei prædicationē mittuntur. At verò ſpeciatim longè plura, atque adeò paucio ra, prudentum examinatorum, ac præſertim Epiſcopi, eiuſue, qui examini præeſt, iudicio relinquuntur, & pro eorum captu, qui ad examen accedunt, & pro ordine, quo quis initiandus eſt, & pro ratione locorum, qui mittuntur, & pro genere doctrinæ, quam profitentur.

Qui verò earum rerum, quæ certis interrogationibus demonſtratę, in hac instructione continentur, ſe minus eruditos eſſe oſtenderint; eos Epiſcopus admoneat, vt diligenter in poſterum in doctrinis incumbant, atque harum ipſarum rerum in primis peritiam, & ſcientiam percipere ſtudeant; ita, vt cum viſitationis munus, aliaue eorum ſtudijs, & progreſſus in litteris recognitio adhibebitur, rectè periteque omni eo doctrinæ genere inſtructi comperiantur.

Ac primo quidem eum, de quo examen faciendum eſt, legere examinatores iubeant, quoad experiundo videant, an ille rectè, explicateque legat.

Pòſt, ſi ordinis, aut beneficij, aut recognoſcendæ clerici cuiuſquam in litterarum ſtudio progreſſionis cauſa experimentum ſit, grammaticorum more, verborum conſtructionem proponant: quo in genere, ſi quid is errat, labiturue, ita vt ne pro grammaticæ quidem ratione, illorum vſum, peritiam ve teneat, ne propterea eum interturbét, interpellentue, aut impediant, quominus ad propoſitum grammaticę inſtructionis modum redire poſſit.

Tum verborum, quæ legerit, conſtruxeritue, ſenſum ab eo quærant: quem vt rectè eliciat, atque exprimat, quod ei legendum proponunt, eiuſmodi ſit, quo tota ſententia, ſenſuſque perfectus concludatur, nihilque in ſe habeat, quod ſub hiſtoriæ intelligentiam cadat, aut ex antecedenti, conſequentiue alio capite explicatio exiſtat; deinde ad alia grauiora eius doctrinæ, diſciplinæue exprimenta examinatores progrediantur.

Qui primam tonſuram, aut minores, maioreſue ordines ſuſcepturi, ad experimentum, examenue accedent, ab vnoquoque eorum vniuerſe, ac ſigillatim quæratur præterea, an impedimentis, quæ Concilij prouincialis quarti decreto de initiandis, commemorata ſunt, irretiti teneantur, vt potè an ſcilicet ſint,

Minores natu:
Rudes, & ignari.
Criminoſi.
Solemniter pœnitentes.
Neophyti.
Ebrietati, & gulæ dediti.
Impudici.
Lapſi poſt ordinem ſuſceptum.
Periuri.
Vſurarij manifeſti.
Infames.
Ratiocinijs obligati.
Serui.
Corpore vitiati.
Inſigniter deformes.
Illegitimè nati.
Peregrini, & ignoti.
Bigami,
Irregulares quouis alio modo.

Quo in genere cautio ſit, vt præter alia, ſpeciatim perquiratur ab eo,

An ſtipendium belli fecerit, vnde cædes hominum extiterit.

An iudicis criminalis in foro laicali officium geſſerit.

An ſententiam capitis tulerit.

An criminis, cuius nomine capitis quis damnatus ſit, acta, ſententiam, teſtificationeſque dictarit, aut conſcripſerit.

An in eo procuratoris aduocatique fiſcalis munus adminiſtrarit, aliaque exercuerit, vnde irregularitatis maculam contraxerit.

An ſuſpenſi.
An interdicti:
An excommunicati.
An amantes.
An morbo caduco laborantes.
An energumeni.
An verò non examinati, & probati.

Exploretur item, an furtim, per ſaltumue ordinem ſuſceperit.

Inueſtigetur præterea, cum quis ordinem aliquem ſuſcepturus, ad examen venit, quandiu eſt, quo alium ordinem ſuſcepit, vt nemini ad altiorem gradum pateat aſcenſus, niſi in ſingulis alijs inferioris ordinis gradibus congruo temporis ſpatio perſtiterit ad præſcriptum Tridentinæ ſanctionis.

An vim, & naturam, myſteriaque ordinis, quem ſuſcepturus eſt, norit.

An item ritus, & cęrimonias, quæ ex libro pontificali adhibentur, cum initiantur.

An eorum item ſignificationes ſanctiores.

An ſacrarum veſtium, quibus induuntur, myſteria item, & ſignificata.

An functionum notitiam habeat ordinis, quo quiſque initiandus eſt.

An earum vſum, exercitationemque rectè teneat, cùm in litteris, tum etiam in cantu: in quo experimento adhibeantur cantus periti.

Hæc generatim ab omnibus, & ſingulis explorentur. Nunc prætereà ſequuntur, quæ ſigillatim cuiuſque ordinis propria, ſuo loco præſcripta, perquirenda ſunt; ita tamen, vt examinatores pro prudentiæ ſuæ ratione, quæ in ordinis inferioris examine explorationeue requirantur, aliquando etiam perquirant ab ijs, qui ſuperiori ordine initiantur.

De ijs, qui prima tonſura initiandi ſunt quæratur, & inueſtigetur,

Primum, quam ob cauſam ſe clericos fieri velint.
An ſecularis iudicij vitandi cauſa initiari curent.
An contentioſis litibus implicati.
An rixam, ſimultatemque exerceant.

Quod item artificium teneant, quaue in arte, quoue in vitæ genere hactenus verſati ſint.

An tales ſint, qui ſpem præbeant, Eccleſiæ miniſtros vtiles ſe fore.

A quo ſacerdote, ſanctioris vitæ magiſtro, inſtituti ſint ad clericalis vitæ modum.

An legere, & pronunciare, & ſcribere norint, tum in vtroque genere de ijs periculum fiat.

An doctrinę Chriſtianæ præcepta, inſtitutaque ſciant.
An Epactæ intelligentiam habeant.
Præterea an Sacramentum confirmationis ſuſceperint.

De ijs verò, qui in minoribus ordinibus adſcribi volunt, quæratur, experiundoque cognoſcatur.

An ſaltem primordia grammaticæ, & linguam latinam intelligant.

An ſcientiæ ſpes tales eos oſtendat, qui digni ſint, vt ad maiores ordines aliquando aſcendant.

Qui

Qui verò ſacris ordinibus, vt potè ſubdiaconatu, diaconatu, ſacerdotio initiandi ſunt, cum ornati, excultíque ijs virtutibus eſſe debeant, quæ in clericis inferiorum ordinum requiruntur, ſicut ad altiorem ordinis gradum aſcendunt; ita virtutum, & probitatis, & doctrinæ quodam quaſi aſcenſu præſtare debent.

Quamobrem hoc in primis examinatores videant, an qui ordinis ſacramento initiantur, per ſingulos illius gradus, & in vitæ ſpiritualis diſciplina maiorem progreſſionem fecerint.

An breuiarium, anque ſacra Biblia, an item ſanctorum patrum volumina, Concilium Tridentinum, & prouincialia quoque, Synodos Epiſcopi diœceſani, catechiſmum Romanum, rationale diuinorum officiorum, & libros aliquos, de vitæ ſpiritualis rationibus conſcriptos, ſui muneris vſui accommodatos habeant.

A ſubdiaconis potiſſimum de ordinum minorum quæratur, & maiorum differentia.

An in minoribus ordinibus probatus ſit.

De voto item continentiæ, quod ſubdiaconatus ordini coniunctum eſt.

De Sacramentorum etiam doctrina, ſaltem generatim. Tum eorundem periculum, experimentumue fiat in officij diuini recitandi ratione.

Diaconorum examen, experimentumue fiat, præterea aliquantò diligentius de ſacramentorum doctrina.

Experimentum item aliquod fiat in concionibus habēdis, ex ratione concionatorum examini infra præſcripta.

Ab ijs, qui ſacerdotio initiari volunt; hæc ſigillatim ſtudio perquirantur.

An pie, & fideliter in miniſterijs antè actis ſe geſſerint.

An ſpectata pietate, anque caſtis moribus.

An præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ documenta ab eo expectari poſſint.

Hæc præterea quærantur.

Quid ſit Miſſæ ſacrificium.

Qui illius ſacrificij effectus.

Quæ eiuſdem partes.

Quæ myſteria in eo inſint.

Quæ ſacrarum veſtium ſignificationes.

Quæ in eo officio offerendo requirantur.

Vbi, & quando illud fieri non licet.

Quæ dubia aliquando incidere poſſunt.

Quæ explicatione opus habeant, vt illud rectè fiat.

Tum experimentum eorum ex præſcriptis infra regulis fiat.

An ſacræ confeſſionis aliquam peritiam habeant.

An ad alia item Sacramenta rectè, riteque miniſtranda idonei ſint.

An eorum cognitionem explicatiorem habeant, ex interrogationum præſcripto, vt infra de parocho.

An doctrinam item teneant, qua verbum Dei rectè tractare, concionemue habere poſſint.

Anque de re ſacra, de Chriſtianarum virtutum officijs, atque de omni re, ad ſalutem neceſſaria, apte populum inſtruere, aut docere poſſint.

Cum verò à ceteris omnibus, vt præſcriptum paulo ante eſt, qui clericali militiæ adſcribuntur, de vitæ ſpiritualis ſanctiorisque inſtitutis, atque exercitationibus perquiratur, tum maximè ab ijs, qui vel ſacerdotio initiantur, vel parochialem curam ſuſcipiunt, vel ſacræ confeſſionis audiendæ munus ſumunt, vel in tractatione verbi Dei, ſacriſque concionibus verſari volunt.

A quibus omnibus, & ſingulis, cum ad examen veniunt, præter cætera, quæ ad ſanctæ ſpiritualis vitæ vſum, pertinent, ea maximè explorentur, quæ de orandi modo, deque omni ſanctarum meditationum, cæleſtiumue contemplationum exercitatione ab alijs, qui in eo genere religioſe ſe exercuerūt, tradita ſunt.

De ijs verò ſacerdotibus, qui Eccleſiarum parochialium curationem ſuſcepturi ſunt, quæratur præterea, experiundoque cognoſcatur in primis;

An apti ad ſenſus percipiendos, non ſolum qui ad grammaticæ intelligentiam ſumuntur, verùm etiam interiores illos, ſanctioresque tam ad Chriſti Eccleſiæque myſteria, & ad ſpiritualis vitæ modum pertinentes.

An ſermones contexere, habereue ſciant.

An ſi quos habuerint, vnde ſumpſerint, aut quam illis contexendis, conſcribendisve rationem adhibuerint; & verò ſi quos apud ſe conſcriptos tunc habeant, eos oſtendant atque tradant.

An in eo genere aliquid ex tempore poſſint; tunc extemporaneo, breuique ſermone periculum fiat, quantum concionando valeant.

Atque ſi tractationis quidem verbi Dei vſu peritiorem parochum, Eccleſiæ parochialis, quæ committenda eſt, ratio depoſcit; examen aliqua ex parte, quæ potior examinatorum iudicio videbitur, ineatur ad interrogationum normam, concionatorum examini infra conſtitutam.

Quæratur prætereà, an aliàs vnquam animarum curam geſſerint; quod ſi affirment; tum interrogentur etiam, & vbi geſſerint; & cur inde diſceſſerint.

An intelligant, quanti illud ſit, animarum curam ſuſcipere, rurſuſque gerere, quæque partes, ac virtutes illæ ſint, quibus bonum & vigilantē animarum curatorem præditum eſſe oporteat.

An item norint impedimenta omnia, quorum cauſa interdictum eſt, ne quis ſacramenta miniſtret, & ne quis ſuſcipiat.

An Sacramentorum, præſertim verò quorum ille miniſter eſt, vim, & naturam intelligant: atque hæc ſigillatim in primis interrogentur.

Quæ vniuſcuiuſque ſacramentorum materia, quæ forma item.

Quæ eorum efficiens cauſa, & principalis.

Quæ cauſa efficiens inſtrumentalis.

Quæ cauſa finalis.

Quæ eorum differentia.

Qui effectus, quiue fructus.

Qui eorum ritus, quæue cærimoniæ.

An maximè omnium peritiam teneant audiendæ ſacræ confeſſionis.

Quos huius generis libros, atque adeò ſummas habeant.

Tum periculum fiat, quàm valde caſuum conſcientiæ vſu periti ſint, quamque tum in illis, tum in alijs id generis peritè verſati, prẹſertimque in Eccleſiaſticis conſtitutionibus, quæ ad rectum vitæ vſum, populique chriſtiani mores, & virtutes pertinent.

An nouerint caſus, ſanctiſſimo Papæ, & Epiſcopo item à iure, & ab homine reſeruatos.

Atque adeò diligentius, prout opus erit, de ſingulis interrogentur, quæ infra præſcribentur rationi examinandi confeſſarios ſacerdotes.

Videant præterea examinatores, an aliquam ſacrorum canonum notitiam habeant, & præcipuè quod ad Tridētinum, & prouincialia concilia, ſynodoſque diœceſanas attinet, an illi hæc norint, quæ ſequuntur:

An ſcilicet doctrinam de præcipuis Chriſtianæ religionis articulis; quos œcumenica illa Synodus Tridentina contra hæreticos definiuit.

An item, quæ de reſidentia præſcripſit.

An quæ etiam de parochis parochialibuſque Eccleſijs, & de diuinorum officiorum cultu, ceteriſque eiuſdem generis ſtatuit.

An quæ præterea de clericorum honeſtate ſanciuit.

An cætera denique, quæ vel ad cleri, vel ad populi diſciplinam, vel ad aliarum rerum reformationem conſtituit, quæ parochi ſcire, beneque noſſe interſit.

Ex prouincialibus concilijs ſigillatim quærant.

Quæ de clericalis vitæ honeſtate, & de parochorum officijs conſtituta ſunt.

Quæ item de Sacramentorum recta adminiſtratione, quæ de Miſſæ ſacrificio, quæ præterea de diuinis officijs.

Quæ etiam de Sacramentalibus, & quæ de feſtorum dierum veneratione, quæ de Eccleſiarum cultu, quæ de ſcholis doctrinæ Chriſtianæ, quæ de populi Chriſtiana inſtitutione, morumque diſciplina, deque alijs ad parochialis vitæ munus potiſſimum pertinentibus, ſancita ſunt.

Ex ſynodis diœceſanis, eam ipſam, certis capitibus diſtinctam, examinandi rationem ineant, prout genus decretorum eſt, quæ in illis Epiſcopus confecit.

Qui cauſa beneficij, cuiuſuis generis, quod tamen cura-
um non ſit ad examen accedit, de eo hæc inueſtigentur:

An canonicarum horarum officium ex Breuiarij inſtitu-
o, rubricíſque rectè recitare ſciat.

An doctrina, diſciplinaque omni inſtructus, quam ordo
lepoſcit, quo initiari debet, pro beneficij, officij, dignitatiſue
atione, cuius cauſa examen inſtituitur.

An peritiam item teneat functionum, quas illius benefi-
ij, dignitatis, muneriſue ratio poſtulat.

An teneat, quæ ſcitu neceſſaria ſunt ad functiones illas vel
eneficij rectè, ritèque præſtandas, etiam quæ ad rectè canen-
li modum, rationemue pertineant.

Atque hæc quidem ſunt, quæ ad examinis inſtructionem pertinent, eorum, qui aut ordinis Sacramento initiandi ſunt, ut Eccleſijs parochialibus præficiendi, quibuſue beneficia conferenda. Nunc verò ſequitur examinis ratio confeſſariorum, de quibus præter cætera, quæ cum ſacerdotis, & parochi officio, munereue coniuncta ipſis ſunt, hæc etiam ſigillatim, atque exploratiori ratione perquirantur.

De Sacramenti pœnitentię neceſſitate.

Quare inſtitutum ſit hoc Sacramentum, & à quo inſtitutum.

Quæ huius Sacramenti materia.

Quæ forma.

Qui illius effectus.

Qui Miniſter.

Quæ conditiones in eo requirantur.

Quæ regulæ ad dignoſcendum, & diſtinguendum, peccatum mortale à veniali.

Quæ pœnitentiæ partes.

Quæ earum partium ratio.

Quid contritio.

Quæ ad veram contritionem ſint neceſſaria.

Qui contritionis fructus, & vtilitas.

Qua quaſquam ratione ſe ad contritionem exercere poſſit.

Quæ ſigna ſint veræ contritionis.

Perquiratur item, quæ confeſſionis, quæ ſecunda pars pœnitentiæ eſt, natura ſit, atque ſubſtantia.

An diligenter inquirere ſciat, & peccatoris circumſtantias, & peccati item.

Quæ mutent ſpeciem peccati, & quæ in confeſſione explicanda ſint.

Quæ reſtitutionem expoſtulent, quæ radices, cauſæve reſtitutionis.

An dubios, ſuſpectoſue contractus norint, aut ſaltem de ijs dubitationes, & quæſtiones inſtituere, inireue ſciant.

Quibus criminibus annexæ ſint cenſuræ.

An item illarum peritiam, & vim teneant.

An caſus, in quibus irregularitatis macula contrahitur.

An ſaltem in ijs omnibus, & alijs, quæ ad verum, perfectumue huius ſacramenti pœnitentiæ miniſtrum pertinent, ſciant dubitare, & nouerint conſulere peritos, quomodò agendum ſit id de quo in dubitationem adducunt.

Qui item ritus, & ſacræ ceremoniæ confeſſionis.

Quæ conditiones ad confeſſionem verè pœnitentis neceſſariæ.

Qui ordo confitendi, quando quis ſtatim confiteri debeat; quando item confeſſionem iterare.

De ſatisfactione, quæ tertia pars pœnitentiæ eſt quæratur.

Quæ ſatisfactionis partes.

Quis ſatisfactionis finis.

Qui fructus, quæue vtilitates ſatisfactionis.

Quæ in ſatisfactione requirantur.

Qualis, & quanta pœnitentia pœnitenti imponi debeat.

An ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones pro grauitate criminum, & pœnitentium facultate iniungere ſciant.

An item ex Innocentij Tertij præſcripto, more periti medici ſciant infundere vinum, & oleum vulneribus ſauciati, ac quale debeant prębere remedium, aut conſilium.

An præterea canones pœnitentiales rectè teneant.

Quæ differentia ſit ſatisfactionum, pœnitentiarum &c.

De abſolutione indagetur.

Quæ verborum formula requiratur.

Quæ preces, orationesue præterea adhibeantur.

Quis ordo ſeruandus in abſoluendo, tam à peccatis, quàm ab excommunicatione, ſuſpenſioneue.

De ſigillo item confeſſionis plura quærantur, ac pręſertim quæ vis, & quanta ſigilli.

Quæ ſub illud cadunt.

Ex ſanctionibus Eccleſiaſticis, Tridentino Concilio, ſynodis, tum prouincialibus, tum etiam diœceſanis indagetur, qui in illis conſtituta ad pœnitentiæ Sacramentum pertinēt, quæque de cleri, & populi diſciplina, & moribus conſtituta ſunt, vt paulò ante in parochorum examine demonſtratum eſt.

Sed hactenus de ratione interrogationum, quæ examinādis confeſſarijs ſacerdotibus adhibentur.

Iam eſt locus examinis concionatorum, & ſacræ ſcripturæ interpretum, à quibus hæc quærantur.

Primò de doctrinæ articulis, dogmatibuſue Concilio Tridentino explicatis, vt potè de canone, ſcripturæ de peccato originali, de iuſtificatione, de ſacramentis, & generatim, de ſacrificio Miſſæ, de purgatorio, de inuocatione, & veneratione ſanctorum, de ſacris reliquijs, de imaginibus ſanctorum, de indulgentijs, poteſtate, & auctoritate Papæ, de ieiunijs, de diebus feſtis & reliquis multis.

An præterea habeat reliquos Theologiæ notos, & tractatos locos.

Quem in ſcholaſticis præſertim auctorem familiarem habeat.

An ſæpius ſacrorum bibliorum volumina cum gloſſa, aliove commentario ſtudioſè euoluerit; anque in ijs ipſis ita diligenter verſatus, vt inde locos facilè, apteque promere poſſit ad omne ſacræ tractationis genus.

An ſanctarum interpretationum vſu literate peritus.

An ex antecedentibus, & conſequentibus verum ſcripturæ ſenſum elicere norit: anque item hæc Euangeliſtis, in codē narrationis genere verſantibus.

An rurſus temerè, pro ſuoque libito ſacram ſcripturam à vero ſenſu detorqueat.

An tropologicos, moraleſue ſenſus, cum litterali ſenſu nō cohærentes, commentetur.

An explicandis parabolis rectum, pręcipuumque rerum ſenſum ſpectet, prætermiſſis explicationibus, quæ nihil ad propoſitum faciunt.

An traditionum Apoſtolicarum, Eccleſiaſticarumque notitiam teneat.

An in ſanctorum patrum ſcriptis, atque ſermonibus peritè verſatus ſit.

Quem item è patribus maximè in concionando ſequatur atque imitetur.

An ſacrorum temporum myſteria norit, anue ſacrorum rituum, ſignificationes habeat.

An rerum, in Eccleſia ſancta geſtarum, & conciliorum præſertim vniuerſalium cognitionem teneat.

An ſanctorum vitas, hiſtoriamque veram norit.

An congruam canonum ſcientiam teneat.

An ſummorum pontificum iura, atque inſtituta ſciat.

An Conciliorum, prouincialium præſertim, & diœceſanorum decreta in promptu habeat, vt in parochorum examine præſcriptum eſt.

An caſuum conſcientiæ doctrina inſtructus ſit.

An Theologiæ illius myſticæ, quæ tota in ſpiritualis vitæ conſtitutis tradendis, quæque in purgandis affectibus, in reformationeque interiori verſatur, præcepta atque exercitationes benè norit.

An denique ſanctarum meditationum, orationiſque mētalis vſum habeat.

An morum doctrinæ; Chriſtianæque diſciplinæ locos, non ſolum ordine collectos, ſed rectè notos habeat.

Quos locos teneat, quibus auditorum animi excitantur, vel ad Dei amorem, vel ad cœleſtis patriæ deſiderium, vel ad virtutum ſtudium, vel ad deteſtationem ſcelerum, vel ad miſericordiam, vel ad certas præterea affectiones, quæ ad cælum excitatæ, Chriſtianas virtutes pariunt.

An apti denique ſint, atque idonei ad concionem concipiendam, & explicandam, non ſolùm Theologiæ locorum tractatione, ſed ſimilitudinibus, quæ ab agricultura, vinea, ſemente, alijſque rebus ducuntur, quæ ſub ſenſum cadunt, atque

intelligen-

intelligentiam, præſertim eorum, etiam rudium, ad quos cócio habetur.

An ad concionis ingreſſum, recta ratione vtatur, & ab ijs vitijs refugiat, quæ plerique eo in genere admittunt.

An totam concionem rectè, ordineque diſponat.

An dilucidè, diſtinctèque enarret.

An benè pronunciet.

An illius verba pondus habeant, atque vim item, vt non ſolum audientium aures attingant; ſed animos intimè penetrent.

An in tota concione, pro cuiuſque rei, de qua agit, ratione, rectè, apte, decore, & congruenter agat.

Quo in genere omni, & perquirendo, atque explorando, tum in alijs diligentius indagandis, examinatores, prout occaſio tulerit, quam diligentiſſimè inſtructiones adhibebunt, quæ de concionatoribus ad prouinciæ vniuerſæ vſum ex Concilij prouincialis auctoritate, iuſſu noſtro editæ ſunt.

Cum non certæ curæ, alteriuſue beneficij, vel officij, muneriſue, ſed doctrinæ tãtum, aut in literarum ſtudijs progreſſionis recognoſcendæ cauſæ examen alicuius inſtituitur, diligenti etiam illa, præcipuaque diſquiſitione, & interrogationibus, ſupra variè deſcriptis, pro vniuſcuiuſque conditione indagetur illius doctrina, & in miniſterijs Eccleſiaſticis peritia, atque vſus.

Horum vero claſſes quatuor ſaltem, vel etiam plures cóſtitui poterunt, quibus pro peritiæ ratione, experimento illorum facto, adſcribantur.

Primæ claſſi adſcribantur, qui & perfecte concionandi peritia & conſcientiæ caſuum explicationibus ſe tales oſtendant, qui alijs multis prodeſſe, atque præeſſe poſſint, proindeque idonei ſint, non modo ad parochi, ſed etiam ad Præpoſiti, Vicarij foranei, vel Viſitatoris munus, vel ad pœnitentiariæ etiam, aut doctoralis, aut Theologalis præbendæ obeundæ officium, dignitatemue, in Eccleſia cathedrali aſſequendã, atque ad alia id generis.

Secundæ claſſi erunt adſcribendi, qui ſi minus, vt illi concionari perfectè, at mediocriter, tum etiã de ſuggeſto poſſint; quique in caſuum conſcientiæ ſummis ſtudioſè verſati ſint; & verò catechiſmi etiam Romani doctrinam diligenter teneant.

Tertiæ erunt claſſis, qui intelligentiæ tantum aſſequũtur, vt ſi minus accurata, doctaque concione, at ſermonem de altari ſaltem habere, ac Euangelium, prout vſu venerit, enarrare, & explicare poſſunt; & adminiſtrationis Sacramentorum, & caſuum conſcientiæ vſu ita periti ſint, vt qui frequentius incidere ſolent, eos aliquo ſtudio adhibito enodare, atque explicare aptè queant.

Quartæ claſſis, qui ſi non magno litterarum ſtudio, aliquo tamen vſu apti ſunt ad aliquam Euangelij breuem explicationem; & notitiam quandam habent rerum ad docendum populum, quæ ſaluti neceſſariæ ſunt, & ad Sacramentorum adminiſtrationem, caſuumque conſcientiæ explicationem pertinent: ita vt ijs ob ſacerdotum paucitatem, neceſſariamque cauſam, aliquando curatio aliqua ſpiritualis pro loci ratione præſertim ad tempus cõmitti poſſit.

In inferiori claſſe reliqui aſſcribantur, quorum nulla ratio omnino haberi debeat in curatione animarum committenda, ſacramentique miniſtrandi facultate, neq; in ſermonibus ad populum habendis.

In omni hac examinandi ratione Cancellarius pro ſui officij munere hæc præſtet:

Certum librum habeat prouiſionum Eccleſiarum parochialium, aliorũque beneficiorum, quæ examine adhibito, etiã ex literis Apoſtolicis, conferenda ſunt.

Quo in libro rectè, atque ordine ab eo notentur hæc.

Acta examinis, quæ in ſingulos dies, prout examinandi occaſio tulerit, fiunt.

Dies vacationis certi beneficij, & modus item vacationis aliaque id generis.

Dies etiam promulgationis, aut prorogationis edicti, quod de concurſu proponi ſolet; cum beneficij vacationis ratio id poſtulet, & reliqua etiam, quæ ad promulgationem pertinent.

Nomina quoque examinatorum, quos Epiſcopus certi illius beneficij vacantis nomine ad examen conficiendum nominatim delegerit.

Nomina etiam eorum, qui eo nomine examinandi proponuntur.

Dies præterea, quo quiſque examen ſubijt.

Nomina etiam examinatorum, qui interfuerint.

Approbatio, aut reiectio, quam eorum iudicio ſinguli tulerint.

Nomen item, & cognomen eius, quem Epiſcopus tanquã aptiorem, magiſque idoneum delegerit, cui beneficium ab eo conferatur, ad quem ſpectat.

Cui libro alia præterea adſcribat, quæ Epiſcop. cenſuerit.

Librum alterum cõficiat, in quo omnes, & ſingulos, quos vel concionandi, vel confeſſionis audiendæ, vel ſacræ lectionis interpretandæ cauſa Epiſcopus adhibito examine vel probat, vel improbat.

In hoc ipſo libro notet etiam, & nomina examinatorum, & diem, quo examen confecerint, & cauſas item repulſæ, ſi quam aliquis tulerit.

Id ipſum de certo die, examine, probatione, aut reiectione eorum ſeruet, quorum experimentum ſacræ ordinationis cauſa fit.

Tertium librum habeat, in quem examina referat, quæ generatim inſtituuntur, atque adeò conficiuntur ad cleri progreſſionem in litterarum ſtudijs inueſtigandam, atque explorandam.

De initiandis ordinis Sacramento.

IN ijs, quæ œcumenica Synodus Tridentina de ſacra ordinatione ſtatuit, vberius etiam prouincialium conciliorum decretis explicata, multa ſunt, quorum diligens ratio etiam in regularibus habenda eſt: atque eorum quidem capita quędam præcipua infra hoc decreto cõplexi ſumus. Videat igitur Epiſcopus, vt quicquid de ijs ipſis capitibus, vel eodem Tridentino Concilio, vel Synodis prouincialibus, etiam generatim conſtitutum eſt, in illis initiandis quam diligentiſſime ab ipſo ſeruetur.

Culpæ, impedimentaue canonica ordinis ſuſcipiendi quarto Concilio enumerata.

Literæ teſtimoniales Superioris.

Teſtimonium de natalibus, & ætate præſcripta Tridentino Concilio.

Teſtificatio ordinis, proximè ſuſcepti.

Progreſſio in Eccleſiaſtica diſciplina.

Teſtimonium bonum.

Denunciatio nominis in Eccleſia.

Aſſcriptio, & miniſterium in Eccleſia, cui aſſcriptus eſt.

Exercitatio functionum ordinis ſuſcepti.

Frequentia ſacræ communionis.

Reuerentia, atque obſeruantia erga ſacerdotes, & Superiores.

Interuallum anni inter poſtremum ordinum minorum gradum, & ſubdiaconatum, & rurſus inter vnum, & alterum, ex ſacris ordinibus, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas iudicio Epiſcopi aliud poſtulet.

Diligens examen Epiſcopi.

Literarum ſcientia, & cantus peritia, ac aliæ inſtructiones ad ordinis ſuſcipiendi functiones ritè, rectèque obeundas.

Vſus & peritia recitandi diuinum officium.

Loco tituli, cenſuſue teſtificatio præſtitæ profeſſionis regularis præſcripta in Concilio prouinciali ſecundo.

Quod de ordine ſacro annectendo iam pridem decreto Concilij prouincialis primi ex Tridentina Synodo conſtitutum eſt; id in executionis vſum ità ab Epiſcopo inducatur, vt vel presbyteratus, vel diaconatus, vel ſubdiaconatus non ipſis quidẽ canonicis, ſed canonicatibus, & portionibus ſingulis, quæ in cathedrali Eccleſia ſunt, annectatur: nec vero annexionis decretum locum habeat in illis canonicatibus, præbendiſue, quibus in fundatione iam certus ordo annexus eſt.

Quod autem canonicorum ſaltem dimidia pars, cautum eſt, vt ſacerdotio, presbyteratuue initietur, in ea cum dignitates non cenſeantur, totidem canonicatus ſacerdotales conſtituendi ſunt, quot preſcriptam illam dimidiam partem ſaltem conficiant.

Vbi primum vnicuique vel canonicatui, vel portioni ſa-

:r aliquis ordo annexus ab Epiſcopo eſt, ad eum ordinem
ıſcipiendum Canonicus etiã, qui iam illud obtinebat, com-
cllatur.

Si quis autem monitus, non ſuſceperit, priuatus ab illo de-
laretur ad eiuſdem Tridentini Concilij præſcriptum.

Si cui etiam ſedis Apoſtolicę litteris facultas permiſſa eſt,
ibi licere ordinis Sacramentum ab alio, quam Ordinario ſuo
uſcipere, is, antequam initietur, etiam ſui ipſius ordinarij lit-
eras obſignatas habeat, quibus vitæ ſuæ mores, diſciplina,
robitas & cætera id generis teſtificata, commendentur.

Quod prouinciali tertio Concilio decretum eſt de ratio-
ne ſeruanda in concedendis litteris dimiſſorijs ab Epiſcopo
mpedito ſuis diœceſanis pro ordinibus ſuſcipiendis, id locũ
tiam habeat Epiſcopo abſente.

Clericos verò, à diœceſi abſentes, qui dimiſſorias litteras
etunt, Epiſcopus ad ſe, examinis cauſa euocet; licet tamen ei
liquando, ſi hoc minus commodè præſtari poſſe cenſuerit,
xamen illud ſpeciatim Epiſcopo delegare, in cuius diœceſi
illi morantur: aut vero tunc litteras dimiſſorias ne det, ante-
quam examinis facti litteris ab eo acceperit, cui illud delega-
uit.

Ne Abbates, etiam baculi, & mitræ iure vtentes, alioue e-
iuſmodi priuilegio, & auctoritate conferendi minores ordi-
nes, munitos, patiatur Epiſcopus diœceſanus tonſuram, neq;
minores ordines, id quod Tridentina Synodus vetuit, alijs
conferre, quam ijs, qui regulares ſunt, & eorum iuriſdictioni
ſubiecti, niſi & ipſius Epiſcopi conſenſus ante accedat, & illi
initiandi à ſuo Epiſcopo, vel regulari ſuperiori attulerint lit-
teras dimiſſorias, non generatim ſed ſpeciatim conceſſas. Nec
verò quibuſuis Abbatib. id permitti liceat, ſed ijs tantũ, qui ſa-
cerdotio initiati ſunt, & ſtatis benedictionis precib. cõſecrati.

Qui ſubdiaconatus ordini adſcriptus eſt, cum ſtatim lege
adſtrictus ſit, canonicarum horarum officium, ex Breuiarij
præſcripto recitandi; nemo ad eum ordinem capeſcendum
recipiatur, qui in horarij illius officij, cuius lege deuinctus te-
netur, rectè, ac ritè recitandi vſu peritus non ſit. Inferioribus
verò ordinibus initiandi, qui nullum beneficium obtinent,
verſati ſint in beatæ Mariæ officij recitatione.

Quod alio Concilio vetitum eſt, ne ſeminarij titulo cui-
quam Epiſcopus ordinem aliquem ſacrum conferat, id de-
cernimus locum habere, niſi cum beneficij, ſeminario vnio-
nis iure adiuncti, vſui, & cultui miniſterium eſt ab illo præ-
ſtandum: tuncque certus annuus cenſus conſtituatur, vnde
qui eo titulo ordinem ſuſcepit, ſuſtentari queat Epiſcopi iu-
dicio.

Nec verè tamen is in illo cenſu vllum ius habeat, cum pri-
mum aliunde habuerit, vnde itidem vitæ ſuæ ſuſtentationi
Epiſcopi iudicio conſultum, & prouiſum ſit. Quod ſi aliunde
ex parte tantum eius ſuſtentationi prouiſum ſit; tunc extincta
cenſeatur illa cenſus attributio pro tanta parte, quantam ad il-
lam ſuſtentationem aliunde habet.

Penſionis, & patrimonij, quod quis habet, & bonorum i-
tidem, quæ perpetuo etiam eo nomine ab aliquo ei donantur,
titulo Epiſcopus ſacrum aliquem ordinem, alicui, etiam fa-
miliari etiam ſi alienæ diœceſis ſit, modo poſt triennium ab
initio familiaritatis, ſi Eccleſiarum ſuarum vel neceſſitatem
vel vtilitatem hoc flagitare iudicarit, vt ſacris ille initietur.

At verò etiam, ſi quis ei, qui ſacris initiandus eſt, verè ſpõ-
deat certa cautione, ſe quæ ad vitæ cultũ vſui neceſſaria ſunt,
ſuppeditaturum, ſaltem donec ei aliunde prouiſum ſit, huic
ob ſacerdotum penuriam ab Epiſcopo ſacer ordo conferatur
licet, ſine alicuius etiam vel beneficij, vel patrimonij titulo.

At vero hæc in primis Epiſcopus diligentiſſime videat, vt
penſionem, patrimoniumve illud verè obtineat, vtque ea
donatio, ſponſioue verè ac ſine fraude, doloue facta ſit: eiuſq;
tabulæ vt ritè, & rectè confectæ ſint: vtque penſio, patrimo-
niumue, & quæ dono data ſunt, tantum inde cenſus percipia-
tur, vt ſatis eſſe poſſit ad illius honeſtam vitæ ſuſtẽtationem,
qua in re omni cognoſcenda promulgationes adhibeat, & re-
liquam diligentiam, quarto prouinciali Concilio in hoc ge-
nere præſciptam.

Videat etiam omnino, vt quemcunque eiuſmodi titulis
ordinauit, etiam familiarem ſuum, certæ illum ECCLESIÆ
addicat, vbi ordinis ſuſcepti functiones, ac munera, vt ipſius
Concilij decreto cauetur, ipſe verè præſtet.

Eo ſermone, quem pridie, quo ſacra ordinatio celebra-
tur, prouinciali decreto haberi inſtitutum eſt, illud in primis
ſpectetur, vt quæ monitiones poſtero die de libro pontificali
leguntur, diſertis verbis, iiſque vulgariter conceptis explicẽ-
tur vberius.

Vnuſquiſque porrò eorum, qui ſacris ordinibus initiabũ-
tur, etiam atque etiam diligenter admoneatur, quod, quamq;
ſanctum munus ſuſcepturus eſt.

Verùm eius ſermonis vis, in ſubdiaconis potiſſimum mo-
nendis verſetur, quo rectius, dum integrum eſt, deliberare
poſſint, an caſtitatem, quæ perpetua illi ordini eſt annexa,
profiteri velint, eoque accuratius propterea in graui illa deli-
beratione videant, quod Deo auxiliante præſtare poſſe ſpe-
rent, neque in eo Eccleſiaſtico, ſpiritualique munere ſuſcipi-
endo quicquam agnatorum, vel huiuſmodi aliena voluntate,
ſed ſua ſpontanea deliberatione agant, nec verò in ſacri eiuſ-
dem ordinis ſuſceptione, vitæ huius commodum, aut aliud
quicquam eiuſmodi, ſed Dei honorem ſibi propoſitum habe-
ant. Huius generis ſermo, à quocunq; appoſite habeatur; vti-
lis ille quidem eſt, at multis partibus longe vtilior erit, atque
opportunior, ſi eundem Epiſcopus accurrate, ſtudioſeque ha-
buerit.

Quicunque clericus, alicui Eccleſiæ adſcriptus, vbi ordi-
nis à ſe ſuſcepti, functiones obeat memor complurium San-
ctorũ, qui vel toto vitæ tempore, vel multis ſaltẽ annis, in ali-
cuius etiam minoris ordinis miniſterio, munereue religioſe
verſati, ad altiorem ſe ordinis gradum prouehi paſſi non ſunt;
eorum recordatione, exemploque excitatus illud ſedulo cu-
ret, atque adeò efficiat, vt ordinis, quo proxime initiatus eſt,
præſcriptas functiones, non elatè, ſed humiliter, non raro, ſed
frequenter, non negligenti ſtudio, ſed accurata, vereque cleri-
cali ſollicitudine, & diſciplina, pie, rectè atque ritè pręſtet. A-
lioqui ſi in ſanctis ijs functionibus negligenter, contraque ac
præſcriptum eſt, ſe geſſerit; illud norit, eo voluntatis ſuæ teſti-
monio, ſibi apud Epiſcopum aditum præcludere ad altiorem
gradum aſcendendi.

Præfectus autem, rectorue Eccleſiæ teſtimonium de cle-
rico facturus, qui functiones in ſua Eccleſia obierit, hæc teſti-
ficationis ſuæ litteris ſpeciatim, vereque exprimat, quas ſcili-
cet functiones, & quamdiu, & quam diligenter, & quàm piè, &
quam decenter, rectè ritèque præſtiterit.

Exorciſtæ munus cum ſit, energumenis manum impo-
nere, à quibus, vt mali ſpiritus eijciantur, ieiunia, & orationes
Chriſti Domini teſtimonio adhiberi iuuat: eos porrò cleri-
cos, qui in exorciſtarum numero adſcribentur, curet Epiſco-
pus in ieiunijs, & orationibus frequentius ſeſe exercere.

Vt Acoluthi munus, quod præter cæteras functiones fuit,
Epiſcopum comitari, ad eam ipſam functionem, aliqua ex
parte reſtituatur; curet Epiſcopus clericos, quos in eo ordine
adſcripſerit, eam in loco, vbi ipſe eſt, aliquando præſtare, vt
opus eſſe cenſuerit, præſertim, cum ad aliquod Epiſcopale
munus obeundum accedit. Siique complures eiuſdem ordi-
nis ſunt; rationem certam ineat, vt per regiones diſtincti, in
orbem id muneris præſtent.

Quæ ad clericorum honeſtatem attinent.

DE tonſura clericali decretum in Concilio prouinciali
primo confecimus: ſed vt pro ordinis, quo quiſ-
que initiatus eſt, ratione, illam magnitudine diſtinctam, con-
ſpicue ferat; certam, atque præfinitam illius formam hoc de-
creto deſcribi placuit; quam omnes ita ſeruare iubemus, vt
neque ea minorem, nec verò etiam maiorem quiſquam om-
ninò, Epiſcopo inferior, gerat, quacumque dignitate ille præ-
ditus ſit.

Sacerdotalis igitur tonſuræ forma, in orbem ducta, latè,
& amplè pateat vncijs quatuor.

Diaconalis, vncia vna minor.

Subdiaconalis, aliquanto anguſtior, quàm diaco-
nalis.

Minorum denique ordinum corona lata ſit vndique vn-
cijs duabus.

Vnciæ autem menſura eſt ad præſcriptum inſtructio-

num

num fabricæ Eccleſiaſticæ.

Clericus, qui amictu clericali indutus incedit, ne in propinquorum, ne parentum quidem obitu, veſtes lugubres more laicorum induat, geſtetque. Neq; verò veſtis formam, aut panni genus, quo clerum vniuerſum vti moris eſt, commutet, ſed pium erga propinquos mortuos charitatis ſtudium officiumq́ue præ ſe ferat omni alia ratione, quæ cum clericalis ordinis decoro, dignitateq́ue omnino conueniat.

Quæ in Concilio prouinciali primo ijs, qui ſacris ordinibus, & ſacerdotio initiati ſunt, quique Eccleſiaſticum beneficium obtinent, de ſecularibus negotijs fugiendis conſtituta ſunt; eadem pœnis ijſdem, vel alijs, quas arbitratu ſuo Epiſcopus edixerit, irrogaritue, illis præſcribimus, qui minorum ordinum clerici ſunt, etiam ſi nullum beneficium obtinent, ſi modo clericalem veſtitum deferunt, cum præſertim iam inde vſque à teneris annis ſe religionis, pietatiſque inſtitutis, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ moribus imbuant oportet, qui in ſortem Domini vocati ſunt. Atque in ijs quidem, quæ illis vitanda ſunt, hæc etiam cautio ſit, ne ſine Epiſcopi conceſſu, eoque litteris exarato, laicis in ſeruitute, famulatuve operam nauent.

Nec vero cuiquam clerico eam facultatem det Epiſcopus in aliqua re inſeruiendi, quæ clericalis vitæ rationibus, pietatiſque officij non admodum conueniat.

Quæ ad beneficiorum collationem attinent.

CVm aliquis examinatur ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, cui prouidendum ſit, de eo experimentum fiat examine non ſolum in litterarum ſcientia, ſed etiam in cantus peritia, ad illius beneficij functiones ritè, & rectè obeundas, tum præterea in vſu, ac notitia, quam in recitandis diuini officij horarijs precibus habeat.

Vbi primum præbenda, vel Theologalis, pœnitentialis vacauerit, etiam ſi illius conferendæ ius ad alium, quam ad Epiſcopum, præterquam ad ſedem Apoſtolicam pertineat, edictum de more proponatur, quo ad concurſum euocentur, quicumque ſint, qui illius muneris cauſa examen ſubire velint, aliosue nominare, qui ſubeant; confecto autem conſtituti temporis ſpacio, vniuſcuiuſque eorum, qui illo nomine conuenerint, periculum, experimentumue in litteris, ac doctrinis omni vel diligentiſſima percũctationum, quæſtionumue ratione, fiat; Epiſcopus, adhibitis ſibi pro arbitrio ſuo alijs peritis, probiſque viris, tum etiam de illorum vita, moribus, ætate, gradu, ordine, cæteriſque conditionibus, ad tale munus neceſſarijs, accuratè perquirat. Tum demum Epiſcopus ipſe ſolum rebus ijs omnibus accuratè perpenſis, maturè in Domino deliberet, & liberè deligat, quem pro conſcientiæ ſuæ religione digniorem, aptioremq́ue exiſtimet, cui tale munus, tantique ponderis rectè committatur. Qua in deliberatione idem videat, vt quod præſertim ad pœnitentiarium attinet, cum peritiam neceſſariam ſpectarit, tum maximè vitæ innocentiam, morum grauitatem, ſpiritualium exercitationum ſtudium, & vſum diuturniorem in audiendis confeſſionibus exercitatiorem prudentiam, ceteraſque religioſæ pietatis virtutes perpendat.

Ei autem, quem potiſſimum elegerit, nec verò alij cuiquã conferatur ab eo, cui ius competit, etiam ſi capitulum ſit.

Quicunque præbendam Theologalem, vel Tridentino decreto, vel alia auctoritate, rationeue inſtitutam, in cathedrali, collegiatiſue Eccleſijs obtinet, is, & quæ ſacrarum lectionum genera, & quibus diebus E P I S C O P V S præſcripſerit, vt interpretationis ſuæ munere fungatur, accuratè ad illius præſcriptum præſtet: ita vt etiam ſi expedire cenſuerit, & in ſeminario, & in alijs clericalibus, ſacerdotalibuſue collegijs doceat: in Baſilica vero cathedrali ſaltem die feſto ſemper ſacram ſcripturam publicè interpretetur, & exponat, niſi aliquando aliud iuſſerit Epiſcopus.

Idem ab Epiſcopo, aut ab alio conſultus, Theologiæ quæſtionibus, alijſue eius generis gratis reſpondeat: cæteraque denique omnia præſtet, quæ pro ſuſcepti muneris ratione ab eo præſtari debere idem Epiſcopus cenſuerit.

Perlatum ad nos eſt, in nonnullis prouinciæ huius Eccleſiis clericos aliquos, qui ob beneficia, officiaue, quæ in ijs obtinent, non ſolum in choro adeſſe, ſed alia miniſteria, aliaſque functiones clericales ibi præſtare debent, à Capitulis certè illi canonicorum numero adiungi, eamq̀ue ob cauſam ſupranumerarios vocari, hocq̀ue ipſum fieri, nulla eis collata præbenda, nulloque ſæpe attributo cuiuſuis generis emolumento, cenſuue, ij autem eo ſolùm titulo contenti, cum id ſibi ſumant, vt inferiora miniſteria, quæ anteà obire cenſuerant præſtare planè recuſent, hæc ſanè incommoda, grauia illa quidem, accidunt, quòd & Eccleſiæ debitis numerum functionibus fraudantur, & diuinus cultus minuitur, ac labefactatur & ordo Eccleſiaſticus, cum vnus plurium partes, officiumq; præſtare non poſſit, contra, ac legibus canonum cauentur, non ſine magna offenſione peruertitur, & pernicioſæ ambitionis occaſio hominibus Eccleſiaſticis manifeſtò datur. His porrò incommodis, atque adeò malis, decreti huius prouincialis auctoritate occurrendum cenſuimus.

Itaquè ſi quos aliquando, vt iure permiſſum eſt, canonicos ſupranumerarios creari contigerit; id iuſtis ſolùm cauſis, ac penè neceſſarijs, ijſdemq̀ue comprobatis, & perrarò quidem fieri ſtatuimus. At verò qui in ea ipſa E C C L E S I A beneficij, quod ibi obtinet, cauſa, operam, miniſteriumue nauare debet, quod cum canonicali officio, & gradu non conueniat, neque præſtari ſimul poſſit, ſupranumerariũ fieri, creariue prohibemus. Quicumque verò ita adſcriptus eſt, ne à muneribus miniſterijſue, quæ priorum beneficiorum nomine in ea Eccleſia à ſe præſtari debent, liber, aut immunis vllo modo ſit: immò vt illa præſtet, & fructuum mulcta, & omni alio iure, vt canonibus decretiſq̀ue Tridentinis cautum eſt, Epiſcopus omninò agat.

Vacante Eccleſia parochiali, cuius conferendæ ius non ad Epiſcopum diœceſanum, ſed ad alium, etiam ab Epiſcopali iuriſdictione exemptum, & regularem item ſpectat, edictum de concurſu proponat Epiſcopus diœceſanus; & quicumque examen eo nomine ſubire volent, ad ipſum conueniant, qui exploratione per examinatores ſynodales facta, ex probatis digniorem, & magis idoneum deligat, cui vacans illa Eccleſia ab illo conferatur, cuius ius eſt. Si ſecus fiat, collatio reſciſſa, nullaque ſit.

Eadem ratio omnis adhibeatur in parochiali Eccleſia vacante, quæ iuriſpatronatus eſt Eccleſiaſtici, vel mixti, cuius inſtitutio non ad Epiſcopum diœceſanum, ſed alium quemcumque, etiam exemptum, & regularem, item, vt ſupra, pertinet; ita tamen, vt quem Epiſcopus diœceſanus digniorem elegerit, is à patrono præſentetur ei, ad quem ſpectat inſtitutio.

Si verò ad ſummum Pontificem inſtitutio ſpectat, vel quia in menſibus reſeruatis vacauit, vel alia cauſa, tunc Epiſcopus digniorem eligat, & ex præſcripto earundem litterarum Pij V. à ſummo Pontifice inſtituendum. Intereà verò dum huius generis examina & approbationes fiunt, & inſtitutio locum habet; idem Epiſcopus diœceſanus idoneum Vicarium, qui onera vacantis illius Eccleſiæ ſuſtineat, attributa ei congrua pro arbitrio ſuo fructuum portione, conſtituat, donec ei rector præficiatur.

In Eccleſiarum curatarum permutatione, coram Ordinario facienda, ne locum habeat, quod primo prouinciali Concilio decretum eſt de proponendo edicto examinis cauſa in vacatione Eccleſiarum parochialium. Si tamen vel parochialium hominum multitudo valde inæqualis eſt, vel qui permutant, quo tempore parochiales illas Eccleſias adepti ſunt, examen præſcriptum non ſubierunt, fiat tunc de illis experimentum examinis, ſed abſque concurſu.

Idem examen ſine concurſu adhibeatur de eo, qui beneficium ſimplex commutat cum alio, quod curam animarum habeat, ſi quando eiuſmodi permutatio coram ordinario fieri iure poteſt.

Quamuis Pij Quinti conſtitutione, ſublata non ſit facultas illa, quæ in Eccleſijs parochialibus conferendis data eſt, tum ſynodo prouinciali addendi, ac detrahendi præſcriptæ formæ examinis, tum vnicuique E P I S C O P O, ſi certis quibuſdam de cauſis pro ſua conſcientia cum deputatorum conſilio ita expedire cenſuerit, loco concurſus priuatũ aliud examen ineundi: videat tamen Epiſcopus, ne fa-

ltate ſibi data abutatur, neque verò illam adhibeat, lo modo, niſi opus eſſe viderit, certis illis expreſſis cau-ſ.

Quod ſynodi Tridentinæ auctoritate quarto concilio rouinciali noſtro permiſſum eſt, ſimplex beneficium habē-,alterum etiam eiuſdem generis, quod perſonalis reſidentiæ unus non requirat, ob honeſtam illius vitæ ſuſtentationem onferri; id ita locum habeat, vt ne tamen eo prætextu cauſa-e vitæ honeſtè ſuſtentandæ, plura, quàm duo, beneficia ſim-icia vni eidemque conferri liceat, ſine conceſſu, permiſſu-e ſedis Apoſtolicæ.

Si cappellania etiam ſimplex, aliudue beneficium, etiam ıriſpatronatus, ex præſcripto erectionis, fundationiſue, aut terius conſtitutionis certum ordinem, aut alias conditiones equiret in eo, de quo vel collationis, vel inſtitutionis, el alio nomine prouidendum eſt illud beneficium; ne Epi-copus deinceps, etiam patronorum conſenſu, permittat, oncedatve, vt quiſquam ſine ſedis Apoſtolicæ diſpenſatio-e illud beneficium aſſequatur, quod vere eo ordine non t initiatus, quamuis ætate congrua ſit pro illo ordine ſuſci-iendo, neque qui alijs conditionibus præditus non ſit, & uas illa vel erectio, vel fundatio, vel conſtitutio requi-it.

Quibus in Eccleſijs optionis ius eſt, vbi dimidia pars fru-tuum præbendæ in illius vacatione, vel ſacriſtiæ, vel fabri-æ Eccleſiæ ſoluitur, ea pars pro ratione præbendæ, quæ rimo vacauit, ſoluatur.

Idque ab omnibus præſtetur, qui ordine deinceps ſinguli ccaſione illius vacationis vel ad eam ipſam obtinendam op-ionis iure vſi ſunt, vel ad alias conſequendas, quæ occaſione ptionum ſucceſſiuè vacarunt; ita vt vnuſquiſque ſoluat pro ata tantum acceſſionis redditüum, ſibi illo ipſo optionis iu-e factæ. Hæc porrò ſolutio, vbi quiſque primi anni fructus x præbenda, quam ſibi iam optauit, perceperit, ſtatim ab eo præſtetur. Reliqua item, quæ de parte fructuum dimidia per-ſoluenda olim decretis prouincialibus conſtituta ſunt, ad eo-rum præſcriptum ſeruentur.

Auctoritate Concilij Tridentini, & conſtitutionis, à Pio Quinto, Pont. Max. editæ; iam nunc ſtatuta, priuilegia, con-ſuetudines, & illas denique cuiuſuis Eccleſiæ conſtitutiones reſcindimus, planeque abrogamus, quibus cautum eſt, va-cantium in Eccleſiâ dignitatum, canonicatuum, præbenda-rum, portionum, beneficiorum, atque adeò officiorum fru-ctus, vel diſtributiones etiam quotidianas, quæ inde primo vacationis anno, aut longiori, breuiorive tempore obuene-rint, menſæ Epiſcopali, vel canonicali, aliiue loco omnes, vel partem aliquam obuenire, attribuive, aut in communes vſus cedere, aut inter alios canonicos, miniſtroſue illius, alteriuſue Eccleſiæ diuidi. Hæc tanquam reſciſſa, penituſque ſublata e-iuſdem Pij Pontificis ſanctione, declaramus nulla eſſe, nulli-uſque planè roboris.

Nec verò loco eorum fructuum, qui eo nomine, vt ſupra, attribuebantur, ne conſenſu quidem Capituli, ab Epiſcopo ſtatui liceat, vt deinceps, qui illiuſmodi dignitates, canonica-tus, beneficiaue, qualia qualia ſint, conſequentur; ali-quid, vel minimum, ſoluant, conferantue in vſum ſacri-ſtiæ, aut fabricæ, aut alterius eiuſmodi operis. Quod ſi poſt Tridentini Concilij editionem id vſquam in prouincia ſta-tutum, decretumue vllo modo ſit, ne tamen quicquam eo nomine accipi, exigi, aut perſolui, vllo pacto, ratione ve liceat, quacumque conſuetudine, decreto, ſtatuto non obſtante; niſi ſummi Pontificis auctoritate munitum, corroboratumue ſit.

Quamobrem nec Epiſcopus, neque Capitulum, collegi-um, aliiue Eccleſiaſtici ordinis homines, quorum intereſt, i-ſtiuſmodi fructus, diſtributioneſue, ne vllam quidem eorum partem, retineant, neue illorum ceſſionem petant, exigantue, nec aliud quicquam, ne eo quidem nomine quod prædia me-liora reddita ſint. Neque etiam ab ijs, qui illa beneficia, etiam à ſede Apoſtolica, obtinuerint, iuſiurandum exigant, vt tale quicquam obſeruent; neue illis ipſis, qui non paruerint, mo-ram, impedimentumue afferant, quominus illorum poſſeſſi-onem aſſequantur. Meminerint porrò omnes, quicumque contrafecerint, ex illa Pij Quinti ſanctione, ſi Epiſcopus eſt, ſuſpenſionis; ſi Capitulum, interdicti; ſi alius quiſpiam, excō-municationis pœnam ſtatim ſubire: cuius vinculo tam diu irretitus eſt, quoad reſtitutione prim um facta, bene-ficium relaxationis, abſolutioniſue à ſede Apoſtolica obti-nuerint.

Vbi verò ſex ante Tridentini Concilij editionem men-ſibus fabricæ, aut ſacriſtiæ, alteriuſue pij loci vſibus, diſtribu-tiones eiuſmodi, & fructus conceſſi reperiuntur, eorum pars tantum dimidia eidem, vel ſacriſtiæ, vel fabricæ, vel pio loco attribuatur: reliquam autem partem omnem ad huius pon-tificiæ ſanctionis præſcriptum ij capiant, quorum beneficia ſunt.

Cum animarum ſalutis, vitæque ſpiritualis curam paro-chi paternam gerant, illis, tāquam parentibus debetur amor, obſeruantia, cultus, atque obedientia. Si igitur hoc ipſo ho-nore dignantur, illud certe etiam æquiſſimum eſt, atque adeo cum omni ratione coniunctum, vt cum primum eorum ali-quis ad Eccleſiæ, ſibi in titulum, curamue traditæ, ſtationem venerit, aliqua externæ obſeruantiæ ſignificatione ab ijs ſuſci-piatur, ad quorum parochialem curam accedit. Quare fideles, vbi primum ab Epiſcopo litteras formatas acceperint de pa-rocho, qui parochiali eorum Eccleſiæ præfectus fuerit, diem certum ſtatuant, quo ei aduentanti frequentes ad parochiæ fi-nes obuiam facti, eundem, vt moris olim fuit, ſuſcipiant, atq; ad Eccleſiam deducant, perpetua illum dilectione, amore, o-bedientia, atque obſeruantia proſequentes.

Literæ autem formatæ, quas Epiſcopi nomine cancella-rius de parocho conſcribat, eiuſmodi erunt, quæ à Vicario Foraneo, alioue publicè legatur.

Filij dilectiſſimi: Veſtræ iſti parochiali Eccleſiæ parochus præfectus eſt presbyter. N. quem ætate, vita, moribus, doctri-na, virtutum diſciplina, prudentia, aliiſque rebus ad iſtius pa-rochialis curæ benè gerendæ rationem opportunis, idoneum eſſe, examine rectè confecto, cognitum eſt. Veſtræ igitur partes ſunt, debito honore, ex decreti prouincialis præſcripto illum ſuſcipere, neque ſolum externa quadam obſeruantia, ſed intimè, atque ex animo illum loco parentis diligere, & co-lere, præceptiſque eius, atque monitis concordi voluntate, libentique animo parere. Quod ſanè facere cum veſtra potiſ-ſimum interſit, tum quò accuratius faciatis; nos Epiſcopali noſtra auctoritate, paterna charitate, vos vniuerſos, & ſingu-los monemus. Valete in Domino.

Quæ ad diuina officia pertinent.

VT paſſio Chriſti Domini, Redemptoris à fidelibus in hora redemptionis ſuæ digna veneratione coleretur, il-lud in Eccleſia ſancta perpetuò inſtitutum, religioſoque vſu, ac ſolemni ritu piè retentum eſt, vt in feria ſexta paraſceues, in qua idem Chriſtus Dominus myſterium crucis expleuit, certa ſtata hora ab vniuerſo clero, & populo, certis peractis precibus, & orationibus adoretur. Sed quoniam factum eſt, vt in multis prouinciæ locis non poſt, ſicut inſtituti, rituſque veteris eſt; ſed ante ſtatas illas preces ea adoranda proponatur, aut ſaltem adoratio fiat à multo populo, antea quam ex ritu Eccleſiæ ſolemniter proponatur, & à clero adoretur: nos, vt, quod non ſine myſterij ſignificatione Eccleſia inſtituit, ad ſtatæ horæ vſum, ſolemnemque adorationem reuocemus; id ſtatuimus, vt in omni prouinciæ Eccleſia cathedrali, ſacroſan-ctæ crucis, per quam redempti ſumus, adoratio religioſe ce-lebretur, recitato ſcilicet de paſſione Euangelio, & peractis il-lis ſtatis precibus, & orationibus, vt inſtituti ratio poſtulat. Quare vnuſquiſque prouinciæ Epiſcopus efficiat, non ſolùm, vt ſtata ea hora in ſua Baſilica Cathedrali præſtetur; ſed caue-at etiam, vt in omni Eccleſia collegiata, & parochiali, in om-nique oratorio ſocietatum, vbi ſit ea adoratio, non ante, quā in eadem baſilica cathedrali, primariaue, ſi locus diœceſis ſit, celebretur.

Nec propterea concionator deſiſtat, quin pro ſanctæ Ec-cleſiæ vſu ad excitandam populi fidelis compunctionem eo ſacro die eam de ſuggeſtu proponat, & oſtendat.

Quin etiam curet Epiſcopus, concionem illam ſtatim poſt recitatam paſſionem Domini haberi, niſi aliter aliquan-do magis expedire cenſuerit.

Et quoniam ſacra ea feria Chriſtus Dominus humiliatus eſt pro nobis pati, vſque ad mortem, mortem autem crucis;

illius

illius humilitatis imitatores in ſanctiſſimæ crucis ſtata illa adoratione ita eſſe oportet, vt quod antiqui ritus eſt, non tantum genibus flexis, ſed proſtrato humi corpore humiliemur, quo ſignificantius eo corporis habitu fixam, conſtantemque animi noſtri humilitatem demonſtremus: ideo Epiſcopus curet, vt corporis proſtratione, quæ Chriſtianæ humilitatis index eſt, ea ſollemnis adoratio celebretur.

Grauia pericula, offenſiones, atque adeo ſæpè iniurias ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio fieri comperrum eſt, quod quidam ſacerdotes non ſemel tantum, ſed pluries in die illud offerant. Quod ne in poſterum fiat, præterquam ſalutari illo die Dominicæ Natiuitatis, quo vnuſquiſque ſacerdos non ſine magna myſteriorum ſignificatione ter celebrare debet, decreti huius auctoritate vetitum ſit, ne ob vllam neceſſariam cauſam, neque etiam ob parochialis, alteriusue Eccleſiæ egeſtatem, neque ob ſacerdotum penuriam, nec verò ob locorum diſtantiam Epiſcopus cuiquam ſacerdoti pluries in die diuinum illud Miſſæ ſacrificium offerendi facultatem det, aut permittat, cum beatus admodum ſit ille ſacerdos, qui ſemel tantum in die illud dignè obtulerit. Si quæ verò eius generis facultas anteà vel certo loco, vel ſacerdoti data eſt, eam planè ſtatim reſciſſam, irritamque ac nullam omnino eſſe iam nunc decernimus.

Epiſcopus, in cuius diœceſi Eccleſiæ, locaue olim ordinis Humiliatorum extiterunt, vbi Pij quinti Pontificis conſtitutione certus ſacerdotũ numerus præfinitus eſt, in eo euigilet, vt ne, fratribus illius olim ordinis decedentibus, illæ Eccleſiæ debitis officijs ac muneribus defraudentur; ſed cum eorum aliquis mortem obit, in eius locum ſacerdotem alium ſubrogari curet.

At in quibus Eccleſijs certus numerus conſtitutus non eſt; efficiat, vt quot anteà ſacerdotes ibi ſuſtentari conſueuerant, totidem retineantur. Atque id quidem omne is exequatur pœnis etiam, & cenſuris arbitrio ſuo propoſitis, vt nihil planè pereat, quod earum Eccleſiarum cultui debetur.

In capella, canonicatu, alioue beneficio etiam ſimplici, quod quis vnà cum alio incompatibili ex legitima diſpenſatione iam obtinet, Epiſcopus conſtitutis etiam Vicarijs, certaque fructuum parte attributa, conſulat, & prouideat, vt ea beneficia debitis miniſterijs, debitoque cultu non fraudentur.

Idem efficiat ſi eiuſmodi beneficijs qui ob aliud legitimum etiam abſentiæ, impedimentum munera ſua non præſtet.

Epiſcopus pro cærimoniarum ratione rituve, cum Miſſæ conuentuali, aut diuinis chori officijs in baſilica cathedrali, vel in alijs collegiatis Eccleſijs intereſt, & item cum proceſſiones agit, aliaue eiuſmodi; adhibeat ſibi aſſiſtentes duos de Capitulo, qui ei, etiam cum Pontificale officium non celebrat, in omnibus his, alijſque actionibus aſſiſtentium munera omnia præſtent.

Organiſtæ, Dominicis, feſtiſque diebus, Epiſcopum ad diuina officia aduentantem, vbi primum pro baſilicæ foribus eſt, decora, grauique organi modulatione excipiat: neque ſonare deſiſtat, quouſque ad altare genibus flexis orauerit, locoque ſuo ſederit.

Idem præſtet, cum peractis de more officijs inde diſceſſerit.

Item, dum ille Miſſæ ſacrificium, aut veſperarum officium ſolemniter celebraturus, alioue pontificali munere perfuncturus, veſtes ſacras induit, nec quicquam canendum à choro eſt.

Hoc verò omne agat ſemper, cum in diuinis officijs, ad quæ Epiſcopus conuenit, organa pulſanda ſunt.

Chori diſciplina, plena religionis eſt, plena pietatis; ac proptereà ſanctè ab ijs obſeruanda eſt, qui in eum locum conueniunt ad Dei laudes concelebrandas.

Quare præter illa, quæ in Concilio prouinciali primo, de illius cultu præfiniuimus, hæc admonemus, quo religioſius non modo excolatur, ſed multis partibus augeatur ſancta eiuſdem chori inſtitutio.

Primò, vt ſtudio quodam intimæ pietatis, cuius ſplendor foris etiam eluceat, vnuſquiſque vel canonicus, vel alius miniſter, quicumque ſit, qui chori officijs aſtrictus eſt, ad chori diſciplinam ſeſe inſtruat.

Anteà verò, quam eo conueniat, paululum attentè ſecum cogitet & loci illius ſanctitatem, & conueniendi cauſam, & diuinarum laudum, quarum munus angelorum eſt, officia quæ caſtiſſimè ab omnibus concelebrari oportet.

Hac ipſa in cogitatione firmiter inhærens, ne quicquam quidem mente, animoque concipiet, ab eius loci religione alienum, ne dum aget, quod Dei oculos offendat.

Paret ſe proptereà etiam, atque etiam diligenter ſancta intimi animi meditatione, & religioſa oratione, vt exteriorem quoque cultum diuinorum officiorum ſalutariter exquatur.

Dum ſuperpelliceum, qui amictus ex tela linea candida conſtat, induit, cogitet, quam perſonam ſuſtineat, nempe à ſordibus, labeque puram, qualem veſtitus ille indicat.

Cum almutiam pelliceam, quod inſigne canonicorum eſt, humeris, vel brachijs, prout moris eſt, canonicus imponit, eã cogitationem ſuſcipiat, in ſe reſtinctas, ac planè mortuas eſſe oportere rerum mundanarum affectiones, atque cupiditates, vt eius rei ſignificans eſt illa animalis intermortui pellis, quã de more induit.

Si verò, vt pleriſque in Eccleſijs inſtituti, conſuetudiniſue eſt, cappam induit, quæ humeros contegit, & brachia quaſi deuincit, ex eo amictu intelligat, ſe repreſſas, quaſique deuinctas habere oportere appetitiones, ac ſe totum ad Dei voluntatem accommodare.

Cum igitur ijs chori veſtibus indutus, alium veſtitum, quo foris vtitur, contegat, ſicque aliam perſonam habitu gerat; caueat, ne quicquam, etiam in ſacriſtia, agat, admittatue, quod cum actioni non rectè conueniat, ob quam illum habitum induit.

Ne in in colloquijs quidem ab ea actione alienis ſe occupet: niſi curæ præſit, quæ id neceſſario poſtulet.

Abſtineat autem ſemper, ſed maxime, dum chori veſtibus indutus eſt, vbi vbi ſit, vel in ſacriſtia, vel alio loco, à iocis, à ridiculè dictis, facetijsue, à cachinnationib⁹, à verbis futilibus, atque omnibus, quæ temerè, & imprudenter effunduntur.

In chorum ne properanter, quaſi diſtributionum quæſtu incitatus, accedat, ſed graui inceſſu.

Dumque ad chorum procedit, quamquam alij comes adiunctus, at quaſi ſolus accedat, in ea meditatione fixus; vt ſecum cogitet, ſe ad chorum, nempe ad ſancta ſanctorum, vt canone antiquo cautum eſt, & ad publicæ orationis ſacrificium accedere.

Cum in choro eſt, animum, mentemque ab omnibus curis, perturbationibus, & cogitationibus à rei, quæ geritur, ſanctitate alienis, quoad eius fieri poteſt, abducat, ſeſeque totum in Dei cultu colligat.

Illud etiam cogitet, quam ob cauſam eò ſe contulerit; tum ſibi ſtatuat, ſe in conſpectu Dei omnipotentis, & in corona innumerabilium angelorum, & ſanctorum eſſe.

Qua in cogitatione videat, perpetuoque reputet, ſe eo loci conſiſtere, vt Deo ſanctiſſimum cultum, venerationemque tribuat, atque ab eo, & ſibi, & alijs omne bonum deprecetur.

Conſideret verò ipſum Deum, tanquam patrem, & redemptorem amantiſſimum, optimum, ſapientiſſimum, miſericordiſſimum, quique omnia intuens, vbique & ſemper eſt.

Tum cordis caſtitatem, beneque orandi donum, & gratiam à Deo ſupplex petat, orationiſque ſacrificium ſimul cum meritis Ieſu Chriſti, & ſanctorum, eius præſertim, cuius memoriam Eccleſia illo die celebrat, ad gloriam ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, & ad ſuam, proximorumque vtilitatem dirigat.

Cum pſallendum eſt, primum pſalmi argumentum mente, animoque concipiat.

Obſeruet præterea, quis in pſalmo loquatur, an Deus, an Eccleſia, an pœnitens, an aſpirans ad perfectionem.

Attendat item, ad quem præcipue ſalutarem affectum pſalmus referatur.

Cum ita ſe religioſè pararit, magna animi attentione ſe ad verba, ſententiaſque pſalmi accommodet, ita vt laudet, gemat, extimeſcat, ſicut pſalmorum voces indicant: & quod denique ore profert; animo primum concipiat.

Tum verba ſingula notet, interpretationem ſtudio aſſequatur, vnde mens, animuſque ad aliquem ſalutarem affectum incendatur.

Ad verba etiam adiungat animo cogitationem vel amoris, vel reuerentiæ, vel humilitatis. Atque ita quidem affectum aliquem excitet, vt ſi de virtute verba pſalmi profert, deſiderio accendatur imitationis; ſi de peccatis, intimè doleat; quod in eo ſtatu ipſe fuerit, aut certè proximi eius. Et ſic de alijs itē, quæ pſalmo ſignificantur.

Eam porrò attentionem initio vniuſcuiuſque pſalmi, orationis, & aliarum diuini officij partium, tum ſingularum horarum canonicarum renouare, atque excitare ſtudeat, pręſertim dum illa verba, quæ ad ſanctæ orationis Spiritum inflammandum valent, pronunciat, Deus in adiutorium meum intende, &c.

Itidem faciat, cum aliorſum ſe cogitationibus diſtrahi animaduertit.

In fine etiam vniuſcuiuſque pſalmi ſeſe excitet illis verbis, Gloria patri &c.

In concluſione item orationum, cum dicitur, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſpe ſancta erga illum redemptionis noſtræ auctorem ſeſe confirmet.

Et quoniam attentio valde admodum excitatur, ſi quæ quiſq; profert, rectè intelligit: ideo in ea potiſſimum expoſitione pſalmorum aſſiduè verſetur, quæ non varia ſit, ſed quæ tota in excitandis, exercendisque ſanctis affectibus verſetur.

Cum autem magnus pſallendi fructus in pſalmorum affectibus verſetur, ſiue quis in choro, ſiue priuatim, ſiue ſubmiſſa, ſiue alta voce oret: idcirco certos ſibi locos pſalmorum præfiniat, quibus omnis hæc ratio concludatur.

Loci præcipui præter cæteros hi ſint, vnde ſalutares affectus exiſtunt, laus Dei, memoria bonorum noſtrorum, commemoratio noſtræ miſeriæ, & reprehenſio malè agentium.

Pſalmorum verbis cum Dei bonitas prædicatur, ad illius dilectionem, & ad gratiarum actionem de beneficijs, quæ à diuina benignitate proficiſcuntur, ſe toto animo accendat. Cum illius infinita ſapientia, potentia commemoratur; admiratione afficiatur: tum intime gratuletur, cum aliquid Dei auxilio benè geſtum narratur.

Cum bonorum memoria, recordatioque pſalmorum vocibus excitatur; deſiderium quoddam concipiat illa ſibi, & alijs conſequendi; tum illa eadem à Deo petat, tum in Deo ſpem animo capiat fore, vt diuina eius ope, non modo quæ bona ſunt, quæque ſalutaria, aſſequatur, ſed quæ mala, ac quæ perniciem afferunt, vitet.

Aliquando etiam intimè in Domino gaudeat, ſe bona, Deo iuuante, adeptum eſſe, & mala cauiſſe.

Ex miſeriarum commemoratione timorem concipiat, dolorem, ac humilitatem, cum ſuas cognoſcit infirmitates.

Ex reprehenſione malè agentium, agnoſcat zelum diuinæ vindictæ, & indignationem contra nequitiam. Atque ita quidem ex ſalutaribus his affectibus fructum pſallendi vberrimum capiet.

Peroratis pſalmis, abſolutoq; canonicarum horarum officio, paululum tacitus conſiſtat, genibuſque flexis veniam deprecetur & negligentiæ, & diſtractionis, aliuſue culpæ, quam in eo precationis officio admiſerit: tumque hoc oret, vt pro Chriſti totiuſque Eccleſiæ meritis, orationis ſuæ obſequium, ac miniſterium gratum ſit, atque acceptum.

In eo pſallendi officio, cum ea mentis attentio, & ſalutaris affectus, tum corporis decens compoſitio requiretur.

Ideò, præter ea, quæ de genibus flectendis, de capite inclinando, de ſtando, de ſedendo, ac de cæteris partibus in primo Concilio conſtituta ſunt, quædam etiam in choro cauemus; quæ, vt potè minus decentia, & à loci illius cultu aliena, vitari oportet: ea verò tabella deſcripta ſunt, quæ cura noſtra edetur, ac in ſingulis ſacriſtijs Eccleſiarum, tum cathedralilium, tum collegiatarum, tum parochialium affixa perpetuo ſit. Tum verò etiam hæc ipſa monita, alia tabella deſcripta, itidem in ſingulis ſacriſtijs habeantur.

Lumina duo, candelabris, cereo ferarijsue infixa, cum proceſſiones publicæ, etiam quæ in Eccleſię ambitu, aguntur, ab omni cuiuſuis ordinis clero, tam regulari, quàm ſæculari, ad crucem adhibeantur, quæ vnicuique Capitulo, cleroue de more præfertur.

Epiſcopus in cathedrali ſua Eccleſia, loco, & forma, quæ in inſtructionibus fabricæ Eccleſiaſticæ, ex decreto prouinciali editis, præſcripta eſt, ſepulcrum Epiſcopale primo quoque tempore faciendum curet ad communem vſum Epiſcoporum illius Eccleſiæ. Cuius quidem ſepulchri operimento inſculpta ſit, ita tamen, vt ne è ſolo æquato extet, mitra, & baculus paſtoralis, tantummodo cum his literis, SEPVLCHRVM EPISCOPORVM. N.

Hoc ipſum vnuſquiſq; parochus ad parochorum, & Capitula ad dignitatum, & canonicorum vſum itidem præſtent.

Poſtridie illius diei, quo Seſſio vltima Synodi prouincialis habita eſt, pro omnibus prouinciæ Epiſcopis defunctis, præſertimq; pro ijs, ſi qui poſt proximum prouinciale Concilium diem obierint, Miſſa ſolemnis à prouinciæ Epiſcopo, cui id muneris Metropolitanus mandarit, canatur: & ſermo item latinus appoſitè habeatur; officiumque item pro illis à quatuor etiam prouinciæ Epiſcopi iunioribus ritè mox peragatur ad Pontificalis libri præſcriptum. In ſynodo quoque diœceſana die ſecunda, pro clericis diœceſis defunctis oratio, & commemoratio ſolemniter fiat.

Quæ ad diſtributiones pertinent.

POenitentiarius, tanquam in choro præſens, diſtributionum particeps ſit, quo tempore in audiendis confeſſionibus verſatur, non eorum ſolum, qui in caſibus, Epiſcopo reſeruatis, peccarint, ſed aliorum etiam quorumcunque.

Nec verò illas, quaſi præſens, capiat, cum mane aliquando, ante ſtatam diuinorum officiorum horam, quo opportunius pœnitentibus ſatisfaciat, eorum confeſſiones audit, & quo deinceps tempore illa celebrantur, ipſe interea Miſſæ ſacrificium facit, aut priuatim horarium canonicale officium præſtat; etiam ſi id in fraudem non faciat.

Neque diſtributiones item illi, quicunq; ſint percipiant, qui infirmitate, neceſſitate, aut manifeſta Eccleſię vtilitate occupati, impeditive non adſunt in choro, ſi antea nullo legitimo impedimento diſtenti, perſonale canonicatus ſui munus obire non conſueuerant; hoc enim addendum cenſuimus decreto, quo in Concilio prouinciali primo hoc ipſo de genere cautum eſt.

Qui peregrinationis cauſa abſunt, ne iure quidem, facultateve ſtatutorum Eccleſiæ, cui perſonalis reſidētiæ operam, miniſteriumque debent, diſtributionum participes ſint. Immò etiam ſi triū menſium ſpacio diuti⁹ abſunt, nō propterea excuſantur, quominus fructuum præbendæ amiſſione mulctetur, alijſve pœnis eiuſdem Concilij, de diuturniore abſentia ſancitis.

Qui ſtudiorum cauſa, quacumque facultate, abſunt, ne diſtributiones quotidianas eo ipſo abſentiæ tempore, nec verò illam præbendæ ſuæ partem tertiam, in eius generis diſtributiones, Tridentini decreti auctoritate iam conuerſam, capiant.

Itidem de quotidianis diſtributionibus, eaq; tertia parte cautum ſit, etiam ſi à ſede Apoſtolica facultas abſentiæ ob ſtudia data ſit.

Epiſcopus, quæ decreta de tertia fructuum parte in Concilio & primo, & quarto, olim confecimus, ita pręſtet, vt nec, qui ſacris ordinibus initiati non ſunt, nec qui diſtributiones non capiunt, ab illa præſcripta tertia parte conferenda, liberi, immunesve ſint.

Tertiæ porrò partis, quæ in diſtributiones conuertenda eſt, fructuum æſtimatio ſit, non veteri taxa, etiam in codices capitulares relata, ſed tanti ſit, quanti cenſus, redditusve præbendarum, re vera valet, deductis primo penſionibus, alijſq; oneribus, legitimè impoſitis, pro ratione temporis, quo durauerint.

Cuius tertiæ partis percipiendæ ius habeant omnes canonici, tum qui præbendam obtinent, tum qui ſine illa ſunt, dum ij ſtatis diebus ſuum in Eccleſia munus præſentes obierint.

De reſidentia.

PERSONALIS reſidentiæ munus, vt re vera per eos præſtetur, qui illius generis beneficia Eccleſiaſtica obtinent, omnem rationem, canonum iure, Tridentiniſque ſanctionibus præſcriptam Epiſcopus ineat.

A quo

A quo munere non excuſetur, neque qui beneficium, Eccleſiamve habet, de cuius titulo adhuc lis & contronerſia pendet; nec verò item, qui nondum ſacerdotio, aut eo ordine, quem beneficium illud requirit, initiatus eſt; nec præterea qui iuſta aliqua cauſa, impedimentove diſtinetur.

Nec verò à reſidentiæ munere liberi ſint, qui tertiam partem fructuum, qui ſibi ex dignitatibus obueniebant, quas in Eccleſijs cathedralibus obeunt, in diſtributiones contulerint. Immò verò ij cætera etiam, quæ Tridentino decreto in ſeſſ. 24. promulgato, ipſis præſcripta ſunt, præſtare ab Epiſcopo cogantur.

Ne ille quidem excuſetur, cuius Eccleſia, aut beneficium eiuſmodi eſt, vnde omnis, aut certè magna pars fructuum, aliquo modo reſeruata, ad alium peruenit.

Ne Epiſcopus, propterea quod ſibi liberum, integrumq; eſt, facultatē permittere, qua liceat, aliquem ab Eccleſia commiſſa, beneficiove perſonalis reſidentiæ abeſſe, ea poteſtate, facultateve deincèps ob cuiuſuis generis cauſam vtatur: ſed in illa concedenda modum, & rationes adhibeat, Concilij Tridentini ſanctione præſcriptas.

Ne vel ad ſeminarij quidem curam, vel ad Vicarij munus, vel ad ſanctæ etiam Inquiſitionis officium, nec verò ad aliud quicquam opera ſacerdotis, curam animarum gerentis, Epiſcopus ita vtatur, vt ab Eccleſia, beneficiove, in eius curam tradito, diutius abſit, ac muneri debitæ reſidentiæ perſonalis deſit.

Ne parochus, animarūve curator ob ſenectutem, aut ob aduerſam valetudinē, cœlive grauitatē, ab eo reſidentiæ munere excuſetur. Si verò eius inualetudo id generis eſt, q̄ curari poſſit, atque eo loci, vbi Eccleſia parochialis ſita eſt, non datur, & aliundè facultas medici, & medicamentorum, tunc parocho, ex infirma illa valetudine laboranti, Epiſcopus curationis cauſa facultatem dare poſſit, qua liceat ei tribus, quatuorve menſibus ad ſummum, loco propinquiori, in quo eiuſmodi neceſſaria non deſint, manere, vbi valetudinem curet.

Interea ad illius Eccleſiæ parochialis curam gerēdam Vicarium Epiſcopus conſtituat, parochi ſumptu.

Nec prætereà ſimultatis, odijve ſolùm cauſa parochum ab Eccleſiæ parochialis ſtatione, locove abeſſe permittat, ac ne inimicitiarum quidem, quæ vel leues, vel fictæ ſint, cauſa, prętextuve. Si verò vnquam graues illæ erunt, ac veræ, ortæque poſteaquàm parochialis curæ munus obit, idq; ſine culpa parochi, permittere Epiſcopus poterit, illum inde abeſſe, locoq; propinquo, vbi tuto ſit, morari, eo ſolùm tempore inimicitiarum, non tamen vltra annum, etiam ſi diuturniores anno ſint inimicitiæ.

Cùm antea iure canonum, tum nuper Concilij Tridentini decretis, & ſynodorum prouincialium conſtitutionibus iuſſum eſt, vnumquemque parochum, animarumve curatorem in Eccleſia ſibi commiſſa, Dominicis, alijſque præcipuè feſtis diebus ſtata hora Miſſę ſacrificium celebrare, ſacramentorum adminiſtratione, verbique Dei prædicatione populum paſcere; doctrinæ Chriſtianæ rudimenta docere; veſpertinas preces, aliaque diuina officia canere, vel recitare, publicam ſæpè orationem, ac proceſſiones varias cum populo ſuo obire, pacem conciliare, controuerſias componere; pauperum, & egentium, miſerabiliumque hominum curam paternam gerere; aliaque munera ſtudioſè & accuratè agere, quæ cum parochialis officij ratione coniuncta ſunt; tum illis diebus maximè, in quibus populus artibus, operibus, & negotijs mundanis non eſt diſtentus, occupatuſve, facilius ac fructuoſius præſtare poſſunt.

Quæ omnia, prout cautum eſt, & quemadmodùm certè oportet, conſtituto tempore is parochus exequi nullo modo poteſt, qui non ſine animarum ſibi commiſſarum, detrimento, conſtitutis illis horis parochiali Eccleſiæ non inſeruit ſed ea relicta ad Eccleſiam cathedralem, vel collegiatam, vbi canonicatum, aut aliud reſidentiæ beneficium iam obtinet, frequenter nimis accurrit, non ſine ea auaritiæ ſuſpicione, & cupiditatis illarum diſtributionum, quas capiet, propterea quod ibi in diuinis officijs, Miſſaque ſolemni præſens adſit, feſto præſertim die, quo pluribus in Eccleſijs vel duplicatæ, vel certè maiores, quàm alijs diebus dari ſolent. Quamobrem hoc decreto Epiſcopos id monemus, ne quem parochum, animarumve curatorem, qui in cathedrali, collegiatave Eccleſia dignitatem aut canonicatum habeat, aliudve beneficium, aut officium, cui perſonalis in choro reſidentiæ onus iniunctum ſit, deincèps dominicis, feſtiſve diebus, Eccleſiæ commiſſæ ſtatione relicta, in choro illius cathedralis, collegiatęve præſentem adeſſe, diſtributionumq; quotidianarum participem vllo modo, pactove fieri patiantur: ſed parochiali Eccleſiæ, ſtatis horis, operam, curam, muneraq; ſuſcepti parochialis officij vſq; adeo præſtare cogant, vt ei nulla ſtata hora deſit, nullumq; officium omninò prætermittat, ſuæ curæ, ſollicitudiniq; commiſſum.

Eccleſia parochialis, ſi eo loco ſita eſt, vbi minor pars hominum parochialium habitet, multoque plures illi ſint, qui extra vrbis, municipij, locive mœnia, vbi illa eſt, domicilium habeant; eo tamen loci parochus in ſtatione parochiali maneat, vbi Eccleſia eſt. Parochialibus verò, qui longius abſunt, Epiſcopi officio, & auctoritate ſuccurratur ad Concilij Tridentini præſcriptum.

Epiſcopi cura ſit, iure agere, vt cui parochialis Eccleſia, intra diœceſis ſuæ fines poſita, ab alio inferiore, etiam regulari, qui illius conferendæ ius habet, collata eſt, is in illius ſtatione reſideat, perſonaliſque reſidentiæ munera præſtet. Nec verò id ad illum inferiorem, qui contulit, ſpectat.

De Eccleſijs, earum ſupellectile, & fructibus.

SÆpè accidit, ſontes homines, qui ad Eccleſiam, ſacrave loca, & alia Eccleſiaſticæ immunitatis iure munita, præſertim, vbi primum crimen patrarint, ſtatim cōfugiunt, non ſolùm à ſatellitibus magiſtratuum, iudicumve ſæcularium, ſed à conſanguineis etiam, & affinibus eorum, quibus cædes, iniuriave illata eſt, armatorum quoque hominum collecta manu cuſtodiri, magno cum eo periculo, vt ne grauiora interdum facinora, ac aliquando Eccleſiaſticæ Immunitatis violatio, flagitiaq; turpiſſima admittantur. Quamobrem vt ijs ipſis offenſionibus, & malis, quæ inde ſæpè exiſtunt, occurratur, licere decernimus, iuſſu Epiſcopi, ob eam ſolùm cauſam, vt cognoſcatur, an qui tunc ad Eccleſiam perfugium habuerit, iure vti poſſit immunitatis Eccleſiaſticæ, per ſatellites fori Epiſcopalis ad carcerem clericalem, vel ſæcularem, ſi eo loco clericalis carceris cuſtodia tuta non eſt, eiuſdem Epiſcopi iudicio, inde abduci, tamdiuque Epiſcopali nomine cuſtodiri, quoad re perpenſa ipſe Epiſcopus deliberet.

Is verò quamprimum deliberationem ineat; ſique libertate, immunitateve Eccleſiaſtica illum vti, fruive cenſuerit, ab omni detrimento, omnique impenſa liberum, atque immunem loco reſtitui ſtatim mandet, vnde abductus eſt: ſin autem ſecus faciendum duxerit, foro, iudicioque magiſtratus ſæcularis, prout iuris erit, illum relinqui iubeat, ad canonum, & Conciliorum, aliarumq; Apoſtolicarum conſtitutionum præſcriptum.

Interea verò, dum in cuſtodia eſt, ne cuiquam liceat, de eo quæſtiones, examenve inſtituere, neq; adeò contra illius perſonam quicquam agere, quo præiudicium illi eiuſve cauſæ afferatur.

Id autem vt ab omnibus inuiolatè ſeruetur, nec verò huius decreti nomine, prætextuve quicquam contra Immunitatem Eccleſiaſticam à iudice, magiſtratuve ſæculari fiat, geraturve, omni diligentiſſima curatione in eo vtatur Epiſcopus, cenſuraſque etiam proponat arbitratu ſuo.

Vt in omni Eccleſia, altari, ſacriſtia, omnique ſacra ſupellectile nitor, munditiaq; eluceat, id quod etiam Innocentius Tertius Pontifex in Concilio Lateranenſi cauit, magna cura, & diligentia à ſacerdotibus, clericis, alijſq; Eccleſiæ miniſtris adhibenda eſt.

Quamobrem, quæ de hoc genere toto, regulæ, Concilij huius auctoritate, per nos enucleate præſcribentur inſtar inſtructionum, eæ ab omnibus & ſingulis, quorum intereſt, vbi primum in vulgus edentur, accurato ſtudio ſeruentur, atq; inducantur in vſum.

Puluinaria, miſſalium vſui addicta, ne Epiſcopi quidem, ne dum alterius cuiuſquam genibus, cubitiſve, vllo loco, nec

verò in Eccleſia ſupponantur, neque præterea ad vllum prophanum vſum adhibeantur.

Ac ne ad ſuggeſti quidem ornatum pallia altarium vſui ſint. Curandum igitur erit, quàm citiſſime per facultates Eccleſiæ fieri poterit, vt pro ſolemnium temporum, feſtorumque dierum ratione ornaméta, ſuggeſtis ipſis propriè appoſita, comparentur.

Quæ Eccleſiæ, neceſſe eſt reſtituantur, atque inſtaurentur; earum omnis céſus, parsue huic ſumptui neceſſaria, etiam ſi equitibus ordinis Hieroſolymitani obueniret, ab EPISCOPO ſequeſtri nomine apud virum bonum deponi iubeatur, qui in illarum iuſtaurationem, eiuſdem iuſſu, erogetur.

Quæ verò labentes, propeque cadentes nullum cenſum habent, vnde reſtituantur: ciuitatis, municipij, lociue vbi ſitę ſunt, impenſis inſtaurentur, Epiſcopi cohortatione diligenti. Id omne de oratorijs etiam conſtitutum ſit.

Lapides, cœmenta, tigna, omniſque materia Eccleſiæ dirutæ, prophanatæue, ad vſum quoque prophanum, non ſordidum tamen auerti, adhiberique arbitratu Epiſcopi liceat.

Pecunia vero, quæ inde colligetur, illius etiam iudicio in ſumptus Eccleſiæ vtiles conferatur.

Miſſarum autem munus, quòd in ea iam diruta præſtandum erat, niſi Epiſcop. ad aliam potius legitima facultate tráſferre cenſuerit; ad Eccleſiam primariam, quam matricem vocant, transferatur, vbi illius, ad quem prophanatæ Eccleſiæ cenſus peruenit, impenſis, altare ſancti, ſanctæue nomine extruatur, cuius titulo, quæ prophanata eſt, nuncupabatur.

Illius porrò cœmiterium ad eandem Eccleſiam transferatur, ad eundemque locum oſſa mortuorum aſportentur.

Vt litibus, & controuerſijs, quæ vbique in hac prouincia permultæ, & variæ de fructibus beneficiorum inter hæredes ſacerdotis, clericiue mortui, & illos exiſtere ſolent, qui in ea beneficia ſuccedunt, planè occurratur, cum in ea, illa Iulij tertij Pontificis Max. conſtitutio, eo ipſo de genere edita, in vſum, moremque inducta nunquam ſit, ius commune in toto hoc genere omnino ſeruari decernimus, ſublata quacumque etiam conſuetudine, ſtiloue etiam quauis Epiſcopali, Archiepiſcopaliue auctoritate confirmato.

Vniuerſitates, laiciue homines, etiam qui ius patronatus habent, qui bona, cenſum, iurave beneficij eccleſiaſtici, aut loci pij, quocumque modo vſurpauerint, aut eorum poſſeſſionem detinuerint, anathema, & alias pœnas ſubeant decreto Tridentino conſtitutas, non obſtante quocunque antiquo vſu poſſeſſioneue. Hoc vero decretum cum illo vulgariter redditum, populo edici, atq; promulgari ſæpè iubemus, quo diligentius tale crimen caueatur.

Quæ ad ſynodum, congregationeſque alias clericales, & viſitationem attinent.

SI quando Epiſcopus, iuſta, eaque Metropolitano probata cauſa, ac Concilium prouinciale non acceſſerit, virum Eccleſiaſticum mittat, qui non modo legitimam abſentiæ excuſationem, vt canonum iure, Concilijque prouincialis quarti decreto cautum eſt, rectè afferat, decretaque ſuſcipiat; ſed hoc etiam præſtet, vt à Metropolitano interrogatus, rationē diligenter, recteque reddat omnium, quæ ad eius Eccleſiæ, cuius cauſa ab epiſcopo huius decreti auctoritate mitti debet, rationes attinent.

Ad ea vero, quæ in Concilio prouinciali quarto de ſynodi diœceſanæ, ad Tridentini Concilij præſcriptum quotannis celebrandæ, perpetua indictione decreta ſunt, hæc etiam, quæ ſequuntur, addenda cenſuimus, vt cùm vſui, tum rationi illius, rectè, ordineque habendæ proſpectum, & conſultum ſit.

Synodo diœceſanæ vniuerſi, & ſinguli ſacerdotes, & clerici cuiuſcumque ordinis interſint, quicunque canonum iure, vel Eccleſiaſticis ſanctionibus, vel Tridentino decreto, vel conſuetudine, aliaue ratione intereſſe poſſunt, aut planè debent.

Adſint verò inter cætera quicumque beneficium Eccleſiaſticum, cuius cauſa, de iure, conſuetudine adeſſe debent, in ea diœceſi obtinent, cuius ſynodus celebratur, quamuis in alia domicilium habeant. Atque in ijs quidem, quæ ad beneficium illud pertinent, eiuſdem ſynodalibus decretis, iuſſiſq; obtemperent.

Ante ſtatam ſynodi diem per menſem, quinta quaque feria in Miſſæ ſacrificio, ſi quadrageſima eſt, oratio de Spiritu ſancto dicatur: alio autem tempore, die eodem Miſſa celebretur, cæteraque præſtentur, prout ſecundo prouinciali Concilio ſancitum eſt.

Synodalis hæc actio aliquot ante diebus per parochos populo denuncietur, eorumque vniuſcuiuſque officium ſit, parochialis ſuæ Eccleſiæ homines docere, tum quàm ſanctum, ſalutareque ſit, ſynodalis diœceſanæ actionis inſtitutum: tum quam ob cauſam quotannis ea actio ſuſcipiatur.

Quod de genere editas ab Epiſcopo litteras parochus ſuo quiſque populo, cum in Miſſæ parochialis ſacrificio is frequens adeſt, accuratè legat: cui muneri adiungat hoc etiam paternę cohortationis officium, quo non modo illum excitet ad frequentius orationis ſtudium, ſynodalibus illis diebus adhibendum, ſed etiam ad id ſingulos inflammet, vt die Dominico, ſtatam ſynodalem diem antecedente, verè pœnitentes, & confeſſi, ſacram communionem ſumant; hoc præcipuè precantes, vt quæ ad eorum ſalutem pertinent, Dei auxiliante miſericordia per Epiſcopum in ſynodo diligenter, ſancteque agantur.

Quo puriores autem Eccleſiaſtici ordinis homines, qui in ſynodo adeſſe debent, ad eam actionem, quæ religioſam animi præparationem ab illis depoſcit, conueniant; omnes, & ſinguli Dominico illo die, ſynodum præcedente, peccata primum confeſſi, non ſolum ſacerdotes Miſſæ ſacrum faciāt, ſed reliqui ſinguli cuiuſuis ordinis clerici, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumant.

Antequam ſtata ſynodi dies veniat, & in ciuitate ij, quibus id curæ Epiſcopus dederit, & in diœceſi Vicarij foranei, & parochi præterea, tum vrbani, tum diœceſani, vt ipſi Epiſcopo adiumentum afferant, diligenti aliqua earum rerum indagatione, ac relatione, quibus per eum conſuli, aut prouideri in ſynodo præſertim oportebit, hæc quæ infra generatim, vel vniuerſe mox præſcribentur, ſedulo videant, ac notent, vt ea omnia ad præſcriptam ab eo rationem, & normam tum litteris, tum coram, conſtituto tempore deferant.

Idque omne, præter diligentiam, quam de hoc genere toto, teſtes ſynodales ex decreto prouinciali adhibere, & præſtare debent.

Primò igitur ij omnes pro ſuorum quique munerum, officiorumue ratione, & cura diſpiciant, quæ cleri ſit in clericalis vitæ moribus progreſſio; quæ in vita ſpirituali diſciplina, & quam ſollicitum in diuinorum officiorum cultu ſtudium; quam diligens in Eccleſiaſticis functionibus obeundis ſollicitudo, quæ etiam, & quam frequens in litterarum exercitationibus cura; qui in earum ſtudijs progreſſus item.

Vicarij autem foranei, & regionarij in ciuitate præfecti, alijue Eccleſiaſtici homines, quos ob eam cauſam Epiſcopus delegerit, exquirant, qui præterea parochorum in primis zelus in animarum ſalute procuranda, quæ in Sacramentis miniſtrandis ſedula diligentia, quam frequens in paſcendis verbo Dei fidelibus officium, quæ denique in omnibus parochialis muneris partibus vigilantia, quæue aſſiduitas.

Deinde ij omnes, & ſinguli pro ſui officij munere inueſtigent, quæ populi in Chriſtianæ charitatis operibus exercitatio, quam religioſus feſtorum dierum cultus, quam pia in Eccleſijs conuerſatio, quæ in doctrinæ Chriſtianæ ſcholis frequentia: tum de alijs pijs ſodalitatibus diſquirant, tum denique de reliqua omni eiuſdem populi diſciplina, & in via Domini progreſſu.

Poſt, videant, qui ſingularum Eccleſiarum, præſertim parochialium, ſtatus; an ſi quæ inſtaurationem deſiderant; an debito cultu fraudantur; an ſacris veſtibus, ornamentis, ſupellectilique Eccleſiaſtica, ad cultum neceſſaria, inſtructę ſint; an denique vlla ex parte incultæ.

Poſtremo an ſi aliqua ſunt prouincialium, diœceſanorūque ſynodorum decreta, edicta, viſitationum præſcripta, aliaue Epiſcopalia iuſſa, quæ executionem non habeant; quid

item in impedimenti, aut difficultatis, aut denique cauſæ ſit, quamobrem eorum executioni non ſit locus.

Id autem omne, quod ad executionem attinet, notent, tum ijdem, vel præfecti, vel delecti eccleſiaſtici homines; tum Vicarij foranei, tum parochi, alijque, qui eccleſiaſtica beneficia obtinent, prout eorum vniuſcuiuſque in illis exequendis partes ſunt.

Cum autem ſynodalis dies propè adeſt; Vicarij foranei pridie illius diei adſint ſummo mane in ædibus Epiſcopalibus; eoque ipſo die quàm primum epiſcopo nomina, & cognomina tradant, eaque ordine deſcripta, ſacerdotum, & clericorum ſingulorum, qui ad ſynodū conueniunt, ac rurſus abſentium cauſis ſigillatim item deſcriptis, quamobrem ſynodo non adſint. Idque præter officium legitimæ excuſationis, quam, qui abſunt, epiſcopo afferre, & probare debent. Hoc ipſum triduo, vel biduo ante eum ſynodalem diem, qui ab Epiſcopo in vrbe regionibus ſunt præfecti, aut delecti præſtent, de ſuæ quique regionis clericis.

Singuli autem ſacerdotes, cæterique clerici, qui Canonicarum horarum officium præſtare debent; breuiarium, cum ad ſynodum veniunt, afferant; quod initio notatum ſit nomine, & cognomine poſſidentis.

Ijdem verò, ne in itinere quidem, quod ſynodi cauſa ad ciuitatem facturi ſunt, à Clericalis vitæ diſciplina, ſacerdotali morum grauitate noſtris decretis præſcripta, diſcedant.

Vbi in ciuitatem venerint, ne ad cauponas, ſed ad amicorum, ſi quos habent, præſertim eccleſiaſticorum hominū, neceſſitudine, familiaritate, aut aliquo hoſpitij iure coniunctorum, domicilia diuertant; tumq; deinceps ſtatim ad eum ſe conferant, quem occaſione ſynodalis illius actionis, Clericalis hoſpitij præfectum conſtituerit epiſcopus; eique chyrographum dent, quo ſuum quique nomen inſcribant; notentq; hoſpitij locum, & hoſpitem, aqud quem diuerterint. Si verò quis neminem certum hominem habet, aqud quem diuerſetur; primum eundem præfectum adeat, qui certum eccleſiaſtici hoſpitij locum aſſignabit.

Cum porrò Clericalis ordinis homines omni tempore alios vitæ exemplo ad virtutem inflammare debeant, tum maximè cum ſynodales actiones habentur, ita ſe gerant, in verbo, in conuerſatione, in charitate, quemadmodum Apoſtolus monet, vt, cum eos poſuerit Deus in acquiſitione ſalutis, atque in ædificationem, officij ſui memores, ambulent dignè Deo, ſancteque ſicut decet, miniſtros myſteriorum Dei, viuant. Nec verò, vt pleriq; ſolent, cum in ciuitate ſunt per plateas vagentur, aut præ curioſitates hac, atque illac circumcurſent; ſed ad cauſam, ob quam conuocati ſunt, tota animi cogitatione tūc attenti, in eo verſentur, vt & epiſcopo in ea actione puris, caſtiſq; precibus auxilium, & ſibi, & populis ſalutarem inde fructum ferant.

Qui ſacerdotes ſunt, ſingulis diebus, quibus ſynodalis conuentus habetur, vt iuſſum eſt, Miſſę ſacrificium celebrēt: reliqui Clerici ſaltē primo die ſynodi ſacram communionem ſumant, idque ſummo mane: facientes obſecrationes, orationes, & gratiarum actiones, poſtulationes pro ſancta eccleſia Dei, pro ſummo Pōtifice, pro Principibus Chriſtianis, pro vberrimo Synodalium, & aliarum paſtoralium actionum fructu.

Vt autem Epiſcopus, ſynodalium actionum officijs, & curis multis tunc occupatus, aliorum miniſtrorum ſtudio, & opera adiuuetur; triduo, aut biduo ante ſynodi diem, eccleſiaſticum hominem, iuris peritum ſtatuat, qui promotoris munus obeat; & vnum, duoſve eccleſiaſtici item ordinis, qui eorum, qui à ſynodo, cui intereſſe debent, abſunt, cauſam, rationemque abſentiæ eius nomine cognoſcant; qui præ tereà querelas, controuerſias, & accuſationes eodem nomine audiant, & ipſi epiſcopo referant; cui liberum, integrumque ſit, etiam dum ſynodus habetur, quandocunque libuerit, illas ſibi aduocare, & alijs etiam delegare.

Quæcumque porrò, vel decreta, vel Conſtitutiones, vel edicta, vel ſcripta cuiuſuis generis in ſynodo legi, promulgarive oportebit: ijs legendis vel Archidiaconum, vel Canonicum diaconum ſuæ Cathedralis eccleſiæ cōſtituat, qui id muneris rectè obire poſſit: ſi modò is, qui Cancellariæ epiſcopalis officium gerat, Canonicus illius eccleſiæ non ſit, aut in ea dignitatem nō obtineat. Ad illum enim potius hoc officium pertinere decernimus; quo tunc impedito, ad aliū Canonicum, quem epiſcopus, vt ſupra, delegerit.

Pridie item illius diei, quo futura eſt ſynodus, ſub primā horam noctis in omni eccleſia ciuitatis ſolemni campanarū ſono ſignificatio detur, ſynodi, poſtero die inchoandæ.

Poſtridie, quæ ſtata ſynodi dies eſt, ſummo mane, & cæteris deinceps ſynodalibus diebus in Cathedrali eccleſia certis campanæ ictibus ad ſynodum Clerus conuocetur: cuius etiam rei ſignificatio fiat tabella, cura Magiſtri cæremoniarum publicè loco ſuo affixa, qua ſynodalis ſeſſionis certa hora indicatur.

Qua hora vniuerſi, & ſinguli, qui in ſynodo intereſſe debent, in eccleſia Cathedrali, non raptim, ſed graui inceſſu conueniant: vbi conuenerint, loco cōſtituto, ſuperpellicea, quæ mūda, ac decentia ſint, & almutias, cappaſve, pro eccleſiæ inſtituto, & vſu induant; quicumque dignitates, Canonicatuſve in eccleſia Cathedrali obtinent, & qui collegiatis eccleſijs quocumque nomine propoſiti ſunt, quibus rectè, & decenter induti, inde ad ſtatum ſeſſionalem locum, non turbulenter, ſed quietè, &, quoad eius fieri poteſt, bini veniant, atque ordine conſideant.

Nec verò quiſquam manè, priuſquam conueniat, cibum capiat, ſed ieiunus adſit.

In loco igitur benedictionis conſidentes Domini Sacerdotes, & reliqui inferiorum ordinū Clerici, ne vocibus obſtrepant, ne tumultibus rem ſynodalem perturbent, ne confabulationibus operam dent; ſed hæc omnia, cæteraque maximè caueant, quæ eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſynodalis actionis dignitati, & loci venerationi non conueniunt.

Synodali celebritati triduum veteri ritu præſtitutum eſt; at pro rerum, quæ gerendæ ſunt, ratione, Epiſcopus non ſolum breuiori, ſed etiam longiori tempore ſynodum agat, & ſynodales actiones tractet licet.

Primo ſynodi die epiſcopus, proceſſione ſolemni primum peracta, Miſſæ ſacrificium celebret: tum, precibus ſtatis, & cæremonijs, ad eiuſdem ſynodi inchoationem è libro Pontificali ritè adhibitis, ſermonem Clero habeat eo de genere, quod ſynodalibus tractationibus, & ſanctæ diſciplinæ accommodatum ſit.

Qua ſermone peracto, Archidiaconus, vel alius epiſcopi iuſſu indicat ſilentium.

Deinde idem Archidiaconus, vel Canonicus diaconus decreta lecturus, ad epiſcopum accedit, à quo illa, quæ legēda ſunt, cum acceperit, de ſuggeſta alta voce pronunciet.

Decreta, quæ initio ſynodi legat, hæc ſunt.

Vnum, monitiones complectens, quæ ex hoc ipſo decreto atque alijs prouincialium Cōciliorum Conſtitutionibus, ac patrum regulis, prout epiſcopus maluerit, confectæ ad viuendi modum, celebrandæque ſynodi rectam rationem pertineant. In ijs verò monitionibus illa cohortatio etiam ſi, vt triduano ieiunio, quemadmodum inſtitutum olim fuit, ſynodalis triduana actio à Clero celebretur.

Alterum, quo ſynodi miniſtrorum, & iudicum, querelarum, itemque excuſationibus abſentiæ vniuſcuiuſque audiendis ab epiſcopo conſtitutorum, nomina promulgētur.

Tertium, quo cauetur eorum, qui ſynodo intereſſe debent, nomina, rectè, ordineque ſcripta, ad Cancellarium Epiſcopalem deferri.

Quartum, quo cauetur item, ſi cui in ea ſynodo contigerit, ſuo loco non ſedere, aut incedere, aut aliud quicquam agere, id proptereà nemini ius acquiri, acquiſitumve eſſe, neque quicquam de cuiuſquam iure, poſſeſſioneve detrahi: ſed omnia in eo ſtatu permanere, quo antea fuiſſe compertum erit.

Quintum, quo excōmunicationis propoſita pœna prohibeatur, ne, quo tempore ſynodus habetur, cuiquam ſacerdoti, Clericove à ciuitate diſcedere liceat, niſi miſſione ab epiſcopo impetrata.

Sextum, quo iubeat, ſi quæ publica calamitas, vel ciuitati, vel diœceſi, cuius ſynodus habetur, vel vniuerſo populo Chriſtiano imminet, aut inſtat, orationem, in Miſſæ ſacrificio, ab omnibus, ſinguliſque ſacerdotibus fieri, preceſque à reliquo Clero adhiberi: cum inſtituti ſit, & ritus in eiuſmodi ſynodali conuentu pro publicis rebus ſupplicationes publicas agi.

His de more promulgatis decretis, nominatim, decore-
.ie vocentur, qui ſynodo præſentes adeſſe debent, ſicque
ocati, ſinguli reſpondeant. Adſum.

Vocationis ratio ea ſit, vt primò ciuitatis, deinde dice-
ſis Clerus vocetur.

Idque diſtinctè, ſigillatim, & ordine præſtetur.

In hac actione primò hæc legantur.

Decretum Tridentinum profeſſionis fidei in ſeſſ. 25. ad-
criptum, cap. 2. cuius initium eſt. Cogit temporum calami-
tas &c.

Decretum Concilij prouincialis primi de profeſſione
fidei, quod decretum incipit, ſacri &c.

Tum formula profeſſionis fidei ex Conſtitutione Pij
V. Pont. Max. legatur.

Qua lecta, & fidei profeſſione præſtita, eorum no-
mina, qui perſtiterunt, à Cancellario ſcribantur, & in Codi-
cem diſtinctum referantur.

Decretum Tridentinum de examinatoribus in benefi-
ciorum parochialium cura committenda adhibendis, ſeſſ.
4. ſeſſ. 18. conſcriptum in hæc verba, Examinatores &c.

Deinde ab epiſcopo proponantur examinatores nomi-
natim.

De ijs probandis ſuffragia rectè ſeruantur.

Decretum itidem Tridentinum de ijs deſignandis, qui-
bus cauſæ delegentur, pronuncietur ſeſſ. 25. c. 10. quod inci-
pit. Quoniam ob malitioſam &c.

Poſt, eo de genere Conſtitutio Bonifacij VIII. cuius i-
nitium eſt: ſtatutum &c.

His lectis illi ab epiſcopo deſignentur, ac demum pro-
nuncientur.

In ſuffragijs autem ferendis ſinguli ſpectent, vt non hu-
manis affectibus obſequantur, ſed Deo, & tum conſcientiæ
ſatisfaciant, religioni, eccleſiæ vtilitati, animarumque ſaluti
conſulant.

Tum hæc promulgentur.

Conſtitutio Pij II. contra Clericos edita, qui ſine Cano-
nica diſpenſatione, extra ſtata tempora, ante legitimam æta-
tem, vel abſque dimiſſorijs ordinarij ſui litteris, ſe ad aliquẽ
ordinem promoueri fecerint, ex cõcilio prouinciali tertio.

Conſtitutio item Pij V. de confidentijs, ex eodem Con-
cilio, & illa etiam de Canonicarum horarum officio recitã-
do, per eundem edita.

Decretum Tridentinum de reſidentia item ſeſſ. 23. c. 1.

Decretum alterum de reſidentia, item ſeſſ. 23. c. 1.

Decreta prouincialis Concilij primi de vita, & honeſta-
te Clericorum.

Decreta Concilij prouincialis quarti de honeſtate Cle-
ricorum.

Decreta prouincialis primi Concilij de diuinis officijs.

Decreta item huius Cõcilij prouincialis quinti de Cho-
ri diſciplina.

Aliæ denique, vel pontificiæ ſanctiones, vel prouincia-
les Conſtitutiones, vel decreta diœceſana, quæ Epiſcopus
legenda cenſuerit.

His lectis, punctatores pronuncientur, ab epiſcopo de-
lecti, qui ex decreto Concilij prouincialis quarti ibidem iu-
rent.

Deinde teſtes item ſynodales, ab Epiſcopo delecti, re-
nuncientur, qui ad præſcriptum formulæ, in eo Concilio e-
ditæ, iurati, munus ſuum obeant. Quo in iure iurando hæc
cautio ſit, vt manè in ſeſſione per eos præſtetur, qui adſunt.
Si qui verò abſunt, Vicario foraneo, in cuius regione illi te
ſtes renunciati habitant, id curæ delegetur, vt ad formulæ
præſcriptum ab illis iuſiurandum exigat, atque ſuſcipiat.

Id verò iuſiurãdum in altari maiori ſacris reliquijs, quæ
è loco, vbi aſſeruantur, accenſis luminibus afferantur, deco-
re collocatis ſanctè præſtetur.

Alia præterea agantur, quæ epiſcopus agi, verive expe-
dire cenſuerit.

At verò neque ſeſſio ſecunda dimittatur: niſi primo, vt
ſupra, oratione publica perorata. Tum iij. ſeſſio indicatur.

Quo tertiæ ſeſſionis die, demum decreta, ſi quæ Epiſco-
pus noua conficienda cenſuerit, de ſuggeſtu promulgentur.

Monitiones ex Concilio prouinciali quarto legantur.

Poſt, certa dies ſynodi, quæ ſequenti anno celebrabitur,
decreto edito promulgetur. Tum epiſcopus, anteaquàm
ſynodum dimittat, ſermonem habeat, paternis monitioni-
bus plenum, & dimiſſioni accommodatum.

Proceſſio ſolemnis deinceps ab vniuerſo Clero agatur.

A qua cum reditum erit, Clerus vniuerſus, genibus fle-
xis, tacitus per horam dimidiã oret pro rebus publicis, qua-
rum cauſa oratio epiſcopi iuſſu indicatur.

Tum poſteà acclamationes ſanctæ fiant, ex formula ab
epiſcopo præſcripta.

Acclamationibus factis, omnes ſacerdotes, & Clerici
ſurgentes, cum reuerentia oſculum pacis ab epiſcopo acci-
piant, & ſibi inuicem dent, cum timore, & amore Dei. Si ve-
rò Cleri, qui conuenerit, numerus is eſt, vt longius hic oſcu-
li ritus ducatur, ea ratio ineatur, vt Præpoſiti, & Archipreſ-
byteri ſolum ab epiſcopo illud accipiant; qui deinceps ſuo
quique Clero dent; iſque inter ſe mutuo item.

Quod verò ſancti oſculi ſignificatione oſtendunt, id re
ipſa præſtent, vt coniunctiſſimis animis, concordique vo-
luntate, & pacis, atque charitatis ſtudio, quæcumque lecta,
ſancitave ſunt, ſollicitè exequantur.

Demum epiſcopus Clero ſolemniter benedicat.

Archidiaconus verò præſcriptis illis pontificalis libri
verbis ſynodi dimiſſionem ſignificet.

Poſt primæ ſeſſionis diem, reliquis deinceps diebus, à
Canonico, vel ab eo, qui dignitatem obtinet, hebdomada-
rio, Miſſa ſolemnis ſtata hora canatur.

Pluuialia item induantur, qui in Cathedrali eccleſia di-
gnitates, aut Canonicatus habẽt, & ſinguli Collegiatæ eccle
ſiæ quouis nomine præfecti, peracto ſcilicet Miſſę ſacrificio,
cum initium ſit ſeſſionis ſynodalis.

At in Miſſæ etiam ſolemnibus, cũ epiſcopus celebrabit.

Manè item ſingulis ſeſſionis diebus, cum ſacræ preces, li-
bro pontificali præſcriptæ, ritè habitę erunt; concio, ſermo-
ve, eccleſiaſticæ diſciplinæ rationibus accommodatus, ab e-
piſcopo, vel ab alio eius iuſſu habeatur.

Seſſio autem, cum ad horas pomeridianas proroga-
tur, detur ſtata hora ſignum campanæ ad illius ſignifica-
tionem.

In qua continuata ſeſſione epiſcopus amictum etiam,
albam, ſtolam, pluuiale rubri coloris, pectorale, & mitram,
precioſam induet, duobus de more aſſiſtentibus.

Pronuncietque epiſcopus initio orationem. Adſumus.

Veſperi autem, antequam vniuſcuiuſque diei ſeſſio di-
mittatur, Clerus vniuerſus paululum tacitus ſanctè, religio-
ſeque oret pro re, de qua orationem fieri, in eadem, vel in
prima ſeſſ. indictum eſt.

Cancellarius autem, à promotore rogatus, omnis quo-
tidianæ ſeſſionis, tum matutinæ, tum pomeridianæ acta pu-
blica conſcribat, in librumque certum referat.

Peracta demum tota vniuſcuiuſq; diei ſeſſione, epiſco-
pus de more ſolemniter benedicat.

His decretis de ſynodi diœceſanæ habendæ ratione, at-
que vſu per nos editis, addi atq; de his mutari aliquid in ijs,
quæ, aut ad dirigendæ ſynodi rationem, ordinemve, aut ad
decretorum prouincialium, aliarumque ſanctionum pro-
mulgationem pertinent, Epiſcopo ex cauſa liceat, prout ex
ſynodi ſuæ diœceſanæ vſu eſſe videbitur.

Quo diligentius, atq; adeo accuratius, & in vrbe ij, quos
vnicuique regioni epiſcopus præfecerit, & in diœceſi Vica-
rij foranei muneris, atque officij ſibi commiſſi partes exe-
quantur: quo item crebrius, ac vigilantius diœceſis ſtatus, cui
aſſidua paſtorali ſpeculatione proſpiciendum eſt, explora-
tus ipſi Epiſcopo ſit, atque cognitus, cum ex omni alia ratio-
ne, tum ex eo, quod illi certo anni tẽpore, ad ipſum ſtudioſe
referant, non ſolum quæ de ſynodo diœceſana decreto ge-
neratim, vniuerſeque præſcripta ſunt; verum etiam quæ-
cumque ſigillatim, ac præcipuè, pro temporum ratione idẽ
epiſcopus illius pręſcribenda cenſuerit; in hoc genere ita cõ-
ſultum ſit, vt illi in ciuitate, in diœceſique. Vicarij foranei, in
ſua quique regione commiſſa, præter illam in ſuo munere
gerendo curam, ſuaſq; frequentiores per annum viſitatio-
nes, præterque Epiſcopi, & epiſcopalium viſitatorum in vi-
ſitando diligentiam, ipſi etiam ſingulari, accurata, diligenti-
que ratione viſitationem concreditæ ſibi regionis cumula
tius, exactiuſque obeant, à die Sancti Martini, vſque ad di-
feſtum

feſtum ordinationis ſancti patris noſtri Ambroſij. Si quis verò, vel pro regionis, quæ ſibi commiſſa eſt, magnitudine vel alia cauſa ad ſtatæ viſitationis munus longiori tempore opus habeat, ei integrum, ac liberum ſit, aliquot ante præſcriptum tempus diebus viſitationis ſuæ initium facere.

Vicarij autem foranei ſinguli, pro ratione, tum eo decreto generatim præſcripta, tum ab epiſcopo ſigillatim præſcribenda, de regione, quæ vniuſcuiuſque eorum Vicariæ curæ demandata eſt, ad eundem relaturi, in ciuitatem quotannis hebdomadæ ante dominicam in ſeptuageſima penultimæ, duodecimo ſcilicet ante eius dominicæ celebritatem de ſummo mane in epiſcopales ædes ad illum conueniant. Id verò, niſi aliquando ob temporis, quod inter Epiphaniã, & Septuageſimam incurrit, breuitatem, aut aliam ob cauſam, cum Vicariorum conuentum, alio commodiori tempore habendum eſſe, per literas epiſcopales ſignificatum ſit.

Quo diligentius verò relationem ſinguli Vicarij præſtent; id ſubſidij ſibi comparent, vt, anteaquam ſtati conuẽtus dies veniat, congregationem parochorum ſuæ quiq; regionis habeant, à quibus quæcumque, vel vniuerſe, vel nominatim, præſcripta ſunt, diligenter animaduertant, & colligant. Parochorum propterea curæ ſit, certo ante conuentualem diem tempore videre, atque exquirere ſuarum parochiarum, parochialium ve hominum ſtatum, vitam, & mores. Si quæ verò animaduerterint, quibus ſalutariter cõſuli, aut prouideri oporteat, & ſigillatim, & ordine deſcripta, ſuo quique Vicario tradant, vt ad conſtitutum tempus epiſcopo referant.

Vbi à conuentu, qui anniuerſarius ipſis Vicarijs ſtato die indictus eſt, ad ſuam quique eccleſiam redierunt, ſtatim quique ſuæ regionis parochorum congregationem iterum habeant de ijs, quæ ab ipſis, vel ſynodi proximè celebrandæ, vel alterius rei cauſa agi, præſtari ve monuerit, aut iuſſerit Epiſcopus.

Conſtituti verò in vrbe ab Epiſcopo regionum præfecti, quæcumque ad præſcriptam illam rationem eidem referenda ſunt, ea tum diligenti ſtata viſitationis cura, tum parochorum, quorum paulo antè relationis diem congregationem habebunt, adiumento vſi, poſt referent; quàm Vicariorum foraneorum dimiſſa erit conſtituta congregatio.

Feria præterea ſecunda poſt octauam Reſurrectionis Domini, ſi dies feſtus non eſt; ſin minus, proximo primo feriali die, quo ſolemniter officium non fit, ijdem tum præfecti regionum in vrbe, tum Vicarij foranei congregationem iterum habeant, in qua, & à parochis etiam colligant, & inter ſe item videant, ſi qua reliqua ſunt, quæ poſt illum conuentum, qui ante Dominicam in ſeptuageſima habitus eſt, inciderint, quæ item ad epiſcopum ante ſynodi diem referri oporteat: qualia ſunt de ijs, qui proximo Paſcha confeſſi non communicarint, & de alijs, quæ ad eundem deferenda ſint.

Sin autem aliqua de cauſa ad conſtitutam eam diem ſynodus nõ habebitur; ne propterea per illos omittatur, quin & præſcriptam viſitationem diligenter obeant; & ante Dominicam Septuageſimæ ad Epiſcopum conueniant, & ſingula alia præſtent, vt ſupra, vel illis omnibus vniuerſe, vel nominatim, præcipueque Vicarijs foraneis cõſtitutum eſt; & tertia etiam poſt Paſcha Reſurrectionis Domini hebdomada ad præſcriptum eidem epiſcopo, cũ præfecti de ſcripto referant, ac tradant; tum ij Vicarij ſingula mittant.

Regulares, quicumque ſint, qui in quauis eccleſia parochiali, etiam quæ in ſuo Monaſterio exigit, quæve eidem adiuncta eſt, curam animarum gerunt, ſynodo diœceſanæ interſint; ad ſtatas illas congregationes, lectioneſve, quibus parochos intereſſe iuſſum eſt, conueniant; menſtruos item illos parochorum conuentus, quos in diœceſi haberi, decreto cauimus; tum ipſi adeant; tum in eccleſijs, vbi animarum curam gerunt, monaſterij ſumptu habeant, & omnia deniq; munera, onera ve parochialia, quæ cæteris parochis impoſita ſunt, præſtent omninò.

Curatas eccleſias, quæ regularium monaſterijs, etiam vbi abbas generalis domicilium, ſedemque ordinis primariã habet, vnionis iure adiunctæ ſunt, Epiſcopus ex Tridentini Concilij decreto, ſeſſione VII. c. VII. viſitet.

Viſitationis munus ad Dei honorem, animarumque ſalutem vtiliter inſtitutum, quo fructuoſius præſtetur; maximè videbitur expedire, vt, antequam ab eccleſia, pio ve loco, cuius viſitatio agitur, diſcedatur, decreta, eaque præſertim, quæ de ſtructura, ſuppellectili ve eccleſiaſtica, conſtituta erunt, rectori, alijve, cuius intereſt, relinquãtur, vt, quam primum fieri poteſt, diligenter inducantur in executionis vſum. Atq; in eo quidem genere decretorum quæ de illius vel fabricæ, vel ſuppellectilis ratione ſunt, cũ in inſtructionibus, ea ipſa de re ex prouinciali decreto editis forma præſcribatur, non multum temporis ponetur.

Si quæ verò, vtpotè de legatis, & alijs eiuſmodi cauſis cognoſci oportebit, de ijs, loci etiam viſitatione confecta ſtatui, decernive poterit: ſed curet epiſcopus anteà omnino, ſi fieri poterit, decerni, quàm ex ipſa plebe, Vicarijve regionè abeatur, ſi diœceſis locorum viſitatio fit.

Atqui in decretis non erit generatim, ſed ſigillatim, & quantum fieri poſſit, diligenter ſtatuendum, & à quo, & cuius ſumptu, & quo temporis ſpatio quicquam fieri, præſtari ve oportebit; & quæ præterea pœna negligentibus, aut contumacibus erit interroganda. Et verò ſi quæ in decretis exequendis difficultas, vel controuerſia videbitur oriri poſſe, curandum erit, vt planè tollatur. Verùm hac ſalutari diligẽtia videat epiſcopus, ne in viſitando tempus, niſi neceſſario protrahatur ad maiorem cleri, vel populi, vel eccleſiarum ſumptum.

Nec propterea tamen vetitum ſit, quominus aliquorum decretorum confectionem, vel editionem differre diutius poſſit, ſi ita pro difficultate rei, alia ve ratione opus eſſe, aut expedire iudicauerit.

Viſitationis autem decretorum exempla ſemel primũ gratis omnino, etiam quod ad ſcriptionem attinet, edantur ijs ſingulis, quibus pro executionis vſu edi, exhiberive oportet: iterum etiam, atque adeò ſæpius itidem gratis, vt ſuprà, edantur; ſi quæ iam edita ſunt, aliquo modo, ſine eorum culpa tamen, amiſſa, deperdita ve ſunt.

Quæ porrò decreta, cum primo eduntur; in libro, bene confecto, accuratè, rectéque exſcribantur. Iſque liber in ſacriſtia eccleſiæ, allo ve decenti, tutoque loco aſſeruetur.

Subſcribet prætereà manu ſua iiſdem decretis in eo libro epiſcopus, vel qui eius nomine viſitauit, vel Cancellarius, vel notarius viſitationis. Eiuſdem verò Cancellarij erit, publicis tabulis notare, in actaque viſitationis referre, quo die ſingula decreta, ordinationeſve ſingulæ editæ ſint.

De epiſcopo, epiſcopali iuriſdictione, & foro.

QVod de Epiſcopo hoſpitio excipiendo Clemens Pontifex, & martyr, Apoſtolica quadam conſtitutione ſcribit, & beatus Ambroſius ſtudioſe ſeruauit: id Epiſcopi prouinciæ noſtræ ad vſum reuocare ſtudeant, vt Epiſcopum, qui aliunde venerit, benignè hoſpitio accipiant; cũ eoque agant, vt die feſto, ſi permanſerit, ſermonem in primis habeat. Eſt enim, inquit, idem Clemens hoſpitis hortatio grata, atque vtilis. Hoc præterea, etiam ſi ille renuat, facere cogãt ſancta quadam vi charitatis, vt populo benedicat.

Si quando contigerit, vel legatum Pontificium, vel Cardinalem S.R.E. vel Metropolitanum huius prouinciæ aduentare, aut diuertere in aliquam prouinciæ diœceſim aut in ea diutius etiam commorari; tunc epiſcopus diœceſanus, cum ei obuiam prodit, aut congreſſum, colloquium ve cum eo habet, aut denique in eius conſpectu præſens, ſiue publicè, ſiue priuatim adeſt, ne rochetum detectum ferat; ſed ſuperiori veſte contegat. Eumdem honorem tribuat, deferatve Apoſtolico ſuæ eccleſiæ viſitatori, & illi item, qui in ea regione Internuntius Apoſtolicus eſt.

Si quando aliquem ex Coepiſcopis noſtris in belli, famis, peſtis, aut alias eiuſmodi neceſſitates, aut difficultates, quas Deus, pro ſua pietate prohibeat, publicas, vel priuatas incidere cõtingat; reliqui prouinciæ noſtræ Epiſcopi opem illi afferre ne differant tum oratione, & publicis ſupplicationibus, tum eleemoſynarum, vt quiſque poterit, largitione.

Tum omnem etiam aliam rationem quiſque ineat, qua fratris Epiſcopi, ac eius etiam populi laborantis calamitatibus largè, atque opportunè ſuccurratur.

Sacroſancti Concilij Chalcedonenſis Canon iubet, ab piſcopo œconomum deligi, & conſtitui, qui eccleſiæ Caiedralis prædia, bona, reſque de illius ſententia, & arbitrio dminiſtret, vt non modò illa non diſſipentur, ſed teſtis ſit ectæ adminiſtrationis, ac diſpenſationis.

Id vt à prouinciæ noſtræ ſingulis epiſcopis ſeruetur, ioc decreto ſtatuimus, nec vero ſolum quo diligentius boiorum eccleſiæ rectæ adminiſtrationi ad illius Cócilij prę- :riptum cóſulatur; verùm etiam quo ſtudioſius epiſcopus, um cenſus, ſuppellectilis, bonorumq́ue eorum curatorem, dminiſtratoremq́ue habuerit, in rerum ſpiritualium offiijs, quæ epiſcopalis muneris propria ſunt, ipſe omni cogiatione, totoque animo incumbat.

Eum verò œconomum, vel, vt alio Canone cauetur, vicedominum conſtituat Epiſcopus, non laicum, neque ſibi :ognatione, affinitateve, aut fauore coniunctum, ſed eccleiaſticum hominē: qui & de Clero ſuo, & verò, ſi talem, qui doneus ſit, habere poteſt, diaconatu initiatus ſit, quique in :o adminiſtrationis genere & rectè, & peritè verſari poſſit.

Cuius adminiſtrationis rationes, in codicem certum reAè, ordineq́ue relatas, tertio quoque anno ad Concilium prouinciale epiſcopus afferat, atque exhibeat, ſollicitè pro :onſcientiæ ſuæ religione, totius illius diſpenſationis ratioiem in eodem Concilio redditurus.

Ne prælatus exemptus, etiam ſi epiſcopus ſit, in alienam dioeceſim, intra cuius fines eccleſiam quomodocumque exemptam obtinet, quæ iam inde etiam ab immemorabili vſque tempore iuriſdictionem ſpiritualem habet, alium epiſcopum inducat, neque ad ſacrum oleum conficiendum, neque ad Chriſma miniſtrandum, neque ad conſecrandam eccleſiam, neque ad alia pontificalia munera obeunda, exercendave: nec verò ipſe illa ipſa officia, munerave miniſtret, aut exerceat ſine epiſcopi diœceſani conceſſu.

Ne item prælatus inferior, etiam exemptus in eccleſia, locove vbi iuriſdictione ſpirituali vtitur, epiſcopo extra neo poteſtatem faciat miniſtrandi pontificalia munera.

Regulares, quibus ex priuilegio ius competit conſeruatores eligendi, ad quos in iudicium vocētur, quos ſemel delegerint, ne mutent: eorumq́ue præterea nomina, menſis ſpatio, epiſcopo diœceſano ſignificent: alioquin ad epiſcopale forum in ius illos vocari liceat.

Quibus in actionibus, aut deliberationibus œcumenicis ſynodo Tridentina, aut prouincialibus Concilijs conſtitutum eſt de Capituli, clerive Conſilio aliquid agendum eſſe, non propterea tamen illud ſequendi neceſſitatem ſibi impoſitam eſſe, Epiſcopus exiſtimet, niſi in ijs tantum, de quibus id ſpeciatim, nominatimq́ue cautum eſt.

Quoties epiſcopus, etiam tanquam ſedis Apoſtolicæ ex decretis Concilij Tridentini delegatus; ſententiam in ijs cauſis tulerit, in quibus ante Concilium, tanquam Ordinarius, eadem iuriſdictione, poteſtateve vti poterat; ſi ab illius ſententia ad Metropolitanum appellabitur, non propterea, quia alia ſententia tanquam à ſedis Apoſtolicæ delegato pronunciata eſt, à Metropolitani iuriſdictione ſubterfugiatur, ſed appellationis cauſæ cognitio omnis liberè eidē permittatur.

Quod Concilij Tridentini decretis ſancitum eſt, vt in viſitationis, correctionis, habilitatis, inhabilitatis, & criminum cauſis ab interlocutoria ante diffinitiuam ſententiam, aut ab alio quocumque grauamine ne appelletur; ita omnes, ad quos pertinent, id exequantur, vt non modo appellationi non deferatur; ſed neque Metropolitanus, ad quem appellatum eſt, ante diffinitiuam ſentētiam cognitionem grauaminis ſuſcipiat, adhibeatve; ita vt ne ſimpliciter quidem mandet, acta cauſæ ſumptibus appellantis mitti. Vbi verò ſententia diffiniēs lata eſt, quæ ad cauſas viſitationis, & correctionis pertinent, appellari liceat; ita tamen, vt illius executionem non retardet, impediatve appellatio. Quòd ſi de grauamine agitur, quod per appellationem à diffinitiua reparari nequeat, quale eſt grauamen indebitæ carcerationis, tunc appelletur licet, & appellationi planè differatur. Nec verò prohibeatur, quominus acta cauſæ ad iudicem appellationis deferantur. Interea verò idem, cuius cauſa agitur in carcere permaneat, quoad cauſa cognita iudex, ad quem appellatum eſt, aliter iuſſerit, decreueritve. Si verò cauſa correctionis eſt, vtpotè, cum quis iniquè in carcerem ſe coniectum eſſe, aut diutius in eo fuiſſe conqueratur, & ad Metropolitanum propterea appellet; de prætenſo exceſſu is cognoſcat licet, dummodò quæ ordinarius iudex decreuerit, eorum executio intereà non impediatur.

Vt apud iudicem eccleſiaſticum omni ſinceritate iudicia exerceantur; ſtatuimus, atque edicimus, illum non ſolum litis principio, ſed in omni eius parte, cum expedire cenſuerit, atque ex officij ſui munere, tam ab actore, quàm à reo calumniæ iuſiurandum exigere poſſe.

Iuſiurandum, ſicut vinculum iniquitatis eſſe non debet; ita eius relaxatio, abſolutiove æquum nullum modo eſt, vt cuiquam præiudicium afferat.

Quamobrem ne cuiquam in poſterum iuriſiurādi, quo aſtrictus eſt, relaxatio, abſolutiove vnquam detur; niſi ad agendum tantum alias ex ſacrorum Canonum præſcripto, at verò nullo modo ad excipiendum, ac præterea, ne ad agendum quidem, poſteaquam quis periurium admiſit: à quo crimine epiſcopus abſoluit neminem.

Literæ monitionum de rebus ſurreptis, ablatiſve, ne deinceps dentur, niſi præſcriptis rationibus, quæ partim in Concilio prouinciali quarto explicatæ ſunt, partim in hoc enucleatius, vt infra præſcribuntur.

Non ſolum excommunicationis, vt tertio Concilio decretum eſt, ſed etiam interdicti, aliarumq́ue cenſurarum vim, & poteſtatem parochus ijs ſermonibus, concionibuſve aliquando explicet, quos ad populum habet.

Et verò publice excommunicatos, interdictoſve, qui à ſacerdote celebrante, vt ab eccleſia exeant, nominatim moniti permanere auſerint, excommunicationis vinculo irretitos eſſe, neque ab alio, niſi à ſede Apoſtolica ſolum, abſolui poſſe, oſtendat, vt Clementis quinti ſanctione cautum eſt.

Interdicta, ab epiſcopo promulgata, non ſolùm, quæ vniuerſos, ſed quæ ſingulos etiam attingunt, ab ordine omni regularium in ſuis eccleſijs, & promulgentur, & ſeruentur item, vt Tridentinum decretum iubet.

Parochus cum aliquos, vel excommunicatos, vel interdictos pronunciarit, eorum nomina, cognomina, & diem, quo excommunicati, interdictive ſunt, quàm primum ad fori Epiſcopalis Cancellarium deferat.

Hic verò in tabella, eo potiſſimum nomine confecta, rectè exſcribat, quæ à parocho acceperit.

Ei præterea tabellæ, quam in Cancellaria diligenter certo loco aſſeruet, addat, detrahat, quicquid in dies ſingulos addi, detrahi, mutarive acciderit.

Item de Clericis, qui vel ſuſpenſionis cenſura affecti, vel exilio mulctati ſunt, accuratè etiam ſeruet Cancellarius, notato tempore, quo in ea ſuſpenſionis cenſura, aut in exilio permanere decretum eſt.

Quo diutius in excommunicationis, interdictive cenſura aliquis permanſerit; cum abſoluitur, eo grauiori pœnitentia afficiatur.

Iudiciorum, cauſarumque forenſium, tum etiam omnium litterarum, expeditionum formula, quæ ad fori epiſcopalis rationem, rectè inſtituendam, & tuendam, quæque ad deprauatos vſus tollendos pertineat, Concilij huius auctoritate per nos conſcripta, cum in lucem emittetur, in omni epiſcopali prouinciæ tribunali accurate, diligenterq́ue ſeruetur.

Illud præter cętera munus epiſcopi eſt, vt in ſuo epiſcopali foro vniuerſis, & ſingulis ius gratis reddatur.

Quamobrem præter id, quod alio Concilio prouinciali de muneribus, & donis cauimus, hoc decreto ſtatuimus, in ordinarijs cauſis nihil quicquam, vel minimum, ne ſportularum quidem nomine, nec à ſponte etiam dantibus, aut vllo quouis modo à iudice illius fori accipi licere.

Si quis acceperit, pœnam, lege Iuria repetundarum ſancitam, ipſo facto ſubeat.

Nemo quiſquam, neque Vicarius, etiam foraneus, neq; procurator, aduocatuſve fiſci Epiſcopalis, neq; auditor, nec verò alius, qui in familia, famulatuve epiſcopi ſit, cauſarum, quæ in epiſcopali foro aguntur, procurationem, defenſionē, ac patrocinium, nec nomine, nec re ipſa ſuſcipiat, agatve, præter illas, quas debet pro ſuſcepti officij munere, & quas

præterea pias cauſas epiſcopus, ab illo ſuſcipi, agive iuſſerit. Nec verò quiſpiam eorum patiatur, famulos ſuos in eo epiſcopali foro cauſas non modò agere, ſed ne commendare quidem, minùs verò quicquam, vel minimum operæ ponere, quo præiudicium, damnumve cuiquam inferatur.

Neque præterea ipſi vel fori epiſcopalis miniſtri, vel epiſcopi familiares in cauſarum commendatione auctoritatem ſuam interponant: niſi ij ſint, quibus pro muneris ſui ratione diligenter curandum eſt, vt lites, controuerſiæ, & cauſæ præſertim miſerabilium hominum quàm celerrimè, & rectiſſimè in primis definiantur.

Illud maximè expedit, cum omnique ratione conſentiens admodum eſt, vt Vicarij epiſcopales, quoad eius fieri poteſt, alienæ potius diœceſis, quàm illius ſint, vbi commiſſum Vicariæ curæ, officij munus obire, atque exequi debent. Sæpe enim fit, vt cum iuſtitiæ quaſi oculis tenebras cognatorum, affiniumve illa innata vis offundat; tum gratia, metuque eorum, quibuſcum vixerunt, viuendumque deinceps eſt, etiam boni, conſtanteſque viri ab æquitatis norma, rectaque via facilius deflectant.

Si præterea id Vicarij officium eis committitur, qui in aliqua eccleſia perſonalis reſidentiæ munus ſuſtinet, id incommodi, quod permulti intereſt, manifeſtò exiſtit, vt non facilè, neque cumulatè, vti par eſt, vtriuſque muneris partes expleat, atque exequatur.

Quare epiſcopus, cum alia via, rationeque in e[...]rario munere ſibi, ſuæque eccleſiæ rectè conſulere pote[...]deat, vt ne illius generis viros ad illud adhibeat.

Ne epiſcopi Vicarius, miniſterve, iudicandi officium, parteſve ab eo commiſſas, anteà aggrediatur, ſuſcipiatve, quàm eidem iuſiurandum præſtiterit ad formulæ conceptæ præſcriptum.

Piarum voluntatum executio, bonorumque eccleſiaſticorum defenſio omnis, iure Canonum, eccleſiaſticiſque Conſtitutionibus, epiſcopi curæ, fideique commiſſa eſt.

Quamobrem is vel Cathedralis eccleſiæ Canonicum, vel alium Eccleſiaſticum hominem arbitratu ſuo conſtituat, qui idoneus earum piarum cauſarum patrocinium ſuſcipiat, atque agat.

In eam curam delectus ab epiſcopo protector incumbat ſtudio diligenti, vt & voluntatibus pijs ſatisfiat, & bona eccleſiæ recuperentur, & locis, operibuſve pijs fraus nulla, vel minima, quoad eius fieri poteſt, adhibeatur.

Præcipuè autem in eo euigilet, vt piarum cauſarum aduocati, & procuratores ne officio vſquam deſint, quod earum procuratio, ac defenſio, ipſis commiſſa, depoſcit.

Singulis hebdomadis, ſemel ad minimum, & procuratorem fiſci epiſcopalis, & illos conuocet, quibus cum deliberationem, rationemque omnem, vt diligentiſſimè poteſt, ineat, tum de pijs legatis exequendis, tum de eccleſiæ bonis recuperandis, atque tuendis.

Quæ vel ab ipſis aduocatis, procuratoribuſve, vel ab alijs, quorum intereſt, in dies ſingulos, prout vſu venit, exponi ſolent, ea ſtudioſè attenteque audiat: ſi quæ verò cognouerit in eo ſtatu verſari, vt neceſſe habeant aliquo officio adiuuari, aut tandem ad exitum perduci, is omni ſtudio, etiam pro officij ſibi commiſſi munere, videat, ac procuret opportuna, ad rem adiuuandam, conficiendamve remedia.

Quamobrem, & Vicarium generalem, & aliquando epiſcopum, & iudices alios, quibuſcum agendum eſt, toties adeat, quoties adiumento opus erit ad cauſam.

Sit etiam fori epiſcopalis carceris protector vnus è Canonicis eccleſiæ Cathedralis, vel alius eccleſiaſtici ordinis vir: quem ſecundo quoque anno, aut breuiori temporis ſpatio, prout maluerit epiſcopus, ei curæ, protectionive præficiat: rurſuſque ab illo munere libere amoueat, etiam ante præfinitum tempus pro arbitratu ſuo.

Eius officium erit, exquirere diligēter, ac ſimul curare, vt aduocatus, procuratorve pauperum, ſatellites, & cuſtodes carceris muneri ſuo ne in aliqua re deſint, neve quicquam committant, quod ijs, qui in cuſtodia ſunt, fraudi, damnove eſſe poſſit.

Inueſtiget præterea ſollicito, diligentique ſtudio, quæ illorum cura adhibeatur, cum in primis ad animæ ſalutem, tum etiam ad corporis ſuſtentationem: & quæ verò de to eo genere in Concilio prouinciali primo, & tertio cau ſunt, an præſtentur quàm rectiſſimè: & quid denique of cij erga ipſos ſinguli ij præſtent, quibus commiſſum eſt.

Cauſæ item eorundem, & quàm celerrimè fieri pote rectè, cum æquitatiſque ratione congruenter diffinianti etiam atque etiam ſtudioſe videat, ac procuret.

Singulis hebdomadis ſæpe, vel minimum bis vnum quemq;, qui in carcere eſt, inuiſat. At ſi qui ſunt, qui arctio ri, ſecretiorive cuſtodia incluſi tenentur, eos item viſitatu eat: ſed hoc omne officium, Vicario conſentiente, eodem præſente, aut procuratore fiſci epiſcopalis, aliove, quem id Vicarius maluerit; ſi ita magis expedire cenſuerit, ipſe pra ſtet, nec verò alias.

Carceris item cuſtodes ſæpius per hebdomadam adh beat, quibuſcum agat quæcumque non ſolùm ad mores cor rigendos, ſed ad vitam ſuſtentandam, neceſſitateſque ſuble uandas eorum pertinent, qui in vinculis, cuſtodiave ſunt. A proinde libenter, benigneque audiat, quæ quotidie ſibi e ſie genere ab illis exponentur: & quibus opus eſſe viderit, v conſulatur, ac prouideatur; in ijs omnes curæ, ſollicitudini que partes, vt oportebit, quàm diligentiſſimè præſtet.

Si porrò vel vniuerſos, vel ſingulos, qui in carcere ſunt ità ſe malè gerere perſpexerit, vt correxione, monitioneve opus habeant ad morum diſciplinam, eos, prout opportu nitas tulerit, & monere, & hortari, & obiurgare, & corripere ne deſiſtat.

Si verò alios muneri ſuo deeſſe, aut in eo peccare anim aduerterit, cum illos ſui officij, atque adeò errrati moneat in primis, tum ſi opus erit, ob eam cauſam epiſcopum, au Vicarium generalem adeat, cuius auctoritate malorum pertinaciæ occurratur.

De procuratore fiſci epiſcopalis.

EAM curam, atque adeò cogitationem procurator, aduocatuſve fiſci epiſcopalis ſuſcipiat, vt ſibi putet procurationis munus commiſſum eſſe in inquirenda veritate criminis, de quo agitur; ideò ne eo vnquam abutatur ad innocentes opprimendos, neve item cauſam, & occaſionem præbeat, vt calumnijs quis vexetur, atque exagitetur.

Ne vllam criminis cauſam ſuſcipiat, procuretve, quam calumnioſam eſſe nouerit: ſed cum, vel calumniæ, vel rei delati innocentia conſtiterit, ſtatim ab ea cauſa deſiſtat.

Euigilet item vnà cum Vicario, ac ſine eo etiam, vt collateralis, & ſatellites, ne quicquam, vel minimum, extorqueant.

Teſtes pro informatione curiæ, & ſancti officij inquiſitionis ipſe per ſe, etiam Vicario non præſente, aut de illius tamen mandato excipiat licet. Ijs præterea, quæ de teſtibus, etiam ad defenſionem cauſæ adhibitis, inſtituētur, quæſtionibus adeſſe poſſit: nec vetitum ſit, quin & iudici quæſtiones, interrogatave, quæ ad cauſam pertinent, in mentem reuocet, atque adeò ſuggerat, & teſtes etiam ipſos, ſi modò iudici placuerit, interroget: immo verò reos item, at ipſo tamen iudice præſente.

Denunciationum quoque, quæ de rebus, piè legatis, relictiſve, in dies ſingulos fient, indicem à Cancellario apud ſe habeat.

De præfecto reformationis tribunalis, & taxarum.

EPiſcopus ſingulis annis, aut ſecundo quoque anno eccleſiaſticum virum decernat, qui certis illis legibus exequendis præſit, tum prouincialibus, tum epiſcopalibus, quæ ad rectum fori eccleſiaſtici vſum, rectamque forenſiū cauſarum normam, tum ad certam taxæ rationem, omnemque denique iudiciorum conformandam diſciplinam pertinent.

Is, quæcunq; de omni eo genere ſancita ſunt, omni cautione videat, vt ab ijs, quorum intereſt, planè ſeruentur, & in morem, quàm diligentiſſimè fieri poteſt, inducantur.

Cauſarum acta, & Codices item, in quos ſolutiones ſigilla-

..tatim relatæ ſunt, de improuiſo inſpectet, quo facilius cō..
..tiat, ſi quid culpæ in taxæ præſcriptæ ratione cō trahatur.
..verò præ quęſtus cupiditate Cancellarius, notariuſve plus
..cuniæ, quàm præfinita taxæ ratio poſtulat, eiuſque tabel..
..oſtendit, ab vllo vmquam exegerit, id totum eidem reſti..
..iubeat.

Et verò qui in eo genere deliquerint, pœnis etiam illos ..ſici ab epiſcopo, Vicariove procuret. Ad epiſcopum præ..crea illorum nomina deferat, quos in illis exequendis, quæ ..ibi præſcripta sūt, muneri ſuo deeſſe aliquo modo animad..uerterit.

De Cancellario, & Notarijs.

MAximè intereſt non modo eum, qui officium tanti ponderis, tamque valde cum Epiſcopali cura coniūctum, gerit, quale eſt Cancellariæ epiſcopalis munus, ſed illos etiam, qui vel ſubſtituti nomine, operam ſimul in eo ipſo munere ponunt, vel in Cancellariæ ſcriptorum numero cenſentur, cum ab omni alio negotio expeditos eſſe, quò attentiores ſint ad operam, curamque ſuſceptam, tum maximè vacuos, ac planè liberos ab omni, vel minima ſuſpicione cupiditatis, prauęque affectionis, ne dum corruptelæ. Quare præter ea, quæ olim hoc de genere, à nobis conſtituta ſunt, hoc decreto etiam vetamus, atque interdicimus, ne eorum quiſquam ab vlla cuiuſuis loci, ordiniſve vniuerſitate, collegio, homineque vllo, ne diœceſis quidem alienæ, qui in foro epiſcopali cauſas, lites, & negotia, cuiuſcunque generis ſint, duobus ante annis habuit, aut iam nunc habet, aliquod, vel minimum, donum, munuſve etiam ſponte oblatum, ac ne rem quidem eſculentam, quæ ſtatim conſumi poſſit, accipere directè, aut indirectè, vllove modo poſſit.

Ne præterea in eo foro eccleſiaſtico, vel in alio, lites, cauſas, negotiave cuiuſquam ſuſcipiat, neque agat, nec verò diſpenſationes, neque alias eius generis actiones, expeditioneſve perſequatur, procuretve, niſi officij, quod gerunt, ratio aliter depoſcit, aut epiſcopus iuſſit. Qui contra fecerit, à muneris exercitatione ſuſpendatur, atque eo etiam mulctetur, alijſque pœnis plectatur, arbitratu epiſcopi.

Ne epiſcopus, quicquam, vel ſponte oblatum, ne exiguū quidem à ſecretario, ſcribiſve dono accipi, aut capi vllo nomine patiatur, ne occaſione quidem litterarum, etiam quas pro officij munere, etiam priuatim, aliquando ſcribunt.

Hebdomadæ dies, antiquato gentium, à fide Chriſtiana abhorrentium, more, non ſtellarum errantium, lunæ, martis, mercurij, iouis, veneris, & ſaturni nominibus, ſed feriæ appellatione, & diſtinctione nominari, ſanctiſſimus Pontifex Silueſter decreto ſanciuit.

Quod cum non ſine multiplici ratione ab eo inſtitutum ſit, id prouinciæ noſtræ epiſcopi curent, vt omnis eccleſiaſtica actio, qualis qualis ſit, quæ vel in ſynodis diœceſanis, vel ſacerdotalibus, Clericalibuſve conuentibus, vel in Canonicalibus capitulis, vel in foro epiſcopali, vel vllo alio loco, temporeve celebretur, non dierum, qui illarum ſtellarum appellationem, adhuc etiam vulgo retinent, nomine, ſed feriæ diſtinctione, & ordine rectè notetur.

Cancellarius, & notarij cauſarum, tam ciuilium, quàm criminalium, acta, geſta, tabulas, inſtrumentave, & proceſſus, originales, ne vllo nomine, ne inſpiciendi quidem tantùm cauſa, vſquam exhibeat, niſi in proprio pluteo, aut Cācellariæ, Archiuijve loco, idque ſine vlla mercede. Illa verò inde alio aſportari ne liceat; etiam de eorum, quorum intereſt, etiam ſi cui certo homini transferenda, rectè, ac tuto cōmitti poſſint, præterquam iudici cauſæ oſtendenda. Qui ſecus fecerit, cū ab epiſcopo plectatur graui pœna, tum damnum reſarciat, etiam, ſi quid quiſquam eo nomine fecerit.

Ea cautio Cancellario, & notarijs adhibenda eſt, ne cuipiam alicuius cauſæ actorum, atteſtationum, ſententiæ, vlliuſque ſcripturæ exemplum edant, facultate ſcripta editionis à Vicario non data. Qui in eo genere deliquerit, officij amiſſione mulctetur, alia'ue pœna puniatur, pro epiſcopi arbitrio.

De certa taxæ ratione, forenſibus tribunalis eccleſiaſtici actionibus præſcribenda, in Concilio etiam prouinciali tertio cauimus: ſed quoniam nondum quicquam præſtitum eſt, quod omnibus partibus perfectum ſit; ſex menſium ſpatium poſt ſynodi huius, prouincialis editionem præſtituimus: quo tempore ſinguli epiſcopi prouinciæ cauſis, negotijs, rebus, & actionibus ſingulis fori ſui, certas taxæ rationes, quæ Metropolitano probentur, quàm rectiſſimè præſtituant, vt nulla auaritiæ, cupiditatiſve ſuſpicio inde exiſtat. Si qui non fecerint, Metropolitani ipſius cura ſit, intra annum totum id præſtare.

Præter alia, quæ hoc de genere olim, & nunc ſancita ſunt generatim, vel ſigillatim, hoc decreto ſtatuimus, quæ infra ordine ſigillatim, quaſi in tabella, notantur, ea ipſa ſingula, tum inſtrumenta, tum litteras, ſcriptavè à Cancellario gratis, & ſcribi, & confici, & edi. Id verò omne, vt præſtetur, epiſcopus omnino efficiat, ac de negligentia, aliave culpa in Concilio prouinciali rationem reddat.

Quæ gratis in Cancellario conficienda ſunt, & etiam addenda, quod ad ſcriptionem attinet.

ACta viſitationis, eorumque exempla, quæ ijs eduntur, qui viſitando ad præſcriptum decreti, hoc Concilio editi.

Facultas, quarum auctoritate Vicarij, miniſtrique epiſcopales decernuntur.

Litteræ teſtimoniales, dimiſſoriæve de ſuſcipiendis ordinibus.

Facultas Pontificialia exercendi, quæ epiſcopo, alijve aliquando conceduntur.

Atteſtationes, quibus teſtatum ſit, aliquem idoneum eſſe, cui beneficium conferatur, quive ad illud inſtituatur, ſiue ea collatio, inſtitutiove Romæ facienda ſit, ſiue ab inferiore collatore, ſiue ab epiſcopo.

Rogitus ceſſionis beneficij liberè coram Ordinario.

Proceſſus, & de natalibus, & ætate, alijſve conditionibus eorum, qui initiandi ſunt, aut recipiendi in ſeminarium.

Inſtrumentum iuriſiurandi, quod ab ijs præſtādum eſt, qui beneficia obtinent.

Inſtrumentum, ac teſtimonium profeſſionis fidei, quæ à quouis præſtanda ſit.

Inſtrumentum fideiuſſionis eorum, qui in ſeminarium recipiuntur.

Mandatum de aliquo recipiendo in ſeminarium.

Facultas, & probationum omnium, & pertinentium ad receptionem nouitiæ, vel ad profeſſionem præſtandam.

Confirmatio Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ.

Facultates quæcumque monialibus, earumve Monaſterijs conceduntur.

Facultas ingrediendi monaſteria.

Facultas accedendi ad monialium loca, collocutionibus præfinita.

Facultas erectionis, inſtitutioniſve confratriæ, ſcholæve.

Confirmatio regularum alicuius ſcholæ, confratriæve.

Scriptum, quo ſcilicet certæ eccleſiæ, ſcholæve quis adſcribitur.

Approbatio ludi magiſtri.

Litteræ dimiſſoriæ, teſtimonialeſve.

Facultas abſentiæ cauſa ſtudij.

Facultas eleemoſynam colligendi.

Facultas faciendi ſepulchrum.

Facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis.

Facultas celebrandi vbique, vel certo loco.

Facultas prædicandi.

Facultas audiendi confeſſiones.

Litteræ indulgentiarum, vel earum ſummæ.

Teſtimonium conſecrationis, reconciliationis eccleſiæ cœmiterij, altarium, & campanarum.

Conſtitutio Coadiutoris.

Reductio Miſſarum, & de commutatione piorū operū.

Facultas abeundi extra fines diœceſis, vel peregrinandi.

Litteræ, quæ pro officij munere, quauis de cauſa ad parochos, Vicarios foraneos, alioſve ſcribuntur.

Executio litterarum gratioſarum protonotariatus, & equitum

equitum: harum tamen litterarum cauſa ſcripturæ merces capiatur, & ſi quid præterea epiſcopus conceſſerit.

Proceſſus, & acta omnia, quæ conficiuntur ad miraculorum veritatem perquirendam.

Itidem de ijs, quæ conſcribuntur ad ſacrarum reliquiarum veritatem indagandam.

Facultas aſportandi cadauer de loco ad locum.

Exempla, editioneſve decretorum, ordinationum, ſtatutorum, præceptorumve, quæ epiſcopus, aut eius Vicarius ex officio confecerit, ſeruarique mandarit.

Conſtitutio Vicarij in quauis eccleſia ad tempus.

Diſpenſationis & proceſſus de defectu natalium, irregularitate, vitio, aut defectu corporis, etiam auctoritate ordinaria.

Inſtrumenta, & ſcripta quæcumque pro menſa epiſcopali, & Capitulo conficiuntur, quæ item ſeminarij cauſa fiūt, ita tamen, vt hoc decreto, ſolutionis immunitate, capitulū, & ſeminarium dumtaxat fruantur: Clerici verò, alijve, ad quorum cauſam, commodumve illa ſcripta, inſtrumentave interſunt, quive earum exempla ſibi edi petunt, à ſolutione immunes ne ſint.

Litteræ, & expeditiones, quæcumque conficiuntur nomine rerum merè ſpiritualium.

Expeditiones, quæcumque pro pauperibus, vel miſerabilibus hominibus, de quorum ægeſtate, aut neceſſitate epiſcopi aut Vicarij iudicio conſtet.

Litteræ præterea, & expeditiones omnes aliæ, quas gratis dandas Epiſcopus cenſuerit.

Diſpenſationes, & facultates, quæcumque ex decretis, vel prouincialibus, vel diœceſanis, aut eorum occaſione dantur.

De emolumentis Cancellariæ epiſcopalis, quam Concilio prouinciali primo, vēdi, locari, earumve nomine quicquam perſolui, vetitum eſt, nihil prorſus vtilitatis, priuatæ ad epiſcopum, eiuſve menſam, aut Vicarium, neq; ad alios, præterquam ad Cancellariam, Cancellariumve, cæteros eiuſdem Cancellariæ miniſtros, perueniat. Qui aliquid etiam à ſponte dantibus, perceperit; tum in conſcientiæ foro ne ſuum faciat, ſed pauperibus loci, erogare omninò debeat; tum quadruplo mulctetur, quod vel in eccleſiæ inſtaurationem, vel in ſacriſtiæ vſum erogetur.

Quæ ad Matrimonium pertinent.

MAtrimonium cum Sacramentum ſit, & maximè liberum; ſi quæ municipales leges, ſtatuta, decretave ſunt, quibus huic Sacramento, ſanctęq; illius libertati contrà ſacrorum Canonum, & Conciliorum præſcriptum vllo quouis pacto impedimentum afferatur; eas irritas, reſciſſas, ac planè nullas decernimus, ac declaramus.

Omnibus verò, quacumque etiam dignitate, poteſtáque præditis, interdictum iam nunc perpetuò ſit, ne earum etiam legum, ſtatutorum, decretorumve auctoritate, nec verò alia quauis ratione quicquam ſtatuant, decernant, iubeant, agantve, quo matrimonij libertas vllo pacto, neque directè, nec verò indirectè lædatur,

Qui contrà fecerit, pœnas, & cenſuras Conciliorum, & Canonum iure ſancitas ipſo facto ſubeat. Epiſcopus verò, vbi probabilem pro ſua conſcientia ſuſpicionem habeat de puellæ minus libera voluntate, tum exquirat rem diligentiſſimè; tum prætereà, ſi opus eſſe cenſuerit, illam certo loco tuto, ac honeſto collocet, vbi illa eidem proferat, & explicet liberius ſuam voluntatem, qualis vere ſit.

Matrimonij denunciationes, quas aliquando ab Epiſcopo remitti conſtitutione Tridētina permiſſum eſt, is videat, ne ob aliam cauſam, quàm ea ipſa conſtitutione cauetur, remittat; cum ſcilicet Ordinarij iudicio veriſimilis ſuſpicio eſt, matrimonium malitioſè impedire poſſe. At verò ſi hæc cauſa non ſubeſt, quamobrem illas remittat, ea certè ſola, quod inſtat ſacri Aduentus, Quadrageſimæve tempus, neque neceſſaria eſt, nec verò cum ratione conſentiens, cum præſertim eo ſacro tempore, qui iam matrimonio iuncti ſunt, ab illius vſu abſtinere potius conueniens ſit, nedum ſponſos vnà coniungi.

Illas verò ab epiſcopo, cùm præſens in vrbe, vel diœc adeſt, ſolùm remitti deinceps liceat, ab alio præterea n.cm ne, ac ne à Vicario quidem Generali.

Matrimonij futuri denūciationibus, in eccleſia de m re factis, ſi fortè hoc accidit, vt illud duorum menſium ſp tio poſt non contrahatur, ne idem anteà parochus celebr quàm iterum denunciationes ex Concilij Tridentini pr ſcripto, fecerit, edixeritve, ſi modo aliud epiſcopus non c ceſſerit.

Parochus, quorum matrimonium ex Concilij Tride tini præſcripto publicè ter denunciaturus eſt, eos primù graui cohortatione diligenter moneat, vt cum ad illud i eundum, ieiunijs, orationibuſque ſe parent; tum etiam, vt e ritè celebrato, ſacerdotalique benedictione à proprio par cho accepta, orationi frequentiori interim vacantes, tridu abſtineant pro reuerentia: ſicque contra ſpirituales nequ tias, & carnis procacitatem ſanctè muniti, ſalutem, & grat Dei ex eo ſacramento vberiorem ſibi comparare ſtudean

Si qui ætate etiam legitima, & parocho præſente, teſt bus duobus adhibitis, & notario item, iurati ſpoponderun ſe matrimonium inituros, ac deinde non contracto legiti mè per verba de præſenti matrimonio, copulationem inte ſe inierunt; eorum matrimonium nullū ab epiſcopo decla retur, ac decernatur. Id verò ne accidat, parochus quàm ſæ piſſimè populum, vt opus erit, moneat, ad præſcriptum Cō cilij Tridentini.

Eos prætereà, qui ita contraxerint, grauiter pro arbitra tu ſuo epiſcopus puniat. Quod ſi ijdem poſtea de præſent matrimonium contrahere velint ne prohibeantur, mod ſeruentur, quæ ad Tridenti Concilij præſcriptum ſeruari o portet, ſi nullum aliud inſit legitimum impedimentum.

Caueat parochus, ſi quando ſponſalibus intererit, vt ne de præſenti, ſed de futuro matrimonio illa contrahantur, ſicque propterea verborum formula dilucidè concipiatur, vt de eorum ſenſu nulla deinde quæſtio, difficultasve oriatur.

Parochus, quos ſponſos experiundo viderit, doctrinæ Chriſtianæ rudimenta planè ignorare, ne matrimonio illos ante iungat, quam ea item ratione cognorit, didiciſſe, quæ eo de genere illos planè ſcire oportet.

Qui teſtibus adhibitis, at ſine parocho, aliove ſacerdote, cui is, vel Ordinarius facultatem dederit, matrimonium de facto contraxerint, ne eos cogi liceat, vt denuo inter ſe contrahant, nec rurſus eo nomine impediri, quo minus eorum vnuſquiſque cum alijs libere contrahat, cum illud corū factum, ne ſponſalium quidem, nedum matrimonij vim habeat.

Qui quarto, & quinto affinitatis, conſanguinitatiſve gradu iuncti ſunt, cum inter ſe matrimonio, non impetrato diſpenſationis beneficio, libere inire, contrahereve poſſint, ne à parocho, aut ab alio quopiam in poſterum impediātur, quominus liberè contrahant, ſeruatis regulis, Tridentina ſanctione præſcriptis.

Parochus, cum matrimonium celebrare voluerit; moneat contrahentes, propoſitam eſſe pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, vltra alias pœnas à iure inflictas in eos, qui in gradu prohibito conſanguinitatis; vel affinitatis matrimonium contrahere ſcienter præſumpſerint, ac eos omni ſpe conſequendæ diſpenſationis carere ex pręſcripto Cōcilij Tridentini.

Epiſcopus verò ſeuere animaduertat in eos, qui diuinó timore poſtpoſito in ſuarum periculum animarum ſcienter huiuſmodi cōiugia prohibita, etiam ex cauſa fornicationis, quod frequentius accidere ſolet, inire ſub ſpe forſan futuræ diſpenſationis præſumpſerint; ac ſtatim illos, quos ei conſtiterit taliter contraxiſſe, adhibita ſeparatione ex Concilij Viennēſis præſcripto excommunicatos publicè tamdiù denunciari iubeat, donec ſuum humiliter recognoſcentes errorem, abſolutionis obtinere beneficium mereantur.

Irritum nullumque ab epiſcopo matrimonium declaretur, quod à parocho loci, vbi illud fit, non ab eo, qui parochus proprius eſt contrahentium, celebratur.

Tridentina œcumenica ſynodus illud epiſcopali diligentiæ quàm diligentiſſimè commendauit, vt ſi quæ vel hominum vitio, vel temporū iniuria corruptelæ in nuptijs ce-

ebrandis irrepſerint, illæ radicitus extirpentur. Atque eo uidem vehementius in eiuſmodi curam incumbẽdum eſt, uò grauius, atque adeò ſæpius in illis peccatur.

Quare ad nuptias matrimoniaque impedienda, vel dirinenda eò cum ventum ſit, vt veneficia, faſcinationeſve hoines adhibeant, atque vſque adeò frequenter id ſceleris ommittãt, vt res plena impietatis, ac propterea grauius deeſtanda. Itaque, vt à tanto, tamque nefario crimine, pœnæ rauitate deterreantur; excommunicationis latæ ſententiæ inculo faſcinantes, & venifici id generis irretiti ſint. Quam pſam pœnam etiam illos ſubire decernimus, ſi qui in illis oluendis verba improbata, ſuperſtitioſa, atque adeò alia, uàm quæ epiſcopo primum probata ſunt, adhibuerint; um id non ſine diuini cultus offenſione maximè faciant.

Quo etiam genere pœnæ afficiantur, quicumque vel uaſerint, vel mandarint, vel conſenſerint.

Ne quis cuiuſcumque gradus, conditioniſve ſit, ſtatis emporibus, quibus nuptiarum ſolemnitates celebrari interdictum eſt domum ſponſam traducat, aut nuptialia conuia celebret, aliave eius generis vetita agat.

Qui autem, vel per ſe, vel alium contrafecerit, aut eius ulpæ quouis modo particeps fuerit; is pœnam interdicti ab ngreſſu eccleſiæ ipſo facto incurrat: eamque pœnam illum amdiu ſuſtinere volumus, quoad ſponſi, epiſcopi iuſſu ſeparati, meritas pœnas, pro eorum conditione dederint, arbitrio eiuſdem epiſcopi, & interdicto liberari eiuſdem iudicio meruerint.

In diſpenſationibus matrimonialibus, dotis non competentis cauſa conceſſis, ſi modò eo loci, vbi mulier, de cuius matrimonio agitur, habitet, virum pari, equalique conditione non inueniri verè conſtet, qui ſibi cognationis, affinitatiſve vinculo coniunctus non ſit, progrediatur epiſcopus ad exequendam eius generis diſpenſationem, etiam ſi in locis finitimis aliqui eſſent, qui nullo gradu cognationis affinitatiſve iuncti, eam cum exigua dote in matrimonium ducerent.

Satis enim eſt, in eo municipio, locove, vbi mulier eſt, diligentiam matrimonij contrahendi adhibitam eſſe.

Pro diſpenſationum matrimonialium executione nihil quicquam prorſus muneris, præmijve, etiam ſponte oblati, ac ne pro labore quidem, qui in teſtibus ea cauſa examinandis, alijſve teſtificationibus excipiendis, ponitur, Epiſcopus, aut Vicarius eius capiat.

Notarij verò pro examine teſtium, quartam dumtaxat partem aurei ad ſummum capiant licet.

Vbi certus locus meretricum habitationi præfinitus, conſtitutuſque eſt, cum extra eius fines eas habitare non liceat, ſi quis cuiquam earum alio, quàm præſtituto eo loco, domum, domiciliumve locarit, excommunicationis pœna contrà eum agatur.

Proſtitutas fœminas, meretriceſve in cauponis, diuerſorijs, ganeiſq; ad quæſtum alere, cum id & graui Dei offenſione, & magno animarum detrimento, & diſciplinæ Chriſtianæ iniuria fiat, hoc decreto prohibendum cenſuimus.

Quare ne quiſquam vel caupo, vel tabernarius, vel qui cœnaculariam facit, illas in ipſis cauponis, ac diuerſorijs habeat, alatve ad turpem quæſtum.

Qui contrà fecerit; poſt huius decreti promulgationem, in eius parochiali eccleſia factam, tamquam is, qui in ſtatu damnationis notoriè verſatur; præmiſſa monitione, interdicti pœna afficiatur, & alijs præterea etiam grauioribus arbitratu epiſcopi.

Parochi ſinguli, quam maximam poſſunt, in eo ſollicitudinem, perſuadendique ſtudium adhibeant, vt omnem luxum, cincinnorum ornatum, inaures, quod ſignum diaboli Sanctus Auguſtinus nominat, fucum, & veſtes in primis, quas caudatas dicunt, parochiæ ſuæ mulieres omninò deponant.

Qua in re perſuadenda argumentorum vim, rationumque momenta ſibi comparent, cum ex Sancti Ambroſij, patris noſtri, illarum luxum grauiter exagitantis, libris, tum ex ſancti Chryſoſtomi, aliorumque patrum monimentis, in primiſque ex homilia, quam eo de genere grauiſſimam vir doctiſſimus, idemque religioſiſſimus, Iacobus Vitriacus S. R. E. Cardinalis olim habuit.

Hoc autem omne vſque adeò ab eccleſia veritum eſſe, ille ipſe affirmat, vt ſi caudatæ ad eccleſiam accederent, ſacra Communione interdicerentur.

Nulla eſt amplior hæreditas, nec præclarius patrimonium, quod parentes ſuis liberis relinquere, neque maius precium, honeſtioremque mercedem, quàm domini ijs, qui ſibi in ſeruitute operam dant, pro fideli eorum famulatu tribuere, ac perſoluere poſſunt, quã ſi effecerint, vt boni Chriſtiani euadant, quæ virtus omni terreno theſauro multo precioſior eſt cenſenda. Quamobrem qui in aliqua domo, atque familia duces ſunt; curabunt diligenter, vt omnes, quicumque ſuo ſub imperio, & ditione viuunt, ieiunia colant, diuini verbi prędicationem crebro audiant, Sacramentis frequenter vtantur, & omnia demum veri Chriſtiani officia exerceant: famulorum autem domini non ſolum diebus feſtis tantum eis liberi temporis concedere curent, vt eiuſmodi officijs vacare poſſint, ſed crebris item eos, ac paternis hortationibus excitare nõ deſiſtant, ne in ſtudio eiuſmodi tam ſalutari, ſegniores, neque negligentiores exiſtant: in quo ſi parentes ipſi, aut domini ſuo officio in his defuerint; proculdubio expectent fore, ſibi vt ante ſeueriſſimum Chriſti Domini tribunal culpæ tribuantur peccata omnia, quæ liberi, vel famuli non commiſiſſent, ſi ſuas illi partes, in hoc, alijſque eiuſmodi decretis præſcriptas, ſibique maximè debitas præſtitiſſent. Atque id quidem multò magis timendum illis erit, qui aliquo modo impedierint, quo minus pia ſupra ſcripta, & alia huiuſmodi officia perſoluantur; contrà quos agat epiſcopus pro culpæ ratione.

His temporibus tanta puerorum licentia eſt, atq; adeò effrenata, vt cum peccandi materiam afferat, tum diſciplinæ Chriſtianæ detrimenta importet non leuia: hinc in ſcholis nimia petulantia, in eccleſijs irreuerentia, turbulenta foris concitatio, atque in omni loco ſeſe efferens impudentia, & penè proiecta audacia.

Quare epiſcopi, qui omni morum ſpeculationi ſanctè inuigilare debent, videãt, ne grauiores offenſiones inde exiſtant: proinde & cum magiſtratibus, decurionibuſve agant, vt aliqua inita ratione ei rei occurrant; & præterea ſacerdotes aliquot vitæ probitate, caſtiſſimiſque moribus præſtantes, alioſque pios viros, & ſalutis animarũ zelo accenſos deligant: qui puerorum ſcholas ſæpe inuiſant, mores, & vitam eorum perquirant; in Dei timore, officijſque Chriſtianæ inſtitutionis illos contineant; idque omne cum parentibus, magiſtris, præceptoribuſque agant. Curentque vt pius aliquis ciuitatis locus, piave confraternitas id oneris ſuſcipiat, quemadmodum alicubi fit, vt huius generis vagantes pueri colligantur, eorumque effrenatis moribus opportunè conſulatur. Quod ſi hac non ſucceſſerit, aliam omnem, quæ ſibi potior videatur, rationem ineant, vt puerorum effrenatæ libertati, quæ multa ſpiritalia incommoda parit, rectiſſime occurratur.

Nullo verò modò patiantur, vt huiuſmodi pueri eccleſiam perturbent: quod ea maximè ratione præſtabitur, ſi parentes, vel ij, ad quos id pertinet, liberos ſuos teneræ ætatis apud ſe teneant, ſecum ducant, eiſque oſtendant, piè, ſuppliciterque orare, & ſacris intereſſe.

Quæ ad ſcholas, confratrias, & ad loca pia pertinent.

Ne cuiuſuis confratriæ, ſcholæve præfectus in ſcholæ ſuæ numero quemquã, doctrinæ Chriſtianæ rudem, atque ignarum aſcribi permittat, cuiuſcumque ætatis, aut conditionis ille ſit. Id verò curæ ſit ſacerdoti proprio illius ſcholæ, vel parocho, in cuius finibus eſt.

Ne facinoroſi homines, neve turpis vitæ, aut infamiæ labe notati, in diſciplinatorum, alteriuſve generis confratrijs, aſcribantur. Si qui verò iam aſcripti ſunt, ſi moniti, honeſtæ vitæ rationibus ſe non conformarint, à confratrum numero, epiſcopali auctoritate, & cura amoueantur.

Ne à diſciplinatorum, confratrumve alterius generis pręfecto cuiquam, qui in confratria aſcribendus ſit, amictũ, quod inſigne confratriæ eſt, dari liceat, niſi præſente parocho, aliove ſacerdote, qui amictum illum ſtatis precibus benedicat. Quem amictum confratres ne vnquam domi, aliove loco, ſed in ſchola aſſeruent.

Qui

Qui verò è confratria aut abibunt, aut eijcientur: illum confratriæ ipſi dimittant, præfectoque ſine vlla exceptione tradant.

Laici confratres cuiuſcunque confratriæ, de fidei dogmatibus ne diſceptationes, colloquia, ſermoneſve habeant. Videat prætereà epiſcopus diligenter, vt in oratorijs ſuis collocutiones de ijs tantùm rebus inſtituant, quarum tractatio, & collocutio, laicalis ordinis hominibus conueniat.

Ne quicquam, quod vulgari ſermone conſcriptum ſit in vlla cuiuſuis generis confratria, ſcholave legi, recitarive liceat, niſi primum ab epiſcopo, vel ab eo, cui ille mandarit, recognitum ſit, & ſubſcriptione comprobatum.

Quo tempore in baſilica Cathedrali, eccleſiave parochiali officium veſperarum celebratur, tunc ne in vllis confratriæ, ſcholæve oratorijs ciuitatis, aut loci illius ab eiſdem confratribus, recitari liceat officia, ſed vel ante, vel poſt recitentur, ita tamen vt nō ſolum eiuſmodi officiorum occaſione non diuertantur illi à diuinis officijs publicis; ſed nec etiam à ſcholis doctrinæ Chriſtianæ, in quibus eiuſmodi confratres vtiles adiutores, & operarij eſſe ſolent.

Diſciplinati, confratresve cuiuſcumque ſcholæ, cum proceſſiones, ſupplicationeſve colligatim ipſi agunt, capellanum, ſacerdotemve alium adhibeant: cuius ſit, eam religioſam actionem dirigere, niſi cum aliquando ſine ſacerdote proceſſionis, ſupplicationiſve agendæ facultatem à parocho, aut ab epiſcopo impetrarint.

Ne confratri cuiquam ad confratriæ eccleſiam, oratoriūve arma vllius generis ferre liceat, niſi pro dignitatis ſuæ, aut officij, quod gerit, ratione, hoc alicui conueniens ſit. Nemini autem vnquam, cum confratriæ amictu indutus eſt, id liceat.

Ne in confratriarum, ſcholarumve oratorijs, eccleſijſve cadauera, etiam ſodalium ſepeliri liceat, niſi id licere ex certis priuilegij tabulis, aut probatæ conſuetudinis immemorabili vſu conſtiterit epiſcopo. Vbi verò confratribus ius ſepulturæ tantum conceſſum eſt, alij nemini, neque electionis etiam iure, ibi ſepeliri liceat, ſed ne confratribus quidem ipſis, niſi per ſex menſes ante obitum in ſodalitio ritè adſcriptus ſit.

Ne cuiquam confratriæ vſquam eleemoſynam quæritare liceat, niſi facultate, quæ litteris exarata ſit, ab epiſcopo impetrata.

Ne in vllo diſciplinatorum, aliarumve ſcholarum confratria, officiales, miniſtroſve creari, aut eligi liceat, niſi vel alio ſacerdote ab epiſcopo conſtituto, præſente, ſi modò aliud epiſcopo non videatur.

Quæcumque & in hoc quinto Concilio, & in alijs ſuperioribus de diſciplinatorum ſcholis, alijsve confratrijs, etiam laicalibus conſtituta, aut præſcripta ſunt, ea epiſcopus ab illis inuiolatè, integreq́; ſeruari mandet; etiam ſi in eccleſijs regularium illæ ſcholæ, confraternitateſve erectæ ſint, exerceanturve, ità vt ſi quid contra ab eiſdem vſquam factum erit, id pro culpæ modo ab epiſcopo grauiter puniatur arbitratu ſuo.

Charitatis, beneficentiæq́ue omnibus officijs quæ in proximos cōferuntur, magnam cœleſtis gloriæ mercedem propoſitā eſſe, ſacræ litteræ oſtendunt, ſed illa maxime Deo grata, atq; accepta opera ſunt, quibus benignè fit, ac ſuccurritur egentiſſimis hominibus, ægrotis, ac peregrinis. Itaque, vt quæ ad eam rationem pertinent, legibus, & ſanctionibus communita, rectè obſeruentur, hæc pro paſtoralis curæ noſtræ munere decernimus.

Primo hoſpitalarius, iſve, cui hoſpitalium ędium cuſtodia committitur, vir ſit, cuius fides, pietas, vitæ innocentia, ſedulitas, charitas grauium virorum teſtimonio commendata ſit.

Caueat, ne à quoquam, cum hoſpitium ingreditur, aut, cum inde diſcedit, quicquam, vel minimum, ac ne ſpontè quidem oblatum, exigat, petat, accipiatve.

Ne cum mendicis, qui ad quæſtum omni ſimulandi arte vtuntur, aliquam turpis lucri pactionem, pro ijs recipiendis, ineat.

Curet item, ne quid peregrini, aduenæ, paupereſq́ue hoſpitio excepti, contra Chriſtianam pietatem, bonoſq́ue mores admittant.

Quinimo certam horam, tum mane, tum veſper[e] præſcribat, qua, ictibus paruulæ campanæ datis, omnes ſimul aliquantiſper orent.

Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutionem introducat, qu[a] præfinito aliquo temporis ſpatio erudiantur.

Si enim ijs ad corporis victum, curamq́ue benigne ſuppeditatur, illud etiam maximè curādum eſt, vt ſpiritale doctrinæ Chriſtianæ pabulum eiſdem tribuatur.

Ne pueros vnà cum adoleſcentioribus, maioribuſq́ue natu in eodem lecto cubare permittat.

Neque item eos, qui integra valetudine ſunt, cum ægrotis, aliquo morbo laborantibus.

Qui autem integra ſunt valetudine, ne diutius triduo i[n] hoſpitio morentur, niſi aliter ex ipſius hoſpitalis inſtituto permittatur.

At cum eoſdem paucis poſt diebus redire animaduerterit, inueſtiget diligenter, quouſque iter fecerint: ac ſedulò videat, ne ij modò ad hoc modo ad illud hoſpitale domicilium diuertentes, ſe peregrinos fingant, de vrbe, oppidove tamen verè non exeant, turpi quæſtui, atq; etiam aleis, multiſq́ue alijs flagitijs operam dantes, quod aliquando euenire compertum eſt.

Studioſè Epiſcopus curet, vt in ædibus hoſpitalibus, quę vnionis, vt vocant, iure, alij domui hoſpitali adiunctæ ſunt, vbi longo temporis ſpatio hoſpitalitas intermiſſa eſt, quàm primum reſtituatur, vt iuris eſt.

Quæ ad moniales pertinent.

MEminerit epiſcopus, ſe, vt eſt Bonifacij Octaui Pont[ificis] & Concilij Tridentini edita ſanctio, diuini iudicij obteſtationem, ac maledictionis æternæ exterminationem eſſe ſubiturum, ſi in monialium, etiam quæ ab ſua iuriſdictione liberę, immuneſq́ue ſunt, clauſura reſtituenda, atque adeò conſeruanda ſe negligenter geſſerit. Quare ſtudioſè in eo euigilet paſtorali ſollicitudine, vt non modò in monaſterijs ſuæ curæ, iuriq́ue ſubiectis, verum in illis, quorum curationi regulares cuiuſuis ordinis præſunt, illa omni ex parte, vt diligentiſſimè fieri poteſt, ſeruetur, propoſitis etiam Tridentini eiuſdem Concilij, & arbitrij ſui pœnis.

Contrà moniales item, & illas etiam, quarum curam regulares gerunt, ſi quando è clauſuræ finibus, exierint, facultate à ſede Apoſtolica non impetrata, cenſuris eccleſiaſticis, alijſq́ue iuris remedijs agat, prout è re eſſe viderit.

Si quando, moniales, legitima facultate, ad aliquod monaſterium transferri contigerit; eam curam, cogitationemq́ue epiſcopus ſuſcipiat, vt quo à pauciſſimis conſpiciantur, benè mane, ſub auroram ſcilicet, à viris ætate, morumq́; honeſtate grauibus, cognationeque propinquioribus eo deducantur.

Caueant, qui ab epiſcopo, ſuperioreve facultatem habent ingrediendi monaſterium, ne pro libito intrà eius ſæpta, datæ facultatis prætextu ingrediantur, ſed tunc ſolum, cum vrgens neceſſitas depoſcet, vt ne ex ſanctiſſimi Pontificis Gregorij XIII. ſanctione, excommunicationis pœnam ſtatim ſubeant, à qua, niſi per ſedem Apoſtolicam abſolui non poſſunt.

Ne prætereà religioſis hominibus ſæpta monaſterij, etiam ſuæ curæ comiſſi ingredi liceat, ne ea quidem cauſa, vt teſtantium, qui in monialium eccleſia vel ſepelliri, vel anniuerſaria quotannis agi voluerunt, piæ voluntati ſatisfaciant: ſed quæ anniuerſaria ex teſtamento debentur, in earū exteriori eccleſia præſtent.

Nec verò proceſſionis, in ſolemnitate Corporis Domini agendæ cauſa, confeſſarius ſacerdos, aut alius ſuperior eò ingrediatur, ac ne epiſcopus quidem eo nomine, neq; alios ingredi patiatur.

Neque item cauſa vel monialium cubiculis benedicendi, vel ea, locave monaſterij aqua benedicta aſpergendi.

Nec etiam cum veſtitutus ſacer puellis tradendus eſt, vel illæ ad profeſſionem admittendæ ſunt, vel miniſtrandū Sacramentum confirmationis, epiſcopus, ſuperiorve tam regularis, quàm ſæcularis, aut Confeſſarius, aliuſve ad ſæpta monaſterij introeat: ſed in eccleſia exteriori, vbi ſanctiſſimę

Eucharistiæ Sacramentum ad feneſtellam miniſtratur, hæc illis, vel puellis, vel monialibus in eccleſia interiori manentibus præſtentur.

Neque Miſſæ celebrandæ cauſa, ad interiorem eccleſiæ monaſterijve ſæpta, epiſcopus, ſuperiorve introeat vnquã; niſi tantum, cum præfecta monaſterij, aut alia monialis cõſecranda eſt; tuncque ne moniales egrediantur, ſed is adiunctis etiam, quos ad miniſterium conficiendum neceſſarios habet, miniſtris, introeat licet, intus Miſſam celebret, ritumque conſecrandi, adhibeat, ad Pontificalis libri præſcriptum.

Monialis ne atramentarium calamum, aliudve cuiuſuis generis inſtrumentum, quod ad ſcribendum vſui ſit, in cella, aliove loco priuatim habeat.

Quòd ſi quando ſcribere neceſſe habet, id ne faciat, niſi præfectæ conceſſu.

Hæc verò ne facilè concedat, permittatve, ſed explorata, perſpectaque ſcribendi cauſa; eaque graui, & neceſſaria, facultatem de atramentario, cæteriſque ad ſcriptionem neceſſarijs accommodet: quæ vbi monialis adhibuerit, quàm primum præfectæ reſtituat, ſimulque rectè oſtendat, quæcumque ſcripſerit.

Moniales, libros cuiuſuis generis apud ſe minimè retineant, niſi quos epiſcopus, vel is, cui id curæ dederit, ſcripto approbarit.

Cum nouitiæ, antequam profeſſionem præſtet, voluntatem epiſcopus pro facultate, ſibi decreto Tridentino data, explorare volet, hoc agere ei liceat, loco, vbi crates monaſterij ſunt, nec propterea à ſeptis illa egrediatur: niſi cauſa ſit, probabiliſve eiuſdem epiſcopi iudicio ſuſpicio, quamobrem potius eſſe cenſuerit, vt alio loco eius voluntas perquiratur: tuncque vel in eccleſiam monaſterij exteriorem, vel in aliam proximam, prout commodius, decentiuſve fieri viderit, illam perduci iubeat. Qua in eccleſia, præſentibus matronis duabus, ætate grauibus, honeſtis. & nouitiæ gradu cognationis, quantum poteſt, propinquioribus, quas ipſa, aut moniales delegerint, eius animum, voluntatemque epiſcopus rectè indaget, loco paulò remotiori, ita, vt quæ adſunt, matronæ videre, non tamen auribus percipere poſſint indagationem, reſponſionemve.

Vt & in puellis, moniali veſtitu induendis, & in admittendis ad profeſſionem nouitijs, vnus, idemq; ritus ab prouinciæ epiſcopis adhibeatur, cum eius generis regulæ variæ illæ quidem, ac planè inter ſe diuerſæ, diſſimileſque ſint; liber de eo ritu, huius ſynodi prouincialis auctoritate per nos edetur, ad cuius præſcriptum omnis ea ratio ineatur tum puellas induendi, tum nouitias ad profeſſionem admittendi.

Si quæ monialium præfecta, earumque ſuperior regularis virginem aliquam non explorata per epiſcopum illius voluntate, examineve adhibito, religioſum veſtitum ſuſcipere, aut profeſſionem conficere permiſerit; ab ipſo Epiſcopo ſeuera pœna afficiatur.

Quæ generatim ad hæc decreta, conſtitutioneſve pertinent.

OMni Epiſcopalis ſollicitudinis officio, ſtudioque vigilanti epiſcopi pro ſui muneris ratione in eam curam incumbant, vt quæcumque & in ſuperioribus noſtris Concilijs, & in hac quinta ſynodo prouinciali decreta, conſtitutaque ſunt, deligentem, atque adeo omnem executionem, quemadmodum par eſt, planè habeant. Quicunque verò vel vniuerſi, vel ſinguli, quorum intereſt, non paruerint, aut aliquid contra commiſerint, admiſerintve, ij mulctas, & pœnas luant ijs ipſis decretis ſancitas, tum alias præterea eccleſiaſticis, Conciliaribuſque ſanctionibus, & Canonum iure præſcriptas. Compellanturque præterea ab epiſcopo ad parendum omnibus iuris remedijs, alijs etiam pœnis, & cenſuris conſtitutis, & irrogatis pro arbitrio ſuo.

Quæcumque etiam de Sacramentorum adminiſtratione Miſſæ ſacrificij celebratione, diuinorumque officiorum modo, & ratione, in hac, & ſuperioribus prouincialibus ſynodis decreuimus, ea planè omnia, & ſingula ad Metropolitanam etiam, cæteraſque quaſcunque eccleſias, ritu Ambroſiano vtentes, pertinere ſancimus, ac declaramus; niſi ſi quid eiuſmodi erit, quod vel per nos, vel deinceps per ſucceſſores noſtros Archiepiſcopos nominatim. ſpeciatimque declaretur, Ambroſianis ipſis ritibus Inſtitutiſve expreſſe aduerſari.

Si in his decretis ante alteram Mediolanenſis prouinciæ ſynodum vlla difficultas orta erit, eius declarationem, tum verò præterea omnium, quæ eiſdem decretis continentur, interpretationem, & explicationem nobis, & ſucceſſoribus noſtris Archiepiſcopis perpetuò reſeruamus, ſalua ſemper ſedis Apoſtolicæ auctoritate.

Quamcunque facultatem ex decretis, in hac prouinciali ſynodo Mediolanenſi quinta per nos editis, habent epiſcopi; eam ipſos per ſuos Vicarios generales exequi poſſe volumus, niſi in ijs, quæ propriè ad ordinem epiſcopalem pertineant, aut in quibus Vicarij à ſacris Canonibus, aut à Concilio Tridentino, vel à nobis expreſſe excluſi ſint.

Vt nemini eorum, quæ in hac quinta prouinciali noſtra ſynodo, à nobis decreta ſunt, ignorantiam excuſari liceat, edicimus, vt ex quo primum die edita in valuis Metropolitanæ eccleſiæ propoſita fuerint, ad duos menſes, omnes ſe, & his decretis, &, ſi contrafecerint, pœnis, quæ eis cõtinentur, teneri intelligant. Ab eo etiam affixionis die, eorum decretorum temporis initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari iubemus.

Vnuſquiſque præterea epiſcopus ea omnia, & ſingula in proxima diœceſana ſynodo legi, ac recitari iubebit, &, ſi ita, expedire cenſuerit, ſuæ quoque Cathedralis eccleſiæ valuis proponi, quò ſtudioſius omnium animis eorum præcepta fixè inhæreant.

Singulæ etiam Cathedrales, & Collegiatæ, & parochiales eccleſiæ huius prouinciæ has noſtras conſtitutiones aliquo loco collocatas, perpetuò aſſeruent.

Omnia, & ſingula, quæ à nobis, in hac quinta prouinciali ſynodo decreta, actaque ſunt, qua debemus, obedientia, ac reuerentia, auctoritati, ac iudicio ſanctæ Romanæ, eccleſiæ omnium eccleſiarum matris, & magiſtræ, ſemper emendanda, & corrigenda ſubijcimus.

SVBSCRIPTIO EPISCOPORVM.

NOs Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Praxedis, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Mediolanenſis, de conſilio & aſſenſu Reuerendiſſimorum Coepiſcoporum noſtrorum ſubſcripſimus.

Ego Cæſar epiſcopus Dertonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Hieronymus epiſcopus Laudenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Petrus epiſcopus Aquenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Dominicus epiſcopus Brixienſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Nicolaus epiſcopus Cremonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Hieronymus epiſcopus Bergomi conſentiens ſubſcripſi.

Ego Frater Dominicus epiſcopus Aſtenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Guarnerius epiſcopus Alexandinen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Io. Franciſcus epiſcopus Vercellen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Vincentius epiſcopns Albenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus epiſcopus Vintimilienſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Cæſar epiſcopus Sauonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Alexander epiſcopus Caſalen. conſentiens ſubſcripſi.

Ego Alexander epiſcopus Vigleuanenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego P. Cotta epiſcopus Nouariæ conſentiens ſubſcripſi.

y Goog

INDICTIO FVTVRI CONCILII SEXTI PROVINCIALIS.

Carolus Miſeratione diuina, tit. S. Praxedis S. R. E. Presbyter Cardinalis, ſanctæq́ Mediolan. Eccleſiæ Archiepiſcopus.

OMNIBVS & ſingulis Reuerendiſſimis dominis Epiſcopis, qui & hic adſunt, & Synodo prouinciali Mediolanenſi quacunque ratione intereſſe debent, omnibuſque item capitulis, & in eccleſiarum Cathedralium Procuratoribus, indicimus, ſignificamus, denunciamus, & intimamus proximam ſequẽtem ſynodum Prouincialem Mediolanenſem ſextam, Deo omnipotente auctore, & ad eius laudem, hac eadem in vrbe, hoc ipſo loco, Anno M. D. LXXXII. die decimo menſis Maij proximè ſequentis, qui dies erit feria quinta Dominicæ tertiæ poſt Paſcha Reſurrectionis D.N. Ieſu Chriſti inchoandam & celebrandam eſſe. Quamobrem eos omnes & ſingulos Reuerendiſſimos dominos Epiſcopos monemus, Procuratores verò eccleſiarũ Cathedralium inuitamus, vt eo die ad ſynodum Prouincialem ſextam iuuante Deo Mediolani celebrandam conſtituto, hic omnino interſint niſi diem celebrationis ipſius ſynodi aliqua ex cauſa à nobis prorogatum fuiſſe, noſtris ad eos datis literis intellexerint. Quòd ſi ipſorum Reuerendiſſ. Epiſcoporum noſtrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimento, nuncium procuratoremve ad ſe excuſandum atque ad id impedimentum probãdum ad nos mittat: cui etiam facultas ab ipſo detur, ea omnia & ſingula nomine ſuo & eccleſiæ ſuæ recipiendi, quæ diuina gratia auxiliante in ipſa ſynodo à nobis de conſilio & aſſenſu Reuerendiſſimorum Coepiſcoporum noſtrorum conſtituentur decernenturvè.

CONCILIVM PROVINCIALE MEDIOLANENSE VI.

Quod

CAROLVS S.R.E. CARDINALIS TITVLI S. PRAXEDIS ARCHIEPISCOPVS

Habuit anno à Chriſto nato, M. D. LXXXII. Gregorio XIII. Pontifice.

CAROLVS S.R.E. TIT. S. PRAXEDIS DEI ET Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus S. Eccleſ. Mediol. Vniuerſis Prouinciæ Med. fidelibus ſalutem in Domino.

HABVIMVS ſuperiore anno, vt ſcitis, ſextam Epiſcoporum Prouinciæ noſtræ Synodum: in qua nihil prætermittendum curauimus, quod à nobis pro noſtro Epiſcopali officio, quo veſtrum omnium ſaluti omni ratione ſeruire in Domino debemus eſſet exſpectandum. Inter alia autem quæ veſtræ ſpiritualis vtilitatis cauſa acta ſunt, nonnulla quoque ex inſtituto ſunt decreta, quibus morum, Chriſtianæque diſciplinæ reſtitutionem, iam multis ante annis inchoatam, proſecuti ſumus. Pauca ſunt illa quidem: ſed veſtrum eſt eò diligentius, maiorique ſanctæ obedientiæ ſtudio ea amplecti, tenere, vſuq; obſeruare. Videte clerici, videte fideles omnes, veſtrum in ijs exequẽdis officium, quæ Sacerdotes Paſtoreſque, vobis gregi ſuo, vt Apoſtolus præcipit, attendentes ad animarum veſtrarum ſalutem præbent. Caueat vnuſquiſque diligenter, ne, quod ad ſe attinet, vigiliæ, curæ, & labores, quibus diuina ope ſuſtentati, veſtra cauſa exercemur, fruſtra ſuſcepti videantur: quod quidem in die Domini, & probro, & crimini grauiſſimo illi daretur efficite potius prompto animo & voluntate, tum rei ipſius effectu præſtando, vt etiam hoc nomine in dies magis ac magis ſtudia noſtra excitentur, quibus animarum veſtrarum ſalutem tota mente omnique charitatis ardore in Chriſto curandam ſuſcepimus: quod vt conſequi poſſitis vberrimas vobis diuinæ gratiæ opes præcamur. Dat. Mediolani vj. Kal. Maij. 1583.

INDICENDI Concilij prouincialis ratio formulaque edicto concepta, in prouincia Mediolanenſi vſque ad id temporis ſeruata eſt, quo primum in ſynodo prouinciali quarti, ad vſum decreto reuocatus eſt vetus ille Canone Toletano olim introductus indictionis ſynodalis mos, vt quæ ſcilicet ſynodus deinceps futura eſſet, eius conſtitutus dies denunciaretur indiceretúrque in ſynodo. quæ illam ordine ſequentem proximè antecederet. Atque hæc quidem ratio Mediolani ad conſuetudinem reuocata, ita ex decreto prouinciali adhibita eſt, vt Concilij prouincialis futuri dies ita in ſeſſione præcedentis Concilij vltima indictus, & in Calendarium eius anni, in quem illius celebritas caderet, loco ſuo relatus, de more etiam in baſilica Metropolitana die Epiphaniorum denunciaretur certis conceptis verbis. Quorum etiam formula grandiuſculis literis exarata, duobus menſibus ante conſtitutam Concilij ſexti diem loco edicti eccleſiarum Cathedralium valuis affixa eſt, vt infra.

Concilium Prouinciale Mediolanenſe ſextum, per Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum Dominum, D. Archiepiſcopum decreto edito & promulgato indictum & conuocatum, hoc anno M. D. LXXXII. die 10. menſis Maij, Deo auxiliante in Metropolitana Eccleſia de more inchoabitur & celebrabitur. Ex Cancellaria Archiepiſcopali, die vj. Martij 1582.

ORATIO CAROLI CARDINALIS TIT. S. PRAXEDIS ET ARCHIEPISCOPI,

IN CONCILIO PROVINCIALI VI. HABITA.

DIVINAE *erga nos miſericordiæ munere ſingularíq; dono, iam Concilium prouinciale ſextum, Patres ſanctiſſimi, concelebramus. Hæc ipſa Concilij prouincialis vox, nobis qui ob cauſam duce Spiritu ſancto hic adſumus, rem magnam, grauem, in omnes partes maximè vtilem, ſalutarem prouinciæ rationibus atq; adeo omnis eccleſiaſticæ diſciplinæ vſui inſtaurationibuſq; neceſſariam ſignificat & planè oſtendit.*

Hæc quidem actio prouincialis, ab apoſtolicis vſq; temporibus diuinitus inſtituta, & diuturna Eccleſiæ conſuetudine in omnes terrarum partes deriuata, ſanctionibus Pontificijs corroborata, œcumenicis Concilijs communita, olim florentiſſima fuit. Quo factum eſt, vt ea iampridem in omni prouincia fructus tulerit & vberrimos & maximos. At verò vbi intermiſſa vel neglecta fuit, quanta & quam grauia damna inde importata ſint rei vniuerſæ Chriſtianæ, non eſt cur pluribus explicemus, res ipſa loquitur. Iis autem detrimentis ſacra Tridentina ſynodus vt tandem occurreret, ſalutare Conciliorum prouincialium inſtitutum renouauit: quod nos ex illius præſcripto cum ſæpenumero operante Domino adhibuerimus, aliquos illius fructus experiundo cognouimus. Et verò quorſum ſanè refertur omnis prouincialium Epiſcoporum conuentus? an non ad res quæ non modo ſunt vtiles; ſed quæ longè omniũ grauiſſimæ? Agitur in eo gloria Dei, agitur ſalus animarum, agitur inſtitutio cleri. agitur diſciplina populi, agitur deniq; ſpiritualium ægritudinum curatio, nobis qui in Apoſtolorum locum ſucceſſimus commiſſa, vt Euangelio iam modo audiuimus.

Eſt porrò curatio hæc multiplex; & latè præterea patet, magnum ſanè negotium ac graue, in vnius tantum animæ (pro cuius ſalute Chriſtus Dominus ſanguinem profudit) curam incumbere; multò grauius plurimos variè languentes ſanare; longe grauiſſimum. prouinciæ vniuerſæ ampliſſimæ & ægrotanti medicamenta opportuna

apponere

oncere ; ſed infinitis partibus difficillimum eſt, morbis qui vnius E-
opi ſtudio vix aut ne vix quidem aliquando curari poſſunt (cum
te inſanabiles ſint) remedia adhibere : quæ cura maximè ad Pro-
ncialium Epiſcoporum [illegible]nuentum , tanquam ad aliquod ſapientū
dicorum collegium pertinet . At cum omnis pontifex ex hominibus
ſumptus, & ipſe circundatus ſit infirmitate; ægritudinum quoq; no-
arum epiſcopalium curatio, cuius magna ex parte in ſynodis Pro-
ncialibus ratio habenda eſt, explicari non omnino poteſt quàm gra-
; quàm ſalutaris item.

Sed eſt cur iam hoc initio orationis noſtræ paucis rem complecta
ur. In conuentu epiſcopali propoſitum eſt nobis ſtudium curationis
noſtræ & noſtri gregis. Cum igitur Cōcilij huius prouincialis ſexti
uſa hoc ſacro loco ſumus, vocem illam Apoſtolicam & diuinam, nō
odò omnes muneris noſtri partes ſignificantem, ſed nos magnoperè
mouentem audiamus : Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos
ſuit Spiritus S. regere eccleſiam Dei, quā acquiſiuit ſanguine ſuo.
are & vnam & alteram item curationem pro officij noſtri mune-
præſtemus, Res duæ ſunt, quæ nobis in ſolemni hac actione proponū-
r; vna prouinciæ ægrotantis ſtatus, altera diligentiſsima diſquiſitio
lutarium medicamentorum . Atq; de his quidem rebus duabus in
æſenti aliquid & breui ſanè dicemus.

Primum igitur, Patres Reuerend. ſpectate quæſo vnà mecum pro-
inciam vniuerſam , quaſi publicam hoſpitalem quandam domum
mplam, in qua multitudo ingens ſit hominum grauiter periculoſeq;
grotantium. Proponamus hic nobis ab oculos tam infinitos homines
grè affectos, quos Chriſtus Dominus ab Apoſtolis ſanari iuſsit: At eos
n prouincia frequentiſsimos conſpiciemus; cum præſertim his tempo-
ibus tāta malorum lues in mortalium viſcera ſeſe infuderit. En hy-
dropi laborantes; en febri & phrœneſi æſtuantes; en dæmonum impe-
u agitati; en lepra fœda affecti; en paralytici, & permulti claudi; en
alij aridi debileſq;; en gibboſi plurimi; en muti complures ; en lippien-
ium genus; en & cæcorū & ſurdorum quàm infinitus numerus; quā
multos alios letargia morbus occupauit. O commiſerantium & lan-
guentium ſpectaculum? An hic , Patres, dolor noſter ſupra dolorem?
en in nobis cor noſtrum mœrens ? Quæ (malum) iſta hydropiſis quaſi
ntus in omniū prouinciæ partium cute inhæreſcens ? ſuperbiæ vitio
quàm multi turgeſcunt? quanta inde morborum peſtis? quam profu-
ſus veſtium luxus? quàm nouus & inauditus pomparum apparatus?
quam varius barbarico opere ornatus? quàm innumerabilis ſeruorū
grex ? quàm effuſa deniq; omnium rerum profluuies : quæ tanquam
morbus intercus in omnem prouinciæ partem ſe ſe longe lateq; diffu-
dit. At verò quàm latè patet alia hydropiſis, inexhauſta illa pecuniæ
ſitis, & idolorum ſeruitus auaritia , & illa malorum omnium radix,
cupiditas ? Ex hoc morbo nefaria quæq; exiſtunt. Hinc fœneratitij
contractus; hinc mendacia periuriaq; commertijs contrahendis; hinc
falſa quæq;; hinc adulterina & corrupta merces; hinc doli, fallaciæ,
fraudes, & ſubdola quæq; artificia; hinc alienorum bonorū quaſi au-
cupia; hinc iudiciorum iniquitas, iudicum corruptela, pupillorum op-
preſsiones, viduarum deſolatio, & iniuria deniq; omnis. Quàm perni-
tioſa ſitis, quā effrenata iſtorum cupiditas : qui nullos ſibi fines con-
cupiſcendi præſcribunt ; vſq; adeò vt alios poſſeſsionibus ſuis , etiam
ſæpè per iniuriā pellere manibus pedibuſq;, enixe operam dent . Hor-
reant iſta iudicia Dei omnipotentis, voce Iſaiæ conquerentis & com
minantis: Væ vobis, inquit, qui coniungitis domum domui, & agrum
agro copulatis vſq; ad terminum loci. Nunquid habitatis vos ſoli in
medio terræ? in auribus meis ſunt hæc , dicit Dominus exercituum,
niſi domus multæ deſertæ fuerint grandes & pulchræ , abſq; habita-
tore . Horribilis certè eſt hæc Dei comminatio : at iſtorum quam ar-
dens, Patres, quæ effuſa cupiditas ? En rurſus circumfuſa vndiq; alia
hominum multitudo febris multiplici & graui ardore æſtuantium.
Iuuenes, quibus cupiditatum flammis, quaſi ſummis febrium calori-
bus. & concupiſcentiæ igni non exardeſcunt? delitijs affluunt, oculos
habent plenos adulterij; & flagranti iſto ardore cōcitati, bibunt quaſi
aquam iniquitatem omnem; nihilq; non agunt, nihilq; non attingūt,
nihilq; non elaborant, vt malè agant: immò malè agendo gloriantur;
& quæ malefacta non patrarint, illa ipſa quaſi à ſe commiſſa inſolen-
ter vbiq; iactitant : vſq; adeo turpiter agere , ſibi glorioſum opinan-
tur. Atq; præ iſto ardore, furore eò etiam præcipites feruntur, vt cum
ne ſacrorum quidem locorum rationem aliquando habeant; tum ve-
ro ſanctum matrimonium, ſicut gentes quæ ignorant Deum , ineunt
atq; ſuſcipiunt, ſuæq; libidini ita vacāt, ſicut equus & mulus, in quib.
non eſt intellectus. O rem commiſeratione dignam. Febrilis hic furor
non modo iuuenes, & adoleſcentes ſed pueros, & pene infantes his
temporibus aliquo modo inuaſit. Quàm iſti petulantes? quàm contu-
maces ? quàm effrenati? quàm proiecta audacia præcipites ? quàm
turbulenti , & domi , & foris? quam impudenti licentia ad nefaria
quæq; concitati? nolumus plura præ dolore. Sunt plerique alij qui tan-
quam fanatici homines, ethnico more, & ioculari quadam licentia
ſatanæ aſtu introducta, laruis induti furiātur & bachantur, choreas
ducunt, tripudia agunt, ſpectacula profana edunt; atq; in alijs iſtiuſ-
modi actionibus vſq; adeo inſaniunt, vt in tanta peccatorum quæ in-
de exiſtunt colluuione, ne culpam quidem agnoſcant . Alij porrò non
tam phreneſis furore quam dæmonis aſtu agitati, eo præcipites ruūt,
vt non modo medicamenta aſpernentur , ſed medicos & curatores
ſalutis ſuæ inſanabili quodam odio inſectentur : & vero (quod dete-
ſtabile nefandumq; facinus eſt) violentas manus eorum parentibus
ſacerdotibus, quos venerari & colere totis in Chriſto viſceribus debēt
afferant & iniyciant, eoſq; aliquando truculenter impie ſceleratéq;
contrucident. At lepra quamplurimi laborant? iſti, & malefactis, &
flagitiorum impuritate, & vitiorum exemplis, prouinciam fœdiſsime
inficiunt . At vos Patres quos huic prouinciæ ſpeculatores Dominus
dedit , rectè cernitis quàm exitioſa ſit iſtorum perditiſsimorum ho-
minum contagio, & quam in omnes partes diffuſa . Paralyticorum
præterea numerus magnus eſt: qui præ quadam virtutum torpedine,
tanquam in mollitie carnis iacentes, ne deſideria quidem rectè agen-
di concipiunt, ne dum ſanctarum actionum officia exequantur. Sed
en claudi alij. iſti optime vident, quam valde in Chriſtianarum vir-
tutum diſciplina progrediendum ſit, nō longe tamen vt oportet, pro-
grediuntur; immo à recta via quam ſemel ingreſsi ſunt , ad vitiorum
diuerticula profluunt. Alij aridi ſunt : qui manu cum debiles ſint, in
operibus charitatis deſunt, nomineq; tantum Chriſtiano gaudent. At
gibboſi quàm plurimi: qui ad terram proni, humi repentes , non cæ-
leſtia ſed terrena tantum ſpectant; & tanquam filij terræ, animo de
miſſo vt pecudes, ad paſtum, ad crapulas & commeſſationes abiecti,
gulæ , ventri, & ganeis dediti, plane ſtatuerunt oculos declinare in
terram, horum Deus venter eſt , & gloria in confuſione ipſorum qui
terrena ſapiunt, vſquequo graui corde? Iſta hominum lues prouinciā
noſtram late inquinat. Eſt etiam infinitus numerus mutorum. ſunt,
qui in diuinis laudibus muti: at in maledictis, blaſphemijs, diris, im-
precationibus, conuitijs, detractionibus, contumelijs, lingua celeri &
exercitata ſunt. O deteſtabilem hominum peſtem. Copulandis diſsi-
dentium voluntatibus ſilentio vtuntur : ſed lingua tanquam ſeditio-
num flabello abutuntur ad diſcordias diſſeminandas . Certe lingua
eorum ignis, vniuerſitas iniquitatis, & ſepulchrum patens eſt guttur
eorum: quorum maledictione & amaritudine plenum eſt . Sed quo- Pſa
uſq; iſta hominum lues proceſsit? Attendi, inquit Dominus, auſculta-
ui, nemo eſt qui loquatur bonum . Lippos alios ſcitis , immo & cæcos
quamplurimos. En ſpectaculum tenebricoſum & horribile. Eſt qua-
dam huius ſæculi cæcitas, qua vt tetra nocte circumfuſi homines , o-
culis fidei cum & ſempiternam illam cœleſtem gloriam , & perpe-
tuos inferni cruciatus, & mortem, & horribilia Dei iudicia propoſi-
ta habeant, nolunt tamen videre vt benè agant. Permulti item rerū
diuinarum atq; adeò rudimentorum fidei ignari, veri cæci ſunt : qui
planè abiecta ſuæ ſalutis cura viam cum ignorent quæ ducit ad vitā,
illa imperita cæcitate prolabuntur ad ſempiternum interitum. Ve-
rum plerique alij cæci ſunt. qui rerum futurarū quæ ſempiterna ſunt,
nihil proſpiciunt; res autem præſentes, quæ caducæ, quæ fluxæ, quæ
vix ad punctū temporis permanēt, cæca quadā auiditate rapiunt. Ec-
quæ tandem eſt iſta hominū cæcitas, qui res procreatas creatori, res
viles & abiectas ſummo Deo praeferunt? At ſurdi quā infiniti ? quàm
miſeranda eorum cōditio? Iſti in malè agendo ſunt pertinaci animo,
voluntateq; obfirmata. Dei vocibus obſurdeſcunt, pietate non molliū-
tur , minis non cedunt , precibus non commouentur ; mentis ſenſu
hebeſcentes, pericula ſalutis non timent ; homines non metuunt ; &
quòd grauiſsimum eſt, Deum non verentur. Iam cernitis, Patres Re-
uerend. aliquam prouinciæ partem ægrotam: aliam vero quæ ad cle-
ricales ægritudines pertinet , vos etiam optimè [illegible]ſpicere poteſtis.
Iampridem clericali ordini remedia appoſuimus, quæ pro temporum
ratione opportuna iudicauimus : ſed alij morbi ſunt, quibus iam cle-
ricalis diſciplina langueſcit. Væ honeſtati & morum caſtitati conſu-
luimus, eiuſq; generis vitioſas aliquas partes ſanauimus: ecce alia la-
bes, quæ valde illius ordinis dignitatem inficit: in eo inhæreſcit aua-
ritia. quàm ob cauſam (vt alia ſilentio prætereamus, quæ paſtoralis ani-
mi noſtri ſenſum excruciant) deſerta ſæpè ſtatione, in fori ſollicitu-
dinibus illius ordinis homines excubias agunt, lites appetunt, lites in
tendunt, & frequentes plerique in iudicijs ſunt. Clericis ſtudia præſcri-
pſimus . alij negligunt, alij clericalium ſtudiorum fines tranſiliunt,
alij ſtudiorum prætextu ab eccleſia abſunt , à functionibus eccleſia-
ſticis ſeſe abducunt , & à clericali diſciplina refugiunt . alij ſcientia
inflati, præ ſe alios etiam ſeniores quos vereri debent , ſuperbè con-
temnunt

temnunt; beneficia eccleſiaſtica tenuia contumaciter reſpuunt, ampla præpoſterè ambiunt. Quam alij clericales morbi, Patres, quam alia vulnera recruduerunt, quibus potius medeamur oportet, quam enumerando refricentur.

Nihil verò attinet, cur hoc ipſo loco ægritudines noſtras enarremus, non enim dubitamus, quin vos, quos Dominus conſtituit ſanare infirmos, pro conſcientia veſtra religione, non modo diligenter etiam atque etiam ipſi ſpirituales noſtros omnium morbos videritis; ſed medicamenta exquiſieritis, quibus appoſitè curentur. Verum etiam quò rectius omnia nobiſcum iterum atque iterum reputemus; illud vnũ nobis omnibus perſuaſum eſſe volumus, ad ordinis noſtri dignitatẽ authoritatẽ muneris nõ ſatis eſſe, ſi certis quibuſdã virtutib. quibus cæteri homines præditi eſſe ſolent, nos exculti ſimus; ſed harum ipſarum virtutum ornamentis nos longè excellere oportet. In gradu enim epiſcopali collocati ſumus: qui vt aurum cæteris metallis præſtat, ſic alijs vel ampliſſimis dignitatibus cum præcellentior ſit, tanto perfectioribus virtutibus vſque adeò perducere debet, vt inde ad alios ſplendor ſingularis dimanet. Vitæ innocentia, morum integritas, religionis pietas, iuſtitiæ cultus, & alia eius generis virtutes, ſunt quidem nobis communes cum reliquis: ſed cum multò præſtantiores eæ ipſæ in nobis, ſingularis vitæ officijs ſplendeſcere debent; tum verò alia ſunt, quæ propria præcipuaq; epiſcoporum ſunt, & cum præſtantiſſima Dei charitate, & ardenti eius zelo in primis
2. Cor. 4. coniuncta: quibus virtutibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros;
1. Cor. 4. ijſdemq; exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Si igitur epiſcopali perfectione noſtras actiones & officia metimur; certè diligentius aliquas etiam ægritudines noſtras ſpeculabimur.

Quamobrem cum omnes prouinciæ partes, ſiue populum, ſiue clerum, ſiue nos etiam ſpectemus, ſi diligentiori ſpeculatione quàm nos dicendo commonſtrauimus, intuebimur, qualem eam aſpiciemus? ægrotantem ſcilicet, & multis adhuc morbi offenſionibus perculſam; & ita perculſam, vt reliqua cura opus ſit, non mediocri ſed
Ier. 8. magna. Proh dolor, quid hoccine eſt? Nunquid reſina non eſt in Galaad? nunquid nulla medicinæ ratio in prouincia, & in prouincia ampliſſima? nunquid medicus non ibi? nunquid tot & tam ſapientes epiſcopi; optimi animarum curatores, & præcellentes animarum medici? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? quam ob cauſam prouincia ſanata non eſt? Tranſit meſſis, finita eſt æſtas: & nos ſaluati non ſumus, inquit mœrens & deplorans Ieremias. Iam diu abijt tempus, quo ſacra Tridentina ſynodus ſalutares ſanandis morbis leges tulit; iampridem etiam tam ſæpenumero nos, tanquam medici qui collegiatim de curandis corporibus conſultationem ineunt, huc ad Concilium conuenimus: at prouincia nobis in curam tradita nondum ſalutariter curata eſt? immo adhuc penè attrita, penè perculſa iacet? ſuper contritione filiæ populi mei contritus ſum & contriſtatus, ſtupor obtinuit me. exagitate vna mecum quæſo Patres, dolorem veſtrum; intimeq; accenſi, afferte remedia & opportuna & ſalutaria. quæ prouinciæ ægrotæ adhibeamus, tempus eſt medelæ, inquit Propheta: vos ſtatum prouinciæ ægrotantis videtis: tempus medendi eſt, tempus Concilij, non eſt igitur cur à propoſito, illis quæ vulgò diſſeminari ſolent vocibus dimoueamur. Quorſum tot ſynodalia remedia? quouſq; tandem tam multæ medicamentorum ſynodalium leges? ita iſtæ planè vulgares voces ſunt, & dignæ planè quibus nos epiſcopi conſtantiſſimo mentis epiſcopalis ſtudio obſurdeſcamus. Aliud.n. nos Spiritus S. doctrina docet, aliud Apoſtolorum inſtituta monent, aliud Patrum exempla declarant, aliud canonum leges iubent, aliud vetus eccleſiæ vſus in omnes partes vtilis poſtulat, aliud Tridentinæ ſanctiones nuper inſtituunt, aliud nos in hac prouincia iam diu ad conſuetudinem reuocauimus. Quid? aliter muneris noſtri epiſcopalis religio depoſcit. Quàm inanes & penè nefariæ? eamq; ob cauſam ſumma animi noſtri epiſcopalis conſenſione, vna conſpiratione, vno ſpiritu explodantur illæ voces hominum, qui populum noſtrum decipiunt; dicentes pax, & non eſt pax; quam imperitè hoc iactitant? quam iniquo etiam animo ſunt iſti, qui curant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax, pax, & non eſt pax? An vbi malorum lues; pacis, concordiæ, & bonorum ſtatus? an vbi varia morborum ſpecies, recta valetudo? an vbi adhuc morum corruptelæ, diſciplina Chri-
Ezech. 13. ſtiana perfectio? Attendite quæſo, qui iſti homines ſunt, cum talia dictitent. linicant parietem luto abſq; paleis, abſq; temperatura: & vident viſionem pacis, & non eſt pax. cernunt iſti in ſuperioribus noſtris Concilijs vmbram quandam diſciplinæ, qua populum informare ſtuduimus; at eius imago nondum omnibus partibus abſoluta; immò cum imperfecta eſt, cum neque vndique etiam communita. eam que ob cauſam verendum nobis eſt, ne illa tanquam paries malè materiatus, luto tantum abſque paleis illitus corruat, longè abſint à nobis voces iſtorum, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Ne iſti his adulationum vocibus vocumq; blanditijs, cum nos fallere ſtudent, tum iſtis etiam illecebris populos noſtros decipiunt: dicunt enim bonum malum, & malum bonum. O popule meus, quis poterit omnia mala quæ te vndiq; premunt, enumerando percenſere? audent tamen iſti à ſalutis via te adulationibus longius abducere. Popule meus, qui te in tanta malorum colluuione beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſsipant.

Propoſuimus iam vobis ante oculos, Patres, quandam penè neceſſitatem ſanandæ prouinciæ. Diſquiramus igitur oportet in hoc ipſo Concilio ſexto ſalutares curationes, ſalutaria medicamenta, & præſentia remedia. Quo in officio diſquiſitionis, Euangelium quod nuper audiuimus, nos valde inſtituit, cum curationis munus Apoſtolis Chriſtus Dominus commiſit his verbis. Nihil tuleritis in via, neq; virgã, neq; perã, neq; panẽ, neq; pecuniam, neq; duas tunicas habeatis. Quorſum hæ leges? quid oſtendũt? quid loquuntur? quid præſcribunt? rerũ certè humanarũ deſpicientiam, terrenarum curarum abiectionem, vitæ huius contemptum, animi abalienationem ab ijs quæ noſtra ſunt, & illam à noſtris, quos cognationis vinculo natura coniunxit, quandam quaſi ſeiunctionem, atque alias iſtiuſmodi virtutes, quæ in Apoſtolis eluxerũt, atque ijs quidem hoc etiam vnum adiungendum eſt, quod in curatione ſpirituali plurimum valet, vt ne mundi prudentia neque noſtra innitamur. Prudentia carnis mors eſt, prudentia mundi cæca & fallax: at prudentia ſpiritus, vita, & pax. Quæ Chriſti ſunt, Chriſti ſpiritu agamus: ab illo pendeamus: non vulgi iudicio, non populari plauſu, non priuatis rationibus curæ noſtræ partes commetiamur. Hoc ſanè eſt Apoſtolos, quos miſit Deus infirmos ſanare, ſalutariter imitari, hoc planè Euangelij leges ſeruare, hoc ipſum gerere, eſt ſalutares curationes adhibere. Illis virtutibus communiti, voluntatem etiam inſtaurandæ prouinciæ ardore quodam inflammatam & paratam adhibeamus. Parauit cor ſuum vt inueſtigaret legem, ſacris literis proditum eſt: alio loco; Elegit ſacerdotes habentes voluntatem in lege: eo animo cordiſq; deſiderio ad prouinciæ curationem accenſi, imitemur duos grauiſſimos viros Ioſuam & Eſdram: hic inſtaurandæ diſciplinæ ſtudio exardeſcens, librum legis quem manu ſumpſit, aliquot diebus diſtinctè legit, quater diu & totidem noctu, populumq; ad illius executionem mirabiliter excitauit. Ioſuas itidem quò poſſet accuratius omnia legis inſtituta vitæ moribus exprimere, librum legis perpetuo in manu habere, & ſingula expendere iubetur. Non recedat, inquit Deus, volumen legis huius. & quoniam lectionis ſtudium parum vtile eſt, niſi animi commendatio accedat, ea verba adiunguntur: & meditaberis in eo diebus & noctibus; nempe tanta aſſiduitate, quæ omnem prorſus negligentiam excludat. cum autem hæc ipſa animi voluntas & meditationis ſtudium parum quoque poſſit; niſi quæ legibus inſtituta ſunt, ad executionis vſum inducantur; ſequuntur illa verba: Vt cuſtodias & facias omnia. Hoc præclaro exemplo nos optimo iure eam rationem nobis ineundam cenſemus, vt decretorum quæ ſuperioribus primis Concilijs confecimus libros, in hac ſexti prouincialis Concilij actione nunquam de manibus deponamus: ad quorum præſcriptum ordinem (id quod in omni ſynodo moris olim fuit) officij noſtri partes diligentiſſimè perſcrutemur; quas executi ſumus, quæcumq; illa ſint, vel de nobis ipſis, vel de Clero, vel de populo, vel de eccleſiis, vel alia quauis de re conſtituta. Hic recrudeſcit vulnus doloris noſtri: hic morbus grauis letargia laborantium. Hic deſidia penè omnium: hic dormitatione quadam hebeſcimus & tabeſcimus: hic nos etiam paſtores & medici congelaſcimus: hic nos, qui alios è ſomno excitare debemus ſopore quodam torpeſcimus. Vbinam decretorum quæ confecimus cumulata executio? Vbi morũ corruptela erepta? vbi peccatorũ publicorum ſemina conuulſa? vbi vitiorum publica exempla ſublata? vbi diſciplina publica introducta? vbi iuuenum petulantia emendata? vbi tabernis meritorijs, & malorum quaſi officinis finis præſcriptus? vbi ludis publicis, ac lenocinijs remedia adhibita? vbi proſtibula amota? vbi popularis concurſus ad ſpectacula publicè abrogatus? vbi antiquata ſpectacula? vbi bacchantium Chriſtianorum hominum fœda illa licentia repreſſa? vbi peccatorum colluuioni modus præfinitus? Quid multis? letargia morbus vbique in prouincia eſt, letargia omnes langueſcimus, rebuſq; exequendis omnes dormitamus. At dicet quis, huiuſce executionis atque adeo curationis opus multis partibus difficile eſſe fatemur omnes, & agnoſcimus. Nec verò eſt, cur hoc loco difficultates, multas illas quidem ac ſummas, ſummiſq; anguſtijs implicitas proponamus,

ɩ, tu quas cur a noſtra nimus incurris. At nos contra quærimus; m viribus noſtris, an ope Dei tam graue onus ſuſtineamus? ſi viri- s noſtris; profitemur planè impar omnino eſſe humeris noſtris: ſi ope nitimur; non eſt cur illius magnitudine frangamur ac debili- mur. Qui ſperant in Domino, inquit Iſaias, mutabunt fortitudi- m: aſſument pennas ſicut aquilæ; current, & non laborabunt, am- labunt & non deficient. At qui ad omnem in curanda prouincia micationem vocamur, fortitudinem epiſcopalem induamur; & cō rtati manu Dei excelſi, miniſterium noſtrum impleamus. Quàm æclarè Timotheum diſcipulum & epiſcopum Paulus Apoſtolus ad inem epiſcopalem conſtantiam inſtituit his verbis? Erit tempus, m ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacer- ibunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem au- tum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Quid hic Apoſtolus iſcopo iubet? an vt taceat? an vt diſsimulet? an vt ne reſiſtat? an vt i epiſcopali contentione deſiſtat? an vt ab opere ſuſcepto ceſſet? an dormitet? immo in omnes partes eum etiam atq; etiam excitat. u verò, inquit, vigila in omnibus labora: opus fac Euangeliſtæ: mi- iſterium tuum imple. An verò fortaſsè accuratione noſtra deterre- ur, quia hoc noſtro frequenti prouinciæ ſanandæ ſtudio exulceran- ur animi quorundam paſsim dictitantium: non ferunt hæc tempo- a veterum canonum & antiquæ diſciplinæ medicamenta. Immò ar- entius progrediamur: quoniam hæc vna medicina præſtantiſsima ſt, maximeq; opportunum id remedium: vt quibus olim rationibus iſciplina Chriſtiana ſata & propagata fuit, iiſdem ipſis & inſtaure- ur & conſeruetur. Iam verò demum, Patres ſanctiſsimi, vos optimè oſtis, quam præſtanti erga Deum charitate nos accenſi, quam cæle- ibus penè virtutibus nos inſtructi, quam inflammato voluntatis deſi- lerio nos flagrantes, quàm conſtanti epiſcopali fortitudine nos muni- i ad prouinciam variè langueſcentem non modo accedamus, ſed ita ngrediamur oportet, vt aditum omnem nobis aperiamus, cum ad ea quæ decreta ſunt accuratè præſtanda; tum ad illa, ſi quæ deſunt quam rectiſsime ſupplenda. Sed inſtat, vrget, & magnoperè nos et- iam impellit graue periculum animarum noſtrarum. Huius prouin ciæ ſalus nobis commiſſa eſt: ſi culpa noſtra aliquis morbo langueſcēs perit, veh nobis. Vos eſtis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis anima illorum, inquit Spiritus ſanctus. Quæ nos ſpoponderimus, & quam ſanctè & quam religioſè ſpoponderimus, pro grege nobis com- miſſo, pro eius curatione pro eius ſalute, vos rectè noſtis, religioſè ad- ſtricti ſumus conceptis verbis, multas curæ paſtoralis partes earumq; executionem promiſimus: ſpopondimus pro grege, deuincti ſumus verbis oris noſtri. Capti proprijs ſermonibus curationis promiſſæ & ſu- ſceptæ fidem præſtemus. Fili ſpopondiſti, vt dixero Dei ſcriptum eſt, illaqueatus es verbis oris tui. Diſcurre feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis: nec dormitent palpebræ tuæ. Sed vos ipſi videtis ſummam vigilātiam, quam ſanctis ſponſionibus debemus. Ad accenſæ autem voluntatis noſtræ ſtudium atq; officium, nos etiā inflammet deſiderium gregis. Proponamus nobis hic ab oculos Proba- ticam illam piſcinam amplam, porticus quinq; habentem; & in ijs iterum ex hac prouinciali ſpecula proſpiciamus Multitudinem ma- gnam languentium cæcorum claudorum, exſpectantium aquæ mo- tum. Hi omnes (intuemini quæſo prouinciam omnem ægrotam) ex- ſpectant motum aquæ, agitationem conſultationum noſtrarum, actio- nemq; ſalutarem noſtrarum deliberationum: ac iam demq; exar- deſcentem paſtorali ſtudio animum noſtrum etiam atq; etiam ex- citet filiorum noſtrorum clamor, quem audire videor in ea verba prorumpentem, quibus olim populus Hebræus Eſdræ opem implorans: Confortare & fac, tuum eſt diſcernere. Nos, inquit, ſalutaribus cu- rationibus opus habemus: veſtrum eſt ægritudines noſtras diſquire- re, appoſiteq; curare: curate quæſumus, animoq; magno ſanare per- gite. Vos ô filij cariſsimi, conſolamini, conſolamini, Erige ſpem tuam Prouincia Mediolanenſis. Patres iſti venerunt tibi, vt morbos & vul- nera tua ſanent. Leua popule meus in circuitu oculos tuos & vide: iſti congregati venerunt tibi. Quorſum enim tot tantiq; labores, quos & ſæpenumero antea & hoc tempore cauſa tua ſuſceperunt, ſpe- ctant, niſi vt ſalutis fructuum ipſe reportes vberrimum. Tu exurge i- gitur, exurge, excita te ad orationis ſtudium, ad pietatis opera; quibus implorata diuina ope, parentum tuorum perennis hæc ſollicitudo adiuue- tur in perpetuum Amen.

CONSTITVTIONES ET DECRETA PROVINCIALIS SYNODI MEDIOLAN. VI.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Nos Carolus S. R. E. Tit. Sanctæ Praxedis Preſbyter Cardinalis, Dei & ſedis Apoſtolicæ gratia Archiepiſcopus Mediolani, ad Dei omnipotentis, Beatæque Mariæ ſemper Virginis, ac S. Ambroſij confeſſoris, & beatorum Martyrum Protaſij & Geruaſij, patronorum noſtrorum laudem, hæc pro Chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua clerum populumque fidei noſtræ concreditum, prælucere totis in Chriſto viſceribus expetimus, de conſilio & aſſenſu Reuerendiſſimorum DD. Coepiſcoporum noſtrorum, in Concilio Prouinciali Mediolanenſi Sexto decernimus, ſtatuimus ac ſancimus.

Quæ ad fidem tuendam pertinent.

De commercio hæreticorum quam diligentiſſimè cauendo, nos pro noſtri officij munere ſuperioribus Concilijs decreta aliqua confecimus, atque edidimus: quibus etiam ex Sanctiſſimi D.N. Gregorij Papæ XIII. iuſſione & præſcripto; hæc, quo diligentior porrò cautio in genere adhibeatur, adiungenda cenſuimus.

Optandum eſt, omnique paſtorali ſtudio atque officio id valde curandum, vt quem hæreſis labe infectum eſſe conſtet, nemini vnquam quicunque ſit, impunè permittatur ex hæreticorum eove nomine ſuſpectorum finibus ac regionibus finitimis ad prouinciæ huius loca venire: verum ſi quãdoque aliter accidit, vbi ei rei alia ratione occurri nõ poſſit, hæc ſaltem caueantur atque plane ſeruentur.

Ne cuiquam, quem ex ijs locis proficiſcentem hæreticũ eſſe certum ſit, hoſpitium, diuerſoriumve præberi liceat, præterquam in caupona publica, vel in domicilio ſui procuratoris, ſi quem fortaſſe ipſe habet.

Is verò qui præbuerit, illius aduentum habitationemq; epiſcopo, Inquiſitorive, aut Parocho, ſi in Diœceſim venerit, confeſtim denunciet. At eccleſiaſticus homo, quicunque ſit, ne cum vllo modo excipiat.

Neque rurſus illum in eccleſia ingredi permiſſum ſit, niſi ſacræ concionis tempore.

Nemini ad hæreticorum fines, locave, ne diſcendę etiam mercaturæ cauſa, mittere filios liceat, qui annum ſaltem XXV. non agant.

Ne cuiquam item, vt alio Concilio cautum eſt, ad hæreticorum loca proficiſci liceat, niſi primũ ab Epiſcopo aut Inquiſitore eius rei facultatem impetrarit.

Atque hæc quidem facultas ne cuiquã permittatur, deturve, niſi à parocho teſtimoniũ ſcriptum attulerit, ſe more Catholico vixiſſe, ſanctaque Sacramenta frequentaſſe, hac pręterea adiecta cõditione, vt ſi cui facultas permittitur diutius illic cõmorandi, is quotannis ſemel ſaltem inde redeat, vt & cõfiteatur, & ſanctiſs. Euchariſtiam ſumat; aut teſtimonij literas mittat, quibus legitimè teſtatum fiat, ſe confeſſum conſtituto tempore ſacram Euchariſtiam ſumpſiſſe, catholicæque fidei congruenter vixiſſe.

Qui verò prope hæreticorum loca habitãt, ijs à parocho eam facultatem dari licebit ad breue ſane tempus: ita tamẽ, vt cum is exiguum illud breuis moræ ſpatium certum proficiſcenti pręſcribat; tum illã pręterea conditionẽ, ne die feſto illic opus faciat, nec verò mercaturam vllo modo exerceat, aliave agat quæ ſacro feſto die agi, fieri, exercerive prohibitum eſt. Imo feſto eo ſaltem die domum omnino redeat, & Miſſæ, Veſperis, doctrinæque Chriſtianæ ſcholis interſit.

Nec verò cuiquam fas ſit, patrimoniũ, bonaque ſua vẽdere

dere, alienareve, vt in hæreticorum loca migret, ibique domicilium conſtituat.

Si quis in huius rei ſuſpicionẽ venerit, contra eũ agatur ad Canonum pontificiarumq; ſanctionum præſcriptum.

BIBLYOPOLAE, quique impreſſoriam faciunt, ne qua aggredi volunt artem prius exerceãt, quam iurati, fidei profeſſionem epiſcopo conceptis formulæ ſtatutæ pontificiæ verbis præſtiterint.

Ne liber vel exiguus, quamuis ſuperiorum conceſſu alias ſæpe editus, ſine facultate iterum impetrata typis in vulgus emittatur, imprimaturve.

Moris olim fuit, vitandæ gloriæ oſtentationiſve cauſa, libros aliquando alterius nomine etiam aſſimulato euulgari: ſed quoniam hæc tempora, quibus impreſſoria editione aditus eſſe poteſt ad nefaria quæque proſeminanda, diligentiorem cautionem requirũt; interdictum eſſe volumus, méto fictove alterius auctoris nomine, libros, volumina, literas, ſcriptave cuiuſuis generis argumentive, de quibus in Indice ſeu Concilio Triden. cauetur, euulgari, edi, typiſve imprimi, niſi cõſenſu illius cuius noie edentur, & epiſcopi permiſſu. Alioquin in delinquentem animaduertatur pro grauitate criminis arbitrio eiuſdem epiſcopi.

GRAVIS illa ſanctio, qua ſum. Pont. Gregorius XIII. Iudæorũ blaſphemijs & flagitijs obuiam ire voluit, in omni noſtra prouincia, præſertim vbi Iudęos habitare permiſſum eſt, quotannis non ſemel atq; iterum, ſed etiã ſæpenumero, prout epiſcopus opus eſſe cenſuerit, de more promulgetur. Atque ob eam cauſam Concilio huic ſexto in fine illam adiungi ſtatuimus.

Quæ ad Concionatorem pertinent.

CONCIONATOR in vrbe ne ſine ſcripta epiſcopali facultate pecuniæ collectam inter cõcionandum proponat, faciatve; neq; itidẽ in diœceſi, ſine Vicarij foranei licentia. Liceat tamẽ Concionatoribus Regularibus in eorũ eccleſijs, abſque facultate illis tradita ab epiſcopo, ſiue eius Vicario ſua Monaſteria populo commendare.

Nec verò eleemoſinę cauſa cõcionatori ſeipſum cõmendare liceat: ab alijs tamẽ pijs honeſtiſq; hominibus eius cauſa de epiſcopi licentia conquiri & colligi vetitum non ſit.

Ne in monaſterijs quidẽ, & locis vbi regulares, ſpiritualẽ temporalemq; iuriſdictionẽ habent, quiſquã eccleſiaſticus homo etiã Regularis exemptus prędicationis munus obeat, niſi primũ ab epiſcopo probatꝰ, intra cuius diœceſis fines ea monaſteria locave ſunt. Regulares verò à ſuis ſuperioribus approbati, ac de eorum licẽtia in eccleſijs ſuorum ordinum prædicaturi antequã prędicare incipiant, corã epiſcopo perſonaliter cum ipſa licentia ſe præſentent, ab eo benedictionẽ accepturi, ſine qua benedictione, aut epiſcopo cõtradicente, prædicare non præſumant. Si quis contra fecerit, ei pœnę, & cenſuræ conſtitutæ ſint, contra alios ſancitæ.

De cultu Sanctorum.

AEquiſſimum eſt, cum ratione que pietatis coniunctũ, SS. patronorum vniuiuſq; ciuitatis Prouinciæ huius ſacris imaginibus eccleſiam Metropolitanã ſplendeſcere, cum eorũ etiam interceſſionẽ patrociniumve ibi diuinis officijs & litanijs implorari moris ſit. Quamobrem id cũ in primis ad religionis cultum, tum ad eiuſdem eccleſiæ ornatum ſplendoremve præſtetur.

NE ſine epiſcopi conceſſu facultateve literis conſignata, extra diœceſim ſacras reliquias aſportari, nec verò quæ etiã aliũde allatæ ſunt, intra diœceſis quoq; fines ab vna eccleſia eiuſve Rectore etiã de conſenſu Capituli alteri eccleſiæ donari, minus verò cuiquã eccleſiaſtico aut laico homini eorũ particulam aliquam priuatã concedi, tradi, donarive liceat, propoſita excõmunicationis pœna, quam ſubeat, tum is qui dederit conceſſeritve, tum ille, qui acceperit, vel aſportarit etiam eccleſiæ ſuæ nomine. Idque omne quod de reliquijs neque dandis neque transferẽdis hoc decreto alijs præceptũ eſt, vt Regulares ẽt atq; exẽpti ſeruẽt, eos in Dño monemꝰ.

De diebus feſtis.

DEI munere beneficioque cum eccleſia Mediolanen. prædicatione ſanctiſs. Apoſtoli Barnabæ primũ fidei myſterijs imbuta, tum aliæ plæreq; huius prouinciæ ciuitates euangelij lumine illuſtratæ, cauſam omnem feſti illius diei præcipue colendi habẽt. Quamobrem dies eius Natalis, qui eſt iij. Idus Iunij vt de more aliorum dierum feſtorum, qui à Clero populoque ex pręcepto coluntur, pie & religioſè ſanctificetur, epiſcopus curet, vbi in ſua diœceſi non colatur, ſanctificeturve.

Quod Religioſus in vnaquaque vicina tam Vrbis quam diœceſis dies feſti colantur, & ſanctificentur. Epiſcopus certum librum conſtituat, in quem à Cancellario, cum omnes ſingulique dies feſti parochiales, alijve, qui vbique in vicinia aliqua vel vrbis, vel diœceſis vniuersè ſigillatimve aguntur; tum reliqui etiam dies recte atque ordine referantur, quibus indulgentiæ, iubilei, aliuſve celebritatis cauſa ad eccleſias concurſus eſſe ſolet. Quo libro deprauati præterea mores, abuſuſve notentur, ſi qui illis celebritatibus eſſe in ijs ipſis vicinijs ſolent. Atque ijs quidem diebus exſcribendis, epiſcopus ad cognitionem certam parochos ſingulos adhibeat; quorum etiam officium ſit, ſi quæ noua in dies indulgentia eccleſijs ſuis acceſſerit, ſi quæve alia celebritas cauſave denuo inciderit, quamobrem populi cõcurſus in parochiali vicinia ad aliquam eccleſiã fiat, de ea epiſcopum certiorem facere, vt illa quæcunque ſit, in eundem librum referatur.

Porrò cum ipſum librum accurate exſcriptum, notatis menſibus, & diebus, quibus præcipuè illæ celebritates ſingulis in vicinijs lociſve agũtur, epiſcopus ad ſe in ſingulos mẽſes afferri iubeat, vt cum vniuſcuiuſque regionis, atque adeo pagi locive celebritatem certo die agi perſpexerit, de illius ſanctificatione cultuque literas etiam paſtorales opportunè ſcribat, tum aliam præterea omnem diligentiam eo nomine adhibeat. Et vero ijs literis officij ſuè populus cleruſque monitus, vſque adeo parochorum ſtudijs etiam adiuuetur, vt & vitæ ſancti, quem præcipua veneratione colit, exempla ad imitandum, & epiſcopi monita paterna, & decreta quoque prouincialia diœceſanaq; eo de genere ad exequendum ſibi planè proponat; ſiq; amorũ corruptelis, quas praua conſuetudo introduxit, in feſtorũ dierũ ſanctificatione abſtineat.

SI quando dies feſtus ſancti ſanctæve, cuius celebritas à Clero populoque colitur in diem vigiliæ ieiunijque incidit, quod ex præcepto eccleſiæ ſeruatur; ne fideles ob feſti diei ſolemnitatem quam agunt, (id quod à pleriſq; committi ad nos delatũ eſt) ieiunium vllo modo violent, ſed vt inſtituti ratio, eccleſiæq; matris pręceptio poſtulat, rectè pieq; colãt.

Quare epiſcopus, ſi quid iſtiuſmodi in ſua diœceſi patrari cõmittive animaduerterit; huic graui peccato & offenſioni, omni paſtoralis officij ſui rõe occurrere q̃ diligẽtiſſimè ſtudeat.

De indulgentijs orationis cauſa conceſſis.

QVO vberiores ex orationis inſtituto fructus exiſtunt, eo ſępius ad illiꝰ exercitationẽ fideles cohortãdi ſunt.

Officium igitur parochi ſit, quo magis illos propoſito ſpirituali dono alliciat crebro cum occaſio tulerit, indulgentiam euulgare ijs conceſſam, qui orationi xl. horarũ ordinariæ aut extra ordinariæ epiſcopi iuſſu expoſitæ vocauerint.

Hoc officium vt is præſtet, indulgentiæ literas vna cum hoc Concilio in fine edi volumus.

Idem præſtet de Indulgentia ijs data, qui in oratione quæ dicitur ſine intermiſſione verſabuntur.

Idque ex literis pontificijs, infra huius Concilij vltima parte eo nomine editis.

Idipſum præterea ſæpè numero agat de indulgẽtia fidelibꝰ data, q̃ vbi fuerint, in eleuatione corporis dñi orauerint.

Cuius etiam indulgentiæ literarum monimenta, infra eo nomine impreſſa ſunt.

De Parocho & Parochijs.

DE cura parochó ægrotanti præſtanda in ijs quæ ad ſalutem animæ pertinent, iam pridem in altero Concilio prouinciali conſtitutum eſt.

Et quoniam charitatis officium eſt, rationẽ etiam haberi curationis corporis; hoc decreto itidem ſtatuimus, vt cum Parochiæ alicuius ſacerdos in febrim morbumve inciderit (ſi præſertim ſuorum neminem habet cuius opera adiumẽtove ſubleuetur) propinquior parochus nullum à ſe officiũ deſiderari patiatur, quod ad eius valetudinẽ recte curãdam neceſſarium fuerit.

Atque in primis vicarium foraneum, ſi parochus ægrotus in diœceſi eſt; ſi in vrbe, epiſcopum de eius ægrotatione certiorem faciat.

QVIBVS locis ex Concilij Trid. præſcripto parochias

uas inſtitui erigive liceat; Epiſcopus etiam in Parochijs ıa Regularium quouis modo ſunt, illas conſtituat, certa uctuum portione attributa ad pręſcriptum conſtitutionis j V. Pontificis.

Et Canonum ratio, & diſciplina eccleſiaſtica id maxime oſtulat, vt ad eccleſiam parochialem fideles quam frequenſſime cōueniāt: id quod ab epiſcopis accurate eos moneri cumenica ſynodus Tridentina pie ſalutariterq; decreuit. Eius decreti auctoritate, vt pro eo quod debemus, plane btemperemus; in vſumque Prouinciæ noſtræ inducamus, uod bene agendi rationibus vſuique optime conſultum eſ animaduertimus Literas monitionis eo de genere infra xplicatas hoc prouinciali Cōcilio VI. edimus, quas in omni arochiali totius prouinciæ noſtræ eccleſia certis feſtis dieus, quos pro ſuæ diœceſis ratione epiſcopus pręſtituerit, de ore promulgari decernimus: quò diligentius parochiales dmoniti, cū officij religioſi partes facile intellexerint, quas æ quique eccleſiæ parochiali debent, incitata quadam vontatis propenſione exequantur, quod de ſacro ſancti illius Concilij ſententia eos ſalutariter, & quā ſæpiſſimè monitos ſſe volumus.

Id verò non hac noſtra ſolum Prouinciali cohortatione nonitioneque contenti. prouinciæ noſtræ epiſcopi præſtālum curent; ſed omni alia præcipua paſtoralis curæ ratione quā eius rei vſui accomodatiorē potioremq; eſſe cēſuerint.

Porrò monitionis huius noſtræ literas, quò facilius planiuſq; populus intelligat, indeq; partes officij ſui non ſolum cognoſcat ſed recte exequatur; eas in vulgarem etiā ſermonē totas de verbo ad verbum conuerti, vel ſummatim vulgariter explicari, & ita fidelibus enunciari ijdē curent, prout diœceſis ſuæ rationibus magis expedire viderint.

FVIT olim tanti apud antiquos patres ille frequens eccleſiā propriam parochialem fideliū conuentus; vt ad hanc diſciplinam populi Chriſtiani inſtitutioni valde accomodatam retinendā, certis decretis cautio aliqua adhibita ſit.

Primo enim hoc iuſſum eſt, vt Dominicis feſtiſq; diebus Parochi antequam Miſſam celebrēt, plebem interrogent, an alterius parochiæ fidelis adſit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Miſſam audire velit; quem ſi inuenerint, ſtatim inde eijciant, & in parochialem ſuam eccleſiam ad Miſſam audiendam redire compellant.

Deinde illud plane vetitū fuit, alienæ parochiæ fidelem à parocho ad Miſſam non recipi, niſi in itinere fuerit, & placitum ibi habuerit.

Cuius veteris diſciplinæ reſtituendæ in vſumq; reuocādæ deſiderio flagrans olim ſummus Pont. Vrbanus VI. eo de genere Apoſtolica ſanctione diligentiſſime cauit; & nuper ſacra Trident. ſynodus œcumenica ab epiſcopis fideles non ſolum hoc moneri voluit, vt frequēter ad proprias parochiales eccleſias ſaltē Dominicis diebus feſtiſq; maioribus accedant; ſed illud etiā diligenter oſtēdit, vnumquemq; teneri, vbi commode fieri poteſt, Parochiæ ſuæ intereſſe ad audiendū verbum Dei; ac proinde id prætereaſtatuit à Parochis animarumve curatoribus inter Miſſarū ſolemnia aliquid ex ijs quæ in Miſſa leguntur exponi, & ſanctiſſimi illius ſacrificij myſteriū aliquod explanari; plebes ſibi commiſſas ſalutaribus verbis paſci, eaſdemq; doceri, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; in lege Domini erudiri & ſacra eloquia illis explanari; tum in vnaquaq; eccleſia parochiali pueros fidei rudimentis inſtrui.

His igitur eiuſdem Tridentinæ Synodi decretis, & veteri ſalutari exemplo adducti, cum populū vrbis, Diœceſis, prouinciæq; Mediol. noſtræ, rebus ad ſalutem neceſſarijs inſtructum, per bona opera ad præmiū ſempiternum perducere ſummopere in Domino cupiamus: hac noſtra monitione eos vniuerſos & ſingulos cohortamur, ac per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti obſecramus atq; obteſtamur; vt quāuis in ſuis vicinijs, oppidis, & ſuburbijs, oratoria, Cappellas, aliaſve eccleſias habeant, vbi ſanctiſſ. Miſſæ ſacrificio intereſſe poſſint; frequēter tamē Dominicis ſaltem alijſq; ſolemnibus feſtis diebus ad ſuam quiq; parochialem eccleſiam conueniant: Vbi à parocho cui eorum cura cōmiſſa eſt, verbo Dei paſcantur, fidei Chriſtianæ rudimentis, alijſq; animarū ſaluti neceſſarijs præceptis erudiantur, ad ſanctiſſima ſacramēta religioſius percipienda inſtruantur, ad eorundemq; frequentem vſum, vt illa ſacra ſynodus optat, paternis eius cohortationibus in dies magis inflāmentur: tum ab eodem item audiāt qui dies feſti, ſi qui in hebdomadam inciderint, colendi quæ vigiliæ ieiuniave ſeruanda ſint: diſcant ab ipſo item, quæ Chriſtianæ pietatis officia in illis religioſè colendis præſtari oporteat; ac quæ præterea ſupplicationes, proceſſioneſve, aut ſtationes, orationes, indulgentiæ, iubilea indicantur; quæ matrimoniorum denunciationes fiant; quæ itē, pro ratione temporū admonitu iuſſuve epiſcopali ad diligētiorē eorū inſtitutionē promulgētur.

His atq; adeo alijs fructibus, qui ex paternis Parochi vel in cohortando vel in monendo officijs exiſtunt, eos carere continget, qui ad Miſſam ijs diebus in ſuam parochialem eccleſiam non conueniunt.

Immò verò quod hoc audiendæ illis diebus Miſſæ parochialis munus à fidelibus minus diligenter præſtatur, & à quibuſdam plane negligitur, multa incommoda inde exiſtunt.

Hinc in pleriſq; ſæpè fidei articulorum, & Dei, ſanctæq; Matris eccleſiæ præceptorum, quæ ad ſalutem conſequendam Chriſtianū hominem noſſe oportet, imperitia; feſtorum dierū cultus neglectus, debita Chriſtianæ pietatis opera non exculta, non cognita Chriſtiana familiarum inſtitutio, langueſcens Sacerdotum parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus; ſanctiſſimorum inſtitutorum, & ſacrorum canonum violatus vſus; hinc deniq; in eccleſijs parochialibus, quæ à maioribus tanto pietatis ſtudio exædificatæ ſunt, inſtaurādis, ornandis, ſartis tectiſq; habendis cura, multis ex partibus neglecta, in illiſq; nulla aut pene exigua eccleſiaſtica ad diuina officia obeunda neceſſaria ſuppellex.

His tot tantiſq; malis atq; incommodis vnuſquiſq; occurrere ſtudeat, id diligenter exequendo, quod ſanctorum Patrum ſuadet auctoritas, quod Tridentina ſynodus moneri iubet, quod ex illius iuſſu nos de vniuſcuiuſq; veſtrum ſalute ſolliciti; paternis vocibus cohortamur & monemus in Domino.

Nec verò quemquā aliquod, quod vel ex parochialis eccleſiæ aliqua diſtantia, vel ex pluuia, frigore, æſtu temporumve viciſſitudine exiſtit incommodum, ab hoc officio deterreat: imò verò ad illud diligentius exequendum, prout in Domino confidimus, ſe quiſq; eorū accendat neceſſe eſt; qui ſalutis ſuæ memores, huius rei grauitatem, eorum quæ cōmemorata ſunt ratione perpendent, quiq; aliquando ſecum animo reputabunt, non ſolum Parochialem eccleſiam ſibi datā eſſe, in qua primū baptiſmo ſuſcepto Chriſto Domino renati, alijs ſacramētis aluntur ad perpetuam ſalutem; ſed parochum etiam ſacerdotem ſibi loco parentis eſſe debere, quem diligant, colant, atq; obſeruent; hoc ſibi proponentes, illum pro fidelibus ſibi commiſſis apud Deū internuncium ac deprecatorem eſſe, diuinæ legis interpretem, diſpenſatorem myſteriorum Dei, Chriſtianæ vitæ & morum diſciplinæ magiſtrum, à quo omne petant pie recteq; agendi cōſilium, ac deniq; miniſtrum omnium fere, quæ ad ſalutem eis neceſſaria ſunt.

Huic autem noſtræ monitioni, & ſi omnes pro præcipua ſuæ ſalutis cura audientes eſſe debent; inprimis tamen patres familias, tutores, curatores, ludimagiſtros, cæteroſq; aliorū moderationi curationive præfectos cohortamur, diuinaq; conteſtatione admonemus: vt de ſua, & aliorum quorum curam gerunt, ſalute ſolliciti, primum ipſi hæc paterna monita amplectantur, tum illos etiam crebris cohortationibus ad illa exequenda inſtamment; idq; curent, vt non ſolū Miſſæ & diuinorum officiorum tempore illi in parochialem eccleſiam conueniant; verum etiam vt inſtitutas in ea doctrinæ Chriſtianæ ſcholas ſtatis illis diebus frequentent.

CVM eccleſiæ alicuius parochialis eiuſq; rectoris neceſſitati epiſcopus primitiarum decimarumq; aſſignatione, aut parochialium ſymbolis collectiſve prouidendum eſſe ex Decreto Trident. cenſuerit; ad id præſtādum illos ex eiuſdē Trident. & prouincialis decreti præſcripto compellat, propoſitis arbitratu ſuo pœnis, & cenſuris, atq; etiam interdicto generali, præſertim vbi ipſi parochiales id præſtare promiſerint ſpoponderintve.

QVO inſtructiores in ſuis officijs Parochi ſint, ob eamq; rem diligentiores, cura Metropolitani ſit, vt quemadmodū Canone Toletano inſcribitur, officiorum parochialium liber conficiatur atq; emittatur ad communem parochorum prouincialium vſum.

De Sacramentalibus.

NE quis epiſcopo inferior, veſtes, indumenta, vaſave ad Miſſæ ſacrificiū diuinorumq; officiorum cultū, aut ad Altaris ornatum parata, ſine ſedis Apoſtolicæ facultate benedicat; niſi ſi alicui de iure talia benedicendi facultas competeret.

Quæ autem ab epiſcopo, aliove auctoritatem habēte benedicta non ſunt, vt alio Concilio cautum eſt, ſtata ſolemni prece benedicantur.

Sacra prece ex formula libri pontificalis tabernaculū etiā ligneum in quo ſanctiſſima Euchariſtia recondatur, ante benedicatur, quam ad illius recondendæ vſum adhibeatur.

AQVAE benedictæ, quæ vel Sabbato ſancto, vel in vigi-

lia

lia ſacra diei Natalis Dñi, vel alio tempore pro locorũ conſuetudine ædes parochialium hominũ aſpergi ſolent, aſperſio cum plena myſteriorum eſt tum propria parochorum.

Quamobrem ſtato tempore ne alius ſacerdos quã pro prius parochus illas aſpergat, aliuſve ab eo conſtitutus; neve item Sabbato ſancto ante ille aſpergat, quam benedictio ſolemnis fontium celebrata ſit.

Aſpergendo autem precibus rite vtatur Parochus ad præſcriptum libri ritualis.

Illud autem in hoc aſperſionis munere caueat omnino, vt ne ſigno quidem aliquo, ac nutu, ne dum verbis, eo ſanctæ aſperſionis nomine quidquam petat exigatve.

Monachi Regulareſve cuiuſuis ordinis etiã exempti, nõ aliunde, ſed ab eccleſia Cathedrali intra cuius diœceſis fines habitant, olea ſacra ſumãt. Si ſecus fecerint, arbitrio epiſcopi in cuius diœceſi manent, puniantur.

De Baptiſmo.

EORVM, qui domi, aut in eccleſia tanquã compatres ad Baptiſmum adhibiti ſunt, nomina in libro Baptizatorũ parochus notet: ne impedimẽtum matrimonij contrahendi ignoretur.

Religioſi inſtituti olim fuit, diem baptiſmi quotannis à fidelibus piè celebrari; id quod S. Gregor. Nazianz. aliquando oſtendit.

Quæ ſane inſtitutio cum ad pietatis Chriſtianæ cultum piamq; morum diſciplinam nõ parum adiumenti in primis adiutrice Dei gratia afferre poſſit: eam in vſum reuocari vehementer in Domino cupimus.

Itaq; parochus & confeſſarius prout occaſio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, vt fidelium quorũ gerunt, vnuſquiſq; quo die baptizatus eſt, quotannis ardẽtiori prece, eleemoſina ſi per facultates poteſt, omniq; charitatis opere atq; officio ſpiritaliſq; gaudij celebritate recolat memor ſe chyrographo damnationis deleto, hæreditatis cæleſtis participem in Chriſto Domino factum eſſe.

Qua in cogitatione, cũ ſemper alias, fereq; in ſingulos dies, vt B. Chryſoſt. monet, tum eo potiſſimũ die ſancte ſeſe excitet ad præclaram illam ſponſionem & Chriſtianam pro feſſionem, quam in ſacro lauacro per ſponſores ſolemniter edidit. *Repete*, inquit ſanctiſ. pater noſter Ambroſius, *quid interrogatus ſis, recognoſce, quid reſponderis. Renunciaſti diabolo & operibus eius; Mundo & luxuria eius ac voluptatibus; Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis.*

Parentum cura ſit, diem ob eam cauſam notare, quo eorũ filius Chriſto renatus eſt: ideoq; Parochus cum baptizauerit, moneat ẽt, vt id ab illis fiat, præter ſcriptionẽ quã ipſe eo de genere in codicem ſtatum parochialem referre debet.

Baptiſmi verò dies, qui ſolemni illa abrenunciationis ſponſione, profeſſioneq; inſignis eſt, ad omnem pietatis exercitationem vſumq; non pompis ſæculi, non conuiuiorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum, cum dies lucis ſit, celebretur; ſed ſanctæ charitatis erga Deum, ergaque proximum officijs.

Grauiſſimo ſuffocationis infantum, qui nondum ætatis ſuæ annum expleuerunt, periculo vt occurreretur, pœna excommunicationis quam mulier in eo genere delinquens ipſo facto ſubiret, in Concilio prouinciali IV. ſancita eſt.

Verum cum aliquando cauſæ & difficultates incidant, ob quas non omnino præſtari poteſt quod ſalutariter cautũ eſt; ideo hoc prouinciali Decreto eam cautionem adhibere nobis viſum eſt, vt pro conſcientiæ ſuæ religione, epiſcopus in grauioribus cauſis diſpenſare, diſpenſandiq; aut habilitandi facultatem eo in genere Vicarijs foraneis delegare poſſit, alijſque item eccleſiaſticis hominibus prudentia & rerum vſu præditis.

Quod ſi quis, quicũque ſit etiam præter nutricem & matrem, non adhibita illa cautione, neque diſpenſatione impetrata, infantem cõtra præſcriptum in lecto tenuerit, aut matrem nutricemve id facere coegerit, aut impedierit quo minus eo decreto præſcripta cautio adhiberetur: is eadem pœna irretitus ſit, quæ illo decreto mulieri in eo genere delinquenti conſtituta eſt.

Quæ ad ſanctiß. Eucharistiæ Sacramentum pertinent.

PAſchę tempore à ſuo cuiq, Parocho proprio ſanctã Euchariſtiã miniſtrari eccleſiæ inſtitutum ac præceptũ eſt.

Qamobrem is ſi quem parochialem habet, qui ex m bo laborans, aliave neceſſitate vere impeditus, non teſt ſacro Paſchæ tempore ad eccleſiam conuenire, ſanctiſſimam communionẽ cum cæteris fidelibus percipi ad illum (etiam ſi paucis ante diebus perceperit) ipſe illo ſchali tempore de more deferat.

Parochus hortetur & curet, vt vnuſquiſq, paterfamili præſertim dato campanæ Parochialis ſigno, quo ſacræ E chariſtiæ ad ægrum deferendæ ſignificatio fit, ſine mora eccleſiam Parochialem conueniat, vel alium de familia gniorẽ mittat, ad illã cærei candelæve lumine proſequen

Si quando autem is qui paterfamilias eſt, per neceſſa occupationem non poteſt, ſaltum certum aliquem homin vel filium natu maiorem, vel denique famulũ aliumve m tat, qui id pietatis officium præſtet.

Atque eam ob cauſam domi etiam omnis paterfamil perpetuo funale cereum aut candelam vnam, pluresve h beat, quæ ad id pietatis opus officiumque vſui ſint.

Quæ ad pœnitentiæ Sacramentum pertinent.

EEpiſcopus à confeſſionibus audiendis ſuſpendat, aut omnino amoueat confeſſarios etiã regulares iam appr batos, quos pro ſuæ timoratæ conſcientiæ religione v derit in eo munere non ita ſincere, integreque, & cum edif catione ſe gerere, quemadmodũ & tanti miniſterij illis cõ miſſi ſanctitas poſtulat, & animarum ſalus depoſcit, quæ ſ fidei concreditæ ſunt.

Salutariter ex doctrina Spiritus ſancti cautum eſt, Chri ſti fideles de peccatis confiteri debere, quotieſcunque re actionemve aliquam aggrediuntur, in qua præſens morti periculum pertimeſcendum ſit.

Quamobrem Parochus curet atque efficiat, vt præter i quòd Pij V. conſtitutione, decretoque Prouinciali de ægrotante ſancitum eſt, vt ſi quis etiam parochialis eo profecturus eſt, vbi ſit, aut peſtis, aut hæreſis, aut vbi nullam confeſſarij copiam habere poſſit, aut ad bellũ iturus ſit, aut pugnã initurus, aut iter infeſtum nauigationemque periculoſam facturus; anteaquam [viæ nauigationiſvæ ſe cõmittat, pecca ta confiteatur.

Idem officium præſtet de mulieribus proxime parituris.

Id præterea cohortetur, vt quis nauigationem, iter longũ, negotiumve periculoſum ſuſcepturus, religioſè etiã ſumat ſacro ſanctæ Euchariſtiæ ſacramentum: & mulier item proximè paritura frequentius.

Moneat quoque ſæpenumero cohorteturque, vt quoties quis rem arduam & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimeſcendum ſit, aggredietur; primo cõfeſſus, itidem faciat: vt tanto Sacramento corroboratus, ſpe erectiori fiat rei bene gerendæ.

Cum autem vel ab itineris, vel à nauigationis, vel à belli, alteriuſve rei periculo, aut à negotij (vtcunque ſucceſſit) cura difficili benè iuuante Deo liber erit, hoc eum hortetur item, vt quam primum piè confeſſus, Deo gratias agat huius ſacram[illegible]mptione; in qua præcipua quædam ratio ineſt, qua De[illegible] pro immenſis in nos collatis beneficijs aliquam gratiam referamus.

Epiſcopi cura præter cæteras illa etiam præcipua eſſe debet, vt quãtum in ſe eſt, fideles peccatorum laqueis implicitos à turpiſſima peccandi occaſione ſolicitudinis epiſcopalis ſtudio atque officio reuocet, animarumque vulneribus remedia opportuna adhibeat.

Ineunte igitur in primis quadrageſima quam diligẽtiſſime inueſtigabit, ſi qui vel in vrbe vel in diœceſi ſunt, qui opera carnis ſectantes turpiter viuant: ſi qui item odia & inimicitias exerceant: ſi qui alij denique qui in aliqua peccandi conſuetudine vſque iaceant: ſi quos porro eiuſmodi ille cõpererit, omni ratione atq; officio illos ad id inducat, vt à via quæ ducit ad interitum ſine mora ſe abducentes, iter ſalutis omnino vereq; ſuſcipiant.

Quamobrem eos ipſos, vt pro facti ratione magis expedire iudicabit, vel priuatim ad ſe accerſat, atque adeo inſtet quemadmodum ait Apoſt. *opportune, importune, arguat, obſecret, increpet cum omni patientia*; vel ſeueriori quoq; diſciplina in eos agat omni iure omniqne officio, ad ſacrorum Canonum ſanctionumque pontificiarum præſcriptum.

Nec vero anteaquam ipſe perſpexerit, iſtos ab ea malè agendi

…ndi via receſſiſſe, peccandiq; occaſionē ac publicas offen-…ones præcidiſſe, permittat (etiamſi qui teſtimonium con-…ſſarij afferant) ne in paſchali quidem celebritate ſacrā cō-…unionem eis miniſtrari: quin imò illam tam diu differri …beat, quo ad eorum veram vitæ emendationem epiſcopus …gnouerit: imò verò contra eos, qui (quondam ſalutaria …nita ſpernentes, in offendiculis perſeuerant, neque flagi-…olam vitam deſerunt) à ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptio-…e reijciuntur, agat epiſcopus, agive iubeat, vt Concilio pro-…inciali ſecundo agi contra illos ſancitum eſt, qui Paſchæ tē-…ore Euchariſtiæ ſacramentum non ſumpſerint: ſi verò in …ontumacia perſeuerauerint, in eos præterea ſeuerius prout …ris eſt, animaduertat.

Iubeat epiſcopus in omni ſacriſtia certo conſpicuo loco …bellam affigi, in qua eorum qui interdicti aut excōmuni-…ationis vinculo irretiti ſunt, nomina & cognomina rectè …ſcripta in omnium conſpectu ſint: vt & ſi quandoq; for-…te præſentes ſint, à diuinis officijs eccleſiæque: eijciantur; …ſi contra Concilij prouincialis Decretū in ea cenſura per-…titerint, in ſingulos mēſes ad eiuſdem præſcriptum de mo-…re denuncientur.

Illorum præterea ſingulorū nomina, & cenſuræ item qua …ffecti ſunt genus, octo poſt diebus quam interdicti excom-…unicative ſunt, ad Regulares quoque mittantur; vt cum i-…ſis ipſi etiam agant ad præſcriptum conſtitutionis, quam …ummus Pontifex Bonifacius VIII. eo de genere edidit.

Quod ſi contra fecerint, pœnas ſubibunt ea ipſa conſtitu-…ione ſancitas.

Quo faciliorem executionem habeat decretum in Con-…cilio prouinciali V. editum, de quatuor præcipuis illis do-…ctrinæ Chriſtianæ capitibus confeſſario ante confeſſionem …à pœnitente recitandis; nos decernimus & declaramus, epi-…ſcopi iudicio & prudentiæ hoc permiſſum eſſe, vt certis con-…feſſarijs quibus concedendum eſſe ipſe cenſuerit, concedat, …deturque facultatem, quæ illam fidei rudimētorum recitatio-…nem eo prouinciali Concilio decretam ac præſcriptam poſ-…ſint pœnitentibus aliquando remittere, quos certo ſciunt il-…la capita rectè noſſe, & ijs maximè quibus pœnitentiæ ſacra-…mentum frequentiu[s] miniſtrabunt.

At verò ill… Confeſſarius caueat ne eius recitationis mu-…nus illis condonet, quos certo nō ſcierit fidei rudimēta me-…moriter tenere ac rectè noſſe. Verum cum illis qui ea igno-…rant, agat ad præſcriptum eiuſdem Concilij V.

Quod ſuperioribus Concilijs ex ſanctæ ſedis Apoſtoli-…cæ decreto confeſſarijs ſacerdotibus etiam regularibus veti-…tum eſt, ne pœnitentem quemquam ex priuilegiorum quæ …ipſis regularibus aut confratribus data ſunt vi auctoritateq; …abſoluant: idem ijs interdictum eſt, etiam indulgentiarum …literis, quæ eccleſijs conceſſæ ſunt.

…ne in Monaſterijs quidem & locis vbi regulares ſpiritua-…lem temporalemque iuriſdictionem habent, quiſquā ſacer-…dos etiam regularis & exemptus cōfeſſiones audiat; niſi pri-…mum ab epiſcopo, intra cuius diœceſis fines ea monaſteria …locave ſunt, ad id probatus fuerit.

De viſitatione infirmorum.

SANCTISSIMVS Pontifex Gregorius XIII. vt ſalutarē aliquam ægrotis medicinam afferret, certis Apoſtolicis ſuis literis epiſcopis huius prouinciæ auctoritatem dedit Indulgentiæ ægris concedendæ, quos vel ipſi, vel eorum nomine alij viſitauerint.

Quæ literæ vt omnibus notæ ſint, proindeque ægroti ſalutare medicamentum contriti & confeſſi capiant ex viſitatione epiſcopali, illæ à parocho, prout vſu venerit, ſtudiosè accurateque euulgentur.

Quæ ad ordinis Sacramentum pertinent.

NE quis patrimonij ab alio cuiuſuis cōditionis homini aſſignati, aut promiſſionis titulo, quæ certa cautione de re omni victui neceſſaria ſuppeditanda facta ſit, ſacris ordinibus maioribus initietur; niſi præter cæteras præſcriptas cautiones, illud etiam publico inſtrumento caueatur ea certa adiecta clauſula, vt vterque & qui patrimonium aſſignat, & cui aſſignat, iureiurando affirmet, id patrimonium vere poſſideri, obtineriq; ac nihil præterea ineſſe doli & fraudis, nullumque eſſe eo nomine contractum initum, nullumque promiſſum factum; nec verò in poſterum ſe aliquid acturos facturoſve eſſe, quominus Clericus qui initiandus eſt, aſſignato patrimonio vere recteque ipſa vtatur, fruatur: proindeque ſi quid contra actum, geſtum, factumve erit, id omne irritum, reſciſſum atque plane ipſo iure nullum, nulliuſque roboris eſſe velle. Si quid autem contra actum erit, ei præterea qui ſacris initiatus eſt pœna ſit, vt ſtatim ipſo facto epiſcopi arbitrio ab ordinum quos ſuſcepit munere functioneque ſuſpenſus ſit, nec alijs maioribus ordinibus adſcribi poſſit.

Verum ne qui patrimonium aſſignat, aliquo timore deterreatur, quominus illud vel aſſignet, aut cautionem victus qui Clerico ſatis ſit præſtet: ſed quo magis ad id ipſum excitetur: ſtatuimus, patrimonium eo nomine aſſignatum, cautionemque item ita ei vſui annecti, vt qui initiatus eſt, illud patrimonium aut cautionem alienare vel remittere nullo modo poſſit, donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſit adeptus, vel aliunde habeat vnde viuere poſſit: ſed nec delinquendo amittere; vſque adeo, vt ne grauis quidem criminis quod ille admiſerit cauſa præſcribi, nec fiſco applicare queat: ſed ad eum qui aſſignauit, donauit, cauitque, & ad eius hæredes, aut ad alios qui ab inteſtato Clerico initiato ſuccederent, ipſo iure redeat.

Quæ ad Capitula pertinent.

QVOD Concilio prouinciali ſecundo ſancitum eſt, vt qui eccleſiaſtici beneficij poſſeſſionem adipiſcuntur, eiuſdē beneficij titulū etiam nō moniti menſis ſpatio ordinario ſuo oſtendant; hoc decreto conſtituimus Canonicos etiam tam Cathedralium quam Collegiatarum eccleſiarum comprehendere, in quibus iure legitimo præbendarum optiones fiunt: ita vt à die adeptæ poſſeſſionis, optionis inſtrumentum in cancellaria epiſcopali intra, præſcriptum temporis ſpatium exhibere debeant omnino; alioquin contra eos pœna eadem decreto contra beneficia obtinentes ſancita, ac alijs arbitratu ordinarij agatur.

CAPITVLVM ſede epiſcopali vacante Vicarium conſtituat, confirmetve, qui omnino iuris Canonici Doctor ſit: quod ſi huiuſmodi vir in collegio Capitulove non extat, alium de Capitulo, qui quam maxime poteſt idoneus ſit, deligere poterit.

Eidem Vicarium ſemel electum mutare ob cauſam licebit: modo alium octo dierum ſpatio conſtituat: alioquin illius eligendi, facultas ad Metropolitanum, aut ad eius antiquiorem ſuffraganeum ſede Metropolitana vacante pertinebit.

Electione verò in controuerſiam aut in dubium adducta, is electus cenſeatur, qui à Capituli maiori parte delectus fuerit.

Ne verò œconomus cæterive officiales ſemel electi à Capitulo mutentur, niſi ea electio etiam viuente epiſcopo ad Capitulum pertineat.

Vicario autem alijſve officialibus abſentibus, ſubſtitutorum electio ad Vicarium non ad Capitulum ſpectet.

Cum Vicarius aliuſve ex officialibus à ſuo munere amouendus erit, fas ſit Capitulo Vicarium ipſum officialesve ad reddendam rationem adminiſtrati muneris compellere; eoſque pro modo culpæ etiam non exſpectato nouo Prælato punire: qui nihilominus eandem adminiſtrationis rationem quam ſede vacante reddiderint exigere poſſit, atq; in eos, quamuis per Capitulum abſoluti eſſent, animaduertere vt iuris erit.

Quæ ad Cleri diſciplinam attinent.

QVOD ab epiſcopis prælatiſve ob dignitatem qua præcellunt, ex inſtituto fieri decet, vt manu ad pectus admota ſi quando oportet iuſiurandum præſtent: id ſane vbique & ſemper ita rite ſeruent, niſi cauſæ grauitas, prout iure cautum eſt, aliter poſtulat.

Reliqui autem eccleſiaſtici homines, vtpote Clerici Inferio-

feriorum ordinum, ſubdiaconi, Diaconi, & Presbyteri, ſi iurare neceſſe habent, id tactis ſacris literis agant.

In cauſis porrò leuibus, vbi opus eſt, iurent, manu ſcilicet pectori admota; ſi modo ſuperior præſens non adeſt: quo præſente contactis ſcripturis iuſiurandum præſtent.

SACERDOTES Miſſæ celebrandæ munere ſuſpenſi impeditive, frequenter, & verò præſertim diebus Dominicis ac Feſtis, ſacram communionem ſumant.

Si quem cuiuſuis ordinis Clericum Epiſcopus concubinam, mulieremve eo nomine ſuſpectam habere, aut illius cóſuetudine commerciove vti compererit; in eum pœnis à ſacris Canonibus vel ſtatutis eccleſiæ ſuæ impoſitis animaduertat. quod ſi monitus ſpeciali monitione, ſecundo deliquiſſe repertus fuerit; tertia pars fructuum prouentuumque ſuorum beneficiorum, qua ipſo facto priuatus exiſtit, iuxta Decretum ſacri Tridentini Concilij fabricæ eccleſiæ aut alteri pio loco arbitrio epiſcopi applicetur.

Si autem in eodem delicto perſeuerans, ſecunda monitioni non paruerit; omnibus ſuorum beneficiorum fructibus priuatus, prædictis locis ſimiliter applicandis, ab ipſorum etiam adminiſtratione eiuſdem epiſcopi arbitrio ſuſpendatur: & diſtributiones quoque quotidianas, quas alioquin intereſſendo diuinis perciperet, amittat.

Et ſi ita ſuſpenſus nihilo magis reſipuerit; in eum epiſcopus pro contumaciæ pertinacis ratione culpæve grauitate, ſententiam priuationis omnium beneficiorum proferat, & indignus atque inhabilis ad quæcunque beneficia & officia declaretur: & præter prædictas pœnas, excommunicatione, & alijs ad præſcriptum eiuſdem Concilij, & pro ipſius epiſcopi arbitrio plectatur.

Liberum autem erit epiſcopo, monitiones has facere, tum in viſitatione, tum alijs etiam temporibus; inter vnam & aliam monitionem tempus quod ſibi videbitur interponendo; procedatque ex denunciatione, vel ex inquiſitione, vel ex officio, vel alio quouis modo: & prædictam executionem nulla exemptio aut appellatio, ſiue ante, ſiue poſt definitiuam ſententiam vllo caſu ſuſpendat.

Hæc eadem, quæ de concubinatu, vel alijs impudicitiæ ſordibus Clericorum ſtatuta ſunt, ſeruanda erunt etiam ſi quis Clericus modo cum vna modo cum alia impudica muliere deliquiſſe comprehendatur.

QVONIAM Clerici in fornicationem prolapſi, quorum peccatum eiuſmodi notorium eſt per ſententiam ſeu per confeſſionem factam in iure, aut per euidentiam rei quæ tergiuerſatione aliqua cælari non poſſit: aliquando tamen ante, & ſæpenumero poſt pœnitentiam actam, ordinis quo initiati ſunt proprium munus ſine diſpenſatione obeunt: quippe cum fortaſſe non animaduertant, neque Dei offenſionem, neque Canonicum impedimentum quo ob tale crimen ſeſe deuinciunt: idcirco Clerum cùm ſæpiſſime omnique ſtudio periculi huius epiſcopi commonefaciant; tum hoc etiam diligenter curent, vt ij ipſi Clerici vſque adeo manifeſta concubinatus fornicationiſve labe contaminati, pœnitentiam verò peragant; & ordinis ſui muneris à quo ſuſpenſi ſunt, fungendi facultatem diſpenſationemve ante obtineant, quam illud ipſi obeant: alioqui meminerint ij, qui in male agendi conſuetudine perſeuerantes, antequã pœnitentiã præſtiterint, & cuiuſcunq; vel peccati, vel offenſionis publicę occaſionem præciderint, ordinis ſui functionem miniſteriumve epiſcopo inuito executi ſint, ſe præterea irregularitatis maculam, quæ à ſolo ſummo Pontifice deleri poteſt, ſuſcipere.

Si verò præſtita etiam pœnitentia, & peccati offenſioniſque publicæ remota præciſaque occaſione idipſum egerint, nulla ſaltem impetrata ab epiſcopo diſpenſatione, qui eam concedere poteſt: norint ſe peccato mortale illigare.

Quæ ad Miſſam pertinent.

CVRET Epiſcopus, vt in vnoquoque altari, in quo Miſſa celebranda eſt crux adſit.

VT quæ pia legata ad remedium animæ à fidelibus relicta ſunt eo nomine, vt Miſſæ pro ſe de defunctis celebrentur, executionem pro vt pia eorum voluntas depoſcit, recte habeant, id Epiſcopus quam diligentiſſime curet.

Quibus autem in eccleſijs ob multa variaque defunctorum legata Miſſas vſque adeo multas celebrari oportet, ratione ſingulorum dierum, quos teſtamento aliave vltima voluntate teſtatores præſcripſerint, muneri, quod eorum pijs voluntatibus debetur, ſatis[illegible] non poſſit; aut eleemoſina eo nomine adeo tenuis eſt, vt non facile inueniatur, qui velit huic ſe muneri ſubijcere: idem Epiſcopus in ſynodo Diœceſana re accurate cognitate & perſpecta, ſtatuat quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque eccleſiarum vtilitatem viderit expedire; ita tamen, vt in ſingulis Miſſis quas iure reductionis celebrari continget, eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ad pios vſus reliquerunt. debitæ autem commemorationi ſatisfiet per intentionem applicationis Miſſarum, per preces in ſecundo MEMENTO, & per collectas faciendas in illis Miſſis, in quibus Collectæ fieri poſſunt.

Cæterum intelligendum eſt, fructuoſiores eſſe, magiſque prodeſſe preces & orationes ab eccleſia ꝓ defunctis inſtitutas cum applicatione ſacrificij, quam applicationem ſolam; licet recompenſari poſſit per maiorem deuotionem, vel eius qui dicit Miſſam, vel eius qui facit dici, vel per interceſſionem ſancti cuius ſuffragium in Miſſa imploratur.

Epiſcopus de Capellarum oneribus; deque Miſſarum numero fundationis iure aliove nomine illis adiuncto, ne Concilij Tridentini (quod piarum voluntatum relictis legatis ſolum proſpexit) auctoritate quidquam ſtatuat; ſed eo de genere, quod iure cautum eſt, id plane ſeruet atque decernat.

CLERICVS qui in Miſſæ ſacrificio miniſtrat, dum eã functionem obit, ne preces horarias, neve aliud quidquam de libro aliove officio recitet; ſed toto intimæ pietatis ſtudio ad miniſterium attentus ſit, quod tunc pie religioſeque exequi debet.

Quæ ad diuina officia pertinent.

QVo die ſanctiſſimus Pontifex conſecrationis coronationiſve inſignia accepit, pietatis ratio poſtulat in eo precationem à Clero pro illo pie adhiberi.

Quamobrem omnis ſacerdos, quo die ſummus Pontifex conſecratus coronatuſve eſt, in Miſſæ ſacrificio ſtata illa oratione, DEVS omnium fidelium loco ſuo in Miſſali adſcripta, pro eo precetur. atque ob eam quidem cauſam conſecratio pontificia, cum in Calendario anniuerſario die ſuo notetur, tum etiam de more denuncietur; vt reliquus etiam Clerus & populus item excitetur ad preces pro illo pie adhibendas.

SVMMO pontifici vniuerſalis eccleſiæ paſtori & parenti, ſi quando illum ægrotare contigerit, id charitatis officiũ, prout morbi grauitas tulerit, epiſcopus præſtari curet; vbi ob eam cauſam in Cathedrali, collegiata, parochialique vnaquaque eccleſia, Clerus populuſq; certa ſtata hora pro ipſo pontifice oret.

Si quando autem is ex hac vita migrarit, nuncio certo mortis allato id curet; vt cum in omni eccleſia campanarum ſono, vt pro mortuis ſit, de more pulſetur; tum in baſilica cathedrali eccleſijſque collegiatis, Miſſa ſolemnis & officium pro eo mortuo rite pieque celebretur.

Sacerdotes verò ſinguli pro eo defuncto Miſſam celebrent, aut ſaltem in eã precentur ſtata oratione.

Pro epiſcopo, qui Pater, magiſter, duxque Cleri & populi eſt, ſi quando ex febri aliove morbo laborans decumbit, omnis debitæ pietatis ratio depoſcit, ſupplicationem orationemve, & publicè & priuatim ſanctè celebrari.

Quamobrem cum occaſio tulerit, eius Vicarij officium erit certis diebus illam inſtituere atque indicere: ita vt cum in vrbis, tum etiam ſi ægritudo diuturnior erit, in Diœceſis omni eccleſia tam collegiata quam parochiali, pro epiſcopo ægrotante à Clero populoque prece religioſa oretur, & ab vnoquoque ſacerdote in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ſtata etiam oratio frequenter fiat.

Epiſcopus diuinorum officiorum quibus præſens in eccleſia adeſt, initium ſtatis precibus verſibuſve faciat, orationeſque ſtatas ipſe dicat, binis accenſis luminibus in eius conſpectum allatis.

Solemnes Miſſæ, veſperæ, aliaq; diuina officia, quæ ab e-ſcopo ritu pontificali ſolemniter celebrabuntur, quo po-lus frequentior côueniat, cum in baſilica cathedrali, tû in clesijs collegiatis & parochialibus item ciuitatis die feſto oxime præceden[illegible] denuncientur: eamque ob cauſam in alendarium anniuerſarium referâtur, vt ordine deſcriptę nt in Concilio prouinciali quarto.

Si quæ autem Miſſæ aliave officia, ob cauſam quę extra dinem inciderit, aliquando pontificali ritu ſolemniq; ce-branda erunt, epiſcopi iuſſu ijs in tempore ſignificentur, à ibus populo denuncianda ſunt.

Libri qui certis antiphonarum modulationibus olim no-ti, ex Breuiarij nuper editi præſcripto nondum emendati nt, in ſua quiſque diœceſi epiſcopus curet, vt quamprimû accurate emendentur, atque accommodentur ad Breuia-j noui editionem.

Feria V. cœnæ Dñi, quo religioſus colatur & cuſtodiatur cus, in quo ſanctiſ. Christi Dñi corpus recôdi ſolemni eſt: iſcop^9 diligêter curet, vt & in baſilica Cathedrali, & in ec-eſijs tam collegiatis quam parochialibus ſemper vnus ſaltê cerdos, aut ſacris initiatus, eo ſacro loco tanquâ in ſtatione llocatus excubet, atque euigilet in aſſidua pꝛecatione ſan-aque meditatione.

Quæ ad funera pertinent.

PArochus, illius qui proxime pręceſſit parochi, anniuer-ſaria ſtato die quo ille obijt, celebratiôe Miſſæ parochia-lis agat, ſin autem pro feſti ſolemniſq; diei ratione tunc gi non licet: alio die proxime antecedente, quo licebit, pro llius animæ ſalute pie religioſeque exequatur.

Clericus mortuus veſtitu Clericali eccleſiaſtico, quem rdinis ſui ratio depoſcit indutus efferatur: diaconali eccle-ſiaſticaque veſte diaconus: ſacerdotali ſacerdos, Clericus ſu-per pelliceo tonſuraque ornatus: itidemque alij pro ordinis eccleſiaſtici gradu.

Mortuum quouis etiam generis gradus dignitatiſve no-mine illuſtrem laicum eccleſiaſtici homines ne efferant: ne item inferioris ordinis Clericum, qui in ſuperiori ordine conſtituti ſunt.

At vero Subdiaconum ſubdiaconi, Diaconû diaconi, & ſic ordine cæteri: niſi neceſſitas aliquâdo ſuadeat, digniores ab inferioris ordinis hominibus efferri.

Epiſcopum vero mortuum, ij qui in eccleſia Cathedrali dignitates obtinent, & Canonici ſacerdotes, & ij digniores efferant.

Laicum autem laicalis ordinis homines: quod officium etiam qui laici piæ alicui confratriæ adſcripti ſunt, præſtare poterunt.

Lumina, cerei, funalia, intortiatave ni funere ne reſtinguâ-tur, niſi ſacro officio & ſepulturæ rite abſoluto atq; expleto.

Miſſa, cum mortui corpus ſepelitur, quando cômode fie-ri poteſt, pro eo pie celebretur: id quod & Canonum iure, & ſacrorum rituum libris cautum eſt.

Ne laici, & iam confratres, aut alij ſocietati adſcripti, ſed eccleſiaſtici homines, mortuo cuius funus agitur totum of-ficium ſepulturæ præſtent: ita vt quæ preces quive ſepelien-di ritus ei ex eccleſiæ inſtituto conſuetudineve adhibentur eorum & omnium officium non ipſi laici ſed ſacerdotes & Clerici eo nomine vocati perfecte expleant, quoad illius corpus humatum ſepultumve eſt.

Ne die Dominico & feſto is qui eccleſię præcepto côſue-tudine votove colatur, anniuerſaria agantur: quæ ſi certo a-liquo feſto is qui deceſſit pro ſe agi præſcripſerit, alio proxi-mè præcedenti die, cum pro officij ratione licet, celebrêtur.

Si quando autem die Dominico feſtove mortuum effer-ri in ſepulturamque tradi contigerit; pro eo Miſſam conuen-tualem ad præſcriptum Romani ritualis celebrari licebit.

In omni eccleſia Cathedrali & parochiali ſingulis Do-minicis anniuerſaria quæ in hebdomadâ proxime ſequentê in ea eccleſia celebranda erunt, fidelibus denuncientur.

Idem de ſeptimo, & trigeſimo, & alio eiuſmodi officio præſtetur. Qua in denunciatione parochus cohortatione il-los excitet ad orâdum pro mortuis, propoſita etiam huma-næ vitæ conditione.

Pro fidelibus defunctis religioſas Deo preces orationê-que adhibere, officium eſt ſalubre illud quidem, ſanctum, Chriſtianæque pietatis ſtudio plane dignum.

Quam ob cauſam ſummus Pont. Gregorius XIII. Romæ inſtituit prima hora noctis pro illis in ſingulos dies pie ora-ri. Cuius exemplo nobis ad imitationê propoſito maximo-pere excitati, cum iam pridem proximis annis orationê ve-ſpertinam quam communem dicimus, pro viuis decreueri-mus, hanc alteram pro mortuis iam nunc conſtituimus.

Itaque vnuſquiſque Prouinciæ epiſcopus, pro ſalutis ani-marum zelo quo præcipue incenſus eſſe debet, in eam curâ incumbat, vt vbique locorum in ſua diœceſi religioſè cele-bretur omniq; ardêtiſſimo charitatis & precationis ſpiritu.

Illius horam pro ratione temporis vel brumalis vel æſti-ui, proq; prudêtia ſua, ſub primâ noctis vigiliam ita ſtatuat, vt iam decreta oratio veſpertina nullo modo impediatur.

Præfiniat in vrbe baſilicam Cathedralem, & certas alias eccleſias, in quibus ſtata hora, ſtatoque campanæ ſigno ſigni-ficatio huius orationis precationiſve fiat.

Vnuſquiſq; autem fidelis, vbi vbi ſit vel domi vel foris, ad memoriam mortis excitatus, primum pauliſper tacitus in mortis ſuæ quam breui fortaſſe obibit meditatione ver-ſatus, tum ſe accêdat ad orationem pro mortuis, quam pſal-mo, *De profundis*, aut precatione Dominica & ſalutatione Angelica ſępius repetita, intimo religioſi cordis affectu per-orabit: vt defunctorû animæ è purgatorij ſupplicijs ereptæ, Dei miſericordia ad ſempiterna cæleſtis vitæ præmia per-ducantur.

Parochi præterea, quo magis atq; magis huius pietatis ſtu-dium exardeſcat, ſæpe accurata cohortatione ad illius ſtu-dium vſumq; perpetuum parochiales ſuos inflammare ſtu-deant: & quo magis eoſdem alliciant, indulgentiam propo-nant ijs conceſſam, qui ſono campanæ moniti atq; excitati ad orationem pro mortuis, pie recitauerint pſalmû, *De pro-fundis*, aut orationem Dominicam ſalutationemq; Angeli-cam ter dixerint; cuius indulgentiæ pôtificias literas, vt pa-rochi aliquando de ſcripto euulgent, in fine huius Concilij loco ſuo impreſſas extare voluimus.

Delatum ad nos eſt, nonnullas ex eo offenſiones oriri, quod corpora mortuorum, eorumque præſertim qui repê-tina morte deceſſerunt, in ſepulturâ nimis præpropere, atq; adeo celerius quam par eſt, tradantur.

Quibus offenſionibus vt opportune occurratur, decer-nimus ne in poſterû corpus aliquod ſepeliatur, niſi duode-cim ſaltem horis poſtquam Spiritum exhalauit.

Verum ſi quem de improuiſo mors aut morbi alicuius repentina vis occupauit, is ne in ſepulchrum inferatur ante vigeſimam quartam huiuſmodi repentini euentus horam: niſi ſecus epiſcopo eive videbitur cui ipſæ [illegible] curæ dederit.

Quæ ad Proceſſiones pertinent.

STati dies proceſſionum quæ pro gratiarû actione fient, vt antiquis rituum monumêtis traditum eſt: hi ſint Do-minicus ſcilicet dies, vel feria V. Si verò pro calamitati-bus, peſt[illegible], bello, fame, alijſq; id generis ſupplicandû eſt; pro-ceſſiones publicæ agâtur feria quarta, ſexta, & Sabbato: qui-bus proceſſionibus agendis etiam certas eccleſias, pro eccle-ſiæ ſuæ côſuetudine, ac pro populi commiſci pietate epiſco-pus ſtatuet libero arbitratu ſuo.

Supplicationibus publicis obeundis, fideles ſuæ quiq; ec-cleſiæ parochialis vexillo pręlato, vt frequentes ordine pro-cedant, eos parochus ſæpenumero, prout occaſio tulerit, ac-curate moneat; valdeq; accendat dono munereq; indulgen-tiæ: quam ſummus Pont. Gregorius XIII. pro ſua paterna charitate prouinciæ Mediolan. conceſſit: cuius indulgentiæ Pontificias literas in fine huius Concilij ſexti impreſſas, ob eam cauſam frequenter parochialibus ſuis euulget.

Quo frequentiores item in concione ſacra, in Miſſa ma-iori, Veſperis & Completorio præſentes adſint, ijſdem In-dulgentiæ literis illos crebro cohortetur & moneat.

Quæ ad cultum eccleſiarum pertinent.

SAcrarum rerû munditia diuinorû officiorû religioni de-bita, eccleſiaſticis ſanctionibus, cû pręcepta ſit, tû decretis prouincialibus generatim vniuerſæque renouata eſt, vt certis regulis editis ſpeciatim diligentius præſcripta, pro curæ cômiſſæ officio ab ijs quorum intereſt in omni eccleſia

ſeruetur

ſeruetur, metropolitani cura auctoritateq; eo de genere omni inſtructio diligenter ordine contexatur, atq; ad vſum ꝓuinciæ edatur; quo magis rerũ diuinarũ cultus, ſuppellectiliſq; eccleſiaſticę nitor, vndiq; decore & religioſè colluceat.

Si quæ delicta in eccleſia cõmittuntur, parochi, intra cuius parochiæ limites ſita eſt eccleſia. (etiam ſi illa regularis ſit & exempta) vbi delictum patratum officium ſit, quam primum epiſcopo vicariove literis ſaltem ſignificare. Idem de eo parocho, capellano, rectoreve decernitur, in cuius eccleſia crimen commiſſum eſt.

QVOD de velo mulierum non ſine multiplici myſterio, & voce Apoſtolica inſtitutum, & pontificio canone corroboratum, & ſanctiſs. fœminarum exemplis vſitatum, ac diuturno vſu retentum, nos Concilio tertio Prouinciali commonendum, & ab prouinciæ epiſcopis omni ratione curandum ſtatuimus; quo diligentius in poſterum præſtetur, hoc præterea decernimus. Mulieres cuiuſuis ordinis, ſtatus, & cõditionis ſint, pœna interdicti ab ingreſſu eccleſiæ ſancita, velato in eccleſia capite ſint.

Quæ vero non paruerint, poſtquàm ter, aut ſemel (quæ vnica monitio pro tribus ſatis ſit) etiã generatim monitæ, in contumacia perſtiterint, ab epiſcopo, prout expedire iudicauerit, puniantur. IN Baptiſterij ſacello nullum ſepulchrum ſepulturam ve extrui liceat.

Si quod autem baptiſterium extra ſacellum ædificatur, permittiturve; ne ſepulchrum proxime fiat: ſed tam longe, vt ab illius ſepimento ſepulcrale os diſtet ſpatio cubitorum ſaltem trium, ac præterea concauitas ſepulturæ ne ſepimentum attingat. *De bonis & iuribus eccleſiaſticis.*

QVIBVS iudicibus auctoritate Conc. Trid. & ſynodi prouincialis primæ facultas data eſt, qua rerũ eccleſiaſticarũ locationes ad longũ tempus factas reſcindant nullaſq; decernant; perpetuas et locationes cognoſcere, itidemq; reſcindere, ac irritas facere ad eiuſdẽ Conc. Trid. preſcriptum, ij ipſi & poſſint, & debeant.

Quamquã de pijs legatis, decimis, primitijſq; decreta per multa cõtra debitores ſynodis prouincialibus promulgata ſunt: nihilominus iſtorum calliditatibus, rurſuſq; eorũ quibus debẽtur cõmodo nõ adhuc ſatis conſultũ ac prouiſũ eſt.

Quamobrẽ epiſcopus, vel ipſe per ſe, vel per vicarios viſitatoreſve ſuos, et in viſitationis munere de pijs legatis accurate diligenterq; inquirat; accerſitiſq; et ad ſe ſi videbitur, hæredibus, alijſve qui ea exequi præſtareve debent, de illis ipſis decernat: certumq; præterea tempus quo illi præſtent omnino conſtituat. Atq; eorũ quidem omniũ & ſingulorũ qui illa præſtare debent, nomina edi, in tabellamq; certam referri iubeat; quæ in vniuſcuiuſque eccleſiæ parochialis ſacriſtia loco conſpicuo affixa propoſitave ſit.

Si quis vero eorũ qui in eã tabellam relatus eſt, ad conſtitutum tempus legata quæ debet præſtare neglexerit prætermiſeritve, arbitrio epiſcopi puniatur, niſi re ipſa quamprimum legata quæ debet, perſoluat.

Id quoque ipſum de illis qui decimas & primitias debẽt, hoc decreto plane conſtituimus & ſancimus.

De epiſcopo, Epiſcopali iuriſdictione, & foro.

PRO ea qua epiſcopus abũdare debet præſtãti cura, proq; illa perfectionis epiſcopalis ratione, ad quã omnes eius rationes referuntur; nihil vel minimum ei pretermittẽdum eſt, quo minus quod multiplex graueq; gerit, nõ modo ſuſtinere, ſed explere ſalutariter poſſit, aliorum etiã ſubſidijs ad officij ſui executionem comparatis.

Quamobrem ſibi duos ſacerdotes pietati zelo flagrantes, ſpiritualiq; vſu peritos ac prudentes, pro conſcientiæ ſuæ religione ſecreto in ciuitate delegat: quorum ſacerdotum officiũ in primis ſit, epiſcopum aſſidue omni charitate, & humilitate, omniq; debitæ obſeruantiæ officio priuatim ſincere admonere, quidquid in eo vel deſiderari vel opus eſſe viderint, cum ad omnis diſciplinæ, tum vero ad ſacri Trid. noſtrorumq; prouincialium Cõciliorum perfectã atq; abſolutam executionem, ob eam etiam cauſam aliquẽ Prouinciæ epiſcopum item deligat, qui cum aliquando per literas paſtoralis adminiſtrationis ſuæ rationes, conſilia, omnemq; eccleſiæ ſibi commiſſę bene gerendæ modũ familiariter cõmunicet; ita vt hoc ſubſidio ſibi in omni deliberatione atq; actione opem atq; adiumentum paret.

Vicini quoque epiſcopi ad muneris ſui functiones re[...] progredientis exemplis ſe in dies ad id excitet; vt vno eod[...] que ſpiritu, pariq; diligentia, immo verò ſancta quadam p[...] ſtoraliq; pię æmulationis contentione, ipſe curæ ſuæ parte[...] exequatur; cum hæc accenſi ſtudij coniunctio, ad conſtitu[...] dam, perpetuoq; communiẽdam omnem diſciplinam pe[...] multum interſit, ſin autem fratrem epiſcopum cuius Dio[...] ceſis finitima eſt, aliquid vel in officij paſtoralis partib⁹, ve[...] in Tridentinis Prouincialibuſve decretis exequendis, vel i[...] alijs officijs paſtoralibus aliquid prætermittere animad[...] uerterit; cum eo fraterne agat, vt omni vigilan[...] tia decretorum, muneriſq; epiſcopalis executionẽ præſter[...] quæ eorum vtriq; præſcripta eſt. Si quando aũt ad epiſcopi[...] prouinciæ diuertet, cum eoq; cõgredietur, illud ſibi magn[...] præcipuumq; negotium propoſitũ ſit; vt cum eo eccleſiæ ſuę adminiſtrãdæ rationes cõferat, conſultationeſq; ineat; id q[...] ſanctiſſimos epiſcopos feciſſe memoriæ proditum eſt.

Nec verò has rationes ſolum ineat, ſed etiam longe diligentiores, quo accuratius commiſſa officia exequatur.

VT aũt familiam ſuam in bene viuendi regulis atq; officijs perpetuo contineat; deligat aliquem ex ſuis virum prudentem, ſpiritualiſq; vitę ſtudioſum: cui id plane mandet, vt quæ in moribus familiæ emendationẽ aliquando deſiderãt, ea quamprimum ſibi referat animo ſimplici ac puro; vt ipſe prout opportunum eſſe viderit, remedium adhibere poſſit.

At præterea quo diligentius familiæ ſuæ inſtitutioni cõſulat; cum fraternam etiam correctionem in ea inſtituendã curet; tum verò frequentes ſpiritualium rerum collationes, & alias exercitationes, diſciplinæ etiam regulas ex Cõciliorum prouincialium decretis præſcribat.

Quas regulas in tabella ordine deſcriptas, ipſi familiæ in conſpectu propoſitas certo loco affigi iubeat.

Cum verò aliquem in ea adſcribet, illas eidem proponat, anteaquam in familia illum adſcribat.

Quod epiſcopus ſancte iuratus in ſua conſecratione promiſit, ſe ſingulis annis viſitare limina ss. Apoſt. Petri & Pauli, cum longe ab vrbe Roma abſit, nec propterea id, perſonalis reſidentiæ munere adſtrictus quotannis facile preſtare poſſit, certũ ſaltem nuncium ex iuriſiurandi præſcripto ad vrbem Romam mittat, qui id obedientiæ officium nomine ſuo præſtet. Is vero quem miſerit cõſtitueritve, recte inſtructus ſit cognitione rerum ad eccleſiæ ſuæ ſtatum pertinentium: vt & Cleri ſui diſciplinã, & populi in via Domini progreſſionẽ, & omnis eccleſiæ diœceſiſq; ſuę rationes Põtifici, aut ijs quibus ille mandarit, quam rectiſſimè exponat.

Metropolitanum, ſi quando febri morbove periculoſè laborauerit, Decanus epiſcopus prouinciæ, alijq; epiſcopi duo prouinciales qui propius abſunt. de illius inualetudinis periculo à vicario illius certiores facti, nulla mora interpoſita inuiſant, fraterna charitate conſolentur, ſalutaribuſq; conſilijs opportune iuuent. Si verò illum obire cõtigerit, eius funus exequiaſq; itidem ſolemni ceremonia rite concelebrẽt, ijs omnib⁹ pie recteq; ſeruatis, q̃ hoc de genere cõſtituta sũt; eoq; accuratiꝰ quo præſtantior eſt archiepiſcopalis dignitas.

Si quãdo ex febri alio ve morbo epiſcopus laborat, ægrotationis initio, ac deinceps aliqãdo prout expedire cẽſuerit, cathedralis eccleſiæ ſuæ capitulũ, cũ quo de ſpiritualis ſãctęque vitæ officijs ac ſtudijs colloquia ſalutaria ineat, ad ſe cõuocet. Quod verò à ſanctiſſimis epiſcopis huius prouinciæ, præſertim Ambroſio, Euſebio Vercell. Gaudentio Nouariẽ. alijſq; factũ eſſe memoriæ proditum eſt, id propoſito etiam ad imitationem illorum exemplo epiſcopus exequatur; vt cum periculoſè ęgrotãs propediem mortem obibit, Cathedralis eccleſiæ Capitulũ clerumq; apte conuocet: cui cũ pacem, charitatem, ſanctarumq; virtutum diſciplinã ſuadeat, eamq; quaſi hæreditariã quandã diſciplinam relinquat; tum & vniuerſæ & ſigillatim religioſis eorum precibus ſanctis ſacrificijs ſeſeque intimè commendet.

Epiſcopus cũ ægrotans in lecto iacet, frequentiſſime tñ ſacrę Euchariſtię pabulo ſe ſalutariter reficiat, ac recreet: cui (ſaltem cũ primum. & cũ pro viatico illã ſumet, & ſemper deniq;, niſi cum ipſe ſecus iuſſerit) vniuerſo clero & capitulo Cathedralis eccleſiæ proſequente, Archipresbyter, aliuſve deferat & miniſtret, qui ſecundum epiſcopum primariam dignitatem ſacerdotalem obtinet.

Si quando epiſcopus ad actionem ſolemnem, quæ in alia rouinciæ ciuitate locove celebratur, accedit; itidem excipiatur, vt cum excipi decretum eſt, cum ad Concilium pronciale venit; ac præterea obuiam ei procedat epiſcopus ad ius ciuitatem venit.

Episcopus, ad quem vniuerſi Cleri ſui cura etiam paterna refertur, zelo charitatis accenſus, ſi quem eccleſiaſticũ ominem etiam minoris ordinis intra alicuius parochialis iciniæ fines ægrotantem audierit; ipſe, aut alius eius nomine inuiſat, & conſoletur paternis & conſilijs & officijs. quæ illi præſtare debet; certo multo accuratius, atq; adeo ardẽori dilectione exequatur erga eos, quos habet baſilicæ ſuæ Cathedralis miniſtros, & parochos in animarũ ſalute procuranda adiutores.

Quo verò cumulatius id prçſtet, pro ſollicitudinis paternæ zelo id etiam curę ſuſcipiat; vt cum in ſtatis vrbis regionibus, tum in diœceſis partib9 diſtinctis, præter parochũ vel proprium vel propinquiorem, de quo in altero Cõcilio lias cautum eſt, certos etiam Sacerdotes charitate flagrãtes vitæque ſpiritualis moribus & vſu præditos decernat; quorum munus ſit, ægrotantibus Clericis, cuiuſcunque ordinis int, præſertim ope deſtitutis, præcipuam operam, ſollicitudiné, & curam nauare, ſi qua opus eſſe viderint; cũ in primis, ad pie ſanctæque iuuandam animæ ſalutem, tum ad corporis bene curandi rationem.

Episcopvs qui totus in Chriſto viſceribus egentium curam gerere debet; cũ cæteras rationes ineat, quibus in difficultate annonæ populi ſibi commiſſi egeſtas ſubleuetur; tũ vero quam diligentiſſime caueat, vt in rei frumentariæ inopia, eccleſiaſtici homines frumentũ aliudve alimẽti genus q ad ſubleuandã annonã ꝑtineat, ne ſupprimãt abſcondantve.

Ac præterea eos omnes & ſingulos pœnis propoſitis, omnique iuris remedio cogat, quidquid frumenti habent, ſiue proprium ſiue alienum, in priuatis aut eccleſiaſticis ædibus reconditum, apud eccleſiaſticum hominem (quem ſi ita expedire cenſuerit, eo nomine ipſe conſtituat) ſine dolo & fraude ſcripto profiteri; eidemque frumẽti illius omnis numerum & conditionem recte ſincereque denunciare.

Et verò ſi quando annonæ grauitas difficultaſque ita tulerit, id omne frumentum venditionĩ exponi iubeat; ac vendi, quo pretio illius annonæ temporibus in foro frumentario vendi ſolet.

Saepenvmero accidit, de ſeruitute aquæ, per alienos agros deducendæ, de oryzis intra certos fines non ſerendis, atque de alijs eius generis rebus & cauſis, cõtrouerſias liteſque inter homines eccleſiaſticos & laicos excitari.

Quamobrẽ epiſcopus, cuius etiã præter cætera munus eſt, litium occaſiones præcidere, & in commune etiam vtilitatibus publicis conſulere; quæ ad eccleſiaſtici ordinis homines ꝑtinere ex canonũ ſanctionib9 cognouerit, ea edicto ẽt epiſcopali, ſi ita expedire cẽſuerit, ęquo iure ſtatuat ac decernat.

Videat tamen antea diligenter, ſi qua in cauſa ſedes Apoſtolica conſulenda ſit: neq; vero tunc in eo inconſulta quidquam agat deliberetve.

Quæ ad viſitationem pertinent.

Singvlis annis epiſcopus ad præſcriptũ Concilij Trid. eas capellas viſitet, quæ hiſce etiam conditionibus erectę inſtitutæve ſunt, vt ordinarius aliuſve ſuperior Eccleſiaſticus non poſſit, ne viſitationis quidem correctioniſve cauſa, aut alia quauis ratione id ſibi vindicare; vſque adeo vt ſi contra attentatum erit, nulla irritaque ſit & erectio & eiuſmodi voluntas teſtatoris.

Si verè Capellarum erectio fundatiove, ac teſtatoris võluntas hiſce conditionibus præſcripta, ſedis Apoſtolicæ auctoritate comprobata erit; tunc ordinarius earum Capellarum adminiſtrationis, viſitationis correctioniſve ius nullo modo ſibi ſumat: niſi fortaſſe, quibus teſtator illarum adminiſtrationem curationemve reliquirit aut commiſerit eos negligentes eſſe cognouerit eccleſias præterea equitum ordinis ieroſolomytani is itidem viſitet, vt ſummi pontificis Pij V. conſtitutio præſcribit.

De Concilio Prouinciali.

Concilii prouincialis celebritati atque actionibus, vt eius diligentiorem vſum normamque in dies teneremus, certas quaſdam rationes in ſynodo prouinciali quarta conſtituimus: quibus ſane rationibus operæprecium cenſuimus hæc adiungere, quo magis ſplendeſcãt illæ actiones, indeque fructus ſalutares exiſtant.

Aliqvot ante ſynodi prouincialis celebritatem diebus, literæ paſtorales eo de genere à Metropolitana editæ, cum in omni Prouinciæ ciuitate, tum in vnicuiuſque Diœceſis locis vbi promulgationem fieri moris eſt, epiſcopo curãte recte promulgentur: quo ſtudioſius fideles excitentur ad precandi ſtudium, pietatiſque opera, quibus implorata diuina ope, actiones Concillares adiuuentur.

Atque ijs quidem literis, ſi quid epiſcopus pro diœceſis ſuæ rationibus atque vſu addendum cenſuerit, addat licet.

Qvod antiquæ diſciplinæ fuit, vt epiſcopus iter faciens duos ſaltem eccleſiaſticos homines, vnum ſubdiaconum, alterum diaconum in comitatu haberet: id pro ſanctæ ſollicitudinis ſuæ zelo ipſe ad vſum reuocare curet, cũ præſertim ad Concilium venit.

Episcopo ad Concilium venienti, Metropolitanę eccleſiæ vicarius generalis, & alij prçlati, eccleſiaſtiq; viri, quos Archiepiſcopus delegerit, duo aut tria millia paſſuum obuiam prodeant.

Vrbem locumve vbi Conciliũ celebratur mula is vectus, & inſigne dignitatis epiſcopalis viatorium indutus, decore ingrediatur: cum ingreditur, ſancta charitate, rogatu & conceſſu Metropolitani quodammodo impulſus, in via populo benedicere non recuſet.

Primo vrbem locumve Concilij ingreſſus ad Baſilicam Metropolitanam primariamve accedat: vbi pauliſper Deũ ſanctè precetur.

Ad Baſilicæ valuas ei obuiam veniant, & qui dignitates obtinent, & Canonici, & Clerici quicunque illius Baſilicæ.

Quod ſi fortaſſe tunc diuinis officijs in choro occupati ſunt: duo tamen quatuorve, qui ex ordine ſacerdotũ & diaconorum digniores ſunt, à Choro mittantur; qui epiſcopũ ingredientem excipiant, & ad altare maius deducant. Dum atrium limenve eccleſiæ ille ingreditur, eius aduentus & ingreſſus ſolemni campanarum ſono, & niſi diuina celebrantur, organo etiam piaque cantus modulatione excipiatur.

Inde à Baſilica ad Metropolitanum ipſe veniat; qui obuiã procedens, fratrem epiſcopum omni charitate & oſculo pacis benigne excipiat.

Quod Cõcilio prouinciali IV. de Miſſa & oratione Spiritus ſancti decretum eſt, id in poſterũ ita ſeruetur; vt à Dominica tertia ante conſtitutam Concilij diem, vſque ad [illegible] tempus quo illius initiũ fiet, ſingulis diebus collecta de ſpiritu ſancto in Miſſæ ſacrificio dicatur.

Miſſa autem de eodem feria V. celebretur, & ſupplicatiões item fiant ſtatim diebus ad prçſcriptũ illius Concilij IV. Vbi autem Concilij initium factũ erit, in omni eccleſia prouinciæ Cathedrali & collegiata, ſtata ſolemniſque Miſſa quę pro Concilio dicitur, quinta quaque feria celebretur; alijs autem ferijs collecta pro Concilio à ſingulis ſacerdotibus in Miſſa pie recitetur. Cum verò Concilij prouincialis dies inſtat, oratio ſine intermiſſione, q̃ à Clero, & à Regularib9, & à Monialib9 religioſè ob eã cauſam fiat in ciuitate inſtituatur.

Idem in tota diœceſi præſtetur: ita vt inſtituta quadam parochiarũ regionumve viciſſitudine, in primaria eccleſia Clerus populuſque Concilij cauſa Deum pie oret.

Hæc ipſa omnia & ſingula de oratione vt præſtentur, in ſua quiſque ciuitate & diœceſi Epiſcopus curet.

Vbi primum operante Domino Concilij Prouincialis initium decreto ob eam cauſam promulgato rite factum erit, tunc hymnus, *Te Deum*, à Choro cantoribuſve piè concinatur. Vbi præterea in aliqua ſeſſione cõſtitutiones decretave noua de more promulgata erunt, epiſcoporumq; aſſenſu à Metropolitano comprobata; tum Chorus concinat etiã hymnum, *Te Deum, &c.*

Singulis feſtis diebus dum Concilium prouinciale habetur, ſolemni ritu ab aliquo epiſcopo Miſſa celebretur; cui reliqui epiſcopi ordine conſidentes interſint; & concio præterea ſynodalibus actionibus accõmodata, ab eodem aliovẽ epiſcopo habeatur.

Feſto itẽ die dũ conciliũ habetur epiſcopi frequentes ad Veſperarũ diuinũ officiũ cõueniãt, ſacręq; tractationi interſint quam Metropolitanus vel alius epiſcopus habuerit.

Quo

Quo tempore Concilium Prouinciale celebratur, Clerus populuſque Mediolanēſis quo frequentiori pietatis ſtudio prouinciales actiones adiuuet, ſeptem ſtationales eccleſias inſtar Baſilicarum vrbis Romæ à Pontifice Gregorio XIII. indulgentiarum dono ornatas, ex certa parochiarum viciſſitudine quam Archiepiſcopus præſcripſerit, ſupplicationibus obeat.

Dum item Concilium habetur, in hebdomada quotidie, aut ſaltem tribus ferijs ſacræ conciones in eccleſia Metropolitana primariave habeantur, quibus explicetur in primis omnis diſciplinæ Chriſtianæ ratio.

Singulis Concilij diebus Clerus ciuitatis in Capella ædium Archiepiſcopalium clericales aliquas ſtudiorum exercitationes ineat ad præſcriptum Archiepiſcopi.

De eccleſiaſtica diſciplina certis partibus diſtincta ordineque diſpoſita, orationes latinas & frequentes eccleſiaſtici homines habeant, quibus ille iuſſerit.

Diſputationum etiam de Clericalibus diſciplinis ſtudijſque curſum pœne aſſiduum eo tempore teneat; aliaſque eius generis exercitationes habeat ex præſcriptis rationibus.

Triduo præterea, ſtatis ſcilicet illis ferijs congregationis publicæ, in eadem Capella, explicatio diſciplinæ Clericalis, quæ in certas partes diſtributa ſit, à perito Sacerdote quem Archiepiſcopus elegerit, toti Concilij tempore quam diligentiſſime habeatur, adhibeaturq́; ob eam rem cohortatio eius generis grauiſſima: cui cohortationi & explicationi Clerus omnis vrbanus interſit. Vt autem omnis epiſcoporum familia Concilij tempore ſtudioſè vtiliterque occupata ſit; quo tempore congregatio habebitur & mane & veſperi à Theologo Metropolitanæ eccleſiæ, aut ab alio quem Archiepiſcopus delegerit, Pſalmi, vel aliæ ſacrarum literarum partes ſtudioſe explicentur. cui explicationi atque interpretationi familiæ Epiſcopales præſentes attentè adſint.

Quotidiè Concilij tempore dimiſſa congregatione, veſperi ad Cappellam inde epiſcopi frequentes veniant ad orationem veſpertinam.

Concilio rite abſoluto & dimiſſo, Metropolitanus vnumquemque epiſcopum, qui ad ſe ſalutandum aduenerit, diſcedentem ſancto oſculo pacis dimittat, eiuſque orationibus & precibus ſeſe intime commendet.

E Concilio cum ad ſtationem epiſcopalem epiſcopus redibit, paulò ante quam itineri ſe committat, ad eccleſiam Metropolitanam primariamve veniat, vbi pauliſper oret.

Synodalium teſtium, qui conſtituto Cōcilij tempore à Metropolitano in vnaquaque Prouinciæ diœceſi de more electi pronunciabuntur, ſi qui abſunt, nomina literis edantur & cōſignentur; quibus literis ipſe Metropolitanus, epiſcopo cuius diœceſis cauſa nominati ac delecti ſunt, poteſtatem faciat adſtringendi illos iureiurando, quod certis conceptis verbis ex decreto Concilij Prouincialis quarti ab ijs præſtari oportet.

Id epiſcopus vbi è Concilio ad ſtationem epiſcopalem redierit, duorum menſium ſpatio exequatur: deque re ea accurate præſtita Metropolitanum per literas eo tantum nomine ſcriptas certiorem faciat.

Teſtium verò, qui vel Metropolitano in ſynodo prouinciali, vel epiſcopo ex illius auctoritate delegata iuſiurandum præſtiterunt nomina, à Cancellario fori epiſcopalis certo libro eius iuſſu notentur.

Si quando teſtis ſynodalis à Metropolitano in ſynodo prouinciali delectus, qui iuratus in aliqua prouinciæ diœceſi officium illius ſuſcepti muneris gerat, antequā Concilij proximè futuri dies indicta venerit, diem ſuum obierit; epiſcopi cura ſit de illius obitu Metropolitanum certiorem facere, qui alium in illius locum eligat; qui ex verborum formula concepta etiam iuratus, illius muneris partes in illa diœceſi teſtis ſynodalis officio, charitatis zelo, ſinceroque debitæ ſollicitudinis ſtudio ſtrenuè in domino proſequatur.

Epiſcopus teſte ſynodali ad Concilium prouinciale venienti viaticum ſumptuſque victui neceſſarios à Clero aliquod ante conſtitutum Concilij tempus contribui ex ſynodi prouincialis quartæ præſcriptio iubeat; aut alia ratione quam potiorem cenſuerit, pecuniam eo nomine neceſſariā. quæ poſtea, vt ex illa contributione mutuanti reſtituatur, quamprimum curet; ne viatici difficultate impeditus, vllam veniendi moram interponat, ſed ad conſtitutum tempus in Concilio præſens adeſſe poſſit.

Qvoniam non ſolum ad huius prouinciæ commodū, ſed ad rectam quandam diſciplinæ Concilijs prouincialibus decretæ exequendæ rationem valdè intereſſe poteſt, ſi quæ his ipſis concilijs conſtituta ſancitave ſunt, pro ſubiecta materiæ ratione certis titulis ordine diſtincta (cum iam quinque libris, prout quinquies itidem eorum Conciliorum celebritas acta eſt, varie diſperſa ſint) in vnum volumen colligantur: ideo Metropolitani cura & auctoritate, vt alia editio omnium vſui accōmodatior ſit; illa quæ ijs quinque libris continentur, quęque in hac ſexta ſynodo ſancita ſunt, rectè, prout materiæ quæ agitur quæque tractatur ratio poſtulat, diſpoſita, (ſalua tamen vniuſcuiuſque conſtitutionis & decreti Prouincialis ſententia) vno volumine cōtexantur, atq; ita ordine contexta, quam diligentiſſime edantur.

Quæ ad ſynodū, & congregationes ſynodales pertinēt.

Ivdices, & examinatores in ſynodo diœceſana conſtituti, etiam ſi quando longius quam vnius anni ſpatium ſynodi actio differatur, ſuum munus exequantur.

Indvlgentia, cuius etiam literæ in vltima parte huius Concilij editæ ſunt, congregationis nomine conceſſa, ſingulis menſibus à ſacerdotibus foraneis ex decreto prouinciali in ſingulos menſes euulgetur, quo die Miſſa illius congregationis celebratur.

Quæ ad beneficiorum collationem pertinent.

In beneficijs etiam parochialibus iuris patronatus laicorum ſimul eccleſiaſticorumque hominum, illud epiſcopus ſeruet atque exequatur, quod de beneficijs quæ iuris patronatus eccleſiaſtici ſunt, Concilij Tridentini decretis cautum eſt.

Idipſum quoque præſtet, etiam ſi ex vna parte ad eccleſiam, & verò ex duabus, ad laicū hominem electio ſpectet.

Epiſcopus quoque, beneficiorum, quorum inſtitutionis ius collationiſve ad quoſcunque exemptos alioſve epiſcopo inferiores pertinet, ius patronatus, lites, cauſas, & cōtrouerſias omnes quæcunque ſint, cognoſcat & definiat; Clericum autem præſentatum qui inſtituendus erit, ad inferioris inſtitutionis tantum cauſa remittat: niſi ijdem inferiores iuriſdictionem ordinariam haberent, cuius vigore de controuerſijs ſuper iurepatronatus alioqui cognoſcere poſſent.

Beneficia quæcunque ſint, etiam Parochialia, quæ per ceſſionem vacant, epiſcopus ne ſuo, aut cedentis conſanguineo, nec vero item ſuo familiari cōferat prouideatve, vt Pij V. Pont. Apoſtolica ſanctione vetitum eſt.

Nec verò alicui familiari propinquove ſuo ad illius beneficij concurſum aditum pateſieri permittat. quod ſi aliter vnquam factum erit; cum omnis collatio prouiſiove reſciſſa, irrita, nullaque ſit, tum præterea illius Pontificiæ ſanctionis pœnæ eo nomine conſtitutæ locum habeant.

Quæ ad forum pertinent.

Stata illa oratio, quam in ſynodis de ſpiritu ſancto dici ſolemne eſt, illa ſcilicet cuius initium eſt, *Adſumus Domine*, rite ſanctéque vt liber pontificalis vetus oſtendit, congregationum initio recitetur, quæ de ſanctæ inquiſitionis officio, de iudicijs, de ſententia cauſæ ferenda habebuntur. Itidem fiat in omni conuentu vbi de clericalibus examinibus, de electione, inſtitutioneve eius agetur aut deliberabitur, in quem alicuius beneficij eccleſiaſtici cura adminiſtratione conferatur.

Quam ob cauſam ea oratio recte in tabula literis conſignetur: certoque cōgregationum loco affixa, cum vſu venit, in promptu ſit, vna cum alia ſtata oratione, quam in initio & in fine aliarum actionum congregationumve ex officio B. Mariæ adhiberi inſtituti moriſque eſt.

Aeqvissimvm eſt & Canone Concilij Pariſienſis traditum, eum qui vicariam Epiſcopi perſonam & munus vicarium ſuſtinet ſacris initiatum eſſe.

Quamobrem curet epiſcopus vicarium generalem ſibi conſtituere, qui præter cætera quæ in vicarij eiuſmodi perſona requiruntur, ſaltem ſubdiaconus ſit.

Qvo-

QVONIAM ſæpe fit, vt in cauſarum controuerſijs (id od vir & ſanctitate & iuris ſcientia celebris Iuo pluribus onit) inimicitiæ oriantur, ſimultates, odia, rixæ, cæteraq; generis, quæ maxime fideles cauere debẽt, valde exerceã- , & multa eaque grauia crimina inde aliquando conſe- antur, ac rurſus bona ſalutariave opera poſtponan- , aut negligantur: ideo in foro eccleſiaſtico, in quo con- rdiæ potiſſimum, paci, litium tranſactionibus, atque ſeda- nibus controuerſiarum plane cõſulendum eſt, epiſcopus m ineat rationem vt Vicarij aut Iudices fori ſui, aut alij cleſiaſtici homines quos ei curæ pręfecerit, antequam litis ive alicuius iudiciũ conſtituatur, ſtudeant omni æquitatis ficio paternoq; cõſilio lites dirimere, cõtrouerſias ſedare, æ ad eam rem facilius conficiendam, factum de quo con- uertitur, ab ipſis litigantibus, ſeorſum ſingulis ad ſe vo- tis, ſtudeant plane intelligere, quantum quidem commo- fieri poterit, etiã remotis vtriuſq; partis aduocatus & pro- ratoribus. ſin aũt id aſſequi non poterunt, id ſaltẽ curẽt, vt es breuius quam in foro laicali moris eſt, definiantur.

Locum verò nullum patronis, aduocatis, procuratorib. eteriſq; litium miniſtris dent aut relinquãt, qui quæſtus fo- enſis auidi atque appetentes, cauſas prætexunt, calumniaſq; hibent, tum ad cauſarum tranſactionem impediendam, m ad exulcerandos litigantium animos.

Iſtorum etiam malitiam epiſcopus pœna priuationis ſu- penſioniſve officij poſtulandi & procurandi in ſuo foro, a- jſve pœnis ſuo arbitratu pro ſua conſcientia coerceat, etiã ine vlla iudiciali cauſæ cognitione.

Quicunque in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, etiã ex- mpti qui intra fines diœceſis ſunt, & reliqui præterea infe- iores epiſcopo, ne priuilegiorũ, conſuetudiniſve prætextu, matrimoniorum, & criminum item cauſas etiam viſitando cognoſcant; ſed epiſcopi iuriſdictioni iudiciove relinquãt, ad præſcriptum Concilij Tridentini.

Non tamen Abbates, quibus alias legitime talis iuriſdi- ctio competit, alijve inferiores (ſi de immemorabili cõſue- tudine eiuſmodi legitime doceant) quominus de his etiam cauſis cognoſcant, prohibeantur.

CONSTITVTIO decretorum & taxarum à Metropo- litano, confecta, & Apoſtolicis literis Sanctiſ. Domini no- ſtri Gregorij Papæ XIII. cõfirmata & renouata, quæ per iu- dices ſynodales, & conſeruatores Regularium exemptorũ- ve quorumcunque, & per ordinarios etiam in cauſis delega- tis, ac per eorum omnium & ſingulorum Notarios ſeruãda, atque ad executionis vſum inducẽda eſt, ab vniuerſis, & eo- rum vnoquoque cuius intereſt, ſeruetur diligenter inuiola- teq;: ita tamẽ vt ſi quibus in rebus, cauſis negotijſve, aliquo ſtatuto aut conſuetudine laudabili, nihil vel minus quam ea taxa præſcribitur. per Iudices à ſynodo deputatos, ac Regu- larium exemptorumve quorumcunq; conſeruatores exigi deberet; conſuetudo illa ſtatutumve omnino retineatur ſerueturq; ad eiuſdem conſtitutionis præſcriptum.

Quam item conſtitutionem ſeu taxam iudicibus ſyno- dalibus & conſeruatoribus præſcriptam, ſeruet etiam ordi- narius: niſi quibus in rebus conſuetudine, decretis, vel con- ſtitutionibus, taxiſve epiſcopalibus, taxa minor ei ſeruanda propoſita eſſet, quam omnino ſeruet.

Si Vicarius, Iudexve ordinarius in cauſis ordinarijs vel delegatis, aut cõſeruator Regularium & exemptorum quo- rumcunq; ſuis in cauſis, aut iudex in ſynodo deputatus pro cauſis commiſſarijs, eorumve Notarij aut miniſtri, quicunq; contra præſcriptum ſanctionis illius pontificiæ quidquam commiſerit, deliqueritve; cum eo, quicunque ſit ad præſcri- ptum eiuſdem conſtitutionis agatur.

DIERVM vtilium librum, quibus à fori ſui eccleſiaſtici iudicijs feriari liceat, epiſcopus conficiendum edendumque pro fori ſui ratione curet.

VT frequentius Clericorum cuiuſcunq; gradus & ordi nis, quos in foro ſæculari conceſſu epiſcopi examinari ſæpè contingit, periculis occurratur, Epiſcopus, eiuſque Vicarius anteaquam eius examinis facultatem concedat, rerũ de qui- bus in eo foro interrogationes quæſtioneſve inſtituendæ, erunt, capita diligenter & matura deliberatione perpendat.

Clericum pręterea de cuius examine agitur, ad ſe ſi libue- rit, accerſat: ac de ijſdem rerum capitibus extra iudicium in- terroget. Illud autem magnopere caueat, ne dum vnius de- fendendi cauſa, quæſtiones examenve de Clerico haberi permittit, alteri aliquam vel rei familiaris, vel pecuniæ, vel corporis, vel ſtatus, honoriſve offenſionem aut diminutio- nem afferat: vnde cum ſæpenumero ſimultates & cædes exi- ſtunt; tum Clericus etiam aliquando irregularitatis pœnam maculamve contrahit.

Quarum rerum ſi aliquam epiſcopus ſuſpicionem ex ijs ipſis capitibus cognouerit, de quibus quæſtio inſtituẽda eſt; nullam Clerici examinandi facultatẽ vllo modo permittat.

Vbi verò illam aliquando dandam eſſe iudicauerit: tunc certis capitibus nominatimque explicatis, iudicio ſuo præ- ſcriptam, literiſq; comprehenſam concedat permittatve.

At verò ſemper Clerico à ſacerdote iuſiurandum deferri iubeat.

Quæ ad matrimonium pertinent.

QVOD Concilio Prouinciali quinto cautum eſt, matri- monium verbis de præſenti ſine parocho teſtibuſque contractum nullum eſſe, ac ne ſpõſalium quidem vim roburque habere: id ita intelligendum eſt; eos qui ita cõtra- xerint, poſſe tamen Conc. Tridentini conditionibus adhibi- tis, denuo matrimonium contrahere, dummodò intra pa- rochiæ fines, & coram parocho proprio, teſtibuſque illud contrahatur celebreturve.

MATRIMONIVM futurũ parochus antequam in ec- cleſia denunciet, pręter id, quod ex Concilio prouinciali V. perquirere à ſponſis debet, illos etiam ſeorſum moneat; vt videant, ne matrimonio quod inter ſe contrahere volunt, aliquod impedimentum obſtet, quod mox infra explicatũ eſt; neve alia, quę ipſe pro ſuo iudicio & prudentia pateface- re exprimereq; debebit. Viderint igitur, an alteri fidem ad- ſtrinxerint, aut iureiurando ſpoponderint.

An caſtitatis religioniſve votum ediderint.

An aliquod impedimentum inter eos intercedat cogna- tionis etiam ſpiritualis aut affinitatis vſque ad gradum iure Tridentinoq; Concilio prohibitum.

Si verò filijfamilias ſint, hoc parochus valde cohortetur; vt parentibus in quorum poteſtate ſunt, eum honorem tri- buant, vt illis ne inſcijs quidẽ ne dum inuitis rem tanti mo- menti ineant.

Id præterea ſtudioſè paterneque eaiam vtrunque hortẽ- tur; vt ſingulari quadam animi pietate, & oratione in primis frequentiori, in re tam graui ad Deum confugiat.

Quo in genere Tobiæ adoleſcentis, cum vxorem duxit, cõmemorabile exemplum imitationeq; dignum proponat.

MAGNAM in eo diligentiam adhibuimus, vt corrupte- lam atque adeò peccatum tolleremus, atque radicitus extir- paremus, quod paſſim in prouincia noſtra à ſpõſis commit- titur; qui mutua copulatione antea vtũtur, quam matrimo- nium per verba de præſenti rite confectum celebratumque ſit. Verum cum nihil fermè in hoc genere hactenus profe- ciſſe animaduertamus; pro officij paſtoralis munere, perni- cioſæ iſti corruptelæ peccatoque graui nos diligentius accu- ratiuſque prouidendum & conſulendum eſſe ſtatuimus.

Itaque epiſcopi cura ſit, pœnis & cenſuris quas arbitratu ſuo conſtituerit, ſancire, ne ſponſi, priuſquam matrimoniũ in eccleſia per verba de præſenti ex ritu celebrauerint, non modo ſimul non habitent; ſed ne vllo quidem modo mutua conſuetudine commerciove vtantur.

GRAVE concubinatus crimen eſt: propтereaque quam ingens in eo funditus conuellendo ſollicitudo, & quam lõ- ge omnium diligentiſſima cura Epiſcopi eſſe debeat, cum Canonum leges, ſacrique œcumenici Concilij Tridentini decreta iubent, tum verò Pij V. Pont. Max. Apoſtolica ſan- ctio iampridem edita perſpicuè oſtendit.

Qua ſanctione ſanctæ obedientiæ virtute illud iuſſum eſt, vt quæ contra concubinarios eiuſdem Concilij Triden. decretis conſtituta ſunt, in ijs ipſis omnino inuiolateq; exe- quendis, epiſcopi in ſua quiſque diœceſi diligenter ſancteq; inuigilent: Deo, Romanoque Pont. rationem reddituri, ſi in eo turpi crimine radicitus extirpando negligenter aut remiſſe ſe geſſerint.

Quamobrem epiſcopus nemine etiam poſtulante aut accuſante, ex officio, ſine ſtrepitu & forma iudicij, ſolaque facti veritate inſpecta, contra iſtiuſmodi concubinarios, cuiuſcun-

cuiuſcunque ſtatus, ordinis, dignitatiſque illi ſint, ſeuerè agat: proindeque pœnis ſacrorum canonum iure, ſummorum Pontificum conſtitutionibus, conciliorumque auctoritate ſancitis, & alijs prçtereà etiam pecuniarijs arbitrio ſuo grauiter puniat.

Quos autem ter admonitos in contumacia perſiſtere animaduertent; eos non ſolùm alijs pœnis, ſed excõmunicatione etiam ex eodem Decreto Tridentino afficiat.

Pastoribvs non ſolùm pericula propellenda ſunt; ſed etiam omnis periculoſa peccandi occaſio pro paſtoralis officij munere eripienda eſt.

Quamobrem cùm quæ facilè exiſtere poſſent fornicationes, inceſtus, & flagitia, vniuerſaque carnis vitia, re alia planè nulla faciliùs quàm fuga, adiutrice in primis diuina gratia ſuperentur: Parochus vt diligentiſſimè poterit, & Epiſcopus inprimis, tum auctoritate ſua, tum etiamſi opus erit ſæcularis magiſtratus ope implorata, id maximoperè curet, vt ne cum fœmina quocunque vel arctiſſimè propinquitatis gradu coniuncta, mas ſimul cubet, etiam ſi ambo puerili ætate ſunt, ita tamen grandiuſculi, vt aliqua inde ſuſpicio, periculum, occaſio ve impuri flagitij cõmittendi exiſtere poſſit.

Nec vero paupertatis, anguſtæve habitationis excuſationi locus facilè relinquatur, quominùs iſtiuſmodi impuritatum occaſio omnis præcidatur: cùm humi potiùs, atq; adeò ſub dio iacere ſatius eſſet.

Parochi autem tota hac de re iudicium, officiumve intercedat: qui & conſilium det, & opem præſentem vt accuratiſſimè poteſt, tantæ impuritatis periculo præſtet.

Eam ipſam curam Epiſcopus & Parochus ponant in eripiendis morum corruptelis, flagitijs, peccatis, peccandive occaſionibus, quæ grauiſſima cum Dei offenſione exiſtunt ex nocturnis illis excubijs, quæ ruſticorum concurſu, iuuenili turpium verborum licentia, & promiſcua marium fœminarumq; turba, hyeme in ſtabulis paſſim fieri ſolent.

Offensionibvs & peccatis, quæ in cauponis committi ſolent, paſtorali etiam cura & officio occurrẽdum eſt, vt ereptis corruptelis ſalutariter conſulatur vitę chriſtianę moribus.

Quamobrem cùm Epiſcopus, cuius officium eſt, in omnium cuiuſuis generis hominum curam incumbere; tum Parochus etiã, ſi quas vel cauponas vel tabernas intra parochię ſuæ fines habet, quàm ſæpiſſimè ijs qui cauponariam tabernariamve exercent, monita proponat, quę infra eorum vitæ chriſtianæ, chriſtianiſq; moribus præſcribũtur ad eorum ſalutem procurandam.

Primùm igitur caupo, non ſolùm familiæ ſuæ, ſed etiam hoſpitib⁹, peregrinis, alijsve quos hoſpitio exceperit, & verbis, & vitæ exẽplis, & humanitatis officijs prodeſſe ſtudeat: ita vt eius familia, quiq; in famulatu ipſius ſunt, cæteris pietatis, caſtitatis, modeſtiæq; ſpecimen atq; indicium dent.

Proinde impudicos homines, eiusve infamię nota inquinatos, blaſphemos, cõcubinarios eiusve nomine ſuſpectos, aleatores, publicosve luſores, & id generis nebulones, qui aduenas atq; hoſpites dolis fallacijsq; decipere ſolent, è familia domoq; ſua eijciat: quorũ loco in familia famulatuq; pios homines diſciplinæ chriſtianæ ſtudioſos habeat; qui aduenas ad orationem veſpertinam inuitent, quam is domi ſuæ curet nullo vnquàm pacto ſtata hora prætermitti.

In cauponæ veſtibulo porticuve, & in ſingulis prætereà cubiculis ſacram imaginem apponere ne omittat: profana autem omnia, ac turpiter obſcœneq; inſcripta pictave indè amoueat omninò.

Ne lenones, meretrices, hiſtriones, mimos, & cęteros malæ conditionis homines, nugatoresve apud ſe diutiùs hoſpitari patiatur.

Religioſos & Eccleſiaſticos homines ad ſe diuertentes, ſeparato ſi commodè poterit, præſertim à fœminis, hoſpitio menſaq; excipiat: in honore habeat, nec verbis factisve violari patiatur.

Pauperibus item ſe talem præſtet, qualẽ ſe prębere Chriſtianum hoſpitem decet. Hæreticos verò, ſi quos diuertiſſe animaduerterit, illicò denuntiet; nec vllo pacto feria ſexta & ſabbato, alijs itẽ præſcriptis diebus, vlli vetitos cibos quouis prætextu præbeat.

Menſæ initio, ab hoſpite, vel ab aliquo familiari benedici curet, adhibita in fine etiam gratiarum actione.

Ne virum ſimul & mulierem cubare ſinat, quos ſuſpicetur matrimonio copulatos non eſſe.

Si quẽ, dum in caupona verſatur, in febrim morbumve incidere cõtigerit, de eius ægritudine ſtatim parochum certiorem faciat, qui illum inuiſat, & ſpiritualia remedia eidem quamprimùm adhibeat.

Caupo deniq; Chriſtianus ita in hoſpitij munere agat, vt æquitate, ſinceritate, & charitate vtatur; & per opera iuſtitię progrediens, damnationem æternam fugiat, ac in æterna tabernacula recipi mereatur.

De diſciplina Chriſtiana Militum.

CHristianorvm militum diſciplina his temporibus eo prolapſa eſt, vt in multis Dei offenſionibus, quę à militum corruptelis exiſtunt, operęprętium etiã ſit inuigilare Epiſcopalibus monitis.

Vbi igitur militum præſidium conſtitutũ eſt, illud cum eorum Ducibus Præfectusve Epiſcopus ſtudioſè paternaq; charitate agat, vt illi in militari ſtatione conſtituti, piæ Chriſtianæque vitę inſtitutis congruenter viuant: cùm pręſertim in militum chriſtianorum laude poſitum ſit, vt pietatem in primis & religionem erga Deum obſeruent atque colant.

Quod ergo ad pietatis vſum atque officium attinet, id omne maxime curetur.

Vt doctrinæ Chriſtianæ rudimentis milites rectè inſtituantur.

Vt frequenti ſacræ & confeſſionis & communionis vſu ſe ad bene viuendum communiant.

Vt quotidiè & manè & veſperi certa ſtata hora Deum precentur.

Vt Roſario quotidiano B. Mariæ Virginis quod militibus bello contra Turcas ſuſcepto olim præſcriptum fuit, religioſè vtantur.

Vt ſingulis diebus manè in ſtatione communi collecti litanias recitent.

Vt in ſtationis loco ſacram imaginem B. Mariæ Virginis, aut ſancti alicuius, quẽ patronum ſibi atq; interceſſorem in cœlis delegerint, ob oculos propoſitam habeant.

Vt ſacerdotem item habeant ſpiritualis vitæ amantem Epiſcopi iudicio delectum, cuius monitis in militiæ ſpiritualis exercitationibus curſum teneant.

Vt in otio militari, à librorum obſcœnorũ, quiq; Chriſtianos viros non decent, lectione abſtineant; ſed martyrum vitis legendis, in quibus fortitudo ac virtus verè militaris elucet, totos ſeſe occupent, cùm per occupationes militares poſſunt.

Illud verò etiam maximè Epiſcopus cùm militum præfectis valdè agat, vt ieiunia & ciborum delectum ex præcepto Eccleſiæ ſeruent; à blaſphemijs omninò abſtineãt, quas radicitùs extirpare ille omninò conetur: cùm militis Chriſtiani officium proprium ſit, etiam ſanguinis profuſione tueri gloriam Dei, ſine cuius diuina ope nihil reliquum militi Chriſtiano eſt, quòd glorioſum eſſe poſſit.

Vt à furto, rapinisve abſtineant; idque planè eis perſuadeat, eius generis criminibus perperpetuam infamiam inuri militi.

Vt denique detractiones, mendacia, ingluuiem, aleam, luxuriam, pompamque abhorreant: ſed omnes virtutum Chriſtianarum partes exequantur, quæ cùm in omni diſciplina, tum in re militari ſplendeſcunt, vtilitateſq; vberrimas ſalutariter afferunt.

Atque ob has quidem cauſas inter illos pias confratrias inſtituere Epiſcopus curet.

Quæ ad confratrias, piave loca pertinent.

VNicviqve confratriæ Epiſcopus ſacerdotem conſtituere ſtudeat, vitæ ſpiritualis vſu peritum, beneque in ſanctis exercitationibus verſatum; qui ſalutaribus

nſilijs, monitis, documentis, alijsq; officijs, confratres in nnem agendi partem tanquàm pater & Dux ſpiritualis nformet.

Vt multarum controuerſiarum diſſenſionumve, quę in eriſque confratrijs, ex eo quod priorem locum appetunt, ultis Prouincię locis magna cum populi offenſione oriun r, occaſio tollatur.

Nos decernimus, eas confratrias, earumque confratres holaresve, qui in poſterum, locum in publicis proceſſioibus, ſumpto de Epiſcopi aut ſanctæ ſedis Apoſtolicæ faculte habitu, ſibi dari petierint. atque obtinuerint, debere loam digniorē alijs confratribus cederē, qui habitu antiquioes conſueuerunt illas ſupplicationes anteà obire; etiã ſi ipſę empore antiquiores ſint, maioribusque priuilegijs comaunitæ.

Id verò ita decretum in omnia confratria ſeruetur, niſi ùm ob cauſam Epiſcopo aliter videbitur.

Quæ ad ſanctæ pietatis inſtitutum atque vſum ſalutarier inſtituta ſunt, paſtoralis curæ eſt cauere, ne deprauatis noribus corrumpantur.

Quoniam igitur in proceſſionibus, quæ à nonnullis confratrijs ſocietatibusve noctu fiunt, religiosè quidem illis primùm inſtitutis, offenſio aliqua ineſſe poteſt: idcircò ne illas in poſterum noctu agi liceat, niſi & Epiſcopi conceſſu, & regulis certis ab eo præſcriptis.

Mulieres autem proceſſiones nocturnas obire interdictum omninò ſit.

Epiſcopus non ſolùm vt ſuperioribus concilijs cautum eſt, locorum piorum adminiſtrationis rationibus interſit, ſed etiam liberationi illius adminiſtrationis.

Quæ liberatio ab eorum locorum præfectis ſolùm ne fiat, ſed præſente, conſentienteve Epiſcopo, alioqui ſi ſecùs fiet, reſciſſa ſit, planeque nulla, ad Tridentini Concilij præſcriptum.

Quæ ad moniales pertinent.

QVONIAM ſuperioribus concilijs prouincialibus, non ſatis quantum rei grauitas depoſcit adhuc monialium periculo conſultum, ac prouiſum eſt; quod cùm ex frequenti ad earum monaſteria acceſſu, tum ex ingreſſu etiam ſeptorum clauſuræ exiſtere poteſt: idcircò eo de genere hæc addenda cenſuimus.

Vt autem hæc ipſa notoria ſint, edicto Epiſcopali duorum menſium ſpatio, & deinceps quotannis, ſermone vulgari frequenter, prout opus erit populo promulgari, ſingulisque præterea monialium Monaſterijs, earumque præfectis edici denunciarive Epiſcopus mandet.

NE quis clericus, laicusve, cuiuſcunque generis, ordinis, conditionis, ſexus, ætatisve ſit, abſque Epiſcopi aut eius vicarij conceſſu literis exarata, ad monialium monaſteria quouis prætextu, cauſave, ac ne eo quidem nomine inuiſendi, alloquendive puellas tantùm, quæ ibi educantur, vnquàm accedat, propoſitis pœnis & cenſuris arbitrio Epiſcopi.

Ne quis item abſque eiuſdem Epiſcopi facultate ſcripta, intra ſepta Monaſterij monialium in poſterum ingredi audeat.

Si quis contra fecerit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat, ex Concilij Tridentini, Apoſtolicarumque ſanctionum, quas ſummi Pontifices, Pius Quintus, & Gregorius Decimustertius, eo nomine ediderunt, præſcripto.

A qua excommunicatione non ab alio niſi à ſummo Pontifice Romano abſolui poſſit.

Neque in poſterum aliquis Eccleſiaſticus ſecularis, regularis, aut laicus, quocunque gradu, auctoritate, dignitateve prædītus, cuiquam homini Eccleſiaſtico etiam regulari aut laico facultatem ad monialium Monaſteria accedendi, ne colloquendi quidem gratia concedat: nec verò monaſterij ſepta ingrediendi poteſtatem faciat, quauis conſuetudine, ſtatuto, lege, priuilegijsve, etiam ſedis Apoſtolicæ auctoritate ante Concilij Tridentini promulgationem roboratis & communitis non obſtantibus.

Si quis contra commiſerit; pœnam excommunicationis ipſo facto ſubeat, aliasque arbitrio Epiſcopi.

Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & aliæ moniales, quæ Eccleſiaſticos, aut laicos homines quauis cauſa, prætextuve intra monaſterij ſepta abſque Epiſcopi conceſſu literis conſignato ingredi permiſerint, ipſo facto excommunicationis pœnam ſubeant; à qua è ſanctionis ſanctiſſimi D. N. Gregorij XIII. præſcripto, non poſſint niſi à ſummo Pontifice abſolui, præter alias pœnas eadem conſtitutione propoſitas.

Quæ verò Moniales abſque Epiſcopi conceſſu ſcriptis exarato, quemquam vel marem, vel fœminam, contra quam ſuprà præſcriptum eſt, ad collocutionum, rotarumve loca admiſerint biennio, mulctatæ ſint ſuffragio omni.

Si verò iterum in hoc genere deliquerint, arbitrio Epiſcopi puniantur; tum deinceps ſi itidem offenderint, excommunicationis etiam pœnam ipſo facto ſubeant.

Præfecta autem monaſterij, facultates omnes ſcriptas, quas vnuſquiſque exhibuerit, ſiue de accedendo ad monaſteria, ſiue de ingrediendo illæ ſint, accuratè aſſeruet; Epiſcopoque clauſuram viſitanti, & alias quoties poſtulabit, exhibeat, vt eas cum libro quod regeſtum nuncupatur, conferre poſſit.

Epiſcopus autem, cùm clauſuras monialium, etiam earum quæ regularium curæ, iuriſdictionique ſubiectæ ſunt, viſitabit; de clauſuræ cuſtodia, & decretorum quæ ad eam rectè tuendam quouis modo pertinent, vſu atque obſeruatione, moniales etiam ſingulas, vt opus eſſe viderit diligenter interroget.

Collocutionum loca in monialium monaſterijs tam intrinſecùs quàm extrinſecùs conſtituta, claui clauſa perpetuò ſint: niſi cùm ibi quis eſt collocutionis cauſa, ex facultate legitima, clauis autem apud præfectam cuſtodiatur.

Vt autem quod de vetito ad monialium monaſteria acceſſu cautum eſt, certis diebus verè ſeruetur; clauis etiam adhibeatur oſtio loci exterioris collocutionum in monaſterijs: quæ clauis noctu præſertim ab epiſcopo committatur confeſſario, alijve pio viro arbitratu ſuo.

Is verò illis diebus ne aperiat, neve clauem aperiendi tradat, niſi facultatem Epiſcopi ſcriptam exhibenti.

Quo autem ſanctior huius clauſuræ cautio adhibeatur; Epiſcopus, vbi expedire cenſuerit, peſſulum, vectem ve oſtijs ſingulis clauſuræ ab exteriore parte claudendum apponi mandet arbitratu ſuo, clauemque noctu præſertim ei committat, quem fidum, probum, aptumque eſſe iudicârit.

Occaſione correctionis, pœnitentiæ, ſeu examinis, in cauſis etiam criminalibus & grauioribus, monialis è clauſura ne educatur, etiam ſi in aliud monaſterium, locumve pium conducenda, ne ad breue quidem tempus.

Facultas ingrediendi ſepta monaſterij nulla detur niſi in ſcripto: neque verò quæ ſine ſcriptis conceſſa eſt, cuiquam ſuffragetur, niſi quando vnà cum Epiſcopo is monaſterium ingreditur.

Epiſcopus autem ſolummodò, at nullo modo Vicarius generalis hanc poteſtatem faciat, niſi ſpeciatim ei Epiſcopus auctoritatem delegârit, qua alijs ingrediendi facultatem dare poſſit: atque Epiſcopus quidem eam auctoritatem minimè alij demandet, niſi Vicario tantùm Generali; ac neque ei item, cùm ipſe præſens eſt.

REGVLAE, conſtitutionesve ſpeciatim editæ de pœnitentibus mulieribus, quæ profeſſionem emittunt, ſeruentur; ne in ijs recipiendis conſenſus duarum partium monialium requiratur vt Concilio Prouinciali primo ſancitum eſt, (id quod in alijs ſolùm monialibus locum habere hoc loco declaratur:) ſed maior pars ſatis ſit etiam in profeſſione emittenda.

Nec verò in earum mulierum domicilijs certus numerus conſtituatur: nec rurſus in ijs locum habeat, quod de eleemoſyna loco dotis alimentive; eiusque ſumma & addictione in monialium monaſterijs præſtari decretum eſt; ſed illud in neceſſarijs alimenti expenſis erogetur: reliquum

autem

autem in alias monaſterij neceſſitates, aut in bonorum immobilium emptione arbitrio ſuperioris conuertatur.

Iis mulieribus liceat profeſſionem emittere, ea ætate, eoque temporis probationis ſpatio, quibus iure communi licet, aut earum conſtitutionibus ſpeciatim cautum eſt.

In earum prætereà renuntiatione & obligatione, conſtitutiones earum, & earum ſuperioris, aut ius commune ſeruetur.

Neque nouitiæ, ſi quid in anno probationis dederint, mulieresve acceperint, pœnis plectantur, niſi ſpeciatim aliter caueatur.

Mulieres item, quas abſoluto probationis anno, non habiles eſſe, neque idoneas ad profeſſionem compertum eſt, aut ſi profiteri illæ recuſauerint, è monaſterijs niſi cauſis iure permiſſis ne eijciantur.

Verùm Epiſcopus probationis, nouitiatuſque tempus proroget licet.

Nec verò item quæ mulieres habiles non ſunt ad officium, velumque nigrum ſuſcipiendum, etiam ſi domus illa conuerſis opus non habeat, contra inſtitutum repellantur.

Epiſcopi & prælati omnes tam ſæculares quàm regulares, quibus monaſteriorum monialium quouis modo cura concredita eſt; facultate ſibi ex officio data in ea ingrediendi ita demùm vtantur, vt ſcilicet cum neceſſaria cauſa vrget, ingrediantur, paucoſque Comites, & eos quidem ſeniores ac religioſos homines ſecum adhibeant: ne pœnas ac cenſuras Gregorij XIII. ſummi Pontificis conſtitutione ipſo facto inflictas ſubeant, quam conſtitutionem accuratè ſeruent.

Quæ generatim ad has conſtitutiones & decreta pertinent.

QVAECVNQVE etiam de ſacramentorum adminiſtratione, Miſſæ ſacrificij celebratione, diuinorumque officiorum modo & ratione, in hac & ſuperioribus Prouincialibus Synodis decreuimus, ea planè omnia & ſingula ad Metropolitanam etiam, cæteraſque quaſcunque Eccleſias ritu Ambroſiano vtentes pertinere ſancimus & declaramus: niſi ſi quid eiuſmodi erit: quod vel per nos, vel deinceps per ſucceſſores noſtros Archiepiſcopos nominatim, ſpeciatimque declaretur Ambroſianis ipſis ritibus inſtitutisve expreſsè aduerſari.

Si in his decretis ante alteram Mediolanenſis Prouinciæ Synodum vlla difficultas orta erit, eius declarationem, tum verò præterea omnium quæ eiſdem decretis continentur interpetationem & explicationem, nobis vſque ad proximè futuram Prouincialem Synodum reſeruamus; ſalua ſemper ſedis Apoſtolicæ auctoritate.

Quamcunque facultatem ex Decretis in hac Prouinciali Synodo Mediolanenſi ſexta per nos editis habent Epiſcopi; eam ipſos per ſuos Vicarios generales, aut per alios quibus conceſſerint & delegârint, exequi poſſe volumus; niſi in ijs quæ propriè ad ordinem Epiſcopalem pertineant, aut in quibus Vicarij à ſacris Canonibus, aut à Concilio Tridentino, vel à nobis expreſsè excluſi ſint.

Vt nemini eorum quæ in hac ſexta prouinciali noſtra Synodo à nobis decreta ſunt, ignorantiam excuſare liceat; edicimus, vt ea quo primùm die de illis edictum promulgationis Eccleſiæ Metropolitanæ valuis propoſitum erit, ad duos menſes omnes ſe & his Decretis, & ſi contra fecerint, pœnis quæ eis continentur, teneri intelligant.

Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporis initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præſtari iubemus.

Vnuſquiſque præterea Epiſcopus ea in proxima Diœceſana Synodo, ad præſcriptum ſacrorum Canonum, & Concilij Tridentini promulgari iubebit; & quò ſtudioſiùs omnium animis eorum præcepta fixa inhæreant, ſingulæ etiam cathedrales, & collegiatæ, & parochiales Eccleſiæ huius prouinciæ has noſtras conſtitutiones aliquo loco collocatas perpetuò aſſeruent.

Omnia & ſingula quæ à nobis in hac ſexta Prouinciali Synodo decreta actaque ſunt, qua debemus obedientia ac reuerentia, auctoritati ac iudicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum matris & magiſtræ ſemper emendanda & corrigenda ſubijcimus.

LAVS DEO.

Finis Concilij Prouincialis Sexti.

SVBSCRIPTIONES REVERENDISSImorum DD. Epiſcoporum, qui Concilio Prouinciali Sexto interfuerunt.

NOS CAROLVS S.R.E. Presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Praxedis Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Mediolan. de concilio & aſſenſu Reuerendiſſ. Coepiſcoporum noſtrorum definientes ſubſcripſimus.

Ego Cæſar Epiſcopus Derthonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Nicolaus Epiſcopus Cremonenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Hieronymus Epiſcopus Bergomi conſentiens ſubſcripſi.

Ego Ioannes Epiſcopus Brixiæ conſentiens ſubſcripſi.

Ego Fr. Dominicus Epiſcopus Aſtenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Guarnerius Epiſcopus Alexandrinus cõſentiens ſubſcripſi.

Ego Vincentius Epiſcopus Albenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Franciſcus Epiſcopus Intimilienſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Alexander Epiſcopus Caſalenſis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Vincentius Picaluua Archipresbyter Oppipi Caſſinarum, Procurator ſpecialis Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Epiſcopi Aquenſis, eius nomine interfui, & ſubſcripſi; & omnia & ſingula in hac ſancta ſexta Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, eius & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Io. Paulus Albergonus Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Nouariæ, Procurator ſpecialis Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Franciſci Epiſcopi Nouarien. eius nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia ac ſingula in hac ſancta ſexta Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, eius, & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Paulus Granutius Iuris vtriuſque Doctor, Prothonotarius Apoſtolicus, perilluſtr. ac Reuerendiſſ. D. Io. Franciſci Epiſcopi Vercellen. ſanctiſſimi D. N. Papæ & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ nunc apud ſereniſſimum Rodulphum Imperatorem Nuncij Vicarius generalis, eiuſdemque in hoc ſpecialis Procurator, eius nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia ac ſingula in hac ſancta ſexta Synodo decreta, acta, edita & publicata, eius & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Io. Antonius Iordanus Clericus Sauonen. Illuſtris ac Reuerendiſſ. D. Dominici Grimaldi Epiſcopi Sauonen. hoc tempore ſanctiſſimi D.N. Papæ apud Auinionem Gubernatoris, ad hoc ſpecialis Procurator, eius nomine ſubſcripſi; & omnia ac ſingula in ſexta Synodo Prouinciali Mediolanen. acta, decreta, edita, & promulgata, eius & Eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Ego Marcus Antonius Amidanus Presbyter Cremonenſis multum Illuſtr. & Reuerendiſſ. D. Ludouici Tabernæ Lauden. Epiſcopi, & Nuntij Apoſtolici ad Sereniſſ. & Catholicũ Hiſpaniarum Regem Philippum Generalis Vicarius, ac ad id etiam Procurator ſpecialis, eius & Eccleſiæ ſuæ nomine, omnia & ſingula in ſexta Synodo Prouinciali Mediolanenſi acta, & decreta, edita, & promulgata recipio.

INDICTIO FVTVRI CONCILII SEPTIMI PROVINCIALIS,

CAROLVS S. R. E. presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Praxedis, ſanctæ Eccleſiæ Mediolanen. Archiepiſcopus, &c.

OMNIBVS & ſingulis Reuerendiſſimis dominis Epi-
ſcopis Derthonen. Aquen. Cremonen. Bergomen.
Brixien. Aſten. Alexandrino, Nouarien. Vercellen.
Alben. Intimillien. Caſalen. Lauden. Sauonen. Vigleuanen.
Placentino. Albingaunen. alijſque vniuerſis & ſingulis, qui
Synodo Prouinciali Mediolanen. quacunque ratione in-
tereſſe debent, omnibuſque item Capitulis, & Eccleſiarum
Cathedralium Procuratoribus, hoc publico decreto indici-
mus, ſignificamus, denunciamus, & intimamus proximam
ſequentem, Deo omnipotente auctore, & ad eius laudem,
hac eadem in vrbe, hoc ipſo loco, Anno Domini M. D.
LXXXV. die vigeſimonono menſis Aprilis, qui dies erit
feria quinta Dominicæ tertiæ poſt Paſcha Reſurrectionis
Domini noſtri IESV CHRISTI, inchoãdam, & celebran-
dam eſſe. Quamobrem eos omnes & ſingulos Reuerendiſ-
ſimos DD. Epiſcopos monemus, Procuratores verò Eccle-
ſiarum Cathedralium inuitamus, vt eo die ad Synodum
Prouincialem ſeptimam iuuante Deo Mediolani celebran-
dam conſtituto, hic omninò interſint, niſi diem celebratio-
nis ipſius Synodi aliqua ex cauſa à nobis prorogatum fuiſſe
noſtris ad eos datis literis intellexerint. Quòd ſi ipſorum
Reuerendiſſimorum Epiſcoporum noſtrorum aliquis le-
gitimo tunc detentus erit impedimento, nuncium procura-
toremve ad ſe excuſandum, atq; ad id impedimentum pro-
bandum ad nos mittat; cui etiam facultas ab ipſo detur, ea
omnia & ſingula nomine ſuo & Eccleſiæ ſuæ recipiendi.
quæ diuina gratia auxiliante in ipſa Synodo à nobis de con
ſilio & aſſenſu Reuerendiſſimorum Coepiſcoporum no-
ſtrorum conſtituentur decernenturve.

VITA SIXTI V. PONTIFICIS.

SIXTVS obſcuris parentibus, apud oppidum montis al-
ti in Marchionatu Anconitano natus, & Felicis nomine
vocatus: Adoleſcens ad inſtitutum Franciſcanorum,
quos Couentuales vocant, tranſijt. Cumque in ordine eos
feciſſet progreſſus, vt egregiam eruditionem cum ſingulari
eloquentia compararet, magiſtralique laurea decoraretur,
ex Vicario Generalis ordinis ſui, ex Card. Epiſcopo S. Aga-
tæ, in demortui Gregorij locum 24. Aprilis anno 1585. Pon-
tifex ſuffectus Calendis Maij ſolenniter coronatus fuit.
Vt verò Pontificis partes fœlicius ſuſtineret, indicto vni-
uerſali Iubilæo diuinam opem implorauit. Iaponiæ Prin-
cipes magnifico & regio apparatu, quamdiù Romæ mora-
ti ſunt, fouit, & amplis congiarijs honoratos dimiſit.
Cumque initio Pontificatus ſui Italia nefariorum prædo-
num, exulumque incurſionibus miſerè vexaretur, vſque-
adeò ſeuerum, imò verò terribilem & tremendum ſe præ-
buit animaduerſorem, vt poſtmodum magna quiete & li-
bertate, nedum Roma, verùm etiam Italia frueretur. Vr-
bem ædificijs exornando omnes anteceſſores ſuos longo
interuallo poſt ſe reliquit. Tria palatia ædificauit, vnum
in vinea, alterum ad montem Caballum, tertium in Latera-
no, Obeliſcum altitudinis 114. palmarum vltra baſim, an-
tiquæ ſuperſtitionis monumentum à Vaticano in mediam
S. Petri aream tranſlatum Chriſto dedicauit, alioſque vetu-
ſtate ſepultos, alterum apuod S. Mariam Maiorem, alterum
ad Lateranum, & tãdem iuxta S. Mariam de populo erexit.
Sacellum egregia architectura extruxit, ad quod Saluatoris
noſtri præſepe tranſtulit. Xenodochium ſeu hoſpitale ædi
ficatum & perpetuo cenſu dotatum pauperibus alendis nun
cupauit. Bibliothecam Vaticanam in ſplendidiorem, com-
modioremque locum tranſtulit, eamque mirificè auxit &
illuſtrauit. Eccleſiam ſancti Hieronymi Illyricæ nationi
conſtruxit. Aquam fœlicem ſeu fontem in Quirinali de-
duxit, & varios alios fontes publicæ commoditati direxit.
Lauacrum ex aqua fœlici prope viam Piam muris cinctum
mulierculis pauperibus ædificauit. Vias nouas ampliſſimas
aperuit & complanauit. In Laterano locum diuerſis pi-
cturis concinnatum ad populo benedicendum deſtinauit.
Scalam ſanctam pretioſo ſalutarique CHRISTI ſanguine
conſperſam in nobiliorem locum tranſtulit, ac præclaris
ornamentis ad excitandam pietatem inſigniuit. Aedem ſan
ctæ Sabinæ ſacram reparauit. Tholum quem vulgò Cupo-
lam vocãt, incredibili ſumptu perfecit, vrbi tam multa pręſ-
ſtitit, vt eã non exornaſſe modo, ſed etiam renouaſſe meri-
tò cenſeatur. Montem Alcum muris vndique ſeptum ciui-
tatis honore & Epiſcopali dignitate donauit. Lauretum
toto terrarum orbe celebertimum, in ciuitatem Epiſcopa-
lem, & Eccleſiam Cathedralem euexit. Super verticem co-
lumnæ Traianæ, teſte Baronio, præclariſſimum Chriſtia-
næ religionis monumentum, Principis Apoſtolorum Pe-
tri ingentem æneam magna impenſa, ſtudioque conflatam
ſtatuam, inauratamque ſacris ritibus ſolenniter collocauit.
Pronepotes ſuos nobiliſſimis Columnenſium & Vrſino-
rum familijs matrimonij fœdere coniunxit. Ac tametſi in
omnibus ſupradictis incredibilem auri vim inſumpſerit,
tamen expeditioni terræ ſanctæ quam meditabatur, tan-
tas opes congeſſit, vt ſumma quinque myriadum auri in Decreta.
publicum ærarium illata ſit. Decreuit ne plures quàm ſe-
ptuaginta ſimul eſſent Cardinales, atque inter illos ad mi-
nimum quatuor Theologiæ Doctores, qui ex ordinibus
Regularium Mendicantium aſſumerentur: & quòd non
alio quàm ieiuniorum menſis Decembris tempore crea-
rentur. Cardinales diuerſis temporibus 33. creauit. San-
ctum Bonauenturam, Doctorem Eccleſiæ nominari, eiuſ-
que feſtum ſub officio duplici celebrari mandauit. Varia
ſanctorum feſta in Calendarium retulit. Græcam ſeptua-
ginta duorum interpretum editionem tam penè antiqua-
tam, eandemque latinè redditam, magno cum labore An-
tonij Caraſæ S. R. E. Cardinalis Bibliothecarij emenda-
tam, ac perpolitam meritò comprobauit, affixoque in fron-
te eius, ſacro diplomata magnoperè laudauit. Inopinato
morbo correptus, adempta ſtatim loquela, è vita exceſſit Obitus.
27. Auguſti, Anno 1590. Sepultus eſt apud S. Petrum, cùm
annos quinque, menſes quatuor, dies tres Pontificatus te-
nuiſſet. Vacauit ſedes dies 18.

VITA VRBANI VII. PONTIFICIS.

VRBANVS ſeptimus Ioannes Baptiſta Caſtaneus, an- Vrbanus qualis?
te Pontificatum nominatus, Romæ patre Coſmo
Genuenſi natus. In Hiſpania Nuntij Apoſtolici mu-
nere magna cum laude perfunctus, à Gregorio XIII. Car-
dinalis ſancti Marcelli creatus, & ad Bononienſem legatio-
nem deſtinatus. Sixto tandem in Pontificatu ſucceſſit 15.
Septembris, Anno Domini 1590. tempore Rudolphi II.
Imp. Natura fuit manſuetus, vitæ inculpatæ, & morum ſan-
ctimonia clarus: complexione tamen melancholica, & ad
morbum inclinante. Pontificatum vltra 11. dies non pro- Tempus Sedis.
traxit. Poſt eius obitum Sedes Apoſtolica duos menſes &
nouem dies vacauit.

VITA GREGORII XIIII. PONTIFICIS.

GREGORIVS XIIII. Franciſcum Sfondratum Sena- Gregor' qualis?
torem Mediolanenſem patrem habuit, & Nicolai no-
men in ſacro fonte conſecutus eſt. Optimarum di-
ſciplinarum & iuriſprudentiæ ſtudio Peruſij & Patauij non
pænitendam operam dedit. A Pio IIII. Epiſcopus Cre-
monenſis, & à Gregorio XIII. Cardinalis creatus, ac tan-
dem Vrbano ad fœliciorem vitam tranſlato, poſt duorum Quando Pontifex factus.
& ampliùs menſium interregnum 5. Decembris, anno 1591.
tempore Rudolphi II. Imp. ad Pontificatus faſtigium per-
tigit.

tigit. In grati animi & obſeruantiæ in Gregorium XIII. ſignificationem, Gregorius voluit appellari. Eius Pontificatus ad 15. Octobris anni ſequentis, duntaxat per menſes decem & dies totidem fuit continuatus. Quo factum eſt, vt optima queque conſilia, quæ animo conceperat, & quorum expectatione multos ſuſtentabat, exequi nō valuerit. Morbus qui multorum malo vitæ filum illi abrupit, fuit febris continua, reddendi lotij difficultas ex calculo nata. Quinq; Cardinales creauit, de quorum numero fuit Sfondratus. Sedes poſt eius mortem dies 15. vacauit.

Tempus ſedis.

VITA INNOCENTII IX.
PONTIFICIS.

Innocentius IX. qualis, & quando?

INNOCENTIVS IX. Cathedram S. Petri conſcendit die 29. Octobris, anno Chriſti nati 1591. tempore Rodulphi II. Imp. Ante Pontificatū Ioannes Antonius Farquinet nomen illi fuit. Cardinalis ſanctorum 4. Coronatorum à Gregorio XIII. factus eſt. Summa integritate, variaque in omnibus penè facultatibus eruditione imbutus, rerum vſu & longa praxi edoctus omnium animos in meliorem ſpem erexit. Verùm grauis annis, curis, & laboribus fractus, poſtquàm populum à pleriſq; grauaminibus liberaſſet, duoſque ex fratre pronepotes in Purpuratorum ordinem adſciuiſſet ad quietiorem vitam migrauit 29. Decemb. anno Domini noſtri 1591. Poſt obitum eius vacauit ſedes vno menſe.

VITA CLEMENTIS VIII.
PONTIFICIS.

Clemens VIII. qualis, & quando Pontifex creatus?

CLEMENS huius nominis VIII. Hyppolitus Aldobrandinus anteà nominatus, ex Cardinale S. Pācratij, & ſummo Pœnitentiario, trigeſimo die poſt ingreſſum conclauis magno omnium Cardinaliū conſenſu & ſtudio renunciatus eſt Pontifex tertio Kal. Febr. anno Redemptoris noſtri 1592. tempore Rudolphi II. Imp. Clementis nomen illi impoſitum eſt, quòd vir magnę apud oēs exiſtimationis, incredibili prudentia & dexteritate legationē nobiliſſimam & vtiliſſimam in Polonia obijſſet, aliasq; res Eccleſiæ difficillimas & grauiſſimas confeciſſet. Princeps erat ijs animi dotibus præditus, quæ in ſummo viro & vniuerſali Paſtore deſiderari poſſunt. Initio Pontificatus, teſte Baronio, anno 169. quotidianę illi menſę tredecim ex ipſis vetere inſtituto parari ſolitæ, adiecit alteram prope cœnaculū ſuum pauperibus peregrinis potiſſimùm è remotioribus regionibus in Vrbem confluentibus in ſingulos dies parandam, ad quam è ſua pretioſiora quæque & lautiora vilioribus ſibi retentis adferri iuſſit. Henricum Nauarræum Galliæ Regem ab excommunicationis anathemate abſoluit. Sigiſmundo Tranſyluaniæ Principi inuictiſſimo qui murum ſeſe in Oriēte pro domo Iſrael fortiter oppoſuit, Moldauis quoque & VValachis excutiendi iugum Turcicum author fuit. Cæteros orbis Chriſtiani Reges & Primates ad concordiam inter ſe & arma in barbarum dirigenda non intermiſſis laboribus paterna ſolicitudine adhortari nō deſtitit. Epiſcopos quos creaturus erat cum aliquot Cardinalibus ad hoc delectis, adhibitisque ſimul qui in Vrbe ſunt doctiſſimis Theologis & Canonici iuris peritiſſimis, diligenti primùm atque improuiſo examine probauit, cuius peritiæ eſſent; adeò vt ſub ipſo non niſi benè diſerto ad Epiſcopatum aditus patuerit. Alexandrinæ Eccleſiæ Legatos, Catholicam & Orthodoxam fidem ſuo, ſuique Patriarchæ Gabrielis atque totius Eccleſiæ nomine profitentes, atque Dioſcorum, aliosque hæreticos & ſchiſmaticos damnātes beneficè excepit, & paternè fouit. Cum Orthodoxo Tranſyluaniæ Principe, exiguo militum numero ſi eum cum numeroſiſſimis Turcarum copijs compares, copioſiſſimum Turcarum exercitum fudit, & profugauit. Ruthenos ad communionem Eccleſiæ recepit. Titulum ſancti Cæſarij in Palatio, nimia vetuſtate collapſum, penitusque inacceſſum atque deſertum, ideoque à Sixto V. è numero titulorum expunctum, cuſtos antiquitatum eccleſiaſticarum reſtituit & reſtaurauit: effuſas nimium conceſſiones Indulgentiarum reſtrinxit. Inuento, & religioſè adorato corpore ſanctæ Cæciliæ, miraculoſè ſanatus eſt à

Clemētis hoſpitalitas.

Henricū Regē Frācorum à ſententia anathematis abſoluit.

Alexandrinos & Ruthenos ad cōmunionem Eccleſiæ recepit.

Miraculoſè libera-

podagra, qua diù multumque grauiter laborauerat. Qua ratione verò iſta contigerint, illuſtriſſ. Cardinalis Baronius qui præſens interfuit, & vidit prolixè, enarrat his verbis:

At quid acciderit his diebus, exigit opportunitas ac dignitas argumenti, vt hic deſcribamus.

Cùm enim eiuſdem Tituli S. Cæciliæ presbyter Cardinalis Paulus Sfondratus, nepos ſanctæ memoriæ Gregorij XIV. Rom. Pont. poſt exornatam à ſe eandem Eccleſiam, adijceret animum ad Confeſſionem ipſius nobilius illuſtrandam, atque locupletandam, delectis Sanctorum reliquijs ſumma induſtria perquiſitis, & in vrnis argenteis pluribus magni pretij collocatis, vt eas ſibi reconderet, ſed non caperet locus patens inter altare & Confeſſionem, neceſſe habuit ſpatium dilatare. Quod dum fieret, vetus excauatum foramen detegitur pertinens ad corpus S. Cæciliæ, per quod (vt aliàs ſuperius diximus) ſoleret fidelium pietas dimittere ſudariola, quæ tactu ſepulchri Martyris haurirent gratiam ſanitatum. Sicq; per ipſum inuentum eſt pariter venerandum ſepulchrum illud, quo claudebatur ſacrū corpus inſignis virginis atq; Martyris Cæciliæ, de qua inſcriptio foris poſita, certam & exploratam in omnibus fidem faciebat.

Quid tum ille? exemplo Ioannis, qui etſi cucurrit citius Petro, & prius venit ad monumentum, abſtinuit tamen ab ingreſſu ſepulchri, deferens Apoſtolico culmini peruestigationem ipſius: munita mox capſa ſigillis, cucurrit feſtinus in Tuſculanum ad ſummum Pontificem; vt de tanto inuento theſauro ipſum præſens redderet certiorem. Laborabat ipſe ſanctiſſimus Clemens acrioribus podagræ doloribus, & licèt nullum ad audientiam mitteret, vbi tamen eius aduentus cauſam cognouit, ſtatim præſentem adeſſe voluit, & audire cuncta, quæ facta eſſent. quibus magna animi delectatione perceptis, ex eo tamen doluit & ingemuit, quòd eo detineretur ex mala valetudine impedimento, & non valeret (quod maximè optaret) ad inuiſendam & ſalutandam tantam Martyrem properare. Sed ceſſit impedimentum iſtiuſmodi tanto lucro: etenim mè tāto licèt munere indigniſſimum præmiſit explorare & adorare venerandum Cæciliæ corpus. Sicq; nulla penitus interpoſita mora, eadem celeritate qua venit, rediens ipſe eadem die Romam, ſimul ad ipſum titulum ſanctæ Cæciliæ, ſummo veſpere læti peruenimus.

Vidi quæ in marmoreo monumento poſita erat arcam cupreſſinam, qua ſacra membra Cæciliæ claudebantur, operculo ductili clauſam, tandémq; modicè læſam: vt vehementer fuerim admiratus, quomodo poſt octingentos ſeptuaginta octo annos; potuerit arca lignea, humectāte illam marmoreo ſui natura ſepulchro, ſubtus terram abſq; vlla aëris participatione locata, ita integra & illæſa ſeruari, & non penitùs tanta humiditate laxata, tam diſſoluta marcuerit, ſed fortis, ſolidáq; perſtiterit, vt abſq; læſione tangere, contrectare, amplexari quis eam pro arbitrio poſſet & ſtringere. integrum adhuc vſum ipſo eius operculo ductili retinente, vt ad oſtenſionem duci poſſet pariter & reduci: quod ſæpè ſæpius fieri contigit pluribus diebus illis, quibus antequàm eodem in loco, in Confeſſione iterum conderetur, dum idem venerandum corpus intus clauſum quamplurimi videre cuperent & venerari.

Cùm nos iſta de lignea arca non ſine magna admiratione vidiſſemus: ad id quod intus detinebatur ſacrum Martyris corpus intuendum deuenimus. Ac planè, ſecundùm illud Dauidicum: Sicut audiuimus ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. *Etenim vt à Paſchali Papa inuentum & reconditum fuiſſe legimus (& ſuperiùs recitauimus) venerandum Cæciliæ corpus, ita inuenimus, nempè ad pedes eius quæ fuerant madida ſanguine vela; & ſerica fila auro obducta quæ viſebantur, tam vetuſtate ſoluta veſtis illius auro texta, cuius idem Paſchalis meminit, indices erant.*

Alia verò ſuprà Martyris corpus ſerica, leuia tamen velamina poſita, ipſaq; depreſſa ſitum ipſum & habitudinem corporis oſtendebant. Viſebaturq; (quod admiratione dignum erat) non vt aſſolet, in ſepulchro reſupinum poſitum corpus, ſed vt in lecto iacens honeſtiſſima virgo ſuprà dextrum cubare latus; contractis nonnihil ad modeſtiam genibus, vt dormientis imaginem redderet potiùs quàm defunctæ. ipſo ita ad inſinuandam in omnibus virginalem verecundiam compoſito ſitu corporis; adeò vt (quod æquè mirandum) nemo quantumuis curioſus inſpector, auſus omninò fuerit virgineum illud detegere corpus, reuerentia quadam inenarrabili repercuſſus, perinde ac ſi cœleſtis ſponſus aſſiſteret vigilans cuſtos dormientis ſponſæ, monens & minans: Ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit. *Vidimus, cognouimus, & adorauimus.*

nus. Die vero ſequenti illuceſcente, ſuper eandem Confeßionem tulimus Deo in memoriam & honorem tantæ virginis & Marty- & aliorum cōditorum ibi Sanctorum ſacrificium Miſſæ: inde ve- ad ſummum Pontificem, qui miſerat, reuerſi in Tuſculanum ſin- la viſa retulimus.

Audiuit ipſe cuncta magna animi voluptate, ſimulq; de ſolem- mox cogitare cœpit repoſitione eiuſdem venerandi corporis in nfeßione, quam non per alium quempiam quantauis dignita- pollentem, ſed ipſe celebraturus eſſet ſolemniſſima pompa. Con- ituit certa dies, ipſe natalis eiuſdem Cæciliæ virginis. Interim parando pretioſiori loculo cogitans, aureum facere meditatur, d diſſuaſus, eò quòd impijs effoſſoribus ſepulchrorum illecebra au- r eſſe ſoleret, argenteam pragrandem, quæ ipſam etiam inte- n cupreſſinam caperet, arcam fabricari mandauit. In qua e- borandà, inſtar Beſelebelis inſpirati diuinitùs enituit induſtria cellentis opificis: qui veluti alterum cœlum corpori, cuius eſſet in lo anima, fabricans, thecam illam ſtellis auri fulgore micanti- s exornauit. eſt pretium eius quatuor millium trecentorum no- gmatum duorum aureorum, in qua eiuſmodi poſita eſt foris inſcri- io.

CORPVS S. CAECILIAE VIRGINIS ET MARTYRIS A CLEMENTE VIII. PONT. MAX. INCLVSVM ANNO M. D. IC. PONTIF. VIII.

Intus verò in argentea lamina ab eiuſdem Tituli dicto ſæpè ſu- erius Paulo Cardinali presbytero totius rei geſtæ ſeries ita deſcri- ta fuit.

Hic requieſcit corpus S. Cæciliæ virginis & Martyris, quod à Paſchali primo Pont. Max. ipſa reuelāte, repertum, & in hanc Eccleſiam tranſlatum, & ſub hoc altari vnà cum orporibus SS. Martyrum Lucij & Vrbani Pontificum, nec on Valeriani, Tiburtij, & Maximi reconditum, iterum oſt annos ferè octingentos, Clemente VIII. Pontif. Max. cum iiſdem SS. Martyribus lucem aſpexit, die 20. Octobris, anno Dominicæ Incarnationis M.D.IC. Cuius ſanctę virginis corpus prædictus D.N. Papa Clemens veteri lignea capſa in qua iacebat, argentea incluſa, intactum, immutatumque hoc eodem loco, in quo fuerat collocatum, poſt peracta Miſſarum ſolemnia maxima cum deuotione & lachrymis, toto ſpectante populo, repoſuit XXII. Nouembris, ipſo feſto virginis die M. D. IC. Ad cuius latus in alia ſeorſum capſa prædicti tres Martyres Valerianus, Tiburtius, & Maximus requieſcunt. Necnon ſub ipſo virginis corpore in alia ſimiliter arca prædicti duo Martyres ac Pontifices Lucius & Vrbanus, prout a Paſchali Pontifice omnes in ijs conditi ſunt.

Ego Paulus Tituli S. Cæciliæ S. R. E. presbyter Cardinalis Sfondratus, cui licet miſerrimo peccatori prædicta corpora, quæ diuturnitate temporis ferè in tenebris iacebant, & inuenire, & videre, & venerari à Deo Optimo Maximo datum eſt, memoriam hanc hiſce literis conſignaui.

ita inſcriptio in ſepulchro poſita. cœptam verò iam hiſtoriam proſequamur.

Intereà verò cùm idem ſummus Pontifex incolumis rediiſſet e Tuſculano: adiuit vnà cum S.R.E. Cardinalibus ipſam Eccleſiam ſanctæ Cæciliæ, vt eiuſdem virginis atq; Martyris inuiſeret, ac veneraretur ſacra pignora: vbi cum adeſſet, educto operculo, cupreſſinæ illius capſæ, venerandum quoq; Angelis Sanctiſſimæ ipſius corpus, ijs quæ diximus (vt poſitum fuerat à Paſchali Pont.) opertum velis vidit, & veneratus eſt, atque ei tunc quam ferret omni auro, gemmisq; eſſe gratiorem oblationem, preces obtulit, vnà cum lachrymis oblationis cordis indicibus; necnon in honorem Martyris incruentum Chriſti Corporis ſacrificium. reliqua ſolemniori ritu impleturus religionis officia, ipſo qui proximè adeſſet die natali Martyris. Iſta tunc fuere oblata virgini digna tanto Pontifice munera.

Sed eius plurimùm in eo commendata modeſtia fuit, quòd inuitatus licet, noluit reductis velis, nudum virginis corpus quantumlibet exiccatum inſpicere, cui eſſe videretur loco ruboris cuſtodis verecundiæ virginalis, ſanguis aſperſus; ſatis ad fidem eſſe ſciens, me ultra ſingula cognouiſſe per ſuperpoſita vela, atq; vidiſſe à prædeceſſore inſcripta ſepulchro atq; deſcripta diplomate ſignacula illæſa reperta, atq; diuinitùs conſeruata. Veneratus eſt pariter poſt hæc ſanctiſſimos prædeceſſores Pontifices Vrbanum & Lucium, necnon Valerianum, Tiburtium, atq; Maximum Martyres in eadem Confeßione reconditos, tunc ipſi ad breue temporis ſpatium, amoto operculo, demonſtratos.

Vbi autem exoptata aduenit dies natalis eiuſdem ſanctæ Cæciliæ, ipſe Pontifex vnà cum ſacro Senatu, ipſo Collegio Cardinalium præſto fuit; atq; etiam celebri pompa, ritu ſolemni ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium obtulit. Quo ſumma religione perfuncto, miniſterio diaconorum adiutus, arcam illam argenteam iam anteà conſecratam, detulit in Confeßionem, in eaq; cupreſſinam illam, quæ venerandum corpus virginis & Martyris Cæciliæ continebat, conſuetis adhibitis precibus, collocauit, atq; intra lapideum monumentum vtramq; ita ſimul compoſitam clauſit. Solemnis repoſitio S Cæciliæ corporis.

Obijt Pontifex optimus anno Domini 1605. quinto Nonas Martij, cùm ſediſſet annos tredecim, menſem vnum, & tres dies, ad quartum Nonarum Aprilium ſedes Pontificia Paſtore viduata extitit.

CONCILIVM PROVINCIALE AQVILEIENSE PRIMVM.

Celebratum Anno Domini 1596. tempore Clementis Papæ VIII.

INDEX RVBRICARVM.

De fide profitenda.
De fide tuenda.
De prædicatione verbi Dei.
De diuinis officijs.
De reſidentia Epiſcoporum.
De Reſidentia Curatorum.
De Reſidentia Canonicorum, & beneficiatorum, qui reſidendi obligatione tenentur.
De Epiſcopis.
De Parochis.
De dignitatibus, Canonicatibus, & beneficijs ſimplicibus.
De vita, & honeſtate Clericorum.
De Seminario Clericorum.
De Viſitatione.
De feſtorum dierum ſanctificatione.
De Reliquijs Sanctorum.
De Eccleſiis, & pio in eis verſandi modo, Altaribus, & Sacriſtijs.
De bonis, & iuribus Eccleſiarum tuendis.
De Vicarijs foraneis.
De Monialibus.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVAE TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, Amen.

Nos Franciſcus Barbarus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Aquileiæ, & Princeps. De conſilio, & aſſenſu Reuerendiſſ. Coepiſcoporum noſtrorum in prouinciali Synodo prima Aquileienſi hæc ſtatuimus, & ſancimus.

De Fide profitenda.

EX ijs, quę ſacra Tridentina Synodus ad prouinciarum, ac Diœceſium rectam gubernationem inſtituit & decreuit, ac Prælatis ſuperioribus amuſſim exequenda præcepit, nihil fuit vel ipſa re ſanctius, vel frequēti hoſtium incurſione opportunius, vel publicæ vtilitatis ratione optabilius, quàm vt ſinceræ fidei nitor, quam eccleſia Catholica Spiritu ſancto edocta inconcuſſa veritate hactenus tenuit, ac tenet, in ipſa eccleſia conſeruaretur, vt nihil irreperet, quod imbecilliorum animos concuteret; aut per calumniam inficeret, quos ſinceritas commendârat; aut veri lucem offuſis tenebris in dubium reuocaret. quod in primis ab illis profeſſione eiuſdem fidei conceptis verbis formata, omninò faciendum decreuit, qui alijs vel præfecturæ ordine, vel tituli Eccleſiaſtici ratione, vel diſciplinæ officio præeſſent.

Vt autem à nobis cœptum, & à Reuerendiſſimis Suffraganeis promptè impletum, quod fuerat de profitenda fide Concilij Tridentini decreto ſancitum, ita ſtatuimus, quicúque in poſterum ad eaſdem Cathedrales eccleſias promoti fuerint, ſeu etiam tranſlati, vel electi, aut poſtulati, illos in prima Synodo prouinciali poſt illorum promotionem, & conſecrationem futura ad profeſſionem fidei emittendam teneri: aliter contra illos ex præſcripto eiuſdē Concilij procedi debere, ac poſſe.

Prouiſos de Canonicatibus, & dignitatibus in eccleſijs Cathedralibus non ſolùm corā Epiſcopo, ſeu illius Officiali, ſed etiam in Capitulo profitendæ fidei obſtrictos, & non parentes fructus ſuos non facere ex Tridentini Concilij decreto declaramus: quam diſpoſitionē ad illos etiam Canonicos eccleſiarum Cathedralium pertinere dicimus, qui à Capitulo ius cōferendi certis menſibus habēte prouiſi fuerint.

Qui de eccleſijs Parochialibus, ſeu Curatis quibuſcunq; prouiſi fuerint, intra bimeſtre tempus fidei profeſſionē in manibus Epiſcopi, vel, eo impedito, coram eius Vicario generali, quoties prouiſi fuerint, facere omninò teneantur.

Cæteri verò omnes ſiue in præſenti, ſiue in futurum beneficia eccleſiaſtica habituri, & qui in Synodo Diœceſana conuenire debent, in eadem Synodo, quę primo quoq; tempore celebrabitur, fidei profeſſionē faciant: aliàs ſecundùm formam ſacrorum Canonum puniantur.

Decernimus autem in Archiuijs Epiſcopalibus ſpecialē aſſeruari librum, in quo profeſſæ fidei fundamenta extent; cuius inſpectione facilè colligatur, quis muneri obſecundârit ſuo, quis partes ſuas deſeruerit. Idem mandamus à Capitulis eccleſiarum Cathedralium ſeruari: ſi negligentius egerint, excitari; omninò vt faciant, prouideri.

Qui alios publicè in Vniuerſitatibus, aut Academijs docēdi munus ſuſceptum habent; quamcūq; profiteantur ſcientiæ facultatem; debent hi quidem attentè inſpici, ne ſpecie doctrinæ, & ficta inueſtigatione veri diſcentium animos perturbent, & ſincerum illum ſcientiæ liquorem, quo mens diſcentis alitur, veneno inficiant, & cupidè haurientibus interitum afferant. ac debent hi quidem omnes fidei profeſſionem, antequam ad munus ſuum exercendum admittantur, emittere.

Qui philoſophiam publicè, ſeu priuatim, aut Metaphyſicam, & alias huiuſmodi ſcientias docent, graui ſe promiſſi religione obligent, ſi quid proponendo, ſupponendo, diſceptando, declarando ex ſciētiarum principijs aſſeuerauerint quod fidei Catholicæ repugnet, perfecta diſceptatione, quæ cum Orthodoxa religione conueniunt, fideliter ſe, ac ſincerè aperituros; ne quis minus ſciens, aut animi imbecillioris homo periculoſi erroris obiecta ſpecie in deteriorē ſenſum declinet. quod in Lateranenſi Concilio ſub Leone X. prouiſum, cautumq; eſt, Conſtitutione incipiente: In Apoſtolici regiminis. & imprimenda in fine harum Conſtitutionū pro faciliori eius publicatione, cuius etiam ſanctionem, vbi ſtudia vigent generalia, decernimus ſingulis annis in principio ſtudiorum promulgari.

Qui in Academijs publicis in quacunq; ſcientia & facultate, aut priuatim domi ſuæ, aut alienæ vel gratis, vel mercede conſtituta legunt: qui Grammaticen, etiam illius principia docent, Arithmeticen, Muſicen, Geometriam, & alias literarias, & liberales artes, etiam in Seminarijs Clericorum præuia illorum de ſcientia, vita, & moribus cognitione, & approbatione fidem profiteri omninò in manibus Ordinarij debent. Quod vt maturè fiat, ac diligenter, ſtatuimus Epiſcoporum prouinciæ noſtrę ſolertia prouideri aut propoſito edicto publico, quo profitentes quaſcunq; facultates, & liberales artes ad ſe euocēt, aut præcepto parochis locorum facto, vt ad ſe quid hoc de genere habeant intra fines ſuæ parochiæ, quamprimùm deferant; vnde prouiſionis facultas ducenda erit.

Prædicatores verbi Dei, ſi ſeculares fuerint, vel Regulares, in eccleſijs non ſuorum Ordinum prędicationes habituri, ab Epiſcopo licentiam obtinere, atq; ad id munus obeundum approbari iuxta Concilij Tridentini decretum debere reminiſcantur. Quod ſi Regulares in eccleſijs ſuorum Ordinum ſint prædicaturi, tunc eos perſonaliter ſe coram Epiſcopo præſentare, atq; ab eo benedictionem petere ex eodē Tridentini Concilij decreto ſatis fuerit. Verùm tam ipſi ſeculares, quàm Regulares Prædicatores nullo pacto ad prædicationes admittantur, antequam ſæculares in manibus Epiſcopi, Regulares verò in manibus ſuorum ſuperiorum Regularium eandem fidei profeſſionem emiſerint.

Qui ad Magiſterij, aut Doctoratus inſignia tam in ſacra pagina, quàm in iure Canonico & Ciuili, aut artibus aſpirabit, non ante promoueatur, quàm in manibus Ordinarij eādem fidem profiteatur.

Quæ omnia ſummario proceſſu, quatenus Epiſcopo ſufficere videbitur, apud actuarios excepta cum teſtibus in Archiuio Epiſcopali ſeruanda erunt.

Si quis autem ſupradictorum quocunque prætextu, aut quæſito colore fidei profeſſionem facere neglexerit, aut recuſàrit; nullo pacto ad munus ſuſcipiendū, vel exercendum admittatur ab Epiſcopo; cuius etiam erit animaduertere, an ij, qui fidei profeſſionem emittere neglexerint, vel recuſauerint, tales ſint, de quibus ad Sanctiſſimum Dominū ex Decreto Concilij Tridentini referendum eſſet. Si quis impedimento fuerit, quo minus dicta Conſtitutio exequutionē habeat, de eo decernendū ſeuerè, quod iuris fuerit, ſtatuimus.

De Fide tuenda.

DVo ſunt, quibus præcipuè Catholicæ fidei veritas ſuſtinetur, ac munitur, quorum alterum ad veritatis ſinceritatem & doctrinam pertinet; vt prædicetur, doceatur, declaretur: alterum cautionem reſpicit, qua veri dignitas, & forma à malorum artibus integra conſeruetur; ne dormiente patrefamilias inimicus homo zizania ſuperſeminet; & meſſem corrumpat: quo hactenus peſtilentiæ genere maximas & nobiliſſimas prouincias laborare lacrymabili exitio apud omnes cognitum eſt.

Vt igitur cœleſtis ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus ſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, in commune commodum eorum induſtria, & ſtudio, quibus eſt diſpenſatio myſteriorum Dei commendata, impendatur, & veritatis appetentibus diſpertiatur; Sacri Concilij Tridentini Decreta ſequentes decernimus; vt ſacræ Scripturæ lectio inſtituatur in eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, quamuis nullius Diœceſis; ſi Clerus ibi numeroſus fuerit; Præbendam quomodocunque, præterquam ex

ſa reſignationis,primò vacaturam,cui aliud onus incom
ibile non ſit adiunctum; ſi nulla ibidem præbenda, præ-
nonium, aut ſtipendium ad munus huiuſmodi deputa-
n ſit; ad eum vſum ipſo facto conſtitutam, ac deputa-
n intelligi debere, Epiſcopi decreto in Theologalem cō-
ɔdiore,qua poterit,ratione, erigendam, & perſonis ido-
is,quæ munus obire per ſe poſſint,conferendam:aliter ve
factam prouiſionem nullam eſſe, & inualidam.

Quod ſi nulla in eccleſijs ſufficiens præbenda ſit, per aſ-
nationem fructuum alicuius ſimplicis beneficij, ſuppor-
is debitis oneribus, vel per contributionem beneficiato-
m ciuitatis & diœceſis, decernimus ab Epiſcopo de Capi-
li conſilio prouideri, vt ipſa ſacræ ſcripturæ lectio omni-
habeatur.

Præbenda verò huiuſmodi non conferatur niſi Clerico
culari, & ſi videbitur Ordinario pro eccleſiæ vtilitate per
ncurſum,ei,qui cæteris ſufficientia, & doctrina excellat.

Si verò clericus ſecularis idoneus non reperiatur, cui
æbenda Theologalis conferri poſſit, ſtatuimus, ne tantæ
i ſtudium, & lectio intermittatur, aut longiore tempore
itercedente frigeſcat; quod diligentia & exercitatione fla-
rare debet; Præbendæ Theologalis prouentus integros;di-
ta collatione; alicuius Monaſterij Regularium Priori, a-
jve ſuperiori Regulari attribuendos eſſe; qui Regularem
x ſua familia probatæ vitæ, ac doctrinæ ſeligat ad munus
ectionis ſacræ interim obeundum: Lectori, quæ neceſſa-
ia fuerint,attribuat:reliqua in Monaſterij commodum im
endat.

Locum Theologo,diem,horam,& lectionis argumentū
piſcopus præſcribat, & definiat. à lectione vacare ſpatio
rium menſium Iulij, Auguſti,& Septembris permittat.

Quæ tamen de Theologo diſpoſita ſunt in præcedenti
§. Cæteri,illa declaramus nō comprehendere lectorem Re-
gularem,qui in defectum Clerici ſecularis ad lectionē ſacræ
ſcripturæ ſuffectus eſt.

In Monaſterijs quoque Monachorum,etiam Carthuſia-
norum,vbi commodè fieri queat, item lectio ſacræ ſcriptu-
ræ habeatur:qua in re ſi Abbates negligentes fuerint,Epiſco
pi locorum in hoc, vt Sedis Apoſtolicæ delegati, eos ad id
opportunis remedijs compellant, quemadmodùm Decreto
Concilij prouidè ſtatuitur. In Conuentibus verò aliorum
Regularium, in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt, ſa-
cræ ſcripturæ lectio ſimiliter haberi ex Tridentini Concilij
præſcripto debet: q̄ lectio à Capitulis generalibus, vel pro-
uincialibus aſſignetur dignioribus miniſtris. In Gymnaſijs
etiam publicis, ſi hactenus ſacræ ſcripturæ lectio inſtituta
non fuit,ad Catholicę fidei conſeruationem,propagationē,
& defenſionem quamprimùm inſtitui, & ſi inſtituta foret,
& negligeretur, reſtitui ex Tridentini Concilij decreto om-
ninò debet;ne,ſi artium & ſcientiarū principia,& documen
ta ſtudioſè paſſim traduntur, vt nihil ad perfectam cognitio
nem deſideretur;neglecta iaceant ſacrę ſcripturę ſtudia, Eu-
angelici verbi pabulum, diuinorum eloquiorum maieſtas,
& promiſſorum cœleſtium amplitudo,quod eſt vnicū præ-
ſentis vitæ ſubſidium, & futuri ſeculi argumentum.

Ac ne ſpecie pietatis diſſeminetur impietas, ſtatuimus ad
lectionis officium tam publicè, quam priuatim obeundum
non eſſe admittendū, qui prius ab Epiſcopo loci de vita,mo
ribus,& ſcientia examinatus, & approbatus non fuerit.

Satis verò non eſt, mentem innoxio cibo alere, & ſanita
tem tueri,niſi arceantur malarum artium pręſtigia,& pieta-
tis importuna corruptio,vnde non fluxit modò morum, &
humanæ vitæ labes,& omnium impuritatum colluuies, ſed
Catholicæ veritatis perpetua oppugnatio: eſt autē hæreſum
ea vis, & natura, vt in omnes ſe partes, tanquam venenum,
inferat, ſerpat longius, omnia inficiat,& corrumpat:ſi à mo
rum cœpit impuritate, inuadit animos, & perdit: ſi animo
ſemel excepta, mentis faſtigium occuparit, in omnem im-
manitatis ſpeciem erumpit, omnia vaſtatione vexat, & op-
primit:quam vt à diœceſi, & prouincia Aquileienſi peſtem
Deo iuuante arceamus, nonnulla ſtatuere decernimus dili-
gentiſſimè obſeruanda.

Parochis igitur omnibus graui mandato per locorū Or-
dinarios præcipiendum ſtatuimus, vt ſingulis ſaltem annis
in principio anni Edictum de hæreticis denunciandis pro-
mulgent, ac ſæpè inculcent, quanto ſe piaculo obſtringat, qui
alieni ſceleris,quod in commune perniciem dimanat, con-
ſcius, nec murum opponit, nec morbum cuniculis progre-
dientem, cùm delatione poſſet, oppreſſit.

De librorum Indice S. D. N. mandato proximis menſi-
bus edito, vt exequutioni accuratæ demandetur, ſuademus,
percupimus, mandamus. Satis enim patet ex libris, tanquam
ex venenatis fontibus, impurum fluere liquorem, quo ani-
mi vel nequiorum, vel imperitorum facilè capi, & imbui ad
perniciem poſſint. Quia limites parochiarum diſtinctis fi-
nibus terminantur, & poteſt quiſq; inter ſuos agnoſcere, q̄d
ſit, & quale, quod tractatur: ſtatuimus per vniuerſam pro-
uinciam parochis omnibus indicendum, ac ſeriò pręcipien-
dum, ſi quid in ſua parochia depræhenderint facto, dicto,
ſcripto, pictura, ſculptura, etiā exercendi ingenij cauſa, quod
ſit contra certum eccleſiæ Catholicæ ſenſum, aut ſuſpicionē
afferat rationabilē violatæ, ſeu infectæ Religionis, aut ſcan-
dalum oleat, ad ſanctum Officium deferant: Idem parochia-
nos moneant ſuos, vt facere ſtudeant. Quod ſi ab hæretico-
rum, pręcipuè Theutonicorum prouincijs, vel loci vicinita-
te, vel mercatorum frequentia in fines parochiæ aliqui di-
uertere ſoleant; moneant parochi Hoſpites, vt cibos in men
ſa proponant, qui temporibus conueniunt: quod ſi comper-
tum habuerint, ieiuniorum tempore carnes, & vetitos cibos
in hoſpitio parari; curent, vt ad ſanctum Officium, ſiue ab
Ordinario tantùm, ſiue ab Ordinario, & Inquiſitore exer-
ceatur, rem deferant. quod item facere non omittant: ſi ne-
quam iſti verba fecerint, & diſputationē inſtituerint de hæ-
reſum, quas tenent, qualitate, aut libros hæreticos quacunq;
lingua cōſcriptos attulerint, & in hoſpitio alijs legerint, aut
legendos tradiderint: de quo monendi prius erunt ho-
ſpites; qui, ſi ſupina negligentia vel lucri cupiditate Catholi-
cæ veritatis dignitatem poſt habuerint; & contumelijs intra
ſuos parietes proſcindi pertulerint, non effugient manum
Domini, & grauiſſimè etiam tanquam ſcelere obſtricti im-
mani à ſancto officio Inquiſitionis plectentur.

De ciborum communium vſu; cùm certorum dierum,
ac temporum prohibitio non obſtabit, moneant parochi
ſuæ parochiæ hoſpites, vt nihil in gratiam vel Iudæorum,
vel Infidelium ſeparatim ſuperſtitioſè coquant, ne fiant ſce
leris participes, qui nomine, & pietatis ſtudio ſe alienos pro-
fitentur.

Quia verò nulla re ſubeſt periculum penè maius inter
nos, quàm librorum hæreticalium vſu, nec alia magis parte
hæretici obeſſe ſtudent, quàm librorum corruptorum ſup-
poſitione, quos aptè per dolum inter probatos etiam colli-
gare ſtudent, vt emptionem eludant, & emptorem in fraudē
inducant: ſtatuimus, Bibliopolis omnibus in tota prouincia
graui præcepto inhibendum, ne in poſterum libros aliunde
adductos tam colligatos, quàm ſolutos venales proponant,
niſi auctores illorum inuentario integro cōprehenſos Ordi
nario, ſeu Patri Inquiſitori loci exhibuerint; atq; ille ſubſcri
ptione, vt vendi poſſint, conceſſerit. cōtra facientes . eueri-
ori animaduerſione pro modo culpæ decernimus plectēdos.

Qui libros prohibitos ſcienter tenuerint, contra illos
pro librorum qualitate procedendum ſtatuimus, iuxta Indi
cem nuper editum.

Magiſtratus autem ſeculares enixè in domino rogamus,
vt, ſi quid opus illorum auctoritate, & ſubſidio ad fidem Ca-
tholicam tuendam fuerit, piè, promptè exhibeant, & officij
dignitatem cœleſtibus cumulare meritis non omittant.

Vt autem contra hæreſum peſtem omnia medicamen-
ta tam neceſſaria, quàm opportuna adhibeamus in tota pro-
uincia termino menſis poſt præfatorum Decretorum con-
firmationem ſtatuimus, publicandam eſſe Conſtitutionem
Pauli Papæ IV. contra negantes Trinitatem, aut diuinitatē
Ieſu Chriſti; & alteram Conſtitutionem Pij Quinti contra
offendentes ſtatum, res, & perſonas officij Inquiſitionis hæ-
reticæ prauitatis.

Pueros ætate imbecilla diuerſari inter hęreticos ſummè
periculoſum, niſi debitis, ac neceſſarijs præſidijs pietatis mu-
niantur. Idcircò præcipimus in tota prouincia Aquileienſi
ab Epiſcopis diligenter ſeruandum, moneant, vt patres, qui
filios, aut alios quoſcunq; ad partes hæreticorū mercimonij

vel

vel addiſcendæ linguę cauſa mittere deliberârint, prius ad ſe adeant, & filios, ſeu conſanguineos, aut alios quoſcunq; illò mittendos ſecum adducant, vt Epiſcoporum monitis ætas illa ſalutaribus munita, & confirmata facilius irrepentis morbi peſtem declinet, aut auertat, & reijciat.

Mercatores autem, & artifices, qui lucri cauſa peregrinantur in longinquas regiones, quas hæretici frequentant, artificiolo etiam circumlato, curent Epiſcopi, ne diſcedant benedictione Epiſcopali non petita: quæ maxima erit contra dæmonis artes, & fallacias medicina: ſi Paſchali tempore aut illi proximo ad nundinas proficiſcantur, indicant, vt vel ante diſceſſum, vel ſtatim poſt reditum confeſſionem peccatorum faciant, & ſacram communionem percipiant. Si quid fuerit hoc de genere proſpiciendum, hoc proſpiciant, & curent.

De prædicatione Verbi Dei.

APoſtolis præcepit Dominus, vt euntes in mundum vniuerſum prædicarent Euangelium omni creaturæ, atque hoc præcipui muneris officium, quod Apoſtolis commendauit; nobis, qui in Apoſtolicum miniſterium Dei prouidẽtia diſponente ſuffecti ſumus, intimauit: ac, vt prouida paſtoralis cura debet proſpicere, vt ſit, qui petentibus panem frangat paruulis; ita, ſi legitimum non obſtet impedimentum, prædicationis onus ſubire nos ipſi Epiſcopi debemus: ac interim vrgere cæteros, qui officij obligatione tenentur, vt idem faciant, & pabulum ſalutis populo præbeant: niſi enim hoc pręſtiterimus, quod fuit in omni temporum varietate primum in Eccleſia, & ſingulare fidei firmamentum; vltionem apud Deum, & homines, quã ſacri Tridentini Concilij ſanctio præſcripſit, & intimauit, non effugiemus. Vt autem reliquis officio, dignitate, poteſtate anteimus, ita exemplo, & muneris exequutione prælucere debemus. ſi legitimo Epiſcopi laborant impedimento, idoneos eligant, qui vices illorum ſubire, ac ſuſtinere, & populos cœleſti alimento paſcere queant; ne deſit gregi pabulum; quo vita ſpiritualis conſeruatur; nec paſtor, qui pabulum ſuppeditet, & vitæ gregis conſulat.

Curent Epiſcopi, vt Archipresbyteri, Plebani, & quicunque Parochiales, vel alias curam animarum perſonarum ſecularium habentes Eccleſias quocunq; modo obtinẽt, idem per ſe ipſos, vel per idoneos ſubſtitutos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolennibus munus obire ſtudeant, vt plebes ſibi commiſſas pro ſuã, & illarum capacitate paſcant ſalutaribus verbis: quæ omnibus neceſſarium eſt ſcire ad ſalutem, doceant; vitia, quæ declinent; virtutes, quas ſectari oporteat, oſtendant, & declarent. atq; id non modò in eccleſijs, quæ ſunt in diœceſi, quouis modo exemptis, etiam alicui Monaſterio, quod ſit extra diœceſim, vnitis, ſeu annexis; ſed in perſonas, quæ ab Epiſcopi iuriſdictione ſe quauis ratione prætendunt exemptas, exequi, & efficere omninò ſtudeant.

Ac vt vix in hoc genere fieri poteſt, in quo nõ videatur aliqua adhuc diligentia deſiderari, ſi publica reſpiciatur vtilitas, & vel excitandæ, vel conſeruandæ deuotionis ratio perpendatur, ita præter Quadrageſimæ, & Aduentus dies, omnibus etiam Dominicis, & feſtis anni vehementer cupimus prædicationem verbi Dei in eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus fieri, vt ex ſacræ ſcripturæ fontibus ad ſpiritualem populorum ædificationem hauriatur, quod ad vitæ Chriſtianæ diſciplinam, ad boni ſtudium, & contrariorum declinationem deriuari aptè poſſit.

Sapientibus, & inſipientibus debitores ſumus, nec perſonam hominis reſpicit Deus, ſed cor intuetur, &, cui voluerit, dat gratiam: at verò ad paſtoralem ſolicitudinem pertinet rationem illorum, qui in ſaltibus degunt, & ſyluas colunt, & in vallibus habitant, haberi, ne animo ſylueſcant, vt habitudine corporis, veſtium aſperitate, & locorum ſitu; ſed in ijs, quæ ad principia fidei pertinent, qua poſſunt via capere, inſtituantur, & pietate aliqua imbuantur: idcircò ſtatuimus ab Epiſcopis diligenter prouidendum, vt vel Diœceſana Synodo, vel modo alio, qui opportunior videbitur, adhibito Clero, ac de illius conſilio rationem ineant, qua viros probatos, & ad obeundam prędicationem idoneos ſtatis tẽporibus emittere in prædicta loca poſſint, vt populos a ſtes opportunè congregatos paternis monitis, ac pietatis qua eruditione inſtruant, ne Epiſcopi apud Deum negligtiæ arguantur, ſi populorum ſalus periclitetur.

Regulares cuiuſcunque ordinis, ſi à ſuis ſuperioribu vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuer cùm illorum licentia, etiam ſi in eccleſijs ſuorum Ordin prædicare affectent, coram Epiſcopis perſonaliter ſe præ tent, & ab eis benedictionem petant, antequam prædic incipiant. In Eccleſijs tamen, quæ ſuorum Ordinum n ſunt, vltra licentiam ſuperiorum ſuorum etiam Epiſcopi centiam vltra examen, ſi Epiſcopo videbitur, habere tene tur, ſine qua in ipſis eccleſijs nullo modo prædicare perm tantur. licentiam verò ſcriptis debent Epiſcopi gratis c cedere.

Inoleuit abuſus, vt Prædicatores Regulares obedient ſuas per internuncios Epiſcopis mittant pro licentia, ſeu b nedictione reſpectiuè obtinenda, accedere ipſi perſonali omittant: quem abuſum tollentes decernimus, non eſſe o ninò permittendum in tota prouincia, vt ad ſuggeſtum p dicationis cauſa aſcendant, qui in adſcripta obedientij. li tia, ſeu benedictione non oſtenderint, perſonaliter illos Epiſcopo licentiam, ſiue benedictionem obtinuiſſe.

De prædicationis argumento, & Prædicatoris muner cùm ad oſtentationem, & inanem aurium oblectatione & curioſitatem trahi cœperit verbi Dei prædicatio; mone Prædicatores ſeriò volumus. quia tamen locus iſte non pa titur, vt rem enucleatè tractare poſſimus Reuerendiſſ. Coe piſcopos Suffraganeos noſtros enixè rogamus, vt ſinguli poſt actam Synodum aliquid de hoc genere conficere ſtu deant, quo Prędicatorum monitiones, & obſeruationes cõprehendant; pro fine cuique proponatur gloria Dei, & ſalu animarum; pro medio non curioſiores quæſtiones, & oblectamenta verborum auribus prurientia: quod facilè aſſequ mur, ſi pro argumento fuerit, Chriſtum prędicare crucifixũ Dei virtutem, & Dei ſapientiam. à ſacratiſſimis enim cruci fixi Chriſti vulneribus, cruce, & morte diuinę virtutis ſuper eminentiam, & voluntariæ paſſionis, quam pro redemptione mundi ſubijt homo factus, acerbitatem, & charitatis excellentiam cognoſcimus, & prædicamus, vnde ad populor inſtitutionem duci poteſt, & penè ſub oculos poni conditoris Maieſtas, Redemptoris benignitas, Patris miſericordia, iudicis ſeueritas, æternæ vitæ per diuinorum præceptoru obedientiam felicitas, & ſempiternæ damnationis propte præuaricationem confuſio. quæ docentur in Academijs, & diſceptãtur in ſcholis, & inter ſcholaſticos agitantur, ſint inter illos, qui ingenia exercent, & animos acuunt: In prædicatione inſtituuntur fidelium mentes, & ſtudio pietatis vocer tur ad mandatorum diuinorum obſeruationem, vt virtute Chriſtianas colant, vitia declinent, & ad futurę vitæ prǽmia implorato Dei auxilio contentis ſtudijs aſpirent.

Quæ ſi Prædicatores neglexerint, & moniti obſeruare contempſerint, Epiſcoporum diligentia, & ſolicitudo curabit, vt populorum piæ inſtructioni, & animarum ſaluti omnibus modis conſulatur.

De diuinis officijs.

DIuina officia vetere Sanctorum Patrum inſtituto, ordine, & horarum numero ad omnipotentis Dei nomẽ colendum, & inuocandum diſpoſita, quorum celebritate, & frequentia in militanti eccleſia Triumphantis figura, tanquã exemplaris imitatione exprimitur; ita decet tractari, vt cordis mundities adſit, moderatus, & penè eccleſiaſticus corporis cultus, index plerunque illorum, quæ ſunt in animo, non deſideretur: deuotio autem, & quædam compoſitio actionum ſacrarum non abſit.

Eminet autem inter omnia, quæ ſacris habentur myſterijs, & actionibus, Miſſæ ſacrificium, & rei dignitate, & Sacerdotis præſtantia, & fructus excellentia: Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus vnigenitus Patris, candor æternæ lucis, & figura ſubſtantiæ illius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, tanquam Sacerdos conſtitutus à Deo ſecundùm ordinem Melchiſedech in æternum, cùm ingrederetur in Sancta Sanctorum per ſanguinem ſuum; ſemel ſe ipſum in

rucis morte intercedente Deo Patri obtulit in redem-
em earum præuaricationum, quæ erant ſub priori te-
nto, vt repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æ-
hæreditatis. hoc verò ſacrificium, quod ſemel cruen-
latum eſt, & memoria, ac repræſentatione in Eccleſia
entatur, & vſque in finem ſeculi permanebit, cuius ſa-
is virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie
mittuntur, applicatur, quanta deceat ſpiritus innocen-
uerentia, metu, humilitate tractare, res ipſa indicat, ip-
quitur, & conteſtatur.
Epiſcopos autem, qui cæteris antecellunt dignitate, &
io, toti anteire Clero decet myſterij huius frequẽtatio-
c Miſſæ celebratione; vt enim ſtatis ſolemnitatibus Epi-
os Pontificales Miſſas agere conuenit, diebus pręſertim
bus præſtantiora in Eccleſia myſteria Dei celebrantur,
omittere, quod ab officio exquiritur, & Epiſcopali dig-
ti certa eccleſiæ obſeruatione impoſitum eſt; ita optan-
n, vt reliquis feſtis anni, & feriatis etiam diebus frequen-
, & publicè, legitimo non obſtante impedimento, Miſſæ
rum faciant: inde fluent fructus admirabiles ad ſuſcipien-
m mentes, ad inferiorum exemplum, ad populorum ſub-
ia ſpiritualia.
Qui eccleſias curatas obtinent, debent hi quidem feſtis
nnibus diebus, & reliquis tam frequẽter, vt muneri ſuo ſa-
ſfaciant, Miſſas celebrare: in quo ſi defecerint, ſtatuimus
piſcoporum vigilantia, ac ſtudio pœnis etiam propoſitis;
, ſi neceſſe fuerit, infligendis vrgeri; vt, quò fuerint negli-
entiores, opportunis eò remedijs accuratiores fiant.
Qui ad Sacerdotium promoti ſunt, & impedimento nõ
borant legitimo, quominus Miſſam celebrare valeant, de-
ernimus Epiſcopi diligentia curari, vt diebus ſaltem Do-
minicis, & feſtis ſolemnibus celebrent; multo verò diligen-
ius, ſi beneficium etiam ſimplex habeant, cuius cauſa ſacrũ
acere teneantur.
In celebratione Miſſæ, etiam edicto, & pœnis propoſi-
tis, Epiſcopi caueant, ne Sacerdotes alijs, quàm debitis horis
celebrent, neve ritus alios, aut alias cærimonias, & preces in
Miſſarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Eccle-
ſia probatæ, & frequenti, ac laudabili vſu receptæ ſunt. qua-
rundam Miſſarum, & candelarum certum numerũ, qui ma-
gis ſuperſtitioſo cultu, quàm vera Religione inuentus eſt,
omninò ab eccleſia remoueant.
Auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus; irreuerentiam,
quæ ab impietate non abeſt; ſuperſtitionem, falſam pietatis
imitatricem, ab eccleſiæ agro radicitus euelli conuenit: tra-
ctentur ſacra interiori cordis munditie, & puritate; & exte-
riore deuotionis, ac pietatis ſtudio: peſtis verò illa, quæ diu-
turna rerum corruptione vſq; ad tremendam Domini mẽ-
ſam peruenit, & ſancta penè inuaſit; erit ſedulitatis Epiſco-
palis curare, vt longiſſimè abigatur.
Debent verò, ne diſpar appareat, & incompoſita cele-
brantium actio, diligenter Epiſcopi proſpicere, vt quam-
primùm in ciuitate per Præfectos cærimoniarum; extra ci-
uitatem per Archidiaconos, ſeu Vicarios Foraneos reuide-
antur, & examinentur Sacerdotes ſuper modo, & actione
celebrandæ Miſſæ; &, quæ fuerint corrigenda, corrigant: vt
redigatur omnium, & ſingulorum celebratio in eam for-
mam, in qua nihil diſſimile, nihil difforme appareat: & vna
ſit inter omnes celebrationis ratio, vt eſt vna Miſſalis, & Ru
bricarum ad ſacrum faciendum præceptio. contumaces, &
inobedientes pœna coërcendos eſſe debita declaramus.
Ac in primis decernimus in Sacerdotum conſecratione
animaduertendum, vt illi ad Miſſam celebrandam accede-
re minimè permittantur, antequam à Præfecto cærimonia-
rum de tota actione examinati, & probati fuerint. In Miſſis
autem nouis, quod ad auaritiæ labem pertinet, importunas,
& illiberales eleemoſynarum exactiones, potius quàm po-
ſtulationes, aliaque huiuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel
certè à turpi quæſtu non longè abſunt, omninò ex Triden-
tini Concilij decreto prohibemus, & per Epiſcopos prohi-
beri mandamus.
Priuatis in domibus, atque omninò extra eccleſiam, &
ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab Ordina-
rijs deſignanda, & approbanda, necnõ altaribus, quę ſub dio
aut porticu eccleſiæ ſunt, & in Miſſali non edito à Pio V. ce-
lebrari Miſſas nec ſuadet ratio, nec pietas patitur. ita Epiſco-
pi faciant, & exequantur.
Vt autem Miſſas, quæ in eccleſijs Cathedralibus, & Col-
legiatis celebrantur, decet hora conuenienti, & ſtatuto or-
dine ad publicum Ciuitatum, & locorum commodum ce-
lebrari ſeruato rotulo, quod in omnibus omnium eccleſia-
rum Sacriſtijs conſeruari debet; ita in Parochialibus oppor-
tuno tempore, non ad aliquorum inſtantiam, ſed commu-
nem piorum conſolationem celebrandæ erunt. In omnibus
Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus eccleſijs, decerni-
mus, vbi non eſt Punctator ad Miſſarum defectus notãdos,
quamprimùm Epiſcoporum diligentia conſtitui, cuius mu-
nus ſit, diem, & defectum notare, & ex parte pœnarum, quæ
exigentur, Miſſarum defectus ſupplere, reliqua in Sacriſtiæ,
vel eccleſiæ ornamenta impendere. De Parochorum defe-
ctu inueſtigent diligenter Archidiaconi, ſeu Vicarij Foranei
intra fines attributæ regionis; &, ſi corrigi facilè poterunt,
corrigent; ſi minus, ad Epiſcopos deferãt, vt adhibeatur me-
dicina, quæ ſanare morbum poſſit.
Peregrinos, ſeu alienæ diœceſis Sacerdotes in prouinciã
Aquileienſem, nec ad Miſſam celebrandam ſine commen-
datitijs proprij Ordinarij ex Tridentini Concilij decreto
non eſſe admittendos decernimus.
De Miſſa conuentuali, quę celebratur in eccleſijs Cathe-
dralibus, ſeu Collegiatis, quia multa ſunt, quæ diſtinctioni-
bus egent, & declarationibus, vt aptè decernatur: agendum
putamus primùm de quibuſdam, quæ ad Collegia, ſeu Capi-
tula eccleſiarum ſpectant; ac de Chori diſciplina, & ordine;
poſtremò etiam de Miſſa Conuentuali, vt ex hoc capite ali-
quid ducatur, quod ad eccleſiaſticam diſciplinam conformã-
dam pertinere poteſt.
Eccleſiaſticas vniuerſitates, ſeu Capitula eccleſiarũ tam
Cathedralium, quàm Collegiatarum; quæ tanquam corpus
membris aptè compactum, & coagmentatum, motu agi, &
tanquam ſpiritu vigere neceſſe eſt; ſine ordine, quæ illarum
vita eſt; & legibus, quarum vi aluntur, & conſeruantur; ſta-
re nemo poſſe affirmabit: eſt tamen in ipſo ſtatu defectus, &
inclinatio quædam rerum; dum, quæ ante conſtituta fue-
rant, pro temporum qualitate & varietate mutationem de-
ſiderant; &, quæ ſeculis præteritis opportuna habebantur,
nunc pernitioſa ſunt, & nouarum conſtitutionum diſpoſi-
tione tolluntur. Hanc ob cauſam ſtatuimus ſingulorum Ca-
pitulorum tam eccleſiarum Cathedralium, quàm Collegia-
tarum ſtatuta, conſtitutiones, & conſuetudines, quæ tamen
à Sede Apoſtolica non fuerint confirmatæ, quamprimum
ab Epiſcopis proprijs examinari accuratè debere, vt ex ſta-
tutis, & conſtitutionibus, ſeu etiam decretis Capitularibus il-
la, quæ deſuetudine obſoleuerunt, decerpant; quæ præſentis
temporis vſu perſeuerant, vnum in corpus redigi curent: i-
ſta verò etiam, quæ retinentur, reuideant, & perpendant, ne
ſint contra iuris ordinem, aut ſacri Concilij Tridentini de-
creta, aut Pontificiarum conſtitutionum ſtatuta, & ita corri-
gant, vt varia quadam ſimilitudine conueniant; &, ſi quid
aut vltra ius commune ſit, aut pręter, aptè conſentiat, & qua-
ſi concentum, qui ex diuerſis numeris, & modis conſtat,
efficiat.
Conſuetudines etiam ſcripto exceptas perpendi decer-
nimus, an rationabiles & honeſtæ ſint; ſi qua declinârit à ra-
tione, & contra iuris ordinem emerſerit, & abuſu confir-
mata iniuſtam legis ſpeciem vſurpârit; tolli de medio præ-
cipimus. quod erit proprium Epiſcoporum munus, vt in
ſuis eccleſijs curare ſtudeant: ſatis enim conſtat abuſu, quo
inueteratior eſt, eò facilius adulterina ſpecie honeſta omnia
corrumpi.
His poſitis fundamẽtis Epiſcopi partes erunt, cauere, ne
quid in Capitulorum congregationib[us] aut proponatur, aut
recipiatur, quod ſit contra ius expreſſum, aut ſacri Concilij
Tridentini ſtatuta, aut conſtitutiones Pontificias, propoſita
pœna proponẽtibus, præter pœnam nullitatis quorumcum-
que actorũ. Quod in ſua diœceſi quiſque pro opportunitate
ac etiam neceſſitate locorum, & rerum particularium inſpe-
ctione præſtare, & efficere commodè poterit, ac debebit.
In humanis, vt benè omnia conſentiant, ſi ratio quæ-
dam conſtans deſideratur, qua particularia metiri, & mo-
derari poſſimus; multo quidem iuſtius in ſacris, & diuinis
debet

debet eſſe certa quędam agendorum norma, illaq; non arbitrio ſubiecta, ſed lege conſtanti comprehenſa; vt ſit certa vnitate potius, quàm ſimilitudine conformata, quam ſequantur omnes. Quamuis autem Pij V. conſtitutione de Romano Breuiario edita cautum ſit, vt, qui ſupra 200. annos proprium habent officium, vti eo poſſint, nec debeant compelli, vt horas Canonicas de Breuiario Romano recitent; tũ ratio peragendæ ſacræ rei, & illa, quæ tantoperè Deo placet, cóſenſio vniformi ritu recepta, maximè ſuadet; vt in Aquileiẽſi prouincia ſtatuatur vnica laudes Deo canendi, & ſacra obeundi officia forma. In noſtra Metropolitana eccleſia Aquileiæ de proprio Breuiario canebantur ſuperioribus annis Canonicæ horæ; & erat proprium etiam Miſſale; atque alibi proprij adhibebantur in diœceſi noſtra quidam ritus antiquiſſimo vſu recepti: at vetera, quę non omninò ſincera cóperta ſunt, & penè deſuetudine collapſa, receſſerunt, & iam noua ſunt omnia. Sanctam Romanam eccleſiam magiſtrá, & matrem agnoſcimus: hanc, vt reliquis, etiam ritu, & miniſterijs eccleſiaſticis modò ſequimur: vix enim fit, in huiuſmodi particularibus eccleſiarum, aut locorum officijs, quin aut Apocriphum aliquid, aut erroneum depręhendatur. Decernimus igitur, vt in tota Aquileienſi prouincia, in eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & alijs quibuſcunque tam publicè, quàm priuatim in poſterum horę Canonicæ ex Breuiario Romano ſub Pio V. edito recitentur; ac declaramus recitantes obligatione recitandi horas minimè ſatisfacere, niſi de Breuiario Romano illas recitârint: quod itẽ decernimus in Miſſali, Rituali Sacramentorum, & alijs obſeruandum. De Sanctis, qui apud certos populos in veneratione ſunt, declaramus intelligi, vt feſtos dies Sanctorum patronorum, tam Prouinciæ, quàm ciuitatum, & titularium eccleſiarum celebrare ſolemni etiam ritu liceat.

Qui Illyricam oram colunt, Epiſcopi, in qua Breuiariũ, & Miſſale lingua Illyrica in vſu habetur; curent, vt illa diligenter adhibitis doctis, & pijs viris, qui linguam illam callent, reuideantur & emendentur. Optandum tamen eſſet, vt Epiſcoporum Illyricorum diligentia ſenſim Romani Breuiarij vſus cum Miſſali item Romano, & Rituali Sacramentorum induceretur: quod efficere pro eorum pietate ac prudentia non erit ſummoperè difficile, ſi iuniores clericos, & ex Seminarijs ſcholis ſelectos, qui ſtudio, & ingenio magis proficiunt, exercere ſenſim cœperint, & ad opus hoc piſi ſtudioſè promouerint. hæc in optatis. exequutio præſcribi nõ poteſt: præſcribet autem prudentia illorum, & ſingularis in Deum pietas. Satis erit, ſi ſibi perſuaſerint, quod paſſim experimur in librorum Latinorum, & Italicorum lectione, illos libros mendis ſcatere, multo verò plures probabili coniectura errores eſſe in illis, quàm in noſtris, quos quamplurimi legunt, & ijdem emendant: illos autem pauci & illiterati, qui corrigenda dijudicare non norunt.

Quæ autem de Breuiario, Miſſali, & Rituali Sacramentorum ſtatuimus, in eam volumus partem accipi, vt non cóprehẽdant Catechiſmum Romanum in Illyricam linguam Gregorij XIII. iuſſu (quod eſt ad nos per certos homines allatum) conuerſum: quẽ cupimus à Clero Illyrico frequenter tractari, & legi; vt ſit hæc materna lingua Sacerdotibus Illyriæ in promptu ad populos docendos, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Curent tamẽ Epiſcopi, vt exemplar aliquod eiuſdem Catechiſmi emendatiſſimum in Archiuio Epiſcopali reponatur, ad cuius præſcriptum emendatio recognoſci, & approbari in futurum tempus poſſit, cùm illa, quę Catechiſmo comprehenduntur, vbi de articulis fidei, ac de Sacramentis tractatur; periculoſè alterius linguæ ignoratione, ſeu impreſſorum vitio pateant; periculoſius verò nequitia hæreticorum, quorum corruptio, niſi ab Epiſcopis, qui prouinciæ illius linguam non norunt, parato remedio conuinci poſſit, longiùs dimanabit.

Vt autem Illyricis populis proſpiciendum eſt, vt verbi Dei pabulum, quod ex prædicto Catechiſmo Curati haurient, habere poſſint; ita etiam curandum, vt caput primum de Reformatione Matrimonij ex Concilio Tridentino cũ impedimentis Matrimonij, & declaratione temporum, quibus nuptiæ prohibentur, habeant in linguam Illyricam cóuerſum: idemq; ſemel in menſe promulgare, & declarare populo Dominicis diebus poſt prędicationem verbi Dei Parochi curent. Idem de doctrina Chriſtiana illis gentibus trad da omninò ſtatuimus: quod Epiſcoporum vigilantiæ, & religioni ſeriò committimus, & commendamus.

Non eſt in Eccleſia Dei, in qua perficiendæ naturæ per gratiam Dei viget ratio, non eſt vacuum ſi in puris naturæ terminis non eſt: nec eſt dignitatum, aut officiorum inſtitutio otioſa, vt ſpecies oſtentet, quod actus non efficit: nec reſidere, aut intereſſe iuxta ſinceram, & rectam Canonum intelligentiam cenſentur, qui intereſſendo nihil eorum quę ad ſuum pertinent officium, exequuntur. proinde cum dignitatum & Canonicatuum inſtitutio ad miniſteria eccleſiaſtica, & ſacra facta ſit, vt obtinẽtes illa obire debeant non modò in Pſalmodia, vt in Choro ad pſallendum inſtituto hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, ac deuotè laudent; ſed etiam in alijs: diuina verò per ſe, & non per ſubſtitutos officia ſubeant: decernimus per Epiſcopos in tota prouincia diligenter curandum, vt pietate, ac diligentia vrgeant, quo iſta aliquando promptè exhibeantur: inobedientes ac pertinaces diſtrictè cohibeant, & emendent.

Sicubi tam in Cathedralibus eccleſijs, quàm in Collegiatis inſignibus præbendæ Canonicales hactenus per attributos ordines diſtinctæ non fuerunt, præcipimus Epiſcoporũ diligentia, licèt ex quotidianis tantùm diſtributionibus conſtent, quamprimùm adhibito Capituli conſilio diſtingui, vt in Cathedralibus dimidia ſaltem pars Presbyteri ſint; cæteri verò Diaconi, & Subdiaconi; in cuius diſtinctionis partitione æquum eſt ſeruari, vt Præbendis ijs, quæ vberiores habent redditus, maiores etiam ordines attribuantur. In eccleſijs verò, vbi eſt conſuetudo, vt Præbendæ omnes Sacerdotales ſint; hoc idem conſeruetur.

Ordinibus autem diſtinctis pręter hebdomadæ ordinariæ obligationem feriatis dieb⁹ per idoneos ſubſtitutos obeundam, feſtis maioribus celebrante in Pontificalibus Pręlato, Canonici Diaconi, & Subdiaconi ſeruato ordine Pręben dæ ſuæ onus per ſe ipſi ſuſtineant. Decani verò, & qui priores in Eccleſia dignitates poſt Pontificalem obtinent, ſolennioribus diebus Prælato abſente, ſiue impedito, Conuentuãlem Miſſam celebrent. In nocte autem, & aurora Natiuitatis Domini non permittatur, vt alius celebret Miſſam Conuentualem, qui non ſit Canonicus.

Ad Epiſcopos autem decernimus pertinere ordinem, vbi iam non eſt, certis quibuſdam regulis inſtituere pro prædictis tam feſtis maioribus, Dominicis, & alijs per annum, quàm in vnaquaque hebdomada obſeruandis; pœná etiam adijcere, & fabricæ, ſeu pio alicui loco applicare.

Ex duobus, quę pertinent ad cultum diuinum ſuſtinendum, quorum alterum reſpicit abſentias illorũ, qui reſidere in Cathedralibus, & Collegiatis tenentur; alterum pertinet ad diuinorum officiorum celebrationẽ: primum ſatis certũ, exploratumq́; proponimus, vt obtinentes in Cathedralibus eccleſijs, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbẽdas, aut portiones cuiuſlibet ſtatuti, aut cóſuetudinis vigore nullo modo vltra tres menſes ab eiſdem eccleſijs quolibet anno abſint, ſaluis ipſarum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ lógius ſeruitij tempus requirunt, ſub pęnis à ſacro Tridentino Concilio præſcriptis. De ſecundo, quod ad debitum de diuinis officijs regimen ſpectat, de congrua canendi, & modulandi ratione, de certa lege in Chorum conueniendi, & permanendi, ſimulq́; de omnibus eccleſiæ miniſtris, ac tota Chori diſciplina, cùm arduum ſit particulatim decernere, quod ad vniuerſam aptè poſſit prouinciam accómodari propter varios diuerſarum diœceſium ritus, & ſtatuta: ſingulorũ Reuerendiſſimorum Epiſcoporum Suffraganeorum noſtrorum diligentiam excitamus, vt quiſq; ex ſuarum eccleſiarum obſeruationibus meditetur, & ſpatio ſex menſium à die dimiſſi præſentis Concilij numerãdorum, aliquid conficiat, quod putet præcipuè diſponi poſſe ad cultum diuinũ conſeruandum & augendũ, & omnes totius prouinciæ eccleſias cómuni diſciplina conformandum; quod ſinguli effecerint, id cũ ſingulis Diœceſibus & eccleſijs conferetur, ac Deo fauente demum conſtet aliquid, ex quo poſſit elici vniuerſæ prouinciæ communis diuinorum habendorum norma.

His, quę ſtudioſè collegerint, adijciant remedia, quę vel vſu fuerint recepta, vel ad vſum accommodanda.

In Cathedralibus, & inſignibus Collegiatis Eccleſijs vt

nume-

nero,& ordine miniſtrorum, auguſta quædam rerum ſe-
,qua mirificè aſſiſtentium animi capiuntur, proponitur;
æ niſi perceptione regatur,& certa lege moueatur,incom
ſita ſpecie, & ſumma deordinatione cõfuſum aliquid eſ-
it,quo nihil ſit videndi turpius,aut moleſtius;ita curandũ
ſacra,& diuina certo ordine præfecto aliquo cæremonijs
cleſiaſticis conſtituto peragantur. quod vt in omnibus
ouinciæ Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus eccleſijs
promptu habeatur, decernimus ex Manſionarijs, vel Ca-
llanijs, quæ onus reſidendi in eiſdem addictum habent,
imo quoq; tempore vacantem in præfecturam cærimo-
arum eccleſiaſticarum inſtitui, & de ea perpetuis tempo-
ous prouideri aliquem, qui in huiuſmodi ſtudio verſatus
,& actorum eccleſiaſticorum directionem, & ſacrorũ di-
oſitionem ſuſtinere pro dignitate intelligat.

Pœnitentiarios in eccleſijs Cathedralibus, & inſignibus
ollegiatis ad piorum cõſolationem,& lapſorum ſpirituale
ıbſidium in promptu eſſe decet: idcircò Epiſcopi Pœniten
arium cum vnione præbendæ proximè vacaturæ ad præ-
riptum Concilij quamprimùm inſtituant.

Qui in Eccleſiam ad laudes Deo perſoluendas ex Clero
5ueniunt, quo cæteris officio, vel dignitate præſunt, eò de-
ent accuratius exequi, quæ ſibi ſunt ratione officij adiecta.
ꝺſi verò diligenter intendant,& intelligant, ſe Chori inter-
ſſentia adſtrictos, & ſalua non poſſint conſcientia tempo-
ale, quod ex diſtributionibus percipitur, commodum aſſe-
ui, niſi diuinis ritè ſeruierint,& miniſtrârint. Si quis igitur,
lum diuina peraguntur officia, in Choro Canonicus, ſeu
Manſionarius, aut aliquis alius quocunque cenſeatur nomi-
ıe clericus, quacunq; ſit præditus dignitate, cum ſuperpelli-
ceo, aut etiam ſine per eccleſiam diuagari, colloqui, literas
egere, aut alia tractare non omiſerit, eum decernimus(licèt
poſteà in Chorum aſcenderit) omninò abſentem reputari
pro matutino, vel horis diurnis, vel veſpertinis, quibus præ-
dicto modo deliquerit: Punctatori verò diſtrictè præcipiãt
Epiſcopi ſub pœna ſuſpenſionis, vt ex officio tales punctẽt,
ac toto illarum horarum lucro priuatum in libro ſuo notẽt.
quod idem ad alios extendi decernimus, qui ſtallo non ſuo
permanſerint in Choro, dum diuina celebrantur.

Quia verò licentia [illegible] abuſu factum, vt ſero in Chorum
accedant, qui tempeſtiuè intereſſe deberent; ac niſi certa ali-
qua regula præſtituatur, inconuenientia in dies augeri ſingu
los dubitandum: decernimus eos, qui in matutinis in Chorũ
aſcẽderint poſt finitum primum hymnum; in horis diurnis
item poſt hymnum: in Miſſa poſt confeſſionem: in veſperis
poſt completum pſalmum, pro intereſſentibus non eſſe ha-
bendos, ſed lucris & diſtributionibus dierũ & horarum prę-
dictarum, quibus in Chorum tempeſtiuè non aſcenderint,
omninò mulctandos. in quo Epiſcoporum diligentiam ex
citamus, vt ſeriò agant, & pœnis Punctatores ſuarum eccle-
ſiarũ ad præfati decreti executionem omninò adigãt. quod
declaramus non obtinere locũ, cùm Epiſcopus in Chorum
ad diuina officia aſcẽderit: hoc enim caſu decernimus quoſ-
cunq; ſeruitio Chori adſtrictos cuiuſcunq; dignitatis, & of-
ficij ſint, in principio diuinorũ officiorum intereſſe debere.
Qui poſtquam Epiſcopus iam conſederit, in Chorum ve-
nerit, eum declaramus illarum horarum lucro omninò
damnandum.

Quæ verò diuino cultu peraguntur, quia loco indigẽt a-
pto & commodo, vt etiam cũ dignitate peragantur, pręcipi-
mus omnibus & ſingulis Epiſcopis, diligenter curent,& om
ninò intendant, vt Chori eccleſiarum præcipuè Cathedra-
lium, aut etiam Collegiatarum inſignium(vbi non ſunt) ita
extruantur, ſeu reparentur, vel etiam aptentur, vt res fieri ſa
cra diſpoſita commoditate, & cum dignitate poſſit. ad quæ
perficienda excubabunt Epiſcopi,& quos neceſſe erit, etiam
opportunis remedijs contento ſtudio compellent.

Vt abſurdo, quod alicubi viget, occurratur Epiſcopali vi
gilantia; decernimus, eos, qui ratione vel Manſionariæ, vel
Capellaniæ perpetuo Chori ſeruitio in eccleſia Cathedrali,
ſeu Collegiata ſunt addicti,& ſolennibus diebus, aut etiã fe-
ſtis, quibus Epiſcopus in eccleſia diuinis intereſt officijs, ad
alias eccleſias ſe conferunt lucri cauſa, negligentes, quod mi
nus eſt, vt maius acquirant, cum dedecore ordinis & eccleſię
cui ſunt adſcripti, iniuria, irremiſſibiliter lucro totius diſtri-
butionis illius hebdomadæ, in qua deliquerunt, plectendos
eſſe: quòd ſi ſæpè idem in hebdomada commiſerint, ſtatui-
mus per Epiſcopum ita prouideri debere, vt corrigatur om
ninò peruicacia, clericalis modeſtia reformetur, & eccleſiæ
ſeruitium debitum conſeruetur.

De Reſidentia Epiſcoporum.

ECCLESIASTICI ſumma gubernij eſt gloria Dei, & ſa-
lus animarum: vtrunq; diligenter tractandum, cùm ne-
gligentia in re tanta maledicti piaculo ſubijciatur. vt autem
diligentia in agendis rebus etymo quodam vocis dilectio-
nem, & charitatis notam primis literis inſcriptam habet; ita,
quæ flocci facimus, etiam negligimus: ac exhibitio operis,
probatio eſt dilectionis. Epiſcopos autem, quos in ſpecula
Dominus conſtituit, vt gladium venientem proſpicientes
tuba canerent, & populos monerẽt, ne ſanguis pereuntium
de manibus illorum exquiratur; ſi gregem amant Domini-
cum, probare dilectionẽ opere decet: ſi vigilantiæ, & cuſto-
diæ ſolicitudine laborant, hoc putent, quod ſocordia perdi-
derint, ſe diſtricta ratione reddituros. Duo tamen requirun
tur in paſtore gregem cuſtodiente; vt interdiu ante gregem
incedat, ipſe vnus ad paſcua educens, cuius vocem agnoſcũt
oues, quæ alienam non nouerunt: nocte vigilias agat, cui di-
citur cuſtos quid de nocte? ac ne repente in gregem irrum-
pant lupi, canes ad cuſtodiam adhibeant, illos quidẽ non mũ
tos, ſed qui latrare valent; quod quidem ad Epiſcopalis one-
ris officium pertinere nemo non videt. Idcircò ſacra Tridẽ-
tina ſynodus Epiſcoporum apud eccleſias ſuas reſidentium
præſentiam quanti referat pernoſcens, illos monuit, vt ſibi
attenderent, & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus illos
poſuit regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo,
& diuinorum præceptorum memores facti forma gregis in
iudicio, & veritate paſcerent, ac regerent; in eos verò qui ab
eccleſia & reſidentia diſceſſerint, quædam ſanxit, quæ perti-
naciores coercerent, vel alieniores ad officij ſui ſtudium re-
uocarent. Exiſtimamus autem de Reuerendiſſimorum Epi-
ſcoporũ noſtræ prouinciæ pietate non eſſe dubitandũ, imò
credendũ illos, qui hactenus volũtate in ſua eccleſia, & diœ-
ceſi reſederunt, & muneri Epiſcopali promptam operam, &
fidele miniſterium præſtiterunt, in poſterum diligentius i-
dem facturos; vt, quę de contumaciter abſentibus à reſiden-
tia ſua eodẽ Concilio ſancita ſunt, aliò potius, quàm in pro-
uinciam noſtram, deriuari conueniat.

Quod verò de Epiſcoporum reſidentia à ſacro Triden-
tino Concilio, & ſummorũ Pontificum cõſtitutionibus cau
tum eſt; hoc non eſt intelligendum, vt præſentia aſſideant,
nihil prætereà agant: cùm ex ſacris canonibus reſidentia ſit
accipienda in eum ſenſum, vt ſit laborioſa, non otioſa: id
quod duobus præſertim Tridentinæ ſynodi verbis egregiè
exprimitur, vt paſcant, & regant: quorum primum ad vitæ
innocentiã, ad ſalutaris verbi prædicationem, ad ſacramen-
torum adminiſtrationem, & bonorum operum exemplum
pertinet: ſecundum ad diſciplinam reſtituendam, ad mores
purgandos, & iuris eccleſiaſtici ditionem, ad bonorum lau-
dem, & vindictam malorum ſuſtinendam ſpectat. vtrumq;
ſi præſtiterint Epiſcopi, ſatis illa, quæ ſunt Epiſcopalis mu-
neris, videbuntur præſtitiſſe, & impléſſe.

Debent autem ab Epiſcopali domo(vt à capite reforma
tio incipiat) initia correctionis duci, vt illi, qui vel ad mini-
ſterium gubernij adſciti ſunt, vel Epiſcopo ſeruiunt, vel ad
quæcunq; domus, & familiæ commoda pertinent, ſuo quiſ-
que gradu modeſtiam illam vita, moribus, habitu, pietate,
conuerſatione præ ſe ferant, quæ benè Præpoſitum familiæ
decent, vt à familia Epiſcopali ſumant cæteri exemplum do
meſticæ rei benè & laudabiliter tractandæ.

Qui ex eadem familia ſunt, & clericalem habitum defe-
runt, ex quibus pars maior Epiſcopalis familiæ conſtare de-
bet, præluceant reliquis virtute, & integritatis ornamento:
quod ſæpè Epiſcopi reuideant, recognoſcant, emendent: pu-
tent verò maximum ſibi fore ex hac parte ad reformationẽ
impedimentum: ſi, quod in alijs animaduerterint, & corri-
gere voluerint, familiæ ſuæ, quam prius informare diſcipli-
na debuerant, obijci verè poſſit.

Ac, vt frequenter ſacrum facere debent Epiſcopi, niſi
impedimento rationabili teneantur; ita Dominicis, & feſtis
diebus

diebus ad veterum Canonum præſcriptum eccleſiæ Cathedrali, quoad fieri poteſt, deeſſe non debent, vt populus Prælati benedictione & exemplo animatus, quam præſcripſerit Prælatus pietatis, & deuotionis regulam, & exemplo confirmârit, eam piè arripere, & ſolicitè ſequi ſtudeat. ac dum in Choro diuinis Epiſcopus intereſt, curet, vt diſpoſito rerum ordine nihil ſit vel confuſione turbatum, vel deordinatione inuerſum.

Quòd ad miniſtros eccleſiaſticos, & eccleſiarum ornatum pertinet, curent Epiſcopi, vt in Clero ſuo ex habitu eccleſiaſtico pietas, ex conuerſatione ſinceritas, & innocentia colligatur, vt Chriſti bonus odor ita benè oleat, vt nihil omninò malè oleat. ſit in vnoquoque gradu quędam conditionis proportio; illa quidem par gradui, forma non diſſimilis, vt qui totam inſpexerint Prouinciam, vnicam omninò videantur familiam videre officiorum, & ſtudiorum varietate diſtinctam; at verò vni patrifamilias ſubditam, & eiſdē legibus conformatam.

Vt verbi Dei prædicatio, quod eſt vitæ ſpiritualis pabulum, fidei principium, bonorum operũ fundamentum, pręſentia Epiſcoporum incrementum accipiat, & vberiores in ſingulos dies pœnitentiæ fructus in fideli populo ferat; ſtatuimus per Epiſcopos omninò (vbi fortaiſe non eſt) ſedile in eccleſia ſuggeſtui Prædicatoris è regione reſpiciens altiore aliquo gradu conſtitui: vbi Epiſcopus cum ſuis Canonicis ſuperpelliceo indutis ad prædicationē audiēdam ſedeat. Prędicationi Epiſcopus, ſi legitimè impeditus nō fuerit, quotidie interſit, & exemplum præbeat pietatis, ac deuotionis. Quia tñ ad clericalem ſtatum pertinet, omnibus pietatis officijs cæteris antecellere, & prædicationi intereſſe: ac, ſi ſęculares ſua ſedilia pro prædicatione audienda, vel cōmunia, vt Magiſtratus, vel propria, vt priuatæ perſonæ in eccleſia habent, eccleſiaſticos homines loco, & ſede carere in eccleſia etiam extra Chorum cùm nō deceat, Epiſcoporũ diligentiæ proponimus, & ſuademus, vt prope ſedile proprium, quatenus fieri poterit, alterum aptè conſtructum accōmodent ad Clerum recipiendum: ex quo duo conſequentur apud omnes magni æſtimanda: primum erit, vt Epiſcopo notũ ſit ex ſola loci inſpectione, an Clerus ad prædicationē conueniat; vt, ſi defecerit, oportunè etiam proſpiciat: ſecundum erit, vt populus, qui Clerum prædicationes declinantem aliquando perſpiciens ſcandali offenſionē paſſus eſt, ipſius Cleri emendatione, & frequentia acrius ad imitationem incendatur.

Atq; hoc ipſum, ne ſuo fraudetur euentu, diligentia Epiſcopi ſuſtinendum decernimus; vt ante prędicationes Clerũ moneat, tardiores excitet, omnes, qui iuſto carent impedimento, ad prædicationes adducat, pertinaciter inobedientes vt reſipiſcant aliquando, etiam coerceat. graue enim videri iure poſſet, dum reliqui ad verbum Dei audiendum ſolicitè confluunt, ſi Clericos videamus per vicos, & plateas errare, & ſæcularibus rebus operam dare, ac nullius prouiſione, & decreto ad meliorem mentem reuocari.

Idem curandum monemus, cùm feſtis diebus diuina celebrantur officia, vt omnes Cleri ciuitatum (exceptis Rectoribus parochiarum, quibus eſt animarum perpetua cura impoſita: & ijs, qui obligatione alicuius eccleſiæ tunc temporis obſtricti ſunt) niſi fuerint ex ipſis aliqui legitimo impedimento detenti, in eccleſiam Cathedralem, ſeu collegiatā reſpectiuè tam ad horas diurnas, & Miſſam cōuentualem, quā ad Veſperas conueniant: nihil enim poteſt videri abſurdius, ſi ſeculares diuinorũ officiorum tempore eccleſiam frequētent, Clerici refugiant: illi Deum vel tacitis vocibus in eccleſia laudent; iſti in vijs, & publicis locis tempus vaniloquijs terant, & boni auerſione ſcandalum præbeant.

Quod vt executione facili perficiatur, hortamur Epiſcopos, vt illam rationem, quæ ad rem fuerit accommodatior, ineant.

Non omittāt Epiſcopi Seminaria inuiſere, ac diſciplinę, morum, & pietatis documēta, quibus puerilis ætas informatur, recognoſcere, & adhibito Canonicorum conſilio, quos ad gubernij partem adſciuerunt, proſpicere, vt fructus, qui à Seminariorum erectione, & conſeruatione percipitur, omninò non pereat. Seminarij clericos ad Cathredralium eccleſiarũ, aut etiam Collegiatarum ſeruitium feſtis diebus adſcitos non permittant officium deſerere; aut, occaſione accedēdi, & recedendi, per ciuitatem diuagari: ſed modeſtiæ, & eccleſiaſticæ diſciplinæ lege moderentur, & contineant.

Doctrinę Chriſtianæ ſocietates, & exercitationes aliquādo viſitari ab Epiſcopis decet, vt vel auctoritate, vel præſentia rem tantam, quæ alicubi difficultatem patitur propter patrum negligentiam, & petulantiam puerorum, omnibus prouehere ſtudijs contendant. quod ſi fuerint impediti, vicarios generales, aut etiam foraneos ad hanc viſitationē dimittant, vt, quod eſt Chriſtianæ fidei, ac diſciplinæ fundamentum; & certa ad omnem vitā cum virtute traducendam ratio, vigilantia, & ſolicitudine Epiſcoporum conſeruetur, & certis præſidijs muniatur.

Congregationes caſuum conſcientiæ ſingulis coram ſemenſibus haberi pręcipiant, ad quas oēs Curatos, & Clerum ciuitatis aduocabunt, & renuentes compellent iuris medijs, atq; pro his proponi caſus tempeſtiuè, & Clero per ſchedas denunciari curent, ac deciſiones à Theologo, quem adſciuerint, ſuper eorum ſingulis ferri mandabunt.

Aegrotantium viſitationes, eorum præſertim, qui Prælati præſentiam, aut benedictionem in extremo vitæ ſtatu expoſcunt, aut aliqua ratione poſſunt vel iniuriarum dimiſſione, vel rei alienæ reſtitutione, vel erratorum atrociorum abſolutione ad bonum adduci, libenter Epiſcopi ſuſcipiant, & ex charitate obeant. Ad quod munus accedere æquum erit ad cohortandum, monendum, corripiendum, monendũ ſtudio, vt animas Domino lucrifaciant; ne diuertant ſermone ad humanas tricas, niſi neceſſitas compellat: orationis ſcopus in vnum Deum, & animarum ſalutem intento ſermone dirigatur, & ſubſidia proponantur ſpiritualia, vt corporis ægritudo toleranter perferatur, quo Dei gloriæ ſeruire, & peccatorum maculas abſtergere valeant; in quo abundet Epiſcoporum charitas, & Chriſtiana ſolertia.

Pauperum, & miſerabilium perſonarum curām paternā gerant Epiſcopi, ne deſtitutæ ab eo, qui communis debet eſſe pater, cuſtodia & charitate; quæ ſunt propria Prælati munera; in mala varia, & duras incidant calamitates, nec ſit, qui in volutabro miſeriarum iacentibus manum admoueat; ſi Epiſcopus non admouerit, & beneficentiæ Chriſtianæ exēplum dederit.

Ea eſt rerum humanarũ inconſtantia, & imbecillitas, vt nihil ſit inter homines ita firmum, & munitũ conſenſu, lege, natura, quod veritati & caſui non ſubijciatur, nec poteſt cuiquam permanendi ſtatus pręſcribi, quin repentinæ inſtēt & exoriantur cauſæ, eæq; cum ratione conſentientes, vt diſcedere oporteat, & expediat. Idcircò licèt Epiſcopis reſidēdi apud ſuas Eccleſias, & in diœceſi, Concilij Tridentini decreto, & in grauiſſimo Pontificiarum conſtitutionum præcepto neceſſitas impoſita ſit; cùm tamen Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia. ac euidens eccleſiæ, vel reipub. vtilitas ſuaſerit, vt Epiſcopi ab eccleſia, & diœceſi abeſſe cogantur, non illam ob cauſam contumaciæ redarguendi, ſi cauſas abſentiæ probatas attulerint ad excuſationem, quas, quia incertis à rebus pendent, definire vel ſuperuacaneum, vel incertum, & indefinibile putamus.

Quod ad cauſas abſentiæ pertinet, id fiat, quod T… idenno Concilio ſancitum & declaratũ eſt, cuius diſpoſit… onem in omnibus declaramus ſeruandam, & exequendam.

Qui inſcitia laborant, & ambitioſa nobilium potentia nituntur, cùm vel ad ordines, vel ad beneficia aſpirant, commendatitias literas vndique collectas ad præſidium inſcitiæ ſuæ adſciſcunt. Duo verò, quibus eſt occurrendum, efficere conātur, vt imperitiam his ſuis fulciant adminiculis, aut Pręlato liberam diſponendi facultatem adimant, vel eundem in difficultates adducant. Idcircò ſtatuimus, & declaramus omnes & ſingulos commendatitiarum literarum perquiſitores, & præſentatores, ſiue ad ordines, ſiue ad beneficia aſpirent, quandocunq; pro prędictis commendatitias præſentârint, tunc temporis ad eadem, quæ tum petunt, quamuis aliàs idonei eſſent, non promoueantur.

Capellæ, & Altaria de iure patronatus laicorum incompta, & inculta, decet omni ratione ornari. Patronos autem Epiſcopi, iuris medijs compellant, & quæ debent, omninò à parte ſua impleant.

Pręterea vigilijs Sanctorum, & feſtorum dierum, quibus ieiunatur, præcēdente Veſpere ſigno campanę intimetur po

alis iciunij futuri obſeruatio, vt ignorantiæ prætextus ex-
udatur. Quod Epiſcopi Parochis indicent omninò exe-
uendum.

De reſidentia Curatorum.

QVI curam animarum officio ſuſceptam habent, rei de-
bent, quam ſuſtinent, quæ ſingulis periclitatur mo-
nentis, præſentem operam dare, atque hi quidem vt corpo-
ali iniſtunt reſidentia, ita pijs debent conatibus vrgere, ne
quid propter illorum incuriam, aut nequitiam pereat, &
reddendæ rationis obligatione malum cuſtodem obſtrin-
gat. Debent Curati meminiſſe, datos populis mediatores in-
ter Deum, & homines, vt ſacra frequenter facere pro eccle-
ſia ſancta Dei, & populo ſibi commiſſo non omittant; vt
verbum Dei, cuius diſpenſatores facti ſunt, inculcare in a-
nimis fidelium non deſinant, vt ſacramenta petentibus vel
miniſtrare, vel proponere, & ſuadere maxima diligentia ſtu
deant, vt vitæ integritatem in exemplum alijs prætendant,
& quaſi lucernis ardentibus viam demonſtrent, qua per di-
uinorum mandatorum obſeruantiam in cœlum aſcen-
ditur.

Sacra feſtis diebus facere Curati non omittant: reliquis
verò tam ſæpè, vt muneri ſuo ſatisfaciant. Sacramenta om-
nia ex Romano Rituali miniſtrent, vt in Breuiario, Miſſali,
Sacerdotali, Rituali, & alijs ſanctam Apoſtolicam Romanā
eccleſiam magiſtram, quæ non fallitur, & matrem, quæ ma-
terna dilectione filios non amare, & ſalutaribus non paſcere
alimentis non poteſt, omninò ſequantur.

Duo ſunt fines in humana fragilitate; ingreſſus in vitā,
& exitus: his tanquam curriculi huius finibus vita præſens
terminatur; vtrobiq; Curatorum vigilantia, & Chriſtiana
charitas requiritur. Cùm enim ingredimur in hanc vitam,
ærumnis, & periculis refertam, iræ filij, ſpei ſalutaris exper-
tes, & renouationem regenerationis expectamus, prǫſtò de-
bet eſſe, qui Baptiſmi ſacramento originalis peccati maculā
abſtergat, & in filiationem Dei, qua iuſtè primi parentis cul
pa damnati fueramus, reſtituat. Diſceſſus ex hac vita, qui gra
ui premitur erratorum pondere, & perpetui naufragij me-
tu, niſi oportunè ſpiritualis medici pharmaco muniatur, &
confirmetur, iure quidem poſtulat, vt diſpenſator, cui fuerat
miniſterij ratio commiſſa, damni pęna damnetur. Ad Patri-
natum in baptiſmate non admittant Curati eos, qui ſaltem
memoriter non teneant orationem Dominicam, ſalutatio-
nem Angelicam, & ſymbolum Apoſtolorum.

Sint igitur Curati diligentia, & fideli miniſterio cōmen-
dabiles; vt opus, quod tenent, diligenter ſuſtineant, Dei, &
Epiſcopi ſui animaduerſionem ſubituri, ſi negligēter ſe geſ-
ſerint. Ac hi quidem extra Parochiæ fines habitare non prę
ſumant; ſed inter ſuum gregem diuerticulum habeant, vt in
omnes partes cuſtodiæ, & charitatis ſuæ affectio commodè
dimanet. In libro deſcripta habeant diſtincta nomina Paro-
chianorum per domos, & familias; confeſſioni, & commu-
nioni Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ intendant; inter
illos omnia obſeruent, omnia circumſpiciant, vt patresfami
lias benè familiæ præpoſiti: ſi quem præſenſerint corpore
ægrotare, prudenter adeant, conſolentur; ac vt medicus cor-
pori ſubuenire medicamento properat, ſalutis monita pru-
denti, & maturo ſermone, ac ſpirituales medicinas propo-
nant, ſuadeant, miniſtrent; ac ouem Chriſti ſanguine redem
ptam patiātur inedia, & fame ſpirituali perire. Præter libros,
in quibus ſcribantur nomina baptizatorum, & confirmato-
rum, habeant Curati librum matrimoniorum, atque item
mortuorum: vſus enim iam docuit huiuſmodi ſcriptiones
ad multas, eaſq; maximas, etiam ſummè periculoſas contro-
uerſias tollendas pertinere.

De Eccleſijs, Sacriſtijs, Eccleſiaſtica ſupellectili, & de-
centi illorum omnium cultu, ita curent, qui Parochialibus
præſunt eccleſijs; vt nihil appareat ſordidum, aut minus, quā
decet, nitidum.

A cœmeterijs vineas, & fructuoſas arbores amoueant;
nec intra ſolum ſacrum venale quidquam proponi ſinant:
vt re appareat, quod iam norunt per doctrinam omnes, eſſe
domum orationis, non autem negotiationis.

Miſerabilium perſonarum Parochiæ ſuæ curam gerant
paternā, pręſertim verò vbi iuniores puellæ, aut viduæ ſunt,
quarum egeſtas graue periculum oſtendit: atque in hoc ipſo
ita contendant, vt omnem etiā lapidem moueant; quo caſui,
qui videtur inſtare, ſumma charitate occurrant.

Domus Parochiales ordine, ac diſciplina ſint reliquis ex-
emplum. Curati omninò ad quodcunq; vel vile miniſteriū
fœminas non adſciſcant ſibi in familiam, quę aliquando in-
fames corpore fuerint, vel infamibus domeſtico miniſterio
inſeruierint, aut propter ætatem, & alia ſuſpectę eſſe poſſint;
mares etiam illos minimè recipiant, qui publici blaſphemi
ſint, aut ſceleroſi, aut ſaltem in Paſchate confeſſi, & Euchari-
ſtiati non fuerint. De fœminis in Ciuitatibus præcipimus à
Vicarijs generalibus Epiſcoporū huiuſmodi miniſtras, præ-
uia aliqua cognitione probari: in Oppidis, pagis, & villis ab
Archidiaconis, ſeu Vicarijs foraneis regionum.

Diſceſſus Curatorum à parochijs vt propter animarum
curam, quæ ſingulis obijcitur momentis alicui periculo, eſt
inhibendus; ita indulgendum neceſſitati, & temporū quali-
tati. Itaq; ſciant Epiſcopi, eorumq; Vicarij licentiam diſce-
dendi in ſcriptis, gratiſq; non vltra bimeſtre tempus, niſi ex
graui cauſa, eſſe concedendam, ſicut Decreto Concilij Tri-
dentini ſtatutum fuit. Vt autem in Ciuitatibus licentiā hu-
iuſmodi edicimus à Vicarijs generalibus in ſcriptis eſſe petē
dam; ita in Oppidis, pagis, & villis petendam decernimus à
proprijs Vicarijs foraneis pro facultate illis ab Epiſcopo li-
mitatè concedēda. Si qua verò fuerit legitima cauſa, quo mi-
nus Curatus aliquis apud eccleſiam ſuam reſidere poſſit, erit
illa quidem legitimè coram Epiſcopo, aut eius Vicario gene
rali probanda: & ſi fuerit ex illis, quæ iuſta videri, & reputa-
ri poſſit, licentiam ſcripto authentico compræhenſam dare
licebit; quarum licentiarū vel longi temporis reſidentia ex-
cuſantium, vel breuioris ex cauſa momentanea, mandamus
librum, ſeu regeſtum quamprimùm fieri, vt quandocunq;
licentiæ huiuſmodi videre, ac reuideri poſſint.

De reſidentia Canonicorum & beneficiatorum, qui reſidenti obligatione tenentur.

MOnemus omnes in Domino abſentiam iure permit-
tente ex cauſis rationabilibus indulgeri, vt humanis ſit
neceſſitatibus conſultum; non vt Canonici ad luxum, & ve-
nationes, & illa, quæ modeſtiam clericalem non decent, per
occaſionem indultæ abſentiæ diffluant: quod illos meditari
apud ſe, & perpendere æquum eſt. Abſentiam ab eccleſia mo
nemus omninò non ſuſcipi Dominici Aduentus tempore,
Quadrageſimæ, Natiuitatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes,
itemque Corporis Chriſti, atq; ita dimitti, vt dimidia ſal-
tem pars Canonicorum; ſaluo illorum iure, qui ſuper his
priuilegio fruerentur, viridi obſeruantia ſtabilito; in eccle-
ſia remaneat.

Si qua extra ordinem cauſa grauior, & longior abſen-
tiæ neceſſitas, ex priuato etiam incommodo emerſerit, illam
decernimus ab Epiſcopo ſeruatis ſeruandis cognoſci; inte-
rim ad perceptionem diſtributionum quotidianarum ab-
ſentem non admitti.

Ac vt diſtinctè, quid hoc in genere vitandum, quid ſe-
quendum, cognoſci ac decerni poſſit, ſtatuimus, Canonicis,
ſeu beneficia ſine cura obtinentibus, quæ reſidentiam perſo-
nalem requirunt, ſi ætate maiores triginta annis fuerint, licē
tiam vt proficiſcantur ad ſtudia in gymnaſijs publicis obeun
da denegandam, niſi ſtudia iam cœpta perficere continuato
curſu perſeuerarent: huiuſmodi autem licentia non vltra
quinquenniū concedatur: ſtudia verò debēt eſſe ſacræ Theo
logiæ, aut ſacrorum canonum. In quo monemus animaduer
tendum eſſe, vt beneficiorum onera interim per ſubſtitutū
idoneum obeantur, & ſuſtineantur. Obtinentes eccleſias pa
rochiales decernimus omninò à licentia huiuſmodi profici-
ſcendi ad publica gymnaſia eſſe repellendos; qui enim colla
tionis tēpore per cōcurſum examinatus, & canonicè promo
tus fuit, & publico examinatorū Synodalium teſtimonio ad
animarum curam exercendam idoneus habitus, dimittēdus
non eſt, vt diſcat, cùm ad docendos alios prouectus fuerit.

Quia ſolent Capitula interdum Canonicis in longū ab-
ſentiæ tempus, annos etiam commentitijs cauſis, aut veris
ſed non legitimis concedere, eiſdem inhibemus, ne quid in
poſterum tale conari, aut tentare audeant. aliàs decernimu

irritum,& inane, quidquid ſuper præmiſſis actum, geſtum, decretumve fuerit.

Quia verò intereſſe diuinis corporalem tantùm præſentiam non requirit, vt quis actum præſentiæ exhibeat, nihil præterea agat, aut curet; præſenti conſtitutione edicimus; illos dici verè, & propriè reſidentes, qui ad Diuina in eccleſiam conuenientes laudes perſoluunt ex inſtituto Eccleſiæ Deo; munera obeunt vel communia, vel propria; diuinis animo, ore, toto corpore intendunt. De quo ſuperius capite de Diuinis officijs ſatis actum eſt.

De Epiſcopis.

IN Domini domo nihil præpoſterum, aut inordinatum eſſe debet: ordo autem, & ratio dictat, vt quæ in membris proportio, & ſymmetria deſideratur, ea in capite præcipuè eluceat, & emineat, ne monſtri ſimile ſit; turpe imponi caput benè compoſito corpori, quo membra, licèt per ſe ſatis apta, dignitatem, & pulchritudinem amittant. Idcircò ſi res poſtulet, vt in eccleſia electiua (vt vocant) agatur de electione Epiſcopi, quædam conſtituenda duximus, vt tantæ rei agendæ, quantum licet, conſulatur.

Sit igitur eligentium ſcopus, vt ad Cathedralis eccleſiæ regimen eum eligant, qui ſit legitimo matrimonio natus, ætate matura, grauitate morum, literarumque ſcientia iuxta conſtitutionem Alexandri III. quæ incipit: Cùm in cunctis. in Concilio Lateranenſi promulgatam. Debet autem antea in vniuerſitate ſtudiorum magiſter, ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel iure Canonico eſſe promotus, aut publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos habitus. Si Regularis fuerit, à ſuperiorib⁹ ſuæ Religionis ſimilem habeat fidem. Saltem verò ſex menſium ſpatio ante in ſacro ordine conſtitutus. Promoti autem ad eccleſias Cathedrales poſt receptam electionis confirmationem, vt munera Epiſcopalia obire, & gregis incolumitati conſulere valeant, debent ipſi quidem munus cõſecrationis intra tres menſes ſuſcipere, nec differre vltra tres alios menſes, ne vel fructus reſtituere in primo caſu compellantur, vel in ſecundo priuationis pœnæ ſubijciantur. Conſecratio verò ſi extra Curiam Romanam fiat, in Eccleſia, ad quam promoti fuerint, aut in prouincia; ſi commodè fieri poterit; celebretur.

Ad electionem, qui ius eligendi habent, non procedant, niſi mortuo Epiſcopo, & vocatis omnibus, qui ſunt in Prouincia, vt electioni Epiſcopi, quæ tanti refert, interſint omnes, qui ius habent, & ferre ſuffragium valent, & maiori, ac ſaniori parte Epiſcopi electio ſuſtineatur.

Proceſſum, & inquiſitionem fieri de prædictis qualitatibus eligendorum ſacra Tridentina Synodus diſtrictè præcipit, ad S. D. N. cum fidei profeſſione tranſmittendam, & ab eodem approbandam. Quod non modo vt fiat, ſed, vt benè fiat in primis curandum. Tota autem inſtructio à probatis viris, teſtibus omni exceptione maioribus ſumenda, qui vitæ, morum, integritatis, pietatis, ac ſedulitatis Chriſtianæ certum teſtimonium reddant. Sit atteſtatio iureiurandi religione munita; ſit ex officio recepta, & à perſonis ab officio aſſumendis, non à parte nominandis, & in publicum inſtrumentum redacta. Qui verò ex Capitulo examini, & inquiſitioni præficientur, ab ipſomet Capitulo eligantur, delato eis iuramento facturos in examine obeundo, quę iuxta veritatem, & iuſtitiam ſunt, poſthabito odij, amoris, affinitatis, & aliorum omnium reſpectu, ac nihil ſe ex ijs, quæ inquiſitione perceperint, cuiquam præter ipſum Capitulum manifeſtum facturos. Ad poſtulationes confugere, & ineligibilem per carnem, & ſanguinem expoſcere, & iuris ordinem peruertere non expedit. Statuimus, in eccleſijs electiuis ordinem iuris ſequendum eſſe, ac tum demum ad poſtulationes Canonicas declinandum, cùm electiones idoneorum præficiendorum defecerint.

In primis autem cùm eccleſia vacauerit, ſupplicationes, & preces publicè, priuatimq; habendas præcipimus à Capitulo per ciuitatem & diœceſim indicendas, quibus Clerus, & populus bonum valeat à Deo paſtorem impetrare, quod eſt gubernij eccleſiaſtici, & Chriſtianæ diſciplinæ, & pietatis certiſſimum cum Dei gratia fundamentum.

Ac vt ea, quæ in membris eſt naturalis quædam conſe[illegible] ſio, vt inuicem ſeruiant, inuicem obſequantur; in corpo[illegible] prouinciæ noſtræ charitas inter Epiſcopos vigeat, quæ D[illegible] placeat, & populorum ædificationi conſulit, decernimus, quando diuina diſponente prouidentia, Metropolitanu[illegible] aut aliquis ex Epiſcopis Suffraganeis decubuerit, & in via[illegible] vniuerſę carnis declinare cœperit, vt ex ijſdem Suffraganei[illegible] qui proximior ægrotanti eſt, ſeu eo impedito, aut abſente [illegible] lius, qui minori ſpatio abeſt, Capitulo ægroti Epiſcopi ſignificante, ſolicitè accedat, vt Sacramenta, & ſpiritualia obſequia prudenter exhibeat, & præſens præſentem charitat[illegible] conſoletur Epiſcopali. Si æger Epiſcopus obierit, curab[illegible] idem, vt per œconomos, aut alios ex Capitulo tota ſacra ſu[illegible] pellex, ornamenta eccleſiaſtica, paramenta, vaſa, Miſſalia, a[illegible] que huiuſmodi alia, licèt ex auro, ſeu argento confecta a[illegible] diuinum cultum etiam in priuatis ædibus, Capellis, Ora[illegible] torijs deſtinata, quæ tempore obitus eius extabunt, eccleſijs de quorum fructibus facta fuerint, eo ipſo applicẽtur, & incorporentur, ſublata de eiſdem teſtandi, ſeu diſponend[illegible] facultate: Id quod Pij V. conſtitutione decretum eſt, & grauiter omnibus, ad quos pertinet, pro executione iniunctum.

De cenſibus & redditibus dictarum eccleſiarum nõ exactis, ſiue dies ſoluendi ceſſerit, ſiue non ceſſerit, modò exacti non fuerint, etiam ſi illorum fuerit exactio, in iudicio i[illegible] propoſita, quod Iulij III. conſtitutione iam decretum eſt, hoc idem ſeruandum ſtatuimus, vt ſcilicet ad ſucceſſores Epiſcopos pertineant. De fructibus verò non exactis legato, aut donationis titulo relictis decernimus, quod in declarationibus eiuſdem Bullæ adiectis deciſum, ac definitum eſt.

Defuncto Metropolitano, ab Epiſcopo, qui ſpiritualia illi obſequia præſtitit, dies obitus totius prouinciæ epiſcopis ſignificetur, & in tota prouincia dies illius depoſitionis magna celebritate ſacrorum, & Cleri agatur. Si ex Epiſcopis aliquis deceſſerit, qui charitatẽ exhibuerit defuncto, ille idem Epiſcopus rem Metropolitano ſignificet, qui toti prouincię idem officium indicat. Ac vt Metropolitani poſtremo tempore defuncti anniuerſariũ in tota prouincia quotannis fieri præcipimus, & mandamus; ita in ſingulis Cathedralibus eccleſijs de proprij Epiſcopi proximè defuncti anniuerſario repetitum, ac diſpoſitum intelligi debere dicimus, declaramus, & ſtatuimus. æquum enim eſt, vt eos, qui nos dilectione paterna, & paſtorali affectione fouerunt, & ad omne bonũ adducere perpetuis laboribus, & vigilijs conati ſunt, grati animi memoria, & pijs obſequijs proſequamur.

Quod de anniuerſario Metropolitani, & Epiſcoporum ſingulis annis celebrando decreuimus; hoc item de Metropolitani, & Epiſcoporum Suffraganeorum viuentium ſolẽni conſecrationis die quotannis habendum, & celebrandum decernimus; vt preces publicæ, & ſupplicationes ipſo conſecrationis ſolemni die habeantur; ac diuinæ clementiæ bonitas exoretur, vt gratiæ ſuæ munere gubernij eccleſiaſtici ordo, inſtitutio, & progreſſio procedat.

Dies verò tam anniuerſarij Metropolitani, quàm Epiſcoporum, itemq; conſecrationis eorundem in Calendarijs particularibus Epiſcoporum indicantur.

De Parochis.

PArochorum ea eſt muneris, & obligationis ratio, quæ curam animarum vniuerſam complectitur, vt hoc ipſo capite ſtatuere de Parochis aliquid optimo iure decreuerimus. At verò cùm ad reliquorum cuſtodiam Parochorum ſolicitudo vocetur, debent hi quidem non gregatim adſciſci, aut inconſulto prouehi, ſed Canonicè, id eſt maturè, & ſeruatis ſeruandis. Cùm igitur quomodocunq; vacauerit eccleſia aliqua Parochialis, quocunque cenſeatur nomine curata, etiam ſi ſit Vicaria vel temporalis, vel perpetua, curam habens animarum annexam, ſiue ſit liberæ collationis Ordinarij, ſiue de iure patronatus, decernimus, ſtatim habita vacationis notitia, Epiſcopi partes eſſe, idoneum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis aſſignatione conſtituere, qui onera ipſius eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore prouideatur. Quod ſi cui Collegio, aut Capitulo à ſancta ſede indultum ſit, vt caſibus repentinis occurrẽte va-

ione alicuius eccleſiæ Curatæ, ipſummet poſſit Capitulũ corpore Cleri ciuitatis aliquem ad curam in vacante eccſia ſuſcipiendam dimittere, donec Epiſcopus moneatur huiuſmodi vacatione; ſciant cuncti id indultum extra cam ſuum non eſſe intelligendum.

Cùm ad notitiam Epiſcopi vacatio Parochialis eccleſiæ ruenerit, edicta decernimus publicè eſſe proponẽda, quis vocentur ad futurum examen die conſtituta perficienm, qui ad concurſum accedere volent. Ex ijs verò, qui ab aminatoribus Synodalibus idonei renunciati fuerint ætamoribus, doctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacantem clesiam gubernandam opportunis, ab Epiſcopo eligatur, em idem Epiſcopus magis idoneum iudicauerit, vt ad vantem eccleſiam promoueatur. Collationem autem ecclerum parochialium, ſeu curatarum factam ſine examine mmiſſo ab examinatoribus Synodalibus, & non obſerta lege concurſus, nullam declaramus; irritam, atque nulus eſſe valoris pronunciamus, ac taliter prouiſo nullum etm coloratum ius, aut titulum quæſitum eſſe: dictas verò arochiales eccleſias, ſiue curatas, vt ante, vacare, ac de eiſdé rouideri debere. Quod ſi obſeruata ſit quidem forma conurſus, ſed minus idoneus magis idoneo fuerit ab Epiſcopo electione præpoſitus, liceat ei vti appellationis remedio duerſus Epiſcopi eligentis irrationabile iudicium: quemad nodum cauetur conſtitutione ſanctæ memoriæ Pij Quinti ac de re edita.

Quod ſi carnis, & ſanguinis affectione, poſthabito eo, ui magis idoneus in examine fuerit, conferatur eccleſia mi us idoneo, & appellârit ad hanc ſedem Metropolitanam ile, qui ſibi factam fuiſſe iniuriam probare, ac ius tueri ſuum velit; officij neceſſitate cogemur iuſtitiæ ſubſequi implemẽtum, quod grauiſſima conſtitutio Pij Quinti indixit, & Eccleſiaſtica ratio poſtulat.

In huiuſmodi eccleſijs, quæ ſunt de iure patronatus eccleſiaſtici, ſeruetur, quod ſacrum Concilium Tridentinum diſpoſuit; ſi inſtitutio ad Epiſcopum, & non ad alium pertineat: vt is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentetur, vt ab eodem inſtituatur: cùm verò inſtitutio ab alio, quàm ab Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorẽ, quem patronus ei præſentet, ad quem ſpectat inſtitutio. In eccleſijs autem, quæ ſunt iuris patronatus non eccleſiaſtici, ſeruetur, quod iure ſtatutum eſt, vt tamen præſentati ab examinatoribus Synodalibus præuio examine probentur; & non, niſi idonei reperti fuerint, admittantur.

Deputationes Vicariorum tam perpetuorum, quàm téporalium, in eccleſijs curatis ad menſam Capitularem ſpectantibus, & ab ea dependentibus, ſeu dictorũ Vicariatuum collationes omnes, & quaſcunque prouiſiones in futurum ab executione ſuſpendimus, & ſuſpenſas poſt duos menſes declaramus, quamdiu deputati, ſeu prouiſi profeſſionem fidei in manibus noſtris, aut Vicarij noſtri, quò ad diœceſim Aquileienſem, vel in manibus Epiſcopi Ordinarij, aut eius Vicarij generalis quò ad prouinciam, emiſerint: vt ſit initiũ executionis miniſterij profeſſio, & fundamẽtum, à quo recta miniſterij ratio pendere debet: in contrafacientes autem quoſcunque iuris medijs animaduertendum pro criminis qualitate decernimus.

Locationes & conductiones vltra triennium eccleſiarũ parochialium cum redditibus earum ſub quibuſcunq; conditionibus, tenoribus, ac formis initas, vt alicubi fieri compertum eſt, nullas, & irritas declaramus, & quatenus opus ſit, etiam irritamus, & abolemus: eaſdem verò eccleſias, quæ menſis vel Epiſcopalibus, vel Capitularibus vnitæ ſunt, in Vicariatus perpetuos erigimus, & in poſterum per Vicarios perpetuos in eiſdem eccleſijs inſtituendos, animarum curæ inſeruiendum decernimus.

Qui ad Parochiales eccleſias, vel curatas aſſumuntur, præter ea, quæ ſuſtinendi muneris cauſa requiruntur, viginti quinque annos ſaltem attingere debent: prouiſionem ſeu collationem, aut etiam deputationem de minore factam viribus carere decernimus.

Illiteratos curatarum eccleſiarũ Rectores; qui ſuperioribus fortaſſe temporibus in eccleſias irrepſerunt, quibus propter imperitiam minus certè inſeruiunt, quàm res poſtulat; nec ferre poſſumus cum damno eccleſiæ, & eccleſiaſtici miniſterij iactura in officio diuerſari; & ab eccleſia remoueri charitas non patitur: eam verò rationem, quam præſcripſit Concilium Tridentinum, adhiberi volentes, declaramus his; modò vitæ honeſtæ ſint; Coadiutores, aut Vicarios idoneos pro tempore parte fructuum competenti aſſignata adiungendos ac deputandos à locorum Epiſcopis, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatis: vt Coadiutorum, ſeu Vicariorũ diligentia Dei opus egregiè perficiatur.

Quod ſi apud eccleſias Parochiales, ſiue baptiſmales populus ita numeroſus ſit, vt vnus eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultu ſacro peragendo ſufficere non poſſit, Epiſcoporum tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatorum partes erunt, Rectores, ſeu alios, ad quos pertinet compellere, vt tot pro miniſterio ſacerdotes adiungant, quos ſatis eſſe ad munus parochiale ſuſtinendum putârint.

Inoleuit miſerabili exemplo quibuſdam etiam in locis, quibus populus numero, & qualitate ſatis pollet, abuſus; vt beneficia eccleſiaſtica, quæ curam animarũ ex primæua eorum inſtitutione habuerunt, in ſimplicia beneficia aſſignata Vicarijs congrua portione conuerſa fuerint, nulla intercedente ſanctæ Sedis gratia conuerſionis, aut commutationis, ſed impetrantium aſſertione & abuſu; quaſi ſuperiorum téporum Rectores, qui reſidere apud eccleſias Curatas debuerunt, cùm non reſederint, & per Vicarios in dictis eccleſijs miniſtrârint, naturam eccleſiarum parochialium culpa ſua, quæ iniuſtum affectauit cómodum, & correctioné effugit, immutârint. Cui malo occurrentes ea, quæ nos decet, vigilãtia, & ſolicitudine, ſtatuimus de præfatis eccleſijs, quę tamen verè conſtiterit à primæua erectione fuiſſe Curatas, vt, licèt effectum videantur, ſine vlla tamen ſanctæ Sedis gratia, conſecutę, per totam prouinciam prouideatur, vt cùm primùm quocunq; modo dictæ eccleſiæ aliter, quàm per reſignationem obtinentium vacauerint, ad primæui ſtatus conditionem ipſo facto rediiſſe cenſeantur; & fiat de illis prouiſio, vt de verè parochialibus eccleſijs ſacrorum canonum diſpoſitione ſtatutum eſt: quod vt contra omnes impetrantium incurſiones certo pręſidio tandem aliquando muniatur; ſtatuimus totius prouinciæ nomine S. D. N. ſupplicandum; præfatum Decretum Apoſtolica auctoritate confirmare, & munire dignetur, ne quod noſtra ſolicitudine paratum eſt remedium, ſubreptionis impulſu pereat.

Debent ijs, qui à parochialibus eccleſijs longè abſunt, vel extra ciuitatem ſunt, cùm tamen à parochia ciuitatis pendeant, & ab eadem gubernẽtur; Epiſcopi opportunè proſpicere, vt minſteria ſpiritualia in promptu neceſſitate exigente habere poſſint, præſertim ſi aquarum diuortijs, & montium difficultatibus, & pontium nocturno tranſitu, ac pluuiarum ſeu niuium tempore, vel intercluſo portarũ ciuitatis exitu, difficilis Rectori ſit, ac periculoſus, Interdum etiam impoſſibilis in eam partem acceſſus. quo caſu iuxta felicis recordationis Alexandri III. conſtitutionem, & Tridentini Concilij decretum, nouas Epiſcopi parochias cõſtituere poterunt, vt animarum curæ conſultum ſit. ijs verò, qui nouis parochijs præficiendi erunt, ex fructibus ad matricem eccleſiam quomodocunq; pertinentibus aſſignandam portionem ex decreto Concilij declaramus, quæ ſi minus competẽs, ac minus congrua fuerit, erunt partes Epiſcopi, etiam populum ad ea, quæ nouo Rectori neceſſaria fuerint, præſtanda compellere, vt inde hauriant victus neceſſarij commoda, vbi miniſterij, & laboris aſſiduam diligentiam impendunt.

Decedente Parocho, ea, quæ ad ſacrum cultum, vaſa, libros, paramenta, miſſalia, ornamenta, & alia ſacra, licèt ex argento, ſiue auro confecta viuẽs ex fructibus beneficij etiam in Capella, ſeu priuato Oratorio adhibenda confecit, nomine eccleſiæ, apud quam reſedit, ſeu quam obtinuit, vendicanda, & in illius vſum adſciſcenda decernimus, & mandamus iuxta cõſtitutionem Pij Quinti. quod Vicariorum foraneorum diligentia expediendum erit, vt proprio illorum capite declarabimus.

De dignitatibus, Canonicatibus, & beneficijs ſimplicibus.

DIgnitatum, & Canonicatuum, [illegible] nomen à Regula, & ordine duxerunt, electionem, [illegible]probationem Epiſcopis

pis indicimus faciendam cognitione,& iudicio, vt idoneos; quos caro,& ſanguis non reuelauit; eligant ſpectatæ probitatis,morum;etiam probatæ doctrinę, vt mertò Senatus Eccleſiæ dici poſſit: in quo ſibi perſuadeant fore ad Eccleſiaſticum gubernium dirigendum benè incitatæ voluntati maximum,& perpetuum adiumentum. pertinent enim, qui dignitates obtinent Eccleſiaſticas, & Canonici ad caput,qui eſt Epiſcopus,tanquàm nobiliora membra : pertinent verò ratione miniſterij,& dignitatis , itemq; loci propinquitate, & ordine Eccleſiæ, vt nihil in horum altero ſit, quòd ad alterum non pertineat. Hanc ob cauſam de Dignitatibus, & Canonicatibus à Tridentina Synodo ſtatutum eſt,vt in Eccleſijs Cathedralibus , & Collegiatis inſignibus dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum, vbi id commodè fieri poteſt,tantùm Magiſtris,& Doctoribus, aut etiã Licentiatis in Theologia,vel iure Canonico conferantur. Quòd ſi Dignitates curam animarum annexam habeant,ex decreto Concilij declaramus nulli eſſe conferendas, qui ſaltem vigeſimumquintum ætatis ſuæ annum non attigerit, & in clericali ordine verſatus, doctrina ad munus ſuum exequendum neceſſaria, & morum integritate non commendetur.

Aliæ dignitates,& perſonatus , quibus nulla ſubeſt animarum cura, clericis idoneis non minoribus annis viginti duobus iuxta idem Concilij decretum conferantur.

In Archidiaconos,qui oculi ſunt Epiſcoporum in omnibus Eccleſijs prouehantur, vbi fieri poteſt,qui magiſtri ſunt in Theologia,ſeu Doctores, aut Licentiati in iure Canonico:neq; enim munus,ſicubi iuriſdictionem habent ; aut dignitas,quæ principalis eſt poſt Epiſcopalem;aut temporum ratio, quæ vigilantiam , integritatem, & doctrinæ donum requirit,omninò patitur,vt ſegnes,& illiterati adſciſcantur, qui imperitia , & ſordibus euertere perſeuerent , quæ ſtare videntur.

Aetas promouendorum ad Canonicatus ea ſaltē debet eſſe,quæ ſacro ordini Præbendæ conueniat,vt infra tempus à iure,& ſancta Tridentina Synodo cōſtitutum,promoueri poſſint : ea ſit prætereà in literis ſcientia , & in Eccleſiaſticis doctrina, vt ordinem aſſequi Præbendæ valeant : niſi enim idonei in examine ad ordinem Præbendæ , quæ confertur, extiterint, inhabiles ad canonicatum pronunciamus,collationem verò, aut quamcunq; promotionem de illis ad canonicatum irritam,& caſſam declaramus.

In Eccleſijs tam cathedralibus,quàm collegiatis, & Parochialibus ex earum conſtitutionibus , aut ex praua conſuetudine obſeruatur,vt in electione,præſentatione,nominatione,inſtitutione,cōfirmatione,collatone, vel alia prouiſione,ſiue admiſſione ad poſſeſſionem alicuius Cathedralis Eccleſiæ,vel beneficij,Canonicatuum, aut præbēdarum, vel partem prouentuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ cōditiones, ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationes ve illicitæ , aut etiam quæ in aliquibus Eccleſijs dicuntur Turnorum lucra, interponantur:hæc examinent , & diligenter Epiſcopi perpendant,vt, quæ in vſus pios conuertuntur,permittant,alia,quæ ſordidã auaritiæ labem,& ſimoniacam ſuſpicionem olent,euertant, ac omninò tollant. Quod verò ſpectat ad primi poſt adeptã poſſeſſionem anni fructus,decernimus exequendam omninò Conſtitutionem Pij V. vt ſi hi fructus,& diſtributiones in pia opera ſtatuto , aut vetere conſuetudine inſumantur, dimidium ad Canonicum , dimidium alterum ad ipſorum operum executionem pertineat;ſi verò inter canonicos diſtribuantur, aut aliter inſumantur , quàm in pios vſus, tum decernimus dictos fructus, & diſtributiones primo etiã anno poſt adeptam poſſeſſionem integros ad canonicũ pertinere,& eidem ſine diminutione aſſignandos eſſe.

Beneficiorum etiam ſimplicium ſub eodem tecto obtinendorum prohibitionem iure communi latam omnibus Epiſcopis ſeruandam,& exequēdam omninò proponimus, & intimamus.

Ferendum nullo pacto dicimus,& declaramus, vt ad beneficia ſimplicia vel liberæ collationis , vel iuris patronatus Sacerdotij ordinem , & miniſterium annexũ habentia prouehantur pueri etiam impuberes,qui literas,& penè ſe ipſos ignorāt,ne dum munus exequuntur beneficijs annexũ, aut exequi poſſunt:quē abuſum corrigere volentes,declaram illos,qui ætatem nō habent, vt ſaltem infra annum promo ueri ad ordinem tituli beneficialis poſſint , inhabiles ad hu iuſmodi beneficia,quæ Sacerdotij ordinem,& miniſteriu annexum habent: electionem verò,præſentatationemq; & inſtitutionem de huiuſmodi perſona nullã , & irritam eſſ aut etiam irritandam,& annullandam declaramus.

Ac,vt in collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum,qu miniſterium habent,& aliquã muneris executionem,in pr mis attenditur,& curatur,vt qui prouehitur,idoneus ſit, it in beneficijs quibuſcunq; ſimplicibus conferendis quamui de iure patronatus accuratè ſeruandum præcipimus,& man damus,vt priùs examinetur promouendus in ijs,quæ ad be neficij onus pertinēt,quàm promoueatur: ſi fuerit idoneu vt fiat,quod iure fieri poteſt,ac debet;aliter factam collatio nem ex decreto Concilij declaramus irritandam : ipſi ver collatores pœnam ſibi iſto caſu aliàs indictam, & in Conci lio Tridentino receptam,& innouatam declinare ſtudeant

De vita,& honeſtate Clericorum.

Clericorvm vitam habitu,ſtudijs , conuerſation decet eſſe integram; vt qui alijs ordine præſunt,etian exemplo, & laudabili morum , & ſtudiorum inſtitu tione præluceant. Quia verò hoc ipſum actu conſtat,& ha bitu,ſingillatim de vtroque ſtatuere aliquid decreuimus,v etiam ſucceſſione temporum, quod inſtitutum,cœptum v fuerit,expolitione aliqua perficere valeamus.

Inſigne clerici tonſura eſt,ac veſtis talaris: Qui igitur ir clericalem militiam adſcitus eſt , norit à ſe hoc primum re quiri, vt habitum, & tonſuram deferat , qui non detulerit, ſciat ſe pœnis iuris ſubiacere.

Cùm autem complures ſint,qui tonſuram habent, atque etiam ordines minores, quorũ aliqui in Eccleſiaſticis miniſterijs in habitu,& tonſura aliquando ſeruierunt;poſteà reſpicientes retrò,tanquàm regno Dei minùs apti, clericalem militiam deſeruerunt,& ad vitam laicalem , & communem reuerſi ſunt:alij nec habitum , nec tonſuram vnquàm geſtãrunt, nec in Eccleſia clericorum inſtituto, & more verſati ſunt;ſed laicorum habitu, delatione armorũ, toto corporis cultu omnia alia potiùs,quàm clericos ſe oſtenderunt;neq; clerici vnquàm communi hominum opinione habiti ſunt: vtriq; verò vitam ſecularem degentes ſi quando aliquò impingunt, & iuſtitiæ temporalis præcepto propter crimē obiectum in aliquam difficultatem truduntur,tum ordinationis literas oſtendunt, & fori Eccleſiaſtici ſubſidium implorant : abuſibus occurrentes varijs, & grauibus ſacri Concilij Tridentini decretis inhęrentes ſtatuimus,& declaramus indignos illos eſſe, quos fori Eccleſiaſtici fauor cōplectatur, qui eiuſdē fori dignitatem,& obedientiam contempſerunt. Nullus igitur fori priuilegio ex decreto Concilij gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat,aut clericalem habitum,& tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi ſeruiat; vel in Seminario clericorũ,aut in aliqua ſchola,vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi , quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos verſetur.

Illis autem, qui beneficium Eccleſiaſticum quodcunque etiam quomodocunq; ſimplex poſſidēt, vel canonicatum, aut Capellaniam, ſiue etiam penſionem vltra ducatos ſexaginta,tonſurã verò, & habitum clericalem deferre contemnunt,amantes lucrum,inſigne verò ſuæ profeſſionis abhorrentes,Conſtitutiones Sixti Quinti datas,alterã quinto Idus Ianuarij,M.D.LXXXVIII.alteram pridie Calendas Februarij eodem anno intimandas intra menſem decernimus, & mandamus:futuris autem temporibus in Diœceſanis Synodis eaſdem promulgari præcipimus.

Lateranenſis Cōcilij ſanctione grauiſſima decretum eſt, vt qui beneficia Eccleſiaſtica tam curata , quàm non curata obtinent , niſi poſt certum tempus horas canonicas recitârint,fructus beneficiorum amittant,qui tunc fabricis locorum piorum,ſeu eleemoſynis applicati fuerunt. Quod vt clericis apertiùs innoteſcat , ſæpiùs eiſdem inculcandum decernimus , ac ſtatuimus Pij Quinti cōſtitutionem de hac re ipſa latam 12. Cal. Octobris, M.D.LXXI.in Diœceſanis Synodis quotannis publicandam: qua amiſſiones fructuum

ıeficialium pro horarum omiſſione quantæ ſint, decla ır; inde enim omnes colligēt, quod malè perceptum eſt, ı fuerit ratione,& cui reſtituendum.

Non tamen exiſtiment, qui ad Subdiaconatus ordinē, & ·eriores prouecti ſunt, ſi beneficio Eccleſiaſtico careant, ris Canonicis ex Breuiario Romano recitādis obſtrictos eſſe; omninò verò intelligant, quēadmodum qui benefi- m habent Eccleſiaſticū, horas Canonicas non recitantes, ra peccati mortalis reatū, amiſſione fructuū plectuntur: illos omittēdo horas Canonicas mortaliter peccare, nec prætextu beneficij nō adepti excuſare poſſe. Norint verò ri ordinis ſuſceptione, ſe in ſortem Domini, cui in humi- ate ſeruire debent, adſcriptos eſſe, vt à ſua ipſius religioſa dicatione, & ſacris miniſterijs diſcedere non valeant, ſed ›ligatos ita eſſe, vt aſcendere poſſint, ad ſeculum deſcen- re non poſſint. Qui muneris ſui partes neglexerit, & con nci aliquo modo poterit, vel non recitare, vel ordinem citandi non intelligere, pœnis debitis etiam in foro exte- ori, vltra peccati reatum, plectendum, & ſuæ correctionis eneficio, & aliorum exemplo decernimus.

De Clericali habitu, & tonſura ne dubitari [illegible]cingat, qua- s eſſe debeat, tōſuram, ſeu clericam edicimus eam eſſe, quā ro maiorum, & minorum ordinum gradu minorē, & ma- orē præſenti pagina præſcripſimus, vt vel inſcriptione cle- cæ inſcriptum ſit cuique ſuæ ordinationis ſignum. Barbæ ıcomptioris formā, & longiores pilos à ſuperiore labro di- ıiſſos, qui oris officium impediunt, omninò damnamus, & clericali modeſtia reici mādamus. Habitum verò clerica- em in Ciuitatibus, Terris, & Oppidis dicimus eſſe veſtem alarem collo conſtrictā cum pallio ſuperiore longo: colla- ia camiſiarum quocunq; modo criſpata, ſeu lactucata dam ıamus, reijcimus, & perſonis clericalibus minimè cōuenire ›ronunciamus. Colorem nigrū modeſtiæ clericali aptum, onuenientemq́; dicimus: colores alios quoſcunque, etiā in nanicis, & fibulis caligarum damnamus, & prohibemus. pi- eos laneos, ſiue ſericos opere criſpato, vel punctorum fre- quenti ordine quaſi pictos, ſeu cinguli variegati corona ex- ornatos, ad laicos, & non ad clericos pertinere declaramus: volumen velorum circa pileum ex arte cōpoſitum, vt per- ſonas Eccleſiaſticas non decet, ita minus quidem decet illas quæ inter cæteras loco, & dignitate eminent.

Omnibus, & ſingulis quacunq; ſint dignitate, officio, ac beneficio præditi, quib⁹ Diuinis in Choro intereſſendi mu- nus eſt adiunctum, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis interdi- cimus, & inhibemus; ne in Chorum ad Diuinorum intereſ- ſentiam aſcendant ſine veſte coloris nigri vſq; ad talos de- miſſa, & ad collum conſtricta, & ſuperpelliceo decenti: ve- ſtem breuiorem coloris non nigri, aut collo nō conſtrictā, quocunq; prætextu ſumptam, à Choro, & ab Eccleſia lon- giùs abeſſe volumus; ac ſub eiſdē pœnis inhibemus, ne quis pileos cuiuſcunq; materiæ, aut formæ in Chorum deferat: ſi enim locis omnibus Clerus decenter ornatus eſſe debet, multò ſanè magis in loco ſacro, & in Choro; vbi laudes Deo perſoluūtur, gratiæ aguntur, poſtulationes fiunt, eſſe debet, in quo veſtimentum induens candidum, & officium Ange- lorum obiens ab omnib⁹ abſtinere, quæ vel inania ſunt, vel ſecularia, vel à re aliena diligentiſſimè debet: atq; id aſſiduè meditari, & contemplari animo piè decebit. Quòd autē de- beat in Choro eſſe ſilentiū, quæ mentis eleuatio, qui cultus, attētio, & deuotio ſuperiùs titulo de diuinis officijs aliquid decreuimus: reliqua p Reuerendiſſ. Patres in cōmune Pro- uinciæ cōmodum meditanda, & compilanda propoſuimus.

Ne autem quis dubitet, quę ſit habitus itinerantiū forma; vt quæcunq; ſe ad loca Clerici contulerint, vitæ, & morum inſigne deferant; ex ipſo verò clericali habitu obſtrictos ſe obligatione modeſtiæ, & temperantiæ cognoſcāt: ſtatuimus veſtē clericalem itinerantiū eam eſſe, quæ ſaltem vſq; ad ge- nu longitudine producta, genu Clerici ſtantis operiat; hæc aūt coloris nigri eſſe debet, & clericaliter ad collū formata: habitum verò clericalem declaramus eum eſſe, qui veſte vel talari, vel breuiore in itinere, vt paulò antè diſpoſitum eſt, ac tonſura conſtat. Si ex duobus alterum deſit. habitū cleri- calem dimidiatum declaramus, ac dicimus, vt Cōſtitutioni- bus de habitu clericali deferendo diſponētibus ſatisfactum non ſit: quod Epiſcopi animaduertere diligentiſſimè, & cu- rare debebūt, vt ſi minus edicta, & monita, ac præcepta pro- fuerint, pœnæ ingruant, & iuuante Deo proſint.

Arma Clericorū ſunt lachrymæ, & orationes, nō enſes, aut alterius formæ, vel materiæ arma. Per Ciuitates, & loca, in quibus habitant, [illegible] quis Clericorum extra itineris facien- di neceſſitatem inſolēter arma cuiuſcunq; generis detulerit, eum damnādum ſtatuimus quarta parte fructuum ſuorum beneficiorum, quā ex nunc, prout ex tunc, & econtrà, Sacri- ſtiæ Eccleſiæ, cui fuerit titulo beneficiali adſcriptus, applica- mus Epiſcopi proprij mandato exigendam, & in prędictum vſum inſumendam: creſcente cōtumacia grauiora etiam re- media decernimus adhibenda. Contra Clericos non bene- ficiatos carcere, banno, ſuſpenſione, vel aliter procedendum erit, vt aliquando reſipiſcant, qui vel errore, vel improbita- te animi à diſciplina, & obedientia deſciuerunt, ac Deo gra- tias agant, qui pereuntes vitæ reſtituit.

Penſiouarios ſeriò monitos eſſe volumus, eos ad officiū B. Mariæ Virginis quotidiè recitandum teneri; præter pec- catum mortale, quod committunt, ſi omiſerint, reſtitutio- nis onere obſtrictos declaramus. at verò ne putent Eccleſia- ſticum panem, qui temporaliter inter miniſtros diſtribui- tur, ad luxum, ad inania ſtudia, ad venationes eſſe conuerten dum; cùm ſit patrimonium Chriſti, alimenta Sacerdotum, qui verè Sacerdotes, & verè Eccleſiaſtici ſunt, miniſtrorum ſtipendium, vt in Eccleſia, vel extra Deo laudes perſoluant, & ipſi Deo obediant.

Dicit Canon: Eſau venator erat, quoniam peccator erat: quàm verò ſit modeſtia clericali indignum, qui paulò antè Breuiarium manibus tractabat, & ſacræ lectionis ſtudio in- tendebat, eū publicè Accipitrem deferre, & ſua in eo ſtudia profiteri: quiq́; cum Angelis in Eccleſia gratiarum actiones, & laudes Deo perſoluebat; eum inter canum latratus, & mul titudinem verſari, & incomptis obſtrepere vocibus, ſacri Canones declarāt; omnes verò faciè intelligunt. Conſequi- tur aūt, vt panis, qui miſerorū pauperū victui ſufficeret, pa- nis, inquā, de redditib⁹ eccleſiaſticis collectus, quod eſt patri moniū Chriſti, ad beſtiarū cibum indignè transferatur: cu- ius criminis ratio diſtrictè in die Domini reddetur. Quod vt longè à clericorum vita, & honeſtate remoueamus, om- nibus Clericis cuiuſcunque conditionis, & gradus ſint, ve- natorium ſtudium interdicimus, & diſtricte prohibemus, ac in eos grauius per illorum Ordinarios procedendum ſta- tuimus; ac [illegible] contumacia fuerit obſtinatior, & inhibitionis mollioris ratio contemptui eſſe cœperit, grauiori etiā anim- aduerſione proſpiciendum mandamus.

De tabernis, quod ad Clericorum modeſtiā pertinet, ſta- tuimus nulla ratione tolerandum, vt extra itineris neceſſi- tatē in tabernas, diuertant. quia verò locis quibuſdam viget conſuetudo; quæ, ſi clericorū ſpectetur cōditio, corruptela, & abuſus dicendus eſt; vt ſi cōuiuij amicis, & conciuibus pa- randi voluntas ex honeſta etiā cauſa, vel hoſpitium aduena- rum repētino aduentu inciderit, nō domi, ſed in publico di- uerſorio paretur conuiuium; & eò conueniant, & ibidē refi- ciantur, licèt hoſpitibus confluentibus diuerſoriū totum pa- teat. quod omninò clericis cuiuſcūq; òrdinis, ſtatus, & con- ditionis ſint in tota Prouincia honeſtatis & modeſtiæ cauſa inhibendum pœnis etiam propoſitis decernimus; ac Epi- ſcopos Decreti præſentis vigore, vt ſeriò inhibeant, exci- tamus.

Alearum, & taxillorum vſum, quo tempus miſera iucun- ditate teritur, clericis omnibus inhibemus: multò verò gra uius, ſi non modò luſerint ipſi, ſed alijs ludendi poteſtatem fecerint parato loco, & domeſtico diuerticulo. Epiſcoporū verò vigilantia, & prudentia edictis, ac pœnis propoſitis op portunum erit remedium adhibendum, vt, peſtis auertatur, qua miſerorum facultates ſuaui morbo exhauriuntur, bla- ſphemiæ, & rerum deſperationes excitātur, cupiditatum in- temperatiorum, & fraudium oblectamenta aluntur, deniq; ipſa Dei clementia aſſiduè offenditur: qui tāto periculoſior morbus eſt, quāto ardentius interdum animos clericorum occupat, & Eccleſiaſticas opes peruadit.

Conuiuia, & nimiam Laicorum familiaritatē multarum offenſionum, & ſcādalorum originē debent Clerici in quo- cunq; gradu cōſtituti declinare, ac fugere; honeſtatem, quæ inter clericos tutiùs ſeruatur, amare, cōtraria diligentiſſimè

vitare:

vitare: meminiſſe verò debent, non aliunde clericalis ordinis dignitatem grauiùs fuiſſe offenſam, quàm à nimia Laicorum familiaritate; illi enim, vt honeſtè de ijs, quæ honeſti ſpeciem præ ſe ferunt, ſentire ſolent; ita ſi honeſtum illud, quod opinione compræhenderunt, aſſidua tractatione non reperiunt, paruipẽdere, & quos imperfectiores norunt, contemnere omninò ſolent.

Mulierum ſuſpectarum cõtubernium, & familiaritatem declinent, & fugiant Clerici: de Epiſcopis enim fas nõ eſt ſuſpicari: ne vel mali ſuſpitione laborent, vel periculoſæ rei tractatione tabeſcant: qui ſordium, & intemperantiæ ſtudio impliciti fuerint, ita corrigantur, vt vel monitis reſipiſcant, vel pœnæ intimatione, aut (ſi pertinaciores fuerint) etiam inflictione diſciplinam recognoſcãt, vt etiam; ſi deſperetur correctio; beneficiorum priuatione plectantur. Quod verò ſuperiùs ſtatutum eſt titulo de Reſidentia Curatorum circa fœminas ad miniſterium domeſticum Clericorum admittendas, & approbandas, hoc diligenter ſeruetur.

Clericum, qui à ſeculo diſceſſit in ſorté Domini adſcitus, ſeculi adhuc negotia appetere non decet. negotiationes enĩ, mercaturas, alienæ rei procurationes, alienorũ tutelas, aduocationes, & fideiuſſiones cum ſecularibus, & de re ſeculari, & alia huiuſmodi cum Clericorum vita, & ſtudijs conſentire nemo affirmârit. dent igitur operam Epiſcopi, vt Clerum Eccleſiaſticis exercitationibus, ſacrarum literarum ſtudio, & charitatis operibus inſtituant, & ad perfectæ vitę bonum per Chriſtianas virtutes adducant.

Ad ſpectacula Comœdiarum, ſiue ad bancos Circulatorum, & buffonum in plateis, qui alijs exemplum eſſe debent maturitatis, & prudẽtiæ, accedere, & aſſiſtere Clericos non decet: à chorearum ſpectatione item Clerici abſtineãt; ſaltationem verò priuatam, & publicam; quod eſt intemperatiſſimæ temeritatis genus; nulla ratione committant, niſi grauioris correctionis virgam experiri affectent. Perſonatum incedere Clericum turpe, vanum, periculoſum, nõ ferendum: non enim ad bonum habitus clericalis depoſitio; ſæpiſſimè ad malum vel inchoandum, vel conſumandum. Nocte ſe Clerici domi contineant, niſi ad charitatis Chriſtianæ officia ſit exeundum: militum, aleatorum, infamium perſonarum conuerſationem declinent: compotationes fugiant, & omnia, quæ Eccleſiaſticam perſonam minùs decẽt, & ſacrorum Canonum ſtatutis interdicta ſunt Clericis, à ſe putent aliena: quæ verò ad omnem charitatis, & pietatis exercitationem pertinent, ea amplectantur, & nunquàm dimittant.

Clericalis militiæ propagines aptari, & in futuræ quaſi ſobolis ſpem ali ſuadet pietas, & Chriſtianæ prudentiæ ratio. ac, vt ritè fiat, & ijs obſeruatis, quæ obſeruatione digniſſima ſunt, de ordinationibus Clericorum ſummatim quædã ſtatuimus; alia etiam Deo fauente addituri, vt ex his quaſi fundamentis maiora aliquando excitemus.

Qui ad ordines gradatim minores, & maiores promouendi ſunt, quædã habere, quibuſdam carere debẽt: ac vt diligenter proſpiciendum, vt quæ ad ordines ſuſcipiendos, & exercendos attinent, ne deſiderentur; ita animaduertẽdum diligentiſſimè, vt quę aſcenſum, & promotionẽ impediunt, diſpiciantur, & ab Eccleſia excludantur, atque ita Decretis Concilij Tridentini inhærentes ſtatuimus vt prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimẽta edocti non fuerint; quiq; legere & ſcribere neſciant; & de quibus probabilis coniectura non ſit, eos non ſecularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

Ad minores ordines promouendi bonum à Parocho, & Magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeãt, & ſaltem latinam linguam intelligant, in quibus ſeruanda interſtitia decernim⁹; niſi aliud Epiſcopo expedire videbitur: ac, vt interſtitiorum ratio videtur ea eſſe, vt minorum ordinum functiones Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu intermiſſę, in vſum reuocentur, ita Epiſcoporum ſolertia curandũ decernimus, vt minorum ordinum miniſteria reſtituãtur: fiet autem ſatis commodè, ſi, quos Epiſcopus ordinârit, eos ad miniſteria Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum deſtinârit: ijs verò competẽti numero inſtructis, per Eccleſias Parochiales Clericos eoſdem diſpoſuerit, & in illis ad eadem miniſteria obeunda deſtinârit.

Ad aſcenſum inter minores non admittantur, qui priorum miniſterio, morum & ſtudiorum teſtimonio non commendentur: hoc autem ipſum teſtimonium (ſi Parochiam Clericus, & Magiſtrum ſcholæ mutârit) recipiatur ſaltem à Parocho, & Magiſtro, in cuius vel diſciplina, vel Parochia ſex menſes ante ordinationem fuerit.

Qui ad ſingulos maiores ordines erunt aſſumẽdi, per mẽſem, aut aliàs, vt Edicto Epiſcopali præſtituetur, ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui Vicario generali, aut Vicarijs foraneis locorum, ſiue Archidiaconus, aut cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus, & deſiderio eorum, qui promoueri volent, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirant, & literas teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes ad Epiſcopum quamprimùm tranſmittant.

Qui ad ſacrum Subdiaconatus ordinem ſunt prouecti, ſi per annum ſaltem in eo verſati nõ ſint, ad altiorẽ gradum non permittantur aſcendere, niſi aliud Epiſcopo videatur, qui vel neceſſitati, vel vtilitati publicæ cõſultum debet velle, non cupiditati, aut commentitijs priuatorum cauſis ſatiſfactum. Quò autem propiùs Subdiaconi ad ſacra accedunt; eò magis decet, vt diebus ſaltem Dominicis, ac ſolemnibus, cum Altari miniſtrauerint in Eccleſijs, quibus adſcripti fuerint, ſacram communionem percipiant.

Duo præcipuè in ordinatione Subdiaconi exquirenda, quorum primum, vt tales adſciſcantur, qui ſperent Deo auctore ſe continere poſſe, cùm ſit impuritas vel ab hoc gradu arcenda, vel in hoc ipſo diligentiſſimè comprimẽda. Secundum, vt nullus admittatur, qui recitare horas Canonicas ex Breuiario Romano neſciret; qui, ſi reliqua nouerit omnia, vnum hoc ignorârit, repellendus erit.

Non decet eos, qui diuino miniſterio adſcripti ſunt, cùm ordinis dedecore mendicare, aut minùs honeſtam quæſtus rationem exercere, vt victum decentem habeant. Idcirco ſacri Concilij Tridentini Decreto inhærentes ſtatuimus, accuratè obſeruandum, vt nemo ad ordinem Subdiaconatus admittatur, niſi legitimè conſtet, eum Eccleſiaſticum beneficium, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. ad titulum patrimonij, vel penſionis non ordinentur, niſi illi, quos Epiſcopus iudicauerit aſſumendos pro neceſſitate, aut commoditate Eccleſiarum. attentè vero perſpiciat, an patrimonium, ſeu penſio ab eiſdem verè poſſideatur, ac talia ſint, vt ad vitam ſuſtentandam idonea ſint. quæ deinceps, donec Eccleſiaſticum beneficium, quòd ſufficiat ad victum, obtinuerint; ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenùs poſſint.

Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum, ſi per triennium commoratus ſecum fuerit, ordinare ex Concilio Tridentino non poteſt, niſi ei beneficium quacunque fraude ceſſante ſtatim re ipſa conferat.

Clericos alienos cũ legitimis dimiſſorijs recipere; ſi fuerint impediti illorum Epiſcopi, & examinatos dimiſerint; laudabile, & honeſtum: hoc tamen monemus, ad Epiſcopos recipientes ad ſuam ordinationem ſubditos alienos nõ pertinere vel ſuper interſtitijs, ex cauſa non ſeruandis cognoſcere, aut decernere; vel titulos, ad quos ordinãtur, qui fuerint à proprio Epiſcopo, ſeu generali eius Vicario approbati, aut reprobati, iudicare: hæc enim ad Epiſcopum dimittentem pertinent.

Qui piè, & fideliter in miniſterijs anteactis ſe geſſerint, & ad Presbyteratus ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium; & hi ſint, qui non modò in Diaconatu ad minus annum integrum, niſi ob Eccleſiæ vtilitatem, & neceſſitatem aliud Epiſcopo videatur, miniſtrauerint; ſed etiam ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus ad ſalutẽ neceſſaria ſunt, ac ad miniſtranda ſacramẽta diligenti examine pręcedente idonei comprobentur: atque ita pietate, & caſtis moribus conſpicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari.

quæ fuerint opportuna, & neceſſaria conſtituent, & exequẽda mãdabunt: diſcolos, & incorrigibiles, malorum morum ſeminatores acriter punient, eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo.

Idem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter ab ipſo Capitulo eligatur: itemque duorum de Clero ciuitatis; quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcopum; alterius ad clerum pertineat, portiones de menſa Epiſcopali*, ac ex fructibus aliorum beneficiorum quorumcunq; in Concilio Tridentino pro cõtributione ad Seminarium inſtituendum, & conſeruandum expreſſorum detrahent, & Seminario applicabunt, vt opus, cui ſuſtinendo neceſſaria eſt non mediocris impenſa, ac prętereà plurimarum rerum circumſpecta prouiſio, Epiſcopali ſedulitate, & adſcitarum perſonarum adiumẽto egregiè pro Dei gloria muniatur, & ſuſtineatur.

In primis verò ſi qua hactenus beneficia, vel quia proximo tempore inſtituta, vel per incuriam (non enim putamus per induſtriam) omiſſa decimali taxa, comprẹhenſa nõ fuerunt, illa curent Epiſcopi eadẽ, qua reliqua beneficia, dimenſione carpi, & pari decimationis lege limitari, & concludi.

Quæ ſupraſcripta omnia & ſingula pro regionis more, & pro eccleſiarum, & beneficiorum qualitate, etiam ſi opus fuerit, moderando, & augẽdo Epiſcopi ad felicem Seminarij profectum neceſſaria, & oportuna decernere, ac prouidere poterunt.

Leue eſt, quod puerili ætati inſitum eſt, vt vel minimo negotio deleatur, & extinguatur; idcircò ſummoperè laborandum; vt qui pueri in Seminarij diſciplina educantur, & pietatis ſtudio, ac modeſtiæ lege adſtricti ſunt, ab ea non diſcedant, quandiu confirmatiores fuerint: quod animaduertentes Epiſcopi acutè proſpicient, ne pueri; dum in inſtituta Seminarij educatione viuunt; permittantur à diſciplina diſcedere, & liberè diuagari ſine Magiſtro, cuſtode, & reliquorum puerorum communi victu, & exercitatione; vt alicubi factum eſt. habeant poſt ſtudia & obedientiam recreationes liberiores ætati conuenientes, & profeſſioni: ad laxiora ne dimittantur.

De Seminarijs, vbi diœceſes tenuitate laborant, Tridentino Concilio ſtatutum eſt, vt ad plurium prẹlatorum commoditatem, & plurium contributione commune aliquod Seminarium conſtituatur. Cuius decreti auctoritatẽ ſequentes, ſtatuimus in tota Iſtria pro illius regionis Epiſcopis vnicum, ac illud quidem commune Seminarium inſtitui pro communi regionis commodo ad Cleri propagationem, & eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutionem.

De Viſitatione.

MAxima gubernij eccleſiaſtici pars, & ratio viget, vt Epiſcopus eccleſias, loca, & populos viſitando perluſtret, & quæ acceſſu, fide digniorum teſtimonio, ipſa inſpectione cognouerit emendanda, & corrigenda, illa corrigat, & emendet: Idcircò ſacra Tridentina Synodo cautum eſt in omnibus, quæ ad viſitationem, ac morum correctionem ſubditorum ſpectant; vt Epiſcopi, quo aptius, quem regunt, populum in officio, & obedientia contineant; ius, & poteſtatem habeant, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati ea ordinandi, moderandi, & exequendi iuxta Canonum ſanctiones, quæ illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione, ac diœceſis ſuæ vtilitate neceſſaria videbuntur. Nec in his, vbi de viſitatione, ac morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, exequutionem eorum, quæ mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat, aut ſuſpendat.

Debent autem Epiſcopi ſuam diœceſim per ſe ipſos, aut ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum Vicarium generalem, aut viſitatorem, ſi quotannis totam propter eius latitudinẽ viſitare non poterunt, ſaltem maiorem eius partem viſitare; ita tamen, vt biennio per ſe, vel viſitatores ſuos viſitatio compleatur.

Sit autem viſitationis ſcopus viſitantibus propoſitus, vt ſanam, orthodoxamq; doctrinam expulſis hæreſibus inducant; bonos mores tueantur, prauos corrigant; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamq; accendant: in quo ad paternam Epiſcoporum charitatem, Chriſtianumq; zelum pertinebit; omnes amplexari, vt modeſto etiam contenti equitatu, ac famulatu quam celerrimè, debita tamen cum diligentia, viſitationem abſoluant, omnia exquirant, cautè hauriant; non facilè admittant, aut probent: ita tamen quæ afferuntur, recipiant, vt nec fidem habeant, nec fidem denegent: duce verò Chriſtiana prudentia probent, quæ vera, quæ recta, ac ſincera ſunt: quæ commentitia, calumnijsque infecta, aut dolo, diſpiciant; vt, qui ſemel detulit, non iterum, vt deferat, ſpe commodi vlla ducatur.

Cùm ad viſitationem egredi Epiſcopus animum induxerit, parumper ſe ipſum colligat, ac meditetur profectionis ſuæ cauſam: ſi enim cogitatione perſpexerit, ſe aliorum vitam, mores, actiones examinandas ſuſcipere, vt corrigat, emendet, reſtituat; certè ipſe ſatis intelliget, à domo, & familia ſua viſitationem inſtituendam; cuius exemplo vel tacitus prædicabit reliquis Chriſtianas virtutes; vt, ſi domum, & familiam non benè compoſitam, otio, & leuitate diffluentem pro negligentia alijs præbuerit videndam; fructum vniuerſæ viſitationis perdiderit. quod licèt videatur ſimplici quodam ſermonis contextu propoſitum, ad duo tamen, quę maxima ſunt in hoc genere, pertinebunt. Primum eſt, vt talem ſe forma vitæ, famulatus, & familiæ modeſtia Epiſcopus prębeat, qualem habere populus exemplaris ad imitandum propoſiti loco poſſit: alterum pertinet ad ipſam viſitationẽ. quid enim ſi Epiſcopus caſtitatem, modeſtiam, pietatem, omnes Chriſtianas virtutes indicat, prædicet, inculcet; in domo vitia vigeant, petulantia, laſciuia, temeritas? quod ſi ſuos correxerit, ac benè compoſuerit, omnes in Dei opere adiutores habebit.

Aequum eſt, vt viſitatio, cuius vis eſt ad ordinem reſtituendum inſtituta, certam quandam methodum habeat, ac, vt ſcripſit Pſalmographus: ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron, & in oram veſtimenti eius: à capite incipiat, & in membra conſtituta quadam norma progrediatur, ac diffluat.

Viſitationis ordo ſit, vt, cùm fieri poteſt, primò Ciuitas viſitetur, deinde Diœceſis: in Ciuitate verò eccleſia Cathedralis, tum Collegiatæ, deinceps Parochiales omnes: ac, vt à matre pendent reliquæ eccleſiæ forma, imitatione, ritu; ita ratio ſuadet, vt Clerus vniuerſus, qui viſitatione Ciuitatis compræhenditur, euocetur, & aſſiſtat, ac rationem addiſcat reformationis. perfecta Ciuitatis viſitatione in Oppida, caſtra, pagos, villas exeundum. item beneficia eccleſiaſtica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu alijs eccleſijs, vel Monaſterijs, beneficijs, ſeu Collegijs, aut pijs locis quibuſcũque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur; ſingulis annis viſitentur, & ſolicitè prouideatur, vt per idoneos Vicarios etiam perpetuos; niſi pro bono eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur; cùm congrua fructuum aſſignatione ſiue per certa re aſſignanda, deputatos, ſeu deputandos animarũ cura laudabiliter exerceatur.

Item ad Epiſcopos pertinet, eccleſias quaſcunque quomodolibet exemptas auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare, & opportunis iuris remedijs prouidere; vt, quæ reparatione indigent, reparentur; & cura animarum, ſi qua illis immineat; alijsq; debitis obſequijs minimè fraudentur appellationibus, priuilegijs, conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, iudicum deputationibus, & illorum inhibitionibus non obſtantibus: quæ omnia Concilij Tridentini decreto exploſa fuerunt. Prætereà capellas quaſcunque, & ad diuinum cultũ dedicata Oratoria, in quibus Miſſæ ſacrum celebratur: item Hoſpitalia, & pia loca viſitare Epiſcopi non omittant; & in ijs emendanda, & reſtituenda reſtituant, & emendent.

Quia in Diœceſi quæcunque ad Dei cultum ſpectant, ab Ordinario curari; atque ijs, quæ oportet, prouideri æquum eſt: idcircò ſacra Tridentina Synodo ſtatutum eſt, vt Epiſcopi commendata Monaſteria, etiam Abbatias, Prioratus, & Præpoſituras nuncupatas, in quibus non viget regularis obſeruantia; nec non beneficia tam curata, quàm non curata, ſecularia & regularia qualitercunq; commendata, etiam exempta, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati annis

ngulis viſitent;curentq; cõgruentibus remedijs,etiam per equeſtrationem fructuum, vt, quæ renouatione indigent, ut reſtauratione,reficiantur;;& cura animarum,ſi qua illis, vel eorum annexis immineat; aliaq; debita obſequia rectè xerceantur. quod ſi in eis regularis vigeret obſeruãtia,prouideant Epiſcopi paternis admonitionibus, vt eorum Regularium ſuperiores iuxta eorum regularia inſtituta debitã viuendi rationem obſeruẽt,& obſeruari faciant,& ſibi ſubditos in officio cõtineant,ac moderentur:quod ſi admoniti ntra ſex menſes nõ viſitauerint, vel correxerint, tunc Epiſcopi etiã vt Sedis Apoſtolicæ delegati eas viſitent,& corrigant,prout ipſi ſuperiores facere poſſent,ac deberent.

Ac ne Eccleſijs ſecularibus, quæ nullius Diœceſis appellantur,deeſſet ea,quę interdum deſideratur,prouiſio,& ſubſidium;ſacra itẽ Tridentina Synodo ſtatutum fuit;id,quod Epiſcopi ſolicitè perficere curabunt,vt ipſi,quorum Cathedralis Eccleſia proximior eſt, ſi id conſtet, tanquàm Sedis Apoſtolicæ delegati dictas Eccleſias,quę in nullius Diœceſi eſſe dicuntur,viſitare non omittãt: aut ille Epiſcopus,quem ſemel in Concilio Prouinciali Prælatus loci illius elegerit.

Ac ne quiſquam clericus cuiuſuis alterius priuilegij prętextu cẽſeatur tutus, quominùs iuxta canonicas ſanctiones viſitari,puniri,& corrigi poſſit, eodem ſacro Concilio Tridentino Epiſcopis, qui in ſuis Eccleſijs reſederint,tributum eſt,vt qualitercunque exemptos, qui aliã ſuæ iuriſdictioni ſubeſſent,de illorum exceſſibus,criminibus,& delictis quoties,& quando opus fuerit,etiam extra viſitationem tanquã ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegati corrigendi , & caſtigandi facultatem habeant.

Quod verò in munere paſtorali exequendo Patres, qui Tridentino Cõcilio interfuerunt,Epiſcopis præſcripſerũt, vt aliquid propoſitum haberent,quòd intuerentur,& ſequi in reformandis morib⁹ poſſet;hoc nos in memoriam reuocare præſenti conſtitutione decreuimus, vt oculis illorum obuerſetur,& omninò hæreat. Meminerint ergo Epiſcopi, qui ſubiectos regere, & in vitæ,ac morum honeſtate continere volũt,ſe paſtores,non percuſſores eſſe, atq; ita præeſſe ſubditis oportere, vt non eis dominentur, ſed illos tãquàm filios,& fratres diligant,elaborentque, vt hortando,& monendo ab illicitis deterreant,ne,vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur: quos tamen ſi quid propter humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis obſeruanda præceptio,vt illos arguant,obſecrent,increpent in omni bonitate,& patientia:cùm ſæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia,quàm auctoritas; plus exhortatio,quàm comminatio;plus charitas,quàm poteſtas. ſin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit,tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudiciũ cum lenitate ſeueritas adhibenda eſt, vt ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris,ac neceſſaria conſeruetur; & qui correcti fuerint, emendentur; aut, ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animaduerſionis exemplo à vitijs deterreantur, cùm ſit diligentis, & pij ſimul paſtoris officium morbis ouium leuia primum adhibere fomenta: poſt, vbi morbi grauitas ita poſtulet ad acriora,& grauiora remedia deſcendere: ſin autem nec ea quidem proficiant,illi ſubmouendi, cæteras ſaltem oues contagionis periculo liberare.

Viſitantis Epiſcopi munus eſt, prædicatione verbi Dei populos ad omnes virtutes Chriſtianas animare,& incendere,ſacramẽtum Confirmationis miniſtrare, Eccleſias,& Altaria,ſi qua fuerint vel conſecranda, vel reconcilianda,conſecrare;ſeu reconciliare; paramenta, corporalia, calices, & alia,quæ benedictione egent,& ad cultum ſacrum deſtinata ſunt,benedicere;Sacriſtijs, & Eccleſijs vel reſarciendis , vel ornandis, vel etiam inſtruendis intendere; de cura animarum rectè ſuſtinenda inueſtigare,Eccleſiaſticorum diligentiam excitare,& corripere; mores illorũ opportunis remedijs emendare; omnia deniq; efficere, vt Sacramentorum miniſterio, ſacrorum frequentia, verbi Dei prædicatione, & ſalutaribus monitis, exemplo deniq; vitæ populus inſtituatur,& in viam cœleſtium mandatorum prouehatur,Nec omittant Epiſcopi populi vitam inueſtigare, deuotionem, & refrigeſcentem charitatẽ ad bonum reuocare; præceptorum diuinorum auctoritatem inculcare; vſurariorum,concubinariorum,ſacrilegorum piacula,& vitia inſectari,vt reſipiſcant per gratiam Dei,& melioris vitæ rationem ineant. Quia verò particularia, quæ ijs, quæ vniuersè prædiximus, continentur; quò enucleatiùs inſpicentur, eò fortaſſe fructuoſiùs viſitatoriæ actioni prodeſſent, ſtatuimus libellum tanquàm memorialem pro viſitatione ſingularum Diœceſium Prouinciæ Aquileienſis edendum eſſe, quò particulatim omnia, quæ viſitatione promouenda ſunt,tam neceſſaria,quàm opportuna contineantur: ad quem conficiendum quia multa ſunt,& varia, & vndique ex tota Prouincia colligenda; Reuerendiſſ. Coepiſcopos noſtros requirimus, vt ſinguli aliquid hoc de genere conficere, & nobis, cùm primùm licuerit,mittere velint, vt inde communem quãdam viſitandæ Prouinciæ methodũ habeamus, & in tota ſit Prouincia benè cõſtitutum, quòd ad ſingulas illius partes ſit accommodandum.

De Viſitatoribus inferioribus, aut Archidiaconis, aut deputatis à Capitulis ſeruetur, quod in Concilio Tridentino conſtitutũ eſt,de ipſorum approbatione, Notarij aſſumptione,rationis eorum, quæ viſitatio complexa eſt, redditione,depoſitionis teſtium,& omnium actorum exhibitione, vt inſpiciantur ea, quæ inferiores agunt,indicunt,præcipiunt,an cum ratione conueniant, & cùm Epiſcopalis viſitationis præſcripto,& Conſtitutionibus, quæ in Synodo editæ ſunt,conſentiant.

Pro viſitatione Notarijs non permittendum quidquam vel ſpontè oblatum accipiant; procurationem verò modeſtam exhiberi (vbi conſueuit) curent Epiſcopi; ne grauis, oneroſave ſit viſitatio; quæ oneribus leuare, faſciculos impietatum ſoluere,expiare omnia debet. In ijs verò locis,ſeu Prouincijs,vbi cõſuetudo eſt, vt nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Viſitatoribas accipiatur, ſed omnia gratis fiant;ibi id ſeruetur. Si quis autem contra ſacri Concilij Tridentini præſcriptum aliquid accipere præſumpſerit,in eum erit iuxta eiuſdem Concilij ſanctionem grauiter animaduertendum.

De feſtorum dierum ſanctificatione.

FESTOS dies in honorem Dei,& Sanctorum eius inſtitutos ad gratias Deo agendas de beneficijs, quæ à liberaliſſima eius manu accepimus, veniam peccatorum petendam, & opem diuinam implorandam ſeruari decet, vt omnium ſeculorum memoria, etiam veteris teſtamenti pagina cõteſtatum habemus: quò magis debemus ſeruare nos, qui in lucis veritate verſamur, quàm ij,qui in vmbra futurorum ante ſolis ortum ſedebant. Tempus autem diei feſti in audiendis concionibus, Miſſæ ſacro, & diuinis officijs ponendum eſt; non in cõmeſſationibus; multò minùs peracto prandio ad ſaltationes, & luſus declinandum; cùm ſit in Eccleſias ad horas veſpertinas audiendas diuertendum, & nomen Dei cõcorditer, & deuotè vel ſilentij meditatione, vel vocis exultatione laudandum. quod curabunt Epiſcopi Curatorum diligentia populis inculcari.

Cùm verò feſti dies, & alia Dominico die in Parochialibus Eccleſijs populo denuncianda ſint, Parochis omnibus diſtrictè præcipiendum ſtatuimus, vt in Parochialibus Eccleſijs omnibus Dominicis diebus anni (nõ obſtante quauis conſuetudine contraria) Miſſam celebrent,& feſtos dies, vigilias,& tempora ieiuniorũ populo promulgent,eundemq; doceant, quæ ſeruanda,& quomodo ſeruãda ſint: in eos autem,qui defecerint tam in Miſſa, quàm in alijs, pœnis ſeuerioribus ſtatuimus animaduertendum; populum verò monendum,& frequentiùs incitandum edicimus, vt Dominicis ſaltem, ac feſtis diebus ad Parochialem ſuam accedat, & ibi Miſſæ ſacrum,& concionem audiat.

Abuſu factum eſt, vt in pagis; ſicubi feſtus dies venerit Dedicationis Eccleſiæ;qui ſolet idem in Dominicum,aut alium diem feſtũ incidere;Curati,qui ab omni parte circumſiſtunt, ad feſtum dictæ dedicationis confluant, & populos ſua profectione Miſſæ ſacro diebus etiam ſolennibus fraudare nõ vereantur, quod aut auaritiæ labem præ ſe fert;aut certè vel ambitionis, vel conuiuij appetendi cupiditatẽ indignè olet. hoc corrigẽtes Epiſcopi omninò tollent,in eam formam redigentes vniuerſam hanc rationem,vt ſeriò pręcipiant Curatis omnibus, ne ab Eccleſia ſua diſcedãt in caſu

ſupradicto, niſi prius ſacrum fecerint, & populi piæ expectationi indulſerint, & officium ſuũ executione, & actu impleuerint; alieniores, qui ſunt, debitis pœnis coërcentes.

Inoleuit abuſus, ille quidem à memoria, ne dum à conſuetudine fidelium tollendus, vt ſolennioribus quibuſdam diebus vel dedicationis Eccleſiæ, vel die Natalis ſancti Titularis, vel Patroni, cùm frequens populus ad Eccleſiam ſolennitatis, ac deuotionis cauſa venit, vt veniam à Deo peccatorum precetur, votaque ſua humiliter offerat, eiusque miſericordiam in ſuam tutelam, & ſubſidium imploret, non ſine Dei offenſione, & ſcandalo bonorum choreas ducat, & gentilitijs quibuſdam ſe ritibus totum dedat: vnde committendorum peccatorum occaſio non leuis; deinde blaſphemiæ, ebrietates, & periculoſæ interdum rixæ, & homicidia ſubſequuntur: & feſti præſertim dies præpotentis Dei laudibus deſtinati, ipſius ſummi Dei graui cum iniuria traducuntur, ipſis penè Eccleſiarum foribus profanatis. Idcirco ſtatuimus per Epiſcopos ſingulis Eccleſiarum Parochis, Curatis, & Vicarijs præcipiendum diſtrictè, & ſub interminatione diuini iudicij mandandum, vt, quantum poſſunt, tantum nitantur, quò abuſus, & corruptela huiuſmodi tollatur: ſemel autem ſingulis menſibus primo Dominico die menſis Decretum hoc populo promulgent, & intimare ſtudeant: ipſi autem pro viribus curent, vt populum, Parochianos in primis ſuos ab huiuſmodi corruptione auertant, & pro virili abducant, cùm dies feſtos ad gloriam Dei inſtitutos ſine ſcandalo, & peccato ducere oporteat. Magiſtratus autem, & Dominos quoſcunque iuſdicentes temporales per miſericordiam Dei obſecramus, ne prætextu iuriſdictionis tuendæ; quæ ſi timore Dei, & reuerentia ſacrorum non nitatur, incerto nutare ſtatu, & concidere facillimè ſolet; graue hoc piaculum defendere, & auctorizare conentur: illis enim omnibus, & ſingulis edicimus, & obteſtamur coram Deo, & Angelis, & hominibus, omnia ſcelera, & peccata, quæ præmiſſorum occaſione patrari contigerit; illis inquam, qui diẽ ſanctum, & locum ſacrum, vel ſacro hærentem violârint, ac temerârint, ſeu cauſam deliberatè dederint, vt violari, ſeu temerari poſſet, tributum iri. Capitulis verò, Collegijs, & vniuerſitatibus Eccleſiaſticis tam virorum, quàm mulierũ, qui iuriſdictionem habent temporalem in loco, ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ; officialibus autem dictarum Vniuerſitatum, ſiue Collegiorum, aut Capitulorum, ſi Eccleſiaſticę perſonæ ſint, ſub excommunicationis pœna prohibendum decernimus, ne talia permittant, cùm impediendi poteſtatem habeant; ne zelo timoris Dei, & ſalutis animarum ſtudio ad maiora ſit remedia confugiendum.

Indulgentias, quæ feſtis quibuſdam diebus, aut etiam nõ feſtis proponuntur, & vnum, vel plura habent ſigilla, ſi clauſula ſint interiecta: Porrigendi manus adiutrices: vt erat ſuperiorum temporũ frequens conſuetudo; ſublatas per Conſtitutionem Pij Quinti fuiſſe declaramus, & per conſequens ab Eccleſijs, & locis ſacris tolli omninò iubemus.

Expedit, vbi hactenùs ſolertia Epiſcoporum prouiſum nõ fuit, vt feſti dies in Synodo Diœceſana promulgẽtur, & Curatis graui præcepto mandetur, vt ad illius promulgationis præſcriptum populo indicant feſtos dies per annum currentes; quibus à ſecularibus operis ceſſari debet, ita tamen, vt; quod quietis corporalis rationem habet, vt vacari Deo animis attentioribus poſſit; ne diuersè pro arbitrio irreligioſo traducatur; immò toti illi dies pietate, & diuinorum intereſſentia, & ſacris precibus, & officijs agantur. Inſtituatur autem populus Curatorum diligentia, quid illis diebus fieri, quid non fieri oporteat; & culpam reatus, & reuerentiam dierum Sanctorum, & mandatorum obedientiam inculcent. Nos autem exiſtimantes; ſi particulares Sancti Diœceſium, & Ciuitatum Patroni ſolenni vbique ritu celebrantur; æquum eſſe, vt etiam vniuerſalium Patronorum ratio habeatur, quæ tantæ Prouinciæ pietate, ac deuotione digniſſima eſt: præſenti Decreto vniuerſæ Prouinciæ Aquileienſi feſtum diem indicimus Natalem glorioſiſſimorum Martyrum ſanctorum Hermacoræ; & Fortunati Eccleſiæ, & Prouinciæ Aquileienſis Patronorum, quotannis die duodecima Iulij duplici officio celebrandum; vt, qui clariſſimo fidei teſtimonio, & triumphali ſanguine Eccleſiæ Aquileiẽſis initia dedicârunt, eorundem glorioſa merita pijs ſupplicationibus proſequamur, & Patronos gratis animis agnoſcamus, quorum certiſſimo patrocinio muniti ſumus.

Epiſcoporum pietatem, & prudentiam compellamus, & pro dierũ feſtorum ſolennitate obſeruanda ſtudioſè excitamus, vt apud Magiſtratus tẽporales Ciuitatum attentè agãt eorum ſubſidium, & auctoritatẽ implorent, vt in ipſis Ciuitatibus, Oppidis, caſtris, & villis feſtorum dierũ obſeruatio omninò vigeat, & populorum deuotio, & religio conſeruetur: qui verò peruicaciores fuerint, & irreligioſi etiam plectantur, vt reſipiſcant ipſi: ali, quid deceat, addiſcant.

Quod de genere prohibitorum non eſt, & profanis locis exerceri poteſt, hoc idem ſacris exerceri non debet. Monemus igitur Epiſcopos, & illorum pietatem, ac religionẽ requirimus, vt nullo quocunq; prętextu, ſolennitate, actione, etiam alicuius Sacramenti miniſterio permittant in ſolo ſacro; quà confluẽtis eſt populi aditus, aut alibi; quidquam venale cuiuſcunque conditionis, aut naturæ, cõſtitui, aut vendi; ſed indulgentię, aut ſtationis, aut alterius ſolennitatis Eccleſiaſticæ tempore, vel alio quouis populorum concurſu ab Eccleſiæ veſtibulo, ac toto ambitu venalia cuiuſcunque generis omnia, & ſingula, licèt ſint minimi pretij, amoueãt, & opportunis remedijs etiam inuocato brachio ſeculari deducant, & auertant: multò verò magis in Eccleſiæ veſtibulo quocunque pietatis, & religionis colore mercenarios actus exerceri prohibeant: hæc verò à pietate Chriſtiana, & locorum ſacrorum reuerentia aliena longè arceri etiam ab Eccleſia mandamus; ne ſtrepitu populi diuina, & ſacra perturbentur. Duo verò in primis debẽt Epiſcopi apud ſe perpendere; tempus diei feſti, quo ad mercimonia, & humanorum contractuum anfractus diuertere non decet, ac periculo nõ vacat; locum, in quo Dei bonitas cum placari ſupplicãtium votis deberet, fraudibus tamen, & mendacijs, quæ frequenter in mercaturæ negotio contingunt, offenditur, & irritatur. Agant verò, vt laudetur Deus, & miniſterio Paſtorali abuſus, qui late dimanârunt, ratione aliqua tollantur.

De reliquijs Sanctorum.

SANCTORVM Reliquias in cœlo regnantium, quæ viua fuerunt membra Chriſti Domini, & Spiritus ſancti templum, in honore haberi pietas præcipit, Chriſtiana ratio ſuadet. Quia verò deferendi honoris eſt norma tradenda, vt diſpoſita quadam ratione honor, qui defertur, eluceat; præcipimus Epiſcopis, ſi qui partem iſtam nondum expolitam habent, vt in Eccleſijs, in quibus eſt Reliquiarũ celebriorũ quantitas, illas omnes diſtincto quodã ordine in Reliquiarum arte diſpoſitum, & expolitũ inferãt, chriſtallo ſingulis thecis ſuperadiecto, vt videri reuerẽter poſſint. ſit tamen Reliquiario adiectum operimentum ex tabula picta, qua imagines illorum Sanctorum exprimantur, vel aliquid aliud, quo gloria, qua illi fruuntur in cœlis, aptè ſignificẽtur. Reliquiarij locus in parte nobiliore Eccleſiæ ſelecto aliquo Sacello, aut intra Chori ſepta, aut alibi decenter conſtitui debet, cui lampas perpetuò incendatur, ſi per Eccleſiæ facultates fieri poſſit. quòd ſi Reliquiæ ex fragmentis minutioribus conſtent, obuoluantur Reliquiæ ſerico aliquo tenui, in quo ſit color Sancto conueniens, ex ijs, quos illorum Sanctorum die adhibere Eccleſia ſolet: obuolutæ in Reliquiario cum ſcheda nominis inſerto ſupra chriſtallo conſeruentur. Quia verò inter Reliquias aliquæ ſunt certæ, & ſeparatim habitæ; aliquæ ſunt certæ, ſed ex pluribus miſtæ: aliquæ vel miſtæ, vel ſeparatim incertæ, ab antiquitate approbatæ, ſed ſchedarum & nominum vel abolitione, vel conſumptione incertæ: de ſingulis aliquid ſtatuere oportet, vt varietate quadam inſcriptionum nec reuerentia deſit, nec certa vbi licet, cognitio deſideretur.

Certis igitur Reliquijs, & ſeparatim conſeruatis, ſiue extra ſericum, quia inſignes, ſiue intra ſericum, quia minutiores, ſtatuimus eſſe per ſchedulam formatis characteribus inſcribendum Sancti proprium nomen: ijs autem, quæ ex pluribus miſtæ ſunt, inſcribatur; ſacræ Reliquiæ Sanctorum N. N. N. Si verò ignorentur nomina Sanctorum,

ſcriptio ſit: Sacræ Reliquiæ Sanctorum, quorum nomina ignorantur.

Inter iſta Epiſcopos monemus de Reliquijs inſignioribus, quales ſunt, caput integrum, brachium, aut tibia, vel ſimiles; poſſe illas decentiùs in vaſis proprijs, quæ aptè manu artificis expolita ſint, honeſto loco aſſeruari, vt etiã in proceſſionibus publicis; præcipuè ſi Sanctorum Patronorum ſint; efferantur, & publicæ venerationis honore, ſacriſque obſequijs in patrocinium, & ſubſidium apud Deum vocentur: quod tamen animaduertendum erit, ne vnquàm in proceſſione, qua Sanctiſſimum effertur Euchariſtiæ Sacramentum, exportentur.

Reliquias Sanctorum, qui fulgent ſicut Sol, & tanquàm ſcintillæ in arundineto diſcurrunt, oſtendi populo luminibus accenſis conuenit, ac decet: vt enim, quod debetur Sanctorum gloriæ, obſequio religioſo pręſtatur; ita etiam fit, vt eorum excitetur deuotio, & eorundem ſupplicationes in Sanctorum inuocationem ad humanarum imbecillitatum abſidia ardentiùs intendantur.

Sacrarum Reliquiarum publicam propoſitionem aliquo ſolenni die fieri religioſum, & optabile; modò abſit ſuperſtitio, & auaritia, ac turpis eliminetur quæſtus: idcircò ſtatuimus Epiſcoporum diligentia faciendum, vt cùm publicæ venerationi in Eccleſia ſacræ Reliquiæ proponuntur, ne permittant capſulas apponi ad eleemoſynam colligendam; quæ alibi colligi poteſt; ibi non debet; quaſi ad quæſtum, & lucri commodum, nõ ad pietatem, & deuotionem proponantur.

Corpora Sanctorum transferri quidem non poſſunt ſine Sedis Apoſtolicæ licentia. Reliquiæ inſignes de loco ad locum transferri ita demùm poterunt, ſi Epiſcopus decretum in Archiuio Epiſcopali, & libro particulari ſeruandum ad rei geſtæ perpetuam memoriam fecerit, cur id fieri permiſerit. tranſlationem verò ſolennem inſtitui, cùm res ita tulerit, præcipimus. de loco nobiliore ad ignobiliorem, vt de Ciuitate in pagum, transferri prohibemus: nec Epiſcopi ferre debent, ne dum concedere, vt fiat. ipſis autem ſolennioribus diebus, quibus Reliquiarum ſacrarum vel publica propoſitio fiet, vel tranſlatio, vel viſitatio, curent Epiſcopi, vt moneatur populus, ne commeſſationibus, & ebrietati ſe dedat: qui enim Sanctorum feſtiua gaudia celebrãt, Sanctorum debent veſtigia ſequi, nõ ſuffragijs, & patrocinio ſe illorum indignos præbere.

Reliquiarum nouarum exhibitionem, & publicam propoſitionem, itemq; nouorum miraculorum receptionem, etiam in Eccleſijs Regularium ſacri Tridentini Concilij decreto interdictam, & prohibitam eſſe omnes nouerint, niſi prius ab Epiſcopo loci recognitæ, & approbatæ fuerint: qui, ſimulatque de ijs compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciet, quæ veritati, ac pietati conſentanea iudicauerit. Quòd ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus extirpandus ſit, vel omninò aliqua de ijs rebus grauior quæſtio incidat; Epiſcopus antequàm controuerſiam dirimat, Metropolitani, & Comprouincialium Epiſcoporum in Cõcilio Prouinciali ſententiam expectet: cùm nihil inconſulto Sanctiſſ. Romano Pontifice nouum, aut in Eccleſia hactenùs inuſitatum vel admitti, vel decerni liceat.

Reliquiarum integrum inuentarium, quæ in Ciuitate, & Diœceſi ſunt, in Epiſcopalibus Archiuijs conſeruari cupimus, & mandamus.

De Eccleſijs, & pio in eis verſandi modo, Altaribus, & Sacriſtijs.

DOMVS Dei; quã decet ſanctitudo; domus orationis, & ſanctitatis munditie excellere debet; vt fiant in ea ritè diuina, & ſacra; poſtulationes etiam, precationes, & vota Deo ſoluantur. hanc tanquam ſponſam Epiſcopi ſartam, tectam conſeruari, & non ſolùm rebus ad ſacra peragenda neceſſarijs, & opportunis inſtitui mandent, & præcipiant; ſed ijs etiam, quæ locum decent, ornari. ſolum benè ſtratum ſit; parietes purgati; cultus vniuerſus honeſtiſſimus. Altaria non conſtituantur noua; non fiant Iconæ pictura, vel ſculpturæ cuiuſcunque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Epiſcopis inconſultis; &, dum conſuluntur, proponatur integra, plenaque intentio extruere volentium: à ſacris enim imaginibus debet omnis picturæ laſciuia abeſſe, ne procaci venuſtate pingantur, aut curioſiùs ornentur: debet hiſtoriæ veritas exprimi, pietas excitari. Intra ſcabellum, ſiue baſim Iconæ, vel intra thecam Iconæ, vel poſt Iconam nihil omninò ſeruetur: ſint munda, ſint expedita omnia. A cornu Euangelij; ſicubi fuit olim in pariete cuſtodia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & adhuc feneſtellæ pictam habent, aut inſculptam imaginem Chriſti Domini, aut inſcriptionem, ex qua colligi poſſet, ibi eſſe Sacramentum Corporis CHRISTI; tollantur imagines, & ſigna huiuſmodi, ne in re maxima errandi occaſio præbeatur. In dictis feneſtellis benè munitis ſeruentur olea ſacra in vaſculis argenteis ſub ſera firma, & claui. Altaria ſint ſolida circumcirca, vt nihil ſit à parte poſteriore diuerticuli vacui propter ſordes auertendas. Ipſa Cuſtodia Sanctiſſimæ Euchariſtiæ veſtiatur intus panno ſerico, ſeu villuto rubei coloris. in ſuppoſito corporali pixis locetur. in pixide ſupponatur corporale, in quo particulæ Sacramenti reſideant: ſi tamen pixis interius ſit benè lenis, & ſplendida, atque inaurata, vt nihil aſperum, aut inæquale appareat, in ea poterit ſine corporali Sacramentum reponi: ad pixidem contegendam adhibeatur velum ſericum aureis, ſiue argenteis lineis diſtinctum, aut alia ratione ſplendidum, & conueniẽs, quo à ſummo ad imum tota pixis operiatur: vas, & operculum pixidis ſit ex argenteo: ſi pes pixidis propter Eccleſiæ paupertatem fieri argenteus non poteſt, fiat ex ære; tota verò pixis inauretur.

Cuſtodia in Altari benè firmetur, ne moueri loco poſſit: pro ipſa verò cuſtodia conopęa comparentur colorum Eccleſiaſticorũ, quę Plebani, & Curati, ſiue Sacriſtani pro temporum, & ſolennitatum varietate ad cuſtodiam contegendam adhibebũt. Clauis Cuſtodiæ firma ſit, ſit etiam pulchra & inaurata, vbi poteſt; ſi minùs poteſt, ſaltem ſit lucida, & cordulæ ſericæ rubeæ inſerta cum flocco filis ſericis, & aureis conſerto, quæ à Plebanis, & Curatis diligenter ſeruetur. Intra Cuſtodiam nihil omninò ſit præter pixidem, & Sacramentum.

Fornix, tectum, pauimentum munditie, & cultu ſplendeat: parietes omnes ſcriptionibus quibuſcunque mundentur. vaſa lapidea pro ſeruando oleo ab Eccleſijs aſportentur. fruſta imaginum Sanctorum, ipſæque imagines, quæ vetuſtate conſumptæ ſunt, & alia Eccleſiaſtica lacera, ſeu tracta quæcunq; combuſtibilia incendantur, & mittantur cineres in piſcinam Sacrarij.

Sepulchra, quæ fiunt in Eccleſijs, præcipimus opere preſſo extrui, vt nihil emineat, quòd incedentibus impedimento ſit. Eccleſiæ pauimentum ſeruetur integrum, nec rumpatur niſi ob ſepulchrum muro, & fornice conſtruendum. Cruces, calices, nomen venerabile Dei, imagines Dei, & Sanctorum inſculptæ, ſiue inſcriptæ ſepulchris, vel in ſolo Eccleſiæ, quamprmùm omninò tollantur; nec ligneæ Cruces mortuorum tumulis in cæmeterijs figantur; ne ſacrorum ſignorum conculcatione irreuerentiæ culpa committatur.

Feneſtræ Eccleſiarum, quibus à priuatorum domibus in Eccleſiam introſpicitur, vitris, & clatris ferreis muniantur, nec aperiantur.

Sumptus omnes, qui ad ornanda Altaria neceſſarij ſunt, fiant ab ijs, à quibus ante fieri conſueuerant.

Miſſalia non tolerentur, quæ non ſint poſt Concilium Tridentinum correcta, & à Pio Quinto edita.

Quod fuerat antiquis temporibus piè, & laudabiliter inſtitutum, poſteriorum temporũ iniquitate à recto ſui ordine inſtituti deflexit; vigilantibus enim populis apud Eccleſias, & memorias Sanctorum nocturno etiam tempore frequẽntantibus, nihil fuerat olim vel petulantia corruptum, vel ſacrilega temeritate fœdatum: quod poſteriorum temporum nequitia, & grauiorum malorum commiſſione obſoleuit. Auditum verò eſt, adhuc quibuſdam locis mulieres vigilijs Sanctorum in Eccleſijs pernoctare: quod ne fiat, neve prætextu pietatis aliquid grauius contingat, ſtatuimus, prædictum agendi vigilias ritum omninò tollendum eſſe, ac modis omnibus ab Epiſcopis delendum, ne;

quod eſt ſummè periculoſum; vel conniuentia, vel negligentia perſeueret.

Eccleſiam, in qua fiunt ſacra, & cultus diuinus eo ordine peragitur, externis vacare impedimētis cōuenit: idcirco decernimus concurſationes pauperum quorumcunque etiam miſerabilium, qui celebrantibus, & orantibus in Eccleſia impedimento ſunt, ab omnibus Eccleſijs, cū ſacra fiunt, arcendas eſſe: permittantur autem pauperes in Eccleſię foribus eleemoſynæ petendæ cauſa conſiſtere; modò ne vocibus obſtrepant, vt exaudiantur, & diuina perturbent.

In Eccleſia, quæ domus eſt ſanctę conuerſationis, & pietatis, diuerſari honeſtiſſimè æquum eſt, vt etiam Apoſtoli dicto monemur, qui præcepit mulieres velari propter Angelos Dei. Curandum eſt igitur per Epiſcopos, vt in Eccleſijs, dum ſacra celebrantur, mares diſtincto ordine à fœminis maneant; & fœminæ non niſi velato capite in Eccleſiam ingrediantur. quod vbique ſeruari etiam iuxta doctrinam Apoſtolicam æquum eſſet.

Deambulationes, excurſationes, peruicacem curioſorū petulantiam longè ab Eccleſia arcendam decernimus; ita acta iudicialia, tractatus ſeculares, inſtrumētorum, & contractuum quamcunque ſpeciem; item repoſitiones mercium, tabularum, & quorumcunque profanorum in Eccleſijs omninò fieri prohibemus. quod Regulares etiam in ſuis Eccleſijs diligenter ſeruabunt.

Quibuſdam locis abuſu inductum, quotidianaq; conſuetudine receptum eſt, vt humili orti loco homines, & coniugati; licèt non deſint Clerici, qui munus huiuſmodi obire poſſent; nec habitudine animi, nec decēti corporis cultu apti miniſteria in Eccleſijs exerceāt, quæ Clericorum propria ſunt, celebrantibus miniſtrantes, Altarium ornatui, & Eccleſiæ totius cultui ſeruiētes; cùm tamen iſta omninò ignorēt, & à re ſacra, & ſacris hærente tractanda, & cuſtodienda alieniores habeātur, & appareant. Idcirco ſacrorum Canonum Conſtitutionibus inhærentes, quibus cauetur, vt in pagis, & in villis; ne dum in Ciuitatib⁹, & Oppidis, Curatį Clericum apud ſe habeāt, qui minorum ordinum officia exerceat; curent Epiſcopi omnibus, quibus fieri poteſt, locis, in omnib⁹ Eccleſijs Curatis tam Ciuitatum, quàm Oppidorum, pagorum, & villarum, ſtipendium ei ſolitum aſſignari; qui, cùm ſecularis ſit, & coniugatus, ac ineptus, totius Eccleſiæ curam hactenùs geſſit; deinceps attribuatur Clerico, qui Sacerdoti celebranti cum ſuperpelliceo miniſtret; cùm pſallente cantet, lectiones in Eccleſia legat, Eccleſiam, & altaria curet; doctrinam Chriſtianam doceat; toti Eccleſiæ munera minorū ordinum obeundo præſit, & ſub ſui Sacerdotis obedientia, & diſciplina viuat.

Hic autem Clericus ætatis eius ſit, vt hoc obire officium poſſit, natalibus habilis, grammatices non ignarus, ad diſciplinam, & peritam literarum non ineptus, voluntate, & Sacramentorum frequentia à pietate non alienus, in habitu, ac tonſura clericali aſſiduus; vt ſpes ſit; illum aliquando gradatim ad Sacerdotium peruenire poſſe.

De bonis, & Iuribus Eccleſiarum tuendis.

VT Eccleſiarum bona, & iura integra conſeruentur, ne vel temporum iniuria, vel vſurpantium cupiditate, quorum inſidijs vndique circumueniuntur, pereant, mandamus omnibus, & ſingulis Epiſcopis, vt, cùm primùm facere potuerint, curent librum confici, in quem referantur Epiſcopalis menſæ cenſus, redditus, bona, prædia, iura, & iuriſdictiones, & feuda cum finibus attinentijs, & pertinentijs illorum, & in illorum ſingulis notis exprimantur priuilegia, tituli, ſeu conceſſiones, & legata ita clarè, & ſpecificè, vt primo liceat intuitu recognoſcere res ipſas, & vniuerſa Eccleſiæ, ſeu menſæ Epiſcopalis integra iura: quòd ſit perpetuum Epiſcopalium iurium monumentum.

Curent præterea Epiſcopi, vt fiat item liber, in quem referantur clara, & diſtincta ſcriptione Dignitates, Præbendæ, Eccleſiæ Parochiales, Curatæ, & quæcunque beneficia tam ſimplicia, quàm vel reſidentiæ, vel curæ animarum obligationi obnoxia, cum priuilegijs, iuriſdictionibus, prædijs, redditibus, cenſibus, adiunctis finibus locorum, ac titulorum iurium præfatorum ad futurorum temporum memoriam, & Eccleſiaſticorum iurium cōſeruationem: quod ipſum negotium licet prima ſpecie laborioſum, & difficile videatur, non magno poterunt Epiſcopi negotio per Vicarios foraneos, ſeu alios miniſtros idoneos perficere; atque idem curent à Capitulis Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum fieri.

Cùm verò ad rectam adminiſtrationem nō minùs pertineat poſſeſſa conſeruare, quàm amiſſa, & vſurpata recuperare, ſtatuimus per Epiſcopos diligenter vrgendum, vt à libris menſæ Epiſcopalis, Capitulorum, & quorumcunq; beneficiorum partitæ, quæ non exiguntur, decerpantur, & in libellum particularem referantur: poſtremò procuratoribus iniungant, vt ſuper earum ſingulis experiantur non minùs ſcitè, quàm quàm prudenter, vt amiſſa, vel vſurpata iuris medijs recuperētur; recuperationes verò ad ſingulas partitas mandent adſcribi, vt ipſæ etiam in earum, quæ exiguntur, numerum integrè referantur.

Locationes bonorum Eccleſiaſticorum vltra triennium ſine Apoſtolica conceſſione ſub pœna à iure ſtatuta fieri prohibemus: permutationes bonorum Eccleſiæ ſine conceſſione Apoſtolica, infeudationes, & emphyteuſes cōtra ſacrorum Canonum ordinationes, & iuris tramitem attentari non debere edicimus: attentata in contrarium caſſa, & nulla declaramus, & quatenùs opus ſit, irritamus, caſſamus, & annullamus, & qui contrafecerint, obnoxios pœnis iuris declaramus.

Vt autem ſacrilega vſurpatorum cupiditas ſtatum agnoſcat ſuæ peruerſitatis, & à malo deſciſcat: in omnibus Eccleſijs Curatis præcipimus, & mandamus, in tertia Dominica cuiuſcunque menſis intra Miſſarum ſolennia promulgari populo Decretum ſacri Tridentini Concilij ſeſſ. 22. c. 11. de ref. in linguam Italicam cōuerſum: Confeſſores verò præcipimus omnes ſeriò moneri, vt pœnitentes ſuper vſurpationibus præfatis confeſſionum tempore examinare ſtudeant.

Epiſcopos autem per miſericordiam Dei obſecramus, vt memores officij, & muneris ſui intelligant Eccleſiarum, & Chriſti patrimonij eſſe adminiſtratores; myſteriorum verò Dei diſpenſatores, vt in altero libera ſit exhibitionis, & donationis commiſſa poteſtas: in altero verò facultas limitibus certis adſtricta, quos tranſilire non liceat: neque verò carni, & ſanguini de terris, ac bonis Eccleſiæ dandum, aut impertiendum, etiam ratione cenſuum, nouarum infeudationum, & nouæ emphyteuſeos, vt terrarum, & prędiorum Eccleſiaſticorum, & patrimonialium forma cōfundatur, & continuetur agrorum ſeries, quam poſteri nō agnoſcant, & in Eccleſijs ſucceſſores non intelligant. meditētur verò extremi diei rationem illam, quæ diſtricto Dei iudicio ſubijcietur, ne ſibi temporalis patrimonij incremento ſalutis, & æternæ vitæ interitum comparent, & lucri ſpecie perpetuā, & ineuitabilem exitij perditionem ſubeant.

Auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus; aliena iniquius rapiente, & ad id, quod ſuum non eſt; cupiditatem, & manus extendente, ne dum proprium cupidius retinente, quàm Chriſtianam decet charitatem, ferendum non eſt, vt cum iurium Eccleſiaſticorum iactura, qui percrebuerant, abuſus perſeuerent, & progrediantur. fit autem, vt adminiſtratores redditaum, & cenſuum Eccleſiaſticorum multa ad ſuum commodum trahant; & dum factis rationibus adminiſtrationis debitores apparent; tum pro eo, quod debent, cenſum liuellariū ſuper ſuis bonis Eccleſiæ cōſtituant; ac vt ſuæ peruerſitatis ſolatium in promptu habent, ita facilè adducuntur, vt plura in ſuos vſus inſumant, quàm in Eccleſiæ commodum: alterum ſequitur, vt omnes certatim Eccleſiarū adminiſtrationes cupidè poti⁹, quàm ambirioſè querant, cùm tamen liuellationes huiuſmodi à parte venditorum iniquæ, à parte emptorū minùs licitæ appareāt: quod ex Bulla Pij Quinti de cēſibus ſatis liquet. Idcircò opportuno remedio huiuſmodi malo occurrētes, primò declaramus inhabiles omnes, & ſingulos cuiuſcunq; conditionis, nominis, ac tituli bonorū Eccleſiaſticorum adminiſtratores, qui ſunt debitores, & debita non ſolidārunt, ad eandem admi-

ſtrationem recipiédam, donec,quod debent,integrè per-
ıluerint: eorundem verò electionem tanquàm non legiti-
ıam,& contra iuris ordinem , & rationem factam,caſſam,
: nullam declaramus,& quatenus opus ſit,irritamus, & an-
ullamus: ſecundò liuellationes quaſcunque per debitores
ecleſiarum,aut alios modo, quo præfertur, etiam ratione
enſuum non ſolutorum factas, nullas pronunciamus: ter-
iò filios, & hæredes debitorum iam defunctorum; donec
ntegram ſummam defunctorum nomine debitam perſol-
ıerint;inhabiles ad Eccleſiarum adminiſtrationem, quibus
liquid eo nomine debent,dicimus,& declaramus.

De Vicarijs foraneis.

DIOECESIVM latitudo efficit, vt cùm Epiſcoporum oculi in particularia quædam locorum facta, & neceſſitates aſſiduè intendi non poſſint, expediat miniſtros diſtributis in Diœceſi regionibus habere, quos ipſarum regionum portionibus Vicarios foraneos præficiant: horum Epiſcopi fideli, ac diligenti opera ad multa vti poterunt, in primiſq; ad executionem illorum, quæ Synodalibus Conſtitutionibus præſcribuntur, ac mandantur ad continendos Eccleſiaſticos officio, Eccleſias ornatu, populos pietatis lege, & ad ea, quæ paucis capiribus perſtringemus, cùm ex his aliquando quaſi fundamentis maiorum poſſit progreſſionum materia excitari.

Vicariorum foraneorum munus præcipuum eſt, quæcunque de Conſtitutionibus, reparationibus, inſtructionibus, exornationibus Eccleſiarum, Sacriſtiarum, Capellarum, Altarium tam particulariter, quàm generaliter mandata ſunt, curare, vt non modò executioni mandentur, ſed vt benè mandentur: prætereà illa etiam, quæ de honeſtate in Eccleſijs ſeruanda, de ordine, & celebratione Miſſarum, & alia omnia, quę Curatorum diligentia commiſſa, & mandata ſunt tam reſpectu miniſterij Sacramentorum, quàm aliorum quomodocunque ad ipſorum Curatorum munera ſpectantium, curare, & exequi debebunt. prætereà vitam, mores, habitum. conuerſationem, ſuſpitiones rationabiles de vita, & moribus Clericorum intra fines commiſſæ regionis videant, extraiudicialiter corrigant, emendare contendant. Si quid tamen vel incorrigibilitate, vel rei natura grauiùs inciderit, ad Epiſcopum diligentiſſimè perferant: quæ autem huius generis fecerint, aut curârint, ea ſcripto compræhendant, vt quandocunq; requiſiti, rationem reddere adminiſtrationis ſuæ valeant.

In re, & iuribus Eccleſiaſticis ſeruandis, tuendis, & recuperandis ſolicitè particularium locorum Curatos vrgeant, ne quid vel negligētia pereat, vel potentiorum vi, & cupiditate vſurpetur. Si quid inſolentius alicubi fiat, ſtatim Epiſcopo ſignificetur.

In Camerariorum electione, redditũum Eccleſiarum diſpenſatione, rationum redditione, reliquorum ſolutione, curent ea tolli, quæ vel impedimentum afferunt, vel damnum inferunt: prętereà confinia terrarum, & bonorum Eccleſiæ præcipiant Curatorum particularium ſedulitate perfici; negligentes excitent, & ad bonum adducant.

De congregatione caſuum conſcientiæ ſingulis menſibus habenda, Vicarij foranei præcipuè agant, vt nunquàm prætermittatur: illam verò ſeruato certo ordine vocent: menſe ante futuram Congregationem exhibeant Clero ſuę regionis duos, aut tres caſus in congregatione excutiendos, & decidendos. In Congregationibus ſeruetur ordo, vt ſtatuta die, quæ feſta eſſe non debet, ſummo mane omnes ad ſuum Vicarium conueniant, & facto ab omnibus ſacro cum Miſſa de Spiritu ſancto fiat Congregatio, in qua caſus ante exhibiti decidantur. ad Congregationem euocentur omnes, qui ſunt de regione Vicarij. contumaces pœna pecuniaria plectantur. mulctæ in expenſas Congregationis, librorum emendorum, & curſorum diſcurrentium inſumantur. liber penes Vicarium ſit, ſucceſſori pro tempore tradendus, in quo ſcribantur Congregationes cum die, menſe, & anno; ipſi etiam caſus, & deciſiones, præſentia Curatorum, qui Congregationi interfuerunt, abſentium vel excuſatio legitima, vel contumacia, itemque contumaciæ pœna. Si quis ter contumax fuerit, ad Epiſcopum deferatur, vt remedio grauiore contumaciam luere diſcat. Deciſionum exemplum ſingulis menſibus ad Epiſcopum perferendum curet.

Tempore Congregationum frugalitas ſeruetur inter omnes, qui conuenient. dum corpus alitur, lectura aliqua ſacræ ſcripturæ cõdiatur menſa, alatur animus; ante, & poſt fiat benedictio, & gratiarum actio, inchoante Vicario, & proſequentibus reliquis.

Quæ de Curatorum reſidentia præſenti Synodo decreta ſunt, Vicarij, vt obſeruentur, ſtudiosè curent: ſuper illorum receſſu à cura ex cauſa rationabili ſeruandum curent, quod proprio de reſidentia Curatorum capite ſtatutum eſt.

Prætereà illorum munus ſit, cùm aliquis ex Curatis ſuæ regionis ægrotare cœperit, inuiſere; ſi grauius ſe habuerit, curare diligentius, vt neceſſaria tam ſpiritualia, quàm temporalia illi miniſtrentur; ſi obierit, in ſuo libro ſcribant obitum cum die, menſe, & anno, ſtatimque Epiſcopum moneant: curabunt verò interim tam viuente Curato in ægritudine, quàm mortuo, ne cura animarum detrimentum patiatur. rerum, bonorum, quæcunque in vita poſſederit, curam diligentem habeant, ne quid fraudis in præiudicium eorum, qui ſuccedere de iure debebunt, committatur, inuocato etiam ſuper his, ſi opus fuerit, brachio ſeculari: exceptis calicibus, Miſſalibus, & paramentis tam ex auro, quàm ex alia materia conflatis; quæ Conſtitutione Pij Quinti Eccleſijs, de quarum fructibus facta ſunt, tradenda hoc caſu, & incorporanda omninò curabunt.

Ex Sacerdotibus alienigenis ſi quis in regionem venerit, ne admittatur ad celebrationem Miſſæ, niſi licentiam à foro Epiſcopali obtentam in ſcriptis habuerit: illos autem, qui tanquàm peregrini ad Miſſarum celebrationem admiſſi ſunt, in curam animarum intrudi non permittant. Cooperatores, ſeu Capellanos quoſcunque non permittant. Confeſſiones audire, & Sacramenta miniſtrare, niſi licentiam in ſcriptis obtentam oſtenderint: eos, qui contra præmiſſa ire præſumpſerint, ad Epiſcopum deferre ſtudeant.

Cùm verò contigerit, dictos Vicarios ad reuiſionem Eccleſiarum ſuæ regionis excurrere vel ordinarij officij ſui obligatione, vel mandato ſpeciali, tum eis non liceat quidquam, ne minimum quidem pecunię, aut ab Eccleſijs, aut ab earum Camerarijs exigere, ſeu petere, nec ſpontè oblatum accipere: ſi cõtra fecerint, eos declaramus ex nunc pœnas iuris à ſacro Concilio Tridentino indictas incurriſſe; vt ſatis facere eiuſdem diſpoſitioni non omittant. Victualia modeſtè exhibeantur, vt nihil inter Eccleſiaſticos appareat indecorum, nihil ſuperfluum; omnia moderationis Eccleſiaſticæ lege temperata.

Declaramus autem Decreta hactenùs edita non afficere, aut lædere iura Capitulorum Eccleſiarum Cathedralium fundata in priuilegijs, & indultis Apoſtolicis.

De Monialibus.

MONIALIVM, quarum dicata Deo virginitas diligenti Epiſcoporum vigilantia cuſtodienda eſt, ingreſſum ad Monaſteria, diſciplinam, vitam regularem, & pietatem, tanquàm certiſſima regularis perfectionis fundamenta attentè inſpicerè, attentiùs promouere, & ſumma ſolicitudine tueri, ac defendere Epiſcopali ſolertiæ conuenit. Nos verò ex alieno ſumenda potiùs, quàm depromenda de noſtro in medium hoc de genere proponemus: ita tulerunt res, quæ modò noſtræ ſunt, officio, & obligatione: quod tamen cœptum eſt, auctore Deo, & duce, longiùs etiam eodem fauente Deo ad perfectum aliquando adducetur.

Tria ſunt, quibus præcipuè monaſticæ diſciplinæ ſtatus conſeruatur, & augetur; ſufficiens communis victus; deuota regulæ obſeruantia; pia Sacramentorum frequentia: ad quæ ſi accedat paſtoris vigilantia, Deo fauente ſperandum eſt, profici vel plurimum poſſe: quia tamen aliqua antecedunt, vt receptio, habitus, & profeſſio; quædã verò etiam ſubſequuntur; de ſingulis ſtatuere non modò vtile, ſed neceſſarium exiſtimamus.

Primò igitur quęrant,& inueſtigent Epiſcopi,quot ſint redditus Monaſteriorum, vel quæ eleemoſynarum quantitas;& in ſibi ſubiectis ordinaria, in alijs Apoſtolica auctoritate ſibi Pontificia conſtitutione attributa adhibitis ſuperioribus Regularibus præſtituant numerum Monialium, quæ in monaſterio ali poſſint; ſi plures ſint, quàm ali commodè poſſint, decedentibus aliquibus non ſufficiatur alia, niſi redigatur numerus eò, vt adæquatis facultatibus poſſit ſuſtentari. quod diſtrictè pręcipimus obſeruandum;ne premat egeſtas,& rei neceſſariæ inopia pereant omnia. interim verò curetur, vt ipſis Monialibus, vel ipſarum induſtria, vel publicis,& priuatis eleemoſynis ſubueniatur, diſpoſitis etiam per eccleſias capſulis, in quas charitatis ſubſidia conferantur.

Quia verò monaſteria, quæ opibus olim affluebant, actorum ſeu procuratorum negligentia,ſiue potentiorum vſurpatione collabi ita ſolent,vt egere incipiant; & ad paſtoralem pertinet ſolicitudinem, quæ cadere cœperunt,auctoritate & ſubſidio fulcire, ne corruant; omnes & ſingulos Epiſcopos hortamur in Domino,& ſeriò monemus,vt omni ſtudio curent,quo Monaſteriorum terrę,redditus,cenſus & & iura recuperentur;agant apud locorum Magiſtratus, procuratores dicto excitent, monialium protectores, ſeu conſeruatores incendant,omnia conentur, ne coram Deo negligentiæ arguantur,& ſocordię apud homines:quod ſi idem ſit numerus re imminuta,qui integra fuit, nec reſtitutionis ſpes oſtendatur,cogitent Epiſcopi de numero paulatim minuendo per obitum monialium facto Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis graui pręcepto, ne de receptione alicuius ad monachatum aut tractent,aut deliberent ſe inconſulto:niſi enim pręſenti remedio occurratur, erit magnoperè timendũ,ne multorum annorum ære alieno, quod neceſſitate contrahitur, vniuerſus monialium ſtatus opprimatur; quem conſultius minui ex parte aliqua, quàm totum extingui, permittendũ. Qua ratione ſi augeãtur monaſteria legatis pijs,& nouis redditibus,æquum eſt,ſeruatis quæ ſeruanda ſunt, reliquis, numerum etiam monialium augeri.

Communis debet ijs eſſe victus,quarum cómunis eſt domus,& veſtitus,& regula,neq; enim illa,quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent,relaxari, aut mutari poſſunt. Idcircò; ſicubi fieri ſolitum eſt; partitiones de redditibus monaſterij tam tritici, quàm vini; quæ fiebant inter moniales,vt quæque portionem haberet, & inde ſibi victum ſufficeret; damnamus,& abolemus; & ſub interminatione diuini iudicij, & pœna excommunicationis in ſingulas conſentientes,in vniuerſitatem verò interdicti ingreſſus Eccleſię inhibemus, ne in poſterum fiant, aut fieri per ipſarum Monialium Præfectas, Abbatiſſas,ſeu Prioriſſas permittantur. ipſis verò Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis ſub pœna priuationis ab officio præcipimus, vt, quod contra præſentis conſtitutionis tenorem viderint, vel cognouerint,attentari, aut fieri, Epiſcopo ſtatim ſignificent, quo abuſus veteres tandem aliquãdo tollantur.

Quia in vnaquaque re dantur certi gradus, per quos ad maiora aſpiratur,& aſcenditur, atque hunc ordinem non in humanis tantùm, ſed in ſpiritualibus,& diuinis etiam inueniri nemo negat:ita, vbi corruptela vetus radices egit, quas ſi ſtatim euellere vi conemur, corruptum antequam ſanetur,etiam ipſum ruet; curandum, vt remed ia huius generis omnia in rationem quandam temperentur, vt ſi minus celeriter,tutò certè ſanare veterem morbum valeamus. Decernimus igitur in monaſterijs monialium: vbi iam certus hac de re ordo, & cum ratione conſentiens ſtatutus non eſt: Moniali aliqua cuiuſcunque religionis, & ordinis ſit, decedente poſt harum conſtitutionum promulgationem, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ confirmationem, ſtatim Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam cum ſua Vicaria, vel ea impedita, cú alia moniali, ex maturioribus ætate, & prudentia debere thalamũ, & omnia quæ in eo ſunt, cuiuſcunque generis, & qualitatis nomine monaſterij facto diligenti inuentario in tenutam & poſſeſſionem accipere, eaq; referre omnia in commune monaſterij veſtiarium, illata peccunia in commune monaſterij ſcrinium. Thalami etiam claues apud ſe retinere pro munere officij ſui,ac de his omnibus quamprimùm per literas Epiſcopum admonere, ſi quid hoc de genere præcipere voluerit; non obſtante monialis ipſius,dum viueret,elec ne diſcipulæ,& eiuſdem deſtinatione etiam cum Abbatiſ ſeu Prioriſſæ, aut Capituli monialium licentia ad futur thalami, & rerum ſucceſſionem. quæ omnia tanquam iu rationi,& ipſis regulæ ſubſtantialibus contraria nulla dec ramus,& quatenus opus ſit,annullamus, & caſſamus, dec rantes neq; Abbatiſſam, neq; Prioriſſam, neq; moniales iuſcunq; pactionis,conuẽtionis, & concordij vigore ad iuſmodi executionem obligatas fuiſſe, aut obligari potuiſ cùm ex altera parte ſubſit certiſſima obligatio non conu niendi,ſeu conuenta non obſeruandi.

Abbatiſſas, ſeu Prioriſſas, & earum Vicarias tanqua monaſterij Præfectas,ſeriò monemus, vt inter ſuas mon les crebrò agant hac de re, vt omnes diſcant nihil poſſide ſe propriè; vſum habere in vita;in morte nullum diſpoſiti nis actum habere,aut habere poſſe, etiam conſentiente Pr fecta;cuius partes ſunt diſpenſare,nõ diſſipare; hæc eſt eni diſſipatio regulæ, quæ nec in vita, nec in morte proprie tem Regularibus reliquit; &, ſi quando à moniali ægrota te fuerint requiſitæ,vt alij vel ſupellectilem dent, vel thal mum, piè inſtruant hoc non licere; ægræ partes eſſe, ſi qu in vita commiſit, lachrymis, dolore, & pœnitentiæ ſacr mento expiare, non ſuperaddere noua piacula, quibus ſc dius anima ad tremendum DEI iudicium exitura deturp tur. ſi qua licentiam teſtandi, aut quoquo modo diſponen di,aut aliquam eligendi,ſeu nominandi,quæ ſuccedat,de fa cto dederit,declaramus eam ab officio ipſo facto priuatan & depoſitam, eandemq; in perpetuum declaramus ad iden officium,& alia quęcunque in eadem Religione obtinend inhabilem.

Has verò Conſtitutiones, cùm primùm à ſancta Sec confirmationem acceperint,pręcipimus,vbi monaſteria re formata non ſunt, Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, & monialibu in linguam Italicam verſas à Vicarijs, ſeu ſpecialibus Nun cijs Epiſcoporum (vbi diſciplina Monaſtica reformation nondum accepit) legi,declarari, & intimari, ac de huiuſmo di intimatione in actis Cancellarię Epiſcopalis ſcriptionem fieri diligentem.

In monaſterijs,in quibus proprietas exulat,& omnis a: fectio corrupta, ſeruetur illa rerum omnium communic quæ nihil habet,& cui nihil deeſt;quæ in egeſtate rerum co piam habet,& nihil omninò habet:ſi quid enim eſt,hoc ha bet vſu, non affectu, quæ quidem diues inopia in omniun monialium domos,& vitam paſtorali prudentia,& vigilan tia inuehenda eſt.

Communis eſſe debet monialium menſa, ad quam om nes exceptis ægrotantibus conuenire debent,ac tenẽtur; pa ctiones,ſiue conſuetudines,quæ corruptelæ ſunt, vt tantùn pecuniæ detur ei,quæ ad menſam communem non accedit reijcimus,& nullas dicimus; &, quæ vel obſeruarint,vel v obſeruentur,inſteterint;menſis vnius voce in Capitulo pri uamus,aut alia pœna,quæ Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ loci, au Vicariæ; ſi principales impeditæ fuerint; conueniens vide bitur,plecti mandamus.

In menſa communi non deſit ſpiritualis aliqua lectio qua corporales cibi ſuauiter condiantur: debent enim,qua DEO viuunt, ſpiritu magis viuere, vt licèt neceſſitati cor poris ſeruiant; plus tamen animo ſemper tributum velint. Liber verò ad lectionem menſæ adhibendus à Confeſſaric probetur.

Silentium, obedientia, humilitas, charitas, ac reliqua Chriſtianæ virtutes inter Regulares perſonas gemmarũ clariſſimarum loco ſint, quibus præcipuè Monialium domus & familia exornetur.

Quæ à regula nomen ducunt,eam,cui ſe profeſſione ſolenni adſtrinxerunt, noſſe regulam debent. Epiſcoporum igitur diligentia efficere debebit, vt Regula inter Moniales (vbi hactenus omiſſa fuit) lingua Italica ab aliqua ex monialibus, quæ lectioni obeundæ aptior fuerit, & ab Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa deputabitur, frequenter legatur, atque illa quidem in duas diſtinguatur partes, ita vt quotidie legatur aliquid poſt Conuentualis Miſſæ officium vel in choro, vel alibi, vbi commodius poſſit, de tribus, quæ emittuntur in profeſſione, votis, vt ſæpiſſimè inculcentur, & auctore Deo aliquando hæreant;alia verò per ordinem, vt quolibet feſto

e legantur quatuor,aut quinque capita, & à fine ad princi-
ium redeatur, nunquam verò intermittatur. Inter legen-
um Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa Moniales moneat, & redar-
uat, ſi quid minus ſeruetur, aut negligatur: excitet verò ad
orrectionem,& ad futurę glorię cupiditatem, igniculos ad-
ens, & ſemina Chriſtianæ pietatis. ſi quid pœnæ à regula
b quodcunque commiſſum, aut omiſſum ſtatutum eſt, hoc
Præfecta exequatur; ſi fuerit oppoſitum impedimentũ, con-
eſſarium conſulat, Epiſcopum moneat.

Statis horis tam matutinis, quàm diurnis,& veſpertinis Præfectæ curent, vt omnes Moniales in eccleſiam ad laudes Deo perſoluendas conueniant, & in ea non nugis & collocu-
ionibus operam dent: nulla verò Monialis quocunque prætextu excuſetur à choro, niſi vel ægritudinis cauſa, vel æ-
grotantium cuſtodia, vel iuſti impedimenti excuſatione; quam Præfectarum munus erit cognoſcere, &, ſi legitima fuerit, etiam admittere. Quæ in chorum non venerint, pœna regulæ, aut alia etiam grauiori pro culpæ modo, à Præfecta plectantur, ac, ſi contumacius perſeuerârint, Epiſcopo ſignificetur, & medicinam conficiat ipſi ægritudini accommodandam.

Admoneantur Sanctimoniales, vt ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, vt eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter ſuperandas. Quod feſtis ſolennioribus anni, item beatæ MARIAE Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum omittere non debebunt. His attribuatur Confeſſarius ætate, & prudentia maturus, vita, moribus,& doctrina probatus: qui etiam pro opportunitate norit aliquid è ſacris ſcripturis depromere ad ſpiritualem ipſarum iucunditatem, & perfectæ vitæ progreſſionem: præter ordinarium alius extraordinarius ab Epiſcopo eiſdem bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat.

Seniorum Monialium partes ſunt, iuniores ad Sacramẽtorum frequentiam,& omnes alios pietatis,& deuotionis actus inuitare verbo, exemplo, charitate; vt ad iuniorum modeſtiam, ac religionem pertinet, omnia, quæ in regula ſunt, præcepta obſeruare, ad ea ſe aſſiduè exercere, & nihil omittere illorum, quæ ad regularis perfectionis implementum ſpectare aliqua ratione poſſunt.

At verò non exigua eſt educationis vis, qua fit habitus difficile mobilis, & par naturæ habilitas quædam: quo vno præcipuè nititur morum, & vitæ benè agendæ fundamentum. hoc attendant Epiſcopi; ſicubi adhuc non eſt inſtituta ratio virginum ad Sanctimonialium perfectionem traducẽdarum; & omninò proſpiciant, vt quamprimùm in ſingulis Monaſterijs inſtituatur Nouitiatus, in quem tam præſentes puellæ; quæ degunt in Monaſterijs apud ſeniores, ibique in probatione morantur; quam omnes, quæ in futurum ad monaſticam vitã aſpirabunt, recipiantur. Quæ illo vel ſuo diſſenſu, vel parentum, aut propinquorum impedimẽto diuertere noluerint, dimitti à Monaſterio volumus, nec ei ſuffragetur ſuperiorum temporum abuſus, aut pactio, ſiue cõcordium cum Monaſterio, aut Monaſterij præfectis aliàs initum; quam pactionem, ſeu conuentionem iniri non potuiſſe declaramus contra commune bonum Monaſterij: initam verò non tenere, nec quemquam obligare. In primis verò abolemus,& extinguimus in omnibus prouinciæ Aquileienſis Monaſterijs Monialium diſcipularum nomen, & vſum, quo ſolebant Moniales puellam tam ex conſanguineis, quã ex alienis recipere in diſcipulam, illamq́; educare, & vſque ad profeſſionem in Monaſtica diſciplina in proprio thalamo exercere. Inde enim; vt eſt ſexus, & ſeculi infelicitas; parum boni oriebatur, vtinam nihil vel mali, vel ſcandali: in primis verò educationis diſſimilitudo,& educantium diuerſitas nihil hactenus effecit, in quo non incompoſitio quædam,& diſſonantia videretur, vniformi aliquando ratione, & diſciplina temperanda: quod Nouitiatus vnico remedio fauente Deo fieri poterit.

A tempore Nouitiatus è ſeptis Monaſterij exire Nouitijs nullatenus permittatur. In Nouitiatum nulla recipiatur ſine habitu regulari. Ad habitum nulla niſi maior duodecim annorum. at verò antequam inducatur in Monaſterium, de libero eius conſenſu interrogata ab Epiſcopo, vel Vicario generali, aut aliquo ab eis deputato, inducetur in eccleſiam interiorem, vbi ſacro audito, & accepta ſanctiſſima communione de Confeſſarij, aut alterius manu, iuxta morem locorum aſſumet ab eodem habitum regularem, & in Nouitiatum recipietur, ac finito tẽpore Nouitiatus, & probationis; quod minus non ſit anno; ſi decimumſextum ætatis annum impleuerit; quod ſcripto authentico conſtare debebit; & interrogata ab Epiſcopo, vel Vicario eius generali de pio illi conſenſu,& libera voluntate certum teſtimonium dederit, ad profeſſionem recipi liceat. Optamus autem, vt vetus Monialium ſolenniter velandarum mos obliuione, ac deſuetudine penè antiquatus ad vſum priſtinum inſtituto, & ritu proprio reuocetur; modò intra Monaſterium fiat.

Nouitiatum viſitet ſingulis mẽſibus Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa cum Vicaria,& ſignificet Epiſcopo ſtatum illius, & puellarum diſciplinam,& Præfectæ diligentiam.

Vſu penè locorum omnium receptum eſt, vt puellę, quę diſciplinæ,& educationis locum alibi non inueniunt, in monaſteria conſentientibus Epiſcopis recipiantur,& ibi pietatẽ diſcant,& moribus penè eccleſiaſticis inſtituantur; vt, quo ſe contulerint, vel nuptui etiam traditæ fuerint, domos, familias, filios pietatis, ac Religionis tacitis quaſi documentis: quod à pio vitæ exemplo colligitur: imbuant, & erudiant; quod ad gloriam Dei, & ſalutem animarum pertinere nemo negarit. Ne tamen, quod paſſim fit ad commune bonũ, communem afferat, & inſignem Regularibus domibus iacturam, decernimus, (quod multis iam locis factum audiuimus, probauimus, ac imitari affectamus) quamprimùm Monaſterijs Monialium, quæ puellarum educãdarum ſtudium non refugiunt, aliquam in ipſo Monaſterio partem aptari à Monialium cellis ſeparatam, in quam recipiantur puellæ educandæ,& ibidem erudiantur. Sit autem vna omnium magiſtra, cuius dicto puellæ oẽs pareant, à qua vna omnes addiſcenda addiſcant. primum doceantur doctrinam Chriſtianam, Officium B. Mariæ Virginis, ſeptem Pſalmos pœnitentiales, Coronam,& Roſarium; acu etiam pingere, & alia facere, quæ ad ſexum muliebrem honeſtandum, & familias induſtria tuendas pertinere poſſunt. Hæ verò ſi ſemel ante finitum educationis tempus exiuerint, vel eductæ fuerint à Monaſterio ſpem deponant reſtitutionis.

Salarium pro qualibet puella aſſignatum totum Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ ſoluatur, vnde victus puellis, magiſtræ verò aliquid commodi vltra victum propter docendi laborẽ ſuppeditetur.

Alium educandarum puellarum modum abolemus, ac tollimus, vt iam illa, quæ mercimonij, & irreligioſi lucri cupiditatem non olent modo, ſed verè habent, à Sanctimonialium domo, quæ proprium non in re modò, ſed in ipſa voluntate abnegârunt, longiſſimè arceantur.

Clauſuram Monialium; ſi Epiſcopis ſubſint; ordinaria, ſin minus Apoſtolica auctoritate iuxta Tridentini Concilij decretum ab ipſis reuideri, vel Apoſtolica delegata auctoritate, vel ordinaria conuenit,& reformari: in primis circa viridaria,& hortos inſpicienda muri altitudo, arborum à muris diſtantia, in ipſis ſeptorum muris foramina tam intus, quàm extra, vt diligentiſſimè virginum Deo dicatarum cõſeruationi proſpiciatur. Portas ingreſſus in Monaſterium benè muniendas, nunquam niſi ex cauſa neceſſaria aperiendas præcipiant. Parlatorij verò interior porta ſera, & vecte pręſertim claudatur: clauis ab Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, aut Vicaria ſeruetur. in Parlatorio à parte Monialium nihil omninò ſit, quo porta interius obſerari poſſit. ſi fuerit aliquid cum Moniali à quoquam agendum, petat ipſa Monialis à Præfecta Monaſterij licentiam, & clauem: expedita colloquutione obſerata porta clauem reſtituat: in quo ſtatuim obſeruari, vt patres, & matres etiam ſine licentia (quò ad fratres verò decernimus ſeruandum, quod eſt Epiſcoporum diligentia hactenus conſtitututum) poſſint ſuas vel filias, vel ſorores alloqui: ſi alius extra hos fuerit, qui alloqui Monialem velit, licentiam in ſcriptis ab Epiſcopo obtineat. hi tamen non permittantur alloqui ſine licentia Abbatiſſæ, ſiue Prioriſſę,& pręſentia auditricis. vbi verò ordo iam inſtitutus eſt prædicto exactior, ille ibi ſeruetur.

Fœminis, quæ meretricium exercuerunt, aut quarũ honeſtas in dubium reuocata aliquando fuit, cum Monialibus

tractare,

tractare, loqui, negocium habere nullatenus concedatur, etiam ſi cauſa prætendatur honeſta; de qua tamen benè ſuſpicari tutum omninò non eſt.

Epiſcopi ingreſſum nulli concedant, niſi ex cauſa neceſſaria, & in ſcriptis; ipſi verò nunquam ingrediantur, niſi ex cauſa neceſſaria, & obſeruent conſtitutionē Gregorij XIII. latam die 23. Decembr. M. D. L X X X I. vt cenſuras Pontificias declinent.

Liber conficiatur in quolibet Monaſterio, in cuius parte ſcribantur omnia nomina, & cognomina, & patria Monialium viuentium. Sit pars libri attributa ſcriptioni Monialium morientium: tertia pars contineat nomina Nouitiarum cum die, menſe, & anno receptionis: quarta pars habeat profeſſiones cum die, menſe, & anno, & profeſſarum nominibus, cognominibus, & patria.

Præter hunc librum habeatur item liber puellarum, quę educantur: ſcribantur in eo in prima facie paginæ nomina, cognomina, & patria puellarum educandarū cum die, menſe, & anno ingreſſus, & cum aſſignata quantitate pecuniæ, aut illius ſpeciei, quæ fuit attributa pro cuiuſlibet victu: ex altera parte ſcribantur quæcunq; exhibita ex attributis pro victu.

Vterque liber ſit apud Præfectā Monaſterij, ſiue Abbatiſſam, ſiue Prioriſſam, & diligenter cuſtodiatur, & Epiſcopo, quandocunque voluerit, ac requiſierit, ſit in promptu, appareat verò, vt in reliquis, in his etiam diligentia illarum, quæ præfecturæ munus ſuſceptum habent, vt laudem mereantur, & præmium in cœlo benè geſtæ prouinciæ.

Multo verò plura ſtatuēda pro bono Sanctimonialium ſtatu videretur, niſi cogitandum eſſet de Domini ſententia, qui cùm multa Apoſtolos docere, & præcipere eiſdem haberet, illa reticuit, quæ portare tunc non poſſent, in aliud tēpus extrahenda, cùm habiliores ad intelligendum facti eſſent. Nos verò ſi de Monialium domibus in prouincia benè conſtitutis cogitamus, hæc, quæ iecimus fundamenta, illò pertinebunt, vt, quod præſentibus decretis faciendum putauimus, iam factum laudemus: ſi verò illarum rationem habemus, quæ principia, & baſes, quibus ſuſtenẽtentur, adhuc non habent, ſatis multa ſtatuimus, vt quæ modo portare nō poſſint, inculcare ſuperuacaneum videatur. Quod de reliquis etiam ad gubernium eccleſiaſticum pertinentibus eodem conſilio decreuiſſe, & ſtatuiſſe nos per Dei gratiam nō pœnitebit.

Presbyteros ſeculares, ac regulares ſine expreſſa licentia Epiſcoporum decernimus non permittendos, vt in eccleſijs Monialium Epiſcopis ſubiectarum celebrent.

Ac vt laudamus, quod multis iam factum locis audiuimus, ita, vbi non eſt inſtitutum, decernimus inſtituendum; vt muſicas laicorum, ſeu clericorum in Monialium eccleſijs Epiſcopi non permittant, niſi licentia præcedente.

Extremum hoc Epiſcopos monemus, accuratè proſpiciendum, vt incongruæ cuidam rei, quæ inter Monialium conuerſas paſſim viget, occurrant, nec permittant illas à monaſterijs ſuæ diœceſis ad colligēdas eleemoſynas extra diœceſim diſcedere ſine literis commendatitijs; vt cognoſcantur, vnde veniant, & quo, cuiuſve rei cauſa proficiſcantur; aut ad eleemoſynarum collectiones, cùm aliunde venerint, non admittant, niſi præfatas commendatitias attulerint; nec adhuc permittantur eleemoſynas colligere, niſi domum ante, in quam diuerterint, & in qua permaneant, ipſi notam fecerint.

Supraſcriptas conſtitutiones in prouinciali Synodo prima Aquileienſi promulgatas, & receptas de conſilio, & conſenſu Reuerendiſſ. DD. Coepiſcoporum noſtrorum decernimus in Synodo prima diœceſana à ſingulis Epiſcopis promulgari, & executioni mandari, quatenus Epiſcopalis ſollicitudo conficere poterit.

Si qua autem ſuper illis, aut illarum aliqua circa veram intelligentiam dubitatio emerſerit, illius nobis declarationē vſque ad futuram Synodum Prouincialem item de conſenſu eorundem Reuerendiſſimorum DD. Coepiſcoporum reſeruamus,

Præfatarum verò conſtitutionum diſpoſitionem ſanctę Sedis iudicio ſubijcimus, & cōfirmationem, & approbationem ab eadem petendam, & impetrandam huius ſanctæ Synodi Aquileienſis nomine decernimus omni melio do ad laudem omnipotentis Dei, Amen.

Ego Franciſcus Patriarcha Aquileienſis definiens ſ bò.
Ego Georgius epiſcopus Petinenſis definiens ſubſcri
Ego Cæſar epiſcopus Parentinus definiens ſubſcripſi.
Ego Michael epiſcopus Vicentinus definiens ſubſcri
Ego Iacobus epiſcopus Feltrenſis definiens ſubſcripſi
Ego Claudius epiſcopus Polenſis definiens ſubſcripſi.
Ego M. Antonius epiſcopus Cenetenſis definiens ſu pſi.
Ego Albertus epiſcopus Famaguſtanus, Coadiutor V definiens ſubſcripſi.
Ego Marcus epiſcopus Paduanus definiens ſubſcripſi.
Ego Philippus epiſcopus Comenſis definiens ſubſcrip
Ego Aloyſius epiſcopus Taruiſinus definiens ſubſcrip
Ego Franciſcus de Prampero Canonicus Vtinenſis, a curator ſpecialis Reuerendiſſimi D. Ioannis Inge epiſcopi Iuſtinopolitani eius nomine interfui, ac ſ pſi, & omnia, & ſingula in hac ſancta Synodo acta, blicata, eius, & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.
Ego Horatius Buſinus I. V. D. & presbyter, ac ciuis A nienſis Procurator ſpecialis Reuerendiſſimi D. An Sataceni epiſcopi Aemonienſis nomine eius interf ſubſcripſi, & omnia ac ſingula in hac ſancta ſynodo edita, & publicata, eius, & eccleſiæ ſuæ nomine recip
Ego Valerius Trapola à Collibus I. V. D. & Vicarius g ralis Reuerendiſſimi domini, D. Matthæi Sanuti ep pi Concordię, eiuſq; in hoc ſpecialis Procurator eiu mine interfui, & ſubſcripſi, & omnia, & ſingula i ſancta ſynodo decreta, atque acta, edita, & publicata & eccleſiæ ſuæ nomine recipio.
Ego Gaſparus Pinellus Doctor ſacræ Theologiæ Reue diſſimiq; domini epiſcopi Bellunenſis Procurator cialis, eius nomine interfui, & ſubſcripſi, & omnia, a gula in hac ſancta ſynodo acta, edita, & publicata, ei eccleſiæ ſuæ nomine recipio.

Superiora omnia Synodi huius prouincialis decret cognita, & approbata fuerunt à ſacra Congregatione Concilij Tridentini.

HIERONYMVS CARD. MATTHAEIVS.

In ciuitate Vtini die 28. Octobr. 1596. comparuit co Reuerendiſſ. D. Patriarcha Aquileiæ, &c. Metropolit Reuerendus presbyter D. Michael Paſſera Canonicus T geſtinus, & ſpecialis Nuncius pro Reuerendiſſ. D. Epiſc Tergeſtino ad proponendas excuſationes eiuſdem Reu diſſimi D. epiſcopi in Synodo Prouinciali Aquileienſi patet mandato ſui Procuratorij ſub die 26. Octobr. eiu anni manu D. Georgij Piccardi Notarij Tergeſtini.

Die 2. Nouemb. 1596. coram eodem Reuerendiſſ. D triarcha Metropolitano comparuit Reuerend. & Exc D. Ioſephus Roboretus Cathedralis eccleſiæ Trident Canonicus, & Epiſcopatus Tridentini pro Illuſtriſſ. & uerendiſſ. D. D. Ludouico S. R. E. Cardinali Madruccio ctæ eccleſiæ Epiſcopo Vicarius generalis, & ab eodem I ſtriſſ. D. Card. vt patet literis D. S. Illuſtriſſimæ datis Ro die 19. Octobr. 1596. manu propria ſubſcriptis, & ſolito gillo obſignatis: ſpecialis Nuncius deſtinatus ad Synod Prouincialem Aquileienſem.

Finis Concilij Prouincialis Aquileienſis primi, hab in Ciuitate Vtini die 20. Octobris. M. D. XCVI.

VIT

VITA LEONIS X.* VVLGO XI. PONTIFICIS.

Eo huius nominis Decimus, Alexander Medices ante vocatus, patria Florentinus, Coſmi magni Ducis Etruriæ conſobrinus, ex Cardinale SS. Ioannis & Pauli (quē titulum virtutibus eius debitum Gregorius XIII. ei contulerat) Clementi VIII. in Pontificatu ſurrogatus eſt quarto Nonas Aprilis, anno Chriſti 1605. imperante Rudolpho II. ante Pontificatum Archiepiſcopatu etiam Florentino fungens, à Clemente VIII. ad Henricum IIII. Galliæ regem anathemate iam ab eodem Pontifice expiatum, Legatus de latere miſſus eſt, vbi per annos duos moratus, legatione benè geſta, & pace tandem inter potentiſſ. Hiſpaniæ & Galliæ reges conſtabilita, Ferrariam vbi Clemens agebat, profectus, magno Pontificis & Cardinalium præſentium applauſu exceptus eſt. Quando verò ad gubernacula eccleſiæ admotus eſt, tantam ſtatim omnium ordinum ſpem de ſe concitauit, quantam inſperata, & nimis accelerata mors conſternationem omnibus attulit. Nam cùm ad S. Ioannem Lateran. poſſeſſionis capiendæ cauſa, de more, celeberrimo comitatu ſe contuliſſet, à maximis ſudoribus ſubitò refrigeratus, in morbum grauiſſimum incidit, ex quo 27. Aprilis eiuſdem anni, poſtquam 25. dies eccleſiæ præfuiſſet, in humanis eſſe deſijt.

VITA PAVLI V. PONTIFICIS.

PAVLVS V. Camilli Burgheſij nomine ante dictus, patria Romanus, Antonio Burgheſio Senenſe, Aduocatorum Conſiſtorialium Decano, & Flaminia Aſtallia rari & incomparibilis exempli fœmina prognatus, poſt Referendarij vtriuſque ſignaturæ & Auditoris Cameræ munera benè geſta, poſtque legationem apud Regem Catholicum in re ardua feliciter peractam, ex Cardinale Tit. S. Chryſogoni, communi omnium ſuffragio, viua voce Pontifex renunciatus eſt 16. Maij anno ſalutis 1605. imperante Rudolpho II. Coronatus verò 29. Maij ipſo ſolenni die Pentecoſtes. Pontificatum à promulgatione Iubilei, & Reipublicæ Chriſtianæ, vrbiſque Romanæ ſtatu in melius commutando exorſus, animos omnium prædeceſſoris repentinò obitu deiectos mirum in modum erexit. His porrò alia quæ mihi cognita ſunt, hoc loco adderem, ſi non adulari potius, quàm venerari viderer. Cumque ante funera ſatius ſit ſilentium, vt benè quondam monuêre Solon, Euripides, hiſque multo maior & melior Sapiens noſter Eccleſiaſticus; horū monitis acquieſcens finem facio, Deum Opt. Max. precans & obteſtans, vt benè recteque pro ipſius Dei domo quæ eſt Eccleſia, geſtis rebus plurimis, maximis, vtiliſſimis, quamplurimas paginas idem Sanctiſſimus Pontifex adimpleat, hocque Romanæ Eccleſiæ Præſide, Paſtore ac Patre vnà cū Vrbe, vniuerſa natio Chriſtiana veriſſimè ac iucundiſſimè canat, quod in ſæculari quondam carmine pereleganter Lyricus:

Iam Fides & Pax & Honor Pudorq;
Priſcus, & neglecta redire Virtus
Audet: apparetq; beata plenè
Copia cornu.

Canat, inquam, tota eccleſia Catholica ore, pectore, animoque ac ſpiritu toto Chriſtianum illud notiſſimum ſuauiſſimumque melos.

GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITVI SANCTO, SICVT ERAT IN PRINCIPIO ET NVNC, ET SEMPER, &c.

Finis Conciliorum Generalium Tomi Quarti & vltimi.

LAVS DEO SEMPER.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORV
QVÆ HOC QVARTO TOMO CONCI
RVM GENERALIVM ET PROVINCIALIVM CONTINENTVR:
QVO PRIOR NVMERVS PAGINAM, LITERA A. PRIMAM, B. VERO
SECVNDAM COLVMNAM DENOTAT.

A.

ABBATES quales & quomodo eligendi, 606. a.b.861. b. in ſuis monaſterijs cōmorari debent, 759.a.an & quibus & vbi Ordines conferre poſſint, 849. b. 1050. a. quæ monaſteria viſitare debeant, 863 a. an confirmationis ſacramē- adminiſtrare poſſint, 606.a
Abbatiæ quomodo in integrum ſtatum reſtituendæ, 863.a
Abbatiſſa quæ & qualiter eligenda, 861.b
Abbatiſſæ nobilium virginum apud collegia ſua reſidere debent, 759.a
Abſens, Canonicatus partem tertiam capere non poteſt,& cui ea cedat, 980.b
Abſentes ab eccleſijs qui & quatenus & quamdiu eſſe poſſunt, 894.a.b
Abſentiæ Epiſcoporum cauſæ, 1093.b
Abſolutio,773. non eſt nudum miniſterium, ſed actus iudicialis, 832.b.833 a
Pro Abſolutione ab inito nihil exigendum, 662.b
Abſolui à ſacerdotibus qui non poſſint, 888.a
Abſolui non poteſt, niſi in quem ſacerdos ordinariam aut delegatam habet iuriſdictionem, 831.a
Abſoluendi poteſtatem quinam ex fratribus mendicantibus poteſtatem habeant, 636.a
Abſoluendi poteſtatem ſolus habet ſacerdos, 833 a
Academiæ quemadmodum inſtaurari & ſtudia ali poſſint, 723 b
Academiarum priuilegijs qui gaudere poſſint, 756.b
In Academijs quæ nam artes tradendæ, 755.a
Acolythus,eiusque officium, 900.b.1050.b
Acta Concilij Baſileēſis ſummaria,406.407.408. 409.410.
Acta Concilij Lateranenſis V. Oecumenici, ſummatim deſcripta, 651.b
Actiones ſacræ quæ & quatenus permiſſæ, 883.b
Adalbertus Pragenſis eccleſiæ fundatur, 396.b
Adam quamprimum Dei mandatū in Paradiſo eſt tranſgreſſus ſanctitatem & iuſtitiam amiſit, 804.a
Adolphus Archiep. Colonienſis Concilium celebrat, 752.b
Adrianus VI.Papa eiusque vita & res geſtæ,656.b. eius Breue aduerſus lecantatores,ſortilegos,&c. 657.a.aduerſus Lutherum, 657.b
Aduocati in foro epiſcopali officium, 1012.a
Aegidij Carlerij oratio ad articulum II. Bohemorum,de corripendis peccatis publicis, 301.b
Aegidij Carlerij Decani Cameracenſis oratio in Concilio Baſileenſi habita, ad ſecundum Bohemorum articulum reſpondentis, 301.b
Aegidij Viterbienſis oratio, 531.a
Aegrotantibus quæ & quas ob cauſas indulgentiæ conceſſæ, 1074.a
Aeneas ſyluius Piccolomeus, 511.b
Aerius hæreticus eiusq; dogma, 666.a
Aetas promouendorum ad Canonicatus quæ, 1097.a
Agapitus Papa claudum & mutum ſub vna tantū ſpecie communicans ſanat, 258.b
Agnus Dei ſiue cereæ formę benedictæ,quomodo geſtandæ, 1017.b. non colore inficiendæ aut venales proponendæ, 937.a
Aldi Manutij prælum, 879. a. à quo reſtitutum, ibid.
Aleæ luſus clericis inderdictus, 1098.b
Aleatores coercedi,& quare, 907.a
Alexandrini ad Romanæ eccleſiæ communionem recepti, 1085.a
Alexius Epiſcopus Melfitanus, 55.a
Allegoriæ S. ſcripturæ quomodo explicādæ,709.b
Alionotus regis Armeniæ frater, 587.b
Altaria, eorumq; cultus, 1.04.b
Altaria cur conſecrentur, 718.a.b
Altaria vbi & quomodo extruenda, 956.957.
Altaria quas ob cauſas extruenda, 539.a
Altaria à quo conſecranda, 959.a
Altaria quibus actibus profanentur, 959.b
Altaria portatilia non facilè conſecranda, 681.a
Altaria duo V.T.corumque myſtica interpretatio 650.a
Amadeus Sabaudiæ Dux Papa eligitur,86.b.Felicis Quinti nomen aſſumit,87. ſponte ſe Papatu cur ſus abdicat, 86.b.
Amedeus nō Papa ſed Cardinalis in Bulla Nicolai V.dicitur, 97.a
Amedei Sabaudiæ Ducius ad Concilium Baſileenſe epiſtola contra Epiſcopum Lauſannenſem, 233.a
De Amedeo Aeneæ ſyluij (poſtea Pij II.) iudicium 513.b
Ambitio in clerico turpis, 698.a
S. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, 954. b eius feſtum Mediolani religioſi cultum, 954.b.
B. Ambroſius obiturus communicat de manibus Honoratij vercellenſis Epiſcopi, 258.b
Amſdorfiani, & earum hæreſis, 878.a
Andreas Colloſſenſis, & eius cum Marco Epheſio diſputatio,496.a.oratio, 183.a
Angeli ſingulis gentibus & hominibus attributi, 478.b
Angelorum tres hierarchiæ, 649.a
Angliæ regis litteræ ad Concilium Baſileenſe, 149.b
Anima non eſt mortalis,594.a. non eſt vnica in omnibus hominibus, ibid.
Animarum cura longe grauiſſima, 1067.b
Animarum vitia morbis corporis ſimilia, 1068.a
Annatæ,& an licitæ, 51.b.
Annulus quibus clericis geſtari permiſſus, 987.b
Anthropromorphitarum error, 384.b
Antinomi,& eorum hæreſis, 878.a
Antitrinitarij & eorum hæreſis, 878.a
Antoninus Florentinus Epiſc.canonizatur,657.a
Antonius Poſſeuinus legatus in Poloniam & Moſcouiam miſſus, 930.b
Antonij Puccij in Conc. Lateranenſi oratio,610.b
Appellare,proteſtare,mendicare omnibus permiſſum, 233.b
In Appellationibus quis tenor & forma ſeruanda, 848.b
Appellantium temere pœna, 51.a
Apoſtatæ quomodo puniendi,750.a. & eorum patroni, ibid.
Apoſtatæ inquirendi, & ad reſtituta reducendi, 763.b.
Apoſtatæ ab omni ſæculari poteſtate comprehendendi & puniendi, 663 b
Apoſtatæ refractarij in errore perſiſtentes an cogendi, 764.a
Apoſtolica ſedes à nemine iudicanda, 120.b
Apoſtoli quando facti ſacerdotes, 344.a
Apoſtoli quando & quoties ad prædicādum miſſi, 378.a
Apoſtolorum eorum ſtatus tripliciter conſideratur, 370.b
Aqua in Miſſa codici miſcenda, 844.b
Aqua luſtralis ante ſactum ſpargenda, 937.a
Aquæ benedictæ aſperſio plena eſt myſteriorum, 1072.b 1073.a
Aquileienſe Concilium prouinciale I. ſub clemente VIII. 1086.b
Aquileienſis Patriarchæ in Conc. Baſileenſi ſententia, 163.a
Arca teſtamenti, eiuſque myſtica interpretatio, 650.a
Archidiaconi quinam eligendi, 1097. a
Archidiaconi quibus poſſint ſuum
mittere,
Archidiaconorum officium,
Arma militum Chriſtianorum quæ
Arma quibus Diabolus Eccleſiam o
lia,
Arma clericis non portanda,
Armeni quas Synodos ſuſceperint
rint, 493. b. redeunt ad Eccleſ
495.a. quid in Concilio Florent
rint,
Articuli de modo procedendi in Con
Aſpertus Mediolanenſis Archiepiſc
eius peſtilentiæ tempore ſeduli
1029.b
B. Athanaſius condemnatur,
Atrebatenſis Tractatus inter Franciæ
cem Burgundiæ,
Auaritiæ idolorum ſemitus,
Auaritiæ in clero execrabilis,
Auditoribus verbi Dei quæ neceſſaria,
Auerroiſtæ & eorum ſcientia qualis,
Auguſtana Confeſſio qua occaſione
pta,& quoties immutata,
Auguſtanum Concilium ab Othon
tempore Pauli III. Congregatum,
Auguſtinus de Roma Archiepiſcopus
53 a. eius libellus damnatur,
Auinionenſis ciuitas alienari non pot
cipitur in proteſtationem Concilij
ibid.
Auinionenſis ciuitatis cura cui durant
Baſileenſi demandata,
Auinionenſes vicarium à Pontifice m
tere recuſant,
Autotheani,& eorum hæreſis,

B.

BAbylon in SS. litteris quæ,
Bacchanalia Chriſtianis non ferer
Baiazetes Turcarum tyrannis ve
Selymo extinguitur,
Balthaſar del Rio, eiusque ad Ferdinan
niæ regem epiſtola, 586.a. orationes
Baptiſmus, Sacramentum, eiusque e
672. b. quomodo adminiſtrandus,
772.a.b
Baptiſmus neceſſarius eſt ad ſalutem,
quomodo infanti peſte laboranti
dus,
Baptiſmus vera doctrina vbi,
Baptiſmus dies quotannis celebrand
1073.a. quomodo, & quem ad finem
ad Baptiſmum quæ pertineant,
de Baptiſmo Concil. Trid. canones,
Baptiſterium quale eſſe debeat,
Baptiſteria tempore paſchali baptizanc
S. Barnabas Mediolani Euangelium
1071.a
Baſilea vrbs quæ & qualis,
Baſileenſe Concilium ſub Eugenio IV
Baſileenſi Concilium à quo indict
quid in eo actum,ibid. quæ conuen
hemis inita,
Baſileenſi Concilium Oecumenicum
ex parte reprobatum, ibidem quib
ibid.
Baſileenſe Concilium ceſſat proceſſus
lielmum Ducem Bauariæ, Concil
rem, 31. a. Contumaciam Eugenij
31.b. Concilium prorogat, 31.a. ce
ta factam curialibus Romanæ curi
ant ad Concilium,32.b. nimis accib

tingit, 94. a. b. decretum fert de electio-
s & confirmationibus Epiſcoporum,

ſe Concilium quantum Rom. ſedi tribuat,

ſe Concilium decretum fert, Papam non
imponere nouas gabellas in terris Rom.
ſiæ, 80. a.
ſe Concilium Sigiſmundum Imp. recipit,

ſe Concilium Eugenium à Papatu ſuſ-
it, 71. a
ſe Concilium poſt tranſlationem Conci-
amplius dici non meretur, 639. b
ſe Concilium caſſat nominationem Car-
lium ab Eugenio factorum, 63. a.
ſe Concilium illegitimum eſt, eiusque de-
a nullius valoris, 79. a
nſe Concilium, ſchiſma intraducit, eligen-
Felicem V. 139. b
nſe Concilium Rom. Pontificis auctorita-
minus eleuat, 126. b
nſis Concilij acta & Decreta, 14. 15.
nſis Concilij epiſtola ad Eugenium Papam,
n eſſe Synodum pro vnione Græcorum
onſtantinopoli celebrandam, 115 b
nſis Concilij epiſtolæ Synodales, 69. &
].
nſis Concilij epiſtolæ ad Bohemos, 24. a
nſis Concilij officiales, 26. 27.
nſis Concilij intentio, 18 b. ſtabilimentum,
1.
nſis Concilij Reſponſio oſtenſiua non eſſe
eprandas literas Eugenij Papę, &c. 111. b
nſis Concilij erroneum Decretum Conci-
m Generale eſſe ſuper Papam, & in quibus,
a
nſis Concilij decretum de modo eligendi
ntificem, 81. a
nſis Concilij Reſponſio Synodalis de au-
ritate cuiuslibet Concilij generalis ſuper Pa-
m, 101. a
nſis Concilij trãſlatio iuſta fuit & legitima,
. b.
ſileenſi Concilio vnus tantum Cardinalis
manſit, 111. a
enſium Patrum obſtinatio & violentia,
7. a
j de Spiritu Sancto liber contra Eunomium,
78.
rdorum errores, 676. b
m iuſtum quod, 564. a
m inter Philippum regem Hiſpaniæ & Paulũ
v Pontificem, 878. b
nedicti ordo reformatus, 405. b
dicendi vaſa ſacra, veſtes, &c. facultas quibus
ermiſſa, 1072. b
edictiones variarum rerum quomodo peragẽ-
læ, 1018. a
edictiones aquæ, ſalis, & aliarum rerum, & ad
uid conducant, 775. b
eficium ante 14. ætatis annũ nemo poteſt ob-
inere, 489. b
eficia eccleſiaſtica quibus conferenda, 867. a
eficia eccleſiaſtica quæ quibus conferenda,
079. b
eficia eccleſiaſtica quæ quibus conferenda,
780. b.
eficia eccleſ. quibus conferenda, 680. a
eficia quæ quibus conferenda, 1051. a. b. 1052. a
eficia quæ quibus conferenda, 71. a
eficia eccleſiaſtica quæ quibus conferenda,
889. b
eficia eccleſiaſtica quæ quibus conferenda eo-
rumque verus vſus, 842 a. b
eficia eccleſiaſtica quæ quibus conferenda,
927. a
eficia regularia quibus conferenda, 835. a
eficia plura vno non concedenda, 731. b
eficia plura vnus tenere non debet, 858. a
eficia eccleſiaſtica plura vni non conferenda,
506. b
eficia eccleſiaſtica quæ hæreditariæ ſucceſſio-
nis imaginem referant odioſa, 865. b
eneficia eccleſiaſtica ſine vlla deductione, pro-
miſſione, aut compenſatione tribuenda, 857. b
eneficia ſimplicia ab Eccleſijs collapſis transfer-
ri, & quo & à quibus poſſunt, 843. a

Beneficia violenter occupantes ipſo facto ſunt ex-
communicati, 521. b
Beneficia eccleſiaſtica non ſecundum humanos
affectus tribuẽda, 691. a priusquam vacent nemi
ni promittenda, 691. b dignis tantum conferen-
da, ibid.
Beneficia ſimplicia quibus conferenda, 1097. a
Beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſi-
tio & adminiſtratio ad quem pertineat, 609. a
Beneficiorum fructus omnes percipiendi ab eis
qui concilijs interſunt, 20. b
Beneficiorum reſignatiões ac permutationes quo-
modo permittendæ, 695. a
Beneficiorum eccleſiaſticorum collatio ac proui-
ſio quomodo facienda, 972. a
Beneficiorum pluralitas in vna eademq; perſona
odioſa, 694. b
Ad Beneficium eccleſiaſticum, etiam de conſenſu
nemini acceſſus aut regreſſus dandus, 861. a
S. Benno Germanus in ſanctorum numerum re-
latus, 657. a
Bernardinus Caruial ſchiſmatis damnatur, 554. a
Bernardinus Caruial ſchiſma abiurat, & recipitur,
584. a.
Bernardini Senenſis in morbo contagioſo ſollici-
tudo, 1029. a
Bernardi Zanę Veneti patricij, &c. oratio in Con-
cilio Lateranenſi ad Iulium I I. Pontificem,
542. b
Beſſarion Trapezuntius Nicææ Epiſcopus, 496. a
Beſſarionis in Concilio Ferrarienſi habita oratio,
413. b
Beſſarionis Patriarchæ oratio in Concilio Floren-
tino, 480. a
Biblia è clericorum manibus nunquam deponen-
da, 698. a
Bibliarum Latinarum editio quæ à Conc. Tridẽ-
tino recepta, 802. a
Bibliſtæ, & eorum hæreſis, 878. a
Bibliothecæ eccleſiarum quomodo conficiendę &
ſeruandæ, 960. a. b
Bishemi Iudæus ſacram hoſtiam confudit, & ſan-
guinem elicit, 878. b. eximitur, ibid.
Bituricenſe Conciliabulum, eiusque cauſa & acta,
410. b
Blappard genus moneta quale & quanti, 616. a
Blaſphemiæ ſcelus tollendum, 921 a
Blaſphemia tollenda, eiuſque pœna, 608. b
Blaſphemiæ pœna, 664. a
Blaſphemiæ quomodo puniendæ, 883. b. 884. a
Boccalinus Auximarum tyrannus armis donatur,
524. a
Bohemia miſera vexatur, & quibus calamitatibus,
22. a
Bohemi ad Concilium Baſileenſe euocati, 403 b.
quæ conuentio cum eis inita, ibid.
Bohemi eloquentia impares in Concilio Baſileen-
ſi, in riſum & ridicula erumpunt, 191. b
Bohemorum articuli Concilio Baſileenſi oblati,
153. b
Bohemorum epiſtola ad fideles, errorum plena,
239. a
Bohemorum error ſpiritualem & temporalẽ pręſi-
dentiam tollit, 158. b
Bohemorum quidam alij errores, 676. a. b
Bohemis quare in Concilio Baſileenſi, audientia
data ſit, 106. b
Bona Eccleſiaſtica in nullos illicitos vſus conuer-
tenda, 41. a
Bona eccleſiaſtica tuenda, 1105. a
Bona eccleſiaſtica conſeruanda & tuenda, 944. a
Bona eccleſiaſtica conſeruanda & quomodo admi
niſtranda, 927. a. b.
Bona eccleſiaſtica quomodo conſeruanda, admi-
niſtranda, diſpenſanda, &c. 904. 905. a. b
Bona eccleſiaſtica ab omni laicorũ poteſtate ſunt
exempta, 609. b
Bona eccleſiaſtica inuadentes quomodo puniendi,
874. a
Bona eccleſiaſtica quæcunque detinentes, anathe-
mate feriendi, 1056. a
Bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratio ad quas
pertineat, 1077. a
Bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratores quinã
eligendi, qui non, 1105. b
Bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratores ratio-
nem reddere tenentur, 764. b
Bona temporalia an clericis poſſidere liceat, 387. b

Bona tẽporalia an à clero habitualiter delinquentẽ
poſſint auferri, 394. b
Bona immobilia monaſterijs & locis religioſis ha
bere permiſſum, 161. a
Bona opera an omnia peccata ſint contaminata,
808. a
Bona opera ante iuſtificationem facta an peccata
ſint, 809. a
Bona opera meritoria, & de meriti ratione,
808. b
Bonorum operum retributio qualis à Deo ſperan-
da, 809. b
Bonis operibus quantum in S. ſcriptura tribuatur,
809. a
S. Bonauenturæ feſtum duplici officio celebrari
iuſſum & à quo, 1084 b
Barbonius à Gallis deficit, 660. b. Romam capit,
ibid.
Brentiani ſectarij, 878. a
Breue Pij I V. ſuper ordine ſedendi in Concilio Tri
dentino, 838. b
Breuiaria quæ & quibus in locis vſurpanda, 1091. a
B. Brigitta, & eius ſanctitas, 231. b. ordo, ibid. liber
Reuelationum, ibid.
Bulla indulgentiarum remiſſionis omnium pecca-
torum in fauorem ſubſidij pro reductione Græ-
corum procurandi, 692
Bulla reformationis Curiæ Romanæ Leonis X.
Pontificis, 606. a
Bulla translationis Concilij Baſileenſis ad Ferrari-
am, 215. a
Bulla Nicolai V. Papæ ſuper approbatione actorũ
in Concilio Baſileenſi, 97. a
Bulla capitulorum inter Eugenium I V. & legatos
imperatoris concordatorum, 212. a
Bulla per Concilium Baſileenſe miſſa ad Imperij
Electores, 167. a
Bulla celebrationis Concilij Tridentini ſub Pio IV.
837. a. b
Bulla Eugenij I V. miſſa ad Archiepiſcopum Colo-
nienſem, 206. b
Bullæ Pontificum quando & à quibus promulgan-
dæ, 921. a
Bullæ Eugenij reuocatæ, 42. 43.
Burſfeldia cœnobium ordinis S. Benedicti, 405. re-
formatum, ibid.

C.

S. Cicilięe corpus inuentum, & quibus ritibus
ac cæremonijs cultum, 1085 b. 1086. a
Cæremoniæ in cultu diuino quæ retinen-
dæ, 775. a
Cæremoniæ quæ vſurpandæ, 736. b. earum ſignifi-
catio populo aperienda, ibid.
Cæremoniæ in Miſſa quem in finem inſtitutæ,
844. b.
Cæremoniæ ad abuſum ſpectantes abolendæ,
719 b
Cæremoniarum magiſter eiusque officium, 899. a
Cæſar Borgia eiusque ſcelera & exitus, 524. b
Calendarium emendatum, 930. b
Calicis vſus contentioſe à Polonis efflagitatur,
878 a
Calicis in Euchariſtia vſus an & vtrum cũ vel ſine
conditionib. nationi alicui cõcedendus, 842. a
Calices in feſtis confratrianum non ferendi per
laicos, 684. b
Calixtus I I I. Papa eiuſque vita, 511. a. Turcas bello
infeſtat, ibid. eius de Apoſtolica ſede vox, 511. a
Campanę, & earum numerus in vnaquaque eccle-
ſia, 957. b. ab Epiſcopo benedicendæ, ibid.
Campanæ cur benedicantur, 719. a
Campanarum vſus ad preces, tempeſtates, &c.
961. a.
Campanarij & eorum officium, 765. a
Cancellarius epiſcopalis, eiusque munus, 1062. a
Cancellarij Epiſcopalis munus, 928. b
In Cãcellaria Epiſcopali quę gratis ſcribẽda, 1062. a
Canon Miſſæ ſanctus & ab omni errore purus,
844. a
Canones pœnitentiales Confeſſarij noſcendi,
888. a
Canonici libri qui non ad eccleſiam pertinẽt de-
terminare, 670 b

Canoni-

Digitized by Google

Canonicæ ſcripturæ quæ, 802.a
Canonici & eorum officium & reſidentia, 1094.b
Canonici regulares quomodo & ad quæ beneficia admittendi, 835.a
Canonici ſacra officia negligentes qua pœna afficiendi, 925.b
Canonici eccleſiarum ad academias inuigilaturi per capitula mittendi, 724.a
Canonici qualiter ſe in diuinorum officiorum celebratione gerere debeant, 898.b
Canonici geſtant togam lineam ſuper veſtem, 682.b
Canonici mortui funus cuius ſumptibus faciendũ, 924.b
Canonicorum officium, 731.a
Canonicorum vita & officium, 699.a
in Canonicorum collegia qui cooptandi, 980.b
Canonicatus vnde dicti, 1096.b. quibus conferendi, 1097.a
Canonicatus quibus conferendi, 857.a
Capellæ earumque forma & cultus qualis eſſe debeat, 956.b
Capitulum ſede vacante vicarium conſtituere poteſt, & quem, 1074.b
Capitula Canonicorum eorumq; iura, priuilegia, &c. 942.b
Capitula diſciplinæ qualiter ſeruanda, 701.a
Capitula Canonicorum quando & quoties habenda, 924.a
in Capitulorum congregationibus quæ proponenda, 1090.b
Cardinales vnde dicti, 496.a
Cardinales à Pontifice qui eligendi, 854.b
Cardinales ex merito non fauore eligendi, 864.b
Cardinales quomodo viuere ac ſe gerere debeant, 607. eorum officia, ibid.
Cardinales Apoſtolis ſucceſſerunt vt aſſeſſores, 370.b
Cardinalium numerus & qualitas, 56.a. iuramentum, ibid.
Cardinalium in conclaui eligendi Pontificis cauſa commorãtium domus inuadi ſolitæ, 646.b
Cardinalium multiplicatio eccleſiæ diſpendioſa, 65.a
Cardinalibus quibus quid maximè curandum, 56.b.
Carolus Borromęus Cardinalis, Archiepiſcopus Mediolanenſis, 879.b. Concilium indicit, ibid.
Caroli Borromæi oratio in Concilio Mediolanẽſi habita, 880.a.b
Caroli Borromæi oratio in II. Concilio Mediolanenſi, 932.a
Caroli Borromæi oratio in III. Cõcilio Mediolanenſi, 932.a
Caroli Borromæi oratio in Cõcilio Mediolanenſi IV. 949.
Caroli Borromæi oratio in Cõcilio V. Mediolanẽſi 1008.a.b
Caroli Borromęi oratio in Cõcilio Mediolanenſi VI. 1067.
Carolus V. morum reformationi ſtudet, 753.b
Carolus V. Imperio ſe abdicat, 879.a. eius res geſtę, ibid.
Caroli V. mandatum de Tridentino Concilio, 821.b
Caroli V. in Saxonia victoria, 753.b
Carolo V. Maximi cognomẽ quis tribuerit, 729.b
Caroli Francorum regis ad Concilium Baſileenſe literæ, 228.a
Caroli Sabaudiæ Ducis ad Concilium Lateranenſe legatio, 626.a
Carolſtadius ex Archidiacono fit agricola, 657.a. eius deliria quæ, ibid.
Caſtitas à ſacerdotibus exigitur, 663.a
Caſus conſcientiæ coram quibus & quando habendi, 1093.b
Caſuum conſcientiæ congregatio quando & à quibus facienda, 1106.a
Caſus reſeruati qui & in quibus, 832.a.
Caſuum in pœnitentia reſeruatio relaxanda, 773.b
Catharina Senenſis canonizatur, 511.b
Catechiſmus pueris tradendus, 882.a
Catechiſmus Roman' populo explicãdus, 1013.a.b
Catharorum errores, 676.b
ad Cathedrales eccleſias qui & quales aſſumendi, 846.a
Catholicæ eccleſiæ quanta ſit auctoritas, 103.b. quod caput, ibid.
in Catholica eccleſia nulla eſt diſcordia, 667.b
Catholici nomen quando & à quo Hiſpaniæ regibus datum, 516.a
Caupo qualiter ſe gerere debeat, 1081.a
Cauſæ ad forum eccleſiaſticum pertinentes à quibus & quomodo cognoſcendæ, 839.a
Cauſę grauiores contra epiſcopos à ſolo Pontifice Rom. cognoſcendæ, 855.b
Cauſidici epiſcopali in foro an & quatenus adhibendi, 897.b
Cenſuræ à regularibus in eccleſiis publicãdæ, 862.a
Cereæ formæ, ſiue agni Dei quomodo habendæ vel geſtandę, 1017.b
Chalcedonenſis Synodus primariam Rom. Pontificis agnouit auctoritatem, 148.a. petit à Leone decreta ſua confirmari, & eius ſententiam diu expectat, 148.a
Character in Ordine impreſſus indelebilis, 847.b
Charitas virtutum fons, 563.a
Charitas ad Iuſtificationem concurrit, & quomodo, 771.b
Cherubim myſtica interpretatio, 650.a
Chori magiſter, eiusque officium, 899.a
in Choro grauitas ſeruanda, 681.b
in Choro quomodo clericis verſandum, 901.b
in Choro quo quiſq; clericorum tempore eſſe debeat, 52.a
Chriſma quomodo conficiatur, 650.b
Chriſtophorus Marcellus Venetorum orator, 559.b. eius in Concilio Lateranenſi oratio, 561.b
Chriſtus quomodo & quorum caput, 268.a
Chriſtus an datus tantum redemptor, & non vt legiſlator, 809.b
Chriſtus in Eccleſia vnus verus & totus in omnibus altaribus, 249.b
Chriſtus totus & integer ſub qualibet ſpecie in Euchariſtia ſumitur, 841.b
Chriſtianæ diſciplinę ſumma in quibus conſiſtit, 193.a
Chriſtianorum eccleſia præſtantior eſt Synogoga Iudæorum & quare, 273.a. 274.b
Ciborum delectus eccleſiæ cõſenſu receptus, 776.b
Ciborum delectus qualiter & quem in finem adhibendus, 868.b
Cinerum ſacrorum vſus in eccleſia, 1017.a
Cingari, vagum hominum genus, 907.a. finibus exterminandi, ibid.
Cingari quomodo inquirendi, 1011.a
Claudius Layus Sabaudus, vnus decem è primis Ieſu ſocietatis auctoribus, 800.a
Claues eccleſiæ datæ non ad ſoluendum tantũ ſed etiam ligandum, 833.a
Clauium in eccleſia poteſtas quæ & qualis, 309.b
Clemens VII. Papa, eiuſq; vita, 660.b. capitur ibid. euadit, 661.a. moritur, ibid.
Clemens VIII. Papa, eiuſq; vita, 1085.a
Clemens VIII. corp[illegible] Cęciliæ inuentum inuiſit, 1086.a. eius modeſtia, ibid.
Clerici qui non admittendi aut deponendi, 619.b
Clerici quæ populum docere debeant, 998.a.b
Clerici quæ facere quæque vitare debeant, 1097. 1098.
Clerici quæ facere debeant, 991. 996. 997.
Clerici quæ vitare debeant, 988.a
Clerici ad feſtorum celebrationem frequentes conuenire debent, 954.b
Clerici aliarum diœceſ. ſine literis commendatitijs non admittendi, 518.b
Clerici non induantur veſtibus ſericis, 519.a
Clerici non vtantur veſtibus lugubribus, 519.a
Clerici inferioris ordinis à quibus & quomodo erudiendi, 926.b
Clerici ob quam cauſam male audiant & puniantur, 698.a
Clerici exemplum reliquis præbere debent, 747.a
Clerici peregrini quomodo admittendi, 694.b
Clerici vbi & apud quem iudicem conueniendi, 814.a
Clerici turpiter viuentes deponendi, 843.a
Clerici ſeculares nõ ab omnibus prælatis viſitari, puniri & corrigi poſſunt, 893.a
Clerici habitualiter delinquentes an temporalibus bonis priuandi, 894.
Clerici tabernas vitent, 662.a. ſecularibus negotijs ſe non immiſceant, ibid.b
Clerici non ſint venatores, 685.b. ad iudicium ſeculare non trahendi, 793.a
Clericis criminoſi quomodo puniendi, 725.a. non religioſi poſſunt habere & poſſidere omnis generis bona temporalia, mobilia & immobilia, eſſe atquiſita,
Clericorum vita qualis eſſe debeat, 845 662.a veſtitus,
Clericorum vitia, 1068.b. veſtitus qualis, b. ædes, 89
Clericorum extentorum correctio ad que 618.a
Clericorum duplex miniſterium, 696. vnde deriuata,
Clericorum bona non inuadenda,
Clericorum ſeminaria vbi inſtituenda, alenda,
Clericis quænam vitanda,
Clerico an artificium factitare liceat, 699. portare nõ licet, 893.a. nec ludos freque nec cauponas ingredi,
Clericis illiteratis alij ſubſtituendi & qu 843.a
Coadiutor Prælato cum futura ſucceſſion dus, 865.a. niſi cauſa à Rom. Pontifice d cognita,
Cœlibatus ſacerdotum à quo inſtitutus,
Cœmiteria quomodo cuſtodienda,
Cœmiterij profanandi modus quis tenẽde
de Cœna domini inter Lutheranos & Z nos controuerſia,
Cognatio Spiritualis matrimoniũ imped
Collationes beneficiorũ eccleſiaſticorum nario faciendæ,
Collationes beneficiorum quæ irritæ,
Collegia in metropolitanis & cathedralib ſijs inſtituenda & quem in finem, 850. ea recipiendi, ibid.
Collegia in Vniuerſitate ſita quo ſuos ſt mittere debeant,
Collegiorum præpoſiti munerisuo ſatisfa bent,
Colonienſe concilium VI. tempore Pauli pæ,
Colonienſe concilium prouinciale tempo III. Papæ,
Colonienſes Carolo V. militant, 660.b. C tem VII. Pontif. ad deditionem cogunt
Communicantes ſiue laici ſiue clerici, no guntur ſub vtraq; ſpecie ſumere,
Communio ſub vtraque ſpecie an nece 243. & ſeqq. per totum. toti populo crede nõ eſt neceſſaria, 255.b & ſeqq. vbi probat lixe.
Communio vnius ſpeciei ſufficit,
Communionis in Euchariſtia modus,
de Communione ſub vtraq; ſpecie & pari concilij Tridentini doctrina,
in Communione non plus ſumitur, quo ctum ſub vtraque quam ſub vna ſpecie,
Comœdias an & quatenus in monaſterij ludere,
Competentiæ paſtorum quæ,
Conceptio B. virginis Mariæ qualis fuerit, ius feſtum cur celebretur,
Concionandi munus qui vſurpare debeant, quomodo,
Concionandi munus quibus & quomodo mandandum,
Concionatoris officium, 752.b. 1069.a. 935.a. a.b. 961.b. 962.a
ad Concionandi munus qui admittendi, 738.a
Concionatoribus à ſcommatis & conuicijs nendũ, 708.b. contra concionatores erro hæreſes diſſeminantes qũo procedendũ,
Conueniendi materia quæ fidelibus propon 685.b. ratio quæ obſeruanda, 8
Concionatores inepti prohibendi & pun 685.b
Concionatoribus quid cauendum, 708.a
Conciones ſacræ qua animi præparatione a dæ,
Concilium nullum ratum quod Pontificis a tate non ſit ſuffultum,
Concilij generalis caput eſt Roman. Pon 143.b
Concilij Baſileenſis ad Bohemos epiſtolæ, liæ, 163. & ſeqq.
Concilia vnde originem ſumpſerint,
Conciliorum generalium finis & vtilitas,
Conciliorum & eccleſiæ catholicæ eadem vi poteſtas,
Concilia generalia ſemper Rom. Pontificis a

atem præcipuam agnòuerunt, & ab eo tanam capite confirmari petierunt, 144.a
ilium Baſileenſe multum tribuit Rom. Ponci, eidem tamen ſe anteponit, 103.b
ilium impedientes quomodo puniendi, 20.b
ilium prouinciale tertio quoque anno celeandum, 664.a
ilia prouincialia, & quę in finem celebranda, o.b. 41.a.
ia prouincialia quando, à quibus, & quomo contiocanda, 992.a.b
ilia prouincialia quibus ritibus & quomodo lebranda, 1078.a.b.1079.
iliorũ prouincialium vtilitas, 949.a.b
oncilijs prouincialibus quæ tractanda, 994. 564.a
ciliorũ auctoritas quæ & quanta, 670.a
ciliorũ generalis auctoritas ſuper Papam, ſendum Concilium Baſileenſe, 101.a
ciliorũ generalium auctoritas quanta, & à quo 4 a
ciliorũ nullum ex quantacumq; Epiſcoporum ultitudine conſtatum Papa legitimo eſt ſupeus, 206.b
ciliorum officiales qui & quales, 20.b
cilia abſq; Rom. Pontificis auctoritate non cebrãda, 039.b. quæ à Pontificibus alio tranſlata, 39.b
cilia nulla rata niſi Rom. Pontificis auctoriate fulta, 120.a
ciliorum finis quis, 797.a
cilijs abeſſe debent cõtentiones & rixæ, 18. clamores & irriſiones, ibid.
cilijs eadem debetur reuerentia quæ collegio Apoſtolorum, 104.a
Concilijs deliberatur de ijs quæ ad vniuerſalis eccleſiæ bonum pertinent, 798.b
Concilijs quidquid ſtatuitur, Pontificis quoque auctoritate, quæ ſemper ibi refulget, auctoritate ſtatuitur, 114.b
nciliorum vtilitas & commoda, 556.a. & ſeqq.
ncordia promouenda, 1006.b
ncordia Doctorum eccleſiæ neceſſaria, 481.b
ncubinarij quomodo coercẽdi, 923.a. 50.b 763.a 749.a.b. 609.a. 866.b
ntra Concubinarios mandatum, 751.a
ntra Concubinarium quis ſeruandus proceſſus 519.b
oncubinas habere Chriſtianis non licet, 854.a
oncubinatus graue crimen, 1080. funditus tollendum, ibid.
onſilium duplex, 344.b
onſilia omnia Chriſti non ſunt oligatoria, 385.a
onſilia qui non ſequitur, conſiliorum præmia non aſſequitur, 344.b
onfeſſio ſacramentalis, & vnde habeat originem 673.b. 773.a. frequentanda, 768.a. quando & vbi audienda, 887.b
onfeſſio vbi non audienda, 1074.a. non reuelanda, 774.a
Confeſſio ad remiſſionem peccatorum neceſſaria eſt, iure diuino, 832.b. an ſit impoſſibilis, ibid. eius neceſſitas, partes, vſus, &c. 830.a.b
Confeſſarius qualis eſſe debeat, 714.a
Confeſſarius quæ à confitentibus exigere debeat, 1074.a
Confeſſariorum munus, 887.b
Confeſſarij Monialium quales eligendi, 947.b nihil ab eis dono accipiant, 947.b
Confirmationis ſacramentum, 673.a 965.a. 711.a 773.a. 1019.a. qualiter adminiſtranda. 885.a
de Confirmatione Concilij Tridentini canones. 814.a
Confitentes quomodo à confeſſarijs tractandi. 714.b
a Confitentibus pro aſcultatione aut abſolutione nihil exigendum. 736.a
Confratriæ, & quomodo eæ habendæ. 1065.a quando habendæ. 1081.b. 1082.a
Confratrias an & quatenus de nouo erigere liceat. 684.a
in Confratrias qui recipiendi. 1004.b
Coniugalis ſtatus cœlibatui non eſt præponẽdus, 852.b
Conſecratio epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, &c. quando communia habuerit, 381.b
Conſecratio Epiſcopi, plena eſt ſanctiſſimis myſterijs. 941.a
Conſtantinopolis à Turcis occupata. 510.a
Conſtantinopolitani Imperatoris ad concilium Baſileenſe literæ. 48.b
Conſtantinopolitani Imp. Bulla aurea ad conciliũ Baſileenſe. 59.a
Conſtantinopolitani Patriarchæ ad concilium Baſileenſe literæ. 49.a
Conſtantinus Imper. aliam ſedem ſub obedientia Rom. eccleſiæ alibi quæſiuit. 624.a
Conſtantini donatio. ibid.
Conſtitutiones eccleſiaſticæ, vt Dei ordinationes recipiendæ. 776.b
quo loco habendæ. 717.a
Conſtitutiones pro ſanctione pragmatica Gallicanis eccleſijs latæ. 633.634.635
Conſtitutiones eccleſiaſticæ obſeruandæ. 729.b
Conſtitutiones eccleſiæ charitati cedunt. 717.b
Conſtitutiones excutiendę an rationabiles & honeſtæ ſint, 1090.b
Continentia ſacerdotes maximè decet, 867.a
Contritio quid. 714.a. 773.a. 829.b
Conuentus ſacerdotales quando & quomodo habendi, 926.a
Corpus Chriſti nõ intra ſepta monaſterij ſed in ipſa eccleſia conſeruandum, 862.a
Corpus Chriſti feſtũ à quo & quem in finem inſtitutum, 171.b. quibus ſolennitatibus & cæremonijs agendum, 967.a
inter Corpus naturale & myſticum diſcrimẽ, 268.a
Correctio duplex, 303.a. debet aliquando eſſe lenis, aliquando aſpera. 311.a. eſt pręceptum non tamẽ obligans pro ſemper, ſed pro tempore, 311.b
Correctionis diſcrimina, 336.a
Correctionis requiſita ex parte peccantis, 311.b
Correctionis fraternæ conditiones, 311.a
Correctionem negligentes grauem reddent rationem, 319.a
in Correctione fraterna magna diſcretio eſt adhibenda. 311.a
in Correctione quæ requiruntur ex parte corripientis, 311.b
in Correctione ordo ſeruandus eſt prælato. 312.a
Coſmus Medices Magnus Etruriæ Dux, & à quo appellatus, 918.a
Credendum aliquid quod etiam in S. ſcriptura non continetur, 671.a
Crucis imago in templis vbi collocanda, 956.a
Crucis ſigna in triuijs ponenda, & quare, 937.a
Crucis Dominicæ pars ſub Innocentio VIII. reperta, 524.a
Cum, præpoſitio quid ſignificet, 487.a
Curati & eorum officium & reſidentia, 1094.a
Cuſtodes eccleſiæ, eorumq; officium, 900.a
Cuſtodes carceris eorumq; officium, 1011.b
Χειροτονία quid, 353.a

D.

DÆmoniaci hæretici, & eorum hæreſis, 878.a
Dauid Rex Æthiopiæ ad Rom. Pontificem ſcribit, 661.a
Dauid Georgius eiuſq; blaſphemię & hęreſis, 877.b
Dalmatia Turcarum inuaſionibus vaſtatur, 579.b
Decani rurales qui eligendi, 727.a
Decani officium, 731.a. 699.b. 700.a
Decanis à ſuis collegijs abeſſe non licet, 729.a
Decimæ perſoluendæ, 781.b. Decimarum ſolutio Deo & eccleſijs debita, 866.b
Decreta Pontificum opera Spiritus S. edita, 624.a
Defenſarium pacis, peſtilens Marſilij Patauini liber, 666.b
Defunctorum commemorationes, ſancta & ſalubris res eſt, 674.b
pro Defunctorum ſalute quæ peragenda, 859.b
Deputationes in concilijs quatuor, & quæ, 150.b
Deus malum operatur permiſſiue tantum, nõ per ſe, 809.b
Diabolus vnde tãtam aduerſus Chriſtianos habeat poteſtatem, 742.b. Chriſtianæ eccleſiæ aſſiduus eſt perſecutor, 472.a
Diaconus quoto ætatis anno fieri poſſit, 850.a
Dies ſacri quibus rebus profanentur, 998.b. Dies conſecrationes eccleſiæ ſolẽniter agẽdus, 941.b
Dillingę Concilium celebratum, 728.a
Diœceſes diſtinguendæ, 834.b
Diſcordia quam pernicioſa, 588.b
Diuinatio Chriſtianis prohibita, 883.b
Diſciplina eccleſiæ repugnanda, 746.b
Diſciplinæ rõ ſacerdotũ tẽpore peſtis tenẽda, 1036.
Definita ſemel non ſunt in diſputationem reuocanda, 20.a
Diſpenſatio quibus in cauſis Epiſcopis permiſſa, 856.a
Diſpenſationes ad plura incompoſſibilia vltra duo non concedendæ, 606.b
Diſpenſationes quæ quibus committendæ, 846.b. inſpiciendæ, vt accuratur abuſibus, 694.b
Diſtributiones in eccleſia quæ & quibus faciendæ, 880.a.b. 981. 982. 1054.b. 100.b
Diſtributiones quotidianæ largæ & ſufficientes diuina officia celebrantibus aſſignandæ, 680.a
Diſtributiones ſecundum menſuram laboris inter clericos faciendę, 682.a
Diſtributionum participes eſſe non debent qui nõ integris interfuerunt officijs, 766.b
Doctores ſe & dicta ſua S. Eccleſiæ correctioni ſubmiſerunt, 273.a
Doctorum auctoritates in Theologia plurimum valet, 504.a
Doctrina falſa monetæ falſæ ſimilis, 385.b
Diuortium an & quomodo fieri poſſit, 852.b
Dionyſius Carthuſianus quo tẽpore floruerit, 515.b eius elogium, ibid.
Dominium quid ſit, 401.a
Dominium temporale an poſſit competere perſonis eccleſiaſticis, 386.b. & ſeqq. per totum. non amittitur per quoduis mortale peccatum, 312.b
Dominicis diebus & feſtis mercatus prohibendus, 785.b
Donatiſtarum error. 385.a
Dorothea Lazezda exuſta, & quare, 878.b
Duella interdicta, 867.b

E.

EBrietas clericorum quomodo coercenda, 749.a
Eccleſia vna eſt, ſancta & infallibilis, 669.b
Eccleſia militans in rebus Fidei errare non poteſt, 270.b
Eccleſia vniuerſa errare non poteſt, 668.a. 748.b
Eccleſia non eſt tantum prædeſtinatorum numerus, 269.b
Eccleſia poteſt ſtatuta condere præter ea quæ in ſcripturis expreſſa ſunt, 296.b. à Diabolo aſſidue impugnatur, 742.a quibus rebus in S. ſcriptura comparetur, 268.b. 269.a
Eccleſia à Chriſto nunquam deſeritur, 273.b
Eccleſia fidei mater, 194.195.
Eccleſia non eſt abſq; mixtura malorum cum bonis, 317.b
Eccleſia an ſit inuiſibilis, 670.a
Eccleſia ab hæreticis ſemper fuit oppugnata, 665.a
Eccleſia fidelium eandem habet auctoritatem circa fidem quam Synagoga. 295.b
Eccleſia quibus nominibus allegoricè in ſcriptura S. ſignificetur, 105.b
Eccleſia regitur Spiritu veritatis, cum ipſa manente in ęternum, 71.b. eſt determinare qui libri ſint Canonici qui non, & ſcripturæ ſenſum interpretari, 272.a. 670.b. regularium & ſecularium prælatorum & ſubditorum, exemptorum & nõ exemptorum vna eſt & vniuerſalis, 641.a.
in Eccleſia militante ſunt boni malis permixti, 8.b
in Eccleſia eſſe non poteſt, qui Rom. pontificis cathedram deſerit, 639.a
Eccleſiæ multiplex ſignificatio, 267.b
Eccleſię initia & incrementa, 557.b
Eccleſiæ veræ notæ quæ, 669.b
ab Eccleſiæ vnitate non poteſt quis recedere propter malitiam eccleſiaſticorum. 317.a
Eccleſiæ quæ Chriſtus reliquit, non omnia ad omnes ſpectant. 291.b
Eccleſiæ nihil pernicioſius, quàm contemptus paſtoris eccleſiæ. 333.b
Eccleſiam qui ſequitur, errare non poteſt. 195.b
Eccleſiam vnam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam credere, in rebus Fidei principium eſt principiorum. 247.b
extra Eccleſiam non eſt ſalus. 641.a
Eccleſiæ conſecrandæ, & intra quod tempus. 959.b
ad Eccleſiarũ regimen qui aſſumendi, 606.a
Eccleſiarum profanandarum ratio quæ adhibenda 959.b. ad Eccleſiam confugientes quomodo habendi, 1055.b
in Eccleſia de prophanis rebus colloquia non habenda, 925.a. Eccleſiaſticę gubernationis finis eſt gloria Dei, 1092.b

Eccleſiaſticàs perſonas poſſunt fideles iudicare iudicio diſcretionis non tamen damnationis, 316.b
Eccleſiaſticum forum & quid in eo tractandum, 1000.a.b
Eckius cum Luthero diſputat, 652.b
Electio ſummi Pontificis quomodo facienda, 53.b
Electio Prælatorum qualis eſſe debeat, 692.a.
Electio Pontificis durante Concilio extra Concilium fieri non poteſt, 28.b
Electiones Canonicæ quomodo faciendæ, 57.a
Electus cenſetur qui à maiori parte Capituli eſt delectus, 1074.b
Eleemoſynæ quibus & quomodo diſtribuendæ, 974.a 1004.b.1005.b. in quos vſus applicandæ 663 a.quomodo colligendæ, 1034.b.1006.a
Eleemoſynarum cura ad quos pertineat, 846.b
Emanuel Luſitaniæ rex, Indiam orientalem ſubigit, 588.a
Emanuelis Luſitaniæ regis ad Concilium Lateranenſe legati, 601.b
Encænia celebranda, & quare, 959.b
Enchiridiorum doctrinæ Chriſtianæ neceſſitas & vſus, 709.a
Energumeni quomodo exorciſandi, 963.b
Enthuſiaſmi ſiue inſpirationes, 632.a.diligenter excutiendi, ibidem
Epiſcopus quis eligendus, 1095.a
Epiſcopus quomodo ſubſidium charitatiuum à clero exigere poſſit, 928 b
Epiſcop. bona eccleſiæ rectè & vtiliter adminiſtret, 929.a
Epiſcopus quibus ritibus, veſtitu, &c. Miſſam peragere debeat, 962.a. an per alium poſſit prædicationis munere fungi, 383.a. carceres viſitet, 946.b.viduarum, pupillorum, &c. cauſam ſuſcipiat, 946.b.ad quæ populum cohortari debeat, 1011.a
Epiſcopo piarum voluntatum executio, bonorumque eccleſiaſticorum defenſio commiſſa, 1061.b
Epiſcopus clericum alienum abſque proprij Prælati expreſſo conſenſu ordinare non debet, 832.a. quibus in cauſis diſpenſare poſſit, 856.a. quibus ritibus Miſſas celebrare debeat, 976.a.b
Epiſcopus vniuſcuiuſque parochiæ ſtatum diligenter explorare debet, 895.a.ius in ſuo foro ſingulis gratis reddere tenetur, 1060.b.peregre proficiſcens quomodo excipiendus, 1059.b quibus diebus Miſſas cantare teneatur, 901.a. ſæculari Principi aut domino non inſeruiat, 867.b. duos ſacerdotes ſibi eligere debet, à quibus de omnibus quæ in eo deſiderari poſſunt, admoneatur, 1077.a nuncium Romam ad Apoſtolorum limina mittere tenetur, & cur, ibidem.b.hæreſibus obſiſtere debet, 1010.a.1011.b.eccleſias viſitans quæ agere debeat, 989.990.de pijs legatis inquirere debet, 1077.a. cum vicino epiſcopo quæ potiſſimum tractare debeat, 1077.b.litium cauſas præcidere debet, 1078.a.egentium curam gerat, ibid.
Epiſcopi officium in quibus potiſſimum conſiſtat, 690.b. ſolicitudo in morum corruptelis emendandis, 1024.a.veſtitus, 891.a.ſupellex, menſa, ib. & ſeqq.
Epiſcopi vicarius qualis eſſe debeat, 1079 b
Epiſcopo in alterius diœceſi pontificalia exercere non licet, 810.b
pro Epiſcopo ægrotante preces fundendæ, & ſacra facienda, 1075.b
Epiſcopi ante promotionem qualiter & quibus de rebus examinandi, 890.a. ſuorum curam gerere debent, non alienos, niſi cum illorum epiſcopi conſenſu, punire, 834.b. vbi reſidere debeant, 1092.b. ſeminaria viſitent, 1093.a. eccleſijs ſuis præſentes eſſe debent, 848 b.abſentes quando & intra quod temporis ſpacium accedere debeant, ibidem. diœceſim viſitare ſuam debent, 1101.& per quos, ibidem. Chriſti patrimonij ſunt adminiſtratores, & myſteriorum Dei diſpenſatores, 1105.non conſecrati intra tres menſes, ad fructuum reſtitutionem tenentur, 849.a.presbyteris ſuperiores, 848.a.ſine populi vel poteſtatis ſæcularis conſenſu ordinari poſſunt, ibid. omnium piarum diſpoſitionum ſunt executores, 846.a. per ſeipſos ordines conferre debent, 849.a
Epiſcopi in diuerſis orbis partibus ad regimen ſuarum Eccleſiarum ab Apoſtolica ſede ſunt conſtituti, 641.a
Epiſcopi à ſua eccleſia non neceſſaria de cauſa abſentis pœna, 849.a
Epiſcopi poſſunt facere vniones perpetuas eccleſiarum patriarchalium & baptiſmalium, & beneficiorum curatorum vel non curatorum, 842.b. clericis ab inteſtate decedentibus in patrimonialibus bonis ſuccedere non poſſunt, 663.b
Epiſcopi in Concilijs qualiter ſe gerere debeant, 800.a
Epiſcopi frugales ſint, 863.b.res eccleſiæ ſuis conſanguineis ne tribuant, ibid.
Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerunt vt prædicatores, 370.b, 847.b
Epiſcoporum munus quod, 848.b
Epiſcoporum præcipuum munus prædicare verbum Dei, 882.a
Epiſcoporum munus proprium, ſubditorum vitia redarguere, 833.b. & innocenter viuere, ibidem.
Epiſcoporum vita & honeſtas, 890.b.munera, veſtitus, &c. 986.987
Epiſcoporum ordo quadripartitus, 371.a
Epiſcoporum partes in adminiſtrandis diuinis officijs quæ, 848.a
Epiſcoporum funera quomodo celebranda, 903.b
Epiſcoporum tempore peſtilentiæ officium, 1021.1022. ſollicitudo in orationibus publicis, 1023.a
Epiſcopis quid potiſſimum curandum, 693.a
Epiſcopis poteſtas omnia quæ ad viſitationem & morum correctionem ſpectant, moderandi, ordinandi, &c. permiſſa, 856.a
Epiſcopis tenuitate laborantibus vnde prouidendum, 857.a
Epiſcopale forum quæq; eo pertinent, 946.a.b
Epiſcopalis iuridictio quouſque ſe extendat, 1060.a
Epheſina Synodus II.legitime eo acta, per Leonem Papam damnata eſt & aliò translata, 124.b
Euchariſtia, 711.b.774.a
Euchariſtia Sacramentum quam venerandum, 1073.quibus cæremonijs ad ægrotos deferendũ, ibidem
in Euchariſtia tria ſunt conſideranda, 254.a.triplex eſt manducatio, ibid.b
Euchariſtia quomodo adminiſtranda, 885.b. qui ab ea arcendi, ibidem
Euchariſtia an paruulis danda, 841.b
in Euchariſtia Chriſtus realiter eſt præſens, 874.b
Euchariſtiæ myſterium fuſiſſime declaratur, 243.& ſeqq.
Euchariſtiæ ſacramentum, & quæ ad illud pertinent, 673.a.937.b.965.966.1019.b
Euchariſtiæ Sacramentum ineffabile, 243.a
Euchariſtiæ vtilitates ineffabiles, 275.a
Euchariſtiæ verba: Hoc facite, quomodo intelligenda, 290.a
Euchariſtiæ ſacramentum tempore Paſchæ omnibus percipiendum, 733.b.734.a
ab Euchariſtiæ Sacramento qui prohibendi, 734.a
ad Euchariſtiæ perceptionem quomodo animus præparandus, 1073.b.1074.a
de Euchariſtiæ Sacramento Tridentini Concilij decretum, 824.b.canones, 826.a
circa Euchariſtiæ ſacramentum quatenus eccleſia diſpenſare poſſit, 841.b
in Euchariſtiæ ſacramento diuina omnipotentia oſtenditur, ſapientia explicatur, benignitas declaratur, 243.a
ad Euchariſtiam nõ præuia Confeſſione nemo admittendus, 774.a
Eugenius IV.legitimè fuit electus, 139.b. acerbè à Concilio Baſileenſi perſtringitur, 34.b.contumaciæ accuſatur, 31.b.36.b. a Concilio Baſileenſi ſuſpenditur, 73.b.deponitur a Concilio Baſileenſi, 79.a.à Concilio Baſileenſi Nouatiano contumelioſe comparatur, 132.a. quare diſſolutionem Baſil. Concilij reuocarit, 125.b. cur modo huc modo illuc tranſtulerit, 126.b. Concilium non reſpuit, ſed in Italia habere voluit, 135.a.b. Imperatori & Bauaro procelium intẽtat, de regni Ducatibus & dominijs adimendis, 407.a. declarat ſe decreto ſynodali non eſſe ſubiectum, 408.a.egregie & grauiter contra calumniatores defenditur, 189.a.ſi one ſe Concilio ſubmittit, 190.b.multorum falſo accuſatus, 119.b.vir bonus fuit & ſanctus, & de multis falſo accuſatus, 79.b. laudatur, 100.b. Imper. Conſtantinopolitanum Ferrariæ quomodo exceperit, 411.a
Eugenij vita ſine vlla exceptione commendabilis, 232.b
Eugenij IV.contra Felicem V.ſententia, 88.b
Eugenij IV. epiſtolæ ad & contra ſynodum Baſileenſem 42.a. Eugenij Decretum in Concilio Florentino, de Græcorum vnione, 491.a
Eugenio & eccleſiaſtici & ſæculares proceres, relictis Baſileenſibus, adhæſerunt, 140.a
Eugenio formulæ adhæſionis tres à Concilio præſcribuntur, 40.a
Eugenio Latini & Græci in Florentina ſynodo aſſenſerunt, 135.a
Erici regis Sueciæ, &c. ad Synodum Baſileenſem epiſtola, 231.b
Examen Ordinandorum quod & qualiter adhibendum, 756.b.1044.b.1045.890.a
Excommunicatio quomodo facienda, 912.a.b.caute exercenda, 786.b.864.a
Excommunicatio à parocho in concionib lo ſignificanda,
Excommunicationis origo & præcipu 724.a.b
Excommunicationes non niſi grauibus concedendæ,
Excommunicationes quibus in rebus, qua ſas, & quo tempore ferendæ,
Excommunicationum litteræ quibus conc 1000.a
Excommunicati qui & quatenus vitandi,
Excommunicati vitandi,
Excommunicatorum nomina tabulis in conſpicuo in loco affigenda,
Exequię pro defunctis quando & qualiter c dæ, 711.b.924.b.
Exequiarum modus & rebus,
Exemptionis priuilegio qui gaudeant,
Ex Filioque, vbi & quando Symbolo ir 427.b
Exorciſta eiuſque officium, 900.b.1050.b. exercendum,
Exorciſtæ qui eligendi, 963.a. quando & q & quos exorciſare debeant,

F.

FAſtus maximè clericali officio n 698.a
Fatum an & quid ſit,
Ferdinandus Imperator Carolo V. fratri 879.a
Ferdinandus Aragoniæ rex profitetur ſe Rom. Eccleſiæ, & pro ea vitam fundere mum,
Ferraria vrbs quæ & qualis,
Ferrarienſe Concilium à Latinis & Græc probata & oecumenica refertur, 133.a. Concilij Baſileenſis patribus carpitur, frequens fuit, 114.a. Florentiam transf cur, 442.b.134.a.fuit legitimum,
Feriæ cur inſtitutæ populus docendus,
Feſti dies religioſe colendi, 1071.b 865.b. 1013.b.884.a.737.a.933.a.1102.b.1103.a ſandi, 790.a.quinam celebrandi, 663.b minicam incidentes in alium diem ſum di,
Feſtis diebus quæ agere non liceat,
Fiſci epiſcopalis procurator, 1061.b. eius o ibidem.
Florentia vrbs quæ & qualis, 496.b.à Pont feſſa & recepta,
Florentinum Concilium qua occaſione in 495.b. Oecumenicum XVI. approbatu 496.b.cur à Græcis octauum appellatun frequens fuit,
Florentini Concilij Acta ſummaria, 497.
Fides an ſola iuſtificet, 676.a.809.a.807. per ibus mortua,
Fides ſiue fiducia hæreticorum inanis b.
Fides non amittitur per peccatum,
Fides vera vnde hauriatur,
Fides Catholica omnibus defendenda a.
Fides profitenda & tuenda, & à quibus a.b.881.a
Fides à Catholica Eccleſia accepta eſt quam quæ oculis conſpiciuntur b.
Fidei integritas quibus rebus potiſſimum co tur,
Fidei profeſſionis formula,
Fideles non coguntur obſeruare in omni xin Eccleſiæ primitiuæ,
Fideles non tenentur in omnibus imitari in ſuis actionibus,
in Foro epiſcopali quæ cauſæ & quomodo dæ,
Fortuna an & quid ſit,
B. Franciſcus de Paula inter ſanctos relat quo,
Franciſcus Francorum rex Leoni decin dientiam præſtat, 611.a. Pragmaticam nem abrogat,
Franciſcus Marchio Mantuæ, 583.b. Leonem decimum, & Concilium Late legatio,
Fraternitates quemadmodum reforma 710.a
Fratres ordinum mendicantium an tenus Confeſſiones audire poſſint a.
Fridericus Imp. cum tota Germania immo cleſia Eugenio aſſenſit,
Fridericus III. Imperator Romæ à Nicola pa coronatur,

cus de Sāſeuerino Cardinalis ſchiſma abiu-
eniam impetrat, 554.a
icus de Sanſeuerino Cardinalis ſchiſmatis
natur, 554.b
s eccleſiaſticorum officiorum quibus diſtri-
ndi, 8,6.a
iones antiquæ eccleſiarum obſeruandæ &
pendæ, 680.b
quibus ritibus & quomodo curanda,
6.a
um apparatus quibus cedat, 914.b

G.

Abriel Alexandrinus epiſcopus, 1085.a. ad Romanæ Eccleſiæ communionem redit, ibidem.
cani cleri Auiſamenta de Bohemorum errori-
s, 158.b
carum eccleſiarum, & beneficiorum in eis or-
nationes ac diſpoſitiones, à Leone X. promul-
æ, 633.334. & ſeqq.
ici Prælati à Leone X. ad Concilium Latera-
nſe citantur, & quare, 620.a
ici Prælati à Leone X. in gratiam recipiuntur.
7.a
ici Prælati ad Concilium Lateranenſe citati,
uſa Pragmaticæ ſanctionis, 285.b
icorum Prælatorum ob Pragmaticam ſanc-
ionem excuſatio, 602.a. ad Leonem X. litteræ,
3.b
enſes tumultuantur, 930.b
ardi Landriani epiſcopi Laudenſis Concilij
ſileenſis ad Angliæ regem legati, oratio,
1.a
mania hæreſibus miſere dilacerata, 742.b
mani Catholicæ religioni olim addictiſſimi,
53.a
s in Concilijs quales à Patribus vſurpandi,
8.b
Gloria Patri, &c. conſurgendum, 52.a
aduā in eccleſiaſtico ſtatu varietas ab ipſo Chri-
o eſt profecta, 370.a
æca eccleſia in Concilio Lugdunenſi Romanæ
econciliatur, 417.a
æcæ eccleſiæ ob inobedientiam erga S. Roma-
nam ſedem in manus infidelium peruenerunt,
524.b
æci quidam non niſi ſeptem ſynodos recipiunt,
& quare, 421.a
æci legatos mittunt ad Concilium Baſileenſe,
47.a.b
æci cum Eugenio IV. & Romana Eccleſia aman-
ter ſe coniungunt, 172.a
æci ad Concilium Florentinum veniunt,
411.a
æci conuictioni vniri petunt cum Latinis,
507.b
æci quos errores emendauerint, 503.b
æci Roman. Pontificem pro Chriſti vicario ag-
noſcunt, 474.b. 475.a
æci in euchariſtia partem panis in calice
cum ſanguine miſcent, 477.b. aquam fer-
uentem non frigidam calici infundunt, ibidem.
mortuos oleo vngunt, ibidem. alijs verbis in
conſecratione quam Latini vtuntur, ibid. matri-
monia ſeparant, ibid.
Græci cum Latinis vniuntur, 475.a
Græcorum errores qui & quot, 497.b
Græcorum patriarcha quo animo vnionem cum
Romana eccleſia expetierit, & quid moriens di-
xerit, 456.a
Gratia quolibet peccato mortali amittitur,
808.b
Gratiæ expectatiuæ non concedendæ, 72.b
Gratiæ expectatiuæ prohibitæ, 859.a
Grauamina ſubditorum vnde oriantur, 393
Gregorius XIII. Papa eiuſque vita, 930.b. 1084.b
Gulielmus Marchio Montisferrati legatos ad Cō-
cilium Lateranenſe mittit, 592.b
Gulielmus Brizonet Cardinalis ſchiſmatis dam-
natur, 554.b

H.

HÆreditas ampliſſima quæ, 1064.b
Hæreſes in ipſo ortu extinguendæ, 653.a
Hæreſeos ſuſpecti inquirendi, 881.b
Hæreſes quanto ſtudio reſecandæ, 742.b. 1011.b
Hæreſes vt plurimum Conciliorum cauſæ, 557.b
Hæreſium cauſa non obtemperare Pontificum ca-
nones & decreta, 654.b
Hæreſum extirpatio præcipuus Conciliorum finis,
797.a
Hæreſibus grauiſſimè Deus offenditur, 1010.a.b
Hæretici inueſtigandi, 609.b 725.b
Hæretici primi qui, 665.a
Hæretici ſcripturas ſemper crepant, ſed male detor-
tas, 239.b
Hæretici volunt Concilio leges præſcribere, 239.b.
quibus nominibus clericus Catholicus apud po-
pulum traducant, 743.b
Hæretici ſectoribus ſuis potius credere volunt
quā doctoribus, martyribus, concilijs, &c. 667.a
ſcripturas aliter quam Spiritus S. flagitat, inter-
pretantur & torquent, 653.a
Hæreticorum conuerſatio vitanda, 745.b. 881.b.
1068. 1088.b
Hæreticorum arrogantia, 887.a
Hæreticorum aliquot recentium catalogus,
755.b
Hæreticis nullum patrocinium præſtandum,
1012.a
apud Hæreticos eccleſia eſſe non poteſt, & quare,
665.b
Hēricus Nauarræ & Galliȩ rex ab excōmunicatio-
ne abſoluitur, 1085.a
Henrici Kalteiſen Dominicani, profeſſoris Theo-
logi Coloniæ, oratio in Concilio Baſileenſi, de
libera prædicatione verbi diuini, 337.a
Heraclionitæ & eorum error, 385.a
Hierarchia eccleſiaſtica, eiuſque neceſſitas, 847.b
diuinitus inſtituta, 848.a. quibus conſtet, ibidem.
non eſt labefactanda, 347.b
Hierarchiæ cæleſtes tres, & quæ, 649.a
B. Hieronymus ſumpto Chriſti corpore placide ob-
dormiuit, 258.b
Hieronymus Zanchius eiuſque hæreſis, 878.a
Hieroſolymæ cæleſtis deſcriptio, 611.a
Hiſtoria an & quatenus in rebus fidei innitendum,
427.b
Hiſtriones eijciendi, 906.b
Horæ canonicæ quomodo & vbi legendæ, 777.b.
quibus recitandæ, 1097.b. indies recitandæ, 696.
a. quomodo recitandæ, 788.b. in choro non reci-
citandæ, & quare 682.a. integræ recitandæ, ibid.
extra chorum qualiter dicendæ, 52.b
Horas canonicas recitare negligentis qua pœna af-
ficiendi, 664.a
Horæ canonicȩ non intermittendȩ, 892.a. intermit-
tentium pœna, ibid.
Homo abſque diuina per Chriſtum gratia ſuis ope-
ribus iuſtificari non poteſt, 809.a
Homicida etiam occultus ad ordines ſacros non
admittendus, 814.b
Hoſpitalia quomodo adminiſtranda, 865.b.
1004.b
in Hoſpitalia qui recipiendi, 722.b
Hoſpitalarius qualis eligendus, 1065.a
Hoſpitalitas quibus potiſſimum exercenda, 865.b.
eius fructus, ibid.
Hoſtia à Iudæo confoſſa cruorem emittit,
828.b
Hugo de S. Victore ſub vna tantum ſpecie commu-
nicat. 238.b
Humiliatorum ordo, 1053.a
Huſſitæ Concilio Conſtantienſi damnati, 653.a
Huſſitæ cæſi, 238.a
Huſſitarum hæreſis inualeſcit in Bohemia, 22.a
Huſſitarum condemnationis ſententia à Spiritu S.
dictata, 107.a
Huſſitarum ſtrages, 220.b
Huſſitis olim quæ ciuitates fuerint, 220 b.
Hydruntum à Turcis occupatum, & fœde vaſta-
tum, 587.b

I.

IAcobus Saluatus Florentinorum ad Cōcilium Lateranenſe orator, 574.b
Iacobus Scheckius, eiuſque hæreſis, 878.a
Iapponiæ regio quæ & qualis, 930.b
Iapponiæ regali Pontifici obedientiam præſtant,
930.b
Iconoclaſtis qui reſtiterint, 675.a
Ieiunia, & eorum vſus, 868.b. à quo inſtituta, &
quem in finem, 671.b. quæ & quomodo celebran-
da, 888.a
Ieiunia violantes aut violari facientes, excommu-
nicandi, 1010.b
Ieiunia quatuor temporum quomodo celebranda,
953.b
Ieiunia ab eccleſia indicta reuerenter obſeruanda,
717.b. eorum irriſores refelluntur, ibid.
in Ieiunio quid potiſſimum ſpectandum,
719.b
Ieiunio triduano ſynodalis actio triduana à clero
celebranda, 1057.b
ad Ieſu nomen caput inflectendum, 51.a
Ieſuitarum ſocietas quando & à quo inſtituta,
687.a
Ignatius Loyola ſocietatis Ieſu auctor, 687.a
Imago nulla in templis ponenda, niſi approbata ab
epiſcopo, 860.b
Imagines ſacræ venerandæ, 675.a
Imagines ſacræ quando in templis collocandæ,
686.a
Imagines quæ in templis non collocandæ, pag.
953.a
Imagines ſacræ quæ & quomodo vſurpandæ, 883.a.
quid in eis cauendum, ibid.
Imaginum vſus quis, 275.b. 860.a. abuſus, prohi-
bendus, ibidem
Immunitas eccleſiaſtica in quibus potiſſimum ſita,
720.a
Imperatoria ars eiuſque præſtantia, 563.a
Imperium amore magis quam metu ſtabilitur,
563.a
Impoſitio manuum quid, 690.b
Incantatores ad pœnam inquirendi, 657.a
Indiæ Orientalis Metropolitanus à Pontifice con-
firmatur, 877.a
Infantes vbi & quibus horis debeant baptizari, pag.
765.a
Infantes originali peccato ſunt polluti, 804.a
Infantes ante expletum ætatis annum in lectulo
eodem à matribus aut nutricibus non ponendi,
1073.a
Infantes expoſiti an & quomodo baptizandi, pag.
937.b
Indulgentiæ, & quid de ijs credendum ſit, 953.b.
per quos & quomodo diſtribuendæ, 843.b
Indulgentiæ in venerationem ſanctiſſimæ Eucha-
riſtiæ, 171.a
Indulgentiæ orationis cauſa conceſſæ, 1071.b
Indulgentiæ à Concilio Baſileenſi incorporatis
conceſſæ, 91.a.b
Indulgentiarum prædicatio hæreſibus in Germa-
nia anſam dat, 652.b
Indulgentijs conditiones ſunt annexæ, 319.b
Indulgentias conferendi poteſtas à quo conceſſa, &
quomodo vſurpanda, 868.b
Innocentius III. Concilium Laterani celebrat,
556.b
Innocentius VIII. Papa eiuſq; vita, 524.a
Innocentius IX. Papa eiuſq; vita, 1085.a
Inquiſitionis officium Romæ à quo inſtitutum,
878 b
Inquiſitores hæreſeon qui eligendi, 1011.b
ab Inſpiratione qui rectam doctrinam ſe habere di-
cunt, probare id debent, 271.b
Interdicta non leuiter promulganda, 51.a
Inthroniſatio quid, 373.a
Inuaſores ſeu ſpoliatores eorum qui ad Concilia
eunt, qua pœna afficiendi, & quo proceſſu, pag.
19.a
Inuocatio ſanctorum, & de ea Trident. Concilij
decretum, 860.a
Ioachimus Marchio Brandeburgenſis, 592.a. lega-
tos ad Concilium Lateranenſe mittit, ibid.
Ioannes Archiepiſcopus Treuirenſis, &c. Concili-
um indicit, 744.b
Ioannes Baptiſta Gargia eques Hieroſolymitanus,
597.b. eius ad magiſtrum eiuſdem militiæ epi-
ſtola, ibidem. oratio in Concilio Lateranenſi,
598.a
Ioannes Patriarcha Antiochenus opuſculum di-
ctat de ſuperioritate inter Concilium generale &
papam, 199.a. melius inſtitutus, ad Eugenium re-
dit, ibidem
Ioannes Maria de Monte Archiepiſcopus Siponti-
nus, poſtea Iulius III. Pap. 569.b. eius in Conci-
lio Lateranenſi Oratio, ibid. & ſeqq.
Ioannes Palæologus Imp. Conſtantinopolitanus
ad Synodum celebrandā Florentiam venit, 411.a
Ioannes de Raguſio ordinis Prædicatorū procura-
tor generalis, 243. prolixe ad primum Bohemo-
rum articulum de communione ſub vtraque ſpe-
cie reſpondet, ibidem
Ioānis de Polemar archidiaconi Barcinonēſis ora-
tio de ciuili dominio clericorum, 383.b
Ioannis de Bachenſtein oratio Florentiȩ coram Eu-
genio IV. habita, 177.b
Ioannes Caluinus quis & qualis, 877.b
Ioannis Huſs errores, 676.a.b
Ioannes Langus hæreticus, 878.a
Ioſephus patriarcha Conſt. optat vnionē cum La-
tinis, 503.a. Ferrariam venit, 411.a
Ioſephi Patriarchæ de controuerſis dogmatis ſen-
tentia, 503.a. obitus qualis, 503
Iſidorus Sarmaliæ epiſcopus Cardinalis, pag.
496.a
Iudas fuit Apoſtolus, 239.b
Iudæis Synagogæ an & quatenus permittendæ,
1010.b
Iudici eccleſiaſtico ſæculare brachium porrigere
tenetur, 761.a
Iudices ſæculares de cauſis matrimonialibus
& ſpiritualibus cognoſcere non poſſunt, pag.
762.a
Iudicium quadruplex eſt, 303.a
Iulianus Cardinalis ſancti Angeli, 100.a. Euge-
nio IV. adhæret, ibidem
Iulius II. Papa, eiuſque vita & res geſtæ, 524.b
Iulij II. Papȩ contra Simoniacos Conſtitutio, pag.
567.a
Iulij II. Papæ Monitorium contra Pragmaticam &
eius aſſertores, 560.b

Iulius II. P. eccleſiaſticæ libertatis defenſor maximus, 651.a.cur.
Iulij II. Papæ mors, 572.a
Iulius Papa III eiuſque vita, 877.a
Iulij III. Papæ Bulla & mandatum de reſumendo Tridentino Concilio, 820.821
Iulius Medices, poſtea Clemens VIII. 597.b
Iuramentu. in iudicijs non facilè exigenda, pagin. 725.b
Iuris ignorantia in his quæ neceſſaria ſunt ad ſalutẽ, non excuſat, 280.b
Iurisdictio ſua cuique conſeruanda, 641.a
Iuriſtæ in ſcientia mundi extollunt ſe, 623.a
Ius patronatus quis ſibi vindicare poſſit, pagin. 855.a. quomodo probandum, 865.b
Iuſiurandum quo ritu ab epiſcopis & prælatis, præſtandum, 1074.b. à clericis inferioribus, ibid.
Iuriſiurandi relaxatio an & quando alicui concedẽda, 1060.b
Iuſtificatio hominis vnde proueniat, 771.b. quomodo gratis detur, ibid.
Iuſtificatio impij quid, & quæ eius cauſa, pag. 807.a
Iuſtificationis fructus quis, 808.b
de Iuſtificatione hominis Tridentini Concilij Decretum, 806.a
de Iuſtificatione canones Concilij Tridentini, pag. 809.a.b
Iuſtificatus an iterum peccare poteſt, pagin. 809.b
Iuſtificatus an certo credere debeat ſe eſſe è numero prædeſtinatorum, 809.b
Iuſtificatorum opera vnde ſint æſtimanda, 772.a
Iuſtitia accepta cõſeruatur & augetur per bona opera, 809.b
Iuſtitiæ munus & laus, 571.a
Iuſtitiæ virtus triplex, 367.b
Iuſtitiæ augmentum in pijs quod, & vnde, pagin. 807.b
Iuſtus an in omni bono opere ſaltim venialiter peccet, 808.a
Iuuentus quomodo & à quibus in bonarum artium ſtudijs inſtituenda, 754.b

L.

LAbrum aquæ benedictæ vbi in templo collocandum, 956.a
Ladiſlaum Vngariæ rex Chriſtianæ religionis athleta, 588.a
Laicorum vitia, 613.a
Laicis in eccleſiaſticas perſonas non eſt tributa poteſtas, 618.b
Lambertus Danæus hæreticus, & qualis, 878.a
Lampas in altari vbi ponenda, 956.b
Lancea qua Chriſti latus apertum, Romam miſſa, 523.a
Lapſi an ſine pœnitentia per ſolam fidem, gratiam Dei & iuſtitiam recuperent, pagin. 809.b. quomodo rurſus erigantur & iuſtificentur, pagin. 808.a
Lateranenſe Concilium V. Oecumenicum, &c. 526. eius Acta, ibid. & ſeqq. Oecumenicum, & cur, 651.b. à quo approbatum, ibid. à quo indictũ. 651.a. quæ in eo acta, ibid. eius Deputationes quot & quibus de rebus, 647.b
Latinæ linguæ ignari ad Ordines non promouendi, 518.a
Laurentius Maſſa Cardinalis, eiuſque modeſtia, 879.b
Laurentius Compegius Cardinalis ad Germaniam de latere Legatus, 661.a
Lauretum epiſcopali honore augetur, & à quo, 1084.b
Lector, eiuſque officium, 900.b
Leges omnibus neceſſariæ, 563.b. quæ & quomodo ferendæ, ibi.
Lenones è ciuitatibus exterminandi, pagin. 906.b
Leodienſis eccleſia temporalibus opulentiſſima, 396.b
Leodienſis diœceſis quoad clerum reformatio, facta tempore Eugenij IV. 506.a
Leo III. grauiter accuſatus, ſed a ſynodo non condemnatus, & quare, 120.b
Leo X fit Papa, 652.a. 572.a. Lateranenſe Conciliũ prorogat, ibid.
Leo X. fœdus contra Turcas promouere ſtudet, 595.a
Leonis X. Bulla Apoſtolica contra errores Lutheri & ſequacium, 652.b
Leonis X. PP. laus, 598.a.b
Leo XI. Papa, eiuſque vita, 1110.a
S. Leopoldus in ſanctorum numerum relatus, pag. 524.a
Leuitæ an poſſederint bona mobilia & immobilia, 387.b
Libellus officialis quid, 343.a
Liberum arbitrium quid quale, 675.b. quid operetur, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam, 809.a
Libertas Chriſtiana qualis, 666.a
Libertas Chriſtiana vera quæ, 772.a
Libertas Eccleſiaſtica quæ & quanta, pagina. 609. colum. b. Principibus defendenda, pag. 868.a
Libertatis eccleſiaſticæ violatores vt puniendi, 752.a
contra Libertatem eccleſiaſticam nulla ſtatuta facienda, pag. 793.b. nihil præſumendum, pagi. 617.b
Librariam quibus & quatenus exercere permiſſum, 936.a
Libri hæreticorum pernicioſi, & prohibendi, pagi. 839.b. 936.a. 1088.b
Libri de Fide & Moribus non imprimendi nec vendendi ſine diœceſani authoritate, 619.b. 685.a. 324.a. 1012.a. vernacula lingua non legendi, niſi probati, ibid.
Libri à clericis potiſſimum legendi qui, pagi. 891.a.b
Libri ſacri in nullum prophanum aut ſordidum vſum conuertendi, 925.a
Libri quinam iuuentuti non prælegendi, pagin. 755.b
qui parochis & concionatoribus vitandi, pagi. ibidem.
Librorum vetitorum indices, à quibus habendi, 881.b
Litteræ dimiſſoriæ nulli temere conferendæ, pagi. 694.b
Litterarum ſacrarum ſtudia reſtauranda, pagi. 746.a
Loca pia quomodo adminiſtranda, pagin. 907.b. 1004.a.b
Loca ſacra quo cultu quibuſque rebus exornanda, 957.b. in profanos vſus conuerti non debent, 958.b. 959.a
Locationes prædiorum eccleſiaſticorum quæ & quomodo faciendæ, 928.a. fieri quæ non poſſint, 1105.b. quando inualidæ, 866.b
Loquacitas concionatoribus vitanda, pagina. 708.a
Lucifer eiuſque lapſus, 649.b
Lucifer primus hæreſiarcha, anathemate percuſſus, 623.a
Ludi à clericis vitandi qui, 683.a
Ludouicus Arelatenſis Cardinalis Eugenio Papæ infenſiſſimus, 81.b
Ludouicus Francorum rex Piſanum Conciliabulũ probat, 591.a. reprobat, ibid.b
Ludouici Francorum regis contra Pragmaticam ſanctionem litteræ ad Iulium II. Pontificum, 560.a
Lutherus patre incubo prognatus, 652.b. hæreſiarcha cur & quando factus, 652.b. excommunicatur, ibid. eius ad Georgianum Saxoniæ Ducem vox impia, ibid. quando virus ſuum in Germania ſpargere cœperit, 631.a. fruſtra Rom. Pontificum Conſtitutiones carpit, 655.a
Lutheri cum Manichæo comparatio, pagin. 665.b
Lutheri primæ hæreſes, 653.b
Lutheri hæreſes, 658.a.b. in Apoſtolicam ſedem cõtumelia, 659.a
Lutherani ſynodos contra Sacramenta, nos agitat, 877.b
Lutherani iactant articulos ſuos ita eſſe veros, vt catholici cum ipſis conferre non audeant, 106.b
Lutheranorum ſecta diuiſa, 661.a
Lutheranorum inter ſe ipſos diſcordia, pagin. 667.a
Lutheranorum dogmata, 665.b
Luxus omnis clerico interdictus, 698.b

M.

MAgdeburgenſes olim Huſſitis fauerunt, 220.b
Magicæ artes prohibitæ, 882
Magicis actibus operam dantes clerici quomodo puniendi, 664.a
Mahumetes Turcarum Imperator quas regiones imperio ſuo ſubiecerit, 987.b. 988.a
Maioriſtæ, & eorum hæreſis, 878.a
Mala quædam permittuntur ad vitandum maius malum, 304.b
Mali quare aliquando in eccleſijs tolerandi, pag. 309.a
Mandata Dei ab homine ſeruari poſſunt, pagin. 807.b
Mandatorum Dei obſeruatio Chriſtianis eſt poſſibilis, 772.a
Manichæus eiuſque hæreſis,
Mannæ vena in V. T. quid myſticè, 650.a
Manſionarius, eiuſque officium, pagin. lum.b.
Mantuæ Concilium indictum,
Mantuanus Conuentus tempore Pij II. Concilium,
Marcellus II. Papa eiuſque vita, pagin. lum.b
Marcus Epheſius præclarus Theologus, q col.b
B. Maria angelorum domina, fons omn tiarum, &c.
B. Mariæ virginis Conceptio, & quid de e dum, 80.b. Viſitatio,
Beatæ Mariæ virginis encomium, pagin. quent.
Maioritarum Patriarchæ ad Leonem X. cilium Lateranenſe legatio, pagin. 6 lum.b
Maioritarum Patriarcha Roman. Catho dem diſcit & acceptat,
Martinus Lutherus, vide Lutherus.
Martini de Olaue Hiſpani Theologi, &c. Synodo Auguſtana,
Marſilius Patauinus, eiuſque liber peſtilens 666.b
Matricularij qui,
Matrimonij ſacramentum, pagin. 673. b. lum.a. 739 a. pagin. 774.b. 944. b. ſacra, vbi inſtitutum
Matrimonij ſacramentum qualiter admi dum,
Matrimonium ſacramentum venerabile, 686.a
Matrimonium clericis eſt illicitum, pagin. lum.b
Matrimonij ſolennitates quæ, pagina 771 na, a
Matrimonium quibus gradibus contraher ceat,
ad Matrimonium quæ pertineant, 1001. pagi lum.a.b
Matrimonium impedientia quæ, pagin. colum.b
Matrimonium quæ impediant vel dirimant colum.b.
Matrimonium clandeſtine contrahentes e nicationem incurrunt, pagina 921. na, b
Matrimonia à filijs ſinè parentum conſen tracta an irrita, 852.b. 853.a. quibus ritib genda,
Matrimonia quomodo publicè denuncian 923.
Matrimonia clandeſtina non toleranda, pag col.b
Matrimoniales cauſæ ad quos ſpectent iudic 852.b
Matrimoniales cauſæ à quibus cognoſcenda a. 852
Matthæus Flaccius Illyricus, pagina 878. na, a
Matutinum officium quando & quomod gendum,
Maximilianus Imperator legatum cum mã Concilium Lateranenſe mittit, 554. a. C Lateranenſe promouet, pagina 651. na, a
Maximiliani Imp. litera ad Leonem X. de & ſedere contra Turcas promouend 645.a
Maximilianus Maria Sfortia Dux Mediola 585.a. eius ad Concilium Lateranenſe leg ibidem.
Maximus Corinus epiſcopus Iſernienſis, in Concilio Lateranenſi, oratio, pagi colum.a
Medicei Florentia expulſi, & à quo, 652.b
Mediolanenſe Concilium I. ſub Pio IV. lum.b. II. prouinciale ſub Pio. V. 918. b. Gregorio XIII 931. IV. ſub Gregorio XII V. 1007.b. VI. ſub Gregorio XIII. VII. i 1084.a
Mediolanenſis eccleſia à quo primum fidei rijs imbuta,
Mediolanenſis metropolitanæ eccleſiæ Sen 1044.a
Melanchthon hæreſeos arguitur, 878. a. ar ſtoriam meditatur,
Mercatus diebus feſtis prohibendus, 785.b
Meretrices, quibus ſignis ab honeſtis mu diſtinguendæ
Metropolis quid,
Melchiſedech Chriſtiani ſacerdotij figura, 387.b

hriſtiana quæ & qualis, 598.a
hriſtiani qua diſciplina vti debeant, pag.
Eccleſiæ ad certum titulum canonicè eli-
, 691.a. quales eſſe debeant, 897.b. eo-
nunera, 898.a. quinam ordinarie ſint voca-
848.a
um Euchariſtiæ, 878.b
la ſufficiunt ad probandam vocationem ex-
dinariam, 379.a
la noua ad ſanctorum reliquias nulla admit-
a, niſi approbante epiſcopo, 860. b. 953. a.
a
quomodo quibuſque ritibus celebrandæ,
a.b. 733.a.b. 1053.a.b. 674.a. 973.b. 940.b.
.b. 697.a
non vulgari lingua celebrandæ, pagin.
.b
quotidie eſt celebranda, 358.a
ſolennis ſiue maior quomodo peragenda,
.a
ſacrificij præſtantia, dignitas & fructus,
9.b
verus vſus populo tradendus, 778.a
ſacrificium vnde & quale, 843.844. varijs fi-
is Naturæ & legis tempore adumbratũ, pagin.
.a
ſſæ celebratione quæ obſeruanda quę euitãda,
.a.b
tremenda myſteria, 777.b
ſſa quid immoletur, 844 a
à quibus quoties & quando celebrandæ, 923.
1090.a
pro mortuis vel ex legatis pijs quomodo per-
ndæ, 974.a.b
quomodo audiendæ, 778.a.923.b
in priuatis domibus non celebrandæ, pagin.
90.a
plures vbi & quando dicendæ, pagin.
5.b
quoties ſiue qaam frequenter, & à quibus ce-
brandæ, 891.a
æ an & quatenus in honorem ſanctorum cele-
andæ, 844.a
æ ſi plures ſint ex legatis defunctorum, quam
celebrari poſſint, quid faciendum, 1075.b
ſæ ſolennes ſiue pontificales quibus diebus ce-
brandæ, 975.b
ſæ priuatæ, & earum vſus, 844.b
ſarum primitiæ ſine comeſſationibus peragen-
æ, 778.b
Miſſis audiendis abuſus populi, ab vno altari ad
liud diſcurrentis, coercendus, 765.b
Miſſa quæ vitanda quæ obſeruanda, vide cõplura,
73.974.975. & ſeq.
ialia quæ vſurpanda, 974.a.1091.a
nnonitæ, & eorum hæreſis, 878.a
Mendicos quomodo inquirendum, 1006.a
oguntinum Concilium tempore Pauli III. Papę,
768.b
onachi qua re Apoſtolorum teneant figuram,
371. b. bonæ indolis ad Academias mittendi,
721.a
onachi regulares proprium aliquid poſſidentes
quomodo puniendi, 860.b. extra obedientiæ iu-
gum degentes, & diuina tractantes, remouendi,
763.a. apoſtatæ non recipiendi aut fouendi ſub
excommunicationis pœna, 762.b. quatenus ad
Epiſcoporum iuriſdictionem pertineant, 641.a.
eorum priuilegia, ibid.
onachorum vita & ſtudia quæ. 641.a
onachorum Prælati qualiter eligendi, 861.b
onachorum diſſidia & ſciſſuræ, 613.a
onachiſmi an olim quæ nunc eſt fuerit ratio, pag.
720.a
onachiſmi profeſſione nemo temere illigandus,
720.b
onarchia optima regiminis forma, 188.b
onaſteria quam vtilia ad eccleſiam, & quomodo
quibuſque regulis adminiſtranda, 860. b. quo-
modo reformanda, 721.a. non moleſtanda, 791.
a.b. quæ quibus commendanda, 606.b
onaſteria ſanctimonialium quæ à quibus regen-
da, 862.a. extra muros quomodo curanda, pagina
861.a
onaſteria quæ capitulis aut Epiſcopis nõ ſubſunt,
congregationes, & quando, facere tenentur, pag.
861.b
Monaſteriorum viſitatio neceſſaria, 861.b
Monaſterijs etiam Mendicantium bona immobilia
poſſidere licet, 881.a
n Monaſterium liberi inuiti non detrudendi, pagi.
720.b
Monaſteria puellarum ingrediendi facultas nemini
permittenda, 1082.b
Monaſtica vita & conuerſatio qualis eſſe debeat,
720.a. ad perfectionem euangelicam valde eſt ac-
comoda, 720.a
Monaſticę diſciplinę ſtatus quib⁹ cõſeruetur, 1106.b

Moniales, quæque ad earum vitam, &c. pertinent,
908.909.910. & ſeqq. prolixè. 929.930. 947.a.b.
1106.b.1003.1004.1065.b.1082.a.b. ſemel ſingu-
lis menſibus confiteri & euchariſtiam percipere
debent, 862.a. habitum religionis ſubinde mutã-
tes, qua pœna afficiendi, 763.a
Monialium victus & menſa communis eſſe debet,
721.b
Monialium clauſura diligenter conſeruanda, &
collapſa reſtituenda, & ſub qua pœna, 861.a
Montes pietatis qui, & circa eos quidam abuſus, pa-
gin. 617.a. 929.a. vſura vel quouis alio lucro non
minuendi, ibid.
Morbus grauiſſimus eſt qui à capite diffunditur,
580.a
Morborum tria genera, 184.a
Moribundi quomodo à parochis tractandi, pagin.
968 a.b
Mulctæ in quos vſus applicandæ. 1000.b
Mulieres in Eccleſia velatæ eſſe debent, 1077.
Mulieribus regularium monaſteria ingredi prohi-
bitum, 1001.b
Muſica inſtrumenta quæ in templis adhibenda,
925 b
Muſica mimica à templis arcenda, 681.b
Muſculi hæreſis quæ, 878.a
è Mutuo dato nihil lucri accipiendum, 617 a

N.

NAzaræi, 371. ad quæ ſe adſtringebant, ibid.
Neapolitani reges Imperij aditu prohiben-
tur, 651.b
Neceſſitas triplex, 255.b
Neophyti quomodo & quæ agere poſſint, quæ nõ,
50.a
Nicolaus V. Papa, eiuſque vita, 510. a. Baſileenſe
Concilium approbat, 97.a
Nicolaus Ferrariæ marchio Imperatorem Conſtã-
tinopolitanum in vrbe ſua accipit, 411.a
Notarij & eorum munus, 929.a. à quibus exami-
nandi, 847.a
Notarij Apoſt. ſedis, & eorum officium & inſtitu-
tum, 618.a
Notarij epiſcoporum, & eorum munera, 896.b
Notariorum præfecti & eorum in Cõcilijs munus,
20.b
Notariorum taxatio in Concilio Baſileenſi facta.
161.a
Nudipedes, & eorum error, 385.a
Nuptiæ temporibus interdictis non celebrandæ,
521.a.854.a
Nuptias ſolenniter celebrare certis temporibus illi-
citum, 852.b

O.

OBlatio in Miſſa quæ & qualis, 844.a
Oblationes in Miſſa quomodo faciendæ,
766.a. quando accipiendæ, pagin. 984.b
in vſum reuocandę, 984.a
Oblationes fiunt non tantum pro viuis, ſed etiam
pro mortuis, & quare, 766.a
Obſeruantium & Conuentualium diſſidium, pagi.
613.a
Ochiniſtæ hæretici, 878.a
Octauam ſynodum quare non recipiãt Græci, pag.
422.a
Octauianus Fregoſus, dux Genuæ, 615.a. litteras ſal-
ui conductus Prælatis Gallicanis ad Concilium
Lateranenſe vocatis mittit, 615.a
Octauius Farneſius Parmam munit, 877.a
Oeconomus à Capitulo deligendus, & quod eius
munus, 657.b
Officia diuina quomodo peragenda, 733. a. 941.a.
1075.b 1089.b. religioſè exequenda, 788.b. ſoli-
cite obeunda, 924.a. ob peſtem graſſantem non
intermittenda, 1018.b
Officiorum in Eccleſia diſtinctio cur inſtituta, pag.
347.a
ad Officia diuina quando & quomodo conuenien-
dum, 901.a
Officialis libellus quid, 343.a
Olea ſacra vetera comburenda, 963.a. vnde petenda,
1073.a.675.b
Oratio quam neceſſaria, 961.a. eius tempora, & quo-
modo ſignificanda, ibid.
Oratio quadraginta horarum quando, vbi & quibus
ritibus vſurpanda, 966.a. extra ordinem ſine Epi-
ſcopi conſenſu non inſtituenda, 922.a
in Orationibus corpus proſternendum, 1053.a
Oratoria in vijs ſita qualia eſſe debeant. 960.b
Orationes in ſeu pro Concilio Baſileenſi, contraq;
vel ad ipſum habitæ, 177.b
Ordo quid, 418.b
Ordinis ſacramentum quod & quale, 847.b. quid
per id conferatur, ibid. 938.b. 939.a.b. 968. 969.
672.b. à quo inſtitutum, 673.a. vere eſt ſacramen-
tum, 848.a. quomodo adminiſtrandũ, 888.b. quo-
modo conferendum, 1043.b
Ordinis ſacramẽto initiandos quibus rebus inſtru-
ctos eſſe oporteat, 1049.b
Ordines eccleſiaſtici quibus & quando conferendi,
690.b
Ordinibus ſacris qui initiandi, 663.a.1099.a.b
Ordines ſuſcipere qui teneantur, 846.a
Ordinum gradus ſecundum antiquum vſum & mo-
rem reſtituendi, 850.b
Ordinum collatores pro collatione nihil accipiãt,
842.a
ad Ordines priores qui aſcendere nõ debeant, 833.b
ad Ordines ſacros ſine litteris teſtimonialibus ne-
mo promouendus, 679.a
ad Ordines qui non admittendi, 969.b
ad Ordines maiores vel minores promouendi qua-
le teſtimonium habere debeant, 849.a
Ordinandi quales eſſe debeãt, 693.a. quomodo exa-
minandi, ibid. & 694 757.a
Ordinandi qualiter & quibus de rebus examinan-
di, 1044 1045
Ordinatio quando, vbi, & per quos facienda, 849.b.
quomodo facienda, 969 970. 971. prolixè.
circa Ordinationem quæ obſeruanda, 939.940
Ordinariorum iuriſdictionem ſubterfugientes cle-
rici quomodo corrigendi, 618.a.b
Organorum vſus, 681.b
Organorum melodia quemadmodum temperãda,
697.a
Organiſtæ officium, 1053.a
Oſiandriſtæ, & eorum hæreſis, 878.a
Oſtiarius, eiuſque officium, 900.a

P.

PAnes propoſitionis laicis non apponebantur,
296.a
Panis in Euchariſtia in carnem ita cõuertitur,
vt tamen non deſinat eſſe panis, 243.b
Papa caput eſt Concilij, 40.b. etiam temporalium
eſt dominus & quo iure, 624.a. quare reuerendus,
367.b. cur pedes oſculandos præbeat, ibid. vtrum
ſit ſupra Concilium, 199. & ſeq. ſummam habet
in terris iuriſdictionem, 366.a. quomodo dicatur
miniſter Eccleſiæ, 200.a. 201.a. non ab homine
eſt inſtitutus ſed à Chriſto, qui non deſerit ſpon-
ſam ſuam, 200.b. quando ſit hæreticus, deſinit eſ-
ſe Papa, 202.a. an poſſit vniuerſalis epiſcopus ap-
pellari, 203.b. niſi ſit hæreticus, à Concilio nec iu-
dicari nec damnari poteſt, 139.a. an Concilium
de loco in locum transferre poſſit, 108.a. durante
Concilio non poteſt creare Cardinales, nec crea-
tos publicare, 25.b
Papæ auctoritas, 114.b
Papæ poteſtas quomodo maior alijs, 366.b
Papæ diſpoſitioni ſubſunt quæ iuris ſunt poſitiui,
203.b
Papæ electio qualiter facienda, 51.b
Papæ licet ex iuſta cauſa Concilium alio transferre,
131.a
Pater & filius in eadem eccleſia beneficium ſimul
obtinere non debent, 867.a
Pater & Filius vnicum ſunt Spiritus S. principium,
& quare, 505.a
Patres audiendi, 639.a
Patrini qui non admittendi, 921.b
Pauperũ cura à quibus ſuſcipienda, 1005.b. 1006. a
Parma & Placentia Eccleſiæ recuperatæ, pag. 652.b
Gallorum præſidio munita, 877.a
Parochus quis, qualis & quomodo eligendus, 854.b
858.a.b. qui eligendi, 703 b. de eorum vita & mo-
ribus, prolixè in ſeqq. per totum.
Parochus pauperum curam habere debet, 1005. b.
ægrotans à quibus viſitandus, 924. b. mortuus
quomodo ſepeliendus, ibid.
Parochi munus ſuum ipſi obire debent, 985.a. quan-
do vicarijs vti poſſint, ibi. aliena munera vſurpa-
re non debent, ibid.
Parochi ægrotantis curam qui ſuſcipere debeant,
1071.b
Parochorum munus, 987.a.b. 941.b. 1095.b. officia
1055.a. domicilia vbi eſſe debeant, ibid.
Parochiæ quem in finem inſtitutæ, 632.b
Parochiæ diſtinguendæ, 834.b.857.b
Parochiæ nouæ vbi conſtituendæ, 842.b
Parochialis eccleſia diebus Dominicis ab omnibus
adeunda, 1072.a
Paſcere ſignificat regere, 201.a
Paſchæ tempore non communicantes qua pœna
afficiendi, 921.b
Paſchalis Papa Cæciliæ corpus olim inuenit, pagi.
1085.b
Paſſio Domini ſcenice non repræſentanda, 883. b
Paſtoris ſententia etiam non iuſta reformidanda,
132.b
Paſtorum officia, 880.b.881.a
Paſtorum competentiæ quæ, 791
Paſtorum temporalium & ſpiritualium ſimilitudo,
1092.b

Parui-

Patauienſis Eccleſia à quo dotata, 396.a
Paulus II. Papa eiuſque vita, 515.b
Paulus III. Papa, eiuſque vita, 687.a
Paulus III. pacem inter Carolum V. & Galliæ regem tractat, 794.b
Paulus III. Papa Concilium Tridenti indicit, 794.
Paulus IV. Papa, eiuſque vita, 878.a
Paulus V. Papa, eiuſque vita, 1110.a.b
Paulus Sfondratus Cardinalis B. Cæciliæ corpus inuenit, 1085.b
Pax Eccleſiæ neceſſaria, 571.a
Pax optatiſſima, & quæ, 187.b
Pax eiuſque vtilitas, 574.b
Pax inter Carolum V. & Franciſcum Galliæ regem Niciæ tractatur, 794.b
Pacis inter regem Franciæ & Ducem Burgundiæ per legatos Baſileenſis Concilij factæ Inſtrumentum, 154.a
Peccatum originale, eiuſque vis, 771.a. 804. a. in baptiſmo per Chriſti gratiam remittitur, 804.b
Peccatum publicum quod dicatur, 303.a
Peccata publica priuata quomodo coercenda, 302.b & ſeqq. fusè.
Peccata publica perſonarũ eccleſiaſticarum à laicis non ſunt punienda, 316.a
Peccata mortalia publica an omnia ex dictamine diuinę legis pœnaliter per iudicium ſint punienda, 307.b
Peccata mortalia gratia hominem priuant, non fide, 808.b
Peccata pecuniaria mulcta non redimenda, 758.
Peccata prælatorum & ſacerdotum quomodo arguenda. 32.b
Peccatores quomodo in Eccleſia, 270.a
Peccatorum duplex eſt correctio, 310.a
Pecuniæ ex ſtatutis beneficiatorum aut aliunde cedentis, eccleſiarum vtilitatem impendi debent, 784. a
Pelagius hæreticus, eiuſque hæreſes, 665.b
Pelargus D. Theologus, eiuſque in Concilio Treuerenſi oratio, 745.b
Per, præpoſitio, quam vim habeat, 483.
Peregrinationes religionis ergo à quo inſtitutæ, 954. a. earum ratio modus, finis, ibid. prolixe.
Peregrinationes ad Sanctarum reliquias quare fidelibus permittendæ, 776.a
Peregrinationum cauſæ, 333.a
Perfectio Euchariſtiæ triplex, 275.a.b. 276. a
Perfectionis tria vota, & quæ, 371.b
Perſarum Rex quomodo olim officij ſui quotidiè admonitus, 741.b
Perſeuerantiæ munus à quo, 808.a
Peſtilentiæ cauſæ veræ quæ, 1022.b
Peſtilentiæ cura quæ & qualis adhibenda, 1021. b. 1022.. & ſeqq.
Peſtilentiæ tempore quomodo diuina officia celebranda, 1031.1032.
Peſte laborantium cura temporalis, 1037.b. ſpiritualis 1038.a
Peſte reſtincta quæ præſtanda, 1041.a.b
Petrus Apoſtolorum princeps, 205.a
Petrus paſtor fuit vniuerſalis Eccleſiæ, 205.b. an fuerit caput Eccleſiæ, 203.b
Petri auctoritas vnde ſit, 200.b
Petri fides inconcuſſa, 123. a. deficere non poteſt, 271.a
Petro vni dictum eſt: *Paſce oues meas*, 167.b
Petronella B. Petri filia, 258 b
Petrus Luiſius Eccleſiaſtici exercitus in Timetana expeditione dux, 687.a
S. Petrus de Lutzemburg, 227. a. eius canonizatio tractatur, ibid.
Philippus Pannoniæ dominus Laureacenſi Archiepiſcopo prædia donat, 396.a
Philippi Ducis Burgundiæ ad Concilium Baſileenſe epiſtolæ, 227.a
Philoſophicis diſputationibus quatenus vtendum, 594.b
Piæ teſtatorum voluntates explendæ, 928.b
Piarũ voluntatũ executio quibus commiſſa, 1061. a
Piſanum Concilium quorũ auctoritate indictum, 525.a.590 b.
Piſanum Conciliabulum quas ob cauſas annullatum, 611.b
Pius II. Papa, eiuſque vita, & res geſtæ, 511. b. quid de Eugenio & Patribus Concil. Baſileenſis ſcribat, 1c9.b
Pij II. Bulla Retractationum omnium, per eum adhuc in minoribus agentem pro Concilio Baſileenſi & contra Eugenium PP. ſcriptorum, 512.a
Pius III. Papa eiuſque vita, 524.b
Pius IIII. Papa, eiuſque vita, 879.a
Pij IIII Bulla ſuper cõfirmatione Tridentini Concilij, 876.a
Pius V. Papa eiuſque vita, & res geſtæ, 918.a
Platina cur à Paulo II. incarceratus, 515.b
Pœnitentia ſacramentũ eſt a Baptiſmo diſtinctum, 832.a.b
Pœnitentia ſacramentum, 673.a. 713. b. 773 a. 932.a 967.b. 1020 b. qualiter adminiſtrandum, 887.a.b. eius neceſſitas, partes, fructus, &c. 829 a.b
Pœnitentiæ publicè vſus in Eccleſia, 714.b
ad Pœnitentiam quæ & quot requirantur, 832.b
Pœnitentiarij qui & vbi inſtituendi, 856. a. eorum munus, 887.b
Pœnitentiarius etiam abſens, diſtributionum particeps, 1054.b
Pœnitentiarij Epiſcopales, 768.a
Poloni calicis vſum contentioſè efflagitant, 878. b. cum Moſcouitis bellum gerant, 930.b
Polonorum fortitudo, 579.b
Polygamia Chriſtianis prohibita, 852.a
Polygamiſtæ hæretici, 878.a
Pompa & ſuperfluitas in omnibus à clero vitanda, 393. b
Pontifice ægrotante quid clerus & populus facere debeat, 1075.b
Pontifice mortuo quæ ſacra facienda, 1075.b
Pontifices in quanta veneratione habiti, 556.b
Pontificum electio ad Cæſares non ſpectat, 624.a
Poſſeſſores pacifici non facili turbandi, 52.a
Pragmatica ſanctio vnde deſumpta, 410.b. ſchiſmatica, 639.a.b. vbi & quando edita, 405.b. Apoſtolicæ ſedi & Pontifici detrahit, 560. b. à Leone X. quoque damnatur, 284. b.
Pragmatica ſanctio à Ludouico Franciæ rege abrogata, 560.a
Præbendæ tenues vnde augendæ, 857.b
Præbendæ vide *Beneficia*.
Præceptum & Cõſilium quomodo differant, 374.b
Præcepti nota vbi ponitur, ibi nõ neceſſario ſequitur obligatio, 281.a
Præcepta quædam obligant ſemper & pro ſemper, quædam ſemper, ſed non pro ſemper, 275.a
Prædeſtinationis temeraria præſumptio cauenda, 808.a.
Prædeſtinationis ſigna, 361.b
Prædeſtinatorum numerus tantum otium ſit Eccleſia, 269.b
Prædicatio verbi diuinæ vitæ ſpiritualis pabulum, fidei principium, &c. 1093.a
Prædicatio verbi diuini qualis eſſe debeat, & à quibus facienda, 882.a.b
Prædicatio verbi diuini qualiter & quibus facienda, 961.962.
Prædicatio verbi diuini an liberè ſit permittenda, 338.b. & ſeqq.
Prædicatio verbi diuini quibus licita, 346.b
Prædicationis munus Epiſcoporũ proprium, 855.b. quibus committendum, ibid.
Prædicationis munus qui vſurpare non valeant, 1071.
Prædicator idoneus quis ſit, 348. b. vide plura *Concionari*.
Prælati qui eligendi, 606. a. 691. b. officia ſua pro pecunia alteri committere non poſſunt, 758.b
Prælatorum veſtitus qualis eſſe debeat, 518.b
Præparatio ad Iuſtificationem quæ & qualis eiusq; modus, 806.b
Præpoſiti monialium ſumptuoſi abrogandi, 721.b
Preces in Eccleſijs frequentandæ, 678.b
Precum tempus campana ſignificandum, 961.a
Presbyter quoto ætatis anno quis fieri poſſit, 850.a
Presbyteri eccleſiaſtici non ſunt publicè corripiendi, 312.b
Presbyteri ab Epiſcopis diſtincti, 373.a
Presbyteri ab inteſtato defuncti bona in quẽ vſum conuertenda, 725.b
Presbyteri tenentur vel per ſe vel per alios verbum Domini annunciare, 361. b. quibus caſibus ſupportentur, ibid.
Presbyteri curati & eorum officium, 730.b
Primogeniti in Veteri Teſtamento ante legem ſacerdotes fuerunt, 837.b
Princeps ſpeculum eſt ſubditorum, 562.b.
Princeps quibus de rebus ſtatuendi ius habeat, 564 a
Principes eccleſiaſticam defendere debent libertatem, 568.a
Principum eſt hæreſes extermin[...]
Principium principiorum in [...] 247.b
Prior monaſterij quis & quom[...] 861.b.
Prioriſſa quæ & qualiter eligenda[...]
Priuilegia quæ & quatenus conce[...] Ordinarij iuriſdictione an & q[...]
Procedere quid ſit,
Proceſſio Spiritus S qualis,
Proceſſio Spiritus S. à Patre & Fi[...] principio,
Proceſſiones quæ & quales vſurpa[...] in eis cauendum,
Proceſſiones rurales quomodo i[...] formandæ,
Proceſſiones quando & quibus c[...] gendæ,
Proceſſiones cum ſanctorum reli[...] bus peragendæ,
Proceſſiones quando inſtituendæ,
Proceſſiones vbi peragendæ,
Proceſſiones nocturnæ mulieribu[...] 1052.a.
Prope, vox quid ſignificet,
ante Profeſſionem è monaſterio ab[...] reſtituenda,
Proteſtantes vnde & quando dici cœ[...]
Proteſtantes Græcorum errores d[...] & quos,
Proceſſionum ſolennitas & ritus,
in Prouincia Galliæ iura eccleſiaſti[...] uadunt,
Pſallendi modus & ratio quę, 1053.b.[...]
Pſalmodia quomodo peragenda,
Publici concubinarij qui, 616.a. eoru[...]
Pueri ad diuina officia aſſuefaciend[...] hæreticos non educandi,
Puerorum laſciuia & quomodo cohi[...]
Puerperæ ad Eccleſiam quomodo [...] dæ,
Punctator, eiuſque officium,
Punctatorum officium,
Purgatorium quis locus,
Purgatorium probatur, 6[...]
de Purgatorio Græcorum ſententia,
Purgatorium, & de eo Tridentini C[...] tum,
Purificationis B. Mariæ feſtum quibu[...] agendum,
Profeſſio religionis ante decimum[...] annum non facienda,

Q.

QVadrageſimale ieiunium ſerua[...] 718. a.
Quadrageſima quomodo celeb[...] 1015.a.

R.

RAmi die palmarum benedici cc[...]
Raphael Cardinalis Epiſcop[...] 565.a. Lateranenſis Concil[...] præſidet,
Raptor cum rapta an & quando matr[...] trahere poſſit,
Raptores eccleſiaſtica ſepultura proh[...]
Ratiſponenſia Comitia,
Reconciliatio templorũ & cœmiteri[...] quando facienda, & cuius ſumptib[...]
Reformatio quas ob cauſas Eccleſi[...] 612.a
Regni Chriſti magnitudo,
Regulæ ſeptem pro intellectu autho[...] ſcripturæ.
Regularis ſine ſuperioris licentia al[...] obſequio ſubijcere ſe non poteſt,
Regularis habitum non deducta priu[...] riore & Ordinario cauſa, dimitte[...] apoſtata puniendus,
Regulares diſciplinæ ſepta tranſilien[...] coercendi, 782. a. quomodo ſe ge[...] 860. b. nihil proprij poſſideant,
Regularium mendicantiũ priuilegia,
Regum proprium officium facere i[...] ſtitiam,
Relapſi quot modis cognoſcantur,
Religionis cura florens cõſeruat imp[...]

Digitized by Google

onis profeſſio an & quod matrimonium di-
ūt, 852.b
oſorum ſtatus qualis, 371.b
oſorum domus & perſonæ ſeruitijs ſeculari-
i non ſunt onerandæ, 767.a
ioſis non licet ſuſcipere in fonte baptizatas,
: nuptijs intereſſe, 765.a
ioſis habitum frequenter mutare turpe, 763.a
uiæ ſanctorū venerandæ, 776.a. 333.b. 860. a.
ı.b. 1103.b.
uiæ ſine Epiſcopi nec transferendæ, nec do-
ndæ, aut alio quouis modo alienandæ, 1071.a
uiæ nouæ quando approbandæ, 1104.a
uiæ nouæ quæ recipiendæ, 953.a. 860. b
uiæ ſanctorum quomodo & vbi aſſeruandæ,
ı.a. quando exponendæ, ibid.b. & 952.
niarium, locus vbi eligendus, 1103.b
tus de Pria Cardinalis ſchiſmatis damnatur,
ı.b
ehenſiones publicas ad ſtatum Eccleſiaſticum
atas varia ſequuntur inconuenientia, 335.a
ruationes omnes beneficiorum Eccleſiaſtico-
m per Concilium Baſileenſe abolitæ, 57.b
lentia clericorum vbi eſſe debeat, 894.a.b
ientia perſonalis qui ad eam teneantur. 1054.b
15.a
lentia Epiſcoporum, 192.b. curatorum, 1094.a
nonicorum, 1094.b
eſidentiam perſonalem qui cogendi, 700.b
dus capta, 656.b
li inſulæ opportunitas, 599. a. deſcriptio,
dem.
diorum militum fortitudo, 599.a
ochi in morbo contagioſo cura & ſollicitudo,
99. a
tzani Bohemi hæretici de cōmunione con-
aſiones, 268.a
a à Cæſariano exercitu capta, 660.b
æ cura præcipua eſſe Pontifici debet & quare,
b
ana Eccleſia an & quomodo ſit vniuerſalis,
4. a. mater omnium Eccleſiarum & fidei ma-
ſtra, 653.a. mater & magiſtra omnium, 1091. a.
lei Chriſtianæ caput, 580.a. domina regina, &
ater omnium, 625.a. omnium mater & magi-
a, 948. a. omnibus particularibus eſt prælata,
5. b. an additionē ad Symbolum fecerit, 416.a
ſeqq.
. Eccleſiæ vnitatem non ſeruans ſaluari non
reſt, 314 a. officiales exempti, 618.a
anus Pontifex regis æterni, &c. locum tenet in
rris, 560. b. auctoritatem habet ſuper omnia
oncilia, 639. legitime conſtitutus nulli iudici
æterquam Deo ſubiectus, 651. b. poteſtatem
bet Concilia alio transferendi, 639. b. totius
cleſiæ eſt paſtor, 126. b. plenam à Chriſto ha-
t vniuerſalis Eccleſiæ gubernandæ faculta-
m, 145. a. Eccleſiaſticæ hierarchiæ princeps eſt
monarcha, 203. a. Eccleſiæ eſt miniſter, pa-
or & caput, 121. a. eius auctoritas, 512. b. omni-
n Synodalibus decretis præcipua eſt auctori-
s, 118.a
ano Pontifici ſubeſſe omnes fideles, de neceſ-
ate ſalutis eſt, 640.a
. Pontifices in ſuis Conſtitutionibus nunquā
rarunt, 645.a
icanum bellum eiuſque auctor, 661.a

S.

Abbatarij, & eorum hæreſis, 878.a
Sacerdos & Epiſcopus non idem ſunt, 373.a
Sacerdotis in peſte miniſtrantis cautio, 1031.
032.
rdotes cur honorandi, 341.a. etiam mali, 940.b
urati & non curati, 342. b. alienigenæ an ad
Miſſarum celebrationem admittendi, 1106. b.
o hæreticis reuertentes non ſtatim ad eccleſia-
ica miniſteria adhibendi, 764.a
rdotes ſunt etiam qui non prædicant, 848.a
rdotes incontinentes grauiter puniendi, 683.b.
rdotes an ſint omnes in nouo Teſtamento
Chriſtiani, 847.b
rdotes paucos bonos eſſe quàm multos inuti-
es præſtat, 695.a
rdotum veteris & noui teſtamenti differentia,
303.b.
rdotibus maledicens, Chriſto maledicit,
59.b
Sacerdotibus malis populus non poteſt ſubtrahere
prouentus, 943.b. quæ quibus ſcientia neceſſaria,
342.b
Sacerdotium in N. T. viſibile eſt & externum,
848.a
ad Sacerdotium vxorati promouebantur, ab vxori-
bus tamen abſtinebant, 292.b
Sacramenta ſeptem ſunt, & quid conferant, 672.b.
ad quid inſtituta, 813.b
Sacramenta quomodo adminiſtranda, 710.a. 884.b
733.a. 936.b. gratis adminiſtranda, 784.b
Sacramentorum vſus & vis populo lingua verna-
cula explicanda, & à quibus, 8,6.a
de Sacramentis Canones Concilij Tridentini,
813.b
Sacramentarium bellum quando exortum, 877.b
Sacrarium templi eiuſque vſus, 956.b
Sacriſta, eiuſque officium, 899.a
Sacriſtia, eiuſque partes & vſus, 900.a
Sacriſtiæ quales & qualiter ornatæ eſſe debeant,
1104.b
Sæculares beneficia eccleſiaſtica pleno iure confer-
re non poſſunt, 7.8.a
Sæculares magiſtratus Decanis & paſtoribus in of-
ficiorum ſuorum executione impedimento eſſe
non debent, 767.a
Sæcularia negotia clericis fugienda, 893.b
Saltationes diebus feſtis prohibendæ, 934.a
Salue Regina, Antiphona quando decantanda,
941.a
Saluus conductus Bohemis à Concilio Baſileenſi
datus, 23. a. Græcis à Concilio Baſileenſi datus,
58. a. Gallicanis Prælatis à Duce Genuenſi datus,
615. a. Germanicæ natio. in Concilio Tridenti-
no conceſſus, 839.b. proteſtantibus in Concilio
Tridentino datus, 828.a
Salui cōductus exemplum, Proteſtantibus in Con-
cilio Tridentino dati, 835.b
Sanctificatio duplex, 367.a
Sanctitas triplex, 366.b
Sanctorū veneratio vel inuocatio probatur, 674. b.
hiſtoriæ in concionibus quatenus attingendæ,
709.b.
Sanctorum dies feſti colendi, 1071.a
Sapientia vera quæ, 650.b
Sapientia in anima hominis duplici modo, 368.b
Satisfactio quid, eius neceſſitas, vſus, &c. 831. a. b.
pars pœnitentiæ, 674. a. 773.b.
Satisfactio an fides ſit, 833.a. an ſit hominum tradi-
tio, ibid.
Saxoniæ Duces à quo Electores conſtituti, 658.a
Scardona vrbs conſeruata, 579.b
Schiſma in Eccleſia tribus Papatum ſibi vindicanti-
bus, 110.b
Schiſma ob multos electos Pontifices, 579.a
Schiſma quam pernicioſum Eccleſiæ, 183.a
Schiſmatis inter Græcos & Latinos cauſa, 480.b
Scholæ in ciuitatibus, & quibus, inſtituendæ, 850.
851.
Scholæ quomodo inſtituendæ, 754.b
Scholæ charitatis, earumque finis & vſus, 1034.a
Scholæ doctrinæ Chriſtianæ quomodo inſtituen-
dæ, 934.b
Scholarum cura diligens habenda, 723. a. 792. b.
881.b. à quibus, 2000.a.b. 1101.a.
Scholis qui præficiendi, 1064.b
in Scholis quænam artes docendæ, 755.a
Scientia vera & expetenda quæ, 623.a
Scientia quadruplex, Dei, diaboli, mundi, carnis,
623.a.
Scriptura S. tantæ eſt veritatis & nihil in ea falſum
eſſe poſſit, 248.b. habet vno eodemque ſermone
plures ſenſus, 249. a. in pleriſque locis ad intel-
ligendum eſt difficilis, 248. a. eius interpretatio
vnde petenda, ibid. eodem ſpiritu exponitur
quo inſpiratur, 339. b. patitur in lectoribus ſu-
perbis & præſumptuoſis vt errent, 252.b
S. Scripturæ lectio in Eccleſijs cathedralibus & col-
legiatis inſtituenda, 1087.b
ad Scripturam rectè ſecundum ſenſum literalem
intelligendam quæ conſideranda, 250.b
S. Scriptura non eſt abutendum, 881.b
in Scriptura S. nihil diminutè nihilque ſuperfluè
continetur, 249.b
è Scriptura non benè intellecta omnes fere hæreſes
deſumptæ, 385.a
Sebaſtianus Archiepiſcopus Maguntinus Conci-
lium congregat, 768.b
Sede Apoſtolica vacante, & ſedente Concilio, non
proceditur ad electionem extra Concilium,
28.b.
Selymus Turcarum tyrannus quando mortuus,
612.b
Selymi Turcarum tyranni ſæuitia, 588.a
Seminaria clericorum, 1100. a.b. quomodo inſti-
tuenda, 1043. b.
Seminaria clericorum vbi inſtituenda, & vnde ſu-
ſtentanda, 888. b. 889. a. à quibus, 925.b.
Senenſes a Coſmo Medice oppugnati, 877.b
Senonenſe Concilium tempore Clementis VII.
Papæ, 664.b
Senſus ſcripturæ quotuplex, 249. a. literalis quis,
ibid. fundamentum eſt fidei, 249. b
Senſus literales plures ſunt aliquando ſub vno eo-
demque textu ſcripturæ, 250.b
Septuaginta duorum interpretum editio emenda-
ta, 1084.b
Septuaginta duo diſcipuli in triplici habitudine
conſiderantur, 372.a
Sepulchrū Epiſcopale vbi & quomodo faciendum,
1054.a.b.
Sepulchra in Eccleſijs an & quatenus fieri permit-
tenda, 957.b
Sepultura Chriſtiana, & eius modus, 904.b.
Sepultura Eccleſiaſtica qui priuandi, 664.a
pro Sepultura ab initio nihil exigendum, 662.b
Seraphim quid myſtice, 650.a
Seſſionis in Concilijs Generalibus modus, 31.a
S. Seuerinus multis claruit miraculis, 396.b
Sigiſmundus Imp. per legatos iuramentum & obe-
dientiam Rom. Pontifici præſtat, 224. a. à Con-
cilio Baſileenſi recipitur, 30.b
Sigiſmundus Imp. cum inſignibus Concilio Baſi-
leenſi intereſt, 39.b. 40.b
Sigiſmundi Imp. epiſtolæ ad Concilium Baſileen-
ſe, vel pro ipſo ſcriptæ, 218. b. & ſeqq. literæ ad
Concilium Baſileenſe, 190.a
Sigiſmundus Poloniæ Rex, eiuſq; laus, 579.a. 578.b
miraculo in Catholica religione confirmatus,
578. b. eius ad Leonem X. & Concilium Latera-
nenſe legatio, 582.b.
Sigiſmundus Malateſta Arimino expulſus, 656.b.
Simon Begnius Modrusienſis Epiſcopus, 578.a. eius
in Concilio Lateranenſi oratio, ibid.
Simon Manias orientalis Eccleſiæ trans Euphra-
tem metropolitanus generalis, 577.a
Simon Samaritanus primus hæreſiarcha, 183.b
Simonia in electione Rom. Pontificis conſtitutio-
ne prohibita, 567.a
Simoniæ pœna, 609.a. 664.a
Sixtus IIII. Papa eiuſque vita, 515.b. de Conceptio-
ne B. Mariæ virginis decreta edit, 516. b. exerci-
tum contra Turcā Ferdinando regi Neapolita-
no in ſubſidium mittit, 527.b
Sixtus V. Papa, eiuſque vita, 1054.a
Sodalitates quæ & quomodo inſtituendæ, 947.a
Sodalitates S. Vrſulæ & S. Annæ, 1006.b.
Sodalitates Diſciplinatorum, 929.b. quomodo in-
ſtituendæ & habendæ, ibid.
Sodalitates inſtituendæ, & in quem finem, 920. b.
921.a
Sortilegi ad pœnam inquirendi, 657. a. b. qua pœ-
na afficiendi, 749.b. 786.a.
Sortilegia prohibita, 609.b
Spectacula clericis vitanda, 893.a
Spiritus S. à Patre & Filio procedit, 426. 427. &
ſeqq.
Spiritus ſanctus ſuper humiles tantum requieſcit,
623.a
de Spiritus S. qui malè ſenſerint, 426.b. 619.a
Spiritualia ſine temporalibus diu ſubſiſtere ne-
queunt, 89.b. 6.9.
Sponſus & ſponſa nō niſi in Eccleſia ſunt coniun-
gendi, 718.a
Stancariani & eorum hæreſis, 875.a
Stationarij non admittendi, 663.a
Stephani Patrocenſis Archiepiſcopi in Concilio
Lateranenſi oratio, 621.a.b
Studiorum neglectus hæreſibus ianuam aperit,
746.a
Subdiaconus quoto ætatis anno fieri poſſit, 8.0.a.
quis & quando ordinandus, 1099.b
Subdiaconi beneficio carentes an ad recitandas ho-
ras Canonicas teneantur, 1095.a
Suencfeldiani & eorum hæreſis, 875.a
Suffragia malorum ſacerdotum an & quomodo
proſint, 379.b
Sultanus AEgypti profligatus à Turcis, 64.a

Sampiu-

Sumptuariæ leges reuocandæ, 907.a
Suppellex Eccleſiarum qualis eſſe debeat. 1035.b
Superbia maximè intelligendis ſcripturis obeſt, 197. a. eius antidotum Chriſti humilitas, ibid.
Superiores poſſunt inferiores corripere fraterna correctione & vice verſa. 311.a
Superpelliceis quando vtendum clericis & quibus, 962. b
Superſtitiones remanendæ atq; exſtirpandæ, 953.b
Supplicationes in eccleſijs quomodo inſtituendæ, 903. a
ad Symbolum additio an à Romana eccleſia facta, 416.& ſeqq.
Symbolo declarationes apponere licet, 490.a
Synagoga Iudæorum nouas traditiones inſtituere potuit, 296.a
Synagogæ Iudęis an vbi & quatenus permittendæ, 1010. b.
Synodus ſine capite nulla eſt, 121.a. iniuſſu Pontificis non celebranda, 428.a
Synodi quam vtiles & neceſſariæ, 598. b. prouinciales quomodo celebrandæ, 739. b. diœceſanæ quomodo habenda, 1056.a.b
Synodi Epiſcopales & Archidiaconales, 725.b. antiquitus vſurpatæ, 727.a
Synodorum auctoritate qui Principes olim coerciti, 532. b. ſcopus præcipuus hæreſum inquiſitio, 41.a

T.

TAbernaculi veteris myſtica interpretatio, 649.b
Taboritæ à Catholicis profligati, 223.a
Taxorum præfectus eiusq; officium. 1061.b
Templa cur conſecrentur, 718.b. diebus feſtis quomodo ornanda, 1014.a
Teſtamenta, præſertim eccleſiaſticorum, intra anni ſpacium exequutioni mandanda, 725.a
Teſtes Synodales, eorumque munus, 994.a. b. vnde viatico iuuandi, 1079.b
Tetzelius Dominicanus Indulgentiarius, 652.b
Teutonicorum militum ſiue fratrum domus viſitandæ, 721.b
Theatinorum ordo à quo inſtitutus, 878.a
Theatrales ludi templis non inferendi, 702.b
Theodoritus de Spiritu S. male aliquando ſenſit, 486. b. errorem agnouit, & reſtitutus eſt, 492. a
Theodorus Beza hæreticus, 878.a
Theologiæ profeſſori in eccleſijs vnde & quale ſtipendium conſtituendum, 1088.a
Theologum in cathedralibus collegijs ad minus vnum eſſe oportet & cur, 73.a.
Theſaurarius Capituli eiusque officium, 900.a
S. Thomas Aquinas in ſanctorum catalogum relatus, 918.a
Thomas Caietanus Cardinalis, eiusque laus, 557.b. eius oratio in Concilio Lateranenſi, 549.b
Thomas Muncerus ſeditionis auctor, 661.a
Toga linea canonicis ſuper veſtem ferenda, 682.b
Toletanum Concilium in oppido Arandæ celebratum, 517.b
Tonſura clericalis quotuplex, 1050.b. eius forma & magnitudo, 1050.b. qualis eſſe debeat, 1098.a. clericatus eſt inſigne, 1097.b
Tonſura prima ante Confirmationem nemo ordinandus, 849.a
Traditionibus quoque fides habenda, 671.a
Traditionum in Eccleſia auctoritas, 802. a
Tranſſubſtantiatio in Euchariſtia, 825.b
Treuerenſis vrb's encomium vetus, 744.a
Treuerenſe Concilium II. tempore Pauli III. Papæ, 787.a
Tribunalia extra templa collocanda, 702.b
Tridentinum Concilium Oecumenicum approbatum, 794. Bononiam transfertur, 815. b. reſumitur à Iulio III. 820.a
Trid. Concil. Seſſio I. 796. b. II. 799.b. III. 800. b. IV. 801.a. V. 802.b. VI. 805.b. VII. 812. a. VIII. 816.a. IX. 817. b. X. 818. b. XI. 819. a. XII. 824.a. XIII. 824. b. &c. de Iuſtificatione canones, 807. a. b. de ſacramentis, 813.814.815.
Tridentini Concilij confirmatio, 876.a
Tridentino Concilio quãdo finis impoſitus, 879.a
Trinitatis myſt ium plena & ſimplici oratione populo prop .endum, 771.a
de S. Trinitate quid credendum, 729.a
Trinitarij hæreſis, 878.a
Tunetana expeditio Caroli V. Cæſaris, 887.a
Turcæ quas regiones & ciuitates occuparint, 625.b.
Turcarum excurſiones in ſolũ Chriſtianum, 587.b
de Turcarum regni duratione prophetia, 587.b
Turonenſe Concilium pro reformandis moribus Eccleſiæ, Andegani celebratum, 510.a
Turonenſe Conciliabulum contra Iulium II. 525.a
Typographiæ inuentum vtile & præclarum, 619.b

V.

VAldenſes hæretici, 666.b.
Valentinus Gentilis hæreticus, 878.a
Valerius Serenius Belga, 524. Synodos quaſdam Hiſpanicas exſcribit & publicat, 524.a
Vbiquitiſtæ quando exorti, 878.a
Veneti inducias cum Turcis paciſcuntur, 930.b
Verbum Dei à quibus & quomodo prædicandum, 338.b
Verbum Dei triplex, 339.b
Verbum inſpiratum duplex, 345.b. à quibus prædicandum, 1059.a
Verbo Dei an & quomodo aliquid addi poſſit, 369.a
Verba imperatiua quotupliciter intelligenda, 285.b
Veritas Chriſtianæ religionis in libris ſcriptis & ſine ſcripto traditionibus continetur, 802.a
Veritatis maxima vis, 83.a
Veſperæ, ſiue preces veſpertinæ quomodo celebrandæ, 976.a.b
Veſtes ſacræ ad ſecularem vſum non adhibendæ, 925.a
Veſtes ſericæ à clericis non ferendæ, 683.a
Veſtes ſacræ in Miſſarum celebratione temporibus & diuinorum officiorum ritui conuenire debet, 978.a
Vicarius Epiſcopi qualis eſſe debeat, 1079.b
Vicarij diuinis laudibus decantandis vt interſint, adigenti, 700.b
Vicarij foranei, & eorum officium, 1106 a
Vicariorum in pontificalibus officium, 692.b
Vicariorum in Eccleſijs collegiatis officia, 760.a
Viclefus, eiusq; hæreſes, 666.b
Viclefitarum aliquot errores, 676.a.b.
Viclephiſtæ Concilio Cõſtantienſi damnati, 653.a
Vigiliæ quæ & quomodo celebrandæ, 934.a
Vigilantius hæreticus, eiusque dogma, 666.a
Virga Aaron quid myſtice, 650.a
Virgines in monaſterium à quibus & quoto ætatis anno recipiendæ, & explorandæ, 862.b
Virginem vel viduam monaſterium vel religionem ingredi compellens, anathemati ſubiectus, 861.b. volentes impediens, ibid.
Viſitatio eiusque ordo & finis, 1101. a. b. quibus, quando & quomodo inſtituenda & peragenda, 988. 989.
Viſitatorum munus, 989. 990.
Vitembergenſes contra Sacramentarios edictum promulgant, 879.b
Vitia quibus modis potiſſimum vitentur, 1081.a
Vltimarum voluntatum commutatio quando fieri poſſit, & à quibus cognoſcenda ſit, 846.b
Vnctio in ordinatione ſacerdotum neceſſaria & vtilis, 848.a
Vnctio extrema, 673.a. 736.a
Vnctio extrema, 716.a
Vngarorum fortitudo, 579 b
Vnitas Eccleſiæ diligenter conſeruanda, 632.b
Vocatio extraordinaria præconis verbi diuini quomodo probanda, 379.a
Voluntas Dei duplex ſigni & bene
quot modis intelligatur,
Vormatienſe colloquium,
Vota monaſtica, & eorũ inſtitutum
quomodo ſoluenda,
Vota tria perfectionis, & quæ,
Vrbanus II. Concilio indicto expe
promouet, & Antiochiam & Hie
cipit,
Vrbanus VII. Papa eiusque vita,
Vrbini Duces à quo creati,
Vſuræ coercendæ,
Vſurarij in ſepulturam eccleſiaſtic
nus ſint tradendi,

Z.

ZIzimus Turcarum tyranni
Romam adductus,
Zuinglius quando hæreſim
rit,
Zuinglianorum cum Lutheranis diſ

INDEX LO RVM S. SCRI ræ fuſius explica torum.

E VETERI TESTAM

NVm. 18. *de Tribus Leui nihil poſſ habebant partem inter eos,*
Deut. 4. *Non addetis ad verbum quæ, neque auferetis ex eo,*
Pſalm. 47. *Deus in domibus eius cognoſce piet eam,*
Hier. 31. *Nouum faciet Dominus ſuper te ritetam dabit virum,*
Pſalm. 47. *Magnus Dominus & laudabi nitate Dei noſtri, in monte ſancto eius,*
Eccleſ. 3. *Cor durum malè habebit in nouiſſ*

E NOVO TESTAME

MAtth. 8. *Si te non audierit, dic E tem Eccleſiam non audierit, &c.*
Matth. 18. *Super hanc Petram æd ſiam meam & portæ inferi non præualet eam, &c.*
Matth. 17. *Nihil impoſſibile erit vobis,*
Matth. 18. *Quodcunque ligaueris ſuper terr tum & in cœlis,*
Luc. 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & re multorum,*
Luc. 8. *Qui in corde bono & optimo audie verbum, & fructum afferunt in patienti*
Luc. vlt. *Accepit panem, benedixit, fregit, illis,*
Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſang eſt potus, &c.*
Ioan. 6. *Niſi manducaueritis,*
Ioan. 20. *Accipite Spiritum S. quorum re cata, remittuntur eis, & quorũ retinueri*
Rom. 5. *Iuſtificatur homo per fidem gratis,*
1. Corinth. 5. *Paſcha noſtrum immolatus* 257.a.
1. Cor. 10. *Omnia in figuram contingebant i*
Tit. 1. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe,*
Actor. 2. *Erant autem perſeuerantes in doc lorum & communicatione fractionis pan*
Actor. 20. *Attendite vobis & vniuerſo gr poſuit Spiritus S. Epiſcopos, regere Ecc acquiſiuit ſanguine ſuo,*
Apoc. vlt. *Si quis appoſuerit ad hæc, appon illum plagas ſcriptas quæ ſunt in libro iſto minuerit, &c.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

E. SALVA[illegible]
RESTAURO
Via Val Sassina, 58
Tel. 893.223
Digitized by Google

Digitized by Google